BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVI
F
15
NAPOLI

~~L. 101. 7.~~

XLVI.
P.
15.

SETHI
CALVISII
OPUS
CHRONOLOGICUM
AD ANNUM CHR. MDCLXXXV
CONTINUATUM.

4 . 15

SETHI CALVISII
OPUS CHRONOLOGICUM,

AD ANNUM MDCLXXXV. CONTINUATUM,

Cui præmiſſa eſt

ISAGOGE CHRONOLOGICA,

& ſubjuncta appendix

EPISTOLARUM ET JUDICIORUM

de hoc Opere, nec non controverſiarum Chronologicarum,

nunc primum

ex MSC. CL. Autoris collectarum.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI FRIDERICI

DUCIS SAXONIÆ JUL, CLIV, AC MONTIUM &c. &c.

cum Indice perſonarum & rerum geſtarum copioſo.



FRANCOFURTI AD MOENUM ET LIPSIÆ
APUD CHRISTIANUM GENSCH.
ANNO MDCLXXXV.

NAPOLI

XLVI.
F
15



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO,

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, PRINCIPI HENNEBERGÆ, COMITI MARCÆ ET RAVENSBURGI, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN ET TONNA,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

VITAM, SALUTEM ATQUE FELICITATEM PERPETUAM!

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME.

NOn prolixo utar verborum circuitu excuſandæ audaciæ, cujus propter inſcriptionem operis hujus forſan argui poteram. Sive enim librum, ſive meam ſortem ac animum TIBI, DOMINE, obſtrictiſſimum reſpicio, cauſas inſtituti hujus mei omnino graves invenio. Autor libri, Calviſius, quem illuſtris Scaliger magnis elogiis ornat, non ſolum temporum doctrinam eo complexus eſt; ſed & ſummas rerum, inde ab orbe condito geſtarum, magna induſtria juxta ſeriem temporum, certis characteribus ſignatorum digesſit: ut uno velut intutu contemplari liceat, quæ Reges olim, ac Principes magni etiam proximis temporibus geſſerunt. Cum quibus ut TU paria facis DOMINE, in pleriſq; multis; ſic multos eorum pietate, juſtitia, clementia & liberalitate ſuperas: dum non tantum omnibus prodeſſe & rempublicam ac patriam tueri quotidie laboras; ſed, quod rarum hodie eſt, rem literariam benigne juvare, non infra faſtigium Tuum cenſes. Quæ raræ in TANTO PRINCIPE virtu-

virtutes merentur ab aliquo *Thuano* illuſtri potius annalibus mandari, quam a me heic tantum nominari: qui ſatius duco, benefacta Tua ſecreta adoratione ſilere, quam pauca de illis dicere. Quanquam hoc ipſo humillimum ſimul animum teſtari conſtituerim. Quia Tuæ benignitati DOMINE INDULGENTISSIME debeo, quod hunc librum luci iterum publicæ, cum inſigni augmento, exponere potuerim. Cujus ergo potius nomen in fronte gerat, quam PRINCIPIS adeo BENIGNI, cujus auſpiciis denuo prodit.

Accipe igitur eum ſereno vultu, ceu pignus devotisſimi cultus & obſequii mei, ac lumen illi de Tuo ſole concede. Ego ſupremum Numen devotisſima mente precor, ut non ſolum hunc currentem tranſigas annum feliciter, ſed in ſeros etiam ſuperes annos ſalvus, integer, felix: DOMUSQUE TUA EXCELSISSIMA novis ſubinde aucta incrementis vigeat, floreat ac perſtet ad illum usque diem, qui hoc univerſum hauriet & tempus abolebit.

T. SERENISS. CELSITUD.

humillimus ac ſubjectisſimus

ſervus

Francofurti ad Mœnum Cal. Maj.
A. CHR. MDLXXXV.

Chriſtianus Genſchius.

PROGRAMMA
RECTORIS ACADEMIÆ LIPSIENSIS
IN FUNUS B. AUTORIS.


CLauſit diem in his terris ſupremum in vera Chriſti σωτῆρος agnitione ejusque nominis ſanctiſſimi invocatione ſeria atque ardenti Vir Eximius & literatiſſimus SETHUS CALVISIUS, Chori Muſici Magiſter, ac Collega docentium in Schola Senatoria Thomana meritiſſimus; ſuoque diſceſſu ex hac vita beato, non ſolum præſidio inſigni familiam; ſed & Rem literariam ſalutari organo, & Scholam Urbemque hanc ipſam ornamento ſingulari nudatam reliquit. Si quis enim eſt, qui levem ducit hanc jacturam, quam in piè defuncto Respubl. fecit, eum profectò vel non intelligere neceſſe eſt dignitatem neceſſitatemque nobiliſſimarum ſcientiarum & Artium, quibus ille antecelluit in vita; vel labores illius ignorare in hoc genere eruditiſſimos, quibus non ſolum moroſis in noſtra gente Ariſtarchis & Cenſoribus, ſed etiam ingeniis Nationum exterarum politiſſimis ſatisfecit. Errant autem illi vehementer, qui artes bonas & literas uſque adeo deſpicatui habent, ut columnas ſocietatis humanæ, Rerumque publicarum fundamenta, ſolos eos arbitrentur, qui rebus communibus præfecti ſunt in vita civili, quique operam in hoc genere ſalutarem & utilem Reip. navant; cœteros quoscunque literarum & ſapientiæ ſtudiis, intra Scholarum & Academiarum Pomœria, deditos parum exiſtiment ad publicam ſtabiliendam rem, firmandamque inter homines ſocietatem, emolumenti ac roboris afferre. Neſciunt illi, rivos omnis ſapientiæ Politicæ, ex hiſce manare fontibus: Neſciunt hoc lumine ſcientiarum & artium (quod olim ſapientiſſimus ajebat Imperator,) totum mundum illuſtrari. Nec dubium eſt, divinitùs ſubinde excitari ac regi bona quædam ingenia, ut horum ſtudiorum dulcedine capiantur; &, cum ad dignitates alios plerosque videant adſpirare & emergere ampliſſimas, ipſi tamen in hoc, quamvis ſpreto, conſeneſcere ſtudiorum genere, & Deo hominumque utilitati, vel in imis ſubſelliis ſervire malint. In hoc numero fuiſſe noſtrum quoque CALVISIUM jam μακαρίτην notum nobis omnibus eſt. Hunc igitur ut viventem, ob ingenii dona, merito amavimus; ſic defunctum hoc tempore exiſtimamus grata & honorifica proſequendum memoria & teſtificatione τῆς συμπαθείας Chriſtiana atque ſincera; quam ſimul & muneris noſtri ratio & ipſa quoque pietas à nobis & dilectio Chriſtiana flagitat. Natus eſt ille, (ut accepimus) in pago Gorſchleben prope Saxoburgum, arcem Thuringiæ non ignobilem; anno Chriſti ſupra milleſimum, quingenteſimum, ſexto & quinquageſimo, die XXI. M. Februarii, parentibus honeſtis quidem ac probis, ſed non magna cum re; ſicut de Ennio quoque alicubi Cicero meminit. Pater fuit JACOBUS Kalwitz / loci illius incola, vir bonus, qui quoad vixit, ruſticis operis ſe ſuosque laborioſè & difficulter, attamen honeſtè ſuſtentavit: Mater ELISABETHA Krumin / honeſta quoque fœmina, quæ poſt mariti obitum ad puerperia iis in locis eſt adhibita feliciter annos ſupra XXX. Ab hac matre ſua, cum morte præmatura patrem amiſiſſet, ſtatim

ſtatim ab ineunte ætate ad diſcendas bonas literas & imbibenda religioſæ pietatis initia, adhibitus eſt in patria: ac cum ingenio valeret, diligentiamque ipſe adjungeret, brevi tempore profecit tantum in ludo patrio, ut inde diſcedens Grammaticè loquendi & ſcribendi facultatem qualemcunque ſanè tolerabilem, pro ætate ſecum auferret. Impetraverat enim hoc à Matre paupercula piè defunctus, ut in Scholam quampiam aliam, doctrinæ uberioris capeſſendæ gratia, mitteretur; cum non deeſſent interim, qui arti cuidam manuariæ ipſum deſtinarent. Primùm verò Francohuſum venit, anno ætatis XIII. cumque triennium ibi vixiſſet Magdeburgum; quo utroque in loco, ob paupertatem vitam aliquamdiu parcè & duriter egit, donec tandem Muſices uſu, cum oſtiatim cum æqualibus ſtipem colligeret, paulo ſe tolerabiliùs ſuſtentaret. Sic tamen uſus eſt tum eâ commoditate, ut non omne id, quod Muſica daret, ventris ſtatim ingluvie perderet; ſed comparcendo & genium defraudando ſuum, peculium in ea tenuitate confecit tantum, ut exacto Magdeburgi ſeptennio in Academia Julia, quæ eſt Helmſteti, ſemeſtre ſuis ſe ſumtibus ſuſtentare poſſet. Contulit verò ſe in Academiam illam anno LXXIX. ætatis XXIII. Sed altero ſtatim anno in hanc conceſſit Academiam, ubi quorundam interceſſione, brevi receptus in numerum Alumnorum Illuſtriſſimæ munificentiæ; & rurſum in ſequenti anno Repetentium (ut tùm appellabantur) adſcriptus ordini, & Cantionibus ſimul in æde Paulina præfectus eſt. Cumque hoc modo innoteſceret in Academia ſingularis ipſius eruditio atque induſtria, vix iterum annus abiit, cum Reverendi Collegii Theologici commendatione deſignatus eſt Cantor in illuſtri Schola Portenſi ad Salam; anno nimirum LXXXII. M. Novembri. Huic muneri ſatis laborioſo & moleſto præfuit annos ferme duodecim eâ fide & diligentia, ut in erudienda juventute Scholaſtica, ſuo loco, bonorum omnium expectationi ſatisfaceret. Publicavit in ea ſchola Melopœian, ex veris Muſicæ fundamentis extructam, veluti primitias laborum ſuorum, quæ etiam multorum applauſu exceptæ ſunt; cum ea de re pauciſſima & illa quidem minus ſcientiæ huic congruentia præcepta, id temporis exſtarent. Præter artem verò Muſicam, initia quoque Hebrææ Linguæ, in eadem Schola piè defunctus docuit, operamque in eo genere navavit diſcentium ſtudiis utiliſſimam. Sed cum maximè Hiſtoriarum lectione delectaretur, ſimul animum ad Chronologiæ ſtudium appulit, & quicquid temporis ab ordinariis laboribus reliquum ei fuit, id ſolum eò contulit, ut illius ſcientiæ fontes veros ex JOSEPHI SCALIGERI, viri incomparabilis, eruditiſſimis libris, de emendatione temporum hauriret. Cœpit ergò tùm rudimenta ponere Chronologici operis egregii, quod poſtea conſummatum hîc Lipſiæ, non ſine magna doctorum omnium approbatione in lucem prodiit. Exacto demum in Schola Portenſi undecennio cum anni ſemiſſe, vocatus eſt ab Ampliſſimo hujus Urbis Senatu ad Chori Muſici gubernationem in Schola Thomana; anno videlicet poſt M.D. nonageſimo quarto, M. Majo. Qua in provincia jam annos ſupra XXI. eam probavit huic urbi, in arte Muſica, ſolertiam ac induſtriam; Scholæ Thomanæ in erudienda juventute fidem atque diligentiam, toti denique literatorum ordini in ſecretioribus præſertim Aſtronomiæ ac Chronologiæ ſtudiis, ingenii acrimoniam judiciique dexteritatem; ut ſi pares aliquos in hoc genere, ſuperiores ſane hoc ævo perpaucos, habuiſſe videatur. Extant illius Muſicæ Exercitationes diverſæ, ex ſolidis hujus ſcientiæ principiis deductæ; & par-

& partim ad tyrones in hac arte rectè & ſolerter informandos, partim ad uſum in vita privata & publicis Eccleſiæ congregationibus egregiè accommodatæ. In his ſunt Bicinia ſacra, quæ multorum in manibus verſantur: Cantiones item Eccleſiaſticæ IV. vocum harmonia contrapuncto (ut vocant) ſimplici exornatæ; quarum uſus non tantum publicè frequentiſſimus eſt hîc & alibi, ſed etiam in privata & domeſtica vita, ubi ad excitandam in animis alacritatem, ante & poſt cibum, ſecundum Apoſtoli præceptum, non ſine fructu pietatis eximio, à multis uſurpantur. In ſuperioribus illis ſcientiis, Aſtronomica & Chronologica, quantum antecelluerit noſter ὁμακαρίτης, ſatis oſtendit illius Chronologia, inchoata jam olim in illuſtri Schola Portenſi; ſed hîc demum abſoluta, atque annis abhinc decem in lucem edita; quam ejusmodi firmavit demonſtrationibus, ut non ſolum in tota Germania, ſed etiam apud exteras Nationes mirificè commendata illius ſit induſtria; nec quisquam in tantis Chronologorum diſſenſionibus inventus ſit ab eo tempore, qui jure falſitatis eam arguere aut convincere Aſtronomica veritate potuerit. Extant in hoc genere doctiſſimorum hominum D. Parei, Reuſneri, Kepleri commentationes atque epiſtolæ Chronologicæ eruditæ, quibus oppugnata quidem vehementer Calviſiana Chronologia, attamen expugnata minimè fuit. Nec dubium eſt, novam illius editionem, quam piè defunctus magno labore, nec fortè ſine diſpendio valetudinis hactenus adornavit, plenius ac clarius omnia, quæ in controverſiam trahi poſſe viſa ſunt, propediem exhibituram eſſe. Chronologiæ acceſſit abhinc triennio Elenchus Calendarii Gregoriani, opus non minus eruditum atque egregium, in quo non ſolùm plurimos Calendarii Pontificii errores Calviſius noſter evidentiſſimè demonſtravit; ſed etiam novam Calendarii formam, multò meliorem atque expeditiorem, propoſuit. Dignus ſane labor, non remuneratione ſolùm egregia, ſed qui finem etiam optatum, in hoc deformi temporum componendo diſſidio maturè conſequatur. Quia verò ad labores Scholaſticos piè defuncti opera conducta erat; idcircò, ne inter Chronologicas occupationes, ſuo officio, in erudienda juventute, deeſſe forte videretur, Theſaurum linguæ Latinæ horis ſubſecivis confecit, abhinc quinquennio; Librum ſane utiliſſimum pro inſtituenda pueritia; cum in eo omnia, quæ noſtra Lingua proponuntur, ut Latina fiant, in magna copia ex optimis Linguæ Latinæ Autoribus, præſcripta ſint, atque etiam expeditiſſimè inveniantur. Addidit deinde Enchiridion Lexici Latino-Germanici, abhinc biennio, ne quidquam eſſet, quod remorari ſtudia diſcentium ullo modo poſſet. Ad hoſce autem labores ſuſcipiendos ac continuandos, tùm alia ei incitamenta fuere; tum id non minimum, quod ante annos circiter duodecim, cum caſu quodam vulnus accepiſſet in genu dextri pedis, annuo fermè ſpacio affixus lecto, egredi domo haud potuit. Quare omne id tempus in ſtudia privata contulit, faſſusque eſt ipſe Calviſius ſæpenumerò, infortunium iſtud ad incrementa ſtudiorum ſibi plurimum profuiſſe. Prætereundum & hoc minimè eſt, cum piè defuncti ex ſcriptis editis paſſim innotuiſſet doctrina atque eruditio, operam illius à diverſis Academiis & Rebuspublicis ſeriò expetitam fuiſſe. Teſtis eſſe poteſt inclyta VVittenbergenſis Academia, quæ Profeſſionem ei Mathematum obtulit paucis abhinc annis; Francofurtana item, quæ ſimiliter honeſta conditione, uti ipſius opera voluit. Mitto jam urbes & Reſpubl. diverſas, quæ itidem honeſtis ſtipendiis piè defunctum ad ſe invitarunt.

Sed

Sed maluit hîc in ſtatione humili, attamen honeſta & tolerabili, conſeneſcere quam honores & titulos alibi ſplendidiores ſequi. Ad vitam privatam & domeſticam quod attinet, ſatis conſtat omnibus frugaliter ipſum atque honeſtè cum ſuis vixiſſe. Conjugem habuit MAGDALENAM Viri quondam optimi & integerrimi JOHANNIS JUNGEN, civis Lipſienſis, filiam, fœminam optimam, quam duxit anno ſupra M. D. XCV. die X. M. Februarii, Virginem id temporis piam & honeſtam, at nunc viduam, hujusce funeris ſpectatricem mœſtiſſimam. Cum hac Conjuge ſua vixit in pacato & tranquillo ſuavique conjugio annos XXI. & ex ea tres ſuſcepit filios, unamque filiam, è quibus deceſſit unus filiorum admodum infans. Reliqui ſuperſtites in literis exercitiisque pietatis & virtutis honeſtè liberaliterque educantur. Decumbere verò cœpit pie demortuus jam aliquot ante menſes, febri correptus quartana, quæ ferè Epidemia nobis, hiſce præteritis æſtivis menſibus fuit. Hæc cum Pharmacis expugnari nullo modo poſſet, vires ægrotantis ſenſim attrivit ac conſumſit; Ex quo tabes conſecuta vitæ ſimul atque ærumnarum omnium ei finem attulit die abhinc IV. circa horam VII. matutinam; poſtquam prius animam Redemtori ſuo CHRISTO JESU inter preces devotas & pia ſuſpiria commendâſſet, anno ætatis ſexageſimo. Quoniam igitur hodierno die hora I. pomeridiana uſitato ac Chriſtiano ritu corpus exanime *τῦ μακαρίτυ* ad ſepulturam efferetur, hortamur univerſos ac ſingulos, qui noſtram agnoſcunt jurisdictionem, ut frequentes eo tempore in area, quæ eſt ad Templum Thomanum, conveniant, & funus hoc nobiſcum honorificè proſequantur. Quod humanitatis officium poſtremum ſua ſponte omnes & ſingulos viro huic optimè merito, idque libenter & cupidè præſtituros eſſe omninò confidimus. P. P. die XXVII. M. Novembr. Anno CHRISTI M.DC.XV.



Charta habet Effigiem hic CALVISI: dextera Librum,
In quo CALVISIUM Terra Poliq; vident.
Patria vidit eum: sed eum tam Patria vidit,
Quàm Peregrinorum Lumina clara vident.
Terra Virum deflet! deflent Hunc Sidera! deflent
Tempora! deflent Hunc Musica Castra Virum!

I. Kilian

NAPOLI

ISAGOGE CHRONOLOGICA,

In qua

NON SOLUM TEMPUS ASTRONOMICUM DE NUMErandis motibus Luminarium cæleſtium, & eorundem Eclipſibus, breviter & perſpicuè docetur: Sed etiam tempus in hiſtoriis Politicum, ſive quantitates & formæ annorum & menſium, in quibusvis Epochis dilucidè explicantur; Characteres annorum infallibiles oſtenduntur; Chronologorum quorundam errores deteguntur; & quid in unaquaque Epocha verum falſumve ſit, ex fundamentis veris Chronologicis demonſtratur.

Proœmium.

PRæclare omninò de genere humano promereri mihi videntur, qui tempora rerum geſtarum digerere, ſupputare, demonſtrare, & aliis ob oculos ponere conantur. *Temporis enim annotatio lux veritatis eſt, & anima quaſi Hiſtoriæ, & diuturnitatem ejus, memoriamque rerum geſtarum ſola conſervat & tuetur. Contra vero, apud quos ratio temporis non cohæret*, ut Tatianus vetus in Eccleſia ſcriptor ait, *apud illos neque veritatis, neque fidei hiſtorica ratio ulla conſtare poteſt.* Quantum igitur tàm præſtat vera Hiſtoria fabulis: quantò plus etiam emolumenti Rebuspubl. atque ita univerſo generi humano ex vera hiſtoria, quàm ex fictis iſtis narrationibus accedere poteſt; tantum ſibi vel ſola Chronologia vera aſcribit. Hoc cùm intelligerent præclari ingenii homines, quovis tempore tàm apud Ethnicos, quàm apud Chriſtianos, multum operæ & ſtudii in eruendis temporum rationibus, & in conferendis ſive comparandis invicem diverſarum Epocharum annis poſuerunt. Sed veterum Chronologorum labores, ut Ephori, Eratoſthenis, Thalli, Caſtoris, Apollodori, Thraſilli, Phlegontis, Africani, &c. temporum injuria interciderunt. Pauca tantum eorum fragmenta apud Dionyſium Halycarnaſſeum, Clementum Alexandrinum, & inprimis apud Euſebium, quæ Joſephus Scaliger in Theſauro temporum Euſebiano, multo ſtudio collegit, ſuperſunt; ex quibus utcunque antiquioris temporis collecta ratio apparet. Secuti poſtea ſunt alii, ut Euſebius, Hyronymus, Victor Tunnenſis, Johannes Bielarienſis, Idacius Lemicenſis, Marcellinus Comes, Beda, Hermannus Contractus, & alii, qui utilem operam in eadem re navarunt, & veterum veſtigiis rectè inſtiterunt.

Noſtro ſeculo plurimi immenſo labore Chronologiam integrè reparare, diverſos diverſarum Epocharum annos inter ſe conferre, & continua ſerie annos à condito Mundo ad noſtra usque tempora deducere conati ſunt, non ſine magno Reipubl. literariæ fructu. Plurima enim & difficillima Hiſtoricorum loca magna felicitate explicarunt, obſcuriora declararunt, & recentioribus rectiùs de omnibus judicandi viam monſtrarunt. Sed tamen hi ferè omnes, dum ſuas quisque opiniones ſequuntur, & ſuis conjecturis innituntur, in diverſiſſimas ſententias abeunt, & res Chronologicas infinitis ambiguitatibus involvunt, ita ut inter tot Chronologos rariſſimè duo de una eademque re conſentiant: adeò ut & proverbium increbuerit à Chronologis deſumptum, de hominibus nunquam inter ſe conſenſuris. Quo factum eſt, ut Chronologiæ ſtudium minus honorificè, quam pro ejus merito habeatur, & ſtudioſi hujus rei à lectione unius aut alterius Chronologi multo incertiores ac indoctiores redeant, ac fuerunt dudum. Cauſa verò hujus diſſidii videtur, non quod parum diligentiæ in hac re tractanda adhibuerint, ſed quòd adminiculis ad hanc rem tractandam neceſſa-

PARS PRIMA ISAGOGES, DE TEMPORE ASTRONOMICO, IN NUMERANDIS MOTIBUS LUMINARIUM cœleſtium, Solis & Lunæ; & eorundem Eclipſibus.

CAPUT I.

De Tempore Aſtronomico & Politico in genere, & quomodo à Scaligero in hac Chronologia diſceditur.

CHronologia *eſt notatio temporis geſtarum memoria illuſtrata*: Duæ ejus ſunt partes, Chronographia ſcilicet, & Canonica, ut vult Joſephus Scaliger in animadverſionibus in Euſebium pag. 4. quando ait: *Prior Pars Chronologiæ, quam Chronographiam appellant, intervalla temporum & Epochas examinat, priſca Tabularia diſcutit, fontes antiquitatis recludit, priorum Scriptorum aut errores tollit, aut ſequius dicta emendat, aut obſcura illuſtrat: metas & terminos intervallis ponit, incerta à certis diſtinguit, ubi ab hiſtoria nullum eſt auxilium, ab Aſtronomia petit, totius ſumma ac diſputationis definita capita & annos collectos, à certo & indubitato initio ad certum finem perducit. Altera verò pars Canonica, quæ in priore parte per demonſtrationis & argumentorum neceſſitates & hiſtoriarum teſtimonia in genere collecta ſunt, ſigillatim & per annos expanſos, ac ſeries ſuas digerit, Archontes cum Conſulibus annotat, Reges cum Cæſaribus, Externa cum Vernaculis confert, &c.* De priori parte in hac Iſagoge Chronologica agemus; alteram poſt adjungemus.

Porrò *tempus eſt menſura cœli*, hoc eſt, motus cujusdam ſideris à dato puncto cœli ad idem punctum. Sic à motu Solis annus definitur, videlicet Solis, à dato puncto ad idem punctum Converſio. Similiter Lunæ converſio menſis appellatur. In Luna igitur menſium rationes ſequimur: In anno verò rationes Solis. Cum itaque manifeſtum ſit, Chronologiæ fundamenta ex ſola Aſtronomia peti: confectarium eſt, Chronologiam ab aliquo rectè tractari non poſſe, qui ſit Aſtronomiæ imperitus: & temerarios ac impudentes eſſe, qui de tempore digerendo pronunciare audent, cujus rationem ipſi ignorant: quorum tamen multos ætas hæc noſtra fert, ut & antea tulit. Hoc tempus autem Aſtronomicum appellatur, & tantùmmodò ex tabulis Aſtronomicis petitur, & temporum quantitates, initia, & fines exactè in diebus, horis & minutis tradit. Ex hoc tempore Aſtronomico derivatur aliud, quod tempus Politicum appellatur, cujus ratio ita temperata eſt, ut inſerviat uſui Politico, ut à rudi plebecula etiam numerari poſſit. Etſi autem hæc ratio temporis ita exacta non eſt, ut Aſtronomiæ omnibus ſuis partibus conſentiat; à conditoribus tamen ejus, ut plurimum ita factum eſt, ut adhibita intercalatione, aut omiſſione aliquot dierum, cum Aſtronomico in certis periodis paria faciat. De hoc politico tempore poſtea in Epochis agemus. Jam ad Aſtronomicum, quod natura prius eſt, accedimus.

Cæterùm cùm promiſerim, me Scaligerum in hac Chronologiæ parte ſecuturum, & verò ipſe tempus Aſtronomicum ad Calendarium Judaicum deduxerit. Ego contrà, relicto Calendario Judaico, in deducendo tempore Aſtronomico rationem Tychonis Brahe, in reſtitutione motuum Luminarium cœleſtium traditam, præferam, cauſa reddenda eſt, cur hac in parte ab ipſo diſcedendum exiſtimaverim.

De Calendario Judaico Joſephus Scaliger libro ſeptimo emendationis temporum pagina ſexcenteſima ita pronunciat: *Methodum computi Judaici argutiſſimam & elegantiſſimam eſſe, nemo harum rerum paulò peritior inficiabitur. Quoties ſcripta Judæorum lego, ſuccurrit mirari, quomodo tàm perfecta methodus potuerit excidere hominibus, qui quaſi conſultò videntur ignorationem omnium bonarum rerum profiteri, &c.* Hoc verum eſſe nemo ambigit. Nemo enim noſtrorum Aſtronomorum motum longitudinis Lunæ à Sole æquabilem eadem facilitate tabulis comprehendere potuit. Accedit præterea, quod ipſe Scaliger hanc methodum longè meliorem & faciliorem reddidit in tabulis Calendarii Judaici, libr. 2. Emendationis pag. 123. quæ tabulæ poſtea mihi facem alluxerunt in tabulis omnium mediorum motuum, non ſolùm Luminarium, ſed & omnium Planetarum conformandis, de quibus poſt agemus. Sed ad rem. Etſi ut dixi Calendarium Judaicum elegantiſſimum eſt, ab eo tamen diſcedendum putavi. Primum, quia Epilogiſmus menſium ejus juſto major eſt, ita ut quantitatem menſium Lunarium ad rationem Tychonicam excedat minutis tertiis duodecim, ſed ad Copernici tabulas tantùm novem, ut & ipſe Scaliger idem affirmat eodem in loco, pag. 600. Hæc duodecim minuta excreſcunt in annis 25. ad minutum primum: & hoc modo novilunia in Calendario Judaico in annis 1500. integra hora aberrant, qui error poſtea omnem computandarum Eclipſium rationem, quæ tamen in Chronologicis maximè neceſſariæ ſunt, excludit.

Deinde, quia methodus Calendarii Judaici, ut in Computo Judaico, ita & apud Scaligerum, imperfecta eſt. Nullum enim certum diem Noviluniorum exprimit in Calendario Juliano, ſed tantùm definit feriam diei alicujus, horas item & ſcrupu-

ſcrupula: ita ut planè neſcias, quo menſe Juliano idem Novilunium accidat. Unde fit, ut à verò menſe quandoque aberretur: quod & ipſi Scaligero accidit, libr. 2. Emendationis, pag. 85. ubi bis in eodem anno, in menſe deſignando aberravit. Pro Neomenia enim Adar, ſumſit Neomeniam Niſan, eamque fixit in die 24. Februar. cùm deberet in 24. Martii figi. Character enim Neomeniæ Adar in anno Judaico 3467. in die 24. Febr. eſt, fer 6. hor. 21. 886. qui Aſtronomica ratione profertur in ſequentem diem, in feriam ſeptimam. Sed ipſe ſumpſit Characterem, fer. 1. 12. hor. 599. qui pertinet ad Neomeniam Niſan, diem 24. Martii. Sic eodem anno & eadem pagina pro Neomenia, Cisleu, cujus character eſt fer. 2. hor. 7. 667. die 26. Novembris, ſumpſit Neomeniam Thebeth: & hunc errorem imputat poſtea codici. Meritò igitur Calendarium Judaicum in computando tempore Aſtronomico eſt rejiciendum.

Recedo etiam à Scaligero in eo, quòd is ad omnes ferè Epochas motus Lunaris tabulas novas inſtituerit; ergo contra ad unicam formam annorum Julianorum, quibus omnes aſſuevimus, tabulas motuum cœleſtium tantùm propono: propter hanc cauſam, quòd neceſſum eſt in Chronologicis, ut omnium Epocharum anni, menſes & dies, ut certum quid definiri poſſit, ad annum Julianum ante omnia reducantur; quo facto, nemo non videt, motus luminarium etiam ex iisdem tabulis, ad Calendarium Julianum factis, facillimè haberi poſſe; cùm contrà in diverſis tabulis, in aliis atque aliis Epochis, & quod neceſſe eſt, etiam in methodis diverſis, motus cœleſtes vix magno labore inveſtigari poſſint, cùm ſtudioſi diverſitate tot & tantarum rerum turbentur, & aliàs mathematicæ diſciplinæ, niſi quotidiè exerceantur, facillimè animo excidant, & tot tabulæ ita ſemper de integro quaſi addiſcendæ ſint. Sic in aliis plerisque, etſi re ipſa conſentio cum Scaligero tamen methodo ferè differo, quòd facilitatem, certitudinem & perſpicuitatem, quantum potui, ſemper ſequi conatus ſum: de qua mea induſtria judicet æquus lector.

CAPUT II.

De Tabulis ad tempus Aſtronomicum cognoſcendum neceſſariis.

DOctrina de ratione numerandi tempus Aſtronomicum ab Aſtronomis ex profeſſo in peculiaribus libris traditur, nec in Chronologicis rebus propriam ſedem habet; Ideò ab Aſtronomis potiùs ea petenda videtur. At verò, cùm in Chronologicis ea doctrina maximè ſit neceſſaria, & Aſtronomorum libri in paucorum ſint manibus, vel propter difficultatem; vel etiam, quòd pauci in ea doctrina idoneos præceptores nacti ſunt: eam ego hic repetere volui, præſertim cùm & apud alios valdè confuſa ſit; Ego contrà, eandem tabulis brevibus comprehenderim, & methodo facillima & maximè perſpicua, & certa proponere & tradere poſſim. Tabulas igitur illas ad inquirendum tempus Aſtronomicum, in motu Solis & Lunæ neceſſarias, ordine proponemus.

Primum autem præmittitur Calendarium Julianum, ita efformatum, ut omnium Epocharum menſes ac dies ad certum in Calendario Juliano diem referri poſſint. Ideò dies non ſolùm in menſibus ſingulis numerantur, ſed etiam in unam ſummam à Calendis Januarii, usque ad finem anni colliguntur; & præterea literis etiam, quemadmodum in Calendariis uſitatum eſt, inſigniuntur, ut feriarum ratio, ſi ex Cyclo Solis litera Dominicalis detur, haberi poſſit. Ideò Cyclus etiam Solaris ad latus adjectus eſt cum literis Dominicalibus, ut & lunaris Cyclus, cum terminis paſchalibus, cujus uſus pòſt apparebit. Porrò diei intercalaris, in ſummis dierum, non neceſſe eſt hic haberi rationem. Nunquam enim apud veteres inter legitimos dies numeratus eſt; Cum ipſis menſis Februarius ſemper conſtaret tantùm viginti octo diebus; & ita intercalaris, ſi numerarent binis vicibus, ſexto calendarum Martii, abſorberetur. Quando tamen ejus ratio haberi debeat, declarabitur in explicatione primæ Tabulæ.

Jam ad ipſas tabulas accedemus, quarum priores quinque, ex quibus motus æqualis luminarium elicitur, conſtant quaternis partibus. Prima earundem pars dicitur Motus in annis expanſis, qui ſunt numero ſeptuaginta ſex, ab initio Mundi numerati, in quibus æquales motus luminarium in noviluniis paſchalibus per ſe exhibentur. Secunda verò pars tabulæ eſt annorum collectorum, quæ continet annos in una periodo collectos, & quævis periodus complectitur annos ſeptuaginta ſex, ſimul ſumptos. Per haſce periodos ad quævis tempora deſcendere poſſumus. Tertia pars tabulæ eſt menſium tantùm, quantum ſcilicet luminaria moveantur in ſingulis menſibus, non tantùm ſi Novilunia reſpicias, ſed etiam ſi plenilunia, aut eorum quadraturas conſideres. Quarta pars tabulæ exhibet motum luminarium, in diebus, in horis & minutis, atque ita priores quinque tabulæ hiſce partibus abſolvuntur, de ſingulis tabulis jam ſeorſim dicendum.

De Tabula prima.

AD obſervationem & demonſtrationem Nobiliſſimi viri Tychonis Brahe, Luna movetur in longitudine à Sole ſingulis diebus, ſive in horis viginti quatuor, gradibus 12. minutis primis 11. ſecundis 26. tertiis 41. quartis 32. quintis 0. ſextis 27. ſeptimis 13. unde oſtendenda eſt quarta pars tabulæ per unam hebdomadam: Hinc per diviſionem integri circuli eliciendus eſt menſis Lunaris, quanto temporis ſpatio compleatur, hoc modo. Dico, gradus 12. minuta 11. 26. 41. &c. conficiuntur à Luna die uno; quot diebus conficietur ab eadem integer circulus. 6. ſexagenarum ſive graduum 360. Si rectè numeraveris, prodibit quotus, ſive quantitas menſis Lunaris, videlicet dies 29. hora 12. minuta prima 44. ſecunda 3. tertia 8. quarta 32. quinta 10. ſexta 48. Hoc ſpatium ſi bis ſumſeris, habebis duos menſes; ſi ter, habebis tres menſes, & ſic deinceps. Qua ratione conſtituta eſt tertia pars primæ tabulæ unà cum feriis. Nam 29. dies complectuntur præter 7. ferias, reſidua manente, una, 59. ſepties 8. reſiduis manen-

manentibus tribus, &c. Inde perge ad Cyclum Lunæ computandum, qui eſt annorum novendecim Julianorum. In novendecim annis hiſce habentur menſes Lunares 235. Jam dico, unus menſis dat dies 29. horas 12. minuta prima 44. ſecunda 3. &c. quot dies dabunt menſes 235. Si rectè numeraviris, provenient dies 6939. feriæ 2. horæ 16. minuta prima 32 ſecunda 18. tertia 26. quarta 2. quinta 18. Anni autem Juliani 19. efficiunt dies 6939. & hora 18. ſinguli enim anni continent dies 365 & horas 6. Hinc ex collatione vides, quòd Luna non planè aſſequatur Solem in hiſce novendecim annis: ſed quòd, ſi ſumma Lunaris ex ſumma Solari ſubtrahatur, differentia ſit hora una, minuta prima 27. ſecunda 41. tertia 33. quarta 57 quinta 42. quæ quidem differentia non ita magna eſt, ut impediat, quo minus periodus inde conficiatur: fit enim inde periodus; ſed non ex annis novendecim, ſed ex quater novendecim annis, ſive ex annis 76. ut videlicet anni Juliani biſſextiles in ſuam ſedem legitimam revertantur; aliàs biſſextus alieno loco collocatus, totam periodum turbaret. Cùm igitur jam in uno Cyclo motus Lunarius à Sole differat hora una, minutis primis 27. &c. Ergò differet in quatuor Cyclis, horis 5. minutis primis 50. ſecundis 46. tertiis 15. quartis 50. quintis 48. atque ita habebis primam periodum. Inde ſi hanc periodum ſibi ipſi junges, efficies ſecundam periodum, annos videlicet 152. horas 11. minuta prima 41. ſecunda 32. tertia 31. quarta 41. quinta 36. Si huic ſecundæ iterum addideris primam, habebis tertiam periodum, annos 228. horas 17. minuta prima 32. ſecunda 18. tertia 47. quarta 32. quinta 24. & ſic ſemper progredi poteris usque in finitum, ſi neceſſe eſſet. Atque hoc modo conficitur pars ſecunda tabulæ, ubi, ut & in cæteris notandum eſt, quòd ferias dierum ſemper addiderim, ut eo certius deſignetur quodvis tempus motus Lunaris. Nam hoc modo quodvis tempus gemino charactere definitur, & binas ſuæ certitudinis notas accipit, feriam ſcilicet, & Cyclum Solarem, quæ in deſignando tempore convenire neceſſe eſt. aliàs facilime error ſuborietur, feriarum autem nomine intelliguntur dies in hebdomade, ut dies Solis dicitur feria prima, quia eſt primus dies in hebdomade, dies Lunæ eſt feria ſecunda; atque ita reliqui dies. Originem, ſic per ferias appellandi dies in hebdomade, traxit ex conſuetudine primitiva Eccleſia, quæ feſtum Paſchatos per continuam ſeptimanam celebravit.

Jam ut primam tabulæ partem etiam conficias, aſſumenda eſt autoritas ſummi illius correctoris Aſtronomiæ, Tychonis Brahe, qui dicit mediam oppoſitionem Solis & Lunæ anno Æræ Chriſtianæ 1601. ſive anno mundi 5550. menſe Novembri, die ejus 29. factam eſſe feria prima, horis 6. poſt meridiem minutis primis, 39. & ſecundis 50. hoc eſt, ſi ad meridiem Lipſienſem eandem oppoſitionem reducas, accidit ad Calendarium Julianum, die 333. à Calendis Januarii fer. 1. hor. 18. minut. primis 30. ſecundis 50. Eſt enim Hurna inſula, ubi Tycho ſcripſit, Orientalior Lipſia minutis novem. Horæ etiam hic omnes numerantur à media nocte; proinde horæ octodecim idem valent, ac ſi dicerem horis 6. poſt meridiem. Si jam ex hoc plenilunio ſubduxero novem plenilunia, quæ efficiunt dies 251. ferias 6. hor. 0. minuta prima 14. ſecunda 26. Novilunium paſchale eo anno accidit die 28. à Calendis Januarii, ſive die 23. Mart. fer. 2. hor. 18. & minutis primis 16. ſecundis 24. poſt mediam noctem. Jam verò nobis adeunda eſt ſecunda pars tabulæ, quæ eſt periodorum, ſive annorum collectorum; & eligenda periodus, quæ conveniat anno mundi 5550. Eaque eſt proximè minor, ordine ſeptuageſima tertia, annis notata 5548. quæ habet differentiam Solis & Lunæ dies ſeptendecim, ferias 5 horas 18. min. prima 46. ſecunda 17. quæ adduntur ad Novilunium Paſcha anni Mundani 5550. & fient dies 100. ſive dies 10. April. feria 1. hora 13. minuta prima 2. & ſecunda 41. Cùm verò jam annus Mundi 5550. differat ab anno periodi 5548. binario; dico, quòd anno ſecundo poſt mundum conditum, ſecundum Tychonis demonſtrationem, plenilunium paſchale acciderit die 10. April. fer. 1. horis 13. minutis primis 2. & 41. ſecundis poſt mediam noctem Lipſiæ. Ex hoc novilunio, ſi ſubduxero menſes Lunares tredecim, (eſt enim annus Embolimæus) invenio novilunium primi anni mundani, quod inciderit in diem 81. à Calendis Januarii, feriam 2. horam 15. minutum primum, 30. 0. inde iterum pergo ex anno ſecundo ad ſequentes annos, & addo vel duodecim menſes, vel tredecim, prout annus erit vel ſimplex, vel Embolimæus, obſervatis tamen diligenter annis biſſextilibus: Et ita conficitur prima pars tabulæ Noviluniorum paſchalium per annos ſeptuaginta ſex.

Tertia pars hujus tabulæ conficitur ex menſibus, ut ſupra habuimus, ubi menſis menſi additur, ut habeantur ordine menſes bini, terni, quaterni, &c. uſque ad decimum tertium: & hi titulo Noviluniorum notantur. Ut verò etiam plenilunium habeas, menſis unus, ſive dies 29. horæ 12. minuta 44. &c. dividuntur, in duas partes æqualiter, & habetur plenilunium primum, quod continet dies 14. ferias 7. horas 18. minuta prima 22. ſecunda 1. tertia 34. &c. Huic ſi jungas integrum menſem, habebis plenilunium ſecundum: atque ita deinceps. Ita quadratura Lunæ prima habetur, ſi ſumatur quarta pars menſis, quæ eſt dies 7. fer. 7. hor. 9. minuta prima 11. 1. Huic ſi addidero plenilunium, ſive dimidium menſem, habetur etiam quadratura ultima, dies videlicet 22. fer. 1. horæ 3. minuta prima 33. ſecunda 3. Notandum in hac tertia parte tabulæ, quòd in Noviluniis Luna à Sole non diſtet; ſed in plenilunio diſtat per ſemicirculum, per gradus 180. in quadratura prima per quartam partem circuli, per gradus 90. ſed in ultima quadratura per tres quartas circuli, per gradus 270.

Quarta & ultima pars tabulæ hujus, eſt diſtantia Solis & Lunæ, in diebus, horis & minutis. Exempli gratia, Luna diſtat à Sole die uno, gradibus 12. minutis primis 11. ſecundis 27. &c. Ergò in binis, diſtabit gradibus 24. minutis primis 22. ſecundis 53. & ſic deinceps. Sic etiam, ſi ad horas deſcendere velimus, differentia Lunæ à Sole elicitur in hora una: ſi dixeris, dies unus, ſive horæ 24. dimovent Lunam à Sole, gradibus 12. minutis 11. &c. quantum dimovebitur hora una, ubi invenies minuta prima 30. ſecund. 28. tert. 38. In duabus horis dimovebitur

vebitur gradu uno, & minutis ſecundis 57. & ita deinceps atque ita tabula Syzygiarum Lunarium tota confecta eſt. *Nota, quòd in conficienda tabula quantitas motus Lunaris per minuta etiam quarta & quinta eruenda fuit, ſed jam confecta tabula motus ille tantùm usq; ad minuta ſecunda deſcribitur, ut facilitati conſulatur, cùm ultra minutum ſecundum, quod vix momento oculi æquatur, hoc modo error committi non poſſit.*

Tabulæ ſecundæ, quæ eſt latitudinis Lunaris fundamentum.

EX demonſtratione Tychonis Brahe motus latitudinis diurnus eſt graduum 13. minut.13. ſecund.45. tert.39. quart.31. quint.33. ſex.2. Hinc extruitur motus latitudinis menſtruus. Si dixero Dies unus dat gradus 13. minut.13. &c. quid dabit menſis Lunaris, qui eſt dierum 29. horarum 12. min.44. &c. Sive, quod melius eſt, Si operatus fueris per minuta diei, dies ſcil. 29. min.31. ſecund.50. tert.7. quart.51. quint.20. ſext.27. Et provenient abjecto circulo 6. ſexagen. grad.30. min.40. ſec.13. tert.53. quart.38. quint.44. ſexta.25. Ex hiſce, ut in ſuperiori tabula factum eſt, fit tertia pars tabulæ hujus ſecundæ menſis enim menſi additus dat binos, &c. ſic dimidius menſis latitudinis exhibet motum latitudinis in plenilunio. Si integrum iterum addideris dimidio, habebis duo plenilunia; & ſic deinceps. In quadratura prima quarta pars menſis Lunaris ſumitur; in ultima, tres quartæ, ut in Syzygiis factum eſt.

Porrò ex menſe computatur Cyclus, ſi multiplicavero menſtruum ſpatium latitudinis in menſes 235. atque ita cycli quantitas, ſi integri circuli abjiciantur, erit grad.7. minut.34. ſec.25. tert.6. quart.43. quint.58. ſext.53. qui quater ſumptus exhibet periodum in gradibus 30. minut.17. ſec.40. tert.26. quart.55. quint.55. ſext.35. Atque ita periodus hæc ſibi addita, exhibet ſecundam; iterum prima ſecundæ addita, exhibet tertiam, & ita deinceps; atque ita etiam conficitur ſecunda pars Tabulæ.

Jam ut primam partem tabulæ habeas, iterum confugiendum eſt ad autoritatem Tychonis, qui dicit anno Æræ Chriſtianæ 1601. qui eſt annos Mundi 5550. die 29. Novembr. in plenilunio latitudinem fuiſſe ſexagenarum 2. graduum 54. min.36. ſec.7. Si hinc ſubduxero novem plenilunia, quæ faciunt ſexagenam unam, grad.20. min.41. ſec.58. relinquitur latitudo in novilunio paſchali ejus anni ſexagenæ 1. grad.33. minut.54. ſecund.9. Si & hinc ſubtraxero, quæ habentur ad periodum anni Mundi 5548. ubi ſunt gradus 51. min.30. ſec.13. relinquitur motus latitudinis in novilunio paſchali anni ſecundi à mundo condito, gradus videlicet 42. min. 23.56. Hinc fit prima tabula, quemadmodum antea in Syzygiis dictum eſt. Tandem eodem modo, ut in prima tabula factum eſt, quarta etiam pars hujus tabulæ conficitur, in motu latitudinis ad dies, horas & minuta.

Tabulæ tertiæ, quæ eſt Anomaliæ Lunaris fundamentum.

ANomaliæ motus diurnus eſt, ut habet Tycho Brahe graduum 13. minutor.3. ſecund.53. tertior.56. quartorum 20. quintorum 41. ſextor.41. ſeptimor. 51. Hinc colligitur motus Anomaliæ menſtruus ex quarta tabulæ parte planè, ut in præcedenti tabula factum eſt: Eſtque motus menſtruus, graduum 25. minutorum 49. ſecund.0. tertia 3. quarta 41. quinta 51. ſexta 35. Inde fiunt Novilunia menſtrua, & plenilunia, quadratura item prima & ultima. Poſtea tranſitur ad motum Anomaliæ in Cyclo, ſi dicatur menſtruus, motus eſt graduum 25. minutor.49. &c. quantis erit in menſibus 235. & habebis Cyclum unum, ſexagenar. 5. grad.6. minut.55. ſecund.14. tert.28. quartor.56. quint.23. Inde conjunges quatuor Cyclos, qui efficient, abjectis integris circulis, ſexagenas 2. gradus 27. minuta 40. ſecunda 57. tertia 55. quarta 45. quinta 32. & ſic habetur prima periodus: cui conjunge alias atque alias, donec ad noſtra usque tempora deſcendamus, & ita perfecta eſt tabula hujus pars tertia & ſecunda.

Inde iterum motus Anomaliæ ex certo aliquo tempore ſumendus eſt, & inde ad prima tempora mundi regrediendum. Tycho Brahe autem ſcribit, anno æræ Chriſtianæ 1601. ſive anno Mundi 5550. die 29. Novembr. in plenilunio æquali motum Anomaliæ fuiſſe ſexagen.2. grad.51. min.41. ſecunda 42. Hinc ſubtraho plenilunia novem, & reſtat Anomaliæ Lunæ in Novilunio paſchali iſtius anni ſexag.2. grad.12. minut.15. ſecund.12. Poſteà iterum ex his ſubducatur periodus ad annum Mundi 5548. quæ eſt ſexag.5. grad.40. minut.50. ſec.29. & habetur motus Anomaliæ in Novilunio paſchali anno poſt Mundum conditum ſecundo, ſexagenæ 2. grad.31. min.24. ſec.43. Et ut hoc loco ſubtractio fieri poſſit, aſſumendus fuit integer circulus, ſive ſexagenæ ſex, gradus videlicet 360.

Tabulæ quartæ, quæ eſt de motu æquali Solis fundamentum.

TAbulæ quarta & quinta eodem modo, ut præcedentes factæ ſunt, extruuntur: ideò breviùs agemus. Motus Solis diurnus ad quantitatem anni Tropici, qui abſolvitur diebus 365. horis 5. minutis 48. & ſecundis 45. eſt minutor.59. ſecund.8. tertior.19. quart.49. quint.51. ſext.40. ſept.15. ferè. Inde in menſtruo motu abſolvit gradus 29. min.6. ſecund.24. tertia 18. quarta 30. quinta 40. ſextæ 14. ſeptima 43. In Cyclo verò, præter integros circulos minuta 5. ſecunda 12. tertia 30. quarta 7. quinta 37. ſexta 38. Et quatuor Cycli, ſive periodus erit, præter integros circulos, qui non computantur, min. 20. ſec.50. tert.0. quart.30. quint.30. ſext.32. Ex hiſce, ut antea, fiunt ſecunda & tertia pars hujus tabulæ. Jam Tycho tradit in plenilunio æquali anni 1601. die 26. Novemb. Solis motum æqualem fuiſſe, ſexagenæ 4. gradus 38. minut.25. ſecund.42. ſubtractis jam novem pleniluniis, motus Solis in plenilunio paſchali erit graduum 7. minut.1. ſecundor.15. iterum ſubtractâ ex his periodo, quæ ad annum Mundi 5548. habetur, ſuperſunt, ſi addideris integrum circulum, ſexag.5. gradus 42. minuta 40. & ſecunda 24. & patet motus Solis æqualis in anno ſecundo à mundo condito, & in novilunio quidem paſchali: ultima tabulæ pars faciliùs conformari poteſt.

Tabulæ

Tabulæ quintæ, quæ eſt de Anomalia Solis, fundamentum.

TYcho tradit, Apogæum Solis progredi ſingulis annis minutis ſecundis 45. Ergò progredietur in annis novendecim minutis primis 14. & ſecundis 15. Porrò Anomalia Solis habetur, ſi Apogæum Solis ex motu ſimplici Solis ſubtrahatur. Fuit autem Cyclus motus Solis æqualis, præter integros circulos, minut. 5. ſecundor. 12. tert. 30. quart. 7. quint. 37. & ſext. 38. Si addidero integrum circulum, & Apogæum ſubtraxero, remanet motus anomaliæ Solaris, ſexagenæ 5. gradus 59. minut. 50. ſecunda 57. tertia 30. quarta 7. ſexta 37. ſeptima 38. Et quatuor Cycli, ſexagenæ 5. grad. 59. minuta 23. ſecund. 50. dabunt periodum. Menſis autem Anomaliæ erit gradus 29. minuta 6. ſecund. 21. tertia 6. quarta 35. &c. & diurnus anomaliæ motus erit minutor. 59. ſecundor. 8. tertior. 12. quart. 26. Prima autem tabula ex autoritate Tychonis formatur, qui annotat Apogæum Anno 1601. in plenilunio, medio die 29. Nov. ſexag. 1. gradus 35. minut. 40. ſecunda 26. quæ ex æquali motu Solis ſubducta, dant Anomaliam illius plenilunii ſexag. 2. grad. 42. minuta 45. & ſecunda 16. Hinc ſubducuntur novem plenilunia, reſtant ſexagenæ 4. gradus 35. minuta 2. & ſecunda 20. Hinc iterum ſubducta periodus, quæ ad annum Mundi 5548. in ſecunda parte tabulæ adſcripta eſt, & ſupereſt anomalia Lunæ in ſecundo à condito orbe anno ad Novilunium paſchale, videlicet Sexagenæ quinque, gradus 19. minuta 21. & ſecunda 29. *Atque hæ ſunt quinque tabulæ, ex quibus motus æquales Luminarium in tempore Aſtronomico inquiruntur: quæ ſequuntur tabulæ faciunt ad verum motum Luminarium in certo tempore definiendum.*

De ſexta Tabula, quæ eſt de æquatione motus Solaris.

LUminaria non idem cum terra centrum habere, ab Aſtronomis evidenter demonſtratur. Ex diverſitate autem centri fit, ut Luminaria aliquando remotiùs, aliquando propinquiùs à terra abſint: Si remotiſſimè abſunt, dicuntur eſſe in perigæo; ſi proximè accedunt, dicuntur eſſe in perigæo: & nobis tardius ea de cauſa videntur progredi in Apogæo, in perigæo verò velociùs. Propter hanc diverſitatem motus factæ ſunt tabulæ æquationis motuum, ubi motibus luminarium interdum aliquid additur, interdum aliquid aufertur. Eas tabulas deſumſi ex Tychone, auxi tamen eaſdem motu horario ad ſingulos anomaliæ gradus. Gradus etiam ſinguli ſeorſim annotantur, non bini & bini, ut in Tychone & in aliis, unde ſtudioſi turbabantur. Integer tamen motus horarius in hac tabula expreſſus non eſt, ſed tantùm ejus aliquot minuta ſecunda, quibus motus ejus æquabilis, qui eſt minut. 2. & ſecund. 28. ferè vel augetur vel minuitur. Contrario tamen modo, quàm annotatum eſt, ea ſecunda medio motui Solis vel adduntur vel ſubtrahuntur. Quando enim additionis notam habent, tum ſubtrahenda ſunt ex motu horario 2.28. Sin verò ſubtractionis notam habebunt, tum addenda. Exempli gratia: In primo gradu æquationis Solis, ubi horarius motus habet notam quinque ſecundorum cum ſigno additionis, quinarius ille ſubtrahendus eſt ex motu horario medio 2.28. ut verus motus horarius maneat 2.23. Contra verò in gradu primo ſexagenæ tertiæ iterum nota eſt quinarii, ſed cum ſigno ſubtractionis: ſed quinarius ille tum medio motui addendus eſt, ut motus horarius verus fiat minutorum 2.32. atque ita in aliis. Nota autem additionis & ſubtractionis ideò inverſæ poſitæ ſunt, ut haberi poſſit motus horarius Lunæ in Syzygiis luminarium. Nam cùm ibi motui Lunæ ſemper jungendus ſit motus horarius Solis medius; & verò ex hac ſumma poſtea ſubtrahendus ſit verus motus horarius Solis, hoc modo inverti debuerunt, ut verus motus Lunæ faciliùs haberi poſſet.

Exempli gratia: ſit horarius Lunæ ſolus minutorum 30,0. cui jungatur motus medius Solis 2.28. fiunt in una ſumma 32.28. Sed jam in Syzygia aliqua tractanda ſit motus horarius Solis verus 2.23. ſubtrahendus ex 32.28. ſuper ſunt 30.5. atque ita horarius motus Lunæ auctus eſt quinque minutis ſecundis. Quapropter quinque illa minuta ſecunda omnibus gradibus æquationis Solis, qui motum horarium habent 2.23. adſcripta ſunt, cum additionis nota. Idem obſervatum eſt ſecundùm proportionem in reliquis: Ita & poſtea etiam, ſi motus Solis horarius verus major eſt, quàm medius, minuta illa ſecunda, quæ medium motum excedunt, annotata ſunt cum ſubtractionis nota, quòd ex motu lunari ſubtrahantur.

De Tabula ſeptima, quæ eſt de æquatione motus Lunaris.

TAbula ſeptima ejuſdem eſt conditionis cum præcedenti. Quemadmodum enim ibi motus Solis verus definitur per æquationem, quæ vel additur, vel aufertur medio motui, ut ſigna oſtendunt: Ita idem hic fit in motu vero Lunæ definiendo. Sed in hac tabula, quòd in Tychone non habetur, inſuper additus eſt motus Lunæ horarius ad ſingulos gradus anomaliæ, propterea, quòd in ſingulis gradibus motus Lunaris variatur. Motus autem Lunæ horarius extruitur ex differentiis graduum in hac tabula ſeorſim notatis; fitque hac ratione. Conjungo medios motus, quem Luna ac Sol in una hora conficiunt, fiuntque minuta 32. ſecunda 56. tertia 29. Medius enim Lunæ eſt 30.28.38. Solis verò, prim. 2. ſecunda 27. tertia 51. Jam dico, una hora dat minuta 32. ſecunda 56. tert. 29. quid dabunt tot minuta in differentiis? Quotus ille medio motus horario Lunæ vel additur, vel aufertur. Exempli gratia: *In primo gradu anomaliæ æquatio in differentiis eſt minutor. 5. & ſecund. 4. dico igitur jam, Luminaria in una hora conficiunt minuta 32. ſecund. 56. & tert. 29. quantum conficiunt ex minutis 5. ſecund. 4? productum erit minutor. 2. ſecund. 46. & tert. 54. quæ ex motu medio Lunæ, qui eſt minutorum 30.20.38. ſubtrahenda ſunt, & ſuper eſt verus motus horarius minut. 27. ſecund. 42. ferè: & ſic in aliis.*

De Tabula octava, quæ eſt de vera latitudine Lunæ.

LAtitudo Lunæ dupliciter conſideratur, & primò quidem numeratur à nodis Lunæ usque ad integrum circulum, eſtque hæc latitudo argumentum veræ latitudinis, quæ eſt diſtantia Lunæ ab Ecliptica. Sol enim in cœlo ſemper in una eademque linea progreditur, quæ linea, vel via Solis, vel uſitatiùs ecliptica appellatur. Luna contrà in Zodiaco quaſi vagatur, & recedit ab ecliptica, vel

verſus Septentrionem vel verſus Auſtrum; Quando eſt in ipſa ecliptica, & tranſit jam ad latitudinem Septentrionalem, tum incipit circulum, diciturque ipſe in nodo vel in capite Draconis. Quando verò jam confecit dimidium circulum, tùm à ſeptentrionali latitudine iterum redit ad Eclipticam, & tranſit in latitudinem Auſtralem diciturque iterum eſſe in alio nodo, ſive in cauda Draconis. Aliàs caput & cauda Draconis ſunt terriculamenta vulgi, & nihil tale eſt in cœlo. Tantùm hiſce vocabulis ſignificatur tranſitus Lunæ per Eclipticam, vel ex auſtrali in Septentrionalem plagam, vel contrà. Obſervandum quod in tabulis Prutenicis hic circulus latitudinis Lunæ non incipiat à nodo, ſed à maxima latitudine ſeptentrionali, ita ut in gradu nonageſimo circuli tandem perveniat ad nodum. Sed hæc Tychonica ratio commodior videtur. De hoc circulo latitudinis Lunæ diximus in tabula ſecunda. Vera autem latitudo, de qua hic loquimur, eſt differentia Lunæ ab Ecliptica, quantum videlicet Lunæ centrum diſceſſerit ab Ecliptica, vel in ſeptentrionem, vel in auſtrum: neque latitudo hic docetur, ſed non tota in univerſum. Nam cùm hæ tabulæ ad Syzygias Luminarium, & ad Eclipſes inveſtigandas potiſſimùm confectæ ſint, ii gradus latitudinis Lunæ in circulo tantùm annotātur, ex quibus ejusmodi vera latitudo enaſcitur, quæ eclipſin vel Lunarem, vel Solarem parere poſſit. Si quis deſiderat latitudinem Lunæ veram ad omnes latitudinis gradus, is adeat tabulas, quæ apud Aſtronomos extant. Porrò hæc tabula ſumpta eſt ex tabulis Prutenicis, nec habet per ſe aliquid difficultatis.

De Tabula nona, quæ eſt de Semidiametris Solis & Lunæ.

TAbula hæc tota deſcripta eſt ex Tychone, niſi quòd in ſemidiametris Lunæ novæ à Tychonis opinione diſceſſerim. Putat enim Tycho, in eclipſibus Solaribus margines Lunæ à lumine Solis ita extenuari, ut quinta pars quaſi Lunæ decedat: & propterea ſemidiametro Lunæ in plenilunio quintam partem eſſe detrahendam. Keplerus contrà contendit, ſi tantum ſemidiametro Lunæ decederet, Eclipſes Solis totales fieri non poſſe, ut ratio oſtendit; & tamen plurimas totales eclipſes ab hiſtoricis annotatas eſſe: Ideò vel parùm, vel nihil ſemidiametro Lunæ decedere. Ego aliquid Lunæ decedere non negaverim, cùm experientia oſtendat, Eclipſes Solares nunquam cum mora fieri, & tantas etiam non eſſe, quantas ſemidiameter Lunæ plenæ procrearet: & ſi oculis aliquid tribuendum in eclipſibus Solaribus, quas ego quidem conſpexi, nunquam vidi corpus Lunare in minore quantitate, quàm fuit corpus Solis. Ideò, ut utrique aliquid concedam, non quintam partem, ut Tycho habet, ſed decimam partem tantùm ſemidiametro Lunæ in pleniluniis detraxi, ut ita ſemidiameter Solis & Lunæ quantitate færè æquetur. Si quid tamen aliud de hac quantitate demonſtratum fuerit, ſententiam lubens mutabo.

De Tabula decima & undecima, de parallaxibus Solis & Lunæ.

UTraque tabula eſt ex tabulis Prutenicis, & in undecima quidem nihil mutatum eſt, in decima verò commodiùs viſum eſt, ſi horæ à media nocte numerentur, ut in methodo poſt oſtendetur. Facta autem utraque tabula eſt ad triceſimum quemque gradum; uti tabula decima incipit ab initio Arietis, inde poſt triginta gradus proponitur initium Tauri, & ſic deinceps. Ita in undecima tabula, quæ anomaliam Lunæ ſpectat, fit initium à ſexagena 0.0. ab initio ejus; inde proponitur ejus gradus triceſimus; Inde iterum initium ſexagenæ primæ, & poſtea ejus gradus triceſimus, & ſic deinceps. Conſequens hinc eſt, ſi ad alios gradus pervenire volueris, ut quæras eum per partem proportionalem.

Exempli gratia: *Si quæras diſtantiam à vertice in ſexto gradu arietis ad horam octavam poſt mediam noctem, tum vide differentiam in hora octava inter primum gradum Arietis & primum Tauri, inter 70. 51. & 61, 47. ubi differentia eſt 9. 4. Et dic, triginta gradus dant differentiam 9. 4. quid dabunt gradus ſex? quotus erit 1. & 49. ferè, quæ ſubtrahenda ſunt à primo Arietis, quia diſtantia à vertice decreſcit: & habebis diſtantiam à vertice in ſexto gradu Arietis hora octava 69. 3. & ita in reliquis etiam eſt procedendum.*

Porrò in decima tabula Syllaba No quibuſdam horis apponitur, quæ ſignificat nonageſimum gradum, monetque, Veras conjunctiones Luminarium in illa tantùm hora ſimul etiam apparere. In reliquis enim omnibus horis eclipſes Solis omnes nobis apparent vel ante conjunctionem veram, vel poſt. Et ante veram conjunctionem quidem apparent, quæ fiunt ante ſyllabam No: poſt veram autem conjunctionem, quæ ſequuntur Syllabam No. Quanto verò temporis ſpatio præcedant vel ſequantur veram conjunctionem, id diſcitur ex latere longitudinis. Parallaxis verò latitudinis hic ſemper vergit in Auſtrum, & demit aliquid veræ latitudini Lunæ, quæ in hiſce locis ſemper ſeptentrionalis eſt; ut ita fiat propior eclipticæ, & aptior ad exhibendam eclipſin.

Atque hæ ſunt tabulæ, quæ neceſſariæ ſunt ad tempus Aſtronomicum dirigendum, & eclipſes Lunares inquirendas, & deſignandas: hiſce ſubjuncta eſt tabula duodecima Æquinoctiorum æquabilium, à principio Mundi ad noſtra usque tempora deductorum. Cui additus eſt Catalogus quorundam locorum, qui diverſum habent meridiem, ad quem tempus, ad tabulas haſce inventum, ſecundùm notas vel additionis vel ſubtractionis reduci poteſt. Ut ſi aliquid in cœlo accidiſſet nobis in meridie hora duodecima, & vellem ſcire quando idem accidiſſet Alexandriæ in Ægypto, inſpicio Catalogum horum locorum, & invenio notam additionis, horam unam & minuta 43. Dico igitur, idem quod apud nos hora duodecima apparuit, futurum Alexandriæ hora una & minutis 43. poſt meridiem; & ſic de aliis.

De Tabula Sexageſimorum.

ULtimo loco addita tabula eſt Sexageſimorum, non quidem in triangulo Orthogonio, ut aliàs fieri conſuevit, quæ ratio etſi brevior eſt, & artificioſior, tamen videtur etiam intricatior: Ideò per-

eò peracta & hæc ſimplex & integra eſt tabella, in qua, ut facilitati conſuleretur, quilibet Factus bis habetur. Numeratio hæc Sexagenaria ex Sexageſimis κατ' ἐξοχὴν Logiſtica Aſtronomica dicitur, propter inſignem uſum in Aſtronomicis, & quia aliquo modo à vulgari [illegible] Arithmeticis in multiplicatione, diviſione & radicis quadratæ extractione diſcedit, difficultatis aliquid habere videtur. Ideò de hiſce numerationis logiſticæ ſpeciebus aliquid eſt dicendum. Additio enim & ſubtractio eadem hic eſt, quæ in Arithmeticis, niſi quod in additione, ſi in facta ſumma numeri excreverint ultra ſexaginta, quòd pro ſexaginta unitas ponatur in numero proximo, qui vergit ad ſiniſtram. *Exempli gratia: Motus Solis diurnus eſt minutorum 59. Secundorum 8. Tertiorum 19, &c. Velim ſcire motum Solis in binis diebus. Scribo igitur primum hoſce numeros perpendiculariter, minuta prima ſub primis, ſecunda ſub ſecundis, &c. dicoq́; incipiendo à dextra verſus ſiniſtram. 19. & 19. ſunt 38. Octo & octo ſunt. 16. Ita 59. & 59. 118. Hic quia numerus excrevit ultra ſexaginta, pro ſexaginta illis ſcribo gradum unum, & reſtant minuta 58. Sol igitur conficit medio ſuo motu binis diebus gradum unum, minuta prima 58. Secunda 16. Tert. 38, &c. & ſic etiam in aliis.*

In Subtractione eadem eſt facilitas, niſi quòd ſi numerus aliquis ſubtrahendus occurrat, qui major eſt, quàm ex quo ſubtractio fieri debet, quòd unitas ab eo, qui eſt verſus ſiniſtram, mutuò ſumenda ſit, & ſexaginta ejus loco ad minorem illum addenda, ut ſubtractio fieri poſſit. *Ut ſi ex minutis 59. ſecundis 8. tertiis 19. ſubtrahere vellem. 20 30, 40. Scribo eos, ut in additione factum eſt, perpendiculariter, & incipiendo à dextra verſus ſiniſtram dico 40. ex 19. ſubtrahi non poſſunt, ſumo igitur ex præcedenti numero unitatem, & huic addo, fiuntq; in una ſumma. 79. hinc quadraginta ſubtracta relinquunt 39. Ita ſi deinceps 30. ex 7. ſubtrahere velim, (unitas enim illa abſumpta fuit,) iterum ſumo unitatem ex altero numero, eamque in ſexaginta minuta ſecunda reductam jungo ſeptem hiſce ſecundariis, & fiunt 67. Ex hiſce 30. ſubtracta relinquunt 37. & poſtremo viginti ex 58. ſubtracta relinquunt 38. atque ita reſiduum totum eſt minuta prima 38. ſecunda 37. & tertia 39. atque ita in aliis.*

De Multiplicatione Sexageſimorum.

MUltiplicatio ferè tota peracta eſt in tabula hac. Omnes enim ſpecies numerorum ab unitate uſq; ad ſexaginta inter ſe multiplicatæ ſunt, nec in logiſtica Sexagenarius numerus tranſcenditur. Omnia igitur logiſticorum numerorum nomina & verba in hanc tabulam, tanquam in lexicon quoddam ſunt incluſa: & conſtat quælibet area duobus numerorum ſegmentis, quorum alterum, quod ad ſiniſtram eſt; Saxageſimas ſignificat: alterum verò verſus dextram, tantùm unitates: & quamvis ad ſexageſimas in quibuſdam areis non perveniatur, tamen loco ſexageſimæ dextram verſus ponitur Circulus O, *ut quinquies quater ſunt viginti unitates: & tamen loco ſexageſimæ præponitur Circulus O. Sed octies octo ſunt 64. ubi pro ſexaginta ponitur unitas verſus ſiniſtram, quæ ſexaginta, vel unam ſexageſimam ſignificat, & verſus dextram, quaternarius.* Facilis igitur eſt multiplicatio, ſi dati numeri per unicum multiplicantem ſunt augendi: omnia enim habentur in tabula; tantummodò rectè numeri poſtea appellentur, ut ſciatur, an ex multiplicatione provenerint integra, vel minuta prima, vel ſecunda, vel tertia, &c. Ubi obſervandum, ſi minuta cum minutis multiplicentur, quòd minutorum notæ, ſi invicem addantur, ſpeciem emergentem ſignificent. Notæ autem minutorum ſunt appellationes eorundem, ut quòd alia dicuntur prima, alia ſecunda, alia tertia, alia quarta, &c. Ut ſi multiplicentur minuta ſecunda in minuta ſecunda, provenient minuta quartana, quia duo & duo ſunt quatuor, ubi tamen notandum, ſi in ſexagenas tranſcendatur, quòd ſexagenæ ad ſiniſtram ſint minuta tertiana hoc loco, & unitates tantùm ſint minuta quartana. Ita ſi unitates alicubi ſint ſecundana, quòd ſexageſimæ ſint minuta prima, & ſic in aliis. Si verò integra cum minutis multiplicentur, tum integra non mutant appellationem minutorum, ut ſi integra, vel gradus, in minuta ſecunda multiplicentur, fiunt minuta ſecunda, niſi ſi ad ſexageſimas perveniatur. Eæ enim ſunt minuta prima.

Porrò in multiplicatione quidam incipiunt à dextra ſiniſtram verſus: quidam verò à ſiniſtra verſus dextram: utrobique enim res benè procedit, prima tamen ratio à dextra verſus ſiniſtram videtur laborioſior, quia ſæpè gignit ſpecies in minutis quartis & quintis, quæ non uſui ſunt in hac computatione: atq; ita fruſtrà eſt labor ſuſceptus. Ideò præfero alteram rationem, qua à ſiniſtra verſus dextram fit progreſſus. *Proponamus exemplum: Motus diurnus Solis eſt minutorum 59. ſecundorum 8. tertiorum 19. velim ſcire, quis ſit motus æqualis Solis in diebus duodecim. Hic 12. eſt numerus multiplicans, & ſignificat integros dies: Motus verò diurnus Solis eſt multiplicandus. Jam in tabula Multiplicans numerus ſemper quæritur in fronte tabulæ, multiplicandus verò in latere; & angulus communis exhibebit ſummam: ut duodenarius in ſuprema vel infima parte paginæ, in tabella quæſitus ad numerum 59. dat 11. 48. ubi 48. quidem ſunt minuta prima, ſed undecim ſignificant undecim ſexagenas minutorum primorum, ſive undecim gradus: poſtea perge, & ad eundem duodenarium, quære octo; ubi ſumma eſt. 1. 36. & 36. ſunt minuta ſecunda & unitas addenda eſt minutis primis 48. Sic 12. ad 19. dat 3. 48. ubi iterum 48. ſunt minuta tertiana, ſed 3. ſunt minuta ſecunda; Ideo addenda ſunt ad triginta ſex, & res ita perfecta atque epilogiſmus ſic erit.*

	I	II	III	
	59.	8.	19.	*Multiplicandus.*
11	48	36		
	1	3	48	12. *Multiplicans.*
11	49	39	48	

Ergò Sol æqualis motu in diebus 12. peragrat gradus 11. minuta 1. 49. ſecund. 39. tertia 48. Detur etiam exemplum, ubi multiplicans eſt duorum ſegmentorum: Ut motus diurnus Solis eſt 59. 8. 19. quantum Sol progreditur in min. 16. & ſec. 40? Primā partem ſegmenti multipiicantis primum in fronte quæro, quæ ad 59. habet 15. 44. ubi 44. ſunt min. ſec. uterq; enim numerus eſt min. primorum, ſic ſedecim ad octo, faciunt 2, 8. ubi 8, ſunt min. tertia, duo enim ad unum ſunt tria. Ita, ſedecim ad 19. ſunt 5. 4. ubi 4. ſunt minuta quartana; quoniam unum, & tria ſunt quatuor, atq; ita primum ſegmentū multiplicantis factum eſt. Alterum ſegmentum multiplicantis eſt ſecunda 40. quæ ad 59. faciunt 39. 20. & 20. ſunt min. tertiana: duo enim ad unum ſunt tria, ulterius 40. ad 8. faciunt 5. 20. ubi 20. ſunt min. quart. & Tandem 40. ad. 19. dant 12. 40. ubi 40. ſunt

ſunt minuta quintana. Epilogiſmus, ſive inductio ſegmenti primi ſic eſt.

59 8 19. *Multiplicandus*

15	44	8	4.		
		2	5.		16. *Multiplicans.*

Factus 15 46 13 4

Poſterioris ſegmenti Epilogiſmus

59 8. 19

39	20	20			
	5	12	40		40

Factus 39 25 32 40

Si facti ſimul addantur. Species ad ſuam ſpeciem.

15	46	13	4		
	39	25	32	40	

Totus 16 25 38 36 40

Atque tantum progreditur Sol æquali ſuo motu in minutis diei, 16.40. Sive in horis 6. & 40. minutis.

De Diviſione Sexageſimorum.

IN diviſione inprimis Diviſor obſervandus eſt, is enim oſtendit Quotum, & ſi fuerit unius ſegmenti, facillimè id præſtat. In fronte enim tabularum quæritur, & inde per cellulas perpendiculariter deſcenditur, donec invenias numerum logiſticum, qui vel idem ſit cum dividendo, vel proximè minor, & numerus à latere, qui illam cellulam aſpicit, is eſt Quotus: *Ut Sol æquali ſuo motu in diebus duodecim confugit grad. 11. minuta 49. ſecunda 39. tertia 48. quantum conficiet die uno? ſive, quis eſt motus Solis diurnus? Unitas in fine, ſi hoc exemplum in regula proportionum, ſive Detri ponatur, ut notum eſt, nec multiplicat, nec dividit. Ideò multiplicatio omittitur, & tantùm illi gradus & minuta in propoſito exemplo dividuntur per duodecim. Sumo igitur diviſorem 12. in fronte tabulæ, & perluſtro ejus cellulas deorſum perpendiculariter, donec inveniam numerum, qui quam proximè ad 11,49 numerum dividendum accedit, is eſt in tabula 11,48. Ergò numerus, qui à latere hanc cellulam reſpicit, 59. eſt Quotus, qui duodecies ſumptus procreat undecim ſexagenas, & 48. unitates, quas ſimul ex Dividendo propoſito ſubtraho, & reſtant ita 1,39,48. atque hæc eſt prima partialis diviſio. Iterum igitur cellulas diviſores perluſtro, quæſiturus numerum logiſticum 1.39. vel proximum, is eſt, 1.36. & Quotus à latere eſt 8. ſubtraho igitur, 1.36. ex 1.39. & reſtant 3.48. atque hæc eſt ſecunda partialis diviſio. Tertio loco iterum cellulas ſub duodenario perluſtro, & quæro 3.48. quem numerum invenio integrè è regione numeri 19. Hic igitur Quotus tertius eſt, & tollit univerſum dividendum. Quotus igitur propoſitorum numerorum in univerſum eſt, 59.8.19. atque ita diviſioni eſt ſatisfactum. Sed proponatur aliud exemplum, ubi Diviſor eſt binorum ſegmentorum, ut 16.40. & vividendus ſit, 8.20.24.32. cum Diviſor 16. igitur intro tabulam & cellulas ejus perluſtro, an invenire poſſim partem primam dividendi 8. 20. ubi quidem proximè minorem invenio 8.16. & quotum. 31. Sed cum hic Quotus in utraq; ſegmenta Diviſoris multiplicandus ſit. & poſteà ſumma ex Dividendo ſubtrahenda, ut & in Diviſione Arithmethica fit; video hic ex multiplicatione Quoti cum Diviſore factũ eſſe. 8,36,40. qui major eſt, quàm ut ſubtrahi poſſit, eſt igitur Quotus juſto major, & ſumendus eſt aliquis minor, qui hic eſt 30. Nam is ſimul cum ſuo ſegmento 40. multiplicatus in Diviſorem dat ſummam 8.20. quæ ſumma ex Dividendo rectè ſubtrahi poteſt, & ſuperſunt 24.32.5. atq; ita prima diviſio partialis peracta eſt. Iterum igitur Diviſoris cellulas perluſtro, quæſiturus num. 24. Sed non opus eſt hac inquiſitione, cùm ſedecim in 24. tantùm ſemel contineantur. Ideò diviſionis utraq; ſegmenta ex 24.32. ſubtraho, & Quotus eſt unitas. Reſtantq; adhuc 7,52.7. atq; ita & ſecunda diviſio partialis peracta eſt. Tertia ſequitur, ubi ſub Diviſore 16. quæro proximè minorem, quam eſt 7. 52. is eſt, 7,22. & dat Quotum 26. qui multiplicatus in utraque Diviſoris ſegmenta, procreat ſummam 7.39.20. quæ ſubtractus ex propoſito numero dividendo 7.52.5. relinquit, 12.45. Qui minus exercitatus fuiſſet, proculdubio ſumſiſſet Quotum hic 27 numerus enim ejus logiſticus in cellula eſt, 7.39. proximè minor. Sed idem Quotus cum altero Diviſoris ſegmento multiplicatus dat 18. quæ juncta ad 39. efficiunt 57. atq; ita 7.57. exuperant Dividendum 7.52. nec ſubtrahi potuiſſent, & labor fruſtrà ſuſceptus fuiſſet: atq; ita etiã tertia pars partialis diviſionis peracta eſt. Reſtant in dividendo numero adhuc 12 45. ubi proximè quidem minor eſt 12,32. Item 12.16. Sed Quotus uterq;, vel 47. vel 46. major eſt quàm debebat; & ſi in utraq; ſegmenta diviſoris multiplicetur, majorem efficit ſummam, quàm ut ſubtrahi poſſit, quanquam 46. non multum aberrant. Sed ſumendus eſt Quotus 45. qui multiplicatus procreat 12.30. qui ſubtracti relinquunt 15.0. Jam igitur quinto loco iterum meditandum, quinam Quotus, ſi in utraque diviſoris ſegmenta multiplicetur. Summam vel tollat, vel quam minimum relinquat. Non enim neceſſe eſt, ut Dividendus ſemper in univerſum tollatur, ſed ſi perventum fuerit ad minuta quarta, vel quinta, deſiſtere poſſumus tutò, niſi alia cauſa ſubſit. Quotus igitur, qui hic totum Dividendum aufert, eſt 54. qui multiplicatus in utraq; ſegmenta, dat 15. atque ita Quotus in univerſum eſt quatuor ſegmentorũ, 30, 1.26,54. & hæc eſt diviſionis ratio in numeris logiſticis.*

De Extractione Radicis quadratæ in numeris logiſticis.

NUmerus quadratus eſt à ſe ipſo factus, ut 1.4. 9.16.20.25.36. ut in Arithmeticis habentur; ultimus enim factus eſt ex ſexies ſex, penultimus ex quinque: hic & in reliquis numeris fiunt, ut ex quadragies quadraginta fiunt 26.40. Ex quinquagies quinquaginta fiunt 41.40. & ſic in aliis omnibus, qui in ſexagenario continentur. Hoſce numeros quadratos in logiſtica hac tabula peculiariter notaſſem, ſi typorum ratio id permiſiſſet. Quisque huic ſtudio deditus ipſe hoſce numeros in cellulis ſuis rubrica notare poterit, ut requiſiti facilius ſe offerant. Porrò radix quadrata in logiſticis numeris extrahitur tantùm ex iis, qui notas habent pares, ut ſunt primùm integra, inde minuta ſecunda, quarta, ſexta, octava, &c. De minutis enim primis, tertiis, quintis, ſeptimis, &c. nulla oritur radix; ideò ſi impares notæ in logiſtica occurrant, addito circulo o adjuvantur, & pro paribus habentur. *Exempli gratia, ex 15. minutis primis radicem extrahere non poſſum, ſed ſi addidero dextram verſus circulum o, tum hæc quindecim minuta fient quindecim ſexagena ſecundorum, & fiunt apta ad radicem extrahendam. Radix enim eorundem eſt triginta, ut habes in tabula.*

Ita ſi extrahenda ſit radix ex min. 17. ex ſecundis 12. tertiis 33. quartis 4. cùm duo ſint paria loca, ſecunda & quarta; video radicẽ futurã duorũ ſegmentorũ. Quare igitur in cellulis quadratorum, quas rubrica notare juſſi,

inſi,17.12. quem numerum quidem non exactè inveni, ſed vicinum tamen, videlicet 17. 4. qui numerum quadratam radicem monſtrat.32. Hac 17.4. ſubduco igitur ex 17.12. & reſtant 8.33.4. & radicem 32. inventam ſcribo poſt ſemicirculum, ut in arithmeticis diviſionibus & extractionibus radicum fieri ſolet; atq; ita prima pars hujus operationis peracta eſt. Secundo igitur loco ut inveniam radicem,32. duplico, ut in arithmetica ratione fieri ſolet, & fiunt 64. ſive in numeris logiſticis 1.4. Hic jam meditandum eſt, ut in diviſione, quoties 1. & 4. in 8.33.4. continentur. Sed atq; ea octies habere poſſe, ideo 8. addo ad 1.4. hoc modo 1.4.8. Idem 8. addo etiam ad inventam radicem, & jam 1.4.8. multiplico per 8 fiuntq; 8.33.4. qui æquales ſunt numero propoſito, & latus quæſitum exactè tenetur, eſtq; 32.8. Ita procedendum eſt etiam in reliquis; exempla plura habebimus infrà, in duratione eclipſium luminarium. Atque ita hæc, quæ de multiplicatione, diviſione & extractione radicũ in numeris logiſticis dicta ſunt, ſufficiant. Difficilis enim logiſtica non eſt ei, qui Arithmeticam rectè didicit, qualem etiam hic requirimus. Idem enim, quod hic in multiplicatione, & diviſione, & extractione radicum factum eſt, poteſt per easdem ſpecies numerationis in Arithmeticis fieri. *Ut exempli gratia: Sumamus idem exemplum, quod hic tractavimus, motum diurnum Solis minuta 59.8.19.* Si hoſce numeros ad numerum Arithmeticum redegero, eodem modo tractari poterunt, ſed non eadem facilitate. Redigitur autem logiſticus numerus ad numerum Arithmeticum per multiplicationem, per ſexagenarium numerum. Quodlibet enim minutum primum continet ſexaginta minuta ſecunda; & quodlibet minutum ſecundum, continet ſexaginta tertia, atque ita deinceps. *Igitur 59. multiplicata per 60. dant 3540. ſecunda, quibus addo 8. ſecunda, fiuntq; 3548. Hac iterum multiplico per 60. ut fiant minuta tertia. Suntq;, ſi tertia 19. addidero, 212899. atq; hic eſt motus diurnus Solis. Si jam ſcire velim, quantus ſit motus Solis in duodecim diebus, multiplico numerum propoſitum per 12. & fiunt 2554788. qui motus Solis eſt in duodecim diebus. Redigitur hic numerus in numeros logiſticos, ſi dividatur, quoties fieri poteſt, per 60. Et primum quidem diviſus dat minuta ſecunda 42579. & inſuper relinquit minuta tertia 48. Secunda iterum per ſexaginta diviſa faciunt minuta prima 709. & ſuperſunt ſecunda 39. Si prima hac minuta per ſexaginta redegero in gradus, fient gradus 11. & minuta prima 49. planè ut in multiplicatione factum eſt, ubi eundem Factum. 11. 49. 39. 48. habuimus.* Ita videt logiſta, per hanc tabulam in numeris logiſticis omnia multo compendioſius perfici, quàm factum eſt in Arithmetica ratione. In diviſione & radicum extractione logiſticæ ſtudioſus ipſe periculum faciat, an logiſticum numerum ad Arithmeticum reducere, & deinde Arithmetica ratione dividere, aut etiam radicem extrahere poſſet, nos ad alia properamus.

Sequuntur Tabulæ.

CALENDARIUM JULIANUM.

Januarius.				Februarius.				Martius.			
1	A	Circumciſio.	1	1	D	Brigitta.	32	1	D	Albinus.	60
2	B	Abel. Seth.	2	2	E	Purificat. Mariæ.	33	2	E	Simplicius.	61
3	C	Enoch.	3	3	F	Blaſius.	34	3	F	Gelidonius.	62
4	D	Mathuſalem.	4	4	G	Veronica.	35	4	G	Adrianus.	63
5	E	Simeon.	5	5	A	Agatha.	36	5	A	Euſebius.	64
6	F	Epiphanias.	6	6	B	Dorothea.	37	6	B	Serapion.	65
7	G	Julianus.	7	7	C	Zacharias.	38	7	C	Felicitas.	66
8	A	Erhardus.	8	8	D	Salomon.	39	8	D	Philemon.	67
9	B	Marcellinus.	9	9	E	Apollonia.	40	9	E	Prudentius.	68
10	C	Paulus Erem.	10	10	F	Scholaſtica.	41	10	F	Michæas.	69
11	D	Hyginus.	11	11	G	Euphroſina.	42	11	G	Cunibertus.	70
12	E	Satyrius.	12	12	A	Severinus.	43	12	A	Gregorius.	71
13	F	Hilarius.	13	13	B	Agabus.	44	13	B	Erneſtus.	72
14	G	Felix.	14	14	C	Valentinus.	45	14	C	Eutychius.	73
15	A	Maurus.	15	15	D	Fauſtinus.	46	15	D	Longinus.	74
16	B	Marcellus.	16	16	E	Juliana.	47	16	E	Cyriacus.	75
17	C	Antonius.	17	17	F	Conſtant.	48	17	F	Gertrud.	76
18	D	Priſca.	18	18	G	Concordia.	49	18	G	Gabriel.	77
19	E	Pontianus.	19	19	A	Simeon. Apoſt.	50	19	A	Joſeph.	78
20	F	Fabian. Sebaſt.	20	20	B	Eucharius.	51	20	B	Rupertus.	79
21	G	Agneta.	21	21	C	Eſaias.	52	21	C	Benedictus.	80
22	A	Vincentius.	22	22	D	Cathed. Petr.	53	22	D	Paulinus.	81
23	B	Emerentia.	23	23	E	Serenus.	54	23	E	Godfrid.	82
24	C	Timotheus.	24	24	F	Intercal.	55	24	F	Quirinus.	83
25	D	Converſio Pauli.	25	24	F	Matthias.	55	25	G	Annunc. Mariæ.	84
26	E	Polycarpus.	26	25	G	Victorin.	56	26	A	Caſtulus.	85
27	F	Chryſoſtomus.	27	26	A	Neſtor.	57	27	B	Johan. Erem.	86
28	G	Carolus M.	28	27	B	Fortunatus.	58	28	C	Gideon.	87
29	A	Samuel.	29	28	C	Macarius.	59	29	D	Euſtachius.	88
30	B	Adelgunda.	30					30	E	Guido.	89
31	C	Virgilius.	31					31	F	Balbina.	90

Apri-

Aprilis.				*Majus.*				*Junius.*			
1	G	Theodora.	91	1	B	Philip. Jacobi.	121	1	E	Nicodemus.	152
2	A	Maria Ægypt.	92	2	C	Athanaſius.	122	2	F	Marcellinus.	153
3	B	Iſidorus.	93	3	D	Crucis invent.	123	3	G	Eraſmus.	154
4	C	Ambroſius.	94	4	E	Florianus.	124	4	A	Carpaſius.	155
5	D	Vincentius.	95	5	F	Gothardus.	125	5	B	Bonifacius.	156
6	E	Sixtus.	96	6	G	Joh. ante port.	126	6	C	Artemius.	157
7	F	Celeſtinus.	97	7	A	Juvenalis.	127	7	D	Paulus Ep.	158
8	G	Dionyſius.	98	8	B	Stanislaus.	128	8	E	Medardus.	159
9	A	Prochorus.	99	9	C	Hiob.	129	9	F	Barnimus.	160
10	B	Ezechiel.	100	10	D	Pancratius.	130	10	G	Onufrius.	161
11	C	Leo Pap.	101	11	E	Chriſtian.	131	11	A	Barnabas.	162
12	D	Julius.	102	12	F	Gordianus.	132	12	B	Blandina.	163
13	E	Juſtinus.	103	13	G	Servatius.	133	13	C	Hubertus.	164
14	F	Tiburtius.	104	14	A	Fortunatus.	134	14	D	Valerius.	165
15	G	Olympia.	105	15	B	Sophia.	135	15	E	Vitus.	166
16	A	Cariſius.	106	16	C	Peregrinus.	136	16	F	Rolandi.	167
17	B	Anicetus.	107	17	D	Jodocus.	137	17	G	Volckmarus.	168
18	C	Apollonius.	108	18	E	Venantius.	138	18	A	Homerus.	169
19	D	Hermogenes.	109	19	F	Sara.	139	19	B	Gervaſius.	170
20	E	Sulpitius.	110	20	G	Aſterius.	140	20	C	Emilia.	171
21	F	Adelarius.	111	21	A	Prudentius.	141	21	D	Albanus.	172
22	G	Emmanuel.	112	22	B	Fauſtinus.	142	22	E	Acharius.	173
23	A	Georgius.	113	23	C	Deſiderius.	145	23	F	Baſilius.	174
24	B	Albertus.	114	24	D	Eſther.	144	24	G	Johan. Baptiſt.	175
25	C	Marcus.	115	25	E	Urbanus.	145	25	A	Eligius.	176
26	D	Clelus.	116	26	F	Eduardus.	146	26	[illegible]	Jeremias.	177
27	E	Anaſtaſius.	117	27	G	Beda.	147	27	C	Septem dorm.	178
28	F	Vitalis.	118	28	A	Wilhelmus.	148	28	D	Leo.	179
29	G	Sibylla.	119	29	B	Maximi.	149	29	E	Petri Pauli.	180
30	A	Joſua.	120	30	C	Wigandus.	150	30	F	Pauli Gedächt.	181
				31	D	Petronella.	151				

		Julius.				*Auguſtus.*				*September.*	
1	G	Theobaldi.	182	1	C	Vincula Petri.	213	1	F	Ægidius.	344
2	A	Viſitatio Mariæ.	183	2	D	Moſes.	214	2	G	Rachel.	345
3	B	Cornelius.	184	3	E	Dominicus.	215	3	A	Serapia.	346
4	C	Ulricus.	185	4	F	Ariſtarchus.	216	4	B	Theodoſia.	347
5	D	Anshelini.	186	5	G	Oswaldus.	217	5	C	Zacharias.	348
6	E	Hector.	187	6	A	Sixtus.	21[illegible]	6	D	Magnus.	349
7	F	Demetrius.	188	7	B	Afra.	219	7	E	Regina.	350
8	G	Chilianus.	189	8	C	Ladislaus.	220	8	F	Nativitas Mariæ.	351
9	A	Cyrillus.	190	9	D	Romanus.	221	9	G	Cunigund.	352
10	B	Septem fratres.	191	10	E	Laurentius.	222	10	A	Soſthenes,	353
11	C	Pius.	192	11	F	Titus.	223	11	B	Ebaldus.	354
12	D	Heinricus.	193	12	G	Clara.	224	12	C	Tobias.	355
13	E	Margaretha.	194	13	A	Hippolytus.	225	13	D	Amatus.	356
14	F	Bonaventura.	195	14	B	Bertram.	226	14	E	Exaltatio Cruc.	357
15	G	Diviſio Apoſt.	196	15	C	Aſſumtio Mariæ.	227	15	F	Nicomedes.	358
16	A	Hilarius.	197	16	D	Rochus.	228	16	G	Euphemia.	359
17	B	Alexius.	198	17	E	Agapitus.	229	17	A	Lampertus.	360
18	C	Maternus.	199	18	F	Helena.	230	18	B	Ferreolus.	361
19	D	Ruffina.	200	19	G	Sebaldus.	231	19	C	Januarius.	362
20	E	Elias.	201	20	A	Bernhard.	232	20	D	Fauſta.	363
21	F	Daniel.	202	21	B	Athanaſius.	233	21	E	Matthæus Ap.	364
22	G	Maria Magdal.	203	22	C	Simphorianus.	234	22	F	Mauritius.	365
23	A	Apollinaris.	204	23	D	Zachæus.	235	23	G	Joel Propheta.	266
24	B	Chriſtina.	205	24	E	Bartholomæus.	236	24	A	Rupertus.	267
25	C	Jacobus Apoſt.	206	25	F	Ludovicus.	237	25	B	Cleophas.	268
26	D	Anna.	207	26	G	Irenæus.	338	26	C	Cyprianus.	269
27	[illegible]	Martha.	208	27	A	Gebhard.	239	27	D	Judith.	270
28	F	Panthaleon.	209	28	B	Auguſtinus.	240	28	E	Wenceslaus.	271
29	G	Beatrix.	210	29	C	Decollat. Johan.	241	29	F	Michael Archan.	272
30	A	Abdon.	211	30	D	Felix Presbyt.	242	30	G	Hieronymus.	273
31	B	Germanus.	212	31	E	Paulinus.	243				

October.				*November.*				*December.*				*Cyclus Solis cum literis Dominicalib.*		
1	A	Remigius.	274	1	D	Omn. Sanctor.	305	1	F	Longinus.	335			
2	B	Leodegarius.	275	2	E	Omnium anim.	306	2	G	Candidus.	336			
3	C	Simplicius.	276	3	F	Theophilus.	307	3	A	Caſſianus.	337			
4	D	Franciſcus.	277	4	G	Modeſtinus.	308	4	B	Barbara.	338	1	G	F
5	E	Fides.	278	5	A	Petronius.	309	5	C	Sabina.	339	2		E
6	F	Aurelia.	279	6	B	Leonhard.	310	6	D	Nicolaus.	340	3		D
7	G	Spes.	280	7	C	Wilibald.	311	7	E	Agathon.	341	4		C
8	A	Pelagia.	281	8	D	Claudius.	312	8	F	Concep. Maria	342	5	B	A
9	B	Dionyſius.	282	9	E	Theodorus.	313	9	G	Joachimus.	343	6		G
10	C	Gereon.	283	10	F	Martinus Pap.	314	10	A	Miltiades.	344	7		F
11	D	Burchard.	284	11	G	Martinus Episc.	315	11	B	Damaſus.	345	8		E
12	E	Walfridus.	285	12	A	Cunibert.	316	12	C	Valerius.	346	9	D	C
13	F	Tilemannus.	286	13	B	Eugenius.	317	13	D	Lucia.	347	10		B
14	G	Calixtus.	287	14	C	Fridericus.	318	14	E	Nicaſius.	348	11		A
15	A	Hedwig.	288	15	D	Leopoldus.	319	15	F	Abraham.	349	12		G
16	B	Gallus Ab.	289	16	E	Othmarus.	320	16	G	Ananias.	350	13	F	E
17	C	Florentinus.	290	17	F	Hugo.	321	17	A	Lazarus.	351	14		D
18	D	Lucas Evang.	291	18	G	Heſichius.	322	18	B	Chriſtoph.	352	15		C
19	E	Ptolomæus.	292	19	A	Elizabeth.	323	19	C	Loth.	353	16		B
20	F	Wendelinus.	293	20	B	Amos.	324	20	D	Ammon.	354	17	A	G
21	G	Urſula.	294	21	C	Mariæ Opffer.	325	21	E	Thomas Apoſt	355	18		F
22	A	Cordula.	295	22	D	Cecilia.	326	22	F	Theodoſius.	356	19		E
23	B	Severinus.	296	23	E	Clemens.	327	23	G	Dagobertus.	357	20		D
24	C	Salome.	297	24	F	Chryſogonus.	328	24	A	Adam. Eva.	358	21	C	B
25	D	Criſpinus.	298	25	G	Catharina.	329	25	B	Nativitas Chr.	359	22		A
26	E	Amandus.	299	26	A	Conradus.	330	26	C	Stephanus.	360	23		G
27	F	Victoria.	300	27	B	Guntherus.	331	27	D	Johan. Evang.	361	24		F
28	G	Simon Judæ.	301	28	C	Rufus.	332	28	E	Innocentes.	362	25	E	D
29	A	Narciſſus.	302	29	D	Saturninus.	333	29	F	Jonathan.	363	26		C
30	B	Abſolon.	303	30	E	Andreas.	334	30	G	David.	364	27		B
31	C	Wolffgangus.	304					31	A	Sylveſter.	365	28		A

Cyclus Lunæ cum terminis Paſchalium.

1	5. April.	9	7. April.	17	9. April.
2	25. Martii.	10	27. Martii.	18	29. Martii.
3	13. April.	11	15. April.	19	17. April.
4	2. April.	12	4. April.		
5	22. Martii.	13	24. Mart.		
6	10. April.	14	12. April.		
7	30. Martii.	15	1. April.		
8	18. April.	16	21. Martii.		

PRIMA TABULA SYZYGIARUM LUNARIUM.

Prima ejus Pars in annis expanſis.

Anni	*dies*	*fer.*	*hor.*	'	''	*Cyclus Solis*	*Cyclus Lunæ*
1	81	2	15	30	[illegible]	9	5
2	100	1	13	2	41	10	6
3	89	5	21	51	19	11	7
4	108	4	19	24	[illegible]	12	8
5	97	2	4	12	38	13	9
6	86	6	13	2	15	14	10
7	105	5	10	33	56	15	11
8	94	2	19	22	34	16	12
9	83	7	4	11	12	17	13
10	102	6	1	43	52	18	14
11	91	3	10	32	30	19	15
12	80	7	19	21	8	20	16
13	98	6	16	53	49	21	17
14	[illegible]	4	1	42	26	22	18
15	106	2	23	15	7	23	19
16	96	7	8	5	45	24	1
17	84	4	16	52	23	25	2
18	103	3	14	25	4	26	3
19	92	7	23	13	41	27	4
20	82	5	8	2	19	28	5
21	100	4	5	35	[illegible]	1	6
22	89	1	14	23	38	2	7
23	108	7	11	56	18	3	8
24	97	4	20	44	56	4	9
25	86	2	5	33	34	5	10
26	105	1	3	6	15	6	11
27	94	5	11	54	52	7	12
28	83	2	20	43	30	8	13
29	101	1	18	16	11	9	14
30	91	6	3	4	49	10	15
31	80	3	11	53	26	11	16
32	99	2	9	26	7	12	17
33	87	6	18	14	48	13	18
34	106	5	15	47	26	14	19
35	96	3	0	36	3	15	1
36	85	7	9	24	41	16	2
37	103	6	6	57	22	17	3
38	92	3	15	46	[illegible]	18	4
39	82	1	0	34	37	19	5
40	100	6	22	7	18	20	6
41	89	4	6	55	56	21	7
42	108	3	4	28	37	22	8
43	97	7	13	17	15	23	9
44	86	4	22	5	52	24	10
45	104	4	19	38	33	25	11
46	94	1	4	27	11	26	12
47	83	5	13	15	48	27	13
48	102	4	10	48	29	28	14
49	90	1	19	37	7	1	15
50	80	6	4	25	45	2	16
51	99	5	1	58	26	3	17
52	[illegible]	2	10	47	3	4	18
53	106	1	8	19	44	5	19
54	95	5	17	8	22	6	1
55	85	3	1	57	0	7	2
56	103	1	23	29	40	8	3
57	92	6	8	18	18	9	4
58	81	3	17	6	56	10	5
59	100	2	14	39	37	11	6
60	89	6	23	28	14	12	7
61	107	5	21	0	55	13	8
62	97	3	5	49	33	14	9
63	86	7	14	38	11	15	10
64	105	6	12	10	52	16	11
65	93	3	20	59	29	17	12
66	83	1	5	48	7	18	13
67	102	7	3	20	48	19	14
68	91	4	12	9	25	20	15
69	79	1	20	58	3	21	16
70	98	7	18	30	44	22	17
71	88	5	3	19	22	23	18
72	107	4	0	52	3	24	19
73	95	1	9	40	40	25	1
74	84	5	18	29	18	26	2
75	103	4	16	1	59	27	3
76	93	2	0	50	37	28	4

Secunda

SECUNDA PARS TABULÆ IN ANNIS COLLECTIS.

Annus	dies	fer.	hor.	'	"	Cyclus Solis
76	0	3	5	50	46	8
151	0	6	11	41	32	16
228	0	2	17	32	19	24
304	0	5	23	23	5	4
380	1	2	5	13	41	12
456	1	5	11	4	38	20
532	1	1	16	55	24	0
608	1	4	22	46	10	8
684	2	1	4	36	56	16
760	2	4	10	27	43	24
836	2	7	16	18	29	4
912	2	3	22	9	15	12
988	3	7	4	0	1	20
1064	3	3	9	50	48	0
1140	3	6	15	41	34	8
1216	3	2	21	32	20	16
1292	4	6	3	23	6	24
1368	4	2	9	13	53	4
1444	4	5	15	4	39	12
1520	4	1	20	55	25	20
1596	5	5	2	46	12	0
1672	5	1	8	36	58	8
1748	5	4	14	27	44	16
1824	5	7	20	18	30	24
1900	6	4	2	9	17	4
1976	6	7	8	0	3	12
2052	6	3	13	50	49	20
2128	6	6	19	41	35	0
2204	7	3	2	32	21	8
2280	7	6	7	23	8	16
2356	7	2	13	13	54	24
2432	7	5	19	4	40	4
2508	8	2	0	55	27	12
2584	8	5	6	46	13	20
2660	8	1	12	36	59	0
2736	8	4	18	27	45	8
2812	9	1	0	18	32	16
2888	9	4	6	9	18	24
2964	9	7	12	0	4	4
3040	9	3	17	50	51	12

Cyclus Anni mundi	Anni Æræ Christianæ.	dies	fer.	hor.	'	"	Cyclus Solis.
3116		9	6	23	41	37	20
3192		10	3	5	32	23	0
3298		10	6	11	23	9	8
3344		10	2	17	13	56	16
3420		10	5	23	4	42	24
3496		11	2	4	55	28	4
3572		11	5	10	46	14	12
3648		11	1	16	37	1	20
3724		11	4	22	27	47	0
3800		12	1	4	18	33	8
3876		12	4	10	9	19	16
3952	3	12	7	16	0	6	24
4028	79	12	3	21	50	52	4
4104	155	13	7	3	41	38	12
4180	231	13	3	9	32	25	20
4256	307	13	6	15	23	11	0
4332	383	13	2	21	13	57	8
4408	459	14	6	3	4	44	16
4484	535	14	2	8	55	30	24
4560	611	14	5	14	46	16	4
4636	687	14	1	20	37	2	12
4712	763	15	5	2	27	48	20
4788	839	15	1	8	18	35	0
4864	915	15	4	14	9	21	8
4940	991	15	7	20	[illegible]	7	16
5016	1076	16	4	1	50	54	24
5092	1143	16	7	7	51	40	4
5168	1219	16	3	13	32	26	12
5244	1295	16	6	19	23	12	20
5320	1371	17	3	1	13	59	0
5396	1447	17	6	7	4	45	8
5472	1523	17	2	12	55	31	16
5548	1599	17	5	18	46	17	24
5624	1675	18	2	0	37	4	4
5700	1751	18	5	12	27	50	12
5776	1827	18	1	18	18	36	20

TERTIA PARS TABULÆ NOVILUNIÆ.

Menſes	*dies*	*fer.*	*hor.*	'	''
1	29	1	12	44	3
2	59	3	1	28	6
3	88	4	14	12	10
4	118	6	2	56	13
5	147	7	15	40	16
6	177	2	4	24	19
7	206	3	17	8	22
8	236	5	5	52	25
9	265	6	18	36	28
10	295	1	7	20	31
11	324	2	20	4	35
12	354	4	8	48	38
13	383	5	21	32	41

Plenilunia:

in quibus Luna diſtat à Sole ſexagenis trib. exactis.

Plenil.	*dies*	*fer.*	*hor.*	'	''
1	14	7	18	22	2
2	44	2	7	6	5
3	73	3	19	50	8
4	103	5	8	34	11
5	132	6	21	18	14
6	162	1	10	2	17
7	191	2	22	46	20
8	221	4	11	30	23
9	251	6	0	14	26
10	280	7	12	58	29
11	310	2	1	42	33
12	339	3	14	26	36
13	369	5	3	10	39

Quadratura prima,

in qua Luna diſtat à Sole ſexagena una, & 20. gradib.

Quantitas ejus eſt

dies	*fer.*	*hor.*	'	''
7	9	9	11	1

Quadratura ultima,

ubi Luna diſtat à Sole ſexagenas 4. & gr. 30.

Quantitas ejus.

dies	*fer.*	*hor.*	'	''
22	1	3	33	3

Quarta Pars tabulæ: diſtantia Lunæ à Sole in diebus.

dies	*ſex.*	*grad.*	'	''
1	[illegible]	12	11	27
2	0	24	22	55
3	0	36	34	20
4	0	48	45	47
5	1	0	57	15
6	1	13	8	40
7	1	25	20	7

Diſtantia Lunæ à Sole in hor. & min.

	grad.	'	''
1	0	30	29
2	1	[illegible]	57
3	1	31	26
4	2	1	54
5	2	32	23
6	3	2	52
7	3	33	20
8	4	3	49
9	4	34	1
10	5	4	46
11	5	35	15
12	6	5	43
13	6	36	12
14	7	6	41
15	7	37	9
16	8	7	38
17	8	38	6
18	9	8	35
19	9	39	4
20	10	9	32
21	10	40	1
22	11	10	29
23	11	40	58
24	12	11	27
25	12	41	55
26	13	12	24
27	13	42	53
28	14	13	21
29	14	43	50
30	15	14	18
31	15	44	47
32	16	15	16
33	16	45	45
34	17	16	14
35	17	46	43
36	18	17	11
37	18	47	40
38	19	18	8
39	19	48	37
40	20	19	5
41	20	49	33
42	21	20	2
43	21	50	31
44	22	21	[illegible]
45	22	51	28
46	23	21	50
47	23	52	25
48	24	22	54
49	24	53	22
50	25	23	51
51	25	54	19
52	26	24	48
53	26	55	17
54	27	25	46
55	27	56	15
56	28	26	44
57	28	57	12
58	29	27	40
59	29	58	9
60	30	28	38

SECUNDA TABULA, LATITUDINIS LUNARIS.

Prima ejus Pars in annis expanſis.

Anni	ſex.	grad.	'	''
1	0	3	40	55
2	0	42	23	56
3	0	50	26	42
4	1	29	9	43
5	1	37	12	30
6	1	45	15	16
7	2	23	58	17
8	2	32	1	4
9	2	40	3	50
10	3	18	46	51
11	3	26	49	38
12	3	34	52	25
13	4	13	35	25
14	4	21	38	12
15	5	0	21	13
16	5	8	23	59
17	5	16	26	46
18	5	55	9	47
19	0	3	12	33
20	0	11	15	20
21	0	49	58	21
22	0	58	1	7
23	1	36	44	8
24	1	44	46	55
25	1	52	49	41
26	2	31	32	42
27	2	39	35	29
28	2	47	38	15
29	3	26	21	16
30	3	34	24	3
31	3	42	26	50
32	4	21	9	50
33	4	29	12	37
34	5	7	55	38
35	5	15	58	24
36	5	24	1	11
37	0	2	44	12
38	0	10	46	58
39	0	18	49	45
40	0	57	32	46
41	1	5	35	32
42	1	44	18	33
43	1	52	21	20
44	2	0	24	6
45	2	39	7	7
46	2	47	9	54
47	2	55	12	41
48	3	35	55	42
49	3	41	58	28
50	3	50	1	15
51	4	28	44	16
52	4	36	47	2
53	5	15	30	3
54	5	23	32	49
55	5	31	35	36
56	0	10	18	37
57	0	18	21	24
58	0	26	24	10
59	1	5	7	11
60	1	13	9	[illegible]
61	1	51	52	58
62	1	59	55	45
63	2	7	58	32
64	2	58	41	32
65	2	54	44	19
66	3	2	47	16
67	3	41	30	17
68	3	49	33	4
69	3	57	35	50
70	4	36	18	51
71	4	44	21	38
72	5	23	4	38
73	5	31	7	25
74	5	39	10	12
75	0	17	53	13
76	0	25	55	59

Secunda Pars Tabulæ hujus in annis collectis.

Anni	*ſex*	*grad.*	′	″
76	0	30	17	40
152	1	0	35	21
228	1	30	53	1
304	2	1	10	42
380	2	31	28	22
456	2	1	46	3
532	3	32	3	43
608	4	2	21	24
684	4	32	39	4
760	5	2	56	44
836	5	33	14	25
912	0	3	32	5
988	0	33	49	46
1064	1	4	7	26
1140	1	34	25	7
1216	2	4	42	47
1292	2	35	0	28
1368	3	5	18	8
1444	3	35	35	48
1520	4	5	53	29
1596	4	36	11	9
1672	5	[illegible]	28	50
1748	5	[illegible]	46	30
1824	0	7	4	11
1900	[illegible]	37	21	58
1976	1	7	39	32
2052	1	37	57	12
2128	2	8	14	52
2204	2	38	32	33
2280	3	8	50	13
2356	3	39	7	54
2432	4	9	25	34
2508	4	39	43	15
2584	5	10	0	55
2660	5	40	18	36
2736	0	10	36	16
2812	0	40	53	57
2888	1	11	11	37
2964	1	41	29	17
3040	2	11	46	58

Anni	Anni æræ Chriſtianæ.	*ſex.*	*grad.*	′	″
3116		2	42	4	38
3192		3	12	22	19
3268		3	42	39	59
3344		4	12	57	40
3420		4	43	15	20
3496		5	13	33	1
3572		5	43	50	41
3648		0	14	8	21
3724		[illegible]	44	26	2
3800		1	14	43	42
3876		1	45	1	23
3952	3	2	15	19	3
4028	79	2	45	36	44
4104	155	3	15	54	24
4180	231	3	46	12	5
4256	307	4	16	29	45
4332	383	4	46	47	25
4408	459	5	17	5	6
4484	535	5	47	22	46
4256	611	0	17	40	27
4636	687	0	47	58	7
4712	763	1	18	15	48
4788	839	1	48	33	28
4864	915	2	18	51	9
4940	991	2	49	8	49
5016	1067	3	19	26	29
5092	1143	3	49	44	10
5168	1219	4	20	1	50
5244	1295	4	50	19	31
5320	1371	5	20	37	11
5396	1447	5	50	54	52
5472	1523	0	21	12	32
5548	1599	0	51	30	13
5624	1675	1	21	47	53
5700	1751	1	52	5	33
5776	1827	2	22	13	13

Tertia Pars Tabulæ Noviluniæ.

Menſ.	*ſex.*	*grad.*	*I*	*II*
1	0	30	40	14
2	1	1	20	28
3	1	32	0	42
4	2	2	40	56
5	2	33	21	10
6	3	4	1	23
7	3	34	41	37
8	4	5	21	51
9	4	36	2	5
10	5	6	42	19
11	5	37	22	32
12	5	8	2	46
13	0	38	43	0

Plenilunia.

Plen.	*ſex.*	*grad.*	*I*	*II*
1	3	15	29	7
2	3	46	0	21
3	4	16	40	35
4	4	47	20	49
5	5	18	1	2
6	5	48	41	16
7	0	19	21	30
8	0	50	1	44
9	1	20	41	58
10	1	51	22	12
11	2	22	2	26
12	2	22	42	39
Quadratura prima.				
	1	37	40	3
Quadratura ſecunda.				
	4	53	0	11

Quarta Pars Tabulæ.

Latitudo in dubiis.

	ſex.	*grad.*	*I*	*II*
1	0	13	13	46
2	0	26	27	31
3	0	39	41	17
4	0	52	55	3
5	1	6	8	48
6	1	19	22	34
7	1	32	36	19

In Horis & Minutis.

	grad.	*I*	*II*
1	0	33	4
2	1	6	9
3	1	39	13
4	2	12	18
5	2	45	22
6	3	18	26
7	3	51	31
8	4	24	35
9	4	57	40
01	5	30	44
11	6	3	48
12	6	36	53
13	7	9	57
14	7	43	2
15	8	16	6
16	8	49	10
17	9	22	15
18	9	55	19
19	10	28	24
20	11	1	28
21	11	34	32
22	12	7	37
23	12	40	41
24	13	13	46
25	13	46	50
26	14	19	54
27	14	52	59
28	15	26	3
29	15	59	8
30	16	32	12
31	17	5	17
32	17	38	21
33	18	11	25
34	18	44	30
35	19	17	34
36	19	50	38
37	20	23	43
38	20	56	47
39	21	29	51
40	22	2	56
41	22	36	0
42	23	9	4
43	23	42	9
44	24	15	13
45	24	48	18
46	25	21	22
47	25	54	26
48	26	27	31
49	27	0	35
50	27	33	40
51	28	6	44
52	28	39	48
53	29	12	53
54	29	45	57
55	30	19	1
56	30	52	6
57	31	25	10
58	31	58	15
59	32	31	19
60	33	4	24

TERTIA TABULA ANOMALIÆ LUNARIS.

Prima ejus Pars in annis expanſis.

Anni	*ſex.*	*grad.*	'	''	*Anni*	*ſex.*	*grad.*	'	''
1	2	55	47	42	41	5	55	3	10
2	2	31	24	43	42	5	30	40	11
3	1	41	12	43	43	4	40	28	12
4	1	16	49	44	44	3	50	16	13
5	0	26	37	44	45	3	25	53	14
6	5	36	25	45	46	2	35	41	14
7	5	12	2	46	47	1	45	29	15
8	4	21	50	46	48	1	21	6	16
9	3	31	38	47	49	0	30	54	16
10	3	7	15	48	50	5	40	42	17
11	2	17	3	49	51	5	16	19	18
12	1	26	51	49	52	4	26	7	18
13	1	2	28	50	53	4	1	44	19
14	0	12	16	51	54	3	11	32	20
15	5	47	53	51	55	2	21	20	21
16	4	57	41	52	56	1	56	57	21
17	4	7	29	53	57	1	6	45	22
18	3	43	6	54	58	0	16	33	23
19	2	52	54	55	59	5	52	10	23
20	2	2	42	55	60	5	1	58	24
21	1	38	24	56	61	4	37	35	25
22	0	48	7	56	62	3	47	23	26
23	0	23	44	57	63	2	57	11	27
24	5	33	32	58	64	2	32	48	28
25	4	43	20	59	65	1	42	36	28
26	4	18	58	0	66	0	52	24	29
27	3	28	46	0	67	0	28	1	30
28	2	38	34	1	68	5	37	49	31
29	2	14	11	2	69	4	47	37	31
30	1	23	59	3	70	4	23	14	32
31	0	33	47	3	71	3	33	2	33
32	0	9	24	4	72	3	8	39	33
33	5	19	12	5	73	2	18	27	34
34	4	54	49	5	74	1	28	15	35
35	4	4	37	6	75	1	3	52	35
36	3	14	25	7	76	0	13	40	36
37	2	50	2	7					
38	1	59	50	8					
39	0	9	38	9					
40	0	45	15	9					

Secunda

Secunda Pars Tabulæ in annis collectis.

Anni	ſex.	grad.	′	″
76	2	27	40	58
152	4	55	21	56
228	1	23	2	54
304	3	50	43	52
380	[illegible]	18	24	50
456	2	46	5	48
532	5	13	46	46
608	1	41	27	44
684	4	9	8	42
760	[illegible]	36	49	39
836	3	4	30	37
912	5	32	11	35
988	1	59	52	33
1064	4	27	33	31
1140	0	55	14	29
1216	3	22	55	27
1292	5	50	36	25
1368	2	18	17	23
1444	4	45	58	21
1520	1	13	39	19
1596	3	41	20	17
1672	0	9	1	14
1748	2	36	42	12
1814	5	4	23	10
1900	1	32	4	8
1976	3	59	45	6
2052	0	27	26	4
2128	2	55	7	2
2204	5	22	48	[illegible]
2280	1	50	28	58
2556	4	18	9	56
2432	0	45	50	54
2508	3	13	31	52
2584	5	41	12	50
2660	2	8	53	47
2736	4	36	34	45
2812	1	4	15	43
2888	3	31	56	41
2964	5	59	37	39
2040	2	27	18	37

Anni	Anni Æræ Chriſtianæ	ſex.	grad.	′	″
3116	Anni Æræ Chriſtianæ	4	54	59	35
3192		1	22	40	33
3268		3	50	21	31
3344		0	18	2	29
3420		2	45	43	27
3496		5	13	24	25
3572		1	41	5	23
3648		4	8	46	21
3724		0	36	27	18
3800		3	4	8	16
3876		5	31	49	14
3952	3	1	59	30	12
4028	79	4	27	11	10
4104	155	0	54	52	8
4180	231	3	22	33	6
4256	307	5	50	14	4
4332	383	2	17	55	2
4408	459	4	45	36	0
4484	535	1	13	16	58
4560	611	3	40	57	56
4636	687	[illegible]	8	38	53
4712	763	2	36	19	51
4788	839	5	4	0	49
4864	915	1	31	41	47
4940	991	3	59	22	45
5016	1076	0	27	3	43
5092	1143	2	54	43	41
5168	1215	5	22	25	39
5244	1295	1	50	6	37
5320	1371	4	17	47	35
5396	1447	0	45	28	33
5472	1523	3	13	9	31
5548	1599	5	40	50	29
5624	1675	2	8	31	26
5700	1751	4	36	12	24
5776	182-	1	3	53	22

Tertia Pars Tabulæ Noviluniæ.

Nov.	ſex.	grad.	′	″
1	[illegible]	25	49	0
2	0	51	38	[illegible]
3	1	17	27	0
4	1	45	16	[illegible]
5	2	9	5	0
6	2	34	54	0
7	3	[illegible]	43	[illegible]
8	3	26	32	[illegible]
9	3	52	21	0
10	4	18	10	1
11	4	43	59	1
12	5	9	48	1
13	5	57	37	1

Plenilunia.

Plen.	ſex.	grad.	′	″
1	3	12	54	30
2	3	38	43	30
3	4	4	32	30
4	4	30	21	30
5	4	56	10	30
6	5	21	59	30
7	5	47	48	30
8	[illegible]	13	37	30
9	[illegible]	39	26	30
10	1	5	15	30
11	1	31	4	31
12	1	56	53	31

Quadratura prima.

1	37	27	15

Quadratura ult.

4	50	21	45

Quarta Pars Tabulæ.
Latitudo in diebus.

dies	ſex.	grad.	′	″
1	0	13	3	54
2	0	26	7	48
3	0	39	11	42
4	0	52	15	36
5	1	5	19	30
6	1	18	23	24
7	1	31	27	18

Latitudo in horis & ſcrup.

Hor.	grad.	′	″
1	0	32	40
2	1	5	19
3	1	37	59
4	2	10	39
5	2	43	19
6	3	15	58
7	3	48	38
8	4	21	18
9	4	53	58
10	5	26	37
11	5	59	17
12	6	31	57
13	7	4	37
14	7	37	16
15	8	9	56
16	8	42	36
17	9	15	16
18	9	47	55
19	10	20	35
20	10	53	15
21	11	25	55
22	11	58	34
23	12	31	14
24	13	3	54
25	13	36	34
26	14	9	13
27	14	41	53
28	15	14	33
29	15	47	13
30	16	19	52
31	16	52	32
32	17	25	12
33	17	57	52
34	18	30	31
35	19	3	11
36	19	35	51
37	20	8	31
38	20	41	10
39	21	13	50
40	21	46	30

Hor.	grad.	′	″
41	22	19	10
42	22	51	49
43	23	24	29
44	23	57	9
45	24	29	9
46	25	2	28
47	25	35	8
48	26	7	48
49	26	40	28
50	27	13	7
51	27	45	47
52	28	18	27
53	28	51	7
54	29	23	46
55	29	56	26
56	30	29	6
57	31	1	45
58	31	34	25
59	32	7	5
60	32	39	45

QUARTA TABULA MOTUS ÆQUALIS SOLIS.

Prima ejus Pars in annis expanſis.

Anni	ſex.	grad.	′	″
1	5	27	17	9
2	5	45	40	24
3	5	34	57	16
4	5	53	20	31
5	5	42	37	23
6	5	31	54	15
7	5	50	17	31
8	5	39	34	23
9	5	28	51	14
10	5	47	14	30
11	5	36	31	22
12	5	25	48	13
13	5	44	11	29
14	5	33	18	21
15	5	51	51	37
16	5	41	8	28
17	5	30	25	20
18	5	48	48	36
19	5	38	5	27
20	5	27	22	19
21	5	45	45	35
22	5	35	2	27
23	5	53	25	42
24	5	42	42	34
25	5	31	59	26
26	5	50	22	42
27	5	39	39	33
28	5	28	56	25
29	5	47	19	41
30	5	36	36	32
31	5	25	53	24
32	5	44	16	40
33	5	33	33	31
34	5	51	56	47
35	5	41	13	39
36	5	30	30	31
37	5	48	53	46
38	5	37	10	38
39	5	27	27	30
40	5	45	50	46
41	5	35	7	37
42	5	53	30	52
43	5	42	47	45
44	5	32	4	36
45	5	50	27	52
46	5	39	44	44
47	5	29	1	35
48	5	47	24	51
49	5	36	41	43
50	5	25	58	35
51	5	44	21	50
52	5	33	38	42
53	5	52	1	58
54	5	41	18	50
55	5	30	35	41
56	5	48	58	57
57	5	38	15	49
58	5	27	32	30
59	5	45	54	56
60	5	35	12	48
61	5	53	36	3
62	5	42	52	55
63	5	32	9	47
64	5	50	33	3
65	5	39	49	54
66	5	29	6	40
67	5	47	30	2
68	5	36	46	54
69	5	26	3	45
70	5	44	27	1
71	5	33	43	53
72	5	52	7	9
73	5	41	24	0
74	5	30	40	50
75	5	49	4	8
76	5	38	21	0

Secunda Pars Tabulæ in annis expanſis.

Anni	ſex.	grad.	'	''
76	0	0	20	50
152	0	0	41	40
228	0	1	2	30
304	0	1	23	20
380	0	1	44	10
456	0	2	5	0
532	0	2	25	50
608	0	2	46	40
684	0	3	7	30
760	0	3	28	20
836	0	3	49	10
912	0	4	10	0
988	0	4	30	50
1064	0	4	51	40
1140	0	5	12	30
1216	0	5	33	20
1292	0	5	54	10
1368	0	6	15	0
1444	0	5	35	50
1520	0	6	56	40
1596	0	7	17	30
1672	0	7	38	20
1748	0	7	59	10
1824	0	8	20	0
1900	0	8	40	50
1976	0	9	1	40
2052	0	9	22	30
2128	0	9	43	20
2204	0	10	4	10
2280	0	10	25	0
2356	0	10	45	50
2432	0	11	6	40
2508	0	11	27	30
2584	0	11	48	20
2660	0	12	9	10
2736	0	12	30	0
2812	0	12	50	50
2888	0	13	11	40
2964	0	13	32	30
3040	0	13	53	20

Anni	Anni Æræ Chriſtianæ	ſex.	grad.	'	''
3116		0	14	14	10
3192		0	14	35	0
3268		0	14	55	50
3344		0	15	16	40
3420		0	15	37	30
3496		0	15	58	20
3572		0	16	19	10
3648		0	16	40	0
3724		0	17	0	50
3800		0	17	21	40
3876		0	17	42	30
3952	3	0	18	3	20
4028	79	0	18	24	10
4104	155	0	18	45	0
4180	231	0	19	5	50
4256	307	0	19	26	40
4332	383	0	19	47	30
4408	459	0	20	8	20
4484	535	0	20	29	10
4560	611	0	20	50	0
4636	687	0	21	10	51
4712	763	0	21	31	41
4788	839	0	21	52	31
4864	915	0	22	13	21
4940	991	0	22	34	11
5016	1067	0	22	55	1
5092	1143	0	23	15	51
5168	1219	0	23	36	41
5244	1295	0	23	57	31
5320	1371	0	24	18	21
5396	1447	0	24	39	11
5472	1523	0	25	0	1
5548	1599	0	25	20	51
5624	1675	0	25	41	41
5700	175	0	26	2	31
5776	182	0	26	23	21

Tertia Pars Tabulæ Noviluniæ.

Menſ.	ſex.	grad.	′	″
1	0	29	6	24
2	0	58	12	48
3	1	27	19	13
4	1	56	25	37
5	2	25	32	1
6	2	54	38	25
7	3	23	44	49
8	3	52	51	14
9	4	21	57	38
10	4	51	4	2
11	5	20	10	27
12	5	49	16	52
13	[illegible]	18	23	16

Plenilunia.

Plen.	ſex.	grad.	′	″
1	[illegible]	14	33	12
2	0	43	39	36
3	1	12	46	1
4	1	41	52	25
5	2	10	58	49
6	2	40	5	13
7	3	9	11	37
8	3	38	18	2
9	4	7	42	27
10	4	36	30	51
11	5	5	37	15
12	5	34	43	30

Quadratura prima.

0	7	16	36

Quadratura ult.

0	21	49	48

Quarta pars Tabulæ in diebus.

	ſex.	grad.	′	″
1	0	0	59	8
2	1	1	58	17
3	2	2	57	25
4	3	3	56	33
5	4	4	55	42
6	5	5	54	50
7	6	6	53	58

In Horis.

	grad.	′	″
1	0	2	28
2	0	4	55
3	0	7	23
4	0	9	51
5	0	12	19
6	0	14	47
7	0	17	14
8	0	19	42
9	0	22	10
10	0	24	38
11	0	27	6
12	0	29	34
13	0	32	2
14	0	34	29
15	0	36	57
16	0	39	25
17	0	41	53
18	0	44	21
19	0	46	49
20	0	49	16
21	0	51	44
22	0	54	12
23	0	56	40
24	0	59	8
25	1	11	36
26	1	4	4
27	1	6	31
28	1	8	59
29	1	1	27
30	1	13	55
31	1	16	23
32	1	18	41
33	1	21	19
34	1	23	47
35	1	26	14
36	1	28	42
37	1	31	10
38	1	33	38
39	1	36	6
40	1	38	34

	grad.	′	″
41	1	41	2
42	1	43	29
43	1	45	57
44	1	48	25
45	1	50	53
46	1	53	21
47	1	55	49
48	1	58	16
49	2	0	44
50	2	3	12
51	2	5	40
52	2	8	8
53	2	10	36
54	2	13	4
55	2	15	31
56	2	17	59
57	2	20	27
58	2	22	55
59	2	25	23
60	2	27	51

QUINTA TABULA ANOMALIÆ SOLARIS.

Prima ejus Pars in annis expanſis.

Anni	ſex.	grad.	′	″	Anni	ſex.	grad.	′	″
1	5	0	59	1	41	5	8	19	28
2	5	19	21	29	42	5	26	41	56
3	5	8	37	37	43	5	15	58	4
4	5	26	0	5	44	5	5	14	12
5	5	16	16	13	45	5	23	36	41
6	5	5	32	21	46	5	12	52	49
7	5	25	54	50	47	5	2	7	56
8	5	13	10	58	48	5	20	31	26
9	5	2	27	5	49	5	9	47	34
10	5	20	49	35	50	4	59	3	41
11	5	10	5	43	51	5	17	26	10
12	4	59	21	50	52	5	6	42	18
13	5	17	44	19	53	5	25	4	47
14	5	7	[illegible]	27	54	5	14	17	55
15	5	25	22	56	55	5	5	37	2
16	5	14	36	3	56	5	21	59	31
17	5	3	55	11	57	5	11	15	38
18	5	22	17	40	58	5	0	31	49
19	5	11	33	47	59	5	18	54	16
20	5	0	49	55	60	5	8	10	24
21	5	19	12	25	61	5	26	32	52
22	5	8	28	33	62	5	15	49	[illegible]
23	5	26	50	1	63	5	5	5	8
24	5	16	7	9	64	5	23	27	37
25	5	5	23	17	65	5	12	43	45
26	5	23	45	46	66	5	1	59	52
27	5	13	1	53	67	5	20	22	22
28	5	2	18	1	68	5	9	38	30
29	5	20	40	31	69	4	58	54	37
30	5	9	56	39	70	5	17	17	6
31	4	59	12	46	71	5	6	33	14
32	5	17	35	15	72	5	24	55	43
33	5	6	51	23	73	5	14	8	50
34	5	25	13	52	74	5	3	27	58
35	5	14	26	59	75	5	21	47	27
36	5	3	46	7	76	5	11	6	54
37	5	22	1	36					
38	5	11	24	43					
39	5	0	40	52					
40	5	19	3	20					

Secunda Pars Tabulæ in annis collectis.

Anni	*ſex.*	*grad.*	′	″
76	5	59	23	50
152	5	58	47	40
228	5	58	11	30
304	5	57	35	20
380	5	56	59	10
456	5	56	23	0
532	5	55	46	50
608	5	55	10	40
684	5	54	34	30
700	5	53	58	20
836	5	53	22	10
912	5	52	46	0
988	5	52	9	50
1064	5	51	33	40
1140	5	50	57	30
1216	5	50	21	20
1292	5	49	45	10
1368	5	49	9	0
1444	5	48	32	50
1520	5	47	56	40
1596	5	47	20	30
1672	5	46	44	20
1748	5	46	8	10
1824	5	45	32	0
1900	5	44	55	50
1976	5	44	19	40
2052	5	43	43	30
2128	5	43	7	20
2204	5	42	31	10
2280	5	41	55	0
2356	5	41	18	50
2432	5	40	42	40
2508	5	40	6	30
2584	5	39	30	20
2660	5	38	54	10
2736	5	38	18	0
2812		37	41	50
2888		37	5	40
2964		36	29	30
3040		35	53	20

Anni	Anni Æræ Chriſtianæ	*ſex.*	*grad.*	′	″
3116		5	35	73	10
3192		5	34	41	0
3268		5	34	4	50
3344		5	33	28	40
3420		5	32	52	30
3496		5	32	16	20
3572		5	31	40	10
3648		5	31	4	0
3724		1	30	27	50
3800		5	29	51	40
3876		5	29	15	30
3952	3	5	28	39	20
4028	79	5	28	3	10
4104	155	5	27	27	0
4180	231	5	26	50	50
4256	307	5	26	14	40
4332	383	5	25	38	30
4408	459	5	25	2	20
4484	535	5	24	26	10
4560	611	5	23	50	0
4636	687	5	23	13	51
4712	763	5	22	37	41
4788	839	5	22	1	31
4864	915	5	21	25	21
4940	991	5	20	49	11
5016	1067	5	20	13	1
5092	1143	5	19	36	51
5168	1219	5	19	0	41
5244	1295	5	18	24	31
5320	1371	5	17	48	21
5396	1447	5	17	17	11
5472	1523	5	16	36	1
5548	1599	5	15	59	51
5624	1675	5	15	23	41
5700	1751	5	14	47	31
5776	1827	5	14	11	21

Tertia

Tertia Pars Tabulæ in Noviluniis.

	ſex.	grad.	'	''
1	0	29	6	21
2	[illegible]	58	12	41
3	1	27	19	2
4	1	56	25	22
5	2	25	31	43
6	2	54	38	3
7	3	23	44	24
8	3	52	50	45
9	4	21	57	5
10	4	51	3	26
11	5	20	9	48
12	5	49	16	8
13	[illegible]	18	22	29

In Pleniluniis.

	ſex.	grad.	'	''
1	0	14	33	10
2	0	43	39	30
3	1	12	45	52
4	1	41	52	12
5	2	10	58	32
6	2	40	4	35
7	3	9	11	14
8	3	38	17	35
9	4	7	23	56
10	4	36	30	16
11	5	5	36	37
12	5	34	42	58

In Quadratura prima.

0	17	16	35

In Quadratura ult.

0	21	42	45

Quarta Pars Tabulæ Anomalia Solis in diebus.

	ſex. grad.	'	''
1	0	59	8
2	1	58	17
3	2	57	25
4	3	56	33
5	4	55	42
6	5	54	50
7	6	53	58

In Horis.

	grad.	'	''
1	0	2	8
2	0	4	55
3	0	7	23
4	0	9	51
5	0	12	19
6	0	14	47
7	0	17	14
8	0	19	42
9	0	22	10
10	0	24	38
11	0	27	6
12	0	29	34
13	0	32	2
14	0	34	29
15	0	36	57
16	0	39	25
17	0	41	53
18	0	44	21
19	0	46	49
20	0	49	16
21	0	51	44
22	0	54	12
23	0	56	40
24	0	59	8
25	1	1	36
26	1	4	4
27	1	6	31
28	1	8	59
29	1	11	27
30	1	13	55
31	1	16	23
32	1	18	51
33	1	21	19
34	1	23	47
35	1	26	14
36	1	28	42
37	1	31	10
38	1	33	38
39	1	36	6
40	1	38	34
41	1	41	2
42	1	43	29
43	1	45	57
44	1	48	25
45	1	50	53
46	1	53	21
47	1	55	49
48	1	58	16
49	2	[illegible]	44
50	2	3	12
51	2	5	40
52	2	8	8
53	2	10	36
54	2	13	4
55	2	15	31
56	2	17	59
57	2	20	27
58	2	22	55
59	2	25	23
60	2	27	51

Æqua-

Æquario Solis.

Sexagena 0.

	Subtrah. grad.	'	''	*diff.* *add.* '	''	*Hor.* *add.* ''
0	0	0	[illegible]	2	5	5
1	0	2	5	2	5	5
2	0	4	10	2	4	5
3	0	6	14	2	4	5
4	0	8	18	2	4	5
5	[illegible]	10	22	2	4	5
[illegible]	[illegible]	12	26	2	4	5
7	[illegible]	14	30	2	3	5
8	0	16	33	2	3	5
9	[illegible]	18	36	2	3	5
10	[illegible]	20	39	2	3	5
11	0	22	41	2	2	5
12	0	24	43	2	2	5
13	0	26	45	2	2	5
14	[illegible]	28	47	2	1	5
15	[illegible]	30	48	2	1	5
16	0	32	49	2	0	5
17	0	34	49	1	59	5
18	0	36	48	1	59	5
19	0	38	47	1	58	5
20	0	40	45	1	58	5
21	0	42	43	1	57	5
22	0	44	40	1	56	5
23	[illegible]	46	36	1	55	5
24	0	48	81	1	54	5
25	[illegible]	50	25	1	53	5
26	[illegible]	52	18	1	53	5
27	[illegible]	54	11	1	52	5
28	0	5[illegible]	3	1	51	5
29	[illegible]	57	54	1	50	5
30	0	59	44	1	49	5
31	1	1	33	1	48	5
32	1	3	21	1	47	5
33	1	5	8	1	46	5
34	1	6	54	1	44	4
35	1	8	38	1	43	4
36	1	10	21	1	42	4
37	1	12	3	1	41	4
38	1	13	44	1	40	4
39	1	15	24	1	39	4
40	1	17	3	1	37	4
41	1	18	40	1	36	4
42	1	20	16	1	35	4
43	1	21	51	1	33	4
44	1	23	24	1	32	4
45	1	24	56	1	31	4
46	1	26	27	1	29	4
47	1	27	56			4

Sexagena 1.

	Subtrah. grad.	'	''	*diff.* *add.* '	''	*Hor.* *add.* ''
[illegible]	1	44	46	1	7	3
1	1	45	53	1	4	3
2	1	46	57	1	2	2
3	1	47	59	1	0	2
4	1	48	59	0	58	2
5	1	49	57	0	56	2
6	1	50	53	0	54	2
7	1	51	47	0	52	2
8	1	52	39	0	51	2
9	1	53	30	0	49	2
10	1	54	19	0	48	2
11	1	55	7	0	45	2
12	1	55	52	0	42	2
13	1	56	34	0	40	2
14	1	57	14	0	38	2
15	1	57	52	0	36	2
16	1	58	28	0	34	1
17	1	59	2	0	32	1
18	1	59	34	0	30	1
19	2	0	4	0	28	1
20	2	[illegible]	32	0	26	1
21	2	0	58	[illegible]	24	1
22	2	1	22	0	21	1
23	2	1	43	0	19	1
24	2	2	2	0	17	1
25	2	2	19	[illegible]	14	1
26	2	2	33	0	22	1
27	2	2	45	0	10	1
28	2	2	55	0	8	1
29	2	3	3	0	6	1
30	2	3	9	[illegible]	4	1
31	2	3	13	0	2	0
32	2	3	15	*ſubt.*	2	0
33	2	3	13	[illegible]	4	[illegible]
34	2	3	9	0	6	0
35	2	3	3	0	8	0
36	2	2	55	0	10	0
37	2	2	45	0	12	0
38	2	2	33	0	14	0
39	2	2	19	0	17	*ſubt.*
40	2	2	2	[illegible]	19	1
41	2	1	43	[illegible]	21	1
42	2	1	22	0	24	1
43	2	0	58	0	26	1
44	2	0	32	0	28	1
45	2	0	4	0	30	1
46	1	59	34	0	32	1
47	1	59	2			1

Sexagena 2.

	Subtrahe grad.	'	''	*diff.* *ſubt.* '	''	*Hor.* *ſubt.* ''
0	1	48	36	1	3	2
1	1	47	33	1	5	3
2	1	46	28	1	7	3
3	1	45	21	1	9	3
4	1	44	12	1	11	3
5	1	43	1	1	14	3
6	1	41	47	1	16	3
7	1	40	31	1	17	3
8	1	39	14	1	19	3
9	1	37	55	1	20	3
10	1	36	35	1	22	3
11	1	35	13	1	24	3
12	1	33	49	1	26	3
13	1	32	23	1	29	3
14	1	30	54	1	31	4
15	1	29	23	1	33	4
16	1	27	50	1	34	4
17	1	26	16	1	36	4
18	1	24	40	1	37	4
19	1	23	3	1	38	[illegible]
20	1	21	25	1	39	4
21	1	19	46	1	41	4
22	1	18	5	1	43	4
23	1	16	22	1	46	4
24	1	14	36	1	48	4
25	1	12	48	1	49	4
26	1	10	59	1	50	4
27	1	9	9	1	51	4
28	1	7	18	1	52	4
29	1	5	26	1	53	4
30	1	3	38	1	54	5
31	1	1	39	1	55	5
32	0	59	45	1	57	5
33	0	57	48	1	59	5
34	[illegible]	55	49	2	1	5
35	0	53	48	2	1	5
36	[illegible]	51	47	2	2	5
37	0	49	45	2	2	5
38	[illegible]	47	43	2	3	5
39	[illegible]	45	40	2	4	5
40	[illegible]	43	36	2	5	5
41	0	41	31	2	6	5
42	0	39	25	2	7	5
43	0	37	18	2	8	5
44	0	35	10	2	9	5
45	0	33	1	2	9	5
46	[illegible]	30	52	2	10	5
47	0	28	42	2	10	5

ad Anomaliam Solis.

Sexagena 3.

	add.			diff. Hor. add. ſubt.		
	grad.	'	''	'	''	''
0	1	0	0	2	14	5
1	0	2	14	2	14	5
2	0	4	28	2	14	5
3	0	6	42	2	14	5
4	0	8	56	2	13	5
5	0	11	9	2	13	5
6	0	13	22	2	13	5
7	0	15	35	2	12	5
8	0	17	47	2	12	5
9	0	19	59	2	12	5
10	0	22	10	2	11	5
11	0	24	21	2	11	5
12	0	26	32	2	11	5
13	0	28	42	2	10	5
14	0	30	52	2	10	5
15	0	33	1	2	9	5
16	0	35	10	2	8	5
17	0	37	18	2	7	5
18	0	35	25	2	6	5
19	0	41	31	2	5	5
20	0	43	36	2	4	5
21	0	45	40	2	3	5
22	0	47	43	2	2	5
23	0	49	45	2	2	5
24	0	51	47	2	1	5
25	0	53	48	2	0	5
26	0	55	49	1	59	5
27	0	57	48	1	57	5
28	0	59	45	1	55	5
29	1	1	40	1	53	4
30	1	3	33	1	53	4
31	1	5	26	1	52	4
32	1	7	18	1	51	4
33	1	9	9	1	50	4
34	1	10	59	1	49	4
35	1	12	48	1	48	4
36	1	14	36	1	46	4
37	1	16	22	1	43	4
38	1	18	5	1	41	4
39	1	19	46	1	39	4
40	1	21	25	1	38	4
41	1	23	3	1	37	4
42	1	24	40	1	36	4
43	1	26	16	1	34	4
44	1	27	50	1	33	4
45	1	29	23	1	31	4
46	1	30	54	1	29	4
47	1	32	23	1	26	4

Sexagena 4.

	add.			diff. Hor. add. ſubt.		
	grad.	'	''	'	''	''
0	1	48	36	1	1	2
1	1	49	37	0	59	2
2	1	50	36	0	57	2
3	1	51	33	0	55	2
4	1	52	28	0	53	2
5	1	53	21	0	51	2
6	1	54	12	0	48	2
7	1	55	0	0	46	2
8	1	55	46	0	44	2
9	1	56	30	0	41	2
10	1	57	11	0	39	2
11	1	57	50	0	37	2
12	1	58	27	0	35	1
13	1	59	2	0	32	1
14	1	59	34	0	30	1
15	2	0	4	0	28	1
16	2	0	32	0	26	1
17	2	0	38	0	24	1
18	2	1	22	0	21	1
19	2	1	43	0	19	1
20	2	2	2	0	17	1
21	2	2	19	0	14	1
22	2	2	33	0	12	0
23	2	2	45	0	10	0
24	2	2	55	0	8	0
25	2	3	3	0	6	0
26	2	3	9	0	4	0
27	2	3	13	0	2	0
28	2	3	15	ſubt.	2	0
29	2	3	13	0	4	ad.
30	2	3	9	0	6	1
31	2	3	3	0	8	1
32	2	2	55	0	10	1
33	2	2	45	0	12	1
34	2	2	33	0	14	1
35	2	2	19	0	17	1
36	2	2	2	0	19	1
37	2	1	43	0	21	1
38	2	1	22	0	24	1
39	2	0	58	0	26	1
40	2	0	32	0	28	1
41	2	0	4	0	30	1
42	1	59	34	0	32	1
43	1	59	2	0	34	1
44	1	58	28	0	36	2
45	1	57	52	0	38	2
46	1	56	14	0	40	2
47	1	56	34	0	42	2

Sexagena 5.

	Adde			diff. Hor. ſubt. adde		
	grad.	'	''		'	''
0	1	44	47	1	9	3
1	1	43	38	1	9	3
2	1	42	29	1	11	3
3	1	41	18	1	12	3
4	1	40	6	1	14	3
5	1	38	52	1	16	3
6	1	37	36	1	18	3
7	1	36	18	1	20	3
8	1	34	58	1	22	3
9	1	33	36	1	23	3
10	1	32	13	1	24	4
11	1	30	49	1	26	4
12	1	29	23	1	27	4
13	1	27	59	1	29	4
14	1	26	27	1	31	4
15	1	24	59	1	32	4
16	1	23	24	1	33	4
17	1	21	51	1	35	4
18	1	20	16	1	36	4
19	1	18	40	1	37	4
20	1	17	3	1	39	4
21	1	15	24	1	40	4
22	1	13	44	1	41	4
23	1	12	3	1	42	4
24	1	10	21	1	43	4
25	1	8	38	1	44	4
26	1	6	54	1	46	5
27	1	5	8	1	47	5
28	1	3	21	1	48	5
29	1	1	33	1	49	5
30	0	59	44	1	50	5
31	0	57	54	1	51	5
32	0	56	3	1	52	5
33	0	54	11	1	53	5
34	0	52	18	1	53	5
35	0	50	25	1	54	5
36	0	48	31	1	55	5
37	0	46	36	1	56	5
38	0	44	40	1	57	5
39	0	42	43	1	58	5
40	0	40	45	1	58	5
41	0	38	47	1	59	5
42	0	36	48	1	59	5
43	0	34	49	2	0	5
44	0	32	49	2	1	5
45	0	30	48	2	1	5
46	0	28	47	2	1	5
47	0	26	45	2	2	5

Sexagena 0.

grad.	Subtrahe grad.	'	''	diff. adde '	''	hor. add. ''
47	1	27	56	1	27	4
48	1	29	23	1	26	4
49	1	30	49	1	24	4
50	1	32	13	1	23	4
51	1	33	36	1	22	4
52	1	34	58	1	20	3
53	1	36	18	1	18	3
54	1	37	36	1	16	3
55	1	38	52	1	14	3
56	1	40	6	1	12	3
57	1	41	18	1	11	3
58	1	42	29	1	9	3
59	1	43	38	1	8	3
60	1	44	46			3

Sexagena 1.

grad.	Subtrahe grad.	'	''	Diff. ſubt. '	''	hor. ſub. ''
47	1	59	2	0	35	1
48	1	58	27	0	37	1
49	1	57	50	0	39	2
50	1	57	11	0	41	2
51	1	56	30	0	44	2
52	1	55	46	0	46	2
53	1	55	0	0	48	2
54	1	54	12	0	51	2
55	1	53	21	0	53	2
56	1	52	28	0	55	2
57	1	51	33	0	57	2
58	1	50	36	0	59	2
59	1	49	57	1	1	2
60	1	48	36	1	3	2

Sexagena 2.

grad.	Subtrahe grad.	'	''	diff. ſubt. '	''	hor. ſub ''
47	0	28	42	2	10	5
48	0	26	32	2	11	5
49	0	24	21	2	11	5
50	0	22	10	2	11	5
51	0	19	59	2	12	5
52	0	17	47	2	12	5
53	0	15	35	2	13	5
54	0	13	22	2	13	5
55	0	11	9	2	13	5
56	0	8	56	2	14	5
57	0	6	42	2	14	5
58	0	4	28	2	14	5
59	0	2	14	2	14	5
60	0	0	0	0	0	0

TABULA

Æquatio Motus Lu-

Sexagena 0.

gr.	Subtrahe grad.	'	''	diff. adde '	''	Horarius '	''
0	0	0	0	5	4	27	42
1	0	5	4	5	4	27	42
2	0	10	8	5	4	27	42
3	0	15	12	5	4	27	42
4	0	20	16	5	4	27	42
5	0	25	20	5	3	27	42
6	0	30	23	5	3	27	43
7	0	35	26	5	2	27	43
8	0	40	28	5	1	27	43
9	0	45	29	5	1	27	43
10	0	50	30	5	0	27	44
11	0	55	30	4	58	27	45
12	1	0	28	4	57	27	46
13	1	5	25	4	56	27	46
14	1	10	21	4	55	27	47
15	1	15	16	4	54	27	47
16	1	20	10	4	53	27	48
17	1	25	3	4	52	27	48
18	1	29	55	4	50	27	49
19	1	34	45	4	48	27	50
20	1	39	3	4	46	27	52
21	1	44	18	4	45	27	53
22	1	48	3	4	44	27	54
23	1	53	47	4	42	27	55

Sexagena 1.

gr.	Subtrahe grad.	'	''	diff. adde '	''	Horarius '	''
0	4	14	51	2	38	29	2
1	4	17	29	2	33	29	5
2	4	20	2	2	29	29	7
3	4	22	31	2	24	29	10
4	4	24	55	2	19	29	12
5	4	27	14	2	15	29	15
6	4	29	29	2	10	29	17
7	4	31	39	2	5	29	20
8	4	33	44	2	0	29	23
9	4	35	44	1	55	29	25
10	4	37	39	1	51	29	28
11	4	39	30	1	47	29	30
12	4	41	17	1	42	29	33
13	4	42	59	1	36	29	36
14	4	44	35	1	30	29	39
15	4	46	5	1	25	29	42
16	4	47	30	1	20	29	45
17	4	48	50	1	16	29	48
18	4	50	6	1	10	29	50
19	4	51	16	1	5	29	53
20	4	52	21	1	0	29	56
21	4	53	21	0	55	29	59
22	4	54	16	0	48	30	2
23	4	55	5	0	44	30	4

Sexagena 2.

gr.	Subtrahe grad.	'	''	diff. ſubt. '	''	motus Hor. '	''
0	4	22	20	2	34	31	52
1	4	19	46	2	39	31	56
2	4	17	7	2	43	31	58
3	4	14	24	2	48	32	1
4	4	11	36	2	53	32	30
5	4	8	43	2	58	32	6
6	4	5	45	3	3	32	9
7	4	2	42	3	7	32	11
8	3	59	35	3	12	32	14
9	3	56	23	3	17	32	17
10	3	53	6	3	21	32	19
11	3	49	45	3	25	32	21
12	3	46	20	3	30	32	24
13	3	42	50	3	34	32	26
14	3	39	16	3	39	32	28
15	3	35	38	3	43	32	30
16	3	31	55	3	47	32	33
17	3	28	8	3	5	32	35
18	3	24	18	3	54	32	37
19	3	20	24	3	59	32	4
20	3	16	25	4	3	32	42
21	3	12	22	4	7	32	44
22	3	8	15	4	10	32	46
23	3	4	5	4	13	32	48

Sexagena 3.

grad.	grad.	′	″	′	″	″
	Adde			*diff. Hor. ſubt.*		*ſub*
47	1	32	23	1	26	4
48	1	33	49	1	24	4
49	1	35	13	1	22	3
50	1	36	35	1	20	3
51	1	47	55	1	19	3
52	1	39	14	1	17	3
53	1	40	31	1	16	3
54	1	41	47	1	14	3
55	1	43	1	1	11	3
56	1	44	12	1	9	3
57	1	45	21	1	7	3
58	1	46	28	1	5	3
59	1	47	33	1	3	3
60	1	48	56	1	1	3

Sexagena 4.

grad.	grad.	′	″	′	″	
	Adde			*Diff. Hor. ſubt.*		*add.*
47	1	56	34	0	42	2
48	1	55	52	0	45	2
49	1	55	7	0	48	2
50	1	54	19	0	49	2
51	1	53	30	0	51	2
52	1	52	39	0	52	2
53	1	51	47	0	54	2
54	1	50	53	0	56	2
55	1	49	57	0	58	2
56	1	48	59	1	0	2
57	1	46	57	1	2	2
58	1	47	59	1	4	2
59	1	45	53	1	6	2
60	1	44	47	1	9	2

Sexagena 5.

grad.	grad.	′	″	′	″	″
	Adde			*diff. Hor. ſubt.*		*add.*
47	[illegible]	26	45	2	2	5
48	0	24	43	2	2	5
49	0	22	41	2	2	5
50	0	20	39	2	2	5
51	0	18	36	2	3	5
52	0	16	33	2	3	5
53	0	14	30	2	3	5
54	[illegible]	12	26	2	4	5
55	0	10	22	2	4	5
56	0	8	18	2	4	5
57	0	6	14	2	4	5
58	[illegible]	12	10	2	4	5
59	0	2	5	2		5
60	0	0	0	0	0	0

SEPTIMA.

naris ad Anomaliam.

Sexagena 3.

gr.	grad.	′	″	′	″	′	″
	Adde			*Diff. Motus add.*		*Hora.*	
0	0	0	0	5	23	33	26
1	0	5	23	5	23	33	26
2	0	10	46	5	22	33	25
3	0	16	9	5	22	33	25
4	0	21	30	5	22	33	25
5	0	26	52	5	21	33	25
6	0	32	13	5	20	33	24
7	0	37	33	5	19	33	24
8	0	42	52	5	18	33	23
9	0	48	10	5	17	33	23
10	0	53	27	5	16	33	22
11	0	58	43	5	16	33	22
12	1	3	59	5	15	33	21
13	1	9	14	5	13	33	20
14	1	14	27	5	11	33	19
15	1	19	38	5	9	33	18
16	1	24	47	5	8	33	18
17	1	29	55	5	6	33	17
18	1	35	1	5	4	33	16
19	1	40	5	5	3	33	15
20	1	45	8	5	1	33	14
21	1	50	9	4	58	33	12
22	1	55	7	4	55	33	11
23	2	0	2	4	53	33	9

Sexagena 4.

gr.	grad.	′	″	′	″	′	″
	Adde			*Diff. Motus add.*		*Hor.*	
0	4	22	20	2	28	31	50
1	4	24	48	2	23	31	47
2	4	27	11	2	18	31	44
3	4	29	29	2	13	31	42
4	4	31	42	2	9	31	39
5	4	33	51	2	3	31	36
6	4	35	54	1	57	31	33
7	4	37	51	2	52	31	30
8	4	39	43	1	48	31	28
9	4	41	31	1	42	31	25
10	4	43	13	1	37	31	22
11	4	44	50	1	31	31	19
12	4	46	21	1	25	31	16
13	4	47	46	1	21	31	13
14	4	49	7	1	16	31	10
15	4	50	23	1	10	31	7
16	4	51	33	1	4	31	4
17	4	52	37	0	59	31	1
18	4	53	36	[illegible]	54	30	58
19	4	54	30	[illegible]	48	30	55
20	4	55	18	0	43	30	52
21	4	56	1	[illegible]	37	30	49
22	4	56	38	0	32	30	46
23	4	57	10	0	27	30	43

Sexagena 5.

gr.	grad.	′	″	′	″	′	″
	Adde			*D:ff. Motus ſubt.*		*Hor.*	
0	4	14	51	2	43	28	59
1	4	12	8	2	47	28	57
2	4	9	21	2	51	28	55
3	4	6	30	2	55	28	53
4	4	3	35	2	59	28	50
5	4	0	36	3	4	28	48
6	3	57	32	3	8	28	46
7	3	54	24	3	12	28	44
8	3	51	12	3	16	28	42
9	3	47	56	3	20	28	40
10	3	44	36	3	24	28	37
11	3	41	12	3	28	28	35
12	3	37	44	3	31	28	33
13	3	34	13	3	35	28	31
14	3	30	38	3	39	28	29
15	3	26	59	3	42	28	27
16	3	23	17	3	46	28	25
17	3	19	31	3	49	28	23
18	3	15	42	3	53	28	21
19	3	11	49	3	56	28	19
20	3	7	55	3	59	28	17
21	3	3	54	4	2	28	16
22	2	59	52	4	6	28	14
23	2	55	46	4	9	28	12

Reſi-

Reſiduum Tabulæ

Sexagena 0.

gr.	Subtrahe grad.	′	″	Diff. Motus add. ′	″	hor. ′	″
23	1	53	47	4	42	27	54
24	1	58	29	4	39	27	57
25	2	3	8	4	36	27	57
26	2	7	44	4	34	27	58
27	2	12	18	4	32	27	59
28	2	16	50	4	30	28	0
29	2	21	20	4	27	28	2
30	2	25	47	4	25	28	3
31	2	30	12	4	22	28	4
32	2	34	34	4	20	28	6
33	2	38	54	4	17	28	8
34	2	43	11	4	14	28	9
35	2	47	25	4	12	28	10
36	2	51	37	4	9	28	12
37	2	55	46	4	6	28	14
38	2	59	52	4	2	28	16
39	3	3	54	3	59	28	17
40	3	7	53	3	56	28	19
41	3	11	49	3	53	28	21
42	3	15	42	3	49	28	23
43	3	19	31	3	46	28	25
44	3	23	17	3	42	28	27
45	3	26	59	3	39	28	29
46	3	30	38	3	35	28	31
47	3	34	13	3	31	28	33
48	3	37	44	3	28	28	35
49	3	41	12	3	24	28	37
50	3	44	36	3	20	28	39
51	3	47	56	3	16	28	41
52	3	51	12	3	12	28	43
53	3	54	24	3	8	28	45
54	3	57	32	3	4	28	48
55	4	0	36	2	59	28	50
56	4	3	35	2	55	28	53
57	4	6	30	2	51	28	55
58	4	9	21	2	47	28	57
59	4	12	8	2	43	28	59
60	4	14	51	2	38	29	2

Sexagena 1.

gr.	Adde grad.	′	″	′	″	Diff. Motus ſubt. Hor. ′	″
23	4	55	5	0	44	30	4
24	4	55	49	0	39	30	7
25	4	56	28	0	33	30	10
26	4	56	1	0	28	30	13
27	4	57	29	0	22	30	16
28	4	57	51	0	17	30	19
29	4	58	8	0	12	30	22
30	4	58	20	0	6	30	25
31	4	58	26	0	1	30	28
32	4	58	27	ſub.	5	30	31
33	4	58	22	0	8	30	33
34	4	58	14	0	15	30	37
35	4	57	59	0	22	30	41
36	4	57	37	0	27	30	43
37	4	57	10	0	32	30	40
38	4	56	38	0	37	30	49
39	4	56	1	0	43	30	52
40	4	55	18	0	48	30	55
41	4	54	30	0	5	30	58
42	4	53	36	0	55	31	1
43	4	52	37	1	4	31	4
44	4	51	33	1	10	31	7
45	4	50	23	1	16	31	10
46	4	49	7	1	21	31	13
47	4	47	46	1	25	31	16
48	4	46	21	1	31	31	19
49	4	44	50	1	27	31	22
50	4	43	13	1	42	31	25
51	4	41	31	1	48	31	28
52	4	39	43	1	52	31	30
53	4	37	51	1	57	31	33
54	4	35	54	2	3	31	36
55	4	33	51	2	9	31	39
56	4	31	42	2	13	31	42
57	4	29	29	2	18	31	44
58	4	27	11	2	23	31	47
59	4	24	48	2	28	31	50
60	4	22	20	2	34	31	32

Sexagena 2.

gr.	Subtrahe grad.	′	″	diff. hor. ſubt. motus. ′	″	′	″
23	3	4	5	4	13	32	48
24	2	59	52	4	17	32	50
25	2	55	35	4	21	32	52
26	2	51	14	4	25	32	54
27	2	46	49	4	28	32	56
28	2	42	21	4	30	32	57
29	2	37	51	4	33	32	59
30	2	33	18	4	37	33	1
31	2	28	41	4	40	33	2
32	2	24	1	4	43	33	4
33	2	19	18	4	4	33	5
34	2	14	33	4	48	33	7
35	2	9	45	4	50	33	8
36	2	4	55	4	53	33	9
37	2	0	2	4	55	33	11
38	1	55	7	4	58	33	12
39	1	50	9	5	1	33	14
40	1	45	8	5	3	33	15
41	1	40	5	5	4	33	16
42	1	35	1	5	6	33	17
43	1	29	55	5	2	33	18
44	1	24	47	5	9	33	18
45	1	19	38	5	11	33	19
46	1	14	27	5	13	33	20
47	1	9	51	5	15	33	21
48	1	5	39	5	16	33	22
49	0	58	43	5	16	33	22
50	0	53	27	5	17	33	23
51	0	48	10	5	18	33	23
52	0	42	52	5	19	33	24
53	0	37	33	5	20	33	24
54	0	32	13	5	21	33	25
55	0	26	52	5	22	33	25
56	0	21	30	5	22	33	25
57	0	16	8	5	22	33	25
58	0	10	46	5	23	33	26
59	0	5	23	5	23	33	26
60	0	0	0	0	0	0	0

Æqua-

Æquationis Lunaris.

Sexagena 3.

gr. grad.	Adde ′	Adde ″	Diff. add. ′	Diff. add. ″	Motus hor. ′	Motus hor. ″
23	2	0	2	4	53	33	9
24	2	4	55	4	50	33	8
25	2	9	45	4	48	33	7
26	2	14	33	4	45	33	5
27	2	19	18	4	43	33	4
28	2	24	1	4	40	33	2
29	2	28	41	4	37	33	1
30	2	33	18	4	53	32	59
31	2	37	51	4	30	32	57
32	2	42	21	4	28	32	56
33	2	46	49	4	25	32	54
34	2	51	14	4	21	32	52
35	2	55	35	4	17	32	50
36	2	59	52	4	13	32	48
37	3	4	5	4	10	32	46
38	3	8	15	4	7	32	44
39	3	12	22	4	3	32	42
40	3	16	25	3	59	32	40
41	3	20	24	3	54	32	38
42	3	24	18	3	50	32	36
43	3	28	8	3	47	32	34
44	3	31	55	3	43	32	32
45	3	35	38	3	38	32	30
46	3	39	16	3	34	32	27
47	3	42	50	3	30	32	25
48	3	46	20	3	25	32	22
49	3	49	45	3	21	32	20
50	3	53	6	3	17	32	18
51	3	56	23	3	12	32	15
52	3	59	35	3	7	32	12
53	4	2	42	3	3	32	10
54	4	5	45	2	58	32	6
55	4	8	43	2	53	32	4
56	4	11	36	2	48	32	1
57	4	14	24	2	43	31	58
58	4	17	7	2	39	31	56
59	4	19	46	2	34	31	53
60	4	22	20	2	28	31	51

Sexagena 4.

gr. grad.	Adde ′	Adde ″	Diff. adde ′	Diff. adde ″	Motus Hor. ′	Motus Hor. ″
23	4	57	10	0	27	30	43
24	4	57	37	0	22	30	41
25	4	57	59	0	15	30	37
26	4	58	14	0	[illegible]	30	33
27	4	58	22	0	5	30	31
28	4	58	27	ſub.	1	30	20
29	4	58	26	0	6	30	26
30	4	58	20	0	12	30	22
31	4	58	8	0	17	30	19
32	4	57	51	0	22	30	17
33	4	57	29	0	28	30	13
34	4	57	1	0	33	30	10
35	4	56	28	0	36	30	6
36	4	55	49	0	44	30	4
37	4	55	5	0	49	30	2
38	4	54	16	0	55	29	58
39	4	53	21	1	0	29	56
40	4	52	21	1	5	29	53
41	4	51	16	1	10	29	50
42	4	50	6	1	16	29	47
43	4	48	50	1	[illegible]	29	45
44	4	47	33	1	25	29	42
45	4	46	5	1	30	29	39
46	4	44	35	1	36	29	36
47	4	42	59	1	42	29	33
48	4	41	17	1	47	29	30
49	4	39	30	1	51	29	28
50	4	37	39	1	55	29	25
51	4	35	44	2	0	29	23
52	4	33	44	2	5	29	20
53	4	31	39	2	10	29	17
54	4	29	29	2	15	29	15
55	4	27	14	2	19	29	13
56	4	24	55	2	24	29	10
57	4	22	31	2	29	29	7
58	4	20	2	2	33	29	5
59	4	17	29	2	38	29	2
60	4	14	51	2	43	28	59

Sexagena 5.

gr. grad.	Adde ′	Adde ″	Diff. ſubt. ′	Diff. ſubt. ″	Motus hor. ′	Motus hor. ″
23	2	55	46	4	9	28	13
24	2	51	37	4	12	28	11
25	2	47	25	4	14	28	9
26	2	43	11	4	17	28	8
27	2	38	54	4	20	28	6
28	2	34	34	4	22	28	5
29	2	30	12	4	25	28	3
30	2	25	47	4	27	28	2
31	2	21	20	4	30	28	0
32	2	16	50	4	32	27	59
33	2	12	18	4	34	27	58
34	2	7	44	4	36	27	57
35	2	3	8	4	39	27	55
36	1	58	29	4	42	27	54
37	1	53	47	4	44	27	53
38	1	49	3	4	45	27	52
39	1	44	18	4	46	27	51
40	1	39	32	4	48	27	50
41	1	34	44	4	49	27	49
42	1	29	55	4	52	27	48
43	1	25	3	4	53	27	47
44	1	20	10	4	54	27	47
45	1	15	16	4	55	27	46
46	1	10	21	4	56	27	46
47	1	5	25	4	57	27	46
48	1	0	28	4	58	27	45
49	0	55	30	5	0	27	44
50	0	50	30	5	1	27	43
51	0	45	29	5	1	27	43
52	0	40	28	5	2	27	33
53	0	35	26	5	3	27	42
54	0	30	23	5	3	27	42
55	0	25	20	5	4	27	42
56	0	20	16	5	4	27	42
57	0	15	12	5	4	27	42
58	0	10	8	5	4	27	42
59	0	5	4	5	4	27	42
60	0	0	0	0	0	0	0

De vera latitudine Lunæ ad latitudinem æqualem inventam.

Si Sexagena fuerint dua dum latitudo eſt Septentrionalis. Si quinque tum eſt Auſtralis.

Grad.

adhær. gr.		′	″		grad.	′	″		grad.	′	″
44	1	22	36	50	0	52	1	56	0	20	54
10	1	21	45	10	0	51	10	10	0	20	2
20	1	20	55	20	0	50	18	20	0	19	10
30	1	20	4	30	0	49	27	30	0	18	18
40	1	19	14	40	0	48	35	40	0	17	25
50	1	18	23	50	0	47	44	50	0	16	33
45	1	17	33	51	0	46	52	57	0	15	41
10	1	16	42	10	0	46	1	10	0	14	59
20	1	15	52	20	0	45	9	20	0	13	56
30	1	15	1	30	0	44	17	30	0	13	4
40	1	14	10	40	0	43	25	40	0	12	12
50	1	13	20	50	0	42	34	50	0	11	20
46	1	12	29	52	0	41	42	58	0	10	27
10	1	11	38	10	0	40	50	10	0	9	35
20	1	10	48	20	0	39	58	20	0	8	43
30	1	9	57	30	0	39	7	30	0	7	50
40	1	9	6	40	0	38	15	40	0	6	58
50	1	8	15	50	0	37	23	50	0	6	6
47	1	7	24	53	0	36	31	59	0	5	14
10	1	6	33	10	0	35	39	10	0	4	21
20	1	5	42	20	0	34	47	20	0	3	29
30	1	4	51	30	0	33	55	30	0	2	37
40	1	4	0	40	0	33	3	40	0	1	44
50	1	3	9	50	0	32	11	50	0	0	52
48	1	2	18	54	0	31	19	0	0	0	0
10	1	1	27	10	0	30	27				
20	1	5	36	20	0	29	35				
30	0	59	44	30	0	28	43				
40	0	58	53	40	0	27	51				
50	0	58	2	50	0	26	59				
49	0	57	10	55	0	26	7				
10	0	56	19	10	0	25	15				
20	0	55	27	20	0	24	23				
30	0	54	36	30	0	23	31				
40	0	53	44	40	0	22	39				
50	0	52	53	50	0	21	46				

De vera latitudine Lunæ ad latitudinem æqualem inventam.

Latitudo eſt Septentrionalis ſi fuerit.

Sexagena 0. Auſtralis verò in Sexagenis 3.											
Grad.	Grad.	′	″	Grad.	Grad.	′	″	Grad.	Grad.	′	″
0	0	0	0	6	0	31	19	12	1	2	18
10	0	0	52	10	0	32	11	10	1	3	9
20	0	1	44	20	0	33	3	20	1	4	0
30	0	2	37	30	0	33	55	30	1	4	51
40	0	3	29	40	0	34	47	40	1	5	42
50	0	4	21	50	0	35	39	50	1	6	33
1	0	5	14	7	0	36	31	13	1	7	24
10	0	6	6	10	0	37	23	10	1	8	15
20	0	6	58	20	0	38	15	20	1	9	[illegible]
30	0	7	50	30	0	39	7	30	1	9	57
40	0	8	43	40	0	39	58	40	1	10	48
50	0	9	35	50	0	40	50	50	1	11	38
2	0	10	27	8	0	41	42	14	1	12	29
10	0	11	20	10	0	42	34	10	1	13	20
20	0	12	12	20	0	43	25	20	1	14	10
30	0	13	4	30	0	44	17	30	1	15	1
40	0	13	56	40	0	45	9	40	1	15	52
50	0	14	49	50	0	46	1	50	1	16	42
3	0	15	41	9	0	46	52	15	1	17	33
10	0	16	33	10	0	47	44	10	1	18	23
20	0	17	25	20	0	48	35	20	1	19	14
30	0	18	18	30	0	49	27	30	1	20	4
40	0	19	10	40	0	50	18	40	1	20	55
50	0	20	2	50	0	51	10	50	1	21	45
4	0	20	54	10	0	52	1				
10	0	21	46	10	0	52	53				
20	0	22	39	20	0	53	44				
30	0	23	31	30	0	54	36				
40	0	24	23	40	0	55	27				
50	0	25	15	50	0	56	19				
5	0	26	7	11	0	57	10				
10	0	26	59	10	0	58	2				
20	0	27	51	20	0	58	53				
30	0	28	43	30	0	59	44				
40	0	29	35	40	1	0	36				
50	0	30	27	50	1	1	27				

In Ariete.

	Horæ à media nocte		*Diſtant. à vert.*		*latus longit.*		*latus latitud.*	
	6		90	0	17	53	57	17
	7		80	13	16	54	57	34
	8		70	51	13	49	58	23
	9		62	22	8	16	59	26
No.	9	59	55	30	0		60	0
	10		55	23	0	11	60	0
	11		50	41	11	26	58	54
Mer.	12		49	0	24	5	54	57
	13		50	41	35	34	48	19
	14		55	23	44	0	40	28
	15		62	22	49	18	34	12
	16		70	51	52	18	29	25
	17		80	13	53	47	26	36
	18		90	0	54	14	25	40

In Tauro.

	Hora.		*Diſtant. à vert.*		*latus longitud.*		*latus latitud.*	
	5	5	90	0	19	22	56	47
	6		81	17	21	19	56	5
	7		71	28	21	40	55	57
	8		61	47	19	54	56	36
	9		52	42	15	26	57	59
No.	10		44	56	7	12	59	34
	10	36	41	15	0	0	60	0
	11		39	27	5	31	59	59
Mer.	12		37	25	21	17	56	6
	13		39	27	35	30	48	22
	14		44	56	44	54	39	48
	15		52	42	50	1	33	9
	16		61	47	52	26	29	9
	17		71	28	55	20	27	30
	18		81	17	53	9	27	50
	18	55	90	0	52	10	29	39

In Geminis.

	Hora.		*Diſtant. à vert.*		*Latus longitud.*		*Latus latitud.*	
	4	19	90	[illegible]	24	26	54	48
	5		84	5	27	26	53	21
	[illegible]		74	47	30	26	51	43
	7		65	4	31	46	50	54
	8		55	16	31	15	51	13
	9		45	47	28	10	52	59
	10		37	21	20	54	56	14
	11		31	4	7	10	59	34
No.	11	23	29	36	0	0	60	0
Mer.	12		28	39	12	51	58	37
	13		31	4	31	25	51	7
	14		37	21	42	30	42	21
	15		45	47	47	44	36	21
	16		55	16	49	48	35	27
	17		65	4	[illegible]	9	32	57
	18		74	47	49	16	34	15
	19		84	5	47	14	37	0
	19	41	90	0	45	6	39	34

In Cancro.

	Hora.		*Diſtant. à vert.*		*Lat. longitud.*		*Latus latitud.*	
	3	59	90	0	35	59	49	27
	4		89	51	34	6	49	22
	5		81	32	38	26	46	4
	6		72	22	41	19	43	31
	7		62	43	42	47	42	4
	8		52	53	42	45	42	6
	9		43	20	40	34	44	13
	10		34	36	34	40	48	58
	11		27	57	21	44	55	56
No.	12		25	20	0	0	[illegible]	0
	1		27	57	21	44	55	56
	2		34	36	34	40	48	58
	3		43	20	40	34	44	13
	4		52	53	42	45	42	6
	5		62	43	42	47	42	4
	6		72	22	41	19	43	31
	7		81	32	38	26	46	4
	8		89	51	34	6	49	22
	8		90	[illegible]	33	59	49	27

In Leone.

	Hora.		*Diſtant.*		*Lat. longitud.*		*Lat. latitud.*	
	4	19	90	0	54	6	39	34
	5		84	5	47	14	37	0
	6		74	47	49	16	34	15
	7		65	4	50	9	32	57
	8		55	16	49	48	33	27
	9		45	47	47	44	36	21
	10		37	21	42	50	42	21
	11		31	4	31	25	51	7
Mer.	12	[illegible]	28	39	12	51	58	37
No.	12	37	29	36	0	0	60	0
	13		31	4	7	10	59	34
	14		37	21	20	54	56	54
	15		45	47	28	10	52	59
	16		55	16	31	15	51	13
	17		65	4	31	46	50	54
	18		74	47	30	26	51	43
	19		84	5	27	26	53	21
	19	41	90	0	24	26	4	48

In Virgine.

	Hora.		*Diſtant.*		*Lat. longitud.*		*Lat. latitud.*	
	5	5	90	0	52	10	29	39
	[illegible]		81	17	53	9	27	50
	7		71	28	53	20	27	30
	8		61	47	52	26	29	9
	9		52	42	50	1	33	9
	10		44	56	44	54	39	48
	11		39	27	35	30	48	22
Mer.	12		37	25	21	17	56	6
	13		39	27	5	31	59	45
No.	13	24	41	15	[illegible]	0	60	[illegible]
	14		44	56	7	12	59	34
	15		52	42	15	26	57	59
	16		61	47	19	54	56	36
	17		71	28	21	40	55	57
	18		81	17	21	19	56	5
	18	55	90	0	19	22	56	47

In Libra.

	Hora.	′	Diſtant.	′	Latus longit.	′	Latus latitud.	′
	6		90	0	54	14	25	40
	7		80	53	53	47	26	36
	8		70	51	52	18	29	25
	9		62	22	49	18	34	12
	10		55	23	44	0	40	48
	11		50	41	35	34	48	19
Mer.	12		49	0	24	5	54	57
	13		50	41	11	26	58	54
	14		55	23	0	11	60	0
No.	14	1	55	30	0	0	60	0
	15		62	22	8	16	59	26
	16		70	51	13	49	58	23
	17		80	13	16	54	57	34
	18		90	0	17	53	57	17

In Scorpione.

	Hora.	′	Diſtant.	′	Latus longitud.	′	Latus latitud.	′
	6	55	90	0	52	10	29	39
	7		89	9	52	1	29	45
	8		80	13	49	44	33	34
	9		72	22	45	54	38	38
	10		66	6	39	59	44	44
	11		62	1	31	40	50	58
Mer.	12		60	35	21	17	56	6
	13		62	1	10	6	59	9
No.	13	58	65	59	0		60	0
	14		66	6	0	16	60	0
	15		72	22	8	43	69	22
	16		80	13	14	57	58	6
	17		89	9	19	6	56	53
	17		70	0	19	22	56	47

In Sagittario.

	Hora.	′	Diſtant.	′	Latus longitud.	′	Latus latitud.	′
	7	41	90	0	45	7	39	33
	8		87	25	43	54	40	45
	9		80	4	38	55	45	39
	10		74	19	32	3	50	43
	11		10	37	23	11	55	20
No.	12		69	21	12	51	58	37
	1		70	37	2	5	59	58
Mer.	1	12	71	11	0		60	
	2		74	19	7	54	59	29
	3		80	4	16	17	57	45
	4		87	25	22	47	55	31
	4	19	90	0	24	26	54	48

In Capricorno.

	Hora.	′	Diſtant.	′	Lat. longitud.	′	Latus latitud.	″
	8	1	90	0	33	59	49	27
	9		83	0	28	2	53	3
	10		77	27	20	10	56	31
	11		73	54	10	36	59	3
No.	12		72	40	0		60	
	13°		73	54	10	36	59	3
	14		77	27	20	10	56	31
	15		83		28	2	53	3
	15	59	90		33	59	49	27

In Aquario.

	Hora.	′	Diſtant.	′	Lat. longitud.	′	Lat. latitud.	′
	7	41	90	0	24	26	54	48
	8		87	25	22	47	55	51
	9		80	4	16	17	57	45
	10		74	19	7	54	59	29
No.	10	48	71	11	0		60	0
	11		70	37	2	5	59	58
Mer.	12		69	21	12	51	58	37
	13		70	37	23	11	55	20
	14		74	19	23	3	50	43
	15		80	4	38	55	45	39
	16		87	25	43	45	40	54
	16	19	90	0	45	7	39	33

In Piſcibus.

	Hora.		Diſtant.		Lat. longitud.		Lat. latitud.	
	6	55	90		19	22	56	47
	7.		89	9	19	6	56	53
	8		80	13	14	57	58	6
	9		72	22	8	43	59	22
	10		66	6		16	60	0
Mer.	10	2	65	59	0	0	60	0
	11		62	1	10	6	59	9
No.	12		60	35	21	17	56	6
	13		62	1	31	40	50	58
	14		66	6	39	59	44	44
	15		72	22	45	54	38	38
	16		80	13	49	44	33	34
	7		89	9	52	1	29	54
	7	5	90	0	52	10	29	59

Tab. un-

Anomalia Lunæ.

Diſtantia à vertice.	Parallaxis Solis.		Sexagena. 0 0		0 30		Sexagena. 1 0		1 30		Sexagena. 2 0		2 30		Sexagena 3 0	
	'	''	'	''	'	''	'	''	'	''	'	''	'	''	'	''
1	0	3	0	57	0	58	0	59	1	2	1	4	1	6	1	7
2	0	6	1	53	1	54	1	58	2	3	2	8	2	12	2	14
3	0	9	2	49	2	51	2	57	3	4	3	12	3	18	3	21
4	0	12	3	45	3	48	3	55	4	6	4	17	4	25	4	28
5	0	15	4	41	4	44	4	45	5	7	5	21	5	31	5	35
6	0	19	5	37	5	41	5	35	6	8	6	25	6	37	6	42
7	0	22	6	33	6	38	6	15	7	9	7	29	7	43	7	49
8	0	25	7	29	7	34	7	49	8	10	8	32	8	49	8	55
9	0	28	8	25	8	31	8	47	9	11	9	36	9	54	10	1
10	0	31	9	20	9	27	9	45	10	11	10	39	11	0	11	7
11	0	34	10	15	10	22	10	43	11	12	11	42	12	5	12	13
12	0	37	11	10	11	18	11	41	12	12	12	45	13	10	13	19
13	0	40	12	5	12	14	12	38	13	12	13	48	14	15	14	25
14	0	43	13	0	13	9	13	35	14	12	14	50	15	19	15	30
15	0	46	13	55	14	5	14	32	15	11	15	52	16	3	16	35
16	0	49	14	49	15	0	15	29	16	10	16	54	17	27	17	39
17	0	52	15	43	15	54	16	25	17	9	17	55	18	30	18	43
18	0	53	16	36	16	48	17	21	18	7	18	56	19	33	19	47
19	0	58	17	29	17	41	18	16	19	5	19	57	20	36	20	50
20	1	1	18	22	18	35	19	11	20	3	20	57	21	38	21	53
21	1	4	19	15	19	29	20	6	21	1	21	57	22	40	22	56
22	1	7	20	7	20	21	21	1	21	57	22	57	23	41	23	68
23	1	9	20	59	21	14	21	55	22	54	23	56	24	42	25	0
24	1	12	21	50	22	6	22	49	23	50	24	55	25	43	26	1
25	1	15	22	41	22	57	23	42	24	46	25	53	26	44	27	2
26	1	18	23	32	23	49	24	35	25	41	26	51	27	44	28	2
27	1	21	24	22	24	39	25	28	26	36	27	48	28	43	29	2
28	1	24	25	12	25	30	26	20	27	30	28	45	29	42	30	1
29	1	26	26	1	26	20	27	11	28	24	29	41	30	40	31	0
30	1	29	26	50	27	9	28	2	29	17	30	36	31	37	31	58
31	1	31	27	38	27	58	28	52	30	10	31	31	32	34	32	55
32	1	34	28	26	28	46	29	42	31	2	32	29	33	30	32	52
33	1	37	29	13	29	34	30	32	31	53	33	19	34	25	34	48
34	1	40	29	59	30	20	31	20	32	44	34	12	35	19	35	43
35	1	42	30	45	31	7	32	8	33	34	35	4	36	38	36	38
36	1	45	31	30	31	52	32	55	34	23	35	55	37	6	37	32
37	1	48	32	15	32	38	33	42	35	12	36	46	37	59	38	25
38	1	50	32	59	33	23	34	28	36	0	37	37	38	51	39	18
39	1	52	33	42	34	6	35	13	36	48	38	27	39	42	40	10
40	1	54	34	25	34	50	36	50	37	35	39	16	40	32	41	1
41	1	57	35	7	35	32	36	42	38	21	40	4	41	21	41	51
42	1	59	35	49	36	14	37	26	39	7	40	45	42	10	42	41
43	2	2	36	30	36	56	38	8	39	52	41	27	42	58	43	29
44	2	4	37	11	37	37	38	51	40	36	42	19	43	45	44	17
45	2	6	37	51	38	18	38	33	41	19	43	8	44	31	45	4

Sexagena. 5 30 5 0 | Sexagena. 4 30 4 0 | Sexagena. 3 30 3 0

Diſtantia à vertice.	Parallaxis Solis.		Anomalia Lunæ. Sexagena. 0 0		Sexagena. 0 30		Sexagena. 1 0		Sexagena. 1 30		Sexagena. 2 0		Sexagena. 2 30		Sexagena. 3 0	
	'	"	'	"	'	"	'	"	'	"	'	"	'	"	'	"
45	2	6	31	51	38	8	39	35	41	19	43	18	44	31	45	4
46	2	8	38	30	38	57	40	13	42	1	43	52	45	17	45	50
47	2	10	39	8	39	36	40	53	42	42	44	36	46	2	46	35
48	2	12	39	45	40	13	41	32	43	22	45	19	46	40	47	19
49	2	14	40	21	40	50	42	9	44	2	46	1	47	29	48	3
50	2	16	40	57	41	26	42	47	44	41	46	42	48	11	48	46
51	2	18	41	32	42	1	43	23	45	20	47	22	48	52	49	27
52	2	20	42	2	46	36	43	59	45	57	48	1	49	32	50	8
53	2	22	42	39	43	10	44	33	46	34	48	39	50	11	50	48
54	2	24	43	12	43	43	45	8	47	9	49	16	50	50	51	27
55	2	26	43	44	44	15	45	41	47	43	49	52	51	28	52	5
56	2	28	44	15	44	47	46	14	48	17	50	27	52	5	52	41
57	2	30	44	45	45	17	46	45	48	50	51	1	52	41	53	17
58	2	31	45	15	45	47	47	16	49	22	51	34	53	15	53	52
59	2	33	45	44	46	16	47	46	49	53	52	6	53	48	54	16
60	2	34	46	12	46	45	48	16	50	24	52	38	54	20	54	59
61	2	36	46	39	47	12	48	44	50	54	53	9	54	52	55	32
62	2	37	47	5	47	38	49	11	51	22	53	38	55	22	56	2
63	2	39	47	30	48	3	49	37	51	49	54	6	55	51	56	31
64	2	40	47	54	48	28	50	2	52	15	54	33	56	15	56	59
65	2	42	48	17	48	51	50	26	52	40	54	59	56	46	57	27
66	2	43	48	39	49	13	50	50	53	4	55	25	57	13	57	53
67	2	44	49	1	49	36	51	13	53	28	55	50	57	39	58	18
68	2	45	49	22	49	57	51	34	53	51	56	14	58	4	58	43
69	2	46	49	42	50	17	51	55	54	13	56	36	58	27	59	7
70	2	47	50	1	50	36	52	14	54	34	56	57	58	48	59	29
71	2	48	50	19	50	54	52	33	54	53	57	17	59	8	59	51
72	2	49	50	35	51	11	52	50	55	11	57	37	59	28	60	10
73	2	50	50	51	51	27	53	6	55	28	57	55	59	47	60	30
74	2	51	51	6	51	42	53	22	55	44	58	12	60	4	60	47
75	2	51	51	20	51	56	53	37	55	59	58	28	60	20	61	3
76	2	52	51	33	52	9	53	51	56	13	58	43	60	35	61	18
77	2	53	51	45	52	21	54	4	56	26	58	56	60	49	61	32
78	2	54	51	56	52	32	54	15	56	38	59	8	61	2	61	45
79	2	54	52	6	52	42	54	25	56	49	59	19	61	14	61	57
80	2	55	52	15	52	52	54	34	56	59	59	29	61	25	62	8
81	2	55	52	24	53	1	54	43	57	8	59	39	61	35	62	18
82	2	56	52	32	53	9	54	51	57	17	59	48	61	43	62	27
83	2	56	52	38	53	15	54	58	57	24	59	55	61	50	62	34
84	2	57	52	43	53	20	55	3	57	29	60	1	61	56	62	40
85	2	57	52	47	53	24	55	7	57	33	60	5	62	1	62	45
86	2	57	52	50	53	27	55	10	57	36	60	9	62	4	62	49
87	2	58	52	53	53	30	55	13	57	39	60	12	62	7	62	52
88	2	58	52	55	53	32	55	15	57	41	60	14	62	9	62	53
89	2	58	52	56	53	33	55	16	57	42	60	15	62	10	62	54
90	2	58	52	56	53	33	55	16	57	42	60	15	62	11	62	54
			Sexagena. 5 30		Sexagena. 5 0		Sexagena. 4 30		Sexagena. 4 0		Sexagena. 3 30		Sexagena. 3 0			

Tabulæ æquinoctiorum æquabilium ad quantitatem anni dierum 365. horar. 5. min. 49.

Prima Pars.

Anni expāſi.	*dies*	*fer.*	*hor.*	/	*Cycl. Solis*
1	111	4	15	33	9
2	111	5	21	22	10
3	112	7	3	11	11
4	112	1	9	9	12
5	111	2	14	49	13
6	111	3	20	38	14
7	112	6	2	27	15
8	112	6	8	16	16
9	111	7	14	5	17
10	111	1	19	54	18
11	112	3	1	43	19
12	112	4	7	32	20
13	111	5	13	21	21
14	111	6	19	10	22
15	112	1	0	59	23
16	112	2	6	48	24
17	111	3	12	37	25
18	111	4	18	26	26
19	112	6	0	15	27
20	112	7	6	4	28
21	111	1	11	53	1
22	111	2	17	42	2
23	111	3	23	31	3
24	112	5	5	20	4
25	111	6	11	9	5
26	111	7	16	58	6
27	111	1	22	47	7
28	112	3	4	36	8
29	111	4	10	25	9
30	111	5	16	14	10
31	111	6	22	3	11
32	112	1	3	52	12
33	111	2	9	41	13
34	111	3	15	30	14
35	111	4	21	19	15
36	112	[illegible]	3	8	16
37	211	7	8	57	17
38	111	1	14	46	18
39	111	2	20	35	19
40	112	4	1	24	20
41	111	5	8	13	21
42	111	6	14	2	22
43	111	7	19	51	23
44	112	2	1	40	24

Anni exp.	*dies*	*fer.*	*hor.*	/	*Cyclus Solis.*
45	111	3	7	29	25
46	111	4	13	18	26
47	111	5	19	7	27
48	112	7	0	57	28
49	111	1	6	45	1
50	111	2	12	34	2
51	111	3	18	23	3
52	112	5	0	12	4
53	111	6	6	1	5
54	111	7	11	50	6
55	111	1	16	39	7
56	111	2	22	28	8
57	111	4	4	17	9
58	111	5	10	6	10
59	111	6	16	55	11
60	111	7	22	44	12
61	111	2	4	33	13
62	111	3	10	22	14
63	111	4	16	11	15
64	111	5	22	0	16
65	111	7	3	49	17
66	111	1	9	38	18
67	111	2	15	27	19
68	111	3	21	16	20
69	111	5	3	5	21
70	111	6	8	54	22
71	111	7	14	43	23
72	111	1	20	32	24
73	111	3	2	21	25
74	111	4	8	10	26
75	111	5	13	59	27
76	111	[illegible]	19	48	28
77	111	1	1	37	1
78	111	2	7	26	2
79	111	3	13	15	3
80	111	4	19	4	4
81	111	6	0	53	5
82	111	7	6	42	6
83	111	1	12	31	7
84	111	2	18	20	8

Secunda Pars Tabulæ.

Annorum collectorum.

Anni Mundi Collecti	*dies*	*fer.*	*hor.*	/
84	0	0	15	24
168	1	1	6	48
252	1	1	22	12
326	2	2	13	36
420	3	3	5	0
504	3	3	20	24
588	4	4	11	48
672	5	5	3	12
756	5	5	18	36
840	6	6	10	0
924	7	[illegible]	1	24
1008	7	0	16	48
1092	8	1	8	12
1176	8	1	23	36
1260	9	2	15	0
1344	10	3	6	24
1428	10	3	21	48
1512	11	4	13	12
1596	12	5	4	36
1680	12	5	20	[illegible]
1764	13	6	11	24
1848	14	0	2	48
1932	14	0	18	12
2016	15	1	9	36
2100	16	2	1	0
2184	16	2	16	24
2268	17	3	7	48
2352	17	3	32	12
2436	18	4	14	36
2520	19	5	6	[illegible]
2604	19	5	21	24
2688	20	6	15	48
2772	21	0	4	12
2856	21	0	19	36
2940	22	1	11	0
3024	23	2	2	24

Anni Mundi Colle.	*dies*	*fer.*	*hor.*	/
3108	23	2	17	48
3192	24	3	9	12
3276	25	4	0	36
3360	25	4	16	0
3444	26	5	7	24
3528	27	6	22	48
3612	27	6	14	12
3696	28	0	5	36
3780	28	0	21	0
3864	29	1	12	24
3948	30	2	3	48
4032	30	2	19	12

Reſiduum

Anni æræ Chriſtianæ.

Anni Mundi.		*dies.*	*fer.*	*hor.*	/
4032	83	30	2	19	12
4116	167	31	5	10	36
4200	151	32	4	2	0
4284	335	32	4	17	24
4368	419	33	5	8	48
4452	503	34	6	0	12
4536	587	34	6	15	36
4620	621	35	[illegible]	7	[illegible]
4704	755	35	0	22	24
4788	839	36	1	13	48
4872	923	37	2	5	12
4956	1007	37	2	20	36
5040	1091	38	3	12	0
5124	1175	39	4	3	24
5208	1259	39	4	18	48
5292	1343	40	5	10	12
5376	1427	41	6	1	36
5460	1511	41	6	17	[illegible]
5544	1595	42	0	8	24
5628	1679	42	0	23	48
5712	1763	43	1	15	12
5796	1847	44	2	6	36
5880	1931	44	2	22	0
5964	2015	45	3	13	24

Ingreſſus Solis in duodecim ſigna.

Signa.	*dies.*	*fer.*	*hor.*	/	*Mora Solis in ſignis.* *dies*	*hora.*
Aries.	0	0	0	0	30	15
Taurus.	30	2	14	46	31	13
Gemini.	61	5	17	44	31	10
Cancer.	93	2	4	23	31	14
Leo.	124	5	16	28	31	6
Virgo.	155	1	22	55	30	19
Libra.	186	4	18	28	30	6
Scorpius.	217	7	0	38	29	18
Sagittarius.	246	2	18	30	29	10
Capricornus	276	5	5	5	29	9
Aquarius.	305	4	13	56	29	14
Piſces.	335	6	4	23	30	2
Aries.	375	1	5	49		

Catalogus quorundam locorum in diverſis regionibus terræ.

		Tempus *hor.*	*min.*	*Elevatio Poli.* *grad.*	/
Alexandria Ægypti.	*Add.*	1	43	31	0
Antverpia Brabantia	*Subt.*	0	31	51	20
Arbela Aſſiria.	*Add.*	3	9	37	15
Argentina.	*Subt.*	[illegible]	21	48	45
Athena.	*Add.*	1	8	37	15
Babylon.	*Add.*	3	4	35	0
Batiria.	*Add.*	5	23	41	20
Buda Hung.	*Add.*	0	31	47	0
Calecutum.	*Add.*	5	15	17	0
Carthago.	*Add.*	0	9	32	20
Compoſtel Hiſp.	*Subt.*	1	49	44	16
Conſtantinopolis.	*Add.*	1	31	43	5
Coppenhagen.	*Add.*	0	29	57	20
Corinthus.	*Add.*	1	6	36	55
Cracovia Polon.	*Add.*	0	49	50	12
Damaſcus.	*Add.*	2	23	33	0
Epheſus Aſia.	*Add.*	1	39	37	40
Famaguſta Cypri.	*Add*	2	14	35	30
Francofurtum Viadri.	*Add.*	[illegible]	12	52	20
Hieroſolyma.	*Add*	2	13	31	40
Islandia.	*Subt.*	1	45	65	30
Lisbona Portugall.	*Subt.*	1	52	51	13
Londinum Angl.	*Subt.*	[illegible]	5[illegible]	51	40
Lutetia Paris.	*Subt.*	0	44	47	55
Mediolanum.	*Subt.*	0	2	45	48
Mons Regius Bor.	*Add.*	0	48	54	17
Ninive.	*Add*	3	1	36	40
Norinberga.	*Subt.*	[illegible]	6	49	22
Novegardia.	*Add*	2	1	61	0
Perſepolis.	*Add.*	3	52	33	30
Quinſaizina.	*Add.*	12	52	37	40
Rhenis Gall.	*Subt.*	0	37	48	15
Rhodus.	*Add*	1	41	35	30
Roma.	*Add.*	0	27	42	4
Saba Arabia.	*Add.*	2	53	13	0
Salmantica.	*Subt.*	1	38	40	15
Scotia Inſ.	*Subt.*	0	31	52	0
Suſa Perſ.	*Add.*	3	24	34	15
Syracuſa.	*Add.*	0	25	37	15
Theſſalon.	*Add.*	1	6	40	20
Thule.	*Subt.*	0	40	63	[illegible]
Tubinga.	*Subt.*	0	14	48	47
Venetia.	*Add.*	0	12	45	50
Vienna Auſtria.	*Add.*	0	22	48	22

De uſu hujus XII. Tabulæ conſulatur cap. 34. quam conformavimus ad quantitatem anni Tropici medii, dierum 365. hor. 5. 49./. Etſi enim diverſæ ſunt diverſorum artificum à Ptolomæi tempore usque ad hæc noſtra de quantitate hujus anni Tropici medii ſeu æquinoctialis ſententiæ, quas ex obſervationibus quisque ſuis derivarunt: Nos tamen æquabilem hunc annum à Tychone Brahe, nobiliſſimo Aſtronomo, in principio progymnaſmatum Aſtronomiæ inſtauratæ etiam explicatum, uſurpabimus: terminus verò unde eos deducemus, erit obſervatio ejusdem D. Tychonis de Brahe Dani, inſtituta anno æræ Chriſtianæ 1584. ad æquinoctium vernum, die 10. Mart. fer. 3. hor. 9. matutina, min. 30. in Dania, ad longitudinem part. 36. 45./. Cùmque primario ex tabula inquiratur Æquinoctium vernum, ut inde etiam, neglecta ſubtilitate, propriè verum venemur ſolſtitium æſtivum, æquinoctium item autumnale, & brumam, obſervandæ ſunt diſtantiæ, quibus abſunt ab æquinoctio verno. Tradunt autem Aſtronomi, Solem in ſeptentrionalibus ſignis verſari diebus 186. horis 18. 30. In meridionalibus verò diebus 178. horis 11. 19./. Hinc quovis tempore in duas æquales partes ſecto, differentia Solſtitii æſtivi ab æquinoctio verno eſt fer. 2. dier. 93. hor. 9. 15. Et differentia æquinoctii autumnalis à Solſtitio æſtivo totidem fer. dier. hor. & minut. ut æquinoctium autumnale abſit à verno, retrò facta numeratione fer. 4. dier. 186. hor. 18. 30. & bruma fer. 3. dier. 276. hor. 8. 10./. Hæ differentiæ invento æquinoctio additæ, oſtendunt Solſtitia utraque & æquinoctium autumnale. Si quis vero per æquinoctium vernum, æquinoctium autumnale præcedens inveſtigare velit, is æquinoctio verno dato ſubtrahat fer. 3. dies 178. hor. 11. 19./. atq; ita habebit æquinoctium autumnale præcedens, in ſua feria, menſe, die, hora, & minut. ut exemplis illuſtrare facillimum eſt.

	1		2		3		4		5		6		7		8		9		10		11		12		
2	0	2	0	4	0	6	0	8	0	10	0	12	0	14	0	16	0	18	0	20	0	22	0	24	2
3	0	3	0	6	0	9	0	12	0	15	0	18	0	21	0	24	0	27	0	30	0	33	0	36	3
4	0	4	0	8	0	12	0	16	0	20	0	24	0	28	0	32	0	36	0	40	0	44	0	48	4
5	0	5	0	10	0	15	0	20	0	25	0	30	0	35	0	40	0	45	0	50	0	55	1	0	5
6	0	6	0	12	0	18	0	24	0	30	0	36	0	42	0	48	0	54	1	0	1	6	1	12	6
7	0	7	0	14	0	21	0	28	0	35	0	42	0	49	0	56	1	3	1	10	1	17	1	24	7
8	0	8	0	16	0	24	0	32	0	40	0	48	0	56	1	4	1	12	1	20	1	28	1	36	8
9	0	9	0	18	0	27	0	36	0	45	0	54	1	3	1	12	1	21	1	30	1	39	1	48	9
10	0	10	0	20	0	30	0	40	0	50	1	0	1	10	1	20	1	30	1	40	1	50	2	0	10
11	0	11	0	22	0	33	0	44	0	55	1	6	1	17	1	28	1	39	1	50	2	1	2	12	11
12	0	12	0	24	0	36	0	48	1	0	1	12	1	24	1	36	1	48	2	0	2	12	2	24	12
13	0	13	0	26	0	39	0	52	1	5	1	18	1	31	1	44	1	57	2	10	2	23	2	36	13
14	0	14	0	28	0	42	0	56	1	10	1	24	1	38	1	52	2	6	2	20	2	34	2	48	14
15	0	15	0	30	0	45	1	0	1	15	1	30	1	45	2	0	2	15	2	30	2	45	3	0	15
16	0	16	0	32	0	48	1	4	1	20	1	36	1	52	2	8	2	24	2	40	2	56	3	12	16
17	0	17	0	34	0	51	1	8	1	25	1	42	1	59	2	16	2	33	2	50	3	7	3	24	17
18	0	18	0	36	0	54	1	12	1	30	1	48	2	6	2	24	2	42	3	0	3	18	3	36	18
19	0	19	0	38	0	57	1	16	1	35	1	54	2	13	2	32	2	51	3	10	3	29	3	48	19
20	0	20	0	40	1	0	1	20	1	40	2	0	2	20	2	40	3	0	3	20	3	40	4	0	20
21	0	21	0	42	1	3	1	24	1	45	2	6	2	27	2	48	3	9	3	30	3	51	4	12	21
22	0	22	0	44	1	6	1	28	1	50	2	12	2	34	2	56	3	18	3	40	4	2	4	24	22
23	0	23	0	46	1	9	1	32	1	55	2	18	2	41	3	4	3	27	3	50	4	13	4	36	23
24	0	24	0	48	1	12	1	36	2	0	1	24	2	48	3	12	3	36	4	0	4	24	4	48	24
25	0	25	0	50	1	15	1	40	2	5	2	30	2	55	3	20	3	45	4	10	4	35	5	0	25
26	0	26	0	52	1	18	1	44	2	10	2	36	3	2	3	28	3	54	4	20	4	46	5	12	26
27	0	27	0	54	1	21	1	48	2	15	2	42	3	9	3	36	4	3	4	30	4	57	5	24	27
28	0	28	0	56	1	24	1	52	2	20	2	49	3	16	3	44	4	12	4	40	5	8	5	36	28
29	0	29	0	58	1	27	1	56	2	25	2	54	3	23	3	52	4	21	4	50	5	19	5	48	29
30	0	30	1	0	1	30	2	0	2	30	3	0	3	30	4	0	4	30	5	0	5	30	6	0	30
31	0	31	1	2	1	33	2	4	2	35	3	6	3	37	4	8	4	39	5	10	5	41	6	12	31
32	0	32	1	4	1	36	2	8	2	40	3	12	3	44	4	16	4	48	5	20	5	52	6	24	32
33	0	33	1	6	1	39	2	12	2	45	3	18	3	51	4	24	4	57	5	30	6	3	6	36	33
34	0	34	1	8	1	42	2	16	2	50	3	24	3	58	4	32	5	6	5	40	6	14	6	48	34
35	0	35	1	10	1	45	2	20	2	55	3	30	4	5	4	40	5	15	5	50	6	25	7	0	35
36	0	36	1	12	1	48	2	24	3	0	3	36	4	12	4	48	5	24	6	0	6	36	7	12	36
37	0	37	1	14	1	51	2	28	5	5	3	42	4	19	4	56	5	33	6	10	6	47	7	24	37
38	0	38	1	16	1	54	2	32	3	10	3	48	4	26	5	4	5	42	6	20	6	58	7	36	38
39	0	39	1	18	1	57	2	36	3	15	3	54	4	33	5	12	5	51	6	30	7	9	7	48	39
40	0	40	1	20	2	0	2	40	3	20	4	0	4	40	5	20	6	0	6	40	7	20	8	0	40
41	0	41	1	22	2	3	2	44	3	25	4	6	4	47	5	28	6	9	6	50	7	31	8	12	41
42	0	42	1	24	2	6	2	48	3	30	4	12	4	54	5	36	6	18	7	0	7	42	8	24	42
43	0	43	1	26	2	9	2	52	3	35	4	18	5	1	5	44	6	27	7	10	7	53	8	36	43
44	0	44	1	28	2	12	2	56	3	40	4	24	5	8	5	52	6	36	7	20	8	4	8	48	44
45	0	45	1	30	2	15	3	0	3	45	4	30	5	15	6	0	6	45	7	30	8	15	9	0	45
46	0	46	1	32	2	18	3	4	3	50	4	36	5	22	6	8	6	54	7	40	8	26	9	12	46
47	0	47	1	34	2	21	3	8	3	55	4	24	5	29	6	16	7	3	7	50	8	37	9	24	47
48	0	48	1	36	2	24	3	12	4	0	4	48	5	36	6	24	7	12	8	0	8	48	9	36	48
49	0	49	1	38	2	27	3	16	4	5	4	54	5	43	6	32	7	21	8	10	8	59	9	48	49
50	0	50	1	40	2	30	3	20	4	10	5	0	5	50	6	40	7	30	8	20	9	10	10	0	50
51	0	51	1	42	2	33	3	24	4	15	5	6	5	57	6	48	7	39	8	30	9	21	10	12	51
52	0	52	1	44	2	36	3	28	4	20	5	12	6	4	6	56	7	48	8	40	9	32	10	24	52
53	0	53	1	46	2	39	3	32	4	25	5	18	6	11	7	4	7	57	8	50	9	43	10	36	53
54	0	54	1	48	2	42	3	36	4	30	5	24	6	18	7	12	8	6	9	0	9	54	10	48	54
55	0	55	1	50	2	45	3	40	4	35	5	30	6	25	7	20	8	15	9	10	10	5	11	0	55
56	0	56	1	52	2	48	3	44	4	40	5	36	6	32	7	28	8	24	9	20	10	16	11	12	56
57	0	57	1	54	2	51	3	48	4	45	5	24	6	39	7	36	8	33	9	30	10	27	11	24	57
58	0	58	1	56	2	54	3	52	4	50	5	48	6	46	7	44	8	42	9	40	10	38	11	36	58
59	0	59	1	58	2	57	3	56	4	55	5	54	6	53	7	52	8	51	9	50	10	49	11	48	59
	1		2		3		4		5		6		7		8		9		10		11		12		

	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	
2	0 26	0 28	0 30	0 32	0 34	0 36	0 38	0 40	0 42	0 44	0 46	0 48	2
3	0 39	0 42	0 45	0 48	0 51	0 54	0 57	1 0	1 3	1 6	1 9	1 12	3
4	0 52	0 56	1 0	1 4	1 8	1 12	1 16	1 20	1 24	1 28	1 32	1 36	4
5	1 5	1 10	1 15	1 20	1 25	1 30	1 35	1 40	1 45	1 50	1 55	2 0	5
6	1 18	1 24	1 30	1 36	1 42	1 48	1 54	2 0	2 6	2 12	2 18	2 24	6
7	1 31	1 38	1 45	1 52	1 59	2 6	2 13	2 20	2 27	2 34	2 41	2 48	7
8	1 44	1 52	2 0	2 8	2 16	2 24	2 32	2 40	2 48	2 56	3 4	3 12	8
9	1 57	2 6	2 15	2 24	2 33	2 42	2 51	3 0	3 9	3 18	3 27	3 36	9
10	2 10	2 20	2 30	2 40	2 50	3 0	3 10	3 20	3 30	3 40	3 50	4 0	10
11	2 23	2 34	2 45	2 56	3 7	3 18	3 29	3 40	3 51	4 2	4 13	4 24	11
12	2 36	2 48	3 0	3 12	3 24	3 36	3 48	4 0	4 12	4 24	4 36	4 48	12
13	2 49	3 2	3 15	3 28	3 41	3 54	4 7	4 20	4 33	4 46	4 59	5 12	13
14	3 2	3 16	3 30	3 44	3 58	4 12	4 26	4 40	4 54	5 8	5 22	5 36	14
15	3 15	3 30	3 45	4 0	4 15	4 30	4 45	5 0	5 15	5 30	5 45	6 0	15
16	3 28	3 44	4 0	4 16	4 32	4 48	5 4	5 20	5 36	5 52	6 8	6 24	16
17	3 41	3 58	4 15	4 32	4 49	5 6	5 23	5 40	5 57	6 14	6 31	6 48	17
18	3 54	4 12	4 30	4 48	5 6	5 24	5 42	6 0	6 18	6 36	6 54	7 12	18
19	4 7	4 26	4 45	5 4	5 23	5 42	6 1	6 20	6 39	6 58	7 17	7 36	19
20	4 20	4 40	5 0	5 20	5 40	6 0	6 20	6 40	7 0	7 20	7 40	8 0	20
21	4 33	4 54	5 15	5 36	5 57	6 18	6 39	7 0	7 21	7 42	8 3	8 24	21
22	4 46	5 8	5 30	5 52	6 14	6 36	6 58	7 20	7 42	8 4	8 26	8 48	22
23	4 59	5 22	5 45	6 8	6 31	6 54	7 17	7 40	8 3	8 26	8 49	9 12	23
24	5 12	5 36	6 0	6 24	6 48	7 12	7 36	8 0	8 24	8 48	9 12	9 36	24
25	5 25	5 50	6 15	6 40	7 5	7 30	7 55	8 20	8 45	9 10	9 35	10 0	25
26	5 38	6 4	6 30	6 56	7 22	7 48	8 14	8 40	9 6	9 32	9 58	10 24	26
27	5 51	6 18	6 45	7 12	7 39	8 6	8 33	9 0	9 27	9 54	10 21	10 48	27
28	6 4	6 32	7 0	7 28	7 56	8 24	8 52	9 20	9 48	10 16	10 44	11 12	28
29	6 17	6 46	7 15	7 44	8 13	8 42	9 11	9 40	10 9	10 38	11 7	11 36	29
30	6 30	7 0	7 30	8 0	8 30	9 0	9 30	10 0	10 30	11 0	11 30	12 0	30
31	6 43	7 14	7 45	8 16	8 47	9 18	9 49	10 20	10 51	11 22	11 53	12 24	31
32	6 56	7 28	8 0	8 32	9 4	9 36	10 8	10 40	11 12	11 44	12 16	12 48	32
33	7 9	7 42	8 15	8 48	9 21	9 54	10 27	11 0	11 33	12 6	12 39	13 12	33
34	7 22	7 56	8 30	9 4	9 38	10 12	10 46	11 20	11 54	12 28	13 2	13 36	34
35	7 35	8 10	8 45	9 20	9 55	10 30	11 5	11 40	12 15	12 50	13 25	14 0	35
36	7 48	8 24	9 0	9 36	10 12	10 48	11 24	12 0	12 36	13 12	13 48	14 24	36
37	8 1	8 38	9 15	9 52	10 29	11 6	11 43	12 20	12 57	13 34	14 11	14 48	37
38	8 14	8 52	9 30	10 8	10 46	11 24	12 2	12 40	13 18	13 56	14 34	15 12	38
39	8 27	9 6	9 45	10 24	11 3	11 42	12 21	13 0	13 39	14 18	14 57	15 36	39
40	8 40	9 20	10 0	10 40	11 20	12 0	12 40	13 20	14 0	14 40	15 20	16 0	40
41	8 53	9 34	10 15	10 56	11 37	12 18	12 59	13 40	14 21	15 2	15 43	16 24	41
42	9 6	9 48	10 30	11 12	11 54	12 36	13 18	14 0	14 42	15 24	16 6	16 48	42
43	9 19	10 2	10 45	11 28	12 11	12 54	13 37	14 20	15 3	15 46	16 29	17 12	43
44	9 32	10 16	11 0	11 44	12 28	13 12	13 56	14 40	15 24	16 8	16 52	17 36	44
45	9 45	10 30	11 15	12 0	12 45	13 30	14 15	15 0	15 45	16 30	17 15	18 0	45
46	9 58	10 44	11 30	12 16	13 2	13 48	14 34	15 20	16 6	16 52	17 38	18 24	46
47	10 11	10 58	11 45	12 32	13 19	14 6	14 53	15 40	16 27	17 14	18 1	18 48	47
48	10 24	11 12	12 0	12 48	13 36	14 24	15 12	16 0	16 48	17 36	18 24	19 12	48
49	10 37	11 26	12 15	13 4	13 53	14 42	15 31	16 20	17 9	17 58	18 47	19 36	49
50	10 50	11 40	12 30	13 20	14 10	15 0	15 50	16 40	17 30	18 20	19 10	20 0	50
51	11 3	11 54	12 45	13 36	14 27	15 18	16 9	17 0	17 51	18 42	19 33	20 24	51
52	11 16	12 8	13 0	13 52	14 44	15 36	16 28	17 20	18 12	19 4	19 56	20 48	52
53	11 29	12 22	13 15	14 8	15 1	15 54	16 47	17 40	18 33	19 26	20 19	21 12	53
54	11 42	12 36	13 30	14 24	15 18	16 12	17 6	18 0	18 54	19 48	20 42	21 36	54
55	11 55	12 50	13 45	14 40	15 35	16 30	17 25	18 20	19 15	20 10	21 5	22 0	55
56	12 8	13 4	14 0	14 56	15 52	16 48	17 44	18 40	19 36	20 32	21 28	22 24	56
57	12 21	13 18	14 15	15 12	16 9	17 6	18 3	19 0	19 57	20 54	21 51	22 48	57
58	12 34	13 32	14 30	15 28	16 26	17 24	18 22	19 20	20 18	21 16	22 14	23 12	58
59	12 47	13 46	14 45	15 44	16 43	17 42	18 41	19 40	20 39	21 38	22 37	23 36	59
	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	

	25	26	27	28	29	30	31	32	33	34	35	36	
2	[illegible] 50	0 52	0 54	0 56	[illegible] 58	1 0	1 2	1 4	1 6	1 8	1 10	1 12	2
3	1 15	1 18	1 21	1 24	1 27	1 30	1 33	1 36	1 39	1 42	1 45	1 48	3
4	1 40	1 44	1 48	1 52	1 56	2 0	2 4	2 8	2 12	2 16	2 20	2 24	4
5	2 5	2 10	2 15	2 20	2 25	2 30	2 35	2 40	2 45	2 50	2 55	3 0	5
6	2 30	2 36	2 42	2 48	2 54	3 0	3 6	3 12	3 18	3 24	3 30	3 36	6
7	2 55	3 2	3 9	3 16	3 23	3 30	3 37	3 44	3 51	3 58	4 5	4 12	7
8	3 20	3 28	3 36	3 44	3 52	4 0	4 8	4 16	4 24	4 32	4 40	4 48	8
9	3 45	3 54	4 3	4 12	4 21	4 30	4 39	4 48	4 57	5 6	5 15	5 24	9
10	4 10	4 20	4 30	4 40	4 50	5 0	5 10	5 20	5 30	5 40	5 50	6 0	10
11	4 35	4 46	4 57	5 8	5 19	5 30	5 41	5 52	[illegible] 3	6 14	6 25	6 35	11
12	5 0	5 12	5 24	5 36	5 48	6 0	[illegible] 12	6 24	6 36	6 48	7 0	7 12	12
13	5 25	5 38	5 51	6 4	6 17	6 30	6 43	6 56	7 9	7 22	7 35	7 48	13
14	5 50	6 4	6 18	6 32	6 45	7 0	7 14	7 28	7 42	7 58	8 10	8 24	14
15	6 15	[illegible] 30	6 45	7 0	7 15	7 30	7 45	8 0	8 15	8 30	8 45	9 [illegible]	15
16	6 40	6 56	7 12	7 28	7 44	8 [illegible]	8 16	8 32	8 48	9 4	9 20	9 36	16
17	7 5	7 22	7 39	7 56	8 13	8 30	8 47	9 4	9 21	9 38	9 55	10 12	17
18	7 30	7 48	8 6	8 24	8 42	9 0	9 18	9 36	9 54	10 12	10 30	10 48	18
19	7 55	8 14	8 33	8 52	9 11	9 30	9 49	10 8	10 27	10 46	11 5	11 24	19
20	8 20	8 40	9 0	9 20	9 40	10 [illegible]	10 20	10 40	11 0	11 20	11 40	12 0	20
21	8 45	9 6	9 27	9 48	10 9	10 30	10 51	11 12	11 33	11 54	12 15	12 36	21
22	9 10	9 32	9 54	10 16	10 38	11 0	11 22	11 44	12 6	12 28	12 50	13 12	22
23	9 35	9 58	10 21	10 44	11 7	11 30	11 53	12 16	12 39	13 2	13 25	13 48	23
24	10 0	10 24	10 48	11 12	11 36	12 [illegible]	12 24	12 48	13 12	13 36	14 [illegible]	14 24	24
25	10 25	10 50	11 15	11 40	12 5	12 30	12 55	13 20	13 45	14 10	14 35	15 0	25
26	10 50	11 16	11 42	12 8	12 34	13 [illegible]	13 26	13 52	14 18	14 44	15 10	15 36	26
27	11 15	11 42	12 9	12 36	12 3	13 30	13 57	14 24	14 51	15 18	15 45	16 12	27
28	11 40	12 8	12 36	13 4	13 32	14 0	14 28	14 56	15 24	15 52	16 20	16 48	28
29	12 5	12 34	13 3	13 32	14 1	14 30	14 59	15 28	15 57	16 26	16 55	17 24	29
30	12 30	13 0	13 30	14 [illegible]	14 30	15 [illegible]	15 30	16 0	16 30	17 [illegible]	17 30	18 [illegible]	30
31	12 55	13 26	13 57	14 28	14 59	15 30	16 1	16 32	17 3	17 34	18 5	18 36	31
32	13 20	13 52	14 24	14 56	15 28	16 0	16 32	17 4	17 36	18 8	18 40	19 12	32
33	13 45	14 18	14 51	15 24	15 57	16 30	17 3	17 36	18 9	18 42	19 15	19 48	33
34	14 10	14 44	15 18	15 52	[illegible] 26	17 [illegible]	17 34	18 8	18 42	19 16	19 50	20 24	34
35	14 35	15 10	15 45	16 20	16 55	17 30	18 5	18 40	19 15	19 50	20 25	21 0	35
36	15 0	15 36	16 12	16 48	17 24	18 [illegible]	18 36	19 12	19 48	20 24	21 0	21 36	36
37	15 25	16 2	16 39	17 16	17 53	18 30	19 7	19 44	20 21	20 58	21 35	22 12	37
38	15 50	16 28	17 6	17 44	18 22	19 [illegible]	19 38	20 16	20 54	21 32	22 10	22 48	38
39	16 15	16 54	17 33	18 12	18 51	19 30	20 9	20 48	21 27	22 6	22 45	23 24	39
40	16 40	17 20	18 0	18 40	19 20	20 0	20 40	21 20	22 0	22 40	23 20	24 0	40
41	17 5	17 46	18 27	19 8	19 49	20 30	21 11	21 52	22 33	23 14	23 55	24 36	41
42	17 30	18 12	18 54	19 36	20 18	21 0	21 42	22 24	23 6	23 48	24 30	25 12	42
43	17 55	18 38	19 21	20 4	20 47	21 30	22 13	22 56	23 39	24 22	25 5	25 48	43
44	18 20	19 4	19 48	20 32	21 16	22 0	22 44	23 28	24 12	24 56	25 40	26 24	44
45	18 45	19 30	20 15	21 [illegible]	21 45	22 30	23 15	24 0	24 45	25 30	26 15	27 [illegible]	45
46	19 10	19 56	20 42	21 28	22 14	23 [illegible]	23 46	24 32	25 18	26 4	26 50	27 36	46
47	19 35	20 22	21 9	21 56	22 43	23 30	24 17	25 4	25 51	26 38	27 25	28 12	47
48	20 0	20 48	21 36	22 24	23 12	24 [illegible]	24 48	25 36	26 24	27 12	28 0	28 48	48
49	20 25	21 14	22 3	22 52	23 41	24 30	25 19	26 8	26 57	27 46	28 35	29 24	49
50	20 50	21 40	22 30	23 20	24 10	25 0	25 50	26 40	27 30	28 20	29 10	30 [illegible]	50
51	21 15	22 6	22 57	23 48	24 39	25 30	26 21	27 12	28 3	28 54	29 45	30 36	51
52	21 40	22 32	23 24	24 16	25 8	26 [illegible]	26 52	27 44	28 36	29 28	30 20	31 12	52
53	22 5	22 58	23 51	24 44	25 37	26 30	27 23	28 16	29 9	30 2	30 55	31 48	53
54	22 30	23 24	24 18	25 12	26 6	27 [illegible]	27 54	28 48	29 42	30 36	31 30	32 24	54
55	22 55	23 50	24 45	25 40	26 35	27 30	28 25	29 20	30 15	31 10	32 5	33 [illegible]	55
56	23 20	24 16	25 12	26 8	27 4	28 [illegible]	28 56	29 52	30 48	31 44	32 40	33 36	56
57	23 45	24 42	25 39	26 36	27 33	28 30	29 27	30 24	31 21	32 18	33 15	34 12	57
58	24 10	25 8	26 6	27 4	28 2	29 0	29 58	30 56	31 54	32 52	33 50	34 48	58
59	24 35	25 34	26 33	27 32	28 31	29 30	30 29	31 28	32 27	33 26	34 25	35 24	59
	25	26	27	28	29	30	31	32	33	34	35	36	

	37	38	39	40	41	42	43	44	45	46	47	48	
2	1 14	1 16	1 18	1 20	1 22	1 24	1 26	1 12	1 30	1 32	1 34	1 36	2
3	1 51	1 54	1 57	2 0	2 3	2 6	2 9	2 12	2 15	2 18	2 21	2 24	3
4	2 28	2 32	2 36	2 40	2 44	2 48	2 52	2 56	3 0	3 4	3 8	3 12	4
5	3 5	3 10	3 15	3 20	3 25	3 30	3 35	3 40	3 45	3 50	3 55	4 0	5
6	3 42	3 48	3 54	4 0	4 6	4 12	4 18	4 24	4 30	4 36	4 42	4 48	6
7	4 19	4 26	4 33	4 40	4 47	4 54	5 1	5 8	5 15	5 22	5 29	5 36	7
8	4 56	5 4	5 12	5 20	5 28	5 36	5 44	5 52	6 0	6 8	6 16	6 24	8
9	5 33	5 42	5 51	6 0	6 9	6 18	6 27	6 36	6 45	6 54	7 3	7 12	9
10	6 10	6 20	6 30	6 40	6 50	7 0	7 10	7 20	7 30	7 40	7 50	8 0	10
11	6 47	6 58	7 9	7 20	7 31	7 42	7 53	8 4	8 15	8 26	8 37	8 48	11
12	7 24	7 36	7 48	8 0	8 12	8 24	8 36	8 48	9 0	9 12	9 24	9 36	12
13	8 1	8 14	8 27	8 40	8 53	9 6	9 19	9 32	9 45	9 58	10 11	10 24	13
14	8 38	8 52	9 6	9 20	9 34	9 48	10 2	10 16	10 30	10 44	10 58	11 12	14
15	9 15	9 30	9 45	10 0	10 15	10 30	10 45	11 0	11 15	11 30	11 45	12 0	15
16	9 52	10 8	10 24	10 40	10 56	11 12	11 28	11 44	12 0	12 16	12 32	12 48	16
17	10 29	10 46	11 3	11 20	11 37	11 54	12 11	12 28	12 45	13 2	13 19	13 36	17
18	11 6	11 24	11 42	12 0	12 18	12 37	12 54	13 12	13 30	13 48	14 6	14 24	18
19	11 43	12 2	12 21	12 40	12 59	13 18	13 37	13 56	14 15	14 34	14 53	15 12	19
20	12 20	12 40	13 0	13 20	13 40	14 0	14 20	14 40	15 0	15 20	15 40	16 0	20
21	12 57	13 18	13 39	14 0	14 21	14 4	15 3	15 24	15 45	16 6	16 27	16 48	21
22	13 34	13 56	14 18	14 40	15 2	15 24	15 46	16 8	16 30	16 52	17 14	17 36	22
23	14 11	14 34	14 57	15 20	15 43	16 6	16 29	16 52	17 15	17 38	18 1	18 24	23
24	14 48	15 12	15 36	16 0	16 24	16 84	17 12	17 36	18 0	18 24	18 48	19 12	24
25	15 25	15 50	16 15	16 40	17 5	17 30	17 55	18 20	18 45	19 10	19 35	20 0	25
26	16 2	16 28	16 54	17 20	17 46	18 12	18 38	19 4	19 30	19 56	20 22	20 48	26
27	16 39	17 6	17 33	18 0	18 27	18 54	19 21	19 48	20 15	20 42	21 9	21 36	27
28	17 16	17 44	18 12	18 40	19 8	19 30	20 4	20 32	21 0	21 28	21 56	22 24	28
29	17 53	18 22	18 51	19 20	19 49	20 18	20 47	21 16	21 45	22 14	22 43	23 12	29
30	18 30	19 0	19 30	20 0	20 30	24 0	21 30	22 0	22 30	23 0	23 30	24 0	30
31	19 7	19 38	20 9	20 40	21 11	21 30	22 13	22 44	23 15	23 40	24 17	24 48	31
32	19 44	20 16	20 48	21 20	21 52	22 24	22 56	23 28	24 0	24 32	25 4	25 36	32
33	20 21	20 54	21 27	22 0	22 33	23 6	23 59	24 12	24 45	25 18	25 51	26 24	33
34	20 58	21 32	22 6	22 40	23 14	23 48	24 22	24 56	25 30	26 4	26 38	27 12	34
35	21 35	22 10	22 45	23 20	23 55	24 30	25 5	25 40	26 15	26 50	27 25	28 0	35
36	22 12	23 48	23 24	24 0	24 36	25 12	25 48	26 24	27 0	27 36	28 12	28 48	36
37	22 49	23 26	24 3	24 40	25 17	25 54	26 31	27 8	27 45	28 22	28 59	29 36	37
38	23 26	24 4	24 42	25 20	25 58	26 36	27 14	27 52	28 30	29 8	29 46	30 24	38
39	24 3	24 42	25 21	26 0	26 39	27 18	27 57	28 36	29 15	29 54	30 33	31 12	39
40	24 40	25 20	26 0	26 40	27 20	28 0	28 40	29 20	30 0	30 40	31 20	32 0	40
41	25 17	25 58	26 39	27 20	28 1	28 42	29 23	30 4	30 45	31 26	32 7	32 48	41
42	25 54	26 36	27 18	28 0	28 42	29 24	30 6	30 48	31 30	32 12	32 54	33 36	42
43	26 31	27 14	27 57	28 40	29 23	30 6	30 49	31 32	32 15	32 58	33 41	34 24	43
44	27 8	27 52	28 36	29 20	30 4	30 48	31 32	32 16	33 0	33 44	34 28	35 12	44
45	27 45	28 30	29 15	30 0	30 45	31 30	32 15	33 0	33 45	34 30	35 15	36 0	45
46	28 22	29 8	29 54	30 40	31 26	32 12	32 58	33 44	34 30	35 16	36 17	36 48	46
47	28 59	29 46	30 33	31 20	32 7	32 54	33 41	34 28	35 15	36 2	36 49	37 36	47
48	29 36	30 24	31 12	32 0	32 48	33 56	34 24	35 12	36 0	36 48	37 36	38 24	48
49	30 13	31 2	31 51	32 40	33 29	34 18	35 7	35 56	36 45	37 34	38 23	39 12	49
50	30 50	31 40	32 30	33 20	34 10	35 0	35 50	36 40	37 30	38 20	39 10	40 0	50
51	31 27	32 18	33 9	34 0	34 51	35 42	36 33	37 24	38 15	39 6	39 57	40 48	51
52	32 4	32 56	33 48	34 40	35 32	36 24	37 16	38 8	39 0	39 52	40 44	41 36	52
53	32 41	33 34	34 27	35 20	36 13	37 6	37 59	38 52	39 45	40 38	41 31	42 24	53
54	33 18	34 12	35 6	36 0	36 54	37 48	38 42	39 36	40 30	41 24	42 18	43 12	54
55	33 55	34 50	35 45	36 40	37 35	38 30	39 25	40 20	41 15	42 10	43 5	44 0	55
56	34 32	35 28	36 24	37 20	38 16	39 12	40 8	41 4	42 0	42 56	43 52	44 48	56
57	35 9	36 6	37 3	38 0	38 57	39 54	40 51	41 48	42 45	43 42	44 39	45 36	57
58	35 46	36 44	37 42	38 40	39 38	40 36	41 34	42 32	43 30	44 28	45 25	46 24	58
59	36 23	37 22	38 21	39 20	40 19	41 18	42 17	43 16	44 15	45 14	46 13	47 12	59
	37	38	39	40	41	42	43	44	45	46	47	48	

	49	50	51	52	53	54	55	56	57	58	59	60	
2	1 38	1 40	1 42	1 44	1 46	1 48	1 50	1 52	1 54	1 56	1 58	2 0	2
3	2 27	2 30	2 33	2 36	2 39	2 42	2 45	2 48	2 51	2 54	2 57	3 0	3
4	3 16	3 20	3 24	3 28	3 32	3 36	3 40	3 44	3 48	3 52	3 56	4 0	4
5	4 5	4 10	4 15	4 20	4 25	4 30	4 35	4 40	4 45	4 50	4 55	5 0	5
6	4 54	5 0	5 6	5 12	5 18	5 24	5 30	5 36	5 42	5 48	5 54	6 0	6
7	5 43	5 50	5 57	6 4	6 11	6 18	6 25	6 32	6 39	6 46	6 53	7 0	7
8	6 32	6 40	6 48	6 56	7 4	7 12	7 20	7 28	7 36	7 44	7 52	8 0	8
9	7 21	7 30	7 39	7 48	7 57	8 6	8 15	8 24	8 33	8 42	8 51	9 0	9
10	8 10	8 20	8 30	8 40	8 50	9 0	9 10	9 20	9 30	9 40	9 50	10 0	10
11	8 59	9 10	9 21	9 32	9 43	9 54	10 5	10 16	10 27	10 38	10 49	11 0	11
12	9 48	10 0	10 12	10 24	10 36	10 84	11 0	11 12	11 24	11 36	11 48	12 0	12
13	10 37	10 50	11 3	11 16	11 29	11 42	11 55	12 8	12 21	12 34	12 47	13 0	13
14	11 26	11 40	11 54	12 8	12 22	12 36	12 50	13 4	13 18	13 32	13 46	14 0	14
15	12 15	12 30	12 45	13 [illegible]	13 15	13 30	13 45	14 0	14 15	14 30	14 45	15 0	15
16	13 4	13 20	13 36	13 52	14 8	14 24	14 40	14 56	15 12	15 28	15 45	16 0	16
17	13 53	14 10	14 27	14 44	15 1	15 18	15 35	15 52	16 9	16 26	16 44	17 0	17
18	14 42	15 [illegible]	15 18	15 36	15 54	16 12	16 30	16 48	17 6	17 24	17 42	18 0	18
19	15 31	15 50	16 9	16 28	16 47	17 6	17 25	17 44	18 3	18 22	18 41	19 0	19
20	16 20	16 40	17 0	17 20	17 40	18 0	18 20	18 40	19 0	19 20	19 40	20 0	20
21	17 9	17 30	17 51	18 12	18 33	18 54	19 15	19 36	19 57	20 18	20 39	21 0	21
22	17 58	18 20	18 42	19 4	19 26	19 48	20 10	20 32	20 54	21 16	21 38	22 0	22
23	18 47	19 10	19 33	19 56	20 19	20 42	21 5	21 28	21 51	22 14	22 37	23 0	23
24	19 36	20 0	20 24	20 48	21 12	21 36	22 0	22 24	22 48	23 12	23 36	24 0	24
25	20 25	20 50	21 15	21 40	22 5	22 30	22 55	23 20	23 45	24 10	24 35	25 0	25
26	21 14	21 40	22 6	22 32	22 58	23 24	23 50	24 16	24 42	25 8	25 34	26 0	26
27	22 3	22 30	22 57	23 24	23 51	24 18	24 45	25 12	25 39	26 6	26 33	27 0	27
28	22 52	23 20	23 48	24 16	24 44	25 12	25 40	26 8	26 36	27 4	27 32	28 0	28
29	23 41	24 10	24 39	25 8	25 37	26 6	26 35	27 4	27 33	28 2	28 31	29 0	29
30	24 30	25 0	25 30	26 0	26 30	27 0	27 30	28 0	28 30	29 0	29 30	30 0	30
31	25 19	25 50	26 21	26 52	27 23	27 54	28 25	28 56	29 27	29 58	30 29	31 0	31
32	26 8	26 40	27 12	27 44	28 16	28 48	29 20	29 52	30 24	30 56	31 28	32 0	32
33	26 57	27 30	28 3	28 36	29 9	29 42	30 15	30 48	31 21	31 54	32 27	33 0	33
34	27 46	28 20	28 54	29 28	30 2	30 36	31 10	31 44	32 18	32 52	33 26	34 0	34
35	28 35	29 10	29 45	30 20	30 55	31 30	32 5	32 40	33 15	33 50	34 25	35 0	35
36	29 24	30 0	30 36	31 12	31 48	32 24	33 0	33 36	34 12	34 48	35 24	36 0	36
37	30 13	30 50	31 27	32 4	32 41	33 18	33 55	34 32	35 9	35 46	36 23	37 0	37
38	31 2	31 40	32 18	32 56	33 34	34 12	34 50	35 28	36 6	36 44	37 22	38 0	38
39	31 51	32 30	33 9	33 48	34 27	35 6	35 45	36 24	37 3	37 42	38 21	39 0	39
40	32 40	33 20	34 0	34 40	35 20	36 0	36 40	37 20	38 0	38 40	39 20	40 0	40
41	33 29	34 10	34 51	35 31	36 13	36 54	37 35	38 16	38 57	39 38	40 19	41 0	41
42	34 18	35 0	35 42	36 24	37 6	37 48	38 30	39 12	39 54	40 36	41 18	42 0	42
43	35 7	35 50	36 33	37 16	37 59	38 42	39 25	40 8	40 51	41 34	42 17	43 0	43
44	35 56	36 40	37 24	38 8	38 52	39 36	40 20	41 4	41 48	42 32	43 16	44 0	44
45	36 45	37 30	38 15	39 0	39 45	40 30	41 15	42 0	42 45	43 30	44 15	45 0	45
46	37 34	38 20	39 6	39 52	40 38	41 24	42 10	42 56	43 42	44 28	45 14	46 0	46
47	38 23	39 10	39 57	40 44	41 31	42 18	43 5	43 52	44 39	45 26	46 13	47 0	47
48	39 12	40 0	40 48	41 36	42 24	43 12	44 0	44 48	45 36	46 24	47 12	48 0	48
49	40 1	40 50	41 39	42 28	43 17	44 6	44 55	45 44	46 33	47 22	48 11	49 0	49
50	40 50	41 40	42 30	43 20	44 10	45 0	45 50	46 40	47 30	48 20	49 10	50 0	50
51	41 39	42 30	43 21	44 12	45 3	45 54	46 44	47 36	48 27	49 18	50 9	51 0	51
52	42 28	43 20	44 12	45 4	45 56	46 48	47 40	48 32	49 24	50 16	51 8	52 0	52
53	43 17	44 10	45 3	45 56	46 49	47 42	48 35	49 28	50 21	51 14	52 7	53 0	53
54	44 6	45 0	45 54	46 48	47 42	48 36	49 30	50 24	51 18	52 12	53 6	54 0	54
55	44 55	45 50	46 45	47 40	48 35	49 30	50 25	51 20	52 15	53 10	54 5	55 0	55
56	45 44	46 40	47 36	48 32	49 28	50 24	51 20	52 16	53 12	54 8	55 4	56 0	56
57	46 33	47 30	48 27	49 24	50 21	51 18	52 15	53 12	54 9	55 6	56 3	57 0	57
58	47 22	48 20	49 18	50 16	51 14	52 12	53 10	54 8	55 6	56 4	57 2	58 0	58
59	48 11	49 10	50 9	51 8	52 7	53 6	54 5	55 4	56 3	57 2	58 1	59 0	59
	49	50	51	52	53	54	55	56	57	58	59	60	

CAPUT III.

De conquirendis motibus æqualibus.

QUanti ſint motus æquales diurni, aut menſtrui, aut annui luminarium, dictum eſt in fundamentis cujusvis Tabulæ: Jam quomodo computandi & numerandi ſint hi motus æquales, dicendum: cui rei deſtinatæ ſunt priores quinque Tabulæ, omnes confectæ eadem forma, proportione, methodo & partibus, ne diverſitate earundem lector turbetur. Methodus omnium eadem eſt: Fiunt enim omnes additione numerorum, niſi quòd in prima Tabula, ſecunda ejus pars à prima ſubtrahenda eſt. Ideò de prima Tabula primum dicendum.

Si igitur detur annus, in quo luminarium ſyzygia aliqua quærenda eſt, quicunque ſanè ille ſit, ſive à condito mundo numeratus; ſive ab æra Chriſtiana; eum annum quæro in ſecunda parte hujus primæ Tabulæ, in annis collectis: Et, ſive jam invenero, ſive non invenero, ejus anni ſemper ſumo numerum proximè minorem. Hunc minorem numerum inventum ex dato anno ſubtraho, & reſiduum, quodcunque tandem fuerit, quæro in prima parte Tabulæ, in annis expanſis. Utrobique autem, in prima & ſecunda parte Tabulæ adſcripti ſunt dies, feriæ, horæ, minuta, & cyclus Solis. qui in hac tabula non invicem addendi ſunt, ſed qui habentur dies cum feriis, horis, minutis & cyclo Solis in ſecunda parte Tabulæ, ſubtrahendi ſunt ab iis, qui habentur in prima parte Tabulæ; & habetur novilunium Paſchale illius anni deſcriptum certis diebus, feriis, horis, minutis, cyclo Solis item & Lunæ: Et dies quidem numerati ſunt à Calendis Januarii, ideò Calendarium Julianum hiſce Tabulis præmiſſum eſt. Horæ verò numeratæ ſunt à media nocte. Si Nivilunium paſchale ſic inventum fuerit, ad quævis Novilunia vel Plenilunia, deſcendere poſſumus, ſi Novilunia aut Plenilunia, quæ requiruntur, addamus.

Exemplo rem declarabo: Plutarchus, Thucydides & Valerius Maximus ſcribunt, eclipſin Solis accidiſſe primo anno belli Peloponneſiaci, quæ tanta fuerit, ut ſtellæ apparuerint, factamque in æſtate, & quidem poſt meridiem. Nos dicimus, hanc eclipſin accidiſſe anno Mundi 3519. & proinde concludimus, hoc anno cœptum eſſe bellum Peloponneſiacum. Ut igitur jam Novilunium paſchale hujus anni habeam, datum annum 3519. quæro in ſecunda parte primæ tabulæ, ubi invenio numerum proximè minorem 3496. cum numeris dierum 11. fer. 2. hor. 4. minut. 55. ſecund. 28. & cyclo Solis 4. quæ annoto; & numerum illum minorem 3496. ſubtraho ex anno dato 3519. & relinquitur reſiduum, quod eſt 23. Ideò quæro in prima parte tabulæ, in annis expanſis, 23. & ibidem aſſcriptos ibi numeros, ſuper iſtos, ex ſecunda parte collegi, dies 108. fer. 7. hor. 11. min. 56. ſecund. 18. Cyclum Solis 3. & Lunæ 8. ſcribo, & illos ex hiſce ſubtraho modo:

Anni	*dies. fer. hor. /. //.*	*Cyc. Solis.*	*Lunæ.*
23.	108. 7. 11. 56. 18.	3.	8.
3496.	11. 2. 4. 55. 28.	4.	
	97. 5. 7. 0. 50.	27.	

A cyclo Lunæ nihil ſubtrahitur, eſt igitur hic annus cycli octavi Lunæ.

Incipio à cyclo Solis, ubi quatuor à tribus ſubtrahi non poſſunt. Ideoque addo integrum cyclum Solis, qui eſt 28. fiunt in una ſumma 31. Inde quatuor detracti relinquunt hujus anni cyclum 27. minuta ſecunda, 28. quæ itidem ex 18. ſubtrahere non poſſum: Ideò mutuo unum minutum ex primis iſtis 56. & ſuperſiunt 55. Minutum hoc primum redigo in minuta ſecunda ſexaginta, & fiunt in una ſumma minuta ſecunda 78. Hinc 28. detracta, relinquunt minuta ſecunda 50. Jam 55. minuta prima ex 55. ſubtracta exactè numerum tollunt: Ideò, quia nullum minutum primum adeſt, ſcribo circulum, Hora 4. ex 11. ſubtractæ, relinquunt horas 7. Duæ feriæ ex ſeptem ſubtractæ, relinquunt 5. dies; undecim ex diebus 108. abjecti, relinquunt diem à Calend. Jan. 97. qui eſt dies 7. Aprilis. Dico igitur. Novilunium Paſchale anni Mundi 3519. accidere medio ſuo motu Lipſiæ, die 7. Aprilis, fer. 5. hor. 7. minut. 0. ſec. 50. Cyclo Solis 27. Et cùm cyclus Solis 27. habeat literam Dominicalem B. video diem 7. Aprilis eſſe feriam quintam: Cùm tertius Aprilis ſit feria prima, & rectè inventum eſt novilunium Paſchale.

Si ſcire velim, quando Athenis acciderit, quæro in tabula Locorum, ubi annotatur, addendam eſſe horam unam, & 8. minuta prima. Accidit igitur media conjunctio luminarium Athenis, die 7. April. fer. 5. horis poſt mediam noctem octo, & minutis 8. cum ſecundis 50. Si jam ad aliud quoddam novilunium progredi velim, quodcunque ſanè ſit in dato anno, addo tot Novilunia, quot requiruntur. Ut ſi Novilunium hoc anno, menſe Auguſto habere velim, & Auguſtus abſit ab Aprili quatuor menſibus, addo invento Novilunio quatuor Novilunia. Novilunium Paſchale eſt Lipſiæ die 7. April. fer. 5. hor. 7. 0. 50. Quatuor autem Novilunia faciunt dies 118. fer. 6. horas 2. min. 56. ſecunda 13. Hæc addita, faciunt dies 215. fer. 4. hor. 9. 57. 3.

Ergò Novilunium hoc accidit die 3. Auguſti, fer. 4. horis novem poſt mediam noctem, & minutis 57. 13. Si verò plenilunium aliquod habere velim, exempli gratiâ, menſe Octobr. cùm hic ſit 7. menſis ab Aprili, addo 7. plenilunia ad novilunium Paſchale: ſeptem a. plenilunia faciunt dies 191. ferias 2. horas 22. 46. 20. quæ addita ad Novilunium Paſchale, exhibent plenilunium menſe Octobri, die 289. à Calendis Januarii, ſive die 16. Octobr. fer. 1. hor. 5. 47. 10. à media nocte. Si aliquod Novilunium, vel Plenilunium, quod in Febrauarium menſem incidat, inquiras, vide, ne in anno biſſextili propter diem intercalarem uno die aberres. Id cavebis, ſi potiùs ad præcedentem annum, ad Novilunia aut plenilunia addas, quam ſi ex tuo Novilunio aliquid ſubducere velis. Feria tamen cum litera Dominicali facilè tibi errorem monſtrabit, & te in viam reducet.

In reliquis tabulis motus medii adhuc faciliùs computantur. Non enim ibi ſunt dies & feriæ cum horis, ab eſt etiam uterq; cyclus, & omnia fiunt non partim ſubtractione, partim additione, ſed tantùm per additionem; ut in tabula ſecunda de latitudine Lunari, ſi velim habere latitudinem Lunæ in Novilunio Paſchali, in anno dato, eundem numerum minorem quæro, & idem reſiduum, ut in prima tabula, & numeros utrobique inventos ſimul jungo, & inventa eſt latitudo in Novilunio paſchali. *Veluti ad minorem numerum ad annum 3496. habentur, ſexag. 5. gradus 13. min. 33. 1. Ad reſiduum vero 23. inveniuntur ſexag. 1. grad. 36. minut. 44. 8. Hæc ſimul juncta faciunt ſex. 0. grad. 50. 17. 9. ſi addidero quatuor Novilunia, quæ efficiunt ſex. 2. grad. 2. 40/. 36//. ſum ſexag. 2.*

ſexag.2.grad.52.min.58/.5//.& hæc eſt latitudo Lunæ in Novilunio, quod accidit 3. Auguſti, & eſt apta ad procreandum eclipſin. Eſt enim ſeptentrionalis,& vicina caudæ Draconis,à qua abeſt tantum ſeptem gradibus.

In tertia Tabula Anomaliæ Lunæ,eodem modo rem perago. *Addo enim,quæ ad annum 3496.habentur, Saxag.5.grad.13.min.24.25.ad annos reſiduos,ubi ſunt,ſex.0.gradus 23.min.44.57.& ſiunt ſimul ſexag. 5.grad.37.min.9.22. Et habeo Anomaliam Lunæ in Novilunio paſchali. Huic jam jungo quatuor menſes, ſexag.1.grad.43.min.16.0. Et habeo Anomaliam Lunæ in Novilunio menſis Auguſti, ſexag.1.grad.20.minut.25.22.*

In quarta Tabula,in motu æqualis Solis,in ſecunda parte Tabulæ,*ad annum 3496.habentur numeri ſexag.0.15.58.20. In prima parte verò ad reſiduum, ſexag.5.53.25.42. Hæc ſimul juncta, dant æqualem motum Solis ad novilunium Paſchale ſexag. 0.9.24.4. Nam ſexagena faciunt integrum circulum, ideò abjiciuntur. Huic jam jungo quatuor novilunia, ſive quatuor menſes, ſexag.1.56.25.57. Atque ita ad Novilunium in Menſe Auguſto eſt æqualis motus Solis ſex.2.gradus 5.46.39. hoc eſt, Sol eſt in gradu 5. 46. 39. Leonis ſecundum æqualem motum: triginta enim gradus abſolvuntur in uno ſigno,& duæ ſexagenæ faciunt quatuor ſigna. Eſt igitur Sol in quinto ſigno Zodiaci, quod obtinet Leo.*

In quinta Tabula de Anomalia Solis,*ad minorem numerum in ſecunda parte Tabulæ, ad annos 3496. habentur. ſexag.5.32.16.20. In prima ad 23. reſiduum ſcilicet, ſunt ſex.5.26.50.1. quæ juncta faciunt ſexag. 4.grad.59.6.29. quæ eſt anomalia Solis ad novilunium paſchale. Hiſce jungo quatuor Novilunia ſexag.1.gr. 56.25.22. ſiunt in una ſumma ſexag.0.grad.55.min. 31.51. quæ eſt anomalia Solis in Novilunio menſis Aug.*

Atque hæc eſt ratio colligendi motus æquales, qui neceſſarii ſunt ad loca Solis & Lunæ in Zodiaco inveſtiganda. Colligamus jam hoſce motus in Novilunio menſis Auguſti anno Mundi 3519.

1. *Novilunium accidit die 3. Auguſti, fer.4.hor.9. 57.13.poſt mediam noctem Lipſiæ.*
2. *Latitudo Lunæ ſex.2.grad.52.58.5.*
3. *Anomalia Lunæ ſex.1.grad.20.25.22.*
4. *Æqualis Solis ſex.2.grad.5.46.39.*
5. *Anomalia Solis ſex.0. grad.55.31.51.*

Hinc jam, quæ neceſſaria ſunt ad computationem Eclipſis hujus, extruere poſſum, id quod faciam ſequentibus capitibus. *Jam aliud exemplum proponam in eclipſi Lunari inveſtiganda.*

Livius & Plutarchus ſcribunt, Eclipſin Lunæ accidiſſe poſt occaſum Solis, ab hor. ſecunda noctis uſq; ad quartam, pridie, quàm Paulus Æmilius vinceret Perſea, Macedoniæ regem: idq; factum, cum jam ſolſtitium præteriiſſet, & exercitus Romanus flagrantiſſimo æſtu Solis, pulvere, ſudore & ſiti ferè enectus eſſet. Hervvartus ab Hohenburg hanc eclipſin alio anno quærit, eamq; contendit factam Menſe Januario, media hyeme, ſed apertiſſimè à circumſtantiis à Livio adductis refutatur. Nos ſtatuimus, eam factam anno Mundi 3782. Motus igitur æquales ad Plenilunium circa ſolſtitium hujus anni inquiramus.

Abeo igitur ad primam tabulam ſyzygiarum Luminarium, & quæro in ſecunda parte, quæ eſt annorum collectorum, numerum annorum, qui proximè minor eſt, quàm 3782. Is eſt 3724. ſi hunc ex numero dato ex 3782. ſubtraxero, Reſiduum erit 58. Ad annum 3724. habentur numeri, dies 11. fer.4.hor.22.min.27/.47//. & cyclus Solis 0. Hæc jam ſubtrahenda ſunt ex numeris, qui ad reſiduum 58. annorum in prima parte tabulæ annotati ſunt, ex diebus 81. feriis 3. horis 17. min. 6.56. Cyclo Solis 10. hoc modo:

Dies à Calendis Januar.	*81.*	*fer. 3.*	*Hor.17.6.56.*	*10.*
Subtrahendi dies.	*11.*	*fer. 4.*	*hor.22.27.47.*	*0.*
	69.	5.	18.39. 9.	

Supereſt Cyclus Solis 10. min. ſecunda 9. (incipiendum enim ſemper ab ultimo) minuta prima 39. Hora enim ex 17. detracta, dat minuta 60. quæ reliquis ſex juncta, dat ſexaginta ſex. Inde 27. ſubducta relinquunt 39. Ut jam 22. horas ex ſedecim horis, cùm una abſumta ſit in min. ſubtrahere poſſis, diem unum ſubtraho ex 81. & reſtant 80. perit etiam hoc modo una feria. Fiunt itaq; hoc modo horæ 40. ex quibus 22. detracta relinquunt horas 18. ut feriæ 4. ſubtrahi poſſint, aſſumo 7. ſiuntq; 9. Ita relinquuntur feriæ 5. & dies 69. Cyclus Solis autem 10. exhibet literam Dominicalem B. quæ invenitur in die 65. à Cal. Jan. Ergò dies 69. eſt feria 5. & novilunium Paſchale hujus anni eſt rectè inventum, acciditq; die 10. Martii, fer.5. horis 18.39.9. poſt mediã noctem, cyclo Solis 10. Lunæ 5. Huic Novilunio jungo quatuor Plenilunia, dies 103. fer.5. hor.8.34.11. Et accidit Plenilunium menſe Jun. die 173. ſive die 22. Jun. prope Solſtitium, fer.4. hor.3.13.20. poſt mediam noctem.

2. *In ſecunda tabula iterum quæro numerum annorum 3724. & reſiduum 58. in prima parte tabulæ & numeros utrobiq; inventos ſimul addo, & habeo latitudinẽ Lunæ ad Novilunium Paſchale, ſexag.1.gr.10. 50.12. quibus jungo quatuor plenilunia, & prodibit latitudo Lunæ ſex.5.gr.58.11.1. apta ad eclipſin Lunarẽ.*

3. *In tertia tabula ad annum 3724. & 58. numeri collecti faciunt ſexag.0.53.0.41. quibus addo quatuor Plenilunia, ſiunt in una ſumma ſexag.5.23.22.11.*

4. *In quarta tabula ex anno 3724. & ex 58. colliguntur motus æquales Solis ad Novilunium Paſchale, ſexag.5.44.33.20. & quatuor Plenilunia addita faciunt in una ſumma ſexag.1.26.25.45.*

5. *In quinta tabula, ſi omnes numeros ad annum 3724. & ad reſiduum 58. & ſimul quatuor plenilunia junxeris, habebis Anomaliam Solis ad Plenilunium menſis Junii ſexag.0 grad.12.51.51.*

Æquales motus igitur Luminarium ad Plenilunium Menſis Junii, Anni Mundi 3782. ſunt, hi:

1. *Plenilun. accidit 22. Junii, fer.4. horis 3.13.20 poſt mediam noctem.*
2. *Latitudo Lunæ eſt ſex.5.58.11.1.*
3. *Anomalia Lunæ.5.23.22.11.*
4. *Æqualis Solis.1.26.25.45.*
5. *Anomalia Solis.0.12.51.51.*

CAPUT IV.

De motibus æquabilibus, Luminarium æquandis, ut veros Luminarium motus habeas.

EX anomalia utraq;, tàm Solis, quàm Lunæ, motus ſyzygiarum luminarium latitudinis item Lunæ & Æqualis Solis mutantur. Ad utramque igitur Anomaliam inventam in veris ſyzygiis luminarium definiendis quærimus æquationes, ex quibus de reliquis motibus judicamus. Æquationes hæ habentur in tabula ſexta, quæ ad Solem ſpectat, & in tabula ſeptima, quæ motus lunares dirigit. Tabulæ hæ ſunt eadem forma ac methodo confectæ, & ſi Anomaliæ fuerint minores ſemicirculo, nempe ſexagenæ 0. vel 1. vel 2. tum æquationes ſubtrahuntur. Si majores

jores fuerint ſemicirculo hoc eſt, ſi fuerint ſexagenæ 3.4.5. tum adduntur, quemadmodum & hoc in fronte tabularum præſcriptum eſt. Differentiæ verò graduum variant. Si enim æquatio in tabulis creſcit, quod facile animadvertitur, ſi vicinæ æquationes conferantur, tum differentia propter minuta, quæ gradibus Anomaliæ adhærent additur. Si decreſcit, tum ſubtrahitur, quemadmodum & hoc in fronte tabularum præſcriptum eſt.

Porrò æquationes inveniuntur, ſi ingreſſus tabulam, ſexagenas in fronte, gradus verò à latere inquiras. Et æquatio hæc inventa aliquantum variatur, ſi præter gradus Anomalia etiam minuta quædam habuerit. Dicendum enim tunc eſt ex regula aurea proportionum: Anomalia in uno gradu creſcit vel decreſcit tot minutis, quantum creſcet vel decreſcet, in datis minutis? Et res tota peragitur tantùm multiplicatione. Integer enim gradus, qui hic primo loco ponitur, & factum dividere debebat, nec dividit, nec multiplicat.

Res exemplis declaranda eſt. Sumamus autem primo loco æquales motus in eclipſi Lunæ: anno Mundi 3782. ubi anomalia Solis fuit ſexagen. 0. gradu 12. 51. 51. Ingreſſus hic tabulam ſextam, invenis in fronte tabulæ ſexag. 0. grad. verò duodecim in latere, ubi datur æquatio Solis 24. 43. Sed quoniam anomal. min. etiam habet prima 51. & ſecunda 51. & æquatio creſcit, ut vides in fronte tabulæ, ubi ſignum additionis adſcriptum eſt, & in ſequenti gr. 13. ubi æquatio major eſt, quam in gradu 12. Ideo id quod ex minutis legitimâ proportione conficitur, addendum eſt æquationi in 12. gradu. Dicendum igitur. Gradus unus Anom. æquationem auget min. 2. & ſecundis 2. quantum augebunt eandem min. 51. 51. Factus erit minut. 1. ſecund. 45. tertia 25. quarta 42. Sed tertia & quarta abjiciuntur, & minutum unũ & 45. ſecunda. æquationi in duodecimo gradu adduntur ſicq; abſoluta Solis æquatio hoc in loco min. 26. 28. cum titulo, ut in fronte habes; ſubtrahe ſcil. ex æquali motu Solis tot minuta. Tranſeamus ad æquationem Lunarem in ſeptima tabula. *Anomalia Lunæ eſt ſexagen. 5. 23. 22. 11. ubi ſexag. 5. in fronte invenio, gradum verò 23. a latere cum æquatione grad. 2. min. 55. & ſec. 46. Differentia graduum a latere eſt, min. 4. 9. ſubtrahenda, ut titulus in fronte monet, & oſtendit etiam ſequens gradus, qui minorem æquationem habet. Dico igitur, Gradus unus diminuit æquationem min. 4. 9. quantum diminuent 22. 11. Factus eſt minut. 1. 32. qui ſubtractus ex æquatione in 23. gradu, relinquit æquationem Lunæ grad. 2. 54. 14. Cum titulo adde ſcilicet æquationem Lunæ, ut in fronte habes.*

Sumamus etiam alterum exemplum, Eclipſin ſcilicet Solis Anno Mundi 3519. *ubi Anomalia Solis eſt ſexag. 0. 55. 31. 51. & in ſexta tabula ſexag. 0. inveniuntur in fronte, & gr. 55. in latere cum æquatione gr. 1. 38. 52. quæ æquatio per minuta Anomaliæ augenda eſt, ut titulus in fronte & ſequens gradus oſtendit. Differentia autem eſt adſcripta min. 1. 14. Dico igitur, gradus unus auget æquationem 1. 14. quantum augebunt min. 31. 51. Factus erit min. ſecunda 39. quæ addo, & erit æquatio Solis vera grad. 1. 39. 31. Cum titulo ſubtrahe ut in fronte habes. Anom. Lunæ in eodem hoc exemplo eſt ſex. 1. grad. 20. 25. 22. Ideò in tabula ſeptima invenio ſexag. 1. in fronte; gradum 20. a latere. Cum æquatione grad. 4. min. 52. 21. Differentia à latere eſt minutum unum. Dico igitur inter gradus addit minutum unum, quid addent minuta 25. 22. Factus eſt minuta ſecunda 25. quæ addita æquationi Lunari, faciunt eam abſolutam, grad. 4. min. 52. 46. Cum titulo ſubtrahe ut in fronte habes.*

Harum æquationum alterutra vel Solis vel Lunæ ſufficeret quidem, ſi tantùm inquirere vellem, quo in gradu Zodiaci vel Sol vel Luna eſſet, & quæ latitudo Lunæ eſſet. Verùm cùm non præcipuè hoc ſed potius tempus veræ ſyzygiæ Luminarum, ſive oppoſitionis & conjunctionis hic inquiramus, ut verum tempus eclipſis habere poſſimus, æquationes hæ ambæ requiruntur, quæ vel ſimul junctæ, vel ab invicem ſubtractæ in tempus commutandæ ſunt. Junguntur autem, quando tituli diverſi ſunt, quando altera æquatio titulum habet additionis, altera ſubtractionis. *Ut in exemplo noſtro eclipſis lunaris videre eſt: Ibi enim æquatio Solis ſubtrahenda eſt; Lunæ verò addenda, ideò ambæ junguntur.* Quando verò tituli conveniunt, ut ſi ambæ æquationes habeant vel titulum additionis, vel ſubtractionis, tum minor à majore ſubtrahitur. *Exempli gratia: In exemplo eclipſis Solaris æquatio Solaris ſubtrahenda eſt, ſic æquatio etiam Lunaris ſubtrahenda eſt: conveniunt ergò tituli, ideò minor æquatio ex majore Lunari ſubtrahenda eſt: & poſtea ſumma, vel reſiduum, in tempus convertitur.*

CAPUT V.

De intervallo inter veram & mediam ſyzygiam.

PRiusquam æquationes in tempus convertantur, neceſſe eſt ut ſcias, an vera ſyzygia vel præceſſerit mediam, vel ad hoc ſequatur; aliàs enim nunquam intervallum temporis inter veram & mediam ſyzygiam invenire poſſes. *In hac re neceſſe eſt, ut attendas ad eam æquationem, quæ habet titulum* Subtractionis; *ſi enim æquatio, quæ titulum ſubtractionis habet, Solaris fuerit, tum vera ſyzygia prior fuit, & præceſſit jam. Si verò æquatio hujuſmodi ſubtrahenda fuerit Lunaris, tum vera ſyzygia adhuc ſequitur. Si verò ambæ æquationes titulum habebunt ſubtractionis, tum ea æquatio potiſſimum ſubtrahenda dicitur, quæ fuerit major, & ſecundum eam pronunciatur. Si tandem ambæ æquationes titulum additionis habebunt, tum ea æquatio ſubtractionis notam habere putatur, quæ eſt minor,* & hoc modo facile cognoſcitur, utrum vera ſyzygia præceſſerit, an verò adhuc futura ſit.

Quantum verò intervallum temporis ſit, quo vera ſyzygia vel prior fuit, vel adhuc ſequetur, id diſces ex æquationum ſumma, aut reſiduo. *Recurre enim ad tabulam ſeptimam, ad gradum anomaliæ Lunaris, unde æquationem ſumpſiſti, & motum inde horarium Lunæ ſume, perpendeque quoties cum in ſumma, vel reſiduo æquationum habere poſſis, idque vel legitima diviſione, vel propinqua conjectura. Non multum enim refert, cùm hoc modo nunquam verum intervallum exactè eruere poſſis. Tempus igitur conjectura hac erutum ſume tibi pro vero, & ad idem tempus motus æquales ad hanc rem neceſſarios collige. Et ſi poſtea aberratum fuerit, ex differentia per motum Lunæ horarium verum collige, quodnam ſit verum intervallum temporis inter mediam & veram ſyzygiam.*

Exemplo res declaranda eſt.

In Eclipſi Lunari anno Mundi 3782. Æquatio Solis fuit min. 26. 28. ſubtractio Lunaris verò gr. 2. min. 54. 14. addenda. Simul igitur æquationes junguntur, cùm tituli ſint diverſi. Et quidem Sol habet titulum ſubtractionis: Ergò vera ſyzygia præteriit mediam tan-

in ſpatio temporis, quanta eſt ſumma duarum æquationum. Efficiunt autem ambæ æquationes in una ſumma gradus 3.20.42. Hinc concludo, intervallum veræ & mediæ ſyzygiæ fuiſſe ſeptem horarum circiter, cùm motus horarius Lunæ, Anomaliæ adſcriptus, ſit minutorum 28.12. & ſepties haberi poſſit in ſumma æquationum. Inquirendi igitur ſunt motus æquales neceſſarii ad tempus ſeptem horarum. Neceſſarii autem motus hi habentur: Motus longitudinis Lunæ à Sole, ex prima tabula: Inde motus Anomaliæ Lunaris, ex tertia: & tandem Anomaliæ Solis, ex quinta. Luna ſeptem horarum ſpatio movetur à Sole, gr.3.min.33.20. Anomal.v. Lunæ in horis eſt, gr.3.48/.38//. Anom. Solis verò min.17.14. Anom. hæc utraque ex Anomaliis ad mediam ſyzygiam, ſubtrahenda eſt: Quia vera ſyzygia præceſſit, Anom. Lunæ fuit, ſex. 5.23.22.11. Ergo jam erit ſexag.5.19.48.51. Sic anomalia Solis fuerat ſex.0.gr.12.51.51. Ergo jam erit gr.12.34.37. Ad utraſque Anomalias iterum æquationes inquirendæ ſunt eadem methodo, ut antea: & æquatio Solis quidem jam erit 25.53. ſubt. Lunæ verò gr.3.min.9.37. quæ junctæ efficiunt gr.3.min.35.30. Si jam intervallum inter veram & mediam ſyzygiam conjectura mea de ſeptem horis rectè aſſecutus eſſem, tum ſumma æquationum par eſſet longitudini Lunæ in ſeptem horis, quæ fuit, ut habuimus gr.3. min.33.20. ſed non eſt par, verum major minutis 2. & 10. ſecundis. Quapropter aberratum eſt, & intervallum inter mediam & veram ſyzygiam adhuc majus eſt aliquot minutis. Si enim longitudo Lunæ minor eſt, quam æquationis ſumma vel reſiduum, tum tempori aliquid addendum eſt. Quando verò longitudo eadem major eſt, tum aliquid ſubtrahendum ex intervallo. *Quot autem minuta horæ intervallo huic addenda ſint, ſic diſco. Inquiro motum Lunæ horarium verum ad utramque Anomaliam Ad gr.12. Anomaliæ Solis in motu horario ſunt 5. addenda. Ad gr.19. Anom. Lunaris motus horarius eſt 28.19. Cui jungo 5. fit ergo motus horarius ad hunc gradum Anomaliæ verus 28.24. Jam dico, per regulam auream, min.28.24. dant horã unam, quid dabunt min.2.10. Quotius eſt.4.35. ſi legitimè dividas. Nam hora una non multiplicat, & res ſolâ diviſione peragitur, & 28.24. eſt Diviſor. Hinc concludo, veram ſyzygiam præceſſiſſe mediam horis 7. min.4. & 35. ferè. Ad hoc intervallum temporis jam motus medii ſuperius inventi diminuendi ſunt, ut habeamus motus æquales, qui veræ oppoſitioni luminarium conveniunt. Hora igitur 7. min.4.35. dant motum longitudinis à Sole, grad.3. min.35.40. Motus latitudinis ad hoc tempus erit grad.3.54.2. qui ſubtractus ex latitudine ad mediam ſyzygiam, dat latitudinem lunarem ſex.5.54. min.16.59. Motus Anomaliæ eſt, grad.3.51.8. qui ſubtractus ex Anomalia ad mediam ſyzygiam, relinquit ſex.5.19.31.3. Motus Solis æqualis & Anomaliæ ad hoc tempus, eſt minut. 17. 25. Ergo æqualis Solis erit, ſex.1. grad.26.8.20. Anomalia verò, Solis grad.12. min.34.26. Ad hoſce æquales motus jam æquationes iterum inquirendæ ſunt, ad utramq; Anomaliam eâdem methodo, ut antea. Et ad Anomaliam Solis quidem æquatio eſt 25.53. Subtrahenda æquatio verò Lunæ, eſt, gr.3. min.9.47. ad Hinc ſumma æquationum eſt, gr.3.35.40. Quæ ſumma cùm exactè conveniat cum motu Longitudinis à Sole, intervallum veræ & mediæ ſyzygiæ rectè eſt inventum: fit ergò vera oppoſitio hic Lipſiæ, ſi horas 7.4.35. ex die 22. Junii, fer.4. horis 3.13.20. ſubtraxero, die 21. Junii, fer. 3. horis 8. min.8.45. poſt meridiem. Sed Theſſalonicæ in Macedonia, ut ex catalogo Locorum patet, addenda eſt hora una & 6. min. & accidit poſt meridiem hor.9. min.14.45. Et cùm ibi Sol occidat poſt ſeptimam, min. 43. manifeſtum eſt eclipſin factam eſſe horã ſecunda noctis. Jam ut ſcias, in quo gradu fuerit Sol, in ipſa oppoſitione ſubtrahe æquationem Solis ex æquali motu Solis ad veram oppoſitionem & relinquitur gradus Geminorum 25. cum minutis 42.27. Si Lunæ gradum habere volueris, ſubtrahe primum motum longitudinis Lunæ à Sole graduum 3. min.35.40. ex tribus ſexag. Nam in oppoſitione Luna ſemper abeſt à Sole dimidio circulo ſive tribus ſex. & ſuperſunt ſex.2. gr.56. 24 20. Jam adde æquationem Lunarem, quæ eſt gr.3. 9.47. ſunt, ſexag.2.59.34.7. Tandem adde motum Solis æqualem ad veram ſyzygiam ſex.1.26.8.20. & conficies ſex.4. gr.25.42.27. Quatuor a. ſexagena efficiunt octo ſigna, & Luna eſt in nono ſigno Zodiaci, hoc eſt, in gr.25.42.27. Sagittarii, & ita exactè Soli oppoſita eſt. Motus autem Latitudinis ad veram ſyzygiam fuit ſex.5.54.16.59. Cui æquatio Lunaris jungenda eſt, fitque motus latitudinis ſex.5. gr.57.26. 46. Atque hactenus de hoc exemplo.*

Aſſumamus etiam alterum exemplum de eclipſi Solari: videtur enim inquiſitio intervalli inter veram & mediam ſyzygiam aliquid difficultatis habere. *In hoc igitur exemplo æquatio Solis vera, eſt, ut habuimus, grad.1.39.31. ſubtrahenda. Æquatio verò Lunæ gr.4. 52.46. iisdem ſubt. Cùm igitur titulis nominibus conveniant, minor æquatio ex majori eſt ſubtrahenda, & relinquitur reſiduum grad.3.13.15. Et quoniam æquatio Lunæ ſubtrahenda major eſt; Ergò ſecundum eam pronuntiatur, & proinde vera ſyzygia eſt poſterior.*

Ut jam de intervallo inter veram & mediam ſyzygiam pronunciare poſſim, abeo ad tabulam æquationis Lunaris, ad gradum anom.20. ubi invenio motum horarium 29.56. unde conjicio, intervallum futurum horarum 6. & min.28. circiter. Etſi autem labor aliquantum levatur, ſi per integras horas motus æquales colligendi ſunt: tamen in medio alicujus horæ, ut hic, non tutum eſt, tot minuta relinquere, & ad horas integras tranſire. Statuamus ergo intervallum eſſe horar. 6. & min.28. & ad hoc intervallum motum longitud. Lunæ & utriusq; anomaliæ inquiramus. Motus igitur Longitudinis Lunæ ad hoc tempus eſt gr.3. min.17.5. Anomaliæ Lunæ gr.3.31.13. Anom. Solis 0.15.56. Motus hi utriusq; Anomaliæ ad Anomalias mediæ ſyzygiæ addendi ſunt, cùm vera ſyzygia mediam ſequatur. Anomalia Lunæ fuit ſex.1 20.26.22. Erit ergo jam, ſex.1 23.56.35. Sic Anom. Solis fuit, gr.55.31.51. Erit igitur jam, ſex.0. gr.55.47.47. Ad utramq; Anomaliam inquirendæ ſunt iterum æquationes eâdem methodo ut antea, & abſoluta Solis æquatio hic erit gr.1.39.52. Æquatio verò Lunæ hoc modo erit gr.4. min.55.46 ſi minor à majore ſubtrahatur, ſuperſunt gr.3.15.54. ſed reſiduũ hoc 3.15.54. non æquat motum longitud. Lunæ à Sole: ea enim major eſt: Ideò & intervallum temporis majus ſumtis eſt, quàm debebat. Differentia a. eſt min. 1.11. Igitur inquiro motum horariũ Lunæ verum, qui quidem extat ad gradũ Anom.23. ſed eidem addenda ſunt tria ſecunda, ex Anomal. Solis: Ergo verus motus Lunæ horarius hoc loco erit min.30.7. quo motu divido min.1.10. & quotus erit 2.21. quæ minuta ſubtrahenda ſunt ex tempore, à nobis ſumto ex horis 6. min.28. & ſupereſt intervallum verum inter veram & mediã ſyzygiam, hor.6. min.25.39. Ad hoc tempus jam motus medii æquales ad mediam ſyzygiã inventi augendi ſunt, & erit motus longitudinis Lunæ a Sole gradus 3. 15. 54. Latitudo in eodem temporis ſpatio erit gradus 3 32 34. Anom. Lunæ grad.3.29.56. Æqualis verò Solis &

Anoma-

Anomaliæ, min.15.50. Hiſce motibus æquales motus ad mediam ſyzygiam augendi ſunt, cùm vera ſyzygia ſit poſterior, ut æquales motus ad veram ſyzygiam rectè habeamus. Erit igitur Latit. Lunæ. ſex.2.Gr.56.30.40. Anomalia vero Lunæ. ſeg.1.23.55.18. Æqualis Solis, ſex.2.6.2.29. Anom. Solis 0.55.47.41. *Jam iterum inquirendæ æquationes, ut veros motus habeamus. Æquatio ergò Solis eſt gr.1.39.52. Æquatio Lunæ, gr.4.55.46. Si minor æquatio, cum utraque ſit ejuſdem tituli, a majore ſubtrahatur; reſiduum erit, gr.3.15.54. quod exactè convenit cum motu longitudinis à Sole. Ergo intervallum inter mediam & veram ſyzygiam eſt rectè inventum.*

Notet hic Aſtronomiæ ſtudioſus, quòd in aliis tabulis Aſtronomicis concedatur, ut æquationis ſumma vel reſiduum aliquot minutis ſecundis à motu Longitudinis differre poſſit, modò differentia non ſit unius minuti primi, aliàs calculum iterandum eſſe. Contrà ad haſce tabulas affirmo, ſi differentia ſit major, quàm unius minuti ſecundi, vel ad ſummum duorum, aberratum eſſe in alculo, & eum iterandum. *Porro ſi æquationem Solis ſubtrahas ab æquali motu Solis, habebis locum Solis in gr.4.22.37. Leonis. In eodem loco etiam eſt Luna, adde enim ad integrum circulum, motum longitudinis Lunæ gr.3.15.54. Inde ſubduc æquationem Lunæ, gr.4.55.46. & ſupererunt ſex.5.58.20.8. Hiſce adde æqualem motum Solis ad ſyzygiam veram, qui eſt, ſexag.2.6.2.29. habebis locum eundem Solis in gradu 4.22.37. Leonis. Motus Latitudinis autem Lunæ, ſi æquatio Lunaris ſubtrahatur, eſt ſexagen.*2.51.34.54. Atque hæc de intervallo inter veram & mediam ſyzygiam inveniendo.

CAPUT VI.

De Eclipſibus Lunaribus computandis.

HUc uſque conveniunt rationes de eclipſibus Lunaribus & Solaribus computandis, in motibus ſcil. æqualibus colligendis in iiſdem æquandis, & in intervallo inter veram & mediam ſyzygiam definiendo: & qui hæc computare poterit, in reliquis minùs laborabit. Differunt autem, ſi ulteriùs progrediamur, in Epilogiſmo, eclipſes Lunares à Solaribus, & harum computandarum ratio multò eſt difficilior propter doctrinam Parallaxium: ideo de eclipſibus Lunaribus primùm eſt dicendum. Prius autem quàm rem aggrediaris, cognoſcendum, an futura ſit eclipſis Lunaris; quod certum erit, ſi motus latitudinis conſiſtat prope nodum, vel evehentem vel deſcendentem, intra gradus quindecim ferè, ut videre eſt in tabula octava, quæ ad eos gradus latitudinis confecta eſt, ubi eclipſis fieri poteſt; & quo propior motus latitudinis fuerit nodo in eclipſibus Lunaribus, eò major futura eſt eclipſis: & eclipſes Lunares, ubicunq; locorum, eâdem quantitate apparent, quod non ſit in Solaribus. Porrò in eclipſibus Lunaribus computandis nulla eſt difficultas, cùm tabulæ præſcriptæ earundem rationem apertè oſtendant.

Primum autem omnium cum motu latitudinis, ſuperiori capite æquato, pergendum eſt ad tabulam octavam, quæ eſt veræ latitudinis Lunæ: & inde vera latitudo ſumenda. Inde cum Anomalia Lunæ ingrediendum ad tabulam nonam ſemidiametrorum Lunæ plenæ, & umbræ; & quidem ſemidiameter Lunæ ad anomaliam ſimpliciter accipitur, ſed umbra corrigenda eſt ad anomaliam Solis, ex variatione umbræ, quæ ſemper ſubtrahenda eſt. Poſtea ſemidiameter Lunæ, & umbræ, ſimul adduntur, & ex ſumma vera latitudo ſubtrahitur, & ex reſiduo digiti ecliptici eruuntur, hac proportione: ſemidiameter. Lunæ, qualiſcunque ſit, dat digitos eclipticos ſex, quid dabit illud reſiduum? atque ita res peracta eſt. Quòd autem digiti duodecim in Luna vel Sole ineſſe dicuntur, id ea de cauſa fit, quod & Luna & Sol cenſentur pedali magnitudine, & cum Geometræ pedem dividant in duodecim uncias ſive digitos, Aſtronomi id imitati ſunt.

Sed exemplo res docenda eſt. Sumamus ergo Eclipſin Lunæ, an.3782. *cujus motum Latitudinis æquatum, ut & alia ſuperiori capite propoſuimus. Motus is fuit, ſex.5.57.26.46. Ad hunc motum quæro veram latitudinem in tabula octava, ubi in prima ejus parte habentur ſexag.5. inde ad gr. 57. pergimus, & min.20. ubi latitudo vera eſt min.13.56. ſed quoniam ſuperſunt min.6. & 46. ſecunda, quid ipſis etiam tribuendum ſit, videndum eſt. Differentia decem min. ut vides in comparatione, eſt, min. ſec.52. Dicas igitur: Decem minuta ſubtrahunt ex verâ latitudine ſec.52. quid ſubtrahent 6.42. Si hæc per 52. multiplicaveris, & per 10. diviſeris, habebis min. ſecund.35. quæ ex min. 13.56. ſunt ſubducenda. Latitudo enim vera decreſcit, & reſtat latitudo vera Lunæ min.13.21.*

*Jam abeamus ad ſequentem tabulam, quæ eſt de ſemidiametris, ad Anomalias. Fuit a. Anom. Lunæ ſexag.1.23.55.18. quam quidem exactè non invenio, ſed vicinam: ſex. ſcil.1.14. ubi Lunæ plenæ ſemidiameter eſt 16.54. Semidiam vero umbræ 44.31. Sed ſemidiam. umbræ ſemper corrigitur ad variationem umbræ, ex Anomalia Solis. Anom. Solis autem fuit gradus.55.47.41. qui gradus quidem non invenitur, ſed vicinus 56. ubi variatio umbræ eſt 16. quæ ex ſemidiametro umbræ ſubtrahenda ſunt, & reſtant minut.44.15. quæ ſemidiametro Lunæ addita, faciunt in una ſumma 61.9. Ex qua jam ſubtrahenda eſt vera latit. Lunæ 13.21. & reſtant ſcrupula reſidua 47.48. ex quibus digiti ecliptici eruuntur, hoc modo. Semidiameter Lunæ 16.58. exhibet digitos 6. quot dabunt 47.48. Et productum erit digitor.16. min.*58. Atque ita hæc eclipſis inventa, & ad calculum revocata eſt: & hæc de eclipſi ſcire ſatis eſt Chronologo, quem hic informare conamur. Sed requiret fortaſſis etiam Aſtronomus tempus durationis, & moram Lunæ in umbra; id igitur hic etiam oſtendamus. Aſtronomi autem non monſtrant ſimul & ſemel totum durationis tempus: ſed tantùm ejus dimidium, quod vocant tempus incidentiæ, quo incidit Luminare in eclipſin, vel etiam tempus incrementi. Unde tota duratio facilè haberi poſſit, cùm tempus incrementi, & poſtea decrementi habeantur pro æqualibus. Invenitur autem hoc modo: Multiplico ſummam diametrorum in quadratum, inde etiam latitudinem veram in quadratum, & hoc quadratum ex illo ſubtraho, ex reſiduo extraho radicem quadratam, quam divido per motum Lunæ horarium, & prodibit tempus dimidiæ durationis.

Exempli gratia, hic ſumma ſemidiametrorum eſt 61.9 ſive 1.19. quæ in ſe multiplicata, dat 1.2.19.21. Latit. autem Lunæ 13,21. in ſe ducta exhibet 2.58.13.21. quæ ex illo quadrato ſubducta, relinquunt 59.21.6.0. quorum radix eſt.59.39. quæ diviſa per motum horarium, qui eſt, ut ſupra habuimus, 28.24. exhibet horas duas & mi.6. Unde concludimus totam eclipſin duraſſe hor. 4. min.12. & cœpiſſe Theſſalonicæ paulò antequam exoriretur Luna, hor.7. & min.8.45. deſiiſſe autem horâ 11. & min.20.45. Ut etiam moram Lunæ in umbra habeas, aufer ſemidiametrum Lunæ ex ſemidiam. umbræ, 16.

bra 16.54.ex 44.15.& reſtant 27.21. Hæc multiplica in quadratum, fient 12.28.1.21.& deinde quadratum Latitudinis veræ, quod fuit 2.58.13.21.ex illo ſubtrahe, & reſtabunt 9.29.48.0.cujus radix quadrata eſt 23.52.quæ diviſa per motum horarium 28.24.dat minut.50.24.atque hæc eſt dimidia mora. Morabitur igitur Luna in umbra, integra hora & minut.40.48. Atque hæc etiam eſt doctrina de eclipſibus Lunaribus computandis, quæ difficilis non eſt, cùm ex uno exemplo, quævis alia computari poſſit.

CAPUT VII.

De eclipſibus, quæ in Sole accidunt, computandis.

ECliplis in Sole nulla fit in Europa, ſi latitudo Lunæ ſit Auſtralis. Deinde etiamſi Latitudo Lunæ vera ſit Septentrionalis, & etiam propè nodum, non tamen nimis vicina nodo; tamen cùm Parallaxis Lunæ, quæ ſemper in Auſtrum vergit, & detrahit latitudini lunari, incerta ſit, non ſemper affirmari certi quid poteſt de futura Solis eclipſi, ſed ſæpè fruſtra hic labor ab Aſtronomis ſuſcipitur, niſi ſint exercitati, qui parallaxin latitudinis, & interdum etiam longitudinis modicè tentant, & quid ſperandum ſit, inde conjiciunt. Quatuor autem ad Eclipſin Solis computandam requiruntur. 1. Motus latitudinis æquatus: 2. Locus Solis in Zodiaco: 3. certa hora diei cum min. quibus accidit, & 4. tandem Elevatio Poli certa. Quod ad elevationem Poli attinet, propoſuimus tantùm unicam tabulam ad elevationem Poli grad.49. ad hanc igitur elevationem eclipſin unam atq; alteram computabimus; eadem enim eſt ratio omnium. Reliqua, ut motum latitudinis æquatum in noſtro exemplo habemus, Locum item Solis, & horam certam; Attamen cùm hoc noſtrum exemplum videatur initio difficilius, præponemus ipſi aliud, in quo répetemus ea, quæ hactenus dicta ſunt, de motibus æqualibus colligendis, de iiſdem æquandis, & de intervallo inter veram & mediam ſyzygiam ſtatuendo. Inde reliqua, quæ huc pertinent peragemus, quod ſtudioſis nec ingratum, nec inutile futurum ſperamus.

Sumamus autem eclipſin Solis, quæ accidit poſt Chriſtum natum anno æræ Chriſtianæ 939. die 19. Jul. Anno 4. imperatoris Ottonis primi, horâ diei tertia, ut habet Hepidanus monachus S. Galli; anno item 4. Ludovici regis Galliæ, ut habet Chronicon Belgicum, & viſa fuit in Hiſpania, antequam Ranimirus rex prælium committeret cum Saracenis, qui ſpem ſibi certam inde conceperant victoriæ, quòd Luna Solem obſcuraſſet: ſed Ranimirus nihilominus ingentem victoriam obtinuit, & hoſtium ad octoginta millia cecidit. Eodem item anno jus Saxonicum ab Ottone Imperatore Magdaburgi confirmatum eſt. Ad hunc igitur Annū 939. motus medios ad Novilunium menſis Julii inquiramus. Numerus annorum proximè minor, quàm 939. in ſecunda parte tabulæ eſt 915. qui ſubductus ex 939. relinquit reſiduum 24. Ibi numeri ſubtrahendi ſunt, dies 15. fer. 4. hor. 14.9.21. Cyclus Solis 8. Hic verò ad annum reſidui ſunt dies 97. fer. 4. hor. 20.44.5.6. Cyclus Solis 4. Si illa ſubtrahantur, relinquitur Novilunium Paſchale, die 82. à Cal. Jan. fer. 7 hor. 6.55.34. à media nocte, cyclo Solis 24. Etſi quatuor Novilunia addidero, tum accidet Novilun. die 19. Jul. fer. 6. hor. 9.31.43. à media nocte. In reliquis tabulis omnes hi tres numeri, ut annus 915. in ſecunda parte tabulæ, annus 24. in prima parte, & quatuor Novil. ſimul ſumantur, cùm res ſola additione peragatur; & habebimus latit. Lunæ ſex.0.gr.6.9.0. Anom. Lunæ ſex.2.48.30.55. Æqualem Solis motum ſexag.2.1.21.32.& Anom. Solis ſex.0.33.57.52. Jam venabimur æquationis Solis & Lunæ ex 6.& 7. tabula. Et æquatio Solis eſt, grad.1.6.50. ſubt. Lunæ verò 1.1.17. ſubt. Et quoniam eundem titulum habent, ergò minor à majore eſt ſubtrahenda, & ſuperſunt 5.33. & quoniam æquatio Solis ſubtrahenda major eſt, ideo ſecundum illam pronunciatur, & vera conjunctio prior eſt min.5.33. quæ in tempus per motum Lunæ Horarium, qui in una ſumma eſt, 23.27. converſa, intervallum veræ & mediæ conjunctionis produnt, min.9.57. Ad quæ motus æquales ad mediam conjunctionem diminuendi ſunt, cùm vera præcedat. Eſt igitur longit. Lunæ à Sole 5.3. Latit.5.29. Anom.5.25. æqualis Solis & Anom.24. ſecunda. Motus longitudinis jam ita manet, ſed reliqui ex mediis motibus ſubtrahuntur, ut & tempus. Ergò vera conjunctio fit hic Lipſiæ: 19. Jul. fer. 6. hor. 9.21.52. Latitudo Lunæ eſt, 0.6.3.31. Anom. Lunæ 2.48.25.20. Æquato Solis 2.1.21.8. Anom. Solis 0.33.57.28. Æquationes ad utramq; Anomaliam ſunt, Solis quidam 0.6.49. ſubt. Lunæ 1.0.1.46. ſubt. & hæc æquatio Lunæ ex æquatione Solis ſubtracta, relinquit 5.3. Idq; convenit ad motum longitudinis Lunæ à Sole; ergò tempus eſt rectè inventum. Motus latitud. Lunæ jam æquatus, eſt, 0.5.1.45. Verus Locus Solis in initio Leonis & min.14.19. quæ tutò omitti poſſunt in Chronologicis. Accidit in Helvetia, vel potius Argentinæ, ubi adhuc min.21. ſubtrahenda ſunt, horâ 9.0.52. poſt mediam noctem. polo ferè 49. Habemus igitur, quæ ad eclipſin Solis inquirendam neceſſaria ſunt. Ergò cum loco Solis, qui eſt principium Leonis, abeo ad tabulam Parall. & cùm vera conjunctio fiat in parte Orientali ante ſyllabam No. concludo viſam conjunctionem priorem eſſe.

Hic jam alii Aſtronomi jubent ut ſtatim ubi vera conjunctio fit, ad horam ſcilicet nonam & 52. ſecunda, ad locum Solis inquiram, diſtantiam à vertice, latus longitudinis & latitudinis, item Parall. Inde iterum ad præcedentem horam, ad eadem minut. idem faciendum præcipiunt, & tertio ad tempus viſæ conjunctionis, quare doctrinam hanc infinitis difficultatibus involvunt, nec tamen certo tempus definire poſſunt. Ergo multo uſu edoctus, aliam methodum hujus rei paulò faciliorem inveni, quam ſtudioſis hic communicabo. Ergò ſi in tabula illa ad horam 9. pervenero, conſidero obiter longitudinis latus, an majus vel minus ſit motu horario Lunæ, ut hoc loco latus longitudinis eſt min. 48. horarius vero eſt tantùm 33.27. Conjicio igitur hinc, viſam conjunctionem, priorem futuram integrâ horâ circiter, ideo ad Parall. longitudinis & latitud. eruendas non ſumo hor.9. vel aliud tempus intra illas horas, ſed integram horam præcedentem, 8. ſc. ubi diſtantia à vertice eſt, gr.55.16. Latus longit.49.48. Latus latit.33.27. ac ita nullâ parte proportionali opus eſt, quæ Aſtronomos aliàs miſere fatigat. Statim igitur cum diſtantia à vertice 55.16. in tabula 11. ſumo Para'. Solis 2.26. Inde ut habeam Parall. Lunæ communem, neceſſe eſt ut adhibeam Anom. Lunæ; ut ſciam, ex quo ordine Parall. Lunæ ſumenda ſit. Eſt a. Anom. Lunæ 2.48.25.20. quam non ita exactè invenio in fronte tabulæ, ſed vicinas ambas. Sexag.3.& ſex.2. cum gr.30.& hæc noſtra inter illas media incidit: Parte igitur proportionali utendum, & videnda differentia inter Parall. utriuſq; loci. Duæ igitur ſexag.& grad.30. habent 51.28. ſed ſexagena tres habent 52.gr.7. ubi differentia eſt, 39. Noſtra anom. major eſt, quàm 2. ſexag.30.gr. 18. ut jam omittamus min.25.20. Dico igitur, 30. gradus addunt 39. quid addent 18. vel ſi ſuperſedere

voluerit

vitaveris labore diviſionis, duplica gradus 18. & dic: integrum ſignum augetur min. 39. quantum augebit minut. 36. factus erit 23. quæ ad 51. 28. addenda ſunt, & fient 51. 51. Ulterius, quoniam & min. 16. adhærent diſtantiæ a vertice, video differentiam ſequentis gradus, quæ eſt itidem 39. dico igitur, integer gradus auget minut. 39. quid augent 16. factus 10. quæ itidem addenda ſunt, & erit Parall. Lunæ 52. 1. hinc ſemper ſubtrahenda eſt Parall. Solis 2. 26. & ſupereſt Parall. Lunæ ſola 49. 35. Ex hac Parall. & lateribus longitudinis & latitudinis venaberis veras Parall. longitudinis & latitudinis hoc modo: Latus longitud. eſt 49. 48. Dic igitur integer gradus dat Parall. 49. 35. quid dabunt 49. 48. Factus erit 41. 9. Sic etiam cum latere latitudinis age, quod eſt 33. 27. Dic: integer gradus dat. 49. 35. quid dabunt 33. 27. & vera Parall latitud. erit 27. 39.

Jam vero etiamſi hæc habeo, tamen neſcimus an medium eclipſis eo ipſo tempore horæ 8 viſum fuerit: id cognoſcere poſſumus ex motu Lunæ horario. Nam neceſſe eſt, ut in vero tempore viſæ conjunctionis motus etiam longitudinis Lunæ à Sole, exacte cum Parallaxi longitudinis conveniat. Vera conjunctio autem, ut habuimus, accidit poſt horam 9. min. 2. 52. atq; ita abeſt integra hora, & min. 2. 52. ab 8. horâ: ut jam motum Lunæ habeam, dico: Luna evehitur a Sole in una hora minut. 33. 27. quantum in min. 2. 52. Factus erit 29. quæ addita ad motum Lunæ horarium, oſtendunt evectionem Lunæ, eſſe horæ 8. min. 33. 56. Sed Parall. longitudinis longè major eſt, & Luna tot minuta non attingit; unde concludo, viſam eclipſin accidiſſe adhuc ante horam 8. Cùm vero neceſſe ſit in Parall. inveſtigandis, ut duabus nitar hypotheſibus, deſumtis ex iis horis, inter quas viſa eclipſis incidit; videt candidus lector, fruſtrà fuiſſe, ſi ad horam etiam nonam Parall. inveſtigare voluiſſem, cùm eclipſis non incidat intra horam 8. & 9. ſed inter evectionem Lunæ & Parall. longitudinis, quæ eſt 7. 13. ex hac differentia poſtea verum tempus eruemus. Jam ad horam 7. accedamus, ubi diſtantia a vertice eſt 65. 4. Latus longit. 50 9. latitudin. 32. 57. Inde ad diſtantiam à vertice in tabula undecima ſumo Parall. Solis 2. 42. Parall. Lunæ a. ſumo ex eodem grad. ſed ex alio ordine, ſecund. Anomaliam Lunæ, ut antea, ubi inter ſex. 2. 30. & ſex. 3. differentia eſt min. 41. Dico igitur, ut antea, integrum ſignum dat min. 2. 41. quid dabunt 36. Factus erit 25. quæ addo ad Parall. ſex. 2. 30. quæ eſt 56. 46. & erit Parall. 57. 11. Quoniam etiam diſtantiæ à vertice adhærent mi. 4. video differentiam ſequentis gradus, quæ eſt ſecund. 27. & dico, unus gradus dat 27. quid 4. mi. Factus erit duo ferè ſecunda, quæ addita faciunt Parall. 57. 13. ex qua jam ſubducitur Parall. Solis 2. 42. & reſtant 54. 31. ex qua eruo veras Parall. longitudinis & latitudinis, ut antea. Dicoq; integer gradus exhibet Parall. 54. 31. quid dabit latus longitud. 50. 9. Factus erit 45. 34. Ita latus latitudinis dabit. 29. 56.

Videamus etiam evectionem Lunæ, quanquam hæc hoc loco non requiritur: ea cùm ad horam 8. fuerit 33. 56. & addendus ſit adhuc motus horarius 33. 27. erit 67. 23. ubi vides evectionem Lunæ longè ſuperare, & ſpatium temporis inter veram & viſam ſyzygiam ad horam 7. longè majus ſumtum eſſe, quàm fieri debebat, neceſſe tamen fuit hoc ſpatium ſumi, ut verum tempus viſæ conjunctionis eruatur. Jam Parall. inter ſe conferantur. Parall. longitudinis ad horam 8. fuit 41. 9. Hic eſt 45. 34. & differentia eſt 4. 25. quæ differentia innuit, viſum motum horarium minorem eſſe vero motu min. 4. 25. & hæc minuta ex vero ſubtrahenda eſſe, ut habeamus viſum motum horarium, qui erit 29. 2. Hic motus viſus oſtendit nobis verum tempus viſæ conjunctionis, ſi dividas differentiam evectionis Lunæ & Parall. longitudin. ad octavam horam, quæ differentia fuit 7. 13. quæ diviſa per motum horarium viſum 29. 2. dat quotum 14. 55. & oſtendunt, viſam conjunctionem præceſſiſſe horam octavam minut. 14. 55. Sive poſt hor. 7. minut. 45. 5. hoc eſt, hor. 3. poſt Solis exortum, unde concludo, intervallum veræ & viſæ conjunctionis eſſe hor. unam min. 15. 47. Evectio Lunæ ad hoc tempus, ſi dixero, hor. una dat 33. 27. quid dabunt min. 15. 45. eſt in una ſumma, 42. 15. Parall. long. invenitur ſi dixero, hor. una auget Parall. latitud. minut. 4. 25. quantum augebit in min. 14. 55. Factus erit 1. 6. qui additus ad Parallaxin longitud. ad hor. 8. dat. 42. 15. atque ita planè convenit ad evectionem Lunæ: & tempus viſæ conjunctionis exactè inventum eſt. Evenit interdum, ut differentia unius min. 2. inter evectionem Lunæ & Parall. longitud. incidat; ſed id ſemper caveri non poteſt, propter multas cauſas; ſed ſi eſſet binorum ſecundorum, aut amplius, tum certum eſt, vitium in calculo accidiſſe. Parall. latitudinis eruo per differentiam ad utramque horam. Ad hor. 8. fuit 27. 39. Hic ad 7. eſt 29. 56. differentia utriuſque eſt 2. 17. quibus in una hora crevit. Ergò dico, Parall. latitud. creſcit in una hora min. 2. 17. quantum creſcit in min. 14. 55. Factus erit 34. ſecunda, quæ addo, & erit Parallax. latitudin. 28. 13.

Jam redeundum ad latitud. Lunæ æquatam, quæ fuit gr. 5. 1. 45. Cæterùm, quoniam conjunctio viſa hic prior eſt vera, integra hora ac 15. 47. min. ſubtrahenda eſt latitudini æquatæ non ſolùm evectio Lunæ, ſed inſuper etiam motus æqualis Solis in horâ unâ & min. 15. 47. qui eſt 3. 7. qui motus conjunctus cum evectione lunari, dat 45. 22. ſubtrahenda, & reſtat motus Lunæ iterum æquatus ad viſam conjunctionem 4. 16. 23. cum quo motu abeo ad tabulam veræ latitudinis, ad grad. 4. & min. 10. ubi invenio latitud. veram 21. 46. unde quoniam ſuperſunt min. 6. 23. dico, 10. minuta augent latitudinem min. ſecundis 52. quantum augebunt 6. 23. Factus erit 39. quæ addenda ſunt & erit vera latitudo ſeptentrionalis 22. 25. quæ ſubtracta eſt Parallaxi latitud. relinquit viſam latitudinem Auſtralem 5. 48. Jam neceſſe etiam eſt, ut habeamus, ſemidiametros Solis & Lunæ ad ſuas anomalias. Anomalia Solis fuit 0. 33. 55. quæ dat ſemid. 15. 5. Anom. Lunæ 2. 48. dat 16. 10. quarum ſumma eſt 31. 15. Inde ſubtraho latitud. viſam 5. 48. & relinquuntur ſcrupula reſidua 25. 27. ex quibus eruuntur digiti eclipticì, ſi dixero, ſemidiam. Solis 15. 5. dat digitos. 6. quid dabunt 25. 27. Factus erit, dig. 10. minut. 7.

Jam ut ſciam etiam tempus incidentiæ, quando eclipſis cœperit, ſummam ſemid. multiplico in quadratum, ita & latitud. viſam, ſed hoc quadratum ex illo ſubtraho, & ex reſiduo radicem quadratam eruo, quæ eſt 30. 42. quam divido per motum horarium viſum 29. 2. & habeo tempus incrementi, horam unam min. 3. 26. & eclipſis cœpit, poſt horam 6. min. 41. 39. ut autem certus ſis de tempore emerſionis, quod aliquando differre ſolet à tempore incrementi, neceſſe eſt, ut habeam etiam Parall. longitudinis ad horam ſequentem, quæ hic eſt 9. quæ quidem eſt 34. 20. & differt ab ea, quæ fuit 8. horâ min. 6. 49. & motum horarium viſum procreat, ſi ſubtrahatur 26. 38. quo motu divido eandem radicem quadratam 30. 42. & prodit tempus hora 1. cum min. 9. 9. atq; ita planè liber erit Sol, 6. min. ferè ante hor. 9. Atq; ita, quanta potuimus perſpicuitate tradidimus rationē calculi in hac eclipſi eruenda.

Com-

Computabimus jam & alterum exemplum, eclipſin videlicet Solis, quæ accidit primo anno belli Peloponneſiaci, anno Mundi 3519. quod perduximus antea uſque ad Parallaxes inveniendas. *Habemus igitur in promptu latitudinem æquatam 2.51.34.54. Locum item Solis, gr.4.23. ferè Leonis. Horam, qua Lipſiæ accidit 4.22.52. poſt meridiem. Debebamus jam eam reducere ad meridianum Corinthiacum, in cujus vicinia viſa eſt, & ad ejus elevationem Solis, quæ eſt grad.37. ſed quoniam deſtituimur iſtis tabulis, inquiremus Parallaxes haſce ad polum 49. ſed ad meridianum Tranſylvaniæ, qui vicinior eſt Græciæ, quàm Germaniæ; ubi addenda ſunt minuta 30. ut ita vera conjunctio in Tranſylvania facta ſit die 3. Auguſti, fer.4. horis 4.52.52. poſt meridiem.*

Jam verò, cùm Locus Solis ſit in gr.4.23. ferè Leonis, & non in principio illius ſigni; & verò tabulæ illæ tantùm conveniant initio ſignorum, intelligit ſtudioſus hujus ſcientiæ, initium hujus Signi cum ſequente Virginis conferendum eſſe, & ex differentiis eorundem diſtantiam à vertice, latus longitudinis & latitudinis eorundem: ideo labor in hujusmodi caſu, augetur, Aſtronomis, quibus conſuetudine is levior fit, quod & alibi in computandis hiſce eclipſibus hujusmodi pars proportionalis eruenda frequentiſſimè occurrat. Sed rem aggrediamur.

Quoniam vera conjunctio circa horam 5. accidit, contemplor ibi latus longitud. quod eſt 30. minut. unde conjicio, intervallum inter veram & viſam conjunctionem poſterius futurum integra hora circiter. Hora enim quinta ſequitur ſyllabam No. Propterea parallaxes ad hor.6. poſt meridiem inquiramus. In Leone invenio diſtantiam à vertice 74.47. latus longit.30.26. Latus latit.51.43. Sed in virgine diſtantia à vertice eſt gr.81.17. latus longit.21.19. latit.56.5. ſubtractione jam minoris numeri à majore, eruuntur differentiæ, & differentia à vertice eſt 6.30. longit.9.7. Latit.4.22. Jam dico, 30.gr. dant 6.30. quid dabunt reliqua? ſive ut diviſionis labore ſubleveris, conduplica, gradus illos 4.23. & fiunt 8.46. & dic integrum Signum dat 6.3. quid dabunt minut.8.46. & Factum eſt 57. ſecunda, quæ ad diſtantiam in Leone addenda eſt, quia diſtantia creſcit, eritque hoc modo, 75.44. Sic in aliis, in longitudinis latere & latit. faciendum, ut integrum ſignum minuitur in latere longit.9.7. quantum minuetur per 8.46. Factus erit 1.20. qui ex 30.26. ſubtrahendus eſt, eritque latus longit.29.6. Sic age cum latere latit & ſi cum ea creſcat, erit 52.21. Atque hæc eſt illa difficultas peculiaris, de qua antea dixi. Reliqua peraguntur, ut in priore exemplo. Ingreſſus igitur tabulam undecimam cum diſtantia à vertice 75.44. invenis Parallaxin Solis 2.51. ut verò & Parallaxin Lunæ habeas, aſſumenda eſt Anom. Lunæ.1.23.55. ſive 1.24. hocque ſatis eſt Chronologo, & hæc anom. quidem non invenitur in tabula, cùm incidat in ſexagen. ſolam, & ſexagen. cum 30. grad. Ideò iterum pars proportionalis ſumenda ex differentia horum duorum locorum, quæ eſt 2.22. Ideò dico, integrum Signum creſcit min.2.22. quantum addent min.48. duplum enim ſumendum hoc loco, ſi diviſionis labore ſublevari vis, & Factus eſt 1.54. fitq; Paral. Lunæ 55.31. ſed quoniam min.44. diſtantia à vertice adhæreat, videnda eſt differentia ſequentis gradus perpendiculariter, quæ eſt 14. ſi cum integer gradus auget min.14. ergo min.44. augebunt min.10. quæ ſimiliter Parallaxi Lunari jungenda ſunt, & erit hic Parall. Lunæ 55.41. à qua tum Parallaxis Solis ſubtrahitur, & relinquitur ſola Lunæ Parall.52.50. Inde ſume tibi Parall. longitudinis & latitud. ut antea: integer ſcil. gradus dat parallax. longit.52.50. quid dabit 29.6. Factus erit 25.37. Sic age etiam cum latitudine, & Factus erit 46.6. Parall. latit. Videamus etiam evectionem Lunæ ad hanc horam. Eſt autem motus horarius 30.7. & cùm intervallum hic veræ & viſæ conjunctionis fecerimus horæ unius, min.7.8. evectio Lunæ erit 33.42. quæ ſuperat parallaxin longit.25.37. min.8.5. Quoniam autem evectio excedit, intervallum majus eſt, quam debebat, & viſa conjunctio contingit adhuc ante ſextam.

Cùm igitur ex duabus hypotheſibus tempus viſæ eclipſis eruendũ ſit, aſſumamꝰ etiam parallaxes, & alia ad hor.5. quam in initio ſumere non audebam, cùm incertus eſſem, annon & poſt ſextam horam accidere poſſet.

Numeri ad quintam horam pomeridian. in Leone ſic ſunt Diſtantia à vertice eſt 65.4. Latus longit.31.46. latit.50.4. In virgine diſtantia à vert.71.28. latus longit.21.40. latit.55.57. Differentia diſtantiæ à vertice eſt 6.24. longit.10.6. Latit.5.3. Si jam dixero, Signũ integrum auget diſtantiam à vertice 6.24. quantum augebunt min.8.46. Factus erit 56. quibus augetur diſtantia in Leone, eritq; jam 66.0. Sic in longitudine ſignum dat 10.6. quid dabunt 8.46. Factus erit 1.28. quibus longitudo in Leone minuitur, fitque 30.18. Sic factus ex 5.3. differentia latit. eſt 44. quibus augetur latitudin. latus in Leone, eritq; 51.38. Jam ad gradum diſtantiæ à vertice 66. eſt parall. Solis 2.43. Contra in anomalia lunari differunt loca 2.14. Si ergò dixero, integrum Signum dat 2.14. quid dabunt minuta 48. Factus erit 1.47. qui additur ad 50.50. fiunt 52.37. unde ſubtrahenda parall. Solis 2.43. reſtant 49.54. Ergo ſi dixero, gradus integer, vel etiam 60. gradus dant 49.54. quid dabit latus longit.30.18. Factus erit 25.12. parall. longit. ad hor.5. Sic eadem methodo latus latitud.51.38. Parallaxin latitudinis dabit 42.51.

Jam conferantur Parallaxes, parall. longit ad hor.5. eſt 25.12. ad hor.6. verò 25.37. differentia eſt 0.25. ſic Parall. latit. ad horam quintam eſt 42.51. ſed ad ſextã horam eſt 46.6. ubi differentia 3.15. Motus horarius viſus, ſi ſecunda 25. ex vero motu ſubducantur, ex 30.7. erit 29.42. Hoc motu divide differentiam, quæ fuit inter evectionem Lunæ, & Paral. longit. ad horam ſextã 8.5. & prodit intervallũ temporis, quo viſa conjunctio horam ſextam prævertit, min. ſc.16.19. & ſic poſt quintam min.43.41. & intervallum inter veram & viſam copulatã eſt minutor.50.49. Evectio Lunæ ad hoc tempus eſt 25.30. Si dixero, hora una dat 30.7. quid dabũt 50.49. Parall. verò longitud. una hora minuitur 25. ſecundis quantum in min.16.19. Factus eſt 7. qui detractus ex 25.37. relinquit Parallaxin æqualem evectioni 25.30. atq; indicat tempus rectè inventum. Porrò differentia latit. fuit 3.15. Ergo in min.16.19. erit 0.53. quæ detracta ex 46.6. ad horã ſextam relinquit verã Parall.45.13. Latit.6. ad veram conjunctionem æquata, fuit ſex.2.51.34.54. Sed ad rationem temporis, quo ſerior fuit viſa conjunctio, ad 50.49. min. motus æqualis Solis eſt 2.5. Evectio verò Lunæ fuit 25.30. ſumma 27.35. quæ motui æquato latitud. addenda ſunt. Erit igitur jam motus latitud. ſexag.2.52.0.29. Vera autem latitudo ad viſam conjunctionem 41.45. quæ ſubtracta ex Parallaxi latitudinis relinquit viſam latitud.3.28.

Videamus & diametros Solis & Lunæ; Semidiam. Solis eſt 15.13. ut & ſemid. Lunæ: ſumma itaq; ſimul 30.26. ex quib. latit. viſa ſubtracta, relinquit ſcrup.26.58. quæ multiplicata per ſenarium, & diviſa per Semidiã. Solis, exhibent digitos eclipticos 10.37. Si elevationem 37. habuiſſemus in tabulis, ea oſtendiſſet, in Græcia hanc eclipſin, majorem fuiſſe. Tempus incrementi invenitur, ſi ſummam ſemid. multiplices in quadratum, quod eſt 15.26.11.16. & viſam latitudinem ſimiliter in

quadratum

quadratum 12.1.4. quòd ex illo ſubtractum, relinquit 15.14.10.12. Cujus radix quadrata eſt 30.14. quæ diviſa in motum viſum 29.42. dat tempus incrementi, horam unam, min. 1.4. Si etiam decrementum in hâc eclipſi habere velles, inquirenda eſſet parallaxis longitudinis ad horam ſeptimam poſt meridiem, ut haberes viſum motum horarium, quo radix hæc dividenda eſſet; id quod Aſtronomo quidem neceſſarium eſt, Chronologo verò ſuperfluum.

Atque hæc eſt doctrina de tempore Aſtronomico & computandis eclipſibus, quibus tota Chronologia ferè regitur. Reſtat ut & extra Syzygias luminarium harum tabularum uſum in definiendis locis Luminarium oſtendamus. Idque faciemus unico exemplo, cùm nulla difficultas in hac re inſit. Suetonius ſcribit, Domitiano Imperatori prædictum fuiſſe, caveret, ne cruentaretur die 18. Sept. à Luna, quæ eſſet in ſigno Aquarii; ſed cavere id Domitianus non potuit, & interfectus eo ipſo die fuit, paulò ante meridiem. Dicimus, hoc accidiſſe anno æræ Chriſtianæ 96. *Inquiramus ergò motum Lunæ ad hunc diem, ad horam decimam à mediâ nocte, die 18. Sept. Novilunium paſchale hujus anni incidit in diem 12. Martii, fer. 7. hor. 19.1.31. Cyclo Solis 21. Lunæ 2. Huic novilunio, ſi addidero plenilunia ſeptem, tunc plenilunium menſis Sept. accidit die 20. Sept. fer. 3. hor. 17.47.51. poſt mediam noctem. Differentia hujus plenilunii & diei, quo Domitianus interfectus eſt, colligitur binorum dierum & horarum ferè octo. In plenilunio autem, ut notum eſt, Luna diſtat à Sole dimidio circulo, ſive tribus ſexagenis: motus igitur longitudinis Lunæ à Sole in primâ tabulâ ad binos dies, & horas octo inventa, quæ facit gradus 28.26.42. ex hiſce tribus ſexagenis ſubtrahenda eſt, & relinquitur motus longitudinis Lunæ à Sole. Sexag. 2. 31.33.18. Jam requiritur & Anomalia Lunæ, quæ ad hoc plenilunium colligitur 2.22.29.32. Ex quâ itidem ſubtrahendi ſunt dies bini, & horæ octo, hoc eſt, gradus, ut in tabulâ habes, 30.29.6. Supereſt ſexag. 1. 52.0.26. Tandem aſſumitur etiam æqualis motus Solis ad hoc plenilunium 2.58.1.7. ex quo ſubtrahendi ſunt dies 2. hor. 8. hoc eſt gradus 2.17.59. ſuperſunt ſexag. 2.55.43.8. atque hi ſunt motus neceſſarii, ad locum Lunæ in Zodiaco inveniendum: ut jam verum locum Lunæ habeas, aſſumenda eſt æquatio Lunæ ad Anomaliam in ſeptimâ, quæ eſt 4.39.42. ſubtrahenda ex motu longitudinis Lunæ; quo facto. Longitudo erit ſexag. 2. grad. 26.53.36. cui addatur æqualis Solis motus ad hanc rem neceſſarius, & colligitur locus Lunæ ad hoc tempus, ſexag. 5. gr. 22.36.44. Ergò Luna eſt in undecimo ſigno, ſive in Aquario, in gradu ejus ferè viceſimo tertio. Hinc concludimus, Domitianum hoc ipſo anno, die 18. Sept. interfectum, cùm Luna ad idem Signum in die 18. Sept. vix poſt aliquos annos redierit. Eodem modo etiam progrediendum, ſi locus Solis eſſet inquirendus: ibi neceſſarii ſunt motus æqualis Solis, & Anomalia Solis, cum æquatione, ſed ut tempus, ad quod hi motus colligendi ſunt, habere poſſis, aſſumenda ſunt Syzygia lunares, quibus poſtea vel aliquid addendum, vel ſubtrahendum eſt, ut in hoc exemplo vidimus.*

Atque ita abſolvimus primam partem hujus Iſagoges Chronologicæ, de tempore Aſtronomico definiendo, in quâ deſiderare quis poſſet, quòd omiſerim tempus apparens, & ſemper retinuerim tempus æquale. Ad quod reſpondeo: Haſce tabulas confectas eſſe ad eandem eccentricitatem, & propterea tempus apparens non adeò requiri; & quanquam neceſſarium eſſet, tamen id in ſuperioribus ſeculis haberi non poſſe, cùm nemò eam doctrinam adhuc rectè tradiderit. Præceptum enim de hâc re in tabulis Prutenicis ambiguum eſſe, quivis demonſtrare poteſt, ſi æquationem temporis Syzygiæ alicujus deducat non ex unâ epochâ, ſed ex ſingulis, quæ in tabulis Prutenicis habentur: ut ex epochâ Olympiadum, Nabonaſſarea, Alexandri, Cæſaris & CHRISTI DEI, ubi æquatio temporis in uno eodemque exemplo ad ſingulas epochas deſcripta planè diverſa erit, quæ æquationes ſimul veræ eſſe non poſſunt. Alterum, quòd quis in hiſce tabulis deſiderare poſſit, eſt, quòd verus motus Lunæ ad haſce tabulas non ſemper idem eſt cum eo, qui deducitur ex tabulis Tychonis; & quòd eâ de cauſa tempus etiam eclipſium aliquando aberret. Ad quod reſpondeo, me non diffiteri, eſſe aliquam diſcrepantiam in tempore, ſed quæ tamen non nimia ſit, & conſiſtere in paucis horariis minutis, ut conferenti apparebit. Locum autem Lunæ ferè eundem ex hiſce tabulis elici, niſi fortaſſis pauca minuta ſecunda deſint, cuilibet manifeſtum eſt. Ego etiam facilitatem in tradendâ doctrinâ Aſtronomicâ ſectari volui, quâ allecti ſtudioſi Aſtronomiam majori ſtudio amplecterentur; ſtatuoque, ſatis eſſe Chronologo, ſi propè ad rem accedat, etiamſi præciſè ipſum minutum temporis non attingat. Et tandem, quod tacendum non videtur, Eruditos ſuſpicari, aliquid adhuc in difficillimâ illâ de motu Lunari doctrinâ Tychonis deſiderari, nec motum Lunæ, quoad tempus, ſemper calculo convenire, idque apparere vel ex eo, quòd Tycho binas æquationes temporum, alteram in motu Solis, alteram in motu Lunæ, ſimul adhibendas tradit, quarum alteram neceſſe eſt falſam eſſe, cùm verum plus uno eſſe non poſſit. Excogitavit autem alteram ad Lunam procul dubio, quòd motus Lunæ calculo & obſervationibus non reſponderet; atque ita cauſam in æquationem temporis conjecit, quæ potiùs in motu Lunæ non ſatis explorato latet, de quâ re diligentiùs cogitent artifices.

SECUNDA PARS ISAGOGES, DE QUANTITATE, MENSIBUS, INITIO, ET INTERCALATIONE ſingulorum annorum in diverſis Epochis.

CAPUT VIII.

De Tempore politico in Græcia.

TEmpus politicum eſt, ut ſupra habuimus, quod quidem cum tempore Aſtronomico non exactè ſemper conſentit, ſed aliquando tamen ad idem redit, & paria cum eo facit. Conditores enim ejus, vulgi rationem habuerunt, quod ſubtilia illa temporis Aſtronomici momenta non intelligit; & rationem excogitârunt, quæ intellectu & notatu & memoratu facilis eſſet. Cæterùm cùm luminaria, quæ tempora diſtinguunt, bina ſint, Sol & Luna, bina etiam fuerunt annorum genera, & alios annos appellarunt *Solares*, alios *Lunares*. Et *Solares* quidem appellarunt, qui tantum ſpatium temporis comprehenderent, quantum requireretur, donec Sol ad idem ferè punctum reverti poſſet. Lunares verò nominârunt, non quidem, ut ſpatium temporis, quo Luna ad Solem redit; (id ſpatium enim menſis appellatur) ſed duodecim menſes hujuſmodi conjunxerunt pro anno uno, interdum etiam tredecim. Et duodecim menſes perpetuò, pro uno anno habent hodiè Turcæ & Indi, ſed hoc modo caput anni per omnes menſes anni Solaris vagatur. Sed alii, ut Judæi & Græci, etiam duodecim menſes pro anno quidem numerârunt, ita tamen, ut interdum tertio quovis anno, interdum ſecundo, decimum tertium menſem aſſumerent; & is annus dicebatur annus *Embolimæus*, menſis autem is vocabatur *Embolimus* vel *intercalaris*. Conſequebantur hoc menſe intercalari, ut caput anni certo anni tempore retineretur & aliquando cum anno Solari in gratiam rediret. Menſes etiam lunares, cùm Aſtronomicè quilibet comprehenderet dies 29. & horas ferè tredecim, ita temperârunt, ut alternis eos facerent triginta dierum, aut viginti novem dierum, & eos, qui triginta dies occupabant, vocârunt plenos; qui viginti novem verò habebant, cavos. Atque ita menſes impares, ut primus, tertius, quintus, fuerunt pleni: Pares verò ut ſecundus, quartus, ſextus &c. fuerunt cavi. De hujuſmodi igitur tempore politico jam dicemus, & faciemus ejus initium à Græcis. Cæterùm ut quantitatem annorum & menſium, initium etiam & intercalationem rectiùs in quâvis epochâ intelligere poſſimus, Epochas haſce ad annos Mundi ſtatim alligabimus, & ſingularum annos cum annis Julianis conferemus, demonſtrationes etiam, ut res manifeſtior fiat, addemus.

Mira temporum confuſio, ut ſic loquar, fuit in totâ Græciâ, in regione, ſi ambitum ſpectes, non magnâ. Quilibet enim Reſpubl. ſuam peculiarem rationem habuit in conſtituendo anno, & menſibus nominandis; unde cognoſcas, eos fuiſſe & imperii cupidos, & ſententiæ tenaces. Aliter menſes nominabant Athenienſes, aliter Thebani, aliter Lacedæmones, aliter Elidenſes, aliter Macedones, &c. Nec etiam Athenienſium menſes extra Atticam in uſu erant, nec Thebanorum menſes alibi uſurpabantur quàm Thebis, nec Macedonum alibi, quàm in Macedoniâ, niſi poſtquam Alexander Magnus unà cum imperio menſes etiam & anni Macedonici rationem in alias terras proferret. Sic diſcrepabant etiam in anni ratione. Alii enim ſtatim à conjunctione Solis & Lunæ ſuæ tetraeteridis annum primum ordiebantur, alii poſt biduum, quando Luna à Sole primum apparebat, à φάσει ſcilicet; alii contrà à plenilunio. Conſentiebant tamen in eo, quòd annum ſuum facerent dierum trecentorum & ſexaginta, quibus tamen in fine addebant duos dies, in quibus creabant magiſtratus; quos, quòd nullos tum magiſtratus habebant, vocârunt ἀνάρχους. Sciebant quidem Græci, ut ex intercalationibus & eorum ſcriptis apparet, annum Solarem majorem eſſe, quàm 362. dierum, attamen hanc anni formam prætulerunt, ut motus Solis cum Lunâ ſingulis quadrienniis paria faceret, quod oraculo juſſi eſſent, *ſacrificare ſecundùm tria*, quod interpretabantur ſecundùm annos, menſes & dies. Ideò aliter facere non poterant, quàm ut ejuſmodi formam anni inſtituerent, ut certis intervallis Neomeniæ & initium anni in urbem redierent; ſimile quippiam accidit in noſtris annis Julianis, ubi ſi novilunium incidat in initium anni in Calendas Januarii, poſt annos novendecim ad idem initium redit. Sed Græci à tanto intervallo abhorruerunt, & propter certamen Olympicum, quod quatuor annis exactis celebrabatur, tetraëterides inſtituerunt, quæ quidem pares omninò non erant, ſed alternis habuerunt aut dies 1443. vel menſes 49. aut dies 1477. vel menſes quinquaginta, ita ut duæ tetraeterides octo annos Julianos ferè æquarent: quapropter hæc anni forma mixta quaſi fuit ex anno Solari & Lunari. Cæterùm, cùm multi hodiè ſint, qui à Theodoro Gaza & aliis perſuaſi, putant Græcos merum Lunarem annum habuiſſe, error hic ipſis eſt eximendus. *Annus Lunaris eſt, qui menſibus lunaribus decurrit, quorum menſium initium eſt à Novilunio, in medio habent plenilunium.* At Græci hujuſmodi menſes in ſua anni forma non habuerunt; unde manifeſtum eſt, eos annum lunarem non habuiſſe. Aſſumptum probo teſtimoniis Autorum. *Plutarchus in Camillo* teſtatur, victoriam Athenienſium ad Naxum, Duce Chabria, contigiſſe die 26. Boedromionis menſis, circa plenilunium. Si dies 26. habuit plenilunium, ergò Novilunium fuit die 11. Boedromionis, & non primo die. Sic eclipſis, quæ præceſſit cladem Darii ad vicum Gaugamela accidit menſe Boedromione, die 20. ut *Plutarchus*

teſta-

teſtatur in eodem Camillo & Phocione, circa initium myſteriorum Atticorum. Si viceſimo die fuit plenilunium & eclipſis, Ergò novilunium fuit die 5. Boedromionis. Sic *Diodorus Siculus* ſcribit lib.12. c.35. Metonem Aſtronomum primum Novilunium ſuæ Enneadecaeteridis ſtatuiſſe die decimo tertio menſis Scirrhophorionis: Si 13. dies habuit Novilunium, ergò idem non fuit primo die ejus menſis. Sic idem ſcribit, Adoleſcentes quosdam domum quandam introiviſſe Neomeniâ nocte, & eosdem agnitos eſſe ad Lunæ lumen, ſi Luna luxit mediâ nocte; Ergò ea Neomenia non fuit lunaris. Hujusmodi teſtimonia plura poſſent afferri. Deinde annus lunaris eſt, qui conſtat diebus 354. vel 355. Sed annus Græcorum habuit dies 360. Ergò non fuit lunaris. Teſtis hujus rei eſt *Herodotus*, qui dicit lib.1.cap.22.§.1. ſeptuaginta annos continere dies 25200, qui ſi dividantur per ſeptuaginta, quotus unius anni erunt dies 360. Sic *Ariſtoteles* ait, annum continere quinquies ſeptuaginta duos dies. Sic *Varro* ſcribit, Demetrio Phalereo, qui decem annis Athenis præfuit, à populo poſitas fuiſſe tot ſtatuas, quot annus abſolutus dies habeat. Plinius autem hoc explicat lib.34.c.6. dicitque fuiſſe numero 360. Idem docet etiam vulgatum ænigma de Græcorum anno *Cleobuli*, de Patre, qui duodecim filios haberet, quorum quilibet triginta filios & triginta filias genuerit, &c. Ergò Græci habuerunt in ſuo anno dies 360. ita tamen ut duos dies in fine adderent, quos *ἀνάρχους* vocarunt, ut anteà diximus. Cæterùm cùm & hoc modo Lunæ motus non ſemper initiis tetraeteridum reſponderet, nec nimium aberraret, ex ſingulis tetraeteridibus ſingulos dies abjiciebant, interdum etiam biduum, non in fine anni, ſed hoc modo, ut quarto cujusvis tetraeteridis anno ſecundum diem menſis Boedromionis vel nominarent tertium, ſi unum diem vellent abjici, vel quartum, ſi biduum, id quod teſtatur Cicero in Verrem. orat.2.c.52. quando inquit: *Eſt conſuetudo Græcorum, quòd ſuos dies menſesque congruere volunt cum Solis Lunæq; rationibus, ut nonnunquã ſiquid diſcrepet, eximant unum aliquem diem aut ſummum biduum ex menſe, quos illi exæreſimos dies nominant.* Conſequebantur autem hoc modo, ut primus annus cujusvis tetraeteridis inciperet à Novilunio; ſecundus à primo Lunæ quadrante. Hæc, qui obſervant, ſi detur motus lunaris in aliquo menſe Attico, ſtatim ſcire poſſunt, ad quem annus Tetraeteridis ille menſis pertineat, atque ita etiam quotus ſit annus Olympiadis.

Cæterùm, cùm hæc annorum Græcorum ratio nova nobis videatur, fundamenta ejus aliquo modo explicanda ſunt. Motus Lunæ diu in obſcuro fuit, nec ſatis etiam à præſtantiſſimis artificibus, ad noſtra uſque tempora inveſtigari potuit, ideò non mirum eſt, Græcos, etſi plurimum ſtudii in eo exquirendo poſuerunt, à verâ menſis lunaris quantitate in initio aberrâſſe. Cleoſtratus floruit ducentis & quadraginta annis poſt primam Olympiadem, & primus motum Lunæ & Solis ex præſcripto Solonis, qui hæc jungi volebat, inter ſe comparare auſus fuit, anno primo Olympiadis 61. decem annis poſteaquam Anaximander obliquitatem Zodiaci obſervâſſet, hic fecit menſem Lunarem dierum 29. hor.12. min.50.54.30. voluitque Solem cum Lunâ paria facere ſingulis octenniis. Sed hoc modo non ſolùm biduo in quovis octennio aberravit; ſed ſi bini etiam dies exempti fuerunt, quatuor diebus à capite anni receſſit. Hanc periodum poſtea interpolârunt Harpalus & Eudoxus Cnidias. Sed Meton Pauſaniæ filius Athenienſis ineunte anno primo belli Peloponneſiaci annis 430. ante æram Chriſtianam centum & quinque annis, poſt Cleoſtratum abjecta octaeteride, Enneadecaeteridem excogitavit, ut Luna cum Sole paria faceret. Sed cùm menſem faceret dierum 29. horarum 12. min.45.57. adhuc aberravit. Poſt annos centum ferè & ampliùs, cùm jam Metonis annus vitium faceret, *Calippus* eandem rem aggreſſus eſt, & menſem lunarem adhuc breviorem fecit, præter dies ſcilicet & horas minutorum 44. 25. 31. & rationes Lunæ ita cum Solis motu compoſuit, ut paria facerent in annis ſolaribus ſeptuaginta ſex. Atque ad hanc periodum extruxit *Joſephus Scaliger* Periodum Olympicam & Atticam annorum 76. quam veram eſſe nemo quidem negabit: ſed tamen quænam vera Græcorum annorum ratio in tanta obſcuritate motus lunaris ab initio Olympiadum uſque ad Cleoſtratum, & inde uſque tempora Alexandri Magni fuerit, ſatis ſcire non poſſumus. Caput anni quidem in æſtate circa *κύτρον θερινὴν* retentum fuiſſe facilè creditur, ſed id fieri oportuit, ut res ipſa docet, adhibita multa variatione exæreſimorum, & intercalationum.

Ratio hujus parapegmatis Græcorum per ſeptuaginta ſex annos hæc fuit: Anni Solares Juliani ſeptuaginta ſex efficiunt dies 27759. His paria faciebant menſes lunares 940. ad ſententiam Calippi; Ideo plures dies in hac periodo eſſe non poterant. Jam verò annorum Græcorum, ſi ſinguli ſtatuantur dierum 362. dies fuerunt 27512. quibus acceſſerunt menſes Embolimæi novem, ſinguli tricenorum dierum, qui efficiunt dies 270. qui juncti cum reliquis, efficiunt in una ſumma dies 27782. & ſuperant numerum dierum in annis ſolaribus, diebus 23. Hoſce dies 23. retinere non poterant, ſed neceſſe fuit, ut abjicerentur, ideò vocabantur exæreſimi aut exemtiles. Cùm autem ex quarto anno tantum cujusvis tetraeteridis eximerentur, & verò in hac periodò non plures tetraeteridis eſſent, quàm novendecim, ſi dividas 23. per novendecim, Quotus erit dies unus & $\frac{4}{19}$. qui quavis tetraeteride eximi debebant. Sed partes diei $\frac{4}{19}$. ſeparatim eximi non poſſunt, ideò expectabant, donec collectis partibus integer adhuc dies efficeretur, ubi pro uno die biduum eximebant. Idque fiebat in tetraeteride quintâ, decimâ, decimâ quintâ & decimâ nonâ, ut colligenti partes haſce apparet. Ergo quarto anno in hiſce dictis tetraeteridibus tantùm eximebatur biduum. *Joſephus Scaliger* putat, ſtatim in prima tetraeteride biduum exemtum fuiſſe, & rationem ſive demonſtrationem, ut appellat, addit, ſed ea ratio planè aliena eſt ab hac re, & ſi vera eſſet, in ſingulis tetraeteridibus biduum ferè eximendum fuiſſet, ut computanti apparet. Et hac falſa ratione per totam periodum ferè, initia anni die uno anticipavit. Hæc ratio Lunaris Calippica non quidem exquiſita eſt, longè enim aliter eam demonſtravit *Tycho Brahe*, diu tamen in Græcia duravit, & ad ejus rationem ſacra ſua Hierophantæ apud Græcos peregerunt. *Hipparchus* poſt ducentos annos aliam rationem periodi hujusmodi iniit; namque fecit majorem,

Annorum ſcilicet 304. in quibus unum diem ex Calippicâ ratione eliſit, utque hoc facere poſſet, Syzygiam lunarem fecit aliquanto minorem juſto, ita ut ſtatueret eam dierum 29. horarum 12. min. 44. 2. 38. Tychonis Epilogiſmus contra eſt dierum 29. horarum 12. min. 44. 38. Exigua quidem eſt quantitas, ſed quæ tempore creſcit; ut autem & annus Solaris conveniret, huic motui ipſi etiam aliquid detraxit, fecitq; eum non 365. dierum & ſex horarum, ſed præter dies tantùm quinq; horarum, & minutorum 58. 15. Sed de hiſce, & aliis vide Scaligerum.

Porrò explicandum etiam eſt, cur in Periodo hâc caput anni ita varietur. Ejus cauſa hæc eſt, quòd Græcorum annus brevior eſt triduo, quàm Solaris; interdum etiam quatriduo, ſi biſſextilis annus incidat, aut ſi dies unus in Græcorum ratione abjicitur. Primus annus incipit die 9. Julii, die à Calendis Januarii 190. cui pro primo anno addo dies 362. fiunt in unâ ſummâ 552. Ex quibus annus Julianus, dies 365. ſubtractus relinquit dies 187. ubi incipere debebat ſecundus annus. Sed hoc modo caput anni τὸ κέντρον θερινὸν præverteret, quod unicè cavebatur, ideò intercalatur menſis 30. dierum, atque ita initium anni removetur in diem 5. menſis Auguſti, in diem 217. Si hiſce diebus iterum 362. addidero, & annum ſolarem abjecero, initium anni pervenit in diem 214. ſive in diem 2. Auguſti. Si iterum addidero dies 362. & abjecero dies 366. eſt enim annus biſſextilis, ut Cyclus oſtendit, caput anni per quatuor dies aſcendit, pervenitq; in 29. Julii. Idem accidit etiam ſequenti anno, propterea quòd tantùm dies 361. pro anno Græcorum adduntur, cùm unus ſit exæreſimus, atque ita caput anni pervenit in 25. Julii, atque ita in aliis.

Jam periodum ipſam proponemus.

Periodus Olympica, per annos 76.

Anni.	fer	dies	Cyclus Sol.	lun.
1	5	9 *Iulii*	18	5
2	3	5 *Auguſti*	19	6
3	1	2 *Auguſti*	20	7
4	6	29 *Iulii*	21	8
5	3	25 *Iulii*	22	9
6	1	22 *Iulii*	23	10
7	6	19 *Iulii*	24	11
8	4	15 *Iulii*	25	12
9	1	11 *Iulii*	26	13
10	1	7 *Auguſti*	27	14
11	6	4 *Auguſti*	28	15
12	4	31 *Iulii*	1	16
13	1	27 *Iulii*	2	17
14	6	24 *Iulii*	3	18
15	4	21 *Iulii*	4	19
16	2	17 *Iulii*	5	1
17	6	13 *Iulii*	[illegible]	2
18	4	10 *Iulii*	7	3
19	4	6 *Auguſti*	8	4
20	2	2 *Auguſti*	9	5
21	5	28 *Iulii*	10	6
22	3	25 *Iulii*	11	7
23	1	22 *Iulii*	12	8
24	6	18 *Iulii*	13	9
25	3	14 *Iulii*	14	10
26	1	11 *Iulii*	15	11
27	1	7 *Auguſti*	16	12
28	6	3 *Auguſti*	17	13
29	3	[illegible] *Iulii*	18	14
30	1	27 *Iulii*	19	15
31	6	24 *Iulii*	20	16
32	4	20 *Iulii*	21	17
33	1	16 *Iulii*	22	18
34	6	13 *Iulii*	23	19
35	4	10 *Iulii*	24	1
36	4	5 *Auguſti*	25	2
37	1	1 *Auguſti*	26	3
38	6	29 *Iulii*	27	4
39	4	26 *Iulii*	28	5
40	2	22 *Iulii*	1	6
41	5	17 *Iulii*	2	7
42	3	14 *Iulii*	3	8
43	1	11 *Iulii*	4	9
44	1	6 *Auguſti*	5	10
45	5	2 *Auguſti*	6	11
46	3	30 *Iulii*	7	12
47	1	27 *Iulii*	8	13
48	6	23 *Iulii*	9	14
49	3	19 *Iulii*	10	15
50	1	16 *Iulii*	11	16
51	6	13 *Iulii*	12	17
52	4	9 *Iulii*	13	18
53	3	4 *Auguſti*	14	19
54	1	1 *Auguſti*	15	1
55	6	29 *Iulii*	16	2
56	4	25 *Iulii*	17	3
57	1	21 *Iulii*	18	4
58	6	18 *Iulii*	19	5
59	4	15 *Iulii*	20	6
60	2	11 *Iulii*	21	7
61	7	5 *Auguſti*	22	8
62	5	2 *Auguſti*	23	9
63	3	30 *Iulii*	24	10
64	1	26 *Iulii*	25	11
65	5	22 *Iulii*	26	12
66	3	19 *Iulii*	27	13
67	1	16 *Iulii*	28	14
68	6	12 *Iulii*	1	15
69	5	7 *Auguſti*	2	16
70	3	4 *Auguſti*	3	17
71	1	1 *Auguſti*	4	18
72	6	28 *Iulii*	5	19
73	3	24 *Iulii*	6	1
74	1	21 *Iulii*	7	2
75	6	18 *Iulii*	8	3
76	4	14 *Iulii*	9	4

Altera pars tabulæ annorum collectorum.

Anni collε.	*Anni* Mũdi	Cyclus Sol.	fer.
0	3173	0	[illegible]
76	3240	20	4
152	3325	12	1
228	3401	4	5
304	3477	24	2
380	3553	16	6
456	3629	8	3
532	3705	0	[illegible]
608	3781	20	4
684	3857	12	1
760	3933	4	5
836	4009	24	2
912	4085	6	6
988	4161	8	3
1046	4237	0	0
1140	4313	20	4
1216	4389	12	1
1292	4465	4	5
1368	4541	24	2
1446	4617	16	6
1520	4693	8	3
1596	4769	0	0
1672	4845	20	4
1748	4921	12	1
1824	4997	4	5
1900	5073	24	2
1976	5149	16	6
2052	5225	8	3
2128	5301	[illegible]	0
2204	5377	20	4
2280	5453	12	1
2356	5529	4	5
2432	5605	24	2

Metho-

Methodus harum tabularum eſt: Primùm Olympiades per quaternarium multiplicantem rediguntur in annos Olympiadicos. Deinde ſumitur in alterâ parte tabulæ in annis collectis Olympiadum, numerus proximè minor. Reſiduum verò, ſive complementum ejus in primâ parte tabulæ in annis expanſis, & utrobique adſcriptum annum, diem, Cyclum Solis & ferias adde, & habebis annum Mundi, diem in Calendario Juliano, quo is annus cœpit, Cyclum Solis & Lunæ & feriam. Hoc uno exemplo declarabimus. *Alexander Magnus naſcitur anno 1. Olymp. 106. ſub ipſum tempus ludicri; quæritur, quo anno Mundi, quâ feriâ, quo die, quibus Cyclis illa Olymp. acta ſit? Olympiades præteritæ 105. per quaternarium multiplicata efficiunt annos 420. quibus additur annus incipiens Olymp. 106. fiunt 421. Proximè minorem numerum in altera parte tabulæ invenio 380. & è regione annum mundi 3553. Cyclum Solis 16. fer. 6. complementum, ſive reſiduum ejus eſt 41. cui additur fer. 5. dies 16. Iulii Cyclus Solis 2. Lunæ 7. Hæc ſimul addita efficiunt annum Mundi 3594. fer. 4. diem 17. Iulii, quo hic annus Olympiad. incipit. Cyclo Solis 18. Luna 7. Olympicum autem certamen, ſemper actum eſt die 15. menſis primi Eliden ſis; ergò celebratum fuit die 31. Iul. fer. 4. qui dies 1. eſt Hecatombæonis, apud Athenienſes, & Alexander natus eſt die 6. Hecatombæonis; natus ergo eſt die 5. Aug. fer. 2.* Eodem modo ferè agimus, ſi detur annus aliquis Mundi, & ſcire velim, quotus annus Olymp. eo anno incipiat. Nam ſumitur in annis mundi numerus proximè minor, cum adſcriptis annis Olympiad. & Cyclo Solis, & feriâ. Inde hæc adduntur ad annum complementi, & habetur annus Olympiadicus, dies etiam & feria, quo is incipit, cum Cyclo Solis & Lunæ, *ut, Templum Hieroſolymitanum deſtructum eſt à Nebucadnezare, anno mundi 3360. ſcire velim, quo anno Olympiadico. Numerus proximè minor in annis mundi, eſt 3325. ubi anni Olympiad. 152. cum Cyclo Solis 12. fer. 1. Reſiduum, ſi 3325. ex 3360. ſubducas eſt 35. ubi initium anni eſt, dies 10. Iul. Numeri igitur juncti dant annum Olympiadicum, 187. fer. 5. Cyclo Solis 8. Lunæ 1. Si annos 187. divido per 4. & redigo eos ad Olympiades, emergunt Olympiades completæ 46. & anni tres. Hoc eſt, annus tertius Olympiadis 47. currentis incipit die 10. Iulii, fer. 5. & ſic de aliis.*

CAPUT IX.

De annis politicis Athenienſium.

GRæcorum res annotatæ quidem ſunt ſecundum annos Olympiadum, verùm quando annis Olympiadum adduntur menſes, tum illi anni putandi ſunt ad ejus gentis rationem, cujus menſes nominantur. Alios enim, ut ſupra diximus, habuerunt menſes Athenienſes, alios Thebani, alios Lacones, alios Macedones &c. Cum verò Athenienſium menſes longè ſint celeberrimi, ideò Attici anni rationem paululum explicabimus, reliquos, qui volet, repetat ex Scaligero.

Proponamus totam Attici anni rationem etiam in duabus partibus tabulæ, quæ quidem eædem ſunt ratione Cyclorum & annorum Mundi cum tabulâ Olympiadicorum annorum: differunt tamen numero dierum, & feriarum, & Cyclo Solis. In illis enim caput anni Olympiadici inquiſitum fuit, in his verò quæritur de initio anni Attici, quod ſemper quatuordecim diebus circiter, vel prius vel poſterius eſt Olympiadico, propterea, quòd primus annus cujusvis detraeteridis incipit à Novilunio; Annus verò Atticus, qui in illum incidit, à plenilunio vel antecedente, & contrà ſi tertius tetraeteridis Olympicæ incipit à plenilunio, Atticus incipiet à Novilunio vel antecedente vel conſequente. Si ille à primo quadrante Lunæ, hic ab ultimo quadrante. Ideo ſtatuitur Periodus Attica, antiquior Olympicâ annis 38. vel etiam tot annis poſterior. Joſephus Scaliger ex unâ eâdemque tabulâ annorum Olympiadicorum etiam annos Atticos doceri poſſe putat, ſed id fit non exactè. Nam cùm annus tertius in tetraeride Olympicâ ſit primus in Atticâ, fieri non poteſt, quin quartus Olympiadicus ſit in Atticâ tetraeteride ſecundus. Jam verò ibi in quarto Olympiadico, ſunt exæreſimi vel unus vel bini. Ergo ſecundus in Atticâ tot diebus differet. E contrà, quartus Atticæ eſt ſecundus Olympicæ; ſed in quarto Atticæ eximuntur dies, quod in ſecundo Olympicæ non fit. Ergò iterum differunt; rectiùs ergò fecerimus, ſi tabulam tetraeteridum Atticarum peculiarem proponamus.

Periodus Attica annorum 76.

Anni.	fer	dies	mq.	Cyclus Sol.	lun
1	3	23 Iulii	14	18	5
2	1	20 Iulii	11	19	6
3	5	16 Iulii	7	20	7
4	3	12 Iulii	3	21	8
5	1	9 Iulii	0	22	9
6	1	5 Auguſti	27	23	10
7	5	1 Auguſti	23	24	11
8	3	28 Iulii	19	25	12
9	1	25 Iulii	16	26	13
10	6	22 Iulii	13	27	14
11	3	18 Iulii	9	28	15
12	1	14 Iulii	5	1	16
13	6	11 Iulii	2	2	17
14	6	7 Auguſti	29	3	18
15	3	3 Auguſti	25	4	19
16	1	30 Iulii	21	5	1
17	6	27 Iulii	18	6	2
18	4	24 Iulii	15	7	3
19	7	19 Iulii	10	8	4
20	5	15 Iulii	6	9	5
21	3	12 Iulii	3	10	6
22	1	9 Iulii	0	11	7
23	7	4 Auguſti	26	12	8
24	5	31 Iulii	22	13	9
25	3	28 Iulii	19	14	10
26	1	25 Iulii	16	15	11
27	5	21 Iulii	12	16	12
28	3	17 Iulii	8	17	13
29	1	14 Iulii	5	18	14
30	6	11 Iulii	2	19	15
31	5	6 Auguſti	28	20	16
32	3	2 Auguſti	24	21	17
33	1	30 Iulii	21	22	18
34	6	27 Iulii	18	23	19
35	3	23 Iulii	14	24	1
36	1	19 Iulii	10	25	2
37	6	16 Iulii	7	26	3
38	4	13 Iulii	4	27	4

Anni.	fer	dies	mq.	Cyclus Sol.	lun.
39	2	7 Auguſti	29	28	5
40	7	3 Auguſti	25	1	6
41	5	30 Iulii	22	2	7
42	3	28 Iulii	19	3	8
43	7	24 Iulii	15	4	9
44	5	20 Iulii	11	5	10
45	3	17 Iulii	8	6	11
46	1	14 Iulii	5	7	12
47	5	10 Iulii	1	8	13
48	5	5 Auguſti	27	9	14
49	3	2 Auguſti	24	10	15
50	1	30 Iulii	21	11	16
51	5	26 Iulii	17	12	17
52	3	22 Iulii	13	13	18
53	1	19 Iulii	10	14	19
54	6	16 Iulii	7	15	1
55	3	12 Iulii	3	16	2
56	3	7 Auguſti	29	17	3
57	1	4 Auguſti	26	18	4
58	6	1 Auguſti	23	19	5
59	2	27 Iulii	18	20	6
60	7	23 Iulii	14	21	7
61	5	20 Iulii	11	22	8
62	3	17 Iulii	8	23	9
63	7	13 Iulii	4	24	10
64	5	9 Iulii	0	25	11
65	5	5 Auguſti	27	26	12
66	3	2 Auguſti	24	27	13
67	7	29 Iulii	20	28	14
68	5	25 Iulii	16	1	15
69	3	22 Iulii	13	2	16
70	1	19 Iulii	10	3	17
71	5	15 Iulii	6	4	18
72	3	11 Iulii	2	5	19
73	4	7 Auguſti	29	5	1
74	1	4 Auguſti	26	7	2
75	4	30 Iulii	21	8	3
76	2	26 Iulii	17	9	4

Altera pars tabulæ annorum collectorum.

Anni colle. Olym	Anni Mūdi	Cyclus Sol.	fer.
0	3173	0	0
76	3249	20	4
152	3325	12	1
228	3401	4	5
304	3477	24	2
380	3553	16	6
456	3629	8	3
532	3705	0	7
608	3781	20	4
684	3857	12	1
760	3933	4	5
836	4005	24	2
912	4085	16	6
988	4161	8	3
1064	4237	0	7
1140	4313	20	4
1216	4389	12	1
1292	4465	4	5
1368	4541	24	2
1446	4617	16	6
1520	4693	3	3
1596	4769	0	7
1672	4815	20	4
1748	4921	12	1
1824	4997	4	5
1900	5073	24	2
1976	5149	16	6
2052	5225	3	3
2128	5301	0	7
2204	5377	20	4
2280	5453	12	1
2356	5529	4	5
2432	5605	24	2
2508	5681	16	6

Tabula eâdem methodo concepta eſt, ut illa annorum Olympicorum, niſi quòd hîc acceſſerunt ad ſingulos annos περιτταὶ ἡμέραι. Autores enim interdum deſcribunt annum hiſce diebus, ut dicant hoc accidiſſe, cùm tot eſſent περιτταὶ ἡμέραι, quemadmodum Ephorus excidium Trojæ deſcripſit. Sunt autem περιτταὶ ἡμέραι, dies à nono Julii numerati uſque ad initium anni ſequentis, quotquot ſcilicet dies interſunt inter nonum Julii & principium ſequentis anni. Ideò eorum numerus habetur, ſi dies nonus Julii ex capite anni ſequentis ſubtrahatur; quotquot enim hoc modo reſtant, tot dicuntur eſſe περιτταὶ ἡμέραι. *Ut ſi ſcire velim, quot περιττὰς ἡμέρας primus annus Atticæ periodi habeat, recipio me ad ſequentem annum, quem video incipere die 20. Iulii: ex hoc die ſubtraho diem nonum Iulii, & ſuperſunt undecim. Dico igitur, hunc primum annum habere περιττὰς ἡμέρας undecim, & ſic de aliis.*

In menſibus Atticis ordine recenſendis Theodorum Curam erraſſe Joſephus Scaliger apertè demonſtrat. lib. 1. Emendationis temp. Ideò lectorem eò remittimus. Hìc tantùm menſes ordine, ut Scaliger eos diſtribuit, recenſebimus, tàm in anno communi, quàm in anno Embolimæo. Et cum dies exæreſimi ferias turbent, ideo quartus annus cujusvis tetraeteridis ſeorſim ponitur, qui tamen duplex eſt, vel enim unicus dies eximitur, vel biduum. Duplex autem eſt initium anni Attici, alterum à menſe Gamelione, qui proximè ſequitur brumam, atque ita dies ἀνάρχως, qui ultimo menſi Poſideoni adhærebant, hunc menſem Gamelionem proximè præcedebant. Alterum initium eſt à menſe Hecatombæone, qui proximè ſequitur Solſtitium, quod initium inſtitutum eſt propter Olympicorum ludorum celebritatem. Nos ab Hecatombæone initium faciemus, & majoris certitudinis gratiâ ſingulis menſibus ſuas ferias adſcribemus.

Men-

Menſes Attici.	Annus Communis. Simp. feriæ.	ἐξαιρ.	δυσεξ.	Embolimæus. Simp.	ἐξαιρ.	δυσεξ.
Ἑκατομβαιών	0	0	0	0	0	0
Μεταγειτνιών	2	2	2	2	2	2
Βοηδρομιών.	4	4	4	4	4	4
Πυανεψιών	6	5	4	6	5	4
Μαιμακτηριών	1	7	6	1	7	6
Ποσειδεών Embol.	0	0	0	3	2	1
Ποσειδεών Cumar.	3	2	1	5	4	3
Γαμηλιών	7	6	5	2	1	7
Ἀνθεστηριών	2	1	7	4	5	2
Ἐλαφηβολιών.	4	3	2	6	5	4
Μουνυχιών	6	5	4	1	7	6
Θαργηλιών	1	7	6	3	2	1
Σκιρροφοριών.	3	2	1	5	4	3

Feriarum methodus hæc eſt: adduntur feriæ reliquorum menſium primo Hecatombæoni, & habetur feria illius menſis, ut incipiat Hecatombæon feria tertia, ſcire velim, quâ feriâ Boedromion accipiat, addo quatuor ad tria, fit feria ſexta, & ſic de aliis. Turbatio feriarum accidere poteſt, in anno biſſextili Iuliano, ideò anni biſſextiles obſervandi.

Porrò ſex priores menſes Hecatombæon, Metagitnion, Boedromion, Pyanepſion, Mæmacterion & Poſideon pertinent ad eam Iuliani anni partem, quæ ab æſtate incipit, & ordine ſe conſequuntur uſque ad Calendas Ianuarias ferè. Ideo initia horum menſium, ut & quivis eorum dies in Calendario Iuliano haberi poſſunt, ſi ad anni initium pro ſingulis menſibus abſolutis addas tricenos dies, & inde reliquos dies, uno tamen detracto, quem ſub numero tricenum dierum comprehendiſti. *Ut Plutarchus ſcribit, pugnam Chabriæ ad Naxum contigiſſe viceſima ſexta die Boedromionis circa Plenilunium, anno primo Olympiad. 101. ſive anno Olympiadico 401. Proxime minor numerus in annis collectis eſt 380. ubi annus mundi 3553. Cyclus Solis 16. fer. 6. Complementum ejus in annis expanſis 21. Numeri utrobique collecti dant annum Mundi 3574. diem 12. Julii, fer. 2. Cyclum Solis 26. Luna 6. ut diem pugnæ habeam, addo huic diei, ſive dies 203. à Calendis Ianuarii pro duobus menſibus completis dies 60. & inde dies 25. Boedromionis fiunt dies 278 ſive dies 5. Octob. fer. 3. ſi inquiram ſyzygias lunares adhunc annum invenio plenilunium die 8. Octobris ineunte. Ideo dixit circa plenilunium, & ſic circa 26. diem fuit plenilunium: ergo primus menſis cœpit à plenilunio, atque ita accidit pugna anno tertio tetracteridis Atticæ, & primo anno tetracteridis Olympicæ.*

Reliqui verò ſex menſes pertinent ad ſequentem annum Julianum, incipiuntque poſt Calendas Januarii, ideo ſi inquirere velim dies in anno Juliano, quibus ii menſes incipiunt, rectiùs rem peregero, ſi ex initio ſequentis anni, pro ſingulis menſibus adhuc complendis dies tricenos ſubtraham & inde dies addam. *Ut Thucydides ſcribit, inducias factas eſſe inter Athenienſes & Spartanos die 24. Elaphebolionis, anno primo Olympiad. 89. Eſt annus Olympiadicus 353. Sed cum hic menſis ſit ex poſterioribus, & peragatur in ſequente parte anni, ideo inquiro ſequentem annum Olympiadicum 354. ubi proximè minor numerus 304 & complementum 50. oſtendunt hunc annum incipere anno mundi 3527. die 30. Iulii fer. 3. Cyclo Solis 7. Luna 16. hoc eſt, die à Calendis Ianuarii 21,1. Menſis autem Elaphebolion eſt quartus adhuc complendus. Ideò quatuor menſes ſive dies 120. ſubtracti ex initio ſequentis anni, relinquunt dies 91. ſive Calendas Aprilis pro initio hujus menſis, qui incipere debebat feria 2. Incipit enim annus Olymp. 353. feria 5. quæ addita ad ferias 4. dat feriam 2. feriæ enim ex Hecatombæone præcedente aſſumendæ ſunt. Dies ergo ejus 24. eſt dies 24. Aprilis, & ſic in aliis agendum.*

Porrò de capite anni, an id ſemper ſequatur octavum diem Julii, quiſpiam dubitare poſſet, cùm plerique alii, qui de anno Græcorum ſcripſerunt, id fixerint in Solſtitio æſtivo, quod tum temporis accidebat circa diem 28. Junii, id quod initium hoc, diem ſcilicet 9. Julii præcederet duodecim diebus, unde neceſſario ſequeretur, quoſdam annos Græcorum integro menſe ſeriùs annotatos eſſe in annis expanſorum. Caput igitur anni eſſe in octavo Julii, hoc modo demonſtrabimus. Primum *Diodorus Siculus* ait lib. 14. pag. 443. anno tertio Olymp. 96. Archonte Eubulide fuiſſe interlunium circa τροπὰς χειμερινὰς eſt annus Olympia. 383. qui incidit in annum mundi 3556. & finitur in ſequenti. Si inquiram ſyzygias lunares hoc anno circa brumam, invenio Novilunium anni 3557. nocte, quæ ſecuta eſt diem octavum Januarii. Ergò neceſſe eſt τροπὰς χειμερινὰς etiam fuiſſe circa illum diem. Differunt autem τροπαὶ θεριναὶ ab his ſemiſſe anni, ſive ſex menſibus ſive diebus 182. Ergò τροπαὶ θεριναὶ hærebunt in 8. Julii. Deinde Meton Athenienſis primum menſem Lunarem ſuæ Enneadecaeteris ſtatuit die 13. menſis Scirrhophorionis. Incipit autem primus Lunaris menſis, ut conſtat ex Platone libr. 6. de legibus, ſemper ab eo novilunio, quod ſequitur proximè poſt τροπὰς θερινὰς; Ergò, & primus menſis Lunaris Metonis cœpit poſt haſce τροπάς. Novilunium autem, anno 3518. quo hæc facta ſunt, incidit in diem 15.

Julii,

Julii, in Calendario Juliano. Ergò, hic dies 15. Julii fuit dies 13. Scirrhophorionis, ſive ultimi menſis, & ſequens primus anni menſis Hecatombæon cœpit à 31. Julii, & non à 2. Julii. Sic anno ſeptimo belli Peloponneſiaci, anno quarto Olympiad. 88. facta eſt Eclipſis lunæ, menſe Boedromione, ut Ariſtophanes habet, & ejus Scholaſtes hoc explicat. Accidit autem eclipſis hoc anno eâ nocte, quæ ſecuta eſt diem 9. Octobris, fuit annus Olympiadicus 352. quo minor numerus invenitur in ſecunda parte tabulæ 304. ubi annus mundi 3477. Cyclus Solis 24. fer. 2. quæ addita ad complementum, quod eſt annus expanſus 48. ſtatuunt primum hujus anni diem in die 5. Auguſti fer. 7. Cyclo Solis 5. Boëdromion autem eſt tertius menſis; ergò bini præterierant, ſive dies 66. qui additi faciunt dies 277. ſive quartum Octobris feriâ quartâ, quo cœpit Boedromion. Cùm igitur eclipſis hæc facta ſit hoc menſe, manifeſtum eſt, annum cœpiſſe 5. Auguſti, & non die 6. Julii, & τροπὰς θερινὰς fuiſſe poſt ſextum diem Julii. Hujus rei plura adduci poſſent teſtimonia. Interim tamen negari non poteſt, exemplum contrarium inveniri apud Plutarchum, qui ait eclipſin Lunæ præceſſiſſe cladem Perſarum ad Gaugamela, & incidiſſe in noctem, myſteriorum Atticorum, in diem 20. Boedromionis: Incidit ea clades in annum ſecundum Olympiad. 112, in annum Iphiti 446. qui ex methodo incipit die 2. Auguſti, & dies 20. Boedromionis propter diem exæreſimum incidit in diem à Calendis Januarii 292. in diem 19. Octobr. Anno Mundi 3619. Sed eclipſis hæc non hoc die, ſed præcedenti menſe, die 20. Septembris invenitur; unde videre eſt, annum hunc non ſecundo Auguſti, ſed tertio Julii incepiſſe. Scaliger putat quidem, Plutarchum erraſſe, & Boedromionem pro Metagitnione poſuiſſe. Sed veriſimilius eſt Plutarchum hoc fideliter ex autoribus deſcripſiſſe, & eum injuſtè hic argui, quemadmodum & injuſtè reprehenditur in anno Æliaco alicubi, ubi rectè quædam deſcripſit ex Taerutio Firmiano. Puto igitur, intercalationibus omiſſis, hanc periodum Olympicam & Atticam turbatam fuiſſe, & caput anni aliquando ita retro aſcendiſſe, quemadmodum id multipliciter factum eſt in anno Romano. Atque hæc de anno mixto Græcorum, qui partim fuit Solaris, partim etiam Lunaris, ad quem omnia publicè à populo peragebantur; addamus etiam quædam mero anno Lunari.

De anno Metonis magno.

Meton Athenienſis Mathematicus excellens, cum Octaeteris Cleoſtrati vitium feciſſet, paulò diligentiùs motum lunarem demenſus eſt, & putavit in novendecim annis Solaribus Lunam ad idem punctum reverti, ſed arbitratus eſt in annis novendecim Solaribus ineſſe dies 6940. cùm tantùm inſint 6939. & horæ 18. Ideò hac ratione ſingulis annis 19. aberravit ab anno Juliano ſex horis, ſed ſecundum annum tropicum Solarem, qualis à Tychone Brahe conſtituitur, labes hæc multo major eſſet, adeò ut excederet annos tropicos novendecim horis 9. min. 33. 45. Anni enim hujuſmodi 19. faciunt tantùm dies 6939. horas 14. min. 26. 15. quæ ex anno Metonico magno dierum 6940. ſubtracta tantam differentiam relinquunt, atque hoc modo Annus Metonicus, ſi duraſſet usque ad noſtra tempora, vitium feciſſet dierum 42. ferè, & novilunium, quod die 15. Julii fieri deberet, accideret die 26. Auguſti. Nihilominus tamen hæc periodus cupidè recepta eſt, cùm multò melior eſſet octaeteride Cleoſtrati aut Harpali, & dicta fuit Enneadecaeteris Metonica, ſive annus Metonicus magnus, & habuit ſyzygias Lunares 235. quæ in novendecim annos diſtributæ duodenos menſes ſingulis annis largiuntur, & reſtant præterea ſeptem menſes Embolimi, quos erogavit Meton in annum ſecundum, quintum, octavum, decimum, decimum tertium, ſedecimum, & decimum octavum, ita ut ſingulis hiſce annis ſingulos menſes intercalandos daret poſt menſem Poſideonem, ita ut embolimus menſis diceretur Poſideon alter. Beneficio hujus periodi poſtea motus lunaris rectiùs cognitus eſt, ideò etiam hæc enneadecaeteris ſæpius eſt emendata. In uſu autem fuit apud Græcos ab eo tempore, quando propoſita fuit, quod accidit anno antequam bellum Peloponneſiacum iniretur, uſque poſt mortem Alexandri Magni, per annos 133. ferè, & ejus veſtigia multa occurrunt apud Græcus & Aſtronomos. Etſi autem periodus anni Metonici tantùm eſt novendecim annorum, atque etiam hoc modo proponi poteſt; tamen cùm anni biſſextiles in novendecim annis in orbem non redeant, & hoc modo feriæ, quæ certi characteres annorum ſunt, ſi ad ſequentia tempora deſcendere velimus, turbentur, quater novendecim annos, ſive quatuor enneadecaeteridas Metonicas ſimul ſumamus, & quomodo ad annos Mundi & Olympiadum, & ad dies menſium Julianorum conveniant, hac tabella docebimus, cujus tres ſunt partes. Prima, annorum expanſorum: Secunda, annorum collectorum, qui collecti anni ratione Olympicorum annorum numerantur: Tertia, Menſium Athenienſium, qui hic Lunares ſunt, & dierum numero diſcrepant, etiamſi nominibus conveniant: quidam menſes enim cavi ſunt, quidam pleni, ut in annis hiſce fieri conſuevit, de quibus vide Scaligerrum.

Prima

Prima pars Tabulæ annorum expanſorum.

Anni.	*fer.*	*dies.*	Cyclus *Sol.*	*Lun.*	*Anni.*	*fer.*	*dies.*	Cyclus *Sol.*	*Lun.*
1	4	196	26	7	41	1	205	10	9
2	3	186	27	8	42	4	193	11	10
3	2	205	28	9	43	2	183	12	11
4	6	193	1	10	44	1	201	13	12
5	4	183	2	11	45	6	191	14	13
6	2	201	3	12	46	2	179	15	14
7	7	191	4	13	47	1	198	16	15
8	4	179	5	14	48	7	188	17	16
9	3	198	6	15	49	5	206	18	17
10	1	188	7	16	50	2	195	19	18
11	6	206	8	17	51	6	184	20	19
12	4	181	9	18	52	6	203	21	1
13	1	184	10	19	53	4	193	22	2
14	7	203	11	1	54	7	181	23	3
15	5	193	12	2	55	6	200	24	4
16	2	181	13	3	56	4	189	25	5
17	1	200	14	4	57	3	208	26	6
18	5	189	15	5	58	5	196	27	7
19	4	208	16	6	59	4	186	28	8
20	1	196	17	7	60	4	205	1	9
21	6	186	18	8	61	7	193	2	10
22	5	205	19	9	62	5	183	3	11
23	1	193	20	10	63	3	201	4	12
24	7	183	21	11	64	2	191	5	13
25	5	201	22	12	65	7	179	6	14
26	3	191	23	13	66	4	189	7	15
27	6	179	24	14	67	2	188	8	16
28	6	198	25	15	68	1	206	9	17
29	4	188	26	16	69	4	195	10	18
30	2	206	27	17	70	2	184	11	19
31	6	195	28	18	71	1	203	12	1
32	4	184	1	19	72	7	193	13	2
33	3	203	2	1	73	3	181	14	3
34	1	193	3	2	74	2	200	15	4
35	4	181	4	3	75	6	189	16	5
36	4	200	5	4	76	6	208	17	6
37	1	189	6	5					
38	7	208	7	6					
39	3	196	8	7					
40	2	186	9	8					

Secunda pars Tabulæ annorum collectorum.

Anni Olymp.	*Anni Mundi.*	*Cycl. Solis*	*fer.*
344	3517	[illegible]	[illegible]
420	3593	20	4
496	3669	12	1
572	3745	4	5
647	3821	24	2
724	3896	16	6

Tertia pars Tabulæ.

Menſes Attici:

Menſes:	*In anno ſimplici: dies coll.*	*fer*	*In an. Embolimæo: dies coll.*	*fer*
Hecatombæon	30	0	30	0
Metagitnion	59	2	59	2
Boedromion	89	3	89	3
Pyanepſion	118	5	118	5
Mamacterion	148	6	148	6
Poſideon	177	1	177	1
Poſideon alter	0 0	0	207	3
Gamelion	207	2	237	4
Anthiſterion	236	4	266	6
Elaphebolion	266	5	296	7
Munichion	295	7	325	2
Thargelion	325	1	355	3
Scirrhophorion	354	3	348	5

Methodus harum Tabularum hæc eſt: ſi detur aliquis annus Olympiadicus, qui circa hoc tempus, quando Enneadecaeteris hæc in uſu fuit, incidat, ſumitur in altera parte tabulæ annus proximè minor, complementum ejus in annis expanſis, annos Mundi utrobique collectos junge, ut & Cyclos; & habebis annum Mundi, & diem à Calendis Januarii numeratum, quo Hecatombæon primus ejus menſis incipit, cum feria, Cyclo item Solis & Lunæ. Si deinde ad reliquos menſes deſcendere volueris, adde menſes, quotquot requiruntur, ex tertia parte tabulæ, ubi tamen obſervandum, an annus forſitan ſit embolimæus, quos ſupra in una enneadecaeteride enumeravimus, qui tamen facilè per ſe agnoſci poſſunt, ſi ſequens annus plures dies, quib. incipit habuerit, omnes enim anni, qui ſequentem annũ in paucioribus diebus incipiunt, ſunt ſimplices.

Detur

Detur exemplum unicum; res enim facilis eſt. Ptolomæus ſcribit, anno Nabonaſſaris 366. Thot, 26. defeciſſe Lunam, menſe apud Athenienſes Poſideonis, anno Olympiadico 394. Accidit ea eclipſis nocte, quæ præceſſit diem 23. Decembr. feriâ tertia ineunte in Calendario Juliano, quemadmodum id anni Nabonaſſares demonſtrant. Ex anno verò Metonico idem habetur hoc modo: Proximè minor numerus, quam Olympiadicus annus 394. eſt 344. ubi annus Mundi 3517. ſed abſque Cyclo Solis, & feria. Complementum ejus eſt annus 50. ubi fer. 2. dies à Calendis Januarii numeratus 195. Cyclus Solis 19. litera Dominicalis E. Luna 18. incipit ergo hic annus Olympiad. in anno Metonico die 14. Julii, fer. 2. Anno Mundi 3567. Ut Poſideonem menſem habeam, addo ad initium anni, ad dies 195. quinque menſes elapſos, dies 148. & habeo in una ſumma dies 343. quibus addo characterem Poſideonis. 1. ad ferias initii 2. Et Poſideon incipit die 9. Decembr. fer. 3. ſi addidero dies 14. pervenio ad plenilunium hujus menſis, ſunt enim Lunares, ad diem 23. Decembr. & ſic de aliis.

De Periodo Calippica à Solſtitio æſtivo.

PEriodus Calippica anno Metonico ſucceſſit; cùm enim Metonica ratio jam in motu lunari oſtendendo claudicaret, Calippus eam hac periodo fulcire conatus eſt, & quatuor Enneadecaeterides Metonicas conjunxit, iiſque diem, qui in Metonica ratione abundabat, detraxit. Quatuor enim Enneadecaeterides Metonicæ habuerunt dies 27760. ex quibus abjecto die uno fiunt anni Juliani 76. ſive dies 27759. atque ita propiùs ad motum Lunarem acceſſit. Sed tamen & hac ratione falſus fuit. Nam in annis 76. exceſſum Solis ſupra Lunam eſſe horarum 5. minut. 50. 46. demonſtrarunt alii aliàs, hæc periodus valdè apta eſt ad motum Lunæ deprehendendum in annis Julianis, cujus beneficio omnes ferè noſtræ tabulæ confectæ ſunt. Differt autem Periodus hæc Calippica ab anno Metonico etiam in hac re, quòd Embolimus menſis non in medio anni conſiſtit, ſed ad finem anni rejectus eſt. Eam Periodum proponimus in hac tabula, quæ itidem tribus partibus conſtat, ut præcedens.

Perio-

Periodus Calippica à Solſtitio in annis expanſis.

Anni.	fer.	dies.	Cyclus Sol.	Cyclus Lun.	Anni.	fer.	dies.	Cyclus Sol.	Cyclus Lun.
1	3	179	16	14	41	5	187	28	16
2	2	197	17	15	42	4	205	1	17
3	7	187	18	16	43	2	195	2	18
4	6	206	19	17	44	6	184	3	19
5	3	195	20	18	45	5	203	4	1
6	7	183	21	19	46	2	191	5	2
7	6	202	22	1	47	7	181	6	3
8	4	192	23	2	48	6	200	7	4
9	1	181	24	3	49	3	189	8	5
10	7	199	25	4	50	2	207	9	6
11	4	188	26	5	51	6	196	10	7
12	3	207	27	6	52	4	186	11	8
13	1	197	28	7	53	2	204	12	9
14	5	185	1	8	54	7	193	13	10
15	4	204	2	9	55	4	182	14	11
16	1	193	3	10	56	3	201	15	12
17	6	183	4	11	57	7	190	16	13
18	5	201	5	12	58	5	179	17	14
19	2	190	6	13	59	4	198	18	15
20	6	179	7	14	60	1	187	19	16
21	5	198	8	15	61	7	206	20	17
22	5	187	9	16	62	4	194	21	18
23	1	205	10	17	63	2	184	22	19
24	6	195	11	18	64	1	203	23	1
25	3	184	12	19	65	5	192	24	2
26	2	202	13	1	66	2	180	25	3
27	6	191	14	2	67	1	199	26	4
28	4	181	15	3	68	6	189	27	5
29	3	200	16	4	69	5	208	28	6
30	7	188	17	5	70	2	196	1	7
31	6	207	18	6	71	6	185	2	8
32	3	196	19	7	72	5	204	3	9
33	1	186	20	8	73	3	194	4	10
34	7	204	21	9	74	7	182	5	11
35	4	193	22	10	75	6	201	6	12
36	1	182	23	11	76	3	190	7	13
37	7	201	24	12					
38	5	290	25	13					
39	2	179	26	14					
40	1	198	27	15					

Altera pars Tabulæ in annis collectis.

Periodi:	Anni Mundi.	Cycl. Solis	fer.
1	3619	0	0
2	3695	20	4
3	3771	12	1
4	3847	4	5
5	3923	24	2
6	3999	16	6
7	4075	8	3
8	4151	0	[illegible]

Tertia pars Tabulæ.

Menſium Atticorum.

Menſes:	In anno ſimplici: dies	fer	In an. Embolimæo: dies	fer
Hecatombæon	30	0	30	0
Metagitnion	59	2	59	2
Boedromion	89	3	89	3
Pyanepſion	118	5	118	5
Mæmacterion	148	6	148	6
Poſideon	177	1	177	1
Gamelion	207	2	207	2
Anthiſterion	236	4	236	4
Elaphebolion	266	5	266	5
Munichion	295	7	295	7
Thargelion	325	1	325	1
Scirrhophorion	354	3	354	3
Scirrhophorion alter.	0	0	384	5

Tabulam hanc exemplo declarabo: Ptolomæus ſcribit, Lunam defeciſſe anno 37. Periodi tertiæ Calipp. Anno Nabonaſſar. 607. nocte, quæ ſecuta eſt diem 2. Tybi menſis. Anni Nabonaſſarei indicant, hanc eclipſin accidiſſe nocte, quæ ſecuta eſt diem 27. Ianuarii: Ptolomæus menſem non apponit. Cum autem, ut ex annis Nabonaſſareis habemus, eclipſis acciderit in Ianuario, conjicimus, eam factam menſe Chamelione. Periodus Calippica tertia dat annum Mundi 3771. Cyclum Solis 12. fer. 1. Anni verò 37. addunt, fer. 7. dies 201. Cyclum Solis 24. Lunæ 12. Si hæc jungamus, videmus annum hunc 37. incidere in annum Mundi 3808. & Neomeniam Hecatombæonis incipere die 201. ſive die 20. Iulii, fer. 1. Cyclo Solis 8. litera Dominicali E. ſed Gamelion incidit in ſequentem annum, in annum Mundi 3809. Ejus character in tabula menſium 2. ſi jungatur cum charactere Hecatombæonis, facit feriam 3. Præterierant autem menſes ſex, ſive dies 177. qui additi ad 201. & abjecto anno Solari, oſtendunt Gamelionem cœpiſſe die 13. Ianuarii, fer. 3. & eclipſin accidiſſe in medio hujus menſis, in plenilunio, poſt dies 14. hoc eſt, nocte, quæ ſecuta eſt diem 27. Ianuarii, & ſic de aliis.

Porrò,

Porrò, caput periodi Calippicæ poſtea ex ſolſtitio æſtivo in Autumnum à Calippo traductum fuit. Idque in gratiam Macedonum factum eſt, & præcipuè Alexandri Magni, qui Darium vicit menſe Octobri. Macedones inde hanc periodum in Aſiam traduxerunt, & ad Judæos etiam, qui, quòd accommodata eſſet ſuæ Reip. & annis Contractuum, & Paſchati inveniendo, cupidè eam amplexi ſunt. De hac periodo autumnali dicemus in annis Judaicis infra.

CAPUT X.

De anno Romano.

ROmani terrarum Domini, cœlorum rudes, perturbatiſſimum annum habuerunt, qui nec ad Solem, neque ad Lunam quadraret, atque ita caput anni in alia atque alia tempora trajiceret. Etſi enim *Macrobius* ſcribit, annum Romanum fuiſſe dierum 355. & poſtea ſingulis bienniis viginti duos dies, aut viginti tres alternatim intercalatos eſſe, tamen hanc formam anni ab initio à Romanis obſervatam non fuiſſe ex tota hiſtoria Romana patet, ut poſtea demonſtrabimus; & etiamſi poſterioribus temporibus fortaſſis, annis circiter centum ante Ciceronem Conſulem obſervata fuiſſet, tamen & hoc modo annus Solaris exceditur ſingulis annis, ſingulis diebus. Quatuor enim anni Juliani ſunt dies 1461., Romani contra 1465. cui exceſſui poſtea mederi conati fuerunt, omiſſa intercalatione. Sed cùm omiſſio illa intercalationis non ex certa ordinatione, ſed arbitrio Pontificum fieret, nihil certi de ratione anni pronunciari poteſt. Ut tamen ſtudioſi aliquam ejus anni cognitionem habeant, Menſes cum diebus ſuis hic ordine aſſeribemus.

Menſes:	dies:	Dies coll.
Januarius.	29	29
Februarius	28	57
Martius	31	88
Aprilis	29	117
Majus	31	148
Junius	29	177
Quintilis	31	206
Sextilis	29	237
September	29	266
October	31	297
November	29	326
December	29	355

Menſis autem intercalaris, ſive Mercedonius, ut à Plutarcho appellatur inſertus fuit Februario, ita ut inciperet poſt diem 23. Februarii, poſt Terminalia: atque ita in anno Embolimæo Februarius, habuit tantùm viginti tres dies, & quinque reliqui dies, qui ſuperſunt poſt Terminalia, addebantur menſi intercalari, ita ut fieret dierum 28. quemadmodum hoc ex Livio & aliis hiſtoricis conſtat. Habebant autem Romani etiam dies quoſdam ſolennes ſive feſtos, quorum aliquos ſuis menſibus aſſcribemus. In Januario igitur menſe, die 9. celebrabantur Agonalia, die 11. Cormentalia. In Februario, die 15. Lupercalia, die 17. Quirinalia, die 21. Feralia, die 23. Terminalia: dies 24. dicebatur Regifugium, dies 26. Februarii, Equiria. Menſe Martio, die 14. celebrabantur iterum Equiria, die 17. Liberalia, die 19. & ſequentibus duobus, Quinquatria Minervæ, die 23. erat Tubiluſtrium menſe Aprili, die 4. Megaleſia, die 10. Ludi in circo, die 12. Cereales ludi, die 21. Parilia, die 23. Vinalia, die 25. Robigalia, die 28. Floralia. Menſe Majo, die 9 11. 13 Lemuralia celebrabantur, die 22. Agonalia, die 24. Tubiluſtria. Menſe Junio, dies 1. dicatus erat Carnæ Deæ. 8. habebantur ſacra Menti. die 9. Veſtalia, die 11. Matutæ, die 15. Feriæ tibicinum. Menſe Julio, vel Quintili, die 4. Poplifugium, die 5. Ludi Apollinares. Menſe Sextili vel Auguſto, die 17. erant Portunalia, die 19. Vinalia, die 21. Conſualia, die 23. Volcanalia, die 27. Vorturnalia. Menſe Septembri, Octobri, Novembri, celebrabantur Ludi vel Romani, vel Circenſes, vel Victoriæ. Menſe Decembr. die 17. celebrabantur feriæ Staturnales, vel Saturnalia, die 19. Opalia, dies 23. dicatus erat Laribus, atque hæc de Calendario Romano.

De Epocha urbis conditæ.

ANnus Urbis conditæ ab autoribus conjicitur ſemper in certum annum Olympiadis, idque tamen non abſque aliqua ambiguitate. Nam cum prima Palilia urbis Romanæ incidant in diem 21. Aprilis, quo condita Roma putatur, & verò anni Olympiadici incipiant Menſe Julio ferè, autores ſæpè ſequentem annum Olympiadicum, qui nondum cœpit, propterea quòd primus annus ferè totus cum futuro Olympiadico concurrat, pro anno urbis conditæ ponunt, cùm reverà ad præcedentem annum pertineat: ut ambiguitas hæc tollatur ſententias eorundem ad eum annum Olympiadicum referemus, cui complendo deerant adhuc tres menſes.

Timæus ergò Siculus, ut Dionyſius Halicarnaſſeus habet, ſtatuit, Romam conditam annis 38. ante primam Olympiadem, atq; ita eam annis pluſquam ſexaginta antiquiorem facit, quàm Varro. Sed hæc ſententia, cùm nulla ratione nitatur, meritò exploditur. *Terentius Varro*, cum aliis plurimis & præſtantiſſimis viris ſtatuit, Romam conditam anno Olympiadico 23. Annus Mundi 3197. eſt annus tertius finiens Oympiad. ſextæ. *Cato in originibus, Dionyſius Halicarnaſſeus*, *Verrius Flaccus*, *Solinus* & alii plurimi ſtatuunt, Romam conditam anno Olympiad. 24. Olympiadis ſextæ, anno quarto finiente, Anno Mundi 3198. *Polybius* putat, ſequenti anno id accidiſſe. *Q. Fabius Pictor*, antiquus autor, qui ſcripſit tempore belli Punici primi, eam conditam putat anno primo Olymp. 8. ſive anno Olympiadico 29. idque hac de cauſa, quòd alias aliquot paria Conſulum deficiant, quos tamen forte fortuna omiſſos non putat. *L. Cincius*, ejuſdem ætatis Scriptor, ſtatuit Romam conditam anno quarto Olympiadis 12. hoc eſt anno Olympiadico 48. & putat ſententiam ſuam ita demonſtrari poſſe, quòd anni Romani ſub Romulo uſque ad triceſimum Numæ fuerint decem menſium, atq; ita pro integris annis non ſint habendi: ſi igitur hi anni ad Solares redigantur, quos neceſſe eſt ſequi in hiſtoriis, ſique etiam omittantur anni, quorum

rum Conſules non inveniuntur, putat, ad hunc quartum annum duodecimæ Olympiadis perveniri poſſe. Sed hæ ſententiæ poſteriores ſunt obſcuræ, nec habent hodiè ſectatores, ideò has ſententias omittemus, & dicemus tantùm de duabus, de ea ſcilicet, quæ adſcribitur Varroni, & altera, quæ Catoni, de utraque ſententia, utra verior ſit, ſollicitè cogitavi, & deprehendi demum, eas, quo ad initium urbis Romæ diverſas non eſſe, ſed tantum in Conſulibus ad Olympiades alligandis diſcrepare. Quod diverſum non ſentiant de primo anno Urbis conditæ, & utraque pars eam conditam putent anno Olympiadico 24. an. Mundi 3198. ſic demonſtro. *Varro* & omnes, qui Varronem ſequuntur, ſtatuunt, Romulum primum regem regnaſſe annis 37. nec ullus uſpiam Scriptor, quantum memini, tribuit Romulo annos 38. niſi aſſumat annum interregni, poſt Romulum defunctum. Romulus autem defunctus eſt in ipſa eclipſi Solis, vel paucis diebus poſt eclipſin: facta autem eſt hæc eclipſis anno primo Olympiadis 16. ad finem decurrente, anno Olympiadico 61. Anno Mundi 3235. die 26. Maji. & hanc eclipſin primus quæſivit & computavit *L. Tarrutius Firmianus* juſſu Varronis, ut annum obitus Romuli inveniret: eandem ad calculum etiam revocavit *Buntingus*, & noſtræ Tabulæ eandem exhibent. Erat enim apud Romanos per manus quaſi traditum à ſenioribus, Romulum conceptum in eclipſi Solari, & etiam defunctum in eclipſi Solari. Hoc fundamentum ſumpſit ſibi L. Tarrutius Firmianus, & jubente Varrone ambas eclipſes, quantum potuit, quæſivit, & ad calculum revocavit. Etſi autem à priore, quando Romulus conceptus eſt, aberravit, quòd Tabulis imperfectioribus uteretur, poſteriorem tamen, quæ in morte Romuli accidit; rectè invenit. Hæc igitur, cùm acciderit anno Olympiadico 61. ſi anni triginta ſeptem ſolidi, quibus Romulus regnavit, ſubducantur, oſtendit Romam etiam à Varrone ſtatui conditam anno Olympiadico 24. *Cato autem & Dionyſius* & alii, eandem ſententiam de eclipſibus binis Solaribus in conceptione & obitu Romuli annotatis, & à Tarrutio Firmiano inventis, & ad calculum reductis retinent, & ſequuntur. Ergò Varro & Cato unum & idem ſentiunt, & de primo anno conditæ Romæ diſcrepare non poſſunt. Cur autem poſtea in digerendis Conſulibus uno anno diſcrepent, cauſa alia inquirenda eſt, quam ego, quantum quidem obſervare potui, hanc eſſe puto: Quòd Scriptores Græci à Latinis & Romanis ſcriptoribus diſcrepant in annis Olympiadicis, ad Conſules applicandis. Græci enim, ut Dionyſius, Diodorus Siculus, Polybius, &c. quando tempora Conſulum deſignare volunt, dicunt, Conſules illos creatos hac vel illa Olympiade. Romani contra Scriptores & Latini, ut Livius & alii, ſi de iiſdem Conſulibus, de quibus Græci locuti ſunt, pronunciare, volunt, dicunt, iis Conſulibus eandem Olympiadem actam eſſe. Et hæc quidem prima fronte pugnare non videntur: ſed ſi quis rem attentius conſideret, videbit, hoc modo tempora eorundem Conſulum ſolido anno diſtare. Conſules enim Romani inibant magiſtratum Calendis Januarii, Olympias contra agitur menſe Julio. Atque ita Græci, ſi ſtatuant, Conſules Olympiade quandam creatos eſſe, putant eos Conſules poſteriores eſſe illa Olympiade ſex menſibus. Latini contra, ſi dicant, illis Conſulibus Olympiadem illam actam, ſtatuunt, eoſdem Conſules ſex menſibus priores fuiſſe, atque ita revera integro anno invicem hiſce ſententiis ſuis diſcrepant, atque ita Latini imperitè, hiſtoriam Romanam ex Græcis Scriptoribus in latinam linguam traduxerunt, & conſules Romanos annis urbis applicaverunt. Exempli gratia: Livius, libro ſeptimo, dec. 3. dicit, Coſſ. C. Claudio & M. Livio Olympiæ ludicrum ea æſtate celebratum eſſe. Erat Olympias 143. Polybius contra dicit, Olymp. 143. anno primo C. Claudium & M. Livium Conſules creatos eſſe. Hoc exemplum illuſtre eſt, & Livius, qui hiſtoriam belli Punici ſecundi totam ferè ex Polybio deſcripſit, omne, quicquid in Græcia, vel à Philippo Macedonum rege vel ab Achæis, vel Ætolis, vel Lacedæmoniis & aliis geſtum eſt, ſolido anno poſtponit, quemadmodum & Machanidam Lacedæmoniorum Tyrannum paucis diebus poſt actam Olympiadem hanc ad Mantineam à Philopœmene Duce victum & occiſum, ut Polybius habet, poſt ſolidum annum ex inferis, ut terreat Achæos, & cum Philippo & poſtea, cum Philopœmene pugnet, reſuſcitat. Idem videre eſt in capta Abydo à Philippo in initio quartæ decadis, & alibi. Item in Dionyſio Halicarnaſſeo, ſi cum Livio conferatur. Ita etiam in initio tertiæ decadis Coſſ. Publ. Scipionem & Sempronium integro anno præponit, quos Polybius anno ſecundo Olymp. 140. creatos dixerat, poſt ſex menſes ſcilicet. Non dubito igitur, ex diverſa hac formula, quando de Olympiadibus ad Conſules applicandis loquebantur, integri anni diſcrepantiam inter Varronem & Catonem ortam, quæ tamen, quo ad initium ipſum nulla eſt: ſed poſt reges exactos cœpta & continuata eſt ad noſtra uſque tempora. Planè igitur de diſcrepantia hac in Chronicis tacui, & ab uno eodemque initio, ab anno Mundi 3198. quod initium hactenus Catonianum vocatum eſt, annos urbis conditæ ad noſtra uſque tempora deduxi.

De Conſulibus Romanis ordinandis.

HIſtoriam Romanam multi aggreſſi ſunt olim ſcribere, qui ſimul cum rebus geſtis magiſtratuum etiam nomina, qui rebus gerendis præfuerant, digeſſerunt. Hujuſmodi fuerunt, Q. Fabius, Pictor, L. Cincius Valerius Antias, Licinius Macer Q. Ælius Tubero, L. Calpurnius Piſo, Sempronius, Caſſius Hemina, Cato, M. Terentius Varro, quorum ſcripta tamen non extant. Tales etiam ſunt, quorum monumenta ſuperſunt, Polybius, Donyſius Halicarnaſſeus, T. Livius, P. Cornelius Tacitus, Caſſius Dio, Ammianus Marcellinus, Marcellinus Comes, &c. ex quorum monumentis Conſulum Romanorum & aliorum Magiſtratuum nomina, utcunque à viris antiquitatis ſtudioſis eruta, & magno commodo Reipubl. literariæ publicata ſunt: acceſſerunt poſtea alii libelli, in quibus nuda tantum ferè nomina annotata fuerunt, ut Caſſiodori Chronocon, Proſper Aquitanicus, Faſti Siculi, faſti incertorum autorum, tandem inventæ ſunt Romæ, anno Æræ Chriſtianæ 1547. Tabulæ Capitolinæ à Verrio Flacco Grammatico, olim ex Senatusconſulto deſcriptæ, & juſſu Imparato-

parato-

peratoris Auguſti publicè in foro Romano propoſitæ, ſed poſtea injuria temporum convulſæ, diſperſæ, maximis molibus obrutæ, coopertæ & corruptæ, ex quibus omnibus viri eruditi faſtos Romanos feliciter emendarunt & ita digeſſerunt, ut nihil magnoperè in iis deſideretur. Quorum primus ſuperioribus temporibus fuit, *Gregorius Haloander*, quem ſecutus eſt Johannes *Cuſpinianus*, Imperatori Maximiliano primo à Conſiliis, qui omnium optimam operam in hac re navavit, cui etiam antiquitatis Studioſi plurimum debent. Tertius acceſſit Heinricus Loritus Caſſiodorus. Et inde, cùm tabulæ Capitolinæ inventæ eſſent, *Carolus Sigonius*, qui faſtos Romanos Mutinæ primum publicavit, & eoſdem Venetiis emendavit. Tandem ſupremam manum eis impoſuit *Onuphrius* Panvinius Veronenſis, eremita Auguſtanus, qui commentarios etiam ſuos de hiſce publicavit Venetiis, anno 1558.

Etſi autem faſti hi tanta induſtria à præſtantiſſimis viris digeſti & emendati ſunt, ut perfecti videantur: Eſt tamen adhuc, quod viri eruditi in eis deſiderant. Deſunt enim quatuor Conſulum paria, qui annis Urbis explendis deſtinentur. Quatuor enim anni faſtis hiſce Romanis inſeruntur, qui à faſtorum autoribus vel vacui relinquuntur, vel pro Conſulibus inſeruntur Dictatores, quorum tamen imperium nunquam annuum fuit, nec ſex menſes exceſſit, neque fieri Dictatores potuerunt, niſi à Conſulibus dicerentur. De hiſce annis *Onuphrius* ipſe ſic loquitur: *Anni quatuor vel Dictatorum ſine Coſſ. vel planè ſine Dictatore & Coſſ. qui faſtis hiſce inſeruntur, mihi ſemper ſuſpecti fuerunt & meritò, quod à Livio, qui ejus temporis hiſtoriam ſcripſit, non inventi ſunt in Annalibus, ex quibus hiſtoriam ſuam deſcripſit, ideò animus mihi aliquando fuit Romam conditam ſtatuere cum Q. Fabio Pictore, anno Olympiadico 29. ut ordo Conſulum annis urbis reſponderet, &c. à qua ſententia tamen deſtiti, quòd viderem Varronis rationem ubique receptam eſſe ab eruditis, quos turbandos non cenſebant.* De hac re accuratius dicendum videtur, cùm hi quatuor anni totum ordinem Conſulum ſuſpectum reddant.

Primùm igitur, etiamſi vel maximè Conſules aliquot intercidiſſent, vel Dictatores loco Conſulum inſerendi eſſent, tamen eos loco alieno inſertos eſſe ſic demonſtro: M. Valerus Corvinus ſexies Conſul fuit. Et Sella Curuli ſedit vicies ſemel & vixit annos centum. Inter hujus conſulatum primum & ſextum interfuiſſe quadraginta ſex annos teſtantur faſti Siculi, Caſſiodori Chronicon; Livius lib. 10. decad. primæ. Valerius Max. lib. 8. c. 14. Plinius lib. 7. cap. 48. Plutarchus in Mario, & Cicero de ſenectute, quem tamen critici decepti hiſce vitioſis faſtis malè emendarunt, & pro 46. annis annos 48. ſubſtituerunt. Sed faſtorum noſtrorum autores omnes hoſce quatuor annos à Conſulibus vacuos inter primum & ſextum Conſulatum Corvini inſerunt, atque ita differentiam inter Corvini hoſce Conſulatus annorum quinquaginta faciunt & ſic omnibus hiſce præſtantiſſimis autoribus, qui Annales Romanorum veteres habuerunt, legerunt & certiſſimè de ordine Conſulum pronunciare potuerunt, apertè contradicunt. Fides autem potiſſimùm habenda illis autoribus, quàm noſtris Scriptoribus, ergo illi Dictatores, & anni vacui à Coſſ. alieno loco inſerti ſunt. Deinde idem demonſtro ex collatione Græcæ hiſtoriæ cum Romana. Livius ad Coſſ. T. Manlium Torquatum, III. & P. Decium Murem addit: *Conſtat*, inquit, *Alexandrum Epiri regem in Italiam hiſce Coſſ. claſſe appuliſſe. Eadem etiam ætas Alexandri Magni eſt.* Uterq; autem Alexander tandem poſt obitum Philippi Macedonum regis, qui in nuptiis Alexandri regis Epiri cæſus eſt, res gerere cœpit. Ergo hi Coſſ. ante obitum Philippi & initium Alexandri poni nequeunt. Periit autem Philippus anno primo Olymp. III. anno Olympiadico 441. atque ita anno urbis conditæ 417. Ergò horum Conſulatus hunc annum præcedere nequit. At faſtorum autores hoſce Conſules referunt in annum urbis 413. Ergo hi Coſſ. quatuor annorum ſpatio ſuis ſedibus emoti ſunt. Tertio charactere cœleſti idem confirmari poteſt. *Livius*, inquit, *Coſſ. C. Martio Rutilo III. & T. Manlio Torquato II. ſtatim poſt dedicationem ædis Monetæ, noctem intendi viſam.* Quibus verbis proculdubio eclipſis Solis indicatur, Quæ invenitur accidiſſe die 15. Septembris, anno urbis 413. anno Mundi 3610. oriente Sole, atque ita nox prolongata eſt; fuit enim ferè totalis. Ergo Coſſ. C. Manlius & Rutilus in hunc annum ſunt conferendi. At noſtri faſtorum Romanorum Scriptores hoſce Coſſ. conjiciunt in annum urbis 409. in annum Mundi 3606. atque ita iterum hi Conſules quatuor annorum ſpatio, propter illos quatuor annos alieno loco inſertos, præcipitati ſunt. Ex hiſce demonſtrationibus manifeſtum eſt, primum conſulatum M. Valerii Corvini incidere in annum urbis 409. in annum Mundi 3606. Eſt enim quartus ante Conſules Martium & Manlium, & octavus ante Coſſ. Manlium & Decium Murem. Idem etiam eſt quadrageſimus ſextus incluſivè ab ultimo ſuo Conſulatu, qui incidit in annum urbis 454. in annum Mundi 3651. De ultimo autem hoc Conſulatu Corvini dubitari non poteſt. Collatio enim Græcæ Romanæ hiſtoriæ hunc annum manifeſtè oſtendit, ut hoc ex ipſo Chronico patet, atque ita ampliore demonſtratione non eget. Demonſtratum igitur jam eſt Lacunas haſce Conſulum deficientium alieno in loco à faſtorum ſcriptoribus repletas eſſe. Deinde non apparet etiam, ubi alibi eæ lacunæ expleri poſſint. Nam poſt ſex Conſulatus Valerii Corvini ſeries Conſulum rectè ſibi conſtat, ut diximus. Ante Romam captam à Gallis per annos centum & viginti Conſules omnes in numero ſunt, & integrè habentur apud Dionyſium, & in tabulis Capitolinis & alibi. Poſt captam autem urbem, à Livio numerantur anni triginta quinque uſque ad Coſſ. Sulpitium Peticum & Valerium Poplicolam, ambos Patritios, quibus ſui magiſtratus rectè attribuuntur, ab hiſce Coſſ. tantùm ſeptem anni ſuperſunt uſq; ad primum Conſulatum Corvini, quibus etiam nihil immiſceri poteſt. Et tamen ſi totam ſummam ſpectes, quatuor paria Conſulum deſunt ad omnes annos urbis explendos.

Tertiò, ut & hoc addam, Veriſimile non videtur, quoſdam Conſules ex Annalibus, qui multipliciter deſcripti erant, & magna diligentia in cenſoriis familiis cuſtodiebantur, ſimul periiſſe, de quibus Annalibus *Dionyſius Halicarnaſſeus* lib. 1. pag. 60. hoc affirmat. *Quod Conſules ordinaverit ex Cenſoriis commentariis, quos à Patribus filii per manus accipiunt, & ipſi*

& ipſi poſteris pari curâ tradunt, haud ſecus quam ſacra paterna, vel gentilitia. Multi autem adhuc ſunt, inquit, *viri illuſtres in Cenſoriis familiis, qui eoſdem commentarios habent, &c.* Deinde ſuperſunt Tabulæ Capitolinæ, Chronicon Caſſiodori, faſti Siculi: Item Diodorus Siculus, & Livius, quorum monumenta de hiſce temporibus, quibus Conſules deſiderantur, integrè ſuperſunt, in quibus nulla Conſulum amiſſorum fit mentio. Meminit quidem Plinius duorum Conſulum, Cornelii Cethegii ſcilicet, & Q. Flaminii, quibus nulla certa ſedes in faſtis attribuitur; ſed hæ familiæ non ad hoc tempus pertinent, ſed florebant tandem poſt bellum Punicum ſecundum, ubi fortaſſis ſuffecti fuerunt. Cùm igitur hic defectus Conſulum nullo convenienti loco ſuppleri poſſit, & etiam non ſint Conſules, quibus vacua illa loca expleantur, quæritur, qua ratione faſtis Conſularibus medicina fieri poſſit? Tres fortaſſis modi proponi poſſunt, non tamen æquè faciles, ex quibus unus eſt eligendus.

Primus modus eſt, ſi annis urbis Conditæ quatuor anni ſubtrahantur, & urbs condita ſtatuatur anno quarto Olympiadis ſeptimæ, anno Olympiadico 28. ad finem decurrente, hoc enim modo omnes anni rectè Conſulibus ſupplentur. Hunc modum etiam approbat Onuphrius Panvinius. Sed obſtat hic, quod annus urbis conditæ non facilè mutari poteſt, vel propter Characterem cœleſtem, vel autoritatem virorum Clariſſimorm & præſtantiſſimorum, hunc annum Catonianum conditæ urbis aſſerentium & approbantium. Ad Characterem cœleſtem quod attinet, etſi certò affirmari non poteſt, Romulum in eclipſi Solari conceptum, hoc tamen evincitur, Eclipſin Solis accidiſſe anno, antequam Romulus naſceretur. Idem etiam de altera eclipſi Solis in morte Romuli ſtatuendum eſt, quæ fortaſſis in ipſum diem obitus Romuli non incidit potuit tamen diebus aut menſibus paucis, vel mortem præcedere, vel ſubſequi. Exemplum habemus apud Aurelium Victorem hiſtoricum, qui affirmat Imperatorem Nervam defunctum, quando eclipſis Solis accidit. Mortuus autem eſt die 27. Januar. anno æræ Chriſtianæ 98. ſed eo die nec Novilunium nec eclipſis invenitur, ſed tamen ſequitur eclipſis Solis poſt dies 53 die 21. Martii: idem in hiſtoria Romuli accidere potuit. Scriptoribus hiſce non ſolum ignoſcendum eſt, ſi quid ex fama affirmaverint, ſed magna gratia habenda, quòd hujuſmodi Characteres non tacuerint, ex quibus certum rei geſtæ tempus definiri poteſt. Ideo de anno vero urbis conditæ nequaquam eſt dubitandum. Deinde obſtant autoritates veterum Hiſtoricorum præſtantiſſimorum, qui cum Dionyſio, & Catone, aut Varrone de anno urbis conditæ idem ſentiunt. Ex multis unum tantùm adducam Eratoſthenem, cujus regulas Dionyſius Halicarnaſſeus veras & incorruptas judicat, qui conſtanter affirmat, Romam conditam anno quadringenteſimo & triceſimo ſecundo ad finem decurrente poſt captam Trojam, qui annus idem eſt cum ſententia Dionyſii. Hujus & aliorum autoritas nequaquam eſt contemnenda. Et tertiò obſtat etiam autoritas virorum doctorum noſtri temporis, qui ad unum omnes vel Varronis, vel Catonis ſententiam de anno urbis conditæ approbant, nec facilè ſe inde abduci patientur. Ideò temerarium videri poſſet, ſi quis, ut medicinam faſtis hiſce adhiberet, annum urbis convellere vellet.

Alter modus ſupplendi hunc defectum inde ſumi poſſet, quòd Conſules non ſemper iiſdem menſibus magiſtratum inierunt. Primi Conſules poſt ejectos reges, ut habet Calendarium Auguſti Cæſaris, & Ovidius in faſtis, & alii, inierunt magiſtratum die 23. Februar. cù adhuc quat uor menſes anno complendo deeſſent, unde videre eſt, finem anni Romani tum fuiſſe circa ultimum Junii: poſt annos quindecim, paulò ante ſeceſſionem plebis, Dionyſius affirmat. Conſules maturiùs ſolito magiſtratum iniiſſe Calendis Septemb. ſed quæ inciderint in mediam hyemem, poſt annos triginta ferè. Livius lib. 3. inquit, Coſſ. L. Æbutio & P. Servilio, ut cùm principium anni agebatur; calendæ ſextiles ſolennes fuerunt magiſtratui ineundo, poſtea tempore Decemvirorum, qui legum ſcribendarum cauſa creati fuerant, idus Maji ſolennes fuerunt magiſtratibus ineundis, ibi. lib. 3. fuit annus undecimus poſt Coſſ. P. Servilium & Æbutium. Inde poſt annos quinquaginta ferè. idus Decemb. ſolennes fuiſſe magiſtratibus ineundis, Livius iterum docet in initio lib. 5. Iterum poſt annos ferè octo, eodem lib. iniverunt magiſtratum Calendis Quintilibus, qui mos diu obtinuit ad annos ferè ſeptuaginta, uſque ad Coſſ. M. Claudium Marcellum, & Cn. Cornelium Scipionem, paulò ante bellum Punicum ſecundum, ubi tum idus Martiæ ſolennes factæ ſunt magiſtratui ineundo. Florus. Tandem ab idibus Martii Solennitas illa tranſlata eſt in Calendas Januarii, propter bellum Celtibericum, Coſſ. Fulvio Nobiliore & T. Annio Luſco. Florus. Atque ita Solennitas illa ineundi magiſtratum ſepties mutata fuit. Si jam mutatio facta eſſet, ſemper in ſequentes menſes; proculdubio plures menſes intercepti eſſent quàm quinquaginta, atque ita quadriennium ſolidum ex annis urbis conditæ intercidiſſet. Ita nulli amplius Coſſ. deſiderarentur, Verùm enim vero in hac varietate initii Magiſtratuum apud Romanos diſquirendum eſt, utrum Solennitas illa ineundi Magiſtratum tranſlata ſit in ſubſequentes menſes, an verò in præcedentes. Pro ſubſequentibus menſibus eſſet, quòd Tribuni militares, qui ad Vejos malè rem geſſerant, moleſtiſſimè ferunt, ſe binis menſibus citius, quàm annus ſe circumegiſſet, magiſtratu motos eſſe. Sed hoc exemplum tantùm probat, Conſules, vel alios magiſtratus de ſuo anno nihil decerpi voluiſſe, ignominiæ cauſa, aliàs ſi ex ſenatusconſulto prædictum fuiſſet, æquo animo laturi. Conjectura tamen alia addi poteſt, quòd Tribuni plebis ſæpè comitia interturbarunt, adeò ut Reſpubl. ſæpe fuerit ſine magiſtratibus. Curulibus, & quòd ſæpe in comitiis decertatum fuit ad octavum, nonum decimum, vel undecimum interregem, ut exempla teſtantur. Quilibet autem interrex præfuit quinque diebus, ergò hoc modo interdum ferè duobus menſibus comitia interturbata fuiſſent, inde cogitare quis poſſet, Conſules, ut annuo ſpatio in magiſtratu eſſent, tot menſes poſtea, quot impediti fuiſſent, magiſtratum continuaſſe. Pro præcedentibus autem menſibus, quod ſolennitas illa ineundi magiſtratum in præcedentes menſes tranſlata fuit, facit intervallum temporis, quod in præcedentes menſes ſemper minus eſt, quàm in ſequentes menſes. Si enim in ſequentes menſes tranſlatio facta eſſet, pedetentim id accidiſſet ex uno menſe in alium, non tanto ſaltu. Deinde quòd

G 2 Con-

Conſules ſæpè alias juſſi ſunt ſe abdicare magiſtratu ante tempus, ut maturius alii magiſtratus crearentur, Liv. lib. 8. Dec. prima. Tertiò, quòd, ſi quis magiſtratum diutius annuo ſpatio retineret, pro privato habitus ſit, etiamſi inſignia, magiſtratus vi retinere cogeretur: id quod accidit Decemviris, & App. Claudio Cenſori. Veriſimilius igitur eſt, Solennitatem illam in præcedentes menſes tranſlatam fuiſſe, & Senatus Conſultum factum eſſe, antequam magiſtratus crearentur, ſi Solennitas ineundi magiſtratum in alium menſem propter inconvenientiam temporis transferenda eſſet, ut illi Coſſ. eo menſe, quem Senatus vellet, magiſtratu abirent, ut alii deinde ſtatim inire poſſent; & ſi aliqua cauſa corruptorum faſtorum in hac re hæreret, procul dubio vel Livius, vel Dionyſius ejus meminiſſent. Ideo & hunc modum non ſatis aptum, aut certum judico ad emendationem faſtorum.

Reſtat tertius modus, quem ego ſecutus ſum. Qui putant caput anni apud Romanos non mutatum eſſe: ſed annos Lunares intercalationibus ad annos Solares rectè redactos fuiſſe, falli arbitror, cùm nulla alia cauſa, cur Conſules alio atque alio tempore magiſtratum inierint, & caput anni in alios atque alios menſes traductum ſit, dari poſſet, quàm quòd Calendarium Romanum intercalationibus incertis corruptum, vel caput anni præcipitaverit, vel peſſum dederit, & in eas partes anni deduxerit, quæ rebus agendis magis, quàm Ducibus eligendis, & rebus ad bellum gerendum neceſſariis præparandis convenirent. Ita ex Februario caput anni retractum eſt in Septembrem, proculdubio quòd Februar. in æſtatem perveniſſet. Ex Septembri mutatio facta eſt in ſextilem, inde in Idus Maji, inde in idus Decemb. inde in Quintilem, poſtea in Martiū, & tandem in Calendas Januar. ex quibus omnibus apparet, caput anni ſemper retractum fuiſſe in præcedentes menſes, nunquam promotum in ſequentes. Eadem de cauſa etiam ſæpiùs apud Romanos emendatio Calendarii inſtituta fuit, ſed quod Aſtronomiæ rudes eſſent, infeliciter perfecta. Romuli Calendarium emendavit Numa, ut notum eſt; Numæ Tarquinius Priſcus, rex qui Corintho oriundus, aliquid Græcæ eruditionis in Aſtronomia retinuerat, ut Junio Gracho placet, apud Macrobium. Poſt reges exactos, anno 37. Conſulibus L. Pinario & Q. Furio, calendarium iterum emendatum eſt, & intercalandi ratio in columnas inciſa, ut habet Macrobius. Decemviri, qui legibus ſcribendis præfecti erant, ſimiliter leges de intercalando tulerunt ad Populum, ut Ovidius teſtatur lib. 2. faſtorum. Iterum mutatio Calendarii facta videtur annis circiter quadraginta poſt Romam captam à Gallis; anni enim Romani ab eo tempore nequaquam tanto exceſſu peccant, quantum antea, quemadmodum id manifeſtum eſt ex eclipſi Solari Coſſ. Martio & Torquato uſque ad bellum Punicum ſecundum, & fortaſſe Decemviri ſacrorum poſt captam urbem anno 23. creati hanc emendationem inſtituerunt, de qua Ovidius canit, nihil enim certi de Decemviris definit. Iterum poſtea emendatio Calendarii Romani facta eſt, biennio ferè ante bellum Punicum ſecundum, in qua emendatione intercalatio, quæ hactenus major juſto fuerat, & caput anni peſſum dederat, adeò diminuta fuit, ut poſtea annus brevitate plus peccaret in præcipitando capite anni, quàm antea in morando, ut paulò poſt dicemus. Iterum poſt triginta ferè annos à Conſ. M. Acilio Glabrione, ut idem teſtatur Macrobius, & effectus etiam oſtendit, Calendarium mutatum eſt, & intercalationis ratio in tabula perſcripta. Videtur autem Glabrio rationem, quam Decemviri ſacrorum propoſuerant, reſtituiſſe. Ultima emendatio & perfectiſſima inſtituta fuit à Julio Cæſare. Si jam caput anni vitioſis intercalationibus non mutatum fuit, qua de cauſa toties ſuſceptæ ſunt correctiones Calendarii? Ideo ſi de veteribus Romanorum annis aut menſibus vel diebus quæras, nihil certi reperies, cum caput anni ita fluctuaverit, & vel ex æſtate in hyemem, vel contra ex hyeme in æſtatem tranſierit. Inter nefaſtos dies quidem à Romanis relatus eſt dies 18. Julii, propter Fabios cæſos ad Cremetam & cladem Allienſem, ſed in quam anni partem, ſive in quem menſem Julianum is dies ceciderit tempore Fabiorum, aut tempore urbis captæ à Gallis, planè ignoratur, & Scriptores harum rerum ad ſua tempora ad Calendarium Julianum ſemper reſpiciunt, & quaſi id ab initio urbis conditæ in uſu fuerit, ad certum diem omnia referunt. Sic Auguſtus Cæſar natus eſt ad vetus Calendarium die 22. Septembris, Conſule Cicerone, quando Calendæ Januariæ fuerunt menſe Octobri Juliano, ut ex eclipſi apparet: Ergo dies 22. Septemb. incidit in initium menſis Julii Juliani, & tamen hic dies 22. Septemb. pro die natali Cæſaris Auguſti retentus eſt in Calendario Juliano; & propterea ſcribitur, cùm Auguſtus mortuus ſit die 19. menſis Auguſti, eum non compleviſſe annos ætatis 77. ſed aliquot dies ipſi adhuc defuiſſe, cùm tamen ſuperaverit annos 77. quinquaginta ferè diebus, atque ita hæc res omnibus ferè ſcriptoribus impoſuit.

Sed proferamus exempla inconſtantiæ Calendarii Romani. In initio belli Punici ſecundi, anno ejus ſecundo ſcribitur à Livio & Polybio, Sempronium Conſulem ad ſubrogandos Conſules veniſſe Romam, & creaſſe Coſſ. C. Flaminium II. & Cn. Servilium, circa brumam, qui inirent Conſulatum poſt tres menſes Idibus Martii. Interea temporis facta eſt Eclipſis Solis, quæ nunciatur Romam inter alia prodigia prius, quam novi Conſules inirent Magiſtratum. Illa eclipſis accidit ad Calendarium Julianum die 11. Febr. unde colligitur Calendarium Romanum tum temporis conveniſſe ferè cum Calendario Juliano. Idem teſtatur *Polybius*, qui ad Calendarium Græcorum, quod ſtabile erat, omnia hæc conſcripſit. Idem teſtatur etiam edictum Q. Fabii Cunctatoris, qui juſſit frumenta matura ex agris in urbes munitas convehere ante calendas Quintiles, & qui non invexiſſent, eorum ſe agros populaturum minatus eſt: atque ita frumenta matura & purgata fuerunt menſe Junio, ut fieri ſolet ad Calendarium Julianum. Ergò Calendarium Romanum tum temporis coincidit cum Juliano. Sed vide poſt annos 27. Coſſ. L. Cornelio Scipione & C. Lælio, quando eclipſis Solis facta eſt, quæ accidit ad Calendarium Romanum, die undecimo

decimo Quintilis, ut Livius habet, qui eſt ad Calendarium Romanum dies 187. à Calendis Januarii, cui ad finem anni deſunt dies 168. Sed ſi eadem eclipſis ad Calendarium Julianum referatur, invenitur accidiſſe die 14. Martii Juliani, ſive die 73. à Calendis Januarii. Si hiſce diebus 73. addidero dies 168. annus hic Romanus finietur die 241. à Calendis Januarii, ſive die 29. Auguſti, & die 30. Auguſti incipiunt novæ Calendæ Januarii: atque ita annus Romanus, cujus calendæ olim cum Calendis Januarii Julianis conveniebant, anticipavit in annis 27. totis diebus 124. ſi jam hi anni 27. cum ſuis intercalationibus ad æqualitatem revocentur, juſto breviores fuerunt diebus ferè quinque & complexi ſunt ſinguli anno tantum dies 360. quod videntur Romani à Græcis didiciſſe. Sed hoc modo malè imitati ſunt Græcos, & non ſolum ſingulis annis binos dies, quibus magiſtratus creabantur omiſerunt, ſed etiam ſingulis octenniis menſem viginti octo dierum, ſi exemtiles dies omittantur. Addo & hoc, quod Romæ ante Conſules hoſce à Mar. Acilio Glabrione Calendarium Romanum emendatum fuit. Nulla autem emendatio hujuſmodi Calendarii fieri legitime poteſt, niſi intercalatio adhibeatur, præſertim ſi caput anni præcipitaverit. Unde evincitur, annum Romanum adhuc plus peccaſſe, quàm diebus quinque. Si igitur Romani, qui tum temporis dominabantur non tantùm Syracuſis & toti Siciliæ, ſed etiam omnibus ferè Græcis, ex quorum conſervatione labem & defectum ſui Calendarii agnoſcere poterant, tantum errorem in ſuo Calendario admiſerunt: cur non etiam hujuſmodi errorem, vel etiam majorem admitterent, quando ipſi omnis elegantis doctrinæ rudes, & ab omni Græcorum commercio, ex quib. ſolis hanc doctrinam haurire poterant, alieni, tantùm Marti & ſtudiis bellicis dediti vivebant. Ac ne quis dicat, Romanos hic erraſſe præcipitando annum: In ſuperioribus autem ſeculis nequaquam præcipitando peccatum eſſe, ſed mora potiùs, & exceſſu aliquot dierum. Reſpondeo, Romanos, & hiſce temporibus in eundem errorem, quo nimium intercalando caput anni morati ſunt, prolapſos fuiſſe. Si enim ab hoc anno, quo hæc eclipſis Coſſ. Scipione & Lælio per annos 22. uſque ad Coſſ. L. Æmilium Paulum II. & Licinium Craſſum deſcendero, invenio ibi eclipſin Lunæ, quæ accidit ad Calendarium Romanum die 4. Septembris, à quo die reſtant ad finem anni adhuc dies 114. Si jam eadem eclipſis ad Calendarium Julianum referatur, invenitur accidiſſe die 21. Junii, ſive die 172. à Calendis Januarii: cui ſi addidero dies 114. pervenio ad diem à Calendis Januarii 286. ſive in diem 13. Octobr. quo finitur hic annus Romanus, & ſequens incipit die 14. Octobr. At verò Coſſ. Scipione & Lælio, annus Romanus incipiebat die 30. Auguſti. Ergo in annis 22. caput anni Romani peſſum abiit per dies 45. Et ſi hi anni 22. cum ſuis intercalationibus ad æqualitatem revocentur, ſinguli anni Romani fuerunt dierum 367. & abundarunt diebus pluſquam duobus. Ab hoc tamen tempore poſteà uſque ad emendationem Julii Cæſaris, caput anni Romani, ſive Calendæ Januarii ſemper inciderunt in menſes autumnales, in Septembrem, vel Octobrem, vel Novembrem Julianum, ut videre eſt in Conſulatu Ciceronis, & aliis hiſtoriis: Hocque tandem Romani ex Græcis Magiſtris didicerunt, & ex Olympicis ludis, ad quos etiam ipſi Romani proficiſcebantur. Ideo Græci Scriptores, ut Polybius, qui tum res Romanas ſcribebat, & alii, cùm caput anni non multis diebus vel menſibus Olympicum ludicrum ſequeretur, Conſules illos ad Olympiades illas alligarunt, quos Romani Scriptores integris ſex menſibus poſtea præpoſuerunt, atque ita à Græcis integro anno differunt, ut antea diximus. Nec Caſaubonus etiam in ſua Chronologia ad Polybium, Polybii ſenſum rectè aſſecutus eſt.

Concludo igitur, defectum Conſulum Romanorum nulli rei rectius imputari poſſe, quàm inepto Calendario Romano, quo mora temporibus injecta fuit; quæ mora, etiamſi poſt reges exactos tantùm ſtatuatur quinque dierum ſingulis annis, tamen omnem horum Conſulum defectum rectè explet. Exceſſus autem hic quinque dierum non magnus eſt, nec politicum tempus turbat, etiamſi continuetur. Sed homines ei rei ita aſſuefiunt, ut natura temporis id accidere putent, quemadmodum videmus in Turcia fieri, ubi caput anni ſingulis non quinque diebus, ſed undecim diebus præcipitat, ita, ut ſedecim annorum ſpatio caput anni ex æſtate in heymem aſcendat, & tanto temporis ſpatio iterum ex hyeme in æſtatem redeat, & tamen vulgus huic defectui ita aſſuevit, ut minime turbetur. Cur non multò minor exceſſus, in ſeculo adeò rudi apud Romanos admitti potuiſſet. Nec tamen hic exceſſus multis annis ita continuatis fuit, ſed tantùm per annos centum & quinquaginta ferè. In reliquis enim annis, quando ex hiſtoriis conjici aut demonſtrari potuit, ubi caput anni fuerit, eodem tempore etiam Conſules annotavi: unde fit, ut partim ad illum, partim ad ſequentem annum, Conſules referantur. Nec enim à veritate rerum geſtarum recedendum erat. Cæterum etſi menſium intercalarium apud Romanos frequens eſt mentio, tamen cùm eorundem certa ratio propter inconſtantiam Calendarii nullo modo iniri poſſit, rectiùs facturum me putavi, ſi omnes illos annos cum ſuis intercalationibus ad æqualitatem revocarem. Obſervavi præterea mutationes capitis anni, quotieſcunque ab autoribus annotatum fuit, id ad menſes præcedentes retractum fuiſſe: quæ mutationes nequaquam admittunt, ut caput anni ſemper in Calendis Januarii retineatur, & Conſules ibi figantur, ut antea in Chronologiis factum eſt, ſed neceſſe eſt, ut caput anni vagetur, & Conſules id caput ſequantur, ut res geſtæ ſuis partibus anni rectè attribui poſſint.

Atque hoc modo annus primus urbis conditæ in anno Olympiadico 24. à Varrone & Catone conſtitutus, & ab omnibus doctis viris approbatus, retinetur, & immotus manet: & tamen lacunæ illorum annorum, ubi Conſules deſiderantur, rectè implentur. nec ulla fictione novorum Conſulum, vel Dictatorum abſque Conſulibus opus eſt. Atque ita, quantum in tanta obſcuritate anni Romani fieri potuit, epochæ huic rectè conſultum arbitror.

CAPUT XI.

De Epocha Nabonaſſarea.

NObilis hæc eſt Epocha, & magno uſui Chronologis. Etſi enim tantùm apud Ptolomæum. Aſtro-

Aſtronomum invenitur, & apud Cenſorinum: tamen beneficio hujus Epochæ omnes aliæ, quæcunque ſunt, quaſi catena quadam connectuntur. *Cenſorinus* enim, optimus antiquitatis vindex, & ſcrupulorum Chronologicorum exactiſſimus cenſor, eam confert cum annis Olympiadicis, cum annis urbis, cum annis Julianis, cum annis Auguſtorum, cum annis Æliacæ victoriæ, cum annis Philippi, & obitus Alexandri &c. Ita *Ptolomæus* eam confert cum Periodo Calippica, cum annis Chaldaicis, cum annis Æliacæ victoriæ &c. unde omnis & conformitas & diſcrepantia epocharum elicitur. Hæc eadem oſtendit etiam nobis, quomodo omnes aliæ Epochæ cum annis à mundo condito numeratis, ſint conjungendæ, cùm ſola hiſtorias eaſdem, quarum ſacræ literæ meminerunt, explicet & connexionem annorum mundi monſtret. Decurrit autem ſingulari quadam anni forma hæc Epocha, quæ dicitur æquabilis, habetque dies tantùm 365. abſque appendice horarum ſex, quæ quarto quoque anno exactè diem in anno Juliano efficiunt intercalandum: ſed perpetuo tenore ſuos dies 365. retinet, unde neceſſariò fit, ut ſingulis quadrienniis ab annis Julianis uno die differat, & caput ejus per omnes menſes anni Juliani vagetur, non pe ſſum eundo, ſed aſcendendo ſive regrediendo, ut ſi eſſet ejus initium Calendis Decemb. poſt quadriennium aſcendit ad 30. Novemb. Inde iterum poſt quadriennium in 29. Novemb. & ſic deinceps. Atque ita in annis Julianis 1460. percurrit totum annum Julianum, efficitque annos 1461. Menſes etiam æquabiles habet omnes triginta dierum, quibus in fine adduntur quinque dies appendices ſive intercalares, quæ Græcis ἐπαγόμεναι vocantur. Propter hanc æquabilitatem hæc forma anni Aſtronomis aptiſſima eſt, qui tabulas ſuas de motibus cœleſtibus hactenus inde confecerunt, ut videre eſt in tabulis Ptolomæi, Alphonſinis & Prutenicis. Nec enim, cùm anni omnes ſint uniuſmodi, & menſes ſimul diebus pares, hæc forma anni adeò obnoxia eſt erroribus, qui facilè ſeſe admiſcent aliàs in inæqualibus annis & menſibus, numero dierum diſcrepantibus, niſi & ii etiam aliquo modo ad æqualitatem deducantur, quod in tabulis noſtris ſuperiùs præſtitimus.

Ptolomæus Aſtronomus habuit Canonem Mathematicum, in quo ab initio hujus Epochæ reges Aſſyriorum, Babyloniorum, & Medorum; inde Perſarum, poſt Ægyptiorum tandem Romanos imperatores ordine uſque ad ſua tempora nominatim recenſet, & quot quiſque annis præfuerit annotat, eoſque annos in unam ſummam ſemper colligit, & incipit ab anno primo Nabonaſſaris à meridie diei 26. Februarii Juliani, feria quarta. Mentio hujus Canonis frequens eſt apud quoſdam Eccleſiaſticos, & apud Georgium Syncedum, Anianum & Panodorum: apud eoſdem Joſephus Scaliger eundem invenit, ſed valde corruptum, quem inſervit tertio libro ſuorum Canonum Iſagogicorum. Ego hunc Canonem Mathematicum Ptolomæi integrum & incorruptum ex manuſcripto Exemplari Ptolomæi, quod habetur Londini in Anglia, beneficio Clariſſimi viri D. *Overalli* Decani Eccleſiæ Paulinæ ibidem, per Reverendum & Clariſſimum virum Abrahamum Sculretum, Electori Palatino à concionibus & Conſiliis Eccleſiaſticis accepi. Literarum ejus ad me fragmentum, quod huc pertinet apponam. *Cùm Sereniſſimum Electorem ſecutus, in Anglia totam hiemem ibi tranſigerem, vidi in magno precio in Anglia apud viros magnos haberi tua ſcripta, præcipuè apud Doctorem Overallum, Decanum Eccleſiæ Paulinæ, verum ſupra fidem doctum. Is te per me ſalutari voluit, & mittit ex M. S. Ptolomæi, quæ incluſi, cupitque ut primo quoque tempore tuum judicium ad me perſcribas, ut ego ad ſe. Tu facies quod tibi vel amor noſtri, vel magni Overalli autoritas ſuaſerit, & ſic Valebis.*

Heidelbergæ 1613. 30. Maji.

Ex Manuſcripto libro Græco Claudii Ptolomæi, continente hypotheſes Planomenωn.

Κανὼν βασιλέων.

Ἀσσυρίων καὶ μήδων. ἔτη		Συναγωγή.	
Ναβονασσάρου	ιδ	ιδ	14
Ναδίου	β	ις	16
Χινζίρου καὶ πώρου	ε	κα	21
Ιουγαίου	ε	κς	26
Μαρδοκεμπάδου	ιβ	λη	38
Αρκιανοῦ	ε	μγ	43
Αβασιλεύτου πρώτου	β	με	45
Βηλίβου	Γ	μη	48
Απαραναδίου	ς	νδ	54
Ρηγηβήλου	α	νε	55
Μεσησιμορδάκου	δ	νθ	59
Αβασιλεύτου β	η	ξζ	67
Ασαραδίνου	ιΓ	π	80
Σαοσδουχίνου	κ	ρ	100
Κινηλαδάνου	κβ	ρκβ	122
Ναβοπολασσάρου	κα	ρμγ	143
Ναβοκολασσάρου	μγ	ρπς	186
Ιλλοαρουδάμου	β	ρπη	188
Νηριγασολασσάρου	δ	ρϞβ	192
Ναβοναδίου.	ιζ	σθ	209
Περσῶν βασιλέων.			
Κύρου	θ	σιη	218
Καμβύσου	η	σκς	226
Δαρείου α	λς	σξβ	262
Ξέρξου	κα	σπΓ	283
Αρταξέρξου α	μα	τκδ	324
Δαρείου β	ιθ	τμγ	343
Αρταξέρξου β.	μς	τπθ	389
Ωχου	κα	υι	410
Αρώγου	β	υιβ	412
Δαρείου γ	δ	υις	416

Ἑλλήνων βασιλ. ἔτη			Συναγωγή. Anni Phil: & Alex.	Nabonaſſ.
Αλεξάνδρου μακ.	η. ωκδ. 424.			
Φιλίππου ἀριδαίου	ζ	ζ	7	431
Αλεξάνδρου αἴγου	ιβ	ιθ	19	443
Ἑλλήνων βασιλ. ἐν Αἰγύπτῳ.				
Πτολεμαίου λάγου	κ	λθ	39	463
πτ. φιλαδέλφου	λη	οζ	77	501
πτ. εὐεργέτου	κε	ϞΒ	102	526
πτ. φιλοπάτορος	ιζ	ριθ	119	543
πτ. ἐπιφανοῦς	κδ	ρμγ	143	567
πτ. φιλομήτορος	λε	ροη	178	602
πτ. εὐεργέτου β	κθ	σζ	207	631
πτ. σωτῆρος	λϛ	σμγ	243	667
Διονύσου	κθ	σοβ	272	696
Κλεοπάτρας	κβ	σϞδ	294	718
Ρωμαίων βασιλεῖς.				
Αὐγούστου	μΓ	τλζ	337	761
Τιβερίου	κβ	τνθ	359	783
Γαΐου	δ	τξγ	363	787
Κλαυδίου	ιδ	τοζ	377	801
Νέρωνος	ιδ	τϞα	391	815
Ουεσπασιανοῦ	ι	υα	401	825
Τίτου	γ	υδ	404	828
Δομετιανοῦ	ιε	υιθ	419	843
Νέρουα	α	υκ	420	844
Τραιανοῦ	ιθ	υλθ	439	863
Αδριανοῦ	κα	υξ	460	864
Αντωνίνου	κγ	υπγ	483	967

Huc uſq; ſupputatio Ptolomæi.

Hic Canon omni auro pretioſior eſt, Et ſi dudum innotuiſſet, res Chronologicæ multò melius ſe haberent, nec adeò in diverſas ſectas Chronologi abiiſſent; Cùm hic apertiſſimè reges Chaldæorum ad Perſas uſq; & captam Babylonem numerentur, quibus error Funcianus manifeſtè refutatur. Nec Beroaldus, vel Pareus quoſdam reges Perſarum regno detrudere, aut quorundam imperium decurtare auſi fuiſſent, ſi cohærentiam hujus Canonis, & vim ejus perſpexiſſent. Optimè igitur Ampliſſ. & Clariſſ. Vir. D. *Overallus* de repub. literariâ meritus eſt, dum nobilem hunc Canonem hac occaſione publicum fecit, pro quo beneficio & ego ipſi magnas gratias ago, & agent omnes, qui veritatem Chronologicam amant. Porrò anni Nabonaſſarei cum annis Mundi conveniunt, ut in hâc tabula videre eſt.

Nabonaſſareorum Tabula.

Anni.	dies.	fer.	Anni.	dies.	fer.
1	57	4	45	46	6
2	57	5	46	46	7
3	57	6	47	46	1
4	56	7	48	45	2
5	56	1	49	45	3
6	56	2	50	45	4
7	56	3	51	45	5
8	55	4	52	44	6
9	55	5	53	44	7
10	55	6	54	44	1
11	55	7	55	44	2
12	54	1	56	43	3
13	54	2	57	43	4
14	54	3	58	43	5
15	54	4	59	43	6
16	53	5	60	42	7
17	53	6	61	42	1
18	53	7	62	42	2
19	53	1	63	42	3
20	52	2	64	41	4
21	52	3	65	41	5
22	52	4	66	41	6
23	52	5	67	41	7
24	51	6	68	40	1
25	51	7	69	40	2
26	51	1	70	40	3
27	51	2	71	40	4
28	50	3	72	39	5
29	50	4	73	39	6
30	50	5	74	39	7
31	50	6	75	39	1
32	49	7	76	38	2
33	49	1	77	38	3
34	49	2	78	38	4
35	4[illegible]	3	79	38	5
36	18	4	80	37	6
37	48	5	81	37	7
38	48	6	82	37	1
39	48	7	83	37	2
40	47	1	84	36	3
41	47	2			
42	47	3			
43	46	4			
44	46	5			

Secunda pars Tabulæ annor. collect.

Nabon.	Mundi	dies.
0	3202	0
84	3285	344
168	3369	323
252	3453	302
336	3537	281
420	3621	260
504	3705	239
588	3789	218
672	3873	197
756	3957	176
	Anni Chriſti:	
840	92	155
924	176	434
1008	260	113
1092	344	92
1176	428	71
1260	512	50
1344	596	29
1428	680	8
1449	701	3
1533	784	347
1617	8683	26
1701	952	305
1785	1036	284
1869	1120	263
1953	1204	242
2037	1288	221
2121	1372	200
2205	1456	179
2289	1540	158
2373	1624	137
2457	1708	116

Tabula menſium.

Nabonaſſarei:	Armeniorum:	Jezdegird.	Dies coll.	fer.
Thoth.	*Sahami.*	*Pharavard*	30	0
Paophi.	*Theri.*	*Adarpahaſ.*	60	2
Athyr.	*Caguib.*	*Chardad.*	90	4
Chojac.	*Arath.*	*Thir.*	120	6
Tybi.	*Mahik.*	*Mardad.*	150	1
Mechir.	*Arichi.*	*Scheheriz.*	180	3
Phamenoth	*Abeli.*	*Mehar.*	210	5
Pharmuthi	*Mariri.*	*Aban.*	240	7
Pachon.	*Marchath.*	*Adar.*	270	2
Payni.	*Harvvatſis*	*Di.*	300	4
Epiphi.	*Nabaſſari.*	*Behemen.*	330	6
Meſori.	*Huri.*	*Aſphandar.*	360	1
Epagom.	*Muſteraka.*	*Wabak.*	365	3

Priusquam methodum tabulæ hujus doceamus, addamus etiam tabulam annorum *Armeniorum* & annorum *Ierdegird.* Eadem enim eſt forma omnium tabularum, & omnium eadem methodus.

Tab.

Tabula Armeniorum.

Anni.	dies.	fer	Anni.	dies.	fer
1	190	3	45	179	5
2	190	4	46	179	6
3	190	5	47	179	7
4	190	6	48	179	1
5	189	7	49	178	2
6	189	1	50	178	3
7	189	2	51	178	4
8	189	3	52	178	5
9	188	4	53	177	6
10	188	5	54	177	7
11	188	6	55	177	1
12	188	7	56	177	2
13	187	1	57	176	3
14	187	2	58	176	4
15	187	3	59	176	5
16	187	4	60	176	6
17	186	5	61	175	7
18	186	6	62	175	1
19	186	7	63	175	2
20	186	1	64	175	3
21	185	2	65	174	4
22	185	3	66	174	5
23	185	4	67	174	6
24	185	5	68	174	7
25	184	6	69	173	1
26	184	7	70	173	2
27	184	1	71	173	3
28	184	2	72	173	4
29	183	3	73	172	5
30	183	4	74	172	6
31	183	5	75	172	7
32	183	6	76	172	1
33	182	7	77	171	2
34	182	1	78	171	3
35	182	2	79	171	4
36	182	3	80	171	5
37	181	4	81	170	6
38	181	5	82	170	7
39	181	6	83	170	1
40	181	7	84	170	2
41	180	1			
42	180	2			
43	180	3			
44	180	4			

Altera pars Tabulæ collectorum annorum.

Armeniorũ.	Æra Chriſt.	dies.	fer
0	551	0	0
84	634	344	0
168	718	323	0
252	802	302	0
336	886	281	0
420	970	260	0
504	1054	239	0
521	1071	235	3
605	1155	214	3
689	1239	193	3
773	1323	172	3
857	1407	151	3
941	1491	130	3
1025	1575	109	3
1109	1659	88	3
1185	1743	67	3

Tabula Jerdegird.

Anni.	dies.	fer	Anni.	dies.	fer
1	167	3	45	156	5
2	167	4	46	156	6
3	167	5	47	156	7
4	167	6	48	156	1
5	166	7	49	155	2
6	166	1	50	155	3
7	166	2	51	155	4
8	166	3	52	155	5
9	165	4	53	154	6
10	165	5	54	154	7
11	165	6	55	154	1
12	165	7	56	154	2
13	164	1	57	153	3
14	164	2	58	153	4
15	164	3	59	153	5
16	164	4	60	153	6
17	163	5	51	152	7
18	163	6	62	152	1
19	163	7	63	152	2
20	163	1	64	152	3
21	162	2	65	151	4
22	162	3	66	151	5
23	162	4	67	151	6
24	162	5	68	151	7
25	161	6	69	150	1
26	161	7	70	150	2
27	161	1	71	150	3
28	161	2	72	150	4
29	160	3	73	149	5
30	160	4	74	149	6
31	160	5	75	149	7
32	160	6	76	149	1
33	159	7	77	148	2
34	159	1	78	148	3
35	159	2	79	148	4
36	159	3	80	148	5
37	158	4	81	147	6
38	158	5	82	147	7
39	158	6	83	147	1
40	158	7	84	147	2
41	157	1			
42	157	2			
43	157	3			
44	157	4			

Altera pars Tabulæ collectorum.

Jerdegird.	Æra Chriſtiana.		fer
0	631	0	0
84	714	344	0
168	798	323	0
252	882	302	0
336	966	281	0
420	1050	260	0
429	1059	258	2
513	1143	237	2
597	1227	216	2
681	1311	195	2
765	1395	174	2
849	1479	153	2
933	1563	132	2
1017	1647	111	2

Armenii hâc æra ſuâ uti cœperunt anno Æræ Chriſtianæ 552. die 9. Julii, fer. 3. quando fidem Chriſtianam receperunt, eâq; adhuc hodiè utuntur, quemadmodum Perſarum *Æra Iezdegirdica* in Perſiâ in uſu eſt. Sed poſterior eſt Armeniorum Ærâ annis octoginta, exceptis 23. diebus; & nomen habet à Jezdegird ultimo rege Perſarum, qui victus ab Othman Sarazeno, & vitam & regnum amiſit, & ita Perſicum regnum ceſſit Saracenis, & hâc de causâ hæc Æra non à victo Jezdegirde, ſed potiùs à Victore Othmanno denominari debuiſſet: ſed contrarium accidit, cujus rei vix aliud extat exemplum. Contigit hæc victoria anno Æræ Chriſtianæ 632. die 16. Junii, fer. 3. Porrò res geſtæ ab hiſce temporibus in Armeniâ & Perſide proculdubio ad haſce Æras perſcriptæ ſunt, quæ ſi ad nos pervenirent, absque hiſce tabulis tempora earundem rerum geſtarum minimè aſſequi poſſemus.

Methodus autem omnium eadem eſt, cùm forma annorum eadem ſit, & non differant, niſi ratione antiquitatis. Si enim annus quidam harum Epocharum detur, qui minor ſit, quàm 84. habes diem & feriam, quâ cœpit in annis expanſis; annum habebis, ſi in annis collectis primum numerum tuo junges, ut, Ptolomæus annotat eclipſin anno viceſimo octavo Nabonaſſaris, quem video incipere in annis expanſis die quinquageſimo à Calendis Januarii, ſive 19. Febr. fer. 3. Annum Mundi

habeo, ſi ad primum numerum in annis collectis ad 3202. addidero 28. & fiet annus Mundi 3230. Si verò annus datus major ſit, quàm 84. tum quæritur in tabulâ collectorum numerus proximè minor, & ejus reſiduum in annis expanſis, & utrobique numeri annorum, & dierum, & feriarum, adſcripti ſimul ſumuntur, atque ita habes annum, diem, & feriam, quâ is annus cœpit in anno Mundi, vel Æræ Chriſtianæ. Ut, Ptolomæus annotat eclipſin Lunæ, quæ acciderit anno 19. Hadriani Imp. anno Nabonaſſ. 882. die 2. menſis Chojac. ſcire velim an. Æræ Chriſtianæ, diem & feriam, quâ is annus cœpit. Proximè minor numerus eſt 84. ubi anni CHRISTI 92. dies 55. Reſiduum eſt, anni 42. & dies 47. & fer. 3. Simul hæc ſumpta, fiunt annis Æræ Chriſtianæ 134. dies à Calendis Januarii 202. ſive dies 21. Julii, fer. 3. & ſic in aliis. Contrà verò, ſi detur annus Mundi, vel Æræ Chriſtianæ, & ſcire velis annum Nabonaſſaris, vel Armeniorum, vel Jezdegird, qui in eum annum incidat, invertanda eſt methodus, ut, ſcire velim hoc anno Æræ Chriſtianæ 1616. qui annus Nabonaſſaris, & in quem diem incidat. Proximè minor numerus in annis Æræ Chriſtianæ eſt 1540. ubi è regione annus Nabonaſſ. 2289. & dies 158. Reſiduum eſt 76. ubi dies 38. & fer. 2. Hæc jungo, & fit annus Nabonaſſ. 2365. qui incipit die 196. à Calendis Januarii, ſive die 15. Julii, fer. 2. Sic eodem hoc anno incipiet annus Armeniorum 1066. die 289. ſive die 16. Oct. fer. 4. Item Jezdegirdicus 986. die 286. ſive dies 13. Octobr. fer. 1. Notandum tamen in hâc inverſâ methodo, ſi dies in unam ſummam collecti exceſſerint numerum 365. quod non tantùm dies 365. pro uno anno ſint abjiciendi, ſed etiam quòd annus unus ex diebus collectis ſit ſubtrahendus ex annis Nabonaſſareis, Armeniorum vel Jezdegirdicis, id quod te docebit etiam Methodus prior & directa, ſi eundem annum quæſiveris.

Quod ad menſes harum Epocharum attinet, propoſuimus eas ſimul in unâ Tabulâ, cùm non numero dierum, vel characteribus differant, ſed tantùm nominibus differant. Si igitur ad menſes & dies deſcendere volueris, obſervandum, quod pro primo die anni, qui ſemper in initio anni, certo die exprimitur, ſimper dies unus in dato menſe ſit omittendus, ut in primo exemplo, anno Nabonaſſ. 28. accidit eclipſis Lunæ die 18. Thot, qui eſt primus anni. Cœpit is annus die 50. à Calendis Januarii, quibus addo dies non 18. ſed 17. fiunt dies 67. ſive dies 8. Menſis Martii, quo eclipſis accidit fer. 6. Cœpit enim annus, fer. 3. ergò decimus octavus eſt dies, fer. 6. Sic in altero exemplo, anno Nabonaſſ. 882. incidit eclipſis in diem 2. Chojac. menſis. Cœpit is annus, die 202. à Calendis Januarii, fer. 3. Cójac eſt quartus menſis, præceſſerant ergò menſes 3. ſive dies 90. quibus pro ſecundo die Chajac addo unum, fiunt 91. qui additi ad 202. fiunt 293. ſive dies 20. Octobris. Ut feriam etiam primi diei menſis Chojac. habeam, ſumo feriam anni, quà cœpit, quæ hic eſt tertia, eamque jungo ad characterem menſis Chojac, qui eſt 6. fit ita feria ſecunda; ſi primus dies habet feriam ſecundam, ergo ſecundus habebit feriam tertiam, & dies 20. Octobris hujus anni eſt feria tertia. Hoc ampliùs demonſtrari poteſt ex Tabulâ primâ Syzygiarum lunarium, ubi ratione anni æræ Chriſtianæ 134. Proximè minor numerus eſt 79. ejus reſidium 55. quæ exhibent Novilunium paſchale, die 13. Martii, fer. 6. hor. 4. minut. 6. 8. Cyclo Solis 3. Si addas octo plenilunia, efficies dies 293. ſive 20. Octob. fer. 3. horam 15. ſive tertiam poſt meridiem, min. 36 31. atque ita exactè convenit.

Porrò eſt adhuc *Æra* frequens apud Ptolomæum & Cenſorinum, quæ vocatur *annorum Philippi, & obitus Alexandri*, habetque eandem annorum & menſium formam. Sed hæc Æra planè in annis Mundi, aut Æræ Chriſtianæ nihil differt, vel menſibus, vel diebus, vel feriis, ab annis Nabonaſſareis; tantùm differt capite. Poſterior enim eſt annis æquabilibus 424. qui prætererant, priusquam æra annorum Philippi inciperet. Ideò nihil ſeorſim de iis præcipiendum eſt. Sed ſi æram annorum Philippi & obitûs Alexandri habere volueris, abjice ex Nabonaſſareis annos 424. vel contrà. Si annos Philippi, & obitus Alexandri habueris, adde ipſis annos 424. & habebis annos Nabonaſſareos, ex quibus initium anni, menſem & feriam hujus æræ habere poteris.

Sed ut ad *Æram Jezdegirdicam* redeam, eſt quidem ea in uſu apud omnes Perſas: Interim tamen ſuperſtitioſè Perſæ diem & horam æquinoctii verni inveſtigant, propter Panegyrin quandam, quam celebrant in ipſo momento æquinoctii verni. Cùm verò id in annis Jezdegirdicis non facilè deprehendi poſſit, propter intercalarem diem omiſſum, & præceſſionem æquinoctiorum; Imperator Meſopotamiæ Saracenus convocavit Aſtronomos præſtantiſſimos octo, eosque juſſit æquinoctium vernum obſervare, & quantitatem certam anni tropici conſtituere, & intercalationem juſtam definire. Conſtituerunt igitur formam anni, quam nominarunt *Æram Gelalaam*, vel *Sultanaam*, vel *Regiam*, eamque inchoarunt anno æræ Chriſtianæ 1079. die 14. Martii, hora 2. min. 9. poſt meridiem, & quantitatem anni fecerunt dierum 365. hor. 5. min. 49. 53. & haſce horas & minuta non prius intercalarunt, niſi excreviſſent ad integrum diem. Inde fit, ut intercalationem aliquando differant uſque ad quintum annum exactum. Retinent autem menſes Perſicos uſitatos cum quinque ἐπαγομένοις, quibus addunt, ſi opus eſt, diem intercalarem, & fiunt illo anno ſex ἐπαγόμεναι. Hujus anni formam proponimus in hâc Tabulâ. Tabula enim horum annorum apud *Joſephum Scaligerum* falſa eſt, & primos annos uſque ad viceſimum octavum annum nequaquam oſtendere poteſt, & deinde ſemper uno anno aberrat, & minus dicit; ut anno 1595. non agitur annus Gelalæus 516. ut vult Scaliger, ſed 517. Si enim annus æræ Chriſtianæ 1079. eſt primus Gelalæus, ergò annos 1085. eſt ſeptimus, & 1095. eſt decimus ſeptimus. Sed tamen ipſi magnæ gratiæ habendæ ſunt, quòd nos hæc docuit. Et error facilè corrigi poteſt, ſi radix ſtatuatur 3. 20. 358. & in methodo ab annis datis abjiciantur non anni 1079. ſed tantùm 1078.

Tabula

Tabula annorum Gelali ſive Sultanicorum.

Anni expanſi.	*dies Martii.*	*fer.*	*hor.*	*ſcrup.*	*Cycl. Sol.*
1	14	5	14	158	24
2	13	6	19	1038	25
3	14	1	1	838	26
4	14	2	7	638	27
5	14	3	13	438	28
6	13	4	19	258	1
7	14	[illegible]	1	38	2
8	14	7	6	918	3
9	14	1	12	718	4
10	13	2	18	518	5
11	14	4	0	318	5
12	14	5	6	318	7
13	14	6	11	998	8
14	13	7	17	798	9
15	13	1	23	598	10
16	14	3	5	398	11
17	14	4	11	198	12
18	13	5	15	1078	13
19	13	6	22	878	14
20	14	1	4	678	15
21	14	2	10	478	16
22	13	3	16	278	17
23	13	4	22	78	18
24	14	6	3	958	19
25	14	7	9	758	20
26	13	1	15	558	21
27	13	2	21	358	22
28	14	4	3	158	23

Altera pars annorum collectorum.

Æra Chriſt.	*Gelalai.*	*dies.*	*fer.*	*hor.*	*ſcrup.*
1078	0	0	0	0	0
1106	28	0	0	5	200
1134	56	0	0	10	400
1164	84	0	0	15	600
1190	112	[illegible]	0	20	800
1218	140	1	1	1	1000
1246	168	1	1	7	120
1274	196	1	1	12	320
1302	224	1	1	17	520
1330	252	1	1	22	720
1358	280	2	2	3	920
1386	308	2	2	9	40
1414	336	2	2	14	240
1442	364	2	2	19	440
1470	392	3	3	0	640
1498	420	3	3	5	840
1526	448	3	3	10	1040
1554	476	3	3	16	160
1582	504	3	3	21	360
1610	532	4	4	2	560
1638	560	4	4	7	760
1666	588	4	4	12	960
1694	616	4	4	18	80
1722	644	4	4	23	280

Horæ numeratæ ſunt à mediâ nocte,& ſcrupula 1080. faciunt horam: Orientalium enim populorum mos eſt, ut non horam dividant in minuta ſexaginta, ſed in ſcrupula hujusmodi 1080.

Methodus ejus eſt: Datum annum quæro in annis collectis, & dies,ferias,horas & ſcrupula ſubtraho ex reſiduo in annis expanſis, & ita invenio diem,feriam & horam æquinoctii. Ut, ſcire velim anno 1616. die 26. Aprilis,qui ſit annus Gelalæus,& cujus menſis dies. Proximè minor eſt 1610. ubi anni Gelalæi 532. dies 4. fer. 4. hor. 2. ſcrup. 560. Reſiduum eſt ſex,ubi dies 13 Martii,fer. 4. hor. 19. ſcrup. 258. Cyclus Solis primus. Si illa ex his ſubtrahantur, relinquitur dies 9. Martii,fer. 7. hor. 16. ſcrup. 758. ſive horæ 4.758. poſt meridiem,quo annus Gelalæus 538. incipit, & dies 26. Aprilis eſt dies 19. menſis ſecundi Perſici Adar Pabaſcht, fer. 6. atque hâc anni formâ hodiè in Perſiâ ferè ſola in uſu eſt.

CAPUT XII.

De Calendariis Judaicis.

MOtus Lunaris populo Judaico, ſive potiùs ſacerdotibus ejus gentis nō potuit eſſe ignotus,quod ad civilem obſervationem attinet. Omnia enim Judæorum feſta ad curſum Lunæ directa fuerunt,id quod & regius pſaltes teſtatur, Pſ. 104. v. 19. *Præparavit Deus Lunam ad determinandas ſive conſtituendas feſtivitates*, & ipſa obſervatio feſtorum oſtendit. Sic Paſcha Judaicum ſemper in plenilunio celebrabatur, quemadmodum & Scenopegia. Aſſueverunt igitur hoc modo motui lunari Judæi, præſertim cùm novilunia omnia ſolenni modo indicerentur, & peculiaribus ſacrificiis, & feſtivitate ſolenni celebrarentur, ut quovis tempore rectè de Lunari motu, de ejus interlunio, incremento & decremento pronunciare poſſent: quemadmodum & hodiè in Turciâ fit, ubi ſimiliter omnia ad motum Lunæ peraguntur. Immò & apud nos, ubi tamen motui Lunari nihil, neque in Repub. nec in Eccleſiâ tribuitur,& Luna inſuper turbidis tempeſtatibus, quod in Judæâ rariſſimè fiebat, frequentiſſimè occultatur: tamen plebei etiam homines, & agricolæ, & qui curam gregum ſuorum ſub dio agunt, quibus omnis ratio legendi ignota eſt, non tantùm de noviluniis, ſed & de aliis ejus accidentibus, certò pronunciare poſſunt. Cur idem eruditi & Rabini in Judæâ præſtare non potuiſſent, qui & otio & præmiis ad eum motum perdiſcendum, & aliis præſcribendum provocabantur? Præſertim eo anni tempore, in vere ſcil. quo Luna ſtatim à conjunctione, poſt horas duodecim vel quindecim ſe conſpiciendam præbet? Non igitur Judæi in motu Lunari aberrare potuerunt. Etſi autem hoc veriſſimum eſt, tamen invenitur, qui contendit, Sacerdotes & Rabinos Judæorum in Paſchate definiendo, etiam cùm Periodum Calippicam haberent, tamen vel quatriduo aberrare à Novilunio potuiſſe. Idque

ſæpè

ſæpè contigiſſe in ipſo Paſchate, in primo menſe, qui annum inchoabat, & Novilunium indictum fuiſſe, & ſolennia ſacrificia & convivia Neomeniæ celebrata fuiſſe, cùm adhuc Luna ſeneſcens per quadrituum conſpiceretur; ita ut die decimo ejus menſis agnus paſchalis comederetur, priusquam à grege ſepararetur: nec tamen hujus rei vel unicum exemplum adducere poteſt. Sed qui ſic ſentit, ſemper eſt tertius interveniens, hoc eſt, ſemper diverſum ab aliis ſentit, etiamſi nullâ ratione, ſed tantùm inanibus conjecturis nitatur. Sed ad Judæos redeamus, qui initio ab Exodo uſque ad Alexandri Magni tempora Calendarium ejuſmodi non habuerunt, ut exactè ad horam & ſcrupula Novilunium definire poſſent, propterea, quòd ratio motus lunaris nondum ſatis perſpecta eſſet. Ideò Judæi ſcribunt, antiquitus apud Iſraelitas fuiſſe certos homines certo pretio deſtinatos, qui obſervationi Noviluniorum operam darent, & Lunam, quando poſt conjunctionem à Sole digreſſa eſſet, a ſe viſam proclamarent, & Neomenias indicerent. Hic mos præcipuè in iis locis obſervatus fuiſſe creditur, ubi tabernaculum erectum fuit; Vel etiam Hieroſolymis poſt conſtitutum à Salomone templum: aliis in locis civiliter menſes ita diſtributos procul dubio habuerunt, ut alterni eſſent pleni, & alterni cavi: & hâc ratione toto annuo ſpatio vix uno die à Novilunio aberrare potuerunt. Pleni autem menſes ſunt, qui triginta dies obtinent, qui de numero impari ſunt, ut primus, tertius, quintus, ſeptimus, nonus, &c. Cavi autem, qui tantùm viginti novem diebus abſolvebantur, ſuntque de pari numero, ut ſecundus, quartus, ſextus, &c. quæ ratio menſium adhuc in Calendario Judaico obſervatur. Intercalatio etiam Embolimi menſis certa non fuiſſe videtur: eam enim antiquitus celebratam ſcribunt, ſi Paſchate adveniente vel fruges non maturuiſſent, vel arbores non florerent, vel etiam interdum ſi pontes eſſent aquarum eluvionibus everſi, vel ſi agni non ſatis eſſent adulti, &c. Vide de hac re epiſtolas aliquot ſummi Sacerdotis Hieroſolymæ ad Judæos diſperſos apud Joſephum Scaligerum in Canonibus Iſagog. p. 278. Ideò initia annorum Judaicorum, ſive Neomeniæ Tiſri ſive Niſan eo temporis ſpatio uſque ad Alexandrum Magnum ita definiri non poſſunt, ut non dubium interdum de integro menſe ob intercalationem vel celebratam vel omiſſam oriri poſſit. Poſt tempora verò Alexandri Magni, cùm Judæi cum jugo Macedonico, etiam annos Græcorum, ſive Contractuum, ſive Alexandræos, novendecim annis poſt publicatam Periodum Calippicam recepiſſent. Periodum illam in conſtituendis Neomeniis Tiſri, & definiendis aliis ſuis feſtivitatibus obſervârunt, eâque uſi ſunt ferè ſexcentis annis, uſque ad tempora Conſtantini Magni. Hoc toto temporis ſpatio, Judaicorum annorum ratio, & tempus Paſchatum celebratorum certum ferè habetur, quam Periodum proponemus in hâc Tabulâ.

Tabu-

Tabula ad annos Alexandræos.

Anni.	dies.	fer.	Cycli ſol.	Cycli lun.	Anni.	dies.	fer.	Cycli Sol.	Cycli lun.
1	249	5	6	13	41	257	7	18	15
2	268	4	7	14	42	246	4	19	16
3	257	1	8	15	43	265	3	20	17
4	246	6	9	16	44	253	7	21	18
5	265	5	10	17	45	243	5	22	19
6	254	2	11	18	46	262	4	23	1
7	243	6	12	19	47	251	1	24	2
8	261	5	13	1	48	269	7	25	3
9	253	2	14	2	49	258	4	26	4
10	269	1	15	3	50	248	1	27	5
11	259	6	16	4	51	266	7	28	6
12	247	3	17	5	52	255	5	1	7
13	266	2	18	6	53	245	2	2	8
14	255	6	19	7	54	263	1	3	9
15	245	4	20	8	55	252	5	4	10
16	263	3	21	9	56	270	4	5	11
17	252	7	22	10	57	260	2	6	12
18	271	6	23	11	58	249	6	7	13
19	260	3	24	12	59	268	5	8	14
20	249	1	25	13	60	256	2	9	15
21	268	7	26	14	61	246	7	10	16
22	257	4	27	15	62	265	6	11	17
23	246	1	28	16	63	254	3	12	18
24	264	7	1	17	64	242	7	13	19
25	254	5	2	18	65	261	6	14	1
26	243	2	3	19	66	251	4	15	2
27	262	1	4	1	67	270	3	16	3
28	250	5	5	2	68	258	7	17	4
29	269	4	6	3	69	247	4	18	5
30	259	1	7	4	70	266	3	19	6
31	248	6	8	5	71	256	1	20	7
32	266	5	9	6	72	244	5	21	8
33	255	2	10	7	73	263	4	22	9
34	245	6	11	8	74	[illegible]	1	23	10
35	263	5	12	9	75	271	7	24	11
36	252	3	13	10	76	259	4	25	12
37	271	2	14	11					
38	260	6	15	12					
39	249	3	16	13					
40	267	2	17	14					

Altera pars Tabulæ annorum collectorum in annis Alexandræis.

Anni collect.	Anni Mundi.	Æra Chriſt.	fer.	Cycl.
0	3637	0		0
76	3713	0	4	20
152	3789	0	1	12
228	3865	0	5	4
304	3941		2	24
380	4017	68	6	16
456	4093	144	3	8
532	4169	220	0	0
608	4245	296	4	20
684	4321	272	1	12
760	4397	348	5	4
836	4437	424	2	24

Methodus hujus tabulæ eadem eſt, quæ omnium. Quæritur enim in annis collectis Periodi Calippicæ, vel annorum Alexandræorum numerus proximè minor: Complementum ejus in annis expanſis. Numeri utrobique adſcripti ſi jungantur, dabunt annum Mundi, diem item, quo is annus incipit, feriam item & cyclum Solis ac Lunæ.

Notandum, ſi annos Mundi habeas, & ſcire velis annum Alexandræum, qui in eum incidat, abjiciendos eſſe ex annis Mundi 3637. Si verò annos Æræ Chriſtianæ habeas, adjiciendos eſſe annos 311. ut annus æræ Chriſtianæ 33. quo Chriſtus paſſus eſt, exurgat, ſi adjicias 311. fit annus Alexandræus 344. Deinde etiam hoc notandum, quòd Judæi Neomeniam Tiſri non celebrârint vel feriâ primâ, vel quartâ, vel ſextâ. Idque ſignificarunt in dictione אד״ו quæ has ferias in ſuis literis oſtendit; quemadmodum etiam Paſcha nunquam celebrârunt feriâ ſecundâ, aut quartâ, aut ſextâ, quod ſignificatum eſt in dictione בד״ו Si igitur jam colligantur ejuſmodi feriæ, quæ rejecula ſunt, transferenda eſt Neomenia Tiſri vel Paſchatis in ſequentem diem & feriam, & adhuc dies unus à calendis Januarii numeratus, eſt addendus. *Ut exempli gratia: Scire velim annum Contractuum 344. quoto die, & feriâ incipiat? proximè minor eſt 304. ubi annus Mundi 3941. fer. 2. Cyclus Solis 24. Complementũ ejus 40. ubi annis 40. commutant dies 267. fer. 2. Cyclus Solis 17. ſimul juncta, efficiunt annum Mundi 3981. diem 267. fer. 4. Cyclo Solis 13. Luna 14. Sed feria 4. rejecula eſt, nec in eam confertur Neomenia Tiſri.*

Ergò dies adhuc additur, & Neomenia fit die 268. fer. 5. Cœpit ergò is annus die 25. Sept. fer. 5. litera Dominicali E. atque ita hæc Neomenia politicè rectè conſtituta eſt.

Cæterùm ut Paſcha etiam habeas alicujus anni, tutiſſimum eſt, ſi Neomenia Tiſri ſequentis anni non ſolùm inquiratur, ſed etiam politicè rectè conſtituatur, & ex eâ dies 163. cum feriis duabus abjiciantur; & reſiduum exactè oſtendet primum diem azymorum. Si hoc communi Judæorum methodo perficere velles, diſpiciendum tibi eſſet, an annus iſte communis, vel Embolimæus, & in utrâque ratione, an eſſet defectivus, vel ordinarius, vel abundans: & tamen ſtatuenda eſſet Neomenia Tiſri ſequentis anni; quare hiſce tricis omiſſis Paſcha ſtatim invenitur, ſi ex ſequentis anni Neomeniâ ſubtrahantur, ut dictum eſt, dies 163. & feriæ duæ. *Exempli gratia: Scire velim paſcha anni Contractuum 344. Conſtituo ergò Neomeniam Tiſri ſequentis anni, quæ incidit die 257. à Calendis Januarii, fer. 2. Abjecti hinc dies 163. fer. 2. relinquitur dies 49. ſive quartus Aprilis, fer. 7. in quo Paſcha celebratum eſt.*

Sic Joſephus ſcribit, Hieroſolymam à Tito Veſpaſiano obſeſſam fuiſſe die 14. Aprilis in ipſo Paſchate factum anno æra Chriſtiana 70. cui ſi addidero 311. fit annus Contractuum 381. Sed quia inquirimus Paſcha, Ergò ſtatuenda eſt Neomenia Tiſri ſequentis anni 382. quæ incidit in diem 268. fer. 3. cyclo Solis 23. Hinc abjecti dies 163. fer. 2. reſtant dies 105. ſive 15. Aprilis, fer. 1. qui fuit primus dies azymorum, & præcedenti die comeſtus eſt agnus paſchalis, quo Hieroſolyma obſidione cincta fuit. Sic perſecutio Diocletiano accidit anno Æra Chriſtiana 303. cùm Paſcha incideret in menſem Martium. Si addidero 311. fit annus Contractuum 614. Sed neceſſe eſt, ut dixi, ut Neomenia ſequentis anni rectè conſtituatur, qui eſt 615. cujus proximè minor numerus eſt 608. reſiduum 7. Numeri utrobiq, collecti exhibent Neomeniam Tiſri, die 243. fer. 3. Subtractis hinc diebus 163. & fer. 2. ſupereſt dies 80. ſive 21. Martii, fer. 1. quâ Paſcha, ut in Aſiâ fieri ſolebat, ex traditione Iohannis Evangeliſta, hoc anno ex hoc Calendario Iudaico celebratum eſt. Ex hiſce exemplis manifeſtum eſt, Judæis ex periodo Calippicâ notum fuiſſe motum Lunarem, & Paſchata ſua ſecundùm eandem periodum inſtituiſſe, & nos eadem Paſchata, quo die & quâ feriâ celebrata ſint, inveſtigare poſſe. Interim tamen interdum accidit, ut propter motus bellicos, & aliis de cauſis, Paſcha rejectum ſit in ſequentem menſem; ita tamen, ne à motu Lunari recederent, ſed ut Paſcha, ita & feſtum Scenopegias, quæ diebus 177. diſtabant, in Plenilunio celebrarent. *Exemplum illuſtre eſt in Joſepho lib. 2. belli, cap. 23. ubi Scenopegia celebrata fuerat die 23. Hyperberetai, ſive 23. Octobris. Anno æra Chriſtiana 66. ut ſequentia oſtendunt; propterea quòd Paſcha præcedens in ſecundum menſem rejectum fuerat in diem 29. April.* Quæ reſtant de hoc anno Lunari, ad quem Judæi ſua feſta direxerunt, ut de differentiis annorum, de Tecuphis & menſibus Judaicis, dicemus paulo pòſt: Jam de *iiſdem Alexandreis,* ſed mutatis in annos Julianos.

Etſi, ut dictum eſt, Judæi & Eccleſia primitiva poſt tempora Apoſtolorum Periodo hac Calippicâ, & annis Alexandreis uſa eſt in feſtis mobilibus definiendis; tamen cùm Julius Cæſar Calendarium Romanum emendâſſet, & omnes Nationes in toto Romano Imperio id Calendarium ſequi vellet, Anni hi Alexandræi Lunares tranſierunt in Julianos & Solares; ita tamen, ut initium anni ſui retinerent in Autumno, idq; conſtituerent in Calendis Octobribus, tribus menſibus, priusquam anni Juliani a Calendis Januarii inciperent; & deinde, ut nomina menſium ſuorum retinerent. Menſes tamen ita conformârunt, ut in diebus ſuis reſponderent menſibus Julianis. Ab Arabibus autem hi anni vocati ſunt *anni Dilcarnaim,* ſive *anni binorum cornuum,* quòd Alexander Magnus bicornis vocatus eſſet, ſive ex deſcriptione Arietis apud Prophetam Danielem id ſumtum ſit, ſive quòd ipſe Alexander ſe ita pingi voluerit, ut numiſmata oſtendunt. Arabes & Aſtronomi ignorârunt, hoſce annos primitùs fuiſſe Lunares, & crediderunt, eos perpetuò ad Julianam formam decurriſſe; ideo ſtatuunt caput anni primi Alexandræi fuiſſe in Calendis Octobribus, feriâ ſecundâ. Porrò menſes horum annorum aliter nominantur apud Syros, Arabes, & Aſtronomos; aliter apud Macedones, Antiochenos, & in primitivâ Eccleſiâ: & cum menſibus Julianis ita conferuntur.

Menſes Syrorum.	*Menſes Macedonum.*	*Menſes Iuliani.*	*dies.*
Tisrin prior.	Hyperberetæus.	October	31
Tisrin poſterior.	Dius.	November	30
Canun prior.	Apelleus.	December	31
Canun poſterior.	Audinæus.	Januarius	31
Sabat vel Asbat.	Peritius.	Februarius	28
Adar.	Dyſtrus.	Martius	31
Niſan.	Xanthicus.	Aprilis	30
Ijar.	Artemiſius.	Majus	31
Haziran.	Dæſius.	Junius	30
Tamutz.	Panemus.	Julius	31
Ab.	Lous.	Auguſtus	31
Elul.	Gorpiæus.	September	30

Porrò hoſce annos ab Octobri incipere, non opus eſt prolixâ demonſtratione, ſatis ſit vel unicum teſtimonium *Johannis Pariſienſis,* qui tabulas Aſtronomicas Humeni Ægyptii ad annos Alexandreos deſcriptas ad æram Chriſtianam traduxit, & tempus tranſlationis hiſce verbis deſcribit: *Factæ fuerunt hæ tabulæ ad certificanda loca Planetarum, ad meridiem civitatis Antiochiæ, uno menſe ante annum Alexandreum, & quatuor menſibus ante annum Chriſti 1143.* Hæ tabulæ in uſu fuerunt, donec Alfon-

Alfonſus rex Hiſpaniarum ſuas tabulas per viros Aſtronomiæ peritiſſimos, Arabes præcipuè, conderet: & veram eſſe collationem annorum Chriſti & annorum Alexandreorum nemo ambigere poteſt, cùm aliàs motus cœleſtes non reſpondiſſent. Sed idem videre eſt etiam in tabulis Alfonſinis, ubi eadem collatio horum annorum extat, & item alibi: & nemo eſt, qui contradicat.

Priusquam de hiſce annis Alexandræis digrediamur, dicendum etiam eſt de *annis Chaldaicis*, quorum frequens mentio eſt apud Ptolomæum, Aſtronomi enim ad hoſce Chaldaicos annos doctrinam de ortu & occaſu Siderum, & eorundem ſignificationibus conſcripſerunt, cujus meminerũt Columella & Plinius, & alii; quando affirmant, hanc vel illam ſtellam oriri, vel manè, vel veſperi in Chaldæâ. &c. Non differunt autem anni Chaldaici ab Alexandreis, vel formâ anni, vel menſibus, vel Neomeniis. Ambo enim ad menſes lunares, & ad periodum Calippicam ab Autumno, quàm paulò ante propoſui, decurrunt, ſed tantùm antiquitate. Alexandrea enim æra uno anno antiquior eſt, quàm Chaldæa; atque ideo primus annus Chaldæorum Neomeniam primam in periodo Calippicâ non habet in die 6. Septembr. fer. 5. ſed quam definit in ſecundo anno, videlicet quæ incipit die 268. à Calendis Januarii ſive, die 25. Septembr. fer. 4. Ideo ad eandem quidem periodum Calippicam Neomenias annorum Chaldæorum habere poteris, ſed neceſſe eſt, ut ad datum annum ſemper adhuc unum adjicias, ut exempla oſtendent. Menſes etiam iidem ſunt cum Alexandreis apud Ptolomæum: apud Arabes tamen Syrorum menſes aſſumuntur. Hoſce menſes, ut in conſpectu ſint, & ad annos Alexandreos etiam adhiberi poſſint, hîc cum characteribus ſuis adſcribam.

MENSES.

Syrorum.	*Macedonum.*	*dies.*	*dies coll.*	*Char. fer.*
Tisrin prior.	Hyperberetæus.	30	30	0
Tisrin poſterior.	Dius.	29	59	2
Canun prior.	Apelleus.	30	89	3
Canun poſterior.	Audinæus.	29	118	5
Sabat vel Asbat.	Peritius.	30	148	6
Adar.	Dyſtrus.	29	177	1
Niſan.	Xanthicus.	30	207	2
Ijar.	Artemiſius.	29	236	4
Haziran.	Dæſius.	30	266	5
Tamutz.	Panemus.	29	295	7
Ab.	Lous.	30	325	1
Elul.	Gorpiæus.	29	354	3
Elul alter.	Gorpiæus alter.	30	384	4

Addamus etiam exempla hujus anni ex Ptolomæo, qui ait lib. 9. cap. 7. Mercurium viſum anno Chaldæorum 75. die 14. Tiſrin poſterioris ſive Dii, cùm Sol eſſet in 5. 10. Scorpii, idq; accidiſſe, Anno Nabonaſſ. 512. die 9. Thot. Annus Nab. 512. incipit die 21. Octob. fer. 4. Ergò dies 9. Thot eſt dies 29. Octob. fer. 5. ut idem habeam in annis Chaldaicis. addo annum unum & fiunt 76. ubi Neomenia Hyperberetæi incipit die 259. a Calendis Januarii, ſive die 16. Septemb. Pro primo menſe addo dies 30. & ex altero addo dies 13. ſumma omniũ dierum 302. ſive dies 29. Octob. Annus incipit fer. 4. & Character Dii, ſecundi menſis, eſt 2. fiunt ſimul juncti 6. Cœpit ergo Dius menſis fer. 6. & ejus dies 14. eſt feria quinta: atq; ita convenit. Sic idem Ptolomæus lib. 11. cap. 7. anno Chaldæorum 82. ait viſam Saturni ſtellam die 7. Xanthici menſis, Anno Nabon. 519. die 14. Tybi. Annus hic Nabonaſſ. incipit in Calendario Iuliano, die 20. Octob. fer. 4. Et dies 14. Tybi eſt primus menſis Martii fer. 4. Pro anno Chaldæorum 82. ſumo ſequentem, annum videlicet 83. cujus proximè minor numerus eſt 76. Reſiduum 7. & incipit die 243. fer. 3. priusquam Xanthicus menſis inceperat, præterierant menſes ſex, ſive dies 177. quibus addo 6. pro ſeptimo Xanthico, ſunt in univerſum dies 426. abjecto anno biſſextili, Cyclo Solis 5. ſuperſunt dies 60. ſive Calendæ Martii. Annus cœpit fer. 3. Character Xanthici eſt 2. Ergò Xanthicus menſis cœpit fer. 5. & dies ejus ſeptimus eſt fer. 4. atq; ita cum annis Nabonaſſareis convenit. Ita etiã, ſi quæ reliqua ſunt exempla, examinari poterunt.

De Calendario Judæorum novitio.

JUdæi Periodo Calippicâ in conſtituendis feſtivitatibus ſuis ad ſexcentos ferè annos uſi ſunt, donec viderent, cùm periodus illa vitium feciſſet, quæ anticipationem Lunarem non admittit, ſe ad præſcriptum legis feſta nequaquam legitimè celebrare, ſed biduo ſæpè à verò die aberrare, & Paſcha ſæpe die ſextâ decimâ, cùm decimâ quartâ deberent comedere: Ideo medicinam huic rei quæſiverunt, & Calendarium inſtituerunt, quod anticipationem Lunarem legitimam admitteret, & à veris Noviluniis non longè diſcederet. Hocque aſſecuti ſunt, cùm menſes ratione motus Lunaris deſcriberent. Confecerunt autem Calendarium hoc, ut ipſi Judæi ſcribunt, anno Judaico, vel ut ipſi nominant, à Creatione 4118. Anno Contractuum 670. anno poſt deſolationem templi ſecundi 290. qui eſt annus æræ Chriſtianæ 369. Sed Judæi in annis Mundi numerandis deficiunt annis 189. quos ſi ſubtrahas ex annis veris mundi, habes annos Judaicos. Contra verò, ſi annis Judaicis 189. addas, habebis annos Mundi veros. Calendarium Judaicum propono in hâc tabulâ.

Calendarium Judaicum.

Anni expanſi.	dies à Cal. lan.	fer.	hor.	ſcrup.	Cycl. Sol.
1	280	2	5	204	1
2	269	6	14	0	2
3	258	3	22	876	3
4	277	2	20	385	4
5	266	7	5	181	5
6	255	4	13	1057	6
7	274	3	11	566	7
8	263	7	20	362	8
9	281	6	17	951	9
10	271	4	2	747	10
11	260	1	11	543	11
12	279	7	9	52	12
13	267	4	17	928	13
14	257	2	2	724	14
15	276	1	0	233	15
16	265	5	9	29	16
17	253	2	17	905	17
18	272	1	15	414	18
19	262	6	[illegible]	210	19
20	280	4	21	799	20
21	269	2	6	595	21
22	258	6	15	391	22
23	277	5	12	980	23
24	266	2	21	776	24
25	255	7	6	572	25
26	274	6	4	81	26
27	263	3	12	957	27
28	282	2	10	466	28
29	270	6	19	262	1
30	260	4	4	58	2
31	279	3	1	647	3
32	268	7	10	443	4
33	256	4	19	239	5
34	275	3	16	828	6
35	265	1	1	624	7
36	254	6	10	410	8
37	272	4	7	609	9
38	261	1	16	805	10
39	280	7	14	314	11
40	269	4	23	100	12

Anni expanſi.	dies à Cal. lan.	fer.	hor.	ſcrup.	Cycl. Sol.
41	258	2	7	986	13
42	277	1	5	495	14
43	266	5	14	291	15
44	255	2	23	87	16
45	273	1	20	676	17
46	263	6	5	472	18
47	282	5	2	1061	19
48	271	1	11	857	20
49	259	6	20	653	21
50	278	5	18	162	22
51	168	3	2	1038	23
52	257	7	11	834	24
53	275	6	9	343	25
54	264	3	18	139	26
55	254	1	2	1015	27
56	259	7	0	524	28
56	261	4	9	320	1
58	280	3	6	909	2
59	269	7	15	705	3
60	259	5	0	501	4
61	276	3	22	10	5
62	266	1	6	886	6
63	255	5	15	682	7
64	274	4	13	191	8
65	262	1	21	1067	9
66	281	7	19	576	10
67	271	5	4	372	11
68	260	2	13	168	12
69	278	1	10	757	13
70	267	5	19	535	14
71	257	3	4	349	15
72	276	2	1	938	16
73	264	6	16	734	17
74	253	3	19	530	18
75	272	2	17	39	19
76	262	7	1	915	20

Altera

Altera pars Tabulæ annorum.

Anni Iudaici.	dies.	fer.	hor.	ſcrup.	
76	0	3	5	860	8
152	0	6	17	640	16
228	0	2	17	420	24
304	0	5	23	200	4
380	1	2	4	1060	12
456	1	5	10	841	20
532	1	1	16	620	0
608	1	4	22	400	8
684	2	1	4	180	16
760	2	4	9	1040	24
836	2	7	15	820	4
912	2	3	21	600	12
988	3	7	3	380	20
1064	3	3	9	160	0
1140	3	6	14	1020	8
1216	3	2	20	800	6
1292	4	6	2	580	24
1368	4	2	8	360	4
1444	4	5	14	140	12
1520	4	1	19	1000	20
1596	5	5	1	780	0
1672	5	1	7	560	8
1748	5	4	13	340	16
1824	5	7	19	120	24
1900	6	4	0	980	4
1976	6	7	6	760	12
2052	6	3	12	540	20
2128	6	6	18	320	0
2204	7	3	0	100	8
2280	7	6	5	960	16
2356	7	2	11	740	24
2432	7	5	17	520	4
2508	7	1	23	300	12
2584	8	5	5	80	[illegible]
2660	8	1	10	940	[illegible]
2736	8	4	16	720	8

Anni æræ Chriſtianæ.	Anni Iudaici.	dies.	fer.	hor.	ſcrup.
	2812	8	7	22	500
	2888	9	4	4	280
	2964	9	7	10	60
	3040	9	3	15	920
	3116	9	6	21	700
	3192	10	3	3	480
	3268	10	6	9	260
	3344	10	2	15	40
	3420	10	5	20	900
	3496	11	2	2	680
	3572	11	5	8	460
	3648	11	1	14	240
	3724	11	4	20	20
39	3800	12	1	1	880
115	3876	12	4	7	660
191	3952	12	7	13	440
267	4028	12	3	19	220
343	4104	13	7	1	0
419	4180	13	3	6	860
495	4256	13	6	12	640
571	4332	13	2	18	420
647	4408	14	6	0	200
723	4484	14	2	5	1060
799	4560	14	3	11	840
875	4636	14	1	17	620
951	4712	14	4	23	400
1027	4788	15	1	5	180
1103	4864	15	4	10	1040
1179	4940	15	7	16	820
1255	5016	15	3	22	600
1331	5092	16	7	4	380
1407	5168	16	3	10	160
1483	5244	16	6	15	1020
1559	5320	16	2	21	800
1635	5396	17	6	3	580
1711	5472	17	2	9	360

Fundamentum hujus tabulæ idem eſt, quod Syzygiarum Lunarium, primæ tabulæ, in initio; niſi quòd Judæi ad morem Arabum non per minuta computant, ſed per ſcrupula, quorum 1080. faciunt unam horam, & minutum noſtrum dat ſcrup. 18. Faciunt autem menſem Lunarem dierum 29. horarum 12. & ſcrupulorum 793. quæ ſcrupula aliquot minutis tertiis ſuperant medium motum Lunæ, ideò in annis 1500. ferè tardiora exhibet Novilunia per unam horam. Porrò hujusmodi menſes Lunares duodecim dant characterem anni communis, dies 354. fer. 4. hor. 8. ſcrup. 876. Tredecim verò Menſes pro anno Embolimæo dant dies 383. fer. 5. hor. 21. ſcrup. 589. Hinc colligitur character unius cycli Lunaris, annorum videlicet 19. fer. 2. hor. 16. ſcrup. 595. & anticipatio unius cycli in novendecim annis Julianis eſt, hora 1. & ſcrup. 485. quibus medius motus Lunæ annis Julianis novendecim minor eſt. In quatuor ergò cyclis anticipabit medius motus Lunæ horis 5. & ſcrup. 860. Ad rationem autem Judaicam dies non incipit à mediâ nocte, ſed ab occaſu Solis, ſive quod idem eſt ſex horis poſt meridiem. Æquinoctiales enim horas numerant quovis anni tempore, & Sol ipſis occidit ſex horis poſt meridiem, & oritur ſex horis ante meridiem: quapropter ab ineunte nocte incipiunt & diem & feriam ſequentem. Quod ad methodum hujus Calendarii attinet, eadem illa eſt, quæ omnium. *Ut, ſcire velim, annus Iudaicus 5376. qui hoc anno 1616. currit, quo die vel feriâ ſuperiori Septemb. cœperit? proximè minor numerus in alterâ parte tabulæ eſt 5320. ubi dies 16. fer. 2. hor. 21. ſcrup. 800. Reſiduum eſt 56. quod exhibet in primâ parte tabulæ diem 273. à Calendis Ianuarii, feriam 7. hor. 0. & ſcrup. 524. Si illa ab his ſubtrahantur, relinquitur dies à Calendis Iannar. 256. ſive dies 13. Septemb. fer. 4. hor. 2. ſcrup. 804. quibus Novilunium Tiſri incidit, idque Hieroſolymis. Nam ad meridianum Hieroſolymorum Iudæi ſua Novilunia computant. Si noſtro, ſive Romano more dicere velles, tum id Novilunium incidit in diem 12. Septembr. fer. 3. horam 8. poſt meridiem, cùm Iudæi ante binas horas diem 13. Septemb.*

& feriam quartam incepiſſent. Atque hoc modo quidem res peracta eſſet, ſi Judæi ſtatim à Novilunio quolibet annum ſuum inciperent. Verùm cùm ex vetuſtiſſimâ traditione Judæi nunquam annum ſuum, ſive Neomeniam Tiſri incipiant feriâ primâ, vel quartâ vel ſextâ, juxta regulam in Calendario poſitam: Neomenia Tiſri non ſit אדו quod legunt Adu. & Aleph feriam primam denotat, Daleth quartam, Vau ſextam. Si una ex his feriis occurrit, Neomeniam in ſequentem diem rejiciunt, quod & hoc anno factum eſt, & annum ſuum 5376. inceperunt à die 14. Sept. fer. 5. Quod ut rectiùs intelligatur, ſciendum, annos Judaicos duplices eſſe, vel communes, vel Embolimæos. Communes ſunt, qui tantùm duodecim menſes habent: Embolimæi verò, qui tredecim. Cognoſcitur communis annus, ſi dies Novilunii Tiſri ſequentis anni decreſcant. Exempli gratiâ: Primus annus habet dies Novilunii Tiſri 280. Sequens annus habet dies pauciores, videl. 269. Ergo primus annus eſt communis. Embolimæus verò eſt, qui ſequentis anni Neomeniam habet, pluribus diebus definitam, ut tertius annus in tabulâ expanſorum, habet Neomeniam Tiſri die à Calend. Januar. 258. Sed ſequens annus eandem definit in die 277. Ergò tertius annus eſt Embolimæus. Ideo autem habet plures dies, qui menſis Embolimus, triginta dierum ei inſertus eſt, poſt menſem Schebat, ante Adar, qui dicitur alter Adar menſis, ob hanc inſitionem Novilunium propter Tiſri ſequentis anni ulterius removetur. Uterque annus, tam communis, quàm Embolimæus, eſt in triplici differentiâ; aut enim eſt defectivus, aut ordinarius, aut abundans. Communis defectivus habet tantùm dies 353. ordinarius 354. abundans, 355. Embolimæus autem annus defectivus habet dies 383. Ordinarius dies 384. Abundans 385. Defectivi anni ex menſe Caſleu, qui habet triginta dies, abjiciunt diem unum, ut is menſis retineat tantùm dies 29. Abundantes contrà menſi Marcheſuan, qui habet tantum dies 29. addunt diem unum, ut accipiat 30. dies. Ordinarii nihil immutant. Hæc diverſitas annorum naſcitur ex translatione feriarum in Neomeniis Tiſri, de quâ jam.

Translatio feriarum duplex eſt, vel Aſtronomica, vel Politica. Aſtronomica eſt, quando Epilogiſmus Novilunii Tiſri excrevit ad horas 18. vel ultra. Judæi enim inchoant diem ab occaſu Solis, & horæ octodecim deſinunt in eam diei horam, quæ ferè vergit ad occaſum, hoc eſt, in ipſum meridiem. Ideò ſtatuunt, hujuſmodi Novilunium incidere in principium ſequentis diei, & Neomeniam etiam eò transferunt: ut, anni Judaici 5370. epilogiſmus eſt, dies 261. fer. 2. 20. 442. Hic cum horæ ultra octodecim excreverint, Neomenia Tiſri transfertur in feriam tertiam. Politica translatio eſt, de quâ diximus, quo Neomenia Tiſri non ſtatuatur in feriâ primâ, vel quartâ, vel ſextâ: ut, Epilogiſmus Neomeniæ Tiſri in anno Judaico 5368. eſt dies 11. Septemb. fer. 6. hor. 14. 57. Sed in feriâ ſextâ non conſtituitur Neomenia Tiſri: Ergo Neomenia confertur in ſequentem feriam ſeptimam. Accidit aliquando, ut translatio hæc in uno anno geminetur, diciturque translatio mixta, & Neomenia non in ſequentem diem, ſed in perendinum transfertur, ut, anni Judaici 5369. Epilogiſmus eſt, dies 242. fer. 3. hor. 22. ſcrup. 933. Hic Aſtronomicè propter horas excreſcentes Neomenia Tiſri ex tertia feria transferri debebat in ſequentem quartam: Sed quoniam quarta feria eſt rejecula, & Neomeniam Tiſri recipere non poteſt; ideò tranſcenditur hæc feria, & Neomenia Tiſri hujus anni transfertur in feriam quintam. Anomaliam præterea duplicem Judæi annotant in translatione Aſtronomicâ. *Prior* eſt, quando in anno communi Epilogiſmus Neomeniæ Tiſri eſt, fer. 3. hor. 9. 204. vel etiam aliquot horis, vel ſcrupulis major. Quæ Neomenia quidem eſt ejuſmodi, ut nec Aſtronomicè, vel Politicè videatur transferenda. Sed tamen neceſſe eſt, ut translatio hic mixta adhibeatur, & in feriam quintam rejiciatur, hâc de cauſa, quòd Character ſequentis anni in Novilunio Tiſri neceſſariò erit, fer. 7. hor. 18. 0. ubi Neomenia Aſtronomicè transfertur in feriam primam: & cùm ea non ſit capax Neomeniæ, transfertur in feriam ſecundam. Si jam Neomenia prior in feriâ tertiâ retineretur, tum communis annus ordinarius augeretur duobus diebus, & fieret dierum 356. quod eſt abſurdum. Ideo Epilogiſmus 3. 9. 204. transfertur Aſtronomicè in quartam, & politicè poſtea in quintam.

Altera anomalia eſt: Si poſt Embolimæum annum Neomenia Tiſri fuerit fer. 2. 15. 589. vel major aliquantò. Nam hoc modo neceſſe eſt, ut Neomenia præcedens fuerit fer. 3. hor. 18. 0. quæ mixtâ translatione in quintam feriam, delata fuit. Si jam fer. hæc 2. 15. 589. retineretur, tum annus Embolimæus fieret vix 382. dierum, quod eſt abſurdum. Ideo Epilogiſmus fer. 2. 15. 589. transfertur in feriam tertiam. Sed hæc anomalia rarior eſt.

Porrò ut rectè de annis pronunciari poſſit, an ſint defectivi, an verò ordinarii, vel abundantes, tum Neomenia Tiſri rectè conſtituenda eſt, non tantùm ejus anni quam deſideras, ſed etiam ſequentis anni; & tui anni, ſive præcedentis anni feria ex feria ſequentis anni eſt ſubducenda; & reſiduum feriarum oſtendet qualitatem anni, ut ſi in communi anno reſiduum ſit feria tertia, cum eſt annus defectivus, ſi 4. erit ordinarius: ſi 5. erit communis abundans. Contrà in Embolimæo, ſi quinq; feriæ relictæ fuerint, erit Embolimæus defectivus; ſi ſex, erit Embolimæus ordinarius; ſi ſeptem, erit abundans, *ut anni Judaici 5368. Neomenia Tiſri conſtituta fuit in fer. 7. Anni verò ſequentis 5369. Neomenia eſt fer. 5. ſi ferias ſeptem ex quinque ſubtraxero, & cum ſubtractio fieri non poſſit, addo ſeptem ferias, & ita ſuperſunt feria 5. oſtenduntque annum eſſe communem abundantem, qui in menſe Marcheſuan recipiat adhuc unum diem. Sic anni Judaici 5369. Neomenia eſt, ut habuimus fer. 5. Anni verò 5370. Neomenia eſt in fer. 3. ſi quinque ferias ex decem ſubtraxero, reſtant 5. & oſtendunt, hunc annum Embolymæum eſſe defectivum & habere in menſe Caſleu tantùm 29. dies.*

Men-

Menſes Judæorum cum Characteribus feriarum in hac tabula proponimus.

Menſes Lunæ æquabiles. Menſes Judæorum Politici.

In anno communi. In anno Embol.

Menſes	dies collect.	fer.	hor.	ſcrup.			Defect.	Ord	Abū	Defect.	Ord	Abū
1	29	1	12	793	7	Tisri.	■	■	0	0	0	0
2	59	3	1	506	8	Marcheſuan.	2	2	2	2	2	2
3	88	4	14	219	9	Chasleu.	3	3	4	3	3	4
4	111	6	2	1012	10	Thebeth.	4	5	6	4	5	6
5	147	7	15	725	11	Schebat.	5	6	7	5	6	7
2	177	2	4	438	0	Adar. Emb.	0	0	0	7	1	2
7	206	3	17	151	12	Adar.	7	1	2	2	3	4
8	236	5	5	944	1	Niſan.	1	2	3	3	4	5
9	265	6	18	657	2	Iiar.	3	4	5	5	6	7
10	295	1	7	370	3	Siwan.	4	5	6	6	7	1
11	324	2	20	83	4	Thamutz.	6	7	1	1	2	3
12	354	4	8	876	5	Ab.	7	1	2	2	3	4
13	383	5	21	589	6	Elul.	2	3	4	4	5	6
Plenilunium.												
1	14	7	18	396								

Uſus tabulæ prioris eſt, ut invento Novilunio Tisri, in diebus, horis & ſcrupulis ad quoſvis alios menſes deſcendere poſſis. Alterius tabulæ uſus eſt, ut ferias cujusvis menſis habere poſſis, ſi videlicet ad Neomeniam Tisri addideris Characterem menſis alicujus; ut diem etiam habeas, ſume eum ex tabula motûs Lunæ æquabilis, qui non procul abeſſe poteſt. Sed feria tamen eſt certior index. Si Paſcha alicujus anni inquires, rectiùs facies, ſi Neomeniam Tisri ſequentis anni rectè conſtituas, & ex eo die ſubtrahas dies 163. & ferias duas, & invenies Paſcha certo ſuo die, & feria, ut ſupra oſtendimus.

De annis Sabbathicis.

JUdæi annos Sabbathicos in ſuo Calendario vocant annos ſemitæ, & jubent annos Judaicos dividere per ſeptenarium, & ex reſiduo conjicere de anno Sabbathico, ut annus Judaicus 5377. diviſus per ſeptem, relinquit unitatem. Ergò anno 1615. menſe Septembri iniit primus annus poſt Sabbathicum. Ita in aliis.

De Judæorum Tecuphis.

TEcupha antiquitus Judæis erat momentum, in quo annus deſinebat, & alius incipiebat, ſtatuebaturque in autumno, circa quod tempus quàm proximè Scenopegiam Deus celebrari juſſit Exod. 34. v. 22. Sed poſteà Judæi Tecupham vocarunt quadrantem anni, ein Quartal & hodiè à Judæis exactiſſimè numeratur, indicitur & obſervatur. Duplices autem ſunt Tecuphæ apud Judæos: quarum *altera* antiquior eſt, quas *Rabbi Adda* invenit, qui ſecutus quantitatem anni ab Hipparcho conſtituti, ita Tecuphas æquavit, ut etſi rationem Solis in anno ſequerentur, paria tamen facerent cum motu lunari. Ita ut anticipatio lunaris nulla eſſet, quæ aliâs in annis Julianis 312. ad unum diem aſcendit. In ſingulis etiam annis cycli lunaris iiſdem diebus menſis lunaris recurrerent, niſi id tranſlationes feriarum aliquo modo turbarent. De his Rabbiori dicit in ſuo Calendario Palæſtino, quòd eas approbaverit Synedrion magnum & myſterium intercalationis appellaverit, ea de cauſa, quòd magis convenirent cum veritate, quam ſupputatio Tecupharum Samuelis. Sumpſit autem quantitatem anni, dierum ſcilicet 365. horarum 5. ſcrupul. 997. & momentorum 48. quorum 76. efficiunt unum ſcrupulum. Conſequens hic, quòd Tecupha una, ſive quadrans anni complectatur dies 91. hor. 7. ſcrup. 519. mom. 31. Tecuphæ duæ dies 182. horas 14. ſcrup. 1038. mom. 62. &c. Tecuphas Addæ in menſe Tiſri docemus in hac tabula:

Tabula Tecupharum Addæ.

Anni.	*dies.*	*fer.*	*hor.*	*ſcrup.*	*mom.*	*Cyclus Solis.*	*Anni.*	*dies.*	*fer.*	*hor.*	*ſcrup.*	*mom.*	*Cyclus Solis.*
1	274	3	9	41	14	1	41	274	4	5	1066	34	13
2	274	4	14	1038	62	2	42	274	5	11	384	6	14
3	274	5	20	956	34	3	43	274	6	17	901	54	15
4	275	7	2	874	6	4	44	274	7	23	819	26	16
5	274	1	8	791	54	5	45	274	2	5	736	74	17
6	274	2	14	709	26	[illegible]	46	274	3	11	654	46	18
7	274	3	20	626	74	7	47	274	4	17	572	18	19
8	275	5	2	543	46	8	48	274	5	23	489	66	20
9	274	6	8	462	18	9	49	274	7	5	407	38	21
10	274	7	14	379	66	10	50	274	1	11	345	10	22
11	274	1	20	297	38	11	51	274	2	17	242	58	23
12	275	3	2	215	10	12	52	274	3	23	160	30	24
13	274	4	8	132	58	13	53	274	5	5	78	2	25
14	274	5	14	50	30	14	54	274	6	10	1075	50	26
15	274	6	19	1048	2	15	55	274	7	16	993	22	27
16	275	1	1	965	50	16	56	274	1	22	911	70	28
17	274	2	7	883	22	17	57	274	3	4	828	42	1
18	274	3	13	800	70	18	58	274	4	10	746	14	2
19	274	4	19	718	42	19	59	274	5	16	663	62	3
20	275	6	1	636	14	20	60	274	6	22	571	34	4
21	274	7	7	553	62	21	61	274	1	4	499	6	5
22	274	1	13	471	34	22	62	274	2	10	416	54	6
23	274	2	19	389	6	23	63	274	3	16	334	26	7
24	275	4	1	306	54	24	64	274	4	22	251	74	8
25	274	5	7	224	26	25	65	274	6	4	169	46	9
26	274	6	13	141	74	26	66	274	7	10	87	18	10
27	274	7	19	59	46	27	67	274	1	16	4	66	11
[illegible]	275	2	0	1057	18	28	68	274	2	21	1002	38	12
29	274	3	6	974	66	1	69	274	4	3	920	10	13
30	274	4	12	892	38	2	70	274	5	9	837	58	14
31	274	5	18	810	10	3	71	274	6	15	755	30	15
32	275	7	[illegible]	727	58	4	72	274	7	21	673	2	16
33	274	1	6	645	30	5	73	274	2	3	590	50	17
34	274	2	12	563	2	[illegible]	74	274	3	9	518	22	18
35	274	3	18	480	50	7	75	274	4	15	425	70	19
36	275	5	0	398	22	8	76	274	5	21	343	42	20
37	274	6	6	515	70	9							
38	274	7	12	233	42	10							
39	274	1	18	151	14	11							
40	275	3	0	68	62	12							

Altera pars Tabulæ ſuperius deſcriptæ eſt in hoc ipſo capite, in Calendario Judaico, novitio. Planè enim paria facit hæc pars cum illa, ideò iterum eandem deſcribendam non duxi. Methodus ejus eſt, quæ Syzygiarum Lunarium ſemper in hac Iſagoge fuit: quæritur proximè minor numerus in altera parte Tabulæ in Calendario, reſiduum in hac Tabula, & illa ab his ſubtrahuntur, & habetur Tecupha Tiſri in die ſuo, in feria, hora, ſcrupulis & momentis. Ex data Tecupha Tiſri, deinde deſcendimus ad alias, & ſi horæ invicem additæ explent diem unum, tum feria, in aliis Tecuphis addenda, ut anno Judaico 5376. Tecupha Tiſri eſt die 258. ſive 15. Septe. fer. 6. hor. 1. ſcrup. 111. moment. 42. Ergo Tecupha Thebet erit die 15. Decemb. fer. 6. hor. 8. 630. 73. Tecupha Niſan erit 15. Martii, fer. 6. hor.

hor. 16. 79. 28. Tecupha Tamuz die 14. Junii, fer. 6. hor. 23. 598. 59. Et feria hoc anno non mutatur, non enim horæ tranſcendunt horas 24. ſive integrum diem. *Alterum genus Tecuphæ eſt*, Tecupha *Rabbi Samuelis*, vel Rabbi Hillel. Hillel enim eas ex Samuele deſumpſit, eæque ſunt ſtatariæ in anno Juliano, ſemperque manent in ſua ſede, & Tecupha Tiſri ſemper nobis manet in 24. Septembris, Tecupha Thebet ſemper in 25. Decembr. quemadmodum olim conſtitutæ fuerunt: & ita de aliis. Sed tamen non manent in eadem hora. *Exempli gratia: Tecupha Tiſri in primo anno incidit in horam nonam noctis, quæ nobis eſt hora tertia poſt mediam noctem, in ſecundo anno incidit in horam tertiam diei, quæ nobis eſt hora nona poſt mediam noctem: in tertio anno incidit in horam nonam diei, quæ nobis eſt hora tertia poſt meridiem: in quarto anno incidit in diem 25. Septembris, in horam tertiam noctis, quæ nobis eſt hora nona, poſt meridiem, diei 24. Septemb.* Cauſa hujus mutabilitatis eſt, quòd annum exactè dividunt in quatuor quadrantes. Dies in anno ſunt 365. & horæ 6. quæ in quatuor partes diviſæ, dant quadrantem dierum dies 91. horas ſeptem & dimidiam, atque ita quotannis quævis Tecupha 6. horis poſterior eſt, quàm fuit præcedenti anno, donec poſt quatuor annos ad initium redeat. Quatuor autem iſtos annos Judæi numerant ex cyclo Solis, quem per quaternarium dividunt, ut ex reſiduo de anno judicant: ut ſi eſſet cyclus Solis decimus, tum quaternariis abjectis reſtant duo. Eſt igitur annus ſecundus, & Tecupha Tiſri accidit hora tertia diei: feria etiam Tecupha Tiſri eruitur ex cyclo Solis: ideò eum adſcribam, & ferias ſubter eum adjiciam.

Cyclus Solis:	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	
Feria:	III	IV	V	VII	I	II	III	V	VI	VII	I	III	IV	
	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28.
	V	VI	I	II	III	IV	VI	VII	I	II	IV	V	VI	VII	II.

Apponam etiam alteram tabulam, in qua annotantur dies & horæ ad calendarium Judaicum: quibus addam characterem feriarum. Horæ diei numerantur à Judæis ab occaſu Solis; Ideò feriæ incipiunt ipſis ab occaſu Solis, cum nobis feriæ permaneant uſque ad mediam noctem.

Tabula hæc eſt:

Anni:	Tecupha Tiſri. *dies*	*hor.*	*min.*	*Charact.*	Thebeth. *dies*	*hor.*	*min.*	*Charact.*	Niſan. *dies*	*hora.*		*Charact.*	Tamutz. *dies*	*hor.*	*min.*	*Charact.*
1	267	9	[illegible]	0	358	16	30	0	85	*occidente Sole.*		1	176	7	30	1
2	267	15	0	0	358	22	30	0		*incipiente nocte*		1	176	13	30	1
									85	6	[illegible]					
3	267	21	0	0	359	4	30	0	85	12	0	1	176	19	30	1
4	268	3	0	0	359	10	30	0	84	18	0	0	177	1	30	1

Ubique ut vides, Judæi ſex horis prius diem & ferias incipiunt, ac nos facimus in Calendario Juliano. Ideò ne te ea res turbet, attende feriam, ut dixi, habes ex cyclo Solis horas Tecuphæ, Tiſri, aut alterius, ſi cyclum Solis per quaternarium dividas, & ex reſiduo annum convenientem ſumas: ex Tecupha etiam Tiſri ferias aliarum Tecupharum habes, ſunt enim vel eadem, vel augentur unitate, ſi unitas ipſis adſcripta eſt.

Si inſuper ſcire volueris, quoto die menſis Judaici Tiſri Tecupha agenda ſit, ſi rectè conſtitueris Neomeniam Tiſri, eamque in Calendario Juliano rectè fixeris, ſubduc eum Neomeniæ diem ex die 267. vel etiam, ſi convenit ex die 267. à Calendis Januarii, & habebis differentiam, ex qua dies Tiſri apparet, ſi dies addatur. Exempli gratia: Anni Judaici 5367. Neomenia Tiſri fixa eſt in die 265. à Calendis Januarii. Eſt anni cycli Solaris 19. qui diviſus per quatuor, relinquit tria, & indicat Tecupham actum iri feria quarta, die 267. hora 21. ſive tertia poſt meridiem, differentia inter Neomeniam & Tecupham Tiſri eſt 2. Ergò, ſi addidero unitatem, Tecupha Tiſri incidet in diem tertium menſis Tiſri, Tecupha Thebet agetur die 25. Decemb. fer. 5. Sic Tecupha Niſan agetur die 26. Martii, fer. quinta oriente Sole, & Tecupham Tamutz ſimiliter fer. 5. die 25. Junii.

Porrò feſta Judæorum præcipua ſunt, *Menſe Tiſri:*

1. *Feſtum Clangoris tubarum, Levit. 23.*
3. *Ieiunium Godoliæ, Zach. 8.*
10. *Feſtum expiationis, vel Kippurim, Lev. 23.*
15. *Scenopegia, Levit. 23.*
22. *Octava Scenopegiæ, Levit. 23.*
23. *Feſtivitas legis, Kiddus.*
25. *Chaslen, Encænia Maccabei.*
9. *Thebeth, Ieiunium Thebeth, Zach. 8.*
14. *Adar, Dies Phurim, 2. Maccab. 15.*
14. *Niſan, Paſcha, Levit. 23.*
15. *Niſan, Azyma, Levit. 23.*
21. *Niſan, Septima Azymorum, Levit. 23.*
6. *Sivvan, Pentecoſte, Levit. 23.*
17. *Tamutz, Ieiunium Thamutz.*
4. *Ab, Xylophoria, Nehem. 10. 34.*
9. *Ab, Ieiunium Ab, Zach. 7.*

CAPUT

CAPUT XIII.

De annis Hegiræ.

TUrcæ epocham annorum ſuorum numerant à nocte, quæ ſecuta eſt diem 15. Julii, feria ſexta ineunte, anno Æræ Chriſtianæ 622. cyclo Solis 15. Lunæ 15. quam Epocha vocant annos Hegiræ, hoc eſt, annos fugæ vel exilii: Propterea, quòd Muhamedes Pſeudopropheta hoſtibus, propter legem Alcorani latam invaleſcentibus, ea nocte Mecha urbe fugere cogeretur, quanquam vocabulum Hegiræ rectius ab Hagar ancilla Abrahami, & à gente Hagarena deduceretur; ſed quoniam Arabes ita interpretantur, eſto ſanè fuga, & fugiant, *ut loquitur Scaliger*, omnes Muhamediſtæ, quo & quantum libuerit. Eſt autem forma anni hujus tantùm Lunaris, qualem nulla unquam alia gens uſurpavit, & conſtat tantùm duodecim menſibus lunaribus, definiturque diebus 354. & horis præterea 8. ac minutis 48. ſive ſi minuta diei reſpicias, & dierum 354. & 22. minutorum, quæ minuta ſi ad ſexaginta pervenerint, aſſumitur in fine anni adhuc unus dies, & annus is abſolvitur diebus 355. diciturque ὑπερήμερος, ſive intercalaris. Manifeſtum ex his eſt, cum annus Hegiræ diebus 10. & minut. 53. minor ſit, quàm annus Julianus, quòd tot diebus & minutis annus Hegiræ quotannis anticipet, & in annis triginti duobus Julianis & dimidio omnes menſes initio ſuo percurrat, ut exempli gratia: Si hoc anno annus aliquis Hegiræ incipiat Calendis Decemb. poſt ſedecim annos initium ejus ad initium Julii perveniet, inde iterum poſt ſedecim annos ad Decembrem redibit. Cæterùm quòd feria ſexta Turcis ſacra eſt, id non ex lege Muhamedi habent, ſed Muhamed id apud Arabes retinuit, qui morem hunc celebrandi diem Veneris ex gentilitate habebant, ut eſt apud Scaligerum. Cæterùm, ad quem anni pertineant, & quo die incipiant anni Hegiræ in annis æræ Chriſtianæ, & quomodo viciſſim in annis æræ Chriſtianæ inveniantur, docebimus in his tabulis.

Prima Tabul. annorum Heg.

Anni Hegir.	Anni Æra Chriſt.	dies	min	feria
1	1	197	18	6
2	2	186	25	3
3	3	175	32	1
4	4	164	39	5
5	5	153	46	2
6	6	142	53	7
7	7	132	0	4
8	8	121	7	1
9	9	110	14	6
10	10	99	21	3
11	11	88	28	7
12	12	77	35	5
13	13	66	42	2
14	14	55	49	7
15	15	44	56	4
16	16	34	3	1
17	17	23	10	6
18	18	12	17	3
19	19	1	24	7
20	19	355	42	5
21	20	344	49	2
22	21	333	56	7
23	22	323	3	4
24	23	312	10	1
25	24	301	17	6
26	25	290	24	3
27	26	279	31	7
28	27	268	38	5
29	28	257	45	2
30	29	246	52	6

Altera pars annor. collect. ſequitur.

Anni Heg.	Anni Æræ Chri.	dies	min
0	621	0	0
30	650	38	45
60	679	77	30
90	708	116	15
120	737	155	0
150	766	193	45
180	795	232	30
210	824	271	15
240	853	310	0
270	882	348	45
300	912	22	15
330	941	61	0
360	970	99	45
390	999	138	30
420	1028	177	15
450	1057	216	0
480	1086	254	45
510	1115	293	30
540	1144	332	15
570	1174	5	45
600	1203	44	30
630	1232	83	15
660	1261	122	0
690	1290	160	45
720	1319	199	30
750	1348	238	15
780	1377	277	0
810	1406	315	45
840	1435	354	35
870	1465	28	0
900	1494	66	45
930	1523	105	30
960	1552	144	15
990	1581	183	0
1020	1610	221	45
1050	1639	260	30

Tabula altera annorum Æræ Chriſtianæ.

Anni Æ. Chriſtianæ	Anni Hegir.	dies	min	Litera Dominicalis	
1	0	167	42		B
2	1	179	20	A	G
3	2	189	58		F
4	3	200	36		E
5	4	211	14		D
6	5	222	52	C	B
7	6	233	30		A
8	7	244	8		G
9	8	254	46		F
10	9	266	24	E	D
11	10	277	2		C
12	11	287	40		B
13	12	298	18		A
14	13	309	56	G	F
15	14	320	34		E
16	15	331	12		D
17	16	341	50		C
18	17	353	28	B	A
19	19	9	44		G
20	20	20	22		F
21	21	31	0		E
22	22	42	38	D	C
23	23	53	16		B
24	24	53	54		A
25	25	74	32		G
26	26	86	10	F	E
27	27	96	48		D
28	28	107	26		C

Altera pars annorum collectorum ſequitur:

Anni Æræ Ch. coll.	Anni Heg.	dies	min
622	0	0	
650	29	304	44
678	57	255	6
706	86	205	28
734	115	155	50
762	144	106	12
790	173	56	34
818	202	6	6
846	230	311	40
874	259	262	2
902	288	212	24
930	317	162	46
958	346	113	8
986	375	63	30
1014	404	13	52
1042	432	318	36
1070	461	268	58
1098	490	219	20
1126	519	169	42
1154	548	120	4
1182	577	70	26
1210	606	21	48
1238	634	325	32
1266	663	275	54
1294	692	226	16
1322	721	176	38
1350	750	127	0
1378	779	77	22
1406	808	27	44
1434	836	332	28
1462	865	282	50
1490	894	233	12
1518	923	185	34
1546	952	123	65
1574	981	84	18
1602	1010	34	40
1630	1038	339	24
1658	1067	289	46

Menſes Turcici:	*Dies collect.*	*Character menſ.*
Muharam.	30	[illegible]
Sepher.	59	2
Rabie Evel prior.	89	3
Rabie Achir poſt.	118	5
Giumadi prior.	148	6
Giumadi poſt.	177	1
Regiab vel Receb.	207	2
Sahaben.	236	4
Ramadan.	266	5
Schebal vel Xavel.	295	7
Dulcada, Silcade.	325	1
Dilhaga, Zilitſche. vel Dhilhitſche.	354	3

Diſtinctæ ſunt quæſtiones, ſi dato anno Hegiræ ſcire velim, in quem annum Æræ Chriſtianæ, is annus Hegiræ incidat, & contra. Si dato aliquo anno Æræ Chriſtianæ ſcire velim, quis annus Hegiræ eo anno incipiat. Priori quæſtioni reſpondetur in priori Tabula. Poſteriori in altera. Methodo quidem cum aliis omnibus conveniunt, videlicet, quòd proximè minor numerus in altera parte Tabulæ quæritur, & reſiduum in priori, & poſtea quòd numeri utrobique inventi, & ſimul additi ſatis faciant quæſtioni. Sed tamen de utraq; Tabula eſt aliquid addendum.

Anni Hegiræ nunquam exactè coeunt in amicitiam cum annis Æræ Chriſtianæ, nec eſt alia Æra, quæ ita contumax eſſet ad annos Julianos, fortaſſis, quia omen eſt diſſidii perpetui inter Romanum imperium & Turcas. Certa quidem quantitas annorum Hegiræ & Æræ Chriſtianæ datur, & in concordiam redigi poſſent, niſi anni Hegiræ ita ab anno biſſextili abhorrerent: quapropter neceſſarium fuit, ut in Tabula prima dies iſte biſſextus in horas diſtribueretur, & quilibet annus Æræ Chriſtianæ ſtatueretur dierum 365. & horarum 6. ſive minutorum diei 15. quæ minuta etiam in gratiam annorum Hegiræ aſſumuntur, cum præter dies 354. non certis horis illæ octo videlicet abſolvantur, ſed inſuper minutis horariis 48. quæ faciliùs & brevius per minuta diei 22. exprimuntur. Differentia hoc modo eſt inter annum Æræ Chriſtianæ, & annum Hegiræ dierum 10. & minutorum diei 53. atque hac proportione prima Tabula confecta eſt. Si igitur jam datur annus Hegiræ, quem ad annum aliquem Æræ Chriſtianæ reducere cupis, adde annos, & dies, & minuta, & ferias, quæ inveniuntur, & in minore numero & in reſiduo: & habebis annum certum Æræ Chriſtianæ, diem etiam & feriam, quibus annus ille Hegiræ incipit. Si dies excreverint ultra quantitatem anni, tum, ex diebus 365. & minut. 15. confice annum, quem junge annis Æræ Chriſtianæ, & ex ſexaginta minutis fac diem, ut: *Scire velim annum* 1025. *quo anno Æra Chriſtiana vel die incipiat, proximè minor numerus eſt* 1020. *ubi anni* 1610. *dies* 221. *minut.* 45. *fer.* 2. *Reſiduum* 5. *anni, dies* 153. *minut.* 46. *fer.* 2. *Hac ſimul ſumpta dant annum æra Chriſtiana* 1615. *dies* 374. *& minuta* 91. *Si ex* 60. *minutis fiunt dies unus, fiunt dies* 375. *minut.* 31. *hinc abjectus annus, dies* 365. *& minut.* 15. *qui annus reliquis additur. Fitque annus* 1616. *dies* 10. *Januarii, fer.* 4. *qua annus Hegira* 1025. *incipit. Convenit feria ergò, & rectè dies inventus eſt.*

Altera Tabula ad annos æræ Chriſtianæ confecta eſt, & quidem ad Calendas Januarii, ut appareat, quot anni & dies iſtis Calendis Januarii ex annis Hegiræ præterierint, ubi ſi dies exceſſerint annum, tum ex diebus 354. & minutis 22. fit annus Hegiræ & reliquis additur. *Ut, quæritur, futuris Calendis Jan. anno* 1617. *quot anni & dies præterierint. Proximè minor numerus eſt* 1602. *ubi anni* 1010. *dies* 34. *minut.* 40. *Reſiduum anni* 15. *ubi anni Hegir.* 14. *dies* 320. *min.* 34. *qua ſimul faciunt annos* 1024. *dies* 355. 14. *Sed hi dies etiam efficiunt annum Hegira, qui requirit dies* 354. *& min.* 22. *Ergò completi ſunt hiſce Calendis Januarii anni Heg.* 1025. *& inſuper minuta* 52. *qua ſubtracta ex diebus* 365. *relinquunt diem* 364. *& minut.* 8. *ubi incepit annus Hegira* 1026. *Si jam ex hiſce diebus* 364. *& minutis octo abjiceres integrum annum, tum pervenires ad diem* 10. *Januarii, quo annus Hegir.* 1025. *incipit.* Ubi vides ex utraque Tabula idem confici, & alteram per alteram examinari poſſe. Nec error intervenire poteſt, ſi rectè numeres, niſi quòd in poſteriori Tabula in annis biſſextilibus menſe Januario & Februario unius diei diſcrepantia intervenit, propterea quòd biſſextus poſt ultimum Decembris in Tabulis inſertus eſt, ſive initio potiùs Calendarum Januarii, quod mutari non potuit.

Atque hæc eſt vera ratio annorum Turcicorum quibus jungere poteris, ſi velis *annos Indorum*, qui cœperunt à primis Calendis Julianis à Julio Cæſare conſtitutis, & anteceſſerunt annos Hegiræ, annis ſolidis 687. quos ſi addas annis Hegiræ, habebis annos Indorum, qui & menſibus & diebus cum annis Hegiræ planè conveniunt, niſi quod anticipant uno die, aut interdum biduo, in conſtituendo primo menſe. *Exemplum adhuc unum ad annos Hegira addamus.* Leonclavius, *vir doctiſſimus, refert in diplomate Imperatoris Turcici, quo continebatur prorogatio pacis cum Rudolpho II. Imperatore, hæc verba addita fuiſſe.* Datum die primo menſis Januarii, anni Domini Jeſu, ſupra quem ſit gratia & auxilium divinum, 1584. Anno tranſmigrationis magni Prophetæ noſtri, ſupra quem ſit gratia ſalusque divina 991. die 27. ſacræ Lunæ Dhilhitſche. *Si ex ſecunda Tabula inquiras annum* 1584. *quot anni Hegira & dies elapſi ſint ad illas Calendas Januarii: invenies annos Heg.* 990. *& de* 991. *dies* 350. *& minut.* 42. *hoc eſt ferè dies* 351. *Incipit autem menſis Dhilhitſche in anno Hegira die* 325. *ut vides in menſibus Hegira, ergò dies* 351. *ſive dies* 27. *Dhilhitſche, eſt primus Januarii, ſic ex prima Tabula annus Hegira* 991. *incipit anno Æra Chriſtiana* 1583. *die* 15. *Januarii, feria* 3 *ſi addidero dies* 325. *uſque ad initium menſis Dhilhitſche, fient dies in anno Æra Chriſtiana* 340. *quo incipit hic menſis, feria* 6. *additi dies* 26. *fiunt dies* 366. *hoc eſt, Calenda Januarii, anno* 1584. *fer.* 4. *ſive dies* 27. *Dhilhitſche. Et die* 4. *Januarii incipit annus Hegir.* 992 *fer.* 7. *& ſic in aliis.*

CAPUT

CAPUT XIII.

De Æra Diocletiana, & Æthiopum.

ÆRa Diocletiana in uſu eſt apud Ægyptios; vocatur aliàs Æra Martyrum, vel æra annorum gratiæ, quanquam annos gratiæ etiam aliàs vocant, ſi ex Æra Diocletiana binos magnos cyclos hoc eſt, *bis* 532. abjeceris, forma anni eſt Nabonaſſarea, præterquam quòd quarto anno exacto aſſumit diem intercalarem, atque ita initium anni ſtato die in anno Juliano retinet. Menſes ejus omnes ſunt dierum triginta, quibus in fine addunt dies epagomenas quinq; vel etiam, ſi dies intercalaris inſerendus eſt, ſex, ut in anno Gelalæo factum eſt. Rationem Calendarii in feſtis mobilibus conſtituendis ſequuntur, quæ apud antiquos in uſu fuit, per epactas, per regulares & alia hiſce ſimilia, eam tradit. *Scaliger* in libris de emendatione temporum, & in Canonibus, quem vide. Nos, quomodo cum Æra Chriſtiana hi anni in concordiam redigendi ſint, oſtendemus, & ex annis æræ Chriſtianæ poſtea feſta mobilia etiam in hac æra ordinabuntur. Incipiunt autem anni æræ Diocletianæ ad diem 29. Auguſti Juliani, à die decollationis Johannis. Idque ideò, quòd in vitioſo Calendario, tempore Auguſti Cæſaris, quando prælium ejus cum Antonio ad Actium contigit, & poſtea etiam ſequenti anno quando Alexandria capta eſt, anni Nabonaſſarei, & mortis Alexandri die 29. Auguſti cœpiſſent, à quo die Romæ ex Senatusconſulto inſtituta eſt nova æra, quæ *Æra Actiaca victoria, vel Æra Auguſtorum Deorum* appellata fuit, incipitque à capta Alexandria, ut expreſsè apud Dionem & in Canone Mathematico Ptolomæi habetur. Ea cum per annos 313. continuata fuiſſet; tranſiit in *Æram Diocletianam*, quod Ægyptii, cum novum cyclum Paſchalem inciperent, & Diocletianus, qui poſtea Eccleſiam per integros annos decem crudeliſſimè perſecutus eſſet, eo anno imperare cœpiſſet. Anni autem Auguſtorum Deorum per luſtra quaternorum annorum ita tranſierant, ut ſinguli anni ab aliquo Heroe vel Deo gentili denominarentur, puta à Serapide, aut Iſide, aut ſimili Heroe: quapropter Ægyptii abhorrentes à Diis gentilibus, hoſce quatuor annos à quatuor Evangeliſtis denominarunt, & eo quidem anno, quo nos biſſextilem habemus, inchoant die 29. Auguſti, annum vel dies Matthæi. Sequenti anno, ab eodem die inchoant annum vel dies Marci, tertio, annum Lucæ, in cujus fine diem intercalarem addunt, atque ita diebus 180. priùs intercalarem inſerunt, quàm ſic in annis æræ Chriſtianæ, & hac de cauſa quartus annus, qui eſt Johannis Evangeliſtæ, non incipit, ut reliqui, die 29. Auguſti, ſed die 30. Auguſti: atque ita omnes dies feſti ſtabiles ut dies Apoſtolorum, feſtum Nativitatis Chriſti, Circumciſionis, Epiphanias, &c. ſunt uno die poſteriores ab initio anni, qui Johanni tribuitur, uſque dum apud nos dies biſſextus etiam inſeritur. Cujus rei meminit etiam Beda, ut autem ſciant, quis Evangeliſta, cui anno tribuatur, dividunt cyclum Solis ejus anni per quaternarium; Et, ſi unitas remanſerit, erit annus Matthæi: ſi binarius, eſt annus Marci, ſi ternarius, Lucæ; ſi quaternarius, vel nihil remanſerit, erit annus Johannis. Dies autem 29. Auguſti ſi anni ita diſtribuantur, non in antecedenti anno ſumendus eſt, ſed in eo ipſo anno, ubi iſte cyclus Solis habetur. Rediguntur autem anni Diocletiani ad annos æræ Chriſtianæ, ſi ipſis addantur anni 283. ſive, ſi ex annis æræ Chriſtianæ annos Diocletiani venaberis, abjice annos 283. ut anno 1616. ſi abjiciantur 283. ſuperſunt anni 1333. qui annus inibit die 29. Auguſti. Eſtque annus Matthæi.

Æthiopes eadem forma anni utuntur, & quidem annos ſuos à Nativitate Chriſti numerant. Sed tamen numero annorum nobiſcum non conſentiunt ſed ſeptem annos pauciores habent, ut anno 1616. ipſi numerant annum ineunte die 29. Auguſti 1610. A condito Mundo autem, uſque ad Chriſtum natum ipſi cum Græca Eccleſia ferè numerant annos 5500. Menſes Ægyptiorum ſunt, ut in annis Nabonaſſareis. Æthiopes verò peculiares habent, quos poſtea conjungemus. Prius dies in annis Diocletiani ad noſtros Julianos applicabimus in ſequenti Tabula:

Anno Dioclet. & Æth. MENSIS		Octo-ber.	Paophi.	De-cemb.	Cho-iac.	Ianu-arius.	Tybi.	Mar-tius.	Pha-men.	Apri-lis.	Pa-chon.	Iuni-us.	Pay-ni.	Au-guſtus.	Meſo-ri.
		13 F	16	1 F	5	20 F	25	9 E	13	27 E	2	15 E	21	2 D	9
		14 G	17	2 G	6	21 G	26	10 F	14	28 F	3	16 F	22	3 [illegible]	10
Au-		15 A	18	3 A	7	22 A	27	11 G	15	29 G	4	17 G	23	4 F	11
guſt.	Thot.	16 B	19	4 B	8	23 B	28	12 A	16	30 A	5	18 A	24	5 G	12
29 C	1	17 C	20	5 C	9	24 C	29	13 B	17	Maji		19 B	25	6 A	13
30 D	2	18 D	21	6 D	10	25 D	30	14 C	18	1 B	6	20 C	26	7 B	14
31 E	3	19 E	22	7 E	11		Mech	15 D	19	2 C	7	21 D	27	8 C	15
Sept.		20 F	23	8 F	12	26 E	1	16 E	20	3 D	8	22 E	28	9 D	16
1 F	4	21 G	24	9 G	13	27 F	2	17 F	21	4 E	9	23 F	29	10 E	17
2 G	5	22 A	25	10 A	14	28 G	3	18 G	22	5 F	10	24 G	30	11 F	18
3 A	6	23 B	26	11 B	15	29 A	4	19 A	23	6 G	11		Epip.	12 G	19
4 B	7	24 C	27	12 C	16	30 B	5	20 [illegible]	24	7 A	12	25 A	1	13 A	20
5 C	8	25 D	28	13 D	17	31 C	6	21 C	25	8 B	13	26 B	2	14 B	21
6 D	9	26 E	29	14 E	18	Febr.		22 D	26	9 C	14	27 C	3	15 C	22
7 E	10	27 F	30	15 F	19	1 D	7	23 E	27	10 D	15	28 D	4	16 D	23
8 F	11		Athyr	16 G	20	2 E	8	24 F	28	11 E	16	29 E	5	17 E	24
9 G	12	28 G	1	17 A	21	3 F	9	25 G	29	12 F	17	30 F		18 F	25
10 A	13	29 A	2	18 B	22	4 G	10	26 A	30	13 G	18	Iulius	6	19 G	26
11 B	14	30 B	3	19 C	23	5 A	11		Phar	14 A	19	1 G	7	20 A	27
12 C	15	31 C	4	20 D	24	6 B	12	27 B	1	15 B	20	2 A	8	21 B	28
13 D	16	Nov.		21 E	25	7 C	13	28 C	2	16 C	21	3 B	9	22 C	29
14 E	17	1 D	5	22 F	26	8 D	14	29 D	3	17 D	22	4 C	10	23 D	30
15 F	18	2 E	6	23 G	27	9 E	15	30 E	4	18 E	23	5 D	11		Epag.
16 G	19	3 F	7	24 A	28	10 F	16	31 F	5	19 F	24	6 E	12	24 E	1
17 A	20	4 G	8	25 [illegible]	29	11 G	17	April		20 G	25	7 F	13	25 F	2
18 B	21	5 A	9	26 C	30	12 A	18	1 G	6	21 A	26	8 G	14	26 G	3
19 C	22	6 B	10		Tybi.	13 B	19	2 A	7	22 B	27	9 A	15	27 A	4
20 D	23	7 C	11	27 D	1	14 C	20	3 B	8	23 C	28	10 B	16	28 [illegible]	5
21 E	24	8 D	12	28 E	2	15 D	21	4 C	9	24 D	29	11 C	17		
22 F	25	9 E	13	29 F	3	16 E	22	5 D	10	25 E	30	12 D	18		
23 G	26	10 F	14	30 G	4	17 F	23	6 E	11		Payni	13 E	19		
24 A	27	11 G	15	31 A	5	18 G	24	7 F	12	26 F	1	14 F	20		
25 B	28	12 A	16	Ianu.		19 A	25	8 G	13	27 G	2	15 G	21		
26 C	29	13 B	17	1 A	6	20 B	26	9 A	14	28 A	3	16 A	22		
27 D	30	14 C	18	2 B	7	21 C	27	10 B	15	29 B	4	17 B	23		
	Paop.	15 D	19	3 C	8	22 D	28	11 C	16	30 C	5	18 C	24		
28 E	1	16 E	20	4 D	9	23 E	29	12 D	17	31 D	6	19 D	25		
29 F	2	17 F	21	5 E	10	24 F	30	13 E	18	Iuni.		20 E	26		
30 G	3	18 G	22	6 F	11		Phan	14 F	19	1 E	7	21 F	27		
Octo.		19 A	23	7 G	12	25 G	1	15 G	20	2 F	8	22 G	28		
1 A	4	20 [illegible]	24	8 A	13	26 A	2	16 A	21	3 G	9	23 A	29		
2 B	5	21 C	25	9 B	14	27 B	3	17 B	22	4 A	10	24 B	30		
3 C	6	22 D	26	10 C	15	28 C	4	18 C	23	5 B	11		Meſo		
4 D	7	23 E	27	11 D	16	Mart		19 D	24	6 C	12	25 C	1		
5 E	8	24 F	28	12 E	17	1 D	5	20 E	25	7 D	13	26 D	2		
6 F	9	25 G	29	13 F	28	2 E	6	21 F	26	8 E	14	27 E	3		
7 G	10	26 A	30	14 G	19	3 F	7	22 G	27	9 F	15	28 F	4		
8 A	11		Choi.	15 A	10	4 G	8	23 A	28	10 G	16	29 G	5		
9 [illegible]	12	27 B	1	16 B	21	5 A	9	24 B	29	11 A	17	30 A	6		
10 C	13	28 C	2	17 C	22	6 B	10	25 C	30	12 B	18	31 B	7		
11 D	14	29 D	3	18 D	23	7 C	11		Pach.	13 C	19	Aug.			
12 E	15	30 E	4	19 E	24	8 D	12	26 D	1	14 D	20	1 C	8		

Menſes annorum Diocletiani ſunt, ut in annis Nabonaſſaris; Æthiopes verò peculiares habent, quos in hac tabula conjungemus.

Menſes Diocletiani.	*Æthiopici.*	*Dies Collect.*	*Charact. fer.*
Thoth.	Maſcaram.	30	[illegible]
Paophi.	Tikmith.	60	2
Athyr.	Chadar.	90	4
Choiac.	Thachſchach.	120	6
Tybi.	Tir.	150	1
Mechir.	Iachathith.	180	3
Phamenoth.	Magabith.	210	5
Pharmuthi.	Miaria.	240	7
Pachon.	Ginboth.	270	2
Payni.	Sane.	300	4
Epiphi.	Hamle.	330	6
Meſori.	Nachaſe.	360	1
Epagomen.	Pagomen.	365	3

Exempli gratia: Clemens Alexandrinus, lib. 1. Stromatum inquit: Sunt qui curioſius Nativitatis Domini non ſolùm annum, ſed etiam diem definiunt, quem dicunt fuiſſe diem 25. menſis Pachon, anno 28. Actiaca victoria. Hic dies 25. Pachon, ut videre eſt in tabula, eſt in Calendario noſtro dies 20. Maji. Sic Cyrillus Orationem habuit in die nativitatis Johannis Baptiſtæ, anno æræ Chriſtianæ 432. ut extat in annalibus Baronii, ex codice Antonii Auguſtini, die 28. menſis Pharmuthi; idque Alexandriæ. Qui eſt nobis dies 28. Pharmuthi 23. Aprilis. Poſtea habebimus plura exempla. Videmus autem ex hiſce antiquitatis teſtimoniis, in primitiva Eccleſia nihil certi conſtitutum fuiſſe de tempore Nativitatis Dominicæ.

Quod pertinet ad alias feſtivitates mobiles, præſertim in Eccleſia Alexandrina, ut multiplicia jejunia & alia: ea vide apud Scaligerum. Contenti ſumus hoc in loco, quòd hoſce annos & dies ad æram Chriſtianam rectè alligare poſſumus. Inde ex anno æræ Chriſtianæ de feſtis mobilibus in his & aliis epochis judicare poſſumus, ne ad ſingulas Epochas opus ſit novo Calendario.

CAPUT XIV.

De Anno Cœleſti.

Annus cœleſtis eſt, qui non arbitrio hominum in certas partes diſtribuitur, ſed qui à ſole ipſo diſtinguitur in duodecim partes Zodiaci, cujus menſes ſunt duodecim, dodecatemoria, duodecim ſigna cœleſtia in Zodiaco, ut ſunt, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces: & quilibet menſis, tot diebus deſcribitur, quot diebus Sol illud ſignum percurrit. Hujusmodi annum inſtituit olim *Dionyſius Mathematicus* in Ægypto, ab initio Philadelphi regis, ut videre eſt apud Ptolomæum, qui hoſce menſes aliquoties citat. Siracides etiam videtur hujus æræ meminiſſe, quando dicit, ſe triceſimo octavo anno Philadelphi in Ægyptū veniſſe. Dicebantur enim illi anni Dionyſiani, anni Philadelphi. Abſolvitur autem hujuſmodi annus ſecundum Tychonem Brahe, ſi ab initio Mundi deducatur, diebus 365. horis 5. minut. 49. Hujus anni formam dedimus ſupra in Tabula 12. quæ eſt annorum tropicorum æquabilium, ubi oſtendimus rationem inveniendi æquinoctium vernum in quolibet anno à condito Mundo numerato. Dato enim æquinoctio verno, ubi initium anni cœleſtis inſtituitur, (quanquam fortaſſis rectiùs ab æquinoctio autumnali præcedenti deduceretur, quod facillimè fieri poteſt, ſi menſes ſex hyberni deducantur, & tabula poſteà ad quantitatem hujus anni formetur) dato, inquam, æquinoctio verno, ad omnia alia ſigna cœleſtia deſcendere poſſumus. Signis enim illis ſui dies & horæ, quibus Sol in eis commoratur, adſcripti ſunt, ut exempli gratia: Menelaus Aſtronomus obſervavit Lunam conjunctam cum Spica Virginis anno primo Trajani, anno æræ Chriſtianæ 98. die 11. Jan. cum Sol ferè eſſet in viceſimo gradu Capricorni, apud Ptolomæum. Si Sol fuit die 11. Jan. in 20. grad. Capricorni; Ergo introiit Capricornum die 23. Decem. Videamus an idem monſtret tabula. Æquinoctium vernum hoc anno accidit die 22. Mart. fer. 4. hora 2. poſt mediam noctem: cui ſi addantur dies 276. feriæ tres. & horæ 5. uſque dum Sol in Capricornum venit, fiunt dies 357. ſive dies 23. Dec. fer. 7. hor. 7. poſt mediam noctem, & ſic in aliis.

Si hæc anni ratio ad politicum uſum aliquando transferretur, quod tamen magis optandum, quam ſperandum eſt, ut Scaliger loquitur, tum caput anni quidem, hoc eſt, Æquinoctium vernum ad tabulam noſtram inveniretur, & certus dies atque feria æquinoctii conſtitui poſſet: ſed menſes ad dies & horas deſcribi non poſſent. Ita enim turbaretur vulgus, ſed neceſſe eſſet, ut menſibus hiſce tribuerentur certi dies, hoc modo, ut Aries, Taurus, Cancer, Leo, Virgo, abſolverentur ſinguli diebus triginta & uno. Gemini verò haberent dies 32. Libra contra, Scorpius, Aquarius & piſces haberent ſinguli triginta dies. Sagittarius verò & Capricornus, ſinguli viginti novem dies: atque hoc modo complerentur dies in anno ſimplici 365. Et ſi intercalandum eſſet, quod ex initio anni in æquinoctio facilè appareret, dies unus ultimo menſi, Piſcibus ſcilicet eſſet adjiciendus. Intercalatio enim in hiſce annis non ſingulis quadrienniis, ſed interdum quinto exacto celebranda eſſet.

Atque hoc modo annos civiles, quicunque apud gentes in uſu fuerunt, & quorum mentio apud autores fit, ſuis menſibus diebus & horis etiam deſcripſimus, & quomodo cum annis à condito mundo deductis, & annis æræ Chriſtianæ conveniant, oſtendimus. Reſtat ut feſtorum mobilium & immobilium rationem in annis æræ Chriſtianæ aperiamus, ut feſta illa, qualiacunque ſint, ad alias epochas etiam transferri poſſint. Eam rationem oſtendunt cycli Luminarium, Cyclus Solis & Cyclus Lunæ, ſed prius dicemus aliquid de præſtantia anni Juliani.

TERTIA PARS DE CHARACTERIBUS CHRONOLOGICIS.

CAPUT XV.

De præſtantia anni Juliani in Chronologico ſtudio.

HActenus de diverſorum annorum quantitate, eorundemque diverſis initiis diximus; unde facilè apparet, cum quidam anni inchoentur à Bruma, quidam ab æquinoctio verno, quidam à ſolſtitio æſtivo, quidam à die 29. Auguſti, quidam à Calendis Octobribus, quidam verò initio ſuo plane vagentur; quales ſunt anni æquabiles Ægyptii ſive Nabonaſſarei, quique ex his oriuntur, anni Philippi & mortis Alexandri, quique his ſimiles ſunt, anni Armeniorum & Jezdegird. Item anni Hegiræ ſive Turcarum &c. quod Chronologus, niſi eoſdem ſumma diligentia obſervet, facillimè falli, & in errorum præcipitia devolvi poſſit. Idcoque neceſſarium fuit, oſtendere, quomodo cujuſvis Epochæ anni aptè & abſque ullo errore inter ſe conferri poſſint. Nervum enim totius Chronologiæ in hoc conſiſtere arbitror, ſcire datum alicujus Epochæ annum ad diverſam Epocham traducere, convenientiam eorundem inter ſe, vel diſcrepantiam etiam cernere & dijudicare. Idque commodiùs fieri non poterat, quàm per communem aliquam temporis menſuram, quæ omnes omnium diverſarum Epocharum annos aptè & perſpicuè metiatur. Ea autem eſt forma anni Juliana, cui omnes aſſuevimus in annis æræ Chriſtianæ. Hæc ſola eſt certiſſimum temporis vehiculum, cum omnibus ſit notiſſima, familiariſſima, cognitu & obſervatu facillima, & ad temporum, à creatione Mundi huc uſque labentium, ſeriem deducendam accommodatiſſima. Initium enim ejus in id tempus anni, quod ferè propter hyemis intemperiem à rebus gerendis, vacuum eſt, atq; ideo, ſi quid rerum geſtarum annotandum eſt, id ſeu cum vel inchoati anni terminum antecedat, vel ſequatur; facillimè proprio anno adſcribi poteſt: quod in aliorum annorum forma, qui annos vel in Vere, vel in æſtate, vel in autumno inchoat, adeo proclive non eſt. Iiſdem enim temporibus, quibus anni initium ſtatuit, res ſimul geri ſolent, quæ niſi expreſsè menſibus vel diebus, quibus geſtæ ſunt, ab hiſtoricis aſcribantur, id quod rariſſimè accidere ſolet, Chronologum ambiguum reddunt, & ad quem annum eædem referendæ ſint, animo diſtrahunt, & ita non exiguas diſſenſionum cauſas inter Chronologos præbent, quod multis exemplis demonſtrari poſſet.

Hanc commoditatem vidit & approbavit accuratiſſimus Hiſtoricorum Thucydides, qui belli Peloponneſiaci tempora, non ſecundum Olympiades, quæ ſolſtitio æſtivo inchoantur, ſed ſecundum æſtates & hyemes diſtinxit, qua diſtinctione quàm proximè ad annum Julianum acceſſit. Deinde hæc anni forma quam proximè accedit ad annum Aſtronomicum tropicum, & æquabilem; & Æquinoctia ac ſolſtitia, quibus maximè tempora diſcernuntur & conſervantur, propemodum ſtatis diebusquotannis retinet, ita ut non, niſi longo temporis circuitu, quaſi ægrè ab iiſdem divellantur, cum in aliis omnibus ſolſtitia & æquinoctia quotannis aliquot ferè diebus varient, & reſpectu partium anni vel in alteriora, vel in conſequentia rejiciantur. Tertio præcipuum hoc eſt, quod annus Julianus certos quoſdam Characteres aptiſſimè & apertiſſimè recipit, quibus quilibet eorum, etſi infiniti proponantur, diſcernitur, & facillimè abſque omni errore deprehenditur. Ideo hanc anni formam à condito Mundo ad nos uſq; deduximus, & omnes omnium ſeculorum Epochas eidem alligavimus, ut ex hac forma, ſi quædam διαντιλέγματα in aliis epochis annotentur, eadem dijudicentur. Cæterum cum forma annorum Julianorum tantum in uſu fuerit à tempore Julii Cæſaris, ſubdubitare quis poſſit, an etiam in antecedentia extendi, & à condito Mundo ad nos uſque deduci poſſit. Cui reſpondeo, id rectè fieri & poſſe, & ne res Chronologicæ variis modis turbentur, debere etiam. Nam ab initio Mundi annuum ſpatium in temporibus denotandis & numerandis ſemper uſitatum fuit, idque ſive ab autumno, ſive à verno tempore numeratum fuit, nihil intereſt. Ab autumno enim uſque ad autumnum, vel à vere uſque ad ver, annuum ſpatium definitur, & ab ejuſmodi termino ſemper cæpit, qui facilè à quovis obſervari potuit, cùm vel inciperet ab autumno, decidentibus foliis de arboribus, & ingruente frigore hiemali: vel in vere remittente jam frigore, & turgentibus jam in arboribus gemmis & caloribus invaleſcentibus. Ideoque caput anni, quod ab autumno ſumtum fuit, nequaquam vel in æſtate anticipare, vel in mediam uſque hyemem traduci potuit: nec ſi à verno tempore cæpit, idem vel in hyeme deſiit, vel in æſtatis medium pervenire potuit: unde facilè apparet, quantitatem anni Juliani per ſe obſervatam fuiſſe, etiamſi, ſi ſingulos annos ſpectes, aliquot dierum fuerit differentia. Quapropter dies illi ab initio Mundi numerati, quotquot ſanè fuerint, in periodos annorum Julianorum diſtribui, & ſecundum Julianorum annorum leges numerari & examinari poſſunt. Quemadmodum enim in futurum pronunciare poſſunt de characteribus cujusvis anni ut ſi dicam, anno CHRISTI 1626. Cyclus Lunæ erat 12. Solis 11. litera Dominicalis A. Calendæ Januarii feria prima. Paſcha 9. Aprilis, & ſic de omnibus ejus accidentibus: etiamſi is annus jam fuerit in rerum natura: Ita etiam de futuris ſimilia affirmare poſſum & minus certiùs, quantum veritas in rebus præteritis certior eſt, quàm de futuris contingentibus, & nondum adhuc determinatis. Et quemadmodum Aſtronomo idem eſt, aſtrorum motus ab epocha data vel in futurum, vel in præteritum tempus numerare, idque vel ſecundum æquabiles annos Ægyptios, vel ſecundum annos Julianos: Ita & Chronologus eadem tempora eodem modo, & ratione, & eadem certitudine à quovis termino computare poteſt. Quapropter nihil prorſus obſtat, quin anni Juliani forma ab initio Mundi ad nos uſque deducatur. Immo ſummè neceſſarium eſt, ad evitandas quam pluri-

plurimas temporum confuſiones, propter certiſſimos Julianorum annorum characteres, de quibus jam.

CAPUT XVI.

De Cyclo Solis, Lunæ & indictione, in anno Iuliano, & eorum uſu.

CHaracteres anni nominantur, qui in aliquo anno Juliano aliquid peculiariter fieri definiunt. Eorum Characterum alii ſunt *Periodici*, qui certo annorum orbe abſoluto recurrunt, quales ſunt *Cyclus Solis*, *Cyclus Lunæ & indictio*. Item *anni Sabbathici & Jobelei*. Alii *eventum alicujus anni tantum determinant*, ut certa luminarium *loca* indicata *in Zodiaco*, & *eclipſes*, de quibus in tabulis ſupra dictum eſt. Hi Characteres, ſi omnia vel plerique vel aliqua ſaltem in uno aliquo anno exprimantur, certum eum annum definiunt, & ab omnibus aliis infinitis evidentiſſimè diſtinguunt.

Cyclus Solis eſt revolutio viginti octo annorum, quibus elapſis feriæ in orbem redeunt, quod tamen de feriis mobilibus, de Paſchate & aliis intelligi non debet, ſed de ſtatis feſtis. Dicitur autem cyclus Solis, non quòd ex eo motum Solis diſcamus: ſed quod ejus beneficio literam diei Solis vel diei Dominici ſcire poſſimus. Inventus eſt hic cyclus propter annum biſſextilem. Nam ſi ſinguli anni Juliani tantùm haberent dies 365. tum quotannis feriæ ſibi ordine ſuccederent, & qui dies menſis hoc anno feriam primam habuiſſet, ſequenti anno incurreret in feriam ſecundam, dies enim 365. diviſi per ſeptenarium, relinquunt unitatem, quæ ſignificat unius feriæ ſucceſſionem, quemadmodum id in annis æquabilibus Ægyptiis Nabonaſſareis & aliis perpetuo accidit: ſed cum in annis Julianis quarto quovis exacto annus biſſextilis incidat, qui continet dies 366. qui diviſi per ſeptem feria; binarium reliquum faciunt, quo ſignificatur, feriam unam tranſcendi, ſive omitti, feriæ turbantur; ut exempli gratia, hoc anno 1616. Calendæ Januarii inciderunt in feriam ſecundam. Si jam annus hic communis eſſet, tum ſequenti anno 1617. eædem Calendæ inciderent in feriam tertiam. Sed cum hic annus ſit biſſextilis, & una feria ita tranſcenditur, Calendæ proximæ Januariæ incident in feriam quartam. Vulgò annus biſſextilis ob hanc cauſam dicitur ein hüpffe Jahr. Hæc autem feriæ tranſcenſio, ſi ſepties accidat, cum ſeptem tantùm ſint feriæ in hebdomade, tum feriæ in urbem redeunt, quod fit anno Juliano viceſimo octavo exacto, in quo biſſextiles ſeptem continentur. Porrò cyclum Solis cum ſuis literis dominicalibus propoſita; hinc eum pete, invenitur in quovis anno, vel à condito mundo numerato, vel in annis æræ Chriſtianæ, in prima tabula Syzygiorum lunarium; haberi etiam aliàs poteſt, ſi annis æræ Chriſtianæ addantur novem, & tota ſumma inde dividatur per 28. quicquid enim remanſerit, eſt cyclus Solis illius anni, cui à latere poſt adſcripta eſt litera Dominicalis. In annis à condito mundo numeratis adde octo, & totam ſummam divide per 28. &c.

Hic cyclus Solis interdum ſolus certum annum determinat, ut, quando Arabes & Alphonſini ſcribunt, primum annum Hegiræ cœpiſſe die 22. Julii, feria ſexta ineunte. Si jam dubium eſſet, quo anno æræ Chriſtianæ cœpiſſet, & tamen certum eſſet, cum annum incidere in annum æræ Chriſtianæ, vel 620. vel 624. inquiro cyclum Solis in ambitu eorum annorum, qui diem 22. Julii ſtatuat veſpere incipiente, in feria ſexta. Dies autem 22. Julii habet literam G. Ergo neceſſe eſt, illo anno, quo cœpit annus primus Hegiræ, fuiſſe literam Dominicalem C. Nam hoc modò dies 22. Julii eſt quidem feria quinta: ſed veſperi occidente ſole, ut Judæi & Turcæ computant, incipit feria ſexta; unde concludo, hunc annum 622. quo currit cyclus Solis 15. & litera Dominicalis eſt C. eſſe eum, quo primus annus Hegiræ cœpit. Sic, ſi quiſpiam natus annos circiter ſexaginta, editus in lucem feria ſexta, die vigeſima prima Februar. quæritur hoc anno 1616. annus Nativitatis ejus. Sumamus annum CHRISTI 1556. in tabula Syzygiarum Lunarium, ubi proximè minor numerus exhibet annum 1523. cui adſcriptus eſt cyclus Solis 16. reſiduum 33. habent cyclum Solis 13. Si iſte numerus ex hoc ſubtrahatur, ſuperſunt 25. qui cyclus exhibet literas Dominicales E.D. quarum E. fungitur officio ſuo, uſque ad diem 24. Februar. ex quo reliqui dies numerati ſtatuunt feriam ſextam in die 21. Febr. Ergo is, de quo quæritur, natus fuit eo anno, & hoc anno 1616. nec plures nec pauciores annos habet die 21. Febr. quàm ſexaginta. Si enim aberratum eſſet, error vel duodecim, vel ad minimum ſex annorum commiſſus fuiſſet, quod in hiſce materiis vix fieri poteſt.

Cyclus Lunæ eſt revolutio periodica novendecim annorum, quibus elapſis Novilunia & Plenilunia ferè ad diem tempus redeunt. Dicitur aliàs cyclus decemnovenalis vel etiam ἐννεαδεκαέτηρις. Item numerus aureus, propter inſignem ejus uſum in deſignandis feſtis mobilibus totius anni & deinde in motibus Lunaribus deprehendendis: quanquam hic uſus hodie ferè obſolevit, propter anticipationem Lunæ in annis Julianis, reſtat tantùm hic uſus, quòd terminum Paſchalem, quemadmodum olim ab Eccleſia ordinatus eſt, adhuc oſtendit, cujus beneficio paſchata, quo die menſis etiam ante mille & ducentos annos celebrata ſint, ſcire poſſumus; quem autem terminum quilibet cyclus deſignet, ſupra in Calendario Juliano ad latus oſtendi. Terminus autem ille non per ſe eſt dies Paſchatis; ſed tantum hoc vult, quòd paſcha celebretur Dominica proxima, quæ illum terminum ſequitur. Ideò Paſcha per ſe ex cyclo Lunæ ſolo haberi nequit, ſed neceſſe eſt, ut accedat cyclus Solis, qui diem Dominicam proximam poſt terminum oſtendat. Invenitur autem cyclus Lunæ in quovis anno, ſive æræ Chriſtianæ, ſive à conditio Mundo numerato, in tabula Syzygiarum lunarium, in cujus prima parte cuivis anno ſuus cyclus Lunaris adſcriptus eſt: vel etiam hoc modo, additur annis æræ Chriſtianæ unitas, & tota ſumma dividitur per 19. quicquid in reſiduo fuerit, id eſt cyclus ejus anni. Nam Quoti nulla habetur ratio. In annis verò à condito Mundo numeratis, neceſſe eſt

ut addantur quatuor, & tota ſumma dividatur per novendecim. Hoc modo cyclus Lunæ inventus unà cum cyclo Solis tempus Paſchatis certiſſimè definit, cujus rei vetuſta aliqua exempla proponam. Nam de eorundem terminorum certitudine in annis noſtri ſeculi nemo dubitat. Res paulò altiùs videtur repetenda. Magnæ contentiones fuerunt in primitiva Eccleſia de tempore Paſchatis celebrandi. Aſiatici enim, qui Johannis Evangeliſtæ, & aliorum Apoſtolorum veſtigia ſequebantur, Paſcha celebrabant cum Judæis, in quamcunque etiam feriam quartus decimus dies ætatis Lunæ in menſe paſchali incideret, Europæi contrà in Italia & Gallia Paſcha idem in plenilunio proximè poſt æquinoctium vernum celebrabant: ſed non in quavis feria, ſed tantùm in feria 1. ſive in die Dominico. Ita fiebat, ut non tantum in feria Paſchatis, ſed interdum integra hebdomade; interdum etiam, præcipuè cyclo Lunæ octavo, & decimo nono, integro menſe cum Aſiaticis diſcreparent. Primus, qui Aſiaticæ Eccleſiæ litem ſuper hac re movit, fuit *Pius* Papa Romanus, qui anno æræ Chriſtianæ 157. Edicto propoſito, omnes juſſit Paſcha die Dominico, Romanorum more, celebrare. Hinc multiplices in Eccleſia contentiones exortæ ſunt, ad quas ſedandas D. Polycarpus cum aliis Romam contendit, ſuam ſententiam propoſuit, libertatem Eccleſiæ defendit, & ne hoc jugo gravaretur, deprecatus eſt: Id factum anno 165. Sed Pontifici Romano penitus non perſuaſit; uterque enim in ſua ſententia manſit, hac tamen pacis inita conditione, ne alter alterum propter diverſitatem ceremoniarum condemnaret; *Cum propter diverſam ceremoniarum obſervantiam, non oporteat ſcindi fidei conſonantiam.* Tandem VICTOR Papa hoc edictum Pii Pontificis Anno æræ Chriſtianæ 197. renovarit, & Aſiaticas Eccleſias diverſum morem ſequentes condemnavit: adeò Pontifices Romani ſtatim in initio imperium in reliquas Eccleſias affectarunt. Duravit hoc diſſidium ultra centum annos, uſque ad Concilium Nicenum. Interea multiplices Synodi coactæ ſunt, quibus res componeretur, & Epiſcopi in Palæſtina tandem Romanis conſenſerunt. Sed Aſiatici aliàs in ſua ſententia permanſerunt.

Cycli etiam plurimi ab otioſis èxcogitati ſunt, quibus Paſchata in ordinem, ad motum Lunæ dirigere conati ſint. Hippolytus quidam inter primos fuit, qui cyclum ſedecim annorum, primo anno Imperatoris Alexandri Mammeæ propoſuit anno æræ Chriſtianæ 222. Sed ſtatim hic cyclus vitium fecit, & rejectus eſt: aliis tamen attentiùs de hac re cogitandi occaſionem præbuit. Ideò poſt ſexaginta annos ferè ANATOLIUS in Ægypto cyclum decemnovenalem primus propoſuit, quem inchoavit ab initio Diocletiani, quemque repetita memoria Græcorum apud Athenienſes ex anno magno Metonico extruxit. Adeò enim ea doctrina de motu Lunæ per annos Julianos in oblivionem devenerat, ut ipſi Græci, qui omnes ſuos ſolennes ludos ad motum Lunæ agere ſolebant, jam ſtato die in anno Juliano celebrarent: ita ut & Olympicum ludricum ſingulis quadrienniis exactis, die quindecimo Julii, quavis Lunæ ætate celebrarent, unde manifeſtum eſt, Julium Cæſarem nequaquam aureum hunc numerum inveniſſe, cum annum Julianum conderet, ut multi hariolantur. Si enim cyclus decennovenalis fuiſſet, unde tantæ turbæ & certamina in primitiva Eccleſia de Paſchate celebrando? quæ neque oriri, neque ſi exorta fuiſſent, adeò excreſcere potuiſſent. Quemadmodum enim hujuſmodi de Paſchate diſſenſiones, cum cyclus Lunæ temporibus Diocletiani inventus eſt, doctis innotuiſſet, ſopitæ ſunt: Ita ante Diocletianum, ſi cyclus Lunæ fuiſſet, in tantas flammas exardeſcere non potuiſſent. Deinde ſi hæc elegantiſſima Lunaris Enneadecaeteris ante Diocletianum in uſu fuit, qua de cauſa tot cycli Lunares in octaeteride, in teſſareſcædecaeteride, in Hæcadecaeteride, & alii, ut videre eſt apud Scaligerum, excogitati ſunt, in quibus omnibus non ſolùm motus lunaris à veritate alienus, ſed & intricatiſſimus proponitur, quo Eccleſia turbata eſt. Et tertiò, ſi cyclus Lunæ inventum Julii Cæſaris eſt, cur primus annus Julianus in Calendario Julii Cæſaris, & decimus quartus, nec decurrit cyclo Lunæ, primæ præſertim, cum Novilunium primi anni Juliani & in Calendas Januarii & in Calendas Martii incideret? Contra verò primus annus Diocletianus in paſchate habet cyclum primum, cum nulla hujuſmodi cauſa ex motu Lunari ſumi poſſit: fuit enim Novilunium die viceſimo tertio Martii. Et tandem, cum in cyclo, ut quivis facilè intelligit, nullum planè initium naturale eſt, unde incipere poſſis, ſed ſi quod initium ſtatuitur, id fit *θέσει*, & ejus ratio aliunde deſumitur: Ergo Cyclus Decemnovenalis, qui ab æra Diocletiana initium ſumit, nec ordine ſuo ad aliam æram applicari poteſt ante tempora Diocletiana non fuit, ſed ſimul cum ea æra cœpit. Anatolius igitur, cum propter inventionem hujus Cycli celebris eſſet, & Concilium Oecumenicum Nicææ paulò poſt celebraretur, controverſia tota de Paſchate ita deciſa fuit, ut pronunciaretur ſecundum Europæos & Romanos, ut relicto Paſchate Judaico Paſcha CHRISTI, annuatim ſemper feria prima celebretur, poſt quartam decimam Lunam ejus Novilunii, quod æquinoctio verno, cujus ſedes in viceſimo primo Martii figebatur, proximum eſſet. Hinc fiebat, ut cyclo Lunæ 16. Paſchatis terminus citimus eſſet dies 22. Martii, quemadmodum & hodie in Calendario noſtro obſervatur; remotiſſimus verò, cyclo Lunæ octavo in die 18. April. Verum cum id temporis pauci eſſent, qui motum Lunæ, & Paſchatis rationem in Eccleſia exactè intelligerent, in Concilio Niceno Epiſcopo Alexandrino mandatum fuit, ut menſem & diem paſchatis inquireret, & tempeſtivè Epiſcopo Romano, & aliis Metropolitanis indicaret, illique ad reliquos Epiſcopos idem perſcriberent, ut in ſingulis Eccleſiis & Parochiis, in feſto Epiphanias, die 6. Januarii, poſt prælectum Evangelium, populo ſignificaretur, quando, quo menſe & die jejunium incipiendum, & paſcha celebrandum eſſet. Is mos continuatus fuit annos ferè quinque donec Theophilus Alexandrinus, presbyter Alexandrinus, & poſtea Epiſcopus, parapegma ſive catalogum conſcriberet Paſchatum, ſuis diebus celebrandorum, per nonaginta & quinque annos, quem ad omnes Epiſcopos in toto orbe terrarum dimiſit, factum hoc anno Diocletiani 96. anno æræ Chriſtianæ 380. primo anno Theodoſii Majoris Imperatoris, cui cyclum hunc dedicavit. Poſt annos 57. Cyrillus Epiſcopus

Alexan-

Alexandrinus cyclum hunc Theophili abrogavit, anno Diocletiani 153. æræ Chriſtianæ 437. & novum Catalogum de integro condidit, in quo Paſchata in 95. annos celebranda deſcripſerat. Interea temporis, ne Alexandrini ſoli Paſchatis indicendi ſcientiam ſibi vendicarent, Latini etiam Aſtronomicis ſtudiis incubuerunt, & motum Lunarem didicerunt: & cùm Catalogus Cyrilli nonaginta quinque annorum non in urbem rediret, & eo deſinente, novo aliquo Catalogo opus eſſet, ut in multos annos Paſchatis tempus haberi poſſet; Cyclum Lunarem novendecim annorum cum cyclo Solis viginti octo annorum miſcuerunt, ſive multiplicârunt, & ex hâc mixtione periodum magnam, annorum 532. confecerunt, quo ſpatio exacto omnes Neomeniæ, & omnia feſta mobilia in eundem diem menſis, & in eaſdem ferias redirent. Primus, qui excogitavit hanc periodum, fuit Victorinus Aquitanus; (quem tamen Beda Victorium appellat,) Hic ab Hilario Papa evocatus Romam, periodum ſuam confecit, & propoſuit Anno æræ Chriſtianæ 463. eamque inchoavit ab anno paſſionis Dominicæ, ut ipſe putabat, ab anno 15. Tiberii, duobus Geminis Coſſ. Hac periodo Galli, Angli & Hiſpani uſi ſunt multis annis, ut exempla oſtendunt, apud Gregorium Turonenſem.

Hanc Periodum annorum 532. interpolavit poſteà Dionyſius Exiguus, natione Scytha, & Monachus. qui hanc periodum retraxit ad annum Nativitatis CHRISTI, ut ipſe putabat; opus aggreſſus eſt, anno æræ Chriſtianæ 526. & periodum ſuam inchoari voluit anno æræ Chriſtianæ 532. Hac interpolatione effecit, ut Periodus hæc non Victorii Aquitani, ſed Dionyſii putaretur. Hic idem docuit Eccleſiam numerare annos, non ab Epochâ Diocletianâ, ut tum uſitatum erat, ſed ab annis Nativitatis CHRISTI, ut quidem putavit: ſed eum in hac re biennio aberrâſſe, monſtrabimus infra, cap. 46. & 47. Termini hi Paſchales, quos Victorius, & Dionyſius ex Victorio fixit, hactenus in uſu fuerunt mille ferè annis. & ſecundùm eos Paſcha tanto tempore celebratum eſt, obſervaturque adhuc in noſtris Eccleſiis, ubi Calendarium Gregorianum locum non habet. Sed tamen eoſdem jam vitium feciſſe, negari non poteſt. Nam cùm Paſcha ex veteri inſtituto, & ex decreto Concilii Niceni celebrari debeat proximè poſt illud plenilunium; quod ſequitur æquinoctium vernum; & verò Æquinoctium vernum tanto temporis ſpatio à die 21. Mart. quo die termini illi paſchales reguntur, per dies 10. aſcenderit, accidit, ut plenilunia quædam inveniantur, quæ quidem ſequuntur æquinoctium vernum, ſed tamen pro Paſchalibus pleniluniis non habentur: idque accidit præcipuè cyclo Lunæ tertio, octavo, undecimo, & decimo nono; atque hæc eſt prima cauſa, cur Paſchata Pontificiorum, per integrum menſem à noſtris diſcrepent: cùm nos id Paſcha non in primo menſe, ſed in ſecundo peragamus. Altera cauſa, cur termini Paſchales hi vitium fecerint, eſt anticipatio Lunæ, quæ in mille annis Julianis plusquam triduo ſuam ſedem anticipavit. Ut, exempli gratiâ plenilunium, quod accidit cyclo Lunæ 16. in die 22. Martii, tempore Concilii Niceni. Jam invenitur ferè in 18. Martii. Inde fit, ut Paſcha ſæpè trajiciatur in diem 23. menſis, ut ita propior noſtrum Paſcha ſit Novilunio ſequenti, quàm plenilunio; cùm tamen Paſcha in plenilunio celebrari debeat. In hoc caſu Pontificii differunt in Paſchate à nobis per octiduum. Etſi igitur jam defectus terminorum Paſchalium hoſce noſtri veteris Calendarii videmus & agnoſcimus; malumus tamen adhuc retinere antiquum Eccleſiæ morem, & defectus hoſce libertati Eccleſiæ permittimus, quæ tempore & loco ſe dijudicari non patitur.

Exempla jam vetuſta proponam Paſchatis ad hoſce terminos celebrati, quæ exſtant in Epiſtolâ Ambroſii Epiſcopi, ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos. Sic enim inquit.

Sentimus, Paſſionem Domini die Dominicâ celebrari non poſſe, etiamſi quarta decima Luna in Dominicam inciderit. ſed adjungendam hebdomadam alteram, ſicut & ſeptuageſimo ſexto anno à die imperii Diocletiani factum eſt. Nam tam viceſimo octavo die Pharmuthi menſis, qui eſt dies 23. Aprilis, Dominicum Paſcha celebravimus, ſine ullâ dubitatione majorum. Simul etiam Lunæ curſus & ratio ſuffragatur, quoniam vigeſimâ primâ Lunâ proximum Paſcha celebrandum eſt. Nam uſque ad viceſimam primam Lunam conſuevit extendi. Nam temporibus paulo ſuperioribus, cùm incidiſſet decima quarta Luna, menſis primi in Dominicam diem, ſequenti alterâ Dominicâ celebrata ſolennitas eſt. Et octogeſimo nono anno ex die Imperii Diocletiani, cùm quarta decima Luna eſſet die 24. Martii, nos celebravimus ultimo Martii. Alexandrini etiam & Ægyptii, ut ipſi ſcripſerunt, cùm incidiſſet quarta decima Luna vigeſimo octavo die Phamenoth menſis, celebrârunt Paſcha quintâ die Pharmuthi menſis, quæ eſt ultima Martii, & ſic convenêre nobiſcum. Rurſus nonageſimo & tertio anno à die Imperii Diocletiani, cùm incidiſſet decima quarta Luna in quartum decimum Pharmuthi menſis, qui eſt nonus dies Aprilis, & erat Dominica, celebratum eſt Paſcha Pharmuthi viceſimo primo die, qui fuit ſecundum nos dies 16. Aprilis. Hactenus Ambroſius.

Trium autem Paſchatum mentionem facit. Primi, anno Diocletiani 76. qui incipit die 29. Auguſti, anno Æræ Chriſtianæ 359. ſed Paſcha, de quo agitur, celebratum fuit Anno Æræ Chriſtian. 360. Secundi, anno Diocletiani 89 qui incipit anno æræ Chriſtianæ 372. Sed Paſcha incidit in annum æræ Chriſtianæ 373. Tertii, anno Dioclet. 93. qui incipit anno æræ Chriſtianæ 376. Sed Paſcha incidit in annum æræ Chriſtianæ 377. Si jam inquiramus cyclum Solis & Lunæ in anno Æræ Chriſtianæ 360. invenimus cyclum Lunæ 19. & terminum ejus paſchalem in die 17. April. in litera B. ſed cyclus Solis eſt 5. litera Dominicalis A. Ergò terminus incidit in feriam ſecundam, & Dominicâ proximè ſequenti, die 23. Aprilis celebratum eſt Paſcha, qui dies fuit viceſimus octavus Pharmuthi, ut habes in annis Diocletiani. Sic anno Æræ Chriſtianæ 373. Cyclus Solis currit 18. litera Dominicalis F. Cyclus Lunæ 13. Terminus paſchalis hujus cycli eſt in die 24. Martii, qui habet literam F. Ergò dies 24. Mart. eſt dies Dominica, & eâ de cauſâ Paſcha differtur in ſequentem Dominicam, in diem 29. Martii, in diem 5. Pharmuthi, ut habes in annis Diocletiani. Sic anno æræ Chriſtianæ 377. currit cyclus Solis 22. qui habet literam Dominicalem A. Idem

etiam eſt decimus ſeptimus cycli Lunaris, qui exhibet terminum Paſchlem in die 9. Aprilis, in litera A. Ergò dies 9. Aprilis hoc anno fuit dies Dominicus, & Paſcha translatum fuit in ſequentem Dominicam, in diem 16. Aprilis, qui fuit 21. Pharmuthi; atque ita & termini veterum & Paſchatis etiam tempus, quemadmodum olim celebratum fuit, conveniunt noſtris terminis & temporibus; & ſi luminaria non anticipaſſent, Calendarium noſtrum nullâ correctione indigeret.

Cæterum in primitiva Eccleſia non ſolùm hæc translatio in uſu fuit, quà, ſi terminus Paſchalis in diem Dominicam incidat, Paſcha, transfertur in viceſimam primam Lunam, & hactenus ex Ambroſio habuimus, & nos hodiè adhuc obſervamus: Sed etiam hæc, ſi terminus Paſchalis incidiſſet in feriam ſeptimam, quod non ſtatim ſequenti die Paſcha celebratum fuit, ſed dilatum potiùs in viceſimam ſecundam Lunam, ejus rei & præceptum adhuc extat, & exempla etiam inveniuntur. Præceptum eſt hujusmodi apud Victorinum in Prologo magnæ ſuæ periodi. *Sin autem die Sabbathi plenilunium (terminus Paſchlis) eſſe contigerit, & conſequenti Dominicâ Luna decima quinta reperitur, eâdem hebdomade transmiſſâ, in alterum diem Dominicum, id eſt, Lunam viceſimam ſecundam transferri debere Paſcha dixerunt. Ne minus ejusdem Dominici peragendo myſterio deſtinaret, quàm ſextam decimam, nec amplius, quam viceſimam ſecundam Lunam aliquando reciperent, Eligentes extendi, quàm Dominicam paſſionem ante Lunam quintam decimam nullatenus inchoari.* Hactenus Victorinus. Exemplum eſt apud Gregorium Turonenſem. anno Æræ Chriſtianæ 588. cyclo Solis 9. Lunæ 19. literâ Dominicali C. & termino Paſchali 17. Aprilis in litera B. Hoc anno Paſcha non celebratum eſt 18. Aprilis proximè ſequente Dominicâ, ſed dilatum fuit in diem 24. Aprilis, proximè ſequente Dominicâ, ſed dilatum fuit in diem 24. Aprilis, in Lunam 22. Sic Anaſtaſius ſcribit lib. 22. anno 20. Copronym. Anno Æræ Chriſtianæ 760. factum errorem in Paſchate, cùm Orthodoxi in Oriente celebrarent Paſcha 6. Aprilis. Erronei verò, & Hæretici die 13. Aprilis, qui fuit cyclus Lunæ primus, terminus in 5. Aprilis, cyclus Solis 13 litera Dominicalis E. Ideò ſecundùm morem Eccleſiæ Paſcha celebrari debuit die 16. Aprilis. Sed erronei iſti ſecuti ſunt Periodum Victorini Aquitani, quæ jam abſoleverat, atque hæc eſt doctrina de inveniendo paſchate in quolibet anno. Ex Paſchate deinde reliqua feſta mobilia facillimè ordinantur. Uſum ejus uno atque altero exemplo declarabo. *Dubitatur de initio Conſtantini Magni Imp. dum alii eum anno Æra Chriſtiana 308. parenti ſucceſſiſſe contendunt, alii ejus initium antiquius faciunt biennio, & dicunt eum ſucceſſiſſe parenti anno 306. Res tota ex morte Conſtantini definiri poteſt, quæ certo charactere deſcribitur, quod inciderit in ferias Pentecoſtes in diem 22. Maji. In vitâ præterea Conſtantini, & in hiſtoriâ Athanaſii manifeſtè oſtenditur, eum ſequenti, anno ſpatio ante mortem tricennalia celebraſſe: unde manifeſtum eſt, eum imperâſſe annos plusquam triginta, in qua re conſentiunt reliqui hiſtorici, Socrates & alii, qui ipſi tribuunt annos triginta, & menſes decem. Venemur igitur annum obitus ejus dies Maji 22. habet in Calendario literam B. eſtque dies 142. à Calendis Januarii. Si ab hiſce ſubtraxero dies 49. qui interſunt inter Paſcha & Pentecoſten, pervenio ad diem 93. à Calendis Januarii ad diem 3. Aprilis, quo Paſcha illo anno celebratum eſt. Inquiro jam cyclos Solis & Lunæ circa annum 337. ubi invenio cyclum Solis 10. qui exhibent literam Dominicalem B. & cyclum Lunæ 15. qui dat terminum Paſchalem, die primo Aprilis: unde concludo, Paſcha celebratum anno 337. die 3. Aprilis. & Pentecoſten 22. Maji, & hunc eundem annum eſſe, quo Conſtantinus Magnus defunctus eſt. Si jam ſubtraxero annos triginta & unum, ferè pervenio ad annum Æra Chriſtiana 306. quo cœpit circa diem 25. Julii. Certum igitur eſt, Conſtantinum hoc anno cœpiſſe, & triginta annos ac decem menſes imperâſſe, nec ſucceſſiſſe parenti Conſtantio anno 308. hoc modo enim nondum viginti novem annos imperâſſet.*

Sic controvertitur inter Chronologos, quo anno Otto Magnus defunctus ſit, cujus obitum aliqui trahunt ad annum Æra Chriſtiana 972. quidam ad 973. Sed dum addunt, eum defunctum die 7. Maji, fer. 4. & quidem proximè ante Pentecoſten, geminum Characterem addunt, quo deprehenſo, errari non poteſt. Die 7 Maji habet literam A. Ergò neceſſe eſt, ut eo anno, quo Otto defunctus eſt, fuerit litera Dominicalis E. aliàs dies 7. Maji, feria quarta eſſe non poſſet. Circa id tempus autem cyclus Solis 2. exhibet literam Dominicalem E. & invenitur anno 973. Ergò hoc anno Otto obiit, & deinde cyclus Lunæ 5. qui dat terminum paſchalem in die 22. Martii, in literâ D. & exhibet Paſcha in 23. Mart. & in eodem anno 973. invenitur.

Ergò & hic Character oſtendit, Ottonem hoc anno mortuum; ex paſchate enim dies 49. numerati, deſinunt die 11. Maji, ibique figunt Pentecoſten, & dies 7. Maji eſt feria quarta ante Pentecoſten, quòd alias in annis multis fieri nequit. Ergò annum certiſſimum Ottonis habemus. Hujus rei occurrunt plurima exempla in hiſtoriis.

Deinde hunc etiam cycli Lunares & Solares in Chronologia imprimis uſum habent, quòd monſtrant, quâ ratione anni diverſarum Epocharum rectè inter ſe comparati & conferri poſſint, ne, dum diverſi cycli junguntur, diverſa etiam Novilunia & Plenilunia, & diverſæ feriæ in uno eodemque anno ſtatuantur, atque ita Giganteo quodam auſu, cœlorum motus conturbentur: in quâ re videmus frequentes Chronologorum lapſus, ut in celeberrimâ illâ nativitas CHRISTI Epochâ ad alias Epochas alligandâ. Hanc figimus in eo anno vulgàriter, qui habet cyclum Lunæ primum, & Solis nonum, deſinentes in die 25. Dec. & proinde primus à CHRISTO nato is putatur, qui habet cyclum Lunæ ſecundum Solis decimo. Inde enim evenit, ut annis æræ Chriſtianæ ad inveniendum cyclum Solis addantur novem, ad cyclum Lunæ verò unitas, ut vulgò notum eſt. Hinc igitur Nativitatis CHRITSI annum, qui decurrit cyclo Lunæ 1. Solis 9. pleríque Chronologi conjiciunt in tertium annum Olymp. 194. qui tamen nequaquam cyclo Lunæ primo, vel Solis nono, ſed cyclo Lunæ undecimo, Solis octavo decurrit, incipitque die 21. Julii, fer. 2. Deinde quod plus eſt, eundem Nativitatis CHRISTI annum conjiciunt in annum 28. Æliacæ victoriæ, qui tamen annus neutrum horum cyclorum Lunæ habet, nec primum, nec decimum nonum: ſed cyclum Lunæ 18. Solis 7. atque ita tres cyclum diverſos Lunæ, & tres item diverſos Solis, qui trium anno-

rum

rum formæ, ſive ſpecificæ differentiæ ſunt: quorum decimus octavus Lunæ & Solis 7. exhibent Novilunium paſchale die 26. Mart. fer. 7. Decimus nonus verò Lunæ cyclus & Solis 8. exhibent idem Novilunium die 4. April. fer. 6. & tandem cyclus Lunæ primus cum Solis 9. idem exhibent Novilunium die 24. Mart. ineunte feriâ quartâ, in uno eodemque anno confundunt; quo errore quid craſſius & deformius fingi poſſit, in tam celebri Epochâ non video. Verba quidem videntur deſumpta ex Euſebio: ſed is cum Ærâ Chriſtianâ nequaquam conſentit, ut eruditi ſciunt. Maximi igitur momenti eſt, ſcire hanc de characteribus annorum Julianorum doctrinam, quâ qui inſtructus eſt, tutiſſimè in ſtudio Chronologico verſari poteſt, utpote, qui annos rectè definitos, & inter ſe diſtinctos ſequitur, qui ipſum regiâ quâdam viâ deducunt, ab errore facilè liberum præſtant. Qui verò hanc doctrinam ignorant, aut contemnunt, & tamen Chronologica tractare, de iis ſcribere & pronunciare audent, cum fieri non poſſit, quin tempora confundant, eos temeritate non inferiores arbitror cœco alicui de colorum diverſitate diſputanti, cùm utrique proprio inſtrumento, quo res dijudicari debent & poſſunt, deſtituantur.

Tertius Character in anno Juliano, vel potiùs in annis Æræ Chriſtianæ eſt, *Indictio*, quæ quindecim annorum ſpatio in orbem redit. Inſtituta fuit olim à Conſtantino Magno Imperatore, anno imperii ſeptimo, Æræ Chriſtianæ 312. die 24. Septemb. Hoc charactere ex decreto Imp. Juriſperiti in inſtrumentis, ut vocant, conficiendis, & aliis rebus conſignandis perpetuò utuntur. Cœpit, ut dictum eſt, die 24. Septembr. ſed cùm Conſtantinopolitani annum ſuum inchoent à Calendis Septembr. Ideò ſimul cum novo anno novam indictionem inchoârunt. Sed aliàs in Romano imperio diu in die 24. Sept. retenta fuit, donec Pontifex Romanus ejus initium retraheret ad Calendas Januarii, ubi hiſce temporibus hæret. Indictionum autem uſus creberrimus eſt in hiſtoriis poſt Conſtantinum Magnum, & invenitur in annis Æræ Chriſtianæ, ſi numero annorum dato tria adjiciantur, & tota ſumma dividantur per quindecim, ut, hoc anno currit indictio 14. quia ſi numero 1616. addantur 3. fiunt 1619. quæ diviſa per quindecim, in reſiduo relinquunt 14. & ſic in aliis.

Autor cùm priùs vitam, quàm Iſagogen hanc finierit, non ſine inſigni literarum jacturâ; ut ſupra in Proœmio meminimus, neceſſum fuit, ea quæ reſtant de characteribus, in parte tertiâ, & de ſingulis Epochis in quartâ parte, accerſere ex veteri Iſagoge, anno 1605. edita. Lector æqui boni conſulat.

Anni Sabbathici redeunt quovis ſeptennio exacto. Inſtituti fuerunt divinitus in republ. Judæorum, nec incipiunt, ut notum eſt, cum annis Julianis à brumâ, ſed ferè ab æquinoctio autumnali præcedenti, quemadmodum & Jubilæi, qui quinquageſimo anno redeunte celebrantur. Neuter quidem horum annorum à Judæis hodiè obſervatur, cùm in perpetuo exilio divagentur; annotantur tamen in ipſorum Calendario; ita ut qui inter ipſos docti ſunt, ſciant, quotusquiſque annus ſit ſemitæ, ut ipſi loquuntur, h.e. quotus annus currat ab anno ſabbathico proximè celebrato. Sed de annis ſabbathicis & Jubilæis prolixiùs infrà.

Syzygia luminarium cœleſtium oſtendunt quovis anno Juliano, quo die, quâ feriâ, quâ horâ eſt, quibus ſcrupulis novilunia & plenilunia ad medium motum accidunt, ex quibus præter alia etiam eclipſes ſolares & lunares dijudicantur, cùm illæ tantùm in conjunctione luminarium, hæ verò tantum in eorum oppoſitione accidere poſſint.

Eclipſes frequenter ab hiſtoricis annotantur, & plerumque ita Regum & Imperatorum rebus geſtis inſeruntur, ut ſimul de diuturnitate imperii, quorumlibet Regum, & de veritate rerum geſtarum teſtimonium certiſſimum præbere ſoleant. Infallibilis autem eclipſium certitudo eſt, & tempus & quantitas earundem inveniri, & abaco Aſtronomico, quovis ſeculo rectè demonſtrari poſſunt: nec paucæ ſunt numero, quæ ab hiſtoricis deſcriptæ inveniuntur. Inter eas à nobis ad calculum revocantur 127. lunares, 144. ſolares, in quibus examinandis Aſtronomiæ & Chronologiæ ſtudioſi induſtriam ſuam experiri poterunt. Quomodo verò characteres in anno Juliano uſitati ad alias omnes epochas rectè transferantur, ut inde vera earundem collatio inſtitui poſſit, jam docebimus.

CAPUT XVII.

De cyclo Solis & Lunæ in annis Æræ Chriſtianæ & Alexandræis, qui in libris Maccabæorum anni Græcorum appellantur.

AB annis igitur æræ Chriſtianæ, quæ annorum Julianorum formam exactè retinent, faciemus initium, & ſtudioſum Chronologiæ ex iis manuductione quâdam ad agnoſcendas præcipuas in hiſtoriis annotatas epochas, in diverſis annorum formis per hoſce characteres deducemus, & quomodo eædem ad annos Julianos ab initio mundi deductos rectè comparari poſſint, oſtendemus. Hæc enim æra apud nos per totam Europam vulgatiſſima eſt, cuilibet obvia & nota, de cujus characteribus apud neminem controvertitur. Initium ejus ſtatuitur in nocte, quæ incipit Calendas Januarii in anno formæ Julianæ, qui habet cyclos incipientes Lunæ quidem ſecundum, Solis decimum, indictionis quartum. Ex hoc dato principio quomodo inveniendi ſint cycli, dictùm eſt cap. præcedenti.

Anni Alexandræi cùm in Octobri inchoentur, anni verò CHRISTI à Calendis Januarii, manifeſtum eſt, eos cyclis ubique non convenire. Alexandræi enim anni aliis cyclis utuntur in tribus menſibus, in Octobri, Novembri & Decembri; alio, & quidem proximè ſequenti cyclo, poſt Calendas Januarii, qui perdurat uſque ad Calendas Januarii, etiamſi appellatio anni in Octobri varietur, & nonis incipiat. Hic annus crebrò cum annis CHRISTI comparatur; ideò ejus characteres non difficulter inveniuntur. *Alphonſus* Hiſpaniarum rex, anno Æræ Chriſtianæ 1252. Calendis Junii epocham ſtatuit ſuarum tabularum. Magni hæ tabulæ fiunt ab Aſtronomis, & ab ipſius regis nomine, cujus ſumtibus magnificis ſanè & regalibus con-

confectæ ſunt, *Alphonſinæ* appellantur. Hanc ſuarum tabularum epocham dicit ab initio annorum Alexandreorum diſtare diebus 570764. ſive annis Julianis 1562. menſibus octo, quod idem eſt ac ſi diceret, anno Alexandreo 1563. die primo Dæſii, ſive Calendis Junii, confectas eſſe has tabulas, à Calendis enim Octobris uſque ad Calendas Junii effluxerunt octo menſes, ſummam dierum 570764. per dies 365. & horas ſex redige in annos Julianos, & experieris rem ita ſe habere. Jam annus CHRISTI 1252. habet cyclum Lunæ 18. quod manifeſtum eſt, ſi unitas addatur, & totum per 19. dividatur. Habet etiam cyclum Solis primum. Ergò & annus Alexandreus 1563. poſt Calendas Januarii, quando cum anno CHRISTI 1252. ſimul concurrit habet eoſdem cyclos Lunæ, videlicet decimum octavum, & Solis primum. Sed cœpit Calendis Octobribus prioris anni, qui proximè præcedentes cyclos habuit, Lunæ quidem decimum ſeptimum, Solis verò viceſimum octavum. Cùm annus igitur Alexandreus 1563. cœperit cyclo Lunæ decimo ſeptimo, & Solis viceſimo octavo, facillimè hinc venabimur, quoto cycli Lunaris & Solaris anno primus annus Alexandreus cœperit, hoc videlicet modo: divido 1563. per novendecim, & reſiduum faciunt quinarium: atque cùm hic annus cœperit cyclo Lunæ decimo ſeptimo, & quinario deſint duodecim, quo minus ad eundem numerum attingat, concludo, annis Alexandreis ad methodum cycli Lunaris addenda eſſe duodecim, & cœpiſſe primum annum Alexandreum eo anno Mundi, qui habuit cyclum Lunæ decimum tertium. *Semper enim, in quovis cyclo inveniendo, annus alicujus epochæ addendus eſt numerus unitate minor, quàm fuit numerus cycli primi ejuſdem epochæ anni*; adde jam 12. ad annum Alexandreum 1563. fiunt 1575. divide per novendecim, habebis in reſiduo cyclum Lunæ 17.

Sic ad inveſtigandum cyclum Solarem primi anni Alexandrei eodem modo rem aggredimur. Dividimus enim 1563. per viginti octo, in reſiduo reſtant viginti tria, at debebant eſſe viginti octo. Annus enim CHRISTI, quo cœpit hic annus Alexandreus 1563 habet cyclum viceſimum octavum. Ergò quinque ad methodum cycli Solaris in annis Alexandreis ſunt addenda. Et primus ejus annus cœpit cyclo Solis ſexto, qui literam Dominicalem G. exhibet, unde Arabes etiam pronunciant, caput anni primi Alexandrei fuiſſe in Calendis Octobribus, feriâ ſecundâ Calendæ Octobris notantur literâ A. ſi jam G. fuit litera Dominicalis. Ergò A. fuit feria ſecunda. Hoc ita verùm eſſe probabimus etiam aliorum fide dignorum teſtimoniis.

Primus conſenſus concilii Niceni accidit die 19. Junii, anno Alexandreo 636. teſte concilio Epheſino, Socrate hiſtorico, & aliis, Idque factum eſt anno CHRISTI 325. ut nemo dubitat. Porrò hic annus CHRISTI 325. decurrit cyclo Lunæ tertio, Solis verò viceſimo ſexto, ut rem ad calculum ex ſuperiori capite revocanti, apparet. Ergò & annus Alexandreus 636. à Calendis Januarii eoſdem cyclos Solis & Lunæ obtinet, & cœpit à præcedenti Octobri cyclo Lunæ ſecundo, Solis verò 25. addendi igitur ſunt, ut antea factum eſt, ratione cycli Lunaris 12. ratione verò cycli Solaris quinque: divide enim 636. per 19. in reſiduo ſunt novem, adde 12. fiunt viginti unum; abjice novendecim, habes cyclum Lunæ ſecundum. Sic divide eundem numerum 636. per 28. in reſiduo ſunt 20. adde 5. habebis cyclum Solis viceſimum quintum, initio anni 636. Alexandrei, competentem; & primus annus cœpit cyclo Lunæ 13. Solis ſexto.

Idem videre eſt ex tabulis Aſtronomicis *Humetus* Ægyptii, quam Arzachel Arabs ad annos Alexandreos; *Johannes* verò *Pariſienſis* ad annos CHRISTI tranſtulit: cujus verba retulimus 12. cap. De veritate & certitudine hujus collationis nemo dubitari poteſt. Quomodo enim motus cœleſtes annis CHRISTI rectè convenire poſſent, niſi ad annos Alexandreos, ad quos tabulæ factæ erant, rectè compararentur? Apparet autem, tabulas tranſlatas eſſe anno CHRISTI 1142. in Septembri, menſe uno, antequam inciperet annus Alexandreus 1454. Annus autem CHRISTI 1142. habet cyclum Lunæ tertium, Solis item tertium; ergò annus Alexandreus 1454. eoſdem etiam habere debebat, quos ut aſſequatur, addenda ſunt ad methodum cycli Lunaris duodecim, ad inveniendum verò in hiſce annis Alexandreis cyclum Solis, quinque, ut computanti apparet.

Sic *Albumaſar* Aſtronomus Arabs, cum tabulis Alphonſinis, ſtatuit, inter æram Alexandream & æram Hagarenorum, ſive Arabum, quos annos Hegiræ, vel Turcicos appellamus, interceſſiſſe dies 340700. ſive annos Julianos 932. & dies 287. hoc eſt, anno Alexandreo 933. menſe decimo cœpiſſe annos Hegiræ. Anni Hegiræ, ut nemo dubitat, cœperunt anno CHRISTI 622. die 16. Julii. Annus CHRISTI 622. habet cyclum Lunæ decimum quintum, Solis item decimum quintum. Ergò annus Alexandreus 933. à Calendis Januarii, ubi cum anno CHRISTI 622. convenit, eoſdem cyclos habet, & cœpit in Octobri præcedente, cyclo Lunæ 14. & Solis etiam 14. & addenda ſunt ad methodum Lunæ in hiſce annis Alexandreis 12. & ad methodum cycli Solaris quinque, ut hactenus probavimus.

Rabbi Abraham, etiam Levita, in cabalâ ſuâ, quæ à Munſtero cum Calendario Hebræo edita eſt, idem exprimit, quando ait: *Hiſtoriographi determinant verba ſua ita accuratè, ut indubitatè dicant, Jeſum natum anno 312. juxta computationem contractuum*. Chriſtus Salvator noſter natus creditur cyclo Lunæ primo, & cyclo Solis nono, ambobus jam ferè finientib., hinc n. æram Chriſtianam ordimur. Ergò æra contractuum, ſive Alexandrea, ut in anno 312. eoſdem cyclos, Lunæ ſcilicet primum, & Solis nonum adipiſcatur, neceſſe eſt, ut cœperit cyclo Lunæ 13. & Solis ſexto, & ut addantur duodecim ad inveniendum cyclum Lunarem, & quinque ad inveniendum cyclum Solarem.

Albatenius Aſtronomus Arabs annotat aliquot ſui temporis eclipſes ad hoſce annos Alexandreos. Primam Lunarem, ait, accidiſſe die 23. menſis Tamutz, anno Dhilkarnaim ſive Alexandreo 1194. eam dico accidiſſe An. Chriſti 883. die 23. Julii. Noviluniū paſchale fuit 12. Martii, feriâ tertiâ, huic adde quinq; Plenilunia, & pervenies ad diem 23. Julii, feriam tertiam, hora 11. 40. 37. inquire etiam latitudinem Lunarem, an apta ſit ad producendam eclipſin; eam invenies eſſe graduum 96. 40. 26. & eclipticam,

cùm

cùm Luna vicina ſit nodo. Annus Chriſti 883. habet cyclum Lunæ 10. Solis 24. Ergò hic annus Alexandreus cœpit cyclo Lunæ 9. Solis 23. quod ut oſtendatur per numeros, addenda ſunt duodecim, ut cyclus Lunæ habeatur, & ut Solis etiam cyclus inveniatur, quinque. Et primus annus cœpit cyclo Lunæ decimo tertio, Solis verò ſexto. Sic idem *Albatenius* obſervavit eclipſin Solis, anno Alexandreo 1202. die octavo menſis Ab. hæc accidit anno CHRISTI 891. cyclo Solis quarto, Lunæ 18. die 8. Auguſti. Item aliam Lunarem obſervavit anno Alexandreo 1212. die ſecundo menſis Ab. Hæc accidit anno CHRISTI 901. Cyclo Lunæ 9. Solis 14. circa mediam noctem, ineunte feriâ ſecundâ. Ex quibus omnibus apparet, annos Alexandreos rectè comparatos hoc modo eſſe cum annis æræ Chriſtianæ, & cœpiſſe eo anno Mundi, qui habet cyclum Lunæ 13. Solis verò ſextum. Plura præterea poſſent ad hanc rem confirmandam adduci: ſed hæc ſufficere arbitror. Ideò autem tot demonſtrationes & autoritates Aſtronomorum adduxi, quòd vix videam, vel unicum Chronologum noſtri temporis, qui hoſce annos rectè, vel ad annos CHRISTI, vel ad annos urbis, aut alias epochas applicârit. *Buntingus* noſtri ſeculi præſtantiſſimus Chronologus, ubi ad hanc epocham pervenit, oſtendit quidem, concilium Nicenum anno Alexandreo 636. celebratum, & rectè colligit, quo anno ejus epocha figi debeat, ſed tamen ſuas opiniones ſecutus, diſcedit à ſententiâ concilii Niceni, contraque id pronunciat his verbis: *Nos tamen*, inquit, *annos Alexandreos biennio tardiores facimus.* Id autem quâ de causâ faciat, non exprimit. Sed hoc non eſt Chronologiam ſcribere, ſed contra fidem datam omnem fidem hiſtoricam enervare. Rectiùs facient ſtudioſi Chronologiæ, ſi relictis iis; qui demonſtrationem omnem negligunt, & ſuas tantùm conjecturas & opiniones tradunt, veritatem ſectentur, & demonſtrationem conjecturæ, autoritatem opinioni, & certitudinem dubitationibus præferant. Concludimus ergò, æram Chriſtianam incipere, cùm in anno Alexandreo 312. tres menſes præteriiſſent. Annus enim 312. incipit cyclo Solis 9. Lunæ verò primo, Calendis Octobribus. In Calendis verò Januarii accipit cyclum Solis 10. & Lunæ ſecundum, hos eoſdem cyclos habet & primus annus Æræ Chriſtianæ. Ergò ſimul concurrunt. Sed pergamus ad alias epochas.

CAPUT XVIII.

De cyclo Solis & Lunæ in annis Nabonaſſareis, & aliis ejus characteribus.

ÆRa Nabonaſſaris celeberrima eſt apud Hiſtoricos & Aſtronomos, nec de characteribus ejus cycli, ſcilicet Solis & Lunæ dubitari poteſt, cùm & plurimorum hiſtoricorum teſtimoniis, & viginti circiter eclipſium, tàm Solarium quàm Lunarium exemplis, à *Ptolomæo* annotatis, & à ſolertiſſimis hujus ævi Aſtronomis, *Gerhardo Mercatore, Joſepho Scaligero, Buntingo*, & aliis, ad calculum Aſtronomicum ravocatis, comprobentur. Cœpit æra hæc fer. quarta, die 26. Febr. anno Mundi, qui fuit cycli Solaris 19. Lunaris 15. ante epocham Chriſtianam diebus 272785. & horis 12. hoc eſt, annis Nabonaſſareis 747. diebus 130. horis 12. ſive annis Julianis 746. diebus 309. horis 12. Hoc niſi certum & exploratum eſſet, nulla omninò Eclipſis Ptolomæi calculo Aſtronomico reſponderet. Annorum ejus ratio, ut ſuprà diximus cap. 11. æquabilis eſt, calculo Aſtronomico valdè accommodata. Conſtat diebus 365. tantùm, nec appendices habet illas ſex horas, ut in formâ Julianâ accidit, quapropter & biſſextum non recipit, unde neceſſariò evenit, ut ſingulis quadrienniis initium ejus in noſtro Calendario mutetur, uno die varietur & anticipet. Quapropter in noſtra Chronologia annos Nabonaſſaris per quadriennia tantùm annotavimus, quia initium ejus, ratione diei menſis Juliani non mutatur, niſi quinto quoque anno incipiente. Feriæ tamen, id quod diligenter obſervari debet, ſingulis annis mutantur, ita tamen ut ſibi ordine ſuccedant: ut exempli gratia: Primus annus cœpit die 26. Februarii, feria quarta. Secundus eodem die Februarii incipit; ſed feria quinta. Tertius ſimiliter eodem die menſis; ſed feria ſexta. Quartus etiam eodem die menſis, ſed feria ſeptima. Quintus annus mutat diem menſis, & incipit die 25. Februarii; ſed feria prima, atque hoc modo res peragitur ſingulis quadrienniis. Propter hanc autem capitis anni mutationem, characteres ejus, cyclus videlicet Solaris & Lunaris, aliquo modo mutantur: ubi ſciendum, quòd quidem, ſi anni dati Nabonaſſarei numerum 228. non excedant, nihil mutetur; ſed, cùm incipiant cyclo Solis 19. Lunæ 15. ſi ipſis addatur ad eruendum cyclum Solis 18. ad eruendum verò cyclum Lunæ 14. quòd cycli, quibus incipiunt hi anni, rectè inveniantur. Sed ſi numerus annorum Nabonaſſareorum fuerit major quàm 228. minor tamen quàm 1688. quòd tum non octodecim ad eruendum cyclum Solis ſint addenda, ſed ſeptendecim. Nec ad methodum etiam cycli Lunaris 14. aſſumenda ſint, ſed tantùm tredecim. Hoc propterea fit, quòd caput anni anticipando, & contra ordinem menſium regrediendo, pervenit ad Decembrem, ſive ad menſes præcedentis anni, ubi non fuit cyclus Solis 19. Lunæ 15. ſed cyclus Solis 18. Lunæ 14. ideoque numerus unitate minor, quàm cycli ſunt, ad eruendum cyclum aſſumendus eſt. Tertiò ſi numerus annorum Nabonaſſareorum exceſſerit annos 1688. tum adhuc unitas, numeris ad cyclos inveniendos addendis demenda eſt, & 16. tantùm addenda ad methodum cycli Solis; duodecim verò ad eruendum cyclum Lunæ. Exempli gratia: Hoc anno 1616. incipit annus Nabonaſſareus 2365. die 15. Julii. Huic anno, cùm excedat terminum annorum 1688. addenda ſunt ad inveniendum cyclum Solis non octodecim, nec ſeptendecim, ſed 16. & ſumma dividenda per 28. hoc modo invenitur cyclus Solis hujus anni 1. Sic, ſi duodecim addantur, & tota ſumma dividatur per 19. invenitur cyclus Lunæ 2. qui cycli huic anno competunt, ut Calendaria oſtendunt. Poteſt & alia methodus inſtitui eruendorum cyclorum; ſi videlicet hi anni Nabonaſſarei ad quantitatem anni Juliani redigantur, & illis poſtea ad eruendum cyclum Solarem, ut initio factum eſt, 18. addantur: ad eruendum verò cyclum Lunæ 14. ſed id induſtriæ ſtudioſorum relinquimus. *Quomodo autem anni Nabonaſſa-*

bonaſſarei ad quantitatem anni Juliani redigantur, & quomodo caput anni inveniatur, dictum fuit ſupra cap.11. Eſt & alia ratio deprehendi cyclum Solarem ferè in hâc anni formâ. Nam initium ejus cum feria, quâ primus dies incipit, facilè invenitur hoc modo: Feriæ ordine ſibi in annis Nabonaſſareis ſuccedunt. Ex primo igitur anno dato reliquæ feriæ rectè numerari poſſunt; deprehensâ igitur unâ feriâ, quæ in diem certum menſis accidit, cyclus Solis ferè habetur. Primus annus cœpit, ut dictum eſt, feriâ quartâ. Ergò, ut in methodo cyclorum dictum eſt, annis Nabonaſſareis etiam ad eruendas ferias addendus eſt numerus unitate minor, quàm fuit feria primi anni. Ea autem fuit 4. feria, ergò tria ad methodum feriarum hiſce annis ſunt addenda. Ex totâ ſummâ deinde abjicienda omnia ſeptenaria, ſive tota ſumma dividenda eſt per ſeptem, reſiduum dat feriam, quâ primus primi menſis dies ejus anni cœpit, ut anno 2365. qui incipit hoc anno, addantur tria, fiunt 2368. abjiciantur omnia ſeptenaria, ſuperſunt duo. Incipit ergò feria 2. Poſtea per methodum ſuperiùs traditam inquirendum, quo menſe & die hic annus incipiat. Incipit autem, ut dictum eſt, die 15. Jul. jam ſi dies 15. Julii eſt feria 2. & habet literam aſcriptam G. Ergò litera F. eſt Dominicalis, quod non fit circa hæc tempora, niſi cyclo Solis. 1. Inde ex feriâ primi diei propoſiti, anni habentur feriæ per totum annum. Eodem enim modo, numerus unitate minor, quàm feria primi diei fuit, diebus ejus anni addendus eſt, & totum per ſeptem dividendum, tum reſiduum ejus oſtendet feriam. Ut quæratur centeſimus hujus anni 2365. dies, in quam incidat feriam. Primus anni dies cœpit feria 2. ergo unitas centum diebus addenda: & abjicienda omnia ſeptenaria, remanent 3. Ergo centeſimus hujus anni dies eſt feria tertia. Quibus obſervatis, quicquid apud hiſtoricos & Aſtronomos in hiſce annis, ad hoſce menſes & dies annotatur, facillimè ad annos Julianos, & ad noſtrum Calendarium reducitur. Exempli gratia:

Ptolomæus *annotat* eclipſin Lunarem *anno ſecundo Merodachi, qui eſt viceſimus octavus Nabonaſſaris, die 18. menſis Thot. Quæritur, quotus dies ſit in noſtro Calendario, & qua feria. Character annorum Nabonaſſareorum ad oſtendendam feriam primi diei eſt ternarius, qui vigeſimo octavo anno additus efficit triginta unum, abjectis omnibus ſeptenariis; reliquum eſt ternarius, & oſtendit annum hunc incipere fer. tertiâ. Ex hâc feriâ tertiâ, ſi unitate diminuatur, & diebus hujus anni addatur, omnes hujus anni feria cognoſcuntur. Binarius ergò dies decimo octavo Thot primi menſis additus, facit 20. abjectis ſeptenariis ſuper ſunt 6. & oſtendunt, eclipſin accidiſſe feriâ ſextâ.* Porrò ut oſtendatur dies in noſtro Calendario, redigo annos Nabonaſſaris ad annos Julianos, ſecundum methodum, cap. 11. traditam; ſive anni Nabonaſſaris per quatuor dividantur, & Quotus ipſis ſubtrahatur, viginti octo per quatuor diviſi, Quotum dant ſeptenarium; tot enim dies intercalando omiſſi ſunt, hi ſeptem dies à diebus 56. à Calendis Januarii numeratis, poſt quos primus annus Nabonaſſaris cœpit, ſubducantur. & relinquuntur dies 49. qui oſtendunt hujus vigeſimi octavi Nabonaſſarei anni diem primum cœpiſſe die quinquageſimo à Calendis Januarii, die videlicet 19. Febr. à quo dies octodecim numerati, deſinunt die octavo Martii. Habemus ergò diem menſis, quo eclipſis accidit. Videamus jam, an feria hæc etiam conveniat, idque per cyclum Solarem. In cyclo Solis inveniendo hiſce annis Nabonaſſareis additur 18. & tota ſumma dividitur per vinginti octo, octodecim addita annis 28. fiunt 46. abjectis viginti octo, reſtant octodecim, qui dant literam Dominicalem F. & decimo nono Februarii habetur litera A. quâ hoc anno feria tertia denotatur; & octavus dies Martii habet literam D. feriam ſcilicet ſextam.

Videamus, an Syzygia Lunaris etiam conveniat. Incidit annus vigeſimus octavus Nabonaſſaris in ultimos menſes anni Mundi, 3229. ut nos putamus, & poſtea etiam probabimus: proximè minor numerus in poſteriore tabulâ Syzygiarum Lunarium eſt, 3192. qui ab iſto ſubtractus reliquos facit 37. utriuſque cyclum Solarem, ferias & alia, ut dictum eſt annoto, invenioque, Novilunium paſchale incidiſſe in diem 93. à Calendis Januarii, in diem 3. Aprilis, feriâ 3. horâ 1.49.35. cyclo Solis 17. Lunæ 3. Addo jam plenilunia duodecim, fiunt dies 432. abjecto integro anno, diebus 365. ſuperſunt dies 67. à Calendis Januarii ſequentibus numerati, anni Mundi 3230. qui deſinunt die 18. Martii, feriâ ſextâ, horâ 4. pomeridianâ, minut. 16.11. Cyclo Solis 18. Lunæ 4. atque ita eadem omnia conveniunt, Latitudo Lunaris fuit graduum 277.36.41. vicina nodo evehenti, & apta ad producendam Eclipſin. Eodem hoc Nabonaſſaris anno, die 15. Phanemoth annotatur alia eclipſis Lunaris. Annus hic, ut diximus, cœpit die 19. Februarii, Phanemoth eſt ſeptimus menſis; præterierunt ergo ſex menſes, qui faciunt dies 180. adde dies quindecim hujus menſis, fiunt 195. qui numerati cum die 19. Februarii, deſinunt Calendis Septembr. ſi iiſdem diebus binarius addatur, & ſeptenaria abjiciantur, relinquitur feria prima. Calendæ Sept. habent literam F. quæ hoc anno eſt Dominicalis, ergo feriæ & dies reſpondent, reſpondebit etiam Syzygia Lunaris hoc modo: Novilunium paſchale fit hoc anno, die 82. die 23. Martii, feriâ 7. horâ 10.38.13. addo plenilunia ſex, fiunt dies 244. Calendæ Septembr. feria 1. hora 8. poſt meridiem, 40.30. Latitudo 101.37.5. intra terminum eclipticum.

Idem *Ptolomæus* annotavit etiam eclipſes, quæ ſuis temporibus acciderunt, tempore Adriani Imperatoris, ut lib. 4. Almageſti cap. 7. dicit, anno Nabonaſſaris 882. accidiſſe eclipſin Lunæ die ſecundo Chojac. anno 19. Adriani Imperatoris. Videamus quo die, quo menſe, & qua feria acciderit: anni 882. diviſi per 4. Quotum dant 220. qui ex diebus 421. ut cap. 3. didiciſti, ſubtracti reliquos faciunt dies 201. hoc eſt, 20. diem Julii, & indicant, annum 882. cœpiſſe die ſequente 21. Julii, fer. a tertia. Si enim ternarius character feriarum in annis Nabonaſſareis addatur, & ſeptenaria abjiciantur, relinquitur feria tertia; eruatur cyclus Solis, additis 17. & abjectis quotieſcunque potes 28. relinquitur cyclus Solis 3. cujus litera Dominicalis D. indicat die 21. Julii eſſe feriam tertiam in litera F. Porrò menſis Choiac. eſt quartus. Præterierunt igitur menſes tres, dies videlicet 90. & currit ſecundus Chojac, fiunt 92.

Chara-

Character feriarum hujus anni eſt binarius, qui additus indicat, eccliplin accidiſſe feriâ 3. iidem dies 92. juncti diei 92. juncti diei 201. à Calendis Januarii, poſt quem cœpit hic annus, efficiunt 293. deſinuntque 20. Octob. feriâ tertia, quâ eccliplis accidit. Fuit annus æræ Chriſtianæ 134. Numerus proximè minor eſt 79. qui ſubtractus ex 134. relinquit 55. qui duo numeri exhibent eosdem cyclos Solis & Lunæ, ferias item & horas novilunii paſchalis, die 72. à Calendis Januar. die 13. Martii, feriâ 6. horâ 4.36.47. Plenilunia 8. ſi addantur, faciunt dies 293. diem 20. Octob. feriam 3. horas 16.7.10. Latitudo Lunæ 96. gradus 53.53. apta ad producendam eccliplin; quia vicina nodo devenenti. *Vides ſtudioſe lector, omnia convenire. Poſſent hoc modo omnes eccliplſes ad annos Nabonaſſaris a Ptolomaeo annotata examinari, & ad annos Mundi & ara Chriſtiana reduci; ſed id prolixum hic foret, & præſtitum eſt in ipſa Chronologia, ideo eas induſtria ſtudioſorum Chronologia examinandas relinquimus.* Poſſemus hîc Comparationem horum annorum concludere, & ad alia pergere. Satisfactum enim cuilibet arbitror, apertis hisce demonſtrationibus: ſed cùm pauciſſimi Chronologi, imò nec qui optimi cenſentur, *Crentzhemius & Bucholcerus*, hosce annos rectè, nec ad annos Chriſti, nec ad annos Mundi, nec ad quasvis epochas alias applicarint, aſſumenda ſunt adhuc aliorum autorum teſtimonia.

Alphonſus rex Hiſpaniæ, ex ſententia optimorum Aſtronomorum, quorum operâ uſus fuit in tabulis ſuis conficiendis, ſtatuit ab initio æræ Nabonaſſaris, uſq; ad ſuam epocham in Calendis Junii, anni Chriſti 1252. effluxiſſe dies 729865. qui efficiunt annos Nabonaſſareos 1999. menſes ſeptem, dies viginti, hoc eſt, epocham ſuarum tabularum fixam fuiſſe in anno Nabonaſſaris bis milleſimo, die 20. menſis Pharmuthi. Annus Chriſti 1252. habet, ut ſupra oſtendimus, cyclum Lunæ 18. Solis primum. Annus 2000. Nabonaſſaris, ſi cyclos inquiramus, cœpit cyclo Lunæ 17. Solis 28. feriâ prima, die 15. Octobris. Ergo in menſibus poſt ſequentes Calendas Januarii habuit cyclum decimum octavum Lunæ, & Solis primum, & convenit rectè cum anno æræ Chriſtianæ 1252. rectè igitur hoc modo cum ipſis comparatur, cœpitque ejus annus cyclo Solis 19. Lunæ verò 15. ut initio ſtatuimus. Porrò obſervent hîc ſtudioſi, ſi anni Nabonaſſarei excreverint ultra numerum 1687. quòd, ſi Quotus per quaternarium inquirendus eſt, primùm unus annus abjici debeat: ut annus 2000. habendus tantùm eſt in inquirendo Quoto pro 1999. Idque propterea, quòd anno Chriſti 940. in unum eundemq; annum Julianum duo Nabonaſſarei concurrant, quorum primus incipit in Calendis Januarii, alter verò ultimò Decembris. Ideoq; cùm annus Nabonaſſaris 1688. debebat ultimo Decembris intercipere, relinquitur propter ſimul incidentem biſſextilem in Calendis Januarii: atq; hic defectus in ſequentibus deinde continuatur. Addidimus etiam infra ad annum mundi 4187. locum *Cenſorini*, qui unus omnium maximè antiquitatem, tot præcipuarum epocharum enumeratione & comparatione, ab interitu vindicavit. Iſtum locum omnes Chronologi probant, ſuſpiciunt, & ad ejus ductum Chronologiam ſuam ſe conformare gloriantur, nec unquam quisquam fuit, qui aut Cenſorinum erroris arguiſſet, aut locum ipſum librariorum culpâ corruptum ſuſpicatus fuiſſet. Diligenter igitur locus excutiendus eſt, & quomodo tot epochæ ad annos Chriſti, & ad annos Mundi rectè alligari poſſint, videndum. Copulavit Cenſorinus omnes epochas, ad quas totius Mundi hiſtoriæ ferè annotatæ ſunt, quæ ſi rectè ad annos æræ Chriſtianæ alligentur, tempora rerum geſtarum & annos retrorſum ante Chriſtum natum rectè deprehendimus: Si in alligatione aberremus, tum & tempora & res geſtas turpiter confundimus.

In unum autem annum ſimul Cenſorinus conjicit.

Annum Olympiadicum.	1014
Annum urbis.	991
Annum emendati Calendarii à Julio Cæſ.	283
Annum Auguſtorum.	265
Annum Actiacæ victoriæ.	267
Annum Nabonaſſaris.	986
Annum Philippi, & obitus Alex.	562

Hunc añum, in quem hæ epochę incidunt, *Crentzhemius, Bucholcerus*, & alii plurimi definiunt, quòd ſit annus Chriſti 239. Ego nego; & affirmo illos falli, idque probabo ordine, quando de ſingulis epochis agemus. Jam in comparatione annorum Nabonaſſareorum verſamur; ideò hic de iis tantùm dicam. Cenſorinus dicit, annum Nabonaſſaris 986. cœpiſſe die ſeptimo Calendarum Julii, hoc eſt, die 25. Junii, ſive die 176. à Calendis Januarii anni 986. per quaternarium diviſi, Quotum exhibent 246. qui ex diebus 421. ut ſupra didiciſti, ſubtracti, relinquunt dies 175. & oſtendunt, hunc eundem annum incipere, ut Cenſorinus vult, die ſequente, ſive die 176. à Calendis Januarii, die 25. Junii. Convenit hîc nobis cum Cenſorino, ut unicuique manifeſtum eſt. Porrò addo annis 986. ternarium, ut feriam, quâ hic annus cœpit, deprehendere poſſim, & ſiunt 989. abjectis omnibus ſeptenariis, ſupereſt binarius, & oſtendit, hunc annum cœpiſſe feriâ ſecunda. Ergo neceſſe eſt, ut dies 25. Junii, quo cœpit hic annus, ſit feria ſecunda. Id jam manifeſtum erit ex cyclo Solis, qui eruitur ex annis hisce Nabonaſſareis, ſi 17. addantur, & per 28. dividatur: quod ſi fit, reſiduum erit 23. Cyclus autem Solis 23. exhibet literam Dominicalem G. dies 25. Junii habet literam ſequentem A. Ergo, habet etiam feriam ſequentem, ſive ſecundam. Inquire eundem cyclum jam in anno Chriſti 238. Addendum hisce annis eſt, ut ex cap. 16. didiciſti, ad cyclum Solis eruendum, 9. quibus additis, fiunt 247. divide per 28. reſiduum erit 23. Convenit jam annus Nabonaſſareus 986. cum anno Chriſti 238. in cyclo Solis. Ergo rectè inter ſe ſunt comparati, atque hoc verum eſſe, manifeſtum etiam eſt ex demonſtrationibus eccliplſium, & argumentis antea allatis. Falſum igitur jam eſt, quòd Chronologi dicunt, annum Nabonaſſaris 986. incidere in annum Chriſti 239. Hic enim habet cyclum Solis 24. literam Dominicalem F. diem 25. Junii, feriam tertiam, id quod omninò ab anno Nabonaſſareo 986. diſſentit. Quemadmodum igitur jam falluntur Chronologi in alligatione anni Nabonaſſa-

naſſarei, ad annos Chriſti: ita falluntur etiam in alligatione reliquarum epocharum; unde conſequens eſt, ipſos nihil, quidquid unquam rerum geſtarum, vel ad annos Olympiadum, vel ad annos Urbis, vel ad annos *N*abonaſſaris, vel ad annos Julianos, vel ad annos Actiacæ victoriæ, vel ad annos Auguſtorum, vel ad alios etiam, in literas relatum & memoriæ proditum eſt, in tota ſua Chronologiâ, ad veros annos, quibus eædem res geſtæ debentur, annotaſſe, ſed cùm nullis temporum characteribus regerentur, omnia temerè miſcuiſſe, & conturbaſſe. At dicat aliquis, *Crentzhemius* etiam annotat ecclipſes à Ptolomæo definitas in ſua Chronologia. Ergò & ipſe ſuam ſententiam demonſtratione Aſtronomica confirmare conatur. Reſpondeo, Crentzhemium quidem annotare has ecclipſes: ſed ſi quis eas ad eum locum, ubi eas annotavit, ad calculum revocet; nec Syzygia Lunaris, nec latitudo etiam Lunæ reſpondebit, nec omninò ecclipſin tunc fieri potuiſſe, quivis deprehendet. Annotavit ergò Crentzhemius ecclipſes, non ad menſuram motuum cœleſtium, ſed ad menſuram ſuæ opinionis, & in re, quæ demonſtratione examinari, oſtendi & dijudicari debebat, hariolatus eſt, & ſe ac alios fefellit. Hunc errorem ſecuti ſunt plerique Aſtronomi, qui tamen in ſua ſcientia demonſtrationibus ſuis potius, quàm aliorum conjecturis niti debuiſſent.

Atque ita concludimus hoc caput de characteribus annorum *N*abonaſſareorum, quòd primus ejus annus cœperit cyclo Solis 19. Lunæ verò 15. & quòd primus annus æræ Chriſtianæ incipiat, anno *N*abonaſſaris 748. cùm annus primus æræ Chriſtianæ ſit ſecundus cycli Lunaris, & decimus Solaris, iidemq; cycli hoc anno 748. *N*abonaſſaris poſt Calendas Januarii inveniantur.

CAPUT XIX.

De cyclo Solis & Lunæ, in annis Philippi, ſive à morte Alexandri Magni.

Cum anni *Philippi*, ſive *anni ab obitu Alexandri Magni* ejuſdem formæ ſint cum *N*abonaſſareis, ut dictum eſt cap. 11. aperta ratio eſt horum cyclorum. *N*am annus *N*abonaſſaris 425. cœpit cyclo Lunæ primo, Solis verò 22. feriâ prima, die duodecimo Novemb. Ergo primus annus Philippi, etiam iiſdem cyclis, eâdem feria, & die, incipit, & in inveſtigatione cycli Lunaris in hisce annis nihil addendum eſt. Per ſe enim cyclum Lunæ exhibent. Si verò cyclum Solis inveſtiges, tum addenda ſunt 21. Ratio aperta eſt, nec indiget declaratione, notandum tamen eſt, ſi numerus annorum Philippi excreverit ultra 1264. quòd tum in inveſtigatione cycli Lunaris addenda ſint octodecim, Solaris verò tantùm viginti: cauſa eſt, quia caput anni tum regreditur in Decembrem, quemadmodum anni æquabiles ſolent, & tum cenſentur, quaſi primus eorum annus cœpiſſet cyclo Lunæ 19. Solis verò viceſimo primo. Non neceſſe videtur, ut plura addam, quo Cycli horum annorum demonſtrentur. Toti enim pendent ex annis *N*abonaſſareis, qui cùm rectè conſtituti ſunt, veros etiam cyclos Solis & Lunæ horum annorum ſimul exhibent: Attamen cùm adſint Aſtronomorum veterum, qui hosce annos cum annis Chriſti apertè conferant, teſtimonia quædam ex iiſdem adducemus: iiſdem enim teſtimoniis characteres etiam annorum *N*abonaſſareorum ſimul confirmantur.

Alphonſus rex in Catalogo ærarum ſuarum ſtatuit, ab initio hujus æræ uſque ad epocham ſuarum tabularum effluxiſſe dies 575105. qui efficiunt annos æquabiles 1575. dies 230. ſive menſes ſeptem, dies 20. hoc eſt, æram tabularum ſuarum cœpiſſe anno Philippi 1576. *A*nnus æræ Chriſtianæ 1252. in cujus Calendis Junii cœpit æra Alphonſina, eſt decimus octavus cycli Lunaris; primus verò cycli Solaris, Annus 1576. æræ Philippi poſt Calendas Januarii eoſdem cyclos habet, ſi in inveſtigatione cycli Lunaris nihil; in veſtigatione verò Cycli Solaris 21. addas. Ergo hi anni rectè ſunt inter ſe comparati, & primus cœpit cyclo Lunæ primo; Solis, viceſimo ſecundo.

Sic *Albumaſar* ſcribit, inter æram Philippi, & initium annorum Hegiræ interceſſiſſe annos æquabiles Ægyptios 945. & dies 117. anni Hegiræ, ut notum eſt, cœperunt anno Chriſti 622. die 16. Julii: anno cycli Lunaris & Solaris decimo quinto. Annus 946. Philippi eoſdem habet cyclos, ſi ratione cycli Lunaris nihil addatur, ratione verò Solaris, viginti unum. Ergò primus annus æræ Philippi cœpit cyclo Lunæ primo, Cyclo verò Solis 22. & primus annus æræ Chriſtianæ incidit in annum Philippi 324. & anno Chriſti 238. ſecundùm pronunciatum Cenſorini, cœpit annus ab obitu Alexandri 562.

CAPUT XX.

De cyclo Solis & Lunæ, in annis Olympiadum.

Anni Olympiadum quantum in Chronologia uſum habeant, manifeſtum eſt; ideo characteres ejus diligenter inquirantur. *N*on autem ſe difficulter offerunt, ſæpe enim hæc epocha cum annis *N*abonaſſareis, & aliis confertur: Extant & Stadionicæ, deſcripti olim ab Africano, inventi ab Iſaaco Caſaubono, & à Scaligero editi: nec deſunt ecclipſes, ad annos Olympiadum annotatæ, unde characteres veros rectè deprehendere poſſumus. *Euſebius*, & alii conſentiunt in hoc, quòd *Alexander Magnus* obierit anno primo Olympiadis centeſimæ decimæ quartæ. Certum etiam hoc eſt ex Ptolomæo, Arabibus atque aliis, eundem Alexandrum obiiſſe circa finem anni *N*abonaſſaris 424. ideoque æra illa, quæ dicitur Philippi, inſtituta fuit ab exceſſu Alexandri Magni, quemadmodum undecimo capite diximus, quæ ſimul concurrit cum anno *N*abonaſſaris 425. Eſt autem hic annus cycli Lunaris primus, & cycli Solaris 22. Ergo annus primus Olympiadis 114. neceſſe eſt, ut habeat eoſdem cyclos Solis & Lunæ; quod ita experieris. Redige Olympiades per quaternarium ad annos ſingulares ſive expanſos: una enim Olympias continet annos ſolidos quatuor. Olympiades 113. completæ, per quaternarium multiplicatæ, efficiunt annos Olympiadicos 452. quibus adde annum primum currentem Olympiadis 114. ſunt anni 453. hic annus debet eſſe primus cycli Lunæ, & 22. Solis. Siquidem initio ſuo ferè cum anno *N*abonaſſaris 425.

qui

qui eoſdem hoſce cyclos habet, decurrit. Anni 453. per novendecim diviſi, reliquum faciunt ſedecim: ſed debebat eſſe primus cycli. Ergo addenda ſunt quatuor, & novendecim abjicienda; tum reliqua eſt unitas. Vnde colligitur evidentiſſimè, primum annum primæ Olympiadis cœpiſſe cyclo Lunæ quinto. Sic divido eoſdem annos 453. per viginti octo; reliquus fit binarius, ſed debebant eſſe viginti duo, ut cyclum Solarem ejus anni exprimerent. Ergo addenda 17. Vnde rectè concluditur, primam Olympiadem cœpiſſe cyclo Solis decimo octavo. Idem etiam demonſtrari poſſet ex *Diodoro Siculo, Thucydide, Xenophonte*, & aliis, ex quibus unum atque alterum exemplum tantùm aſſumemus. *Xenophon. lib. 2. Hiſtor. Græca ſcribit pag. 461. anno poſt victos Athenienſes ad Ægoſpotamos, & captas Athenas, Olympiadem 94. actam eſſe & incidiſſe ecclipſin Solis. Ecclipſis hæc accidit die 3. Septemb. feriâ ſexta, horâ nona matutinâ, ſi ad calculum revocetur. Incidit in annum Mundi 3546. proximè minor numerus 3496. cum reliquis 50. annis & 6. menſibus, exhibent novilunium die 246. poſt calendas Januarii, feria 6. hor. 4.21.22. Cyclo Solis 26. Lunæ 16. & latitudinem Lunarem 277. 24. :. eccliptícam: & conjunctio Luminarium vera poſterior fuit mediâ horis ferè quinque; nec de certitudine hujus ecclipſis dubitari poteſt. Facta enim circa hæc tempora plures ſunt, quæ ab hiſtoricis diligenter ſunt annotata, & omnes calculo rectè reſpondent, ut examinanti apparet. Si igitur Olympias 94. ſive annus Olympiadicus 373. cœpit cyclo Solis 26. Lunæ 16. Ergo iis addendum ad methodum cycli Lunaris quatuor: ad methodum verò cycli Solaris ſeptendecim, & primus annus cœpit cyclo Lunæ quinto, Solis 18.*

Sic Darius, *Perſarum rex ultimus, victus fuit ab Alexandro Magno, ad Gaugamela, ut* Plutarchus *tradit, anno ſecundo Olympiadis 112. undecim diebus poſt defectionem Lunæ, ut &* Diodorus Siculus *cum Plutarcho teſtis eſt. Ecclipſis illa accidit circa initia Myſteriorum Athenienſibus uſitatorum. Myſteria celebrabantur in Boedromione, in menſe autumnali: Ecclipſis accidit, ſi ad calculum revocetur, ut etiam capite 9. monuimus, die 20. Sept. feriâ ſecunda, horâ poſt meridiem ferè octava, anno Mundi 3619. numerus proximè minor 3572. & anni reſidui 47. & plenilunia ſeptem. exhibent plenilunium factum die 264. poſt Calendas Januarii, feriâ tertia, hora 1. 43. 13. Cyclo Solis 15. Lunæ 13. Sed hoc plenilunium medium eſt: vera Syzygia facta prior ſex horis. Si igitur jam annus ſecundus Olympiadis 112. ſive annus Olympiadicus 446. habet cyclum Solis 15. Lunæ 13. Ergò primus cœpit cyclo Lunæ quinto, Solis 18.*

Sic annus æræ Chriſtianæ 238. habet cyclum Lunæ 11. & Solis 23. Annus Olympiadic. 1014. ſi quatuor addas ad eruendum cyclum lunarem; ſeptendecim verò, ad cyclum Solarem inveniendum, habebis eoſdem cyclos Solis & Lunæ. Ergò annus Olympiadicus 1014. rectè confertur in annum Chriſti 238. & non dubium eſt. Chronologos falli, qui eundem in ſequentem annum rejiciunt. Pluribus hæc confirmari poſſent ex aliis ecclipſibus, ex periodis præterea Calippicis, Prætoribus Athenienſium, & aliis collationibus: ſed præſtitum eſt ab aliis. Ideo concludimus, nullum dubium eſſe, quin primus annus æræ Chriſtianæ incidat in annum Olympiadicum 776. ſive in annum quartum Olympiadis 194. Hic enim annus poſt Calendas Januarii recipit cyclum Lunæ ſecundum, & Solis decimum; & hos eoſdem cyclos habet etiam primus annus æræ Chriſtianæ. Ergò rectè inter ſe comparantur.

CAPVT XXI.

De cyclo Solis & Lunæ, in annis Vrbis conditæ.

CHaracteres annorum Vrbis conditæ frequenter ſeſe offerunt; Ideo haud difficulter deprehenduntur. Ecclipſes enim frequenter acciderunt, quæ unanimi conſenſu Hiſtoricorum in eoſdem annos Vrbis, & ad eoſdem Conſules referuntur. Etſi enim in Conſulum Romanorum catalogo, in initio inter Hiſtoricos interdum diſceptatur: tamen poſt Punicum bellum ſecundum, uſq; ad tempora Trajani, ſpatio annorum trecentorum, nulla omninò diſſenſio inter eos deprehenditur; ſed unanimi conſenſu iidem conſules in iiſdem annis Vrbis recenſentur. Ecclipſis igitur Solis, facta anno quinto Claudii, anno Vrbis 797. Coſſ. M. Vinitio Criſpino & M. Statilio Corvino, vel ſola hanc rem expedire poteſt, facta eſt, cyclo Solis 26. Lunæ octavo, nec fieri potuit, ut in alium annum, & in alios cyclos rejici poſſet; propterea quòd Novilunium alias in Calendas Auguſti non incidat. Ergò ſi annus 797. eſt annus cycli Solaris 26. Lunaris verò octavus. Primus annus habebit cyclum Lunarem 10. Solarem verò 14. cùm anno ſeptingenteſimo nonageſimo ſeptimo, ad eruendum cyclum Solis 26. addenda ſint tredecim, ad cyclum verò Lunæ eruendum 9. Idem patet ex ecclipſi Lunari, quæ accidit altero menſe, poſt defunctum Auguſtum Cæſarem: ut teſtantur Tacitus, & Dio lib. 57. Milites enim in Pannonia, audita morte Auguſti, tumultuantur, poſtulantq; dimiſſionem, præmium item in ſingulos dies denarium: ſed ecclipſi Lunari territi quieſcunt. Mortuus eſt autem Auguſtus duobus Sextis Coſſ. anno Vrbis 766. die 19. Auguſti, ut teſtantur hæc ſimul omnes ſcriptores. Eſt annus Mundi 3963. proximè minor numerus 3952. & anni reſidui undecim, cum pleniluniis ſeptem, exhibent plenilunium die 270. poſt Calendas Januarii, fer. 5. horâ 17.48.31. cyclo Solis 23. Lunæ 15. Latitudo Lunaris fuit gradus 271.9.40. propè nodum evehentem. Magna igitur fuit Lunæ ecclipſis. Si jam annus 766. habet cyclum Lunæ 15. Solis 23. Ergò primus habuit cyclum Lunæ decimum Solis 14. Idem demonſtrari etiam poſſet ex aliis ecclipſibus, quæ circa illa tempora acciderunt: ſed hæ ſufficiant. Aſſumamus etiam aliorum teſtimonia.

Julius Cæſar interfectus eſt in Senatu, Idibus Martii, anno Vrbis 709. ſe quintùm & M. Antonio Coſſ. quemadmodum id exhibent Faſti capitolini, & nemo non hiſtoricorum teſtatur. Eodem anno acta fuit Olympias, idque intelligimus ex Cicerone in Epiſtolis ad Atticum, lib. 16. Epiſt. 7. ubi ſcribit: Se ſex. ☉ die menſis Sextilis, cùm

 inii-

in itinere Græciam verſus ad 300. ſtadia proceſſiſſet, rejectum eſſe à ventis, & Rhegini audiviſſe, ſe Romæ deſiderari & ſubaccuſari, quòd id temporis abeſſet: atque ideo abjeciſſe conſilium profectionis, & die 17. Sextilis, cùm veniſſet ad Brutum, Brutum ipſi gratulatum eſſe, quòd duas maximas vituperationes effugiſſet, unam deſperationis & relictionis reipubl. alteram, quòd exiſtimaretur, ad Olympia in Græciam proficiſci, quo nihil turpius eſſet Romano cive, quovis reipub. tempore, gratias igitur ſe miras agere Auſtro, quòd à tanta infamia ipſum averterit, &c. Scripta eſt epiſtola in Septembri. Olympias autem tum acta fuit 184. Anni Olympiadici 733. ut ex ſuperiori capite didiciſti, exhibent cyclum Lunæ 15. Solis 22. Ergò annus Urbis 709. eoſdem hos cyclos habet, & cœpit cyclo Lunæ decimo, Solis verò 14.

Apparet ex his, annum Urbis 991. à Cenſorino ad alias epochas collatum, rectè conferri in annum Chriſti 238. Nam ſi anno 991. addantur octo, totaque ſumma dividatur per 19. in reſiduo inveniuntur undecim. Si augeantur duodenario, ad inveniendum cyclum Solarem, reliqua ſunt 23. Eſt igitur annus 991. eorundem cyclorum, ut eſt annus Chriſti 238. Ergò rectè cum eo confertur, & primus annus æræ Chriſtianæ concurrit cum anno Urbis 753. cùm ſimul iiſdem cyclis decurrant.

CAPUT XXII.

De cyclo Solis & Lunæ, in annis Iulianis.

IN loco Cenſorini reſtant adhuc tres epochæ, quarum Characteres inquirendi ſunt, anni videlicet Juliani, anni *A*uguſtorum, & anni *A*ctiacæ victoriæ. *A*nni Juliani vocantur, quos Julius Cæſar obſervandos conſtituit, cùm annum Romanum à Romulo & *N*uma inſtitutum, & à Pontificibus intercalatione vitioſa corruptum, emendaret. Primus eorum annus inſtitutus eſt à Calendis Januar. cyclo Lunæ 14. Solis 21. *A*nno Vrbis ineunte 708. Inter alias autem cauſas, cur Cæſar octavo tandem die, poſt confectum ſolſtitium hybernum voluerit annum inchoari, hæc etiam recenſetur, ut hic, qui jam ab integro ſeculorum naſcebatur, ut hic, qui jam ab integro ſeculorum naſcebatur ordo annorum, à *N*ovilunio etiam inciperet. Experire hoc in tabula noviluniorum. Primus annus emendati Calendarii incidit in ultimos menſes anni Mundi 3904. numerus proximè minor 3876. & anni reſidui dant novilunium paſchale, die 71. à Calendis Januarii, feria 5. hora 10. 31. 11. menſes decem additi, faciunt *N*ovilunium die à Calendis Januarii 366. feria 6. hor. 17. 34. 42. *A*bjice integrum annum, dies 365. habes *N*ovilunium primo die, ſive Calendis Januarii, quæ incipiunt annum Mundi 3905. cyclo Lunæ 14. Solis 21. Idem apparet etiam ex loco Cenſorini, in quo annus Julianus 283. definitur ex aliis etiam Epochis, quòd ſit undecimus cycli Lunaris, Viceſimus verò tertius Solaris. Sic annus Julianus ſecundus, quo Julius Cæſar Idibus Martii interfectus eſt, idem oſtendit, cyclum nempe Solis 22. Lunæ 15. ut præcedenti capite habuimus. Ideo dubium non eſt, quin primus annus æræ Chriſtianæ, quæ habet cyclum Lunæ ſecundum, Solis decimum, concurrat cum anno Juliano 46. Ideo pluribus hic non agam.

CAPVT XXIII.

De cyclis Solis & Lunæ, in annis Auguſtorum.

ANnorum Auguſtorum mentio fit in hoc loco Cenſorini, & deinde in correctione anni ab Auguſto inſtituta. *N*on differunt a Julianis, vel initio, vel diebus, vel menſibus; ſed tantum annorum numero, quo cœperunt. Cùm enim Octavius Cæſar, Julii per adoptionem filius, Antonium ad *A*ctium promontorium viciſſet, Ægyptum in poteſtatem Romanorum redegiſſet, bene de civibus Romanis omnibus quotidiè mereretur; & neminem jam haberet, vel conſortem Imperii, vel adverſarium, ſed ſolus monarchiam obtineret & exerceret, conſultatum eſt Romæ, ut ſplendido aliquo titulo præ omnibus aliis exornaretur. Et cùm vulgaria illa: ut Pater Patriæ, Magnus, Maximus, &c. diſplicerent, conſenſum eſt in hoc, ut Auguſti appellatione cohoneſtaretur. Factum hoc ex ſententia *Munatii Planci*, ipſo Octavio Cæſare ſeptimum, & M. Viſpaſiano Agrippa tertiùm Coſſ. anno Juliano 19. anno Vrbis 726. Cyclo Lunæ 13. Solis 11. id quod ordo Coſſ. ſatis oſtendit, & Cenſorini locus, & Dio Hiſtoricus apertè confirmant. Si enim ducenteſimus ſexageſimus quintus Auguſtorum idem eſt, cum anno Vrbis nongenteſimo nonageſimo, & cum anno Juliano ducenteſimo octuageſimo tertio: neceſſe eſt, ut primus Auguſtorum idem ſit cum anno 726. Vrbis, & cum 19. Julianorum. Et, ut annus Auguſtorum 265. eſt cycli Lunaris undecimus, Solaris verò 23. ita neceſſe eſt, ut primus annus ſit cycli Lunaris decimus tertius, Solaris undecimus; id quod ratio arithmetica ſatis oſtendit: nec in re aperta opus eſt prolixiore demonſtratione.

CAPVT XXIV.

De cyclo Solis & Lunæ, in annis Actiacæ victoriæ.

INitium Actiacæ victoriæ duplex eſt: aut enim capitur ab Antonio, claſſe victo ad Actium Promontorium: aut à morte Antonii, ſequenti anno, cùm paulò poſt Alexandria reciperetur. Primum initium ſtatuitur die ſecundo Septembris, feriâ 3. anni 15. Juliani Cyclo Lunæ 9. quando Auguſtus Antonium pugnâ navali ſuperavit. Et hoc initium à Romanis Scriptoribus interdum retinetur: ut quando Dio aſſerit, Auguſtum poſt Actiacam victoriam annos quadraginta quatuor imperaſſe; de hoc initio in ſequentibus plura. Alterum initium integro anno poſterius eſt, & ſtatuitur die 29. Auguſti, feriâ prima, propterea quòd caput anni Ægyptiorum eo tempore in illo die ſtatueretur: & hâc æra uſi ſunt Ægyptii, & qui in vicinia fuerunt Scriptores, ut Joſephus, Euſebius, & alii. Confertur autem hoc initium in annum Julianum decimum ſextum, cyclo Lunæ 10. Solis 8. & confirmatur hoc autoritate Ptolomæi, & aliorum.

Ptolomæus à principio *N*abonaſſaris, uſque ad æram Actiacæ victoriæ, ait, elapſos eſſe annos æqua-

æquabiles 718. ita ut annus Nabonaſſaris 719. ſit primus Actiacæ victoriæ. Confer cyclos, invenies cyclum Lunæ in hoc primo anno, decimum. Sic Chronologus apud *Clementem Alexandrinum* ait, à principio annorum Philippi, & mortis Alexandri, uſque ad mortem Antonii, & captam Alexandriam, effluxiſſe annos 294. Anni Philippi cœperunt cyclo Lunæ primo, ut ſupra habuimus; & annus ejus 295, cum quo ſimul cœpit annus primus Actiacæ victoriæ, habet cyclum Lunæ 10. Solis octavum. Ergò primus annus Actiacæ victoriæ eoſdem habet, & Ægyptii ex edicto Senatus Romani apud *Dionem* caput annorum ſuorum fixum fecerunt, ita, ut quarto quoque anno exacto diem intercalarent, & initium æræ ſemper in 29. die Auguſti retineretur. Et hoc patet etiam ex loco *Cenſorini*, adducto ad annum Mundi 4187. Annus enim Actiacæ victoriæ 267. cujus meminit, & quem comparat cum annis Nabonaſſaris Philippi & aliorum, non incipit cum Nabonaſſaris die 25. Junii, aliàs non eſſet ducenteſimus ſexageſimus ſeptimus, ſed ducenteſimus, ſexageſimus octavus. Si enim primus ejus annus incipit cum anno Philippi 295. & cum anno Nabonaſſareo 719. Ergò 268. inciperet cum anno Philippi 562. & cum Nabonaſſareo 986. Sed cùm Cenſorinus hunc ſuum librum ſcriberet incunte menſe Auguſto; nec annus Actiacæ victoriæ 267. completus eſſet, & novus iniiſſet, annum non completum, ut pareret, cum reliquis comparavit. Annus igitur 267. cyclum Lunæ decimum habet, cyclum Solis 22. in initio, ſed in reliquis menſibus, poſt Januarium cum annis urbis, Julianis & aliis decurrit cyclo Lunæ 11. Solis 23. Et in hiſce etiam menſib. poſterioribus cum aliis comparatur. Diſtat hac æra Actiacæ victoriæ ab initio annorum Auguſtorum duobus annis ſolidis, & diebus 125. ſive in univerſum, diebus 855. quibus hæc prior eſt, & incipit cyclo Lunæ 10. Anni verò Auguſtorum incipiunt cyclo Lunæ 13. incunte, unde eadem etiam diſtantia apparet. Primus annus Æræ Chriſtianæ incidit in annum 30. Actiacæ victoriæ, qui in poſterioribus menſibus, poſt Januarium habet cyclum Lunæ ſecundum, Solis decimum.

Anni Diocletiani, qui & anni Coptitarum appellantur, ſucceſſerunt hiſce annis Actiacæ victoriæ, anno æræ Chriſtianæ 284. die 29. Auguſti, feria ſextâ, cyclo Lunæ 19. Solis 13. Exemplum horum annorum noſtro tempore exhibitum eſt Romæ à legatis Alexandrinis ad Pontificem Romanum. Attulerunt enim literas datas Alexandriæ anno Diocletiano, ſive anno à ſanctis Martyribus, ut ipſi appellant, 1310. die 16. menſis Athur vel Hathur, hoc eſt, anno Æræ Chriſtianæ 1593. die 22. Novembr. juxta Calendarium Pontificiorum, nobis eſſet dies 12. Novemb. Hiſtoria hujus legationis extat ad finem Tomi ſexti annalium Eccleſiaſticorum Cæſaris Baronii.

Atque hæc ſunt, quæ de cyclis Lunæ & Solis in diverſis epochis, in hiſtoriis uſitatis, præmittere voluimus: quæ ut certiſſima ſunt, ita etiam ſunt maximè neceſſaria, & præſtant uſum longè maximum in diverſarum epocharum comparatione. Specificæ enim quaſi annorum differentiæ ſunt cycli, quibus cognoſcuntur, & ex quibus omnis eorum diverſitas perſpicitur. Nec ſtatim, quando ſemel in aliquo anno juncti fuerunt, redeuntibus orbibus rurſus coeunt: ſed cùm alter majore, alter minore orbe revolvatur, ſemper diverſi apparent donec magnum aliquem, & generalem orbem compleant, annorum videlicet quingentorum triginta duorum, quo peracto, redeunt & conjunguntur rurſus, qui ſimul olim juncti fuerunt: atque id evenit, ſi cycli Solis & Lunæ tantùm jungantur. Quòd ſi accedat & tertius character annorum, qui eſt Indictionum, hiſque duobus jungatur, tum longè maximum conficiunt orbem; non enim ſimul rurſus coire poſſunt, niſi elapſis annis 7980. unde facile colligere licet, quantam vim in definiendis & diſcernendis annis cycli obtineant. Sed pergamus ad reliquos characteres, qui ſunt anni Jubilæi & Sabbathici.

Caput XXV.

De annis Jubilæis.

DE annis Sabbathicis apud Chronologos & Theologos etiam controvertitur, non quidem per ſe, ſed ratione annorum Jobel, ut in ſacra Scriptura appellantur, ſive Jubilæorum, ut vulgò conſuevimus. Quemadmodum enim quælibet feria ſeptima in diebus ab initio Mundi numeratis, Sabbathum fuit; ita etiam quilibet annus ſeptimus ab aliquo termino numeratus Sabbathicus ab omnibus cenſetur. Sed tantùm controvertitur de termino annorum Sabbathicorum, à quo ſint numerandi. Quidam enim eos à quolibet anno quinquaſimo, anno completo, aut centeſimo, aut milleſimo etiam, cùm hi numeri exactè per quinquaginta dividi poſſint, numerant hac de causâ, quòd putant, quovis anno quinquageſimo ſolido, ex mandato divino Jubilæum peractum. Nam hac ratione, ut quivis facilè animadvertit, anni Sabbathici ordine uſque ad quadrageſimum nonum annum tantùm numerari poſſunt, & quinquaſimo anno inſerto, ratione ordinis turbantur, & ab eodem quinquageſimo anno peracto de novo inchoantur & numerantur. Quidam verò annos Sabbathicos non tantùm ab eo termino, quando Joſua Populo Iſraelitico terram Canaan diſtribuit, inchoant: ſed cùm idem annus diſtributionis terræ in Jubilæum ſimul, & Sabbathicum annum, à principio Mundi numeratum, incidat, annos Sabbathicos etiam à principio Mundi deducunt: ſtatuuntque Deum omnipotentem, quando ex æterno ſuo Sabbatho, ad manifeſtandum ſe generi humano, & omnibus creaturis, prodiit, & Mundum creavit, initium creationis feciſſe die operarum primo, & primo etiam anno operationis ſive agricolationis, atque ita annos ab initio Mundi numeratos, per ſeptenarium diviſos ſemper, quando Sabbatharius annus celebratus, vel in futurum celebrandus ſit, indicare, neque annos Jubilæus ordinem hunc Sabbatharium unquam turbare, cùm quinquageſimo anno excluſivè, non incluſivè ſumpto, celebrentur. De utraque opinione quædam annotabimus, & poſteriores rectiùs ſentire, argumentis certis docebimus.

Et primùm quidem, qui ſentiunt, in Politia Judaica quemvis quinquageſimum annum fuiſſe Sabbathicum, fundamentum opinionis ſuæ

habere videntur ex Jubilæis Pontificiorum, quæ quolibet quinquageſimo anno à nato Chriſto numerato hodie celebrantur. Ea Jubilæa inſtituit Papa Bonifacius octavus, antea Benedictus vocatus, & quidem non eo fine, ut ſingulis quinquaginta annis agerentur, ſed ſingulis centenis annis tantùm.

Deinde, etiamſi Jubilæa in ſacris literis, annorum termino definiuntur, nequaquam tamen inde rectè infertur, Jubilæum continere annos quinquaginta ſolidos. Nam ambiguitas in phraſi eſt, quæ excluſivè annum quinquageſimum annumerat, quem illi incluſivè intelligunt. Phraſes enim de temporum terminis in omnibus linguis ita uſurpantur, ut antecedens terminus cum ſequente termino ſimul comprehendatur. Sic hebdomadem uſitatè vocamus octiduum. Sic notiſſimum eſt, Olympiadem comprehendere tantùm annos quatuor ſolidos, & tamen autores, Græci & Latini pariter, illud ſpatium interdum quinquennium vocant, ut Ovidius, quando ait, *quinquennis Olympias acta eſt.* Sic Ariſtophanes in Pluto de eodem certamine inquit: *ὁ Ζεὺς ποιῶν τὸν ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα, τοὺς Ἕλληνας δι' ἔτους πέμπτου ξυναγείρει, Jupiter faciens Olympicum certamen, Græcos per quintum annum congregat.* Sic Auſonius Poeta de iiſdem & aliis Græcorum ludis inquit:

Hæc quoque temporibus quinquennia ſacra notandis
—— Iſthmia Neptuno data ſunt, & Pythia Phœbo.

Ita uſitatè dicimus, quintum quemvis annum eſſe biſſextilem, cùm ſpatium illud tantùm quatuor annos complectatur: & Julius Cæſar, cùm in ordinatione anni, & Calendarii ſui aliter rem propoſuiſſet, & dixiſſet, quarto quoque anno biſſextum intercalandum eſſe, errorem præbuit Pontificibus Romanis, quibus intercalandi poteſtas commiſſa erat, ut ſpatium illud biſſexti tantùm trium annorum ſolidorum facerent; Calendarium corrumperent, & tempora conturbarent, quem errorem poſtea Auguſtus, ut eruditi norunt, correxit. Ex phraſi igitur illa, qua quinquageſimo anno Jubilæus annus celebrari jubetur, evinci non poteſt, ut Jubilæum quodque ſolidos quinquaginta annos complectatur, cùm phraſi illa uſitatè prior terminus, ſive antecedens annus Jubilæus ſimul includatur.

Tertiò, quando Jubilæa annis quinquaginta definiuntur, ita, ut quovis Jubilæo, quinquageſimo anno peracto, anni Sabbathici inde inchoentur, & numerentur, tum anni Sabbathici, qui in ſacris literis, & in republ. Judæorum annotati ſunt, nullo modo in annos ſeptenarios, ut debebant, incidere poſſunt. Quivis per ſe facilè intelligit, ſi quinquageſimus annus eſt terminus, à quo anni Sabbathici numerari debent, quòd ſeptimus annus à quinquageſimo futurus ſit Sabbathicus, & deinde decimus quartus, poſtea viceſimus primus, viceſimus octavus, &c. & ita omnes anni, qui in hujuſmodi ſeptenarium incidunt, donec rurſus ad quinquageſimum perveniatur, ubi de novo rurſus incipiunt. Si igitur Jubilæo ita ſe habente, ut volunt, tum dico, annos Sabbathicos in ſacris literis & alibi annotatos, nullo modo in hujuſmodi annis ſeptenarios incidere poſſe. Idque probo ex illis ipſis, *Crentzhemio* ſcilicet & *Bucholzero*, qui tanta contentione & alleveratione hoc agunt, ut Jubilæa quinquaginta annis ſolidis definiant, ut: Annus decimus quintus Ezechiæ regis Judæ deſcribitur lib. 2. Reg. cap. 9. v. 29. quòd ſit Sabbathicus. Sic annus captæ Hieroſolymæ à Nebucadnezare affirmatur à Jeremia cap. 34. quòd ſit Sabbathicus. Annus, qui Antiochus Eupator obſedit Hieroſolymam, eſt Sabbathicus, 1. Maccab. 6. v. 49. Annus, quo Simon Maccabæus à Ptolomæo genero interficitur, eſt Sabbathicus, teſte Joſepho hiſtorico. Annus captæ Hieroſolymæ ab Herode rege eſt Sabbathicus, teſte eodem Joſepho lib. 14. cap. 28. Annus, qui præceſſit everſionem Hieroſolymæ à Tito Veſpaſiano, eſt Sabbathicus. Annus Æræ Chriſtianæ 1189. eſt Sabbathicus, teſte Matthæo Pariſienſi. Item annus Æræ Chriſtianæ 1602. eſt Sabbathicus, teſte Judæorum Calendario. Hi anni Sabbathici in ſeptenarios numeros à quinquageſimo numeratos incidere debebant, ſed id præſtari non poteſt, teſtes ſunt iidem Crentzhemius, & Bucholzerus. Nam ambo quindecimum annum Ezechiæ regis ajunt concurrere cum anno Mundi 3241. qui eſſet à proximo celebrato Jubilæo quadrageſimus primus nec eſt numerus ſeptenarius. Nam annus quadrageſimus ſecundus tandem eſſet ſeptenarius, & annū Sabbathicum indicaret. Sic annus everſæ Hieroſolymæ à Nebucadnezare conjicitur ab iiſdem in annum Mundi 3365. qui eſt quindecimus à celebrato Jubilæo, nec eſt Sabbatharius, ſed proximus annus poſt celebratum Sabbathicum. Sic annus obſeſſæ Hieroſolymæ ab Antiocho Eupatore ab iiſdem ſtatuitur annus Mundi 3811. qui eſt undecimus à proximè celebrato Jubilæo, ſed undecim non eſt numerus ſeptenarius, nec Sabbathicum annum indicare poteſt. Annus occiſi Simonis Maccabæi eſt ipſis annus Mundi 3838. & eo autumno inchoari debebat annus Sabbathicus, qui celebraretur anno 3839. Sed annus triceſimus nonus non eſt ſeptenarius, nec in eum annus Sabbathicus incidere poteſt. Annus captæ Hieroſolymæ ab Herode, incidit ipſis in annum Mundi 3935. in annum 35. poſt actum Jubilæum, & hic quidem eſſet ſeptenarius & Sabbathicus, ſi ipſi ſcilicet Crentzhemius & Bucholcerus annos Urbis conditæ, ex quibus anni Herodis, & tempus expugnatæ Hieroſolymæ pendent, rectè ad annos Æræ Chriſtianæ, atque ita ad annos Mundi etiam applicaſſent: Verùm cùm ab utriſque aberrave int annus captæ Hieroſolymæ ipſis in hunc annum, Mundi incidere non poteſt, atque propterea nec annus Sabbathicus hiſce annorum Mundi numeris indicatur. Annus præcedens everſionem ultimam Hieroſolymorum à Tito, eſt ipſis annus Mundi 4040. qui nec ipſe ſeptenarius eſt, nec annum Sabbathicum indicare poteſt. Annus Chriſti 1189. eſt ipſis annus Mundi 5159. at neq; hic eſt ſeptenarius numerus. Eſt enim nonus annus poſt celebratum Jubilæum, ut ipſi volunt. Ergò Sabbathicum annum non indicat. Sic annus Chriſti 1602. eſt ipſis annus Mundi 5572. At neq; hic eſt ſeptenarius. Eſt enim viceſimus ſecundus à celebrato Jubilæo, ut ipſi volunt: ergò nec Sabbathicum indicare poteſt. Hinc facilè evincitur, primùm annos Jubilæos non continere annos quinquaginta ſolidos, & deinde Crentzhemium atque Buchol-

cholœrum negligentiſſimè hanc rem tractaſſe, ita ut neque unicum etiam annum Sabbathicum ex omnibus iis, quotquot in hiſtoria ſacra, & in aliis autoribus annotati ſunt, vero Mundi anno applicaverint. Quanquam, ſi ad reliquos alios Chronologos etiam attendas, vix invenies, qui ad annos Sabbathicos & Jubilæos rectè Chronologiam inſtituerint.

Quartò *annus Sabbathicus is erat, quo terra quieſcebat, quo nec ſementem facere, nec metere, nec vineas putare, nec vindemiare licebat* ita enim definitur, Levit. 25. Annus Jubilæus eodem modo definitur, quòd in eo terra quieſcere debebat, quo nec ſerere, nec metere, nec vindemiare Iſraelitis concedebatur, Lev. 25. v. 11. Ergò annus Jubilæus ſimul eſt Sabbathicus. Si jam Jubilæus annus eſt Sabbathicus, tum vel in quadrageſimum nonum annum, qui ſemper erat Sabbathicus Lev. 25. incidit, vel eundem ſequitur. Sed Jubilæus annum Sabbathicum in quadrageſimo nono ſequi non poteſt, quia duo anni Sabbathici continuarentur, quibus agricultura non exerceretur, cujus rei nullum in ſacris literis, vel hiſtoria Judæorum datur veſtigium, vel exemplum, & unde triennii ſpatio abſque collectione frugum, vitam tolerare potuiſſent? & præterea pugnaret etiam cum expreſſo Dei mandato, quod jubebat anno octavo, ſive eo anno, qui annum Sabbathicum ſequebatur, in agro ſementem fieri, fruges tempore meſſis, & uvas in vindemiis colligi, Lev. cap. 25. v. 22. Si jam quadrageſimo ſecundo anno poſt celebratum Jubilæum actus eſt annus Sabbathicus, ut ſemper factum eſt, tum octavo anno, ut Scriptura loquitur, ſive anno quinquageſimo, ager ſerebatur, & fruges tempore meſſis & uvæ in vindemiis ex mandato divino colligebantur: atque ita annus Jubilæus, quo etiam terra quieſcere debebat, in quinquageſimum ſolidum incurrere non potuit. Sed potiùs incidebat in ſepties ſeptenum annum, ut Scriptura ibi loquitur, ſive in quadrageſimum nonum, qui tamen rectè dicebatur quinquageſimo anno celebrari, numerato ſcilicet cum Jubilæo proximo præcedente: cum aliàs, ſi quinquaginta anni ſolidi inter duos Jubilæos interjicerentur, ut antea demonſtratum eſt, neceſſariò dicendum eſſet, annum Jubilæum quinquageſimo primo quoque anno celebrari, ita προλήψις ibidem, idem innuit, *quid edemus anno ſeptimo*? aliàs dicendum eſſet, *quid edemus anno octavo*?

Quintò, idem evincit etiam Calendarium Judaicum, quod & omnium artificioſiſſimum eſt, & conſtructum ante mille & trecentos circiter annos, à Rabi Adda & aliis, tempore Conſtantini Magni Imperatoris cùm adhuc anni Græcorum, ſive anni Alexandrei, quibus aſſueverant, & qui annos Sabbathicos & Jubilæos rectè indicabant, non tantùm à Judæis, ſed ab univerſa Aſiatica Eccleſia uſurparentur: ut ita ab annis Sabbathariis & Jubilæis, quos & patres ipſorum, & illi ipſi etiam obſervarant, aberrare non poſſent. In hoc Calendario hunc Canonem annorum Sabbathicorum, quos appellant שנות השמטה annos ſemitæ, condiderunt: *Abjice*, inquiunt, *omnia ſeptenaria ab æra Mundi, reſiduum eſt annus ſemita, in quo es*, hoc eſt, reſiduum oſtendet, quotus annus agatur à proximo celebrato Sabbathico. Si jam Sabbatharii anni perſeptenarium numerum in annis Mundi perpetuò inveniuntur, tum à quolibet quinquageſimo peracto numerari non poſſunt, per quinquageſimum enim annum, ſeptenariis & Sabbatharis inſertum, ipſi ſeptenarii numeri loco moventur & conturbantur. Manifeſtum igitur eſt, etiam ex ſententia ipſorum Judæorum, quorum patres, & illi ipſi annos Sabbathicos celebrarunt, annos Jubilæos unà cum Sabbathario quadrageſimo nono ſimul peractos. Quòd ſi quis negare velit, Judæos veros annos Sabbathicos & Jubilæos habere & obſervare, neget idem etiam Judæos verum diem Sabbathi, quo à laboribus ſeptimo quoque die feriantur, habere & obſervare. Utrumque enim Deus per Judæos Mundo & Eccleſiæ ſuæ revelavit. Concludimus ergo, Jubilæum annum eſſe hebdomadem hebdomadum, ut Scriptura loquitur, & continere annos ſolidos 49. & ſeptuaginta hebdomades conſtituere Jubilæos decem, ſive annos 490.

Caput XXVI.

De annis Sabbathicis.

Arbitramur hoc modo ſatis oſtenſum eſſe, illos perperam ſentire, qui Jubilæos annos Iſraelitarum ad Jubilæa Pontificorum conformant, & quinquaginta annis ſolidis, contra ſacræ Scripturæ ſenſum, definiunt. Reſtat ut de annis Sabbathicis etiam quædam annotemus. Anni Sabbathici, quemadmodum & Jubilæi inchoabantur & indicebantur ex præcepto divino, menſe Judæorum ſeptimo, circa Septembrem noſtrum. Obſervabantur toto illo annuo ſpatio, ita, ut ſervi indigenæ manum mitterentur, & agri inculti relinquerentur: nec enim ſementem faciebant, nec metebant, nec vineas putabant, vel uvas colligebant: quicquid ſponte naſcebatur, id omnibus commune erat, & indifferenter à quibusvis colligebatur. Inde ſex anni ſequentes agricolationi deſtinati erant, quibus, & præcipuè in ſexto anno, tantùm colligebant & recondebant, ut trium annorum ſpatio, à ſexto videlicet anno, usque ad nonum, de repoſitis vitam tolerare poſſent, Levit. 25. verſ. 21. Hi anni, cùm ſtato tempore in ſacra hiſtoria recurrant, multum faciunt ad annos Mundi rectè ordinandos, & inter ſe conferendos. Neceſſe eſt enim, ut ſpatia rerum geſtarum in annis Sabbathicis incluſa, ſemper ſeptenario numero menſurari poſſint: Ideò tanquam ſtatuæ Mercuriales ferè habentur à Chronologis, ad quas reſpiciant, & quibus in viam, ſi abberraverint, revocentur; in qua tamen re Chronologorum diligentiam ſæpè deſideramus. Cæterùm quod Jeremias, & alii Prophetæ conqueruntur, annos Sabbathicos non actos eſſe, non hoc volunt, quòd omninò obſervati non ſint, ſed quod ſolennitate ea, qua debeantur, non celebrarentur: quòd ſervi, quemadmodum lex requirebat, non manu mitterentur, & alia pietatis & liberalitatis officia omitterentur, ut videre eſt ex cap. 34. Jeremiæ.

Quod ad characteres annorum Sabbathicorum attinet, ipſi nullis certis notis dignoſcuntur, niſi quòd ſemper incipiunt in Septembri, eo cyclo Solis ferè finiente, qui ex ſeptenario numero excreſcit: videlicet aut cyclo Solis ſeptimo, aut de-

cimo quarto, aut viceſimo primo, aut viceſimo octavo. Ipſi verò anni Sabbathici, quantum uſum in Chronologia habeant, paulo poſt videbimus. Jam eoſdem, qui in ſacris literis, vel a Joſepho & aliis annotati ſunt, ad alias etiam epochas quasvis per cyclos Solis & Lunæ transferemus, ut dato anno Sabbathico alicujus epochæ, idem Sabbathicus in alia quavis Epocha inveniri poſſit. Annus, quo Antiochus Eupator Hieroſolymam obſedit, eſt Sabbathicus, ut primus liber Maccab. c. 6. verſ. 46. teſtatur: eſtque annus Græcorum centeſimus & quinquageſimus. Sed in ſecundo libro Maccabæorum refertur eadem hæc hiſtoria ad annum Græcorum centeſimum quadrageſimum nonum. Certum enim eſt, annos Græcorum in priori libro Maccabæorum priores eſſe, & anticipare ſex menſibus. Ideò idem liber refert hanc hiſtoriam in æſtate geſtam, ad ſequentem annum 150. quem ratione annorum Contractuum, ſive Alexandreorum inchoaturi erant Syri in ſequenti autumno. Annus igitur Sabbathicus, quo currente Hieroſolyma obſeſſa eſt, cœpit cum centeſimo quadrageſimo nono Contractuum in autumno, cyclo Solis 14. & cyclo Lunæ 9. ut patet ex cap. 14. ſupra. Ex hoc unico exemplo dati anni Sabbathici in annis Alexandreis, extruemus methodum inveniendorum annorum Sabbathicorum, in hiſce annis Alexandreis, hoc modo: Divido annos 149. per ſeptenarium, ſuperſunt duo, binarius autem Sabbathicum annum indicare non poteſt. Sed vel ſeptenarius numerus, vel quod idem eſt, ſi nihil ſuperſit, ut autem ſeptenarius numerus, vel nihil ſuperſit, quinarium ad annos Alexandreos addendum concludo, ad inveniendum Sabbathicum, & inde omnia ſeptenaria abjicienda eſſe. Addo igitur quinque ad 149. fiunt 154. abjectis omnibus ſeptenariis, nihil ſupereſt. Ergo 149. eſt Sabbathicus, & primus annus annorum Alexandreorum, cœpit ſexto anno poſt annum ſemitæ, ut Judæi vocant, ſive poſt annum Sabbathicum celebratum. Sic annus, quo Simon Maccabæus dolo generi ſui in caſtro Dagon interfectus eſt, fuit annus Contractuum 177. primo Maccab. ult. apud Joſephum additur, eo anno cœpiſſe annum Sabbathicum, adde quinque ad 177. fiunt 182. abjice ſeptenaria omnia, nihil reſtat. Ergò annus 177. Alexandreus fuit Sabbathicus, quod & apparet ex cyclo Solis, qui eſt decimus quartus, ſive ſeptenarius bis ſumptus. Atque hoc modo jam ad quosvis alios annos Sabbathicos in annis contractuum deſcendere, vel etiam regredi & aſcendere poſſumus. Jam hoſce annos Sabbathicos, in hac epocha Alexandrea deprehenſos, transferamus etiam ad alias epochas, & primum quidem inquiramus annos Sabbathicos in annis Urbis conditæ: Collatio hæc certiore ratione fieri non poteſt, niſi per characteres Chronologicos, per cyclum Solis & Lunæ. Inveſtigemus igitur annum Urbis, in quo cyclus Solis 14. cum cyclo Lunæ nono conjungatur. Tres anni, non plures, in mille & ſexcentis annis à condita Urbe inveniuntur, qui cyclos hoſce Solis & Lunæ conjunctos obtinent, primus eſt quinquageſimus ſeptimus ab Urbe condita, quo Numa Pompilius ſecundus Romanorum rex imperavit. Secundus eſt quingenteſimus & octuageſimus nonus Urbis conditæ, quo Conſulatum geſſerunt A. Manlius torquatus, & Q. Caſſius Long[illegible] tius eſt annus Urbis, conditæ milleſimus centeſimus vigeſimus primus, quo Valentinianus ſuperior, cum fratre Valente, poſt Juliani Apoſtatæ interitum rerum potitus eſt. Nemo autem, ut ſpero, eſt, qui Numam regem, aut Valentinianum Imperatorem, in hæc Maccabæorum tempora conferre velit. Ergò certò affirmare poſſumus, cum nullus præterea annus, ab urbe condita numeratus, dari poſſit, qui hoſce cyclos habeat, quòd hoc anno Urbis 589. annus Alexandreus 149. cœperit. Cæterùm cum in annis Urbis, in annis item Julianis, & Æræ Chriſtianæ, anni Sabbathici pars potiſſima & maxima poſt Calendas Januarii peragatur, etiamſi quatuor ferè menſibus aliàs prior ſit; tamen propter majorem ejus partem, eum annum in hiſce epochis vocabimus Sabbathicum, qui in ipſo Sabbathico à Calendis Januarii incipit: atque hoc modo annum Urbis 590. vocabimus Sabbathicum, non annum Urbis 589. etiamſi in hoc anno annus Sabbathicus incipiat. Hunc igitur annum Urbis 590. cum ſtatuamus eſſe Sabbathicum, concludimus, annis Urbis ad deprehendendos Sabbathicos annos addendum eſſe quinarium, ut adde 5. ad 590. fiunt anni 595. abjice omnia ſeptenaria, nihil ſupereſt, ergo, annus 590. eſt Sabbathicus. Hoc anno Conſules fuerunt T. Sempronius Gracchus ſecundùm, & M. Juventius, qui in magiſtratu abiit: hoc eodem anno Terentius ſuam fabulam Heautontimorumenon egit. Porrò ex annis Urbis, & ordine Coſſ. pendet hiſtoria Herodis, & excidium Hieroſolymæ. Herodes accepit Romæ regnum anno Urbis 713. Coſſ. Cneo Domitio Calvino, & C. Aſinio Pollione: poſt triennium expugnavit, adjuvante Antonii Duce Soſſio, Hieroſolymam, anno Urbis 716. Coſſ. M. Agrippa Vipſanio, & L. Canidio Gallo. Adde jam 5. ad annos Urbis 716. fiunt 721. divide per ſeptenarium, nihil ſupereſt: ergo hic annus, quo expugnata eſt Hieroſolyma ab Herode, fuit Sabbathicus, & Joſephus hoc rectè lib. 14. cap. 28. affirmavit. Erue jam cyclum Solis, anni Vrbis 716. ad præceptum ſuperius traditum, invenies hunc annum decurrere cyclo Solis primo, & præcedenti anno, in cujus Septembri cœpit ille Sabbathicus, fuiſſe cyclum Solis 28. ex ſeptenariis quatuor conflatum. Sic annus, quẽ præceſſit excidium Hieroſolymæ, fuit annus Vrbis 821. Coſſ. Sulpitio Galba Imperatore, & T. Vinio Criſpino, qui ambo ab Ottone interfecti ſunt. Adde 5. ad 821. divide per ſeptem, nihil ſupereſt. Ergò eſt annus Sabbathicus. Quamvis autem jam in authentico libro Maccabæorum primo, binis in locis anni Sabbathici ad annos Alexandreos applicati non eſſent, tamen ex his Joſephi Hiſtorici locis de rege Herode & excidio Hieroſolymæ ultimo, annos Sabbathicos rectè [illegible] annos Vrbis, & inde ex iiſdem annis Vrbis, ad alias quaſvis epochas applicare, & Chronologiam inde dirigere poſſemus. Jam autem cum utrique interſe evidentiſſimè conſentiant, dubitationem de veritate annorum Sabbathicorum omnem excludunt: & evincunt, eoſdem rectè inventos, & hiſce duabus epochis rectè applicatos eſſe, quemadmodum id adhuc prolixiùs, ſi neceſſe eſſet, probari poſſet.

Vſum in uno atque altero exemplo videamus.

Annus

Annus Ezechiæ regis decimus quintus incidit Bucholzero & Crentzhemio in annum Vrbis 21. adde jam, ut didiciſti, quinarium ad annum Sabbatharium oſtendendum, fiunt 27. abjice ſeptenaria, ſuperſunt 6. Arqui annus Ezechiæ 15. eſt Sabbathicus. Ergò in annis Vrbis, ſi rectè applicati eſſent, nihil ſupereſſe debebat: ſupereſt autem, ergò aberratum eſt in annis Vrbis à Bucholzero & Crentzhemio. Sic excidium Hieroſolymæ à Nebucadnezare illatum, incidit ipſis in annum Vrbis 147. adde 5. fiunt 152. abjice omnia ſeptenaria, ſuperſunt 5. quæ oſtendunt hunc annum Vrbis Sabbathicum non eſſe, ſed quintum poſt celebratum Sabbathicum. Jeremias verò teſtatur, hunc annum in ſacris Bibliis fuiſſe Sabbathicum. Ergò erratum ab iſtis etiam hoc in loco. Qui vult, examinet etiam reliqua. Vides autem, candide Lector, ex his, quantum vel Crenzhemio, vel Bucholzero, vel aliis etiam in Chronologia tribui debeat. Sed pergamus etiam ad alias epochas.

Alligemus annos Sabbathicos etiam ad annos Æræ Chriſtianæ, idque facillimè præſtabimus ex comparatione cyclorum. Annus Vrbis 821. proximè præcedens excidium Hieroſolymæ, fuit Sabbathicus, eſtque viceſimus ſecundus cycli Solaris, decimus tertius verò cycli Lunaris. Annus Æræ Chriſtianæ 69. eoſdem hoſce cyclos habet: ergo rectè cum hoc anno Vrbis comparatur, & eſt Sabbathicus. Vt autem in numeris etiam oſtendatur, quod ſit Sabbathicus, neceſſe eſt, ut unitas annis Æræ Chriſtianæ addatur. Anno 1602. ut ſupra diximus, Judæi habuerunt annum Sabbathicum: adde unitatem, fiunt 1603. divide per 7. nihil eſt reſidui. Eſt ergo annus Sabbathicus. Sic Matthæus Pariſienſis affirmat, in coronatione regis Angliæ Richardi, Londini plurimos Judæos trucidatos eſſe, idque ait accidiſſe in exordio anni Sabbathici, quem Judæi annum remiſſionis vocant. Coronatus autem eſt, ut ipſe affirmat, anno Æræ Chriſtianæ 1188. in fine menſis Auguſti. Si jam anno 1188. circa Septembrem incipit annus Sabbathicus, ergo ſequens annus 1189. pro vero Sabbathico, ut dictum eſt, habetur, adde jam unitatem, fiunt 1190. abjice omnia ſeptenaria, nihil ſupereſt, ergo eſt Sabbathicus. Annus 1188. habet cyclum Solis 21. ex ſeptenariis conflatum. Ergo eo anno cœpit Sabbathicus. Ex quibus omnibus apparet, Judæos ab ordine Sabbathicorum ſuorum nequaquam diſceſſiſſe.

Sic anni Sabbathici ad Olympiades etiam transferri poſſunt. Annus Alexandræus 149. qui ut habuimus, fuit Sabbathicus, 1. Maccab. 6. concurrit cum Olympiadico ſexcenteſimo decimo tertio. Confer cyclos, & verum eſſe, deprehendes. Præter hanc demonſtrationem, idem teſtatur Joſephus Hiſtoricus, qui Encœnia Maccabæi confert in annum quartum Olympiadis 153. Encœnia autem celebrata ſunt, ut ex utroque Maccabæorum conſtat, anno Alexandræo 148. Ergo ſequens annus concurrit cum primo anno Olympiadis 154. hoc eſt, cum anno Olympiadico 613. Idem etiam demonſtrari poſſet ex annis Vrbis conditæ. Si jam annus 613. eſt Sabbathicus, tum iiſdem addenda tria ad methodum annorum Sabbathicorum, & prima Olympias acta eſt anno quarto, poſt inchoatum Sabbathicum in Judæa. Adde igitur tria ad 613. fiunt 616. quæ exactè per ſeptenarium dividuntur. Dato igitur jam quolibet anno Olympiadico, ſi addantur tria, & deinde tota ſumma dividatur per ſeptem, tum reſiduo ſuo oſtendit, quotus annus currat ab anno Sabbathico inchoato. Notandum, quòd cum Olympiadici anni incipiant in Julio, nos ita Sabbathicos annos in hiſce numerare, ut Sabbathici in anno Olympiadico paulo poſt principium ejus incipiant. Herodes expugnavit Hieroſolymam anno tertio Olympiadis 185. finiente, ut Joſephus habet: eſt annus Olympiadicus 739. adde tria, abjice omnia ſeptenaria, nihil ſupereſt. Eſt ergo annus Sabbathicus.

Contra *Bucholzerus & Crentzhemius* conferunt excidium Hieroſolymæ Chaldaicum in annum primum Olympiadis 43. finientem. Is eſſet annus Olympiadicus 169. adde tria, fiunt 172. abjice omnia ſeptenaria, ſuperſunt quatuor: at nihil ſupereſſe debebat, ut indicaret annum Sabbathicum à Jeremia deſcriptum. Ergo, falſi ſunt in alligandis Olympiadis annis ad hiſtoriam Biblicam. Ulterius, comparatio annorum Sabbathicorum cum annis Nabonaſſareis hoc modo inſtituitur: Annus Alexandræus 149. eſt annus quingenteſimus octuageſimus quintus Nabonaſſaris: Habent enim eoſdem cyclo, Solis 14. Lunæ nonum, & annus Nabonaſſaris incipit die 3. Octob. ferè cum Sabbathico. Quando jam annum Nabonaſſaris 585. divido per ſeptenarium, video ipſi ternarium addendum, ut nihil in reſiduo maneat, & ipſe Sabbathicum annum indicet. Addo enim 3. fiunt 588. quæ nihil in reſiduo relinquunt. Eſt igitur ternarius character annorum Sabbathicorum in annis Nabonaſſareis, ut & in Olympiadicis. Uſum hujus alligationis in uno exemplo tantùm jam oſtendam. *Nabopollaſſar* Babyloniorum rex apud Ptolomæum incipit anno Nabonaſſaris 123. ejus annus decimus octavus incidit in annum Nabonaſſaris centeſimum quadrageſimum, ut computanti apparet: huic anno ſi addo tria, fiunt 143. quæ diviſa per ſeptenarium reliquum faciunt ternarium, & demonſtrant, annum decimum octavum Nabopollaſſaris non eſſe Sabbathicum, ſed tertium poſt Sabbathicum celebratum. Nebucadnezaris autem annus decimus octavus eſt Sabbathicus, Jerem. 34. Ergo ex hoc charactere certiſſimè demonſtrari poteſt, Nabopollaſſarem non eſſe Nebucadnezarem, quod tamen à pleriſque Chronologis magna contentione affirmatur. Ex hiſce omnibus ſummam videmus diſſonantiam inter ſacram Scripturam, & Chronologiam Crentzhemii & Bucholzeri; ideo cum judicio eos legendos eſſe monemus. Verum ſuſpicari quis poſſet, Judæos in captivitate Babylonica Sabbathicorum annorum oblitos, de novo poſtea alios inſtituiſſe, qui prioribus ante captivitatem Babylonicam ordine non reſponderent: Reſpondeo ſuſpicetur idem etiam, Judæos oblitos fuiſſe diei Sabbathi, & alium poſtea extra ordinem inſtituiſſe. Sed ut hoc fieri non potuit, nec Deus etiam conſervator ſui ordinis & creaturarum, paſſus eſſet ferias à condito Mundi turbari: Ita veri anni Sabbathici non immutati, ſed poſt reditum ex captivitate Babylonica rectè inſtaurati ſunt. Habue-

buerunt enim Judæi in captivitate Babylonica agros, plantarunt vineas, meſſuerunt, uvas collegerunt, Jerem. 29. nec deſtituti ita fuerunt materia exercendorum annorum Sabbathicorum, nec ultra hominis etiam memoriam exilium illud duravit. Hodie ultra mille & quingentos annos in exilio divagantur, & tamen rectè Sabbathicos ſuos annos numerant & cognoſcunt: quomodo potuerunt eorum obliviſci ii, qui & annos Sabbathicos in Judæa celebraverant, & ad eoſdem celebrandos poſt captivitatem in Judæam revertebantur? Et ſi maximè ipſorum obliti fuiſſent, tamen à Samaritanis, qui cum Judæis Sabbathicos annos ante captivitatem Babylonicam celebraverant, & conſtanter eoſdem toto illo tempore retinuerant, eoſdem rurſus addiſcere potuiſſent. Fuerunt enim populi valdè vicini, cum diſtantia inter Hieroſolymam & Samariam vix ſex milliaria Germanica excedat, & Judæorum gens aliàs ſuperſtitioſiſſima, & ceremoniarum obſervandarum tenaciſſima fuit, cuilibet ut notum eſt. Vanum igitur eſt, quod quiſpiam de annis Sabbathicis immutatis ſuſpicari velit.

Atque hæc ſunt, quæ de Characteribus annorum in qualibet epocha obſervanda ſunt, quæ ſpero nec difficilia mediocriter attendent futura, & uſum habitura longè maximum, cum quoslibet quarumlibet pocharum annos cum aliis quibusvis ita connectant & copulent, ut quaſi indiſſolubili catena conſtricti videantur. Ex ſolis hiſce Characteribus, & nulla præterea alia re certitudinem ſuam Chronologia tueri poteſt: reliqua omnia, quæ afferuntur, diſcrepantes ferè inter ſe variarum opinionum ſententiæ ſunt, & conjecturæ potius, quàm veritas, quibus tutò nemo inniti poteſt. Ideo hi characteres magni faciendi ſunt nec diligentia, quæ in iis eruendis & obſervandis collocatur, ſcrupuloſa aut ἀκρίβεια ſuperſtitioſa æſtimanda eſt.

Caput XXVII.

De alligatione harum epocharum omnium ad annos à condito Mundo deductos.

Reſtat epocha adhuc una, omnium præſtantiſſima & maximi momenti, quæ à condito Mundo deducitur. Deus enim ex immenſa ſua bonitate ab initio Mundi, uſque ad everſionem politiæ Judaicæ, à Nebucadnezare factum, in Eccleſia ſua hiſtoriam annorum ter mille, trecentorum & ſexaginta conſignari voluit, ut certum eſſet, Mundum non ab æterno fuiſſe, ſed in tempore cœpiſſe, & exempla in promptu eſſent, & bonitatis divinæ in conſervatione Eccleſiæ, omniumque creaturarum, & ſeveritatis in vindicandis ſceleribus: & ut ſciri poſſet, quando Filium ſuum unigenitum Mundo aliquando exhibiturus eſſet. Tot annorum hiſtoria autem ab initio Mundi deducta, neceſſe eſt, ut ad alias hiſtoricorum epochas alligetur & connectatur, ſi continua ſerie, à principio Mundi tempora ad nos uſque deducere velimus. Magna res eſt, & digna, ut omni diligentia inquiratur. Hoc enim vinculo rectè conſtituto, omnia rectè ſe habebunt & facillima ratione hiſtoriæ continuabuntur: Si vero aberratum fuerit, tum præcipuarum hiſtoriarum veritas fragmentis involvetur, convelletur & evacuabitur. Veritas enim hiſtoriarum anima eſt, quæ ſi temporibus non conveniat, plurima ſui parte laborat, & defloreſcit. Epochæ quidem, quarum charactères hactenus inquiſivimus, ita invicem firmatæ & colligatæ ſunt, ut nullo modo convelli poſſint: ſed ut quicquid ad harum unicam ab hiſtoricis annotatum eſt, ita idem ſtatim abſque omni errore ad alias quasvis transferri poteſt. Attamen nulla manifeſta omnibus ratio apparet, quomodo ad annos à condito Mundo numeratos eædem rectè applicari poſſint. Autoritates enim in hac re Chronologorum ſuſpectæ ſunt, & diſſenſionibus invicem infirmatæ: pauciſſimi enim ſunt, qui inter ſe conſentiant. Plerique ſuas opiniones ſequuntur, & diverſos à condito Mundo annos conſtituunt, quibus Chriſtum θεάνθρωπον natum eſſe contendunt. *Fridericus Huſmannus, in epiſtola ad electorem Palatinum*, quadraginta Chronologorum opiniones, de primo anno æræ Chriſtianæ ad annos mundi applicando, recenſet: alii adhuc plures addunt, quas non neceſſe eſt ordine enumerare, cùm rem non juvent, ſed potius diverſitate opinionum implicent. Diverſitates autem iſtæ oriuntur, nõ tantùm ex diverſitate applicationis annorum Nabonaſſaris, Olympiadum & annorum Urbis, &c. ad annos à condito Mundo elapſos, ſed etiam ex diverſitate collectionis annorum in ſacris literis deſcriptorum, dum aliis Septuaginta interpretes ſequuntur, alii verò Hebraicum textum, atque ita ipſos fontes. Item, dum alii quoſdam locos in ſacris literis aliter intelligunt, & numeros annorum ideo diverſimodè computant, ex quibus omnibus magna in numerandis annis Mundi ad captivitatem Babylonicam uſque oritur diverſitas, de quibus omnibus dicendi locus hic non eſt. Sciant tamen ſtudioſi, eos falli, qui verſionem Septuaginta interpretum in numerandis annis Mundi, fontibus Hebraicis præferunt, atque ita Chronologos, qui ipſos, neglectis fontibus ſequuntur, eſſe rejiciendos & corrigendos. Ad alios quod attinet, qui quoſdam locos in ſacris Bibliis aliter intelligunt, & diverſos numeros ex iisdem colligunt, dicemus de iisdem locis, quando de præcipuis epochis in ſacris literis annotatis agemus. Jam hiſce omnibus ſepoſitis, tantummodo dicemus de fundamentis, quibus Chronologi nituntur, quando diverſimodè annos Mundi ad epocham Chriſtianam, vel ad alias etiam epochas, ut Nabonaſſaris, Olympiadum, annorum Urbis, &c. alligant, ut iis rectè cognitis, de veritate & falſitate annorum hinc collectorum rectiùs & tutius pronunciare poſſimus.

Quidam igitur, ut annos Mundi ad epocham Chriſtianam, & eoſdem ex hac poſtea ad alias epochas transferant, rem ex ſolis ſacris literis peragi poſſe putant: ideo alligationem ſuam hoc ferè poponunt modo. Ad annos à condito Mundo uſque ad annum captivitatis Babylonicæ collectos, quotquot ſanè habent, addunt ſeptuagiñta annos captivitatis Babylonicæ uſq; ad edictum Cyri, quo captivitas illa ſolvebatur. Poſtea à ſecundo anno Darii regis Perſarum, quo vaticinati ſunt Prophetæ Haggæus & Zacharias, inchoat ſeptuaginta hebdomades, ſive annos 490. eosque finiri putant in anno paſſionis Chriſti, qui eſt æræ Chriſtianæ

ſtianæ 33. Diſtantiam autem inter edictum Cyri, & ſecundum annum Darii colligunt ex verbis Judæorum, Joan. 2. qui dicunt, templum ædificatum eſſe annis quadraginta ſex. Cum verò templum perfectum ſit annos ſexto Darii regis, ſtatuunt quadraginta duos annos inter edictum Cyri, & ſecundum annum Darii regis intereſſe: atque ita in univerſum numerant, ab excidio Hieroſolymitano Nebucadnezaris, uſque ad annum paſſionis Chriſti, annos 602. ſive uſque ad annum primum æræ Chriſtianæ annos 570. Si jam à condito Mundo uſque ad captivitatem Babylonicam numerarent annos 3360. ut debebant, tum conficerent in una ſumma à condito Mundo uſq; ad Chriſtum natum annos 3930. Hic modus applicandi annos Mundi ad initium æræ Chriſtianæ omnium quidem facillimus eſt, ſed non perinde verus. Infirmiſſimis enim, imò potius falſis nititur fundamentis, & pugnat præterea cum tota antiquitatis hiſtoria. Fundamenta primùm profert annos ſeptuaginta captivitatis Babylonicæ, in excidio Hieroſolymæ incipiendos: Deinde annos ſeptuaginta hebdomadum Danielis in morte Chriſti crucifixi finiendos: tertiò annos quadraginta ſex ædificati & perfecti templi à Zorobabele, à Judæis computatos, quorum nullum cum ſententia ſacræ Scripturæ ſatis convenit. Et quidem de initio annorum captivitatis *Babylonicæ cap. 29. & deinde* de initio etiam & fine ſeptuaginta hebdomadum, *cap.* 40 dicemus, hic tantùm demonſtrabimus, Judæos non de templo Zorobabelis; ſed de templo ab Herode extructo locutos. Et quidem Herodem templum Hieroſolymitanum ædificaſſe negari non poteſt. *Joſephus* enim in utroque libro, & Antiquitatis Judaicæ, & Belli Judaici, rem integrè cum omnibus circumſtantiis deſcribit, & quis alius tam egregiè ædificati templi autor, præter Herodem dari poteſt, cujus anguſtiam, humilitatem & vilitatem tempore Zorobabelis flebant Judæi; magnificentiam verò & ſplendorem poſt Herodem admirabantur Apoſtoli. Obſervandum tamen, templum hoc ultimum nequaquam tertium templum propterea dici poſſe, etiamſi Herodes id dicatur extruxiſſe. Nec enim planè ſublatum fuit templum Zorobabelis, ſed parte potiſſima & ſanctiſſima ſua integrè permanſit, quod ut rectiùs intelligatur *de ædificiis templi* aliquid dicendum eſt. Primum ædificium templi eſt templum illud interius, ſexaginta cubitos longum, viginti latum, ad proportionem ſaxi alicujus, in quo ſimulacrum hominis ſculpi debet. Longitudo enim ad latitudinem hujuſmodi ſaxi tripla eſſe ſolet in quadrato oblongo. Hoc ædificium nec majus nec minus eſſe potuit, vel in templo Salomonis, vel in templo Zorobabelis; Sed ad præſcriptum divinum ſuam menſuram obtinuit. Partes hujus ædificii duæ potiſſimùm fuerunt: Prima verſus orientem vocabatur ſancta, vel ſanctum ſanctorum, in quod ſummus ſacerdos ſemel in anno ingrediebatur, ejus quantitas fuit viginti cubitorum in longum & latum, diſtincta à reliqua parte Velo, quod in paſſione Chriſti ſciſſum eſt. Altera pars hujus ædificii fuit extra ſanctum ſanctorum, verſus Occidentem, ubi erat menſa panum propoſitionis, candelabrum, ara thymiamatis, & reliqua: ejus quantitas in longum erat quadraginta cubitorum, in latum viginti. Hoc templum Zorobabelis permanſit uſque ad ultimum Hieroſolymæ excidium, nec ab Herode dirutum, aut de novo ædificatum fuit; quamvis Herodes videatur veſtibulum addidiſſe, in modum turris extructum, centum & viginti cubitos altum, ſed id veſtibulum non mutat ipſum templum. Non autem licuit omnibus ingredi hoc templum, nec Levitis etiam: ſed tantùm ſummis ſacerdotibus & quidem luſtratis. Ideo Chriſtus cum diſcipulis ſuis in hoc templo nunquam fuit verſatus. Id enim, quod *Suidas* narrat, Chriſtum fuiſſe in ordinem ſacerdotum allectum, cùm ex tribu Levi, ex quo cooptabantur ſacerdotes, non eſſet, fictum videtur. In circuitu, & toto ambitu hujus templi, proximè erat atrium ſacerdotum, in quo plurima fuerunt cœnacula, & cubicula ad theſauros, vaſa & ſupellectilem ſacrificiorum ſervandum: item ad Sacerdotum & Levitarum cuſtodiam, & commorationes. Ita ibidem erant exedræ, ubi cantores erant, ubi ligna reponebantur, ubi ſacrificia jugulabantur, ubi omnia ad ſacrificia pertinentia reponebantur, &c. Hoc atrium ingrediebantur ſoli Levitæ cum ſacerdotibus. Poſt atrium illud fuit aliud, quod ſimiliter atrium ſacerdotum in univerſum ambibat, idque dictum fuit atrium Iſraelis, ubi Judæi conveniebant religionis & cultus cauſa, & dicebatur atrium interius: idque ingrediebantur viri tantum, & huic tandem additum fuit in circuitu atrium fœminarum, fœminis dicatum, ab hoc uſque ad atrium virorum aſcendebatur per gradus ſeptem, Ezech. 4. verſ. 19. Atque hoc atrium tandem circundabatur atrio, quod profanum appellabatur, quod ingrediebantur etiam gentiles, aut qui aliàs ex lege Moſis impuri cenſebantur. Summus ſacerdos igitur, quacunque etiam Porta templum ingrederetur, primum tranſibat illud atrium profanum, inde perveniebat ad atrium fœminarum, inde aſcendebat ad atrium virorum, poſtea perveniebat in atrium Sacerdotum, & tandem in interius templum. Hæc atria igitur Zorobabel pro ſuis opibus & paucitate Judæorum anguſtiora fecit, ideo eorum anguſtiam & humilitatem ii fleverunt, qui atria Salomonis viderant. Hæc eadem Herodes planè ſubruit, & ad quantitatem, qua fuerunt tempore Salomonis inſtauravit, & hoc eſt, quod Herodes dicitur templum Zorababelis ſubruiſſe, & novum ædificaſſe, cùm tamen interius templum, in quo ſanctum ſanctorum erat, & propriiſſimè templum vocabatur, loco non moverit, ſed atria tantùm ad quantitatem priorum, ante captivitatem Babylonicam, ampliaverit & magnificentiſſimè extruxerit. Judæi etiam ipſi, cum viderent theſauros templi parum tutos eſſe à rapacitate magiſtratuum Romanorum, omnem pecuniam in ædificando & ornando templo inſumſerunt, idque tandem perfecerunt paulò ante initia belli Judaici, ſub Nerone Imperatore, ut Joſephus teſtatur, lib. 20. Cum igitur Chriſtus non converſatus ſit cum Judæis in templo interiore, à Zorobabele exſtructo, ſed in atrio Iſraelis, ab Herode inſtaurato & exornato, ubi ipſi & Apoſtolis licebat eſſe: Verba Judæorum nullo modo de templo, ab ipſorum aſpectu remoto, quod nunquam introierant, nec viderant, intelligi poſſunt, ſed de hoc templo, in quo verſabantur, quod ab Herode magnis ſumtibus inchoatum, quadraginta ſex anno-

rum

rum ſpatio nondum ad perfectionem venerat. Colloquium hoc Chriſti cum Judæis accidit in primo Paſchate miniſterii Chriſti, anno quindecimo. Imperii Tiberiani, anno Urbis 781. à quo anno, ſi removeamus annos quadraginta ſex, pervenimus ad annum Urbis 735. qui eſt viceſimus ſecundus annus, ab eo tempore, quo Herodes à ſenatu Romano rex appellatus fuit. Joſephus autem ſcribit, Herodem inchoaſſe inſtaurationem templi anno 18. ſui regni: ergo aut Joſephus loquitur de anno Herodis, ratione regni Hieroſolymitani, quod fuit triennio poſterius; aut de eo anno regni, quo cœpta eſt materia lignorum & lapidum præparari & convehi; aut opus templi trium annorum ſpatio interruptum fuit. Atque hoc modo tempus de ædificato templo ab Herode, à Joſepho deſcriptum, evidentiſſimè quadrat ad computationem Judæorum. Videt æquus lector, hæc verba Judæorum, qui aliàs etiam omnium bonarum artium, atque ita etiam totius antiquitatis & Hiſtoriarum, quaſi ex profeſſo rudes & expertes eſſe ſolent, prorſus nihil facere ad oſtendendam diſtantiam, inter edictum Cyri, & ſecundum annum Darii, regis Perſarum.

Deinde pugnat hæc alligatio annorum Mundi ad epocham Chriſtianam cum hiſtoria univerſæ Antiquitatis. Hæc enim alligatio ponit annum excidii Hieroſolymitani in annum 570. ante Chriſti nativitatem, ut ſupra diximus. Annus autem primus æræ Chriſtianæ, ut ſuperius evidentiſſimè probavimus, incidit in annum Nabonaſſaris 748. Ergo everſio Hieroſolymæ ipſis incideret in annum Nabonaſſaris 178. Jam vetuſtiſſimi & eruditiſſimi Scriptores, quotquot temporum rationes diſputarunt, ut Diodorus Siculus, Thallus, Caſtor, Polybius, Phlegon, Africanus, &c. teſte Euſebio, & Tatiano, & omnibus Chronologis aliis, conferunt primum annum Cyri in annum primum Olympiadis 55. qui eſt Nabonaſſaris annus 189. hoc eſt, qui eſſet annus undecimus tantùm poſt everſam Hieroſolymam à Nebucadnezare. Cyrus autem laxavit ſeptuaginta annorum captivitatem, & imperavit tantummodo annos triginta, à quo initio igitur jam computabimus ſeptuaginta annos captivitatis Babylonicæ, ut ſoluti dicantur regnante Cyro? Sic annus Nabonaſſaris 246. eſt annus viceſimus Darii Hyſtaſpis regis Perſarum, teſte Ptolomæo aliquot locis, cui atteſtantur reliqui Scriptores Græci, qui Perſarum hiſtorias conſcripſerunt, & reſpondent etiam motus cœleſtes, & ecclypſes aliquot annotatæ. Secundus igitur annus Darii erit annus Nabanaſſaris 228. ab hoc ſi ſubtrahatur annus 178. quo ipſorum ſententia Hieroſolyma everſa eſt, in reſiduo ſunt 50. Ergo ſecundus annus Darii tantum eſſet quinquageſimus exactus poſt everſam Hieroſolymam. Ubi jam, præter annos ſeptuaginta captivitatis Babylonicæ, collocabitur etiam diſtantia inter edictum Cyri, & ſecundum annum Darii: aut ſi hic Darius non fuit, cujus tempore floruerunt Prophetæ, Haggæus & Zacharias, cum alius Darius Perſarum rex dari non poſſit, niſi poſt annos ferè centum ab hujus initio, ubi incipient 490. anni hebdomadum Danielis, ut finiri poſſint in anno paſſionis Chriſti, ut ipſi volunt? Hujuſmodi plura proferri poſſent, quæ Græci Scriptores ſummo cum conſenſu tradunt, & quorum etiam fuerunt oculati teſtes: præſertim ſi deſcendimus ad bellum Peloponneſiacum, ad Alexandrum Magnum & ad alias hiſtorias, quæ planè locum ſuum tueri non poſſunt, ſi hæc alligatio admittatur. Videt igitur æquus lector, hanc alligationem, quaſi una litura delere totam ferè antiquitatis hiſtoriam, & pugnare cum eruditiſſimis illis & ſapientiſſimis Scriptoribus, unde omnes humanæ ſapientiæ fontes ad nos promanarunt, qui nullis ſumtibus & operæ pepercerunt, ut veritatem rerum in Perſia, & aliis in locis geſtarum eruerent, & ad poſteros propagarent, quorum monumenta etiam Deus non fruſtra, tanto temporis ſpatio, conſervare, & ad noſtram etiam ætatem pervenire voluit. Quapropter alligatio hæc meritò improbatur, & ſuis autoribus relinquitur. Pergamus ad alios, qui de conſenſu Hiſtoricorum illius temporis, & obſervatione motuum cœleſtium cum ſua alligatione gloriantur, & tamen, ſi penitiùs introſpiciantur, & ſua, & aliorum figmenta ſequuntur, & motus cœleſtes turbant: quod, ut rectiùs intelligatur, primum de hiſtoricis quibusdam hujus temporis, qui res Babylonicorum & Perſarum literis mandarunt, dicendum.

Caput XXVIII.

De Metaſthene, Beroſo, Manethone, Philone Iudæo, Xenophonte, & aliis quibusdam figmentis Annianis.

Hiſtorici, qui de rebus geſtis tempore captivitatis Babylonicæ aliquid memoriæ prodiderunt, pauci ſunt: & tamen inter tam paucos non omnes ſunt genuini. *Johannes* enim *Annius*, monachus quidam Viterbienſis, dum gloriam quandam aucupari conatur, cudit Patrum noſtrórum memoria *novum Metaſthenem, Beroſum, Manethonem & Philonem*, quos Commentariis auctos, in publicum emiſit, & precioſis hiſce veterum autorum titulis toti Mundo ferè impoſuit. Non pauci enim ſunt, qui & olim & hodie, in ſcribendis Chronologiis & concinnandis genealogiis, hujus ſomnia ſequuntur. Sed rurſus multi tamen fuerunt, qui inter oletum hoc, & veram hiſtoricam myrrham rectè diſcernere potuerunt, inter quos primi fuerunt *Raphael Volaterranus*, *Ludovicus Vives, Glareanus, Joſephus Scaliger* & multi alii: & hodie apud Italos vulgò etiam notum eſt, hoſce Annianos fœtus ſuppoſititios eſſe, & iidem mirantur, adhuc inveniri, qui impoſturam hanc, in tanta bonarum literarum luce, non videant. Ordine de ſingulis aliquid dicamus. Quod ad *Metaſthenem* attinet, nemo unquam fuit in tota rerum natura, quantum ſciri poteſt, hujus nominis: & impoſtor Annius apertè hic prodidit ſuam in hac re inſcitiam, dum *Metaſthenem* ſcribit, pro *Megaſthene*, deceptus verſionibus quorundam, & quod rudis Græcarum literarum, inter literas thau & gamma minutum, diſcernere non poſſet. Græca inſuper lingua, ut eruditè cenſet Joſephus Scaliger, hanc compoſitionem μεταϛθένης non facilè admittit. Megaſthenes igitur eſt hiſtoricus ille, rerum Indicarum Scriptor, cujus meminerunt Strabo, Solinus, Joſephus, Euſebius, Athenæus, Hieronymus

annis, &c. ſed quod de rebus Perſicis ſcripſerit, non ita meminerunt. Unde igitur hic novus Metaſthenes, toti antiquitati ignotus Scriptor? Hæc de nomine. Si res ſpectes, quas Annius in Metaſthenem ſuum contulit, invenies quasdam hiſtorias ac aliis etiam traditas; quasdam verò ſingulares, quæ propter antiquitatem apud nullum alium hiſtoricum inveniuntur. Vbi neminem habet, à quo coargui poſſit, liberum ipſi fuit quidvis fingere; ubi verò ſunt, qui easdem tradiderunt, graviſſimè arguitur, ita, ut mirari libeat, cur in rebus notiſſimis non conſentientia veritati ſcripſerit: ita enim & fidem iis, quorum nemo præterea meminit, conciliaſſet. Quæ de Perſicis rebus tradit, ut vanitas ejus unico in exemplo appareat, breviter tantùm complectar. *Dicit, Cyrum & Darium Medum fratres fuiſſe, qui conſtituta Monarchia ſimul regnaverint duobus annis: deinde*, inquit, *Cyrus mortuo Dario, ſolus regnavit annis viginti & duobus. Deinde*, inquit, *poſt Cyrum Priſcus Artaxerxes, filius Darii Medi, viginti annis. Huic ſucceſſit ejus filius Darius Longimanus, qui tenuit imperium triginta ſeptem annis. Quarto loco poſt Cyrum regnavit Darius Nothus, annis decem & novem. Quinto loco regnavit Artaxerxes Darius Mnemon, annis quinquaginta quinque. Sexto loco Artaxerxes Ochus, annis viginti ſex. Septimus rex fuit Arſes, quatuor annos potitus Imperio. Octavus & poſtremus rex fuit Darius, qui ſex annis regnavit, & victus eſt ab Alexandro Magno.* Atque hæc eſt ſententia ejus de rebus Perſicis, in quibus multipliciter aberrat, de notiſſimis tantùm dicam. Primùm enim octo tantùm reges Perſarum facit, & tempus Monarchiæ Perſicæ facit tantum centum nonaginta & unius anni: cum ex Hieronymo in ſeptimum & undecimum Danielis, item ex aliis quamplurimis exploratiſſimum & notiſſimum ſit, à Cyro uſque ad Alexandrum Magnum undecim legitimos fuiſſe reges Perſarum, & eam Monarchiam ſtetiſſe annis 228. Deinde reges Perſarum, Cambyſen, Darium Hyſtaſpin, & Xerxem, terrorem Græciæ, omittit, qui tamen propter magnitudinem & diuturnitatem imperii, propter celebritatem rerum geſtarum, & denique propter multitudinem & charitatem Scriptorum, qui de illis aliquid in literas retulerunt, omnibus notiſſimi, teſtatiſſimi & celebratiſſimi ſunt. Negare enim, hos fuiſſe reges Perſicis, idem eſt, ac ſi quis negaret Julium Cæſarem, Octavium Auguſtum & Tyberium fuiſſe Imperatores Romanorum: Præſertim verò cum de illis regibus ſcripſerunt viciniſſimi eorum temporibus. Siquidem Herodotus ſcripſit non ſolum de Cambyſe & Dario, ſed etiam de Xerxe, cujus tempore vixit, & præterea alii, cum Megaſthenes, ſi Annius fortaſſis vult Metaſthenem & Megaſthenem eundem eſſe, Herodoto ferè ducentis annis ſit poſterior. Tertiò Metaſthenes non tantum notiſſimos reges rejicit, ſed contra novos, quos vult, creat, ut Priſcum Artaxerxen, Ahaſverum filium Darii Medi, Darium Longimanum, quorum nominum nulla mentio apud ullum Scriptorem: & tamen audet ille Impoſitor dictatoria quadam autoritate mandare, hunc Metaſthenem & Cteſiam Cnidium ſolos ſequendos eſſe, in Perſarum Monarchia, quaſi veraces hujus Monarchiæ Scriptores; & ſuperbè rejicit ac repudiat Herodotum, Juſtinum, Joſephum, Clementem Alexandrinum, Tatianum, Julium Africanum, Euſebium, Oroſium, Bedam, & alios, quorum nulli ne in minima quidem re comparandus ipſe eſt. De regibus Babylonicis hic nihil dicam, quos longè aliter recenſet verus Megaſthenes apud Euſebium lib. 9. cap. 4. præparationis Evangelicæ, de quo in ſequenti capite. *De Beroſo* pauciora dici poſſunt, quàm de Metaſthene, ſed non minus firma. Pauciora ideo, quia res antiquiores in hunc librum Annius contulit, quàm ut de iis utrum vera vel falſa ſint, pronunciari poſſit. Non enim habet, qui de iisdem rebus ſcripſerit, niſi quando cum ſacris literis pugnat, id quod frequentiſſimè accidit. Firma ideo, quia Joſephus Hiſtoricus, quando pugnat contra Appionem, antiquitatem populi Judaici negantem, citat Hiſtoricos, de quorum fide & autoritate nemo diſſentientium dubitabat, & quorum teſtimonia nemo rejicere poterat. Inter alios autem meminit everſionis politiæ Judaicæ à Nebucadnezare illatæ, ex libro tertio Chaldaicarum rerum Beroſi, quem locum poſtea deſcribam. Hunc inſignem locum iſte Beroſus Annianus nulla ſyllaba attingit, alius igitur eſt Beroſus Annianus à Beroſo Chaldæo; & cùm hic Chaldæus ſatis autoritatis habeat, ut opponatur illis antiquiſſimis Scriptoribus, unicus etiam tantùm ſit hujus nominis Scriptor, quemadmodum etiam unicus Megaſthenes. Ergò, hic tam Beroſus quàm Megaſthenes verus & genuinus: Annianus autem uterque nuper natus, fictus & ſuppoſititius. *De Manethone* hoc tantùm dicam, Annianum Manethonem multò ſecius de rebus Ægyptiorum ſcribere, quàm ſcripſit verus Manethon, cujus bene longam orationem in primo libro adverſus Appionem Joſephus commemorat. Et Manethon quidem Annianus à Danao uſque ad Cladem Trojanam paulò plures, quàm trecentos & triginta annos numerat: Joſephus verò ex vero Manethone, à Danao. uſq; ad excidium Trojæ, ſexcentos fermè annos præteriiſſe demonſtrat. Ex gemino igitur facto Manethone apertè oſtenditur, alterum verum, alterum fictum eſſe. Joſephi autem Manethon teſtimonium veritatis obtinuit, Annianus igitur fictus. Breviarium temporis, quod ab Annio aſcribitur *Philoni Iudæo*, notas illegitimæ nativitatis multas obtinet. Philonem enim in eloquentia & doctrina, ut notum eſt, tanti fecit antiquitas, ut eum cum Platone comparare, & quodammodo adæquare non dubitaverit. Hic novus Philo, infans, iners, pauciſſimæ doctrinæ eſt. Deinde eosdem errores ex Metaſthene Anniano recoquit, & tertiò à Scriptoribus Eccleſiaſticis, ut ab Euſebio & Hieronymo, ſtudioſiſſimis Philonis, & ejus curioſiſſimis indagatoribus, in catalogo Scriptorum ejus nequaquam citatur. Novus igitur eſt, & nuper exortus. Atque hæc de Annianis figmentis: addendum etiam aliquid de Xenophonte. *Xenophon* apis Attica, inter cætera nobiliſſima opera, edidit etiam Cyri majoris *παιδείας*, ſeu inſtitutionem, & Cyri Junioris *ἀνάβασιν* ſeu aſcenſionem vel expeditionem adverſus fratrem Artaxerxem. *Ἀνάβασις*: hæc contra fratrem, ſcripta ex legibus Hiſtoricis, fideliter, eleganter, ſapienter & copioſè: eodem enim, quo bellavit anno, eam exaravit Xenophon, ſiquidem ei expeditioni, non ut miles, ſed ut dux,

cum Cyro juniore interfuit, ut notum eſt. Παιδεία verò Cyri Majoris non minus eleganter, ſapienter & copioſè ſcripſit, ſed ad fidem hiſtoricam eam ſcriptam eſſe, omnes negant: nec arbitror eſſe, qui cenſeat. Voluit enim Xenophon in ficta perſona Cyri, eam παιδείαν tantum elegantem picturam eſſe, & imaginem rectè educati & legitimè imperantis principis. Imò ne imago quidem veri ulla eſt in toto hoc opere Xenophontis. Nec nomina vera, præter unum atq; alterum. Noluit etiam iis contradicere, quæ Herodotus de Cyro ſcripſerat, & quæ præfecti Perſici in finibus Græciæ præſidentes, vera eſſe ſciebant. Ideò tantum finxit ejusmodi inſtitutionem principis, qualis eſſe debebat, quæ tamen nunquam cum Cyro adoleſcente ad eum modum inſtituta fuerat, & res geſtas, ipſi attribuit, quæ quidem per ſe veræ non ſunt, à circumſtantiis tamen rerum ab ipſo geſtarum non in univerſum alienæ. Ad exemplum idem, ſed in re longè diſſimillima, ſuperioribus temporibus *Gorrans* Pariſienſis quidam, *Amadiſi* fabulas, & multas præterea nugas alias, de Octaviano, Triſtrante, Arto, & aliis, excogitavit, in quibus multa de Galliæ quondam, Italiæ, Angliæ, Daniæ, Hyberniæ, &c. regibus admiſcuit, quæ omninò falſa non ſunt: ſed ut ineptus & non ferendus eſſet, qui ex hiſce fabulis ſeriem regum Galliæ, Angliæ, Daniæ, &c. contexere & concinnare vellet; ita plurimum à veritate abſunt, qui ex fictis à Xenophonte rebus geſtis, & Cyro attributis, vel hiſtoriam Perſarum illuſtrare, vel ſacrorum Bibliorum eventus inde explicare conantur. Chronologiæ enim veritas ejusmodi figmentis inniti non poteſt. Sed de hiſce pſeudo-hiſtoricis eruditè & prolixè agit *Fridericus Tilemannus* in diſcurſu ſuo Philologico, de hiſtoricorum delectu; ad quem lectorem remitto.

CAPUT XXIX.

De Beroſo Chaldæo & Megaſthene, veris Hiſtoricis.

Diximus de iis, quibus nulla fides debetur, in affirmandis vel negandis iis rebus, quæ circa hæc tempora, quando reſpubl. Judæorum à Nebucadnezare deſtructa eſt, acciderunt. Reſtat, ut etiam dicamus de fide dignis hiſtoricis, in hac materia explicanda. Inter quos maximè eminet *ſacrorum Bibliorum autoritas*, quæ teſtimonium veritatis habent omni exceptione majus. A Prophetis enim ſanctiſſimis conſcripta ſunt, qui vel ex inſpiratione divinitus facta, & afflatu numinis, quæ à Deo acceperant, enunciarunt; vel ſuæ ætatis res geſtas literis memoriæ prodiderunt. Hæc ſola nihil falſi eorum, quæ ſunt, fuerunt, quæque futura ſunt continent. Ideò autoritas etiam Scripturæ ſacræ, ut ubique, ita in hiſce etiam locis ſacroſancta habenda eſt, nec ab expreſſo ejus ſenſu, quem verba, propriè intellecta gignunt, recedendum, aut διάνοια admittenda, niſi quando alii Scripturæ loci, aut rerum conditio prorſus repugnat. Poſt ſacra Biblia etiam alii Hiſtorici aſſumuntur: Ut *Ptolomæus* Mathematicus inſignis, & Aſtronomus omnium peritiſſimus, qui cum ſequatur motus cœleſtes, de iis, quæ certo tempore acciderunt, falli non potuit. De *Herodoto*, hiſtoriarum patre, non opus eſt, ut dicamus, ſiquidem quæ contra Herodotum dici poſſunt, abundè refutarunt viri longè excellentiſſimi, & de literis optimè meriti, Joachimus Camerarius, & Henricus Stephanus. *Joſepho* etiam Hiſtorico fides debetur; inprimis quando pugnat contra Appionem Grammaticum, qui antiquitatem & nobilitatem gentis Judaicæ impugnabat. Contra hunc hoſtem, tela ex ſacris Bibliis deſumpta, non valebant: Adverſarius enim ea vera eſſe prorſus negabat, ideò neceſſe erat, ut ex ipſorum gentilium hiſtoricis, de quorum fide nemo dubitabat, & quorum teſtimonia rejicere non poterat, hoſtem profligaret. Conſervavit nobis hoc modo Joſephus aliquot præſtantiſſimorum hiſtoricorum, qui integri hodiè nuſpiam extant, egregia fragmenta. Ex quibus hoc, è Beroſo illo Chaldæo vero & genuino hiſtorico ſumptum, quoniam multum facit ad hiſtoriam horum temporum explicandam, integrè aſſcribamus. Extat apud Joſephum lib. 1. contra Appionem, item lib. 10. cap. 11. Antiquitatum, his verbis:

Beroſus lib. 3. rerum Chaldaicarum ſic inquit: Cum audiviſſet Nabuchdonoſoris parens Nabopollaſſarus, ſatrapam Ægypti, & Cœleſyriæ, Phœniciæq; locis præfectum rebellionem feciſſe, nec ipſe jam labores ferre poſſet; tradita filio Nabuchdonoſoro, adhuc ætate vigenti, parte copiarum, eum miſit, & ille cum rebelli prælio congreſſus victor evaſit, & regionem denuò ſub ipſorum poteſtatem redegit. Accidit eodem tempore, ut morbo correptus ejus pater Nabopollaſſarus, in Babyloniorum urbe vitam finiret, cum regnaſſet annos undetriginta, cujus obitu haud multò poſt cognito, Nabuchdonoſorus, compoſitis Ægypti, reliquæq; regionis rebus, captivisque Judæis, & Phœnicibus, & Syris, & Ægyptiarum gentium commendatis quibusdam amicorum, qui eos cum copiis reliquisq; facultatibus reportarent, ipſe cum paucis per ſolitudinem itinere facto, Babylonem venit. Adminiſtrabantur tum res Babylone à Chaldæis, ſervabaturq; regnum ab illorum optimo. Hunc ille ſtatum nactus, & patrio imperio per totum potiens, captivos adiit, eisq; Colonias inopportuniſſimis Babyloniæ locis aſſignavit. Ipſe ex manubiis fanum Beli, & reliqua, magnificè exornavit, & veteri urbi alteram extrinſecus adjunxit: ac ne deinceps poſſent hoſtes, ſi forte urbem obſiderent, averſo flumine eam aggredi, urbem, tum interiorem, tum exteriorem, triplici muro cinxit: hanc ex cocto lapide, illam ex eodem, addito etiam bitumine. Ita urbe egregiè murata, portisq; auguſtè exornatis, extruxit præter patrium palatium, alterum illi contiguum, altitudine operisq; magnificentia præſtans, quæ omnia enarrare longum fortaſsè fuerit. Illud inſigne eſt, quòd tam ingens, tamq; ſuperbum opus, diebus quindecim perfectũ eſt. In hoc palatio lapideas moles excelſas extruxit, aſpectu montibus ſimillimas, & omni genere arborum conſitas, & hortos illos penſiles appellatos, ædificavit in gratiam uxoris ſuæ, quòd ea in Media locis nutrita, montanum aſpectum deſideraret. Igitur Nabuchdonoſorus, poſtquam quem diximus, murum inchoavit, morbo vitam finivit, cum regnaſſet annos quadraginta tres. Ei ſucceſſit ipſius filius Evilmerodachus: is cum ſcelerate & laſcivè imperio præeſſet, inſidiis oppreſſus eſt à ſuæ ſororis Marito, Neriglisſoroo, poſtquam regnavit annos duos: Ei ſucceſſit idem, qui eum oppreſſerat, Neriglisſororus, regnavitq; annos quatuor. Hujus filius Laboroſoarchodus regnum puer obtinuit menſes 9. & quia prava indolis ſpecimine

vina multa edebat, ab amicis oppreſſus inſidiis, per cruciatum interfectus eſt. Hoc ſublato, qui eum oppreſſerant, conveniunt, & communi ſententia regnū tradunt Nabonnedo cuidam Babylonio, ejuſdem functionis homini, ſub hoc urbis Babyloniorum muri fluvio circumdati, cocto lapide, & bitumine exornati ſunt. Hoc regni annum agente decimum ſeptimum. Cyrus ex Perſide profectus cum magnis copiis, vaſtata reliqua omni Aſia, Babyloniam adoritur. Ejus adventu cognito, Nabonnedus ei cum copiis obviam procedit, & prælio congreſſus vincitur, cumq; paucis fuga elapſus in Borſipenorum urbem ſe includit. Cyrus Babylone capta, mandatoq; ut exteriora urbis mœnia, quoniam ei nimis operoſa, & difficilis expugnatu viſa fuiſſet Urbs, diruerentur, ad Borſippum ire contendit, Nabonnedum oppugnaturus. Cumq; Nabonnedus obſidionem non ferens, deditionem feciſſet, Cyrus eum benignè acceptum, dataque ad habitandum Carmania, ex Babylonia dimittit: & Nabonnedus quidem in illa regione reliquum vitæ tranſegit. Hactenus Beroſus.

Euſebius de præparatione Evangelica lib. 9. c. 4. eandem Beroſi ſententiam ferè ad verbum citat, additque eodem in loco idem Euſebius ex Megaſthene inſignem locum, de hiſce temporibus, quem itidem integrè aſſcribam.

Megaſthenes ait, (inquit Euſebius) *Nabuchodonoſorem Hercule fortiorem fuiſſe, univerſamque Lybiam cæteramq; Aſiam, uſq; ad Armenios domuiſſe, quem Chaldæi dicunt, cum in regnum ſuum rediiſſet, furore divinitus captum, magna exclamaſſe voce: Futuram ò Babylonii vobis ego calamitatem prænuncio, quam nec Belus, nec ulla vis deorum avertet. Veniet Perſa ſemiaſinus, qui vobis afferet ſervitutem, cujus cauſa erit* Medus, *Aſſyriorum ſpes. Utinam ille priusquam datus fuiſſet à civibus, Charybdi aliqua, aut mari ſubmerſus periiſſet radicitus, aut alio itinere arrepto in ſolitudinem delatus fuiſſet, ubi neq; urbes, neq; via hominum, belluæ autem paſcua habent, & aves errant, in petris & ſpeluncis ſolus errans. His aliiſque hujuſmodi dictis, ſubitò evanuit. Cui filius Evilmerodach ſucceſſit, quem Nerigliſſares interfecit, & ejus loco regnavit. Cui Laboſoaraſcus filius ſucceſſit, quo ex inſidiis interempto, Nabinidochum declararunt regem, ſed ſibi inutilem. Hunc Cyrus, capta Babylone, Carmaniæ principem facit.* Hactenus Megaſthenes.

Atque hæc ſunt fragmenta, quæ nobis Joſephus & Euſebius conſervarunt, quibus multò tutiùs, in hiſtoriis horum temporum aliquo modo illuſtrandis, fidere poſſumus, quàm aliorum ſomniis & figmentis. Cæterùm ne videantur hæc fragmenta in quibuſdam locis pugnare cum Jeremia & Daniele, qui eorundem regum etiam res geſtas aliquo modo conſcripſerunt, inſtituta brevi collatione, eos invicem comparabimus. Conveniunt primum inter ſe Beroſus & Megaſthenes de regibus, qui in Chaldæa poſt Nebucadnezarem imperarunt, uſq; ad Cyrum. Conveniunt deinde ambo cum ſacris literis, in deſcribenda victoria Nebucadnezaris contra Ægyptios, Judæos & Syros. Item de inſtauratione urbis Babyloniorum, de errore mentis Nebucadnezaris, de annorum numero, quibus imperavit, de ſucceſſore Evilmerodacho, de nepote Nebucadnezaris, quem Daniel Belzaſarem vocat, de Nabonnedo Medo, quem Daniel Darium Medum vocat, de Cyro, qui Babyloniam occupavit, &c. Differunt autem in hoc, quòd & Beroſus & Megaſthenes Evilmerodacho ſupponunt Nerigliſſoorum, Nebucadnezaris generum: Daniel verò Belzaſarem Nebucadnezaris nepotem. Sed conciliatio facilis eſt. Nepos enim Belzaſar, ſtatim occiſo Evilmerodaco rex declaratus eſt, ſed cum puer adhuc eſſet, Parens ejus Nerigliſſoorus, gener Nebucadnezaris, cùm non eſſet regiæ ſtirpis, regnum tutorio nomine adminiſtravit, donec ipſe ad pubertatis annos perveniret. Ideò Belzaſar ſive Laboroſoardochos nepos, Chaldaicè לבו ראשר דך Leborezardach, quadriennium ſub tutela parentis exegit, novem autem menſes ſolus, adepta pubertate, regnavit, & conſpiratione principum inita, interfectus eſt Babylone, non eo tempore, quando Cyrus Babylonem cepit: tum temporis enim rex Babyloniæ, Babyloni non præſens fuit, Jer. 51. v. 31. & Beroſus. Nomina non ita convenire, mirum non eſt; uſitatiſſimum enim fuit Chaldæis, ut nomina mutarent, ut videre eſt in Daniele & ſociis ejus. Hæc igitur plana ſunt, & veritati Biblicæ hoc modo nihil derogatur.

Quod Belzaſari ſucceſſerit quidam Medus, conſentiunt, ſed in proprio nomine diſſentiunt. Daniel eum Darium Medum vocat filium Oxyaris ſive Ahaſveri, oriundi ex Media. Megaſthenes verò & Beroſus Nabonedum, vel Nabonidochum Medum. Ex omnibus tamen pariter conſtet, Darium Medum Babylonem non vi cepiſſe, nec armata manu regnum occupaſſe. Daniel enim inquit cap. 5. & Darius accepit regnum, παρέλαβε, vel ἀπεδέξατο τὴν ἀρχὴν, Chaldaicè קַבֵּל alio tradente accepit, ſic cap. 9. in primo anno Darii, &c. qui creatus fuit rex in regno Chaldæorum: id verò, quomodo factum ſit, dilucidè explicat Beroſus. Cæterùm quia Darius appellatus fuit Medus, ideò plurimi ipſum regem Medorum fuiſſe ſuſpicantur, atq; hæc ſententia non parùm videtur confirmari, quòd Principes regni, ſecundum leges Medorum & Perſarum, petunt edictum de nemine, niſi rege adorando confirmari. Sed reſponſio facilis eſt. Non ſtatim reges Medorum ſunt, qui vel Medi appellantur, vel quorum parentes ex Media fuerunt; infiniti aliàs reges Medorum eſſent. Quod ad leges Medorum & Perſarum attinet, ſi attendatur ad locum, ubi geſtum eſt totum negotium de adorando rege, non evincitur, quòd Darius Medorum rex propriè fuerit. Nam acta hæc ſunt, ubi Daniel præfecturam geſſit, Suſis videl. in Media, ubi ſubditi legibus Perſarum & Medorum regebantur. Adminiſtraverat autem Daniel eandem provinciam, iiſdem Medorum legibus, cum Nebucadnezar, Evilmerodach, & Belzaſer rerum potirentur, Dan. 8. v. 2. qui tamen nequaquam propterea, quod partem Mediæ tenebant, reges Medorum erant. Accidit hoc in ampliſſimis regnis, ut ſubditi unis eiſdemq; legibus gubernari non poſſint, ſed quælibet natio & gens ſuas leges, conſuetudines & ſtatuta retinet: id quod hodiè etiam in Romano imperio accidit. Non igitur firmiter concludi poteſt, Darium regem Medorum & Perſarum fuiſſe, quòd leges Medorum in quibuſdam ſuis provinciis, in finibus Medorum & Perſarum ſitis, obſervaverit. Orta eſt hæc opinio ex commentis Annianis, in quibus regnum Darii cum regno Cyri confunditur, cum tamen ipſe Daniel ea regna diſcernat, & diverſa eſſe oſtendat, quando inquit: Proſperè egit

L 2 Daniel

Daniel in regno Darii, & in regno Cyri regis Perſarum. Similiter infirmum argumentum hoc etiam eſt, quòd quidam ex capite nono Danielis evincere conantur, Darium Medum unicum tantum annum imperaſſe, & quidem eo tempore, quando Judæi in libertatem per Cyrum reſtituti ſunt; cum tamen ex textu nihil aliud oſtendi poſſit quàm Danielem primo anno Darii Medi in manibus habuiſſe volumen Jeremiæ Prophetæ, in cujus capitibus 26. & 29. legerit, ſeptuaginta annis definitum eſſe tempus captivitatis Judaicæ, atque inde oblata hac occaſione ſupplicaſſe apud Deum pro reſtitutione politiæ Judaicæ, & obtinuiſſe à Deo, ut ſibi manifeſtaretur divinitùs, quanto tempore, ſi aliquando Hieroſolyma edicto promulgato inſtaurarentur, Judæorum politia duratura eſſet: & ex ipſis verbis Danielis videre licet, vaticinium hoc ipſi non revelatum eſſe eo anno, quando ſoluta eſt captivitas Babylonica, ſed aliquot annis antè.

Ex his omnibus videre eſt, Beroſum & Megaſthenem cum Propheta Daniele non pugnare; ſed ſummo conſenſu eaſdem res tradere, & ſicubi pugnare videntur, commoda interpretatione conciliari poſſe. Hiſce de Hiſtoricis horum temporum, tam ſuppoſitiis, quam genuinis præmiſſis, traſeamus, jam ad eos Chronologos, qui quidem de conſenſu hiſtoricorum & motuum cœleſtium in alligatione ſua annorum Mundi, ad æram *Nabonaſſaris* & ad alias, plurimum gloriantur; nihil minus tamen, quàm id, quod tantoperè jactitant, præſtant, dum alligationis ſuæ fundamentum ſtatuunt, Salmanaſſarem eundem eſſe cum Nabonaſſare, & Nabopolaſſarem eundem eſſe cum Nebucadnezare. Hoc fundamentum falſum eſſe demonſtrabimus in ſequentibus.

CAPUT XXX.

De Nebucadnezare, quòd non ſit idem cum Nabopolaſare.

JOhannes Funccius ante annos ferè ſexaginta Chronologiam edidit, in qua monſtratore uſus Andrea Oſiandro, novam & veteribus ignotam formulam excogitavit alligationis annorum Mundi, ad annos æræ Chriſtianæ per annos *Nabonaſſareos*. Fuit *Andreas Oſiander*, is, qui nova doctrina de juſtificatione hominis coram Deo excogitata, ſparſa & ſumma vi defenſa, nefandis modis Eccleſiam ſuperioribus temporibus turbavit. Hoc igitur duce uſus Funccius ſtatuit Nabopollaſſarem & *Nebucadnezarem* eſſe unum & eundem, & cum in ſacris literis quartus annus Jojakim concurrat cum primo Nebucadnezaris, & primus annus Nabopollaſſaris apud Ptolomæum idem ſit cum centeſimo & viceſimo tertio Nabonaſſaris, concludit quartum annum Jojakim etiam eundem eſſe cum centeſimo & viceſimo tertio *Nabonaſſaris*; atque ita excidium populo Judaico illatum anno decimo nono *Nebucadnezaris* incidere in annum 141. Nabonaſſaris, anteceſſiſſeque primum annum Æræ Chriſtianæ annis 607. Hæc ſumma eſt alligationis Funccianæ, & hanc ſequuntur plerique noſtræ ætatis Chronologi. Sed demonſtrabimus evidentiſſimis argumentis, Nabopollaſſarem non eſſe eundem cum *Nebucadnezare*, & hoc fundamento ejus ſublato, oſtendemus, Funccium tantum ſequi ſua figmenta, & turbare tempora rerum geſtarum, atque adeò motus etiam cœleſtes; id quod antea etiam aliquot locis probavimus. *Primum* autem *argumentum* ſit autoritas Beroſi illius Chaldæi & genuini hiſtorici, quem Joſephus, ut teſtem fidei plenum adverſario ſuo Appioni Grammatico opponit. Is diſertis verbis affirmat ſuperiori capite, *Nabopollaſſarem* & Nabuchdonoſorem, ſive Nebucadnezarem non eundem eſſe, ſed *Nebucadnezarem* filium eſſe, à Nabopollaſſare patre, ſenio confecto in Palæſtinam miſſum, ut rebelles Judæos & Syros ſub jugum redigeret. Si igitur Nebucadnezar filius eſt, *Nabopollaſſar* verò pater; tum non ſunt unus & idem, & cum Nabopollaſſar cœperit anno *Nabonaſſaris* 123. neceſſe eſt, Nebucadnezaris filii Imperium ſit aliquot annis poſteriùs, atq; ita falſa eſt hæc annorum Mundi ad æram Nabonaſſaris alligatio.

Secundum argumentum ſit autoritas ſacrorum Bibliorum, quæ quidem non affirmat, alterum patrem, alterum verò filium eſſe; ſed tamen ejusmodi res, in Politia Judaica geſtas, deſcribit, ex quibus firmiter concluditur, Nebucadnezarem & Nabopollaſſarem eſſe diverſos. De Merodacho filio Baladan, & Babyloniorum rege, in ſacris literis ſcribitur libr. 4. Regum, cap. 20. Eſaiæ 39. & 2. Paralip. 32. quòd advocato concilio, & re deliberata cum ſuis Principibus, decreverit, ob admirandum, quod Babylonii obſervaverant, in Sole Phænomenon, Ezechiæ valetudinis ergo factum ipſi Ezechiæ, quòd ex graviſſimo morbo reſurrexiſſet, miſſa legatione gratulandum, & ut amico, dona offerenda. Legatio miſſa eo ipſo tempore quando Ezechias convaluit. Ægrotavit autem Ezechias, ut ex tempore Imperii ejus ab Eſaia determinato, colligitur, in fine decimi quarti anni ſui regni, poſtquam Sennaherib Aſſyriorum rex, amiſſis in obſidione Hieroſolymæ centum, & octuaginta quinque millibus militum, ab Angelo in una nocte trucidatis, fugatus fuerat. Miſſa igitur legatio circa initium anni quindecimi Ezechiæ. A Ptolomæo Aſtronomo hic Babyloniorum rex appellatur Mardoch Cempad, ſive, quod Hebræis idem eſt, Merodach Cempad, & demonſtratur tribus eclipſibus lunaribus, eum regnare cœpiſſe anno 27. *Nabonasſaris*. Sacræ literæ autem affirmant, eundem anno quindecimo Ezechiæ regem Babyloniorum fuiſſe, & legatos Hieroſolymam miſiſſe. Ergo apertè demonſtratur, annum viceſimum ſeptimum *Nabonaſſaris*, quo cœpit Merodach, præceſſiſſe annum quindecimum Ezechiæ. Funccius verò, quando Nabonaſſarem eundem facit cum Salmanasſare, & *Nabopollasſarem* eundem cum *Nabucadnezare*, cogitur hoc negare, hac de cauſa, quia in ſacris literis, ut poſt demonſtrabimus, à quindecimo anno Ezechiæ, uſque ad annum quartum regis Jojakim, quo cœpit Nebucadnezar, numerantur anni 107. Si igitur jam Nebucadnezar eſt Nabopollaſſar, tum quartus annus regis Jojakim, eſt annus 123. Nabonasſaris: anno enim 123. Nabonasſaris cœpit Nabopollasſar, teſte Ptolomæo, & motibus cœleſtib. Subduc hinc annos 107. relinquuntur anni 16. atq; ita Ezechiæ annus decimus quintus incidit Funccio tantum in annum decimum Nabonasſaris, contra ſacram Scripturam, quæ teſtatur Merodachum in Babylone regnaſſe anno deci-

decimo quinto Ezechiæ, & ita viceſimum ſeptimum annum Nabonaſſaris tùm præteriiſſe. Cum contra Funccius eundem Merodachum tandem annis undecim poſt decimum quintum Ezechiæ ad regnum Babylonicum vix admittat.

Putat quidem Funccius, per διάνοιαν ſacram ſcripturam cum Ptolomæo conciliari poſſe, dum Merodachum præfectum facit tum temporis Baloniorum, qui audita clade Domini ſui Sennaherib. rebellarit, & ut ſe muniret potentia vicinorum regum, Ezechiæ, hoſtis Aſſyriorum, amicitiam ambierit. Sed ubi obſecrò hæc Funccius legit apud ullum ſcriptorem? aut quando ſacra Scriptura honorificè à parentibus deſcribit, & appellat regem eum, qui præfectus eſt regni. qui ſervus eſt alicujus regis & perjurus Domino ſuo ac rebellis? Et cùm Funccius hæc fingat, quæ poteſt eſſe tanta præſtantia figmenti alicujus, à quovis etiam homine propoſiti, cujus cauſæ ab apertis Scripturæ verbis recedere, & interpretationem violentam admittere velimus? Hominum hoc eſſet & impiorum, & ſacris literis parum tribuentium. Salmanaſſar igitur non eſt Nabonaſſar, cum Ptolomæus ab anno primo Nabonaſſaris, plusquàm viginti ſeptem annos, uſque ad decimum quintum Ezechiæ regis annum effluxiſſe demonſtret: Funccius contra Salmanaſſarem Ezechiæ coætaneum faciat, & Ezechiæ decimum quintum annum in decimum ſextum tantùm annum Salmanaſſaris conjiciat. Ptolomæus præceſſiſſe affirmat Merodachum aliquot annis quindecimum annum Ezechiæ: Funccius, Merodachum quindecimo anno Ezechiæ poſteriorem facit annos undecim. Si igitur Salmanaſſar non eſt idem cum Nabonaſſare. Ergo nec Nabopollaſſar eſt idem cum Nebucadnezare, ut idem hoc anni ab Ezechia uſque ad excidium Hieroſolymitanum numerari oſtendunt. Sed de hoc argumento paulò poſt plura.

Tertio loco aſſumimus teſtimonium Herodoti, Hiſtoriarum parentis, & ex ejuſdem cum ſacris literis convenientia idem evincimus. Herodotus autem vixit tempore Xerxis, Perſarum regis, trajicientis cum copioſiſſimo exercitu in Græciam, quinquaginta circiter annos poſt Cambyſen Perſarum regem, qui Ægyptum penitus imperio ſuo ſubjecit, cùm res adhuc eſſet in recenti hominum memoria. Etſi autem idem Herodotus domi Halicarnaſſi ex regum Perſarum præfectis hiſtoriam Perſicam diſcere & conſcribere potuiſſet; tamen longinquas peregrinationes veritatis inquirendæ gratia ſuſcipere, multarumque rerum teſtis oculatus eſſe maluit, quàm auritus. Pervagatus eſt Phœniciam, Ægyptum, Chaldæam, & alias regiones, ut in unaquaque gente, quid hiſtoriarum annotatum eſſet, quod ad illuſtrandas res Perſicas, & aſtruendam ejus antiquitatem faceret, rectè expiſcaretur. In Ægypto ergo ex archivis Sacerdotum, ut ipſe teſtatur, deſcripſit catalogum quendam regum Ægyptiorum, præſertim ultimorum, antequam in poteſtatem Perſarum venirent, & quot annis quiſque eorum imperaſſet, annotavit. Partem ejus catalogi, quantum ad hanc hiſtoriam explicandam facit, recitabimus *Pſammeticho* inquit lib. 2. cap. 159. 161. & lib. 3. cap. 10. 13. *ſucceſſit filius Necho, is qui vicit Syros in Magdalo* (hoc eſt Joſiam regem Judæ in campis Megiddo) *& poſt prælium potitus eſt magna Syriæ urbe.*

Hic regnavit annis. 17
Filius Pſammis annis. 6
Apries, à Jeremia Haphra dictus, cap. 44.
annis 25.
Amaſis, qui Apriem regno excuſſit, annis 44
Pſammenitus menſibus 6

Anni, quibus hi quinq; reges imperarunt, ſunt nonaginta duo.

Porrò Cambyſes vicit Pſammenitum anno 4. Olympiadis 63. Eſt is annus Olympiadicus 252. & concurrit cum anno Nabonaſſaris 224. ut apparet ex cyclis. Subducantur ab hiſce 224. annis Nabonaſſaris anni nonaginta duo, quibus reges Ægypti per ſucceſſionem imperarunt, ut ad principium Pharaonis Necho perveniamus, relinquitur annus Nabonaſſaris centeſimus triceſimus ſecundus, quo, teſte Herodoto, Necho imperium iniit. Si jam Nebucadnezar eſſet Nabopollaſſar, & cœpiſſet anno Nabonaſſaris 123 tum Pharao Necho poſterior eſſet Nebucadnezare annis novem: quomodo jam Nebucadnezar potuit vincere Pharaonem Nechum, & occidere, Jeremiæ 46. primo ſui imperii anno, cum Necho nondum rex eſſet? quomodo idem Necho quinquennio ante Nebucadnezarem, Joſiam vincere & occidere potuit: apparet manifeſta abſurditas, & contradictio. Nequaquam ergo Nebucadnezar eſt Nabopollaſſar, cum Necho ſit poſterior Nabopollaſſare, teſte Herodoto: prior verò Nebucadnezare, teſtibus ſacris literis cum Herodoto.

Quartum argumentum aſſumamus ex eodem Herodoto. ex catalogo regum Medorum, quem conſcripſit lib. 1. ubi affirmat Cyaxarem, poſt parentem Phraortem, Medorum regem, regno præfuiſſe annis 40. Aſtyagem verò filium annis 35. & hunc à nepote ſuo ex filia Cyro, regno excuſſum, anno primo Olymp. 55. ſive anno Nabonaſſareo 189. ut apparet ex cyclis, ſi poſt Calendas Januarii conferantur. Anni, quibus hi duo reges Medorum imperarunt, ſunt 75. qui ſubducti ex annis Nabonaſſaris 189. reſiduum faciunt annos 112. & oſtendunt, Cyaxarem patri Phraorti in regno ſucceſſiſſe anno Nabonaſſaris 113. Perierat autem Phraortes, parens Cyaxaris, in bello contra Aſſyrios, quam cladem parenti ſuo & Medis illatam, ut novus rex Cyaxares ulciſceretur, auxiliis finitimorum & ſubditorum aſcitis, vires reparat, diſciplinam militarem inſtituit, Aſſyrios prælio vincit, & Niniven obſidet. Verùm cum in ſpe eſſet expugnandæ Urbis, obruitur à Scythis à Caucaſo monte progreſſis, & in Mediam irruentibus, ingenti clade vincitur, & ut obſidionem relinquat, cogitur. Scythæ inde obtinent Aſiam, annis 28. donec partim divinitus, ob raptam undique ſacram pecuniam, partim ab ipſo Cyaxare delerentur. Inde ad obſidendam Niniven Cyaxares rediit, eam expugnavit & ſolo æquavit, circiter annum Nabonaſſaris 145. anno regni ferè 32. teſte Herodoto, poſtquam parenti Phraorti in regno ſucceſſerat; quemadmodum & Euſebius eandem rem geſtam in hunc annum confert. Harum gentium clades enumerat Ezechiel c. 31. & 32. Item Jeremias, qui definit, cladem hanc Aſſyriorum accidiſſe aliquo temporis ſpatio ante quartum annum Zedekiæ regis. cap. 50. v. 18. & cap. 51. verſ. 60. Minitatur enim Babyloniis anno quarto Zedekiæ eandem cladem, quam experti erant Aſſyrii & Ninivitæ.

Si jam Aſſyriorum clades præceſſit annum quartum Zedekiæ atque ita annum Nabonaſſaris 145. clades Hieroſolymitana non in annum Nabonaſſaris 141. referri poteſt, quemadmodum facit Funccius, aliàs præceſſiſſet cladem Ninivitarum, cum Scriptura teſte, poſterior ſit. Palàm igitur eſt, Nebucadnezarem non eundem eſſe cum Nabopollaſſare, ſed eſſe aliquot annis poſteriorem, ut excidium genti Judaicæ ab ipſo illatum, anno regni 19. hanc Ninivitarum cladem ſequi poſſit. Adeò autem Funccius, & alii Chronologi inſaniunt in hoc ſuo figmento aſtruendo, ut cladem Ninivitarum excidio Hieroſolymitano poſtponere non vereantur, contra expreſſima Prophetarum verba; & tamen gloriantur de perpetuo cum ſacra Scriptura conſenſu, cum nemo magis eam oppugnet.

Quintum argumentum ſuppeditat Joſephus Hiſtoricus, qui affirmat lib. 1. contra Appionem, ſe ex Tyriorum annalibus didiciſſe, Ithobalum regem Tyri obſeſſum à Nebucadnezare ſeptimo ſui imperii anno: ab hoc ſeptimo anno ex iiſdem annalibus numerat annos quinquaginta quatuor, uſque ad viceſimum annum Hiromi Tyriorum regis, qui viceſimus annus fuerit Cyri regis Perſarum ſeptimus, cum Cyrus cœperit anno decimo quarto hujus Hiromi regis anno. Statuit igitur à ſeptimo Nebucadnezaris anno uſque ad initium Cyri, interfuiſſe annos tantum quadraginta octo. Cyrus cœpit, ut ſæpius jam dictum eſt anno primo Olymp. 55. anno Nabonaſſaris 189. annis 48. abjectis, reſtat annus Nabonaſſaris centeſimus quadrageſimus primus, qui ſecundum Joſephi ſupputationem ſeptimus eſſet Nebucadnezaris. Si hic annus Nabonaſſaris 141. eſt ſeptimus Nebucadnezaris, ergò non poteſt eſſe decimus nonus, & Nebucadnezar non potuit regnum inire anno Nabonaſſaris 123. quo iniit Nabopollaſar. Differunt igitur Nabopollaſar & Nebucadnezar, nec ſunt unus & idem rex. Horum hiſtoricorum, Herodoti & Joſephi, autoritas à Chronologis contemni & repudiari non poteſt: non enim ſe hæc finxiſſe vel audiviſſe, ſed ex fide dignis archivis & annalibus deſcripſiſſe affirmant, & ſi tanti hiſtorici repudiabuntur, quos habituri ſumus Chronologiæ duces?

CAPUT XXXI.

De annis captivitatis Babylonicæ, ex quibus idem evincitur, Nabopollaſſarem ſcilicet non eſſe Nebucadnezarem.

SExtum argumentum exhibet hiſtoria captivitatis Babylonicæ, quæ ſeptuaginta annorum ſpatio definitur. Hujus captivitatis ubi initium ſtatuendum ſit, aut finis etiam, diligenter eſt circumſpiciendum. De fine tamen nemo, ut arbitror, hodie dubitat. Finiuntur enim propoſito edicto Cyri, reſtituentis Judæos in libertatem, quandò Cyrus verè dicere potuit: *Dominus Deus cœli dedit mihi omnia regna terræ.* Id quod fieri non potuit ſtatim in initio regni, quando Aſtyagem avum regno ejecit, nec poſtea, quando Crœſum ditiſſimum Lydorum regem vicit, nec quando potentiſſimum Babyloniorum regem Darium, ſive Nabonnedum Medum, acie victum, regno Babylonico expulit: ſed quando ampliſſimi illius regni provincias omnes occupavit, ordinavit, & in tranquilliorem ſtatum reduxit, quando, profligatis bellis, rebus Judæorum proſpicere potuit, in fine videlicet ſuæ gubernationis, quando expeditionem in Scythas moliebatur. Nec obſtat, quòd edictum primo anno Cyri propoſitum fuiſſe in ſacris literis affirmatur. Primus enim annus Cyri non intelligitur de initio Cyri, quando Aſtyagem vicit, vel Babylonem expugnavit: ſed tantùm intelligitur primus annus ſolutæ captivitatis à Cyro, & gratitudinis ergo à Judæis hæc æra inſtituta fuit qua ſempiternam hujus beneficii memoriam apud poſteros conſervare conabantur: uſi etiam procul dubio hac æra ſequentibus ſeculis fuiſſent, etiamſi Cyrus dudum è vivis exceſſiſſet, niſi ſtatim, & vivente Cyro, & eo defuncto, multis annis per ſucceſſores in Perſia reges, liberatio Iſraelitarum, & inſtauratio Politiæ Judaicæ, impedita fuiſſet. Sic Macedones annis Philippeis uſi ſunt quemadmodum & Arabes, & Aſtronomi & Cenſorinus: nec tamen initium eorum à Philippi regis Macedonum, in cujus honorem inſtituti erant, initio, nec ab ejus obitu, capiebatur, ſed ab obitu Alexandri Magni, filii illius Philippi. Sic anni Alexandrei, nec ab initio Alexandri Magni, cujus nomen præ ſe ferebant, nec ab ejus obitu, ſed duodecim poſt annis, tempore Seleuci regis Aſiatici, à Calippo in honorem Alexandri inſtituti ſunt, nec probant vel tempus regni Alexandrei, vel Monarchiæ. Id quod etiam de hiſce annis Cyri intelligendum eſt.

De initio verò ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ inter Chronologos controvertitur, dum alii eos à ſpontanea regis Jechoniæ captivitate, & migratione in Babylonem; alii ab excidio Urbis & templi Hieroſolymitani, inchoant. Hujus controverſiæ cauſa, non tam ex ambiguis Scripturæ locis oritur, qui ſunt apertiſſimi, quàm quòd quidam ex præconcepta opinione Nabopollaſſarem eſſe Nebucadnezarem, aliud initium ejus concedere, & ita occœcati, veram Scripturæ ſententiam videre non poſſunt: ſed interpretationem ipſi ex ſuo ſenſu afferunt, non, ut debebant, ex Scriptura hauriunt. Jeremias Propheta autor hujus de captivitate Babylonica determinati numeri initium ejus capit à Jechonia in captivitatem Babylonicam adducto cap. 29. Poſtquam enim literis ſcriptis, coſolatus eſſet captivos, abductos cum rege Jechonia populi principes, adhortatusque eos eſſet ad patientiam, & alia pietatis officia, cum futurum eſſet, ut exilium illud in multos annos prorogaretur, in quibus domos ædificare, hortos & vineas plantare poſſent, addit: *Hæc dicit Dominus, cùm cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos meum verbum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum.* Et paulo pòſt: *Reducam captivitatem veſtram, & congregabo vos de univerſis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus: & reverti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci, &c.* Huic divinæ promiſſioni, ex ore Jeremiæ Prophetæ prolatæ, credit etiam cum aliis Ezechiel Propheta, qui cum Jechonia abductus fuerat, & ſcrupuloſè penè annos captivitatis Babylonicæ in multis ſuæ Prophetiæ locis numerat; & ne eorundem annorum

norum initium in ambiguo eſſet, alligat eos ad præcipuas, quæ tum temporis habebantur epochas: ut ſtatim in primo capite, quintum captivitatis Babylonicæ annum alligat ad Æram Chaldaicam tunc uſitatam, ad triceſimum videlicet annum Nabopollaſſaris, de quâ poſt dicemus. Poſtea in capite 24. nonum anuum captivitatis Babylonicæ confert in annum obſeſſæ Hieroſolymæ à Nebucadnezare, qui itidem fuit nonus Zedekiæ regis. Tertiò, viceſimo nono capite, decimum annum ejusdem captivitatis alligat ad viceſimum ſeptimum annum Jubilæi. Quartò in cap. 40. decimum quartum annum everſæ Hieroſolymæ conjicit in viceſimum quintum annum captivitatis Babylonicæ. Omnes hæ alligationes unum idemque principium reſpiciunt, captivitatem videlicet regis Jechoniæ: & voluit Propheta, hâc frequenti annorum captivitatis Babylonicæ alligatione, ſe & alios conſolari, & ſpem excitare, paulatim dilabentibus hujus calamitatis annis, multos ſuperſtites futuros, qui liberi cum magnâ gloriâ in patriam antiquam Hieroſolymam eſſent reverſuri. Contra verò, ne quis in excidio Hieroſolymitano initium captivitatis Babylonicæ ſtatuere poſſit, & ibidem ſeptuaginta annos inchoare; Jeremias in eodem viceſimo nono capite, in eâdem hâc materiâ, ſic pergit: *Hæc dicit Dominus ad regem, qui ſedet ſuper ſolium Davidis, & ad omnem populum, habitatorem urbis, & ad fratres veſtros, qui non ſunt egreſſi vobiſcum in transmigrationem. Ecce mittam in eos gladium, & famem, & peſtem, & ponam eos quaſi ficus malas, quæ comedi non poſſunt, eò, quod peſſima ſint, & perſequar eos in gladio, & in fame, & in peſtilentiâ: & dabo eos in vexationem univerſis regnis terræ, in maledictionem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in opprobrium cunctis gentibus, ad quas ejeci eos, eò quod non audierint verba mea, &c.* Et capite 24. idem Jeremias de Jechoniâ, & aliis ſic dicit: *Cognoſcam, inquit Dominus, transmigrationem Juda, quam emiſi de loco iſto in terram Chaldæorum in bonum, & ponam oculos meos ſuper eos, ad placandum, & reducam eos in terram hanc, & ædificabo eos, & non deſtruam, & plantabo eos & non evellam, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, quia revertentur ad me in toto corde ſuo. Et ſicut ficus peſſimæ, quæ comedi non poſſunt, eò quod ſint malæ, hæc dicit Dominus, ſic dabo Zedekiam regem Juda, & principes ejus, & reliquos de Jeruſalem, qui remanſerunt in urbe hac, & qui habitant in terrâ Ægypti, & dabo eos in vexationem afflictionemq́; omnibus regnis terræ, in opprobrium, & in parabolam, & in proverbium, & in maledictionem, in univerſis locis, ad quæ ejeci eos, & mittam in eos gladium, & famem, & peſtem, donec conſumantur de terrâ, &c.* In his verbis Jeremias apertè his, qui non abierant in ſpontaneam captivitatem, adimit ſpem reſtitutionis in patriam: abducendos enim eos, & diſpergendos prædicit in ſervitutem æternam, in nullam ſpem reſtitutionis, & in calamitatem perpetuam. Qui igitur prorſus nullam ſpem habent reſtitutionis, quomodo in illis epocha certæ reſtitutionis figi poteſt? Sunt contraria in adjecto, ut aliàs dicitur. In theſi igitur & antitheſi, ubi initium captivitatis Babylonicæ ſtatuendum ſit, Jeremias Propheta, autor hujus determinati numeri de ſeptuaginta annis captivitatis, ſatis apertè indicavit. Hoc, qui diverſam ſententiam tuentur, & captivitatis annos ab excidio templi inchoant, diligentiùs perpendere debebant, & ſimul cogitare, incolumitatem & interitum alicujus reipub. non conſiſtere in incolumitate aut everſione ædificiorum, ſed in ſalute aut interitu civium primariorum: atque ideo initium captivitatis Babylonicæ, cum Jeremiâ & Ezechiele, ſtatuere debebant, quando flos populi Judaici abductus fuit, nec contra mentem ſacræ Scripturæ, impiis præmium ſuæ impietatis, longiorem videlicet felicitatem in patriâ, & breviorem ſervitutem conſtituere; Piis verò, eò quòd in voluntariam ſervitutem, verbo Dei moti, conceſſerant, pietatis pœnam, & diuturniorem ſervitutem irrogare. Certè ex diametro ſacræ Scripturæ, & verbis Prophetæ repugnat hoc, velle ſcilicet piis, & verbo Dei obedientibus decennalis exilii prorogationem irrogare; Impiis verò, & verbo Dei repugnantibus & contradicentibus, decennalis exilii abrogationem & levationem promittere. Jeremias benè ſciebat diſcrimen inter ſeptuaginta annos, & octuaginta; & ſi captivitatis Jechoniæ, & cum eo abductorum, octuaginta annos, quod fit, ſi ab excidio Hieroſolymitano ſeptuaginta anni ſunt numerandi, duratura fuiſſet, eadem facilitate octuaginta dicere potuiſſet, quâ ſeptuaginta dixit: nec cauſam habuit, cur ſuis pientiſſimis auditoribus mentiretur.

Locus, qui pro captivitatis annis ab excidio templi numerandis allegatur, extat 2. Paralip. cap. ult. Sed nequaquam id, quod volunt evincit. Sic enim verba habent: *Ad complendum verbum Domini in ore Jeremiæ, donec terra acquieſcat in Sabbathis ſuis. Omnes dies deſolationis terra Sabbathizavit, usq; ad complendum ſeptuaginta annos.* Ex quibus attentus lector ſatis intelligit, hæc verba eorum ſententiæ, qui captivitatem in excidio inchoant non patrocinari, ſiquidem expreſſe affirmatur, eorundem explicationem ex Jeremia Propheta petendam, non Prophetam ad hæc verba examinandum: Sabbathizavit igitur terra, & deſolata fuit, donec numerus illorum ſeptuaginta annorum, de quibus Jeremias dixerat, compleretur. Non enim hujus dicti verba ſonant de inchoandis annis captivitatis, ſed de currentibus illis annis, & jam complendis. Fluebant enim tum temporis illi anni, & eorum undecimus agebatur; & phraſis illa, donec acquieſcet terra in Sabbathis ſuis, quam Lutherus reddidit, bis das Land an ſeinen Sabbathen gnung hätte/ idem innuit. Non enim neceſſe fuit, ut ſeptuaginta annis terra penitus eſſet deſolata, & tot continui eſſent anni Sabbathici: cùm anni peccatorum Jerobeam, quorum expiatio hac pœnâ deſolationis terræ ſanctæ quærebatur, tot annos Sabbathicos non requirerent. Anni enim peccatorum Jerobeam fuerunt 390. ut eos Ezechiel cap. 4. recenſet, qui diviſi per ſeptem, faciunt annos Sabbathicos tantum quinquaginta ſex, tot igitur tantum anni penitùs deſolatæ terræ, ſi quis ſcrupuloſe eos inquirat, requirebantur ad expianda peccata Jeroboam. Nec etiam hic numerus abludit, ſi intelligatur de terrâ penitus deſertâ. Nam Nebuſar Adan, dux militiæ Nebucadnezaris, reliquias populi tandem abduxit quinto anno poſt excidium Hieroſolymæ quindecimo anno captivitatis Jechoniæ. Subducantur jam anni ſolidi quatuordecim ab annis ſeptuaginta captivitatis, reſiduum erit annorum

quinquaginta ſex, quibus terra ſabbathizavit, & acquieſcere potuit in Sabbathis ſuis, & expiare profanationem annorum Sabbathicorum. Non igitur hæc verba in Paralipomenis hoc volunt, ut ab excidio Hieroſolymæ anni captivitatis numerentur; ſed alteram potiùs ſententiam veram eſſe oſtendunt. Jam ad argumentum: Si Nabobollaſſar eſſet Nebucadnezar, tum captivitas Jechoniæ incidiſſet in annum centeſimum & triceſimum Nabonaſſaris, & hic annus eſſet primus captivitatis Jechoniæ. Nabopollaſſar enim cœpit anno Nabonaſſaris 123. ut aliquoties dictum eſt: & annus liberationis captivitatis incideret in annum Nabonaſſaris centeſimum nonageſimum nonum, ut computanti apparet, ſi ſexaginta novem anni ſolidi captivitatis Babylonicæ, ad annum 130. Nabonaſſaris, adjiciantur. Centeſimus autem & nonageſimus nonus annus Nabonaſſaris eſt annus quartus Olympiadis quinquageſimæ ſeptimæ, annus videlicet duodecimus regni Cyri poſt victum Aſtyagen, quo eodem anno Cyrus Crœſum Lydorum regem vicerat: ſed nondum Sardes victor ingreſſus fuerat; id enim factum ſequenti anno, nec etiam pedem in Babyloniorum fines poſuerat. Quomodo igitur tum potuit captivos Judæos in Babylone libertati reſtituere, quorum Dominus non erat, cùm Babyloniæ imperium nondum ſibi ſubjeciſſet, cùm Mars adhuc anceps eſſet? quomodo potuit tum Cyrus verè dicere, & de ſe ſcribere: *Dominus Deus Cœli dedit mihi omnia regna terræ*? apparet in omnibus manifeſta abſurditas. Ergò neceſſe eſt, Nabopollaſſarem diverſum eſſe ab eo, cujus octavo anno incipit captivitas Babylonica.

Septimò & ultimo loco addimus demonſtrationem, ex charactere Chronologico annorum Sabbathicorum deductam, & ſupra etiam propoſitam hoc modo: Nebucadnezaris annus decimus octavus pertingit usque ad annum Sabbathicum, à Jeremiâ 34. deſcriptum: ſequenti enim æſtate, adhuc currente anno Sabbathico, templum & urbs cremata ſunt. Sed Nabopollaſſaris annus decimus octavus nullo modo in annum Sabbathicum incidere poteſt. Concurrit enim cum anno Nabonaſſaris 140. cui ſi addas ternarium, ad annos Sabbathicos in annis Nabonaſſareis inveniendos, ut ſupra demonſtratum eſt, fiunt 143. abjectis omnibus ſeptenariis, in reſiduo eſt ternarius, qui indicat, decimum octavum annum Nabopollaſſaris eſſe annum tertium poſt celebratum annum Sabbathicum. Ergò Nabopollaſſar non poteſt eſſe unus idemque rex cum Nebucadnezare: atque hæc demonſtratio nullo modo convelli poteſt. Sed finem faciam; ſatis enim oſtenſum eſſe arbitror, Nabopollaſſarem non eſſe Nebucadnezarem, ſed hunc filium eſſe, illum verò parentem. Reſtat, ut etiam videamus, quibus argumentis Funccius & alii permoveantur, ut ex duobus diverſis regibus, unum & eundem compingant.

Caput XXXII.

De argumentis Funccii, quibus putat confirmari, Nebucadnezarem cum Nabopollaſſare eſſe eundem.

Sententia hæc, quæ ſtatuit Nabopollaſſarem cum Nebucadnezare eundem eſſe, nova eſt, & ignota toti antiquitati, tantùm ante hoſce ſexaginta annos nata, nec habet ullum ex hiſtoricis fide dignis, aut Chronographis, qui idem aſſerat. Hiſtoricorum enim nemo eſt, qui de hiſce temporibus ſcripſerunt, præter eos, quos citavimus, qui omnes unanimiter hoſce reges diverſos eſſe oſtendunt. Unicus tamen eſt *Cedrenus*, non quidem antiquus hiſtoricus, ſed tamen Græcus, qui Salmanaſſarem Nabonaſſarem appellavit: Sed quantum Cedreno in hiſtoriis ante natum Chriſtum credendum ſit, quisque, qui paululùm tantùm in hiſtoriis verſatus eſt, ſi aliquot tantùm pagellas ejus perlegat, intelligit: & qui eum latinum fecit, Guilielmus Xylander, in præfatione prolixè etiam id oſtendit. In hiſtoriâ tamen Eccleſiæ & Imperatorum Græcorum poſt tempora Conſtantini Magni, diligens eſt, & veritatis ſtudioſiſſimus, & diligentiam ſuam obſervatione characterum Chronologicorum plurimis in locis demonſtrat. Chronologi etiam omnes, quotquot fuerunt ante Funccium, non tantùm non affirmant Nabopollaſſarem & Nebucadnezarem eſſe eosdem; ſed toti in eo ſunt, ut demonſtrent, inter excidium Hieroſolymitanum à Nebucadnezare illatum, usque ad principium regni Cyri, quando Aſtyagem regno excuſſit, tantùm triginta annos ſolidos intereſſe, unde etiam firmiter demonſtratur, Nabopollaſſarem & Nebucadnezarem eſſe diverſos, de quâ re vide Euſebium & Bedam. Non igitur habet hæc ſententia antiquitatis vel conſenſum vel teſtimonium, ſed ad argumenta Funccii.

Primum argumentum ſuæ ſententiæ confirmandæ causâ proponit Funccius hujusmodi, ſi ſenſum potius, quàm verba ſectemur. A Nabonaſſare usque ad Nabopollaſſarem Ptolomæus numerat annos centum viginti duos: à Salmanaſſare ad Nebucadnezarem, in ſacris literis etiam totidem anni numerantur, & deinde locus etiam imperii utrisque convenit. Ergò Nabonaſſar eſt Salmanaſſar, & Nabopollaſſar eſt Nebucadnezar. Argumentum hoc fortaſſis imperito fucum facere poſſet: Sed ſi penitùs introſpiciatur, nihil concludit, cùm nulla prorſus ſit connexio terminorum, & longè aliud, quàm fuit in præmiſſis, concludatur. Quid enim hoc ad Salmanaſſarem, quod Nabonaſſar diſtat à Nabopollaſſare annis 122. vel quid ad Nabonaſſarem, quòd Nabucadnezaris imperium diſtat à Salmanaſſare annis 122? prorſus nihil. Idem eſt argumentum, ac ſi dicerem: Philippus rex Macedonum, qui electus eſt ab universâ Græciâ dux contra Perſas, diſtat à Philippo rege Macedonum, qui bellum geſſit cum Romanis, & victus eſt, annis centum & quinquaginta quinque, ut Græcæ Hiſtoriæ oſtendunt. Ab Alexandro Magno rege Macedonum, qui itidem dux contra Perſas ab universâ Græciâ declaratus eſt, usque ad Perſeum regem Macedonum, qui bellum geſſit cum Romanis, & victus eſt, etiam tot ſunt anni, teſte Livio, & locus imperii utrisque convenit. Ergò Philippus ſuperior rex Macedonum idem eſt cum Alexandro Magno. Et Philippus poſterior eſt unus & idem cum Perſeo. Videt æquus lector, eſſe idem argumentum, niſi quòd hîc multò plura concurrant probabilitatis argumenta, quam in Funcciano, ſed ut hoc argumento nihil concluditur:

tur: Omnes enim hiſtoriæ repugnant: ita & illud Funccianum ex arenis connexum eſt. Quod præterea Funccius putat, locum imperii utrique convenire, id adeò verum non eſt. Babylonicum enim regnum diverſum fuit ab Aſſyriaco, id quod vel ex ſolo Ptolomæo conſtat, qui ad Babyloniorum æram, non ad Aſſyriorum, ecclipſes accidiſſe demonſtrat. Nihil mirum etiam eſt, quòd Merodach Babyloniæ rex fuit, tùm temporis, quando Sennaherib Aſſyriorum regnum adminiſtravit. Poſterioribus enim etiam temporibus Nebucadnezar Babyloniis imperavit, cùm Cyaxares Medorum rex, regnum Aſſyriorum everteret, & Niniven occuparet, quanquam Babylonii in direptione regni Asſyriaci, non parvam ejus partem etiam videntur occupâſse, ut ferè apparet Ezech. c.31. Vicina ab initio fuerunt regna poſt Sardanapalum, ut conſtat ex Diodoro Siculo: Sed diverſa, fœderibus tamen proculdubio juncta, cùm Ninive à Babylone vix 23. miliaribus Germanicis diſtaret, & promiſcuas in tantâ viciniâ habuerunt posſeſſiones & regiones. Quapropter mirum etiam non eſt, quòd Salmanasſar captivos Iſraelitas in Babyloniam deduxerit, etiamſi rex Babylonis non esſet. Eſt enim vocabulum Babel, non tantùm nomen illius urbis, ſed totius iſtius regionis, ut apparet ex Herodoto. Et ſic Ezechiel deductus eſt in Babel, & tamen procul à Babylone habitavit ad flumen Chobbar, Ezech. 1. Et cùm Nebucadnezar, qui aureum caput ſtatuæ Danielis eſt, & omnium florentiſſimum posſedit regnum, Medos Niniven occupare pasſus ſit, & in tantam vicinitatem admiſerit, cui Sennaherib Merodachum Babyloniis imperare non pateretur? atque hæc de primo argumento.

Deinde adducit Funccius etiam hoc argumentum: A Nabonasſare usque ad primum annum Chriſti, ſunt anni 747. A Salmanasſare usque ad Chriſtum, etiam tot ſunt anni. Ergò Salmanasſar & Nabonasſar ſunt unus & idem. Reſpondeo: Minorem indigere probatione, nullo modo enim annos à Salmanasſare usque ad Chriſtum deducere posſunt, niſi asſumto aliquo medio, quo hiſtoria Salmanasſaris ad æram Nabonasſaris alligetur. Illud medium Funccio eſt, quòd Nabopallasſar idem ſit cum Nebucadnezare. Sed hoc illud eſt, de quo controvertitur. Eſt igitur in hoc argumento tantùm petitio principii, & nihil concludit.

Tertiò, Funccius etiam hoc modo argumentatur: Nominum ſimilitudo, quæ in Bibliis & ſcriptis Ethnicis tribuuntur hiſce regibus, argumento eſt, Salmanasſarem esſe Nabonasſarem. Reſpondeo, infirmum per ſe argumentum esſe, ex nominum ſimilitudine aliquid probare velle, & deinde demonſtro, ſimilitudinem hîc nominum non esſe in fontibus, etiamſi aliqua in aliis linguis appareat. Nabonasſar enim in fontibus eſt נבו נצר Nebonezar: Salmanasſar verò שלמן־אסר Salman-æſer, quas literas communes hæc omnia habent, niſi ultimam? Et etiamſi ſimilitudo nominum aliqua esſet, tamen quid hinc concludi posſit, exemplo declarabo. D. Athanaſ. ſub Conſtantio Conſtantini Magni filio Imperatore dejiciebatur epiſcopatu Alexandrino ab Arrianis Antiochiæ congregatis, Anno Chriſti 341. & ipſi ſubſtituebatur alius quiſpiam, quem quidam vocant Gregorium, quidam Georgium, de ambobus Scriptores Eccleſiaſtici affirmant, quòd uterque fuerit *Cappadox*, uterque Arrianus, uterque Athanaſii ſucceſſor, uterque perſecutor Orthodoxorum, uterque à populo Alexandrino in tumultu trucidatus: neque tamen hæc convenientia nominis, patriæ, & aliorum eventuum, evincit, ut fuerint unus & idem, ſed Gregorius miſſus fuit Athanaſio ſucceſſor, à Concilio Antiocheno, Anno Chriſti 341. Georgius verò poſtea, cùm iterum Athanaſius ejiceretur à Conſtantio in exilium, poſt annos quindecim, anno Chriſti 359. Athanaſio ſucceſſit, quemadmodum hæc demonſtrantur in annalibus Baronii.

Quarto & ultimò dicunt, ſe ſequi motus cœleſtes, obſervatos apud Ptolomæum. Hoc ſi verè dicerent, magnum quidem proferent argumentum, ſe probabiliter ſentire: Sed tamen certò hinc aliquid concludere non poſſent. Motus enim cœleſtes non à principio Mundi usque ad nos hactenus computati ſunt: ſed tantùm retrorſum ab Epochâ Chriſti θεανθρώπου usque ad principium Nabonaſſaris, vel ultrà etiam numerati: nec per ſe epochas Ethnicorum ad annos à condito Mundo numeratos alligant: ſed alligatio illa ex aliis circumſtantiis aſſumenda eſt. Verùm hi iidem, qui de motibus cœleſtibus ita gloriantur, ſunt omnium maximi impugnatores, & conturbatores motuum cœleſtium. Neque enim ullam eclipſin ad verum ſuum annum, ubi motus cœleſtes eam factam eſſe oſtendunt, retulerunt, neque ullam epocham gentilium, vel annorum Nabonaſſaris, vel annorum Olympiadum, vel annorum Urbis, vel annorum Alexandreorum, vel quæcunque ſunt aliarum, ut hactenus demonſtratum eſt, ad annos Chriſti rectè applicârunt: quo facta, cùm in ſingulis annis diverſos cyclos, in ſingulis menſibus diverſa novilunia & plenilunia, & in ſingulis hebdomatibus geminas ſingulorum dierum ferias ſtatuant, motus cœleſtes diverſos & contrarios inducunt: & ſi, quod verbis affirmant, factis etiam in cœlo perficerent, dudum cœlos diverſis ſuis motibus, labefeciſſent, diſturbâſſent, & in nihilum redegiſſent.

Intelligit Chronologiæ ſtudioſus, argumenta hæc Funcii non tantùm prorſus vana eſſe & nullius momenti, quæ nullo modo in comparationem aliquam cum ſuperioribus teſtimoniis admitti poſſunt; Sed ſententiam ipſam per ſe pugnare cum ſacrâ Scripturâ, & quidem cum Prophetâ Eſaiâ, qui Merodachi initium apertè ante quindecimum annum Ezechiæ regis ponit, quòd Funccius undecim annis, poſt hunc quindecimum annum, inchoat. Deinde cum Jeremiâ, qui everſionem regni Aſſyriaci annum quartum Zedekiæ præceſſiſſe affirmat, quæ à Funccio poſt excidium templi removetur; iterum cum Jeremiâ, qui Pharaonem Necho Nebucadnezaris initium multis annis præceſſiſſe aliquoties tradit, quod Funccius negat; Rurſum cum Jeremiâ, qui ſeptuaginta annos captivitatis à transmigratione Jechoniæ inchoat, quos Funccius decem ſolidis annis poſteriores initio facit. Pugnat præterea cum Beroſo Chaldæo, cum Megaſthene, Herodoto, Joſepho, & quotquot de horum temporum rebus geſtis, aliquid annotârunt. Falſa igitur eſt ipſius

Func-

Funccii alligatio, & ejuſdem autoritatis cum figmentis Annianis in ſuis ſubdititio Beroſo ac Metaſthene, quæ ſequitur, cenſenda. Prolixiùs autem vanitatem Funccianæ alligationis demonſtrare volui, quòd videam, eam magnopere in animis hominum invaluiſſe, & ſectatores naƈtam, qui & eruditione & autoritate celeberrimi ſunt, ut evidentiùs appareret, utra ſententia magis veritati eſſet conſentanea, & ſtudioſi haberent, quod contradicentibus opponere poſſent. Pergamus jam ad veram annorum Mundi ad alias epochas alligationem.

Caput XXXIII.

De verâ alligatione annorum, in ſacris literis, à condito Mundo numeratorum, ad annos Nabonaſſaris, & aliarum epocharum.

In alligatione annorum Mundi ad æram Nabonaſſaris, & alias epochas, nihil novi excogitabimus: ſed inſiſtemus veſtigiis veterum Chronologorum, quotquot tempora ante Funccium diſputârunt. Horum enim Chronologorum alligationem veram deprehendimus, & omnes hi ſimul unam eandemque rationem ſequuntur. Etſi enim hi etiam inter ſe diſſident in numeris annorum à condito Mundo numeratorum, usque ad æram Chriſtianam; tamen id non evenit ideo, quòd diverſimodè annos Mundi ad alias epochas applicent; ſed quòd aliter atque aliter annos mundi numerent, & usque ad excidium Hieroſolymæ deducant. Ab excidio enim Hieroſolymitano usque ad annum primum æræ Chriſti, unanimi conſenſu numerant annos 589. aut ſi fortè diſcrepant, differentia erit tantùm unius anni. Qui ſtatuunt, Nabopollaſſarem eſſe Nebucadnezarem, quod faciunt hodiè ferè omnes Chronologi, Funcciano commento ſeducti, eodem modo multipliciter differunt, ſi ſpectes annos à condito Mundo numeratos usque ad Chriſtum natum. *Funccius* enim ipſe annum primum Chriſti ponit in annum Mundi 3963. *Buntingus* in annum Mundi 3967. *Bucholzerus* 3971. *Laurentius Codomannus* 4142. & ſic alii aliter. Ea diſcrepantia non inde oritur, quòd diverſimodè annos Mundi ad æram Chriſtianam applicent, ſed quòd diverſimodè annos à condito Mundo, usque ad politiæ Judaicæ everſionem primam numerent. Funccius enim eam ponit in annum Mundi 3356. Buntingus in annum 3362. Bucholzerus in annum 3365. Codomannus in annum 3534. Ex hac diverſitate igitur numerationis annorum Mundi oritur iſta diſcrepantia, inde enim ab iſtâ everſione usque ad natum Chriſtum omnes unam eandemque habent diſtantiam, videlicet annos 607. Porrò diſcrepantia illa, in numeratione annorum mundi, oritur ex diverſimodè intelleƈtis quibusdam vel Hiſtoriis, vel diƈtis Biblicis, de quibus poſtea agemus, jam de alligatione ipsâ dicemus.

Clemens Alexandrinus Stromate primo ait: Hieroſolymam everſam Olympiade quadrageſimâ ſeptimâ. Etſi autem Chronologo jam ſatis eſſet, ſcire Olympiadem. Charaƈteres enim Chronologici facilè verum annum indicarent, quotus annus in iſtâ Olympiade quadraret: Euſebius tamen eundem annum exprimit, aitque factum anno ſecundo Olympiadis 47. Non parvi facienda eſt horum Scriptorum autoritas: citant enim præſtantiſſimorum Chronologorum, quos ſecuti ſunt, Canones, quales ſunt: Thalli, Caſtoris, Phlegontis, Eratoſthenis, Africani, &c. qui ſi adhuc extarent, minus in Chronologiâ laboraremus. Sed Clementi & Euſebio videre, & frui illis licuit: nobis nihil præter deſiderium eorum reliƈtum eſt, & quod interdum de iis audimus. Horum autoritatem prætereà ſecuti ſunt alii, ut Hieronymus, Proſper, Beda, Wigornienſis, Hermannus Contraƈtus, Schaffnaburgenſis inprimis & alii. Porrò divinitus huic anno excidii Hieroſolymitani, à Nebucadnezare illati, additus eſt à Prophetâ Hieremiâ charaƈter Chronologicus, quòd videlicet fuerit annus Sabbathicus, quo charaƈtere adhibito, tanquam certiſſimâ demonſtratione, & ſplendidiſſimâ face præviâ annum illum reƈtè definitum eſſe, probamus. Anni Sabbathici, quomodo in annus Olympiadum inveniantur, diƈtum eſt ſuperiùs, cap. 26. videlicet ſi ternarius ipſis addatur, & tota ſumma per ſeptenarium dividatur. Annus igitur ſecundus Olympiadis 47. eſt annus Olympiadicus 186. adde ternarium, fiunt anni 189. abjice omnia ſeptenaria, nihil eſt reſidui. Convenit ergò charaƈter Chronologicus, adſtipulantur veteres omnes, nec quisquam eſt, qui hanc alligationem firmis argumentis oppugnare poſſit. Reƈtè igitur Clemens Alexandrinus, Euſebius, & alii, annum excidii Hieroſolymitani, definiunt, quando dicunt id incidere in annum Olympiadicum 186. finientem. Si enim aberratum eſſet, commiſſus eſſet ſeptem annorum error, quod fieri non poſſe demonſtrabimus in ſequentibus. Quidam definiunt quidem annum tertium ejuſdem Olympiadis annum: ſed hi nihil à reliquis diſcrepant. Excidium enim incidit in eam æſtatem, qua annus ſecundus ejuſdem Olympiadis definit, & tertius incipit. Porrò nos dicimus, excidium hoc accidiſſe anno à condito mundo numerato 3360. & ſtatuimus annos Sabbathicos per ſe in annis Mundi inveniri, ſi ſeptenaria omnia abjiciantur, cùm credamus, mundum hunc creatum poſt æternum illud Sabbathum, & quemvis ſeptenum annum, à condito mundo numeratum, eſſe Sabbathicum, quemadmodum quivis ſeptenus dies, à condito Mundo numeratus, Sabbathi diem indicat. Divide jam annos 3360. per ſeptem, nihil eſt reſidui, eſt ergò annus Sabbathicus, qui, ut Sabbathicorum annorum ratio exigit, in autumno præcedente cœpit. Concurrit igitur cum hoc anno poſt Calendas Januarii ratione Cyclorum, annus Olympiadicus 186. item annus Nabonaſſareus 158. qui itidem eſt Sabbathicus: quod experieris, ſi ternarium, ut cap. 26. didiciſti, addideris, & ſeptenaria abjeceris. Item annus Urbis 164. cui quinque addenda ad methodum annorum Sabbathicorum. Atque hoc modo alligatio annorum Mundi ad æram Nabonaſſaris, & ad alias epochas peraƈta eſt autoritate Euſebii & aliorum, quam confirmabimus etiam aliis argumentis.

Secundum argumentum ſumimus ex teſtimonio Ezechielis. Ezechiel enim Propheta ſtatim cap.

cap. 1. alligat Prophetiæ ſuæ tempus ad annum 5. captivitatis Babylonicæ, & præterea ad annum 30. Verba ejus ſunt: *Et factum eſt in triceſimo anno, in quinto die, quarti menſis, cùm eſſem in medio captivorum, juxta flumen Chobbar, aperti ſunt Cæli, & vidi viſiones Dei, in 5. menſis: ipſe eſt annus quintus transmigrationis Joachim, &c.* Quid per annum triceſimum intelligat Ezechiel, diverſæ ſunt interpretum ſententiæ: Quidam putant, Ezechielem loqui de ſuæ ætatis annis elapſis, atque ideò, quintum annum captivitatis Jechoniæ, conferre cum ſuæ ætatis triceſimo anno: ſed hanc opinionem, ut inconvenientem, & præter exemplum ſacrarum literarum introductam, plerique aſpernantur. Quidam computant hos annos triginta ab inventione libri legis Moſaicæ, tempore Joſiæ regis, decimo octavo ipſius anno, cùm templum inſtauraret. Verùm cum & hæc æra præter exemplum inſtituta ſit: quis enim unquam ab invento libro domi, in peregrinis locis annos computavit, & prophetiam ſuam per obſcuriſſimum eventum illuſtrare voluit? ideò hæc opinio Judæis, utpotè ab ipſis orta, relinquitur, nec multò melior & conventior priore exiſtimatur. Prophetarum mos eſt, ut tempus prophetiæ ſuæ ad annos ſui magiſtratus, ſive ſui regis, alligent, ut tota ſacra Scriptura oſtendit. Proculdubiò igitur eam etiam Ezechiel triceſimum hunc annum imperii ſui regis. ſub quo jam quinquennium traducebat, in finibus regni Babylonici, cum quinto anno ſuæ captivitatis, ut emptus ſuæ prophetiæ ſuis popularibus in captivitate innoteſceret, conferre voluit, etiamſi nomen regis, ut ſibi & popularibus ſuis notiſſimum, non exprimeret. Id enim interdum accidere, ut regis nomen taceatur, vel ex Nehemiâ patet, ſtatim in initio capitis primi, ubi propoſitis annis viginti, nomen regis, cujus annus viceſimus agebatur, tacetur; attamen illos de Artaxerxe intelligi debere, ex ſequentibus manifeſtum eſt. Vult igitur Ezechiel, annum quintum captivitatis Jechoniæ incidere in tricoſimum annum regis Babylonici. Quis autem eſt iſtæ Babyloniorum rex? Ex hiſtoriis ſacrorum Bibliorum notiſſimum eſt. Nebucadnezarem hoc tempore dictum fuiſſe Babyloniorum regem: ſed ex iiſdem etiam manifeſtiſſimum eſt, triceſimum annum Imperii Nebucadnezaris tum agi non potuiſſe, cùm captivitas Jechoniæ vix octavo Nebucadnezaris acciderit, quintus igitur ejusdem captivitatis annus, vix eſſet annus duodecimus Imperii Nebucadnezaris in Syriâ. Alius igitur neceſſe eſt, ut fuerit. Quis autem fuerit, docet nos Beroſus ille Chaldæus in fragmento ſuo, à Joſepho conſervato, quod fuerit Nabopollaſſar, pater Nebucadnezaris, qui filium ad ſubigendam Judæam, Phœniciam, & Ægyptum cum exercitu dimiſerit, cum ipſe labori ferendo non eſſet. Filius igitur cum patre ſimul imperavit. Nabopollaſſar quidem in Chaldæa, Nebucadnezar verò in Syria. Neque enim hæc bella uno aut altero anno perfecta ſunt, ſed multos annos in compeſcendis hiſce hoſtibus Nebucadnezar conſumſit; ſiquidem ut Philoſtratus apud Joſephum lib. 10. cap. 11. antiquitatum affirmat, Nebucadnezar tredecim annis Tyrum oppugnavit, regnante in èa Ithobalo. Atqui objici poſſet, Beroſum Nabopollaſſari tantum undè triginta annos imperii tribuere, & hic tamen citari ejus annum triceſimum. Reſpondeo, Beroſum ſolere regum ſuorum annos completos tantum annotare, non etiam inchoatos. Sic ſcribit, Nebucadnezarem etiam tantum annos 43. imperaſſe, cum tamen ex ſacris literis, ex initio Evilmerodachi eliciatur, Nebucadnezarem ferè ſeptem menſes, ultra 43. annum imperio præfuiſſe. Potuit igitur Nabopollaſſar adhuc eſſe in vivis, tempore hujus prophetiæ; aut, ſi fortè defunctus tum temporis fuit, quod vix videtur, æra ab ejus initio inſtituta fuit, qua Chaldæi uſi ſunt. Ut ut ſit, videmus Nabopollaſſaris annum triceſimum concurrere cum duodecimo Nebucadnezaris. Unde conſequens eſt, quòd Nabopollaſſaris annus triceſimus ſextus concurrat cum decimo nono Nebucadnezaris: Ex Ptolomæi autem certis demonſtrationibus manifeſtum eſt, Nabopollaſſaris annum primum concurrere cum anno Nabonaſſaris 123. Ergò ejus triceſimus ſextus concurrit cum 158. anno Nabonaſſaris, atque ita ambo cum decimo nono Nebucadnezaris, qui eſt annus excidii politiæ Judaicæ. Annus autem Nabonaſſaris 158. concurrit cum anno Olympiadico 186. cum anno Urbis 163. & incidit in annum Sabbathicum. Ergò Clemens Alexandrinus, Euſebius, & veteres Chronologi omnes, nihil prorſus diſſentiunt ab Ezechiele.

Obſervandum, Nebucadnezaris annos numerari in ſacris literis; à quinto menſe in mediâ æſtate, quartus enim menſis, quando Hieroſolyma expugnabatur, incidebat in annum 18. Nebucadnezaris, quintus autem menſis in decimum nonum ejusdem regis annum, Jer. 52. v. 19. Notari & hic obiter poteſt, annum ſecundum Nebucadnezaris, Dan. 2. quo vidit celebre illud ſomnium de quatuor Monarchiis, intelligi debere de ſecundo anno Nebucadnezaris, quando in Chaldæâ Parenti Nabopollaſſari ſucceſſit. Daniel enim in Chaldæâ ſcripſit: Is eſt autem decimus tertius annus ejusdem Nebucadnezaris regis in Syriâ, & ſextus captivitatis Jechoniæ, ut ita Daniel, qui duodecim annis antè abductus fuerat, & inſtitutus in omni ſapientiâ Chaldaicâ, interea temporis vir evaſerit, magnam autoritatem, ſapientiæ item & pietatis inſignis opinionem ſibi acquiſiverit, & cum ſuis æqualibus regno adminiſtrando præfici potuerit, ut hæc ſatis apparent ex Ezechielis cap. 14. & 28.

Tertium argumentum ſumimus ex ſerie annorum Sabbathicorum, & ex legatione Merodachi regis Babyloniorum ad Ezechiam regem Judæ, ex morbo graviſſimo convaleſcentem. Sacræ literæ teſtantur, Merodachum tum temporis fuiſſe regem Babyloniorum, cùm legatos mitteret. Iniit autem regnum, ut ex Demonſtrationibus Ptolomæi manifeſtum eſt, anno viceſimo ſeptimo Nabonaſſaris. Legati autem illi miſſi ſunt anno decimo tertio Ezechiæ regis Judæ, quem annum diximus fuiſſe Sabbathicum; nec arbitror, quenquam eſſe, qui hunc annum Sabbathicum eſſe negare audeat. Eo enim anno nec ſeminarunt, nec fruges collegerunt, 4. Regum cap. 19. verſ. 29. & apud Eſaiam: *Veſcemini*, inquit Eſaias, *hoc decimo quarto anno Ezechiæ conculcatis: ſequenti anno ſponte naſcentibus: tertio anno deinde ſerite*

ea

ac metite. Septuaginta interpretes reddiderunt, Veſcemini τῶν ἀσπάρτων καὶ ἀγιαζομένων. Cur autem nec ſeminarent, nec meterent, hoſtibus tantâ clade pulſis & nemine prohibente, niſi fuiſſet annus Sabbathicus? Voluit autem Propheta Ezechiam & populum Judaicum monere, ne metu famis, cùm tota Judæa ferro flammisque vaſtata eſſet, & omnis ſpes frumenti ablata, annum Sabbathicum minùs ſanctè colerent, cùm nihilominus Deus ipſos nutrire & conſervare poſſet, tàm ex conculcatis, quàm ex ſpontè naſcentibus. Porrò anni Sabbathici in annis Nabonaſſaris inveniuntur, ſi ternarius ipſis addatur, & tota ſumma per ſeptem dividatur. Merodachus regnum adeptus eſt anno 27. Nabonaſſaris; adde tria, fiunt 30. abjectis omnibus ſeptenariis, reliquos faciunt duos annos, & oſtendunt, Merodachum adeptum regnum anno ſecundo poſt celebratum Sabbathicum annum in Judæâ. Miſſi autem ſunt legati anno Sabbathico, ergò non niſi ſexto anno Merodachi, qui eſt annus Nabonaſſaris 32. & Sabbathicus, miſſi ſunt, & 13. annus Ezechiæ incidit in annum 32. Nabonaſſaris. Ab hoc autem anno Ezechiæ, usque ad excidium populi Judaici, numerantur anni 126. hoc modo:

Ezechias imperavit annis viginti novem ſolidis, ex quibus tranſegerat annos propè verum tredecim, reſtant ſedecim.

Manaſſe,	quinquaginta quinque.
Ammon,	duos.
Joſias,	triginta unum.
Joachas,	menſes tres.
Jojakim,	annos undecim.
Jechonias,	menſes tres, dies decem.
Zedekias,	annos undecim.

Summa anni 126. cum ſex menſibus, qui additi ad annum 32. Nabonaſſaris, quem dicimus eſſe annum 13. Ezechiæ, efficiunt annum Nabonaſſaris 158. quo politia Judaica everſa eſt. Videmus ita beneficio annorum Sabbathicorum, annum everſionis politiæ exactè definiri.

Sed objicere quispiam poſſet, cùm nullibi expreſſum ſit, quòd Merodachus legatos miſerit anno ſexto imperii, eundem fortaſſis miſiſſe legatos anno decimo tertio imperii, qui itidem eſt, Sabbathicus. Reſpondeo, hoc fieri non potuiſſe, ex hâc demonſtratione: Annus decimus tertius Merodachi, eſt annus triceſimus annus Nabonaſſaris, adde annos 126. diſtantiam à 13. anno Ezechiæ, usque ad excidium Hieroſolymæ, fiunt anni 165. ſoluta autem eſt captivitas Babylonica, anno quinquageſimo nono poſt excidium templi, & quidem ſoluta eſt à Cyro vivente & regnante, adde annos 59. ad 165. fiunt anni 224. atqui Cyrus in vivis eſſe deſiit, anno Nabonaſſaris 219. Hic enim annus à Ptolomæo definitur, quòd ſit primus annus Cambyſis, filii Cyri: ergò evidenter demonſtratur, legationem Merodachi differri non potuiſſe usque in alterum annum Sabbathicum, in annum 13. Merodachi: apparet hinc, quantus ſit uſus annorum Sabbathicorum, in temporum hiſtoriâ annotandâ, & demonſtrandâ.

Quarto loco, idem demonſtrari poteſt ex Beroſo Chaldæo, & annis Sabbathicis. Beroſus annos 67. numerat ab initio Nebucadnezaris, usque ad Darium victum à Cyro, ut ſupra habuimus, aufer annos octodecim, quibus Nabucadnezar imperaverat, priusquam Hieroſolymam everteret: ſuperſunt anni 49. diſtantia inter excidium populi Judaici, & victoriam Cyri, regis Perſarum. Cyrus autem Babylonis bellum non intulit, teſte Herodoto, niſi poſtquam Crœſum, Lydorum regem debellaſſet, & cepiſſet. Cepit autem Cyrus Crœſum, anno primo Olympiadis 58. hoc eſt, anno Nabonaſſaris 200. anno decimo tertio regni. Jam verò contra potentiſſimum hunc hoſtem, contra Babyloniorum regem, exercitum educere Cyrus non potuit, niſi compoſitis rebus in Aſiâ, & ordinatâ provinciâ. Si jam anni circiter quindecim ſubducantur ex annis 49. ex diſtantiâ inter excidium Hieroſolymæ, & victoriam Cyri, pervenimus ferè ad initium Cyri: relinquuntur enim anni 34. qui indicarent ferè diſtantiam inter excidium Hieroſolymitanum, & initium Cyri. Etſi autem Chronologi antiquiores toti ſunt in eo, ut demonſtrent, differentiam hanc eſſe annorum ſolidorum triginta, & Cyrum cœpiſſe anno 31. poſt excidium Hieroſolymæ, idque pluribus argumentis præſtant: tamen idem ex annis Sabbathicis docere poſſumus. Cyrus cœpit, teſtibus Hiſtoricis omnibus, anno Nabonaſſaris 189. anno tertio poſt celebratum annum Sabbathicum, adde enim ternarium, & abjice ſeptenaria, in reſiduo ſunt tria. Jam annus captæ Hieroſolymæ incidit in Sabbathicum, & hinc ſequentes Sabbathici rectè numerari poſſunt. Viceſimus igitur octavus annus poſt captam Hieroſolymam, eſt etiam Sabbathicus, quemadmodum & triceſimus quintus. Cyrus autem cœpit anno tertio, poſt celebratum Sabbathicum, Ergò cœpit vel triceſimo primo poſt captam Hieroſolymam: aut triceſimo octavo. Anno triceſimo octavo incipere non potuit, quia ſequeretur, eum viciſſe Darium Perſarum regem anno undecimo, vel duodecimo regni, cùm tamen tùm maximè appararet bellum, ut Hiſtorici teſtantur, in Crœſum. Subduc annos triginta octo ex annis 49. ex diſtantiâ inter cladem Hieroſolymitanam & victum Darium, ſuperſunt anni undecim. Cùm igitur Cyrus Darium anno duodecimo regni non vicerit, ſed poſt annos alios ſeptem, ut Sabbathici monſtrant, neceſſe eſt, ut cœperit anno triceſimo primo poſt cladem Hieroſolymitanam. Si annus triceſimus primus, poſt illam cladem eſt annus Nabonaſſaris 189. quo Cyrus cœpit, ergò clades illa accidit anno 158. Nabonaſſaris, anno Sabbathico, ut vult Ezechiel, Clemens Alexandrinus, Euſebius, Herodotus, diſtantia item 13. anni Ezechiæ, & Beroſus. Omnia etiam, quæ ſupra enumerata ſunt, quę pugnabant cum ſacra Scripturâ, & illorum temporum Hiſtoricis, ſi Nabopollaſſar eſſet Nebucadnezar, jam optimè coveniunt. Merodachi enim regis Babylonici primus annus, ut vult ſacra Scriptura, præcedit 13. annum Ezechiæ & quidem quinque annis ſolidis, ut ita Pharao Necho poſterior ſit Nabopollaſſare, & prior Nebucadnezare, teſtibus ſacris literis & Herodoto. Clades Ninivitarum illata à Cyaxare Medorum rege, quam Jeremias minitatur Babyloniis anno quarto Zedekiæ, etiamſi non incidiſſet in annum Nabonaſſaris 145 ut vult Euſebius, ſed in annum Nabonaſſaris 148. tamen prior fuiſſet quarto anno Zedekiæ quinque ferè annis: ſic ad computationem Joſephi Nebucadnezare rectè oppugnare potuit Tyrum, regnante in eâ Ithobalo: ſed

ſed tamen in hâc hiſtoriâ ſcrupulus eſt, qui lectori eſt eximendus. Computatio Joſephi hiſtorici videtur indicare, annum 141. Nabonaſſaris eſſe ſeptimum Nebucadnezaris, ut ſupra cap. 30. oſtendimus. Jam verò firmis argumentis oſtendimus, primum Nebucadnezaris, eſſe annum 140. Nabonaſſaris; pugnaret hoc modo Joſephus cum noſtrâ computatione. Reſpondeo: Videri eſſe mendum librarii apud Joſephum, quod & Joſeph. Scaliger cenſet, quando ſcribit Nebucadnezarem anno regni ſui ſeptimo obſediſſe Ithobalum in urbe Tyro. Nam ipſe Joſephus eo in loco lib. 1. contra Appionem, & Philiſtratus lib. 10. cap. 11. antiquitatum Judaicarum affirmant, Nebucadnezarem tredecim annis Tyrum obſediſſe. Qualis autem obſidio fuerit, inde intelligi poteſt, quòd Tyrus tum temporis Inſula fuit, quam Nebucadnezar non navibus, vel claſſe legitur oppugnaſſe: ſed copiis terreſtribus, quod aliter fieri non potuit, niſi ut diſpoſitis præſidiis militum, Tyrios commeatu intercluderet tot annis. Apud Ezechielem autem legitur cap. 29. verſ. 18. anno undecimo ineunte captivitatis Babylonicæ, qui fuit annus viceſimus ſeptimus poſt actum Jubilæum, Nebucadnezarem non feciſſe operæ pretium in obſidendâ Tyro & obſidionem eſſe ſolutam: fuit annus decimus octavus iniens Nebucadnezaris. Si jam tredecim annis Nebucadnezar Tyrum obſedit, neceſſe eſt, ut quarto anno regni ſui obſidionem inchoaret, non anno ſeptimo: quapropter verba illa Joſephi, quæ addit ſeptimo anno regni ſui, cenſemus, non referenda eſſe ad ſeptimum annum Nebucadnezaris, ſed ad ſeptimum annum Ithobali, atque hoc modo Joſephus, qui aliàs cum ſacris literis pugnaret, optimè cum iisdem conſentit.

Hoc modo igitur ſatis jam oſtenſum eſſe arbitror, alligationem annorum Mundi ad æram Nabonaſſaris & alias epochas, ab Euſebio & veteribus Chronologis inſtitutam & traditam, legitimam eſſe. Etſi enim & res antiquiſſimæ ſunt, & pauciſſimi extant Scriptores, qui de iis, aliquid literis mandârunt; tamen in tantâ rerum antiquitate, & paucitate hiſtoricorum, beneficio annorum Sabbathicorum ſatis firma argumenta collegimus, quibus alligationem iſtam veram eſſe comprobavimus. Pergamus jam ad reliqua.

Diximus hactenus in hâc Iſagoge Chronologicâ, primùm, de tempore Aſtronomico in numerandis motibus Solis & Lunæ: Deinde, de diſcrimine annorum in ſingulis epochis ratione quantitatis, initii, menſium & intercalationis. Tertiò, de characteribus annorum Julianorum, quibus definiuntur & diſcernuntur, docuimus etiam quomodo iidem characteres in omnibus aliis epochis inveniantur, & quomodo horum characterum beneficio omnium epocharum anni rectè inter ſe conferri & comparari poſſint. Reſtat, quoniam diximus, excidium Hieroſolymæ, à Nebucadnezare illatum, competere anno à condito Mundo numerato 3360. ut id etiam ex hiſtoriâ ſacrorum Bibliorum comprobemus: id quod commodiùs fieri non poteſt, quàm ut de ſingulis epochis, de quibus in ſacris literis inter Chronologos diſceptatum fuit, ſeorſim dicamus.

QUARTA PARS, QUID IN EPOCHIS, DE QUIBUS CONTROVERTITUR, VERUM FALSUMVÈ VIDEATUR.

CAPUT XXXIV.

De tempore Mundi conditi.

Neminem arbitror eſſe, qui ſi de tempore creationis omnium rerum pronunciandum ſit, non illud referat ad aliquod Cardinale punctum in ſphærâ cœleſti, videlicet vel ad Solſtitium aliquod, vel ad Æquinoctium: his enim terminis motus Solaris concluditur, & omne initiũ motus Solaris, ab hujusmodi termino aliquo convenienter deducitur. Porrò utrumque, tàm Solſtitium, quàm Æquinoctium, geminum eſt. Solſtitium enim aut eſt Brumale, aut æſtivum: Sic Æquinoctium eſt aut vernum, aut autumnale. Qui initium creatarum rerum ad tempus brumæ referat, neminem ſcio. Sed ad Solſtitium æſtivum creationẽ refert *Gerhardus Mercator*, qui tamen paucos videtur habere ſectatores, ideò prorſus de Solſtitiis tacebimus.

Plerique initium omnium rerum, vel ad Æquinoctium vernum alligant, vel etiam ad Æquinoctium autumnale. Utraque ſententia multos habet ſectatores, & ſi res calculis æſtimari deberet, pares, ut arbitror, numero ferè eſſent; ideò difficilis eſt electio, utra ſententia ſit præferenda. Neceſſe eſt tamen alterutram ſequi, ut Chronologia à certo aliquo termino deducatur. Promiſimus autem in initio, nos in epochis, de quibus controvertitur, quid verum falſumvè videatur, ex ſacris literis, & fide dignorum hiſtoricorum teſtimoniis, adhibitis characteribus Chronologicis definituros, nec conjecturis aucturos: cùm certum ſit, eos, qui conjecturas ſolas in epochis definiendis ſequuntur, hariolari potius, quàm Chronologiam ſcribere. Quando igitur ſacræ Scripturæ ſententiam in hâc epochâ aſtruendâ ſequimur, neceſſe eſt, ut *Mundum in autumno conditum eſſe*, pronunciemus. Antiquiſſimum enim in ſacris literis tempus ita deſcribitur, ut ab autumno annos inchoet & numeret: & horum annorum rationem

exordimur: id quod manifeſtius eſt in diebus æſtivis, & tamen contra vulgi opinionem primus Mundi dies, ut ex ſacris literis diſcimus, nequaquam à luce oriente cœpit, ſed à nocte. Sic fortaſſe cuipiam aptiùs videbitur, annum inchoari a Vere, non ab autumno. Sed ut primi diei initium ſecundùm naturam cœpit à nocte; ita proculdubiò etiam annus prior, ſecundùm naturam ab Æquinoctio autumnali, ab ineunte heyme, incipit. Hodiè ovum prius eſt pullo, & gallinâ, ſed in creatione & pullus & gallina ovum anteceſſerunt: id quod verum eſt de pleriſque aliis creaturis. Non igitur ex eo, quod hodiè convenientiùs videtur, argumentandum ad id, quod tempore creationis fuit, ſed ſacris literis & teſtimoniis antiquiſſimorum potiùs credendum. Firma igitur eſt ſententia hæc, quòd Mundus in autumno creatus ſit, & nititur argumentis evidentibus ex ſacra Scriptura, & antiquiſſimorum autoritatibus, & conjecturâ probabili deſumptis; cui contradicere, & contra ſacram Scripturam, aliud initium rerum, ab initio Hebræorum priſco, diverſum inſtituere velle, magna temeritas videtur.

Sed quid habent quod opponunt, qui Mundum verno tempore conditum volunt? teſtimonia certè Scripturæ nulla habent nec veterum Scriptorum autoritates; ſed nudis quibuſdam conjecturis nituntur. Ut quod ajunt, Mundum verno tempore creatum, cùm in Vere omnia germinent, quæ contra in autumno marceſcant, *Quorſum*, inquiunt, *terra germinare juſſa, ut ſtatim primis autumni frigoribus exoleſcerent?* Sed reſponderi poteſt: Si hoc abſurdum videtur, terram in autumno germinare, quod tamen & hodiè frequentiſſimè accidit; abſurdius multò eſt, arbores verno tempore fructus, vites uvas proferre, quæ non niſi in autumno matureſcunt. Et ſi arbores tum temporis in Vere habuerunt fructus, & vineæ uvas, quæri poſſet, num fructus illi totâ illâ æſtate in arboribus hæſerint, an verò his decidentibus in mediâ æſtate novi ſucceſſerint, arboreſque novas gemmas, folia, flores & fructus alterâ vice protulerint, quorum utrumque plusquam abſurdum. *Quod ad frigus attinet*, deprecor, ne tam immitem & glacialem hyemem, canos hirſutam capillos, qualis noſtras regiones affligit, in regione cœli temperatiſſimâ, terræ benedictæ, plenæ vigoris & incrementi, immò horto & paradiſo DEI, cujus fertilitatem, amœnitatem & delicias, vel cogitatione, vel intellectu aſſequi, nemini hominum datum eſt, immittere velint: cùm periculum ſit etiam, ſi hoc faciant, ne primos parentes, nudos & diſcalceatos, vel frigore, vel niſi de præparato, & in ſubterraneis cellulis conſervato penu, victitârint, inediâ, ſive illa heyms poſt ſex menſes, ſive ſtatim creationem ſecuta ſit, conficiant. Siquidem in eo temporis ſpatio, cùm omni ferramento & inſtrumento extruendis ædificiis, vel fodiendis ſub terra cellulis idoneo, deſtituerentur, ſibi contra vim frigoris nullo modo proſpicere potuerunt. Habent & aliam conjecturam iſti Chronologi. *Dic mihi*, inquiunt, *ſi Mundus in autumno creatus eſt ex arcâ; quomodo potuit novas fruges, & fructus animalibus & hominibus, qui cum ipſo egreſſi erant, ſuppeditare? nunquid eos integro anno eſurire oportuit?* Reſpondeo: Loquuntur hi, quaſi ob ſingularem ſuam ſapientiam, de commeatu in arcem convehendo, à Patriarcha Noah in conſilium adhibiti ſint, ut ita ſciant quantum ejus ſuperfuerit, cùm arca egrederetur. Sed tamen de carnivoris animantibus, jubeo eos eſſe ſecuro animo. Habuerunt enim, quæ vorarent, cadavera innumera; de feris etiam non nimium ſint ſolliciti. Montes enim tantis alluvionibus irrigati, & in quintum jam menſem ſicci, protulerant herbas, gramina, virgulta, quibus vitam facilè tolerare potuerunt. Pauculas oves & capras, & id genus beſtias, quomodo Noah aluerit, non anxiè inquiramus, ne à tanto patrefamilias, vel potiùs à DEO ipſo, cujus mandato victui neceſſaria in arca, quantum ſatis, erat, ad amuſſim rationem repetere videamur.

Sed relinquamus has conjecturas futiles, & vix relatu dignas, *inquiramus* etiam *diem menſis, quo creatio cœpta.* Æquinoctium autumnale fit, quando Sol verſatur in primo puncto Libræ: quo verò die menſis tunc temporis Sol in principio Libræ fuerit, hoc modo inveſtigabimus:

In duodecima tabula annorum tropicorum æquabilium, æquinoctium primi anni Mundi conditi, ita computatum eſt, ut incidat in diem centeſimum undecimum à Calendis Januarii numeratum, in feriam quartam, horam 15. min. 33. Ex hoc æquinoctio verno regrediamur ad æquinoctium autumnale eo modo, ut in declaratione iſtius tabulæ dictum eſt, & ſubducamus ex eo dies 178. ferias 3. horas 11. minut. 19. Ut ſubductio fieri poſſit, annus ſive dies 366. (fuit enim annus biſſextilis, ut cyclus Solis oſtendit,) addendi ſunt ad æquinoctium vernum, & fiunt in una ſumma dies 477. feriæ 4. horæ 15.33. ſubtractis inde diebus 178. feria 3. horis 11.19. relinquitur æquinoctium autumnale præcedentis anni die 299. à Calendis Januarii numerato, ſive die 26. Octobris, feria prima, hora 4. matutina 14. Cyclus Solis fuit octavus, litera Dominicalis E. & dies 26. Octobris habet literam E. eſt ergò feria prima. Porrò conſiderandus etiam eſt terminus Lunæ. Nam Luna cum Sole ſimul diſtinguit tempora & dies. Neceſſe igitur eſt, Lunam etiam in Cardinali aliquo puncto reſpectu Solis locatam fuiſſe. Et cùm Luna nova dicatur, quando cum Sole conjungitur, arbitramur in initio creationis etiam novam Lunam, hoc eſt, Lunam cum Sole conjunctam fuiſſe. Etſi autem ſcimus, luminaria quarto tandem die fixa in firmamento fuiſſe: tamen cùm ſtatim, quando materia cœli creata eſt, motus ejus ſtatim cœperit, non alienum putamus, ſi motum illum ab æquinoctio; lucem verò, quæ tum fulſit, à conjunctione inchoemus, ut quarta Luna, quæ quarto die creationis fulſit, vigorem, quem adhuc quarto die exerit, adepta videatur: Porrò in prima tabula noviluniorum paſchalium, in primo anno Mundi conditi novilunium annotatum eſt, die 81. à calendis Januarii, feria ſecunda, hora 15.30.0. ab hoc novilunio regrediamur per quinque menſes ad novilunium, quod præcedenti anno circa æquinoctium autumnale factum eſt: quinque autem menſes faciunt dies 147. feriam ſeptimam, horas 15. minut. 40.16. ut hi dies à novilunio paſchali ſubduci poſſint, aſſumendus eſt etiam integer annus biſſextilis, dies 366. & fiunt in ſumma dies 447. feriæ duæ, horæ 15. minut. 30.0. ex his quinque menſes ſubducti, relin-

relinquunt dies 299. à Calendis Januarii numerati, hoc eſt, diem 26. Octobris, feriam primam, horam 23. ſive undecimam noctis, min. 49. 44. coincidit ergò novilunium cum æquinoctio in unum eundemque diem, tempore creationis. Reliquos Planetas, ſi quis eorundem motum ad hunc diem ad calculum revocare velit. Martem, Venerem & Mercurium, Soli & Lunæ ferè conjunctos in Librâ; Saturnum verò circa principium Arietis in oppoſitione, & Jovem circa initium Leonis, in trigono ferè ad Saturnum & ſextili ad reliquos inveniet. Sed inquirant thema cœli nuper creati, qui volent.

Statuimus igitur, initium rerum omnium in creatione factum, die 25. Octobris, ut nos loquimur, ineunte veſperâ, quæ Judæis incipit vicesimum ſextum Octobris, feriam primam. Quod ad periodum annuam attinet, ſupra diximus, nullam præſtantiorem eſſe Julianâ, quæ incipit à Calendis Januarii, uſque ad eaſdem redeuntes. Hanc formam igitur anni retinebimus, & annos à condito Mundo uſque ad nos ita deducemus. Obſervabimus tamen, ſi quid in ſacris literis, aut aliàs exactè ad annos Mundi annotandum eſt, ut id vero anno Mundi rectè aſſcribatur, quod nec difficile futurum, nec lectorem magnoperè turbaturum confidimus. Præceſſit hoc modo creatio, ſive initium rerum, annum, quem primum Mundi conditi vocabimus, diebus ſexaginta ſex. Et cùm primum Mundi annum ſtatuamus eum, qui habet cyclum Lunæ quintum, Solis verò nonum, intelligimus creationem peractam, in fine menſis Octobris præcedentis, cyclo Lunæ quarto, Solis octavo, qui exhibet literam Dominicalem E. ſive feriam primam in viceſimo ſexto Octobris, & primum Sabbathum peractum Calendis Novembribus, iiſdem cyclis. Conſequens hinc eſt, quòd ad methodum Lunæ in annis Mundi addenda ſint quatuor, & tota ſumma per novendecim dividenda; ad methodum verò cycli Solaris, octo, & poſtea viginti octo quotieſcunque poſſunt, ut notum eſt, abjicienda hoc modo igitur epocha annorum Mundi, cum quibusvis aliis rectè conferri & comparari poterit.

CAPUT XXXV.

De Deluvio

AB initio rerum, uſque ad Diluvium incipiens, ſunt exacti anni 1656. cum diebus quadraginta ſex, quemadmodum hæc annorum ſumma colligitur ex cap. 5. Geneſeos, ex enumeratione Patriarcharum ante diluvium, quando unius cujusque anni, priusquam liberos gigneret, recenſentur. Compleverat enim Adam, cùm filium Sethum gigneret, ut ibidem habetur, annos 130.

Seth,	105.
Enos,	90.
Kenan,	70.
Mehaleel,	65.
Jared,	162.
Henoch,	65.
Methuſalah,	187.
Lamech,	182.
Noah,	600.

Summa, anni exacti 1656. Noah enim, cùm diluvium inciperet, non agebat ſexcenteſimum ætatis annum, ut nos hanc phraſin intelligimus, ſed compleverat annum ſexcenteſimum, Gen. 7. verſ. 6 Eadem phraſis libro primo Regum cap. 6. verſ. 1. habetur, & eodem modo intelligitur. Cœpit autem diluvium, cùm præteriiſſet ex anno 1657. menſis unus & dies ſedecim, hoc eſt, deſinente autumno, in anno Juliano, à condito mundo numerato, 1656. De die etiam, quo diluvium cœpit, aliquid eſt dicendum. Non dubium eſt, principium anni, quo mundus cœpit, à Patriarchis ante diluvium in autumno rectè cuſtoditum & conſervatum fuiſſe, cùm fixum fuerit eo anni termino, qui facilè obſervatur, quando videlicet arbores & frondibus jam ſpoliantur, & primis frigoribus omnia exoleſcunt. Verùm cùm terminus hic retineri non poſſit, niſi per intercalationem juſto tempore inſertam, eaque intercalatio, qualis fuerit, & quando cœpta, nobis ignota ſit, certò diem definire non poſſumus. Menſes quidem definitos habuerunt omnes diebus triginta, id quod apertiſſimè in hiſtoriâ diluvii indicatur; ita ut mirari libeat, quid quibuſdam veniat in mentem, ut menſes lunares in anno diluvii numerent. Ad hoſce menſes aſſumpſerunt poſtea dies quinque, quemadmodum hunc annum retinerunt poſtea antiquiſſimi populi Perſæ, Chaldæi & Ægyptii. Annotatur etiam hoc apud probatos Scriptores, hoſce antiquos populos olim in ſuâ annorum formâ, poſt ſingulos annos 120. elapſos, integrum menſem intercalâſſe, & æquinoctium ad ſuum primum terminum revocaſſe, hujus rei etiam videntur veſtigia extare ante diluvium in eo, quòd DEUS hominibus ad pœnitentiam agendam tot annos concedere voluerit, quot requirerentur ad intercalationem unius menſis: & antiqui illi populi non videntur hanc intercalationem excogitâſſe, ſed à Patriarchis per manus traditam retinuiſſe. Poſtea tamen, cùm ætas hominum deflореſceret, & terminum 120. annorum rarò attingeret, intercalatio hæc penitus omiſſa eſt, & forma hæc anni degeneravit in annum vagum Nabonaſſareum ſive Ægyptiacum; ut ſupra etiam monuimus. Quamvis igitur videatur hæc intercalatio etiam fuiſſe ante diluvium, tamen cùm ignoremus, quo anno intercalatum ſit, æquè incerti ſumus de die primo anni 1657. Tutiſſimum videtur, annum hunc etiam inchoare præcisè ab æquinoctio autumnali, quod quo die confectum ſit, ex duodecimâ Tabulâ annorum Tropicorum æquabilium apparet, videlicet die 13. Octobris, feriâ ſeptimâ, horâ 14. Cyclo Solis 12. literâ Dominicali G. Si quis tamen velit intercalationem retinere, ille dividat annos à condito mundo elapſos 1656. per 120. reſiduum erit annorum 96. qui per quaternarium diviſi, Quotum exhibent dierum 24. hi ex die 26. Octobris ſubtracti, darent primum diem anni Mundi 1657. die 2. Octobris, feriâ tertiâ; nos retinebimus initium in æquinoctio conſtitutum, atq; *hiſtoriam diluvii* ad id explicabimus. Primus dies ejus, ut dixi, fuit feria ſeptima, die 13. Octobris, anni Juliani, à condito mundo 1656. Pluviæ ſic cœperunt die 28. Novembris, feriâ quartâ, & finitæ ſunt die 6. Januarii, anni Juliani 1657. feriâ primâ. Aquæ verò invalue-

valuerunt גָּבְרוּ diebus centum & quinquaginta, qui computantur, non à finitis pluviis, ſed ab initio imbrium, ipſis quadraginta imbrium diebus ſimul numeratis & computatis. Finiuntur enim hi centum & quinquaginta dies, eo ipſo die, quando arca in montibus Armeniæ reſedit, quod accidit die decimo ſeptimo menſis ſeptimi, cap. 8. verſ. 4. Divide dies 150, per menſtruum ſpatium, quod eſt triginta dierum, fiunt menſes quinque: poſtea aſſumptis quadraginta ſex diebus, qui pluvias præceſſerunt, conficiuntur menſes ſex completi, cum diebus ſedecim: & decimo ſeptimo die, cùm aquæ ad omnium maximam altitudinem excreviſſent, ventis arca, ita DEO gubernante, agitata & ſummitatibus montium Armeniorum impacta, perſtitit immota. Inde etiam menſura quindecim cubitorum, quibus altiſſimos montes undæ ſuperârunt, ſumpta eſt, nec enim bolide demiſsâ altitudinem aquarum aliàs explorare Noah potuiſſet, cum omnia loca aquis obruta eſſent, nec veſtigium aliquod montis extaret, & ipſe, an in vallibus vel montibus erraret, vel qui mons ſub aquis omnium altiſſimus eſſet, prorſus ignoraret. Arca igitur in montibus Armeniæ ita firmata, menſuram illam aquarum præbuit, & veſtigia retinuit, quotâ ſui parte aquis immerſa fuiſſet. Mathematici fortaſſis poſſent pondus etiam arcæ totius, ex depreſſione ſcilicet ejus in aquam colligere, quam ipſis meditandum relinquimus. Quidam hoſce centum & quinquaginta dies computant à finitis imbribus, & quadraginta dies imbrium ſeorſim ſumptos cum his jungunt, ut conſiant dies centum & nonaginta: quibus ſi addantur dies 46. qui imbres præceſſerunt, fiunt dies 236. hoc eſt, menſes ſeptem cum diebus 26. & conſtituunt diem viceſimum ſeptimum menſis octavi, quo decreſcere aquæ cœpiſſent. Sed hoc modo arca decimo ſeptimo die menſis ſeptimi, quod Scriptura affirmat, quieſcere non potuiſſet, ſed ab aquis adhuc invaleſcentibus & creſcentibus, longiùs propulſa fuiſſet. Quies enim arcæ contingere non potuit, niſi cùm aquæ inciperent decreſcere; id quod factum eſt 17. die menſis ſeptimi, unde neceſſariò ſequitur, quòd poſt illum diem aquæ remiſerint, & quòd dies illi 150. ab initio imbrium computari debeant. Factum autem hoc eſt ſecundum Calendarium Julianum, die 26. Aprilis, feriâ ſeptimâ. Porrò de primo menſis decimi, qui nobis eſt octavus dies Julii, feriâ tertiâ, cacumina montium ſeſe primum conſpicienda præbuerunt. Inde poſt quadraginta dies aperuit Noah feneſtram, & corvum ad explorandum terræ ſtatum emiſit: factum die 17. menſis Augusti, feriâ primâ. Poſt octiduum, die 24. Auguſti, feriâ primâ, emiſit primam columbam, quæ vacua reverſa eſt. Ultimo Auguſti, feriâ primâ, aliam emiſit, quæ allato ramuſculo oleæ virentibus frondibus, aquarum imminutarum lætum nuncium præbuit. Tertia columba 7. Septemb. emiſſa non rediit. Subſtitit poſtea Noah in arcâ, usque ad viceſimum ſeptimum diem menſis ſecundi, ſequentis anni, quo, mandante Deo, ſeſe cum univerſis animantibus terræ iterum commiſit; factum die 12. Decembris, feriâ primâ, Anni 1657. adhuc currentis.

CAPUT XXXVI.

De anno Nativitatis Abraham.

QUòd Abraham Patriarcha, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto, ex Haran in terram Chanaan profectus ſit, apud Chronologos non controvertitur. Extat enim expreſſus hâc de re textus, Geneſ. 12. verſ. 4. Sed hoc in controverſiam trahitur, quoto anno Tharæ Abraham ſit natus. Moſes de Abrahami nativitate ſic inquit: *Thara erat annorum ſeptuaginta, & genuit Abram, Nahor & Haran.* Item: *Hæ ſunt generationes Thara, Thara genuit Abram, Nahor & Haran,* qua repetitione Moſes proculdubio oſtendit, Abrahamum fuiſſe primogenitum. Stephanus contrà, in actis Apoſt. cap. 7. in ſuâ defenſione, inquit: *Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahamo, cùm eſſet in Meſopotamiâ, priusquam moraretur in Charan, & dixit ad illum: Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & veni in terram, quam monſtravero tibi.* Et paulò pòſt: *Et poſtquam Thara mortuus eſſet tranſtulit Deus Abraham in terram hanc.* Mortuus autem eſt Thara, cùm eſſet annorum ducentorum & quinque. Si igitur, cùm moreretur Thara, Abraham egreſſus eſſet ex Haran, & fuit annorum ſeptuaginta quinque, tum Abraham natus fuit, cùm Thara eſſet annorum centum & triginta. Hinc ſexaginta annorum ſcrupulus in Chronologiâ exoritur. Quidam enim ſequuntur verba Stephani, quidam verò præfuerunt Moſen, & Moſaicæ ſententiæ nos etiam accedimus.

Ratio prima hæc eſt: Moſes eſt unicus Hiſtoricus, per quem Deus Eccleſiæ genealogiam Meſſiæ, & annos à condito mundo, usque ad occupatam terram Chanaan revelavit. Is ſcrupuloſè penè Abrahæ, ut Patriarcharum principis, annos ætatis expreſſit, & quinque in locis annorum ætatis ejus diverſorum meminit, ut anni ſeptuageſimi quinti, octuageſimi ſexti, nonageſimi noni, centeſimi, & centeſimi ſeptuageſimi quinti. Immò Patriarcharum reliquorum poſt diluvium annos & ætates, tantùm Abrahami causâ annotavit. Cur igitur in dubio relinqueret, quo anno ipſe Abraham natus eſſet, à quo tamen reliqui ætatis ejus anni pendebant? Quid cauſæ dari poteſt, cur Moſe dixerit: Thara erat ſeptuaginta annorum, & genuit Abram, ſi idem Abram eo anno non natus, ſed poſt ſexaginta annos demum naſcitus erat? aut ſi in anno nativitatis Abrahæ eſt myſterium, quod tamen vix videtur, & ejus interpretatio dilata fuit, peculiari conſilio DEI, usque in novum teſtamentum: quæ cauſa hujus rei afferri poteſt, quodnam eſt illud myſterium, & cur non à Chriſto ipſo, vel ab Apoſtolis iſtud explicatum fuit? tota certè ſeries Chronologiæ ſacrarum literarum turbaretur, & annorum reliquorum, à Prophetis annotatorum in ſacris Bibliis, in ſequentibus libris Moſis, & reliquorum Prophetarum, in Eccleſiâ veteris Teſtamenti, prorſus nullus uſus fuiſſet. Quapropter nequaquam à verbis Moſis recedendum, nec hiſtoriæ hiatum hoc loco aſſerendo, reliqua quæ in ſacris Bibliis continentur, in dubium vocanda ſunt:

Sed id quod pugnare aliquo modo videtur, commodâ interpretatione leniendum: quemadmodum & verba Moiſis commodam interpretationem facilè admittunt hoc in loco. Nam cùm in reliquis de Tharâ nihil ampliùs dicturus eſſet Moiſes, ut de annis ætatis Tharæ poſteritati conſtaret, eos annotare, & ſimul ita Tharæ hiſtoriam abſolvere voluit. Fratrum verò Abrahami, Nahoris & Aran ideò mentionem fecit, ut conſanguinitas inter Abrahamum, Lothum, Rebeccam & Iſaacum apertiùs declararetur.

Aliud argumentum hinc aſſumi poteſt, quod Abrahamo miraculi inſtar videtur, quòd anno ætatis ſuæ centeſimo geniturus eſſet filium, Geneſ. 17. verſ. 17. Cujus admirationis certè cauſam nullam habuiſſet, ſi tam propinquum exemplum in ſe ipſo habuiſſet, & ipſe anno parentis ſui centeſimo & trigeſimo progenitus fuiſſet.

Tertiò, ſi ſexaginta anni hoc in loco inſerentur annis mundi, turbarentur anni Sabbathici & Jubilæi, & nihil ordine geſtum in hiſce eſſet in totâ repub. Judaicâ. Sed de annis Sabbathicis ſupra egimus, & paulò poſt plura etiam trademus.

Quod ad locum Stephani attinet, longè aliud ibi Stephanus agit, quàm, ut tempora ſupputet, vel Moſis ſupputationem excutiat & corrigat, nec enim hæc controverſia inter ipſum & Judæos agitabatur: Sed loquitur ibi Stephanus, quod ad tempora & alias circumſtantias attinet, ſecundum ſententiam ſuorum adverſariorum, qui hæc vel ex verſione ſeptuaginta interpretum, vel ex Rabinis in Synagogis ſuis docebant. Quemadmodum & hoc in eâdem defenſione prolatum oſtendit, quando inquit, Jacobum in Ægyptum tranſtuliſſe animas ſeptuaginta quinque, cùm tamen Moſes ſeptuaginta tantùm binis in locis, & quidem in ſpecie eas numerando, ſupputet. Sic ſi aliis in locis non expreſsè diceretur, manſionem Iſraelitarum in Ægypto fuiſſe annorum 430. ex Stephano ſtatuendum eſſet, fuiſſe tantùm annorum quadringentorum. Sic Stephanus etiam dicit, Deum apparuiſſe Abrahamo in Meſopotamiâ, priùs quàm moraretur in Charan: cùm tamen Charan urbs ſit in Meſopotamiâ ſita, & apparitio ſecundùm Moſen facta ſit in Ur Chaldæorum. Habuerunt ſuas opiniones Rabini, per cabalam à majoribus per manus traditas, quibus pertinaciſſimè inhæſerunt, & cum Judæis in hiſce circumſtantiis multi ſenſerunt in primitivâ Eccleſiâ, qui in ipſorum Synagogis inſtituti erant. cùm hujusmodi opiniones, ſi obiter, ſobriè & abſque præjudicio tractentur, fidem Chriſtianam non evertant. Septuaginta interpretes, & Rabinos in annis à condito mundo numerandis, quod ſciam, nemo ſequitur, meritò igitur etiam in his, ſi aliquid præter ſacræ Scripturæ ſenſum in fontibus expreſſum tradunt, ſuſpecti habentur.

Ex ætate Lothi nihil afferri poteſt, quod oſtenderet, Abrahamum fratrem ſuorum minimum fuiſſe atque ita anno 70. ætatis Tharæ non naſci potuiſſe: ſiquidem etiamſi Loth fuiſſet quadraginta vel pluribus annis minor Abrahamo, tamen potuiſſet & fratris Abrahami filius eſſe, & anno centeſimo ætatis Abrahami, filias nubiles habere. Ex ætate Saræ quod affertur, ſi probari poſſet, Saram fuiſſe ſororem Lothi, tum facile everteretur ſententia Moſis: verùm Abraham ipſe eam tantùm vocat ſororem ſuam, filiam patris ſui, ſed ex diverſâ matre, quæ ſententia facit, ut Saræ ætas prorſus nihil pugnet cum anno nativitatis Abrahæ. Quòd affirmatur ex Stephano, Abrahamum poſt defunctum Tharam in terram Canaan tandem profectum eſſe id ex verſione ſeptuaginta interpretum mutuatum eſt. Sed Paraphraſes ſeptuaginta interpretum, ſi pugnent cum fontibus & textu, cum grano ſalis ſunt accipiendæ.

Si quis tamen Stephanum obiter de hâc re perorantem, quàm Moſeu hæc unicè agentem ſequi mavult, is faciat ita, & abundet ſuo ſenſu: hoc tamen ſciat, ex loco Stephani nequaquam exactè haberi poſſe, quòd Abraham anno ætatis Tharæ centeſimo & triceſimo natus ſit, cùm nullibi adddatur, quòd eodem ipſo anno, quo Thara defunctus erat, ipſe etiam in terram Chanaan translatus ſit. Potuiſſent enim aliquot anni intercedere, priusquam parentis hæreditatem creviſſet, compoſuiſſet, & ſe cum omnibus ſimul in viam dediſſet, & nihilominus tamen verba Stephani rectè ſe haberent: & ita totius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ veritas labefactaretur. Propono etiam hanc conjecturam, de quâ tamen lectores dextrè judicent. Si ſe occaſio in defenſione Stephani tuliſſet, ut temporis ante diluvium peracti mentionem feciſſet, planè arbitror, eum id tempus ſecundùm ſententiam ſeptuaginta interpretum & Rabbinorum, qui plurimum à fontibus Hebraicis diſcrepant, ut eruditi norunt, numeraturum fuiſſe. Quod ſi accidiſſet, quæritur, num propterea à fontibus Hebraicis recedendum fuiſſet, & ſententia Stephani præferenda? Ego non cenſerem.

A diluvio igitur, usque ad natum Abrahamum ſecundùm Moſen numeramus annos 292. qui hoc modo colliguntur.

Sem genuit Arphaxat poſt diluvium, anno	2.
Arphaxat genuit Salah, anno ætatis	35.
Salah genuit Eberum, anno ætatis	30.
Eberus genuit Peleg, anno ætatis	34.
Peleg genuit Regu, anno ætatis	30.
Regu genuit Serug, anno ætatis	32.
Serug genuit Nahor, anno ætatis	30.
Nahor genuit Thara, anno ætatis	29.
Thara genuit Abraham, anno ætatis	70.
Summa anni ————	292.

Hi anni ſi adduntur ad annos mundi 1656. qui diluvium præceſſerunt, oſtendunt Abrahamum natum anno mundi 1948. finiente. Porrò Abraham cùm eſſet annorum 75. anno mundi 2023. peregrinatus eſt, jubente Deo, in terram Canaan. Hinc numerantur anni peregrinationis 430. Exod. 12. & ad Galat. 3. usque ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto. Dimidia horum peregrinationis annorum pars conſumitur in peregrinatione Patriarcharum Abrahami, Iſaaci & Jacobi in terrâ Canaan, & vicinis locis, usq; ad deſcenſum Jacobi in Ægyptum. Anno enim viceſimo quinto, poſtquam Abraham in Canaan veniſſet, naſcitur Iſaac. Iſaac genuit Jacobum, anno ætatis ſexageſimo. Jacobus centum & triginta annos exegerat, quando venit in Ægyptum. Summa, ducenti & quindecim anni. In reliquis ducentis & quindecim annis, è ſeptuaginta animabus, quæ Jaco-

Jacobus in Ægyptum transportarat, multitudo filiorum Iſrael adeo excrevit, ut ſexies centena millia virorum militarium, cum ex Ægypto egrederentur ſuperarent. Hanc Iſraelitarum in tam paucis annis enatam multitudinem, quidam publico ſcripto negare, & numeros annorum, quibus Iſraelitæ in Ægypto fuerunt, in Moſe corruptos eſſe affirmare auſus eſt. Etſi autem prorſus hic audiendus non eſt, propterea quod ſacram Scripturam oblati vitii arguere, & ita omnem ejus fidem ſuſpectam reddere conatur; tamen cum non multorum verborum res ſit, demonſtrare, poſt deſcenſum Jacobi in Ægyptum, tantum ducentos, & quindecim annos numerandos, & tamen multitudienm hanc filiorum Iſraelitarum, non adeò admirandam eſſe: lectori rem proponemus. A deſcenſu Jacobi in Ægptum, quadringentos & triginta annos: uſque ad migratam Ægyptum numerari non poſſe oſtendit generatio Moſis. Avus enim ejus Cahath cum Jacobo ex Canaan deſcendit in Ægyptum, Geneſ. 46. verſ. 11. Sit licet vel infans vel bimulus in hoc itinere: tamen cum vixerit annos 133. Exod. 6. verſ. 18. fuiſſet in Ægypto annis 131. Parens Moſis Amram, filius Cahathi, vixit annis 137. Ibidem: Moſes erit octuaginta annorum, cum educeret populum Iſraeliticum ex Ægypto, Exod. cap. 7. verſ. 6. Summa, anni 348. quibus vixerunt. Subducantur jam anni, quos tranſegērunt, priuſquam liberos genuerunt, numerus hic multo ad minorem ſummam redigetur. Fieri igitur non poteſt, ut quadringentis annis & triginta, Iſraelitæ in Ægypto poſt deſcenſum Jacobi, ſervierint. Et etiamſi hi numeri corrupti eſſent; tamen inter avum Cahath & Moſen tot anni intercedere non poſſent. Nam, ut anni quadringenti & triginta complerentur, neceſſe eſſet, ut Moſes natus eſſet anno ætatis parentis ſui Amrami centeſimo ſeptuageſimo quinto circiter, & Amram itidem circa Cahathi annum centeſimum ſeptuageſimum quintum. Cum rariſſimi tum temporis ad tot vitæ annos ætatem agerent, & homines centeſimo annō liberos gignere, Abrahamo miraculum eſſet. Et exempla præterea plura in eadem hiſtoria occurrunt, ubi nepotes exeunt ex Ægypto, quorum avi cum Jacobo venerant in Ægyptum, in quibus eadem generationis, præter hominum ætatem factæ, inconvenientia invenitur: ut Pallu, filius Ruben, recenſetur inter eos, qui cum Jacobo venerunt in Ægyptum, is genuit Eliabum. Eliab vero Dathan & Abiron, qui perierunt in deſerto. Sic Corah ſeditioſus, nepos fuit Cahathi avi ex Jezchar. Num. cap. 16. v. 1. & 1. Paral. 7. verſ. 37. Hæc exempla evidentiſſimè demonſtrant, manſionem Iſraelitarum non duraſſe poſt deſcenſum Jacobi in Ægyptum annis 430. Porrò multiplicationem filiorum Iſrael in annis ducentis & quindecim factam, non eſſe adeò admirandam, demonſtramus unico exemplo: id enim ſufficit, ex capite ſeptimo, primi Paralip. v. 20. &c. ubi de multiplicatione tribus Ephraim ſic ſcribitur: *Filii Ephraim Suthelah. Cujus filius Bered, cujus filius Thahath, cujus filius Elehada cujus filius Thahath, cujus filius Sabath, cujus filius Sethulah, cujus filius Eſer & Elead. Occiderunt autem hos viri Gath indigenæ, cùm deſcendiſſent, ut tollerent jumenta eorum, luxitque eos pater Ephraim multis diebus, & venerunt fratres ejus, ut conſolarentur eum. Ingreſſus igitur ad uxorem, quæ concepit & peperit filium, quem vocavit Berian, eò quod in malis eſſet domus ejus: hujus filius Rapha, cujus filius Thelah, cujus filius Thahan, cujus filius Laedan, cujus filius Amihud, cujus filius Eliſama, cujus filius Nun, cujus filius Joſua*, &c. In hac recitatione poſterorum Ephraim, ſtupendum planè fœcunditatis exemplum proponitur, quod unicuique quidem non ſatis obvium eſt, niſi paululum explicetur. Summa autem hæc eſt, quod pater Ephraim, cum vidiſſet filios octavæ generationis, adhuc filium genuerit, à quo uſque ad Joſuam filium Nun, itidem numerantur octo generationes. Jam cogita paulum benevole Lector, quanta hominum multitudo excreſcere poſſit in octo generationibus, in populo fœcunditatis benedictione celebrato. Ut rem paululum evolvamus, ſtatuamus fœcunditatis hypotheſin exiguam: dabimus enim uni generationi tantùm qŭatuor filios, quod ſic intelligendum eſt. Statuimus unumquemque in tribu Ephraim, cùm in Ægypto eſſet, per totam vitam, quæ tum, ut plurimum, octuaginta vel etiam centum annos excedebat, tantum genuiſſe quatuor filios, non pauciores neque plures: videamus jam, quanta hic ſumma hominum emergat. Ephraim igitur gignit ad hanc noſtram hypotheſin, tantùm quatuor filios, inter quos Suthelah recenſeatur, & hæc ſit prima generatio. Singuli hi quatuor filii Ephraemi in ſecunda generatione, genuerunt quatuor itidem filios. inter quos fuit Bered, fiunt nepotes Ephraemi ſedecim. Nepotes in eadem proportione in tertia generatione procrearunt filios, ſinguli quaternos, fient Pronepotes Ephraemi ſexaginta quatuor, inter hos fuit Thaſſath. In quarta generatione hoc modo Ephraim accepit abnepotes, 256. inter quos fuit Elehada. In quinta generatione accipiet trinepotes 1024. inter hos fuit Thahath. In ſexta generatione accipiet Ephraim poſteros primanos, 4096. inter hos fuit Sabath. In ſeptima generatione augebitur poſteris ſecundanis 16384. inter hos fuit Suthela. In octava generatione ſumma poſteriorum tertianorum, erit 65536. inter hos fuit Eſer & Elead. Videre ergo potuit Ephraim, ſecundum hanc exiguam fœcunditatis hypotheſin, filios ex lumbis ſuis egreſſos, in unam ſummam collectos, 87380. & quidem in eo ætatis termino conſtitutus, cum adhuc poſſet gignere liberos. Nam poſt hoſce octo generationes propagatas, genuit adhuc filium Berian, ex quo adhuc octo generationes recenſentur, uſque ad Joſuam, qui Iſraelitis terram promiſſam diſtribuit. Tempus commorationis Iſraelitarum in Ægypto, tantùm fuit annorum 215. ut demonſtravimus, & tamen ad minimum ſedecim generationes in tribu Ephraim factæ ſunt, quæ etſi in eadem linea non continuantur, tamen reliquæ octo generationes incipiunt tandem, cum illæ priores octo factæ eſſent: eadem igitur facilitate continuari potuiſſent. Sed quoniam poſteritas Ephraemi ingenti clade affecta eſt à Gattheis in Canaan, ſummam poſterorum Ephraemi in octo illis generationib. aliquantum minuemus, & decem millia Ephraitarum in iſta clade periiſſe ſtatuamus, & quaſi ſedecim hæ generationes ita continuatæ eſſent, ita eas numerabimus, ut videamus, quàm immenſa ſumma ex hac exigua fœcunditatis hypotheſi, in ſede-

 cim

cim generationibus propagetur, reſtant igitur tantum quinquaginta millia, quingenti & triginta ſex, in octava generatione, qui propagarunt in nona generatione filios 222144. In decima ſexta, & ultima generatione, excreſcet procreatorum numerus ad 3084247296. ſingulas enim quæ reſtant generationes ita computare tædioſum eſſet, & aliquid eſt relinquendum induſtriæ lectoris examinandum. Summa autem omnium filiorum Ephraim eſſet 4112329727. ex quibus etiamſi priores duodecim generationes ſubducantur, vel etiam tredecim, quæ in Ægypto obiiſſent, nunquam tamen hæc ſubductio efficiet, quin ultra quadragies millies centena millia Ephraemitarum in Ægypto ducentorum & quindecim annorum ſpatio, naſci ex Ægypto egredi potuerint, abſq; ullo miraculo. Inſtituatur jam collatio cum reliquis undecim tribubus: immò inſtituatur collatio illa, cum ſeptuaginta animabus in Ægyptum deſcendentibus. Ephraim enim inter illas ferè minimus fuit; & apparebit, quàm immenſa ſumma filiorum Iſrael in paucis annis procreari potuiſſet. Unde benevolus Lector facilè intelligit, multitudinem filiorum Iſrael exeuntium ex Ægypto, non eſſe admirandam, nec cauſam præbere, ut de annis peregrinationis filiorum Iſrael, quia ab Abrahamo ſint incipiendæ, ſit dubitandum.

CAPUT XXXVII.

De exodo Iſraelitarum ex Ægypto.

Annus exodi Iſraelitarum ex Ægypto geminum habet Characterem, feriam ſcilicet ſeptimam in die viceſimo ſecundo, menſis ſecundi. Et deinde quod quadrageſimus ſextus annus ab exodo, quo terra dividitur, eſt annus Sabbathicus. Hinc enim reliqui, in Politia Judaica anni Sabbathici numerabantur. De utroque Charactere aliquid dicemus.

Quòd dies viceſimus ſecundus menſis ſecundi fuerit Sabbathum, probatur hoc modo: Exodi cap. 16. oſtenditur, die decimo ſexto, menſis ſecundi, Manna primum fuiſſe cœlitus datum, idque ſequentibus etiam diebus continuatum, & primis quinque diebus fuiſſe ſimplum collectum, in ſexto verò die duplum: Et ſeptimo die, qui neceſſariò fuit viceſimus ſecundus dies, menſis ſecundi, fruſtra exiiſſe quoſdam panem cœleſtem collecturos. Prædixerat enim Moſes, Deum ideo præcepiſſe, ut ſexto die duplum colligerent, quòd quieſcendum eſſet Sabbatho, nullum Manna habituro. Si ergo viceſimus ſecundus dies menſis ſecundi Sabbathum eſt, ergo decimus ſextus dies ejuſdem menſis, quo primum Manna cœlitus datum fuit, fuit feria prima. Et huic ſententiæ, cum multis aliis, ſubſcribit etiam venerabilis Beda, ad verba illa: *Ego pluam de cœlo, & in ſexta die colligent duplum &c. Oſtenditur*, inquit, *quòd in Dominica die primum Manna de cœlo datum ſit.* Hinc retrò numerando invenitur decimum quintum diem menſis primi, quo incipiente Iſraelitæ fines Ægypti migrarunt, fuiſſe feriam quintam, atque ita primum menſem illius anni etiam cœpiſſe feria quinta. Inquiramus etiam in anno Juliano menſem & diem, in quem feria illa quinta incidat. Certum eſt, exodum Iſraelitarum ex Ægypto contigiſſe verno tempore. Deus enim juſſerat, ut caput anni, quod hactenus in autumno fuerat, in vernum tempus traduceretur, Exod. 12. verſ. 2. Sed dubitare forſan quis poſſet, an primus menſis illius anni ab æquinoctio verno; an verò à die novilunii, æquinoctio proximi, inciperet. Ex hiſtoria populi Judaici novimus, feſta legalia ad determinationem Lunæ peracta fuiſſe, quemadmodum & David Pſalmo 104. verſ. 19. canit. *Præparavit*, inquit, *Deus Lunam ad determinandas ſive ſtatuendas feſtivitates*, atque ita Paſcha etiam ſemper in plenilunio primi menſis celebratum eſt; unde facilè colligitur, primum menſem cæpiſſe à novilunio, æquinoctio verno proximo. Si enim quartus decimus dies primi menſis habet plenilunium, ergo primus ejus menſis dies habet novilunium: & Davidis teſtimonium tam apertum eſt, ut nihil dubii relinquat, quin menſes in Politia Judaica ſecundum novilunia fuerint diſtributi. Quòd annus Iſraelitarum ab æquinoctio, nulla habita ratione ætatis lunæ cœperit, ſunt, qui aſſeverant, ſed expreſſum textum de hac re in ſacris literis non habemus. Quod enim de duodecim præfectis Salomonis ſingulis menſibus conſtitutis, affertur, ita firmum non eſt, ut Davidis expreſſam ſententiam evertat, & tredecim menſes non impediunt ordinem præfectorum, imo potuiſſent tantùm duo eſſe præfecti, & alternatim procurare menſam Salomonis, nec quantitas anni ex hiſce penderet. Sed tamen Deus infinitæ ſapientiæ, qui boni ordinis autor eſt, providit etiam huic rei, & eo anno populum Iſraeliticum ex Ægypto eduxit, quo & æquinoctium vernum, & novilunium in eundem diem coinciderent, ut planè nullus de hujus anni capite dubitationis locus relinqueretur. Annum Exodi dicimus annum Mundi 2453. hic numerus enim colligitur ex hiſtoriis, de quibus hactenus diximus. A condito mundo usque ad diluvium ſunt anni 1656. A diluvio cœpto, usque ad natum Abrahamum 292. A nato Abrahamo usque ad annos peregrinationis 75. anni peregrinationis 430. Summa, anni 2453. Æquinoctium hoc anno confectum eſt feria quinta, hora 22. poſt mediam noctem, quæ feria incidit in ſecundum diem Aprilis, Cyclo Solis 25. litera Dominicali D. Novilunium verò medium completum eſt eodem die, die videlicet ſecundo Aprilis feria quinta, hora 10. 49. in meridie, ut illud ex prima tabula annorum tropicorum, hoc verò ex ſecunda tabula noviluniorum patet. Cum ergo uterque terminus in unum eundemque diem incidat, nullum relinquitur dubium, quin is ſecundus dies menſis Aprilis in noſtro Calendario ſit primus dies, primi menſis Calendarii Judaici, & initium ejus anni. Exodus facta quindecimo die ineunte; ergo incidit in 16. Aprilis, in eandem feriam quintam, & primus menſis ſive triginta dies primi menſis finiti ſunt Calendis Maji: ſecundus dies Maji fuit feria ſeptima, & primus dies ſecundi menſis, ejus decimus quintus dies, fuit dies 16. Maji, feria ſeptima, & ſequenti die primum Manna colligerunt Judæi. Pentecoſtes feſtum celebratum fuit ſexto die menſis tertii, feria ſexta, ut in Republica Judaica ſem-

ſemper factum eſt. Secundus menſis ſive dies viginti novem ſecundi menſis ceſſarunt die 30. Maji, & dies triceſimus primus Maji fuit feria prima, & primus dies tertii menſis. Lex igitur lata die 5. Junii, feria ſexta, quemadmodum & lex poſtea completa & abrogata à CHRISTO Filio DEI, feria ſexta. Hæc plana & peſpicua ſunt, nec indigent prolixiori demonſtratione.

Alter Character hujus anni eſt, quod annus poſt exodum quadrageſimus ſextus fuerit annus κληρου-χίας ſive diviſionis terræ. Sabbathicos enim annos, quos DEUS mandaverat ſingulis ſeptenniis obſervari, Iſraelitæ inchoare non poterant, ſtatim, cum in terram promiſſam duce Joſua introiiſſent ſed neceſſe erat eos expectare, donec incolas ejeciſſent, eam occupaſſent, finibus de ſcripſiſſent, & cuique ſuos agros, campos, vineas, hortos, paſcua &c. diſtribuiſſent. Hoc factum anno quodrageſimo ſexto completo, poſt migratam Ægyptum, Joſuæ 14. Caleb enim ibi ait, quòd quadraginta quinque anni elapſi fuerint ab eo tempore, quo ad explorandam terram cum aliis à Moſe miſſus fuerat Accidit exploratio altero anno poſt exodum in æſtate. Annus igitur hic quadrageſimus ſextus ab exodo completus, fuit annus κληρουχίας, quo non agricolationi, ſed finium diſtributioni operam dederunt. Ab hoc anno diviſionis terræ, Iſraelitæ ex mandato divino numerarunt annos ſuos non tantum Sabbathicos, ſed etiam annos ſuos Jubilæos, cum ambo ab uno principio numerentur. Sabbathici quidem ex ſeptem annis repetitis; Jubilæi verò ex ſepties ſeptem annis. Neceſſe igitur jam eſt, ut is quadrageſimus ſextus annus ab exodo ſit is, à condito mundo numeratus, qui & per ſeptem, & per ſepties ſeptem, ſive quadraginta novem rectè dividi poſſit, hoc eſt, qui & ſit Sabbathicus & Jubilæus: quod niſi eſſet, alii eſſent anni Sabbathici & Jubilæi, ratione mundi conditi: alii verò Sabbathici & Jubilæi, ratione inſtitutæ Politiæ Judaicæ, id quod ignorantis & inſipientis cujusdam ordinatio potius videretur, quàm cui nihil præteritum & futurum eſt, ſed omnia præſentia habet, omniſcientis & ſapientis DEI, qui annos Sabbathicos & Jubilæos mundi nequaquam turbare voluit; Sed quemadmodum Sabbathum Exod. 15. colendum inſtituit, non in alia feria, quàm quæ eſſet ſeptima, ſi dies à condito mundo numerarentur: Ita ſeptimum quemvis annum, ſi à condito mundo numeretur, Sabbathicum eſſe præcepit. Nullus autem alius numerus dari poteſt, qui ejuſmodi conditionibus dividi poſſit, qui Sabbathicum ſimul cum Jubilæo anno exhibeat, præterquam annus Mundi 2499. niſi per alios annos 49. terminum hunc protrahere velimus, quod & propter exceſſum nimium, & quòd feria etiam quinta hoc modo ad principium anni, quo exodus facta eſt, nunquam redire poſſit, nemo, ut opinor, conabitur. Hic igitur annus 2499. per ſeptem & per 49. diviſus, nihil relinquit: eſt igitur & Sabbathicus & Jubilæus ſimul, quo bona terræ Canaan, ad veros ſuos dominos redierunt, ſubtrahe jam annos 46. ex anno 2499. reliquus eſt annus Mundi 2453. quo Iſraelitæ fines Ægypti migrarunt. Duobus ita Characteribus annus exitus Iſraelitarum ita definitus eſt, ut loco moveri poſſit.

CAPUT XXXVIII.

De feſtis legalibus in Politia Judaica.

PRæceperat DEUS, ut feſta quædam ſolennia quotannis in republ. Moſaica celebrarentur, quorum veſtigia in hiſtoriis tam veteris, quam novi Teſtamenti occurrunt, ideo non abs re futurum arbitror, ſi de præcipuis, quæ ad hiſtoriam faciunt aliquid dicatur. Juge quidem ſacrificium, ſive quotidianum, Iſraelitis mandatum fuit, Exod. 29. Sed præter hunc cultum DEO dicatum, multi præterea fuerunt dies feſti. In *jugi ſacrificio* quotidie offerebantur duo agni, manè & veſperi, cum gratiarum actione pro beneficiis, quæ DEUS aſſiduè largitur generi humano; & quidem pro diurnis beneficiis alter manè offerebatur, pro nocturnis alter veſperi; incendebatur etiam bis de die thus in altari, ante matutinum & veſpertinum ſacrificium. Singulis verò Sabbathis hæc Sacrificia duplicabantur, & panes novi in ſacra menſa cum ſale & thure proponebantur. In neomeniis verò præter juge Sacrificium addebant duos vitulos, cum agnis anniculis ſeptem, & ariete, item decimas ſimilæ, libamenta vini, &c. In feſtis verò ſolennibus alia Sacrificiorum fuit ratio, de quibus aliàs. Fuerunt autem *feſta ſolennia à* DEO inſtituta *quinq́;* præcipuè: Paſcha videlicet, Pentecoſte, Feſtum clangoris tubarum, Expiationis, & Tabernaculorum. *Paſcha* inſtitutum fuit decimo quarto die menſis primi Abib, ſive novarum frugum: ſequenti die, decimo quinto hujus menſis, incipiebant dies azymorum, à veſpera ſcilicet præcedente, ut ſolet, utrumque verò ſimul plerumque Paſchatis appellatione venit, per ſe tamen Paſcha fuit diſtinctum à diebus azymorum, eoſque præcedebat. Et præter hæc videtur Paſcha Judaicum duplex fuiſſe: Mactatio ſcilicet Paſchatis, & ejus oblatio; utrumque tamen comedebatur, & quidem cum azymis. Mactatio Paſchatis inſtituta fuit, ut fieret die decimo quarto primi menſis, eratque eſus agni Paſchatis, qui nec crudus, nec elixus comedi poterat; ſed aſſatus igni, & quidem à ſtantibus, & ad iter accinctis, Exod. 12. quanquam in circumſtantiis multum remiſſum fuit, ut ex hiſtoria Evangelica apparet, quando ſedentes Paſcha comederunt. Præterea fiebat privatim in ædibus civium. Oblatio contra Paſchatis ſtrictiùs obſervabatur, incipiente veſpera, & ineunte decimo quinto die primi menſis, & in hac oblatione Paſchatis offerebantur oves & boves, & comedebantur non aſſati, ſed elixi, Deut. 16. verſ. 2. & 7. fiebatque tantum in templo. Idem annuit hiſtoria Paſchatis, celebrati tempore Ezechiæ regis, 2. Chron. cap. 30.

Agnum Paſchalem comedit CHRISTUS cum diſcipulis, ineunte quarto decimo die menſis primi, veſperi: alterum Paſcha ipſe obtulit in corpore ſuo in ara crucis, poſt horas ferè octodecim. De poſteriori etiam Paſchate in templo comedendo videtur Evangeliſta locutus, quando inquit: Pontifices noluiſſe ingredi Prætorium, ne polluerentur, ſed Paſcha comedere poſſent. Hæc in Lege diſtincta, & à Rabbinis explicata, faciunt aliquo modo ad intelligendam Evangeliſtarum de Paſchate rationem.

Por-

Porrò dies azymorum continuabantur ſeptem diebus, uſque ad viceſimum primum diem menſis primi; nec quovis die ex legibus Synedrii celebrati ſunt, ſed tantum, ſi inciderent vel in feriam primam, vel tertiam, vel quintam, vel ſeptimam. Cavebatur enim in antecedentibus menſibus, ne menſis primus ab alia, quam, quæ dictæ ſunt, feria inciperet, vel eximendo diem unum, vel etiam addendo; unde alii anni Judæorum vocantur Abundantes, ſi dies aſſumatur in octavo menſe, alii Defectivi, ſi dies abjiciatur in nono menſe: alii Ordinarii, ubi nullus dies vel additur vel abjicitur, de quibus omnibus in Calendario Judaico præcipitur. Ex Paſchatis feſto feriæ in reliquis feſtivitatibus determinabantur. Nam feria Pentecoſtes ſemper eadem erat, cum ſecundo die azymorum Levit. 23. feria clangoris tubarum, quemadmodum & tabernaculorum, eadem erat cum die tertio azymorum. Sic Expiationis feſtum celebrabatur in feria, quam habuerat quintus dies azymorum, ut exempli gratia: Si quindecimus dies menſis primi, ſive primus dies azymorum eſſet feria ſeptima, tum ſecundus dies azymorum, ut ratio poſtulat, erat feria prima: ergo Pentecoſte etiam incidebat in feriam primam. Tertius dies azymorum erat feria ſecunda; ergo feſtum clangoris tubarum & tabernaculorum, ſimiliter inchoabatur à feria ſecunda. Quintus azymorum erat feria quarta, ergo feſtum expiationis etiam celebrabatur feria quarta: & ita quemadmodum feriæ in feſtivitate azymorum mutabantur, ita mutabantur etiam in omnibus feſtivitatibus per totum annum.

Altera feſtivitas erat *feſtum Pentecoſtes*, quod & feſtum primitiarum, & feſtum Sabbathorum ſive hebdomadum, appellabatur. Pentecoſtes feſtum dicebatur, quòd quinquageſimo die poſt ſecundum diem azymorum celebraretur: feſtum primitiarum verò, quòd primitiæ panum de novo agrorum proventu, ex meſſe nova coctorum, cum ſeptem agnis anniculis, &c. offerrentur. Feſtum hebdomadum verò, ſive Sabbathorum, quòd ſeptem Sabbatha, à ſecundo die azymorum, uſque ad hanc ſolennitatem numerare juberentur, quemadmodum hæc habentur Levit. 23. verſ. 15. & aliis in locis. De hoc feſto luculenter ſcribit Joſephus lib. 3. antiquitatum: cujus verba, quia pauca ſunt, apponam. *Secunda*, inquit, *azymorum die, qua eſt ſexta decima menſis primi, frugum, quas meſſuerunt (non enim ante attingunt) partem ſumunt, & rati primum Deo honorem habendum, à quo earum copiam acceperunt, hoc modo illi earum primitias offerunt, ubi manipulum ſpicarum ſiccarunt & tuderunt, hordeaque ipſa ad molendum nudarunt, aſſarium in altari DEO admovent, & pugillum unum ex eo injicientes, reliquum ad uſum ſacerdotis relinquunt, atque inde publicè meſſis facienda poteſtas datur. Hebdomade verò ſeptima poſt hoc ſacrificium tranſacta, (hæ hebdomades ſunt dies quadraginta novem) quinquageſimo die afferunt ad Deum panes ex farina hordeacea, cum fermento factos &c.* Hactenus Joſephus. Ex quibus omnibus colligitur, falcem ante diem decimum ſextum primi menſis, in menſem non eſſe miſſam, lectumque novarum frugum manipulum DEO oblatum, ut ſanctificaretur futura meſſis: Meſſe inde poſt quadraginta novem dies perfecta, ipſo die quinquageſimo feſtum Pentecoſtes celebratum fuiſſe, ſexto die menſis tertii, & eo die primitias, panes ſcilicet, ex novis frugibus, DEO oblatos. Hujus feſtivitatis illuſtre exemplum habemus in primo feſto Pentecoſtes, novi teſtimenti. Die enim primo azymorum, qui fuit feria ſeptima, quievit Salvator noſter JESUS CHRISTUS in ſepulchro: altero die, qui fuit feria prima, reſurrexit: inde numerata ſeptem Sabbatha deſinunt quinquageſimo die iterum in feria prima, qua Spiritus Sanctus viſibili ſpecie datus fuit Apoſtolis. Interpretes Pentecoſten ſive feſtum Sabbathorum vocant feſtum hebdomadum, in fontibus verò שבוע utrumq; ſignificat, & feriam ſeptimam, & hebdomadem, feriam ſeptimam ſcilicet vel ſeorſim ſumtam, vel etiam ſi adjunctos habeat reliquos dies ſex, & hebdomadem conſtituat: ut ita quidem liberum fuerit, etiam in hoc loco, ubi utraque ſignificatio retinetur, interpretibus, vel retinere vocabulum Sabbathorum, vel hebdomadum. Sed tamen cum vocabulum hebdomadum prætulerint, videntur occaſionem præbuiſſe minus intellecti vocabuli apud Evangeliſtam Lucam, τῷ σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ. Cujus multiplices, & diverſiſſimæ interpretationes apud Theologos & Scriptores Eccleſiaſticos occurrunt, quod fortaſſis factum non eſſet, ſi uſitatum nomen Sabbathorum retinuiſſent, & Pentecoſten Sabbathorum feſtum appellaſſent. Ejus explicationem etiam nos dabimus, cum ſit vocabulum temporis, & Chronologi ſit temporis vocabula explicare. Simpliciſſima autem ejus explicatio hæc eſt ex ſacris literis deſumta, ſi per vocabulum σάββατον δευτερόπρωτον intelligatur Sabbathum, ſive feria ſeptima, quæ prima occurrit poſt ſecundam diem paſchatos. Præceperat n. Deus Iſraelitis, ut à ſecundo die azymorum, quo offerebant manipulum novarum frugum, ut jam dictum eſt, numerarent ſeptem Sabbatha, uſque ad eandem feriam ſecundi diei, in hebdomade ſeptima, hoc eſt, uſque ad quinquageſimum diem: & ut eodem die quinquageſimo feſtum Pentecoſtes celebrarent, Levit. 23. verſ. 15. Iſraelitæ igitur & Judæi numerarunt hæc Sabbatha juxta mandatum DEI: ſed non ſimpliciter, ut dicerent, σάββατον πρῶτον, σάββατον δεύτερον, Sabbathum primum, Sabbathum ſecundum &c. Sed cum mandatum eſſet expreſſè, ut à termino ſecundi diei azymorum illa Sabbatha numerarent, Levit. 23. verſ. 15. addiderunt illum terminum, dixeruntque σάββατον ἀπὸ τῆς δευτέρας ἡμέρας πρῶτον, item σάββατον ἀπὸ τῆς δευτέρας ἡμέρας δεύτερον, & ita deinceps, uſque ad τὸ σάββατον ἀπὸ τῆς δευτέρας ἡμέρας ἕβδομον. Inde factum poſtea, ut brevius dicerent, quemadmodum in omnibus linguis conſuevit, σάββατον δευτερόπρωτον, σάββατον δευτεροδεύτερον, σάββατον δευτερότριτον, & ita deinceps, pro σάββατον τῆς δευτέρας ἡμέρας πρῶτον, &c.

Hæc forma loquendi apud Judæos uſitatiſſima fuit, & ideò eandem Evangeliſta retinuit. Sententia ejus eſt, quòd Salvator noſter cum diſcipulis per ſata iverit die Sabbathi, ſive feria ſeptima, quæ prima occurrebat poſt diem ſecundum azymorum. Hæc interpretatio ſimplex eſt, aperta

perta, & ex verbis ſententia ſacrorum Bibliorum hauſta.

Tertia feſtivitas erat *Clangoris Tubarum*, & incidebat in neomeniam ſeptimi menſis, qui Tisri vocabatur. Hujus feſti meminit Pſalm. 81. *Buccinate in neomenia, tuba, in inſigni die ſolennitatis veſtra*; diſtat à primo die azymorum, ſi ex eo regrediaris ad feſtum Paſchæ diebus 163. dato igitur feſto azymorum, datur in ſequentibus, poſt dies 163. neomenia Tiſri, vel contra: data neomenia Tiſri, anteceſſit paſcha diebus 163. & neomenia Tiſri retinet feriam, quæ fuit tertii diei azymorum.

Quarta feſtivitas eſt *dies expiationum*, & celebratur die decimo ſeptimi menſis. Hoc feſto ſummus ſacerdos ſolenniter lotus, & indutus veſtibus ſacris, primum oblato vitulo expiabat ſua peccata; deinde ingreſſus ſanctum ſanctorum, obſervatis certis ritibus, qui Lev. 16. deſcribuntur, expiabat ſanctuarium, tabernaculum, altare, ſacerdotes & univerſum populum. Omnes interea Iſraelitæ à veſpera noni diei, uſque ad occaſum Solis decimi diei affligebant animas ſuas, feriabantur ab omnibus operibus, & jejunabant. Hoc eodem die per tubas arietinas, quæ Jobelim dicebantur, quinquageſimus annus, qui Jobeleus potius quàm Jubilæus appellandus erat, ſi inſtaret indicebatur.

Quinta feſtivitas erat *feſtum tabernaculorum*, celebraturque decimo quinto die menſis ſeptimi, octo diebus, uſque ad viceſimum ſecundum diem ejus menſis; habitabantque his diebus in tabernaculis, extructis de frondibus arborum omnis generis, de frondibus olivæ, myrti, palmarum, cedrorum, arborum nemoroſarum &c. Nehem. 8. v. 15.

Erant præterea aliæ feſtivitates Judæorum, quarum mentio fit interdum in hiſtoriis, ut jejunium Tamutz, quod incidebat in diem decimum ſeptimum menſis quarti. & hoc die Hieroſolyma bis ab hoſtibus expugnata & capta eſt: ut à Pompejo, & Herode. Erant Præterea Encœnia à Maccabæo inſtituta, quæ peragebantur die viceſimo quinto, menſis noni, qui Cisleu vocabatur. Horum etiam mentio fit apud Evangeliſtam Johannem. Fuerunt & aliæ, ut jejunium Godoliæ, jejunium Thebeth, dies Phurim, feſtivitas Iliar, feſtivitas Adar, Xylophoria, &c. ut dictum in fine capitis 12. quæ paucis annis obſervatæ fuerunt, & paulatim oblivioni traditæ.

CAPUT XXXIX.

De ædificato templo à Salomone.

ANnus jactorum fundamentorum templi eſt annus quadringenteſimus octuageſimus exactus ab exitu Hebræorum ex Ægypto, 1. Regum 6. eſt igitur annus mundi 2633. Cœptum opus die ſecundo, menſis ſecundi, 2. Paralip. 3. verſ. 2. qui nobis incidit in ſextum diem Maji, feriam ſecundam. Noluit autem Salomon incipere opus die primo menſis, quia omnis neomenia ſacra. Paulus Apoſtolus paulò aliter videtur ſentire, Actor. 13. Dicit enim, poſt occupatam terram promiſſam, Deum dediſſe Iſraelitis Judices per annos circiter quadringentos & quinquaginta; inde dediſſe Samuelem & Saulum annis quadraginta, poſtea Davidem regem ſimiliter per quadraginta annos, quæ ſumma, ſi & anni quadraginta, qui in deſerto conſumti ſunt, addantur, computationem hanc in libris Regum inſtitutam, ferè centum annis ſuperat. Verùm Apoſtolus Paulus non præcisè ponit tot annos, Judicum tempore præteriiſſe, ſed quaſi indeterminatè loquitur, & circiter tot annos præteriiſſe ait. Præterea plurimi putant, numeros hoc in loco eſſe corruptos. Vide Scholion Lutheri ibidem. Alii dicunt, Paulum ibidem annos afflictionum populi Iſraelitici, ab hoſtibus vicinis illatarum, ſeorſim computaſſe. ſeorſim etiam annos Judicum, & poſtea ſimul in una ſumma eoſdem protuliſſe, idque ex ſententia Rabinorum. Rabinorum autem interpretationes cum grano ſalis accipiendas eſſe, ſupra c. 36. monuimus. Sed annos afflictionum populi Iſraelitici ſimul cum annis Judicium comprehendi, oſtendit expreſſè textus, quando de Jabin rege Cananæorum, cap. 4. affirmat, quòd afflixerit Iſraelitas annis viginti, eo tempore cum Debora eoſdem annis quadraginta judicaret. Sic cùm Philiſtæi Iſraelitas jugo ſervitutis premerent, Simſon in eo ipſo tempore afflictionis natus, & poſtea Judicis officio functus eſt, Jud. 15. v. 20. Si igitur afflictionum & liberationum anni in hiſce hiſtoriis ſimul ſumuntur, in aliis cur non idem ſentiendum ſit, cauſam nullam videmus: & textus 1. Reg. 6. de hiſce 480. annis ab exitu Iſraelitarum numerandis adeò apertus eſt, ut contra dicere nemo poſſit. Poſt jacta fundamenta templi Salomon adhuc triginta & ſeptem annis imperavit: mortuus eſt igitur anno Mundi. 2969.

CAPUT XL.

De tempore diſtracti regni Iſraelitici, uſque ad excidium, templo & urbi à Nebucadnezare illatum.

ANni à condito mundo uſque ad Abrahamum in Moſe ita numerari poſſunt, ut ex generationibus Patriarcharum anni rectè colligi & computari poſſint. Poſt Abrahamum, cum anni in ſervitute Ægyptiaca confunderentur, neque amplius generationes Patriarcharum annotarentur, providit Deus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ magno illo annorum numero, quadringentorum ſcilicet & triginta annorum peregrinationis filiorum Iſrael, qui à ſeptuageſimo quinto anno Abrahami, uſque ad exodum Iſraelitarum numerarentur. Poſtea, cùm iterum in male conſtituta Republ. Iſraelitarum, tempore Judicum, hiſtoriæ confunderentur, eandem confuſionem DEUS iterum emendavit, magno illo numero annorum quadringentorum & octuaginta, qui ab exodo Iſraelitarum ex Ægypto, uſque ad jacta fundamenta

tem-

templi elapſi, in una ſumma, 1. Regum 6. proponuntur, quibus poſtea anni triginti ſeptem, usque ad obitum Salomonis, & diſtractionem regni rectè addi poſſunt. A diſtractione regni, usque ad captivitatem Babylonicam, iterum de numero annorum controverſiæ orirentur, niſi Deus per Ezechielem cap. 4. annos peccatorum Iſraelis in una ſumma collegiſſet. Etſi enim illo ſeculo anni regum Juda & Iſrael ita annotantur, ut ſciri poſſit, quando quisque regum cœperit, & quot annos imperaverit: manifeſtum tamen eſt, quòd quidam regis cœperint patribus ſuis viventibus, & regni adminiſtrationem ſimul gerentibus, quemadmodum id collatio regum Juda & Iſrael evidenter oſtendit: unde hiſtoriæ ſimul cum Chronologia hujus temporis turbarentur, ſi absque hoc numero Ezechielis eſſet. Is enim capite quarto ſuæ prophetiæ jubetur portare peccata Iſraelis, diebus trecentis & nonaginta: & deinde etiam peccata Judæ, diebus quadraginta, quibus diebus, ſi ſinguli pro ſingulis annis computentur, ut DEUS ibi vult, anni 390. numerantur à Jeroboam, qui peccare fecit Iſrael, usque ad excidium Hieroſolymæ, quod jam inſtabat, elapſi: & deinde etiam anni 40. à prædicatione Jeremiæ Prophetæ, quæ à decimo tertio anno Joſiæ regis incipit, ut ipſe Hieremias ſcribit cap. 25. usque ad idem excidium. Utriusque enim numeri idem finis eſt, obſidio ſcilicet graviſſima & fames in urbe Hieroſolymorum intoleranda, quam ſtatim ſecuta eſt expugnatio. Hunc igitur numerum annorum 390. ex annotatione hiſtoriarum cujus temporis ab initio Jeroboami, usque ad excidium Hieroſolymæ, nos etiam colligemus: ita quidem, ne conjecturas Lectori obtrudamus, ne etiam ſacræ Scripturæ vim faciemus, ſed ut ubique ſacræ Scripturæ manifeſta verba, & ſententiam propriam perpetuò ſequamur. Non autem omnium regum imperii hic numerabimus: id enim in alium locum rejicimus, ſed tantum eorum regum, qui ad Chronologiam faciunt, quorum initia in quendam annum incidunt, quo alius in regno altero rex imperavit, & quorum anni invicem ita conneƈtuntur, ut non niſi ex iſtis ſumma reliquorum annorum colligi poſſit, initio facto à Jeroboam qui peccare fecit Iſrael, qui ſtatim cœpit, cum Rehabeamo ab obitu Salomonis, anno Mundi 2969. atque hic eſt annus primus Jeroboami, unde colligitur, ejus annum viceſimum, eſſe annum mundi 2988. hic viceſimus annus Jeroboami eſt primus annus regis Aſſæ, 1. Regum 15. verſ. 9. Ergò Aſſa cœpit hoc anno Mundi 2988. & hinc ejus anni computantur. Porrò triceſimus octavus annus regis Aſſæ, & primus annus Achab regis Iſraelis 1. Regum 16. verſ. 29. Si jam primus annus Aſſæ eſt annus Mundi 2988. ergò ejus triceſimus octavus, eſt annus Mundi 3025. Hic igitur annus Mundi eſt primus regis Achab.

Annus quartus Achabi, eſt annus Mundi 3028. & idem quartus annus Achabi eſt primus Joſaphati, 1. Regum ult. verſ. 41. ergo annus mundi 3028. eſt primus annus regis Joſaphat.

Annus decimus octavus Joſaphati eſt primus annus Jorami regis Iſrael 2. Reg. 3. verſ. 1. decimus octavus autem Joſaphati incidit in annum mundi 3045. ergò hic annus Mundi eſt primus Jorami regis Iſrael.

Duodecimo anno Jorami regis Iſrael, incipit Ahaſia rex Judæ, 2. Regum 8. verſ. 25. duodecimus annus Jorami eſt annus Mundi 3056. Ergo hic eſt primus Ahaſiæ. Hic interficitur, cùm ferè annum regnaſſet, à Jehu, qui ſuccedit in regno Iſraelitico Joramo. Incipit igitur Jehu anno Mundi 3057. hujus annus ſeptimus eſt annus Mundi 3063. & eſt primus Joas regis Judæ 2. Reg. 12. verſ. 1. ergo Joas cœpit anno Mundi 3063.

Annus triceſimus ſeptimus Joas regis Judæ eſt annus Mundi 3099. & idem hic annus eſt primus regis Iſraelitici Joas 2. Regum 13. v. 10.

Annus ſecundus Joas regis Iſraelitici eſt annus Mundi 3100. & hoc ſecundo anno Joas cœpit Amazia rex Judæ. Cœpit ergo hoc anno Mundi 3100. 2. Reg. 14. v. 1.

Hoc loco intrudunt Bucholzerus & Crentzhemius in Chronologiam regum Judæ tres annos affirmantque contra expreſſa Scripturæ verba, Amaziam cœpiſſe quinto anno Joas regis Iſraelitici quod tamen nuſpiam ſcriptum eſt, idque faciunt hac de cauſa, quòd Joas rex Iſraelis tribus annis cum Joahas parente imperavit. Verùm ſi hic ab expreſſis Scripturæ verbis recedendum eſt, & numeri augendi, cur non idem faciendum in aliis locis, ubi filii cum parentibus ſimul imperarunt? Ut Joram cum patre Joſaphat imperavit ferè quadriennium; ſic Hiſkia cum patre Achab ferè triennium, cùm ubique ſit ſimilis ratio: quo facto, nihil certi in tota hiſtoria relinqueretur. Vera cauſa autem, cur hos annos Crentzhemius & Bucholzerus intruſerint, ſi ſtudioſi Chronologiæ forſan quærunt, hæc eſt: Perſuaſerant ſibi certò, concludi poſſe ex concione Chriſti habita Nazarethæ in patria ſua, de anno acceptabili poſt Baptiſmum anno primo miniſterii ſui, ut iſti volunt, Lucæ 4. hunc annum primum miniſterii Chriſti fuiſſe Jubilæum, qui neceſſario ipſis in quinquageſimum quemque incidit. Quo minus autem anni à condito mundo numerati, id oſtenderent, deerant ipſis anni quatuor, ſi anni Jubilæi à diviſione terræ numerarentur. Hos igitur annos ut ſibi acquirerent, facilè intellexerunt, id fieri non poſſe, ſi eos tandem aſſumerent quando hiſtorias ſacras ad annos Olympiadum, & alias gentilium epochas alligaſſent, hunc igitur locum, qui corruptioni, ob duorum regum concurſum ſimul cum parentibus imperantium, magis opportunus erat, elegerunt, cui tres annos adderent; quartum enim dudum ante exodum aſſumſerant. Sed nec Jubilæum ex concione Chriſti demonſtrari poſſe: nec Jubilæos quinquageſimo quovis anno exacto numerandos eſſe nec hoc loco, contra Scripturæ ſenſum apertum, numeros agendos cenſeo. Hoc commentum tamen ipſis adeò placuit, ut non veriti ſint hanc ob cauſam ſacræ Scripturæ vim facere, & regi Joas aſcribere annos imperii novendecim, cum ſacra Scriptura expreſsè ipſum tantum ſedecim annis imperaſſe affirmet, 2. Regum 13. verſ. 20. cap. 14. verſ. 17. Et deinde propter hanc eandem cauſam annos peccatorum Iſraelis 390. ab Ezechie-

chiele numeratos triennio poſt, ab apoſtaſia ſcilicet Rehabeami regis Judæ inchoant, ne videantur pugnare cum hoc ſuo commento: cum tamen Ezechiel diſtinctè de tempore peccatorum ISRAELIS ibi loquatur, non de tempore peccatorum Judæ, quod quadraginta tantùm annis definit; & prætereà conſtet expreſſè ex textu, Jeroboamum non poſt triennium idololatriam illam inſtituiſſe, ſed ſacerdotes Domini ditione ſua ejeciſſe, ſtatim primo anno Imperii, 1. Reg. 12. Nos ſacræ Scripturæ verba retineamus, ejuſque ductum ſequamur.

Annus igitur quindecimus Amaziæ, eſt annus Mundi 3114. Eſt idem primus annus Jeroboami regis Iſrael 2. Regum 14. v. 23.

Annus viceſimus ſeptimus Jeroboami eſt annus Mundi 3140. hoc eodem anno cœpit Uſias vel Azarias 2. Reg. 15. v. 1. Eſt ergo hic 3140. annus Mundi, primus etiam Uſiæ.

Annus quinquageſimus ſecundus Uſiæ ſive Azariæ eſt annus Mundi 3191. Eſtque primus annus Pekah regis Iſrael, 2. Reg. 15. v. 27.

Annus decimus ſeptimus Pekah regis Iſrael eſt annus Mundi 3207. Et eſt primus annus Achas, regis Judæ, 2. Reg. 16. v. 1.

Annus duodecimus Achas regis Judæ eſt annus Mundi 3218. Eſtque itidem primus regis Iſrael Hoſeæ 2. Reg. 17. v. 1.

Annus tertius Hoſeæ eſt annus Mundi 3220. & primus Ezechiæ regis Judæ. Hic annus primus Ezechiæ, neceſſe eſt ut ſit Sabbathicus, quoniam ejus annus decimus quintus eſt Sabbathicus Eſa. 37. v. 30. divide annum Mundi 3220. per ſeptenarium, nihil eſt reſidui, ergò eſt Sabbathicus. idem annus eſt Olympiadicus 46. finiens, annus urbis 23. Annus Nabonaſſaris 18.

Hactenus ex collatione initiorum, regum Judæ & Iſraelis, quæ certiſſima & immota ſunt, annos Mundi uſque ad Ezechiam continuavimus qui ſequuntur uſque ad everſionem Politiæ Judaicæ, ex annis regum Judæ aſſumendi ſunt.

Ezechias, imperavit annis	29.
Manaſſes,	55.
Ammon,	2.
Joſias,	31.
Joſiahas, menſes	3.
Jojakim, annis	11.
Jechonias, menſes	3. dies 10.
Zedekia, annis	11.
Zedekia, annis	11.

Summa, anni 139. menſes 6. dies 10.

Additi hi anni ad annum Mundi 3220. quo Ezechias cœpit, efficiunt annos 3360. exceptis quinque menſibus. Sic anni 390. apud Ezechielem additi ad annum Mundi 2969. quo Jeroboam, qui peccare fecit Iſrael, circa Septembrem cœpit, 1. Regum 12. efficiunt annos 3360. exceptis iiſdem quinque menſibus. Computatio igitur hæc annorum Regum Judæ & Iſraelis, ſecundum expreſſa ſacræ Scripturæ verba inſtituta, conſentit cum computatione Ezechielis. & veritatis teſtimonium inde ſibi acquirit certiſſimum.

CAPUT XLI.

De initio Olympiadum, annorum Urbis, annorum Nabonaſſareorum, & periodorum Calippi.

Africanus antiquus hiſtoricus, tertio annalium de Olympiadibus apud Euſebium his verbis utitur: *Uſque ad Olympiades nihil exploratum in hiſtoria Græcorum invenitur: ſed omnia confuſis conſcripta ſunt temporibus.* Diligenter igitur initium Olympiadum conſervandum, quod cœpit, ut ſupra demonſtravimus, Cyclo Lunæ quinto, Solis decimo octavo, die 23. Julii, feria tertia quod circa hæc tempora fieri non potuit, niſi anno Mundi 3174. in quo hi Cycli concurrunt. Hoc igitur anno plurimum ludicrum Olympicum ab Iphito Praxonidæ filio celebratum eſt, & conſtitutum ut quinque diebus peragеretur. Sextus dies deſtinatus erat *κρίσις*, ut affirmat Tzezes. Incipiebat autem ab undecimo die primi menſis, & finiebatur decimo quinto, & decimo ſexto die, præmia victoribus diſtribuebantur: quaternis annis exactis celebrabatur, ideo ſemper incidebat in Cyclum Solis vel ſecundum, vel ſextum, vel decimum, vel decimum quartum, vel decimum octavum, vel viceſimum ſecundum, vel viceſimum ſextum.

Inferioris ſeculi Scriptores circa Conſtantinum Magnum & deinceps, ut Socrates, annotant quidem in ſua hiſtoria res geſtas ſecundum Olympiades, ſed non videntur ſibi conſtare, id quod examinanti facilè apparet. Socrates enim affirmat, Conſtantinum Magnum cœpiſſe ab obitu parentis Conſtantii Chlori, qui deceſſerit anno primo Olympiadis 271. & eundem Conſtantinum obiiſſe anno ſecundo Olympiadis 278. quod idem eſt, ac ſi diceret Conſtantinum Magnum cœpiſſe anno Olympiadico 1081. Mortuum verò anno Olympiadico 1110. differentia, anni 29. quibus Conſtantinus imperaſſet: cum tamen conſtet, illum imperium ferè ad triginta & unum annos produxiſſe. Celebravit enim tricennalia ferè biennio, antequam in fata concederet. Sic idem Socrates in fine ait, ſe conſcripſiſſe hiſtoriam annorum 140. à primo anno Olympiadis 271. uſque ad ſecundum annum Olympiadis 299. quod faceret ſpacium annorum 114. tantùm, & non 140. niſi fortaſſis Olympiades computavit per annos quinque ſolidos, tunc hoc ſpacium efficeret annos 142. ſed diſcreparet tamen in annis imperii Conſtantini.

Præterea neque anni, ſi ſecundum libros numerentur, ad tantam ſummam excreſcunt. Primus enim ejus liber continet annos 30. Secundus continet annos 25. Tertius liber annos duos, & menſes quinque. Quartus continet annos ſedecim. Quintus continet annos 16. menſes octo. Sextus liber annos 12. & menſes 6. Septimus annos 32. Summa annor. 134. niſi fortaſſis hiſtoria ipſius corrupta eſt. Cum igitur nullibi

ſibi in Olympiadibus conſtet, quid ipſi in ea retribuendum ſit, quivis facilè intelligit. Ratione Conſulum tamen rectè ſuam hiſtoriam diſtribuit, & ita plurimum Eccleſiæ & hiſtoriæ profuit.

De reliquis epochis, ut, de annis Urbis, de annis Nabonaſſaris, & de annis Philippi, & exceſſus Alexandri, non neceſſum arbitror multa addere, cum nihil, quod ſciam ampliùs in iiſdem controvertatur. Ratum igitur manet, quòd primus annus Urbis incidat in annum Olympiadicum 24. & annum Mundi 3198. qui decurrit cyclo Lunæ 10. Solis 14. Et deinde, quòd primus annus Nabonaſſaris cœperit anno Mundi 3203. de viceſimo ſexto Februarii, feria quarta, in meridie, cyclo Lunæ 15. Solis 19. Cum anno Nabonaſſaris 425. ſimul cœpiſſe primum annum Philippi. Quapropter hic nihil præterea addam. De Periodis Calippicis tantum aliquid dicam.

Periodus Calippica fuit ſeries annorum Julianorum 76. continentium menſes Lunares 940. quibus peractis, nova periodus incipiebat. Calippus hanc periodum inſtituit, eo tempore, cùm Alexander Magnus, Darium Perſarum regem ad Gaugamela viciſſet, & Imperator Aſiæ ab exercitu proclamatus eſſet. Ideo in honorem Alexandri hanc periodum vocavit Alexandream; ſed uſus obtinuit, ut Calippica diceretur. Inſtituit eam & publicavit non in Octobri ejus anni, quando Alexander illa inſigni victoria potitus erat; ſed in ſequenti æſtate, cum annus Olympiadicus 447. apud Athenienſes inchoaretur, anno Mundi 3620. die 28. Junii, in quem ſimul novilunium incidebat. Porrò periodum primam Calippi hoc anno Mundi incipere, multa ſunt autorum teſtimonia, ſufficiat unus Ptolomæus, qui libro tertio μεγαλ. συντ, capite 1. affirmat in annum triceſimum ſecundum, periodi tertiæ Calippicæ, incidere tertium diem ἐπαγομένων anni Philippi, ſeu mortis Alexandri 177. ſive, ut ſecundum annos Julianos loquar, diem 27. Septembris, anni Mundi 3803. Et deinde in hunc eundem triceſimum ſecundum annum tertiæ periodi Calippicæ incidere etiam diem 28. Mechir, anni ab obitu Alexandri, 178. ſive diem Martii 22. anni Mundi 3804. Hinc ſi retrò regredior per annos 31. elapſos, & periodos duas abſolutas, ſive per annos 183. pervenio ad annum Mundi 3620. quo prima periodus cœpit die 29. Junii, & novilunium incidit ſimul in meridiem hujus diei, ſecundum medium motum. Inde ſi ad hunc annum Mundi addidero annos 76. pervenio ad annum Mundi 3696. quo ſecunda periodus Calippi cœpit, die 28. Junii, cum novilunium fuit hora ferè ſeptima matutina. Tertia periodus cœpit poſt alios annos 76. anno Mundi 3772. quo itidem die 28. Junii incidit novilunium, ſed in horam ſecundam matutinam, & ſic deinceps. Plura teſtimonia non addo, nemo enim quod ſciam dubitat, quin periodi hæ Calippicæ rectè ad annos Olympiadum, Philippi, Nabonaſſaris, & Mundi applicatæ ſint.

Porrò Cyclus Lunaris in hiſce annis periodorum Calippicarum invenitur, ſi iis addantur tredecim, & tota ſumma per novendecim dividatur. Quælibet enim Periodus Calippica incipit cyclo Lunæ decimo quarto, ut exempli gratia, ſi anno triceſimo ſecundo tertiæ periodi Calippicæ addantur tredecim, fiunt 45. abjectis duobus Cyclis, ſuperſunt ſeptem. Eſt ergo hic annus ſeptimus Cycli lunaris, & ſic de aliis. Ex Cyclo verò Lunari in hiſce annis deprehenſo facilimè cum annis aliarum epocharum collatio inſtitui poteſt.

CAPUT XLII.

De Anno ædificati Templi ſecundi, & 70. hebdomadibus apud Danielem.

CHronologi plærique ſtatuunt, templum ſecundum à Zorobabele inſtauratum eſſe, anno ſecundo Darii Hiſtaſpis, tertii Perſarum regis, vaticinantibus ſimul duobus Prophetis, Haggæo & Zacharia. Opinio hæc de tempore inſtaurati templi originem ſuam trahit ex Joſepho Hiſtorico, quem ſecutus poſtea eſt Euſebius, & Euſebium alii Chronologi. Et quidem horum omnium tanta eſt autoritas, ut iis contradicere velle, temeritas quibuſdam videri poſſit. Sed tamen cum neminem alium habeant quem ſequantur, quàm Joſephum; agè conferamus Joſephum cum ſacra Scriptura, videamus in quibus conſentiant, in quibus verò diſcrepent, & ſepoſita tantiſper tantorum virorum autoritate, rem ipſam ex ſacra Scriptura putemus.

Hiſtoriam hanc de inſtauratione Politiæ Judaicæ, & ædificatione templi literis prodiderunt Prophetæ tres, Daniel, Haggæus, Zacharias, & hiſtorici duo, Eſra & Nehemias. A Prophetis Haggæo & Zacharia tempus ædificati templi ita deſcribitur, ut ſciamus ædificationem templi cœptam anno ſecundo Darii regis Perſarum, & abſolutam anno ſexto ejuſdem Darii: nihil in Prophetis præterea additur, ex quo certò ſciri poſſit, uter ex duobus Dariis, qui inter Perſarum reges recenſentur, fuerit. Sub tertio enim Dario ſive ultimo, inſtaurationem hanc non accidiſſe, hiſtoriæ ſatis evincunt. In Daniele præterea capit. 9. habetur, muros & plateas Hieroſolymæ dirigendas & perficiendas in ſeptem hebdomadibus, hoc eſt, in annis quadraginta novem, in anguſtia temporum. Hiſtorici verò Eſra & Nehemias, ulterius addunt, quis iſte Darius fuerit, & quo anno muri Hieroſolymorum perfecti fuerint. De Dario affirmat Eſra, capit. 4. 5. & 6. quòd Darius, ſub quo inſtauratio templi cœpta eſt, fuerit medius inter duos Artaxerxes, quòd videlicet Artaxerxes quidam rex Perſarum Darium hunc præceſſerit, & inſtaurationem hanc Politiæ Judaicæ impediverit, & Artaxerxes alius hunc Darium ſecutus ſit, qui Judæos foverit, & inſtaurationem templi & murorum Hieroſolymæ per Eſram & Nehemiam adjuverit & perfecerit. Addit præterea Nehemias capite 12. verſ. 22. fuiſſe alium quendam Darium Regem Perſarum poſt illos, ſub quo fuerit ſummus Sacerdos Iaddua. Hic autem eſt ille

Iaddua

Iaddua, qui Alexandrum Magnum poſt everſam Tyrum, Hieroſolymam etiam hoſtili animo invadentem, placavit, ut notum eſt. Muri autem Hieroſolymæ perfecti ſunt anno triceſimo ſecundo, regis Artaxerxis. Nehem. 13. Jam priuſquam ulterius in hiſtoria ſacra progrediamur, ex Ethnicorum hiſtoriis enumerationem regum Perſarum aſſumamus.

Græci Scriptores ita verè & fideliter omnium regum Perſidis annos in literas retulerunt, ut ab initio Cyri, uſque ad exceſſum Alexandri Magni ne unus quidem annus perire poſſit. Omnia enim tempora, per quæ ab illis regibus imperatum eſt, aliquo inſigni Charactere notata ſunt, cui contradici non poteſt. Aut enim aliquo defectu luminarium cœleſtium eorum anni deſcripti ſunt; ut anni Cambyſis, & Darii Hyſtaſpis per Ptolomæum; aut ab aliquo certiſſimo intervallo, ut ab Olympiadibus Cyri initium, per omnes ferè Chronologos: à bello Peloponneſiaco Artaxerxes Longimani finis, Darii Nothi initium & Artaxerxis Mnemonis, per Thucydidem & Xenophontem, ut ita prorſus nullus dubitationis locus relinquatur. Regis igitur Perſarum ab Hiſtoricis unanimi conſenſu ita recenſentur:

Cyrus primus rex, annis	30.
Cambyſes,	7.
Interregnum Magorum,	1.
Darius Hyſtaſpis,	36.
Xerxes,	21.
Artaxerxes Longimanus,	41.
Darius Nothus,	19.
Artaxerxes Mnemon,	43.
Ochus,	23.
Arſes,	3.
Darius Codomannus.	6.

Redeamus jam ad Esram & Nehemiam, quorum uterque ætate non procul ab inſtauratione templi abfuit, ut hiſtoriæ apertè oſtendunt, uterque à pueritia non tantùm in aula regum Perſarum educatus, & rebus Perſicis imbutus fuit: ſed etiam ad miniſteria ſecretiora adhibitus, familiariter cum regibus Perſicis vixit, & ad colloquia ipſorum admiſſus eſt; uterque inſigniter eruditus; uterque fidei plenus; utriuſque ſcripta, ut veritatis obtinerent teſtimonium omni exceptione majus, in Canonem ab Eccleſia recepta. Et præterea de Eſra hoc habemus, quod univerſa ſacrorum Bibliorum volumina ex Hebraica ſcriptura, cum nemo eſſet, qui Hebraicarum literarum formas, vel connexionem tempore ſuo poſt captivitatem Babylonicam amplius intelligeret, figuris literarum Chaldaicis deſcripſerit, ut ita univerſa ſacrarum literarum autoritas in hoc uno ferè acquieſcat. Atque hoc ita reverà ſe habere, & ſacra Biblia aliis, atque nunc Characteribus olim ante captivitatem Babylonicam exarata fuiſſe, confirmant viri hodiè longè celeberrimi, qui affirmant, apud Samaritanos in Palæſtina adhuc hodiè extare Pentateuchum Moſis, antiquis illis Characteribus Hebraicis ſcriptum, publicèque adhortantur Principes in Europa, ut hunc theſaurum ſibi comparare, nulliſque ſumtibus parcere velint, quo ejuſmodi exemplar ad nos traducatur. Non igitur Eſra & Nehemias, qui adeò familiares fuerunt regibus Perſicis, ignorare potuerunt, quid in regno Perſico geſtum ſit, qui reges imperarint, & quibus nominibus appellati fuerint: atque ideò de nominibus regum Perſarum, quæ apud hoſce inveniuntur, quin vera & in Perſide, atque aliis regni partibus uſitata fuerint, nequaquam eſt dubitandum. Herodoto, Xenophonti & aliis, qui regum Perſarum nomina tradiderunt, fides habetur, qui tamen hæc eadem nomina ex Præfectis illorum regum, & ex narrationibus aliorum didicerunt: cur his deroganda fides in appellandis regibus, qui ipſi Perſici regni pars fuerunt, & rebus gerendis præfuerunt? Quapropter eos cum reliquis hiſtoricis in appellandis Regibus conſentire non eſt cauſa cur dubitemus, aut cur novos in Perſide reges, Ahaſverum Pium, Ahaſverum Artaxerxem, Ahaſverum Priſcum, Darium Longimanum & alios, qui nunquam in rerum natura fuerunt, credamus. Conferat igitur ſtudioſus Chronologiæ jam reges Perſarum apud Eſram & Nehemiam appellatos, cum iis, qui in aliorum hiſtoricorum ſcriptis reperiuntur, & inveniet eoſdem prorſus eodem ordine poni & appellari; ut Xerxem, Artaxerxem, Darium, Artaxerxem, & poſt ſpacium aliquod Darium, ſub quo Iaddua ſummus ſacerdos vixit; cujus ætas cum alio traduci non poſſit, manifeſtè oſtendit, Darium hunc Perſarum regum fuiſſe ultimum illum, qui ab Alexandro Magno victus, regnum & vitam amiſit. Inde ſi aſcendamus ad reliquos, nihil occurrit, quod de Artaxerxe Mnemone, de Dario Notho & de Artaxerxe Longimano, quin cum appellationibus Eſræ conveniant ambiguum reddere poſſet. Unus tantùm eſt Ahaſverus, cujus appellatio apud Græcos ita non extat. Sed qui paululum in hiſtoriis verſati ſunt, meminerunt, apud Q. Curtium & alios, nomen Oxyaris inveniri: ita enim appellatus fuit frater Darii ultimi, & inter majores Cyri Cyaxares, prorſus eadem origine, hoc vocabulum igitur Oxyares Hebræi aliter vix ſcribere potuerunt, quàm hoc modo אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ Ahaſverus, ut ſciunt, qui Hebraica intelligunt, qui cum proxmè Artaxerxen præcedat, dubitari non poteſt, quin Xerxes cum adhuc privatus eſſet, & regno præficeretur, cum parens Darius expeditionem in Ægyptum faceret, Oxyares appellatus fuerit. Confirmatur præterea hæc ſententia appellatione uxoris Xerxis apud Herodotum, quæ Ameſtris dicitur הָם אֶסְתֵּר Ham Eſther, quemadmodum in ſacris literis appellatur, quæ priuſquam in thalamum regis perveniret Hadaſſa vocabatur. Reliqui reges, qui hoſce antecedunt, nominibus quidem ſuis in ſacris literis non nominantur; ſed tamen numerantur apud Danielem capit. undecimo, ubi Angelus inquit: Poſtquam tres reges in Perſide ſteterint, quartus immenſam divitiarum vim coget ſuper omnes, & poſtquam opes ſtabiliverit, ſuſcitabit omnes contra regnum Græciæ. Ubi quartus rex Perſarum Xerxes, veluti digito indicatur. Inde reliqui ſequuntur, quos Eſra nominat. Ochus tantùm tyrannus, & Arſes nullibi in ſacris literis extant. Nullum igitur prorſus eſt dubium, quin expreſſa ſacræ Scripturæ verba hoc velint templum ſecundum inſtaurari cœptum ſub Dario

Perſarum rege eo, qui inter duos Artaxerxes medius fuit, qui à Græcis Scriptoribus, propterea quòd ex pellice natus eſſet, Darius nothus appellatur. Et Artaxerxem, cujus tempore Eſra & Nehemias in Iudæam miſſi ſunt, eſſe eum, qui à Græcis Scriptoribus Artaxerxes Mnemon nominatur. Idem ſentit Africanus apud Bucholcerum in Comment. Numera jam annos à ſecundo hujus Darij regis anno, uſque ad triceſimum ſecundum Artaxerxis Mnemonis, quo muri urbis Hieroſolymæ perfecti ſunt, Nehem.13. invenies annos quadraginta novem, ſecundum Danielem. Darius enim poſt ſecundum annum adhuc ſeptendecim imperavit, qui ad triginta duos Artaxerxis additi, quadraginta novem conſtituunt, in quibus vici Hieroſolymis directi, & muri tandem perfecti ſunt, quamvis in magna temporum anguſtia, quemadmodum liber Nehemiæ ſatis teſtatur. Ab hoc expreſſo Scripturæ ſenſu, ut quiſpiam, cui pietas cordi eſt, recedere, & Eſræ fidem hiſtoricam derogare velit, profectò neceſſe eſt, non tantum, ut magna ſubſit cauſa: ſed etiam, ut demonſtretur, quòd Eſras, ſalva veritate, cum Ethnicis Scriptoribus, omninò convenire non poſſit. Cauſam, quæ prætenditur, cur quidam ab hoc aperto ſacræ Scripturæ ſenſu recedendum eſſe exiſtiment, ſtatim hic addemus, & argumenta reliqua, quæ noſtram ſententiam magis confirmant, paululum differemus,

Solet duplex tantùm afferri cauſa, cur appellationes regum Perſarum apud Eſram aliter interpretandæ videantur. Prior eſt autoritas Joſephi hiſtorici, qui expreſsè affirmat, ſub tertio rege Perſarum, ſub Dario ſcilicet Hyſtaſpis, opus inſtaurationis templi intermiſſum, denuo repetitum & continuatum fuiſſe. Secunda eſt diſtantia inter edictum Cyri, & annum ſecundum Darii nothi.

Qui autoritate Joſephi nituntur, illi inſiſtunt fundamento valdè lubrico & infirmo. Aſſertio enim Joſephi hiſtorici ab autoritate ſacræ Scripturæ contrarium aſſerentis, in infinitum præponderatur. Quid enim teſtimonium humanum eſt ſi cum divino comparetur? Deinde Joſephus hiſtoricus in illorum temporum hiſtoria valdè hallucinatur. Nam in libro decimo, in computatione temporis ab excidio Hieroſolymitano, à Nebucadnezari illato, uſque ad primum annum Cyri, quo Babylonem expugnavit, ultra annos centum colligit. Dicit enim Nebucadnezarem quadraginta tres annos imperaſſe.

Evilmerodachum,	annis	18.
Nigliraſſarem,	annis	40.
Laboſordachum,	menſibus	9.
Balthaſarem,	annis	17.

Summa anni 119. quibus ſi ſubducantur anni octodecim, quos imperarat Nebucadnezar, cum Hieroſolymam everteret, reſtant anni centum & unus, quibus contra ſacræ Scripturæ expreſſa verba, & hiſtoricorum & Aſtronomorum illius temporis aſſertionem, captivitas Babylonica duraſſet. Cum igitur circa hæc tempora Joſephus ita aberret, quis tutò ipſius aſſertioni fidem præbere poteſt, præſertim ſacra Scriptura adeò renitente?

Altera autem cauſa, quæ eſt diſtantia inter edictum Cyri Regis, & annum ſecundum Darii nothi, non eſt levis, ſed magni momenti: quam ut ſtudioſi Chronologiæ rectiùs intelligant, prius tempus, quo edictum Cyri propoſitum eſt, firmabimus. Annus excidii Hieroſolymitani, eſt annus Mundi, ut ſupra probavimus 3360. Annus Olympiadicus 186. finiens; Jechoniæ verò ſpontanea migratio in Babylonem, ſolidis annis decem antiquior eſt caſu Sedeciæ, anno enim undecimo regni Sedeciæ Hieroſolyma everſa eſt. Ergo Jechoniæ tranſmigratio incidit in annum Mundi 3350. in annum Olympiadicum 176. finientem, & hunc annum appellari in ſacra Scriptura primum captivitatis Babylonicæ, ſupra ſatis probavimus. Jam Cyrus primus rex Perſarum, ſecundum omnes Hiſtoricos & Chronologos, cœpit anno primo Olymp.55. hoc eſt, anno Olympiadico 217. Anno Mundi 3391. ſive quadrageſimo ſecundo captivitatis Babylonicæ: deſunt autem adhuc anni viginti octo, ut anni captivitatis Babylonicæ ſeptuaginta compleantur, qui additi, manifeſtum faciunt, edictum ſolutæ captivitatis propoſitum anno Mundi 3419. anno viceſimo nono ineunte imperii Cyri. Nam Cyrus nequaquam ſtatim, quando Babylonem occupavit, edictum hoc propoſuit. Qua ratione enim fieri potuiſſet, ut edictum hoc primo ſuæ Monarchiæ anno, primo menſe, & primo die menſis proponeret? num eodem primo die menſis etiam victoria contra Darium Medum potitus erat, & Babylonem occuparat? Quomodo tot millia hominum, qui ſua domicilia, agros, hortos, vineas, &c. Jerem.29. poſſidebant, ſubſtantiam totam rectè vendere commeatum expedire, currus, equos, & id genus alia, præparare poterant? Sexto enim menſe ejuſdem anni habitationes ſuas, & domicilii ſui ſedem conſtituerant quiſque in ſuis civitatibus, in Judæa, Eſræ 3. Eſra ipſe, in cujus comitatu tantùm viri mille & quingenti erant, cum ad iter neceſſaria non tantùm multis menſibus, ſed & multis annis præparaſſet, tamen quatuor ſolidos menſes in itinere conſumit, Eſræ.7. Quomodo igitur tot millia hominum, virorum, mulierum, parvulorum, ægrorum pariter & ſanorum, ſubitò relictis omnibus facultatibus è Chaldæa in Palæſtinam migrare potuerunt? Nequaquam igitur primus annus Cyri, quemadmodum in ſacra Scriptura appellatur, intelligi poteſt, primus annus Monarchiæ Cyri, cujus terminus certus ex nulla hiſtoria dari poteſt: Sed fuit conſenſus populi Judaici, qui gratam memoriam liberationis hujus ex captivitate Babylonica, & reſtitutionis in antiquam patriam ad poſteros propagare volebant, hac inſtituta epocha, qua in poſterum, in temporibus numerandis uterentur. Proculdubiò enim reſpexerunt ad Prophetiam Danieli revelatam, qua ſeptuaginta hebdomades Politiæ Judaicæ, ſive anni 490. determinabantur, ab edicto de inſtauranda Hieroſolyma propoſito, numerandi. Putabant igitur, hoc edictum Cyri illud eſſe, de quo verba Danielis intelligi deberent, & à quo numerandi eſſent iſti anni 490. Verum poſtea cum hoc edictum irritū fieret, epocham hanc etiam repudiarunt. Cyrus igitur, quantū ex hiſtoriis conſtat, cum prælio

præliæ Darium Medum viciſſet, munimenta Babylonis deſtruxit, poſtea Borſippum, ubi Darius erat, expugnare voluit, ſed Darius dedidit ſe, & vita ac provincia Carmaniæ donatus eſt, interea reliquias belli perſequens Cyrus, ad fines Indiæ profectus eſt, ubi Capiſſam urbem ad Indum fluvium ſitam diruit, ut Solinus ſcribit, Poſtea Suſianam regionem, jugum detrectantem, imperio Babylonico olim tributariam non ſine magno molimine debellavit, ut ex Strabone patet. Hiſce omnibus actis, & provinciis regni ordinatis & conſtitutis, Cyrus Babylonem reverſus, jure potuit dicere: *Dominus DEUS Cœli dedit mihi omnia regna terræ*, id quod non, niſi circa finem ſui imperii, accidere potuit. Numerati igitur anni à viceſimo nono Cyri anno, quo edictum hoc propoſitum ſtatuimus, uſque ad annum ſextum Darii Nothi, quo templum abſolutum eſt, produnt, diſtantiam annorum centum & duodecim. Edictum propoſitum eſt anno Mundi 3419. ſextus annus Darii Nothi concurrit cum anno Mundi 3531. atque ita hiſce 112. annis, ſimul & Joſua ſummo Sacerdotio, & Zorobabel ducatui populi Iſraelitici præfuiſſent. Magna eſt hæc diſtantia, cujus exemplum par ex nulla alia hiſtoria dari poteſt, nec immeritò ſuſpicionem movere poſſet, nomina regum Perſarum apud Eſram aliter eſſe interpretanda, & Joſephi ſententiam huic præferendam. Sed, benevole Lector, ſuſpende quæſo, aliquantiſper judicium, donec eandem ἀπορίαν, & inconvenientiam etiam in opinione Joſephi demonſtremus.

Qui Joſephi opinionem ſequuntur, diſtantiam inter edictum Cyri & ſecundum annum Darii faciunt duodecim fertè annorum, quibus ambo & Joſua ſummus Sacerdos, & Zerobabel dux ſuis officiis functi eſſent, quod facilè fieri potuit: Sed tamen aliter non poſſunt, quàm ut adventum Nehemiæ in Judæam in viceſimum annum Artaxerxis Longimani conferant, quod & omnes faciunt, quotquot Joſephum & Euſebium ſequuntur. Vixit tum temporis anno viceſimo Artaxerxis, præfectus Syriæ & Samaritanorum, Sanneballat, vir magnæ autoritatis, ut qui reliquis præfectis Ammonitarum, Arabum & Aſdoditarum ſemper præponitur; unde etiam de ejus ætate conjectura fieri poteſt, quòd videlicet nec puer, nec adoleſcens fuerit, ſed homo virilis ætatis; quemadmodum & Nehemias, cui à rege Perſarum, præfectura Judææ & inſtauratio murorum Hieroſolymæ commiſſa fuit, uterque horum attigit tempora Alexandri Magni. Nehemias enim patruelem Ladduæ ſummi Sacerdotis Manaſſem, in exilium ejecit, quod duxiſſet Sanneballetis filiam Nicaſo factum hoc paulò ante tempora Alexandri Magni, Nehem. cap. 13. verſ. 28. Sanneballat etiam templum in monte Garizim Samaritanorum, genero ſuo exuli, ædificare conabatur: Sed à Dario, bello Alexandri Magni impedito & occupato, conſenſum obtinere non potuit. Cùm verò idem Sanneballat poſtea Alexandrum, Tyrum oppugnantem, ſtrenuè juvaret, ab ipſo poteſtatem hanc templi ædificandi impetravit, & ipſe Sanneballat paulò poſt in caſtris Alexandri, in obſidione Gazæ mortuus eſt, quemadmodum hoc Joſephus Hiſtoricus ordine deſcribit, lib. 11. antiq. cap. 8. Sic Eſra ipſe, qui tredecim annis ante Nehemiam in Judæam miſſus fuit, poſt preces ſuas, c. 10. ingreſſus eſt in cubiculum Johannis Patris Ladduæ, atque ſic ipſe ferè tempora ultimi Darii attigit. Jam verò, ſi à viceſimo anno Artaxerxis Longimani, uſque ad quintum annum Darii, quo Tyrus everſa eſt, tempora computemus, invenimus, diſtantiam annorum centum & quatuordecim. Annus viceſimus Artaxerxis Longimani eſt annus Mundi 3504. annus expugnatæ Tyri 3618. diſtantia annorum 114. Hoc tanto ſpacio uterque horum & Nehemias, & Sanneballat, unà cum Eſra præfecturas ſuas adminiſtraſſent. Vides, candide Lector, & eandem inconvenientiam in opinione Joſephi, quæ fuit in ſententia Eſræ, & paululum etiam majorem; & deinde hiſtorias in utraque parte adeò manifeſtas eſſe, ut neceſſe ſit, in utraque ſententia alterutrius horum, vel Jeſuæ & Zorobabeli: vel Nehemiæ & Sanneballeti, tantam ætatem concedere, quæ major ſit annis centum & quadraginta. Judica nunc, cui aſſentiendum ſit, an Eſræ, qui teſtimonium veritatis ab univerſa Eccleſia obtinuit? an verò Joſepho, qui aliàs etiam, & in hac præcipuè hiſtoria hallucinatus eſt? Præterea hoc habemus, Zorobabelem, cum reverteretur ex captivitate Babylonica, adoleſcentem fuiſſe ſeptendecim annorum, ideò non ipſi, ſed Sesbazari patruo, theſauros templi à Cyro traditos. Sed hic Sesbazar ſtatim primo anno videtur defunctus, Eſræ 1. Eundem verò Zorobabelem provectæ ætatis fuiſſe anno ſecundo Darii apparet ex eo, quòd Zacharias Propheta ait, capit. 4. *Manus Zorobabelis fundarunt domum hanc manus etiam ejus eandem abſolvent*, id quod de juvene nondum tricenario non ſatis convenienter diceretur. De Jeſuæ ætate nihil quidem annotatum eſt, ſed vivax tamen ſummorum ſacerdotum fuit familia, ut quod tantùm ſeptem fuerunt ſummi ſacerdotes, à Salomone uſque ad captivitatem Babylonicam in annis 434. 1. Chron. 7. ſic quinque tamen fuerunt ſummi ſacerdotes toto tempore Perſici Imperii, ducentorum annorum ſpacio, Nehem. 12. Ut ita, etiamſi ambo Scriptores autoritate & teſtimonio veritatis pares eſſent; tamen Eſræ ſententia, propter haſce circumſtantias meritò præferatur.

Sed adducamus etiam alia argumenta, quæ Eſræ & ſacrorum Bibliorum ſententiam magis confirment. Quale hoc eſt, quod tempore Darii Regis Perſarum, cujus annò ſecundo inſtauratio templi repetita fuit, nemo quicquam de edicto Cyri, qui in libertatem Judæi reſtituebantur, ſe meminiſſe profiteri poterat. Ideò Darius jubet Bibliothecas, & archivorum forulos diligenter excuti, ut edictum Cyri de reditu Judæorum reperiatur, Eſræ. 6. cujus ἀντίγραφον, tandem poſt longam inquiſitionem, Ahmethæ in Medorum propugnaculo inventum fuit. Edictum hoc Cyri proculdubio ſummo conſenſu principum Perſiæ & Provincialium propoſitum fuit. Judæi etiam non ſeparatim, ſed ingenti agmine, quadraginta tria millia virorum, cum equitibus ſeptingentis, aſinis ſex millibus, & aliis plurimis impedimentis; non numeratis

uxoribus & liberis &c. è Babyloniorum finibus exierant, & ſedes ſuas deſertas reliquerant, vel aliis vendiderant ; id quod non poteſt paucorum annorum ſpacio è memoria hominum excidere. Ideò longum temporis ſpacium inter edictum Cyri, & ſecundum annum hujus Darii interceſſiſſe neceſſum eſt. Darius etiam Hyſtaſpis proculdubio conſiliarius Regis Cyri primarius fuit, & aliquot annorum ſpacio, in aula eam autoritatem collegit, ut inter Perſarum principes numeraretur, & regno non indignus haberetur, cùm tum temporis Regis non ab aratro arceſſerentur. Quare ſi hujus Darii Hyſtaſpis tempore quæſtio de edicto Cyri mota fuiſſet, non neceſſe habuiſſet Darius, ut de edicto hoc inquireret, cujus ipſe meminiſſet, & cui proponendo & promulgando præfuiſſet. Undecim enim tantum anni interſunt, à propoſito hoc edicto, ad ſecundum annum Darii: unde ſatis apparet, inquiſitionem hujus diplomatis, & inſtaurationem Politiæ Judaicæ ad ſecundum annum Darii Hyſtaſpis referri non poſſe ; ſed tempus inter edictum Cyri & ejus inquiſitionem præteriiſſe, quod memoriam hominum excederet.

Tertium argumentum ſuppeditant ſeptuaginta hebdomades Danielis. De ſeptuaginta hebdomadum apud Danielem initio pariter & fine multiplices ſunt Chronologorum ſententiæ. Quidam enim earum initium ab edicto promulgato a Cyro, quidam à ſecundo anno Darii Hyſtaſpis, quidam ab anno ſeptimo Artaxerxis Longimani, quidam ab anno viceſimo ejuſdem Longimani ducunt. Finem verò eorundem ſtatuunt quidam in profanatione templi ab Antiocho Epiphane Maccabæorum tempore facta, quidam in capta Hieroſolyma à Pompejo: quidam in capta Hieroſolyma ab Herode: quidam in anno paſſionis & mortis CHRISTI: quidam in morte Agrippæ Regis: quidam tandem in ultimo excidio populi Judaici, &c. Diverſitatis harum ſententiarum cauſa videtur eſſe præcipua, quòd non prius tempus ipſum per ſe numerarunt, & poſtea res geſtas ei applicarunt, & quod ſententiam Prophetæ Danielis non ex verbis vaticinii eruere conati ſunt, ſed ipſa verba ad opinionem ſuam præconceptam contorſerunt : cum tamen verba, ſi ſimpliciter ſpectentur, ſe poſitis paululum hiſtoriis, cuilibet videantur obvia & aperta. Quod enim ad finem eorundem attinet, is manifeſtè ſtatim in propoſitione vaticinii oſtenditur, quando Angelus inquit : *Septuaginta hebdomades determinata, ſive deciſa ſunt ſuper populum & urbem ſanctam.* Si ſeptuaginta hebdomades ſunt determinatæ, hoc eſt, ſi ſeptuaginta hebdomades ſunt menſura temporis ejus, quo duratura eſt urbs ſancta, ſive Politia Judaica, tum finiuntur etiam illæ ſeptuaginta hebdomades excidio Populi Judaici, & urbis Hieroſolymæ ; quomodo aliàs menſura ejus eſſe poſſent? nihil igitur clarius hac propoſitione. Quod verò ſubjicitur, *ut cohibeatur defectio, & obſignentur peccata, & expietur iniquitas, ad adducendum juſtitiam ſempiternam, & obſignandum viſiones, ac prophetiam, & ad ungendum Sanctum Sanctorum, &c.* eo non negatur hebdomades, ſeptuaginta in excidio urbis finem habituras, nec affirmatur eas in anno mortis & paſſionis CHRISTI, ut quidam magnopere contendunt, finiendas : aliàs etiam CHRISTUS demum anno paſſionis ſuæ unctus fuiſſet, cum unctus ſit ſtatim à prima conceptione, in utero matris. Sic enim hebdomades ſeptuaginta terminarentur in unctione CHRISTI, hoc eſt, in conceptione, ergò non in morte : Si in morte, ergo non in unctione ſive conceptione. Nequaquam igitur hoc volunt verba Angeli, ſed hoc nimirum, durantibus ad huc ſeptuaginta, ac proinde antequam finiantur, cohibitum iri defectionem obſignatum iri peccatum, expiatum iri iniquitatem, &c. & hæc omnia præſtitum iri Eccleſiæ, antequam ſpacium temporis, ultimo excidio populi & urbis ſanctæ præcisè à DEO definitum, terminum conſtitutum eſſet conſecutum. Proinde Sanctum Sanctorum, & promiſſum Meſſiam poſt illius temporis decurſum non ampliùs eſſe expectandum. Et hanc eſſe veram horum verborum ſententiam, uſitatus loquendi modus ſatis teſtatur, quando determinatur aliquod certum temporis futuri intervallum, & quid in eo ſpacio eventurum ſit, interjicitur. Præterea addit Angelus, poſt ultimam ſeptimanam deſtructum iri Sanctuarium, & urbem à populo Ducis venturi. *Poſt ſeptem & ſexaginta duas hebdomadas*, inquit, *quando CHRISTUS exciſus eſt, ſive exciſo CHRISTO, urbem & Sanctuarium deſtruet populus*, in Hebræo quidem ſimpliciter eſt, *& excidetur CHRISTUS, & urbem deſtruet populus, &c.* Sed hunc modum loquendi in Hebræa lingua uſitatum eſſe, ut per conjunctiones copulativas proponatur id, quod in Latina lingua per duos ablativos conſequentiæ effertur, norunt ii, qui ejus linguæ non ſunt rudes. Si jam excidium accidit poſt ultimam hebdomadem, Ergo excidium conſtituit finem hebdomadum. Tertio, ipſe CHRISTUS Salvator noſter idem affirmat, cujus interpretationem & ſententiam ſequi non ſolùm interpretibus tutum ; ſed etiam neceſſarium eſt, mandato divino id exigente. Sic autem inquit, quando diſcipuli de excidio templi quærebant, Matth. 24. v. 15. *Quando videritis abominationem illam vaſtatricem, quæ dicta eſt per Danielem Prophetam, in loco ſancto poſitam (qui legit animadvertat) tunc qui in Judæa fuerint, fugiant ad montes, &c.* quod reperitur Marci 13. verſ. 14. & explicatur Lucæ capit. 21. verſ. 20. *Cum videritis Hieroſolymam cingi ab exercitibus, tunc cognoſcite, appropinquare vaſtationem ejus. Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant in montes, & qui intra eam ſunt, excedant, & qui in agris, non ingrediantur in eam. Nam hi ſunt dies ultionis*, UT IMPLEANTUR OMNIA, QUÆ SCRIPTA SUNT. Ubi autem jam ſcripta ſunt in veteri Teſtamento, de idolo iſto abominationis, & quæ de ultima deſolatione urbis Hieroſolymorum fuerunt prædicta? nonne hoc ipſo in loco Danielis capite nono? Ergo CHRISTUS apertè teſtatur, vaticinium Danielis de ſeptuaginta hebdomadibus terminari in excidio Hieroſolymitano. Itaque finis hebdomadum certus eſt, nec arbitror quemque de eo rectè dubitare poſſe.

Jam etiam de initio. Angelus initium ſtatuit ſeptuaginta hebdomadum, ab exitu verbi de reducendo, & de ædificandis Hieroſolymis, hoc eſt, à publica-

bficatione edicti, de iterum extruendis Hieroſolymis. Quatuor autem edicta publicata recenſentur in libris Eſiæ & Nehemiæ. Itaque videndum, ad quodnam illorum initium ſeptuaginta ſeptimanarum ſit propriè referendum.

Primum edictum eſt Cyri, quod extat 2. Chron. 36. v. 22. Et Eſræ primo, quo Judæi laxatâ captivitate Babylonicâ, redire jubentur Hieroſolymam, & ædificare templum Domini, adjuti opibus vicinorum. Hoc edictum impeditur adhuc vivente Cyro, & poſtea ſub Ahaſvero & Artaxerxe regibus Perſarum, Eſræ 4.

Secundum edictum eſt, quando Spiritu ſancto incitati Prophetæ Haggæus & Zacharias, ſententiam DEI inſtaurationc templi, jam non ampliùs inhibendâ, ſed promovendâ, & penitùs perficiendâ, promulgant; quam ſententiam non ſolùm Darius rex Perſarum ratam facit, ſed edictum Cyri de inſtauratione templi, ſollicitè quæſitum & inventum, renovat, promulgat & confirmat, capitali & infami ſupplicio conſtituto omnibus, qui quoquo modo inſtaurationem hanc Politiæ Judaicæ impedire conentur, Eſræ 6.

Tertium edictum eſt Artaxerxis, quo, anno imperii ſui ſeptimo, concedit Judæis & Sacerdotibus, Eſram comitari volentibus, reditum in Judæam, & edictum Darii, de ſumtibus ſuppeditandis ad comparanda ſacrificia, & in templo Hieroſolymitano offerenda, repetit, renovat, & diligentius ſancit, Eſræ 7.

Quartum edictum eſt, quando idem Artaxerxes anno viceſimo ſui regni, Nehemiam mittit Hieroſolymam, cum poteſtate urbis muniendæ. Nehem. 2.

Si jam quiſpiam attentè conſideret, cuinam ex hiſce edictis initium ſeptuaginta hebdomadum rectè convenire poſſit, non arbitror quenquam futurum, qui non edictum ſecundum cæteris omnibus præferat, & hinc annos ſeptuaginta hebdomadum numerare cupiat. In eo enim edictum Cyri de inſtaurando templo, & inſtituendâ Politicâ Judaicâ non tantùm à Dario Rege Perſarum repetitur & renovatur, ſed etiam ab ipſo autore hujus vaticinii, DEO Jehovâ per Prophetas promulgatur. Hoc igitur edictum rectè dici poteſt egreſſus ſermonis de inſtaurandâ Jeroſolymâ, Spiritu ſancto videlicet autore potiſſimùm, & deinde Dario Rege promulgante, & ſumtus ſuppeditante. Præterea hoc edictum Darii nunquam poſtea impeditum fuit, quemadmodum edictum Cyri. Ideò ab edicto Cyri numeratio hebdomadum inſtitui non poteſt. Tertium verò edictum partem tantùm edicti Darii, de ſacrificiis, ſumtibus Regum Perſarum ſuppeditandis, repetit. Et quartum edictum in ſpecie tantùm muros Hieroſolymitanos ædificandos concernit. Simpliciſſima igitur ſententia, quam de ſeptuaginta hebdomadum initio, & fine, verba Danielis, propriè intellecta, gignunt, eſt, quòd numerari debeant à ſecundo anno Darii Regis Perſarum; & quòd eædem hebdomades finiantur in ultimo excidio Hieroſolymitano. Jam videamus, quomodo hæc quadrent ad tempus in Chronologiâ deſcriptum. Excidium urbis Hieroſolymæ adeò apud hiſtoricos, tàm prophanos, quàm Eccleſiaſticos celebre eſt, ut ejus tempus ignorari non poſſit. Veſpaſianus enim fatalis hujus belli dux, miſſus à Nerone in Judæam, atrociſſimo bello Judæos affligit, anno æræ Chriſtianæ 68. anno Mundi 4017. & poſt biennium, Judæos internecione ferè, expugnatâ Hieroſolymâ, & ſolo æquatâ, per Titum filium trucidat. Hinc anni 490. tot enim annos ſeptuaginta hebdomades efficiunt, ſubducti, reſiduum exhibent annum Mundi 3527. qui eſt ſecundus annus, non Darii illius Hyſtaſpis, ſed Darii Nothi, Regis Perſarum, qui parentem habuit Artaxerxem Mnemona filium ſucceſſorem. Manifeſtum igitur eſt, expreſſis verbis Eſræ, & ex inquiſito edicto Cyri, & ex fine ſeptuaginta hebdomadum Danielis, nullum alium Darium in regno Perſarum dari poſſe, cujus anno ſecundo ædificatio templi, hactenus ſub regibus Perſicis impedita, repetita & continuata fuerit, quàm Darium illum, qui ab Ethnicis Scriptoribus Darius Nothus appellatur, cujus decimus tertius annus Imperii, apud Thucydidem cum viceſimo anno belli Peloponneſiaci, hoc eſt, cum anno Olympiadico 365. ſive anno Mundi 3538. comparatur. Ad loca autem Prophetarum, Haggæi & Zachariæ, quæ objiciuntur, reſponderi poteſt, primùm Zachariam, quando dicit: *Domine Deus exercituum, quouſque non miſeraberis Hieroſolyma, & urbe Juda, quibus iratus es? jam hic agitur annus ſeptuageſimus &c.* non numerare annos propriè. Nam cap. 7. verſ. 5. quarto anno Darii, poſt biennium iterum numerat eoſdem annos ſeptuaginta. Si quarto anno fuit annus ſeptuageſimus, ergò idem ſeptuageſimus anno ſecundo Darii agi non potuit. Ideo proculdubio Zacharias non tàm ad ſeptuaginta captivitatis Babylonicæ annos, quàm ad alium populo Judaico lugubrem eventum reſpicit. Edictum autem Ahaſveri ſive Xerxis, quo inhibuit ædificationem templi, & urbis Hieroſololymæ, Eſræ 4. verſ. 6. præceſſit hunc quartum Darii annum ferè annis ſeptuaginta: ideo verba Zachariæ non malè ad ad hanc inhibitionem referri poſſunt. Sic ex verbis Prophetæ Haggæi, quando dicit: *Quis inter vos ſuperſtes, qui vidit domum hanc in majeſtate ſuâ priore &c.* non evincit, aliquem ſuperfuiſſe, qui domum Salomonis tempore Hæggæi vidiſſet. Sed ita accipiendum eſt, quaſi diceret. *O ſiquis veſtrum prioris domus gloriam vidiſſet, &c.* prorſus eâdem ratione, quemadmodum CHRISTUS ipſe loquitur, quando inquit: Quis ex vobis eſt, qui centum oves habeat? &c.

Quantitatem prioris domus potuerunt ratiocinari ex fundamentis illius templi, & ex ambitu montis Moriæ; & tempore Zorobabelis, cùm ex edicto Cyri primùm redirent Hieroſolymam, plurimi fuerunt, qui templum Salomonis viderant, ſed tempore Haggæi, annis 167. poſt caſum Sedekiæ, vix quiſpiam ſupereſſe potuit.

CAPUT XLIII.

De Annis Alexandræis, vel Contractuum.

ANni Græcorum, vel Alexandræi cœperunt, ut ſuprà demonſtratum eſt, Cyclo Lunæ 13. Solis verò 6. id quod circa hæc tempora accidere non poteſt, niſi anno Mundi 3638. Et cùm decurrat menſibus Lunaribus ad periodum Calippicam, primus eorum cœpit die 6. Septembr. feriâ quintâ. Annum autem Græcorum intelligmus, qui in totâ Græciâ, atque Aſiâ, uſque ad tempora Auguſti Cæſaris uſitatus fuit. Annus enim Græcorum, cujus uſus eſt in primo libro Maccabæorum, dimidiâ & poſteriore ſui parte tantùm, in hunc annum Alexandræū & Contractuum incidit, ſed alterâ ſui parte, priore ſcilicet, anticipat ſex menſibus, & cœpit ejus primus annus die 13. Martii, feriâ tertiâ, eodem Cyclo Lunæ 13. Solis 6. eodem anno Mundi 3638. Quòd autem Arabes & Aſtronomi dicunt, primum annum Alexandreum non feriâ quintâ cœpiſſe, ſed feriâ ſecundâ, in Calendis Octobribus, id hoc modo intelligatur. Anni Alexandrei poſt correctum Calendarium à Julio Cæſare, quod promulgabatur in omnibus Romanæ ditionis provinciis, in Julianos tranſierunt; ita quidem, ut menſes totidem diebus deſcriberentur, quot erant in Calendario Juliano: ſed nomina tamen menſium antiqua, & caput anni in Autumno Græci & Aſiatici retinerent, & primum diem anni à Calendis Octobribus, ſive ut ipſi vocabant, à Tisrin priore inchoarent, ut ſuprà dictum eſt. Arabes igitur & Aſtronomi, qui longo tempore poſt correctum Calendarium vixerunt & ſcripſerunt, ita ſenſerunt, quaſi anni Alexandrei in eâ formâ, quâ ſuo tempore uſurpabantur, etiam ab initio inſtituti eſſent: quæ hypotheſis, ſi vera eſſet, & primus annus Alexandreus in forma, qua ſuo tempore uſurpabantur, etiam ab initio inſtituti eſſent: quæ hypotheſis, ſi vera eſſet, & primus annus Alexandreus in forma Juliana ordinatus fuiſſet, cœpiſſetque à Calendis Octobribus, verum utique eſſet, quòd cœpiſſet feria ſecunda, ut Calendarium ſatis oſtendit. Hujuſmodi hypotheſes etiam alibi in hiſtoriis occurrunt, ut quando dicitur, Auguſtum Cæſarem natum die 22. Sept. quem diem ſi ad Calendarium noſtrum comparares, circa viceſimum Julii invenires, natus enim fuit ante correctum Calendarium, cùm Romani confuſiſſimo Calendario uterentur, & Septembris menſis eſſet Solſtitialis æſtivus. Ideò hujuſmodi hypotheſes obſervandæ, & ſi exactè tempus exprimendum eſt, explicandæ ſunt.

CAPUT XLIV.

De Ærâ Hiſpanicâ.

ÆRa Hiſpanica uſitatiſſima eſt in tomis conciliorum, & antiquioribus Hiſpaniæ monumentis. Frequentiſſima enim concilia habita fuerunt Toleti, & alibi in Hiſpania, imò etiam Carthagini, & aliis Africæ locis, cùm Vandali Africam occupaſſent, qui ex Hiſpania traducti, æram Hiſpanicam retinuerant, quæ omnia ad hoſce annorum numeros ſunt conſignata. Alphonſini vocant eam æram Cæſaris, alii κατ' ἐξοχὴν æram æræ. Antiquior autem eſt, quàm Epocha Chriſtiana duobus Cyclis lunaribus, annis videlicet 38. Datis igitur annis ad æram Hiſpanicam numeratis, ſi anni 38. ipſis ſubtrahantur, fiunt anni æræ Chriſtianæ. Primus annus æræ Hiſpanicæ habuit Cyclum Lunæ ſecundum, Solis viceſimum octavum, fuitque annus octavus ordinationis, ſive emendationis Julianæ. In Tomis Conciliorum Toletanum concilium ſic inſcribitur: *Incipiunt exemplaria profeſſionum in concilio Toletano contra ſectam Priſcilliani, Ærâ 438. Coſſ. Fl. Stilicone, & Fl. Aureliano &c.* ſubductis 38. reſtat annus quadringenteſimus CHRISTI, quo hi Conſules in feſtis recenſentur; & ſic de aliis.

Vocabulum autem æræ numerum ſignificat, quemadmodum apud Eccleſiaſticos Scriptores uſurpatur. Sed apud antiquiores, qui purè locuti ſunt, tantùm pluraliter in genere neutro uſurpatur, ut Cicero in Hortenſio: *Quid tu, inquam, ſoles, cùm rationem à diſpenſatore, accipis, ſi ſingula æra probaſti, ſummam, quæ ex his confecta ſit, non probare?* Lucilius. *Hæc ratio perverſa eſt: æra ſumma ſubducta improbe.* Poſterius tamen ſeculum mutavit neutrum in fœmininum, ut & alia.

CAPUT XLV.

De Anno Actiacæ victoriæ.

DUplex initium annorum Actiacæ victoriæ in hiſtoriis ſtatui, ſuprà diximus, quorum prius ducitur à pugna navali ad Actium Promontorium comiſſa: alterum verò à morte Antonii & Cleopatræ, de quo cum apud Chronologos controvertatur, hiſtoriam breviter ex Dione lib. 50. qui ſolus ex omnibus, qui hæc integrè ſcripſerunt, ad nos pervenit, recitabimus. *Conſulibus*, inquit Dio, *Octavio Cæſare ſecundùm, cùm L. Valeatio, cùm Octavius Lepidum trium virum imperio dejeciſſet, & provincias ejus occupâſſet, Antonius, etſi antea Ægyptum non conſulto Octavio ſibi ſumſerat, tamen hoc in ſui præjudicium fieri, cùm ex æquo provinciæ dividi deberent, putavit: hinc odiis exacerbati animi ſunt, & invicem legationes miſſæ quæ in ſpeciem de reconciliatione agerent, reverà tamen alterius res explorarent. Sequenti anno, anno Juliano 14. C. Domitio & C. Soſſio Conſulibus, Conſul Soſſius ipſis Calendis Januarii, multa in Antonii laudem, plurima verò in Octavii vituperationem, verba fecit, ad quam injuriam, ne Octavius Cæſar (qui poſtea Auguſtus appellatus eſt) vel tacere, vel etiam, ſi ſe Conſuli opponeret, bellum prior incipere videretur, negocium commentus, peregrè abiit. Reverſus Romam, cum præſidio in Senatum venit, & conſules ambos graviſſimâ oratione perſtrinxit, & accuſavit, qui ſe defendere non auſi, clam urbe egreſſi, ad Antonium ſe contulerunt. Octavius ſpontè ſe eos dimiſiſſe, & aliis, qui vellent, poteſtatem abeundi ad Antonium facere affirmavit. Antonius contrà,*

uxo-

uxorem Octaviam repudiavit, & totum ſe Cleopatræ dedidit: quo facto plurimos abalienavit, qui ad Octavium tranſierunt, inter quos fuit Titius & Plancus, qui teſtamentum Antonii obſignarant, & apud quos id depoſitum eſſet, ſciebant. Octavius teſtamentum id prolatum, & in ſenatu, & poſtea in concione recitavit, effecitque, cùm iniquiſſima in teſtamento continerentur, ut Antonio in ſequentem annum Conſuli deſignato, conſulatus abrogaretur, & bellum Cleopatræ indiceretur. Uterque igitur, & Octavius & Antonius, ſummâ vi bellum pararunt; ſed tamen ante hyemem copiæ nullæ produci potuerunt, ſequenti anno, anno Juliano 15. Coſſ. Oct. tertiùm, & Valerio Meſſalâ, qui in locum Antonii ſurrogatus fuerat, Vere ineunte, Octavius aſſumtis principibus Romanæ urbis, Brunduſio cum exercitu ad Actium Promontorium proficiſcitur, caſtriſque communitis, ubi Nicopolis poſtea fuit, vicinos ſuæ ditionis facere aggreſſus eſt: eo etiam venit paulo pòſt ipſe Antonius, cum omnibus copiis, ſed exercitu ejus levioribus prælus attrito, & ipſe etiam defectione ferè totius Græciæ conturbatus, cum in Ægyptum abitum pararet, ab Octavio ad pugnam cogitur. Ubi cùm diu æquo Marte certatum fuiſſet, Cleopatra prælii inſueta fugit, & totam ſimul fere aciem ſecum in fugam traxit; qui effugere non potuerant, & prælium ſuſtinebant, igne expugnati ſunt. Prælium commiſſum die 2. Septembr. Ab hoc die Octavius ſolus rerum potitus eſt, & hinc numerantur anni 44. usq. ad ejus obitum, apud Dionem & Xiphilinum. Poſt prælium Octavius res in Græcia & Aſiâ compoſuit, & mediâ hyeme Romam reverſus. Conſulatum init quartum cum M. Licinio Craſſo. Dio, lib. 51. factum ineunte anno Juliano 16. Cleopatra vero in Ægyptum rediens, victoriam mentita, proras navium coronavit, & triumphum à tibicinibus concini juſſit, & copias cum Antonio, qui in Africâ ad exercitum non admiſſus fuerat, novas, auxiliaque quantum potuit, coegit: verùm cùm clades taceri non poſſet, & populi regeſque in Ægypto & Aſiâ ſimul auxilia denegarent, Antonius & Cleopatra legatos ad Octavium mittunt, qui ſimul de pace agerent, & interim auro, quo abundabat, exercitum Octavii ad proditionem inſtigarent. Octavius Auguſtus vero in Ægyptum cum exercitu trajiciens, Pelusium proditione cœpit, & copias Antonii fugavit, pauloque pòſt Alexandriâ potitus eſt, die 26. Mart. Antonius & Cleopatra mortem conſciverunt. Partâ victoriâ, Octavius provinciam Ægyptum ordinavit, & Cornelium Gallum, de quo Virgilius canit, ei præpoſuit. Nicopolin præterea in Ægypto condidit, ubi Antonium vicerat, & militibus præmia diſtribuit, & per Syriam in Aſiam in hyberna profectus eſt. Hiſce Romam nunciatis, multa in honorem Cæſaris decreta ſunt, & inter cætera, ut templum Jani clauderetur, & ab anno captæ Alexandriæ reliquis annis numerandis initium ſumeretur; ſtatuæ etiam Antonii dejectæ ſunt à Ciceronis filio, qui in aliquâ parte anni tum Conſul fuit. Hæc & alia, ut fierent, Octavius permiſit.

Porrò, anno Juliano 17. Octavio quintùm Conſule cum Sex. Apulejo, ipſis Cal. Januarii, iterum multa in honorem Octavii decreta ſunt à ſenatu. Ipſe verò ex Aſiâ in Græciam, & inde in Italiam trajecit, ubi triplicem triumphum egit. In triumpho univerſus ſenatus ſecutus eſt currum, cum antea in triumphis magiſtratus currum triumphantis præcederent: cæteri verò ſenatores ſequerentur. Hunc annum Dio vocat annum Urbis 725. & conſulatum hujus anni Octavius, quemadmodum & biennio toto antecedenti, integrè adminiſtravit, cùm aliàs ſibi honorarios Conſules ſubſtitueret.

Anno ſequenti, anno Juliano decimo octavo, Octavio ſextùm Conſule, cum M. Vipſanio Agrippâ ſecundùm Conſule, cenſum egit Octavius, Apollinis templum perfecit & dedicavit, ludos quinquennales inſtituit, & Triumviratûs acta abolevit; quo facto ingentem apud cives gratiam inivit, quâ, ut uteretur, & imperium ſuum ſtabiliret, volentibuſque imperaret, ſequenti anno, anno Juliano decimo nono, ſeptimum Conſulatum iniens cum Vipſanio, orationem in ſenatu, quâ imperio ſe abiturum pollicebatur, recitavit: quâ effecit, ut omnibus ſummè annitentibus compelleretur, ut principatum ſolus obtineret, ideoque die 17. vel 13. Februarii ſententiâ L. Munacii Planci, à ſenatu, cæteriſque civibus Auguſtus appellatus eſt: & hinc incipiunt anni Auguſtorum, ut eſt apud Cenſorinum.

Hæc ſumma eſt hiſtoriæ de Auguſto, quæ in hæc tempora incidit, ſummâ fide ex libris Dionis, quinquageſimo & ſequentibus collecta: nec eſt Hiſtoricus alius, qui hiſce contraria ſcribat. Tutò igitur huic narrationi inſiſtere poſſumus. Patet autem, victoriam Actiacam accidiſſe Auguſto tertiùm Conſule, cum Valerio Meſſalâ; & *annum captæ Alexandriæ & mortis Antonii*, vel, ut poſtea appellârunt, *Actiaca victoria*, incipere eo anno, quo Octavius quartum Conſulatum geſſit, cum M. Licinio Craſſo: Triumphos autem actos de tot victoriis, cùm quintùm eſſet Conſul cum Sext. Apulejo: & quòd Auguſti appellatione honoratus ſit biennio poſt, ſe ſeptimùm, cum Vipſanio Agrippâ tertiùm Coſſ. & hinc *annos Auguſtorum* incipere. Jam etſi ſupra ex Cenſorino & Ptolomæo demonſtravimus, quibus Cyclis ſingula acciderint; atque ita etiam quo anno Juliano, tamen eandem rem per Conſules etiam firmabimus. Conſules circa hæc tempora, à primo bello Punico, uſque ad tempora Trajani, per annos pluſquam trecentos tantâ diligentiâ ab hiſtoricis in ordinem digeſti ſunt, ut ne de uno quidem diſceptetur: ideò ſecurè Conſulibus in annis digerendis niti poſſumus. Recenſebimus autem tantùm eos, qui fuerunt à primo anno Juliano, uſque ad annos hoſce Auguſtorum.

	Anni Iuliani.		*Conſules.*
1.	C. Julius Cæſar. IIII.	&	Q. Maximus.
2.	C. Julius Cæſar V.		M. Antonius.
3.	C. Panſa.		A. Hirtius.
4.	M. Lepidus.		L. Plancus.
5.	P. Servilius.		L. Antonius.
6.	C. Domitius Ahenobarb. II.		C. Aſinius Pollio.
7.	L. Cenſorinus.		C. Calviſius.
8.	Ap. Claudius.		C. Norbanus.

9. M.

9.	M. Agrippa Vipſanius.	L. Canidius Gallus.
10.	L. Gellius.	M. Coccejus.
11.	Sext. Pompejus.	L. Cornificius.
12.	M. Antonius.	L. Scribonius Libo.
13.	C. Octavius Cæſar. II.	L. Volcatius.
14.	Cn. Domitius.	C. Soſſius.
15.	C. Octavius Cæſar III.	M. Valerius Meſſala.
16.	C. Octavius Cæſar IIII.	M. Licinius Craſſus.
17.	C. Octavius Cæſar V.	Sext. Apulejus.
18.	C. Octavius Cæſar VI.	M. Vipſanius Agrippa II.
19.	C. Octavius Cæſar VII.	M. Vipſanius Agrippa III.

Hi Conſules, hoc, quo deſcripti ſunt, ordine, unanimi conſenſu hiſtoricorum ita recenſentur: unde manifeſtum eſt, Actiacam pugnam incidiſſe in annum quindecimum Julianum, qui eſt nonus cycli Lunaris. Primus enim annus Julianus, ut ſupra demonſtravimus, habet cyclum Lunæ decimum quartum. Sequenti deinde anno, poſt expugnatam Alexandriam, per ſenatus conſultum decretum fuit, ut æra à devictâ Alexandriâ inſtitueretur, quæ æra Actiacæ victoriæ pòſt appellata eſt, anno Juliano decimo ſexto, cyclo Lunæ decimo. Neque enim Romani hâc ærâ, ſive epochâ uſi ſunt, ſed Ægyptii, qui hanc recipere non poterant, viventibus & dominantibus Antonio & Cleopatrâ, ideo etiam in hiſtoricis, quando hæc epocha definitur, tum deſcribitur, quòd cœperit mortuo Antonio, annis ab obitu Alexandri elapſis 294. Anni autem Auguſtorum cœperunt anno 19. Juliano, Cyclo Lunæ 13. ut ſupra etiam probavimus. Jam cùm certum ſit, annos Actiacæ victoriæ ſucceſſiſſe annis Nabonaſſareis in Ægypto, & annum Nabonaſſaris 719. eſſe primum Actiacæ victoriæ, & incipere à viceſimo nono die Auguſti, quemadmodum adhuc hodie videre eſt in annis Diocletiani; quæritur meritò, quomodo primus dies menſis Thot in hunc diem incidere potuerit, & quidem in feriam primam, cyclo Solis octavo, literâ Dominicali E? Regula enim ſuprà, de redigendis annis Nabonaſſareis ad annos Julianos, oſtendit primum diem Thot anni 719. cœpiſſe ab ultimo Auguſti, id quod vult etiam litera Dominicalis. Reſpondeo, factum id fuiſſe ex vitiosâ intercalatione Pontificum apud Romanos. Julius Cæſar enim ita ordinaverat annum, ut præter dies 365. etiam ſex horas contineret, quæ horæ per ſingulos annos collectæ, diem, quarto anno poſt diem 23. Februarii intercalandum, efficerent. Hoc cum Pontifices minùs rectè intelligerent, quovis quarto anno quidem diem intercalârunt, ſed non quarto anno exacto, ut Cæſar voluerat, ſed quarto anno currente. Hinc fiebat, ut pro horis octodecim, quæ in annis tribus collectæ erant, dies integer intercalaretur, & Calendarium hoc modo corrumperetur: quod ut Lector faciliùs intelligat, proponamus illos annos, in quibus intercalatione aberratum fuit, uſque ad annum 53. quo fuit reſtitutum. Intercalatio autem, ut notum eſt, intelligitur eo anno facta, qui geminas obtinet literas Dominicales: apponemus autem etiam intercalationem juſtam, qualis eſſe debuerat, ut ſtudioſi faciliùs ex collatione appoſitâ, ubi erratum fuerit, cognoſcere poſſint.

Anni

Anni Iuliani.	Cycl. Sol.	Intercalatio juſta.	Intercalatio vitioſa.	Anni Iuliani.	Cycl. Sol.	Intercalatio juſta.	Intercalatio vitioſa.	Cyclus Solis vitioſus Chriſtmanni.	
1	21	C B	C [illegible]	29	21	C B	G	1	F
2	22	A	A	30	22	A	F	2	[illegible]
3	23	G	G	31	23	G	E D	3	D
4	24	F	F	32	24	F	C	4	C B
5	25	E D	D	33	25	E D	B	5	A
6	26	C	C	34	26	C	A G	[illegible]	G
7	27	B	[illegible] A	35	27	B	F	7	F
8	28	A	G	36	28	A	E	8	E D
9	1	G F	F	37	1	G F	D C	9	C
10	2	E	E D	38	2	E	[illegible]	10	B
11	3	D	C	39	3	D	A	11	A
12	4	C	[illegible]	40	4	C	G	12	G F
13	5	B A	A G	41	5	[illegible] A	F	13	E
14	6	G	F	42	6	G	E	14	D
15	7	F	[illegible]	43	7	F	D	15	C
16	8	E	D C	44	8	E	C	16	B A
17	9	D C	B	45	9	D C	B	17	G
18	10	B	A	46	10	B	A	18	F
19	11	A	G F	47	11	A	G	19	E
20	12	G	E	48	12	G	F	20	D G
21	13	F E	D	49	13	F E	E	21	[illegible]
22	14	D	C B	50	14	D	D	22	A
23	15	C	A	51	15	C	C	23	G
24	16	B	G	52	16	B	B	24	F E
25	17	A G	F E	53	17	A G	A G	25	D
26	18	F	D					26	C
27	19	E	C					27	B
28	20	D	B A					28	A G

Hic vides, candide Lector, anno 16. Juliano, ſecundum vitioſam intercalationem, fuiſſe literam Dominicalem C in menſe Auguſto. Litera autem C in menſe Auguſto invenitur, non in ultimo die Auguſti, ſed in antepenultimo die in viceſimo nono. Ergo hic viceſimus nonus dies Auguſti eſt feria prima, & præbet initium anno Nabonaſſareo 719. Intercalationem hanc vitioſam Auguſtus Imperator correxit, ánno Juliano triceſimo octavo; anno viceſimo Auguſtorum, ut Cenſorinus annotat; ita ut duodecim annos ſine intercalatione tranſmitteret, & anno 53. Juliano, Calendarium in integrum reſtitueretur, ut in tabulâ vides. Atq; hæc eſt vera ſententia, de corrupto & reſtituto Calendario Juliano.

Jacobus Chriſtmannus, Profeſſor Heidelbergenſis, in Alfragano ſuo turbat hîc, & Calendarium anno Juliano 52. reſtitutum, & ſtatim anno tertio Juliano intercalatione corruptum aſſerit: quæ res etiamſi videri poſſet non magni momenti, tamen cùm hoc modo pleræque feriæ ab initio Mundi usque ad quingentos ferè annos poſt Chriſtum natum in Calendario Juliano turbentur, ſilentio præteriti non debet. Chriſtmannum autem falli argumento eſt, quòd nullum prorſus argumentum producere poteſt, quod ſententiam ſuam confirmet. Producere quidem aliqua conatur, quorum tria de feſto Paſchatis à D. Ambroſio annotata, ſuprà, cùm de terminis Paſchalibus cap. 16. ageremus, examinavimus. Verùm prorſus nullum invenitur, etſi verbis ſatis magnificis proponuntur, quod ſententiæ ſuæ quicquam proſit. Argumenta verò, quæ ſententiam ejus evertunt, multa inveniuntur, quorum hoc primum ſit, quòd Macrobius & alii, qui de hoc errore Pontificum ſcribunt, expreſsè dicunt, Pontifices Romanos in hoc erráſſe, quòd quarto quoque anno incipiente diem intercalârint. Si quarto anno intercalârunt, ergò non tertio, ut vult Chriſtmannus. In anno enim confuſionis, qui primum annum Julianum præceſſit, omnia, quæ ſuperflua erant, Julius Cæſar intercalârat: & primo anno Juliano novus ab integro ſeculorum naſcebatur ordo, ut Virgilius ait, & primo anno colligebantur ſex tantùm horæ, quibus annus ultra dies 365. abundabat; ſecundo anno iterum ſex horæ. Si jam tertio anno Pontifices intercalâſſent, aſſeveratione Chriſtmanni; ex imperitis prorſus ſtulti facti eſſent, ſiquidem ex duodecim horis integrum diem ſive horas viginti quatuor feciſſent, &

Calen-

Calendario inſeruiſſent: id quod contra omnium veterum, qui de hâc re ſcripſerunt, ſententiam affirmatur.

Deinde Cenſorinus, accuratus temporum vindex, ſcribit Auguſtum Cæſarem, viceſimo anno Auguſtorum Calendarium emendâſſe, & duodecim annis intercalationem ſuſpendiſſe. Viceſimus autem annus Auguſtorum, eſt annus triceſimus octavus Julianus; non, ut Chriſtmannus ſomniat, triceſimus ſeptimus. Si enim annus Auguſtorum 265. ut Cenſorinus habet, eſt annus Julianus 283. Ergò viceſimus Auguſtorum eſt triceſimus octavus Julianorum: triceſimo ergò octavo Juliano Auguſtus Calendarium emendavit, & ſextilem menſem Auguſtum appellavit; & annus quinquageſimus tertius cyclo Solis 17. recepit primum biſſextum in literis A. G. quemadmodum & hodie fit; aliàs duodecim anni ſine intercalatione tranſmitti non potuiſſent.

Tertiò, Valentinianus Imperator anno CHRISTI 364. eligitur imperator, die 24. Februarii, die intercalari: quem cùm infauſtum putaret, rem diſtulit in diem ſequentem. Si annus CHRISTI 364. fuit biſſextilis; ergò etiam annus CHRISTI octavus, qui eſt annus Julianus 53. biſſextilis erit.

Quartò, motus cœleſtes evidentiſſimè Chriſtmannum refutant. Ptolomæus annotat anno Nabonaſſaris 367. die 16. Thot, Eclipſin Lunarem. Studioſus Lector, ſi obſervaverit, quomodo feriæ in annis, menſibus, & diebus Nabonaſſaris deprehendantur, ſtatim videbit annum Nabonaſſ. 367. cœpiſſe feriâ ſextâ, Eclipſin factam feriâ ſeptimâ. Summæ autem Aſtronomicæ oſtendunt, eam Eclipſin incidiſſe in diem 12. Decembris, in horam nonam veſpertinam, in literâ C. anno mundi 3568. Ergò neceſſe eſt, ut litera C. indicet eo anno feriam ſeptimam, & non feriam primam, ut vult Chriſtmannus, fuit enim cyclus Solis viceſimus. Sic anno Nabonaſſaris 574. eclipſis Lunæ facta eſt die 26. Phamenoth, feriâ ſextâ. Calculus Aſtronomicus oſtendit, eam factam die 30. Aprilis finiente, in mediâ nocte. Ergò triceſimus dies Aprilis, qui habet literam A. eo anno fuit feriâ ſextâ, & C. fuit litera Dominicalis, non litera B. ut ſcribit Chriſtmannus, anno mundi 3776. Sic anno Nabonaſſaris 607. facta eſt eclipſis Lunæ, die ſecundâ Tybi, feriâ tertiâ. Eclipſis autem hæc, ſi ad calculum revocetur, invenitur facta die 27. Januarii, in literâ F. ergò litera F. fuit feria tertia, & litera D. indicavit feriam primam, non litera C. ut ſomniat Chriſtmannus: aliàs F. indicaret feriam quartam, anno Mundi 3809.

Quintò, hoc etiam argumentum aſſumi. Poteſt. Patres Concilii Niceni, qui cyclum Solis ordinarunt, cum annum primi Cycli voluerunt eſſe, qui primam etiam literam, ex earum numero, quæ Dominicum diem incidant, haberet. Prima autem litera inter haſce eſt G. Nam inverſo ordine & regrediendo literæ hæ diem Dominicam indicant, non progrediendo, aliàs A. eſſet primi Cycli litera, quæ jam eſt ultimi anni. Ergò litera G. pertinet ad primum Cyclum. Chriſtmannus contra, literam F. primo Cyclo tribuit, contra rationem omnem, cùm F. non earum literarum Dominicalium prima ſit, ſed ſecunda, ut videre eſt in præcedente tabulâ, in Cyclo Chriſtmanni. Sic plura hujuſmodi argumenta adduci poſſent: ſed hæc ſufficiant, quæ adeò firma & manifeſta ſunt, ut Chriſtmanno per haſce demonſtrationes muto eſſe liceat.

Fingit quidem Chriſtmannus, Calendarium Julianum iterum emendatum eſſe, circa annum CHRISTI 464. Sed hujus emendationis, neque vola, neque veſtigium ullum, ut dicitur, apud ullum Hiſtoricum extat: & præterea tum temporis, in imperio Occidentali tanta fuit rerum confuſio, ut nunquam aliàs ejusmodi extiterit. Viginti enim annorum ſpacio, decem fuerunt in imperio Imperatores, qui ferè omnes violentâ morte perierunt. Quomodo igitur de emendando Calendario, & quidem de uno die intercalando, Concilium Occumenicum indici potuiſſet, aut quæ neceſſitas eos coëgiſſet, ut diem inſererent? Somnia hæc ſunt hominis nimium ſibi ſapientis & tribuentis.

CAPUT XLVI.

De vero anno nativitatis Chriſti.

Mirum forſitan cuipiam videri poſſet, in dubium vocare velle annum nativitatis CHRISTI. Ita enim aſſuevimus in totâ repub. Chriſtianâ, annis æræ Chriſtianæ, à CHRISTO nato numeratis, ut non facilè cuiquam ſuſpicio ſuboriri poſſit, erratum in hiſce eſſe. Præterea eſt epocha antiquiſſima, ultra mille annos in Eccleſiâ uſurpata, & diuturnâ temporis præſcriptione confirmata. Ideò hâc ærâ nixi plerique Chronologi, quod in aliis hiſtoricis pugnare viſum fuit, audacter ad hanc æram Chriſtianam emendârunt; & poſtea hâc ſeducti, in præcipuis epochis Mundi, ut in Olympiadibus, annis Urbis, annis Nabonaſſaris, & aliis, turpiter aberrârunt. Sed qui characteres Chronologicos, certiſſimos temporum judices, ſequuntur, ii ſtatim deprehendunt, pugnam illam annorum CHRISTI cum hiſtoricis, non culpâ illorum hiſtoricorum accidere, ſed vitio æræ Chriſtianæ, quæ à verò nativitatis CHRISTI anno non rectè numeratur: ut inſequentibus videbimus.

Bucholzerus, in ſuâ Iſagogâ Chronologicâ, apertè & diſtinctè proponit, CHRISTUM θεάνθρωπον natum die 25. Decembris, anno Nabonaſſaris 746. anno Actiacæ victoriæ 28. anno tertio Olymp. 194. ſive anno Olympiadico 775. & anno Urbis conditæ 752. Conſule Auguſto decimum tertium, cum Plautio Sylvano, &c. Hujus ſententiæ ſunt & reliqui Chronologi, niſi quòd Chriſtmannus Heidelbergenſis Profeſſor addit, CHRISTUM natum anno viceſimo octavo annorum Auguſtorum. Qui jam characteres Chronologicos adhibet, ſtatim videt verba Bucholzeri de vero anno nati-

nativitatis Chriſti non tantùm non inter ſe convenire, ſed ſe invicem plane deſtruere.

Vulgaris noſtra opinio de anno navitatis Chriſti eſt, quòd natus ſit die 25. Decembr. anno Mundi, qui habeat cyclum Lunæ primum, & cyclum Solis nonum, finientes: ita ut Calendæ Januariæ proximè viceſimum quintum illum diem ſequentes, incipiant cyclum Lunæ ſecundum; Solis verò decimum. Ideò *in inquirendo cyclo Lunæ, annis Chriſti addimus unitatem: in cyclo Solis verò eruendo, novem*, id quod hodie vel pueris notum eſt. Jam ut errores Bucholceri, & aliorum Chronologorum demonſtremus, ad characteres Chronologicos, ſive ad cyclum Solis & Lunæ, verba Bucholzeri examinabimus.

Primùm ait, Chriſtum natum anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto Nabonaſſaris. Si Cyclum Solis & Lunæ inquiramus in hoc anno, ad methodum ſuperiùs traditam, inveniemus eum cœpiſſe die 24. menſis Auguſti, feria ſeptima, Cyclo Solis 7. litera Dominicali F. Cyclo Lunæ 18. Si jam CHRISTUS natus eſt hiſce Cyclis adhuc currentibus, & ferè finientibus tum hodiè ad Cyclum Lunæ eruendum, addenda eſſent annis æræ Chriſtianæ octodecim; ad Cyclum verò Solis ſeptem. Atqui hoc hodie non fit, ſed unitas tantùm additur ad eruendum Cyclum Lunarem; novem verò, ad inveniendum Cyclum Solarem. Ergò manifeſtum eſt, annum Nabonaſſaris 746. nequaquam convenire cum annis æræ noſtræ Chriſtianæ, ſed antecedere eos integro biennio, binario enim hi Cycli à cyclis æræ Chriſtianæ differunt.

Deinde addit, Chriſtum natum anno Actiacæ victoriæ viceſimo octavo. Annos autem Actiacæ victoriæ ipſe Bucholzerus numerat, non à morte Antonii, vel à capta Alexandria; ſed à pugna ad Actium Promontorium, quemadmodum apertè ſe ibi explicat. Pugna illa, ut demonſtravimus, accidit anno 15. Juliano, qui fuit nonus Cycli Lunaris, ſeptimus verò Cycli Solaris. Ergò viceſimus octavus annus Actiacæ victoriæ, ad Bucholceri ſententiam, habet cyclum Lunæ 17. & Solis ſextum. Si jam Chriſtus natus eſt cyclo Lunæ 17. Solis ſexto, tum hodiè ad cyclum Lunæ inveniendum ſeptendecim eſſent addenda, ad cyclum verò Solis eruendum ſex. Id verò fieri nequit. Ergò annus Actiacæ victoriæ 28. ad Bucholzeri ſententiam, triennio differt ab anno nativitatis Chriſti vulgato. Tertiò Bucholzerus addit, Chriſtum natum anno Olympiadico 775. anno urbis 752. In hiſce annis cyclus Lunæ eſt decimus nonus, Solis verò octavus. Atqui nec hi cycli conveniunt ad annos vulgatæ æræ Chriſtianæ. Nam ſi Chriſtus hoc anno horum cyclorum natus eſſet, tum in inveniendo cyclo Lunari hodiè prorſus nihil addendum eſſet, ſed ipſi anni Chriſti, ſi per 19. dividerentur, per ſe exhiberent cyclum Lunæ, differentia igitur eſt unius anni.

Quartam determinationem anni nativitatis Chriſti addit Chriſtmannus Heidelbergenſis, qui vult, Chriſtum natum anno viceſimo octavo Auguſtorum, quem invenies decurrere cyclo Lunæ tertio, Solis undecimo. Si Chriſtus hiſce cyclis finientibus natus eſſet, tum hodiè in cyclo Lunæ inveniendo addendus eſſet ternarius; in cyclo verò Solis eruendo undecim. Diſſentit igitur & hæc determinatio Chriſtmanni à vulgata nativitatis Chriſti epocha. Videt æquus Lector, quàm malè Bucholcerus verba hæc de vero anno nativitatis Chriſti conſarcinaverit, & quàm ſeſe invicem deſtruant. Si enim ad primam ejus determinationem Chriſtus natus eſt anno Nabonaſſareo 746. tum hic annus, vulgatæ æræ Chriſtianæ 1604. dicendus eſſet annus à nato CHRISTO 1616. ſecundùm alteram determinationem dicendus eſſet 1607. ſecundùm tertiam 1605. ſecundùm Chriſtmannum verò tantùm 1602. Atque hoc modo Bucholzerus tribus vicibus augurari conatus eſt, eum annum, quo vulgò Chriſtum natum eſſe credimus, ſed hariolatus eſt, & conjecturâ ſuâ ter turpiter etiam à vulgata epocha aberravit. Chriſtmannus verò in contrariam partem peccavit, & annum Chriſtum biennio minorem ſtatuit, quàm vulgaris opinio habet.

Videt autem ex hiſce quivis, quòd quinque ſint ſententiæ de vero anno nativitatis Chriſti, quarum prima eſt vulgaris illa, quam in Eccleſia ſequimur: tres alias diverſas exhibent verba Bucholceri: quintam addit Chriſtmannus. Adeò pugnant inter ſe Chronologorum opiniones. Nonne jam ignominioſum propè eſt nobis Chriſtianis, de hac Chriſti θεανθρώπου tam celebri, tam ſolenni, tam neceſſaria epocha, à qua annos ſalutis noſtræ numeramus, diverſis opinionibus diſſidere, & qui verus tandem nativitatis Chriſti annus ſit, ignorare? Operæ precium ergò facturus videor, ſi quantum fieri poteſt, ſummâ diligentiâ verum nativitatis Chriſti annum inquiramus. Antequam tamen hoc faciamus, prius aliquid de quinque his Chronologorum opinionibus, quos autores & ſectatores habeant, dicemus.

Prima opinio, quæ ſtatuit, Chriſtum natum eo anno, qui cyclum Lunæ 18. & Solis ſeptimum habet, autore nititur Euſebio in primis: qui ait, Chriſtum natum anno Actiacæ victoriæ viceſimo octavo, hosque annos numerat, non ut Bucholcerus à pugna ad Actium, ſed à morte Antonii, & à capta Alexandria: & tum annus 28. Actiacæ victoriæ hoſce cyclos obtinet. In hac ſententia etiam eſt Clemens Alexandrinus, Caſſiodorus, Cedrenus etiam, & qui Cedreno quadringentis annis antiquior eſt, Maximus Monachus, qui aſſerunt Chriſtum natum die 25. Decembr. feria quarta; quod fieri non potuit, niſi cyclo Lunæ 18. Solis 7. litera Dominicali F. Hos ſequuntur præterea alii, ut Proſper, Sigebertus, Marianus Scotus, Cuſpinianus, & alii. Quòd verò Euſebius addit, Chriſtum natum anno quadrageſimo ſecundo Auguſti Cæſaris, non diverſum ſentit. Nam annos Auguſti numerat ad præſcriptum Joſephi hiſtorici, qui ait lib. 18. cap. 3. & alibi, Auguſtum imperaſſe annis 57. Mortuus autem eſt Auguſtus decimo ſexto anno, poſt Chriſtum natum: qui ſi ſubtrahantur, relinquunt annum quadrageſimum ſecundum imperii currentem.

Secunda opinio, quâ Bucholcerus ſtatuit, Chriſtum natum cyclo Lunæ decimo ſeptimo, Solis verò ſexto, neminem, quod ſciam, habet ſectatorem: ideò nihil de ea addamus; ſua ſpotè enim corruit.

Tertia opinio, quâ ſtatuitur, Chriſtum natum cyclo Lunæ decimo nono; Solis octavo, eſt Epi-

O phanii,

phanii, qui ait Chriſtum natum Coſſ. Auguſto decimum tertium, cum Plautio Sylvano. Euſebius etiam ipſi in Chronologia accedere videtur, quando nativitatem CHRISTI in annum tertium Olymp. 194. ponit, niſi fortaſſe eſt error librarii. Euſebius enim expreſsè deſcriptionem orbis ſub Cyrenio factam, in ſecundum annum Olympiadis 194. collocat, hoc eſt, in eo anno, qui habet Cyclum Lunæ 18. Solis 7. Sequuntur Epiphanii opinionem Eccleſiaſtici Scriptores plerique Auguſtinus, Hieronymus, item Oroſius, & alii.

Quarta opinio Chriſtmanni etiam nova eſt, nec videtur aſſeclas habitura: ideò nihil addimus.

Quinta opinio eſt Dionyſii Exigui, Monachi ſive Abbatis Romani, ex cujus præſcriptione hæc æra Chriſtiana Eccleſiæ à Pontificibus Romanis obtruſa fuit, quæ ſtatuit, CHRISTUM natum in fine anni, qui habuit Cyclum Lunæ primum. Ex veteribus ferè nullos habet ſuffragatores, ſed diuturnitate & uſu ita invaluit, ut cuilibet autoritate par cenſeatur. Ex hiſce igitur quinque opinionibus tres tantum ſunt, quæ ſectatores habent, & de quibus ſingulis multa poſſent, tàm hiſtoricorum, quàm Scriptorum Eccleſiaſticorum & Chronologorum adduci teſtimonia, ſi uſui nobis eſſent in certo anno nativitatis CHRISTI definiendo. Sed ſi plura audiverimus, vereor, ne nobis eveniat, quod Judici ignaro, veritatem alicujus facti ex teſtibus inter ſe diſſentientibus, & ſuas tantùm opiniones de re nondum cognita narrantibus, exploraturo, accidere poſſet; ne videlicet ſimul operam & oleum, quod dicitur, perdamus, laborem hunc temerè ſubeamus, & tamen incertiores multò, quàm antea fuimus, cùm ad audienda teſtimonia accederemus, dimittamur: cùm teſtes autoritate pares ſint, & alter alteri ratione demonſtrationis præferri non poſſit. Alia igitur via inſiſtendum, ſi verum annum nativitatis CHRISTI deprehendere velimus, quam nobis monſtrant tantùm Evangeliſtæ, Lucas ſcilicet & Matthæus. Plures enim Scriptores nuſpiam ſunt, qui de hoc anno nativitatis CHRISTI tum temporis aliquid literis mandarint. Ille Evangeliſta Lucas affirmat, CHRISTUM anno quindecimo Imperatoris Tiberii, fuiſſe triginta annorum circiter: Hic verò Matthæus illum ipſum natum eſſe, vivente Herode Rege. Ex hiſce duobus locis verum annum nati Chriſti venabimur, auxiliante nobis lydio lapide, in notandis & deprehendendis temporibus induſtrio & probato, aureo ſcilicet illo numero, qui & Cyclus Lunæ appellatur. Et quidem primùm agemus de anno quindecimo Imperii Tiberiani, eumque ita firmabimus, ut dubitatio omnis de eo tollatur. Anni autem Imperii Tiberii agnoſcuntur, ex anno obitus Auguſti Cæſaris: Ex annis item ætatis ipſius Tiberii; & ex annis Imperatorum ſequentium: de quibus ordine dicemus.

AUGUSTUS CÆSAR obiit, ut Dio, Suetonius, & alii unanimi conſenſu narrant, *die decimo nono menſis Auguſti, eo ipſo die, quo quondam primum conſulatum inierat. Cum vixiſſet annos ſeptuaginta quinque, menſes decem, & dies viginti ſex; cùm ſolus imperaſſet poſt victoriam ad Actium annos* 44. *quibus deerant tredecim dies, Conſulibus duobus Sextis, Pompejo videlicet & Apulejo.* In hiſce verbis annus obitus Auguſti certiſſimè deſcribitur. Ad Actium enim victor evaſit anno Juliano decimo quinto: adde annos ſolidos 44. quibus ſolus imperavit, fiet annus quinquageſimus nonus Julianus, quo mortuus eſt: annus Julianis ad methodum Cycli Lunaris additur 13. mortuus eſt igitur Cyclo Lunæ decimo quinto, & eodem Cyclo Lunæ decimo quinto, die 19 Auguſti cœpit etiam Tiberius & inde etiam anni ejus imperii ab Hiſtoricis numerantur. Deinde quod ad ætatem Auguſti attinet, numeratur illa ab anno nativitatis ejus. Auguſtus natus eſt Coſſ. M. Tullio Cicerone & C. Antonio, ſecundùm Suetonium & alios, nec eſt qui contradicit, die 22. Septembr. Ut verò jam ejus ætatem certò numerare poſſimus, numeremus Conſules, incipiendo à Cicerone Conſule, usque ad primum annum Julianum. Conſules hi vel ex ipſo Cicerone colligi poſſunt, vel ex quovis alio: ſummo enim conſenſu ab omnibus recenſentur, & ſunt hi:

	M. Tullius Cicero.	*C. Antonius.*
1.	*D. Iunius Silanus.*	*L. Licinius Muræna.*
2.	*M. Pupius Piſo.*	*M. Valerius Meſſala.*
3.	*Q. Cæcilius Metellus.*	*L. Afranius.*
4.	*C. Iulius Cæſar.*	*M. Calpurnius Bibulus.*
5.	*L. Calpurnius Piſo.*	*A. Gabinius.*
6.	*P. Cornelius Lentulus.*	*Q. Cæcilius Metellus.*
7.	*Cn. Cornelius Lentulus.*	*L. Martius Philippus.*
8.	*Cn. Pompejus Magnus II.*	*M. Licinius Craſſus II.*
9.	*L. Domitius Ahenobarbus.*	*Ap. Claudius Pulcher.*
10.	*Cn. Domitius Calvinus.*	*M. Valerius Meſſala.*
11.	*Cn. Pompejus Magnus III.*	*Q. Metellus Scipio.*
12.	*Ser. Sulpitius Rufus.*	*M. Claudius Marcellus.*
13.	*L. Æmilius Paulus.*	*C. Claudius Marcellus.*
14.	*L. Claudius Marcellus.*	*L. Cornelius Lentulus.*
15.	*C. Iulius Cæſar II.*	*P. Servilius Vatia.*
16.	*Q. Fufius Calenus.*	*P. Vatinius.*
17.	*C. Iulius Cæſar III.*	*M. Æmilius Lepidus.*
18.	*C. Iulius Cæſar IV.*	*Q. Fabius Maximus.*

Hiſce

Hiſce Conſulibus magiſtratum Calendis Januarii ineuntibus, ſimul cœpit annus primus Julianus, ut omnes Hiſtorici teſtantur. Auguſtus igitur, cùm natus eſſet, vixit ſub Ciceronis & Antonii Conſulatu tribus menſibus, & diebus octo, & deinde ſub aliis Conſulibus usque ad primum annum Julianum, annis ſeptendecim. Vixit autem in univerſum, ut audivimus, annos 75. menſes decem, dies 26. Subducti hinc anni ſeptendecim, menſes tres, dies octo, quibus vixit, antequam anni Juliani inciperent, reſtant anni 58. menſes ſeptem, dies 18. exacti in annis Julianis; hoc eſt, mortuus eſt Auguſtus anno Juliano 59. die 19. Auguſti, cyclo Lunæ 15. ut antea habuimus.

Tertiò, Auguſtus mortuus eſt duobus Sextis Coſſ. Fuerunt autem duo illi Sexti, Pompejus & Apulejus Conſules, anno urbis, ſecundùm Catonem 766. qui cyclum Lunæ habet 15. quo Auguſtus mortuus eſt, & Tiberius cœpit. Conſentit igitur etiam annus obitûs Auguſti.

Quartò, annus obitus Auguſti, & initii Tiberii, habet infallibilem temporis Characterem, Eclipſin ſcilicet Lunarem, teſtes ſunt *Tacitus & Dio*, qua ſeditio militum, in Pannonia majora ſtipendia & dimiſſionem poſt obitum Auguſti flagitantium, comprimebatur: cùm ipſi, ut motuum cæleſtium rudes, æternum ſibi laborem ex hoc Lunæ defectu portendi arbitrarentur. Ex quibus omnibus appareat, Eclipſin hanc non partialem, ſed totalem fuiſſe. Accidit autem, ſi ad calculum revocetur, die 27. Septembr. feria quinta, hora quinta matutina. Si dies 27. Sept. fuit feria quinta, & plenilunium in eum diem incidit. Ergò neceſſe eſt, ut Cyclus Solis fuerit 23. & litera Dominicalis G. item, ut cyclus Lunæ fuerit decimus quintus. Demonſtrationibus hiſce igitur certiſſimè oſtenditur, Tiberii primum annum imperii conſurgere à die 19. Auguſti ejus anni, qui habet Cyclum Lunæ 15. Solis verò viceſimum tertium. Si jam primus annus Tiberii cœpit cyclo Lunæ decimo quinto: Ergò decimus quintus annus Tiberii cœpit die 19. Auguſti, ejus anni, qui habuit cyclum Lunæ decimum, Solis nonum. Habemus ergò ex anno obitus Auguſti annum quindecimum Tiberii rectè definitum & conſtitutum, quòd videlicet incipiat in menſe Auguſto, cyclo Lunæ 10. Solis 9. & finiatur rurſum in Auguſto ſequentis anni, cyclo Lunæ undecimo, Solis decimo. Atque hæc de anno obitus Auguſti. Inſpiciamus jam etiam vitam Tiberii, & ex ejus obitu etiam imperii Tiberiani initium inveſtigabimus.

Tiberius *natus eſt Romæ 16. Novembr. M. Æmilio Lepido iterum & Munatio Planco Coſſ. ſic enim in faſtos, actaque publica relatum eſt*, inquit *Suetonius*. Fuit annus quartus Julianus. Mortuus autem eſt 25. Aprilis, anno Juliano 82. Coſſ. C. Acerronio Proculo, & C. Pontio Nigro; cùm imperaſſet annis 22. menſibus ſeptem, diebus totidem, & vixiſſet annos 77. menſes 4. dies 9. Hoc ita verum eſſe, manifeſtum ex eo, quòd nemo hiſtoricorum diverſa de his tradit. Annus autem Julianus 82. quo obiit, habet Cyclum Lunæ 19. Subducantur jam anni imperii ejus ab annis vitæ ipſius, reſtant annis 54. menſes novem, dies duo, quos exegerat, cùm Auguſto in imperio ſuccederet. Si jam annus ejus ſeptuageſimus octavus habet cyclum Lunæ decimum nonum: Ergò ejus annus quinquageſimus quintus, quo iniit imperium, habet cyclum Lunæ decimum quintum; & annus imperii ejus decimus quintus incipit cyclo Lunæ decimo, Solis nono.

Tertiò, idem probabimus ex quinto anno Imperatoris Claudii, ex eclipſi Solis, quæ accidit Calendis Auguſti, de quâ ſupra etiam egimus, quâ nullus certior character in omnibus hiſtoriis dari poteſt. Ea accidit anno nonageſimo Juliano: ſubducantur jam anni quatuor Claudii, & menſes ſex, quibus imperaverat, priusquam eclipſis accideret. Item anni tres & menſes decem, quibus Caligula imperavit, & poſtea anni octo & menſes ſeptem, quibus præfuit Tiberius, poſtquam quatuordecim annos imperii compleverat, ſunt anni 16. menſes undecim, qui ſubducantur ex annis Julianis octuaginta novem & ſex menſibus, ante eclipſin factam completis, reſtant anni completi Juliani 72. & menſes ſeptem, hoc eſt annus Julianus 73. relinquitur, quo incepit Tiberius annum quindecimum imperii, decurritque cyclo Lunæ 10. Solis. 9.

Annus igitur quindecimus Tiberii ejusmodi demonſtrationibus firmatus eſt, ut nulla vi labefactari poſſit. Videamus jam, quomodo conveniat hic annus quindecimus Tiberii, cum annis æræ Chriſtianæ, quod certiùs nullo modo fieri poteſt, niſi ex comparatione Cyclorum. Cyclum Lunæ autem invenimus in annis æræ Chriſtianæ, ſi unitatem addamus. Jam ut cyclum Lunæ decimum in annis CHRISTI exhibeamus tum temporis, nullum alium annum dare poſſumus, quàm annum viceſimum octavum: adde enim unitatem, fiunt viginti novem, abjecto uno cyclo, novendecim annorum, reſtat cyclus Lunæ decimus. Sic adde iisdem annis novem, ad cyclum Solis eruendum, ut notum eſt, reſtat cyclus nonus ſi unius cyclus abjiciatur. Hic igitur viceſimus octavus annus æræ Chriſtianæ eſt ille ipſe annus, quo Imperator Tiberius iniit annum quindecimum imperii, & ſequente anno, viceſimo nono æræ Chriſtianæ, cylo Lunæ undecimo, Solis decimo, in menſe Auguſto eundem finivit. Hoc modo, finito anno decimo quinto Tiberii, & ineunte decimo ſexto, CHRISTUS nondum viceſimum nonum ætatis annum compleviſſet, ſi æram Chriſtianam ſequimur. Quod cum apertè falſum ſit, neceſſe eſt, aut annum quindecimum Tiberii non rectè computatum: aut epocham Chriſtianam, non in vero anno nativitatis CHRISTI fixam eſſe. Verùm annus quindecimus Tiberii certiſſimis demonſtrationibus, quæ falli non poſſunt, nititur: Ergò error commiſſus eſt ab autore epochæ Chriſtianæ Dionyſio Exiguo, monacho.

Porrò, quot annos à vera epocha CHRISTI à *Dionyſio* illo aberratum ſit, jam inquiramus. Tempus Baptiſmi CHRISTI à Theologis hodiè confertur in menſem Octobrem incipientem, anni quindecimi Imperii Tiberiani. Si jam

Chriſtus natus eſt die 25. Decembr. & eodem die 25. Decembr. anni quindecimi, imperii Tiberiani, complevit annum tricesimum, cùm circa primum Octobris ejusdem anni, quando baptiſatus eſt, vixiſſet annos viginti novem, menſes decem ferè, atque hujuſmodi ætatem CHRISTI verba Evangeliſtæ Lucæ, quando dicit, *CHRISTUS erat quaſi triginta annorum, cùm baptiſaretur*, manifeſtè exprimunt, nec arbitror quenquam aliter hæc verba Lucæ rectè interpretari poſſe. Illos enim, qui contendunt, CHRISTUM baptiſatum, cùm nondum viginti novem annos haberet, cùm duo ferè menſes iis complendis deeſſent, ut Evangeliſtæ Lucæ contradicentes, rejiciendos cenſemus; quemadmodum & illos, qui baptiſmum CHRISTI differunt in ſequentem annum, in annum Tiberiani Imperii decimum ſextum. Nam hoc etiam cum Evangeliſta Luca pugnare exiſtimamus. Gloſſam quidem hi addunt, & dicunt, batiſmum CHRISTI accidiſſe anno quindecimo Tiberii adhuc currente, ſi anni ejus imperii non à 19. Auguſti, ſed à Calendis Januarii numerentur. Sed quis unquam Scriptorum fuit, qui annos Tiberii non à 19. Auguſti inciperet? vel quis unquam fuit, qui quorumvis etiam Imperatorum Romanorum annos à Calendis Januarii inciperet? Inſpiciantur adhuc diplomata Imperatoria, quibus anni imperii aſcripti ſunt; Omnes eos à die inaugurationis, non à Calendis Januarii numeratos, videmus. Cur igitur novam ſententiam, nemini unquam uſitatam, Evangeliſtæ Lucæ affingamus, & quæ aperta ſunt, conjectura incertiſſima in dubium vocemus? Si igitur jam CHRISTUS fuit ferè triginta annorum eo anno, qui habuit cyclum Lunæ 10. Solis nonum, anno quindecimo Tiberii: Ergò neceſſe eſt, ut natus ſit cyclo Lunæ decimo octavo, Solis ſeptimo; ab his enim triginta anni numerati exhibent dictos cyclos. deſignatur autem hiſce cyclis, Lunæ ſcilicet 18. Solis 7. ſimul concurrentibus circa id tempus, annus Nabonaſſaris 746. annus 28. Actiacæ victoriæ à morte Antonii, annus 2. Olympiadis 194. annus Urbis 750. finiens, & annus Julianus 43. finiens ſecundùm ſententiam *Euſebii*, *Clementis Alexandrini*, *Caſſiodori*, *Maximi Monachi*, *Cedreni*, *Proſperi*, *Sigeberti*, *Mariani Scoti*, *Cuſpiniani*, & aliorum: atque ita biennio aberratum fuit à Dionyſio Exiguo in epocha Chriſtiana conſtituenda.

Deinde aliud argumentum ad hunc annum confirmandum ſuppeditat annus obitus Auguſti, & initium Tiberii, hoc modo: Auguſtus Cæſar mortuus eſt anno ætatis CHRSTI decimo ſexto currente. Nunquam enim aliàs fieri poteſt, ut annus CHRISTI tricesimus concurrat cum anno quindecimo Tiberii, niſi decimus ſextus annus ætatis CHRISTI ſit primus annus imperii Tiberii, ut numeranti apparet. Paucis autem ſeptimanis poſt obitum Auguſti facta eſt Eclipſis Lunæ magna, de qua paulò ante diximus; quæ deprehenditur accidiſſe anno æræ Chriſtianæ 14. cyclo Lunæ 15. neque alia Eclypſis Lunæ circa illud tempus in alio anno dari poteſt. Sed hæc Eclipſis poſt mortem Auguſti facta incidere debet in annum decimum ſextum ætatis CHRISTI. Ergò decimus quartus annus æræ Chriſtianæ debebat eſſe annus decimus ſextus. Atque ita anni epochæ Chriſtianæ aberrant à vero anno CHRISTI annis duobus.

Tertio loco, in vero anno nativitatis CHRISTI indagando aſſumamus hiſtoriam Herodis. Chriſtus enim Salvator noſter, teſte Evangeliſta Matthæo, natus eſt, cùm regnum in Judæa adminiſtraret Herodes. Porrò Regis Herodis hiſtoriam ſcripſit præcipuè *Joſephus* Hiſtoricus in opere ſuo, quod inſcripſit *de Antiquitatibus Judaicis*. Is ſacræ Scripturæ plerunque diligenter inhæret, ei inſiſtit, & officiosè ſubſervit & ancillatur. Addit etiam & immiſcet interdum narrationibus Biblicis, religioſa quadam obſervatione, fidelique cuſtodia per manus traditas circumſtantias jucundas, quæ quidem in Bibliis non extant, & tamen iisdem non adverſantur. Verùm quando poſt tempora Nebucadnezaris, uſque ad Alexandrum Magnum, ſacra Scriptura annalibus certis deſtituitur, tum vacillat ille quoque, cùm non habeat certum, quod ſequatur. In reliquis verò temporibus deſcribendis, præcipuè verò à tempore Maccabæorum, uſque ad ultimum populi Judaici excidium, tantâ diligentiâ & fide omnia perſequitur, ut viri docti non immeritò ſtatuant, tutiùs Joſepho non tantùm in rebus Judaicis, ſed etiam externis credi, quàm omnibus Græcis & Latinis. Non cuivis enim licebat apud Judæos hiſtoriam conſignare, ſed tantùm ſacerdotibus, & quidem primariis. Ideò ab optimis, & veritatis ſtudioſiſſis hiſtoria Judaica conſcribebatur. Ipſe Joſephus ex ſacerdotum familia nobiliſſima originem traxit, ex ea ſcilicet, quæ in ordine primam vicem obibat, & materna origine familiam Maccabæorum propinquitate attigit, & ipſe Rempubl. Judaicam geſſit. Notiſſima igitur ipſi fuit gentis ſuæ hiſtoria, quam & diligentiſſimè, obſervatis præcipuorum temporum momentis, conſignavit. Quòd verò idem hodiè tot iniquiſſima multorum hominum judicia experitur, præſertim quando de Herode agit, non videtur ipſe in culpa eſſe. Nam diligentiſſimè, & annum initii regni Herodis conſignavit, & deinde etiam finem ejus, ſive annum, quo mortuus eſt Herodes, charactere certiſſimo & infallibili notavit, Eclipſi videlicet Lunari. Quomodo verò factum ſit, ut numeri regnum Herodis determinantes charactere appoſito non reſpondeant, & uno anno diſcrepent, culpa potiùs alicujus ſcioli videtur, qui hoſce numeros ad ſuum ſenſum emendavit; id quod & Livio optimo Hiſtorico accidit, ut eruditi ſciunt, quàm quòd Joſephus ſibi contraria ſcribat. Hiſtoria autem Herodis, quæ ad verum annum nativitatis CHRISTI indicandum ſpectat, hæc eſt;

Cùm Herodes ab Antonio Triumviro eſſet Tetrarcha Galilææ conſtitutus, Parthi Antigonum filium Ariſtobuli in regnum Hieroſolymitanum reducunt, & Hyrcanum Antigoni Patruum, ſummum ſacerdotem, cum Phaſelo Herodis fratre, captum, in Parthiam abducunt, Herodes vix fuga tum elapſus; familiam ſuam, quantum poteſt, in tutum collocat, & in iter Romam verſus ſuſcipit, poſtulaturus auxilia, quibus ſe & ſuos contra vim Parthorum & Antigoni tueri poſſet. Joſeph. lib. 14. Antiquitatum Judaicarum

carum cap.19. In itinere circa Rhodum navem frangit, & in alia triremi ædificanda moram aliquam trahit: pervenit tamen Romam adulto vere, ubi ipſi præter ſpem omnia feliciter ſucceſſerunt. Antonius enim ſperans, Herodem ſibi contra Parthos bellum geſturo, plurimum profuturum, regnum Judaicum ipſi à populo Romano & ſenatu petiit & obtinuit: quapropter medius inter Antonium & Auguſtum, Conſulibus & reliquis magiſtratibus deducentibus, & ſenatus conſultum ad ærarium deferentibus in Capitolium aſcendit, & primo ſui regni die ab Antonio convivio exceptus eſt. Factum id anno quarto Olympiadis 184. deſinente C. Domitio Calvino iterum, & C. Aſino Pollione Conſulibus, fuit annus Julianus ſextus, qui cyclo Lunæ decurrit decimo nono. Reverſus in Judæam, regnum adjuvantibus Romanis recepit, præterquam Hieroſolymam, quam tandem anno tertio, poſtquam à ſenatu Romano rex declaratus eſſet, anno Juliano nono, Coſſ. M. Vipſanio Agrippa, & L. Canidio Gallo, menſe Junio, expugnavit, & Antigonum, ultimum ex Maccabæorum familia regem, captum, Antonio ſecuri percutiendum tradidit, cùm aliàs Judæi nunquam regem Herodem peregrinum recepturi viderentur. Atque hæc de initio regni Herodis duplici, altero quidem quando à Senatu Romano rex declaratus eſt: altero verò, quando poſt triennium anno Sabbathico Hieroſolymam expugnavit: atque ita integro regno potitus eſt. Hæc omnia circumſtantiis & characteribus temporum apud Joſephum, ita munita ſunt, ut de initio Herodis dubitari non poſſit. Jam de fine.

De morte verò Herodis *Joſephus* tam in libris Antiquitatum, lib.17. cap.11. quàm in libris de bello Judaico ſcribit, quòd mortuus ſit, annis triginta quatuor in imperio exactis, poſtquam Antigonum regno detruſiſſet: annis verò triginta ſeptem, poſtquam à Senatu rex appellatus eſſet: atque hæc ipſius ſententia confirmatur, quando annos Archelai filii Herodis, ita numerat, ut ex iis annus obitûs colligi poſſit. Porrò, ut hæc rectiùs intelligantur, obſervandus eſt mos, tàm ſacrarum literarum, quàm Joſephi in numerandis regum Judaicorum annis, Cùm enim apud Judæos ex mandato divino caput anni ex autumno in Martium menſem ferè, ut nos putamus, traductum eſſet, & Judæi aliàs annos Græcorum à verno tempore, non ab autumno, ut reliqui ſolebant, inciperent, regum etiam ſuorum annos ratione initii ſuorum annorum à verno tempore, ſive potiùs à feſtivitate Paſchali numerarunt, ut dicerent, hunc vel illum regem tot annos regnaſſe, quot Paſchata ſub ipſo celebrata eſſent: idque ita eſſe, multa exempla occurrunt, præſertim in libris Regum. Exempli gratiâ, primo libro Regum cap.15. dicitur, Abiam filium Rehabeami regem factum anno decimo octavo Jeroboami regis Iſrael, & imperaſſe annis tribus, eique ſucceſſiſſe filium Aſſam, anno viceſimo ejuſdem Jeroboami, regis Iſraelis. Atqui annus decimus octavus diſtat à viceſimo ejus regis anno tantùm biennio. & Abia tamen dicitur tribus annis regnaſſe illud alio modo conciliari non poteſt, quàm ſi dicatur, ſub Abia rege tres feſtivitates Paſchatis peractas eſſe, ita ut cœperit paulò ante Paſcha decimi octavi regis Jeroboami; mortuus verò ſit paulò pòſt Paſcha anni viceſimi Jeroboami. Sic etiam in aliis aliorum regum annis: Ita etiam hoc loco Herodes à Joſepho dicitur triginta ſeptem annis regnaſſe, hoc eſt, tricies ſepties ſub ipſo Paſcha celebratum fuiſſe. Deſignatus autem fuit, rex à Senatu, ut diximus, anno Juliano ſexto, ineunte æſtate, poſt Paſcha celebratum. Ideò Joſephus ab hoc anno regnum ejus non orditur, ſed à ſequenti anno, à Paſchate: unde factum eſt, ut poſtea diceret, Herodem anno tertio Hieroſolymam expugnaſſe, cum tamen, quemadmodum hoc tempus per circumſtantias deſcibitur, ut videre eſt in Chronologia, recte dici deberet, Herodem quarto anno Hieroſolymam expugnaſſe. Id quod etiam ordo Conſulum Romanorum oſtendit. Sic dicit etiam Herodem triginta ſeptem annos regnaſſe, cum tamen triginta octo fere annos regni ſecundum hanc ipſius computationem impleverit: mortuus enim eſt Paulo ante Paſcha. Adde ad ſextum annum Julianum, quo declaratus eſt rex, Paſchata 37. pervenies ad Paſcha anni Juliani 43. & inde vixit, uſque in annum ſequentem, & mortuus eſt paulo ante Paſcha triceſimum octavum ſui regni, quemadmodum hoc aperte à Joſepho affirmatur. Mortuus autem eſt ſecundum hanc Joſephi numerationem anno Juliano 44. ineunte, hoc eſt, cyclo Lunæ 19. incipiente. Annis enim Julianis ad methodum Lunaris cycli adduntur tredecim Eundem terminum idem Joſephus etiam definit, quando ait: Herodem poſt interfectum Antigonum triginta quatuor annos imperaſſe: Poſt Paſcha enim Hieroſolymam expugnavit, & ante Paſcha mortuus eſt. Hanc ſententiam ulterius Joſephus confirmat, quando lib.18. antiquitatum Judaic. cap.3. ait: *Quirinum Archelai bona in fiſcum Cæſaris Auguſti redegiſſe, anno Actiacæ victoriæ triceſimo ſeptimo, cùm Archelaus Ethnarcha anno regni decimo, Viennam in Galliam relegaretur.* Annis Actiacæ victoriæ ad methodum cycli Lunaris additur novenarius, ut ſupra ſatis diſputatum eſt: ſi hîc addatur, tùm incidit confiſcatio bonorum Archilai in annum Actiacæ victoriæ, qui quidem à cyclo octavo incipit, ſed poſt Calendas Januarii ad cyclum Lunæ nonum decurrit. Si jam nonus annus cycli Lunaris, quo Archilai bona in fiſcum redacta ſunt, & Judæa Provinciæ Syriæ attributa eſt, decimus annus Archelai: Ergò Archelaus cœpit poſt obitum parentis Herodis à Paſchate illius anni, qui habuit cyclum Lunæ decimum nonum. Iterum igitur Joſephus confirmat, Herodem defunctum, anno Juliani 44. cyclo decimo nono incipiente.

Poteſt & aliud argumentum aſſumi ex Philippo, altero Herodis filio, is regnavit annis triginta ſeptem. Eſt is Philippus, cui Antipas frater uxorem eripuerat, qui princeps fuit juſtitiæ ſtudioſiſſimus, ut qui nec in publicum prodire ſolitus fuit, niſi eſſent, qui ſellam ſuam ſimul ferrent, ut poſſet etiam ſic cauſas ſubditorum ſuorum cognoſcere, ſi fortaſſis in via appellaretur. Is Philippus mortuus eſt anno viceſimo primo imperii

Tiberiani, anno Juliano octuageſimo, poſt Paſcha, ut hæc Joſephus luculenter deſcribit. Adde triginta ſeptem paſchata ad annum Julianum 43. habes Paſchata octuaginta, & Herodes mortuus eſt anno 44. ante Paſcha. Si igitur jam Herodes hoc anno cycli decimi noni defunctus eſt, Ergò CHRISTUS non natus eſt cyclo Lunæ primo finiente, ſed cùm natus ſit vivente Herode, neceſſe eſt, eum natum cyclo Lunæ 18. Solis ſeptimo. Hæc plana & manifeſta ſunt, nec Joſephus etiam pugnat hoc modo cum Evangeliſta, nec jure accuſari poteſt. Verùm enim verò Joſephus in hiſtoria mortis Herodis alium Characterem temporis addit, qui ab hac ſua aſſertione uno anno diſcrepat, & Herodi adhuc unum annum regni largitur. Scribit enim lib. 17. antiquitatum Judaic. cap. 8. *Cùm Herodes in graviſſimum morbum incidiſſet, ita ut de ſalute ejus deſperaretur, quosdam adoleſcentes ſtudioſos, ſuaſu ſuorum præceptorum, aquilam auream, quam Herodes foribus templi impoſuerat, dejeciſſe & fregiſſe, eosque adoleſcentes quadraginta numero cum præceptoribus ſuis captos, vivos combuſtos fuiſſe, eo die, quem ſecuta eſt eclipſis Lunæ, & Herodem paulò pòſt, cum morbus quotidiè augeretur, hujus crudelitatis pœnas dediſſe, & acerbiſſimis doloribus conflictatum obiiſſe, paucis diebus ante Paſcha, & in Paſchate ſtatim poſt defunctum Herodem ob hanc tyrannidem in quadraginta hos adoleſcentes commisſam, ſeditionem populi contra Archelaum, ſucceſſorem motam.* Quæ jam certitudo ſit Eclipſium, omnes norunt, qui mathemata tantùm aliquo modo deguſtarunt: ideò de ea non dubitandum, accidit autem 10. die Januarii, horâ ſecundâ matutinâ, feriâ ſeptimâ ineunte, cyclo Lunæ primo incipiente. Adoleſcentes ergò iſti exuſti die 9. Januarii, feriâ ſexta, & Herodes paulò pòſt mortuus eſt. Hoc modo ſi Herodes mortuus eſt ineunte cyclo primo, integer annus ipſius regno additur, & imperaſſet annis triginta octo, ab eo tempore, quo declaratus eſt rex à Senatu Romano, triginta verò quinque poſt expugnatam Hieroſolymam, & interfectum Antigonum. Porrò ſi Herodes cyclo Lunæ primo incipiente mortuus eſt, evincitur iterum, Dionyſium illum Exiguum in ſtatuenda epocha Chriſtiana falſum eſſe, & annos à nato CHRISTO, vulgò non rectè numerari. Quomodo enim CHRISTUS naſci potuiſſet, cyclo primo Lunæ finiente, cùm Herodes defunctus ſit eodem cyclo incipiente, annuo ferè ſpacio, antequam CHRISTUS natus creditur. Etſi autem jam utraque ſententia Joſephi de obitu Herodis apertiſſimè monſtrat, uſitatam epocham Chriſtianam falſam, & juſto miriorem eſſe: tamen hanc quæ per Eclpſin notata eſt, veriorem puto, quàm ulteram, primùm quidem, quia Characterem habet infallibilem, Eclipſin Lunarem, cujus veritas determinata eſt, nec ulla alia, præter hanc, Eclipſis, circa ea tempora accidit: & deinde quòd Magi Herodem Hieroſolymis, ut Matthæus Evangeliſta affirmat, convenerunt: & tertiò, quòd parentes CHRISTI aliquo temporis ſpacio in Ægyptum, antequam Herodes moreretur, veniſſe, & moram quandam ibi traxiſſe videntur. Si enim prior ſententia vera eſſet, quæ tradit, Herodem cyclo decimo nono ineunte defunctum, tum Herodes ſtatim duobus menſibus circiter, poſt natum CHRISTUM obiiſſet, & eo temporis ſpacio non Hieroſolymis fuiſſet. Statim enim in Januario Hieroſolymis diſceſſerat, & de conſilio medicorum in thermis verſabatur, ut Joſephus hæc prolixè deſcribit. Magi igitur ipſum Hieroſolymis convenire non potuiſſent, aut ſi ſtatim advenîſſent, propter ejus morbum admiſſi non fuiſſent, nec poſt purificationis tempus, parentes Chriſti ante obitum Herodis in Ægyptum venire potuiſſent: quæ fuga fuiſſet præter cauſam inſtituta, ſi Herodes ſtatim defunctus fuiſſet. Sive igitur jam apud Joſephum vitio librariorum anni Herodis corrupti ſunt, ſive Joſephus ipſe in deſcribenda hac hiſtoria, in numeris annorum aberravit, amplectimur poſteriorem ſententiam, quæ Characterem habet cœleſtem, & quæ magis cum ſententia ſacræ Scripturæ convenit. Non tantùm enim admittit, ut CHRISTUS natus dicatur cyclo Lunæ decimo octavo, Solis ſeptimo, ſed etiam id cogit evidentisſimis circumſtantiis, ut jam dictum eſt, allatis. Planum igitur fecimus ex hiſce demonſtrationibus, epocham Chriſtianam ab anno nativitatis CHRISTI à Dionyſio numeratam, quâ vulgò utimur, falſam eſſe, & minorem quàm debebat non uno ſed biennio. Verum autem annum nativitatis CHRISTI eſſe eum, qui eſt decimus octavus cycli Lunaris, eumque annum demonſtrari evidentiſſimis characteribus Eclipſium, & conſenſu Evangeliſtarum cum profanis hiſtoricis, & approbari præterea ab antiquiſſimis Eccleſiæ Scriptoribus Hiſtoricis. Illa vulga CHRISTI epocha, ſi characteres ejus ſequimur, ſtatuit CHRISTUM natum anno 4. Olympiadis 194. anno Alexandreo 312. anno Actiacæ victoriæ 30. anno Nabonaſſaris 748. anno urbis 752. finiente, ut & Juliano 45. & anno mundi 3949. finientibus. Contrà hæc vera epocha CHRISTI à vero ejus nativitatis anno deducta, oſtendit CHRISTUM DEUM natum anno ſecundo Olympiadis 194. anno Alexandræo 310. anno Actiacæ victoriæ 28. anno Nabonaſſareo 746. anno urbis 750. finiente, ut & Juliano 43. & anno Mundi 3947. finientibus, & hunc annum CHRISTI, quem numeramus vulgò ſecundum Dionyſium, 1616. eſſe à vero anno nativitatis CHRISTI 1618. Hanc noſtram ſententiam ſequitur etiam ex parte *Cæſar Baronius* Cardinalis in ſuis annalibus eccleſiaſticis: verùm idem non intelligit, veram hanc epocham à falſa illa Dionyſiii, & uſitata epocha differre biennio, atque ideo utraſque miſcet, & hiſtorias conturbat: de qua re etiam pauca dicamus.

CAPUT XLVII.

De Annalibus Cæſaris Baronii Cardinalis.

CÆſarem Baronium in inquirendo vero anno nativitatis CHRISTI plurimum laboraſſe, ex toto contextu ejus apparet. Collegit enim antiquitatis teſtimonia plurima, quibus probat Chriſtum natum anno ſecundo Olympiadis 194. motus etiam fuit inter cætera autoritate *Euſebii*, qui libro 10. cap. 3. præparationis Evangelicæ affirmat, annum deci-

decimum quintum imperii concurrere cum anno quarto Olympiadis 201. inde per ſeriem Conſulum certiſſimam deprehendit, primum annum CHRISTI in anno ſecundo Olympiadis 194. incidere: CHRISTUM autem triginta annos cum baptiſaretur expleviſſe, probat ex Evangeliſta Luca, aſſumtis teſtimoniis tum aliorum Patrum, tum inprimis Ignatii, qui quàm proximè ab ætate CHRISTI abfuit, & CHRISTUM, teſte Hieronymo, viderat in carne, qui in epiſtola, quam ſcripſit ad Trallianos, inquit de CHRISTO: καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου. cùm CHRISTUS tres decades annorum expleviſſet, baptiſatus à Johanne: & alia præterea teſtimonia profert, quæ certiſſimè demonſtrant, CHRISTUM eo anno Olympiadis natum. Verùm idem Baronius cùm characteres Chronologicos annorum non obſervaret, magnum illud diſcrimen inter verum annum nativitatis CHRISTI, & inter epocham Chriſtianam, à Dionyſio conſtitutam, non vidit: ideoque dum utrumque principium ſimul miſcet, multis modis hiſtorias turbat, inter cætera etiam *Jeſophum* hiſtoricum miſerè flagellat, & initium regni Herodis novo modo, non tantùm nulli autoritate hiſtoricorum ſubnixus, ſed contra omnes hoſtoricos, poſt prælium Auguſti & Antonii ad Actium, cùm à victore Auguſto regnum interum obtineret, inchoat. Sic aliis etiam multa abſurda ſtatuit.

Etſi autem ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, manifeſtè apparet, diſcrimen eſſe biennii, inter verum annum nativitatis CHRISTI, & inter æram Chriſtianam, à *Dionyſio Exiguo* conſtitutam, & Pontificià autoritate Eccleſiæ obtruſam: tamen hîc quædam argumenta repetemus.

Baronius obitum Auguſti, & Conſules ambos Sextos collocat in annum CHRISTI decimum ſextum, idque ſi ætatem CHRISTI reſpicias, verum quidem eſt: ſed ſi epocham Dionyſii, falſum eſt prorſus. Nam Eclipſis illa, quæ ſecuta eſt obitum Auguſti, quâ ſedata eſt ſeditio militum in Pannonia, accidit quidem his Conſulibus, ſed prorſus ad annum æræ Chriſtianæ 16. non quadrat, ſed invenitur in anno decimo quarto æræ Chriſtianæ. Ergò cùm Eclipſis hæc certiſſimè ſuis numeris reſpondeat, ad eundem decimum quartum annum æræ Chriſtianæ referendi ſunt etiam Conſules, Sextus Apulejus, & Sextus Pompejus, & obitus Auguſti Cæſaris. Atque ita inter æram Chriſtianam, quâ vulgò utimur, & verum annum nativitatis CHRISTI, differentia eſt biennii. Invenitur quidem anno epochæ Chriſtianæ 17. etiam eclipſis Lunæ die 30. Januarii, ſed Luna vix dimidia obſcurata fuit, nec fuit totalis, quemadmodum hæc à Cornelio Tacito deſcribitur.

Præter hanc demonſtrationem evidentior adhuc alia ſumitur ex Eclipſi illa Solari, anno quinto Claudii Imp. Coſſ. M. Vinitio Quartino, & M. Statilio Tauro, quæ accidit Calendis Auguſti, die natali Imperatoris, ab Imperatore ipſo, priusquam fieret, in Programmate prædicta. Inquiratur ſi lubet, ex tabulis ſyzygiarum Lunarium, vel ex tabulis Prutenicis, quo anno CHRISTI circa id tempus novilunium in Calendas Auguſti incidere potuerit: certiſſimum eſt, nullum alium annum dari poſſe, quam annum æræ Chriſtianæ 45. Ergò hic annus 45. quo eclipſis hæc accidit, eſt annus quintus imperii Claudiani, & hoc anno Conſules fuerunt Vinitius Quartinus, & Statilius Taurus. Baronius contrà annum quintum Claudii & hoſce Conſules collocat in annum 47. CHRISTI, quod quidem verum eſſet, ratione veri anni nativitatis CHRISTI, ſed non ratione æræ Chriſtianæ: nullo modo enim anno 47. æræ Chriſtianæ vel novilunium, vel eclipſis Solis in Calendas Auguſti incidere tum potuit. Idem etiam demonſtrari poſſet ex aliis eclipſibus, quæ circa hæc tempora acciderunt, & ſecundùm Conſules annotatæ ſunt, quæ annotantur à Plinio, Dione, Julio Capitolino, Ptolomæo, & aliis. Plurimum igitur aberrat Baronius, quando ex eodem principio & verum nativitatis CHRISTI annum, & initium æræ Chriſtianæ ducit. Idem ulteriùs probari poteſt, ex anno excidii ultimi Politiæ Judaicæ: Hieroſolyma obſeſſa eſt à Tito Veſpaſiano die 14. Aprilis in Paſchate. Paſcha autem circa id tempus in die 14. Aprilis celebrari non potuit, præterquam cyclo Lunæ decimo quarto, ut poſt probabimus. Cyclus autem Lunæ decimus quartus invenitur in anno 70. æræ Chriſtianæ, non in anno 72. in quem Baronius illud excidium rejicit. Ergò Baron. fallitur ratione quidem æræ Chriſtianæ, ſed non ratione annorum Urbis, vel annorum Olympiadum, vel anni veri nativitatis CHRISTI, quem errorum vitaſſet, ſi diſtinctione inter annos æræ Chriſtianæ, & verum annum nati CHRISTI uſus eſſet.

Tertiò idem evincunt etiam anni Nabonaſſarei apud Cenſorinum annotati, quos Baronius comparat cum anno CHRISTI 240. Loquimur autem de anno Nabonaſſaris 986. qui à Cenſorino, ut ſuprà audivimus, confertur cum anno Olympiadico 1014. cum anno Urbis 991. Is annus Nabonaſſaris 986. ſi juxta feriarum doctrinam examinetur, incipit feriâ ſecundâ, die 25. Junii. Dies autem 25. Junii habet in Calendario literam A. aſcriptam, ſi jam litera A. hoc anno indicat feriam ſecundam. Ergò G. indicat feriam primam, ſive eſt litera Dominicalis: quod non fieri poteſt, niſi anno æræ Chriſtianæ 238. cyclo Solis 23. In anno enim 240. cyclus Solis eſt 25. litera Dominicalis D. & dies 25. Junii eſt feria quinta. Manifeſtus igitur eſt error Baronii, verum annum nativitatis CHRISTI cum epocha Chriſtiana Dionyſiana confundentis.

Porrò quærere quis poſſet, an Baronius hunc errorem in toto ſuo opere Annalium Eccleſiaſticorum continuaſſet, ad quod reſpondeo: Baronium, cùm hiſtorias Eccleſiaſticas ferè deduxiſſet ad annum æræ Chriſtianæ 284. ad primum annum Diocletiani, cujus epocha adeò celebris eſt apud omnes hiſtoriæ Eccleſiæ Scriptores, ut & hodiè uſurpetur, & loco prorſus moveri non poſſit, tum errori ſuo medicinam quæſivit, & cùm verus annus nativitatis CHRISTI biennio anticipet æram Chriſtianam, coactus fuit biennium ex Romana hiſtoria eximere. Cùm igitur Imperatores penitus ex hiſtoria Romanorum, & hiſtoria Eccleſiaſtica ejicere non poſſet, duo paria Conſulum omiſit, & probiſſimo Imperatori

peratori Aurelio Probo, duos annos imperii ademit, & cum ſex regnarit, quatuor ipſi tantùm reliquit, & conceſſit. Porrò Aurelium Probum ſex annis imperaſſe, teſtatur Euſebius, qui tum temporis vixit, teſtatur Oroſius lib. 7. cap. 16. teſtatur Caſſiodorus, teſtatur Aurelius Victor, teſtatur Eutropius etiam, qui rem exactius explicans, affirmat, Probum Imperatorem vixiſſe annis ſex & menſibus quatuor: teſtatur inſuper Julianus Apoſtata, qui quando de Probo imperatore agit, affirmat eum imperium, uſque in annum ſeptimum, ſed nondum expletum, propagaſſe. Zoſimus etiam Hiſtoricus, annos centum elapſos eſſe affirmat à Conſulatu Chilonis & Libonis, quo ſeculares ludi celebrati ſunt, uſque ad eum annum, quo ſe imperio abdicarunt, Diocletianus & Maximianus. Porrò Baronius Conſulatum Chilonis & Libonis confert in annum CHRISTI 206: Diocletianus verò, quod notum eſt, cœpit anno CHRISTI 284. & imperavit annos viginti, abdicavitque ſe imperio cum Collega Maximiano, anno CHRISTI 304. differentia inter annum 206. & 304. eſt tantùm annorum nonaginta octo, cùm tamen centum annorum eſſe debeat. Non rectè igitur fecit Baronius, qui Probo duos annos ademit: hi igitur ſi ipſi reſtituantur, tum Zoſimo ſua autoritas etiam reſtituetur, & Conſulatus Chilonis & Libonis, ad annum æræ Chriſtianæ 204. reducetur. Tot igitur jam demonſtrationibus & autoritatibus ſatis manifeſtum eſſe arbitror, æram Dionyſianam ab anno Nativitatis CHRISTI deductam, eſſe falſam, & Baronium, quòd non eandem à vero nativitatis CHRISTI anno diſtinxerit, erraſſe, & multa tàm in Eccleſiaſtica, quàm profana hiſtoria turbaſſe.

CAPUT XLVIII.

De menſe nativitatis Chriſti.

DE Feſto nativitatis CHRISTI diu certatum fuit in primitiva Eccleſia, quo die eſſet celebrandum, ut teſtatur *Clemens Alexandrinus*, qui lib. 1. ſtromatum inquit: *Sunt qui curioſiùs nativitatis Domini, non ſolùm annum, ſed etiam diem definiunt, quem dicunt fuiſſe 25. menſis Pachon, anni 28. victoria Actiaca*, Eſſet nobis viceſimus dies Maji. Claruit autem Clemens Alexandrinus circa annum CHRISTI 190. Alii alium diem in alio atque alio menſe divinarunt, ut videre eſt apud Epiphanium, qui vixit circa annum CHRISTI 400. Tot igitur annis non conſtitit Eccleſiæ, vel de menſe, vel de die nativitatis CHRISTI. Nec etiam feſtum Nativitatis CHRISTI ante Conſtantinum Magnum Imp. certo die univerſa Eccleſia celebratum fuit. Tempore enim Chryſoſtomi primùm factum eſt, ut dies 25. Decembr. Conſtantinopoli celebraretur, quantum ex oratione ejus de die natali intelligere poſſumus. Quòd autem dies 25. Decembr. lectus eſt, quo nativitas CHRISTI celebraretur, cauſa hæc eſt, quòd quidam, qui Antiquitatis præ cæteris viſus erat peritus, hunc diem ex ceremoniis Judaicis determinare conatus eſt, hoc modo: Pontifex maximus apud Judæos ſolus & ſemel tantùm in anno Sanctorum ingreſſus eſt, ut incenſum DEO offerret, ut ſuprà diximus cap. 38. quando de feſtis Judæorum egimus. Idque factum ſemper die decimo ſeptimi menſis, in feſto expiationis. Zacharias autem Sacerdos fuit in Sancto Sanctorum, cùm Angelus Gabriel ipſi loqueretur de conceptione Johannis: ergò Johannes Baptiſta in Octobri conceptus, natus eſt circa finem Junii, & CHRISTUS poſt ſex menſes, à conceptione Johannis, menſe Martio conceptus, natus fuit in Decembri. Ex hoc argumento concluſum fuit feſtum nativitatis CHRISTI die 25. Decembr. celebrandum, ſed argumentum hoc magnâ ſui parte claudicat. Neque enim Angelus Gabriel in Sancto Sanctorum Zachariæ apparuit; Altare enim thymiamatis, ad cujus dexteram angelus ſtetit, fuit extra velum: nec Zacharias fuit ſummus ſacerdos. Quomodo enim ἐφημερίαν habuit, ſi pontifex maximus fuit? quomodo ſortitus eſt oblationem incenſi, quomodo ordinem ἐφημερίας obivit, & completis diebus officii ſui domum rediit? Falſum igitur eſt hoc argumentum, & nihil concludit. Præterea non convenit hyemale tempus ad cenſum agendum, cujus ratione omnes partes familiàs cum uxoribus & liberis ad locum ſibi deſtinatum longinquis itineribus proficiſci cogebantur: non convenit etiam paſturæ: nocte enim CHRISTUS natus fuit, paſtores excubias egerunt apud gregem ſuum, quod in hyeme circa Solſtitium fieri non poteſt.

Beroaldus igitur putat, CHRISTUM natum in autumno, hoc argumento, quòd CHRISTUS umbras veteris teſtamenti iiſdem ferè diebus feſtis impleverit & abrogaverit, quibus in Politia Judaica celebratæ fuerunt, ut in feſto Paſchatis, noſtrum Paſcha CHRISTUS oblatus fuit in ara crucis: in feſto Pentecoſtes ſive primitiarum, Apoſtoli primitias Spiritus Sancti acceperunt, & lex illa nova, pro veteri data, &c. Nullus autem menſis eſt, qui plura feſta continet, quæ omnia CHRISTUM adumbrarunt, quàm menſis ſeptimus. Ergò non inconvenienter ſtatui exiſtimat, CHRISTUM menſe ſeptimo, circa initium Octobris, quando feſtum tabernaculorum celebrabatur, natum. Et concinnè ad idem feſtum Scenopegias alludere videtur Evangeliſta Johannes, quando inquit: ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Huic conſentit *Joſephus Scaliger*, ſed producto alio argumento ex jugi ſacrificio, & vicibus Sacerdotum, in Politia Moſaica ſumto, hoc ſenſu:

Poſteritas Aaronis in viginti quatuor familias diſtributa fuit, quarum ſedecim ab Eleazaro, octo verò ab Ithamaro propagatæ ſunt: eæ familiæ vicem ſuam, in rebus divinis operandis, obibant in templo, miniſterio ſingularem in orbem redeunte. Inſtitutum hoc fuit à Davide, 1. Chron. 23. v. 27. & cap. 24. v. 7. Joaribi prima ſors fuit. Nunquam in miniſterio alia aliam prævertebat, aut liturgiæ tempus præripiebat, ſed ſingulæ ordine ſibi ſuccedebant. Eum ordinem conſtantiſſimè ad ſua uſque tempora duraſſe ſcribit Joſephus, qui ſe primæ familiæ popularem fuiſſe ſcribit, idque præcipuæ nobilitatis loco habitum apud gentem ſuam. Functionis tempus vocarunt ἐφημερίαν, & incipiebant eam feria ſeptima, ſive die Sabbathi manè, ab inſtauratione panum propoſitionis, & de-

ſinebant

ſinebant ſequenti ſabbatho poſt octiduum manè, antequam proponerentur panes propoſitionis. Unius igitur familiæ ſive Ephemeriæ dies functioni erant ſeptem, omnium viginti quatuor: faciunt dies 168. Inde prima familia iterum ſuam vicem ordiebatur. Hic orbis tanta religione obſervatus eſt, in poſteriori templo, teſte Joſepho, ut nulla familia alienæ functionis partes aut ordinem invaderet, adeò ut anno excidii templi, ſolenne, jejunium, quod competit diei 17. Tamutz menſis interpellatum ſit penuria familiæ, quam tunc ordo ad miniſterium illius ſolennitatis vocabat: cum tamen ea familia, quæ proximè functa erat miniſterio, ſi alii præterea non fuiſſent, ſubſtitui potius debuerit, quam ſacrum ſolenne per hominum penuriam omitti, ſed tamen omiſſum eſt penuria illius ephemeriæ, ad quam ex ordine illa hebdomas pertinebat, tanta fuit religio, ordinem à Davide præſcriptum mutandi. Priore templo, ante tempora Nebucadnezaris, propter idololatriam hæc functio ſæpè omiſſa eſt, 2. Chronic. 28. verſ. 24. Sic hoc exprobrat Judæis Ezechiel cap. 24. In poſteriore verò templo nulla interpellatio jugis ſacrificii intervenit, propter pollutionem templi ſub Antiocho Epiphane, qui non ſolùm templum profanavit, ſed etiam ſacerdotes & Judæos, quosvis, legibus patriis inhærentes vel interfecit, vel Judæa ejecit. Poſt triennium verò cultus divinus à Juda Maccabæo reſtitutus eſt, ubi neceſſe fuit ipſi familias ſacerdotum recenſere, & qui ſe à contaminatione Syrorum integros conſervaverant, ſeligere, 1. Maccab. 4. verſ. 46. & ephemeriarum ordinem iterum inchoare. Ab eo tempore, uſque ad excidium templi ſub Veſpaſiano, nunquam juge ſacrificium interruptum fuit, nec ephemeriæ interturbatæ, quamvis enim Hieroſolyma aliquoties obſidione ab hoſtibus cincta fuit, bis etiam capta: à Pompejo ſcilicet, & poſt viginti ſex annos ab Herode: tamen quotidianum ſacrificium nequaquam ceſſavit. *Pompejus enim* ut Joſephus ſcribit, *Judæorum tolerantiam admiratus eſt, & præcipuè, quòd nihil ceremoniarum inter media tela verſantes, intermiſerunt, ſed, velut in alta pace civitas ageret, quotidie ſacrificia & victimas, omnemque DEI cultum diligentiſſimè celebrarent, nec vel in ipſo excidio, cùm ad aram indies ſinguli trucidarentur, legitimis religionis ſua muneribus abſtinuerunt.* In ultimo tamen excidio juge ſacrificium deſiit die 17. menſis tertii, in jejunio Tamutz: ideò Judæi in ſuo Talmud ad diem 17. hujus menſis notant, *franguntur tabulæ legis* (ſcilicet hoc die) *ceſſavit juge ſacrificium, urbs fiſſa eſt*, bis enim eo die capta eſt, & à Pompejo & Herode.

Ephemerias igitur jam à reſtitutione templi per Maccabæum, ab Encæniis ejus, quæ celebrata ſunt dies 25. menſis Cisleu, anno Alexandreo ſive Græcorum 148. 1. Maccab. 4. inchoabimus, ut videamus, quo tempore circa conceptionem Johannis, Zacharias vices ſuas obierit. Annus Græcorum 148. inchoatur in anno Mundi 3785. in Septembri. Novilunium menſis Paſchalis anni hujus 3785. ſecundùm Judæos incidit in diem 8. Martii, in feriam ſeptimam. Primus dies azymorum celebratus dies 22. Martii, eſt dies 18. Calendis Januarii additi dies 163. conſiunt dies 244. qui deſinunt primo Septembris, eodem anno Mundi, feria ſecunda, & hic eſt primus dies anni Alexandrei 148. & primus dies menſis ſeptimi. Jam ex Calendario Judæorum inquirendum, an hic annus Communis, vel Embolimæus, item an ſit ordinarius vel abundans, vel defectivus, deprehenditur autem, quòd ſit Embolimæus abundans, hoc eſt, octavum menſem bere triginta dies, non viginti novem. Dies igitur triginta ſeptimi menſis, dies item triginta octavi menſis, & dies viceſimus quintus noni menſis, efficiunt dies 85. qui ſimul ſumti cum Calendis Septẽb. efficiunt dies 328. qui deſignant diem 24. Novembris, feriam ſecundam, cyclo Solis 13. qua primùm accenderunt lumina in candelabris, & ſuffitum fecerunt, & panes propoſuerunt, & holocauſtum obtulerunt, eadem die, qua ante triennium templum profanatum fuerat. Iniit ergò familia Joarib, quæ ordine prima erat, ſuam vicem: hinc reliquæ ordine, uſque ad ultimum templi excidium ſecutæ ſunt, & orbis ille ſacerdotum hieraticus continuatus eſt, neque unquam poſtea interruptus. CHRISTUM autem natum demonſtravimus anno Mundi 3947. Ergò Johannes Baptiſta conceptus anno 3946. Ab anno Mundi jam 3785. quo templum repurgatum eſt, uſque ad hunc annum 3946. incipientem effluxerunt anni Juliani 160. & dies 39. tot enim dies à viceſimo ſecundo Novembris, uſque ad Calendas Januarii ſequentis anni ſuperſunt anni 160. Juliani redacti in dies, efficiunt in una ſumma dies 58479. qui ſi dividantur per 168. dies, (tot enim conſumebantur dies, priusquàm ephemeriæ in orbem redirent) prodeunt orbes hujusmodi hieratici 348. & dies inſuper 15. qui oſtendunt, anno Mundi 3945. die 17. Decembr. feria ſeptima, primam familiam Joarib ſuam vicem iterum inchoaſſe: addatur adhuc unus orbis, ſive dies 168. ut propiùs ad conceptionem Johannis accedamus; hi pertingunt uſque ad diem 153. à Calendis Januarii, anni 3946. ſive ad 2. diem Junii, feria ſeptima; ubi iterum familia prima Joarib ſuam vicem obivit. Porrò Zacharias fuit ex familia Abia, ex familia octava in ordine, ſeptem igitur familiæ præceſſerunt, & vicem ſuam implerunt diebus 49. qui additi ad ſecundum diem Junii, pertingunt ad diem 202. à Calendis Januarii, & oſtendunt, Zachariam inchoaſſe liturgiam ſuam die 21. Julii, feria ſeptima, & compleviſſe dies officii, die 28. Julii, indeque rediiſſe domum, & Johannem conceptum circa finem Julii, anno 3946. Additi jam menſes ferè ſex, pervenimus ad tempus conceptionis CHRISTI, ferè ad initium menſis Januarii, anni 3947. aſſumti novem menſes pertingunt ferè ad finem menſis Septembr. cujus die 24. eo anno feſtum Scenopegias celebratum fuit, quando Paſtores ſub dio in agris verſari, & cubare potuerunt. Id quod conſentit etiam cum primitiva Eccleſia Alexandrina, quæ nativitatem Johannis Baptiſtæ celebravit viceſimo tertio die Aprilis, die videlicet 28. menſis Pharmuthi, ut diximus fine capitis decimi tertii. Et hoc antiquiſſimæ Eccleſiæ Alexandrinæ teſtimonium diligenter eſt obſervandum. Si enim Johannes Baptiſta natus eſt circa viceſimum tertium diem

tem Aprilis ; Ergò CHRISTUS ſex menſibus ætate minor, quam Johannes natus eſt circa finem Septembris. Concludimus ergò, ex hoc antiquitatis teſtimonio, & ex aliis circumſtantiis, CHRISTUM DEUM natum videri circa finem menſis Septembris, & poſtea etiam circa eoſdem dies poſt annos triginta baptiſatum. Inquiramus jam etiam verum annum Paſſionis CHRISTI, & annos Miniſterii ejus, qui cùm numerentur ratione Paſchatum Judæorum, conferenda ſunt ea, quæ de termino vel tempore feſtivitatis Paſchalis apud Judæos diximus, ſupra cap.12.

CAPUT XLIX.

Dè vero Anno paſſionis & mortis Chriſti.

NOn minus dubitatum fuit in Eccleſia de vero anno paſſionis & mortis CHRISTI, quàm de vero anno nativitatis ejus. Clemens Alexandrinus, vir ſeculi ſui eruditiſſimus, & unus eorum, qui propius ab ætate CHRISTI ſcripſerunt, Chriſtum affirmat, unum tantùm annum prædicaſſe, ex loco illo Lucæ, *Annum acceptabilem miſit prædicare me.* Epiphanius autem putat, illum duobus annis prædicaſſe, & dies inſuper octuaginta quatuor. Ille Clemens affirmat CHRISTUM paſſum die 25. Phamenoth, anno 16. Tiberii. Præceſſerant ergo in anno Actiacæ victoriæ, ad quorum formam Clemens ſuos menſes & dies numerat, menſes ſex, qui faciunt dies 180. dies 25. Phamenoth additi, faciunt dies 205. ex quibus abjecti dies 125. qui effluxerunt à 29. Auguſti, usque ad Calendis Januarii, ſuperſunt dies 80. à Calendis Januarii: Eſſet viceſimus primus Martii, in litera C. Paſſus autem eſt Salvator noſter feria ſexta. Ergò neceſſe eſt, ut eo anno fuerit litera Dominicalis E. ſed hoc non convenit, fuit enim anno triceſimo æræ Chriſtianæ, in quem decimus ſextus annus imperii Tiberii incidit, litera Dominicalis A. cyclo Solis undecimo. Præterea ſyzygiæ lunares oſtendunt, eo anno, die 22. Martii fuiſſe novilunium, nec Paſcha unquam in novilunio celebratum eſt; ergò Clemens in hac re fruſtra eſt.

Epiphanius putat, Chriſtum paſſum die 20. Martii. Ergò ut viceſimus Martii ſit feria ſexta, neceſſe eſt, ut litera Dominicalis fuerit D. & hoc quidem accidit anno Chriſtianæ 33. anno Tiberii 19. ſed cyclus Lunæ 15. oſtendit, Paſchatum celebratum ſuiſſe die 4. Aprilis, feria ſeptima, & Novilunium accidiſſe die 19. Martii. Ergò CHRISTUS eo anno, die 20. Martii pati non potuit. Auguſtinus, Chryſoſtomus, & multi alii, cenſent CHRISTUM paſſum viceſimo quinto die Martii, ergò neceſſe eſt ut dies 25. Martii fuerit feria ſexta, & litera Dominicalis B. quod tum temporis accidit anno viceſimo primo Tiberii, anno æræ Chriſtianæ 35. ſeptem annis poſt Baptiſmum, quanquam litera Dominicalis B. etiam fuit eo anno, quo CHRISTUS baptiſatus eſt; ſed ita baptiſatus fuiſſet, & crucifixus, uno eodemque anno, quod falſum eſt; neque præterea etiam Paſcha reſpondet. Aliqui propiùs accedunt ad motum Lunæ, & dicunt Chriſtum anno æræ Chriſtianæ 34. die 24. Martii, & quidem eo anno Paſcha fuit die 25. Martii, ſed dies ille 25. Martii fuit feria quinta, litera Dominicali C. cyclo Solis 15. atque hoc modo CHRISTUS paſſus eſſet feria quarta, contrà quam dicunt Evangeliſtæ, & quidem anno Tiberii viceſimo, quod nemo facilè admittet. Interceſſiſſent enim inter Baptiſmum CHRISTI & reſurrectionem ejus ſex Paſchata.

Noſtro ſeculo Theologi etiam in diverſas ſententias abeunt, in annis miniſterii CHRISTI numerandis, & in numero Paſchatum deſignando. Quidam enim tria Paſchata tempore miniſterii CHRISTI tantùm admittunt, cumque anno triceſimo tertio ætatis anno currente paſſum contendunt: Quidam quatuor ex Evangeliſtis colligunt, & paſſionem CHRISTI in triceſimum quartum ætatis ejus annum conjiciunt. Quidam tandem quinque Paſchata numerant, & paſſionem CHRISTI in triceſimo quinto ætatis ejus anno ſtatuunt. Si quis jam de autoribus harum ſententiarum ageret, & ex eorundem multitudine, eruditione, fide & autoritate ſententiam aliquam ex hiſce de numero Paſchatum confirmare vellet: Committeret quidem autores inter ſe, ſed tamen nihil certi inde concluderet, cùm veritas hujus rei non autoritate humana, ſed verbo DEI, & demonſtrationibus certis nitatur; ideò miſſos faciamus. Quod ad verbum DEI & Evangeliſtas attinet, numerum Paſchatum ex iis etiam certò definire non poſſumus propter interpretum diverſas ſententias. Quatuor quidem Paſchata ex Evangeliſta Johanne plærique Theologi numerant, quorum primum extat ſecundo capite, ſecundum oſtenditur cap. 5. tertii mentio fit cap. 6. & ultimum exprimit cap. 18. De hoc ultimo Paſchate Evangeliſtæ omnes agunt, de reliquis non item: Hiſtoriam tamen de diſcipulis CHRISTI, die Sabbathi per ſata euntibus, & ſpicas fricantibus, omnes habent: quæ cùm acciderit tempore Paſchatis, ut ſuprà cap. 36. probavimus, quintum Paſcha hoc numerari poſſet. Quidam præterea Theologi ex itineribus CHRISTI Hieroſolymam verſus, & aliis circumſtantiis ab Evangeliſta Luca cap. 9. & 10. enumeratis, etiam Paſcha aliud eruunt, ſed an hæc Paſchata peculiares annos à reliquis diverſos conſtituant; an verò cum eis, de quibus Evangeliſta Johannes agit, coincidant, iterum diverſorum Theologorum diverſæ ſunt ſententiæ. Demonſtrationem igitur Aſtronomicam aſſumamus, & Paſchata circa ea tempora, quibus menſibus, feriis, diebus & horis acciderint inquiramus, & quot Paſchata numerari debeant, hinc oſtendamus. Ut autem demonſtratio hæc ſit evidentior, Paſchata, quæ tempore miniſterii CHRISTI Hieroſolymis celebrata ſunt, non tantùm ratione periodi Calippicæ indicabimus, ſed etiam eorundem Paſchatum novilunia, tàm ad medium, quàm ad verùm Lunæ motum computata, addemus.

Supra autem diximus, annum decimum quintum Tiberii Imperatoris incipere anno viceſimo octavo æræ Chriſtianæ, die 19. Auguſti. Paſcha igitur primum, quod accidit anno quindecimo Tiberii, incidit in annum æræ Chriſtianæ 29. in an-

in annum æræ Contractuum ſive Alexandreorum 340. Numerus proximè minor eſt 314. reſidui anni ſunt 26. ex hiſce locis ſimul ſumtis in periodo Calippica eruitur dies novilunii Paſchalis apud Judæos, 3. Aprilis, feria prima, hora 10 56. minut ante meridiem. Novilunium medium ejusdem hujus anni accidit Hieroſolymis die 2. Aprilis, feria ſeptima, hora 13.5. Verùm novilunium Paſchale, die 2. Aprilis, hora 9.37. poſt meridiem, quando Judæi inceperant feriam primam. Ex hiſce omnibus patet, Novilunium Paſchale hujus primi anni miniſterii Chriſti incidere in feriam primam tertii diei Aprilis, cyclo Solis 10. Lunæ 11. & primum diem azymorum, ſive Paſcha celebratum die 17. Aprilis, feria prima.

Anno decimo ſexto Tiberii, ſive anno æræ Chriſtianæ triceſimo, anno verò ætatis Chriſti triceſimo ſecundo, novilunium Paſchale ad periodum Calippicam ſit die 23. Martii, feria quinta hora 7.45. poſt meridiem, quando Judæi jam inceperant feriam ſextam, ideò in feria ſexta accidiſſe ſtatuitur. Novilunium autem Paſchale apud Judæos non incipiebatur à feria ſexta, ſed idem in ſeptimam feriam transferebatur. Ideò novilunium accidiſſe putatur, die 25. Martii, feria ſeptima. Novilunium idem medium Hieroſolymis accidiſſe deprehentur die 22. Martii, feria quarta, hora 9.51.41. poſt meridiem. Verum novilunium accidit eodem die 22. Martii, feria quarta, hora 9.51.41. poſt meridiem. Verum novilunium accidit eodem die 22. Martii, feria 4. hor. 9. poſt meridiem, ex quibus videre eſt, novilunium Paſchale, ſi Judæi verum motum Lunarem ſecuti eſſent, inchoari à feria quinta, die 23. Martii. Verùm cùm iidem novilunia ad præſcriptum Calippi indicerent, primus dies primi menſis ab ipſis inchoatus fuit feria ſeptima, die 25. Martii, & Paſcha incidit in diem octavum Aprilis, in feriam ſeptimam.

Anno decimo ſeptimo Tiberii, anno æræ Chriſtianæ 31. ætatis verò Chriſti 33. novilunium Paſchale incidit in diem 13. Martii, feriam tertiam, hora 4. 34. ante meridiem, ſecundùm periodum Calippicam. Medium accidit, die 12. Martii, feria ſecunda, hora 6.40. manè. Verùm novilunium factum eodem die incipiente, hora 1.37. Feria autem ſecunda apud Judæos non recipiebat novilunium Paſchale, ideò idem in ſequentem feriam transferebatur: quapropter tam ſecundùm verum Lunæ motum, quàm ſecundùm periodum Calippicam, novilunium incidit in 13. Martii, feriam tertiam, & Paſcha celebratum fuit 27. Martii, feria tertia.

Anno decimo octavo Tiberii, anno æræ Chriſtianæ 32. anno ætatis Chriſti 34. novilunium Paſchale ad periodum Calippicam incidit in diem 31. Martii, feriam ſecundam, horam 2.6. matutinam. Novilunium medium Paſchale incidit in diem 30. Martii, feriam primam, hora 4.13. Verùm die 29. Martii, feria ſeptima, hora 11. poſt meridiem, ſive noctu, quando jam Judæi inceperant feriam primam. Ergò ſecundum verum Lunæ motum, primus dies primi menſis eſſe debebat die 30. Martii, feria prima; ſed cùm Judæi periodum Calippicam ſequerentur, & Paſcha nunquam celebraretur feria ſecunda, hic menſis primus inceptus eſt à primò die Aprilis, à feria tertia, & Paſcha incidit in feriam tertiam die 15. Aprilis.

Anno decimo nono Tiberii, anno æræ Chriſtianæ 33. anno ætatis Chriſti 35. novilunium Paſchale apud Judæos ad uſitatam periodum accidit die 20. Martii, feria ſexta, manè, hora 10.53. Novilunium medium die 19. Martii, feria quinta, hora 23.1. in meridie: Verum eadem hora 13.16. Cùm verò horæ hæ plus ſint quàm duodecim, primus dies primi menſis transfertur in ſequentem diem, in feriam ſextam: hæc verò cum non capax ſit novilunii, iterum primus dies trajicitur in feriam ſeptimam, in diem 21. Martii, tàm ſecundùm periodum Calippicam, quàm ſecundùm medium & verum Lunæ motum. Paſcha igitur hujus anni celebrarunt die 4. Aprilis, feria ſeptima.

Atque hæc ſunt Paſchata, quæ tempore miniſterii Chriſti accidere potuerunt, eaque ex triplici fundamento eruta, ex periodo Calippica, ex medio Lunæ motu, & ex vero Lunæ motu, ut manifeſtum fieret, Paſchata apud Judæos non in aliis diebus, quàm quibus aſcripta ſunt, hoc tempore celebrari potuiſſe. Nos quidem interdum ultra octidui ſpacium noſtra Paſchata, poſt plenilunium rejicimus, ſed id apud Judæos fieri non poterat, ſed in ipſo die plenilunii feſtivitas illa agebatur, niſi fortè incideret in feriam ſecundam, quartam vel ſextam, quæ propter certas cauſas à Judæis rejiciebantur, & paſchata in proximè ſequentem feriam trajiciebantur: atque hoc modo Paſcha plenilunium interdum die uno, vel etiam altero ſequi, ſed nunquam tamen anticipare poterat, cùm Judæi menſem à φάσει lunari, quando primùm luna nova apparere poterat, inciperent. Tempore hoc jam conſtituto & firmato, nunc videndum eſt, quoto anno æræ Chriſtianæ Chriſtus Dominus noſter paſſus ſit, & quodnam Paſcha ipſius paſſioni conveniat.

Certum eſt ex hiſtoria Evangelica, Marci 16. verſ. 9. & Eccleſia etiam ſemper ſic credidit, CHRISTUM filium DEI paſſum & ſepultum fuiſſe, feria ſexta, & inde ſabbatho magno Paſchatis in ſepulchro quieviſſe, & feria prima à mortuis reſurrexiſſe. Si jam circumſpiciatur, ad quodnam Paſcha tempore miniſterii CHRISTI hæ feriæ quadrent, nullam aliud occurrit, quàm quod celebratum eſt in feria ſeptima, anno æræ Chriſtianæ 33. die 4. Aprilis. Nam etiamſi anno æræ Chriſtianæ 30. Paſcha etiam in feriam ſeptimam incidit, in diem octavum Aprilis; tamen cùm hoc modo CHRISTUS unius tantùm anni ſpacio miniſterio functus eſſet, id quod apertè pugnat cum omnibus Evangeliſtis, in id tempus paſſio ejus conferri non poteſt. Reliqua Paſchata, quæ feria tertia celebrata ſunt, in comparationem hanc admitti non poſſunt, cùm non poſſint incidere in feriam ſeptimam, propter diſtantiam nimiam à plenilunio. Certum igiter eſt, & demonſtratum, paſſionem CHRISTI nullo alio anno accidere potuiſſe, quàm anno vulgatæ æræ Chriſtianæ 33. anno verò ætatis CHRISTI 35. anno quarto Olympiadis 202. quo Phlegon Olympiadum ſupputator egregius, Eclipſin illam Solis inuſitatam & ſtupendam annotavit: quo etiam die tertio Aprilis, hora ſexta veſpertina, Luna oriente, & CHRISTO jam è cruce depoſito & ſepulto, præter illam Eclipſin præter naturalem, etiam Eclipſis Lunæ naturalis accidit.

Anno

Anno Urbis 785. Anno Alexandreo, 344. Anno Actiacæ victoriæ 62. Anno Nabonaſſaris 780. Anno Juliano 78. Anno Mundi 3982. Conſulibus Servio Sulpitio Galba, & L. Cornelio Sylla, Anno 19. Imperii Tiberiani. Atque hic eſt verus annus paſſionis Chriſti, non conjecturis affectatus, ſed ex veris canonibus periodi Calippicæ, & medio veroque motu Lunari erutus & demonſtratus. Hinc jam manifeſtum eſt, quinque Paſchata miniſterii Chriſti numeranda. Si enim verum eſt, id quod ſacra Scriptura affirmat, Chriſtum baptiſatum anno decimo quinto Tiberii, tum decimus quintus annus exhibet Paſcha primum, & ex hoc anno reliqui quatuor anni numerati Paſcha quintum exhibent anno 19. Tiberii. Hoc enim ultimum Paſcha ratione demonſtrationis feriarum & Olympiadum in anteriora promoveri nequit; ut ita neceſſe ſit, quatuor annos ſolidos miniſterio Chriſti concedere. Id quod etiam Chriſtus ipſe Lucæ 13. v. 7. confirmare videtur, quando Judæos confert ficui, tres annos ſterili: Hieroſolymis enim Chriſtus docuerat tribus annis tum temporis, nec tamen fructum ex Judæis ſuo labore dignum receperat; nihilominus tamen exorat Patrem, ut quarto quoque anno hanc ficum jubeat coli & ſtercorari, & deinde, ſi non fructum faciat, excindi. Quatuor autem anni ſolidi exhibent quinque Paſchata, ut numeranti apparet. Quomodo verò jam quinque Paſchata ex Evangeliſtis erui debeant, & qua ratione hiſtoriæ miniſterii CHRISTI in quatuor annos diſtribui poſſint; etſi id Theologorum potius eſt, quàm Chronologi, tamen modum quendam in ipſa Chronologia annotavimus ejus diſtributionis, quo tamen Theologis, qui hæc ex profeſſo tractant, nihil præſcriptum volumus.

Atque hæc ſunt, amice & candide Lector, de quibus in Iſagoge Chronologica hæc dicere volui. Quorum *primum* fuit de tempore Aſtronomico, in numerandis noctibus Solis & Lunæ. *Secundum* de diverſa diverſorum annorum quantitate, menſibus & intercalatione. *Tertium* de Characteribus Chronologicis, quorum beneficio quilibet cujuslibet Epochæ annus ab aliis omnibus rectiſſimè dignoſcitur, diſtinguitur, aut etiam cum aliis, absque omni errore comparatur. *Quartum* de epochis ſingulis in ſpecie, ubi ex ſacris literis potiſſimùm, & ex probatiſſimis hiſtoricis, ut & ex Eclipſibus Lunaribus & Solaribus, & aliis demonſtrationibus, non divinando, ſed legitimè calculando, quamvis ita firmavimus, ut nihil contradici poſſit.

DEO omnipotenti Trino & uni ſit laus & gloria, in infinita ſecula.

OPUS

OPUS CHRONOLOGICUM,

EX AUTORITATE POTISSIMUM SACRÆ SCRIpturæ & Hiſtoricorum fide digniſſimorum, ad motum Luminarium cœleſtium, tempora & annos diſtinguentium, ſecundum Characteres Chronologicos contextum, & deductum uſque ad noſtra tempora.

SACRO SANCTA divina Majeſtas manifeſtatura ſe generi humano & omnibus aliis creaturis, opere creationis cœli & terræ & omnium rerum, quæ in iisdem continentur; fecit initium operationis ſuæ, poſt Sabbathum illud infinitum, & per æternitatem celebratum, anno χωυργίας primo, die primo hebdomadis, ſive feria prima, quæ incidit in ipſum æquinoctium autumnale, & in ipſam conjunctionem Solis & Lunæ.

Die viceſimo ſexto menſis Octobris, ad Calendarium Julianum, incipiente veſpera præcedente: & creavit rudem indigeſtamque cœli & terræ molem, cui poſtea lucem eodem die addidit, qua occidente, primus mundi dies peractus eſt, *Geneſ.* 1.

Thema cœli, ſi quis deſiderat, hoc modo ex tabulis Tychonicis erigitur: ut in prima domo ſit initium Arietis, in decima initium Capricorni, in ſeptima initium Libræ, in quarta initium Cancri. Sol occupet primum gradum Libræ, Mercurius gradum 12. Libræ Venus 14. Libræ. Novilunium medium incidit iisdem in diem 26. Octobris, ſed in mediam noctem in diem ſequentem, atque ita propinqua eſt initio Libræ, ita ut poſtea feria quarta diceretur Luna quarta. Saturnus verſatur circa primum Arietis. Jupiter circa primum Virginis. Mars circa primum Leonis, caput Draconis in primo Piſcium.

Die 27. Octob. fer. 2. Deus aquas ſuperiores ab inferioribus, cœlo expanſo & firmato, diſcrevit.

Die 28. Octob. fer. 3. ex aquis, juſſu divino, emerſit terra, & omnis generis plantas protulit.

Die 29. Octob. fer. 4. cœlum Sole, Luna, planetis & aſtris eſt exornatum.

Die 30. Octob. fer. 5. piſces & aves ex uno eodemq; elemento aquæ formantur, & piſces aqueas; aves verò aëreas multiplicationis ſuæ ſedes occuparunt.

Die 31. Octob. fer. 6. Animalia, & reptilia terræ creata ſunt. ADAM etiam ad imaginem DEI formatus, animantibus omnibus ſua nomina indidit, & HEVAM, ex ſe dormiente creatam, vitæ ſociam accepit.

Sabbathum primum fer. 7. Calendis Novembribus celebratum eſt.

Primi parentes in peccatum prolapſi, accepta promiſſione de ſemine mulieris, caput Serpentis contrituro, eriguntur: ſed poſſeſſione horti uberrimi ejecti, ad labores & dolores, per totum vitæ ſpatium ſuſtinendos, condemnantur.

Videre hinc eſt, annos à Mundi conditu deductos ab æquinoctio autumnali incipere. Verùm anni hi rectius numerari non poſſunt, niſi ad formam annorum Julianorum, quibus hodie aſſuevimus, qui ſemper à Calendis Januariis in media hyeme incipiunt, & etiam ibidem terminantur. Ideò annos à mundo condito deductos eodem modo à Calendis Januariis deducemus. Qui verò maluerint, eos ab æquinoctio autumnali deducere, iis difficile non fuerit initium alicujus anni mundani in proximè præcedens æquinoctium autumnale retrahere.

In primo igitur anno Mundi, qui eſt ante verum nativitatis Christi tempus, annus ter milleſimus nongenteſimus quadrageſimus ſeptimus, & ab Epocha Christiana Dionyſiana uſitata 3949. Æquinoctium Vernum medium ſubſequens incidit in diem 21. Aprilis, fer. 4. horis 5.45 poſt meridiem.

Eſtque annus ille biſſextilis, literæ Dominicales D.C. Cyclus ☉ 9. ☽ 1.

ANNO MUNDI 130. *ante C. N.* 3818.
C. ☉ 26. ☽ 1.

Sethus, maximùm afflictiſſimorum parentum, quorum filii, *Abel* cæde, *Cainus* impietate, parricidio, & fuga perierant, ſolatium, naſcitur, anno ætatis Adæ 130. Vixit annos 912. Vixit cùm patre Adam annos 800. Cum filio Enos 807. Cum nepotibus ſuis Kenan, annis 717. Mahaleel 647. Jared 582. Henoch 365. Methuſalah 355. Lamech 168.

Æquinoctium hoc tempore integro die præcipitaverat, & ex viceſimo primo Aprilis ad viceſimum aſcenderat.

Anno Mundi 189. die 7. Octobr. incipit æra mundi Judæorum.

ANNO MUNDI 235. *ante C. N.* 3713.
E. ☉ 19. ☽ 11.

Enos; cujus tempore cœptum eſt invocari nomen Jehovæ, h. e. inſtituti ſunt publici conventus, ad audiendam doctrinam de Deo, quod antea fiebat in familiis privatim: atq; ita paulatim ſeceſſionem fecerunt pii à Cainitis, qui vocati ſunt filii hominum. Pii verò nomen retinuerunt filiorum Dei, *Geneſ.* 6. naſcitur anno ætatis Sethi 105. Adami 235. Vixit annos 905. Converſatus eſt cum avo Adamo annis 695. Cum patre Setho annis 807. Cum filio Kenan 815. Cum nepotibus ſuis Mahaleel, añis 745. Jared 680. Henoch 365. Mathuſalah 453. Lamech 266. Noah 84.

Anno Mundi 269. ante C. N. 3679. E. D ☉ 25. ☽ 7. Æquinoctium adſcendit ad diem 19. April.

ANNO MUNDI 325. *ante C. N.* 3623.
ED. ☉ 25. ☽ 6.

Cainan naſcitur, anno ætatis Enos 90. Converſatus eſt cum proavo Adamo annis 605. Cum avo Setho annis 717. Cum patre Enos annis 815. Cum filio Mahaleel 840. Cum nepotibus ſuis Jared 775. Henoch 365. Mathuſalah 548. Lamech 361. Noah 179.

ANNO MUNDI 395. *ante C. N.* 3553.
A. ☉ 11. ☽ 19.

Mahaleel naſcitur, anno ætatis Cainan 70. Enos 160. Sethi 265. Adami 395. Vixit annos 895. Converſatus eſt cum abavo Adamo annis 535. Cum proavo Setho 647. Cum avo Enos 745. cum patre Cainan 840. Cum filio Jared annis 830. Cum nepotibus ſuis Henoch 365. Mathuſalah 603. Lamech 416. Noah 234.

Anno Mundi 401. ante C. N. 3547. A. G. ☉ 17. ☽ 6. Æquinoctium vernum aſcendit in 18. Apr.

ANNO MUNDI 460. *ante C. N.* 3488.
D. ☉ 20. ☽ 8.

Jared naſcitur, anno ætatis Mahaleel 65. Cainan 135. Enos 225. Sethi 330. Adami 460. Vixit annos 962. Converſatus eſt cum Adamo annis 470. cum Setho 582. cum Enos 680. cum Cainan 775. cum Mahaleel 830. cum filio Henoch 365. cum nepotibus ſuis Mathuſalah annis 735. Lamech 548. Noah 366.

Anno Mundi 529. B. A. ☉ 5. ☽ 1. Æquinoctium vernum aſcendit ad diem 17. Aprilis.

ANNO MUNDI 622. *ante C. N.* 3326.
D. ☉ 14. ☽ 18.

Henoch naſcitur ætatis Jared 162. Mahaleel 227. Cainan 292. Enos 387. Sethi 492. Adami 622. Vixit annos 365. converſatus eſt cum Adamo annos 308. cum Setho & reliquis ſuis patribus, item cum filio Mathuſalah annis 365. cum nepote Lamech annis 113.

Anno Mundi 601. E. D. ☉ 25. ☽ 19. Æquinoctium vernum aſcendit ad diem 16. Aprilis.

ANNO MUNDI 687. *ante C. N.* 3261.
G. ☉ 23. ☽ 7.

Mathuſalem naſcitur anno ætatis Enoch 65. Jared 227. Mahaleel 292. Cainan 362. Enos 452. Sethi 557. Adami 687. Vixit annis 969. converſatus eſt cum Adamo añis 243. cum Setho 355. cum Enos 453. cum Cainan 548. cum Mahaleel 603. cum Jared 735. cum Henoch 365. cum Lamech 777. cum Noah annis 600. cum Semo añis 100.

Anno Mundi 793. G. ☉ 23. ☽ 6. Æquinoctium aſcendit ad diem 15. Aprilis.

ANNO MUNDI 874. *ante C. N.* 3074.
D. ☉ 14. ☽ 4.

Lamech naſcitur anno ætatis Mathuſalem 187. Henochi 257. Jared 414. Mahaleel 479. Cainan 549. Enos 639. Sethi 744. Adami 874. Vixit annos 777. converſatus eſt cum Adamo annis 56. cum Setho 168. cum Enos 266. cum Cainan 361. cum Mahaleel 416. cum Jared 548. cum Henocho 113. cum patre Mathuſalem annis 777. cum filio Noah 395. cum nepote Sem 95.

ANNO MUNDI 930. *ante C. N.* 3018.
D. ☉ 14. ☽ 3.

Adamus, cùm hiſce annis poſteros ſuos de filio Dei docuiſſet, moritur anno ætatis Sethi 800. Enos 695. Cainan 605. Mahaleel 535. Jared 470. Enoch 308. Mathuſalem 243. Lamech 56.

Eodem tempore Æquinoctium aſcendit ad diem 14. Aprilis.

ANNO MUNDI 987. *ante C. N.* 2961.
C. ☉ 15. ☽ 3.

Henoch ætatis ſuæ 365. cùm ſincerè & integrè coram Deo in munere ſuo verſaretur, ipſo corpore ad vitæ æternæ gaudia transfertur, ſpectantibus procul dubio Patriarchis, anno ætatis Sethi 857. Enos 752.

Cainan

Cainan 662. Mahalaleel 592. Jared 527. Mathuſalem 300. Lamech 113. anno Sabbathico.

ANNO MUNDI 1042. *ante C. N.* 2906. D. ☉ 14. ☽ 1.

Sethus promiſſionis divinæ interpres indefeſſus & propugnator acerrimus, moritur, cùm vixiſſet annos 912. anno ætatis Enos 807. Cainan 717. Mahaleel 647. Jared 582. Mathuſalem 355. Lamech 168.

Anno Mundi 1049. *C. B.* ☉ 21. ☽ 8. *Æquinoctium aſcendit ad* 13. *Aprilis.*

ANNO MUNDI 1056. *ante C. N.* 2892. A. ☉ 28. ☽ 15.

Noah, juſtitiæ divinæ fidelis præco, naſcitur anno ætatis Lamech 182. Mathuſalem 369. Jared 596. Mahalaleel 661. Cainan 731. Enos 821. Anno poſt mortem Adæ primi hominis 126. Poſt translationem Henochi annis 70. Poſt obitum Sethi 4. Vixit annos 950. Converſatus eſt cum Enos annis 84. cum Cainan 179. cum Jared 366. cum Mathuſalah 600. cum Lamech 595. cum filio Sem 448. cum omnibus Patriarchis poſt diluvium, uſque ad annum qui quageſimum octavum ætatis Abrahami.

ANNO MUNDI 1140. *ante C. N.* 2808. A. ☉ 28. ☽ 4.

Enos, qui primus in publicis cœtibus doctrinam cœleſtem propagaverat, moritur anno ætatis ſuæ 905. ætatis Cainan 815. Mahaleelis 745. Jared 680. Mathuſalæ 453. Lamech 266. Noæ 84. Converſatus eſt cum omnibus Patriarchis.

Anno Mundi 1181. *F. E.* ☉ 13. ☽. 7. *Æquinoctium vernum aſcendit ad diem* 12. *Aprilis.*

ANNO MUNDI 1235. *ante C. N.* 2713. A. ☉ 11. ☽ 4.

Cainan moritur anno ætatis 910. anno Mahaleelis 840. Jared 775. Mathuſalem 548. Lamechi 361. Noæ 179. Vidit omnes Patriarchas.

ANNO MUNDI 1290. *ante C. N.* 2658. B. ☉ 10. ☽ 2.

Mahaleel moritur anno ætatis 895. anno ætatis Jared 830. Mathuſalæ 603. Lamechi 416. Noæ 234. Vidit omnes Patriarchas.

Anno Mundi 1313. *B. A.* ☉ 5. ☽ 6. *Æquinoctium vernum aſcendit in diem* 11. *Aprilis.*

ANNO MUNDI 1422. *ante C. N.* 2526. E. ☉ 2. ☽ 1.

Iared Patriarcha moritur anno ætatis 962. ætatis Mathuſalæ 735. Lamechi 548. Noæ 366. Vidit omnes Patriarchas.

Anno Mundi 1445. *E. D* ☉ 25. ☽ 5. *Æquinoctium vernum aſcendit ad diem* 10. *Aprilis.*

ANNO MUNDI 1536. *ante C. N.* 2412. C. ☉ 4. ☽ 1.

Noah omnium mortalium miſerrimus, quo nemo contemtum Dei majorem & magis nefandum conſpexit, cùm ægerrimè ferret Lameci libidinem inſolitam, hominum levitatem & laſciviam, Gigantum immanium ferocitatē & laſciviam, vulgi perditiſſimam licentiam, denunciat impiis venturam calamitatē, non ſolùm verbo & doctrina; verùm etiam extructione navigii ſive arcæ, quæ tantæ capacitatis fuit, ut quadraginta & quinquaginta millia quadratorum, ſi ſingula ſint unius ulnæ in longitudine, latitudine & profunditate, capere potuerit, ut ſufficeret & recipiendis animantibus, & ſeponendis commeatibus. Magnitudo autem arcæ fuit trecentorum cubitorum in longitudine, 50. verò cubitorum in latitudine, & 30. cubitorum in altitudine, planè ad formam hominis in planicie jacentis, contractis brachiis. In infima arcæ parte procul dubio locus vacuus relictus fuit, trium vel quatuor cubitorum altus, qui ſordes ex ſuperioribus contignationibus devolutas exciperet, ſaburræque partem ad arcæ libramentum in aquis contineret. Inde reliqua arcæ pars in tria tabulata diſtributa fuit, *Gen.* 6. *v.* 16. quæ omnia undiq; & cellulis, & manſionibus, & promtuariis, fuerint diſtincta, ut & animantes rectè ſecludi, & ſuus cibus ſingulis commodè miniſtrare poſſet. Feneſtram habuit arca, quæ, quantum intelligimus, aperta non fuit, niſi finito diluvio. Oportuit igitur eam vel vitro, ſi tum inventum fuerit, vel cerato linteo obductam fuiſſe, ut lucis aliquid ad habitationem Noæ penetraret, ne & ipſe planè in tenebris ſederet. Porrò, ut aërem etiam attrahere, & ſpiritum haurire poſſent animantes, tenebricoſo carceri huic incluſæ, credibile eſt, cùm tectum arcæ ad cubitum ultra arcam elevatum & conſummatum fuerit, ut Hebræus textus oſtendit, id quod in Germanicis Bibliis omiſſum eſt, aërem ſub illo tecto liberè commeare potuiſſe, & ex ſingulis cellulis, & ex aliis etiam locis tubos eò uſque fuiſſe erectos, quibus aër attraheretur. *Conſulatur Matthæus Hoſtius in tractatu de fabrica arca Noa.*

ANNO MUNDI 1558. *ante C. N.* 2390. *ferè finienti* B. ☉ 26. ☽ 4.

Sem naſcitur, anno ætatis Noæ 502. Lamechi 648. Mathuſalæ 871. Vixit annos ſexcentos. Converſatus eſt cum proavo Mathuſalem annis 98. cum avo 93. cum parente 448. cum Patriarchis omnibus poſt diluvium, uſque ad annum quinquageſimum Patriarchæ Jacobi.

Anno Mundi 1573. *F. E.* ☉ 13. ☽ 19. *Æquinoctium vernum aſcendit ad diem* 9. *Aprilis.*

ANNO MUNDI 1651. *ante C. N.* 2297.
F. ☉ 7. ☽ 2.

Lamech moritur, anno ætatis 777. ætatis Mathuſalem 964. Noæ 595. Semi 93.

ANNO MUNDI 1656. *ante C. N.* 2292.
G. ☉ 12. ☽ 7.

Mathuſalem anno ætatis ſuæ 969. deſiit eſſe in vivis.

Anno hoc Juliano currente, die 13. Octob. fer. 7. conficitur æquinoctium autumnale: unde ratione Mundi conditi initia annorum computantur. Eſtque annus 1657. incipiens, qui ipſe eſt annus diluvii, cujus menſe 2. die 10. Noah, cum haberet annos 600. mandatum accipit de commeatu in arcam inferendo, & de animantibus ei includendis. Factum die 21. Novemb fer. 4. & inde die 17. menſis 2. qui eſt dies 28. Novemb. cùm Noah ingreſſus eſſet arcam cum ſuis, & Deus eandem clauſiſſet & obfirmaſſet, aperti ſunt omnes fontes abyſſi, & cataractæ cœli, pluitq; diebus continuis quadraginta, uſque ad diem 6. Januarii.

ANNO MUNDI 1657. *ante C. N.* 2291.
FE. ☉ 13. ☽ 8.

Invaluerunt inde aquæ, ut altiſſimos montes quindecim cubitis egrederentur, quod obſervatum fuit in arca, quæ altiſſimo monti impacta quievit, cùm jam aquæ obruiſſent terram, centum & quinquaginta diebus, & jam inciperent decreſcere. Factum id 17. die menſis 7. Unde maniſeſtiſſimè apparet, annum ante diluvium apud Patriarchas fuiſſe Solarem, & ſingulos menſes tricenis diebus fuiſſe deſcriptos. Menſes enim hujuſmodi ſex cum diebus 17. efficiunt in una ſumma dies 197. Inde ſubtractum tempus inundationis, dies 150. relinquit dies 47. h. e. menſem integrum, & diem 17. menſis ſecundi, quo pluviæ cœperunt. Dies autem pluviarum hiſce 150. diebus includendos eſſe, patet ex eo, quòd arca quievit die 17. menſis ſeptimi quod fieri non potuiſſet, ſi undæ poſt illud tempus ulteriùs invaluiſſent. Dies autem 17. menſis 7. eſt, ad Calendarium Julianum, dies 26. Aprilis, fer. 7. Poſtea primo die menſis decimi, qui eſt dies 8. Julii, cacumina montium ſe conſpicienda præbuerunt. In diebus ergò 73. tot enim interſunt inter diem 17. menſis ſeptimi, & primum diem menſis decimi, aquæ diminutæ ſunt tantùm ſedecim cubitis circiter, omneſq; valles adhuc undis repletæ fuerunt. Noah igitur, cùm ex eo tempore dies 40. effluxiſſent, die 17. menſis Auguſti, feria prima, aperta ſua feneſtra emittit corvum, qui in arcam non rediit. Inde poſt dies ſeptem, die 24. Auguſti, feria prima, columbam emittit, quæ nullo indicio allato ſiccatæ terræ in arcam revertitur. Iterum poſt ſeptem dies, die ultimo Auguſti, aliam columbam emittit, quæ allato ramuſculo oleæ virentis, lætum terræ revireſcentis nuncium attulit. Tertia columba die 7. Septemp. fer. 1. emiſſa, cùm haberet, unde viveret, non rediit. Subſtitit inde Noah in arca uſq; ad initium ſequentis anni, à mundo condito numerati 1658. incipientis ab æquinoctio autumnali, quod incidit in diem 12. Octobris, feriam primam, per dies 35. ſive quinquies ſeptem, ubi arcæ tectum, ut liberiùs viciniam contemplaretur, demoliri cœpit; quo facto aves procul dubio dimiſſæ ſunt. Ipſe tamen arca egredi auſus non eſt, priusquã mandatum de hac re accepiſſet, quod factum eſt tandem, die viceſimo ſeptimo menſis ſecundi, qui incidit in diem 7. menſis Decembris, in feriam primam hujus anni Juliani currentis, cùm integro anno, & decem diebus arcæ incluſus fuiſſet. Inde egreditur, & Deo Soteria immolat, accipitque promiſſionem, de non ampliùs perdenda univerſa terra, *Gen.* 8.

ANNO MUNDI 1658. *ante C. N.* 2290.
finiente D. ☉ 14. ☽ 9.

Arphaxat naſcitur, biennio poſt ingruentem cataclyſmum, anno ætatis Semi 100. Noæ 602. Vivit annos 438. *Gen.* 11.

ANNO MUNDI 1693. *ante C. N.* 2255.
CB. ☉ 21. ☽ 6.

Salah naſcitur, anno ætatis Arphaxat 35. Semi 135. Noæ 637. Vivit annis 433. *Gen.* 11.

Anno Mundi 1705. B A. ☉ 5. ☽ 18. *Æquinoctium vernum aſcendit ad diem 8. Aprilis.*

ANNO MUNDI 1716. *ante C. N.* 2232.
B. ☉ 16. ☽ 10.

Hebron urbs ædificata. *Joſephus.*

ANNO MUNDI 1718. *ante C. N.* 2230.
F. ☉ 18. ☽ 12.

Babylonici *regni initium ſtatuitur. Diodorus Siculus enim dicit, regnum Aſſyriorum ſtetiſſe annis 1360. uſque ad Sardanapali cædem. Inde numerat Cteſias Cnidius apud Diodorum annos 313. uſq; ad captum Aſtyagem à Cyro. Summa horum annorum eſt 1718. Occupavit autem Cyrus, capto Aſtyage, regnum Medorum anno Mundi 3391. anno 1. Olymp. 55. Subducti inde anni 1673. relinquunt annum Mundi 1718. quo regnum Babylonicum cœpit. Sic Calliſthenes Philoſophus reſcribens Ariſtoteli, de antiquitate rerum Chaldaicarum quærenti, dicit, Chaldæos affirmare, Babylonem ab Alexandro occupatam anno 1903. ab epocha Babylonica. Occupata autem ab Alexandro, anno Mundi 3619. deductis hinc annis 1902. manet initium regni Babylonici anno 1717. annis 62. poſt diluvium.*

ANNO MUNDI 1723. *ante C. N.* 2215.
C. ☉ 23. ☽ 17.

Eber naſcitur anno ætatis Salah 30. Arphaxat 65. Semi 165. Noæ 667. Vivit annos 464. *Geneſ.* 11.

Tanais ſive *Zoan* urbs Ægypti conditur. *Numer.* 13. 23.

ANNO

ANNO MUNDI 1757. *ante C. N.* 2191.
G F. ☉ 1. ☽ 13.

Peleg naſcitur anno ætatis 34. Salah 64. Arphaxat 99. Semi 199. Noæ 701. anno poſt diluvium centeſimo primo. Vixit annos 239.

Eſt autem hic annus Sabbathicus, quo DEUS linguis confuſis diſſipavit agmen Nimrodicum, in turri Babylonica extruenda occupatum; quam inſtituerant, ut & vires ſuas oſtentarent, & fama ſua memoriam relinquerent. Fuit ea turris artificioſiſſimè conſtructa, ut videre eſt apud Herodotum.

ANNO MUNDI 1787. *ante C. N.* 2161.
D. ☉ 3. ☽ 5.

Regu naſcitur, anno ætatis Peleg 30. Eberi 64. Salah 94. Arphaxat 129. Semi 229. Noæ 131. anno poſt diluvium 131. Vixit annos 239. *Geneſ.* 11.

ANNO MUNDI 1819. *ante C. N.* 2129.
F. ☉ 9. ☽ 18.

Serug naſcitur, anno ætatis Regu 32. Peleg 62. Eberi 96. Salah. 126. Arphaxat 161. Semi 261. Noæ 795. poſt diluvium 163. Vixit annos 230.

Anno Mundi 1837. E.D. ☉ 25. ☽ 17. *Æquinoctium aſcendit ad diem 7. Aprilis.*

ANNO MUNDI 1849. *ante C. N.* 2099.
DC. ☉ 9. ☽ 10.

Nahor avus Abrahæ naſcitur, ætatis Serug 30. Regu 62. Peleg. 92. Eberi 126. &c. Vixit annis 148.

ANNO MUNDI 1850. *ante C. N.* 2098.
B. ☉ 10. ☽ 11.

Belus, *ſecundum Africanum, incipit regnare poſt diluvium, annis 194. regnatq; in Aſſyria annis 55.*

ANNO MUNDI 1861. *ante C. N.* 2087.
CB. ☉ 21. ☽ 3.

Sicyoniorum regnum in Peloponneſo conſtituitur, primusq; in eo regnat *Ægialeus* annis 52. Incipit poſt confuſionem linguarum 104. *Afric.*

ANNO MUNDI 1878. *ante C. N.* 2070.
B. ☉ 10. ☽ 1.

Thara, pater Abrahami, naſcitur ætatis parentis ſui Nahor 27. annis 222. poſt diluvium. Vixit annos 205.

Belus eodem anno vincit Babylonios, & id regnū cum ſuo Aſſyriorum regno conjungit. *Afric.*

ANNO MUNDI 1905. *ante C. N.* 2043.
DC. ☉ 9. ☽ 9.

Ninus *ſuccedit Belo, qui annis 55. regnarat, & regnat annis 52.*

ANNO MUNDI 1913. *ante C. N.* 2035.
AG. ☉ 17. ☽ 17.

Europs ſuccedit Ægialeo in regno Sicyoniorum, poſt annum 52. regnatque annis 45. ab Ægialeo Peloponneſus Ægialea dicta fuit. *Afric.*

ANNO MUNDI 1948. *ante C. N.* 2000.
F. ☉ 24. ☽ 14.

Abraham Patriarcha naſcitur, anno ætatis Tharæ 60. Anno Semi 390. Noæ 894. annis poſt diluvium 292. Vixit annis 175.

ANNO MUNDI 1954. *ante C. N.* 1994.
E. ☉ 2. ☽ 1.

Ninus, *rex Aſſyriorum, expeditionem ſuſcipit contra Zoroaſtrem, quem Cteſias Oxyartem vocat, Bactrianorum regem, ubi non tàm armis, quàm magicis artibus decertatum eſt,* teſte Arnobio lib. 5.

ANNO MUNDI 1957. *ante C. N.* 1991.
BA. ☉ 5. ☽ 4.

Semiramis, uxor Nini, ſuccedit marito, qui annos 52. regnarat, regnatque annis 42. *Afric.* Hæc totam ferè Aſiam ſubjecit, & inundationes Euphratis aggeribus coercuit, plurimasq; in Aſia urbes ædificavit. *Juſt.*

ANNO MUNDI 1958. *ante C. N.* 1990.
G. ☉ 6. ☽ 5.

Sarai Abrahami conjux naſcitur, *Gen.* 17.

Telchinus, tertius rex Sicyoniorum, ſuccedit Europi, qui annis 45. regnarat: regnatq; annis 20. Ab hoc rege Peloponneſus olim Telchinia dicta fuit. *Afric.*

Anno Mundi 1969. A G ☉ 17. ☽ 16. *Æquinoctium vernum aſcendit ad diem 6. Aprilis.*

ANNO MUNDI 1978. *ante C. N.* 1970.
C. ☉ 26. ☽ 6.

Apis ſuccedit Telchino in Sicyoniorum regno, qui annis 20. regnaverat, regnatque annis 25. ab hoc Peloponneſus etiam *Apia* dicta fuit *Afric.*

ANNO MUNDI 1996. *ante C. N.* 1952.
B. ☉ 16. ☽ 5.

Peleg moritur, anno ætatis 239. ætatis Noæ 942. Semi 438. Salah 303. Eberi 263. Regu 289. Serug 177. Nahor 147. Tharæ 118. Abrahami 48. Sequenti anno moritur etiam *Nahor* avus Rebeccæ, anno ætatis 148.

ANNO MUNDI 1994.
E. ☉ 19. ☽ 8.

Ninias *ſuccedit matri Semiramidi in regno Aſſyriorum, quæ regnarat annis 42. ipſe complet annos* 38. Afric.

ANNO MUNDI 2003. *ante C. N.* 1945.
G. ☉ 23. ☽ 12.

Cres indigena regnat in Creta Inſula, quæ & ab ipſo denominata eſt. Condidit in Creta Gnoſſon urbem, & *Cybeles* matris templum. *Euſeb.*

Thelxion Sicyoniorum rex V. ſuccedit Api, qui annis 20. regnarat, & ipſe præeſt annis 52. *Afric.*

ANNO MUNDI 2005. *ante C. N.* 1943.
ED. ☉ 25. ☽ 14.

Noah, qui prioris mundi amœnitatem & lætitiam admiratus erat, & alterius undis dilacerati vaſtitatem & miſeriam ingemuerat, moritur anno ætatis 950. Cùm *Noah* vixerunt Enos annis 84. Cainan 179. Mahaleel 234. Jared 366. Math ſalem 600. Lamech 595. Sem 447. Arphaxat 347. Salah 31,. Eber 252. Peleg 239. Regu 218. Serug. 186. Nahor 148. Thara 127. Abraham 57.

ANNO MUNDI 2023. *ante C. N.* 1925.
C. ☉ 15. ☽ 13.

Abraham anno Sabbathico profectus ex Haran, juſſu DEI peregrinatur in locis

ignotis in Canaan & Ægypto, cum Sarai uxore, & Lotho ſui fratris filio. Erat tum annorum 75. Hinc numerantur Anni Peregrinationis Patriarcharum. Eſt annus poſt diluvium 367.

ANNO MUNDI 2026. *ante C.N.* 1922.
F. ☉ 18. ☽ 16.

Regu moritur anno ætatis 239. Semi 467. Arphaxat 367. Salah 333. Eberi 303. Serug. 209. Tharæ 148. Abrahami 78.

ANNO MUNDI 2034. *ante C. N.* 1914.
C. ☉ 26. ☽ 5.

Ismael naſcitur ex Hagar ancilla, anno ætatis Abrahami 86. *Geneſ.* 16.

ANNO MUNDI 2037. *ante C. N.* 1911.
GF. ☉ 1. ☽ 8.

ARIUS Aſſyriorum rex VI. ſuccedit Niniæ, qui annis 38. regnarat, & ipſe imperat annis 30. Euſeb.

ANNO MUNDI 2047. *ante C. N.* 1901.
A. ☉ 11. ☽ 18.

Circumciſionis Sacramentum inſtituitur, anno ætatis Abrahami 99. Iſmaeli 13. Semi 448. Eodem hoc anno *A*braham duos *A*ngelos, unà cum filio Dei convivas excipit, & quaſi Deo intimus eundem, ne Pentapolin Sodomitarum, igne cœlitùs demiſſo perdat, ſexies deprecatur, *Geneſ.* 19.

ANNO MUNDI 2048. *ante C. N.* 1900.
G. ☉ 12. ☽ 19.

Iſaac è corporibus emortuis, & præter naturæ & ætatis rationem & ordinem naſcitur, anno ætatis *A*brahami 100. Semi 490. Vixit annos 180. *Gen.* 21. Eodem hoc anno *Moab* & *Ammon* ex inceſtu Lothi cum filiabus naſcuntur, & ſequenti anno Patriarcha *Serug* moritur.

ANNO MUNDI 2055. *ante C. N.* 1893.
E. ☉ 19. ☽ 7.

Ægyrus, Sicyoniorum rex VI. ſuccedit Thelxioni, qui annis 52. regnarat. Ipſe regnat annis 34. *Afric.*

ANNO MUNDI 2063. *ante C. N.* 1889.
B. ☉ 27. ☽ 15.

Iſaac cum tridui iter conficere, & faſciculum lignorum portare poſſet, patri *A*brahamo in monte Moria ad jugulum uſque paret, *Gen.* 22.

ANNO MUNDI 2067. *ante C. N.* 1881.
D. ☉ 3. ☽ 19.

Aralius, *rex Aſſyriorum VII. ſuccedit Ario, qui annis* 30. *regnarat, & imperat annis* 40. Afric.

ANNO MUNDI 2083. *ante C. N.* 1865.
E. ☉ 19. ☽ 16.

Thara anno ætatis 205. moritur, ætatis Semi 524. *A*brahami 135. Iſaaci 35.

ANNO MUNDI 2085. *ante C. N.* 1863.
CB. ☉ 21. ☽ 18.

Sara ætatis 127. moritur, anno ætatis *A*brahami 137. Iſaaci 37. ſepelitur in Hebron, *Gen.* 23.

ANNO MUNDI 2088. *ante C. N.* 1860.
F. ☉ 24. ☽ 2.

Iſaac anno ætatis 40. Rebeccam pietatis ſpectatæ, virtutis multæ, formæ inſignis, ſolertiæ miræ virginem, uxorem ducit.

ANNO MUNDI 2089. *ante C. N.* 1859.
ED. ☉ 25. ☽ 3.

Thurimachus Sicyoniorum Rex VII. ſuccedit Ægyro, qui annos 34. regnarat, ipſe præeſt annis 45. *Afr.*

ANNO MUNDI 2093. *ante C. N.* 1855.
GF. ☉ 1. ☽ 7.

Inachus novum regnum Argis in Peloponneſo inchoat, quod Archivorum regnum appellatur, regnavit annis 50. *Afric.*

ANNO MUNDI 2096. *ante C. N.* 1852.
C. ☉ 4. ☽ 10.

Arphaxat moritur anno ætatis 438. Ætatis Semi 525. Salah. 403. Eberi 373. Abrahami 148. Iſaaci 48.

Anno Mundi 2107. *Ante Chriſtum* 1841. C. ☉ 15. ☽ 2. *Æquinoctium vernum adſcendit ad diem* 5. *Aprilis.*

Xerxes *Aſſyriorum rex VIII. ſuccedit Aralio, qui præfuerat annis* 40. *& imperat annis* 30. Afric.

ANNO MUNDI 2108. *ante C. N.* 1840.
B. ☉ 16. ☽ 3.

Eſau, corpore piloſus & ruffus, moribus truculentus & vehemens, ſtudiis venator & agricola, victu luxurioſus & vorax, naſcitur unà cum Jacobo fratre, homine placido & ſimplici, & ſuorum amantiſſimo; ætatis Iſaaci ſexageſimo. *Geneſ.* 25. *A*brahami 160. vivit Jacob annos 147. *Gen.* 47.

ANNO MUNDI 2123. *ante C. N.* 1825.
D. ☉ 3. ☽ 18.

Abraham Patriarcha moritur anno ætatis 175. Cum *A*brahamo vixerunt, Noah annis 57. Sem, Salah, Eber annis 175. Peleg. 48. Nahor 49. Thara 135. *A*rphaxat 148. Regu 78. Serug. 101. Iſaac 75. Jacob 15.

ANNO MUNDI 2124. *ante C. N.* 1824.
C. ☉ 4. ☽ 19.

Hermannus, filius *Ingevonis*, in Germania regnare cœpiſſe ſcribitur. *Spangenberg.* fuit autem Hermannus, à quo Germania dicta eſt, nepos *Manni*, & pronepos *Aſcanis*, filii *Gommeri*, nepotis Japheti, qui primus in Germaniam hanc interiorem tranſiiſſe, & fundamenta rempubl. jeciſſe ſcribitur, circa annum mundi 1970.

ANNO MUNDI 2126. *ante C. N.* 1822.
G. ☉ 6. ☽ 2.

Salah moritur ætatis 433. Iſaac habitat in Gerar, fame in Paleſtinam compulſus, *Gen.* 26.

ANNO MUNDI 2134. *ante C. N.* 1814.
D. ☉ 14. ☽ 10.

Leucippus Sicyoniorum rex VIII. ſuccedit Thurimacho, qui annis 45. regnarat, & præeſt annis 53. *Afric.*

ANNO

ANNO MUNDI 2137. *ante C. N.* 1811.
A G. ☉ 17. ☽ 13.

ARMAMITHES Aſſyriorum rex IX. ſuccedit Xerxi, qui annis regnarat 30. Hic imperat annis 28. Afric.

ANNO MUNDI 2143. *ante C. N.* 1805.
G. ☉ 23. ☽ 19.

Phoroneus Argivorum rex II. Inachi filius & Meliſſe, Apollini ſuccedit parenti, qui regnarat annis 50. hic annis regnat 6. præſcribitque leges ſuis ſubditis.

ANNO MUNDI 2148. *ante C. N.* 1800.
A. ☉ 28. ☽ 15.

Eſau quadragenarius filias gentilium ſibi connubio jungit, contra voluntatem parentum, *Gen.* 26.

ANNO MUNDI 2158. *ante C. N.* 1790.
B. ☉ 10. ☽ 15.

Sem, pater multorum populorum in Oriente, Chaldæorum, Aſſyriorum, Perſarum, Syrorum, Armeniorum, Phœnicum, Bactrianorum, anno ætatis 600. moritur, anno ætatis Eberi 436. Iſaaci. 111. Jacobi 51.

ANNO MUNDI 2162. *ante C. N.* 1786.
D. ☉ 14. ☽ 19.

Telchines populi cum Caryatis adverſus Phoroneum Argivorum regem, Parrhaſios funeſtum bellum gerunt. *Euſebius.*

ANNO MUNDI 2165. *ante C. N.* 1783.
A G. ☉ 17. ☽ 3.

Belochus *Aſſyriorum rex IX. ſuccedit Armamithe, qui annis 28. regnarat, & imperat annis* 35.

ANNO MUNDI 2169. *ante C. N.* 1779.
C B. ☉ 21. ☽ 7.

Ogyges in Acta, quæ poſt *Attica* dicta eſt, regnat, qui Eleuſynam condidiſſe fertur, quod tamen potiùs ad filium Eleuſynem pertinere videtur. Ejus temporibus *Minerva* virginali habitu dicitur, apparuiſſe ad lacum in Bœotia, qui Tritonis dicitur, regnat autem annis 32. *Apol. Euſeb.*

ANNO MUNDI 2171. *ante C. N.* 1777.
G. ☉ 23. ☽ 4.

Iſmael pater Midianitarum, Arabum, & Saracenorum, moritur anno ætat. 137. *Gen.* 25.

ANNO MUNDI 2185. *ante C. N.* 1763.
D C. ☉ 9. ☽ 4.

Iſaac, pater filio Jacobo benedicit præ Eſau. Unde Eſau Jacobo fratri infenſiſſimus efficitur.

Iacobus minis fratris ſui Eſau domo ejectus, noctu in agro dormiens, conſpectu DEI fruitur, *Gen.* 28. anno ætatis 77. quod hoc modo colligitur. Joſeph erat 39. annorum, cùm Jacob in Ægypto coram rege profiteretur annis ætatis 130. Ergò Joſeph eſt natus, cùm Jacob haberet annos ætatis 91. Natus autem eſt anno 14. ſervitutis Jacobi apud Labanum, quando paſcitur de mercede, *Gen.* 30. v. 25. *& ſeq.* qui anni 14. detracti de ætate Jacobi, relinquunt annum ætatis 77. quo cœpit ſervire Labano.

ANNO MUNDI 2187. *ante C. N.* 1761.
A. ☉ 11. ☽ 6.

Meſapus Sicyon, rex IX. ſuccedit Leucippo, qui annis 53. regnarat, & præeſt annis 47. *Afric.*

Eberus moritur anno ætatis 464. ætatis Iſaaci 139. Jacobi 79.

ANNO MUNDI 2192. *ante C. N.* 1756.
B. ☉ 61. ☽ 11.

ZANCLA in Sicilia, quæ poſtea Meſſana dicta eſt, conditur. *Euſeb.*

Iacobus pro Rachaele, quam meruerat ſeptem annorum ſervitio, LEAM uxorem accipit, & pro RACHAELE alios ſeptem annos, operam ſervitii avaro & injuſto dominos præſtare cogitur, *Gen.* 29.

ANNO MUNDI 2193. *ante C. N.* 1755.
A G. ☉ 17. ☽ 12.

Rubem primogenitus Jacobi naſcitur: ex hujus poſteritate JOEL Propheta fuit.

ANNO MUNDI 2194. *ante C. N.* 1754.
F. ☉ 18. ☽ 13.

Simeon ſecundus Jacobi filius naſcitur, ex cujus poſteritate SOPHONIAS Propheta creditur fuiſſe.

Diluvium in Attica tum Ogygis regis accidiſſe refert Euſebius.

ANNO MUNDI 2195. *ante C. N.* 1753.
E. ☉ 29. ☽ 14.

Levi tertius filius Jacobi naſcitur: ejus poſteri in diviſione terræ ſanctæ nihil proprii habuerunt, ſed cultui divino addicti, miniſteriis Eccleſiaſticis vacarunt, & inde ſibi ex benignitate Tribuum reliquarum victum paraverunt. Magni verò & præcellentes in Eccleſia viri ex hac Tribu prodierunt, ut Moſes, Samuel, Jeremias, Nahum, Ezechiel, Zacharias, Johannes Baptiſta, &c.

ANNO MUNDI 2169. *ante C. N.* 1752.
D. ☉ 20. ☽ 15.

Iuda, Quartus Jacobi filius naſcitur, qui in ultima parentis benedictione dignitatem primam inter fratres, victoriam de omnibus hoſtibus, & ſedem primam in Eccleſia obtinet.

Dan etiam Jacobi quintus filius, ſed ex famula Rachaelis, paulò poſt Judam naſcitur, quià Jacobo in ultima benedictione catulo leonis, & colubro in viâ comparatur, propter Simſonem, fortitudine & aſtutiâ admirabilem, *Gen.* 49. v. 17.

ANNO MUNDI 2199. *ante C. N.* 1749.
G. ☉ 23. ☽ 18.

Ioſeph, ſextus Jacobi filius, ſed ex Rachaele, decimo quarto anno ſervitutis Jacobi naſcitur, *Gen.* 30. ſequuntur inde reliqui filii.

ANNO MUNDI 2203. *ante C. N.* 1745.
B. ☉ 27. ☽ 3.

Apis Argivorum rex III. ſuccedit Phoroneo, qui annis 60. regnarat. Apis præeſt annis 35. *Afric.*

Palæus *rex Aſſyriorum X. ſuccedit Belocho, qui annis 35. regnarat, & præeſt annis 42.* Afric.

ANNO MUNDI 2205. *ante C. N.* 1743.
GF. ☉ 1. ☽ 5.

Iacobus cùm ſuis clanculum ex Meſopotamiá, inſcio Labano, in Canaan proficiſcitur, cum ſerviiſſet Labano viginti annis, & mercedis immutationem decies expertus eſſet, *Gen.* 31. Munera autem præmittit fratri ſuo Eſau reconciliando: Capras 200. hædos 20. oves 200. arietes 20. camelos 30. vaccas 40. boves 10. aſinos 20. *Gen.* 32.

ANNO MUNDI 2209. *ante C. N.* 1739.
BA. ☉ 5. ☽ 9.

Telchines tandem bello ab Argivis & Parrhaſiis victi, Peloponneſo excedunt, & Rhodum concedunt, quæ tùm temporis Ophiuſſa, à copia ſerpentum, appellabatur. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2212. *ante C. N.* 1736.
E. ☉ 8. ☽ 12.

Memphis urbs in Ægypto condita ab Ape Argivorum rege, ut quidam volunt. Apollodorus verò dicit, conditam ab Epapho filio Jus, qui Memphim filiam Nili uxorem duxerat.

ANNO MUNDI 2215. *ante C. N.* 1733.
A. ☉ 11. ☽ 15.

Dina ſtuprum in hunc annum conferri ſolet, cùm eſſet annorum fermè ſedecim, & paulò poſt RACHEL partûs difficultate in itinere, quando è Bethel Bethlehemum proficiſcitur, moritur. Cui conjux Jacobus eodem in loco & lachrymas dedit, & titulum poſuit, *Gen.* 36. paulò poſt RUBEN, inceſta conſuetudine cum noverca BILHA, ſeſe polluit.

ANNO MUNDI 2217. *ante C. N.* 1731.
FE. ☉ 13. ☽ 17.

Ioſeph à fratribus ſuis venditur, & ab Iſmaelitis in Ægyptum abducitur, in perpetuam, ut videbatur, ſervitutem.

ANNO MUNDI 2226. *ante C. N.* 1722.
A. ☉ 22. ☽ 7.

Ioſephi caſtitas abſtinentis ab hera adultera calumniis opprimitur, & ipſe in carcerem compingitur, *Geneſ.* 39. ubi ſequenti anno aulicis ſomnia interpretatur in carcere, & eventura prænunciat, *Geneſ.* 40.

ANNO MUNDI 2228. *ante C. N.* 1720.
F. ☉ 24. ☽ 9.

Iſaac, cùm vixiſſet annos 180. & plusquam triginta annis cœcus fuiſſet, afflictus præterea nepotum ſuorum flagitiis, moritur anno ætatis Jacobi 120. Joſephi 29.

Anno mundi 2229. Ante Chriſtum 1719. E. D. ☉ 25. ☽ 10. *Æquinoctium aſcendit ad diem 4. Aprilis.*

Ioſephus ex carcere ad regnum evehitur, Pharaonis regis Ægypti pater & Ægypti ſervator nominatur, ornatus byſſo & auro, locum à rege ſecundum, & annuli regii curam accipit, anno ætatis tricesimo, *Gen.* 41.

ANNO MUNDI 2234. *ante C. N.* 1714.
E. ☉ 2. ☽ 15.

Sparta urbs à Sparto Amyclantis filio conditur, *Euſeb.*

Peratus Sicyoniorum rex X. ſuccedit Meſapo, qui annos 47. regnarat, & præeſt annis 46. *Afric.*

ANNO MUNDI 2238. *ante C. N.* 1710.
G. ☉ 6. ☽ 19.

Iacobus fame compulſus in Ægyptum ad filium Joſephum cum tota ſua familia migrat, anno ætatis 130. *Gen.* 46. & 47.

Argus vel *Arganus* quartus Argivorum rex, nepos Phoronei ex filia *Niobe*, quam compreſſerat, *Jupiter*, ſuccedit Api, qui annis 45 in regno vixerat, regnatque annis ſeptuaginta. Hic Argos Argivorum urbem condidit. *Afric.*

ANNO MUNDI 2245. *ante C. N.* 1703.
EF. ☉ 13. ☽ 7.

Sethus *Aſſyriorum rex XI. ſuccedit Paleo, qui annis 42. regnaverat, & imperat annis 32.*

ANNO MUNDI 2252. *ante C. N.* 1696.
D. ☉ 20. ☽ 14.

Amos Dioſpolitarum in Ægypto, *ut Manetho lib. 2. habet*, incipit, & regnat annis 25.

ANNO MUNDI 2255. *ante C. N.* 1693.
G. ☉ 23. ☽ 17.

Iacobus Patriarcha anno ætatis 147. moritur, transportatur in Canaan ab Ægyptiis magnificè, ſuſcipitur reverenter à Cananeis, & ad avi patriſque monumenta ſepelitur. *Geneſ.* 50.

ANNO MUNDI 2277. *ante C. N.* 1671.
AG. ☉ 17. ☽ 1.

Chebros rex Dioſpolitarum ſuccedit patri Amos, qui annis 25. regnarat; ipſe regnat annis 13. *Manetho.*

Mamythus *rex Aſſyriorum XII. ſuccedit Setho, qui annis 32. in regno vixerat, imperatque annis 30.* Afric.

ANNO MUNDI 2290. *ante C. N.* 1658.
E. ☉ 2. ☽ 14.

Amenophthis tertius Dioſpolitarum in Ægypto rex ſuccedit Chebro, qui annis 13. præfuerat, regnatque annis 24.

ANNO MUNDI 2307. *ante C. N.* 1641.
E. ☉ 19. ☽ 12.

Aſchalius *Aſſyriorum rex XIII. ſuccedit Mamytho, qui 30. annis regnarat, imperatq. annis 28.* Afric.

ANNO MUNDI 2308. *ante C. N.* 1640.
D. ☉ 20. ☽ 13.

Criaſus Agrivorum rex V. ſuccedit Argeo, qui annis 70. regnarat, & præeſt annis 54. *Afric.*

ANNO MUNDI 2309. *ante C. N.* 1639.
CB. ☉ 21. ☽ 14.

Callithya Piranthi filia, prima apud Argivos Junonis ſacerdos ordinatur: id enim officium nequaquam viris, ſed fœminis mandari ſolitum eſt. *Euſ.*

Ioſephus veriſſimus vates, ſanctiſſimus Doctor, optimus Princeps, ſuæ gentis ornamentum, alienæ firmamentum, moritur anno ætatis 110.

ANNO

ANNO MUNDI 2314. *ante C. N.* 1634. C. ☉ 26. ☽ 19.

Amerſis rex Ægypti, ſuccedit Amenophi, qui annis 24. regnarat, & præeſt annis 22. *Manetho.*

ANNO MUNDI 2328. *ante C. N.* 1620. G. ☉ 12. ☽ 14.

Orthopolis Sicyoniorum rex XII. ſuccedit Plemneo, qui annis 48. regnarat; hic præeſt annis 63. *Afric.*

ANNO MUNDI 2332. *ante C. N.* 1616. B. ☉ 16. ☽ 18.

Levi filius Jacobi moritur in Ægypto, anno ætatis 137. *Exod. 6.*

ANNO MUNDI 2335. *ante C. N.* 1613. E. ☉ 19. ☽ 2.

Sphærus *Aſſyriorum rex XIV. ſuccedit Aſchalio, qui annis 26. præfuerat, regnatque annis 22.*

Æthiopes, qui hactenus ad flumen Indum habitarant, ad fines Ægypti migrant, ut habet *Philoſt. in vita Apollonii.*

ANNO MUNDI 2336. *ante C. N.* 1614. D. ☉ 20. ☽ 3.

Miſphris in Ægypto ſuccedit Amerſi, qui annis 22. regnarat; & præeſt annis 13. Huic ſuccedit *Miſphragmuthoſis* rex Ægypti, anno mundi 2349. regnatque annis 26. *Manetho.*

ANNO MUNDI 2357. *ante C. N.* 1591. FE. ☉ 13. ☽ 5.

Mamylus *Aſſyriorum rex XV. ſuccedit Sphæro, qui imperarat annis 22. & regnat annis* 30. Afric.

Anno mundi 2362. *Ante Chriſtum* 1586. *F.* ☉ 18. ☽ 10. *Æquinoctium aſcendit ad diem* 3. *Aprilis.*

Phorbas Argivorum rex VI. ſuccedit Criaſo, qui præfuerat annis 54. & regnat annis 35. *Afric.*

Epidaurus urbs in Argolide, vicina Trœzenii conditur. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2369. *ante C. N.* 1579. ED. ☉ 25. ☽ 17.

Aaron, filius Amrami & Jochabedæ, propter eloquentiam os Moiſis dictus, & ſacerdotio ſummo cum poſteris ſuis in populo Iſraelitico honoratus, naſcitur, *Exod.* 4. Paulò poſt Edictum de necandis infantibus maſculis in Ægypto propoſitum eſt.

ANNO MUNDI 2371. *ante C. N.* 1577. B. ☉ 27. ☽ 19.

Theſſalus filius Pelaſgi, regnum inſtituit in Theſſalia, quæ ab ipſo denominata eſt. *Euſebius.*

ANNO MUNDI 2372. *ante C. N.* 1576. A. ☉ 28. ☽ 1.

Moſes naſcitur *Exod.* 2. & infans trimeſtris in ripa Nili à Pharaonis filia repertus, nomen inde accipit, in domo regia delicatè nutritur, & in omni ſapientia Ægyptica præclarè inſtituitur.

ANNO MUNDI 2373. *ante C. N.* 1575. GF. ☉ 11. ☽ 2.

Phorbas, nepos Phorbæ regis Argivorum, Rhodum occupat, ſerpenteſque cum draconibus, qui Rhodum infeſtam habebant, abigit. *Hygin.*

ANNO MUNDI 2375. *ante C. N.* 1573. D. ☉ 3. ☽ 4.

Thutmoſis, rex Ægypti, ſuccedit Miſphragmuthoſi, qui annis 26. regnarat, & præeſt annis 5. cui anno 2384. ſuccedit *Amenophis* filius, qui regnat annis 31. *Manetho.*

ANNO MUNDI 2387. *ante C. N.* 1561. C. ☉ 15. ☽ 16.

Sparteus *Aſſyriorum rex XVI. ſuccedit Mamylo, qui* 30. *annis præfuerat, regnatque annis* 42. Afric.

ANNO MUNDI 2391. *ante C. N.* 1557. E. ☉ 19. ☽ 1.

Marathon, Sicyoniorum rex XIII. ſuccedit Orthopoli, qui regnarat annis 63. & præeſt annis 30. *Afric.*

ANNO MUNDI 2394. *ante C. N.* 1554. A. ☉ 22. ☽ 4.

Cecrops Diphyes apud Athenienſes regnat annis 50. quo regnante oliva in arce Athenarum *enata eſt*, & urbs inde *Athena* vocata eſt. Idem Cecrops Jovem voluit appellari DEUM. *Afric.*

ANNO MUNDI 2397. *ante C. N.* 1551. ED. ☉ 25. ☽ D 7.

Triopas Argivorum rex VII. ſuccedit parenti Phorbæ, qui annis 35. præfuerat, ipſe regnat annis 46. *Afric.*

ANNO MUNDI 2398. *ante C. N.* 1550. C. ☉ 26. ☽ 6.

Trochilus apud Argivos primus invenit currum, idque opus Junoni conſecravit; quidam hunc Trochilum vocant Arſilochum. *Afric.*

Areopago nomen imponitur à Cecrope, & judiciorum locus ibi conſtituitur, quòd *Mars* ibi cauſam dixiſſet in conſenſu duodecim deorum, cùm filium *Neptuni* Halirrhothium, fortuito caſu occidiſſet, & *Minerva* etiam *Neptunum* viciſſet.

ANNO MUNDI 2408. *ante C. N.* 1540. E. ☉ 8. ☽ 18.

Ioſua filius Nun, ex tribu Ephraim, Moſes maximi Prophetæ miniſter, & diſcipulus, & poſteà auctoritate divina ſucceſſor, naſcitur.

ANNO MUNDI 2413. *ante C. N.* 1535. FE. ☉ 13. ☽ 4.

Moſes, majores divitias ratus probrum Chriſti, quàm theſauros Ægypti, occidit Ægyptium, & fugit in Midian, *Exod.* 2. Sequenti anno naſcitur *Caleb*, fili⁹ Jephunæ.

ANNO MUNDI 2415. *ante C. N.* 1533. C. ☉ 15. ☽ 6.

JO filia Jaſi à Jove prægnans facta, vertitur in bovem. *Euſeb.*

Orus rex Dioſpolitanorum, in Ægypto ſuccedit Amenophi, qui annis 31. regnarat, & ipſe præeſt annis 39.

ANNO MUNDI 2421. *ante C. N.* 1527. CB. ☉ 21. ☽ 12.

Athenæ, quæ Diades appellatæ ſunt, ut diſtinguerentur ab Athenis Atticis, conduntur in Eubœa: fuerunt & Athenæ Bœoticæ, quæ Orchomenos ſunt appellatæ. *Hyg.*

Marathus Sicyoniorum rex XIV. ſuccedit Marathoni, qui annis 30. præfuerat, & regnat annis 20. *Afric.*

ANNO MUNDI 2429. *ante C. N.* 1519. GF. ☉ 1. ☽ 1.

Aſcadates *Aſſyriorum rex XVII. ſuccedit Sparteo, qui annis 42. regnarat, & imperat annis* 38. Af.

Phaetontis Aſtronomi incendium in Æthiopia & Italia, quæ tribus in locis ex æſtu ingenti, ſicuti prædixerat, arſerunt. *Euſeb.*

ANNO

ANNO MUNDI 2432. *ante C. N.* 1516.
C. ☉ 4. ☽ 4.

Diluvium *regnante adhuc Cecrope in Græcia fuit, quod vocatur* Deucalionis, *propterea, quòd circa Parnaſſum montem, ubi imperitabat Deucalion, maximè accidit, quo duce multi mortales in monte illo ſunt conſervati.* Apoll.

ANNO MUNDI 2438. *ante C. N.* 1510.
B. ☉ 10. ☽ 10.

Dionyſius Bacchus, qui tamen alius eſt à Semelis filio, vinearum culturam prodidit. Cùm enim apud Oeneum regem, Meleagri patrem, in Ætolia hoſpitio exceptus eſſet, & Staphylus paſtor Regi inſignem uvam offerret, monſtravit Oeneo, qua ratione vinea inſtitui poſſet. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2440. *ante C. N.* 1508.
G. ☉ 12. ☽ 12.

Cranaus, αὐτόχθων dictus, Cecropi Athenienſium regi, qui 50. annis præfuerat, ſuccedit, regnatque annis 9. *Afric.*

ANNO MUNDI 2443. *ante C. N.* 1505.
C. ☉ 15. ☽. 15.

Crotopus Argivorum rex VIII. ſuccedit Triopæ, qui annis 16. præfuerat, & regnat annis 21. *Af.* Sequenti anno *Xanthus*, Triopæ regis Argivorum filius, Crotopi frater, *Lesbum* inſulā incolere cœpit.

ANNO MUNDI 2449. *ante C. N.* 1499.
CB. ☉ 21. ☽ 2.

Amphyction Deucalionis filius, ſuccedit Cranao in regno Athenienſium, qui annis 9. regnarat; ipſe præeſt annis 10.

ANNO MUNDI 2450. *ante C. N.* 1498.
A. ☉ 22. ☽ 3.

Apollinis Delii templum ab *Eryſichthone* Cecropis filio ædificatur. *Cedr.*

ANNO MUNDI 2452. *ante C. N.* 1496.
F. ☉ 24. ☽ 5.

Moſes in deſerto, dum paſcit ſoceri ſui oves, vocatur è rubo ardenti, qui tamen igne non conſumebatur, & mittitur, ut rogetPharaonem de populo Iſraelitico dimittendo, *Exod.* 3. Inſtruiturq; illuſtribus miraculis, quibus vocationem confirmet, & Ægyptios affligat, *Exod.* 4. Abſumptus autem eſt totus annus in hiſce miraculis edendis, quæ comprehenduntur hiſce verſiculis:

Prima rubens unda: Ranarum plaga ſecunda:
Inde Culex triſtis, poſt muſca nocentior iſtis:
Quinta pecus ſtravit: Anthraces ſexta creavit,
Poſt ſequitur grando: poſt bruchus dente nefando,
Nona tegit Solem: primam necat ultima prolem.

ANNO MUNDI 2453. *ante C. N.* 1495.
ED. ☉ 25. ☽ 6.

Exodus Iſraelitarum ex Ægypto eſt, facta nocte, quæ ſecuta eſt diem 14. Abib, menſis Judæorum Lunaris, *Ex.* 13. Novilunium enim fuit 2. Aprilis, fer 5. quod incidit ferè in ipſum æquinoctium vernum. Paſcha comeſtum veſperi, die 14. Aprilis Sole accidente, & feria 5. ineunte. Exieruntque Iſraelitæ ea ipſa nocte ex Ægypto. Poſtea die 15. menſis 2. qui fuit dies 16. Maji, de obſervando Sabbatho legem fert DEUS, in ipſo die Sabbathi: ſed primum ab Sabbathum à quibusdam Manna colligere volentibus violatum eſt die 23. Maji. Sequens verò Sabbathum die 30. Maji rectè fuit obſervatum, *Exod.* 16. Sequenti die, qui fuit Neomenia tertii menſis, pervenerunt in deſertum *Sinai*, feria prima. Altero die aſcendit Moſes in montem Sinai, & deſcendit: tertio die propoſuit populo teſtamentum DEI *cap.* 19. & retulit DEO reſponſum populi. Quarto & quinto die hujus menſis tertii præparantur Iſraelitæ, & ſanctificantur ad audiendam legem, quæ ſexto demum die hujus menſis, feria 6. die 5. Junii promulgatur.

Acherres, Ægyptiorum rege Oro in mari rubro ſubmerſo, poſt annum regni 39. ſuccedit in regno, & præeſt annis 30. *Maneth.*

ANNO MUNDI 2454. *ante C. N.* 1494.
C. ☉ 26. ☽ 7.

Iſraelitæ die primo menſis primi, qui incidit in diem 23. Martii, fere 3. erigunt tandem tabernaculum, & die primo menſis ſecundi numerantur, *Num.* 1. Die viceſimo ſecundi menſis, qui eſt dies 12. menſis Maji, fer. 31. diſcendunt ex deſerto Sinai. Poſteà circa Vindemiam menſe Auguſto mittuntur exploratores in terram Canaan, quorum duo tantùm, *Ioſua & Caleb*, magnifica & certa renunciant, *Num.* 13.

Lycaon, princeps in Arcadia, qui humanas victimas Leo offerre ſolitus fuit, propter crudelitatem in Lupum mutatus dicitur. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 2457. *ante C. N.* 1491.
GF. ☉ 1. ☽ 10.

Epaphus, filius Jonis poſterioris, & Jovis, regnat in Ægypto, & Memphin condit. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2459. *ante C. N.* 1489.
D. ☉ 3. ☽ 12.

Erichthonius Athenienſium rex IV. filius Vulcani, poſt Amphyctionem, qui 10. annis regnaverat, præeſt annis 50. Primus hic quadrigas junxit in Græcia, quod in aliis locis fieri vidiſſet. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2464. *ante C. N.* 1484.
E. ☉ 8. ☽ 17.

Steneleus Argivorum rex IX. ſuccedit Crotopo, qui annis 21. regnarat, & præeſt annis 11. *Afric.*

Lacedæmon, ad Spartam à Lacedæmone filio Jovis ex Electra Atlantide condita, *ut habet Euſebius.*

ANNO MUNDI 2467. *ante C. N.* 1481.
A. ☉ 11. ☽ 1.

Areas, filius Jovis & Calliſto, Pelaſgis in ditionem redactis Arcadiæ regioni nomen imponit. *Euſeb.*

Amyntas *Aſſyriorum Rex XVIII. ſuccedit Aſcadati, qui annis 38. præfuerat, & imperat annis 35.* Af.

Ægyptus, quæ antea Aeria in Græcia vocabatur, ab Ægypto tunc regnante, circa hæc tempora Ægygtus appellata eſt. *Euſeb.*

Dionyſius circa hæc tempora à Semacho Attico hoſpitio exceptus, filiabus ejus rationem monſtrat coledi Bacchi, & primus *Bachanalia* celebrat. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2471. *ante C. N.* 1477.
C. ☉ 15. ☽ 5.

Dardanus Filius Jovis & Electræ regnat in Dardania annis 65. *Euſeb. & Tatianus.*

ANNO MUNDI 2475. *ante C. N.* 1437.
E. ☉ 19. ☽ 9.

Gelanor in regno Argivorum ſuccedit Steneleo, qui annis 11. regnarat. Sed ab Argivis regno pellitur, & *Danaus* in regnum aſſumitur, qui nuper pulſus Ægypto à fratre eò acceſſerat. Ferunt, hunc Danaum primum Aquilegem fuiſſe, qui Argivorum regionem aquis irrigaverit: regnavit annis 50. Aph.

Buſiris, Neptuni & Libiæ filius, circa hæc tempora in vicinia *Nili* tyrannidem & latrocinia exercet. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2484. *ante C. N.* 1464.
A. ☉ 28. ☽ 18.

Rathos Ægyptiorum rex poſt Acherrem, qui 30. annis regnarat, incipit & regnat annis 6. Cui anno 2490. ſuccedit *Chebres* Ægyptiorum rex, & regnat annis 12. *Manetho.*

ANNO MUNDI 2492. *ante C. N.* 1456.
E. ☉ 8. ☽ 7.

Miriam, ſoror *Moſis*, in vicinia urbis Cades, moritur, & in deſerto Sinai ſepelitur, anno ætatis 126. *Num.* 20. *v.* 1. *Aaron* etiam, cùm terram promiſſam in monte Horvidiſſet, moritur anno ætatis 123. Lugetur à populo Iſraelitico, integro, menſe, *Num.* 2. *v. ult.*

Anno Mundi 2493. *D. C.* ☉ 9. ☽ 8. *Æquinoctium vernum aſcendit ad diem* 2. *Aprilis.*

Moſes, vir moribus mitiſſimus, in ſuo imperio afflictiſſimus, DEO familiariſſimus, juſſus à DEO montem aſcendere, & terram promiſſam intueri, inter loquendum cum Eleazaro Sacerdote, & Joſua duce deſignato, repentina nube circumdatus, in vallem quandam ablatus, mortuus eſt, & à DEO ſepultus, *Deut.* 34. Factum, neomenia ultimi menſis, quæ incidit nobis in diem 11. Mart. fer. 5.

Ioſua, Moſis ſucceſſor, decimo die primi menſis, Iſraelitas per Jordanem traducit, qui in Calendario Juliano dies eſt 19. April. fer 2. Tempore meſſis hoc factum eſt, cum Jordanis flueret pleno alveo, *Ioſ.* 3. *v.* 15. & 4. *v.* 29. Eodem menſe, die 14. qui nobis eſt dies 29. Aprilis, veſperi, fer 7. ineunte, comeſtum eſt Paſcha, & ſequenti die ceſſavit Manna, *Ioſ.* 5, 10. Circumciſionis actus videtur poſt Paſcha inſtitutus. Præmittitur autem ejus narratio, ut ratio reddatur nominis *Gilgal*, Præeſt autem *Ioſua* annis 25. *ut habet Ioſephus.*

ANNO MUNDI 2496. *ante C. N.* 1452.
G. ☉ 12. ☽ 11.

Corax, Sicyoniorum rex XVI. ſuccedit Echyreo, qui annos 55. regnarat, & præeſt annis 30.

ANNO MUNDI 2499. *ante C. N.* 1449.
C. ☉ 15. ☽ 14.

Ioſua, dividit terram Canaan Iſraelitis, *Ioſ.* 14. Eſtque hic annus *Iobeleus* mundi quinquageſimus primus, & quadrageſimus ſextus completus ab Exodo, teſte *Calebo.*

Phlegyas templum Apollinis Delphicum incendit, quod *Apollo* filiam ejus Coronidem vitiaſſet, & ex ea *Æſculapium* genuiſſet. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2502. *ante C. N.* 1446.
F. ☉ 18. ☽ 17.

Acherres, rex Dioſpolitarum in Ægypto, ſuccedit Chebro, qui annis 12. præfuerat, regnatque annis 12. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2503. *ante C. N.* 1445.
E. ☉ 19. ☽ 18.

Belochus *II. rex Aſſyriorum XIX. ſuccedit Amyntæ, qui annis 35. præfuerat, & imperat annis 25.*

ANNO MUNDI 2506. *ante C. N.* 1442.
A. ☉ 22. ☽ 5.

Jupiter miſcetur *Europæ*, filiæ Phœnicis, quæ poſtea rapta nubit Cretenſium Regi Aſtero, ex quo peperit *Rhadamantum, Minoem, & Sarpedonem.* Euſeb.

ANNO MUNDI 2509. *ante C. N.* 1430.
E D. ☉ 25. ☽ 5.

Pandion, filius Erichthonii, rex Athenienſium V. parenti, qui annis 50. regnarat, ſuccedit, regnatque annis 40. *Afric.* Filiæ hujus fuerunt *Progne & Philomela.*

Phœnix & Cadmus ex Ægypto in Syriam profecti, apud Sidonem urbem regnum inchoant. *Schola in Pind.*

ANNO MUNDI 2514. *ante C. N.* 1434.
E. ☉ 2. ☽ 10.

Amerſes rex in Ægypto ſuccedit Acherri, qui annis 12. regnarat, & regnat annos 5. cui anno 2519. Rammenſes ſuccedit, qui regnat anno uno: ideò anno 2520. huic ſuccedit Amenophis II. qui regnat annis 19. *Manetho.*

ANNO MUNDI 2518. *ante C. N.* 1430.
G. ☉ 6. ☽ 14.

Ioſua, Dux Iſraelitarum, vir ingenti fide, præſentiſſimo animo, & tolerantia ſingulari: Cùm paulò ante mortem de beneficiis DEI ad populnm graviſſimam orationem habuiſſet, moritur anno imperii 25. vitæ 110. *Ioſ. ultimo.* Ab hujus morte usque ad mortem Athnielis ſacræ literæ numerant annos 40. ſed Joſephus *lib.* 6. *cap.* 6. affirmat, interregnum fuiſſe, & Obtimates rempubl. communi conſilio adminiſtraſſe, donec Athniel conſtitueretur *Iudex.*

ANNO MUNDI 2520. *ante C. N.* 1428.
E. ☉ 8. ☽ 16.

Cadmus, cùm Europam ſororem diu quæſiviſſet, nec tamen inveniſſet, in Græcia manet. & *Thebas* condit, ibique regnum inſtituit, cùm ad parentem redire non auderet. Hic primus literas ex Phœnicia in Græciam attulit.

ANNO MUNDI 2522. *ante C. N.* 1426.
B. ☉ 10. ☽ 18.

Thaſus urbs condita à Thaſo, qui comes fuerat Cadmi in quærenda Europa. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2525. *ante C. N.* 1423.
FE. ☉ 13. ☽ 2.

Lynceus rex Argivorum XI. ſuccedit Danao, qui annis 50. præfuerat, regnatque annis 41. *Afric.*

ANNO

ANNO MUNDI 2526. *ante C. N.* 1422.
D. ☉ 14. ☽ 3.

Epopeus, Sicyoniorum rex XVII. ſuccedit Coraci, qui annis 30. regnarat, & præeſt annis 35. *Afric.*

Tityus circa hæc tempora vixit, qui vim intentavit Latonæ: natus fuit Elara, Lycaonis filia. *Apollod.*

ANNO MUNDI 2527. *ante C. N.* 1421.
C. ☉ 15. ☽ 4.

Bithynia à Phœnice exculta, urbesque ibi conditæ, vel potiùs coloni eò miſſi ſunt. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2528. *ante C. N.* 1420.
B. ☉ 16. ☽ 5.

Balatores *Aſſyriorum rex XX. ſuccedit Belocho, qui annis 25. imperaverat, regnatque annis* 30. Afr.

ANNO MUNDI 2530. *ante C. N.* 1418.
F. ☉ 18. ☽ 7.

Nyctæus, frater Lyci, Thebanorum Tyranni, bellum infert Epopeo regi Sicyoniorum. *Euſ.*

ANNO MUNDI 2532. *ante C. N.* 1416.
D. ☉ 20. ☽ 9.

Idæi Dactyli hiſce temporibus florent. Cùm enim Ida mons incenſus vi ignis ferrum liquefeciſſet, ferrariam, ſive rationem in molliendi ferri, incolæ hinc didicerunt. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2533. *ante C. N.* 1415.
CB. ☉ 21. ☽ 10.

Amphion & Zethus Lycum Tyrannum Thebanorum circa hæc tempora interficiunt. *Euſeb.*

Pandion, rex Athenienſium, bellum gerit cum Labdaco, evocatque in auxilium *Tereum* Thraciæ regem, cui Prognen filiam inauſpicato connubio conjunxit. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 2536. *ante C. N.* 1412.
F. ☉ 24. ☽ 13.

Athniel, poſt interregnum, quo ſeniores reipubl. Judæorum præfuerant per 18. annos, eligitur Judex, qui præfuit usque dum complerentur illi quadraginta anni, à morte Joſuæ numerati per annos 22. *Iudic.* 3.

Erichthonius Dardani & Batiæ filius, parenti Dardano, qui annis 65. regnarat, ſuccedit; regnatque annis 46.

ANNO MUNDI 2539. *ante C. N.* 1409.
B. ☉ 27. ☽ 16.

Sethus Dioſpolitarum rex in Ægypto, incipit decimam nonam Dynaſtiam apud Manethonem, regnatque annis 50.

ANNO MUNDI 2543. *ante C. N.* 1405.
D. ☉ 3. ☽ 1.

Celeus regnat Eleuſine, ſub Pandione, rege Athenienſi: tum temporis Triptolemus culturam agrorum inſtituit circa Patras, & frumentum ad vicinas urbes longâ navi circumvexit, quam navem homines imperiti arbitrati ſunt, eſſe ſerpentem allatum. *Apollod.*

ANNO MUNDI 2544. *ante C. N.* 1404.
C. ☉ 4. ☽ 2.

Cadmea arx Thebanorum condita, item *Sida* urbs Bæotiæ, ita dicta à *Side* Danai filia, quæ nupſit *Orioni*. Euſeb.

ANNO MUNDI 2547. *ante C. N.* 1401.
F. ☉ 7. ☽ 5.

Athniel, gener Calebi, tandem Churſanem regem Meſopotamiæ, qui octo annis afflixerat Iſraelitas, bello compeſcit, & jugum externæ dominationis ab Iſraelis avertit, *Iud.* 3.

Minos, filius Europæ, regnat in Creta, & leges incolis præſcribit. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2549. *ante C. N.* 1399.
DC. ☉ 9. ☽ 7.

Erechtheus, Pandionis filius, in regno Athenienſum ſuccedit parenti, qui 40. annis regnarat, obtinetque regnum annis 50. *Afric.*

ANNO MUNDI 2558. *ante C. N.* 1390.
F. ☉ 18. ☽ 16.

Lamprides, *Aſſyriorum rex XXI. ſuccedit Balatora, qui regnaverat annis 30. imperatque annis 32.* Afric.

Athniel, filius Cenæ, fratris Calebi, & patrui ſui Calebi gener, quòd Debiram, olim Kiriathſepher dictam, urbem Gigantum, expugnaſſet, accipit à ſocero dotem ampliſſimam, & montana & campeſtria, *Ioſ.* 15. *Iudic.* 1. cumque Iſraelitas judicaſſet, Chuſanemque viciſſet, moritur octogenarius circiter. Ex hoc tempore numerantur anni octoginta usque ad mortem *Ehud* Judicis, cui hi 80. anni tribuuntur, *Iud.* 3.

ANNO MUNDI 2561. *ante C. N.* 1387.
CB. ☉ 21. ☽ 19.

Lamedon, Sicyoniorum rex XVIII. ſuccedit Epopæo, qui annis 35. præfuerat, regnatque annis 40. *Afric.*

ANNO MUNDI 2566. *ante C. N.* 1382.
C. ☉ 26. ☽ 5.

Abas, Argivorum rex XII. ſuccedit Lynceo, qui annis 41. præfuerat, regnatque annis 23. *Afric.*

ANNO MUNDI 2573. *ante C. N.* 1375.
BA. ☉ 5. ☽ 12.

Secunda Iſraelitarum ſervitus ſub Eglone Moabitarum regi, cui ſubjecti fuerunt annis 18. *Iud.* 3.

ANNO MUNDI 2574. *ante C. N.* 1374.
G. ☉ 6. ☽ 13.

Xuthus, Hellenius filius, Theſſalia pulſus, Peloponneſum occupat, & ex *Creuſa* Erechthei regis Athenienſium filia, gignit *Achæum & Iona.* Euſ.

ANNO MUNDI 2582. *ante C. N.* 1366.
D. ☉ 14. ☽ 2.

Tros, Dardanorum rex III. ſuccedit parenti Erichthonio, qui præfuerat annis 46. regnatque annis 49. Hic condidit *Trojam & Troada* regio ab ipſo denominata eſt *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2583. *ante C. N.* 1365.
C. ☉ 15. ☽ 3.

Phemonoe, Prophetiſſa prima, agitata afflatu Apollinis, Delphis verſus Hexametros effudiſſe dicitur. *Euſeb.* Clemens tamen Alexandrinus inventionem Hexametri carminis vetuſtiorem facit; à fœmina tamen inventum ſcribit.

ANNO

ANNO MUNDI 2587. *ante C. N.* 1361.
E. ☉ 19. ☽ 10.

Tantalus Phrygiorum rex *Ganymedem* Trois Dardaniæ regis filium rapit, unde bellum ortum diuturnum, quod inter hoſce reges geſtum eſt. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2590. *ante C. N.* 1358.
A. ☉ 22. ☽ 10.

Proetus, Argivorum rex XIII. ſuccedit Abanti, qui annis 23 regnarat, & præeſt annis 17. *Afr.*

Rhapſaces Ægyptiorum rex ſuccedit Setho, qui annis 31. regnarat, imperatque annis 61. *Manetho.*

Soſares, *Aſſyriorum rex XXII. ſuccedit Lampridi, qui annis 32. præfuerat, imperatq; annis 20.*

Glaucus anno primo Proeti Argivorum regis, *Iſthmicos* ludos in honorem *Melicertæ* celebrat. Fuit hic Glaucus filius Siſyphi, & pater Bellerophontis. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2591. *ante C. N.* 1357.
G. ☉ 23. ☽ 11.

Ehud Benjamites, nepos Jemini, offert regi Moabitarum Egloni, cui Iſraelitæ ſerviebant, munera publico nomine, & Eglonem arbitris remotis, tanquam rem arcanam nunciaturus, ferro in conclavi transverberat: inde elapſus, copias quas habere potuit, colligit, & Moabitarum, cum tranſitum Jordanis interclusiſſet, ad decem millia occidit, *Iudic.* 3.

Eumolpus Thrax bellum infert Erechtheo regi Athenienſium, & *Ion* filius Xuthi, belli dux ab Athenienſibus eligitur, contra Thraces: hac ratione Athenienſes *Iones* appellati ſunt. Eumolpus hic Myſteriorum inventor dicitur, quanquam eorum inventio ad alium Eumolpum, qui ab hoc quintus eſt, rectius refertur.

ANNO MUNDI 2592. *ante C. N.* 1356.
F. ☉ 24. ☽ 12.

Phrixus quintus a Deucalione, cum *Hella* ſorore, fugiens inſidias novercæ, per mare avehitur nave, cui inſigne fuit aries velleris aurei.

ANNO MUNDI 2599. *ante C. N.* 1349.
D. ☉ 3. ☽ 19.

Cecrops II. Athenienſium rex VII. ſuccedit fratri Erichtheo, qui regnaverat annos 50, ipſe præeſt annis 40. *Afric.*

ANNO MUNDI 2601. *ante C. N.* 1347.
BA. ☉ 5. ☽ 2.

Achæus, Xuthi filius, in Peloponneſo eam partem incolit, quæ ab ipſo Achaia appellata eſt.

Sicyon, Sicyoniorum rex XIX. ſuccedit Laomedonti, qui annis 40. regnaverat, & præeſt annis 45. Ab hoc Sicyon urbs ædificata, & cives Sicyonii dicti, qui primitus Ægialei vocabantur. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2606. *ante C. N.* 1342.
B. ☉ 10. ☽ 7.

Acriſius, Argivorum rex XIV. ſuccedit Proeto, qui annis 17. præfuerat, regnatque annis 31.

Tribus Dan in Palæſtina, non contenta ſuis ſedibus, Coloniam quaſi educit ad radices montis Libani, ubi fontes ſunt Jordanis, & poſteà Cæſarea Philippi ædificata eſt.

ANNO MUNDI 2608. *ante C. N.* 1340.
G. ☉ 12. ☽ 9.

Bellerophon, filius Glauci, nepos Siſyphi, navem habuit celerrimam, cui inſigne fuit in prora *Pegaſus*. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2610. *ante C. N.* 1338.
D. ☉ 14. ☽ 11.

Lampraes *Aſſyriorum rex XXIII. ſuccedit Soſari, qui annis 20. imperitaverat, regnatque annos* 30. Afric.

Bellum Benjamiticum circa hæc tempora geſtum, cùm ipſe *Ehud* Benjamites, populi Iſraelitici caput & ſummus judex eſſet. Nec enim præcipitari, nec differri poſt obitum Ehud poteſt, quòd Pinehas tunc temporis ſummus ſacerdos qui hoc tempore annos ætatis circiter centum & quinquaginta compleverat: in quo bello tribus Benjamin ob libidinem nefandam, uxori Levitæ cujusdam illatam, eſt ferè extincta, *Iudic.* 20.

Anno Mundi 2621. *Æquinoctium aſcendit ad diem* 1. *Aprilis.*

ANNO MUNDI 2625. *ante C. N.* 1323.
GF. ☉ 1. ☽ 7.

Janus, primus rex Aboriginum, in Italia regnaſſe ſcribitur, tribuunturque ipſius regno anni 16. *Diodor.*

ANNO MUNDI 2629. *ante C. N.* 1319.
BA. ☉ 5. ☽ 11.

Pater Hippodamiæ, formoſiſſimæ virginis, Curule certamen, in quo inſigniter excellebat, procis ambientibus Hippodamiam, proponit, in quo *Pelops* Tantali filius victor extitit, & Hippodamia potitur. Ab hoc Pelope poſtea Peloponneſus eſt appellata. *Euſeb.*

Ruth Moabitis cum ſocru Naemi in Judæam circa hæc tempora redit, *Ruth.* 1. cùm *Boas* filius Salmonis eſſet circiter centum & viginti annorum. Tantam enim ætatem ipſi tribuere neceſſe eſt, ut pertingere poſſimus ad nativitatem Davidis. Huic nobiliſſimo viro ſeni jungitur Ruth, ex quo peperit *Obedum*, avum Davidis, *Ruth.* 4. Eſt autem tertia hæc mulier peregrina, quæ in genealogia Chriſti recenſetur.

ANNO MUNDI 2631. *ante C. N.* 1317.
F. ☉ 7. ☽ 13.

Ilus, filius Trois & Callirrhoes, Trojanorum ſive Dardaniæ rex IV. ſuccendit parenti, qui annis 49. regnarat, præeſtque annis 40. Condidit hic *Ilium*. *Afric.*

Circa hæc tempora, ultimis temporibus Ehudi, *Samgar* fuit, qui armatus pedo paſtorali, ſexcentos latrones ex cohortibus Philiſtinorum occidit, *Iudic.* 4.

ANNO MUNDI 2634. *ante C. N.* 1314.
B. ⊙ 10. ☽ 16.

Pelops filius Tantali, ludicrum Olympicum inſtituit in honorem Jovis Olympii; Hoc ludicrum poſteà inſtaurârunt Atreus & Hercules. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2637. *ante C. N.* 1311.
FE. ⊙ 13. ☽ 19.

Perſeus, nepos Acriſii regis Argivorum, caſu avum ſuum occidit, atque ita Argivorum regnum deſiit, quod ab Inacho continuatum erat per annos 544. & Perſeus novum Mycenarum regnum inchoat, declarato ſuo filio Steneleo rege, cum quo regnavit annis 8. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2638. *ante C. N.* 1310.
D. ⊙ 14. ☽ 1.

Ehud, qui populum Iſraeliticum ex triſtiſſima ſervitute Moabitarum liberaverat, moritur in ſumma ſenectute, cùm annis 80. præfuiſſet, *Iud.* 3. ab hoc tempore usque ad mortem Deboræ numerantur 40. *Iud.* 6.

ANNO MUNDI 2640. *ante C. N.* 1308.
B. ⊙ 16. ☽ 3.

Panyas, *Aſſyriorum rex XXIV. ſuccedit Lamprai, qui annis 30. imperaverat, & regnat annis 35.*

ANNO MUNDI 2641. *ante C. N.* 1307.
AG. ⊙ 17. ☽ 4.

Saturnus ſecundus Aboriginum In Italia rex, ſuccedit Jano, qui 16. annis regnaverat, & præeſt annis 17. *Georg. Syncel.*

ANNO MUNDI 2645. *ante C. N.* 1303.
CB. ⊙ 21. ☽ 8.

Euryſteus, Mycenarum rex II. ſuccedit Steneleo, qui annis 8. regnarat, & præeſt annis 43. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2646. *ante C. N.* 1302.
A. ⊙ 22. ☽ 9.

Polybus, Sicyoniorum rex XX defuncto Sicyoni, qui annis 45. regnarat, ſuccedit; regnatque annis 40. *Afric.*

ANNO MUNDI 3647. *ante C. N.* 1301.
G ⊙ 23 ☽ 10.

Midas filius Gordiæ, in Phrygia regnat, rex ditiſſimus, ſed bonarum artium imperitus, & in eis dijudicandis ſtultiſſimus. Ideò cùm imperitè de Phœbo & Pane in re muſica certantibus pronunciaſſet, & Pana Phœbo prætuliſſet, aures aſininas habuiſſe fingitur.

Templum in Eleuſyne ædificatum ab Eumolpo. Eumolpi Thracis abnepote, qui myſteria hæc Eleuſynios docuit. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2648. *ante C. N.* 1300.
F. ⊙ 24. ☽ 11.

Jabin, Cananæorum rex, qui Hazar urbem, regum Cananæorum ſedem, adhuc tenebat, & Iſraelitas ſedibus ſuis pellebat, annis viginti populum Iſraeliticum affligit, *Iudic.* 6.

Perſeus, qui relicto Mycenarum regno, quod tum à nepote gubernabatur, bella ſecutus, hoc anno contra Perſas dimicat, & Gorgonæ, vel Meduſæ meretricis caput abſcindit, quæ tantæ pulchritudinis fuerat, ut ſpectatores inopes mentis redderet, & in lapides vertere putaretur.

ANNO MUNDI 2649. *ante C. N.* 1299.
ED. ⊙ 25 ☽ 12.

Pandion II. apud Athenienſes rex, filius Erichtei, ſuccedit patruo Cecropi, qui annis 40. regnaverat, & præeſt annis 25.

ANNO MUNDI 2651. *ante C. N.* 2197.
B. ⊙ 27. ☽ 14.

Amenophis regnat in Ægypto annis 20. poſt Rapſacen, qui annis 61. præfuerat.

ANNO MUNDI 2658. *ante C. N.* 1290.
G. ⊙ 6. ☽ 2.

Picus, Aboriginum in Italia rex tertius, regnat annis 37. poſt Saturnum, cui anni regni ſeptendecim dati ſunt, cùm tamen ejus anni nullibi à Scriptoribus exprimantur.

ANNO MUNDI 2668. *ante C. N.* 1280.
B. ⊙ 16. ☽ 12.

Barac ex tribu Sebulon, à Prophetiſſa Debora excitatus, copias colligit contra *Siſſeram*, qui Iſraelitas urbibus pellere conabatur, magnis exercitibus inſtructus: Sed Barac auxilio divino de cœlo adjutus Siſſeram vincit, & potentiâ Cananæorum deſtruitur, *Iudic.* 4.

ANNO MUNDI 2671. *ante C. N.* 1277.
E. ⊙ 19. ☽ 15.

Laomedon, Ili filius, regnat Trojæ annis 40. Hic arcem Trojanam conſtruxit, uſus ad hanc rem theſauris, Neptuno & Apollini dicatis. Ilus regnaverat annis 40.

Rameſes, Ægyptiorum rex, ſuccedit Amenophi, qui annis 20. præfuerat, & regnat annis 60. *Manetho.*

Dædalus, cùm antea ſtatuæ, demiſſis manibus ex utroque latere, & oculis clauſis, conjunctisq; pedibus factæ eſſent, primus ſtatuis oculis addidit, & crura, manusque ipſis fecit, ideò dictus eſt feciſſe, ut ſimulachra moverentur. *Euſeb.*

Corinthus circa hæc tempora condita. Siſiphus enim condidit *Ephyram, teſte Apollodoro*, quæ poſtea Corinthus appellata eſt: id quod accidit duabus generationibus ante bellum Trojanum.

ANNO MUNDI 2674. *ante C. N.* 1274.
A. ⊙ 22. ☽ 18.

Ægeus parenti Pandioni regi Athenienſium in regno ſuccedit, & præeſt annis 48. Pater enim Pandion, cùm annis 25. regnaſſet, propter inſidias Metionidarum ſe regno abdicare, & fugere coactus eſt. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2675. *ante C. N.* 1273.
D. ⊙ 23. ☽ 19.

Soſarmus, *rex Aſſyriorum, regnat annis 32. cùm ſuccederet Punijæ, qui præfuerat annis 35.* Afr.

ANNO MUNDI 2678. *ante C. N.* 1270.
C. ⊙ 26. ☽ 3.

Debora è tribu Naphthali, fœmina maxi-

mæ

trix autoritatis, & Prophetiſſa, cùm rexiſſet populum Iſraeliticum annis 40. moritur, *Iudic.* 6. Hinc numerantur anni 40. usque ad mortem Gedeonis, *Iudic.* 10.

ANNO MUNDI 2680. *ante C. N.* 1268. A. ☉ 28. ☽ 5.

Orpheus clarus habetur, cujus diſcipulus fuit Muſæus, filius Eumolpi, qui & Orphei filius habetur. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2686. *ante C. N.* 1262. G. ☉ 6. ☽ 11.

Janiſcus, Sicioniorum rex XXI. regnat annos 42. cùm ſucceſſiſſet Polybo, qui annis 40. regnârat. *Afric.*

Aborigines, cùm Pelaſgi gens Græca, à quibus *Faliſcorum*, urbis condita eſt, ſibi aſſociarentur, cum auxiliis ſuis bellum inferunt Siculis vicinis, eosque ſedibus ſuis pellunt. Siculi igitur peragratâ Italiâ verſus meridiem, & nuſpiam recepti, tandem paratis navibus in *Sicaniam*, quæ olim *Trinacria* fuit, trajiciunt; & Sicanos, Hiſpanicum genus hominum, locis quibusdam pellunt, & inſulam illam de ſe *Siciliam* vocant. Factum ætate tertiâ ante bellum Trojanum, anno viceſimo ſexto Alcyonis ſacerdotis apud Argos. Philiſtus ſcribit, factum eſſe anno 80. circiter, ante Trojana tempora. *Dionyſ. lib.* 1.

ANNO MUNDI 2687. *ante C. N.* 1261. F. ☉ 7. ☽ 12.

Cùm *Midianitæ* populum Iſraeliticum, ſecuriùs agentem, & Diis alienis deditum, victùm ſub jugum redegiſſent ante ſeptem annos, eosque triſtiſſimâ ſervitute preſſiſſent; *Iudicum cap.* 7. Gedeon populi Iſraelitici Dux à DEO contra Midianitas ordinatus, pauciſſimis militibus, trecentis videlicet, & quidem inermibus, tantùm clangore tubarum & lampadum fulgore, hoſtes ita terret, ut mutuis ſe conficerent vulneribus, caderentque eorum centum viginti millia, *Iudic.* 7.

ANNO MUNDI 2688. *ante C. N.* 1260. E. ☉ 8. ☽ 13.

Atreus & *Thyeſtes* fratres, poſt Euryſteum parentem, qui annis 43. Mycenarum regno præfuerat, defunctum, ponuntur ab hiſtoricis, quòd regnarint annis 65. & Atreus pater fuit Pliſtenis, cujus filii fuerunt Agamemnon & Menelaus, qui, cum à Poëtis Atridæ appellentur, filii Atrei creduntur. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2639. *ante C. N.* 1255. FE. ☉ 13. ☽ 18.

Tyrus urbs condita ſtatuitur à Joſepho, annis 240. ante conditum templum.

ANNO MUNDI 2695. *ante C. N.* 1253. C. ☉ 15. ☽ 1.

Faunus Aboriginum rex IV. incipit, & regnat annis 44. poſt Picum, qui annis 37. regnârat. *Syncell.*

ANNO MUNDI 2698. *ante C. N.* 1250. F. ☉ 18. ☽ 4.

Evander annis ferè 60. ante bellum Trojanum ex Arcadiâ colonos in Latium deduxit: filius fuit *Carmentæ*, quæ à Græcis Themis appellata. Fuerunt autem Arcadum pauci, ut qui duabus navibus advecti ſunt, & Carmentæ conſilio locum, ubi pòſt Roma condita eſt, inhabitârunt, quem *Palantium* vocârunt, qui poſteà dictus eſt Palatium. *Dionyſ. lib.* 1.

ANNO MUNDI 2699. *ante C. N.* 1249. E. ☉ 19. ☽ 5.

Minos, filius Lycaſti, regis Cretenſis, nepos Minois primi, cùm ad avi imitationem leges correxiſſet, eas promulgat, & cùm claſſem ædificâſſet, mari potitur. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2700. *ante C. N.* 1248. D. ☉ 29. ☽ 6.

Thamyris Philammonis filius, genere Threicius, Poëta inſignis floret, qui poſtea à Muſis, quas in certamen provocaverat, excæcatus eſt. *Euſeb.*

Androgeos Minois in Cretâ filius, qui Athenas ſub ipſum tempus ludicri venerat, interficitur, adhuc regnante Ægeo. Inde atrociſſimum oboritur bellum, quo victi ſunt Athenienſes, & Cretenſes victoriam crudeliter exercuerunt, dum Athenienſium liberos, *Minotauro* interficiendos dederunt. Fuit autem ille Minotaurus ex Paſiphaë, uxore Minois, & Tauro notario aulico natus, quem poſtea vicit Theſeus. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2712. *ante C. N.* 1236. C. ☉ 4. ☽ 18.

Theſeus, Athenienſium rex X. poſt Ægeum patrem, qui annos 48. regnârat, præeſt annis 30. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2713. *ante C. N.* 1235. BA. ☉ 5. ☽ 19.

Mithreos *Aſſyriorum rex XXVI. ſuccedit* Soſarmo, *qui annis 32. imperaverat, & regnat annis 27.*

ANNO MUNDI 2715. *ante C. N.* 1233. E. ☉ 7. ☽ 2.

Orcus ſive Aidoneus, rex Moloſſorum, rapit *Proſerpinam* filiam Cereris: & cùm haberet canem ingentis magnitudinis, *Cerberum* nomine, is Pirithoum, qui cum Theſeo venerat liberatum Proſerpinam, dilaceravit: ſed Theſeus omni auxilio deſtitutus captus eſt, & in vincula ab *Orco* conjectus, ex quibus liberatur ab *Hercule. Philochorus apud Euſeb.*

Hercules, cùm Laomedontem Trojanorum regem occidiſſet, expugnato Ilio, captivos multos ſecum in Hiſpaniam abduxit, & inde in Galliam, ubi *Alexiam* urbem condidit: inde in Italiam abiit ad Evandrum, cui tradidit quosdam Arcades, quos habebat, & captivos Trojanos, quibus Evander montem Capitolinum conceſſit. Hercules

cules etiam tum interfecit *Cacum* in Italiâ, inſignem latronem. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 2718. *ante C. N.* 1230. B. ☉ 10. ☽ 5.

Gedeon Judex populi Iſraelitici, cùm quadraginta annis præfuiſſet, *Iudic.* 8. ſucſedit ipſi filius Nothus ex concubinâ Sichemenſi *Abimelech*, dedecus gentis & generis, homicidia civium, parricida fratrum ſeptuaginta, everſor libertatis patriæ, & officium Judicis in tyrannidem mutat, ſed poſt triennium fragmento lapidis molaris occiditur, *Iudic.* 9.

ANNO MUNDI 2719. *ante C. N.* 1229. A. ☉ 11. ☽ 6.

Hypſipyle in Lemno inſulâ perſuadet mulieribus reliquis, ut maritos ſuos trucident; id quod factum eſt octo annis ante expeditionem Argonauticam, & ipſa regnum arripit. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2721. *ante C. N.* 1227. EF. ☉ 13. ☽ 8.

Thola, patruelis Abimelechi, ſuccedit in magiſtratu Judicum apud Iſraelitas poſt cædem Abimelechi, eique officio præeſt annis 23. *Iudic.* 10.

ANNO MUNDI 2727. *ante C. N.* 1221. E. ☉ 19. ☽ 14.

Argonautarum expeditio in hæc tempora incidit, paucis annis ante caſum Trojæ. Nam Hercules unus Argonautarum, σύγχρονος Theſeo fuit, & paucis annis ante Ilii excidium periit, & Aſcalaphus, & Argonauticæ & Iliacæ expeditioni interfuit, & idem unus ex procis Helenæ fuit, priusquam Menelao nuberet. Expeditionis Argonauticæ principes fuerunt: Jaſon, Admetus, Peleus, Caſtor, Pollux, Hercules, Orpheus, &c. Condiderunt in eâ expeditione Cyzium urbem, quæ ita nominata eſt à Cyzico Argonautâ Miniis inopinatâ cæde perempto. Navigant autem in Colchidem, aureum vellus ablaturi, idque conſilio & auxilio *Medea* obtinent. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2728. *ante C. N.* 1220. D. ☉ 20. ☽ 15.

Phaſtus Sicyoniorum rex XXII. ſuccedit Janiſco, qui annis 42. præfuerat, regnatque annis 8. *Afric.*

ANNO MUNDI 2729. *ante C. N.* 1219. CB. ☉ 21. ☽ 16.

Atreus & *Thyeſtes* anno regni 41. inſtaurant Olympicum ludicrum, ante annos 95. à Pelope inſtitutum, idque celebrant in honorem Pelopis. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2730. *ante C. N.* 1218. A. ☉ 22. ☽ 17.

Thyeſtes, Atrei fratris uxorem adulterio polluit: Atreus, ut injuriam ulciſcatur, filios fratris necatos, coctosque ipſi comedendos apponit.

ANNO MUNDI 2731. *ante C. N.* 1217. G. ☉ 23. ☽ 18.

Ammenemes Ægypti rex, ſuccedit Rameſi, qui 60. annis regnârat: Ipſe regnat annis 5. cui pôſt ſuccedit Thuoris, qui regnat an. 6. *Manetho.*

ANNO MUNDI 2736. *ante C. N.* 1212. A. ☉ 28. ☽ 4.

Adraſtus Sicyoniorum rex XXIII. ſuccedit Phæſto, qui octo annis præfuerat, regnatque annis 4. cui pôſt ſuccedit Polyphides, qui 31. *Afric.*

ANNO MUNDI 2739. *ante C. N.* 1209. D. ☉ 3. ☽ 7.

Annotatur expeditio illorum ſeptem contra Thebas, *de quibus Pauſanias*, qui & ibidem occubuerunt. Horum poſteri κατ' ἐξοχὴν Epigoni appellantur, & decimo anno pôſt inſtaurant bellum, ulturi necem parentum ſuorum. *Euſeb.*

Latinus, Aboriginum rex V. ſuccedit Fauno, qui annos 44. regnarat; ipſe præeſt annis 32. *Dionyſ.*

Theſeus adverſus Thebanos pugnat propter ſepulturam Oedipodarum, quam *Creon* rex Thebanorum edicto vetuerat. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2740. *ante C. N.* 1208. C. ☉ 4. ☽ 8.

Teutamus, Aſſyriorum rex XXVII. ſuccedit Mithrao, poſt annum regni 27. defuncti, regnatque annos 29. Afric.

ANNO MUNDI 2744. *ante C. N.* 1204. E. ☉ 8. ☽ 12.

Thola, cùm populum Iſraeliticum in ſummâ pace judicâſſet annis 23. moritur. Succedit ipſi *Iair* Manaſſæus, vir potens, qui præeſt annis 22. *Iud.* 10.

ANNO MUNDI 2746. *ante C. N.* 1202. B. ☉ 10. ☽ 14.

Minos, rex in Cretâ, à Cocalo rege Sicaniæ ſæpiùs repoſcit Dædalum, qui ex Cretâ aufugerat, cum Icaro filio. Cùm non redderetur, bello Cocalum perſequitur. Sed ibi fraude filiarum Cocali interficitur, & ejus exercitus Duce deſtitutus in Siciliâ manet, Minœmque urbem ædificat, quæ poſtea Heraclea appellata eſt. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2747. *ante C. N.* 1200. A. ☉ 11. ☽ 15.

Veſores, rex Ægypti, dum omnia bello miſcere cupit, Scythis etiam bellum infert, qui injuriâ hâc laceſſiti, ultrò Verſorem invadunt, & univerſam Ægyptum populationibus vaſtant: Sed paludibus impediti in Aſiam redeunt, quam obtinent annis 15. *Oroſ. lib.* 1. Hunc Veſorem alii Proteum videntur appellare, apud quem divertit Alexander ſive Paris, cùm Helenam rapuiſſet.

Hercules Agonem Olympicum inſtituit annis 415. ante primam Olympiadem, ab Iphito inſtitutam: annis 114. poſt Olympia Pelopis, quæ in honorem Jovis inſtituta fuerant. Sed Hercules ſuum agonem celebravit, in honorem Pelopis: Iphitus contrà Olympiades inſtituit in honorem Herculis. Atreus eundem inſtituerat annis 19. ante Herculem. Mirum hoc eſt, quòd agones hi omnes inſtituti fuerunt Cyclo Lunæ 16. quando

Novi-

Novilunium ſemper incidit in diem nonum Julii Juliani.

ANNO MUNDI 2752. *ante C. N.* 1196. B. ☉ 16. ☽ 2.

Hercules in vivis eſſe deſiit. De morte verò ejus variæ ſunt autorum ſententiæ.

Anno mundi 2753. *ante C. N.* 1195. *A. G.* ☉ 17. ☽ 2. *Æquinoctium aſcendit ad diem* 31. *Martii.*

Agamemnon Atreo avo ſuo, qui annis 65 regnarat, in regno Mycenarum ſuccedit, regnatque annis 16. *Afric.* *Menelaus* frater, qui Tyndari Spartanorum regis filiam *Helenam* uxorem duxerat, ſocero defuncto in regno Spartanorum ſuccedit. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 2755. *ante C. N.* 1193. E. ☉ 19. ☽ 4.

Priamus, cùm regnum ſtabiliviſſet, & præſidia ubiq; diſpoſuiſſet, *Antenorem* in Græciam mittit, expoſtulatum de cæde Laomedontis parentis ſui, & de bello ab Hercule per injuriam illato. Cùm nihil reſponderetur, *Alexandrum* filium claſſe inſtruit, quâ vel vi, vel fraude Græcis noceret, isque ex inſidiis *Menelai* uxorem *Helenam* abducit: Ideò ſequenti anno principes Græciæ conveniunt in Aulide, & de bello Trojanis inferendo conjurant, & ſequenti anno 2757. in Aſiam expeditionem faciunt. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 2761. *ante C. N.* 1187. ED. ☉ 25. ☽ 10.

Iſraelitæ bono pacis abuſi à vera religione deficiunt, & majorum ſuorum peccata novis ſceleribus cumulant; ideò hoſtibus ſuis Ammonitis à Deo traduntur, à quibus crudeliſſimè tractantur totis annis 18. *Iudic.* 10.

ANNO MUNDI 2765. *ante C. N.* 1183. G F. ☉ 1. ☽ 14.

Demophoon Theſei filius, Athenienſium rex XII. regnat annis 38. poſt Mneſteum, qui annis 23. præfuerat. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2766. *ante C. N.* 1182. E. ☉ 7. ☽ 15.

Iair Judex populi Iſraelitici, cum annis 22. præfuiſſet, moritur, *Iudic.* 10.

ANNO MUNDI 2767. *ante C. N.* 1181. D. ☉ 3. ☽ 16.

Troja poſt decennalem obſidionem, fraude & proditione *Antenoris* & *Æneæ*, die 23. Thargelionis, diebus 27. ante Solſtitium æſtivum, cum anno finiendo poſt ſolſtitium ſupereſſent dies 20. ut Attici annos ſuos numerant, capitur. *Dion.* Perierunt in hoc bello ultra quindecies centena millia hominum ex utraque parte. Græcorum duces præcipui fuerunt, *Agamemnon* Imp. *Menelaus*, *Neſtor*, *Palamedes*, *Ulyſſes*, *Diomedes*, *Ajax* *telamonius*, *Ajax* Locrenus, *Achilles*, *Patroclus.* Trojanorum duces fuerunt, *Priamus* rex, *Hector*, *Deiphobus*, *Memnon* Tithoni filius, *Telephus*, *Helenus*, &c.

Mantua urbs in Italia circa hæc tempora condita, annis 630. ante Romam conditam. *Vellej.* & *Virg.*

Æneas cum ſuis hac æſtate in Thraciam trajicit, & ibi hyemem exigit. *Dion.*

ANNO MUNDI 2768. *ante C. N.* 1180. C. ☉ 4. ☽ 17.

Æneas, cùm urbem Æneam in Thracia condidiſſet, cujus incolæ poſtmodum à Caſſandro Theſſalonicam, quam nuper condiderat, migrare juſſi ſunt, abit in Arcadiam, & poſtmodum in Siciliam, ubi hybernat. *Diod.*

Agamemnon æſtatem exigit in Creta inſula, ubi tres urbes condit. *Vellej.*

ANNO MUNDI 2769. *ante C. N.* 1179. BA. ☉ 5. ☽ 18.

Agamemnon ſcelere patruelis fratris *Ægiſthi* & perfidiâ uxoris *Clytemneſtræ* opprimitur, poſt annum 16. regni: ſuccedit ipſe Ægiſthus adulter, regnatq; annis 6. *Vellej.*

Æneas exacta ſecunda hyeme, in mare Thyrrhenum trajicit, tandemque Laurentium pervenit media æſtate, ubi accepto agro Lavinium condit. *Dion.*

Brunduſium primùm Cretenſes ædificarunt, cùm ejecti eſſent ex Patria à Theſeo, ſed poſt bellum Trojanum Ætoli, duce *Diomede*, ejectis Cretenſibus eandem urbem occuparunt, qui poſtea iterum ejecti ſunt ab Apulis.

Teutæus, *Aſſyriorum rex XXVIII. ſuccedit Teutamo Aſſyriorum regi, qui regnarat annis* 29. & *Priamo auxilia miſerat*, ut Diodorus Siculus habet, *regnat annis* 24.

ANNO MUNDI 2771. *ante C. N.* 1177. F. ☉ 7. ☽ 1.

Pelaſgus, Sicyoniorum rex XXV. ſuccedit Polypho, qui annis 31. præfuerat, & regnat annis 20. *Afric.*

Æneas quarto poſt captam Trojam anno ſuccedit defuncto Socero *Latino*, qui annos 32. regnarat, & regnat annis 3. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 2774. *ante C. N.* 1174. B. ☉ 10. ☽ 4.

Æneas bello petitur à *Mezentio* Tyrrheno, & in prælio adverſus ipſum cadit, anno ſeptimo exacto poſt Trojam captam: ſuccedit *Aſcanius* filius, qui obſeſſus à Mezentio nocturna eruptione *Lauſum* filium *Mezentii* obtruncat. Inde obſidione ſoluta pax fit. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 2775. *ante C. N.* 1173. A. ☉ 11. ☽ 5.

Oreſtes filius Agamemnonis, qui *Hermionem* *Menelai* patris filiam uxorem duxerat, adjutore *Pylade* clam in Peloponneſum reverſus, Ægyſthum & Clytemneſtram matrem adulteram per inſidias occidit; & Mycenarum regnum recuperat, quod obtinet annis 28. *Vellej.*

Ulyſſes Scyllam triremem Tyrrhenorum, qui mare infeſtum habebant; & mercatoribus inſidiabantur, celeritate navis ſuæ effugit. *Paleph.*

ANNO MUNDI 2779. *ante C. N.* 1169.
C. ☉ 15. ☽ 9.

Iephte domo paternâ à fratribus propter matris humilitatem ejectus, deſertus, & ſpretus, cum ſibi conſuetudine robur militare, & illuſtre nomen comparaſſet, à Gileatidis expetitur Dux contra Ammonitas quos vincit, & viginti inſuper civitates ſubigit. *Iudic.* 11 Ephraemitas nobilitate ſua inſoleſcentes compeſcit, præeſt annis 6. *Iudic.* 12.

Mopſus poſt caſum Trojæ regnat in Cilicia, à quo Mopſicremæ, & Mopsveſtia urbes conditæ ſunt. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2785. *ante C. N.* 1163.
C B. ☉ 21. ☽ 15.

Iephta conſilio & fortitudine non minus hoſtibus, quàm ſociis formidabilis, cum ſex annis præfuiſſet, moritur: ſuccedit ipſi *Ebzan Bethlehemites*, qui præfuit Iſraelitis annis 7. *Iudic.* 12.

ANNO MUNDI 2787. *ante C. N.* 1161.
G. ☉ 23. ☽ 17.

Pyrrhus Priami filius, qui cladem Trojanam effugerat, in templo Apollinis, in quod confugerat, trucidatur ab Oreſte, proditione Sacerdotis Macarii. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2791. *ante C. N.* 1157.
B. ☉ 27. ☽ 2.

Zeuxippus, Sicyoniorum rex XXVI. ſuccedit Pelaſgo, qui annis 24. regnarat, & præeſt annis 22. *Afric.*

ANNO MUNDI 2792. *ante C. N.* 1156.
A. ☉ 28. ☽ 3.

Ebzan, qui ſeptem annis Iſraelitis præfuerat, & triginta filios, totidemq; filias & generos aluerat, in ſumma pace moritur. Succedit ipſi *Elon* ex tribu Sebulon, qui præeſt annis 10. *Iud.* 12.

ANNO MUNDI 2793. *ante C. N.* 1155.
GF. ☉ 1. ☽ 4.

Arabelus, *Aſſyriorum rex XXIX. ſuccedit Teutæo, qui annis* 4. *regnarat, imperatq; annis* 34.

ANNO MUNDI 2798. *ante C. N.* 1150.
G. ☉ 6. ☽ 9.

Oxynthes Demophoontis filius, rex Athenienſium XIII. ſuccedit parenti Demophoonti, qui annos 38. regnarat, & præeſt annis 12. *Afric.*

ANNO MUNDI 2799. *ante C. N.* 1149.
F. ☉ 7. ☽ 10.

Heraclidæ, qui poſt obitum Herculis ex Peloponneſo, ante bellum Trojanum ejecti fuerant, poſteà tentarunt reditum aliquoties. Ideò hoc anno, qui eſt triceſimus ſecundus poſt Ilii excidium, *Hyllus* filius Herculis vi reditum in Peloponneſum paraturus, cum exercitu advenit, cui Peloponneſii exercitum opponunt. Hyllus igitur provocat ex hoſtibus, qui ſecum ſingulari certamine congrederetur hac conditione: ſi vinceret, ut Heraclidæ in Peloponneſum reciperentur: ſi vinceretur, ut Heraclidæ iterum recederent, & reditum in quinquaginta annos differrent. At *Hyllus* in hoc certamine victus eſt, & Heraclidæ Acrocorinthum, quam tenebant, recedunt. *Diodor. lib.* 4. *Pauſ. in Arcad.*

Aſcanius trigeſimo anno exacto, poſt conditum Lavinium, condit *Albam* longam urbem, ibique ſedem regni collocat.

ANNO MUNDI 2800. *ante C. N.* 1148.
E. ☉ 8. ☽ 11.

Amazones templum Epheſinum circa hæc tempora incendiſſe, & à Clemente & Euſebio affirmatur, cùm tamen hiſtoriæ teſtentur, Amazones vel ædificaſſe templum Epheſinum, vel ſimulachrum Dianæ ex trunco ulmeo effectum eidem conſecraſſe. *Scal. in Euſeb.*

ANNO MUNDI 2802. *ante C. N.* 1146.
B. ☉ 10. ☽ 13.

Haleſus filius Agamemnonis ex Briſeide, aſſumtis voluntariis quibusdam in Italiam proficiſcitur, ubi Haliſcum ex ſuo nomine ſic dictam condit, quæ poſtea Faliſci appellata eſt. *Goltzius.*

Abdon quadraginta filiorum pater, & totidem nepotum avus, ſuccedit Eloni Judici Iſraelitico, qui decem annis præfuerat, & judicat populum annis 8. *Iud.* 12.

ANNO MUNDI 2803. *ante C. N.* 1145.
A. ☉ 11. ☽ 14.

Penthilus filius Oreſtis parenti, qui annis 28. regnum adminiſtrarat, ſuccedit, regnatque annis 22. *Afric.*

ANNO MUNDI 2805. *ante C. N.* 1143.
FE. ☉ 13. ☽ 16.

Iſraelitæ in omnium graviſſimam ſervitutem incidunt *Philiſthinorum*; à quibus non ſolùm armis penitus exuuntur & ſpoliantur; ſed etiam ipſis omnibus officinis ferrariis interdicitur. *Iud.* 12.

ANNO MUNDI 2807. *ante C. N.* 1141.
C. ☉ 15. ☽ 18.

Lydus & *Thyrrhenus* fratres in Lydia reges, ſterilitate frugum compulſi, ſortiuntur, uter cum parte multitudinis novas ſedes quæreret. Sors Tyrrhenum contigit; qui profectus in Italiam, & loco & incolis & mari nobile & perpetuum à ſe nomen dedit, poſt everſam Trojam annis quadraginta. *Vellej.*

ANNO MUNDI 2809. *ante C. N.* 1139.
AG. ☉ 7. ☽ 1.

Lycæa, *quæ quondam à Lycaone patre Nyctimi ante diluvium Deucalionis inſtituta erant, inſtaurantur circa hoc tempus.* Euſeb. *celebrantur ſæpiſſimè à Pindaro.*

Aphidas Oxyntæ filius rex Athenienſium XIV. parenti ſuccedit, qui regnarat annis 12. ipſe tantum unico anno. Cui ſuccedit *Thymoetes*, qui octo.

ANNO

ANNO MUNDI 2810. *ante C. N.* 1138.
F. ☉ 18. ☽ 2.

Eli ſummus ſacerdos ex familia Ithamar judex fit populi Iſraelitici eique muneri præeſt totis annis 40. Abdon enim defunctus erat, cum annis 8. populum rexiſſet.

ANNO MUNDI 2812. *ante C. N.* 1136.
D. ☉ 20. ☽ 4.

Aſcanius filius Æneæ, poſt annum 38. regni, moritur: Succedit ipſi frater *Sylvius*. Lavinia enim uxor Æneæ, ne novercæ nomen ſibi invidioſum eſſet, aut fortaſſis perniciofum, cùm gravida eſſet, in ſylvas abit, ibique parit filium, & educat: qui ob id Sylvius appellatus eſt, regnavitque annis 29. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 2813. *ante C. N.* 1135.
CB. ☉ 21. ☽ 5.

Leuxippus, Sicyoniorum rex XXVI. & ultimus, cum annis 22. regnaſſet, moritur: ſuccedunt ipſi poteſtate regia Sacerdotes *Carnei* Apollinis annui, & primus quidem fuit *Archelaus*. Afric.

ANNO MUNDI 2814. *ante C. N.* 1134.
A. ☉ 22. ☽ 6.

Automedon ſecundus Sacerdos *Carnei* Apollinis apud Sicyonios, *Afric.*

ANNO MUNDI 2815. *ante C. N.* 1133.
E. ☉ 23. ☽ 7.

Methodentus Sacerdos III. Carnei Apollinis apud Sicyonios. *Afric.*

Apaturia *apud Athenienſes menſe pyanepſione inſtituta per triduum, quòd Thimoetes rex Athenienſium Xanthium Bœotum felici dolo ſuperaſſet.* Euſeb.

ANNO MUNDI 2816. *ante C. N.* 1132.
F. ☉ 24. ☽ 8.

Euneus IV. Sacerdos Apollinis Carnei apud Sicyonios.

ANNO MUNDI 2817. *ante C. N.* 1131.
ED. ☉ 25. ☽ 9.

Theonomus V. Sacerdos Apollinis Carnei apud Sicyonios.

ANNO MUNDI 2818. *ante C. N.* 1130.
C. ☉ 26. ☽ 10.

Amphictyon, Sacerdos VI. Apollinis Carnei apud Sicyonios, qui Sacerdotium continuavit annis 9. *Afric.*

ANNO MUNDI 2819. *ante C. N.* 1129.
B. ☉ 27. ☽ 11.

Melanthus, Andropompi filius ſuccedit Thymoetæ, qui annis 8. Athenis regnaverat; præeſt Athenienſibus annis 37.

ANNO MUNDI 2825. *ante C. N.* 1123.
A. ☉ 5. ☽ 17.

Tiſamenus fratri Penthilo in Mycenarum regno qui annos 22. præfuerat, ſuccedit, regnatque annos 22.

ANNO MUNDI 2827. *ante C. N.* 1121.
F. ☉ 7. ☽ 19.

Charidemus apud Sicyonios Sacerdos Carnei Apollinis, ſuccedit Amphictyoni, qui eidem ſacerdotio novem annis præfuerat, idque adminiſtrat annis 18. *Afric.*

Chalaos *Aſſyriorum rex XXX. ſuccedit Arabelo, qui annos imperitarat 34. & imperat annos 24.*

Bœoti belli Trojani tempore, à Pelaſgis ſedibus ſuis ejiciuntur, & eorum pars ſimul ad bellum Trojanum abit, pars verò Ænam occupat. Sexageſimo anno ab everſione Trojæ iterum ex Æna à Theſſalis ejiciuntur: quapropter in Bœotiam redeunt, *Thebasque* inſtaurant quæ incolumes ab eo tempore permanſere per annos 788. donec ab Alexandro Magno everterentur. *Diod. & Thucyd.*

ANNO MUNDI 2830. *ante C. N.* 1118.
B. ☉ 10. ☽ 3.

Simſon Deo ſacer ab utero materno, incipit, robore gigas fuit, ſed quem nulla vis potuit ſuperare, voluptas evertit, captus tandem & oculis orbatus, ultimo conatu ædes publicas Philiſthinorum evertit, & ſecum ad triamillia hominum opprimit, *Iud. cap.* 13.

ANNO MUNDI 2841. *ante C. N.* 1117.
CB. ☉ 21. ☽ 14.

Sylvius ſecundus Albanorum apud Latinos rex, cum annis 29. præfuiſſet, moritur: ſuccedit *Æneas Sylvius* qui regnat annis 31.

ANNO MUNDI 2847. *ante C. N.* 1111.
B. ☉ 27. ☽ 1.

Hippaſus Corinthius, cùm de recipiendis Heraclidis in Peloponneſum ageretur, idque vehementer diſſuaderet, nec tamen audiretur à multitudine, conceſſit cum ſuis in Inſulam Samum: hujus Hippaſi pronepos fuit Pythagoras. *Pauſ.*

Heraclidæ, cum quinquaginta anni ab occiſo Hyllo effluxiſſent, anno octogeſimo poſt Trojam captam, Peloponneſum repetunt, non quidem terra, ſed claſſe eamque occupant, & pulſa Pelopis progenie, imperium ejus invadunt. Duces Heraclidarum fuerunt *Temenes, Creſphontes & Ariſtodemus*: & Ariſtodemo obtingit Spartanorum regnum, ſed eo ſtatim defuncto, ſucceſſerunt filii, *Vellejus, Thucyd. Euſeb.*

Cum Heraclidis *Dores* ſimul Peloponneſum invaſerunt. *Thucyd.*

Æquinoctium vernum accidit die 31. *Martii Calend. Jul.*

ANNO MUNDI 2848. *ante C. N.* 1100.
A. ☉ 28. ☽ 2.

Euryſthenes & Procles filii Ariſtodemi ſimul creantur reges Spartanorum, id quod & deinceps obſervatum fuit, ut ſemper bini eſſent, ſinguli ex ſua familia, & Euryſthenes regnat annis 42. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 2849. *ante C. N.* 1099.
GF. ☉ 1. ☽ 3.

Aletes Quintus ab Hercule, Corinthum clauſtra Peloponneſi continentem, quæ antea fuit Ephyra, à Siſyphidis condita, occupat, regnatq; annis 35. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 2850. *ante C. N.* 1098.
E. ☉ 2. ☽ 4.

Iones ex Achaja ab Heraclidis pulſi, ſe Athenas conferunt; ubi à Melantho rege hoſpitaliter accipiuntur.

ANNO MUNDI 2851. *ante C. N.* 1097.
D. ☉ 3. ☽ 5.

Philiſtæi Iſraelitas prælio vincunt, Iſraelitæ conſilio Eli arcam Domini ſecum in prælium adducunt, ſed nihilominus ſuccum-

cumbunt, Arca à Philiſtæis capitur, ambo filii Eli in prælio cadunt, ipſe è ſella reſupinus cadens, cervicibus fractis expirat, anno ætatis ſuæ 98. Imperii 40. 1. *Sam*. 4.

Succedit *Samuel* Prophetarum primus poſt *Moſen*, in officio Judicis Iſraelitici, quod ita ſanctè adminiſtravit, ita ut nemine ullius cupiditatis aut injuriæ convinci potuerit.

Anabos, *Aſſyriorum rex XXXI. ſuccedit Chalao, qui 24. annis præfuerat, imperatq; annis 21.* Afric.

Achæi ex Laconica ab Heraclidis pulſi, ſedes propè Corinthum occupant, cùm Pelaſgi ſive Iones Athenas conceſſiſſent. *Vellej.*

ANNO MUNDI 2852. *ante C. N.* 1096.
C. ☉ 4. ☽ 6.

Samuel inſigni victoria potitur de Philiſtæis, urbesque quas ceperant, recipit, 1. *Sam*. 4.

ANNO MUNDI 2855. *ante C. N.* 1093.
F. ☉ 7. ☽ 9.

Charidemus, cum Sacerdotium Carnei Apollinis apud Sicyonios adminiſtraſſet annos octodecim, nec ſufficeret ſumtibus, auffugit inde, nec alius ipſi ſuffectus legitur: duravit regnum Sicyoniorum annis 994. ſub regibus ſcilicet annis 962. ſub ſacerdotibus annis 32.

ANNO MUNDI 2856. *ante C. N.* 1092.
B. ☉ 8. ☽ 10.

Codrus, Athenienſium rex XVII. & ultimus, filius Melanthi, ſuccedit parenti, qui annis 37. regnaverat, & præeſt annis 21.

ANNO MUNDI 2859. *ante C. N.* 1089.
A. ☉ 11. ☽ 13.

Theras, Auteſionis filius, Ariſtodemi liberorum Spartæ regnantium tutor, Coloniam in Inſulam Calliſten deducit, quæ ab ipſo *Thera* appellata eſt. *Euſeb.*

Theſſalus quidam ex Peloponneſo pulſus, Myrmidonum regionem occupat, & à ſe Theſſaliam nominat. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2860. *ante C. N.* 1088.
G. ☉ 12. ☽ 14.

David Propheta ſanctiſſimus, Rex potentiſſimus, Imperator feliciſſimus, Muſicus doctiſſimus, vir pientiſſimus, naſcitur. 2. *Sam*. 5.

ANNO MUNDI 2862. *ante C. N.* 1086.
D. ☉ 14. ☽ 16.

Oreſtis poſteri, ejecti ab Heraclidis è Peloponneſo, jactati variis caſibus, tandem quindecimo anno *Lesbum* Inſulam ſedem capiunt. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2866. *ante C. N.* 1082.
F. ☉ 18. ☽ 1.

Scythæ Aſiam infeſtam habent, annis 330. ante urbem conditam. *Vellej.*

ANNO MUNDI 2867. *ante C. N.* 1081.
E. ☉ 19. ☽ 5.

Smerdes in Ægypto incipit dynaſtiam Ægyptiorum XXI. quæ eſt *Tanitarum* regum. & regnat annis 26. *Maneth.*

ANNO MUNDI 2870. *ante C. N.* 1078.
A. ☉ 22. ☽ 5.

Zoroaſter Magus, vixit annis 600. ante tranſitum Xerxis in Græciam, teſte Xantho Lydio: vixit ergo hisce temporibus.

ANNO MUNDI 2872. *ante C. N.* 1076.
F. ☉ 24. ☽ 7.

Babius Aſſyriorum rex XXXII. ſuccedit Anabo, qui annis 21. præfuerat, regnatq; annis 27.

Latinus, Latinorum apud Albanos rex IV. ſuccedit parenti Æneæ, qui annis 31. præfuerat, regnatq; annis 51. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 2875. *ante C. N.* 1073.
B. ☉ 27 ☽ 10.

Nahas rex Ammonitarum, bello perſequitur Iſraelitas, obſidet & capit quasdam urbes. Iſraelitæ, cum Samuel ſenuiſſet, & filii ejus uſquequaque virtutem non ſectarentur, expetunt regem, daturque ipſis Saul Benjamita, qui quærens aſinas regnū invenit, & regem Ammonitarum vincit, & Palæſtina expellit. *lib*. 1. *Sam*. 11.

ANNO MUNDI 2876. *ante C. N.* 1072.
A. ☉ 28. ☽ 11.

Jonathan, filius Saulis regis, Philiſtæos caſtris exuit prope Gibeam: Philiſtæi hac clade magis irritati quam territi, ingentem exercitum colligunt, planè Iſraelitas debellaturi, & fines eorum igne ferroq; latè vaſtant. Jonathan cum ſuo ſatellite ſolus tantum exercitum disjicit, fundit, fugat, & præclariſſima victoria potitur. *lib*. 1. *Sam*. 14.

ANNO MUNDI 2877. *ante C. N.* 1071.
GF. ☉ 7. ☽ 12.

Saul Moabitas, Ammonitas, Edomitas, Syros, &c. qui circumquaque populum Iſraeliticum carpere ſolebant, ulciſcitur. & clades regerit, 1. *Sam*. 14. *v*. 47.

Peloponneſii Athenienſibus bellum inferunt. in quo, cùm *Codrus* Athenienſium rex ſeſe pro patria devoveret, Athenienſes victoriam obtinent, annis 487. poſteaquam Cecrops primus regnum iniiſſet. Sequuntur Archontes, qui per totam vitam rempubl. gubernarunt, ſed non regia planè poteſtate: quorum primus fuit *Medon* Codri filius à quo poſteri Medontidæ apud Atticos dicti ſunt, qui honorum uſurparunt uſque ad Charopem. Præfuit autem Medon annis 20. *Vellejus.*

Ionica Migratio paulò poſt contigit, de qua Vellejus. Magna vis Græcæ juventutis, abundantia virium ſedes quæritans, ſe in Aſiam effudit, nobiliſſimam ejus partem maritimam occupans, quæ hodie vocatur *Ionia*, urbesq; conſtituere Miletum Epheſum, & alias. Cauſa fuit; Codro rege Athenienſium cæſo, ſi ii ejus *Medon* & *Nileus* de regno certabant, & quoniam Medon pede truncus erat, Nileus ipſum inhabilem regno cenſebat: Lis defertur ad Pythiam, & regnum Medonti per oraculum adjudicatur. *Nileus* indignum judicans ſub claudo rege vivere, hanc expeditionem ſuſcipit, & Miletum urbem condit, unde Miletum urbs Nilei appellatur. *Ælian. lib*. 8.

ANNO MUNDI 2879. *ante C. N.* 1069.
D. ☉ 3. ☽ 14.

Saul Amalekitas juſſu divino, bello perſequitur: ſed penitus eos exſcindere cum omni-

omnibus ſuis bonis, ut mandatum Deo fuerat, noluit, quòd cultui divino, quæ ſuperessent inſervire poſſent, objurgatus de hac re ita ſe defendit, ut magis ſuæ laudi velificari, quam gloriæ divinæ ſtudere videretur: quapropter à Deo abjicitur, & regnum ei abjudicatur, 1. *Sam.* 15.

ANNO MUNDI 2886. *ante C. N.* 1068.
C. ☉ 4. ☽ 15.

David anno ætatis viceſimo ad regnum Dei mandato, accerſitur, & à Samuele conſecratur, cum antea adoloſcentulus cum leonibus & urſis luſiſſet, tanquam cum hœdis & ovibus, ut ipſe canit: paulò poſt evocatur ad regem Saul, ut ſit regius Muſicus, 1. *Sam.* 16.

ANNO MUNDI 2881. *ante C. N.* 1067.
BA. ☉ 5. ☽ 16.

David cùm bellum ingrueret à Philiſtæis ad greges ovium & ad parentem, qui tres filios ad bellum miſerat, redit, inde à patre ad caſtra remiſſus, Goliadum inſignem gigantem magnificè armatum, armis paſtoralibus proſternit, & ingentem gloriam promeretur, ita ut paulò poſt à Saulo gener appeteretur, 1. *Sam.* 17.

Rubenitæ & Gaditæ circa hoc tempus Hagaritas prælio victos extirpant, & eorum fines & facultates occupant, 1. *Chron.* 6. *v.* 20. uſque ad Tiglathphilaſſarem, annis ferè 320.

ANNO MUNDI 2882. *ante C. N.* 1066.
G. ☉ 6. ☽ 7.

David cùm fortiter ageret contra hoſtes in omnium oculis fertur, & ipſi regi gloria belli præfertur. Inde Saul odio & invidia flagrans, variis modis vitæ ejus inſidias ſtruit, tandem ut magis opportunus cædi eſſet, ipſi filiam ſuam Michol uxorem collocat, cujus ſponſalia ducentis cæſis Philiſtæis redimere jubet, ut ita hoſtibus ad cædem objiceretur, ſed David fortiter mandata executus, & gloriam ſuam invidiam Saulis auget, 1. *Sam.* 18.

ANNO MUNDI 2883. *ante C. N.* 1065.
E. ☉ 7. ☽ 18.

Saul generum Davidem in geniali lecto interficere jubet uxor Michol marito magis fida, quàm parenti, cum per feneſtram dimittit, & miſſos ſpiculatores muliebri ingenio deludit. David inermis fugiens à Sacerdotib. Nobe Goliadi gladium & cibum impetrat, qua re Saul iratus, Sacerdotes illos viros octoginta per Dorgum interficit. 1. *Sam.* 22.

ANNO MUNDI 2884. *ante C. N.* 1064.
E. ☉ 8. ☽ 19.

David familiam ſuam cum parentibus ſuis deponit apud regem Moabitarum, ubi etiam ipſe aliquo tempore manet, donec per Prophetam Gad admoneretur, ut in Judæam reverteretur. 1. *Sam.* 23.

Ixion Rex ſecundus Corinthiorum, regnat annis 37. poſt Aletem, qui annis 35. præfuerat. *Diod.*

Anno mundi 2885. *ante C. N.* 1063. *D C* ☉ 9. ☽ 1.
Æquinoctium vernum aſcendit ad 30. *Martii.*

David Philiſthæos, qui horrea Kegilæ diripiebant, fundit & ſpoliat: dumque ibi eſt, inſidiis appetitur Saulis, quas prudenter evadit, 1. *Sam* 23.

ANNO MUNDI 2886. *ante C. N.* 1062.
B. ☉ 10. ☽ 2.

Saul perſequitur Davidem bello in deſerto *Maon*, nec procul aberat, quin eum cepiſſet, ſed nuncio de Philiſtinorum irruptione adeò terretur, ut à perſequendo Davide deſiſteret, & fines ſuos defenderet, 1. *Sam* 24.

ANNO MUNDI 2887. *ante C. N.* 1061.
A. ☉ 11. ☽ 3.

Saul, dum perſequitur Davidem, incidit in ipſum Davidem, à quo tamen nequaquam interficitur, ſed David in teſtimonium hujus rei, tantùm oram veſtimenti ejus abſcindit, & regi poſtmodum oſtendit, 1. *Sam.* 24.

ANNO MUNDI 2888. *ante C. N.* 1060.
G. ☉ 12. ☽ 4.

David in deſerto *Paran* non parvo tempore deliteſcit, ubi, ne greges Nabalis à beſtiis diriperentur, cum ſuis cuſtodias agit, ſpe præmii alicujus; ſed contumeliam inde reportat graviſſimam. Nabal cum ſuis ob id trucidatus fuiſſet, niſi Abigail uxor ejus, precibus & libertate loquendi iram Davidis mitigaſſet, 1. *Sam* 25. Paulò poſt, cum Saul iterum Davidis capiendi cauſa cum copiis in deſertum Siph veniſſet, David noctu in caſtra Saulis ingreditur, & ad tabernaculum ejus pervenit, ubi tantum lanceam & ſcyphum ejus aufert, ſequentiq; die Sauli, ut ſe innocentem teſtaretur, oſtendit, & reddit, 1. *Sam.* 26.

ANNO MUNDI 2889. *ante C. N.* 1059.
FE. ☉ 13. ☽ 5.

David, cum duxiſſet uxorem *Abigail*, abit ad Philiſtæos, ad *Achis*, regem *Gathæum*, ibiq; annuo ſpatio & ſex menſibus manet, obtinetque à rege urbem *Ziclag*, ex qua in hoſtes populi Judaici ſæpius excurrit, ſed ne proderetur, captos ad unum omnes occidit. 1. *Sam.* 27.

ANNO MUNDI 2890. *ante C. N.* 1058.
D. ☉ 14. ☽ 6.

Philiſtæi bellum inferunt Sauli. David cum auxilio Philiſtæis in caſtra veniſſet, ut ſuſpectus proditionis, cum ſuis remittitur Ziclagam, quam invenit ab Amalekitis ſpoliatam, igne crematam, & homines abductos. David perſequens latrones hosce, omnem

omnem prædam recipit, & æqualiter inter ſuos, etiamſi prælio non omnes adfuiſſent, dividit, 1. *Sam.* 30.

Saul prælio à Philiſtinis victus, ne hoſtibus ſuis de ſe triumphum & ſpectaculum præberet, ipſe ſibi manus violentas infert, inventus inter cadavera armis ſpoliatur, & capite truncatur, *cap.* 31.

David conſulto Domino, ad accipiendum regnum Iſraelitum, aſcendit in urbem Hebron, ubi rex declaratur à tribu Juda: Reliquæ tribus ſequebantur Isboſethum filium Saulis, paulatim tamen ad Davidem defluebant. Triginta annorum erat David, cùm declararetur rex. 2. *Sam.* 5.

Agis filius Euryſthenis regis Spartanorum, ſuccedit parenti poſt annum 42. regni, regnatque tantum anno uno. *Diod.*

ANNO MUNDI 2891. *ante C. N.* 1057.
C. ☉ 15. ☽ 7.

Isboſeth à ſuis rex electus, & ſucceſſor Saulis, bello invadit Davidem, duce Abnero, qui fugatus cum ſuis à Joabo, duce Davidis fratrem Joabi Asahelem, nimium ſibi fidentem & temerarium, interficit, 2. *Sam.* 3.

Echestratus, parenti Agidi anno primo regni defuncto, ſuccedit, regnatque annos 35. *Diodor.*

ANNO MUNDI 2892. *ante C. N.* 1056.
B. ☉ 16. ☽ 8.

Abner dux militiæ Isboſethi, malam ab ipſo reportat gratiam: quapropter ab ipſo ad Davidem deficit ubi tamen fraude Joabi interficitur. Isboſeth etiam ab Abnero deſertus & contemtus, à ſuis in cubiculo trucidatur, cùm biennium regnaſſet, 2. *Sam.* 3.

ANNO MUNDI 2893. *ante C. N.* 1055.
AG. ☉ 17. ☽ 9.

David ab univerſo populo Iſraelitico recipitur & inungitur rex, dum adhuc Hebrone aulæ ſedem haberet: ubi videtur aliquot victorias de hoſtibus Philiſtæis & aliis reportaſſe, quæ præpoſtero ordine poſt recitantur, priusquam Hieroſolymam expugnaret, 2. *Sam.* 5.

Psusennes, Tanitarum in Ægypto rex II. ſuccedit Smerdi, qui annis 26. præfuerat, regnatque annis 42. *Manetho.*

ANNO MUNDI 2894. *ante C. N.* 1054.
F. ☉ 18. ☽ 10.
Annus Davidis regis quartus.

ANNO MUNDI 2897. *ante C. N.* 1051.
CB. ☉ 21. ☽ 13.

David circa Septembrem, cum annis ſeptem & menſibus ſex Hebrone aulæ ſedem habuiſſet, Hieroſolymam expugnat, eoque ſedem regni transfert: In expugnatione ejus Joab coronam muralem meretur, 2. *Sam.* 2.

Agastus, Archon perpetuus ſecundus ſucceſſit Medonti, qui id munus annis 20. adminiſtrat, regitque rempubl. Athenienſium annis 36. *Vellej. Pauſ.*

ANNO MUNDI 2898. *ante C. N.* 1050.
A. ☉ 22. ☽ 14.

David, memor amicitiæ cum Jonatha initæ, de ejus poſteris inquirit, & repertum *Mephiboſethum* in aulam recipit, ſervoque ipſius Zibæ mandat, ut ipſius agros, & villas curet, & reditus hosce *Mephiboſetho* offerat, 2. *Sam.* 9.

ANNO MUNDI 2899. *ante C. N.* 1049.
G. ☉ 23. ☽ 15.

THINÆUS, Aſſyriorum rex XXXIII. ſuccedit Babio, poſt annum 27. imperii, regnatque annis 24. Afric.

ANNO MUNDI 2901. *ante C. N.* 1047.
ED. ☉ 25. ☽ 17.

Circa hoc tempus arca Domini, quæ fuerat in Kiriathjearim annis circiter quinquaginta, curante Davide transfertur in ædes Obededomi; inde poſt tres menſes, in arcem Sionis. Tabernaculum autem translatum eſt in Gibeon, vel hoc tempore, vel cum Saul Sacerdotes Domini in Nobæ, ubi tum erat, occidiſſet, 2. *Sam.* 6. & 2. *Chron.* 1.

ANNO MUNDI 2902. *ante C. N.* 1046.
C. ☉ 26. ☽ 18.
Annus regni Davidici duodecimus.

Davidi, cum de ædificando templo conſilia agitaret, promittitur Meſſias, qui ex ſemine Davidis aliquando oriturus eſſet, per Prophetam Nathan, qui poſt annos 28. Salomonem conſecrat in regem, 2. *Sam.* 2.

David tandem excutit jugum Philiſtæorum, eosque ita armis fregit, ut magis de ſedibus ſuis retinendis, quàm de aliis occupandis ſoliciti eſſent, 2. *Sam.* 8.

ANNO MUNDI 2903. *ante C. N.* 1045.
B. ☉ 27. ☽ 19.

Moabitæ adeò armis Davidis contunduntur, ut tertia tantum eorum pars ſupereſſet, quæ facta eſt Davidi tributaria, 2. *Sam.* 8.

Hadadeſer Syrorum rex bellum infert Davidi, tenditq; ad Euphratem, ubi ſtrategemate bellico exercitus ejus ſuperatus & captus eſt: equitum fuêre 1700. peditum viginti millia: paulò poſt auxilia adveniunt Hadadeſero, ex Damaſco, quos David prælio vincit, occiſis viginti duobus millibus, & Damaſcum capit, præſidiisq; firmat, 2. *Sam.* 8.

Abisai dux Davidis interim Edomitarum octodecim millia fundit, & totam

gentem

gentem Davidi facit tributariam. Ex tot & tantis victoriis David immenſam vim argenti, auri & æris collegit, & ad ædificandum & exornandum à filio templum ſepoſuit, 2. *Sam.* 8. 1. *Chron.* 19.

ANNO MUNDI 2904. *ante C. N.* 1044.
A. ☉ 28. ☽ 1.

Nahas, Ammonitarum rex moritur 30. anno, poſtquam à Saule bello victus fuerat. David ad filium ejus Hanon legatos mittit, qui ſiniſtrè verba legatorum interpretatur, eosque ignominiâ, quâ poteſt maxima, afficit, quam ulturus David, bello perſequendos Ammonitas decernit, 2. *Sam.* 10. 1. *Chron.* 20.

Ioab & Abiſai fratres, & militiæ Davidis Duces, contra Ammonitas & contra Syros gemino prælio, uno die pugnant vincuntque.

ANNO MUNDI 2905. *ante C. N.* 1043.
G F. ☉ 1. ☽ 1.

Ammonitæ & Syri ſuperiori anno prælio victi, majore conatu copias colligunt & exercent: quapropter David ipſe ad bellum proficiſcitur, hosteſq; tanta vi vincit, ut quadraginta millia equitum eorum perderet, præter pedites: qua victoria hoſtes domiti pleriq; pacem petunt, præter Ammonitas, 2. *Sam.* 11.

ANNO MUNDI 2906 *ante C. N.* 1042.
E. ☉ 2. ☽ 3.

Annus regni Davidici decimus ſextus.

David ducem militiæ Joabum adverſus Ammonitas mittit ut totam gentem exscinderet, urbesq;, quibus ſe tenerent, expugnaret. David interea adulterium committit, & Uriam adulteræ maritum hoſtibus Ammonitis ad cædem objicit, 2. *Sam.* 12.

ANNO MUNDI 2907. *ante C. N.* 1041.
D. ☉ 3. ☽ 4.

PATRAS Colonia circa hæc tempora ex Achaja ducta, quæ à Patreo Duce nomen accepit. *Euſeb.*

David à Nathane Propheta graviſſimè increpatur, qui & prædicit filiolum Simeam recens natum moriturum: David etiam agnoſcit peccatum, deprecatur culpam, & ſeſe pœnæ divinæ patienter ſubjicit, nec indignatur, quòd filiolus moreretur. Paulò poſt ipſe contra Ammonitas proficiſcitur Rabbam urbem expugnat, & totam gentem ferè excindit, 2. *Sam.* 12.

ANNO MUNDI 2910. *ante C. N.* 1038.
G. ☉ 6. ☽ 7.

Annus regni Davidici viceſimus.

Salomon, quartus filius, & minimus inter eos, quos genuit David, ex Bathſeba naſcitur, de quo Deus ipſe ſpem fecerat Davidi, & nomen filioli expreſſerat, 1. *Chr.* 3. & 23. fratres uterini Salomonis fuerunt præter Simea, qui mortem obierat, Sobab & Nathan. Et Nathan is eſt, qui ponitur ab Evangeliſta in genealogia Chriſti, excluſo Salomone, *Luc.* 3.

ANNO MUNDI 2911. *ante C. N.* 1037.
F. ☉ 7. ☽ 8.

Thamar filia Davidis, ſoror Abſolomi, nata procul dubio, cùm David ſedem aulæ haberet Hebrone, etiam ſi hoc non expreſſè extat in ſacris literis, ab Aminone fratre germano vim patitur, ſtupratur, & cum ſumma ignominia violenter ex domo Ammonis ejicitur: Abſolon frater, cum pater ad hoc facinus conniveret de vindicta conſilia per biennium agitat, 2. *Sam.* 13.

ANNO MUNDI 2912. *ante C. N.* 1036.
E. ☉ 8. ☽ 9.

SESOSTRIS Ægypti rex, comparato ingenti exercitu, totum terrarum orbem peragrat, regnatque annis 32. *Diod.*

ANNO MUNDI 2913. *ante C. N.* 1035.
D. ☉ 9. ☽ 10.

Abſolon poſt biennium à ſtupra ſororæ, omnes fratres & ſorores ad ſolennes epula, cum oves tonderet, invitat & Ammonem fratrem inter vina incautum obtruncat fugitq; ad affinem regem in Geſur, 2. *Sam.* 13.

ANNO MUNDI 2916. *ante C. N.* 1032.
G. ☉ 12. ☽ 13.

Abſolon, cum exulaſſet annos 3. revocatur à patre Davide, conſilio Joabi, ducis militiæ: revocatus tamen Abſolon ſuæ domui vivit, nec in conſpectum patris admittitur, 2. *Sam.* 13.

ANNO MUNDI 2918. *ante C. N.* 1030.
D. ☉ 14. ☽ 15.

Annus regni Davidici viceſimus octavus.

David exoratus à Joabo, Abſolonem ad ſe admittit ei ignoſcit, & in gratiam recipit, 2. *Sam* 14.

Chalcidenses ducibus Hippocle & Megaſthene Cumas in Italia condunt. *Vellej.* Alii ejus conditionem decennio priorem faciunt.

ANNO MUNDI 2919. *ante C. N.* 1029.
C. ☉ 15. ☽ 16

Abſolon, traductis ad ſe non ſolùm vulgi, ſed & multorum Optimatum animis, cœtus factioſos agitat, curruſque & equos, & ſatellites ſibi comparat, & conſilia de regno patri extorquendo agitat, 2. *Samuel.* 14.

ANNO

ANNO MUNDI 2920. *ante C. N.* 1028.
B. ☉ 16. ☽ 17.

Absolon, ſimulato ad patrem alio negotio, Hieroſolyma Hebronem abit; ubi à ſeditioſis receptus, rex proclamatur, & contra patrem exercitum ducit David ab exercitu imparatus, Hieroſolyma fugit. Paulò poſt tamen Abſolonis exercitum per duces ſuos vincit & fugat; Abſolon verò ramis quercûs cæſarie involutus, e quo diffugiente pendens, præter voluntatem parentis à Joabo tribus haſtilibus perfoditur, 2. *Sam.* 15.

David receptus in regnum, Sebam hominem temerarium & ſeditioſum, novasq; turbas cientem, per præfectos in urbe Abela obſidet, & per cives occidit, 2. *Sam.* 15.

ANNO MUNDI 2921. *ante C. N.* 1027.
A. ☉ 17. ☽ 18.

Fames toto triennio Iſraelitas affligit, propter tyrannidem Saulis, quam ante annos 36. exercuerat in Sacerdotes Nobe, & in cives ejusdem oppidi, quos innocentiſſimos ſimul cum ſacerdotibus trucidarat. Unde colligitur, Nobe fuiſſe valde vicinam Gibeonitis, & Gibeonitas id oppidulum inhabitaſſe, ubi tum temporis fuit tabernaculum Domini. 2. *Sam.* 21.

Agelaus, Corinthiorum rex tertius, regnat annos 37. poſt Ixionem, qui ſimiliter annos 37. regnaverat. *Diod.*

Hiram Abibali filius, *ut Joſephus habet*, cujus mentio fit in ædificatione templi, Rex Tyri, parenti in regno ſuccedit, regnatque annis 35. contra Appionem.

ANNO MUNDI 2923. *ante C. N.* 1025.
D. ☉ 19. ☽ 1.

DERCYLUS, rex Aſſyriorum XXXIV. ſuccedit Thinaoreo, qui annis præfuerat 24. regnatque annis 22. Afric.

Alba Latinorum rex V. Albæ ſuccedit patri Latino, qui annis 51. regnarat, & regnum adminiſtrat annis 39.

ANNO MUNDI 2924. *ante C. N.* 1024.
D. ☉ 20. ☽ 2.

Gibeonitæ ſuſpendunt duos filios Saulis, & quinq; eos nepotes, in vindictam cædis injuſtæ à Saul illatæ, pepercit autem tum David Mephiboſetho, memor amicitiæ cum Jonatha olim initæ, 2. *Sam.* 22.

ANNO MUNDI 2926. *ante C. N.* 1022.
A. ☉ 22 ☽ 4.

Annus regni Davidici tricesimus ſextus.

David tot victoriis partis, animo elatus, populum Iſraeliticum per Tribus, ut ſibi de ſumma copiarum ſuarum, & apparatu bellico certiùs conſtaret, numerare jubet: qua re Deus offenſus, tantam populo immittit peſtem, ut trium dierum ſpatio ſeptuaginta millia hominum morerentur, 2. *Sam.* 24.

ANNO MUNDI 2929. *ante C. N.* 1019.
ED. ☉ 25. ☽ 7.

Adonias, ingenio pravo & turbulento, contra patrem ſenem tumultuantur, & regnum arripit. David contra coronari jubet Salomonem regem, & Adonias in gratiam recipitur: poſt obitum tamen Davidis, cùm iterum clandeſtina conſilia de regno Salomoni extorquendo agitaret, juſſu Salomonis trucidatur, 1. *Reg.* 2.

ANNO MUNDI 2930. *ante C. N.* 1018.
G. ☉ 16. ☽ 8.

Annus regni Davidici quadrageſimus & ultimus. idem eſt primus Salomonis.

David anno ætatis ſeptuageſimo, regni quadrageſimo, cum curam regni Salomoni mandaſſet, de ædificando templo mandata dediſſet, & officia cultus divini diſtribuiſſet, placidè moritur, 1. *Paral.* 24.

Joab in ipſo ſacrario, ad quod confugerat, trucidatur.

Abiathar ſacerdotio removetur, atq; ita honor ſacerdotii à poſteritate Ithamaris, in qua ab Heli, uſq; ad hunc nepotem, annos circiter octoginta manſerat, rurſus in familiam Eleaſaris transfertur, ſuccedit que Zadok, 1. *Reg.* 2.

Simei, qui Davidi in exilio ſuperbiſſimè inſultaverat, veniam conſequitur, ſi Hieroſolymis non exeat, 1. *Reg.* 2.

ANNO MUNDI 2931. *ante C. N.* 1017.
B. ☉ 27. ☽ 9.

Reſon duxerat exercitum Syriacum regis Hadadeſer, anno 2903. quando David Damaſcum cepit: ſed poſtea conſpiravit cum nonnullis contra Hadadeſer regem ſuum, & occupavit Damaſcum, ibique adverſabatur Salomoni, omnibus diebus ejus, 1. *Reg.* 11.

Hadad, ex regis Idumæi familia natus, qui ante annos 28. fugerat ad Pharaonem Ægypti regem, revertitur in ſuam patriam, auditâ morte Davidis, & infenſus Iſraelitis toti dominatur Syriæ, 1. *Reg.* 11.

ANNO MUNDI 2932. *ante C. N.* 1016.
A. ☉ 28. ☽ 10.

Salomon contrahit matrimonium cum filia regis Ægypti, factum primo vel ſecundo anno, poſt obitum patris, 1. *Reg.* 3.

ANNO MUNDI 2933. *ante C. N.* 1015.
CF. ☉ 1. ☽ 11.

Archippus Archon Athenienſium perpetuus, & ordine tertius, ſuccedit Acaſto parenti, qui reipublicæ præfuerat annis 36. regnatq; annis 19. *Velleius.*

Templi Hieroſolymitani fundamenta jacta ſunt anno ſabbathico, die 6. Maji, fer. ſecunda, in monte Moria, quem emerat David

David ab Areuno Jebuſæo. Operarii ita diſtributi fuerunt, ut octoginta millia opus facerent: ſeptuaginta autem millia hominum lapides, ligna & alia, quæ requirebantur onera, idoneis locis afferrent, quibus præerant directores operum ter mille treceenti. Sepoſuerat autem David in ſtructuram templi, 1. *Par.* 30. præter gemmas, marmor, ligna, æs, ferrum, & alia; auri puri ex Ophir allati tria millia talentorum, argenti ſeptem millia. Addiderunt his donum votivum Principes populi Iſraelitici, quinq; millia talentorum auri & decem millia aureorum, item decem millia talentorum argenti. Computemus hanc ſummam ad noſtram monetam, ſed ad talentum Congregationis, non ad talentum Sanctuarii, quod duplum eſt ad illud, ne ſumma pecuniæ incredibilis videatur. Talentum igitur congregationis habuit ter mille ſiclos, id quod expreſſe colligitur *ex cap.* 38. *Exod. v.* 25. Et ſiclus pondere fuit quatuor drachmarum. Ergò talentum congregationis fuit ferè dimidii ponderis centenarii noſtri. Siclus igitur auri puri valet paulò plus, quam quatuor Ungarici noſtri, & talentum erit 12000. aureorum Ungaricorum, & quidem paulò plus. Nam aurum Ungaricum neq; eſt ſatis purum, neque exactè aureus hujusmodi pendet drachmam: octo millia igitur talentorum auri puri faciunt Ungaricos 96000000. h. e. 219400000. fl. circiter præter decem millia aureorum. In argento ſiclum æſtimemus tantum dimidio floreno: majori enim pretio aliàs quatuor drachmæ argenti æſtimantur, & talentum erit 500. florenorum ſeptendecim igitur millia talentorum argenti, efficiunt 2550000. fl. & tota ſumma florenorum erit 244900000. & quidem aliquanto plus. Sed reſtat adhuc alia multò major pecuniæ ſumma, 1. *Par.* 23. ubi dicit David ad Salomonem filium, ſe ſepoſuiſſe in ſtructuram templi centena millia talentorum auri, & millena millia talentorum argenti, quæ ſumma efficeret, milliones 2700. hoc eſt, 2700000000. fl.

Deinde Scriptura affirmat, Salomonem in cibum ſingulis diebus triginta coros tritici, & ſexaginta coros ſiliginis inſumſiſſe. Pondus autem cori unius fuit ferè ſexcentarum librarum, quantum videlicet duo aſini ferre poſſunt, ut Rabini habent, & collatio menſurarum oſtendit. Si igitur ſingulis hominibus quotidie ſingulæ libræ deputentur, aluit Salomon in ſua aula ad quinquaginta quatuor millia hominum.

Simei, quòd Hieroſolyma exiiſſet contra mandatum *Salomonis*, ad recipiendos fugitivos ſervos, dat pœnas ſuæ procacitatis in Davidem, & trucidatur, 1. *Reg.* 2.

ANNO MUNDI 2934. *ante C. N.* 1014.
E. ☉ 2. ☽ 12.

Annus Salomonis regis quintus.

ANNO MUNDI 2935. *ante C. N.* 1013.
D. ☉ 3. ☽ 13.

Nephel Cherres, Ægyptiorum apud Tanitas rex III. ſuccedit Pſuſenni, qui annis 42. præfuerat, regnatq; annos 4. *Maneth.*

ANNO MUNDI 2936. *ante C. N.* 1012.
C. ☉ 4. ☽ 14.

Labota rege & duce, Spartani primum bellum cum Argivis gerunt. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 2939. *ante C. N.* 1009.
F. ☉ 7. ☽ 17.

Amenophis rex IV. apud Tanitas in Ægypto, ſuccedit Nephel Cherri, qui annis 4. præfuerat, regnatq; annos 9. *Maneth.*

ANNO MUNDI 2940. *ante C. N.* 1008.
E. ☉ 8. ☽ 18.

Hiram rex Tyri, templum Jovis Olympii, quod in Inſula erat, cum urbe Tyro aggere conjungit, aureamque columnam in templo repoſuit. *Joſeph.*

Arca Domini in arce Sionis, ubi quadraginta annos fuerat, die 10. menſis Æthanim ſive ſeptimi, deducitur in templum, quod à jactis fundamentis per annos ſeptem & ſex menſes ferè perfectum erat; & templum ſimul dedicatur à Salomone, oblatis ad ſacrificia viginti duobus millibus boum, & centenis ac viginti millibus ovium, 2. *Chron.* 7. Acta hæc feſtivitas, ſi ad Calendarium Julianum referatur, die 21. Septembr. & populus dimiſſus die 23. ſeptimi menſis, ſive die 5. Octobr. feria prima.

ANNO MUNDI 2945. *ante C. N.* 1003.
FE. ☉ 13. ☽ 4.

Eupacmes, *Aſſyriorum rex XXXV. ſuccedit Dercylo, qui annis 22. præfuerat, regnatque annis* 30. Afric.

ANNO MUNDI 2948. *ante C. N.* 1000.
B. ☉ 16. ☽ 7.

Opſocon Ægyptiorum Tanitarum rex V. Amenophi ſuccedit, qui annis 9. præfuerat, regnatque annos 6. *Maneth.*

ANNO MUNDI 2952. *ante C. N.* 996.
D. ☉ 20. ☽ 11.

Terſippus Archon per vitam IV. præficitur reipublicæ per annos 41. poſt parentem Archippum, qui annis 19. præfuerat. *Scalig.*

ANNO MUNDI 2953. *ante C. N.* 995.
CB. ☉ 21. ☽ 12.

Regia Salomonis tredecim annorum ſpa-

tio ædificata perficitur; & Dominus iterum Salomoni, cum annos viginti in ædificando templo & ſuis ædibus conſumſiſſet, apparet. Pharaonis etiam filia, uxor Salomonis, deducitur ex arce Sionis in regiam nuper ædificatam, 1. *Reg*. 8.

Hiram rex Tyri, urbes Galilææ, ſive terram *Cabul* repudiat, 1. *Reg*. 9.

ANNO MUNDI 2954. *ante C. N.* 994. A. ☉ 22. ☽ 13.

Annus Salomonis regis viceſimus quintus.

Pſinachos Ægyptiorum Tanitarum rex VI. incipit, regnatque annos 9. poſt Opſochon, qui annos 6. regnarat. *Maneth.*

ANNO MUNDI 2955. *ante C. N.* 993. ED. ☉ 25. ☽ 14.

Naves Salomonis cum Nautis Hirami mittuntur in Ophir, inſulam auri fertiliſſimam, redeunt poſt tres annos, 1. *Reg*. 9. & 2. *Chron*. 10.

ANNO MUNDI 2956. *ante C. N.* 992. C. ☉ 26. ☽ 15.

Regina Arabiæ Hieroſolymam venit, & eam ſapientiam in Salomone invenit, ut nihil tàm inſolitum eſſet, cujus cauſam ignoraret; nihil tam abſconditum, quod non intelligeret; nihil tam abſtruſum, quod non explicaret, 1. *Reg*. 10. 2. *Chron*. 9.

Beleaſtartus, filius Hirami regis Tyri, qui annos 35. regnarat, ſuccedit in regno per annos 7. *Joſeph.*

ANNO MUNDI 2958. *ante C. N.* 990. A. ☉ 28. ☽ 17.

Annus Salomonis regis viceſimus nonus.

Prymnis, Corinthiorum rex III. regnat annos 35. cum ſucceſſiſſet Agelao, qui annis 37. præfuerat. *Diodor.*

ANNO MUNDI 2960. *ante C. N.* 988. E. ☉ 2. ☽ 19.

Tyrii, qui plurimum poterant mari, in ultimo Hiſpaniæ tractu, Inſulam circumfuſam oceano *Gades* colere incipiunt, & paulò poſt *Uticam* in Africa condunt. *Velles.*

ANNO MUNDI 2962. *ante C. N.* 986. C. ☉ 4. ☽ 2.

Annus Salomonis regis triceſimus tertius.

Salomon amoribus externarum mulierum occœcatus, deos gentiles adorat, iisq; fana Hieroſolymis extruxit, 1. *Reg*. 11.

Capetus, Rex Latinorum VI. ſuccedit parenti *Albæ*, qui annos 39. regnarat, & præeſt annis 26. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 2963. *ante C. N.* 985. BA. ☉ 5. ☽ 3.

Suſennes, Ægyptiorum Tanitarum rex VII. ſuccedit Pſinacho, qui annis 9. præfuerat, regnatque annis 14. *Maneth.*

Doriſſus, ex familiæ Agidarum V. regnat Spartæ annis 29. Pater Labotas præfuerat 37. *Diodor.*

Abdaſtartus Rex Tyri, ſuccedit fratri Beleaſtarto, qui annis ſeptem regnarat & præeſt annis 9. *Joſeph.*

Smyrna olim condita à Tantalo, & Naulochon appellata fuit, mox amplificata ab Amazone Smyrna, à qua appellata, iterum hoc anno abſonibus amplificatur. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2967. *ante C. N.* 981. DC. ☉ 9. ☽ 7.

Abias Propheta prædicit *Ieroboamo* regnum: qua fama pervulgata, cùm Jeroboam in vitæ periculo verſaretur, fugit ad Seſacum, vel Suſennem regem Ægypti, à quo adjutus poſt mortem Salomonis, regni potiſſimam partem invadit, 1. *Reg*. 11. 2. *Chron*. 10.

ANNO MUNDI 2969. *ante C. N.* 979. D. ☉ 11. ☽ 9.

Salomon regni anno quadrageſimo moritur. *Rehabeamus* filius populum levitate & ſuperbia offendit; & cum ipſius Quæſtor lapidibus à populo proſterneretur, ipſe populi irati furorem vix evadit, amiſſa potiſſima regni parte, 1. *Reg*. 12. Regnat annos 17.

Ierobeam ex Æpypto reverſus, publicis comitiis ad regni gubernationem admovetur, quam ut ſibi & ſuis perpetuam faceret, religionem mutat, vitulos aureos populo adorandos proponit, dies feſtos Sacerdotesque ſuo arbitrio inſtituit, & feſtum tabernaculorum in ſequentem menſem, in octavum ſcilicet, rejicit, idque celebravit hoc anno die 6. Novemb. feria ſeptima, 1. *Reg*. 13.

Propheta etiam quidam hoc eodem feſto mittitur ad Jeroboamum, qui vaticinatur de everſione altaris Bethelenſis, & nomen everſoris nominat *Ioſiam*, id quod factum eſt poſt annos 356.

ANNO MUNDI 2972. *ante C. N.* 976. B. ☉ 14. ☽ 12.

Annus Rehabeami & Jerobeami quartus.

Rehabeam, intra triennium totus mutatus, & à Deo averſus, ſincerum Dei cultum non curat, & cum ſubditis legem Dei deſerit.

In regno Tyrio, Abdaſtarto defuncto, poſt regni annum nonum, ſuccedit filius nutricis, annis 12. *Joſeph.*

ANNO MUNDI 2974. *ante C. N.* 974. B. ☉ 16. ☽ 14.

Annus Rehabeami & Jerobeami ſextus.

Seſac ſive Suſennes, rex Ægypti Judæos deſertores legis divinæ, bello adoritur, aufert theſauros regis & templi: Item ſcuta aurea Salomonis. *Semeias* Propheta conſolatur populum & regem, juberq; ut hanc calamitatem patienter ferant, 1. *Reg*. 12.

ANNO

ANNO MUNDI 2975. *ante C. N.* 973.
BA. ☉ 17. ☽ 15.

Jojada, Sacerdos, qui vixit annos 130. naſcitur.

Laoſthenes, *Aſſyriorum rex XXXVI. ſuccedit Eupacmi, qui annos 30. regnarat, regnatq́ annos 18.*

ANNO MUNDI 2978. *ante C. N.* 970.
AG. ☉ 20. ☽ 18.

Thraces, Myſi, Getæ Bebryces, colonias & traduces ſui generis in Aſiam traducunt, & Bithyniam ferè occupant, *Euſeb.*

ANNO MUNDI 2984. *ante C. N.* 964.
B. ☉ 26. ☽ 5.

Rehabeami & Jeroboami decimus ſextus.

Aſtartus filius Beleaſtarti, rex Tyri, ſuccedit filio nutricis, qui 12. annos regnarat, & præeſt annis 12. *Joſeph.*

ANNO MUNDI 2985. *ante C. N.* 963.
C. ☉ 27. ☽ 6.

Rehabeam rex Judæ moritur, cum annos ferè ſeptendecim regnaſſet: ſuccedit filius Abia. Patre quidem ſapientior & fortior, ut qui Jeroboamum ingenti prælio vicit; impius tamen & temerarius, 1. *Reg* 15. regnatque annis tribus.

ANNO MUNDI 2988. *ante C. N.* 960.
A. ☉ 28. ☽ 9.

Capis, Latinorum rex VII. ſuccedit Capeto, qui regnarat annos 26. & præeſt annis 28. *Dionyſ.*

Abia, rex Judæ, moritur anno regni tertio, ſuccedit Aſſa, rex Judæ tertius, anno 20. Jeroboami, regis Iſrael: Eſt autem Aſſa Abiæ filius, pietate & juſtitia celebris, qui ſtatim idola confringit, lucos incendit, diſciplinam militarem inſtaurat, & religionis veritatem revocat, 1. *Reg.* 15.

ANNO MUNDI 2990. *ante C. N.* 958.
E. ☉ 2. ☽ 11.

Annus Aſſa regis Juda 3. Jeroboami regis Iſrael 22.

Nadab, Jeroboami Iſraelitici regis filius, & impietatis paternæ æmulus, parenti, qui 22. anno regni obierat, ſuccedit plena poteſtate, paucis tantùm menſibus, cum antea anno Aſſæ regis ſecundo, fuiſſet rex à parente conſtitutus: trucidatur autem *Baeſa* ex tribu Iſaſchar oriundo, qui regnum Iſraeliticum invadit anno hoc, qui eſt tertius regis Judæ Aſſæ. Fuit autem homo impius, & minarum divinarum ſecurus, regnatque annos 24. 1. *Reg.* 15.

ANNO MUNDI 2993. *ante C. N.* 955.
BA. ☉ 5. ☽ 14.

Ioſaphat rex Judæ naſcitur, anno triceſimo quinto, antequam regnaret, 1. *Regum* 22.

Puritiades, *Aſſyriorum rex XXXVII. ſuccedit* Laoſtheni, *qui annis* 18. *præfuerat, imperatq́ annis* 14. Afric.

ANNO MUNDI 2994. *ante C. N.* 954.
G. ☉ 6. ☽ 15.

Annus Aſſa regis Juda 7. Baeſa regis Iſraelitici 5.

Ageſilaus apud Spartanos ex familia Agidarum rex ſextus, regnat annos 44. cum ſucceſſiſſet patri Doriſſo, qui annis 29. præfuerat. *Pauſ.*

Bacchis Corinthiorum rex quintus poſt Prymnim, qui annis 35. præfuerat, regnat annis 35. *Diod. Sic.*

ANNO MUNDI 2996. *ante C. N.* 952.
E. ☉ 8. ☽ 17.

Aſtarinus vel Aſerinus, fratri Aſtarto, regi Tyrio poſt annum 11. regni ſuccedit, regnatque annis novem. *Joſeph.*

ANNO MUNDI 3003. *ante C. N.* 945.
C. ☉ 15. ☽ 5.

Aſſa rex Judæ, cum rege Æthiopum *Zara* prælio congreditur, exiguis inſtructus copiis, & vincit, deciesque centena millia militum, & currus trecentos internecione delet, & menſe tertio in feſto Pentecoſtes victor ἐυχαριστήρια, Deo offert, 2. *Chron.* 14.

Aſarias Propheta, *Aſſa* à bello Æthiopico redeunti gratulatur, & ut religionem tueatur, & ad eam, ex tribu Ephraim, Manaſſis & Simeonis, qui vellent, admittat, hortatur; Hinc bellum ortum inter *Aſſam & Baeſam*, 2. *Chron.* 15.

ANNO MUNDI 3004. *ante C. N.* 944.
B. ☉ 16. ☽ 6.

Baeſa rex Iſaraelis, anno 6. poſt diſtractum à morte Salomonis regnum, ſive anno 17. Aſſæ, *Ramam* urbem munit, ut itum & reditum ſubditis Aſſæ & aliis, qui Hieroſolymam tenderent, intercludat. Aſſa auxiliis *Benhadad* regis Syriæ Baeſam ad ſua defendenda diſcedere cogit, Ramam deſtruit, & ſua oppida iisdem lignis & lapidibus munit, 2. *Chron.* 16.

Hanani Propheta Aſſam, quòd cum Syro Benhadad amicitiam junxiſſet, & auxilium hominis auxilio divino antepoſuiſſet, juſto zelo reprehendit, ſed rex excandeſcens eum in carcerem conjicit, 2. *Chronic.* 16.

Phelles rex Tyriorum, regnat menſibus octo poſt Aſerinum, qui annis novem præfuerat. *Joſeph.*

ANNO MUNDI 3005. *ante C. N.* 943.
AG. ☉ 17. ☽ 7.

Ithobaal, Sacerdos in regno Tyriorum, ſuccedit Phelli, qui tantum octo menſibus præfuerat, regnatque annis 32. *Joſeph.*

ANNO MUNDI 3007. *ante C. N.* 941.
E. ☉ 19. ☽ 9.

Ophratæus, *Aſſyriorum rex XXXVIII. regnat annis* 21. *poſt Pyritiadem, qui annis* 14. *præfuerat.* Afr.

ANNO MUNDI 3013. *ante C. N.* 935.
ED. ☉ 25. ☽ 15.

Baeſa, rex Iſraelis, moritur anno 26. Aſſæ regis Judæ, ſuccedit Ella homo fatuus, temulentus & impius, qui cum volutaretur in deliciis, & vino indulgeret, poſt paucos menſes à Simri magiſtrato equitum occiditur, 1. *Reg.* 16.

ANNO MUNDI 3014. *ante C. N.* 934.
C. ☉ 26. ☽ 16.
Annus Aſſa regis Juda 27.
Amri regis Iſraelitici primus.

Simri cum regem Ellam occidiſſet, diadema ſibi ſumit, ſed exercitus, qui Gebethonem Philiſtinorum obſidebat, ducem militiæ *Amri* regem eligit, Parricidam Simrin obſidet, qui metu ſupplicii ſeipſum cum ſuis cremat, die 7. occupatæ Tyrannidis. Facta hæc anno 27. regis Aſſæ, 1. *Reg.* 16.

ANNO MUNDI 3016. *ante C. N.* 932.
A. ☉ 28. ☽ 81.

Calpetus apud Albanos Latinorum rex octavus ſuccedit Capii, qui annos 28. regnaverat, & præeſt annis 13. *Dionyſ.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei undecimi, poſt Exod. incipit die 14. *Sept. fer.* 5. *anno Judaico* 2828.

ANNO MUNDI 3018. *ante C. N.* 930.
E. ☉ 2. ☽ 1.
Annus Aſſa regis Iuda 31.
Amri regis Iſraelitici 5.

Cum hactenus in regno Iſraelitico diſſenſio de obtinendo regno, inter Amri & Thibni per quinquennium ferè fuiſſet: Tandem Amri, pulſo adverſario, regnum totum occupat, anno Aſſæ regis tricesimo primo, 1. *Reg.* 16.

ANNO MUNDI 3019. *ante C. N.* 929.
D. ☉ 3. ☽ 2.

Amri, rex Iſraelis, emit montem in tribu Ephraim à *Semero*, talentis argenti duobus, ibique condit urbem *Samariam*, & eò transfert aulæ ſedem, ob loci opportunitatem, 1. *Reg.* 16.

ANNO MUNDI 3023. *ante C. N.* 925.
F. ☉ 7. ☽ 6.

Annus ſabbathicus quintus Jobelei undecimi, incipit die 26. *Sept. fer.* 5. *anno Jud.* 2831.

ANNO MUNDI 3024. *ante C. N.* 924.
E. ☉ 8. ☽ 7.

Megacles Archon apud Athenienſes ſextus, cedit Phorbanti patri, qui annis 31. Rempublicam rexerat, & præeſt annis 30. *Scalig.*

Lycurgus fert Spartanis leges, annis centum & quinquaginta ante primam Olympiadem, *Clementi Alexand.* regnante adhuc Ageſilao, ex Agidarum familia. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3025. *ante C. N.* 923.
DC. ☉ 9. ☽ 8.

Amri rex Iſraelis moritur anno duodecimo regni: ſuccedit anno 38. Aſſæ regis Judæ ejus filius *Achab*, impiorum peſſimus, indulgens uxori Jezabeli, filiæ Ithobali Tyriorum regis, fœminæ gentili & maleficæ, & politicæ gubernationi ſe ingerenti, 1. *Reg.* 16. Regnatq; annis 22.

ANNO MUNDI 3026. *ante C. N.* 922.
B. ☉ 10. ☽ 9.
Annus Aſſa regis Juda 39.
Achabi regis Iſraelitici ſecundus.

Hierecho urbs Judæ, à Joſua ante annos 533. deſtructa, reædificatur ab Hiel, cujus primogenitus filius ſubita morte interit, cum fundamenta jaceret; Minimus verò natu filius moritur, cum jam tota urbs ſtaret, 1. *Reg.* 16. ut Joſua prædixerat.

Aſſa rex Judæ, pedibus laborare incipit anno 39. regni; quo morbo conflictatur in tertium uſque annum, in quo curando pluris facit medicorum artem, quàm auxilium divinum, 2. *Chron.* 16.

ANNO MUNDI 3028. *ante C. N.* 920.
G. ☉ 12. ☽ 11.

Ephacheres, *Aſſyriorum rex tricesimus nonus, regnat annis* 22. *poſt Ophrataum, qui annis* 21. *præfuerat.* Afr.

Agelas Corinthiorum rex ſextus, ſuccedit *Bacchidi*, qui annis 35. regnarat, regnatque annos 30. *Pauſ.*

Aſſa rex Judæ, anno regni quadragesimo primo tandem moritur, & in rogo crematur, 2. *Chron.* 16. Succedit filius *Ioſaphat*, quartus poſt diſtractionem regni in Judæa rex, anno quarto regis Iſraelis Achab. Fuit rex pius & optimus, niſi quòd affinitatem & ſocietatem cum impiis init, regnatque annos 25. 1. *Reg.* 22.

ANNO MUNDI 3029. *ante C. N.* 919.
FE. ☉ 13. ☽ 12.

Tiberinus rex Latinorum, apud Albanos nonus, ſuccedit Calpeto, qui annis 13. præfuerat, regnatq; annos 8. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 3030. *ante C. N.* 918.
D. ☉ 14. ☽ 13.

Annus Joſaphati regis Juda 3. *Achabi regis Iſraelitici* 6.

Ioſaphat rex Judæ miſit per oppida ſua Prophetas & Levitas, qui populum de religione pura docerent, 2. *Chron.* 17.

Annus ſabbathicus 6. *Jobelei Judaici undecimi, incipit die* 8. *Sept. fer.* 3. *anno Jud.* 2842.

ANNO MUNDI 3073. *ante C. N.* 911.
CB. ☉ 21. ☽ 1.

Tyberinus, cum prælium cum Latinis rebellibus

bus ad Albulam fluvium committeret, fertur equo præceps in eundem, & ſuffocatur anno regni octavo exacto, effecitque ut Albula ſequentibus temporibus *Tyberis* appellaretur. Succedit *Agrippa* filius, regnatq; annôs 41. *Dionyſ.*

Badezorus, Tyriorum rex, ſuccedit parenti Ithobaali, qui annis 32. pręfuerat, regnatq; añis 6. *Joſeph.*

Annus ſabbathicus ſeptimus, ſive Jobelei 11. Judaicus, incipit die 20. Sept. fer. 3. anno Jud. 2849.

ANNO MUNDI 3038. *ante C. N.* 910.
A. ☉ 22. ☽ 2.

Annus Joſaphati regis Juda 2. Achàbi regis Iſraelitici 14.

Homerum ante Romam conditam floruiſſe annis 160. extat apud Gellium ex ſententia *Caſſi* & *Cornelii* & *Apollodori*. Herodotus etiam ferè ad hoc tempus collimat. Dicit enim, cum priorem ſe fuiſſe annis 422. atq; ita deſignaret annum 3048. Ariſtoteles contra *in tertio de re Poetica*, & Ariſtarchus habent Homerum natum in Ionica migratione, anno 2879. qui hoc modo antiquior eſſet annis 160. *Philochorus apud Diogi Laert. ſcribit* Homerum floruiſſe annis 180. poſt Trojam captam. Eſſet annus Mundi 2947. diſtaretque ab hoc anno, annis 90. Vellejus vult, Homerum ante annos nongentos & quinquaginta floruiſſe, & ante mille annos natum. Loquitur autem de conſulatu Vinitio anno 3971. Natus igitur eſſet circa annum 2971. floruiſſet circa annum 3021. Atque ita inter autores non exactè conſtat de ætate Homeri. Si conjecturæ locus eſt, videtur Homerus vel hoc vel ſequenti ſeculo, paulò ante primam Olympiadem floruiſſe. Nam Troica tempora, ut vetuſtiſſimam rem narrat, & ejus temporibus hominem unum tantum onus ſuſtuliſſe dicit, quantum duodecim homines ſui ſeculi non ferrent. Scripſit igitur Homerus, cum hiſtoria Trojana ferè in fabulam abiiſſet, quod tum temporis, cum homines vitam ultra ſeculum producerent, antequam terna ſecula abiiſſent, vix fieri potuit.

Elias Propheta, anno decimo quarto Achabi regis, cœlum ſuis precibus claudit annis tribus, & ſex menſibus. Ipſe interim paſcitur à corvis, panes & carnes afferentibus, deinde à vidua Sareptana, 1. *Reg.* 17.

ANNO MUNDI 3041. *ante C. N.* 907.
ED. ☉ 25. ☽ 5.

Elias ad Iſraelitas redit, & poſt concilium Garmelitanum, ſacerdotes Baalis octingentos & quinquaginta interfici jubet, & pluvis à Deo impetrat. Jeſabel contra inſidias ſtruit Eliæ: quapropter fugit, & ab angelo cibo atque potu refectus, abit ad montem Horeb: inde juſſu divino ad Iſraelitas redit, & *Eliſam* agricolam ad munus propheticum evocat, cui præfuit ab hoc tempore ad annos ſexaginta duos, 1. *Reg.* 19.

ANNO MUNDI 3042. *ante C. N.* 906.
C. ☉ 26. ☽ 6.

Annus Joſaphati regis Juda 5. Annus Achabi regis Iſraelitici 18.

Benhadad Syriæ rex ingentibus copiis Samariam obſidet, auxilia ipſi adducentibus regibus triginta duobus: ſed ſuarum virium ſuperbus, dum poculis indulget, malè rem gerit, caſtris exuitur, & turpiter in fugam conjicitur, 1. *Reg.* 20.

ANNO MUNDI 3043. *ante C. N.* 905.
B. ☉ 27. ☽ 7.

Anno poſt ſuperiorem obſidionem exacto redeunt Syri: ſed ingenti prælio funduntur, cadunt in pugna centena ferè millia hominum, & ruina urbis Aphek pereunt viginti ſeptem millia: Ipſe rex Syriæ *Benhadad* capitur, ſed ab Achabo imprudenter dimittitur, 1. Reg. 20.

Naboth criminis læſæ majeſtatis falſò accuſatur, & teſtibus conductis convictus damnatur, & ſaxis obruitur, ob denegatam regi vineam. Rex eam ob cauſam redargutus ab ELIA, pænitentiam agit, qua Deus commotus, pœnam Achabo prænunciatam differt, atque ita unctio Haſaelis, regis Syriæ, & Jehu regis Iſrael differtur, & ab Eliſa tandem perficitur.

Matgenus, Tyriorum rex, ſuccedit parenti *Badezoro*, qui ſex annis præfuerat, regnatq; annis 9. *Joſeph.*

ANNO MUNDI 3044. *ante C. N.* 904.
. ☉ 28. ☽ 8.

Ahaſia, rex Iſraelis octavus, filius Achabi deſignatur à patre vivente, Oraculo Eliæ Prophetæ perturbato, rex; anno Joſaphati decimo ſeptimo, 2. *Reg.* 1. cum quo Joſaphat ſocietatem init de claſſ in Ophir inſtituenda, quæ tamen tempeſtate corrumpitur. 2. *Chron.* 20.

Joram, rex Judæ quintus, filius Joſaphati, cum parens bellum contra Syros appararet, ut Achabo auxilia adduceret, deſignatur rex, 2. *Reg.* 1.

Annus ſabbathicus primus Jobelei duodecimi, incipit die 4. Sept fer. 2. anno Judaico 2856.

ANNO MUNDI 3045. *ante C. N.* 903.
FG. ☉ 2. ☽ 9.

Joſaphat Achabum ſequitur in bellũ contra Syros, ubi Achab lethaliter vulneratus occumbit; Joſaphat verò evadit, 2. *Chr.* 18.

Ahaſia rex Iſrael graviſſimo lapſu afflictus conſultat Beelzebub idolum. Elias Propheta legatos hosce ad regem redire jubet, & moriendum regi prædicit. Rex Eliam capi, & per tribunum adduci mandat: ſed tribunum cum militibus, miſſum fulgor de cælo comburit, id quod & alteri accidit, 2. *Reg* 1.

Joram, filius *Ahaſia*, rex Iſraelis IX. ſuccedit parenti, qui antea aſſumptus fuerat in regnum ab avo Achabo año ſecundo regis Judæ Jorami, 2. *Reg.* 1. Is jam plenariè anno decimo octavo Joſaphati ſuccedit, regnatque años 12. & ſtatim bellum apparat contra Moabitas, qui clade Achabi in Ramoth audita, ab Iſraelitis defecerant, 2. *Reg.* 3.

Elias Propheta adhuc anno Sabbathico ut & Henoch, turbine rapitur, & in cœlum evolat quadrigis igneis, 2.*Reg*.2. Docuit ferè annis 20. Eum verò hoc anno in cælum aſſumptum, docet hæc demonſtratio. Eliſæus poſt raptum Eliam ſæpiùs diverſatur apud Sunamiten, cui poſt annuum ſpatium impetrat à Domino filiolum: is trimulus circiter in meſſe moritur, 2.*Reg*. 4. & reſuſcitatur. Eidem Sunamiti ſuadet Eliſæus, ut propter ingruentem famem ad Philſtæos, ſeptem annis diſcedat, quæ revertitur, elapſis ſeptem annis, ad Joramum regem Iſrael, antequam Haſael fieret rex Syriæ, h.e. anno undecimo Jorami, vel ineunte duodecimo, 2. *Reg*. 8.

Eliſæus fontem amarum injecto ſale ſalubrem facit, & pueris Bethelenſibus illudentibus rabidos urſos immittit, 2.*Reg*.2.

ANNO MUNDI 3046. *ante C. N.* 902.
E. ⊙ 2. ☽ 10.
Annus Joſaphati regis Juda 19.
Annus Jorami regis Iſraelitici 2.

Ioſaphat ex infelici prælio reverſus, ad ordinandum regnum animum adjicit, Judices in urbibus conſtituit, & præfectos ordinat, qui ſingulorum facta, inſpiciant, 2.*Chron*.19.

ANNO MUNDI 3047. *ante C. N.* 901.
D. ⊙ 3. ☽ 11.

Ioſaphat iterum ſibi perſuaderi patitur, ut cum Joramo rege Iſraelitico, & cum rege Idumæorum expeditionem ſuſcipiat contra Moabitas: ubi cum laborarent ſiti, Eliſæus Propheta exhilaratus Muſica, & exoratus à regibus, exercitui aquas impetrat, & victoriam promittit, 2.*Reg*.3.

ANNO MUNDI 3049. *ante C. N.* 899.
BA. ⊙ 5. ☽ 13.

Eliſæus, meſſis tempore, intra Paſcha & Pentecoſten, hoſpitæ Sunamitis filium inopinato morbo ſublatum, in vitam reſtituit, & fame ſeptennali invaleſcente, eandem, ut in urbem aliquam Philiſtinorum ſe conferat. monet, 2.*Reg*.4. Idem Eliſæus colocynthidas amaras & nocivas, diſcipulis ſuaves & ſalubres efficit, ut admoneantur ſcholaſtici paupertatis, odii & moleſtiæ in officio, & deinde etiam benedictionis divinæ, qua aluntur, ſervantur, & è multis periculis etiam inſcientes liberantur quotidie, 2.*Reg*.4.

Ioram filius Joſaphati rex Judæ quintus, ingruente bello Ammonitico & Moabitico à parente, cum hactenus nomine tenus rex fuiſſet, conſtituitur rex plenaria poteſtate, anno quinto regis Iſraelitici, 2. *Reg*. 8. regnatq; annos octo, 2. *Chron*.20. Joſaphat paulò poſt cum Ammonitis & Moabitis non tàm pugnavit armis & milite, quàm precibus & votis. Ideò victoria absque vulnere potitus, triduum in ſpoliis dividundis conſumit, 2.*Chron*. 20.

Naaman Syrus toto corpore infectus lepra, lotus in Jordane ad verbum Eliſæi, hoc tempore mundatur, 2.*Reg*.5.

ANNO MUNDI 3050. *ante C. N.* 898.
G. ⊙ 6. ☽ 14.
Annus Joſaphati regis Juda 23. *Jorami regis Iſraelitici* 6.

Acracarnes, *Aſſyriorum rex XL. regnat annis* 7. *poſt Ephacherem, qui annis* 22. *præfuerat*. Afr.

ANNO MUNDI 3051. *ante C. N.* 897.
F. ⊙ 7. ☽ 15.

Securis in Jordanem delapſa, ad verbum Eliſæi, aquæ innatat: & Eliſæus regis Syrorum inſidias cognoſcit & indicat, copias hoſtium ſe obſidentes animis & viſu privatas, Samariam & vitam, ſed & victum impetrat, 2. *Reg*.6.

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei duodecimi, incipit die 16.*Septembr. fer*.2. *anno Judaico* 1863.

ANNO MUNDI 3052. *ante C. N.* 896.
E. ⊙ 8. ☽ 16.

Pygmalion, Tyriorum rex, ſuccedit parenti Margeno, qui poſt nonum regni annum defunctus fuerat, regnatq; annis 40. *Joſeph*.

Benhadad Syriæ rex Samaritanos obſidione ad tantam famem adigit, ut à nullo immundo animali abſtinerent, imò nec à liberis. Eliſæus liberationem & copiam frumentis in poſterum diem promittit: Sed in futurum præfectus regius negat, idcò divinitùs punitur: vidit quidem copiam ex caſtris Syrorum, qui metu & panico terrore concuſſi fugerant allatam, ſed multitudinis concurſu oppreſſus, tantis bonis frui non potuit, 2. *Reg*.6.& 7.

Ioſaphat ſexagenarius diem ſuum obit, ſuccedit Joram homo crudelis, impius & infelix, qui fratres ſuos juvenes præſtantes, & quosdam primates, patris ſui conſiliarios. occidit. Objurgatur ob tanta facinora ab Eliſæo forſan. (Ab Elia dicitur in textu: Verum is ante annos ſeptem in cœlum ſublatus fuerat, vel fortaſſis fuit alius Elias, non ille Thesbites) 2. *Reg*.2.

ANNO MUNDI 3054. *ante C. N.* 894.
B. ⊙ 10. ☽ 18.
Annus Jorami regis Juda 6. *Jorami regis Iſraelitici* 10.

Diogenetus, ſeptimus apud Athenienſes per totam vitam Archon perpetuus, ſuccedit Megacli, qui triginta annos in magiſtratu hoc vixerat, & præeſt Reipubl. annis 28. *Scalig*.

Philiſtæi, Arabes & Æthiopes affligunt Hieroſolymam, ſpoliant regiam, abducunt ingentem prædam, & regiam ſtirpem occidunt, 2. *Chron*. 21.

Ioram rex Judæ, alvi profluvio per biennium ferè laborat, donec inteſtina defluerent, & tabe conficeretur. In regiis monumentis non eſt ſepultus, ob odium DEI & hominum, 2. *Chron.* 21.

ANNO MUNDI 3056. *ante C. N.* 892.
G. ☉ 12. ☽ 1.

Sunamitis, quæ cum filio per ſeptem annos famis à ſuis bonis abfuerat, recipit ſuas poſſeſſiones cum honore, cùm pro eâ famulus Eliſæi apud Joramum regem Iſraelis loqueretur, 2. *Reg.* 8.

Haſael *Syrus*, *legatus Benhada regis ægrotantis apud Eliſæum, accipit oraculum de regno Damaſceno, quod etiam ſtatim invadit, cùm* Benhadad *moreretur*, 2. Reg. 8.

Ahaſia rex Judæ ſextus, filius Jorami, parenti, anno octavo regni defuncto, ſuccedit, anno duodecimo Jorami regis Iſraelitici, regnatque paucis tantùm menſibus, qui tamen pro anno computantur. Dum enim avunculum Joramum regem Iſraelitarum vulneratum inviſi, à *Iehu* cum fratribus occiditur, 2. *Chron.* 11.

ANNO MUNDI 3057. *ante C. N.* 890.
FE. ☉ 13. ☽ 2.

Ioram rex Iſraelis in prælio contra Syros vulneratus, ægrotat in Ieſreel: interim *Iehu* vir ſtrenuus, & nihil procraſtinans, divinitùs evocatur ad regnum, & ad vindictam exercendam in domo Achab, quòd & ſtrenuè executus eſt. *Ioramum* enim in agro ſternit, & in vineam Nabothi beſtiis lacerandum objicit; uxorem Jorami *Iezabelem* Sidoniam de feneſtrâ præcipitari jubet, quæ equorum ungulis conculcata, à canibus devorata eſt. Occidit præterea per Samaritanos viros de regio ſanguine ſeptuaginta duos, item omnes ſacerdotes Baalis, idq; conſilio *Ionadabi* Rechabitæ, 2. *Reg.* 10.

Athalia Jorami regis Judæ relicta vidua, Achabi regis Iſraelitici ſoror, arripit Hieroſolymis tyrannidem, regiamque ſtirpem Davidis parricidio extinguit, 2. *Reg.* 11.

Tonoſconcoleros, *rex Aſſyriorum XLI. & ultimus, à Græcis dictus* Sardanapallus, *per duplex LL, ut ſit & nomine & vitiis deformis, ſecundum Ciceronem* in 3. de Republ. *Etenim Pallus & tripallus in obſcœnis; quanquam alias Sardan pal Aſſyriacum eſt, ſuccedit Acracarni, qui 7. annis regnaverat, imperatque annis* 25. Afric.

ANNO MUNDI 3058. *ante C. N.* 890.
D. ☉ 14. ☽ 3.

Annus ſecundus Athaliæ.
Iehu regis Iſraelitici 2.

Dido ſoror Pygmalionis regis Tyriorum, tyrannidem fratris non ferens profugit Tyro, anno ſeptimo Pygmalionis, & pervenit primum, *ut Juſtinus habet*, in Cyprum. Inde applicat ad littus Africanum, ubi Cathonem inſulam occupat, & munit. *Strabo.*

Endemas, Corinthiorum rex ſeptimus, ſuccedit *Alegano*, qui annis 30. præfuerat, regnatque annis 25. *Diod. Sic.*

Annus ſabbathicus tertius Iobelei duodecimi Iudaici, incipit die 28. Sept. fer 2. anno Iud. 1870.

ANNO MUNDI 3063. *ante C. N.* 885.
E. ☉ 19. ☽ 8.

Ioas rex Judæ octavus, de ſtirpe Regiâ Davidis oriundus, cùm prudentiâ amitæ ſuæ, cædi Athalianæ ſubtractus eſſet, & clam educatus, anno ætatis ſeptimo à *Iojadâ* ſacerdote rex declaratur, & inungitur, anno *Iehu* regis Iſraelitici ſeptimo, regnatque annis 40. 2. *Reg.* 12.

ANNO MUNDI 3065. *ante C. N.* 883.
CB. ☉ 21. ☽ 10.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei duodecimi Iudaici, incipit die 12. Sept. fer. 2. anno Iud. 2877.

ANNO MUNDI 3066. *ante C. N.* 882.
A. ☉ 22. ☽ 11.

Annus Ioas regis Iudæ 4.
Iehu regis Iſraelitici decimus.

Dido cùm octavum annum in Africâ eſſet, vel vi, vel pretio, utrumque enim traditur, tandem obtinet locum condendæ urbis, & *Chartaginem* condit. *Ioſeph. Strabo, Solin.*

ANNO MUNDI 3072. *ante C. N.* 876.
A. ☉ 18. ☽ 17.

Ionas Propheta circa hæc tempora floret: mittitur à DEO in Aſſyriam, & Ninivitis prædicit futuram cladem. Inde in Judæam reverſus, cùm poſt aliquot annos, vivente rege Joahas, rex Syriæ fines Iſraelitarum vaſtaret, & occuparet, promittit Iſraelitis liberationem, & finium recuperationem, 2. *Reg.* 14.

Annus ſabbathicus quintus Iobelei duodecimi Iudaici, incipit die 25. Sept. fer. 2. anno Iud. 2884.

ANNO MUNDI 3076. *ante C. N.* 872.
C. ☉ 4. ☽ 2.

Carillus Polydectæ filius, ex familiâ Proclis, regnat Spartæ annis 46. *Diodor.*

ANNO MUNDI 3077. *ante C. N.* 871.
B A. ☉ 5. ☽ 3.

Arpaces *Medus, cùm vidiſſet mollitiem & luxuriam Sardanapalli, Aſſyriorum, Medorum & Babyloniorum regis, prælio ſuperatum & biennii obſidione fatigatum eò adigit, ut ſe in pyram ardentem conjiceret, & ipſe quidem regnum Aſſyriorum & Medorum retinet, regnatque annis* 28. Beleſo *verò collegæ & autori rebellionis, qui victoriam tandem ex aſtris prædixerat, concedit Babyloniorum regnum.* Diod.

Cheopes poſt Rhamſinitum, apud quem ingenioſum furtum factum fuit, in Ægypto regnat. Hic ex montibus Arabicis ſaxa excidit, eaque centenorum millium hominum operâ, ſingulis trium men-

menſum ſpatio laborantibus, ad Nilum usque devexit, quâ in re decennium conſumptum eſt. Inde Pyramidem ædificavit, in quo opere viginti annos dicitur conſumpſiſſe. Regnavit autem annos 50. *Herodot. lib. 2.*

ANNO MUNDI 3078. *ante C. N.* 870.
G. ☉ 6. ☽ 4.

Annus Joas regis Juda 16.
Jehu regis Iſraelitici 22.

Syri incurſiones faciunt in regionem trans Jordanem, quæ erat tribuum Ruben, Gad & Manaſſe, eamque longè lateque vaſtant, 2. *Reg.* 10.

Alladius, rex Latinorum apud Albanos undecimus, ſuccedit parenti Agrippæ, qui annnis 41. præfuerat, regnatque annis 19. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 3079. *ante C. N.* 869.
F. ☉ 7. ☽ 5.

Annus ſabbathicus ſextus Iobelei duodecimi Iudaici, incipit die 7. *Sept. fer.* 7. *anno Iud.* 1891.

ANNO MUNDI 3082. *ante C. N.* 866.
B. ☉ 10. ☽ 8.

Annus Ioas regis Iuda 20.
Iehu regis Iſraelitici 26.

Phreclus Archon apud Athenienſes octavus, eorum, qui per totam vitam præfuerunt, ſuccedit Diogeneto, qui annis 28. præfuerat, & rempubl. adminiſtrat annis 19. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3083. *ante C. N.* 865.
A. ☉ 11. ☽ 9.

Ariſtodemus, Corinthiorum rex octavus, ſuccedit Eudemæ, qui annis 25. præfuerat, regnatque annis 35. *Diodor.*

ANNO MUNDI 3085. *ante C. N.* 863.
FE. ☉ 13. ☽ 11.

Iehu rex Iſraelitarum, cùm viceſimum octavum annum regni complevíſſet, moritur, cui ſuccedit filius *Iohahas*, homo impius & regum ante ſe afflictiſſimus, qui armis Syrorum ita attritus fuit, ut ipſi vix pauci ſatellites & turma equitum ſupereſſet. Eſt autem rex Iſraelis undecimus: incipit anno 25. Joas regis Judæ, regnatque usque ad annum decimum ſeptimum, 2. *Reg.* 13. *v.* 1.

Ioas rex Judæ, cùm ab initio regni à ſacerdotibus juſſiſſet pecuniam ex populo Iſraelitico colligi, & eam in reficiendo templo, ſi quid vetuſtate corruptum eſſe collocari, nec tamen usque in viceſimum tertium annum regni quicquam eorum fieret, vehementiùs rem urget & inſtaurationem aggreditur, 1. *Reg.* 12.

ANNO MUNDI 3093. *ante C. N.* 855.
CB. ☉ 21. ☽ 19.

Petubaſtes regnat in Ægypto, *teſte Manethone, lib.* 3. annis 40.

Annus ſabbathicus primus Iobelei decimi tertii ab occupatâ terrâ, incipit die 1. *Septembr. fer.* 3. *anno Iud.* 1905.

ANNO MUNDI 3095. *ante C. N.* 853.
G. ☉ 23. ☽ 2.

Jojada ſacerdos, ſenex grandævus, annorum centum triginta, circa hæc tempora moritur, & publico conſenſu ſepulchris regum infertur, 2. *Chron.* 24.

ANNO MUNDI 3096. *ante C. N.* 852.
F. ☉ 24. ☽ 3.

Teleclus ex familiâ Agidarum octavus rex apud Spartanos, ſuccedit Archelao patri, poſt annum ſexageſimum defuncto, regnatque annis 40. Ejus tempore Spartani *Amyclas*, *Pharin* & alias urbes bello captas evertunt. *Pauſ. in Laco.*

Alladius *rex Latinorum, hiatu terra cum totâ domo, quòd fulmen Jovis imitaretur, abſorbetur, cùm annos* 19. *regnaſſet. Tempore Dionyſii Halicarnaſſei veſtigia ædificiorum in lacu pellucente adhuc apparuerunt*, *ſuccedit* Aventinus *rex Latinorum duodecimus, qui monti Aventino nomen dedit, & regnavit annis* 37. Dionyſ.

ANNO MUNDI 3098. *ante C. N.* 850.
C. ☉ 26. ☽ 5.

Annus Joas regis Juda 36.
Johahas regis Iſraelitici 14.

Zacharias Jojadæ filius, quòd improbaret & argueret idololatriam Judæorum, lapidibus obruitur, jubente rege, 2. *Paral.* 24.

ANNO MUNDI 3099. *ante C. N.* 849.
B. ☉ 27. ☽ 6.

Ioas nepos regis *Iehu*, à parente *Iohahas* coronatur rex Iſraelis undecimus, anno triceſimo ſeptimo Joas regis Judæ, regnatque annos ſedecim, 2. *Reg.* 12. & Johahas moritur ſequenti anno.

Haſael Syrorum rex, regem Judæ Joam adeò bello terret, ut Hieroſolymæ libertatem ingenti redimat pecuniâ, 2. *Chron.* 24.

ANNO MUNDI 3100. *ante C. N.* 848.
A. ☉ 28. ☽ 7.

Ioas rex Judæ, anno ſecundo Joas regis Iſrael, *Amaxiam* filium regem Judæ creat, & in ſocietatem regni recipit. Eſt rex Judæ poſt diſtractionem regni nonus, & regnat annis 29. 2. *Reg.* 14.

Annus ſabbathicus ſecundus, Iobelei Iudaici decimitertii, incipit die 14. *Sept. fer.* 5. *anno Iud.* 1912.

ANNO MUNDI 3101. *ante C. N.* 847.
GF. ☉ 1. ☽ 8.

Ariphron Archon apud Athenienſes nonus eorum, qui per totam vitam præfuerunt, ſuccedit parenti Phereclo, qui annis novendecim præfuerat, & adminiſtrat rempubl. annis 20. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3103. *ante C. N.* 845.
D. ☉ 3. ☽ 10.

Ioas rex Judæ, in morbo cubans, à miniſtris regiis, cauſam vaſtationis Judaicæ à Syris & aliorum malorum in regem transferentibus, opprimitur; in majorem ſepul-

chris

chris non tumulatur, quòd etiamſi innocens in primâ ætate vixiſſet, tamen poſtea omnem ſuam gloriam adulationibus corruptus effudiſſet 2. *Chron.* 24. Sed Amazias filius ulciſcitur necem paternam, attamen ſine crudelitate, 2. *Chron.* 25.

ANNO MUNDI 3104. *ante C. N.* 844.
C. ☉ 4. ☽ 11.

Eliſæus regem Iſraeliticum ſe inviſentem certis ſignis inſtruit, quot habiturus eſſet victorias ex Syris, & Paulò pòſt moritur, cùm ultra ſexaginta annos docuiſſet, 2. *Reg.* 13. Paulò pòſt ſui cadaveris contractu, aliud cadaver, metu Syrorum eam terram depopulantium, eò projectum, reviviſcit.

ANNO MUNDI 3105. *ante C. N.* 843.
BA. ☉ 5. ☽ 12.

Haſael rex Syriæ moritur, cùm annos quadraginta ſeptem Iſraelitas miſerrime afflixiſſet. Cui ſuccedit *Benhadad* filius, qui non minore alio Iſraelitas perſequitur, ſed infeliciori ſucceſſu, 2. *Reg.* 13.

Arbaces, *qui Sardanapallum everterat, & annis 28. regnaverat, moritur: ſuccedit filius* Mandauces, *qui regnat annis* 50. Diod. Si ex Cteſia. *Hoc regnante, regnum Medorum ſeditionibus agitatum in multas lacinias diſcerptum eſt, quarum magnam partem occuparunt Aſſyrii, ut ex hiſtoria ſacrâ manifeſtum eſt. Medi ipſi, ſi Herodoto fides, ſeſe in libertatem vindicaverunt.*

ANNO MUNDI 3106. *ante C. N.* 842.
G. ☉ 6. ☽ 13.

Annus Amaziæ regis Iudæ ſeptimus.
Annus Ioas regis Iſraelitici octavus.

Ioas rex Iſraelis Syros tribus præliis atterit & frangit, urbesque occupatas recuperat & regno reſtituit, 2. *Reg.* 13.

ANNO MUNDI 3110. *ante C. N.* 838.
B. ☉ 10. ☽ 17.

Annus Amaziæ regis Iuda 11.
Ioas regis Iſraelitici 12.

Amazias rex Judæ, Idumæorum decem millia uno prælio occidit, & totidem millia captos de ſaxo præcipitat, 2. *Chron.* 25.

ANNO MUNDI 3112. *ante C. N.* 836.
G. ☉ 12. ☽ 19.

Amazias elatus victoria, & provocatus injuriis Ephraemitarum, regem Iſraelis Joas temeritate maximâ provocat, ſed prælio victus capitur, nec Joas ſegniter utitur victoria, urbem Hieroſolymam & templum diripit, regis filios obſides capit, & cum magnâ prædâ domum revertitur, 2. *Reg.* 14. 2. *Chron.* 25.

ANNO MUNDI 3114. *ante C. N.* 834.
D. ☉ 14. ☽ 2.

Annus Amaziæ regis Iuda 15.
Annus Joas regis Iſraelitici 16.

Ioas rex Iſraelis anno regni 16. moritur, ſuccedit filius *Ieroboam*, rex Iſraelis decimus tertius, anno Amaziæ 15. fuit animo & felicitate non inferior patre, & æquè impius: regnat annos 41. 2. *Reg.* 14.

Annus ſabbathicus quartus Iobelei Iudaici tertii, incipit die 10. *Sept. fer.* 5. *anno Iud.* 2926.

ANNO MUNDI 3118. *ante C. N.* 830.
F. ☉ 18. ☽ 6.

Annus Amaziæ regis Iuda 19.
Annus Ieroboami regis Iſraelis 5.

Agemon, frater Ariſtodemi, rex apud Corinthios nonus, regnat annos 16. cùm frater annos 35. in regno conſumpſiſſet. *Diod.*

ANNO MUNDI 3121. *ante C. N.* 827.
C B. ☉ 21. ☽ 9.

Theſpieus, Archon apud Athenienſes decimus poſt Ariphrona, qui Reipublicæ annis 20. præfuerat, adminiſtrat eandem annis 27. *Euſeb.*

Annus ſabbathicus quintus, Iobelei decimi tertii Iudaici, incipit die 22. *Sept. fer.* 5. *anno* Iud. 2933.

ANNO MUNDI 3125. *ante C. N.* 823.
ED. ☉ 25. ☽ 13.

Vzias ſive *Aſarias*, filius Amaziæ, naſcitur, 2. *Reg.* 15.

ANNO MUNDI 3127. *ante C. N.* 821.
B. ☉ 27. ☽ 15.

Chephrenes rex Ægyptius ſuccedit Cheopi, qui annis 50. præfuerat, regnatque annis 56. Hic ſimiliter, ut parens, Pyramidem exſtruxit, ad quod opus adhibuit trecenta & ſexaginta millia hominum, totis annis viginti, atque ita quemadmodum & parens, ſubditos ſuos miſerrimè afflixit. *Herodot. lib.* 2. *& Diod.*

ANNO MUNDI 3128. *ante C. N.* 820.
A. ☉ 28. ☽ 16.

Annus ſabbathicus ſextus, Iobelei Iudaici decimi tertii, incipit die 2. *Sept. fer.* 3. *anno Iud.* 2940.

ANNO MUNDI 3129. *ante C. N.* 819.
GF. ☉ 1. ☽ 17.

Amazias, rex Judæ fugâ elapſus à conjuratis comprehenditur, occiditur, & Hieroſolymis ſepelitur. Filius ejus *Vrias* quatuor annorum infans ſub tutoribus vivit, donec annos pubertatis ætate attingeret, 2. *Reg.* 14. 2. *Chron.* 25.

ANNO MUNDI 3132. *ante C. N.* 816.
C. ☉ 4. ☽ 2.

Procas, Latinorum apud Albanos rex XIII. ſuccedit Aventino, qui annis 37. præfuerat, regnatque annis 32. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 3133. *ante C. N.* 815.
BA. ☉ 5. ☽ 3.

Oſorchos in Ægypto ſuccedit Petubaſtæ, qui 40. annis regnaret, & vivit in regno annis 8. *Manetho.*

ANNO MUNDI 3134. ante C. N. 814.
G. ☉ 6. ☽ 3.

Annus interregni Iudaici ſexti.
Annus Ieroboami regis Iſraelitici 21.

Alexander, rex apud Corinthios decimus, ſuccedit Agemoni, poſt annum 16. regni defuncto, regnatque annis 25. *Diod.*

ANNO MUNDI 3135. ante C. N. 813.
F. ☉ 7. ☽ 4.

Annus ſabbathicus ſeptimus, & ſimul Iobeleus Iudaicus, ab occupata terra decimus tertius, incipit die 17. Sept. fer. 3. anno Iud. 2947.

ANNO MUNDI 3136. ante C. N. 812.
E. ☉ 8. ☽ 5.

Teleclus, rex Spartanorum ex Agidarum familia, occiditur à Meſſeniis in templo Dianæ, cùm annos 40. regnaſſet. Succedit *Alcamenes* filius, qui diutiſſime Reipubl. præfuit, annis videlicet ſeptuaginta ſeptem. Hic legatum *Charmidam* in Cretam mittit, ut ortas ſeditiones comprimat, & urbes, quæ maritimæ non eſſent, excindat. Hujus tempore bellum Hiloticum fuit, quibus auxilia tulerunt Argivi, ſed victi ſunt. *Pauſ. in Laconicis.*

ANNO MUNDI 3137. ante C. N. 811.
DC. ☉ 9. ☽ 6.

Caranus, Heraclidarum undecimus ab Hercule, ſed ſeptimus à *Temeno*, qui dux fuit Heraclidarum, cùm in Peloponneſum reverterentur, Macedoniæ regnum occupat, à quo Alexander Magnus decimus ſeptimus fuit. *Vellei.*

ANNO MUNDI 3140. ante C. N. 808.
G. ☉ 12. ☽ 9.

Nicander Charilli filius, qui annos 64. regnaverat, Spartæ ex familia Proclis, ſuccedit parenti, regnatque annos 39. *Pauſ. Diodor.*

Vſias, qui & *Azarias*, anno 27. Jeroboami regis Iſraelitici, cùm eſſet annorum 16. regno admovetur & conſecratur. Ab hoc anno ætatis 16. numerantur imperii ejus anni 25. 2. *Chron.* 26. Ita ut vixerit annos 68. Fuit autem vir fortis & induſtrius, reditus regios auxit ex agricultura. Parſimonia ærarium tuetur, urbes munit, ædificiis ornat, & diſciplinam militarem inſtruit, 2. *Reg.* 14.

ANNO MUNDI 3141. ante C. N. 807.
FE. ☉ 13. ☽ 10.

Pſamnus Tanita in Ægypto ſuccedit Oſorcho, qui annis 8. præfuerat, regnatque annos 10. *Manetho.*

ANNO MUNDI 3143. ante C. N. 805.
C. ☉ 15. ☽ 12.

Heſiodus Poeta circa hæc tempora floret, *teste Porphyrio in Philoſophicis, & Cyrillo*, qui ſub *Proca* Sylvio Latinorum rege, Heſiodum ponit. Fuerunt tamen noſtro tempore viri illuſtres, qui ex ſtilo ejus conjiciunt, Heſiodum aut Homero æqualem, aut etiam ſuperiorem fuiſſe.

ANNO MUNDI 3148. ante C. N. 800.
D. ☉ 20. ☽ 17.

Capua urbs Italiæ in Campaniâ, & *Nola* condita, *ut Vellejus putat*, annis fere octingentis & triginta à ſuis temporibus. Cato tamen diverſum ſentit, & utramque recentiorem fecit.

ANNO MUNDI 3149. ante C. N. 799.
CB. ☉ 21. ☽ 18.

Annus ſabbathicus ſecundus Iobelei Judaici decimi quarti, incipit die 2. Sept. fer. 2. anno Jud. 2961.

Agameſtor, Archon apud Athenienſes undecimus, ſuccedit Theſpiæo, qui annis 27. Reipubl. præfuerat, & adminiſtrat Rempubl. annis 20. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3150. ante C. N. 798.
A. ☉ 22. ☽ 19.

Annus Vſiæ regis Juda undecimus.
Annus Jeroboami regis Iſraelitici 37.

Carani, qui Macedoniam occupaverat, frater *Phidon*, cùm Argivorum urbe potitus eſſet, pondera & menſuras inſtituit, numiſmata excogitavit, Euboica imprimis, *ut teſtatur Pindarus, Pauſanias, Plutarchus & alii.*

ANNO MUNDI 3151. ante C. N. 797.
G. ☉ 23. ☽ 1.

Zetbus rex Ægypti, ſuccedit Pſamno, qui annos decem regnarat, & præeſt annis 31. *Manetho tom.* 3.

ANNO MUNDI 3152. ante C. N. 796.
F. ☉ 24. ☽ 2.

Hoſeas Propheta, qui tempore poſterioris Jeroboami regis Iſraelitici, & temporibus Uſiæ, Jotham, Achas & Ezechiæ regum Judæ, annis fere ſeptuaginta docuit, circa hæc tempora incipit, *Hoſ.* 1.

Ioel Propheta videtur Amos Prophetam præceſſiſſe ætate. Siccitatem enim prædicit primo capite, quam Amos capite quarto fruſtà eveniſſe, nec homines ad pœnitentiam adegiſſe queritur.

Amos biennio ante terræmotum, qui haud rarò aliàs etiam in Syriâ & Judæâ horribiliter ingruerunt, ſive etiam ante tumultum bellicum, ut quidam interpretantur, qui mortem Jeroboami ſecuti ſunt, docuit.

ANNO MUNDI 3154. ante C. N. 794.
C. ☉ 26. ☽ 4.

Annus Vſiæ regis Juda 15.
Annus Jeroboami regis Iſraelitici 41.

Ieroboamus rex Iſrael, cùm annos 41. regnâſſet, moritur, 2. *Reg.* 14. Succeſſit ipſi filius Zacharia. Sed 2. *Reg.* 15. dicitur, hunc Zachariam regno admotum anno 38. Uſiæ ſive Azariæ regis, poſt annos viginti tres. Unde patet, interregnum fuiſſe & tumultus bellicos, qui multos annos Iſraelitas exercuerunt.

ANNO MUNDI 3155. *ante C. N.* 793.
B. ☉ 27. ☽ 5.

Solarmus *rex Medorum tertius, ſuccedit Mandauci parenti, qui annis 50. regnaverat, & præeſt regno, quod variis ſeditionibus agitabatur, annis 30.* Cteſias.

Amulius rex Latinorum apud Albanos decimus quartus, fratri majori Numitori regnum extorquet, idque obtinet annis 42. poſt patrem Procam, qui annis 23. regnarat. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 3159. *ante C. N.* 789.
D. ☉ 3. ☽ 9.

Teleſtes Corinthiorum rex undecimus ſuccedit Alexandro, qui annos 25. regnarat, & præeſt annis 12. *Diod.*

Ardyſus Lydorum rex primus, incipit *ſecundum Herodotum*, & regnat annis 36.

ANNO MUNDI 3160. *ante C. N.* 788.
C. ☉ 4. ☽ 10.

Thales, Muſicus eximius & legiſlator floret, paulò pòſt tempora Heſiodi, *ut Strabo vult*. Eſt autem hic alius à Thalete Mileſio, qui annis 120. poſterior eſt.

ANNO MUNDI 3165. *ante C. N.* 783.
DC. ☉ 9. ☽ 15.

Cænus, Macedoniæ rex ſecundus poſt Caranum, qui regno annis 28. præfuerat, regnatque annis 12. *Diod.*

ANNO MUNDI 3168. *ante C. N.* 780.
G. ☉ 12. ☽ 18.

Æſchylus Archon apud Athenienſes perpetuus, ſuccedit Agameſtori parenti, qui annis 20. præfuerat, regnatque annis 23. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3169. *ante C. N.* 779.
FE. ☉ 13. ☽ 9.

Amulius, filium Numitoris fratris unicam *Rheam*, ut ſpem ſobolis ipſi adimat, virginem Veſtalem legit. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 3171. *ante C. N.* 777.
C. ☉ 15. ☽ 2.

Automenes, qui primus Prytanis annuus apud Corinthios fuit, ex familia Bacchiadarum incipit, ex quâ multo tempore pòſt lecti ſunt, qui annuo ſpatio rempubl. adminiſtrarent, donec Cypſelus tyrannidem occuparet, *Pauſan.*

ANNO MUNDI 3172. *ante C. N.* 776.
B. ☉ 16. ☽ 3.

Anno quarto Iliæ ſive Rheæ filiæ Numitoris, poſtquam juſſu Amulii Veſtali igni cuſtodiendo deſtinata fuerat, ſtuprum ipſo in templo infertur, quo tempore & ecclipſis Solis fuit.

Ea facta eſt die 4. Aprilis fer. 2. minutis 40. ferè pòſt meridiem Romæ. Parall. Latitud. 28, 33. vera 25, 50. viſa 2, 43. ſemid. Solis 15, 17. viſa latitudo 27, 13. digiti ecclip. 10, 41. Sol in 2. gradu arietis.

Hoc compreſſu Romulus & Remus concepti ſunt, qui cùm Romam conderent, non ſeptendecim annorum erant adoleſcentes; Sed viginti ſex annorum viri, de qua re poſtea. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 3174. *ante C. N.* 774.
F. ☉ 18. ☽ 5.

Annus Uſiæ regis triceſimus quintus.

Annus interregni Iſraelitici viceſimus primus.

Iphitus Praxonidis filius, filii Æmonis, primus poſt Pelopem, Atreum & Herculem, Olympicum certamen inſtauravit, & in honorem Herculis egit, & ut ſingulis quadrienniis exactis repeteretur, inſtituit. Continet enim quælibet Olympias annos quatuor Julianos ſolidos; quibus tamen quatuordecim dies vel deerant, vel ſupererant. Actaque eſt hoc anno die 23. Julii, feria tertiâ, eamque vicit *Corœbus* Elienſis. Conſtituti autem ſunt *Hellanodicæ* bini numero, qui jurabant, ſe nullum munus, neque ab athletis, neque ab eorum amicis, neque eorum nomine à quovis accepturos: Contrà verò diſciplinam ſeverè ab athletis exigebant, jurareque cogebant, an diſciplinæ omnes numeros per decem menſes ante diem certaminis expleviſſent: neque ſolum hi, ſed & illorum patres & fratres jurabant, nihil ab athletis eorum, quæ ad diſciplinam pertinent, omiſſum aut neglectum fuiſſe. Si ſcientes fallerent, ſibi omnia mala imprecabantur; cujus rei gratia porculo piacula faciebant. Ab Hellanodicis præterea in tabulis perſcribebantur nomina, qui victores fuiſſent, & alia memorabilia, ut ita huic epochæ meritò acceptum feramus, quicquid certi in Hiſtoriis & ante & poſt eam habeamus.

Porrò notandum, quòd radices aſtronomicæ æqualium motuum ad Olympiadem primam in tabulis Prutenicis conſtitutæ, falſæ ſint, & in integro anno poſteriores, cùm, quo anno prima Olympias acta fuiſſet, Reinholdo non ſatis eſſet exploratum. Poſſunt tamen æquales motus veri ex iiſdem tabulis ad hunc & alios annos haberi, ſi ex epochâ annorum æræ Chriſtianæ retrorſum numerentur.

ANNO MUNDI 3176. *ante C. N.* 872.
D. ☉ 20. ☽ 7.

Ars ſculpendi marmoris eſt inventa, teſte Plinio *lib.* 36. *cap.* 1.

ANNO MUNDI 3177. *ante C. N.* 871.
CD. ☉ 21. ☽ 8.

Thurimas, tertius apud Macedonas rex, Cæno poſt annum duodecimum regni defuncto, ſuccedit, regnatque annos 38. *Pauſ.*

Zacharias rex Iſraelis decimus, abnepos Jehu regis Iſrael, in regni ſolio tandem collocatur anno triceſimo octavo Uſiæ regis Judæ, 2. *Reg.* 15. Verùm regni poſſeſſione & vita ſpoliatur ſexto menſe regni, à ſeditioſo quodam *Sallum*, qui tamen regnum parricidio partum poſt menſem cæde amittit.

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei decimi quarti incipit 27. Sept. anno Jud. 2989.

ANNO MUNDI 3178. *ante C. N.* 870.
A. ☉ 22. ☽ 9.

Annus Uſiæ regis 39. Menahemi 1.

Menahem, audita regis Zachariæ cæde, & Salumni ferocia, interfectores regis fortiter

titer adoritur, & omnem factionem adverſariam extinguit. Thapſenſes etiam, qui portas ipſi clauſerant, internecione delet, & prægnantes, inaudita in populo DEI crudelitate, diſſecat. Regnum autem occupat anno 39. Uſiæ, 2. *Reg.* 15.

Tarrutius Firmianus eſſent, hoc anno Romulum & Remum conceptum: de quâ re Plutarchus in vitâ Romuli ſic ſcribit: Tarrutius *conſtanter pronunciat, Romuli in matris utero conceptum contigiſſe anno primo Olymp. ſecunda, menſe Chojac, die 23. ejus menſis, hora diei tertia, & ecclipſin Solis tunc accidiſſe.* In Iſagoge dictum eſt, annos Nabonaſſareos cum Julianis in concordiam redire poſt annos Julianos 1460. Cùm igitur ad hunc annum anni Nabonaſſarei non habeantur, addantur anno mundi 3178. anni 1460. & deſcendimus in hac Chronologiâ ad annum 4637. ubi videmus annum Nabonaſſareum incipere tum die 4. Martii. Proinde pronuntio, ſi hiſce temporibus anni Nabonaſſarei in uſu fuiſſent, quòd annus Nabonaſſareus, quotuscunque fuiſſet, cœpiſſet die 4. Martii. Porrò additur, ecclipſin factam die 23. menſis Chojac, qui quartus eſt in ordine menſum Nabonaſſareorum. Ergò tres menſes præterierant cum diebus 22. hoc eſt, in univerſum dies 112. qui additi ad diem 4. Martii, ſtatuunt diem 23. Chojac, in die 24. Junii, ubi quidem novilunium invenimus, & latitudinem etiam Lunarem, quæ poſſet eſſe ecclipticа; ſed quæ tamen hoc anno climate Romano nullam exhibuit ecclipſin. Latitudo enim vera propter additam proſtaphæreſin, eſt gradus unius, min. 5. 51. Paralaxis vera tantùm eſt min. 31. 10. quæ à latitudine verâ ſubtracta, relinquit apparentem, ſive viſam latitudinem min. 44. 41. ſeptentrionalem, quam ſumma Semidiametrorum Solis & Lunæ attingere nullo modo poteſt. Nulla igitur hic ecclipſis Solis, & Tarrutius tabulis aſtronomicis imperfectioribus confiſus, falſum pronunciavit. *Mollerus* in tabulis Phyſicis affirmat conſtanter, ecclipſin hanc ex tabulis Prutenicis, quòd imperfectiores ſint, demonſtrari non poſſe: ſed ex ſuis tabulis, quas perfectiores exiſtimat, exactè haberi. Eum igitur hortor, ut epilogiſmum hujus ecclipſis tandem edat: ſed vereor, ut poſſit. Quemadmodum enim fallitur in aliis ecclipſibus, ut anno 338. & 334. quas ex tabulis Prutenicis haberi poſſe negat, cùm tamen eas ipſas ecclipſes olim in priore editione ex iiſdem tabulis Prutenicis exactè dederim: ita hic quoque vel fallitur, vel ſciens fallit. Latitudo enim in omnibus tabulis, Ptolomæi ſcilicet, Alphonſi & Tychonis, major eſt ubique, quàm ut ſummam Semidiametrorum Solis & Lunæ attingere poſſit. Proinde hoc totum videtur Mollerus ea de cauſa pronunciare, ut tabulis Prutenicis detrahat, & ſuas commendatiores reddat, quæ ratio acquirendæ authoritatis & iniquiſſima & turpiſſima eſt. Verba ejus in præfatione tabularum Phryſicarum pag. 3. ſunt: *Eraſmus Reinholdus tabulas Luna ſolares, haud bonus Uraniæ avibus conſtructas, in lucem edi paſſus eſt, non levi rei temporaria detrimento. Magni enim viri tabulis iſtis confiſi, temporum emendationem divina quaſi animi ſagacitate molientes, nonnulla perperam in iſto argumento pronunciarunt, &c.* addit deinde Mollerus exempla, ut hanc, de qua agimus, ecclipſin, item quæ factæ ſunt anno Chriſti 238. & 234. &c. Sed ſcire debebat Mollerus, culpam hanc Chronologorum non in tabulis Prutenicis, quæ perfectiſſimæ ſunt ad hypotheſes Copernici, reſidere; ſed in Chronologis iſtis, qui ecclipſes haſce quærere aut noluerunt, aut non potuerunt. Neceſſarium autem eſt viſum, hæc monuiſſe, ut laus Prutenticarum tabularum, ex quibus omnes, qui Aſtronomica tractamus, & fortaſſis Mullerus etiam, plurimum profecimus, vindicaretur. Ideò benevolus lector, quòd tantum digreſſus ſum, ignoſcat.

Olympias ſecunda acta die 7. Auguſti.
Victor Stadii *Antimachus* Elienſis.

Theopompus filius Nicandri, ex Proclis familiâ, qui annos 39. apud Spartanos regnarat, ſuccedit: ſed quanto tempore regnaverit, non extat, ut & ſequentium regum. Referuntur enim alii ab autoribus reges, quorum tempora non extant, ut Theopompum ſecutus eſt *Zeuxidamus*, inde *Anaxiamus*, pòſt *Archidamus*, inde *Agaſicles*, pòſt *Ariſton*, & tandem *Demaratus*, qui pulſus regno ad Xerxem transfugit. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3179. *ante C. N.* 769.
G. ☉ 23. ☽ 10.

Plutarchus in vitâ Romuli tradit, Tarrutium Firmanum pronunciaſſe, Romulum & Remum ſuperiori anno conceptos, hoc anno natos fuiſſe die 21. menſis Thot, oriente Sole. Menſis Thot autem primus eſt in annis Nabonaſſareis. Igitur cùm annus incipiat à die 4. Martii, nati eſſent die 24. Martii. Sed ut Tarturius falſus fuit in ecclipſi ſolari, atque ita in conceptione Romuli, ita procul dubio fallitur in anno, die & horâ nativitatis. Alibi, referente Varrone, Tarrutius pronunciavit Romulum & Remum natos, cùm Luna eſſet in jugo, hoc eſt, in nodo. Sed nec die 24. Martii hoc anno fuit conjunctio, nec novilunium, quod accidit die 16. Aprilis, ſit propè nodum.

ANNO MUNDI 3180. *ante C. N.* 768.
F. ☉ 24. ☽ 11.

Buntingus *Theologus & Chronologus hoc anno die 5. Maji, in meridie ecclipſin Solis factam, & dimidium ejus obſcuratum fuiſſe in ſchemate proponit, atque ita hoc anno Romulum & Remum conceptum. Sed non attendit, quòd hoc modo Romulum faciat adoleſcentulum tantùm ſedecim annorum, cùm Romam conderet, & Rempub. eam*, ut Dionyſius teſtatur, *omnibus numeris abſolutam & ſapientiſſimam inſtitueret, quem ſecuti eſſent Coloni magno numero, id quod in hujusmodi ætatem puerilem ferè cadere vix poteſt. Verba Livii de Romuli & Remi ætate ſic habens*: Ita geniti, ita educati, (*Romulus & Remus*) cùm primùm adolevit ætas, nec in ſtabulis, nec ad pecora ſegnes, venando peragrare ſaltus. Hinc robore corporibus animisque ſumpto, jam non feras tantùm ſubſiſtere; ſed in latrones prædâ onuſtos impetum facere paſtoribusque rapta dividere, & cum his creſcente indies grege, juvenum ferias & jocos celebrare, &c. *Hæc certè non opera adoleſcentulorum ſunt, ſed juvenum ætate florentium. Itaque cum omnium autorum teſtimonio, conceptio Romuli & Remi characterem cœleſtem habet ecclipſin ſolarem, eam altius in ſuperioribus annis inquirere coactus ſum. Et quidem primum, cum Dionyſius expreſſè ſcribat, Rheam compreſ-*

ſam

ſam fuiſſe anno quarto ſacerdotii, ſuſpicatus ſum, Amulium ſtatim in initio regni ſui, anno Mundi 3155. Rheam virginem Veſtalem feciſſe, atque ideò eclipſin anno ejus quarto, anno Mundi 3159. venatus ſum, quam deprehendi accidiſſe eo anno, die 24. Junii, feriâ quartâ, horâ quintâ poſt meridiem Romæ, & quidem ſatis magnam, decem ferè digitorum; & quod plus eſt, ſi annos Nabonaſſareos retexas, die 23. Chojac, ut Tarrutius vult. Verùm cùm hoc modo Romulus, cum Romam conderet, annos ætatis triginta octo habeat, quod tempus aliquo modo longius, quàm par eſt, & reliquis Hiſtoricis, & ab ætate Numitoris, qui octogenarius fuiſſet, cùm à nepote in regnum reſtitueretur, quod tamen quibusdam incredibile videre non poteſt, recedat: aliam eclipſin in propioribus annis quæſivi, quam inveni anno Mundi 3172. ut ſuprà habuimus, quæ & magnitudine & aptitudine ad annum urbis conditæ omnium maximè quadrat. Eſt enim ferè totalis, & annis tantum 26. conditionem Romæ præcedit, quâ ætate juvenes hi Romulus & Remus authoritatem ſibi fortibus ſuis factis comparare potuerunt, ita ut digni haberentur, qui Coloniæ deducendæ præficerentur, & regio etiam honore afficerentur. Utramq; autem hic eclipſin proponere volui, ut lectori liberam electionem relinquerem opinionis, quam vellet, de conceptione Romuli ſequenda, & ut appareret, me in hiſce inquirendis operæ non parſiſſe. Opinio autem apud Scriptores de Romulo adoleſcentulo octodecim annorum, cùm Romam conderet, & quod idem mortuus ſit ætatis anno 56. orta fuit ex malâ computatione eclipſis Tarrutianæ, qui quidem ſcientiâ rerũ Aſtronomicarum, tempore Ciceronis, quando de anno Urbis conditæ diſceptabatur, clariſſimus habebatur, atque ita dignus, cui in hâc hiſtoriâ de conceptione & obitu Romuli fides haberetur: ſed eum falſum fuiſſe, demonſtravi hactenus, & mecum alii: Idq; factum, quòd imperfectioribus Aſtronomiæ tabulis inſtructus, ad verum tempus conceptionis Romuli regredi non potuerit. Porrò obſervandum, quod diverſæ opiniones de anno conceptionis Romuli per ſe nihil incommodent Chronologiæ de anno Urbis conditæ. Is enim firmus manet, tantùm hoc controvertitur, quis Chronologorum eos ætatis annos ex charactere cœleſti Romulo tribuat, qui omnium aptiſſimi ſint, ad tantas res peragendas.

Phul Aſſyriorum rex infeſtat regnum Iſraelis: *Manahem* rex, ut pacem redimat, & ſibi regnum confirmetur, mille argenti talenti, hoc eſt, quindecies centena florenorum millia ferè hoſti offert, eaq; colligit tributo ſubditis impoſito, 2. *Reg.* 15.

ANNO MUNDI 3182. ante C.N. 766.

C. ⊙ 26. ☽ 13.

Annus Uſiæ regis Judæ 43.

Annus Menahemi regis Iſraelitici 5.

Bochoris Saites ſuccedit Zetho Ægyptio regi, qui annis 31. præfuerat, regnat annis 44. *Manetho tom.* 3. Videtur in ſacris literis nominari Sua. 2. *Reg.* 17.

Olympias tertia acta die 24. *Julii, fer.* 7. Stadium vincit *Androcles Meſſenius.*

ANNO MUNDI 3183. ante C. N. 765.

B. ⊙ 27. ☽ 14.

Mycerinus, Ægyptiorum rex poſt Cephenem, qui annis 56. præfuerat, regnavit annis 7. Habet autem hic laudem ſummæ æquitatis, apud Herodot. lib. 2.

Uſias rex Judæ, felicitate inflatus, templum adit, incenſum DEO oblaturus. *Azarias* ſacerdos vir magni animi, & defenſor legis acerrimus, & cum eo octoginta ſacerdotes alii reſiſtunt regi. Rex irâ tumidus & fremens, leprâ & in fronte & facie inficitur, & magno cum dedecore & pudore è templo ſe ſubducit. 2. *Chron.* 26.

Eumelus Poeta, qui Bugoniam, ſive de apibus ſcripſit, nobili genere ex familiâ Bacchiadarum apud Corinthios ortus, floret. *Euſeb.*

Arctinus item Poeta, qui Æthiopidam & Ilii Perſin, ſive Ilii excidium ſcripſit, floret. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3185. ante C. N. 763.

GF. ⊙ 1. ☽ 16.

Eclipſis Solis annotatur à Johanne Georgio Herbart à Hohenburg/ *quæ accidit die* 10. *Febr. manè horis tribus, minut.* 29/ 26// *ante merid. digitorum.* 10, 45, *quæ quidem hoc anno ita invenitur: Sed quòd inde concludit, Romulum & Remum hoc anno conceptos eſſe, longè majori abſurditate id facit, quam ante quinquennium Bunting us. Planè enim puerum facit Romulum, cùm Romam conderet. Annus enim urbis conditæ loco moveri non poteſt, cùm tot & tantæ autoritatis viri ſint, qui id affirment, & idem ex Conſualibus Romanis demonſtrârint, nec exiguæ temeritatis eſſet, contrà ſentire velle. Et aliàs idem annus ex epochâ Nabonaſſareâ & Olympiadum ita confirmatur, ut Herbarto huic de ſuis annis ſemeſtribus muto eſſe liceat. Sed vide aliam ipſius abſurditatem: Capite 69. ſuæ veræ Chronologiæ aſſerit, Romam conditam eſſe ante Chriſtum natum annis 573. circa menſem Julium, centum & octoginta annis ſeriùs, quàm hactenus creditum fuit, ut ipſe loquitur. Quæritur jam, cùm Romulus hoc anno ex ipſius ſententiâ, tempore hujus eclipſis conceptus ſit, ubi ducentis hiſce ferè annis latuerit. priusquam Romam conceptus ſit, ubi ducentis hiſce fere annis latuerit, priusquam Romam conderet, num in utero materno? an vero apud ſeptem dormientes? condidit enim Romam, cùm eſſet juvenis.*

Artica *Medarum rex quartus poſt Arbacem, ſuccedit Soſarmo, qui annos* 30. *regnârat, & præeſt regno annis* 32. Cteſias.

Abaris Scytha in Græciam venit. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3186. ante C. N. 762.

E. ⊙ 2. ☽ 17.

Olympias quarta acta eſt die 9. *Auguſti, feriâ ſeptimâ.*

Victor Stadii *Polychares* Meſſenius. *Pauſ.*

Achas rex Judæ naſcitur. Viginti enim annorum erat, cùm crearetur rex. 2. *Reg.* 16.

ANNO MUNDI 3187. ante C. N. 761.

D. ⊙ 3. ☽ 18.

Quinque Ephori Spartæ inſtituti, qui regum conſilia moderarentur, quâ re regia poteſtas ibi plurimùm imminuta fuit. Creavit autem eos ipſos ipſe Theopompus rex. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3188. ante C. N. 760.

C. ⊙ 4. ☽ 19.

Aminocles Corinthius, Naupegus inſignis, naxes hoc tempore quatuor Samiis fabricatus eſt, cujus operâ pòſt etiam uſi ſunt Athenienſes, *ut Euſebius autor eſt.*

S *Mena-*

Menahem, cùm decem annos, & avarè & immaniter regno Iſraelitico præfuiſſet, moritur: ſuccedit ipſi ſequenti anno, anno videlicet Uſiæ quinquageſimo, *Pecaja*, rex decimus ſeptimus apud Iſraelitas, poſt diſtractum regnum, qui regnat annis duobus, 2. Reg. 15.

ANNO MUNDI 3190. ante C. N. 758.
C. ☉ 6. ☽ 2.

Olympias quinta acta die 26. *Julii, feriâ quintâ.* Victor Stadii *Æſchines* Eleus Meſſenius. *Afric.*

Aſychis, ſecundum Herodotum, in Ægypto regnat, qui itidem Pyramides ædificavit. *Herodot. lib.* 2.

ANNO MUNDI 3191. ante C. N. 757.
F. ☉ 7. ☽ 3.

Pecah filius Remaliæ cum aliis conjurat contra Pecajam regem Iſraeliticum, eumq; in aulâ ſuâ obtruncat, audaciq; ſucceſſu regnum occupat, anno quinquageſimo ſecundo, & ultimo Uſiæ regis Iſraelitici, regnatque annis viginti, 2. *Reg.* 16.

Alcmæon decimus tertius & ultimus Archon eorum, qui per totam vitam Athenis rempubl. adminiſtrârunt, ſuccedit Æſchylo, qui annis 23. præfuerat, regnatque unico tantùm anno. *Euſeb.*

Annus ſabbathicus primus Jobelei Judaici decimi quinti, incipit die 28. *Sept. fer.* 7. *anno Iud.* 3003.

ANNO MUNDI 3192. ante C. N. 756.
E. ☉ 8. ☽ 4.

Eſaias Propheta ex regio ſanguine ortus anno hoc ſabbathico vidit DOMINUM in ſolio ſedentem. Unde patet, eum munus propheticum ante exorſum eſſe. Docuit ſub quinq; regibus, ſub Uſiâ, Jothan, *A*chas, Ezechiâ, annis ferè nonaginta, *Eſa*. 1. *&* 6.

Uſias, cùm annos 52. ſolidos regnaſſet, moritur: ſuccedit anno ſecundo Pecah regis Iſraelitici, JOTHAM filius, rex Judæ XI. qui hactenus etiam pro patre, propter lepram ad gubernandum regnum inepto, id adminiſtraverat, regnatque annos ſedecim, 2. Reg. 16.

Athenienſes pro Archontibus, qui per totam vitam reipub. præerant, creant Archontes decennales, quorum primus fuit *Charops. Pauſan. Dionyſ. Vellejus.*

Cynæthon Lacedæmonius Poeta celebris *Telegoniam* ſcripſit, quæ fuit genealogia quædam. Aliut verò fuit *Cynæthus* Chius Poeta, qui Rapſodias Homeri colligit, & vixit alio tempore. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3194. ante C. N. 754.
B. ☉ 10. ☽ 6.

Olympias ſexta acta die 11. *Aug. feria* 5.

Victor Stadii *Oebota Dymæus* ex Achaiâ, qui cùm nulli ſibi à popularibus propterea honores haberentur, precatus eſt, ne quis Achæorum poſtea ſtadium vinceret: quod & factum eſt. *Pauſan.*

ANNO MUNDI 3195. ante C. N. 753.
A. ☉ 11. ☽ 7.

Alyattes Sardibus ſuccedit Parenti Ardyſo, qui annis 36. præfuerat, regnatque annis 14. *Herod.*

ANNO MUNDI 3196. ante C. N. 752.
G. ☉ 12. ☽ 8.

Ezechias rex naſcitur, cùm Achas nondũ eſſet decem annorum puer, ideò privignus ipſius, vel frater, vel adoptivus filius potiùs, quàm naturalis creditur, 2. Reg. 18.

Romulus ex inſidiis Albam longam cum paſtoribus quibusdam ingreditur, Remum fratrem ex cuſtodiâ liberat, Amulium anno quadrageſimo ſecundo regni obtruncat, & Numitorem avum maternum, conſentiente populo regem facit. *Dionyſ. Livius.*

ANNO MUNDI 3198. ante C. N. 750.
D. ☉ 14. ☽ 10.

Altero anno Numitoris Albani regis, Romulus & Remus, delectati iis locis, ubi educati fuerant, collectis ex Latinis, Albanis & Paſtoribus colonis ad tria millia hominum, novam urbem condere aggrediuntur: Opus cœptum, ex ſententiâ Tarrutii Firmiani, & Calendarii Romani, die 21. Aprilis, cùm Luna eſſet in jugo, hoc eſt in nodo, vel capite Draconis, ut plerique interpretantur; quod ſi intelligatur tantùm de Lunâ extra conjunctionem cum Sole, verum id eſt: Luna enim pervenit ad caput Draconis, ineunte die 21. Aprilis à mediâ nocte: ſed ſi de conjunctione ecliptica intelligatur, neque hoc anno, neque aliquot ſequentibus vel præcedentibus id accidit. Condita autem eſt, ut Dionyſius habet, anno 432. poſt Ilium captum, Archonte apud Athenas *Charopo*, ſexto ejus anno. Dionyſius quidem ſcribit primo ejus anno ſed *a* pro *e* errore librariorum ſcriptum eſt, *ut ex Pauſaniâ apparet.*

Olympias ſeptima acta die 27. *Julii, feria* 2, quam vicit *Daicles* Meſſenius, qui omnium primus coronatus eſt. *Afric. Dionyſ. Photius.*

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei Judaici 15, *incipit die* 12. *Sept. fer.* 7. *anno Jud.* 3010.

ANNO MUNDI 3199. ante C. N. 749.
C. ☉ 15. ☽ 11.

Micha Propheta docuit ſub Jotham, *A*chas & Ezechiâ, ejus auditores adhuc ſunt in vivis anno primo regis Jojakim, *Ierem.* 26. poſt mortem Michæ, annis 90.

ANNO MUNDI 3200. ante C. N. 748.
B. ☉ 16. ☽ 12.

Aradus parva inſula in Phœniciâ prope Sidonem excoli & habitari cœpta. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3201. ante C. N. 747.
AG. ☉ 17. ☽ 13.

Romulus, ut civibus ſuis uxores vel vi (cùm benevolentiâ non poſſet) conciliaret, morbum ſimulat, Ludos indicit Conſuales, *ut poſt vocati ſunt, die* 21. *Auguſti, & vicinos invitat, intentas in ludos virgines rapit numero ſeptingentas & octoginta tres, easq; civibus diſtribuit.* Plutarch. in Romulo. Dionyſ.

Conſi-

Ceninenſes injuria raptarum virginum provocati, primum Romanis bellum movent, ſed vincuntur. & Romulus primus, quòd regem eorum occidiſſet, *Spolia Opima* retulit, eaque in Capitolinum montem attulit, ubi Jovi Feretrio templum olim condendum deſignavit. *Plutarch. Dionyſ.* Inde urbem Ceninenſium excindit, & cives Romam traducit, id quod fecit & Antemnatibus, qui paulò poſt victi ſunt. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 3202. *ante C. N.* 746.
F. ☉ 18. ☽ 14.

Annus Johanni regis Iuda XI.
Pecah regis Iſraelitici XII.

Olympias octava acta die 12. *Auguſti, feria ſecunda*, qua Elei primum ſoli ludos Olympicos commiſerunt, cum antea ſocios habuiſſent Piſæos. Victor ſtadii fuit *Anticles* Meſſenius. *Pauſan. in poſter. Eliac.*

Æſimides Archon apud Athenienſes ſecundus eorum, qui Rempubl. decennii ſpatio adminiſtrabant, incipit. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3203. *ante C. N.* 745.
E. ☉ 19. ☽ 15.

Nabonaſſar *in Chaldæa imperium Babylone inſtituit, regnatque annis* 14. *Ab hoc rege celeberrima incipit epocha annorum Nabonaſſareorum, cujus initium eſt die* 26. *Febr. feriâ* 4. *in meridie, ad quam etiam Ptolemaus & alii Aſtronomi ecclipſes ſuas computant, & radicem motuum aſtronomicorum ad hoc tempus ſtatuunt. Et motus quidem Solaris aquabilis eſt in gradu* 0. 45. *piſcium, Luna verò in gradu* 11. 22. *Tauri.* Ptol. lib. 3. & 4. μεγάλε συντ.

Bellum omnium difficilimum Romulo à Sabinis infertur, quod toto triennio duravit. *Dion.*

ANNO MUNDI 3205. *ante C. N.* 743.
CB. ☉ 21. ☽ 17.

Pekah rex Iſraelis, & Rezin rex Syrorum incurſiones faciunt in Judæam, 2. *Reg.* 11.

Sabini tandem Romam obſident, arcem Tarpejam proditione capiunt, Romanos primo prælio fundunt: Sed cum Romulus templum Jovi Statori voviſſet, & prælium reſtituiſſet, id tandem raptarum virginum ſtudio, hinc patres, fratres, &c. illinc viros pacis admonentium, diremtum eſt. & Sabini in urbem recepti, Rexque Tatius in ſocietatem regni à Romulo aſſumtus, cum Romulo quinquennium regnat. *Dionyſ.*

Annus ſabbathicus tertius Iobelei Iudaici decimi quinti, incipit die 24. *Sept. fer.* 7. *anno Jud.* 3017.

ANNO MUNDI 3206. *ante C. N.* 742.
F. ☉ 22. ☽ 18.

Annus Jothami regis Juda decimus quintus.
Annus Pecah regis Iſraelitici decimus ſextus.
Annus Nabonaſſ. 4. *incipit die* 25 *Feb. feria* 7.

Olympias nona acta die 29. *Iulii, feria* 7. quam vicit Xenodocus, *ut Pauſanias habet*, vel Xenocles, *ut African.*

Sabbacon Æthiops in Ægyptum irruit, & Bocchorin prælio captum igne cremat, regnatque annos 8. *Manetho.*

ANNO MUNDI 3207. *ante C. N.* 741.
G. ☉ 23. ☽ 19.

Iotham rex Judæ moritur anno regni decimo ſexto, cujus autoritas jam non parum inclinabatur: ſuccedit filius Achas, rex Judæ duodecimus, anno decimo ſeptimo Pecah regis Iſraelitici, regnatque annos ſedecim, homo impius, inconſtans, hypocrita, & religionem & rituum externorum ſtultus imitator, 2. *Reg.* 16.

Lacedæmonii Meſſeniis bellum inferunt, & Amphæa evertunt, anno ſecundo Olympiadis nonæ; cùm Æſimides quintum annum ſummæ, Reipubl. apud Athenienſes præeſſet. Bellum primis annis tantum populationibus geſtum *Pauſan.*

ANNO MUNDI 3208. *ante C. N.* 740.
F. ☉ 24. ☽ 1.

Rex Syrorum REZIN, & Iſraelis PEKAH obſidione premunt Hieroſolymam, ſed fruſtra. Interim tamen ferro & igne totam Judæam vaſtant, trucidant centum & viginti millia militum, abducunt in triſtiſſimam ſervitutem ducenta millia hominum, quos tamen ſuaſu Prophetæ OBED iterum dimittunt, 2. *Chron.* 28. *Eſa.* 7.

Eſaias Propheta prædicit, virginem parituram, & ambos reges hoſtium tollendos: alterum quidem eo temporis ſpatio, quanto ille virginis filius, vel quivis alius infans indiget ad diſcendum diſcrimen inter mala rejicienda, & bona eligenda: Syrorum verò regem periturum, antequam filius Propheteſſæ tunc parturientis loqui poſſit *Abbi ammi*, hoc eſt intra biennium, *Eſa.* 7.

ANNO MUNDI 3209. *ante C. N.* 739.
ED. ☉ 25. ☽ 2.

Meles, Lydorum rex III. Sardibus poſt Alyatten, qui annis 14. præfuerat, regnat annis 12. *Euſ.*

Achas Aſſyriorum regem Tiglatphulaſſer in auxilium evocat, qui Damaſcum vi expugnat, & regem REZIN trucidat: in regno verò Iſraelitico tribum Nephtali & finitimos captivos in Aſſyriam abducit, 2. *Chron.* 28. 1. *Chron.* 6. 2. *Reg.* 15.

Achas obviam proficiſcitur regi Aſſyriorum, & jubet altare Hieroſolymis extrui ad exemplum altaris Damaſceni, quod ſtudioſe exequitur *Vrias* Pontifex, qui regis Idololatræ nutus majoris facit, quam mandatum Dei, 2. *Reg.* 15.

ANNO MUNDI 3210. *ante C. N.* 738.
C. ☉ 26. ☽ 3.

Annus Nabonaſſ. octavus incipit die 24. *Februar. feria* 4.
Annus Achas regis Iuda quartus.
Annus Pecah Iſraelitici viceſimus.

Olympias decima act die 14. *Auguſti, fer.* 7. Victor Stadii *Lorades* Meſſenius. *Afric.*

Tatius Collega Romuli in regno, poſt quintum annum Laurentii, quod latrones quoſdam ſupplicio eriperet, trucidatur. *Plut. Dion.*

Pecah, Rex Iſraelis, anno viceſimo regni, quod cæde pepererat, idem regnum cæde amittit, ab Hoſea per inſidias comprehenſus & trucidatus, 2. *Reg.* 15. Hoſeas interim regnat, non tamen ab omnibus recipitur, niſi poſt annos octo, anno videlicet 12. Achaſi, 2. *Reg.* 12.

ANNO MUNDI 3212. *ante C. N.* 736. A. ☉ 28. ☽ 5.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei 15. incipit 7. Sept. feria 5. anno Jud. 3024.

Fidenas Colonia à Romulo deducta Idibus Aprilis, civibus eò miſſis 2500. *Plut. in Romulo.*

Clidicus Archon apud Athenienſes tertius ex Decennalibus. *Euſeb.*

Lacedæmonii prælio concurrunt cum Meſſeniis, ſed æquâ clade diſcedunt, pugnantes nox oppreſſit. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3213. *ante C. N.* 735. GF. ☉ 1. ☽ 6.

Romulus *Cameriam* Coloniam deducit poſt conditas Fidenas, anno 16. poſt conditam Romam, Calendis ſextilibus, deductis eo quinque millibus civium. *Plutarch.*

Polydorus, filius Alcamenis regis Spartanorum ex Agidarum familia, Patri, qui annos 77. regnarat, ſuccedit, ſed quot annis regnaverit ex hiſtoriis non conſtat, ut & ſequentium regum, usque ad cædam Leonidæ ad Thermopylas, intervallo annorum 297. in quo hi reges fuerunt: Euricrates, Polydori filius; Anaxander; Euricrates ſecundus, Leon, Anaxandrides, Cleomenes. Regnante autem Polydoro, Spartani duas colonias in Italiam deduxerunt, *Crotonem* & *Locros. Pauſ. in Laconicis.*

Iterum prælium committitur inter Lacedæmonios & Meſſenios, poſt obitum Alcamenis regis: Id verò longe fuit acerrimum, nocte quidem diremtum eſt, ſed major tamen clades fuit Meſſeniorum, quòd infirmiores viribus eſſent. Succedunt igitur in montem Ithomen, ibique urbe munitâ conſulunt oraculum de belli eventu, quo jubentur virginem immolare, ſed prima, ſorte ducta, aufugit, alteram pater ipſe offert, quam repugnantem ipſe occidit. *Pauſ. in Meſſ.*

ANNO MUNDI 3214. *ante C. N.* 734. E. ☉ 2. ☽ 7.

Annus Achas regis Juda octavus.

Annus interregni Iſraelitici quartus.

Annus Nabonaſſareus 12. incipit die 23. Martii feria 4.

Olympias undecima acta die 30. Julis feria 4. In Stadio vicit *Xenothares* Meſſenius.

Græcorum primi Chalcidenſes ex Euboea Coloniam educunt in Siciliam, duce *Thucle*, & *Naxum* urbem condunt, quæ tamen bellis vaſtata, nulla fuit, cum Strabo viveret. *Thuc. lib. 6.*

Sevechus Æthiops, filius Sabbaconis, parenti, qui in Ægypto 8. annos regnaverat, ſuccedit, & regnat annis 14. *Manetho.*

ANNO MUNDI 3215. *ante C. N.* 733. D. ☉ 3. ☽ 8.

Archias quidam ex Heraclidarum genere, exemplo Chalcidenſium incitatus, ex Corintho Colonos in Siciliam ducit, & Syracuſas expulſis Siculis condit. *Thucyd. l. 6.*

Perdiccas, Rex Macedonum quartus, ſuccedit Thurimæ, qui annis 38. regnaverat, & præeſt Macedoniæ annis 51. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3217. *ante C. N.* 731. CB. ☉ 5. ☽ 10.

Arbianes rex Medorum quintus, ſuccedit Artycæ, qui annis 32. præfuerat, & regnat annos 22. *Diod. ex Cteſia.*

ANNO MUNDI 3218. *ante C. N.* 730. A. ☉ 6. ☽ 11.

Annus Achas regis Juda duodecimus.

Annus interregni Iſraelitici octavus.

Annus Nabonaſſ. decimus ſextus incipit 22. Feb. feria 5.

Nabonaſſar *Chaldaeorum rex, cùm annos 15. regnaſſet, moritur, ſuccedit Naſſius, qui tantùm annos duos regnat.* Ptolom. in Canone.

Olympias duodecima acta die 15. Aug. feria 4. vicit in ea Stadium *Oxydamis* Coronæus. *Afric.*

Hoſea rex Iſraelis decimus nonus & ultimus, cùm octo annos in occupando regno conſumſiſſet, tandem recipitur, anno duodecimo regis Judæ *Achas*, regnat annis 9. 2. *Reg.* 17.

ANNO MUNDI 3219. *ante C. N.* 729. F. ☉ 7. ☽ 12.

Lacedæmonii cum Meſſeniis iterum prælio concurrunt, anno ſecundo Olympiadis 12. in quo *Euphaes* rex Meſſeniorum cadit, cùm annos 13. regnaſſet, tot videlicet, quot bellum hoc Meſſeniacum duraverat. *Pauſ.*

Annus ſabbathicus quintus, Jobelei decimi quinti, incipit die 28. Sept. anno Jud. 3031.

ANNO MUNDI 3220. *ante C. N.* 728. E. ☉ 8. ☽ 13.

Ezechias patris peſſimi filius præſtantiſſimus, DEI amans, & rectæ religionis inſtaurator, à patre aſſumitur ſocius regni, 2. *Reg.* 17. regnatque annis ſolidis 29.

Ariſtodemus, qui filiam pro patria mori recuſantem nuper interfecerat, creatur rex Meſſeniorum. *Pauſ.*

Naſſius *rex Chaldaeorum in Babilonia ſecundus, cùm biennium regnaſſet, moritur: ſuccedunt bini reges Chinzerus & Porus, qui ſimul quinquennium imperarunt.* Ptolom. in Canone.

Salmanaſſar bello petit Hoſeam regem Iſraelis, qui impar viribus, ſubjicit ſe regi Aſſyriorum, & tributum ſive penſionem annuam promittit, 2. *Reg.* 17.

ANNO MUNDI 3221. *ante C. N.* 727. DC. ☉ 9. ☽ 14.

Candaules Myrſilus in regno Lydorum ſuccedit Meli, qui annos 12. regnarat, & præeſt annis 18. *Euſeb.*

Thucles atque Chalcidenſes, ſeptimo anno poſt inhabitatas Syracuſas, Leontinos, ejectis bello Siculis, incolunt, & dehinc *Catanam* ædificant. *Thucyd. l. 6.*

ANNO

ANNO MUNDI 3222. *ante C. N.* 726.
B. ☉ 10. ☽ 15.

Annus Achas regis Juda decimus ſextus & ultimus: & idem eſt Ezechiæ primi.

Annus Hoſeæ regis Iſraelitici quartus.

Annus Nabonaſſaris 2. incipit die 22. Februar. fer. 2.

Achas malis domeſticis & externis propter impietatem obrutus, tandem moritur. Eodem tempore Eſaias *c.* 15. prædicit victoriam Ezechiæ de Philiſtæis, quos fugavit usque ad Gazam, 2. *Reg.* 18.

Hoſea rex Iſraelis conſpirat cum rege Ægyptiorum So, qui fortaſſis Manethoni eſt Sevechus Æthiops, 2. *Reg.* 17.

Lamis quidam e *Megarâ* Coloniam educit in Siciliam, & ad Leontinos ſeſe applicat, ſed non recipitur: quapropter exactus inde ſuos in Thapſo aliquandiu collocat, inde Hyblonem concedunt, & tandem Siculo duce *Megaras* condunt. *Thucyd. lib.* 6.

Olympias decima tertia acta die primo Auguſti, feria prima. Victor Stadii *Diocles* Corinthius. Eſt annus Olymp. 49. *Afric.*

Hyppomenes Archon decennalis apud Athenienſes ordine quartus incipit, *Euſeb.* Hic adulterum cum filiâ deprehenſum equis diſcerpſit. Filiam verò cum equo carceri incluſit, quæ ab equo, cùm neutri alimentum præberetur, viva devorata fuit. *Reiner.*

ANNO MUNDI 3223. *ante C. N.* 725.
A. ☉ 11. ☽ 16.

Salmanaſſar, contra rebellem Hoſeam regem Iſraelis, expeditionem ſuſcipit, eúmque prælio captum in vincula conjicit, 2. *Reg.* 17.

Lacedæmonii, anno ſecundo Olymp. 13. iterum cum Meſſeniis prælio congrediuntur, in quo Spartani inferiores partes ſortiuntur. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3224. *ante C. N.* 724.
G. ☉ 12. ☽ 17.

Tribus Simeon circa hæc tempora reliquas Amalecitarum ſedibus ſuis ejicit, & occupat eorum fines circa Gedar, 1. *Chron.* 5.

ANNO MUNDI 3225. *ante C. N.* 723.
FE. ☉ 13. ☽ 18.

Chinzerus *& Porus, Chaldaeorum reges, regno à ſubditis pelluntur, anno quinto imperii: Succedit* Dilulæus, *qui præeſt regno annis ſolidis quatuor,* Ptol. in Canon.

Anno quarto Ezechiæ, qui eſt Hoſeæ ſeptimus, *Salmanaſſar* Aſſyriorum rex cum ingenti exercitu Samariam obſidet, 2. *Reg.* 18.

ANNO MUNDI 3226. *ante C. N.* 722.
D. ☉ 14. ☽ 19.

Annus Ezechiæ regis Juda quintus.

Annus Hoſeæ regis Iſraelitici octavus.

Annus Nabonaſſ. 24. incipit, die 20. Febr. fer. 6.

Cùm Meſſenii ex oraculo didiciſſent, pro victoriâ Jovi apud Meſſenios dedicandos eſſe tripodes: Spartanorum quidam, oraculo hoc comperto, fraude ad Meſſenios venit, & tripodes dedicat, priusquam Meſſeniorum tripodes fabricarentur. Cùm verò paulò pòſt prodigia evenirent triſtia, Ariſtodemus Meſſeniorum rex iis perterritus, manus ſibi violentas infert, cùm regnaſſet ſex annos & aliquot menſes. *Pauſ.*

Olympias decima quarta acta die 17. Auguſti, feria 2. Victor Stadii *Damon* Corinthus, Eſt annus Olymp. 53.

Hac Olympiade additus eſt duplicati ſtadii curſus, Græci δίαυλον vocant, ejusque victor fuit *Hypenus* Eleus, vel Piſæus, ut *Pauſ. habet.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei decimi quinti, incipit die 1. Sept. fer. 3. anno Jud. 3038.

Bellum *Meſſenicum* primum finitum eſt anno primo Olymp. 14. quâ Damon Corinth. ſtadio vicit, cùm Hippomeni 4. annus apud Athenienſes exactus eſſet, cùm annis viginti ſolidis inter populos maximè vicinos duraſſet. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3227. *ante C. N.* 721.
C. ☉ 15. ☽ 1.

Romulus difficile bellum gerit cum Vejentibus, qui diſtabant Roma tantùm centum ſtadiis, eosque hoc anno vincit. Sed Vejentes ſequenti anno exercitum reparant & majores copias contrahunt: ſed nec Romulus in apparandis viribus ſegnior fuit, quapropter iterum vincit, victos agri parte cis Tiberim mulctat, obſides exigit quinquaginta, & in centum annos pacem cum iis pangit.

Samaria tandem expugnatur anno ſabbathico, & excinditur, populusque Iſraeliticus in Medorum Colonias, miſerabili & perpetua ſervitute, diſpergitur, anno à diſtributâ terrâ ſeptingenteſimo triceſimo, à marte Salomonis 258.

ANNO MUNDI 3228. *ante C. N.* 720.
B. ☉ 16. ☽ 2.

Tharachus Æthiops in regno Ægypti ſuccedit Sevecho, qui annis 14. regnarat, & imperat annis 18. *Maneth. in 3. tom. Herod. ſed obſcurè.*

ANNO MUNDI 3229. *ante C. N.* 719.
AG. ☉ 17. ☽ 3.

Mardocempad ſuccedit Dilulæo in Chaldæorum regno, poſt quartum anni regnum, idque adminiſtrat annis 12. *Ptolom. in Canone.*

Ptolom. lib. 4. μεγ. συν. annotat Ecclipſin factam primo anno Mardocempadi, diebus 29. transactis, menſis Thot, ſive primi menſis, quod acciderit horis duabus & dimidia, ante mediam noctem Alexandriæ. Ad has tabulas accidit die 19. Martii, veſperè horis 2, 25, 26. ante mediam noctem. Latitudo vera 12, 4. ſemidiam Lunæ 16, 36. ſcrupula reſidua 48, 3. digiti 17, 22. Sol. in 21. gr. 28. piſcium.

ANNO MUNDI 3230. *ante C. N.* 718.
F. ☉ 18. ☽ 4.

Annus Ezechiæ 9.

Annus Nabonaſſ. 28. incipit 19. Febr. feria 3.

Sybaris urbis in Italia conditur ab Achæis. *Euſ.*

Ecclipſis Lunæ annotatur a Ptolomæo, quæ facta ſit anno Mardocempadi ſecundo, nocte, quæ ſecuta ſit diem 18. Thot, ſive 1. menſis minutis 50. ante mediam noctē, quæ fuerit trium digitorum ferè: Ea accidit nobis, die 8. Mar. fer. 6. Vera latit. min. 52, 28. ſem. Lunæ

 16, 1.

26, 1. *Umbra* 42, 31. *Reſiduum* 6, 4. *digiti ecliptici* 2,15. *Facta Alexandria horâ* 11, 45. *poſt meridiem. Sed in* 11. *piſcium.*

Olymp. 15. *acta die* 3. *Auguſti, fer.* 7. Victor Stadii *Orſippus* Megarenſis.

Lampris verò Lacedæmonius, primus victor quinquertii, & *Acanthus* Lacedæmonius, primus Gymnicum certamen nudus obivit, de quâre *Dionyſ. lib.* 7. ſic ait: *Lacedamonii primi fuerunt, qui voluerunt in certaminibus homines planè eſſe nudos, cùm alias ſubligacula haberent, & Acanthus Lacedamonius Olymp.* 15. *primus in ſtadio nudus decurrit.* Eſt annus Olymp 57.

Ecclipſis alterà Ptolomao hoc anno annotatur, qua acciderit anno ſecundo Merodachi regis Chaldaorum, veſpere, qui ſecutus eſt diem 15. *menſis Phamenoth, quando Luna plus dimidia ſuâ parte obſcurata eſt horis* 4, 20. *ante mediam noctem. Nobis eadem accidit die primo Septemb. feria prima. Alexandria, hora* 8, 46. *poſt merid. Vera latitudo Luna auſtralis min.* 50, 31. *ſemidiam. Luna* 17, 57. *Umbra* 46, 18. *ex quibus latitudo ſubtracta relinquit min.* 13, 47. *qua dant ferè quinque digitos eclipticos à parte ſeptentrionali: Sol in principio Libra.*

ANNO MUNDI 3231. *ante C. N.* 717. E. ☉ 19. ☽ 5.

Sennaherib Aſſyriorum rex, regem Ægypti multiplicibus cladibus afficit, urbem No evertit, & multa militia captivorum abducit. *Eſa.* 20. *Nahum.* 3.

ANNO MUNDI 3232. *ante C. N.* 716. D. ☉ 20. ☽ 6.

Leocrates Quintus Archon apud Athenienſes eorum, qui decenni ſpatio Reipub. præfuerunt, incipit. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3233. *ante C. N.* 715. CB. ☉ 21. ☽ 7.

Taracus Æthiops rex Ægypti, cladem ab Aſſyriis illatam vindicaturus, minitatur, ſe in Syriam exercitu impreſſionem facturum. *Eſa.* 37. *v.* 9.

Eſaia Prophetæ & Ezechiæ Regis precibus exercitus *Sennaherib* proſternitur, ita, ut una nocte centum & octoginta millia hoſtium ab Angelo cæderentur. Paulò poſt Ezechias rex lethaliter decumbit, ſed precibus impetrat annorum quindecim vitæ acceſſionem, & miraculo cœleſti, umbrâ Solis retrogradâ, confirmatur. *Eſa.* 36.

Annus ſabbathicus & Jobelaus decimus quintus à diviſione terra; init die 13. *Septemb. feria* 3. *Anno* Jud. 3045.

ANNO MUNDI 3234. *ante C. N.* 714. A. ☉ 22. ☽ 8.

Annus Ezechia regis Juda decimus tertius.

Annus Nabonaſſ. 32. *incipit die* 18. *Feb. feria* 7.

Merodacchi legati Ezechiæ de ſanitate recuperata gratulantur, quos magnificè Ezechias ſuſcipit. 2. *Regum.* 20. *Eſa.* 39. & 2. *Paral.* 32.

Cherſoneſus in Siciliâ exculta, & urbs Mylæ vel Mylaſſus condita. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3235. *ante C. N.* 713. G. ☉ 23. ☽ 9.

Dionyſius autor eſt, à Majoribus ita per manus traditum: Rõmulum conceptum in ecclipſi Solari, & mortuum etiam in ecclipſi ſolari. Ecclipſin in conceptione ſupra habuimus.

Hoc anno, qui eſt primus Olymp. 16. *quo etiam defunctus ſtatuitur Romulus, fuit etiam ecclipſis Solis, die* 26. *Maji, & qua quidem exhibetur in tabulis Prutenicis, cùm Sol occideret: ſed ad haſce tabulas eadem fit propter Parallaxin poſt occaſum Solis, ideo ambiguum ferè eſt, quid de hâc ecclipſi ſentiendum. Ante ſeſquiannuum ſpacium extitit ſimiliter ecclipſis, die* 10. *Decembr. ultra ſex digitos min.* 43. *ante meridiem. Sed tamen nihil innovandum videtur.*

Olymp. 16. *acta* 18. *Aug. fer.* 6. *Eſt annus Olymp.* 61.

Stadium vicit *Pythagoras* Lacedæmonius. *Dion.*

Romulus turbine abripitur ad Capræ paludem, nonis Quintilibus, *ut Livius habet*, vel interfectus eſt, ut Dionyſ. aſſerit, ubi ulterius addit: Quòd Sol defecerit, & in ejus conceptu, & in ejus obitu: mortuus, cùm regnaſſet annos 37. Secutum eſt interregnum unius anni. Porrò res Romana ſub ipſo adeò crevit, ut cùm trium millium peditum Coloniam deduxiſſet, & equites trecentos; ſub obitum ejus numerarentur pedites 46000. & mille equites. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 3236. *ante C. N.* 712. F. ☉ 24. ☽ 10.

Numa Pompilius, ſecundus Romanorum rex, poſt annuum interregnum, & diutinam deliberationem, ad regnum evocatur, annos natus 40. regnat annos 43. Nullum bellum geſſit, tantum Sacra Romana inſtituit & curavit. Aſſes primus ex non ſignato argento & ære cuſos Romanis largitus eſt, cùm antea ipſorum uſum aſſes ſcortei, ſignei & figulini ſupplerent. *Plut.* & *Dionyſ.* Pythagoras etiam Lacedæmonius, qui proximam vicerat Olympiadem, ad Numam profectus eſt, *teſte Plutarcho*, unde fabula orta, Pythagoram Samium Philoſophum Numæ præceptorem fuiſſe, qui tamen vix ſeſquicentenis annis Numam ſequitur. *Dionyſ.*

ANNO MUNDI 3237. *ante C. N.* 711. ED. ☉ 25. ☽ 11.

Manaſſes filius Ezechiæ naſcitur, ſiquidem duodecim annorum fuit, cùm poſt Ezechiam regnaret, 2. *Reg.* 21.

Nahum Propheta circa hæc tempora floret. Vaſtationem enim urbis No, quam Eſaias prædixerat, factam ſcribit, & conſolatur Judæos, ne iterum ſibi metuant ab Aſſyriis, quos evertendos prædicit à Medis. *cap.* 3.

ANNO MUNDI 3238. *ante C. N.* 710. C. ☉ 26. ☽ 12.

Annus Ezechia regis Juda decimus ſeptimus.

Annus Nabonaſſ. 36. *incipit* 17. *Febr. feria* 4.

Aſta-

Aſtacus urbs in Aſia à Megarenſibus condita, quæ poſtea *Nicomedia* dicta eſt. *Strabo Euſeb.*

Olympias decima ſeptima acta die 4. Aug. fer. 4. Stadium vicit *Polus* Epidaurius. Eſt annus Olymp. 65. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3239. *ante C. N.* 709.
B. ☉ 27. ☽ 13.

Candaules Myrſilus, ultimus Lydorum rex ex Heraclidis; dum veſano inſtituto Gygi uxorem nudam conſpiciendam præbet, ſibi interitum parat, Gygi verò matrimonium & regnum conciliat. Regnaverat Candaules annis 18. Gyges verò obtinuit regnum annis 33. *Herodot.*

Deioces *Medus, cum privatus peculiari prudentia lites inter vicinos diremiſſet, rex ab ipſis eligitur, regnatque annos* 53. Herod. *præceſſerat hunc Artianes, qui annos 22. regnarat.* Diod.

ANNO MUNDI 3240. *ante C. N.* 708.
A. ☉ 28. ☽ 14.

Corinthii Corcyram Coloniam deducunt, annis ducentis ferè poſt conditam Carthaginem. *Diod.*

Myſcelus Lacedæmonius condit Crotoniatarum urbem anno 3. Olymp. 17. annis quatuor poſt Numam electum regem. Petiit autem Myſcelus locum à Pythia, ſalubrem habitantibus: cum Archias qui Syracuſas condiderat, petiiſſet locum divitiis affluentem, *Dion. lib. 2. Pauſ.*

Annus ſabbathicus primus Iubelei decimi ſexti incipit die 28. Sept. fer. 5. Anno Iud. 3052.

ANNO MUNDI 3241. *ante C. N.* 707.
GF. ☉ 1. ☽ 15.

Babylone poſt Mardocempad, qui annis 12. præfuerat, incipit *Arceanus*, qui regnat annos quinque. *Ptolom. in Canone.*

ANNO MUNDI 3242. *ante C. N.* 706.
E. ☉ 2. ☽ 16.

Annus Ezechiæ regis viceſimus primus.

Annus Nabonaſſaris 40. *incipit die 16. Febr. feria prima.*

Deioces rex Medorum Ecbatanam condit, quam dirutam poſtea Seleucus inſtauravit. *Plin. Euſeb.*

Olympias decima octava acta die 20. Auguſti, feria 4. Stadium vicit *Tellus* Sicyonius. Certamen quinquertii & luctæ inſtitutum eſt, & præmium quinquertii *Lampidi*, Luctæ verò *Euribato*, Laconibus utriſque obtigit. *Pauſ. Eſt annus Olymp. 69.*

Apſandrus Archon decennalis ſextus apud Athenienſes, ſuccedit Leocrati. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3243. *ante C. N.* 705.
D. ☉ 3. ☽ 17.

Numa octavo anno regni, cùm lues graviſſima Romam invaſiſſet, Salios inſtituit, qui choreas egerunt per urbem menſe Martio. *Plutarch.*

ANNO MUNDI 3244. *ante C. N.* 704.
C. ☉ 4. ☽ 18.

Glaucus quidam, regnante Numa, primus ferri inter ſe glutinum excogitavit. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3246. *ante C. N.* 702.
G. ☉ 6. ☽ 1.

Annus Ezechiæ regis Iuda viceſimus quintus.

Annus Nabonaſſaris 44 incipit die 15. Februar. fer. 5.

Tharacus rex Ægypti, relicto regno, poſt annum decimum octavum ad Æthiopes redit; Ægyptii verò regem faciunt *Stephinatem Saitam*, qui regnat annos ſeptem. *Maneth.*

Parion urbs Siciliæ, olim à Iaſio fratre Dardani condita, inſtauratur, & Colonia eò à Mileſiis deducitur. *Euſeb.*

Neophtolemus autem Poeta fuit Parianus, quem ad verbum expreſſit Horatius in epiſtola ad Piſones, *Scal.*

Olympias decima nona acta die 6. Aug. feria ſecunda, vicit Stadium *Menon Megarenſis*, *Afric.* Eſt annus Olympiadicus 73.

ANNO MUNDI 3247. *ante C. N.* 701.
E. ☉ 7. ☽ 2.

Annus ſecundus ſabbathicus Iobelei Iudaici decimi ſexti, incipit die 7. Sept. fer. 2. Anno Iud. 3059.

ANNO MUNDI 3248. *ante C. N.* 700.
E. ☉ 8. ☽ 3.

Poſt biennii interregnum, in regno Babylonico; ſuccedit Belibus *rex ſeptimus, regnatque annis tribus.* Ptolom. in Canone.

ANNO MUNDI 3250. *ante C. N.* 698.
B. ☉ 10. ☽ 5.

Annus Ezechiæ regis Iuda viceſimus nonus.

Annus Nabonaſſaris 48. *incipit die 14. Febr. fer. 2.*

Olympias XX. acta die 23. Julii fer. 7. Eſt annus Olymp. 77. *Stadium* vicit *Atherades* Lacedemonus.

ANNO MUNDI 3251. *ante C. N.* 667.
A. ☉ 11. ☽ 6.

Ezechias rex Judæ, poſt annum viceſimum nonum regni moritur, 2. *Chron.* 32. ſuccedit filius MANASSES, Rex Judæ XIV, impiorum crudeliſſimus, Prophetarum perricida, Augurum, Conjectorum & fatidicorum cultor; regnavit annos 55. 2. *Reg.* 21. 2. *Chron.* 33.

Apronadius *rex octavus, ſuccedit in regno Babylonico, cum Belibus poſt tertium annum defunctus eſſet, regnatque annis* 6. Ptolom. in Canone.

ANNO MUNDI 3252. *ante C. N.* 696.
G. ☉ 12. ☽ 7.

Eryxias Archon apud Athenienſes decennalis ordine ſeptimus, ſuccedit Apſandro. *Euſeb. Pauſ.*

ANNO MUNDI 3253. *ante C. N.* 695.
FE. ☉ 13. ☽ 8.

Nechepſus Saites in Ægypto ſuccedit Stephinati, qui poſt annum regni ſeptimum defunctus erat, regnatque annos 6. *Maneth.*

ANNO MUNDI 3254. *ante C. N.* 694.
D. ☉ 14. ☽ 9.

Annus Nabonaſſaris 52. *incipit die 13. Februar. feria 6.*

Olymp. XXI. acta die 7. Auguſti, fer. 6. Eſt annus Olympiadicus 81. Stadium vicit *Pantacles* Athenienſis.

Annus tertius ſabbathicus Jobelei Judaici decimi ſexti, incipit die 21. Sept. feria 2. Anno Jud. 3066.

ANNO MUNDI 3257. *ante C. N.* 691.
AG. ☉ 17. ☽ 12.

Rigebelus *poſt Apronadium, qui ſex annis præfuerat, in regno Babylonico rex nonus ſuccedit, regnatque anno uno.* Ptol. in Canon.

ANNO MUNDI 3258. *ante C. N.* 690.
F. ☉ 18. ☽ 13.

Annus Manaſſis regis Juda octavus.

Annus Nabonaſſaris 56. incipit die 12. Februar. feria tertia.

Meſeſſimardacus, Babyloniorum rex 10. ſuccedit Rigebelo, qui unico tantum anno præfuerat, regnatque annis 4. *Ptolom. in Canone.*

Olympias 22. acta die 24. Iulii, fer. 4. Eſt annus Olymp. 85. Stadium vicit *Pantacles* Athenienſis iterum.

ANNO MUNDI 3259. *ante C. N.* 689.
E. ☉ 19. ☽ 14.

Nechepſus rex Ægypti, poſt annum 6. regni moritur, ſequitur interregnum annorum duorum, *Diod. lib.* 1.

ANNO MUNDI 3260. *ante C. N.* 688.
D. ☉ 20. ☽ 8.

Lacius & Antiphemus fratres Lindii, oraculum de deducendis Coloniis conſulunt. Lacio reſpondetur, ut in Orientem naviget; Antiphemo, ut in Occidentem tendat. Ita Lacius Phaſelidem in Pamphylia condidit, Antiphemus verò *Gelam* in Sicilia, anno 45. poſt habitatas Syracuſas facto nomine à Gela flumine. *Dionyſ. lib. 6. Athen.*

In regno Babylonico cum Meſeſſimardacus poſt quartum annum regni defunctus eſſet, ſequitur interregnum annorum ſolidorum octo. Ptol. in Can.

ANNO MUNDI 3261. *ante C. N.* 687.
CB. ☉ 21. ☽ 16.

Poſt Anarchiam illam Ægyptiorum biennii, Status regni conveniunt, & regnum Optimatibus diſtribuunt, creatis ſimul duodecim regibus, qui annis circiter 18. regnarunt. *Diod. lib.* 1.

Annus Sabbathicus 4. Jebelei Judaici decimi ſexti, incipit 5. Sept. fer. 2. Anno Iud. 3073.

ANNO MUNDI 3262. *ante C. N.* 686.
A. ☉ 22. ☽ 17.

Annus Manaſſis regis Iuda duodecimus.

Annus Nabonaſſaris 60. incipit die 11. Februar. feria. 7.

Creon primus poſt Archontes illos decennales apud Athenienſes creatur Archon annuus, atque ita Reſpub. Athenienſis iterum exacto anno ſeptuageſimo mutata eſt. *Vellei.*

Olympias 23. acta eſt die 9. Auguſt. fer. 4. Victor Stadii fuit Icarius Hypereſſenſis. Additum fuit tum ludicris Olympicis ceſtuum certamen, quo vicit *Onomaſtus* Smyrnæus, qui primus hujus certaminis leges præſcripſit. Fuit annus Olympiadicus 89. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3265. *ante C. N.* 683.
ED. ☉ 25. ☽ 1.

Secundum bellum Meſſenicum cœptum anno 39. poſt captam Ithonem, & prius bellum finitum, anno videlicet quarto Olymp. 23. qua ſtadio vicit Hypereſſenſis *Icarus*: apud Athenienſes tum erant annui Archontes, in quo magiſtratu erat Theſias. *Pauſ.*

Theſias Archon Athenienſis, *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3266. *ante C. N.* 682.
C. ☉ 26. ☽ 2.

Annus Manaſſis regis Iuda XVI.

Annus Nabonaſſ. 64. incipit die 10. Feb. fer. 4.

Perdiccas Macedonum rex moriturus, filio ſuo monſtravit locum, ubi ſua & ſucceſſorum condi juſſit oſſa, prædixitque regnum in ſua familia manſurum, quam diu poſterorum reliquæ ibi conderentur. Mortuus eſt, cum annos regnaſſet 51. Succedit filius *Argeus*, qui regnat annos 38.

Meſſenii, cum Lacedæmoniis primum prælio concurrunt hoc anno ad Daras; æquo marte inde diſceſſum eſt, quòd neutris aliorum auxilia adeſſent. *Pauſ.*

Olympias 24. acta die 26. Iulii, fer. 2. in qua ſtadii vicit *Cleoptolemus* Lacedæmonius. Eſt annus Olympiadicus 93.

ANNO MUNDI 3267. *ante C. N.* 681.
B. ☉ 27. ☽ 3.

Hoc anno Meſſenii iterum concurrunt cum Lacedæmoniis, cum utriusque ſocii adeſſent: ibi virtute *Ariſtomenis* Spartani magna clade vincuntur; qua clade territi de pace cogitant, ſed eos dehortatur *Tyrtæus* Poeta, Dux Spartanis miſſus ab Athenienſibus, *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3268. *ante C. N.* 680.
A. ☉ 28. ☽ 4.

Meſſenii tertio belli anno, cum ad foſſam iterum cum Lacedæmoniis concurriſſent, proditione Arcadum deſerti, magna clade afficiuntur, qua de re coacti ſunt relictis oppidis ſuis in *Iram* montem concedere, in quo obſeſſi à Spartanis, obſidionem undecim annis in varia fortuna pertulerunt *Pauſ.*

Annus ſabbathicus quintus Iebelei 16. incipit die 18. Sept. fer. 2. Anno Iud. 3080.

ANNO MUNDI 3270. *ante C. N.* 618.
E. ☉ 2. ☽ 6.

Annus Manaſſis regis Iuda viceſimus.

Annus Nabonaſſaris 68. incipit die 9. Februar. feria prima.

Anacreon Poeta Lyricus floret hiſce temporibus, *Euſeb.*

Archilochus Poeta temporibus Tulli Hoſtilii Romæ clarus habetur, ut Cornelius Nepos ſcribit. Sed Cicero putat eum vivente Romulo clarum fuiſſe.

Aſſaradinus *in regno Babylonico tandem eligitur rex poſt octo annorum interregnum, & imperat annis tredecim.* Ptol. in Can. Mathe.

Olympias XXV. acta die 11. Aug. fer. 1. in qua ſtadium vicit *Thalpius* Lacedæmonius, eſt annus Olympiadicus 97. ubi Curule certamen cæteris ludicris additum fuit, & equarum curſus, quo vicit *Pagondas* Thebanus. *Pauſ.*

ANNO

ANNO MUNDI 3272. *ante C. N.* 676.
C. ☉ 4. ☽ 8.

Gyges, cùm arma intuliſſet Mileto, Smyrnæ, & urbem Colophonem vi cepiſſet, moritur, cum annos 33. regnaſſet. Succedit filius *Ardys*, qui annis 43 regnavit, P ienenſes expugnavit, & Mileti fines bello vaſtavit, *Herod*.

ANNO MUNDI 3274. *ante C. N.* 674.
G. ☉ 6. ☽ 10.

Annus Manaſſis regis Juda viceſimus quartus.
Annus Nabonaſſ. 72. incipit die 8. Febr. fer. 5.

Olympias 26. acta die 27. Iulii, fer. 6. in qua vicit Stadium *Calliſthenes*: Quinquertii V. victor extitit *Philombrotus*, uterque Lacedæmonius. Eſt annus Olympiadicus 101.

Carnia Ludicum Spartæ inſtituium Olymp. 26. fuit autem certamen citharœdorum. Id ludicrum omnium primus vicit *Terpander*, qui ob id celeberrimus factus eſt, *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3275. *ante C. N.* 673.
F. ☉ 7. ☽ 11.

Chalcedon urbs celebris à Megarenſibus condita, *Euſeb.*

Annus ſabbathicus ſextus Iebelei Iudaici decimi ſexti, incipit 30. Sept. feria 2. anno Iud. 3087.

ANNO MUNDI 3277. *ante C. N.* 671.
C. ☉ 9. ☽ 13.

Interamna, anno octogeſimo poſt Romam condita, vivente adhuc Numa Pompilio. Ab ejus conditu usque ad Coſſ. Domitium Athenobarbum, & L. Vitellium, numerantur apud Tacitum, & in veteri monumento, anni 704. Eſt autem duplex Interamna, altera ad Lirim fluvium in Latio, altera ad Narin fluvium.

ANNO MUNDI 3278. *ante C. N.* 670.
B. ☉ 10. ☽ 14.

Annus Manaſſis regis Iudæ viceſimus octavus.
Annus Nabonaſſ. 76. incipit die 7. Febr. fer. 2.

Olympias XXVI. acta die 12. Auguſti, feria 6. In qua Stadium vicit *Eurypotas* Athenienſes, eſt annus Olympiadicus 105. *Dion. Pauſ.*

ANNO MUNDI 3279. *ante C. N.* 669.
A. ☉ 11. ☽ 15.

Tullus Hoſtilius, Hoſtili, qui in prælio cum Sabinis ceciderat, & Herſiliæ nobiliſſimæ fœminæ nepos, poſt Numam, qui annos 43. regnaverat, creatur à Romanis rex, anno 2. Olymp. 27. qua ſtadium vicit Eurybotas Athenienſis, Archonte *Leoſtrato. Dionyſ. lib. 2.*

ANNO MUNDI 3280. *ante C. N.* 668.
GF. ☉ 12. ☽ 16.

Pſammetichus unus ex Optimatibus, qui hactenus regnum Ægypti adminiſtrarant, cum Jones quidam & Cares eò fortè appuliſſent, forti eorum opera uſus, reliquos reges devincit & occidit, Græcis autem hiſce locum, ubi habitarent, dedit. Ex horum poſteris Herodotus habuit, quæ de regibus Ægypti ſcripſit. Regnavit autem Pſammetichus annis 54. *Herod. lib.* 2.

ANNO MUNDI 3281. *ante C. N.* 667.
E. ☉ 13. ☽ 17.

Archivi *prælio vincunt Lacedæmonios, ad Hyſias eo tempore, quando* Piſiſtratus *eſſet Archon Athenis, anno 4. ejus Olymp. qua Eurybotas Athenienſis victor de curriculo renunciatus eſt.* Pauſ. in Corin.

ANNO MUNDI 3282. *ante C. N.* 666.
D. ☉ 14. ☽ 18.

Annus Manaſſis regis Iudæ 32. annus urbis 85.
annus Nabonaſſ. 80. incipit die 6. Febr feria 6.
Olymbias XXVIII. acta die 29. Iul. fer. 4. in qua Stadii victor fuit *Charmislaon*. Hanc Olympiadem egerunt Piſæi, cum Elei bello contra Dymæos occupati eſſent, *Afr.*

Bellum Meſſenicum ſecundum tandem, cum intempeſta & pluvioſa nocte Lacedæmonii *Iram* montem per proditionem expugnaſſent, & Meſſenios dejeciſſent, finitur, paulò ante hyemem. Olympiadis 28. anno primo, cum Archon Athenienſis eſſet, *Autheſtenes.*

Annus Jobeleus Judaicus ordine decimus ſextus, incipit 12. Sept. fer. 7. anno Jud. 3094.

ANNO MUNDI 3283. *ante C. N.* 665.
C. ☉ 15. ☽ 19.

Ammon rex Judæ, filius Manaſſis, naſcitur. Erat quippe annorum 22. cum crearetur rex, 2. *Chron.* 33.

Meſſenii tandem ita convenit hac æſtate cum Spartanis, ut Peloponneſo excedant, & in Italiam abeant, quo evocabantur, ut latrones ex Zancla expellerent. Ab hoc anno usque dum in Peloponneſum ab Epaminonda revocantur, & in antiquam patriam reſtituuntur, ſunt anni 297.

Saosducheus *rex apud Babylonios duodecimus, ſuccedit Aſſaradino, qui tredecim annis præfuerat, regnatque annis* 20. Ptolom. in Canon.

ANNO MUNDI 3284. *ante C. N.* 664.
B. ☉ 16. ☽ 1.

Bellum inter *Tullum Hoſtilium* Romanorum regem & Albanos ortum, propter latrocinia quædam, cum Metius Suffetius primum creatus eſſet Dictator. Vicini Fidenates & Vejentes occaſionem inde quærunt, ut & victores & victos ſimul aggrediantur. Id cum cognitum eſſet, Metius & Tullus ita rem componunt, ut tergemini fratres ex utraque acie tantùm pugnarent, ut quam minimo damno controverſia finiretur. Vincunt, qui ex partibus Romanorum erant, *Liv. Dion.*

Alcman Poeta Lyricus Lacedæmonius vixit, ut Suidas habet, Olymp. 28. regnante Ardye patre Halyatris.

ANNO MUNDI 3285. *ante C. N.* 663.
AG. ☉ 17. ☽ 2.

Acra urbs in Sicilia à Syracuſanis occupata, annis ſeptuaginta poſt inhabitatas Syracuſas. *Dionyſ. lib.* 6.

ANNO MUNDI 3286. *ante C. N.* 662.
F. ☉ 18. ☽ 3.

Annus Manaſſis regis Juda triceſimus ſextus.
Annus urbis 89.
Annus Nabonaſſ. 84. incipit die 5. Febr. fer. 3.
Tullus Hoſtilius *rex Romanorum bellum Fidenatibus*

tibus infert, & auxilia Albanorum accerſit. In ipſo prælio Metius Albanorum Dictator proditionem molitur. Hoſtilius hiſce nihil deterritus, fortiter rem peragit, & Fidenates vincit; inde Metium, quod ancipitem in prælio animum geſſiſſet, quadrigis alligatum diſcerpit, & ipſam urbem Albam, *cum ſtetiſſet annis* 487. *ex fundamentis diruit, civesque ſimul omnes Romam traducit, Cælium montem urbi adjungit, & Curiam* Hoſtiliam *extruit.* Dion. l. 3.

Olympias 29. *acta die* 14. *Auguſt. fer.* 4. quam vicit *Chionis Lacon*, cujus ſaltus conſtabat pedib. 52. Eſt annus Olymp. 113. *Afric.*

Zancla à Meſſeniis tandem expugnatur & occupatur, anno primo Olymp. 29. in qua Stadii victor fuit *Chionis* Lacon, cum Athenis Archon eſſet *Miltiades, Pauſ.*

ANNO MUNDI 3287. *ante C. N.* 661. E. ☉ 19. ☽ 4.

Enna civitas Siciliæ, quæ ſuo ſanguine, bello Punico ſecundo poſt annos 45[illegible]. maduit, conditur. *Goltzius.*

Arion Methymnæus Delphine ad Tænarum advehitur: ejus rei ergò res geſta ære expreſſa eſt, cum præcedenti anno in Sicilia Agonem Muſicum viciſſet.

ANNO MUNDI 3288. *ante C. N.* 660. D. ☉ 20. ☽ 5.

Tullus Romanorum rex iterum contra Fidenates, qui bellum reparabant, expeditionem ſuſcipit, eosque vincit & oppidum capit. Civibus tamen deprecantibus veniam dedit, *Dion.*

ANNO MUNDI 3289. *ante C. N.* 659. CB. ☉ 21. ☽ 6.

Annus ſabbathicus primus Jobelei Judaici decimiſeptimi, incipit 24. *Sept. fer.* 7. *Anno Iud.* 3101.

ANNO MUNDI 3290. *ante C. N.* 658. A. ☉ 22. ☽ 7.

Annus Manaſſis regis Iuda quadrageſimus.

Annus urbis 93.

Annus Nabonaſſaris 88. *incipit die* 4. *Februar. fer. ſept.*

Acanthus urbs, & *Stagira* patria Ariſtotelis in Iſthmo, ſive Cherſoneſo montis Atho conditæ, & Acanthus quidem condita ab Andriis. *Plutarchus in quæſt. græc.* 30.

Olympias triceſima acta die 30. *Julii fer.* 1. in qua Stadii victor fuit *Chionis* Lacon ſecundum, *Afric.* Eſt annus Olymp. 117.

ANNO MUNDI 3292. *ante C. N.* 656. F. ☉ 24. ☽ 9.

Byzantium Græci duce *Byzante* Megarenſi condiderunt, juſſi ab oraculo ſedem quærere cæcorum terris adverſam, quod Chalcedonenſes priores illuc advecti, parum viſa locorum commoditate, pejora elegiſſent. Id poſtea Colonis auctum fuit à Pauſania rege Spartanorum. *Euſebius Athenæ.*

Bellum Sabinum à Tullo Romanorum rege motum, quòd Sabini quosdam Romanos ſpoliarant, & in vinculis detinebant. Hosce ulturus Tullus, bellum Sabinis indicit: concurritur aſpero prælio, ſed æquo Marte diſceditur. *Dion. l.* 3.

ANNO MUNDI 3293. *ante C. N.* 655. ED. ☉ 25. ☽ 10.

Sequenti anno bellum inter Tullum & Sabinos minoribus viribus reparatur, & iterum prælium committitur. Cumque hoſtes obſtinate reſiſterent, Tullus vovit Saturno & Opi ferias, & paulo poſt vincit: Hinc Saturnalia *orta. Sabini ſolvunt mulctam, & captivos atque perfugas reſtituunt. Pax columnis inſcribitur. Dionyſ. lib.* 3. *Non diu poſt Sabini rupta pace bellum inſtaurant, ſed graviore prælio victi, ſub jugum redeunt.*

Phraortes Medorum rex ſecundus poſt Deiocem, qui annis 53. regnarat, ſuccedit, qui non contentus imperio Medorum, Bellum Perſis intulit, eosque ſibi ſubjicit, inde Aſiam aggreſſus eſt. Regnavit autem annis ferè 22. *Herod.*

ANNO MUNDI 3294. *ante C. N.* 654. C. ☉ 26. ☽ 11.

Annus Manaſſis regis Juda quadrageſimus quartus.

Annus ab urbe condita 97.

Annus Nabonaſſ. 92. *incipit die* 3. *Febr. fer.* 4.

Pſammetichus Saita Ægypti rex expeditionem in Syriam ſuſcipit & Azothum urbem per annos 29. oppugnat, *Herod. & Diodor.*

Olympias XXXI. acta 15. *Aug. feria* 1. in qua Stadium vicit *Chionis* Lacedæmonius tertium. *Afric.* Eſt annus Olympiadicus 121.

ANNO MUNDI 3295. *ante C. N.* 653. B. ☉ 27. ☽ 12.

Cypſelus Bacchiadas, qui Corinthi per annos 124. per vices annuo ſpatio præfuiſſent, & Prytanin ex ſe creaſſent, in ordinem redigit, & tyrannidem invadit: Filius ejus Periander tyrannidem obtinuit annis 40. & obiit anno 4. Olymp. 48. Cypſelus verò regnavit annis 30. *Herodot. & Diogenes Laert. unde manifeſtum eſt, cum hoc anno cepiſſe.*

ANNO MUNDI 3296. *ante C. N.* 652. A. ☉ 28. ☽ 13.

Lamſacus urbs condita à Phocæenſibus, qui poſtea Maſſiliam etiam condiderunt, *Strabo.*

Abdera etiam urbs, olim ab Hercule, vel Diomedis ſorore, ut Solinus habet, condita, jam ferè collapſa, à Glazomeniis & Teiis ex Aſia inſtauratur.

Annus ſabbathicus ſecundus Iobelei Iudaici decimiſeptimi, incipit die 9. *Septemb. feria* 7. *Anno Jud.* 3108.

ANNO MUNDI 3298. *ante C. N.* 650. E. ☉ 2. ☽ 15.

Annus Manaſſis regis Juda 48.

Annus ab urbe condita 101.

Annus Nabonaſſaris 96. *incipit die* 2. *Februar. feria* 1.

Pittacus Poeta circa hæc tempora floret. *Euſ.*

Selinus urbs Siciliæ à Megarenſibus conditur. Hannibal enim Dux Carthaginenſium eam evertit anno 4. Olymp. 92. cum ſtetiſſet annis 142. *Diod. Sic. l.* 13. Hæc nulla erat tempore *Strabonis.*

Olympias XXXII. acta die 1. *Aug. feria* 6. qua Stadium vicit *Cratinus Megarenſis*, Eſt annus Olympiadicus 125.

ANNO MUNDI 3300. *ante C. N.* 648. C. ☉ 4. ☽ 17.

Boryſthenes urbs in Ponto à Mileſiis condita, quam

quam aluunt Boryſthenes fluvius & Hypanis, qui hodie appellantur Nepet vel Nieper & Bog. *Steph.*

ANNO MUNDI 3301. ante C.N. 647.
BA. ☉ 5. ☽ 18.

Himera urbs Siciliæ condita. Hannibal enim Dux Carthaginenſium eam evertit anno 4. Olym. 92. cum ſtetiſſet annis 240. *Diod. Sic. lib.* 13.

ANNO MUNDI 3302. ante C. N. 646.
G. ☉ 6. ☽ 19.

Annus Manaſſis regis Juda quinquageſimus ſecundus.

Annus ab urbe condita 105.

Annus Nabonaſſaris 100. *incipit die* 1. *Febr. fer.* 5.

Olympias XXXIII. acta die 17. *Auguſti, fer.* 6. quam vicit *Gyges* Lacedæmonius. *Afri.* Eſt annus Olympid. 129.

Lygdamus Syracuſanus, qui neque ſudavit neq; ſitivit, cujus oſſa medullas non habuerunt, ut Solinus aſſerit, Pancratiaſtes inſignis, Pancratio, quod cum in curriculum Olympicum redierat, omnes evertit. Et equa *Crauxida* Cranonii omnes deſultorios equos evertit. *Pauſ. in* 1. *Eliac.*

ANNO MUNDI 3303. ante C. N. 645.
F. ☉ 6. ☽ 1.

Xeniladanus *rex Babyloniorum* 13. *ſuccedit Saoſducheo, qui annis* 20. *præfuerat, & regnat annis* 23. Ptolom. in Canone.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei Judaici decimi ſeptimi, incipit die 21. *Sept. fer.* 7. *Anno Jud.* 3115.

ANNO MUNDI 3304. ante C. N. 644.
E. ☉ 8. ☽ 2.

Philippus Macedoniæ rex 6. ſuccedit Argeo, qui regnum annis 38. obtinuerat, & ſimiliter regnat annos 38. *Diod.*

Tullus Hoſtilius Romanorum rex, legatos ad populos Latinos mittit, ut ordinarium tributum pendant, quod univerſi recuſarunt, propterea quòd in Albanis datum fuiſſet, non Romanis: inde quinquennale bellum ortum, quod finitum eſt capta *Medullia* urbe, *Dionyſ. Hali. lib.* 3.

Tarentum circa hæc tempora conditum à Partheniis. Lacedæmonii enim, cum in bello Meſſenio *Iram* montem obſiderent, jurarunt ſe domum non redituros, priuſquam eum expugnaſſent: cum verò obſidio in undecimum annum protraheretur, uxores Spartanæ virorum abſentiam diutius ferre noluerunt; Miſſi igitur ſunt ex caſtris adoleſcentes, qui non jurarunt, qui uxorum deſiderium implerent: Unde qui nati ſunt Parthenii vocati ſunt. Hi verò, cum non haberent patrimonia, quandoquidem certi patres non eſſent, *Phalanto* Duce in Italiam navigant, Tarentinos cives ejiciunt, & urbem occupant. *Juſtin. lib.* 3.

ANNO MUNDI 3305. ante C. N. 643.
DC. ☉ 9. ☽ 3.

Manaſſes poſt calamitatem carceris Babylonici, cum quæ potuit, in religione vera propaganda emendaſſet, obiit, poſtquam diutius, quàm quiſquam alius in populo Dei regnaſſet, anno regni 55. Succedit *Ammon* filius, nihilo melior factus parentis calamitatibus: idololatriam in gente Judaica inſtaurat, 2. *Reg.* 21. regnat annis duobus.

Caſmena, urbs Siciliæ, annis viginti poſt conditas Acras extruitur. *Dionyſ. lib.* 6.

ANNO MUNDI 3360. ante C.N. 642.
B. ☉ 10. ☽ 4.

Annus Ammonis regis Juda ſecundus.

Annus ab urbe condita 109.

Annus Nabonaſſaris 104. *incipit die* 31. *Jan. fer.* 2.

Piſæi comparatis undique finitimorum copiis, per regem ſuum Pantaleontem, Omphalis filium ſummotis Elæis, ipſi Olympicis ludis præſunt. *Pauſ.* 1. *Eliac.*

Olympias XXXIV. acta die 17. *Auguſti. fer.* 6. in qua ſtadium vicit *Stomas Athenienſis.* Eſt annus Olympiadicus 133.

ANNO MUNDI 3307. ante C. N. 641.
A. ☉. 11. ☽ 5.

Ammon rex Judæ, cum biennium regnaſſet, fraude ſuorum familiariũ trucidatur; conſenſu populi filius ipſius *Ioſias*, puer 8. annorum, rex declaratur, qui fideli præceptorum ſuorum inſtitutione, tanta pietatis incrementa hauſit, ut eſſet ſuperſtitionis hoſtis acerrimus, cultor veræ religionis diligentiſſimus, & pietate poſt Davidem nulli ſecundus. Fuit rex poſt Salomonem decimus ſextus, regnavit annos 31. 2. *Regum.* 22.

ANNO MUNDI 3308. ante C.N. 640.
C. ☉ 12. ☽ 6.

Habacuc Propheta floruit circa hæc tempora, prædicit enim cladem Judæis à Babyloniis inferendam: Conſolatur tamen eoſdem, quòd hæc calamitas non futura ſit perpetua.

ANNO MUNDI 3310. *Ante C. N.* 638.
F. ☉ 19. ☽ 8.

Annus Joſiæ regis Judæ tertius.

Annus ab urbe condita 113.

Annus Nabonaſſ. 108. *incipit die* 30. *Jan. fer.* 6.

Thales Mileſius Examii filius, qui primus ſtatuit animam immortalem, & æquinoctia & Eclipſes præſcripſit, naſcitur anno primo Olymp. 34. *Diog. Laert.* Vixit ad centeſimum annum ferè.

Olympias XXXV. acta die 18. *Auguſti, fer.* 3. qua Stadium vicit *Spharus* Lacedæmonius. *Dion.* Eſt annus Olympiadicus. 137.

Annus ſabbathicus 4. *Jobelei Judaici* 17. *incipit die* 3. *Septemb. fer.* 5. *Anno Jud.* 3122.

ANNO MUNDI 3311. ante C. N. 637.
C. ☉ 13. ☽ 9.

Tullus Hoſtilius rex Romanorum, cum annos 32. regnaſſet, perit cum omni familia incendio, quòd an fraude humana, an verò fulmine factum ſit, ignoratur, ſuſpectus maximè fuit *Ancus Martius*, Numæ nepos, qui privatus, quod alieni in avito regno dominarentur, ægrè tulerat. Succedit ipſi *Ancus* Romanorum rex quartus, electus à Senatu & populo, anno 2. Olymp. 35. Archonte apud Athenienſes *Damaſia Dionyſ. lib.* 3.

ANNO MUNDI 3312. Ante C.N. 636.
B. ☉ 16. ☽ 10.

Phraortes, cum magnam partem Aſiæ ſibi ſubjeciſſet, Aſſyrios etiam bello aggreditur: *Herod. lib.* 1.

ANNO

ANNO MUNDI 3314. ante C. N. 634.
F. ☉ 18. ☽ 12.

Annus Joſiæ regis Iudæ ſeptimus.
Annus ab urbe condita 117.
Annus Nabonaſſaris 112. *incipit die* 29. *Januar. feria* 3.

Phraortes tandem in bello contra Aſſyrios perit anno imperii 22. ſuccedit *Cyaxares* filius, qui, parentis necem ulturus, bellum cum Aſſyriis continuat, eos magno prælio vincit, & Niniven urbem obſidet. *Herod. lib.* 1.

Olymp. XXXVI. acta die 4. *Auguſti, fer.* 1. in qua Stadium vicit *Phrynon* Athenienſis. Eſt annus Olympiad. 141.

ANNO MUNDI 3315. ante C. N. 633.
E. ☉ 19. ☽ 13.

Ancus Martius à Latinis Populis Romanum agrũ vaſtantibus res repetit, & non reddentibus bellum infert, & *Politorium* urbem capit, cives Romam traducit, & ipſis Aventinum montem incolendum tradit. *Dion. lib.* 3.

Cimmerii à Scythis Nomadibus ejecti, è ſedib. ſuis tranſeunt in Aſiam, & Sardes præter arcem capiunt. *Herod. lib.* 1.

ANNO MUNDI 3316. ante C. N. 632.
D. ☉ 20. ☽ 14.

Latini Politorium urbem, ab Anco ſuperiori anno captam, recipiunt, & Colonos eò mittunt: Ancus contra Politorium iterum obſidet, capit, cremat, vaſtat. *Dionyſ. lib.* 3.

ANNO MUNDI 3317. ante C. N. 631.
CB. ☉ 21. ☽ 15.

Latini populi hoc anno cladem regerunt, & Medulliam, Coloniam Romanorum expugnant. *Ancus* interea *Tellenas*, nobile Latinorum oppidum, capit, & incolas Romam deducit, & Politorianis in Aventino monte jungit.

Annus ſabbathicus quintus Jobelei Judaici decimi ſeptimi, incipit die 15. *Sept. feria* 7. *Anno Jud.* 3129.

ANNO MUNDI 3318. ante C. N. 630.
A. ☉ 22. ☽ 16.

Annus Joſiæ regis Juda undecimus.
Annus ab urbe condita 121.
Annus Nabonaſſaris 116. *incipit die* 28. *Januar. feria* 7.

Ancus Martius, quarto belli Latini anno, *Medulliam* obſidet, & Latinis multis & acribus præliis devictis, expugnat, nec multò poſt etiam *Ficanam* urbem corona capit.

Demaratus Corinthius, ex Bachiadarum genere, negotiationibus ſe dederat, & inſtructa navigatione in Hetruria mercaturam exercuerat adhuc ante Cypſeli tyrannidem: In ordinem autem redactis Bachiadis, Demaratus Corintho abiit, & Tarquinios in Hetruriam conceſſit. Hujus filius Lucuma, cum videret, nec parenti, nec ſibi etiam aditum ad honores Tarquiniis eſſe, hoc anno cum quibusdam ſuorum & omni ſubſtantia, Romam migrat, & Romano more ſe *Lucium Tarquinium* vocari jubet. Venit Romam ſeptimo anno *Anci. Dion. lib.* 3.

Azothum, urbs Syriæ, circa hæc tempora à Pſammeticho Ægyptiorum rege expugnatur, cum annis 29. eam obſediſſet. *Herod. lib.* 1.

Olympias XXXVII. acta die 20. *Auguſti, feria prima* in qua Stadium vicit *Euriclidas Lacedæmonius*, Eſt annus Olymp. 145.

Hac olympiade etiam de curſu & lucta puerorum ſunt propoſita præmia, & luctæ palmam obtinuit *Hippoſtenes* Lacedæmonius: In curſu verò vicit *Polynices*, Eleus *Pauſan.*

Steſichorus Poeta Lyricus naſcitur. *Diog. Laert.*
Mimnermus Poeta floret. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3319. ante C. N. 629.
G. ☉ 23. ☽ 17.

Ieremias Propheta, inde à prima adoleſcentia usque ad exitum vitæ, homo afflictiſſimus, qui tot ferè hoſtes habet, quot auditores, idem tamen ſemper ſentit & loquitur. Verberatus à ſacerdotibus, pulſatus à principibus, in carcerem detruditur à regibus, ad mortem poſtulatur à plebe, vexatur ac ſubſannatur ab omni genere hominum. Is hoc anno ſuum miniſterium inchoat, docetque circiter annos quinquaginta. Hujus σύγχρονος fuit *Zephania* Propheta.

Ancus Romanorum rex hoc anno bis cum Latinis populis prælio congreditur; Priori quidem æquo Marte, at poſtero egregiè vincit & caſtra Latinorum expugnat, anno Anci nono. *Dion l.* 3.

Synope urbs in Ponto à Mileſiis conditur. *Strabo.*
Lipara Æolium maxima Cnidiorum colonia deducitur. *Strabo.*

ANNO MUNDI 3320. ante C. N. 628.
F. ☉ 24. ☽ 18.

Pruſia urbs in Aſia minore condita, quæ olim *Gerus* appellabatur, *Euſeb.*

Scythæ in Ægyptum ulterius pergunt, ſed à rege Pſammeticho, & precibus & pecunia oblata perſuaſi, in Syriam redeunt, *Herod. lib.* 1.

ANNO MUNDI 3321. ante C. N. 627.
ED. ☉ 25. ☽ 19.

Ardyis Lydorum in Sardibus rex, cum annos 49. regnaſſet, moritur, cui ſuccedit *Sadyattes* filius, qui annis 12. regnavit. *Herod. lib.* 1.

Naucratis urbs in Ægypto à Mileſiis condita, qui tum mari potiebantur, cum ſub Pſammeticho rege in Ægyptum ad præfecturam Saiticam appuliſſent, regnante Cyaxare. Strabo.

Ancus Martius Romanorum rex, *Fidenas* oppidum, unde latrocinia in Romanum agrum facta erant, obſidet, & cuniculo acto id tandem expugnat, autores defectionis ſecuri ſubjicit, & urbem præſidio firmat. *Dion. lib.* 3.

ANNO MUNDI 3322. ante C. N. 626.
C. ☉ 26. ☽ 1.

Annus Ioſiæ regis Iudæ decimus quintus.
Annus ab urbe condita. 125.
Annus Nabonaſſ. 120. *incipit die* 17. *Ian. fer.* 4.

Sabini Romanum agrum vaſtant, quapropter & his *Ancus* bellum infert, victisque, & culpam deprecantibus, dat pacem, quod ſibi bellum adhuc eſſet cum Latinis populis, *Dion. l.* 3.

Olym

Olympias XXXVIII. acta die 6. Auguſti, feria 6. in qua ſtadium vicit *Olyntheus* Lacedæmonius. *Afric.* Eſt annus Olymp. 149.

In hac Olympiade Quinquertium puerorum admiſſum eſt, de quo palmam tulit *Eutelitas* Lacedæmonius, qui & in Palæſtra vicerat; ſed quinquertium hoc poſtea excluſum eſt. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3323. *ante C. N.* 625. B. ☉ 27. ☽ 2.

Epidamnus à Corcyræis duce *Phalio* Eratocli filio ſtirpe Heraclidarum condita, quæ poſtea à navali Dyrrachio, *Dyrrachium* appellata eſt. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3324. *ante C. N.* 624. A. ☉ 18. ☽ 3.

Ancus Romanorum rex, *Oſtiam* Tyberis munit, ut urbs etiam maritimis proventibus frui poſſet, & ædem Jovis Feretrii amplificat. Muro etiam *Janiculum*, montem excelſum trans Tyberim, cinxit, collocavitq; ibi præſidium, ut navigatio tuta eſſet, ne mercatores ab Hetruſcis ibi ſpoliarentur. Ponte etiam ſublicio, ex ſolis lignis, ſine ære & ferro conſtructo, *Janiculum* cum urbe jungit, cujus curam quibusdam principibus viris commendat, qui ob id Pontifices appellati ſunt. *Dionyſ. lib.* 3

Annus ſabbathicus 6. *Jobelei* 17. *incipit die* 28. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 3136.

ANNO MUNDI 3325. *ante C. N.* 623. GF. ☉ 1. ☽ 4.

Cypſelus Tyrannus Corinthiorum, cùm annis 30. tyrannidem obtinuiſſet, moritur; ſuccedit ipſi filius *Periander*, qui regnat annis 40. *Euſeb.*

Ioſias Rex Judæ, templum ab avo & parente violatum purgat, reficit, inſtaurat, libros Moſis in parietinis repertos divulgat, & in publicum refert, Paſcha celebrat tanta magnificentia, quâ à Samuelis Prophetæ temporibus non erat celebratum, 2. *Chron.* 35.

Nabopollaſar. *Babyloniorum rex longè clariſſimus, ſuccedit Rinladacho, qui annos* 22. *regnarat, & imperat annis* 21. Beroſus apud Joſeph. Ptolom. in Canone.

ANNO MUNDI 3326. *ante C. N.* 622. E. ☉ 2. ☽ 5.

Annus Joſia regis Juda decimus nonus.

Annus ab urbe condita 129.

Annus Nabonaſſaris 124. *incipit die* 26. *Januarii, feria* 1.

Ancus Romanorum rex, quarto anno poſt bellum Sabinis illatum, Vejentibus, à latrociniis ſibi non temperantibus, bellum movet, eosque equitatu egregio vincit, & caſtris eorum potitur. Pax ita inita eſt, ut Vejentes mulctæ nomine Romanis Sylvam *Meſiam* cederent. *Dionyſ. lib.* 3.

Olympias XXXIX. acta die 23. *Julii, fer.* 4. in qua ſtadium vicit *Ripſoleus* Lacedæmonius. *Afric.* Eſt annus Olympiadicus 153.

Draco Archon Athenienſis, Athenienſibus præſcribit leges, de quibus dictum, quòd ſanguine ſcriptæ eſſent: tanta ſeveritate eas ſanciverat. *Clemens Alexandr.*

ANNO MUNDI 3327. *ante C. N.* 621. D. ☉ 3. ☽ 6.

Sadyattes Lydorum rex, Sardibus, anno 7. regni Mileſiis bellum infert, totamq; eorum regionem ferro igneq; vaſtat. Duravit hoc bellum annis undecim. *Herod. lib.* 1.

ANNO MUNDI 3328. *ante C. N.* 620. C. ☉ 4. ☽ 7.

Ancus Romanorum rex, biennio poſt pacem cum Vejentibus factam, iterum cum rebellantibus prælio concurrit, in quo Romani, virtute *L. Tarquinii* Ductoris equitum, egregiè vincunt. *Dionyſ. lib.* 3. *Livius.*

ANNO MUNDI 3329. *ante C. N.* 619. BA. ☉ 5. ☽ 8.

Ecclipſis Lunæ annotatur à Ptolomæo, quòd acciderit anno 5. *Nabopollaſſaris, anno Nabonaſſaris* 127. *die* 27. *Athyr menſis, nocte, qua præcedebat diem* 28. *menſis Athyr, quaq; cœpit hora undecima noctis, horis videlicet* 5. *poſt mediam noctem, in qua quarta diametri pars ab Auſtro obſcurata fuit.* lib. 5. *Accidit nobis die* 22. *Aprilis, feria* 7. *hora* 5.29. *poſt mediam noctem. Vera latitudo* 45.12. *Semidiameter Lunæ* 16.4. *ſcrup. reſidua* 13.47. *digiti Eclipſeci* 5.9. *Sol in gradu ferè Arietis.*

ANNO MUNDI 3330. *ante C. N.* 618. G. ☉ 6. ☽ 9.

Annus Joſia regis Juda viceſimus tertius.

Annus ab urbe condita 133.

Annus Nabonaſſaris 128. *incipit die* 25. *Januarii, feria* 5.

Volſci deprædantur agrum Romanum: contra eos exercitus ductus magnas agit prædas, *Velitrasq;* obſidet, ſed deprecantibus obſeſſis, & fontes dedentibus, mulctamque præterea ſolventibus, pax data, & exercitus reductus. *Dionyſ. lib.* 3.

Olympias acta XL. die 7. *Auguſt. fer.* 3. in qua Stadium vicit *Olyntheus* Lacedæmonius ſecundum. *Afric.* eſt annus Olympiad. 157.

ANNO MUNDI 3332. *ante C. N.* 616. E. ☉ 8. ☽ 11.

Novum bellum Romanis exoritur cum Sabinis, non illis olim devictis, ſed cum reliquis: difficile tamen non fuit, una pugnâ domiti ſunt, & ſub jugum redacti. *Dionyſ. lib.* 3.

ANNO MUNDI 3333. *ante C. N.* 615. DC. ☉ 9. ☽ 12.

Sadyattes rex Lydorum, cum annis 12. regnaſſet, moritur: ſuccedit filius *Halyattes*, qui bellum, quod parens cum Mileſiis gerebat, continuat, & quinque annis id perſequitur, donec Mileſii bello feſſi pacem peterent. *Herod. lib.* 1.

ANNO MUNDI 3334. *ante C. N.* 614. B. ☉ 10. ☽ 13.

Annus Joſia regis Juda viceſimus ſeptimus.

Annus ab urbe condita 137.

Annus Nabonaſſ. 132. *incipit die* 24. *Jan. feria* 2.

Pſammetichus Saita rex Ægypti moritur, cùm annis 54. regnaſſet, ſuccedit Pharao *Necho*, qui regnum Ægypti obtinet annis 17. *Herodot. lib.* 2.

Ariſtoteles Theræus Polymneſti ex Phronime pellice filius, cognomine *Battus*, à linguæ tardi-

Nebucadnezar filius Nabopollaſſaris regis Babyloniorum, cum exercitu mittitur, ad rebelles Ægyptios, Judæos, Palæſtinos, &c. coercendos, & ad officium redigendos, circa menſem Julium: & hinc ſacra Scriptura ejus annos regi inchoat. Hic Pharaonem Necho ad Euphratem magno prælio hoc anno vincit, & in Ægyptum redigit, *Ier.* 46. Ejus terrore etiam Rechabitæ ſe conferunt Hieroſolymam; Nebucadnezar verò perſecutus victoriam, Hieroſolymam venit, & Danielem puerum regium cum reliquis Babylonem mittit, & in omni ſapientia inſtitui jubet, *Dan.* 1. Inde Nebucadnezar regem Tyri obſidet, quæ obſeſſio diutino tempore duravit, annis videlicet tredecim, *teſtante Alexandro Polyhiſtore apud Ioſeph.*

Latini populi, propter ademptas & exciſas urbes magnum exercitum comparant, & cum Tarquinio rege prælio contendentes, magna clade vincuntur: quapropter ſeſe & urbes dedunt, quibus æquiſſima pax conceſſa eſt. Fuerunt autem Fidenates, Camerini & alii: ab hoc prælio uſque ad ultimum cum Hetruſcis numerat Dionyſ. annos viginti. *lib.* 3.

ANNO MUNDI 3343. *ante* C. *N.* 605.
E. ☉ 19. ☽ 3.

Hoc anno Olympias 43. *acta* 26. *Jul. fer.* 7. *Eſt annus Olymp.* 169.

Stadium vicit *Cleon* Epidaurus. *Afric.*

Anaximenes Philoſophus naſcitur hac Olympiade, moritur poſtea, quando Sardes captæ ſunt. Vixit annos ſexaginta. *Diog. Laert. lib.* 2.

Ecclipſis Solis accidit hoc anno, die 30. *Julii, fer.* 4. *hora* 1. *& minut.* 55.24. *poſt meridiem in Meſopotamia. Parall. latitudinis eſt* 19.51. *Vera latitudo* 10.41. *viſa ſeptent.* 9 10. *Semidiam, Solis* 15. 12. *Scrup. reſidua* 21.14. *digiti Eccliptici* 8. *min.* 38. *Sol eſt in principio ferè Leonis. Et hanc eſſe Ecclipſin cenſeo, quæ accidit tempore Cyaxaris & Halyattis Lydorum regis, cùm acies in procinctu ſtarent, & prælium committere vellent, quæ dies in noctem ſubitò converſus eſt. Nam Herodotus, qui centum & quinquaginta annis poſt hoc bellum iiſdem in locis floruit, & fortaſſe qui huic bello interfuerunt, vivos, vel eorum filios conſulere potuit, eſt unicus & primus autor hujus hiſtoriæ, ex quo alii quicquid de ea tradunt, hauſerunt. Is affirmat tribus in locis, hoc bellum quinquennale geſtum eſſe à Cyaxare, & compoſitum, cùm utraque acies hac inſolita ecclipſi territa eſſet, ab arbitro pacis Labyneto Babylonico, hac conditione, ut Aſtyages filius Cyaxaris duceret Halyattis filiam Crœſi, qui poſt regnavit, ſororem; & eundem Crœſum poſtea Cyro regi bellum intuliſſe, quòd Aſtyagem affinem ſuum regno pepuliſſet. Cùm igitur & cœlum aſſertioni Herodoteæ atteſtetur, ab eo diſcedendum non arbitror. Plinius Ecclipſin annotat anno quarto Olymp.* 48. *poſt annos viginti duos. Solinus verò aliam annotat poſt annos viginti quatuor, & uterq; prælium ad hanc ſuam Ecclipſin allegat. Sed utraque harum ecclipſium accedit veſperi, occidente Sole, ut videre eſt apud Buntingum, qui eas computavit, ſed veſpertino tempore prælia finiri, non iniri ſolent. & Cyaxares tum in vivis non erat, ſed ante decennium defunctus. Utrumque igitur tabulis aſtronomicis, ut tum temporis erant, imperfectioribus deceptum fuiſſe, aut in venandis ecclipſibus minùs exercitatum, puto. Id quod & Tarrutio Firmiano evenit, ut ſuperiùs vidimus.*

Baruch vaticinia Jeremiæ publicè prælegit populo, tempore jejunii publici. Jojakim rex librum allatum ſcindit, & igni tradit, menſe Decembri, *Ier.* 36.

Anno nono Tarquinii regis Romani. Latini in oppido Ferentino conveniunt, & Hetruſcos, Sabinosq; in ſocietatem belli adſciſcunt; & Sabini quidem ſtatim in agrum Romanum prædatum abierunt. Tarquinius, omiſſis Sabinis, Latinos aggreditur, vincitque, nec tamen Latini ob id fracti animis bellum omittunt, ſed cùm Hetruſcorum auxilia adveniſſent, iterum fortunam prælii tentant, ſed artibus Imperatoriis Tarquinii vincuntur, & caſtris exuuntur, inde bellum ad omnia oppida circumlatum & totum Latium ſubactum. Dionyſ. lib. 3.

ANNO MUNDI 3344. *ante* C. *N.* 604.
D. ☉ 20. ☽ 4.

Scythæ cùm annis ferè 28. Aſiam prædâ habuiſſent inſidiis Cyaxaris & Halyatis, tandem capiuntur & trucidantur. *Herodot.* Meminit etiam cladis Scythicæ. *Ezech.* 32. *v.* 26.

Tarquinius *Romæ Circum, qui maximus dicebatur, deſignat: Loca Patribus, Equitibus, & plebi dividit, tanta amplitudine, ut centum quinquaginta millia hominum locus ille caperet, ibique ludos egit, qui ludi poſtea facti ſunt annui.* Dionyſ. lib. 3.

ANNO MUNDI 3345. *ante* C. *N.* 603.
C B. ☉ 21. ☽ 5.

Cyaxares devictis Scythis jam demum Aſſyrios aggreditur. Ninivem obſidet, & tandem expugnat. *Herod. Jeremias cap.* 50. *Ezech.* 31. & 32.

Annus ſabbathicus ſecundus Jobeles Judaici decimi octavi, incipit die 5. *Sept. fer.* 2. *Anno Jud.* 3157.

Tarquinius *rex Romanorum, in Sabinos ducit exercitum, qui agros Romanos bello Latino deprædati fuerant, & congreſſi acerrimo prælio æquo Marte diſcedunt, & bellum in ſequentem annum differunt.* Dionyſ. lib. 3.

ANNO MUNDI 3346. *ante* C. *N.* 602.
A. ☉ 22. ☽ 6.

Annus Jojakim regis Judæ octavus.

Annus ab urbe condita 149.

Annus Nabonaſſar. 144. *incipit die* 21. *Jan. fer.* 7.

Bellum Mitylenæum, quod duce Pittaco cum Athenienſibus geſſerunt de Sigæo & Achilleo, in hæc tempora refertur.

Olympias 44. *acta die* 31. *Auguſti, feria ſexta. Eſt annus Olympiadicus* 173.

Stadium vicit *Gelon Lacedæm.*

Nabopollaſſar *Babyloniorum rex, cùm regnaſſet annis viginti & unum,* teſte Ptolomæo in Canone & Joſepho, *moritur, ſuccedit ipſi filius* Nebucadnezar, *qui hactenus quartum annum in Syria regnabat, & adhuc annos triginta novem imperat.* Beroſus apud Joſephum, & Ptolomæus in Canone.

ANNO MUNDI 3347. *ante* C. *N.* 601.
G F. ☉ 23. ☽ 7.

Tarquinius *ineunte Vere, contra Sabinos iterum exercitum educit, circa Fidenas. Sabini bina caſtra faciunt, cis & ultra Anienem, quæ ponte ſublicio*

coniungunt. Tarquinius inſtructas naviculas materiâ arida & pice, ponti huic immittit, eumque cremat, & utrobique caſtra hoſtium invadit, capitque, qua clade Sabini fracti accipiunt inducias in ſexennium. Dionyſ.lib.3.

Nebucadnezar anno ſecundo, poſtquam Nabopollaſſari parenti in Chaldæa & Babylone ſucceſſerat, ſomniat de quatuor monarchiis in ſtatua quadam præfiguratis, cujus ſomnii tamen obliviſcitur. *Daniel* ſomnium hoc ex revelatione divina invenit & exponit, qui cum æqualibus ſuis in liberalibus artibus diligentiſſimè inſtitutus fuerat ſexennium ferè. Hac ſua ſapientiâ tantam ſibi autoritatem comparavit, etiamſi adhuc juvenis eſſet, ut parti regni perficeretur, & ab Ezechiele poſtea ſanctiſſimis viris *Noha & Hiobo* æquipararetur, *Dan.9. Ezech.14.*

ANNO MUNDI 3348. *ante C. N.* 600.
F. ☉ 24. ☽ 8.

Tarquinius *urbis Romanæ muros, qui ex temporali opere ferè ſine ulla cura facti erant, cùm jam vitium facerent, de integro condit, & quadratis lapidibus maximis inſtruere incipit. Cloacas etiam & foſſas, quibus excrementa urbis in Tyberim defluunt, maximo ſumptu ædificat.* Dionyſ.lib.3.

Perinthus Colonia à Samiis inſtaurata circa hoc tempus. Olim autem condita fuit ab *Oreſte*, & nomen accepit à *Perintho* comite, cùm antea Mygdonia diceretur. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3349. *ante C. N.* 599.
ED. ☉ 25. ☽ 9.

Hetruſcum bellum contra Tarquinium *motum videtur ab univerſa gente, exercitus miſſi Fidenas, Coloniam Romanam capiunt, & ingenti prædâ ex agris actâ domum redeunt.* Dionyſ. lib.3.

Nebucadnezar anno ſeptimo regni ferè deſinente, *Iojakimum* regem Judæ, propter perfidiam, in vincula conjicit, ut abducat Babylonem, qui mortuus in vinculis, abjicitur inſepultus, 2. *Chron. ultimo.* Cum eo abducti principes, tria millia, *Ierem.52. 2. Reg.24.* Succedit ipſi filius *Iechonias* menſibus tribus. Advenienti enim Nebucadnezari cum exercitu ſe dedidit, qui ab eodem cum matre vidua & optimatibus regni, & artificibus excellentioribus, & omnibus, qui aliqua re eminebant, ad octodecim millia hominum, in Babylonem transportatur. Inter hosce abductus eſt *Ezechiel* Propheta, qui hinc numerat captivitatis Babylonicæ annos, quos ab hoc anno incipiendos eſſe, evidentiſſimè demonſtrat Jeremias Propheta, *cap.24. & 29.* Subſtituitur *Iechoniæ* à Nebucadnezare *Zedekia*, Rex Judæ ultim⁹, circa æquinoctium autumnale, anno finiente, qui regnum undecim annis ferè obtinuit, *Ierem.cap.52.*

ANNO MUNDI 3350. *ante C. N.* 598.
C. ☉ 26. ☽ 8.

Annus Zedekiæ regis Juda primus.
Annus ab urbe condita 153.
Annus Nabonaſſaris 148. *incipit die* 20. *Januarii, feria quarta.*

Anno Zedekiæ regis Judæ primo, menſe quarto ſive menſe Junio, cùm legati regum Edomitarum, Moabitarum, Ammonitarum, Tyriorum & Sidoniorum, Hieroſolymis conſultarent, de auxiliis & copiis conjungendis ad pellendum Palæſtina Nebucadnezarem, *Ieremias* Propheta dehortatur eos ab hujusmodi conſiliis, cùm *Deus* omnes Nebucadnezari ſubjici velit, *cap 27.* Et paulò poſt eodem anno, menſe quinto, *cap.28.* *Ieremias* prædicit cladem Hieroſolymitanam, cui contradicit *Hananias* Pſeudopropheta, qui, ut prædixerat Jeremias, moritur poſt binos menſes.

Camarina urbs Siciliæ conditur, annis 135. poſt conditas Syracuſas. *Thucyd. lib.6.* Diruitur poſt annos 46. Olymp. 57. à Syracuſanis. Inſtauratur tamen iterum Olympiade 85.

Maſſilia conditur annis 120. ante pugnam ad Salaminem, ut habent *Timæus & Solinus.* Conditur autem non à Phocenſibus, quorum metropolis *Delphi*, ſed à *Phocaenſibus* in Ionia. *Euſeb.*

Tarquinius, *collecto magno exercitu, contra Hetruſcos hoſtes movet, copiasque bifariam dividit, & alteram partem duce patruele* Egerio *contra Fidenates mittit: ſed* Egerius, *belli non ſatis peritus, magna clade repellitur.* Dionyſ. lib.3.

Olympias 45. *acta die* 27. *Jul. feria tertia,* in qua Stadium vicit *Antic rates* Epidaurius. *Afric.* Eſt annus Olymp.177.

Salaminii ab Athenienſibus ad Megarenſes deficiunt. *Thucyd.*

ANNO MUNDI 3351. *ante C. N.* 597.
B. ☉ 27. ☽ 11.

Pharao Necho, cum regnaſſet annis 17. moritur, ſuccedit *Pſammis*, qui ſex annis regno præfuit, & *Eleos* in certaminibus Olympicis monuit, ut ſi quando ludis iſtis certaretur, & peregrini adeſſent, ipſi quieſcerent, ne per favorem civium peregrini præmio fraudarentur. Fecit hic rex expeditionem in Æthiopiam. *Herodot.lib.2.*

ANNO MUNDI 3352. *ante C. N.* 596.
A. ☉ 28. ☽ 12.

Tarquinius *rex Romanorum integro triennio Vejentes deprædatur, unde ad ſummam inopiam tandem devenuunt.* Dionyſ. lib.3.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei Judaici decimi octavi, incipit die 18. *Sept. fer. 2. Anno Jud.* 3164.

ANNO MUNDI 3353. *ante C. N.* 595.
GF. ☉ 1. ☽ 13.

Zedekias rex Judæ, iter ſuſcipit ad regem Babylonicum, *Ierem.51.* hujus comiti *Seraje* Jeremias tradit vaticinia ſua de excidio Babylonico, in publico prælegenda, & poſtea in Euphratem abjicienda.

ANNO MUNDI 3354. *ante C. N.* 594.
E. ☉ 2. ☽ 14.

Annus Zedekiæ regis Juda quintus.

Annus ab urbe condita 154.

Annus Nabonaſſaris 182. *incipit die* 19. *Januarii, feria prima.*

Ezechiel Propheta die quinto quarti menſis, qui nobis eſt dies tertius Julii, feria 5. prophetiæ ſuæ initium facit, anno triceſimo ab initio Nabopollaſſaris. à quo nova epocha deducebatur, *Ezech.* 1.

Ithobalus, cùm annis 19. regnum Tyri adminiſtraſſet, moritur, ſuccedit *Baal* annis 10. *Joſeph. cont. Ap.*

Olympias 46. *acta die* 12. *Auguſt. feria tertia*, in qua Stadium vicit *Chryſomachus* Lacedæmonius. *Afric.* Puerorum verò Stadium vicit *Polymeſtor* Mileſius, qui leporem curſu aſſequi potuit *Solinus.* Eſt annus Olymp. 181.

ANNO MUNDI 3355. *ante C. N.* 593.
D. ☉ 3. ☽ 15.

Aſtyages filius Cyaxaris, parenti, qui annis 40. regnaverat, ſuccedit, regnat annos 35. Hic filiam ſuam, quam habebat unicam, quæ *Mandanes* vocabatur. Perſæ cuidam Cambyſi, non regia ſtirpe orto, elocat, ex qua Cyrus, paulò poſt natus eſt, qui avum regno ejecit. *Herod. lib.* 1.

Tarquinius *ad* Cære *oppidum Hetruſcorum exercitum ducit, & egredi auſos prælio vincit, inde ingentes prædas agit.*

Ezechiel anno ſexto captivitatis Babylonicæ, die quinto menſis ſexti, qui in Calendario Juliano eſt dies 20. Auguſti, feria 5. vaticinatur, quæ extant cap. 8. 9. 10. 11. & reliquas uſq; ad cap. 20. Zedekias etiam rex contra Nebucadnezarem paciſcitur cum rege Ægypti de auxiliis, contra fidem datam, *Ezechielis capite decimo ſeptimo.*

ANNO MUNDI 3356. *ante C. N.* 592.
C. ☉ 4. ☽ 16.

Æſopus Apologorum celebris autor floret anno tertio Olymp. 46. *ut habet Suidas*: vitam ipſe ſuam ſcripſit.

Tarquinius *Romanorum rex, memor cladis à Fidenatibus olim ſuis illata. exercitum eo ducit, ibiq; ingenti prælio tandem Hetruſcos vincit, quâ clade domiti, delegatos ad* Tarquinium *cum plena poteſtate mittunt.* Dionyſ. lib. 3.

Ezechiel Propheta anno ſeptimo captivitatis Babylonicæ, die decimo menſis quinti, qui nobis eſt dies 16. Julii, feriâ ſexta, conſolationem proponit captivis, de futura liberatione: Præmittit tamen acrem objurgationem propter delicta, quibus in tantis calamitatibus non abſtinebant, *Ezech. cap.* 20.

Solon Archon Athenienſis fit, qui ſeditionibus Athenienſium ſedatis, & *Draconis* legibus ſublatis, novis legibus Rempublicam temperavit. Idem Solon, cùm *Cirrham* urbem diuturna obſidione premeret, tandem fontis aquas, quibus potabantur obſeſſi, avertit, & in iiſdem Hellebori radices macerat, inde aquam eandem urbi emittit, unde obſeſſi alvi profluentia correpti, præſidia deſerere coguntur, & hoſtibus aditum ad urbem patefaciunt. *Pauſan.*

ANNO MUNDI 3357. *ante C. N.* 591.
B A. ☉ 5. ☽ 17.

Pſamno regi Ægyptio defuncto, qui annis ſex regnaverat, ſuccedit Apries ſive Vaphres, ut Jeremias habet, regnatque annis 25. *Herodot. lib.* 2.

Anno nono captivitatis Babylonicæ, die decimo menſis decimi, qui nobis eſt dies 29. Decembris, feria ſexta, Nebucadnezar obſidione cingit Hieroſolymam, *Ezech.* 24. *Ierem.* 52.

ANNO MUNDI 3358. *ante C. N.* 590.
G. ☉ 6. ☽ 18.

Annus Zedekiæ regis Juda nonus: cæpit autem à præcedenti Octobri.

Annus ab urbe condita 161.

Annus Nabonaſſaris 156. *incipit die* 18. *Januar. fer.* 5.

Pax tandem inter Hetruſcos & Tarquinium fit, hac conditione, ut Hetruſci Imperium Romanum comiter agnoſcant, præſidium tamen nullum recipiant. Pro pace hac impetrata offerunt *Tarquinio* coronam auream, ſellam eburneam, & ſceptrum exornatum aquila in ſummitate, purpuream præterea tunicam auro diſtinctam, & togam, & duodecim ſecures. Hosce honores admiſit Tarquinius, conſentiente Senatu, atque ita hoc bellum finitum eſt, quod fuit novennale. *Dionyſ. lib.* 3.

Olympias 47. *acta die* 29. *Julii, fer.* 1. in qua Stadium vicit *Euricles* Lacedæmonius. *Afric.* Eſt annus Olympiadicus 185.

Archon Athenienſis *Eucrates.* Diog. Laert.

Anacharſis Scytha Athenis peregrinatur. *Laert.*

ANNO MUNDI 3359. *ante C. N.* 589.
F. ☉ 7. ☽ 9.

Anno decimo captivitatis Babylonicæ, die decimo, menſis duodecimi. Eſt in Calendario Juliano dies 17. Februarii, feriâ prima, *Ezechiel* vaticinatur contra Pharaonem regem Ægypti, *Ezech.* 29.

Epimenides Athenas luſtravit, fortaſſis ſexta Thargelionis, quæ dies poſtea ſolennis fuit luſtrationibus. *Euſeb.*

Tragœdia *hoc anno primum in Græcia acta.* Euſeb.

Annus ſabbathicus quartus, Jobelæi Judaici decimioctavi, incipit die 2. *Sept. fer.* 2. *anno Jud.* 3171.

ANNO MUNDI 3360. *ante C. N.* 588.
E. ☉ 8. ☽ 1.

Ezechiel Propheta anno undecimo captivitatis Babylonicæ, die primo menſis primi, qui nobis eſt dies 29. Martii, feriâ ſeptima, vaticinatur contra Tyrum, *Ezech.* 26. Idem vaticinium continuatur, die ſeptimo primi menſis, qui eſt dies 4. Aprilis, *cap.* 30.

Idem Propheta die primo menſis tertii, vaticinatur contra Pharaonem regem Ægypti: Eſt dies 26. Junii, feria ſexta, *Ez.31.*

Gallorum rex *Ambigatus*, cùm videret regnum abundare viris & armis, filios ſuos binos jubet exercitum conſcribere, & novas ſedes, ubi habitarent, quærere. Et *Sigoveſus* quidem ſuum exercitum verſus Septentrionem ducit, ad Hercyniam ſylvam: Belloveſus verò ſortitus haut paulò ferτiliorem mundi plagam, Alpes tranſcendit, & *Mediolanum* condit. Secuti multi alii *Cenomani, Boii, Lingones, Senones*, qui *Umbros* quidem pepulerunt, intra Apenninum tamen ſe continuerunt. *Livius lib.5.*

Nebucadnezar. Pharaone, qui videbatur au ilia adducturus obſeſſis Judæis, repulſo, ad obſidionem Hieroſolymæ revertitur, eamque expugnat die nono menſis 4. qui eſt dies 4 Julii, feria ſexta. *Zedekias* rex ex fuga retractus, excæcatur, & in vinculis Babylonem traducitur, Principes & Duces exercitus ejus trucidantur, *Ier. 52.* Die decimo menſis quinti, qui nobis incidit in diem 3. Auguſti, feriam primam, templum, regia, & ædes omnes igne ſuccenduntur, turres & mœnia complanantur, & regia florentiſſima extremè vaſtatur, *Ierem.52.*

Gedalia, cujus interitum lugent Judæi die tertio menſis ſeptimi, qui hoc anno incidit in diem 22 Septemb. feriam tertiam, trucidatur; & paulò poſt reliquiæ populi Judaici in Ægyptum aufugiunt, abducto ſimul *Hieremiâ* Prophetâ, & viribus & annis effœto, 2. *Chron, ultimo.*

Ezechiel Propheta fit certior, ex profugo quodam, de excidio Hieroſolymitano, anno duodecimo captivitatis Babylonicæ, die quinto menſis decimi. Incidit hoc anno in diem 23. Decembr. feria tertia, quinto menſe poſt excidium, *Ezech.33.*

ANNO MUNDI 3361. *ante C. N.* 587.
DC.☉9.☽2.

Ezechiel Propheta vaticinatur contra regem Ægypti, die primo menſis duodecimi, anno 12. captivitatis Babylonicæ, qui incidit in diem 15. Febr. fer.2. Continuatur hæc prophetia 29. Februar. Sic prædicit Haphræ regi Ægyptiorum interitum annis 14. antequam ab *Amaſi* ſucceſſore ſtrangularetur. Soluta tum erat obſeſſio Tyria, nec *Nebucadnezar* ibi operæ pretium fecerat, *Ezech 29.*

ANNO MUNDI 3362. *ante C. N.* 586.
B. ☉10. ☽3.

Annus captivitatis Babylonicæ 13.

Annus ab urbe condita 165.

Annus Nabonaſſaris 160. incipit die 17. Januarii, feri ſecunda.

Sabinum bellum iterum motum, quod Sabini eos, qui Hetruſcos bello juverant, dedere recuſarent, id bellum Sabini præoccuparunt, & Anienem tranſierunt, quos *Tarquinius* ex utraq; parte immiſſis copiis fudit, & caſtra capit. *Dionyſ.lib.3.*

Gelas in Sicilia, anno ferè centeſimo ſecundo, à ſuæ urbis initio Coloniam apud Acragantem fluvium collocant, urbemq; ab eo flumine Acragantum nominant, quæ poſtea *Agrigentum* appellata eſt. *Thucyd. lib. 6.*

Olympias 48. *acta die* 14. *Auguſti, feria ſexta.* Stadium in ea vicit *Glaucus vel Glycon* Crotoniata. *African.* *Eſt annus Olympiad.* 189.

Pythagoras Samius, qui imperitè luctari videbatur, deridetur, & excluditur luctâ puerorum: ſed tranſiens ad virorum pugilatum, omnes vicit.

Archon Athenienſis Phænippus.

Paulò poſt actam Olympiadem, *Piſæi* Eleis, de Olympicis certaminibus agendis, litem movent, & bellum ipſis inferunt, quod bellum internecione Piſæorum finitum eſt. *Pauſan. poſter. Eliacorum.*

ANNO MUNDI 3363. *ante C. N.* 585.
A.☉11. ☽4.

Sabini, cùm viderent, ſe dolo Tarquinii ſuperatos, iterum copias comparant, quibus Tarquinius exercitum opponit, & cùm Sabini in abrupto colle caſtra poſuiſſent, Tarquinius eos commeatu intercludit: ideò inopiâ rerum coacti caſtris effugiunt, & Tarquinius caſtris potitus domum redit. Dionyſ. lib.3.

ANNO MUNDI 3364. *ante C. N.* 584.
G. ☉12. ☽5.

Pythici Ludi inſtituti anno tertio Olymp. 48. ab Amphictyonibus propè *Delphos*. Cantus fuit ad Citharam, ut olim, item cantus ad tibiam, & tibiarum etiam per ſe. *Pauſanias in Phocicis.* Celebrantur autem ſexta Thargelionis menſis, binis ferè menſibus, antequam iniret tertius annus cujusvis Olympiadis.

Sabini *agrum Romanum vaſtant, ſed ſub caſum univerſæ pugnæ venire recuſant; ideò vaſtationibus utrinque factis bellum diutiùs tractum eſt.* Dionyſ. lib. 3.

Regnum Tyri poſt *Baalem*, qui annos decem regnârat, devolvitur ad Suffetes ſive Judices, quorum primus *Ecnibalus* regnat menſes duos. *Joſeph contra Apionem.*

ANNO MUNDI 3365. *ante C. N.* 583.
FE. ☉13. ☽6.

Ecclipſis Solis à Plinio lib.2.cap.12. *annotatur, quæ accidit die 28. Maji, feria ſecunda:* Sardibus, *horis ferò 7. poſt meridiem: fuit ferè totalis, & computata eſt ad tabulas Prutenicas à Buntingo. Eo tempore Plinius ſcribit prælium commiſſum inter Cyaxarem & Halyattem: de qua re diximus ad annum* 3343.

Nebuſaradan belli dux, à *Nebucadnezare* miſſus in Judæam, traducit reliquias quaſdam Judæorum, homines ſeptingentos & quadraginta quinque in Babyloniam, *Ierem. 52.*

Balator judex apud Tyrios regnat annum unum. *Joſeph. contra Apionem.*

Periander Corinthiorum Tyrannus, cùm annis quadraginta regnaſſet, moritur, & cum eo ſimul Tyrannus expirat. *Diog. Laert.*

ANNO

ANNO MUNDI 3366. *ante C. N.* 582.
D. ☉ 14. ☽ 7.

Annus captivitatis Babylonicæ 17.

Annus ab urbe condita 169.

Annus Nabonaſſaris 164. incipit die 16. Januarii, feria ſexta.

Mytgonus remotis Suffetibus, regnat apud Tyrios poſt biennium, quod obtinuerat, & præeſt annis 6. *Joſeph.*

Iſtmia à *Cypſeli temporibus, per annos ſeptuaginta intermiſſa, Corinthii priſtinæ ſolennitati reſtituuntur. Celebrantur autem bis in qualibet Olympiade, in primo ſcilicet & tertio.* Solinus.

Olympias 49. acta die 30. Julii, feria 5. Stadium vicit *Lycinus* Crotoniates. *Afric.* Eſt annus Olympiadicus 193.

Annus ſabbathicus quintus, Jobelei Judaici decimi octavi, incipit die 14. Sept. fer. 2. Anno Jud. 3178.

ANNO MUNDI 3367. *ante C. N.* 581.
C. ☉ 15. ☽ 8.

Eclipſin Solis, Buntingus Chronologus, computavit ad hunc annum, quæ quidem accidit die primo Octobr. feria ſexta hora quinta poſt meridiem, Sole occidente Romæ, quæ in Aſia planè videri non potuit: putatque Solinum hanc deſignare, quâ viſa bellum Lydium compoſitum ſit, cùm dicit id factum Olymp. 49. Et Plinius etiam annum nominat ab urbe condita 170. ſed fallitur: Biennio enim pòſt, illa Eclipſis accidit, & in Plinio in numeris error eſt, quâ de re diximus in anno 3343.

Sabbini, cum toto triennio vaſtationibus geſtum eſſet bellum, & ſibi ſatis animorum, ut videbatur, feciſſent, tandem in aciem deſcendunt, & cum Romanis pugnant: maxima autem clade vincuntur, & Tarquinius ingenti prædâ, caſtris etiam captis, potitur. *Dionyſ. lib. 3.*

ANNO MUNDI 3368. *ante C. N.* 580.
B. ☉ 16. ☽ 9.

Pax tandem facta inter Sabinos & Tarquinium, cùm Sabini omnia ſua Romanis dederent *Dionyſ. lib. 3.*

Pythiade alterâ ſubmotis præmiis, coronarium duntaxat hoc certamen factum eſt, & aulædorum ars repudiata. *Pauſanias in Phocicis.*

Alcetas Macedonum rex octavus, poſt Æropam, qui annis 26. regnaverat, ſuccedit, regnatque annis 29. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3369. *ante C. N.* 579.
A G. ☉ 17. ☽ 10.

Cùm & Plinius & Solinus affirment, eclipſin Solis circa hæc tempora accidiſſe, quam putant factam, antequam Cyaxares cum Lydis pugnaret, operam hanc mihi ſumpſi, ut eam inveſtigarem, quam deprehendi hoc anno die 16. Martii, fer. 6. hora 10. 42. accidiſſe, poſt meridiem 30. minut. quæ incidit in ipſum nonageſimum gradum. Parall. latitud. eſt 38. 3. latitudo vera 39. 29. viſa Sept. 1. 26. Semidiam. Solis 15. 25. ſcrup. reſidua 28. 53. digiti Ecliptici 11. 24. Sol in 19. piſcium.

Hanc arbitror deſignari à Solino, qui ait: Lydium bellum compoſitum Olympiade 49. cùm fœdera hauſtu ſanguinis firmata eſſent, ſed Cyaxares hoc tempore dudum defunctus erat, atque ita mendum eſſet in Herodoto. De qua re egi anno 3343.

Tarquinius ultimo bello Sabinorum voverat, ſe templum Jovis, Junonis & Minervæ ædificaturum, quapropter præruptum tumulum elegit, qui cùm in faſtigio planus non eſſet, multo tandem eum labore in faſtigio in planitiem redegit, fundamenta tamen templi non jecit *Dionyſ. lib. 3.*

ANNO MUNDI 3370. *ante C. N.* 578.
F. ☉ 18. ☽ 11.

Annus captivitatis Babylonicæ 21.

Annus ab urbe condita 173.

Annus Nabonaſſaris 168. incipit die 16. Februarii, feria tertia.

Olympias 50. acta die 15. Auguſti, feria quinta, in ea Stadium vicit *Epitelides* Lacedæmonius. *Af.* Eſt annus Olymp. 197. Judices certaminum binitum ab Elidenſibus forte conſtituuntur. *Pauſan.*

Onomacritus Poeta Athenienſis, cujus poemata Orphea quædam ſuperſunt, floruit.

Sibylla Cumæa floruit Olymp. 50. *Solinus.*

Pythagoras poſt quinquageſimam Olympiadem, ſedem in Italia ſibi elegit, & floruit, *ut Euſebius vult*, ferè usque ad ſeptuageſimam Olym. annis octuaginta. Longè poſterior fuit Numâ Pompilio, cujus tempore *Croto*, ubi Pythagoras docuit, nondum erat condita.

ANNO MUNDI 3371. *ante C. N.* 577.
E. ☉ 19. ☽ 12.

Bellum Megarenſe ſuaſu *Solonis* ſuſceptum, infeliciter antea geſtum fuerat: Ideò pœna capitali ſancitum, ne quis de eo gerendo ad populum ferret. Solon ſimulatâ ſtultitiâ verſibus in bellum perſuaſit, & feliciter per *Piſiſtratum* perfecit. *Euſeb.*

Marmor ſculpi cœptum eſt, inquit *Plinius lib. 35.* Olymp. 50. priusquam Cyrus in Perſia imperare cœpiſſet.

ANNO MUNDI 3372. *ante C. N.* 576.
D. ☉ 20. ☽ 13.

Merbal, rex Tyriorum, Babylone accitus, ſuccedit Mytgono, qui ſex annis regnarat, & regnat annis 4. *Joſeph. contra Apion.*

ANNO MUNDI 3373. *ante C. N.* 575.
C B. ☉ 21. ☽ 14.

Tarquinius Romanorum rex jam ferè octogenarius, inſidiis filiorum *Anci* Martii cæſus interit, cùm annis 38. regnaſſet. Succedit *Servius Tullius* gener, triginta annorum, anno quarto Olymp. 50. Cùm Archon Athenienſium eſſet *Archeſtratides. Dionyſ. lib. 4.* Regnat autem annis 44.

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei Judaici decimi octavi, incipit die 26. Sept. fer. 2. Anno Jud. 3185.

ANNO MUNDI 3374. *ante C. N.* 574.
A. ☉ 22. ☽ 15.

Annus captivitatis Babylonicæ 25.

Annus ab urbe condita 177.

Annus Nabonaſſaris 172. incipit die 14. Januarii, feria ſeptima.

Ezechiel de ſpirituali Hieroſolyma vaticinatur, anno 25. captivitatis Babylonicæ:

anno 14. poſt crematum templum, die 10. menſis primi. Eſt dies 30. Martii, feria quinta, *Ezech.* 40.

Olympias 51. *acta die* 1. *Auguſti, feria* 3. in qua Stadium vicit *Eratoſthenes* Crotoniata. *Afric.* Eſt annus Olymp. 201.

ANNO MUNDI 3376. *ante C. N.* 572. F. ⊙ 24. ☽ 17.

Hieromus frater Merbalis regis Tyriorum, qui annis 4. Reipubl. præfuerat, ſuccedit, & regnat annis 20. Ejus annus quartus decimus eſt primus Cyri regis Perſarum. *Ioſephus contra Apionem.*

ANNO MUNDI 3378. *ante C. N.* 570. C. ⊙ 26. ☽ 19.

Annus captivitatis Babylonicæ 29.

Annus ab urbe condita 181.

Annus Nabonaſſaris 176. *incipit die* 13. *Ianuar. fer.* 4.

Phalaris Cretenſis patriâ ſuâ olim ejectus, cùm Agrigenti in Sicilia privatus fuiſſet, tyrannidem invadit, & paulò pòſt totius Siciliæ imperio potitur. *Sudias Oroſ.*

Olympias 52. *acta die* 17. *Auguſt. feria* 3. qua Stadium vicit *Agis* Elidenſis. *Afr.* Eſt annus Olymp. 205.

Anacreon Poeta Lyricus floret. *Suidas.*

ANNO MUNDI 3379. *ante C. N.* 569. B. ⊙ 27. ☽ 1.

Tullius *Romanorum rex, cum Hetruſcis, cum quibus induciæ exierant, bellum gerit totis annis viginti, eosq; devictos in fidem recipit: Auctores tamen belli Vejentes, Caretanus, Tarquinos parte agri mulctat, quam egentibus civibus diſtribuit.* Dionyſ. l. 4.

ANNO MUNDI 3380. *ante C. N.* 568. A. ⊙ 28. ☽ 2.

Archon apud Athenienſes *Ariſtomenes.* Diog.

Pittacus Mytileneus Philoſophus & belli dux inſignis moritur. *Diog. Laert.*

Annus Iobelæus Iudaicus decimus octavus, incipit die nono Septemb. fer. 7. *Anno Iud.* 3192.

ANNO MUNDI 3381. *ante C. N.* 567. GF. ⊙ 1. ☽ 3.

Piſiſtratus, cùm civibus egenis plurimùm benefaceret, & ſeipſum crudeliter multaſſet, cujus injuriæ potentiores cives inſimulabat, impetrat à civibus Athenienſibus præſidium, & ſatellites, quorum vi arcem occupat, & tyrannidem invadit, circa hæc tempora. *Plutarch in Solo.*

ANNO MUNDI 3382. *ante C. N.* 566. E. ⊙ 2. ☽ 4.

Annus captivitatis Babylonicæ 33.

Annus ab urbe condita 185.

Annus Nabonaſſ. 180. *incipit die* 12. *Ian. fer.* 2.

Apries Ægypti rex, adverſus Cyrenæos exercitum educit, magnaque clade afficitur: Ægyptii hoc ægrè ferentes, ut qui videbant eam regis culpâ accidiſſe, Amaſin regem eligunt, qui Aprien prælio vincit, capit, & ex voluntate Ægyptiorum ſtrangulat, cùm annis 25. regnaſſet. Amaſis verò regnat annos 44. *Herod. lib.* 2.

Olympias 53. *acta die* 18. *Auguſti, feria* 1. Stadium vicit *Agnon* Peparethienſis. *Afric.* Eſt annus Olympiad. 209.

ANNO MUNDI 3383. *ante C. N.* 565. D. ⊙ 3. ☽ 5.

Agon Nemeacus primus actus ab Argivis. *Euſ.*

Nemea autem celebrantur poſt Tlepolemia, quæ agebantur die 24. menſis Gorpiæi. Ergò Nemea fortaſſis neomenia Hyperberetæi, vel potiùs quarto die, cùm Hercules, in cujus honorem agebantur, quartâ Lunâ ſit natus. *Ioſeph. Scal.* Agebantur autem initio vel ſecundi vel quarti anni cujusvis Olympiadis, ut exempla oſtendunt. Scholiaſtes tamen Pindari notat, primum agonem Nemeacum actum anno 3381.

ANNO MUNDI 3384. *ante C. N.* 564. C. ⊙ 4. ☽ 6.

Panathenaa Athenis inſtituta, quæ tertio anno cujusvis Olympiadis inſtaurabantur, propoſito præmio & coronâ victori. Præmium erat amphora olei: corona ex olea. A Theſeo olim erant inſtituta ſingulis annis, cùm Atticæ populos in unam urbem contraxiſſet. *Callimachus & alii.*

Tullius *Romanorum rex iterum de Hetruſcis triumphat* 8. *Calend. Iunii.* tabulæ Cap.

ANNO MUNDI 3385. *ante C. N.* 563. BA. ⊙ 5. ☽ 7.

Tullius Romanorum rex cenſum inſtituit circa hæc tempora: Certus autem annus ejus rei dari non poteſt, cùm in Romana hiſtoria ſæpiùs inveniantur Cenſores tardius, quàm debeant electi. Ideò difficile eſt de ſecularibus annis pronunciare: ſequemur tamen, ut præſcripſerunt authores. Inventa autem ſunt, cùm luſtrum conderet, Romanorum civium 84700. *Dionyſ. lib.* 4.

Eugamon Cyrenæus Poeta, qui Tlegoniam ſcripſit, floret. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3386. *ante C. N.* 562. G. ⊙ 6. ☽ 8.

Annus captivitatis Babylonicæ 37.

Annus ab urbe condita 189.

Annus Nabonaſſaris 184. *incipit die* 11. *Ianuarii, feria quinta.*

Iechonias quondam rex Judæ, anno triceſimo ſeptimo ſuæ captivitatis ab Evilmerodacho, qui conſenſu procerum regni Babylonici, pro patre mentis impote ad gubernacula regni admotus erat, carcere liberatur, & inter familiares & amicos regis numeratur. Factum die 27. menſis duodecimi, qui ad Calendarium Julianum eſt dies 3. Martii, feriâ ſeptimâ.

Æſopus apologorum celebris Author, ut Suidas affirmat, de Saxo apud Delphos dejicitur.

Olympias 54. *acta die* 18. *Auguſti, feria* 7. Stadium vicit *Hippoſtratus* Crotoniata. *Afric.* Eſt annus Olympiadicus 213.

Arichion Phygaleus in lucta ab adverſario ſtrangulatus, pronunciatur victor, & coronatur. *Pauſan. in Arcadicis.*

ANNO

ANNO MUNDI 3387. *ante C. N.* 561. F. ☉ 7. ☽ 9.

Abaris de Scythia venit in Græciam, qui ſimulachrum Palladi Trojanorum ex oſſibus Pelopis dicitur feciſſe, *ut Firmicus habet.*

Annus ſabbathicus primus Iobelei decimi noni Iudaici, incipit die 21. *Sept. fer.* 7. *Anno Iud.* 3199.

ANNO MUNDI 3388. *ante C. N.* 560. E. ☉ 8. ☽ 10.

Amaſis rex Ægypti primus mortalium Cyprum Inſulam capit, & ſibi tributariam facit. *Herod. lib.* 2.

Archon Athenienſium *Hippocleides.*

Halyattes Lydorum rex, cùm annos quinquaginta ſeptem regnaſſet, vitâ excedit. Succedit ipſi filius *Crœſus*, annos natus 35. qui ſtatim Eheſiis, & deinde ſingulis Jonum, Æolumque in Aſia minore bellum intulit, regnat quatuordecim annis. *Herodot. lib.* 2.

ANNO MUNDI 3389. *ante C. N.* 559. DC. ☉ 9. ☽ 11.

Nebucadnezar *anno poſt parentem Nabopollaſſarem quadrageſimo tertio exacto, cum mentis iterum compos factus eſſet, moritur: ſuccedit ipſi filius* Evilmerodach, *quem Ptolomæus nominat Ilvarodamum, qui regnat annos duos.* Ptolom. in Canone, & Beroſus.

ANNO MUNDI 3390. *ante C. N.* 558. B. ☉ 10. ☽ 12.

Annus captivitatis Babylonicæ 41.

Annus ab urbe condita 193.

Annus Nabonaſſaris 188. *incipit die* 10. *Januarii, feria ſecund.*

Solon circa hæc tempora peregrinatur, ut Herodotus vult, & primùm ad *Amaſin* in Ægyptum venit, inde ad *Crœſum*: quanquam de hac peregrinatione dubium oriri poſſit ratione temporis, ut Plutarchus etiam animadvertit.

Olympias 55. *acta die* 4. *Auguſt. fer.* 4. Stadium vicit *Hippoſtratus* Crotoniata ſecundùm: Eſt annus Olymp. 217.

ANNO MUNDI 3391. *ante C. N.* 557. A. ☉ 11. ☽ 13.

Cyrus, Aſtyagis Medorum regis ex filia nepos, cùm de crudelitate avi in ſe & matrem edoctus eſſet, avo bellum infert, eum regno ejicit, cùm imperaſſet annis 35. Ipſe Cyrus imperat annis 30. *Herod.*

Belſazer, Nebucadnezaris *ex filia nepos*, ut Beroſus habet apud Joſephum, *poſt avunculum Evilmerodachum, ab affine ſuo ſceleratè oppreſſum, cùm duos annos regnaſſet, imperat annis quatuor, & paulo plus, primis tamen annis ſub tutore Nerigliſſoro.* Ptolomæus in Canone & Beroſus.

Daniel Propheta hoc anno ſomniat de quatuor animantibus, quatuor monarchias exprimentibus, *Dan. cap.* 7.

ANNO MUNDI 3392. *ante C. N.* 556. G. ☉ 12. ☽ 14.

Ibycus Poeta Lyricus floret. & in Samum inſulam venit, cum *Crœſus* Lydis imperaret. *Diog. Laert.* Interfecti hujus Ibyci à latronibus ultrices fuerunt grues, juxta verſum:

Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.

Crœſus, cùm ſibi Aſim minorem ſubjeciſſet, filium amittit, quem paulò ante fecerat maritum: Cùm audiret Cyrum evertiſſe Aſtyagem, de impediendis Perſis conſilia agitat. *Herodot. lib.* 1.

ANNO MUNDI 3393. *ante C. N.* 555. F. ☉ 13. ☽ 15.

Daniel Propheta videt arietem & caprum inter ſe pugnantes, quibus Alexandri Magni bellum contra Perſas ſignificabatur, *Dan.* 8.

Steſichorus Poeta, qui cùm quædam in vituperium Helenæ ceciniſſet, oculis fuit orbatus; poſtea tamen ſanitati reſtitutus, cùm eandem laudaſſet, ſecundum quosdam moritur hoc anno. *Goltzius. Diog.*

ANNO MUNDI 3394. *ante C. N.* 554. ED. ☉ 14. ☽ 16.

Annus captivitatis Babylonicæ 45.

Annus ab urbe condita 197.

Annus Nabonaſſ. 192. *incipit die* 9. *Jan. feria ſexta.*

Simonides Poeta, qui artem reminiſcendi invenit, quique de imperio Cambyſis & Darii ſcripſit Doricâ dialecto: Item Threnos, Pæanes, Encomia, Epigrammata, & alia, floret. Vixit usque ad ſeptuageſimam octavam Olympiad.

Olympias 56. *acta die* 24. *Auguſt. feria ſecunda.* Stadium vicit *Phædrus* ex Phraſalia. Eſt annus Olymp 221. *Afric.*

Chilon unus de ſeptem Sapientibus, conſtituitur apud Lacedæmonios Ephorus ἐπώνυμος. Quinque autem fuerunt Ephori, unus illorum tantùm fuit ἐπώνυμος à cujus magiſtratus tempore res geſtæ ſignabantur. Duravit hic mos annis 350. usque ad tempora Philippi, penultimi regis Macedonum, cujus tempore, *Cleomenes* Spartanorum rex, cæſis Ephoris, Magiſtratum hunc abolevit. *Diog. Laert.*

Annus ſabbathicus ſecundus, Iobelei Judaici decimi noni, incipit die 5. *Sept. fer.* 7. *Anno Jud.* 3206.

Archon apud Athenienſes *Euthydemus.*

ANNO MUNDI 3359. *ante C. N.* 553. C. ☉ 15. ☽ 17.

Belſazar *Babyloniorum rex, prava indolis adoleſcens, ab amicis oppreſſus, cum cruciatu interficitur. Qui eum oppreſſerant, conveniunt, & de communi ſententia regnum tradunt* Nabonedo Medo, ut Beroſus Megaſthenes & Ptolomæus habent.

Darius autem Medus, ut Daniel ſcribit, non vi occupaſſe regnum, ſed accipiſſe dicitur. *Dan.* 5. *v. ultimo.*

Danieli Prophetæ revelatur tempus politiæ Judaicæ, ſeptuaginta hebdomatibus duraturæ hoc anno ſabbathico: Eæ hebdomades numerandæ erant ab edicto de inſtauranda Hieroſolyma, & templo ædificando. Faciunt autem hebdomades 70. annos 490. & incipiendæ ſunt poſt annos 133. *Dan.* 9.

ANNO

ANNO MUNDI 3396. *ante C. N.* 552.
B. ☉ 16. ☽ 18.

Pythiade octavo, Cythara ſola, ſine vocis humanæ acceſſione, admiſſa eſt: coronam accepit *Agelaus* Tegeates. *Pauſan.*

ANNO MUNDI 3397. *ante C. N.* 551.
AG. ☉ 17. ☽ 19.

Alcetas Macedonum rex, cùm annos 29. regnaſſet, moritur, ſuccedit *Amyntas* rex Macedonum nonus, qui regnavit annis quinquaginta. *Afric.*

Piſiſtratus, cujus parenti Hyppocrati oſtentum in ludis Olympicis hoc factum, ut olla ab ipſo, plena carne & aqua, absque igne poſita effervesceret, unde admonitus fuerat à Chilone Spartano, ne uxorem duceret: ſed ſuſtulit tamen hunc filium. Hic igitur Piſiſtratus tyrannidem invaſerat, ſed paulò pòſt Athenis ope Megaclis ejectus fuerat: Cùm igitur undecim annis exulaſſet, Athenas ope ejusdem Megaclis, cujus filiam duxerat uxorem, poſt annum undecimum exilii, redit, paulò antè bellum Crœſi, *Herod. lib.* 1.

ANNO MUNDI 3398. *ante C. N.* 550.
F. ☉ 18. ☽ 1.

Annus captivitatis Babylonicæ 49.

Annus ab urbe condita 201.

Annus Nabonaſſaris 196. *incipit die* 8. *Jan. fer.* 3.

Crœſus de bello Perſico conſilia agitans, Oraculum Delphis conſulit de belli eventu, & ambiguo Oraculi reſponſo deceptus, bellum Cyro infert, Halymque fluvium tranſit, edoctus à *Thalete* Mileſio, qui tùm adhuc erat in vivis, qua ratione Halys vado tranſiri poſſet. *Herod. lib.* 1.

Olympias 57. *acta die* 6. *Auguſt. feria tertia.* Stadium vicit *Ladromus* Lacedæmonius. Eſt annus Olympiad. 225.

Camarina in Sicilia à Syracuſanis everſa. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3400. *ante C. N.* 548.
D. ☉ 20. ☽ 3.

Bellum Tyreaticum circa hæc tempora geſtum à Spartanis. Cùm enim Crœſius auxilia adverſus Cyrum à Lacedæmoniis peteret, impetrare ea non potuit, quòd bello Thyreatico impedirentur, *Herodot. lib.* 1. Paulò pòſt Gymnopædia, ſive chorus puerorum nudorum Spartæ inſtitutus, qui laudes canebant eorum, qui fortiter dimicando in Thyreatico bello perierant. Fuit autem hoc bellum cum Argivis, propter fines quosdam, in quo trecenti ex utraque parte electi, pugnarunt tanta contentione, ut exceptis tribus tantummodò reliqui omnes caderent. *Herodot.*

ANNO MUNDI 3401. *ante C. N.* 547.
CB. ☉ 21. ☽ 4.

Piſiſtradia templum Apollinis Delphici cremant, quod poſtea ab Alcmæonidis Athenienſibus civibus à Piſiſtratidis in exilium ejectis, inſtauratur, multum contribuente Amaſi rege Ægyptio, *Herodot. Euſeb.* Pauſaniàs tamen hanc cladem templi Delphici conjicit in ſequentem annum.

Tullius *Romanorum rex circa hæc tempora Latinorum principes evocat, eosque concerata admonens, hortatur, ut Romæ templum Dianæ condant, ubi quotannis convenirent, & ſi quidem diſſidii inter eos ortum eſſet, judicio aliorum componeretur.* Dionyſ. lib. 4.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei Judaici decimi ſeptimi, incipit die 17. *Sept. fer.* 7. *Anno Jud.* 3213.

ANNO MUNDI 3402. *ante C. N.* 546.
A. ☉ 22. ☽ 5.

Annus captivitatis Babylonicæ 53.

Annus ab urbe condita 205.

Annus Nabonaſſaris 200. *incipit die* 7. *Januar. feria.* 7.

Laſus, filius Charbini Hermionenſis ex Achaia, primus de Muſicis ſcripſit, & dithyrambum in certamen adduxit. *Diog.*

Olympias 58. *acta die* 23. *Julii, fer.* 1. in qua ſtadium vicit *Diogenetus* Crotoniata. *Eſt annus Olympiad.* 229.

Archon apud Athenienſes *Erxiclides*. Pauſan.

Oreſtis oſſa Olympiade 58. Thegeæ inventa ſunt à Spartanis, monitu Oraculi: Fuerunt autem cubitorum ſeptem in longitudine. *Solin.*

ANNO MUNDI 3403. *ante C. N.* 545.
G. ☉ 22. ☽ 6.

Cyrus, cùm Crœſi copias tandem prælio ſuperaſſet, ipſum Sardibus in urbe regia obſidet, expugnat & capit, filius Crœſi mutus & elinguis in iſto tumultu, cùm parens de vita periclitaretur, ne penitùs interficeretur, ingenti nixu impetuque nodum linguæ rupit, clamavit, & cædem impedivit, & poſtea planè loqui cœpit. *Herodot lib.* 1.

Anaximenes moritur, quando Sardes captæ ſunt. *Diog. Laert.*

Cyrus, captis Sardibus, *Iones* bello ſubigere non audet, metu Babyloniorum & Sacarum, ideò Suſas redit. Sardes ita captæ, & regnum Lydorum deſtructum eſt poſt Gygem, anno 165.

ANNO MUNDI 3404. *ante C. N.* 544.
F. ☉ 24. ☽ 7.

Lydi, cùm Cyrus abiiſſet, rebellant, ſed ſub jugum redacti, à præfacto Cyri, armis ſpoliantur, & ex conſilio Crœſi, Muſicam diſcere jubentur, ut mollitie effœminari militiam horrerent, & paci ſtuderent.

Piſiſtratus, cùm iterum ejectus eſſet Athenis, comparato exercitu, Athenienſes ad Marathonem vincit, & Athenis iterum potitus, tyrannidem firmam facit: & ab hoc anno videtur Herodotus, usque ad ejectionem Hippiæ, computare ad annos 36. *Herodot.*

ANNO MUNDI 3405. *ante C. N.* 543.
ED. ☉ 25. ☽ 8.

Cyrus Harpagum ad ſubigendos Iones mittit, qui omnium primos Phoceænſes aggreditur, hi armis impares; cum omnibus ſuis rebus in naves impoſitis in Chium trajiciunt, inde in *Cyrnum*, ad veteres ſuos colonos accedunt; ibi, quod Piraticam exercerent, peſſimè multati ſunt à Charthaginenſibus; ideò qui cladi ſuperfuerunt, aut Rhegium in Italiam, aut Maſſiliam in Gallias proficiſcuntur: Cyrus interim alio exercitu ſuperiora Aſiæ ſibi ſubjicit. *Herod. lib.* 1.

ANNO MUNDI 3406. *ante C. N.* 542.
C. ☉ 26. ☽ 9.

Annus captivitatis Babylonicæ 57.

Annus ab urbe condita 209.

Annus

Annus Nabonaſſaris 204. incipit die 6. Januarii, feria quarta.

Teii in Aſia minore ab Harpago victi, & finibus pulſi, Abderum in Thraciam concedunt: Reliqui Jones ab Harpago in ſervitutem rediguntur, exceptis Mileſiis, qui in fœdere erant cum Cyro. *Herodot. lib. 1.*

Zancla inter initia à latronibus è Cumis in Opicis Chalcidica habitata eſt, quos viceruntMeſſenii; inde alii etiam ex Chalcide oriundi acceſſerunt. Hoc tempore etiam Samii, & alii, imperium Medorum fugientes, advenerunt. *Thuc. lib. 6.*

Olympias 59. acta die 7. Auguſti, feria 3. Stadium vicit *Archilochus* Corcyræus. Inter pugiles verò *Praximadas* Ægineta cæſtibus victor renunciatus eſt. *Pauſan. in Eliacis.* Eſt annus Olymp. 233.

ANNO MUNDI 3407. *ante C. N.* 541.
B. ☉ 27. ☽ 10.

Harpagus ſubacta Jonia, in Caras exercitum ducit, eoſque nullo negotio ſubigit. Lycii verò acriter Harpago reſtiterunt, & diu, & non niſi internecione vinci potuerunt. *Herod. lib. 1.*

Anaximander primus fuit apud Græcos, qui obliquitatem Zodiaci demonſtravit: is circa hæc tempora floret.

ANNO MUNDI 3408. *ante C. N.* 540.
A. ☉ 28. ☽ 11.

Sogenes puer adhuc Ægineta, vincit quinquertio, in decima quarta Nemeade. *Schol. Pind.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei Judaici decimi noni, incipit die 30. Sept. fer. 7. Anno Jud. 3220.

ANNO MUNDI 3409. *ante C. N.* 539.
GF. ☉ 1. ☽ 12.

Servius Tullius Romanorum rex, templum bonæ Fortunæ in Boario foro, item alterum Fortunæ virilis in ripa Tyberis condit. *Dionyſ. lib. 4.*

ANNO MUNDI 3410. *ante C. N.* 538.
E. ☉ 2. ☽ 13.

Annus captivitatis Babylonicæ 61.

Annus ab urbe condita 213.

Annus Nabonaſſaris 208. incipit die 5. Januarii, feria prima.

Cyrus ſubacta Joniâ, Cariâ, & Lyciâ, tandem in Babylonios movet, & cùm ad Gyndem fluvium perveniſſet, in quo trajiciendo damno affectus fuerat, eum in trecentos & ſexaginta rivulos deducit, & totam æſtatem in hac re conſumit. *Herodot. lib. 1.*

Theognis Poëta floret: Megarenſis fuit, non ex Sicilia, ſed propè Atticam urbe: meminit Simonidis & Onomacriti, qui Orphaica ſcripſit: vixit ultra Perſica tempora. *Diog. Euſeb.*

Olympias 60. acta die 24. Julii, feria prima. Stadium vicit *Apellæus* Elidenſis. Eſt annus Olymp. 237.

Pythagoras maximè floret circa Olymp. ſexageſimam. Pervenit ad annum ætatis ſupra octogeſimum, ejus Schola diutiſſimè duravit. Ariſtoxenes enim vidit quoſdam ex hac Schola. *Scalig.*

Xenophanes Phyſicus & Poëta circa hæc tempora floret. *Diog. Laert. & Euſeb.*

Hipponax Poëta floruit Olymp. 60. cui notabilis fœditas vulneris fuit: Cùm verò propterea rideretur, adeò indignatus eſt, ut amaritudine carminum quoſdam ad laqueum compulerit. *Plin. lib. 35. cap. 5.*

ANNO MUNDI 3412. *ante C. N.* 536.
C. ☉ 4. ☽ 15.

Cyrus *Babylonem pergit*, & Darium Medum *prælio vincit, urbemque præſidiis deſtitutam averſo flumine ex inſidiis capit, & munimentis ſpoliat, inde Darium perſequitur, & ad Borſippum deditione captum, vitâ donat, & Carmaniæ præficit.* Herodot. Beroſus apud Joſeph. Magaſth. apud Euſeb. & Ptolomæus in Canone. *Factum autem in initio anni 210. anni Nabonaſſari.*

Sceleſtæ nuptiæ *Tarquinii* Superbi cum *Tullia* regis Servii minore filia, cùm priùs interfeciſſent, ille uxorem Tulliam majorem, hæc verò Aruntem maritum, Tarquinii fratrem. *Dionyſ. lib. 4.*

ANNO MUNDI 3413. *ante C. N.* 535.
BA. ☉ 5. ☽ 16.

Zaleucus qui Locrenſibus leges præſcripſit, circa hæc tempora vixit: fuit Pythagoræus. *Diog. Laert.*

ANNO MUNDI 3414. *ante C. N.* 534.
G. ☉ 6. ☽ 17.

Annus captivitatis Babylonicæ 65.

Annus ab urbe condita 217.

Annus Nabonaſſaris 212. incipit die 4. Januarii, feria 5.

Phocylides Poëta floret. *Euſeb.* Sed non fuit is Phocylides, cujus poëmata hodiè extant, qui videtur Chriſtianus fuiſſe. Illius vix pauci verſus ſuperſunt. *Joſephus Scalig.*

Olympias 61. acta eſt die 9. Aug. fer. 5. Stadium vicit *Agathargus* Corcyræus. Pancratii verò victor fuit *Rexibius* Opunticus. Eſt annus Olymp. 241.

ANNO MUNDI 3415. *ante C. N.* 533.
F. ☉ 7. ☽ 18.

Annus ſabbathicus quintus Jobelei Judaici decimi noni, incipit die 12. Sept. fer. 5. Anno Jud. 3227.

ANNO MUNDI 3416. *ante C. N.* 532.
E. ☉ 8. ☽ 19.

Cleoſtratus Aſtronomus octaeteridem Athenienſibus in anno obſervando propoſuit, anno ſecundo, Olymp. 61. menſe Gamelione, die 8. Januarii, in novilunio, cùm Anaximander decem annis antea obliquitatem Zodiaci demonſtraſſet. *Cenſorin.*

ANNO MUNDI 3417. *ante C. N.* 531.
DC. ☉ 9. ☽ 1.

Tullius *Romanorum rex, ſcelere generi Tarquinii & filiæ occiditur, & ſepultura prohibetur. Filia, quæ tum carpento vehebatur, per patris cruentum corpus carpentum agi juſſit; factum circa meſſem, cùm cives plerique in agro eſſent. Fit autem Lucius Tarquinius rex anno quarto Olymp. 61. quam vicit Agathargus, cùm Athenis Archon eſſet Heraclius, vel ut alii habent, Heraclides. Hic vertit regnum in tyrannidem, primuſque regum Satellitum ſibi aſſcivit, & plurimos potentum, immiſſis accuſatoribus, trucidavit. Regnaverat autem Servius Tullius annos 44. Tarquinius verò regnat annos 25.* Dionyſius lib. 4.

ANNO MUNDI 3417. *ante C. N.* 530.
B. ☉ 10. ☽ 2.

Annus captivitatis Babylonicæ 69.

Annus ab urbe condita 221.

Annus Nabonaſſ. 216. incipit die 3. Jan. fer. 2.

Cyrus

Cyrus Babyloniorum rex, edoctus de vaticiniis Prophetarum, de captivitate Judæorum ab ipſo ſolvenda, propoſuit edictum publicum, in quo Judæis omnia ſua reſtituit, & ut in patriam ſuam regrediantur, urbemque Hieroſolymam inſtaurent, hortatur, promittitque ipſis ſumtus, & ad hanc rem, & ad ſacrificia quotidiana neceſſarios.

Olympias 62. acta eſt die 26. Iulii, fer. 7. Eſt annus Olympiad. 245. Stadium vicit *Eryxidas* Chalcidenſis. Luctam verò vicit *Milo* Crotoniata, qui Olympia vicit ſexies. Pythia itidem ſexies: Iſthmia octies; Nemea novies. *Scalig.*

ANNO MUNDI 3419. *ante C. N.* 529.
A. ☉ 11. ☽ 3.

Judæi, conceſſa ſibi poteſtate in patriam redeundi, & templum inſtaurandi, cùm jam, quæ itineri neceſſaria erant, præparaſſent, lætis animis iter ingrediuntur, homines numero 42360. exceptis ſervis. In Judæam veniunt, ſexto menſe, & die primo, ſeptimi menſis, inſtaurant juge ſacrificium: factum 30. Sept. feria ſeptima.

Tarquinius cenſum à Tullio inſtitutum abrogat, & pauperibus cum divitibus ſtipendii ſolvendi, & alia militiæ onera æquat. *Dionyſ. lib.* 4.

ANNO MUNDI 3420. *ante C. N.* 528.
G. ☉ 12. ☽ 4.

Lipara Æolidum maxima Cnidiorum Colonia, ante annos ferè centum condita, occupatur à Carthaginenſibus anno tertio Olymp. 62. *Strabo.*

Fundamenta templi ſecundi jacta menſe ſecundo, anno ſecundo reditûs ex captivitate Babylonica, fuit dies 23. Aprilis, feria ſecunda. Feria enim prima præcedens propter neomeniam ſacra habetur, ſed paulò pòſt, cùm *Cyrus* in Maſſagetes moveret, interdicta fuit ædificatio. *Eſra.* 4.

Cyrus *conſtituit bellum inferre Scythis, qui ultra Araxem fluvium habitabant, fideliter id bellum diſſuadet Crœſus, & alii, item Tomyris ipſa, cum nihil apud Scythas eſſet, quo Perſa opulentiores fierent. Tranſit tamen Araxem fluvium, & magnam exercitus Scytharum partem in fraudem illectam, dum poculis indulgent, trucidat.* Herod. lib. 1.

ANNO MUNDI 3421. *ante C. N.* 527.
FE. ☉ 13. ☽ 5.

Cyrus, *à Scythis ingenti prælio victus, cadit, cui caſo, ſuperbe inſultat* Tomyris, *regina, cujus filium trucidaret. Regnavit autem Cyrus annos ferè triginta. Succedit filius Campyſes, tyrannus, qui imperat annis ſeptem, & menſes quinque.*

Daniel Propheta anno tertio ſolutæ captivitatis à Cyro, die 24. Menſis primi, eſt dies 5. Aprilis, feria ſeptima, vidit viſionem illam celebrem de regibus Perſicis, de Alexandro Magno & ſucceſſoribus ejus, & de Antichriſto, *Dan. cap.* 10. 11. 12.

Tarquinius Superbus cloacas in Tyberimusque deducit, & Circum magnum ludis celebrandis dedicatum, porticibus circundat. *Dionyſ. lib.* 4.

ANNO MUNDI 3422. *ante C. N.* 526
D. ☉ 14. ☽ 6.

Annus Cambyſis Perſarum regis ſecundus.

Annus ab urbe condita 225.

Annus Nabonaſſaris 220. incipit die 2. Januar. fer. 6.

Tarquinius rex Romanorum convocat Latinorum principes ad Ferentinum, eosque admonet, ut ſibi principatum, quem ovo ſuo Tarquinio dediſſent, confirmarent, ibique repugnantem Turnum, falſo accuſatum & fraude convictum, morte mulctat. *Dionyſ. lib.* 4.

Olympias 63. acta die 11. Auguſt. fer. 6. Stadium vicit *Parmenides* Camarinæus. Eſt annus Olymp. 249. *Theagenes* Rheginus hiſtoricus innoteſcit. *Diog.*

Annus ſabbathicus ſextus Iobelei Iudaici decimi noni, incipit die 25. Sept. fer. 7. Anno Iud. 3234.

ANNO MUNDI 3423. *ante C. N.* 525.
C. ☉ 15. ☽ 5.

Polycrates, qui perpetuò incredibili felicitate uſus eſt, regnat in Samo jam ab aliquot annis. Hic annulum cum Smaragdo inſigni, in mare aliquando projecit, ut fortunam periclitaretur: ſed piſcis, qui diglutierat annulum, Polycrati à piſcatore, qui eum ceperat, dono datur. Amaſis rex Ægypti, inſigne infortunium tantam felicitatem comitaturum ratus, amicitiam cum eo diſſolvit. *Herod. lib.* 1.

Tarquinius rex Volſcis, Hernicis, & Latinis populis perſuadet, ut commune templum Jovi Latiari in *Alba* tumulis extruerent, ibiq; quotannis ſacrificarent. Perſuaſit hoc quinquaginta civitatibus, Ex feriæ poſtea Latinæ dictæ ſunt. *Dionyſ. lib.* 4.

ANNO MUNDI 3424. *ante C. N.* 524.
B. ☉ 16. ☽ 8.

Tarquinius bellum facit Sabinis, eosque vincit, & Pometinos, qui Sueſſam incolunt, obſidet, iisque captis decimas argenti in templi fabricam ſeponit: Summa decimarum fuit, talenta quadringenta. Paulò pòſt iterum pugnat cum Sabinis, & duos eorum exercitus fundit. *Dionyſ. lib.* 4.

ANNO MUNDI 3425. *ante C. N.* 523.
AG. ☉ 17. ☽ 9.

Cambyſes poſcit ſibi filiam Amaſis regis Ægypti in uxorem: Amaſis metuens, ne filia ſua hoc modo Cambyſi in pellicatum potius, quàm in matrimonium traderetur, aliam pro ſua mittit, de qua re Cambyſes edoctus, adeò excandeſcit, ut bello vindicandam rem cenſeret. *Herodot. lib.* 1.

ANNO MUNDI 3426. *ante C. N.* 522.
F. ☉ 18. ☽ 10.

Annus Cambyſis Perſarum regis ſextus.

Annus ab urbe condita 229.

Annus Nabonaſſaris 224. incipit ipſis Cal. Januar. feria 3.

Amaſis *rex Ægypti, cùm annos 44. regnaſſet, vita defungitur eo ipſo tempore, qn. Campyſes cum exercitu in Ægyptum venit. Succedit defuncto Pſammenitus, qui tantum regnavit 6. menſes. Cùm n. prælium cũ Cambyſe committeret, vincitur, & incluſus* Memphi, *vivus capitur & Cambyſi traditur, atq; ita regnũ*

Ægypti

Ægypti deſiit, quod per multa ſecula floruerat. Perſæ autem ab hoc tempore, ſi defectiones ſimul computes, obtinuerant Ægyptum annis 135.

Polycrates ille Samius Tyrannus, cùm ſibi bellum metueret à Spartanis, ſuſpectos ſuos cives cum quadraginta navibus Cambyſi in Ægyptum mittit, ſed hi converſo itinere ad Spartanos abeunt, & ab iiſdem auxilia impetrant, contra Polycratem, & Samum obſident, diebus tamen quadraginta fruſtra ſe fatigantes, re infecta in Peloponneſum redeunt. *Herod. l. 3.*

Tarquinius apud Romanos Gabiis bellum infert, quod ſeptem annis continuis geſtum eſt. Inducti autem ſunt ad bellum à Pometinis, qui ex clade aufugerant, quibus Volſci etiam ſubſidia mittunt. Id bellum populationibus potiſſimùm geſtum eſt, unde fames orta. Poſtea tamen Gabii dolo filii *Sexti Tarquinii* ſunt capti. *Dionyſ. lib. 4.*

Olympias LXIV. acta die 27. Julii, fer. 7. Stadium vicit *Evander* Theſſalus. Archon apud Athenienſes *Miltiades*. Eſt annus Olympiad. 253.

Hac Olympiade, Archonte Miltiade, Hetruſci cum Umbris conantur Cumas excindere, quòd videbantur Cumani omnium ditiſſimi eſſe, ex quibus præda capi poſſet. Habuerunt in exercitu peditum quingenta millia, equitum octodecim millia. Cumani tantùm habuerunt equites ſexcentos, & pedites 4500. ideò non auſi eſſent eum hoſte confligere, niſi fluvius prope urbem curſum retrò ad fontes reflexiſſet, quo viſo, audacter in hoſtes irruerunt, eoſque profligarunt. *Dionyſ. l. 7.*

ANNO MUNDI 3427. ante C. N. 521.
E. ☉ 19. ☽ 11.

Eclipſis Lunæ annotata à Babyloniis anno 7. Cambyſis, quam refert Ptolem. lib. 4. μεγ. συν. accidiſſe anno 225. Nabonaſſ. die 17. Phamenoth, qui eſt dies 16. Julii, fer. 4. Latitudo vera 34. 11. Semid. Lunæ 16. 7. ſcrup. reſidua 25. 0. digiti 9. 18. fit Alexandriæ min. 15. ante mediam noctem, cum Ptolomæus dicat, eam factam hora integra, & 10. minutis ante mediam noctem, & tantum fuiſſe 6. digitorum, & paulò plus.

Cambyſes *Æthiopibus bellum illaturus, magna clade afficitur, quòd iter ingreſſus eſſet non præparato commeatu; quo deficiente, jumenta primum mactarunt, pòſt herbis victitarunt, iis etiam in ſabulo deficientibus, decimum ſorte lectum devorarunt: Et ita coactus eſt, nullo viſo hoſte, redire in Ægyptum. Eodem tempore miſit etiam exercitum ad Ammonios vaſtandos. Is exercitus, nec ad Ammonios venit, nec poſt comparuit: creditur arena obrutus fuiſſe. Inde* Apin *Ægyptiorum Deum vulnerat, & ad inſaniam ferè redactus, plurimos Perſarum principes, & inter cæteros Crœſum etiam interfici jubet, qui tamen beneficio miniſtrorum ſervatur. Smerdim etiam fratrem in Perſas remiſſum per* Prexaſpem, *cujus filii cor ebrius ſagitta percuſſerat, trucidat.* Herod. l. 3.

ANNO MUNDI 3428. ante. C. N. 520.
D. ☉ 20. ☽ 12.

Dum Cambyſes in Ægypto moratur, Magi in Perſia electo Smerde Mago in regem, imperium invadunt, & Cambyſen edicto ab imperio removent. Cambyſes, cùm in Syriam rediiſſet, contra Magos moturus, caſu ſe ſuo ipſius gladio in fœmore vulnerat, & poſt dies viginti moritur, cùm regnaſſet annos ſeptem, menſes quinque: Magi obtinent imperium menſibus ſeptem.

Orates Perſa, præfectus Ioniæ, Cariæ & vicinis regionibus, Polycratem Samiorum Tyrannum per inſidias ad ſe evocatum capit, & cruci affigit, juxta ſomnium filiæ, quæ ſomniaverat, parentem ſuum lavari à Jove, & ungi à Sole. Factum ſub interitum Cambyſis. *Herod. l. 3.*

ANNO MUNDI 3429. ante C. N. 519.
CB. ☉ 21. ☽ 13.

Samii, qui Polycratem oppugnarant, cùm in patriam non eſſet reditus, in Italiam navigant, & *Dicæarchiam* urbem, quæ eſt *Delus*, & Puteoli vocata eſt, condunt. *Euſeb.*

Perſarum principes ſeptem, cùm cognoviſſent, non Cyri filium Smerdem regno præeſſe, conjurant de interficiendo Mago, qui regnum invaſerat, & feliciter id perficiunt. Inde regem ex ſuo numero creant eum, cujus equus Sole oriente prius hinniret, quod aſſecutus eſt Darius Hiſtaſpis, conſilio ſui Equiſonis. Herod. lib. 5. *qui regnat annos* 36.

Annus Jobeleus Judaicus decimus nonus ab occupata terra, incipit die 6. Sept. fer. Anno *Jud.* 3241.

Annus Nabonaſſaris 228. incipit die 31. Septembr. feria 7.

Atque ita uno eodemque anno bini anni Nabonaſſarei initium ſumunt, alter quidem Kalendis Januarii: alter verò, cùm hic annus ſit biſextilis, cyclo Solis 21. atque ita contineat dies 366. die ultimo Decembris.

ANNO MUNDI 3430. ante C. N. 518.
A. ☉ 22. ☽ 14.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis primus.

Annus ab urbe condita 233.

Annus Nabonaſſ. 228. incipit die ult. Dec. fer. 7.

Orates, qui Polycratem cruci affixerat, & multos alios Perſas, etiam legatos Darii interfecerat, tandem dat Dario pœnas, & trucidatur. *Herodot. l. 1.*

Darius rex ex luxatione pedis tantis doloribus conflictatur, ut ſeptem diebus ſomnum non videret: ſanitati verò poſtea reſtitutus fuit à Democede Crotoniata, qui inter captivos apud Orontem inventus, fortè adductus erat. Herodot. l. 1.

Olympias LXV. acta eſt die 12. Auguſti, fer. 7. eſt annus 257.

Stadium vicit *Acochas* Tarentinus. Introductus tum fuit gravis armaturæ curſus, in quo vicit *Demaratus* Heræenſis, ut & ſequenti Olymp.

Pindarus Poeta naſcitur. *Diog. Laert.*

Hecatæus hiſtoricus innoteſcit. *Diog.*

ANNO MUNDI 3431. *Ante C. N.* 517.
G. ☉ 23. ☽ 15.

Mæandrius ſcriba Polycratis, interfecto domino Tyrannidem occupat.

Sycoſon frater Polycratis, qui olim Dario, cùm privatus eſſet, rubram tunicam donarat, impetrat à Dario auxilia, & Mæandrium ejicit, & Samum occupat. *Herod. l. 1.*

ANNO MUNDI 3432. ante C. N. 516.
F. ☉. 24. ☽ 16.

Babylonii *Dario rebellant, quos fruſtra obſidet anno ſpatio, & ſeptem menſibus: donec* Zopyri *amici aſtutia caperentur, ferè biennio in obſidione conſumto.* Herod. lib. 1.

ANNO MUNDI 3433. Ante C. N. 515.
ED. ☉ 25. ☽ 17.

Annus Nabonaſſaris 232. incipit die 30. Decembr. feria 4.

ANNO MUNDI 3434. Ante C.N. 514.
C. ☉ 26. ☽ 18.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis 5.

Annus ab urbe condita 237.

Tarquinius ex manubiis Pometianis *Capitolium* Romæ extruit, quod inde nomen accepit, quòd caput humanum, quaſi recens & cruentum inventum eſſet, cùm fundamenta effoderentur. *Dionyſ. l. 4.*

Olympias LXVI. acta die 28. Julii, fer. 5. eſt annus 261.

Stadium vicit *Iſchyrus Hymereus* : Curru verò *Cleoſthenes* Epidamnius *Pauſan.*

ANNO MUNDI 3436. Ante C.N. 512.
A. ☉ 28. ☽ 1.

Hipparchus frater Piſiſtrati, tyrannus Athenienſis, interficitur ab Harmodio & Ariſtogitone, in feſto Panathænaico; factum annis viginti tribus ante cladem Marathoniam. Hippias enim filius Piſiſtrati, qui ſucceſſit patruo, quadriennio Athenis rerum potitus fuit, inde pulſus in exilium anno viceſimo, cadit in prælio ad Marathonem *Thucyd. l. 6.* Tyrannicidæ comprehenduntur, inter quos etiam fuit *Leæna*, concubina Harmodii, quæ cùm tormentis ſubjiceretur, carnifice jam fatigato, poſtremo linguam ſuam morſibus abſciſſam & commeſtam in faciem tyranni ſævientis expuit, ut expueret & vocem, ne conjuratos prodere poſſet, etiamſi vellet. *Athenæus. Tertull.*

Democedes Crotoniata medicus, qui invitus apud Darium in Perſia erat, etſi omnibus bonis affluebat, perſuadet uxori Darii Atoſſæ, cujus deterrimum ulcus in mamilla ſanaverat, ut adhortetur maritum ad Græciam bello petendam, quo ſibi adducerentur mancipia, fœminæ Athenienſes & Lacedæmoniæ; cui conſentit Darius, & exploratores mittit in Græciam Duce *Democede*, qui capta occaſione effugit, & in patriam redit, & exploratores, cùm non haberent ducem, re infecta redeunt. *Herod. l. 1.*

Annus ſabbathicus primus Jobelei Judaici viceſimi, incipit die 20. Sept. fer. 3. Anno Jud. 3248.

ANNO MUNDI 3437. ante C. N. 511.
GF. ☉ 1. ☽ 2.

Libri Sybillini ad Tarquinium regem afferuntur novem numero, à fœmina ignota, quæ magnam pecuniæ ſummam pro iis popoſcit; cùm rex tantam dare nollet, tres ex iis combuſſit, eandem tamen pecuniæ ſummam pro cæteris popoſcit: cùm iterum eam dare negaret, adhuc tres combuſſit. Et tandem pro reliquis tribus pecuniam quam voluit, obtinuit. Dionyſ.

Sybaritæ in Italia, anno quarto Olymp. 66. edicunt certamen Olympicum in ſua urbe ſequenti anno celebrandum, propoſitis longè majoribus præmiis, quàm apud Eleos dari conſueverant, ut ita Eleorum certamina negligerentur, & ſua celebriora redderentur; ſed biennio pòſt Sybaritæ à Crotoniatis evertuntur.

Annus Nabonaſſaris 236. incipit die 29. Decembr. feria 1.

ANNO MUNDI 3438. ante C.N. 510.
E. ☉ 2. ☽ 3.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis 9.

Annus ab urbe condita 241.

Phrynichus Poeta inclareſcit.

Olympias LXVII. acta die 14. Auguſti, fer. 2.

Phanas Pellenenſis vel Prienæus primus obtinuit ternas victorias in certamine Olympico. In Stadio videlicet: in duplicato curſu: & in gravis armaturæ curſu Eſt annus Olymp. 265.

ANNO MUNDI 3439. ante C.N. 509.
D. ☉ 3. ☽ 4.

Darius *Perſarum rex, ingenti contracto exercitu, hominum ſeptingentorum millium. & ſexcentis navibus, expeditionẽ facit in Scythiam Europæam, Walachiam, Moldaviam & Poloniam. Et Thraces quidem ſtatim jugum recipiunt, & vicini ſoli Getæ reſiſtunt, ſed & hi in ſervitutem rediguntur. Ut autem Iſtrum tranſire poſſet, per Pontum Euxinum, adverſo flumine naves adducit, & pontem extruit: illum pontem cùm ſolvi juſſiſſet, conſilio* Cois *integer conſervatur, præſidio tamen addito. Darius non diutius, quam ſexaginta ferè diebus in Scythia verſatus, omnium rerum egenus, in Thraciam redit, & ibi relinquit Megabyzum cum octoginta millibus militum* Herodot. l. 4.

ANNO MUNDI 3440. ante C. N. 508.
B. ☉ 4. ☽ 5.

Telys quidam, cùm magna apud Sybaritas authoritate polleret, quingentos cives ex ditioribus, urbe ejicit, qui Crotonem confugiunt. Sybaritæ hoſce exules repoſcunt, ſub minis belli inferendi. Pythagoras Philoſophus ſupplices non prodendos diſſerit, ideò Sybaritæ exercitum trecentorum millium contra Crotoniatas ducunt; Crotoniatæ conficiunt centum millia hominum, & duce Milone, qui ſexies in certamine Olympico victor fuerat, eos fugant, urbem Sybarim capiunt, diripiunt & excindunt. *Diod. Sic. l. 12.*

Megabyzus *Darii dux, in Thracia Perinthios primùm ſibi ſubjicit, qua capta, omni Thracia potitus eſt, inde adverſus Pæonas movet, eoſq; captos in Aſiam transfert.* Herod. l. 4. *Hic eſt* Megabyzus, *de quo* Darius *affirmavit, ſe malle tot Megabyzos, quot grana eſſent in malo punico, quam univerſam Græciam.*

Hippias Tyrannus Athenienſis tandem urbe ejicitur. Exules enim Athenienſes, & prece & fraude Spartanos inducunt, ut ſibi auxilio ſint in ejiciendis Tyrannis, quod tamen Spartani efficere non potuerunt; ſed exules, cùm fortè potiti eſſent Tyranni, & Piſiſtratidarum liberis, ut ii incolumes conſervarentur, Hippias urbe exceſſit. *Herodot. l. 5.* Tum temporis Demaratus adhuc Spartæ rex erat. Athenienſes verò pulſo Hippia, variis ſeditionibus agitati ſunt, & tandem ex quatuor tribubus decem effecerunt.

ANNO MUMDI 3441. ante C. N, 507.
AB. ☉ 5. ☽ 6.

Athenienſes primi omnium in Græcia, Harmodio & Ariſtogitoni tyrannicidis publicè ſtatuas poſuerunt. *Plin. l. 34. cap. 4.*

ANNO MUNDI 3442. Ante C.N. 506.
G. ☉ 6. ☽ 7.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum regis 13.

Annus ab urbe condita 245.

Tarquinius *Ardeates Rutulos bello petit, & cum primo impetu capi non poſſent, obſidione munitionibuſq;*

tot

pesſpremere conſtituit: in illo lento magis quàm acri bello, dum fortè certamen de præſtantia uxorum in convivio ortum eſſet, Lucretia palmam obtinuit. Sextus Tarquinius, *Regis filius, hujus laude incenſus, Lucretiam per vim ſtuprat, quæ ſeſe, cùm ſcelus Tarquinii enarraſſet, ſua manu interfecit.* Junius Brutus *cum aliis hoc ſcelere permotus, regem urbe cum tota familia expellit, ipſe Junius Brutus cum* L. Tarquinio *Collatino, Lucretiæ marito conſul creatur, quatuor menſibus antequam novus annus iniret.* Dionyſ. l. 4.

Olympias LXVIII. acta die 30. Julii, Fer. 2. Eſt annus Olymp. 269. Victor Stadio *Iſchomachus* Crotoniata. Eſt annus Olymp. 269.

Dies Regifugii, ſive dies, quo Tarquinius regno pulſus eſt, & primi Coſſ. magiſtratum inierunt, incidit in ſextum Calendarum Martii, ſive diem 24. Febr. teſte Calendario Romano, juſſu Cæſaris Auguſti in ſaxeis tabulis exarato; item Ovidio, & aliis Romanarum rerum Scriptoribus. Idem dies Regifugii prior fuit anno finiendo quatuor menſibus, teſte Dionyſio; quod cum priori ſtare non poteſt, niſi Dionyſius finem anni conſtituerit ad rationem annorum Olympiadicorum, & aliorum Græcorum, qui finiebantur circa initium Julii. Et hoc modo, ſi caput anni Romani tum temporis fixum fuiſſet, in Calendis Januarii, quemadmodum fuit tempore Dionyſii, procul dubio dies regifugii 4. menſibus abfuiſſet à menſe Sextili. Sed caput anni Romani vagum fuiſſe, evidenter in hiſtoria Romana demonſtratur. Nos, cùm annus inſtituti Calendarii Romani à Numa *incertus ſit, ſtatuimus diem regifugii in die 24. Febr. quidem, ſed qui tum inciderit in Calend. Juliano in diem 4. Apr. Atque ita Calendæ Januarii incident in 6. Febr. Inierunt ergò magiſtratum die 4. Aprilis Juliani.*

Coſſ. Junius Brutus.
L. Tarquinius Collatinus.

Tarquinius *exul, miſſis legatis ſua bona ſibi reddi poſtulat, Ea reddenda eſſe Brutus diſſuadet, Collatinus ſuadet & per ſuadet: Legati interim proditionem moliuntur, qua deprehenſa, filii Bruti Conſulis, proditionis rei, pœna capitis affecti ſunt.*

Collatinus, *dum pro ſororis filiis deprecatur, magiſtratu abrogato, urbe cedere cogitur,* P. Valerius Poplicola *illius loco Conſul declaratur: inde bona Tarquinii populo diripienda dantur, fuit tempus meſſis,* ut Plutarch. & Livius habent, *& cùm manipulos ob religionem nollent triturare, eos in Tyberim projecerunt, unde Inſula effecta eſt.* Liv. lib. 2.

Brutus *Conſul, pulſo Tarquinio ſacrum Carnæ Deæ in monte Cœlio facit, Cal. Iunii, inde hic menſis Iunius appellatus eſt.* Macr. l. 1. Sat.

Archon Athenienſium *Iſagoras Dionyſ. lib. 5.*

Tarquinius *Hetruſcos contra Romanos concitat, quibus obviam prodeunt Romani, ubi Conſul* Brutus *&* Aruns *Tarquinii filius, monomachia ambo ceciderunt; æqua ferè clades fuit, poſtridie tamen, cùm Hetruſci caſtris relictis aufugiſſent, Romani pro victoribus ſe geſſerunt, & Valerius triumphavit. Plutarchus tradit, prælium hoc accidiſſe prid. Calendar. Mart. ſed evidenter reliquis hiſtoricis contradicit. Si enim hoc die prælium accidiſſet, annuum ſpatium primorum conſulum ante quatriduum præteriiſſet, & qui fieri potuiſſet, ut Bruto defuncto alter Conſul ſubrogaretur? Valerius enim, ne ſuſpectus eſſet occupatæ tyrannidis, ſublegit Conſulem.*

M. Horatium Pulvillum.

ANNO MUNDI 3443. *Ante C.N.* 505.
F. ☉ 7. ☽ 8.

Romæ diem 9. April. Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Valerius Poplicola II.
T. Lucretius Tricipitinus.

Megabyzus Dux Perſarum, legatos ad Amyntam regem Macedonæ mittit, petitum terram & aquam; quâ tradita, ſplendido convivio excepti ſunt. Cùm verò iidem in convivio multa libidinosè cum fœminis agerent, Alexander filius Amyntæ adoleſcentes fœminarum more amictos introduxit, quos etiam aliter, quàm fert pudor, contrectabant; ideò juſſu *Alexandri* trucidantur. *Herod. l. 5.*

Annus ſabbathicus 2. Jobelei 20. incipit die 20. Sept. fer. 2. anno Jul. 3255.

Cenſus Romæ inſtituitur, qui intermiſſus fuerat tempore Tarquinii, *& tributorum ordinatio & conſtitutio, à* Servio Tullo *rege facta, in uſum revocatur, inventique ſunt, condito luſtro, cives* 130000. Dionyſ. l. 5.

ANNO MUNDI 3444. ante C. N. 504.
B. ☉ 8. ☽ 9.

Romæ circa diem 14. April. magiſtratum ineunt.

P. Valerius Poplicola III.
M. Horatius Pulvillus.

Otanes, Dux Darii, & princeps Perſarum, ſucceſſor Megabyzo miſſus, Byzantinos, Chalcedonenſes, & alios imperio Perſico ſubjicit, & inſulam itidem Lemnum, & Imbrem. *Herod. l. 5.*

Lars Porſena, *Cluſinorum Rex, Tarquinios exules receperat, & bello eos in regnum reſtituere cogitat; cui auxilia adducit ex Latinis populis, Octavius Mamilius, gener Tarquinii, & Romanorum quidem præſidium in Aventino monte pellitur, & Romam fugatur, Roma tamen defenditur, ponte ſublicio interrupto; dum interea Horatius Cocles ſolus totum exercitum hoſtium ingenti animo moratur & ſuſtinet, ponte abrupto per Tyberim ſalvus ad ſuos enatat. Inde bellum vario marte geritur, donec* C. Mutius Scævola *Porſenam interfecturus, pro rege Quæſtorem, tum neutrum noviſſet, occidit: quo caſu, & quòd magna clade, cæſis populatoribus ſuis, affectus eſſet, adeò territus eſt Porſena, ut pace cum Romanis facta, obſidionem ſolveret.* Dionyſ. l. 5. Liv. 2.

Horatius Pulvillus *Conſul, cui ſorte dedicatio Capitolii evenerat, id, cum perfectum eſſet, dedicat.* Dionyſ.

ANNO MUNDI 3445. ante C. N. 503.
DC. ☉ 9. ☽ 10.

Romæ magiſtratum ineunt die 19. April.

Coſſ. Sp. Lartius Flavus.
T. Herminius Eſquilinus.

Aruns, *filius Porſenæ, cum obſidio Romana ſoluta eſſet, juſſus à patre ſibi regnum quærere, expugnatis* Aricinis, *accepto exercitu* Ariciam *tota hyeme obſidione fatigaverat. At hi à vicinis populis, Antiatibus. Tuſculanis, & Cumanis auxilia rogant & impetrant, & Hetruſcos, Aruntemque prælio vincunt & trucidant. Reliquiæ exercitus Hetruſcorum in Romanum agrum deferuntur, ubi à Romanis amicè excipiuntur & curantur; qua humanitate moti plerique Romæ manſerunt, quibus Senatus vicum quendam habitandum deſignat, qui ab ipſis Tuſcus vicus appellatus eſt. Porſena hoc beneficio populi Romani provocatus, ipſis omnem agrum, quem bello ademerat, reſtituit, & Tarquinium exulem à ſe exigit.* Dionyſ. l. 5.

Ariſtodemus, potentiſſimus apud Cumanos civis, cùm ſuſpectus eſſet tyrannidis, à Cumanis mittitur auxilio Aricinis, ut ibi bello periret; ſed hic re benè geſta, & ſpoliis ditatus, cum triumpho revertitur, & per calumniam potentioribus & nobilioribus civibus everſis, tyrannidem invadit, ad hunc ſe confert Tarquinius exul.

Annus Nabonaſſari 244. incipit die 27. Decembris feria 2.

ANNO MUNDI 3446. ante C. N. 502.
B. ☉. 10. ☽ 11.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis 17.
Annus ab urbe condita 249.

Romæ circa diem 24. April. Juliani ineunt Magiſtratum.

Coſſ. M. Valerius Voluſus.
P. Poſtumius Tubertus.

Bellum Sabinum ortum, quod toto quadriennio geſtum eſt. Sabini vaſtant agrum Romanum, quibus præda eripitur, inde contractis copiis, juſto prælio contenditur, in quo Romani tandem victores extiterunt, cùm totum ferè exercitum condidiſſent, & inde etiam caſtris potiuntur. Ambo *conſules, quòd vires Romanas, quæ bello Hetruſco videbantur concidiſſe, recuperaſſent, triumphant.* Dionyſ. l. 6.

Hiſtiæus, Mileti tyrannus, evocatur à Dario rege Suſas, ut regi eſſet à conſiliis, ſed invitus eò proficiſcitur. *Ariſtagoras* itaque, gener Hiſtiæi, conſenſu Darii, Mileto præficitur. *Herodot. l. 5.*

Olympias LXIX. *acta die 15. Auguſti, fer. 2.* eſt annus Olympiad. 273.

Stadium vicit *Iſchomachus* Crotoniata ſecundùm.

Quinquertii verò victor fuit *Thettalus* Corinthius. *African.*

Archon apud Athenienſes *Aceſtorides.*

Callias Athenienſis, cùm ſperaret excoqui aurum poſſe ex arena rubente in metallis argenti, *Minium* invenit. *Plin. l. 33. cap. 7.*

Heraclitus Epheſius Philoſophus, cognomento Scotinus, floret. *Diog.*

ANNO MUNDI 3447. ante C. N. 501.
A. ☉ 11. ☽ 12.

Romæ ineunt Magiſtratum circa diem 29. April. Juliani.

Coſſ. P. Valerius Poplicola IV.
T. Lucretius Tricipitinus II.

Sabini cladem ulturi iterum contra Romanos inſurgunt, autore Sexto Tarquinio qui & alios populos in ſocietatem induxit, iſque dux belli conſtituitur. Appius Claudius, *vir potens in Sabinis, qui bellum diſſuadebat, quia non audiretur, cum clientibus ſuis ſe Romam confert. Sabini noctu Romanos opprimere conantur, id verò præſentiunt Romani, & inſidiatores illos trucidant, & Fidenas capiunt. Autores belli capite plexi, ambo Coſſ. triumpharunt.* Dionyſ. l. 6.

Amynta Macedonum rege defuncto, qui quinquaginta annis regno præfuerat, ſuccedit filius *Alexander*, qui cognomento dives appellatus eſt, quique Pindarum Poetam in deliciis habuit. *Solinus.*

ANNO MUNDI 3448. ante C. N. 500.
G ☉. 12. ☽ 13.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 4. Maji. Calendarii Iuliani.

Coſſ. P. Poſtumius Tubertus II.
Agrippa Menenius Lanatus.

Sabini reparato exercitu iterum in agrum Romanum tranſeunt, quibus obviam progreditur Poſtumius, ſed magna clade repellitur, & in colliculo obſidetur: inde eripitur ſequenti die à Collega Menenio, poſtea juſti exercitus conſcripti, & victoria ſplendida parta eſt, quapropter Conſul Menenius triumpho urbem invehitur, Poſtumius verò ovans urbem ingreſſus eſt. Dionyſ. l. 6.

Ariſtagoras Mileſiorum Tyrannus, Naxiorum dominationi inhians, impetrat per Hiſtiæum ſocerum à *Dario*, ut exules eorum reducat, ad quam rem perficiendam accipit auxilia Perſica & naves. Cùm verò omnes conatus fruſtra eſſent, & *Naxii*, fortiter reſiſterent, nec ipſe etiam auxiliaribus copiis & ſociis navalibus ſtipendium perſolvere poſſet, Dario rebellat, incitatus ad id à Socero Hiſtiæo per ſervum, ſtigmata literarum, quibus hoc ſignificabatur, in capite ſub crinibus inuſta gerentem. *Herod. l. 5.*

Eclipſis Lunæ ab Hipparcho ex obſervationibus Babylonicis annotata, & à Ptolomæo in lib. 5. c. 9. *μεγ. συν.* *relata, accidit die 28. Epiphi menſis, anno 20. Darii, digitorum tantùm trium ab auſtro, facta Alexandriæ hora una, minutis 20. ante mediam noctem. Si ad noſtrum calculum inveſtigetur, fit die 19. Nov. fer. 2. hora una, minutis 5. ante mediam noctem. Vera latitudo, minut. 47. 45. Summa ſemidiametrorum Lunæ & umbræ minut. 58. 58. Scrupula reſidua 10. 20. digiti ecliptici 3. 56. debebant eſſe tantùm tres.*

P. Valerius *Poplicola princeps belli pacisque artibus, moritur hoc anno, cui in exequiis du-*

cendis

cendis ſumptus defuit, & ex ærario datus. Dionyſ. Liv.

ANNO MUNDI 3449. ante C.N. 499.
FE. ☉ 13. ☽ 14.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 9. Maji Iuliani:

Coſſ. Sp. Caſſius Viſcellinus.
Opiter Virginius Tricoſtus.

Caſſius *Conſ. exercitum ducit in Sabinos, eoſque iterum vincit, decem millibus eorum occiſis, & ad pacem petendam cogit, quam impetrant quidem, ſed ita, ut tributum pendant, & parte agri decies mille jugeribus mulctentur.* Dinoyſ. lib. 6.

Alter Coſſ. Virginius *ad Cameriam, quæ defecerat, improviſo exercitum ducit, eam eodem die capit, ſpoliat, cremat, & excindit, autores defectionis ſecuri percutit, & reliquos cives ſub haſta vendit, ambo Coſſ. triumphant.* Dionyſ. l. 6.

Lacedæmonii invidentes incremento Athenarum, *Hippiam* invocant, eumque Athenas reducere, ad recuperandam Tyrannidem, per ſocios conantur, ſed omnibus ſociis contradicentibus ab incepto deſiſtunt. Hippias igitur in Aſiam ad Artaphernem abiit, impetratque, ut Athenienſibus à *Dario* mandetur, ut Hippiam in regnum recipiant, niſi bello ad id velint cogi. *Herod. lib. 5.*

Annus Nabanoſſ. 248. incipit die 26. Decemb. fer. 6.

ANNO MUNDI 3450. ante C.N. 498.
D. ☉ 14. ☽ 15.

Annus Darii *Perſarum regis viceſimus primus.*
Annus ab urbe condita 253.

Præneſte *urbs à Latinis ad Romanos deſciſcit.* Liv.

Romæ circa diem 14. Maji, Calendarii Iuliani ineunt Magiſtratum:

Coſſ. Poſtumus Cominius
Aruncus.
T. Lartius Flavus.

Latini populi à Romanis, concitante Mamilio Tarquinii genero deſciſcunt, & concilium Ferentinum cogunt, ibique de bello Romanis inferendo conſilia agitant. Dionyſ. Liv.

Conjuratum etiam eſt hoc anno à ſervis Romanis de Roma incendenda, & arcibus occupandis: Comprehenſi in crucem acti ſunt. Dionyſ.

Athenienſes bellum ſibi metuentes à Perſis, *Ariſtagora*, in Aſia Dario rebellanti, ut Perſas in Aſia contineant, auxilia mittunt viginti naves, quibus adjutus *Ariſtagoras*, Sardes urbem invadit, capit & cremat. Non tamē impune hoc feciſſet, niſi celeriter cum ſuis ſe ad naves recepiſſet. Athenienſes cùm Perſas bello implicuiſſent, domum redeunt. *Herod. lib. 5.*

Ariſtagoras bellum ulterius perſequitur, & Byzantium, & cæteras urbes in ſuam poteſtatem redigit, ſocioſque ſibi adſciſcit Cariæ partem, & Cyprios. *Ibid.*

Olympias LXX. acta die 1. Aug. fer. 7. Eſt annus Olympiadicus. 277.

Stadium vicit *Micias* Opuntinus. Rhedarum certamen cæteris additum, quo vicit *Therſias* Theſſalus. *Pauſ.*

Archon Athenienſis *Myrus.*

Anaxagoras Clazomenius Philoſophus naſcitur. *Diogen.*

Annus ſabbathicus 3. Jobelei viceſimi, incipit die 14. Sept. fer. 2. Anno Jud. 3262.

ANNO MUNDI 3451. ante C. N. 497.
C. ☉ 15. ☽ 16.

Romæ circa diem 29. Maji, Juliani, ineunt Magiſtratum.

Coſſ. Serv. Sulpitius Camerinus.
Man. Tullius Longus.

Fidenates, autoribus Tarquiniis, à Romanis deſciſcunt, contra quos alter Conſ. Tullius cum exercitu mittitur, qui Fidenas obſidet. Interim dum Tarquinius univerſum Latinum populum ad bellum concitare non poteſt, mittit cum pecunia quoſdam Romam, qui egenis civibus eam diſtribuant, & ad ſeditionem eos concitent. Fit igitur ingens conjuratio, qua detecta, Conſul Sulpitius per indices conjurationis curat conjuratos illos in forum noctu convenire ad rem aggrediendam, ſed ipſe accito altero conſule cum exercitu, eos ibi deprehenſos, ne teſtibus & indiciis indigeret, juſſit à militibus ibi trucidari. Supplicatio propter hanc rem in triduum indicta. Conſul Tullius ibi è curru præcipitatus, tertio die moritur, & cùm eſſet in fine anni, nemo ei ſubrogatur. Dionyſ. lib. 6.

Darius, ubi audivit Sardes crematas, adeò excanduit, ut quendam conſtitueret, qui ſibi, quotieſcunque cibum caperet, in memoriam revocaret Sardium cladem, ab Athenienſibus allatam. Mittit igitur *Hiſtiæum*, quem ignorat conſpiraſſe cum Jonibus, & autorem illius rebellionis eſſe: Interim Phœnices cum ducibus Perſicis Cyprum invadunt, eamque iterum ſubigunt, cùm annuo ſpatio libera fuiſſet. *Herod. l. 5.*

ANNO MUNDI 3452. ante C.N. 496.
B. ☉ 16. ☽ 17.

Romæ circa diem 24. Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Veturius Geminus.
T. Abutius Helva.

Fidenæ iterum à Romanis obſidentur, quibus auxilio venit Sextus *Tarquinius, & commeatum importat; quo facto Fidenates in prælium deſcendere audent, in quo turpiter vincuntur, & arctius obſidentur.* Dionyſ. l. 6.

Tarquinius, *ut cladem regereret,* Signiam *Coloniam Romanorum obſidet; coloni Latinos irruentes fortiter ſuſtinent, & cum commeatu à Romanis adjuti eſſent, hoſtes repellunt.* Ibid.

Duces Darii in Ioniā, ad comprimendam ſeditionem miſſi, bellum ad ſingulas urbes circumferunt, eaſque recipiunt. *Herod. l. 5.*

Viceſima tertia Pythiade acceſſit armatorum curſus, de quo lauream reportavit *Timænetus Phliaſius.*

poſtquam Olympiadibus quinque vicerat *Damaratus* Heræenſis. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3453. *Ante C.N.* 495.
AG. ☉ 17. ☽ 18.

Romæ circa diem 29. Maji Juliani ineunt Magiſtratum.

Coſſ. T. Lartius Flavus II.
Q. Cloelius *Siculus.*

Lartius *Coſ. ad debellandos Fidenates cum exercitu proficiſcitur, qui fame coacti ſe dedunt, ex quibus defectionis autores ſecuri percutiuntur: Reliquis dimidium agri adimitur. Latini populi, ſe cunctatione ſua prodidiſſe Fidenates, arbitrati, conſpirant de bello, Romanis inferendo, & Roma excindenda: Romæ contra, dum ſe ad bellum præparant, egeni ex plebe ob graviſſimas uſuras detrectant militiam, quas remittendas cenſet Valerius Poplicola; exigendas verò, & nihil remittendum Appius. Cùm convenire non poſſent,* Dictator *primus Romæ creatur* T. Lartius Flavus *Conſul, qui magiſtratum equitum ſibi ſumit Sp. Caſſium Viſcellinum, idque fit ſeditionis ſedandæ, & rei etiam gerendæ cauſa. Fuit hæc poteſtas Dictatoris longè maxima. Nam & omnia ſuo arbitratu agebat, & ab ipſo nulla tum erat provocatio. Hac poteſtate tamen, ſi quis abuſus eſſet, non impunè ferebat. Multi enim Dictatores, quando magiſtratu abierunt, damnati ſunt.* Dionyſ.

Duces Darii, recepta Jonia, in Cariam movent; eosque prælio vincunt, in quo decem millia ceciderunt. *Ariſtagoras* à Darii ducibus in anguſtias coactus, Aſia excedit cum voluntariis, & in Thraciam migrat. *Herod. lib.* 5. ubi *Amphipolin* urbem colonis frequentare aggreſſus eſt, ſed inde ejicitur ab Edonibus. *Thucyd. l.* 3.

Dictator Romæ cum magiſtratu equitum cenſum agit, cenſa fuerunt civium Romanorum 150700. *poſtea cum populatores quosdam Latinos cepiſſet, eos humaniter dimiſit, unde factum, ut annuæ induciæ inter Latinos & Romanos fierent.* Dionyſ.

Annus Nabonaſſari 252. *incipit die* 25. *Decemb. feria tertia.*

ANNO MUNDI 3454. ante C. N. 494.
F. ☉ 18. ☽ 19.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis 25.
Annus ab urbe condita 257.

Romæ Magiſtratum ineunt circa 3. *Iunii Iuliani.*

Coſſ. A. Sempronius Atratinus.
M. Minutius Augurinus.

Darii Duces claſſem Jonum vincunt, & poſteà *Miletum* expugnant; ſexto anno, poſtquam autore Ariſtagora rebellarant; *Hiſtiæus* autor rebellionis, acceptis quibusdam navibus, Helleſpontum vaſtat, & Chium atque alias inſulas; ſed tandem prælio cum Perſis congreſſus, vivus capitur, & in crucem agitur. *Herod. l.* 6.

Olympias LXXI. acta die 17. *Aug. fer.* 7. Eſt annus Olympiad. 281.

Stadium vicit *Tiſicrates* Crotoniata. Admiſſum eſt hiſce olympicis ludis certamen, quod Calpe vocabatur, in quo, ſub extremam curſus metam, ex equabus deſilientes ſeſſores, prehenſo ſuæ cuilibet, equæ freno, cum equabus decurrebant. Sed id certamen cum Rheda, olympiade 84. abrogatum eſt. *Pauſ.*

Æſchilus Tragœdiarum ſcriptor floret, in pugna Marathonia fortiſſimè contra Perſas pugnavit, & Tragœdiam Perſam non multo poſt fugam *Xerxeis* exhibuit, moritur cum eſſet annorum 65. anno primo Olymp. 78.

Archon apud Athenienſes *Hipparchus.*

ANNO MUNDI 3455. ante C.N. 493.
E. ☉ 19. ☽ 1.

Cùm bellum cum Latinis populis inſtaret, & connubia hactenus inter Latinos & Romanos mutua fuiſſent, Senatus conſulto conceſſum eſt, ut ob inſtans bellum Romanis & Latinis fœminis liberum eſſet, quam vellent partem ſequi: quo Senatus conſulto fœminæ, quæ ad Latinos enupſerant, omnes Romam redierunt. Quæ verò Latinarum apud Romanos nupſerant, Romæ manſerunt, exceptis duabus, quæ ad Latinos redierunt. Dionyſ. lib. 6.

Romæ magiſtratum ineunt circa octavum Junii *Juliani.*

Coſſ. A. Poſtumius Albus.
T. Virginius Tricoſtus, *Cælimontanus.*

Cùm egrederentur Latini contra Romanos, alter Conſul Virginius *Collegam* A. Poſtumium F. Album, *qui in hoc honore Regillenſis dictus eſt, Dictatorem dicit rei gerendæ cauſa, qui* T. Æbutium Helvam *magiſtratum equitum dicit. Hiſce ducibus pugnatum eſt cum Latinis, ad Regillum lacum; difficillimo prælio, Idib. Quintilib. quæ hoc anno incidunt in diem* 24. *Octob. Duces hoſtium fuerunt Tarquinius & Octavius Mamilius. Pugnaveruntque tanta contentione, ut nemo procerum, ducumve, præter Dictatorem, ſine vulnere ex acie excederet: Victoria penes Romanos fuit; Latinorum in prælio ceciderunt aut capti ſunt triginta millia: Latinis pax data, & ſocietas cum eis renovata, & de iis triumphatum.* Dionyſ. l. 6. Liv. 2.

Claſſis Perſarum, poſtquam circa Miletum hybernaſſet, altero à profectione anno inſulas capit, *Chium, Lesbum, Tenedum,* & homines quidem captivos abducunt, urbes autem cum templis exurunt. *Herod. l.* 6.

Hellanicus Hiſtoriographus naſcitur hoc anno, in initio enim belli Peloponneſiaci erat annorum 56. *teſte Gellio, æqualis fuit Herodoto.*

Archon Athenienſium *Philippus.*

Sophocles, ut habet vetus criticus, naſcitur hoc prætore.

Pindarus

Pindarus Poeta claret. Ante triennium enim epinicion ſcripſerat *Hippocle*, victori Pythiados viceſimæ ſecundæ. Valde ſenex factus eſt; nam & pugnæ ad Salaminem meminit, & Strepſiadæ etiam in bello Peloponneſiaco, poſt annos ſexaginta quinque interfecti. *Pind. in ſept. Iſthmico. Scal.*

Ædes Saturno dedicata hiſce Coſſ. ut Livius habet, & Saturnalia *feſtus dies inſtitutus.*

ANNO MUNDI 3456. ante C. N. 492.
D. ☉ 20. ☽ 2.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 13. Iunii Juliani:

Coſſ. Ap. Claudius M. F. Sabinus.
P. Servilius *P.* F. Priſcus.

Latinis populis, quòd ſeſe à Volſcis bellum Romanis facientibus ſecreverant; conſiliaque belli Romanis revelaverant, ſex millia captivorum redduntur, quæ res adeò grata fuit Latino populo, ut aurea coronâ populum Romanum donarent, Liv. lib. 2.

Propter æs alienum maxima Romæ oritur ſeditio, cui ſedandæ nullam viam inire poterant, cùm Coſſ. ipſi inter ſe diſſentirent. Hanc occaſionem captantes Volſci, in Romanum agrum irruunt. Senatus in anguſtias redactus, aliquantum remittit de ſeveritate, & Servilius Conſul propoſito edicto, ne quis debitum militiæ tempore exigeret, milites contra Volſcos educit & eos vincit, caſtra etiam & Pometiam urbem capit, prædamque egentis militi concedit, Liv. l. 2.

Arunci *etiam Romanos bello laceſſunt, ſed uno prælio, difficili tamen, ita ut equites ad pedites deſcendere cogerentur, vincuntur*. Dionyſ. l. 6.

Xenocrates Acragantinus vincit viceſimam quartam Pythiada equis, *Schol. Pind.*

Mardonius Gobriæ filius mittitur à Dario Dux contra Iones, qui popularum in urbibus ſtatum conſtituit, & per Helleſpontum exercitum Athenas verſus ducit. Claſſis verò ad Athon montem tempeſtate fœdè affligitur, ita ut trecentæ perierint naves, & virorum viginti millia. Ipſe etiam in Thracia inſidiis Thracum excipitur, ideò re malè geſta redit in Aſiam. *Herod. l.* 6.

Tarquinius *rex exul moritur* Cumis, *apud Ariſtodemum Tyrannum, quo ſe contulerat poſt fractas Latinorum opes, in ſumma miſeria.* Livius.

ANNO MUNDI 3457. ante C. N. 491.
CB. ☉ 21. ☽ 3.

Romæ circa diem 28. Junii Juliani Magiſtratum ineunt;

Coſſ. A. Virgin. Tricoſtus Cœlim.
T. Veturius Geminus.

Sabini *Romanis bellum inferunt; quibus ſe jungunt Medullini. Plebs Romana nomina in militiam dare recuſat, propter uſuras: quapropter Dictator dicitur M.* Valerius M. F. Poplicola. *Is profectus ad hoſtes, eos vincit, fugat, & caſtra eorum capit, Velitras quoque quo ſe contulerant hoſtes, expugnat. Dictator triumphat, & cùm nihil de remittenda uſura obtineret, ſe dictatura abdicat*. Liv.

Plebs Romana, cùm iterum in hoſtes educeretur, quod coacta faciebat, cùm ſacramento militari adhuc teneretur, ſecedit Sicinio autore in ſacrum montem. Factum hoc poſt æquinoctium autumnale, ſub ſementis initium, manſeruntque ibidem per totam hyemem. Dionyſ. l. 6.

Darius Perſarum rex, *Thaſiorum* muros dirui jubet, & legatos mittit in Græciam, terram & aquam petituros, id quod ſpecies quædam erat obedientiæ & ſubjectionis. Dederunt multi in Græcia in continente, Inſulani etiam plerique, imprimis tamen *Æginetæ*, odio Athenienſium. Spartani, ob id Æginetis infenſi, autores deditionis tradi jubent: Id impedit *Demaratus* Spartanorum rex. Cleomenes contrà, rex Spartanorum ex altera familia, qui alterius erat ſententiæ, demonſtrat Demaratum non eſſe regem natum, quapropter regno deponitur, & præfecturam accipit, quam faſtidiens ad Darium abit, à quo benigne ſuſcipitur. Succedit ipſi in regno *Leo Tychides*, qui regnat annos 22. *Herod. l.* 6.

Archon Athenienſium *Themiſtocles*.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei viceſimi, incipit die 27. Septemb. fer. 3. anno Jud. 3269.

Annus Nabonaſſaris 256. incipit die 24. Septembr. fer. 7.

ANNO MUNDI 3458. ante C. N. 490.
A. ☉ 22. ☽ 4.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis 32.

Annus ab urbe condita 261.

Dionyſ. l. 6. *refert, in tantis Romæ tumultibus, Coſſ. maturius ſolito magiſtratum iniiſſe, in magna ſolitudine, cum plebs abeſſet: & quidem id factum eſſe Calend. Septemb. quæ ad noſtram rationem hoc anno inciderunt in diem 22. Decembris, finientis anni ſuperioris, in Calendario Iuliano. qui dies plane quadrat ad hanc hiſtoriam. Facti igitur ſunt eo die.*

Coſſ. Poſtumus Comin. Auruncus II.
Sp. Caſſius Viſcellinus II.

Senatus poſt diuturnas conſultationes de jure ſuo aliquid remittit, & Agrippa Menenius *ad plebem mittitur, qui recitato Apologo de conſpiratione membrorum corporis adverſus ventrem, eam Senatui reconciliavit: conceſſum plebi, ut ſuum haberet magiſtratum, qui ſacro ſanctus eſſet, cui auxilii latio eſſet adverſus Coſſ. & ita concordia inita poſt ſex menſes ferè à ſeceſſione.* Tribuni plebis *creati ad Calendarium Romanum die 10. Decemb. qui poſteà etiam ſolennis manſit, qui hoc anno incidit in diem 4. Aprilis Iuliani* Dionyſ. Liv.

Cleomenes Spartanorum rex, ex Agidarum familia cùm Demaratum regno pepuliſſet, inſania morbo corripitur, & non rectè cuſtoditus ſibiipſi ſuras detruncat, & inde femora diſcindit cum ventre, expiratque. Succedit frater *Leonidas*, qui regnat annos 12. *Herold. l. 6.*

Ægineta quinqueremem navem diripiunt *in Sunio*, quæ Athenienſium erat, atque ob id bello petuntur ab Athenienſibus, & vincuntur. Paulò pòſt reparata claſſe, iterum pugnant, æqua ferè clade, inclinante tamen victoria ad Æginetas. *Herod.*

Olympias LXXII. *acta die 3. Auguſti. fer. 5.* eſt annus Olympiad 285.

Stadium vicit *Tiſicrates* Crotoniata ſecundum *Afric.*

Archon Athenienſis *Diogonetus*.

Conſules Romani in Volſcis Capiunt oppida Longulas, Poluſcam & Coriolos, *in qua expugnanda extitit maxima virtus* C. Martii, *qui ob id Coriolanus dictus eſt, qui poſt expugnatam urbem eodem die Antiates etiam prælio fudit.* Dionyſ. lib. 6.

Agrippa *Menenius moritur, in tanta paupertate, ut deeſſet, unde ſepeliretur. Plebs æſtimatione facta in capita, contulit ſextantes in ejus ſepulturam.* Lib. l. 2.

ANNO MUNDI 3459. *Ante C. N.* 489.
G. ☉ 23. ☽ 5.

Magiſtratum ineunt die 26. *Decemb. anni præcedentis:*

Coſſ. T. Geganius Macerinus.
P. Minutius Augurinus.

Feriis Latinis *tertius dies adjectus eſt, cum duo tantum antea fuiſſent, & pax jurata inter Romanos & Latinos ſempiterna.* Dionyſ. l. 6.

Maxima annonæ caritas exoritur Romæ, cum agri manſiſſent inculti, per ſeceſſionem plebis. Legati ergo ad coemendum frumentum in Siciliam & Campaniam mittuntur, ſed qui in Campaniam abierant, detinentur Cumis, ab Ariſtodemo tyranno, ob bona Tarquinii, quorum hæredem ſe ferebat. Liv.

Eclipſis. ☽ *annotatur à Ptolom. lib. 4.* μεγάλη *quæ acciderit anno* 31. Darii *regis, nocte quæ ſecuta eſt diem tertium menſis Tybi, Alexandriæ hora una ante mediam noctem, & duorum tantùm digitorum. Ad haſce tabulas accidit Alexandriæ die 25. April. fer. 4. hora 8. & minutis 22. ante mediam noctem Latitudo Lunæ vera ſept. 51. 56. ſemidiam. Lunæ 17. 10. ſcrup. reſidua 20. 7. qui dant digitos obſcurationis 3. 32. cum debebant eſſe tantum digiti duo.*

Darius rex inſtigatus à Piſiſtratidis Athenienſibus & aliis copias colligit, iiſque; duces præficit *Datin & Artaphernem*, ad expugnandos Athenienſes, & reliquos Græcos. Iter ingreſſi, Erithræam ſeptimo die capiunt & exurunt, & homines in captivitatem abducunt. Inde in Atticam navigant, ubi pugnatum ad *Marathonem* ab Athenienſibus fortiſſimè: ceciderunt Perſarum, *ut Herodotus habet*, ultra ſex millia; ut alii, ultra ſexaginta millia: Athenienſium tantum ad ducentos. Pugnarunt Athenienſes duce *Miltiade* abſentibus Spartanis, qui auxilio venire non poterant, quod iis non liceret finibus exire ante plenilunium. Poſt plenilunium a. Spartani & auxiliares copiæ Athenas venerunt cum jam hoſtes victi & fugati eſſent. Accidit hæc pugna decem ſolidis annis & aliquot menſibus ante tranſitum Xerxis, *ut teſtantur Thucydides & Diodorus*, qui habet annum ſedecimum poſt funus Bruti: unde manifeſtum eſt, Plutarchum falli, qui dicit eam accidiſſe die ſexto Boedromionis cum pugna illa in plenilunio acciderit: Plenilunium autem ſexto Boedromionis accidere non poſſit in annis Atticis, niſi ſecundo anno cujusvis tetracteridis, hoc eſt, biennio ante hunc annum, vel poſt biennium die 27. Sept. porro *Agathias* ſcribit, Græcos, cum ad Marathonem prælium inire vellent, votum feciſſe, ſe tot hircos ſacrificaturos, quot hoſtes occidiſſent, & voti reos factos tot hircos in tota Græcia invenire non potuiſſe, & proinde capras loco hircorum ſacrificaſſe. *Agath. lib. 2.*

Gelon Dinomenis filius hac æſtate, ineunte anno 2. Olymp. 72. tyrannidem invaſit, Syracuſis regnavit annis 15. *Dionyſ. l. 6. & Pauſ. in Eliacis poſt.*

*V*elitras *colonia valida à Romanis miſſa eſt, ut Roma, quæ alias fame affligebatur, egenis levaretur; Et C. Martius Coriolanus fame affectos cives contra Antiates educit, & ſpoliatis hoſtibus divites reducit.* Dionyſ. l. 7.

ANNO MUNDI 3460. Ante C. N. 488.
F. ☉ 24. ☽ 6.

Romæ magiſtratum circa ultimum Decembris ſuperioris anni ineunt:

Coſſ. M. Minutius Auburinus II.
A. Sempronius Atratinus II.

Legati ſuperiori autumno ad coemendum frumentum in Siciliam miſſi eò pervenerant, & vere ineunte magnam vim frumenti, partim emti, partim donati, à Gelone Syracuſanorum rege, Romam advehunt. Martius Coriolanus putat plebem fame premendam, donec de jure ſuo tribunorum creandorum decedat. Plebs irata, quod videret ſe hoc modo victu fraudari, & fame, ut hoſtes peti, diem ipſi dicit, & principali cauſa omiſſa, cum propter prædam ſuperiori anno ex hoſtibus captam, nec in publicum relatam, ſed inter ſuos diviſam, in exilium ejicit, paulo ante tempus comitiorum. Dionyſ. l. 7. Livius.

Midas Agragentinus vincit viceſimam quintam Pythiadem. *Schol. Pind.*

Darius, certior factus de clade ſuorum ad Marathonem, de majore belli apparatu conſilia tractat & integra triennia in eo apparando conſumit. *Herod. l. 7.*

ANNO MUNDI 3461. Ante C. N 487.
ED. ☉ 25. ☽ 7.

Romæ circa diem 4. Ianuarii ineunt Magiſtratum.

Coſſ.

Coſſ. Q. Sulpitius Camerinus,
Sp. Lartius Flavus II.

Ludi Iovis Olympii Romæ magnificè inſtaurantur, quod in prioribus, quidam ante inchoatos ludos, ſervum ſuum ſub furca cæſum, per Circum egerat, & locum profanaverat. Id Iupiter cuidam Latino, *ut Conſulibus indicaret, in ſomnis ſignificarat. Latinus hic, cùm cunctaretur, ne fortaſſis ludibrio haberetur, filio ſuo ſubito extincto ſpoliatur. Iterum juſſus ſomnium hoc ad Magiſtratus deferre, adhuc cunctatur, ſed hac de cauſa in graviſſimum morbum incidit: quapropter amicorum conſilio uſus, in lectica ad conſules in ſenatum defertur; ibi cum rem expoſuiſſet, ſanitati ſubitò reſtitutus, domum redit. Ad hoſce igitur ludos Volſci ſpectatum profecti, à magiſtratu Romano per fraudem eò inducto, urbe exire jubentur; qua injuria moti, Romanis Duce Coriolano bellum faciunt.* Dionyſ. lib. 7.

Panyaſis Poeta floret. *Suidas.*

Annus Nabonaſſaris 206. incipit die 23. Decembr. feria 4.

ANNO MUNDI 3462. ante C. N. 486.
C. ☉ 26. ☽ 8.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis 35.
Annus ab urbe condita 265.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 9. Januarii Juliani.

Coſſ. C. Julius Julus.
P. Pinarius Rufus *Mamerc.*

Martius *Coriolanus Volſcos excitat ad bellum; & eos prædatum educit in agrum Romanum, & magnas prædas inultus agit. Inde Circejos oppidum petit, idque deditione capit. Romani hoc bello in anguſtias redacti, cùm exercitum educere non auderent, Latinis populis concedunt, ut ſeipſos exercitu ſuo defendant. Factum paulò ante comitia.* Dionyſ. lib. 8.

Olympias LXXIII. acta die 18. Auguſt. fer. 4. eſt annus Olympiad. 289.

Stadium vicit *Aſtylus* Crotoniata. *Gelo* autem Tyrannus Syracuſanus vicit quadrigis, & ob id tripodem aureum dedicat. *Pauſan.*

Archon Athenienſis *Anchiſes.*

Chionides Poeta Comicus in Comœdia antiqua floret.

Dinolochus Syracuſanus, filius *Epicharmi*, vel ut quidam volunt, diſcipulus, floret. Edidit Comœdias quatuordecim, dialecto Dorica. *Scal.*

Quarta anno poſt Marathoniam cladem, Ægyptii à Perſis deficiunt. Darius igitur utroſque, & Athenienſes & Ægyptios bello petendos decernit, interim tamen inter liberos ſuos de ſucceſſione oritur contentio, præcipuè inter Artabazanen primogenitum Darii, ſed tamen natum parente adhuc privato: & inter Xerxem, qui primogenitus erat ex parente rege, & matre *Atoſſa*, filia Cyri, qui declaratur rex. *Herod. l.* 7.

ANNO MUNDI 3463. ante C. N. 485.
B. ☉ 27. ☽ 9.

Romæ circa diem 14. Ian. Iuliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. Sp. Nautius Rutilus.
Sext. Fur. Medullinus Fiſcellinus.

Æqui à Romanis deficiunt ad Volſcos, & auxilia ipſis mittunt. Ideò Coriolanus *iterum prædatum in agrum Romanum abit, & ingenti præda potitur, ob quam rem publicæ feriæ apud Volſcos indicuntur. Poſtea Tolerinos aggreditur, obſeſſos expugnat, Coriolos item & Bovillas. Lavicanos verò, Pedanos & Corbionem deditione accipit. Contra à Bolanis quos obſidebat, cùm eruptione pugnarent, vincitur. Inde cum fruſtra Lavinium obſideret, Romam verſus exercitum ducit, ubi ad ipſum Romani de pace legatos mittunt, quibus dat inducias triginta dierum, interea Longulas capit, & Romam redit, ubi à matre perſuadetur, ut faciat inducias annuas. Dum autem exercitum domum reducit, malè accipitur à Volſcis, & in Comitiis lapidibus obruitur, ab iis, quibus ingentia beneficia contulerat.* Dionyſ. l. 8.

Volſci & Æqui ruptis induciis cum magno exercitu in agrum Romanum prædatum abeunt; quibus Conſules obviam procedunt, ſed diſſenſione orta inter Volſcos & Æquos, uter populus Ducem *daret, rem ad prælium deducunt, & cum mutuis cladibus ſe confeciſſent, domum redeunt. Conſules fortuna non minus rectè uſi, exercitum reducunt.* Dionyſ. l. 8.

ANNO MUNDI 3464. *Ante C. N.* 484.
A. ☉ 28. ☽ 10.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 19. Ian. Iuliani:

Coſſ. T. Sicinius Sabinus.
C. Aquilius Tuſcus.

Aquilius *Coſ. Hernicis, quòd agrum Romanum vaſtaſſent, bellum infert, & prælio cum eis congreſſus difficilimo, tandem vincit, & cùm ſequenti die hoſtes aufugiſſent, caſtra eorum capit. Ovatio ipſi decreta, non triumphus, quod multos milites amiſiſſet. Alter Conſul contra hoſtes Volſcos profectus, eos accipit in patenti campo, ubi eos prælio diuturno vincit, & caſtris exuit, ex hoſtibus cecidit etiam* Accius Tullius *qui autor fuerat, ut Coriolanus lapidibus obrueretur. Conſuli huic triumphus decretus.* Dionyſ. l. 8.

Darius Perſarum rex, cùm rebus omnibus apparatis contra Ægyptios proficiſci vellet, moritur cùm annis 36. imperio feliciter præfuiſſet. Succedit filius *Xerxes*, qui regnat annos 21. *Herodot. lib.* 7. In ſacris literis hic appellatur *Ahaſverus.*

Annus ſabbathicus 5. Jobelei 20. incipit die 13. Sept. fer. 2. Anno Jul. 3276.

Theſſa

Theſſali paulò ante adventum *Xerxis* in Græciam cum Phocenſibus bellum gerunt, & ex manubiis Phocenſium donum in Olympiis dedicant. *Pauſ. in Eliacis.*

ANNO MUNDI 3465. ante C.N. 483.
GF. ☉ 1. ☽ 11.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 24. Ianuarii Iuliani:

Coſſ. Proculus Virginius Tricoſtus,
Sp. Caſſius Viſcellinus III.

Ambo Coſſ. diverſis exercitibus in hoſticum, in Æquos, Hernicos & Volſcos profecti, eorum agros vaſtant. Cumque apud Hernicos nulla eſſet reſiſtendi facultas, ſe populo Romano dedunt, & in amicitiam à Caſſio *recipiuntur, qui ob id triumphat Calendis Iunii Romani, quæ incidunt in Calendario Iuliano in diem ferè 28. Octob. Sed hiſce honoribus elatus Conſul, de diviſione agrorum publicorum tàm civibus, quàm ſociis Hernicis & Latinis fert* Legem Agrariam, *quæ nunquam,* ut Liv. habet, *ſine maximis Reip. motibus agitata eſt, ſed diſſuadet eam Conſul alter Virginius, & totus ſenatus: & res in ſequentem annum differtur.* Dionyſ. lib. 8.

Xerxes, cùm ſecundus à morte Darii annus ageretur, bellum Ægyptiacum ſuſcipit, & inſtaurationem politiæ Judaicæ, quod Iudæi, Ægyptiis vicini eſſent, & de fide ſuſpecti, prohibet. Eſræ, 4.

Phocenſes reparato exercitu, ut cladem à Theſſalis illatam ulciſcerentur, in ſumma deſperatione fortiſſimum Theſſalorum exercitum vincunt. *Pauſ. in Phocicis.*

Annus Nabonaſſ. 264. incipit die 22. Decemb. fer. 1.

ANNO MUNDI 3466. ante C.N. 482.
E. ☉ 2. ☽ 12.
Annus Xerxis Perſarum regis tertius.
Annus ab urbe condita 269.

Romæ Magiſtratum ineunt circà diem 29. Ian. Iuliani:

Coſſ. Q. Fabius Vibulanus,
Ser. Cornelius Coſſus.

Quæſtores Romæ hoc anno primum creati à populo, qui Conſules in militiam proficiſcentes comitarentur, ut habent Liv. & Dionyſ. *Fuerunt autem* Cæſo Fabius, & L. Valerius.

Sp. Caſſius, *cùm res de dividendis agris non procederet, de tyrannide invidenda conſilia agitat; quapropter ad populum affectati regni à Quæſtoribus accuſatus, convictus & damnatus, de Saxo Tarpejo dejicitur.* Dionyſ. Liv.

Fabius *Coſ. in Æquos & Volſcos, alter Conſ. in Vejentes hoſtes exercitum educit; nullibi hoſtes inventi, & præda magna parta, quæ in ærarium relata, milites offenſi ſunt.* Ibid.

Olympias LXXIV. acta die 4. Auguſt. fer. 2. eſt annus Olympiad. 293.

Stadium vicit *Aſtyllus* Syracuſanus. In longiore verò curriculo *Satades* Cretenſis. *Pauſan.*

Archon Athenienſis *Leoſtratus* Dionyſ.

Herodotum in initio belli Peloponneſiaci annorum 53. fuiſſe, affirmat Pamphila apud Gellium. Ergo natus eſt hoc anno, & cùm prælegeret ſuas hiſtorias, erat annorum 38.

Protagoras, qui primus appellatus eſt *Sophiſta,* floret ejus libros propter impietatem Athenienſes decreto publico combuſſerunt. *Dionyſ. Laert.*

Xerxes Ægyptios devictos in arctiorem ſervitutem redigit, & fratri *Achæmeni* regendos tradit, quem poſt aliquot annos interfecit *Inarus* Pſammetichi filius. Xerxes inde ingentes copias contrahit contra Athenienſes & Græcos. Sapientiſſimè autem deliberat primùm de bello Græcis inferendo. *Herod. l. 7.*

Xerxes convivium illud longè celeberrimum agit, de quo in lib. Eſth. *cap.* 1.

ANNO MUNDI 3467. ante C.N. 481.
D. ☉ 3. ☽ 13.

Romæ Magiſtratum ineunt circà 3. Febr. Iuliani.

Coſſ. Cæſo Fabius Vibulanus.
L. Æmilius Mamercinus.

Volſci exercitum contra Hernicos, & Latinos ducunt. Romani auxilia Latinis mittunt per Fabium, & alterum exercitum Æmilius in Volſcos ad Antium ducit, ibique acie cum eis dimicat, ubi ſimulata Volſcorum fuga in inſidias prolapſus vincitur, & ſuos noctis ſilentio abducit in collem, quem hoſtes arctiſſimè obſident, & omnem commeatum intercludunt, & Conſulem tandem ad deditionem coegiſſent, niſi alter Conſul Fabius fortiſſimas cohortes Collegæ auxilio miſiſſet, quibus confiſus, Volſcos caſtra oppugnantes fundit, eorumque agros vaſtat. Dionyſ. lib. 8.

Ariſtides Oſtraciſmo Athenis ejicitur; ingruente autem bello Perſico; poſt annum tertium, ne ad Perſas deficeret, revocatur.

Oſtraciſmus autem nec pœna, nec ignominia præ ſe erat, ſed tantum potentiores cives, ne tyrannidem invaderent, removebantur à Republ. qui extra urbem erant: bonis tamen ſuis fruebantur.

Choerilus Poeta floret, qui bellum *Xerxis* Epico carmine conſcripſit: ejus verſus citat Joſephus contra Appionem, & magnopere laudatur; quapropter Horatius Poeta, qui illum deridet, minùs commodè judicaſſe videtur. *Scal.*

Archon apud Athenienſes *Nicodemus* Dionyſ.

Thero tyrannus Acragantinis dominatur. *Euſeb.*

Xerxes, Athon montem perfodit, præpoſito *Bubare* Megabyzi filio. Perfodit autem Iſthmum, & montem illum cum aliquot urbibus à continenti terra abſcindit, & inſulam facit. *Herod. l. 7.*

ANNO MUNDI 3468. ante C.N. 480.
C. ☉ 4. ☽ 14.

Romæ Magiſtratum ineunt circà diem 8. Febr. Juliani:

Coſſ.

Coſſ. M. Fabius Vibulanus.
L. Valerius Potitus Voluſus.

Tribuni plebis impediunt delectum. Conſules autem exercitum extra urbem educunt, ibique ubi Tribunorum nulla poteſtas erat, delectum habent, & ad nomina non reſpondentes acerbè mulctant, & tandem delectum conficiunt. Poſtea Valerius Conſul adverſus Volſcos ducit, & difficili pugna cum iis contendit, æquo tamen ferè marte, quòd belli non ſatis eſſet peritus Dionyſ. l. 8.

Oppia *virgo Veſtalis, ſtupri rea, viva defoditur,* ut Livius habet. *Hanc Dionyſius Opimiam: Oroſius Popillam nominat. Stupri convicti publicè ſunt verberati, & necati.* Dionyſ. l. 8.

Græci de apparatu bellico Perſarum certiores facti, de auxiliis circumſpiciunt in tota Græcia. Legatos etiam mittunt ad *Gelonem* regem Syracuſanum, qui auxilia non denegat, ſi ſe duce bellum gerere velint. Sed Græci reſpondent, ſe non duce, ſed exercitu indigere, atque ita ipſius conditiones repudiant. *Xerxes* tamen veritus, ne auxilia mitterentur, adhortatur Carthaginenſes, ut dum ipſe Græciam invadit, in Siciliam irruere velint; quod Carthaginenſes etiam faciunt, & ingentem claſſem comparant. *Diod. Sicul. lib. XI.*

Eſther in thalamum regis *Xerxis* recipitur, menſe 10. ſive menſe Thebet, qui incipit die 24. Decembr. feria 6. *Eſther* 2. v. 16. ineunte anno 7. regni Xerxis.

ANNO MUNDI 3469. ante C. N. 479.
BA. ☉ 5. ☽ 15.

Cum Comitia Romæ inſtarent, Tribuni plebis ea impediunt, ita ut res ad interregnum rediret, & Reſpubl. ſine Magiſtratibus curulibus eſſet. Creati tandem ſunt per interregem, circa initium Martii.

Coſſ. Q. Fabius Vibulanus II.
C. Julius Julus.

Æqui in Latinorum agros irruptionem faciunt, abiguntque pecora, item Vejentes deprædantur Romanum agrum: quapropter Coſſ. exercitum in Vejentes ducunt, & cùm nemo hoſtium obviam exire auderet, præda divitem exercitum reducunt Dionyſ. l. 8.

Xerxes iter Sardes verſus inſtituit, ubi ad Pythium hominem ditiſſimum in Phrygia divertit, qui omnem ſuam pecuniam Xerxi offerebat, quam tamen nequaquam accepit; ſed Pythio potius pecuniam auxit. Sardibus autem hybernans. Helleſpontum ponte conjungi imperat, longitudine ſtadiorum ſeptem, quem perfectum ingens tempeſtas disjecit, quare indignatus *Xerxes* Helleſponto, trecenta verbera ei juſſit infligi, & compedes ipſi injici, architectis verò capita præcidi. Alii igitur architecti conducti ſunt, qui navibus Helleſpontum ſtraverunt ſeptingentis, easque validis anchoris jactis firmaverunt. *Herod. lib. 7.*

Annus Nabonaſſaris 268. incipit die 21. Decemb. fer. 5.

ANNO MUNDI 3470. Ante C. N. 478.
G. ☉ 6. ☽ 16.

Annus Xerxis Perſarum regis ſeptimus poſt parentem defunctum.

Annus ab urbe condita 273.

Romæ circa diem 18. *Febr. Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Cæſo Fabius II.
Sp. Furius Fuſus.

Xerxe movente Sardibus primo vere Eclipſin Solis accidiſſe ab omnibus Chronologis affirmatur. Sed Herodotus, ex quo illud hauſerunt, nullam naturalem Eclipſin ibi definit, nec etiam tabulæ aſtronomicæ ullam hiſce menſibus eclipſin Solis exhibent. Verba Herodoti ſunt: *Xerxi moventi Abydum verſus, Sol ſuam in cœlo ſedem relinquens, apparere deſiit, cum nulla nubes eſſent, ſed ſereniſſimus aer, & pro die nox extitit. Percontatus igitur Magos, quid id oſtentum portenderet, &c.* Sol, inquit, ſereniſſimo aere factus eſt ἀφανής, hoc eſt, diſparuit & reliquit ſedem ſuam, ſive nusquam comparuit. Jam verò in omni Eclipſi Sol paulatim obſcuratur, & ſemper ubi ſit, comparet. Ergò non facta eſt Eclipſis, ſed fuit φαινόμενον quoddam, ſive φάσμα, ut loquitur Herodotus, quo Sol ſubitò diſparuit. Nec Herodotus cœleſtium rerum adeò imperitus fuit, ut eclipſin Solis deſcribere non poſſet. Scribit enim hoc ipſo anno eclipſin Solis factum in autumno, cùm rex Spartanorum Cleombrutus ad Iſthmum ſacrificaret. Sic etiam aliam deſcribit, quam habuimus ſuperius, in bello Lydorum cum Cyaxare. Et Aſtronomi aliàs ſciunt, in eodem Climate, in uno eodemque anno geminas eclipſes Solis magnas accidere non poſſe. Cùm igitur ea, quæ in autumno accidit, rectè demonſtretur, ergò in vere nulla potuit iisdem terræ locis contingere. Buntingus, ut ſolet, hic gemini erroris Herodotum arguit; primum, quòd hoc anno in vere factam Eclipſin aſſerat, cùm tamen Buntingus toto hoc anno nullam Eclipſin invenire potuerit: Et deinde, quòd totum Solem obſcuratum Herodotus affirmet, cùm tamen Eclipſis fuerit tantùm duorum digitorum, & præcedenti anno acciderit. Sed ipſe inſigniter errat. Nam & hoc anno facta eſt magna eclipſis Solis, ut habebimus, & quæ præcedenti anno facta fuit, nullius fuit momenti, nec videri, nec obſervari potuit cœlo ſereno, neque eſt ab Herodoto annotata.

Xerxes priusquam in Europam per Helleſpontum tranſiit, integrum menſem conſumſit, & in Thracia exercitum recenſuit hoc modo: Decem millia hominum primùm numeravit, iisque arctè ſtantibus, cancellos & ſepem circumduxit, hiſce exeuntibus alios incluſit, atque itidem alios, atque ita compendium fecit odioſæ numerationis. Fuerunt autem pedites, vicies ter centena millia, & præterea, decem & ſeptem millia; Equitum verò octoginta millia. Hi ſi ſervitia addantur, ſecundum computationem Herodoti, item mulieres, & Eunuchi, qui egerunt currus, jumenta ſarcinaria, & alia impedimenta, numerus erit duplo major. Inde ab Helleſponto, donec ad Thermopylas venit, conſumſit tres menſes. Claſſis interea ingenti tempeſtate conflictata eſt, perierunt quadringentæ naves, cum plurimis militibus, & divitiis, ad Magneſiam, ubi in ſtatione erant. Menſe Auguſto, cùm Græci reliqui in ludis Olympicis agendis occupati eſſent, & Spar-

& Spartani Carnia celebraſſent, *Leonidam* regem ad Thermopylas cuſtodiendas mittunt. *Herodot. l. 7.*

Olympias 75. acta die 20. Auguſt. fer. 2. Eſt annus Olympiadicus 297. Stadium vicit *Aſychos* Syracuſanus. Hac Olympiade Hellanodicæ novem conſtituti ſunt, *ut Pauſanias habet in Eliacis.*

Archon apud Athenienſes *Callias*. Hoc archonte naſcitur *Euripides*. Diog. Laert.

Charon Lamſacenus hiſtoricus floret. *Euſeb.*

Icilius *Tribunus plebis vehementer urget diviſionem agrorum*, Appius *Claudius ſuadet, ut Senatus Tribunos plebis, Collegas Icilii de interceſſione ſollicitet, quod & factum eſt: atq; ita Icilius propoſito abſtinere coactus eſt.* Dionyſ. l. 9.

Furius *Conſul in Æquos ducit, omnia ipſi proſpere cadunt, multum prædæ, & captivorum captum eſt, quod totum ceſſit militi.* Fabius *contrà impeditur apud Hetruſcos inobedientia militum: Fudit quidem hoſtium copias ſolo equitatu; ſed pedites invidentes hanc victoriam Duci, victoriam perſequuntur; ſed injuſſi in caſtra redeunt, & inde domum* Liv. l. 2. Dionyſ. l. 9.

Ad Thermopylas toto triduo pugnatur inſigni clade Perſarum, nec expugnari potuiſſent, niſi *Epialtes* quidam proditor Perſis tramitem oſtendiſſet per montes eundi, quo Spartani circumventi ſunt. Leonidas tamen rex, reliquis Græcis dimiſſis, cum trecentis Spartanis in caſtra Perſarum irruit, & cùm ingentem cædem in caſtris feciſſet, cum omnibus ſuis cæſus eſt. Perierunt Perſarum maximè ſtrenui ad viginti millia. Adſcriptum fuit Spartanis hoc Epitaphium:

Dic, Hoſpes, Spartæ, te nos vidiſſe jacentes,
Dum Patriæ ſanctis legibus obſequimur.

Proditor ille Epialtes poſtea proſcriptus, & interfectus eſt. *Herod. l. 7.* Iſdem diebus claſſe pugnatur ad Artemiſium, toto triduo, æquo quidem marte; victoria tamen ad Græcos inclinante. Tertio enim die poſt pugnam, cùm Curſores Græci nunciaſſent Leonidam cæſum ad Thermopylas, claſſis Græcorum metuens Græciæ, retrò ad *Salaminem* abit, qua Athenienſes adjuti, urbem relinquunt, & imbellem turbam liberorum, & uxores in alias urbes, maximè tamen in Salaminem tranſportant. *Herodot. l. 8.*

Amilcar Carthaginenſium Dux invadit Siculos, ducentis navibus, & trecentis millibus militum, quem *Gelo* rex Syracuſanorum inſigni ſtrategemate vincit, dum ſuos equites, pro equitibus Siculorum, qui ad Carthaginenſes defecerant, mittit, qui Carthaginenſes caſtris exuunt. Ipſe paulò poſt hoſtium claſſem exurit, totumque exercitum hoſtium ferè ad internecionem trucidat, reliqui fugientes in mari perierunt; ita ut vix nuncius cladis domum reverteretur. Pugnatum ferè iisdem diebus, quibus ad Thermopylas. Græci enim de utraque victoria eodem die certiores facti ſunt. *Diodor. Sicul. l. 11.*

Eclipſis Solis hoc anno accidit, die 2. Octob. fer. tertia, hora ſecunda, & minutis ferè 27. poſt meridiem; eo ipſo tempore, quando Cleombrotus *Spartanorum rex, miſſus ad muniendum Iſthmum, ſacrificat &c. Hæc enim Eclipſis motus, ut infelici omine, exercitum Spartum reduxit. Parall. latitudinis fuit 41. 12. vera latitudo ſept. 31. 4. viſa latitudo auſt. 10. 8. Semidiam. Solis 15. 41. Scrup. reſidua 20. 10. digiti ecliptici 7. 43. Sol in 3. 6. Libra.*

Græci ad Salaminem, cùm certiores facti eſſent, Iſthmum à Cleombroto non muniri, ſolliciti de Peloponneſo, ne terreſtres copiæ, quæ jam Athenas ceperant, in eam irruerent, cùm ſine præſidio eſſet, ad Iſthmum claſſem deducere volunt. Themiſtocles videns hoc modo Græciæ vires diſpergi, & ad nihilum redigi, vehementer id diſſuadet: Cùm non obtineret, ſtrategemate eos detinet, & ad pugnam cogit. Pugnatum eſt die 20. Boedromionis, *ut Plutarchus habet in Camillo*, qui eſt nobis dies 9. Octobr. & egregia victoria Græci potiuntur. Alibi Plutarchus dicit, factum prælium Vere ſequente, nos ſequimur Herodotum. *Xerxes* deſperare de victoria incipit, & relicta potiſſima parte exercitus ſub Mardonio, cum ſexaginta millibus militum, qui ferè fame ac peſte, priusquam ad Helleſpontum redirent, conficiebantur, Græcia excedit. Themiſtocles, ut Xerxes fugam maturaret, ipſi nunciat, Græcos conſtituiſſe pontem ad Helleſpontum interrúmpere, qui tamen, cùm Xerxes eò perveniſſet, tempeſtatibus diruptus erat, ideò in exigua navicula trajicere coactus fuit. Mardonius interim exercitum in Theſſalia in hyberna diſtribuit, ut ineunte æſtate Peloponneſum invadat. *Herod. l. 8.*

Cleombrotus Anaxandridæ filius, Spartanorum rex moritur paulò poſt eclipſin Solis, ſuccedit ipſi *Pliſtarchus* filius Leonidæ, cui, quòd puer eſſet, tutor datur *Pauſanias*. Herod. lib. 9.

ANNO MUNDI 3471. ante C. N. 477.
F. ☉ 7. ☽ 17.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 23. Febr. Iuliani:

Coſſ. M. Fabius Vibulanus II.
Cn. *M*anlius Cincinnatus.

Mardonius primo Vere mittit Alexandrum Macedoniæ regem ad Athenienſes, ad conditiones pacis à Xerxe oblatas recipiendas. Evocantur ad hanc rem etiam Spartani: ſed cùm Athenienſes omnem ſocietatem cum Perſis recuſarent, Athenas iterùm capit decimo menſe, poſtquam à Xerxe captæ fuerant, & cremat. Factum circa finem Junii.

Pliſtarchus rex Spartanorum, cum anno uno regnaſſet, moritur, ſuccedit *Pliſtoanactes* Cleombroti filius, ex eadem Agidarum familia, regnatq; annos 33.

Archon Athenienſis *Xantippus*. Diodor. Sic.

Annus ſabbathicus 6. Jobeler Judaici 20. incipit die 23. Sept. fer. 2. Anno Jud. 3283.

Conſules Romæ *per magnam contentionem, quòd Plebs ad nomen reſpondere nollet, exercitum conſcribunt, & juſſu Senatus contra Vejentes ducunt, ubi ſiniſtro omine Conſulis Manlii tabernaculum fulmine diſſipatur. Acerrimo inde prælio coeunt, in quo Manl. Conſul cecidit & Q. Fabius, qui bis Conſul fuerat, alterius Conſulis frater.*

riam obtinent, ſed M. Fabius Conſul triumphum, qui offerebatur, recuſavit, in tanto ſimul publico, & privato luctu. Et cum propter vulnera in morbo cubaret conſulatu ſe abdicavit, cum adhuc duo menſes reſtarent, & comitia per interregem habita. Dion. lib. 9.

Lacedæmonii malignè de Athenienſium fortitudine judicant, unde ſimultas inter Græcos orta eſt, & Themiſtocles à præfectura remotus. Cum verò hoſtes inſtarent, concordiam ineunt, conjurantque ſimul, ſe vitam non pluris facturos, quàm libertatem, ſe Duces non deſerturos; ſe cæſos ſepulturos; & nullam urbem, quæ ſecum pugnaret, aliquando deleturos; templa etiam à Perſis cremata non inſtauraturos, ut monumentum eſſent barbaricæ invaſionis. Ad Platæas igitur Græci magna victoria potiuntur, cecidit ipſe Mardonius Dux, & cum eo ad ducenta, & ſeptuaginta millia hominum. Factum eſt prælium, *ut Plutarchus habet in Camillo*, die 3. Boedromionis menſis, qui incidit hoc anno, in diem 19. Sept. *Herod. lib. 9. Diodor.* 11.

Eodem die in Aſia ad Mycalem, Duce Leotychide, rege Spartanorum, Perſæ ſuperantur. Cum enim viderent, ſe claſſe Græcis pares non eſſe, in terra caſtra communierant; ſed Græci claſſem cremant, & caſtra expugnant. Ceciderunt Perſarum ad quadraginta millia, capta magna præda & tota Ionia ad defectionem à Perſis excitata. *Ibid.*

Poſt prælium Platæenſe Thebani à Græcis unius fere menſis ſpatio vaſtantur, quòd ſocietatem cum Perſis junxiſſent, donec ſocietatis Perſicæ autores dederent. Athenienſes verò Seſtum inſulam obſident, eamque tandem expugnant, & divites præda domum abeunt. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3472. *ante C. N.* 476.
E. ☉ 8. ☽ 18.

Ecclipſis Solis accidit die 17. Febr. Juliani, hora ſecunda poſt meridiem in Aſia. Eam putat Codomannus *Chronologus accidiſſe, cum Xerxes Sardibus moveret. Sed Herodotus qui tum temporis vixit, adeò manifeſtè tradit, tranſitum Xerxis cecidiſſe in annum, quo Olympias acta eſt, eumque charactere Chronologico infallibili, ecclipſi Solari, ita munit, ut de vero anno tranſitus Xerxis dubitari non poſſit, idem oſtendunt etiam Athenienſes Archontes, qui ab hoc tempore uſque ad Alexandrum Magnum, & ulteriùs integre habentur: Item Stadionicæ &c. Manifeſtum igitur, Codomannum errare. Verum tamen eſt, ecclipſin dicto die accidiſſe, quæ fuerit octo digitorum fere.*

Romæ circa diem ultimum Feb. Juliani Magiſtratum ineunt.

Coſſ. Cæſo Fabius Vibulanus III.
T. Virginius Tricoſtus.

Athenienſes, conjuges & liberos ex Salamine, & aliis locis, ubi à Græcis benignè habiti fuerant, in Atticam reducunt, urbem inſtaurant, & muris eam circumdare aggrediuntur. Legati Spartanorum adveniunt, idque prohibent: Themiſtocles dimiſſis legatis, promittit, ſe hac de re Spartam legatum iturum: idque facit, ſed tanta mora uſus eſt, ut muri perficerentur, priuſquam Spartanis, cur legatus miſſus eſſet, exponeret. *Diod. Sic. lib.* 11.

Conſul Fabius *Æquos vaſtat: Virginius verò nimium populando exercitum inordinatum hoſtibus objicit, clade afficitur, & obſidetur. Fabius Collega auxilio advenit, hoſtes pellit, & ambo agrum longe lateque populantur, & exercitum domum reducunt.* Dionyſ. lib. 9.

Archon apud Athenienſes *Timoſthenes. Diod.*
Phrenis Citharœdus primus Panathenæa apud Athenienſes vincit. *Scal.*

Megacles Athenienſis vincit viceſimam octavam Pythiada. *Schol. Pind.*

Conſul Fabius *cum popularibus ſuis ex* Fabia *gente, cum Vejentes aſſiduo magis, quam valido bello agros Romanos turbarent, illud bellum in ſe recipit. Fuerunt autem numero trecenti & ſex Fabii, & Clientes ac ſocios habuerunt ad quatuor millia. Hi opportuno capto loco caſtra ad* Cremaram *muniunt.* Dionyſ. lib. 9. Liv.

ANNO MUNDI 3473. *ante C. N.* 475.
DC. ☉ 9. ☽ 8.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem quintum Martii Juliani:

Coſſ. L. Æmilius Mamercinus.
C. Servilius Structus Ahala.

Athenienſes Pyræum muniunt, & conſilio Themiſtoclis id eodem murorum ambitu cum urbe conjungunt, Claſſem etiam cum Spartanis jungunt, & Perſas Cypro, atque Byzantio pellunt. ubi *Pauſanias* tutor regis Spartani, muneribus à Xerxe corruptus, captivos Perſas Xerxi remittit & ſpe regiarum nuptiarum conſilia de prodenda Perſis Græcia init. De qua re poſtmodum accuſatus & convictus, fugit in templum Minervæ, cui obſtruendo mater Pauſaniæ primum lapidem apponit; ibi concluſus fame periit. *Diod. Sic. lib.* 11.

Fabii *illi trecenti ubique carpunt Vejentes, & aperto prælio etiam eos vincunt, quorum ferocitate Vejentes irritati, auxilia accerſunt, Volſcos & Hetruſcos. Ideò etiam* Æmilius *conſul Fabius auxilio venit, Vejentes vincit, ditiſſimiſque caſtris potitur, quæ prædæ fuerunt militi. Vejentes fracti hiſce cladibus pacem petunt, quam Conſul juſſu Senatus dedit. Sed neque arma, neque agrum ipſis ademit, nec etiam mulctam impoſuit, vel obſides cepit, ideò triumpho potitus non eſt, nec ipſi etiam Vejentes eam pacem obſervatunt.* Dion. lib. 9.

Ariſtides, qui hoc bello Perſico revocatus fuerat. Græcis autor eſt, ut commune ærarium inſtituant, & quotannis in Delo pecuniam reponant. Quantum autem quævis urbs, vel gens contribuere debeat, Ariſtidi committitur, qui adeò æquum ſe præbuit ſingulis populis, ut cognomen Juſti inde reportaverit. *Diod. Sicul. lib.* 11.

Archon apud Athenienſes *Adimantus.*

Annus Nabonaſſaris 272. incipit die 20. Decem. feria 2.

ANNO MUNDI 3474. *ante C. N.* 474.
B. ☉ 10. ☽ 1.

Annus Xerxis regis Perſarum poſt patrem defunctum undecimus.

Annus ab urbe condita 277.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 10. Martii Juliani:

Coſſ. M. Horatius Pulvillus.
T. Menenius Agrippæ. F. Lanatus.

Gelo rex Syracuſanorum, cum regnaſſet annos 15. *ut Pauſanias habet, (apud Diodorum mendum eſt)* in graviſſimum morbum incidit, & fratrem Hieronem deſignat ſucceſſorem, & moritur. Hiero hic malè primum vixit, verùm poſtea ex conſuetudine hominum eruditorum, Simonidis, Pindari, Bacchylidis, & aliorum, vitam emendavit, imperatque, ut Diodorus vult, annos novem, menſes octo. *Diodor.* 11.

Tribuni *plebis Romæ legem agrariam urgent, ſed neceſſitates belli preferuntur, Vejentes interim Præſidium* Fabiorum *ad Cremeram oblata multiplici præda illectant, donec eos longe à præſidio abduxiſſent, ubi ex inſidiis reſurgentes exercitu* Fabios *circumdant, & in tumulum compulſos tridui ſpatio ad internecionem trucidant. Conſul* Menenius *non procul inde ſtativa habuit, nec circumventis ſubvenit, nec ſua caſtra etiam ſatis tutatur, ſed ſecurus cladis à Vejentibus victoria ferocientibus vincitur, & caſtris exuitur. Vejentes Conſulem fugientem ſecuti, Janiculum occupant, & urbem terrent, donec alter Conſul ex Volſcis adveniret. Pugnatur cum Vejentibus primum æquo Marte, poſtea ad portam Collinam, ubi res Romana ſuperior fuit: nihilominus tamen Vejentes Janiculum montē per totam hyemem obtinent, & agrum Romanum longè latèque vaſtant, unde fames Romæ ſequenti anno exorta.* Dionyſ. lib. 9. Liv.

Olympias 76. *acta die* 6. *Auguſti, fer.* 7. *Eſt annus Olympiad.* 301. Stadium vicit *Scamander* Mityleneus. In hoc Olympico certamine ſpectatores parum attenti fuerunt ad ludos, magis intuiti ſunt *Themiſtoclem*, qui præſens aderat: cujus virtutem in bello Perſico maximè admirati fuerunt. *Plutar.*

Archon apud Athenienſes *Phædon. Dionyſ. Diod.*

Anaxilaus eodem tempore moritur Rhegii, qui octodecim annos Tyrannidem ibidem obtinuerat. *Ibid.*

Hiero rex Syracuſanorum Catanam Colonorum decem millia mittit, eamque Ætnam vocari jubet. *Diod. lib.* 11.

ANNO MUNDI 3475 *ante C. N.* 473.
A. ☉ 11. ☽ 2.

Romani cum hactenus Coſſ. *Magiſtratum iniiſſent menſe Septem. anticipant legitimum Comitiorum tempus, propter Conſules malè rem gerentes integro menſe: Et ineunt Magiſtratum Calendis Sextilibus, ut Dionyſius habet, quæ incidunt in diem* 15. *Febr.*

Coſſ. A. Virginius Tricoſtus.
Sp. Servilius Structus.

Cum Vejentes ex Janiculo, *tanquam ex arce quadam agrum Romanum vaſtarent, & pecora abigerent, eos tandem conſules eadem arte, qua ipſi* Fabios, *capiunt, illectos ſcilicet in inſidias oblata præda. Conſul Servilius temerario incepto aciem in* Janiculum *erigit, unde pulſus fuiſſet, niſi alter Conſul auxilio veniſſet, quo adjutore prælium temeritate cœptum feliciter finitum eſt, & Vejentes loco pulſi domum aufugerunt.* Dionyſ. *lib.* 9. Livius.

Spartani Athenienſibus iraſcuntur, quòd maris imperium ſibi vendicaſſent, idque quomodo ipſis eripiatur, conſultant, eoque deſcendunt, ut bello petendos Athenienſes exiſtiment: Sapientiores tamen Spartanorum, cum demonſtraſſent, maris imperium ſuæ reipubl. inutile eſſe, & mores civium hoc modo depravari, obtinuerunt, ut arma deponerentur. *Diod. lib.* 11.

Archon apud Athenienſes *Dromoclides. Diod.*

Menenius, *quòd ſuperiore anno Fabiis non tuliſſet auxilium, & male pugnaſſet, damnatur mulcta pecuniaria, ſed non magna: Adeò tamen fractus eſt animo hac ignominia, ut mœrore animi paulo poſt moreretur.* Dionyſius Liv.

Ætna mons igneos globos evomit, & Catanenſium agrum, & vicinorum exurit, idem accidit quinquageſimo anno poſt. *Thucyd. lib* 3. Videtur tamen clades hæc accidiſſe, antequam Hiero colonos eò mitteret, ante annum ſcil. vel biennium: malui tamen ſequi authorem Thucydidem, quàm conjecturas.

Philonomus & Callias Catanæi, ſuos parentes per medium incendium, ab Ætna flammas evomente excitatum, exportarunt, flamma ipſis cedente. *Ælianus.*

ANNO MUNDI 3476. *ante C. N.* 472.
G. ☉ 12. ☽ 3.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 20. *Febr. Juliani:*

Coſſ. P. Valerius Poplicola.
C. Nautius Rutilus.

Sp. Servilio ſuperioris anni Conſuli, quòd non ſatis feliciter ad Janiculum montem pugnaſſet, a Tribunis plebis dies dicitur, qui acri Oratione invehitur in Tribunos & plebem, fretus ferocitate ingenii, & auxilio Virginii Collegæ. Dionyſ. l. 9.

Hiero rex Syracuſanus vincit viceſimam nonam Pythiada *Schol. Pind.*

Haman potentiſſimus princeps in aula Perſarum, anno Xerxis duodecimo impetrat à rege poteſtatem extirpandi Judæos, & cum ſortem duxiſſet, qui dies deſtinandus eſſet cædi, eligit duodecimum diem menſis *Adar* quo per totum imperium Perſicum omnes Judæi ubivis terrarum, uno eodemq; die interficerentur. Edictum de excindendis Judæis *Suſis* affigitur loco publico die 13. primi menſis, qui nobis eſt dies 15. April. fer. 1. Poſtea die 23. menſis tertii, qui nobis eſt dies 23. Junii. ad Calendarium Julianum, feria 7. *Eſther* impetrat à *Xerxe*, ut edicta promulgata pro irritis habeantur, & Judæi conſerventur. *Haman* autor ſceleris ſuſpenditur, & *Mardochæus* ad ingentes honores provehitur. *Eſth.* 8, 9.

Archon apud Athenienſes *Aceſtorides. Diod.*

Valerius *conſul exercitum educit contra Vejentes, quibus auxilio venerant Sabini, & horum caſtra, cum improviſo adveniret, aggreditur, & expugnat. Inde in Vejentes etiam movet, quos ſimiliter vincit, & caſtris exuit, atque ita una die utriuſq; exercitus victor, divites præda Romanos domum reducit, & triumphat Calendis Maji, quæ hoc anno incidunt in* 25. *Novemb.* Dionyſ. lib. 9.

Hiero

Hiero Cumanis, qui bello Hetruſcorum occupabantur, auxilia mittit, quibus freti Hetruſcos prælio navali ſuperant, & Hetruſcorum opes frangunt. *Diod. Sic. lib.* 11.

ANNO MUNDI 3477. *ante C. N.* 471.
FE. ☉ 13. ☽ 4.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 25. Febr. Juliani.

Coſſ. A. Manlius Volſo.
L. Furius Medullinus.

Manlius *contra Vejentes ducit, eosque in urbem compulſos fame macerat: quapropter pacem petunt, mulctamque ſolvunt: pax negatur, ſed induciæ ipſis dantur in quadraginta annos. Ovatio Conſuli decernitur, quæ facta eſt Idibus Martii, quæ incidunt hoc anno Juliano in diem 13. Octob.*

Æſchilus Poeta ſuas Tragœdias, Perſam & alias edit. *Euſeb.*

Lex agraria vehementer à Tribunis plebis urgetur, cui ſtrenuè reſiſtunt Coſſ. Dionyſ.

Coſſ. *cenſum agunt, cenſi fuerunt civium Romanorum* 103000. Dionyſ.

Tarentini cum Japygibus certant de agrorum finibus. Rhegini veniunt Tarentinis auxilio, ſed vincuntur, & cum Rhegini non Tarentum verſus fugerent, ſed Rhegium in patriam, Japyges adeò pertinaciter fugientibus inhæſerunt, ut ſimul urbem intrarent, & caperent. *Diodor. lib.* 11.

Die 13. menſis 12. Adar, qui nobis incidit in diem 5. Martii Juliani, interficiendi erant Judæi ex conſilio Hamanis, verùm irrita, ut dictum eſt, facta ſunt edicta, & Judæi eo die ſe defenderunt, feſtumque ſolenne inſtituerunt binis diebus quos dies Purim vocaverunt, qui celebrantur ad Calendarium Judaicum die 14. & 15. menſis Adar, *Eſth.* 9.

Archon apud Athenienſes *Menon.*

Annus Nabonaſſaris 276. *incipit die 19. Decembris, fer.* 6.

ANNO MUNDI 3478. *ante C. N.* 470.
G. ☉ 14. ☽ 5.

Annus Xerxis poſt patrem defunctum 15.

Annus ab urbe condita 281.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 2. Martii Juliani.

Coſſ L. Aimilius Mamercinus III.
Vopiſcus Julius Julus.

Superiores anni COSS. *Manlium, & Furium, quòd legem agrariam impediviſſent, Genutius Tribunus plebis ad populum accuſat, & legem agrariam iterum urget: pertuliſſet etiam eam, & reos damnaſſet, niſi præcedente nocte, quàm Comitia futura erant, domi Tribunus mortuus inventus eſſet. Conſules poſtea habent delectum, ubi Juniores ad nomina reſpondere recuſant. Volero quidam citatur, qui cum ordines duxiſſet, jam gregarius miles eſſe nolebat, ob id ſpoliari juſſus, lictores repellit, & plebem concitat, quæ violatis lictoribus, fractiſque faſcibus, Conſules in curiam fugat, & fiunt ingentes turbæ.* Dion. lib. 9. Liv.

Olympias 77. *acta die 23. Jul. fer.* 5. *Eſt annus Olymp.* 305. Stadium vicit *Dates vel Dandes, ut Diodorus habet,* Argivus. *Ergoteles* verò vicit Dolichodromum: Et *Theron* Acragantinus armatura gravi. *Euthymus* verò tertium lucta. *Afric.*

Hellanodicis reliquis novem additur decimus, & conſtituitur, ut in ludis Olympicis quinquertium primum, inde curſus, & poſt equorum certamen committeretur. *Pauſan.*

Archon apud Athenienſes *Chares. Diod. Dion.*

Iccus Tarentinus medicus, cujus meminit Plato in Protagora, floret. *Euſeb.*

Leotychides rex Spartanorum, moritur anno regni 22. Succedit *Archidamus* ex Proclis familia, qui regnat annis 49.

Democritus ſecundum quoſdam naſcitur.

Annus ſabbathicus, & Jobeleus viceſimus, incipit die 5. Septem. fer. 7. Anno Jud. 3290.

ANNO MUNDI 3479. *ante C. N.* 469.
C. ☉ 15. ☽ 6.

Romæ circa diem 7. Martii Magiſtratũ ineunt.

Coſſ L. Pinarius Mamercinus.
P. Furius Medullinus Fuſus.

Hiſce Coſſ. *Varro apud Macrobium tradit mentionem intercalationis Romanæ fieri, in quadam ænea tabula tum poſita ſeu modus intercalationis non ſimul explicatur.*

Elei in Peloponneſo per varia oppida diſperſi, in unam urbem coeunt, & Elin concedunt, eamque muniunt.

Micythus princeps Rhegii & Zanclæ, urbem condit *Tenxuntem.*

Archon apud Athenienſes *Praxiergus. Diod.*

Themiſtocles apud Athenienſes, per Spartanos accuſatur proditionis cum Pauſania initæ ad Perſas, & abſolvitur; per eoſdem tamen Oſtraciſmo Athenis ad annos quinq; pellitur, quapropter Argos migrat, Spartani ulterius rem perſequentes cum ad publicum concilium totius Græciæ Spartam citant. Ille non auſus infenſiſſimis hoſtibus ſe committere, ad Admetum Moloſſorum regem in Epirum confugit; inde etiam à Spartanis comminatione belli inferendi pulſus, ad *Xerxem* deducitur curru clauſo, tanquam Pellex regis: mos enim erat Perſis ſi pellicem regi adducerent, ne quis eam adſpiceret. Cum ad regem perveniſſet, à nobilibus Perſis, propter tot occiſos Perſas, ad mortem poſcitur: ſed impetrato annuo ſpatio ad perdiſcendam linguam Perſicam, ſe defendit, & abſolvitur. Rex itaq; ipſi dedit uxorem, & familiam copioſam, & tres urbes: Magneſiam propter copiam frumenti in panem; Myuntem propter piſcium abundantiam in Obſonium; & Lamſacum in vinum. *Diod. Sic. lib.* 11. Plutarchus habet, cum Themiſtocles Oſtraciſmo Athenis ejectus eſſet, & Argis exularet, à Pauſania appellatum de proditione cum Perſis, ſed Themiſtoclem à tanto facinore abhorruiſſe, proditionem tamen non aperuiſſe, & propterea accuſatum Thucydides *l. primo* affirmat, Themiſtoclem in Perſiam abiiſſe, cum Artaxerxes nuper parenti Xerxi ſucceſſiſſet, id quod factum erat tandem poſt annos ſeptem: Valdè hoc veriſimile eſt. Fuit enim annorum 65. cum moreretur, & admodum adoleſcens fuit in Marathonia pugna ante annos viginti. *Plutar.* Sed Diodorus hæc omnia in unum annum conjecit, ut ſolet etiam in aliis hiſtoriis.

Volero *tribunus plebis factus legem fert de Magiſtratibus plebeis, eligendis non Curiatis, ſed Tributis Comitiis: qua lege Patritiis omnis poteſtas eligendorum eorum quos volebant, eripiebatur. Lex im-*

ANNO MUNDI 3433. Ante C. N. 515.
ED. ☉ 25. ☽ 17.

Annus Nabonaſſarii 232. incipit die 30. Decembr. feria 4.

ANNO MUNDI 3434. Ante C.N. 514.
C. ☉ 26. ☽ 18.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis 5.

Annus ab urbe condita 237.

Tarquinius ex manubiis Pometianis *Capitolium* Romæ extruit, quod inde nomen accepit, quòd caput humanum, quaſi recens & cruentum inventum eſſet, cùm fundamenta effoderentur. *Dionyſ. l. 4.*

Olympias LXVI. acta die 28. Julii, fer. 5. eſt annus 261.

Stadium vicit *Iſchyrus Hymereus*: Curru verò *Cleoſthenes* Epidamnius *Pauſan.*

ANNO MUNDI 3436. Ante C.N. 512.
A. ☉ 28. ☽ 1.

Hipparchus frater Piſiſtrati, tyrannus Athenienſis, interficitur ab Harmodio & Ariſtogitone, in feſto Panathænaico; factum annis viginti tribus ante cladem Marathoniam. Hippias enim filius Piſiſtrati, qui ſucceſſit patruo, quadriennio Athenis rerum potitus fuit, inde pulſus in exilium anno viceſimo, cadit in prælio ad Marathonem *Thucyd. l. 6.* Tyrannicidæ comprehenduntur, inter quos etiam fuit *Leæna*, concubina Harmodii, quæ cùm tormentis ſubjiceretur, carnifice jam fatigato, poſtremo linguam ſuam morſibus abſciſſam & commeſtam in faciem tyranni ſævientis expuit, ut expueret & vocem, ne conjuratos prodere poſſet, etiamſi vellet. *Athenæus. Tertull.*

Democedes Crotoniata medicus, qui invitus apud Darium in Perſia erat, etſi omnibus bonis affluebat, perſuadet uxori Darii Atoſſæ, cujus deterrimum ulcus in mamilla ſanaverat, ut adhortetur maritum ad Græciam bello petendam, quo ſibi adducerentur mancipia, fœminæ Athenienſes & Lacedæmoniæ; cui conſentit Darius, & exploratores mittit in Græciam Duce *Democede*, qui capta occaſione effugit, & in patriam redit, & exploratores, cùm non haberent ducem, re infecta redeunt. *Herod. l. 1.*

Annus ſabbathicus primus Jobelei Judaici viceſimi, incipit die 20. Sept. fer. 3. Anno Jud. 3248.

ANNO MUNDI 3437. ante C. N. 511.
GF. ☉ 1. ☽ 2.

Libri Sybillini ad Tarquinium regem afferuntur novem numero, à fœmina ignota, quæ magnam pecuniæ ſummam pro iis popoſcit; cùm rex tantam dare nollet, tres ex iis combuſſit, eandem tamen pecuniæ ſummam pro cæteris popoſcit: cùm iterum eam dare negaret, adhuc tres combuſſit. Et tandem pro reliquis tribus pecuniam ſuam vo uit, obtinuit. Dionyſ.

Sybaritæ in Italia, anno quarto Olymp. 66. edicunt certamen Olympicum in ſua urb. ſequenti anno celebrandum, propoſitis longè majoribus præmiis, quàm apud Eleos dari conſueverant, ut ita Eleorum certamina negligerentur, & ſua celebriora redderentur; ſed biennio pòſt Sybaritæ à Crotoniatis evertuntur.

Annus Nabonaſſaris 236. incipit die 29. Decembr. feria 1.

ANNO MUNDI 3438. ante C.N. 510.
E. ☉ 2. ☽ 3.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis 9.

Annus ab urbe condita 241.

Phrynichus Poeta inclareſcit.

Olympias LXVII. acta die 14. Auguſti, fer. 2.

Phanas Pellenenſis vel Prienæus primus obtinuit ternas victorias in certamine Olympico. In Stadio videlicet: in duplicato curſu: & in gravis armaturæ curſu. Eſt annus Olymp. 265.

ANNO MUNDI 3439. ante C.N. 509.
D. ☉ 3. ☽ 4.

Darius *Perſarum rex, ingenti contracto exercitu, hominum ſeptingentorum millium, & ſexcentis navibus, expeditionẽ facit in Scythiam Europæam, Walachiam, Moldaviam & Poloniam. Et Thraces quidem ſtatim jugum recipiunt, & vicini ſoli Getæ reſiſtunt, ſed & hi in ſervitutem rediguntur. Ut autem Iſtrum tranſire poſſet, per Pontum Euxinum, adverſo flumine naves adducit, & pontem extruit: illum pontem cum ſolvi juſſiſſet, conſilio* Cois *integer conſervatur, præſidio tamen addito. Darius non diutius, quam ſexaginta ferè diebus in Scythia verſatus, omnium rerum egenus, in Thraciam redit, & ibi relinquit Megabyzum cum octoginta millibus militum* Herodot. l. 4.

ANNO MUNDI 3440. ante C. N. 508.
B. ☉ 4. ☽ 5.

Telys quidam, cùm magna apud Sybaritas authoritate polleret, quingentos cives ex ditioribus, urbe ejicit, qui Crotonem confugiunt. Sybaritæ hoſce exules repoſcunt, ſub minis belli inferendi. Pythagoras Philoſophus ſupplices non prodendos diſſerit, ideò Sybaritæ exercitum trecentorum millium contra Crotoniatas ducunt; Crotoniatæ conficiunt centum millia hominum, & duce Milone, qui ſexies in certamine Olympico victor fuerat, eos fugant, urbem Sybarim capiunt, diripiunt & excindunt. *Diod. Sic. l. 12.*

Megabyzus *Darii dux, in Thracia Perinthios primùm ſibi ſubjicit, qua capta, omni Thracia potitus eſt, inde adverſus Pæonas movet, eoſq; captos in Aſiam transfert.* Herod. l. 4. *Hic eſt* Megabyzus, *de quo* Darius *affirmavit, ſe malle tot Megabyzos, quot grana eſſent in malo punico, quam univerſam Græciam.*

Hippias Tyrannus Athenienſis tandem urbe ejicitur. Exules enim Athenienſes, & prece & fraude Spartanos inducunt, ut ſibi auxilio ſint in ejiciendis Tyrannis, quod tamen Spartani efficere non potuerunt; ſed exules, cùm fortè potiti eſſent Tyranni, & Piſiſtratidarum liberis, ut ii incolumes conſervarentur, Hippias urbe exceſſit. *Herodot. l. 5.* Tum temporis Demaratus adhuc Spartæ rex erat. Athenienſes verò pulſo Hippia, variis ſeditionibus agitati ſunt, & tandem ex quatuor tribubus decem effecerunt.

ANNO MUMDI 3441. ante C. N. 507.
AB. ☉ 5. ☽ 6.

Athenienſes primi omnium in Græcia, Harmodio & Ariſtogitoni tyrannicidis publicè ſtatuas poſuerunt. *Plin. l. 34. cap. 4.*

ANNO MUNDI 3442. Ante C.N. 506.
G. ☉ 6. ☽ 7.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum regis 13.

Annus ab urbe condita 245.

Tarquinius *Ardeates Rutulos bello petit, & cum primo impetu capi non poſſent, obſidione munitionibuſq;*

eos

nos premere conſtituit: in illo lento magis quàm acri bello, dum fortè certamen de præſtantia uxorum in convivio ortum eſſet, Lucretia palmam obtinuit. Sextus Tarquinius, *Regis filius, hujus laude incenſus, Lucretiam per vim ſtuprat, quæ ſeſe, cùm ſcelus Tarquinii enarraſſet, ſua manu interfecit.* Junius *Brutus cum aliis hoc ſcelere permotus, regem urbe cum tota familia expellit, ipſe* Junius *Brutus cum* L. Tarquinio *Collatino, Lucretiæ marito conſul creatur, quatuor menſibus antequam novus annus iniret.* Dionyſ. l. 4.

Olympias LXVIII. acta die 30. Julii, fer. 2. Eſt annus Olymp. 269. Victor Stadio *Iſchomachus* Crotoniata, Eſt annus Olymp. 269.

Dies Regifugii, ſive dies, quo Tarquinius regno pulſus eſt, & primi Coſſ. magiſtratum inierunt, incidit in ſextum Calendarum Martii, ſive diem 24. Febr. teſte Calendario Romano, juſſu Cæſaris Auguſti in ſaxis tabulis exarato; item Ovidio & aliis Romanarum rerum Scriptoribus. Idem dies Regifugii prior fuit anno finiendo quatuor menſibus, teſte Dionyſio; quod cum priori ſtare non poteſt, niſi Dionyſius finem anni conſtituerit ad rationem annorum Olympiadicorum, & aliorum Græcorum, qui finiebantur circa initium Julii. Et hoc modo, ſi caput anni Romani tum temporis fixum fuiſſet, in Calendis Januariis, quemadmodum fuit tempore Dionyſii, procul dubio dies regifugii 4. menſibus abfuiſſet à menſe Sextili. Sed caput anni Romani vagum fuiſſe, evidenter in hiſtoria Romana demonſtratur. Nos, cùm annus inſtituti Calendarii Romani à Numa *incertus ſit, ſtatuimus diem regifugii in die 24. Febr. quidem, ſed qui tum inciderit in Calend. Juliano in diem 4. Apr. Atque ita Calendæ Januarii incident in 6. Febr. Inierunt ergò magiſtratum die 4. Aprilis Juliani.*

Coſſ. Junius Brutus.
L. Tarquinius Collatinus.

Tarquinius *exul, miſſis legatis ſua bona ſibi reddi poſtulat, Ea reddenda eſſe Brutus diſſuadet, Collatinus ſuadet & perſuadet: Legati interim proditionem moliuntur, qua deprehenſa, filii Bruti Conſulis, proditionis rei, pœna capitis affecti ſunt.*

Collatinus, *dum pro ſororis filiis deprecatur, magiſtratu abrogato, urbe cedere cogitur*, P. Valerius Poplicola *illius loco Conſul declaratur: inde bona Tarquinii populo diripienda dantur, fuit tempus meſſis*, ut Plutarch. & Livius habent, *& cùm manipulos ob religionem nollent triturare, eos in Tyberim projecerunt; unde Inſula effecta eſt.* Liv. lib. 2.

Brutus *Conſul, pulſo Tarquinio ſacrum Carnæ Deæ in monte Cælio facit, Cal. Iunii, inde hic menſis Iunius appellatus eſt.* Macr. l. 1. Sat.

Archon Athenienſium *Iſagoras Dionyſ. lib. 5.*

Tarquinius *Hetruſcos contra Romanos concitat, quibus obviam prodeunt Romani, ubi Conſul* Brutus *&* Aruns *Tarquinii filius, monomachia ambo ceciderunt; æqua ferè clades fuit, poſtridie tamen; cùm Hetruſci caſtris relictis aufugiſſent, Romani pro victoribus ſe geſſerunt, & Valerius triumphavit. Plutarchus tradit, prælium hoc accidiſſe prid. Calendar. Mart. ſed evidenter reliquis hiſtoricis contradicit. Si enim hoc die prælium accidiſſet, annuum ſpatium primorum conſulum ante quatriduum præteriiſſet, & qui fieri potuiſſet, ut Bruto defuncto alter Conſul ſubrogaretur? Valerius enim, ne ſuſpectus eſſet occupatæ tyrannidis, ſublegit Conſulem.*

M. Horatium Pulvillum.

ANNO MUNDI 3443. *Ante C.N.* 505.
F. ☉ 7. ☽ 8.

Romæ diem 9. April. Magiſtratum inierunt:

Coſſ. P. Valerius Poplicola II.
T. Lucretius Tricipitinus.

Megabyzus Dux Perſarum, legatos ad Amyntam regem Macedonũ mittit, petitum terram & aquam; qua tradita, ſplendido convivio excepti ſunt. Cùm verò iidem in convivio multa libidinosè cum fœminis agerent, Alexander filius Amyntæ adoleſcentes fœminarum more amictos introduxit, quos etiam aliter, quàm fert pudor, contrectabant; ideò juſſu *Alexandri* trucidantur. *Herod. l. 5.*

Annus ſabbathicus 2. Jobeleo 20. incipit die 20. Sept. fer. 2. anno Jud. 3255.

Cenſus Romæ inſtituitur, qui intermiſſus fuerat tempore Tarquinii, *& tributorum ordinatio & conſtitutio, à* Servio Tullo *rege facta, in uſum revocatur, inventique ſunt, condito luſtro, cives* 130000. Dionyſ. l. 5.

ANNO MUNDI 3444. ante C. N. 504.
B. ☉ 8. ☽ 9.

Romæ circa diem 14. *April. magiſtratum inierunt.*

P. Valerius Poplicola III.
M. Horatius Pulvillus.

Otanes, Dux Darii, & princeps Perſarum, ſucceſſor Megabyzo miſſus, Byzantinos, Chalcedonenſes, & alios imperio Perſico ſubjicit, & inſulam itidem Lemnum, & Imbrem. *Herod. l. 5.*

Lars Porſena, *Cluſinorum Rex, Tarquinios exules receperat, & bello eos in regnum reſtituere cogitat; cui auxilia adducit ex Latinis populis, Octavius Mamilius, gener Tarquinii; & Romanorum quidem præſidium in Aventino monte pellitur, & Romam fugatur, Roma tamen defenditur, ponte ſublicio interrupto, dũ interea Horatius Cocles ſolus totum exercitum hoſtium ingenti animo moratur & ſuſtinet, ponte abrupto per Tyberim ſalvus ad ſuos enatat. Inde bellum vario marte geritur; donec* C. Mutius Scævola *Porſenam interfecturus, pro rege Quæſtorem, tum neutrum noviſſet, occidit: quo caſu, & quòd magna clade, cæſis populatoribus ſuis, affectus eſſet, adeò territus eſt Porſena, ut pace cum Romanis facta, obſidionem ſolveret.* Dionyſ. l. 5. Liv. 2.

Horatius Pulvillus *Conſul, cui ſorte dedicatio Capitolii evenerat, id, cum perfectum eſſet, dedicat.* Dionyſ.

ANNO MUNDI 3445. ante C. N. 503.
DC. ☉ 9. ☽ 10.

Romæ magiſtratum ineunt die 19. April.

Coſſ. Sp. Lartius Flavus.
T. Herminius Eſquilinus.

Aruns, *filius Porſenæ, cum obſidio Romana ſoluta eſſet, juſſus à patre ſibi regnum quærere, expugnatis* Aricinis, *accepto exercitu* Ariciam *tota hyeme obſidione fatigaverat. At hi à vicinis populis, Antiatibus. Tuſculanis, & Cumanis auxilia rogant & impetrant, & Hetruſcos, Aruntemque prælio vincunt & trucidant. Reliquiæ exercitus Hetruſcorum in Romanum agrum deferuntur, ubi à Romanis amicè excipiuntur & curantur; qua humanitate moti plerique Romæ manſerunt, quibus Senatus vicum quendam habitandum deſignat, qui ab ipſis Tuſcus vicus appellatus eſt. Porſena hoc beneficio populi Romani provocatus, ipſis omnem agrum, quem bello ademerat, reſtituit, & Tarquinium exulem à ſe exigit.* Dionyſ. l. 5.

Ariſtodemus, potentiſſimus apud Cumanos civis, cùm ſuſpectus eſſet tyrannidis, à Cumanis mittitur auxilio Aricinis, ut ibi bello periret; ſed hic re benè geſta, & ſpoliis ditatus, cum triumpho revertitur; & per calumniam potentioribus & nobilioribus civibus everſis, tyrannidem invadit, ad hunc ſe confert Tarquinius exul.

Annus Nabonaſſari 244. incipit die 27. Decembris feria 2.

ANNO MUNDI 3446. ante C. N. 502.
B. ☉. 10. ☽ 11.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis 17.
Annus ab urbe condita 249.

Romæ circa diem 24. April. Juliani ineunt Magiſtratum.

Coſſ. M. Valerius Voluſus.
P. Poſtumius Tubertus.

Bellum Sabinum ortum, quod toto quadriennio geſtum eſt. Sabini vaſtant agrum Romanum, quibus præda eripitur, inde contractis copiis, juſto prælio contenditur, in quo Romani tandem victores extiterunt, cùm totum ferè exercitum condidiſſent, & inde etiam caſtris potiuntur. Ambo conſules, quòd vires Romanas, quæ bello Hetruſco videbantur concidiſſe, recuperaſſent, triumphant. Dionyſ. l. 6.

Hiſtiæus, Mileti tyrannus, evocatur à Dario rege Suſas, ut regi eſſet à conſiliis, ſed invitus eò proficiſcitur. *Ariſtagoras* itaque, gener Hiſtiæi, conſenſu Darii, Mileto præficitur. *Herodot. l. 5.*

Olympias LXIX. *acta die 15. Auguſti, fer. 2.* eſt annus Olympiad. 273.

Stadium vicit *Iſchomachus* Crotoniata ſecundùm.

Quinquertii verò victor fuit *Theſſalus* Corinthius. *African.*

Archon apud Athenienſes *Aceſtorides.*

Callias Athenienſis, cùm ſperaret excoqui aurum poſſe ex arena rubente in metallis argenti, *Minium* invenit. *Plin. l. 33. cap. 7.*

Heraclitus Epheſius Philoſophus, cognomento Scotinus, floret. *Diog.*

ANNO MUNDI 3447. ante C. N. 501.
A. ☉ 11. ☽ 12.

Romæ ineunt Magiſtratum circa diem 29. April. Juliani.

Coſſ. P. Valerius Poplicola IV.
T. Lucretius Tricipitinus II.

Sabini cladem ulturi iterum contra Romanos inſurgunt, autore Sexto Tarquinio qui & alios populos in ſocietatem induxit, iſque dux belli conſtituitur. Appius Claudius, *vir potens in Sabinis, qui bellum diſſuadebat, quia non audiretur, cum clientibus ſuis ſe Romam confert. Sabini noctu Romanos opprimere conantur, id verò præſentiunt Romani, & inſidiatores illos trucidant, & Fidenas capiunt. Autores belli capite plexi, ambo Coſſ. triumpharunt.* Dionyſ. l. 6.

Amynta Macedonum rege defuncto, qui quinquaginta annis regno præfuerat, ſuccedit filius *Alexander*, qui cognomento dives appellatus eſt, quiq; Pindarum Poetam in deliciis habuit. *Solinus.*

ANNO MUNDI 3448. ante C. N. 500.
G ☉. 12. ☽ 13.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 4. Maji, Calendarii Juliani.

Coſſ. P. Poſtumius Tubertus II.
Agrippa Menenius Lanatus.

Sabini reparato exercitu iterum in agrum Romanum tranſeunt, quibus obviam progreditur Poſtumius, ſed magna clade repellitur, & in colliculo obſidetur: inde eripitur ſequenti die à Collega Menenio, poſtea juſti exercitus conſcripti, & victoria ſplendida parta eſt, quapropter Conſul Menenius triumpho urbem invehitur, Poſtumius verò ovans urbem ingreſſus eſt. Dionyſ. l. 6.

Ariſtagoras Mileſiorum Tyrannus, Naxiorum dominationi inhians, impetrat per Hiſtiæum ſocerum à *Dario*, ut exules eorum reducat, ad quam rem perficiendam accipit auxilia Perſica & naves. Cùm verò omnes conatus fruſtra eſſent, & *Naxii*, fortiter reſiſterent, nec ipſe etiam auxiliaribus copiis & ſociis navalibus ſtipendium perſolvere poſſet, Dario rebellat, incitatus ad id à Socero Hiſtiæo per ſervum, ſtigmata literarum, quibus hoc ſignificabatur, in capite ſub crinibus inuſta gerentem. *Herod. l. 5.*

Eclipſis Lunæ ab Hipparcho ex obſervationibus Babylonicis annotata, & à Ptolomæo in lib. 5. c. 9. μεγ. συν. *relata, accidit die 28. Epiphi menſis, anno 20. Darii, digitorum tantùm trium ab auſtro, facta Alexandriæ hora una, minutis 20. ante mediam noctem. Si ad noſtrum calculum inveſtigetur, fit die 19. Nov. fer. 2. hora una, minutis 5. ante mediam noctem. Vera latitudo, minut. 47. 45. Summa ſemidiametrorum Lunæ & umbræ minut. 58. 58. Scrupula reſidua 10. 20. digiti ecliptici 3. 56. debebant eſſe tantùm tres.*

P. Valerius *Poplicola princeps belli paciſque artibus, moritur hoc anno, cui in exequiis du-*

cendis

cendis ſumptus deſuit, & ex ærario datus. Dionyſ. Liv.

ANNO MUNDI 3449. ante C.N. 499.
FE. ☉ 13. ☽ 14.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 9. Maji Iuliani:

Coſſ. Sp. Caſſius Viſcellinus.
Opiter Virginius Tricoſtus.

Caſſius *Conſ. exercitum ducit in Sabinos, eoſque iterum vincit, decem millibus eorum occiſis, & ad pacem petendam cogit, quam impetrant quidem, ſed ita, ut tributum pendant, & parte agri decies mille jugeribus mulctentur.* Dionyſ. lib. 6.

Alter Coſſ. Virginius *ad Cameriam, quæ defecerat, improviſo exercitum ducit, eam eodem die capit, ſpoliat, cremat, & excindit, autores defectionis ſecuri percutit, & reliquos cives ſub haſta vendit, ambo Coſſ. triumphant.* Dionyſ. l. 6.

Lacedæmonii invidentes incremento Athenarum, *Hippiam* invocant, eumque Athenas reducere, ad recuperandam Tyrannidem, per ſocios conantur, ſed omnibus ſociis contradicentibus ab incepto deſiſtunt. Hippias igitur in Aſiam ad Artaphernem abiit, impetratque, ut Athenienſibus à *Dario* mandetur, ut Hippiam in regnum recipiant, niſi bello ad id velint cogi. *Herod. lib. 5.*

Annus Nabonoſſ. 248. incipit die 26. Decemb. fer. 6.

ANNO MUNDI 3450. ante C.N. 498.
D. ☉ 14. ☽ 15.

Annus Darii *Perſarum regis viceſimus primus.*
Annus ab urbe condita 253.

Præneſte *urbs à Latinis ad Romanos deſciſcit.* Liv.

Romæ circa diem 14. Maji, Calendarii Iuliani ineunt Magiſtratum:

Coſſ. Poſtumus Cominius
Aruncus.
T. Lartius Flavus.

Latini populi à Romanis, concitante Mamilio Tarquinii genero deſciſcunt, & concilium Ferentinum cogunt, ibique de bello Romanis inferendo conſilia agitant. Dionyſ. Liv.

Conjuratum etiam eſt hoc anno à ſervis Romanis de Roma incendenda, & arcibus occupandis: Comprehenſi in crucem acti ſunt. Dionyſ.

Athenienſes bellum ſibi metuentes à Perſis, *Ariſtagoræ*, in Aſia *Dario* rebellanti, ut Perſas in Aſia contineant, auxilia mittunt viginti naves, quibus adjutus *Ariſtagoras*, Sardes urbem invadit, capit & cremat. Non tamē impune hoc feciſſet, niſi celeriter cum ſuis ſe ad naves recepiſſet. Athenienſes cùm Perſas bello implicuiſſent, domum redeunt. *Herod. lib. 5.*

Ariſtagoras bellum ulterius perſequitur, & Byzantium, & cæteras urbes in ſuam poteſtatem redigit, ſociosque ſibi adſciſcit Cariæ partem, & Cyprios. *Ibid.*

Olympias LXX. acta die 1. Aug. fer. 7. Eſt annus Olympiadicus. 277.

Stadium vicit *Micias* Opuntinus. Rhedarum certamen cæteris additum, quo vicit *Therſias* Theſſalus. *Pauſ.*

Archon Athenienſis *Myrus.*

Anaxagoras Clazomenius Philoſophus naſcitur. *Diogen.*

Annus ſabbathicus 3. Jobelei viceſimi, incipit die 14. Sept. fer. 2. Anno Jud. 3262.

ANNO MUNDI 3451. ante C. N. 497.
C. ☉ 15. ☽ 16.

Romæ circa diem 29. Maji, Juliani, ineunt Magiſtratum.

Coſſ. Serv. Sulpitius Camerinus.
Man. Tullius Longus.

Fidenates, autoribus Tarquiniis, à Romanis deſciſcunt, contra quos alter Conſ. Tullius cum exercitu mittitur, qui Fidenas obſidet. Interim dum Tarquinius univerſum Latinum populum ad bellum concitare non poteſt, mittit cum pecunia quoſdam Romam, qui egenis civibus eam diſtribuant, & ad ſeditionem eos concitent. Fit igitur ingens conjuratio, qua detecta, Conſul Sulpitius per indices conjurationis curat conjuratos illos in forum noctu convenire ad rem aggrediendam, ſed ipſe accito alter conſule cum exercitu, eos ibi deprehenſos, ne teſtibus & indiciis indigeret, juſſit à militibus ibi trucidari. Supplicatio propter hanc rem in triduum indicta. Conſul Tullius illicè curru præcipitatus, tertio die moritur, & cùm eſſet in fine anni, nemo ei ſubrogatur. Dionyſ. lib. 6.

Darius, ubi audivit Sardes crematâs, adeò excanduit, ut quendam conſtitueret, qui ſibi, quotieſcunque cibum caperet, in memoriam revocaret Sardium cladem, ab Athenienſibus allatam. Mittit igitur *Hiſtiæum*, quem ignorat conſpiraſſe cum Jonibus, & autorem illius rebellionis eſſe: Interim Phœnices cum ducibus Perſicis Cyprum invadunt, eamque iterum ſubigunt, cùm annuo ſpatio libera fuiſſet. *Herod. l. 5.*

ANNO MUNDI 3452. ante C.N. 496.
B. ☉ 16. ☽ 17.

Romæ circa diem 24. Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Veturius Geminus.
T. Abutius Helva.

Fidenæ iterum à Romanis obſidentur, quibus auxilio venit Sextus *Tarquinius, & commeatum importat; quo facto Fidenates in prælium deſcendere audent, in quo turpiter vincuntur, & arctius obſidentur.* Dionyſ. l. 6.

Tarquinius, *ut cladem regereret*, Signiam *Coloniam Romanorum obſidet; coloni Latinos irruentes fortiter ſuſtinent, & cum commeatu à Romanis adjuti eſſent, hoſtes repellunt.* Ibid.

Duces Darii in Ioniā, ad comprimendam ſeditionem miſſi, bellum ad ſingulas urbes circumferunt, easque recipiunt. *Herod. l. 5.*

Viceſima tertia Pythiade acceſſit armatorum curſus, de quo lauream reportavit *Timænetus Phliaſius.*

 poſt-

poſtquam Olympiadibus quinque vicerat *Damaratus* Heræenſis. *Pauſ.*

ANNO MUNDI 3453. *Ante C.N.* 495.
AG. ☉ 17. ☽ 18.

Romæ circa diem 29. Maji Juliani ineunt Magiſtratum.

Coſſ. T. Lartius Flavus II.
Q. Cloelius *Siculus.*

Lartius *Coſ. ad debellandos Fidenates cum exercitu proficiſcitur, qui fame coacti ſe dedunt, ex quibus defectionis autores ſecuri percutiuntur: Reliquis dimidium agri adimitur. Latini populi, ſe cunctatione ſua prodidiſſe Fidenates, arbitrati, conſpirant de bello, Romanis inferendo, & Roma excindenda: Roma contra, dum ſe ad bellum præparant, egeni ex plebe ob graviſſimas uſuras detrectant militiam, quas remittendas cenſet Valerius Poplicola; exigendas verò, & nihil remittendum Appius. Cùm convenire non poſſent,* Dictator *primus Romæ creatur* T. Lartius Flavus *Conſul, qui magiſtratum equitum ſibi ſumit Sp. Caſſium Viſcellinum, idque fit ſeditionis ſedandæ, & rei etiam gerendæ cauſa. Fuit hæc poteſtas Dictatoris longè maxima. Nam & omnia ſuo arbitratu agebat, & ab ipſo nulla tum erat provocatio. Hac poteſtate tamen, ſi quis abuſus eſſet, non impunè ferebat. Multi enim Dictatores, quando magiſtratu abierunt, damnati ſunt.* Dionyſ.

Duces Darii, recepta Jonia, in Cariam movent; eosque prælio vincunt, in quo decem millia ceciderunt. *Ariſtagoras* à Darii ducibus in anguſtias coactus, Aſia excedit cum voluntariis, & in Thraciam migrat. *Herod. lib. 5.* ubi *Amphipolin* urbem coloniis frequentare aggreſſus eſt, ſed inde ejicitur ab Edonibus. *Thucyd. l. 3.*

Dictator Romæ cum magiſtratu equitum cenſum agit, cenſa fuerunt civium Romanorum 150700. *poſtea cum populatores quoſdam Latinos cepiſſet, eos humaniter dimiſit, unde factum, ut annuæ induciæ inter Latinos & Romanos fierent.* Dionyſ.

Annus Nabonaſſarii 252. incipit die 25. Decemb. feria tertia.

ANNO MUNDI 3454. ante C. N. 494.
F. ☉ 18. ☽ 19.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis 25.
Annus ab urbe condita 257.

Romæ Magiſtratum ineunt circa 3. Iunii Iuliani.

Coſſ. A. Sempronius Atratinus.
M. Minutius Augurinus.

Darii Duces claſſem Jonum vincunt, & poſteà *Miletum* expugnant, ſexto anno, poſtquam autore Ariſtagora rebellarant; *Hiſtiæus* autor rebellionis, acceptis quibusdam navibus, Helleſpontum vaſtat, & Chium atque alias inſulas; ſed tandem prælio cum Perſis congreſſus, vivus capitur, & in crucem agitur, *Herod. l. 6.*

Olympias LXXI. acta die 17. Aug. fer. 7. Eſt annus Olympiad. 281.

Stadium vicit *Tiſicrates* Crotoniata. Admiſſum eſt hiſce olympicis ludis certamen, quod Calpe vocabatur, in quo, ſub extremam curſus metam, ex equabus deſilientes ſeſſores, prehenſo ſuæ cuilibet, equæ freno, cum equabus decurrebant. Sed id certamen cum Rheda, olympiade 84. abrogatum eſt. *Pauſ.*

Æſchilus Tragœdiarum ſcriptor floret, in pugna Marathonia fortiſſimè contra Perſas pugnavit, & Tragœdiam Perſam non multo poſt fugam *Xerxeis* exhibuit, moritur cum eſſet annorum 65. anno primo Olymp. 78.

Archon apud Athenienſes *Hipparchus.*

ANNO MUNDI 3455. ante C.N. 493.
E. ☉ 19. ☽ 1.

Cùm bellum cum Latinis populis inſtaret, & connubia hactenus inter Latinos & Romanos mutua fuiſſent, Senatus conſulto conceſſum eſt, ut ob inſtans bellum Romanis & Latinis fœminis liberum eſſet, quam vellent partem ſequi: quo Senatus conſulto fœminæ, quæ ad Latinos enupſerant, omnes Romam redierunt. Quæ verò Latinarum apud Romanos nupſerant, Romæ manſerunt, exceptis duabus, quæ ad Latinos redierunt. Dionyſ. lib. 6.

Romæ magiſtratum ineunt circa octavum Junii Juliani.

Coſſ. A. Poſtumius Albus.
T. Virginius Tricoſtus, *Cælimontanus.*

Cùm egrederentur Latini contra Romanos, alter Conſul Virginius *Collegam* A. Poſtumium F. Album, *qui in hoc honore Regillenſis dictus eſt, Dictatorem dicit rei gerendæ cauſa, qui* T. Æbutium Helvam *magiſtratum equitum dicit. Hiſce ducibus pugnatum eſt cum Latinis, ad Regillum lacum, difficillimo prælio, Idib. Quintilib. quæ hoc anno incidunt in diem 24. Octob. Duces hoſtium fuerunt Tarquinius & Octavius Mamilius. Pugnaveruntque tanta contentione, ut nemo procerum, ducumve, præter Dictatorem, ſine vulnere ex acie excederet: Victoria penes Romanos fuit, Latinorum in prælio ceciderunt aut capti ſunt triginta millia: Latinis pax data, & ſocietas cum eis renovata, & de iis triumphatum.* Dionyſ. l. 6. Liv. 2.

Claſſis Perſarum, poſtquam circa Miletum hybernaſſet, altero à profectione anno inſulas capit, *Chium, Lesbum, Tenedum,* & homines quidem captivos abducunt, urbes autem cum templis exurunt. *Herod. l. 6.*

Hellanicus Hiſtoriographus naſcitur hoc anno, In initio enim belli Peloponneſiaci erat annorum 56. *teſte Gellio, æqualis fuit Herodoto.*

Archon Athenienſium *Philippus.*

Sophocles, ut habet vetus criticus, naſcitur hoc prætore.

Pindarus

Pindarus Poeta claret. Ante triennium enim epinicion ſcripſerat *Hippocle*, victori Pythiados viceſimæ ſecundæ. Valde ſenex factus eſt; nam & pugnæ ad Salaminem meminit, & Strepſiadæ etiam in bello Peloponneſiaco, poſt annos ſexaginta quinque interfecti. *Pind. in ſept. Iſthmico. Scal.*

Ædes Saturno dedicata hiſce Coſſ. ut Livius habet, & Saturnalia *feſtus dies inſtitutus.*

ANNO MUNDI 3456. ante C. N. 492.
D. ☉ 20. ☽ 2.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 13. Iunii Juliani:

Coſſ. Ap. Claudius M. F. Sabinus.
P. Servilius *P.* F. Priſcus.

Latinis populis, quòd ſeſe à Volſcis bellum Romanis facientibus ſecreverant; conſiliaque belli Romanis revelaverant, ſex millia captivorum redduntur, quæ res adeò grata fuit Latino populo, ut aurea corona populum Romanum donarent, Liv. lib. 2.

Propter æs alienum maxima Romæ oritur ſeditio, cui ſedandæ nullam viam inire poterant, cùm Coſſ. ipſi inter ſe diſſentirent. Hanc occaſionem captantes Volſci, in Romanum agrum irruunt. Senatus in anguſtias redactus, aliquantum remittit de ſeveritate, & Servilius Conſul propoſito edicto, ne quis debitum militiæ tempore exigeret, milites contra Volſcos educit & eos vincit, caſtra etiam & Pometiam urbem capit, prædamque egentis militi concedit. Liv. l. 2.

Arunci *etiam Romanos bello laceſſunt, ſed uno prælio, difficili tamen, ita ut equites ad pedites deſcendere cogerentur, vincuntur.* Dionyſ. l. 6.

Xenocrates Acragantinus vincit viceſimam quartam Pythiada equis, *Schol. Pind.*

Mardonius Gobriæ filius mittitur à Dario Dux contra Iones, qui popularum in urbibus ſtatum conſtituit, & per Helleſpontum exercitum Athenas verſus ducit. Claſſis verò ad Athon montem tempeſtate fœdè affligitur, ita ut trecentæ perierint naves, & virorum viginti millia. Ipſe etiam in Thracia inſidiis Thracum excipitur, ideò re malè geſta redit in Aſiam. *Herod. l. 6.*

Tarquinius *rex exul moritur* Cumis, *apud Ariſtodemum Tyrannum, quo ſe contulerat poſt fractas Latinorum opes, in ſumma miſeria.* Livius.

ANNO MUNDI 3457. ante C. N. 491.
CB. ☉ 21. ☽ 3.

Romæ circà diem 18. Junii Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. A. Virgin. Tricoſtus Cœlim.
T. Veturius Geminus.

Sabini *Romanis bellum inferunt; quibus ſe jungunt Medullini. Plebs Romana nomina in militiam dare recuſat, propter uſuras: quapropter Dictator dicitur M.* Valerius M. F. Poplicola. *Is profectus ad hoſtes, eos vincit, fugat, & caſtra eorum capit, Velitras quoque quo ſe contulerant hoſtes, expugnat. Dictator triumphat, & cùm nihil de remittenda uſura obtineret, ſe dictatura abdicat.* Liv.

Plebs Romana, cùm iterum in hoſtes educeretur, quod coacta faciebat, cùm ſacramento militari adhuc teneretur, ſecedit Sicinio autore in ſacrum montem. Factum hoc poſt æquinoctium autumnale, ſub ſementis initium, manſeruntque ibidem per totam hyemem. Dionyſ. l. 6.

Darius Perſarum rex, *Thaſiorum* muros dirui jubet, & legatos mittit in Græciam, terram & aquam petituros, id quod ſpecies quædam erat obedientiæ & ſubjectionis. Dederunt multi in Græcia in continente, Inſulani etiam plerique, imprimis tamen *Æginetæ*, odio Athenienſium. Spartani, ob id Æginetis infenſi, autores deditionis tradi jubent: Id impedit *Demaratus* Spartanorum rex. Cleomenes contrà, rex Spartanorum ex altera familia, qui alterius erat ſententiæ, demonſtrat Demaratum non eſſe regem natum, quapropter regno deponitur, & præfecturam accipit, quam faſtidiens ad Darium abit, à quo benigne ſuſcipitur. Succedit ipſi in regno *LeoTychides*, qui regnat annos 22. *Herod. l. 6.*

Archon Athenienſium *Themiſtocles.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei viceſimi, incipit die 27. Septemb. fer. 3. anno Jud. 3269.

Annus Nabonaſſari 256. *incipit die 24. Septembr. fer. 7.*

ANNO MUNDI 3458. ante C. N. 490.
A. ☉ 22. ☽ 4.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis 31.
Annus ab urbe condita 261.

Dionyſ. l. 6. *refert, in tantis Romæ tumultibus, Coſſ. maturius ſolito magiſtratum iniiſſe, in magna ſolitudine, cum plebs abeſſet: & quidem id factum eſſe Calend. Septemb. quæ ad noſtram rationem hoc anno inciderunt in diem 22. Decembris, finientis anni ſuperioris, in Calendario Iuliano, qui dies planè quadrat ad hanc hiſtoriam. Facti igitur ſunt eo die.*

Coſſ. Poſtumus Comin. Auruncus II.
Sp. Caſſius Viſcellinus II.

Senatus poſt diuturnas conſultationes de jure ſuo aliquid remittit, & Agrippa Menenius *ad plebem mittitur, qui recitato Apologo de conſpiratione membrorum corporis adverſus ventrem, eam Senatui reconciliavit: conceſſum plebi, ut ſuum haberet magiſtratum; qui ſacroſanctus eſſet, cui auxilii latio eſſet adverſus Coſſ. & ita concordia inita poſt ſex menſes ferè à ſeceſſione.* Tribuni plebis *creati ad Calendarium Romanum die 10. Decemb. qui poſtea etiam ſolennis manſit, qui hoc anno incidit in diem 4. Aprilis Iuliani* Dionyſ. Liv.

Coſſ. Q. Sulpitius Camerinus.
Sp. Lartius Flavus II.

Ludi Iovis Olympii Romæ magnificè inſtaurantur, quod in prioribus, quidam ante inchoatos ludos, ſervum ſuum ſub furca caſum, per Circum egerat, & locum profanaverat. Id Iupiter cuidam Latino, *ut Conſulibus indicaret, in ſomnis ſignificavat. Latinus hic, cùm cunctaretur, ne fortaſſis ludibrio haberetur, filio ſuo ſubito extincto ſpoliatur. Iterum juſſus ſomnium hoc ad Magiſtratus deferre, adhuc cunctatur, ſed hac de cauſa in graviſſimum morbum incidit: quapropter amicorum conſilio uſus, in lectica ad conſules in ſenatum defertur; ibi cum rem expoſuiſſet, ſanitati ſubitò reſtitutus, domum redit. Ad hoſce igitur ludos Volſci ſpectatum profecti, à magiſtratu Romano per fraudem eò inducto, urbe exire jubentur; qua injuria moti, Romanis Duce Coriolano bellum faciunt.* Dionyſ. lib. 7.

Panyaſis Po ta floret. *Suidas.*

Annus Nabonaſſaris 206. incipit die 23. Decembr. feria 4.

ANNO MUNDI 3462. ante C. N. 486.
C. ☉ 26. ☽ 8.

Annus Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis 35.

Annus ab urbe condita 265.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 9. Januarii Juliani.

Coſſ. C. Julius Julus.
P. Pinarius Rufus *Mamerc.*

Martius *Coriolanus Volſcos excitat ad bellum; & eos prædatum educit in agrum Romanum, & magnas prædas inultus agit. Inde Circejos oppidum petit, idque deditione capit. Romani hoc bello in anguſtias redacti, cùm exercitum educere non auderent, Latinis populis concedunt, ut ſeipſos exercitu ſuo defendant. Factum paulò ante comitia.* Dionyſ. lib. 8.

Olympias LXXIII. acta die 18. Auguſt. fer. 4. eſt annus Olympiad. 289.

Stadium vicit *Aſtylus* Crotoniata. *Gelo* autem Tyrannus Syracuſanus vicit quadrigis, & ob id tripodem aureum dedicat. *Pauſan.*

Archon Athenienſis *Anchiſes.*

Chionides Poeta Comicus in Comœdia antiqua floret.

Dinolochus Syracuſanus, filius *Epicharmi*, vel ut quidam volunt, diſcipulus, floret. Edidit Comœdias quatuordecim, dialecto Dorica. *Scal.*

Qua ta anno poſt Marathoniam cladem, Ægyptii à Perſis deficiunt. Darius igitur utroſque, & Athenienſes & Ægyptios bello petendos decernit, interim tamen inter liberos ſuos de ſucceſſione oritur contentio, præcipuè inter Artabazanen primogenitum Darii, ſed tamen natum parente adhuc privato: & inter Xerxem, qui primogenitus erat ex parente rege, & matre *Atoſſa*, filia Cyri, qui declaratur rex. *Herod. l.* 7.

ANNO MUNDI 3463. ante C. N. 485.
B. ☉ 27. ☽ 9.

Romæ circa diem 14. Ian. Iuliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. Sp. Nautius Rutilus.
Sext. Fur. Medullinus Fiſcellinus.

Æqui à Romanis deficiunt ad Volſcos, & auxilia ipſis mittunt. Ideò Coriolanus *iterum prædatum in agrum Romanum abit, & ingenti præda potitur, ob quam rem publicæ feriæ apud Volſcos indicuntur. Poſtea Tolerinos aggreditur, obſeſſos expugnat, Coriolos item & Bovillas. Lavicanos verò, Pedanos & Corbionem deditione accipit. Contra à Bolanis quos obſidebat, cùm eruptione pugnarent, vincitur. Inde cum fruſtra Lavinium obſideret, Romam verſus exercitum ducit, ubi ad ipſum Romani de pace legatos mittunt, quibus dat inducias triginta dierum, interea Longulas capit, & Romam redit, ubi à matre perſuadetur, ut faciat inducias annuas. Dum autem exercitum domum reducit, malè accipitur à Volſcis, & in Comitiis lapidibus obruitur, ab iis, quibus ingentia beneficia contulerat.* Dionyſ. l. 8.

Volſci & Æqui ruptis induciis cum magno exercitu in agrum Romanum prædatum abeunt, quibus Conſules obviam procedunt, ſed diſſenſione orta inter Volſcos & Æquos, uter populus Ducem *daret, rem ad prælium deducunt, & cum mutuis cladibus ſe confeciſſent, domum redeunt. Conſules fortuna non minus rectè uſi, exercitum reducunt.* Dionyſ. l. 8.

ANNO MUNDI 3464. *Ante C. N.* 484.
A. ☉ 28. ☽ 10.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 19. Ian. Iuliani:

Coſſ. T. Sicinius Sabinus.
C. Aquilius Tuſcus.

Aquilius *Coſ. Hernicis, quòd agrum Romanum vaſtaſſent, bellum infert, & prælio cum eis congreſſus difficilimo, tandem vincit, & cùm ſequenti die hoſtes aufugiſſent, caſtra eorum capit. Ovatio ipſi decreta, non triumphus, quod multos milites amiſiſſet. Alter Conſul contra hoſtes Volſcos profectus, eos accipit in patenti campo, ubi eos prælio diuturno vincit, & caſtris exuit, ex hoſtibus cecidit etiam* Accius Tullius *qui autor fuerat, ut Coriolanus lapidibus obrueretur. Conſuli huic triumphus decretus.* Dionyſ. l. 8.

Darius Perſarum rex, cùm rebus omnibus apparatis contra Ægyptios proficiſci vellet, moritur cùm annis 36. imperio feliciter præfuiſſet. Succedit filius *Xerxes*, qui regnat annos 21. *Herodot. lib.* 7. In ſacris literis hic appellatur *Ahaſverus.*

Annus ſabbathicus 5. Jobelei 20. incipit die 12. Sept. fer. 2. Anno Jud. 3276.

Theſſa

Theſſali paulò ante adventum *Xerxis* in Græciam cum Phocenſibus bellum gerunt., & ex manubiis Phocenſium donum in Olympiis dedicant. *Pauſ. in Eliacis.*

ANNO MUNDI 3465. ante C.N. 483.
GF. ☉ 1. ☽ 11.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 24. Ianuarii Iuliani:

Coſſ. Proculus Virginius Tricoſtus,
Sp. Caſſius Viſcellinus III.

Ambo Coſſ. diverſis exercitibus in hoſticum, in Æquos, Hernicos & Volſcos profecti, eorum agros vaſtant. Cumque apud Hernicos nulla eſſet reſiſtendi facultas, ſe populo Romano dedunt, & in amicitiam à Caſſio *recipiuntur, qui ob id triumphat Calendis Iunii Romani, quæ incidunt in Calendario Iuliano in diem ferè 28. Octob. Sed hiſce honoribus elatus Conſul, de diviſione agrorum publicorum tàm civibus, quàm ſociis Hernicis & Latinis fert* Legem Agrariam, *quæ nunquam,* ut Liv. habet, *ſine maximis Reip. motibus agitata eſt, ſed diſſuadet eam Conſul alter Virginius, & totus ſenatus: & res in ſequentem annum differtur.* Dionyſ. lib. 8.

Xerxes, cùm ſecundus à morte Darii annus ageretur, bellum Ægyptiacum ſuſcipit, & inſtaurationem politiæ Judaicæ, quod Iudæi, Ægyptiis vicini eſſent, & de fide ſuſpecti, prohibet, Eſræ, 4.

Phocenſes reparato exercitu, ut cladem à Theſſalis illatam ulciſcerentur, in ſumma deſperatione fortiſſimum Theſſalorum exercitum vincunt. *Pauſ. in Phocicis.*

Annus Nabonaſſ. 264. incipit die 12. Decemb. fer. 1.

ANNO MUNDI 3466. ante C.N. 482.
E. ☉ 2. ☽ 12.
Annus Xerxis Perſarum regis tertius.
Annus ab urbe condita 269.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 29. Ian. Iuliani:

Coſſ. Q. Fabius Vibulanus,
Ser. Cornelius Coſſus.

Quæſtores Romæ hoc anno primum creati à populo, qui Conſules in militiam proficiſcentes comitarentur, ut habent Liv. & Dionyſ. *Fuerunt autem* Cæſo Fabius, & L. Valerius.

Sp. Caſſius, *cùm res de dividendis agris non procederet, de tyrannide invidenda conſilia agitat; quapropter ad populum affectati regni à Quæſtoribus accuſatus, convictus & damnatus, de Saxo Tarpejo dejicitur.* Dionyſ. Liv.

Fabius *Coſ. in Æquos & Volſcos, alter Conſ. in Vejentes hoſtes exercitum educit; nullibi hoſtes inventi, & præda magna parte, quæ in ærarium relata, milites offenſi ſunt.* Ibid.

Olympias LXXIV. acta die 4. Auguſt. fer. 2. eſt annus Olympiad. 293.

Stadium vicit *Aſtyllus* Syracuſanus. In longiore verò curriculo *Sotades* Cretenſis. *Pauſan.*

Archon Athenienſis *Leoſtratus* Dionyſ.

Herodotum in initio belli Peloponneſiaci annorum 53. fuiſſe, affirmat Pamphila apud Gellium. Ergo natus eſt hoc anno, & cùm prælegeret ſuas hiſtorias, erat annorum 38.

Protagoras, qui primus appellatus eſt *Sophiſta*, floret ejus libros propter impietatem Athenienſes decreto publico combuſſerunt. *Dionyſ. Laert.*

Xerxes Ægyptios devictos in arctiorem ſervitutem redigit, & fratri *Achæmeni* regendos tradit, quem poſt aliquot annos interfecit *Inarus* Pſammetichi filius. Xerxes inde ingentes copias contrahit contra Athenienſes & Græcos. Sapientiſſimè autem deliberat primùm de bello Græcis inferendo. *Herod. l. 7.*

Xerxes convivium illud longè celeberrimum agit, de quo in lib. Eſth. *cap.* 1.

ANNO MUNDI 3467. ante C.N. 481.
D. ☉ 3. ☽ 13.

Romæ Magiſtratum ineunt circa 3. Febr. Iuliani.

Coſſ. Cæſo Fabius Vibulanus.
L. Æmilius Mamercinus.

Volſci exercitum contra Hernicos, & Latinos ducunt. Romani auxilia Latinis mittunt per Fabium, & alterum exercitum Æmilius in Volſcos ad Antium ducit, ibique acie cum eis dimicat, ubi ſimulata Volſcorum fuga in inſidias prolapſus vincitur, & ſuos noctis ſilentio abducit in collem, quem hoſtes arctiſſimè obſident, & omnem commeatum intercludunt, & Conſulem tandem ad deditionem coegiſſent, niſi alter Conſul Fabius fortiſſimas cohortes Collegæ auxilio miſiſſet, quibus confiſus, Volſcos caſtra oppugnantes fundit, eorumque agros vaſtat. Dionyſ. lib. 8.

Ariſtides Oſtraciſmo Athenis ejicitur; ingruente autem bello Perſico, poſt annum tertium, ne ad Perſas deficeret, revocatur.

Oſtraciſmus autem nec pœna, nec ignominia præſe erat, ſed tantum potentiores cives, ne tyrannidem invaderent, removebantur à Republ. qui extra urbem erant: bonis tamen ſuis fruebantur.

Choerilus Poeta floret, qui bellum *Xerxis* Epico carmine conſcripſit: ejus verſus citat Joſephus contra Appionem, & magnopere laudatur, quapropter Horatius Poeta, qui illum deridet, minùs commodè judicaſſe videtur. *Scal.*

Archon apud Athenienſes *Nicodemus* Dionyſ.

Thero tyrannus Acragantinis dominatur. *Euſeb.*

Xerxes, Athon montem perfodit, præpoſito *Bubare* Megabyzi filio: Perfodit autem Iſthmum, & montem illum cum aliquot urbibus à continenti terra abſcindit, & inſulam facit. *Herod. l. 7.*

ANNO MUNDI 3468. ante C. N. 480.
C ☉. 4. ☽ 14.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 8. Febr. Iuliani:

Coſſ.

Coſſ. M. Fabius Vibulanus.
L. Valerius Potitus Voluſus.

Tribuni plebis impediunt delectum. Conſules autem exercitum extra urbem educunt, ibique ubi Tribunorum nulla poteſtas erat, delectum habent, & ad nomina non reſpondentes acerbè mulctant, & tandem delectum conficiunt. Poſtea Valerius Conſul adverſus Volſcos ducit, & difficili pugna cum iis contendit, æquo tamen ferè marte, quòd belli non ſatis eſſet peritus Dionyſ. l. 8.

Oppia *virgo Veſtalis, ſtupri rea, viva defoditur,* ut Livius habet. *Hanc Dionyſius Opimiam: Oroſius Popillam nominat. Stupri convicti publicè ſunt verberati, & necati.* Dionyſ. l. 8.

Græci de apparatu bellico Perſarum certiores facti, de auxiliis circumſpiciunt in tota Græcia. Legatos etiam mittunt ad *Gelonem* regem Syracuſanum, qui auxilia non denegat, ſi ſe duce bellum gerere velint. Sed Græci reſpondent, ſe non duce, ſed exercitu indigere, atque ita ipſius conditiones repudiant. *Xerxes* tamen veritus, ne auxilia mitterentur, adhortatur Carthaginenſes, ut dum ipſe Græciam invadit, in Siciliam irruere velint; quod Carthaginenſes etiam faciunt, & ingentem claſſem comparant. *Diod. Sicul. lib. XI.*

Eſther in thalamum regis *Xerxis* recipitur, menſe 10. ſive menſe Thebet, qui incipit die 24. Decembr. feria 6. *Eſther* 2. v. 16. ineunte anno 7. regni Xerxis.

ANNO MUNDI 3469. ante C. N. 479.
BA. ☉ 5. ☽ 15.

Cum Comitia Romæ inſtarent, Tribuni plebis ea impediunt, ita ut res ad interregnum rediret, & Reſpubl. ſine Magiſtratibus curulibus eſſet. Creati tandem ſunt per interregem, circa initium Martii.

Coſſ. Q. Fabius Vibulanus II.
C. Julius Julus.

Æqui in Latinorum agros irruptionem faciunt, abiguntque pecora, item Vejentes deprædantur Romanum agrum: quapropter Coſſ. exercitum in Vejentes ducunt, & cùm nemo hoſtium obviam exire auderet, præda divitem exercitum reducunt Dionyſ. l. 8.

Xerxes iter Sardes verſus inſtituit, ubi ad Pythium hominem ditiſſimum in Phrygia divertit, qui omnem ſuam pecuniam Xerxi offerebat, quam tamen nequaquam accepit; ſed Pythio potius pecuniam auxit. Sardibus autem hybernans. Helleſpontum ponte conjungi imperat, longitudine ſtadiorum ſeptem, quem perfectum ingens tempeſtas disjecit, quare indignatus *Xerxes* Helleſponto, trecenta verbera ei juſſit infligi, & compedes ipſi iniici, architectis verò capita præcidi. Alii igitur architecti conducti ſunt, qui navibus Helleſpontum ſtraverunt ſeptingentis, easque validis anchoris jactis firmaverunt. *Herod. lib. 7.*

Annus Nabonaſſaris 268. incipit die 21. Decemb. fer. 5.

ANNO MUNDI 3470. Ante C. N. 478.
G. ☉ 6. ☽ 16.

Annus Xerxis Perſarum regis ſeptimus poſt parentem defunctum.

Annus ab urbe condita 273.

Romæ circa diem 18. Febr. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cæſo Fabius II.
Sp. Furius Fuſus.

Xerxe movente Sardibus primo vere Eclipſin Solis accidiſſe ab omnibus Chronologis affirmatur. Sed Herodotus, ex quo illud hauſerunt, nullam naturalem Eclipſin ibi definit, nec etiam tabulæ aſtronomicæ ullam hiſce menſibus eclipſin Solis exhibent. Verba Herodoti ſunt: *Xerxi moventi Abydum verſus, Sol ſuam in cœlo ſedem relinquens, apparere deſiit, cum nulla nubes eſſent, ſed sereniſſimus aer, & pro die nox extitit. Percontatus igitur Magos, quidnam oſtentum portenderet, &c.* Sol, inquit, ſereniſſimo aere factus eſt ἀφανὴς, hoc eſt, diſparuit & reliquit ſedem ſuam, ſive nusquam comparuit. Jam verò in omni Eclipſi Sol paulatim obſcuratur, & ſemper ubi ſit, comparet. Ergò non facta eſt Eclipſis, ſed fuit φαινόμενον quoddam, ſive φάσμα, ut loquitur Herodotus, quo Sol ſubitò diſparuit. Nec Herodotus cœleſtium rerum adeò imperitus fuit, ut eclipſin Solis deſcribere non poſſet. Scribit enim hoc ipſo anno eclipſin Solis factum in autumno, cùm rex Spartanorum Cleombrutus ad Iſthmum ſacrificaret. Sic etiam aliam deſcribit, quam habuimus ſuperius, in bello Lydorum cum Cyaxare. Et Aſtronomi aliàs ſciunt, in eodem Climate, in uno eodemque anno geminas eclipſes Solis magnas accidere non poſſe. Cùm igitur ea, quæ in autumno accidit, rectè demonſtretur, ergò in vere nulla potuit iisdem terræ locis contingere. Buntingus, ut ſolet, hic gemini erroris Herodotum arguit; primum, quòd hoc anno in vere factam Eclipſin aſſerat, cùm tamen Buntingus toto hoc anno nullam Eclipſin invenire potuerit: Et deinde, quòd totum Solem obſcuratum Herodotus affirmet, cùm tamen Eclipſis fuerit tantùm duorum digitorum, & præcedenti anno acciderit. Sed ipſe inſigniter errat. Nam & hoc anno facta eſt magna eclipſis Solis, ut habebimus, & quæ præcedenti anno facta fuit, nullius fuit momenti, nec videri, nec obſervari potuit cœlo ſereno, neque eſt ab Herodoto annotata.

Xerxes priusquam in Europam per Helleſpontum tranſiit, integrum menſem conſumſit, & in Thracia exercitum recenſuit hoc modo: Decem millia hominum primùm numeravit, iisque arctè ſtantibus, cancellos & ſepem circumduxit, hiſce exeuntibus alios incluſit, atque itidem alios, atque ita compendium fecit odioſæ numerationis. Fuerunt autem pedites, vicies ter centena millia, & præterea, decem & ſeptem millia; Equitum verò octoginta millia. Hi ſi ſervitia addantur, ſecundum computationem Herodoti, item mulieres, & Eunuchi, qui egerunt currus, jumenta ſarcinaria, & alia impedimenta, numerus erit duplo major. Inde ab Helleſponto, donec ad Thermopylas venit, conſumſit tres menſes. Claſſis interea ingenti tempeſtate conflictata eſt, perierunt quadringentæ naves, cum plurimis militibus, & divitiis, ad Magneſiam, ubi in ſtatione erant. Menſe Auguſto, cùm Græci reliqui in ludis Olympicis agendis occupati eſſent,

& Spar-

& Spartani Carnia celebraſſent, *Leonidam* regem ad Thermopylas cuſtodiendas mittunt. *Herodot. l. 7.*

Olympias 75. acta die 20. Auguſt. fer. 2. Eſt annus Olympiadicus 297. Stadium vicit *Aſychos* Syracuſanus. Hac Olympiade Hellanodicæ novem conſtituti ſunt, *ut Pauſanias habet in Eliacis.*

Archon apud Athenienſes *Callias*. Hoc archonte naſcitur *Euripides*. Diog. Laert.

Charon Lamſacenus hiſtoricus floret. *Euſeb.*

Icilius *Tribunus plebis vehementer urget diviſionem agrorum*, Appius *Claudius ſuadet, ut Senatus Tribunos plebis, Collegas Icilii de interceſſione ſollicitet, quod & factum eſt: atq; ita Icilius propoſito abſtinere coactus eſt.* Dionyſ. l. 9.

Furius *Conſul in Æquos ducit, omnia ipſi proſpere cadunt, multum prædæ, & captivorum captum eſt, quod totum ceſſit militi.* Fabius *contrà impeditur apud Hetruſcos inobedientia militum: Fudit quidem hoſtium copias ſolo equitatu; ſed pedites invidentes hanc victoriam Duci, victoriam perſequuntur; ſed injuſſi in caſtra redeunt, & inde domum* Liv. l. 2. Dionyſ. l. 9.

Ad Thermopylas toto triduo pugnatur inſigni clade Perſarum, nec expugnari potuiſſent, niſi *Epialtes* quidam proditor Perſis tramitem oſtendiſſet per montes eundi, quo Spartani circumventi ſunt. Leonidas tamen rex, reliquis Græcis dimiſſis, cum trecentis Spartanis in caſtra Perſarum irruit, & cum ingentem cædem in caſtris feciſſet, cum omnibus ſuis cæſus eſt. Perierunt Perſarum maximè ſtrenui ad viginti millia. Adſcriptum fuit Spartanis hoc Epitaphium:

Dic, Hoſpes, Spartæ, te nos vidiſſe jacentes,
Dum Patriæ ſanctis legibus obſequimur.

Proditor ille Epialtes poſtea proſcriptus, & interfectus eſt. *Herod. l. 7.* Iſdem diebus claſſe pugnatur ad Artemiſium, toto triduo, æquo quidem marte; victoria tamen ad Græcos inclinante. Tertio enim die poſt pugnam, cùm Curſores Græci nunciaſſent Leonidam cæſum ad Thermopylas, claſſis Græcorum metuens Græciæ, retrò ad *Salaminem* abit, qua Athenienſes adjuti, urbem relinquunt, & imbellem turbam liberorum, & uxores in alias urbes, maximè tamen in Salaminem tranſportant. *Herodot. l. 8.*

Amilcar Carthaginenſium Dux invadit Siculos, ducentis navibus, & trecentis millibus militum, quem *Gelo* rex Syracuſanorum inſigni ſtrategemate vincit, dum ſuos equites, pro equitibus Siculorum, qui ad Carthaginenſes defecerant, mittit, qui Carthaginenſes caſtris exuunt. Ipſe paulò poſt hoſtium claſſem exurit, totumque exercitum hoſtium ferè ad internecionem trucidat, reliqui fugientes in mari perierunt; ita ut vix nuncius cladis domum reverteretur. Pugnatum ferè iiſdem diebus, quibus ad Thermopylas. Græci enim de utraque victoria eodem die certiores facti ſunt. *Diodor. Sicul. l. 11.*

Eclipſis Solis *hoc anno accidit, die 2. Octob. fer. tertia, hora ſecunda, & minutis ferè 27. poſt meridiem; eo ipſo tempore, quando* Cleombrotus *Spartanorum rex, miſſus ad muniendum Iſthmum ſacrificaret. Hac enim Eclipſi motus, ut infelici omine, exercitum Spartum reduxit. Parall. latitudinis fuit 41. 12. vera latitudo ſept. 31. 4. viſa latitudo auſt. 10. 8. Semidiam. Solis 15. 41. Scrup. reſidua 20. 10. digiti ecliptici 7. 43. Sol in 3. 6. Libra.*

Græci ad Salaminem, cùm certiores facti eſſent, Iſthmum à Cleombroto non muniri, ſolliciti de Peloponneſo, ne terreſtres copiæ, quæ jam Athenas ceperant, in eam irruerent, cùm ſine præſidio eſſet, ad Iſthmum claſſem deducere volunt. Themiſtocles videns hoc modo Græciæ vires diſpergi, & ad nihilum redigi, vehementer id diſſuadet: Cùm non obtineret, ſtrategemate eos detinet, & ad pugnam cogit. Pugnatum eſt die 20. Boedromionis, *ut Plutarchus habet in Camillo*, qui eſt nobis dies 9. Octobr. & egregia victoria Græci potiuntur. Alibi Plutarchus dicit, factum prælium Vere ſequente, nos ſequimur Herodotum. *Xerxes* deſperare de victoria incipit, & relicta potiſſima parte exercitus ſub Mardonio, cum ſexaginta millibus militum, qui ferè fame ac peſte, priusquam ad Helleſpontum redirent, conficiebantur, Græcia excedit. Themiſtocles, ut Xerxes fugam maturaret, ipſi nunciat, Græcos conſtituiſſe pontem ad Helleſpontum interrumpere, qui tamen, cùm Xerxes eò perveniſſet, tempeſtatibus diruptus erat, ideò in exigua navicula trajicere coactus fuit. Mardonius interim exercitum in Theſſalia in hyberna diſtribuit, ut ineunte æſtate Peloponneſum invadat. *Herod. l. 8.*

Cleombrotus Anaxandridæ filius, Spartanorum rex moritur paulò poſt eclipſin Solis, ſuccedit ipſi *Pliſtarchus* filius Leonidæ, cui, quòd puer eſſet, tutor datur *Pauſanias*. Herod. lib. 9.

ANNO MUNDI 3471. ante C. N. 477.
F. ☉ 7. ☽ 17.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 23. Febr. Iuliani:

Coſſ. M. Fabius Vibulanus II.
Cn. *M*anlius Cincinnatus.

Mardonius primo Vere mittit Alexandrum Macedoniæ regem ad Athenienſes, ad conditiones pacis à Xerxe oblatas recipiendas. Evocantur ad hanc rem etiam Spartani: ſed cùm Athenienſes omnem ſocietatem cum Perſis recuſarent, Athenas iterùm capit decimo menſe, poſtquam à Xerxe captæ fuerant, & cremat. Factum circa finem Junii.

Pliſtarchus rex Spartanorum, cum anno uno regnaſſet, moritur, ſuccedit *Pliſtoanactes* Cleombroti filius, ex eadem Agidarum familia, regnatq; annos 33.

Archon Athenienſis *Xantippus*. Diodor. Sic.

Annus ſabbathicus 6. Jobeles Judaici 20. *incipit die 23. Sept. fer. 2. Anno Jud. 3283.*

Conſules Romæ *per magnam contentionem, quòd Plebs ad nomen reſpondere nollet, exercitum conſcribunt, & juſſu Senatus contra Vejentes ducunt, ubi ſiniſtro omine Conſulis Manlii tabernaculum fulmine diſſipatur. Acerrimo inde prælio coeunt, in quo Manl. Conſul cecidit & Q. Fabius, qui bis Conſul fuerat, alterius Conſulis frater.*

Roma-

rium obtinent, ſed M. Fabius Conſul triumphum, qui offerebatur, recuſavit, in tanto ſimul publico, & privato luctu. Et cum propter vulnera in morbo cubaret conſulatu ſe abdicavit, cum adhuc duo menſes reſtarent, & comitia per interregem habita. Dion. lib. 9.

Lacedæmonii malignè de Athenienſium fortitudine judicant, unde ſimultas inter Græcos orta eſt, & Themiſtocles à præfectura remotus. Cum verò hoſtes inſtarent, concordiam ineunt, conjurantque ſimul, ſe vitam non pluris facturos, quàm libertatem, ſe Duces non deſerturos; ſe cæſos ſepulturos; & nullam urbem, quæ ſecum pugnaret, aliquando deleturos; templa etiam à Perſis cremata non inſtauraturos, ut monimentum eſſent barbaricæ invaſionis. Ad Platæas igitur Græci magna victoria potiuntur, cecidit ipſe Mardonius Dux, & cum eo ad ducenta, & ſeptuaginta millia hominum. Factum eſt prælium, *ut Plutarchus habet in Camillo*, die 3. Boedromionis menſis, qui incidit hoc anno, in diem 19. Sept. *Herod. lib. 9. Diodor. 11.*

Eodem die in Aſia ad Mycalem, Duce Leotychide, rege Spartanorum, Perſæ ſuperantur. Cum enim viderent, ſe claſſe Græcis pares non eſſe, in terra caſtra communierant: ſed Græci claſſem cremant, & caſtra expugnant. Ceciderunt Perſarum ad quadraginta millia, capta magna præda & tota Ionia ad defectionem a Perſis excitata. *Ibid.*

Poſt prælium Platæenſe Thebani à Græcis unius ferè menſis ſpatio vaſtantur, quòd ſocietatem cum Perſis junxiſſent, donec ſocietatis Perſicæ autores dederent. Athenienſes verò Seſtum inſulam obſident, eamque tandem expugnant, & divites præda domum abeunt. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3472. *ante C. N.* 476.
E. ☉8. ☽18.

Ecclipſis Solis accidit die 17. Febr. Juliani, hora ſecunda poſt meridiem in Aſia. Eam putat Codomannus *Chronologus accidiſſe, cum Xerxes Sardibus moveret. Sed Herodotus qui tum temporis vixit, adeò manifeſtè tradit, tranſitum Xerxis eccidiſſe in annum, quo Olympias acta eſt, eumque charactere Chronologico infallibili, ecclipſi Solari, ita munit, ut de vero anno tranſitus Xerxis dubitari non poſſit, idem oſtendunt etiam Athenienſes Archontes, qui ab hoc tempore uſque ad Alexandrum Magnum, & ulterius integre habentur: Item Stadionicæ &c. Manifeſtum igitur, Codomannum errare. Verum tamen eſt, ecclipſin dicto die accidiſſe, quæ fuerit octo digitorum ferè.*

Romæ circa diem ultimum Feb. Juliani Magiſtratum ineunt.

Coſſ. Cæſo Fabius Vibulanus III.
T. Virginius Tricoſtus.

Athenienſes, conjuges & liberos ex Salamine, & aliis locis, ubi à Græcis benignè habiti fuerant, in Atticam reducunt, urbem inſtaurant, & muris eam circumdare aggrediuntur. Legati Spartanorum adveniunt, idque prohibent: Themiſtocles dimiſſis legatis, promittit, ſe hac de re Spartam legatum iturum: idque facit, ſed tanta mora uſus eſt, ut muri perficerentur, priuſquam Spartanis, cur legatus miſſus eſſet, exponeret. *Diod. Sic. lib. 11.*

Conſul Fabius *Æquos vaſtat: Virginius verò nimium populando exercitum inordinatum hoſtibus objicit, clade afficitur, & obſidetur. Fabius Collega auxilio advenit, hoſtes pellit, & ambo agrum longe lateque populantur, & exercitum domum reducunt.* Dionyſ. lib. 9.

Archon apud Athenienſes *Timoſthenes. Diod.*

Phrenis Citharædus primus Panathenæa apud Athenienſes vincit. *Scal.*

Megacles Athenienſis vincit viceſimam octavam Pythiada. *Schol. Pind.*

Conſul Fabius *cum popularibus ſuis ex* Fabia *gente, cum Vejentes aſſiduo magis, quam valido bello agros Romanos turbarent, illud bellum in ſe recipit. Fuerunt autem numero trecenti & ſex Fabii, & Clientes ac ſocios habuerunt ad quatuor millia. Hi opportuno capto loco caſtra ad* Cremaram *muniunt.* Dionyſ. lib. 9. Liv.

ANNO MUNDI 3473. *ante C. N.* 475.
DC. ☉9. ☽8.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem quintum Martii Juliani:

Coſſ. L. Æmilius Mamercinus.
C. Servilius Structus Ahala.

Athenienſes Pyræum muniunt, & conſilio Themiſtoclis id eodem murorum ambitu cum urbe conjungunt, Claſſem etiam cum Spartanis jungunt, & Perſas Cypro, atque Byzantio pellunt. ubi *Pauſanias* tutor regis Spartani, muneribus à Xerxe corruptus, captivos Perſas Xerxi remittit & ſpe regiarum nuptiarum conſilia de prodenda Perſis Græcia init. De qua re poſtmodum accuſatus & convictus, fugit in templum Minervæ, cui obſtruendo mater Pauſaniæ primum lapidem apponit; ibi concluſus fame periit. *Diod. Sic. lib. 11.*

Fabii illi trecenti ubique carpunt Vejentes, & aperto prælio etiam eos vincunt, quorum ferocitate Vejentes irritati, auxilia acceſſunt, Volſcos & Hetruſcos. Ideo etiam Æmilius *conſul Fabiis auxilio venit, Vejentes vincit, ditiſſimiſque caſtris potitur, quæ præda fuerunt militi. Vejentes fracti hiſce cladibus pacem petunt, quam Conſul juſſu Senatus dedit. Sed neque arma, neque agrum ipſis ademit, nec etiam mulctam impoſuit, vel obſides cepit, ideò triumpho potitus non eſt, nec ipſi etiam Vejentes eam pacem obſervatunt.* Dion. lib. 9.

Ariſtides, qui hoc bello Perſico revocatus fuerat, Græcis autor eſt, ut commune ærarium inſtituant, & quotannis in Delo pecuniam reponant. Quantum autem quævis urbs, vel gens contribuere debeat, Ariſtidi committitur, qui adeò æquum ſe præbuit ſingulis populis, ut cognomen Juſti inde reportaverit. *Diod. Sicul. lib. 11.*

Archon apud Athenienſes *Adimantus.*

Annus Nabonaſſaris 272. incipit die 20. Decem. feria 2.

ANNO MUNDI 3474. *ante C. N.* 474.
B. ☉10. ☽1.

Annus Xerxis regis Perſarum poſt patrem defunctum undecimus.

Annus ab urbe condita 277.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 10. Martii Juliani:

Coſſ. M. Horatius Pulvillus.
T. Menenius Agrippæ. F Lanatus.

Gelo rex Syracuſanorum, cum regnaſſet annos 15. *ut Pauſanias habet, (apud Diodorum mendum eſt)* in graviſſimum morbum incidit, & fratrem Hieronem deſignat ſucceſſorem, & moritur. Hiero hic malè primum vixit, verùm poſtea ex conſuetudine hominum eruditorum, Simonidis, Pindari, Bacchilidis, & aliorum, vitam emendavit, imperatque, ut Diodorus vult, annos novem, menſes octo. *Diodor.* 11.

Tribuni *plebis Romæ legem agrariam urgent, ſed neceſſitates belli præferuntur, Vejentes interim Præſidium* Fabiorum *ad Cremeram oblata multiplici præda illectant, donec eos longe à præſidio abduxiſſent, ubi ex inſidiis reſurgentes exercitu* Fabios *circumdant, & in tumulum compulſos tridui ſpatio ad internecionem trucidant. Conſul* Menenius *non procul inde ſtativa habuit, nec circumventis ſubvenit, nec ſua caſtra etiam ſatis tutatur. ſed ſecurus cladis à Vejentibus victoria ferocientibus vincitur, & caſtris exuitur. Vejentes Conſulem fugientem ſecuti, Janiculum occupant, & urbem terrent, donec alter Conſul ex Volſcis adveniret. Pugnatur cum Vejentibus primum æquo Marte, poſtea ad portam Collinam, ubi res Romana ſuperior fuit: nihilominus tamen Vejentes Janiculum montē per totam hyemem obtinent, & agrum Romanum longè latèque vaſtant, unde fames Romæ ſequenti anno exorta.* Dionyſ. lib. 9. Liv.

Olympias 76. *acta die* 6. *Auguſti, fer.* 7. *Eſt annus Olympiad.* 301. Stadium vicit *Scamander* Mityleneus. In hoc Olympico certamine ſpectatores parum attenti fuerunt ad ludos, magis intuiti ſunt *Themiſtoclem*, qui præſens aderat: cujus virtutem in bello Perſico maximè admirati fuerunt. *Plutar.*

Archon apud Athenienſes *Phædon. Dionyſ. Diod.*

Anaxilaus eodem tempore moritur Rhegii, qui octodecim annos Tyrannidem ibidem obtinuerat. *Ibid.*

Hiero rex Syracuſanorum Catanam Colonorum decem millia mittit, eamque Ætnam vocari jubet. *Diod. lib.* 11.

ANNO MUNDI 3475 *ante C. N.* 473.
A. ☉ 11. ☽ 2.

Romani cum haſtenus Coſſ. *Magiſtratum iniiſſent menſe Septem. anticipant legitimum Comitiorum tempus, propter Conſules malè rem gerentes integro menſe: Et ineunt Magiſtratum Calendis Sextilibus, ut Dionyſius habet, quæ incidunt in diem* 15. *Febr.*

Coſſ. A. Virginius Tricoſtus.
Sp. Servilius Structus.

Cum Vejentes ex Janiculo, tanquam ex arce quadam agrum Romanum vaſtarent, & pecora abigerent, eos tandem conſules eadem arte, qua ipſi Fabios, *capiunt, illectos ſcilicet in inſidias oblata præda. Conſul Servilius temerario incepto aciem in Janiculum erigit, unde pulſus fuiſſet, niſi alter Conſul auxilio veniſſet, quo adjutore prælium temeritate cœptum feliciter finitum eſt, & Vejentes loco pulſi domum aufugerunt.* Dionyſ. *lib.* 9. Livius.

Spartani Athenienſibus iraſcuntur, quòd maris imperium ſibi vendicaſſent, idque quomodo ipſis eripiatur, conſultant, eoque deſcendunt, ut bello petendos Athenienſes exiſtiment: Sapientiores tamen Spartanorum, cum demonſtraſſent, maris imperium ſuæ reipubl. inutile eſſe, & mores civium hoc modo depravari, obtinuerunt, ut arma deponerentur. *Diod. lib.* 11.

Archon apud Athenienſes *Dromoclides. Diod.*

Menenius, *quòd ſuperiore anno Fabiis non tuliſſet auxilium, & malè pugnaſſet, damnatur muleta pecuniaria, ſed non magna: Adeò tamen fractus eſt animo hac ignominia, ut mœrore animi paulo poſt moreretur.* Dionyſius Liv.

Ætna mons igneos globos evomit, & Catanenſium agrum, & viciniorum exurit, idem accidit quinquageſimo anno poſt. *Thucyd. lib* 3. Videtur tamen clades hæc accidiſſe, antequam Hiero colonos eò mitteret, ante annum ſcil. vel biennium: malui tamen ſequi authorem Thucydidem, quàm conjecturas.

Philonomus & Callias Catanæi, ſuos parentes per medium incendium, ab Ætna flammas evomente excitatum, exportarunt, flamma ipſis cedente. *Ælianus.*

ANNO MUNDI 3476. *ante C. N.* 472.
G. ☉ 12. ☽ 3.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 20. *Febr. Juliani:*

Coſſ. P. Valerius Poplicola.
C. Nautius Rutilus.

Sp. Servilio ſuperioris anni Conſuli, quòd non ſatis feliciter ad Janiculum montem pugnaſſet, a Tribunis plebis dies dicitur, qui acri Oratione invehitur in Tribunos & plebem, fretus ferocitate ingenii, & auxilio Virginii Collegæ. Dionyſ. l. 9.

Hiero rex Syracuſanus vincit viceſimam nonam Pythiada *Schol. Pind.*

Haman potentiſſimus princeps in aula Perſarum, anno Xerxis duodecimo impetrat à rege poteſtatem extirpandi Judæos, & cum ſortem duxiſſet, qui dies deſtinandus eſſet cædi, eligit duodecimum diem menſis *Adar* quo per totum imperium Perſicum omnes Judæi ubivis terrarum, uno eodemq; die interficerentur. Edictum de excindendis Judæis *Suſis* affigitur loco publico die 13. primi menſis, qui nobis eſt dies 15. April. fer. 1. Poſtea die 23. menſis tertii, qui nobis eſt dies 23. Junii. ad Calendarium Julianum, feria 7. *Eſther* impetrat à *Xerxe*, ut edicta promulgata pro irritis habeantur, & Judæi conſerventur. *Haman* autor ſceleris ſuſpenditur, & *Mardochæus* ad ingentes honores provehitur. *Eſth.* 8, 9.

Archon apud Athenienſes *Aceſtorides. Diod.*

Valerius *conſul exercitum educit contra Vejentes, quibus auxilio venerant Sabini, & horum caſtra, cum improviſo adveniret, aggreditur, & expugnat. Inde in Vejentes etiam movet, quos ſimiliter vincit, & caſtris exuit, atque ita una die utriuſq; exercitus victor, divites præda Romanos domum reducit, & triumphat Calendis Maji, quæ hoc anno incidunt in* 25. *Novemb.* Dionyſ. lib. 9.

Hiero

Hiero Cumanis, qui bello Hetruſcorum occupabantur, auxilia mittit, quibus freti Hetruſcos prælio navali ſuperant, & Hetruſcorum opes frangunt. *Diod. Sic. lib. 11.*

ANNO MUNDI 3477. *ante C. N.* 471.
FE. ☉ 13. ☽ 4.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 25. Febr. Juliani.

Coſſ. A. Manlius Volſo.
L. Furius Medullinus.

Manlius *contra Vejentes ducit, eosque in urbem compulſos fame macerat: quapropter pacem petunt, mulctamque ſolvunt: pax negatur, ſed induciæ ipſis dantur in quadraginta annos. Ovatio Conſuli decernitur, quæ facta eſt Idibus Martii, quæ incidunt hoc anno Juliano in diem 13. Octob.*

Æſchilus Poeta ſuas Tragœdias, Perſam & alias edit. *Euſeb.*

Lex agraria vehementer à Tribunis plebis urgetur, cui ſtrenuè reſiſtunt Coſſ. Dionyſ.

Coſſ. *cenſum agunt, cenſi fuerunt civium Romanorum* 103000. Dionyſ.

Tarentini cum Japygibus certant de agrorum finibus. Rhegini veniunt Tarentinis auxilio, ſed vincuntur, & cum Rhegini non Tarentum verſus fugerent, ſed Rhegium in patriam, Japyges adeò pertinaciter fugientibus inhæſerunt, ut ſimul urbem intrarent, & caperent. *Diodor. lib. 11.*

Die 13. menſis 12. Adar, qui nobis incidit in diem 5. Martii Juliani, interficiendi erant Judæi ex conſilio Hamanis, verùm irrita, ut dictum eſt, facta ſunt edicta, & Judæi eo die ſe defenderunt, feſtumque ſolenne inſtituerunt binis diebus quos dies Purim vocaverunt, qui celebrantur ad Calendarium Judaicum die 14. & 15. menſis Adar, *Eſth. 9.*

Archon apud Athenienſes *Menon.*

Annus Nabonaſſari 276. incipit die 19. Decembris, fer. 6.

ANNO MUNDI 3478. *ante C. N.* 470.
G. ☉ 14. ☽ 5.

Annus Xerxis poſt patrem defunctum 15.

Annus ab urbe condita 281.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 2. Martii Juliani.

Coſſ. L. Aimilius Mamercinus III.
Vopiſcus Julius Julus.

Superioris anni COSS. Manlium, & Furium, quòd legem agrariam impedivissent, Genutius Tribunus plebis ad populum accuſat, & legem agrariam iterum urget: pertuliſſet etiam eam, & reos damnaſſet, niſi præcedente nocte, quàm Comitia futura erant, domi Tribunus mortuus inventus eſſet. Conſules poſtea habent delectum, ubi Juniores ad nomina reſpondere recuſant. Volero quidam citatur, qui cum ordines duxiſſet jam gregarius miles eſſe nolebat, ob id ſpoliari juſſus, lictores repellit, & plebem concitat, quæ violatis lictoribus, fractisque faſcibus, Conſules in curiam fugat, & fiunt ingentes turbæ. Dion. lib. 9. Liv.

Olympias 77. acta die 23. Jul. fer. 5. Eſt annus Olymp. 305. Stadium vicit Dates vel Dandes, ut Diodorus habet, Argivus. *Ergoteles* verò vicit Dolichodromum: Et *Theron* Acragantinus armatura gravi. *Euthymus* verò tertium lucta. *Afric..*

Hellanodicis reliquis novem additur decimus, & conſtituitur, ut in ludis Olympicis quinquertium primum, inde curſus, & poſt equorum certamen committeretur. *Pauſan.*

Archon apud Athenienſes *Chares. Diod. Dion.*

Hiccus Tarentinus medicus, cujus meminit Plato in Protagora, floret. *Euſeb.*

Leotychides rex Spartanorum, moritur anno regni 22. Succedit *Archidamus* ex Proclis familia, qui regnat annis 49.

Democritus ſecundum quoſdam naſcitur.

Annus ſabbathicus, & Jobeleus viceſimus, incipit die 5. Septem. fer. 7. anno Jud. 3290.

ANNO MUNDI 3479. *ante C. N.* 469.
C. ☉ 15. ☽ 6.

Romæ circa diem 7. Martii Magiſtratū ineunt:

Coſſ. L. Pinarius Mamercinus.
P. Furius Medullinus Fuſus.

Hiſce Coſſ. *Varro apud Macrobium tradit mentionem intercalationis Romanæ fieri, in quadam ænea tabula tamen poſita ſed modus intercalationis non ſimul explicatur.*

Elei in Peloponneſo per varia oppida diſperſi, in unam urbem coeunt, & Elin concedunt, eamque muniunt.

Micythus princeps Rhegii & Zanclæ, urbem condit *Tenxuntem.*

Archon apud Athenienſes *Praxiergus. Diod.*

Themiſtocles apud Athenienſes, per Spartanos accuſatur proditionis cum Pauſania initæ ad Perſas, & abſolvitur; per eoſdem tamen Oſtraciſmo Athenis ad annos quinq; pellitur, quapropter Argos migrat, Spartani ulterius rem perſequentes eum ad publicum concilium totius Græciæ Spartam citant. Ille non auſus infenſiſſimis hoſtibus ſe committere, ad Admetum Moloſſorum regem in Epirum confugit; inde etiam à Spartanis comminatione belli inferendi pulſus, ad *Xerxem* deducitur curru clauſo, tanquam Pellex regis: mos enim erat Perſis ſi pellicem regi adducerent, ne quis eam adſpiceret. Cum ad regem perveniſſet, à nobilibus Perſis, propter tot occiſos Perſas, ad mortem poſcitur: ſed impetrato annuo ſpatio ad perdiſcendam linguam Perſicam, ſe defendit, & abſolvitur. Rex itaq; ipſi dedit uxorem, & familiam copioſam, & tres urbes: Magneſiam propter copiam frumenti in panem; Myuntem propter piſcium abundantiam in Obſonium; & Lamſacum in vinum. *Diod. Sic. lib. 11.* Plutarchus habet, cum Themiſtocles Oſtraciſmo Athenis ejectus eſſet, & Argis exularet, à Pauſania appellatum de proditione cum Perſis, ſed Themiſtoclem à tanto facinore abhorruiſſe, proditionem tamen non aperuiſſe, & propterea accuſatum Thucydides *l. primo* affirmat, Themiſtoclem in Perſiam abiiſſe, cum Artaxerxes nuper parenti Xerxi ſucceſſiſſet, id quod factum erat tandem poſt annos ſeptem: Valdè hoc veriſimile eſt. Fuit enim annorum 65. cum moreretur, & admodum adoleſcens fuit in Marathonia pugna ante annos viginti. *Plutar.* Sed Diodorus hæc omnia in unum annum conjecit, ut ſolet etiam in aliis hiſtoriis.

Volero *tribunus plebis factus legem fert de Magiſtratibus plebeis eligendis non Curiatis, ſed Tributis Comitiis: qua lege Patritiis omnis poteſtas eligendorum eorum quos volebant, eripiebatur. Lex im-*

peditur uſq; in ſequentem annum, & Valero tribunus reficitur. Dionyſ.

Urbinia *virgo Veſtalis ſtuprata, virgis caditur, & viva defoditur; ſtupratores ſub furca necantur.* Dionyſ. lib. 9.

Sophocles Tragœdiarum ſcriptor primùm commiſſione fabulæ certavit. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3480. *ante C. N.* 468. B. ☉16. ☽ 7.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 12. Martii Juliani:

Coſſ. T. Quintius Capitolinus Barbatus.
Ap. Claudius Ap. F. Sabinus.

Lex de creandis tribunis plebis in Comitiis tributis magno conamine urgetur, fitque atrox ſeditio cum Appius vehementiſſimè legi reſiſteret; inde pugna oritur. Quintius Conſul perſuadet plebi, ut promulgatio legis differatur, quæ poſtea ſilentio perlata eſt. Liv.

Teleſicrates Cyrenæus vincit tricesimam Pythiada ſtadio. *Schol. Pind.*

Archon apud Athenienſes *Demotion Diod.*

Appius *Conſul exercitum in Volſcos ducit invitum, qui Duci infenſus, omnia, ut ægrè faciat Duci, perversè agit, nec Appius à ſeveritate quicquam remittit, ideò ab hoſtibus vincitur, caſtra tamen opera militum defenduntur. Inde domum injuſſu Ducis abeuntes, à Volſcis turbantur & fugantur. Appius caſtra in tuto loco ponit, invectusque in proditorem militaris disciplinæ exercitum, Centuriones, & Signiferos quosdam, qui ſigna vel arma amiſerant, ſecuri percuſſit, & in cætera multitudine decimum quemque ſorte lectum ſupplicio affecit.* Livius l. 2. Dion. 9.

Quintius in Æquos profectus, dum ſe æquum militibus præbet, rem ex ſententia perit. Ibid.

Cimon Athenienſis cum claſſe mittitur in Aſiam, ubi in Caria & Lycia urbes recipit, & Perſas pellit paulo poſt ad Eurymedontem fluvium cum Perſarum claſſe pugnat, & ducentas naves cædit. Inde ingenti etiam eos terreſtri clade afficit, cum eos decepiſſet, apparatu navium, quaſi amicorum eſſent, & caſtra eorum omnibus rebus refertiſſima capit, captivis abductis ad viginti millia hominum, *Diod. lib. 11.* Plutarchus tradit, haſce victorias uno eodemq; die partas.

Athenienſes Thaſios etiam, qui à ſe defecerant pugna navali vincunt, eosq; obſident. *Thuc.*

ANNO MUNDI 3481. *ante C. N.* 467. AG. ☉17. ☽ 8.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 17. Martii Juliani:

Coſſ. L. Valerius Voluſus Potitus II.
T. Æmilius Mamercinus.

Socrates hoc anno naſcitur, *teſte Apollodoro apud Diog. Laert.* die 6. Thargelionis, quo civitas luſtrari ſolet, qui nobis incidit hoc anno ad Calendarium Julianum, in diem 18. Maji, Archonte *Apſephione*: alium tamen habet Archontem Diodorus. Natus fuit patre lapidicina, & matre obſtetrice, mortuus eſt anno ætatis ſeptuageſimo; anno primo Olymp. 95. *Diog.*

Zeuxis præclarus pictor floret.

Archon apud Athenienſes, *Phædon. Diod.*

Thaſii ab Athenienſibus obſeſſi Lacedæmonios in auxilium evocant, qui clam illis auxilia promittunt, & Atticam vaſtandam decernunt: ſed terræ motu impediuntur. *Thucyd. l. 1.*

Appio, *quòd omnibus commodis plebis obſtaret, & ſuperiori anno Tribunos plebis violaſſet, dies à Tribunis plebis dicitur. Sed ipſe accuſatorio ſpiritu plebem, & Tribunos allocutus, conſtantia ſua adeò plebem terruit ut dies produceretur. Interim morbo moritur, cui frequentes exequias plebs duxit.* Liv. Dion.

Valerius *Conſul Æquorum agrum latiſſime vaſtat, & caſtris eos exuiſſet, niſi tempeſtas impedivisſet.* Ibid.

Cum *Archidamus* Zeuxidemi filius, quartum annum regni ageret, ingens terræmotus fuit Spartæ, qui totam urbem ferè evertit; homines multò plures obruiſſet, niſi rex claſſicum canere juſſiſſet, quo audito cives accurrerunt, & ſervati ſunt. *Plutarchus in Cimone.* Perierunt tamen ad viginti millia hominum. Hac Spartanorum clade Meſſenii, & Hilotæ, veteres hoſtes excitati, bellum ipſis inferunt, quo mutuis cladibus ſeſe atterentes per decennium belligerantur. *Diodor. lib. 11.*

Annus Nabonaſſaris 280. incipit die 18. Decemb. feria 3.

ANNO MUNDI 3482. *ante C. N.* 466. F. ☉18. ☽ 9.

Annus Xerxis poſt mortem parentis 19.

Annus ab urbe condita 285.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 22. Martii Juliani:

Coſſ. A. Virginius Tricoſtus Cœlimontanus.
T. Numitius Priſcus Structus.

Dum de Lege agraria agitur, ex fumo cognoſcitur hoſtes adeſſe, & prædas abigere ex agro Romano: ideò exercitus conſcribuntur.

Argivi Mycenæis infenſi, dum vident eos ab auxiliis deſertos, cum Sparta tanto terræmotu everſa eſſet, & bello etiam attereretur, bellum ipſis inferunt, pugnâ eos vincunt, urbem obſident, expugnant, diripiunt, & excindunt; atque ita Mycenæ parens olim multorum clariſſimorum Virorum periit. *Diod. lib. 11.*

Olympias 78. acta die 7. Auguſti, fer. 4. Eſt annus Olymp. 309. Stadium vicit *Parmenides* Poſidoniates. *Dion.*

Archon apud Athenienſes *Theagenides.*

Thaſii tertio anno, quàm oppugnari cœpti ſunt, ſeſe Athenienſibus dedunt. Interim Spartanorum bellum Meſſenium Tertium in longum ducitur, ideò Athenienſes *Cimonem* cum exercitu *Spartanis* auxilio mittunt. Sed cum oppidum Ithomes non ſtatim caperetur, Spartani Athenienſium auxilia retentis aliis dimittunt, quòd malè habuit Athenienſes, ideò ſolverunt fœdus cum Spartanis, & Argivos ſibi contra Theſſalos adjunxerunt. *Thucyd. lib. 1.*

Conſules conſcriptis exercitibus in hoſtes exeunt: Virginius in Æquos, Numitius in Volſcos: nuſquam inventis hoſtibus, prædæ ingentes acta. In Volſcis Antiatum portus à Conſule Numicio captus, & naves viginti duæ longæ. Naves, & ædes igne deleta, ne uſui eſſent

eſſent Antiatib. Sabini interim deprædantes agrum Romanum, præda exuuntur, & viciſſim prædæ ſunt Dionyſ. Liv.

ANNO MUNDI 3483. *ante C. N. 465.*
E. ☉ 19. ☽ 10.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 27. Martii Juliani:

Coſſ. T. Quinctius Capitolinus Barbatus II.
Q. Servilius Priſcus Structus.

Sabini agrum Romanum deprædantes repelluntur, & in urbes ſuas refugientes, regionem ſuam Romanis vaſtandam relinquunt, in Volſcis ab altero Conſule Quinctio res egregiè geſta eſt. Victi ſunt primo prælio quanquam difficili: inde cum multo plures exciviſſent, caſtra etiam Romana oppugnant, quos Quinctius quieto maxima ex parte exercitu, claſſico tantum terret. Inde ſequente die ſuos integros contra feſſos hoſtes ducit eos fugat & ex fuga in arduo loco collectos dejicit, caſtris eorum potitur, & Antium tandem deditur. Liv. l. 2. Dionyſ. 9.

Archon apud Athenienſes *Lyſiſtrates. Diod.*

Lapis de cœlo cecidit hoc anno ad Ægos Potamos, qui erat inſtar duarum molarum, ſive inſtar vehiculi. *Plinius & Laert.* Inde Anaxagoras ridiculè concluſit, cœlum lapidibus eſſe conſtructum. *Laert.*

Micythus, tutor liberorum *Anaxilai* Zancles domini, tutela ſe abdicat, & Tegeam in Arcadiam proficiſcitur. *Diodor. lib. 11.*

Hiero rex Syracuſanus moritur Catanæ, ibique ſepelitur, cum annos ferè decem regnaſſet. Succedit frater *Thraſibulus* anno uno. *Diodor.*

ANNO MUNDI 3484. *ante C. N. 464.*
D. ☉ 20. ☽ 11.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 1. Aprilis Juliani:

Coſſ. Tib. Æmilius Mamercinus II.
Q. Fabius M. F. Vibulanus:

Cum Tribuni plebis legem Agrariam urgerent, Fabii conſilio colonia civium Romanorum Antium eſt deducta, ſed pauci nomina in hanc coloniam dederunt, ita ut Volſci aſſumerentur; reliqua plebs maluit Romæ agros poſcere, quàm alibi accipere. Liv.

Conſul Fabius contra Æquos profectus, eos in eam neceſſitatem deducit, ut pacem peterent, & pecunias, & frumenta militibus darent, & faterentur ſe Romanorum ſubditos eſſe.

Arceſilaus Cyrenæus in triceſima prima Pythiade vincit gravi armatura. *Schol. Pind.*

Archon apud Athenienſes *Lyſanias.*

Athenienſes anno triceſimo ſecundo, poſtquam Ariſtagoras Amphipolin occupare conatus fuerat, eò colonos mittunt ex ſuis civibus, & aliis decem millia numero, qui tamen poſtea à Thracibus interficiuntur. *Thucid. lib. 4.*

Thraſybulus Tribunus Syracuſanus, cum crudeliter civibus præeſſet, tyrannide exuitur, & Locros exulatum abit. Libertatæ ita ſunt tyrannis Syracuſæ, & in pace floruerunt annis ſexaginta, uſque ad Dionyſium. *Diod. lib. 11.*

ANNO MUNDI 3485. *ante C. N. 463.*
CB. ☉ 21. ☽ 12.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 6. Aprilis Juliani:

Coſſ. Sp. Poſthumius Albus Regillenſis.
Q. Servilius Priſcus Structus II.

Æqui Antiatum recipiunt exules, & faciunt excurſiones in agrum Latinum & Romanum. Latinis à Romanis mittitur præſidium, & ad Æquos legatus Fabius, cui ſe dederant, ablegatur, nihil autem pacati reſpondetur, quapropter ipſis indicitur bellum. Dion. Liv.

Archon apud Athenienſes *Lyſitheus Diod.*

Artabanus Præfectus Prætorio in Perſia, adjuvante Mithridate Eunucho Xerxem regem obtruncat, & *Darium* majorem natu filium apud Artaxerxem minorem natu accuſat parricidii, hortaturque ut parentem ulciſcatur, & pœnas ſumat de fratre, & regnum occupet: atque ita Darius innocens & non auditus trucidatur, atque Artabanus in ſocietatem regni aſſumitur ab *Artaxerxe* per ſeptem ferè menſes. Inde cum Artabanus etiam Artaxerxi inſidias strueret, trucidatur. Regnavit Xerxes plus quàm viginti annos, *Artaxerxes* verò regnat annis 40. *Diod.*

Annus ſabbathicus primus, Jobelei viceſimi primi, incipit die 17. Sept. fer. 7. Anno Jud. 3297.

Annus Nabonaſſaris 284. incipit die 17. Decem. feria 7.

ANNO MUNDI 3486. *ante C. N. 462.*
A. ☉ 22. ☽ 13.

Annus Artaxerxis Longimani regis Perſarum primus.

Annus ab urbe condita 289.

Dii Fidii *templum Romæ dedicatur à Conſule* Sp. Poſthumo *nonis Junii, quæ incidunt ad Calendarium Julianum in diem 9. menſis Februarii.*

Magiſtratum poſtea ineunt circa diem undecimum Aprilis Juliani:

Coſſ. Q. Fabius M. F. Vibulanus II.
T. Quinctius Capitolinus Barbatus II.

Fabius *Conſul exercitum contra Æquos ducit, qui in Algidum montem ſe contulerant, eò tendit &* Fabius: *Æqui Conſulem vincunt, & caſtra obſidione cingunt, cui auxilio alter Conſul advenit; fit prælium acerrimum quo tandem ſuccumbunt Æqui: nihilominus tamen victi prædatum abeunt in Romanum agrum, quos redeuntes Fabius excipit, & præda exuit.* Livius.

Olympias 79. acta die 24. Jul. fer. 2. Eſt annus Olymp. 313. Stadium vicit *Xenophon* Corinthius. *Pherias* verò Ægineta vicit lucta. Hac Olympiade Rhedarum certamen olim receptum repudiatur. *Pauſ.*

Archon apud Athenienſes *Archemenides. Diod.*

Parmenides Philoſophus celebris habetur, *Euſeb.*

Cenſus Romæ actus cenſa fuerunt civium 124214.

Hoc anno Themiſtocles, qui hactenus Argis, & poſteà apud Admetum exulaverat, in Perſiam fugit, *ut Thucydides habet lib. 1.*

ANNO MUNDI 3487. *ante C. N. 461.*
G. ☉ 23. ☽ 14.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 16. Aprilis Juliani:

Coſſ. A. Poſtumius Albus Regillenſis,
Sp. Furius Medullinus Fuſus.

Euſebius circa hac tempora annotat ecclipſin Solis, qua accidit hoc anno, poſt meridiem, hora quarta: in Aſia, die ultimo menſis Aprilis, latitudo vera ad hoc tempus minuta 13,20. Parallaxis verò latitudinis minuta 13,7. Fuit igitur Sol planè obſcuratus. Errant, qui hanc ecclipſin in ſequentem annum conjiciunt, vel etiam poſt biennium annotant. Cæterum Euſebius non addit, ex quo autore eam deſcripſerit, aut quid rerum alicubi hoc tempore geſtum ſit.

Socii Latini & Hernici conqueruntur de incurſionibus hoſtium, Volſcorum & Æquorum. Furius igitur contra Æquos proficiſcitur, ſed temerè rem gerit, ideò vincitur & obſidetur. Inde eruptione pugnat, & hoſtes vincit, ſed acrius inſequendo ab hoſtibus pars exercitus intercluditur & trucidatur. Sequenti die hoſtes caſtra Conſulis iterum oppugnant, eaque expugnaſſent, niſi Quintius Legatus cum auxiliis advenisset, quo viſo hoſtes diſceſſerunt. Dionyſ. lib.9. Livius lib.3.

Archon apud Athenienſes *Tiepolemus. Diod.*

Cum tantæ turbæ eſſent in regno Perſico, & Artaxerxes totus eſſet in conſtituendo regno; Ægyptii, qui poſt victoriam Xerxis duriore ſervitute preſſi erant, deficiunt à Perſis, præfectos ejiciunt & Inarum Pſammetichi filium regem creant, qui ab Athenienſibus auxilia petit, & impetrat claſſem trecentarum navium. *Diod. lib.11.*

Siracuſis cives libertate inæqualiter utentes ſeditioni cauſam præbent. A Gelone enim in civium numerum olim recepti milites ad ſeptem millia, ab honoribus & officiis publicis excludebantur, quia injuria irritati Acradinam, quæ urbis munitiſſima pars eſt, occupant, & cæteris bellum faciunt. *Diod. lib.11.*

ANNO MUNDI 3488. *ante C. N.* 460.
F. ☉ 14. ☽ 15.

Roma Magiſtratum ineunt circa diem 21. April. Julian:

Coſſ. P. Servilius Priſcus.
L. Æbutius Helva.

Artaxerxes rex Perſarum patruum ſuum Achæmenidem cum exercitu trecentorum millium in Ægyptum mittit, qui re deliberata cum Athenienſibus & Ægyptiis pugnat, & virtute Athenienſium ſuperatur & cadit, & reliqui Perſarum in Albo muro obſidentur. Perculſus hac clade Artaxerxes legatos cum muneribus ad Spartanos mittit, eoſque hortatur, ut bellum Athenienſibus facere velint, ſed denegatum hoc ipſi fuit, ideò de novo exercitu comparando conſilia agitat.

Artaxerxes, cum eſſent, qui frigidam ſuffunderent, & quantum Judæi, ſi Ægyptiis accederent, regno Perſico nocere poſſent, explicarent, prohibet inſtaurationem Politiæ Judaicæ, *Eſra* 4. *v.* 21.

Archon apud Athenienſes *Conon.*

Milites Syracuſis in Acradina, claſſe vincuntur; in urbe autem, Syracuſanis plurimum damni inferunt, quibus cladibus ex utraque parte feſſi, de concordia ineunda deliberant. *Diodor.*

Romæ *peſtilens annus fuit, quo armenta & pecudes perierunt, inde eadem peſtis in urbem ingruit, & homines afflixit: cadavera etſi pleraq; plauſtris urbe eveherentur, tamen plurima in Tyberim projecta fuerunt. Quarta pars Senatus extincta, Volſci & Æqui occaſione utentes, in agrum Latinum & Romanum prædatum abeunt, urbem tamen non aggrediuntur, mortuus eſt uterque Conſul, item aliquot Augures. Capit peſtis circa Calendas Septembris, hoc eſt, ad Calendarium Julianum, circa initium Junii menſis, duravitque per totum annum. Comitia autem creandorum Conſulum per interregem habita.* Dionyſ. lib.9. Liv 3.

ANNO MUNDI 3489. *ante C. N.* 459.
E D. ☉ 25. ☽ 16.

Roma magiſtratum ineunt circa diem viceſimum ſextum Aprilis:

Coſſ. L. Lucretius T. F. Tricipitinus.
Sp. Veturius Craſſus.

Meſſenicum bellum tertium finitum eſt Olym. 79. qua Stadium vicit Xenophon Corinthius, & Archon Athenienſium eſſet Archemenides, ut ſcribit Pauſanias. Hæc quidem omnia conveniunt primo hujus Olympiadis anno: Verùm cum & Diodorus Siculus & Thucydides ſcribant, bellum hoc integrum decennium geſtum eſſe, & verò primus ejus annus, ultra quintum, hanc Olympiadem præcedere non poſſit, in hunc annum, qui ultimus eſt hujus Olympiadis, finem hujus tertii belli conjicere volui, quo Meſſenii planè è Peloponneſo ejecti ſunt, quos receperunt Athenienſes, & iis Naupactum, pulſis bello Locris, habitandum conceſſerunt. Iidem tamen Meſſenii poſt annos 57. cum Athenienſes ad Ægos Potamos victi eſſent, à Spartanis iterùm Naupacto ejiciuntur, qui ad cognatos ſuos in Siciliam, Rhegium vel Meſſanam conceſſerunt. *Pauſ. Thucyd. & Diod.*

Archon apud Athenienſes *Evippus Diod.*

Veturius Conſul Volſcos prælio vincit. Æqui verò, etiamſi a Conſule Lucretio vaſtarentur, tamen vindicta cupidi viciſſim prædatum in agrum Romanum abeunt, quos tamen Lucretius ex inſidiis excepit, & magno prælio fundit, tertio etiam prælio pugnatum eſt quod Volſci caſtris exuuntur. Dion. Liv.

C. Terentius *Tribunus plebis, abſentibus* Coſſ. *legem ferre conatur, de quinque novis legibus ſcribendis, ne Conſules omnia ex ſua ſententia agerent, in judicandis controverſiis: cui Fabius præfectus urbis reſiſtit, donec Conſul Lucretius adveniret, qui cum magna præda urbem ingreſſus eſt & triumphavit, alteri ovatio decreta.* Ibid.

Artaxerxes Artabazum & Magabyzum novos Duces, magnis copiis inſtructos in Phœniciam mittit, & trecentas naves à Cypriis & Phœnicibus ædificari & inſtrui jubet, militemque exerceri, ut Athenienſibus in Ægypto pares eſſe poſſint. *Diod. lib.* 11.

In Sicilia peregrini tandem Syracuſis & ex aliis urbibus pelluntur, & conſenſu Siculorum tandem Rhegium aut Meſſanam concedunt. Exules Siculi ubique revocantur, & in patriam reſtituuntur, atque tandem urbes libertate ſua frui incipiunt. *Diodor. lib.* 11.

Annus Nabonaſſaris 288. *incipit die* 61. *Decembris, fer.* 4.

ANNO MUNDI 3490. *ante C. N.* 458.
C. ☉ 26. ☽ 17.

Annus Artaxerxis Longimani regis Perſarum quintus.

Ab urbe condita 293.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem primum Maji Juliani:

Coſſ. P. Volumnius Gallus.
Ser. Sulpitius Camerinus Cornutus.

Multa prodigia Romæ facta, ut Terræmotus, fulgetra inuſitata, pluit etiam carnibus, quarum partem volucres diripiebant, reliqua abſque putredine longo tempore perduravit. Dionyſ. Livius.

Lex Terentilli *de Decemviris creandis & novis legibus ſcribendis à Tribunis plebis ſummâ vi tentata, unde maximæ inter Patres & Plebem ortæ diſſenſiones.* Cæſo *Quintius Cincinnatus, juvenis egregius, ſumma vi Tribunis plebis reſiſtit, quapropter accuſatus, & falſo crimine admixto in odium adductus, damnatusque in exilium abiit. Pater vir præſtantiſſimus de filio ſiſtendo vades dederat; ea pecunia crudeliter exacta eſt, quam ſolvit divenditis omnibus ſuis bonis ferè, & trans Tyberim in villa habitavit.* Dionyſ. lib. 10. Liv. 3.

Olympias 80. *acta die* 9. *Auguſt. fer.* 2. *Eſt annus Olympiadicus* 317. Victor Stadii fuit *Torymba*, vel ut alii habent, *Toryllas*.

Arceſilaus vicit gravi armaturâ. *Alcimedon* puer luctâ. *Afric.*

Archon apud Athenienſes *Phraſicles.*

Democritus Abderita floret ſecundum Apollodorum in Chronicis. *Diog. Laert.*

Perſarum Duces in Ægyptum profecti obſidionem ſolvunt, & averſo fluvio naves Athenienſium in ſicco deſtituunt, quæ ne uſui eſſent Perſis, ab ipſis Athenienſibus cremantur. Ægyptii ſededunt, & *Inarus* per proditionem captus in crucem agitur. Athenienſibus offertur pax, ut ſalvis ſuis rebus diſcedant, qui per Africam profecti, Cyrenem veniunt, & inde in Græciam redeunt. *Diodor. lib.* 11.

Ephialtes ſeditionem concitat Athenis, contra Areopagitas, idq; judicium abolere conatur, ſed noctu is trucidatur. *Diodor. lib.* 11.

Alexander rex Macedonum cùm annos 43. regnaſſet, moritur. Succedit *Perdiccas* Macedonum rex undecimus, regnatq; annos 31. *Euſeb.*

Oibeta Achæus vicerat ſextam Olympiadem, ſed ab Achæis nullo propter hanc cauſam honore affectus fuerat; quapropter moriens imprecatur Achæus, ne quiſpiam ex ipſis poſthac in Olympicis certaminibus eſſet victor. Cùm igitur id eveniret, & nemo Achæorum in Olympicis ludis palmam obtineret: tandem *Oibetæ* ſtatuam in hac Olympiade poſt annos ferè trecentos ponunt, & ei divinos honores exhibent. *Pauſan. in Achaicis.*

ANNO MUNDI 3491. *ante C. N.* 457.

E. ☉ 27. ☽ 18.

Romæ magiſtratum ineunt circa ſextum diem Maji Juliani:

Coſſ. P. Valerius Poplicola II.
C. Claudius Ap. F. Sabinus.

Athenienſes bellum inferunt Corinthiis & Epidauriis, eoſque vincunt, inde Peloponneſum claſſe invadunt, & victoriam perſequuntur. Hiſce victoriis confirmati, Æginetis etiam ſuis hoſtibus bellum faciunt, eos claſſe vincunt, & ſeptuaginta triremes eorum capiunt. Peloponneſes Æginetis auxilium laturi, in agrum Megaricum deſcendunt; ſed Athenienſium reliqui, in urbe relicti, Duce Myronide cum Peloponnenſibus pugnant, & vincunt, quanquam difficili pugnâ. Et Æginetæ, cùm bellum hoc novem menſibus durâſſet, deditionem faciunt, tradunt Athenienſibus naves, & ſolvunt tributum. *Diod. & Thuc.*

Archon apud Athenienſes *Philocles.*

Romæ dum Tribuni plebis cum Conſulibus de legibus ferendis decertant, Appius Herdonius Sabinus, ſervis vocatis ad pileum, cum quatuor millibus Capitolium, ſive arcem Romanam occupat, quo Tribuni nequaquam moventur. Tuſculani tamen auxilia mittunt, quibus freti Coſſ. *relictis Tribunis Capitolium recipiunt. Sed adeò atrox & grave diſcrimen prælii fuit, ut indignam de ſervis victoriam ipſe Conſul Valerius, qui cecidit, ſua morte fœdaverit. Inde contentiones obtinuerunt uſque in Decembrem menſem, quo* L. Quintius Cincinnatus *Valerio ſubrogatus eſt, qui æquitate ſua Tribunorum rogationem repreſſit.* Livius & Dionyſ.

Ducetius in Sicilia Menænum urbem condit, Colonosq; eò traducit, & Murgantiam capit; atq; ita fundamenta jacit ſuæ Tyrannidis. *Diodorus Sic.*

ANNO MUNDI 3492. *ante C. N.* 456.

A. ☉ 28. ☽ 19.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 11. *Maji Juliani.*

Coſſ. Q. Fabius. F. M. Vibulanus III.
L. Cornelius Maluginenſis.

Corinthii cum Megarenſibus decertant de finibus, Megarenſibus auxilio veniunt Athenienſes, & Corinthios duobus præliis vincunt, Duce Myronide. *Diodorus Sic. lib.* 11.

Thraſidæus Thebanus puer vincit triceſimam tertiam Pythiada. *Schol. Pind.*

Archon apud Athenienſes *Bion.*

Phocenſes Dorienſibus bellum inferunt, eoſque urbibus ſuis pellunt: Dorienſibus auxilio advenit Nicomedes tutor, Pliſtonactis regis pueri, qui Phocenſes iterum pellit, & rem componit. Athenienſes viam Spartanis redeuntibus obſident, & geminâ pugna cum iis in Bœotia congrediuntur, ſed utraque dubia; quapropter induciæ fiunt in tres menſes. *Diodor. lib.* 11.

Lyſias Rhetor naſcitur, *Dionyſ.*

Fabius *Conſul ad Antium exercitum ducit, ibiq, Volſcorum caſtra oppugnat & expugnat, ingentique prædâ potitur. Interim Æqui arcem Tuſculanam capiunt, eò tendit Fabius, & aliquot menſibus ibi bellum trahitur, fame tandem Æqui expulſi, in univerſum trucidantur. Alter Conſul cum Antiatibus pugnat, & urbem expugnat, captivos ſub haſta vendit, & autores defectionis ſecuri percutit: uterq; Conſul triumphavit. Fab.* 7. *Maji, Cornel.* 12. *Maji, qui dies incidunt in* 15. & 20. *Febr. ſequentis anni.*

Cenſus actus, & decimum ab origine urbis luſtrum conditum: cenſa ſunt civium capita 132319. Livius.

Oreſtes Theſſalorum rex regno pulſus, ad Athenienſes confugit, à quibus in regnum reduci petiit, ſed fruſtrà. *Thucyd. lib.* 1.

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei *viceſimi primi, incipit die* 2. *Sept. fer.* 7. *anno* Jud. 3304.

ANNO MUNDI 3493. *ante* C. N. 455.

GF. ☉ 1. ☽ 1.

Roma circa diem 16. *Maji*, Juliani *ineunt magiſtratum:*

Coſſ. C. Nautius Sp. F. Rutilus II.
L. Minutius Augurinus.

Cùm Volſci & Sabini agrum Romanum prædarentur, Nautius in Sabinos miſſus, cum exercitu eos longe lateq; vaſtat. Minutio in Volſcis neq; fortuna, neq; vis animi in negotio gerendo, adfuit, male pugnat, & in caſtris obſidetur. Ideò L. Quintius Cincinnatus *ab aratro ad Dictaturam evocatus, Conſulem obſidione eximit, ſed Conſulatu removet. Hoſtes vero, Ducibus captis, ſub jugum mittit, & prædâ ingenti potitur, quam ſuo tantùm exercitui impertit: triumphat Idibus Septemb. qui in Calendario Julianoeſt dies primus Julii hoc anno. & ſubrogato Conſule* Q. Fabio Vibulano IV. *dictaturâ ſe die 16. abdicat.* Dionyſius. Livius.

Archon apud Athenienſes *Mneſidiles.*

Empedecles & *Parmenides* florent, quamquam Parmenides Empedoclem ætate anteceſſit. *Euſeb.*

Thebani cum Xerxe in bello Perſico pacem coluerant, ideò victis Perſis in ſummo contemtu vivebant. Ut igitur à contemtu vindicarentur, dedunt ſe Spartanis, qui Thebas muniunt, & Boëtios vicinos Thebanis ſubeſſe jubent. Athenienſes hoc in ſui præjudicium fieri exiſtimant, & Duce Mironide Thebanis bellum inferunt, eosque gemina clade afficiunt, Tanagram & Locros Opuntios vi capiunt, Phocenſes ſubigunt, Theſſaliam vaſtant, & cum ingenti præda domum revertuntur. *Diod. Sic. lib. 11.*

Annus Nabonaſſaris 292. incipit die 15. Decembris, feriâ 1.

ANNO MUNDI 3494. *ante C. N. 454.*
E. ⊙ 2. ☽ 2.

Annus Artaxerxis Longimani regis Perſarum nonus.

Annus ab urbe condita numeratus 297.

Romæ magiſtratum circa diem 21. Maii ineunt:

Coſſ. C. Horatius, M. F. Pulvillus.
Q. Minutius Augur.

Sabini *agrum Romanum vaſtant, & Æqui Corbionem recipiunt, præſidiumque Romanum trucidant, & Latinos vaſtant, quò minus Coſſ. exercitum educerent. Obſteterunt Tribuni plebis in lege ferenda occupati, qui Senatui tandem extorſerunt, ut liceret decem tribunos plebis creare. quod ſtatim factum menſe Decembri. Inde* Coſſ. *exercitu conſcripto in hoſtes profecti omnia incendio & cæde vaſtant, & tandem hoſtibus profligatis, Corbionem funditùs evertunt.*

Olympias 81. acta die 26. Julii, feria 7. Eſt annus Olympiadicus 323.

Victor Stadii *Polymnaſtus* Cyrenæus.

Archon apud Athenienſes *Callias.*

Tolmides Dux Athenienſium aſſumta claſſe Peloponneſum vaſtat, Cephaleniam inſulam ſubjugat, & Naupactum expugnatam Meſſeniis, à Lacedæmoniis Peloponneſo ejectis, concedit. *Diodor. lib. 11. Hoc verò Pauſanias ante quinquennium factum ſcribit: perpendat lector, cui ſit accedendum.*

ANNO MUNDI 3495. *ante C. N. 453.*
D. ⊙ 3. ☽ 3.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 26. Maji Juliani:

Coſſ M. Valerius M. F. Maximus.
Sp. Virginius Tricoſtus Cœlimontanus.

Cenſorinus *ex commentariis quindecim virorum ludos ſeculares hiſce* Coſſ. *anno urbis 298. actos aſſerit.*

Archon apud Athenienſes *Soſiſtratus.*

Athenienſes *Periclem* claſſi præficiunt, qui populatus Peloponneſum, Acarnaniam Athenienſibus ſubjicit. *Diod. lib. 11.*

Tribuni *Plebis Romæ tantum ſibi ſumunt, ut Senatum convocare ſuæ poteſtatis eſſe aſſerant, quod quidem ipſis non conceditur: extorquent tamen Senatui, ut Aventinus mons plebi habitandus detur, atque ita annus ædificationibus conſumtus eſt.* Dionyſ. lib. 10.

ANNO MUNDI 3496. *ante C. N. 452.*
C. ⊙ 4. ☽ 4.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 31. Maji Juliani:

Coſſ. T. Romilius Rocus Vaticanus.
C. Veturius Geminus Cicurinus.

Cùm Romæ de legibus tanta contentione decertaretur, ut tres nobiliſſimi juvenes, qui legi ferendæ reſiſtebant, multâ pecuniariâ damnarentur; Æqui prædam in agro Romano agentes efficiunt, ut legum amplius ratio haberi non poſſet. Romilius igitur exercitum educit, hoſtes occiſis ſeptem millibus fugat, & prædam in ærarium, ob inopiam redegit: triumphus ipſi negatur, quod fortiſſimos quoſdam civium in præſentiſſimum diſcrimen conjecerat. Dion. Liv.

Archon apud Athenienſes *Ariſton.*

Ariſtarchus circa hæc tempora floret, fuit æqualis Euripidi.

Fœdera inter Peloponnenſes & Athenienſes inita quinquennalia, autore *Cimone*: Et Athenienſes Cypro arma inferunt, eodem Cimone Duce. *Diodor & Thucyd.*

In Sicilia, dum libertate rectè uti non poſſunt, ſeditiones exoriuntur: *Tyndarides* Syracuſis multos & beneficiis & muneribus ſibi conciliat, & tandem de tyrannide invadendâ conſilia init; quapropter ſupplicio afficitur, & lex fit de Petaliſmo Syracuſis inſtituendo, qui idem eſt cum Oſtraciſmo Athenis, ut ſuſpecti tyrannidis cives, quinquennio exulare juberentur. Verùm cùm prudentiores cives ſibi ab hac lege metuerent, & à rebus gerendis abſtinerent, in luxuriam tandem prolabuntur, & reſpublica idoneis gubernatoribus deſtituta eſt, & audaciores, qui rempubl. invadebant, contentiones alebant; quapropter brevi tempore poſt Petaliſmus Syracuſis eſt abrogatus.

ANNO MUNDI 3497. *ante C. N. 451.*
BA. ⊙ 5. ☽ 5.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 5. Jun. Juliani:

Coſſ. Sp. Tarpejus Montanus Capitol.
A. Aterius Fontinalis.

Superioris anni Conſules, magnâ Senatus indignatione, à plebe multâ pecuniariâ damnantur: nihilominùs tamen Novi his Conſules acriter ſeſe tribunis opponunt, ideò Tribuni tandem mitiores facti, Senatum orant, ut ipſe, quod æquum fuerit, in hac re ſtatuere velit. Senatus re deliberatâ, Legatos

delibe-

Athenas mittendos cenſet, qui inclitas Solonis leges deſcribant, & aliarum Græciæ civitatum inſtituta, mores, & jura cognoſcant. Dionyſ. Liv.

In Italia annis 58. poſt excidium Sybaritarum, *Theſſalus* quidam, collectis Sybaritarum reliquiis, Sybarim inſtaurare conatur, ſed ipſe cum ſuis poſt ſex annos à Crotoniatis ejicitur. *Diodor.*

Hetruſci mare latrociniis infeſtum reddunt, Syracuſani claſſem Duce *Phaylo* in Hetruriam mittunt, qui accepta pecuniâ nulla re geſta, domum redit. *Apellem* igitur mittunt, qui Corſicam Hetruſcis ſubjectam vaſtat & Æthaliam, & cum magna prædaredit. *Diod. Sic. lib.* 11.

Archon apud Athenienſes *Lyſicrates.*

Pericles inſtructa claſſe Peloponneſum invadit, & Sicyoniorum agros populatur, eosq; vincit, urbem tamen expugnare non poteſt; quapropter tranſit in Acarnaniam, ibiq; agros Oeniadum populatus domum redit. *Diodor.*

Geminæ Coloniæ mille civium ab Athenienſibus deductæ, altera à Pericle in Cherſoneſum, altera à *Tolmide* in Naxiorum terram, in Eubœam. *Diodor. lib.* 11.

Annus Nabonaſſaris 296. *incipit die* 14. *Decembris, feriâ* 5.

ANNO MUNDI 3498. *ante C. N.* 450. G. ☉ 6. ☽ 6.

Annus Artaxerxis Longimani regis Perſarum decimus tertius.

Annus ab urbe condita numeratus 301.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 10. *Junii Juliani:*

Coſſ. Sex. Quinctilius Varus.
P. Curiatius Tergeminus.

Tanta peſtis Romæ graſſatur, ut ferè dimidia pars civium perierit. Cadavera nec cremata, nec humata ſunt, ſed in Tyberim projecta, unde aqua corrupta ſunt, & malum latiùs ſparſum. Periit ſimul Conſul Quintilius Varus, & quatuor Tribuni plebis. In locum Coſſ. *ſuffectus eſt* Sp. Furius Medullinus Fuſus II.

Hoſtes, qui Romanum agrum infeſtabant, eâdem peſte infecti, domum redeunt. Dionyſ. Liv.

Olympias 82. *acta die* 11. *Auguſti, fer.* 7. *Eſt annus Olympiadicus* 325. Victor Stadii *Lycus* Theſſalus Lariſſæus.

Ion Poeta Tragicus & Lyricus, Tragœdias docet. *Euſeb.*

Archon apud Athenienſes *Cherephanes.*

Camarina urbs in Sicilia ab Hippocrate, olim Geloorum tyranno deſtructa, inſtauratur. *Euſeb.*

Ducetius potens in Sicilia Dux, totam inſulam ſibi ſubjicere conatur, & Acragantinos & Syracuſanorum, quòd imperitè bellum adminiſtraſſet, ſupplicio afficitur. *Diod. Sic.*

Spartani fœdere junguntur cum Argivis in annos triginta, quæ finita fuerunt anno decimo belli Peloponneſiaci. *Thucyd.*

ANNO MUNDI 3499. *ante C. N.* 449. F. ☉ 7. ☽ 7.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 15. *Jun. Juliani:*

Coſſ. P. Seſtius Capitolinus.
L. Menenius T. F. Lanatus.

Multum frumenti hisce Coſſ. *Romam comportatum eſt, & peſtis deſiit. Legati enim ex Græcia redierunt cum legibus, quas deſcripſerant. Deſcripſerat autem eas* Hermodorus *Epheſius, ut Pomponius Juriſconſultus refert, cui poſtea ſtatua poſita fuit in Comitio, ut habet* Plinius lib 34. *Fit autem inſtantibus Tribunis plebis Senatus Conſultum de Decemviris legum ſcribendarum causâ creandis abſq; provocatione, qui Magiſtratum ineant Idibus Maji ſequentibus.* Dionyſ. & Liv.

Archon apud Athenienſes *Antidotus.*

Ducetium in Sicilia Syracuſani & Acragantini iterùm bello invadunt & vincunt, quâ clade affectus, cùm amicorum inſidiis peteretur, ut Syracuſanis traderetur, ipſe Syracuſas abit, & fit populo ſupplex, ubi quidem gratiam hanc impetrat, ne interficiatur, relegatur tamen Corinthum. *Diodorus lib.* 11.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei *Judaici* 51. *incipit die* 14. *Sept. fer.* 7. *anno Jud.* 3311.

ANNO MUNDI 3500. *ante C. N.* 448. E. ☉ 8. ☽ 8.

Romæ Decemviri creati ineunt Magiſtratum Idibus Maji, ut Livius habet, quæ nobis incidunt ad rationem Calendarii Juliani, *in diem* 4. *menſis Aprilis.*

Decemviri, *App. Claudius Regillenſis, T. Genutius Augurinus, Sp. Veturius Craſſus, C. Julius Julus, SP. Poſtumius Albus, A. Manlius Volſo,* Ser. *Sulpitius Camerinus, T. Romilius Rocus, P. Curiatius Tergeminus, P. Seſtius Capitolinus.*

Decemviri decimo quoq; die ſumma æquitate ſinguli jus validum populo, alio tempore ferendis legibus operam dant, & tandem Decem Tabulas legum, in quibus jura ſummis infimisque, quantum decem ingeniis hominum provideri potuit, æquarant, proponunt. Hæ leges publicè propoſitæ examinantur, & poſt trinundinum Centuriatis Comitiis promulgantur, & æreis tabulis inciduntur. Dionyſ. Liv.

Archon apud Athenienſes *Euthydemus.*

Cimon Dux Athenienſium, cùm dudum à republ. abfuiſſet, quòd pulſus eſſet Athenis Oſtraciſmo, ſuperiori anno revocatus poſt cladem ad *Tanagrum*, pacem inter Græcos fecerat, Perſas etiam ingenti pugnâ vicerat, quâ centum naves amiſerant, hoc anno Cyprum invadit, & *Salamina* obſidet. *Artaxerxes* verò, cùm rem in ſummo diſcrimine verſari cerneret, cum Græcis pacem fieri jubet. Athenienſes non aſpernantur pacis conditiones, & tandem inter eos convenit, ut Perſæ omnes Græcorum colonias liberas & ſuis legibus permittant, & Athenienſes amplius Perſis non ſint moleſti. *Cimon* Dux in ipſa pacificatione decedit, quæ ratificatur anno ſequenti. *Diodor. Sic. Thucyd.*

Alcibiades cùm periret, fuit annorum quadraginta ſex, *teſte Cornelio Nepote.* Ergò natus eſt hoc anno.

ANNO MUNDI 3501. *ante C. N.* 447. DC. ☉ 9. ☽ 9.

Romæ *magna contentio in Decemviris creandis exoritur, quòd multi, etiam primores civitatis hunc honorem ambirent. Appius, qui Comitia habebat, primùm omnium ſe creat, peſſimo exemplo, inde aſſumit Collegas, quos vult: Q. Fabium Vibulanum, M. Cornelium Coſſum, M. Sergium, L. Minutium Augu-*

Augurem Q. Pontilium, T. Antonium Merendam, Cæſonem Duillium, Man. Rabulejum, Sp. Oppium: ii Magiſtratum ineunt Idibus Maji, quæ incidunt hoc anno in diem 9. Aprilis.

Decemviri hi ſtatim ineunt conſilium de retinendo ſibi in perpetuum decemviratu, & conjurant, ne alter ab altero diſſentiat, ſintq́; pari poteſtate, ſingulique duodenos habeant lictores cum faſcibus & ſecuribus, nec Comitiorum ullam faciunt mentionem. Dionyſius & Livius.

Archon apud Athenienſes *Pedieus.* Diod.

Pax inter Perſas & Græcos inita confirmatur ab Artaxerxe, & tota Ionia ferè ex ſervitute Perſarum liberatur. *Diodor.*

Annus Nabonaſſaris 300. incipit die 13. Decemb. feriâ 2.

Decemviri proponunt adhuc duas ſuarum legum tabulas, quæ tamen centuriatis Comitiis non ſunt confirmatæ. Liv.

ANNO MUNDI 3502. *ante C. N.* 446.
B. ☉ 10. ☽ 10.

Annus Artaxerxis Longimani regis Perſarum decimus ſeptimus.

Annus ab urbe condita numeratus 305.

Romæ cùm Idus Maji adveniſſent, nulla Comitia habita fuerunt, & Decemviri magiſtratum continuarunt, magna invidiâ populi & Senatus. Sabini de hac diſſenſione Romanorum certiores facti, in agrum Romanum excurrunt, & Æqui caſtris in Algidum poſitis Tuſculanis negotium faceſſunt. Senatus convocatur, ubi cum de republ. loqui vellet, impeditur, & bellum decernitur, quod infeliciſſimè geritur. A Sabinis enim vincuntur, caſtra tamen in tutiorem locum transferunt: In Algido caſtris exuuntur, & omnium rerum nudi à Tuſculanis recipiuntur. Domi Appius amore amens, L. Virginii, viri honorati, ſed Plebei filiam, à Cliente ſuo accuſari curat, & pro mancipio abducendam pronunciat. Parens, ut filiam à ſtupro defendat, eam ſumto à laniis cultro, trucidat. Plebs hiſce mota in Aventinum ſecedit, tribunitiam poteſtatem recuperat, & res ad Coſſ. redit. Creati:

Coſſ. L. Valerius Poplicola Potitus.
M. Horatius M. F. Barbatus.

Olympias 83 acta die 26. Jul. fer. 3. Eſt annus Olymp. 329. Victor Stadii *Criſon* Himeræus.

Archon apud Athenienſes *Philiſcus.*

Phidias Athenienſis inſignis ſtatuarius floret hiſce temporibus, frater ejus *Panæus* prælium Athenienſium adverſus Perſas in Marathone factum pinxit, eâ arte, ut noſcerentur Duces. Porrò Phidiam ſecuti ſunt multi alii, quos recenſet. *Plin. lib. 34. cap. 8.*

Sybaritæ iterum à Crotoniatis, cùm ſexennio ferè urbem ſuam incoluiſſent, ejiciuntur. *Diod. lib. 12.*

Megarenſes ab Athenienſibus ad Spartanos deficiunt, propterea ab Athenienſibus bello petuntur & vaſtantur.

Coſſ. Romani ſtatim, ut magiſtratum acceperunt, leges ferunt, ut Patritii etiam tenerentur eo, quod plebs tributim ſciſceret: & alteram, Ne quis ullum magiſtratũ crearet ſine provocatione. Paulò pòſt accuſante Virginio Appius Decemvir in carcerem abripitur à Tribunis plebis, in quo mortẽ conſciſcit, idem accidit etiam Oppio. Reliqui Decemviri voluntario exilio pœnam vitaverunt, in aſſeclas Decemvirorum nihil ſtatutum: inde Horatius Conſul in Sabinos, Valerius in Æquos & Volſcos profectus eſt, ibi dum trahunt bellum, Æqui interea prædatum abeunt in agrum Romanum, quod ubi intellexit Conſul in aciem educit, & inſigni victoriâ, caſtris etiam hoſtium expugnatis, potitur, idem factum in Sabinis. Senatus infenſus Coſſ. ſupplicationem amborum in unum diem conjicit, & Coſſ. triumphum negat. Populus contrà decernit triumphum, atque ita triumphant invito ſenatu, die Iduum ſextilis, unde manifeſtum, cùm adhuc in ſuo magiſtratu triumpharint, & poſtea tandem comitia novis Coſſ. creandis habuerint, quòd circa Calendas Septembris magiſtratum inierunt, vel poſtea. Cal. autem Sept. hujus anni incidunt in diem ferè 29. Julii.

ANNO MUNDI 3503. *ante C. N.* 445.
A. ☉ 11. ☽ 11.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 3. Auguſti.

Coſſ. Lart. Hermin. Eſquilin.
T. Virgin. Tricoſtus, Cœlim.

Lex à Tribunis plebis lata, ne pauciores, quàm decem Tribuni in comitiis creentur. Præcedenti enim anno tantùm quinque creati fuerant, reliqui verò adoptati; quod ne amplius fieret, hac lege cautum eſt.

Archon apud Athenienſes *Timarchides.*

Decernitur Romæ à Senatu; bellum Æquis inferendum; ſed cùm juniores ad nomina non reſponderent, bellum omiſſum eſt, & annus contentionibus tribunitiis eſt circumactus. Liv. 1.

Spartani in Atticam irrumpunt, & agrum Athenienſium vaſtant, plenique prædâ domum revertuntur: Athenienſes cladem ulturi, in Bœotios, qui cauſa belli erant, Duce Tolmide movent, qui Chæroneam occupat, ſed inſidiis interceptus cum ſuis vincitur & trucidatur, reliqui in captivitatem abducuntur. Athenienſes pro redemtione ſuorum captivorum urbes Bœotiorum reſtituunt, & liberas pronunciant.

Pliſtonactes Spartanorum rex, juſſus Atticam cum exercitu vaſtare, cùm ad Eleuſinen ſubſtitiſſet, nec ultra progrederetur, à Spartanis in exilium pulſus eſt, cùm regnaſſet annos 33. *Thucyd. lib. 2. Quis ſucceſſerit ipſi, non extat; poſt annos 19. mentio fit Pauſaniæ regis, ſed adhuc pupilli, anno quinto belli Peloponneſiaci.*

ANNO MUNDI 3504. *ante C. N.* 444.
G. ☉ 12. ☽ 12.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 8. Auguſti Juliani:

Coſſ. M. Geganius Macerinus.
C. Julius Julus.

Juniores patritii nobiles plebeiis hominibus & Tribunis plebis undique negotium faceſſunt, præſertim anno ad finem decurrente: plebs irritata de vindicta cogitat. Liv. lib. 3.

Archon apud Athenienſes *Callimachus.*

Cùm Athenienſes tanta clade à Bœotiis affecti eſſent ad Chæroneam, plurimi ſociorum ab Athenienſibus ad Spartanos deficiunt, inter cæteros etiam, quæ in Eubœa erant urbes. Pericles igitur inſtructus claſſe movet in Eubœam, & expugnatis quibusdam urbibus, ſub jugum Athenienſium totam inſulam redigit.

Sybaritæ à Crotonienſibus ante biennium ſuâ

urbe

urbe ejecti, legatos in Græciam mittunt, petitum ut vel Spartani vel Athenienſes autores ſuæ Coloniæ eſſe velint. A Spartanis autem repudiantur, Athenienſes verò decernunt Colonos eò mittendos ex ſua urbe, & tota alia Græcia, & Peloponneſo Colonos exciunt, & cum præſidio decem navium eò deducunt: Ex oraculo etiam diſcunt, ibi urbem condendam, ubi aquam ad menſuram, panem verò abſque menſurâ haberent. Invento igitur fonte, qui in Medimnum exuberabat, qui Thuria appellabatur, urbem eo nomine condunt. Statim verò ſeditiones exortæ, cùm veteres incolæ viciniores agros & meliores eligerent; Colonis verò remotiores darent, veteres incolæ ferè in univerſum trucidati ſunt. Coloni tum plures ex Græcia evocant, amicitiam cum Crotoniatis jungunt, & *Charondam* legumlatorem ſuæ urbis eligunt. *Diod. Sic.lib.12.*

Herodotus *Athenis in Panathenaic, quæ contingerunt ſemper die 15. Hecatombæonis, primi anni tetraeteridis, Attica, & hoc anno, die 4. Auguſti, prælegit ſuam hiſtoriam publicè, & corona donatur, quem flens admiratus eſt Thucydides juvenis, Clori filius, Hiſtoricus; inde profectus eſt Herodotus cum Colonis in magnam Græciam, ad novam urbem* Thurium *inſtaurandam, inde Thurius appellatur. Vixit*, inquit Joſephus Scaliger, *Herodotus dulciſſima illa τῆς ἱστορίας μοῦσα, annos 52. Vetuſtiſſimus eſt omnium ſolutæ orationis Scriptorum, qui hodie extant, ſcrinium originum Græcarum & barbararum, auctor à doctis nunquam deponendus, &c.*

Cùm Pericles Eubœam ſibi ſubjugâſſet, paulò poſt pax conciliatur inter Spartanos & Athenienſes in annos triginta, quæ tamen tantum quatuordecim annos duravit: inita eſt pax Archonte Callimacho, & ſcripta in columna apud Eleos, anno 3. Olymp.83 *Pauſ.*

Bellum in Sicilia inter Syracuſanos & Acragantinos ortum, quòd Syracuſani communem hoſtem Ducetium, qui jam iterum turbas dabat in Sicilia, ſalvum dimiſiſſent; quo bello victi ſunt Acragantini, & pacem petentes, eam à Syracuſanis obtinuerunt. *Diod. Sic.lib.12.*

ANNO MUNDI 3505. *ante C.N.* 443.
FE. ☉13 ☽13.

Archon apud Athenienſes *Lyſimachides.*

Sybaritæ à Colonis ſuis è Græcia evocatis ejecti, à Brutiis tandem in univerſum delentur. *Diod. Sic.lib.11.*

Athenienſes Heſtiæos in Eubœa propter perfidiam pellunt ſua urbe, & Colonos mille eò deducunt.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 13. Auguſti Iuliani:

Coſſ. T. Quintius Capitolinus Barbatus IV.
Agrippa Furius Fuſus Medullinus.

Æqui & Volſci Latinum agrum deprædantur, & cùm nemo obviam veniret, uſq; ad Eſquilinam Portam Romanum agrum vaſtant: interim Tribuni delectum impediunt. Conſul Quintius acerba oratione caſtigat plebem & Tribunos, exercitum educit, hoſtes egregia victoria vincit, caſtris exuit, & exercitum divitem prædâ reducit. Liv. lib. 4.

Annus Nabonaſſaru 304. incipit die 12. Decemb. feria 6.

*Ar*cini & Ardeates de agro quodam decertantes, judicem populum Romanum faciunt. Controverſia auditâ, Populus turpi exemplo agrum illum ſibi adjudicat, ſeductus à *Scaptio*, qui ſe milite agrum illum ex hoſtibus captum aſſerebat. *Liv. & Dionyſ.*

ANNO MUNDI 3506. *ante C.N.* 442.
D. ☉14. ☽14.

Annus Artaxerxis Longimani regis Perſarũ 21.

Annus ab urbe condita numeratus 309.

Charondas Leges præſcribit Thuriis, & circa hoc tempus etiam *Zaleucus* Locrenſibus fert leges: Ambo ex ſchola Pythagorica fuiſſe dicuntur.

Olympias LXXXIV. acta die 12. Aug. fer.4. Eſt annus Olympiadicus 333.

Stadium vicit *Criſon Himeræus* ſecundùm. Et hac Olympiade Rhedarum & equorum certamen prohibitum eſt. *Afric.*

Archon apud Athenienſes *Praxiteles.*

Meliſſus Samius Philoſophus floret.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 18. Auguſti Juliani:

Coſſ. M. Genutius Augurinus.
C. Curtius Philo.

Cùm Decemviri in legibus duodecim tabularum ſanxiſſent, ne Patriciis liceret cum plebe connubio jungi; quod videbantur feciſſe, ne per nuptias conciliata amicitiâ contra Decemviros pro libertate conſentirent: Canulejus *Tribunus plebis legem hanc abrogari cupit, & ſanciri, ut Patrum & plebis connubia promiſcua eſſent. Cui Patres vehementiſſimè reſtiterunt, cùm tamen ad civium concordiam, in qua civitatum ſalus eſt, nihil ſit utilius. Obtinuit igitur tandem* Canulejus *hoc. Alteram præterea legem ferre conatus eſt, ut alter utiq; conſul ex plebe fieret. De hac lege acerrimè diſceptatum totis annis 78. priusquam planè admitteretur: Jam obtinuit, ut* Tribuni Militares *conſulari poteſtate promiſcuè fierent, tàm ex plebe, quàm ex Patribus.*

Annus ſabbathicus 4. Jobeles 21. incipit 3. Sept. fer.7. anno Judaico 3318.

ANNO MUNDI 3507. *ante C.N.* 441.
C. ☉15. ☽15.

Archon apud Athenienſes *Lyſanias.*

Anno trecenteſimo decimo, inquit Livius, *quàm urbs Roma condita erat, primum Tribuni militum pro Conſulibus magiſtratum ineunt, circa diem 23. Auguſti, id quod conſentit cum hac Chronologiâ. Dionyſius contra affirmat, factum id eſſe ineunte anno tertio Olympiadis 84. atq; hoc modo id factum eſſet ſequenti anno, quod ſi ita, par Conſulum amiſſum eſſet, quod non veriſimile: & Roma à Gallis capta fuiſſet anno 2. Olymp. 98. quod pugnaret cum Dionyſio. Igitur aberratum à Dionyſio videtur. Ineunt igitur magiſtratum circa diem 23 Auguſti, ut dixi;* Tribuni Militares, *Conſulari poteſtate:*

A. Sempronius Atratinus.
L. Atilius Longus.
T. Cloelius *Siculus omnes Patricii. Hi abdicarunt ſe magiſtratu, quòd vitio creati Auguribus viderentur, tertio menſe, ſeu ut* Dionyſius habet, *poſt diem ſeptuageſimum tertium, & interregnum initium, quod duravit multos dies, cùm diſceptaretur, an Comitia Conſularia, aut tribunorum militarium haberi debeant. Creati tandem*

Coſſ.

Coſſ. L. Papirius Mugilanus.

L. Sempronius. A Fatratinus.

Videntur hi magiſtratum iniiſſe idibus Decembr. quemadmodum ſequentes Coſſ. ut Dionyſius habet, *propterea, quod Tribuni de annuo ſuo magiſtratu tres menſes decerpſerant. Incidunt autem Idus Decembr. in diem* Julianum *circiter 4. Decembris.*

ANNO MUNDI 3508. *ante* C. *N.* 440.
B. ☉ 16. ☽ 16.

Romæ Coſſ. Papirio & Sempronio fœdus ictum cum Ardeatibus, qui offenſi fuerant iniquo judicio populi Romani, quo agrum, de quo certabatur, ſibi adjudicarant. Id fœdus & Conſulum nomina in annalibus perſcripta fuerunt. Livius.

Archon apud Athenienſes *Diphilus.*

PAx, *inquit Diodorus Siculus,* hoc anno per totum orbem terrarum, cùm Græci etiam, fœdere tricennali inter Spartanos & Athenienſes icto, pacem inter ſe colerent.

Romæ circa diem 19. Decemb. Juliani *magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Geganius Macerinus II.

T. Quinctius Capitolinus Bar. V.

ANNO MUNDI 3509. *ante C. N.* 439.
AG. ☉ 17. ☽ 17.

Cum Roma ſeptendecim annorum ſpatio cenſus non eſſet actus, & verò ejuſmodi tempora inciderent, quibus Coſſ. aliis negotiis implicabantur, viſum eſt eam peculiari magiſtratu egere, quòd commodè accidit Patribus, qui putabant etiam hoc magiſtratu ſuo ordini autoritatem acceſſuram. Creati igitur Cenſores primi L. Papirius *Mugillanus &* L. Sempronius *Atratinus. Fuit autem penes hunc magiſtratum morum diſciplinaq́, Romana regimen, item Senatus, equitumq́, cenſura, decoris dedecorisque diſcrimen, jus publicorum privatorumque ædificiorum, & vectigalia populi Romani. Eidem etiam magiſtratui Scribarum miniſterium, cuſtodia & cura tabularum commiſſa fuit. Adigebant hi Cenſores equites ad jurandum, an ſuos equos rectè curarent, & politias ſeverè exigerent &c. Condiderunt luſtrum undecimum. Magna ſeditio apud Ardeates, quâ plebs Senatûs bona vaſtabat, diripiebat, & urbem obſidebat: Senatus Romanorum auxilia evocat; plebs, Volſcorum. Priores Volſci adveniunt, & urbem obſident. Conſul Geganius Volſcos viciſſim obſidet. Cùm res Volſcorum in anguſtiis eſſent, fatentur ſe victos, dedunt arma & Imperatorem, & ſub jugum miſſi cum ignominia diſcedunt. Conſul rempubl. Ardeatium conſtituit, & triumphat nonis Septembribus, quæ incidunt in Calendario circa diem 6. Septemb.* Liv. lib. 4.

Archon apud Athenienſes *Timocles.*

Bellum inter Mileſios & Samios oritur. Athenienſes Mileſiis auxilio veniunt, & Samum Duce Pericle expugnant, talentis 80. mulctant, & 80. obſides etiam capiunt: ſed decedente Pericle Samiorum exules inſulam recipiunt, & Perſarum auxilia advocant. Quapropter Pericles reverſus eos magna vi expugnat, & ducentis talentis mulctat. Peracta hæc ſunt novem menſibus.

Annus Nabonaſſaris 308. incipit die 11. Decembris, fer. 3.

Romæ circa diem 24. Decemb. Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Fabius Q. F. Vibulanus.

Poſtumus Æbutius Helva Cornicen.

ANNO MUNDI 350. *ante C. N.* 438.
F. ☉ 18. ☽ 18.

Annus Artaxerxis Longimani regis Perſarũ 25.

Annus ab urbe condita numeratus 313.

Coloniam Ardeam deducendam Senatus decernit, ſed plus Rutulorum ſcribuntur, quàm Romanorum, & illis ager, qui injuſto judicio interceptus erat, dividitur; quapropter offenſa plebs triumviros Coloniæ deducendæ in exilium ejicit, qui manſerunt in ſua Colonia Liv. lib. 4.

Olympias LXXXV. acta die 29. Julii, feria 2. Eſt annus Olympiadicus 337.

Stadium vicit *Criſon Himeræus* tertium.

Archon apud Athenienſes *Morychides.*

Edictum de veteri Comœdia amplius non ſcribendâ proponitur Athenis.

Artemones Clazomenius, qui machinas illas adornaverat, quibus Pericles Samum expugnavit, floret. *Diodor.*

Syracuſani Trinacrios hoſtes ſibi ſumunt, eosq; difficillima pugnâ victos trucidant, & *Trinacriam* Siculorum urbem excindunt, multaque munera Delphos mittunt. *Diodor. Lib. 12.*

Romæ circa diem 29. Decembr. Juliani Magiſtratum ineunt:

C. Furius Fuſus Pacilus.

Man. Papirius Craſſus.

ANNO MUNDI 3511. *ante C. N.* 437.
E. ☉ 19. ☽ 19.

Archon apud Athenienſes *Glaucides.*

Syracuſani pecunias extorquent à ſociis, & imperium univerſæ inſulæ affectant. *Diod.*

Bellum Corinthiacum ortum. Epidamnii enim ſeditione laborabant. & alteram partem urbe ejiciebant; ejecti exules ad Illyrios confugiunt, illorumque auxilia implorant, quibus urbem obſident. Obſeſſi auxilia Corcyræorum expoſcunt, à quibus negliguntur, Ideo ad Corinthios confugiunt, Corinthii auxilia mittunt, obſidionem ſolvunt, & præſidium imponunt. Cùm verò Epidamnum eſſet Colonia & Corcyræorum & Corinthiorum ſimul, Corcyræi hoc in ſuum præjudicium fieri exiſtimant, mittunt legatos, jubent exules omnes recipi, & petunt rem judicio legitimo diſcerni. Corinthii armis id experiri malunt, quapropter utrinque magnus armorum fit apparatus. *Diod. lib. 12.*

Tribuni plebis denunciantis ſe delectum impedituros niſi leges agrariæ ferrentur, ludibrio habentur, propterea quòd quieſcentibus finitimis apparatu bellico opus non eſſet, & Comitia conſularia, non Tribunorum militum indicuntur. Liv. lib. 4.

Phidias Statuarius circa hoc tempus dicitur eburneam Minervam expoliviſſe. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3512. *ante C. N.* 436.
D. ☉ 20. ☽ 1.

Romæ circa diem 5. Januar. Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Proculus Geganius Macerinus.

L. Menenius Lanatus II.

Annonâ laboratur Romæ multi de plebe fame coacti, obvolutis capitibus ſe in Tyberim præcipitaverunt.

Sp.

Sp. Melius *equeſtri ordine largitiones frumenti inſtituit, frumento in Hetruriâ per ſuos clientes coemto, quo beneficio delinita plebs eum in futurum annum conſulem deſtinat: ipſe, ut eſt animus humanus honorum inſatiabilis, de regno conſilia agitare incipit.* Liv. lib. 4.

L. Minutius *urgente plebe, à Senatu præfectus annonæ conſtituitur.* Ibid.

Archon apud Athenienſes *Theodorus.*

Athenienſes bello perſequitur *Anaenſes* in Cariâ, in quo bello *Sophocles* Tragicus Poeta primùm miles factus eſt. *Euſeb.*

Spartacus ad Cimmerium Boſphorum, regnat annis 7. *Diod. lib.* 12.

Corinthii & Corcyræi naves expediunt ad certamen ad Actium promontorium, & Corcyræi victores Epidamnum expugnant, Corinthios captivos in vincula condunt, & fines Corinthiorum undique vaſtant. *Diodor. lib.* 12.

ANNO MUNDI 3513. ante C. N 435.
CB. ☉ 21. ☽ 2.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 8. *Januarii Juliani:*

Coſſ. T. Quinctius Capitolinus Barb. VI.
A. Grippa Menenius Lanatus.

Præfectus annonæ Minutius *ad Senatum refert ſcela congeri in* Sp. Melii *ædes. Conſul Quintius conqueſtus poteſtatem ſuam longè minorem eſſe, quàm ut tanto malo obviam ire poſſet, Dictatorem dicit* L. Quinctium Cincinnatum, *virum octogenarium. Sp. Melius ad Dictatorem à* C. Servilio Ahala *magiſtro equitum vocatus, cùm comparere nollet, ſed tumultum cieret, & ſuos advocaret, obtruncatur. Dictator Sp. Melium jure cæſum pronunciat, ejus opes in ærarium redigit, & ædes ejus deſtruit; locus Æquimelium appellatus* Liv. lib. 4.

Corinthii non ita pridem à Corcyrenſibus victi, de novâ claſſe comparandâ conſilia agitant, fabros conducunt, & omnia ad prælium navale apparant: Corcyrenſes territi eorum conatu, idem inſtituunt. *Diod. lib.* 12.

Athenienſes iterum Coloniam in Thraciam *Amphipolin* mittunt, ita dictam, quòd ex utrâque parte flumen haberet *Diod. lib.* 12.

Annus ſabbathicus 5. *Jobelei* 21. *incipit die* 8. *Sept. fer.* 5. *anno Judaico* 3225.

Archon Athenienſium *Euthymenes.*

Comœdia *Ariſtophanis* Achernes acta Athenis, *Ariſtoph.* Edictum de Comœdiâ veteri non ſcribendâ, ante biennium latum Athenis, abrogatur.

Athenis propylæa, ſive ſuburbia ædificata.

Annus Nabonaſſaris 312. *incipit die* 10. *Decemb. feria* 7.

ANNO MUNDI 3514. ante C.N. 434.
A. ☉ 22. ☽ 3.

Annus Artaxerxis Longimani Perſarum regis 29.

Annus ab urbe condita 317.

Plebs Romana cæde Sp. Melii abalienata à patribus, Tribunos militares conſulari poteſtate creat, qui ineunt magiſtratum circa diem 13. *Januarii, fueruntque:*

Mamercus Æmilius Mamercinus.
L. Quinctius Cincinnatus.
L. Julius Julus.

Fidenæ *Colonia* *Romanorum ad* Larthem *Tolumnium Vejentum regem deficit, & Legatos Romanorum eâ de causâ miſſos, contra jus gentium trucidat. Legatis hiſce ſtatuæ publicè in Roſtris poſitæ.* Liv. lib. 4.

Olympias LXXXVI. acta die 14. *Aug. feria* 2. Eſt annus Olympiadicus 341.

Victor Stadii *Theopompus* Theſſalus.

Pantarces in luctâ puerorum palmam obtinuit. *Pauſan.*

Phrynichus Poeta Comicus apud Athenienſes incipit inclareſcere, & vincit hac Olympiade

Archon Athenienſes *Nauſimachus.*

Cùm jam ingentes claſſes comparâſſent Corinthii & Corcyræi, mittunt legatos de auxilio ad Athenienſes, qui auditâ utrâque parte, Corcyræis auxilia promittunt, & ſtatim decem naves egregiè inſtructas mittunt; fit prælium ingens. Corinthii enim habebant naves 150. Corcyræi centum & decem, & Corcyræi quidem in ſiniſtro cornu vincunt egregiè, ſed in dextro vincuntur, ubi tamen proteguntur ab Athenienſibus: Die ad veſperam inclinante, fervente adhuc pugnâ, adveniunt adhuc viginti Athenienſium naves, quibus viſis Corinthii pugnâ excedunt. *Diodor. lib.* 12. *& Thucyd. primo.*

Iſocrates natus Archonte Nauſimacho, quinquennio ante Peloponneſiacum bellum, minor Lyſiâ annis 22. obiit Archonte Chæronide, paucis diebus poſt prælium ad Chæroneam. Vixit annos nonaginta octo. *Dion. tom.* 2.

ANNO MUNDI 3515. ante C.N. 433.
G. ☉ 23. ☽ 4.

Romæ circa diem 18. *Januarii Juliani Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Geganius Macerinus III.
L. Sergius, qui in hoc honore Fidenas eſt appellatus.

Sergius cum rege Vejentium Larthe *Tolumnio pugnat, & vincit, ſed adeo cruentâ victoriâ, ut ex amiſſis civibus major dolor eſſet, quàm ex victoriâ lætitia. Dictator igitur dicitur* Mamercus Æmilius *Mamercinus, qui ſupplementum legionibus addit: quapropter & Vejentes Faliſcos ſocios acerſunt, ſed dictator egregiâ victoriâ potitur, & rex etiam Vejentum in hac pugnâ à Tribuno militum A. Cornelio Coſſo dicitur occiſus. Triumphavit Dictator Idibus Septembribus, quæ in Calendarium Julianum incidunt ferè in diem* 14. *Octob.* Livius.

Archon apud Athenienſes *Antilochides.*

Corinthii hoſtes Athenienſium, perſuadent Potidæenſibus, ut ab Athenienſibus deficiant, & ad ſe accedant. *Perdiccas* etiam rex Macedonum Thraciæ civitates abalienat ab Athenienſibus, & Chalcidenſibus autor eſt, ut in *Olynthum* urbem ſimul concedant, & eam urbem validam faciant. Athenienſes interim in Macedoniam legatos mittunt, & cum Perdiccâ pacem ineunt, ad Potidæam verò exercitum mittunt, eos & Corinthios ſimul vincunt, & Potidæam obſident. *Diod lib.* 12. *Thucyd. lib.* 1.

ANNO MUNDI 3516. ante C. N. 432.
F. ☉ 24. ☽ 5.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 23. *Januarii Juliani:*

Coſſ. M. Cornelius Maluginenſis Coſſus.
L. Papirius Craſſus.

Exercitus in agrum Vejentem ducti, præda abacta hominum pecorumque, hoſtis nullibi inventus. Reliquo anni tempore Roma morbis laboratum eſt, crebrique terræmotus facti, ideo in unum diem obſecratio à populo inſtituta. Liv. lib. 4.

Archon *Chares.*

Thurii inter ſe diſſident, cùm coloni ex universâ Græciâ ibidem conveniſſent, Athenienſes autem omnium plurimos miſiſſent, quisnam autor Coloniæ deductæ dici debeat? Cùm res explicari non poſſet, legatum mittunt Delphos ſciſcitatum. Apollo conſultus ſe autorem nominat, atque ita diſſenſiones finitæ ſunt. *Diod. lib.* 12.

Diodorus Siculus tradit, *Archidamum* Spartanorum regem defunctum, cùm annos 42. regnâſſet, & *Agin* ſucceſſiſſe. At verò idem Diodorus & Thucyd. affirmant, hunc Archidamum primam in Atticam incurſionem cum ſuis Spartanis feciſſe ab hinc poſt triennium. Ergò neceſſe eſt errorem à Diodoro in annis ejus eſſe commiſſum.

ANNO MUNDI 3517. ante C.N. 431.
ED. ☉ 25. ☽ 6.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 28. Januarii Juliani:

Coſſ. C. Julius Julus II.
L. Virginius Tricoſtus.

Peſtilentiſſimus hic annus fuit, unde conſulibus de bello nulla cura. Fidenates igitur aſſumpto Vejentium auxilio prædas undique ex agro Romano agunt, & tandem caſtra ad portam collinam ponunt. Romani in anguſtiis conſtituti per Coſſ. Dictatorem creant, *Q. Servilium Priſcum* vel *Structum*, ut quidam habent, qui hoſtes ab urbe removit, acie vicit, & Fidenas compulit, urbem, quod ſatis munita eſſet, & commeatu inſtructa, obſidere noluit, oppugnavit tamen & tandem cuniculo in arcem acto cepit, unde nomen fecit ſibi *Fidenas Liv. lib.* 4.

Archon apud Athenienſes *Apſeudes. Diodor.*

Spartacus rex Boſphori, cùm annos 17. regnâſſet, moritur; ſuccedit *Seleucus*, qui regnat annos quatuor. *Diod. lib.* 12.

In Italiâ Tarentini urbem *Heracleam* condunt. *Diod.*

Annus Nabonaſſaris 316. incipit die 9. Decembris feria 4.

ANNO MUNDI 3518. ante C.N. 430.
C. ☉ 26. ☽ 7.

Annus à condita Roma numeratus 321.

Annus Artaxerxis Longimani Perſarum regis 35.

Romæ circa diem 2. Februarii ibidem hi Coſſ. reficiuntur, teſte Marco Licinio, vel alii ſufficiuntur, ut Valerius Antias habet.

M. Manilius Capitolinus.
Q. Sulpitius Peticus.

Cenſores C. Furius Fuſius Pacilus & M. Geganius Macerinus locum ſibi Romæ eligunt, ubi cenſum agere, & luſtrum condere poſſint, villam publicam in Campo Martio, ibique cenſus peractus eſt. Livius lib. 4.

Meton, Pauſaniæ filius, non ſolùm aquiliciis & librationibus nobilis, ut qui fontes Athenis induxerat; ſed etiam ſcientiâ rerum Aſtronomicarum clarus, Enneadecaeteridem, quam vocant, promulgat, à decimo tertio die Scirrophorionis Attici menſis exorſus. In novendecim enim annis Luminaria in eundem ſtatum revertuntur, & quaſi magni anni circumvolutionem abſolvunt; id circo novendecim anni, vel Enneadecaeteris annus Metonicus appellatur. Incidit autem dies 13. Scirrophorionis annis Attici in diem 14. Julii Juliani: Novilunium medium incidit in diem 15. Julii, feriâ 5. in horam 11. 40. poſt mediam noctem: Verum Novilunium in horam poſt meridiem 8. Athenis. Propoſita autem eſt, cùm Aſpeudes adhuc in magiſtratu eſſet. *Diod. Sic. lib.* 12.

Ptolomæus lib. 3. cap. 1. μεγ. συν. *meminit ſolſtitii æſtivi, obſervati ab Aſtronomis* Metone & Euctemone *hoc anno die 21. Phamenot menſis, anni Nabonaſſares 316. in principio diei. Is dies incidit in Calendario Juliano in diem 27. Junii in feriam primam. Si tabulas noſtras Annorum tropicorum æquabilium ingrediamur, invenimus hoc anno ſolſtitium æſtivum eodem die 27. Junii feriâ primâ, horâ ſeptimâ, minutis 28. poſt mediam noctem, idque Hieroſolymis. Athenis eſſet horâ ſextâ ferè.*

Olympias LXXXVII. die 30. Jul. feria 6. Eſt annus Olympiadicus 345.

Victor Stadii *Sophron* Ambraciota. Pancration vicit *Dorseus* Rhodius.

Archon apud Athenienſes *Pythodorus.*

Ariſtomenes Comicus innoteſcit.

Trepidatum fuit hoc anno in Hetruriâ, poſt Fidenas captas. Vejentes convocant duodecim Hetruriæ populos ad Volumnæ templum, petuntque ab ipſis auxilium contra Romanos, quod tamen ipſis denegatur, propterea quod integram rem non cum Hetruria populis communicâſſent. Terrorem tamen hoc concilium incuſſit Romanis, & propterea Dictator dictus Mamercus Æmilius Mamercinus *qui cùm foris pax eſſet, cenſuram, quæ quinquennalis erat, ad ſeſquiannum redigit, quâ de causâ tribu à cenſoribus movetur, quod adeo malè habuit populum, ut cenſores violati eſſent, niſi ipſe Æmilium id prohibuiſſet.* Liv. lib. 4.

Archidamus Spartanorum rex, cum ſocii conquererentur de vi atque injuriis Athenienſium, diſſuadet bellum, cenſetque legatos diſceptandi causâ ad Athenienſes mittendos, & interim bellum apparandum eſſe. *Stenelaidas* Ephorus autem bellum ſuadet, ideo decretum fit, bellum gerendum: mittunt tamen Delphos, inde accepto oraculo iterum conſultant, & decernitur Athenienſes fœdifragos eſſe, & apparandum bellum. In apparatu autem priusquam in Atticam irrumperent, ferè conſumptus eſt annus. *Thucyd. lib.* 1.

Ad *Potidæam* Corinthiorum duo millia, qui in præſidio erant, erumpunt, & cum Athenienſibus pugnant. *Callias* Athenienſium dux in eo prælio ſuccumbit, nihilominus tamen Athenienſes victoriam obtinent, & *Phormio* dux in locum *Calliæ* ſubſtituitur. *Diodor. lib.* 12. factum die 7. Novembr.

ANNO MUNDI 3519. ante C.N. 429.
B. ☉ 27. ☽ 8.

Romæ circa diem 7. Februarii Juliani, Tribuni militares conſulari poteſtate Magiſtratum ineunt:

M. Fabius. Q. F. Vibulanus.
M. Foſlius Flaccinator.
L. Sergius Fidenas.

Belli

Belli Peloponneſiaci cauſa fuit: *Megarenſes* prohibiti jam dudum finibus ab Athenienſibus, ad Spartanos ſe conferunt, petuntque ut ſibi auxilio ſint, ut decretum illud Athenienſium aboleatur. Spartani Megarenſium cauſam ſuſcipiunt, ſed Pericles contra obnitens, obtinet Spartanis in hac re non gratificandum, ideò Spartani copias comparant, regem Perſarum & alios de auxiliis ſollicitant.

Cum Pythodorus adhuc per duos menſes eſſet Archon futurus, ſexto menſe à pugna ad Potidæam in vere, Thebani Platæas urbem occupare conantes, trecentes noctu urbi immiſerunt in neomenia, quos tamen Platæenſes noctu vicerunt, & captos trucidarunt: Captivorum fuerunt centum & octoginta. Hac Tebanorum fraude fœdera rupta ſunt, & Athenienſes præparaverunt ſe ad bellum. *Thucyd. l. 2.* factum in novilunio, die 6. Maji.

Archon apud Atheneſes *Euthydemus.*

Die octogeſimo ab iis, quæ ad Platæas geſta ſunt, jam in æſtate, frumentisque maturis *Archidamus* Spartanorum rex, cum exercitum ad Iſthmum collegiſſet, & *Oenoen* tentaſſet, in Atticam venit, ibique omnia ferro & igne vaſtat. Pericles, cùm cæteri obviam prædatoribus ire vellent, claſſe comparatâ potius in Peloponneſum navigat, ibi majora damna Spartanis infert, quam Atticæ intulerant.

Caterùm tùm eò navigarent, teſte Plutarcho, Thucydide & Valerio Maximo, facta eſt Eclipſis ſolis in æſtate, & quidem poſt meridiem: & tanta fuit, ut ſtellæ interlucerent. Hæc Eclipſis invenitur ad haſce tabulas die 3. Aug. fer. 4. poſt horam ſextam à meridie, minutis ferè 45. Parall. latitudinis 42. 10. Latitudo vera ſeptent. 40. 30. viſa: 1. 40. Semidiam. ſolis 15. 13. ſcrup. reſidua 28. 45. digiti eclipt. 11. 20. Stellæ itaque primæ magnitudinis, Arcturus, Spica, cor Leonis, item Venus, cùm Eclipſis fieret convenienti loco, in gradu videlicet 4. 30. Leonis, facilè videri potuerunt.

Peſtilentia atrox Romæ aliarum rerum otium præbuit, Ædes Apollini vota, multaque facta placandæ Deum iræ & peſtis avertendæ à populo causâ, nihilominus ingens pecorum & hominum ſtrages facta. Fame ne urbs conflictaretur, cùm agri inculti jacerent, in finitimas regiones & in Siciliam etiam legationes miſſæ. Liv. lib. 4.

Athenienſes *Æginetas* cum liberis & uxoribus ſuis ſedibus ejiciunt, quòd cauſa hujus belli fuiſſent; qui in Peloponneſum ad Spartanos abeunt, & Thyream incolendam accipiunt, plerique in alias urbes diſperſi ſunt. Athenienſes mille Colonos Æginam mittunt, quibus ædes & agros diſtribuunt. *Thucyd. & Diod.*

In hyeme aliæ fuerunt expeditiones: Athenienſes in Peloponneſum, Acarnaniam, & in agrum Megaricum irrumpunt.

Franci, Duce *Marcomiro,* numero 175658. ad bellum promptiſſimi, ex Scythiâ à Gotthis pulſi, in Germaniam veniunt, & Friſiam occidentalem, Geldriam, & Hollandiam occupant. *Trith.*

ANNO MUNDI 3520. ante C. N. 428.
A. ☉ 28. ☽ 9.

Romæ circa diem 12. Februarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Tribuni Militares conſulari poteſtate:
L. Pinarius Mamercinus Rufus.
L. Furius Medullinus.
Sp. Poſtumius Albus.

Principes plebis Romæ conqueruntur apud Tribunos plebis, quòd nemo ex plebe in tot annis Tribunus militaris conſulari poteſtate electus ſit, cùm tamen id liceat, & cauſa conjicitur in nobilium ambitionem: quapropter lex à Tribunis plebis promulgatur, ne cui album veſtimentum addere petitionis causâ liceret. Reſtiterunt Patricii, nihilominus lex promulgatur, ſed Senatus conſulto non comitia Tribunorum, ſed conſularia habita ſunt. Liv. lib. 4.

Peloponnenſes ſociique, duce *Archidamo* rege Spartanorum, iterum Atticam populantur, cùm eodem tempore ingrueret *Peſtis* Atticæ Vaſtatio illa fuit quadraginta dierum, & multi Peloponnenſium cädem peſte correpti ſunt: Nihilominus tamen Athenienſes claſſe in Peloponneſum trajiciunt, cladem regerunt, & ut revocentur illi Prædatores efficiunt. *Thucyd. lib. 2.*

Peſtis illa ex Æthiopiâ in Ægyptum venit, inde Athenas in Pyræum, ita ut Athenienſes arbitrarentur, puteos à Spartanis eſſe veneno infectos. Crudeliſſimè autem Athenis hæc peſtis graſſata eſt, ita ut ſimile exemplum dari non poſſit. *Thucyd. lib. 2.*

Archon apud Athenienſes *Apollodorus.*

Eupolis Poeta floret. *Euſeb.*

Athenienſes Potidæam novum exercitum mittunt, ut urbem magnâ vi aggrederentur & expugnarent, ſed fruſtra hoc fuit; Ideò & peſte & cladibus & ſumptu exhauſti, legatos de pace ad Spartanos mittunt, ſed ejusmodi conditiones proponuntur, quas admittere Athenienſes non poſſunt; quapropter Pericles malorum omnium inſimulatur, qui concione advocatâ populum conſolatur, & bene ſperare jubet. *Thucyd.*

Athenienſes Lacedæmoniorum legatos, ad Perſarum regem abeuntes, auxilia petitum, capiunt & trucidant, quòd Spartani etiam ſuos negotiatores occidiſſent. *Thucyd. lib. 2.*

Adveniente hyeme Potidæatæ fame exhauſti ſe dedunt, cùm obſidionem ultra biennium toleraſſent, & Athenienſes plus quàm duo millia talentorum in hanc obſidionem abſumpſiſſent. Exierunt ſingulis ſuis veſtimentis & certo viatico viri, fœminæ binis; & in Peloponneſum profecti ſunt. Athenienſes Colonos eò miſerunt. *Thucyd. lib. 2.*

Annus ſabbathicus 6. Jobelei 21. incipit die 21. Sept. fer. 5. anno Jud. 3332.

ANNO MUNDI 3521. ante C. N. 427.
GF. ☉ 1. ☽ 10.

Romæ circa diem 17. Februarii Magiſtratum ineunt:

Coſſ. T. Quinctius Cincinnatus.
C. Julius Mento.

Bellum iterum ab Æquis & Volſcis infertur, & bina in Algido caſtra firmant; unde Senatus territus, Dictatorem dici jubet, Conſules negant Dictatore opus eſſe, ſed coguntur à Tribunis plebis, & dicitur A. Poſtumius Tubertus, *qui itidem bina caſtra munit. Hoſtes noctu adoriuntur caſtra Conſulis, eaque oppugnant. Dictator Conſuli auxilia mittit, & partem aliam militum ad hoſtium caſtra oppugnanda.*

Cùm luceſceret, hoſtes ingenti ſtrage vincuntur, & utraque caſtra expugnantur, & Dictator triumphans in urbem rediit. Liv. lib. 4.

Inſigne quid, *inquit Livius*, magnis rebus huic anno additur, nihil tum ad rem Romanam pertinere viſum, quòd Carthaginenſes tanti futuri hoſtes, tum primùm per ſeditionem Siculorum ad alterius partis auxilium in Siciliam exercitum trajecêre.

Sed fallitur Livius. *Nam & Carthaginenſes ante quinquaginta annos in Siciliam trajecerant bello Perſico, ubi maximâ clade affecti ſeptuaginta annis quieverunt, & poſt novendecim annos evocati ab Ægeſtanis tandem cum claſſe in Siciliam redeunt.* Diodorus Sic. lib. 13.

Annus tertius belli Peloponneſiaci.

Peloponnenſes duce *Archidamo* Platæas urbem aggrediuntur, eam obſident, & ſeptuaginta dierum ſpatio munimentis cingunt; ſed cùm duceretur obſidio, murum Spartani circa urbem dicunt, & Platæenſes ita includunt (dimiſerant tamen Platæenſes uxores cum liberis Athenas) & autumno ineunte ſub ortum Arcturi, dimidio exercitu ibi relicto, reliquos dimittunt. *Thucyd. lib. 2.*

Athenienſes contrà in Thraciam ad Chalcidem exercitum educunt, ubi magnâ clade affecti ſunt, & tàm duces quàm milites numero 430. amittunt. *Thucyd. ibid.*

Phormio Dux Athenienſium viginti navium claſſe quadriginta duas naves Corinthiorum vincit, duodecim ex eis capit, & Prætoriam atque alias deprimit. Paulò pòſt Corinthii claſſem 77. navium in haſce viginti Athenienſium immittunt, & novem ex iis capiunt, undecim verò effugiunt; quæ cùm viderent Corinthiorum claſſem nullo ordine ſe inſequentem, prælium repetunt, totam claſſem fugant, ſex de hoſtibus naves capiunt, ſuas antea captas recipiunt, & trophæum ſtatuunt. *Ibid.*

Spartani Piræum Athenienſium portum invaſuri, vaſtant Salaminem ſed auxiliis Athenienſium advenientibus diſcedunt. Athenienſes contrà Salaminem præſidio firmant, & Piræum muniunt. *Thucyd.*

Archon apud Athenienſes *Epaminondas.*

Pericles Dux Athenienſium, qui fulminare dicebatur, ſi quando orationem habebat, moritur. *Diod.*

Sitalces Thracum rex Perdiccæ Macedonum regi bellum infert, Amyntæ filium Philippum, regem Macedonibus impoſiturus, ideoque Macedoniam vaſtat, & multas urbes capit, ſed curante Perdiccâ pax fit, & in Thraciam mediâ hyeme redit. *Thucyd. lib. 2.*

Annus Nabonaſſaris 320. incipit die 8. Decembr. feria 1.

ANNO MUNDI 3522. ante C. N. 426.
F. ⊙ 2. ☽ 11.

Annus ab urbe condita numeratus 325.

Annus Artaxerxis regis Perſarum triceſimus ſeptimus.

Belli Peloponneſiaci annus quartus.

Romæ circa diem 22. Februarii Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Papirius Craſſus II.
L. Julius Julus.

Æquorum legati pacem & fœdus à Romanis petunt, & obtinent inducias in octo annos. Volſci contrà dum quidam pacem, quidam bellum præoptant, ſeditionibus agitantur, & otium Romanis præbent. Senatus cum intellexiſſet, Tribunos plebis id operam dare, ut legem ferant de æſtimatione mulctarum per plebem facienda ipſi præoccupant ferre.

Plato *Philoſophorum Deus naſcitur hoc anno, die 7. Thargelionis, ut Diogenes Laërtius habet* lib. 3. *qui incidit in diem 24. Maji.*

Moritur anno primo Olymp. 108. *agens annum octuageſimum, fuit Iſocrate minor ſex annis.*

Peloponnenſes iterum cum Archidamo Atticam invadunt, & vaſtant. *Lesbus* inſula ab Athenienſibus deſicit, igitur claſſem quadraginta navium eò mittunt. Alteram claſſem Athenienſes ad Acarnanes mittunt, ubi tamen Dux *Aſopius* cum paucis aliis occiſus eſt. Facta hæc ſunt paulò ante Olympiorum certamen. *Thucyd. lib. 3.*

Archon apud Athenienſes *Diotimus.*

Olympias LXXXIIX. acta die 15. Aug. feria 6. Eſt annus Olympiadicus 349.

Stadium vicit *Symmachus* Meſſenius ex Siciliâ. Pancratium verò *Dorieus* Rhodius ſecundùm.

Athenienſes Mitylenem terrâ marique obſident, & cùm pecuniâ deſtruerentur ipſi, contribuunt ducenta talenta. *Ibid.*

Platæenſes plusquam annuo ſpatio obſeſſi, cùm annona deeſſet, conſtituunt per munitiones Spartanorum effugere. Et eorum ducenti & duodecim murum illum, quo cingebantur, tranſcendunt, & Athenas abeunt. Factum in hyeme, turbidâ nocte & illuni. *Thucyd. lib. 3.*

ANNO MUNDI 3523. ante C. N. 425.
D. ⊙ 3. ☽ 12.

Romæ circa diem 27. Febr. Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Sergius Fidenas II.
Hoſtius Lucretius Tricipitinus.

Eſt annus belli Peloponneſiaci quintus.

Nihil annotatum, quod hiſce Coſſ. *Romæ actum ſit.*

Peloponnenſes iterum Atticam invadunt, Duce *Cleomene*, Patruo *Pauſaniæ* Regis, qui pupillus erat. *Thucyd. lib. 3.*

Mitylenæi fame adacti cum Athenienſibus tranſigunt, ſeque dedunt, in quos Athenienſes crudele decretum faciunt, ut omnes puberes interficiantur. Poſtero die pœnitentiâ ducti, id decretum tollunt, celeritate navis impediunt & naves tantùm ac muros ipſis impediunt, & naves tantùm ac muros ipſis adimunt. *Ibid.*

Platæenſes reliqui, fame coacti, tandem ſe Peloponnenſibus dedunt, ſed Spartani crudeliter in eos conſulunt, & ad unum omnes occîdunt, numero 225. & urbem Megarenſibus profugis habitandam tradunt: anno ſequenti totam urbem funditus evertunt, & agrum publicant, traduntque Thebanis. Factum anno nonageſimo tertio, quàm Platæenſes inierunt ſocietatem cum Athenienſibus. *Ibid.*

Pliſtonactes rex Spartanorum, cùm annis novendecim exulâſſet, revocatur, & reſtituitur in regnum à Spartanis, oraculo monitis. Studioſiſſimus hic pacis fuit, quòd metuerit vel invidiam, vel periculum ex belli caſibus. *Thucyd. lib. 5.*

Corcyrenſes ſeditione laborant, ſexaginta ſenatores trucidant, & populum nocte vincunt:

Fue-

Fuerunt hi ſeditioſi ex partibus Corinthiorum. Populus verò ſervitiis adjutus, ſequente die vincit: Victi ut ſe defendant, urbem incendunt. Athenienſium Dux *Nicoſtratus* ſuperveniens, pacem inter eos facit: Decem, qui autores fuerunt, occidere voluit, ſed ii aufugiunt. Interim claſſis Spartanorum advenit, cum quâ Corcyrenſes pugnant, ſed vincuntur, Athenienſium quidem naves duodecim egregiè ſe gerunt, ſed in tantâ multitudine parum effecerunt. Paulò pòſt alia claſſis Athenienſium ſupervenit, & ſupplicium tandem ſumptum eſt de autoribus ſeditionis. *Thucyd. lib.* 3.

Archon apud Athenienſes *Euclides*.

Syracuſani obſident in Siciliâ Leontinos: Leontini auxilium implorant Athenienſium, per *Gorgiam* Rhetorem. Is eſt *Gorgias*, qui centum minas à diſcipulis exigebat, (tauſend Ducaten ferè) perſuaſitque Athenienſibus, ut claſſem Rhegium in Italiam mitterent. *Thucyd. & Diodor.*

Hyeme ingruente peſtis Athenienſium recrudu-it. Perierunt milites præter plebem aliam, quatuor mille & quadringenti: peſtis eadem graſſata etiam fuerat ſuperiori biennio.

ANNO MUNDI 3524. ante C.N. 424.
C. ☉ 4. ☽ 13.

Annus ſextus belli Peloponneſiaci.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 4. Martii Juliani:

Coſſ. A. Cornelius Coſſus.
T. Quinctius Pennus Cincin. II.

Præter ſiccitatem anni, & aquæ cœleſtes defuerunt, & terra etiam ingenito humore ad fluvios non ſatis ſuffecit. Exaruerunt etiam fontes, inde peſtis exorta ingens, & propter peſtem invaſit animos multiplex religio, & ut plurimùm externa. Cùm igitur peregrina ſacra in urbem inveherentur, Ædilibus negotium datum eſt, ut non niſi Romani Dii colerentur. Livius lib. 4.

Bellum adverſus Vejentes exortum, in quo Conſul Coſſus Larthem Tolumnium Vejentium regem occidit, & ſecundus Spolia Opima *poſt Romulum Jovi Feretrio retulit, & triumphavit*, ut Livius teſtatur, *qui cum Auguſto capitolium ingreſſus, clypeum Coſſi, hujus rei teſtem vidit: quanquam Livius contra ſuum ipſius teſtimonium hanc victoriam novem annis priorem fecit.*

Archon apud Athenienſes *Euthydemus*.

Peloponneſii iterum in Atticam irrupturi, deterrentur terræmotibus ad Iſthmum, & domum redeunt, qui terræmotus partem Inſulæ Eubœæ demerſit, & alibi aliquid terræ appoſuit. Interim Athenienſes vaſtant Bœotiam. *Thucyd. lib.* 3.

Athenienſes invadunt Ætolos, & quosdam eorum vicos capiunt, ſed cùm Ætoli convenîſſent, cum clade Athenienſes inde repelluntur. Ætoli perſequentes victoriam, Naupactum, quo Athenienſes confugerant, oppugnant, ſed fortiter ab Athenienſibus rejiciuntur. *Ibid.*

Peloponnenſes contrà cum Ambraciotis Argos vaſtant, ſed Athenienſes & Acarnanes adveniunt auxilio, & ingenti clade Peloponnenſes afficiunt: ceciderunt ferè omnes Ambraciotæ, ne *Ambracia* caperetur, obſtiterunt Argivi & Acarnanes, ne Athenienſes haberent ſuos vicinos. *Ibid.*

Cùm peſtis non magnoperè remitteret, Athenienſes cauſam in DEI iram conferunt, & *Delum* Inſulam Apolloni ſacram luſtrant, & Deliorum Panegyricum certamen longo tempore intermiſſum inſtaurant. *Diod. Sic. lib.* 12.

Athenienſes paulò ante hyemem plures naves in Siciliam mittunt, ut bellum illud citiùs finiatur, & ſui in re maritimâ magis exerceantur. Sed Siculi ſibi metuentes ab Athenienſibus, de pace faciendâ conſilia agitant. *Thucyd. lib.* 3.

Archidamus Spartanorum rex, cùm regnâſſet annis 47. moritur, ſuccedit ex Proclis familiâ filius *Agis*, qui regnat annis 29. *Diodor.*

Lacedæmonii vere ſacro voto *Thrachinam* urbem, jam multos annos dirutam, miſſis eò tribus millibus colonorum, ex ſex millibus aliorum Græcorum, inſtaurant, & *Heracleam* appellant. *Diod. & Thucyd.*

Ætna mons igneos globos evomit, quibus Catanenſium ager & aliorum vicinorum exuſtus eſt. Factum anno quinquaſimo pòſt, cùm ſimiliter hujusmodi globos eructaret. *Thucyd. lib.* 3.

ANNO MUNDI 3525. ante C.N. 423.
BA. ☉ 5. ☽ 14.

Annus ſeptimus belli Peloponneſiaci.

Romæ circa diem 9. Martii Julianum Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Servilius Structus Ahala.
L. Papirius Mugillanus II.

Feciales ad Vejentes miſſi, qui finitis induciis rebellaverant, res repetitum, nec eorum verba audita ſunt: quapropter ad populum latum, an ipſis indicendum eſſet bellum? omnes tribus juſſerunt, & ſimul cenſuerunt, comitia Tribunorum militarium habenda. Livius lib. 14.

Syracuſani & Locrenſes in Italiâ Meſſanam Siciliæ proditione capiunt, cùm vellent deficere ab Athenienſibus: variis modis inde bellum geritur, & auxilia plura Athenienſium accerſuntur. *Thucyd. lib.* 4.

Peloponnenſes cum ſociis iterum Atticam ingrediuntur, eamque vaſtant, duce *Agide*, rege Lacedæmoniorum, quindecim diebus. Athenienſes contra quadraginta naves in Italiam mittunt, & Demoſtenem, cum aliquot navibus, qui circum Peloponneſum res ageret. Hic aſſecutus reliquas Athenienſium naves, cùm tempeſtas eſſet, iis perſuadet, ut Pylum muniant, quod & fecerunt, abſque ullo inſtrumento fabrili: quod cum Peloponnenſes in Atticâ audirent, domum redeunt, & acriter pugnatur à Spartanis ad recuperandum Pylum, & Inſula præterea à Spartanis occupatur. Sed Athenienſium naves ſexaginta claſſem Spartanorum vincunt, & qui in Inſulâ erant, obſident commeatu intercluſo. Spartani cùm res in arcto eſſet, legatos Athenas mittunt de pace: ſed ea legatio irrita fuit, conſumpti ſunt viginti dies in hâc legatione, Ideò Spartani iterum Pylum obſident, & ſuos in Inſulâ concluſos commeatu per urinatores, ut poſſunt, ſuſtentant per dies ſeptuaginta duos, & tandem ab Athenienſibus, cùm ſeſe traditis armis dederent, capiuntur, & Athenas mittuntur. *Thucyd. ibid.*

Archon apud Athenienſes *Stratocles*.

Eclipſis Lunaris indicatur ab Ariſtophane, in Nubibus Comœdiâ, quam Scholion annotat factum, Ar-

chonte Stratocle, menſe Boedromione. Ad Calendarium Julianum accidit die 9. Octobris, & Athenis quidem die 6. Boedromionis veſperi poſt meridiem, horâ ſextâ, minut. 44. 39. Latitudo vera minut. 14. 6. Summa ſemidiametrorum 60. 89. ſcrupula reſidua 48. 15. Digiti Ecliptici 17. 21. Cæpit ſeſquihora ferè antequam oriretur, & planè obſcurata luna orta eſt, atque ideò fuit terribilior, & meliùs obſervari potuit. Sol fuit in 13. gradu Libræ.

Claſſis Athenienſium in Siciliam mittenda Corcyram abit, & exules ibidem totam Inſulam vaſtantes oppugnat & capit, quos poſtea Corcyrenſes fraude abreptos trucidant. *Thucyd. lib.* 4.

Athenienſes præterea in Corinthios claſſem ducunt, eos pugnâ vincunt, & *Methonem* muniunt præſidium quoque ad vaſtandum vicinum agrum imponunt.

Ineunte hyeme moritur *Artaxerxes* Perſarum Rex, cùm annos 40. regnâſſet. Succedit *Xerxes* filius, ut *Diod. Sic. habet*, qui regnat anno uno, *lib.* 12. alii tamen habent, hunc *Xerxem* vix duobus menſibus imperâſſe, *ut Cteſias.*

Annus Nabonaſſaris 324. incipit die 7. Decemb. feria 5.

ANNO MUNDI 3526. ante C.N. 422.
G. ☉ 6. ☽ 15.

Annus à condita urbe numeratus 329.
Annus Xerxis filii Artaxerxis primus.
Annus octavus belli Peloponneſiaci.

Romæ circa diem 14. Martii, Juliani ineunt Magiſtratum:

Tribuni militum conſulari poteſtate.
T. Quinctius Pennus Cincinnatus.
C. Furius Fuſus Pacilus.
M. Poſtumius Albinus Regillenſis.
A. Cornelius Coſſus.

Thucydides annotat Eclipſin Solarem, anno octavo belli Peloponneſiaci, ineunte vere, quâ Solis aliqua pars obſcurata fuit. Ea facta die 21. Martii Juliani, feriâ quartâ, Athenis hora 11. minut. 20. poſt mediam noctē. Sol fuit in gradu 24. Piſcium. Latitudo vera 49. 13. Parall. Latitudo 32. 26. viſa ſeptent. 16. 47. ſemidiā. Solis 15. 24. ſcrup. reſidua 13. 16. digiti Ecliptici 5. 10.

Vejentibus a Romanis bellum infertur, tribus Ducibus ſimul, qui diſſentientes inter ſe, malè rem gerunt, plus tamen ignominiæ acceptum quam cladis. Dictator igitur dicitur Mam. Æmilius Mamercinus III. *Vejentes contrà de ſuâ victoriâ gloriabundi, ex Hetruria multos milites voluntarios trahunt, & Fidenates etiam ſocios belli accipiunt, qui colonos ſuos trucidârunt. Pugna non procul Fidenis inita, & in ipſo ardore pugnæ cohors igneis facibus armata ex urbe erupit, & multum tumultuata eſt. Nihilominus Dictator egregiam victoriam obtinet, caſtra & oppidum capit, diripit, & triumphat, die 16. ab acceptâ Dictaturâ, ſeque abdicat.* Liv. lib. 4.

Lesbii coeunt ad Antandrum, Mitylenem recuperaturi, ſed irritus fuit conatus, & Antandro ab Athenienſibus ejiciuntur. *Thucyd. lib.* 4.

Athenienſes ſexaginta naves in Inſulam Cythera deducunt imminentem terræ Laconicæ, Maleam verſus, eam deditione capiunt; inde ab Æginetas profecti Thyream capiunt, captivos Athenas perducunt, & è Pylo ac Cytheris rem Spartanam in anguſtias redigunt. *Ibid.*

Archon apud Athenienſes *Iſarchus.*

Olympias LXXXIX. acta die 1. Aug. fer. 4. Eſt annus Olympiadicus 353.

Stadium vicit *Symmachus* Meſſenius ſecundùm, & Pancratium itidem *Dorieus* Rhodius tertiùm.

Sogdianus in regno Perſico *Xerxi* defuncto ſuccedit, regnatque menſes ſeptem. *Diodor.*

In Siciliâ civitates ſuaſu Hippocratis in concordiam veniunt, & Athenienſium auxilia dimittunt. Athenieſes Duces ſuos, quòd hanc pacem non turbâſſent, & Siciliam ſibi ſubjeciſſent, exilio mulctant. Tantâ fiduciâ erant Athenienſes ex felicitate rerum geſtarum, ut florentiſſimam & urbibus & viris Inſulam occupatu facillimam exiſtimarent.

Lacedæmonii Braſidam Ducem, ut eſſet Perdiccæ regi Macedonum auxilio, ut Thraciam mittunt. Cùm verò ſibi à ſervis ſuis metuerent, ne in cives paucos, cùm reliqui eſſent in expeditione, irruerent, edixerunt, qui ſervorum in proximo bello ſe ſtrenuè contra hoſtes egiſſent, à reliquis ſecernerentur, tanquam libertate donandi: atque duo millia ſervorum, coronatos libertate donârunt, ſed ſtatim ad unum omnes interfecerunt. *Braſidas* verò in Thraciam veniens, multas urbes & Juſtitiâ & æquitate ſuâ in ſocietatem Spartanorum illexit. *Thucyd. lib.* 4.

Athenienſes Delium muniunt, Thebani collecto exercitu Athenienſes domum redeuntes invadunt, & prælio ſuperant, quanquam difficili. Ceciderunt Thebanorum quingenti: Athenienſium nongenti cum Duce, & Delium poſt diem decimum ſeptimum recipitur. *Ibid.*

Braſidas in Thraciâ etiam Amphipolin, Athenienſium Coloniam, proditione & tolerabilibus conditionibus in ſuam poteſtatem redigit.

Thucydides Hiſtoricus, qui Dux ab Athenienſibus electus erat, & Amphipolin defendere debuerat, cùm ſeriùs veniſſet peractâ re, in exilium ejicitur. *Thucyd.*

Sitacles Thracum rex, victus à Triballis vitâ excedit, cui ſuccedit *Seuthes* patruelis. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3527. ante C.N. 421.
F. ☉ 7. ☽ 16.

Belli Peloponneſiaci annus nonus.

Mortuo *Sogdiano* in regno Perſico, ſuccedit *Darius Nothus*, regnatque annos novendecim.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 19. Martii Juliani:

Tribuni Conſulari poteſtate:
A. Sempronius Atratinus.
L. Furius Medullinus II.
L. Quinctius Cincinnatus II.
L. Horatius Barbatus.

Statim ineunte vere Lacedæmonii & Athenienſes annuas inducias ineunt, die 14. Elaphebolionis apud Athenienſes: Apud Spartanos verò die 12. menſis Gerapii: Eſt ad Calendarium Julianum dies 24. Aprilis, feriâ quartâ, die 5. poſt plenilunium. Nec enim Spartani ante Plenilunium res, quæ ad rem publicam attinent, aggrediuntur. Duraverunt hæ induciæ annum integrum, & præterea menſem, usque ad Pythiorum feſtum, quod agebatur ſequenti anno, die 6. Thargelionis

nis ad Calendarium Julianum die 1. Junii *Thucyd. lib. 4. & quinto in initio.*

Duobus diebus poſt initas inducias Scionæi deficiunt ab Athenienſibus ad Braſidam, ut & Menda urbs. Quapropter Athenienſes ruptas inducias crediderunt: Ideò miſſo exercitu Mendam recipiunt, & Scionæos obſident. *Thucyd. lib.* 4.

Braſidas cum tempore induciarum non haberet, quod ageret, in Thraciam movet, & Perdiccæ regi auxilia adducit: Sed cum Illyrii advenirent Perdiccas ſuos in tutum recipit, & Braſidam hoſti objicit: Braſidas clade affectus, Macedoniam hoſtiliter vaſtat, quapropter Perdiccas ſocietatem & amicitiam cum Athenienſibus paciſcitur.

Archon apud Athenienſes *Amynias.*

Ariſtophanes Comœdiam Nephelas exhibet ſub hoc Archonte. *Diog. Laert.*

Annus ſabbathicus & Jobeleus Judaicus 21. *incipit die* 5. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 3339.

Roma Vejentibus, cum miſſis legatis hoc peterent, annorum viginti induciæ datæ, & Æquis triennii: ab ſeditionibus etiam urbanis otium fuit. Liv. lib. 4.

Templum Junionis apud Argos deflagravit, culpa *Chriſidis* Sacerdotis, quæ lucernam propiùs victis admoverat. *Thucyd. lib.* 4.

ANNO MUNDI 3528. ante C.N. 420.
E. ☉ 8. ☽ 17.

Belli Peloponneſiaci annus decimus.

Romæ circa diem 24. *Martii Magiſtratum ineunt:*

Tribuni militares conſulari poteſtate:
Ap. Claudius Craſſinus.
Sp. Nautius Rutilus.
L. Sergius Fidenas II.
Sex. Julius Tullus.

Induciæ annuæ inter Athenienſes & Lacedæmonios exeunt, in feſto Pythiorum: unde manifeſtum, Pythia celebrata in initio æſtatis, & quidem paulò ante tertium annum cujusvis Olympiadis, die 6. Thargelionis, ut alibi habetur. *Thucyd. lib.* 5.

Scionæi ab Athenienſibus expugnantur, omnes puberes interficiuntur, & urbs Platæenſibus habitanda conceditur. *Thucyd. ibid.*

Annus hic apud Romanos ludis bello votis celebris, & apparatu, & etiam finitimorum concurſu. Liv. lib. 4.

Archon apud Athenienſes *Alcæus.*

Haggæus Propheta, anno Darii regis Perſarum ſecundo, finiente ferè anno Sabbathico, & primo anno operarum ineunte, menſe Judæorum ſexto, & neomenia ejus menſis, quæ incidunt ad Calendarium Julianum in diem 24. Auguſti, in feriam primã, adhortatur populum Judaicum ad inſtaurãdum templum. *Haggæus cap.* 1. Die verò viceſimo primo menſis ſeptimi, qui eſt dies 12. Octobr. feria 5. per Haggæum Deus promittit gloriam templi ſecundi futuram majorem, quàm quæ fuerit primi. Sic die 24. menſis noni, qui eſt 13. Decembr. feria 7. Deus promittit fertilitatem agrorum. *Haggai* 2.

Zacharias Propheta eodem anno ſecundo DARII regis Perſarum ineunte, poſt annum Sabbathicum, anno operarum primo menſe octavo, qui inchoatur in Calendario Juliano die 22. Octobris, promittit felicem inſtaurationis templi progreſſum. *Zacharias* 1. *cap.*

Cleon Dux Athenienſium cum navibus & exercitu profectus, *Toronam* recipit, cives captos Athenas mittit, uxores & alia in ſervitutem abripit. Inde ad *Amphipolin* accedit, ubi à *Braſida* prælio laceſſitus cadit, quemadmodum & Braſidas. Athenienſes tamen, etſi militibus præſtabant, victi ſunt & ad ſexcentos milites amiſerunt. Factum ineunte autumno. *Thucyd. lib.* 5.

Roma tribuni plebis populum ſummopere concitant, ut tandem Tribunos militum, cum id liceat, ex plebe creent: Senatus veritus, ne ſummum imperium ad plebejos devolvatur, per Appium, cum reliqui Decemviri abeſſent comitia conſularia habenda decernit. Livius libro 4.

Tricennalia fœdera Lacedæmoniorum & Argivorum hoc anno exeunt, quæ continuare Argivi noluerunt, niſi terra Cynuria ſibi reſtitueretur. Spartani cum vererentur, ne Argivi Athenienſibus jungerentur, de bello componendo cogitant. *Thucyd. lib.* 5.

Samnites, *cum bello Hetruſcos fatigaſſent, in ſocietatem agrorum & in urbem* Vulturnum *ab Hetruſcis aſſumuntur. Paulò poſt per fraudem, incolas ſomno epuliſq; gravatos, novi coloni trucidant, urbem ſibi uſurpant, &* Capuam *appellant. Hoc quidem Livius hoc anno accidiſſe ſcribit, ſed ſi* Vellejum *audimus, accidit ante annos* 54. *ducentis videlicet & ſexaginta annis, antequam Capua ab Hannibale occuparetur.*

ANNO MUNDI 3529. ante C.N. 419.
DC. ☉ 9. ☽ 18.

Belli Peloponneſiaci annus undecimus.

Zacharias menſe Schebat, qui eſt Judæorum undecimus, die 24. ejus menſis, qui ad Calendarium Julianum incidit in diem 10. Februarii, feriam quartam, iterum per viſionem, quam habuerat, populum Judaicum hortatur, ad perſeverentiam in concendo templo. *Zachar.* 1.

Roma circa diem 29. *Martii Juliani Magiſtratum occipiunt:*

Coſſ. C. Sempronius Atratinus.
Q. Fabius Q. F. Vibulanus.

Spartani cum metuerent, ne Argivi, quorum induciæ exierant, Athenienſibus jungerentur fœdere, ipſi pacem cum Athenienſibus faciunt in annos quinquaginta: Sancita eſt hæc pax, cum Spartanorum Ephorus Eponymus eſſet *Pliſtolas*, die 27. Artemiſii. Athenis verò adhuc Archonte *Alcæo*, die 25. Elaphebolionis menſis, qui nobis ad Calendarium Julianum incidit in diem 17. April. feriam ſeptimam, decem ſolidis annis & pauculis diebus à prima in Atticam incurſione. *Thucyd. lib.* 5.

Archon apud Athenienſes *Ariſtion.*

Civitates Græciæ, cùm in conditionibus pacis expreſsè additum eſſet, nihil, niſi ex ſententia Spartanorum & Athenienſium in hac pace immutandum, ſuſpicari in ſui perniciem pacem factam; Corinthiis autoribus Argis conveniunt, ſocietatem jurant, & Argivos Principes fœderis faciunt, acceſſerunt huic fœderi Mantinæi & Elei. *Ibid.*

Poſt initum fœdus Spartani *Amphipolin* Athenienſibus non reddunt, cum hoc invitis Thracibus non poſſent, jungunt præterea ſocietatem cum Bœotiis, & *Panactum* vertunt, quod integrum reſtituere debebant Athenienſibus: quapropter & Athenienſes Pylum non reddunt, Meſſenios tamen abducunt, & ipſi locum cuſtodiunt. *Thucyd. lib. 5.*

Volſci Romanorum hoſtes, in legendis Ducibus & exercitu ſcribendo valdè intenti, contra Romanos proficiſcuntur. Sempronius Conſul, ſuis nimium fidens, negligenter bellum adminiſtrat, ita ut plus diſciplinà militaris apud hoſtes eſſet, quàm apud Romanos. Ideò valdè ancipiti prælio dimicatum. Sex. Tempanius *præfectus equitum, cum reliquis equitibus pedes in hoſtes irruit labantem aciem reſtituit, & prælium uſque in noctem extendit, æqua clade. Ita ex prælio diſceſſum.* Liv. lib. 4.

ANNNO MUNDI 3530. ante C.N. 418.
B. ☉ 10. ☽ 19.

Annus Nabonaſſari 328. incipit die 6. Decembr. feria 2.

Annus ab urbe condita numeratus 333.

Annus Darii Nothi regis Perſarum 4.

Belli Peloponneſiaci annus duodecimus.

Roma Magiſtratum ineunt circa diem 3. Aprilis Juliani:

Tribuni militares conſulari poteſtate:
L. Manlius Capitolinus Volſo.
Q. Antonius Merenda.
L. Papirius Mugillanus.
L. Servilius Structus.

Campani *Cumanos prælio vincunt, urbem* Cumas *capiunt, incolas in ſervitutem redigunt, colonosque ex ſua gente eò deducunt.* Diodorus Siculus lib. 12. *Livius tandem hanc hiſtoriam habet poſt triennium, ſed utri accedendum ſit, difficile eſt judicatu, cum neuter, ex quo autore hanc hiſtoriam deſcripſerit, indicet. Videtur tamen Diodoro potius accedendum.*

Varia fœdera inter Græcos feriuntur, quæ eadem levitate, qua inita ſunt, reſcinduntur. Spartani cum Bœotis ineunt ſocietatem, excluſis Athenienſibus; Athenienſes contra cum Argivis, Mantinæis & Eleis. Ab his Corinthii diſcedunt, cum unà ſenſiſſent. *Thucyd. lib. 5.*

Sempronio *ſuperioris anni Conſuli, dies dicitur de prælio contra Volſcos imperitè inſtituto, qui judicio eripitur à reliquis Tribunis plebis, qui nolebant ſuum Ducem damnari.*

Archon apud Athenienſes *Ariſtophylus.*

Olympias 90. acta die 17. Auguſt. feria 4. Eſt annus Olympiadicus 357.

Stadium vicit *Hyperbius* Syracuſanus.

In Pancratii verò certamine vicit *Androſthenes* Arcas. *Thucyd. lib. 5.*

Theantus verò in Pugillatu puerili. *Pauſ.*

Spartani ab Eleis in hac Olympiade celebranda excluduntur, quod induciarum tempore Lepreum invaſiſſent, & mulcta ipſis dicitur duo millia minarum, ſecundum leges, quàm tamen Spartani ſolvere recuſarunt: hinc bellum poſtmodum ortum. *Thuc.*

Heraclea urbs Spartanorum in Trachine, bello petiturà vicinis Theſſalis & aliis, & vincitur: Moleſtè enim ferebant Theſſali, urbem hanc ſuis cervicibus impoſitam.

Zacharias Propheta anno quarto Darii regis, die quarta menſis Chaslev, qui eſt menſis nonus, die 2. Nov. Juliani, feria quarta, jubet Judæos bonis operibus potiùs ſtudere, quam inanibus ceremoniis. *Zach. cap. 7.*

ANNO MUNDI 3531. ante C.N. 417.
A. ☉ 11. ☽ 1.

Annus belli Peloponneſiaci decimus tertius.

Roma Magiſtratum ineunt circa diem octavum Aprilis Juliani:

Coſſ. T. Quinctius Capitolinus Barbatus.
Numerius Fabius Vibulanus.

Æqui Romanis bellum faciunt: Fabius *cum contra eos duxiſſet, hoſtes in turpem fugam conjicit; Datum Conſuli ut ovans urbem ingrederetur. Inde certamen ortum in augendo numero Quæſtorum: Tribuni plebis contendunt, ex plebe duos reliquis adjungendos. Senatus vult, ut hoc liberū relinquatur populo Romano, ut vel ex plebe, vel ex patribus Quæſtores crearet, cum conveniri non poſſet, res differtur in ſequentem annum, cujus major pars exacta fuit certaminibus Tribunorum, qui Conſules creari prohibebant. Tandem Tribuni militares creati,* Livius lib. 4.

Archon apud Athenienſes *Archias.*

Argivi apud Athenienſes invadunt Epidaurios quibus auxilium afferunt Spartani: at verò cum litare non poſſent, copias domum reducunt. Argivi nihil remittunt, igitur tandem Spartani auxilia mittunt, idque contra fœdus; quapropter Athenienſes, Meſſenios & latrones alios ad vaſtandos Spartanos in Pylum reducunt. *Thucyd. lib. 5.*

ANNO MUNDI 3532. ante C.N. 416.
G. ☉ 12. ☽ 2.

Annus belli Peloponneſiaci decimus quartus.

Roma cum major pars anni extracta eſſet certaminibus Tribunitiis, tandem per interregem creantur:

Tribuni militares conſulari poteſtate:
T. Quintius Cincinnatus II.
M. Manlius Capitolinus Volſo.
L. Furius Medullinus III.
A. Sempronius Atratinus II.

Paulò poſt aguntur Quæſtorum comitia, & omnes quatuor creantur ex Patriciis, ut & Tribuni militum: quapropter orta eſt ſuſpicio fraudis in comitiis à Sempronio adhibita, & cū ipſe in magiſtratu tutus eſſet, patruelem ipſius, quod ante triennium improvidè contra Volſcos pugnaverat, in judicium vocant, damnantq́; 15. millibus æris. Liv. lib. 4.

Archon apud Athenienſes *Antipho.*

Spartani, ut Epidaurium ſublevarent, cum exercitu in agrum Argivorum pergunt, ibi exercitus Argivorum in providè in planum deductus, ab hoſtibus concluditur. In re trepida Dux Argivorum ad Agin regem Lacedæmoniorum mittit, ut abſtineret bello, Argivos cum Spartanis judicio certare paratos. Ita factæ induciæ in quatuor men-

menſes, & exercitus abducti. Ex induciæ ruptæ ſunt ab Argivis ſuaſu Athenienſium, & exercitus *Orchomenon* ductus, eum cæpit, & ſimul obſides Spartanos. Inde Tegeam abeunt, ubi ſocii Elei, quòd non ad ſuam voluntatem res gererentur à ſocietate recedunt. *Thuc. lib. 5.*

Argivi cum ſociis Athenienſibus & aliis vincuntur à Spartanis ad Mantineam, amiſſis ferè mille militibus, & Epidaurii etiam vaſtant agrum Argivorum: quapropter Argivi relictis Athenienſibus paciſcuntur cum Spartanis in quinquaginta annos, ut & Mantinæi in triginta annos. Athenienſes verò domum abeunt. *Thuc. lib. 5.*

Marcomirus *Francorum Dux injuria Gallorum laceſſitus, Rhenum tranſit, & inſulas Rheno concluſas occupat.* Trithemius.

ANNO MUNDI 3533. ante C. N. 415.
FE. ☉ 13. ☽ 3.

Annus belli Peloponneſiaci decimus quintus.

Templum ſecundum Hieroſolymis abſolutum, à Zorobabele, anno ſexto Darii finiente, die 3. menſis Adar, qui eſt in Calendario Juliano dies ſextus Febr. feria quarta. *Eſra 6. v. 5.*

Romæ magiſtratum ineunt circa diem decimum octavum Aprilis.

Tribuni Militares conſulari poteſtate:
Agrippa Menenius Lanatus.
Sp. Nautius Rutilus.
P. Lucretius Tricipitinus.
Servilius Axilla.

Servitia in urbe Roma, ut urbem diſtantibus locis incenderent, conjurarunt, & populo ad opem paſſim ferendam tectis intento, ut arcem Capitoliumque armati occuparent; ſed indicio duorum comprehenſi ſontes, pœnas dederunt.

Archon apud Athenienſes *Euphemus.*

Argivi juſſu Spartanorum mutata Repub. Oligarchiam admiſerant: ſed populus pœnitens facti, poſt octavum menſem aggreditur eos, qui fœdus cum Spartanis fecerant, eosque urbe expellit, & Athenienſes acceſſit. Athenienſes Duce Alcibiade remp. Argivorum conſtituunt, & Democratiam inſtaurant, contra ſentientes urbe pellunt, Spartani contra exules recipiunt, & in Agrolide, quam ſibi eo ipſo tempore ſubjecerant, cum præſidio collocant, ut Argivos populentur. Argivi verò auxilis Athenienſium & præſidium & exules expugnant, & trucidant. *Diodor. lib. 12. Thucyd. lib. 5.*

Perdicca hoſtis à populo Athenienſi judicatur. *Thucyd. lib. 5.*

Annus Nabonaſſaris 332. incipit die 5. Decembris feria 6.

ANNO MUNDI 3534. ante C. N. 414.
D. ☉ 14. ☽ 4.

Annus ab urbe condita numeratus 337.
Annus Darii Nothi regis Perſarum octavus.
Annus belli Peloponneſiaci decimus ſextus.
Romæ circa diem 23. Aprilis ineunt Magiſtratum:

Tribuni militares conſulari poteſtate:
M. Papirius Mugillanus
C. Servilius Axilla II.
L. Sergius Fidenas III.

Perdicca rex Macedonum circa hæc tempora mortuus eſt, de cujus annis mirè diſcrepant autores, ut videre eſt apud Athenæum: Verùm cum ſuperiori anno hoſtis populi Athenienſis judicatus ſit, apparet eum defunctum circa quadrageſimum quartum regni annum: ſuccedit ipſi filius Archelaus, qui regnat annis 16.

Lavicani navi hoſtes Romanis exorti, qui ſeſe cum Æquis jungunt, & Tuſculanum agrum vaſtant. Tribuni militares affectant omnes belli provinciam, & curam urbis, ut ingratam ignobilemque aſpernantur. Q. Servilius Priſcus conjectans, hoc diſſidium cladem urbi allaturum filium jubet extra ordinem urbi præeſſe, & exercitum conſcribere. Re malè geſta, à filio parens Dictator *dicitur, filius contra Magiſter equitum à parente, qui hoſtes egregiè vincit, & octavo die Magiſtratu abit. Coloni inde 1500. Lavicum ſcribuntur.* Liv. lib. 4.

Archon apud Athenienſes *Ariſtomneſtus.*

Olympias 91. Acta die 3. Auguſti fer. 2. Eſt annus Olympiadicus 361.

Stadium vicit *Exanetus* Acragantinus.

Xenocrates Philoſophus naſcitur. *Diog.*

Annus ſabbathicus primus Judæici viceſimi ſecundi incipit die 17. Septembr. fer. 5. anno Jud. 3346.

Athenienſes Melios oppugnant, muroque cingunt, & in Peloponneſo prædæ aguntur à præſidio in Pylo. Melios ineunte hyeme expugnant, omneſque puberes interficiunt, reliquos in captivitatem abducunt. Spartani contra permittunt ſuis, ut qui velint, prædas ex Attico agro agant. *Thucyd. lib. 5.*

Selinuntii & *Ægeſtani* in Sicilia de finibus certant, & Ægeſtani cum minus poſſent, aſſumptis Leontinis auxilia ab Athenienſibus petunt. Athenienſes prius legatos in Siciliam mittunt exploratum de ſtatu Ægeſtanorum, & de pecunia, de qua Ægeſtani gloriabantur. *Thucyd. lib. 5.*

Spartani vaſtant Argivos, & eorum exules in *Orneas* collocant, ipſiſque præſidium addunt. Athenienſes auxilium Argivis adducentes, eos fugant, & Orneas evertunt. *Thucyd. lib. 6.*

ANNO MUNDI 3535. ante C. N. 413.
C. ☉ 15. ☽ 5.

Annus belli Peloponneſiaci decimus ſeptimus.

Arceſilas octavus à *Batio*, qui Cyrenen inſtauraverat, & octogeſimam Olympiadem vicerat, trucidatur. *Diog.*

Romæ circa diem 28. Aprilis Juliani, ineunt Magiſtratum:

Tribuni militum conſulari poteſtate:
P. Lucretius Tricipitinus II.
L. Servilius Structus II.
Agrippa Menenius Lanatus II.
Sp. Veturius Craſſus.

Hiſce in Magiſtratu exiſtentibus, res foris tranquillæ fuerunt, domi diſcordia gliſcere cæpit. Liv. lib. 4.

Archon apud Athenienſes *Archias.*

Diagoras Phyſicus Philoſophus floret. Athenienſes hoc anno talentum ei decernunt, qui Diagoram interficeret, duo talenta qui vivum adduceret. *Athen.*

Athenienſes decernunt, Ægeſtanos in Sicilia adjuvandos eſſe, ideò parant claſſem ſexaginta navium quod valdè diſſuaſit Nicias, ſuadet verò & perſuadet Alcibiades. Paulò pòſt iterum diſſuadet Nicias hanc expeditionem argumento ſumpto à magnitudine ſumptuum; nihilominùs decernitur profectio, quæ inſtituta eſt in media æſtate. Paulò ante profectionem in novilunio, Hermarum capita Athenis auferuntur, de qua re quæſtio inſtituta ſevereque exercetur. Inter cæteros delatus apud Athenienſes de violatis Hermis *Alcibiades*, cum jam in Siciliam abiiſſet, revocatur ex Sicilia, ut ſe ſiſtat judicio. *Alcibiades* verò timens judicium populi, cùm ſuis abit ad Spartanos, quos adhortatur ad bellum Athenienſibus inferendum, cum geminum bellum ſimul ſuſtinere non poſſint. *Thucyd. lib. 6.*

Cum Athenienſes in Siciliam veniſſent, Syracuſani cum exercitu contra eos movent Catanam verſus, interim Athenienſes eodem tempore navibus Syracuſas petunt, ibique locum capiunt caſtrorum & paulò poſt Syracuſanos prælio vincunt & hyberna diſcedunt, in *Naxam & Catanam.* Sed Syracuſani hyeme hac exercitum colligunt, Duces certos eligunt, & legatos ad Corinthios & Lacedæmonios auxilium rogantes mittunt, & hyberna Athenienſium vaſtant, impetrant etiam auxilia à Spartanis, perſuadente Alcibiade.

ANNO MUNDI 3536. ante C. N. 412.
B. ☉ 16. ☽ 6.

Annus belli Peloponneſiaci decimus octavus.

Athenienſes ſtatim equites ſed ſine equis 250. in Siciliam mittunt, & argenti talenta 300. Variis modis poſt bellum geritur ad Syracuſas. *Thucyd. lib. 6.*

Spartani exeunt prædidatum in Argivorum agrum, ſed terræmotu exiſtente redeunt: Argivi contra exeunt in agrum Spartanorum, & ingentes prædas in Thyræenſium agris agunt: auxilium Argivis adduxerant Athenienſes, atque ita fœdus ruptum eſt. *Ibid.*

Romæ circa diem tertium Maji Magiſtratum ineunt:

Tribuni militares Conſulari poteſtate:
A. Sempronius Atratinus III.
M. Papirius Mugillanus II.
Q. Fabius Vibulanus.
Sp. Nautius Rutilus II.

Tribuni plebis rogationem promulgant, ut quicquid agrorum ubique eſſet bello quæſitum & occupatum, id populo viritim divideretur, qua rogatione omnes nobilium fortunæ in publicum redigebantur. Patricii in anguſtiis conſtituti, vetus illud conſilium de interceſſione Tribunorum aſſumunt, & ſex Tribunos præparant, qui pronunciant, cum Senatus judicet hanc rogationem diſſolvendæ reipublicæ eſſe, ſe intercedere, atque ita actio depoſita eſt.

Archon apud Athenienſes *Piſander.*

Cum Galli Francos undique laceſſerent, Marcomirus tandem Rhenum tranſit, omnia vaſtat, & ad Moſam usque flumen ditionem ſuam extendit. Trithemius in Compendio.

Athenienſes in Sicilia multis cladibus Syracuſanos afficiunt, urbem obvallant, & eo redigunt, ut de compoſitione agere incipiant. Interim auditur *Gylippum* cum auxilio adventare, quod tamen magnum non fuit, & idem ab Athenienſibus ſpernitur. *Thucyd. lib. 6.*

Cum Gylippus Syracuſas veniſſet, repente omnia mutantur, & Athenienſes in Anguſtias rediguntur, ita ut deſperarent de circumvallandis Syracuſis, & ipſi jam in caſtris ſuis oppugnarentur. Ideo Nicias perſcribit ad Athenienſes, fruſtrà, & ſine ſpe victoriæ hoc bellum geri, petitque ut cum exercitu revocetur; ſed Athenienſes circa ſolſtitium hybernum auxilia mittunt, majorem exercitum miſſuri appetente Vere. *Ibid.*

Spartani decernunt, Athenienſibus, qui multipliciter fœdus ruperant, inferendum bellum. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3537. ante C. N. 411.
AG. ☉ 17. ☽ 7.

Annus belli Peloponneſiaci decimus nonus.

Spartani ſtatim primo vere Agidem regem in Atticam mittunt, qui eam vaſtat, & *Deceleam* munire incipit, quæ abeſt Athenis ſtadiis 120. Athenienſes contra mittunt triginta naves Argos, ut Spartiatis bellum facerent, & præterea Demoſthenem cum magno exercitu in Siciliam. *Thucyd. lib. 6.*

Romæ circa diem octavum Maji Juliani, ineunt Magiſtratum:

Tribuni militum conſulari poteſtate:
P. Cornelius Coſſus.
T. Quintius Concinnatus.
C. Valerius Potitus Voluſus.
Num. Fabius Vibulanus.

Volani nullo memorabili prælio, cum ab Æquorum gente deſererentur, victi, per obſidionem levem oppidum & fines amittunt. Tribuni plebis impediunt, ne eò colonia deducatur, quapropter Æqui Volam recuperant, coloniam eò ducunt, & muniunt. Liv. lib. 4.

Archon apud Athenienſes *Cleocritus vel Clearchus.*

Athenienſes magnis detrimentis afficiuntur ex munita à Spartanis Decelea. Nam & agri eorum per totam æſtatem vaſtabantur, & mancipia Athenienſium ad viginti millia hoc anno eò effugerunt: præterea Athenienſes, cum duobus bellis pares non eſſent, cùm Corinthiis pugnantes incerto Marte diſcedunt. *Thucyd. lib. 4.*

Thraces Mycaleſſum urbem ex improviſo capiunt, crudeliter in urbe capta graſſantur, & pueros etiam in ſchola trucidant. *Ibid.*

Gylippus apud Syracuſanos contracto exercitu ſuadet, cum Athenienſibus, priusquam nova adveniant auxilia, ineundam eſſe pugnam, & eos aggrediendos & terra & mari. In pugna navali vincunt quidem aliquo modo Athenienſes, ſed terra vincuntur, amittunt omnem ſuppellectilem nauticam commeatum & omnem pecuniam; caſtra defendunt igne ſubito excitato *Thuc. l. 7.*

Cum Demoſthenes alter Dux adveniſſet, Epipolas Syracuſanorum occupare conantur Athenienſes, ſed magna clade vincuntur, ideo de diſceſſu, cum nullam ſpem victoriæ videant, & tota Sicilia ferè contra eos conjuraret, deliberant, cum

ſuadet

ſuadet Demoſthenes, diſſuadet verò magnoperè Nicias. Interim exercitus contrahitur Syracuſis, quem timentes Athenienſes, concludunt abeundum eſſe: ſed incidit Eclipſis Lunaris.

Hac Eclipſis incidit in diem 27. Auguſti, horis poſt meridiem 11. 45.|: idque Syracuſis Latitudo vera ad tempus hoc minut. 27.|8|| ſeptentrionalis. Semidiameter Lunæ 17|8||: umbra & Luna ſimul 61|43|| ſcrup. reſidua 34|.37||. Digiti ecliptici 12,7|. Cœpit hora 10. poſt meridiem.

Nicias Dux territus hac eclipſi, pronunciat profectionem differendam in trinundinum. Sed Syracuſani certiores facti de inſtituta apud Athenienſes fuga, audaciores redduntur, & conſultant de impedienda fuga, & primo die quidem caſtra aggrediuntur, ſequenti die claſſe Athenienſes vaſtant, & portum, quo exire neceſſe erat Athenienſes, obſtruunt. Athenienſes quidem magno conatu eruptionem tentant, ſed repelluntur. Ergò relictis navibus, terra fugiendum eſſe decernunt; deterrentur tamen fraude hoſtium, quia vias obſeſſas eſſe mentiebantur. Tertio inde die iter ingrediuntur, tantùm per quadraginta ſtadia; quarto per viginti; quinto die planè prohibentur; ſexto die cū eſſent tonitrua & imbres, ab hoſtibus undique obſidentur; ſeptimo per noctem proficiſcuntur duobus diverſis itineribus; ſed octavo die, cum amplius pergere non poſſent, qui Demoſthenem ſequebantur, dedunt ſe, quod & ſequenti die facit Nicias. Duces & alii ex decreto Syracuſanorum interficiuntur, magna pars militum in Latomias detruditur. *Thucyd. lib. 7.*

Athenienſes tanta clade affecti, non tamen deficiunt animo, ſed iterum ædificant claſſem, tota illa hyeme. Spartani in ſpem erecti, magno conatu incumbunt ſimiliter ad bellum, ad planè evertendos Athenienſes. Deficiunt præterea omnes Athenienſium ſocii. Inprimis tamen Eubœi, Lesbii, Chii, & Erythræi. Darius etiam mittit Tiſſaphernem Ducem, qui ſumptus & claſſem ſuppeditet Spartanis, ad peſſundandos Athenienſes: tantum ſtudium omnium erat Athenienſes opprimendi.

Annus Nabonaſſaris 336. incipit die 4. Dec. fer. 3.

ANNO MUNDI 3538. ante C. N. 410.
F. ☉ 18. ☽ 8.

Eſt annus à condita Roma numeratus 341.
Annus Darii Nothi regis Perſarum 12.
Eſt annus belli Peloponneſiaci viceſimus.
Romæ circa diem 13. Maji ineunt Magiſtratum.

Tribuni militares conſulati poteſtate:
Q. Fabius Vibulanus II.
Cn. Cornelius Coſſus.
P. Poſtumius Albus.
L. Valerius Potitus.

Iſthmia celebrantur Corinthi, adulto Vere, quibus etiam Athenienſes interfuerunt. In ſolennibus enim hujusmodi feriis, pacem Græci inter ſe colebant. *Thucyd. lib. 8.*

In Samo ſeditiones exortæ, & principes ducenti occiſi ſunt, reliqui promittunt ſe Athenienſibus fidos fore. Præterea Athenienſes Lesbum recipiunt, & Mytilenen ipſo impetu capiunt, & Clazomenii etiam iterum Athenienſibus ſubjiciuntur.

Rhodii, cum muris carerent, territi Peloponnenſium claſſe, ad Spartanos deficitur, à quibus triginta duobus argenti talentis emunguntur Athenienſes eodem tendunt, & tantundem ab ipſis exigunt. *Thuc. lib. 8.*

Æquivolas *urbem recipiunt, & coloniam eo deducunt: ſed prælio à Poſtumio victi, iterum eam amittunt. Ipſe Poſtumius prava mentis homo, cum milites præda fraudaſſet, & iisdem in populari concione malum minitatus eſſet, inſuper etiam modum iræ non faceret, ſed crudelibꝰ ſuppliciis omnia aſperiora redderet, tumultu excitato ad clamorem eorum, qui ſub crate necabantur, ab exercitu lapidibus cooperitur.* Liv. lib. 4.

Olympias 92. acta die 18. Aug. feria prima. Eſt annus Olymp. 365.

Stadium vicit *Exanetus* Acragantinus ſecundum.

Achon apud Athenienſes *Callias.*

Diocles Syracuſanis leges præſcribit. *Diod.*

Ægyptii *Amyrteo* Duce, qui intra paluſtria Ægypti ſedem muniverat, neque à Perſis expugnari poterat, à Perſis deficiunt. *Manetho l. 3.*

Alcibiades, ſuſpectus Spartanis, jubetur occidi; indicium hujus rei perfertur ad Alcibiadem, per Agidis regis conjugem, quam adulterio cognoverat, ideò ſe confert ad *Thiſſaphernem*, ducem Darii, ubi Spartanis, quantum poteſt, nocet, ſuadetque, ipſis parcius ſubminiſtrandum ſtipendium, nec bellum cum oppreſſione alterius partis timendum, ſed Græcos inter ſe collidendos, ne victrix pars in regem Darium inſurgat. Per amicos ſuos etiam apud Athenienſes ſolicitat, ut in patriam revocetur. *Thucyd. lib. 8.*

ANNO MUNDI 3539. ante C. N. 409.
E. ☉ 19. ☽ 9.

Annus belli Peloponneſiaci viceſimus primus.

Thiſſaphernes Darii præfectus, exacta ferè hyeme, tertia vice ſocietatem nomine Darii cum Spartanis & Peloponnenſibus renovat, anno Darii decimo tertio. *Thucyd.*

Eodem tempore Bœotii Oropum intercipiunt, prodito Athenienſium præſidio, quo facto Eubocæ tutius ad Lacedæmonios deficere potuit. *Thuc. lib. 8.*

Romæ cum plebs atrocitate Poſtumii plurimum offenſa eſſet, & metueret ſibi de ejusdem cæde, Patres ſoliciti, ne Tribuni militares omnes ex plebe creentur, ſi Tribunorum militum comitia habeantur, evincunt, ut comitia conſularia edicantur, quibus plebes excludebantur. Ideò ex interregno creantur circa diem 18. Maji.

Coſſ. M. Cornelius Coſſus.
L. Furius Medullinus.

COSS. ad populum ferunt de cæde Poſtumiana, quē velint præfici quæſtioni. Plebs ipſos Conſules jubet, qui ſumma moderatione & lenitate quæſtionem illam exercent, cum conſtaret, reos ut plurimū ſibi necem conſciviſſe. Inde Ferentinum urbs in Volſcis capitur cum exigua præda, ager Hernicis donatur. Liv. lib. 4.

Archon apud Athenienſes *Theopompus.*

Lyſias Rhetor anno ætatis 47. Thurino Athenas redit. *Dion.*

Xenophon ſui temporis hiſtoriam conſcribit annorum 48. Incipit ubi Thucydides deſinit, ab hoc anno.

Theopompus etiam hujus temporis hiſtorias con-

conſcribit libris duodecim, qui interciderunt. *Diodor.*

Marcomirus *Dux Francorum in Germania, cum fortiſſimè ſe geſſiſſet, moritur anno regni viceſimo, relictis tribus filiis:* Antenore, Priamo, & Nicanore. Trith. in Compendio hiſtor.

Dercylidas Spartanus ad Helleſpontum abit cum claſſe, ad quem deficit Abydus & Lamſacus, ſed Lamſacus ſtatim ab Athenienſib. reciqitur. *Thuc. l.* 8.

Athenienſes mutata Republ. Oligarchiam, ſive imperium quadringentorum virorum inſtituunt quæ mutatio Reipubl. incidit ferè in centeſimum annum ab ejecto Hippia Tyranno: ex hac diſſenſione Athenienſium, Lacedæmonii ſperantes ſe operæ pretium facturos, magno exercitu Athenas urbem invadunt, ſed fortiſſimè repelluntur. *Thuc. lib.* 8.

Spartani in Eubœa claſſem Athenienſium vincunt, & duabus ac viginti navibus potiuntur; inde maximi tumultus apud Athenienſes oriuntur, cum ipſi diſſiderent de Rep. Cum igitur & claſſis, quæ apud Samum erat, improbaret mutationem Reipub. & Democratiam reſtitutam cuperet, quadringenti viri ſe abdicant Magiſtratu, & decreto populi Alcibiades revocatur. *Ibid.*

Seditio inter Peloponnenſes oritur, ob ſtipendia, quæ à *Tiſſapherne* ex conſilio Alcibiadis malignè perſolvebantur. Nec minus claſſis Athenienſium, ob ſtipendia non ſoluta, tumultuatur, & Pyræum occupandum eſſe contenditur: Alcibiades ne hoc modo præſidia deducerentur, & omnia à Peloponnenſibus occuparentur, perſuadet tandem militibus, ut quieſcant. *Ibid.*

Athenienſes Duces belli faciunt *Thraſyllum & Thraſybulum*, qui ancipiti prælio claſſem Spartanorum ad Abydum vincunt, & ſeptendecim navibus potiuntur. Paulò poſt Spartani tempeſtate conflictati, quinquaginta naufragio amittunt, *Diodor. & Thucyd.*

Hic deſinit Thucydides, morte præventus, ne libros de hoc bello abſolveret.

ANNO MUNDI 3540. ante C. N. 408.
D. ⊙ 20. ☽ 10.

Annus belli Peloponneſiaci viceſimus ſecundus.

Roma circa diem viceſimum tertium Maji, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Fabius M. F. Ambuſtus.
C. Furius Pacilus.

Tribuni plebis Icilii *legem agrariam iterum urgent, ſed ingruente peſte, minaciore quidem, quàm pernicioſiore, ſed quæ tamen cogitationem hominum à foro certaminibusque tribunitiis ad valetudinis & ſuorum curam facilè avocaret, actio depoſita eſt: Cum defuncta civitas eſſet plurimis morbis, & per paucis funeribus, inopiam frugum ex neglecto agrorum cultu ſenſit.* Liv. lib. 4.

Archon apud Athenienſes *Glaucippus.*

Sophocles Poema *Philoctetem* exhibet.

Selinuntii in Sicilia iterum Ægeſtanis ab auxilio Athenienſium deſtitutis, litem movent de finibus quibus, ut potentioribus, Ægeſtani cedunt. Cum verò ulteriùs injuriam inferrent, ad Carthaginenſes Ægeſtani confugiunt, qui mittunt ipſis præſidium. Legatos tamen iidem mittunt ad Syracuſanos, queſtum de injuriis Selinunciorum; ubi nihil impetrant, armis, quoniam jure non poſſunt, Ægeſtanos defendunt, & Selinuntiorum mille occidunt; inde majores utrinque iræ ortæ, & bellum majori apparatu geri cœptum. *Diod. lib.* 3.

Bœotii cum Eubœis Euripum ad Chalcidem obſtruere conantur: *Theramenes* hoc impediturus nihil quidem promovet, Eubœam tamen atrociter vaſtat. *Ibid.*

Thraſybulus & Thraſyllus in initio hyemis iterum claſſem Spartanam vincunt ad Abydum, cum Alcibiades prælio superveniſſet, & triginta navibus potiuntur: ob id major claſſis Alcibiadi decernitur. Inde infidos ſuos ſocios, qui defecerant, multipliciter vaſtant. *Ibid.*

Alcibiades paulò poſt fraude *Thiſſaphernis* intercipitur, ſed trigeſimo die poſt fuga elapſus evadit. *Xenophon.*

Seditio ingens Corcyræ orta. Plebs Athenienſium evocat auxilium, qui miſerunt ſexcentos Meſſenios, quorum fiducia plebs potentiores trucidat, & mille in exilium pellit; at paulò poſt, ut vulgus eſt mutabile, exules revocant, & ſeditionem, ut poſſunt, componunt. *Diodor. Siculus lib.* 13.

ANNO MUNDI 3541. ante C. N. 407.
CB. ⊙ 21. ☽ 11.

Annus belli Peloponneſiaci viceſimus tertius.

Primo vere Duces Athenienſiũ, & inprimis Alcibiades, ſingulari ſtrategemate ad Cyzicum univerſam Sparranorum claſſem vincunt. Ducem Mindarum trucidant, & univerſa claſſe potiuntur. (Soli Syracuſani, cum effugere non poſſent, ſuas ipſorum naves cremarunt.) Inde in terram egreſſi, Spartanos etiam & Pharnabazum Ducem Perſarum vincunt, & geminum trophæum erigunt. *Diod. Sicul. lib.* 3.

Poſt cladem Pharnabazus Spartanis & Syracuſanis ligna præbet, ad alias naves ædificandas, & pecuniam ſuppeditat; nihilominus Syracuſanorum Duces exilio mulctantur, & ſucceſſores mittuntur. *Diod. Sic. lib.* 13.

Roma circa diem viceſimum octavum Maji, magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Papirius. L. F. Mugillanus.
C. Nautius. Rutilus.

Cum Romani fame affligerentur, ad frumentum coemendum legati dimittuntur, qui in Italia ſuperbè habiti ſunt, benignè tamen adjuti à Siculis. Liv. lib. 4.

Archon apud Athenienſes *Diocles.*

Euripides Poeta Oreſtem exhibet.

Plato anno ætatis viceſimo Socratem audit. *Diog. Laert.*

Agis Lacedæmoniorum rex, exercitum ad Athenienſium muros adducit, ſed à Thraſyllo & Athenienſibus pellitur, quibusdam militibus amiſſis.

Hannibal Dux Carthaginenſium, cum tota hyeme exercitum ex Hiſpanis & Liguribus collegiſſet & ordinaſſet, tranſit in Siciliam, & Selinuntios invadit, urbemque obſidet, & tandem multa vi expugnat, excinditque, cum ſtetiſſet annis 242. paucis, qui effugerant, civitas iterum conceſſa eſt, ſed ſub tributo. Habuit autem in exercitu plus quàm centena millia hominum. *Diod. Sic. lib.* 13.

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei viceſimi ſecundi, incipit die 29. Sept. fer. 5. Anno Jud. 3253.

Hannibal inde *Himeram* cum exercitu petit, quã ſimi-

ſimiliter, etiam in initio inde fugatus eſſet, capit & excindit, cum habitata fuiſſet annis 240. *Diod. Sic. lib.* 13.

Hermocrates potentiſſimus apud Syracuſanos civis, metu potentiæ apud Syracuſanos in exilium actus, Selinuntem civitatem cum reliquis exulibus occupat, & inde Carthaginenſib. & aliis hoſtibus, quantum poteſt, nocet. *Ibid.*

Megarenſes Niſæam Athenienſibus eripiunt, Athenienſes contra auxilio venientes, Megarenſes magno prælio vincunt. *Ibid.*

Athenienſes alio exercitu Epheſum in Aſia infeliciter tentant, ideò inde decedentes Helleſpontum deprædantur, & ibi atque in Thracia multas urbes occupant, & prædam vendunt, Chalcedonem etiam oppugnant, præſidium Spartanorum trucidant, & urbem ſibi ſubjiciunt, ut & Byzantium, ſed proditione. Diod. *Sic. l.* 13.

Spartani mittunt legatos ad Athenienſes, ſed ab inquietis hominibus non audiuntur. Ideò Pylum ab Athenienſibus ante quindecim annos munitum oppugnant, & tandem certis conditionib. obtinent.

Annus Nabonaſſ. 340. incipit die 3. Dec. fer. 7.

ANNO MUNDI 3542. ante C. N. 406.
A. ☉ 22. ☽ 12.

Eſt annus à condita Roma numeratus 345.

Annus Darii Nothi regis Perſarum 16.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem ſecundum Junii Juliani:

Coſſ. Man. Æmilius Mamercinus.
C. Valerius Potitus Voluſus.

Caventana arx ab Æquis expugnatur, COSS. exercitum conſcribere non poſſunt, impedientibus Tribunis, donec novem Tribuni Conſuli Valerio auxilio eſſent, qui recipit arcem, & multa præda potitur, quæ tamen excludit milites, quòd militiam abnuiſſent: cum ovans urbem iniret, probra per licentiam militarem in eum ſunt jacta. Liv. lib. 4.

Athenienſes in Helleſponto præter Abydum omnes urbes occuparant, quibus præſidia imponunt, ipſi Athenas claſſem reducunt. Redit tum in patriam Alcibiades, & magno plauſu accipitur, bona ipſi reſtituuntur, & condemnationis tabulæ mari merguntur, ipſeque imperator totius belli eligitur. *Diod. & Xenoph.*

Rediit autem Alcibiades Athenas eo die, quo Plynteria Minervæ celebrabantur, die videlicet 26. Thargelionis, qui hoc anno incidit in diem 2. Julii feriam primam. Non fauſto autem omine videtur rediiſſe, cum illo die nemo quid ſeriæ rei agere ſolitus eſſet. *Xenoph. lib.* 1. quanquam Xenophon ejus reditum in ſequentem annum conjicit.

Archon apud Athenienſes *Euctemon.*

Olympias 92. *acta die 4. Aug. fer. 7. Eſt annus Olympiad.* 369.

Stadium vicit Eubota Cyrenenſis, Bigæ in curriculum Olympicum hoc anno receptæ, quibus vicit *Evagoras* Eleus. *Pauſ. in Eliacis.*

Polydamas circa hæc tempora vixit, qui tantarum virium fuit, ut currum incitante equos auriga detinere poſſet. Periit obrutus ſpeluncæ ruina, quam labaſcentem ſe ſolùm manibus ſuſtinere crediderat. *Pauſ. in Eliacis poſt.*

Hoc anno Medi etiam, qui à Perſis defecerant, ſub jugum redeunt. *Xenoph. lib.* 1. ...

Rhodii ex urbibus quatuor in unum coeunt, eamque muniunt. *Diod. Sic. l.* 13.

Pliſtonactes Lacedæmoniorum rex, cum annos quinquaginta regnaſſet, moritur; ſuccedit Pauſanias ex Agidarum familia, regnatque annos 14. *Dioder.*

Spartani Lyſandrum Ducem belli eligunt, qui Epheſum navigat, claſſem colligit, & cum *Cyro*, qui à patre miſſus fuerat, ut Athenienſes debellaret, amicitiam coit. Athenienſes ſimiliter legatos ad Darium mittunt, ſed iidem integro triennio detinentur. *Diod. & Xenoph.*

Alcibiades, cum tribus menſibus Athenis commoratus eſſet, in Andrum inſulam redit; ubi, ut pecuniam conficeret, dividit claſſem, monetque, ne ſe abſente quippiam rei geratur. Antiochus legatus impatiens imperii, provocat Lyſandrum, & vincitur amiſſis navibus 22. Alcibiades hanc cladem ulciſci non potuit, quòd Lyſander ſe diſcrimini non offerret. *Diod. l.* 13.

Agis Spartanorum rex, dum exercitus Athenienſium abſunt, iterum Athenas aggreditur, & muri partem occupat, ſed Athenienſes armatis ſenibus & pueris, & equitatu eum repellunt. *Ibid.*

Alcibiades præter jus Cumæos diripit, qui id ægrè ferentes eum, ut poſſunt, repellunt, & apud populum Athenienſem de eo conqueruntur: quapropter, cum & alii de eo conquererentur, alios Duces eligunt, & Alcibiadem removent, qui ſibi ipſi exilium conſciſcit, & ad prædia ſua in Thraciam abit. *Diod. Sic. l.* 13.

Harmocrates Syracuſanus, cum plurima tentaſſet, ut revocaretur, tandem Syracuſas proditione invadit: ſed cum milites ejus eum ſequi non poſſent, in foro cum multis aliis trucidatur. Filius ejus Dionyſius, qui poſt regnavit, inter trucidatos pro mortuo conſervatur. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3543. ante C. N. 405.
G. ☉ 23. ☽ 13.

Annus belli Peloponneſiaci viceſimus quintus.

Romæ circa diem ſeptimum Julii Juliani ineunt Magiſtratum:

Coſſ. Cn. Cornelius Coſſus.
L. Furius Medullinus II.

Plebs Romana irata, quod Tribunorum militarium comitia habita non eſſent, in Quæſtoriis comitiis unū patritio tantum locum reliquit: id peſſimè acceptum à patribus, qui hoc modo non communicatos, ſed à ſe ablatos honores arbitrabantur. Interim affertur, Volſcos & Æquos prædatum abiiſſe in agrum Romanum, & inſuper Carventanam arcem iterum amiſſam: quapropter Tribuni *plebis ferociùs coorti, omnem ſpem habendi delectus COSS. adimunt, niſi concedantur comitia Tribunorum militarium conſulari poteſtate creandorum: conſenſerunt tandem COSS. & Patres, tantummodo ii non peterent, qui jam Tribuni plebis eſſent.* Liv. l. 4.

Archon apud Athenienſes *Antigenes.*

Conon, Athenienſium Dux, accepto exercitu, cum *Callicrate* Spartanorum Navarcho, qui Lyſandro ſucceſſerat, decertare cupit, ſed cùm claſſē Spartanorum majorem deprehenderet, quàm putarat, arte fugit; nihilominus inſequitur Callicrates, & triginta naves ipſi adimit, vacuas tamen & abſque milite. Inde Conon Mitylenen intrat. Callicrates verò eam oppugnat tota hyeme. *Diod. Sic.*

Syracuſani metuentes ſibi à Carthaginenſibus, legatos eò deſtinant, qui deprecentur injurias, & bellum; ſed Carthaginenſes ambiguè reſpondent & interim exercitum, quem ſequenti æſtate in Siciliam trajiciant, conſcribunt. *Diod. Sic. l.* 13.

ANNO MUNDI 3544. ante C.N. 404:
F. ☉ 24. ☽ 14.

Annus belli Peloponneſiaci viceſimus ſextus.

Xenophon *hoc anno 26. belli Peloponneſiaci annotat eclipſin Lunæ, factam vere ineunte & veſperi, ea accidit ad Calendarium Julianum die* 15. *Aprilis, fer.* 2. *Athenis hora* 9. *min.* 48. *poſt meridiem, cœpit hora octava. Latitudo Lunæ vera min.* 22. 4. *Semidiameter Lunæ* 17. 38. *umbra* 46. 0. *Summa Semidiametrorum* 63. 35. *Scrupula reſidua* 41. 31. *Ergò digiti eclipticı* 14. 10. *Locus Solis in* 19. *gradu Arietis.*

Romæ circa diem 12. *Jun. ineunt Magiſtratum.*

Tribuni militares conſulari poteſtate:
C. Julius Julus.
P. Cornelius Coſſus.
C. Servilius Ahala.

Volſci & Æqui exercitum contrahunt adverſus Romanos. Senatus in re trepida jubet Dictatorem *dici. Detrectant Julius & Cornelius: ne per Tribunos plebis ad id cogerentur, obſtitit Servilius, qui Dictatorem dixit* P. Cornelium *Rutilum, qui cum Volſcis feliciſſimè dimicat, caſtellum* Fucinum *expugnat, & felicitate, quàm gloria majore Romam redit.* Liv. l. 4.

Carthaginenſes iterùm in Siciliam exercitum Duce Hannibale trajiciunt, cui quod ſenior eſſet, addunt legatum Imilconem, ubi in primo conflicto quindecim naves in prælio amittunt, nihilominus pergunt, & Acragantum urbem, civitatem abundantiſſimam & divitiis & hominibus, obſident, eamque commeatibus intercludunt. Peſte ingruente Hannibal moritur, nihilominus obſidio ad octavum menſem uſque extrahitur. Gellias ibi civis fuit, qui ſemper ad portam ſervum habuit, qui peregrinos advenientes ad ſe in hoſpitium adduceret. Cum aliquando quingenti equites advenirent, non tantum hoſpitio eos excepit, ſed & armis abundanter eos inſtruxit. Hic interfectus eſt in templo, cum urbs expugnaretur. Acragantini enim, cum nihil ferè de commeatu ſupereſſet, urbe excedere coguntur, quam occupat Imilco, & Taurum Phalaridis Carthaginem mittit. Eundem Taurum Scipio Africanus poſt everſam Carthaginem Acragantinis reſtituit, poſt annos 260. Captum autem eſt Agrigentum poſt octo menſium obſidionem, paulò ante brumam. *Diod. Sic. l.* 13.

Archon apud Athenienſes *Callias.*

Ariſtophanes Ranas ſuas hoc archonte edit.

Amyrtæus in Ægypto, cum annis 6. regnum adverſus Perſas tutatus eſſet, moritur, ſuccedit ipſi ex Mendeſiorum familia Nepherites, qui regnat annis ſex. *Manetho.*

Conon Dux Athenienſium obſidetur à *Callicratide* Spartano: hunc erepturi Athenienſes. Diomedontem mittunt cum duodecim navibus, ſed is decem ex iis amittit: quapropter Athenienſes, quantam poſſunt, cladem expediunt, centum & decem navium, atque ita centum & quinquaginta naves conficiunt, & pugnant aperto marte ad Arginuſas cum *Callicratide*, qui centum & viginti naves habebat, eum vincunt, & trucidant, perduntque Spartanorum naves ſeptuaginta ferè. Ipſi tamen etiam viginti quinque naves amittunt. *Duces* Athenienſium, cum cæſos ſepelire vellent, impediuntur ventis & tempeſtate: Hac victoria Conon obſidione eripitur. Duces verò, quod cæſos non ſepeliiſſent, à populo Athenienſi in vincula conjiciuntur, & eorum ſex occiduntur. Verum cum populum poſtea pœniteret facti, & judex & accuſatores eorum eadem pœna affecti ſunt. *Xenoph. l.* 1. *hiſtoriarum.*

ANNO MUNDI 3545. ante C. N. 403.
ED. ☉ 25. ☽ 15.

Annus belli Peloponneſiaci viceſimus ſeptimus.

Cum exules *Acragantini* Syracuſis veniſſent, conqueruntur de prætorum Syracuſanorum proditione & perfidia, quod commeatu, nec auxilio urbem ſublevaſſent, quorum cauſam ſuſcipit Dionyſius Hermocratis filius, & prætores accuſat. Populus commotus prætores removet magiſtratu, & *Dionyſium* cum aliis eligit, qui revocandos exulis decernit, & mercenarios exolvendis ſtipendiis ſibi obnoxios reddit. Fraude etiam inſtituta, exemplo Piſiſtrati ſtipatores ſexcentos ſibi tradendos à populo obtinet, atque ita tyrannidem invadit. *Dio. Sic. l.* 13.

Euripidem Poetam hoc anno defunctum, quidam tradunt, cum in Macedonia apud *Archelaum* regem rus abiret, & à canibus laceraretur. *Ibid.*

Lyſander Dux Spartanorum ad claſſem remittitur, non quidem ut Dux, id enim leges non permittebant, ſed ut legatus, & à Cyro ſtipendia accipit, & ab eodem, cum ad patrem revocaretur, quod avunculos ex ſorore occidiſſet, præfectus minoris Aſiæ conſtituitur. Is Thaſum Cariæ urbem expugnat, & ſolo æquat, Lamſacum etiam capit, ubi cum copiam pugnandi Athenienſibus non faceret, *Alcibiades* promittit, ſi in partem imperii ab Athenienſibus reciperetur, ſe facilè coacturum Lyſandrum, ut pugnaret, ſed cum ignominia repellitur. *Diod. Sic. l.* 13.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 17. *Julii Juliani.*

Tribuni militares conſulari poteſtate:
C. Valerius Potitus Voluſus II.
C. Servilius Ahala II.
L. Furius *Medullinus.*
Num. Fabius Vibulanus II.

Induciæ cum Vejentibus exierant, ideò feciales ad eos miſſi, qui res repeterent, & bellum eis indicerent. Vejentes rogant, cum inteſtina ſeditione laborent, ut Romani hoc anno à ſe belli jus abſtineant, idque à Senatu impetrant. Liv. l. 4.

Verrugine præſidium fortiſſimorum virorum per vim expugnatum trucidatur, cum Senatus tardiùs, quàm par erat, ipſis ſubſidia miſiſſet. Ibid.

Aschon apud Athenienſes *Alexias.*

Antimachus Poeta floret.

Callias quidam Athenienſis cinnabaris conficiendi rationem invenit.

In Sicilia Himilcar Gelam urbem obſidet, quam defendunt ſimul cives & Dionyſius tyrannus: at verò Dionyſius modica clade affectus, metuens, ne Syracuſis tyrannide everteretur, inde diſcedit, & obſeſſos cives Syracuſas traducit; Imilcar ita vacua urbe potitur, & cum peſtis vehementiſſimè ingrueret, pacem facit cum Dionyſio ut quiſ-

ut quiſque quod haberet, retineret, & in Africam redit.

Apollinis ſignum, quod Tyrii in obſidione Alexandri aurea catena ligaverant, Gelois hoc bello ereptum, Carthaginem delatum eſt, & poſtea Tyriis dono datum. *Diod Sic. l. 13.*

Duces Athenienſium, ut Lamſacenis à Lyſandro captis vicini eſſent, claſſe ad Ægos Potamos proficiſcuntur; ibi cum commeatu deſtituerentur, ſtrategemate bellico per quatriduum deluſos, Lyſander cum omni exercitu capit, excepto Conone qui cum novem navibus effugit, & in re perdita ad *Evagoram* in Cyprum navigavit. Omnes Athenienſes capti interfecti ſunt, excepto uno *Adimanto* Duce. Inde Lyſander omnes urbes, quæ Athenienſium erant, occupavit, & præſidiarios Athenas remiſit, ut commeatus Athenienſes citius deficeret. Athenienſes de clade certiores facti, urbi ſuæ metuunt, eam muniunt, & commeatus expediunt. *Agis & Pauſanias* reges Spartanorum, cum exercitu advolant, ut & Lyſander, & Athenas obſident; ſed cum munitiones ob maximum ambitum extrui non poſſent, in id operam dant, ut tantum commeatu obſeſſos intercludant. *Xenoph. l. 1. hiſt.*

Annus Nabonaſſ. 344. incipit die 2. Dec. fer. 4.

ANNO MUNDI 3546. ante C. N. 402.
C. ☉ 26. ☽ 16.

Annus ab urbe condita numeratus 349.
Annus Darii Nothi ultimus & Artaxerxis 1.

Annus belli Peloponneſiaci viceſimus octavus & ultimus.

Athenienſes mari & terra obſeſſi, cum famem inciperent ſentire, legatos de pace mittunt ad Agin regem, & inde ad Lacædemonios, ſed re infecta redeunt; inde de pace ſilentium fuit, cum nemo de conditionibus pacis diſſerere auderet, pœna capitis in eum decreta. Tandem Theramenes promittit, ſe pacem dolerabilibus conditionibus impetraturum: ſed tres menſes apud Lyſandrum commoratus, cum nihil efficeret, quarto menſe redit, poſt hæc ipſe cum decem aliis Spartam cum plenis mandatis mittitur, & pacem impetrat, ut muri & piræus diruerentur, naves exceptis duodecim traderentur, exules reducerent, liberi ſuis legibus viverent, & eoſdem hoſtes atque amicos cum Spartanis haberent. Muri diruti ſunt ad cantum tibiarum, die 16. Munychionis, qui incidit hoc anno in diem 9. Menſis Maji.

Durante obſidione, cum Sophocles moreretur, & ejus corpus inhumatum metu hoſtium non ſepeliretur, Liber Pater Lyſandrum monuit per quietem, ut ſepeliri ſuas delitias ſineret, nec deſtitit, donec Lyſander cognito, quis obiiſſet, diem induciis belli daret, ut exequiæ ducerentur. *Plin. l. 7. c. 19. Solinus.*

Darius Nothus Perſarum rex moritur, poſt initam pacem Spartanorum cum Athenienſibus, anno regni viceſimo. Succedit ipſi *Artaxerxes Mnemon* qui regnat annos ferè quadraginta. *Diod. Sicul.*

Romæ circa diem 22. Junii ineunt Magiſtratum.

Tribuni militares conſulari poteſtate:
P. Cornelius Rutilus Coſſus.
L. Valerius Potitus II.
Cn. Cornelius Rutilus Coſſus.
Num. Fabius Ambuſtus.

Volſcis bellum infertur, & ipſorum ager tripartito exercitu crudeliſſimè vaſtatur.

Anxur *etiam, quæ poſt* Tarracina *fuit, capitur, & præda omnis militibus conceditur.* Liv. l. 4.

Senatus Romanus decernit militibus ſimul & equitibus, cum ante à ſuis ſumptibus meruiſſent, ſtipendium, magno gaudio plebis. Ibid.

Archon apud Athenienſes *Pythedorus*, quanquam anarchiæ potius hic annus nomen habuit, propter triginta tyrannos.

Olympias 94. acta die 20. Auguſti, feria 6. Eſt annus Olympiad. 373.

Victor Stadii *Crocinas* Theſſalus.

Democritus Philoſophus hoc anno moritur. *Diod.*

Thucydides Athenis pulſus ob rem ad Amphipolin malè geſtam, exulavit annos viginti, cum hiſtoriam ſuam ſcriberet. Scripſit ergo hoc anno, cum bellum jam finitum eſſet, & tamen opus imperfectum reliquit, quod perſecutus poſtea eſt Xenophon, ut apparet ex commentariis Thucydidis: ſequentem enim hiſtoriam planè alia methodo ſcribit. *Thucyd. l. 5.*

Athenienſes cum muros deſtruxiſſent, de forma reipub. inſtituenda deliberant, de qua re dum altercantur, quidam Lyſandrum Samo, quam obſidebat, advocant; qui, ut in aliis urbibus omnibus Oligarchiam inſtituerat hoc anno, ita & Athenis triginta viros, qui rempubl. regerent, & leges præſcriberent, elegit, qui initio benè imperarunt, ſed cum vi agere decreviſſent, præſidium ſibi à Spartanis petunt, arma Athenienſibus adimunt, & *Theramenem*, qui tyrannicis actionibus conſentire nolebat, Collegam ſuum trucidant. Inde Thraſybulum urbe ejiciunt, & adeò protervè vim vitæ & fortunis civium Athenienſium faciunt, ut uno die ſexaginta cives honeſtiſſimos & opulentiſſimos ſimul jugularent. De iiſdem tyrannis Cleocritus apud Xenophontem dicit, quòd octo menſium ſpatio plures Athenienſes ſuſtulerint, quàm Spartani hoſtes totis annis decem. Multi igitur Athenienſes ultrò exulatum abierunt. Spartani cum viderent hoc modo rempub. enervari, & ad nihilum redigi, ultro addunt crudele edictum, ut omnes profugi cives, vi ex tota Græcia Athenas retraherentur. Cui edicto ſoli Argivi & Thebani contradicunt, & exules vovent & defendunt. *Diod. Sic.*

Eclipſis Solis incidit hoc tempore, ut Xenophon habet l. 2. hiſtoriarum, *quando* Lycophron *Phoræus Theſſalos prælio vicit, & imperium arripuit.* Xenoph. *Incidit eclipſis in diem 3. Sept. feriam ſextam, horis 9. 41. 32. poſt mediam noctem Corinthi. Sol in 4. gradu Virginis Parall. latitudinis ad hoc tempus 15. 12. Latitudo vera 27. 4. Viſa ſeptentrionalis 11. 52. Semidiam. Solis 15. 27. ſcrup. reſidua 18. 55. digiti ecliptici 7. 21.*

Dionyſius Syracuſis Inſulam munit, & portum novoſque cives adſcribit, iiſque agrum aſſignat, & tandem contra Siculos exercitum educit. Sed cives Syracuſani, cum jam arma haberent, ſeditionem movent, & Dionyſiũ tyrannide excutere conantur: Dionyſius exercitum aufugit Syracuſas. Cives aſſumtis equitib. & Meſſeniis eum perſequuntur, & Inſulam obſident tanta vi, ut Dionyſius de morte conſciſcenda conſultaret: ſed cum amicus ipſi ſubiiceret, *Omnium optimum eſſe Epitaphium Tyrannidem*, ſententiam mutat, & clanculum Campanos equites & alios advocat, promiſſa pecunia, qui ipſum ex hiſce difficultatib. explicant. Ipſe Dionyſius civib.

ſe placabilem reddit, & neminem niſi armatum interfici patitur, & ita tyrannidem iterum firmam facit. *Diodor. l.* 14.

Pharnabazus præfectus Perſarum *Alcibiadem* circumventum, ut Spartanis gratificaretur, trucidat. *Ephorus* Hiſtoricus, alias cauſas affert, quæ ſi veræ ſunt, ſequenti vel tertio anno occiſus fuit. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3547. ante C. N. 401.
B. ☉ 27. ☽ 17.

Romæ circa diem 27. Junii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Tribuni militares conſulari poteſtate:
C. Julius Julus II.
Man. Aimilius Mamercinus.
T. Quintius Capitol. Barbatus.
L. Furius Medullinus II.
Q. Quintius Cincinnatus.
A. Manlius Volſo.

Hiſce Ducibus exercitus Veios deducitur; & urbs obſidetur, ſed ſegniter, & nihil ferè rerum geritur. Liv.

Archon apud Athenienſes *Euclides*

Byzantini ſeditione laborant, ideò à Spartanis præfectum ſibi poſcunt, & accipiunt Clearchum ſtrenuum Ducem, ſed is contracto milite cives multis injuriis afficit, & plurimos, ditiores præſertim, occidit, aut facultatibus exuit, & tandem tyrannidem occupat. Sed Spartani re comperta exercitum eò mittunt, cujus metu fugit, & ad Cyrum, bellum jam in fratrem meditantem, ſe confert, poſt biennium ſcilicet. *Diod. l.* 14.

Lyſander Spartæ ſeditionem molitur, & Heraclidas reges regno deturbare conatur: accuſatus de hac re, ita ſe excuſat, ut vix pœnam effugeret.

Cyrus *à fratre evocatus aureis catenis vincitur, interfectusq; eſſet, niſi mater prohibuiſſet. Dimiſſus in Joniam Græcos ſibi beneficiis conciliat; & bellum in fratrem meditatur.* Plutarchus.

Dionyſius in Sicilia multas urbes ſuæ ditionis facit, quaſdam etiam excindit, & Syracuſas novis Colonis auget. *Diod. l.* 14.

Thraſybulus exul Athenienſis, vir ſtrenuus, & Dux belli peritus, exules Athenienſes colligit, & conſolatur, & conſilia agitat de patria recuperanda, & tyrannis illis ejiciendis. *Xenoph. l.* 3.

ANNO MUNDI 3548. ante C. N. 400.
A. ☉ 28. ☽ 18.

Thebani Oropios ſeditionibus turbatos ſuis ſedibus ejiciunt, & ipſis alium locum urbi condendæ deſtinant. *Diod. l.* 14.

Romæ circa diem ſecundum Julii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Tribuni militum conſulari poteſtate:
P. Cornelius Maluginenſis.
Sp. Nautius Rutilus II.
Cn. Cornelius Coſſus II.
Valerius Potitus Voluſus III.
Cæſo Fabius Ambuſtus.
Man. Sergius Fidenas.

Cum Vejentibus hoſtibus nihil ferè actum; ſed cum Volſcis ad Ferentinum ſignis collatis pugnatum, & Romani vicerunt. Cũ verò hoſtes Artenam *ſe conferrent, ea urbs obſeſſa eſt, & vi capta; arx verò, quæ expugnari non poterat, proditione: urbs & arx diruitur, & exercitus ad Vejos oppugnandos abducuntur.* Liv. l. 4.

Dionyſius Syracuſis Epipolas ducto muro firmas facit, in quo extruendo ultra ſexagies mille hominum opera uſus eſt. *Diod. Sic.*

Archon apud Athenienſes *Micion.*

Cyrus cum moliretur fratri bellum, legatum mittit Spartam, petitque ut Spartani ſe viciſſim in hoſtibus ſuis debellandis adjuvare vellent: Quapropter Samio præfecto claſſis ſuæ mandant, ut quæ vellet, Cyrus exequeretur, qui propterea in Ciliciam navigat, & Syennenſem coercet, ne Cyrum, exercitum adducentem contra fratrem, impedire poſſit. *Xenop. lib.* 3. *Hiſt.*

Annus ſabbathicus tertius Jobelei viceſimi ſecundi, incipit die 11. *Sept. fer.* 2. *Anno Jud.* 3360.

ANNO MUNDI 3549. ante C. N. 399.
GF. ☉ 1. ☽ 19.

Statim ineunte anno Cyrus fratri Artaxerxi bellum facit; habuit Aſiaticos milites ad ſeptuaginta millia, Græcos decem millia; Artaxerxes contra habuit quadringenta hominum millia, pugna conſeritur propè Babylonem, & Cyrus cum victoriam ferè in manibus haberet, & fratrem vulneraſſet, à gregario milite haſta propè oculum trajicitur, atque ita Artaxerxes vincit. Græcorum Duces, vi ſibi viam aperturi, in Græciam per fraudem à *Tiſſapherne* evocantur, & ex inſidiis omnes ſimul trucidantur. Milites ergo perſuaſi à Xenophonte, ſibi alios duces eligunt; & per immenſa terræ ſpatia & infinita diſcrimina, cum abfuiſſent, annum unum & tres menſes, ex decem millibus 8800. in Ioniam revertuntur. *Diod. Sic. l.* 14.

Thraſybulus exul Athenienſis, cum adhuc hyems eſſet, collectis quibuſdam exulib. Philam propè Athenas occupat; ad quem maximus fit concurſus exulum. Tyranni legatum ad eum mittunt, hortanturq; ut pacificè urbem intret, & in Theramenis locum ſubrogatus, Tyrannidem adminiſtret. Cum nollet, ipſi, exercitu collecto, eum aggrediuntur, ſed vincuntur cum nix profunda cecidiſſet. Thraſybulus igitur occupat Pyræum, ubi feliciter cum Tyrannis pugnat, & Critiam occidit. Inde cives relictis Tyrannis, ad *Thraſybulum* concedunt. Lyſander apud Spartanos autor eſt mittendi Tyrannis auxilia, & obtinet: Ipſeq; Athenas mittitur, ſed eò etiam accedit Pauſanias rex, qui favet exulibus, quos monet, ut legatos, & ad ſe, & ad Spartanos mittant. & tandem res componitur per Thraſybulum. *Xenoph. l.* 3.

Romæ circa diem 7. Julii Magiſtratum ineunt:

Tribuni *M*ilitares conſulari poteſtate:
Man. Aimilius Mamercinus II.
M. Furius Fuſus.
P. Claudius Craſſinus.
L. Julius Julus.
M. Quintilius Varus.
L. Valerius Potitus III.

Livius hoc anno Tribunos militum octo numerat, & inter eos M. Furium Camillum, & M. Poſtumium Albinum, *qui facti ſunt ſequenti anno Cenſores. Sed Plutarchus teſtatur, Camillum factum cenſorem, antequam Tribunus fieret, quod ſi eſt, fallitur Livius.*

Archon

Archon apud Athenienſes *Exænetus*.

Plato ſe ad Euclidem ad Mathemata diſcenda confert. *Diog. Laert.*

Spartani bellum Meſſeniis faciunt, quorum quidam Cephalleniæ caſtellum inſederant, quidam juſſu Athenienſium Nupactum; ex utroque loco à Spartanis ejiciuntur, & quidam in Siciliam profecti apud Dionyſium ſtipendia faciunt, quidam Cyrenem abierunt, qui tamen paulò poſt omnes in ſeditione trucidati ſunt.

Romani Vejos perpetua obſidione adoriuntur, cùm antea interrupta fuiſſet: hybernacula igitur ſibi milites ſtruunt, ut ſub pellibus hyemis tempore perdurare poſſint. Tumultuantur hinc Tribuni plebis Romæ, & populum ad ſeditionem evocant, ſed acerrima Oratione ab App. Claudio perſtringuntur, & cum agger & vineæ extructæ à Vejentibus erumpentibus incenderentur, cives Romæ relicti, ægre hoc paſſi, efferunt ſe ad bellum, & brevi, quæ corrupta fuerant, reſtituunt. Equites tum primum Romæ equis merere cœperunt. Liv. l. 5.

Poſt prælium ad Babylonem, Artaxerxes mittit *Tiſſaphernem* Ducem, qui urbes, quas Cyrus ſuas fecerat, occuparet. Urbes illæ ſibi metuentes, auxilia Spartanorum implorant, qui ipſis mittunt equites, quos triginta tyranni Athenis habuerant. Ducem etiam *Tymbronem* mittunt, qui primum Tiſſapherni non erat par; at cum poſt hyemem reduces ex Perſia Græci, duce Xenophonte accepiſſet, multas urbes Tiſſapherni eripit. *Xenoph. l. 3.*

Annus Nabonaſſari 348. incipit die 1. Decembris, feria 1.

Annus ab urbe condita numeratus 353.

Annus Artaxerxis Mnemonis quintus.

ANNO MUNDI 3550. ante C. N. 398.

E. ☉ 2. ☽ 1.

Tymbro in Aſia Lariſſam urbem obſidet; magno molimine, ſed nullo emolumento. Ephori ad eum mittunt, jubentque, ut relicta obſidione alias res agat.

Socrates Philoſophus, læſæ pietatis in Deos & corruptæ juventutis accuſatus, capite damnatur, cujus accuſator paulò poſt judicio populi jugulatur. *Diodor. Siculus.*

Tamos Ioniæ præfectus, quod cùm Cyro arma Artaxerxi intuliſſet, ſibi metuens in Ægyptum profugit, ſed contra jus gentium trucidatur. *Ibid.*

Cteſias captus ab Artaxerxe in prælio, quod cum Cyro geſſit, medicinam poſt in Perſia fecit, & regem à fratre vulneratum ſanavit. Verſatus apud Regem annis 17. deduxit hiſtoriam Perſicam à Nino, uſque ad annum tertium Olympiadis 95. *Xenoph.*

Archon apud Athenienſes *Laches*.

Olympias 95. acta die 6. Auguſti, fer. 4. Eſt annus Olympiad. 377.

Stadium vicit *Minos* Athenienſis.

Dercyllidas Dux à Spartanis in Aſiam miſſus, Thymbroni ſuccedit, qui propter ſolertiam Syſiphus appellatus fuit: Is ſimulata cum Tiſſapherne amicitia, *Pharnabazum* bello petit, & paucis diebus multa oppida capit, & plurima pecunia potitur: ne poſtea ſociis in hybernis eſſet gravis, in Bithyniam bellum transfert, ibique hybernat. Thymbro verò cum Spartam rediiſſet, accuſatus, quòd militibus prædandi poteſtatem ex ſociorum agris dediſſet; in exilium ejicitur. *Xenoph. l. 3.*

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem duodecimum Julii Juliani:

Tribuni militares conſulari poteſtate:
C. Servilius Ahala III.
Q. Sulpitius Camerinus.
Q. Servilius Priſcus Fidenas.
A. Manlius Vulſo II.
L. Virginius Tricoſtus.
Man. Sergius Fidenas II.

Præſidium, quod Anxuri erat, cum negligentius urbem aſſervaret, à Volſcis opprimitur. Liv. l. 5.

Faliſci & Capenates *ſeſe Vejentibus jungunt, & caſtra Romana invadunt, & ex parte capiunt. In diſſenſione Ducem, cum alter alteri ſubſidia nulla mitteret, nec alter etiam expoſceret ob odium, clades accipitur. Quapropter Tribuni Magiſtratu moventur, & alii creantur, qui ſtatim Calendis Octobribus Magiſtratum acceperunt: Cum aliis Idus Decembres ſolennes eſſent Magiſtratui ineundo.* Liv. l. 5.

Cenſores *hoc anno fuerunt M. Furius Camillus, & M. Poſthumius Regillenſis. Condiderunt luſtrum XVI.* Valer. Max. lib. 2. cap. 3. & Plutarch.

Archelaus rex Macedoniæ, cum annos 16. regnaſſet, imprudenter ab amico ſauciatus, moritur: ſuccedit quidem Filius Oreſtes puer adhuc, ſed à tutore ſuo Æropo necatur, qui inde regnum ſex annis obtinet. *Diod. Sic. l. 14.*

Adranum urbs in Sicilia à Dionyſio tyranno conditur, & Colonia Syracuſanorum eò deducitur. *Ibid.*

Nepherites, quem tamen Diodorus Pſammetichum nominat, cum annis ſex in Ægypto regnaſſet, moritur. Succedit Achoris rex, qui annis duodecim regnat. *Maneth. l. 3.*

ANNO MUNDI 3551. ante C. N. 397.

D. ☉ 3. ☽ 2.

Dercyllidas Spartanorum Dux, ſtatim primo vere, ex Bithynia in Thraciam movet; ubi legatos invenit, qui nunciant, imperium ipſi in annum ſequentem prorogatum, & jubent, ut Cherſoneſios contra Thracum incurſiones defendat. Dercyllidas igitur murum ex transverſo ducit, per ſtadia triginta, in eoque perficiendo totam æſtatem conſumit, cum aliud nihil eſſet, quod ageret, & induciæ eſſent inter Duces Perſarum & Lacedæmonios. *Xenoph. l. 3.*

Eſra anno ſeptimo Artaxerxis Hieroſolymam profecturus, ingreditur iter, comitatus viris mille & quingentis ferè, die duodecimo menſis primi, qui fuit dies 26. Martii, feria quinta. Pervenit Hieroſolymam die primo Menſis quinti; qui in Calendario eſt dies decimus Julii, feria ſeptima iniens, *Eſræ 8. v. 31.*

Archon apud Athenienſes *Ariſtocrates*.

Aſtydamas Tragicus Poeta primam tragœdiam exhibet. Vixit annis 60.

Romæ circa diem 3. Maji Juliani; cum plus quàm bimeſtri ſpatio tempus anticipaſſent, magiſtratum ineunt:

Tribuni militares conſulari poteſtate:
L. Valerius Potitus IV.
L. Julius Julus.
M. Furius Camillus.
Man. Aimilius Mamercinus III.
Cn. Cornelius Coſſus II.
Cæſo Fabius Ambuſtus II.

Magni exercitus Romæ ſcribuntur, laboratur interea in conferendo tributo: Ira tamen plebis effunditur in Sergium & Virginium, *quorum ductu ſuperiori anno clades accepta erat, qui magna pecunia damnantur.*

In Faliſcis *à Camillo, & in Capenate agro à Cornelio ingentes prædæ actæ, cum vaſtatione villarum & frugum. In obſidione Vejentium omnia recuperata, ſed in Volſcis* Anxur *nequicquam oppugnatum. Cum tributum grave eſſet plebi, & Tribuni plebis maximè inſtarent, in Comitiis Tribunorum militum, plebs primùm ex plebe creavit* P. Licinium Calvum, Liv. l. 5.

Dercyllidas, perfecto muro rurſus in Aſiam trajicit, & cum Chiorum exules Joniam vaſtarent, urbem eorum *Atarnam* obſidet, quam octavo tandem menſe deditione capit: Factum ſequenti anno, circa menſem Aprilem. *Xenoph. l. 3.*

Pharnabazus & Tiſſaphernes, incremento Lacedæmoniorum moti, cum rege *Artaxerxe* agunt, ut Cononem Athenienſem claſſi contra Lacedæmonios præficiat, & pecuniam attribuat. *Diod. l. 14.*

Spartani, cum Eleis jam dudum iraſcerentur, quòd ſe à ludis Olympicis arcerent, & inſuper mulctam irrogarent, & fœdus cum Argivis & aliis contra ſe iniiſſent, bellum ipſis decernunt, duce Agide rege, qui cum copias eduxiſſet, & terra moviſſet, exercitum dimiſit, & Spartam reverſus eſt. Elei interim ſe aliorum fœderibus muniunt. *Xenoph. l. 3.*

Dionyſius tyrannus bellum Carthaginenſibus molitur, præparat omnia, quæ uſui in bello futura ſunt, claſſem ferè trecentarum navium, Catapultas, & arma plurima. *Diod. l. 14.*

ANNO MUNDI 3552. Ante C. N. 396.
C. ☉ 4. ☽ 3.

Dercyllidas, cum metueret, ne Perſarum duces, quorum fides ſuſpecta erat, in Joniam irruerent, quæ ſine præſidio erat, eò tendit, & in Perſarum duces cum exercitu appropinquantes incidit, quapropter aciem inſtruit, eoſque ita terret, ut de induciis prorogandis colloquerentur. *Xenoph. l. 3.*

Pythiade quadrageſima octava bigis etiam certari cœptum eſt. *Pauſ. in Phocicis.*

Archon apud Athenienſes *Ithycles.*

Romæ circa diem 22. *Julii, magiſtratum ineunt:*

Tribuni militares conſulari poteſtate:
P. Licinius Calvus.
P. Mælius Capitolinus.
L. Titinius.
Sp. Furius Medullinus.
P. Mænius.
L. Publilius Philo.

Livius ait, P. Licinium primum & ſolum Tribunum militum ex plebe creatum, cæteros fuiſſe Patricios. Sed hiſtoria Romana oſtendit, omnes hoſce Tribunos plebeios fuiſſe, præter Sp. Furium. Porrò cum plebs tantam rem obtinuiſſet, libenter tributum in ærarium intulit, & Anxur *brevi receptum: Inſignis autem annus fuit, hyems gelida & nivoſa, quam ſecuta eſt æſtas peſtilens.* Liv. lib. 5.

Ephori apud Spartanos iterum Eleis bellum decernunt, exercitus ergò eò ducuntur, duce Agide rege, qui Eleos crudeliter vaſtavit, qua clade ſocii territi, ſeſe Spartanis adjunxerunt, relictis Eleis: cum Agis ſat prædæ haberet, domum abit, mititque Lyſippum, qui & ſequentem autumnum, & hyemem indiripiendis Eleis conſumſit. *Xenoph.*

Dionyſius bona Carthaginenſium in Sicilia Syracuſanis, & omnibus aliis Siculis dat prædæ, & ipſis bellum denunciat. *Diod. l. 14.*

ANNO MUNDI 3553. Ante C. N. 395.
BA. ☉ 5. ☽ 4.

Elei, cum bello contra Spartanos pares non eſſent, legatos ad eos mittunt de pace, quæ initur hiſce conditionibus, ut Elei muros dejiciant, finitimis non imperent, Spartanos ad Olympica certamina admittant, & mulctam remittant. *Pauſ.*

Agis rex, cum paulò poſt pacem Delphos profectus ſacrificaret, ægrotare cœpit, & moritur. Succedit frater Ageſilaus, excluſo filio Leotychide, quem pater negaverat filium ſuum eſſe. *Xenoph. l. 3.*

Archon apud Athenienſes *Lyſiades.*

Sophocles Sophoclis filius primam tragœdiam Athenis edit. *Diod. Sic. l. 14.*

Romæ circa diem 27. *Julii Juliani Magiſtratum ineunt:*

Tribuni Militares conſulari poteſtate:
M. Pomponius:
C. Duillius.
Cn. Genutius Augurinus.
L. Atilius Longus.
M. Veturius Craſſus Cicurinus:
Volero Publilius Philo.

Hyemem nivoſam ſecuta eſt æſtas peſtilens, Ideo libri Sybillini ex Senatusconſulto aditi, & duumviris creatis Lectiſternium *primum Romæ factum Apollini, Latonæque & Dianæ ac Herculi, Mercurioque & Neptuno. Peregrini in hoſpitia deducti, & cum inimicis etiam ſermones comiter habiti, & omnibus captivis vincula dempta.* Liv. l. 5.

Ad Vejos terror multiplex exortus, cum Capenates & Faliſci iterum Vejentibus venirent auxilio, & caſtra irrumperent, ſed cum ſubitò auxilia mitterentur, tandem hoſtes fuſi ſunt, & multi Vejentium ante portam caſi, cum excluſi eſſent, ne Romani ſimul irrumperent. Liv. l. 5.

Dionyſius in Sicilia bellum facit Carthaginenſibus, eorumque urbes occupat, exceptis quinque. *Motyam* urbem præcipuam diuturna & difficili obſidione, quòd Inſula eſſet, terra marique fatigat. Carthaginenſium claſſis, cum impar eſſet, in Africam redit, & tandem *Motya* plurima cæde ex utraque parte expugnatur, omnes puberes cæſi pauci ſub haſta venditi. *Diod. Sic. l. 4.*

Annus Nabonaſſaris 352. incipit die 30. Novembr. feria 5.

ANNO MUNDI 3554. ante C. N. 394.
G. ☉ 6. ☽ 5.

Annus ab urbe condita numeratus. 357.

Annus Artaxerxis Perſarum regis nonus.

Cum Ageſilaus Spartanorum rex nondum annuo ſpatio regnaſſet, valida conjuratio contra reges & optimates Spartanorum detegitur, quæ ſumma Ephororum ſapientia opprimitur. *Xenoph. l. 3.*

Archon

Archon apud Athenienſes *Phormio.*

Olympias XCVI. acta die 23. Julii, feria ſecunda. Eſt annus Olympiad. 381.

Stadium vicit *Eupolemus Eleus.* Additum eſt cæteris ludis certamen tubicinum & præconum: Inter tubicines vicit *Timæus*: Inter præcones *Crates* Eleus. *Pauſ.*

Cùm nunciaretur, Perſas duce *Tiſſapherne* trecentarum navium Claſſem comparaſſe, ſuaſu *Lyſandri*; Ageſilaus in Aſiam proficiſcitur, ubi inducias paciſcuntur trium Menſium *Xenoph.*

Romæ cùm biennio proximo plebs Tribunatum militum conſulari poteſtate ſola fere obtinuiſſet; Patritii majorem ferè curam habent Comitiorum, quam belli, ne honores à parentibus ſibi relicti, non cum plebe communicati, ſed planè à ſe ablati viderentur. Clariſſimos igitur viros adornant ad magiſtratum petendum, creanturque:

L. Valerius Potitus V.
L. Furius Medullinus III.
M. Valerius Maximus.
Q. Servilius Priſcus, Fidenas II.
M. Furius Camillus II.
Q. Sulpitius Camerinus II.

Valerius à *Faliſcis, & Camillus à Capenâ prædas ingentes agunt, nullâ incolumi re relictâ, cui ferro aut igni noceri poſſet. Prodigia præterea multa nunciata. Lacus etiam in Albano nemore, cùm præter cauſam in altitudinem inſolitam excreviſſet, quid portenderet, legati* Del. hos *miſſi. Propior interpres fuit apud Vejentes Aruſpex quidam, quem miles per inſidias interceptum, Imperatoribus tradidit; is prædixit, Si lacus in agrum emiſſus exſiccaretur, fore ut Veji caperentur.* Liv. l. 5.

Zeuxis pictor inſignis, qui uvas maturas ſuis coloribus ita expreſſit, ut aves advolarent, floret hac Olympiade. Certavit cum *Parrhaſio* de hac arte, ſed victus eſt. *Plinius.*

Lyſander ſuperbiùs ſe gerit apud Ageſilaum, ideò in Helleſpontum ablegatur. Tiſſaphernes verò, cùm ipſi exercitus adveniret, inducias initas violat: Cùm verò Ageſilaus jam viribus impar eſſet, equitatum comparat in Aſiâ & in Græciâ. *Xenoph.*

Carthaginenſes Duce Imilcone in Siciliam, cum ingenti exercitu trecentorum millium peditum, & quatuor equitum, claſſe item quadringentarum navium præter onerarias, tranſeunt: *Motyam* recipiunt, & Meſſanam occupant, diruunt & excindunt. Quapropter omnes urbes à Dionyſio deficiunt. Dionyſius in anguſtiis conſtitutus, ſervos ad pileum vocat, Claſſem armat; ſed & hic vincitur & centum naves amittit. Syracuſis ſe igitur continet, & auxilia ex græciâ ſtipendio miſſo conquirit. *Imilco*, cùm omnia benignè ſuccederent, Syracuſas obſidione cingit, ſed peſte ingruente plurimos milites amittit. Dionyſius hiſce occaſionib. non deeſt, ſed ſæpius erumpit, & ut plurimum ſuperior diſcedit, tandem claſſem Carthaginenſium incendit, & cremat. Caſtra etiam hoſtium invadit, & Imilconi de rebus ſuis deſperanti, ſi trecenta talenta daret, clanculum abitum cum civibus Carthaginenſibus concedit; reliqui capti & in ſervitutem redacti ſunt, præter Hiſpanos, quos Dionyſius Satellites ſibi elegit. *Diod. Sic. lib. 14.*

Afri auditâ clade Carthaginenſium rebellant, & Carthaginenſium agrum deprædantur, & valdè eos terrent: Sed cùm eſſet tantum colluvies hominum ducentorum millium, ſtatim diſſipantur, præſertim cùm commeatus deficeret. *Ibid.*

Cononem ſeditio militum ſæpius invadit, ob maligniùs præbita ſtipendia, cùm ſub magno Duce graviorem militiam tolerarent. Cùm igitur Epiſtolis nihil impetraret, ipſe ad regem Perſarũ proficiſcitur, & quæ vult impetrat, etiam ad regem non admiſſus, quem adorare nolebat. Impenſis igitur bellicis inſtructus, multa fortiter agit. *Diod. Sic. l. 14.*

ANNO MUNDI 3555. ante C.N. 393.
F. ☉ 7. ☽ 6.

Ineunte vere, Ageſilaus novos milites, equites & pedites exercet ad bellum, & annuum ſpatium jam exactum erat, veniuntque novi conſiliarii. Paulò pòſt contra Perſas profectus, eorum equitatum vincit, caſtriſque potitur. Artaxerxes hâc clade incitatus, Tiſſapherni Duci, cui hæc clades imputabatur, caput præcidi jubet, & mittit ſucceſſorem *Tithrauſtem*, cum quo Ageſilaus acceptis triginta talentis pangit inducias, & in Pharnabazi regionem in Phrygiam tranſit. *Xenoph. l. 3.*

Spartani legatum mittunt ad regem Ægypti, eumque de ſocietate armorum contra Perſas ſolicitant, qui ipſis mittit centum triremes. Sed cùm Rhodii à Spartanis ad Perſas autore Conone nuper defeciſſent, & verò Ægyptii hoc ignorarent, & in Rhodiorum portum, ut ad ſocios diverterent, totus hic apparatus Rhodiis acceſſit. *Diod. Sic. l. 14.*

Archon apud Athenienſes *Diophantus.*

Romæ circa Menſem Auguſtum magiſtratum ineunt:

Tribuni militum conſulari poteſtate:
L. Julius Julus II.
L. Furius Medullinus IV.
L. Sergius Fidenas.
A. Poſthumius Albinus.
P. Cornelius Maluginenſis II.
A. Manlius Vulſo III.

Tarquinienſes novi hoſtes exorti, qui Romanum agrum vaſtant, ſed non impune hoc ferunt; omni prædâ exuuntur. Liv. l. 5.

Oraculum Delphicum *conſentit cum Haruſpice, Vejentis lacus emittitur per agros, & ſiccatur, & feriæ Latinæ, quæ negligentiùs actæ erant, inſtaurantur, magiſtratusq; tanquam vitio creati ſe abdicant.* Ibid.

Ageſilaus mandatum in Phrygiâ accipit, ut & maris imperium contra Perſas obtineat: quapropter claſſem ædificat, eique *Piſandrum* affinem, belli tamen non admodum peritum præficit. *Tithrauſtes*, cùm videret bellum ab *Ageſilao* tantâ mole apparari, *Timocratem* Rhodium cum talentis quinquaginta in Græcia mittit, ut bellum Spartanis conciliet, ut *Ageſilaus* ita revocetur. Perſuadet hic quibusdam *Thebanis*, Corinthiis, Argivis, & Athenienſibus, ut bellum Spartanis inferant. *Thebani* itaque à Phocenſibus ſociis Spartanorum provocati, ipſis bellum faciunt, quibus cupidè auxilium ferunt Spartani, mittuntque Lyſandrum;

cui cum alio exercitu jungunt Pauſaniam regem. *Lyſander* dum *Haliartum* obſidet, à Thebanis vincitur & trucidatur; Pauſanias rex, cùm tantam vim belli videret, & Athenienſium auxilia præterea advenirent, à Thebanis petit inducias, cadavera recipit, & ex pacto ex Bœotiâ exercitum domum reducit; Quapropter Spartæ accuſatus & damnatus capitis, exul Tegeam abiit; ubi moritur, cùm annos 14. regnaſſet. Succedit ipſi filius, *Ageſipolis* adhuc puer, qui itidem annos 14. regnat. *Xenoph. l. 3.*

Annus ſabbathicus 4. Jobelei 22. incipit die 24. Sept. fer. 3. anno Jud. 3355.

Ageſilaus ſub autumnum in Phrygiam venit, inde in Paphlagoniam abit, & *Cotyn* ſocium belli facit, & Pharnabazum Phrygia expellit, & in vicis ejus hybernat. *Xenoph. l. 4.*

Thebani, Athenienſes, Corinthii, & Argivi ſocietatem inter ſe jungunt, contra Spartanos, & belli ſenatum Corinthi conſtituunt, atque ita belli Corinthii faciunt initium, quod duravit annos octo. Alios etiam à ſocietate Spartanorum abducunt, ut *Leucadios*, *Acarnanes*, Ambraciotas, Chalcidenſes; & Thraciæ accolas. Iidem Lariſſæ principi cum Lycophrone Phæreorum Tyranno bellum gerenti auxilia mittunt, qui *Pharſalum* Lacedæmoniorum præſidium expugnat. Interim Thebani Heracleam occupant, & Lacedæmonios trucidant, & *Trachiniis* urbem reſtituunt: Phocenſes etiam prælio vincunt. Hiſce cladibus ergò Spartani coacti Ageſilaum ex Aſiâ revocant. *Diodor. Sic. l. 14.*

ANNO MUNDI 3556. Ante C. N. 392.
E. ☉ 8. ☽ 7.

Ageſilaus, ut patriæ opem ferat, præſidia in Aſiâ relinquit, & primo vere in Europam venit. Spartani inde exercitum contrahunt, & cùm *Ageſipolis* puer eſſet, *Ariſtodemum* agnatum, belli Ducem faciunt, & prope Corinthum hoſtes vincunt, quæ victoria nunciatur *Ageſilao*, cùm adhuc in Thraciâ eſſet. *Xenoph. l. 4.*

Archon Athenienſis *Eubulides.*

Æropus Macedoniæ rex moritur anno regni ſexto, cui ſuccedit Pauſanias, qui regnat anno uno. *Diod. Sic. l. 4.*

Theopompus hiſtoricus hoc anno deſinit, qui ſcripſit hiſtoriam annorum ſeptendecim incipiens ubi Thucydides deſierat. *Diod. Sic. l. 14.*

Romæ inteſtina diſcordia vigent, cùm Tribuni plebis per interreges comitia nulla admitterent, niſi potiſſima pars tribunorum militarium ex plebe crearentur. Cùm afferretur, Hetruſcos Vejentibus auxilia denegâſſe; voluntarios tamen quotquot vellent concedere, mitescere diſcordia cœperunt, &

Tribuni militares poteſtate conſulari creati ſunt:

P. Licinius Calvus II.

qui tamen ſuo loco creari petit filium; cui adduntur:

L. Titinius II.
P. Mænius II.
P. Mælius Capitolinus II.
Cn. Genutius Augurinus II.
L. Atilius Longus II.

omnes ex plebe.

Titinius & Genutius *adverſus Faliſcos Capenatesque proficiſcuntur, ubi dum majori animo, quàm conſilio rem gerunt, præcipitarunt ſe in inſidias. Genutius honeſta morte temeritatem luit, Titinius in tumulo ſuos recolligit, & aciem reſtituit. Terror hinc illatus in caſtra ad Vejos & urbem, quaſi Hetruſci deletis exercitibus jamjam adeſſent. Caſtra ad Vejos ægrè retenta. Romæ Dictator dicitur* M. Furius Camillus, *qui collapſam rem erigit, Faliſcos & Capenates egregie vincit, caſtris exuit, & prædæ partem in ærarium redigit. Inde ad Vejos profectus, cuniculum in arcem Vejentem agit, & prædæ dividendæ ſenatum Romanum autorem facit. Ipſe captâ urbe Apollini decimam partem prædæ vovet, libera corpora capta venundat, & triumpho omnium clariſſimo urbem Romam ingreditur.* Liv. lib. 5.

Ageſilaus ex Thraciâ movet contra Theſſalos, eosque equitatu vincit; inde movet in Bœotiam, ubi videt Solem inſtar Lunæ falcatum, & ſimul accipit nuncium de clade Lacedæmoniorum navali, quâ *Piſander* ipſi ceciderat, & quinquaginta naves perierant, propè *Cnidum* inſulam, Victore *Conone* & Perſis. *Xenoph. l. 4.*

Eclipſis hæc facta eſt die 14. Auguſti, circa Corinthum ad haſce tabulas horis undecim, & minut. 10. 52. poſt mediam noctem. Parallax. latitud. 14. 21. Latitudo Lunæ 10. 27. viſa auſtralis 3. 54. Semidiam. Solis 15. 18. ſcrup. reſidua 25. 52. digiti eclipt. 9. 47. Sol in 15. Leonis ferè.

Conon poſt victoriam ſocios Spartanorum invadit, eosque ut à Spartanis deficiant facit; fuerunt autem *Coï*, *Niſiai*, *Teii*, *Chii*, *Mitylenai*, *Epheſii*, *Erithrai*; & Corinthum navigat, ſocietatemque cum ipſis paciſcitur. *Diod. Sic. l. 14.*

Ageſilaus pauló poſt eclipſin cùm Thebanis pugnat, vincitque cruentè prælio, graviter ipſe sauciatur, & ſaucius Delphos defertur, relicti milites in Bœotiâ vincuntur, & Dux eorum *Gylis* polemarchus perit. Corinthiorum quidam, cum in hoc bello agri Corinthiorum ferè vaſtarentur, & ſociorum agri intacti relinquerentur, de pace cum Spartanis ineundâ conſilia agitant; reliqui id perſentientes eos trucidant, intra & extra urbem, & *Iſthmia* celebrant. Ageſilaus, tùm Corinthum obſedit, & murum, quem Athenienſes extruxerant, demoliri conatur, cùm adhuc æſtas eſſet, ſed vario ibi Marte bellum geritur. Inde usque ad Autumnum Acarnanes deprædatur, atque poſt in patriam redit, & hyeme quieſcit. *Xenoph. l. 4. hiſt.*

Rhegini Meſſanam, quæ Dionyſii partes fovebat, oppugnant maximo quidem conatu, ſed tamen fruſtra, cùm ſe fortiſſime defenderent. Dionyſius, ne ipſis auxilio eſſet, Siculorum rebellio effecit, quæ per totam hyemem duravit. Meſſenii tamen ob id Dionyſio irati, fœderi cum eo renunciant, & ſe in libertatem aſſerere conantur, quod & *Acragantini* faciunt. *Diod. l. 14.*

Pauſanias Macedonum rex, cùm anno uno regnaſſet, dolo *Amyntæ* trucidatur, qui ipſi regnum occupat, idque obtinet annis 24. *Diod.*

ANNO MUNDI 3557. ante C. N. 391.
DC. ☉ 9. ☽ 8.

Ageſilaus primo vere Acarnanes vaſtat, qui cùm impares eſſent bello, cum Achæis & Lacedæmoniis pacem faciunt, promittuntque ſocietatem armorum.

Romæ cùm de decimâ prædâ ageretur, quam Camillus Apollini voverat, jubetur quisque ſuam prædam æſtimare, & decimam partem in publicum deferre, quæ res vehementer plebis animos à Camillo abalienavit. Liv. l. 5.

Archon apud Athenienſes *Demoſtratus.*

Cùm Lacedæmonii Bœotiis & Athenienſibus bellum inferre cogitarent, Argivos, ne ſibi hoſtes à tergo relinquerentur, primùm aggrediuntur. Eos *Ageſipolis* rex totâ iſtâ æſtate vaſtat, & tandem cùm fulmen in caſtra decidiſſet, exercitum dimittit, & domum abit. *Xenoph. l. 4.*

Pharnabazus, cùm ſciret, quantas clades Ageſilaus intuliſſet, cùm *Conone*, Lacedæmonem navigat, omnemque circa regionem vaſtut; inde ad *Iſthmum* ambo veniunt, & ſocios hortantur, ut alacriter bellum Spartanis facere velint, pecuniamque ipſis ſuppeditat; & tandem Cononem, qui ex inſulis claſſem alere poſſe promittebat, ad inſtaurandos muros Athenarum, quam rem fideliter adjuvarunt & Corinthii Thebani. *Xenoph. l. 4.*

Romæ Volſcis Æquisque pax data petentibus, ut civitas diutino bello feſſa requieſceret, &

Tribuni militares conſulari poteſtate creati ſunt:

P. Cornelius Coſſus.
P. Cornelius Scipio.
M. Valerius Maximus II.
Cæſ. Fabius Ambuſtus III.
L. Furius Medullinus V.
Q. Servilius Priſcus.

Faliſcorum & Capenatium fines vaſtati, quibus Capenates compulſi pacem petunt & obtinent. Tribuni plebis interim legem agrariam urgent, & Vejos à dimidia parte Senatus & plebs occupandos cenſent; reſiſtunt Patres, fiunt turbæ maximæ. Camillus *contrà, ut populus religione exolvatur, ſuadet, & decima præda, donum Apollini, ſegregetur. Vrbs igitur & ager Vejentium in æſtimationem veniunt, & decima pars ejus ex ærario perſoluta. Cæterùm cùm tantum auri in ærario non eſſet, ut Apollini donum conflari poſſet, matronæ ſuâ ſponte, quicquid auri in ornatu habuere, ad hunc uſum in medium contulerunt, pro quâ munificentia eis datum, ut planſtro ad ſacra & ludos veherentur, & in funere etiam laudarentur: Pecunia etiam pro auro reddida.* Liv. l. 5.

Mago Carthaginenſis in Sicilia partes Carthaginenſium fovet & erigit, ſed cum Dionyſio prælio congreſſus vincitur. Igitur Dionyſius ex hac parte ſecurus, Rhegium occupare conatur, ſed fortiter repellitur. *Diod. l. 14.*

Amyntas rex Macedonum regno pellitur ab Illyriis, ſuccedit ipſi, ut quidam volunt, *Argæus*, quidam tamen eum paulò poſt à Theſſalis reſtitutum dicunt. *Diod. Ibid.*

Satyrus Boſphori rex, cum annos 14. regnaſſet; moritur; ſuccedit ipſi filius *Leuco* per annos quadraginta. *Diod. l. 14.*

Annus Nabonaſſaris 356. incipit die 29. Novembr. feria 2.

ANNO MUNDI 3558. ante C. N. 390.
B. ☉. 10. ☽ 9.

Annus ab urbe condita numeratus 361.

Annus Artaxerxis regis Perſarum 13.

Spartani, ne Athenienſes recuperata Republica iterum rerum potirentur, mittunt *Antalcidam* legatum ad Teribazum Ducem rgis Perſici in Aſia, petuntque pacem, & docent, quanto cum periculo Reſpubl. Athenienſium inſtauretur. Athenienſes, Bœotii, Corinthii & Argivi, ad eundem ſuos legatos mittunt, ſed non ita adiuntur, ut Antalcidas, qui conditiones fert, ut Inſulæ & urbes Græcorum ſua libertate fruantur. Hanc pacem repudiant Athenienſes, ne ſuis inſulis & urbib. exciderent. Teribazus igitur clam Spartanis ſuppeditat pecuniam, & *Cononem* in vincula conjicit.

Argivi, dum Corinthi verſantur, arcem occupant & urbem ſuæ ditionis faciunt. *Iphicrates* Dux Athenienſium, cum hoc ipſi non probaretur, imperio ſe abdicat, & *Chabriam* ſucceſſorem relinquit. *Diod. Sic. l. 14.*

Legati Romanorum *tres, qui Craterem Apollini donum ferrent, mittuntur, & à Liparenſibus capiuntur, captivique abducuntur. Præter eorum* Timaſitheus *cauſa cognitâ, non modò legatos ſervat, ſed etiam duces Delphos addit, & ſalvos Romam reſtituit. Senatui Romano adeò gratum hoc fuit, ut cum* Timaſitheo *publicum hoſpitium jungerent; & cùm poſt annos 137. Liparam Carthaginenſibus eriperent.* Timaſithei *poſteros à tributis immunes eſſe juberent.* Diodorus Siculus.

Olympias XCVI. acta die 7. Auguſti, feria 1. Eſt annus Olymp. 385.

Stadium vicit *Terinaus* Eleus, vel ut alii volunt, *Phormio.* Halicarnaſſeus.

Archon apud Athenienſes *Philocles.*

Ancona urbs circa hæc tempora condita, cùm Siculi & quidam Italici generis populi, Dionyſii tyrannidem fugerent. *Solinus.*

Galli hoc anno Alpes tranſeunt. Diod. Sicul.

Romæ circa finem menſis Auguſti magiſtratum ineunt:

Tribuni militum conſulari poteſtate:

M. Furius Camillus III.
L. Furius Medullinus VI.
C. Aimilius Mamercinus.
L. Valerius Poplicola potitus.
P. Poſthumius Albinus.
P. Cornelius Scipo II.

Camillus Faliſcos *caſtris arduo loco munitis exuit, & urbem obſidet, Ludimagiſter quidam principum liberos ad Camillum, ut urbem prodat, in caſtra perducit. Camillus averſatus proditionem, diſcipulis virgas tradit, Ludi Magiſtrum verò nudum, & manibus poſt tergum vinctum in urbem redigi jubet. Faliſci fide & juſtitiâ Camilli provocati, ultrò urbem dedunt.* Liv. l. 5.

In Æquis à Poſthumio & Aimilio ancipiti marte pugnatum; & Aimilius quidem cum ſuis Romam fugit, Poſthumius verò, ut ignominiam elueret, caſtris tandem Æquorum expugnat & vincit. Ibid.

Carthaginenſes iterum exercitum in Siciliam mittunt Duce *Magone.* *Dionyſius* contra eos profectus

fectus, cùm videret hoſtes inopia commeatus conflígi, ducit bellum: malè id habet Siculos & Syracuſanos; & à Dionyſio deficiunt. Quapropter deſertus à Siculis, pacem cum Carthaginenſibus facit, & *Tauromenium* inſuper ſibi acquirit. *Diod. Sic.*

Teribazus dux Perſarum in Aſia, ad regem profectus, docet eum de ſtatu Græcorum, qui mittit *Strutham* Ducem in Aſiam, qui ab aliis edoctus favet Athenienſibus, & Spartanos oppugnat. *Xenoph. lib.* 4.

ANNO MUNDI 3559. ante C. N. 389.
A. ☉ 11. ☽ 10.

Spartani contra Perſas in Aſiam mittunt *Thimbronem*, qui cum ſummâ ſecuritate in hoſtium agris prædaretur, obrutus ab equitibus *Struthæ* trucidatur.

Archon apud Athenienſes *Nicoteles.*

Romæ plebs obtinet, ut Tribuni plebis, qui ferebant legem de relinquenda Roma, & occupandis Veis *reſiſterentur. Senatus contrà Conſules creat, poſt quindecim annos, cùm interim Tribuni militares fuiſſent circa medium æſtatis.*

Coſſ. L. Lucretius Flavus.
Ser. Sulpitius Camerinus.

Tribuni plebis ſummo ſtudio legem urgent, Coſſ. reſiſtunt, interim Vitellia *Colonia Romanorum ab Æquis expugnatur. Coloni tamen ſalvi Romam perfugiunt, Lucretius Conſul Æquos vincit, & Coloniam recuperat. Plebs interea fremit, & Tribunos, qui ſuperiori anno legi interceſſerant, magnâ pecuniâ mulctat. Camillus objurgat plebem, & Senatui autor eſt, ut omni arte Legi, quæ ſit diſſolvenda Reipubl. reſiſtat, atque ita Senatus rem obtinet, qui poſtero ſtatim die decernit agrũ Vejentanum inter plebem dividendum, & in ſingula capita ſeptena jugera ſcribenda.* Liv. l. 5.

Spartani Diphridam ducem, virum ſtrenuum, in locum Thymbronis mittunt in Aſiam, qui aſtu *Struthæ* filiam & ejus maritum intercipit, & magna prædâ potitur: unde militibus ſtipendia diſſolvit. *Xenoph lib.* 4.

Spartani metuunt, ne Athenienſes Rhodum occupent, atque ita maris imperium recuperent; quapropter Ducem *Ecdicum* mittunt, qui tamen cùm non ſatis inſtructus eſſet navibus, Rhodum aggredi non eſt auſus. *Ibid.*

Evagoras rex Cypri, olim quidem pulſus regno, *Salaminem* obtinuerat: Jam verò quomodo totam Inſulam recuperare poſſit, conſilia init. Ejus conatus perſentiſcens *Artaxerxes*, exercitum conſcribit. *Diod. Sic. l.* 14.

ANNO MUNDI 3560. *Ante C. N.* 388.
G. ☉ 12. ☽ 11.

Cùm Athenienſes Rhodum obtinerent, Spartani mittunt *Teleutiam* cum navibus 27. qui Rhodum ſibi adjungit, & Athenienſium naves decem, quæ *Evagora* auxilium ferebant, capit. Athenienſes verò mittunt *Thraſibulum* ad *Helleſpontum*, qui ibidem multos ſocios Athenienſibus adjungit, & quaſdam urbes capit. *Xenophon l.* 4.

Archon apud Athenienſes *Demoſtratus.*

Archytas Tarentinus ex ſcholâ Pythagoreâ eruditus floret, familiaris fuit Platoni Philoſopho, auxilioque fuit, ne Plato à Dionyſio occideretur. *Diog. Laert. l.* 8.

Romæ Magiſtratum ineunt circa medium æſtatis:

Coſſ. Valerius *P*oplicola *P*otitus.
M. *M*anlius Capitolinus.

Ludi, quos Camillus Vejentibus victis voverat, celebrantur, & ædes Junonis Reginæ *ab eodem* Vota, *magno ſtudio Matronarum dedicatur. Inde bellum non magni momenti à Conſulibus cum Æquis geſtum, hoſtes victi, & Valerio triumphus decretus, Manlio Ovatio.* Liv. l. 5.

Thraſibulus conſtitutis rebus in *Helleſponto Methymnam* urbem occupat, & Spartanos ibi cum Duce cædit: inde Rhodum navigaturus, ab *Aſpendiis* ſociis Athenienſium noctu obrutus trucidatur. *Xenoph. l.* 4.

Spartani ne in *Helleſponto* ſocii à ſe deficerent, *Anaxibium* mittunt, cui Athenienſes opponunt *Iphicratem*, qui *Anaxibium* collocatis opportunè inſidiis obtruncat. *Ibid.*

Dionyſius Rhegium urbem invadit, Italia contra *Dionyſium* claſſem expediunt, quæ ferè capta fuiſſet à *Dionyſio*, niſi à Rheginis ſubventum fuiſſet. Inde igitur repulſus cum clade, jam hyeme ingruente, ſocietatem cum *Lucanis* paciſcitur, & exercitum reducit. *Diod. l.* 14.

ANNO MUNDI 3561. ante C. N. 387.
FE. ☉ 13. ☽ 12.

Lucani in Italiâ *Thuriorum* agros incurſant. *Thurii* comparato exercitu, non exſpectatis ſociorum auxiliis, prædatores iſtos repellunt. Sed Lucani iterum ſe colligentes, *Thurios* in convallibus concludunt, decem millia eorum occidunt, reliquos ad mare fugant, qui ad advenientem claſſem adnatant, ſed ea claſſis erat hoſtium, quibus ſinguli pro redemptione ſua, ſingulas minas dare coacti ſunt. *Diod. l.* 14.

Apud Athenienſes Archon Antiparet. *Diod.*

Pluto Comœdia Ariſtophanis Athenis acta. *Ariſtoph.*

Spartani impellunt Æginetas, ut Atticam prædando affligant, quod & faciunt. Ideò Athenienſibus obſidentur, ſed Athenienſium Duces, cùm *Spartanorum* claſſis & auxilia advenirent, coguntur obſidionem ſolvere quinto menſe. *Xenoph. l.* 5.

Volſinienſes *novi hoſtes Romanis exorti, agrum Romanum populantur; Romam quòd fame ac peſte conflictarentur, eos ulciſci, non poſſent, ideo bellum differtur.* Liv.

Chabrias Dux Athenienſium, in Cyprum auxilio *Evagoræ* profecturus, *Gorgopa* Spartanorum Duci, qui apud *Æginetas* in præſidio erat, inſidias ſtruit, Ducem occidit, & multos cædit. *Xenoph. l.* 5.

Dionyſius in Italiam exercitum iterum traducit, & *Crotoniatas* ingenti prælio vincit: Victoria tamen utitur moderatè. Inde in Rheginos, quibus valdè propter cladem ſuperioris anni iraſcebatur, movet: eis aſtu quodam pacem offert, ſi ſibi claſſem tradant, cum obſidibus quibusdam, hiſce conditionibus cùm Rhegini acquieſcerent, Dionyſius claſſem & exercitum Syracuſas abducit. *Diod. l.* 14.

Annus Nabonaſſaris 360. incipit die 28. Novemb. feria 6.

ANNO MUNDI 3562. ante C.N. 386.
D. ☉ 14. ☽ 13.

Annus à condita urbe numeratus 365.
Annus Artaxerxis regis Perſarum 17.

Romani, ne Volſinienſes impunè agros vaſtaſſe viderentur, tempus ineundi Magiſtratus mutant, & Calendas Quintiles eligunt, quibus Tribuni Magiſtratum inirent: eæ incidunt hoc anno circa diem 21. Martii, ad Calendarium Julianum, &

Tribunos militares conſulari poteſtate creârunt numero ſex, fueruntque:

L. Lucretius Tricipitinus.
Ser. Sulpitius Rufus.
M. Aimilius Mamercinus.
L. Furius Medullinus VII.
Agrippa Furius Fuſus.
C. Aimilius Mamercinus.

Liv. lib. 5.

Bellum cum Volſinienſibus numero hoſtium ingens, certamine non aſperum fuit. Fuſa primo impetu acies, octo millia capta ſunt, & Volſinienſibus ſub annuo ſtipendio induciæ in viginti annos datæ. Ibid.

Camillo, *propter prædam Vejentanam, quam publicando & decimando ad nihilum, ut inſimulabatur, redegerat, dies dicitur. Cùm abſolvi non poſſet, noluit ſolvere mulctam, ſed in exilium abiit* Ardeam; *precatus, ut ſi ſibi innoxia injuria fieret, primo quoque tempore deſiderium ſui ingratæ urbi excitaretur.* Ibid.

Olympias XCVIII. acta die 24. Julii, feria 6. Eſt annus Olympiad. 389.

Stadium vicit *Soſippus* Athenienſes.

Eupolis Theſſalus, cùm Judices in hâc Olympiade corrupiſſet, pugilum victor declaratus eſt. *Pauſan. in Eliacis.*

Archon apud Athenienſes *Pyrgion* vel *Pyrrhion.*

Cenſor Romæ C. Julius *moritur: in ejus locum ſuffectus eſt* M. Cornelius, *quæ res poſtea religioni fuit, cùm hoc luſtro urbs caperetur; neque unquam poſtea in demortui locum Cenſor ſuffectus fuit.* Liv. l. 5.

Cùm milites Spartanorum, niſi ſibi ſolverentur ſtipendia, claſſem inire nollent, Spartani remoto *Eteonico* Duce, *Teleutian* gratioſum apud milites Ducem iterum claſſi præficiunt; qui etſi pecuniam non afferebat, tamen expeditione inſtituta in Athenienſium portum, in Piræum, tantum præda ibi conſequitur, ut militibus ſtipendia ſolveret. *Xenoph. lib.* 5.

Annus ſabbathicus 5. Jobelæi 21. incipit die 7. Sept. fer. 2. anno Jud. 3374.

Dionyſius Tyrannus infeſtus Rheginis, cùm eos claſſe ſuperiori anno exarmaſſet, ſimulatâ amicitiâ, ſe commeatu ab iiſdem ſublevari petit; cùm id amplius non poſſent, remittit ipſis obſides, & bellum ipſis incidit, arctaque obſidione cingit: factum adhuc antequam Olympia celebrarentur. Nam ex caſtris quadrigas, in Olympico certamine certaturas, mittit cum poematiis ſuis, quæ riſu propter futilitatem excepta ſunt; & Lyſias orator diſſuaſit, ne quadrigæ ejus admitterentur in certamen, ſed admiſſæ ſunt, victoriam tamen nullam obtinuerunt, & inſuper navis regrediens, naufragium ferè fecit. *Diod. Sic. l.* 14.

Galli, qui olim Alpes tranſcenderant, à Cluſinis petunt, ſe in agri partem, quem latius poſſidebant, quam colebant, recipi, aut bellum minitantur. Cluſini tantis hoſtibus territi, legatos Romam mittunt, petitum auxilia: de auxilio nihil impetratum, legati tantùm miſſi ad Gallos, tres Fabii, *qui cum ipſis agerent, ne, à quibus nullam injuriam accepiſſent, amicos ſuos oppugnare vellent. Sed cùm pax iniri non poſſet, niſi in partem agri reciperentur, res ad pugnam protrahitur. Pugnant ſimul Romanorum legati, contra jus gentium, & Ducem Gallorum occidunt. Galli legatos hoſce à Romanis ſibi dedi fruſtra poſtulant; quapropter omnem belli molem à Cluſinis in Romanos avertunt.* Liv. l. 5.

Achoris *Ægypti rex, cùm annis duodecim præfuiſſet, moritur: ſuccedit* Pſammites, *qui regnat annum unum.* Manetho tom. 3.

ANNO MUNDI 3563. ante C. N. 385.
C. ☉ 15. ☽ 14.

Dionyſius, cùm Rhegionis jam undecim menſibus obſediſſet, eoſque ad inauditam famem coegiſſet (venditus fuit medimnus decem minis) deditione eos capit; & qui ſe minâ redimere potuerunt, eos liberos pronunciat, reliquos ſub haſtâ vendit. *Diod. Sic. lib.* 14.

Romæ, dum legati Gallorum adſunt, poſtulantque Fabios ad cædem, Fabii apud populum tantum valuerant, ut pro pœna honorem acciperent, & Tribuni militares conſulari poteſtate crearentur, cum aliis fueruntque:

Q. Fabius Ambuſtus.
Cæſo Fabius Ambuſtus.
C. Fabius Ambuſtus.
Q. Sulpitius Longus.
Q. Servilius Priſcus.
Ser. Cornelius Maluginenſ.

factum circa 31. Martii.

Galli, *cum Romæ violatoribus juris gentium pro pœna honorem habitum intelligerent, peſſimè id tulerunt, & ſtatim Romam abeunt: Romani, quod Fabii extenuarent vires Gallorum, nulla cura bellum tractant, atque ita imparati à Gallis ferè obruuntur, tumultuario tamen ipſis exercitu obviam procedunt, ſed ſtatim vincuntur, & pars eorum potiſſima Vejos per Tyberim aufugiunt, reliqui Romam: qui cum urbem in tanta paucitate ſua tutari non poſſent, Capitolium occupant, idque muniunt, ſequenti die Galli Romam invadunt, & magnam ejus partem incendio perdunt. Accidit clades circa diem 16. Julii, circa ſolſtitium, ut Plutarchus habet. Verùm Plutarchus dies apud Livium & alios metitur ad ſua tempora. Porrò & Polybius optimus autor, qui proximè ab his temporibus abfuit, ponit in hunc annum cladem Allienſem, quando dicit, eam accidiſſe anno decimo nono, poſt cladem Athenienſium ad Ægos Potamos, & anno decimo ſexto ante cladem Spartanorum ad Leuctra: & Diodorus etiam, & Dionyſius Diodorus quidem apertè; Dionyſius autem obliquè, quando dicit cladem accidiſſe, Archonte* Pyrgione, *qui ſuperiori anno, die 16. Julii, magiſtratum nondum ſuſceperat, hoc anno verò, tempore cladis adhuc perſtitit. Hiſtoriam vide apud* Liv. l. 5.

Archon apud Athenienſes *Theodotus*

Annal-

Antalcidas, qui hactenus apud regem *Artaxerxem* fuerat, ſocietatemque belli junxerat, redit inſtructus, & formula pacis, & claſſe ſimul. Athenienſes territi tanta mole belli, pacem exoptant, idem faciunt Spartani, qui multa loca præſidiis obtinere cogebantur, quibus magna vis pecuniæ abſumebatur. Argivi etiam belli pertæſi erant; quapropter cùm *Teribazes* legatos principes Græciæ evocaſſet, ad conſultandum de formula pacis, omnes comparuerunt, & pax inita eſt, hâc formulâ: Rex Artaxerxes *æquum cenſet eſſe, ut urbes in Aſiâ ſita, unà cum inſulis Clazomeniis, & Cypro ſibi pareant. Cætera Græci nominis oppida, parva, magna, ſui juris ſunto.* Lemnus, Imbrus, Scirus *excipiuntor, quas ut olim, ita nunc etiam Athenienſes obtinento. Hanc pacem quicunque rejecerint, iis equidem bellum, unà cum approbantibus eam, mari, terrâ, pecuniâ, claſſe inferam.*

In hanc pacem conſenſerunt Spartani, Athenienſes, Argivi; ſubdubitabant Thebani & Corinthii. Sed Spartani pacis hujus defenſores creati, ita hoſce terrent, ut jurarent cum reliquis. Porro Spartani, cùm magnam ſibi hoc modo & autoritatem & potentiam acquiſiviſſent, de ſociis olim ſibi non ſatis fidis pœnas expetere conantur, ut ſub prætextu pacis potentiam ſuam ſtabiliant. Ideò Mantineis, niſi ex oppido, quo in unum conceſſerant, in vicos ſuos, ut olim diſcedant, bellum indicunt. *Xenoph. l. 5.*

Calliſthenes Hiſtoricus ſuas hiſtorias ab hac *Antalcida* pace inchoat, & deducit usque ad bellum ſacrum, per annos triginta.

Pſammitis, qui annum unum in Ægypto regnarat, ſuccedit *Nepherites*, per menſes duos; quo trucidato, finita eſt viceſima nona Dynaſtia *Mendeſiorum*, & ſuccedit triceſima *Sebenitarum*, in quâ primus fuit *Nectanebius*, qui regnavit in Ægypto annis 18. *Manetho l. 3.*

Galli in urbe Roma, cùm commeatu diſtituerentur, cremato in urbe frumento, frumentatum abeunt, Ardeam *verſus, ubi* Camillus *exulabat, à quo nocturno prælio trucidantur. Hetruſci, qui lætabantur clade Romanorum, & propterea eorum agrum prædabantur, ſimiliter binis cladibus à Romanis, qui Vejos profugerant, afficiuntur, &* Camillus *Dux belli ab iiſdem deſideratur. Mittunt igitur in Capitolium, qui deſiderium exercitus explicet, & petat, ut* Camillus Curiatis *comitiis revocetur, &* Dictator *creetur: quo facto* Camillus *milites ordinat, & Romam verſus ducit, Gallosque pugnâ primâ in urbe commiſſâ vincit, alterâ verò extra urbem adeò conficit, ut ne nuncius quidem cladis relinqueretur, ubi etiam caſtra eorum capta ſunt. Inde cùm Tribuni plebis iterum urgerent migrationem in urbem Vejos, civibus perſuadet, ut Romæ maneant, urbemque inſtaurent. Propter tanta merita, alter* Romulus, *& urbis conditor habitus eſt.* Liv. l. 5.

ANNO MUNDI 3564. Ante C.N. 384.
B. ☉ 16. ☽ 15.

Romæ circa diem 4. April. Magiſtratum ineunt.

Tribuni militares conſulari poteſtate:
L. Valerius Poplicola Potitus.
L. Virginius Tricoſtus.
Publius Cornelius.
L. Poſtumius Albinus.
L. Æmilius Mamercinus.
A. Manlius Capitolinus.

Hi ſtatim legis duodecim tabularum, & quaſdam alias à regibus latas, in publicum redigunt, & diem 17. Julii, duplici clade inſignem, ut & omnes Calendas, Nonas & Idus inter nefaſtos recenſent; diem verò 17. Julii, Allienſem nominant. Liv. l. 6.

Q. Fabius inde, quòd legatos in Gallos pugnaſſet, in judicium vocatur, qui obiit, priusquam Judicii dies adveniret. Ibid.

Volſci, & Æqui, & Hetruſci etiam, ad extinguendum nomen Romanum arma capiunt. Camillus *igitur Dictator tertium dicitur, qui Volſcos vincit, caſtris exuit, & vaſtando agros, in eas anguſtias redegit, ut ſe dederent, non ſeptuageſimo anno, poſtquam bellum cum Volſcis captum eſt, ſed centeſimo & ſeptimo anno. Nam, præterquam quòd ipſi reges Romani cum Volſcis bella geſſerunt, à liberâ republicâ ipſis bellum illatum eſt, anno 259. Coſſ. Claudio & Servilio. Hâc victoriâ partâ Camillus in Æquos tranſit, ubi ſimiliter caſtris hoſtes exuit, & Bolam urbem capit.* Liv. l. 6.

Archon apud Athenienſes *Myſtichides*.

Eudoxus Cnidius inſignis Aſtronomus, ab amicis in Ægyptum ad Nectanebum regem mittitur, annos natus viginti tres: vixit in univerſum annos 103. *Diog. Laert.*

Evagoras rex Cypri maximum exercitum contra Perſas comparat, hominum trecentorum millium, & claſſem trecentarum navium, & regem Ægypti in ſocietatem belli aſſumit, ut & Tyrios, & alios. Et primùm quidem Perſarum exercitum commeatu prohibet, poſtea tamen à claſſe Perſarum vincitur, & Salamine obſidetur. *Diod. Sic. l. 15.*

Cùm alter annus à pace Antalcidæ iniret, & Spartani ſub ejus prætextu potentiam ſuam ſtabilire, multisque imperare conarentur, jubent Mantineos, ut muros ſuos diruant, & in pagos abeant, ubi olim habitarant; quod cum facere nollent, bello à Spartanis petuntur, Ageſilaus tamen bello huic præfici noluit, ideò Ageſipolis dux creatur. *Diod. l. 15.*

Dum Camillus in alia parte hoſtes Romanos vincit, Hetruſci Sutrium improviso impugnant, & deditione capiunt. Eodem die Camillus à Senatu juſſus, Sutrienſibus opem laturus, Hetruſcos in capta urbe vincit, & capit, & Sutrienſibus civitatem eodem die reſtituit, atque ita trium bellorum victor Camillus exercitum domum reducit, & triumphat. Liv. l. 6.

Dionyſius in Siciliæ poetices ſtudio impenſe deditus, multa carmina facit, quæ liberiùs reprehendit Philoxenus Poeta, atque ob id in lapidicinas abducitur; ſequentibus diebus ab amicis Dionyſius exoratus veniam dat Philoxeno, atque iterum eum menſæ adhibet: Ubi cum iterum Dionyſius nova carmina recitaret, & Philoxeni ſententiam requireret, nihil quidem reſpondit, ſed vocatis ſtipatoribus, ite, inquit, & abducite me in lapidicinas. Hoc acutum reſponſum magno riſu exceptum eſt: Ideò Philoxeno ignovit. *Diod. Sic. l. 15.*

Hoc eodem anno Plato Philoſophus accerſitus ad Dionyſium venit, quem cùm liberiùs reprehenderet, offendit adeò, ut vitæ periculum incurreret: exoratus tamen Dionyſius, eum, ut mancipium, quinque minis vendidit. At Philoſophi & ami-

& amici collatâ pecuniâ Platonem redemerunt, & libertati reſtituerunt. Didicit hoc modo Plato, quod alicubi tradit, cum Tyrannis pauca & jucunda agenda. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3565. ante C. N. 383.
AG. ☉ 17. ☽ 16.

Ageſipolis Spartanorum rex, cùm Mantinæos, ut qui copiâ commeatuum abundabant, expugnare non poſſet, amnem, qui mediam urbem perlabebatur, objecto aggere, ita extollit, ut aqua ad tecta uſque ædium aſcenderet, & muri ruinam minitari viderentur. Ergò ſe dedunt Mantinæi, & relictâ urbe in vicos habitatum eunt. Documento hoc eſſe debet hominibus, inquit *Xenophon. lib.* 5. ne fluvius per muros in urbem ducatur. Noſtro tempore ejuſmodi exemplum in vicinia ferè accidit, Brunſuigæ.

Nehemia ex ſtirpe Davidis oriundus, *ut Cedrenus habet ex quodam Chronologo*, anno viceſimo Imperii, ab *Artaxerxe*, Perſarum rege miſſus, urbi condendæ incumbit, & muros atq; vicos civitatis intra annos tredecim perficit, etiamſi à vicinis arma minitantibus impediretur, *Nehem.* 5.

Gruninga urbs Friſiæ à Duce *Grunes*, Franco, fratre ducis Francorum, conditur, circa hæc tempora. *Trith. in Comp.*

Romæ circa nonum Aprilis Iuliani, ineunt Magiſtratum

Tribuni militum conſulari poteſtate:
T. Quinctius Cincinnatus.
Q. Servilius Priſcus V.
L. Julius Julus.
L. Aquuillius Rufus.
L. Lucretius Tricipitinus. II.
Ser. Sulpitius Rufus.

Bini exercitus ſcripti, quorum alter in Æquos ducitur, ut agrum eorum popularetur; alter in Volſcos, qui binas urbes expugnavit, Cortuoſam & Contenebram. Præda militum fuit, ſed ager à patriciis occupatus, cum injuriâ plebis. Liv. lib. 6.

Eodem hoc anno Capitoliū ſaxo quadrato ſubſtructum eſt, opere non parum conſpiciendo. Ibid.

Archon apud Athenienſes *Dexitheus.* *Diod.*

Evagoras cùm obſidionem diu toleraſſet, nec ex Ægypto, quæ volebat adducere potuiſſet, legatos de pace mittit ad Ducem Perſarum *Teribazum*, qui primum duras conditiones pacis propoſuit: at cùm idem apud regem calumniis petitus revocatus eſſet, Orontes qui ſucceſſit, pacem dat, ut Salaminem ſub tributo retineat, & regis Perſarum imperio, ut rex pareat. *Diod. lib.* 15.

Gaos Navarchus Perſarum contra regem fœdus init, cùm rege Ægyptio Achori, *ut Diodorus habet*, ſed Manetho & alii Nectanebum regem Ægyptiorum hoc tempore definiunt. Idem ſollicitat etiam Spartanos, ut urbes in Ioniâ è ſervitute Perſarum liberare velint. *Ibid.*

Teribazus cùm ex vinculis cauſam dixiſſet, innocens pronunciatur, & Orontes falſæ accuſationis damnatus, fit infamis. *Ibid.*

Annus Nabonaſſaris 364. *incipit die* 27. *Novemb. feriâ tertiâ.*

ANNO MUNDI 3566. ante C. N. 382.
F. ☉ 18. ☽ 17.

Annus ab urbe conditâ numeratus 369.
Annus Artaxerxis regis Perſarum 21.

Dionyſius Tyrannus, ut potentiam ſuam extenderet, in Epirū Illyrios incitat, ut Epirotas invadant, & urbes in eo maris ſinu extruit, & *Parios* in Inſulam *Pharum* collocat, ubi *Liſſum* urbem munitam ante extruxerat & muniverat. *Diod. lib.* 15.

Romæ Magiſtratum ineunt.

Tribuni militares conſulari poteſtate:
L. Papirius Curſor.
C. Sergius Fidenas.
L. Aimilius Mamercinus. II.
Ser. Sulpitius Rufus.
L. Valerius Poplicola Potitus III.
C. Cornelius.

Hi per tertium interregem creati ſunt, procul dubio circa initium Maji. Lex agraria iterum agitata, de Pomtino agro dividendo, cùm audiretur, Hetruriam in armis eſſe, & Latinos Hernicosque ad defectionem ſpectare. Liv. lib. 6.

Archon apud Athenienſes *Diotrephes.*

Olympias XCIX. *acta die* 9. *Auguſti, feriâ* 6. Eſt annus Olympiadicus 393.

Stadium vicit *Dicon* Syracuſanus, & *Sotades* Cretenſis victor longioris curriculi. Hac Olympiade junctis ad currum pullis certatum eſt; coronam accepit *Sybariades* Lacedæmonius. *Pauſa. in Elia. pri.*

Ariſtotelis Philoſophus editur in lucem *Stagyræ*, qui vicus eſt agri Olynthiaci, patre *Nicomacho*, ex Hippocratis familiâ, *ut habet Apollodorus apud Laertium*; fuit triennio major Demoſthene. *Dionyſ. Halic.*

Cenſores *hoc anno fuiſſe, & Luſtrum* XVIII. *conditum eſſe, apparet ex eo, quòd quatuor tribus ex novis civibus Hetruſcis additæ ſunt, Stellatina, Tromentina, Sabatina, & Arnenſis. Tribus autem antea à Servio Tullo factæ ſunt, Palatina, Saburana, Esquilina, Collina, quæ fuerunt urbanæ Tribus. Ruſticæ verò fuerunt, Romilia, Cruſtumina, Lemonia, Pupinia, Vejentina, Aimilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia, Veturia, Galeria, Pollia, Voltinia. Et decem quidem ac novem à Tullio rege factæ ſunt. Ap. Claudius verò & Servilius Coſſ. duas adjecerunt, inter quas fuit Ocriculana, ut ita viginti quinque Tribus jam eſſent.* Liv. lib. 6.

Exules Phliaſii, quòd olim Spartanis faviſſent, expulſi, conqueruntur apud Spartanos de ſuo exilio, petuntq; ſe reduci, quod libentiſſimè fecerunt Spartani. Exulibus igitur bona reſtituta fuerunt ex decreto. *Xenoph.*

Illyrii Pharum inſulam expugnare conantur, ſed Præfectus Liſſorum, à Dionyſio conſtitutus, auxilio adveniens, Illyriorum quinque millia trucidat, bina capit, ut ita pauciſſimi effugerent. *Diod. lib.* 5.

Dionyſius Carthaginenſibus bellum illaturus, in Hetruriam cum ſexaginta navibus tranſit, & templum, quod apud Agyllæos erat, nocte expugnat, & ad mille & quinquaginta talenta inde reportat.

ANNO MUNDI 3567. ante C. N. 381.
E. ☉ 19. ☽ 18.

Romæ circa diem 19. Aprilis, Magiſtratum ineunt,

Tribuni militares conſulari poteſtate:
M. Furius Camillus IV.
Ser. Cornelius Maluginenſ.
Q. Servilius Priſcus Fiden. VI.
L. Quintius Cincinnatus.
L. Horatius Pulvillus.
P. Valerius Poplicola Potitus.

Volſci iterum aſſumtis Antiatibus, & voluntariis ex Latino & Hernico populo, ingens bellum movent, cui Romani opponunt Camillum, *ubi prælio ingenti decertatum eſt, quo Romanorum ſinguli ferè cum centenis hoſtibus pugnarunt, nec tamen dubia victoria fuit, tarda licet, quòd magna multitudo telis conficienda eſſet. Incluſi hoſtes* Satrico *expugnantur & delentur, inde cum ablegatis Sutrio & Nepete auxilia expoſcerentur, Camillus invenit Sutrium ex parte captum, quod recipit cæſis Hetruſcis, & incolis reſtituit. Nepete oppidum, quod iidem Hetruſci deditione ceperant, vi expugnatum, Hetruſci ferè omnes cæſi, & ſeditionis autores ſecuri percuſſi.* Liv. lib. 6.

Archon apud Athenienſes *Phanoſtratus.*

Amyntas Macedoniæ rex regno reſtitutus, quo quondam pulſus fuerat, repetit Pellam urbem & alia, quæ Olynthiis donaverat, quando tum temporis nullam ſpem reditus videret, ſed Olynthii urbes occupatas præſidiis muniunt. Eædem tamen urbes legatos mittunt Spartam, petitum auxilia, quæ & obtinent Duce Eudamida, qui bellum Olynthiis infert, & urbes Spartanorum præſidiis firmat. *Xenoph. & Diodor. lib.* 15.

Dionyſius in Siciliai, Carthaginenſes inde pulſurus, urbes eorum ad ſe pellicit, & ipſis bellum indicit, & primo prælio eos vincit, decem millibus hoſtium occiſis, & quinque captis. Carthaginenſes territi tanta clade, pacem petunt, ſed Dionyſius duras proponit conditiones, ut totâ Sicilia excedant, & belli ſumptus exſolvant. Carthaginenſes petunt inducias, & interim militem colligunt & exercent. Dionyſiumque multo majore clade vincunt: pax tandem initur, in qua ditio Carthaginenſium aliquot urbibus augetur, & Dionyſius præterea, mulctæ nomine, mille talenta ſolvit. *Diod. lib.* 15.

In Aſia, qui à Perſarum rege defecerant, *Goas & Tachos* Duces, dolo quorundam trucidantur, atq; ita apparatus belli, quem auxiliantibus Spartanis & rege Ægyptio contraxerant, dilabitur. *Diod. lib.* 15.

Eclipſis Lunæ ab Hipparcho, *ex Babyloniorum obſervationibus, annotatur* à Ptolom. lib. 4. cap. 11. *quæ facta ſit menſe Poſydeone, dimidia hora ante Lunæ occaſū, tempore matutino, & parva circuli lunaris pars obumbrata fuerit. Facta eſt ut ibi habetur, anno Nabonaſſ. 360. nocte, quæ ſecuta eſt diem 26. Thot, poſt mediā noctem, horis 6. & dimidia Alexandriæ. Deprehenditur hoc calculō facta die 23. Decembr. feria tertia, horis 6. poſt mediam noctem & 44. minut. Latitudo vera, minut. 54.3. Semidiam: Lunæ 17. 36. Vmbra 45,11 ſumma 62.50. ſcrup. reſidua. 8. 43. digiti ecliptici fer. 3. Sol in gradu 27. ſagitt. Buntingus, quando eclipſin hanc computat, contendit Ptolemæum, vel potius Hipparchū in menſe Lunari annotando erraſſe, & Eclipſin non Poſydeone, ſed Antheſterione menſe accidiſſe. Sed ipſemet inſigniter fallitur, dum ex Theodori Gazæ traditione putat, Antheſterionem eſſe menſem hyemalem, cùm reſpondeat Martio Juliano, ut id ad oculum demonſtrat Joſephus Scaliger. Debuiſſet itaque Buntingus Gazam emendare ex Hipparcho & Ptolomæo, hominibus Græcis & Aſtronomis, & non contra Hipparchum ex Gaza, homine politico, & antiquitatis non adeo perito.*

ANNO MUNDI 3568. ante C. N. 380.
D. ☉ 20. ☽ 19.

Romæ Magiſtratum circa diem 24. Aprilis ineunt:

Tribuni conſulari poteſtate:
A. Manlius Capitolinus II.
P. Cornelius.
T. Quintius Capitolinus.
L. Quintius Capitolinus.
L. Papirius Curſor II.
C. Sergius Fidenas II.

Grave bellum foris, gravior domi ſeditio coorta, ſenatum compulit, ut Dictator diceretur A. Cornelius Coſſus. *Volſci magna pugnâ victi, & caſtris exuti ſunt; inter captivos inventi principes juventutis ex Hernicis, Latinis & Colonis Circeenſibus, ut dubium non eſſet, hoſce publico conſilio militaſſe. Sed impedit hoc bellum domi* M. Manlius, *qui Gallos olim de Capitolio deturbaverat, cū fama magna potius, quā bona vellet eſſe, ad plebem deficit, ſingulis quod poteſt largitur, oppreſſos fœnore redimit, ſenatum ut crudelem & ſuperbum, & theſauros Gallicos occultantem calumniatur, ut & plebs ſuarum virium meminiſſe velit, hortatur. Accerſitus publicè ad Dictatorem, cùm indicium vanum eſſet de theſauris Gallicis, in vincula conjicitur. Plebs veſtem mutat, & cùm dictator magiſtratu abiiſſet, carcerem ſe effracturū minatur. Vinculis ergò ex ſenatusconſulto Manlius liberatur.* Liv. lib. 6.

Satricum *Colonia deducta, duo millia civium ſcriptiin eam, quibus bina jugera cum ſemiſſe data.* Ibid.

Eclipſis Lunæ ex obſervationibus Babyloniorum ab Hipparcho apud Ptolom. lib. 4. c. 11. annotatur, quæ facta ſit Archonte adhuc Phanoſtrato, nocte, quæ ſecuta eſt diem 24. Phamenoth. Anni Nabonaſſarei 366. horis novem, & minutis 6. poſt meridiem, duravit horis tribus. Ea facta eſt hoc anno, die 18. Junii, ad haſce tabulas, feriâ quintâ, horis 9. 24. poſt meridiem. Latitudo vera ſeptent. minut. 35. 43. Semidiameter Lunæ 16,7. Summa ſemidiametrorum Lunæ & Vmbra 59,19. ſcrup. reſidua 23, 36. digiti ecliptici 8, 48. Sol in 2. gradu Cancri.

Poſt Eclipſin Archon apud Athenienſes fit *Evander.*

Spartani, cùm nemo eſſet in Græcia ferè, quem metuere poſſent præter Thebanos, occulta mandata ſuis ducibus dant, de Thebis occupandis. Phœbidas igitur Dux, qui exercitum Eudamidæ contra Olynthios adducere debebat, cùm propè Thebas exercitum traduceret, familiariter cum principibus Thebanorum quibusdam converſatus, arcem Thebanam, quæ Cadmea vocabatur, occupat, atque ita Thebis potitur; quadringenti

circi-

circiter cives elapſi, Athenas evadunt. Hoc facto, malè audierunt in Græcia Spartani, qui ob id Phœbidam Ducem quidem mulctarunt, arcem tamen Thebanis nequaquam reſtituerunt. *Diodor. lib. 15. Xenoph. lib. 5.*

Bellum apud Olynthios, Duce *Teleutiâ*, Ageſilai fratre, vario marte geritur, nec Olynthii hoſtibus multum concedunt. *Xenophon.*

Eclipſis altera ex obſervationibus Babyloniorum ab Hipparcho, apud Ptolomæum lib. 4. c. 11. annotatur, quæ facta ſit, Archonte Evandro, Poſideone priore. Anno Nabonaſſ. 367. nocte, quæ ſecuta eſt diem 16. Thot. Alexandriæ horis 9, 50. poſt meridiem, fuitq; totalis. Ea facta eſt die 12. Septembr. fer. 7. horis 9, 54 poſt meridiem. Latitudo vera ſeptent. minut. 13, 54. Semidiameter Lunæ 18, 0. Summa ſemidiametrorum 64, 4. ſcrup. reſidua 50, 0. Digiti eclipticì 16, 43. Sol in 16. gradu Sagittarii.

ANNO MUNDI 3569. ante C.N. 379.
CB. ☉ 21. ☽ 1.

Teleutias Dux, primo vere Olynthios fugaturus, cladem accipit: quam cum ſtatim ulciſci conatur, majore clade adhuc afficitur, mille & ducentis ex ſuis cæſis; atq; ita flore exercitus amiſſo, ipſe etiam dum fortiter præliatur, cadit. *Xenoph. lib. 5.*

Romæ circa diem 29. April. Magiſtratum ineunt,

Tribuni militares conſulari poteſtate:
Ser. Cornelius Malugin. III.
M. Furius Camillus V.
C. Papirius Craſſus.
P. Valerius Poplicola Potitus II.
Ser. Sulpitius Rufus II.
T. Quintius Cincinnatus II.

Manlius *carcere liberatus, acrior aliquanto & plenior irarum animorumq́, quam antea, in Senatum inſurgit, conſilia inſuper de regno agitat, & in eas anguſtias Senatum redigit, ut mandarit magiſtratibus, darent operam, ne Reſpublica detrimenti quid acciperet. Tribuni plebis cum indicia de Tyrannide occupandâ manifeſta viderentur, diem Manlio dicunt, ubi accuſatur, convincitur, condemnatur, & de Saxo Tarpejo dejicitur, addita ipſi nota, ne in ea familia quiſpiam Marcus appellaretur: & ne patritius quiſpiam in Capitolio habitaret, ædes ejus demolitæ ſunt, & poſtea ædes Monetæ ibi condita.* Liv. lib. 6.

Archon apud Athenienſes *Demophilus.*

* *Demoſthenes* Orator naſcitur triennio poſt Ariſtotelem. *Dionyſ.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei 22. init die 29. Septemb. fer. 2. anno Jud. 3381.

Ageſipolis Rex Spartanorum cum valido exercitu contra Olynthios mittitur, cui cùm Olynthii pares non eſſent, agros eorum vaſtat, & Toronem urbem capit.

Phliaſii exules revocatos inhumaniùs tractant, ſimul fiunt & accuſatores & Judices, de qua re exules conqueruntur apud Spartanos, & exercitum impetrant Duce *Ageſilao*, qui Phliuntem obſidet; ſed Phliaſii cùm urbem ſatis munitam haberent, commeatum ita dividunt, ut dimidium ejus tantum, quàm alias conſumerent quotidiè, atque ita obſidio diuturna fuit. *Xenoph.*

Annus Nabonaſſaris 368. incipit die 26. Novembris, feria 7.

ANNO MUNDI 3570. ante C. N. 378.
A. ☉ 22. ☽ 2.

Annus ab urbe condita numeratus 373.
Annus Artaxerxis Mnemonis 25.

Romæ circa diem 4. Maji *Magiſtratum ineunt:*

Tribuni conſulari poteſtate:
L. Valerius Poplicola IV.
A. Manlius Capitolinus III.
Ser. Sulpitius Rufus III.
L. Lucretius Tricipitinus III.
L. Aimilius Mamercinus III.
M. Trebonius Criſpus.

Cum bellum à Latinis videretur inſtare, Pomtinus ager per quinq; viros plebi diviſus eſt, & triumviri Coloniæ Nepeta deducendæ creati, ut plebs paratior eſſet, & ita Veliternis, Circeis, & Lanuvinis bellum indictum, quod tamen hoc anno tantum apparatum eſt. Liv.

Olympias centeſima acta die 26. Julii fer. 4. Eſt annus Olympiadicus 397.

Stadium vicit *Dionyſiodorus* Tarentinus.

Archon apud Athenienſes *Pytheas.*

Carcinus Acragantinus Tragicus Poeta floret.

Ageſipolis Spartanorum rex, cùm Olynthios vaſtationibus plurimum afflixiſſet, febri correptus, moritur in æſtate, cùm ſeptem dies ægrotaſſet, & annos quatuordecim regnaſſet. cui ſuccedit *Cleombrotus* frater, regnatque annos novem. Alius tamen Dux à Spartanis contra Olynthios mittitur, qui omnem curam adhibet, ne Olynthiis vel terra vel mari commeatus advehatur. *Xenoph. lib. 5.*

ANNO MUNDI 3571. ante C. N. 377.
G. ☉ 23. ☽ 3.

Phliaſii tandem, cùm obſidionem annum integrum & octo menſes toleraſſent, cùm omnis frumenti copia deficeret, Spartanis ſe dedunt; ex quorum ſententia Exules poteſtatem accipiunt, ex *Phliaſiis* occidendi, quos volunt, & rempubl. conſtituendi ad leges abs ſe latas. *Xenoph. l. 5.*

Olynthii etiam, cùm fame dudum conflictati eſſent, & nulla ſpes amplius ſupereſſet, ſe Spartanis dedunt, his conditionibus, ut eoſdem hoſtes & amicos haberent. *Ibid.*

Hoc tempore Sparta maximè omnium floruit. Nam & à regibus Perſarum, Ægypti & Dionyſio colebantur, *Thebani* ipſis erant ſubjecti, Corinthii dediti, Argivi erant demiſſis animis, & Athenienſes à ſociis deſerti. Sed quòd injuſtè Thebanos ſibi ſubjeciſſent, ab his viciſſim potentia exuuntur.

Romæ circa diem 9. Maji Iuliani Magiſtratum ineunt,

Tribuni militares conſulari poteſtate:
Sp. Papirius Craſſus.
L. Papirius Craſſus.
Ser. Cornelius Malugin. VI.

Q. Servilius Priſcus.
C. Sulpitius Peticus.
L. Aimilius Mamercinus IV.

Papirii *ambo exercitum contra Volſcos ducunt* Velitras, *& ſecundo prælio pugnatur, non tamen magna clade hoſtium, quod propinqua urbs & cauſam maturioris fugæ, & receptaculum etiam daret: ab ejus oppugnatione Tribuni abſtinuere, ne in perniciem coloniæ pugnaretur.* Liv. l. 6.

Archon apud Athenienſes *Nicon.*

Thebani exules ſeptem numero, inter quos Pelopidas, patriam recuperare, & Spartanos ejicere conantur, & magna induſtria tandem hoc perficiunt, dum ſub fœminarum veſtitu Duces & præfectos urbis occidunt, carcerem fraude aperiunt, & iis aſſumptis & armatis cives ad libertatem vocant. Athenienſes etiam Thebanis ſtatim auxilia mittunt, quibus territi, qui in arce Cadmea erant, ſe dedunt, & arce excedunt. Sed Athenienſes potentiam Spartanorum formidantes, Duces hoſce morte mulctant.

Carthaginenſes magna claſſe in Italiam trajiciunt, ſpe provinciæ ſibi parandæ, atque ob id exules reducunt. Sed ingruente peſte, cùm exercitus Panicis terroribus turbaretur, animos ad Deos ſibi placandos adjiciunt, & domum abeunt. Hac clade audita, & Afri & Sardi ab ipſis deficiunt, quos tamen, cum religioni ſatis feciſſent, iterum ſibi ſubjiciunt. *Diod. Sic. l.* 15.

Cleombrotus Spartanus Dux, ab Ephoris mittitur, ut Thebanos bello aggrediatur hyeme ingruente, ſed ipſe Thebanos nulla re violavit, ſed dum exercitum reducit, horrendi venti ingruunt, & ominoſi, quibus multi aſini præcipites dati ſunt, & arma in mare abrepta: domum igitur redit, nulla re effectâ. *Xenoph. l.* 5.

ANNO MUNDI 3572. ante C.N. 376.
F. ☉ 24. ☽ 4.

Cùm Athenienſes Thebanis ſocietatem belli renunciaſſent, Thebani præfectum Spartanorum apud Theſpienſes muneribus inducunt, ut abeat prædatum in agrum Athenienſem, & Piræum tentet: quâ injuriâ Athenienſes moti bellum Spartanis decernunt, & ſocietatem cum Thebanis jungunt, & nobilem ad Spartanorum ſocios legationem mittunt, qui eos adhortentur, ut jam cum Thebanis & Athenienſibus ſe in libertatem vendicent, & tantæ occaſioni ne deſint: perſuaderunt id Chiis, Byzantiis, Rhodiis, Mityleneis & aliis, qui legatos Athenas mittunt, & Senatum bellicum ibi inſtituunt. Spartani enim ſocios ſuos ſuperbè habuerant. In tanta igitur ſociorum defectione, & ipſi legatos mittunt, oratum, ne à ſe deficiant, plurima promittunt, & indulgent. *Diod. Sic. l.* 15.

Romæ circa diem 14. *Maji, Magiſtratum ineunt,*

Tribuni militares conſulari poteſtate:
M. Furius Camillus VI.
A. Poſtumius Albinus Regillenſ.
L. Poſtumius Albinus Regillenſ.
L. Furius Medullinus.
L. Lucretius Tricipitinus IV.
M. Fabius Ambuſtus.

Pythiade quinquageſima tertia, pullis ad currum junctis decurſum fuit. *Pauſ. in Phocicis.*

Archon apud Athenienſes *Nauſinicus.*

Spartani, cùm novum exercitum collegiſſent *Ageſilaum* Ducem faciunt, qui magno molimine tandem Thebas pervenit, & agrum Thebanum ubique vaſtat, inde exercitum dimittit. *Xenoph. l.* 5.

Præneſtini cum Volſcis precedente hyeme Satricum *Coloniam expugnarant, & victoriam in captivis fœdè exercuerant; quapropter* Camillus *eò mittitur, addito collega* Furio *Camillo: propter multitudinem hoſtium viſum eſt trahere bellum, Furius contra urget prælium, & præcipitatur in inſidias vinciturq́; Camillus adductis ſubſidiis exercitum ſervat, & victoriam hoſti, collegæ erroris confeſſionem extorquet.* Liv. l. 6.

Cùm inter captivos etiam Thuſculani invenirentur, ipſis etiam infertur bellum, & Camillus eò exercitum ducit; ſed Thuſculani metuentes vim Romanam, pacem ſimulant, & ita pacem obtinent. Ibid.

Ageſilaus Phœbidam Ducem Theſpienſibus præfecerat cum mandatis, ut Thebanos vaſtaret, qui cùm aliquando equitibus Thebanis vehementius inſiſteret, & ii tamen effugere non poſſent, ex deſperatione in Spartanos irruunt, eos vincunt, & Phœbidam Ducem trucidant. *Xenoph. l.* 5.

ANNO MUNDI 3573. ante C.N. 375.
ED. ☉ 25. ☽ 5.

Ageſilaus iterum contra Thebanos movet, & agrum eorum vaſtat; Thebani exercitum quidem ipſi opponunt, in æquum tamen deſcendere non audent, atque ita æſtatem exigunt. *Xenoph. l.* 5.

Romæ circa diem 19, *Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Tribuni militum conſulari poteſtate:
L. Valerius Poplicola Potitus V.
L. Menenius Lanatus II.
P. Valerius Potitus Poplicola III.
C. Sergius Fidenas III.
Sp. Papirius Curſor. II.
Ser. Cornelius Maluginenſ. V.

Cenſoribus eguit annus, maximè propter famam incertam æris alieni, quod Tribuni plebis exaggerabant; creati quidem ſunt Cenſores, ſed altero defuncto, alter etiam ſe magiſtratu abdicat. Alii igitur creantur, ſed cùm vitio creati eſſent, tertios creare religio fuit. Liv. l. 6.

Archon apud Athenienſes *Callias.*

Thebani, quòd biennium vaſtati eſſent, famem ſentiunt, ideò Pagaſam decem talenta mittunt. Spartani de hac re certiores facti, coemptum frumentum intercipiunt, & homines ſimul trecentos numero capiunt. Captivi in arce detinentur, & oblata occaſione vincula ſolvunt, arce ſimul atque urbe potiuntur, & poſtea Thebanis frumenti copiam faciunt. *Xenoph. l.* 5.

Romæ Tribuni plebis impediunt delectum, urgentq́; Senatum, ut tandem æs alienum inſpiciatur. Præneſtini hoſtes, hac re comperta, Romam properant, & portæ Collinæ arma inferunt; tum demum remittunt Tribuni, & Dictator dicitur T. Quintius Cincinnatus. *Hoſtes igitur ad Alliam, ubi caſtra Gallorũ quondam*

dam fuerant, confidunt, agrum longè lateq; vaſtant, ibi Dictator eos vincit, caſtra capit, fugatos perſequitur, Velitras expugnat, Præneſte deditione capit, ſignumq; Jovis Imperatoris Romam devectum in triumpho in Capitolium tulit, & viceſimo die ſe dictaturâ abdicat. Liv. l. 6.

Annus Nabonaſſaris 372. incipit die 25. Novembris, feria 4.

ANNO MUNDI 3574. ante C.N. 374.
C. ☉. 26. ☽ 6.

Annus à condita urbe numeratus 377.

Annus Artaxerxes Mnemonis. 29.

Ageſilaus ſuperiori autumno ruptâ venâ ex crure decubuit, & inde per totam hyemem ægrotaverat: Ideò Cleombrotus contra Thebanos mittitur, qui tamen ad ipſos, cùm anguſtias viarum obſediſſent, pertranſire non potuit. Senatus igitur ſociorum convocatur Lacedæmone, qui decernunt claſſem contra Athenienſes & Thebanos inſtruendam. *Xenoph. l.* 5.

Romæ circa diem 24. Maji Juliani ineunt Magiſtratum,

Tribuni conſulari poteſtate:
P. Manlius Capitolinus.
C. Sextilius.
C. Manlius Capitolinus.
M. Albinius.
L. Julius Julus.
L. Antiſtius.
tres Patritii & tres Plebei.

Patritiis extra ſortem Volſci hoſtes dantur, contra quos temerarie rem gerunt; militum virtus tamen ſeſe tutata eſt, cùm hoſtes victoria uti neſcirent. Quies foris fuit, & domi etiam, quam præſtiterunt Tribuni militares plebei. Liv. l. 6.

Archon apud Athenienſes *Chariander.*

Olympias CI. acta apud Eleos die 11. Aug. ferâ 4.
Eſt annus Olympiadicus 401.

Victor Stadii *Damon Thurius.*

Eubulus Comicus Poeta floret.

Cum Spartani jam claſſem armaſſent, eam Duce *Polle* Naxum mittunt, ut & Athenienſibus commeatum intercipiat, & in colis in *Naxo* opem ferret, quos Chabrias oppugnabat. Ibi prælium commiſſum eſt, die, *ut Plutarchus habet*, 26. Boedromionis circa plenilunium. Is dies incidit in Calendario Juliano, in diem 6. Octobris, & plenilunium accidit 8. Octob. certus itaque huic anno character additus eſt. *Plutarchus in Camillo & Phocione, Xenoph. & Diodor.*

Hermeas Methymnæus hiſtoriam Siciliæ hoc anno terminat. *Diod. l.* 15.

ANNO MUNDI 3575. ante C. N. 373
B. ☉ 27. ☽ 7.

Gens Triballorum Thraciam vaſtat, & Abderitas affligit, qui tamen ipſis prædam iterum extorquent. Cum reverterentur Triballi majore exercitu, Abderitæ in magno periculo verſantur, ſed defenduntur ductu Chabriæ, imperatoris Athenienſis, qui paulò poſt ex inſidiis trucidatur. *Diod. Sic. lib.* 15.

Romæ circa diem 29. *Maji Iuliani, Magiſtratum ineunt.*

Tribuni militares conſulari poteſtate:
Sp. Furius Medullinus.
Q. Servilius Priſcus II.
C. Licinius Calvus.
P. Cloelius Siculus.
M. Horatius Pulvillus.
L. Geganius Macer.

Magna ſeditio Romæ propter æs alienum. Cenſores ea de cauſa creati, qui quod bellum Volſcorum ingrueret, impediti ſunt. Plebi conceſſum, ne priusquā bellum perfectum eſſet, jus de ære alieno diceretur, ſed hoſtes nullibi inventi ſunt, ideò vaſtationes ingentes & ex juſtâ irâ factæ. Liv. l. 6.

Archon apud Athenienſes *Hippodamus.*

Timotheus Cononis filius ſuccedit. *Chabrias*, qui Acarnanes ſocietate Athenienſibus adjungit, & Spartanos ad Leucadem claſſe vincit, inde Corcyram ſibi amicitia adjungit. *Diodor. Sic. l.* 15.

Thebani ſexcentos cives ad Orchomenum, qui, præſidio Spartanorum tenebatur, oppugnandum mittunt, quibus majori numero Spartani obviam veniunt & tamen Thebani vincunt. *Ibid.*

Artaxerxes Ægyptiis bellum illaturus, ut milites Græcos habere poſſet, Legatum in Græciam mittit, de pace inter eos faciendâ, ut quælibet urbs ſua libertate, abſque præſidio frueretur. Perſuadet omnibus, præterquam Thebanis, qui oppida Bœotiæ ſibi ſubjecta volebant; ſed qui receperant pacem, perpetuis ſeditionibus conflictati ſunt, cùm Democratias inſtituerent, & populus contra acerbè injuriam, ſi qua ſibi illata erat, à Magiſtratibus priſtinis, vindicaret. *Diod. Sic. l.* 15.

Jaſon Phereus à Theſſalis, quibus Polydamas hoc perſuaſerat, evocatur, & Theſſalorum Imperator creatur, qui tributum ſingulis oppidis deſcribit, & equitum octo millia, peditum octodecim millia confecit, ut ita terror eſſet toti Græciæ. *Xenoph. l.* 6.

ANNO MUNDI 3576. ante C. N. 372.
A. ☉ 28. ☽ 8.

Pharnabazus & *Iphicrates* Duces belli Ægyptii, cum claſſe trecentarum navium & ingenti exercitu in Ægyptum proficiſcuntur. Nectanabis verò rex omnes aditus obſtruxerat, & præſidiis muniverat; fortitudine tamen Iphicratis aditus patefit, & cùm Memphis urbs ſine præſidio eſſet, Iphicrates illam oppugnandam ſuadet. Cùm verò Pharnabazus nollet, niſi prius terra exercitus adveniret, res corrupta eſt, & diffidere cœperunt Duces. Nilo igitur exundante, in Syriam receſſerunt, & Iphicrates ſibi metuens clam Athenas redit. *Diod. l.* 15.

Romæ circa diem 3. Junii, Magiſtratum ineunt:

Tribuni militum conſulari poteſtate:
L. Aimilius Mamercinus.
C. Quintus Concinnatus.
P. Valerius Poplicola IV.
C. Veturius Craſſus.
Ser. Sulpitius Rufus II.
L. Quintius Concinnatus.

Cum Volſcis ad Satricum duobus diebus continuè pugnatum: tandē Volſci victi, amiſſis caſtris Satricum perfugerunt, & inde Antiū. Romani eos ubique perſequuntur, tandem Volſci feſſi bello, cum nec Latinorum viribus ſe tutari potuiſſent, pacem petunt, & Antium dedunt. Latini pacē hanc ignominioſam ſibi putantes, à Volſcis diſcedunt, & Satricum abeunt, quam urbem igne cremant. Inde Tuſculum, quod cives Romanis rebellare noluerant, petunt, capiuntq́; præter arcem. Romani auxilio Tuſculanis veniunt, & Latinos internecione occidunt. Liv. lib. 6.

Archon apud Athenienſes *Socratides.*

Iphicrates, cum domum rediiſſet, ab Athenienſibus præficitur iterum claſſi, ubi multa in militia Græcòrum mutat, ut ſcuta in peltas, item gladios, calceos, &c. Et cùm eodem tempore Corcyræi ſeditione laborarent, Athenienſes ipſis auxilio mittunt Timotheum, qui metuens ſibi à Spartanorum claſſi, tempus terit in adornanda claſſe. Eo igitur remoto, Iphicrates præficitur, qui invenit *Mnaſippum* Spartanorum à Corcyræis oppreſſum & occiſum, ideò ad alia intentus, decem naves Dionyſii, quas Spartanis auxilio miſerat, intercipit, & captivis divenditis ſexaginta talenta corraſerunt, quibus ſtipenda ſolverunt militibus. *Diod. Sic. l. 15.*

Thebani ex inſidiis Platæas occupant, & Theſpias; utrobique cives extorres faciunt, & tota Bœotiâ pellunt, qui Athenas profugerunt, ubi in civitatem recepti ſunt. *Ibid.*

Evagoras in Cypro ex inſidiis trucidatur à *Nicocle*, qui hoc modo regnum Salaminorum ſibi rapuit. *Ibid.*

Annus ſabbathicus ſimul & Jobeleus viceſimus ſecundus, init die 2. Septembris, feriâ ſeptimâ, anno Judaico 3388.

Romæ cùm plebs ære alieno oppreſſa eſſet, à concionibus abſtinebat, & Patricii ita totam rempub. occupabant, ſed orta à fœmina, Q. Fabii *Ambuſti filiâ querela, totam ferè rempubl. Romanam immutavit. Conquerebatur enim, ſe junctam viro Plebejo, cui ad honores via præcluſa eſſet, cùm ipſa ſit patritiæ familiæ: pater eam bono animo eſſe jubet, & cum genero* C. Licinio *Stolone, &* L. Sextio *conſilia confert, quâ ratione conſulatus ad Plebejos etiam transferri poſſet. Placet primùm, ut ambo hi Tribuni plebis fiant, quod fieri ſolebat Idibus Decembris, quæ hoc anno incidebant ferè in diem decimum quartum Novembris. Tribunatum hunc geſſerunt, toto decennio, donec impetrarent, quæ volebant.* Liv lib. 6.

ANNO MUNDI 3577. ante C. N. 371.
GF. ☉ 1. ☽ 9.

Tribuni plebis C. Licinius *&* L. Sextius *leges promulgare conantur: unam de ære alieno, ut, de capite deducto eo, quod uſuris pernumeratum eſſet, reliquum æquis portionibus, triennio proximo perſolveretur: Alteram de modo agrorum, ne quis plùs quingenta jugera, agri poſſideret. Tertiam ne tribunorum militum comitia fierent, ſed Conſulum, ex quibus alter ex plebe crearetur. Hiſce legibus, & agrorum, & pecuniæ, & honorum diſcrimen agebatur: quapropter Patres ad uſitatam & expertam in hiſce certaminibus interceſſionem confugiunt, & præparant alios Tribunos, quorum interceſſione leges impeditæ ſunt. Sed poſtea iidem hi Tribuni* Licinius *&* Sextius *interceſſione ſuâ comitia centuriata impedierunt, ne Conſules vel Tribuni militares creari poſſent.* Liv. lib. 6.

Nehemias anno triceſimo ſecundo regni Artaxerxis, cùm duodecennium in exſtructione murorum Hieroſolymæ conſumpſiſſet, ad regem redit, à quo poſt paucos dies poteſtatem accipit revertendi Hieroſolymam. *Nehem. cap. 13.*

Archon apud Athenienſes *Aſteius.*

Platanus arbor circa hæc tempora à *Dionyſio* in Italiam translata & propagata. *Plin. l. 12. c. 1.*

Athenienſes malè habebat, quòd Thebani Platæas & Theſpias evertiſſent, nec tamen proptereà ipſis bellum inferre audebant. At cùm Thebani hiſce non contenti, etiam Phocenſes invaderent, amicos Athenienſium, & qui bene meriti erant de univerſa Græciâ in bello *Xerxis*; ſocietatem Thebanorum reſpuunt, & conſilia agitant, quo pacto pax in univerſa Græciâ iniri poſſet. *Xenoph. l. 6.*

Ingens calamitas in Peloponneſo accidit per terræmotum & inundationes aquarum. *Helice* enim & Bura urbes Achæorum, terræmotu illo penitùs abſorbentur, cauſam Diodorus Siculus confert in impeditas religiones, quòd Neptuno non conſueta ſacrificia offerri paſſi eſſent. *Diod. l. 15.*

Annus Nabonaſſari 376. incipit die 24. Novembr. fer. 1.

Romæ cùm centuriata comitia impedita eſſent, Curules Magiſtratus nulli erant; quapropter Tributis Comitiis Tribuni *plebis illi* Licinius *&* Sextius, *plebe ſic volente, donec leges ſuas pertuliſſent, reficiuntur circa diem 19. Novembr.*

ANNO MUNDI 3578. ante C. N. 370.
E. ☉ 2. ☽ 10.

Annus à condita Roma numeratus 381.
Annus imperii Artaxerxis Mnemonis 33.

Antenor Francorum rex, cùm annos poſt patrem regnaſſet ferè quadraginta, moritur, relicto filio *Priamo*, qui regnavit annis 26. *Trithem. in Compend.*

Olympias 102. acta die 27. Julii, fer. 1. Eſt annus Olympiadicus 405.

Victor Stadii *Damon Thurius* ſecundum.

Pyrrhus præfectus ludorum, præmia [illegible] hac Olympiade in equorum certamine; [illegible] de lege cautum eſt, ne quis præfectus ludorum ampliùs in certamina ludorum aliquid mitteret. *Pauſan. in Eliacis.*

Archon apud Athenienſes *Alciſthenes.*

Lampas nocturna in Peloponneſo, quæ aliàs Trabs vocatur, multis noctibus luxit, tanto fuit ſplendore, ut & umbram projiceret. *Diodor. Sicul. lib. 11.*

Romæ circa diem 24. Novembris, cùm Curules magiſtratus nulli crearentur, ex interceſſione tribunitia, Tribuni *plebis tertiùm creantur:* C. Licinius *Calvus, &* L. Sextius *Sextinus Lateranus.* Liv.

ANNO MUNDI 3579. ante C. N. 369.
D. ☉ 3. ☽ 11.

ATHENIENSES bello feſſi, cùm inſuper legatus de pace ab ARTAXERXE miſſus eſſet,

Lace-

Lacedæmone conveniunt, ibique pacem æquis conditionibus concludunt, ut omnes urbes in Græcia parvæ & magnæ, ſui juris eſſent. Pax hæc concluſa eſt, die 14. Scirrophorionis menſis, *ut Plutarchus habet in Ageſilao*, qui dies incidit in diem octavum Julii menſis, in Calendario Juliano. Thebani verò, quod oppidis in Bœotia libertatem reſtituere nollent, ab hac pace excluduntur, & bellum ipſis à Spartanis propterea indicitur.

Archon apud Athenienſes *Phraſilides. Diod.*

Cleombrotus Spartanorum rex tum temporis, quando pax concluſa erat, exercitum habebat in Phocide, qui copiis auctus, ad Leuctra in fines Thebanorum accedit: Thebani tum Imperatorem fecerant *Epaminondam*, qui etſi omnibus quibuſdam terrebatur, tamen ad Leuctra pergit, ibique certa ratione aciem inſtruit, Cleombrotum regem cum quatuor Spartanorum millibus occidit, & inſigni victoria potitur. Jaſon Phereus auxilio Thebanis advenit, qui Thebanis autor eſt, ne cum deſperatis Spartanis, qui abſque clade domum abire non poterant, pugnent, idem etiam Spartanis perſuadet, ut ipſi inducias petant, & domum abeant. *Xenophon. lib. 7.* Pugna hæc accidit viceſimo die poſt initam à Græcis pacem, die ſexto Hecatombæonis menſis, die 14. Auguſti Juliani. *Plutarch. in Camillo.*

Mantinæi, quorum urbem Spartani ante annos 14. everterant, cum ex pace facta ſui juris eſſent, urbem ſuam inſtaurant, multum juvantibus Eleis & Arcadibus. Spartani moleſtè hoc ferentes, & quòd Mantinæi Tegiam armati ingreſſi eſſent, bellum illis inferunt, idque ducitur vario marte uſque in mediam hyemem. *Xenoph. l. 7.*

Jaſon Pheræorum tyrannus, Locridem infeſto exercitu invadit, & *Heracleam in Trachinia* proditione captam evertit, agrumque eorum aliis donat. *Diodor.*

Roma circa diem 29. Novemb. cum Curules magiſtratum ex interceſſione Tribunitia nulli creantur, Tribuni plebis quartum creantur: C. Licinius *Calvus, &* L. Sextius *Sextinus Lateranus.* Liv.

ANNO MUNDI 3580. ante C.N. 368.
C. ☉ 4. ☽ 12.

Thebani cum Orchomenum ſibi adjunxiſſent, in Peloponneſum movent circa brumam, ducibus Epaminonda & Pelopida, quorum tempus muneris ſui jam exierat, & multas ſibi urbes adjunxerunt & ſic quattuor menſium ſpatio diutius imperarunt quàm debebant: ea de cauſa cum domum rediiſſent, capitis accuſantur; quam pœnam non recuſant, dum modò ſepulcris inſcribatur cauſa damnationis, quòd, ut Thebanos Græciæ principes facerent, exercitus diutiùs obtinuerint: quo audito abſoluti ſunt, & iterum exercitibus præfecti. *Plutarchus in Pelopida.*

In eadem expeditione Epaminondas Arcadib. autor fuit, Megalopolin urbis condendæ, in qua ſumma principatus Arcadici eſſet, apud viros decies mille. *Diod. Sic.*

Eodem etiam tempore Epaminondas Meſſenios in Peloponneſum revocat, quos Spartani Ira monte in Peloponneſo capto, expulerant, quiq; hactenus Meſſanam in Sicilia obtinuerant, poſt annos 298. & Meſſenen condit, relicto ibi Thebanorum præſidio, donec urbs perficeretur. *Diod.*

Spartani in tantis anguſtiis conſtituti, Athenienſium implorant auxilium, quod quidem promittitur, ſed mora Iphicratis Ducis idem nullius uſus fuit. *Xenoph. Diod.*

Jaſon Pheræus Tyrannus ante Pythia, quorum moderator eſſe volebat, cum luſtrationem Pheræorum inſtituiſſet, à ſeptem adoleſcentibus interficitur. Succedit ipſi Polyphron filius, qui Polydorum fratrem, ut cædis paternæ conſcium interfecit, regnatque unum annum. *Diod. & Xenoph.*

Archon apud Athenienſes *Diſcinetus. Diod.*

Duris Samius Hiſtoriographus ab hoc anno incipit. *Diod. Sicul.*

Ageſipolis Spartanorum rex, cum annum unum regnaſſet, moritur. Succedit Cleomenes frater qui regnat annos 61. *Diod.*

Argivi ingenti ſeditione conflictantur, & ſuorum civium præ cæteris eminentium mille & ſexcentos occidunt, poſt pœnitentes facti accuſatores illorum trucidant. *Diod. l. 15.*

Amyntas, cum annos 24. regnum Macedoniæ adminiſtraſſet, moritur. Relinquit filios tres, *Alexandrum*, *Perdiccam & Philippum*, quorum Alexander regnat anno uno. *Diod. Sic. l. 15.*

Roma circa diem 4. Decemb. Juliani, cum nulli magiſtratus Curules ex interceſſione tribunitia crearentur. Tribuni plebis quintum creantur, C. Licinius *Calvus &* L. Sextius Sextinus *Lateranus.*

ANNO MUNDI 3581. ante C. N. 367.
BA. ☉. 5. ☽ 13.

Polydorus Pheræus Theſſalorum princeps ad Ebrietatem provocatus à fratre, venenata potione à fratre ſuo *Alexandro* necatur, & ipſe ſuccedit. *Diod. Sicul.*

Archon apud Athenienſes *Lyſiſtratus.*

Arcades ipſi per ſe Spartanis bellum inferunt, Pallenen Laconiæ oppidum expugnant; & Spartanorum trecentos trucidant. *Diod. l. 15.*

Teos rex Ægypti, ſuccedit Nectanebo, qui annos 18. regnarat, & præeſt annis 2. *Manetho.*

Pelopidas à Thebanis mittitur auxilio Theſſalis, qui *Lariſſam* occupat; & in Macedoniam progreſſus, cum rege Macedonum *Alexandro* fœdus firmat, & *Philippum* ejus fratrem obſidem ſibi datum Thebas ad Epaminondam adducit. *Diod. l. 15.*

Thebani Arcadibus, Argivis & Eleis in Peloponneſum evocantur, ut bello Spartanos perſequantur, qui Ducem Epaminondam cum exercitu mittunt. Spartani contra cum Athenienſium auxiliaris, quos precibus obtinuerant, Iſthmum muniunt, ne Thebani accedere poſſint. At Epaminondas murum, ubi Spartani erant, aggreditur, eum disjicit, Spartanos vincit, & Peloponneſum ingreditur, bellum geritur tota æſtate. Dionyſius etiam auxilià Spartanis mittit, in quinque menſes, Celtas & Hiſpanos cum viginti triremibus, qui fortiter ſe geſſerunt, Thebanos tamen Peloponneſo exigere non potuerunt. *Ibid.*

Artaxerxes iterum mittit mandata in Græciã, de pace componenda, quam approbant reliqui Græci, præter Thebanos, qui ſub uno Bœotorum nomine cenſeri volebant, quemadmodum Spartani. Ideò *Artaxerxes* Spartanis auxilia, duo millia

militum præbet, quibus Thebanos oppugnent. *Ibid.*

Annus Nabonaſſaris 380. incipit die 13. Novembris, feria 5.

Roma circa diē 9. Decemb. Juliani, cū nulli Magiſtratus curules propter interceſſionē tribunitiam crearentur, Tribuni plebis ſextū creantur, C. Licinius *Calvus, &* L. Sextius *Sextinus Lateranus.* Liv.

ANNO MUNDI 3582. ante C. N. 366.
G. ☉ 6. ☽ 14.

Annus à condita Roma numeratus 385.

Annus imperii Artaxerxis 37.

Ptolomæus Amyntæ filius, fratrem ſuum Alexandrum, qui annuo ſpatio regnarat, dolo interficit, & ipſius loco regnat annis tribus. *Diod. Sicul. lib. 15.*

Arcades in Peloponneſo, ut indigenæ, per ſe Spartanis bellum faciunt, & oppida quædam expugnant: ſed Archidamus filius Ageſilai Dux creatus, aſſumptis ſecum Dionyſii auxiliariis copiis, *Arcades* invadit, eorum decies mille occidit, ne unico etiam cæſo Spartano. *Xenoph. l. 7.*

Archon apud Athenienſes *Nauſigenes.*

Olympias 103. acta die 12. Auguſti. fer. 1. Eſt annus Olympiadicus 409.

Stadium vicit *Pythoſtratus* Athenienſis. *Diodor. Sicul.*

Damiſcus puer duodecim annorum pueros in ſtudio vicit, & poſtea quinque victorias inſuper reportavit. *Pauſ. in poſt Eliacis.*

Duodecim hac Olympiade Hellanodicæ conſtituuntur ex ſingulis tribubus. *Pauſ.*

Ariſtoteles annorum 18. Athenas venit, ubi Platoni operam dedit annis viginti. *Dionyſ.*

Roma circa diem quartum Julii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Tribuni militares conſulari poteſtate:
C. Furius Medullinus II.
A. Manlius Capitolinus IV.
P. Valerius Petitus Poplicola V.
Ser. Sulpitius Rufus III.
C. Valerius Potitus Voluſus.
Ser. Cornelius Maluginenſis VI.

Cum enim Veliterni Coloni, geſtientes otio, quòd nec Magiſtratus Romæ eſſent, nec exercitus, Tuſculū incendunt; Tuſculani verò opē à Romanis orant, quapropter Tribuni plebis de interceſſione remiſerunt, & hi Tribuni militares creati ſunt, qui non tantum Tuſculū obſidione liberarunt, ſed terrorem etiam ipſis Veliternis intulerunt, oppidumq́; obſederunt. Liv. l. 6.

Thebani cum Arcadibus victis conſultarunt, quomodo principatum Græciæ obtinere poſſent; optimumque viſum eſt, *Pelopidam* ad regem Perſarum mittere, qui ab ipſo impetraret, ne Meſſene ſub Lacedæmoniis eſſet, & ut ipſi defenſores pacis fierent, & non Spartani. Reliqui etiam in Græcia legatos eò mittunt, ſed Pelopidas omnia, quæ vult, impetrat. Verùm cum Thebani vellent in pacem impetratam à cæteris Græcis juramentum præſtari, nemo, qui id vellet, inventus eſt, atque ita legatio hæc fruſtrà ſuſcepta eſt. *Xenoph. l. 7.*

Pelopidas legatus ad Alexandrum *Pheræum* mittitur, cum Iſmenia Theſſalo, & ex improviſo capitur. Thebani igitur exercitum contra Alexandrum mittunt, quorum metu Alexander Athenienſium auxilia evocat, & Thebanos in magnas anguſtias redigit, dum regrediuntur: ex quibus exercitum eripit *Epaminondas*, qui propter quorundam calumniam privatus erat, & ab imperio remotus, quod hoc facto recuperavit. *Diodor. Sicul. lib. 15.*

Dionyſius iterum bellum Carthaginenſibus infert, & ipſis aliquot urbes eripit, ſed dum audit, claſſem Carthaginenſem eſſe crematam, ſecurior ſit, & partem ſuæ claſſis Syracuſas mittit, ſed reliqua vincitur magna clade, quapropter inducias cum ipſis facit, & domum reverſus paulò poſt moritur, anno regni 38. Oraculo ipſi reſponſum fuerat, cum tum moriturum, quando ſe meliores viciſſet, quod ipſi interpretabatur de Carthaginenſibus, ideò noluit eos prorſus vincere; ſed hoc anno Comœdiam ſcripſerat, & Athenas miſerat, ubi victor proclamatus fuerat ab aſſentatore populo: propter hanc victoriam magnificas epulas inſtruxerat, atque ita crapula obrutus, & morbo correptus obiit: ſucceſſit filius Dionyſius junior. *Diodor. Siculus.*

Roma circa diem 14. Decemb. ſeptimū reficiuntur Tribuni plebis C. Licinius *Calvus, &* L. Sextius. Liv.

ANNO MUNDI 3583. ante C. N. 365.
F. ☉ 7. ☽ 15.

Nectanebus in Ægypto ſuſcipit regnum, idque obtinet annis 18. *ut vult Manetho lib. 3.* Ultimus eſt ex indigenis, qui Ægypto præfuerunt, ſucceſſit autem Teo, qui biennio regnaverat. Diodorus Siculus in regibus Ægypti digerendis, cum Manethone non conſentit.

Archon apud Athenienſes *Polycelus.*

Epaminondas iterum in Peloponneſum cum exercitu venit, & adjuvantibus Argivis in Achaiam pergit, eoſque ſibi facit ſocios, non mutata ipſorum repub. & domum redit. Arcades contra apud Thebanos obtinent, ut præfecti in Achaiam mittantur, qui Democratias inſtituant, qui cum crudelius ſe gererent, rejiciuntur, & Achæi Lacedæmoniis reconciliantur. *Xenoph. lib. 7.*

Argivi & Arcades Phliaſiorum fines ingrediuntur, & urbem ex parte capiunt, inde tamen virtute Phliaſiorum expelluntur. *Ibid.*

Euphron Sicyonius confidentia nulli ſecundus aſſumptis in conſortium Argivis, dominatus occupandi conſilia capit, & fortuna conatus adjuvante, extemplò civium potentiſſimos quadraginta exilio mulctat, bona eorum publicat; unde magna vi opum potitus, conducto peregrinorum militum præſidio, urbem in poteſtate retinuit. *Diod.*

Roma circa diem 9. Julii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Tribuni militares conſulari poteſtate:
Q. Servilius Priſcus Fidenas III.
M. Cornelius Maluginenſis.
C. Veturius Craſſus II.
Q. Quintius Cincinnatus.
A. Cornelius Coſſus.
M. Fabius Ambuſtus II.

Obſidio Velitrarū continuatur, Fabius *tribunus militum inclinat in cauſam plebis, & legem tribunorum plebis, quarum autor erat, ſuaſor etiam exiſtit.* Liv.

Annus ſabbathicus primus Jobelei 23. incipit die 14.
Septem.

Septemb. fer. 7. Eſt ſeptimana nona ſeptuaginta hebdomadum. Anno Jud. 3395.

Alexander Pheræorum tyrannus in Theſſalia Scotuſam veniens, cives ad concionem evocat, & mercenariis militibus circumdat, omnesque ad unum trucidat, cadavera ante foſſas murorum projicit, urbem diripit, & fæminas pueroſque ſub haſta vendit. *Diod. l. 15.*

Thebani exercitu in Theſſaliam miſſo, Alexandro tyranno Pelopidum, quem captum tenebat, extorquent. *Ibid.*

Tribuni *plebis Romæ octavum reficiuntur.* Liv.

ANNO MUNDI 3584. ante C. N. 364.
E. ☉ 8. ☽ 16.

Tribuni *plebis* L. Licinius & L. Sextius *octavum refecti, magnos ſibi animos ſumunt, & Patricios, qui leges ſuas admittere nolebant, acerbè inſectantur. Et cum exercitus domo abeſſet, novam interim legem ferunt, ut pro triumviris ſacris faciundis,* Decemviri *Sacrorum creentur, ita ut pars ex plebe, pars ex Patribus fiat; ſed annus circumactus eſt, priusquam à Veliternis reducerentur legiones.* Liv.

Argivi & Arcades iterum Phliaſiorum fines vaſtant; medii enim erant Spartam euntibus, ſed Athenienſes Charetem Ducem mittunt, quibus Argivi & Arcades reprimuntur. *Xenoph. l. 7.*

Euphron à civibus, quos ejecerat, Sycione iterum pellitur, qui Thebas confugit, petitum, ut reſtituatur. Exules eodem tendunt, & Euphronem occidunt, factumque lege defendunt. *Xenoph. l. 7.*

Archon apud Athenienſes *Cephiſodorus.*

Scholas inſignes hoc tempore habuerunt *Iſocrates* Rhetor, *Anaximenes, Plato, Ariſtippus, Xenophon. &c.*

Romæ circa diem 14. *Julii, Magiſtratum ineunt:*

Tribuni militum conſulari poteſtate:
T. Quintius Cincinnatus.
Sp. Servilius Structus.
Ser. Cornelius Maluginenſis.
L. Papirius Craſſus.
Ser. Sulpitius Rufus IV.
L. Veturius Craſſus Cicurinus.

Oropus urbs, quæ Athenienſium erat, à Themeſione in poteſtatem redigitur, ſed metu Athenienſium Thebanorum præſidium recipit, à quo poſtea ejicitur. *Diod. l. 15.*

Coi in unam urbem commigrant, eamque magnificè extruunt, & porta muniunt, ab eo tempore adeò crevit, ut cum præſtantiſſimis urbibus certare poſſet. *Xenoph. l. 7.*

Athenienſes pacem faciunt cum Arcadibus, & auxilia promittunt, ſi Arcades bello infeſtentur, tantum modo ſi ipſi Arcades Lacedæmonios invadere velint. *Xenoph. l. 7.*

Corinthii auxilia Athenienſium remittunt, inde ſimultas orta. Corinthii ergò ſibi metuentes Thebanis reconciliantur, hac tamen lege, ne cum Thebanis in bellum proficiſcantur; idem faciunt & Phliaſii *Ibid.*

Romæ Tribuni plebis C. Licinius *Calvus*, *&* L. Sextius *nonum reficiuntur.* Liv.

ANNO MUNDI 3585. ante C. N. 363.
DC. ☉ 9. ☽ 17.

Eudoxus Cnidius Aſtronomus inſignis, cum in Ægypto rationem motus Lunaris didiciſſet, octaeterida Harpaleam, quæ major aliquanto, quàm debebat, ſive videbatur, emendat, & novam proponit, ſecundum quam Athenienſes Prytanias ſuas dirigerent: Eam incipit ab hoc anno, ipſo die Calendarum Januarii Juliani, à novilunio Gamelionis menſis, quod incidebat in diem ultimum Decembris, feriam quartam, horam quartam, à media nocte. *Diog. Laert.*

Ptolomæus Macedoniæ rex, cum triennium regnâſſet, à fratre *Perdicca* dolo interimitur, qui regnum occupat, quod obtinet annis 5. *Diod. Sic. l. 15.*

Archon apud Athenienſes *Chion.*

Timoleon Corinthius, cum ſenſiſſet, fratrem ſuum Timophanem conſilia agitare de tyrannide Corinthi occupanda, nec tamen ipſum dehortando movere poſſet, ut deſiſteret, cum trucidat hoc anno, viginti annis ſcilicet, antequam Syracuſas cum exercitu mitteretur, cum indicia de tyrannide fratris non manifeſta ſatis eſſent. Timoleon nec judicio abſolvi, nec tamen etiam condemnari potuit. *Plutarch. in Timol.*

Elei Laſionem oppidum, quod olim ſuæ ditionis fuerat, jam verò erat Arcadum, exulibus aſſcitis occupare conantur; Arcades injuriam propulſaturi, exercitum colligunt, & Eleos prælio vincunt, & Olympia occupant, interim bellum vario Marte geritur. Elei verò Spartanos ſocios ſuos adhortantur, ut Arcadiam invadere & vaſtare velint, quod & faciunt Duce Archidamo, & Chromnum urbem capiunt, & præſidiis firmant. Arcades contra Cromnum obſident, & etiamſi Archidamus Arcadiam vaſtaret, ab obſidione tamen deduci non poſſunt, imò Archidamum, cum propius accederet, vulnerant, & multos de exercitu ejus occidunt; quapropter inducias faciunt, & Elei ita à ſociis relinquuntur. *Xenoph. l. 7.*

Romæ ad ultimam dimicationem de legibus ventū. Cum igitur jam Tribus vocarentur, nec interceſſio obſtaret, Dictator Camillus *quartum dicitur, qui lictores miſit, ut populum ſubmoverent, & addidit minas, ſi pergerent, Sacramento omnes juniores adacturum, & exercitum ex templò urbe educturum, ſed re neutro inclinata, magiſtratu ſe abdicavit, quod vitio creatus eſſet, ut Livio videtur. Fuit tum Reſpubl. ſine Curulibus magiſtratibus,* ut Plutarchus habet in Camillo. *In locum Camilli* P. Manlius *Capitolinus Dictator creatur, qui primus* C. Licinium *hominem de plebe Magiſtrum equitum dixit, atque ita rem ad cauſam plebis inclinavit: obtinuit tamen Dictator, ne hoc anno leges ferrentur.* Liv. l. 6.

Annus Nabonaſſaris 384. *incipit die* 22. *Novemb. fer.* 2.

Circa finem menſis Decembris Tribuni *plebis* L. Licinius *Calvus, &* L. Sextius *decimum reficiuntur.*

ANNO MUNDI 3586. ante C. N. 362.
B. ☉ 10. ☽ 18.

Annus à condita Roma numeratus 389.

Annus imperii Artaxerxis Mnemonis 41.

Tribuni *plebis decimum refecti tandem, legem de Decemviris ſacris faciendis creandis pertulerunt, ut quinque ex Patribus, quinque verò ex plebe cooptarentur. Hac victoria plebs contenta permiſit, ut iterum tribunorum militarium comitia haberentur.* Liv.

Epami-

Epaminondas Thebanis perſuadet, ut maris imperium capeſſant; quapropter fit decretum, ut centum triremes extruantur, & Rhodii, Chii, & Byzantii ad ſocietatem invitentur. Athenienſes hoc impedire conantur, ſed adeò potentia Thebanorum terrentur, ut claſſem ſuam abducerent, & urbes finitimas Thebanis concederent. *Diod. Sic. lib.* 15.

Theſſali, cum ſæpius ab Alexandro Phæreo victi eſſent, opem Thebanorum implorant, & Pelopidam Ducem auxiliariis præfici petunt: cum id obtinuiſſent, & jam exercitus ſcripti eſſent, fortè eclipſis fit Solis, qua territi Thebani, Pelopidæ tantum voluntarios milites & mercenarios concedunt. *Diod. Sic. lib.* 15. *& Plut. in Pelop.*

Hac Eclipſis accidit in Bœotia, die 13. *Julii, fer.* 4. *hora una, & quindecim minutis ante meridiem. Parallaxis ad hoc tempus eſt* 13. 14. *Latitudo verò Lunæ vera* 33. 10. *Ergo viſa* 19. 56. *Semidiam. Solis* 15. 5. *Scrup. reſidua* 11. 11. *quæ dant digitos* 4. 27.

Pelopidas ubi venit in Theſſaliam, invenit Alexandrum eum magno exercitu, nihilominùs tamen cum eo pugnat, & vincit, ſed ipſe victor cadit, & à Theſſalis ſummo honore, cum id à Thebanis impetraſſent, ſepelitur. Alexander verò victus omnia, quæ occupaverat, reddere cogitur, & Pheræis ſuis contentus eſſe. *Diod.*

Archon apud Athenienſes *Timocrates.*

Demoſthenes anno ætatis 17. ſcribit populares orationes. *Dion.*

Priamus Francorum Dux, anno octavo regni *Neomagum* condit. *Trith. in compendio Chron.*

Olympias 104. *acta die* 29. *Julii, fer.* 6. *Eſt annus Olympiadicus* 413.

Stadium vicit *Phocides* Athenienſis.

Elei hanc Olympiadem non habent in ſuis Commentariis. Pro illis enim Olympiadis hujus celebrandæ autores fuerunt Piſæi & Arcades. De Curuli certamine palmam tulit Eubotas Cyrenæus. *Pauſanias.* Arcades enim cum Cromnum recepiſſent, & Olympiam valido præſidio muniviſſent, ipſi præeſſe ludis Olympicis ſtatuunt, in ipſis ludis Elei cum exercitu adveniunt, & cum Arcadibus pugnant, præſentibus ſpectatoribus Ludorum coronatis, & ferè vincunt, repelluntur tamen. Poſt ludos peractos tandem pax fit, & Arcades Olympia Eleis reſtituunt. *Xenoph. lib.* 7.

Romæ circa diem 24. *Julii Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Tribuni militares conſulari poteſtate:
A. Cornelius Coſſus II.
L. Veturius Craſſus II.
M. Cornelius Malugenenſis II.
P. Valerius Poplicola VI.
M. Geganius *Macerinus.*
P. *Manlius* Capitolinus II.

Velitræ adhuc obſidentur, ſed fama belli Gallici affertur, ob id Dictator quintum dicitur M. Furius Camillus. *Pugnatum cum Gallis in Albano agro, nec dubia nec difficili victoria, multa millia in acie cæſa, multa in caſtris, & Dictator triumphat.*

Tandē per ingentia certamina, cum res propè ad ſeceſſionē plebis terribilesq; alias minas civilium certaminū veniſſet, victus Senatus & Dictator, leges admittunt, conceſſumq; à nobilitate Plebi, de Conſule Plebeio, à Plebe nobilitati de Prætore uno, qui jus in urbe diceret. Ita ab diutina ira tandem in concordiam redactis ordinibus, Senatus cenſuit ludos maximos fieri, & diem unum ad triduum adjiciendum. Cùm verò id munus ædiles plebis recuſarent, Juvenes patritii ſuam operam offerunt, ſi Ædiles fierent, atque ita duo Ædiles etiam ex Patribus, cum comitia fierent, creati ſunt. Liv. lib. 6.

ANNO MUNDI 3587. ante C. N. 361.
A. ☉ 11. ☽ 19.

Cum Arcades Olympicos ludos præcedenti anno ederent, Mantinæi ex donariis templi publici multa in privatum uſum converterant, de qua re ne cogerentur rationes reddere, impediunt reliquos Arcades, ne pacem, quam cum Eleis inire volebant, ſervent: atque ita in duas partes Arcades dividuntur, quarum altera, ut Mantinæi, Lacedæmonios, Athenienſes in auxilium evocant, altera pars verò, Thebanorum auxilium implorat: utrobique magni exercitus ſcribuntur.

Archon apud Athenienſes *Chariclides.*

Romæ circa diem 29. *Julii, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Æmilius *Mamercinus.*
L. Sextius Sextinus Lateranus.

Hic primus ex plebe Conſul factus eſt.

Nihil memoria dignum hiſce Conſulibus actum.

Prætor primus ex patritiis factus Sp. Furius, M. F. Camillus, *duo item Ædiles Curules* Cn. Quintius *Capitolinus, &* P. Cornelius *Scipio.* Liv.

Senatus, cum pro uno Conſule plebi conceſſo, tres ſibi magiſtratus Patritios creaſſet, Prætorem unum & duos Ædiles Curules, ne invidioſum hoc eſſet, de Ædilibus remiſit, ut etiam ex plebe fieri poſſent. Livius.

Plato circa tempora in Siciliam ad Dionyſium navigat, cum libros de Republ. ſcripſiſſet, petitum ut Colonia ducta hujuſmodi Reſpubl. inſtitueretur. *Diog. Laert.*

Cum Epaminondas in Græciam veniſſet, jam Ageſilaus Lacedæmoniorum rex Sparta moverat, populabaturque Tegeates: ideò arbitrabatur, Spartam præſidiis vacuam, & properat, ſed Ageſilaus præmonitus à Cretenſi quodam Spartam regreditur, ideò fruſtrà fuit Epaminondæ conatus: Celeriter igitur regreditur, ut Mantinæam occuparet, ſed Athenienſium præſidium jam eò venerat: quapropter de prælio faciendo conſilia init, habuit exercitum triginta millium, hoſtes ultra viginti millia. Prælio igitur congreſſus difficillimo, tandem vincit: ſed ipſe lethale vulnus accipit, & in caſtra relatus, cum certior eſſet factus de victoria & clipeo ſervato, juſſit extrahi ſpiculum & expiravit. Vulnus hoc ipſi intulit, ut Pauſanias habet, Grillus filius Xenophontis hiſtorici, qui tamen ſtatim trucidatus eſt. *Diodorus Siculus lib.* 15. *& Xenophon lib.* 7. Pugna commiſſa die 12. Scirrophorionis, qui nobis eſt dies 8. Julii.

Feſſi bello & tantis cladibus Græci tandem pacem faciunt, & ita Thebanorum imperium ſimul cum Epaminonda, quo cæperat, expiravit. Athenienſes verò in ſegnitiem prolapſi, & in torporem quaſi reſoluti, cum non haberent, quem æmularentur, reditus publicos non in claſſem exercitusque, ſed in apparatus ludorum contulerunt, & vectigal publicum, quo antea remiges & milites alebantur, cum civibus diviſerunt: qua occaſione factum,

ctum, ut Macedonum reges olim obſcuri & ſordidi inclareſcerent. *Juſtinus.*

Xenophon Athenienſis ſuam hiſtoriam cum Epaminondæ interitu concludit. *Ibid.*

Anaximenes hiſtoricus, qui res Græcorum ab ortu Deorum, uſque ad Mantinæam pugnam duodecim voluminibus complexus eſt, deſinit. *Diodor. Siculus.*

Philiſtus, qui Dionyſii hiſtoriam ſcripſit deſinit. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3588. ante C. N. 360.
G. ☉. 12. ☽ 1.

Aſiatici maris accolæ, & Satraparum nonnulli à Perſis deficiunt, & Artaxerxi bellum inferunt. Sic & Tachos Ægypti rex, decreto in Perſas bello exercitum contrahit, & Lacedæmonios de auxiliis ſollicitat. *Diod. lib.* 15.

Archon apud Athenienſes *Molon*:

Artaxerxes rex in anguſtias redactus defectione tot ſubditorum, cum exercitu non magnopere inſtructus eſſet, Duces rebellium munerib. aggreditur, & tandem corrumpit, quoſdam etiam per alios trucidat, atque ita iterùm eos ſibi ſubjicit. *Ibidem.*

Tachos Ægypti rex, dum ipſe bellum ſuis conſiliis gerit, & copias in Syriam transfert, à præfecto regni Ægyptiaci regno exuitur, & Nectanebus ejus filius rex conſtituitur. Tachos in tanto diſcrimine conſtitutus, mavult ſe irato regi Artaxerxi, quàm filio committere, & impetrat ab Artaxerxe non ſolum veniam præteritorum, ſed etiam auxilia ad recuperandum regnum. *Diod. lib.* 15.

Romæ circa diem tertium Auguſti Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cenotius Aventinenſis.
Q. Servilius Ahala.

Peſtilentia laboratū eſt Romæ, mortuus Cenſor, Ædilis Curulis, tres Tribuni plebis & M. Furius Camillus *vir princeps in omni fortuna & pace & bello, clarior tamen exilio vel civitatis deſiderio, qua capta abſentis imploravit opem: vel felicitate, qua in patriā reſtitutus ſecum ipſam patriam reſtituit, & omnium poſt bellorum victor fuit: adeò dignus fuit, qui ſecundus à Romulo conditor urbis appellaretur.* Livius.

Tachos in Ægyptum ad Ageſilaum reverſus, cum filius ingentem exercitum contraxiſſet, metuit ſibi & urbem quandam ſatis amplam occupat, ſed in ea à filio obſidetur. *Ibid.*

In Græcia inter Arcades iterùm diſſenſio oritur, propterea, quòd quidam relicta Megalopoli, quam condiderant, in pagos reverterentur, & ita urbs exinaniretur. Qui in pagos abierant, defenſores evocant Mantinæos & Eleos, Megalopolitani verò Athenienſes, & hi, cum improviſo adeſſent, pagos & oppida evertunt, & cives Megalopolin reverti cogunt. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3589. ante C.N. 359.
FE. ☉ 13. ☽ 2.

Artaxerxes filium Darium regem fecerat, qui non contentus regno, Aſpaſiam etiam patris pellicem poſcebat, cum verò hæc ipſi negaretur, conſilia init de patre trucidando; prodita re ipſe pœnas capitis luit. Sed pater ipſe mœrore confectus, paulò poſt moritur, & ſuccedit Ochus natu minimus, qui regiam principum & cognatorum cæde totam replevit, ne innocentior fratribus parricidis haberetur, regnavit annis 22. *Juſtinus & Plutarchus.*

In Ægypto, cum in obſidione commeatum abſumpſiſſent, Ageſilaus eruptione pugnare cogitur. Subitò itaque firmatis caſtris, quæ foſſa & flumine munierat, paucis militibus numeroſiſſimum Ægyptiorum exercitum fundit & trucidat, & Tachum in regnum reſtituit, à quo etiam magnis muneribus cohoneſtatus eſt. Dum verò redit in patriam hyeme, moritur propè Cyrenem, & melle conditus Spartam affertur, ubi ſepelitur, cum annos 41. regnaſſet, & vixiſſet annos 82. Succedit ipſi filius Archidamus, qui præfuit annis 23.

Athanas Syracuſius, res à Dione geſtas ab hoc anno incipit, eamque 33. voluminibus deſcribit. *Diodor. Siculus l.* 15.

Archon apud Athenienſes *Nicophemus*.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem octavum Auguſti Juliani:

Coſſ. C. Sulpitius Peticus.
C. Licinius Calvus.

Et hoc anno Romæ peſtilentia fuit; eo nihil dignum memoria actum, niſi quod, pacis Deum expoſcendæ causa, tertio tùm poſt conditam urbē lectiſternium fuit, & cum vis morbi, nec conſiliis, nec ope divina levaretur, victis ſuperſtitione animis, ludi Scenici primum, inter alia cœleſtis iræ placamina inſtituti ſunt, ſine carmine tamen ullo, ſine imitandorum carminum actu: Tandem ludiones ex Hetruria acciti ſunt, qui ad tibicinis modum ſaltantes, haud indecoros motus more Thuſco dederūt. Accepta inde res, ſæpiúſq; uſurpando excitata eſt, & vernaculis artificibus. Et quia Hiſter Thuſco verbo Ludio ille vocabatur, nomen Hiſtrionibus inditum. Livius primus ſuorum carminum actor fuit, qui cùm ſæpius revocatus vocem obtudiſſet, venia petita, puerum ad canendum ante tibicinem ſtatuit, ipſeq; canticum egit, aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis uſus impediebat: Inde ad manum cantare hiſtrionibus cœptum, & diverbia tantùm ipſorum voci relicta, &c. Vide Liv. lib. 7. dec. 1.

Athenienſes clade afficiuntur ab Alexandro Phæreo, & propterea Ducem capitis damnant, & alium Prætorem Charetem mittunt, qui plurimis injuriis ſocios afficit, & Athenienſes malè audire facit. *Diod. Sic.*

Dionyſiodorus & Anaxis Ambo Bœotici Scriptores hoc anno deſinunt.

Annus Nabonaſſaris 388. *incipit die* 21. *Novembr. fer.* 6.

ANNO MUNDI 3590. ante C.N. 358.
D. ☉ 13. ☽ 3.

Annus à condita Roma numeratus 395.

Annus primus Philippi Macedonis.

Perdiccas rex Macedoniæ in prælio cum Illyriis ingenti clade ſuperatur, & amiſſo flore exercitus trucidatur.

Philippus frater, rex cuſtodia Thebanorum elapſus, fratri ſuccedit, & bella multiplicia, quæ ingruebant, ita diſpenſat, ut alia interpoſita pactione cōponeret, alia auro redimeret. Faciliſimos ipſe aggreditur, quorum victoria & militum trepidos animos firmavit, & contemptum ſui hoſtibus demſit. In-

ſit. Inde Macedones bellicis exercitiis inſtruit, phalangem Macedonicam docet & inſtituit, omnes ad virtutem adhortatur, Athenienſibus primum Amphipoli cedit, ne Argæum regem Macedoniæ faceſſent, Pœonas & Illyrios, ne bellum continuent muneribus conciliat, ut & Thracem regem Argæum poſtea ab Athenienſibus deſtitutum vincit, & ſic Macedonibus animum ad futura bella addit. *Diodorus.* Regnavit autem annos viginti quatuor.

Alexander Phæreus, conſilio uxoris ſuæ, occiditur à fratribus uxoris, quibus perſuaſerat, ſe neci ab Alexandro deſtinatos. Succedit alter ex tyrannicidis Tiſiphonus, ut *Xenoph. lib. 6. habet.* Sed Diodorus hæc tradit triennio poſt, occaſione ſumpta à Philippo, qui tum Tiſiphonum trucidavit, & Theſſalos ſibi adjunxit. Sed fallitur: Nam ſi verum eſt, quòd Xenophon hoc anno mortuus eſt ut omnes tradunt, idem poſt mortem hæc ſcripſiſſet, aut alius hæc addidiſſet.

Archon apud Athenienſes *Callidemedes. Diodorus.*

Olympias 105. *acta die* 14. *Auguſti, fer. 6. Eſt annus Olympiadicus* 417.

Stadium vicit *Porus Cyranæus.*

Elei afflicti Arcadico bello, coarctantur in octo Tribus, cùm antea duodecim fuiſſent, ideò octo tantum dati ſunt Ludorum cognitores, ſive Hellanodicæ. *Pauſ. in 1. Eliac.*

Roma circa diem 13. *Auguſti Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Æmilius Mamercinus II.
Cn. Genucius Aventinenſis.

Cum Peſtis Romæ jam trienniū ſaviiſſet, nec remitteret, repetitum ex ſeniorū memoria dicitur, peſtilentiam quondam clavo à Dictatore fixo ſedatā. Dictator itaq; dicitur L. Manlius Capitolinus, *qui clavū fixit. Lex enim vetuſta fuit, priſciſq; literis & verbis ſcripta, ut qui Prætor maximus ſit, Idibus Septembribus clavū figat. Hujuſmodi clavi in templis fixi, indices olim fuerunt numeri annorū, cum raræ eſſent literæ, ut tot annos præteritos putarent, quot clavi in templo* Minervæ *fixi eſſent. Idem Dictator poſtea delectu acerbo, cum Hernicum bellum affectaret, juventutem agitavit, ea propter ſequenti anno à Tribunis plebis accuſatus fuit.*

Xenophon Athenienſis moritur Corinthi, quando Philippus Amyntas filius in Macedonia regnum accepit, ſub Archonte Callimede, *Diogenes Laertius ex Steſiclide,* qui vitas Principium, & Olympionicum ſcripſit. De libris ejus, in quibus Cyri Pædiam deſcribit, Plato de legibus affirmat, eos fictos eſſe, nec Cyrum ejuſmodi fuiſſe.

Annus ſabbathicus ſecundus, Jobelei viceſimi tertii incipit die 26. *Septembris, feria ſeptima. Eſt hebdomas decima, ſeptuaginta hebdomadum. Anno Jud.* 3402.

Cenſores hoc anno Romæ fuerunt M. Fabius *Ambuſtus, &* L. Furius *Medullinus, qui luſtrum fecerunt viceſimum.* Frag. Capitolinum.

Theopompus Chius ab hoc anno initium ſumit ſuarum hiſtoriarum, ſcribitque libros quadraginta octo. *Diod.*

ANNO MUNDI 3591. ante C. N. 357.
C. ☉ 15. ☽ 4.

Agis Pœonum rex moritur. Philippus hac occaſione uſus, bellum genti ſtatim infert, Pœonas vincit, & ſibi ſubjicit; hinc confirmatis viribus de Illyriis bello petendis conſilia agitat. *Dion. l.* 16.

Archon apud Athenienſes *Euchar.*

Philippus, cum exercitum etiam victoria adverſus Pœonas confirmaſſet, Illyrios hoſtes ſibi ſumit. Rex Illyriorum deprecatur bellum; ſed tamen oppidis Macedoniæ, quæ occupaverat, cedere recuſat: quapropter Philippus bellum perſequitur, & Illyrios tandem acerrima pugna vincit, ſeptem millia eorum occidit, & omnia Macedoniæ oppida recuperat. *Diod. lib.* 16.

Dionyſius, cum animo remiſſo eſſet, prætextu lenitatis, morum ignaviam diſſimulat, & cum Carthaginenſibus pacem facit. In Apulia tamen duas condit urbes, ut Ionium mare tutum navigantibus præſtaret.

Roma circa diem 18. *Auguſti Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Q. Servilius Ahala II.
L. Genucius Aventinenſis II.

L. Manlio *Dictatori ſuperiori anno, dies dicitur, propterea acerbitatem delectus, & quod filiū exterrē urbe, domo, foro, congreſſu æqualium, perpetuò in operibus ſervilibus exerceret. Filius contra, ne parenti probro eſſet, Tribunū, qui parenti diem dixerat, adit, ſtricto gladio terret, cogitq; jurare, ſe patris accuſandi gratia nullum concilium plebis habiturū, atque ita parentem liberat concilio, non quidē civilis exempli, pietate tamen laudabili. Id factum plebs Romana adeò probavit, ut cū eo anno tribuni militū ad legiones ſuffragio fieri placuiſſet, is ſecundum locum tenuerit, cum ſex tantum crearentur.*

Eo anno, ſeu motu terræ, ſeu alia vi in medio foro ingens vorago in immenſā altitudinē facta, quæ nec conjectu terræ, nec alia re expleri potuit. Vates pronunciarunt, ut quæ re populus Romanus potiſſimū polleret, id illo loco dicaretur. Cum dubium id eſſet, M. Curtius *juvenis bello egregius, id de virtute militari interpretatus eſt, & ſe, equo inſidens, in ſpecū immiſit.* Liv. l. 7.

Bellū Hernicū inditur, idq; Genucio *gerendum ſorte evenit, qui, in inſidias præcipitatus, trucidatur: id interpretati ſunt Patres, quaſi auſpicia in plebem transferri non poſſent, atque ita neq; Conſules fieri. Ab altero Conſule Servilio Dictator dicitur* Appius Claudius. *Hernici duplicant vires ſuas, & florem præcipuū eligunt juventutis, quæ immunis operum militarium tantū pugnæ ſtuderet. Aſperrimo prælio concurritur, & quidem poſt meridiem, victi tandem hoſtes, cum equites ad pedites deſcendiſſent, & proxima nocte diffugiunt. Ex Romanis quarta pars militum amiſſa, inter quos aliquot milites Romani. Dictator triumphavit menſe Novembri, qui incidit ad Calendarium Julianum ferè in Januarium ſequentis anni.* Liv.

ANNO MUNDI 3592. ante C. N. 356.
B. ☉ 16. ☽ 5.

Dion, vir clariſſimus & pace & bello, frater novercæ Dionyſii, inſidiis ejuſdem petitur: quapropter Sicilia effugit, & Corinthum venit, petitque ut ſe adjuvarent in tyranno Syracuſis pellendo, & civibus in libertatem aſſerendis. Voluntarios ut ducat, impetrat. *Diod. Sic. lib.* 16.

Andromachus pater Timæi hiſtorici, exules Naxi, quam Dionyſius exciderat, in collem, qui Taurus vocabatur, in Sicilia ſubducit, urbemque ibi condit, quam Tauromenium appellavit: ſubita hæc

urbs

urbs incrementa ſumpſit, & eo tandem Colonia Romanorum deducta eſt, ſub Auguſto Cæſare. *Diodorus.*

In Eubœa diſſidebant incolæ, quorum altera pars Athenienſes, altera Thebanos in auxilium evocabat. Hoc inteſtino bello inſula miſerè vaſtabatur, cladibus ergo ſuis edocti Eubœenſes, pacem inter ſe faciunt, & auxilia dimittunt. *Diod.*

Archon apud Athenienſes *Cephiſodotus. Diod.*

Romæ circa diem 23. Auguſti Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Licinius Calvus II.
C. Sulpitius Peticus II.

In Hernicos exercitus ductus, & Ferentinum *urbs capta.* Liv.

Plato Philoſophus à Dionyſio tyranno humaniſſimè accerſitur, & benignè etiam accipitur. Dionyſius enim videri volebat amans literarum, & ſtudiis deditus; quapropter etiam tota aula magni Platonem fecit, & Plato inſignia munera inde reportavit ad octoginta talenta, hoc eſt, ad ſeptuaginta quinque florenorum millia, *ut Diogenes Laertius habet.* Sed cum Plato à Dionyſio impetrare non poſſet, ut Dionem revocaret, & in gratiam reciperet, ſimultas orta eſt, quæ prædicta fuit ab Helicone Cyziceno, qui eadem certitudine prædixit etiam eclipſin ſolarem. *Plutarchus in Dione.*

Bellum ſociale ortum. Socii enim Athenienſium Chii, Rhodii, Choi & Byzantini deficiunt, contra quos Athenienſes mittunt ducem Chabriam & Charetem, & Chios obſident, ubi in pugna Chabrias trucidatur, cum prætoria navis fracta eſſet; reliqui fuga evadunt. *Diod. l. 16.*

Philippus devictis Illyriis, cum Amphipolitani multas belli cauſas præberent, ipſis etiam bellum infert, urbem oppugnat, muros dejicit, & urbe per vim potitur, moderatè tamen victoria utitur. Olynthiis etiam Pydnam urbem tradit, eosque agris & oppidis donat, ut ſibi faverent. Potidæam præterea expugnat, & præſidium Athenienſium ibi captum humaniter habet, domumq; dimittit. Hinc ad Crenidas profectus, eam frequentia habitatorum amplificat, & Philippos de ſe nominat, aurique fodinas, quæ hactenus tenues fuerant, operum ſtructuris adeò fœcundas reddit, ut quotannis ultra mille talenta, hoc eſt, ultra millionem inde acciperet, & Philippicos nummos cudit. *Diod. Sic.*

ANNO MUNDI 3593. ante C. N. 355.
AG. ☉ 17. ☽ 6.

Cum tumultus Gallicus exortus eſſet, Dictator dicitur T. Quintius Pennus, *qui ad Anienem adverſum Gallos caſtra locat; ibi* T. Manlius, *qui patrem à vexatione Tribuni liberarat, Gallum eximia corporis magnitudine in pontem progreſſum, & Romanos ad monomachiam provocantem, poſternit, jugulat & torque ſpoliat: unde Torquati nomen obtinuit. Galli hoc caſu territi, relictis caſtris abeunt, & cum Tyburtibus ſocietatem pangunt, inde Campaniam vaſtant, Manlius corona donatur, & Dictator triumphat Quirinalibus, die ſeptimo Februar. qui ad Calendarium Julianum fuit dies 12. Aprilis.* Livius & tabulæ Capitolinæ.

Eclipſis Solis, quam Helicon *Cyzicenus prædixit, Syracuſis accidit die 29. Februar. horis duabus ante meridiem. Latitudo vera 24. 47. Parallaxis latitudinis 50. 31. Viſa auſtralis 25. 44. Semidiameter Solis 15. 33. Summa Semidiametrorum 33. 32. Scrupula reſidua 7. 48. Digiti ecliptici 3. 33. Proculdubio Helicon majorem eclipſin prædixit, ſed deceptus fuit ſuis tabulis imperfectioribus.* Plutarchus in Dione.

Archon apud Athenienſes *Agathocles.*

Calliſthenes hiſtorias Græcorum decem libris complexus, hoc anno definit. *Diod. l. 16.*

Demophilus filius Ephori hiſtoriam belli ſacri deſcribit, & ab hoc anno incipit. *Ibid.*

Diyllus Athenienſis hiſtoriam Græciæ & Siciliæ ab hoc anno exorditur, eamque continuat in libris 27. *Ibid.*

Dion Syracuſanus, cùm exercitum collegiſſet, & mercenarios conduxiſſet, ad ejiciendum tyrannum, in Zazyntho insula ſacrificium inſtituit, ubi eclipſis Lunæ conſpecta eſt veſperi, adulta jam æſtate, quæ facta eſt ad Calendarium Julianum, die nono menſis Auguſti, poſt meridiem, horis 7. 29. oriente Luna. Latitudo Lunæ vera 50. 51. meridionalis. Semidiameter Lunæ 17. 40. Summa Semidiametrorum Lunæ & umbræ 63. 38. Scrupula reſidua 12. 47. Digiti ecliptici 4. 21. Eadem nocte Dion ſolvit cum duabus navibus onerariis, ad opprimendum Dionyſium, ad evertendum potentiſſimum regnum. Dionyſius enim habebat naves quadringentas, & centena millia peditum, decem equitum, & præterea armis, frumento, & pecunia abundabat. Die 13. ad Pachynum Siciliæ promontorium pervenit, ſub primum Arcturi ortum, ubi cum magna tempeſtas oriretur, Dion ex inſula iterum rejectus eſt, & poſt quinque dies tandem iterum appellit, & venit Minoam, quæ Carthaginenſium partium erat, & à præfecto impetrat, ut quinquies mille panoplias Syracuſas ad amicos deferat: Ipſe cum mille militibus ad Agrigentinos, Geloas Camarinos & alios profectus, auxilia impetrat, ita ut ad viginti armatorum millia colligeret; acceſſerunt præterea ex Italia Græci & Meſſenii. Donyſius tum aberat, in urbibus in Adria extructis. Præfecti Syracuſani in tanto motu, cum cives jam audientes dicto non eſſent, mercenariis militibus invadere conantur; ſed Dion jam civibus, qui à tyranno exarmati erant, arma diſtribuerat, eoſque oratione ad libertatem recuperandam exhortatur, & Syracuſas, introductis quinquaginta millibus hominum, occupat. Dionyſius certior de hiſce motibus factus, claſſem mari mittit, ipſe ſeptimo die poſt Dionem Syracuſas venit, pacem petit, ſe dominatu abiturum promittit, tantummodò ipſi locus honeſtus in Democratia concedatur. Induciæ in aliquot dies, ut de hiſce rebus agi poſſet, fiunt; quibus neglectis Dionyſius mœnia nocte tranſcendit, ingens inde fit prælium, quo tandem Dionyſiani vincuntur, & urbe ejiciuntur. Dionyſius cùm videret de dominatu actum eſſe, pacem petit, ſed cùm duriores conditiones proponerentur, naves ad commeatum advehendum dimittit, agros Syracuſanorum vaſtat, & bellum gerere incipit.

Romæ circa diem 28. Auguſti Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Fabius Ambuſtus.
C. Poetilius Libo Voluſus.

Tyburtibus, quod ſocietatē cum Gallis feciſſent, bellum indictum, qui aſſumptis Gallis, Lavicanū, Tuſculanum & Albanum agrum fœde populati ſunt. Livius. M. Furius *contra Hernicos cum exercitu mittitur, qui una inſigni pugna hoſtes devicit, & ovans urbem ingreſſus eſt, 5. Septembris, qui ad Calendarium Julianum incidit ferè in 19. Novembris.*

Tiſiphonus Pheræorum tyrannus, cum fratre tyrannidem in Theſſalos etiam uſurpat, qui ejus impatientes, Philippum Macedonum regem in auxilium evocant, qui tyrannos debellat, civitatibus libertatem recuperat, & omni benevolentia Theſſalos complectitur, unde hoc aſſecutus eſt, ut Theſſalos in omnibus prœliis, ſocios & adjutores haberet, quemadmodum & poſt filius ejus Alexander Magnus. *Diod. l. 16.*

Annus Nabonaſſarii 392. incipit die 20. Novemb. feria tertia.

Romæ cum bellum Gallicum præterea accederet, Dictator dicitur Q. Servilius Ahala, *qui cum Gallis propè Romam ad portam Collinam in conſpectu omniū civiū pugnavit, eos vicit, & fugavit eo, ubi Conſul Poetilius cum exercitu erat, qui & Gallos & Tyburtinos prælio vicit, & poſt triumphavit menſe Martio, qui incidit in menſem Majum ſequentis anni.* Liv.

ANNO MUNDI 3594. ante. C. N. 354.
F. ☉ 18. ☽ 7.

Annus à condita Roma numeratus 397.
Annus Philippi Macedonis V.

Bellum ſacrum hoc anno cœptum, cujus cauſa fuerunt Thebani, qui cum rerum potirentur, Lacedæmonios & Phocenſes apud Amphictyones accuſant: illos quidem, quod arcem Thebanam induciarum tempore occupaſſent, hos, quod agrum Thebanum vaſtaſſent, quaſi poſt arma & bellum locum legibus reliquiſſent, cum judicium arbitrio victorum exerceretur, tanta pecunia damnantur, quantam exolvere non poſſent, quapropter Phocenſes deſperatis rebus bello injurias propulſandas decernunt. *Pauſ. in Phocicis.*

Artaxerxes Ochus Judæos, qui in clade Hieroſolymitana ſub Zedekia effugerant in Ægyptum, traduxit in Hyrcaniam, Mediam & Caſpium mare, *ut refert Canon Euſebii.*

Archon apud Athenienſes *Elpinus.*

Philiſtus Dionyſii Dux fortiſſimus, ſupplementum in arcem Syracuſanam clam mittit, & Leontinos inſuper invadit, urbemque nocte ingreditur ex qua tamen auxilio Syracuſanorum expellitur. Inde claſſem comparat, & cum Heraclide Duce Syracuſanorum, qui ex Græcia cum claſſe & exercitu advenerat, pugnat, & vincitur, & ne vivus caperetur, ipſe ſibi manus infert: *Diod. l. 15.*

Olympias CVI. acta die 30. Julii, fer. 3. Eſt annus Olympiad. 421.

Stadium in hac Olympiade vicit *Porus* Malienſis.

Alexander Magnus naſcitur die ſexta Hecatombionis, hoc eſt, ſi ad Calendarium Julianum reſpicias, die 6. Auguſti, fer. 3. Eo ipſo die templum Dianæ apud Epheſios, ab Heroſtrato incenſum, conflagravit, vaticinantibus Sacerdotibus magnum aliquod malum Aſiæ alicubi natum eſſe. *Plutarchus Pauſ. & alii.*

Dionyſius audita clade legatos ad Dionem mittit, qui ipſi dimidium regni imò totum offerrent, dum ipſi locus honeſtus relinqueretur. Cum nihil impetraret, ſuos theſauros ſibi reddi poſtulat, ut arce excedat, cui Dion conſenſit. Populus autem ab Oratoribus inflammatus recuſat: hinc ſimultas orta inter cives Syracuſanos & Dionem, quæ adeò crevit, ut Dion cum mercenariis urbe excedere cogeretur, quem Syracuſani perſecuti ſunt, ſed maxima ſua clade. Factum hoc, ut Plutarchus habet, media æſtate, cum quindecim diebus continuis & tonitrua & tempeſtates perpetuæ fuiſſent. *Diod. l. 16.*

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem ſecundum Septembris Julians:

Coſſ. M. Popilius Lænas.
C. Manlius Capitolinus.

Tyburtini noctu profecti Romam oppugnant, cum ingenti terrore, ſed orta luce non magno negotio rejiciuntur. Accedunt novi hoſtes Tarquinienſes, qui fines Romanos populantur.

Bellum ſociale adhuc geritur. Socii contracta claſſe Samum vaſtant, Athenienſes aucta ſua claſſe ſexaginta triremibus, quibus Iphicratem & Timotheum præficiunt, ut pari imperio cum Charete ſint, Byzantium obſident, eò tendunt etiam Socii hoſtes. Pugnatum eſſet ibi prælio navali, niſi gravis tempeſtas incidiſſet, qua territi Iphicrates & Timotheus prælium diſſuadent, ea de re à Charete apud populum Athenienſem accuſantur, multis talentis damnantur, & ab imperio removentur. *Diod. l. 16.*

Reges tres vicini in Thracia, in Pœonia, & Illyrico, ſocietatem jurant de opprimendo Philippo. Philippus contra priuſquam copias contraxiſſent, & ordines inſtituiſſent, ſingulos aggreditur, ſibique parere cogit. *Ibid.*

Nypſius Dux Dionyſii, vir ſtrenuus, contracta claſſe commeatum infert in arcem Syracuſanam, cum præſidium jam propter inopiam cum civibus de traditione arcis ageret. Cives contra cum commeatus in arcem illatus eſſet, cum Nypſæo claſſe pugnant & vincunt, & ob id diem feſtum agunt. Nypſæus ea ipſa nocte muros tranſcendit, cives vino ſomnoque ſepultos trucidat, urbem incendit & diripit. Dion à civibus exoratus & evocatus, eo ipſo tempore advenit, hoſtium quatuor millia occidit, ignem extinguit, & ingratos cives iterum ſervat; unde maximum apud ipſos honorem eſt conſecutus. *Diod. Ibid.*

In Italia multitudo quædam promiſcuorum hominum fugitivorum tamen præcipuè, cum latrocinia hactenus exercuiſſent, bellicas etiam exercitationes aſſumunt, & cum fortitudine incolis præſtarent, Trojanam urbem expugnant, diripiunt, & alias etiam urbibus ſubactis Rempubl. inſtituunt, ſeque Brutios *appellant.* Diod. Sic. l. 16.

ANNO MUNDI 3595. ante C. N. 353.
E. ☉ 19. ☽ 8.

Chares claſſis Athenienſium præfectus, ut haberet, unde militibus ſtipendium ſolveret, Pharnazabo, qui Perſis rebellabat, operam ſuam offert, & Duces Perſicos magna clade vincit, quapropter tantâ pecuniâ remuneratur, ut ſolveret exercitui.

Gratum hoc fuit Athenienſibus: At verò cum Ochus per legatos de injuria expoſtularet, & Sociis trecentarum navium claſſem contra Athenienſes polliceretur, longè aliter afficiebantur, & ut periculum caverent, ſocios hoſtes de pace ſolicitant, qui & ipſi pacis cupidi erant, atque ita ſociale bellum æquis conditionibus quarto anno depoſitum eſt. *Diod. Sic. lib.* 16.

Philomelus Dux Phocenſium ad Spartanos proficiſcitur, de injuria Thebanorum conqueritur eosque de auxiliis ſolicitat. Spartanorum rex Archidamus, quoniam templum occupare conabantur, iis auxilia mittere non audet; clanculum tamen quindecim talenta ſuppeditat, quibus militem conducant. Philomelus collecto exercitu Delphos adit, & templum occupat. Locrenſes contra Delphis auxilia afferunt, ſed magna clade vincuntur, & Philomelus, occupato templo, decreta Amphictyonum è columnis exſcindit, & tabulas damnatorum abolet, & Legatos ad alios mittit, qui petant ne ſe bello petere velint, ſe nihil, cujus rationem non reddere poſſet facturum, & Athenienſibus & Lacedæmoniis perſuadet, ut ſe auxiliis juvare velint. Thebani contra unà cum Locrenſibus, bellum cum Phocenſibus pro Deo gerendum decernunt. *Diod. l.* 16.

Archon apud Athenienſes *Calliſtratus.*

Demoſthenes hoc anno ſcribit Orationes contra Androtionem: Item de immunitatibus. *Dionyſ. Hal.*

Romæ circa diem 7. Septem. Juliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Fabius Ambuſtus.
C. Plautius Proculus.

Fabio *Tarquinienſe bellum ſorte evenit: Plautio Hernicum.*

Lex de ambitu lata à Petulio tribuno plebis, autore Senatu, qua novorum hominum ambitio, qui conciliabula obire ſolebant, repreſſa eſt.

ANNO MUNDI 3596. ante C. N. 352.
D. ☉. 20. ☽ 9.

Auditum fuit Romæ, Gallos Præneſte veniſſe, atque inde circa Pedum conſediſſe, quapropter Dictator *dicitur* C. Sulpitius Peticus, *qui ſcripto exercitu eò tendit, & cū Galli non ex præparato commeatu viverent, bellum trahit, quare non tam Gallis ægrè fecit, quam milites offendit, qui moræ impatientes erant, à quibus ferè cogitur, ut prælio decertet. Solerti tamen animo, ut paucitatem ſuorum adjuvaret, ſtrategema excogitat, quo Galli in prælio maximè territi ſunt, atque ita pugnat, vincit, & Gallos caſtris exuit, & juſtum de iis agit triumphum, ſeptimo Maji, qui ad Calendarium Julianum incidit in diem* 20. *Julii.*

Plautius *Conſul, qui Hernicos devicerat & ſubegerat, octiduo poſt triumphat.* Fabius *verò incautè & inconſultè adverſus Tarquinienſes pugnavit, ubi clades accepta eſt, & in acie & in captivis, quorum trecentos & quinquaginta ſeptem Tarquinienſes immolarunt.* Liv. l. 7.

Cenſores *hic annus habuit* M. Fabium *Ambuſtum &c. qui condiderunt luſtrum* 21. *& Tribubus reliquis addiderunt Pomptinam & Publiliam.*

Archon apud Athenienſes *Diotimus.*

Demoſthenes Orationem habet de claſſe adornanda, ubi populum adhortatur, ne pacem cum rege irritam facerent, priusquam claſſem inſtruxiſſent. Dion. *Hal.*

In Ponto Leucon Boſphori rex moritur, cum annos quadraginta regnaſſet, ſuccedit ipſi filius Spartacus per annos quinque. *Diod. Sic. l.* 16.

Thebani bellum magnis viribus inſtruunt, unde Philomelus coactus eſt templi Delphici donaria in belli uſum convertere, ex quibus tantam pecuniam confecit, ut duplicia ferè ſtipendia militibus præberet. Prælium commiſſum in agris Locrenſium, ubi Phocenſes vincunt, & prædas inde agunt copioſiſſimas. Paulò poſt poſt tamen à Thebanis, qui multitudine prævalebant, vincuntur, ubi Philomelus dux ne caperetur, de rupe præcipiti ſaltu ſe demittens periit: ei ſuccedit Onomarchus *Diod. Sic. l.* 16.

Chares dux Athenienſium in Helleſponto Seſtum urbem expugnat, puberes interficit, reliquos in ſervitutem abripit. Inde Cherſoneſum occupat, & populus Athenienſis colonos eò deſtinat. Philippus videns Methonæos, & Thracibus & Athenienſibus ſedem belli præbere, Methonem obſidet, fame domat, occupat, & civis cum ſingulis veſtimentis dimittit, urbemque & agrum evocatis Macedonibus concedit. In oppugnatione hujus urbis Philippus teli jactu alterum oculum amittit: nec tamen propterea gravius quid in dedititios ſtatuit. *Diod. l.* 10.

Romæ circa diem duodecimum Septembris Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Martius Rutilus.
Cn. Manlius Capitolinus II.

M. Duellius & L. Menenius Tribuni plebis, legem ferunt de unciario fœnore, quam plebs cupide accipit, etiamſi Patribus non adeò probaretur. Eſt autem unciarum fœnus, quando annuo ſpatio ſortis uncia, ſive duodecima pars ſolvitur, von zwölff Gülden einen / oder von hundert acht Gülden / und ſieben Groſchen. *Differt igitur unciarum fœnus a centeſima.*

Cn. Manlius in caſtris ad Sutrium novo exemplo legem fert de viceſima eorum, qui manumitterentur. Cum hoc feciſſet per milites juratos, ne iterum fieret, Tribuni plebis capitis pœna ſanxerunt. Alias cum hoſtibus Faliſcis & Tarquinienſibus nihil memorabile geſtum. Liv. l. 7.

Dion in Sicilia à militibus, quos in *Zazyntho* collegerat, interficitur, autore Calippo, qui Dioni in imperio ſuccedit, idque tredecim menſibus adminiſtrat.

ANNO MUNDI 3597. ante C. N. 351.
CB. ☉ 21. ☽ 10.

Martio *Conſuli novi hoſtes Privernates obveniunt, quorum fines longinqua pace intacti, & pleni prædæ erant; ea ditat ſuum militem, & hac munificentia militem ad labores promptiſſimum facit, atque ob id caſtra hoſtium expugnavit, & urbem deditione cepit. Triumphavit Calendis Junii, hoc eſt, circa diem* 12. *Auguſti Juliani.*

Archon apud Athenienſes *Theodemus. Dion.* Diodorus habet *Eudemus.*

Demoſthenes Timocrateam orationem habet ſub hoc Prætore. *Dion.*

Onomarchus Phocenſium Dux perſuadet ſuis, bellum ignominioſæ paci præferendum, ideò ingens exercitus cōtrahitur, arma ex ære & ferro con-

ſtantur, auream monetam cudit, largitione munerum, quoſcunque poteſt, corrumpit, vicinas urbes populatur. Orchomenum etiam capit, inde clade affectus domum redit. *Diod. l.* 16.

Artabazus regi Perſarum rebellat, & Thebanorum auxilia implorat, qui ipſi quinque millia militum mittunt, quibus regium exercitum bis vincit; unde Thebani ingentem gloriam conſequuntur, qui domeſtico Phocenſium bello diſtricti, tamen aliis etiam auxilia mittere audent. *Ibid.*

Bellum etiam hoc anno Lacedæmoniis cum Argivis fuit, concurritur ad Orneas oppidum, & victoria penes Lacedæmonios ſtetit *Ibid.*

Philippus à Theſſalis evocatur, quibus Lycophron Pheræorum tyrannus negotium faceſſebat. Philippus magno exercitu eò tendit. Lycophron contra Phocenſium auxilia expetit & impetrat, quæ tamen a Philippo vincuntur. Onomarchus igitur ipſe in Theſſaliam contra Philippum movet eumq; bis acie vincit, & in ſummam deſperationem adigit, cum milites ipſi amplius dicto audientes eſſe nollent: Ideò in Macedoniam redire cogitur. *Dio. Ibid.*

Romæ circa diem 17. *Septem. Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. *M.* Fabius Ambuſtus II.
M. Popilius Lenas II.

Popilius Tyburtes hoſtes vincit, & in urbem compellit, eorumq; agros longè lateq; vaſtat. Faliſci *contra & Tarquinienſes primo concurſu* Fabium *vincunt, quòd à Sacerdotibus ipſorum facibus & ſerpentibus armatis, milites initio terrerentur. Increpati tamen milites à Conſule & Tribunis vanum illum apparatum hoſtium deſcuciunt, hoſtem vincunt, & caſtris etiam ipſorum potiuntur.* Liv. l. 7.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei 23. *incipit die* 10. *Septemb. fer.* 7. *Eſt hebdomas undecima, ſeptuaginta hebdomadum. Anno Jud.* 3409.

Mauſolus Cariæ regulus, cum annos 24. regnaſſet, moritur, cui *Artemiſia* ſoror & conjux per biennium ſucceſſit. *Diod.*

Clearchus Heracleæ Tyrannus, duodecimo imperii anno, dum in Bacchanalibus ludos ſpectat, trucidatur. Suffectus eſt illi *Timotheus* filius, qui annos quindecim dominatur. *Diod. Sic. lib.* 16.

Annus Nabonaſſaris 396. *incipit die* 19. *Novemb. feria* 7.

Onomarchus Phocenſis pulſo Philippo in Bœotiam movet, & collatis ſignis Thebanos vincit, & Coroneam occupat. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3598. ante C.N. 350.
A. ☉. 22. ☽ 11.

Annus ab urbe condita 401.

Annus Philippi Regis Macedoniæ 9.

Hetruſci *communi conſenſu Romanis bellum inferunt, & ad Salinas uſq; perveniunt. Dictator dicitur à Popilio Conſule* Martius Rutilius *primus de plebe, qui & plebeium magiſtrum equitum ſumſit invitis patribus, qui hoſtes palantes aggreſſus fundit, & caſtra etiam capit, octoque millia captivorum Romam adducit, & ſine autoritate Patrum juſſu populi triumphat, nonis Maji, circa finem Julii Juliani.*

Philippus in Theſſaliam redit, & Lycophronum tyrannum oppugnat: Onomarchus tyranno auxilio venit. At Philippus Theſſalorum viribus eum vincit prælio acerrimo, in quo Phocenſium ſex millia occiderunt, capti tria millia cum Duce, quem Philippus ſuſpendio affecit, reliquos ut ſacrilegos mari merſit. Hoc modo extincto Duce *Phayllus* frater ſuccedit, qui iterum exercitum conſcribit, & duplo majus ſtipendium ipſis exſolvit, aureumque ſimul & argenteum numiſma cudit. *Diod.*

Dionis amici Syracuſis ſeditionem adverſus *Calippum* excitant, ſed à Calippo pulſi, ad Leontinos perfugiunt. Paulò poſt *Hipparinus* filius Dionyſii armata claſſe Syracuſas adveniens, Calippum prælio victum, ex urbe fugat, regnumque paternum hoc modo recuperatum obtinet annis duobus. *Diod. lib.* 16.

Archon apud Athenienſes *Ariſtodemus.*

Olympias 107. *acta die* 15. *Aug. fer.* 7. *Eſt annus Olympiadicus* 425.

Stadium vicit *Smicrina* Tarentinus.

Demoſthenes incipit contra Philippum concionari, habetque primam orationem Philippicam, hortatur, ut Athenienſes exercitum & claſſem in Macedoniam mittant. Scribit etiam orationem Timocrateam. *Dion. Hal.*

Philippus Macedoniæ rex *Pheras* tandem in Theſſalia occupat, & tyrannum Theſſalia tota pellit, qui ſe Phocenſibus adjungit, qui alias etiam magna auxilia habebant ab Athenienſibus, Spartanis, Achæis & aliis. *Phayllus* igitur Dux Phocenſium tanto exercitu inſtructus, Bœotios invadit, & quaſdam urbes reſcindit, ſed morbo & tabe confectus, moritur, & filium Onomarchi Phalæcum, juvenem adhuc ſucceſſorem relinquit. *Diod. l.* 16.

Lacedæmonii Megapolitanis Arcadibus bellum inferunt, hi cum inferiores viribus eſſent, ſocios aſſumunt Archivos & Thebanos: utrinque clades illatæ & regeſtæ ſunt, & tandem fiunt induciæ. *Ibid.*

Romæ circa diem 22. *Septemb. Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Sulpitius *Peticus* III.
M. Valerius *Poplicola.*

Ambo patritii, Factum, inquit Livius, *quadringenteſimo anno, quàm urbs condita erat: quinto & triceſimo, quàm Roma à Gallis recepta, ablata poſt undecimum annum à plebe Conſulatu, &c. Si ubique annos completos intelligit Livius, rectè hoc modo anni numerantur.*

Empulum *urbs ex Tyburtibus captum, non magno certamine. Majori certamine per totum annum domi res acta eſt, ut duo patritii Conſules iterum crearentur.* Liv. l. 7.

ANNO MUNDI 3599. ante C. N. 349.
G. ☉. 23. ☽ 12.

Phalæcus, cum clade modica à Bœotiis affectus eſſet, eò majoribus copiis movet, & Chæroneam occupat, quam tamen vi Bœotiorum iterum amittit, qui hac victoria non contenti, in Phocidem ingreſſi, magnam ejus partem devaſtant. *Diod. l.* 16.

Thebani bello ſacro tandem defeſſi, ab *Ocho* Perſarum rege mutuas pecunias petunt, & accipiunt dono trecenta talenta. *Ibid.*

Phœnicia urbes ab Ocho rege Perſarum ad Ægyptios deficiunt & *Sidonis* mercenarium militem duce

duce *Mentore* conducunt, per quem Satrapæ *Perſarum* ex Phœnicia pelluntur. Inſuper reges in Cypro; quorum novem erant, communi conſenſu à rege Ocho deficiunt, in quos Ochus Evagoram, olim regem Cypri, & Phocionem Athenienſem mittit. Ipſe contra Sidonios & Ægyptios proficiſcitur.

Archon apud Athenienſes *Theſſalus vel Theelius.*

Demoſthenes habet concionem Rhodienſem ſuadetq; ut ibi Democratia inſtituatur. *Dion.*

Romæ circa diem 27. Sept. Juliani, *Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Fabius Ambuſtus III.
T. Quintius Pennus Capitol.

Cum jam Ochus ipſe ingentem exercitum contra Sidonios duceret, *Mentor*, quo Duce Sidonii rebellarant, qui videbat, Sidonios impares certamini futuros, cum Ocho rege tranſigit, ut ſi recipiatur in gratiam, Sidonios prodat. Interim Sidonii ipſi pœnitentes facti, ſupplicatum mittunt ad Ochum nobiliſſimos ſuorum, ut ſibi ignoſcatur. At Ochus natura crudeliſſimus, ſpe proditionis omnes hoſce jaculis configit. Cum igitur Ochus cum exercitu, autore Mentore, Sidonem ingreſſus eſſet, cives deſperata ſalute ſe cum liberis & uxorib. intra ædes in clusos admotis flammis cremarunt, quarum numerus excrevit ad quadraginta millia. Reliquæ Phœniciæ urbes tanta clade territæ deditionem faciunt, & mulctam ſolvunt. Prædicta fuit hæc clades, *Ezech.* 28. 21.

Evagoras, cum in Cyprum veniſſet, diuturna pace florentem, cum Phocione ingentes prædas agit; qua fama Græci permoti ultrò hanc militiam ſecuti ſunt, & Salaminem arcta obſidione premunt. *Diod. lib.* 16.

Artemiſia regina Cariæ, cum biennium regnaſſet, moritur, ſuccedit frater *Idrieus*, qui regnat annis 7.

Syracuſani Rhegium, quod adhuc præſidiis Dionyſii tenebatur, exercitum ducunt, regios pellunt, & Rheginis libertatem reſtituunt. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3600. ante C. N. 348.
F. ☉ 24. ☽ 13.

Ochus rex, Ægyptios bello ſub jugum redacturus, in Græciam mittit, qui auxilia inde adducant. ſed ab Athenienſibus & Spartanis nihil impetrat. Sed Thebani mille milites gravis armaturæ mittunt; Archivi verò tria millia. *Diod. l.* 16.

Romæ Conſules bina bella geſſerunt contra Tarquinienſes. Quintius *feliciter pugnavit, multos mortales in acie trucidavit, & ex captivis nobiliſſimos trecentos & quinquaginta octo Romam miſit, qui virgis caſi & ſecuri percuſſi ſunt. pro immolatis in foro Tarquinienſium Romanis Cum Tiburtibus Fabius pugnavit, tota gens prælio victa in deditionem, poſitis armis, venit. Triumphavit Fabius nonis Juni, circa initium Sept. Juliani* Liv.

Propter res bello benè geſtas, Samnites de amicitia legatos Romam mittunt & obtinent. Ibid.

Archon apud Athenienſes *Apollodorus.*

Evagoras magno molimine obſidionem Salaminis urget, hac ſpe, ſe regnum recuperaturum: ſed ob id calumniis petitur apud regem; quapropter ipſe apud regem ſe purgat, & multo majore provincia donatur. Sed poſtea temporis cum eandem malè adminiſtraſſet, in Cyprum fugit, ubi captus capitis pœnam ſubit. *Diod. Sic. l.* 16.

Ochus rex Perſarum in Ægyptum movet; rex Ægypti *Nectanebus* omnes aditus præſidiis munierat, ſed cum antea ducibus Græcis bellum feliciſſimè geſſiſſet, jam remotis Græcis ipſe bellum ad miniſtrat, ſed valde imperitè. Ochus igitur capto Peluſio Ægyptum intrat, tripartitoque exercitu urbes terret, & in ditionem recipit. *Nectanebus* deſperatis rebus, & convaſatis ſuis theſauris in Æthiopiam profugit. *Ibid.*

Romæ circa diem 2. Oct. Juliani, *Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Sulpitius Peticus IV.
M. Valerius Poplicola.

Cærites *cum vidiſſent Tarquinienſes adeò malè mulctatos à Romanis, miſericordia erga conſanguineos moti, Romanos populantur; Ex altera parte* Volſci *iterum bellum movent: quare utrinque exercitus ſcribuntur.* Liv.

ANNO MUNDI 3601. ante C. N. 347.
ED. ☉ 25. ☽ 14.

Romæ Dictator *contra Cæritas & Hetruſcos dicitur;* T. Manlius Torquatus, *qui Cæritibus bellum indicit, ubi tamen bellum non fuit. Cærites enim territi bello à Romanis, per omnia ſacra deprecantur bellū, & veniā conſequuntur, & inductas in centum annos.* Liv.

Ochus rex Perſarum, cum Ægyptum in poſtatem redegiſſet, urbium mœnia deſtruit, templa depopulatur, & commentaria etiam Ægyptiorum aufert, quæ tamen grandi pecunia poſtea rediмuntur. Inde Græcis, quorum opera uſus fuerat, magna munera tribuit. Imprimis tamen *Mentorem* magnis muneribus afficit, & Aſiæ maritimæ præficit qui cum *Bagoa* amicitiam inierat hoc bello, & poſtea cum eo omnia regni munia, præter nomen regium, in poteſtate habuit. *Diod. l.* 16.

Confecto bello Ægyptiaco Ochus Judæus, qui olim ad Vaphrem regem Ægypti, cum Nebucadnezar Judæam excinderet, transfugerant, Ægypto expellit, & ad Caſpium mare deportat; inde illi Judæi vocantur filii deportationis Mediæ. *Euſeb.*

Archon Athenienſes *Callimachus.*

Mentor in Aſia cum rebellibus bellum gerere juſſus, quoſdam regi reconciliat, quoſdam aſtu abſq; magno conatu capit, atq; ita pacem in toto regno facit; quare magnam à rege init gratiam. *Diod. l.* 16.

Philippus rex Macedoniæ Chalcidicas ſive Thraciæ urbes aggreditur, eaſque cladibus belli territas ſibi ſubjicit, inde iterum Pheras Theſſaliæ urbem aggreſſus, Pitholaum, qui tyrannidem invaſerat, pellit. *Ibid.*

Romæ circa diem 7. Octob. Juliani *Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. P. Valerius Poplicola.
C. Martius Rutilus II.

Magnis certaminibus comitia peracta. Dictator enim duos Patricios Coſſ. creare voluit: dilata igitur comitia, donec Dictator magiſtratu abiret; inde concordiæ cauſa Senatus jubet obſervari Legem Licinianam, & Conſulem plebeium creari. Liv.

Annus Nabonaſſ. 400 *incipit die* 18. *Novem. fer.* 4.

Spartacus rex Ponti, cum quinq; annos regnaſſet, moritur, ſuccedit ipſi frater *Paryſades*, qui illud annis 38. adminiſtravit. *Diod. l.* 16.

ANNO MUNDI 3602. ante C. N. 346.
C. ☉ 26. ☽ 15.

Annus à condita urbe numeratus 405.

Annus Philippi Regis Macedonum 13.

Philippus rex Macedonum, ut urbes ad Helleſpontum ſuæ ditionis faceret, aliam poſt aliam aggreditur, & tandem etiam Olynthios invadit, quæ urbs erat populoſiſſima & potens, & propè urbem caſtra munit. *Diod. l. 16.*

Demoſthenes Orator tres ſcribit orationes Olynthiacas, de auxiliis mittendis; item Midianam: quibus moti Athenienſes miſerunt Olynthiis auxilia, triremes triginta, & velites bis mille. Paulò poſt iterum Olynthiis mittunt triremes 17. & cives bis mille, & trecentos equites, Duce Charete. Sub idem tempus etiam in Thraciam Chalcidenſibus triremes mittunt Athenienſes octodecim, & ferentarios quatuor mille, equites 150. Duce Charidemo. *Dion. tom. 2.*

COSS. Romæ fœnebrem rem, quæ ſola diſtinere unanimes videbatur, levare aggreſſi, ſolutionem æris alieni in publicam curam vertunt, creatis quinque Viris, qui rem difficillimam tractatu, & plerumq; parti utrique ſemper certè alteri gravem, tum alia moderatione, tum impendio magis publico, quàm jactura prudentiſſimè ſuſtinuerunt. Liv.

Romam affertur, duodecim Hetruriæ populos conjuraſſe, de bello inferendo. Ideò Dictatorem *dicendum decernitur, qui à Coſſ. dicitur in caſtris* Q. Julius Julus *ſed cum foris omnia tranquilla eſſent, tentatum à Dictatore eſt; ne ambo Patricii Conſules crearentur, quod perficere non potuit.* Liv. lib. 7.

Archon apud Athenienſes *Theophilus.*

Olympias 108. acta die 1. Aug. fer. 1. Eſt annus Olympiadicus 429.

Stadium vicit *Polycles* Cyrenæus.

Hac Olympiade iterum decem Hellanodicæ conſtituuntur, qui mos permanſit usque ad Pauſaniæ ætatem. *Pauſ.*

Plato *Philoſophus moritur, ſuccedit ipſi* Seuſippus, *ex ſorore nepos, qui octo annis ſcholæ Platonicæ præfuit.* Dionyſius & Diogenes Laert.

Ariſtoteles *mortuo Platone confert ſe ad* Hermiam *tyrannum Atarnei, apud quem permanſit annis tribus.*

Philippus tandem cum Olynthiis bis proſperè pugnat, eosque obſidet, proditione capit, diripit, & cives ſub haſta vendit; qua re magnum aliis terrorem injicit. Multa inſuper munera omnibus, quæ ſibi uſui futuri videbantur, diſtribuit, quo factum, ut ad proditiones quàm plurimos haberet promptiſſimos. *Diod. l. 16.*

Romæ circa diem 12. Octob. Magiſtratum ineunt, cum interreges à populo æris alieni diſſolutione placato obtinuiſſent, ex Patriciis.

Coſſ. C. Sulpitius Peticus V.
T. Quintius Cincinnatus.

Ad bellum ambo profecti, cum agris magis, quàm cum hominibus, urendo populandoque geſſerunt bellũ, cujus vi, pertinacia utrinsq; populi, & Faliſcorum & Tarquinienſium victa eſt: Ideò pacem petierunt à Conſulibus & à populo Romano, obtinueruntque inducias in quadraginta annos. Liv. l. 7.

ANNO MUNDI 3603. ante C. N. 345.
B. ☉ 27. ☽ 16.

Bœoti & Phocenſes vario marte inter ſe bellum gerunt, vincunt vincunturque invicem, agrosque invicem vaſtant. *Diod. l. 16.*

Romæ quia ſolutio æris alieni multarum rerum mutaverat dominos, cenſum agi placuit: inter cenſuræ Candidatos etiam eſt, C. Martius Rutilius *de plebe, ſed tamen Dictatorius & Conſularis, cujus rationem cum Conſules ambo patricii habere nollent, conſtantia ſua obtinuit ut cum Cn. Manlio primus de plebe Cenſor crearetur.* Liv. lib. 7.

Archon apud Athenienſes *Themiſtocles.*

Demoſthenes ſextam orationem habet Philippicam, de tuendis Inſulis & urbibus Helleſponti. *Dion.*

Paulò poſt Athenienſes territi Olynthiorum caſu, cum Philippo pactiones & inducias inſtituunt quæ duraverunt ſeptem annos uſque ad Archontem Nicomachum, & Archonte Theophraſto diremptæ ſunt, cum Philippus prior bellum facere videretur. *Dionyſ.*

Inter Phocenſes diſcordia exoritur, & *Phalæcus* ab imperio deponitur, ſubſtituuntur tres alii, qui de peculatu inquirant; deprehenditur ultra decem millia talentorum ex templo Delphico ablata. Sed hujus ſacrilegii participes erant etiam Lacedæmonii & Athenienſes, qui auxiliis ſuis duplicia ſtipendia à Phocenſibus flagitabant. *Diod. l. 16.*

Thebani diuturnis belli ſacri calamitatibus conflictati, auxilia à Philippo rege expoſcunt, quod ipſi gratiſſimum accidit, cum videret ſuperbos Thebanorum ſpiritus Leuctrica pugna acquiſitos, tandem frangi: Mittit igitur auxilia, ſed parva, tantummodo ne ſacrilegium neglexiſſe videatur. *Ibid.*

Romæ Dictator *dicitur* M. Fabius *Ambuſtus, comitiorum cauſa, qui caveret, ne ex plebe Conſul aliquis crearetur, ſed id præſtare non potuit. Creati ſunt:*

Coſſ. M. Popilius Lænas III.
L. Cornelius Scipio.

qui magiſtratum ineunt circa diem 17. *Octob. Juliani.*

ANNO MUNDI 3604. ante C. N. 344.
A. ☉ 28. ☽ 17.

Phocenſes caſtellum extruunt, ad oppidum *Abas* Bœotii inſidiantur hiſce, & eos ſubitò aggrediuntur, Phocenſes imparati fugiunt plerique in ſacellum Apollinis, quod proximè aderat, ſed cum fortè plurimum ſtraminis ibi eſſet, incuria Phocenſium ignis relictus, & vicinas ædes, & ſacellum cum iis, qui eò confugerant, cremat. *Diod. l. 16.*

Romam affertur, Gallos in agro Latinorum caſtra locaſſe: Cum igitur alter Conſul Scipio *gravi morbo implicitus eſſet, Popilio bellum hoc extra ordinem datur, qui irruentes in caſtra ſua Gallos reprimit, fundit & fugat. Conſul quidem ad humerum vulneratur, attamen inſignem victoriam reportat, & prædam caſtrorum militi donat, ſanatoque vulnere, cum jam novi Conſules creati eſſent, triumphat.* Liv. l. 6.

Archon apud Athenienſes *Archias vel* Archidas.

Pythiade LXI. Pancratium inter pueros admiſſum, *Pauſ.*

Demoſthenes orationem habet ad Athenienſes, ne Philippum, cum quo pacem fecerant, amplius offendant. *Dion.*

Phoce-

Phocenſes & Thebani ambo feſſi bello, auxilia aliorum implorant: Phocenſes Lacedæmonios accerſunt, à quibus mittitur Archidamus rex cum mille militibus. Thebani verò Philippum regem advocant, qui venit adjunctis Theſſalis cum validiſſimo exercitu. Phalæcus Dux Phocenſium iterum ad gubernacula revocatus, cùm videret ſe imparem Philippo futurum, agit cum eo de pace, ut liceat ſibi cum ſuis abire quo velit, & ita cum octo millibus militum abit in Peloponneſum. Phocenſes derelicti, in agros everſis urbibus diſtribuuntur, ut vectigales ſint Apollini, & quotannis ſexaginta talenta ſolvant, donec ablatorum ſumma reſtituatur: Suffragia ſua item amittant, & Philippus illorum loco bina ſuffragia inter Amphyctiones habeat, & *Pythiorum* ludos exhibeat. *Diod. lib.* 16.

Priamus *Francorum Dux, cùm annis* 26. *regnaſſet, moritur; ſuccedit* Helenus, *qui ſtatim primo anno, magno prælio Gallos vincit, & ſedecim millia illorum occidit.* Trithem. in Comp.

Annus ſabbathicus 4. *Jobelei* 23. *incipit die* 23. *Sept. fer.* 7. *Eſt ſeptimana duodecima ſeptuaginta hebdomadum anno Jud.* 3416.

Syracuſani variis tumultibus conflictantur, nec ſibi ipſi ſalutem afferre poſſunt; quapropter legatos Corinthum mittunt, qui ſibi auxilium & Ducem depoſcant. Corinthi nondum tum deciſa erat controverſia Timoleontis, qui fratrem tyrannum interfecerat: Igitur ille ipſe Dux in Siciliam creatur, ut eventus oſtenderet de facto Timaleontis. *Diod. l.*16.

Romæ dum ambo Coſſ. lecto detinentur, alter ex morbo, alter ex vulnere, Dictator creatur comitiorum cauſa L. Furius *Camillus, qui Conſules creat ambos Patricios,*

Se nimirum

& Ap. Claudium Craſſinum, *qui Magiſtratum ineunt, circa diem* 22. *Octobris.*

ANNO MUNDI 3605. ante. C. N. 343.
GF. ☉ 1. ☽ 18.

Phalæcus Phocenſium Dux, cùm non amplius haberet, unde militem aleret, onerarias naves Corinthi & alias conducit, quibus in Italiam transfretat, ubi ſperat ſe urbem illic locorum aliquam occupaturum, aut ſi bellum ibi eſſet, ut ſtipendio conduceretur. Eam itaq; oram Italiæ petit, quæ ad Tyberis oſtia vergebat. *Diod. Sic. & Livius*

Latini *populi de auxiliis à Romanis appellati, protervè reſpondent: Deſinerent imperare, quorum auxiliis indigerent, ſe pro libertate potius ſua, quàm pro alieno imperio bella geſturos. Romani ne irritarent amplius Latinos, ſuo milite bella geſſerunt.* Liv.

Romæ cum certum eſſet, oſtia Tyberis à Græcorum claſſe vaſtari, & Gallicum tumultum inſuper imminere, alterq; Conſul Appius moreretur: Camillus *prætorem cum parte exercitus contra Græcos mittit, ipſe ſibi Gallos hoſtes ſumit; ibi dum ſtativis tempus teritur,* M. Valerius Poplicola *ex provocatione cum Gallo pugnat, & auxilio Corvi advolantis, & Gallum turbantis vincit, inde animatus exercitus Gallos invadit, & ſternit vincitque. Inde Conſul contra Græcos abit, qui tandem diſcedunt, cùm arcerentur littoribus, & aliis rebus ex terra deſtituerentur. Livius putat hoſce Græcos Siciliæ tyrannos fuiſſe, ſed fallitur: Dionyſius enim junior, & Syracuſani ſuarum rerum ſatagebant. Relinquitur ergo Phalæcum cum ſuis hanc Italiæ oram invaſiſſe, & pulſum in Peloponneſum reverſum, indeque in Cretam tranſiiſſe.*

Archon apud Athenienſes *Eubulus.*

Ariſtoteles relicto Hermiâ tyranno, Mitylenen concedit, ubi conſumpſit biennium. *Diog. Laert. & Dionyſ.*

Dionyſius junior Syracuſas recuperarat, & regno jam fruebatur; at oppugnabatur ab Icetâ Syracuſano, qui apud Leontinos ſedem belli habebat. Cùm igitur ab oppugnatione Syracuſanorum recederet, Dionyſius eum in fugam propellere conatus, ab Icetâ vincitur, tribus millibus militum amiſſis, & Icetas fugientibus inſiſtens, unà Syracuſas irrumpit, & urbe potitur, præter arcem. *Diod. Sic. l.*16.

Timoleon cum ſeptingentis militibus, & quatuor navibus Corintho ſolvit, & cùm in itinere plures naves & milites conquiſiviſſet, eum decem navium claſſe Metapontum in Italiam pervenit. Eo tempore Carthaginenſes in Siciliam magno exercitu profecti, quaſdam urbes ceperant, horum auxilio uſus fuerat Icetas, in occupandis Syracuſis. Cæterùm Timoleon aſtu deceptis Carthaginenſibus triduo poſt recuperatas Syracuſas, Tauromenium in Siciliam venit, & Icetam Adranum obſidentem obruit, cædit, caſtra capit, & eâdem feſtinatione etiam Syracuſas pervenit, & urbem occupat. *Diod. Sic.*

Romæ dum Conſul abeſt, & cum Græcis rem gerit, dictator Comitiorum cauſa dicitur, T. Manlius Torquatus, *qui comitiis habitis æmulum decoris ſui abſentem,* M. Valerium Corvum *adoleſcentem annos tres & viginti natum Conſulem creat. Fuit hic non ex Poplicolarum familia, ut Livius arbitratur, ſed ex Maximorum familiâ, ut Faſti Capitolini oſtendunt & alii; additur ei Collega* M. Popilius Lænas IV. *qui magiſtratum ineunt circa diem* 27. *Octobris.*

Annus Nabonaſſaris 404. *incipit die* 17. *Novembris feria* 1.

Peſtilentia Romam adorta fecit, ut Decemviri libros Sybillinos inſpicerent, & Lectiſternium *fieret: Seculares etiam ludi hiſce Coſſ. acti.* Cenſor.

ANNO MUNDI 3606. ante C. N. 342.
E. ☉. 2. ☽ 19.

Annus ab urbe condita numeratus 409.
Annus regni Philippi Macedonis. 17.

Satricum *urbs à Latinis diruta; ab Antiatibus Volſcis inſtauratur, & Colonia eò deducitur.* Liv. l. 7.

Cùm Carthaginenſium legatis etiam Romæ fœdus ictum, cùm ſocietatem & amicitiam petentes veniſſent.

Archon apud Athenienſes *Luciſcus.*

Olympias CIX. acta die 17. *Auguſti. fer.* 1. *Eſt annus Olympiad.* 433.

Stadium vicit *Ariſtolochus* Athenienſis.

Demoſthenes Orator ſeptimam orationem habet Philippicam ad legationes Peloponnenſes. *Dionyſ. tom.* 2.

Idrieus Princeps Cariæ, cùm ſeptem annis regnaſſet, moritur; ſuccedit ſoror & conjux *Ada*, per annos quatuor. *Diod.*

Timoleon cùm Syracuſas obtineret, à multis undi-

undique oppugnatur. Dionyſius enim Inſulam & arcem obtinebat, *Icetes* Acradinam & novam civitatem, Carthaginenſes Claſſe centum & quinquaginta navium portum obtinebant, & quinquaginta millibus hominum urbem obſidebant. Erat igitur in magnis anguſtiis, obtinebat tamen favorem civium, & multorum aliorum: qua propter & Catanæorum tyrannus cum ſuis copiis ipſi auxilio advenit, & decem naves Corinthiorum ſimul adveniunt; quare territi Carthaginenſes, ne commeatu intercluderentur, portu excedunt, atque ita Acradinam etiam Timoleon occupat. *Diod. l.* 16.

Philippus rex Macedoniæ Illyriis infenſus, bellum ipſis facit multas eorum urbes occupat, & ex præda atque ſectione urbium magnas divitias cogit. Inde in Theſſaliam movet, tyrannos ubique expellit, & Theſſalorum libertatem firmam facit; unde favorem omnium Græcorum eſt conſecutus. *Ibid.*

Romæ circa diem 1. *menſis Novemb. ineunt Magiſtratum:*

Coſſ. C. Plautius Venox,
T. Manlius Torquatus.

Per Dictatorem C. Claudium *hoſce Coſſ. creatos eſſe, Capitolina tabula oſtendunt; ſed Livius ejus rei non meminit.*

Otium domi foriſque fuit, & domi ex unciario fœnore ſemiunciarium factum, ut de viginti quatuor aureis unus annuo ſpatio ſolveretur, & ſolutio æris alieni in quatuor partes diſpenſata eſt, impenſaque publicâ adjuta, & tributo delectuque ſuperſeſſum, magno emolumento plebis. Liv.

ANNO MUNDI 3607. ante C. N. 341.
D. ☉ 3. ☽ 1.

Timoleon Dionyſio in anguſtias & ſummam trepidationem adacto perſuadet, ut abdicato principatu in Peloponneſum ſub fide publicâ cum ſuis facultatibus abeat. Perdidit hoc modo ignavia ſua principatum, adamante, ut ferebatur, revinctum, & qui quadraginta triremes olim habuerat, in nave oneraria, eaque non magna Corinthum abit; ubi in ſummâ inopiâ reliquum vitæ exegit. *Diod.*

Archon apud Athenienſes *Pythodorus.*

Demoſthenes octavam Philippicam habet ad Philippi regis legatos, & componit orationem de falſâ legatione, contra Æſchinem. *Dionyſ.*

Ariſtoteles à Philippo rege evocatur ad erudiendum filium Alexandrum; in ejus inſtitutione conſumit annos octo. *Dionyſ.*

Timoleon pulſo Dionyſio Palatia ejus evertit, præſidia ex urbibus dimittit, & eis libertatem reſtituit; inde ad leges ſcribendas converſus eas ſancivit, quæ populari ſtatu convenirent. Annuum præterea magiſtratum ordinat, quem Amphipolum Jovis appellabant, à quo anni numerabantur: iſque apud Syracuſanos ab hoc tempore usque ad Romanam Rempubl. mutatam, ultra annos trecentos permanſit. *Diod. l.* 16.

Philippus, ut Thracum inſolentiam & prædandi libidinem compeſceret, bellum ipſis infert, eoque redigit, ut decimas regno Macedonico perſolverent: Propugnacula etiam & oppida, ubi oportunum viſum eſt, condidit, ne excurſionibus amplius Græcis eſſent moleſti. *Diod. Ibid.*

Theopompus Chius, qui hiſtoriam Dionyſii majoris & minoris per annos quinquaginta, usque ad pulſum Dionyſium conſcripſit, idque tribus libris, qui à quadrageſimo incipiunt usque ad quadrageſimum tertium, hîc eam hiſtoriam concludit. *Ibid.*

Romæ circa diem 3. *Novemb. Julianum Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Valerius Maximus Corvus II.
C. Poetilius Libo.

ANNO MUNDI 3608. ante C. N. 340.
C. ☉ 4. ☽ 2.

Ludi Seculares *his Coſſ. acti, ut ex commentariis Quindecim virorum affirmat Cenſorinus* cap. 17.

Cùm ex Latio nunciatum eſſet, Antiates Volſcos concire Romanis bellum, Valerius *ad Satricum, quod ante triennium à Volſcis reſtitutum erat exercitum ducit, ubi inventos Volſcos acie vincit, caſtris exuit, Satricum urbe includit, expugnat, & ad quatuor millia ſub haſtâ vendit, oppidum diruit, & incendit, & triumphat Calendis Febr. quæ inciderunt ad Calendarium Julianum ferè in initium menſis Junii.*

Archon apud Athenienſes *Soſigenes.*

Demoſthenes nonam Philippicam habet de Cherſoneſitanis militibus, ne copiæ dimittantur. Eodem hoc Archonte etiam habet decimam Philippicam, quâ docet, Philippum turbare pacem, & bello Athenienſes laceſſere. *Dionyſ.*

Arymbas Moloſſorum rex, poſt decimum ſui regni annum vitâ decedit, filio relicto Æacidâ, patre Pyrrhi. Philippus rex, pulſo Æacidâ, uxoris ſuæ fratrem Alexandrum adoleſcentem viginti annorum, quem prius impudicum fecerat, regem & ſucceſſorem creat. *Diod. l.* 16.

Timoleon in Sicilia Leontinos fruſtra obſidet, quòd Icetas ſeſe fortiſſimè defenderet. Igitur relicta obſidione Leptinem tyrannum pellit, & civitatibus ejus libertatem reſtituit. Civitates igitur Siciliæ lubentiſſimè ad eum deficiunt, & ſociale fœdus inſtituunt. Timoleon præterea, cùm pecunia & ſtipendio diſtitueretur, mille milites prædatum mittit in Carthaginenſium fines, & præda ſub haſtâ venditâ magnam vim pecuniæ cogit. Sed hac re irritavit Carthaginenſes, qui magnum exercitum & claſſem hac hyeme comparant, quibus Timoleonti bellum inferant. *Ibid.*

Romæ circa diem 5. *Novemb. Juliani Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Fabius Dorſo.
Ser. Sulpitius Camerinus.

Ambo Patritii hi Coſſ. fuerunt.

Arunci *populantur agros Romanos, Romani contrà, ne fortaſſe id conſilium non unius, ſed omnium nominis Latini eſſet, Dictatorem, velut adverſus armatum jam Latium dicunt* L. Furium Camillum, *qui ſummâ intentione exercitum conſcribit.* Liv. l. 7.

ANNO MUNDI 3609. ante C. N. 339.
BA. ☉ 5. ☽ 3.

Epicurus Philoſophus naſcitur Archonte Soſigene, die ſeptimo Gamelionis, qui ad Calendarium Julianum incidit in diem 24. Januarii, feriam ſextam. *Diog. Laert.*

Dictator *Romæ contra Auruncos ducit, ubi eos ſolos offendit, prædonumq; potius, quam hoſtium exercitum invenit. Ideo ſtatim prælio decertatum, in quo prælio Ædem Junonis monetæ vovit, & damnatus voti à Senatu impetrat, ut Duumviri ejus faciendæ in Capitolio, ubi area ædium M. Manlii erat, crearentur.* Liv. lib. 7.

Archon apud Athenienſes *Nicomachus.*

Demoſthenes undecimam habet Philippicam, de pace per Philippum turbata. *Dionyſ. tom. 2.*

Pixodorus frater minimus nati ejicit *Adam* ſororem ex principatu Cariæ, cui jam quatuor annis præfuerat, ſucceditque ipſe per annos quinque, donec *Alexander Magnus* in Aſiam tranſiret. *Diod. l. 16.*

Phocion Athenienſis *Clitarchum* Eretriæ tyrannum bello vincit. *Diodor.*

Philippus rex *Perinthum* urbem in Helleſponto, quæ Athenienſium ſocia erat, obſidione cingit, & plurimis machinis diuturnoque opere oppugnat, nec minus tamen ipſi repugnant, & omnes ejus conatus longo tempore eludunt. *Diod.*

Ephorus hiſtoricus, qui res Græcorum & Barbarorum ab Heraclidarum reditu, per annos ſeptingentos & ſeptuaginta, libris triginta deſcripſit, deſinit in obſidione Perinthi, ſed Diyllus Athenienſis eaſdem hiſtorias continuat usque ad obitum Philippi.

Romæ circa diem 7. Novemb. Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. *C. Martius* Rutilus III.
T. *Manlius* Torquatus II.

Annus Nabonaſſaris 408. *incipit die 16. Novembris feria 1.*

ANNO MUNDI 3610. ante C. N. 338.
G. ☉ 6. ☽ 4.

Annus à condita urbe numeratus 413.

Annus regni Philippi Macedonis. 21.

Philippus ſtrenuè obſidionem Perinthi urget, nec minus ſeſe illi defendunt; Byzantii ſociæ urbi auxilio mittunt munitiones ſuas, Catapultas & alia. Perſarum etiam rex jubet, ut Satrapæ Perintho urbi auxilium ferant. Quapropter etiamſi Philippus muros urbis proſtraviſſet, irrumpere tamen non poterat, & propter ædium urbis ſitum & firmitatem, & propter propugnatorum multitudinem. Philippus ergo, cùm ſenſiſſet Byzantios ſuas munitiones Perinthiis miſiſſe, diviſo exercitu etiam Byzantios obſidione cingit. *Diod. l. 16.*

Timoleon in Siciliâ, cùm audiviſſet Carthaginenſes magno exercitu advenire, bellum cum Icetâ componit, ipſius exercitu ſuas copias auget, & contra Carthaginenſes in ipſorum fines proficiſcitur. Carthaginenſium erant 70. millia peditum, equitum decem, cum magna claſſe, ipſe habebat vix 22. millia peditum, inter quos tamen ſeditio oritur, poſcentium ſtipendium, priusquam ad hoſtes ducerentur, & ita mille milites Duce Thraſio ab exercitu diſcedunt. Timoleon cum reliquis, Carthaginenſes jam flumen tranſeuntes, aggreditur, eosque cum ſimul nimbus ingruiſſet, quo hoſtium ora feriebantur, vincit, caſtris expellit, & internecione ferè cædit. Prælium factum die 27. Thargelionis, cùm jam ſolſtitium appeteret, ad Calendarium Julianum die 2. Julii feria 2. *Plutarchus in Camillo & Timol.* Carthaginenſes magnoperè hac clade territi, novas copias ex Hiſpaniâ & Gallia colligunt; nihilominus tamen legationem ſplendidam in Siciliam mittunt, cum plenis mandatis de pace, quibus poſſent conditionibus, facienda. *Diod. l. 16.*

Archon apud Athenienſes *Theophraſtus.*

Cenſu Athenis facto à Demetrio Phalereo, inventi ſunt civium Athenienſium viginti millia: Servorum verò quatercentena millia. *Scal. in Collect.*

Olympias CX. acta die 3. Auguſti. fer. 6. Eſt annus Olympiad. 437.

Stadium vicit *Anticles* Athenienſis.

Ædes Monetæ anno ſpatio poſtquā vota erat, dedicatur. Prodigium extemplo dedicationem ſecutum, ſimile vetuſto montis Albani prodigio. Namq; & lapidibus pluit, & nox interdiu viſa intendi. Cumq; civitas plena religionum eſſet, Dictator feriarum Latinarum cauſa conſtituitur:

P. Valerius Poplicola.

Ceterùm verbis hiſce Livii: Nox viſa eſt intendi, eclipſin ſolarem, quæ vel incipiente die vel deſinente facta ſit; atq; ita noctis partem tenebrarum addiderit, ſignificari, nemo ambigit.

Hæc Eclipſis ad haſce tabulas invenitur accidiſſe die 15. Sept. fer. 7. horis poſt mediam noctem 6. & 36. minutis. Parallax ad hoc tempus eſt 15, 40. Latitudo verò Lunæ vera 22, 24. Viſa 6. 44. Semidiam. Solis 15, 32. ſcrup. reſidua 23, 14. digiti eclipticı novem. quanquam aliquanto major eſt, ſi ad elevationem poli 42. computaretur. Ad tabulas Prutenicas hæc Eclipſis prior eſt ferè integrâ horâ, ſicq; in ipſo exortu Solis: unde manifeſtum eſt, quòd hac ratione nox prolongata ſit, ad horam ferè. Duravit enim duas horas, atq; ita hic character cœleſtis, certiſſimus index eſt Conſulum rectè ad annos mundi applicatorum.

Herbartus *ab Hohenburg Eclipſin hanc alibi quæſivit; videlicet ſexennio elapſo, ubi invenit eclipſin Solis, cùm Sol eſſet in 17. Cancri. Romæ horis poſt meridiem 6. minutis 15. digitorum 10, 10: quæ cœperit horâ quintâ, & deſierit horâ 7, 15. ut ipſe ſcribit. At verò Romæ eo die Sol occidebat, hora 7. & 30. minutis, Ergo Sol recuperaſſet lumen antequam occideret, & nihil noctis addidiſſet. Et etiamſi fortaſſis tardior eclipſis fuiſſet, & noctis continua; tamen hoc modo Livius potiùs dixiſſet, diem decurtatum quàm noctem prolongatam fuiſſe.*

Athenienſes à Philippo pacem violatam arbitrati, mittunt Byzantinis claſſem & exercitum auxilio; idem faciunt etiam Chii, Coi, Rhodiique. Eo Græcorum concurſu Philippus territus, utramque obſidionem ſolvit. *Diod. l. 16.*

Demoſthenes paulò antè habitâ oratione Athenienſibus ſuaſerat, ut ſtrenuè bello incumberent. *Dionyſ.*

Romæ circa diem 9. Novembris Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Valerius Corvus III.
A. Cornelius Coſſus,

ambo patritii fuerunt.

ANNO MUNDI 3611. ante C. N. 337.
F. ☉ 7. ☽ 5.

Samnites, *quia bello plus poterant, Sidicinis bellum in-*

inferunt. Sidicini impares bello, vicinos Campanos in auxilium evocant. Ambo à Samnitibus aperto prælio vincuntur, ideò Samnites omnem belli vim, ubi plus prædæ futurum erat, in Campanos vertunt. Campani & ipſi à Samnitibus cæſi, legatos cum plenis mandatis ad Romanos de auxilio mittunt. Liv. l. 7.

Archon apud Athenienſes *Lyſimachus.*

Speuſippus Philoſophus, cùm octo annos ſcholæ præfuiſſet, moritur, cui ſuccedit. *Xenocrates* annis 25. qui tandem venditus fuit ab Athenienſibus, ſed redemptus à Demetrio Phalereo. *Diog. Laert.*

Annus ſabbathicus quintus Jobelei 23. *incipit die* 5. *Septemb. fer.* 5. *Eſt ſeptimana decima tertia ſeptuaginta hebdomadum anno Jud.* 3423.

Philippus amplificat ditiones ſuas, urbes Elateam & Cytinium occupat, Legatos præterea mittit Thebas, & ad alios, ad ſocietatem ſecum jungendam. Athenienſes verò ſibi à Philippo metuentes, eodem legatos mittunt, & Thebanis perſuadent, ut ſecum potiùs amicitiam firment. *Dionyſ. tom.* 2.

Legati Campanorum, cùm ad Romanos veniſſent, auxilia ſibi petunt, & cum hæc ſibi negarentur contra fœderatos Samnites, urbem Capuam, ſeque ſuaque omnia Romanis dedunt, petuntque ut jam dedititios ſuos defendere velint. Samnites putant hoc in ſui præjudicium factum, ideò ferocius Campanos laceſſunt. Romani igitur, ne proderentur, dedititii, Samnitibus bellum inferunt, & Valerius primus cum ipſis prælio concurrit difficillimo, ſed pertinacia militum tandem vincit. Interim alter Conſul in ſaltu in inſidias cum exercitu prolapſus, virtute P. Decii Muris *evadit, & ejuſdem conſilio incautos hoſtes poſtero die invadit, & caſtris exuit. Valerius poſteà altero prælio iterum Samnites ad Sueſſulam, inſigni ſtrategemate, expugnatis caſtris vincit, ingens præda capta cum ſignis militaribus* 170. *& quadraginta millibus ſcutorum, nequaquam tot cæſis. Triumphant Coſſ. ut tabula Capitolina haben. die* 22. *&* 24. *Septemb. quod ſi verum eſt, Conſules hi magiſtratum non inierunt Calendis Quintilibus, ut Scriptores Romani habent: in alterutro erratum eſſe neceſſe eſt.*

Carthaginenſes, auditâ victoriâ Romanorum de Samnitibus, Romanis gratulantur, coronamque auream viginti quinque pondo victoriæ ergò offerunt. Liv. l. 7.

Faliſci, *cùm in induciis eſſent, tanta Romanorum victoria territi, pacem petunt & obtinent.* Ibid.

Campani præſidium petunt contra Samnites agrum incurſantes, quod hac hyeme de adimenda Campanis Capuâ conſultat. Ibid.

Timoleon ſeditioſos milites exautorat, qui in Italiam transgreſſi in univerſum à Brutiis trucidantur: Piratas compeſcit, cum Carthaginenſibus ita pacem facit, ne ipſis jus eſſet in Græcas civitates, ne Tyrannos auxiliis juvarent, & ne Lycum amnem transgrederentur: inde omnes Tyrannos pellit, & Syracuſas quadraginta millibus Colonorum ex Græciâ auget, Agyrinenſes decem millibus, omneſque urbes legibus firmat: Inde factum cum tota Sicilia excoleretur, ut incolæ divitiis in immenſum creſcerent, & magnificas ædes, tàm ſacras quàm profanas, extruerent. *Diod. l.* 16.

Romæ circa diem 11. *Septemb. Juliani, magiſtratum ineunt:*

C. Martius Rutilus IV.

Q. Servilius Ahala.

Ochum regem Perſarum, Bagoas Eunuchus & militum Præfectus, per medicum interficit, ejuſque etiam liberos, præterquam *Arſen* adoleſcentulum, quem regem facit, ut ſibi eò magis eſſet obnoxius. Regnaverat Ochus annos 22. Arſes verò obtinuit regnum annis tantùm tribus. *Diod. l.* 17.

ANNO MUNDI 3612. ante C. N. 336.
E. ☉ 8. ☽ 6.

Conſul Rutilus, cùm in Campaniam veniſſet, prava que conſilia militum, qui in hybernis fuerant, ex tribunis didiciſſet, arte obviam eundem ſeditioni cenſet, & autores ejus alia atque alia conficta cauſa Romam ablegat, ubi ne ad exercitum redeant, aliis atque aliis de cauſis à Conſule detinentur, Milites tamen, cùm cernerēt ex hiſce dimiſſionibus, ſua conſilia emanâſſe, & metuerent jam ſupplicia, magno numero Romam verſus proficiſcuntur, Duce T. Quintio, quem coactum huic muneri præfecerant. Contra hoſce ab altero Coſſ. Dictator dicitur M. Valerius Corvus, *qui ſeditioſis perſuadet ut pacem, quàm bellum malint, ut arma deponant, & in militiam redeant; iiſdem plebiſcito cautum, ne fraudi eſſet hæc ſeceſſio.* Liv. l. 7.

Fama ſeditionis hujus fecit, ut Privernates à Romanis deſciſcerent, & Norbam, Setiamque Colonias Romanorum incurſione ſubitâ depopularentur. Ibidem.

Phocenſes ſocietatem ineunt cum Athenienſibus & Thebanis, pro libertate Græciæ contra Philippum, & autoritate Thebanorum & Athenienſium, relictis vicis ſuis, in quos diſperſi erant proximo bello, urbes inſtaurant, & Rempubl. inſtituunt. *Pauſan.*

Archon apud Athenienſes *Charondas.*

Demoſthenes ſcribit orationem ſuam de Coronâ, hoc Archonte, paulò ante Chæronæam cladem; decennio autem poſt, res dijudicata eſt Archonte Ariſtophonte, & Demoſthenes abſolutus. *Diog.*

Philippus cum potentiâ ſuâ & muneribus effeciſſet, ut ab omnibus coleretur, ſoli Athenienſes reſtabant, qui ipſius imperium non agnoſcebant, quos armis contundendos ratus, ruptâ pace, ſubito Elateam Athenienſium urbem occupat: quâ re Athenienſes, ut altiſſimâ pace fruentes, magnoperè territi, Thebanorum auxilium invocant, exercitumq; Philippo obviam mittunt, Ducibus *Charete & Philocle*, nequaquam cum Philippo tot bellorum victore conferendis, & ad Chæroneam cum Philippo, nequaquam tanto exercitu inſtructo, prælium committunt; ubi ab Alexandro filio Philippi, cui pater alterum cornu commiſerat, primū profligantur inde ex omnibus partibus. Accidit clades die 7. Metagitnionis menſis, ad Calendarium Julianum, Calendis Septemb. fer. 2. Athenienſium ceciderunt mille, capti duo millia, & tot ferè etiam Thebanorum: Atque ita hic dies univerſæ

verſæ Græciæ & gloriam dominationis, & vetuſtiſſimam libertatem finivit. Cùm Philippus ob tantã victoriam diem feſtum ageret, & corona ornatus captivis & victis, nimium inſultaret, *Demades* Athenienſis, Orator acutus, inter captivos alligatus, auſus eſt Philippum reprehendere, *O rex Philippe*, inquit, *cum Dii tibi per hanc Victoriam perſonam Agamemnonis tribuerint, non te pudet, quòd Therſiten agis?* quo dicto ita fuit mutatus Philippus, ut coronam abjiceret, & omnem lætitiæ ſpeciem amoveret, nec rideret, nec quisquam Philippum victorem eſſe ſentiret: Captivos inde Athenienſibus omnes gratis remiſit, legatos addidit, qui ipſis pacem & amicitiam offerrent. *Diod. Sic. l.* 16.

Plateenſes poſt victoriam ad Chæroneam in patriam à Philippo reſtituuntur, cùm annis ferè nonaginta exulaſſent, bisque ſedibus ſuis ejecti eſſent. *Pauſan. in Boetic.*

Iſocrates annos natus 98. conturbatus hac Athenienſium clade, ne videret Athenas iterum capi, quatridui inedia vitam finivit. *Diog. Laert.*

Archidamus rex Spartæ, qui perfecto bello Cretenſi in Italiam Tarentinis auxilio profectus fuerat, in prælio cum Lucanis eodem die, quo clades ad Chæroneam accidit, occiditur. Regnaverat annis 23. ſuccedit ipſi filius *Agis* annis novem. *Diod. l.* 16.

Timotheus Heracleæ Ponticæ tyrannus, cùm præfuiſſet annis 15. moritur, ſuccedit frater Dionyſius, qui regnat annis 30. *Ibid.*

Romæ circa diem 13. *Novemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Plautius Venno II.
L. Æmilius Mamercinus,

ANNO MUNDI 3613. ante C. N. 335.
DC. ☉ 9. ☽ 7.

Setini, Norbanique *conqueruntur de injuriis Privernatium; quapropter* Plautius *Conſul Privernum profectus, non magno certamine hoſtes vincit, oppidum etiam captum & Privernatibus redditum, ſed cum præſidio, agrique duæ partes ademptæ. Inde victor exercitus Satricum contra Volſcos profectus, ancipiti prælio pugnat, hoſtes tamen ſequenti die relictis caſtris & agris profecti, victoriam Romanis concedunt & prædæ ubique acta.* Liv. l. 8.

Æmilius *Conſul ad Samnites hoſtes profectus, agros eorum vaſtat, cui obviam veniunt legati, pacem & jus belli in Sidicinos petentes, utrumq; à Senatu impetratum eſt, cùm darent annuum ſtipendium militi, & trimum menſium frumentum.* Liv. l. 8.

Archon apud Athenienſes *Phrynichus.*

Lyſicles Athenienſium Dux, quod malè ad Chæroneam pugnaſſet, vehementiſſima oratione accuſatus, capite plectitur. *Diod.*

Samnites *belli vim omnem in Sidicinos convertunt, qui impares tandem Romanis ſe dedunt: ſed ibi non recepti, Latinos de auxiliis ſollicitant, ſeque eis dedunt, qui ſtatim miſſo exercitu Samnites vaſtant, hiſce ſeſe etiam adjunxerant Campani. Samnites apud Romanos de hac re conqueſti reſponſum impetrant, Campanos neceſſariò quieſcere debere, in Latinos ſe hujusmodi imperium non habere: quo reſponſo Latini ferociores effecti, de bello Romanis inferendo conſilia agitant.* Liv. l. 8.

Philippus conventum omnium Græcorum agit Corinthi, ubi conqueſtus de injuriis Perſarum toti Græciæ illatis, bello ipſos perſequendos cenſet, & ſeſe Ducem in hac re futurum offert. Cùm id omnibus Græcis probaretur, certus numerus militum omnibus urbibus aſſignatur, & ipſe Dux Græcorum contra Perſas proclamatur. *Diod. l.* 16.

Timoleon, cùm 8. annos in Sicilia à tyrannis expurganda conſumpſiſſet, & obſcuritate viſus aliâs laboraret, planè cæcus factus eſt, & hoc anno moritur. Cui Syracuſani ampliſſimas exequias ducunt, ſtatuuntq; ipſi ſacra anniverſaria, & ſolennes ludos quotannis agendos. *Diod. l.* 16.

Annus Nabonaſſaris 408. *incipit die* 6. *Novembr. fer.* 5.

Romæ circa diem 15. *Novemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. T. Manlius Torquatus III.
P. Decius Mus.

Romanus Senatus evocat principes Latinorũ, agitq; cum iis, ne Samnites ſibi fœderatos bello perſequi velint: Latini contrà ſuperbè Romanis reſpondent, imperium abnuunt, ſocietatem ex æquo poſtulant, & ut alter Conſul ex Latio creetur, dimidiaq; pars Senatus inde evocetur imperant; quæ res adeò malè habuit Senatum, ut legati ferè violati eſſent, niſi curâ magiſtratuum defenſi fuiſſent. Liv. l. [illegible]

ANNO MUMDI 3614. ante C. N. 334.
B ☉ 10. ☽ [illegible]

Annus ab urbe condita numeratus 417.

Annus Philippi Regis Macedonum 25.

Philippus hoc anno bellum Perſicum inchoat, & Duces *Attalum* & *Parmenionem* cum parte copiarum in Aſiam præmittit; ipſe interim oraculum Delphicum conſulit de eventu belli, reſponſumq; accipit ambiguum:

Serta gerit taurus, jamq; adſtat, qui immolet illum, quod interpretabatur Philippus de Perſis vincendis, cum de ipſius cæde diceretur. *Diod. l.* 16.

Bagoas Eunuchus & Præfectus militiæ in regno Perſico, cùm ſentiret ſibi periculum imminere ab *Arſe* rege, qui non obſcura indicia præbebat vindictæ, quod patrem & fratres ipſius occidiſſet, regem cum liberis è vitâ tollit, & *Darium* Codomannum in regnum collocat, à quo, cùm venenum & ipſi propinare vellet, cogitur, ut venenum ipſe bibat, & ſic perit. Et *Darius* conſtituto regno, cùm ſibi metueret à Philippo Macedone, de bello in Macedoniam proferendo conſilia init. *Diod. l.* 17.

Latini *populi, aſſumptis ſociis Campanis & Volſcis, Romanis bellũ inferunt, Romani ex ſuis civibus exercitum conſcribunt, ſumma cum curâ bellum adminiſtrant, & diſciplinam militarem ſeverè exercent, adeò, ut Conſul* Manlius *filium ſuum, quod extra ordinem, non conſultis Coſſ. pugnaſſet, ſecuri percuteret. Hinc* Manliana imperia *denominata ſunt. Congrediuntur tandem eâdem militari diſciplina inſtituti, & Romani & Latini, prælio acerrimo, ad radices*

Epaminondas Thebanis perſuadet, ut maris imperium capeſſant; quapropter fit decretum, ut centum triremes extruantur, & Rhodii, Chii, & Byzantii ad ſocietatem invitentur. Athenienſes hoc impedire conantur, ſed adeò potentia Thebanorum terrentur, ut claſſem ſuam abducerent, & urbes finitimas Thebanis concederent. *Diod. Sic. lib.* 15.

Theſſali, cum ſæpius ab Alexandro Phæreo victi eſſent, opem Thebanorum implorant, & Pelopidam Ducem auxiliariis præfici petunt: cum id obtinuiſſent, & jam exercitus ſcripti eſſent, fortè eclipſis fit Solis, qua territi Thebani, Pelopidæ tantum voluntarios milites & mercenarios concedunt. *Diod. Sic. lib.* 15. & *Plut. in Pelop.*

Hæc Eclipſis accidit in Bœotia, die 13. *Julii, fer.* 4. *hora una, & quindecim minutis ante meridiem. Parallaxis ad hoc tempus eſt* 13. 14. *Latitudo verò Lunæ vera* 33. 10. *Ergo viſa* 19. 56. *Semidiam. Solis* 15. 5. *Scrup. reſidua* 11. 11. *quæ dant digitos* 4. 27.

Pelopidas ubi venit in Theſſaliam, invenit Alexandrum eum magno exercitu, nihilominùs tamen cum eo pugnat, & vincit, ſed ipſe victor cadit, & à Theſſalis ſummo honore, cum id à Thebanis impetraſſent, ſepelitur. Alexander verò victus omnia, quæ occupaverat, reddere cogitur, & Pheræis ſuis contentus eſſe. *Diod.*

Archon apud Athenienſes *Timocrates.*

Demoſthenes anno ætatis 17. ſcribit populares orationes. *Dion.*

Priamus Francorum Dux, anno octavo regni *Neomagum* condit. *Trith. in compendio Chron.*

Olympias 104. *acta die* 29. *Julii, fer.* 6. *Eſt annus Olympiadicus* 413.

Stadium vicit *Phocides* Athenienſis.

Elei hanc Olympiadem non habent in ſuis Commentariis. Pro illis enim Olympiadis hujus celebrandæ autores fuerunt Piſæi & Arcades. De Curuli certamine palmam tulit Eubotas Cyrenæus. *Pauſanias.* Arcades enim cum Cromnum recepiſſent, & Olympiam valido præſidio muniviſſent, ipſi præeſſe ludis Olympicis ſtatuunt, in ipſis ludis Elei cum exercitu adveniunt, & cum Arcadibus pugnant, præſentibus ſpectatoribus Ludorum coronatis, & ferè vincunt, repelluntur tamen. Poſt ludos peractos tandem pax fit, & Arcades Olympia Eleis reſtituunt. *Xenoph. lib.* 7.

Romæ circa diem 24. *Julii Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Tribuni militares conſulari poteſtate:
A. Cornelius Coſſus II.
L. Veturius Craſſus II.
M. Cornelius Malugenenſis II.
P. Valerius Poplicola VI.
M. Geganius *Macerinus.*
P. *Manlius* Capitolinus II.

Velitræ adhuc obſidentur, ſed fama belli Gallici affertur, ob id Dictator quintum dicitur M. Furius Camillus. *Pugnatum cum Gallis in Albano agro, nec dubia nec difficili victoria, multa millia in acie cæſa, multa in caſtris, & Dictator triumphat.*

Tandē per ingentia certamina, cum res propè ad ſeceſſionē plebis terribileſq; alias minas civilium certaminū veniſſet, victus Senatus & Dictator, leges admittunt, conceſſumq; à nobilitate Plebi, de Conſule Plebeio, à Plebe nobilitati de Prætore uno, qui jus in urbe diceret. Ita ab diutina ira tandem in concordiam redactis ordinibus, Senatus cenſuit ludos maximos fieri, & diem unum ad triduum adjiciendum. Cùm verò id munus ædiles plebis recuſarent, Juvenes patritii ſuam operam offerunt, ſi Ædiles fierent, atque ita duo Ædiles etiam ex Patribus, cum comitia fierent, creati ſunt. Liv. lib. 6.

ANNO MUNDI 3587. ante C.N. 361.
A. ☉ 11. ☽ 19.

Cum Arcades Olympicos ludos præcedenti anno ederent, Mantinæi ex donariis templi publici multa in privatum uſum converterant, de qua re ne cogerentur rationes reddere, impediunt reliquos Arcades, ne pacem, quam cum Eleis inire volebant, ſervent: atque ita in duas partes Arcades dividuntur, quarum altera, ut Mantinæi, Lacedæmonios, Athenienſes in auxilium evocant, altera pars verò, Thebanorum auxilium implorat: utrobique magni exercitus ſcribuntur.

Archon apud Athenienſes *Chariclides.*

Romæ circa diem 29. *Julii, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Æmilius *Mamercinus.*
L. Sextius Sextinus Lateranus.

Hic primus ex plebe Conſul factus eſt.

Nihil memoria dignum hiſce Conſulibus actum.

Prætor primùs ex patritiis factus Sp. Furius, M. F. Camillus, *duo item Ædiles Curules* Cn. Quintius *Capitolinus*, & P. Cornelius *Scipio.* Liv.

Senatus, cum pro uno Conſule plebi conceſſo, tres ſibi magiſtratus Patritios creaſſet, Prætorem unum & duos Ædiles Curules, ne invidioſum hoc eſſet, de Ædilibus remiſit, ut etiam ex plebe fieri poſſent. Livius.

Plato circa tempora in Siciliam ad Dionyſium navigat, cum libros de Republ. ſcripſiſſet, petitum ut Colonia ducta hujuſmodi Reſpubl. inſtitueretur. *Diog. Laert.*

Cum Epaminondas in Græciam veniſſet, jam Ageſilaus Lacedæmoniorum rex Sparta moverat, populabaturque Tegeates: ideò arbitrabatur, Spartam præſidiis vacuam, & properat, ſed Ageſilaus præmonitus à Cretenſi quodam Spartam regreditur, ideò fruſtrà fuit Epaminondæ conatus: Celeriter igitur regreditur, ut Mantinæam occuparet, ſed Athenienſium præſidium jam eò venerat: quapropter de prælio faciendo conſilia init, habuit exercitum triginta millium, hoſtes ultra viginti millia. Prælio igitur congreſſus difficillimo, tandem vincit: ſed ipſe lethale vulnus accipit, & in caſtra relatus, cum certior eſſet factus de victoria & clipeo ſervato, juſſit extrahi ſpiculum & expiravit. Vulnus hoc ipſi intulit, ut Pauſanias habet, Grillus filius Xenophontis hiſtorici, qui tamen ſtatim trucidatus eſt. *Diodorus Siculus lib.* 15. & *Xenophon lib.* 7. Pugna commiſſa die 12. Scirrophorionis, qui nobis eſt dies 8. Julii.

Feſſi bello & tantis cladibus Græci tandem pacem faciunt, & ita Thebanorum imperium ſimul cum Epaminonda, quo cæperat, expiravit. Athenienſes verò in ſegnitiem prolapſi, & in torporem quaſi reſoluti, cum non haberent, quem æmularentur, reditus publicos non in claſſem exercitusque, ſed in apparatus ludorum contulerunt, & vectigal publicum, quo antea remiges & milites alebantur, cum civibus diviſerunt: qua occaſione factum,

ctum, ut Macedonum reges olim obſcuri & ſordidi inclareſcerent. *Juſtinus.*

Xenophon Athenienſis ſuam hiſtoriam cum Epaminondæ interitu concludit. *Ibid.*

Anaximenes hiſtoricus, qui res Græcorum ab ortu Deorum, uſque ad Mantinæam pugnam duodecim voluminibus complexus eſt, deſinit. *Diodor. Siculus.*

Philiſtus, qui Dionyſii hiſtoriam ſcripſit deſinit. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3588. ante C. N. 360.
G. ☉. 12. ☽ 1.

Aſiatici maris accolæ, & Satraparum nonnulli à Perſis deficiunt, & Artaxerxi bellum inferunt. Sic & Tachos Ægypti rex, decreto in Perſas bello exercitum contrahit, & Lacedæmonios de auxiliis ſolicitat. *Diod. lib.* 15.

Archon apud Athenienſes *Molon*:

Artaxerxes rex in anguſtias redactus defectione tot ſubditorum, cum exercitu non magnopere inſtructus eſſet, Duces rebellium munerib. aggreditur, & tandem corrumpit, quoſdam etiam per alios trucidat, atque ita iterùm eos ſibi ſubjicit. *Ibidem.*

Tachos Ægypti rex, dum ipſe bellum ſuis conſiliis gerit, & copias in Syriam transfert, à præfecto regni Ægyptiaci regno exuitur, & Nectanebus ejus filius rex conſtituitur. Tachos in tanto diſcrimine conſtitutus, mavult ſe irato regi Artaxerxi, quàm filio committere, & impetrat ab Artaxerxe non ſolum veniam præteritorum, ſed etiam auxilia ad recuperandum regnum. *Diod. lib.* 15.

Romæ circa diem tertium Auguſti Juliani, *Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Genotius Aventinenſis.
Q. Servilius Ahala.

Peſtilentia laboratū eſt Romæ, mortuus Cenſor, Ædilis Curulis, tres Tribuni plebis & M. Furius Camillus *vir princeps in omni fortuna & pace & bello, clarior tamen exilio vel civitatis deſiderio, quæ capta abſentis imploravit opem: vel felicitate, qua in patriā reſtitutus ſecum ipſam patriam reſtituit, & omnium poſt bellorum victor fuit: ideò dignus fuit, qui ſecundus à Romulo conditor urbis appellaretur.* Livius.

Tachos in Ægyptum ad Ageſilaum reverſus, cum filius ingentem exercitum contraxiſſet, metuit ſibi & urbem quandam ſatis amplam occupat, ſed in ea à filio obſidetur. *Ibid.*

In Græcia inter Arcades iterùm diſſenſio oritur, propterea, quòd quidam relicta Megalopoli, quam condiderant, in pagos reverterentur, & ita urbs exinaniretur. Qui in pagos abierant, defenſores evocant Mantinæos & Eleos, Megalopolitani verò Athenienſes, & hi, cum improviſo adeſſent, pagos & oppida evertunt, & cives Megalopolin reverti cogunt. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3589. ante C.N. 359.
FE. ☉ 13. ☽ 2.

Artaxerxes filium Darium regem fecerat, qui non contentus regno, Aſpaſiam etiam patris pellicem poſcebat, cum verò hæc ipſi negaretur, conſilia init de patre trucidando; prodita re ipſe pœnas capitis luit. Sed pater ipſe mœrore confectus, paulò poſt moritur, & ſuccedit Ochus natu minimus, qui regiam principum & cognatorum cæde totam replevit, ne innocentior fratribus parricidis haberetur, regnavit annis 22. *Juſtinus & Plutarchus.*

In Ægypto, cum in obſidione commeatum abſumpſiſſent, Ageſilaus eruptione pugnare cogitur. Subitò itaque firmatis caſtris, quæ foſſa & flumine munierat, paucis militibus numeroſiſſimum Ægyptiorum exercitum fundit & trucidat, & Tachum in regnum reſtituit, à quo etiam magnis muneribus cohoneſtatus eſt. Dum verò redit in patriam hyeme, moritur propè Cyrenem, & melle conditus Spartam affertur, ubi ſepelitur, cum annos 41. regnaſſet, & vixiſſet annos 82. Succedit ipſi filius Archidamus, qui præfuit annis 23.

Athanas Syracuſius, res à Dione geſtas ab hoc anno incipit, eamque 33. voluminibus deſcribit. *Diodor. Siculus l.* 15.

Archon apud Athenienſes *Nicophemus.*

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem octavum Auguſti Julianum:

Coſſ. C. Sulpitius Peticus.
C. Licinius Calvus.

Et hoc anno Romæ peſtilentia fuit; eo nihil dignum memoria actum, niſi quod, pacis Deum expoſcendæ cauſa, tertiò tum poſt conditam urbē lectiſternium fuit, & cum vis morbi, nec conſiliis, nec ope divina levaretur, victis ſuperſtitione animis, ludi Scenici primum, inter alia cœleſtis iræ placamina inſtituti ſunt, ſine carmine tamen ullo, ſine imitandorum carminum actu: Tandem ludiones ex Hetruria acciti ſunt, qui ad tibicinis modum ſaltantes, haud indecoros motus more Thuſco dederūt. Accepta inde res, ſæpiusq; uſurpando excitata eſt, & vernaculis artificibus. Et quia Hiſter *Thuſco verbo Ludio ille vocabatur, nomen Hiſtrionibus inditum. Livius primus ſuorum carminum actor fuit, qui cum ſæpius revocatus vocem obtudiſſet, venia petita, puerum ad canendum ante tibicinem ſtatuit, ipſeq; canticum egit, aliquantò magis vigente motu, quia nihil vocis uſus impediebat: Inde ad manum cantare hiſtrionibus captum, & diverbia tantùm ipſorum voci relicta, &c.* Vide Liv. lib. 7. dec. 1.

Athenienſes clade afficiuntur ab Alexandro Phæreo, & propterea Ducem capitis damnant, & alium Prætorem Charetem mittunt, qui plurimis injuriis ſocios afficit, & Athenienſes malè audire facit. *Diod. Sic.*

Dionyſiodorus & Anaxis Ambo Bœotici Scriptores hoc anno deſinunt.

Annus Nabonaſſaris 388. incipit die 21. Novembr. fer. 6.

ANNO MUNDI 3590. ante C.N. 358.
D. ☉ 13. ☽ 3.

Annus à condita Roma numeratus 393.

Annus primus Philippi Macedonis.

Perdiccas rex Macedoniæ in prælio cum Illyriis ingenti clade ſuperatur, & amiſſo flore exercitus trucidatur.

Philippus frater, ex cuſtodia Thebanorum elapſus, fratri ſuccedit, & bella multiplicia, quæ ingruebant, ita diſpenſat, ut alia interpoſita pactione cōponeret, alia auro redimeret. Facilimos ipſe aggreditur, quorum victoria & militum trepidos animos firmavit, & contemptum ſui hoſtibus demſit. In-

ſit. Inde Macedones bellicis exercitiis inſtruit, phalangem Macedonicam docet & inſtituit, omnes ad virtutem adhortatur, Athenienſibus primum Amphipoli cedit, ne Argæum regem Macedoniæ facerent, Pœonas & Illyrios, ne bellum continuent muneribus conciliat, ut & Thracem regem Argæum poſtea ab Athenienſibus deſtitutum vincit, & ſic Macedonibus animum ad futura bella addit. *Diodorus*. Regnavit autem annos viginti quatuor.

Alexander Phæreus, conſilio uxoris ſuæ, occiditur à fratribus uxoris, quibus perſuaſerat, ſe neci ab Alexandro deſtinatos. Succedit alter ex tyrannicidis Tiſiphonus, ut *Xenoph. lib. 6. habet.* Sed Diodorus hæc tradit triennio poſt, occaſione ſumpta à Philippo, qui tum Tiſiphonum trucidavit, & Theſſalos ſibi adjunxit. Sed fallitur: Nam ſi verum eſt, quòd Xenophon hoc anno mortuus eſt ut omnes tradunt, idem poſt mortem hæc ſcripſiſſet, aut alius hæc addidiſſet.

Archon apud Athenienſes *Callidemedes. Diodorus.*

Olympias 105. *acta die* 14. *Auguſti, fer. 6. Eſt annus Olympiadicus* 417.

Stadium vicit *Porus Cyranæus.*

Elei afflicti Arcadico bello, coarctantur in octo Tribus, cùm antea duodecim fuiſſent, ideò octo tantum dati ſunt Ludorum cognitores, ſive Hellanodicæ. *Pauſ. in* 1. *Eliac.*

Roma circa diem 13. *Auguſti Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Æmilius Mamercinus II.
Cn. Genucius Aventinenſis.

Cum Peſtis Romæ jam trienniū ſævisſet, nec remitteret, repetitum ex ſeniorū memoria dicitur, peſtilentiam quondam clavo à Dictatore fixo ſedatā. Dictator itaq; dicitur L. Manlius Capitolinus, *qui clavū fixit. Lex enim vetuſta fuit, priſcisq; literis & verbis ſcripta, ut qui Prætor maximus ſit, Idibus Septembribus clavū figat. Hujuſmodi clavi in templis fixi, indices olim fuerunt numeri annorū, cum raræ eſſent literæ, ut tot annos præteritos putarent, quot clavi in templo* Minervæ *fixi eſſent. Idem Dictator poſtea delectu acerbo, cum Hernicum bellum affectaret, juventutem agitavit, ea propter ſequenti anno à Tribunis plebis accuſatus fuit.*

Xenophon Athenienſis moritur Corinthi, quando Philippus Amyntæ filius in Macedonia regnum accepit, ſub Archonte Callimede, *Diogenes Laertius ex Steſiclide*, qui vitas Principium, & Olympionicum ſcripſit. De libris ejus, in quibus Cyri Pædiam deſcribit, Plato de legibus affirmat, eos fictos eſſe, nec Cyrum ejuſmodi fuiſſe.

Annus ſabbathicus ſecundus, Jobelei viceſimi tertii incipit die 26. *Septembris, feria ſeptima. Eſt hebdomas decima, ſeptuaginta hebdomadum. Anno Jud.* 3402.

Cenſores hoc anno Romæ fuerunt M. Fabius *Ambuſtus, &* L. Furius *Medullinus, qui luſtrum fecerunt viceſimum.* Frag. Capitolinum.

Theopompus Chius ab hoc anno initium ſumit ſuarum hiſtoriarum, ſcribitque libros quadraginta octo. *Diod.*

ANNO MUNDI 3591. ante C. N. 357.
C. ☉ 15. ☽ 4.

Agis Pœonum rex moritur. Philippus hac occaſione uſus, bellum genti ſtatim infert, Pœonas vincit, & ſibi ſubjicit; hinc confirmatis viribus de Illyriis bello petendis conſilia agitat. *Dion. l.* 16.

Archon apud Athenienſes *Euchar.*

Philippus, cum exercitum etiam victoria adverſus Pœonas confirmaſſet, Illyrios hoſtes ſibi ſumit. Rex Illyriorum deprecatur bellum; ſed tamen oppidis Macedoniæ, quæ occupaverat, cedere recuſat: quapropter Philippus bellum perſequitur, & Illyrios tandem acerrima pugna vincit, ſeptem millia eorum occidit, & omnia Macedoniæ oppida recuperat. *Diod. lib.* 16.

Dionyſius, cum animo remiſſo eſſet, prætextu lenitatis, morum ignaviam diſſimulat, & cum Carthaginenſibus pacem facit. In Apulia tamen duas condit urbes, ut Ionium mare tutum navigantibus præſtaret.

Roma circa diem 18. *Auguſti Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Q. Servilius Ahala II.
L. Genucius Aventinenſis II.

L. Manlio *Dictatori ſuperiori anno, dies dicitur, propterea acerbitatem delectus, & quod filiū exterrē urbe, domo, foro, congreſſu æqualium, perpetuò in operibus ſervilibus exerceret. Filius contra, ne parenti probro eſſet, Tribunū, qui parenti diem dixerat, adit, ſtricto gladio terret, cogitq; jurare, ſe patris accuſandi gratia nullum concilium plebis habiturū, atque ita parentem liberat concilio, non quidē civilis exempli, pietate tamen laudabili. Id factum plebs Romana adeò probavit, ut cū eo anno tribuni militū ad legiones ſuffragio fieri placuiſſet, is ſecundum locum tenuerit, cum ſex tantum crearentur.*

Eo anno, ſeu motu terræ, ſeu alia vi in medio foro ingens vorago in immenſā altitudinē facta, quæ nec conjectu terræ, nec alia re expleri potuit. Vates pronunciarunt, ut qua re populus Romanus potiſſimū polleret, id illo loco dicaretur. Cum dubium id eſſet, M. Curtius *juvenis bello egregius, id de virtute militari interpretatus eſt, & ſe, equo inſidens, in ſpecū immiſit.* Liv. l. 7.

Bellū Hernicis indicitur, idq; Genucio *gerendum ſorte evenit, qui, in inſidias præcipitatus, trucidatur: id interpretati ſunt Patres, quaſi auſpicia in plebem transferri non poſſent, atque ita neq; Conſules fieri. Ab altero Conſule Servilio Dictator dicitur* Appius Claudius. *Hernici duplicant vires ſuas, & florem præcipuū eligunt juventutis, quæ immunis operum militarium tantū pugnæ ſtuderet. Aſperrimo prælio concurritur, & quidem poſt meridiem, victi tandem hoſtes, cum equites ad pedites deſcendiſſent, & proxima nocte diffugiunt. Ex Romanis quarta pars militum amiſſa, inter quos aliquot milites Romani. Dictator triumphavit menſe Novembri, qui incidit ad Calendarium Julianum ferè in Januarium ſequentis anni.* Liv.

ANNO MUNDI 3592. ante C. N. 356.
B. ☉ 16. ☽ 5.

Dion, vir clariſſimus & pace & bello, frater novercæ Dionyſii, inſidiis ejuſdem petitur: quapropter Sicilia effugit, & Corinthum venit, petitque ut ſe adjuvarent in tyranno Syracuſis pellendo, & civibus in libertatem aſſerendis. Voluntarios ut ducat, impetrat. *Diod. Sic. lib.* 16.

Andromachus pater Timæi hiſtorici, exules Naxi, quam Dionyſius exciderat, in collem, qui Taurus vocabatur, in Sicilia ſubducit, urbemque ibi condit, quam Tauromenium appellavit: ſubita hæc

urbs

urbs incrementa ſumpſit, & eo tandem Colonia Romanorum deducta eſt, ſub Auguſto Cæſare. *Diodorus.*

In Eubœa diſſidebant incolæ, quorum altera pars Athenienſes, altera Thebanos in auxilium evocabat. Hoc inteſtino bello inſula miſerè vaſtabatur, cladibus ergo ſuis edocti Eubœenſes, pacem inter ſe faciunt, & auxilia dimittunt. *Diod.*

Archon apud Athenienſes *Cephiſodotus. Diod.*

Romæ circa diem 23. *Auguſti Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Licinius Calvus II.
C. Sulpitius Peticus II.

In Hernicos exercitus ductus, & Ferentinum *urbs capta.* Liv.

Plato Philoſophus à Dionyſio tyranno humaniſſimè accerſitur, & benignè etiam accipitur. Dionyſius enim videri volebat amans literarum, & ſtudiis deditus; quapropter etiam tota aula magni Platonem fecit, & Plato inſignia munera inde reportavit ad octoginta talenta, hoc eſt, ad ſeptuaginta quinque florenorum millia, *ut Diogenes Laertius habet.* Sed cum Plato à Dionyſio impetrare non poſſet, ut Dionem revocaret, & in gratiam reciperet, ſimultas orta eſt, quæ prædicta fuit ab Helicone Cyziceno, qui eadem certitudine prædixit etiam eclipſin ſolarem. *Plutarchus in Dione.*

Bellum ſociale ortum. Socii enim Athenienſium Chii, Rhodii, Choi & Byzantini deficiunt, contra quos Athenienſes mittunt ducem Chabriam & Charetem, & Chios obſident, ubi in pugna Chabrias trucidatur, cum prætoria navis fracta eſſet; reliqui fuga evadunt. *Diod. l.* 16.

Philippus devictis Illyriis, cum Amphipolitani multas belli cauſas præberent, ipſis etiam bellum infert, urbem oppugnat, muros dejicit, & urbe per vim potitur, moderatè tamen victoria utitur. Olynthiis etiam Pydnam urbem tradit, eoſque agris & oppidis donat, ut ſibi faverent. Potidæam præterea expugnat, & præſidium Athenienſium ibi captum humaniter habet, domumq; dimittit. Hinc ad Crenidas profectus, eam frequentia habitatorum amplificat, & Philippos de ſe nominat, aurique fodinas, quæ hactenus tenues fuerant, operum ſtructuris adeò fœcundas reddit, ut quotannis ultra mille talenta, hoc eſt, ultra millionem inde acciperet, & Philippicos nummos cudit. *Diod. Sic.*

ANNO MUNDI 3593. ante C.N. 355.
AG. ☉ 17. ☽ 6.

Cum tumultus Gallicus exortus eſſet, Dictator dicitur T. Quintius Pennus, *qui ad Anienem adverſum Gallos caſtra locat; ibi* T. Manlius, *qui patrem à vexatione Tribuni liberarat, Gallum eximia corporis magnitudine in pontem progreſſum, & Romanos ad monomachiam provocantem, poſternit, jugulat & torque ſpoliat: unde Torquati nomen obtinuit. Galli hoc caſu territi, relictis caſtris abeunt, & cum Tyburtibus ſocietatem pangunt, inde Campaniam vaſtant, Manlius corona donatur, &* Dictator *triumphat Quirinalibus, die ſeptimo Februar. qui ad Calendarium Julianum fuit dies* 12. *Aprilis.* Livius & tabulæ Capitolinæ.

Eclipſis Solis, quam Helicon *Cyzicenus prædixit, Syracuſis accidit die* 29. *Februar. horis duabus ante meridiem. Latitudo vera* 24. 47. *Parallaxis latitudinis* 50. 31. *Viſa auſtralis* 25. 44. *Semidiameter Solis* 15. 33. *Summa Semidiametrorum* 33. 32. *Scrupula reſidua* 7. 48. *Digiti ecliptici* 3. 33. *Proculdubio Helicon majorem eclipſin prædixit, ſed deceptus fuit ſuis tabulis imperfectioribus.* Plutarchus in Dione.

Archon apud Athenienſes *Agathocles.*

Calliſthenes hiſtorias Græcorum decem libris complexus, hoc anno definit. *Diod. l.* 16.

Demophilus filius Ephori hiſtoriam belli ſacri deſcribit, & ab hoc anno incipit. *Ibid.*

Dyllus Athenienſis hiſtoriam Græciæ & Siciliæ ab hoc anno exorditur, eamque continuat in libris 27. *Ibid.*

Dion Syracuſanus, cùm exercitum collegiſſet, & mercenarios conduxiſſet, ad ejiciendum tyrannum, in Zazyntho insula ſacrificium inſtituit, ubi eclipſis Lunæ conſpecta eſt veſperi, adulta jam æſtate, quæ facta eſt ad Calendarium Julianum, die nono menſis Auguſti, poſt meridiem, horis 7. 29. oriente Luna. Latitudo Lunæ vera 50. 51. meridionalis. Semidiameter Lunæ 17. 40. Summa Semidiametrorum Lunæ & umbræ 63. 38. Scrupula reſidua 12. 47. Digiti ecliptici 4. 21. Eadem nocte Dion ſolvit cum duabus navibus onerariis, ad opprimendum Dionyſium, ad evertendum potentiſſimum regnum. Dionyſius enim habebat naves quadringentas, & centena millia peditum, decem equitum, & præterea armis, frumento, & pecunia abundabat. Die 13. ad Pachynum Siciliæ promontorium pervenit, ſub primum Arcturi ortum, ubi cum magna tempeſtas oriretur, Dion ex inſula iterum rejectus eſt, & poſt quinque dies tandem iterum appellit, & venit Minoam, quæ Carthaginenſium partium erat, & à præfecto impetrat, ut quinquies mille panoplias Syracuſas ad amicos deferat: Ipſe cum mille militibus ad Agrigentinos, Geloas Camarinos & alios profectus, auxilia impetrat, ita ut ad viginti armatorum millia colligeret; acceſſerunt præterea ex Italia Græci & Meſſenii. Dionyſius tum aberat, in urbibus in Adria extructis. Præfecti Syracuſani in tanto motu, cum cives jam audientes dicto non eſſent, mercenariis militibus invadere conantur; ſed Dion jam civibus, qui à tyranno exarmati erant, arma diſtribuerat, eoſque oratione ad libertatem recuperandam exhortatur, & Syracuſas, introductis quinquaginta millibus hominum, occupat. Dionyſius certior de hiſce motibus factus, claſſem mari mittit, ipſe ſeptimo die poſt Dionem Syracuſas venit, pacem petit, ſe dominatu abiturum promittit, tantummodò ipſi locus honeſtus in Democratia concedatur. Induciæ in aliquot dies, ut de hiſce rebus agi poſſet, fiunt; quibus neglectis Dionyſius mœnia nocte tranſcendit, ingens inde fit prælium, quo tandem Dionyſiani vincuntur, & urbe ejiciuntur. Dionyſius cùm videret de dominatu actum eſſe, pacem petit, ſed cùm duriores conditiones proponerentur, naves ad commeatum advehendum dimittit, agros Syracuſanorum vaſtat, & bellum gerere incipit.

Romæ circa diem 28. *Auguſti Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Fabius Ambuſtus.
C. Poetilius Libo Voluſus.

Tyburtibus, quod ſocietatē cum Gallis feciſſent, bellum indictum, qui aſſumptis Gallis, Lavicanū, Tuſculanum & Albanum agrum fœdè populati ſunt. Livius. M. Furius *contra Hernicos cum exercitu mittitur, qui una inſigni pugna hoſtes devicit, & ovans urbem ingreſſus eſt, 5. Septembris, qui ad Calendarium Julianum incidit ferè in 19. Novembris.*

Tiſiphonus Pheræorum tyrannus, cum fratre tyrannidem in Theſſalos etiam uſurpat, qui ejus impatientes, Philippum Macedonum regem in auxilium evocant, qui tyrannos debellat, civitatibus libertatem recuperat, & omni benevolentia Theſſalos complectitur, unde hoc aſſecutus eſt, ut Theſſalos in omnibus prœliis, ſocios & adjutores haberet, quemadmodum & poſt filius ejus Alexander Magnus. *Diod. l. 16.*

Annus Nabonaſſaris 392. incipit die 20. Novemb. feria tertia.

Romæ cum bellum Gallicum præterea accederet, Dictator dicitur Q. Servilius Ahala, *qui cum Gallis propè Romam ad portam Collinam in conſpectu omniū civiū pugnavit, eos vicit, & fugavit eo, ubi Conſul Poetilius cum exercitu erat, qui & Gallos & Tyburtinos prælio vicit, & poſt triumphavit menſe Martio, qui incidit in menſem Majum ſequentis anni.* Liv.

ANNO MUNDI 3594. ante. C. N. 354.
F. ⊙ 18. ☽ 7.

Annus à condita Roma numeratus 397.
Annus Philippi Macedonis V.

Bellum ſacrum hoc anno cœptum, cujus cauſa fuerunt Thebani, qui cum rerum potirentur, Lacedæmonios & Phocenſes apud Amphictyones accuſant: illos quidem, quod arcem Thebanam induciarum tempore occupaſſent, hos, quod agrum Thebanum vaſtaſſent, quaſi poſt arma & bellum locum legibus reliquiſſent, cum judicium arbitrio victorum exerceretur, tanta pecunia damnantur, quantam exolvere non poſſent, quapropter Phocenſes deſperatis rebus bello injurias propulſandas decernunt. *Pauſ. in Phocicis.*

Artaxerxes Ochus Judæos, qui in clade Hieroſolymitana ſub Zedekia effugerant in Ægyptum, traduxit in Hyrcaniam, Mediam & Caſpium mare, *ut refert Canon Euſebii.*

Archon apud Athenienſes *Elpinus.*

Philiſtus Dionyſii Dux fortiſſimus, ſupplementum in arcem Syracuſanam clam mittit, & Leontinos inſuper invadit, urbemque nocte ingreditur ex qua tamen auxilio Syracuſanorum expellitur. Inde claſſem comparat, & cum Heraclide Duce Syracuſanorum, qui ex Græcia cum claſſe & exercitu advenerat, pugnat, & vincitur, & ne vivus caperetur, ipſe ſibi manus infert: *Diod. l. 15.*

Olympias CVI. acta die 30. Julii, fer. 3. Eſt annus Olympiad. 421.

Stadium in hac Olympiade vicit *Porus* Malienſis.

Alexander Magnus naſcitur die ſexta Hecatombionis, hoc eſt, ſi ad Calendarium Julianum reſpicias, die 6. Auguſti, fer. 3. Eo ipſo die templum Dianæ apud Epheſios, ab Heroſtrato incenſum, conflagravit, vaticinantibus Sacerdotibus magnum aliquod malum Aſiæ alicubi natum eſſe. *Plutarchus Pauſ. & alii.*

Dionyſius audita clade legatos ad Dionem mittit, qui ipſi dimidium regni imò totum offerrent, dum ipſi locus honeſtus relinqueretur. Cum nihil impetraret, ſuos theſauros ſibi reddi poſtulat, ut arce excedat, cui Dion conſentit. Populus autem ab Oratoribus inflammatus recuſat: hinc ſimultas orta inter cives Syracuſanos & Dionem, quæ adeò crevit, ut Dion cum mercenariis urbe excedere cogeretur, quem Syracuſani perſecuti ſunt, ſed maxima ſua clade. Factum hoc, ut Plutarchus habet, media æſtate, cum quindecim diebus continuis & tonitrua & tempeſtates perpetuæ fuiſſent. *Diod. l. 16.*

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem ſecundum Septembris Juliani:

Coſſ. M. Popilius Lænas.
C. Manlius Capitolinus.

Tyburtini noctu profecti Romam oppugnant, cum ingenti terrore, ſed orta luce non magno negotio rejiciuntur. Accedunt novi hoſtes Tarquinienſes, qui fines Romanos populantur.

Bellum ſociale adhuc geritur. Socii contracta claſſe Samum vaſtant, Athenienſes aucta ſua claſſe ſexaginta triremibus, quibus Iphicratem & Timotheum præficiunt, ut pari imperio cum Charete ſint, Byzantium obſident, eò tendunt etiam Socii hoſtes. Pugnatum eſſet ibi prælio navali, niſi gravis tempeſtas incidiſſet, qua territi Iphicrates & Timotheus prælium diſſuadent, ea de re à Charete apud populum Athenienſem accuſantur, multis talentis damnantur, & ab imperio removentur. *Diod. l. 16.*

Reges tres vicini in Thracia, in Pœonia, & Illyrico, ſocietatem jurant de opprimendo Philippo. Philippus contra priusquam copias contraxiſſent, & ordines inſtituiſſent, ſingulos aggreditur, ſibique parere cogit. *Ibid.*

Nypſius Dux Dionyſii, vir ſtrenuus, contracta claſſe commeatum infert in arcem Syracuſanam, cum præſidium jam propter inopiam cum civibus de traditione arcis ageret. Cives contra cum commeatus in arcem illatus eſſet, cum Nypſæo claſſe pugnant & vincunt, & ob id diem feſtum agunt. Nypſæus ea ipſa nocte muros tranſcendit, cives vino ſomnoque ſepultos trucidat, urbem incendit & diripit. Dion à civibus exoratus & evocatus, eo ipſo tempore advenit, hoſtium quatuor millia occidit, ignem extinguit, & ingratos cives iterum ſervat; unde maximum apud ipſos honorem eſt conſecutus. *Diod. Ibid.*

In Italia multitudo quædam promiſcuorum hominum fugitivorum tamen præcipuè, cum latrocinia hactenus exercuiſſent, bellicas etiam exercitationes aſſumunt, & cum fortitudine incolis præſtarent, Trojanam urbem expugnant, diripiunt, & alias etiam urbibus ſubactis Rempubl. inſtituunt, ſeque Brutios *appellant.* Diod. Sic. l. 16.

ANNO MUNDI 3595. ante C. N. 353.
E. ⊙ 19. ☽ 8.

Chares claſſis Athenienſium præfectus, ut haberet, unde militibus ſtipendium ſolveret, Pharnazabo, qui Perſis rebellabat, operam ſuam offert, & Duces Perſicos magna clade vincit, quapropter tantâ pecuniâ remuneratur, ut ſolveret exercitui.

Gra-

Gratum hoc fuit Athenienſibus: At verò cum Ochus per legatos de injuria expoſtularet, & Sociis trecentarum navium claſſem contra Athenienſes polliceretur, longè aliter afficiebantur, & ut periculum caverent, ſocios hoſtes de pace ſolicitant, qui & ipſi pacis cupidi erant, atque ita ſociale bellum æquis conditionibus quarto anno depoſitum eſt. *Diod. Sic. lib.* 16.

Philomelus Dux Phocenſium ad Spartanos proficiſcitur, de injuria Thebanorum conqueritur eosque de auxiliis ſolicitat. Spartanorum rex Archidamus, quoniam templum occupare conabantur, iis auxilia mittere non audet; clanculum tamen quindecim talenta ſuppeditat, quibus militem conducant. Philomelus collecto exercitu Delphos adit, & templum occupat. Locrenſes contra Delphis auxilia afferunt, ſed magna clade vincuntur, & Philomelus, occupato templo, decreta Amphictyonum è columnis exſcindit, & tabulas damnatorum abolet, & Legatos ad alios mittit, qui petant ne ſe bello petere velint, ſe nihil, cujus rationem non reddere poſſet facturum, & Athenienſibus & Lacedæmoniis perſuadet, ut ſe auxiliis juvare velint. Thebani contra unà cum Locrenſibus, bellum cum Phocenſibus pro Deo gerendum decernunt. *Diod. l.* 16.

Archon apud Athenienſes *Calliſtratus.*

Demoſthenes hoc anno ſcribit Orationes contra Androtionem: Item de immunitatibus. *Dionyſ. Hal.*

Romæ circa diem 7. Septem. Juliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Fabius Ambuſtus.

C. Plautius Proculus.

Fabio *Tarquinienſe bellum ſorte evenit: Plautio Hernicum.*

Lex de ambitu lata à Petulio tribuno plebis, autore Senatu, qua novorum hominum ambitio, qui conciliabula obire ſolebant, repreſſa eſt.

ANNO MUNDI 3596. ante C N. 352.

D. ☉. 20. ☽ 9.

Auditum fuit Romæ, Gallos Præneſte veniſſe, atque inde circa Pedum conſediſſe, quapropter Dictator *dicitur* C. Sulpitius Peticus, *qui ſcripto exercitu eò tendit, & cũ Galli non ex præparato commeatu viverent, bellum trahit, quare non tam Gallis ægrè fecit, quam milites offendit, qui moræ impatientes erant, à quibus ferè cogitur, ut prælio decertet. Solertis tamen animo, ut paucitatem ſuorum adjuvaret, ſtrategema excogitat, quo Galli in prælio maximè territi ſunt, atque ita pugnat, vincit, & Gallos caſtris exuit, & juſtum de iis agit triumphum, ſeptimo Maji, qui ad Calendarium Julianum incidit in diem* 20. *Julii.*

Plautius *Conſul, qui Hernicos deviccrat & ſubegerat, octiduo poſt triumphat.* Fabius *verò incautè & inconſultè adverſus Tarquinienſes pugnavit, ubi clades accepta eſt, & in acie & in captivis, quorum trecentos & quinquaginta ſeptem Tarquinienſes immolarunt.* Liv. l. 7.

Cenſores *hic annus habuit* M. Fabium *Ambuſtum &c. qui condiderunt luſtrum* 21. *& Tribubus reliquis addiderunt Pomptinam & Publiliam.*

Archon apud Athenienſes *Diotimus.*

Demoſthenes Orationem habet de claſſe adornanda, ubi populum adhortatur, ne pacem cum rege irritam facerent, priuſquam claſſem inſtruxiſſent. *Dion. Hal.*

In Ponto Leucon Boſphori rex moritur, cum annos quadraginta regnaſſet, ſuccedit ipſi filius Spartacus per annos quinque. *Diod. Sic. l.* 16.

Thebani bellum magnis viribus inſtruunt, unde Philomelus coactus eſt templi Delphici donaria in belli uſum convertere, ex quibus tantam pecuniam confecit, ut duplicia ferè ſtipendia militibus præberet. Prælium commiſſum in agris Locrenſium, ubi Phocenſes vincunt, & prædas inde agunt copioſiſſimas. Paulò poſt poſt tamen à Thebanis, qui multitudine prævalebant, vincuntur, ubi Philomelus dux ne caperetur, de rupe præcipiti ſaltu ſe demittens periit: ei ſuccedit Onomarchus *Diod. Sic. l.* 16.

Chares dux Athenienſium in Helleſponto Seſtum urbem expugnat, puberes interficit, reliquos in ſervitutem abripit. Inde Cherſoneſum occupat, & populus Athenienſis colonos eò deſtinat. Philippus videns Methonæos, & Thracibus & Athenienſibus ſedem belli præbere, Methonem obſidet, fame domat, occupat, & civis cum ſingulis veſtimentis dimittit, urbemque & agrum evocatis Macedonibus concedit. In oppugnatione hujus urbis Philippus teli jactu alterum oculum amittit: nec tamen propterea gravius quid in dedititios ſtatuit. *Diod. l.* 10.

Romæ circa diem duodecimum Septembris Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Martius Rutilus.

Cn. Manlius Capitolinus II.

M. Duellius & L. Menenius Tribuni plebis, legem ferunt de unciario fœnore, quam plebs cupide accipit, etiamſi Patribus non adeò probaretur. Eſt autem unciarum fœnus, quando annuo ſpatio ſortis uncia, ſive duodecima pars ſolvitur, von zwölff Gülden einen / oder von hundert acht Gülden / und ſieben Groſchen. *Differt igitur unciarum fœnus à centeſima.*

Cn. Manlius in caſtris ad Sutrium novo exemplo legem fert de viceſima eorum, qui manumitterentur. Cum hoc feciſſet per milites juratos, ne iterum fieret, Tribuni plebis capitis pœna ſanxerunt. Alias cum hoſtibus Faliſcis & Tarquinienſibus nihil memorabile geſtum. Liv. l. 7.

Dion in Sicilia à militibus, quos in *Zazyntho* collegerat, interficitur, autore Calippo, qui Dioni in imperio ſuccedit, idque tredecim menſibus adminiſtrat.

ANNO MUNDI 3597. ante C. N. 351.

CB. ☉ 21. ☽ 10.

Martio *Conſuli novi hoſtes Privernates obveniunt, quorum fines longinqua pace intacti, & pleni prædæ erant; ea ditat ſuum militem, & hac munificentia militem ad labores promptiſſimum facit, atque ob id caſtra hoſtium expugnavit, & urbem deditione cepit. Triumphavit Calendis Junii, hoc eſt, circa diem* 12. *Auguſti Juliani.*

Archon apud Athenienſes *Theodemus. Dion.* Diodorus habet *Eudemus.*

Demoſthenes Timocrateam orationem habet ſub hoc Prætore. *Dion.*

Onomarchus Phocenſium Dux perſuadet ſuis, bellum ignominioſæ paci præferendum, ideò ingens exercitus cõtrahitur, arma ex ære & ferro con-

ſtantur, auream monetam cudit, largitione munerum, quoſcunque poteſt, corrumpit, vicinas urbes populatur. Orchomenum etiam capit, inde clade affectus domum redit. *Diod. l.* 16.

Artabazus regi Perſarum rebellat, & Thebanorum auxilia implorat, qui ipſi quinque millia militum mittunt, quibus regium exercitum bis vincit; unde Thebani ingentem gloriam conſequuntur, qui domeſtico Phocenſium bello diſtricti, tamen aliis etiam auxilia mittere audent. *Ibid.*

Bellum etiam hoc anno Lacedæmoniis cum Argivis fuit, concurritur ad Orneas oppidum, & victoria penes Lacedæmonios ſtetit *Ibid.*

Philippus à Theſſalis evocatur, quibus Lycophron Pheræorum tyrannus negotium faceſſebat. Philippus magno exercitu eò tendit. Lycophron contra Phocenſium auxilia expetit & impetrat, quæ tamen à Philippo vincuntur. Onomarchus igitur ipſe in Theſſaliam contra Philippum movet eumq; bis acie vincit, & in ſummam deſperationem adigit, cum milites ipſi amplius dicto audientes eſſe nollent: Ideò in Macedoniam redire cogitur. *Dio. Ibid.*

Roma circa diem 17. *Septem. Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. *M.* Fabius Ambuſtus II.
M. Popilius Lenas II.

Popilius Tyburtes hoſtes vincit, & in urbem compellit, eorumq; agros longè lateq; vaſtat. Faliſci *contra & Tarquinienſes primo concurſu* Fabium *vincunt, quòd à Sacerdotibus ipſorum facibus & ſerpentibus armatis, milites initio terrerentur. Increpati tamen milites à Conſule & Tribunis vanum illum apparatum hoſtium diſcutiunt, hoſtem vincunt, & caſtris etiam ipſorum potiuntur.* Liv. l. 7.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei 23. *incipit die* 10. *Septemb. fer.* 7. *Eſt hebdomas undecima, ſeptuaginta hebdomadum. Anno Jud.* 3409.

Mauſolus Cariæ regulus, cum annos 24. regnaſſet, moritur, cui *Artemiſia* ſoror & conjux per biennium ſucceſſit. *Diod.*

Clearchus Heracleæ Tyrannus, duodecimo imperii anno, dum in Bacchanalibus ludos ſpectat, trucidatur. Suffectus eſt illi *Timotheus* filius, qui annos quindecim dominatur. *Diod. Sic. lib.* 16.

Annus Nabonaſſaris 396. *incipit die* 19. *Novemb. feria* 7.

Onomarchus Phocenſis pulſo Philippo in Bœotiam movet, & collatis ſignis Thebanos vincit, & Coroneam occupat. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3598. ante C.N. 350.
A. ☉. 22. ☽ 11.

Annus ab urbe condita 401.

Annus Philippi Regis Macedoniæ 9.

Hetruſci *communi conſenſu Romanis bellum inferunt, & ad Salinas uſq; perveniunt. Dictator dicitur à Popilio Conſule* Martius Rutilius *primus de plebe, qui & plebeium magiſtrum equitum ſumſit invitis patribus, qui hoſtes palantes aggreſſus fundit, & caſtra etiam capit, octoque millia captivorum Romam adducit, & ſine autoritate Patrum juſſu populi triumphat, nonis Maji, circa finem Julii Juliani.*

Philippus in Theſſaliam redit, & Lycophronum tyrannum oppugnat: Onomarchus tyranno auxilio venit. At Philippus Theſſalorum viribus eum vincit prælio acerrimo, in quo Phocenſium ſex millia occiderunt, capti tria millia cum Duce, quem Philippus ſuſpendio affecit, reliquos ut ſacrilegos mari merſit. Hoc modo extincto Duce *Phayllus* frater ſuccedit, qui iterum exercitum conſcribit, & duplo majus ſtipendium ipſis exſolvit, aureumque ſimul & argenteum numiſma cudit. *Diod.*

Dionis amici Syracuſis ſeditionem adverſus *Calippum* excitant, ſed à Calippo pulſi, ad Leontinos perfugiunt. Paulò poſt *Hipparinus* filius Dionyſii armata claſſe Syracuſas adveniens, Calippum prælio victum, ex urbe fugat, regnumque paternum hoc modo recuperatum obtinet annis duobus. *Diod. lib.* 16.

Archon apud Athenienſes *Ariſtodemus.*

Olympias 107. *acta die* 15. *Aug. fer.* 7. *Eſt annus Olympiadicus* 425.

Stadium vicit *Smicrinas* Tarentinus.

Demoſthenes incipit contra Philippum concionari, habetque primam orationem Philippicam, hortatur, ut Athenienſes exercitum & claſſem in Macedoniam mittant. Scribit etiam orationem Timocrateam. *Dion. Hal.*

Philippus Macedoniæ rex *Pheras* tandem in Theſſalia occupat, & tyrannum Theſſalia tota pellit, qui ſe Phocenſibus adjungit, qui alias etiam magna auxilia habebant ab Athenienſibus, Spartanis, Achæis & aliis. *Phayllus* igitur Dux Phocenſium tanto exercitu inſtructus, Bœotios invadit, & quaſdam urbes exſcindit, ſed morbo & tabe confectus, moritur, & filium Onomarchi Phalæcum, juvenem adhuc ſucceſſorem relinquit. *Diod. l.* 16.

Lacedæmonii Megapolitanis Arcadibus bellum inferunt, hi cum inferiores viribus eſſent, ſocios aſſumunt Archivos & Thebanos: utrinque clades illatæ & regeſtæ ſunt, & tandem fiunt induciæ. *Ibid.*

Romæ circa diem 22. *Septemb. Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Sulpitius Peticus III.
M. Valerius Poplicola.

Ambo patritii, Factum, inquit Livius, *quadringenteſimo anno, quàm urbs condita erat: quinto & triceſimo, quàm Roma à Gallis recepta, ablata poſt undecimum annum à plebe Conſulatu. &c. Si ubique annos completos intelligit Livius, rectè hoc modo anni numerantur.*

Empulum *urbs ex Tyburtibus capitur, non magno certamine. Majori certamine per totum annum domi res acta eſt, ut duo patritii Conſules iterum crearentur.* Liv. l. 7.

ANNO MUNDI 3599. ante C. N. 349.
G. ☉. 23. ☽ 12.

Phalecus, cum clade modica à Bœotiis affectus eſſet, eò majoribus copiis movet, & Chæroneam occupat, quam tamen vi Bœotiorum iterum amittit, qui hac victoria non contenti, in Phocidem ingreſſi, magnam ejus partem devaſtant. *Diod. l.* 16.

Thebani bello ſacro tandem defeſſi, ab *Ocho* Perſarum rege mutuas pecunias petunt, & accipiunt dono trecenta talenta. *Ibid.*

Phœniciæ urbes ab Ocho rege Perſarum ad Ægyptios deficiunt & *Sidonii* mercenarium militem duce

duce *Mentore* conducunt, per quem Satrapæ *Perſarum* ex Phœnicia pelluntur. Inſuper reges in Cypro; quorum novem erant, communi conſenſu à rege Ocho deficiunt, in quos Ochus Evagoram, olim regem Cypri, & Phocionem Athenienſem mittit. Ipſe contra Sidonios & Ægyptios proficiſcitur.

Archon apud Athenienſes *Theſſalus vel Theelius.*

Demoſthenes habet concionem Rhodienſem ſuadetq; ut ibi Democratia inſtituatur. *Dion.*

Romæ circa diem 27. Sept. Juliani, *Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Fabius Ambuſtus III.
T. Quintius Pennus Capitol.

Cum jam Ochus ipſe ingentem exercitum contra Sidonios duceret, *Mentor*, quo Duce Sidonii rebellarant, qui videbat, Sidonios impares certamini futuros, cum Ocho rege tranſigit, ut ſi recipiatur in gratiam, Sidonios prodat. Interim Sidonii ipſi pœnitentes facti, ſupplicatum mittunt ad Ochum nobiliſſimos ſuorum, ut ſibi ignoſcatur. At Ochus natura crudeliſſimus, ſpe proditionis omnes hoſce jaculis configit. Cum igitur Ochus cum exercitu, autore Mentore, Sidonem ingreſſus eſſet, cives deſperata ſalute ſe cum liberis & uxorib. intra ædes in cluſos admotis flammis cremarunt, quarum numerus excrevit ad quadraginta millia. Reliquæ Phœniciæ urbes tanta clade territæ deditionem faciunt, & mulctam ſolvunt. Prædicta fuit hæc clades, *Ezech.* 28. 21.

Evagoras, cum in Cyprum veniſſet, diuturna pace florentem, cum Phocione ingentes prædas agit; qua fama Græci permoti ultrò hanc militiam ſecuti ſunt, & Salaminem arcta obſidione premunt. *Diod. lib.* 16.

Artemiſia regina Cariæ, cum biennium regnaſſet, moritur, ſuccedit frater *Idrieus*, qui regnat annis 7.

Syracuſani Rhegium, quod adhuc præſidiis Dionyſii tenebatur, exercitum ducunt, regios pellunt, & Rheginis libertatem reſtituunt. *Ibid.*

ANNO MUNDI 3600. ante C. N. 348.
F. ☉ 24. ☽ 13.

Ochus rex, Ægyptios bello ſub jugum redacturus, in Græciam mittit, qui auxilia inde adducant. ſed ab Athenienſibus & Spartanis nihil impetrat. Sed Thebani mille milites gravis armaturæ mittunt; Archivi verò tria millia. *Diod. l.* 16.

Romæ Conſules bina bella geſſerunt contra Tarquinienſes. Quintius *feliciter pugnavit, multos mortales in acie trucidavit, & ex captivis nobiliſſimos trecentos & quinquaginta octo Romam miſit, qui virgis caſi & ſecuri percuſſi ſunt. pro immolatis in foro Tarquinienſium Romanis. Cum Tiburtibus Fabius pugnavit, tota gens prælio victa in deditionem, poſitis armis, venit. Triumphavit Fabius nonis Junii, circa initium Sept. Juliani* Liv.

Propter res bello benè geſtas, Samnites de amicitia legatos Romam mittunt & obtinent. Ibid.

Archon apud Athenienſes *Apollodorus.*

Evagoras magno molimine obſidionem Salaminis urget, hac ſpe, ſe regnum recuperaturum: ſed ob id calumniis petitur apud regem; quapropter ipſe apud regem ſe purgat, & multo majore provincia donatur. Sed poſtea temporis cum eandem malè adminiſtraſſet, in Cyprum fugit, ubi captus capitis pœnam ſubit. *Diod. Sic. l.* 16.

Ochus rex Perſarum in Ægyptum movet; rex Ægypti *Nectanebus* omnes aditus præſidiis muniebat, ſed cum antea ducibus Græcis bellum feliciſſimè geſſiſſet, jam remotis Græcis ipſe bellum adminiſtrat, ſed valde imperitè. Ochus igitur capto Peluſio Ægyptum intrat, tripartitoque exercitu urbes terret, & in ditionem recipit. *Nectanebus* deſperatis rebus, & convaſatis ſuis theſauris in Æthiopiam profugit. *Ibid.*

Romæ circa diem 21. Oct. Juliani, *Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Sulpitius Peticus IV.
M. Valerius Poplicola.

Cærites *cum vidiſſent Tarquinienſes adeò malè mulctatos à Romanis, miſericordia erga conſanguineos moti, Romanos populantur; Ex altera parte* Volſci *iterum bellum movent: quare utrinque exercitus ſcribuntur.* Liv.

ANNO MUNDI 3601. ante C. N. 347.
ED. ☉ 25. ☽ 14.

Romæ Dictator *contra Cærites & Hetruſcos dicitur;* T. Manlius Torquatus, *qui Cæritibus bellum indicit, ubi tamen bellum non fuit. Cærites enim territi bello à Romanis, per omnia ſacra deprecantur bellū, & veniā conſequuntur, & inducias in centum annos.* Liv.

Ochus rex Perſarum, cum Ægyptum in poteſtatem redegiſſet, urbium mœnia deſtruit, templa depopulatur, & commentaria etiam Ægyptiorum aufert, quæ tamen grandi pecunia poſtea redimuntur. Inde Græcis, quorum opera uſus fuerat, magna munera tribuit. Imprimis tamen *Mentorem* magnis muneribus afficit, & Aſiæ maritimæ præficit qui cum *Bagoa* amicitiam inierat hoc bello, & poſtea cum eo omnia regni munia, præter nomen regium, in poteſtate habuit. *Diod. l.* 16.

Confecto bello Ægyptiaco Ochus Judæus, qui olim ad Vaphrem regem Ægypti, cum Nebucadnezar Judæam excinderet, transfugerant, Ægypto expellit, & ad Caſpium mare deportat, inde illi Judæi vocantur filii deportationis Mediæ. *Euſeb.*

Archon Athenienſes *Callimachus.*

Mentor in Aſia cum rebellibus bellum gerere juſſus, quoſdam regi reconciliat, quoſdam aſtu abſq; magno conatu capit, atq; ita pacem in toto regno facit; quare magnam à rege init gratiam. *Diod. l.* 16.

Philippus rex Macedoniæ Chalcidicas ſive Thraciæ urbes aggreditur, eaſque cladibus belli territas ſibi ſubjicit, inde iterum Pheras Theſſaliæ urbem aggreſſus, Pitholaum, qui tyrannidem invaſerat, pellit. *Ibid.*

Romæ circa diem 7. Octob. Juliani *Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. P. Valerius Poplicola.
C. Martius Rutilus II.

Magnis certaminibus comitia peracta. Dictator enim duos Patricios Coſſ. creare voluit: dilata igitur comitia, donec Dictator magiſtratu abiret; inde concordiæ cauſa Senatus jubet obſervari Legem Licinianam, & Conſulem plebeium creari. Liv.

Annus Nabonaſſ. 400. incipit die 18. Novem. fer. 4.

Spartacus rex Ponti, cum quinq; annos regnaſſet, moritur, ſuccedit ipſi frater *Paryſades*, qui illud annis 38. adminiſtravit. *Diod. l.* 16.

Phocenſes & Thebani ambo feſſi bello, auxilia aliorum implorant: Phocenſes Lacedæmonios accerſunt, à quibus mittitur Archidamus rex cum mille militibus. Thebani verò Philippum regem advocant, qui venit adjunctis Theſſalis cum validiſſimo exercitu. Phalæcus Dux Phocenſium iterum ad gubernacula revocatus, cùm videret ſe imparem Philippo futurum, agit cum eo de pace, ut liceat ſibi cum ſuis abire quo velit, & ita cum octo millibus militum abit in Peloponneſum. Phocenſes derelicti, in agros everſis urbibus diſtribuuntur, ut vectigales ſint Apollini, & quotannis ſexaginta talenta ſolvant, donec ablatorum ſumma reſtituatur: Suffragia ſua item amittant, & Philippus illorum loco bina ſuffragia inter Amphyctiones habeat, & *Pythiorum* ludos exhibeat. *Diod. lib.* 16.

Priamus *Francorum Dux, cùm annis* 26. *regnaſſet, moritur; ſuccedit* Helenus, *qui ſtatim primo anno, magno prælio Gallos vincit, & ſedecim millia illorum occidit.* Trithem. in Comp.

Annus ſabbathicus 4. *Jobelei* 23. *incipit die* 23. *Sept. fer.* 7. *Eſt ſeptimana duodecima ſeptuaginta hebdomadum anno Jud.* 3416.

Syracuſani variis tumultibus conflictantur, nec ſibi ipſi ſalutem afferre poſſunt; quapropter legatos Corinthum mittunt, qui ſibi auxilium & Ducem depoſcant. Corinthi nondum tum deciſa erat controverſia Timoleontis, qui fratrem tyrannum interfecerat: Igitur ille ipſe Dux in Siciliam creatur, ut eventus oſtenderet de facto Timaleontis. *Diod. l.* 16.

Romæ dum ambo Coſſ. lecto detinentur, alter ex morbo, alter ex vulnere, Dictator creatur comitiorum cauſa L. Furius *Camillus, qui Conſules creat ambos Patricios,*

Se nimirum

& Ap. Claudium Craſſinum, *qui Magiſtratum ineunt, circa diem* 22. *Octobris.*

ANNO MUNDI 3605. ante. C. N. 343.
GF. ☉ 1. ☽ 18.

Phalæcus Phocenſium Dux, cùm non amplius haberet, unde militem aleret, onerarias naves Corinthi & alias conducit, quibus in Italiam transfretat, ubi ſperat ſe urbem illic locorum aliquam occupaturum, aut ſi bellum ibi eſſet, ut ſtipendio conduceretur. Eam itaq; oram Italiæ petit, quæ ad Tyberis oſtia vergebat. Diod. Sic. *& Livius*

Latini *populi de auxiliis à Romanis appellati, protervè reſpondent: Deſinerent imperare, quorum auxiliis indigerent, ſe pro libertate potius ſua, quàm pro alieno imperio bella geſturos. Romani ne irritarent amplius Latinos, ſuo milite bella geſſerunt.* Liv.

Romæ cum certum eſſet, oſtia Tyberis à Græcorum claſſe vaſtari, & Gallicum tumultum inſuper imminere, alterq; Conſul Appius moreretur: Camillus *prætorem cum parte exercitus contra Græcos mittit, ipſe ſibi Gallos hoſtes ſumit; ibi dum ſtativis tempus teritur,* M. Valerius Poplicola *ex provocatione cum Gallo pugnat, & auxilio Corvi advolantis, & Gallum turbantis vincit, unde animatus exercitus Gallos invadit, & ſternit vincitque. Inde Conſul contra Græcos abit, qui tandem diſcedunt, cùm arcerentur litteribus, & aliis rebus ex terra deſtituerentur. Livius putat hoſce Græcos Siciliæ tyrannos fuiſſe, ſed fallitur: Dionyſius enim junior, & Syracuſani ſuarum rerum ſatagebant. Relinquitur ergo Phalæcum cum ſuis hanc Italiæ oram invaſiſſe, & pulſum in Peloponneſum reverſum, indeque in Cretam tranſiiſſe.*

Archon apud Athenienſes *Eubulus.*

Ariſtoteles relicto Hermiâ tyranno, Mitylenen concedit, ubi conſumpſit biennium. *Diog. Laert. & Dionyſ.*

Dionyſius junior Syracuſas recuperarat, & regno jam fruebatur; at oppugnabatur ab Icetâ Syracuſano, qui apud Leontinos ſedem belli habebat. Cùm igitur ab oppugnatione Syracuſanorum recederet, Dionyſius eum in fugam propellere conatus, ab Icetâ vincitur, tribus millibus militum amiſſis, & Icetas fugientibus inſiſtens, unà Syracuſas irrumpit, & urbe potitur, præter arcem. *Diod. Sic. l.* 16.

Timoleon cum ſeptingentis militibus, & quatuor navibus Corintho ſolvit, & cùm in itinere plures naves & milites conquiſiviſſet, cum decem navium claſſe Metapontum in Italiam pervenit. Eo tempore Carthaginenſes in Siciliam magno exercitu profecti, quaſdam urbes ceperant, horum auxilio uſus fuerat Icetas, in occupandis Syracuſis. Cæterùm Timoleon aſtu deceptis Carthaginenſibus triduo poſt recuperatas Syracuſas, Tauromenium in Siciliam venit, & Icetam Adranum obſidentem obruit, cædit, caſtra capit, & eâdem feſtinatione etiam Syracuſas pervenit, & urbem occupat. *Diod. Sic.*

Romæ dum Conſul abeſt, & cum Græcis rem gerit, dictator Comitiorum cauſa dicitur, T. Manlius Torquatus, *qui comitiis habitis æmulum decoris ſui abſentem,* M. Valerium Corvum *adoleſcentem annos tres & viginti natum Conſulem creat. Fuit hic non ex Poplicolarum familia, ut Livius arbitratur, ſed ex Maximorum familiâ, ut Faſti Capitolini oſtendunt & aliis; additur ei Collega* M. Popilius Lænas IV. *qui magiſtratum ineunt circa diem* 27. *Octobris.*

Annus Nabonaſſaris 404. *incipit die* 17. *Novembris feria* 1.

Peſtilentia Romam adorta fecit, ut Decemviri *libros Sybillinos inſpicerent, &* Lectiſternium *fieret: Sæculares etiam ludi hiſce Coſſ. acti.* Cenſor.

ANNO MUNDI 3606. ante C. N. 342.
E. ☉. 2. ☽ 19.

Annus ab urbe condita numeratus 409.

Annus regni Philippi Macedonis. 17.

Satricum *urbs à Latinis diruta; ab Antiatibus Volſcis inſtauratur, & Colonia eò deducitur.* Liv. l. 7.

Cùm Carthaginenſium legatis etiam Romæ fœdus ictum, cùm ſocietatem & amicitiam petentes veniſſent.

Archon apud Athenienſes *Luciſcus.*

Olympias CIX. acta die 17. *Auguſti. fer.* 1. *Eſt annus Olympiad.* 433.

Stadium vicit *Ariſtolochus* Athenienſis.

Demoſthenes Orator ſeptimam orationem habet Philippicam ad legationes Peloponnenſes. *Dionyſ. tom.* 2.

Idrieus Princeps Cariæ, cùm ſeptem annis regnaſſet, moritur; ſuccedit ſoror & conjux *Ada*, per annos quatuor. *Diod.*

Timoleon cùm Syracuſas obtineret, à multis undi-

undique oppugnatur. Dionyſius enim Inſulam & arcem obtinebat, *Icetes* Acradinam & novam civitatem, Carthaginenſes Claſſe centum & quinquaginta navium portum obtinebant, & quinquaginta millibus hominum urbem obſidebant. Erat igitur in magnis anguſtiis, obtinebat tamen favorem civium, & multorum aliorum: quapropter & Catanæorum tyrannus cum ſuis copiis ipſi auxilio advenit, & decem naves Corinthiorum ſimul adveniunt; quare territi Carthaginenſes, ne commeatu intercluderentur, portu excedunt, atque ita Acradinam etiam Timoleon occupat. *Diod. l. 16.*

Philippus rex Macedoniæ Illyriis infenſus, bellum ipſis facit multas eorum urbes occupat, & ex præda atque ſectione urbium magnas divitias cogit. Inde in Theſſaliam movet, tyrannos ubique expellit, & Theſſalorum libertatem firmam facit; unde favorem omnium Græcorum eſt conſecutus. *Ibid.*

Romæ circa diem 1. menſis Novemb. ineunt Magiſtratum:

Coſſ. C. *P*lautius Venox.

T. *M*anlius Torquatus.

Per Dictatorem C. Claudium *hoſce Coſſ. creatos eſſe, Capitolina tabula oſtendunt; ſed Livius ejus rei non meminit.*

Otium domi foriſque fuit, & domi ex unciario fœnore ſemiunciarium factum, ut de viginti quatuor aureis unus annuo ſpatio ſolveretur, & ſolutio æris alieni in quatuor partes diſpenſata eſt, impenſaque publicâ adjuta, & tributo delectuque ſuperſeſſum, magno emolumento plebis. Liv.

ANNO MUNDI 3607. ante C. N. 341.
D. ☉ 3. ☽ 1.

Timoleon Dionyſio in anguſtias & ſummam trepidationem adacto perſuadet, ut abdicato principatu in Peloponneſum ſub fide publicâ cum ſuis facultatibus abeat. Perdidit hoc modo ignavia ſua principatum, adamante, ut ferebatur, revinctum, & qui quadraginta triremes olim habuerat, in nave oneraria, eaque non magna Corinthum abit; ubi in ſummâ inopiâ reliquum vitæ exegit. *Diod.*

Archon apud Athenienſes *Pythodorus.*

Demoſthenes octavam Philippicam habet ad Philippi regis legatos, & componit orationem de falſâ legatione, contra Æſchinem. *Dionyſ.*

Ariſtoteles à Philippo rege evocatur ad erudiendum filium Alexandrum; in ejus inſtitutione conſumit annos octo. *Dionyſ.*

Timoleon pulſo Dionyſio Palatia ejus evertit, præſidia ex urbibus dimittit, & eis libertatem reſtituit; inde ad leges ſcribendas converſus eas ſancivit, quæ populari ſtatu convenirent. Annuum præterea magiſtratum ordinat, quem Amphipolum Jovis appellabant, à quo anni numerabantur: isque apud Syracuſanos ab hoc tempore usque ad Romanam Rempubl. mutatam, ultra annos trecentos permanſit. *Diod. l. 16.*

Philippus, ut Thracum inſolentiam & prædandi libidinem compeſceret, bellum ipſis infert, eoque redigit, ut decimas regno Macedonico perſolverent: Propugnacula etiam & oppida, ubi opportunum viſum eſt, condidit, ne excurſionibus amplius Græcis eſſent moleſti. *Diod. Ibid.*

Theopompus Chius, qui hiſtoriam Dionyſii majoris & minoris per annos quinquaginta, usque ad pulſum Dionyſium conſcripſit, idque tribus libris, qui à quadrageſimo incipiunt usque ad quadrageſimum tertium, hîc eam hiſtoriam concludit. *Ibid.*

Romæ circa diem 3. Novemb. Julianı Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Valerius Maximus Corvus II.

C. Poetilius Libo.

ANNO MUNDI 3608. ante C. N. 340.
C. ☉. 4. ☽ 2.

Ludi Seculares *his Coſſ. acti, ut ex commentariis Quindecim virorum affirmat Cenſorinus* cap. 17.

Cùm ex Latio nuntiatum eſſet, Antiates Volſcos concire Romanis bellum, Valerius *ad Satricum, quod ante triennium à Volſcis reſtitutum erat exercitum duxit, ubi inventos Volſcos acie vincit, caſtris exuit, Satrico urbe includit, expugnat, & ad quatuor millia ſub haſtâ vendit, oppidum diruit, & incendit, & triumphat Calendis Febr. quæ inciderunt ad Calendarium Julianum ferè in initium menſis Junii.*

Archon apud Athenienſes *Soſigenes.*

Demoſthenes nonam Philippicam habet de Cherſoneſitanis militibus, ne copiæ dimittantur. Eodem hoc Archonte etiam habet decimam Philippicam, quâ docet, Philippum turbare pacem, & bello Athenienſes laceſſere. *Dionyſ.*

Arymbas Moloſſorum rex, poſt decimum ſui regni annum vitâ decedit, filio relicto Æacidâ, patre Pyrrhi. Philippus rex, pulſo Æacidâ, uxoris ſuæ fratrem Alexandrum adoleſcentem viginti annorum, quem prius impudicum fecerat, regem & ſucceſſorem creat. *Diod. l. 16.*

Timoleon in Sicilia Leontinos fruſtra obſidet, quòd Icetas ſeſe fortiſſimè defenderet. Igitur relicta obſidione Leptinem tyrannum pellit, & civitatibus ejus libertatem reſtituit. Civitates igitur Siciliæ lubentiſſimè ad eum deficiunt, & ſociale fœdus inſtituunt. Timoleon præterea, cùm pecunia & ſtipendio diſtitueretur, mille milites prædatum mittit in Carthaginenſium fines, & præda ſub haſtâ venditâ magnam vim pecuniæ cogit. Sed hac re irritavit Carthaginenſes, qui magnum exercitum & claſſem hac hyeme comparant, quibus Timoleonti bellum inferant. *Ibid.*

Romæ circa diem 5. Novemb. Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Fabius Dorſo.

Ser. Sulpitius Camerinus.

Ambo Patritii hi Coſſ. fuerunt.

Arunci *populantur agros Romanos, Romani contrà, ne fortaſſe id conſilium non unius, ſed omnium nominis Latini eſſet, Dictatorem, velut adverſus armatum jam Latium dicunt* L. Furium Camillum, *qui ſummâ intentione exercitum conſcribit.* Liv. l. 7.

ANNO MUNDI 3609. ante C. N. 339.
BA. ☉ 5. ☽ 3.

Epicurus Philoſophus naſcitur Archonte Soſigene, die ſeptimo Gamelionis, qui ad Calendarium Julianum incidit in diem 24. Januarii, feriam ſextam. *Diog. Laert.*

Dicta-

Dictator *Romæ contra Auncos ducit, ubi eos ſolos offendit, prædonumq; potius, quam hoſtium exercitum invenit. Ideo ſtatim prælio decertatum, in quo prælio Ædem Junoni monetæ vovit, & damnatus voti à Senatu impetrat, ut Duumviri ejus faciendæ in Capitolio, ubi area ædium M. Manlii erat, crearentur.* Liv. lib. 7.

Archon apud Athenienſes *Nicomachus.*

Demoſthenes undecimam habet Philippicam, de pace per Philippum turbata. *Dionyſ. tom.* 2.

Pizoderus frater minimus nati ejicit *Adam* ſororem ex principatu Cariæ, cui jam quatuor annis præfuerat, ſucceditque ipſe per annos quinque, donec *Alexander Magnus* in Aſiam tranſiret. *Diod. l.* 16.

Phocion Athenienſis *Clitarchum* Eretriæ tyrannum bello vincit. *Diodor.*

Philippus rex *Perinthum* urbem in Helleſponto, quæ Athenienſium ſocia erat, obſidione cingit, & plurimis machinis diuturnoque opere oppugnat, nec minus tamen ipſi repugnant, & omnes ejus conatus longo tempore eludunt. *Diod.*

Ephorus hiſtoricus, qui res Græcorum & Barbarorum ab Heraclidarum reditu, per annos ſeptingentos & ſeptuaginta, libris triginta deſcripſit, deſinit in obſidione Perinthi, ſed Diyllus Athenienſis eaſdem hiſtorias continuat usque ad obitum Philippi.

Romæ circa diem 7. *Novemb. Juliani Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. *Martius* Rutilus III.
T. *Manlius* Torquatus II.

Annus Nabonaſſari 408. *incipit die* 18. *Novembris feria* 1.

ANNO MUNDI 3610. ante C. N. 338.
G. ☉ 6. ☽ 4.

Annus à condita urbe numeratus 413.

Annus regni Philippi Macedonis. 21.

Philippus ſtrenuè obſidionem Perinthi urget, nec minus ſeſe illi defendunt; Byzantii ſociæ urbi auxilio mittunt munitiones ſuas, Catapultas & alia. Perſarum etiam rex jubet, ut Satrapæ Perintho urbi auxilium ferant. Quapropter etiamſi Philippus muros urbis proſtraviſſet, irrumpere tamen non poterat, & propter ædium urbis ſitum & firmitatem, & propter propugnatorum multitudinem. Philippus ergo, cùm ſenſiſſet Byzantios ſuas munitiones Perinthiis miſiſſe, diviſo exercitu etiam Byzantios obſidione cingit. *Diod. l.* 16.

Timoleon in Siciliâ, cùm audiviſſet Carthaginenſes magno exercitu advenire, bellum cum Icetâ componit, ipſius exercitu ſuas copias auget, & contra Carthaginenſes in ipſorum fines proficiſcitur. Carthaginenſium erant 70. millia peditum, equitum decem, cum magna claſſe, ipſe habebat vix 12. millia peditum, inter quos tamen ſeditio oritur, poſcentium ſtipendium, priusquam ad hoſtes ducerentur, & ita mille milites Duce Thraſio ab exercitu diſcedunt. Timoleon cum reliquis, Carthaginenſes jam flumen tranſeuntes, aggreditur, eosque cum ſimul nimbus ingruiſſet, quo hoſtium ora feriebantur, vincit, caſtris expellit, & internecione ferè cædit. Prælium factum die 27. Thargelionis, cùm jam ſolſtitium appeteret, ad Calendarium Julianum die 2. Julii feria 2. *Plutarchus in Camillo & Timol.* Carthaginenſes magnoperè hac clade territi, novas copias ex Hiſpaniâ & Galliâ colligunt; nihilominus tamen legationem ſplendidam in Siciliam mittunt, cum plenis mandatis de pace, quibus poſſent conditionibus, facienda. *Diod. l.* 16.

Archon apud Athenienſes *Theophraſtus.*

Cenſu Athenis facto à Demetrio Phalereo, inventi ſunt civium Athenienſium viginti millia: Servorum verò quatercentena millia. *Scal. in Collect.*

Olympias CX. acta die 3. *Auguſti. fer.* 6. *Eſt annus Olympiad.* 437.

Stadium vicit *Anticles* Athenienſis.

Ædes Monetæ annuo ſpatio poſtquã vota erat, dedicatur. Prodigium extemplo dedicationem ſecutum, ſimile vetuſto montis Albani prodigio. Namq; & lapidibus pluit, & nox interdiu viſa intendi. Cumq; civitas plena religionum eſſet, Dictator feriarum Latinarum cauſa conſtituitur:

P. Valerius *Poplicola.*

Cæterùm verbis hiſce Livii: Nox viſa eſt intendi, eclipſin ſolarem, quæ vel incipiente die vel deſinente facta ſit; atq; ita nocti partem tenebrarum addiderit, ſignificari, nemo ambigit.

Hæc Eclipſis ad haſce tabulas invenitur accidiſſe die 15. *Sept. fer.* 7. *horis poſt mediam noctem* 6. *&* 36. *minutis. Parallax ad hoc tempus eſt* 15, 40. *Latitudo verò Lunæ vera* 22, 24. *Viſa* 6. 44. *Semidiam Solis* 15, 32. *ſcrup. reſidua* 23, 14. *digiti eclipticı novem. quanquam aliquanto major eſt, ſi ad elevationem poli* 42. *computaretur. Ad tabulas Prutenicas hæc Eclipſis prior eſt ferè integrâ horâ, ſicq; in ipſo exortu Solis: unde manifeſtum eſt, quòd hac ratione nox prolongata ſit, ad horam ferè. Duravit enim duas horas, atq; ita hic character cœleſtis, certiſſimus index eſt Conſulum rectè ad annos mundi applicatorum.*

Herbartus *ab Hohenburg Eclipſin hanc alibi quæſivit; videlicet ſexennio elapſo, ubi invenit eclipſin Solis, cùm Sol eſſet in* 17. *Cancri. Romæ horis poſt meridiem* 6. *minutis* 15. *digitorum* 10, 10: *quæ cœperit horâ quintâ, & deſierit horâ* 7, 15. *ut ipſe ſcribit. At verò Romæ eo die Sol occidebat, hora* 7. *&* 30. *minutis, Ergo Sol recuperaſſet lumen antequam occideret, & nihil nocti addidiſſet. Et etiamſi fortaſſis tardior eclipſis fuiſſet, & nocti continua; tamen hoc modo Livius potius dixiſſet, diem decurtatum quam noctem prolongatam fuiſſe.*

Athenienſes à Philippo pacem violatam arbitrati, mittunt Byzantinis claſſem & exercitum auxilio; idem faciunt etiam Chii, Coi, Rhodiique. Eo Græcorum concurſu Philippus territus, utramque obſidionem ſolvit. *Diod. l.* 16.

Demoſthenes paulò antè habitâ oratione Athenienſibus ſuaſerat, ut ſtrenuè bello incumberent. *Dionyſ.*

Romæ circa diem 9. *Novembris Juliani Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Valerius Corvus III.
A. Cornelius Coſſus,
ambo patritii fuerunt.

ANNO MUNDI 3611. ante C. N. 337.
F. ☉ 7. ☽ 5.

Samnites, *quia bello plus poterant, Sidicinis bellum in-*

verſæ Græciæ & gloriam dominationis, & vetuſtiſſimam libertatem finivit. Cùm *Philippus* ob tantã victoriam diem feſtum ageret, & corona ornatus captivis & victis, nimium inſultaret, *Demades* Athenienſis, Orator acutus, inter captivos alligatus, auſus eſt Philippum reprehendere, *O rex Philippe*, inquit, *cum Dii tibi per hanc Victoriam perſonam Agamemnonis tribuerint, non te pudet, quòd Therſiten agis?* quo dicto ita fuit mutatus Philippus, ut coronam abjiceret, & omnem lætitiæ ſpeciem amoveret, nec rideret, nec quisquam Philippum victorem eſſe ſentiret: Captivos inde Athenienſibus omnes gratis remiſit, legatos addidit, qui ipſis pacem & amicitiam offerrent. *Diod. Sic. l. 16.*

Plateenſes poſt victoriam ad Chæroneam in patriam à Philippo reſtituuntur, cùm annis ferè nonaginta exulaſſent, bisque ſedibus ſuis ejecti eſſent. *Pauſan. in Boetic.*

Iſocrates annos natus 98. conturbatus hac Athenienſium clade, ne videret Athenas iterum capi, quatridui inedia vitam finivit. *Diog. Laert.*

Archidamus rex Spartæ, qui perfecto bello Crētenſi in Italiam Tarentinis auxilio profectus fuerat, in prælio cum Lucanis eodem die, quo clades ad Chæroneam accidit, occiditur. *R*egnaverat annis 23. ſuccedit ipſi filius *Agis* annis novem. *Diod. l. 16.*

Timotheus Heracleæ Ponticæ tyrannus, cùm præfuiſſet annis 15. moritur, ſuccedit frater Dionyſius, qui regnat annis 30. *Ibid.*

Romæ circa diem 13. Novemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Plautius Venno II.
L. Æmilius Mamercinus,

ANNO MUNDI 3613. ante C. N. 335.
DC. ☉ 9. ☽ 7.

Setini, Norbanique *conqueruntur de injuriis Privernatium; quapropter* Plautius *Conſul Privernum profectus, non magno certamine hoſtes vincit, oppidum etiam captum & Privernatibus redditum, ſed cum præſidio, agrique duæ partes adempta. Inde victor exercitus Satricum contra Volſcos profectus, ancipiti prælio pugnat, hoſtes tamen ſequenti die relictis caſtris & agris profecti, victoriam Romanis concedunt & præda ubique acta.* Liv. l. 8.

Æmilius *Conſul ad Samnites hoſtes profectus, agros eorum vaſtat, cui obviam veniunt legati, pacem & jus belli in Sidicinos petentes, utrumq; à Senatu impetratum eſt, cùm darent annuum ſtipendium militi, & trimeſtre menſium frumentum.* Liv. l. 8.

Archon apud Athenienſes *Phrynichus.*

Lyſicles Athenienſium Dux, quod malè ad Chæroneam pugnaſſet, vehementiſſima oratione accuſatus, capite plectitur. *Diod.*

Samnites *belli vim omnem in Sidicinos convertunt, qui impares tandem Romanis ſe dedunt: ſed ibi non recepti, Latinos de auxiliis ſollicitant, ſeque eis dedunt, qui ſtatim miſſo exercitu Samnites vaſtant, hiſce ſeſe etiam adjunxerant Campani. Samnites apud Romanos de hac re conqueſti reſponſum impetrant, Campanos neceſſariò quieſcere debere, in Latinos ſe hujusmodi imperium non habere: quo reſponſo Latini ferociores effecti, de bello Romanis inferendo conſilia agitant.* Liv. l. 8.

Philippus conventum omnium Græcorum agit Corinthi, ubi conqueſtus de injuriis Perſarum toti Græciæ illatis, bello ipſos perſequendos cenſet, & ſeſe Ducem in hac re futurum offert. Cùm id omnibus Græcis probaretur, certus numerus militum omnibus urbibus aſſignatur, & ipſe Dux Græcorum contra Perſas proclamatur. *Diod. l. 16.*

Timoleon, cùm 8. annos in Sicilia à tyrannis expurganda conſumpſiſſet, & obſcuritate viſus aliâs laboraret, planè cæcus factus eſt, & hoc anno moritur. Cui Syracuſani ampliſſimas exequias ducunt, ſtatuuntq; ipſi ſacra anniverſaria, & ſolennes ludos quotannis agendos. *Diod. l. 16.*

Annus Nabonaſſaris 408. incipit die 6. Novembr. fer. 5.

Romæ circa diem 15. Novemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. T. Manlius Torquatus III.
P. Decius Mus.

Romanus Senatus evocat principes Latinorũ, agitq; cum iis, ne Samnites ſibi fœderatos bello perſequi velint: Latini contrà ſuperbè Romanis reſpondent, imperium abnuunt, ſocietatem ex æquo poſtulant, & ut alter Conſul ex Latio creetur, dimidiaq; pars Senatus inde evocetur imperant; quæ res adeò malè habuit Senatum, ut legati ferè violati eſſent, niſi curâ magiſtratuum defenſi fuiſſent. Liv. l. 8.

ANNO MUMDI 3614. ante C. N. 334.
B ☉ 10. ☽ 8.

Annus ab urbe condita numeratus 417.

Annus Philippi Regis Macedonum 25.

Philippus hoc anno bellum Perſicum inchoat, & Duces *Attalum* & *Parmenionem* cum parte copiarum in Aſiam præmittit; ipſe interim oraculum Delphicum conſulit de eventu belli, reſponſumq; accipit ambiguum:

Serta gerit taurus, jamq; adſtat, qui immolet illum,

quod interpretabatur Philippus de Perſis vincendis, cum de ipſius cæde diceretur. *Diod. l. 16.*

Bagoas Eunuchus & Præfectus militiæ in regno Perſico, cùm ſentiret ſibi periculum imminere ab *Arſe* rege, qui non obſcura indicia præbebat vindictæ, quod patrem & fratres ipſius occidiſſet, regem cum liberis è vitâ tollit, & *Darium* Codomannum in regnum collocat, à quo, cùm venenum & ipſi propinare vellet, cogitur, ut venenum ipſe bibat, & ſic perit. Et *Darius* conſtituto regno, cùm ſibi metueret à Philippo Macedone, de bello in Macedoniam proferendo conſilia init. *Diod. l. 17.*

Latini *populi, aſſumptis ſociis Campanis & Volſcis, Romanis bellũ inferunt. Romani ex ſuis civibus exercitum conſcribunt, ſumma cum curâ bellum adminiſtrant, & diſciplinam militarem ſeverè exercent, adeò, ut Conſul* Manlius *filium ſuum, quod extra ordinem, non conſultis Coſſ. pugnaſſet, ſecuri percuteret. Hinc* Manliana imperia *denominata ſunt. Congrediuntur tandem eâdem militari diſciplina inſtituti, & Romani & Latini, prælio acerrimo, ad radices*

dices

duces Veſuvii montis, ubi in ferventiſſimâ pugnâ, cùm Romani hoſti cedere inciperent, alter Conſul P. Decius *ſe pro exercitu devovet, & Triarii Romani ad ultimum diſcrimen pugnæ reſervati victoriam obtinent inſignem de tot petentibus populis.* Liv. l. 8.

Archon apud Athenienſes *Pythodorus* vel *Pythodemus.*

Olympias CXI. *acta die* 18. *Auguſti fer.* 5. *Eſt annus Olympiadicus* 441.

Victor Stadii *Cleomantes* Clitorius, *Diodorus.*

Soſicles Syracuſanus Poeta Tragicus moritur.

Maronites Philoſophus, & *Ereſius* Ariſtotelis diſcipulus innoteſcunt.

Philippus, cùm omnia, quæ ad bellum Perſicum pertinebant, præparaſſet, nuptias inſtituit *Alexandro* Epirotarum regi, & magnificentiſſimo epulo principes Græciæ excipit, & omnis generis ludos & certamina exhibet, ſecurus omnium rerum à *Pauſaniâ*, nobili Macedone, cujus injurias vindicare noluerat, trucidatur; evaſiſſet Pauſanias, niſi Pampino pedibus implicatus cecidiſſet. Olympias conjux Philippi, quæ repudiata fuerat à Philippo, non videtur inſcia fuiſſe cædis, cujus plurima indicia dedit, ut videre eſt apud Juſtinum hiſtoricum. Succedit ipſi filius *Alexander* Magnus, & virtutibus & vitiis major. *Diod. l.* 7.

Latini, *æqualem utrique populo, & ſibi & Romanis accidiſſe cladem, exiſtimant, ideò cùm juventute abundarent, exercitum reparant: ſed à Conſule Manlio facili victoriâ funduntur, & populationibus continuis vaſtantur: Quapropter ſe Romanis dedunt, ut & Campani: utrique mulctantur agro, qui plebi Romanæ dividitur. Extra pœnam fuerunt Laurentes, Campanorumq; equites, quia non deſciverant, & equitibus à Campanis quotannis denarii* 450. *vectigal ſingulis perſolvitur. Cum Laurentibus fœdus renovatum, & Conſul triumphat Idibus Maji; ad Calendarium Julianum, circa primum Octobris.*

Antiates *Volſci ſub idem tempus bellum renovant, ideò agro Conſule Dictator dicitur* L. Papirius Craſſus, *qui prætor erat, qui tamen nihil magnoperè geſſit. Secuti ſunt hoc anno.*

Coſſ. T. Æmilius Mamercinus.
Q. Publilius Philo.

Ambos hoſce plebejos eſſe autumat Livius, ſed familia Æmiliorum, quæ patritia fuit, id refutat, ut & ipſe Livius anno quarto Punici belli ſecundi.

Alexander Magnus, viginti annorum adoleſcens, in initio regni ſtatim parricidas parentis punit, & exequias parenti ſplendidas ducit. Interim Athenienſes conſpirant cum Attalo in Aſiâ, de evertend Alexandro, ut & alii, qui abrogant audacter, quæ Philippus olim ſanciverat, atque adeò tota Græcia turbat: Nec quietiores ſunt populi Macedonibus ſubjecti, qui ſimul jugum *M*acedonicum excutere cupiunt. Alexander contrà, hiſce nequaquam territus, primum Theſſalos benignis aloquiis ſibi conciliat, & ut ab iiſdem Dux Græcorum proclamaretur, impetrat; hoſce ſequuntur Amphyctiones, qui idem decernunt: inde exercitum in Græciam traducit, terretque & Athenienſes & Thebanos, qui ipſi legatos obviam mittunt, quibus omnibus benignè reſpondet, & Senatum Græcorum Corinthum convocat, ubi ab omnibus ſimul Dux Græcorum contra Perſas declaratur. Diogenes tum vixit Corinthi. Inde Attalum æmulum ſuum, cujus autoritate Græcia à fide diſceſſerant, ex inſidiis in Aſiâ interficit. *Diod. Sic. l.* 17.

ANNO MUNDI 3615. ante C.N. 333.
A. ☉ 11. ☽ 9.

ALEXANDER compoſitis Græciæ rebus arma in Thratiam convertit, eosque ſub imperium redigit; inde Pæoniam, Illyricumque ſubigit, & Iſtrum tranſiens cum Germanis pacem facit, ubi nuncium accipit de defectione Græcorum, & Thebanorum inprimis: quapropter res, ut poteſt, componit, & in Græciam expeditionem inſtituit. *Diod. l.* 17.

Latini *ob iram agri amiſſi rebellant, funduntur que, & caſtris exuuntur à* Philone, *& in deditionem iterum accipiuntur: de quibus etiam triumphat Idibus Januarii, hoc eſt circa finem* Maji Juliani. Æmilius *alter Conſul, nulla magnoperè re geſta. Romam properat, & triumphum ante victoriam petit. Repulſam paſſus, Senatum criminatur de malignè diviſis agris, & Collegam* Q. Publilium Philonem *Dictatorem dixit, qui ſecundiſſimas plebi Romanæ leges tulit, ut Plebiſcita omnes Quirites tenerent; alteram ut alter utique Cenſor ex plebe crearetur.* Liv. l. 8.

Archon apud Athenienſes *Evanetus.*

Ariſtoteles mortuo Philippo redit Athenas, & ſolidis annis duodecim in Lyceo ſcholas habet. *Dionyſ. & Diog.* Laert.

Alexander in Græciam reverſus, dat Thebanis locum pœnitentiæ, verùm cum perſtarent in rebellione, acriter urbem invadit: Thebanos ipſos acerrimo prælio vincit, ſimulque inter præliandum urbem occupat, obviosque quosque trucidat, reliquos capit, & ingenti præda potitur. Cæſa fuerunt ſex millia, capti tricies mille. Inde Senatu Græcorum convocato, quid de urbe & captivis faciendum deliberat; ubi communi decreto ſtatuitur, urbem diruendam, & ſolo æquandam, captivos venundandos, & exules Thebanos quosvis ad pœnam retrahendos, nec ab ullo recipiendos vel defendendos. Urbs ita diruta circa myſteria Athenienſium, quæ fiebant in plenilunio, circa diem 20. Boedromionis, qui hoc anno incidit in 4. Octobris Juliani. Inde Alexander mittit legatos Athenas, ut decem Oratores traderent ſub belli comminatione. Athenienſes in anguſtiis conſtituti, quomodo dignitatem urbis ſuæ tuerentur, exules Thebanos receptos tuerentur, & tamen iram Alexandri effugerent; *Demadem* Oratorem cum aliis ad Alexandrum mittunt, qui omnia feliciter expedivit, & Alexandrum Athenienſibus reconciliavit. *Diod. Siculus.*

Romæ circa diem 19. *Novemb. Juliani Magiſtratum ineunt:*

Coſſ

Coſſ. L. Furius Camillus.
C. Mænius.

ANNO MUNDI 3616. *ante C. N.* 332.
G. ☉ 12. ☽ 10.

Alexander cum amicis ſapientiſſimè deliberat, an bellum Perſicum jam ſit ſuſcipiendum, an verò differendum. Plurimi ſuadent, ut conjuge ducta, de ſucceſſione, ſi quid ipſi humanius accideret, regno proſpiceret. At ipſe, cum firmas & exercitatas copias haberet, & dux contra Perſas à Græcis declaratus eſſet, bellum differendum eſſe negat. Inde præparatis rebus, omnia, quæ habuit, amicis diſtribuit, ſibi ſpem ſufficere affirmans, exercituque triginta duorum millium peditum, & quinque fere equitum Orientis opes aggreſſus, infinita hominum millia vicit. *Memnon* & alii Perſarum Duces, inſtructi exercitu centum millium peditum, decem equitum, Alexandrum, dum Granicum fluvium tranſit, invadunt; fit atrociſſimum prælium. Alexander ipſe fortiſſimè dimicat, præſtantiſſimos Perſarum Duces ſua manu occidit, quanquam non ſine periculo, niſi à Clito protectus fuiſſet, & victoriam obtinet. Factum prælium, cùm æſtas in exitu eſſet, menſe Thargelionis Athenienſium, Deſio verò Macedonum: ceciderunt hoſtium vicies mille. *Diod. lib.* 17.

Conſules Romani contra Latinos hoſtes exercitum educunt: Latinorum ea conditio erat, ut cùm vires rebellionis deeſſent, oppidis ſe tenerent, & audita alicujus oppidi obſeſſione auxilium contra Romanos ferrent. Nihilominus tamen Pedum expugnantur, totum Latium in deditionem accipitur, & præſidiis firmatur, & Coſſ. triumphus decernitur. Liv. lib. 8.

Archon Apud Athenienſes *Cteſicles.*

Alexander poſt prælium Sardes cum theſauris accipit, inde ad Miletum caſtra ponit, eam continenter oppugnat, & itidem deditione capit. Cùm ulterius tendere vellet, totam ſuam claſſem in Græciam remittit. & Halicarnaſſum magnis operibus, & ultimo diſcrimine ſuorum, cum triarii tandem inſignem operam præſtitiſſent, expugnat. Inde totam Phrygiam, & litoralem Aſiam, ad Ciliciam usque, ſibi ſubjicit. *Diod. lib.* 17.

Conſules Romani, priusquam novos Coſſ. crearent, ad Senatum referunt, quid de Latinis victis amplius agendum ſit; Senatus decernit; ut cum aliorum alia ſit conditio, alii in civitatem Romanam recipiantur, alii urbibus ſuis ejicerentur, & novi coloni eò ducerentur, alii tandem agro multentur. Nova Colonia etiam Antium miſſa, ſed Antiati populo interdictum mari eſt, navesque eorum Romam ſubducta ſunt, & roſtris eorum ſuggeſtum Romæ extructum & exornatum, idque templum poſtea Roſtra appellatum eſt. Liv. lib. 8.

Romæ circa diem 21. Novemb. Iuliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Sulpitius Longus.
P. Ælius Pætus.

ANNO MUNDI 3617. *ante C. N.* 331.
FE. ☉ 13. ☽ 11.

Memnon Rhodius Perſarum Dux, inſtructus maxima claſſe trecentarum navium, in id operam dat, ut illato Macedoniæ bello Alexandrum retrahat; ideò Chium ſibi adjungit, reliquas Inſulas, ut & Mitylenen & Lesbum capit: namque videbatur in Græciam tranſiturus, & Græci jam arrecti erant ſpe novarum rerum, multique auro Perſico corrupti; cùm morbo correptus, extremum vitæ ſpiritum exhalaret, magno *Darii* damno. *Diod. l.* 17.

Darius poſt mortem Memnonis conſultans de bello, cùm idoneum Ducem non inveniret, ipſe proficiſci in bellum conſtituit, & *Charidemum* Athenienſem, qui utiliora, ſed Perſis non ſatis grata perſuadebat, occidit. Conſcribitur igitur exercitus, qui Babylonem conveniant, ut inde contra Alexandrum moveat. *Ibid.*

Alexander occupata Lycia, Pamphilia, cum Gordium nodum gladio diſſectis omnibus loris ſolviſſet, in Ciliciam, ut anguſtias montium præoccuparet, movet; ubi in Cydno fluvio, prope Tharſum urbem, lavans, lethalem morbum contrahit, à quo liberatur induſtria Philippi medici, quem tamen Parmenio ſuſpectum reddiderat, quod conductus à Perſis mille talentis veneno Alexandrum tollere deberet; nihilominus tamen Alexander ejus opera feliciter uſus fuit. *Ibid.*

Archon apud Athenienſes *Nicoſtrates.*

Ferguſius *Scotorum rex, ad computationem Buchanani* in rebus Scoticis, *incipit, regnatq; annis* 25.

Darius contracto exercitu quater centenorum millium peditum, & centum millium equitum, in Ciliciam in occurſum Alexandri, non ſatis ex prudentia militari tendit, cùm in anguſtiis montium ipſius copiæ ad paucitatem redigerentur, ibique aſtu Alexandri, à quo inprimis petebatur, vincitur, amiſſis centum & triginta millibus militum, cùm Macedonum vix triginta & duo pedites, equitesque centum & quinquaginta cecidiſſent: caſtra etiam capta cum ingenti prædâ, capta item Darii conjux, mater, filius, binæ filiæ cum univerſa familia. Inde recreato exercitu Theſſalos cum Parmenione Damaſcum mittit, ut præda ibi ditarentur. *Diod. & Plutarch.*

Aurunci in Italia petunt à Romanis auxilium contra Sidicinos, & obtinent: ſed mora Conſulum exercitus ſcribentium, factum eſt, ut Aurunci à Sidicinis urbe pellerentur. Sueſſam veniunt profugi, eamque Auruncam appellant, & vetus Aurunca à Sidicinis deleta eſt. Dictator ad hoc bellum dicitur C. Claudius Craſſinus II. *qui vitio factos abdicavit, & bellum dilatum eſt.* Liv. lib. 8.

Q. Publilius Philo hoc anno primus de plebe Prætor fuit. Idem.

Minutia *virgo veſtalis ſuſpecta propter mundiorem culturam, & poſtea ſtupri convicta, viva ſub terram defoſſa eſt, ad portam Collinam.* Liv. ibid.

Annus Nabonaſſ. 416. incipit die 14. Novemb. fer. 6.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 23. Novembris.

Coſſ. L. Papirius Craſſus.
Cæſo Duillius.

ANNO MUNDI 3618. *ante C. N.* 330.
D. ☉ 17. ☽. 12.

Annus ab urbe condita numeratus 421.
Annus Alexandri Magni quartus.

Alexander Magnus, cùm Syriam veniſſet, Cyprus Inſula legatos de deditione mittit, idem faciunt & aliæ urbes, ſola Tyrus urbs ipſi repugnat, ut victoriam Alexandri moraretur, & Darius tempus haberet exercitus reparandi. Obſidio igitur trahitur per integros ſeptem menſes, & cùm eam ex inſula peninſulam feciſſet, & continenti junxiſſet, expugnat eam, cives trucidat, duo millia in crucem agit, reliquos divendit. Inde Gazam pergit, in cujus expugnatione binos manſes conſumpſit. *Diod.* Joſephus, *Curtius, &c.*

Sanneballat Chuttæus, cùm antea Perſarum regem *Darium* ſolicitaſſet, de poteſtate condendi templi, in monte Garizim, ut generum ſuum *Manaſſem*, quem *Nehemias* è republ. Judæorum ejecerat, propterea, quòd Micaſo filiam Sanneballeti uxorem duxerat, Pontificem faceret; jam eo devicto ad *Alexandrum*, cùm in Phœniciam veniſſet, deficit, adductis octo millibus militum, & ſtrenuam ipſi operam in oppugnatione Tyri navavit, & facilè impetravit, ut liceret ſibi templum ædificare, ut ægrè faceret Judæis, quibus tum Alexander erat infenſus. Secutus eſt eum poſtea ad oppugnandam Gazam, ubi morbo & ſenio confectus obiit. *Joſeph. lib. 9. cap.* 8.

Alexander Epiri rex, æmulus avunculi Alexandri Magni, in Italiam cum claſſe tranſit, & primum Apulis bellum facit; cum quibus tamen pacem, ubi potuit, componit, propter vetuſtum quoddam Oraculum. *Juſtinus.*

Auſonum gens Sidicinis viciniis arma junxerat contra Romanos ei Conſules bellum inferunt, & facillimo prælio abſque magna clade vincunt, quòd urbs probè eſſet. Liv.

Agis Lacedæmoniorum rex, invidens fortunæ Alexandri, ut Perſas, à quibus copiis & pecunia inſtitutus erat, adjuvaret, in Cretam tranſit, & ibi Perſarum imperium firmat. *Diod. lib.* 17.

Amyntas ex Macedonia profugus, collectis quatuor millibus militum, ex fuga ad *Iſſum* in Ægyptum tranſit, cùm Ægypti præfectus in pugna cecidiſſet; & ſe pro præfecto Darii gerit, occupatâ totâ Ægypto: at vero cùm prædas ageret, prope Memphim cum omnibus ſuis trucidatur. *Diod. lib.* 17.

Archon apud Athenienſes *Niceratus.*

Olympias CXII. acta die 4. Auguſti fer 3. Eſt annus Olypiadicus 445.

Victor Stadii fuit *Gryllus* Chalcidenſis.

Annus ſabbathicus 6. Jobelei 23. incipit die 27. Sept. fer. 5. Eſt ſeptimana decima quarta ſeptuaginta hebdomadum. Anno Jud. 3430.

Senatus Græcorum, cùm Corinthi in Iſthmiorum ludis conveniſſet, quindecim legatos ad Alexandrum in Aſiam deſtinat, qui ipſi victoriam gratularentur, & aurea corona donarent; invenerunt eum in caſtris ad Gazam. *Diod.*

Alexander cùm Gazam expugnaſſet, Amyntam in Macedoniam mittit, qui ſupplementum militum ex Græciâ adducat; interim ipſe movet Hieroſolymam verſus, infeſto animo. Pontifex Jaddua, cùm populo jejunium ſolenne indixiſſet, irato Alexandro obviam procedit, ornatus ſtolâ pontificali. Sed Alexander eo viſo ſtatim animo immutatus eſt, Pontificem benignè & amicè ſuſcepit, & interrogatus cauſam, reſpondit, ſibi in Macedoniâ numen quoddam noctu viſum, quod victoriam de Perſis ſibi promiſiſſet: ejus numinis Pontificem ſe credere hunc eſſe. Perrexit igitur in urbem, ubi Deo ſplendidum ſacrificium fecit, & cùm ex Daniele Prophetâ de everſione regni Perſici confirmatus eſſet, plurimis beneficiis Judæos affecit, αὐτονομίαν conceſſit, & tributorum immunitatem annis ſabbathicis. Joſephus *lib. 9. cap.* 8.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem viceſimum quintum Novembris:

Coſſ. M. Valerius Corvus IV.
M. Atilius Regulus.

ANNO MUNDI 3619. *ante C. N.* 329.
C. ☉ 15. ☽. 13.

Alexander in Ægyptum proficiſcitur, ubi ſummo deſiderio ab Ægyptiis, ſuperbia & injuriis Perſarum exacerbatis receptus eſt; inde ad templum Jovis Hammonis ſummo cum periculo iter ingreſſus eſt, quòd & arenæ eſſent continuæ, & ab omni humore deſtitutæ, quibus exercitus olim Cambyſis iiſdem in locis obrutus erat; feliciter tamen iter peregit, & reverſus *Alexandriam* urbem, loco opportuno verſibus Homeri, *ut Plutarchus habet*, oſtenſo, condit, & inde in Syriam redit, ubi accipit literas à Dario ſcriptas, quibus ipſi & ampliſſimum regnum, & filiam cum infinitis theſauris offerebatur, quam conditionem rejecit, niſi Darius ſeſe inferiorem profiteretur, cum ut cœlum binos Soles, ita orbis terrarum geminos reges ferre non poſſet. *Diodorus Siculus lib.* 17.

Valerius *ad Auſones profectus, cùm hoſtes primo prælio fudiſſet, urbem etiam Cales, quam operibus expugnare moliebatur, admonitu Fabii ſcalis cœpit: ingens ibi præda capta eſt, inde Romam rediit, triumphavitque Idibus Martii, hoc eſt, circa 24. Auguſti Juliani.*

Archon apud Athenienſes *Ariſtophanes.*

Alexander cùm ad Euphratem veniſſet, occurrit ipſi ad Gaugamela Darius cum ingenti exercitu: habuit enim ad octingenta millia peditum, & ducenta millia equitum, quos quotidiè in aciem educebat & exercitabat. Moritur interea Stativa Darii uxor, quam Alexander ſplendidè ſepelit. Inde in aciem educit etiam ſuos, & in planicie, ubi Darius equitatu plus poterat, cum Dario pugnat, aperto quidem, ſed difficillimo prælio, & vincit: quam victoriam *Alexander* majori ex parte ſuæ virtuti magis, quàm fortunæ debuit. Prudentiſſimè enim aciem inſtruxerat, promptiſſimè ipſe pugnavit, & magno conſilio jacturam impedimentorum caſtrorumque, quæ ab equitatu Darii in initio pugnæ expugnata & capta fuerant, contempſit, cùm in ipſa acie ſummum rei videret eſſe diſcrimen. Parmenio Dux alterius cornu, longuidius ſe geſſit in hac pugnâ, vel ex timiditate, vel ex invidia *ut Plutarchus teſtatur.*

Factum eſt prælium undecim diebus poſt ecclipſin Lunæ, quæ accidit Babylone ad Calendarium Julianum die 20. Sept. feria ſecundâ, horis poſt meridiem 10, 24. Latitudo Lunæ vera 20, 5. ſeptentrionalis. Summa Semidiametrorum 64, 13. Semidiameter Lunæ 17, 58. Scrupula reſidua 44, 9. Digiti ecclíptici 14. Sol in 23. gradu Virginis. Factum igitur prælium primo Octobris, feriâ ſextâ, ſecundum Plutarchum.

Con-

Conſules *ambo adverſus Sidicinos exercitum ducunt, & comitiorum cauſa dictatorem dicunt* L. Æmilium Mamercum, *à quo circa diem* 27. *Novemb. creantur:*

Coſſ. T. Veturius Calvinus.
Sp. Poſthumius Regillenſis.

ANNO MUNDI 3620. *ante C. N.* 328.
B. ☉ 16. ☽ 14.

Darius victus ad ſuperiores provincias regni Perſici perfugit, exercitum reparaturus. *Diodorus.*

Alexander contra eum exercitum quiete poſt prælium refeciſſet, ne putredine cadaverum, aër corruptus exercitum peſte afficeret, *Babylonem* pergit, & deditione capit, ibi præfectos provinciarum ex ſuis eligit; & cum ſupplementum ex Græciâ miſſum eſſet, exercitum ordinat, magnisque muneribus afficit; inde *Suſas* abit, quas ſimiliter deditione accipit; inde magno periculo *Uxianam* regionem petit, & tandem Duce Lycio à Perſis olim capto, cùm viæ reliquæ omnes munitæ eſſent, in Perſiam venit, & *Perſepolin* metropolin Perſarum, ſuis diripiendam tradit, arce exceptâ, quam tamen poſtea ebrius & commeſſabundus, perſuaſus à Thaide meretrice Attica, cremat. Invenit autem ingentem vim auri & argenti in theſauris Perſicis, & Suſis quidem 40. millia talentorum, Perſepoli vero centum & viginti millia talentorum. Eam pecuniam omnem vel Suſos vel Babylonem transfert. *Diod. Sic.*

Coſſ. *Romanis antea propoſitis, Colonia deducta eſt* Cales: *duo millia & quingenti homines eo ſcripti, & triumviri creati, qui agrum dividerent. Inde accepto exercitu à* Coſſ. *præcedentis anni Sidicinos vaſtant, & ad mœnia ipſorum tandem perveniunt. Quia verò Sidicini dicebantur ingentem exercitum conſcripſiſſe, Dictator ex autoritate Senatus dicitur* P. Cornelius Rufinus, *qui tamen vitio creatus, ſe abdicavit*, Liv, lib. 8.

Calippus *Cyzicenus Mathematicus, cùm videret annum Metonicum, qui juſto major erat, vitium facere, animum ad ejus emendationem appulit, & quatuor Enneadecaeteridas, ſive quatuor annos Metonicos conjunxit, qui efficerent annos Iulianos* 76. *& diem unum biſce annis in ſua periodo detraxit. Inchoavit autem eam ab hoc anno à novilunio, quod in diem* 28. *Iunii Iuliani incidit, qui dies proximus eſt à ſolſtitio, ab Euctemone & Metone obſervato, quemadmodum hæc apertè monſtrantur ex Ptolomæo.*

Archon apud Athenienſes *Ariſtophon.*

Demoſthenis cauſa de corona hoc Archonte dijudicata eſt, & *Demoſtenes* abſolutus. *Dionyſ. & Diogenes.*

Darius Bactra profectus cum triginta millibus hominum, tam Græcorum quam barbarorum, quos collegerat, à Beſſo, quem Bactris præfecerat, ſcelerate comprehenditur, aureis catenis vincitur, & tandem jaculis conficitur.

Alexander, qui incredibili celeritate Darium inſecutus fuerat, jam defuncto ſupervenit, cadaver Chlamyde ſua contegit, & Suſas ad matrem miſit, quæ eum regio more ſepelevit. *Diod. Sic. l.* 17.

Roma peſtis ingruit, ideo tanquam auſpiciis contaminatis res ad interregnum redit, & quinto interregno tandem creati:

Coſſ. A. Cornelius Coſſus II.
Cn. Domitius Calvinus.

Cùm Samnium alterum annum turbari novis conſiliis videretur, exercitus ex agro Sidicino non eſt deductus. Liv.

ANNO MUNDI 3621. *ante C. N.* 327.
AG. ☉ 17. ☽ 15.

Motus belli, in Græcia exiſtunt, dum verentur, ne Alexander tanta victoria potitus Græciam in ſervitutem redigat. *Memnon* igitur Thraciæ præfectus, ab Alexandro deficit, eique bellum facit: idem faciunt Spartani, & reliqui in Peloponneſo, Athenienſes quieſcunt. *Antipater* prorex Macedoniæ, prius in Memnonem ducit, idque bellum ſtatim componit, & in Peloponneſum aſſcitis ſociis venit, ubi prælio difficillimo vincit, cadunt Græcorum ultra quinque millia: ex Antipatri verò exercitu ultra tria millia. *Apis* Lacedæmoniorum rex graviſſimè vulneratus, cùm portaretur à ſuis, & ab hoſtibus circumdaretur, juſſit ſuos ſe Reipublicæ ſervare, & fugere, ipſe in genua prolapſus, invicto animo trucidatis plurimis hoſtium, tandem telis obrutus cadit. Antipater Spartanos bello proſequens, eis pacem petentibus dat, obſides tamen nobiliſſimos capit, & negotium ſenatui Græco dijudicandum proponit, qui id ad Alexandrum rejiciunt. *Diodo. Siculus.*

Alexander Epiri rex, cum in Italia aliquoties proſpere pugnaſſet, & cum Romanis etiam amicitiam iniſſet. Tandem à Lucanis transfugis ex inſidiis trucidatur, ad Acherontem amnem. Prædictum ipſi fuerat ab oraculo, ut Acheruſiam aquam vitaret, ibi enim fatis ejus terminum dari, atque ideo ex Epiro diſceſſerat, ubi Acheron amnis erat, inſcius in Italia etiam ejuſdem nominis amnem eſſe, ubi periit. Antipater hæc & alia ad Alexandrum Magnum perſcribit. *Iuſtinus & Diod. Siculus.*

Archon apud Athenienſes *Cephiſophon. Diod.*

Beſſus, interfecto *Dario*, in Bactrianam regionem profugit, & alios ſibi ſocios aſſumit, totam regionem præſidiis munit, & regium Diadema ſibi ſumit. *Diod.*

Ad *Alexandrum* tandem nuncius venit de cæſis Lacedæmoniis, & interitu Alexandri Epiri regis, unde ipſi lætitia major ex cæſis hoſtibus, quàm dolor ex morte avunculi fuit, exercitui tamen triduanum luctum indicit. Inde in Hyrcaniam movet, ubi cum Thaleſtri *Amazonum* regina, ex rege liberos quæſitura, tredecim dies conſumit. Inde cùm multo Perſarum duces in gratiam recepiſſe, Perſicum habitum ſibi ſumit, mores Græcos exuit, & ſe adorari cupit; unde in odium venit apud milites ſuos, ex quibus aliqui contra eum conſpirarunt, cujus conſpirationis indicem, ne rem ad Alexandrum deferret, impedivit *Philotas*, filius Parmenionis, qui ob id ſuſpectus factus in vincula rapitur, tormentis ſubjicitur, & cum patre trucidatur. *Diod. Siculus, Curtius.*

Apud Romanos fama Gallici belli pro tumultu valuit. & Dictator dictus eſt M. Papirius Craſſus, *ſed per exploratores cognitum, omnia tranquilla eſſe apud Gallos.* Liv.

Cenſores *apud Romanos Publilius Philo & Sp. Poſthumius, luſtrum XXIV. condiderunt, & quoniã*

multi ex Latinis cives Romani facti erant, duas Tribus, Mætiam & Scaptiam, *veteribus viginti ſeptem addiderunt.* Liv.

Annus Nabonaſſaris 420. incipit die 13. Novemb. feria 3.

Romæ circa Calendas Decemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Claudius Marcellus.
C. Valerius Flaccus.

Fœdus annus vel intemperie cœli, vel humanâ fraude ſequitur.

ANNO MUNDI 3622. ante C. N. 326. F. ☉ 18. ☽ 16.

Annus ab urbe condita numeratus 425.

Annus Alexandri Magni octavus.

Alexander dum Beſſum perſequitur, ad Caucaſum tandem pervenit, ubi infinitis moleſtiis afficitur, & nive ferè obruitur. Beſſus verò à ſuis captus, vivus ad Alexandrum deducitur, qui eum Oxyatri, fratri Darii excruciandum & necandum tradit; ipſe interea ad *Tanaim* Alexandriam condit, & Scythas prælio vincit. *Curtius.*

Romæ de veneficiis primùm quæſitum. Cum enim primores civitatis ſimilibus morbis, eodemque fermè omnes eventu morerentur, ancilla quadam veneficii indicium ad Q. Fabium *ædilem Curulem affert, quo indicio patefactum, muliebri fraude civitatem premi, & matronas venena coquere, quarum primum viginti, inde centum & ſeptuaginta comprehenſa, & priores quidem ſua fraude interierunt, reliqua capitis damnata ſunt.* Liv.

Archon apud Athenienſes *Euthycritus.*

Annus tertius primæ periodi Calippicæ, incipit die ſexto Julii, fer. 7.

Olympias 113. acta die 20. Auguſti, fer. 3. Eſt annus Olympiadicus 449.

Victor Stadii *Cliton Macedo.*

Crates Thebanus Philoſophus Cynicus floret. *Diog. Laert.*

Cùm Romæ veneficia illa prodigii loco haberentur, & captis magis mentibus, quàm conſceleratis facta crederentur, Dictator dicitur Cn. Quintilius Varus *clavi figendi cauſa quo fixo iterum ſe magiſtratu abdicavit.* Liv.

Alexander petram quandam, quæ inſuperabilis olim Herculi, ut ferebant, expugnant; in venatione ipſe immanem leonem conficit; paulò pòſt *Clitum* nutricis ſuæ filium, à quo ad Granicum in pugna ſervatus fuerat, trucidat; Inde *Roxanen Oxyatris* filiam uxorem ducit, & *Calliſthenen* Alexandri ex ſorore nepotem, innocentem quidem, ſed tamen de inſidiis Alexandro factis ſuſpectum, cum cruciatu necat. Inde cùm ad Indos movere conſtituiſſet, præmittit *Hephæſtionem & Perdiccam,* qui inter illud munirent, & quæ ad trajiciendum Indum pertinere videbantur, præpararent. Ipſe interea multas urbes, quæ legatos de deditione non miſerant, expugnat; & cum fere ad Indum perveniſſet, *Nyſam* urbem à *Baccho* quondam, quando Indos vicerat, conditam, parte exercitus ibi relicta liberam conſtituit, & multis beneficiis ornat, magnificumque Baccho ſacrificium facit. *Arrianus.*

Poſtea propè Indum munitiſſimam urbem *Diaſſagam* magna vi oppugnat, nec ſegnius ſe cives defendunt. Cùm verò præfectus eorum in pugnâ cecidiſſet, pacem petunt, & obtinent hoc conditione, ut mercenarii milites, quos habebant, ſecum contra Indos proficiſcerentur, quod quidem mercenarii promittunt, ſed cùm profugere ex exercitu vellent, eos Alexander circumdato exercitu omnes occidit. *Arrianus & Diod.*

Romæ circa diem 3. Decembr. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Papirius Craſſus.
L. Plautius Veneno.

ANNO MUNDI 3623. ante C. N. 325. E. ☉ 19. ☽ 17.

Cùm Alexander ad Indum perveniſſet, naves conſtructas & fluvium ponte junctum invenit; ſed *Taxiles*, qui cum ipſo amicitiam pepigerat, defunctus erat. Ejus filius autem *Mophis* cum Alexandro amicitiam renovat, & juſſus exercitum cum elephantis adducit, quod gratiſſimum Alexandro accidit, & eum à parente ſuo *Taxilem* appellat, regnumque ejus auget. *Diodorus Siculus.*

Legati ex *Volſcis Romam veniunt, urbes ſuas Romanis dedentes, ſi contra* Samnites *defendantur.* Coſſ. *legatos ad Samnites mittunt, hanc ob rem, & etiam id impetrant, quòd Samnites adhuc ad bellum imparati eſſent.* Liv.

Archon apud Athenienſes *Chremes Diod.*

Sed Dionyſius hic *Hegemonem* ſubſtituit.

Helenus Francorum Dux, cùm annos 19. regnaſſet, moritur; ſuccedit filius *Diocles*, qui regnat annos 39.

Alexander, cùm exercitum in *Taxilis* provinciâ recreaſſet, in *Porum* potentiſſimum regem movit, qui ingentem collegerat exercitum, & 130. habebat elephantos: Acceſſit præterea ſocius belli alius rex, qui non inferiores copias habuit. Vincit tandem Alexander magno conatu & periculo, & Porum captum ſanari curat, regnumque ipſi reddit.

In regione hac fertiliſſima binas urbes condit, & cùm ad *Sopitham* regem veniſſet, ab ipſo in fidem recepto, canes eximiæ virtutis, qui ex cane & tigride nati erant, accipit. Inde cùm ad *Gangem* ampliſſimum fluvium veniſſet, nec milites ulteriùs proficiſci vellent, modum ſuæ expeditionis facere cogitur, & duodecim aras erigit, caſtra longè majora facit, lectosque quinque cubitos longos, ut ſui nominis memoriam ampliſſimam in illis locis relinqueret, & ex Iudia incipit regredi. *Diod.*

Privernas *bellum initum, quod* Vitruvius *Fundanus, patria ſua pulſus, populo Romano movit. Conſul Papirius ſtatim Vitruvium vincit, qui Privernum elapſus urbem munit, & quæ ad obſidionem tolerandam faciunt, comparat. Alter conſul ad Fundanos profectus, invenit eos pacem colere, & quosdam tantùm eorum Romanis rebelles Privernum abiiſſe: eorum multos dediderunt.* Liv.

Carceres *in circo ad ludos agendos primum Romæ conſtituti, & ipſo die Calendarum Quintilium, qui ad Calendarum Iuli anno incidunt in quintum Decembris, cùm creati eſſent, ut Livius ait, magiſtratum inierunt:*

Coſſ. L. Æmilius Mamercinus II.
C. Plautius Decianus.

Anni-

Æmilius in hoc honore Privernas appellatus eſt.

ANNO MUNDI 3624. *ante C. N.* 324.
D. ☉ 20. ☽ 18.

Alexander cùm ad Mallos, qui ſunt populi in India, veniſſet, in oppugnatione urbis, cùm ſolus in murum aſcendiſſet; in ipſam urbem, in medios hoſtes inſilit, ubi ferè interfectus eſt.

Doxippus pugil Athenienſis, nudus cum armato Macedone pugnat vincitque: ſed à Macedonibus odio & inſidiis petitus, mortem conſciſcit.

Apud Brachmannos cùm *Ptolomæus*, qui pòſt Ægyptum obtinuit, venenata ſagittâ ſauciatus eſſet, nec remedium huic & aliis eſſet, Alexander herbam, quâ ſanari poſſet, in ſomnis, Dracone quodam & herbam & locum monſtrante, vidit, quâ poſtea milites ſalubriter in hujusmodi vulneribus uſi ſunt: Inde claſſem adornat, quâ Oceanum tentari jubet, & ad oſtia Euphratis reverti. Præfecti verò, quos præfecerat Alexander regionibus Perſicis, cùm de reditu ejus deſperaſſent, multa libidinosè & crudeliter egerant interim: in eos ſeverè animadvertit Alexander, quam pœnam multi fugâ evitare conati ſunt. *Diod. Siculus.*

Mamercinus *conſul bellum Gallicum ſortitur, & ad Vejos uſque abit cum exercitu; exploratis verò rebus, invenit Gallos quieſcere. Ducit igitur exercitum ad Privernum, oppidumque cum Vitruvio capit.* Liv.

Archon apud Athenienſes *Anticles.*

Cùm *Alexander* Suſas perveniſſet, *Calanus* Indorum Sophiſta, qui vitam ad annos 73. propagarat, cùm valetudine tentaretur, petiit ſe cremari vivum. Inde *Alexander Statyram* Darii filiam ſibi jungit uxorem, & ſororem ejus minorem natu tradit Hephæſtioni, & Perſas, quos ex juventute ſelegerat & inſtituerat, exercet armis Macedonicis, ut haberet, quos opponeret Macedonibus tumultuantibus, & minùs ſibi obſequentibus. Interea *Harpalus* convaſatis quinque talentorum millibus Babylone aufugit, aſſumptis ſex millibus militum, & cum parte pecuniæ ad Athenienſes venit, ubi *Demoſthenem* auro corrupit, ut ſuam cauſam apud populum ageret.

Alexander præterea Veteranos exautoratos in Græciam dimittit, & eorum debita ultrò ad decem millia talentorum exolvit, ſcribitque ad Græcos, ut hi in ſummo honore apud Græcos haberentur. Reliquos verò Macedones, qui tumultum excitabant, ipſe ad pœnas trahit, & tandem cùm triduano fletu miſericordiam Alexandri imploraſſent, in gratiam recipiuntur. *Diod. Siculus.*

Conſules necato Vitruvio, cùm ſenatores Priverni in exilium pulſi eſſent, triumphant Calendis Martii, quæ incidunt ad Calendarium Julianum ferè in 9. Auguſti; inde de plebe Privernatium Senatusconſultum, eam in civitatem recepit, ne ſe Samnitibus, qui bellum coquebant, dederent. Liv.

Inde circa diem ſeptimum Decemb. Juliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Plautius Venox.
P. Cornelius Scipio Scapula.

ANNO MUNDI 3625. *ante C. N.* 323.
CB. ☉ 21. ☽ 19.

Harpalum fugientem perſequitur Antipater, eumque ut ſibi ab Athenienſibus tradatur, efflagitat: Demoſthenes perſuadet populo, ne tantum concedant Antipatro, ſed paterentur Harpalum fugere, qui paulò poſt in Creta occiſus eſt. Athenienſes verò, cùm ſibi metuerent ab Alexandro, quæſtionem de pecuniis Harpali inſtituunt, & deprehendunt, Demoſthenem poculum & viginti talenta accepiſſe, qui propterea damnatus in exilium actus eſt.

Demetrius Phalereus inclareſcit, & ad Rempubl. adhibetur, *teſte Diog. Laert.*

Alexander Suſis exercitum ſuum recenſet, corporis ſui cuſtodes ex Macedonicis & Perſis ſimul eligit, & multa Perſarum millia in exercitu Macedonibus miſcet. Inde Suſis abiens *Ecbatanam* Mediæ proficiſcitur, ubi multum temporis recreationi exercitus tribuit; ipſe interea ſcenicos ludos & compotationes aſſiduas inſtituit, ubi *Hephæſtio* nimium poculis indulgens, morbo correptus vitâ excedit, quem caſum Alexander adeò graviter tulit, ut medicum in crucem ageret, cadaver ſecum Babylonem deportandum duceret, ubi exequias ipſi perageret. *Diod. Sic. lib.* 17.

In Græcia novi tumultus exoriuntur, quòd ex edicto Alexandri omnes reguli milites ſuos dimiſiſſent, qui collecti ad Tænarum Laconiæ cum quibusdam ex Perſia profugis bellum Alexandro meditantur, duce *Leoſtene* Athenienſe, qui clam ab Athenienſibus quinquaginta talenta accepit. Inde bellum *Lamiacum* ſequenti anno conflatum. *Ibid.*

Archon apud Athenienſes *Soſicles.*

Fregellas, *ubi Sidicinorum, & deinde Volſcorum ager fuerat, Colonia deducta eſt, quæ celeberrima poſt facta eſt.* Liv.

Viſceratio, quæ erat cruda carnis diſtributio, Romæ primùm à M. Flavio *in funere matris data, quæ res ipſi poſtea honori fuit, & Tribunus plebis abſens creatus eſt.*

Annus ſabbathicus, & Jobeleus viceſimus tertius, incipit die Auguſti 31. *fer.* 5. *Eſt ſeptimana decima quinta hebdomadum Danielis, anno Jud.* 3437.

Alexander Coſſæorum gentem in Media, quæ nunquam Perſis vel Medis ſubjecta fuerat, expugnat, & ſibi obedientem reddit. Inde Babylonem verſus movet, quam ne ingrederetur Chaldæorum Aſtrologi ſeriò ſuadent, ideò amicis intra urbem receptis, ipſe ducenta ſtadia inde caſtra metatus ſubſiſtit.

Annus Nabonaſſaris 424. *incipit die* 12. *Novembris feria* 7.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 9. *Decembris Juliani:*

Coſſ. L. Cornelius Lentulus.
Q. Publilius Philo II.

Palæopolitani, ſuis viribus & ſocietate Samnitium freti, multa hoſtilia adverſus Romanos faciunt, & agrum Campanum Falernumq; aſſiduis vaſtationibus populantur.

ANNO MUNDI 3626. *ante C. N.* 322.
A. ☉ 22. ☽ 1.

Annus ab urbe condita numeratus 429.

Annus Alexandri Magni duodecimus.

Alexander à Philoſophis Anaxagoræ dogmata amplexis perſuadetur, Chaldæorum Aſtrologiam,

giam, & prædictiones vanas eſſe, nec metuendas: Ideò urbem ingreditur, ubi humaniſſimè excipitur à civibus & legatis, qui ex toto orbe ibi confluxerant. Vniverſum enim terrarum orbem nominis ejus terror invaſerat, & cunctæ gentes, veluti deſtinato ſibi regi adulabantur. Legationes igitur ita diſtribuit, ut primos audiret, qui Sacrorum cauſa venerant; Secundos, qui cum gratulatione munera afferebant; Tertios, qui cum finitimis controverſiis habebant; Vltimos, qui reſtitutione exulum in Græcia refragabantur. Mandaverat enim Alexander, ut omnes exules reſtituerentur, præterquam homicidiæ & ſacrilegi. Hos omnes ita audivit, ut grata reſponſa omnibus impertiret, & lætos ac benevolos à ſe dimitteret. *Diod. Sic. lib.*17.

Publilius Conſul, cui Græci Palæopolitani, propter incurſiones crebras, bello perſequendi obvenerant, proficiſcitur eò, & locum capit opportunum inter Neapolim & Palæopolim, mutuique auxilii ſocietatem ipſis eripit, atque ita ſpem concipit utriuſq; oppidi expugnandi. Ad Samnites legati mittuntur, quòd Græcos auxiliis adjuviſſent, & vicinos de auxiliis ſollicitaſſent, qui ferociter bellum minitantur. Livius lib.8.

Archon apud Athenienſes *Ageſias.*

Annus periodi Calippicæ primæ incipit ſeptimus.

Olympias 114. *acta die* 6. *Auguſti, fer.* 1. *Eſt annus Olympiadicus* 453.

Stadium vicit *Micinas. Rhodius.*

Alexander Hephæſtioni ſumptuoſiſſimas exequias ducit, ad duodecim talentorum millia expendit, ad Oraculum Hamonis miſit, conſulturus de Hephæſtione inter divos referendo, per omnes fines regni Perſici ignem ſacrum, quem colebant, quique extingui non ſolebat, niſi rex defunctus eſſet, eo die, quo exequias ducturus erat, extingui juſſit. Variis ſpectaculis exequias præterea exornavit, ipſe primus cæſis victimis ad decem millia omnis generis Hephæſtioni ſacrificavit, & multitudinem ſplendido convivio excepit. *Diodorus.*

Romæ cum uterque Conſul à bello abſque ingenti periculo avocari non poſſet, Dictator comitiorum causâ dicitur M. Claudius Marcellus; *is quòd plebejus eſſet, ab Auguribus pronunciatur vitio factus. Ægrè id Tribuni plebis tulerunt, & comitia impedita fuerunt uſque ad decimum quartum interregem, per tres ferè menſes; tandem creati:*

Coſſ. C. Pætilius Libo II.
L. Papirius Curſor.

Publilio, quòd hoſtium inſultus muris immineret, prorogatur imperium, ut pro Conſule *in ſequentem annum bellum gereret.*

ANNO MUNDI 3627. *ante C. N.* 321.
G. ☉ 13. ☽ 2.

Multa omina eveniunt Babylone, quæ mortem videbantur Alexandro portendere, ut quòd captivus ex carcere elapſus in regiam venit, veſtes Alexandri induit, cum diademate, & in ſella ejus conſedit tacitus; qui, ut ſi quid portenderet, in ſe reciperet, occiſus eſt. Ipſe Alexander cœpit graviſſimâ animi perturbatione torqueri, magnifacere incipit Aſtrologorum prædictiones; ad triſtes haſce cogitationes, obruendas conviviis indulget, ubi tandem febrim ſibi conciliavit. *Curtius, Diod. Juſtin. & alii* veneno periiſſe contendunt, cujus mentionem nemo auſus fuit facere, propter Antipatri, qui venenum ſubminiſtraſſe creditur, potentiam. Plutarchus hoſce refutat, affirmatq;, ſe diarium morbi Alexandri accepiſſe, in quo, quomodo ſe ſingulis diebus in febrili Paroxyſmo habuerit, perſcriptum fuit; Et quòd decimo morbi die perierit, die viceſimo ſecundo Dæſii, qui nobis ferè eſt decimus octavus Aprilis, cùm vixiſſet annos triginta duos, menſes octo, *ut habet Arrianus*, & regnâſſet annos duodecim, menſes ſeptem, *ut habet Diodorus Siculus*, paulò antequam ſecundus annus, Olympiadicus 114. inciperet. Variè affecti ſunt ſubditi hoc caſu. Perſæ & Aſiatici luxerunt eum ut patrem: Græci & alii haud mediocriter exhilarati ſunt, quòd ejus potentiam horrerent: Siſigambis verò mater Darii adeò perturbata eſt hoc caſu, ut vita ſe abdicaret, quòd quem putaſſet ſuum hoſtem eſſe Alexandrum, experta fuiſſet eum filium. *Diod. Sic. lib.*17.

Diogenes Cynicus Philoſophus mortuus eſt Corinthi, eodem die, quo Alexander Babylone. *Diog. Laert. lib.*6.

Æſchines Orator pulſus Athenis propter Demoſthenem, cùm Rhodi exulaſſet, tandem ad Alexandrum contendit; ſed in itinere audit eum defunctum. *Photius.*

Archon apud Athenienſes *Cephiſodorus.*

Ariſtoteles poſt mortem Alexandri, propter bellum inter Athenienſes & Antipatrum, Chalcidem migrat. *Dionyſ.*

Lectiſternium *Romæ quintum fit ab urbe condita.* Liv.

Lucani & Apuli, *quibus nihil rerum ante hac cum populo Romano fuerat, amicitiam cum populo Romano jungunt, & milites ad bellum Samniticum pollicentur. Tarentini hoc agrè ferunt, metuentesq; ſibi, ne victis Samnitibus ſibi bellum inferatur, fraude perficiunt, ut Apuli & Lucani à fide Romanorum deſiſcant, & cum Samnitibus fœdus jungant, & præſidium inſuper recipiant.* Liv.

Publilius *Proconſul. cùm tota æſtate bellum cum Palæopolitanis geſſiſſet, & ipſi inſuper à præſidiis ſuis, Nolanis & Samnitibus affligerentur, ſe Romanis dedunt, & Publilio triumphus decernitur: triumphavit Calendis Maji, in Calendario Juliano circa diem* 14. *Octob.* Ibid.

Hoc anno deſitum eſt Romæ, ob debitam pecuniam aliquem in vinculis habere, propter libidinem & crudelitatem L. Papirii. Ibid.

Babylone poſt defunctum Alexandrum conſilia inſtituuntur de adminiſtrando regno, & tandem concluditur; ut *Philippo Aridæo* fratri Alexandri, cui tamen ſana mens non conſtabat, tutor adderetur *Perdiccas*, & reliquis Ducibus provinciæ regni adminiſtrandæ darentur. *Ptolomæo* Lagi datur Ægyptus, *Pythoni* Media, *Eumeni* Paphlagonia, Cap-

Cappadocia & vicinæ, Antigono Lycia, Pamphilia, Phrygia major; Caſſandro Caria, Meleagro Lydia: Leonnato Phrygia ad Helleſpontum; Lyſimacho Thracia; Antipatro Macedonia; & aliæ regiones ad Caucaſum aliis.

Athenienſes cùm certò cognoviſſent, Alexandrum defunctum eſſe, Principatum Græciæ affectant, & bellum contra Antipatrum parant, ſocios ex Græcia accipiunt Ætolos & Theſſalos, & paucos alios, ope *Demoſthenis*; qui quòd patriæ utilem operam navaret, Athenas revocatus eſt. Antipater non ſatis firmus à copiis *Craterum* è Cilicia evocat cum ſuis militibus, ſed priuſquam adveniret congreditur cum Græcis, & vincitur, & *Lamiam* profugit, ubi omnia, quæ ad obſidionem tolerandam neceſſaria videbantur, præparat. Leoſthenes Dux Athenienſium, cum vi urbem expugnare non poſſet, extructo muro eam commeatu intercludere conatur, ſed in facienda foſſa ab erumpentibus hoſtibus vulneratur, & moritur, cui ſubſtituitur Antiphilus. *Diod. Sic. lib.* 18.

Ptolomaus in Ægypto cum ſuſpicaretur, ſe bello à Perdicca petitum iri, omnia ad bellum præparat Cyrenen ſibi adjungit, & amicitiam cum Antipatro & Antigono jungit. *Ibid.*

Perdiccas Cappadociæ regulum, qui ab Alexandro nondum ſubjugatus erat, prælio vincit, captum in crucem agit, regnumque ejus Eumeni regendum tradit. Inde quaſdam urbes expugnatus crudeliſſimè exſcindit. Ad Iſaurorum verò urbem cum veniſſet, cives, qui impares ſibi videbantur bello, ſuas conjuges & liberos ipſi interficiunt, & extructo rogo cremant, hoſteſque tamdiu ſuſtinent, tandem ipſi ſe in flammas præcipiant. *Ibid.*

Roma circa diem 13. *Decemb. Iuliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Furius Camillus II.
D. Junius Brutus.

Veſtinus *populus, cui juncti erant Marſi & Peligni, ſe Samnitibus jungit, propterea ipſis bellum indictum.*

ANNO MUNDI 3628. *ante C. N.* 320.
F. ⊙ 24. ☽ 5.

Lyſimachus in Thraciam irrumpens, invenit hoſtem inſtructum exercitu 28. millium, cum ipſe vix ſex millia militum haberet; nihilominus tamen fortunam prælio tentat, ſed ancipiti victoria in caſtra revertitur. *Diod. l.* 18.

Leonnatus Antipatro à Græcis oppugnato adducit auxilia & cum Græcis, qui jam obſidionem Lamiæ ſolverant, prælio congreditur, ſed dum paululum cedit, in paludem à Græcis irruentibus cogitur, ubi etiam trucidatur. Antipater hanc cladem non moleſtè tulit, & quòd æmulus ſuus cecidiſſet, & quòd reliquias cladis ſibi jungeret; per ardua tamen exercitum duxit, nec pugnanti copiam hoſtibus præbuit. *Ibid.*

Samii à Perdicca in patriam reſtituuntur, cum annis 43. extorres oberraſſent. *Ibid.*

Roma COSS. provincias ſortiuntur, Veſtinum bellum Junio *evenit, qui populando urendoque agros, hoſtes in aciem prodire cogit, eoſque difficili prælio vincit, & caſtris exuit, inde cum hoſtes in urbes dilaberentur, quaſdam earum expugnavit, militibuſque prædam conceſſit.* Liv. l. 8.

Camillus *in Samnium profectus, foto concedit, Dictatore tamen priùs dicto, qui fuit* L. Lapirius *Curſor, qui Magiſtratum equitum dicit* Q. Fabium Rutilianum. *Nobile par fuit rebus in Magiſtratu geſtis, & diſcordia ad ultimum uſque diſcrimen producta.* Fabius *enim, quòd inſcio Dictatore pugnaſſet, etiamſi viciſſet, & hoſtium ad viginti millia occidiſſet, capitis à Dictatore damnatur; noxa tamen poſt diuturnam actionem interceſſione populi Romani eximitur.* Ibid.

Archon apud Athenienſes *Philocles vel Diocles.*

Craterus tandem Antipatro auxilio venit cum magno exercitu, & ambo cum Græcis in Cranone congreſſi vincunt. Prælium accidit, ut *Plutarchus* habet in Camillo & Demoſthene, die 7. Metagitnionis menſis, qui hoc anno incidit in diem 5. Septembris, feriam quintam. Græci igitur cum inferiores eſſent exercitu, de conditionibus pacis cum Antipatro agunt, quas Antipater ea conditione admittit, ſi ſingulæ civitates ſuos legatos mittant. Hac ratione conſenſum Græciæ dirupit, & milites inter ſe diſcordes in ſuas quiſque civitates dilapſi ſunt. Athenienſibus tandem haſce pacis leges dixit; ut qui ditiores eſſent, ad novem millia Rempubl. adminiſtrarent, reliqui pauperiores ad 22. millia, ut belli & turbarum autores à Republ. abſtinerent, & ſi qui vellent, in Thracia agros colendos acciperent. Rempubl. autem ad leges Solonis gubernarent, ſed præſidium in Munychia acciperent, id quod factum eſt ſequenti menſe Boedromione. *Plutarchus.*

Demoſthenes pacem hanc cum Athenienſibus ſuo ſanguine ſancitum iri videns, fugit. Quæſitus autem ab Antipatro per Archiam quendam, cum effugere non poſſet, ex calamo ſcriptorio venenum hauſit, & involuto capite expiravit, die 16. menſis Pyanepſionis, quo mulieres Athenis in honorem Cereris omni cibo abſtinere ſolent: eſt nobis dies decimus tertius Novembris, feria quarta.

Dictator Papirius, *reverſus in caſtra, pugnat cum Samnitibus difficili prælio; quòd milites Dictatori propter caſum* Fabii *infenſi victoriam morarentur. Dictator non ignarus, quantum in benevolentia militum ſitum eſſet, cura & comitate ſe militibus ita inſinuavit, ut ipſis facile reconciliaretur, & iterum pugnans tanta clade hoſtes vincit, ut accifis rebus Samnites pacem peterent. Dictator eos ad Senatum rejicit, militibus omnem prædam concedit, & triumphat nonis Martii, qui incidit ad Calendarium Iulianum ferè in menſem Septembrem, novos præterea Conſules creat, qui ineunt Magiſtratum circa* 13. *Decembris.*

Coſſ. C. Sulpitius Longus II.
Q. Aulius Ceretanus.

Samnites pro pace annuas inducias domum reportant, cum darent annuum ſtipendium & ſingulis militibus veſtimenta, ſed harum induciarum fides ſancta non fuit. Liv.

ANNO MUNDI 3529. *ante C. N.* 319.
ED. ⊙ 25. ☽ 4.

Ariſtoteles moritur, cùm fuiſſet ferè biennium in Chalcide, & vixiſſet annos ſexaginta tres. *Dion.*

Aridaus cùm biennium ferè conſumpſiſſet in adornandis exequiis Alexandri Magni, tandem cum magna pompa cadaver in Ægyptum transfert, ubi cum magno apparatu accipitur à Ptolomæo,

qui ædificato ſacello illud Alexandriæ deponendum, & conſervandum cenſet, donec ad Hammonem data occaſione commoda deferri poſſet. *Diod. l.* 18.

Perdiccas, ut omnem poteſtatem & regiam auctoritatem in ſe transferret, Cleopatram Alexandri Magni ſororem cupit ſibi in uxorem dari: nec diſſentit Olympias mater, ſed ut hoc conſequi poſſet, ambit filiam Antipatri, ut ſub hac ſpecie amicitiæ Antipatrum tolleret. Cum verò hæc palàm fierent, utraque ſponſa excidit. Alio igitur modo rem aggreditur, & Eumeneam ſibi adjungit, virum ſtrenuum, & belli peritiſſimum, qui regis *Aridæi* partes defenderet. *Ibid.*

Samnites *ruptis induciis bellum inſtaurant, & novus inſuper hoſtis Romanis accedit* Apulus, *qui ſocietatem facit cum Samnitibus; utrinque igitur* COSS. *cum exercitu miſſi, ſed hoſtes nullibi inventi, agri tantùm vaſtati per totam æſtatem, & plurimum prædæ reportatum.* Liv. l. 8.

Archon apud Athenienſes *Appollodorus.*

Poſt Athenienſes in gratiam receptos, Antipater & Craterus in Ætoliam transeunt. Ætoli bello impares, relictis pagis & oppidis, in munita loca diſcedunt, ubi bellum vario marte geritur, donec *Antigonus* ex Aſia adveniret, qui utrumque docuit de conatibus *Perdiccæ*: ibi bellum cum Ætolis, quàm commodiſſimè potuit, compoſitum eſt, & copiæ in Aſiam contra Eumeneam traducuntur; ubi *Neoptolemus* invidia adverſus Eumenem ſtimulatus, & ſocietatem cum Antipatro pactus, Eumeni inſidias ſtruit; quas cum caviſſet, aperto marte cum eo pugnare cogitur, ubi tanta ſtrage Neoptolemus vincitur, ut vix ipſe evaderet: cum trecentis igitur equitibus elapſus ad Antipatrum confugit. *Diod. l.* 18.

Tuſculani, *quorum ope Veliterni & Privernates olim populo Romano bellum fecerunt,* Flavia *rogatione ad populum vexantur. Sed cùm ſordidati cum conjugibus & liberis Romam veniſſent, & culpam deprecarentur, veniam adepti ſunt.* Liv.

Annus Nabonaſſaris 428. & annus quartus Philippi ſive mortis Alexandri, incipit die 11. Nov. fer. 1.

Romæ circa diem 17. Decemb. Iuliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Fabius Maximus Rullianus,
L. Fulvius Curvus.

ANNO MUNDI 3630. *ante C. N.* 318. C. ☉ 26. ☽ 5.

Annus ab urbe condita numeratus 433.
Annus Ptolemæi Lagi quartus.

Antipater & Craterus copias ſuas dividunt, & Antipater in Ciliciam movet contra Perdiccam, alter Craterus contra Eumenem, ſed Perdiccas jam in Ægyptum moverat. Eumenes cum videret hoſtes adeſſe, copias undique cogit, inprimis equitatum, hoſtes enim peditatu prævalebant. Ideò omnem victoriæ ſpem in equitatu collocatam habebat, quæ etiam ipſum non fefellit: nam in dextro cornu Craterus equo excuſſus, & non ſatis agnitus conculcatur, in ſiniſtro cornu ipſe Eumenes Neoptolemum ſua manu occidit, atque ita exercitus Ducibus deſtitutus victus eſt. Eumenes exercitum in gratiam recipit, hac conditione, ut ſecum militent, & eis de commeatu proſpicit, ſed ipſi ſumptis alimentis noctu diſcedunt, & ad Antipatrum redeunt. *Diod. l.* 18.

Perdiccas in Ægyptum profectus, invenit omnia loca præſidiis egregiè munita, & Ptolomæum propter juſtitiam & liberalitatem ab omnibus coli, adeò ut etiam Perdiccæ milites ad ipſum perfugerent: nihilominùs tamen caſtellum quoddam vehementer oppugnat, nihil tamen magnoperè efficit: Inde igitur diſcedere coactus, imperitè exercitum per Nilum traducere conatur. Sed cum dimidia pars exercitus traducta eſſet, arena transeundo mota dilabitur, & alveum longè profundiorem facit, quàm ut altera pars priorem ſequi poſſet: Quapropter prior pars regredi cogitur, ubi in tranſitu ultra duo millia militum, vel in flumine, vel ab elephantis protriti, interierunt. Exercitus magnopere hac clade exacerbatus, Perdiccam in tentorio ſuo trucidat. Attalus verò Perdiccæ navarchus effugit, & Tyrum occupat, ubi theſauros quos Perdicca depoſuerat, recipit. Ptolomæus tantâ victoriâ potitus, exercitui Perdiccæ autor eſt, ut loco Perdiccæ Pithoni & Aridæo ſummum imperium deferant, quod & factum eſt. & ab iiſdem Eumenes hoſtis regni declaratur, & diris devovetur. *Diod. l.* 18. Imperaverat autem Perdiccas triennium, ut omnes autores teſtantur: undè conſtat, cùm bini anni apud Diodorum circa hæc tempora deſiderentur, Diodori tamen incuria potius quam librariorum, hoc in loco fuiſſe annum inſerendum.

COSS. in Samnium profecti, acerrimo prælio cum Samnitibus congrediuntur, quod Samnites milites mercenarios plurimos contraxiſſent, adeò ut Romani impedimenta etiam in pugna amitterent; nihilominùs tamen cum prælium per totum diem toleratum eſſet, vincunt. Hac clade Samnites adeò fracti ſunt, ut de rebus populo Romano reddendis conſilia agitarent: triumpharunt conſules menſe Februario, qui ad Calendarium Iulianum incidit in menſem Auguſtum. Incertum apud Livium eſt, an per conſules bellum geſtum ſit, an vero per Dictatorem, A. Cornelium Coſſum. *Sed tabula Capitolina aſcribunt* Coſſ. *triumphum, unde patet Dictatorem tantum creatum, ut eſſet, qui ægro Prætore in ludis Romanis ſignum mittendis quadrigis daret.* Liv. l. 8.

Olympias 115. *acta die* 23. *Iulii, fer.* 6. *Eſt annus Olympiadicus* 457.

Stadium vicit *Damaſias* Amphipolita.
Archon apud Athenienſes *Neæchmus.*
Annus periodi primæ Calippicæ undecimus.

Cum nullus exercitus in Macedonia eſſet, Ætoli in Theſſaliam irruunt, multumque dant damni. Acarnanes, qui hoſtes erant Ætolorum, viciſſim Ætoliam invadunt, & damna regerunt, donec Polyſperchon Dux Macedoniæ Ætolos in Theſſalia vinceret, & in Ætoliam redigeret. *Diod. Sic. lib.* 18.

Cum Pitho & Aridæus ex Ægypto in Syriam rediiſſent, Eurydice uxor Aridæi contra maritum & Pythonem, multa in exercitu agit, quibus Pitho permotus curatura ſe abdicat, & Antipatrum Curatorem regni eligit, qui cupidè hanc provinciam ſuſcipit, & Satrapias regni de novo, Ducibus, quibus voluit, cum conſenſu Macedonum diſtribuit, & inter cætera Antigonum gubernatorem Aſiæ declarat, cui tamen adjungit Caſſandrum filium, ne Antigonus novi quid moliretur. *Diod. Sic. l.* 18.

Ptolo-

Ptolomæus bello liberatus, cum videret Syriam & Phœniciam commodè regni Ægypti adjungi poſſe, dum omnia omnibus licet, per Nicanorem Ducem pellit Laomedontem perfectum, Syriæ & Pœniciæ urbes breviſſimo tempore ſibi ſubjicit. *Ibid.*

Samnites *autores belli, & ruptores induciarum, una cum opibus Romanis reddunt, ſimulque omnem prædam & captivos. ſed Romani nihil acceperunt, præterquam captivos, & ſi quid ex præda cognitum fuit, & paulo poſt magiſtratum ineunt circa diem decimumnonum Decembris Iuliani:*

Coſſ. T. Veturius Calvinus II.
Sp. Poſtumius Albinus II.

ANNO MUNDI 3631. *ante C. N.* 317.
B. ☉ 27. ☽ 6.

Antigonus ex hybernis profectus, ad oppugnandum Eumenem proficiſcitur, & muneribus quosdam in exercitu Eumenis corrumpit, qui in acie eum deſeruerunt, & ita ingentis cladis autores fuerunt. Ceciderunt ex Eumenianis ad octo millia ipſe vix cum ſexcentis equitibus in munitiſſimum caſtellum profugit, ubi plus quàm annuo ſpatio obſeſſus eſt; ubi cum in anguſto ſpatio equi exerceri non poſſent, ne inhabiles redderentur, arte motum equorum excogitavit. Antigonus exercitu Eumenis etiam auctus, majores ſibi ſpiritus ſumit, & contempto tutore Antipatro Aſiam ſibi ſubjicere conatur: Ideò Eumeni, ut ſocium & adjutorem harum rerum haberet, pacem offert, ſed Eumenes, niſi ſibi omnes provinciæ quibus præfectus fuerat, reſtituerentur, has conditiones reſpuit. *Diod. l.* 18.

Samnites *circa Caudium caſtra occultiſſimè locant, Romani* Coſſ. *vero falſo rumore perſuaſi, Lucerinos a Samnitibus obſideri, per Furculas Caudinas exercitum eò ducturi in inſidias præcipitant: ibi capti in univerſum omnes, ut inde exirent, ſpoponderunt, conſules cum legatis & aliis, ſe pacem æquam cum Samnitibus facturos agro Samnitium dederuntque in hanc rem obſides ſexcentos equites. Inde ſub jugum ſeminudi, traditis armis, miſſi, domum cum ignominia revertuntur.* Liv. l. 9.

Archon apud Athenienſes *Apollodorus.*

Ex Perdiccæ amicis reſtabant Alectas & Attalus Magnus, copiis inſtructi in Piſidia, eo tendit Antigonus, eosque magno exercitu circumdat, & tandem vincit, ibi Attalus capitur. Alcetas verò ad Termeſſum evadit, ubi aſtu & fraude Antigoni, à ſenioribus civitatis captus & trucidatus, ad Antigonum mittitur, qui eum inſepultum abjecit. *Diod.*

Athenienſes legatos mittunt ad Antipatrum, petuntque, ut urbs ſua libera ipſis reddatur, & præſidium ex Munychia deducatur. Legatus fuit Demades Orator cum filio, & multis aliis. Sed Demades ante hoc templus literas ſcripſerat ad Perdiccam contra Antipatrum, eæ interceptæ fuerant ideò eum jam captum cum filio trucidat. Et paulò poſt Antipater moritur, tutoremque Aridæi facit Polyſperchontem, cui adjungit filium Caſſandrum, qui ſecundas partes teneat. Caſſander moleſtiſſime fert hanc voluntatem patris, quod non ex aſſe parenti ſuccedere debeat, & fugam molitur ad Antigonum in Aſiam. Polyſperchon ut ſe muniat, Olympiadem cum Alexandro filiolo ex Roxane quæ in Epirum metu Antipatri profugerat in Macedoniam revocat, *Diod. Sic. lib.* 18.

Conſules Romæ propter ignominiam in privato abditi ex ſenatus conſulto jubentur Dictatorem dicere, comitiorum cauſa dictus Q. Fabius Ambuſtus. *Sed hoc vitio creato, ſubrogatur ipſi* M. Æmilius Papus: *& tamen comitia habita non ſunt, ſed per interreges magiſtratum eo die, quo creati ſunt, inierunt circa diem viceſimum primum Decembris Iuliani:*

Coſſ. Q. Publilius Philo III.
L. Papirius Curſor.

ANNO MUNDI 3632. *ante C. N.* 316.
A. ☉ 28. ☽ 7.

Poſtumius *ſuperioris anni conſul, rogatus de Caudina pace ſuadet. ſe & omnes tam fœdæ pacis ſponſores vinctos Samnitibus dedi pro nece. ut populus Romanus ſalva fide bellum cum Samnitibus gerere poſſit, ſed Samnites hosce non recipiunt, indignanturque pacem non ſervari.* Liv. l. 9.

Antigonus audita morte Antipatri, eos animos ſumpſit, ut neminem jam ferret ſuperiorem; ideò Aſiam ſibi ſumit regendam, quam ut facilius defendere poſſit, pacem Eumeni, quem jam integro anno obſidione fatigaverat, offert, amicitiam cum eo firmat, & longè meliorem provinciam ipſi offert, atque olim habuerat. Inde Lydiam occupat Epheſumque, ubi pecuniam Polyſperchonti debitam intercipit. *Diod. Sic. l.* 18.

Polyſperchon ſibi metuens ab Antigono & Ptolomæo, quos Caſſander de auxilio ſollicitabat, conſilia agitat, quomodo ipſis reſiſtere poſſit, concluditque, ut Græcos ſibi fidos habeat, omnibus urbibus in Græcia libertatem eſſe reſtituendam: Promulgatque de his diplomata, additque exules ubique reſtituendos ante finitum menſem Xanthicum. *Diod. l.* 18.

Athenienſes juxta diploma petunt, ut præſidium è Munychia deducatur: ſed Nicanor præfectus præſidii, etiamſi mandaret id Polyſperchon, tamen repugnat, Munychiamque Caſſandro non ſolùm ſervat, ſed etiam Piræum occupat. Hinc populus Athenienſium exacerbatur, Oligarchiam abrogat & ſuſpectos quosdam capite mulctat, quosdam exilio quosdam publicatione bonorum. *Phocion* cum aliquibus furentem populum metuens, ad Polyſperchontem perfugit, à quo ipſe vinctus Athenienſibus eum poſcentibus reſtituitur, ubi accuſatur, & cum ejus defenſionem vulgus audire nollet, damnatur, & cicutam bibit. die 19. Munychonis menſis, *ut Plutarchus habet in Phocione.* Eſſet ad Calendarium Julianum dies 5. Maji fer. 6.

Satricani *ad Samnites deficiunt, &* Pregellæ *Colonia ab hoſtibus noctu occupatur. Romanorum alter conſul Luceriam verſus movet. Publilius adverſus hoſtes ſubſiſtit, eosq; vincit, interim ad Luceriam Romanis commeatus in anguſtiis erat, adveniente Publilio laxior ea fuit.* Tarentini *miſcent ſe huic bello, jubentq; pacem fieri, & perſtantibus in armis bellum minitantur, quos irridens* Conſul Curſor *ipſis præſentibus caſtra hoſtium expugnat, vincit, obſides recipit, & Samnites ſub jugum mittit.* Liv. l. 9.

Archon apud Athenienſes *Archippus.*

Eumenes in Cappadocia relictus, veteres ſuos milites colligit, & jam ad duo millia contraxerat, cùm accipit Polyſperxhontis literas, quibus ad-

mate quodam adeo decipit, ut tota claſſe ejus potiretur: quâ victoriâ Ptolomæus magnopere fuit exhilaratus, nihilominus tamen cùm Antigono de deponendo bello agit, ſed nihil æqui impetrat. *Diod. lib. 19.*

Siculæ civitates, cum viderent Agathoclem creſcere, ne totam ſibi Siciliam ſubjiciat, ſibi cavendum putant, ideò ſocietatem faciunt Acragantini, Geloi & Meſſenii, & Ducem petunt à Spartanis, qui eos negligendos non rati, Acrotatum regis Cleomenis filium, cum aliquot navibus mittunt. *Diod. Sic. l. 19.*

Pythiade ſexageſima nona admiſſæ ſunt pullorum bigæ, quibus vicit *Ptolomæus Lagi*, rex *Pauſ. in Phoc.*

Archon apud Athenienſes *Nicophorus.*

Dictator L. Æmilius *Satriculam oppugnat, Samnites, ne urbem hanc amittant, cum exercitu abveniunt ſed Dictator, quod caſtra tuto loco haberet, & obſeſſos erumpentes & Samnites vincit, qui ut Romanis viciſſim ægrè facerent,* Pliſtiam *obſident.* Liv.

Ariſtodemus Antigoni Dux in Peloponneſum navigat, ubi Alexandrum Polyſperchotis filium pellere conatur, inde Ætolos ſibi ſocios facit; ſed Caſſander ut Ætolis ægrè faciat, Acarnanibus Ætolorum hoſtibus auxilia ſubminiſtrat, ex vicis in munitas urbes migrare jubet, & Ætolorum terram populatur; inde in Aſiam tranſit, & ſociis Ptolomæo & Seleuco ibi auxilium fert, donec hyems adveniret, *Diod. Sic. l. 19.*

Antigonus, cùm in plurimis regni partibus oppugnaretur, filium *Demetrium*, tantum viginti duos annos natum, exercitui præficit, & in Syria contra Ptolomæum relinquit: ipſe in Ciliciam movet, ubi nivibus fere obruitur. *Ibid.*

Acrotatus Spartanus contra Agathoclem miſſus, Tarentum appellit, ubi auxliis juvatur: Inde Agrigentum profectus, dum luxuria & incontinentia ſimiliorem ſe gerit Perſæ alicui, quam Spartano, in odium venit, & imperium ei abrogatur: quapropter inglorius Spartam revertitur. Acragantini & reliqui cum Agathocle pacem faciunt, qua re Agathoclis res valdè fuerunt confirmatæ. *Ibidem.*

Roma circa ultimum Decemb. Iuliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Papirius Curſor IV.
Q. Publilius Philo. IV.

ANNO MUNDI 3637. *ante C. N.* 311.
BA. ☉ 5. ☽ 12.

Accolæ pontus Euxini, ejectis præſidiis Lyſimachi, ſe in libertatem aſſerunt, Thracesque & Scythas ſocios ſibi adjungunt; Lyſimachus comparatis copiis, Scythis obviam proficiſcitur, & Thraces ſibi impunitate promiſſa adjungit. Scythasque magno prælio vincit, unde Callantianos obſidet, quibus Antigonus auxilia mittit; hos Lyſimachus diviſis copiis intercepit, duce Pauſania occiſo, & Seuthen regem etiam prælio vincit, ſibique ſubjicit. Diodor. lib. 19.

Antigonus Teleſphorum ducem in Peloponneſum mittit, eamque occupat, excepto Corintho & Sicyone; Contra Caſſandri dux, Epirotas cum rege Æacida vincit, & Ætolos etiam, eosque clade hac affectos adeò terret, ut relictis urbibus in montes transfugerent. Nihilominus tamen Caſſander quamvis etiam Aſiam ferè occupaſſet, tamen cum belli mole ab Antigono ſolus premeretur, cum eo pacem init, hac conditione, ut eſſet Macedoniæ præfectus, & Græcos libertate frui pateretur. *Ibid.*

Apud Romanos Dictator Q. Fabius *ad Satriculam caſtra habet; ibi Samnites magno exercitu adveniunt, commeatum prohibituri: Magiſter equitum miſſus hoſtes adoritur, & monomachia cum Duce hoſtium congreditur, ſed & ipſe & Dux hoſtium cadit. Romani tamen victoria potiuntur, & Satriculam deditione capiunt.* Liv. l. 9.

Archon apud Athenienſes *Theophraſtus.*

Caſſander, pœnitens pacis cum Antigono factæ legatos ad Seleucum & Ptolomæum mittit, ut ſe adjuvent. Antigonus indignatus, Mileti cives ad libertatem vocat, & arcem ibi expugnat, Tralles etiam & alias urbes, eo etiam Ætoli & Bœnoti legatos mittunt, & ſocietatem cum Antigono jungunt *Caſſander* itaque in Græciam redit, Oreum oppugnat, & cum Teleſphoro ex Peloponneſo æquali Marte pugnat.

Fabius Dictator *ad Soram, quæ ad Samnites defeceras profecturus, in itinere cogitur cum Samnitibus pugnare, quæ pugna oriente nocte incerta victoria dirempta eſt. Paucis diebus poſt, Fabius Samnites, cum novus Magiſter equitum novas copias in ipſo prælio inopinato induxiſſet, egregia victoria vincit, & caſtris exuit.* Liv. lib. 9.

Annus Nabonaſſaris 436. *& annus annorum Philippi, & mortis Alexandri* 12. *incipit die* 9. *Novemb. fer.* 5.

ANNO MUNDI 3638. *ante C. N.* 310.
G. ☉ 6. ☽ 13.

Annus ab urbe condita numeratus 441.

Annus Ptolemæi Lagi in Ægypto 12.

Romæ circa diem ſecundum Januarii magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Poetilius Libo.
C. Sulpitius Longus III.

Hi COSS. accepto ab Dictatore exercitu, caſtra à Sora aliquantum removent, & per inſidias ac proditionem tandem Soram capiunt. Defectionis autores 225. *capti, & Romam miſſi, ubi & virgis caſi, & ſecuri percuſſi ſunt, ſummo gaudio plebis, cujus intererat, ubique tutos Colonos eſſe. Auſonum item gens, quæ ambiguæ fidei erat, & ad Samnites inclinabat, per proditionem recepta fuit, ſed cum militibus nulli Duces adeſſent, crudeliſſimè cum, victis egerunt, & tota gens ferè periit, cùm vix certum eſſet, eam defeciſſe.* Liv. l. 9.

Græcorum annus primus, quorum ratio habetur in primo Maccabæorum, incipit die 13. *Martii fer.* 3.

Antigoni Duces in Græcia & Pelonneſo plurimas urbes occupant, adeò ut & Athenienſes de libertate ad Antigonum mitterent; interea omnia præſidia *Caſſandri*, quæ potuerunt, expelluntur. *Diod. l. 19.*

Cyrenæi ſuperiore anno à Ptolomæo defecerant ſed ſtatim in initio anni ſub jugum rediguntur. Defectio tamen hæc excitavit Demetrium in Syria, ut ſpem conciperet Ptolomæi evertenti: At verò hic poſt devictos Cyrenæos claſſem in Cyprũ mittit, eamque ſibi ſubjicit: Inde evocatis ex Ægypto copiis in Syriam tranſit, & ad Gazam caſtra ponit. Demetrius parat ſe ad confligendum, ſed imperitè, cùm ex altera parte eſſent Duces vetera-

terani, Seleucus & Ptolomæus, & milites ſimiliter veterani; ipſe verò eſſet juvenis, belli non ſatis peritus. Vincitur ergò Demetrius, & caſtra amittit, cui tamen Ptolomæus ſupellectilem amiſſam remittit, & *Seleucum* ad occupandam Babylonem cum exercitu dimittit. *Diod. l. 19.*

Archon apud Athenienſes *Polemo.*

Annus periodi primæ Calippicæ 19. incipit 8. Julii.

Olympias 117. acta die 24. Julii, fer. 1. Eſt annus Olympiadicus 465.

Stadium vicit *Parmenio* Mitylenæus.

Epicurus aperit Scholam Mitylenæ & poſtea Lamſaci.

Luceria *Colonia Romana à Samnitibus occupatur, proditio præſidio, ſed impunita hæc res non fuit, quod exercitus Romani haud procul abeſſent; Ideò ſtatim urbs recepta, & Lucerini cum Samnitibus ad internecionem cæſi; novi coloni duo millia & quingenti eò mittuntur.* Liv. l. 9.

Capuæ *conjurationes quædam patefiunt, de quibus, ut inquiratur, Dictator dicitur,* C. Mænius, *qui quæſtiones eas etiam extendit ad Romanos, quæſiturus ſi qui adipiſcendorum honorum cauſa coitiones feciſſent. Nobiles homines cùm planè innocentes non eſſent, Dictatorem ejus culpa etiam participem eſſe inſimulant: quapropter ſe magiſtratu abdicat, ſed innocens deprehenditur. Samnites inter haſce Romanorum controverſias, Capuæ urbi inſidias ſtruunt ad Caudium, ſed à Coſſ. ibi vincuntur longo & difficili prælio: Ceciderunt ad 30. millia. Inde Coſſ. exercitum in hyberna deducunt.* Liv. l. 9.

Alexandræorum *annorum, quorum uſus fuit apud Joſephum, & in primitiva Eccleſia, item apud Aſtronomos & Arabes, primus incipit die 6. Sept. fer. 5.*

Antigonus, cùm claſſem in Græciam miſiſſet, cum Rhodiis ſocietatem firmat, quibus obviam venit Caſſander. Antigonus credens Macedoniam abſque præſidio eſſe, ad Helleſpontum cum exercitu venit; quare Caſſander relicto Duce, & copiarum parte, in Macedoniam abit. Antigonus contra, cum à Byzantinis ſocietatem obtinere non poſſet, & hyems præforibus eſſet, exercitum in hyberna diſtribuit. *Diod. l. 19.*

Ptolomæus poſt victoriam, Palæſtinam ſibi ſubiicit, inter cætera occupat etiam *Hieroſolymam*, inſidioſe tamen, cùm ſacrificandi cauſa illam intraſſet, de qua re *Agatarchides* apud *Joſeph. ait*:

Judæi, dum propter ſuperſtitionem die Sabbathi gravantur arma capere, gravem Dominum receperunt. *Multum tamen poſtea Ptolomæus Judæis benefecit, plurimos in Ægyptum tranſtulit, eoſque pari jure cum aliis vivere paſſus eſt.* Joſephus.

Seleucus, cùm propè Babylonem veniſſet, etſi pauciſſimis equitibus comitatus eſſet, tamen recipitur, quòd olim per quadriennium ipſis humaniſſimè præfuiſſet: Inde Nicanorem præfectum Mediæ noctu in caſtris obrutum vincit, & Mediam Suſianamque regionem ditioni ſuæ adjicit. *Diod. lib. 19.*

ANNO MUNDI 3639. ante C.N. 309.

A. ☉. 7. ☽ 14.

Agathocles Meſſeniis perſuadet, ut exules Syracuſanos, tyrannidem Agathoclis non ferentes, ejiciant, & ſecum amicitiam colant; quod faciunt & Agathoclem in urbem rejiciunt, ſed paulò poſt Agathocles Meſſeniorum ſexcentos, qui ſibi adverſari viſi ſunt, trucidat, & Agrigentum eodem modo occupare conatur, ſed fruſtra hoc fuit, cùm Carthaginenſes advenirent. *Diod. Sic. l. 19.*

Romæ circa diem 4. Januarii Juliani, magiſtratum ineunt.

Coſſ. L. Papirius Curſor V.
C. Junius Bubulcus Brutus II.

Ptolomæus cùm totam Syriam ferè occupaſſet, Demetrium planè pellere conatur, ſed is dum aperta vi non poteſt, noctu ejus exercitum obruit, & cladem ante annum acceptam regerit, de qua re pater Antigonus certior factus, exercitum fortiſſimum adducit, cui Ptolomæus impar, Joppen, Samariam & Gazam deſtruit, & in Ægyptum redit. *Antigonus* totam Syriam recipit, & exercitum in Arabiam mittit, qui aſtutia Arabum trucidatur; expeditionem iterat, ſed pace qua potuit facta, ab Arabibus diſcedit. Inde Demetrium Babylonem cum exercitu mittit, ut Seleucum ejiceret, cui Seleucus *Patroclem* opponit, qui impar hoſtibus, incolas finibus excedere, etiam Babylonios juſſit. Demetrius vacua urbe potitus, præſidium imponit, & in Palæſtinam regreditur. *Diod. Sic. l. 19.*

Carthaginenſes cum viderent Agathoclem nimium creſcere, bellum majoribus viribus gerendum decernunt, mittuntque *Amilcarem* cum claſſe in Siciliam, quæ claſſis tamen diſjicitur, & ſexaginta naves pereunt: unde tantus Carthagini luctus ortus, ut muros civitatis atratis laciniis obtegerent, ſed *Amilcar* claſſem & exercitum in Sicilia reparavit. *Ibidem.*

Archon apud Athenienſes *Simonides.*

Dictator Romæ C. Pœtilius, exercitu accepto, cum arx Fregellana à Samnitibus capta eſſet, eo contendit, arcem recipit, validum præſidium imponit, & Nolam *armis repetit; quæ tandem, cùm ædificia circa murum cremata eſſent, expugnatur.* Liv. l. 9.

Sueſſa, *quæ Auruncorum fuerat, Colonia deducta, item* Pontia, *quæ Inſula Volſcorum fuerat, ad littus ſuum reſpiciens. Tertia etiam Colonia quatuor millium* Caſſinum *deducenda decernitur, quæ ſequenti anno deducta eſt.* ibid.

Annus ſabbathicus ſecundus, Jobelei viceſimi quarti, qui eſt ſeptima decima hebdomadum Danielis, incipit die 26. Septemb. fer. 5. anno Jud. 3451.

Eodem hoc die incipit etiam annus primus Chaldæorum, quorum mentio fit apud Ptolomæum, ut exempla oſtendunt.

Pax fit inter quatuor Duces Alexandri, in haſce conditiones, ut Caſſander ſit ſummus Dux Europæ; Lyſimachus Thraciæ; Ptolomæus Ægyptum, Africam, & Arabiam in poteſtate habet; Antigonus toti præſit Aſiæ, Græci ſuis legibus vivant, ſed ſub pacis ſpecie quilibet, quod poterat, ſibi aſſerebat, & Caſſander, quòd voces audirentur, filium Roxanes Alexandrum, ferè jam parem regno eſſe, præfecto imperat, ut & Roxanem & Alexandrum trucidaret; quâ re audita, quilibet Ducum provinciam ſuam, ut regnum obtinuit. *Diod. l. 19.*

Agathocles, cùm claſſem viginti navium amiſiſſet, Geloorum urbi timet, ne ab Amilcare occupetur; Cives tamen præſidium recipere nolebant:

undique oppugnatur. Dionyſius enim Inſulam & arcem obtinebat, *Icetes* Acradinam & novam civitatem, Carthaginenſes Claſſe centum & quinquaginta navium portum obtinebant, & quinquaginta millibus hominum urbem obſidebant. Erat igitur in magnis anguſtiis, obtinebat tamen favorem civium, & multorum aliorum: qua propter & Catanæorum tyrannus cum ſuis copiis ipſi auxilio advenit, & decem naves Corinthiorum ſimul adveniunt; qua re territi Carthaginenſes, ne commeatu intercluderentur, portu excedunt, atque ita Acradinam etiam Timoleon occupat. *Diod. l. 16.*

Philippus rex Macedoniæ Illyriis infenſus, bellum ipſis facit multas eorum urbes occupat, & ex præda atque ſectione urbium magnas divitias cogit. Inde in Theſſaliam movet, tyrannos ubique expellit, & Theſſalorum libertatem firmam facit; unde favorem omnium Græcorum eſt conſecutus. *Ibid.*

Roma circa diem 1. *menſis Novemb. ineunt Magiſtratum:*

Coſſ. C. Plautius Venox,
T. Manlius Torquatus,

Per Dictatorem C. Claudium *hoſce Coſſ. creatos eſſe, Capitolina tabula oſtendunt; ſed Livius ejus rei non meminit.*

Otium domi foriſque fuit, & domi ex unciario fœnore ſemiunciarium factum, ut de viginti quatuor aureis unus annuo ſpatio ſolveretur, & ſolutio æris alieni in quatuor partes diſpenſata eſt, impenſaque publicâ adjuta, & tributo delectuque ſuperſeſſum, magno emolumento plebis. Liv.

ANNO MUNDI 3607. ante C. N. 341.
D. ☉ 3. ☽ 1.

Timoleon Dionyſio in anguſtias & ſummam trepidationem adacto perſuadet, ut abdicato principatu in Peloponneſum ſub fide publicâ cum ſuis facultatibus abeat. Perdidit hoc modo ignavia ſua principatum, adamante, ut ferebatur, revinctum, & qui quadraginta triremes olim habuerat, in nave oneraria, eaque non magna Corinthum abit; ubi in ſummâ inopiâ reliquum vitæ exegit. *Diod.*

Archon apud Athenienſes *Pythodorus.*

Demoſthenes octavam Philippicam habet ad Philippi regis legatos, & componit orationem de falſâ legatione, contra Æſchinem. *Dionyſ.*

Ariſtoteles à Philippo rege evocatur ad erudiendum filium Alexandrum; in ejus inſtitutione conſumit annos octo. *Dionyſ.*

Timoleon pulſo Dionyſio Palatia ejus evertit, præſidia ex urbibus dimittit, & eis libertatem reſtituit; inde ad leges ſcribendas converſus eas ſancivit, quæ populari ſtatu convenirent. Annuum præterea magiſtratum ordinat, quem Amphipolum Jovis appellabant, à quo anni numerabantur: isque apud Syracuſanos ab hoc tempore usque ad Romanam Rempubl. mutatam, ultra annos trecentos permanſit. *Diod. l. 16.*

Philippus, ut Thracum inſolentiam & prædandi libidinem compeſceret, bellum ipſis infert, eoque redigit, ut decimas regno Macedonico perſolverent. Propugnacula etiam & oppida, ubi oportunum viſum eſt, condidit, ne excurſionibus amplius Græcis eſſent moleſti. *Diod. Ibid.*

Theopompus Chius, qui hiſtoriam Dionyſii majoris & minoris per annos quinquaginta, usque ad pulſum Dionyſium conſcripſit, idque tribus libris, qui à quadrageſimo incipiunt usque ad quadrageſimum tertium, hîc eam hiſtoriam concludit. *Ibid.*

Romæ circa diem 3. *Novemb. Juliani Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Valerius Maximus Corvus II.
C. Poetilius Libo.

ANNO MUNDI 3608. ante C. N. 340.
C. ☉ 4. ☽ 2.

Ludi Seculares *his Coſſ. acti, ut ex commentariis Quindecim virorum affirmat Cenſorinus* cap. 17.

Cùm ex Latio nunciatum eſſet, Antiates Volſcos concire Romanis bellum, Valerius *ad Satricum, quod ante triennium à Volſcis reſtitutum erat exercitum ducit, ubi inventos Volſcos acie vincit, caſtris exuit, Satricourbe includit, expugnat, & ad quatuor millia ſub haſtâ vendit, oppidum diruit, & incendit, & triumphat Calendis Febr. qui inciderunt ad Calendarium Julianum ferè in initium menſis Junii.*

Archon apud Athenienſes *Soſigenes.*

Demoſthenes nonam Philippicam habet de Cherſoneſitanis militibus, ne copiæ dimittantur. Eodem hoc Archonte etiam habet decimam Philippicam, quâ docet, Philippum turbare pacem, & bello Athenienſes laceſſere. *Dionyſ.*

Arymbas Moloſſorum rex, poſt decimum ſui regni annum vitâ decedit, filio relicto Æacidâ, patre Pyrrhi. Philippus rex, pulſo Æacidâ, uxoris ſuæ fratrem Alexandrum adoleſcentem viginti annorum, quem prius impudicum fecerat, regem & ſucceſſorem creat. *Diod. l. 16.*

Timoleon in Sicilia Leontinos fruſtra obſidet, quòd Icetas ſeſe fortiſſimè defenderet. Igitur relicta obſidione Leptinem tyrannum pellit, & civitatibus ejus libertatem reſtituit. Civitates igitur Siciliæ lubentiſſimè ad eum deficiunt, & ſociale fœdus inſtituunt. Timoleon præterea, cùm pecunia & ſtipendio diſtitueretur, mille milites prædatum mittit in Carthaginenſium fines, & præda ſub haſtâ venditâ magnam vim pecuniæ cogit. Sed hac re irritavit Carthaginenſes, qui magnum exercitum & claſſem hac hyeme comparant, quibus Timoleonti bellum inferant. *Ibid.*

Romæ circa diem 5. *Novemb. Juliani Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Fabius Dorſo.
Ser. Sulpitius Camerinus.

Ambo Patritii hi Coſſ. fuerunt.

Arunci *populantur agros Romanos, Romani contrà, ne fortaſſe id conſilium non unius, ſed omnium nominis Latini eſſet, Dictatorem, velut adverſus armatum jam Latium dicunt* L. Furium Camillum, *qui ſummâ intentione exercitum conſcribit.* Liv. l. 7.

ANNO MUNDI 3609. ante C. N. 339.
BA. ☉ 5. ☽ 3.

Epicurus Philoſophus naſcitur Archonte Soſigene, die ſeptimo Gamelionis, qui ad Calendarium Julianum incidit in diem 24. Januarii, feriam ſextam. *Diog. Laert.*

Dicta-

Dictator *Romæ contra Aruncos ducit, ubi eos ſolos offendit, prædonumq; potius, quam hoſtium exercitum invenit. Ideo ſtatim prælio decertatum, in quo prælio Ædem Junoni monetæ vovit, & damnatus voti à Senatu impetrat, ut Duumviri ejus faciendæ in Capitolio, ubi area ædium M. Manlii erat, crearentur.* Liv. lib. 7.

Archon apud Athenienſes *Nicomachus.*

Demoſthenes undecimam habet Philippicam, de pace per Philippum turbata. *Dionyſ. tom.* 2.

Pixoderus frater minimus nati ejicit *Adam* ſororem ex principatu Cariæ, cui jam quatuor annis præfuerat, ſucceditque ipſe per annos quinque, donec *Alexander Magnus* in Aſiam tranſiret. *Diod. l.* 16.

Phocion Athenienſis *Clitarchum* Eretriæ tyrannum bello vincit. *Diodor.*

Philippus rex *Perinthum* urbem in Helleſponto, quæ Athenienſium ſocia erat, obſidione cingit, & plurimis machinis diuturnoque opere oppugnat, nec minus tamen ipſi repugnant, & omnes ejus conatus longo tempore eludunt. *Diod.*

Ephorus hiſtoricus, qui res Græcorum & Barbarorum ab Heraclidarum reditu, per annos ſeptingentos & ſeptuaginta, libris triginta deſcripſit, definit in obſidione Perinthi, ſed Diyllus Athenienſis eaſdem hiſtorias continuat usque ad obitum Philippi.

Romæ circa diem 7. Novemb. Juliani Magiſtra*tum ineunt:*

Coſſ. C. *M*artius Rutilus III.
T. *M*anlius Torquatus II.

Annus Nabonaſſaris 408. *incipit die* 16. *Novembris feria* 1.

ANNO MUNDI 3610. ante C. N. 338.
G. ☉ 6. ☽ 4.

Annus à condita urbe numeratus 413.

Annus regni Philippi Macedonis. 21.

Philippus ſtrenuè obſidionem Perinthi urget, nec minus ſeſe illi defendunt; Byzantii ſociæ urbi auxilio mittunt munitiones ſuas, Catapultas & alia. Perſarum etiam rex jubet, ut Satrapæ Perintho urbi auxilium ferant. Quapropter etiamſi Philippus muros urbis proſtraviſſet, irrumpere tamen non poterat, & propter ædium urbis ſitum & firmitatem, & propter propugnatorum multitudinem. Philippus ergo, cùm ſenſiſſet Byzantios ſuas munitiones Perinthiis miſiſſe, diviſo exercitu etiam Byzantios obſidione cingit. *Diod. l.* 16.

Timoleon in Siciliâ, cùm audiviſſet Carthaginenſes magno exercitu advenire, bellum cum ſectâ componit, ipſius exercitu ſuas copias auget, & contra Carthaginenſes in ipſorum fines proficiſcitur. Carthaginenſium erant 70. millia peditum, equitum decem, cum magna claſſe, ipſe habebat vix 22. millia peditum, inter quos tamen ſeditio oritur, poſcentium ſtipendium, priusquam ad hoſtes ducerentur, & ita mille milites Duce Thraſio ab exercitu diſcedunt. Timoleon cum reliquis, Carthaginenſes jam flumen tranſeuntes, aggreditur, eosque cum ſimul nimbus ingruiſſet, quo hoſtium ora feriebantur, vincit, caſtris expellit, & internecione ferè cædit. Prælium factum die 27. Thargelionis, cùm jam ſolſtitium appeteret, ad Calendarium Julianum die 2. Julii feria 2. *Plutarchus in Camillo & Timol.* Carthaginenſes magnoperè hac clade territi, novas copias ex Hiſpaniâ & Gallia colligunt; nihilominus tamen legationem ſplendidam in Siciliam mittunt, cum plenis mandatis de pace, quibus poſſent conditionibus, facienda. *Diod. l.* 16.

Archon apud Athenienſes *Theophraſtus.*

Cenſu Athenis facto à Demetrio Phalereo, inventi ſunt civium Athenienſium viginti millia: Servorum verò quatercentena millia. *Scal. in Collect.*

Olympias CX. acta die 3. Auguſti. fer. 6. Eſt annus Olympiad. 437.

Stadium vicit *Anticles* Athenienſis.

Ædes Monetæ annuo ſpatio poſtquã vota erat, dedicatur. Prodigium extemplo dedicationem ſecutum, ſimile vetuſto montis Albani prodigio. Namq; & lapidibus pluit, & nox interdiu viſa intendi. Cumq; civitas plena religionum eſſet, Dictator *feriarum Latinarum cauſa conſtituitur:*

P. Valerius Poplicola.

Cæterùm verbis hiſce Livii: Nox viſa eſt intendi, eclipſin ſolarem, quæ vel incipiente die vel deſinente facta ſit; atq; ita noctis partem tenebrarum addiderit, ſignificari, nemo ambigit.

Hæc Eclipſis ad haſce tabulas invenitur accidiſſe die 15. Sept. fer. 7. horis poſt mediam noctem 6. & 36. minutis. Parallax. ad hoc tempus eſt 15, 40. Latitudo verò Lunæ vera 22, 24. Viſa 6. 44. Semidiam Solis 15, 32. ſcrup. reſidua 23, 14. digiti ecliptici novem. quanquam aliquanto major eſt, ſi ad elevationem poli 42. computaretur. Ad tabulas Prutenicas hæc Eclipſis prior eſt ferè integrâ horâ, ſicq; in ipſo exortu Solis: unde manifeſtum eſt, quòd hac ratione nox prolongata ſit, ad horam ferè. Duravit enim duas horas, atq; ita hic character cœleſtis, certiſſimus index eſt Conſulum rectè ad annos mundi applicatorum.

Herbartus *ab Hohenburg Eclipſin hanc alibi quæſivit; videlicet ſexennio elapſo, ubi invenit eclipſin Solis, cùm Sol eſſet in 17. Cancri. Romæ horis poſt meridiem 6. minutis 15. digitorum 10, 10: quæ cœperit horâ quintâ, & deſierit horâ 7, 15. ut ipſe ſcribit. At verò Romæ eo die Sol occidebat, hora 7. & 30. minutis, Ergo Sol recuperaſſet lumen antequam occideret, & nihil nocti addidiſſet. Et etiamſi fortaſſis tardior eclipſis fuiſſet, & noctis continua; tamen hoc modo Livius potuit dixiſſe, diem decurtatum quàm noctem prolongatam fuiſſe.*

Athenienſes à Philippo pacem violatam arbitrati, mittunt Byzantinis claſſem & exercitum auxilio; idem faciunt etiam Chii, Coi, Rhodiique. Eo Græcorum concurſu Philippus territus, utramque obſidionem ſolvit. *Diod. l.* 16.

Demoſthenes paulò antè habitâ oratione Athenienſibus ſuaſerat, ut ſtrenuè bello incumberent. *Dionyſ.*

Romæ circa diem 9. Novembris Juliani *Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Valerius Corvus III.
A. Cornelius Coſſus,
ambo patritii fuerunt.

ANNO MUNDI 3611. ante C. N. 337.
F. ☉ 7. ☽ 5.

Samnites, *quia bello plus poterant, Sidicinis bellum*

verſæ Græciæ & gloriam dominationis, & vetuſtiſſimam libertatem finivit. Cùm Philippus ob tantá victoriam diem feſtum ageret, & corona ornatus captivis & victis, nimium inſultaret, *Demades* Athenienſis, Orator acutus, inter captivos alligatus, auſus eſt Philippum reprehendere, *O rex Philippe*, inquit, *cum Dii tibi per hanc Victoriam perſonam Agamemnonis tribuerint, non te pudet, quòd Therſiten agis?* quo dicto ita fuit mutatus Philippus, ut coronam abjiceret, & omnem lætitiæ ſpeciem amoveret, nec rideret, nec quisquam Philippum victorem eſſe ſentiret: Captivos inde Athenienſibus omnes gratis remiſit, legatos addidit, qui ipſis pacem & amicitiam offerrent. *Diod. Sic. l.* 16.

Plateenſes poſt victoriam ad Chæroneam in patriam à Philippo reſtituuntur, cùm annis ferè nonaginta exulaſſent, bisque ſedibus ſuis ejecti eſſent. *Pauſan. in Boetic.*

Iſocrates annos natus 98. conturbatus hac Athenienſium clade, ne videret Athenas iterum capi, quatridui inedia vitam finivit. *Diog. Laert.*

Archidamus rex Spartæ, qui perfecto bello Cretenſi in Italiam Tarentinis auxilio profectus fuerat, in prælio cum Lucanis eodem die, quo clades ad Chæroneam accidit, occiditur. *Regnaverat* annis 23. ſuccedit ipſi filius *Agis* annis novem. *Diod. l.* 16.

Timotheus Heracleæ Ponticæ tyrannus, cùm præfuiſſet annis 15. moritur, ſuccedit frater Dionyſius, qui regnat annis 30. *Ibid.*

Roma circa diem 13. Novemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Plautius Venno II.
L. Æmilius Mamercinus,

ANNO MUNDI 3613. ante C. N. 335.
DC. ☉ 9. ☽ 7.

Setini, Norbanique *conqueruntur de injuriis Privernatium*; *quapropter* Plautius *Conſul Privernum profectus, non magno certamine hoſtes vincit, oppidum etiam captum & Privernatibus redditum, ſed cum præſidio, agrique duæ partes ademptæ. Inde victor exercitus Satricum contra Volſcos profectus, ancipiti prælio pugnat, hoſtes tamen ſequenti die relictis caſtris & agris profecti, victoriam Romanis concedunt & præda ubique acta.* Liv. l. 8.

Æmilius *Conſul ad Samnites hoſtes profectus, agros eorum vaſtat, cui obviam veniunt legati, pacem & jus belli in Sidicinos petentes, utrumq; à Senatu impetratum eſt, cùm darent annuum ſtipendium militi, & trium menſium frumentum.* Liv. l. 8.

Archon apud Athenienſes *Phrynichus.*

Lyſicles Athenienſium Dux, quod malè ad Chæroneam pugnaſſet, vehementiſſima oratione accuſatus, capite plectitur. *Diod.*

Samnites *belli vim omnem in Sidicinos convertunt, qui impares tandem Romanis ſe dedunt: ſed ibi non recepti, Latinos de auxiliis ſollicitant, ſeque eis dedunt, qui ſtatim miſſo exercitu Samnites vaſtant, hiſce ſeſe etiam adjunxerant Campani. Samnites apud Romanos de hac re conqueſti reſponſum impetrant, Campanos neceſſariò quieſcere debere, in Latinos ſe hujuſmodi imperium non habere: quo reſponſo Latini ferociores effecti, de bello Romanis inferendo conſilia agitant.* Liv. l. 8.

Philippus conventum omnium Græcorum agit Corinthi, ubi conqueſtus de injuriis Perſarum toti Græciæ illatis, bello ipſos perſequendos cenſet, & ſeſe Ducem in hac re futurum offert. Cùm id omnibus Græcis probaretur, certus numerus militum omnibus urbibus aſſignatur, & ipſe Dux Græcorum contra Perſas proclamatur. *Diod. l.* 16.

Timoleon, cùm 8. annos in Sicilia à tyrannis expurganda conſumpſiſſet, & obſcuritate viſus aliàs laboraret, planè cæcus factus eſt, & hoc anno moritur. Cui Syracuſani ampliſſimas exequias ducunt, ſtatuuntq; ipſi ſacra anniverſaria, & ſolennes ludos quotannis agendos. *Diod. l.* 16.

Annus Nabonaſſaris 408. *incipit die* 6. *Novembr. fer.* 5.

Roma circa diem 15. Novemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. T. Manlius Torquatus III.
P. Decius Mus,

Romanus Senatus evocat principes Latinorũ, agitq; cum iis, ne Samnites ſibi fœderatos bello perſequi velint: Latini contrà ſuperbe Romanis reſpondent, imperium abnuunt ſocietatem ex æquo poſtulant, & ut alter Conſul ex Latio creetur, dimidiaq; pars Senatus inde evocetur imperant; quæ res adeò malè habuit Senatum, ut legati ferè violati eſſent, niſi curâ magiſtratuum defenſi fuiſſent. Liv. l. 8.

ANNO MUNDI 3614. ante C. N. 334.
B ☉ 10. ☽ 8.

Annus ab urbe condita numeratus 417.

Annus Philippi Regis Macedonum 25.

Philippus hoc anno bellum Perſicum inchoat, & Duces *Attalum* & *Parmenionem* cum parte copiarum in Aſiam præmittit; ipſe interim oraculum Delphicum conſulit de eventu belli, reſponſumq; accipit ambiguum:

Serta gerit taurus, jamq; adſtat, qui immolet illum,

quod interpretabatur Philippus de Perſis vincendis, cum de ipſius cæde diceretur. *Diod. l.* 16.

Bagoas Eunuchus & Præfectus militiæ in regno Perſico, cùm ſentiret ſibi periculum imminere ab *Arſe* rege, qui non obſcura indicia præbebat vindictæ, quod patrem & fratres ipſius occidiſſet, regem cum liberis è vitâ tollit, & *Darium* Codomannum in regnum collocat, à quo, cùm venenum & ipſi propinare vellet, cogitur, ut venenum ipſe bibat, & ſic perit. Et *Darius* conſtituto regno, cùm ſibi metueret à Philippo Macedone, de bello in Macedoniam proferendo conſilia init. Diod. *l.* 17.

Latini *populi, aſſumptis ſociis Campanis & Volſcis, Romanis bellũ inferunt. Romani ex ſuis civibus exercitum conſcribunt, ſumma cum curâ bellum adminiſtrant, & diſciplinam militarem ſeverè exercent, adeò, ut Conſul* Manlius *filium ſuum, quod extra ordinem, non conſultis Coſſ. pugnaſſet, ſecuri percuteret.* *Hinc* Manliana imperia *denominata ſunt. Congrediuntur tandem eâdem militari diſciplina inſtitutæ, & Romani & Latini, prælio acerrimo, ad radices*

dices Veſuvii montis, ubi in ferventiſſimâ pugnâ, cùm Romani hoſti cedere inciperent, alter Conſul P. Decius *ſe pro exercitu devovet, & Triarii Romani ad ultimum diſcrimen pugnæ reſervati victoriam obtinent inſignem de tot petentibus populis.* Liv. l. 8.

Archon apud Athenienſes *Pythodorus* vel *Pythodemus.*

Olympias CXI. *acta die 18. Auguſti fer. 5. Eſt annus Olympiadicus* 441.

Victor Stadii *Cleomantes* Clitorius, *Diodorus.*

Soſicles Syracuſanus Poeta Tragicus moritur.

Maronites Philoſophus, & *Ereſius* Ariſtotelis diſcipulus innoteſcunt.

Philippus, cùm omnia, quæ ad bellum Perſicum pertinebant, præparaſſet, nuptias inſtituit *Alexandro* Epirotarum regi, & magnificentiſſimo epulo principes Græciæ excipit, & omnis generis ludos & certamina exhibet, ſecurus omnium rerum à *Pauſaniâ*, nobili Macedone, cujus injurias vindicare noluerat, trucidatur; evaſiſſet Pauſanias, niſi Pampino pedibus implicatus cecidiſſet. Olympias conjux Philippi, quæ repudiata fuerat à Philippo, non videtur inſcia fuiſſe cædis, cujus plurima indicia dedit, ut videre eſt apud Juſtinum hiſtoricum. Succedit ipſi filius *Alexander* Magnus, & virtutibus & vitiis major. *Diod. l. 7.*

Latini, *æqualem utrique populo, & ſibi & Romanis accidiſſe cladem, exiſtimant, ideò cùm juventute abundarent, exercitum reparant: ſed à Conſule Manlio facili victoriâ funduntur, & populationibus continuis vaſtantur: Quapropter ſe Romanis dedunt, ut & Campani: utrique mulctantur agro, qui plebi Romanæ dividitur. Extra pœnam fuerunt Laurentes, Campanorumq; equites, quia non deſciverant, & equitibus à Campanis quotannis denarii 450. vectigal ſingulis perſolvitur. Cum Laurentibus fœdus renovatum, & Conſul triumphat Idibus Maji; ad Calendarium Julianum, circa primum Octobris.*

Antiates *Volſci ſub idem tempus bellum renovant, ideò agro Conſule Dictator dicitur* L. Papirius Craſſus, *qui prætor erat, qui tamen nihil magnoperè geſſit. Secuti ſunt hoc anno.*

Coſſ. T. Æmilius Mamercinus.
Q. Publilius Philo.

Ambos hoſce plebejos eſſe autumat Livius, ſed familia Æmiliorum, quæ patritia fuit, id refutat, ut & ipſe Livius anno quarto Punici belli ſecundi.

Alexander Magnus, viginti annorum adoleſcens, in initio regni ſtatim parricidas parentis punit, & exequias parenti ſplendidas ducit. Interim Athenienſes conſpirant cum Attalo in Aſiâ, de evertend Alexandro, ut & alii, qui abrogant audacter, quæ Philippus olim ſanciverat, atque adeò tota Græcia turbat: Nec quietiores ſunt populi Macedonibus ſubjecti, qui ſimul jugum *Macedonicum* excutere cupiunt. Alexander contrà, hiſce nequaquam territus, primum Theſſalos benignis aloquiis ſibi conciliat, & ut ab iiſdem Dux Græcorum proclamaretur, impetrat; hoſce ſequuntur Amphyctiones, qui idem decernunt: inde exercitum in Græciam traducit, terretque & Athenienſes & Thebanos, qui ipſi legatos obviam mittunt, quibus omnibus benignè reſpondet, & Senatum Græcorum Corinthum convocat, ubi ab omnibus ſimul Dux Græcorum contra Perſas declaratur. Diogenes tum vixit Corinthi. Inde Attalum æmulum ſuum, cujus autoritate Græcia à fide diſceſſerant, ex inſidiis in Aſiâ interficit. *Diod. Sic. l. 17.*

ANNO MUNDI 3615. ante C.N. 333.
A. ☉ 11. ☽ 9.

Alexander compoſitis Græciæ rebus arma in Thratiam convertit, eoſque ſub imperium redigit; inde Pæoniam, Illyricumque ſubigit, & Iſtrum tranſiens cum Germanis pacem facit, ubi nuncium accipit de defectione Græcorum, & Thebanorum inprimis: quapropter res, ut poteſt, componit, & in Græciam expeditionem inſtituit. *Diod. l. 17.*

Latini *ob iram agri amiſſi rebellant, funduntur que, & caſtris exuuntur à* Philone, *& in deditionem eorum accipiuntur: de quibus etiam triumphat Idibus Januarii, hoc eſt circa finem* Maji Juliani. Æmilius *alter Conſul, nulla magnoperè re geſta. Romam properat, & triumphum ante victoriam petit. Repulſam paſſus, Senatum criminatur de malignè diviſis agris, & Collegam* Q. Publilium Philonem *Dictatorem dixit, qui ſecundiſſimas plebis Romanæ leges tulit, ut Plebiſcita omnes Quirites tenerent; alteram ut alter utique Cenſor ex plebe crearetur.* Liv. l. 8.

Archon apud Athenienſes *Evanetus.*

Ariſtoteles mortuo Philippo redit Athenas, & ſolidis annis duodecim in Lyceo ſcholas habet. *Dionyſ. & Diog. Laert.*

Alexander in Græciam reverſus, dat Thebanis locum pœnitentiæ, verùm cum perſtarent in rebellione, acriter urbem invadit: Thebanos ipſos acerrimo prælio vincit, ſimulque inter præliandum urbem occupat, obviosque quosque trucidat, reliquos capit, & ingenti præda potitur. Cæſa fuerunt ſex millia, capti tricies mille. Inde Senatu Græcorum convocato, quid de urbe & captivis faciendum deliberat; ubi communi decreto ſtatuitur, urbem diruendam, & ſolo æquandam, captivos venundandos, & exules Thebanos quosvis ad pœnam retrahendos, nec ab ullo recipiendos vel defendendos. Urbs ita diruta circa myſteria Athenienſium, quæ fiebant in plenilunio, circa diem 20. Boedromionis, qui hoc anno incidit in 4. Octobris Juliani. Inde Alexander mittit legatos Athenas, ut decem Oratores traderent ſub belli comminatione. Athenienſes in anguſtiis conſtituti, quomodo dignitatem urbis ſuæ tuerentur, exules Thebanos receptos tuerentur, & tamen iram Alexandri effugerent; *Demadem* Oratorem cum aliis ad Alexandrum mittunt, qui omnia feliciter expedivit, & Alexandrum Athenienſibus reconciliavit. *Diod. Siculus.*

Romæ circa diem 19. Novemb. Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ

Coſſ. L. Furius Camillus.
C. Mænius.

ANNO MUNDI 3616. *ante C. N.* 332.
G. ☉ 12. ☽ 10.

Alexander cum amicis ſapientiſſimè deliberat, an bellum Perſicum jam ſit ſuſcipiendum, an verò differendum. Plurimi ſuadent, ut conjuge ducta, de ſucceſſione, ſi quid ipſi humanius accideret, regno proſpiceret. At ipſe, cum firmas & exercitatas copias haberet, & dux contra Perſas à Græcis declaratus eſſet, bellum differendum eſſe negat. Inde præparatis rebus, omnia, quæ habuit, amicis diſtribuit, ſibi ſpem ſufficere affirmans, exercituque triginta duorum millium peditum, & quinque fere equitum Orientis opes aggreſſus, infinita hominum millia vicit. *Memnon* & alii Perſarum Duces, inſtructi exercitu centum millium peditum, decem equitum, Alexandrum, dum Granicum fluvium tranſit, invadunt; fit atrociſſimum prælium. Alexander ipſe fortiſſimè dimicat, præſtantiſſimos Perſarum Duces ſua manu occidit, quanquam non ſine periculo, niſi à Clito protectus fuiſſet, & victoriam obtinet. Factum prælium, cùm æſtas in exitu eſſet, menſe Thargelionis Athenienſium, Deſio verò Macedonum: ceciderunt hoſtium vicies mille. *Diod. lib.* 17.

Conſules Romani contra Latinos hoſtes exercitum educunt: Latinorum ea conditio erat, ut cùm vires rebellionis deeſſent, oppidis ſe tenerent, & audita alicujus oppidi obſeſſione auxilium contra Romanos ferrent. Nihilominus tamen Pedum expugnantur, totum Latium in deditionem accipitur, & præſidiis firmatur, & Coſſ. triumphus decernitur. Liv. lib. 8.

Archon Apud Athenienſes *Cteſicles.*

Alexander poſt prælium Sardes cum theſauris accipit, inde ad Miletum caſtra ponit, eam continenter oppugnat, & itidem deditione capit. Cùm ulterius tendere vellet, totam ſuam claſſem in Græciam remittit, & Halicarnaſſum magnis operibus, & ultimo diſcrimine ſuorum, cum triarii tandem inſignem operam præſtitiſſent, expugnat. Inde totam Phrygiam, & litoralem Aſiam, ad Ciliciam uſque, ſibi ſubjicit. *Diod. lib.* 17.

Conſules Romani, priusquam novos Coſſ. crearent, ad Senatum referunt, quid de Latinis victis amplius agendum ſit; Senatus decernit; ut cum aliorum alia ſit conditio, alii in civitatem Romanam recipiantur, alii urbibus ſuis ejicerentur, & novi coloni eò ducerentur, alii tandem agro multentur. Nova Colonia etiam Antium miſſa, ſed Antiati populo interdictum mari eſt, navesque eorum Romam ſubducta ſunt, & roſtris eorum ſuggeſtum Romæ extructum & exornatum, idque templum poſtea Roſtra appellatum eſt. Liv. lib. 8.

Romæ circa diem 21. Novemb. Iuliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Sulpitius Longus.
P. Ælius Pætus.

ANNO MUNDI 3617. *ante C. N.* 331.
FE. ☉ 13. ☽ 11.

Memnon Rhodius Perſarum Dux, inſtructus maxima claſſe trecentarum navium, in id operam dat, ut illato Macedoniæ bello Alexandrum retrahat; ideò Chium ſibi adjungit, reliquas Inſulas, ut & Mitylenen & Leſbum capit: namque videbatur in Græciam tranſiturus, & Græci jam arrecti erant ſpe novarum rerum, multique auro Perſico corrupti; cùm morbo correptus, extremum vitæ ſpiritum exhalaret, magno *Darii* damno. *Diod. l.* 17.

Darius poſt mortem Memnonis conſultans de bello, cùm idoneum Ducem non inveniret, ipſe proficiſci in bellum conſtituit, & *Charidemum* Athenienſem, qui utiliora, ſed Perſis non ſatis grata perſuadebat, occidit. Conſcribitur igitur exercitus, qui Babylonem conveniant, ut inde contra Alexandrum moveat. *Ibid.*

Alexander occupata Lycia, Pamphilia, cum Gordium nodum gladio diſſectis omnibus loris ſolviſſet, in Ciliciam, ut anguſtias montium præoccuparet, movet; ubi in Cydno fluvio, prope Tharſum urbem, lavans, lethalem morbum contrahit, à quo liberatur induſtria Philippi medici, quem tamen Parmenio ſuſpectum reddiderat, quod conductus à Perſis mille talentis veneno Alexandrum tollere deberet; nihilominus tamen Alexander ejus opera feliciter uſus fuit. *Ibid.*

Archon apud Athenienſes *Nicoſtrates.*

Ferguſius *Scotorum rex, ad computationem Buchanani* in rebus Scoticis, *incipit, regnatq; annis* 25.

Darius contracto exercitu quater centenorum millium peditum, & centum millium equitum, in Ciliciam in occurſum Alexandri, non ſatis ex prudentia militari tendit, cùm in anguſtiis montium ipſius copiæ ad paucitatem redigerentur, ibique aſtu Alexandri, à quo inprimis petebatur, vincitur, amiſſis centum & triginta millibus militum, cùm Macedonum vix triginta & duo pedites, equitesque centum & quinquaginta cecidiſſent: caſtra etiam capta cum ingenti prædâ, capta item Darii conjux, mater, filius, binæ filiæ cum univerſa familia. Inde recreato exercitu Theſſalos cum Parmenione Damaſcum mittit, ut præda ibi ditarentur. *Diod. & Plutarch.*

Aurunci in Italia petunt à Romanis auxilium contra Sidicinos, & obtinent: ſed mora Conſulum exercitus ſcribentium, factum eſt, ut Aurunci à Sidicinis urbe pellerentur. Sueſſam veniunt profugi, eamque Auruncam appellant, & vetus Aurunca à Sidicinis deleta eſt. Dictator ad hoc bellum dicitur C. Claudius Craſſinus II. *qui vitio factos abdicavit, & bellum dilatum eſt.* Liv. lib. 8.

Q. Publilius Philo hoc anno primus de plebe Prætor fuit. Idem.

Minutia *virgo veſtalis ſuſpecta propter mundiorem culturam, & poſtea ſtupri convicta, viva ſub terram defoſſa eſt, ad portam Collinam.* Liv. ibid.

Annus Nabonaſſ. 416. *incipit die* 14. *Novemb. fer.* 6.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 23. *Novembris.*

Coſſ. L. Papirius Craſſus.
Cæſo Duillius.

ANNO MUNDI 3618. *ante C. N.* 330.
D. ☉ 17. ☽ 12.

Annus ab urbe condita numeratus 421.
Annus Alexandri Magni quartus.

Alexander Magnus, cùm Syriam veniſſet, Cyprus Inſula legatos de deditione mittit, idem faciunt & aliæ urbes. ſola Tyrus urbs ipſi repugnat, ut victoriam Alexandri moraretur, & Darius tempus haberet exercitus reparandi. Obſidio igitur trahitur per integros ſeptem menſes, & cùm eam ex inſula peninſulam feciſſet, & continenti junxiſſet, expugnat eam, cives trucidat, duo millia in crucem agit, reliquos divendit. Inde Gazam pergit, in cujus expugnatione binos manſes conſumpſit. *Diod. Joſephus, Curtius, &c.*

Sanneballat Chuttæus, cùm antea Perſarum regem *Darium* ſolicitaſſet, de poteſtate condendi templi, in monte Garizim, ut generum ſuum *Manaſſem*, quem *Nehemias* è republ. Judæorum ejecerat, propterea, quòd Micaſo filiam Sanneballeti uxorem duxerat, Pontificem faceret; jam eo devicto ad *Alexandrum*, cùm in Phœniciam veniſſet, deficit, adductis octo millibus militum, & ſtrenuam ipſi operam in oppugnatione Tyri navavit, & facilè impetravit, ut liceret ſibi templum ædificare, ut ægrè faceret Judæis, quibus tum Alexander erat infenſus. Secutus eſt eum poſtea ad oppugnandam Gazam, ubi morbo & ſenio confectus obiit. *Joſeph. lib. 9. cap. 8.*

Alexander Epiri rex, æmulus avunculi Alexandri Magni, in Italiam cum claſſe tranſit, & primum Apulis bellum facit; cum quibus tamen pacem, ubi potuit, componit, propter vetuſtum quoddam Oraculum. *Juſtinus.*

Auſonum gens Sidicinis vicinis arma junxerat contra Romanos ei Conſules bellum inferunt, & facillimo prælio abſque magna clade vincunt, quòd urbs probè eſſet. Liv.

Agis Lacedæmoniorum rex, invidens fortunæ Alexandri, ut Perſas, à quibus copiis & pecunia inſtitutus erat, adjuvaret, in Cretam tranſit, & ibi Perſarum imperium firmat. *Diod. lib. 17.*

Amyntas ex Macedonia profugus, collectis quatuor millibus militum, ex fuga ad *Iſſum* in Ægyptum tranſit, cùm Ægypti præfectus in pugna cecidiſſet; & ſe pro præfecto Darii gerit, occupatâ totâ Ægypto: at vero cùm prædas ageret, prope Memphim cum omnibus ſuis trucidatur. *Diod. lib. 17.*

Archon apud Athenienſes *Niceratus.*

Olympias CXII. acta die 4. Auguſti fer 3. Eſt annus Olympiadicus 445.

Victor Stadii fuit *Gryllus* Chalcidenſis.

Annus ſabbathicus 6. Jobelei 23. incipit die 27. Sept. fer. 5. Eſt ſeptimana decima quarta ſeptuaginta hebdomadum. Anno Jud. 3430.

Senatus Græcorum, cùm Corinthi in Iſthmiorum ludis conveniſſet, quindecim legatos ad Alexandrum in Aſiam deſtinat. qui ipſi victoriam gratularentur, & aurea corona donarent; invenerunt eum in caſtris ad Gazam. *Diod.*

Alexander cùm Gazam expugnaſſet, Amyntam in Macedoniam mittit, qui ſupplementum militum ex Græciâ adducat; interim ipſe movet Hieroſolymam verſus, infeſto animo. Pontifex JADDUA, cùm populo jejunium ſolenne indixiſſet, irato Alexandro obviam procedit, ornatus ſtolâ pontificali. Sed Alexander eo viſo ſtatim animo immutatus eſt, Pontificem benignè & amicè ſuſcepit, & interrogatus cauſam, reſpondit, ſibi in Macedoniâ numen quoddam noctu viſum, quod victoriam de Perſis ſibi promiſiſſet: ejus numinis Pontificem ſe credere hunc eſſe. Perrexit igitur in urbem, ubi DEO ſplendidum ſacrificium fecit, & cùm ex Daniele Prophetâ de everſione regni Perſici confirmatus eſſet, plurimis beneficiis Judæos affecit, *αὐτονομίαν* conceſſit, & tributorum immunitatem annis ſabbathicis. *Joſephus lib. 9. cap. 8.*

Romæ magiſtratum ineunt circa diem vigeſimum quintum Novembris:

Coſſ. M. Valerius Corvus IV.
M. Atilius Regulus.

ANNO MUNDI 3619. *ante C. N.* 329.
C. ☉ 15. D. 13.

Alexander in Ægyptum proficiſcitur, ubi ſummo deſiderio ab Ægyptiis, ſuperbia & injuriis Perſarum exacerbatis receptus eſt; inde ad templum Jovis Hammonis ſummo cum periculo iter ingreſſus eſt, quòd & arenæ eſſent continuæ, & ab omni humore deſtitutæ. quibus exercitus olim Cambyſis iiſdem in locis obrutus erat; feliciter tamen iter peregri, & reverſus *Alexandriam* urbem, loco opportuno verſibus Homeri, *ut Plutarchus habet,* oſtenſo, condit, & inde in Syriam redit, ubi accipit literas à Dario ſcriptas, quibus ipſi & ampliſſimum regnum, & filiam cum infinitis theſauris offerebatur, quam conditionem rejecit, niſi Darius ſeſe inferiorem profiteretur, cum ut cœlum binos Soles, ita orbis terrarum geminos reges ferre non poſſet. *Diodorus Siculus lib. 17.*

Valerius *ad Auſones profectus, cùm hoſtes primo prælio fudiſſet, urbem etiam Cales, quam operibus expugnare moliebatur, admonitu Fabii ſcalis capit: ingens ibi præda capta eſt, inde Romam rediit, triumphavitque Idibus Martiis, hoc eſt, circa 14. Auguſti Juliani.*

Archon apud Athenienſes *Ariſtophanes.*

Alexander cùm ad Euphratem veniſſet, occurrit ipſi ad Gaugamela Darius cum ingenti exercitu: habuit enim ad octingenta millia peditum, & ducenta millia equitum, quos quotidiè in aciem educebat & exercitabat. Moritur interea Stativa Darii uxor, quam Alexander ſplendidè ſepelit. Inde in aciem educit etiam ſuos, & in planicie, ubi Darius equitatu plus poterat, cum Dario pugnat, aperto quidem, ſed difficillimo prælio, & vincit: quam victoriam *Alexander* majori ex parte ſuæ virtuti magis, quàm fortunæ debuit. Prudentiſſimè enim aciem inſtruxerat, promptiſſimè ipſe pugnavit, & magno conſilio jacturam impedimentorum caſtrorumque, quæ ab equitatu Darii in initio pugnæ expugnata & capta fuerant, contempſit, cùm in ipſa acie ſummum rei videret eſſe diſcrimen. Parmenio Dux alterius cornu, longuidius ſe geſſit in hac pugnâ, vel ex timiditate, vel ex invidia *ut Plutarchus teſtatur.*

Factum eſt prælium undecim diebus poſt ecclipſin Lunæ, quæ accidit Babylone ad Calendarium Julianum die 20. Sept. feria ſecundâ, horis poſt meridiem 10, 24. Latitudo Lunæ vera 20, 5. ſeptentrionalis. Summa Semidiametrorum 64, 13. Semidiameter Lunæ 17, 58. Scrupula reſidua 44, 9. Digiti ecclipticì 14. Sol in 23. gradu Virginis. Factum igitur prælium primo Octobris, feriâ ſextâ, ſecundum Plutarchum.

Conſules *ambo adverſus Sidicinos exercitum ducunt, & comitiorum cauſa dictatorem dicunt* L. Æmilium Mamercum, *à quo circa diem* 27. *Novemb. creantur:*

Coſſ. T. Veturius Calvinus.

Sp. Poſthumius Regillenſis.

ANNO MUNDI 3620. *ante C. N.* 328.

B. ☉ 16. ☽ 14.

Darius victus ad ſuperiores provincias regni Perſici perfugit, exercitum reparaturus. *Diodorus.*

Alexander contra cum exercitum quiete poſt prælium refeciſſet, ne putredine cadaverum, aër corruptus exercitum peſte afficeret, *Babylonem* pergit, & deditione capit, ibi præfectos provinciarum ex ſuis eligit; & cum ſupplementum ex Græciâ miſſum eſſet, exercitum ordinat, magniſque muneribus afficit; inde *Suſas* abit, quas ſimiliter deditione accipit; inde magno periculo *Uxianam* regionem petit, & tandem Duce Lycio à Perſis olim capto, cùm viæ reliquæ omnes munitæ eſſent, in Perſiam venit, & *Perſepolin* metropolin Perſarum, ſuis diripiendam tradit, arce exceptâ, quam tamen poſtea ebrius & commeſſabundus, perſuaſus à Thaide meretrice Attica, cremat. Invenit autem ingentem vim auri & argenti in theſauris Perſicis, & Suſis quidem 40. millia talentorum, Perſepoli vero centum & viginti millia talentorum. Eam pecuniam omnem vel Suſos vel Babylonem transfert. *Diod. Sic.*

Coſſ. *Romanis antea propoſitis, Colonia deducta eſt* Cales: *duo millia & quingenti homines eo ſcripti, & triumviri creati, qui agrum dividerent. Inde accepto exercitu à* Coſſ. *præcedentis anni Sidicinos vaſtant, & ad mœnia ipſorum tandem perveniunt. Quia verò Sidicini dicebantur ingentem exercitum conſcripſiſſe, Dictator ex autoritate Senatus dicitur* P. Cornelius Rufinus, *qui tamen vitio creatus, ſe abdicavit,* Liv. lib. 8.

Calippus *Cyzicenus Mathematicus, cùm videret annum Metonicum, qui juſto major erat, vitium facere, animum ad ejus emendationem appulit, & quatuor Enneadecaeteridas, ſive quatuor annos Metonicos conjunxit, qui efficerent annos Iulianos* 76. *& diem unum hiſce annis in ſua periodo detraxit. Inchoavit autem eam ab hoc anno à novilunio, quod in diem* 28. *Iunii Iuliani incidit, qui dies proximus eſt à ſolſtitio, ab Euctemone & Metone obſervato, quemadmodum hæc apertè monſtrantur ex Ptolemæo.*

Archon apud Athenienſes *Ariſtophon.*

Demoſthenis cauſa de corona hoc Archonte dijudicata eſt, & *Demoſtenes* abſolutus. *Dionyſ. & Diogenes.*

Darius Bactra profectus cum triginta millibus hominum, tam Græcorum quam barbarorum, quos collegerat, à Beſſo, quem Bactris præfecerat, ſcelerate comprehenditur, aureis catenis vincitur, & tandem jaculis conficitur.

Alexander, qui incredibili celeritate Darium inſecutus fuerat, jam defuncto ſupervenit, cadaver Chlamyde ſua contegit, & Suſas ad matrem miſit, quæ eum regio more ſepelevit. *Diod. Sic. l.* 17.

Romæ peſtis ingruit, ideo tanquam auſpiciis contaminatis res ad interregnum redit, & quinto interregno tandem creati:

Coſſ. A. Cornelius Coſſus II.

Cn. Domitius Calvinus.

Cum Samnium alterum annum turbari novis conſiliis videretur, exercitus ex agro Sidicino non eſt deductus. Liv.

ANNO MUNDI 3621. *ante C. N.* 327.

A G. ☉ 17. ☽ 15.

Motus belli, in Græcia exiſtunt, dum verentur, ne Alexander tanta victoria potitus Græciam in ſervitutem redigat. *Memnon* igitur Thraciæ præfectus, ab Alexandro deficit, eique bellum facit: idem faciunt Spartani, & reliqui in Peloponneſo, Athenienſes quieſcunt. *Antipater* prorex Macedoniæ, prius in Memnonem ducit, idque bellum ſtatim componit, & in Peloponneſum aſſcitis ſociis venit, ubi prælio difficillimo vincit, cadunt Græcorum ultra quinque millia: ex Antipatri verò exercitu ultra tria millia. *Apis* Lacedæmoniorum rex graviſſimè vulneratus, cùm portaretur à ſuis, & ab hoſtibus circumdaretur, juſſit ſuos ſe Reipublicæ ſervare, & fugere, ipſe in genua prolapſus, invicto animo trucidatis plurimis hoſtium, tandem telis obrutus cadit. Antipater Spartanos bello proſequens, eis pacem petentibus dat, obſides tamen nobiliſſimos capit, & negotium ſenatui Græco dijudicandum proponit, qui id ad Alexandrum rejiciunt. *Diodo. Siculus.*

Alexander Epiri rex, cum in Italia aliquoties proſpere pugnaſſet, & cum Romanis etiam amicitiam iniiſſet. Tandem à Lucanis transfugis ex inſidiis trucidatur, ad Acherontem annem. Prædictum ipſi fuerat ab oraculo, ut Acheruſiam aquam vitaret, ibi enim fatis ejus terminum dari, atque ideo ex Epiro diſceſſerat, ubi Acheron amnis erat, inſcius in Italia etiam ejuſdem nominis amnem eſſe, ubi periit. Antipater hæc & alia ad Alexandrum Magnum perſcribit. *Iuſtinus & Diod. Siculus.*

Archon apud Athenienſes *Cephiſophon. Diod.*

Beſſus, interfecto *Dario*, in Bactrianam regionem profugit, & alios ſibi ſocios aſſumit, totam regionem præſidiis munit, & regium Diadema ſibi ſumit. *Diod.*

Ad *Alexandrum* tandem nuncius venit de cæſis Lacedæmoniis, & interitu Alexandri Epiri regis, unde ipſi lætitia major ex cæſis hoſtibus, quàm dolor ex morte avunculi fuit, exercitui tamen triduanum luctum indicit. Inde in Hyrcaniam movet, ubi cum Thaleſtri *Amazonum* regina, ex rege liberos quæſitura, tredecim dies conſumit. Inde cùm multo Perſarum duces in gratiam recepiſſe, Perſicum habitum ſibi ſumit, mores Græcos exuit, & ſe adorari cupit; unde in odium venit apud milites ſuos, ex quibus aliqui contra eum conſpirarunt, cujus conſpirationis indicem, ne rem ad Alexandrum deferret, impedivit *Philotas*, filius Parmenionis, qui ob id ſuſpectus factus in vincula rapitur, tormentis ſubjicitur, & cum patre trucidatur. *Diod. Siculus, Curtius.*

Apud Romanos fama Gallici belli pro tumultu valuit, & Dictator dictus eſt M. Papirius Craſſus, *ſed per exploratores cognitum, omnia tranquilla eſſe apud Gallos.* Liv.

Cenſores *apud Romanos Publilius Philo & Sp. Poſthumius, luſtrum XXIV. condiderunt, & quoniã*

Æmilius in hoc honore Privernas appellatus eſt.

ANNO MUNDI 3624. *ante C. N.* 324.
D. ☉20. ☽ 18.

Alexander cùm ad Mallos, qui ſunt populi in India, veniſſet, in oppugnatione urbis, cùm ſolus in murum aſcendiſſet; in ipſam urbem, in medios hoſtes inſilit, ubi ferè interfectus eſt.

Doxippus pugil Athenienſis, nudus cum armato Macedone pugnat vincitque: ſed à Macedonibus odio & inſidiis petitus, mortem conſciſcit.

Apud Brachmannos cùm *Ptolomæus*, qui pòſt Ægyptum obtinuit, venenata ſagittâ ſauciatus eſſet, nec remedium huic & aliis eſſet, Alexander herbam, quâ ſanari poſſet, in ſomnis, Dracone quodam & herbam & locum monſtrante, vidit, quâ poſtea milites ſalubriter in hujusmodi vulneribus uſi ſunt: Inde claſſem adornat, quâ Oceanum tentari jubet, & ad oſtia Euphratis reverti. Præfecti verò, quos præfecerat Alexander regionibus Perſicis, cùm de reditu ejus deſperaſſent, multa libidinosè & crudeliter egerant interim: in eos ſeverè animadvertit Alexander, quam pœnam multi fugâ evitare conati ſunt. *Diod. Siculus.*

Mamercinus *conſul bellum Gallicum ſortitur, & ad Vejos uſque abit cum exercitu; exploratis verò rebus, invenit Gallos quieſcere. Ducit igitur exercitum ad Privernum, oppidumque cum Vitruvio capit.* Liv.

Archon apud Athenienſes *Anticles.*

Cùm *Alexander* Suſas perveniſſet, *Calanus* Indorum Sophiſta, qui vitam ad annos 73. propagarat, cùm valetudine tentaretur, petit ſe cremari vivum. Inde *Alexander Statyram* Darii filiam ſibi jungit uxorem, & ſororem ejus minorem natu tradit Hephæſtioni, & Perſas, quos ex juventute ſelegerat & inſtituerat, exercet armis Macedonicis, ut haberet, quos opponeret Macedonibus tumultuantibus, & minùs ſibi obſequentibus. Interea *Harpalus* convaſatis quinque talentorum millibus Babylone aufugit, aſſumptis ſex millibus militum, & cum parte pecuniæ ad Athenienſes venit, ubi *Demoſthenem* auro corrupit, ut ſuam cauſam apud populum ageret.

Alexander præterea Veteranos exautoratos in Græciam dimittit, & eorum debita ultrò ad decem millia talentorum exolvit, ſcribitque ad Græcos, ut hi in ſummo honore apud Græcos haberentur. Reliquos verò Macedones, qui tumultum excitabant, ipſe ad pœnas trahit, & tandem cùm triduano fletu miſericordiam Alexandri imploraſſent, in gratiam recipiuntur. *Diod. Siculus.*

Conſules necato Vitruvio, cùm ſenatores Priverni in exilium pulſi eſſent, triumphant Calendis Martii, quæ incidunt ad Calendarium Julianum ferè in 9. Auguſti; inde de plebe Privernatium Senatusconſultus, eam in civitatem recipit, ne ſe Samnitibus, qui bellum coquebant, dederent. Liv.

Inde circa diem ſeptimum Decemb. Juliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Plautius Venox.
P. Cornelius Scipio Scapula.

ANNO MUNDI 3625. *ante C. N.* 323.
CB. ☉ 21. ☽ 19.

Harpalum fugientem perſequitur Antipater, cumque ut ſibi ab Athenienſibus tradatur, efflagitat: Demoſthenes perſuadet populo, ne tantum concedant Antipatro, ſed paterentur Harpalum fugere, qui paulò poſt in Creta occiſus eſt. Athenienſes verò, cùm ſibi metuerent ab Alexandro, quæſtionem de pecuniis Harpali inſtituunt, & deprehendunt, Demoſthenem poculum & viginti talenta accepiſſe, qui propterea damnatus in exilium actus eſt.

Demetrius Phaleræus inclareſcit, & ad Rempubl. adhibetur, *teſte Diog. Laert.*

Alexander Suſis exercitum ſuum recenſet, corporis ſui cuſtodes ex Macedonicis & Perſis ſimul eligit, & multa Perſarum millia in exercitu Macedonibus miſcet. Inde Suſis abiens *Ecbatanam* Mediæ proficiſcitur, ubi multum temporis recreationi exercitus tribuit; ipſe interea ſcenicos ludos & compotationes aſſiduas inſtituit, ubi *Hephæſtio* nimium poculis indulgens, morbo correptus vitâ excedit, quem caſum Alexander adeò graviter tulit, ut medicum in crucem ageret, cadaver ſecum Babylonem deportandum duceret, ubi exequias ipſi perageret. *Diod. Sic. lib.* 17.

In Græcia novi tumultus exoriuntur, quòd ex edicto Alexandri omnes reguli milites ſuos dimiſiſſent, qui collecti ad Tænarum Laconiæ cum quibusdam ex Perſia profugis bellum Alexandro meditantur, duce *Leoſtene* Athenienſe, qui clam ab Athenienſibus quinquaginta talenta accepit. Inde bellum *Lamiacum* ſequenti anno conflatum. *Ibid.*

Archon apud Athenienſes *Soſicles.*

Fregellas, *ubi Sidicinorum, & deinde Volſcorum ager fuerat, Colonia deducta eſt, quæ celeberrima poſt facta eſt.* Liv.

Viſceratio, quæ erat crudæ carnis diſtributio, Romæ primùm à M. Flavio *in funere matris data, quæ res ipſi poſtea honori fuit, & Tribunus plebis abſens creatus eſt.*

Annus ſabbathicus, & Jobeleus viceſimus tertius, incipit die Auguſti 31. fer. 5. Eſt ſeptimana decima quinta hebdomadum Danielis, anno Jud. 3437.

Alexander Coſſæorum gentem in Media, quæ nunquam Perſis vel Medis ſubjecta fuerat, expugnat, & ſibi obedientem reddit. Inde Babylonem verſus movet, quam ne ingrederetur Chaldæorum Aſtrologi ſeriò ſuadent, ideò amicis intra urbem receptis, ipſe ducenta ſtatia inde caſtra metatus ſubſiſtit.

Annus Nabonaſſaris 424. *incipit die* 12. *Novembris feria* 7.

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 9. *Decembris Juliani:*

Coſſ. L. Cornelius Lentulus.
Q. Publilius Philo II.

Palæopolitani, ſuis viribus & ſocietate Samnitium freti, multa hoſtilia adverſus Romanos faciunt, & agrum Campanum Falernumq; aſſiduis vaſtationibus populantur.

ANNO MUNDI 3626. *ante C. N.* 322.
A. ☉ 22. ☽ 1.

Annus ab urbe condita numeratus 429.

Annus Alexandri Magni duodecimus.

Alexandro à Philoſophis Anaxagoræ dogmata amplexis perſuadetur, Chaldæorum Aſtrologiam,

giam, & prædictiones vanas eſſe, nec metuendas: Ideò urbem ingreditur, ubi humaniſſimè excipitur à civibus & legatis, qui ex toto orbe ibi confluxerant. Vniverſum enim terrarum orbem nominis ejus terror invaſerat, & cunctæ gentes, veluti deſtinato ſibi regi adulabantur. Legationes igitur ita diſtribuit, ut primos audiret, qui Sacrorum cauſa venerant; Secundos, qui cum gratulatione munera afferebant; Tertios, qui cum finitimis controverſiis habebant; Vltimos, qui reſtitutione exulum in Græcia refragabantur. Mandaverat enim Alexander, ut omnes exules reſtituerentur, præterquam homicidiæ & ſacrilegi. Hos omnes ita audivit, ut grata reſponſa omnibus impertiret, & lætos ac benevolos à ſe dimitteret. *Diod. Sic. lib.17.*

Publilius Conſul, cui Græci Palæopolitani, propter incurſiones crebras, bello perſequendi obvenerant, proficiſcitur eò, & locum capit opportunum inter Neapolim & Palæopolim, mutuique auxilii ſocietatem ipſis eripit, atque ita ſpem concipit utriuſq; oppidi expugnandi. Ad Samnites legati mittuntur, quòd Græcos auxiliis adjuviſſent, & vicinos de auxiliis ſollicitaſſent, qui ferociter bellum minitantur. Livius lib.8.

Archon apud Athenienſes *Ageſias.*

Annus periodi Calippicæ primæ incipit ſeptimus.

Olympias 114. *acta die* 6. *Auguſti, fer.* 1. *Eſt annus Olympiadicus* 453.

Stadium vicit *Micinas. Rhodius.*

Alexander Hephæſtioni ſumptuoſiſſimas exequias ducit, ad duodecim talentorum millia expendit, ad Oraculum Hamonis miſit, conſulturus de Hephæſtione inter divos referendo, per omnes fines regni Perſici ignem ſacrum, quem colebant, quique extingui non ſolebat, niſi rex defunctus eſſet, eo die, quo exequias ducturus erat, extingui juſſit. Variis ſpectaculis exequias præterea exornavit, ipſe primus cæſis victimis ad decem millia omnis generis Hephæſtioni ſacrificavit, & multitudinem ſplendido convivio excepit. *Diodorus.*

Romæ cum uterque Conſul à bello abſque ingenti periculo avocari non poſſet, Dictator comitiorum cauſâ dicitur M. Claudius Marcellus; *is quòd plebeius eſſet, ab Auguribus pronunciatur vitio factus. Ægrè id Tribuni plebis tulerunt, & comitia impedita fuerunt uſque ad decimum quartum interregem, per tres ferè menſes; tandem creati:*

Coſſ. C. Pætilius Libo II.
L. Papirius Curſor.

Publilio, quòd hoſtium inſultus muris immineret, prorogatur imperium, ut pro Conſule *in ſequentem annum bellum gereret.*

ANNO MUNDI 3627. *ante C. N.* 321.
G. ☉ 23. ☽ 2.

Multa omina eveniunt Babylone, quæ mortem videbantur Alexandro portendere, ut quòd captivus ex carcere elapſus in regiam venit, veſtes Alexandri induit, cum diademate, & in ſella ejus conſedit tacitus; qui, ut ſi quid portenderet, in ſe reciperet, occiſus eſt. Ipſe Alexander cœpit graviſſimâ animi perturbatione torqueri, magnifacere incipit Aſtrologorum prædictiones; ad triſtes haſce cogitationes, obruendas conviviis indulget, ubi tandem febrim ſibi conciliavit. *Curtius, Diod. Iuſtin. & alii* veneno periiſſe contendunt, cujus mentionem nemo auſus fuit facere, propter Antipatri, qui venenum ſubminiſtraſſe creditur, potentiam. Plutarchus hoſce refutat, affirmatq; , ſe diarium morbi Alexandri accepiſſe, in quo, quomodo ſe ſingulis diebus in febrili Paroxyſmo habuerit, perſcriptum fuit; Et quòd decimo morbi die perierit, die viceſimo ſecundo Dæſii, qui nobis ferè eſt decimus octavus Aprilis, cùm vixiſſet annos triginta duos, menſes octo, *ut habet Arrianus,* & regnâſſet annos duodecim, menſes ſeptem, *ut habet Diodorus Siculus,* paulò antequam ſecundus annus, Olympiadicus 114. inciperet. Variè affecti ſunt ſubditi hoc caſu. Perſæ & Aſiatici luxerunt eum ut patrem: Græci & alii haud mediocriter exhilarati ſunt, quòd ejus potentiam horrerent: Siſigambis verò mater Darii adeò perturbata eſt hoc caſu, ut vita ſe abdicaret, quòd quem putaſſet ſuum hoſtem eſſe Alexandrum, experta fuiſſet eum filium. *Diod. Sic. lib.*17.

Diogenes Cynicus Philoſophus mortuus eſt Corinthi, eodem die, quo Alexander Babylone. *Diog. Laert. lib.6.*

Æſchines Orator pulſus Athenis propter Demoſthenem, cùm Rhodi exulaſſet, tandem ad Alexandrum contendit; ſed in itinere audit eum defunctum. *Photius.*

Archon apud Athenienſes *Cephiſodorus.*

Ariſtoteles poſt mortem Alexandri, propter bellum inter Athenienſes & Antipatrum, Chalcidem migrat. *Dionyſ.*

Lectiſternium *Romæ quintum fit ab urbe condita.* Liv.

Lucani & Apuli, *quibus nihil rerum ante hac cum populo Romano fuerat, amicitiam cum populo Romano jungunt, & milites ad bellum Samniticum pollicentur. Tarentini hoc ægrè ferunt, metuentesq; ſibi, ne victis Samnitibus ſibi bellum inferatur, fraude perficiunt, ut Apuli & Lucani à fide Romanorum deficiſcant, & cum Samnitibus fœdus jungant, & præſidium inſuper recipiant.* Liv.

Publilius *Proconſul, cùm tota æſtate bellum cum Palæopolitanis geſſiſſet, & ipſi inſuper à præſidiis ſuis, Nolanis & Samnitibus affligerentur, ſe Romanis dedunt, & Publilio triumphus decernitur: triumphavit Calendis Maji, in Calendario Juliano circa diem* 14. *Octob.* Ibid.

Hoc anno deſitum eſt Romæ, ob debitam pecuniam aliquem in vinculis habere, propter libidinem & crudelitatem L. Papirii. Ibid.

Babylone poſt defunctum Alexandrum conſilia inſtituuntur de adminiſtrando regno, & tandem concluditur; ut *Philippo Aridæo* fratri Alexandri, cui tamen ſana mens non conſtabat, tutor adderetur *Perdiccas,* & reliquis Ducibus provinciæ regni adminiſtrandæ darentur. *Ptolomæo* Lagi datur Ægyptus, *Pythoni* Media, *Eumeni* Paphlagonia,

Cap-

Cappadocia & vicinæ, Antigono Lycia, Pamphilia, Phrygia major; Caſſandro Caria, Meleagro Lydia: Leonnato Phrygia ad Helleſpontum; Lyſimacho Thracia; Antipatro Macedonia; & aliæ regiones ad Caucaſum aliis.

Athenienſes cùm certò cognoviſſent, Alexandrum defunctum eſſe, Principatum Græciæ affectant, & bellum contra Antipatrum parant, ſocios ex Græcia accipiunt Ætolos & Theſſalos, & paucos alios, ope *Demoſthenis*; qui quòd patriæ utilem operam navaret, Athenas revocatus eſt. Antipater non ſatis firmus à copiis *Craterum* è Cilicia evocat cum ſuis militibus, ſed priuſquam adveniret congreditur cum Græcis, & vincitur, & *Lamiam* profugit, ubi omnia, quæ ad obſidionem tolerandam neceſſaria videbantur, præparat. Leoſthenes Dux Athenienſium, cum vi urbem expugnare non poſſet, extructo muro eam commeatu intercludere conatur, ſed in facienda foſſa ab erumpentibus hoſtibus vulneratur, & moritur, cui ſubſtituitur Antiphilus. *Diod. Sic. lib.* 18.

Ptolomæus in Ægypto cum ſuſpicaretur, ſe bello à Perdicca petitum iri, omnia ad bellum præparat Cyrenen ſibi adjungit, & amicitiam cum Antipatro & Antigono jungit. *Ibid.*

Perdiccas Cappadociæ regulum, qui ab Alexandro nondum ſubjugatus erat, prælio vincit, captum in crucem agit, regnumque ejus Eumeni regendum tradit. Inde quaſdam urbes expugnatus crudeliſſimè excſcindit. Ad Iſaurorum verò urbem cum veniſſet, cives, qui impares ſibi videbantur bello, ſuas conjuges & liberos ipſi interficiunt, & extructo rogo cremant, hoſteſque tamdiu ſuſtinent, tandem ipſi ſe in flammas præcipiant. *Ibid.*

Romæ circa diem 13. *Decemb. Iuliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Furius Camillus II.
D. Junius Brutus.

Veſtinus *populus, cui juncti erant Marſi & Peligni, ſe Samnitibus jungit, propterea ipſis bellum indictum.*

ANNO MUNDI 3628. *ante C. N.* 320.
F. ☉ 24. ☽ 3.

Lyſimachus in Thraciam irrumpens, invenit hoſtem inſtructum exercitu 28. millium, cum ipſe vix ſex millia militum haberet; nihilominus tamen fortunam prælio tentat, ſed ancipiti victoria in caſtra revertitur. *Diod. l.* 18.

Leonnatus Antipatro à Græcis oppugnato adducit auxilia & cum Græcis, qui jam obſidionem Lamiæ ſolverant, prælio congreditur, ſed dum paululum cedit, in paludem à Græcis irruentibus cogitur, ubi etiam trucidatur. Antipater hanc cladem non moleſtè tulit, & quòd æmulus ſuus ceciſſet, & quòd reliquias cladis ſibi jungeret; per ardua tamen exercitum duxit, nec pugnanti copiam hoſtibus præbuit. *Ibid.*

Samii à Perdicca in patriam reſtituuntur, cum annis 43. extorres oberraſſent. *Ibid.*

Romæ COSS. provincias ſortiantur, *Veſtinum bellum* Junio *evenit*, *qui populando urendoque agros, hoſtes in aciem prodire cogit, eoſque difficili prælio vincit, & caſtris exuit, inde cum hoſtes in urbes dilaberentur, quaſdam earum expugnavit, militibuſque prædam conceſſit.* Liv. l. 8.

Camillus *in Samnium profectus, foto concedit, Dictatore tamen priùs dicto, qui fuit* L. Lapirius *Curſor, qui Magiſtratum equitum dicit* Q. Fabium Rutilianum. *Nobile par fuit rebus in Magiſtratu geſtis, & diſcordia ad ultimum uſque diſcrimen producta.* Fabius *enim, quòd inſcio Dictatore pugnaſſet, etiamſi viciſſet, & hoſtium ad viginti millia occidiſſet, capitis à Dictatore damnatur; noxa tamen poſt diuturnam actionem interceſſione populi Romani eximitur.* Ibid.

Archon apud Athenienſes *Philocles vel Diocles.*

Craterus tandem Antipatro auxilio venit cum magno exercitu, & ambo cum Græcis in Cranone congreſſi vincunt. Prælium accidit, ut *Plutarchus* habet in Camillo & Demoſthene, die 7. Metagitnionis menſis, qui hoc anno incidit in diem 5. Septembris, feriam quintam. Græci igitur cum inferiores eſſent exercitu, de conditionibus pacis cum Antipatro agunt, quas Antipater ea conditione admittit, ſi ſingulæ civitates ſuos legatos mittant. Hac ratione conſenſum Græciæ dirupit, & milites inter ſe diſcordes in ſuas quiſque civitates dilapſi ſunt. Athenienſibus tandem haſce pacis leges dixit; ut qui ditiores eſſent, ad novem millia Rempubl. adminiſtrarent, reliqui pauperiores ad 22. millia, ut belli & turbarum autores à Republ. abſtinerent, & ſi qui vellent, in Thracia agros colendos acciperent. Rempubl. autem ad leges Solonis gubernarent, ſed præſidium in Munychia acciperent, id quod factum eſt ſequenti menſe Boedromione. *Plutarchus.*

Demoſthenes pacem hanc cum Athenienſibus ſuo ſanguine ſancitum iri videns, fugit. Quæſitus autem ab Antipatro per Archiam quendam, cum effugere non poſſet, ex calamo ſcriptorio venenum hauſit, & involuto capite expiravit, die 16. menſis Pyanepſionis, quo mulieres Athenis in honorem Cereris omni cibo abſtinere ſolent: eſt nobis dies decimus tertius Novembris, feria quarta.

Dictator Papirius, *reverſus in caſtra, pugnat cum Samnitibus difficili prælio; quòd milites Dictatori propter caſum* Fabii *infenſi victoriam morarentur. Dictator non ignarus, quantum in benevolentia militum ſitum eſſet, cura & comitate ſe militibus ita inſinuavit, ut ipſis facile reconciliaretur, & iterum pugnans tanta clade hoſtes vincit, ut accifis rebus Samnites pacem peterent. Dictator eos ad Senatum rejicit, militibus omnem prædam concedit, & triumphat nonis Martii, qui incidit ad Calendarium Iulianum ferè in menſem Septembrem, novos præterea Conſules creat, qui ineunt Magiſtratum circa* 13. *Decembris.*

Coſſ. C. Sulpitius Longus II.
Q. Aulius Ceretanus.

Samnites pro pace annuas inducias domum reportant, cum darent annuum ſtipendium & ſingulis militibus veſtimenta, ſed harum induciarum fides ſancta non fuit. Liv.

ANNO MUNDI 3629. *ante C. N.* 319.
ED. ☉ 25. ☽ 4.

Ariſtoteles moritur, cùm fuiſſet ferè biennium in Chalcide, & vixiſſet annos ſexaginta tres. *Diog.*

Aridæus cùm biennium ferè conſumpſiſſet in adornandis exequiis Alexandri Magni, tandem cum magna pompa cadaver in Ægyptum transfert, ubi cum magno apparatu accipitur à Ptolomæo,

qui ædificato ſacello illud Alexandriæ deponendum, & conſervandum cenſet, donec ad Hammonem data occaſione commoda deferri poſſet. *Diod. l.* 18.

Perdiccas, ut omnem poteſtatem & regiam auctoritatem in ſe transferret, Cleopatram Alexandri Magni ſororem cupit ſibi in uxorem dari: nec diſſentit Olympias mater, ſed ut hoc conſequi poſſet, ambit filiam Antipatri, ut ſub hac ſpecie amicitiæ Antipatrum tolleret. Cum verò hæc palàm fierent, utraque ſponſa excidit. Alio igitur modo rem aggreditur, & Eumeneam ſibi adjungit, virum ſtrenuum, & belli peritiſſimum, qui regis *Aridæi* partes defenderet. *Ibid.*

Samnites *ruptis induciis bellum inſtaurant, & novus inſuper hoſtis Romanis accedit* Apulus, *qui ſocietatem facit cum Samnitibus; utrinque igitur COSS. cum exercitu miſſi, ſed hoſtes nullibi inventi, agri tantùm vaſtati per totam æſtatem, & plurimum prædæ reportatum.* Liv. l. 8.

Archon apud Athenienſes *Appollodorus.*

Poſt Athenienſes in gratiam receptos, Antipater & Craterus in Ætoliam tranſeunt. Ætoli bello impares, relictis pagis & oppidis, in munita loca diſcedunt, ubi bellum vario marte geritur, donec *Antigonus* ex Aſia adveniret, qui utrumque docuit de conatibus *Perdiccæ*: ibi bellum cum Ætolis, quàm commodiſſimè potuit, compoſitum eſt, & copiæ in Aſiam contra Eumeneam traducuntur; ubi *Neoptolemus* invidia adverſus Eumenem ſtimulatus, & ſocietatem cum Antipatro pactus, Eumeni inſidias ſtruit; quas cum caviſſet, aperto marte cum eo pugnare cogitur, ubi tanta ſtrage Neoptolemus vincitur, ut vix ipſe evaderet: cum trecentis igitur equitibus elapſus ad Antipatrum confugit. *Diod. l.* 18.

Tuſculani, *quorum ope Veliterni & Privernates olim populo Romano bellum fecerunt*, Flavia *rogatione ad populum vexantur. Sed cùm ſordidati cum conjugibus & liberis Romam veniſſent, & culpam deprecarentur, veniam adepti ſunt.* Liv.

Annus Nabonaſſaris 428. *& annus quartus Philippi ſive mortis Alexandri, incipit die* 11. *Nov. fer.* 1.

Romæ circa diem 17. *Decemb. Iuliani magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Q. Fabius Maximus Rullianus,
L. Fulvius Curvus.

ANNO MUNDI 3630. *ante C. N.* 318. C. ☉ 26. ☽ 5.

Annus ab urbe condita numeratus 433.
Annus Ptolomæi Lagi quartus.

Antipater & Craterus copias ſuas dividunt, & Antipater in Ciliciam movet contra Perdiccam, alter Craterus contra Eumenem, ſed Perdiccas jam in Ægyptum moverat. Eumenes cum videret hoſtes adeſſe, copias undique cogit, inprimis equitatum, hoſtes enim peditatu prævalebant. Ideò omnem victoriæ ſpem in equitatu collocatam habebat, quæ etiam ipſum non fefellit: nam in dextro cornu Craterus equo excuſſus, & non ſatis agnitus conculcatur, in ſiniſtro cornu ipſe Eumenes Neoptolemum ſua manu occidit, atque ita exercitus Ducibus deſtitutus victus eſt. Eumenes exercitum in gratiam recipit, hac conditione, ut ſecum militent, & eis de commeatu proſpicit, ſed ipſi ſumptis alimentis noctu diſcedunt, & ad Antipatrum redeunt. *Diod. l.* 18.

Perdiccas in Ægyptum profectus, invenit omnia loca præſidiis egregiè munita, & Ptolomæum propter juſtitiam & liberalitatem ab omnibus coli, adeò ut etiam Perdiccæ milites ad ipſum perfugerent: nihilominùs tamen caſtellum quoddam vehementer oppugnat, nihil tamen magnoperè efficit: Inde igitur diſcedere coactus, imperitè exercitum per Nilum traducere conatur. Sed cum dimidia pars exercitus traducta eſſet, arena transeundo mota dilabitur, & alveum longè profundiorem facit, quàm ut altera pars priorem ſequi poſſet: Quapropter prior pars regredi cogitur, ubi in tranſitu ultra duo millia militum, vel in flumine, vel ab elephantis protriti, interierunt. Exercitus magnopere hac clade exacerbatus, Perdiccam in tentorio ſuo trucidat. Attalus verò Perdiccæ navarchus effugit, & Tyrum occupat, ubi theſauros quos Perdicca depoſuerat, recipit. Ptolomæus tantâ victoriâ potitus, exercitui Perdiccæ autor eſt, ut loco Perdiccæ Pithoni & Aridæo ſummum imperium deferant, quod & factum eſt. & ab iiſdem Eumenes hoſtis regni declaratur, & diris devovetur. *Diod. l.* 18. Imperaverat autem Perdiccas triennium, ut omnes autores teſtantur: unde conſtat, cùm bini anni apud Diodorum circa hæc tempora deſiderentur, Diodori tamen incuria potius quam librariorum, hoc in loco fuiſſe annum inſerendum.

COSS. in Samnium profecti, acerrimo prælio cum Samnitibus congrediuntur, quod Samnites milites mercenarios plurimos contraxiſſent, adeò ut Romani impedimenta etiam in pugna amitterent; nihilominùs tamen cum prælium per totum diem toleratum eſſet, vincunt. Hac clade Samnites adeò fracti ſunt, ut de rebus populo Romano reddendis conſilia agitarent: triumpharunt conſules menſe Februario, qui ad Calendarium Iulianum incidit in menſem Auguſtum. Incertum apud Livium eſt, an per conſules bellum geſtum ſit, an vero per Dictatorem, A Cornelium Coſſum. *Sed tabula Capitolina aſſeribunt* Coſſ. *triumphum, unde patet Dictatorem tantum creatum, ut eſſet, qui agro Prætore in ludis Romanis ſignum mittendis quadrigis daret.* Liv. l. 8.

Olympias 115. *acta die* 23. *Iulii, fer.* 6. *Eſt annus Olympiadicus* 457.

Stadium vicit *Damaſias* Amphipolita.

Archon apud Athenienſes *Neæchmus.*

Annus periodi primæ Calippicæ undecimus.

Cum nullus exercitus in Macedonia eſſet, Ætoli in Theſſaliam irruunt, multumque dant damni. Acarnanes, qui hoſtes erant Ætolorum, viciſſim Ætoliam invadunt, & damna regerunt, donec Polyſperchon Dux Macedoniæ Ætolos in Theſſalia vinceret, & in Ætoliam redigeret. *Diod. Sic. lib.* 18.

Cum Pitho & Aridæus ex Ægypto in Syriam rediiſſent, Eurydice uxor Aridæi contra maritum & Pythonem, multa in exercitu agit, quibus Pitho permotus curatura ſe abdicat, & Antipatrum Curatorem regni eligit, qui cupidè hanc provinciam ſuſcipit, & Satrapias regni de novo, Ducibus, quibus voluit, cum conſenſu Macedonum diſtribuit, & inter cætera Antigonum gubernatorem Aſiæ declarat, cui tamen adjungit Caſſandrum filium, ne Antigonus novi quid moliretur. *Diod. Sic. l.* 18.

Ptolo-

Ptolomæus bello liberatus, cum videret Syriam & Phœniciam commodè regni Ægypti adjungi poſſe, dum omnia omnibus licet, per Nicanorem Ducem pellit Laomedontem perfectum, Syriæ & Pœniciæ urbes breviſſimo tempore ſibi ſubjicit. *Ibid.*

Samnites *autores belli, & ruptores induciarum, una cum opibus Romanis reddunt, ſimulque omnem prædam & captivos. ſed Romani nihil acceperunt, præterquam captivos, & ſi quid ex præda cognitum fuit, & paulò poſt magiſtratum ineunt circa diem decimum nonum Decembris Iuliani:*

Coſſ. T. Veturius Calvinus II.
Sp. Poſtumius Albinus II.

ANNO MUNDI 3631. *ante C. N.* 317.
B. ☉ 27. ☽ 6.

Antigonus ex hybernis profectus, ad oppugnandum Eumenem proficiſcitur, & muneribus quosdam in exercitu Eumenis corrumpit, qui in acie eum deſeruerunt, & ita ingentis cladis autòres fuerunt. Ceciderunt ex Eumenianis ad octo millia ipſe vix cum ſexcentis equitibus in munitiſſimum caſtellum profugit, ubi plus quàm annuo ſpatio obſeſſus eſt; ubi cum in anguſto ſpatio equi exerceri non poſſent, ne inhabiles redderentur, arte motum equorum excogitavit. Antigonus exercitu Eumenis etiam auctus, majores ſibi ſpiritus ſumit, & contempto tutore Antipatro Aſiam ſibi ſubjicere conatur: Ideò Eumeni, ut ſocium & adjutorem harum rerum haberet, pacem offert, ſed Eumenes, niſi ſibi omnes provinciæ quibus præfectus fuerat, reſtituerentur, has conditiones reſpuit. *Diod. l.* 18.

Samnites *circa Caudium caſtra occultiſſimè locant*, *Romani* Coſſ. *vero falſo rumore perſuaſi, Lucerinos a Samnitibus obſideri, per Furculas Caudinas exercitum eò ducturi in inſidias præcipitant: ibi capti in univerſum omnes, ut inde exirent, ſpoponderunt, conſules cum legatis & aliis, ſe pacem æquam cum Samnitibus facturos agro Samnitium dederuntque in hanc rem obſides ſexcentos equites. Inde ſub jugum ſeminudi, traditis armis, miſſi, domum cum ignominia revertuntur.* Liv. l. 9.

Archon apud Athenienſes *Apollodorus.*

Ex Perdiccæ amicis reſtabant Alectas & Attalus Magnus, copiis inſtructi in Piſidia, eo tendit Antigonus, eosque magno exercitu circumdat, & tandem vincit, ibi Attalus capitur, Alcetas verò ad Termeſſum evadit, ubi aſtu & fraude Antigoni, à ſenioribus civitatis captus & trucidatus, ad Antigonum mittitur, qui eum inſepultum abjecit. *Diod.*

Athenienſes legatos mittunt ad Antipatrum, petuntque, ut urbs ſua libera ipſis reddatur, & præſidium ex Munychia deducatur. Legatus fuit Demades Orator cum filio, & multis aliis. Sed Demades ante hoc templus literas ſcripſerat ad Perdiccam contra Antipatrum, eæ interceptæ fuerant ideò eum jam captum cum filio trucidat. Et paulò poſt Antipater moritur, tutoremque Aridæi facit Polyſperchontem, cui adjungit filium Caſſandrum, qui ſecundas partes teneat. Caſſander moleſtiſſime fert hanc voluntatem patris, quod non ex aſſe parenti ſuccedere debeat, & fugam molitur ad Antigonum in Aſiam. Polyſperchon ut ſe muniat, Olympiadem cum Alexandro filiolo ex Roxane quæ in Epirum metu Antipatri profugerat in Macedoniam revocat, *Diod. Sic. lib.* 18.

Conſules Romæ propter ignominiam in privato abditi ex ſenatus conſulto jubentur Dictatorem dicere, comitiorum cauſa dictus Q. Fabius Ambuſtus. *Sed hoc vitio creato, ſubrogatur ipſi* M. Æmilius Papus: *& tamen comitia habita non ſunt, ſed per interreges magiſtratum eo die, quo creati ſunt, inierunt circa diem viceſimum primum Decembris Iuliani:*

Coſſ. Q. Publilius Philo III.
L. Papirius Curſor.

ANNO MUNDI 3632. *ante C. N.* 316.
A. ☉ 28. ☽ 7.

Poſtumius *ſuperioris anni conſul, rogatus de Caudina pace ſuadet. ſe & omnes tam fœdæ pacis ſponſores vinctos Samnitibus dedi pro nece. ut populus Romanus ſalva fide bellum cum Samnitibus gerere poſſit, ſed Samnites hoſce non recipiunt, indignanturque pacem non ſervari.* Liv. l. 9.

Antigonus audita morte Antipatri, eos animos ſumpſit, ut neminem jam ferret ſuperiorem; ideò Aſiam ſibi ſumit regendam, quam ut facilius defendere poſſit, pacem Eumeni, quem jam integro anno obſidione fatigaverat, offert, amicitiam cum eo firmat, & longè meliorem provinciam ipſi offert, atque olim habuerat. Inde Lydiam occupat Epheſumque, ubi pecuniam Polyſperchonti debitam intercipit. *Diod. Sic. l.* 18.

Polyſperchon ſibi metuens ab Antigono & Ptolomæo, quos Caſſander de auxilio ſollicitabat, conſilia agitat, quomodo ipſis reſiſtere poſſit, concluditque, ut Græcos ſibi fidos habeat, omnibus urbibus in Græcia libertatem eſſe reſtituendam: Promulgatque de his diplomata, additque exules ubique reſtituendos ante finitum menſem Xanthicum. *Diod. l.* 18.

Athenienſes juxta diploma petunt, ut præſiduum è Munychia deducatur: ſed Nicanor præfectus præſidii, etiamſi mandaret id Polyſperchon, tamen repugnat, Munychiamque Caſſandro non ſolùm ſervat, ſed etiam Piræum occupat. Hinc populus Athenienſium exacerbatur, Oligarchiam abrogat & ſuſpectos quosdam capite mulctat, quosdam exilio quosdam publicatione bonorum. *Phocion* cum aliquibus furentem populum metuens, ad Polyſperchontem perfugit, à quo ipſe vinctus Athenienſibus eum poſcentibus reſtituitur, ubi accuſatur, & cum ejus defenſionem vulgus audire nollet, damnatur, & cicutam bibit. die 19. Munychonis menſis, *ut Plutarchus habet in Phocione.* Eſſet ad Calendarium Julianum dies 5. Maji fer. 6.

Satricani *ad Samnites deficiunt, &* Pregellæ *Colonia ab hoſtibus noctu occupatur. Romanorum alter conſul Luceriam verſus movet. Publilius adverſus hoſtes ſubſiſtit, eosq; vincit, interim ad Luceriam Romanis commeatus in anguſtiis erat, adveniente Publilio laxior ea fuit.* Tarentini *miſcent ſe huic bello, jubentq; pacem fieri, & perſtantibus in armis bellum minitantur, quos irridens* Conſul Curſor *ipſis præſentibus caſtra hoſtium expugnat, vincit, obſides recipit, & Samnites ſub jugum mittit.* Liv. l. 9.

Archon apud Athenienſes *Archippus.*

Eumenes in Cappadocia relictus, veteres ſuos milites colligit, & jam ad duo millia contraxerat, cùm accipit Polyſperxhontis literas, quibus admone-

monetur, ut relicto Antigono regum tutelam ſuſcipere velit, accipitque quingenta talenta præſentia, & præfectis Ciliciæ mandatur, ut Eumeni tot alia etiam numerent, idem mandatur ab Olympiade, & ut Argyraſpides milites emeriti Eumeni ſacramentum dicant. Eumenes omnem ſuam operam promittit regibus, & humaniſſimè à Macedonibus recipitur, ac omnium conſenſu Dux declaratur. Proficiſcitur ergò in Phœniciam, ut claſſem comparet, quâ Polyſperchonti auxilio eſſe, & auxilia viciſſim ab eo accipere poſſet. *Diod. Sic. l.* 18.

Annus ſabbathicus primus Iobelei viceſimi quarti, incipit die 14. *Sept. fer.* 5. *Eſt hebdomas decima ſexta hebdomadum Danielis, Anno Iud.* 3444.

Caſſander, cum accepiſſet ab Antigono triginta quinque naves, & milites, Piræum ſubit. Eò tendit etiam Polyſperchon, ſed commeatu deſtitutus regredi cogitur, & Megalopolin urbem interim obſidet, ubi ſe & exercitum fruſtra fatigat, & tandem magna clade à ſuis elephantis, qui ab hoſte ſtrategemate quodam lædebantur, afficitur. Mittit tamen Clitum ducem ad Helleſpontum, qui Antigoni & Caſſandri claſſem vincit, decem & ſeptem naves demergit, & quadraginta capit. Antigonus nihil deterritus hac clade, ſtatim claſſem reparat, & impoſitis ſtrenuis militibus Clitum ſecurum aggreditur, omnibus ejus navibus potitur ubi etiam Clitus, dum per Thraciam fugit, occiſus eſt. *Diod. l.* 18.

Tabulæ *Capitolinæ hoc anno trium Dictatorum meminerunt*: C. Mænii, L. Cornelii Lentuli, & T. Manlii Torquati, *quorum tamen Livius mentionem nullam facit. Inierunt autem magiſtratum menſe Decembri*:

Coſſ. L. Papirius Curſor. III.
Q. Aulius Ceretanus II.

ANNO MUNDI 3633. *ante C. N.* 315.
GF. ☉ 1. ☽ 8.

Antigonus jam ſecurus à Polyſperchonte, Eumenem profligandum cenſet, qui tamen jam ad ſuperiores provincias, Babylonem verſus profectus erat. Ubi à Seleuco, etſi mandata Olympiadis oſtenderet, nihil impetravit. *Diod. l.* 18.

Athenienſes cum præſidium non deduceretur, nec etiam ipſi id ejicere poſſent, pacem faciunt cum Caſſandro, in has conditiones, ut præſidium in arce maneat, donec cum regibus ſit debellatum & Curator Reipublicæ & urbis conſtitueretur Demetrius Phalereus, qui poſtea per decennium in tranquilla pace urbi præfuit, eamque innumeris beneficiis auxit. *Ibid.*

Caſſander paulò poſt in Macedoniam cum exercitu tranſit, ubi multos invenit, qui Polyſperchontem propter deſidiam odio haberent, & ſibi faverent, quapropter exiguo tempore res ſuas ſtabilivit *Ibid.*

Archon apud Athenienſes *Demoſthenes vel Demogenes.*

Aulius *conſul cum Ferentanis hoſtibus uno prælio debellat, obſidibusque impetratis in deditionem eos accipit.* Papirius *verò Satricum proditione accipit, & præſidium Samnitium intercipit. Inde defectionis auctores ſecuri percuſſi, & præſidio impoſito arma Satricanis erepta ſunt.* Liv. l. 9.

Eumenes à Seleuco contemptus in Mediam abit ubi præfectis perſuadet, ut milites, & elephantos ad defendendos reges adducant, cogitque ad viginti millia militum, multoſque equites, ſed cùm, qui adduxerant Eumeni, ut ſupremo Duci ſubeſſe nollent, Eumenes ſuadet, ut æquali omnes ſint imperio, & quotidie in tabernaculo Alexandri conveniant, & in commune conſulant. Antigonus de his certior factus, per totam æſtatem exercitum colligit. *Diod. Sic. l.* 19.

Olympias mater Alexandri, cum Nepote ex Roxane in Macedoniam tranſit, ubi à ſubditis libentiſſimè ſuſcipitur. Cum igitur res ſuas ſibi ſtabiliviſſe viſa eſſet, Aridæum, cum ſex annos & ſex menſes regnaſſet captum, & in vinculis crudeliter tractatum, jaculis per Cretenſes conficit, & Eurydicen mori jubet. Illa cum maritum obligaſſet, de laqueo ſe ſuſpendit, dira imprecans Olympiadi. Eadem Olympias ex amicis Caſſandri centum eligit, duos mactaret, qua crudelitate Macedones à ſe ab alienavit. *Ibid.*

Agathocles ex humillima fortuna, dum belloſtrenuum ſe præbet, ad principatum adſpirat, quem ut conſequeretur, inſidias ſibi fieri mentitur, & binis diebus Syracuſis claſſicum canit, & ad quatuor millia virorum principum, qui præ cæteris eminebant, trucidavit, & bona eorum diripuit: quo factum, ut qui prædæ participes fuerant, ipſum cum ſummo jure Ducem conſtituerent. *Diod. l.* 19.

Annus Mabonaſſaris 432. *& annorum Philippi ac mortis Alexandri* 8. *incipit die* 10. *Novemb. fer.* 5.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem viceſimum quintum Decembris Iuliani:

Coſſ. L. Plautius Venno.
M. Foslius Flaccinator.

ANNO MUNDI 3634. *ante C. N.* 314.
E. ☉ 2. ☽ 9.

Annus ab urbe condita numeratus 437.
Annus Ptolomæi Lagi octavus.

Antigonus, cùm ſuperiori anno Babylonem veniſſet, arma ſociat cum Seleuco & Pithone, & contra Eumenem proficiſcitur, eundemque circa brumam improviſo obruere conatur, ſed Eumenes certior factus de ipſius conatu, fraudem fraude excludit, & Antigonum territat. Inde circa æſtatem prælio congrediuntur, in quo cum à tot millibus militum pulvis ingens eſſet excitatus, Antigonus occaſione uſus, cum nemo, quid fieret, cernere poſſet, impedimenta Eumenis aggreditur, eaque occupat: quo audito Eumeniam fugiunt, & Argyraſpides irati, quòd omnibus ſuis bonis exuti eſſent cum Antigono recipiendis impedimentis agunt & ipſi ſuum Ducem vinctum Antigono tradunt, à quo poſtea eſt interfectus. *Diod. l.* 19.

Rhodii aquarum inundationibus & diluvio ferè toti obruuntur, accidit tempeſtas circa Veris initium. Grando tantæ magnitudinis fuit, ut minam pondere æquaret, quo multi homines exanimati ſunt: periſſent omnes, niſi murus urbis vi aquarum everſus corruiſſet. *Ibid.*

Archon apud Athenienſes *Democlites.*

Annus periodi primæ Calippicæ 15. *incipit.*

Olympias 116. *acta die* 7. *Auguſti, fer.* 5. *Eſt annus Olympiadicus* 461.

Stadium vicit *Dinomenes* Lacon.

Ariſtoxenus Muſicus, & Philoſophus inſignis, diſcipulus Ariſtotelis, floret.

Gubi

Gothi ex Scandia, anno Dioclis Ducis Francorum duodecimo egrediuntur, vaſtantque Germaniam: Germaniæ reges, ut Saxonem, Doringorum, Teutonum, Rugiorum, & *Diocles* Dux Francorum collecto exercitu millium 260. vincunt Gothos, occiduntque ad centum millia. Inter Germanos tamen cecidit Heriman rex Doringorum. *Trithem. in Comp.*

Samnites *ultimis precibus a populo Romano fœdus renovari contendunt, ſed id non obtinent; dantur ipſis biennii induciæ.* Liv. l. 9.

Theanenſes & Canuſini, *populationibus & bello feſſi, offerunt obſides, & in deditionem veniunt.* Ibid.

Cum Campani ſeditionibus laborarent, nec viderent, quomodo diſcordia ſopiri poſſet, præfectos annuos à Romanis petunt. Ibid.

Cenſores, L. Papirius & C. Mænius *luſtrum condunt 24. & duas Tribus reliquis addunt*, Ufentinam & Falerianam.

Caſſander de crudelitate Olympiadis certior factus, in Macedoniam cum exercitu irruit, quem fugiens Olympias cum ſuis Pydnæ ſe incluſit, obſidionem toleratura, donec auxilia advenirent. Æacida Pyrrhi parens auxilium Olympiadi laturus impeditur defectione ſubditorum ſuorum, qui ad Caſſandrum deſciſcunt. *Diod. l. 19.*

Romæ circa diem viceſimum ſeptimum Decemb. Juliani, ineunt Magiſtratum:

Coſſ. Q. Æmilius Barbula.
C. Junius Bubulcus Brutus.

ANNO MUNDI 3635. *ante C. N.* 313.
D. ☉ 3. ☽ 10.

Antigonus cùm adhuc in hybernis eſſet, Pithonem præſtantiſſimum & nobiliſſimum Ducem per fraudem evocat & interficit. Inde in Perſiam abit, ubi ex Perſarum conſilio provincias diſtribuit. Argyraſpides etiam ejusmodi locis diſponit, in quibus brevi tempore perituri eſſent. Peuceſtæ etiam provinciam adimit, & Suſis atque aliis in locis ad 25. millia talentorum corradit. *Dionyſ. l. 19.*

Caſſander, cùm in hyeme Pydnam oppugnare non poſſet, obſidionem continuat, & commeatu intercludit; unde tanta fames in urbe exorta, ut elephanti inedia perirent, equi ab hominibus in cibo abſumerentur, & barbari etiam cadaveribus veſcerentur. Mercenarii igitur milites petunt dimiſſionem, quæ ipſis conceditur, unde factum eſt, ut ſeſe etiam Olympias dederet, quam à Macedonibus quotidie capitis ob crudelitatem accuſari jubet Caſſander, cùm ipſi interim nullum defenſionis locum concederet, ſed potius ut fugam intenderet, occaſionem daret. Cum verò abhorreret à fuga, mittit milites, qui eam occiderent, ipſe interium filiam ejus Theſſalonicen, Alexandri Magni ſororem, uxorem ducit, ut dignus videretur, qui Macedoniæ regnum haberet. Roxanen verò cum Alexandro filio Amphipolin in cuſtodiam abducit. *Diod. l. 19.*

Polyſperchon, cùm tanta inclinatione animorum Caſſander in Macedonia ſuſciperetur, & à militibus deſereretur, cum Æacida in Ætoliam ſecedit, eventum rei expectaturus. *Ibid.*

Apuli *Romam veniunt petitum fœdus, impetrantque non tamen ex æquo, ſed ut in ditione eſſent populi Romani. Sic Antiates leges adminiſtrandæ Reipubl. à Romanis petunt, & obtinent.* Liv. l. 9.

Xenocrates, qui poſt Speuſippum ſcholæ Platonicæ præfuerat annos 25. moritur; ſuccedit Polemo, qui adoleſcentiam egerat luxurioſam & temulentam, ſed Xenocratis oratione vehementiore de temperantia adeò immutatus eſt, ut Philoſophus inſignis fieret, & continentiſſimam vitam ageret. *Diog. Laert.*

Archon apud Athenienſes *Praxibulus.*

Galli Francos, qui jam Sicambri appellabantur, invadunt, ſed atroci prælio vincuntur, cæſis ſeptuaginta millibus. Ceciderunt tamen ex Francis præcipuæ nobilitatis Duces, & quatuor millia militum. *Trithemius in compendio.*

Saxones cum Friſonibus ex Cilicia ad Germaniæ latus claſſe hoc anno appuliſſe, ſcribitur. & inferiorem Germaniam, Friſam & Boruſſiam occupaſſe. *Annales Friſici Furmerii.*

Caſſander cum Peloponneſum etiam recepiſſet, in Bœotiam tranſit & convocatis Thebanis ſuperſtitibus, Thebas ante annum viceſimum ab Alexandro dirutas & exciſas inſtaurat, adjuvantibus hanc rem multis vicinis. *Diod. Sic. l. 19.*

Antigonus Suſis profectus Babylonem venit, & à Seleuco rationes redituum expoſcit, qui ſe ad hanc rem obſtrictum eſſe negas; metuens tamen ſibi, quòd Antigonus multos præſtantes Duces interfeciſſet, fugit ad Ptolomæum. Antigonus cum admonitus eſſet à Chaldæis, futurum ut à Seleuco interficeretur, & Seleucus totam Aſiam occuparet, mittit, qui eum ex fuga retraherent, ſed ipſe jam ad Ptolomæum pervenerat, cui perſuaſit, ut bellum contra Antigonum ſuſciperet, legatisque miſſis ad Caſſandrum & Lyſimachum, idem iis perſuaderet. *Ibid.*

Ptolomæus, Lyſimachus & Caſſander Legatos mittunt ad Antigonum, poſtulantque, ut Cappadociam & Lyciam Caſſandro; Phrygiam juxta Helleſpontum Lyſimacho; Syriam totam Ptolomæo; & Babyloniam Seleuco traderet, theſaurosque, quos poſt victum Eumenem ſibi vendiceſſet, ſecum divideret. Ad hæc cum aſperius reſpondiſſet Antigonus, bellum ipſi indicunt. *Ibid.*

Caſſander in Bœotiam, Theſſaliam, & Peloponneſum cum exercitu tendit, & quasdam urbes expugnat, præſidiisque firmat, & apud Argivos Nemea celebrat, inde in Macedoniam revertitur. *Ibid.*

Antigonus cùm tanta moles belli ſibi immineret, de ſociis adſciſcendis conſilia agit; & inprimis ut Græcorum benevolentiam ſibi conciliet; quapropter edictum proponit, in quo Græcis omnibus libertatem, & à præſidiis liberationem promittit. Ptolomæus ejusdem ſententiæ edictum proponit, atque ita Græci ad utriusque ſocietatem verbis alliciuntur, interim bello ab utraque parte atteruntur.

Romæ circa diem 29. Decemb. Iuliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. Sp. Nautius Rutilus.
M. Popilius Lænas.

ANNO MUNDI 3636. *ante C. N.* 312.
B. ☉ 4. ☽ 11.

Seleuci legatus Polyclitus è Cypro Pamphyliam verſus navigat, ubi antigoni navarchum ſtratagemate

mate quodam adeo decipit, ut tota claſſe ejus potiretur: quâ victoriâ Ptolomæus magnopere fuit exhilaratus, nihilominus tamen cùm Antigono de deponendo bello agit, ſed nihil æqui impetrat. *Diod. lib.* 19.

Siculæ civitates, cum viderent Agathoclem creſcere, ne totam ſibi Siciliam ſubjiciat, ſibi cavendum putant, ideò ſocietatem faciunt Acragantini, Geloi & Meſſenii, & Ducem petunt à Spartanis, qui eos negligendos non rati, Acrotatum regis Cleomenis filium, cum aliquot navibus mittunt. *Diod. Sic. l.* 19.

Pythiade ſexageſima nona admiſſæ ſunt pullorum bigæ, quibus vicit *Ptolomæus Lagi*, rex *Pauſ. in Phoc.*

Archon apud Athenienſes *Nicophorus.*

Dictator L. Æmilius *Satriculam oppugnat, Samnites, ne urbem hanc amittant, cum exercitu abveniunt ſed Dictator, quod caſtra tuto loco haberet, & obſeſſos erumpentes & Samnites vincit, qui ut Romanis viciſſim agrè facerent,* Pliſtiam *obſident.* Liv.

Ariſtodemus Antigoni Dux in Peloponneſum navigat, ubi Alexandrum Polyſperchotis filium pellere conatur, inde Ætolos ſibi ſocios facit; ſed Caſſander ut Ætolis ægrè faciat, Acarnanibus Ætolorum hoſtibus auxilia ſubminiſtrat, ex vicis in munitas urbes migrare jubet, & Ætolorum terram populatur; inde in Aſiam tranſit, & ſociis Ptolomæo & Seleuco ibi auxilium fert, donec hyems adveniret, *Diod. Sic. l.* 19.

Antigonus, cùm in plurimis regni partibus oppugnaretur, filium *Demetrium*, tantum viginti duos annos natum, exercitui præficit, & in Syria contra Ptolomæum relinquit: ipſe in Ciliciam movet, ubi nivibus fere obruitur. *Ibid.*

Acrotatus Spartanus contra Agathoclem miſſus, Tarentum appellit, ubi auxliis juvatur: Inde Agrigentum profectus, dum luxuria & incontinentia ſimiliorem ſe gerit Perſæ alicui, quam Spartano, in odium venit, & imperium ei abrogatur: quapropter inglorius Spartam revertitur. Acragantini & reliqui cum Agathocle pacem faciunt, qua re Agathoclis res valdè fuerunt confirmatæ. *Ibidem.*

Roma circa ultimum Decemb. Iuliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Papirius Curſor IV.
Q. Publilius Philo. IV.

ANNO MUNDI 3637. *ante C. N.* 311.
BA. ☉ 5. ☽ 12.

Accolæ pontus Euxini, ejectis præſidiis Lyſimachi, ſe in libertatem aſſerunt, Thraceſque & Scythas ſocios ſibi adjungunt; Lyſimachus comparatis copiis, Scythis obviam proficiſcitur, & Thraces ſibi impunitate promiſſa adjungit. Scythaſque magno prælio vincit, unde Callantianos obſidet, quibus Antigonus auxilia mittit; hos Lyſimachus diviſis copiis intercipit, duce Pauſania occiſo, & Seuthen regem etiam prælio vincit, ſibique ſubjicit. Diodor. lib. 19.

Antigonus Teleſphorum ducem in Peloponneſum mittit, eamque occupat, excepto Corintho & Sicyone; Contra Caſſandri dux, Epirotas cum rege Æacida vincit, & Ætolos etiam, eoſque clade hac affectos adeò terret, ut relictis urbibus in montes transfugerent. Nihilominus tamen Caſſander quamvis etiam Aſiam ferè occupaſſet, tamen cum belli mole ab Antigono ſolus premeretur, cum eo pacem init, hac conditione, ut eſſet Macedonia præfectus, & Græcos libertate frui pateretur. *Ibid.*

Apud Romanos Dictator Q. Fabius *ad Satriculam caſtra habet; ibi Samnites magno exercitu adveniunt, commeatum prohibituri: Magiſter equitum miſſus hoſtes adoritur, & monomachia cum Duce hoſtium congreditur, ſed & ipſe & Dux hoſtium cadit. Romani tamen victoria potiuntur, & Satriculam deditione capiunt.* Liv. l. 9.

Archon apud Athenienſes *Theophraſtus.*

Caſſander, pœnitens pacis cum Antigono factæ legatos ad Seleucum & Ptolomæum mittit, ut ſe adjuvent. Antigonus indignatus, Mileti cives ad libertatem vocat, & arcem ibi expugnat, Tralles etiam & alias urbes, eo etiam Ætoli & Bœnoti legatos mittunt, & ſocietatem cum Antigono jungunt *Caſſander* itaque in Græciam redit, Oreum oppugnat, & cum Teleſphoro ex Peloponneſo æquali Marte pugnat.

Fabius Dictator *ad Soram, quæ ad Samnites defecerat, profecturus, in itinere cogitur cum Samnitibus pugnare, quæ pugna oriente nocte incerta victoria dirempta eſt. Paucis diebus poſt, Fabius Samnites, cum novus Magiſter equitum novas copias in ipſo prælio inopinato induxiſſet, egregia victoria vincit, & caſtris exuit.* Liv. lib. 9.

Annus Nabonaſſaris 436. *& annus annorum Philippi, & mortis Alexandri* 12. *incipit die* 9. *Novemb. fer.* 5.

ANNO MUNDI 3638. *ante C. N.* 310.
G. ☉ 6. ☽ 13.

Annus ab urbe condita numeratus 441.

Annus Ptolomæi Lagi in Ægypto 12.

Roma circa diem ſecundum Ianuarii magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Poetilius Libo.
C. Sulpitius Longus III.

Hi COSS. accepto ab Dictatore exercitu, caſtra à Sora aliquantum removent, & per inſidias ac proditionem tandem Soram capiunt. Defectionis autores 225. *capti, & Romam miſſi, ubi & virgis caſi, & ſecuri percuſſi ſunt, ſummo gaudio plebis, cujus intererat, ubique tutos Colonos eſſe. Auſonum item gens, quæ ambigua fidei erat, & ad Samnites inclinabat, per proditionem recepta fuit, ſed cum militibus nulli Duces adeſſent, crudeliſſimè cum, victis egerunt, & tota gens ferè periit, cùm vix certum eſſet, eam defeciſſe.* Liv. l. 9.

Græcorum annus primus, quorum ratio habetur in primo Maccabæorum, incipit die 13. *Martii fer.* 3.

Antigoni Duces in Græcia & Pelonneſo plurimas urbes occupant, adeò ut & Athenienſes de libertate ad Antigonum mitterent; interea omnia præſidia *Caſſandri*, quæ potuerunt, expelluntur. *Diod. l.* 19.

Cyrenæi ſuperiore anno à Ptolomæo defecerant ſed ſtatim in initio anni ſub jugum redigantur. Defectio tamen hæc excitavit Demetrium in Syria, ut ſpem conciperet Ptolomæi evertenti: At verò hic poſt devictos Cyrenæos claſſem in Cyprū mittit, eamque ſibi ſubjicit: Inde evocatis ex Ægypto copiis in Syriam tranſit, & ad Gazam caſtra ponit. Demetrius parat ſe ad confligendum, ſed imperitè, cùm ex altera parte eſſent Duces vetera-

terani, Seleucus & Ptolomæus, & milites ſimiliter veterani; ipſe verò eſſet juvenis, belli non ſatis peritus. Vincitur ergò Demetrius, & caſtra amittit, cui tamen Ptolomæus ſupellectilem amiſſam remittit, & *Seleucum* ad occupandam Babylonem cum exercitu dimittit. *Diod. l.* 19.

Archon apud Athenienſes *Polemo.*

Annus periodi primæ Calippicæ 19. *incipit* 8. *Julii.*

Olympias 117. *acta die* 24. *Julii*, *fer.* 1. *Eſt annus Olympiadicus* 465.

Stadium vicit *Parmenio* Mitylenæus.

Epicurus aperit Scholam Mitylenæ & poſtea Lamſaci.

Luceria *Colonia Romana à Samnitibus occupatur, proditio præſidio, ſed impunita hæc res non fuit, quod exercitus Romani haud procul abeſſent; Ideò ſtatim urbs recepta, & Lucerini cum Samnitibus ad internecionem cæſi; novi coloni duo millia & quingenti eò mittuntur.* Liv. l. 9.

Capuæ *conjurationes quædam patefiunt, de quibus, ut inquiratur, Dictator dicitur,* C. Mænius, *qui quæſtiones eas etiam extendit ad Romanos, quæſiturus ſi qui adipiſcendorum honorum cauſa coitiones feciſſent. Nobiles homines cùm planè innocentes non eſſent, Dictatorem ejus culpa etiam participem eſſe inſimulant: quapropter ſe magiſtratu abdicat, ſed innocens deprehenditur. Samnites inter haſce Romanorum controverſias,* Capuæ *urbi inſidias ſtruunt ad Caudium, ſed à Coſſ. ibi vincuntur longo & difficili prælio: Ceciderunt ad* 30. *millia. Inde Coſſ. exercitum in hyberna deducunt.* Liv. l. 9.

Alexandræorum *annorum, quorum uſus fuit apud Joſephum, & in primitiva Eccleſia, item apud Aſtronomos & Arabes, primus incipit die* 6. *Sept. fer.* 5.

Antigonus, cùm claſſem in Græciam miſiſſet, cum Rhodiis ſocietatem firmat, quibus obviam venit Caſſander. Antigonus credens Macedoniam abſque præſidio eſſe, ad Helleſpontum cum exercitu venit; quare Caſſander relicto Duce, & copiarum parte, in Macedoniam abit. Antigonus contra, cum à Byzantinis ſocietatem obtinere non poſſet, & hyems præ foribus eſſet, exercitum in hyberna diſtribuit. *Diod. l.* 19.

Ptolomæus poſt victoriam, Palæſtinam ſibi ſubiicit, inter cætera occupat etiam *Hieroſolymam*, inſidioſe tamen, cùm ſacrificandi cauſa illam intraſſet, de qua re *Agatarchides* apud *Joſeph. ait*:

Judæi, dum propter ſuperſtitionem die Sabbathi gravantur arma capere, gravem Dominum receperunt. *Multum tamen poſtea Ptolomæus Judæis benefecit, plurimos in Ægyptum tranſtulit, eoſque pari jure cum aliis vivere paſſus eſt.* Joſephus.

Seleucus, cùm propè Babylonem veniſſet, etſi pauciſſimis equitibus comitatus eſſet, tamen recipitur, quòd olim per quadriennium ipſis humaniſſimè præfuiſſet: Inde Nicanorem præfectum Mediæ noctu in caſtris obrutum vincit, & Mediam Suſianamque regionem ditioni ſuæ adjicit. *Diod. lib.* 19.

ANNO MUNDI 3639. ante C.N. 309.
A.☉. 7. ☽ 14.

Agathocles Meſſeniis perſuadet, ut exules Syracuſanos, tyrannidem Agathoclis non ferentes, ejiciant, & ſecum amicitiam colant; quod faciunt & Agathoclem in urbem rejiciunt, ſed paulò poſt Agathocles Meſſeniorum ſexcentos, qui ſibi adverſari viſi ſunt, trucidat, & Agrigentum eodem modo occupare conatur, ſed fruſtra hoc fuit, cùm Carthaginenſes advenirent. *Diod. Sic. l.* 19.

Romæ circa diem 4. *Januarii Iuliani, magiſtratum ineunt.*

Coſſ. L. Papirius Curſor V.
C. Junius Bubulcus Brutus II.

Ptolomæus cùm totam Syriam ferè occupaſſet, Demetrium planè pellere conatur, ſed is dum aperta vi non poteſt, noctu ejus exercitum obruit, & cladem ante annum acceptam regerit, de qua re pater Antigonus certior factus, exercitum fortiſſimum adducit, cui Ptolomæus impar, Joppen, Samariam & Gazam deſtruit, & in Ægyptum redit. *Antigonus* totam Syriam recipit, & exercitum in Arabiam mittit, qui aſtutia Arabum trucidatur; expeditionem iterat, ſed pace qua potuit facta, ab Arabibus diſcedit. Inde Demetrium Babylonem cum exercitu mittit, ut Seleucum ejiceret, cui Seleucus *Patroclem* opponit, qui impar hoſtibus, incolas finibus excedere, etiam Babylonios juſſit. Demetrius vacua urbe potitus, præſidium imponit, & in Palæſtinam regreditur. *Diod. Sic. l.* 19.

Carthaginenſes cum viderent Agathoclem nimium creſcere, bellum majoribus viribus gerendum decernunt, mittuntque *Amilcarem* cum claſſe in Siciliam, quæ claſſis tamen disjicitur, & ſexaginta naves pereunt: unde tantus Carthagini luctus ortus, ut muros civitatis atratis laciniis obtegerent, ſed *Amilcar* claſſem & exercitum in Sicilia reparavit. *Ibidem.*

Archon apud Athenienſes *Simonides.*

Dictator Romæ C. Pætilius, exercitu accepto, cum arx Fregellana à Samnitibus capta eſſet, eò contendit, arcem recipit, validum præſidium imponit, & Nolam *armis repetit; quæ tandem, cùm ædificia circa murum cremata eſſent, expugnatur.* Liv. l. 9.

Sueſſa, *quæ Auruncorum fuerat, Colonia deducta, item* Pontia, *quæ Inſula Volſcorum fuerat, ad littus ſuum reſpiciens. Tertia etiam Colonia quatuor millium* Caſſinum *deducenda decernitur, quæ ſequenti anno deducta eſt.* ibid.

Annus ſabbathicus ſecundus, Jobelei viceſimi quarti, qui eſt ſeptima decima hebdomadum Danielis, incipit die 26. *Septemb. fer.* 5. *anno Jud.* 3451.

Eodem hoc die incipit etiam annus primus Chaldæorum, quorum mentio fit apud Ptolomæum, ut exempla oſtendunt.

Pax fit inter quatuor Duces Alexandri, in haſce conditiones, ut Caſſander ſit ſummus Dux Europæ; Lyſimachus Thraciæ; Ptolomæus Ægyptum, Africam, & Arabiam in poteſtate habet; Antigonus toti præſit Aſiæ, Græci ſuis legibus vivant, ſed ſub pacis ſpecie quilibet, quod poterat, ſibi aſſerebat, & Caſſander, quòd voces audirentur, filium Roxanes Alexandrum, ferè jam parem regno eſſe, præfecto imperat, ut & Roxanem & Alexandrum trucidaret; quâ re audita, quilibet Ducum provinciam ſuam, ut regnum obtinuit. *Diod. l.* 19.

Agathocles, cùm claſſem viginti navium amiſiſſet, Geloorum urbi timet, ne ab Amilcare occupetur; Cives tamen præſidium recipere nolebant:

quapropter milites ſingulos atque ſingulos ſeorſim urbi immittit, donec civibus pares eſſent, & ſic vi urbem occupat, quatuor millia civium interficit, & eorum bona ſibi ſumit. *Diod. l.* 19.

ANNO MUNDI 3640. ante C. N. 308.
G. ☉ 8. ☽ 15.

Romæ circa diem 6. Januarii Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Valerius Maximus.
P. Decius Mus.

Agathocles, cùm caſtra Amilcari & Carthaginenſibus oppoſuiſſet, tandem eos improviſo aggreditur, & primò non infeliciter pugnat, ſed dum Carthaginenſibus in ipſa acie nova auxilia adveniunt, magna clade vincitur, & novem ferè millia militum amittit cum caſtris, & tota Sicilia ad Carthaginenſes fere deficit. Factum prælium media æſtate, *Diod. Sic. lib.* 19.

Ptolomaus Antigoni Dux & Patruelis, cùm nullis dignis præmiis ab Antigono afficeretur, ad Caſſandrum deſciſcit. Et *Ptolomaus* rex Ægypti exercitum in Ciliciam mittit, cui Antigonus opponit Demetrium filium, qui multa feliciter gerit, & Duces *Ptolomæi* ex Cilicia ejicit. *Diod. Sic. l.* 20.

Archon apud Athenienſes *Hieromnemon.*

Eumelus ad Boſphorum regnat annis 38.

Conſul Valerius reliquias belli Samnitici perſequitur, ut & alter conſul Decius, quem tamen Livius dicit, ægrum Romæ reſtitiſſe, ſed quoniam uterque & in tabulis Capitolinis, & in inſcriptionibus dicitur triumphaſſe, neceſſe eſt eos triumpho dignas res geſſiſſe, quarum apud Livium nulla eſt mentio.

Dictator etiam dictus *C. Sulpitius Longus* contra Hetruſcos, cujus belli initia exorta erant. Magnum igitur exercitum conſcribit: finibus tamen non eſt egreſſus, quòd propulſare magis, quàm inferre bellum conſtituiſſet. *Liv. l.* 9.

Cenſores fuerunt Appius Claudius, & Plautius Venox; & Appius viam munit, à Porta Capena usq; ad Capuam, ejus latitudinis, ut currus ſibi invicem liberè cedere poſſent, & longitudinis, ad viginti ferè milliaria Germanica, quæ poſterioribus temporibus ad Brunduſium usque producta fuit.

Cumque Romani uſu aquarum ex Tyberi & fontibus hauſtarum contenti fuiſſent annis 441. Appius hic inventis venis fontalem aquam urbi induxit, & collega ejus Plautius ob inquiſitas fontium venas Venox appellatus eſt. *Iul. Front. de aquæd.*

Agathocles, cum profligatus eſſet ferè totâ Siciliâ, audaci conſilio in Africam bellum transfert; occidit tamen primùm potentiores Syracuſis, eorumq; bona ſibi adjudicat, ſervos quoſdam militiæ adſcribit, & ſuſpectorum filios ſecum in Africam abducit. Poſtridiè quàm naves conſcendiſſet, eclipſis Solis ingens accidit, adeò ut ſtellæ conſpicerentur, & ubiq; nox eſſet, quam interpretatus eſt de clade Carthaginenſium.

Eclipſis hæc accidit propè Siciliam, die 15. Aug. fer. 6. horis poſt mediam noctem 8. & minutis 5. 14. ad haſce tabulas, ubi latitudinis Parall. ad Polum 36. Gr. eſt 13. 51. & vera latitudo Lunæ Sept. 19. 18. Viſa itaque eſt ſeptent. 5. 27. Semidiam. Solis 15. 18. ſcrup. reſidua 25. 27. digiti eclipt. 10. 22. Sol in 16. 31. Leonis.

Agathocles cum magno periculo tandem in Africam inter tot hoſtes venit, claſſem ſuam cremat, ut omnem ſpem effugiendi militibus adimat, Africam vaſtat, & urbes captas cremat. Carthaginenſes exercitum contra eum mittunt cum duobus Ducibus; quorum alter in prælio cadit; alter *Bomilcar* cum ita occaſionem nactus eſſet tyrannidis invadendæ, victoriam inutilem ſibi jam putat, atque ita fugit. Agathocles inde victoriam perſequitur, & ad ducenta oppida occupat, cum multa præda, & regulos quoſdam ſibi amicitia jungit. *Diodorus Siculus l.* 20.

Polyſberchon, ut Caſſandro malè faciat, *Herculem*, Alexandri Magni filium ex Barſine, qui Pergami educatus fuerat, adoleſcentem annorum 17. ſibi aſſumit, & regnum Macedonicum ipſi tradere conatur, aſſcitis ad hanc rem Ætolorum auxiliis, ita ut jam magnum exercitum haberet. *Diodor. Sic. l.* 20.

ANNO MUNDI 3641. ante C. N. 307.
FE. ☉ 9. ☽ 16.

Romæ circa diem 8. Ianuarii Iuliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Junius Bubulcus Brutus III.
Q. Æmilius Barbula II.

Cùm *Ptolomaus* Lagi Cyprum occupaſſet, & ſenſiſſet *Nicoclem* nova conſilia agitare cum Antigono, & metueret, ne reliqui Cypri reges id conſilium ſequerentur, & Cyprum Antigono traderent; mittit qui Nicoclem occiderent, qui quidem cùm mandata Ptolomæi audiviſſet, ſibiipſi manus infert, ſed conjunx ejus, tanto caſu perturbata, ſuas ipſius filias occidit, & fratribus Nococlis perſuadet, ut ſe cum conjugibus & liberis ſecum in ædibus cremarent, cùm tamen Ptolomæus nihil in ipſos ſtatuiſſet, atq; ita familia Paphiorum regum ſimul abolita fuit. *Diod. Sic. l.* 20.

Appius Cenſor ſuperiori anno tibicinibus Romæ, qui ſacrificiis præcinebant, jus veſcendi in æde Jovis eripuerat, qui Romanis eâ de cauſa irati, Tybur uno agmine abierant. Cùm autem nemo eſſet, qui ſacris præcineret, ne ea omitterentur, Tiburtini exorati tibicines illos, largo potu invitatos, vino depoſitos & ſopitos, curribus Romam deferunt, ubi jus priſtinum ipſis reſtituitur, *Liv. l.* 9.

Polyſperchon, jam Herculem Alexandri filium in regnum Macedonicum reducturus, non exiguum habet exercitum, cui ſe Caſſander opponit, caſtraque caſtris vicina facit; metuens tamen ſibi à favore Macedonum in Alexandri progeniem, per legatos Polyſperchontem edocet, quantæ ex hoc novo rege turbæ orituræ ſint, ipſi prorſus inutiles, perſuadetq; homini, ut Herculem illum interficeret. *Diod. lib.* 20.

Archon apud Athenienſes *Demetrius Valerius.*

Ptolomaus Ægypti rex, plurimas urbes in Aſia Antigono eripit, & Ptolomæum Ducem Antigoni profugum cum exercitu ad ſe recipit; paulò poſt tamen eum; quòd videretur novis rebus ſtudere, carcere mancipat, & cicutam libere cogit, & exercitum ejus ſuo miſcet. *Diod. l.* 30.

Lyſimachus in Thracia urbem condit celeberrimam *Lyſimachiam.* Diodor. l. 20.

Cleomenes Spartanorum rex, cùm regnaſſet annos ſexaginta, menſes decem, moritur: Succedit ipſi filius *Areus*, qui præeſt annis 44. Hic Areus eſt à

qui

qui ad Oniam Pontificem Judæorum literas ſcribit, quarum mentio eſt lib. 2. Maccabæorum.

Amilcar Dux belli Carthaginenſis in Sicilia, Syracuſas oppugnat; ei ſacrificanti ex extis prædicitur, quòd Syracuſis veſperi cœnaturus ſit, quare oppugnationem de nocte inſtituit, cui tempori Syracuſani inſidiantur, & victo ejus exercitu Amilcarem Ducem captivum in urbem abducunt, cœnare jubent, & trucidant, caputque ejus in Africam mittunt; atque ita totus exercitus Carthaginenſium in Sicilia dilabitur, dum alii alios Duces creant.

Junius Coſſ. Romanus in Samnio *Cluviam*, quam Samnites ceperant, & præſidium crudeliſſimè habuerant, expugnat, & omnes puberes interficit. Inde *Bovianum* ditiſſimum in Samnio oppidum expugnat, ubi ingens præda capta, & militi conceſſa eſt. Paulò pòſt conſul, dum prædæ militum indulget, in inſidias cum exercitu prolapſus, militum virtute ſe extricat, 20. millia hoſtium trucidat, omnique prædâ potitur. *Liv. l.* 9.

Hetruſci ex finibus progreſſi, Sutrium obſident; eò proficiſcitur Æmilius Conſul, & hoſtes vincit; Hetruſci tamen ſua caſtra retinent, & bellum ducunt. *Ibidem.*

Eo anno Tribuni militum in legiones ſuffragio populi fiunt, cùm antea beneficio Ducum fierent. Item duumviri navales, claſſis ornandæ & reficiendæ cauſa, à populo creati. *Ibidem.*

Annus Nabonaſſaris 440. *& annus Philippi* 16. *incipit die* 8. *Nov. fer.* 2.

Agrigentini in Sicilia, victis Carthaginenſibus, cùm Syracuſani commeatu excluſi eſſent, & à bello imparati, de occupando principatu in Sicilia conſilia agitant, Gelam oppidum capiunt, præſidio liberant, & urbibus in Sicilia libertatem reſtituunt. *Diod. Sic. l.* 20.

Agathocles in Africa, dum ſibi bellum ex voto ſuccedit, ut nihil eſt ex omni parte beatum, ſeditione militum exagitatur, quibus Carthaginenſes duplex obtulerant ſtipendium. Archagatus enim filius Lyciſcum præcipuum centurionem interfecerat, & exercitum ita offenderat. Agathocles tamen ſeſe extricat ex his turbis mirabiliter. *Diod. l.* 20.

ANNO MUNDI 3642. Ante C.N. 306.
D. ☉ 10. ☽ 17.

Annus ab urbe condita numeratus 445.
Annus Ptolomæi Lagi in Ægypto 16.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 19. *Ian. Iuliani:*

Coſſ. Q. Fabius Maximus Rullianus II.
C. Martius Rutilius Cenſorius.

Fabius ad Hetruſcum bellum profectus; Sutrium cum ſupplemento venit; Hetruſci quod multitudine præpollerent, ipſum aggrediuntur: ſed cum Fabius ſuos in colliculum duxiſſet, ita accipiuntur, ut fuga præter caſtra factâ montibus ſe occultarent. Indè de tranſeunda ſylva Ciminia conſilia habentur. Liv. l. 9.

Annus Græcorum quintus in primo libro Maccabæorum, incipit die 29. *Martii, fer.* 3.

Archon apud Athenienſes *Charinus.*

Annus periodi primæ Calippicæ 23.

Theodorus Atheus, cùm impietatis apud Areopagitas Athenis ab Euriclide Hierophanta accuſaretur, judicio eripitur, à Demetrio Phaleræo, & ad Ptolomæum in Ægyptum transfugit, *Io. Sc.*

Olympias 118. *acta die* 9. *Aug. fer.* 3. *Eſt annus Olympiadicus* 469.

Victor Stadii *Apollonides* Tegeata.

Epicurus ad Polixnon epiſtolas ſcribit.

Poſt *Ferguſium* Scotiæ regem, qui annis 25. præfuerat, regnat *Feritharis* annis 15. *Buchananus in Scoticis.*

Q. Fabius, cùm per ſylvam Ciminiam in Hetruriam penetraſſet, hoſtium uno prælio ad ſexaginta millia trucidat; qua clade victi quidem ſunt, & aliquot urbes pacem petentes in triginta annos inducias obtinent. *Liv. l.* 9.

Samnites famâ exciti, quòd exercitus Romanus in Hetruria in ſylvis deletus eſſet, omni vi alterum conſulem Martium aggrediuntur, dimicantque cum eo incerto Marte, & cruente prælio, adeò ut victoria ad Samnites declinare videretur. Senatus Rom. ad Fabium legatos mittit, qui ſuam iram patriæ remittens, inimicum ſuum L. Papyrium Dictatorem dicit, qui Samnites ornatos ſcutis obductis partim argento, partim auro, celeberrimâ victoriâ vincit, forumque hujuſmodi ſcutis exornat, & triumphat. *Ibidem.*

Ptolomæus Lagi Andrum Inſulam deducto præſidio liberam facit, & Corinthum occupat, alias etiam urbes liberaturus, ſi ipſi frumentum, & commeatum darent: Cùm autem civitates alias atque alias cauſas prætenderent, cum Caſſandro pacem facit, ut quiſque, quæ poſſideret, haberet, & in Ægyptum redit. *Diodor. Sic. l.* 20.

Annus Alexandræus quintus & Chaldaicus quartus, incipit die 22. *Septembr. fer.* 5.

Cleopatra Alexandri Magni ſoror, quæ nupta fuerat Alexandro Epiri regi, ne cui nuberet prohibita fuerat ab Antigono, Sardibus incluſa, ea fugam molitur in Ægyptum, ut Ptolemæo matrimonio jungeretur, ſed interficitur ab Antigono, qui infamiam hanc abolere conatus, multos trucidat, quaſi reos cædis, & Cleopatram regio more ſepelit. *Ibidem.*

Hetruſci, qui nondum in fidem recepti fuerant, aſcitis umbris iterùm cum Fabio congrediuntur, vincunturque: Sed inſtaurant bellum, & vir virum legit, unde difficillimum factum eſt prælium, omneſque vires & artes belli adhibitæ ſunt; donec Hetruſci in fugam amiſſis caſtris verterentur. Peruſini inducias eadem æſtate rumpunt; ſed facili pugna ſuperantur, & præſidium recipiunt. Cùm igitur jam omnis Hetruria per legatos pacem peteret, præmittit legatos iſtos ad Senatum Fabius, & præſtantiore triumpho, quàm Dictatoris fuerat, urbem ingreditur. *Livius l.* 9.

Agathocles iterùm vincit Carthaginenſes magno prælio, & interim amittit caſtra à Numidis occupata & direpta; ne hoc moleſtè milites ferant, omnem prædam ipſis concedit, & legationem mittit ad Cyrenæos, ſocietatemque cum ipſis jungit ad vincendos Carthaginenſes, qui mittunt ſuum regem Ophellam cum viginti millium exercitu: eum advenientem Agathocles benignè ſuſcipit, ſed cùm ſibi ab eo metueret, paulò pòſt trucidat, impedimentaque ejus in navibus Syracuſas mittit, quorum magna pars naufragio perit. *Diod. l.* 20.

Bomilcar apud Carthaginenſes tyrannidem invadit, & cum exercitu urbem ingreditur, multosq; trucidat,

trucidat. Tandem cives cum loco prævalerent, ſeditioſos obſident, legatosque mittunt, qui impunitatem militibus promitterent, ſi *Bomilcarem* traderent. Exercitus ergò recipitur in gratiam, & *Bomilcar* cum cruciatu necatur. *Ibidem.*

ANNO MUNDI 3643. ante C. N. 305.
C. ☉ 11. ☽ 18.

Romæ circa diem 12. Jan. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Decius Mus II.
Q. Fabius Maximus Rullianus III.
cui continuatur Conſulatus.

Decius Conſul in Hetruriam profectus, Tarquinienſes ſubigit, iisq; inducias in quadraginta annos concedit, & circumferendo bellum Hetruſcos coegit pacem petere, quam non obtinuerunt, conceſſæ tamen ſunt induciæ annuæ, quarum merces fuit ſtipendium annuum, & binæ tunicæ in ſingulos milites. Fabius interea Samnites, quibus ſeſe Marſi & Peligni junxerant, acie vincit. *Liv. l. 9.*

Demetrius Antigoni filius magnâ claſſe Athenas navigat, & Pireum capit, die 26. Thargelionis, *ut habet Plutarchus*: Eſt nobis dies 25. Junii, feria quarta. Sequenti die Athenienſes ſe dedunt, & Demetrius Phalereus præfectus urbis, cum videret urbem defendi non poſſe, commeatum à Demetrio petit, & in Ægyptum ad Ptolomæum profugit. Athenienſes libertatem accipiunt, & cum Demetrio ſimul arcem & præſidium Caſſandri oppugnant diebus duobus, & expugnant etiam, & arcem ſuam Munychiam diruunt, & poſt quindecim annos, ex quo præſidium admiſerant, libertatem ſuam recipiunt, ipſi ne ingrati eſſent, plurimos honores, & Antigono & Demetrio decernunt. *Diod. Sic. l. 20.*

Antigonus in ſuperiori Syria urbem ædificat, quã *Antigoniam* appellat, eam poſtea temporis *Seleucus* deſtruxit, & *Seleuciam* appellavit. *Idem.*

Demetrius Phalereus, cum Athenis exceſſiſſet, accuſatur, & capitis damnatur, ſtatuæ ejus, quas ipſi poſuerant Athenienſes numero 365. evertuntur, & Pſephiſmata abrogantur, cum tamen plurimum ipſis profuiſſet. *Diog.*

Archon apud Athenienſes *Anaxicrates.*

Dinarchus Orator Athenis diſcedit, & Chalcidem abit. *Dionyſ.*

Demetrius poſt liberatas Athenas in Cyprum navigat, Ducem Ptolomæi claſſe vincit, & Salaminem obſidet, opificesq; & tormenta ex Aſia afferri curat, muros inde machinis dejicit, quas tamen obſeſſi comburunt. *Diod. Sic. l. 20.*

Agathocles in Africa occaſione ſumpta, *Uticam* capere tentat, & inopinato accedens, trecentos cives extra urbem capit, inde cum urbem oppugnaret, hoſce trecentos vivos ita pendentes de machinis præfigit, ne telis absque interitu horum ſui milites peti poſſent. Uticenſes tamen, ut hoſti nocere poſſent, omnes hoſce ferè interfecerunt, & tamen urbs capta & direpta eſt: Inde Agathocles partem exercitus in naves imponit, eosque in Siciliam trajicit, ubi *Agrigentinos* à Ducibus ſuis devictos intelligit: Alias igitur urbes ipſe aggreditur, & ſub imperium ſuum redigit, ſed Dinocrates Dux, colligens exules, aſſuetos jam fortunæ adverſæ, ſe Agathocli opponit, non magnoperè tamen ipſi nocet, cum Agathocles exercitu prævaleret. Interim *Archagathus* filius Agathoclis in Africa multas adhuc urbes expugnat: ſed Carthaginenſes, ut ſe tutarentur, triplicem exercitum ex urbe educunt cui triplicem etiam Archagathus opponere cogitur, ex quibus primus, qui mediterranea curabat, ex inſidiis trucidatus eſt; ſimiliter ſecundus etiam ad internetionem cæditur, ita ut ex tredecim millibus vix triginta homines evaderent. Archagathus igitur Uticam retrocedit, & ibi obſidetur. *Agathocles* filio auxilio venturus, claſſem Carthaginenſium in Sicilia aſtu vincit, inde Acragantinos etiam prælio laceſſit & ſuperat, inde in Africam ut trajiciat, præparat. *Diod. Sic. l. 20.*

Umbri ſibi metuentes ab Romanis, Hetruſcos ad rebellandum impellunt, tantum exercitum conficiunt, ut altero ſe Romam oppugnare poſſe, gloriati ſint. Senatus Romanus alterum conſulem Fabium ex Samnio in Umbriam movere jubet, qui Umbros ita terruit, ut vix pugnare auderent, in quo prælio, haud ſanè difficili, Umbri victi ſe dediderunt, atque ita *Fabius*, alienæ ſortis victor in Samnium redit. *Livius l. 9.*

ANNO MUNDI 3644. ante C. N. 304.
B. ☉ 12. ☽ 19.

Romæ circa diem 14. Januar. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. App. Claudius Cœcus.
L. Volumnius Flamma.

Agathocles, cùm in Africam veniſſet, vincitur magnâ clade. Carthaginenſes verò ſequenti nocte, cùm captivos Siculos igne cremare vellent, turbida tempeſtate caſtra ſua eodem igne imprudentes accendunt. Eâdem horâ, qui apud Agathoclem erant, Afri profugiunt, ad Carthaginenſes, qui conturbati igne, hoſce hoſtes eſſe arbitrantur, & relictis caſtris aufugiunt, profugi Afri cùm ita à Carthaginenſibus non reciperentur, ad Agathoclem redeunt, qui omnium rerum inſcius, eos hoſtes eſſe autumat, & adverſus eos depugnat, cùm jam multi cecidiſſent, tandem error cognitus eſt. Inde *Agathocles* tantis cladibus affectus, de Africæ rebus deſperare incipit, & clam molitur fugam in Siciliã: milites cùm id perſentiſcerent, eum in vincula compingunt. Cum verò paulò poſt terroris aliquid incidiſſet, ſolvitur, & clam cum paucis navim ingreditur, & aufugit. Exercitus derelictus occiſis filiis Agathoclis cum Carthaginenſibus tranſigit, & acceptis trecentis talentis, pars eorum ipſis militat, pars in Siciliam deportatur, atq; ita bello, quod quadriennii ſpatio in Africa duraverat, finis eſt impoſitus.

Agathocles, cum in Siciliam rediiſſet, ab Ægeſtanis expoſcit pecuniæ ſummam, illi de ea perſolvenda conſilium advocant, *Agathocles* verò omnes ad unum interficit, pauperes quidem ſtatim, divites verò, tàm viros quàm fœminas, omnibus cruciatibus excarnificatos, ut omnes theſauros expiſcaretur. Inde certior factus de liberorum ſuorum cæde, militum cognatos, qui eos occiderant, quoscunque capere potuit, crudeliſſimè interfecit multa millia ita Syracuſis ad mare occiſa. *Diod. Sic. l. 20.*

Ptolomæus Lagi cum audiſſet Salaminem obſideri, ut Cyprum ſibi retineret, cum magna claſſe in Cypru venit, ut obſeſſis auxilio eſſet: ibi cum *Demetrio* prælio navali congreſſus, vincitur, & deſperans de poſſeſſione Cypri, in Ægyptum redit. *Ibid.*

Epicurus

Epicurus cum hactenus perditis Athenienſium rebus Colophone vixiſſet, redit Athenas. *Diog. Laert.*

Antigonus de hac victoria navali certior factus, diadema ſibi ſumit, & regem ſe atque filium appellat, quod etiam facit Ptolomæus in Ægypto, ne videretur deſperaſſe de poſſeſſione Ægypti. Horum exemplum ſequuntur etiam *Seleucus, Lyſimachus*, & Caſſander. *Diod. Sic. l.* 20.

Archon apud Athenienſes *Coræbus.*

Dionyſius Ponti tyrannus, cum regnaſſet annis 32. moritur, ſuccedunt filii duo, *Sadras & Clearchus*, qui regnant annis 17. *Diod. Sic. l.* 20.

Q. Fabius Proconſul ad Aliſas cum Samnitibus confligit, fuſis hoſtes, & in caſtra compulſi, obſeſſiq; poſtero die deditionē faciunt. Samnites cum ſingulis veſtimentis ſubjugū miſſi ſunt, ſociorum Samnitium ſeptem millia ſub corona venire, pars captorū etiam ex Hernicis fuit, quæ Latinis populis cuſtodienda datur. Livius l. 9.

Volumnius conſul Salentinos hoſtes ſibi debellandos ſumpſit, cum *Appius*, qui arte civili excellebat, ad urbem maneret: ibi multa ſecunda prælia fecit, & aliquot urbes cepit, militesque propter liberalitatem habuit obſequentiſſimos.

Antigonus ingentem exercitum contrahit, ut terrâ mariq; Ægyptum aggrederetur, claſſis fuit navium 150. & contra voluntatem naturam iter ingreditur octo diebus ante exortum plejadum, qui incidit tum temporis circa initium menſis Aprilis, ſed claſſis ingenti tempeſtate disjecta eſt, pars rejecta *Gazam*, pars in ſalo anchoris jactis ſtetit, cum Ptolomæus omnia præſidiis muniviſſet: periiſſent ita omnes ſiti, niſi Antigonus cum terreſtri exercitu adveniſſet. Ptolomæus miſſo præcone, qui ad ſe transeuntibus longè ampliora ſtipendia promitteret, plurimos ad transfugiendum impulit, adeò ut Antigonus & vi & pœnis transfugientes retrahere cogeretur. Cum verò iterum tandem tempeſtas ingrueret, & Demetrius commodè appellere non poſſet, Antigonus etiam commeatu, quem ampliſſimum ſecum ſumpſerat, deficere inciperet, fruſtra operâ impenſa in Syriam redit. *Diod. l.* 20.

Cenſorem Valerium Max. & C. Junium Bubulcum hoc anno luſtrum 27. condidiſſe, ſcribit Verrius Flaccus, ſed Livius hoſce in ſequentem annum conjicit.

Agathocles in Sicilia ubique pecunias extorquet, ideò Dinocrates, qui jam fortiſſimum exercitum contraxerat, cum exulibus adverſus eum movet, & in tantas anguſtias redigit, ut legatos mitteret de deponendo principatu, modò duo caſtella ſibi retineret. Sed Dinocrates, cum intelligeret, ſi haſce conditiones admitteret, ſibi etiam de principatu abeundum, & privatim vivendum, non aſſentitur, ſed duriores tyranno conditiones proponit. Quapropter Agathocles alia conſilia reſpiciens, cum Carthaginenſibus pacem facit, & urbes, quas ipſis eripuerat, reddit, acceptis triginta talentis. *Diod. Sic. l.* 20.

ANNO MUNDI 3645. ante. C. N. 303.

AG. ☉ 13. ☽ 1.

Roma circa diem 26. *Jan. Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Q. Marcius Tremulus.

P. Cornelius Arvina.

Hernici, quòd Senatus eorum cives, qui Samnitibus militaverant, in vinculis haberet, Romano populo bellum indicunt: id evenit *Marcio* Conſuli, qui facili victoria potitus eſt, trinis eos caſtris exuit, & petentibus inducias 30. dierum, quibus legatos ad Senatum mitterent, concedit, merces eorum fuit bimeſtre ſtipendium, & militibus ſingulis tunicæ: inde totam gentem in deditionem accepit. *Liv.*

Rhodii cum omnibus regibus amicitiam colebant, ſedita, ut bellis non miſcerentur, magis tamen inclinabant ad Ptolomæum regem. *Antigonus* hoc moleſtè ferens Demetrium cum claſſe mittit, qui Rhodum obſideat, & machinis undique oppugnet, quod & factum eſt hoc anno, & vario Marte ibi pugnatum. *Diod. l.* 20.

Archon apud Athenienſes *Xenippus.*

Agathocles, etſi infirmiorem exercitum haberet, quàm exules, tamen cum eis feliciter pugnat. Cùm proditione effeciſſet, ut aliqui exules in ipſa pugna ad ſe tranſirent, ad reliquos mittit, ut quisque in ſuam patriam redeat, & pace fruatur, & arma deponant, ſed hoſtes contra datam fidem in medium receptos omnes jaculis configit. *Diod l.* 20.

In Samnio Conſul *Cornelius* difficile bellum gerit, & commeatu ferè intercluditur, etiamſi quotidiè in aciem educeret. Antea etiam à Samnitibus Sora & Calatia, præſidiaq; in eis Romana expugnata erant, quapropter alter conſul, qui Hernicos devicerat, Collegæ auxilio venit, quem Samnites in itinere invadunt, quod ſentiens Cornelius, expulvere oborto, à tergo Samnites aggreditur, caſtris eorum captis & incenſis & ita in medio, cùm nullibi pateret effugium, ad triginta hominum millia cæſi. Reliqui Samnites petunt inducias, quas obtinent, cum darent annuum ſtipendium, trium menſium frumentum, & ſingulas tunicas militibus. *Liv. l.* 9.

Annus Nabonaſſ. 444. *& annus Philippi, ac mortis Alexand.* 20. *incipit die* 7. *Nov. fer.* 6.

Hoc anno Romani cum Carthaginenſibus fœdus tertium renovarunt, legatisque ampla munera dederunt. *Liv. l.* 9.

ANNO MUNDI 3646. ante C. N. 302.

F. ☉ 14. ☽ 2.

Annus ab urbe condita numeratus 449.

Annus Ptolemai Lagi in Ægypto 20.

Roma circa diem 18. *Januarii, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Poſtumius Megellus.

T. Minutius Augurinus.

Hosce Coſſ. creavit Dictator P. Cornelius Scipio, *cùm ambo Coſſ. adhuc contra Samnites in expeditione eſſent.*

Ambo Coſſ. in Samnium proficiſcuntur, ſed in diverſa loca. Poſtumius *prior cum Samnitibus prælio congreditur, ſed æquo Marte; quapropter conſul ſimulato metu caſtra in tutum locum, & commeatu opportunum traduxit, ibique firmiter munit.* Liv. l. 9.

Annus Græcorum nonus, in hiſtoria 1. *Maccab. incipit* ... *Martii, fer.* 1.

Poſtumius Conſul, relicto caſtris præſidio, ad alterum conſulem Minutium proficiſcitur, eiq; perſuadet, ut cum Samnitibus pugnet, quo facto, cùm diu anceps prælium fuiſſet, Poſtumius tandem ſuis militibus recentis adductis, hoſtes frangit, occidioneque occidit, alter conſul tamen Minutius vulne-

ratus & in caſtra relatus, moritur, cui ſufficitur alius:

M. Fulvius Curvus.

Archon apud Athenienſes *Pherecles.*

Demetrius cùm Rhodum annuo ſpatio obſediſſet, machinasque omnium maximas conſtruxiſſet, eæque omnes à Rhodiis corruptæ eſſent, *Antigonus* jubet, ut tolerabilibus conditionibus cum iis pacem faceret, & magis neceſſaria in Græcia ageret. Rhodii hoc bello *Antigoni* & Demetrii, ſtatuas non everterunt, etſi hoſtes eſſent. *Diod. l. 20.*

Annus 27. primæ periodi Calippica, incipit die 10 Julii.

Eumelus Boſphori tyrannus poſt annum 6. regni moritur, cui ſuccedit filius *Spartacus*, qui regnat annis 20.

Olympias 119. acta die 26. Julii, fer. 5. Eſt annus Olympiadicus 473.

Stadium in hac Olympiade vicit *Andromenes* Corinthius.

Caſſander obſidet Athenienſes, quibus auxilio proficiſcitur Demetrius, & Caſſandrum vincit, obſidionemque ſolvit, eumq; Græcia pellit. Inde alias etiam urbes præſidiis liberat, & Chalcide præſidium Bœotorum ejicit, Bœotosque ſibi jungit; inde in Peloponneſum tranſit, ubi in *Iſthmicis* ludis Dux Græcorum appellatur. *Plutarchus in Demetrio.*

Annus Alexandraus 9. & Chaldaicus 8. incipit die 8. Sept. fer. 3.

Quo die etiam incipit annus tertius ſabbathicus Jobelei 24. Eſt Septimana 18. ſeptuaginta hebdomadum. anno Jud. 3458.

Novus Cõſul Fulvius, cùm ad exercitum veniſſet, viciſſim Poſtumio Collega auxilio venit, & ſimul cum eo hoſtes prælio ſuperat, ſigna militaria viginti ſex capit, ubi & Dux Samnitium cecidit multiq; alii mortales, & caſtra capta, & Bovianum ſequenti die, triumphantq; Coſſ. cum magna gloria. Verrius Flaccus habet, quòd triumpharint menſe Octobri, quod ſi eſt, magiſtratum non inierunt, ne deductis exercitibus Samnium ſine præſidio & exercitu relinqueretur totis menſibus octo. Recepta autem ſimul ſunt oppida Arpinum, Sora, Conſentia, &c.

ANNO MUNDI 3647. ante C.N. 301.
ED. ☉ 15. ☽ 3.

Romæ circa diem 20. Ianuarii Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Sempronius Sophus.
P. Sulpitius Saverrio.

Samnites de pace legatos Romam mittunt, quibus, cùm ſuppliciter agerent, reſponſum a Senatu eſt, conſulem Sempronium cum exercitu in Samnio futurum, & viſurum, an verè de pace ageretur cùm hactenus fefelliſſent, & pacem fregiſſent. Samnites venienti cum exercitu conſuli commeatum expediunt, & omnia ſubminiſtrant; pacem igitur impetrant & antiquum fœdus. Liv.

Demetrius Peloponneſo Sicyoniorum urbem, quam Ptolomæus rex Ægypti cum præſidio tenebat, noctu invadit, occupat, & præſidium dimittit; inde urbis partem quandam diruit, & alium portui adjunctum & præclarè munitum locum addit ædificatque, & liberam civitatem Sicyoniis tradit, qui ut grati viderentur erga Demetrium, ſolennes ipſi ludos inſtituunt, & *Demetriadem* urbem appellant. *Diod. Sic. l. 20.*

Archon apud Athenienſes *Leoſtratus.*

Q. Fabius Pictor, princeps hujus cognominis, ædem ſalutis anno urbis 450. pinxit, quæ pictura duravit ad Claudii Imperatoris ætatem, quando ædes ſalutis exuſta eſt. *Plin. lib. 35. cap. 4.*

Demetrius poſt conditam Demetriadem Corinthum exercitum deducit, quam Caſſander præſidio tenebat, & noctu per portulam à quibusdam intromiſſus, urbem occupat; quemadmodum & Arcocorinthum, & præſidium dimittit: aliud tamen, donec cum Caſſandro debellatum eſſet, imponit, poſtea etiam Achajæ urbes libertati reſtituit. Omnes enim libenter ei ſe dediderunt, quòd & beneficus, & urbium oppugnandarum, ſi quæ ſibi opponerent, peritiſſimus eſſet. *Diod. Sic. l. 20.*

Æquorum populi hactenus hoſtibus populi Romani auxilia miſerant; quapropter cum res nõ redderent, & Romanos etiã irriderent, quòd pro pœna cives Romani futuri eſſent, conſules ambo exercitum in eos ducunt, & quadraginta oppida eorum intra 60. dies capiunt, diruunt & incendunt, & omne Æquorum nomen ferè delent. Liv. lib. 9.

C. Flavius *Scriba, patre libertino ortus, vir facundus & callidus, forenſi factione Ædilis factus*, Civile jus *in penetralibus pontificum repoſitum, evulgat, faſtosque circa forum in albo proponit, ut quando lege agi poſſet, ſciretur.* Liv. l. 1.

Cenſores *hoc anno fuerunt*, Q. Fabius Maximus, & P. Decius Mus, *ubi Fabius concordia civium cauſa, & ne humillimorum in manu comitia eſſent, omnem forenſem turbam excretam, in quatuor Tribus conjecit*, Urbanasq; *appellavit, id adeò gratu animis acceptum fuit, ut Maximi cognomen inde reportaret.* Liv. l. 9.

ANNO MUNDI 3648. ante C.N. 300.
■. ☉ 16. ☽ 4.

Romæ circa diem 24. Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt.

Coſſ. Ser. Cornelius Lentulus.
L. Genucius Aventinenſis.

Cleonymus à Spartanis auxilio Tarentinis miſſus, cum magna militum manu eò proficiſcitur, & Lucanos ita territat, ut à bello abſiſtant, & Metapontum urbem ingreſſus, ut amicus, tamen eam ſexcentis talentis multat, & ducentas virgines obſides capit, libidinis explendæ gratiâ: inde Corcyram abit. *Diod. Sic. l. 20.*

Caſſander, cùm Demetrii vires in Græcia tanta incrementa ſumerent, mittit legatos ad Antigonum de pace, ſed ab eo repulſus, conſilio Lyſimachi legatos ad Ptolomæum & ad Seleucum mittit, hortaturque eos ad ſocietatem belli, cùm periculum omnibus in commune ab Antigono immineat. Literis ergò ſe invicem confirmant, & bellum pro viribus apparant. *Diod. l. 20.*

Archon apud Athenienſes *Nicocles.*

Coloniæ hoc anno à Romanis deductæ, *Soram & Albam*, & poſtea Arpinatibus & Trepulanis civitas data. Expeditio etiam in Umbriam facta, ubi ex ſpelunca quadam aliqui latrocinabantur: Altero autem ejus ſpecus ore invento, fumo & vapore ex congeſtis lignis utrobique incenſis, ad duo hominum millia perierunt. *Liv. l. 10.*

Lyſimachus ex compacto cum exercitu in Aſiam tranſit, Lamſacenos & alios in libertatem reſtituit,

Sygæo expugnato præſidium imponit, & Synada urbem, ubi regia impedimenta erant, capit. Inde Sardes occupat præter arcem, & multum damni infert Antigono. *Caſſandri* verò Dux Epheſum capit, & Rhodiorum obſides ibi inventos domum remittit, & Demetrii naves incendit. *Diod. l.* 20.

Antigonus relictis rebus, Lyſimacho obviam venit, qui pugnare non auſus, munitionibus ſe tenet, & Seleuci copias expectat. ſed veritus ne commeatu intercluderetur, recedit ad Dorilæum, ibique caſtra munit. Inde ſimiliter repulſus, exercitum in hyberna reducit. Antigonus verò cùm audiret Seleucum adventare, cum magno exercitu, evocat ex Græcia filium Demetrium. *Diod. l.* 20.

Demetrius Athenis ſubſiſtens, ſacris apud Eleuſinem imbui cupiebat, ſed cum propter motus Aſiaticos diem illum ſolemnem expectare non poſſet, ſacra illa anticipare jubet, & morem mutari. Inde Chalcidem proficiſcitur, Lariſſam capit, & præſidium Caſſandri in vincula conjicit. Caſſander contrà, ne ſuccubuiſſe videretur, milites & exercitum contrahit ſatis validum, & in conſpectu Demetrii caſtra ponit. Demetrius, etſi inſtructior erat exercitu, tamen cùm legati advenirent, ut quamprimùm in Aſiam Patri auxilio venirent, pace ſtudet, & conditiones offert, ut urbes Græciæ, tàm in Europa, quàm in Aſia, liberæ eſſent, ſi modo Antigonus pater hoc admitteret, & Caſſander Macedoniam obtineret. Hoc modo diſceſſit Demetrius ex Græcia, & in Aſiam veniens, Epheſum & alias urbes recuperat, & præſidiis munit, & milites in hyberna deducit. Caſſander verò pòſt abitum Demetrii maritimas urbes occupat, & Lyſimacho duodecim millia militum, Pliſtarcho duce, auxilio mittit, quorum tertia pars tantùm ſalva ad Lyſimachum venit. *Diod. Sic. lib.* 20.

Ptolomaus ex Ægypto profectus, urbes Cavæ Syriæ in ſuam ditionem redigit, & Sidonem obſidet, inde aſtu Antigoni & falſis nunciis territus, ſocios reges ab Antigono victos eſſe, & ipſum Antigonum adventare, obſidionem ſolvit, & in Ægyptum redit. *Ibidem.*

Seleucus ſimiliter in Aſiam venit, adducens ingentem exercitum, ſociis regibus auxilium laturus. Cùm verò autumno ad hyemem declinante adveniret, exercitum in hyberna diſtribuit. *Diodor. Sic. lib.* 20.

Mithridates Myſiæ rex, cùm annos 35. regnaſſet, trucidatur; ſuccedit filius Mithridates, qui regnum Paphlagoniâ & Cappadociâ auxit, & annis 36. regnavit. *Diod. lib.* 20.

ANNO MUNDI 3649. Ante C.N. 299.
AG. ☉ 17. ☽ 5.

Romæ circa diem 24. *Jan. Juliani Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Livius Denter.
M. Aimilius Paulus.

Æqui Coloniam Romanam in finibus ſuis poſitam expugnare adorti, ab ipſis Colonis pelluntur. Tantum tamen Romæ terrorem faciunt, ut Dictator crearetur C. Junius Bubulcus, *qui Æquos ſtatim domuit, & Romam rediens triumphavit, & ſe octavo die imperii dictaturâ abdicavit.* Liv. l. 10.

Cleonymus Spartanus, cùm in Corcyra pecunias exigeret, comperit Tarentinos, Lucanos, & alios à ſe defeciſſe; ideò in Italiam regreditur, cui opponitur, *ut Livius habet, Æmilius* Conſul, qui ipſum acie victum in naves compellit. Cùm verò nullibi appellere poſſet, & à Patavinis etiam pelleretur, inglorius Corcyram redit. *Diod. l.* 20.

Lyſimachus, Seleucus & Ptolomaus, cum auxiliis Caſſandri, tandem conjunctis exercitibus Antigonum & Demetrium invadunt, pugnantque. Ibi Demetrius in dextro cornu regibus oppoſitus, hoſtes quidem egregiè vincit, ſed nimium in ſequendo victos, ab acie excluditur, cùm Seleucus elephantos oppoſuiſſet. Interim pater Antigonus octogenarius jam ab hoſtibus circumdatur, & multis jaculis ſaucius occiditur. Demetrius itaque aſſumptâ parte exercitus, quinque millibus peditum, & quatuor equitum, ex Aſia in Cyprum aufugit. Victores reges, quæ Antigoni & Demetrii fuerant, inter ſe dividunt. *Juſt. & Plutarch.*

Archon apud Athenienſes *Calliarchus.*

Megaſthenes hiſtoricus circa hæc tempora vixit, ut videre eſt apud *Euſeb. præpar. lib.* 9. 3. in cujus locum *Annius* Viterbienſis Monachus ſubſtituit Metaſthenem, ipſiq; hiſtorias attribuit, de quibus Megaſthenes nunquam cogitavit. De Megaſthene affirmat Solinus cap. 49. quòd commoratus ſit apud reges Indicos, cùm res Indicas ſcriberet, ut fidem, quam oculis ſubjecerat, memoriæ daret.

Carſeoli Colonia à Romanis in Marſos deducta, quam expellere conantur Umbri, aſſumptis ſociis Hetruſcis, eodem tempore rebellantibus: ideò Dictator dicitur M. *Valerius* Maximus, qui Marſos prælio fuſos parte agri multat, & in priſtinum fœdus recipit. Dum in Hetruſcos verſum bellum, ubi dictatore Romam abeunte, Magiſter equitum in inſidias prolapſus, clade afficitur, Dictator reverſus, Hetruſcos aperte prælio vincit, caſtris ejicit, & pacem petentibus inducias biennii concedit, pacto annuo ſtipendio, *Liv. l.* 10.

Annus Nabonaſſ. 448. *& annus Philippi & mortis Alexand.* 24. *incipit die* 6. *Novemb. fer.* 6.

Demetrius, relicto Cypro, Athenas claſſe petit, quibus plurimum benefecerat. Sed Athenienſes tantâ clade affectum averſati, legatos ipſi obviam mittunt cum plebis ſcito, ne quis rex Athenis reciperetur: Igitur cùm ab Athenienſibus naves ſuas recepiſſet, in Cherſoneſum navigat, ubi Lyſimachi, qui à cæteris regibus negligebatur, provincias vaſtat, & ſeſe ex clade recolligit. *Plutarch.*

ANNO MUNDI 3650. ante C. N. 298.
F. ☉ 18. ☽ 6.

Annus ab urbe condita numeratus 453.
Annus Ptolomæi Lagi ſive Soteris annus 24.
Romæ circa diem 6. *Januar. Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Q. Appuleius Panſa.
M. Valerius Corvus V.

Seleucus cùm videret Lyſimachum Ptolomæi regis filias, alteram ſibi, alteram filio Agathocli, connubio junxiſſe, & ſibi metueret à Lyſimacho, ut ſeſe etiam confirmaret, petit ſibi *Demetrii* filiam *Stratonicen* uxorem, ut ſibi hac affinitate Demetrium adjungeret, & plures liberos etiam ſibi gigneret,

 quibus

quibus regnum abundè ſufficere videbatur, cum unicum tantum filium Antiochum haberet. *Plutarchus.*

Annus Græcorum Iudaicus 13. *incipit hoc anno die* 30. *Martiis, fer.* 7.

Demetrius adducit Seleuco filiam ſuam, & cum portubus arceretur, à Pliſtarcho fratre Caſſandri, vi ſibi aditum patefacit, & Ciliciam, Tyrum, & Sidonem, &c. occupat Pliſtarchum fugat, qui ne Caſſandrum regem, ad quem fugerat, ad bellum incitaret, Philam uxorem ſuam, quæ erat ſoror Caſſandri, ad Caſſandrum mittit. *Plutarchus.*

Archon apud Athenienſes *Hegemachus.*

Annus 31. *periodi primæ Calippicæ, incipit die* 26. *Julii, feria ſexta.*

Antiochia anno 12. Seleuci condita, idem poſt id temporis *Laodiceam, Seleuciam, Apamiam, Edeſſam, Beroeam & Pellam* urbes condit, in quas poſtea Judæos etiam transfert, iisdemque jus civium, & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedit. *Joſeph. & Euſeb.* Et Antiochiam quidem à Patre Antiocho, Seleucus appellavit Seleuciam ex ſuo nomine. Apamiam ex uxoris, Laodiceam ex matris nomine: Edeſſam verò & Beræam & Pellam ab urbibus in Macedonia ſitis. Seleucia autem propè Babylonem fuit, eamque quod meliore loco condita eſſet, valdè exhauſit. Fuit tamen *Babylon* integra urbs usq; ad tempora Imperatoris Juliani apoſtatæ, ſed valdè exinanita, *ut Ammianus meminit.* Beræa hodiè Chalep vocatur. *Berytus* hodiè Barut. Beræa tamen etiam Berytus antiquo nomine dicta fuit, Gymnaſiumque ibi inſigne fuit, ubi leges & jus Romanum docebantur, quemadmodum idem fiebat Romæ & Conſtantinopoli, neque alibi idem fieri concedebatur, *ut habet Juſtinianus in præfat. in digeſt. de ſtudiis liberalibus urbis Romæ.*

Olympias 120. *acta die* 11. *Auguſti, feria* 3. *Eſt annus Olympiad.* 477.

Victor Stadii fuit *Pythagoras* Magneſius, *Afric.*

Arceſilas Philoſophus floret. *Diog. Laert.*

Simon, filius *Oniæ*, nepos Jaddi, cognomento *Iuſtus*, fit Pontifex, de quo Syracides ſcribit *cap.* 50. quòd laminis æneis ſtraverit ciſternam, cujus ambitus fuit inſtar maris, & curâ ſuâ templum à ruina vindicavit. *Euſeb.*

Annus Alexandrinus 13. *& Chaldaicus* 12. *incipit die* 23. *Sept. fer.* 2.

Primi *Tonſores* ex Sicilia in Italiam, & inde Romam venerunt, *teſte Varrone.*

Caſſander navibus Corcyram circumſidet, & ferè capit, quibus auxilio venit Agathocles Siciliæ rex, obſidionem ſolvit, & naves Caſſandri exurit. *Diod. in frag.*

Diallus Athenienſis hiſtorias horum temporum in libris 26. perſcripſit, ut & *Pſaon* Platæenſis, quorum ſcripta interciderunt. *Diod. in frag.*

Lacharis auxilio Caſſandri, tyrannidem Athenis occupat, Demetrius infenſus Athenienſibus, cum claſſe eò proficiſcitur, ſed obortâ tempeſtate claſſis dejicitur, & eam ferè totam amittit. Ideò dimiſſis ducibus, qui novam claſſem ædificarent, in Peloponneſum abit, ubi Meſſenem oppugnans, graviter in os vulneratur. *Plutarchus.*

Certamen Romæ ortum inter primores civitatis Patritios & Plebejos, de numero Pontificum & Augurum augendo, cùm quatuor Pontifices & quinque Augures eſſent eligendi, & reliquis addendi, ut octo Pontifices & novem Augures omninò fierent. Eos de plebe aſſumendos proponunt Tribuni plebis, diſſuadet id Appius, ſuadet contra idem, P. Decius Mus, & perſuadet. *Liv. l.* 10.

Eodem hoc anno lex de provocatione tertiò poſt reges exactos lata eſt, ex eadem familia Valeria.

ANNO MUNDI 3651. ante C. N. 297.

E. ☉ 19. ☽ 7.

Roma circa diem 28. *Ianuarii Iuliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. *M.* Fulvius Pætinus.
T. *M*anlius Torquatus.

Cenſores hoc anno P. Sempronius Sophus, & P. Sulpitius Averrio luſtrum viceſimum nonum condiderunt. Tribus reliquis duæ additæ, *Arnienſis & Terentina.* Liv. l. 10.

Nequinum oppidum in Umbria ab Apulejo ſuperiori anno obſeſſum erat, id ab hiſce Coſſ. captum eſt, & Colonia eò deducta, quæ à flumine proximo *Narnia* eſt appellata.

Hetruſci interim Romanis bellum conflare conantur, & Gallos, qui fines Hetruſcos populabantur, ex hoſtibus ſocios faciunt, ſi ſecū militent contra Romanos. Non abnuunt Barbari, ſed cum mercedem & pecuniam ingentem accepiſſent, negant ſe auxilium contra Romanos promiſiſſe, id tantùm pactum eſſe, ne hoſtes eſſent. Contra hoſce *T. Manlius* conſul cum exercitu mittitur, qui cùm exerceretur inter equites, impetu ferocioris equi excuſſus, exanimis in caſtra relatus, tertio die expiravit: in ejus locum à populo Romano ſurrogatur conſul.

M. Valerius Corvus VI.

De quo Cicero de ſenectute, *Valerius Maxim.* l. 8. c. 14. *Plin.* l. 7. c. 48. *Plutarch.* in Mario, *& alii affirmant, quòd inter primum & ſextum ejus conſulatum interſint anni quadraginta ſex, quos corrumpit Onuphrius Panvinus, dum tria paria conſulum interſerit, & diſtantiam facit annorum* 49.

Archon apud Athenienſes *Euctemon.*

Demetrius, cùm iterùm cum claſſe Athenas obſideret, agrum eorum vaſtat, & nautam frumentum advehendum ſuſpendit, quo caſu reliqui naturæ territi ſunt. Cùm igitur nihil adveheretur, fame conflictantur Athenienſes. Ptolomæus quidem rex Ægypti cum navibus 150. auxilio advenit, ſed territus claſſe Demetrii trecentarum navium, in Ægyptum redit. Lacharis igitur tyrannus aufugit, & urbs Demetrio deditur, qui moderatè uſus victoria, tantùm Pireum & Munychia præſidiis munit, urbemque frumento donat. *Plutarch.*

Valerius conſul in Hetruria hoſtes adeò terret, ut caſtris exire non auderent, vaſtatque totam regionem; inde fama belli Samnitici iterum exorta, munciis Picentibus: ideò eò omnis cura belli verſa. *Liv. lib.* 10.

Lex lata hiſce Coſſ. à Manl. Curio Dentato, tribuno plebis, ut Patres ante comitia autores fierent, hoc eſt, ut dicerent, ſe probare eos magiſtratus, quos populus creaſſet. *Cicero.*

ANNO MUNDI 3652. ante C. N. 296.

D. ☉ 20. ☽ 8.

Roma circa diem 30. *Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt.*

Coſſ.

Coſſ. L. Cornelius Scipo.
Cn. Fulvius Maximus Centumalus.

In initio anni, Lucanorũ Legati Romam veniunt, queſtũ, quòd dum Samnitibus ſocietatem belli adverſus Romanos negant, à Samnitibus bello vaſtentur. Orant igitur, ut in fidem ſuſcipiantur, & contra Samnites defendantur. Utrumq; obtinent, & legati ad Samnites mittuntur, qui eos agro ſociorũ excedere jubeant; cùmq; id non fieret, bellum ipſis indicitur. Liv. l. 10.

Achon apud Athenienſes *Mneſidemus.*

Scipio *conſul in Hetruria cum hoſtibus pugnat per totum diem, magnâ utriusq; partis clade: ſequenti tamen die Hetruſci pro victis diſcedunt* Liv. l. 10.

Demetrius Lacedæmonem verſus cum exercitu movet, & Archidamum regem apud Mantineam profligat, & poſtea etiam propè Spartam eum vincit. Urbe tamen, etiamſi nulli defenſores amplius ſupereſſent, potitus non eſt, cùm nuncius adveniret, Lyſimachum in Aſia aliquot urbes ſibi eripuiſſe, & Ptolomæum Ægypti regem Salaminem in Cypro, ubi liberos & conjugem habebat, obſidere. *Plutarchus.*

Fulvius *conſul Samnites ad Bovianum vincit memorabili clade, & urbes aliquot expugnat, triumphatque.* Liv. l. 10.

Carſeoli *Colonia hoc anno in agrum Æquicolarum deducta.*

ANNO MUNDI 3653. ante C. N. 295.
CB. ☉ 21. ☽ 9.

Cùm Comitia inſtarent, fama exoritur, & Hetruſcos & Samnites copias ingentes conſcribere, quapropter conſules bellorum periti eliguntur, qui magiſtratum ineunt circa diem 1. Februarii Juliani:

Coſſ. Q. Fabius Maximus Rullianus IV.
P. Decius Mus III.

Caſſander circa initium hujus anni moritur, cum poſt patrem Antipatrum annis viginti duobus Macedoniam obtinuiſſet, ſuccedit ipſi filius Philippus, annuo ferè ſpatio. *Plutarchus.*

Ambo Coſſ. in Samnium proficiſcuntur, & Fabius aſperrimâ pugnâ Samnites vincit, Samniumq; quinque menſium ſpatio longè lateq; vaſtat, ita ut ſex & octoginta caſtrorum diverſorum veſtigia relinqueret. Decius verò *Apulos primum vincit, inde in Samnium profectus, quadraginta quinq; in locis caſtra habuit, nec tantùm valli foſſorumq; veſtigia, ſed & vaſtitatis & incendiorum monumenta relicta.* Liv. l. 10.

Archon apud Athenienſes *Antiphates.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei viceſimi quarti, incipit die 20. Sept. fer. 3. Eſt ſeptimana 19. hebdomadum Danielis, Anno Jud. 3465.

Annus Nabonaſſaris 452. & annus Philippi & mortis Alexand. 28. incipiunt die 5. Nov. fer. 7.

ANNO MUNDI 3654. Ante C. N. 294.
A. ☉ 22. ☽ 10.

Annus ab urbe condita numeratus 457.
Annus Ptolomæi Lagi vel Soteris 28.

Romæ circa diem 3. Februar. Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. App. Claudius Cœcus II.
L. Volumnius Flamma II.

Prioris anni conſulibus prorogatur in ſex menſes imperium.

Annus Græcorum Judaicus in primo Maccabæor. 17. incipit die 16. Martii, fer. 5.

Proconſules in Samnio adeò terrent Samnites vaſtationibus, ut finibus ſuis excederent, & in Hetruriam abirent, ut iis conjuncti ſimul Romanis bellum facerent. Interim proconſules, cùm nullum in Samnio præſidium obſtaret, Murgantiam, Romuleam & Ferentinum, magnas Samnitium urbes expugnant, prædamq; militibus concedunt. Liv. l. 10.

Philippus Macedoniæ rex, Caſſandri filius moritur, cui ſuccedunt reliqui fratres bini *Antipater & Alexander*, qui Macedoniam inter ſe dividunt. *Plutarchus.*

Annus 35. periodi primæ Calippicæ incipit die 12. Julii, feria 4.

Archon apud Athenienſes *Nicias.*

Olympias 121. acta die 27. Julii, fer. 5. Eſt annus Olympiadicus 481.

Victor Stadii *Pythagoras* Magnenſius ſecundùm.

Circa hæc tempora Seleucus filio Antiocho cum peculiari regno tradit etiam conjugem Stratonicen, filiam Demetrii, cùm ex amore ejus Antiochus graviſſimè ægrotaret, quod ex *Eraſiſtrati* Medici induſtria cognoverat. *Plutarch. in Demetr.*

Annus Alexandræus 17. & Chaldaicus 16. incipit die 9. Sept. fer. 7.

Appius conſul in Hetruria, ubi ingens bellum concitabatur, non ſatis ex diſciplina militari res gerit; quapropter ex Samnio alterum conſulem Volumnium accerſit: cum conveniſſent, cum Hetruſcis pugnant, vincunt, caſtraque capiunt. Interim Samnites, dum Volumnius abeſt, Campaniam populantur: eos matutino tempore obruit conſul, multa millia eorum occidit, & prædam cum captivis recuperat. *Livius l. 10.*

Hiſce *Coſſ.* binæ Coloniæ deductæ, altera ad oſtium Liris fluvii, quæ *Minturnæ* appellata eſt, altera *Sinueſſa*, ubi olim Synope urbs Græca fuerat. *Ibid.*

Hoc anno, inquit Livius, *prodigia multa fuerunt; quorum cauſa ſupplicatio in biduum à Senatu decreta. Iisdem verbis utitur Livius alibi, cùm eclipſis* Solis *accidiſſet. Ideò hoc etiam anno eclipſin Solis inquiſivi, quæ invenitur die 7. Nov. fer. 3. horis poſt mediam noctem 8. 40. 48. Latitudinis Parall. ad hoc tempus 29. 0. Latitudo vera 16. 59. viſa latitudo auſtralis 12. 1. ſemidiam. Solis 15. 54. ſcrup. reſidua 18. 58. digiti eclipt. 7. 9. Sol in 10. 43. Scorpii.*

Inter ipſam ſupplicationem certamen ortum, inter fœminas patritias & plebeias, & cum plebeiæ non admitterentur ad aram pudicitiæ, Virginia Volumnii conſulis uxor, ſacellum ad aram pudicitiæ plebeiæ dedicat. *Liv. l. 10.*

ANNO MUNDI 3655. ante C. N. 293.
G. ☉ 23. ☽ 11.

Romæ circa diem 5. Februarii Magiſtratum ineunt.

Coſſ. Q. Fabius Maximus Rullianus V.
P. Decius Mus IV.

Ingens bellum Romanis ab Hetruſcis, Umbris, Samnitibus & Gallis infertur. Fabius legionem Duce L. Scipione ad Cluſium opponit, quæ à Gallis circumventa, ad internecionem cæſa eſt. Liv. l. 2. Polyb. lib. 2.

Ideò duobus conſulibus duo alii exercitus adjunguntur, quorum alter ad Faliſcos, alter in Vaticano agro Hetruriam vaſtaret: Quapropter & hoſtes exercitum ſuum dividere coguntur, & Hetruſci, Umbrique

Roma-

Romanos à populationibus prohibere jubentur, & Samnitibus atq; Gallis pugna committitur: acerrimo prælio concurritur in Sentinati agro, Galli in pugna Decio, Samnites Fabio obveniunt. Galli Decii exercitũ concidunt in initio, & in fugam conjiciunt, quam fugam ut Decius ſiſteret, ſeſe pro exercitu devovet, quod & parens ejus fecerat, atq; ita à Gallis trucidatur, inde à Romanis prælium ibi reſtituitur. Fabius in dextro cornu victor, Samnitium caſtra oppugnat, Ducem Gelliũ occidit, Gallosq; à tergo circumvenit, ubi omnia obtinuit cædes: ad viginti quinq; millia hoſtium occubuerunt, octo millia capta: Iterum Samnites à Volumnio proconſule cæduntur, ſedecim millia occiſa. Tantis cladibus affecti, tamen feroces illorum animi ita moveri non potuerunt, ut non vinci, quam victoriam non tentare mallent. Livius l. 10.

Theſſalonica, vidua Caſſandri, in diſtributione regni propenſior fuerat ad Alexandrum filium minorem: ideò major natu *Antipater* matrem ſolam nactus, eam, per ubera materna mortem deprecantem, occidit. Alter filius de ulciſcendo parricidio hoc, conſilia init. *Juſtin. l. 16.*

Ptolomæus *annotat obſervationem Lunare factam à* Timochare *Aſtronomo, anno 36. primæ periodi Calippicæ, qui incipit hoc anno die primo Julii, quæ acciderit die vigeſima quinto Poſideonis ſecundum Athenienſes. Anno verò Nabonaſſaris 453. die decimo ſeptimo menſis Paophi, quando Luna boreali ſua extremitate Stellam borealem in fronte Scorpii attigit. Accedit hoc ad Calendarium Julianum, die 21. Decembr. horâ quartâ ferè poſt mediam noctem. Luna tum fuit in primo gradu Scorpii, Latitudo ejus vera ſeptentrionalis gradus 1. minut. 11. Locus Solis 26. Sagittarii. Stellæ frontis Scorpii in primo gradu Scorpii latitudi ejus grad. 1. 5. Bor.*

ANNO MUNDI 3656. ante C. N. 292.

F. ☉ 24. ☽ 12.

Romæ circa diem 7. Februarii Iuliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Poſtumius Megellus II.

M. Attilius Regulus.

Livius ad hoſce uſq; conſules numerat annos belli Samnitici quadraginta ſex. Cœpit autem id bellum anno mundi 3611. Ergò hic annus ejus belli eſt quadrageſimus ſextus.

Alexander Caſſandri filius, ut cædem maternam ulciſceretur, in parricida fratre; Pyrrhum Epirotarum regem, qui nuper in regnum ex Ægypto dimiſſus fuerat, *teſte Vellejo*, in Græciam evocat, qui pro auxilii lati mercede magnam Macedoniæ partem occupat, ita ut Alexandro jam metuendus videretur: quapropter ut hunc iterùm ex Macedonia ejiciat, *Demetrium* evocat, qui ſtatim exercitum conſcribit. *Plutarchus.*

Ptolomæus *libro ſeptimo, cap. 3. annotat obſervationẽ Lunæ, quã deprehendit Timochares anno 36. primæ periodi Calippicæ, die decimo quinto menſis Elaphebolionis. Anno Nabonaſſ. 454. die 5. menſis Tybi, horis octo poſt meridiẽ Alexandriæ, quæ accidit ad Calendarium Julianũ die nono Martii, feria ſeptima, ubi Luna conjuncta fuit ſpicæ virginis. Fuit tũ temporis ſpica in gradu 21. 44. virginis ſecundum Tychonem. Latitudo ejus gradus unus min. 59 auſtr. Locus Lunæ ad tempus gradus 21. minut. 19. 35. Virginis. Sed Parallaxis ſecundùm longitudinẽ min. 43. & ſecundùm latitudinẽ 17. Latitudo verà 1. 47. auſtralis. Ergò viſus locus Lunæ* 21. 53. *Virginis, & latitudo auſtralis gradus 2. 4. atq; ita convenit exactè.*

Archon apud Athenienſes *Olympiodorus.*

Attilii conſulis caſtra à Samnitibus oppugnantur, donec alter conſul, qui æger Romæ ſubſtiterat, veniret auxilio. Inde cùm plebs Samnitium relictis urbibus in munitiora loca conceſſiſſet, Romani vacuas urbes occupant. Paulò pòſt Attilius difficillimo prælio cum Samnitibus congreditur, & incerta victoria diſceditur. Poſtero die prælium inviti contrahunt, cùm neutra pars in alium locum diſcedere poſſet, in quo primùm vincitur Romanus, ſed vi conſulis milites in prælium redacti vincunt. Bidui præliis ad ſeptem Romanorum millia ceciderunt: Ideò triumphus Atilio negatus. Alter conſul cùm aliquot urbes in Samnio cepiſſet, in Hetruriam transgreditur. & populationibus Hetruſcos eò redigit, ut pacem peterent, quibus datæ ſunt induciæ in quadraginta annos. Poſthumius conſul. cùm Senatus triumphum negaret, invitis Patribus, juſſu populi triumphavit. *Livius.*

Jovis Statoris ædem, & à Romulo & ab Atilio conſule in difficillimo ſuo prælio votam, Senatus ædificandam locat. *Livius.*

ANNO MUNDI 3657. ante C.N. 291.

ED. ☉. 25. ☽ 13.

Romæ circa diem 9. Februar. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Papirius Curſor.

Sp. Carvilius Maximus.

Cenſores hoc anno P. Cornelius Arvina & *D. Martius* Rutilius luſtrum condiderunt. Cenſores à primis viceſimi ſexti, *ut Livius habet*, cùm tamen tabulæ capitolinæ affirment luſtrum triceſimum ab iis conditum, idque ſuperiori anno. Cenſa ſunt capitum 262320. civium, *lib.* 10. Conſules in Samnium profecti plurimas urbes capiunt, dum Samnites ſacris operantur, & milites conſcriptos ad aram ſub terra jurare cogunt in hæc verba: *Se in prælium quo imperatores juſſiſſent ituros, nec ex acie fugituros, nec fugere quenquam paſſuros.* Inde prælium ad *Aquiloniam* committitur acerrimum, coguntur que Samnites & jurati & injurati fugere, caſtra etiam capiuntur, & Bovianum urbs. Alter conſul Carvilius eodem die, quo ad Aquiloniam pugnatum, Cominium urbem capit. Inde cùm hyems inſtaret, Papirius exercitum, deducit & triumphat. Carvilius in Hetruriam abit & Faliſcos in deditionem accipit, aliasque urbes capit, atque ita gloria collegæ ferè par triumphat. *Liv. l.* 10. Atq; hic prima Livii decas deſinit: Secunda decas magno damno Reipub. literariæ amiſſa eſt.

Demetrius exercitu collecto tandem Alexandro Macedoniæ regi auxilio venit, ut & Antipatrum & Pyrrhum Macedoniâ ejiciat, dat operã. Lyſimachus ſocer Antipatri, potentiam Demetrii veritus, ſuadet genero, ut cum fratre Alexandro redeat in gratiam, idem perſentiſcit Demetrius. Cùm verò hinc ſimultas oriretur, & Alexandri etiam inſidiæ accederent, quibus Demetriũ involvere cogitabat, eas præoccupat Demetriũ, & Alexandrũ trucidat, excuſatque cæde apud Macedonas, exaggeratque tyrannidem Antipatri, Caſſandri & filiorũ, efficitque, ut rex Macedoniæ appellaretur. Lyſimachus etiam, cùm à Thracibus bello premeretur, ne ſimul cum Demetrio propter generum pugnare cogeretur, generum

Antipa-

Antipatrum occidit, atque ita Demetrius univerſo regno Macedoniæ potitur, quod obtinet annis ſeptem. *ut Plutarchus habet*, cùm Caſſandri filii id ultra triennium obtinuiſſent. Atque ita Antipatri familia pœnas dedit ſcelerum in Alexandrum Magnum, & ejus poſteros ac familiam admiſſorum. *Juſtin.*

Feritbarius Scotorum rex, cùm quindecim annis regnâſſet, moritur, ſuccedit *Mainus*, qui regnat annis 29. *Buchanan.*

Annus Nabonaſſaris 456. & Philippi mortis q; Alexandri 32. incipit die 4. Novemb. feria 4.

ANNO MUNDI 3658. ante C. N. 290.
C. ☉ 26. ☽ 14.

Annus ab urbe condita numeratus 461.

Annus Ptolemai Lagi in Ægypto 32.

Roma circa diem 11. *Februarii Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Q. Fabius Maximus Gurges.
D. Junius Brutus Sæva.

Annus Græcorum Judaicus viceſimus primus in 1. *Maccab. init. die* 1. *Apr. fer.* 5.

Demetrius cùm Macedoniæ regnum ordinaſſet, in Theſſaliam abit, inde in Peloponneſum tranſit; cumque antea & Megara & Athenis potitus eſſet, & ſe ſatis inſtructum putaret, de Thebis obſidendis conſilia agitat. *Plutarchus.*

Menander Comicus Poeta moritur hoc anno. *Gell. lib.* 18. *cap. ult.*

Venuſia Colonia hoc anno deducta *Vellejus.*

Annus 39. *primi periodi Calippica incipit die* 28. *Junii, feria* 2.

Olympias 122. *acta die* 12. *Auguſti, feria* 5. *Eſt annus Olympiad.* 485.

Victor Stadii *Antigonus Macedo.*

Demetrius Thebas obſidet, quibus quidem auxilio advenit Cleonymus Spartanus, ſed territus potentia Demetrii recedit, & Thebani animis lapſi deditionem faciunt. Demetrius clementiſſimè cùm ipſis agit, & inde adverſus Lyſimachum movet, quem audiebat eſſe captum. *Plutarch.*

Annus Alexandræus 21. & *Chaldaicus* 20. *incipit die* 25. *Sept. feria* 7.

Cum annus peſtilens eſſet, ex Sibyllinis libris relatum eſt, Æſculapium, *in ejus mali remedium, ex Epidauro accerſendum Romam: quod tamen Roma hoc anno factum non eſt.* Epit. Livii.

Q. Fabius Gurges, cùm malè adverſus Samnites pugnaſſet, & imperitè multa ageret, de eo ab exercitu removendo in Senatu agitatum eſt. Pater ejus deprecatur filio hanc ignominiam, promittitque ſe filio legatum iturum, cujus conſilio filius ingenti victoria potitur: Pontium Ducem capit, ſecuri percutit, & triumphat circa finem Februarii, ſequentis anni. *Eutrop. Tab. Cap.*

ANNO MUNDI 3659. ante C. N. 289.
B. ☉ 27. ☽ 15.

Roma circa diem 13. *Febr. Iuliani magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Poſtumius Megellus III.
C. Junius Brutus Bubulcus.

Romani decem legatos, ad accerſendū ex Epidauro Æſculapiū, principe Q. Ogulnio *mittunt; qui cùm in Epidauro Æſculapii ſimulachrum ingens mirarentur, & de eo transferendo Romam conſilia agitarent, anguis è ſimulachro elapſus per mediam urbem ad navem Romanorum perrexit, ſeque ibi compoſuit & quievit. Inde Romam in navi advectus eſt, ubi in Inſulam in Tiberi propè Romam deſilivit, & in eodem loco poſtea Æſculapio templum conſtitutum eſt.* Aurel. Vict.

Thebani, cùm Demetrius contra Lyſimachum abiiſſet, iterùm deficiunt. Ideò à Demetrio iterùm obſidentur, ubi acerrimè contenditur. Pyrrhus etiam Thebanis auxilio advenit, & Thebani ipſi acriter ſe defendunt; Demetrius inſuper grave vulnus accipit, nihilo tamen ſegnior factus, urbem tandem expugnat, ſed tredecim tantùm defectionis autores interficit, & quosdam in exilium ejicit. *Plutarchus.*

Poſtumius *Conſul cùm exercitum eduxiſſet, hoſteſque nulli comparerent, militum opera in agro colendo uſus eſt, propter quod factum ſequenti anno damnatur; cum Samnitibus verò pacem petentibus fœdus quartò renovatum eſt.* Eutrop.

Seleucus in eas urbes, quas extruxerat, Judæos transfert, Jusque iis civium, & municipalem ordinem cum Græcis æqualem concedit. *Ioſeph. lib.* 12. *cap.* 3.

ANNO MUNDI 3660. ante C. N. 288.
A. ☉ 28. ☽ 16.

Roma circa diem 15. *Februarii Juliani, Magiſtratum ineunt.*

Coſſ. P. Cornelius Rufinus.
Man. Curius Dentatus.

Agathocles Siciliæ rex, nepotem *Archagatum* ad exercitum miſerat. Conſtituerat enim cum ingenti claſſe in Africam trajicere; ſed pœnitens facti, anni jam feſſus, & valetudine afflictus, filium *Agathoclem* ſucceſſorem ſibi apud Syracuſanos pronunciat, eumque ad accipiendum ab Archagato exercitum mittit. Archagatus contra patruum Agathoclem, novum regem intercipit, trucidat, & in mare abjicit. Agathocles ſenior, cum dentes venenato ſcalpro, quod ipſi *Menon* ſuppoſuerat, purgaret, inficit veneno gingivas, & totum os, unde immenſis doloribus excruciatus, vivus adhuc cremari voluit, cum regnaſſet annos 28. vixiſſet annos 72. *Diodorus.*

Demetrius, cùm Pythia inſtarent, & Ætoli anguſtias ad Delphos exercitu cuſtodirent, Athenis eos ludos Pythicos facit. *Plutarchus.*

Cùm Samnites iterùm tumultuarentur, conſules in Samnium profecti, id tandem ſubigunt, diruuntq; ipſas urbium ruinas, ut Samniū in ipſo Samnio requiratur, nec inveniri poſſit. Fuit materia viginti quatuor triumphorum, duravitque bellum annos quinquaginta. Florus habet quadraginta novem, ut & Livius. Tantumque hominum & agrorum in poteſtatem redactum eſt, ut numerus explicari non poſſet. Sabini etiam à Curio devicti, quibus civitas ſine ſuffragio data eſt. Vellejus Oroſ. *Triumphavit autem Curius bis in eodem magiſtratu, & de Samnitibus & de Sabinis. Idem paulò poſt ad foculum ſedens, & coquendis rapis vacans, aurum Samnitium aſpernatus eſt: Malle ſe, dictitans, aurum habentibus imperare, quam aurum habere, quod talis cœna auro non indigeret.* Cicero.

Colonia deducta hoc anno, Caſtrum Adria. *Epit. Livii.*

Annus

Annus ſabbathicus quintus, Jobelei viceſimi quarti, incipit die quarto Sept. feria ſecunda. Eſt hebdomas Danielis viceſima. Anno Jud. 3472.

Mænon, qui venenatum ſcalprum Agathocli porrexerat, ad exercitum profugit, ubi receptus Archagatum dolo interficit, & imperio potitus bellum Syracuſanis facere conatur. Syracuſani tyrannis liberati, copias contra Mænonem educunt. Verùm cùm Carthaginenſes, qui bello ab Agathocle provocati erant, & claſſem & exercitum miſiſſent contra Agathoclem & Syracuſanos, ipſe ſuis copiis diffidens ad Carthaginenſes concedit, quorum auxilio Syracuſas redit. *Diod. Sic.*

ANNO MUNDI 3661. Ante C.N. 287.
GF. ☉ 1. ☽ 17.

Romæ circa diem 17. Februar. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Valerius M. F. Corvinus.
Q. Cæditius Noctua.

Mercenarii milites apud Syracuſanos acceptis ſtipendiis dimittuntur, qui & ad Meſſanos progreſſi, amicè ſuſcipiuntur, ſed illi inaudita fraude, nocte inſecuta hoſpites ſuos Meſſenios ad unum omnes trucidant, uxoresque eorundem ducunt, & urbem Meſſanam Mamertinam appellant, ſeque Mamertinos à Marte. *Diod. in frag.*

Demetrius, cùm quieſcere non poſſet, cùm Macedones aliàs novarum rerum ſtudioſi eſſent, & ipſe etiam bello majorem quàm pace autoritatem acquireret, Ætolis bellum infert, quibus Pyrrhus rex auxilia adducit. Demetrius ut Pyrrhum impediret, adverſus eum movet, ſed via deceptus in Epirum quidem venit, ibique omnia vaſtat, ſed Pyrrhus interim in Ætolia Ducem ipſius & copias vincit, & quinque millia hominum capit, idque efficit ſua ferè ſolius induſtria, unde ingentem apud Macedones favorem conſecutus eſt. *Plutarch. in Demet.*

Annus Nabonaſſaris 460. & annus Philippi atque mortis Alexandri 36. incipit die 3. Nov. fer. 1.

ANNO MUNDI 3662. Ante C.N. 286.
E. ☉ 2. ☽ 18.

Annus ab urbe condita numeratus 465.

Annus Ptolomæi Lagi in Ægypto triceſimus ſextus.

Romæ circa diem 19. Februar. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Martius Tremulus II.
P. Cornelius Arvina.

Annus Græcorum Judaicus in Maccabæor. viceſimus quintus, incipit die 18. Martii, fer. 3.

Triumviri *capitales Romæ primùm circa hunc annum videntur conſtituti.* Epit. Livii.

Annus 43. primæ periodi Calippicæ incipit die 14. Julii, feria 2.

Diocles Francorum in Germania rex, cùm annos 38. regnaſſet, moritur; ſuccedit filius *Helenus*, homo iners, qui regnat annis quatuordecim. *Trithem.*

Olympias 123. acta die 29. Julii, fer. 3. Eſt annus Olympiad. 489.

Victor Stadii *Antigonus* Macedo ſecundùm.

Theophraſtus Philoſophus moritur, ſcholæ ejus præficitur *Straton* Lamſacenus. *Diog. Laert.*

Cleazarus, frater Simeonis Pontificis, hoc anno defuncti, fit Pontifex Hieroſolymis, cùm filius Simeonis *Onias*, adhuc parvulus eſſet *Joſeph. Euſeb.*

Annus Alexandreus 25. & Chaldaicus 24. incipit 11. Septemb. fer. 5.

Cenſores *hoc anno Manl. Curius Dentatus, & L. Papirius Curſor, luſtrum triceſimum primum condiderunt, cenſa civium capita* 273000. Epit. Livii.

ANNO MUNDI 3663. *Ante C. N.* 285.
D. ☉ 3. ☽ 19.

Romæ circa diem 21. Februarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Claudius Marcellus.
C. Nautius Rutilus.

Dictatorem etiam habuit hic annus rei gerundæ cauſa App. Claudium *cæcum; ſed quid cauſæ & quod bellum fuerit, nullibi exprimitur.* Tab. Cap.

Serapis Deus Sinopenſis pro Plutone cultus, in Ægyptum ad Ptolomæum Lagi, qui & Soter dicitur, mittitur. *Euſebius.* Aliqui tamen hoc factum malunt ſub Philadelpho.

ANNO MUNDI 3664. ante C. N. 284.
G. ☉ 4. ☽ 1.

Romæ circa diem 23. Februarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Valerius Potitus Maximus.
C. Ælius Pætus.

Pyrrhus cùm audiſſet Demetrium periculoſe decumbere, ſubitò in Macedoniam irrumpit, eamque ferè totam occupat, & usque ad Edeſſam progreditur. Ejicitur tamen iterum à Demetrio, viribus quidem corporis infirmo, ab exercitu tamen benè inſtructo. Nihilominus tamen ſibi metuens à Pyrrho Demetrius, cum alias res magnas moliretur, pacem cum eo facit. *Plutarch. in Pyrrho.*

Plebs Romana propter æs alienum, poſt graves & longas ſeditiones, ad ultimum ſeceſſit in Janiculum. Senatus ſeditionis ſedandæ cauſa dictatorem creat Q. Hortenſium, *qui plebem inde deducit, & Senatui reconciliat, qui tamen in magiſtratu moritur.* Livius.

Maximus terræmotus in Helleſponti & Cherſoneſi regionibus extitit, quo Lyſimachia ante duos & viginti annos à Lyſimacho rege condita evertitur, quod portentum & regni ruinam, & ſtirpi exitium portendit. Nam brevi tempore Lyſimachus filium Agathoclem, qui tamen res magnas geſſerat, ultra humanum morem peroſus, miniſtra Ariſinoe noverca veneno interficit. Secutæ inde ſunt aliæ principum cædes. *Juſtinus.*

Demetrius de recuperando regno paterno Aſiæ dudum conſilia agitans, ingentem exercitum contraxerat, peditum centum millium, equitum duodecim, & claſſem quinquaginta, velut alibi habetur, quingentarum navium. *Seleucus*, Ptolomæus, & Lyſimachus, ut hiſce conatibus Demetrii obviam irent, ſocietatem belli jurant, & miſſis legatis Pyrrho perſuadent, ut relicto fœdere, quod nuper cum Demetrio percuſſerat, ſocietatem jungeret. Igitur Lyſimachus ex Thracia, Pyrrhus ex Epiro Macedoniam invadit; alii aliis in locis eum carpunt. Demetrius primùm Lyſimacho

occurrit; ſed ob faſtum & ſuperbiam, ſeditionem militum ibi experitur, cupientium relicto Demetrio ad Lyſimachum tranſire. Belli igitur rationem Demetrius mutat, & contra Pyrrhum exercitum ducit. *Plutar. in Demet.*

ANNO MUNDI 3665. *Ante C. N.* 283.
BA. ☉ 5. ☽ 2.

Romæ circa diem 25. Februarii Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Claudius Canina,
M. Æmilius Lepidus.

Cùm Demetrius prope Pyrrhum veniſſet, exercitus priſtinam ſeditionem redintegrat, & ad Pyrrhum deficit, eumque accerſit: Ideò Demetrius depoſita purpura privatus ex caſtris aufugit, & Pyrrhus unà cum Lyſimacho Macedoniam occupat, cùm Demetrius eam ſeptem annis habuiſſet. Uxor Demetrii, ne iterum maritum privatum videret, veneno vitam claudit. *Plut. in Demet.*

Dionyſius *Mathematicus incipit hoc anno Epocham ſuam à die 26. Junii, feria ſecunda, ut videre eſt apud Ptolomæum. Sunt autem ejus anni cœleſtes, qui menſibus tot dies tribuunt, quot ferè Sol in quolibet ſigno conſumit, & annuo ſpatio tribuit dies 365. horas quinque, cum minutis 49. ferè.* Ptolomæus.

Athenienſes fugato Demetrio in ſpem libertatis erecti, præſidium Demetrii ejiciunt, & antiquato ſacerdote *σωτήρων*, Archontem annuum reſtituunt. Demetrius contra, reparato exercitu in Græcia, hanc injuriam ulturus, & Athenienſes obſidione cincturus, à Cratete Philoſopho perſuadetur, ut in Aſiam potius contra Lyſimachum bellum convertat, cùm Pyrrhus Athenienſibus ſit ſubſidio venturus. *Plutarch.*

Archon apud Athenienſes *Philippus*, ſub quo aliqui Menandrum Comicum Poetam defunctum volunt, anno ætatis 50. *Suidas.*

Ptolomæus Philadelphus *Parenti Soteri ſive Lagi in Ægypto, qui annos 39. imperaverat, ſuccedit circa autumnum. Natus fuit ex Berenice, & filiorum Ptolomæi minimus, atque ita filii ejus ex Eurydice regno excludebantur, quod vehementer diſſuaſerat* Demetrius *Phalereus, cujus conſilii has pœnas dedit Demetrius, ut in locum quendam relegaretur, ubi paulò poſt aſpidis morſu periit.* Diog. Laer. *Regnavit autem hic Ptolomæus annis 38.*

Magna liberalitate hic rex ſtudia literarum fovit, unde factum, ut ex omni Græcia eruditi Alexandriam confluerent, inter quos eminuere *Aratus, Apollonius, Theocritus, Lycophron, Nicander, Philicus, Homerus Junior*, omnes Poetæ, qui quod numero ſeptem eſſent, *Pleiades* dicti ſunt. Fuerunt & alii ibidem viri celebres, ut *Ariſtarchus Grammaticus, Conon, Hipparchus, Mathematici*, quorum opera liberales artes Alexandriæ excitatæ ſunt. *Quanquam de Ariſtarcho dubitare quis poſſit, cum Suidas eum 130. annis poſteriorem faciat.*

A Romanis contra Volſinienſes Hetruſcos egregiè res geſtæ ſunt, ut & contra Lucanos, qui Tarentinorum hortatu Romanis rebellabant, & Tyrrhenos vaſtabant, quos defendendos Senatus Romanus cenſuerat. Epit. Livii.

Annus Nabonaſſaris 464. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 40. *incipit die 2. Novemb. fer. 5. Eſt hic annus primus Philadelphi Ptolom.*

Demetrius in Aſiam profectus, multas ibi urbes capit, & inter cæteras etiam Sardes. Lyſimachi etiam Duces aliquot levibus præliis ſuperat; ſed commeatu excluſus, & peſte inſuper ingruente, ad octo millia militum amittit. Ideò Tarſum in Ciliciam redit, ibi quantum potuit, milites à præda, quam propter inopiam undique rapiebant, continuit, ne Seleucum offenderet, à quo obtinuit ut ſibi ibidem liceret hyemare *Plutarch.*

ANNO MUNDI 3666. *Ante C. N.* 282.
G. ☉ 6. ☽ 3.

Annus ab urbe condita numeratus 469.

Annus Ptolomæi Philadelphi in Ægypto primus, ſecundum Ptolomæum.

Romæ circa diem 27. Februarii Juliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Servilius Geminus Tucca.
L. Cæcilius Metellus.

Demetrius tandem & à Seleuco, genero, bello petitur, perſuaſo à ſuis, ut Demetrium Aſia pelleret, qui alias nunquam quieſceret. Sed Demetrius fortiter ſe defendit, & aliquot præliis ſuperior videtur. Cum verò contracto morbo per quadraginta dies decumberet, omnis ejus exercitus ferè ad Seleucum tranſit, ideò cum & reliqui à ſe deficerent, & ipſe effugere non poſſet, ſe Seleuco genero dedit, à quo in peninſula Syriæ concluſus fuit, ubi cum tribus annis detineretur, magna cum Seleuci infamia, tandem mœrore moritur, annos natus 54. *Plutarch.*

Annus Græcorum 29. in libro primo Maccabæorum incipit die 3. Aprilis, fer. 3.

Pyrrhus cùm exiguo tempore partem Macedoniæ obtinuiſſet, à Lyſimacho, qui ſibi à Demetrio jam capto nihil amplius timebat, ejicitur Macedonia. In Epirum igitur redit, ubi aliquot annis fruitur otio. *Plutarch.*

Annus quadrageſimus ſeptimus primæ periodi Calippicæ, incipit die 30. Julii, fer. 7.

Poſtquam Galli in agro Sentinati à Fabio Maximo cæſi erant, poſt decem annos Aretium obſident, quibus ſe jungunt Lucani, Brutii, Samnitesq; cum Hetruſcis. L. Cæcilius Conſul opem Aretinis laturus, ab hoſtibus opprimitur & interit: perierunt Romanorum ad tredecim millia, legati etiam, qui redimendorum captivorum gratia advenerant, occiduntur, quare in locum Conſulis trucidati eligitur Conſul Man. Curius Dentatus II. qui Gallos iterùm fugat & pellit. *Flor. & Polyb.*

Olympias 124. *acta die* 14. *Auguſti fer. 3. Eſt annus Olympiadicus* 493.

Victor Stadii *Philomelus* Pharſalius.

Horologium *primum Romæ hoc anno in publico ſtatutum, nec aliud tamen, quàm ſolare, quod nullum uſum habere potuit tempore nubiloſo.* Plin.

Achæorum Reipubl. initia conferuntur à Polybio lib. 2. in hunc annum, quando Patrenſes & Dymæi initium hujus Reipubl. fecerunt.

Annus Alexandræus viceſimus nonus, & Chaldaicus viceſimus octavus incipit die 27. Septembris, fer. quinta.

Soſtratus Cnidius, architectus inſignis, Pharum in Ægypto, quæ Inſula fuerat, facit jactis in altum molibus Iſthmum & Peninſulam. *Euſeb. Suidas.*

ANNO MUNDI 3667. *Ante C. N.* 281.

F. ☉ 7. ☽ 4.

Anno quadrageſimo ſeptimo periodi primæ Calippicæ, die octavo menſis Antheſterionis, ſive anno Nabonaſſaris 465. die 29. menſis Athyr, horis tribus ante mediam noctem, Timochares Alexandriæ in Ægypto obſervavit Lunæ conjunctionem cum pleiadibus. Factum id ad Calendarium Julianum die 29. Januarii, veſperi feriâ tertiâ, ut calculus Aſtronomicus hoc exactè oſtendit. *Ptol. l. 7. cap. 3.*

Romæ circa diem 1. Martii Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Cornelius Dolabella.

Cn. Domitius Calvinus.

Demetrius ad filium Antigonum, qui dux Græciæ erat, qui poſt rex Macedoniæ factus eſt, & genus uſque ad Perſeum propagavit, ſcribit, ne literis & ſigillo ſuo nomine, ſi quæ acciperet, quicquam credat, ſed quæ ſibi in Græcia ſuperſunt, tueatur. *Plut. in Demet.*

Poſt devictos Senonas Gallos, *Senogallia* urbs Colonia Romanorum facta. *Solin.*

Boii metuentes, ne ſuis etiam ſedibus, ut Senones pellerentur, Hetruſcos in ſocietatem aſſumunt, & ad Vadimonis lacum cum Romanis, & P. *Cornelio Dolabella* conſule pugnant, ſed magna ſua clade. Iterùm igitur excitata omni juventute cum Romanis pugnant, ſed iterùm vincuntur. Pacem igitur cum Romanis faciunt. Geſta hæc ſunt triennio, priuſquam Pyrrhus in Italiam trajiceret, quinque annis ante Delphicam Gallorum cladem. *Polyb. lib. 2. & Dion.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei Judaici 24. incipit die 16. Septembr. fer. 2. Eſt hebdomas 21. Danielis, anno Jud. 3479.

Ptolomæus lib. 7. cap. 3. annotat obſervationem Lunarem, anno 48. periodi Calipp. die 25. Pyanepſionis, anno Nabonaſſar. 466. die 8. Thot primi menſis, horis tribus & minutis 30. poſt mediam noctem, quod ad Calendarium Julianum, & reductionem meridiani ad Francofurtenſem, factum eſſet die 9. Nov. hora 1. 58. poſt mediam noctem, feriâ ſeptimâ, ubi invenitur Luna in gradu 21. & minut. 49. 24. Virginis; cùm tum temporis, ut ſupra habuimus, ſpica eſſet in gradu 21. & minut. 44. Virginis. Et hoc tempore ibidem apud Ptolomæum ſcribitur, Timocharem Alexandriæ vidiſſe Lunam conjunctam cum ſpica Virginis atque ita obſervatio convenit.

ANNO MUNDI 3668. *Ante C. N.* 280.

E. ☉ 8. ☽ 5.

Romæ circa diem 3. Maji Iuliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Fabritius Luſcinus.

Q. Aimilius Papus.

Fabritius conſul contra Gallos, Samnites, Lucanos & Brutios miſſus, qui Thurios obſidione cinxerant, hoſtes magnis præliis ſuperat, Galloſque ad internecionem ferè delet, qui pace facta domum redeunt. Conſul de iis triumphat, talenta quadringenta argenti in ærarium defert, prædam dat militibus, & plebi, quæ ſtipendium contulerat, reddit, cum ipſe adeò pauper eſſet, ut hoc ipſi, ut probrum à Pyrrho objiceretur. *Dion. Plutar.*

Aratus Aſtronomus, cujus Phænomena extant floret. *Euſeb.*

L. Valerius *cum claſſe ablegatus applicat Tarentū, tanquam ad ſociam urbem & amicam. Sed Tarentini conſcii ſibi multarum injuriarum, quas Romanis intulerant, Valerium tanquam belli gerendi cauſa miſſum oppugnant, vincunt & occidunt, claſſem ejus diripiunt captosq; carceri mancipant.* Zonaras.

Fabritius Conſul triumphat die 5. Martii, qui Romanis tum incidit in initium Novem.

ANNO MUNDI 3669. Ante C. N. 279.

DC. ☉ 9. ☽ 6.

Romæ circa diem 5. Martii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Æmilius Barbula.

Q. Martius Philippus.

Conſul Æmilius Barbula magiſtratum recens inierat, inquit Dionyſius de legationibus, *cùm Poſtumius legatus Tarento rediret, ubi cùm non ſatis eleganter Græcè locutus eſſet, à populo, nullo accepto reſponſo, deriſus eſt, & lotio etiam a quodam conſperſus, qua de cauſa iratus legatus, ſanguine, inquit, hanc veſtem aliquando eluetis.* Dion. de legatione.

Philetarus, cui pecunia Lyſimachi concredita fuerat, cum illum metueret, ab eo defecit, & Pergamum urbem occupat, ſeq; per legatos Seleuco dedit. *Pauſan. Atticis.*

Lyſimachus Philetærum bello perſequens, Seleucum hoſtem ſibi facit; fuit tum uterque ſeptuaginta quatuor annis major, ſed uterque tamen juvenilibus animis, & inſatiabili cupiditate imperii. In eo bello Lyſimachus amiſſis antea variis caſibus quindecim liberis, non inſtrenuè moriens, poſtremus ruinæ domus ſuæ cumulus acceſſit. Seleucus, qui ſolus jam ſupererat de cohorte Alexandri, orbis terrarum jam Dominus, victoriam perſequitur, & Macedoniam occupat, quam Lyſimachus obtinuerat. *Juſtinus.*

Bellum Tarentinum Æmilio conſuli permiſſum eſt, qui leniter agens eo rem deducit, ut bona pars Tarentinorum de compoſitione agendum cenſeret, major tamē pars Pyrrhum, quem antea in oppugnatione Corcyræ adjuverant, evocavit. Quare Æmilius hoſtilia agere coactus, Tarentinos prælio vincit, captivos tamen liberaliter habet. Polyb.

Ptolomæus Ceraunus, pulſus ex Ægypto à fratre Philadelpho, ſecutus fuerat Seleucum contra Lyſimachum; is ipſum Seleucum ſeptimo menſe, poſtquam Lyſimachus ceciderat, interficit, & Macedoniam occupat, quam ut retinere poſſet, cum fratre Philadelpho redit in gratiam, & omni arte adulatur Antigono Demetrii filio, & Pyrrho: ſororis etiam ſuæ Arſinoes, viduæ Lyſimachi nuptias ambit, quas tandem obtinet, ſed paulò poſt Lyſimachi & Arſinoes jam conjugis liberos, ne regnum Macedonicum aliquando à ſe repeterent, trucidat & ipſam in Samothraciam relegat. *Juſtin.*

Annus Nabonaſſaris 468. & annus Philippi & mortis Alexandri 44. incipit die 1. Novemb. fer. 2.

Quòd cædes Lyſimachi & Seleuci in hunc annum collocanda ſit, evidenter oſtendit Pyrrhi hiſtoria.

Conſul Q. Martius triumphat de devictis Hetruſcis Calendis Aprilis, quæ incidunt in initium Decemb. Tab. Cap.

Seleucus occiditur, cum annos 32. regnaſſet, ſuccedit filius *Antiochus Soter*, qui regnat annis 19.

ANNO MUNDI 3670. *Ante C. N.* 278.

B. ⊙ 10. ☽ 7.

Annus ab urbe conditâ numeratus 473.

Annus Ptolomæi Philadelphi in Ægypto 5.

Pyrrhus gemina legatione ſollicitatus à Tarentinis, Lucanis & Appulis, præmittit Cineam Oratorem & *M*ilonem ducem in Italiam, cum viginti elephantis & magno exercitu, *Plutarchus*. Eo anno, inquit Plinius *lib.* 8. *cap.* 6. Italia primùm vidit elephantos, eosq; quòd in Lucania primùm viſi eſſent, boves Lucas appellavit.

Annus Græcorum Judaicus 33. *in* 1. *Maccab. incipit die* 19. *Martii, feria ſeptima.*

Romæ circa diem 7. *Martii Juliani magiſtratum ineunt:*

Coſſ. P. Valerius Lævinus.

T. Coruncanus.

Anno quinquageſimo primæ periodi Calippicæ, ſive anno quarto Olymp. 124. ad finem decurrente, *Ariſtarchus* Samiis præſcripſit periodum Lunarem, ad formam Calippicam, ſed poſt annos 57. Conon faſtos huic periodo appoſuit, de quo Virgilius:

In medio duo ſigna, Conon, & quis fuit alter? &c.

Pyrrhus in Italiam tranſiturus ab Antigono Græciæ duce naves, ab Antiocho rege Aſiæ pecuniam & à Ptolomæo Ceranno Macedonum militum auxilia petiit, quibus fretus Tarentum navigavit, ſed ingenti tempeſtate conflictatus, ipſe vix ſervatus. & multos milites & elephantos amittit. *Iuſtin. lib.* 17. *& Plutarch.*

Annus Dionyſii Mathematici 6. *incipit die* 26. *Junii, fer.* 1.

Annus quinquageſimus primus, primæ periodi Calippicæ, incipit die 15. *Julii, fer.* 6.

Archon apud Athenienſes *Gorgias.*

Olympias 125. *acta die* 30. *Julii, fer.* 7. *Eſt annus Olympiadicus.* 497.

Victor Stadii *Ladas* Ægienſis in Peloponneſo.

Galli in Macedoniam irrumpunt, Duce *Belgio*, quibus obviam cum exercitu proficiſcitur Ptolomæus Ceraunus, cum exiguo exercitu, & vincitur & trucidatur à Gallis, cùm novem ferè menſibus regnum Macedoniæ obtinuiſſet. Succedit ipſi Meleagros, qui regnat 60. dies. Inde Antipater, qui regnat dies 45. *Euſeb.*

Hicetas cum 9. annis Syracuſis principatum obtinuiſſet, exigitur à Tynione, Mammæi filio. *Diod.*

Achæi in Peloponneſo ſe adjungunt Ægienſes, cùm præſidium oppido ejeciſſent, aliisq; vicinis urbibus idem perſuadent. *Polyb. lib.* 2.

Annus Alexandræus 33. *& Chaldaicus* 32. *incipit die* 12. *Sept. fer.* 2.

Conſul Lævinus exercitum educit contra Pyrrhũ, pugnaturus cum eo, priuſquam ipſius ſocii Lucani & Brutii conveniſſent. Pyrrhus impatiens moræ, prælium non recuſat: Igitur acerrimo impetu concurrunt, in ipſo prælio Pyrrhus equo dejicitur, & veſtitum, ne cognoſceretur, mutare cogitur, qua tamen re fecit, ut ferè vinceretur. Elephantos igitur in primam aciem inducit, quibus Romani terrentur & turbantur, turbatis Theſſalos equites immittit, atque Romanos fugat: ceciderunt Romanorum ſeptem millia, ex Pyrrhi parte quatuor millia. Caſtra præterea Romanorum capta ſunt, & perſecutus victoriam propiùs Romam caſtra movit. Romani nihil territi hac clade exercitum reparant. *Plutarch.*

Circa menſem Octobrem T. Coruncanius conſul triumphat de Vulſinienſibus. *Tab. Cap.*

ANNO MUNDI 3671. *Ante C. N.* 277.

A. ⊙ 11. ☽ 8.

Paulò antequam novi conſules magiſtratum inirent, L. Æmilius Barbula Proconſul triumphat de Tarentinis, Samnitibus & Sallentinis.

Romæ circa diem 9. *Martii Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. P. Sulpitius Saverrio.

P. Decius Nus.

Pyrrhus apparatu Romanorum ad bellum territus, Cineam legatum cum muneribus mittit, de pace conſtituenda, in haſce conditiones: ut captivos abſque pretio recipiant, & inſuper auxilia à ſe ad ſubigendam Italiam, accipiant, tantummodò Tarentinis ignoſcerent. Cum Senatus ferè inclinaret ad pacem hanc, Appius Claudius cœcus in Senatum portatus, eam diſſuaſit ut ignominioſam hortatusq; eſt, ut qui, ſe adoleſcente, Alexandrum Magnum, ſi in Italiam veniſſet, non formidaviſſent, ne ſuccumberent Alexandri Satrapæ; & obtinuit, ut legato reſponderetur, de pace cum Pyrrho agi non poſſe, quàm diu in Italia eſſet, ſe, quoad in armis eſſet, bellum geſturos. *Plutar.*

Cùm poſt cladem Romanam multi ad Pyrrhum deficerent, ita ut Locri præſidium Romanum ipſi proderent, quod tamen Pyrrhus clementer habet: Rhegini contra, ſibi metuentes à Pyrrho, præſidium à Romanis petunt, qui ipſis quatuor millia Campanorum, cum *Decio* Tribuno militum præſidio mittunt, ſed hi commoditate urbis allecti, cives omnes trucidant, & ſibi uxores illorum ducunt, urbemq; occupant. *Decius* tamen, quod prædam inique diviſiſſet, urbe expellitur, qui ad Mamertinos, qui ſimili ſcelere Meſſanam occuparant, tranſit, ubi oculis laborans à Medico Rhegino excæcatur. *Diod. Sic. lib.* 22. *& Polyb.*

Archon apud Athenienſes *Anaxicrates.*

Fabritius *legatus ad Pyrrhum mittitur, pro redimendis captivis, cujus virtutem Pyrrhus admiratus, ipſi omnes captivos Romanos donat, hac tamen conditione, ſi pax non conveniſſet, ut ſalutatis amicis, & Saturnalibus celebratis, ad ſe in captivitatem redirent: ita omnes poſt Saturnalia redierunt.* Plutar.

Cenſus *hoc anno per actus, & Luſtrum* 32. *primus de plebe condidit.* Cn. Domitius. Tab. Cap.

Brennus Gallorum rex, cum cognoviſſet, quanta facilitate Belgius Macedones viciſſet, in Macedoniam irrumpit, eamque victo Soſthene rege vaſtat inde in Ætoliam, ubi à Calippo Athenienſi ad Thermopylas vincitur, & ſeptimo die ad Heracleam. Inde Galli diverſis itineribus Ætoliam vaſtant & Theſſaliam, & clandeſtino itinere in Græciam irruunt, templumque Delphicum ſpoliare conantur, ubi eorum multi perierunt. Nam & à Phocenſibus armis, à cœlo fulminibus, & ingenti tempeſtate, terræ motu, & montis Olympici ruina, ſternuntur, vincuntur, & obruuntur. Regredientes igitur, cùm Brennus

nus mortem ſibi conſciviſſet, omnes ad unum à Dardanis cæſi ſunt. Phocenſes, quòd rem feliciſſimè geſſiſſent, locum inter amphyctiones, quem ſacro bello amiſerant, recuperarunt. *Pauſ. & Juſtinus.*

Conſul *hujus anni* Decius *in prælio contra Pyrrhũ caſus dicitur* à Cic. 2. de finibus, & Zonara. *Et epit. Livii non obſcurè innuit, Pyrrhum ſecunda vice hiſce COSS. cũ Romanis pugnaſſe. Plutarchus tamen apertè in ſequentes COSS. ſecundam illam pugnam rejicit.*

Antiochus Seleuci, & *Antigonus* Demetrii filius, de regno Macedonico poſt defunctum *Soſthenem*, qui Antipatro ſucceſſerat, & annum regnaverat, certant; & *Antigonus* ut propior, & Græcis auxiliis inſtructus, Macedoniam occupat. *Juſtinus.*

ANNO MUNDI 3672. *Ante C. N.* 276.
G. ☉ 12. ☽ 9.

Romæ circa diem 11. *Martii Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Fabricius Luſcinus II.
Q. Æmilius Papus II.

Coſſ. *caſtra contra Pyrrhum muniunt, ibi è Pyrrhi exercitu quidam affert epiſtolam, à Medico Pyrrhi, in qua promittit* Coſſ. *ſi ſibi honos haberetur, ſe Pyrrhum veneno necaturum. Fabricio hoc indignum facinus viſum, epiſtolam & nuncium Pyrrho remittit, monetque, ut ſibi ab hujuſmodi inſidiis caveat, ut ſit, quem vera virtute vincere poſſit. Pyrrhus virtute Romanorum motus, omnes captivos gratis ipſis remittit, Senatus ne videatur beneficium à Pyrrho accepiſſe, totidem captivos ex Samnitibus & Lucanis ipſi remittit, de pace abnuit, donec ex Italia decedat.* Plutar.

Archon apud Athenienſes *Damocles.*

Pyrrhus *cum videret altero prælio cum hoſtibus certandum eſſe, ad Aſculum proficiſcitur, ubi Romanos obvios habuit, & prælium in noctem uſque continuatum eſt, & incerta victoriâ diſceſſum. Elephantorum enim terror exoleverat, & C. Minutius unius proboſcide abſciſſa mori poſſe beluas oſtenderat. Victoria tamen magis ad Pyrrhum viſa eſt inclinare, cum Romanorum ſex millia cecidiſſent, ex parte Pyrrhi verò tantum tria & quingenti quinque Pyrrhus tamen dixit ſibi funditus pereundum eſſe, ſi adhuc uno prælio Romanos vinceret.* Plutarchus Florus.

Carthaginenſes *ſuſpicati à Siculis Pyrrhum evocatum iri, mittunt Romanis magna auxilia, ut Pyrrhus vi in Italia retineatur. Sed Carthaginenſibus à Senatu gratiæ aguntur, auxilia remittuntur, & fœdus quartò cum ipſis renovatur.* Livius Juſt.

Galli, qui oppugnationi Delphorum non adfuerant, evocati in Aſiam tranſeunt, partemq; Phrygiæ & Bythyniæ occupant, quæ regio poſtea Galatia appellata eſt. *Juſt. Pauſ.*

Callimachus Poeta Cyrenenſis, tempore Philadelphi floruit uſque ad tempora Evergetis. *Suidas.*

Pyrrhus, *cum tot legationibus à Syracuſanis & aliis Siculis evocaretur, cùm annis duobus & quatuor menſibus in Italia bellum geſſiſſet, relicto Tarenti præſidio, cum reliquis copiis in Siciliam tranſit, & obſidionem Syracuſanam ſolvit, claſſemq; Carthaginenſium perdit.* Diod. Sicul.

C. Fabritius *in autumno de Lucanis, Brutiis, Tarentinis & Samnitibus triumphat.* Tabul. Capitolin.

ANNO MUNDI 3673. *Ante C. N.* 275.
FE. ☉ 13. ☽ 10.

Romæ circa diem 13. *Martii Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. P. Cornelius Ruffinus II.
C. Junius Brutus Bubulcus II.

Pyrrhus omninò res magnas in Sicilia gerit, plurimas Siculorum urbes occupat, quarum quædam ſpontè ſe dederunt, & auxilia miſerunt, quaſdam vi expugnavit: qua felicitate inflatus Heleno filio quòd ex Agathoclis filia natus eſſet, Siciliæ, Alexandro verò Italiæ regnum deſtinat, ipſe de Africa occupanda ſpem concipit. *Diod. Sic.*

Annus Nabonaſſari 472. *& annus Philippi atq; mortis Alexandri* 48. *incipit die* 31. *Octob. fer.* 6.

P. *Cornelius Conſul Crotonem capit & occupat.* Zonaras.

Brutus verò Lucanis & Brutiis oppoſitus, eos vincit, ideò quoniam inſignis victoria fuerat, de iis triumphat in autumno, Tabul. Cap.

Galli ab Antigono Macedonum rege pecunias poſcunt, ut pacem redimat. Antigonus Legatos lautè & magnificè tractat, qua ipſa re Gallorum animos incitat ad ſpoliandam Macedoniam: ſed ipſe iis caſtra opponit, territus tamen multitudine caſtra ſua relinquit, & in ſylvas cum ſuis aufugit, inde occaſione data Gallos invadit, fugat, & prædam iis extorquet. *Juſtin.*

ANNO MUNDI 3674. Ante C.N. 274.
D. ☉ 14. ☽ 11.

Annus ab urbe conditâ numeratus 477.

Annus Ptolomæi Philadelphi in Ægypto 9.

Romæ circa diem 15. *Martii Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Q. Fabius *Maximus* Gurges II.
C. Genucius Clepſina.

Annus Græcorum Judaicus triceſimus ſeptimus, incipit die 4. *Aprilis, feria ſeptima.*

Annus Dionyſii Mathematici decimus init die 26. *Junii, fer.* 6.

Pyrrhus in Sicilia urbes Carthaginenſium invadit. Erycinam gravi obſidione preſſam, vi capit, Panormum deditione. Quapropter pacem petunt Carthaginenſes à Pyrrho, offeruntque ipſi claſſem & auxilia contra Antigonum & Macedones, ſed non obtinent, ni tota Sicilia velint diſcedere. *Diod. Sic.*

Annus quinquageſimus quintus, primæ periodi Calippicæ, incipit die primo Julii, fer. 4.

Pyrrhus Lilybæum obſidet, ſed Carthaginenſes auxilia mittunt, & acriter ſe defendunt, adeò ut Pyrrhus relicta obſidione de navibus ædificandis, quibus Carthaginenſes in ſua terra aggrederetur, cogitaret. A civitatibus igitur in Sicilia exigit certum numerum navium, quas pararent. *Diog. & Plutarch.*

Olympias 126. *acta die* 15. *Auguſti, fer.* 7. *Eſt annus Olympiadicus* 501.

Victor Stadii *Idæus vel Nicator* Cyrenæus. *Afric. Pauſan.*

Eratoſthenes Cyrenæus Hiſtoricus, Philoſophus & Aſtronomus naſcitur. *Diog. Laert.*

Peſtilentia horribilis Romanos invaſit, adeò ut mulieres,

liceus, pecudesque omnes abortum facerent, periculumq́; eſſet, ne genus humanum cum animalibus planè interiret. Oroſius.

Annus ſabbathicus ſeptimus ſive annus Iobeleus Iudaicus 24. qui conſtituit viceſimam ſecundam hebdomadam Danielis, incipit die 28. Sept. fer. 2. Anno Iudaico 3486. Eodem hoc die incipit annus Alexandrinus 37. & annus Chaldaicus 36. apud Ptolomaeum.

Conſul Fabius Samnites, Lucanos & Bruttios prælio adeò conciſit, ut amplius ex urbibus ſuis egredi non auderent: Quapropter iidem populi victi, miſſa legatione urgent Pyrrhum, ut in Italiam redeat, ne extrema neceſſitate coacti ſeſe Romanis dedant. Ita conſilium de ædificanda claſſe omiſſum eſt. Plutarchus.

Fabius Gurges de iiſdem populis Romæ triumphat, Quirinalibus, quæ inciderunt hoc anno circa finem Octobris Juliani.

ANNO MUNDI 3675. Ante C. N. 273.
C. ☉ 15. ☽ 12.

Cùm Pyrrhus in Sicilia tantis victoriis elatus Siculos non eadem humanitate tractaret, & inſuper quoſdam principes viros ſuſpectos haberet & occideret, in odium omnium incurrit, & catervatim ab eo & urbes & duces deficiunt. Cum igitur & legati inſtarent, ut in Italiam rediret, Carthaginenſes verò urgerent, ut prælio decertaret, priùs prælio cum Carthaginenſibus congreſſus vincit: ſed cùm ſtatim in Italiam regrederetur, quaſi victus fugere viſus eſt, in itinere etiam à Mamertinis infeſtatur, nec abſque clade tranſire potuiſſet, niſi ipſe ſuis manibus Mamertinum quendam, atrociùs inſtantem, gladio à vertice ad viſcera uſque uno ictu diſſecuiſſet: quo facto alii ita territi ſunt, ut fugerent. Ita in Italiam regreſſus, Siciliæ imperium eadem celeritate amiſit, qua id ſibi acquiſiverat. Juſtin. Diod. Plutarchus.

Romæ circa diem 17. Martii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Man. Curius Dentatus III.
L. Cornelius Lentulus.

Cum Curius videret ſibi cum Pyrrho pugnandum, ea ſeveritate delectum habet, ut militis, qui ad nomen non reſponderat, bona venderet.

Hiero, qui poſtea rex Syracuſanus factus eſt, ſtrenuè militaverat ſub Pyrrho, adverſus provocatores hoſtes ſæpius pugnaverat, & ſemper victoriam reportaverat, ideò donis militaribus à Pyrrho ſæpiùs ornatus fuerat: Quapropter diſcedente Pyrrho à Syracuſanis, creatur prætor, & cum moderatè ſe gereret, tandem conſentiente populi favore dux adverſus Carthaginenſes eligitur. Juſtinus.

Reverſum ex Sicilia Pyrrhum Curius Conſul excepit idque tertium prælium fuit apud Lucaniam in campis Aruſinis, quo prælio Pyrrhus ſuis ipſius Elephantis, quos Romani fortiſſimè repulerant, victus eſt. Atque ita Elephanti ut primam victoriam Romanis abſtulerunt, ita alteram ambiguam fecerunt, & tertiam planè dederunt. Oroſ. & Florus. Curius triumphavit circa Octobrem & captivos quoſdam Elephantes in triumpho duxit. Alter Conſul Lentulus bellum in Samnio gerit, ubi Servius Cornelius Merenda, qui ſequenti anno Conſul factus eſt, coronam muralem meruit Plinius. Triumphavit & Lentulus paulò poſt Curium.

Cenſores hoc anno fuerunt Q. Fabritius Luſcinus & C. Æmilius Papus, qui Cornelium Rufinum bis Conſulatu & dictatura functum, ſenatu movit, quòd decem argenti pondo facti haberet. Flor. Cicero. Cenſa ſunt civium capita 281224. Luſtrum fecerunt 33.

Ptolomæus Philadelphus, quòd Romani Pyrrhum viciſſent, & Italia exegiſſent, amicitiam eorundem expetit, & impetrat. Epit. Livii.

Pyrrhus victus legatos ad Antigonum in Macedoniam mittit, petitum ſupplementum militum, cum minis, niſi mittat, ſe in regnum reverſurum, ipſique bellum facturum. Sed cum denegaretur, ſimulat coram Tarentinis, ſe exercitum brevi adducturum, atque ita Italia abiit, filium Helenum & Milonem Tarentinis præſidio relinquit. Juſtinus.

ANNO MUNDI 3676. Ante C. N. 272.
B. ☉ 16. ☽ 13.

Romæ circa diem 19. Martii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Ser. Cornelius Merenda.
Man. Curius Dentatus IV.

Pyrrhus, cum in Epirum ex expeditione Italica peditum octo millia, & equites quingentos retuliſſet, nec tamen pecuniam haberet, unde exercitum aleret, in Macedoniam prædæ cauſa proficiſcitur, ubi aliquot urbes cepit: & cùm ſubinde ad ſe Macedones deficerent, contra ipſum Antigonum profectus eſt, eumque etſi magnis Gallorum auxiliis inſtructus eſſet, magno prælio vicit, & tota Macedonia expulit. Antigonus cum paucis equitibus Theſſalonicam fugit, & exercitum ex Gallis reparat, ſed à Ptolomæo Pyrrhi filio iterum victus, cum ſeptem comitibus fugiens, ulteriùs non regni recuperandi ſpem, ſed ſalutis latebras quærit. Juſt. Plutarch.

Helenus Francorum in Germania rex, cum annos 14. regnaſſet, removetur propter inertiam & luxum à regno, & ſuccedit ipſi Baſanus, qui regnat annis 36. Hic filium ſuum Sedanum adulterii convictum, morte mulctavit. Tritbem.

ANNO MUNDI 3677. Ante C. N. 271.
A G. ☉ 17. ☽ 14.

Romæ circa diem 21. Martii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Fabius Dorſo Licinus.
C. Claudius Canina II.

Hiſce Coſſ. Coloniæ deductæ Coſſam & Pæſtum, ut habet Vellejus Par. l. 1.

Sextilia virgo veſtalis, damnata inceſti, viva defoditur. Livius.

C. Claudius Conſul, cum egregiè contra Lucanos, Samnites & Bruttios res geſſiſſet, de hiſce populis triumphat, Quirinalibus, quæ incidunt hoc anno circa finem Septemb. Jul. Tab. Cap.

Annus Nabonaſſaris 476. & annus Philippi & mortis Alexandri 52. incipit die 30. Octob. fer. 3.

Pyrrhus, qui propter auxilia Gallorum, templa & loca ſacra, ſicubi in præſidiis erant, ſpoliantium, in odio apud Macedonas erat, à Cleonymo Spartanorum rege incitatur, ut Spartam invaderet, & Peloponneſum ſibi ſubjiceret. Pyrrhus hac occaſione lætus in Spartanos movet, ubi cum plurimi cives in Cretâ abeſſent, à fœminis repellitur, & poſtero die cum cives rediiſſent, robuſtiſſimam exercitus partem cum filio Ptolomæo amittit. Inde igitur repulſus Argos petit, ubi in ipſa urbe, ſaxo, de muris à fœmina

 jactato,

jactato, occiditur; atque ita *Antigonus* regnum Macedonicum recipit, & filium Pyrrhi captum humaniter habitum, in Epiroticum regnum remittit. *Iuſt. & Plutarch.*

ANNO MUNDI 3678. Ante C.N. 270.
F. ☉ 18. ☽ 15.

Annus ab urbe condita numeratus 481.

Annus Ptolomæi Philadelphi in Ægypto 13.

Obſervatio Planetæ Martis, quòd cooperuerit ſtellam Septentrionalem à latere frontis Scorpii, facta anno 13. Dionyſii in menſe Capricorni, anno quinquageſimo ſecundo Philippi & mortis Alexandri, die 21. Athyr menſis in diluculo diei; cœpit is annus, ut ſuperiori anno habuimus die 30. Octobris, & dies 21. Athyr eſt octogeſimus primus dies anni 52. Philippi, qui deſinunt in die 18. Januarii. Eo igitur die paulò ante ortum Solis, feriâ ſextâ, facta eſt obſervatio. Fuit autem eo tempore ſtella illa in gradu 2. 14. Scorpii. Ergo Mars eo tempore in eodem loco fuit, quod verum eſſe tabulæ aſtronomicæ oſtendunt. *Ptolom. lib. 10. capit. 9.*

Annus Græcorum Judaicus 41. *quorum uſus eſt in primo Maccabæorum, incipit die* 21. *Martii, feria quinta.*

Roma circa diem 23. *Martii Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Papirius Curſor II.
Sp. Carvilius *Maximus* II.

Annus Dionyſii Mathematici decimus quartus init 26. *Junii, fer.* 2. *die* 25. *Martii, fer.* 2.

Tarentini, *morte Pyrrhi comperta, nova arma contra Romanos excitant, & de auxiliis Carthaginenſes ſollicitant, qui tamen nihil niſi ex voluntate Romanorum agere volunt.* Eutrop.

Annus quinquageſimus nonus periodi Calippicæ primæ incipit die 17. *Julii, fer.* 4.

Annis triginta octo poſtquam Appius aquam urbem induxit, hiſce conſulibus M. Curius Dentatus Anienis fluvii, qui Vetus dicitur, aquam producendam in urbem, ex manubiis de Pyrrho captis curavit, perfectum tamen opus tandem eſt poſt annum nonum, quo Curius *deceſſit.* Fronti: de Aquæd.

Olympias 127. *acta die* 1. *Auguſt. fer.* 4. *Eſt annus Olympiadicus* 505.

Victor Stadii *Perigenes* Alexandrinus.

Straton Lamſacenus Philoſophus, qui olim Philadelphi præceptor fuerat, & octoginta talentorum munus ab eo acceperat, eo tempore moritur: ſcholam ejus in ſe recipit Lycon Troadenſis, eamque regit annis 42. *Diog. Laert. lib.* 5.

Tarentini, *cum à Milone, qui ipſi, mortuo Pyrrho, rebellabant, graviter urgerentur, auxilia contra eum obtinent Carthaginenſium. Milo ab utriſque preſſus, arcem Tarentinam Romanis tradit, pacto ſibi & ſuis libero abitu. Cùm verò tam Carthaginenſes contra Romanos bellare nollent, Tarentini etiam deditionem faciunt, & dirutis munitionibus traditiſque navibus, præſidium Romanum recipiunt. Finitum ita bellum Tarentinum decennale, & Samniticum ſeptuagenarium.* Oroſ.

Conſules ambo triumphant, prior tamen Carvilius de Lucanis, Brutiis, Samnitibus, & Tarentinis. Papirius verò de Tarentinis, Lucanis, Samnitibus, Brutiiſq;

Veneris *obſervatio facta, anno* 13. *Philadelphi, anno* 476. *Nabonaſſaris, die* 18. *Meſori menſis, ubi Timochares Alexandriæ matutino tempore vidit, Venerem operientem primam ex quatuor illis ſtellis à la ſiniſtra Virginis. Dies* 18. *Meſori eſt dies* 348. *ab initio anni Nabonaſſaris, qui dies incidit in Calendario Juliano in diem* 12. *Octobris, feria ſeptima. Stella illa fuit eo tempore in quarto ferè gradu Virginis: ibi igitur etiam ſtella Veneris fuit, quod verùm eſſe oſtendunt tabulæ Aſtronomicæ.* Ptolom. lib. 10. c. 4.

Annus Alexandrinus quadrageſimus primus, & Chaldaicus 40. *incipit die* 14. *Septemb. fer.* 7.

ANNO MUNDI 3679. *Ante C. N.* 269.
E. ☉ 19. ☽ 16.

Roma circa diem 25. *Martii Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Quintius Claudius.
L. Genutius Clepſina.

Legio militum ante octo annos Rheginis in præſidium miſſa, occiſis vel ejectis civibus Rhegium occupant. Id ſ...mus Romani, bellis impliciti, ...iſque toleraverant. Hoc vero anno a L. Genutio co...le obſidentur, expugnantur, & quotquot comprehendi potuerunt, virgis cæduntur & ſecuri percutiuntur. Liv.

Archon apud Athenienſes *Pytharatus.*

Epicurus moritur annos natus 72.

Aratus Sicyonius, poſt prætor Achæorum, naſcitur. *Polyb.*

Ariſtotimus Epirorum urbem in Peloponneſo per tyrannidem occupat, favore & conſilio Antigoni, plurimos civium in exilium ejicit, multos trucidat. Ætoli intercedunt apud eum, ut exulibus uxores & liberos reddere velit: ille primum negat, poſt concedit certo die, ſed eo ipſo die ad portas omnes comprehendit, facultatibus exuit, carceribus mancipat, & liberos occidit, virgines ſtuprat. Stupentibus omnibus ad hæc ſcelera, Hallanicus ſenex, & liberis orbus, fidiſſimos amicorum convocatos, in vindictam patriæ hortatur, illis cunctantibus jubet operiri fores, minitaturque, ſe tyranno omnia enunciaturum: ita in ancipiti periculo conſultant in tyranni necem, & eum feliciter, quinto menſe quàm cœperat, opprimunt. *Juſtin. lib.* 27.

ANNO MUNDI 3680. *Ante C. N.* 268.
D. ☉ 20. ☽ 17.

Roma circa diem 27. *Martii Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Genutius Clepſina II.
Cn. Cornelius Blaſio.

In Iſthmo Peloponneſi, cum ibi ſemper ignes erupiſſent, tandem thermæ ſive calidæ aquæ eruperunt. *Pauſ.*

Cenſores *hoc anno fuerunt C. Claudius Clepſina, & T. Coruncanius: Luſtrum conditum triceſimum quartum, & princeps Senatus ſeptimum lectus. Q.* Fabius *Maximus Rullianus.* Tab. Capitol.

Saſſinates *hoſtes* Cornelio *Conſuli obvenère, quos & egregiè vicit, & de iis triumphavit.* Tab. Capit.

Orchadum. rex Sicambris ſive Francis infert bellum, quòd filium generum repudiaſſet, ſed Baſanus fortiter ſe defendit, nec patitur, eum ex navib. in terram exſcendere, *Trith. in compend. Chr.*

Polemo Philoſophus hoc anno moritur. *Euſebius.*

ANNO

ANNO MUNDI 3681. Ante C. N. 267.
CB. ☉ 21. ☽ 18.

Romæ circa diem 29. Martis Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Oculnius Gallus.
C. Fabius Pictor.

PTOLOMÆUS Philadelphus, cùm inſtituiſſet copioſiſſimam Bibliothecam, à Judæis, qui in Ægypto erant, ſacra Biblia in Græcum ſermonem transferri curat, quod ideò malè habuit ſummum Sacerdotem, & Judæos Hieroſolymitanos, quòd videlicet Biblia ſacra in profanum ſermonem translata eſſent, ut propterea ſolenne jejunium inſtituerent, in menſe Thebeth, in quo deprecabantur DEUM, ne propter hanc Bibliorum profanationem, totam Judæorum gentem perderet. Ægyptios etiam Judæos & alios, qui hâc Græca verſione uterentur, Helleniſtas vocârunt. Unde palàm eſt, Helleniſtas fuiſſe natione Judæos, Hellenos autem ſive Græcos fuiſſe paganos. Vulgatus tamen eſt poſterioribus temporibus Græcorum Bibliorum uſus, adeò ut Hieroſolymis etiam admitteretur, *Actor. 6. verſ. 1.* Quæ afferuntur de legatis Ptolomæi ad ſummum Sacerdotem, & de ſeptuaginta Interpretibus ex ſingulis tribubus collectis, de cellulis, de Demetrio Phaleræo, qui in initio Ptolomæi aſpidis morſu periit, & de aliis, omnia conficta ſunt ab Ægyptiis Judæis, ut ſuæ verſioni autoritatem conciliarent, id quod prolixè demonſtrat Joſephus Scal. *in Euſebium.*

Annus ſabbathicus primus Jobelei Judaici viceſimi quinti, incipit die 10. Septembr. fer. 7. Eſt hebdomas Danielis, Anno Judaico 3493.

Annus Nabonaſſaris 480. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 56. *incipit die 29. Octob. fer. 7.*

BEROSUS, *inquit Plinius lib. 7. cap. 56.* apud Babylonios memoriam rerum geſtarum ad annos quadringentos & octoginta conſervavit; procul dubio autem anni illi fuerunt Nabonaſſarei, qui apud Babylonios uſitati erant. Videtur igitur circa hæc tempora floruiſſe, & poſt novem annos ſuam hiſtoriam dedicaviſſe Antiocho. *Toeo.*

Apollinatium legati Romæ à quibuſdam juvenibus ludibrio habentur & pulſantur, qui propter hoc facinus juſſu populi Apollinatibus deduntur. Epit. Livii.

Hiſce conſulibus Picentes novi hoſtes facti, Romana arma in ſe concitaverunt, quod bellum ſequenti anno geſtum eſt. Eutrop.

ANNO MUNDI 3682. Ante C. N. 266.
A. ☉ 22. ☽ 19.

Annus ab urbe conditâ numeratus 485.

Annus Ptolomæi Philadelphi in Ægypto 17.

Annus Græcorum Judaicus 45. *qui in primo libro Maccab. habetur, incipit die 7. Martii, fer. 3.*

Romæ circa diem 31. Martis Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Sempronius Sophus.
Ap. Claudius Craſſinus,

Annus Dionyſii Mathematici decimus octavus, incipit die 26. Junii, fer. 2.

Annus 63 periodi Calippicæ primæ, incipit die tertio Julii. fer. 2.

Olympias 128. acta die 17. Auguſti. fer. 5. Eſt annus Olympiadicus 509.

Victor Stadii *Seleucus Macedo.*

Sempronius *Conſul contra Picentes movet, cùm directa intra jactum teli utraque acies conſtitiſſet, repentè ita cum horrendo fragore tremuit terra, ut uterque exercitus obſtupeſceret, & attonitus haſitaret. Conſul ædem telluri tum vovit, & hoſtes prælio vincit, ſed valdè cruento.* Flor. & Oroſius. *Picentes igitur in deditionem veniunt hominum numero trecenta & ſexaginta millia, & Conſul de iis triumphat.*

Ariminum & Beneventum *Coloni miſſi, & ſuffragii ferendi jus Sabinis conceſſum.*

Annus Alexandræus quadrageſimus quintus, & Chaldaicus 44. incipit die 31. Aug. fer. 5.

Argentum ſignatum Romæ, cujus denarius valuit denos æris poſt Picentes victos & triumphatos. Livius. *Plinius habet quinto anno ante bellum Punicum.*

ANNO MUNDI 3683. *Ante C. N.* 265.
G. ☉ 23. ☽ 1.

Romæ circa diem 2. Aprilis Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Attilius Regulus.
L. Julius Libo.

Arceſilas Philoſophus moritur, ſuccedit ipſi *Lacydes*, novæ Academiæ princeps. *Diog. Laert. lib. 4.*

Ptolomæus Philadelphus tandem perficit foſſam à Nilo usque ad mare rubrum, quòd fruſtrà olim conati fuerant Pharao Necho & Darius rex Perſarum.

Mamertini bellum gerunt cum Syracuſanis, qui Hieronem jam regem creatum contra eos cum exercitu mittunt; Mamertini, quòd ipſis prædictum eſſet, ſuum Ducem in caſtris regiis cœnaturum, tanquam de victoriâ certi, acriter prælium ineunt, ſed turpiter vincuntur, & dux multis vulneribus confectus capitur, & in caſtra regia deducitur, ubi quidem cœnat, ſed quòd audiret filium etiam ſuum interfectum, vulnera ſua atrociùs dirumpit, & moritur. Potitus etiam Hiero eſſet urbe, niſi fraude Punicâ circumventus abſtinuiſſet. Poſtea tamen & Hiero & Carthaginenſes ſocietate initâ eam occupant. *Diod. Sic.*

Sallentinis *in Apuliâ bellum à Romanis indicitur, eoq. ambo conſules mittuntur, & Sallentini vincuntur, Brundusinique unà cum civitate capiuntur; uterque conſul de iis triumphavit.* Eutrop.

ANNO MUNDI 3684. *Ante C. N.* 264.
F. ☉ 24. ☽ 2.

Romæ circa diem 4. Aprilis Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. D. Junius Pera.
Numerius Fabius Pictor.

Ambo Conſules contra Seſſinates proficiſcuntur, eosque vincunt, & de iis triumphant circa initium menſis Julii. Tab. Cap.

Caparronia *virgo veſtalis inceſti rea, ſuſpendio periit, corruptor ejus conſciique ſervi ſupplicio afficiuntur. Eodem anno ingens etiam peſtis fuit.* Oroſ.

Coſſ. *confecto Saſſinatium bello, contra Sallentinos Meſſapioſque, qui ſubitò, defecerant, mittuntur, qui ſtatim ſub jugum rediguntur, & conſules ambo de iis triumphant, circa initium menſis Novemb. Jul.* Tab. Cap.

Volſinienſes *Hetruſcorum florentiſſimi, dum nimium ſervis ſuis indulgent, & plurimos manu mittunt, à ſervis urbe pelluntur, ſervique dominorum ſuorum patrimonia & conjugia ſibi per ſcelus uſurpant.* Oroſ.

ANNO MUNDI 3685. Ante C.N. 263.

E D. ⊙ 25. ☽ 3.

Roma circa diem 6. Aprilis Juliani, Magiſtratum ineunt:

Q. Fabius *M*aximus Gurges III.

L. *M*amilius Vitulus.

Volniſienſes *à libertis ſuis patriâ pulſi, Romam veniunt, & populi Romani auxilium expoſcunt, id q; impetrant, ſed cùm ſe fortiter liberti & ſervi defenderent, hoc anno non eſt debellatum.* Oroſ.

Quæſtorum numerus hiſce conſulibus auctus eſt. Epit. Livii.

Annus Nabonaſſaris 484. *& annius Philippi, ac mortis Alexandri* 60. *incipit die* 28. *Octobr. fer.* 4.

Obſervatio Mercurii facta anno 21. *Dionyſii Mathematici, die* 23. *menſis Scorpionis, horâ ſextâ matutinâ circiter, anno Nabonaſſaris* 484. *die* 19. *menſis Thot. Eo tempore viſus Mercurius inter ſtellas frontis Scorpii, fuitque in tertio ferè gradu Scorpionis.* Ptolom. lib. 9. cap. 10. *Si ad Calendarium Julianum hoc tempus applicetur, facta eſt obſervatio hoc anno, die* 15. *Novembris, feriâ primâ, horâ ſextâ matutinâ, ad quod tempus, ſi Mercurii locus ad tabulas Aſtronomicas inquiratur, videbitur eum fuiſſe circa initium Scorpii.*

Cenſores *hoc anno fuerunt Cn. Cornelius Blaſio, &* C. Martius *Rutilus Cenſorinus ſecundùm. Conditum eſt luſtrum* 35. *Et Q. Fabius Maximus Gurges lectus eſt princeps Senatus. Cenſa ſunt civium capita* 292224. Tab. Cap.

ANNO MUNDI 3686. Ante C. N. 262.

C. ⊙ 26. ☽ 4.

Annus ab urbe conditâ numeratus 489.

Annus primi belli Punici ſecundus.

Annus Ptolomæi Philadelphi in Ægypto 21.

Annus Græcorum Judaicus 49. *cujus uſus in primo libro Maccabæorum incipit die* 23. *Martii, fer.* 3.

Roma circa diem 8. *Aprilis Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. App. Claudius Caudex.

M. Fulvius Flaccus.

Fabio *conſuli Volſinienſe bellum demandatur, qui tandem urbem expugnat, & exules in patriam occiſis libertis reducit, & de iis triumphat, circa initium Auguſti.*

Annus Dionyſii Mathematici 22. *incipit die* 26. *Junii, fer.* 7.

Annus 67. *primæ periodi Calippicæ, incipit die* 28. *Junii, feriâ* 1.

Hanno *dux Carthaginenſium, &* Hiero *rex Syracuſanorum, ſocietatem ineunt de bello Romanis inferendo, & Mamertinos acriter oppugnant. Cauſam prætendunt, quòd Camarinam & Gelam urbes exciſſent, & Meſſanam per ſcelus occupâſſent: Sed cauſa vera fuit, ut haberent tranſitum in Italiam. Mamertini inter ſe diſſident: Pars ad Carthaginenſes inclinat, pars auxilium à Romanis petendum cenſet, & legatos mittit. Romani in ambiguo hoc caſu dubii diu conſultant, quid eſſet faciendum: Si auxilia mitterent; ne viderentur ſceleratos defendere: Si omitterent; ne hoſtes in Italiam acciperent. Vicit utilitas, hoſtes arcendos & Mamertinos defendendos. Mittitur igitur Conſul Claudius cum exercitu qui per legatos primùm agit, ut & Hiero Carthaginenſes ab oppugnatione diſcedant; ſed Hiero reſpondet, Romanos quod virtuti ſtudeant, & propterea celebres ubique ſint, ſceleratos Mamertinos defendere non debere. Sed cùm Claudius nihilominùs pergeret, & in Siciliam tranſiret, Hiero ſuſpicans Carthaginenſes tranſitum prodidiſſe, lentius agere incipit: Conſul cum Meſſanam veniſſet, prius cum Hierone pugnat, eumque victum Syracuſas redire cogit, tertio inde die cum Carthaginenſibus pugnat, eoſque ſimiliter vincit, prædaturque Syracuſanorum agros, & urbem ipſam obſidione cingit.* Polyb. Diod.

Olympias 129. *acta die* 3. *Auguſti Juliani. Eſt annus Olympiadicus* 513.

Victor Stadii *Philenus Cous.*

Dornadilla Scotorum rex quartus ſuccedit Maino, qui annis 29. regnârat, & imperat annis 28. *Buchananus in Scot.*

Annus Alexandrinus 49. *& Chaldaicus* 48. *incipit die* 16. *Septemb. fer.* 5.

D. Junius Brutus munus gladiatorium in parentis ſui defuncti memoriam primus edidit. Epit. Liv. & Valerius.

ANNO MUNDI 3687. Ante C.N. 261.

B. ⊙ 27. ☽ 5.

Roma circa diem 10. *Aprilis Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. *M*. Valerius *M*aximus.

*M*an. Octacilius Craſſus.

Ap. Claudius præcedentis anni conſul, cùm exercitum hiſce conſulibus tradidiſſet, Romam abit, triumphatque. Eutrop.

Conſules ambo cum quatuor legionibus & ſupplemento in Siciliam tranſeunt, quibus ſe Tauromenitani, Catanenſes, & præterea aliæ civitates plùs quàm ſexaginta dedunt, pleræque omnes ſub imperio Hieronis ſitæ. Inde abeunt, Hieronem Syracuſis oppugnatum, qui à civibus impulſus, legatos de pace ad conſules mittit, quos conſules non inviti admittunt, ne cum Hierone ſimul & cum Carthaginenſibus pugnare cogerentur. Pax convenit in annos 14. *in hæſce conditiones, ut rex Romanos in bello adjuvet,* 140. *drachmarum auri millia Romanis ſolvat, captivos reddat, & contrà à Romanis aliquot civitates, quibus imperet, recipiat. Hiero inde in ſtudio & obſervantiâ Romani nominis, quàm diu vixit, conſtantiſſimè permanſit.* Diod. Polyb.

Carthaginenſes *de pace inter Hieronem & Romanos certiores facti, majoribus copiis rem gerendam ſtatuunt. Ideò Ligures, Gallos, & Hiſpanos mercede conducunt & copias Agrigentum contrahunt.* Diod. Polyb.

Colonia hoc anno deducta Firmum, Caſtrum, *item* Æſernia. *Vellejus.*

Dictatorem hic annus habuit Cn. Fulvium, *Centumalum, clavi figendi cauſâ.* Tab. Cap.

Anti-

Antigonus Macedoniæ rex multiplici bello petitur, & à Ptolomæo Ægypti rege & à Spartanis, & Gallo-Græcis: Gallos primùm adoriri ſtatuit. *Juſtinus.*

ANNO MUNDI 3688. Ante C.N. 260.
A. ☉ 28. ☽ 6.

Valerius *Conſul ex Siciliâ reverſus, circa medium Januarii triumphat de Pœnis & rege Siculorũ Hierone, & à devictâ* Meſſanâ *urbe Meſſala cognominatus, familiæ ſuæ nomen invenit: Propoſuit præterea tabulam, in quâ prælium contra Hieronem & Carthaginenſes depictum erat in latere curiæ Hoſtiliæ.* Plinius.

Obſervatio altera Mercurii facta anno 23. Dionyſii, menſe Aquarii, die ejus 19. Anno vero 486. Nabonaſſaris, die 18. Choeac, cùm Sol eſſet in 18. gradu 10. minut. Aquarii. Conſpectus eſt Mercurius matutino tempore in caudâ Capricorni. In Calendario Juliano accidit hæc obſervatio die 12. Februarii, feriâ primâ, ubi invenitur hoc tempore in gradu 22. Aquarii, ubi tum temporis ſtella caudæ Capricorni fuit. Ptol. lib. 9. cap. 7.

Romæ circa diem 12. Aprilis Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Poſtumius *Megellus.*
Q. *Mamilius* Vitulus.

Obſervatio Mercurii facta anno 24. Dionyſii Mathematici, facta die 4. menſis Tauri, veſperi horâ primâ noctis, Anno Nabonaſſaris 486. primo die menſis Phamenoth, ubi viſus eſt Mercurius veſperi pertranſire cornua Tauri. In Calendario Juliano accidit hæc obſervatio die 26. Aprilis, fer. 4. veſperi. Fuit tum Sol medio motu in gradu 29, 30. minut. Arietis. Mercurius vero in gradu 23 ferè Tauri. Ptol. lib. 9. cap. 7.

Conſules Agrigentum cum univerſo exercitu invadunt, & Carthaginenſes tandem mœnibus includunt meſſis tempore, ſemel tamen Carthaginenſes erumpentes multos Romanorum occidunt, ſed Romani cautiores facti munimentis urbem claudunt, obſidentque menſibus quinque. Inde Hanno Carthaginenſium Dux auxilia magna adducit, & inter alia quinquaginta elephantos caſtraq; in conſpectu Romanorum locat, in quibus duobus menſibus conſidet, poſtea ingenti prælio coeunt, quo Carthaginenſes vincuntur. Sequenti nocte Annibal Agrigento cum exercitu erumpit, & fugit, & Romani urbe potiuntur, & magnâ prædâ. Conſules hi non triumphârunt, unde veriſimile videtur, eos ex diſciplinâ militari non omnino adminiſtraſſe, & præterea etiamſi prælio viciſſent, tamen triginta millia militum amiſerant. Hanno vero Carthaginenſium dux removetur ab exercitu, & mulctatur pecuniâ. Diodorus.

Alia obſervatio Mercurii accidit eodem hoc anno 24. Dionyſ. die 18. Leonis menſis, Anno Nabonaſſaris 486. die 30. menſis Payni, ubi Mercurius conſpectus eſt propè Spicam Virginis veſperi. Sol tum fuit ferè in gradu Leonis. In Calendario Juliano hæc obſervatio facta hoc anno, die viceſimo tertio Auguſti, feriâ quartâ. Ptol. lib. 9. cap. 7.

Aſtacum urbs à Nicomede rege inſtauratur, & *Nicomedia* appellatur. *Euſeb.*

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei Judaici 25. incipit die 23. Sept. fer. 7. Eſt hebdomas Danielis viceſima quarta. Anno Jud. 3500.

Eumenes patruelis Philetæri ſuccedit Philetæro, qui Pergamum in Aſiâ annis 18. obtinuerat, regnatque ibi annis circiter 22. *Scal.*

Antigonus Macedoniæ rex Gallos internecione ferè delet, quâ victoriâ Ptolomæus in Ægypto, & Spartani in Peloponneſo bellum remittunt. Antigonus interea arma in Athenienſes convertit, quibus Ptolomæus quidem auxilia mittit, ſed fruſtra: Athenienſes enim graviſſimâ obſidione fatigati, dedunt ſe Antigono. *Juſtinus.*

ANNO MUNDI 3689. Ante C.N. 259.
GF. ☉ 1. ☽ 7.

Urbes mediterraneæ in Siciliâ omnes ad Romanos deficiunt, ſed maritimæ ad Carthaginenſes: Maritimæ autem multò præſtantiores erant mediterraneis, ideò Romani deteriore conditione bellum gerunt. Quapropter naves quinqueremes centum & quinquaginta, & triremes viginti ædificant, ſumpto exemplo à captâ navi Carthaginenſium, quæ littori impacta à militibus capta fuerat. Polyb.

Romæ circa diem 14. Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Valerius Flaccus.
T. Otacilius Craſſus.

Conſules hi cùm in Siciliam veniſſent, nihil memorabile geſſerunt, ſed tantùm milites & ſocios navales exercuerunt in re nauticâ. Polyb.

Antigonus ex Græciâ in Macedoniam veniens, ut Alexandrum filium Pyrrhi, qui regnum Macedonicum populabatur, ejiceret, deſeritur à militibus, qui ad Alexandrum tranſibant; & ita regnum & exercitum iterum amittit, & fugit, filius & ejus *Demetrius* admodum puer exercitum reparat, regnum recuperat, & Alexandrum non modò fugat, ſed etiam ex Epiro ejicit. *Juſtinus.*

Annus Nabonaſſ. 488. & annus 64. Philippi & mortis Alexandri, incipit die 27. Octob. fer. 1.

Antiochus Soter, cùm annis ferè viginti regnâſſet, moritur: ſuccedit ipſi filius *Antiochus* Theos, qui regnat annis 15. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3690. Ante C.N. 258.
E. ☉ 2. ☽ 8.

Annus à Roma condita numeratus 493.
Annus ſextus primi belli Punici.
Annus Ptolomæi Philadelphi in Ægypto 25.

Annus Græcorum Judaicus 53. in primo Maccabæorum, incipit die 9. Martii, fer. 1.

Romæ circa diem 16. Maji Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cn. Cornelius Scipio Aſina.
C. Duillius Nepos.

Annus Dionyſii Mathematici 26. incipit die 26. Junii, fer. 5.

Annus 71. periodi primæ Calippicæ, incipit die 4. Julii, fer. 6.

Olympias 130. acta die 18. Auguſti, fer. 3. Eſt annus Olympiadicus 517.

Victor Stadii *Philenus Cous* ſecundùm.

Zeno Stoicus ſenex & octogenarius, familiaris hiſce temporibus fuit Antigono regi Macedoniæ. Diog. Laert.

Cornelius Conſul cùm in portu Liparæorum eſſet, cùm 17. navibus ab Hannibale ſeniore evocatus, tanquam in colloquium per fraudem capitur. Polyb.

Annus Alexandræus 53. & Chaldæicus 52. incipit die 2. Septemb. fer. 3.

Alexan-

Alexander Epiri rex, pulſus à Demetrio, confugit ad Arcades, in Peloponneſum, & ab iis, cùm favor ſubditorum in Epiro accederet, in regnum reſtituitur. *Juſtinus.*

Hannibal *Dux Carthaginenſis, capto altero conſule, cum claſſe 150. navium invadit alterum conſulem Duillium, tantùm 50. naves habentem, ſed cùm Carthaginenſes celeritate navium luderent, Romani injiciunt hoſtium navibus ferreas manus, machinaſque alias, & cogunt hoſtem quaſi in terrâ pugnare, vincuntq;, & hoſti quinquaginta naves eripiunt.* Polyb. Florus.

Seditio in caſtris Romanis exoritur inter Romanos & ſocios, de principe loco in acie obtinendo, & ſocii ſeſe à Romanis ſeparant, ſuis auſpiciis pro Romanis pugnaturi, ſed invaduntur ab Amilcare ad Thermas, & vincuntur, occiſis ſex millibus. Diod.

Duillius conſul primus triumphum navalem agit de Siculis, & claſſe Punicâ, menſe intercalari, qui incidit in menſem Novembr. Julian. Tab.Cap.

ANNO MUNDI 3691. Ante C.N. 257.
D. ☉ 3. ☽ 9.

Romæ circa diem 18. Aprilis Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cornelius Scipio.
Q. Aquilius Florus.

Ptolomæus Philadelphus longo & difficili bello circa hæc tempora cum Antiocho Syriæ Rege congreditur. Reconciliantur tandem affinitate contractâ, cùm Antiochus Berenicen Ptolomæi filiam uxorem duceret. *Iuſtin.*

Achæi cum ſociis Rempubl. ſuam jam annos viginti quinque ita rexerant, ut ſcribam communem haberent, & prætores duos. Hoc anno placuit unicum tantùm habere, & eum honorem primus libavit *Marcus Carynenſis. Polyb. l. 2.*

Hannibal *victus claſſe, ſuperiore anno, Carthaginem revertitur: Inde in Sardiniam mittitur. Scipio conſul ſecutus hoſtem, bellum ex Siciliâ in Corſicam transfert, ubi Hannibalis claſſem ferè totam circumvenit, & perdit, quâ clade Carthaginenſes irritati eum cruci affigunt, & Hannonem in ejus locum ſurrogant: qui & ipſe à Scipione victus ſeſe hoſtibus immiſcet, & trucidatur, ne cladi ſupereſſet cum periculo.* Eutrop. Oroſ. *Scipio præterea* Caralem *urbem capit, & Sardos in deditionem accipit, deque iiſdem triumphat, circa menſem Novemb.* Tab.Cap.

Tria *millia ſervorum, & quatuor millia ſociorum navalium in urbis Romæ excidium conjurant, & niſi detecta fuiſſet conjuratio, cùm urbs præſidiis deſtituta eſſet, ſervili manu periiſſet.* Oroſ.

ANNO MUNDI 3692. Ante C.N. 256.
C. ☉ 4. ☽ 10.

Romæ circa diem 20. Aprilis Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. A. Atilius Calatinus.
Q. Sulpitius *Paterculus.*

C. Aquilius ſuperioris anni conſul, de Pœnis victis triumphat, circa menſem Auguſtum: ſtatim ſequenti die, ut tabulæ Capitolinæ habent, alter conſul A. Atilius Calatinus ex maximis & munitiſſimis civitatibus Ennâ, Drepano, Camerinâ, Lilybæo, Carthaginenſium præſidia dejicit & Panormum capit. Cùm verò Tyndaridem applicuiſſet, videt claſſem Carthaginenſem prætemavigantem; ideò ſtatim ſumptis decem navibus, illis occurrit, jubetque reliquas ſtatim ſequi; ipſe interim à Carthaginenſibus cingitur, & novem naves perdit, ſuam prætoriam magno conamine tantùm ſervat, donec reliquæ naves adveniſſent, quæ viciſſim decem naves Carthaginenſium capiunt, & octo ſupprimunt. Inde cùm conſul audiviſſet, Camarinam ab hoſtibus obſideri, non explorato itinere eò pergit, & in anguſtiis à Carthaginenſibus clauditur. Ibi M. Calpurnius *aſſumptis trecentis militibus, eruptione facta ſuperiorem quendam locum occupat, hoſteſque in ſe convertit, à quibus cum omnibus ſuis trucidatur. Conſul cum exercitu ita liberatus, dum hoſce tàm benè meritos de ſe ſepeliri curat, Calpurnium vivit adhuc paululum reſpirantem. Magnâ igitur cum curâ eum in vitam revocat.* Oroſ. Aurelius.

Cenſores *hoc anno fuerunt C. Duillius & Cornelius Scipio Aſina, qui principem Senatus ſecundùm legerunt Q. Fabium Gurgitem, & luſtrum condiderunt* 36. Tab.Cap.

ANNO MUNDI 3693. Ante C.N. 255.
BA. ☉ 5. ☽ 11.

Romæ circa diem 22. Aprilis Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Atilius Regulus.
Cn. Cornelius Blaſio II.

Cùm conſules ad bellum gerendum in Siciliam ſtatim proficiſcerentur, feriarum latinarum causâ dicitur Dictator, Q. Ogulinus *Gallus.* Tab.Cap.

Obſervatio Mercurii facta anno viceſimo octavo Dionyſii Mathematici, die ſeptimo menſis Geminorum: anno 491. Nabonaſſaris, die ſexto Pharmuthi menſis, ubi viſus eſt Mercurius veſperi in gradu 29. geminorum propè caput auſtrale Geminorum. Accidit hæc obſervatio ad Calendarium Julianum die 29. Maji, fer. 2. horis 10. poſt meridiem, & Mercurius ▪ in loco invenitur ad Tabulas Aſtronomicas.

Conſules in Siciliâ multas urbes capiunt, & inter cæteras etiam Liparam, inter cives autem de Timaſithei, qui ante annos 137. amicitiam cum Romanis junxerat, cùm legatos Romanos Delphos deduxiſſet & reduxiſſet, poſteris inquirunt, eoſque inventos de tributis immunes eſſe jubent. Diod. Sic. lib. 13.

C. Sulpitius Paterculus ſuperioris anni conſul, de Pœnis & Sardis circa menſem Auguſtum triumphat.

Eraſiſtratus medicus floret. *Euſeb.*

Annus Nabonaſſaris 492. & annus Philippi ac mortis Alexandri 68. incipit die 26. Maji, fer. 5.

A. Atilius Calatinus ex Siciliâ de Pœnis triumphat circa menſem Decembrem. Sic etiam C. Atilius *Regulus hujus anni conſul triumphum navalem agit.* Tab.Cap.

ANNO MUNDI 3694. Ante C.N. 254.
G. ☉ 6. ☽ 12.

Annus à Româ conditâ numeratus 496.
Belli Punici primi annus decimus.
Annus Ptolomæi Philadelphi in Ægypto 29.
Annus Græcorum Judaicus 57. in 1. Maccab. incipit die 24. Martii, fer. 7.

Romæ circa diem 24. Aprilis Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Manlius Vulſo Longus.
Q. Cæditius.

In apparatu belli moritur Q. Cæditius conſul. Igitur in ejus locum ſufficitur.

M. Ati-

M. Atilius Regulus II.

Annus Dionyſii Mathematici 30. init die 26. Junii, fer. 3.

Annus 75. primæ periodi Calippicæ, incipit die 20. Julii, feriâ ſextâ.

Olympias 131. acta die 4. Auguſti, fer. 7. Eſt annus Olympiadicus 521.

Victor Stadii Ammonius Alexandrinus.

Fœmina à maritimâ Macedoniæ orâ *Beliſtiche* in hac Olympiade bigarum palmam tulit. *Pauſan. in Eliac.*

Coſſ. Romani è Siciliæ portu trajecturi in Africam ſolvunt cum trecentis & triginta navibus. Carthaginenſes hoc iter impedituri, obviam Romanis progrediuntur, cum trecentis quinquaginta navibus, & acerrimo prælio, triplici acie, congrediuntur; milites habuerunt Romani 140. millia, Carthaginenſes 150. millia, vincunt tandem Romani, capiuntq; ex Carthaginenſium claſſe naves 63. demergunt 30. ipſi amittunt naves 24. inde ſumpto commeatu, & reparatis navibus in Africam vela faciunt, & Clupeam urbem obſident, quâ occupatâ præſidium imponunt, & conſulum alter Manlius claſſem ex Africâ reducit, cum viginti ſeptem millibus captivorum, & agit navalem triumphum. Polyb. lib. 1.

Annus Alexandræus 57. & Chaldaicus 65. incipit die 17. Septemb. fer. 2.

Regulus *in Africâ perſecutus victoriam, tres duces Carthaginenſium vincit, millia hoſtium 18. occidit, quinque capit, & 18. elephantos, & in fidem accipit civitates 74.* Diod. Sicul.

ANNO MUNDI 3695. Ante C. N. 253.

F. ☉ 7. ☽ 13.

Regulus *vaſtatis agris Carthaginenſium, eos acie vincit, & Tunetum expugnat, accedunt præterea alii hoſtes Carthaginenſibus, Numidæ videlicet, qui ipſis plus damni inferunt, quàm Romani; inde Regulus ad Pragradam amnem caſtra habens, ſerpentem inuſitatæ magnitudinis, qui aquatores pleroſque necarat, catapultis expugnat, cujus exuviæ centum viginti pedum longitudine, in publico usq; ad Numantinum bellum per annos 120. pependerunt.* Gellius lib. 16.

Romæ circa diem 24. Aprilis Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Ser. Fulvius Nobilior.

M. Aimilius Paulus.

Cùm ſucceſſor Regulo non mitteretur, conqueritur de hac re apud Senatum, additâ inter alias etiam hac cauſâ, quòd agellus ſuus à mercenariis devaſtaretur: ſed Senatus, abſente eo, conjugi & liberis ob paupertatem, ſumptus dedit. Aurel. Victor.

Regulus *tantis victoriis elatus, ne alius quiſpiam patrati belli gloriam haberet, pacem Carthaginenſibus offert, quam lubenti animo recepiſſent, niſi duriores conditiones propoſuiſſet. Cùm igitur eodem tempore* Xanthippus *Carthaginenſibus auxilio veniſſet, Ducem eum ſuis copiis præficiunt, & Romanorum triginta millia in acie occidunt, quindecim millia cum ipſo* Regulo *capiunt. Inde Carthaginenſes Clupeam ad reliquias cladis trucidandas obſident, ſed re infectâ diſcedunt, & cùm audiſſent, Romanos claſſe novâ in Africam trajicere, iis obviam eunt.* Polyb.

Xanthippus *interea domum receſſerat, non ſatis benignè habitus à Carthaginenſibus poſt victoriam.*

Annus ſabbathicus tertius Jobelei Judaici 52. incipit die 6. Sept. fer. 3. Eſt hebdomas viceſima quinta Danielis, Anno Jud. 3507.

Judæorum pontificatum poſt Eleazarum ſuſcipit Avunculus Manaſſes, *Euſeb.*

ANNO MUNDI 3696. Ante C. N. 252.

E. ☉ 7. ☽ 14.

Romani de ſuâ clade in Africâ certiores facti, bellum magnâ vi reparant, & proficiſcuntur ſtatim finitâ hyeme in Africam, primum tamen pugnant, cùm Pœnis, & naves eorundem centum quatuordecim capiunt; Inde in Africam pergunt, ubi totam Africam ſubegiſſent, niſi inopiâ commeatuum exercitus conflictatus fuiſſet. Igitur in Siciliam redeunt, paulò poſt ſolſtitium, cùm Orionis ortus vix exſaviiſſet, & caniculæ ortus inſtaret, & naufragium faciunt, & ex navibus 364. vix ſalvas conſervant octoginta. Hiero naufragos benignè fovit, & Meſſanam eos deduxit. Polyb. Diod.

Poſt hanc cladem Carthalo Carthaginenſium Dux Agrigentum capit, incendit, & muros dejicit. Diodor.

Romæ circa diem 28. Aprilis Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cn. Cornelius Scipio Aſina II.

A. Atilius Calatinus II.

Carthaginenſes clade claſſis Romanæ auditâ, claſſem iterum inſtruunt, & terrâ marique Romanos perſequuntur. Proconſules contrà trimeſtri ſpatio novam claſſem ducentarum navium perficiunt, eamque tradunt novis conſulibus, ipſi Romam diſcedunt & triumphant triumpho navali de Coſſurenſibus inſulanis prope Africam & de Pœnis, circa finem Decembr. Tab. Cap. Diod.

Novi conſules claſſem efficiunt trecentarum navium & Cephalœdium proditione capiunt, ſed à Drepano diſcedunt, quod Carthalo ibi eſſet. Panormum tamen vi capiunt & ditioribus civibus pro libertate vicenas minas in caput imponunt, reliquos ſub haſtâ vendunt. Diod.

ANNO MUNDI 3697. Ante N. C. 251.

DC. ☉ 9. ☽ 15.

Romæ circa diem 30. Aprilis Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cn. Servilius Cæpio.

C. Sempronius Blæſus.

Conſules hi cum claſſe iterum in Siciliam trajiciunt, & in Africam proficiſcuntur, ubi Pœnos aliquot præliis concidunt, urbes quaſdam expugnant, & naves onerarias centum quinquaginta prædâ complent, ſed redeuntes in Siciliam in ſyrtes ferè delabuntur: cùm ulterius in Italiam tenderent, naufragium faciunt. Ingens ibi accepta clades cùm opulentiſſimâ præda, adverſis acta ventis naufragio ſuo omnem Africam & ſyrtes impleret: Triumphavit tamen & hoc modo populus Romanus, cùm præda omnibus promontoriis inſulisque alliſa ita fluitaret. Attamen populus Romanus tantis, maritimis cladibus affectus, abſtinendum ſibi à mari putavit, tantùm ſexaginta naves retinuit, ad tutanda littora Italiæ. Polyb. Flor.

Annus Nabonaſſaris 466. & annus Philippi & mortis Alexandri 72. incipit die 25. Octobr. fer. 2.

Philopœmen celebris Achæorum Dux naſcitur. *Polyb.*

Blæſus *conſul circa finem Decemb. de Pœnis triumphat.* Tab. Cap.

Cenſores hoc anno Romæ creati, & cùm alter moratum obiret, D. Junius Pera ſe abdicat. Tab. Cap.

ANNO

ANNO MUNDI 3698. Ante C. N. 250.
B. ☉ 10. ☽ 16.

Annus à Roma conditâ numeratus 501.

Belli Punici hujus 14.

Annus Ptolomæi Philadelphi in Ægypto 33.

Annus Græcorum Judaicus 61. *in primo Maccabæorum, incipit die* 10. *Martii, fer.* 5.

Romæ circa diem 2. *Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Aurelius Cotta.
P. Servilius Geminus.

Annus Dionyſ. Mathematici 34. *incipit die* 26. *Junii, fer.* 4.

Annus tertius periodi ſecundæ Calippicæ, incipit die 6. *Julii, fer.* 4.

Olympias 132. *acta die* 20. *Auguſti, fer.* 3. *Eſt annus Olympiadicus* 525.

Stadii Victor *fuit Xenophanes* Ætolus.

Cotta *conſul in Siciliam transgreſſus, plurimis prœliis adverſus Pœnos & Siculos terrâ mariq; feliciter pugnat, & per totam Siciliam partim hoſtium, partim etiam ſociorum inhumanas ſtrages reliquit.* Oroſ. lib. 4. cap. 7. *Triumphavit Cotta de Pœnis & Siculis menſe Januario ſequente.*

Annus Alexandreus 61. *& Chaldaicus* 60. *incipit die* 3. *Sept. fer.* 7.

Cenſores habuit hic annus Man. Valerium Meſſalam & P. Sempronium Sophum, qui luſtrum condiderunt 37. *& principem Senatus legerunt tertium Q. Fabium Gurgitem.* Tab. Cap.

Moverunt vero ex Senatu, cum eum recenſerent tredecim ſenatores & cenſa ſunt civium capita 297897.

T. Coruncanius etiam primus de plebe Pontifex maximus factus eſt. Epit. Liv.

ANNO MUNDI 3699. Ante C. N. 249.
A. ☉ 11. ☽ 17.

Romæ circa diem 4. *Maji Juliani Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Cæcilius Metellus.
C. Furius Pacilius.

Conſules hi in Siciliam proficiſcuntur cum ſexaginta navibus ad commeatum afferendum. Cùm vero Hanno ibi eſſent cum ingenti grege Elephantorum, à quibus ſibi Romani metuebant, cum Pœnis certare non audent. Hæſerunt ergò ibi in alterum annum in montibus, nec auſi fuerunt ſe æquis locis credere. Polyb.

ANNO MUNDI 3700. Ante C. N. 248.
G. ☉ 12. ☽ 18.

Romæ circa diem 6. *Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Atilius Regulus II.
L. Manlius Vulgo Longus II.

Asdrubal *Carthaginenſis, cùm videret Romanos pavitantes, & alterum proconſulem Furium, in Italiam reverſum, Cæcilium verò Panormi præſidio eſſe meſſoribus, Panormum temerè properat, ubi proconſul magno uſus conſilio, cùm elephantos, quos hoſtis habebat, timeret, eoſdem elephantos ex opportunis locis irritat jaculis & retrorſum fugat. Cùm hoc modo acies Carthaginenſium turbaretur, eam invadit, & eorum viginti millia concidit; centum & viginti elephantos capit, & cùm novi conſules in provinciam veniſſent, ipſe Romam decedit, & ſplendidiſſimo triumpho urbem invectus eſt, circa medium Auguſti menſis Iuliani. Duxit autem in triumpho elephantos,* ut Plinius habet, lib. 8. cap. 142. *& gregem illum elephantorum magis in venatione quadam, quam in bello captum, quis exiſtimare poſſet,* ut loquitur Florus. *Eoſdem elephantos populus Romanus,* ut Vertius habet, *cùm in Circo pugnâſſent, jaculis confecit, quoniam nec alere eos placuit, nec donare regibus.*

Carthaginenſes hac clade iterum fracti, Regulum *Romam mittunt, ut de pace, aut ſi eam non impetraret, de captivis permutandis ageret, jure jurandoque eum adſtringunt, rediturum ſe Carthaginem, ſi commutari captivos non placuiſſet. Utrumque negandi Senatui autor fuit, & cùm fide cuſtoditâ Carthaginem reverſus eſſet, ſupplicio de eo ſumpto periit.* Epit. Liv.

Novi conſules quinquaginta navibus extructis, & reliquis quas antea habebant aſſumptis, Lilybæum pergunt, eo veniunt etiam pedeſtres copiæ & Lilybæum obſident, & acriter oppugnant. Carthaginenſes obſeſſis decem millia militum auxilio mittunt, quod ne impoſterum fieret, Romani portum obſtruunt, ſed cùm ingens tempeſtas oborta eſſet, quæ obſtructionem portus diſſipabat, hoſtes noctu erumpentes, opera Romanorum omnia & machinas cremant, non ſine magnâ clade exercitûs. Supplementum igitur ipſis decem millium Româ mittitur. Polyb.

Parthos Duce Arſace à Syriæ regibus hiſce conſulibus defeciſſe, autor eſt Juſtinus, ſed cùm idem addat, factum eſſe, poſtquam Seleucus à Gallis victus in contemptum veniſſet, quod accidit, cùm Galli paulò poſt ab Attalo, *ut Livius habet,* vincerentur, & verò Attalus novem ab hinc annis tandem patrueli ſuo Eumeni ſucceſſerit, & hoc tempore teſte Euſebio, Antiochenus pater, non Seleucus, filius in Aſiâ regnaverit, differendum videtur initium Arſacis ad decennium ferè, aut multa ſunt in Juſtino emendanda.

ANNO MUNDI 3701. Ante C. N. 247.
F G. ☉ 13. ☽ 19.

Romæ circa diem 8. *Maji Iuliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. P. Claudius Pulcer.
L. Junius Pullus.

Conſul Claudius cum claſſe in Siciliam profectus ad Lilybæum, portum ſimiliter obſtruere conatur, ſed cùm fruſtrà id eſſet, decernere ſtatuit cum Carthaginenſibus, & cum Pulli cibari nollent, mari eos mergere juſſit, atq; ita pugnat, & vincitur magnâ clade, amittit naves 117. *& militum viginti millia, Carthaginenſium nemo occubuit. Inde Carthalo alias naves Romanorum quinquaginta deprimit. Alter conſul Iunius obſidentibus Lilybæum militibus annonam affert, & naves præſidiarias ſexaginta eò mittit. Interim Carthaginenſes claſſem Romanorum ad Lilybæum invadunt, & incendere conantur. Cùm id non ſuccederet, de impediendo ſupplemento quod apportabatur, conſilium ineunt. Claſſis Romana infirmior, ut ſe defenderet, ad littus Siciliæ applicat. Idem accidit etiam conſuli Iunio, cùm eòdem adventaret. Inde cùm tempeſtas oriretur, Pœnus naves ſuas ſubducit. At Romanorum utraq; claſſis planè perit, ut ne tabula quidem integra ſupereſſet. Exercitus tamen eſt ſervatus. Conſul Iunius inde exercitum ad Lilybæum confirmat, Erycem proditione occupat. Voluntaria tamen morte dicitur defunctus, cùm audiſſet Collegam Claudium Romæ damna-*

damnatum, ut damnationis ignominiam effugeret. Polyb. lib. 4.

Claudius, *cùm Romam ex clade rediiſſet, jubetur Dictatorem rei gerendæ causâ dicere: is dixit M. Claudium Gliciam, infimæ conditionis hominem, qui coactus à Senatu ſe abdicavit. Cùm Claudius ita videretur illudere Senatui & populo Romano, damnatus & in exilium ejectus eſt, & Dictator dictus eſt* A. Atilius *Calatinus, qui primus ex Dictatoribus exercitum ex Italiâ eduxit.* Epit. Livii.

Annus Nabonaſſaris 500. *& annus Philippi, ac mortis Alexandri* 76. *incipit die* 24. *Octobr. fer.* 6.

Inter Senatum Romanum & Carthaginenſes convenit tandem de permutandis captivis, ut qua pars plus reciperet, quam daret, argenti pondo bina, & ſemiſlibram in militem præſtaret. Liv. lib. 32.

ANNO MUNDI 3702. Ante C. N. 246.
D. ☉ 14. ☽ 1.

Annus ab urbe condita numeratus 505.

Belli Punici primi 18.

Annus Philadelphi in Ægypto triceſimus ſeptimus.

Annus Græcorum Judaicus 65. *incipit die* 26. *Martii, fer.* 7.

Romæ circa diem 10. *Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Aurelius Cotta II.
P. Servilius Geminus II.

Annus Dionyſii Mathematici 38. *incipit die* 26. *Junii, fer.* 6.

Annus ſeptimus ſecundæ periodi Calippicæ, incipit die 21. *Julii, fer.* 3.

Olympias 133. *acta die* 6. *Auguſti, fer.* 5. *Eſt annus Olympiadicus* 529.

Victor Stadii *Similus Neapolitanus.*

Hannibal *Dux Carthaginenſium ſecundum quoſdam naſcitur. Livius habet poſt biennium.*

Æſulum *& Alſium Colonia hoc anno deducta.* Vellejus.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei Judaici 25. *incipit die* 19. *Septembr. fer.* 7. *Eſt hebdomas Danielis* 26. *Anno Jud.* 3714. *eodem die incipit etiam Annus Alexandrœus* 65. *& Chaldaicus* 64.

Amilcar *Barchinus, Dux Carthaginenſium, & parens Hannibalis, admovetur militaribus operibus, inſtructusq; claſſe Italiam adortus, depopulatur oram maritimam, Locros & Brutiorum fines.* Polyb.

ANNO MUNDI 3703. *Ante C. N.* 245.
C. ☉ 15. ☽ 2.

Romæ circa diem 12. *Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Cæcilius Metellus II.
Num. Fabius Buteo.

Amilcar *regreſſus ex Italiâ in Siciliam, caſtra opportuno loco munit, & plurimum damni Romanis infert, ideò & Romani è regione etiam munire caſtra coguntur, ubi totò triennio multa invicem inferunt & regerunt damna.* Polyb.

Aratus Sicyonius, adoleſcens annorum viginti, patriam Sicyonem à tyrannide Nicoclis liberat, cùm Luna eſſet in primo quadrante. Occidebat enim, cùm iter verſus Sicyonem ingrederetur. Factum quinto die Dæſii ſive Antheſterionis: eſt dies 7. Febr. *Plutarch.* Dæſius tamen aliàs cum Elaphebolione comparari ſolet, & tunc eſſet dies 9. Martii.

Syracides venit in Ægyptum anno 38. tempore Ptolomæi Evergetæ, ut eſt in textu. Quidam annos illos triginta octo intelligunt de annis Ptolomæi Philadelphi. Nam de Evergetis annis accipi non poſſunt, cùm is regnaverit annos tantum 25. Si igitur intelliguntur de Philadelpho, tum hoc anno, qui eſt trigeſimus octavus ejus, Syracides venit in Ægyptum. Si verò trigeſimo octavo anno Dionyſii Mathematici venit in Ægyptum, tum præcedenti anno venit. Si verò 38. annus Jobelei 25. intelligatur, tum adventus ejus in Ægyptum accidit poſt annos decem.

Cenſores *Romæ habentur* A. Atilius *Calatinus & A. Manlius, qui Fabium Gurgitem legerunt principem Senatus quartùm, & luſtrum condiderunt* 38. *in quo cenſa ſunt capita* 251212. Livius & Tab. Cap.

Ptolomæus Philadelphus in Ægypto moritur, cùm annos 38. regnâſſet, ſuccedit ipſi filius Ptolomæus Evergetes, cujus annus primus eſt quingenteſimus ſecundus Nabonaſſaris apud Ptolomæum, regnatq; annos 25. *Ptol. in Can.*

ANNO MUNDI 3704. *Ante C. N.* 244.
B. ☉ 16. ☽ 3.

Claudia *ſoror Claudii, qui contemptis auſpiciis male pugnaverat, cùm a ludis diverteret, & a turbâ premeretur: Utinam, dixit, frater meus viveret, & iterum claſſem duceret: ob quod verbum à Senatu mulctata eſt, viginti quinque millibus gravis æris.* Epit. Livii.

Romæ circa diem 24. *Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. *Man.* Octacilius Craſſus.
M. Fabius Licinus.

Mortuo rege Syriæ *Antiocho*, qui quindecim annis regnaverat, *Seleucus* filius ſuccedit, qui hortante matre novercam Beronicen, Ptolomæi Evergetis ſororem, cum parvulis liberis occîdit, quo ſcelere & infamiæ maculam ſubiit, & Ptolomæi bello ſe implicuit. *Juſtinus.*

Fregellæ Colonia deducta hoc anno, *Vellejus lib.* 1. Proculdubio tantùm fuit aucta, cùm antea deducta eſſet.

ANNO MUNDI 3705. Ante C. N. 243.
AG. ☉ 17. ☽ 4.

Romæ circa diem 26. *Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. *M.* Fabius Buteo.
C. Atilius Bulbus.

M. Fabio *Buteone conſule, populus Romanus claſſem hoſtium in Africo mari apud Ægymurum jam in Italiam navigantem cecidit, ſed ingens iterum clades mari accepta, tempeſtate oriente. Opulentiſſima enim præda ex Africâ captâ, adverſis acta ventis, naufragio ſuo omnem Africam & Syrtes implevit.* Florus lib. 2.

Urbes Aſiæ ſcelere Seleuci irritatæ deficiunt, & Ptolomæo Evergeti ſe dedunt, qui niſi domeſticâ ſeditione in Ægyptum revocatus eſſet, totum Seleuci regnum occupâſſet: tantum Seleuco odium parricidiale ſcelus attulerat. Spoliatâ igitur Syriâ in regnum redit. *Juſtin. lib.* 27. *Daniel. cap. XI.*

Annus Nabonaſſaris 504. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 80. *incipit die* 23. *Octob. fer.* 3.

Obſervatio Mercurii annotatur apud Ptolomæum, anno Chaldaico 67. die 6. Appellei menſis, ſive anno Nabonaſſ. 504. die 28. Thot primi menſis, mane ante orientem Solem facta. Ubi Mercurius viſus eſt apud ſtellas frontis Scorpionis, ſive in gradu 2,20. Scorpionis. Accidit hæc obſervatio in Calendario Juliano hoc anno, die 19. Novembr. feriâ ſecundâ, mane horâ 6. ubi ad tabulas Aſtronomicas Mercurius eo in loco invenitur. *Ptolom. lib. 9. cap. 7.*

ANNO MUNDI 3706. Ante C.N. 242.
F. ☉ 18. ☽ 5.

Annus ab urbe conditâ numeratus 509.
Belli Punici primi annus 22.
Annus Ptolomæi Evergetis in Ægypto 3.
Annus Græcorum Judaicus 69. *incipit die* 12. *Martii, fer.* 3.

Antequam conſules magiſtratum ineunt, ex libris Sibyllinis inſtituta ſunt Floralia, die 28. *Aprilis celebranda.* Vellej.

Romæ circa diem 18. *Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. A. Man. Torquatus Atticus.
C. Sempronius Blæſus II.

Annus Dionyſii Mathematici 42. *incipit die* 26. *Junii, fer.* 4.

Annus 11. *ſecundæ periodi Calippicæ, incipit die* 30. *Julii, fer.* 1.

Olympias 134. *acta die* 23. *Auguſti, fer.* 3. *Eſt annus Olympiadicus* 533.

Victor Stadii *Alcidas* Lacedæmonius. *Afric.*

Seleucus, rex Aſiæ, poſt diſceſſum Ptolomæi, ut ſub ditionem ſuam redigeret civitates, quæ cum Ptolomæo ſenſerant, quæque ut plurimum maritimæ erant, ingentem comparat claſſem, quæ tamen coortâ tempeſtate in univerſum naufragio petit, ita ut Seleuco nihil relinqueretur, præter nudum corpus, & paucos naufragii comites. *Juſtinus.*

Brundiſium Colonia deducta. *Vellejus lib.* 1.

Annus Alexandræus 69. *& Chaldaicus* 68. *incipit die* 5. *Septemb. fer.* 5.

ANNO MUNDI 3707. Ante C.N. 241.
E. ☉ 19. ☽ 6.

Achæi, qui Prætorem novum creare ſolent circa ortum Pleiadum, paucis diebus ante æquinoctium vernum *Aratum* Sicyonium prætorem creant, qui per proditionem Acrocorintho potitur, quod *Antigonus* Macedoniæ rex in poteſtate hactenus habuerat, & Corinthum Reipubl. Achæorum adjungit, factum anno ante pugnam ad Ægates Inſulas. *Polyb. lib.* 2.

Romæ circa diem 20. *Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Fundanius Fundulus.
C. Sulpitius Gallus.

Seleucus in tantas anguſtias naufragio redactus, quod vi efficere non poterat, ut civitates regni, quæ defecerant, ſub imperium redirent, miſericordiâ, cùm legatos eò mitteret, & de infortunio ſuo conquereretur, id conſequitur. Civitates enim, ut quæ putarent eum diis arbitris parricidii ſat pœnarum dediſſe, ſpontè ſe imperio ejus reſtituerunt. *Juſtinus.*

Romæ circa diem 22. *Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Lutatius Catulus.
A. Poſtumius Albinus.

Romanus populus, cùm videret bello huic Punico finem imponi non poſſe, niſi claſſe Carthaginenſibus præſtaret, de eâ inſtruendâ pecuniam confert, cùm pecuniâ publicâ deſtituerentur; & cives primarii ſinguli quinqueremes ædificarunt numero ducentas, & huic claſſi, cùm jam perfecta eſſet, ambos conſules præficere conantur. At vero cùm Poſtumius Albinus flamen Martialis eſſet, & ad bellum gerendum proficiſci conaretur, Cæcilius Metellus Pontifex maximus eum in urbe tenuit, nec paſſus eſt eum ab urbe recedere: ut igitur alter conſul Collegam in bello haberet, Alter adhuc Prætor creatus eſt, Q. Valerius Falto, qui alteram claſſem in Siciliam duceret, ubi ſtatim portum ad Drepana occupat, urbem obſidet & oppugnat. Polyb.

Baſan Francorum rex, cùm propè Moguntiam caſtra haberet, regem Thabor, qui in vicinis locis imperabat, interficit, in cujus memoriam caſtrum ibi Monthabur ædificavit. *Trith.*

ANNO MUNDI 3709. Ante C.N. 239.
C B. ☉ 21. ☽ 8.

Lutatius *Conſul, cùm audiret, Hannonem Carthaginenſem cum claſſe adventare, etſi tempeſtas erat, tamen obviam iſti proficiſcitur, pugnat, & deprimit naves* 50. *capit cum viris* 70. *captorum erant decem millia militum. Hac clade fracti Carthaginenſes Amilcari permittunt, ut ageret, quæ è Republ. eſſe cenſeret. Proinde pax facta, ut Carthaginenſes in univerſum Siciliâ excederent, & pecuniam certam mulctæ nomine ſolverent. Sed hanc pacem populus Romanus repudiavit; alia igitur de novo inita, quâ Carthaginenſes omnibus inſulis cedere coacti ſunt, & majorem pecuniæ ſummam ſolvere: duravit bellum annos* 24. *in quo Romani longè majoribus damnis affecti fuerunt, perierunt enim ipſis quinqueremes ſeptingentæ, præter eas, quæ diverſis naufragiis abſumpta ſunt, cùm Carthaginenſes vix quingentas amitterent, nullas ferè naufragio. Unde conſtat, Romanos non fortunâ, ſed virtute viciſſe.* Polyb.

Romæ circa diem 24. *Maji Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. A. Manlius Torquatus,
Q. Lutatius Cerco.

Spoletum Colonia deducta his conſulibus. Vellejus.

Lacydes Philoſophus novæ Academiæ princeps, Arceſilai ſucceſſor, moritur anno 4. Olymp. 134. cùm ſcholæ præfuiſſet annis 26. *Diog. Laert.*

Menſe Auguſto bini triumphi navales ducti, prior triumphat C. Lutatius *proconſul de Pœnis: poſtea Q. Valerius Falto proprætor, de iiſdem Pœnis.*

Annus ſabbathicus quintus Jobeles Judaici 25. *incipit die* 1. *Septembr. fer.* 5. *Eſt hebdomas Danielis* 27. *Anno Judaico* 3521.

Obſervatio Planetæ ovis Jaccidit anno Dionyſii 45. *die decimo Virginis menſis: ſive anno Philippi & mortis Alexandri* 83. *die* 18. *menſis Epiphi, quando viſus eſt Jupiter cooperire Aſellum meridianam ſtellam, quæ tum fuit in gradu* 7,33. *cancri, factumq; matutino tempore, paulo ante exortum Solis. Calendario Juliano accidit hæc obſervatio hoc anno die* 4. *Septemb.* mane

mane horâ 5. quo tempore ad tabulas Aſtronomicas, Jupiter in 7. gradu & 33. min. Virginis invenitur. Ptol. lib. XI. cap. 3.

Attalus, filius Attali, fratris Philetæri, ſuccedit patrueli ſuo Eumeni, qui annis 21. Pergamum obtinuerat, regnatq; annis 44. Divitiis enim ſuis ita uſus eſt, ut non indignus videretur regno, & regium nomen tum demum aſſumpſit, cum Gallos prælio viciſſet. *Liv. lib.* 43.

Seleucus rex Aſiæ, favore civitatum fretus, Ptolomæo Evergeti bellum facit, & claſſem adornat, ſed magnâ pugnâ vincitur, fugitque Antiochiam: utque ſe defenderet, Antiochum fratrem adoleſcentulum in auxilium evocat, cui offert Aſiam intra Taurum montem. Ptolomæus ne cum duobus ſimul pugnare cogatur, cum Seleuco pacem facit. *Juſtinus.*

Diverſa ignium aquarumq; clades ferè Romam abſumpſerunt. Aquarum graviſſimam cladem, quibus omnes vici ferè inundaverunt, gravior ignis vaſtatio ſecuta eſt, qui cùm omnia in circuitu fori popularetur, temporarius ignis æternum Veſtæ *oppreſſit. Metellus Pontifex dum arſuros Deos eripit, brachio ſemiuſto vix fugit, & raptum Palladium incolume ſervavit.* Epit. Liv. Flor.

Cenſores *hoc anno fuerunt C. Aurelius Cotta. Num. Fabius Buteo, qui luſtrum condiderunt 39. & principem Senatus legerunt C. Duillium: duas præterea Tribus reliquis adjecerunt, Velina & Eſquilinam.* Tab. Cap. Liv.

Mercenarii milites Carthaginenſium ex Siciliâ in Africam reportati, ſtipendia ſua, & jacturam equorum, & alia in bello detrimenta à Carthaginenſibus exigunt, quæ cùm ob inopiam ærarii perſolvi non poſſent, deficiunt à Carthaginenſibus, & totam Africam quòd ei durius imperatum fuiſſet, ad defectionem concitant, & in ſuas partes trahunt, Ducibus creatis Mathone & Spendio. *Polyb. lib.* 1.

Annus Nabonaſſaris 508. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 84. *incipit die* 22. *Octob. fer.* 7.

Faliſci *in Italiâ Romanis rebellant, contra quos ambo conſules mittuntur, a quibus in anguſtias coacti ſeſe ſexto die dedunt, & conſules ambo menſe Januario Juliano ſequente triumphant.* Epit. Liv.

ANNO MUNDI 3710. *Ante C. N.* 238.
A. ⊙ 22. ☽ 9.

Annus à Roma conditâ numeratus 513.

Annus Ptolomæi Evergetis in Ægypto 7.

Annus Græcorum Judaicus 73. *incipit die* 28. *Martii, fer.* 3.

Romæ circa diem 26. *Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Claudius Centho.
M. Sempronius Tuditanus.

Hiſce Coſſ. Livius tragœdiarum ſcriptor primam fabulam exhibuit, poſt Sophoclis & Euripidis mortem annis amplius centum & ſexaginta, poſt Menandri mortem annis quinquaginta duobus, ut Gellius habet.

H A N N O Dux Carthaginenſium, cùm mercenarii Uticam obſiderent, exercitu & elephantis egregiè inſtructus, obſidionem illam ſolvit. & mercenarios fugat, ſed victoriam non perſecutus, dum in urbe voluptatibus indulget, à mercenariis ex fugâ collectis, iterum caſtris, & commeatu, & elephantis & omni apparatu bellico exuitur. *Polyb.*

Annus Dionyſii Mathematici 46. *incipit die* 26. *Junii, fer.* 2.

Annus decimus quintus, ſecunda periodi Calippica, incipit die 23 *Julii, fer.* 1.

Olympias 135. *acta die* 7. *Auguſti, fer. Eſt annus Olympiadicus* 537.

Victor Stadii fuit *Eraton Ætolus.*

H A N N O Dux Carthaginenſis iterum mercenarios ad oppidum *Gorzam* bis invadit, & proſperè pugnat, ſed dum victoriam non perſequitur, parum Reipubl. prodeſt: quapropter Amilcar iterum exercitibus præficitur. Præſidium Sardiniæ Inſulæ ab *Amilcare* impoſitum, à Carthaginenſibus deficit, & Boſtarem præfectum omneſque Carthaginenſes trucidat, inſulamque ſibi ſubjicit, ſed diſſenſione inter Sardos & inter mercenarios, qui in præſidio erant, orta, mercenarii inſulâ expelluntur, qui in Africam abire non auſi, in Italiam proficiſcuntur. *Polyb.*

A R A T U S Achæorum prætor, Ætolis bellum infert, & Spartanorum regem Agidem evocat in auxilium. Agis rex Ætolos in Peloponneſum admittendos negat. Aratus contrà affirmat, non temerè eſſe pugnandum, & Ætolos admittit, admiſſos autem, cùm Pellenem occupâſſet, vincit & Peloponneſo iterùm ejicit. Bellum hoc geſtum Antigono Gonatâ adhuc vivente. Paulò pòſt cùm *Agis* Lacedæmonem rediiſſet, *Ageſilaus* Ephorus Spartæ ſeditionem movet, Leonidem regem nuper à regno remotum, & Tegeæ exulantem revocat, qui *Agidem* regem capit, & per Ephoros eundem unâ cum matre & aviâ ſuſpendio necat. *Plutarchus.*

Annus Alexandreus 73. *& Chaldaicus* 72. *incipit die* 21. *Sept. fer.* 5.

ANNO MUNDI 3711. *Ante C. N.* 237.
G. ⊙ 23. ☽ 10.

Amilcar in Africâ aſtu Marcam fluvium, quem mercenarii munierant, tranſit. & cum eis in patenti campo congreſſus, vincit, occiſis ſex millibus, perſequiturq; fugientes quoſdam ad Uticam uſque, quoſdam ad Tunetum. *Polyb.*

Romæ circa diem 28. *Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. C. Mamilius Turrinus.
Q. Valerius Falto.

Hiſce Coſſ. natus eſt Ennius Poeta, ut Varro habet apud Gellium.

qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam, ut

Lucretius canit. *Natus autem eſt Rudiis.* Silius Ital. de Ennio:

Miſerunt Calabri, Rudiæ genuère vetuſtæ.

Anno ætatis 34. *traducitur Romam a Quæſtore, Catone.* Cic.

Valentia *Colonia deducta eſt etiam hiſce Coſſ.* Vellejus.

Antigonus Demetrii filius, rex Macedoniæ, cùm eam annis ferè 40. variâ fortunâ obtinuiſſet, circa hunc annum moritur. Demetrius enim filius, qui ipſi ſucceſſit, decem tantum annos ab omnibus regnâſſe ſcribitur. Mortuum autem eum affirmat *Polyb. lib.* 2. eo tempore, cùm Romani in Illyricum moverent, id quod factum eſt poſt annos decem.

Antiochus frater Seleuci regis, Aſiæ iratus, quòd frater ſe inſcio cum Ptolomæo pacem feciſſet, fratri bellum infert, aſſcitiſque Gallis magno prælio eum vincit. *Juſtin.*

Mercenarii in Africâ iterum in locis tutis ſeſe munientes, cùm Amilcarem commeatu prohiberent, res Carthaginenſium in anguſtias deveniunt. Sed Amilcar largis promiſſionibus Numidas ad tranſitionem invitat, & obtinet, quorum auxilio fretus decem millia ex hoſtibus occidit. Mercenarii verò, cùm viderent Amilcaris benignitate multos ad transfugiendum paratos, inſtigant milites, ne ipſi parcere velint Carthaginenſibus, & ſtatim Carthaginenſium ſeptingentos, nobiliſſimos viros, manibus truncant, crura ipſis confringunt, & ſpirantes adhuc in foveam projiciunt, nec legatum ullum admittere volunt. *Polyb.*

Romani, cùm Carthaginenſes tam atroci bello conflictarentur, prohibent, ne Mercenariis aut Afris quippiam ex Italiâ aut Siciliâ mittatur, Carthaginenſibus autem, ut & Hiero fecit, commeatum advehunt, & Uticenſes, qui relictis Carthaginenſibus ad ſe deditionem facere conabantur, repudiant. Polyb.

ANNO MUNDI 3712. Ante C. N. 236.
F. ☉ 24. ☽ 11.

Matho & Spendius mercenariorum duces Carthaginem obſident, ſed Amilcar eos viciſſim omni commeatu prohibet: quapropter obſidio ſolvitur. Amilcar verò ipſis inſiſtens, damna quantum poteſt ipſis infert, captos feris objicit, & in valle deprehenſos obſidet, & eò cogit, ut fame coacti primùm captivos, deinde etiam ſervos devorarent; quapropter duces ſeſe dedunt inſciis reliquis militibus, qui ducibus deſtituti trucidantur, numero ad quadraginta millia. Inde Africas urbes recipit, & Tunetum, ubi Matho alter Dux erat, obſidet. *Polyb. lib. 1.*

Romæ circa diem 30. Maji Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. T. Sempronius Grachus.
P. Valerius Falto.

Romani à Mercenariis, qui ex Sardiniâ ejecti fuerant, & in Italiam delati, invitantur ad Sardiniam occupandam, cùm ex fœdere Carthaginenſes eam habere non poſſent. Non negligunt eam rem Romani, & inſulam occupant. Carthaginenſes contrà contendunt, inſulam hanc ſuam eſſe, ob id diſſidium oritur, & Romani indicunt Carthaginenſibus bellum. Sed Carthaginenſes bellis exhauſti, Romanis cedunt, & inſuper mulctam ſolvunt. Polyb.

Matho plurimis damnis eruptione ex Tuneto Amilcarem afficit, quapropter Amilcar Spendium & alios duces mercenariorum in crucem agit. Matho in omnem occaſionem intentus, in Hannibalis alterius Carthaginenſium ducis caſtra impetum facit, ipſum ducem cum multis nobilibus capit, & cruci viciſſim affligit, & reliquos trucidat: tandem Amilcar, ſupplemento accepto, Mathonem prælio vincit, & capit cum multis aliis, & civitates recipit, atq; ita hoc crudeliſſimum bellum finitum eſt, cùm duràſſet annos tres, menſes quatuor. *Polyb. lib. 1.*

Cùm Galli victo *Seleuco* arma in ipſum Antiochum verterent, & totam Aſiam vaſtarent, Attalus occaſionem occupandæ Aſiæ captans, Gallos fugat, juſtoq; prælio devincit: Inde Antiochum perſequitur, multaſq; urbes Aſiæ capit & ſibi ſubjicit, regiſq; titulum aſſumit. *Juſtinus.*

ANNO MUNDI 3713. Ante C. N. 235.
E D. ☉ 25. ☽ 12.

Hamilcar, Carthaginenſium Dux, perfecto Africo bello in Hiſpaniam exercitum traducturus, ſacrificat, admovetq; filium *Hannibalem* novem annorum puerum ad aram, jurareq; jubet, ſe quamprimùm poſſit, hoſtem futurum Populo Romano. *Livius.*

Romæ circa diem 1. Junii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cornelius Lentulus Caudinus.
Q. Fulvius Flaccus.

Ligures *Italiam vicinam deprædantur, populiq; Romani legationes de hac re ludibrio habent, ideo bello à Romanis petuntur, quod bellum duravit annos octoginta, quibus vel bellum vel infida pax cum Liguribus fuit. Conſules rem præclarè contra Ligures gerunt, Ideò ambo in initio ſequentis anni triumphant.* Livius Tab. Cap.

Hiero *Syracuſanorum rex, Romam ad ludos ſpectandos venit, ubi benignè à populo Romano acceptus, remunerat eundem ducentis millibus modiorum tritici: Modiorum Lipſenſium tredecim millibus & trecentis.*

Annus Nabonaſſaris 512. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 88. *incipit die* 21. *Octob. fer.* 4.

Obſervatio Mercurii annotata anno Chaldæorum 75. *die* 14. *menſis Dii, vel Tiſri poſterioris: ſive anno Nabonaſ.* 512. *die* 10. *Thot primi menſis, ubi Mercurius matutino tempore viſus eſt in gradu* 14. *&* 10. *minut. libra, prope lancem libræ meridionalem: Ad Calendarium Julianum eſt dies* 30. *Octobris, feria ſexta in hoc anno, ubi Mercurius eo in loco invenitur ad Tabulas Aſtronomicas.*

ANNO MUNDI 3714. *Ante C. N.* 234.
C. ☉ 26. ☽ 13.

Annus à Româ conditâ numeratus 517.

Annus Ptolomæi Evergetis in Ægypto 11.

Græcorum Judaicus 77 *incipit die* 13. *Maji, fer.* 7.

Romæ circa diem 3. *Junii Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. P. Cornelius Lentulus Caudinus.
C. Licinius Varus.

Ludos ſeculares tertios hiſce Coſſ. factos eſſe annotat Cenſorinus cap. 17.

Scipio Africanus ſuperior naſcitur. Liv.

Annus 19. *periodi ſecundæ Calippicæ, incipit die* 9. *Julii, fer.* 6.

Olympias 136. *acta die Julii, fer.* 1. *Eſt annus Olympiadicus* 541.

Victor Stadii *Pythocles* Sicyonius. *Afr.*

Dornadilla Scotorum rex quartus, cùm annos 28. regnâſſet, moritur; ſuccedit Nothatus, qui regnat annis 20. *Buch.*

Annus Alexandræus 77. *& Chaldaicus* 76. *incipit die* 6. *Sept. fer.* 2.

Carthaginenſes cùm ipſi per ſe quieſcere non poſſent, Sardos impellunt, ut Romanis rebellent. Oroſ.

Cenſores *hoc anno fuerunt, L. Cornelius Lentulus, & Q. Lutatius Cero. Sed hoc mortuo, alter ſe abdicavit.* Tab. Cap.

ANNO

ANNO MUNDI 3715. *Ante C. N.* 233.
B. ☉ 27. ☽ 14.

Seleucus & Antigonus fratres, cùm Attus majorem partem Aſiæ occupâſſet, atq; ita præmium propter quod bellum gerebant, petiiſſet, tamen concordes eſſe non potuerunt, ſed omiſſo Attalo atq; Parthis hoſtibus, in mutuum exitium bellum reparant. *Juſtinus.*

Romæ circa diem 5. Junii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. T. Manlius Torquatus.
C. Atilius Bulbus II.

Contra Sardos, qui Romanis, ſuaſu Carthaginenſium, rebellârant, mittitur Conſul Manlius, qui vicit Sardos, & cum Carthaginenſibus pacem facit, atq; ita Sardinia omnium prima Romanorum provincia facta eſt, miſſis ad componendam eam decem legatis, id quod poſtea in provinciis faciendis ſervatum eſt. Manlius traditâ provinciâ Romam ad triumphum diſceſſit, quem egit circa menſem Decembrem Julianum, & ſtatim Jani templum, cùm nullibi hoſtis Romanus eſſe videretur, clauſum eſt. Livius & alii.

ANNO MUNDI 3716. *Ante C. N.* 232.
A. ☉ 28. ☽ 15.

Seleucus & Antiochus fratres, prælio tandem congrediuntur, in quo Antiochus denuò victus, & multorum dierum fugâ fatigatus, ad Artamenem, regem Cappadociæ, profugit, ubi aliquo temporis ſpatio humaniter tractatur.

Romæ circa diem 7. Junii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Poſtumius Albinus.
Sp. Carvilius Maximus.

Pax, quæ Romanis affulgere videbatur, ſtatim turbatur. Nam & Ligures & Sardi rebellant; contra Ligures mittitur Albinus, contra Sardos verò Carvilius, *qui teſtibus tabulis Capitolinis, circa finem hujus anni Juliani triumphat.*

Annus ſabbathicus 6. Jobelei Judaici 25. incipit die 14. Septembr. fer. 5. Eſt hebdomas Danielis 28. Anno Judaico 3528.

Cenſores *Romæ creantur* C. Atilius *Bulbus, & A. Poſtumius Albinus, qui cenſu peracto condunt luſtrum* 40. *& principem Senatus ſecundùm legunt* C. Duillium.

ANNO MUNDI 3717. Antè N. C. 231.
GF. ☉ 1. ☽ 16.

Antiochus, cùm ſenſiſſet ſibi à ſocero inſidias ſtrui, ut fratri Seleuco traderetur, ſalutem fugâ quærit; & cùm profugo nullus locus ſatis tutus eſſet, ad Ptolomæum hoſtem potiùs, cujus fidem tutiorem æſtimabat, quàm fratris, ſe confert, ſed ab eodem arctiſſimæ cuſtodiæ traditur. *Juſtinus.*

Romæ circa diem 9. Junii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Fabius *Max.* Verucoſus.
Man. Pomponius *Matho.*

Tutia *virgo veſtalis hiſce Coſſ. inceſti damnata eſt.* Flor.

Utriq; Coſſ. ſingulos hoſtes ſortiuntur: Fabius Ligures, *Pomponius* Sardos. *Utrobiq; bellum ita adminiſtratum eſt, ut revertentibus ad urbem triumphus decerneretur: triumphi acti ineunte vere ſequenti anno Juliano.* Tab. Cap.

Annus Nabonaſſ. 516. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 92. *incipit die* 20. *Octob. fer.* 1.

Cum jam & Sicilia & Sardinia in provinciæ formam redacta eſſet, Senatus Romanus ſtatuit, quatuor Prætores *creandos, quorum bini jus dicerent in urbe, tertius Siciliæ præeſſet, quartus Sardiniæ.* Flor. in Epit.

Hiſce conſulibus Cato Cenſorinus naſcitur. Cic. de ſenectute.

ANNO MUNDI 3718. Ante C. N. 230.
E. ☉ 2. ☽ 17.

Annus à Roma condita numeratus 521.

Annus Ptolomæi Philadelphi in Ægypto 15.

Annus Græcorum Judaicus 81. *incipit die* 29. *Martii, fer.* 7.

Aratus Achæorum Prætor, *Lyſiadi* Megapolitanorum tyranno perſuadet, ut tyrannidem ſponte deponat, & urbem Reipubl. Achæorum adjungat, & obtinet etiam. Propterea Lyſiades Prætor creatur, qui tamen poſt quinquennium in bello Cleomenico perit. *Plutarch.*

Romæ circa diem 11. *Junii Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Aimilius Lepidus,
M. Publicius *Malleolus.*

C. Flaminius *Tribunus plebis legem invitis Patribus fert, ut ea regio, quæ* Picenum *vocatur, unde Senones Galli pellebantur, Romanis militibus dividatur, quæ cauſa fuit, ut bellum Gallicum exoriretur. Boii enim hâc injuriâ irritati, cum Gallis fœdus faciunt contra Romanos. Romani hiſce Gallorum apparatibus territi; ſæpius exercitus educunt, cùm Galli finibus ſuis nondum eſſent egreſſi.* Polyb. lib. 2.

Annus 23. *periodi ſecundæ Calippicæ, incipit die* 24 *Julii, fer.* 5.

Olympias 137. *acta die* 9. *Auguſti. fer.* 7. *Eſt annus Olympiadicus* 545.

Victor Stadii fuit *Mneſteus* Barcylita.

SIMON Oniæ filius, cum uterque patruus ſummi ſacerdotis officio per totam vitam defunctus eſſet, tandem patrium honorem recuperat, & præeſt ſummo ſacerdotio annis 24.

Glycon Philoſophus moritur anno ætatis 74. *Diog.*

Annus Alexandræus 81. *& Chaldæorum* 80. *incipit die* 22. *Sept. fer.* 2.

ANNO MUNDI 3719. Ante C. N. 229.
D. ☉ 3. ☽ 18.

Romæ circa diem 13. *Junii Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Pomponius Matho.
C. Papirius Maſo.

Conſul Papirius in Inſulam Corſicam miſſus, Corſos vincit, & Inſulam provinciam fecit, quam tamen cum Sardiniâ ſemper rexit unus Magiſtratus Romanus. Papirius autem cùm non fuiſſet magni momenti bellum, triumphum à Senatu non impetravit, ideò in monte Albano primus de ſuâ ſententiâ triumphavit, & urbem ovans ingreſſus eſt. Tab. Cap.

Ætoli Mydionios, qui etiam Ætoli natione erant, obſident, quòd ſeſe ipſorum Reipubl. adjungere nollent; eò deducta res erat, ut deditio ſperaretur, eo ipſo tempore, cùm novus prætor creandus eſſet. Decretum ergò fit, ut deditio & præda tàm præcedenti, quàm ſequenti Prætori inſcriberetur. Sed eo ipſo tempore *Agron* Illyriorum rex, miſſis quinque millibus militum, Mydioniis auxilio, in Ætolorum caſtra irrumpunt, eos vincunt, obſidionem ſolvunt, & ingenti prædâ potiuntur, quâ re Agrôn rex nimium exhilaratus, paucis diebus pòſt moritur. Succedit *Teuta* uxor. *Polyb. lib. 2.*

Cenſores T. Manlius *Torquatus*, *&* Q. Fulvius Flaccus *vitio facti ſe abdicant.*

ANNO MUNDI 3720. Ante C. N. 228.
C. ⊙ 4. ☽ 19.

Teuta Illyriorum regina, victoriis mariti elata; ſuos jubet navibus prædari ubicunque vellent, & quoscunque poſſent: ideò primam expeditionem in Eleorum, Meſſeniorum fines, in Peloponneſum, quod opportuni injuriis eſſent, ſuſceperunt. Deinde Phœnicem urbem in Epiro capiunt: Epirotæ urbem recuperaturi vincuntur, ideò opem petunt ab Ætolis & Achæis, qui auxilium ferunt. Eodem tempore, *Teuta* exercitum revocat, quòd pars Illyriorum ad Dardanos defeciſſet. Quapropter Illyrii, pecuniâ acceptâ urbem & captivos Epirotis reddunt, & domum redeunt. Epirotæ Achæis & Ætolis nullam gratiam referunt, quòd tardiores in ferendo auxilio fuiſſent, ſed potiùs cum Illyriis ſocietatem faciunt. *Polyb.*

Romæ circa diem 15. Junii Juliani, Magiſtratum ineunt :

Coſſ. M. Æmilius Barbula,
M. Junius Pera.

Illyrii cùm Phœnicen urbem occupâſſent, Italicos mercatores, ubicunq; poſſunt, prædæ habent & ſpoliant. Ideò hi apud Senatum Romanum de vi Illyrios accuſant; Senatus legatos ad Teutam reginam mittit, petitum, ut ab injuriâ abſtineat. Legati fuerunt C. & L. Coruncani, qui eò veniunt eo ipſo tempore, cum Illyrii illi ab illâ expeditione domum reverterentur. Teuta reſpondet non eſſe morem regibus, ut prohibeant piratas, mare cuivis liberum eſſe: Legati contra urgent injurias mercatorum, & res repetunt: cùm non redderentur, bellum Teutæ indicunt, quæ libertate Romanorum offensâ, legatos contra jus gentium in vincula conjicit, & alterum occîdit. *Polyb. lib. 2.*

Cenſores *hoc anno fuerunt* Q. *Fabius Maximus Verrucoſus, & M. Sempronius, qui luſtrum condiderunt quadrageſimum primum, & principem Senatus tertiò legerunt.* C. Duillium.

Apud hosce Cenſores Sp. Carvilius *Ruga, conqueſtus de uxoris ſterilitate, cùm juràſſet, ſe liberorum causâ uxorem habere, primus Romæ divortium fecit.* Gellius.

Cn. Nævius Poeta hiſce Coſſ. primam fabulam ad populum dedit, quem ait *Varro*, ſtipendia feciſſe bello Punico primo. In carcerem ob maledicentiam poſtea conjectus fuit, quod Plautus etiam innuit in Milite glorioſo. *Gell.*

Amilcar dux Carthaginenſium Helicèn urbem in Hiſpaniâ obſidet, & majorem exercitus partem cum elephantis in hyberna dimittit.

Oriſſo Hiſpaniarum rex, qui amicus fuerat, mutato animo, obſeſſis auxilium fert: Amilcarem in fugam avertit, perſequitur, & in flumine excuſſum ab equo demergit. Hannibal filius & Asdrubal gener, ſalvi ad ſuos perveniunt. Quatuor ſe filios, ſæpè dixit Amilcar, in omni arte militari inſtitutos educare contra populum Romanum, veluti Catulos Leoninos. Succedit Amilcari *Asdrubal* gener. *Diod. Oroſ.*

ANNO MUNDI 3721. Ante N. C. 227.
BA. ⊙ 5. ☽ 1.

Teuta Illyriorum regina, parum ſollicita de indicto bello à Romanis, iterùm claſſem in Græciam mittit, cujus pars Corcyram trajicit, altera Dyrrachii portum occupat. Sed cùm urbem etiam oppugnaret fortiter, repellitur, & portu etiam expellitur. Ideò ad ſocios Corcyram redit. Corcyrei opem Achæorum & Ætolorum implorant, qui quidem claſſem mittunt, ſed ab Illyriis ea vincitur, & Corcyræi omni ope deſtituti ſe Illyriis dedunt, & præſidium recipiunt. Inde Illyrii ad obſidendum Dyrrachium redeunt.

Romæ circa diem 17. Junii Juliani, Magiſtratum ineunt :

Coſſ. L. Poſtumius Albinus II.
Q. Fulvius Centumalus.

His Conſulibus bellum Illyricum geſtum & perfectum eſt. Fulvius enim Corcyram trajicit, obſidionem ſoluturus, ſed venit re jam peractâ, nihilominùs tamen Corcyræi ſeipſi dedunt, & ſimul præſidiarios Illyrios. Inde Apolloniam petit, quò etiam alter Conſul venit. Horũ viribus territi Apolloniatæ, ſe dedunt, pòſt Dyrrachium recipiunt, & in Illyricum progreſſi, quasdam urbes deditione accipiunt, quasdam vi expugnant. Teuta viribus impar, regno pellitur. Romani Demetrium quendam regno præficiunt, copiasq; Dyrrachiũ reducunt. Inde Fulvius Romam mittitur, Poſtumius in Græciam tranſit. Polyb.

Demetrius Macedoniæ rex, cùm annis decem regnâſſet, eodem propemodum tempore fato functus eſt, quo Romani in Illyrium proficiſcerentur. Reliquit poſt ſe filium parvulum Philippum, cui tutor datus eſt *Antigonus*, qui ductâ in uxorem viduâ Demetrii, regem ſe declarari curabat: adminiſtravit id annis ferè ſex. *Polyb.*

Annus Nabonaſſari 520. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 96. *incipit die* 19. *Octob. fer.* 5.

Mortuo Demetrio rege, Athenienſes, qui præſidiis Macedonum continebantur, accerſunt Aratum; is cum vi non poſſet Macedonas ejicere, Diogeni præfecto tandem perſuadet, ut acceptis centum quinquaginta talentis præſidio decederet, & Athenienſibus ipſe ad hanc rem perficiendam dedit talenta viginti. Cùm ita Athenæ liberatæ eſſent, ſtatim Æginetæ & Arcadum potiſſima pars ſe Achæis adjunxerunt. *Plutarchus in Arato.*

ANNO MUNDI 3722. Ante C.N. 226.
G. ⊙ 6. ☽ 2.

Annus à Roma condita numeratus 525.

Annus Ptolomæi Evergetis in Ægypto 19.

Annus Græcorum Judaicus 85. *incipit die* 15. *Martii, fer.* 5.

Paulo

Paulò antequam novi conſules inirent magiſtratum, prioris anni conſules Cn. Fulvius & L. Poſtumius ex Illyriis triumphos agunt navales. Tab. Cap.

Romæ circa diem 19. Junii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Sp. Carvilius Maximus II.
Q. Fabius Maximus Cunctator II.

Cicero in Catone affirmat, Fabium in hoc conſulatu, collega Carvilio quieſcente, Tribuno plebis C. Flaminino quo ad potuit, reſtitiſſe, cùm agrum Picenum & Gallicum viritim contra Senatus autoritatem divideret. Sed Tab. Cap. & Polyb. *oſtendunt, hoc ante quinquennium factum.*

Teuta regno pulſa, legationem Romam mittit, pacemque petit, quam obtinet, ſed durioribus conditionibus, ut quotannis Romanis tributum perſolvat, omni Illyrico excedat, pauciſſimis locis exceptis; & quod maximè ad Græcos attinebat, ne navigaret ultrà Lyſſum, niſi cum duabus navibus, iiſque inermibus. Hæc pax per legatos in Græcia publicata, magnum favorem Romanis conciliavit & legati Athenis & Corinthi honorificè habiti, participes *ludorum Iſthmicorum* fiunt. *Polyb. l. 2.*

Aratus prætor Achæorum Ariſtomacho Archivorum tyranno perſuadet, ut malit in Achæorum republ. princeps eſſe, quàm unius urbis inviſus tyrannus, & deponat tyrannidem, ſed ad rem perficiendam quinquaginta talenta Ariſtomacho dare neceſſe habuit, quâ pecuniâ mercenariis militibus ſatisfactum eſt. *Plutar.*

Annus viceſimus ſeptimus, ſecundæ periodi Calippicæ, incipit die 10. Julii, fer. 3.

Olympias 138. acta die 26. Julii, fer. 5. Eſt annus Olympiadicus 549.

Victor Stadii *Demetrius* Alexandrinus.

Annus Alexandræus 85. *& Chaldaicus* 84. *incipit die* 8. *Sept. fer. 7.*

Eodem tempore, *inquit Polybius*, cum legati Romani in Græcia eſſent, Aſdrubal Carthaginem novam ædificat, maximum momentum, & ad Hiſpaniam & ad Africam defendendam. *lib. 2.*

ANNO MUNDI 3723. Ante C.N. 225.
F. ☉ 7. ☽ 3.

Romæ circa diem 21. Julii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Valerius Flaccus,
M. Atilius Regulus.

Cùm Aratus omnes urbes Peloponneſi Reipubl. Achæorum jungere cuperet, ut pares deinceps eſſent cuivis hoſti, reſtarent autem tantùm Lacedæmonii, Elei, & Arcades, variis modis eos aggreditur, ſed Lacedæmonii ipſi opponunt *Cleomenem*, nuper poſt mortem Leonidæ ad regnum evectum, qui paucorum annorum juvenis inſigni audacia, cum quinque millibus militum terret Aratum, viginti millium exercitu inſtructum, & poſtea eundem vincit. Aratus tamen victus in ipſa fuga Mantinæam urbem capit, & præſidio munit. *Plutarch.*

Annus ſabbathicus ſeptimus, ſive Jobeleus Judaicus viceſimus quintus, incipit die 26 Septembris, fer. 3. Eſt hebdomas Danielis 29. Anni Judæorum 3535.

Cùm Haſdrubal in Hiſpania Carthaginenſium res mirificè augeret, & magnam partem Hiſpaniæ occupaſſet, Romani hæc in ſui præjudicium fieri exiſtimant; non tamen bello Carthaginenſibus obviam ire audent, cùm bellum Gallicum inſtaret. Igitur pacem cum Haſdrubale renovant, adduntque hanc conditionem, ne liceret Carthaginenſibus Iberum fluvium cum armis trajicere, & ut Saguntini liberi eſſent. *Polyb.*

ANNO MUNDI 3724. Ante C.N. 224.
E. ☉ 8. ☽ 4.

Cleomenes Spartanorum rex, cùm ex ſua animi ſententia bellum cum Achæis gerere non poſſet, quòd Ephori id prohiberent, ad diminuendam eorundem potentiam, Archidamum exaltera familia regem, in exilio apud Meſſenios agitantem, revocandum cenſet. Ephori non repugnant, ſed cum ſibi metuerent, ob interfectum Agidem regem, indictâ causâ Archidamum, etiam jam reverſum occidunt. Cleomenes, cum hac via non ſucceſſiſſet, alia eandem rem aggreditur, ſingulis Ephoris pecuniam largitur, ut ſibi belli gerendi cum Achæis poteſtatem faciant, & impetrat. Contra Achæos igitur profectus, propè Megalopolin, cùm in pugna pars ſui exercitus fugeret, & Lyſiades Achæorum Prætor fugientibus acriter inſiſteret, ipſe Lyſiadem, iniquo in loco deprehenſum interfecit. Hac ſua victoria magnam potentiam Cleomenes aſſecutus eſt, ideò de Republ. Spartana emendanda conſilia init. *Plut. in Cleom.*

Romæ circa diem 7. Junii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Valerius *Meſſala*,
L. Apuſtius Fullo.

Romani Gallum virum, & fœminam ex Gallia, cum muliere ſimul Græca in foro Boario vivos defodiunt. Oroſ. lib. 4.

ANNO MUNDI 3725. Ante C. N. 223.
DC. ☉ 9. ☽ 5.

Cleomenes iterum expeditionem adverſus Achæos ſuſcipit, deligitque milites eos ferè, qui ſui conatui videbantur impedimento futuri, eos ſubitis expeditionibus ita fatigat, ut peterent ſe in præſidio in Arcadia relinqui. Ipſe igitur cum fidiſſimis quibuſdam, quibus conſilium ſuum aperuerat, Spartam redit, Ephoros nihil tale timentes trucidat, octoginta cives relegat, omnium civium bona æqualiter diſtribuit, æs alienum condonat, novos etiam cives allegat, & Rempubl. illam Spartanam ad vetuſtam illam conſuetudinem & diſciplinam revocat, & ne videretur omnia ad ſe trahere, *Euclidam* fratrem in regnum aſſumit. *Plutarchus.*

Romæ circa diem 26. Junii Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Aimilius Papus.
C. Atilius Regulus.

Antiochus rex Aſiæ, cùm in captivitate eſſet apud Ptolomæum Evergetem, opera cujuſdam meretricis adiutus, deceptis, cuſtodibus elabitur, ſed fugiens à latronibus quibuſdam interficitur.

Seleucus iiſdem ferè diebus equo præcipitatus

moritur. Ita fratres, qui ſimul de regno decertarant, neuter rectè poſſederat, ſimul mortem oppetunt. Ab initio Seleuci anno viceſimo, ſuccedit *Seleucus* Ceraunus, annis ferè tribus. *Juſtin.*

Galli octavo anno poſt diviſum à Flaminio Picenum finibus ſuis, aſſumptis Germanorum auxiliis, ita ut exercitum ducentorum millium efficerent, egrediuntur, Romani contra, cùm tot hoſtes irrumperent, & tota Italia metu eſſet, conſternati, undique cogunt auxilia; nec Italia tota ea denegat, ita ut ſi ubique, qui in præſidiis habebantur, numerarentur, haberent peditum millia ſeptingenta, equitum ſeptuaginta. Nihilominus tamen Venetos & Canomanos per legatos ſibi jungunt, & Galliam deprædari jubent, ita ut cogerentur Galli copias dividere, & quaſdam ad defendendam patriam remittere. Prætorem etiam cum exercitu in Hetruriam mittunt, & alterum conſulem, ſimiliter Ariminum. C. Attilius vero conſul in Sardiniam cum exercitu profectus erat. Galli in Hetruriam irruentes, Prætorem Romanum fugant, ſex millibus de ejus exercitu trucidatis. Æmilius conſul, ut urbi præſidio eſſet, auxilio Prætori advenit, & commeatu hoſtes prohibet, ita ut Galli reditum pararent, cùm alter conſul Atilius exercitum reportat, & Gallis redeuntibus fit obviam circa Telamonem Hetruriæ: Alter conſul verò Gallos ſubſequitur, ibi conſul Attilius, dum inconſultius pugnat, occiditur; Alter vero nihilominùs prælium urgens, tandem vincit. Trucidantur Gallorum 40. millia, capiuntur decem millia, & ſimul rex Gallorum Congolitanus; alter verò rex eorum, ex deſperatione jugulum ſibi præcidit. Polyb. lib. 2.

Annus Nabonaſſaris 524. & annus Philippi & mortis Alexandri 100. incipit die 18. Octob. fer. 2.

Cenſores hoc anno fuerunt C. Claudius Centho & M. Julius Pera. Condiderunt luſtrum quadrageſimum ſecundum, & Princeps Senatûs lectus eſt, Num. Fabius Buteo. Tab. Cap.

Cleomenes rex Spartanus, acriter Achæos bello urget, multas urbes ipſis adimit, & prælio tandem vincit, ita ut Achæi legatos de pace mitterent; nec Cleomenes abnuit, & tolerabiles paucis conditiones proponit. Aratus hæc indignè ferens *Antigonum* regem Macedoniæ evocat, tradito ipſi Acro Corintho. Nec Antigonus auxilium differt. Interim Cleomenes, cùm *Nemea* celebrarentur, Argos invadit, & eam occupat, inde ad arcendum Peloponneſo *Antigonum* ad Iſthmum properat, Aratus contra ad Argos proficiſcitur, eos ad defectionem ſollicitat & impetrat. Cleomenes Spartæ metuens ab Iſthmo recedit, & Antigonus pacificè Peloponneſum intrat, & Tegeam, Corinthum, & Argos occupat. *Plutarch.*

ANNO MUNDI 3726. Ante C.N. 222.
B. ⊙ 10. ☽ 6.

Annus à Roma condita numeratus 529.

Annus Ptolomæi Evergetis in Ægypto 23.

Annus Græcorum Judaicus 89. incipit die 31. Martii, fer. 5.

Romæ circa diem 17. Junii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. T. *M*anlius Torquatus.
Q. Fulvius Flaccus.

Ambo conſules in Bojos movent, territos tanta ſuorum clade, adeò ſtatim ſe dedunt. Quoniam tamen pluviæ ferè continuæ multis menſibus eſſent, nihil præterea à COSS. actum. Pol. l. 2.

Annus triceſimus primus ſecundæ periodi Calippicæ, incipit die 26. Junii, fer. 3.

Olympias 139. acta die 11. Auguſt. fer. 5. Eſt annus Olympiadicus 553.

Victor Stadii *Jolaidas* Argivus.

Cleomenes in Anguſtias redactus, & vim metuens Achæorum & Antigoni, ad Ptolomæi regis in Ægypto opem confugit, cui matrem & liberos obſides mittit, ſed nihil tamen inde auxilii reportavit. *Plutarch.*

Annus Alexandræus 89. & Chaldaicus 88. incipit die 24. Septemb. fer. 7.

Achæi, cùm Antigono plurimos honores totâ Peloponneſo exhibuiſſent, ejus operâ Mantinæam recipiunt, ubi quòd prima ad Cleomenem defeciſſet, & præſidium Achæorum trucidaſſet, nobiliſſimos civium necaverunt, reliquos vendiderunt mulieres & pueros in ſervitutem abduxerunt, urbem ipſam Archivis dederunt, qui coloniâ eò deductâ, eam Antigoneam appellaverunt, quod nomen retinuit uſque ad tempora Plutarchi. *Plutar. in Arato.*

ANNO MUNDI 3727. Ante C. N. 221.
A. ⊙ 11. ☽ 7.

Cleomenes cùm quantam potuerat, pecuniam corraſiſſet, vere primo Megalopolim aggreditur, eamque ipſo impetu capit. *Philopœmenes* tum triginta annorum erat, & Cleomeni eò uſque reſtitit donec plurique cives urbe effugiſſent, & Cleomenes vacua urbe potiretur. Invitavit autem omnes cives Cleomenes ad ſua recipienda, ſi ſuarum partium eſſe vellent, ſed obſtitit Philopœmenes, propterea Cleomenes urbem diripuit, incendit, & cum ingenti præda Spartam rediit, priuſquam exercitus Antigoni ex hybernis conveniret. *Plutarch.*

Cleomenes inde Argos movet, & omnia longè lateque vaſtat; quam vaſtationem Antigonus prohibere non poterat, etſi Argis eſſet, quòd exercitus ex hybernis nondum conveniſſent.

Romæ Dictator comitiorum cauſa L. Cæcilius *Metellus, à quo circa primum Julii magiſtratus creantur:*

Coſſ. C. Flaminius Nepos.
P. Furius Calvus.

Conſules trans Padum in Galliam profecti, omnia longè lateq; vaſtant, ubi Flaminio exercitus Gallorum occurrit, quinquaginta millium, ibi cùm auſpicio non poſſet, contemtis auſpiciis adverſus Gallos prælium fortiſſimè init, & victoriam virtute adipiſcitur, ingentique captivorum multitudine, ſpoliisq; onuſto exercitu ambo COSS. Romam redeunt. Polyb. Oroſ.

Antigonus, cùm copias contraxiſſet triginta millium, in Laconiam abit, cui occurrit Cleomenes exiguo exercitu, cui ipſe cum fratre præfuit, & congreditur cum eo prælio acerrimo, ſed vincitur, & vi & proditione ſimul. In quo prælio Euclidas frater etiam cadit, & ex ſex millibus Spartanorum vix ducenti ſuper fuerunt. Cùm igitur nulla amplius ſpes regni ſupereſſet, nullo ſumpto cibo vel potu, cùm tamen tempore abundaret, in navigio cum paucis amicis Ægyptum petit, ubi ab Ævergete honeſtè habitus eſt, cum ſpe reductionis in regnum; ſed à Philopatore poſt eſt in carcerem clauſus, ex quo cum evaſiſſet, & ſeditionem moveret,

nec

nec tamen quicquam efficere poſſet, mutuis vulneribus cum ſuis cecidit, poſt annos ferè tres. Antigonus moderatè victoriâ uſus eſt; Spartanis libertatem reſtituit, & poſt triduum Argos revertitur, ſub ipſum tempus ludicri Nemeici. Inde cùm audiſſet, Dardanos Macedoniam vaſtare, in Macedoniam rediit. *Polyb. Plut.*

Ariſtarchus *Samiis periodum Calippicam præſcripſerat ante annos* 75. *Hanc periodum hoc anno emendavit* Conon, *& faſtos edit, cum parapegmate. Hujus Cononis meminit Virgilius.*

In medio duo ſigna Conon, & quis fuit alter &c. *Ita Catullus ex Callimacho.*

Qui ſtellarum ortus comperitatque obitus.

Hoc anno Caria & Rhodus inſulæ adeò terræmotu concutiuntur, ut labentibus vulgò tectis ingens ille coloſſus Solis ruerit. Altus fuit pedes centum vinginti ſex, ſtetit divaricatis cruribus, tantâ diſtantiâ disjunctis, ut ſat ſpatii præberent navibus portum ingredientibus, jacuit in ruderibus, donec venderetur poſt annos 875. Anno Chriſti 653. Hiero Syracuſanus rex & argentum ad inſtaurationem murorum contulit, & navibus ipſorum immunitatem vectigalium dedit; idem fecerunt & alii reges, ita ut Rhodii hac calamitate plùs ſibi acquirerent, quàm perdiderant. *Diod. Polybius.*

ANNO MUNDI 3728. *Ante C.N.* 220. G. ☉ 12. ☽ 8.

Antigonus, cùm audiviſſet Macedoniam à Barbaris vaſtari, ex Peloponneſo eò properat, etſi tenuiſſimæ valetudinis, & phthiſi laboraret, & ingenti prælio cum Barbaris decertat vincitque, ſed quòd contentiore voce in prælio eſſet uſus, multum ſanguinis vomuit, & paucis diebus poſt expiravit, præfuit regno ut tutor, annis ferè ſex. Succedit ipſi *Philippus*, Demetrii filius, adoleſcens decem & ſeptem annorum, qui regnavit 42. annis, *Polyb. Plutarchus.*

Romæ Magiſtratum inierant hactenus Conſules Calendis Quintilibus ſive Julii, quæ ferè ad medium æſtatis deſcenderant, ubi res geri non Duces eligi convenientius eſt. Ideo cum id vitium ex malè ordinato Calendario, quod annos juſto longiores ex vitioſa intercalatione habebat, ortum eſſet, intercalationis menſem decurtarunt, undecim diebus in ſingulis bienniis ſubtractis, quantum ex proportione annorum colligere poſſumus, & voluerunt ut Conſules poſthac magiſtratum inirent Idibus Martiis quæ hoc anno inciderunt, legitimè ferè in diem 13. *Martii Juliani*, Carol. Sigon. *& fuerunt:*

Coſſ. Cn. Cornelius Scipio.
M. Claudius *M*arcellus.

Galli multis cladibus affecti, de pace legatos Romam mittunt, cùm illa intricatior videretur. Conſules conſcripto milite, in Galliam abeunt, ubi Romani Acerras obſident: Galli contra, Claſtidium. Marcellus ad ſolvendam obſidionem Claſtidienſem profectus, imprudens in eorum exercitum incidit, ubi, cùm nulla ſpes eſſet evádendi, in medios hoſtes irruit, & cùm tanta audacia eos terruiſſet, *Viridomarum* regem Gallorum interimit, & obſidionem ſolvit. Inde reverſi Romani Acerras capiunt, & Gallos perſecuti Mediolanum uſque perveniunt, quam fruſtrà tum oppugnare conantur: Igitur reditum moliuntur, quem impedituri Galli, Conſules inſequuntur, at Romani converſi iterum Gallos magno prælio vincunt, & inſuper Mediolanum capiunt, atque ita tandem bellum Gallicum hoc finitum eſt. Marcellus ad triumphum Romam diſcedit: Eſtque tertius in ordine, qui *Jovi Feretrio* ſpolia opima obtulit. *Plutarchus, Polyb. & Oroſ.*

ANNO MUNDI 3729. Ante C.N. 219. FE ☉ 13. ☽ 9.

Ptolomæus Evergetes in Ægypto, cum annis viginti quinque regnaſſet, moritur, ſuccedit Ptolomæus Philopator, qui regnum à matris & fratris cæde auſpicatur, regnatque annis novem. *Ptolom. in Canone, alii ſeptendecim.*

Romæ circa diem 2. *Martii Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. *P.* Cornelius Scipio Aſina.
*M. M*inutius Rufus.

Bellum Iſtricum hiſce Conſulibus motum, quòd Iſtri Romanorum naves frumento onuſtas intercepiſſent. Perdomiti autem ſunt bello, etſi victoriâ haud incruentâ, triumphavitque de his Scipio. Oroſ. lib. 4. & tabulæ Capit.

Aſdrubalem ducem Carthaginenſium in Hiſpania occidit quidam ſervus Hiſpanus, ob iram interfecti domini ſui ab Aſdrubale: idem deprehenſus, lætitiâ perpetratæ rei ſuperante omnes dolores, tormenta fortiſſimè etiam ridentis ſpecie ſuſtinuit: ſuccedit Aſdrubali Hannibal filius Amilcaris, annos natus 25. qui cùm Dux declaratus eſſet, Olcadum gentem ſibi hac æſtate ſubjicit, & aliquot urbes expugnat, *Livius & Polyb.*

Cùm Attalus rex Pergami, Aſiam univerſam occuparet, Seleucus Ceraunus rex Syriæ exercitum comparat contra eum, & Taurum montem cum Achæo cognato tranſcendit contra Attalum, ubi Seleucus dolo Gallorum occiditur, Achæus verò hoſce parricidas trucidare jubet, & fratrem Seleuci *Antiochum* regem creat, qui regnat annis 36. cùm Seleucus vix tribus annis præfuiſſet. *Polybius.*

Baſanus Francorum rex evaneſcit, ut ajunt, vel potiùs à Diabolo ablatus eſt, cùm annis 36. Francis vel Sicambris præfuiſſet. Succedit filius Clodomirus annis 18. qui ſtatim Gallos in initio regni quòd Moſam fluvium, tranſgreſſi eſſent, magno prælio ex inſidiis vincit. *Trith. in compend.*

Annus Nabonaſſaris 528. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 104. *incipit die* 17. *Octob. fer.* 6.

Q. Fabius *Maximus Romæ creatur Dictator, ſed vitio factus abdicat.*

ANNO MUNDI 3730. Ante C.N. 218. D. ☉ 14. ☽ 10.

Annus à conditâ Roma numeratus 533.

Annus Ptolomæi Philopatoris 2.

Romæ circa diem 5. *Martii Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Veturius Philo.
C. Lutatius Catullus.

Annus Græcorum Judaicus 93. *incipit die* 17. *Martii, fer.* 3.

Romæ cùm deprehenderetur conſules non auſpicato creatos, abdicare coguntur, & alii creantur:

Coſſ.

Coſſ. *M.* Aimilius Lepidus II.
M. Valerius Lævinus.

Ætoli ſine juſta cauſa Meſſeniis bellum inferunt, qui bello impares ad Achæos confugiunt, Achæi ipſis auxilia mittunt, ſed ea vincuntur culpâ Arati. Quapropter Achæi ad ſocios Epirotas, Bœotios, Phocenſes, Arcarnanes, & Philippum Macedoniæ regem legatos mittunt, petitum auxilium & conſilium; ſocii frequentes conveniunt Corinthi, ibique bellum decernitur Ætolis, ineunte Olympiade 140. *Polyb. lib.* 4. Hoc bellum vocatum fuit Sociale.

Annus 35. ſecundæ periodi Calippicæ, incipit die 12. Julii, feriâ 1.

Olympias 140. acta die 17. Julii, fer. 2. Eſt annus Olympiadicus 557.

Victor Stadii *Zopyrus* Syracuſanus.

Molo præfectus Mediæ, ſuperiore anno ab Antiocho poſt mortem Seleuci defecerat. Ideò Antiochus ſuis præfectis, ut eum bello perſequerentur, auxilia miſerat, ſed Xenætas Dux cùm Molonem viciſſet, victoriam non perſequitur, ſed convivia agitat. ideò à Molone nocte intempeſta trucidatur cum omnibus ſuis. Ideò Antiochus ipſe hac æſtate contra Molonem ducit, cumque vincit & ad mortem adigit. Inde cùm ſuperiores provincias ordinaſſet, in regnum revertitur, & Achæum qui Diadema ſibi ſumpſerat, admonet officii, & in hyberna exercitum diſtribuit. *Polyb.*

Hannibal hac æſtate in Vaccæos expeditionem ſuſcipit, & Salmanticam urbem occupat, alias etiam urbes magna difficultate ſibi ſubjicit. Inde Carpentanorum gentem, quæ reſiſtere ipſi audebat, aſtu vincit, & totam gentem in deditionem accipit & in hyberna tranſit. *Polyb. lib.* 3.

Annus Alexandræus 93. & annus Chaldaicus 92. incipit die 10. Septemb. fer. 5. anno Jud. 3542.

Eodem die incipit etiam annus ſabbathicus primus Jobelei Judaici 26. qui eſt hebdomas Danielis 30.

Demetrius Pharius, quem Romani Illyrico præfecerant, cùm antea adfuiſſet Antigono in bello Cleomenico, jam etiam Iſſum præternavigat lembis nonaginta, urbes Romanæ ditionis vaſtat, Ætolorum Peloponneſum atque Cycladas inſulas populatur. *Polyb. l.* 3.

Cenſores *Romæ L. Æmilius Papus & C. Flaminius Nepos condunt luſtrum quadrageſimum tertium, & principem Senatus legunt ſecundum N. Fabium Buteonem.*

ANNO MUNDI 3731. Ante N.C. 217.
C. ☉ 15. ☽ 11.

Romæ circa diem 23. Februarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. *M.* Livius Salinator.
L. AEmilius Paulus.

Cùm Saguntini viderent bellum ab Hannibale in viciniâ geri, & ſe peti, frequentes ex legatos Romam mittunt petitum auxilia; Romani auxilio opus non eſſe putant, legatos tantum mittunt, qui jubeant Hannibalem *à Saguntinis abſtinere, iidem abeunt etiam Carthaginem, ibique ambiguè reſpondetur. Romani tamen minus de hoc bello ſolliciti, ut quod putabant in Hiſpaniâ geri oportere: ambos conſules in Illyricum mittunt, contra Demetrium Pharium, qui ſub certis conditionibus Illyrico præfectus à Romanis, jam ſubitò hoſtis Romanorum factus fuerat. Conſules in Illyricum profecti, Dimalum urbem ſeptimo die capiunt, & Æmilius Demetrium vincit, & Illyrico expellit, qui ad Philippum Macedoniæ regem confugit. Inde omnes Illyrici urbes ſe dedunt, & Conſules ordinato Illyrico Romam exeunte autumno redeunt & triumphant.* Polyb.

Philippus inſtructus exercitu, in Ætoliam movet & Abraciam obſidet, & poſt quadraginta dies deditione capit. Interim Ætoli Macedoniam crudeliter vaſtant; Nihilominùs tamen Philippus plurimas Ætoliæ urbes exſcindit, & Oeniadarum urbem munit, ſed cum in Peloponneſum cogitaret nunciatur Dardanos in Macedoniam irruiſſe: Ideò in Macedoniam cum exercitu redit, redeunti occurrit Demetrius ex Illyrico, à Conſule ejectus, in media æſtate. *Polyb.*

Antiochus vere primo in Syriam impetum facere conatur, id diſſuadet Apollophantes, qui vult primùm Seleuciam, quæ præſidiis Ægyptiorum tenebatur, recipi, quod cùm perfeciſſet, tum demum Ptolomaidem & Tyrum occupat, quibus territus Ptolomæus de pace egit fraudulenter, cùm tamen interim bellum appararet. Interim Antiochus Duram obſidet, fruſtrà, ubi ingruente hyeme fiunt induciæ in quatuor menſes. *Polyb.*

Hannibal *in Hiſpania tandem Saguntinis bellum movet, eosque octo menſibus obſidet, & tandem capit, & urbem exſcindit. Romani audito excidio Sagũti, legatos mittunt Carthaginẽ, qui aut Hannibalem, ſi privato conſilio Saguntum delevíſſet, dedendum Romanis juberent, aut bellum ipſis indicerent. Cùm Carthaginienſes de jure fœderis diſceptare inciperent, Romanorum legatus illis bellum indicit.* Polyb. l. 3. Liv.

Archagatus *Lyſaniæ filius ex Peloponneſo Romam venit, & medicinam profitetur, is mire gratus primum fuit Romanis, & jus Quiritium ei datur, & taberna præterea ad habitationem. Et Vulnerarius primò vocatus eſt: ſed mox ſævitia ſecandi, urendiq́, carnifex appellatus eſt.* Plin. l. 29. c. 1.

Ætoli duce Dorimacho in autumno Epirum magnâ clade vaſtant, & Dodonæum templum occupant & cremant. Philippus contrà cum exercitu Corinthum venit, & paulò poſt Eleorum magnam multitudinem capit, multas urbes expugnat & totam Peloponneſum in ditionem redigit, reliquum hyemis Argis exigit. *Polyb.*

Binæ coloniæ Latinæ ſex millium deductæ. Placentia & Cremona. Vellejus.

ANNO MUNDI 3732. Ante C. N. 216.
B. ☉ 16. ☽ 12.

Romæ circa diem 27. Februarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Cornelius Scipio.
Tib. Sempronius Longus.

Hannibal cùm moveret ex hybernis, Hiſpanum exercitum 34. millium in Africam mittit, contra in Hiſpania retinet milites Afros quindecim millia & magnam claſſem. Ipſe ſibi ſumit pedites 90. mille, & equites 12. millia, ex quibus tamen ad Pyrenæos montes fratri Hannoni dat 10. millia peditum & mille equites, magnam etiam catervam domum remittit, retinuitque ſibi 50. millia peditum.

peditum,9.millia equitum. Iter ipſi uſque ad Alpes conſtitit quinque menſibus : tranſgreſſus eſt Alpes,occidente ſidere Vergiliarum,circa medium Octobris. Milites ipſi ſuperfuerunt vix viginti millia peditum,& ſex millia equitum. *Polyb.*

Galli ſtatim ad Hannibalem deficiunt à Romanis, ob colonias nuper in agro Gallico conſtitutas, & legatos Romanos contra jus gentium capiunt. Ideò legiones duæ duce Manlio, Gallis opponuntur,quæ tamen in ſaltu clade afficiuntur, deinde in tutum pervenirent. *Liv.*

Scipio Conſul navibus oram Ligurum prætervectus,in Galliam cum exercitu tranſit,ut ibi Hannibalem Italiâ arceret , & trecentos equites mittit ad exploranda itinera Hannibalis , qui cum hoſtibus eodem ferè numero congreſſi, difficillimam victoriam retulerunt. Inde Scipio Hannibali ex Alpibus deſcendenti in Italia occurſurus, fratrem Cn. Scipionem in Hiſpaniam mittit, ipſe paulò poſt equeſtri prælio ab Hannibale vincitur,& vulneratus, ne planè conficeretur, à filio ſervatur. *Livius.*

Cn.Scipio in Hiſpaniam profectus,cum Hannone in præſidio ab Hannibale relicto proſperè pugnat : ſex millia hoſtium cæſa,duo capta cum duce, & caſtris prædæ plenis. *Liv.*

Antiochus vere appetente bellum parat contra Ptolomæum regem Ægypti terrâ marique , & in Cœleſyria reliqua occupare conatur. Nicolaus dux Ptolomæi anguſtias ad Libanum occupat, ſed inde dejicitur duobus ferè millibus occiſis , & Syriam Antiochus ingreſſus uſque ad Samariam progreditur,inde in hyberna redit. *Polyb.*

Hac eadem æſtate Selgenſes in Piſidia Pidneliſſenſes graviter obſident,& ad ultima cogunt. Achæus , qui ſibi diadema Aſiæ ſumpſerat, obſeſſis auxilium fert, & obſidionem ſolvit, decem millibus occiſis , & Selgam ipſam tandem certis conditionibus capit. Dum Achæus in hac expeditione eſt, *Attalus* aſcitis Gallis urbes ab Achæo ſibi ademptas recipit, & inter cætera Smyrnam, Phocæam,Colophonios ; inde trajecto Lyco, in Myſiam venit, & plurima Achæo adimit.Sed cùm Luna tum temporis deficeret,Galli eo prodigio territi,ampliùs progredi nolunt. Attalus,ne Galli ad Achæum deficerent , ipſis de ſedibus ad Helleſpontum proſpicit. *Polyb.*

Eclipſis hac Luna , quâ Galli territi ſunt, accidit Pergami die 1. Septemb. Juliani, horâ ſeptima veſperi,& minutis 8. feria quinta. Latitudo Lunæ vera 13, 10. *auſtralis. Summa Semidiametrorum* 61,43. *Scrupula reſidua* 48.33. *digiti eclipticci ſeptendecim ferè: Sol in 4. gradu Virginis. Meridianus Pergami orientalior eſt Francofurtenſi hora una & 30. minutis. Planè obſcurata Luna orta eſt , & ita ultra horam obſcurata permanſit , priuſquam lumen recuperare inciperet,atque ita valdè terribilis apparuit.* Polyb.

Carthaginenſes ad Siciliam recuperandam claſſem mittunt,quæ à Romanis vincitur. *Hiero* rex ſuam operam gratis præſtandam Romanis promittit. Conſul Sempronius præſidia in Sicilia & Italia diſponit,& Scipioni jungitur ad Trebiam,ubi vincitur ab Hannibale circa brumam. *Liv.*

ANNO MUNDI 3733. Ante C.N. 215.
AG. ☉ 17. ☽ 13.

Sempronius Conſul magna temeritate per vagantes Numidas profectus,Romam venit ad Magiſtratus ſubrogandos,quo facto in hyberna rediit,& præſidium propè Placentiam egregiè Scipio defendit,ſed alterum,dum inconſultiùs pugnat,capitur.

Cn.Scipio in Hiſpania in hybernis Ilergetum gentem ſub ditionem redigit , pecuniâ mulctat, & obſides dare jubet : Inde Auſetanos & Lacetanos vincit. Cæſa ad 12 millia,& urbs Auſetanorum deditur,inde in hyberna redit.

Romæ circa diem 17. *Februarii , Magiſtratum ineunt :*

Coſſ. Cn. Servilius Geminus.
Q.Flaminius II.

Ille Romæ Conſulatum init ; hic Arimini : & Romæ nunciantur prodigia, & inter alia, Solis orbem minui viſum,item Lunam viſam cum Sole pugnantem,quibus verbis procul dubio Eclipſis Solis indicatur.

Ea accidit die 11. *Februar. feria ſeptima poſt meridiem horis* 4 *minut.* 5.35. *ubi latitud. parallax.* 28.21. *Latitudo vera* 18.27. *viſa* 10.4. *Semidiam. Solis* 15. 41. *Scrup. reſidua* 21.33. *Digiti eclipticci* 8.14. *Sol in gradu* 18,34. *Aquarii.*

Hannibal ad prima & dubia Veris ſigna ex hybernis profectus,& in Hetruriam exercitum ducturus , cùm à Gallis ubique inſidiis peteretur , atroci tempeſtate in Apennino conflictatur , & retrò in Galliam compellitur,ubi Sempronius Conſul æquo Marte cum ipſo decertat. Inde iterùm Hannibal cum exercitu profectus,in paludibus ferè mergitur, & ipſe & exercitus triduanis vigiliis conflictatur, cùm nullus in aquis extaret locus,ubi procumberet. Ipſe Hannibal æger oculis,altero oculo capitur, & exercitus graviſſimè affligitur. Inde refecto exercitu ad Thraſymenum inſidias Romano conſuli Flaminio nimium feroci ponit,& deprehenſum magna clade afficit,ipſum occidit,cùm quindecim millibus Romanorum,clades præterea alia acceſſit,quatuor equitum millium, qui Flaminio ab altero conſule auxilio miſſi fuerant,paulò poſt tamen Hannibal ad Spoletum coloniam cum magna cæde rejicitur. *Liv.*

Cn. Scipio claſſem Carthaginenſium adoritur, eamque ferè totam capit, inde Mandonium vincit, & Celtiberi ipſi regionem Carthaginenſium populantur , & Aſdrubalem vincunt, & tum demum P. Scipio Proconſul in Hiſpaniam cum milite venit,& conjunctus fratri obſides, quos Hiſpani Carthaginenſibus dederant,proditione intercipit,& Hiſpanis reddit,eoque ipſo facto ſibi ſocios facit. *Liv.*

Neapolitani, Pæſtani, & alii Romanorum ſocii Romanis in ſubſidium belli mittunt aurum,quibus omnibus gratiæ aguntur,nihil accipitur. Rex Hiero multos commeatus mittit, victoriam auream trecentorum viginti pondo : item milites levis armaturæ. *Liv.*

Antiochus & Ptolomæus reges exercitus ingentes in Syria contrahunt,ut prælio decertent. Ptolomæus habet exercitum ſeptuaginta quinque millium, & elephantos ſeptuaginta tres : Antiochus verò habuit ſeptuaginta octo millia militum , & 102. elephantos. Pugnaverunt acriter , & cornu quidem , cui Antiochus præfuit , vicit , alterum verò & media acies victa eſt, ceciderunt ad decem

millia

millia & amplius, & Ptolomæus totam Cœleſyriam recipit, & Antiochio pacem petenti concedit *Polybius.*

Ptolomæus deinde tantâ victoriâ partâ, hoſtias Deo & εὐχαριστήρια Hieroſolymis immolare vult, & introire in Sanctum Sanctorum, & omnia oculis perluſtrare, ſed prohibetur à Pontifice Maximo. Inde inexpiabili odio adverſus Judæos exardeſcit, & edictum proponit de Judæis in Palæſtina in Ægyptum in vinculis deducendis à die 25. Pachon uſque ad quartum Epiphi menſis, ſpatio quadraginta dierum, quo tempore multa millia Judæorum cum liberis traducta ſunt, ut à quingentis elephantis in Hippodromo conculcarentur. Accidit hoc die 19. Auguſti Juliani, feriâ ſextâ, ubi cum elephanti præter naturam abhorrerent ab immanitate hac, rex etiam pœnitentiâ ductus, Judæos ſalvos dimittit. Convenit autem initium hiſtoriæ hujus cum narratione Polybii, qui idem de Sicario tabernaculum regis Ptolomæi ſcrutante narrat; unde conjicitur & in ſequentibus veram hiſtoriam in hoc tertio Maccabæorum libro contineri.

Arato Prætore in Achaja, Philippus cùm hyeme Pæoniæ urbes quaſdam cepiſſet, Thabas Phthiotidas capit, veteres incolas haſtæ ſubjicit, & colonias ex Macedonia eò traducit, urbemque Philippopolim nominat: obſeſſæ autem ſunt Thebæ eodem tempore, cùm clades ad Thraſymenum accideret. Poſtea Philippus Argos profectus, Nemeorum ludorum ſpectat ſolennia. *Polyb.*

Romæ in locum cæſi conſulis ſufficitur

M. Attilius Regulus II. *& ut bellum rectiùs geratur, eo decurritur, ut* Dictator *crearetur.* Q. Fabius Maximus: *dudum is magiſtratus Romæ non fuerat. Is exercitu accepto, commeatum omnem in munitas urbes ab Italis convehi jubet, ipſe Hannibali oppoſitus, tutis locis caſtra munit: inde Hannibal in Samnium progreditur, omniaque igne longe latèque vaſtat, ſed tum in anguſtiis deprehenſus, fallaci conſilio per tauros, ignem ferentes vix evadit, & conflictatur perpetua inopia commeatuum, cùm de rapto, non ex preparato viveret, Romani contra, tot cladibus Sociorum & incendiis irritati, cùm Dictator tuta conſilia callidis præponeret, Minutium magiſtrum equitum Dictatori æquant, ſed Minutius pauloſt ab Hannibale victus, & à Fabio ſervatus, ſub imperium Fabii redit. Conſules etiam, cùm Fabius magiſtratu abiiſſet, eodem modo bellum ducunt, & Hannibalem ad extremam inopiam redigunt.* Liv.

Hiſce COSS. aſſes facti ſunt unciales, placuitque denarium ſedecim aſſibus permutari, in militari tamen ſtipendio ſemper denarius valuit denis aſſibus. Plin. lib. 33. cap. 2.

Annus Nabonaſſaris 532. *& annus Philippi, ac mortis Alexandri* 108. *incipit die* 16. *Octob. fer.* 3.

Philippus rex adhuc ante hyemen urbes, quæ defecerant, recipit, & Scerdilaidam bello perſequitur in Illyricum uſque. *Polyb.*

ANNO MUNDI 3734. Ante C.N. 214.
F. ☉ 18. ☽ 14.

Annus ab urbe conditâ numeratus 537.

Annus Ptolomæi Philopatoris in Ægypto 6.

Annus ſecundi belli Punici tertius.

Romæ cùm neuter Conſul bello abeſſe poſſet, Dictator dicitur L. Veturius Philo, *qui comitia creandis magiſtratibus habet, ubi creantur:*

Coſſ. C. Terentius Varro.
L. Æmilius Paulus II.

Annus Græcorum Judaicus 7. *incipit die* 2. *Aprilis, fer.* 3.

Antiochus facta pace cum Ptolomæo, conditionibus, quibus poterat, per totam hyemem exercitum contrahit, & vere primo Taurum montem tranſit, cum Attalo ſocietatem facit, & Achæum bello perſequitur. *Polyb.*

Philippus rex Macedoniæ contra centum lembos inſtruit, & Macedones exercet in remigando, eodem tempore, cùm Antiochus Taurum tranſcenderet. Meditabatur enim tum Philippus bellum contra Romanos, qui Demetrium Illyrico expulerant, ideò bellum etiam ſociale cum Ætolis deponitur. *Polyb.*

Annus triceſimus nonus periodi Calippicæ ſecundæ incipit die 28. *Junii, fer.* 6.

Romani ad Cannas temeritate Conſulis Terentii Varronis omnium maxima clade afficiuntur. Conſul Æmilius cum quadraginta millibus Romanorum, cum Senatoribus, viris Conſularibus, Prætoriis & Ædilitiis octoginta, & duobus millibus ac ſeptingentis equitum occumbit. Accedit clades, ut Macrob. habet, die 4. Nonarum Sextilium, qui ad Calendarium Julianum hoc anno eſſet die 8. Julii. Non tamen tanta clade affecti ſuccumbunt ſed Dictatore M. Junio Pera *creato exercitum reparant conditiones pacis rejiciunt, nec captivos etiam redimunt, ſed legatum Delphos mittunt, de modo gerendi belli & fine ejus Oraculum conſulturum. Interim ſacrificium extraordinarium factum. Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro boario ſub terram vivi demiſſi ſunt, in locum ſaxo conſeptum, hoſtiis humanis alias minime imbutum.* Liv.

Dux etiam virgines veſtales, *Opimia & Floronia* ſtupri compertæ ſunt; altera ſub terram viva defoſſa eſt; altera mortem ſibi conſciverat, ſtuprator eo uſque virgis cæſus eſt, ut inter verbera expiraret. *Livius.*

Olympias 141. *acta die* 12. *Auguſt. fer.* 2. *Eſt annus Olympiadicus* 561.

Victor Stadii *Dorotheus* Rhodius.

Cleomachus obtinuit hac Olympiade palmam Pancratii. *Pauſ.*

Hannibal poſt pugnam Cannenſem Coſſam urbem in Samnio deditione capit, ſed *Neapolin* profectus repellitur. Ideò Capuam petit, quæ interfectis Romanis, qui tum ibi morabantur, ad Hannibalem deficit. Inde idem Nuceriam deditione capit, quam incendit & delet; ad *Nolam* verò, ubi Marcellus erat, primùm poſt Cannenſem pugnam aperto Marte vincitur, inde Acerras diripit, & incendit. & *Caſilinum* obſidione cingit, magnamque exercitûs partem Capuam in hyberna dimittit. *Liv.*

Annus Alexandræus 97. *& Chaldaicus* 96. *incipit die* 26. *Sept. fer.* 5.

Nothatus rex Scotorum moritur, cùm annos viginti regnaſſet, ſuccedit ipſi Reutherus, qui regnat annis 26. *Buchan.*

Cùm Aſdrubali *in Hiſpania ſupplementum mitteretur, caſtra propiùs Scipiones movet, ſed turbatus defectione nautarum ad Capeſiorum gentem deflectit, eoſq; nimiũ ſibi fidentes vincit, & in deditionem accipit, inde de itinere in Italiã conſilia agitat, ut fratri Hannibali, jũgeretur, ſed à Scipionibus egregiè vincitur, quâ clade*

fractus

fractus, voluntatē in Italiam transeundi abiicit, cùm vix manendi tutò in Hiſpania facultatē haberet. Liv.

Num. *Fabius Buteo* Romæ Dictator creatur, Senatus legendi cauſa, qui in locum defunctorū, centum & ſeptuaginta ſeptem in ſenatum legit. *Liv.*

Pruſias rex Bithyniæ Gallos, qui in Helleſponto urbibus inſidiabantur, prælio trucidat, uxores & ſobolem occidit, & omnia eorum militibus diripienda præbet. *Polyb.*

ANNO MUNDI 3735. *ante.* C. *N.* 213.
E. ☉. 19. ☽ 15.

Romæ circa diem 9. Februarij Juliani, magiſtratum ineunt.

Coſſ. Tib. Sempronius Grachus, *Sed*
L. Poſtumius Albinus III. *deſignatus conſul, prinſquam magiſtratū iniret, in Gallia cùm viginti quinq; millibus armatorū, in ſylva quadā inſidiis Gallorū deprehenſus, occidione occiditur.* Liv.

Caſilinum tota hyeme obſeſſum Hannibali deditur, cùm præſidium fame plusquàm humana conflictatum eſſet. *Liv.*

Grachus cùm conſulatum iniſſet, paulò poſt comitia habet, quibus creatur *Coſſ. M. Claudius Marcellus II.* ſed cùm eodem tempore tonuiſſet, vitio factus videbatur, quòd tum primùm duo plebei conſules creati eſſent. Ideò abdicatur, & ſuffectus eſt *Coſſ. Q. Fabius Maximus III. Petellia* urbs in Brutiis poſt aliquot menſium obſidionem, tandem ab Himilcone fame potiùs, quàm vi expugnatur, & *Conſentia* deditione capitur. Brutii per ſe *Crotonem* urbem obſident, urbs ea magna fuerat ante Pyrrhi adventum in Italiam, ambitu in duodecim millium paſſuum, ſed eo bello vaſtata vix dimidia parte habitabatur, capta igitur eſt à Brutiis præter arcem, quam optimates tenebant. Optimates tandem arce dedita Locros concedunt, & Crotonem Brutii ſibi retinuerunt. Locri etiam poſtea aſtu Carthaginenſium capiuntur, cùm plebem, quæ agros & commeatum curabat, urbe excluſiſſent. *Liv.*

Antiochus rex Aſiæ, cùm omnia, quæ Achæus habuerat, recepiſſet, ipſum Sardibus obſidet, quæ obſidio in alterum uſq; annum protracta eſt, ubi capiuntur aſtu Lagoræ Cretenſis. *Polyb.*

Campani Cumanis inſidias ſtruunt, quas conſul *Grachus* in inſidiatores vertit, & eorum duo millia occidit. Paulò poſt *Marcellus* Hannibalem ad Nolam aperto prælio vincit, & ad Romanos equites Numidæ & Hiſpani ultra mille transfugiunt. *Liv.*

Philippus rex Macedoniæ, inquieti animi homo, ſocium ſibi decertantium populorum vel Carthaginenſes vel Romanos electurus, ad Fortunam, quæ Carthaginenſibus proſpera fuerat, cùm Hannibal Romanos tertium viciſſet, inclinat, ſed legati capta nave à Romanis intercepti, annui ſpatii moram rei gerendæ interpoſuerunt. *Liv.*

Scipiones in Hiſpania petunt à Senatu commeatum, veſtimenta & alia ad claſſem pertinentia, quæ, cùm ærarium inops eſſet, à publicanis privato ſumptu curantur: quibus impetratis, Scipiones Pœnorum Duces binis præliis vincunt, ternis caſtris exuunt, & ad triginta hominum millia occidunt, majoresq; ibi gerebantur res, quàm in Italia. *Liv.*

Mutius Scævola Prætor in Sardiniam miſſus in morbum incidit, Carthaginenſes occaſione oblata eam inſulam intercipere conantur, miſſo Haſdrubale, Romani ut inſulam ſibi ſervarent, T. Manlium mittunt cum legione, qui primùm Sardos vincit, inde etiam Pœnos unà cum Sardis aggreditur, duodecim millia occidit, Haſdrubalem & alios nobiles Carthaginenſes capit, urbes hoſtiles recipit, & copias Romam reducit. *Liv.*

Hiero rex Siciliæ moritur, ejus filius Gelo ad Pœnos deſciſcit, & exercitum contra Romanos conſcribit, ſed in ipſo apparatu moritur; paulò poſt cum Gelo etiam mortuus eſſet, ſuccedit Hieronymus nepos, & quindecim annorum puer, qui fœdus init cum Carthaginenſibus, ut pulſis Romanis tota Sicilia ſibi cedat. *Liv.*

Puteoli *primùm à Q. Fabio conſule ex autoritate Senatus muniuntur.* Liv.

ANNO MUNDI 3736. *ante* C. *N.* 212.
D. ☉ 20. ☽ 16.

Philippus in Peloponneſum à Meſſeniis accitus, cùm ſeditione laborarent, utrique parti faces addit, efficitque, ut vulgus Senatum & Principes alios civitatis ducentos trucidaret. Aratus filius tum Prætor acerbè in regem invectus eſt, propter hoc atrox facinus, ſed ſenior Aratus civilitate ſua Philippo perſuaſit, ut Meſſenios liberos relinqueret. Idem tamen Aratus noluit eundem comitari, expeditionem in Epirum molientem. *Plutar.*

Romæ circa diem 13. Febr. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Fabius Maximus Cunctator IV.
M. Claudius Marcellus III.

Grachus Proconſul, ſub quo ſervi in publicum redempti jam alterum annum merebant, Hannonem vincit, exercitumq; ejus ferè ad internecionem cædit; inde hiſce Volonibus dat libertatem. *Liv.*

Hannibal ad Nolam tertiò à Marcello vincitur, maxima fuiſſet affectus clade, ſi *Claudius* Nero rectè à tergo ſe Hannibali, ut conſtitutum fuerat, cum equitibus oppoſuiſſet. Poſtea Caſilinum à Marcello recipitur, & Campani Romæ in carcerem coniiciuntur. Hannibal interim in agro Tarentino ferè totam æſtatem conſumit; cùm univerſum ferè Samnium duce Fabio ſub imperium Romanum rediret, & perfugæ capti virgis cæderentur, & de ſaxo Tarpeio deiicerentur. *Liv.*

Hieronymus novus Syracuſis rex interficitur, & Syracuſani libertatem ſibi recuperatam rati, ſub Hippocrate & Epicide, atque aliis pœnorum ſociis crudeliter habiti, in triſtiſſimam ſervitutem recidunt. Marcello Conſuli hæc provincia evenit, qui cùm in Siciliam veniſſet, & hoſtilia agi à Syracuſanis ſenſiſſet, Leontinos expugnat. Syracuſas obſidet, & majores copias ex Italia evocat. Nec Pœni ſuis rebus deſunt; ita ut bellum videretur in Siciliam tranſlatum. Murgantia urbs ad Pœnos deficit, prodito præſidio, idem faciunt aliæ urbes, cùm Ænna urbs idem conaretur, à ſuo præſidio Romano opprimitur & diripitur. *Liv.*

Philippus ex Macedonia tandem inchoat bellum, & Romanorum ſocias urbes in Epiro excindere conatur, quæ auxilia fortia accipiunt. Cum igitur Apolloniam obſideret, Romani ejus caſtra nocturno prælio invadunt, ipſe vix ſeminudus, fugit; inde cum navibus effugere non poſſet, naves ſuas ipſe cremat, & in Macedoniam ſpoliatus & inermis redit. *Livius.*

• *In Hiſpania Scipiones quater cum Carthaginenſibus prælio hac æſtate congrediuntur, ſemperq́; ſunt victores;*

quare hoſtium ad quadraginta millia ceciderunt; inde reſtituunt Saguntum, *& cultoribus antiquis reddunt. Turdetanos vero, in quorum gratiam Saguntum exciſum fuerat, ſub corona vendunt, & urbem delent.* Liv.

Hiſce *Coſſ.* claſſis à privatis civibus Romæ paratá eſt, & in Siciliam miſſa cùm Senatores ſinguli darent octo nautas cum annuo ſtipendio, reliqui cives pro ſuis facultatibus pauciores. *Liv.*

Romæ *Cenſores* M. Atilius Regulus, & Publius Furius, ad mores hominum regendos intenti, multos acri cenſura notarunt, verùm cùm Furius moreretur, alter abdicavit, nec luſtrum conditum eſt *Liv. Tab. Cap.*

ANNO MUNDI 3737. *ante* C. *N.* 211.
CB. ☉ 21. ☽ 17.

Roma circa diem tertium Februarii Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Fabius Maximus Cunctatoris Filius.
Tib. Sempronius Grachus. III.

Ludi Scenici per quatriduum hoc anno Romæ primùm facti. Liv.

Fabius conſul Arpos nocturno ſtrategemate, cum imbre eſſet, recipit, ubi Hiſpani ferè mille pacti, ut præſidium Punicum ſine fraude dimitteretur, ſigna ad Conſulem tranſtulerunt. *Liv.*

Philippus rex Macedoniæ iterùm in Peloponneſum veniens, cùm multa ageret, quæ nec Arato ſeniori, nec Arato juniori probabantur, ipſe tamen ſeniorem Aratum magis metueret, veneno eum tollere jubet. *Polybius Plutarchus.*

Archæus poſt captas Sardes arci incluſus, nullam rationem evadendi videt; quapropter ex Ægypto à rege Ptolomæo ipſi mittitur Bolis quidam Cretenſis; qui eum quidem ex arce deducit, ſed eundem Antiocho prodit, à quo cum cruciatu eſt occiſus.

Carneades Philoſophus naſcitur, ſi, ut Diogenes Laertius ſcribit, fuit octoginta quinque annorum, cùm moreretur.

Scipiones in Hiſpania ſpem in Africam extendunt & Syphaci regi Numidarum ſocietate junguntur, eumque in ordinanda diſciplina militari contra Carthaginenſes & inſtruunt & erudiunt; ſed Carthaginenſes Maſiniſſam ſeptendecim annorum adoleſcentem excitant, qui ſuſcepto contra Syphacem bello eum vincit, & triginta millia occidit. *Liv.*

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei Judaici 26. incipit die 22. Septemb. fer. 5. Eſt hebdomas Danielis 31. Anno Judaico 3549.

Conſentini & Thurini magna Græcia, quiq; antea ad Hannibalem defecerant, ad Romanos redeunt. Liv.

Annus Nabonaſſaris 536. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 112. *incipit die* 15. *Octob. fer.* 7.

Romæ multa ſacra peregrino ritu à vulgo inſtituuntur, ea Senatus conſulto prohibentur; decerniturque ut libri hujuſmodi vaticini ad Prætorem deferantur ante futuras Calendas Aprilis.

Dictator Comitiorum habendorum cauſa C. *Claudius Cento.*

ANNO MUNDI 3738. *ante* C. *N.* 210.
A. ☉ 22. ☽ 18.

Annus à condita Roma numeratus 541.
Annus Ptolomæi Philopatoris in Ægypto 10.
Annus belli Punici ſecundi ſeptimus.

Roma circa diem 5. Februarii Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Fulvius Flaccus.
Ap. Claudius Pulcher.

Annus Græcorū Judaicus 101. *incipit* 18. *Mar. fer.* 7.

P. Cornelius Scipio Africanus ædilis factus, contra legem annariam. *Liv.*

Publicani Romæ de fraudibus quibusdam in Rempublicam accuſati, Tribunos plebis in ordinem cogunt, & vim facere conantur, ob eam rem exilio mulctantur, & bona eorundem publicantur. *Liv.*

Cùm Cannenſis cladis reliquiæ in exercitu ante biennium in Siciliam ablegarentur, ne in Italiam redirent, quoad hoſtis in Italia eſſet, hujus anni initio petunt à Proconſule Marcello in Sicilia, ſe militiæ iterùm adſcribi, idque obtinent conſentiente Senatu: hac tamen conditione, ne in Italiam reportentur, ne ob virtutem vel laudentur vel coronentur. *Liv.*

Latina hoc anno celebratæ quinto Calendarum Maji, die 42. poſt initum Conſulatum.

Vaticinium invenitur de clade Cannenſi antiquum, cui annexa fuit ratio Ludorum, ut alienigenæ Italia pellantur: quapropter hoc anno *Ludi Apollinares* primùm facti, victoriæ non valetudinis ergò. *Liv.*

Romanus populus obſides Tarentinos & Thurinos, quòd clanculum profugiſſent, retrahunt, & virgis cæſos de ſaxo deiiciunt, qua crudelitate Tarentini ac Thurini moti ad Hannibalem deficiunt; quos ſecuti ſunt Metapontini, cùm præſidium ibi traduceretur, ad defendendam arcem Tarentinam.

Annus 43. *periodi ſecunda Calippica, incipit die decimo quarto Julii, fer.* 6.

Olympias 142. *acta die* 29. *Julii, fer.* 7. *Eſt annus Olympiad.* 565.

Victor Stadii *Crates* Alexandrinus.

Sempronius Grachus Proconſul fraude Lucanorum in inſidias præcipitatus occumbit.

Hannibal tandem Tarento potitur proditione; arcis autem expugnandæ nullam rationē videt. Naves tamen Tarentinorum per urbem traducit in mare apertum, ut commeatū liberum haberent. *Liv.*

Conſules ad Beneventum caſtra Hannonis expugnant & frumentatores Campanos capiunt, & Capuam obſidere conantur, ſed adveniente Hannibale conſules in diverſum abeunt. *Liv.*

Annus Alexandræus 101. *& Chaldaicus* 100. *incipit die* 11. *Sept. fer.* 2.

Hannibal M. Centenium tribunum militum, cui petenti Senatus legionem militum dederat, vincit, ejusque exercitum ad 14. millia internecione occidit. Paulò poſt etiam in Apulia Cn. Fulvium Prætorem diſciplinæ militaris negligentem ſimili clade vincit. *Livius.*

In fine anni obſeſſa Capua, ut apparet ex edicto conſulum, qui invitant Campanos ad transfugiendum ad Romanos, ante Idus Martias. Cùm verò magnum ineſſet Hannibalis præſidium equitum ferè nec Romani parem equitatum haberent, velitum uſus inventus eſt; qui levis armaturæ homines equis inſilire, & pedites poſtea inter equites pugnare aſſueverant. Liv. *l.* 26.

Marcellus *initio veris Syracuſas proditione fruſtrà tentat, unde tracta obſidio, donec fortè fortuna miles quidam deprehendit altitudinem murorum urbis tantam non eſſe, quantam crediderat: parantur ergò ſcalæ.*

& Sy-

& Syracuſæ capiuntur, die feſto Dianæ, circa autumnum. Per partes tamen eandem capit, non totam ſimul. Captam tandem univerſam diripit, in qua direptione Archimedes Mathematicus à milite caſu periit, quem Marcellus ſepeliri curat, & Carthaginenſes paulo poſt iterum vincit. Liv.

Scipiones in Hiſpania Pœnos planè profligaturi, à Celtiberis, quos mercenarios habebant, cum Aſdrubal ipſis plus pecuniæ numeraret, deſeruntur, & in locis diverſis ambo triginta dierum ſpatio trucidantur.

L. Martius Pœnos victoria exultantes reprimit, expugnatque unius diei ſpatio tria Pœnorum caſtra, occiditque hoſtium ad triginta ſeptem millia Liv.

ANNO MUNDI 3739. ante C.N. 209.
G. ☉ 23. ☽ 19.

Romæ circa diem 26. Januarii Juliani, Magiſtratus ineunt:

Coſſ. Cn. Fulvius Centumalus.
P. Sulpitius Galba Maximus.

Cn. Fulvius Prætor, qui ſuperiore anno diſciplinam militarem neglexerat, & malè pugnaverat, in exilium ejicitur. Liv.

Hannibal obſidium Capuæ ſoluturus, improviſò caſtra Romana aggreditur, & Campani ſimul eruptione pugnant, ſed Romani ab utraq; parte ſe acerrimè defendunt, & prælio Hannibal repellitur, & Campani in urbem rediguntur. Repulſus Hannibal Romam cum exercitu pergit, ubi cùm occaſio prælii nulla eſſet, tandem contemptus in Brutios redit, Capua deditur, Senatus ſecuri percutitur, & populus reliquus variè ſequenti anno diſtrahitur. In ædificia vel incendiis vel ruinis nihil ſævitum, urbs, ut aratorum ſedes eſſet, relicta, ſine Senatu: tamen Præfectus quotannis eò miſſus eſt. Liv.

Claudius Nero lectis ad tredecim millibus militum in Hiſpaniam mittitur, ubi ab Haſdrubale in loco iniquo deprehenſo ſcribendis conditionibus pacis aſtu Punico fallitur. P. Scipio Africanus, juvenis 25. annorum, Centuriatis comitiis electus Proconſul in Hiſpaniam cum exercitu undecim millium mittitur, circa autumnum. Liv.

Antiochus Aſiæ rex, cùm totum regnum recepiſſet, memor cladis à Ptolomæo ſibi illatæ, Syriam univerſam recuperat, & Ptolomæi præfectos pellit Joſeph. Daniel. Euſebius.

Valerius Lævinus, qui hactenus Epirū obtinuerat, ſocietatem belli init cum Ætolis contra Philippū regem, hac conditione, ut Romanus Ætolos juvaret, non minus quàm quinq; & viginti quinq; triremibus. Belliq; ſtatim captū eſt, & Zazynthus, Naxus & alia loca capta Ætolis data ſunt, præda alia Romanorum manſit. Liv.

Marcellus ex Sicilia Romam venit, & rebus ſuis præclarè geſtis meritus quidem erat triumphum, ſed cùm exercitum teſtem meriti triumphi ſimul ſecum deducere non poſſet, in monte Albano triumphat, & ovans urbem ingreditur. Liv. & Tab. Cap.

ANNO MUNDI 3740. ante C. N. 208.
F. ☉ 24. ☽ 1.

Romæ circa diem 30. Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Claudius Marcellus.
M. Valerius Levinus.

Cùm pecunia in ærario non eſſet, & privati ulteriùs claſſibus remiges præbere non poſſent, Conſules ſuadent, ut primùm omnes Senatores aurum & argentum atque ſignatum, quod haberent, in publicum conferant, & Reipub. mutuò dent, quam liberalitatem ſecuta etiam eſt plebs, atque ita dum Rempubl. ſuis opibus tuentur, ſuas opes ſimul conſervant. Liv.

Hannibal urbes in Italia, quas præſidiis tenere non poterat, ſpoliat, ut eas vacuas Romanis relinqueret. Ea injuria abalienati multi Romanos reſpicere incipiunt, & Salapia urbs prodito præſidio equitum Romanis deditur. Liv.

Tarentini cùm pabulatum urbe exiiſſent, à Livio vincuntur, Romani contra claſſem viginti navium à Tarentinis victi amittunt. Liv.

Lævinus Conſul in Sicilia, Agrigentum capit, hoſtes tota Inſula pellit, Siculoſque poſitis armis agriculturæ ſtudere jubet, atque ita Siciliam provinciam facit. Aſſuetos autem latrociniis & militiæ in Inſula collectos ſecum Rhegium deducit, ad populandum Brutium agrum. Liv.

Scipio Africanus in Hiſpania eo ipſo die, quo ad Carthaginem novam venerat; eam expugnat, ingentemque apparatum belli, cum obſidibus Hiſpanis, quos Carthaginenſes tanquam in tutiſſimo loco ibi depoſuerant, capit, quos parentibus ſuis remittit, & juſtitia, liberalitateque efficit, ut Hiſpani certatim Romanos juvarent. Liv.

Marcellus aliquot oppida in Samnio capit, ſed Fulvius Proconſul ac Hannibale cum exercitu ad Herdoneam ferè ad internecionem cæditur. Marcellus verò ad victorem Hannibalem properat, cum eo congreditur, primùm æquo marte, poſt eum ad Venuſiam clade afficit. Liv.

Syphax Numidiæ rex renovat amicitiam cum populo Romano, ad quem Romani legatos ut & Alexandrum ad Ptolomæum & Cleopatram amicitiæ ergò mittunt. Liv.

Cenſores hoc anno fuerunt L. Veturius Philo & P. Licinius Craſſus, ſed Philone mortuo alter abdicavit.

Dictator Comitiorum cauſa Q. Fulvius Flaccus.

ANNO MUNDI 3741. Ante C. N. 207.
ED. ☉ 25. ☽ 2.

Romæ circa diem 20. Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Fabius Maximus Cunctator V.
Q. Fulvius Flaccus.

Duodecim Romanorū coloniæ, quòd bellum hoc Punicum diu gereretur, & quotannis ferè magna clade pugnaretur, & milites poſt cladem in Siciliam relegarentur negant ſibi amplius eſſe, unde milites darent, voluntq; tandē pacem fieri. Reliquæ tamē Coloniæ octodecim & milites & ſubſidia belli animoſè offerunt. Liv.

Aurum vicesimarium in sanctiore ærario ad ultimos Reipublicæ caſus reſervatum, promitur, & nummo ſignato Romani uti cœperunt. Liv.

Cenſores creantur M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus, quorū neuter Conſularis erat. Luſtrū fecerunt quadrageſimū quartum, in Principe Senatus legendo controvertitur inter Cenſores, cùm hactenus princeps Senatus lectus fuiſſet, qui primus Cenſor fuiſſet, ex his, qui viverent. Sed Sempronius ſe vel judice Hannibale principem Senatus lecturum, Q. Fabium Maximum aſſerit, quod & factum eſt. Liv.

Marcellus ſtatim in vere contra Hannibalē profectus, eum variis modis exagitat, quibus Hannibal irritatur, milites ſuos hortatur ad virtutem, ut tandem

Marcellũ compeſcant, atq; ita acie Marcellum vincit. Marcellus ſuis militibus iratus, eos acerbè increpat, & hortatur, ut ſequenti die hanc maculam delere velint, quod & faciunt, & octo ferè millia hoſtium occidunt cum quinque Elephantis. Liv.

Machanidas tyrannus Lacedæmoniorum finitimo bello urit Achæos: idem faciunt Ætoli: quapropter Philippus rex venit Achæis auxilio, & Ætolos Romanosq; vincit, inde intercedentibus legatis regis Ptolomæi, Rhodiorum & Athenienſiũ, induciæ fiunt triginti dierum, quo tempore Heræa Argis celebrata ſunt, præſide Philippo rege; inde de componendo bello, cùm induciæ finitæ eſſent, actum. Cumq; id per Ætolos componi non poſſet Philippus ad Nemea peragenda profectus eſt, Sulpitius interea, Nemeorum tempore, Corinthiorum agrum longè lateq; populatur, ſed Philippus à ludis excitus præda Romanos exuit, & multis cæſis in naves redigit. In eiſdem Nemæis ludis Philippus Arato juniori adimit uxorem, nomine Policratiam, quam ſpe regiarum nuptiarum in Macedoniam aſportat, & Arato curat venenum præberi, quo mente motus eſt. Ipſe paulò poſt ad Elim à Romanis vincitur, ubi in magno periculo fuit, ne caperetur: cùm verò audiret, Macedoniam à Barbaris vaſtari, relicto Ætolico bello in regnum redit. *Liv.*

Fabius Maximus, dum Hannibal in Brutiis eſt, Tarentum aggreditur, militavit ſub ipſo ad Tarentum Cato major, qui ſub eodem antea ſtipendia prima fecerat, cùm eſſet quartum Conſul: & Fabius quidẽ Tarentum proditione capit, cum ingenti præda, inter cætera triginta milla ſervorum, & auri argentique magnam vim adeptus eſt, Triumphavit de iis ſequenti anno. *Liv. Tab. Cap.*

Scipio Africanus in Hiſpania ad Betulam urbem Haſdrubalem, Hannibalis fratrem montes ex deſperatione occupantẽ, magno prælio vincit, Hiſpanos captivos liberos dimittit, Afros vendit. Qua victoria factum, ut omnes milites & Hiſpani à Carthaginenſibus deficerent. Ideò Aſdrubal neceſſitate quadam adactus in Galliam abit, inde ad fratrem Hannibalem tranſiturus. *Liv.*

Annus Nabonaſſaris 540. & annus Philippi ac mortis Alexandri 116. incipit die 14. Octob. fer. 4.

Antiochus recepta & ordinatâ Syriâ in Parthos movet, & Arbacem Parthum multis præliis fundit & urbem Syringem, Hyrcaniæ caput, deditione capit. *Polyb.*

ANNO MUNDI 3742. *Ante* C. *N.* 206.

C. ☉ 26. ☽ 3.

Annus à Roma condita numeratus 545.

Annus Ptolomæi Philopatoris 14.

Annus belli Punici ſecundi undecimus.

Romæ circa diem 22. Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Claudius Marcellus.
T. Quintius Criſpinus.

Annus Græcorũ Jud. 105. incipit die 3. Apr. fer. 3.

Hetruſci de defectione ad Hannibalem ſuſpecti quieſcunt, cùm Marcellus adveniret, ſtatim tamen eo diſcedente iterùm moventur: quapropter obſides Senatorum liberi ſumuntur, & præſidia urbibus ſuſpectis imponuntur. *Liv.*

Ætoli in Græcia, ob ſocietatem Romanam & adventum Attali, depopulantur Acarnanes & Bœotos, Achæi etiam in metu ſunt, quos præter Ætolos, Machanidas Lacedæmonius tyrannus caſtris ad Argos poſitis terret. Hiſce omnibus Philippus rex opem ſuam pollicetur, interim Sulpitius & Attalus Oreum proditione capiunt, & paulò poſt Opuntiorum urbem. *Liv lib.* 28.

Machanidas etiam Eleos, ſolennem Olympiorũ ludum parantes aggredi ſtudet, quem Philippus adventu ſuo adeò terret, ut domum rediret. Philippus etiam omiſſo bello in Macedoniam redit. *Ibid.*

Senatus Romanus legatum in Græciam ad Olympia mittit, qui ibi proclamari juberet, ſi Siculi aut Tarẽtini bello profugi, aut ab Hannibale pulſi in Græcia eſſent, ut redirẽt, ſua omnia ipſis per Romanos futura ſalva. Liv.

Annus quadrageſimus ſeptimus periodi Calippicæ ſecundæ, incipit die 30. Junii, fer. 4.

Olympias 143. acta die 14. Aug. fer. 7. Eſt annus Olymp. 569.

Victor Stadii *Heraclitus* Samius.

Chryſippus Philoſophus Stoicus moritur hac Olympiade, cùm vixiſſet annos 73. Fuit diſcipulus Cleanthis, qui medius fuit inter *Zenonem* & Chryſippum. *Diog. Laert.*

Ludi Apollinares cùm peſtis ſimul ingrueret, cùm hactenus indici ſolerent, Senatus Conſulto in ſtatum diem moventur, ut fierent quotannis die tertio Nonarum Quintilium.

Onias filius Simeonis, qui annis 25. Pontificatum Hieroſolymis adminiſtrarat, fit pontifex maximus annis circiter 36. *Euſeb.*

Annus Alexandræus 105. & Chaldaicus 104. incipit die 27. Sept. fer. 7.

Hannibal duobus Conſulibus impar, totus eſt in inſidiis ſtruendis, & primùm Tarentinum præſidium ad obſidendos Locros profectum in ſaltu deprehendit & interficit, inde utrumque Conſulem, qui ſpectatum vicina loca profecti erant, ex inſidiis adoritur, & Marcellum quidem trucidat, Criſpinum autem vulneratum fugat, inde Locrorum obſidionem ſolvit. *Liv.*

Levinus *in Africam prædatum abit, ibique claſſem Carthaginenſium vincit, & decem atque octo naves intercipit.* Liv.

Philopœmen, cùm octo menſes in apparatu copiarum & exercitatione earundem impendiſſet, adverſus Machanidam Tyrannum movet, eundemque qui fugientes quoſdam perſecutus erat, revertentem ad Mantineam occidit, cum quatuor millibus militum. *Polyb. Plutarch.*

Antiochus rex Aſiæ, cùm in Bactriana regione cũ Euthidemo bellum geſſiſſet, tandem pacem cum eo facit, & regium ei titulum concedit ante hyemem. *Polyb.*

Cùm uterque Conſul periiſſet, T. Manlius Torquatus Dictator *anteà dictus erat, & ludorum & Comitiorum cauſa.*

ANNO MUNDI 3743. *Ante* C. *N.* 205.

B. ☉ 27. ☽ 4.

Romæ circa diem 12. Jan. magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Claudius Nero.
M. Livius Salinator. II.

Junoni reginæ in aventino feſtum inſtitutum, in quo ſeptem & viginti virgines longam indutæ veſtem, & carmen in Junonem reginam, ab Livio Poeta factum, per urbem canentes, in Aventinum perrexerunt, ubi duæ boves fœminæ albæ in ſacrificio oblatæ, & pelvis aurea eidem dicata eſt. *Liv.*

Aureus nummus, *teſte Plin. lib.* 33. *cap.* 3. primùm Romæ percuſſus, ita ut ſcrupulum unum valeret ſeſtertiis vicenis: quod ſi verum eſt, aurum in magno pretio habitum fuit, cùm drachma auri valuerit ſeſtertiis ſexaginta, hoc eſt, quindecim denariis duobus florenis cum dimidio, dritthalb Gülden.

Nicanor Sicambrorum vel Francorum rex annò regni decimo quarto, à Gothis, denuo è Scandia erumpentibus, vincitur, unà cum auxiliaribus Doringis. Paulò poſt tamen reparato exercitu hoſtes ſuos Gothos iterùm vincit, & finibus pellit. *Trith. in Chron.*

Claudius, Conſul ad Grumentum collatis ſignis cum Hannibale pugnat, & ad octo hoſtium millia occidit, fugientem hoſtem aſſecutus, iterum tumultuario prælio aliquos occidit. Inde inopinante Hannibale cum flore exercitus caſtris digreſſus ad Liviũ Conſulem in Gallias proficiſcitur, ibiq; Haſdrubalem; qui Alpes cum exercitu tranſierat, & auxilia Hannibali adducebat, adjuvante Collega Livio, cum toto exercitu trucidat; quinquaginta ſex millibus hoſtium occiſis; reditq; die ſexto poſt pugnã in ſua caſtra. Hannibal tanto vulnere, tã privato, quam publico ictus, Metapontinos & quoſdã alios, ex ſuis ſedibus excitos, in Brutium agrum traducit. *Liv.*

Cato major Claudii caſtra ſecutus, ad Senam contrà Haſdrubalem ſimul proficiſcitur, ubi in prælio ejus opera magni æſtimata fuit; *teſte Cornelio nepote in frag.*

Scipio *Africanus in Hiſpania cum pœnis proſperè pugnat; Hannonem ducem capit; & Haſdrubalem fugat. Inde Oringin urbem per fratrem expugnat, & captivos Romam mittit.* Liv.

Conſules de Pœnis & Haſdrubale victo triumphant, & M. Livius, alter Conſul Dictator dicitur comitiorum cauſa. Liv.

ANNO MUNDI 3744. *ante* C. *N.* 204.

A. ☉ 28. ☽ 5.

Roma circa diem 16. *Januaris Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Q. Cæcilius Metellus.
L. Veturius Philo.

Lucani omnes in ditionem populi Romani redeunt.

Cum Hannibale nihil rei hoc anno geſtum eſt, cùm ſe nuſquam certamini offerret, nec Romani Duces tantum Ducem temerè laceſſere voluerunt. Liv.

Haſdrubal, Giſgo, & Mago Barchinus iterùm ingentem contrahunt exercitum, cui, ut par eſſet; Scipio Hiſpanorum auxilia quædam accivit, & ultimo hoc prælio ambos vincit, fugat, & tandem Hiſpaniã pellit, anno quinto, quam in Hiſpaniam veniſſet. Inde in Africam cum duab. navibus ad Syphacẽ regem profectus; cum ipſo fœdus fecit; & paulò poſt reverſus Illiturganos & Caſtulonenſes, qui præſidia poſt cladem Scipionum trucidarant, meritis pœnis afficit. *Liv.*

Annus ſabbathic. tertius Jobelei Jud. 26. *incipit die* 5. *Sept. fer.* 3. *Eſt hebdomas Danielis* 32 *Anno Jud.* 3556.

Scipio, cùm in morbum incidiſſet, non ſolum exercitus ſui pars deficit, ſed etiam Socii in Hiſpania. Exercitum interfectis autorib. ſeditionis in gratiam recipit: cum Regulis verò pugnat, & Hiſpanorum exercitum ferè totum cadit, inde fœdere inito cum Maſiniſſa, Romam proficiſcitur. Liv.

ANNO MUNDI 3745. *ante* C. N. 203.

GF. ☉ 1. ☽ 6.

Roma circa diem 6. *Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. P. Cornelius Scipio Africanus.
P. Licinius Craſſus Dives.

Scipio, cum non liceret delectum militum habere, à ſociis civitatibus in Hetruria impetrat, ut ſibi ædificarent & inſtruerent triginta navium claſſem, voluntariorumq; militum ſibi ſcribit ſeptem millia, quos ſecum in Siciliam deduxit. Liv.

Mago Barchinus, accepta claſſe & pecunia, cum elephantis à Senatu Carthaginenſi; in Liguriam movet, & Genuam urbem capit, ſocietatemque cum Liguribus facit, & toto hoc anno militem conſcribit. *Liv.*

In Hiſpania Indibilis & Mandonius, quòd unicum tantum Ducem Romanis ſupereſſe putarent Scipionem, rebellant, ſed à præſidibus Hiſpaniæ exercitibus magnà clade victi autores belli & ſeipſos tradunt, & duplex militibus ſtipendium cum togis & veſtimentis exſolvunt. *Liv.*

Maſiniſſa à Syphace regno ſuo pellitur, quod quidem ſæpiùs & magnanimo, ſed irrito tamen conatu recuperavit. Pulſis igitur, vagus cum paucis equitibus in Africa obverſatus eſt. *Liv.*

Scipio in Sicilia exercitum egregiè ordinat & exercet indeq; Lælium in Africam prædatum mittit. Reverſo Lælio *Locros urbem in Italia recipit, eiq;* Pleminium *Proquæſtorem præficit, qui crudeliter Locrenſibus præeſt, atq; ob id ſequente æſtate à Romanis captus & in vinculis Romam ductus eſt.* Liv.

In Libris Sibyllinis inventum, Matrem *Deum ex Aſia Romam advehendam; ſi alienigenam, ex Italia hoſtem pellere velint. Legati igitur in Græciam mittuntur quæſitũ de ea, & Delphis reſponſum accipiunt, Attalum regem eam daturum, ipſi curarent, ut eam, qui vir optimus eſſet, Romæ hoſpicio exciperet.* Liv.

M. Marcellus dedicat ædem virtutis, anno ſeptimo decimo exacto; poſtquam à parte ejus primo Conſulatu in Gallia ad Caſtidium vota erat. *Liv.*

Annus Nabonaſſaris 544. *& annus Philippi ſive mortis Alexand.* 120. *incipit die* 13. *Octob. fer.* 1.

Philippus Macedoniæ rex, priusquam Sempronius ſucceſſor Sulpitii in Græciam veniret, Ætolos ad petendam pacem cogit, & paulò poſt etiam cum Romanis pacem facit, antequam Sempronius abſens Conſul declararetur. *Liv.*

ANNO MUNDI 3746. *ante* C. *N.* 202.

E. ☉ 2. ☽ 7.

Annus à condita Roma numeratus 549.

Annus Ptolemæi Epiphanis in Ægypto primus.

Annus ſecundi belli Punici decimus quintus.

Roma circa diem 8. *Januarii Juliani Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Cornelius Cethegus.
P. Sempronius Tuditanus.

Ptolemæus Philopator homo ventri deditus, cum annos ſeptendecim regnaſſet, moritur, ſuccedit filius *Ptolemæus* Epiphanes, qui regnat annis viginti quatuor. *Ptolemæus in Canone.*

Annus Græcorum Jud. 109. *incipit die* 20. *Martii fer.* 5.

Mater *Deûm à legatis Romam defertur ex Aſia, cui excipiẽdæ eligitur vir optimus Romæ* P. Cornelius *Scipio Naſica, adoleſcens adhuc; filius Cnei, qui in Hiſpania*

ceciderat. Allata fuit pridie Idus Aprilis, ejusq; Ludi Megaleſia *dicta fuerunt.* Liv.

Coloniæ duodecim, quæ Romanis militem denegaverant, coguntur duplicatû numerum militum dare ejus ſummæ, quâ plurimû hoc bello dediſſent iique milites omnes extra Italiam miſſi ſunt. *Liv.*

Annus quinquageſimus primus ſecundæ periodi Calippicæ incipit die 15. *Julii, fer.* 3.

Olympias 144. *acta die* 30 *Julii, fer.* 4. Eſt annus Olympiadicus 573.

Victor Stadii *Heraclides* Salaminius.

Nævius Comicus Româ tandem pulſus, factione nobilium, & præcipuè Metelli, quem acerbitate carminum læſerat, moritur Vticæ in Africa. *Euſeb.*

Cato Quæſtor, ut ipſe de ſe meminit apud Ciceronem, mittitur in Siciliam ad Scipionem Africanum, à quo perpetuo diſſenſit, quòd Scipio eſſet magnificus, hic verò adſtrictus & parcus.

Ennius à Quæſtore Catone Romam traductus eſt.

Annus Alexandræus 109. *& Chaldaicus* 108. *incipit die* 13. *Sept. fer.* 7.

Scipio in Africam cum exercitu profectus, longè lateq; eam vaſtat, & equitatum, qui populationibus Romanos prohibere debebat, vincit, Vticamq; urbem quadraginta diebus fruſtra oppugnat; inde cùm Haſdrubal, & Syphax exercitum ſibi opponerent, caſtra hyberna communit. Livius.

Sempronius Conſul tumultuario prælio ab Hannibale vincitur, is advocato Proconſule Licinio prælium ſequentibus diebus inſtaurat, vincitque occiſis hoſtibus quatuor millibus. *Liv.*

Cenſores M. Livius & Claudius vectigal novum ex ſalaria annona ſtatuunt, unde poſtea *Livio* nomen Salinatori factum. Princeps Senatûs ſecundum lectus *Q. Fabius* Cunctator. Cenſa civium capita 265000. Condiderunt Luſtrum quadrageſimum quintum.

Philippus cum Antiocho rege Syriæ pactionem facit de tollendo Ptolomæo Epiphane, adhuc ferè puero, & occupando regno Ægypti. *Polyb.*

ANNO MUNDI 3747 ante C.N. 201.
D. ☉ 3. ☽ 8.

Romæ circa Calendas Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cn. Servilius Cœpio.
C. Servilius.

Philippus contra fœdus vaſtat fines urbium, Romanis ſocietate junctarum, mittitq; Sopatrum purpuratum ex ſuis cum quatuor millibus militum Carthaginenſibus præſidio. Hæc cùm conqueſti ſocii eſſent, legati in Græciam mittuntur ad inſpiciendas res ſociorum. *Liv.*

Scipio primo vere, quæ ad obſidendam Uticam facere videbantur, curare ſe ſimulat, cùm de incendendis hoſtiû caſtris conſilia agitaret, quod & paulò poſt perfecit; hoſtiû ad 40. millia cæſa, multi capti, & inde aliquot urbes occupatæ ſunt. *Liv.*

Fruſinone, inquit Livius, *arcus ſolem tenui linea amplexus, circulum deinde ipſum major Solis orbis extrinſecus incluſit. Quibus verbis eclipſis ſolis ſignificatur. Ea accidit die* 6. *Maji Juliani fer.* 4. *hora ferè quarta poſt meridiem Romæ Sol in* 12. *gradu tauri. Parall. latitud.* 17.24. *Latitudo vera* 29.59. *viſa ſeptētrionalis* 12.43. *ſemid. Solis* 15. 5. *Summa ſemidiametror.* 30.25. *ſcrup. reſidua* 17.42. *digiti eclipſici* 7.2.

Nabis Tyrannus Spartæ multos ſuorum ſubditorum in exilium pellit; exules, ubicunque locorum potuit, occidit, & peculiari inſtrumento, qui pecunias ipſi ſubminiſtrare non voluerunt, toſit. Simulacrum erat ad formam uxoris ſuæ hominem amplectentis, & unciculis lancinantis. Factum anno ejus tertio, circa tempus, quo Scipio caſtra Syphacis incendit, *inquit Polyb.*

In regno Ægyptio tutores regii inter ſe diſſentire incipiunt, & Agathocles à Tlepolemo trucidatur, in cujus locum poſtea ſuccedit Ariſtomenes. *Polyb.*

Carthaginenſes & Syphax reparato exercitu iterum fortunam tentare auſi, prælio funduntur: fugientes hoſtes Lælius & Maſiniſſa perſequuntur, & Syphacem paucis menſibus poſtea vincunt, & capiunt. Sophonisba verò ejus uxor, Aſdrubalis filia ut ſibi conſuleret, Maſiniſſæ ſe dedit, hiſce precibus, ne Romanis dederetur, quod ut perficere poſſit, uxorem eam ducit eodem die, quam tamen, cùm id Scipioni non probaretur, repudiat, & ſibi conſulere jubet oblato veneno. Hiſce cladib. fracti Carthaginenſes, legatos de pace ad Scipionem & Romam mittunt, ut interim ſpatium habeant ſuos duces convocandi, & bellum reparandi. *Liv.*

Quintilius Varus in Gallia cum Magone pugnat, & obtinet victoriam; ſed cruentam: Mago victus cùm à Carthaginenſibus in Africam revocaretur, in itinere prope Sardiniam ex vulnere moritur. *Liv.*

Cn. Servilius & C. Luctatius poſt annum ſedecimum, poſtquam in deductione Coloniæ Cremonæ & Placentiæ capti fuerant, ex ſervitute à filio Servilio Conſule recipiuntur. *Liv.*

Q. Fabius Maximus Cunctator moritur. *Liv.*

Scopas Dux militiæ, à tutoribus Ptolomæi in Syriam mittitur, & plurimas urbes Antiocho adimit, & regno Ægyptiaco adiicit. *Joſeph. Euſeb.*

Comitiorum cauſa Dictator dicitur *P. Sulpitius Galba.*

ANNO MUNDI 3748. ante C. N 200.
C. ☉ 4. ☽ 9.

Romæ circa diem Calendis Januarii Jul. Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Tib. Claudius Nero.
M. Servilius Geminus.

Hannibal à *Carthaginenſibus ex Italia ad defendendam Africam revocatur, qui ſuorum militum quoſdam Italici generis, iter in Africam abnuentes, interfecit, reliquos, qui ſibi videbantur, in naves impoſuit. Ipſe fremens, gemensq; Italiā reliquit, execrans ſe & ſuum caput, quòd confeſtim ab Cannenſi victoria Romam non duxiſſet.* Liv.

Cùm commeatus ex Sicilia Scipioni mitterentur, Carthaginenſes pacis petitæ immemores, inducias rumpunt, & naves ſpoliant. Scipio tamen inducias rectè ſervavit. Livius.

Conſul Claudius Africam provinciam ſortitur cum quinquaginta navibus, ut pari imperio cū Scipione eſſet, ſed omnia hic ſegniter agit & in mari tandē atrocibus tempeſtatibus vexatur, in Sardinia vero, cū naves reficit, impeditur ab inſtante hyeme abitinere, ideò circumacto tempore naves privatus Romā reducit.

Livius *orbem Solis minus viſum ſcribit Cumis hoc anno, & hoc inter prodigia relatum eſſe poſt famam rebellio-*

bellionis in Africâ; quibus verbis Eclipſis Solis innuitur, quæ parva fuerit. Ea invenitur hoc anno die 19. Octob. feriâ tertiâ, horis duabus ante meridiem. Sol fuit in 22. Scorpii. Hanc computavit Buntingus.

Hannibal cùm in Africam reverſus fuiſſet, pacem prius petit à Scipione; id cùm fruſtra eſſet, prælio decertant, in quo Carthaginenſium viginti hominum millia pereunt, par numerus capitur; paulò pòſt etiam Vermina filius Syphacis prælio vincitur, ubi quindecim hominum millia cæſa. Igitur pacem petunt Carthaginenſes, eamq; cùm ſibi Scipio de ſucceſſore metueret, obtinent, cùm prius ſolviſſent mulctam navium per inducias expugnatarum: ea ſumma fuit 25. millia pondo, quadringenta ferè millia florenorum, & Legati mittuntur Romam, qui pacem petant. Livius.

Dictator Comitiorum causâ dicitur C. Servilius, qui Conſules creat, qui magiſtratum ineunt adhuc anno iſto Juliano circa 23. Decembr.

Coſſ. Cn. Cornelius Lentulus.
P. Ælius Pætus.

ANNO MUNDI 3749. ante C. N. 199.
BA. ☉ 5. ☽ 10.

Legati ſtatim poſt creatos Conſules Romæ audiuntur, Primi Macedones, qui triſti reſponſo dimittuntur non ſine metu belli. Carthaginenſes verò, cùm ſatis demiſsè agerent, impetrant pacem; interdictum tamen ipſis omnibus bellis, etiam in Africâ, tradunt omnem claſſem, elephantos fugitivos, perfugos, & captivos, & inſuper decem talentorum millia ſolvunt. Decem legati à Senatu ad Scipionem in Africam mittuntur, qui, ſi ipſi videatur, pacem hanc Carthaginenſibus concedat, & reliqua ordinet. Ipſe Scipio factâ pace, cùm Maſiniſſam parte regni Siphacis donâſſet, in Italiam revertitur, & omnium clariſſimo triumpho urbem invehitur; infert in ærarium centum millia pondo argenti, & primus nomine à ſe victæ gentis nobilitatur, & Africanus appellatur. Livius.

Annotatur à Ptolomæo lib. 4. cap. ult. eclipſis Lunæ, quæ acciderit anno 54. periodi ſecundæ Calippicæ, nocte, quæ ſecuta eſt diem 16. Meſori menſis, horâ poſt meridiem ſeptimâ, cùm præteriiſſent anni Nabonaſſarei 546. & dies 345. & hora ſeptem. Ea Eclipſis ad Calendarium Julianum accidit hoc anno die 22. Sept. feriâ 6. ad noſtras tabulas, horis poſt meridiem 7,20. idq; Alexandriæ. Latitudo vera 30,55. ſemidiameter Lunæ 16,30. Summa ſemidiametrorum 59,37. ſcrupula reſidua 26,42. digiti ecliptici 9,51. Locus ſolis 26. gradus Virginis.

Philippus navali prælio ad Chium vincitur ab Attalo & Rhodiis, Polyb. lib. 16. victoriam dubiam fecerunt, quod Attalus unicâ navi fugere coactus eſt. Sed Philippus plurimos Macedonas amiſit, & magnâ ita clade affectus eſt.

Annus Nabonaſſar. 548. & annus Philippi ac mortis Alexandri 124. incipit die 12. Octob. fer. 5.

Athenienſes conqueruntur de injuriis Philippi, petuntque à Romanis defenſionem & auxilium, qui M. Valerium Levinum cum claſſe quadraginta navium in Græciam mittunt. Livius.

Conſul Ælius ex Liguriâ, cum quibus pacem fecerat, Romam reverſus, magiſtratus novos creat, qui eum ineunt circa diem 25. Decembr.

Coſſ. P. Sulpitius Galba Maximus II.
C. Aurelius Cotta.

ANNO MUNDI 3750. ante C. N. 198.
G. ☉ 6. ☽ 11.

Annus à Româ conditâ numeratus 553.

Annus Ptolomæi Epiphanis in Ægypto 5.

Annotatur à Ptolomæo lib. 4. cap. ult. eclipſis Lunæ, quæ acciderit anno 54. periodi ſecundæ Calippicæ nocte, quæ ſecuta eſt nonum diem menſis Mechir, horâ prima & 20. minutis poſt mediam noctem, cùm præteriiſſent anni Nabonaſſarei 547. dies 158. & hora 13. 20. Ea accidit ad Calendarium Julianum die 20. Martii, feriâ tertiâ ineunte, horâ unâ, minut. 14. poſt mediam noctem. Latitudo vera Lunæ 14,31. ſemidiam. Lunæ 17,19. Summa Semidiametrorum 62,15. ſcrup. reſidua 47,44. digiti ecliptici 16,17. Sol in 26. gradu piſcium.

Galli, Boji & Ligures Placentiam Coloniam ſubitò capiunt, Cremonam obſident. Furius Prætor miſſus, ingenti prælio Gallos vincit, ceciderunt ad triginta millia hoſtium, & liberati ſunt multi Colonorum cecidit in prælio etiam Amilcar Dux, & Furius triumphavit invito Conſule. Livius.

Annus Græcorum Judaicus 113. incipit die 5. Aprilis, fer. 5.

Annus 55. ſecundæ periodi Calippicæ, incipit die 1. Julii, fer. 1.

Olympias 145. acta die 15. Auguſti fer. 4. Eſt annus Olympiadicus 577.

Victor Stadii Pyrrhias Ætolus.

Hac Olympiade puerile inſtitutum eſt Pancratium, in quo vicit Phædimus Æolenſis. Pauſ.

Ariſtophanes Byzantinus Grammaticus, Callimachi diſcipulus, floret.

Philippus rex Abydum diuturno tempore oppugnat, cui fortiter obſeſſi repugnant; cùm verò viribus impares eſſent, omnia ſua pretioſa in navibus in mare demergunt, conjuges & liberos interficiunt, & Philippus ita vacuâ urbe potitur. Liv.

Altera eclipſis Lunæ hoc anno annotatur à Ptol. lib. 4. cap. ult. quæ acciderit anno 55. periodi Calippicæ ſecundæ, nocte, quæ ſecuta eſt diem 5. Meſori, horis 2,15. poſt mediam noctem, cùm præteriiſſent anni Nabonaſſarei 547. dies 334. & hora 14,15. Ad Calendarium Julianū accidit hæc eclipſis hoc anno, die 12. Sept. feriâ quartâ, horâ 3. ferè poſt mediā noctem, idq; Alexandriæ. Latitudo Lunæ vera 8,31. ſemid. Lunæ 17.19. Summa ſemidiametrorum 62,7. ſcrupula reſidua 53. 36. digiti ecliptici 18,34. Locus Solis 15. gradus Virginis.

Annus Alexandræus 113. incipit 29. Sept. fer. 7.

Plautus Poeta Comicus ex Umbriâ Sarſinas moritur Romæ, qui ob paupertatem operam ſuam piſtori ad molas manuarias locaverat, ubi quoties ab opere vacabat, fabulas ſcribere ſolitus fuit & vendere. Suet.

Vermina Numidiæ rex pacem petit à Romanis, cui cùm legati eodem tempore in Africam mitterentur, pacis leges dictæ ſunt.

Conſul Galba, cùm in Græciam veniſſet, exeunte autumno Athenienſibus auxilia mittit, Duce Claudio, qui Chalcidem etiam ex improviſo capit, ſpoliat, & incendit; quâ clade Philippus exacerbatus, Athenienſium ſepulchra evertit, Lyceum & alia amœna loca, item templa & ſacra loca diruit & incendit, Liv.

Conſul præterea legatum Apuſtium cum parte copiarum in Macedoniam mittit, qui Antipatriam urbē expugnat, & puberibus interfectis eam ſpoliat & in-

cendit; ideò aliæ urbes ſe dedêre, & legatus cum magnâ prædâ ad Conſulem revertitur. Triumphat hoc anno L. Furius de Gallis, & ovans urbem ingreſſus eſt L. Cornelius Lentulus ex Hiſpaniâ. Tab. Cap.

Romæ circa diem 15. Decembr. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cornelius Lentulus,
P. Villius Tappulus.

ANNO MUNDI 3751. Ante C. N. 197.
F. ☉ 7. ☽ 12.

Philippus, *Conſuli Sulpitio in Theſſaliâ caſtra opponit, prælio tamen contendere auſus non eſt, inſidiis quærit locum, & frumentatorum Romanorum magnum numerum trucidat; ſed dum fortuna modum non facit, ipſe vincitur. Conſul inde aliquot urbes occupat, & Apolloniam redit.* Livius.

Ætoli cùm viderent Romanorum potentiam, ſeſe ipſis adjungunt, & Theſſaliam deprædantur; ſed Philippo adveniente turpiter funduntur & fugantur, ità Dardani etiam, qui Macedoniam vaſtabant, repelluntur, & in terras ſuas per Athenagoram rediguntur. Liv.

Attalus *rex, & Romana claſſis Andrum deditam accipiunt; Romani prædam, Attalus inſulam. Inde Orcum expugnatum capiunt; urbs regi, captivi Romanis ceſſerunt, & æquinoctium autumnale tum inſtabat.* Livius.

Annus ſabbathicus 4. Jobelei Judaici 26. incipit die 17. Septembr. fer. 3. Eſt hebdomas Danielis 33. Anni Judaici 3563.

Cùm Villius *Conſul in Græciam veniſſet, Philippus relictâ obſidione Thaumaci in hyberna concedit; ipſe Conſul Corcyræ hybernat.* Livius.

Conſul Lentulus Cenſores *creat P. Scipionem Africanum, & P. Ælium Pætum: à Pæto Princeps Senatûs lectus P. Scipio Africanus. Conditum Luſtrum 46. & Colonos trecentos Puteolos miſerunt.*

Cato *major hoc anno ædilis fuit,* teſte Livio.

Romæ circa diem 19. Decemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. T. Quinctius Flamininus.
Sex. Ailius Pætus Catus.

ANNO MUNDI 3752. ante C. N. 196.
E. ☉ 8. ☽ 13.

Philippus *ſtatim ineunte vere ad amnem Aoum in Æropo monte caſtra ponit, ubi præſidio fit Macedoniæ; eò ſtatim etiam venit Conſul Villius, ſed dum per multos dies agitat, quomodo in Macedoniam penetrare poſſit, nunciatur Conſulem Flamininum jam in Græciam adveniſſe; ideò traditâ provinciâ Villius Romam revertitur.* Livius.

Cato prætor ſortitus provinciam Sardiniam, ab Ennio ibidem Græcis literis inſtituitur. *Cornel. Nepos.*

Cùm Flamininus in Provinciam veniſſet, dies 40. fruſtra conſumit intentandis caſtris regiis; tandem paſtor quidam à Charopo Epirotarum principe ad Conſulem miſſus, per anguſtam callē Romanos ad caſtra regis perducit, qui regem ex caſtris ſuis ejiciunt, & fugant. Rex in fugâ, ne omnem Theſſaliam amitteret, ſubditos in Macedoniam traducit quoſdam, & urbes incendit, donec re intellectâ urbes ipſi portas clauderent, Ætoli ſimiliter in Theſſaliam irrumpunt, & plurimas urbes deprædantur & vaſtant; idem facit Amynander, qui Gomphos deditione capit; tandem ipſe Conſul in Theſſaliam venit, aliquot urbes capit, à Lariſſa oppugnatione recedit, & alias occupat. Inde legatos ad Achæos ſibi conciliandos mittit, quos etiam ſibi adjungit, præter Megapolitanos, & Argivos, & Dymæos; inde Elatiam urbem expugnat. Liv.

Julius Obſequens annotat ſub his Conſulibus Solis orbem diminui viſum, quibus verbis procul dubio Eclipſis Solis indicatur, quæ accidit ad Calendarium Julianum die 7. Auguſti, feriâ quintâ manè, Sole Oriente. Nam Romæ finis tantùm hujus Eclipſis viſus eſt. Latitudo vera fuit 15, 2. Septentr. Parallaxis verò latitudinis 24, 34. ut tabulæ oſtendunt, ſed fortaſſis in Græciâ, ubi tum Flamininus Conſul fuit, obſervata eſt. Ea enim integrâ horâ eſt orientalior.

Antiochus rex Syriæ, Scopam Ptolomæi Epiphanis Ducem, juxta fontes Jordanis inito certamine fugat & Sidonem, quo confugerat, obſidet, qui etiam tandem, cùm liberari non poſſet, ſe dedidit; & ſalvus dimiſſus eſt. Idem Antiochus, annitentibus Judæis, præſidium Ptolomæi ex arce Sionis, cùm Judæis præſidium Ptolomæi ex arce Sionis, cùm multo tempore id oppugnâſſet, expulit, & Syriam, Ciliciam & Lyciam recipit. *Joſeph. Liv. Euſeb.*

L. Quinctius Flamininus, Conſulis frater, cum Attalo Eretrian & Caryſtum in Eubœa urbes expugnat. Liv.

Servilis *conjuratio in Setino agro, & circa Norbam & Circejos facta, quam indiciis quibuſdam Romæ patefactum Prætor ſedavit.*

Ælius Conſul ex Galliis Romam rediens, Comitia habet, quibus perfectis magiſtratum ineunt circa diem 9. Decemb. Juliani.

Coſſ. C. Sempronius Cethegus.
Q. Minutius Rufus.

Sex Prætores hoc anno primùm creati, creſcentibus jam provinciis; & latiùs pateſcente imperio. Liv.

ANNO MUNDI 3753. Ante C. N. 195.
DC. ☉ 9. ☽ 14.

Philippus *de eventu belli ſollicitus, colloquium Quinctii petit, & tribus diebus de conditionibus pacis diſputatur; impetrat tandem, ut eædem conditiones Senatui Romano proponantur, ſed nihil efficitur, niſi totâ Græciâ excedere velit. Quapropter ut Nabin Tyrannum Lacedæmoniorum ſibi obſtrictum haberet, Argos urbem in Peloponneſo quaſi fiduciariam ipſi tradit. Sed Nabis ſtatim, ut urbem ſibi ſubjecit de pace cum imperatore Romano agit, mittitq; auxilia contra Philippum. Nabis autem crudeliſſimè habuit Argivos, non tantùm viros ſpoliavit, & ejecit quoſdam in exilium, ſed etiam uxorem ſuam miſit, quæ fœminas Argivas omni mundo muliebri deſpoliaret.* Liv.

Cethegus *Conſul Inſubres magnâ pugnâ vincit; cæſa ſunt ultra triginta hoſtium millia, quâ clade territi Boji in aciem deſcendere non ſunt auſi, & ſua omnia fœdè à Romanis vaſtari patiuntur.* Liv.

Philopœmenes cùm videret ſui uſum nullum eſſe in bello, quod Romani gerebant contra Philippum ſuam operam dicat cretenſibus hoc tempore. *Plutarchus.*

Antiochus rex cùm totam Syriam ſibi ſubjeciſſet, principio veris in Ciliciam & Cariam tranſit, aggrediturque urbes, quæ in ditione Ptolomæi regis eſſent, magnâ claſſe navium centum tectarum: inde Philippum regem contra Romanos adjuturus, ſed Rhodii miſſâ legatione, ne Antiochus in Europam tranſire velit, monent, aut bellum

lum expectent: mittunt præterea civitatibus, quas Antiochus opuppugnabat, auxilia. *Liv.*

Attalus hoc autumno moritur, cùm ægrotus Pergamum translatus eſſet; regnaverat annos 44. cui ſuccedit filius Eumenes, qui regnum obtinet annis 39.

Quinctius in Theſſaliâ prope Scotuſam, ad Cynoſ Cephalos tandem Philippum regem aperto marte vincit, octo millia occidit, quinq; capit; dum ipſe perſequitur hoſtes, Ætoli Philippi caſtra invadunt, omnemque prædam avertunt, id ægrè habuit Quinctius, quapropter dimiſſis Ætolis, omnia ipſe per ſe egit. Philippo Macedoniæ regnum integrum relinquit, cùm Ætoli vellent eum totum peſſundari. Dare præterea coactus eſt Philippus mille talenta, & Demetrium filium ob-ſidem. Plutarch.

Annus Nabonaſſari 552. *& annus Philippi de morte Alexandri* 128. *incipit die* 11. *Octob. fer.* 2.

Conſul Cornelius Cethegus de Inſubribus & Cenomanis Gallis triumphat. Collega Minutius ovans ingreditur, de Liguribus & Bojis. Tab. Cap.

Poſt triumphum circa diem 11. *Decemb. ineunt magiſtrum:*

Coſſ. L. Florius Purpureo.
M. Claudius Marcellus.

ANNO MUNDI 3754. ante C. N. 194.
B. ☉ 10. ☽ 15.

Annus à Roma condita numeratus 557.

Annus Ptolemæi Epiphanis in Ægypto 9.

Legati Quintii ex Macedoniâ, & regis Philippi advenerant, quibus novi Conſules ex autoritate Senatûs reſpondent, pacem regi dandam, & legatos decem mittendos ad Græciam ordinandam; interim rex præſidia ex urbibus omnibus ante Iſthmicos ludos deducat. Liv.

Annus Græcor. Jud. 117. *incipit die* 22. *April.*

Triſtis ex Hiſpaniâ nuncius venit, Sempronium Tuditanum in citeriore Hiſpaniâ victum, & illuſtres viros in acie cecidiſſe. Ipſum etiam prætorem ex vulnere mortuum. Ideò novus Prætor cum exercitu eò mittitur. Liv.

Bœotii infidi cultores amicitiæ Romanæ, ex inſidiis milites Romanos occidunt, ſed vaſtati à Quinctio, pacem per Achæos petunt, noxios dedunt, & mulctam ſolvunt.

In Iſthmicis ludis (videntur acti in vere) Græcis libertas datur, & per præconem publicatur. Quod cùm vix credibile videretur, præco revocatur, ut idem pronunciaret, quo facto ingens cum clamore plauſus exortus eſt. Eaque lætitia omnium non in præſens ſolùm effuſa eſt, ſed per multos dies gratiis & cogitationibus & ſermonibus revocata: eſſe videlicet aliquam in terris gentem, quæ ſuâ impensâ, ſuo labore & periculo bella gerat pro libertate aliorum. *Nec hoc finitimis, aut propinquæ vicinitatis hominibus, aut terris continenti junctis præſtet; ſed maria trajiciat, ne quod toto orbe terrarum injuſtum imperium ſit, & ubique jus, fas, lex potentiſſima ſint. Unâ voce præconis liberatas omnes Græciæ atque Aſiæ urbes, hoc ſpe concipere audacis animi fuiſſe: ad effectum adducere, virtutis & fortunæ ingentis.* Liv.

Annus 39. *periodi ſecundæ Calipp. incipit die* 17. *Jul. feria* 1.

Olympias 146. *acta die* 1. *Auguſti fer.* 2. *Eſt annus Olympiadicus* 581.

Victor Stadii *Micion* Bœotius.
Eratoſthenes Cyrenæus moritur.

Romæ primùm Triumviri Epulones facti ſunt hoc anno, quorum poſtea ſeptem facti ſunt temporibus Sullæ Livius.

Marcellus *Conſul à Bojis clade afficitur, paucis tamen diebus pòſt Inſubres magno prælio vincit, & Comum urbem deditione capit. Collega Furius Bojos vincit, de utrâque gente ambo Coſſ. in magiſtratu adhuc triumphant.* Liv.

Annus Alexandrinus 117. *& Chaldaicus* 116. *incipit die* 15. *Septembr. fer.* 5.

Antiochus rex urbes Aſiæ ſibi ſubjicere conatur, & infirmiores recipiunt jugum, renuunt Lamſacum & Smyrna. Lamſacum tamen deditur. Inde Lyſimachiam inſtaurat, & poſteà cùm in Syriam tenderet, atroci tempeſtate conflictatus, multas naves & milites amittit. *Liv.*

ANNO MUNDI 3755. ante C. N. 193.
A. ☉ 11. ☽ 16.

Romæ circa primum Decembr. Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Porcius Cato.
L. Valerius Flaccus.

Oppius Tribunus plebis legem tulerat paulò pòſt cladem Cannenſem, ne qua mulier plus ſemunciâ auri haberet, ne veſtimento verſicolore uteretur, & ne vehiculo in urbe veheretur, niſi ſacrorum causâ. Hanc abrogare cupiunt hoc anno Tribuni plebis; cùm res Romanæ creſcerent unà cum facultatibus. Cato conſul diſſuadet abrogationem luculentâ oratione, ſed obtinent Tribuni plebis, & eam legem abrogant. *Liv.*

Hannibal Carthagine principes civitatis duplici de causâ offenderat, primùm quòd officium judicium, quod, quoad viverent, adminiſtrabant, atque ob id multis graves eſſent, annuum fecerat; & deinde, quòd vectigalia publica, quæ prædæ quibusdam Senatoribus erant, in publicos uſus, ut cives tributo ſublevarentur, converterat. Inviſus ergò, à multis accuſatur Romæ, quaſi rebus novis ſtuderet, ſed ipſe aſtu evadit, & ad Antiochum regem navigat. *Livius.*

M. Helvius Hiſpanorum ad duodecim millia cedit, ad Illiturgin oppidum; ideò ovans urbem ingreditur. Poſt duos menſes verò ex eâdem Hiſpaniâ Q. Minutius triumphat. *Livius.*

Conſul Cato, cùm in Hiſpaniam veniſſet; ſtrenuè rem gerit, & omnem citeriorem Hiſpaniam, quæ defecerat, recipit. Prælio etiam eos vincit, & caſtris exuit; & tandem, cùm toties rebellarent, urbium muros uno die ubique diruit, multaque alia præterea fortiter agit, & ſequenti anno tandem triumphat. *Liv.*

T. Quintius in Græcia aſſumptis ſociis Græcis, Lacedæmonem oppugnat, Nabin Tyrannum eò redigit, ut ab Argis præſidium reduceret. Argivis data libertas à Romanis; & *Nemea* acta ferè in hyeme, quæ dilata erant in adventum Imperatoris Romani, ut iis præeſſet. *Liv.*

Romæ circa diem 5. *Decembr. Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. P. Cornelius Scipio Africanus.
Tib. Sempronius Longus.

ANNO MUNDI 3756. ante C. N. 192.
G. ☉ 12. ☽ 17.

Coloniæ hoc anno deductæ Puteolos, Vulturnum, Literunum; triceni homines in ſingulas, item

Saler-

Salernum, Buxentumque, Sipontum item & Tempſam, & Crotonem. *Liv.*

Ver ſacrum, quod priori anno factum erat, non rectè factum eſſe à Pontificibus decernitur, ideò de integro factum hoc anno. *Eſt autem ver ſacrum pecus, quod natum eſt inter Calendas Martis, & pridie Calendas Maji.* Livius.

L. Valerius Proconſul, cum Inſubribus ſignis collatis depugnat, decem millia hominum occîdit. *Liv.*

Tib. Sempronius conſul à Boiis invaditur, oppugnatur & vix caſtra defendit, tandem Bojos rejicit & vincit, ſed pari clade ferè hæc peracta. *Liv.*

T. Quinctius ex Græciâ decedens, deducit omnia præſidia Romanorum, ordinatque rempubl. hortaturque eos ad concordiam: Inde Romanos milites, olim ab Hannibale in Græciam venditos, ex ſervitute liberat; & Romam tranſiens totum triduum triumphat. *Liv.*

Antiochus rex Syriæ, Judæos magnis beneficiis proſequitur, ut refert *Ioſeph. lib.* 12. *cap.* 3.

Cenſores hic annus habuit Sex. Ælium Pætum, & C. Cornelium Cethegum, qui condiderunt luſtrum 47. & Principem Senatûs ſecundùm legerunt, P. Scipionem Africanum: cenſa ſunt civium capita 243704.

Romæ circa diem 25. Novemb. Juliani, Magiſtratum ineunt.

Coſſ. L. Cornelius Merula.
Q. Minutius Thermus.

ANNO MUNDI 3757. Ante C. N. 191.
EF. ☉ 13. ☽ 18.

Primùm hoc anno Senatus à populo ſecretus ludos Romanos ſpectavit, quod tamen multi improbârunt. Adeò nihil motum ex antiquo probabile eſt veteribus, niſi quæ uſus evidenter arguit, ſtare malunt. Liv.

Terræmotus ingens Romæ duravit integros die 38. adeòq; frequentes nunciati ſunt, ut indictarum feriarum homines tæderet, & nec Senatus haberi, nec Reſpubl. adminiſtrari poſſet. Liv.

Ligures *bellum populo Romano movent, Lunenſem agrum, & Piſanum, & Placentinum depopulantur: quapropter Minutius eò cum exercitu proficiſcitur; cùmque tum Piſas obſiderent. Conſul obſidionem quidem ſolvit, in aciem tamen exire non audet.* Liv.

Legati in Africam miſſi, qui controverſias inter Maſiniſſam & Carthaginenſes dirimerent, Scipio Africanus, & alii, qui neutro inclinatis ſententiis, omnia in ſuſpenſo reliquerunt.

Merula *Conſul, cùm Bojos in aciem elicere non poſſet, prædatum abit; ibi ferè in inſidias delapſus pugnat difficili & cruento prælio: vincit tamen, & Bojorum 14. millia occîdit, accuſatur imperitiæ rei militaris apud Senatum* Livius.

Colonia Latina deducta in agrum Ferentinum. Livius.

Annus Nabonaſſaris 556. *& annus Philippi à morte Alexandri* 132. *incipit die* 10. *Oct. fer.* 6.

P. Cornelius *Scipio Naſica Prætor in Hiſpaniâ, multa ſecunda prælia facit, totamque ferè Hiſpaniam ſub ditionem redigit.* Livius.

Romæ circà diem 17. Novemb. Juliani, Magiſtratum ineunt.

Coſſ. L. Quinctius Flamininus.
Cn. Domitius Ahenobarb.

ANNO MUNDI 3758. Ante C. N. 190.
D. ☉ 14. ☽ 19.

Annus à Roma condita numeratus 561.

Annus Ptolomæi Epiphanis in Ægypto 13.

Antiochus, cùm bellum Romanum meditaretur, affinitatibus & ſocietatibus ſe munit, & Cleopatram filiam Ptolomæo Epiphani regi Ægyptio, quam ei ante ſeptennium deſponderat, tandem in matrimonium tradit, additâ dotis loco totâ Cœleſyriâ, & Judæa. *Liv. Euſeb.*

Annus Græcorum Judaicus 121. *incipit die* 7. *Martii, fer.* 7.

Minutius *Proconſul vix ægrè caſtra, Liguribus oppugnantibus; defendit; paulo poſt inſidiis in ſaltu deprehenditur, unde evadit operâ Numidarum, qui inopinantibus Liguribus erumpunt, & totam regionem incendio vaſtant; ipſe Ligures tandem vincit, & prædam Hetruſcam ipſis eripit.* Livius.

Annus 63. *periodi ſecundæ Calippicæ; incipit die* 3. *Julii, fer.* 6.

Olympias 147. *acta die* 17. *Auguſti, fer.* 2. *Eſt annus Olympiadicus* 585.

Victor Stadii *Agemachus* Cyzicenus.

Annus Alexandræus 121. *& Chaldaicus* 120. *incipit die* 31. *Auguſti, fer.* 2.

Annus ſabbathicus quintus, Jobelei Judaici viceſimus ſextus, incipit eodem die 31. *Auguſti fer.* 2. *Eſt hebdomas Danielis* 34. *Anni Jud.* 3570.

Nabis Tyrannus inſtigantibus Ætolis, Romanis facit bellum, & ut maritimam oram reciperet, Gythæum oppugnat, cui ſe opponunt Achæi Duce Philopœmene, qui primùm quidem prælio navali offendit, ſed poſteà terrâ res egregiè adminiſtrat, & Laconicum agrum longè latèque vaſtat. *Livius.*

Ætoli Romanis concitant bellum, & primùm Demetriadem fraude intercipiunt, inde Legatum mittunt Lacedæmonem, qui Tyrannum Nabin interficiat, quod & factum eſt: ſed dum Ætoli urbem, tanquam captam ſpoliant, à Spartanis tandem cæduntur; Philopœmenes hac re auditâ proficiſcitur Lacedæmonem, & urbem reipubl. Achæorum adjungit. *Livius.*

Colonia deducta Vibonem ex SCto, ubi ager Brutiorum fuerat. *Livius.*

Antiochus rex Aſiæ, cum exercitu non admodùm copioſo in Græciam cum claſſe venit, & Demetriadem appellit, ubi à quibuſdam recipitur; inde in Ætoliam acceſſitur. Chalcidem verò fruſtra tentat: Attamen poſteà, cùm rem majore conatu ageret, eam obtinuit, & paulò pòſt, totam Eubœam. *Livius.*

Romæ circa diem 17. Novemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Acilius Glabrio.
P. Cornelius Scipio Naſica.

Cùm ab initio ferè belli Punici ſecundi, quando Conſules inibant magiſtratum tempore Veris, uſq; ad hoc tempus anni ferè 28. effluxiſſent & tempus ineundi Magiſtratus jam in initium hyemis incideret, ſenſerunt Romani, ſe anno uti breviore juſto. Ideo Conſul Acilius Glabrio populum de intercalatione appellavit. ut Macrobius loquitur, *& ex ſententiâ Pontificum conſtituit, ut intercalaris menſis augeretur: & cùm antea ſingulis bienniis, vel duodecim vel tredecim dies intercalarentur, ut patet ex hiſce 28. annis proximè ela-*

pſis

pſis, ſtatuerunt, in ſingulis bienniis inpoſterum duplum ejus, hoc eſt dies 24. aut dies 25. intercalarentur. Hocq; ita factum eſſe oſtendunt non ſolùm Eclipſes, quæ ſequenti anno, & ſub Æmilio acciderunt, ſed etiam quòd tertio die poſt terminalia intercalârunt, ut habet Livius poſt annos 22.

ANNNO MUNDI 3759. ante C. N. 189.
C. ⊙ 15. ☽ 1.

Antiochum Chalc[illegible]nſes recipiunt; & Epirotæ, & Elei in Peleponeſo, ita tamen ne bellum ſimul gerant, & Elei contra Achæos auxilium petunt ac Antiocho: Sic Bœotii etiam regem recipiunt. Contra Theſſali firmiter in amicitiâ Romanorum perſiſtunt, ut & Philippus rex Macedoniæ. Inde Antiochus Pheras ferè expugnatas deditione capit, & Scotuſam & alias quaſdam urbes. Inde Chalcidem redit; & tanquam in ſumma pace nuptias celebrat. Hæcque adhuc in hyeme acta. *Livius.*

Conſul Glabrio cùm primo vere in Græciam veniſſet, ipſo adventû ſuo omnia, quæ Antiochus ſibi videbatur acquiſiviſſe, recipit, ipſum Antiochum ad Thermopilas loco munito caſtra habentem, caſtris auxilio M. Catonis præcipuè exuit, & totâ Græciâ pellit, modeſteque victoriâ utitur. Inde bellum in Ætolos vertit, & Heracleam expugnat; inde cùm Ætoli fruſtra pacem tentâſſent, Naupactum obſidet, & tandem interceſſione Quintii, Naupacti obſidionem ſolvit, & Ætolis inducias dat, ut deprecatores Romam mittant. *Livius.*

Conſul *Scipio* Naſica cum Bojis acie depugnat; eorum ad triginta millia occidit, & caſtra capit, totamque gentem biduò poſt in deditionem recipit, & in magiſtratu triumphat. *Livius.*

Livius prætor adjunctâ Eumenis claſſe Antiochum pugnâ navali vincit, decem naves demergit, tredecim cùm milite capit. *Livius.*

Hoc anno primùm ludi Scenici exhibiti in Megalenſibus. *Livius.*

Romæ die 22. Novemb. Idibus Martiis Romanis, ut tum fuerunt, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cornelius Scipio Aſiaticus.
C. Lælius.

ANNO MUNDI 3760. ante C. N. 188.
B. ⊙ 16. ☽ 2.

Ludis Apollinaribus Romæ, qui agebantur ad quintum Idus Quintilis, ſive die 11. Julii, quinque diebus antequam Conſul Scipio in provinciam proficiſceretur, facta eſt eclipſis Solis: ea accidit ad Calendarium Julianum, die 14. Martii, feriâ 2. poſt mediam noctem, horis 7. & min. 9. 50. ubi Parallaxis latitudinis 51. 40. vera 51. 30. viſa auſtralis 0,10. ſemidiam Solis 15.27. ſcrup. reſidua 31. 7. digiti eclipſ. 12,5. Facta igitur minutis 36. poſt Solis exortum, & cùm undecimus Quintilis menſis tum fuerit in die 14. Martii, manifeſtum eſt, Calendas Januarias Romæ tum fuiſſe in die 7. Sept. præcedentis anni, ut ita Calendarium Romanum à belli Punici ſecundi initio ante annos 28. anticiparit diebus centum & quinquaginta ferè, adeò inepto Calendario uſi ſunt Romani. Sol in 19,28. piſcium.

Legati Ætolorum auditi, ſed abſque reſponſo dimiſſi, ideo Acilius Glabrio proconſul ineunte vere Lamiam urbem Ætolorum capit, inde Amphiſſam aggreditur, & operibus oppugnat, deinde deprecantibus Athenienſibus iterum Ætolis induciæ in ſex menſes datæ, ut legatos Romam mitterent; atque ita *Scipio* liberatus hoc bello in Aſiam iter inſtituit *Livius.*

Polyxenidas exul Rhodius, præfectus claſſis Antiochi, in fraudem pellectas Rhodias naves ferè omnes capit, præter quinque, atque ita magnâ clade patriam afficit. Rhodii contrà reparatâ claſſe, Antiochi claſſem, cui præerat Hannibal, acri certamine vincunt, aliquot naves deprimunt aut capiunt. Paulò poſt Æmilius prætor Romanus totam claſſem Antiochi vincit, & quadraginta ejus naves perdit, & Phocæam deditione capit, quam tamen milites invito Æmilio diripiunt. *Livius.*

Acilius Glabrio ſuperioris anni Conſul, Romæ triumphat.

Reutha Scotorum rex ſeptimus ſuccedit Reuthero, qui annis 26. regnaverat, regnatque annis 17. *Buchananus.*

Scipio cùm in Aſiam transſcendiſſet, Antiochus deſperans de ſuis rebus, Lyſimachiâ cedit, & omnes copias Magneſiam traducit, caſtraque firmiter munit, ſed dum deſcendit in prælium, vincitur, & 50. millia militum & quatuor equitum amittit: pacem igitur petit, quæ ipſi datur, ſi omni Aſiâ cis Taurum montem cederet, & quindecim millia talentorum Euboicorum daret. *Livius.*

L. Paulus Æmilius in Hiſpaniâ infeliciter rem gerit, & ſex millia militum amittit, defendit tamen caſtra, & exercitum, quibuscunque poteſt modis, reparat, & ſequenti anno Luſitanos viciſſim vincit. *Livius.*

Romæ circa diem 6. Decembr. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Fulvius Nobilior.
C. Manlius Vulſo.

ANNO MUNDI 3761. ante C. N. 187.
AG. ⊙ 17. ☽ 3.

Bononia Colonia in initio anni, autore Lælio deducta: diviſa colonis quinquagena jugera, ſeptingena equitibus.

Manlius Conſul Aſiam ſortitus, cùm pacem feciſſet cum Antiocho, Gallos in Aſiâ hoſtes ſibi ſumit, qui non minus incolis, quàm Antiochus olim, moleſti erant, eosque etiamſi altiſſmos montes occupaſſent, vicit & caſtris exuit. Fuerunt autem Toliſtobogii & Tectoſagi, atque ita tota Gallorum gens in Aſiâ in deditionem venit. *Livius.*

Fulvius *Conſul in Ætoliâ Ambraicam obſidet, Philippus Amphilochos, qui & ipſi Ætoli erant, vaſtat, Prætor Romanus maritima Aetoliæ depopulatur: nec Achæi etiam à bello abſtinent, quapropter Aetoli fracti, absque ullâ conditione ſe dedunt, & pacem obtinent, dum dant mille talenta & eosdem cum Romanis ſocios & hoſtes habent.* Livius.

Attalus Eumeniam urbem, olim Hyllas vocatam condit, & ab Eumene fratre denominat. *Euſeb.*

Victo Antiocho, Aſia inter ſocios populi Romani dividitur. Rhodii Lyciam & Cariam obtinent, reliquam Aſiam Eumenes accipit, exceptis majoribus urbibus, quæ libertate donantur. *Liv.*

Quatuor triumphi hoc anno Romæ ducti: triumphârunt autem L. Aemelius Paulus ex Hiſpaniâ, L. Aemelius Regillus de rege Antiocho, & L. Cornelius Scipio Aſiaticus de rege Syriæ Antiocho, tulit in ærarium, ut African. affirmat, *bis millies, ad octoginta milliones, & Q. Fabius Labeo ex Cretâ Inſulâ*, ut tabulæ Capit. habent & Livius.

Annus

Annus Nabonaſſaris 560. & annus Philippi ac mortis Alexandri 126. incipit die 9. Octob. fer. 3.

Cenſores Romæ fuerunt T. Quintius Flaminius, M. Claudius Marcellus, qui condiderunt luſtrum 48. & principem Senatûs tertiùm legerunt Scipionem Africanum; cenſa ſunt civium capita 258328.

Romæ circa diem 25. Novemb. Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Livius Salinator.
M. Valerius Meſſala.

ANNO MUNDI 3762. ante C. N. 186.
F. ☉ 18. ☽ 4.

Annus à Roma condita numeratus 565.

Annus Ptolomæi Epiphanis in Ægypto 17.

Annus Græcor. Ind. 125. incipit die 23. Mart. fer. 7.

Manlius *in Aſia minas belli cum exercitu circumfert, & à regibus pecunias extorquet civitates ordinat, & turbatas res magnâ cum curâ componit; inde cùm provinciam confeciſſet, per Thraciam in Græciam revertitur, ubi in magnum periculum cum exercitu & prædâ conjectus eſt; pars prædæ ipſi à Thracibus adempta, & aliquot milites occiſi.* Livius.

Supplicatio *inquit Livius*, in triduum imperata fuit; priusquam magiſtratus in provincias proficiſcerentur, quod luce inter tertiam fermè & quartam tenebræ obortæ fuerant: *quibus verbis procul dubio Eclipſis Solis indicatur, quæ invenitur, quod acciderit, die 17. Iulii, feria 4, poſt mediam noctem, horis 8. & minutis 38, horis videlicet tribus, & minutis 17. inæqualibus, poſt exortum Solis, ubi Parallax. latitudinis Romæ eſt, 20,50. Latitudo vera 24, 19. viſa 3, 29. ſemidiameter Solis 15, 6. ſcrup. reſidua 27, 9. digiti Eclip. 10,48. Sol in gradu 22, 24. Cancri. Hanc Eclipſin Buntingus quæſivit quidem, ſed nō invenit, propterea quòd per errorem calculi Novilunium medium ferè ſeptem horis ſerius facit. Unde ipſi Eclipſis provenit exigua & poſt meridiem. Quòd autem ex Buntingi errore Hervvartius ab Hogenburg ſtatuit nullam hoc anno hujuſmodi Eclipſin comparere, fallitur, aut etiam fortaſſis fallit. Cum enim Eclipſes ſolares ubicunque potuit, etiam nocturnas inveſtigaverit, procul dubio hanc etiam invenit, quod tamen diſſimulat.*

Annus 67. Periodi ſecund. Calipp. incipit die 18. Julii, fer. 5.

Olympias 148. acta die 3. Auguſti, fer. 7. Eſt annus Olympiadicus 589.

Victor Stadii *Aceſilaus* Megalopolita.

Sparta permittitur Achæis à Senatu Romano, cùm ita olim conveniſſent; ſed Achæi muros Spartanorum dejecerunt, leges Lycurgi, quibus aſſueverant annis ferè octingentis, abrogârunt, & ipſam concilio Achæorum attribuerunt. *Livius.*

Annus Alexandræus 125. incipit 16. Sept. fer. 2.

Circa diem 10. Decemb. Juliani Romæ Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Aimilius Lepidus.
C. Flaminius.

ANNO MUNDI 3763. ante C. N. 185.
E. ☉ 19. ☽ 5.

Lepidus *Conſul, Fulvii proconſulis in Ætoliâ inimicus, ſubornatis quibusdam Ambracienſibus, qui de vi & injuriâ Fulvii conquerebantur, decernit Ambracienſibus præter cauſam bellum illatum, & res ipſis reddendas.*

Manlius *proconſul ex Aſiâ ad urbem cum exercitu venit, petitque licentiam triumphandi à Senatu; ibi à legatis ſuis accuſatur de malè adminiſtratâ provinciâ quâ accuſatione motus Senatus denegabat ipſi triumphum, amicis verò & ſenioribus annitentibus, triumphum impetravit, quem tamen diſtulit.* Livius.

Nicanor Rex Francorum moritur, cùm annis 34. regnâſſet; ſuccedit *Marlomirus*, qui regnat annos 28. & inſtituit, ut geſta Francorum à Sacerdotibus ſuis rythmis comprehenderentur, & publicè cantarentur. *Trith.*

P. Scipio Africanus *à Petiliis tribunis plebis, autore, ut fama erat, Catone accuſatur; is cùm majori fortuna aſſuetus eſſet, quàm ut ſciret ſe reum eſſe, cùm dies judicii adveniſſet, in roſtra aſcendit; & totam inde concionem ſecum abduxit ad ſalutandos Deos, & poſtea in voluntarium exilium Linternum conceſſit, nec poſtea Romam rediit.* Liv.

L. Scipio Aſiaticus *frater Africani de repetundis accuſatur, quaſi ex ſpoliis Aſiæ quædam intervertiſſet, & lis ea æſtimata quadragies, hoc eſt florenis 178000. ſed venditis omnibus bonis ejus tantum redigi non potuit, cùm tamen familiâ ampliſſimâ eſſet natus, & plurimis hæreditatibus auctus.* Livius.

Conſules hujus anni Ligures cis Apenninum vincunt, & in deditionem accipiunt, ipſis arma adimunt, & in planitiem ex montibus deducunt. Confectâ provinciâ, ne in otio militem haberet Flaminius, viam à Bononiâ perduxit Arretium. Alter verò Conſul Æmilius viam à Placentiâ Ariminium deduxit, ut via Flaminiâ committeretur. Livius.

Fulvius Proconſul ex Ætoliâ triumphat circa menſem Octobrem, paulò antequam novi magiſtratus crearentur.

Circa diem 30. Nov. Juliani, magiſtratū ineunt:

Coſſ. Sp. Poſtumius Albinus.
Q. *M*artius Philippus.

Priusquam hi magiſtratum inirent, Manlius triumphavit de Gallis Aſiâ, ad ejus exercitu luxuriæ peregrinæ origo facta. Livius.

ANNO MUNDI 3764. ante C. N. 184.
D. ☉ 20. ☽ 6.

Sub hiis conſulibus Bacchanalia, quæ ex Hetruriâ propagata, Romam tandem devenerant, quibus omnium ætatum viri & fœminæ turpiſſimè corrumpebantur, & ad omne ſcelus inſtituebantur, deteguntur: Senatusconſulto igitur facto ea abrogantur, & flagitiorum eorundem participes puniuntur. Livius.

Fulvius, qui ex Ætoliâ triumphaverat, per decem dies ludos facit, in quibus athletarum certamen primùm exhibitum eſt, & venatio data Leonum & Pantherarum. Scipio etiam Aſiaticus paulò pòſt ſimiliter ludos per decem dies exhibuit. Livius.

Antiochus Syriæ rex, cùm gravi tributo pacis à Romanis oneratus eſſet, inopiâ pecuniæ compulſus, nocte templum Didymei Jovis aggreditur, id ſpoliaturus; quâ re proditâ, concurſu hominum cum omni militia interficitur, cùm annos 36. regnaſſet: Succedit Seleucus filius, qui regnat annis 12. *Juſtin. Polyb.*

Aurelius Victor ſcribit, Antiochum à convivis, quos temulentus pulſaverat, interfectum eſſe.

In Hiſpaniâ vario Marte bellum geritur, vicerunt tamen Romani tandem, & Celtiberi in deditionem veniſſent, niſi ſucceſſor novus gerendis rebus interveniſſet. Livius.

Mas

Martius *Conſul, poſt quæſtiones de Bacchanalibus habitas in Ligures movet, ubi in ſaltu deprehenſus, clade afficitur. Ipſe cùm in locum tutum ſe recepiſſet, ſtatim exercitum dimiſit, cladem tamen obliterare non potuit, & ſaltus iſte, in quo clade affectus fuit;* Martius *eſt appellatus.* Liv.

Romæ circa diem 14. Decemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. App. Claudius Pulcher.
M. Sempronius Tuditanus.

ANNO MUNDI 3765. Ante C. N. 183.
CB. ☉ 21. ☽ 7.

Græci & maximè Theſſali, conqueruntur Romæ de injuriis Philippi; Legatos Senatus mittit; qui diſceptent inter Philippum reum, & reliquos accuſatores, juſſusque Philippus paciſicè vivere, & præſidia ex quibusdam urbibus deducere. Philippus hoc decreto offenſus, bellum coquere incipit; Thraces in Macedoniam deducit, & fodinas metallicas ubique inſtituit. *Livius.*

In Hiſpaniâ Prætores clade afficiuntur, ſed reparato exercitu egregiè rem gerunt, ad 30. millia hoſtium occidunt, & caſtris eorum potiuntur. Liv.

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei viceſimi ſexti; incipit die 12. Septemb. fer. 2. Eſt hebdomas Danielis 35. Anno Jud. 3577.

Annus Nabonaſſaris 564. & annus Philippi ac mortis Alexandri 140. incipit die 8. Junii, fer. 7.

Conſules contra Ligures profecti, & parvis præliis & obſidionibus hoſtes affligunt, ſed tamen memorabile quid non patrârunt. Liv.

Claudius conſul, cùm ipſius partes non eſſent Comitia creandorum conſulem agere, tamen cùm fratrem Publium ad conſulatum promoveret, & comitia in poteſtate haberet, ipſe comitia peragit, & creati magiſtratum ineunt circa 3. Decembris:

Coſſ. P. Claudius Pulcher.
L. Portius Licinus.

ANNO MUNDI 3766. Ante C. N. 182.
A. ☉ 22. ☽ 8.

Annus à Româ conditâ numeratus 569.

Annus Ptolomæi Epiphanis 21.

Legati, qui in Græciâ fuerant; renunciant legationem, & conqueruntur de Achæis, quòd ſibi petentibus non datum eſſet Achæorum concilium; alii igitur legati mittuntur, qui mandent, ut Romanis, ſi voluerint, ſemper Achæorum concilium detur, quemadmodum Achæis Romæ, quando volunt, Senatus datur. Iisdem oſtenditur, non placere Senatui Romano, quòd Spartanorum muros disjecerint, leges Lycurgi abrogârint, & multos trucidârint, volunt mitius cum Spartanis agi; cùmque cunctarentur in hac re; monuit eos Appius, ut voluntate potiùs ſuâ id facerent, ne mox inviti idem facere neceſſe haberent. Liv.

Annus Græcorũ Jud. 129. incipit die 9. Mart. fer. 5.

Conſules ambo Ligures hoſtes ſortiuntur, ſed nec domi nec militia quicquam memorabile geſſerunt. Liv.

Annus 71. periodi Calippicæ 2. incipit die 4. Julii, fer. 3.

Olympias 149. acta die 18. Auguſti fer. 6. Eſt annus Olympiadicus 593.

Victor Stadii *Hippoſtratus* Seleucianus.

Philippo regi Macedoniæ adimuntur à Senatu Romano maritima & Thraciæ loca; quod Philippus ægerrimè fert, & immiſſis Thracibus Maronitarum præcipuam partem trucidat, & juſſus miniſtrum cædis Romam mittere, veneno eum tollit; ne tamen imparatus adhuc bello ſe implicet, promittit ſe Romam filium Demetrium de hâc re legatum miſſurum. *Liv.*

Annus Alexandræus 129. incipit die 2. Sept. fer. 7.

Duo Prætores ex Hiſpaniâ triumphant, C. Calpurnius Piſo, & L. Quinctius Criſpinus, de Luſitanis & Celtiberis.

P. Scipio *Africanus, vir memorabilis; & fulmen belli, ut Virgilius eum nominat, qui Punici belli finiti præcipuam gloriam tulit, moritur.* Liv.

Cenſor inter multos competitores creatur hoc anno M. Portius Cato, qui Collegam ſortitur, L. Valerium Flaccum, qui egerunt cenſuram ſimultatum pleniſſimam, quæ exercuerunt Catonem per omnem vitam; ſeptem Senatu moverunt, & inter hos L. Quinctium Flaminium virum conſularem. Princeps Senatûs lectus Cenſor L. Valerius Flaccus; condiderunt luſtrum 49.

Pollentia *in Picenum,* Piſaurum *in Gallicum agrum, Coloniæ deductæ ſunt; ſena jugera in ſingulos data.* Liv.

Romæ circa diem 18. Decemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Fabius Labeo.
M. Claudius Marcellus.

ANNO MUNDI 3767. Ante C. N. 181.
G. ☉ 23. ☽ 9.

Phillippus rex Macedoniæ, gravis accola omnibus graviter accuſatur ab omnibus: ut de hiſce accuſationibus reſponderet, miſerat Demetrium filium, in cujus gratiam, etſi in ſingulis ſe dilucidè explicare non poſſet, omnia remittuntur Philippo; Is favor Romanorum in Demetrium, invidiam peperit ipſi, & apud fratrem Perſeum, & apud patrem. *Liv.*

Galli tranſalpini magno numero Alpes tranſcendunt, & in Romano agro oppidum concedere volunt; ſed Marcellus iis bellum infert, & deditis arma adimit. Galli conqueruntur de hac re apud Senatum, ubi Gallis arma redduntur, ſed trans Alpes redire coguntur.

Philopœmenes, *cùm octavùm prætor factus eſſet; jam annorum 70. capitur à Meſſeniis, qui ab Achæis defecerant, & veneno tollitur. Sed Meſſenii dederunt pœnas crudelitatis hujus, hoc ipſo anno, bello victi, & oſſa Philopœmenis hoc ipſo anno Megalopolin reportantur, cùm urnam ferret Polybius hiſtoricus, filius Lycortæ.* Liv. Plut.

Eumenes rex Aſiæ bellum gerit cùm Pruſiâ Bithyniæ rege: Pruſias contrà magiſtrum militiæ adſciſcit ſibi Hannibalem, qui Eumenem claſſe vincit, cùm ſtrategemate bellico ſerpentes fictilibus incluſos in naves hoſtium projici juſſiſſet; ſed Romani miſſo Flaminio Hannibalem à Pruſiâ repoſcunt, qui ne caperetur, venenum ſumit & moritur. *Liv.*

A. Terentius Varro, *quòd Celtiberos viciſſet in Hiſpaniâ, ovans urbem ingreditur.*

Coloniæ deductæ hoc anno Aquileja, Mutina, & Parma. *Liv.*

Romæ circa diem 8. Decemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Æmilius Paulus.
Cn. Bæbius Tamphilus.

ANNO MUNDI 3768. ante C. N. 180.
F. ☉ 24. ☽ 10.

Philippus rex, cùm hactenus multos ſubditorum ſuorum occidiſſet, metuere ſibi cœpit ab occiſorum liberis: quapropter eos etiam in vinculis habere & trucidare incipit, atque ita omnium ſubditorum ſuorum odia & execrationes incurrit. *Liv.*

Inſula nova prope Siciliam, terræmotu edita è mari, ſcribitur à Livio *in fine libri* 39.

Perſeus Demetrio fratri infenſus, eum accuſat apud patrem de inſidiis ſibi factis, & quamvis ficta hæc erant crimina, ſuſpectum tamen fratrem apud patrem reddidit. *Liv.*

Carthaginenſes accuſant Maſiniſſam de agro quodam occupato: Maſiniſſa demonſtrat agrum ad ſe pertinere, cùm avus ſuus eum habuerit, & obtinet.

Romæ circa diem 22. Decem. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Cornelius Cethegus.
M. Bæbius Tamphilus.

ANNO MUNDI 3769. ante C. N. 179.
ED. ☉ 25. ☽ 11.

Peſtilentia Romæ laboratum, adeò ut milites in Sardiniam ſcribi non poſſent, & libitinia ſepeliendis mortuis vix ſufficeret. Liv.

Philippus rex Macedoniæ, cum Perſeo filio in Hæmum montem adſcendit, conſulturus de bello Romanis inferendo, qua ratione exercitum in Italiam traducere poſſet: inde regrediens, cùm Perſeus fratrem Demetrium fictis literis ſuſpectum reddidiſſet, & Didas Pœoniæ prætor inſuper ex Demetrio audiviſſet, quòd fugam ad Romanos intenderet, filium inſontem jubet veneno interfici. *Liv.*

Æmilius Paulus *Proconſul à Liguribus per fraudem in caſtris obſidetur, ſequenti die eruptione pugnat, vincit, hoſtes caſtris exuit, & totam gentem in deditionem accipit.* Liv.

Hyrcanus filius Joſephi, qui manceps erat vectigalium in Palæſtina conſtitutus à Ptolomæo rege Ægypti, Arabibus præficitur, quibus plurimum moleſtus eſt per annos ſeptem, uſque ad initium Antiochi Epiphanis, quem metuens ſibi ipſi mortem conſciſcit. *Joſeph. lib.* 12.

Siccitate magna hoc anno laboratum eſt, cum ſex menſibus non pluiſſet. Liv.

Numæ Pompilii regis Romani arca ſepulchralis poſt annum 490. inventa, ſed planè inanis: in altera verò arca, quæ illi conjuncta erat, libri Numæ Pompilii inventi, quos prætor Romanus, quod diſſolvendarum religionem eſſent, ex Senatus conſulto cremavit. Liv.

Annus Nabonaſſaris 568. & annus Philippi ac mortis Alexandri 144. incipit die 7. Octob. fer. 4.

Bellum Celtibericum in Hiſpania exortum. Fulvius Flaccus prætor eos acie vincit, caſtris exuit & Contrebiam urbem capit. *Liv.*

Statua aurea prima hoc anno Acilio Glabrioni qui Antiochum devicerat, in Italia poſita.

Æmilius Paulus triumphat de Liguribus, qui currum triumphantis ſecuti, perpetuam pacem à populo Romano exorant. Liv.

Romæ circa diem 11. *Decem. Juliani, Magiſtratum inierunt:*

Coſſ. A. Poſtumius Albinus.
C. Calpurnius Piſo.

ANNO MUNDI 3770. ante C. N. 178.
C. ☉ 26. ☽ 12.

Annus à Romà conditâ numeratus 573.

Annus Ptolomæi Philometoris in Ægypto primus.

Peſtilentia jam tertium annum & urbem Romam & Italiam vaſtabat; itaque libri Sybillini inſpecti, & ſupplicationes inſtituta. Quæſtiones etiam de veneficiis inſtituta, quòd Calpurnius Piſo Conſul ſubito defunctus eſſet, & ab hoſtiliâ uxore ſuâ veneno dato occiſus. Succedit in Vitricis locum:

Conſul Q. Fulvius Flaccus. *Hâc de causâ enim Hoſtilia maritum ſuum Conſulem interfecerat.*

Annus Græcor. Jud. 133. *incipit die* 25. *Mart. fer.* 5.

Ptolomæus Epiphanes in Ægypto, cum annos 24. regnâſſet, moritur. Succedit filius Ptolomæus Philometor puer adhuc, & regnat annis 25. *Ptol. in Canone.*

Annus 75. *ſecundæ periodi Calipp. incipit die* 20. *Jul. feria* 3.

Olympias 150. *acta die* 4. *Auguſti, fer.* 4. *Eſt annus Olympiadicus* 597.

Victor Stadii *Oneſicratus* Salaminius.

Ligures ad quadraginta millia ex montibus in valles deducuntur, ubi ipſis dantur agri, urbes etiam in Samnio, & Proconſules hâc ipsâ de causâ triumphant.

Fulvius *Proprætor in Hiſpaniâ, cùm decederet in ſaltu, ab hoſtibus inſeſſo, invaditur, durum fuit prælium, & victoria acquiſita virtute equitum, ideò fortunæ equeſtri ædes vota. Hoſtium ceciderunt ad* 17. *millia, & Fulvius Romæ, cùm Conſul jam eſſet deſignatus, triumphavit.* Liv.

Gentius *Illyriorum rex, ſuperiori anno infeſtum habuerat mare latrocinis, nec legatos Romanos audire voluerat. Ideò cùm ipſe legatos Romam mitteret, retenti ſunt, donec quæ erepta quibusdam civibus Romanis erant, reſtituerentur.* Liv.

Cumanis hoc anno à Romano Senatu id petentibus conceſſum, ut publicè latinè loquerentur. Liv.

Annus Alexandræus 133. *incipit die* 18. *Sept. fer.* 7.

Romæ circa diem 26. *Decembr. Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Manlius Acidinus Fulvian.
Q. Fulvius Flaccus.

Hi fratres Germani fuerunt, ille in Manlianam familiam adoptatus.

ANNO MUNDI 3771. ante C. N. 177.
B. ☉ 27. ☽ 13.

Hyems hoc anno adeò ſæva, & frigore & omni tempeſtatum genere fuit, ut arbores, quæ obnoxia frigoribus ſunt, cunctas deureret, & multa ædificia dejiceret; longior etiam fuit, quàm aliàs. Livius.

Philippus rex Macedoniæ, cùm hybernaſſet Demetriade, comperit ſe filium ſuum Demetrium innocentem interemiſſe; æger igitur animi de abdicando filio Perſeo conſilia agitat, verùm ille potentior jam erat, quam ut patrem ampliùs metueret: parens igitur mœrore animi tandem moritur, cùm annos 42. regnâſſet; ſuccedit filius *Perſeus*, qui regnat annos undecim. *Liv.*

L. Julius tribunus plebis hoc anno rogationem perfert, quot annos nati quemque magiſtratum peterent, caperentque, inde cognomen huic familiæ inditum, ut dicerentur Annales. Liv. lib. 40.

Baſtarnarum gentem trans Danubium Philippus rex evocaverat in Dardanorum ſedem,

quos

quos excindere parabat, quòd infideliſſimi eſſent Macedonibus, ut Baſtarnas potius haberet accolas, & eos in Italiam immittere poſſet; ſed morte Philippi tota res turbata fuit. *Liv.*

Cenſores *fuerunt Æmilius Lepidus, & Fulvius Nobilior, inter quos nobiles erant inimicitiæ, quas Senatu ita volente, ne detrimento eſſent Reipub. deponunt, & quæ ſui officii fuerunt, magna concordia agunt. Princeps Senatus à Collega lectus* M. Æmilius *Lepidus. Condiderunt luſtrum quinquageſimum, cenſa ſunt civium capita* 273244.

Statius Cæcilius Comœdiarum ſcriptor floret, fuit natione Inſuber, & Mediolanenſis, Ennii Poetæ contubernalis *Euſeb.*

Sempronius *Gracchus in Hiſpaniâ Celtiberos aliquot prœliis vincit, multas urbes capit, & ultra centum in deditionem accipit, & tandem omnem Celtiberiam domat.* Liv.

Romæ circa diem 16. Decemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Junius Brutus.
A. Manlius Vulſo.

ANNO MUNDI 3772. *Ante* C. *N.* 176.
B. ☉ : 7. ☽ 15.

Plinius ſcribit, Aufudium tutela Capitolii redemptorem tandem docuiſſe Pontifices, clypeos, qui ut ærei per aliquot luſtra in capitolio affixi fuerant, argenteos eſſe.

Incendio circa forum Romæ facto, cùm plurima eſſent cremata, ædes Veneris ſine ullo veſtigio planè cremata eſt; Et Veſtæ ignis extinctus, ob quod virgo, cujus cuſtodia fuerat, flagro cæſa eſt juſſu M. Æmilii *Pontificis Maximi.* Obſequens.

Lycii conqueruntur Romæ de crudelitate dominatûs Rhodiorum, quibus literæ datæ ad Rhodios, quibus monebantur, Lycios ipſis non in ſervitutem datos, & ne imperio ſuo abuti velint. *Livius.*

Volſo Conſul in Hiſtriam proficiſcitur, iiſq; bellum infert, quod tamen ipſi ex ſententia Senatus nondum indictum erat. Hiſtri in denſa nebula ſtationes Romanorum aggrediuntur, caſtraq; capiunt, neq; tamen Romanos ad mare fugientes perſequuntur. Romani recepto animo caſtra ſua repetunt, recipiunt, & ad octo millia Hiſtrorum, qui jam poculis exhauriendis vacabant, trucidant. Liv.

Periodus tertia Calippica incipit die 28. Jun. fer. 4.

Annus ſabbathicus ſeptimus ſive Jobeleus Judai*cus viceſimus ſextus, incipit die 25. Sept fer. 2. Eſt hebdomas Danielis 36. Anno* Jud. 3584.

Triumphi bini ex Hiſpania continuò acti. Prior Tib Sempronius Gracchus triumphavit de Celtiberis, & poſtero die L. Poſthumius Albinus de Luſitania. Liv.

Magiſtratum ineunt circa diem 30. Decembr. Juliani:

Coſſ. C. Claudius Pulcher.
Tib. Sempronius Grachus.

ANNO MUNDI 3773. *Ante* C.*N.* 175.
GF. ☉ 1. ☽ 15.

Proconſules Brutus & Volſo in Iſtriâ *hoſtes prælio vincunt, & ad pacem petendam adigunt, quam dant, obſidibus imperatis.*

Claudius Conſul, cui hæc provincia obvenerat, ne confectâ provinciâ in Iſtriã veniret, ſubito & præceps eò venit. Sed malè ibi accipitur à militibus, & irridetur, ideò Romam redit, Paludatuſq; ex urbe legitimo modo in provinciam venit, & trucidato Iſtrorum rege, & receptis urbibus, Iſtriam provinciam facit; indè cùm Ligures rebellarent, eò etiam cum exercitu proficiſcitur, & eâ etiam confecta provincia, cùm multos hoſtes occidiſſet, Romam redit, & de Iſtris ac Liguribus ſimul triumphat. Liv.

Annus Nabonaſſaris 572. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 148. *incipit die* 6. *Octob. fer.* 1.

Gracchus in Sardinia hoſtes fundit fugatq; & caſtris exuit; ad 12. millia hominum cæſa, arma capta, poſtero die ſacrum Vulcano cremavit, & in hyberna exercitum duxit.

Luca Colonia hoc anno deducta, agro eo diſtributo, qui Ligurum fuerat. *Liv. Vellej.*

Romæ circa diem 19. Decemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cn. Cornelius Scipio Hiſpalis.
Q. Petilius Spurinus.

Ligures, cùm exercitus ex provincia deductus eſſet, rebellant, & impetu quodam Coloniam Mutinam capiunt; Proconſul Claudius ſtatim eò mittitur, qui dat operam, ut Coloniam hoſtibus eripiat, proconſul approperans tertio die quam advenit, Coloniam recipit, & Italiam uſq; ad Alpes domat. Liv.

ANNO MUNDI 3774. *Ante* C. N. 174
E. ☉ 2. ☽ 16.

Annus à Roma condita numeratus 577.

Annus Ptolomæi Philometoris 5.

Feriæ Latinæ hoc anno fuerunt quinquageſimo primo die poſt Idus Martias, quibus conſules magiſtratum inierant. Livius.

Conſul Scipio ex monte Albano, cùm Latinas egiſſet, concidit & parte membrorum captus, ad aquas Cumanas profectus, ibi moritur: ſufficitur ipſi conſul.

C. Valerius Levinus.

Annus Græcor. Jud. 137. incipit die 11. Mart. fer. 3.

Seleucus rex Aſiæ, cùm annos undecim regnaſſet, moritur; ſuccedit frater *Antiochus Epiphanes*, qui obſes Romæ fuerat, regnatque annis 12. *lib.* 1. *Maccab.*

Annus 3. periodi Calipp. tertiæ, incipit die 6. Julii, feria 1.

Olympias 151. acta die 20. Auguſti, fer. 4. Eſt annus Olympiadicus 601.

Victor Stadii *Thymelus* Aſpendius.

Gracchus in Sardinia ex Hybernis profectus, iterum Sardos vincit, & eorum 15. millia occidit; pacem igitur petunt, quam quidem Gracchus concedit, ſed duplex ipſis ſtipendium imponit, & hoc etiam anno in provincia manet. Liv.

Conſules in Ligures provinciam proficiſcuntur, Ligures bello impares Letum & Baliſtam montes occupant. Petilius Conſul ſuum exercitum ad Letum montem ducit, ubi dum exercitum ad eum montem capiendum adhortatur, ſe eo die Letum capturum, malo omine lethum capit, & interficitur: exercitus tamen ejus nihilominus hoſtes vincit, & de monte dejicit; quinq; millia hoſtium ceciderunt. Liv.

Annus Alexandræus 137. incipit 4. Sept. fer. 5.

Jesus, qui ſe Jaſonem maluit appellari, ad novum regem Antiochum profectus, trecenta talenta regi offert, ut remoto *Oniâ* fratre & ſummo ſacerdote, ipſe ſummus Sacerdos declaretur; quod & impetrat, ſub tributo tamen annuo, 2. *Macca.* 4.

ANNO MUNDI 3775. ante C. N. 173.
D. ☉ 3. ☽ 17.

Romæ circa diem 3. Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Mucius Scævola.
M. Æmilius Lepidus II.

Peſtis adeò graſſatur Romæ, ut nec Libitina funeribus liberorum ſufficeret, multò minus ſervorum; itaq; cadavera publicè adjecta, quæ tamen nec canes nec vultures attingebant, imò vultures nulli in eâ Italiæ regione conſpiciebantur. Liv.

Tib. Sempronius Gracchus ex Sardinia Romam reverſus, de Sardis triumphat, tabulamq;, in qua & prælia & inſulæ ſitus deſcripta erant, in capitolio dedicat. Liv.

C. Valerius *Levinus Proconſul de Liguribus triumphat.*

Baſtarnas ferociſſimam gentem, Perſeus Macedoniæ rex evocaverat ad delendos Dardanos, & ſanè Baſtarnæ Dardanos vincunt, ſed Dardani ex aliâ parte caſtra Baſtarnarum capiunt & ſpoliant, ideò Baſtarnæ relictis Dardanis prædarum ſpe ſollicitati, Danubium frigore concretum tranſire conantur, ubi dum glacies nimia exercitus mole frangitur, abſque pugna in univerſum delentur.

Perſei regis Macedoniæ mores minimè regiiâ Livio hoc anno exprimuntur, niſi quòd magnificus fuit in urbium donis, & Deorum cultu: multis enim urbibus regalia dona miſit, & Jovis Olympii templum Athenis ædificavit, cum multis urbibus amicitiam iniit, & contra fœdus cum Romanis inſtructus exercitu Delphos aſcendit, & in media Græcia apparuit. Legatos etiam Carthaginem miſit, qui noctu ibidem auditi ſunt. *Liv.*

Mucius *Conſul in Liguria præclarè rem gerit, ideò cum ad urbem rediſſet, triumphavit.*

Magiſtratum Romæ ineunt circa diem 24. Decem.

Coſſ. Sp. Poſtumius Albinus.
Q. Mucius Scævola.

ANNO MUNDI 3776. ante C.N. 172.
C. ☉ 4. ☽ 18.

Antiochus Epiphanes rex contra Ptolomæum belli cauſas quærens, in Syriam movet. *Polyb.*

Legati Romani in Africam miſſi, de legatione Perſei ad Carthaginenſes plura è Maſiniſſa rege comperterunt, quam Carthagine expiſcari potuerunt; ideò iidem legati in Macedoniam mittuntur eo tempore, quando Perſeus Dolopum gentem ſub ditionem redegit. Livius.

Ptolomæus lib. 6. μεγ. συντ. cap. 5. annotat Eclipſin lunarem, quæ acciderit anno ſeptimo Ptolomæi Philometoris, anno Nabonaſſaris 574. die 27. Phamenoth. cùm præteriiſſent anni Nabonaſſarei 573. dies 206. hora 14. minut. 20. quæ fuerit ſeptem digitorum, Alexandriæ horis 2, 25. poſt mediam noctem. Ad Calendarium Julianum hæc Eclipſis accidit hoc anno feriâ ſeptima, ineunte die primo Maji, horis 2, 16, 45. poſt mediam noctem. Latitudo vera 42, 57. auſtralis ſemidiameter Lunæ 17, 57. Summa ſemidiametrorum 64, 38. ſcrupula reſidua 20, 41. digiti ecliptici 7. ferè. Locus Solis in 6. tauri.

Ætolorum gens in ſe furorem vertit, & mutuis cædibus ad internecionem ferè extirpantur, feſſi tandem legationes mittunt ad Romanos, qui rem Delphis cognoſcunt, in quâ diſceptatione, cùm Proxenus, qui exulum cauſæ favebat, priores tuliſſet, ab uxore interimitur, uxor ejus damnatur. *Livius.*

Celtiberi rebellant, contra quos mittitur Ap. Claudus Prætor, qui eorum quindecim millia capit aut cædit, & caſtris hoſtium etiam potitur. Victi in urbes ſuas dilapſi, quieti deinde imperio paruerunt. *Liv.*

Cenſores hoc anno Romæ fuerunt Q. Fulvius Flaccus, & A. Poſtumius, qui principem Senatus ſecundum legerunt M. Æmilium Lepidum, & luſtrum condiderunt quinquageſimum primum. Cenſa ſunt civium Romanorum capita 269015. De Senatu novem ejecerunt. Liv.

Munera gladiatorum aliquot data, & in funere T. Flaminii quatuor & ſeptuaginta homines pugnarunt. Liv.

ANNO MUNDI 3777. *Ante* C. *N.* 171.
BA. ☉ 5. ☽ 19.

Romæ circa diem 7. Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Poſtumius Albinus.
M. Popilius Lænas.

Hiſce Conſulibus Romæ Floralia *inſtituta, quæ celebrabantur die 28. Aprilis, ut teſtatur Ovidius* lib. 5. Faſtorum.

Poſtumius Conſul, quòd Prænestinis iratus eſſet, & ipſe ad inſpiciendum agrum Campanum proficiſceretur, juſſit ut ſibi obviam irent, & locum pararent, ubi diverteretur, jumentaque ſibi præſtò eſſent, ſi abiret: atque ita primus fuit, qui ſociis ſumtui atque oneri eſſet, ejus exemplum ſecuti poſtea ſunt alii magiſtratus. *Liv.*

Fulvius Cenſor, ut ædem Fortunæ equeſtris, quam in Hiſpaniâ voverat, magnificentiſſimè extrueret & exornaret, templum Junonis Laciniæ in Brutiis, tegulis marmoreis ſpoliat, & ſuum tegere conatur: verùm obſtitit Senatus, & ſacrilegium hoc ita punitum eſt, ut biennio pòſt Cenſor Fulvius ſe laqueo ſuſpenderet. *Liv*

Ennius Poeta cùm annum 67. ageret, ſcripſit duodecimum librum annalium, *ut teſtatur Varro lib. 1.*

Antiochus Epiphanes fœdus cum Romanis & amicitiam renovat, Legatus fuit Apollonius, qui poſtea à Maccabæo cæſus fuit.

Annus Nabonaſſaris 576. & annus Philippi & mortis Alexandri 152. incipit die 5. Octob. fer. 5.

Rentha rex Scotorum, cùm annos 17. regnaſſet, moritur; ſuccedit eorum rex octavus Thereus, & regnat annos 12. *Buchanan.*

Popilius *Conſul Ligures Statellates, qui ante nunquam hoſtes fuerant, bello petit, & oppugnatione urbis territos in pugnam elicit, vincit, & in deditionem accipit; deditos deinde armis ſpoliat, oppidum diruit, ipſos & bona eorum vendit, quæ crudelitas Senatui Romano minimè probata eſt, ideò Senatus conſultum fit, ut Conſul venditos redimeret, & illis omnia ſua redderet, ſed Conſul eandem ferocitatem animi, qua in Liguribus uſus erat, habuit ad non parendum Senatui, quapropter poſtea increpitus eſt a Senatu.* Livius.

Romæ circa diem 27. Decemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Popilius Lænas.
P. Ælius Ligus.

Hi primi fuerunt ambo plebei, cùm id dudum per leges licuiſſet.

ANNO

ANNO MUNDI 3778. *Ante* C. N. 170

G. ☉ 6. ☽ 1.

Annus ab urbe condita numeratus 581.

Annus Ptolomæi Philopatoris in Ægypto nonus.

ONIAS, qui ſe MENELAUM appellari voluit, frater Jaſonis ſummi Pontificis, miſſus à fratre Jaſone ad Antiochum regem cum pecunia & donis, ea ſuo nomine offert, & cauponatur ſummum Pontificatum duplo tanto, quàm Jaſon antea emerat; atque ita Jaſon iiſdem artibus Pontificatum amittit, quibus fratrem ONIAM eò circumſcripſerat. 2. *Maccab. cap.* 4.

Annus Græcorum Judaicus 141. *incipit die* 25. *Martii, fer.* 1.

Locuſtarum ingens nubes in Apuliam infertur adeò, ut agros ſuis examinibus operirent: miſſus igitur Prætor Sicinius, qui coacta ingenti multitudine hominum, peſtem illam frugum collegit & perſummdedit. Liv.

Eumenes rex Aſiæ Romam venit, Commentarium ſecum affert omnium rerum, quæ Perſeus adverſus pacem cum Romanis initam feciſſet, & Senatum inſtantis belli admonet. Perſeus de hoc indicio Eumenis certior factus, inſidias Eumeni ad Delphos eunti ponit, eumque ſaxo dejecto ferè interimit, ex quo caſu tamen tandem convaluit. Perſeus præterea de tollendis Ducibus Romanis per venenum ſingulatiarte præparatum, Brundiſinum hoſpitem publicum, nomine Ramnium appellat, qui indicium ejus rei defert Romam ad Senatum. *Livius.*

Annus ſeptimus tertia periodi Calippica incipit die 21. *Julii, fer.* 7.

Olympias 152. *acta die* 6. *Auguſti fer.* 2. *Eſt annus Olympiad.* 605.

Victor Stadii *Democritus* Megarenſis.

Maſiniſſa multa oppida & caſtella eripit Carthaginenſibus; de quibus conqueruntur Carthaginenſes apud Senatum Romanum. Senatus jubet Maſiniſſam à rebus Carthaginenſium abſtinere, & ſe jus gratia ipſi dare non poſſe. Liv.

Annus Alexandræus 141. *incipit die* 18 *Sept. fer.* 3.

Prætor Licinius comparat claſſem quinquaginta navium, cum exercitu novem fere millium, quam Græciam trajiciatur. Liv.

ANNO MUNDI 3779. *Ante* C. N. 169.

F. ☉ 7. ☽ 2.

Romæ circa diem 11. *Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. P. Licinius Craſſus,

C. Caſſius Longinus.

Antiochus Epiphanes ſeditionem experitur Tharſenſium in Sicilia, ad quas ſedandas cum exercitu proficiſcitur.

Menelaus ſummus ſacerdos, qui quòd tributum debitum non ſolviſſet, ſacerdotio exciderat; ſumtis ex templo multis donariis, ad Andronicum proficiſcitur, ibiq; Pontificatum recuperat, & ONIAM fratrem ſeniorem, qui olim Pontifex fuerat, ad Daphnem propè Antiochiam curat interfici. 2. *Maccab.* 4.

Antiochus inde Cœleſyriam aggreditur, ut cauſam habeat aggrediendi Ægyptum, dum ſpernit pueritiam regis, & inertiam tutorum: ibi tutores bellum adverſus Antiochum parant, ut vindicent Cœleſyriam, *ut habet Livius,* Ambo tamen legatos mittunt Romam, qui ibi diſceptent de Cœleſyria, *ut habet Polybius.*

Latinæ *feria Calendis Junii fuerunt diebus* 76. *poſt Idus Martias, circa diem* 29. *Martii Julianam.*

Conſul Licinius bellum in Græcia cum Perſeo ita gerit, ut æquâ ferè clade per totam æſtatem res gererentur; inde in hyberna diſceditur; in hybernis, Coronæos in Bœotia, qui Perſei partes ſequebantur, expugnat, urbem excindit, & Coronæos ſub haſta vendit. quam crudelitatem averſatus Senatus, Coronæos in libertatem reſtitui jubet. Livius.

Lucretius Prætor, cùm claſſis nullius eſſet uſus, terrâ rem gerit, & Haliartum urbem Bœotiæ oppugnat, vi expugnat, & excindit; & incolas vendit; qua clade territi Thebani ſe dedunt, & mitius tractantur. Livius.

Prætores P. Furius Philus, & M. Matienus, quòd crudeliter & avarè Hiſpaniæ provinciæ præfuiſſent, ab Hiſpanis accuſantur, à Senatu damnantur, & in exilium ejiciuntur. Liv.

Annus ſabbathicus primus Jobelei Judaici 27. *incipit die* 7. *Septemb. fer.* 7. *Eſt hebdomas Danielis* 37. *Anno Jud.* 3591.

Caſſius *alter Conſul per Carniam in Macedoniam exercitum ducere conatur, Romanus Senatus de hoc itinere certior factus legatos mittit, qui Conſulem retrahant; ipſe regreſſus Carnos & Iſtros vaſtat, de hac injuria Carni & Iſtri conqueruntur apud Senatum,* Liv.

ANNO MUNDI 3780. *Ante* C. N. 168.

E. ☉ 8. ☽ 3.

Romæ circa Calendas Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. A. Hoſtilius Mancinus.

A. Atilius Serranus.

ANTIOCHUS Epiphanes locum injuriæ ratus, dum Romani bello Macedonico occupantur, Ægyptum occupare tentat, ſub ſpecie reducendi majoris Ptolomæi, qui à fratre & Cleopatrâ ſorore Alexandriâ ejectus erat. Peluſium igitur occupat, & præſidiis munit. Inde regreſſus in Syriam, vaſtat Judæam, Hieroſolymam occupat, templum ingreditur & Sanctum Sanctorum; aufert auream menſam, candelabrum, menſam panum propoſitionis, & præterea mille & octingenta talenta Hebraica, ultra triginta milliones, occidit octoginta millia hominũ totidem vendidit, & quadraginta millia abduxit, 1. *Maccab.* 1. *&* 2. *Maccab.* 5.

Hortenſius *Prætor Abderitas ſocios, quòd nollent ipſi pecuniam, quantam vellet, numerare, bello perſequitur, captos expugnata urbe ſub corona vendit; eos Senatus, ut Coronæos ſuperiore anno, in integrum reſtitui jubet.* Livius.

Lucretius *ſuperioris anni Prætor, quòd Chalcidenſes avarè & inhumaniter tractaſſet, Romæ à Chalcidenſibus accuſatur, & cùm ei dies dicta eſſet, decies centum millium æris damnatur,* 44000. Gülden, Liv.

Alabandenſes primi templum urbi Romæ ædificaverunt, eique divæ quotannis ludos voverunt, & ob id coronam auream quinquaginta pondo Romæ offerunt. *Liv.*

Superioris Africani filius, quòd imbecillioris eſſet valetudinis, nihil ex paterna majeſtate, præter ſpeciem nominis & vigorem eloquentiæ retinuit; is Æmilii Pauli filium adoptat, adoleſcentem quindecim annorum. Florus.

In Hiſpania tota certaminum moles cum Luſitanis fuit & Numantinis, fuiſſetq; cum omnibus Celtiberis, niſi Dux belli eorum oppreſſus eſſet Salondicus *ſummæ vir audaciæ & aſtutiæ.* Flor. lib. 2.

C. Hoſtilius *Conſul nihil ferè memorabile Macedonia geſſit; niſi quod militaris diſciplinæ obſervantiſſimus fuit, milites ab effuſa licentia reformavit, & ſocios cum fide coluit.*

Priusquam Conſules magiſtratum inirent, intercalatum eſt die tertio poſt Terminalia; unde conjicitur intercalarem menſem hoc anno fuiſſe dierum 23. Terminalia enim ſunt die 23. Febr. Livius.

ANNO MUNDI 3781. *ante* C.N. 167.
DC. ☉ 9. ☽ 4.

Romæ circa diem 15. Januarii Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Martius Philippus II.
Cn. Servilius Cæpio.

Perſeus in hyeme poſt brumam in Illyricum expeditionem facit, Uſcanam urbem deditione capit, præſidio Romano, quod ibi erat, cui cùm ſe dederet, ſalvum conductum promiſerat, arma adempta, & vincula injecta, ut & reliquis civibus præcipuis, reliqui venditi; qua clade reliquæ civitates territæ, ſe dediderunt. *Livius.*

Q. Martius Conſul cùm in Theſſaliam veniſſet, periculoſo itinere in Macedoniam pervenit, & Perſeum in magnas anguſtias cogit, adeo ut theſauros ſuos mari demergeret. Verùm Conſul ut commeatu ſublevari poſſet, ad Tempe regreditur, ea præſidiis occupat, & Perſeo ita reſpirandi copiam præbet. Livius.

Crates Mallotes Ariſtarchi æqualis, ſtudium Grammatices Romam intulit, qui miſſus ad Senatum ab Attalo Eumenis fratre, ſub ipſam Ennii mortem, cùm è regione palatii prolapſus in cloacæ foramen crus fregiſſet, per valetudinis tempus aſſiduè diſſeruit, ac plurimas ἀκροάσεις ſubinde fecit. *Suet.*

Hiſce Conſulibus, teſte Varrone, moritur *Ennius* articulari morbo, quòd vino nimium indulgeret: habitavit in Aventino, à Catone Quæſtore eò translatus, contentus aliàs parvo ſumtu, & unius ancillæ miniſterio. Fuit ſeptuagenario major.

Lycortas & Polybius princeps reipub. Achæorum, nec Romanus nec Perſeum in hoc bello adjuvari volunt. Vicit tamen altera Achæorum pars, quæ auxilia Romanis mittenda cenſet: Ideò Polybius in odium venit apud Romanos. *Polyb.*

Annus Nabonaſſaris 580. & annus Philippi & mortis Alexandri 156. incipit die 4. Octo. fer. 4.

Antiochus Alexandriam in Ægypto obſidet, expugnare tamen eam non poteſt, ideò legatos Ptolomæus minor Romam mittit, ut obſidione eximatur. Antiochus igitur obſidionem ſolvit, quapropter major Ptolomæus, qui regno ejectus fuerat, cùm perſenſiſſet mentem Antiochi de occupando Ægypto, cum minore fratre in gratiam redit, & Anacleteria cum ipſo celebrat; quæ moris eſt celebrari, ſi reges ita adoleverunt, ut ad gubernacula ſedere poſſint; & cùm ſibi metuerent ab Antiocho, auxilia poſtulant ab Achæis, mille pedites & centum equites, ducibus Lycorta & Polybio; factum Conſule Martio, *ut Polybius habet.*

Pruſias Bithyniæ rex miſſa legatione ad Romanos deprecatur pro Perſeo, & petit bellum finiri. Rhodii ſimiliter, & ad Romanos & ad Perſeum legatos mittunt, jubentque belli, quòd ipſis detrimento ſit, finem fieri; per utros ſtetiſſet minantur ſe conſideraturos, qui ſibi faciendum ſit. *Liv.*

Cenſores *hoc anno fuerunt* C. Claudius *Pulcher*, & Tib. Sempronius *Gracchus, qui, quòd publicanos in ordinem redigerent, offendunt Tribunos plebis; ob id accuſantur, & C. Claudius damnatus fuiſſet, niſi Gracchus conceptis verbis, juraſſet, ſe exilii comitem collegæ futurum. Condiderunt luſtrum 52. Principem Senatûs tertium legerunt M. Æmilium Lepidum; cenſa fuerunt civium capita 212805.* Florus.

ANNO MUNDI 3782. *ante* C. N. 166.
B. ☉ 10. ☽ 5.

Annus ab urbe condita numeratur 585.

Ptolomæi Philometoris annus 13.

Romæ circa diem 4. Jan. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Æmilius Paullus II.
C. Licinius Craſſus.

Latinæ feriæ celebratæ pridie Idus Aprilis, circa quartum Februarii.

Ptolomæi fratres legatum mittunt ad Antiochum Epiphanem, nunciatum, quòd in concordiam rediiſſent, & Ptolomæum majorem in conſortium regni receptum eſſe, petuntque, ut munus ſuum tueri, & præſidia Peluſio & aliis locis deducere velit: at verò Ptolomæus negat, ſe hoc facturum, niſi ſibi tota Cypro cedatur, & Peluſio inſuper: utque hoc obtineat, exercitum iterum in Ægytum ducit. *Liv.*

Annus Græcorum Judaicus 145. incipit die 12. Martii, fer. 7.

Perſeus evocat Gallos trans Danubium habitantes ad bellum, qui exciti duce *Clondico* in Thraciam veniunt, ſed cùm non ſpe, ſed mercede certa militare vellent, Perſeus tenaciſſimus pecuniæ, eos regredi jubet, magno ſuo malo.

Anitius *Prætor* Gentium *Illyriorum regem, qui inductus à Perſeo, accepta exigua ſumma pecuniæ, Romanis bellum moverat, & legatos contra jus gentium in vincula conjecerat, pugna vincit, & celeritate ſua in anguſtias redactum deditione capit, Romamque mittit. Bellum hoc triginta diebus perpetratum eſt, priusquam cœptum eſſe Romæ auditum fuiſſet.* Liv.

Conſul Æmilius, cùm Perſeus ripam fluvii Enipei munivisſet, alio loco præſidiis Macedonum dejectis, exercitum in conſpectum Perſei ducit, & pugnaſſet eo ipſo die, niſi exercitus æſtu & pulvere ferè exanimatus fuiſſet; media enim æſtate circa ſolſtitium æſtivum id accidit. Sequenti nocte fit Eclipſis Lunæ, eam Romanis prædixit Q. Sulpitius Gallus. Livius.

Eclipſis hac Lunæ accidit die 21. Junii, feria 3. hora 9. min. 14. poſt meridiem, Latitudo vera 15,31. Semidiameter Lunæ 16,15. Summa Semidiametrorum 59,39. Scrupula reſidua 44,8 unde emergunt digiti eclipticii

prid. 17. 2. Locus Solis in 26. gradu Geminorũ. Accidit, inquit Livius hora ſecunda noctis. Sol Theſſalonicæ tum occidit poſt meridiem hora ſeptima, min. 12. Eclipſis facta ad Calendarium Romanum, 4. Septembris, ad Julianum die 21. Unde manifeſtum eſt, Idus Martias apud Romanos incidiſſe in 4. diem Januarii.

Sequenti die Æmilius feliciſſimo & aperto prælio exercitum Perſei vincit, occiſis viginti millibus Macedonum, captis ſex millibus victores tantùm centum ceciderunt. Perſeus fugiens relicto regno Samathraciam petit, loci ſanctitate ſe defenſurus, ſed Æmilius claſſem eò mittit, eumq; capit. *Liv.*

Quarto die Romæ in ludis circenſibus rumor exoritur, Perſeum victum & Macedoniam in deditionem acceptam, quo creſcente tandem clamor plauſuſque exortus, ſed legati tandem vigeſimo die poſt pugnam Romam veniunt, & ſupplicatio decreta quinque dierum, *Liv.*

Annus undecimus periodi tertiæ Calipp. incipit die 7. Julii, feria 5.

Olympias 153. acta die 23. Jul. Eſt annus Olympiadicus 609.

Victor Stadii *Ariſtander* Lesbius.

Popilius & alii Romanorum legati poſt victoriam tandem Rhodum, & inde in Ægyptum, ubi Antiochus Alexandriam obſidebat, veniunt, mandataque Senatûs exponunt, ibi Popilius, cùm Antiochus tergiverſari conaretur, circulo in arena ſatis magno, ut Conſiliarios advocare liceret, eum circumſcribit, nec egredi patitur, priuſquam certum reſponſum daret. Tantâ violentiâ Antiochus victus, Agriam copias ſuas reduxit, frendens gemensque, cum tempori cedendum putaret. *Polyb.*

Annus Alexandreus 145. incipit die 5. Sept. fer. 2.

Antiochus, cùm Palæſtinam veniſſet, vi occupat Hieroſolymam, diripit eam, muros deſtruit, & arcem condit in monte Zion, munitq; & præſidium Macedonicum imponit, templum ipſum ſpoliat, Biblia ſacra exurit, nova altaria erigit, ubi profana ſacrificia Græcorum more fierent, Judæosq; vi cogit ad gentilia ſacra: profanatio templi facta eſt die 25. menſis Apellæi, quem Judæi Caſleu appellant, eſt in Juliano Calendario dies 27. Novemb. feria prima. Hiſce calamitatibus multi ex Judæis fracti à lege divina deſciverunt. Fuerunt tamen etiam quidam conſtantes, ut Matathias cum filiis ſuis, qui urbibus ſuis exceſſerunt, & in Eremo vitam tolerârunt, donec plures convenirent, qui legem divinam mandatis regiis anteponerent, eamque defendere vellent. *Ioſeph.*

ANNO MUNDI 3783. ante C. N. 165.

A. ☉ 11. ☽ 6.

Romæ circa diem 19. Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. AElius Pætus.
M. Julius Pennus.

Æmilius Paulus priuſquam decem legati ab urbe in Macedoniam venirent, totam Græciam, intra & extra Peloponneſum, luſtrat, hoſpitaliter ubique ab omnibus acceptus, nec ipſe etiam in ſuſpectos inquiſivit. Cùm legati advenissent, Macedones omnes cum Illyriis liberos eſſe jubet, ſed totum regnum in quatuor partes dividit, & commercia inter diverſas partes prohibet, leges ipſis præſcribit, ut non hoſtibus ſed amicis dare eas videretur, inde in Epiro aliquot urbes prædæ dat militibus, & Romam profectus tantum pecuniæ in ærarium intulit, ut populus Romanus ex eo tempore tributum ſolvere deſineret, uſque ad Hirtium & Panſam Conſules, per annos 125.

Evocati præterea ſunt ex omnibus Græciæ partibus, qui non ſatis fidi Romanis videbantur, qui ſe in Italiam ſequerentur, ut reliqui firma pace frui poſſent. Ex Achaja ſola mille evocata fuerunt, iique retenti ſunt in Italia per annos ſeptendecim, ubi tantùm trecenti ſuperſtites in Achajam remiſſi ſunt, inter hoſce etiam fuit *Polybius Hiſtoricus*, qui tamen eruditione ſua ſibi multos Romæ amicos peperit, & liberè egit. *Polyb.*

Fuerunt hiſce temporibus & alii Hiſtorici, ut *Menodotus* Corinthius, qui res Græcas deſcripſit libris 14. Item Soſilus Ilienſis, qui Hannibalis acta deſcripſit libris 7. *Diod. Sic.*

Samaritani, cùm & circumciſione & ſacrificiis à Judæis non differrent, ne hoc tempore unà cum Judæis ab Antiocho affligerentur, à legibus Judæorum deſciſcunt, & ſe Gentilitia ſacra habere ad Antiochum perſcribunt. Ideò Antiochus præfectis ſuis mandat, ne ipſis vis belli inferatur, *Ioſeph. lib. 12.*

Matathias autor defendendæ legis divinæ apud Iudæos moritur, multis tamen filios ſuos adhortatus ad defendendam patriam, inter quos Judam ducem conſtituit.

ANNO MUNDI 3784. ante C. N. 164.

G. ☉ 12. ☽ 7.

Romæ circa diem 9. Januar. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Sulpitius Gallus.
M. Claudius Marcellus.

Hiſce *Coſſ.* Andria Terentii acta in ludis Megalenſibus, quarto Aprilis, quæ Romanis hoc anno inciderunt in diem 29. Januarii.

Perſeus in triumpho cum liberis ductus, ſeptem diebus in deterrimo carcere detentus fuit, hoc conſilio, ut mortem conſciſceret. Inde admonitus Senatus, ut in mitiorem carcerem deduceretur, ibi biennio detentus fuit, donec carceris cuſtodes offendiſſet, qui ipſum ſomno prohibuerunt, inde poſt aliquot dies vivere deſiit. *Diod. Sic. l. 26.*

Judas Maccabæus ubicunq; poteſt & hoſtes & Judæus, qui ad gentes defecerant, carpit. Ideò Antiochus mittit Apolloniũ, quem Samaritis præfecerat, contra Maccabæum, ſed à Maccabæo vincitur, & trucidatur. Inde Seron præfectus Syriæ majorem exercitum colligit contra Judæos, ſed & ipſe infeliciter pugnat & fugit. Hiſce cladibus irritatus Antiochus ingentes exercitus conſcribit, ubi theſauri ſufficere nõ viderentur, Lyſiã bello præfecit, ipſe ad expediendam pecuniam Perſepolin proficiſcitur. 1. *Maccab. 3. Ioſeph.*

Pruſias *Bithyniæ rex Romam venit, & filium ſuum Nicomedem Romanis commendat.*

Eumenes rex Romam verſus iter inſtituit, hic nõ ſatis fidus ſocius in Macedonico bello fuerat, ſed medium ferè ſe geſſerat; ne igitur tanquam amicus

reciperetur, velut hoſtis repelleretur, lex in Comitiis lata eſt, ne alicui regi liceret Romam venire. *Epit. Liv.*

Conſules hujus anni, Marcellus Gallos, Contrubos, item Ligures & Veleates vincit, & de iis triumphat, Sulpitius ſimiliter de Liguribus triumphat, quos ſub jugum reduxerat, idque Idibus intercalaribus, unde videmus, intercalatum eſſe hoc anno, quod factum eſt poſtridie Terminalia. *Liv. & Tab. Cap.*

Antiochus Epiphanes mandaverat Lyſiæ, ut Judæos debellaret, omnes eos ſub haſta venderet, & novos colonos in Judæam traduceret: Ideò Lyſias mittit exercitum quadraginta millium contra Judam Maccabæũ, ſub tribus Ducibus, ex quibus Gorgias Maccabæi caſtra noctu invadere conatur, ſed re per exploratores cognitâ, Judas eorum conatus retorquet, & ſub diluculo hoſtium caſtra, cùm pars exercitûs abeſſet, invadit, capit, & hoſtes fugat; quo viſo Gorgias etiam in tutiora loca ſe recepit, & Maccabæus multis ſpoliis potitur, 1. *Maccab.* 4.

ANNO MUNDI 3785. ante C. N. 163.
FE. ☉ 13. ☽ 8.

Roma circa diem 24. Januarii, Jul. magiſtratum ineunt:

Coſſ. T. Manlius Torquatus.
Cn. Octavius Nepos.

Hecyra Terentiana acta ludis Romanis hiſce Conſulibus, ſed non peracta, quod Funambuli ſpectacula actio turbaretur.

Lyſias poſt cladem acceptam exercitum reparat, majoriq; conatu rem aggreditur, mittitque exercitum ſexaginta millium, ſed Judas collectis decem millibus militum, fortiter hoſtium exercitum aggreditur, & quinque millia ex iis trucidat. Lyſias animadvertens ſe cum deſperatis pugnare, exercitum Antiochiam reducit, majores copias comparatus, 1. *Maccab.* 4. *Ioſephus l.* 10.

Annus Nabonaſſaris 584. & annus Philippi à mortis Alexandri 160. incipit die 3. Octob. fer. 6.

Iudas Maccabæus victis hoſtibus proficiſcitur Hieroſolymam, purgat templum ædificat altare novum, ſeligit Sacerdotes, qui ſe puros à contaminatione gentilium ſervaverant, & Encænia inſtituit, octo diebus à die 25. Caſleu menſis quotannis celebranda. Integro autem triennio profanatum jacuerat templum. Incidunt autem hoc anno ad Calendarium Julianum in diem 22. Novembris, in feriam ſeptimam. 1. *Maccab.* 4.

ANNO MUNDI 3786. ante C. N. 162.
D. ☉ 14. ☽ 9.

Annus à Roma condita numeratus 589.
Annus Ptolomæi Philopatoris 17.

Roma circa diem 13. Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt.

Coſſ. A. Manlius Torquatus.
Q. Caſſius Longius, *qui in Magiſtratu circa finem anni mortuus eſt.*

Annus Græcorum 149. incipit die 28. Mart. fer. 7.

Annus multis victoriis Judæ Maccabæi inſignis. Vicit Edomitas, & Ammonitas, & Timotheum ducem, expugnat plurimas urbes & ingenti præda potitur. Simonem prætereà fratrem in Galilæam ablegavit, qui & id locorũ victoriam obtinuit, ſed domi præfecti exercitûs Joſeph & Azaria invidentes fratribus tot victorias, Gorgiæ ſe opponunt, à quo vincuntur, & ad duo millia militum amittunt, 1. *Maccab.* 5.

Annus decimus quintus periodi tertiæ Calippicæ incipit die 23. Junii fer. 5.

Olympias 154. acta die 17. Aug. Eſt annus Olympiadicus 613.

Victor Stadii *Leonidas* Rhodius.

Antiochus Epiphanes, cùm templum Dianæ in Elymaide ſpoliare vellet, magnâ clade repellitur, & Babylonem recedit, ubi audit de exercitu ſuo cæſo in Judæa, & de victoriis Maccabæi: in magnum igitur luctum conjicitur, cui impar morbo invaleſcente moritur, cùm annis duodecim regnaſſet. *Joſeph. l.* 12. 13.

Annus Alexandræus 149. incipit die 21. Septemb. fer. 2. Eodem die incipit etiam annus ſabbathicus ſecundùm Jobeles 27. Eſt hebdomas Danielis triceſima octava Anno Jud. 3598.

Lyſias cùm audiſſet Epiphanem defunctum filium ejus Antiochum regem facit, & Eupatora nominat qui regnat annis duobus.

Cenſores creantur L. Æmilius Paulus & Q. Martius Philippus, condiderunt luſtrum 53. & principem Senatûs quartùm legerunt M. Æmilium Lepidum; cenſa ſunt civium capita 327022. Epit. L. vii.

ANNO MUNDI 3787. ante C. N. 161.
C. ☉ 15. ☽ 16.

Romæ circa diem 27. Januarii, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Tib. Sempronius Grachus.
Man. Juventius Thalna.

Terentii Comœdia Heautontimorumenos acta ludis Megalenſibus, 4. Aprilis hiſce *Coſſ.*

Cùm Macedonium præſidium in arce Sionis interciperet eos, qui in templo ſacra facere conarentur, Maccabæus arcem obſidet, de quo conqueritur Menelaus Pontifex & alii perfidi apud novum regem Eupatora, eumq; eò permovent, ut magno exercitu comparato & Bezuram & Hieroſolymam obſideret, & quidem Bezura ob famem, cùm annus ſabbathicus ſimul eſſet, deditur. Sed cùm Philippus, quem Antiochus fecerat protegem & tutorem junioris Antiochi, cũ exercitu Antiochiam perveniret, & Lyſias ſibi metueret, offert Maccabæo pacem, quã tamen præſtat, *ut* 1. *Maccab.* 6. *extat. Diodorus Siculus hujus obſidionis meminit his verbis:* Antiochus Eupator Hieroſolymam oppu-

oppugnat & Judæi repugnant ad tempus, ſed victûs inopia cum rege tranſigunt. Conſiliarii ſuadent, ut totam Judæorum gentem deleat, cùm pater Antiochus hoc ita decreverit, & templum immolatione ſuis profanaverit, ſed cùm Eupator Hieroſolymam tantùm mœnibus nudaſſet, & tributum accepiſſet, Judæos ita reliquit. *Hactenus Diod.* Porrò cùm Eupator ex Lyſia cognoviſſet, *Menelaum* omnium turbarum & totius belli autorem eſſe, eum ſecum abduxit, interfecitque cum Bæræa Syriæ, qui jam ſacerdotium decennio adminiſtraverat: Et præficit ſacerdotio Alcimum vel Jacimum, qui alienus erat à familia pontificia. Onias filius Oniæ ſummi Pontificis, qui interfectus erat, cùm videret ſe excludi à ſacerdotio, in Ægyptum ad Ptolomæum fugit, ubi poſt impetravit in præfectura Heliopolitana, ut templum ad imitationem Hieroſolymitani ædificaret. Præfuit autem Alcimus ſummo ſacerdotio annis quatuor. *Ioſeph. lib.* 12.

Conſul Thalna cùm in Corſica, quam rebellem iterum ſubegerat, ſacrificaret, lectis literis, quibus decretas ſibi ſupplicationes à Senatu nunciabatur, caligine aborta ante foculum collabitur, & moritur. Oroſius.

ANNO MUNDI 3788. ante C. N. 160.

B. ☉ 16. ☽ 11.

Romæ circa diem 17. Januarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Cornelius Scipio Naſica.
C. Martius Figulus.

Vitio hos factos eſſe teſtatur Valerius, Plinius, & Plutarchus, ideò abdicarunt, & eorum loco facti:

Coſſ. P. Cornelius Lentulus.
Cn. Domitius Ahenobarbus.

Cn. Octavius legatus in Syriam miſſus à Senatu, per Lyſiam tutorem Antiochi in gymnaſio occiditur. Obſequens.

Vivente adhuc Eupatore, Ptolomæi fratres in Ægypto, conſentiente Senatu, regnum Ægypti dividunt, & junior Ptolomæus Cyprum accipit. *Pol.*

Demetrius, Seleuci regis quondam Aſiæ filius, obſes Antiochi, Romæ cùm à Senatu non dimitteretur, conſilio uſus Polybii Hiſtorici exulis, ſed liberè agentis, ſpecie venationis ab urbe profectus Tripolin occupat, & ſecundo favore exceptus, exercitum ad occupandum regnum undique colligit. *Polyb. Joſeph.*

Hipparchus obſervavit æquinoctium autumnale, anno decimo ſeptimo tertiæ periodi Calippicæ, die triceſimo menſis Meſori, occidente Sole. Quæ obſervatio, ſi ad Calendarium Julianum referatur, accidit hoc anno, die 27. Sept. ſed ad tabulas noſtras æquinoctium idem accidit eodem die, ſed hora ſeptima, 27. minutis poſt mediam noctem Alexand. Ptolomæus lib. 3. c. 1.

ANNO MUNDI 3789. ante C. N. 159.

AG. ☉ 17. ☽ 12.

Romæ circa diem 1. Februarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Valerius Meſſala.
C. Fannius Strabo.

Eunuchus Terentii ludis Megalenſibus acta: Phormio Terentii paulò poſt Ludis Romanis peracta.

Hiſce COSS. lex Fannia lata. Cùm enim ludis Megalenſibus principes civitatis convivia agitare ſoliti eſſent, conceptis verbis jurare coacti ſunt apud Conſules, non ampliùs in ſingulas cœnas ſumptus facturos eſſe, quàm centenos, vicenosque æris (eſſent ferè duo floreni) præter olus & far: item ne quid volucrum apponeretur, præter unam gallinam, quæ non eſſet altilis. Gell. lib. 2. cap. 24.

Senatus conſultum item factum eſt, in hæc verba, ut M. Pomponius Prætor animadverteret, curaretque, ut ſi è republ. fideque ſua videretur, uti Romæ Philoſophi & Rhetores non eſſent. Sueton.

Ad Demetrium & exercitus & Principes in Syria concedunt, qui Lyſiam cum Eupatore captos ipſi tradunt, quos juſſit, priuſquã in conſpectum venirent, occîdi, atq; ita planè regno potitur. Inde mittit Bacchidem, qui Alcimum Hieroſolymis ſummum Sacerdotem faciat, quo facto Bacchides ad regem redit, ſed Maccabæus iterùm exigit Alcimum, qui iterùm ad regem ſe confert, qui Nicanorem cum novem millibus militum mittit. Hic inſidiis Judam excipere conatur, ſed cum eæ patefactæ eſſent, aperto bello rem gerunt.

Thereus rex Scotorum, cùm annis duodecim regnaſſet, moritur; ſuccedit Roſina rex Scotorum nonus, qui regnat annos 24. *Buchan.*

Annus Nabonaſſaris 588. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 164. *incipit die* 1. *Octob. fer.* 3.

ANNO MUNDI 3790. ante C. N. 158.

F. ☉ 18. ☽ 13.

Annus à Roma condita numeratus 593.

Annus Ptolomæi Philometoris 21.

Romæ circa diem 21. Jan. Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Anicius Gallus.
M. Cornelius Cethegus.

Demetrius rex, ne Judas Maccabæus nimium creſceret, Nicanorem Ducem contra eum mittit, qui cum fraude non poſſet, prælio cum Juda congreditur, vincitur & occiditur die 13. Adar menſis, qui ad Calendarium Julianum eſſet dies 24. Febr. feria prima. Is dies poſtea in populo Judaico ſolennis fuit in memoriam hujus victoriæ. *Ioſeph. lib.* 12.

Annus Græcor. Jud. 153. *incipit die* 24. *Mart. fer.* 5.

L. Æmilius Paulus, cujus tanta abſtinentia fuit, ut cùm ex Hiſpania & Macedonia maximas opes in ærarium intuliſſet, vix ex auctione ſuorum bonorum tantum redactum ſit, ut uxori dos redderetur, moritur. Quod ſuperfuit, minor frater Africanus, qui familiæ locupletiori inſertus erat, fratri omne conceſſit. *Plut.*

In ejus fuere Adelphi Comœdia Terentii acta.

Annus decimus nonus periodi tertiæ Calippicæ, incipit die nono Julii, fer. 3.

Olympias 155. *acta die* 24. *Jul.* Eſt annus Olympiadicus 617.

Victor

Victor Stadii *Leonidas* Rhodius ſecundùm.

Pomptina Paludes à Cethego Conſule, cui ea provincia obvenerat, ſiccatæ, & ager ex iis factus. *Epit. Livii.*

Annus Alexandraus 153. *incipit die 7. Septembr. feria ſeptima.*

ANNO MUNDI 3791. Ante C. N. 157.
E. ☉ 19. ☽ 14.

Roma circa diem 4. Februar. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cn. Cornelius Dolabella.
M. Fulvius Nobilior.

Alcimus ſummus Judæorum Sacerdos, cùm in atrio templi murum demoliri vellet, apoplexia tactus, paucis dieb. poſt moritur, cum Pontificatum per quadriennium obtinuiſſet. Hoc defuncto, cùm nemo eſſet ex familia ſummorum Pontificum, Judas Maccabæus eligitur, qui Pontificatum obtinuit triennio. *Ioſeph. lib. 12. cap. 17.*

Marcomirus Francorum rex moritur, cùm annos 28. regnaſſet; ſuccedit *Clodius* filius, qui regnat tantùm annis undecim. *Trith.*

Auximum in Picenum colonia deducta *Vellejus.*

Cenſores hoc anno creati P. Cornelius Scipio Naſica, & M. Popilius Lænas, qui luſtrum condiderunt quinquageſimum quartum, & principem Senatus quintum legerunt M. Æmilium Lepidum; cenſa ſunt civium capita 328314.

Terentius Comicus, annos natus 35. contracto morbo ex dolore amiſſarum fabularum, quas vel novas fecerat, vel ex Menandro converterat, moritur in Arcadia. *Vita Terentii.*

Scipio præterea Cenſor Clepſydras Romæ confici juſſit, quibus horæ noctium & dierum diviſæ ſunt, atque ita hujusmodi horologia ſubſidiaria fuerunt oculis: noſtra verò, quæ jam in uſu ſunt, & oculis & auribus inſerviunt.

Hipparchus Aſtronomus, referente Ptol. l. 3. c. 1. anno viceſimo tertia periodi Calippica obſervavit aquinoctium autumnale, quod acciderit primo intercalarium, ſeu ἐπαγομένων oriente Sole, in Calendario Juliano hoc fit die 27. Sept. ubi tabula noſtra aquinoctium monſtrant, inchoante die, in media nocte.

M. Fulvio Conſuli Liguria provincia, qua rebellabat, decreta eſt. Tab. Cap.

ANNO MUNDI 3792. ante C. N. 156.
D. ☉ 20. ☽ 15.

Roma circa diem 23. Januarii Juliani, magiſtratum ineunt.

Coſſ. M. Aimianus Lepidus.
C. Popilius Lænas II.

M. Fulvius Proconſul ultimus de Liguribus domitis triumphat, atq; ita bellũ Liguſticum per octoginta ferè annos geſtum, finitum eſt. Tab. Cap. *De Liguribus tamen tranſalpinis poſtea etiam triumphatum eſt.*

Iudas Maccabaus, cùm ſibi & populo metueret à regibus Aſiæ, legatos mittit Romam, fœdus & amicitiam petitum, atq; ita & Romani & Judæi æquabili fœdere coeunt; ſed cum Demetrius oſtendiſſet Judæos ſuos ſubditos eſſe, Judæi nulla re ab Romanis adjuti ſunt.

Demetrius cum ampliare fines regni conaretur, regi Cappadociæ infeſtus, ejus fratrem Oroſernem, pulſo rege Cappadociæ, regem facit, ſed Romani Ariathem regem, rejecto Oroferne, in regnum reſtituunt. *Epit. Livii. Juſtin.*

Hipparchus obſervavit etiam hoc anno aquinoctium autumnale, quod acciderit anno 21. tertia periodi Calippica, neomenia Epagomenun in meridie. Ad Calendarium Julianum accidit die 27. Sept. fer. 1. ad noſtras tabulas horis 5. poſt mediam noctem Alexandria.

Statua circa forum eorum, qui magiſtratus geſſerant ſublata ſunt juſſu Senatûs, prater eas, qua populi aut Senatûs juſſu ſtatuta erant. Plin. l. 34.

ANNO MUNDI 3793. Ante C. N. 155.
CB. ☉ 21. ☽ 16.

Roma circa diem 9. Februarii Juliani, Magiſtratum ineunt.

Coſſ. Sex. Julius Cæſar.
L. Aurelius Oreſtes.

Hiſce Conſulibus meminit *Plin. lib. 33. c. 3.* in ærario Romano fuiſſe laterum aureorum pondo 1500. argenteorum pondo 92000. & in numerato ſeſtertium quadringenties, quæ ſumma efficit plus quam ſexaginta ſex milliones. Quod mirum non eſt, cum Æmilius Paullus in ærarium intulerit ter millies, hoc eſt, plusquàm centum & viginti tres milliones. Ideò numeri apud Plinium procul dubio corrupti ſunt.

Demetrius, ut oſtenderet Judæos ſibi ſubjectos eſſe, magnum exercitum, duce Bacchide, in Judæam mittit, Judæi ſibi à tanta vi metuentes, à Maccabæo aufugiunt. Ideo ſolus relictus cum octingentis militib. hoſtes, qui gemina acie inſtructi incedebant, aggreditur, & alteram aciem in fugam avertit, quã dum inſequitur, ab altera acie à tergo cingitur, atq; ita undiq; concluſus fortiſſimè dimicans interficitur, cum magna gloria Judaicum populum à gentibus vindicaſſet, & ante obitum, triennium Pontificatum adminiſtraſſet, *Ioſeph. lib. 12. cap. ult.*

Eumenes rex Pergami moritur, cùm annis 39. regno præfuiſſet, ſuccedit Eumenes Attali frater, qui regnat annis 21. *Joſeph. Scalig.*

Annus ſabbathicus tertius Jobelei Jud. 27. incipit die 2. Sept. fer. 7. Eſt hebdomas Danielis 39. Anno Iud. 3605

Annus Nabonaſſaris 592. & annus Philippi ac mortis Alexandri 168. incipit die 1. Oct. fer. 7.

Bacchides victo Maccabæo, deſertores legis Moſaicæ principes facit in Judæa, qui populum Judaicum crudeliſſimè affligunt. Igitur conſenſu omnium Jonathas, frater Maccabæi, dux populi eligitur, qui ſuis militibus parum confidens in deſertum ad Jordanem abit, ubi fratrem Johannem cum impedimentis ad Nabathæos mittit, quem tamen in itinere Amaræi invadunt, ſpoliant & crudeliter trucidant. *Ioſeph. lib. 13. c. 1.*

ANNO MUNDI 3794. Ante C. N. 154.
A. ☉ 22. ☽ 17.

Annus à condita Roma numeratus 597.

Annus Ptolomai Philometoris 25.

Roma

Romæ circa diem 29. Januar. Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cornelius Lentulus Lupus.
C. Martius Figulus II.

Bacchides perſequitur Jonathan ducem Judæorum uſq; ad Jordanem, ubi caſtra caſtris opponunt, & tandem prælio congrediuntur, ſed cùm Jonathan pauciſſimos haberet milites, cautè rem agit, & trucidat tamen hoſtium ad duo millia: cùm verò urgeretur, cum ſuis tranatat Jordanem fluvium, quem hoſtes ingredi non ſunt auſi. *Joſeph. lib.* 13.

Annus Græcorum Judaicus 157. incipit die 28. Mart. fer. 5.

Jonathas & Simeon inſidiantur Amaræis, qui fratrem ſuum occiderant, & ingenti præda potiuntur. Bacchides contra in Judæa multas urbes munit, & obſides principum Judæorum captos in arcem Sionis deponit, & ad regem redit. *Joſeph. l. 13. c. 1.*

Annus 23. periodi tertiæ Calippicæ incipit die 24. Julii fer. 2.

Olympias 156. acta die 6. Auguſti. Eſt annus Olympiad. 621.

Victor Stadii *Leonidas* Rhodius tertiùm.

Ariſtarchus Grammaticus, patriâ Alexandrinus origine Samothrax, qui filiam Ptolomæi regis erudiit, floret. *Suid.*

Annus Alexandræus 157. incipit die 23. Sept. fer. 7.

Circa hæc tempora, annis centum ante Ciceronis excidium lex Ælia & lex Fuſia lata, quæ voluit, ut quando cum populo ageretur, auſpicia valerent, obnunciare liceret, legi qui vellet Tribunus plebis intercederet, nec omnibus faſtis diebus leges ferrentur. Manut.

Dalmatæ Illyrios, populi Romani ſocios, vaſtant ideò Conſul Martius adverſus eos mittitur cum exercitu, qui primùm parùm proſperè rem gerit, poſtea tamen feliciter cum eis pugnat. *Epit. Liv.*

ANNO MUNDI 3795. ante C. N. 153.
G. ☉ 23. ☽ 18.

Romæ circa diem 12. Februarii Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Cornelius Scipio Naſica II.
M. Claudius Marcellus. II.

Jonathas cum fratre Simone in deſertum cum ſuis abeunt, muniuntq; vicum Bethalagam: eò contendit Bacchides, & vicum obſidet, illi verò fortiter repugnant. Cùm verò jam operibus oppugnarentur, Jonathan cũ paucis vico exceſſit, exercitum collecturus, quod brevi effecit, & in caſtra Bacchidis noctu irruens non paucos occidit. Simon etiã occaſione uſus, machinas Bacchidis exurit, quâ clade Bacchides transfugas Judæos, qui expeditionem hanc ſuaſerant, plurimos interfecit, & de ſolvenda obſidione cogitat. Jonathas cùm hæc fieri videret, ultrò pacem Bacchidi offert, quam Bacchides libenter accipit, & redduntur utrinque captivi, & Bacchides ad regem redit. *Joſeph. lib. 13. cap. 1.*

Pacuvius Brunduſinus Tragœdiarum ſcriptor floret. Vixit Romæ primum, cùm Tragœdias venderet, poſtea Tarentum abiit, ubi mortuus eſt nonagenarius. *Euſeb. ex Sueton.*

Conſul Naſica Dalmatas tandem vincit, & de iis triumphat. Marcellus verò Ligures & Veleates iterùm ſubigit, & ſimiliter de iis triumphat.

ANNO MUNDI 3796. ante C. N. 152.
F. ☉ 24. ☽ 19.

Romæ circa diem 2. Februarii Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Opimius.
L. Poſtumius Albinus.

Conſul Poſtumius in provinciam proficiſcens, in plurimis victimis caput in jecinore non invenit. In morbum igitur prolapſus & ex itinere domum relatus, ſeptimo die moritur. *Obſeq.* Sufficitur ipſi in Conſulatu:

Man. Acilius Glabrio.

Conſul Opimius *cum exercitu mittitur in Ligures Tranſalpinos, Oxybios, & Decietas, qui Maſſilienſium oppida, Antipolin & Nicæam vaſtabant, & Oxybios pugnam præcipitantes, priusquam Decietæ advenirent, vincit, idem accidit Decietis, ut unà cum Oxybiis vincerentur. Parte agri igitur utrique à Conſule mulctantur, qui Maſſilienſibus datur: arma præterea ipſis ademit Conſul, & in vicis eorundem hybernat,* Polyb. *Inde adveniente Vere Romæ triumphat.* Tab. Cap.

Cato octogenarius S. Sulpitium Gallum, qui Prætor Luſitanos diripuerat, repetundarum poſtulat, & vehementi oratione accuſat. *Corn. Nepos.*

Cenſores hoc anno ſunt *M. Valerius* Meſſalæ & *C. Caſſius* Longinus, qui luſtrum fecerunt quinquageſimum quintum, & Principem Senatus ſextùm legerunt M. Æmilium Lepidum. Cenſa ſunt civium capita 324000.

Caſſius Cenſor, à Lupercali in Palatium verſus, theatrum facere inſtituit, & id ad ædificandum locat. At cùm Cenſor magiſtratu abiiſſet, P. Cornelius Scipio Naſica ſuaſit & tenuit, ut tanquam inutile & nociturũ bonis moribus deſtrueretur; & populus aliquandiu ſtans ludos ſpectavit. *Vellejus & Epit. Liv.*

Cùm bellum parùm proſpere in Hiſpania hactenus geſtum eſſet, Celtiberi omnes ad rebellionem ſpectare inceperunt. Quapropter Conſules maturiùs ſolito creantur, qui Calendis Januariis magiſtratum ineant, cùm hactenus Idibus Martiis per annos 66. iniiſſent decernitur & hoc, ut *Coſſ.* priusquam in provinciam abirent, in ſequentem annum Conſules crearent, qui Calendis Januariis ſequentibus magiſtratum occiperent, cùm ad ſuggerendos magiſtratus Conſules ex tàm longinqua provincia Hiſpania ad urbem redire non poſſent. *Epit. Liv. & Caſſiod.*

Calendæ autem Januarii inciderunt hoc anno ferè in 12. Novem. Julianum, quo magiſtratum inierunt:

Coſſ. Q. Fulvius Nobilior.
T. Annius Luſcus.

ANNO MUNDI 3797. ante C. N. 151.
ED. ☉ 25. ☽ 1.

Demetrius Syriæ rex, etſi vicinos reges omnes offenderat, & propterea ſibi infenſos eſſe ſciret, nihili tamen hoc faciebat, ſed inſuper militibus ſuis & ſubditis gravis erat. Qua-

Quapropter Alexander Antiochi filius, exiguis copiis inſtructus & à vicinis regibus adjutus, Ptolomaidem proditione militũ Demetrii occupat. Demetrius verò excitus hoc nuncio, exercitũ ſtatim colligit, & cùm metueret, ne Jonathas Dux Judæorũ ad Alexandrum propter injurias illatas deſciſceret, amicitiam ipſi offert, & obſides Judæorum in arce Sionis detentos parentibus remittit. Quapropter Jonathas Hieroſolymam profectus, obſides recipit. Hieroſolymis habitare incipit, & muros urbis inſtaurat. *Ioſeph. lib. 13. cap. 3.*

Fulvius Conſul bellum Celtibericum inchoat, ſed non ſatis feliciter id adminiſtrat. Polyb.

Alexander rex, ut Jonathan ab amicitia Demetrii avertat, plura & longè majora Jonathæ concedit: inſuper purpuram, coronã auream, & ſtolam ſacerdotalẽ ipſi mittit, & Pontificem ipſum ſummũ in populo Judaico facit. Jonathas igitur veſtẽ pontificialem induit, anno Græcorũ 160. ſeptimo menſe, in feſto Scenopegias, die 3. Octob. fer. 7. quatuor annis, ut Joſephus habet, poſt mortem Judæ Maccabæi. Demetrius igitur ob injurias populo Judaico illatas, & auxiliis & armorum ſocietate excidit, & diſſidentibus regibus Syriæ, Politia Judæorum aliquo modo reſtituta fuit. *Ioſeph.*

Annus Nabonaſſaris 596. & annus Philippi ac mortis Alexandri 172. incipit die 30. Oct. fer. 4.

Legati Romani in Africam, ad diſceptandum inter Maſiniſſam & Carthaginenſes, miſſi, nunciaverunt magnam vim navalis materiæ ſe Carthagine deprehendiſſe. *Epit. Livii.*

Quidam Prætores repetundarum accuſati & convicti damnantur. *Epit. Liv.*

Romæ circa diem 21. Nov. Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Claudius Marcellus III.
L. Valerius Flaccus.

ANNO MUNDI 3798. ante C. N. 150.
C. ☉ 26. ☽ 2.

Annus à Roma condita numeratus 601.

Annus Ptolomæi Philometoris 29.

Onias profugus ex Judæa, cùm videret Jonatham ſummum Sacerdotem factũ, & Palæſtinam aliàs bello flagrare, deſperat de reditu: igitur Ptolomæum adit, petitq; locum, ubi ſibi templum ad formam Hieroſolymitani extrueret; quod impetrat. Templum igitur ut potuit, extruit, juge ſacrificium inſtituit, & Sacerdotum familias ad obeunda ſacrificia & alia miniſteria templi diſtribuit. *Ioſeph. lib. 13. cap. 4.*

Annus Græcorum Judaicus 161. incipit die 14. Mart. fer. 3.

Alexander rex, contracto exercitu & auxiliis à vicinis regibus, cum Demetrio pugnat, eumq; magno prælio vincit. Demetrius cùm fortiter pugnaret, vi hoſtium in cœnum quoddam profundum & limoſum ſeceſſit; ubi prolapſo equo jaculis eminus ab hoſtibus confixus eſt, cùm regnaſſet annos decem. Succedit Alexander, qui ſex ferè annos regnavit, ab anno ſecundo ſcilicet Græcorum ſupra centeſimum & ſexageſimum, uſque ad annum 167.

Annus 17. periodi tertiæ Calippicæ incipit die 11. Julii fer. 7.

Olympias 157. acta die 26. Julii. Eſt annus Olympiadicus 625.

Victor Stadii *Leonidas* Rhodius quartùm, atque ita primus & ſolus in quatuor Olympiadibus duodecies coronatus eſt.

Carthaginenſes exercitum contra Maſiniſſam comparant contra fœdus, Ideò Cato Romæ ſuadet, eos eſſe bello perſequendos, Naſica diſſuadet. Legati igitur mittuntur, qui Senatum Carthaginenſem caſtigent, quòd contra fœdus exercitum & claſſem comparaverint. Cùm pacẽ inter Maſiniſſam & Carthaginenſes conciliare vellent, Maſiniſſa ſpontè cedit agro, de quo certabant: Senatus etiam ſe pariturum promittit. Sed Giſgo Amilcaris filius concitat multitudinem ad bellum, ut legatos fuga, ne violarentur, explicaret. *Epit. Livii.*

Romæ turbinis vi columna ante ædem Jovis decuſſa cum ſigno aurato, inde prædictus magiſtratuum & ſacerdotum interitus: quapropter omnes magiſtratus ſe abdicarunt. *Obſeq.*

Publilia & Licinia nobiles fœminæ, quæ viros ſuos necaſſe venenis dicebantur, cognita cauſa, cognatorum decreto necatæ ſunt. *Epit. Livii.*

Annus Alexandræus 161. incipit die 7. Sept. fer. 5.

Cato effert filium ſuum Prætorium tenuiſſime ſumptu. Ibid.

M. Æmilius Lepidus, qui princeps Senatus ſexties Cenſoribus lectus erat, moritur, voluit ſe absque magno ſumptu & apparatu ſepeliri.

Andriſcus quidam, qui ſe Perſei regis Macedoniæ filium mentiebatur, captus Romam perducitur. *Epit. Livii.*

L. Mummius Proprætor triumphat Romæ de Luſitanis devictis. Tab. Cap.

Romæ circa diem 11. Novemb. Juliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Licinius Lucullus.
A. Poſtumius Albinus.

M. Claudius Marcellus ad urbem redit, & de Celtiberis triumphat. Appius.

ANNO MUNDI 3799. ante C. N. 194.
B. ☉ 27. ☽ 3.

Conſules, cùm delectum ſeverè agerent, nec cuiquã militiæ gratiam facerent, à tribunis plebis, qui cognatis ſuis militiæ vacationem impetrare non poterant, in carcerem conjiciuntur. Epit. Livii.

Cum bellum Hiſpanicum parum proſperè geſtum eſſet, & nemo tribunus militum vel legatus eò abire vellet, P. Cornelius Scipio Æmilianus proceſſit, qui ſua alacritate multos, ut ſecum proficiſcerentur, incitavit, ibi barbarum provocantem ſingulari certamine occidit, & inſuper coronam muralem obtinuit. *Oroſ.*

Cùm & exercitũ & claſſem Carthaginenſes haberent, Senatus de hac re Romæ habetur. Cato ſuadet, ut ſtatim Carthaginenſibus bellũ indicetur, & exercitus in Africã ducantur. Naſica contra affirmat, nõ ſibi videri adhuc juſtã belli cauſam, Carthaginenſibus mandandũ, ut claſſem exurant, & exercitum dimittant, ſi hos

ſi hoc non fecerint, tum ſequentes Coſſ. poſſe de hac re ad Senatum referre. Epit. Livii.

Romæ circa diem 21. Novemb. Iuliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. T. Quinctius Flaminius.
Man. Acilius Glabrio.

ANNO MUNDI 3800. *Ante C. N.* 148.
A. ☉ 28. ☽ 4.

Alexander Syriæ rex nuptiis celebrat Ptolemaide cum Cleopatra, Ptolomæi Philometoris filia, ad quas Jonathan etiam ab Alexandro invitatur, qui utrique regi ſplendida munera offert. Ideoque contra invidos & accuſatores regia autoritate defenditur. 1. *Maccab.* 8.

Carthaginenſes bellum gerunt cum Maſiniſſa, jam nonageſimum ſecundum annum habente, & prælio congreſſi vincuntur, & inſuper bellum Romanum ſibi accerſunt. Scipio Æmilianus hujus prælii ſpectator fuit, qui nihil eo jucundius in vita ſpectaſſe affirmavit. Epit. Livii.

Annus ſabbathicus quartus Iobelei Iudaici 27. *incipit* 16. *Septemb. fer.* 7. *Eſt hebdomas Danielis* 40. *Anno* Jud. 3612.

Cato de ſenectute coram Scipione Africano & Lælio hoc anno à Cicerone diſputaſſe fingitur.

Romæ circa diem 11. *Novemb Juliani magiſtratum ineunt:*

Coſſ. L. Martius Cenſorinus.
M. Man. Manilius.

ANNO MUNDI 3801. *ante* C. *N.* 147.
GF. ☉ 1. ☽ 5.

Tertium *bellum Punicum initum, quòd Carthaginenſes contra fœdus naves haberent, & extra fines exercitum duxiſſent, & ſocio atque amico populi Romani arma intuliſſent; priuſquam autem exercitus Romani in naves imponerentur, Uticenſes miſſa legatione, ſe ſuaq; omnia Romanis tradunt, quod pro bono omine Romani acceperunt. Carthaginenſes verò territi, miſſa legatione, & ſe dediderunt, ſed non ita recepti ſunt: Sed Conſules in Africam proficiſcuntur, ibi cùm Carthaginenſes ſe dederent, trecentos obſides ipſis imperarunt, & ut arma atque naves omnes traderent, ubi & arma & naves cremata ſunt, & obſides Romam miſſi. Tum demum Carthaginenſibus imperarunt, ut ſi ſalvi eſſe vellent, procul à mari Carthagine exuſtâ aliam urbem conderent. Carthaginenſes indignitate rei exacerbati, cùm mallent ab hoſtibus, quam à ſe Carthaginem excindi, urbem claudunt & rebellant, & naves ædificant, ubi cùm deficerent funes, per totam urbem fœminæ crines ſuos in hunc uſum dederunt.* Epit. Livii.

Coſſ. cùm Carthaginem obſiderent, multa imperitè adminiſtrarunt, & temere exercitum periculis objecerunt, ex quibus tamen a Scipione Æmiliano expliciti ſunt, quòd Catoni adeò placuit, ut hunc ſolum vivere in Africa affirmaret, reliquos tantùm umbras eſſe. *Epit. Livii.*

Andriſcus, qui ſe Perſei filium mentiebatur, & Romæ in cuſtodia fuerat, in Macedoniam aufugit, eamque ferè totam occupat, Theſſaliam etiam aggreditur, ſed à legato Romano, qui Achæorum auxilia acceperat, pellitur. *Epit. Livii.*

Senatui Romano hoc anno viſum, ut Prætores anno ſui magiſtratus Romæ manerent, & duo juri dicundo præeſſent, reliqui quatuor publica judicia gubernarent, & poſtea ſequenti anno in provincias proficiſcerentur. Lipſ.

Zoſimus lib. 2. affirmat, hiſce Coſſ. ludos ſeculares acto s.

Annus Nabonaſſaris 600. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 176. *incipit die* 29. *Sept. fer.* 1.

Cato perpetuus diruendæ Carthaginis autor, moritur, hiſce Coſſ. teſte Cicerone in Bruto. Si epitomen Livii inſpicias, etiam ſequenti anno vixit.

Romæ circa diem 20. *Novemb. Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Sp. Poſtumius Albinus.
L. Calpurnius Piſo Cæſonius.

ANNO MUNDI 3802. *Ante C. N.* 146.
C. ☉ 2. ☽ 6.

Annus à condita Roma numeratus 605.

Annus Ptolomæi Philometoris triceſimus tertius.

Pruſias Bithyniæ rex Nicomedem filium, quem olim Romanis educandum tradiderat, ut filiis ex altera conjuge ſuſceptis regnum dare poſſet, per inſidias veneno tollere conatur. Nicomedes verò ex aulicorum proditione hæc perſentiſcens eas retorquet, & non minori ſcelere, quàm ipſe juſſus erat occidi, patrem interfecit. *Juſtinus.*

Annus Græcorum Judaicus 165. *incipit die* 30. *Martii, fer.* 1.

Maſiniſſa rex Numidiæ, major annis nonaginta, moritur, qui filiis ſuis tribus per Scipionem Æmilianum regnum diſtribui voluit: cùm paulò ante Marcellus legatus Romanus, qui ter Conſul fuerat, tempeſtate ſuborta, fluctibus merſus fuiſſet. *Epit. Livii.*

Annus triceſimus primus tertiæ periodi Calippicæ, incipit die 26. *Julii, fer.* 7.

Olympias 158. *acta die* 11. *Aug.* Eſt annus Olympiad. 629.

Victor Stadii ORTHON Syracuſanus.

Hiſce Conſulibus L. Piſo Frugi tribunus plebis, primus rogationem de repetundis tulit, ut Cicero habet lib. 2. de Officiis. *Eadem lex poſtea variis modis mutata fuit; in omnibus tamen pœna aucta fuit, ita ut duplo damnarentur.* Pædianus.

Andriſcus in Macedonia, cùm antea Juventium Prætorem cum exercitu occidiſſet, à Q. Cæcilio Metello vincitur, capitur, & Romam deducitur. *Epit. Livii.* Dum verò Metellus bellum in Macedonia gerit, Achæi Spartanis bellum inferunt, & ultra mille cives occidunt. Metelli autoritate induciæ fiunt, & legati Romam ab utraq; parte mittuntur. *Pauſan. in Achaicis.*

Annus Alexandreus Seleucidarum 165. *incipit die* 13. *Sept. fer.* 3.

Clodius Sicambrorum ſive Francorum rex, cùm undecim annos regnaſſet, occiditur in prælio à Gallis, qui MOSAM tranſierant; ſuccedit filius ANTENOR, qui annis 16. regnavit, & prohibuit humanas victimas fieri, Sicambroſque erudivit ad humanitatem. *Trith.*

Demetrius Demetrii regis Aſiæ olim filius, auxilio Laſthenis Cretenſis in Syriam reducitur, & recipitur ab Apollonio Cœleſyriæ præfecto, quem poſtea Demetrius

 contra

contra *Ionatham* Judæorum ducem mittit: ſed Jonathas obviam Apollonio proficiſcitur. Joppen urbem & Azothum expugnat, item Aſcalonem, & ex exercitu Apollonii ad octo millia militum occidit. Hac victoria Jonathæ plurimùm exhilaratus Alexander, ipſi regia munera mittit, 1. *Maccabæorum* 10.

P. Scipio Africanus cùm ædilitatem peteret, à populo Conſul creatur; cumq; id per legem annariam minimè liceret, legibus ſolutus fuit, atque ita Magiſtratum ineunt circa diem 10. *Novemb.*

Coſſ. P. Cornelius Scipio Africanus.
C. Livius Druſus.

ANNO MUNDI 3803. *ante C.N.* 145.
D. ☉ 3. ☽ 7.

Legati in cauſa Spartanorum & Achæorum iterùm à Senatu ad Achæos mittuntur, qui quidem & priores legatos ludibrio habuerant, ſed Senatus eas injurias ſe dimittere poſſe denunciabat, tantummodò in poſterum pacificè ſe gererent. At Critolaus Achæorum Prætor omnes Romanorum actiones ſiniſtrè interpretatus, turbam ad bellum incendit, & efficit, ut legati pulſarentur: quapropter niſi ſontes dederent, bellum in eos decretum eſt.

Hipparchus anno triceſimo ſecundo periodi tertiæ Calippicæ obſervavit æquinoctium autumnale, quòd illud acciderit die tertia ἐπαγομένων, *media nocte Alexandria: ad Calendarium Julianum eadem obſervatio die* 27. *Septemb. ineunte fer.* 1. *ſed ad tabulas noſtras fit æquinoctium ſeſquihorâ ante mediam noctem Alexandriæ.*

Scipio, cui extra ſortem Africa provincia data fuit, foſſam in circuitu Carthaginis duxit, quæ viginti tria millia paſſuum in circuitu habebat, hoc eſt, plùm quàm quinque milliaria germanica, atq; ita urbem obſedit, & portum obſtruxit. *Epit. Liv.*

Cenſores hoc anno fuerunt L. Cornelius Lentulus, & L. Martius Cenſorinus. Condiderunt luſtrum quinquageſimum ſextum, principem Senatûs legerunt P. Cornelium Scipionem Naſicam. Cenſa ſunt civium capita 322000. *Euſebius.*

Romæ circa diem 20. *Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Cn. Cornelius Lentulus.
L. Mummius Achaicus.

ANNO MUNDI 3804. *Ante C.N.* 144.
C. ☉ 4. ☽ 8.

Metellus ex Macedonia in Græciam veniens, ut motus Lacedæmoniorum & Achæorum compeſceret, pugnare cogitur cum Achæis, Achæosq; vincit. Dux Critolaus rebus deſperatis mortem ſibi conſciſcit, & paulò poſt Mummius Conſul in provinciam venit, & Metellus Romam proficiſcitur, triumphatque de Andriſco, & Macedonicus appellatur. *Epit. Livii.*

Hipparchus, referente Ptolomæo lib. 3. *cap.* 1. *obſervavit hoc anno æquinoctium vernum, anno ſcil. triceſimo ſecundo tertiæ periodi Calippicæ, die* 27. *Mechir, matutino tempore. Ad Calendarium Julianum accidit hæc obſervatio hoc anno, die* 24. *Martii; noſtræ tabulæ monſtrant æquinoctium idem horis decem poſt meridiem.*

Scipio Africanus victis Carthaginenſibus navali prælio, cùm novum portum effeciſſent, & expugnatis caſtris Aſdrubalis difficillimo loco ſitis urbem capit, incendit & excindit annis 737. poſtquam à Didone condita erat, juxta Joſephum. Annis 260. poſt expugnatum & dirutum Acragantum, quod Carthaginenſes in Sicilia diruerant. Spolia, quæ Carthaginenſes olim Siculis eripuerant, ipſis reddita ſunt, & inter cætera Agrigentinis Taurus Phalaridis. Inde Scipio Romam reverſus triumphat. *Epit. Livii.*

Achæi poſt Critolaum, Diæum Prætorem faciunt, qui vocatis ſervis ad Pileum, & contractis, undique copiis equites ſexcentos tantùm conficit, peditum quatuordecim, auſusque pugnare vincitur, & fugiens Megalopolin uxorem & liberos interficit, & ipſe venenum haurit. Mummius verò Corinthum ingreſſus, urbem ſpoliat & incendit. Viros omnes ibi trucidat, fœminas & pueros vendit, reliquas urbes mœnibus nudat, & civibus arma adimit, multamque dicit. Diruta autem eſt Corinthus, cùm ſtetiſſet annis nongentis quinquaginta quinque. *Epit. Livii.*

Æquinoctium autumnale obſervatum eſt, referente Ptolomæo, anno 33. *periodi tertiæ Calippicæ, die quarta* ἐπαγομένων, *matutino tempore; Accidit ad Calendarium Julianum hoc anno, die* 27. *Septembr. fer.* 2. *Ad tabulas noſtras accidit eodem die, horis* 4, 32. *poſt mediam noctem.*

Ptolomæus Philometor ad generum ſuum Alexandrum in Syriam profectus, experitur generi ſui inſidias: Quapropter ipſi iratus, ſuam filiam Cleopatram ipſi adimit, & advocat Demetrium Demetrii filium, ipſique Cleopatram collocat, inde pugnâ congreſſum Alexandrum vincit & profligat: Ipſe verò equo excuſſus, ab hoſtibus adeò vulneratus eſt, ut toto quatriduo nihil loqueretur, & tandem inter curandum expiravit, cùm annos 35. regnaſſet. Antequam tamen expiraret, allatum ipſi eſt caput Alexandri hoſtis, quo non mediocriter gaviſus eſt. Alexandro ſuccedit Demetrius exiguo tempore. In Ægypto verò ſuccedit Philometoris frater, qui Cyrænis regnabat, homo impurus & crudelis, qui ſe voluit Evergetem nominari, regnatq; annos 29. *Ptolom. in Canone.*

Romæ circa diem 10. *Novemb. Magiſtratum ineunt.*

Coſſ. Q. Fabius Maximus Æmilianus.
L. Hoſtilius Mancinus.

ANNO MUNDI 3805. *ante C.N.* 143.
B A. ☉ 5. ☽ 9.

Viriatus in Hiſpania ex paſtore venator, ex venatore latro, mox juſti exercitùs Dux, in Hiſpania, quæ inter Iberum & Tagum ſunt, occuparat, & M. Vetilii Prætoris exercitum ſuperiore anno ad internecionem occiderat, Prætore vix effugiente. *Oroſ. lib.* 1.

Nec Q. Plautius, qui ſucceſſit, rem feliciùs gerit: quapropter Hiſpania conſularis provincia facta eſt, & Q. Fabius eam accipit. *Epit. Liv.*

Ionathas obſidet arcem Sionis, ſed re proditâ à profugis, à Demetrio rege Ptolomaidem avocatur, quem tamen datis muneribus placat, & accipit ab eo Judæam cum tribus toparchiis, Samaria, Joppe & Galilæa,

ſub

ſub tributo tamen trecentorum talentorum, & inſuper obſidionem ſolvere coactus eſt, 1. *Maccab.* 11. *cap.*

Annus Nabonaſſaris 604. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 180. *incipit die* 28. *Sept. fer.* 5.

Cùm Demetriùs rex Aſiæ propter ſcelera in odio omnium eſſet, *Diototus* cognomine Tryphon, dux militiæ olim apud Alexandrum, ſumto Antiocho Alexandri filio parvulo, Demetrium regno excutere conatur, effeciſſetque id, ſi adfuiſſet præſens. Milites enim & cives Antiochi ſeditione concitata Demetrium regem in arce concludunt, & ibi interfectus fuiſſet, niſi Jonathas ipſi duo millia Judæorum miſiſſet, qui urbem ipſam incenderunt, cives vicerunt, & ut ſe dederent, coegerunt, 1. *Maccab.* 11.

Romæ circa diem 19. *Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Ser. Sulpitius Galba.
L. Aurelius Cotta.

Cùm diſſenſio eſſet Romæ, uter Conſulum contra Viriatum in Hiſpaniam mitteretur, Scipio neutrum ſibi placere affirmavit, propterea quòd alter nihil haberet, alteri verò nihil eſſet ſatis, ita neuter miſſus eſt, & Fabio prorogatum eſt imperium. VALER. MAX. cùm Appiæ Anienisq; aquæ privatorum fraudibus interciperentur, & vetuſtate deficerent, Senatus Prætori M. Titio mandavit, ut eos aquæ ductus reficeret, ſumtus dati Seſtertium millie & octingenti, utque rem perficere poſſet, prætura ipſi prorogatur in alterum annum. *Julius Frontinus.*

ANNO MUNDI 3806. *ante C.N.* 142.
G. ☉ 6. ☽ 10.

Annus à condita Roma numeratus 609.
Annus Ptolomæi Phyſconis ſecundus.

Mummius Proconſul, cùm Provinciam Achaiam ordinaſſet, & conſilia eorũ abrogaſſet, Romam redit. Fuit autem Mummius bonarum artium adeò rudis, ut cùm capta Corintho maximorum & præſtantiſſimorum artificum tabulas & ſtatuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, novas eos reddituros. Vellej. Paterc.

Annus Græcorum 169. *incipit die* 17. *Martii, feria* 7.

Tryphon Antiochum in regnum reducit, & Demetrium bello ſuperatum fugat; idem ſummum Judæorum Sacerdotem Jonathan & Simonem, datis muneribus & honoribus amplis, ſibi ſocietate devincit; ideò Jonatha Duces Demetrii aggreditur, eos vincit, oppida quædam capit, urbes in Judæa munit, & fœdus cum Romanis & Spartanis renovat, 1. *Maccab.* 12.

Annus trigeſimus quintus periodi tertiæ Calippicæ incipit die 12. *Julii, fer.* 5.

Olympias CLIX. *acta die* 27. *Jul.* Eſt annus Olympiadicus 633.

Victor Stadii *Alcimus* Cyricenus.

Demetrius parte regni exutus, cum Tryphone de pace paciſcitur, & Babylonem contendit; arbitratus, ſi ſuperiora teneret, ſe facilè hiſce provinciis Tryphonem excuſſurum. *Joſeph.*

Annus Alexandræus 169. *incipit die* 10. *Sept. fer.* 2.

Tryphon, dum de Antiocho puero interficiendo conſilia agitat, metuit Jonathan, ne is necem regis ulciſcatur; ideò ipſi inſidias ſtruit, & tandem eum Ptolomaide capit, & collecto exercitu contra Judæos proficiſcitur, ut eos ſub jugum reducat. Sed Simon, qui electus erat Dux Judæorum, ipſi commeatum intercludit, ideo ubique impeditus, cùm nec in arcem Sionis commeatum perferre poſſet, propterea quòd nix profunda cecidiſſet; ſimulat ſe Jonathan dimiſſurum, ſi trecenta ſibi talenta argenti & filii Jonathæ obſides dentur: ſed accepta pecunia, Jonathan cum filiis occidit, quos Simon poſtea in Modin ſepelivit, 1. *Maccab.* 13.

Romæ circa diem 9. *Novemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Ap. Claudius Pulcher.
Q. Cæcilius Metellus Macedonicus.

ANNO MUNDI 3807. *ante C.N.* 141.
F. ☉ 7. ☽ 11.

Quintus Metellus in Hiſpaniam mittitur contra Celtiberos bellicoſiſſimam gentem, ibi cùm ſuæ cohortes aliquot ad Contrebiam oppidum loco pulſæ eſſent, ipſe ſtrenuus Imperator easdem cohortes locum recipere jubet. Milites, ut qui ſibi perſuaſerant, ſe in certiſſimam mortem, mitti, prius teſtamenta obſignant, ſed dum ſe morituros putant, eâ virtute pugnant, ut locum reciperent, & hoſtes vincerent. *Aurel. Victor.*

Claudius adverſus Salaſſos gentem Alpinam profectus, primùm vincitur, & decem millia militum amittit, ſed poſtea reparato exercitu iterum congreſſus, quinque hoſtium millia occidit. Ad urbem reverſus, cùm triumphus negaretur, privatis ſumtibus triumphavit. *Oroſ. lib.* 5.

Hipparchus teſte Ptolom. lib. 3. cap. 1. *obſervavit æquinoctium autumnale, anno trigeſimo ſexto periodi tertiæ Calippicæ, die quarta* ἐπαγομένων, *veſperi. Accidit id ad Calendarium Julianum die* 26. *Sept. Ad hasce tabulas contingit idem æquinoctium horis* 8.15 *poſt meridiem Alex.*

Annus ſabbathicus 5. *Jobelei Judaici* 27. *incipit die* 29. *Septem. fer.* 7. *Eſt hebdomas Danielis* 41. *Anni Judaici* 3619.

Eodem die Hipparchus, cùm jam vitium faceret periodus Calippica, inchoavit ſuam periodum, quàm exactius ad Lunæ curſum conformaverat. Incidit præterea in hunc diem ferè Thot, ſive initium Nabonaſſaris 606.

Demetrius rex Syriæ adhuc Seleuciæ erat. Cùm igitur Simon Tryphonem hoſtẽ ſuum experiretur, Legatos ad Demetrium mittit, & offert ipſi ſocietatem armorem

contra Tryphonem; interim tamen petit populo libertatem, & immunitatem tributorum omnium, & impetrat ineunte anno Seleuc. 17 '. 1. *Maccab.* 13.

Romæ circa diem 19 Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cæcilius Metellus.
Q. Fabius Maximus Servilianus.

ANNO MUNDI 3808. *ante C.N.* 140.
E. ☉ 8. ☽ 12.

Simon Gazam urbem tandem expugnat, & Græcos, quos Macedones ibi habitare juſſerant, expellit, & urbem Judæis habitandam concedit, 1. *Maccab.* 13.

Pſeudophilippus quidam in Macedonia, dum novas res molitur, à L. Tremellio quæſtore opprimitur, & cum exercitu ſimul trucidatur. *Epit. Livii.*

Conſul Fabius multas urbes in Luſitania expugnat, & maximam ejus partem recipit, transfugis & rebellibus dexteras abſcindit, ut defectionis metum reliquis injiceret. *Oroſ. & Epit. Livii.*

Simon arcem Sionis fame expugnatam deditione capit, die 23. menſis ſecundi. Eſt nobis dies 16. Maji, feria ſexta. Hac victoria depulſum eſt jugum ſervitutis Syriacæ, & æra hinc deducta eſt Haſmonęorum ſive Simonis Pontificis. Simon captam arcem deſtruxit, & ſolo æquavit, populoque perſuaſit, ut montem Sionis, ubi arx ſteterat, in planitiem redigerent, ne hoſtes aliquando eum iterum occuparent, & ne locus aliquis Hieroſolymis templo altior eſſet: triennii igitur ſpatio, labore maximo, die noctuque continuato, Mons in planitiem redactus eſt. *Ioſephus libro* 13. *capite* 11.

Cenſores Romæ fuerunt P. Cornelius Scipio Africanus, & L. Mummius Achaicus, luſtrum condiderunt 57. Principem Senatus legerunt ſecundùm P. Scipionem Naſicam. Cenſa fuerunt civium capita 328342. Africanus cùm luſtrum conderet, & Scriba ex publicis tabulis verba præiret, quibus Cenſores precari ſoliti erant, ut Dii immortales populi Romani res meliores & ampliores facerent: Satis, inquit, res Romanæ bonæ & amplæ ſunt, itaq; precor, ut eas perpetuò incolumes ſervent, atq; ita carmen in tabulis emendari juſſit. quâ Scipionis verecundiâ deinceps Cenſores in condendis luſtris uſi ſunt. *Valer. Max.*

Androgynus Lucæ naſcitur, qui juſſu aruſpicum mari mergitur: ſecuta tanta ibi peſtilentia, ut non ſupereſſent, qui alios ſepelirent, magnæ domus vacuæ, ubi homines vivi non eſſent. Sed plenæ mortuis remanſerunt, largiſſimæ introrſum erant hæreditates, ſed nulli penitus hæredes, imò nemo poſtea accedere ad eam urbem voluit. *Oroſ. & Obſeq.*

Romæ circa diem 9. Novemb. Juliani, *magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Cn. Servilius Cœpio.
Q. Pompejus Rufus.

ANNO MUNDI 3809. *ante C.N.* 139.
DC. ☉ 9. ☽ 13.

Ecclipſis Lunæ annotatur à Ptolomeo lib. 6. cap. 5. *quæ acciderit anno 37. periodi tertiæ Calippicæ, anno Nabonaſſ. 607. die 2. Tybi menſis, horis duabus ante mediam noctem, cùm præteriſſent ex annis Nabonaſſareis anni 606. dies 121. & hora decem poſt meridiem. Ad Calendarium* Julianum *hæc Ecclipſis incidit in diem* 17. Januarii, *fer. 3. horis* 9, 49. *poſt meridiem Alexandriæ ad haſce tabulas. Latitudo Lunæ 52, 23. Septent. ſemidiamet. Lunæ 18. ſumma ſemidiametrorum Lunæ & umbræ 64, 8. ſcrup. reſidua 11, 45. digiti Ecclipt. 3, 55. Locus Solis in quinto gradu Aquarii.*

Q. Pompejus Conſul, cùm primùm Termeſtinos ſubegiſſet, in finibus Numantiæ maximâ clade accepta, & exercitu penè profligato, turpiſſimam cum Numantinis pacem facit. *Oroſ. & Epit. Livii.*

Q. Fabius Proconſul in ulteriore Hiſpania cum Viriato pacem æquis conditionibus facit, quo facto rebus ſuis proſperè in Hiſpania geſtis labem imponit. *Epit. Liv.*

Demetrius rex ſuperioris Aſiæ, Parthis bellum movet, nec in initio infeliciter. Fines enim circa Babylonem recuperat; & gentes inter Hydaſpen, & Indum fluvios ſibi ſubjicit, at tandem à Mithridate Parthorum rege, qui ſextus erat ab Arſace, pacis ſimulatione capitur, & per ora civitatum, quas ſubegerat, in ludibrium favoris circumducitur. Tandem tamen in Hyrcaniam miſſus, benignè & juxta cultum priſtinæ fortunæ habetur. *Oroſ. Juſt.*

Simoni à populo Judaico confirmatur principatus, & accipit juramentum fidelitatis die 18. menſis Elul, anno 172. Græcorum, qui ad Calendarium Julianum, eſt dies 25. Auguſti, feria 4.

Annus Nabonaſſaris 608. & annus Philippi & mortis Alexandri 184. incipit die 27. Sept. fer. 2.

Tryphon, de clade Demetrii in ſuperiori Aſia certior factus, Antiochum puerum, filium Alexandri, cujus tutor erat, occidit: Corrupit enim quoſdam medicos, qui eum calculi dolore ad populum conſumi mentiebantur, qui dum eum ſecant, occidunt anno quarto, *ut Ioſephus habet*, poſtquam ejus tutelam Tryphon ſuſcepiſſet, *Ioſephus lib.* 13. *cap.* 12. Inde perſuaſis militibus Tryphon proclamatur rex, & regnum obtinet, uſq; in tertium annum.

Romæ circa diem 18 Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Lælius Sapiens.
Q. Servilius Cœpio.

ANNO MUNDI 3810. *ante C. N.* 138.
B. ☉ 10. ☽ 14.

Annus à Roma condita numeratus 613.

Annus Simonis Etnarchæ apud Judæos quartus.

Tryphon acerbè ſævit in milites & alios: quapropter milites ejus ab ipſo deficiunt ad Cleopatram viduam Demetrii, quæ ſe

cum

cum liberis Seleuciæ incluſerat. Hæc cum ſibi metueret à Tryphone, fratrem Demetrii Antiochum accerſit, ipſique & connubium & regnum offert, nec abnuit Antiochus & milites contra Tryphonem conquirit. *Ioſephus lib. 13. cap.* 12.

Annus Græcor. Jud. 173. incipit die 2. April. fer. 7.

Craſſus Orator, quem Cicero adcò laudat, naſcitur hiſce Coſſ. *Cic. in Brut.*

Archon apud Athenienſes ANTITHEUS. *Pauſanias.*

Annus 39. periodi tertiæ Calipp. incipit die 21. Junii, feria 3.

Olympias CLX. acta die 12. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus 637.

Victor Stadii Anodocus Sicyonius.

Cum *Viriatus* jam quatuordecim annos Romanos Duces & exercitus, protriviſſet, à proditoribus quibusdam à Cœpione Conſule corruptis, interemtus eſt; Vir certè & Dux maximus, Senatus Romanus factum Cœpionis improbavit, & proditoribus illis præmium petentibus reſponderi juſſit: Romanis non placere, Imperatorem à militibus interfici. *Oroſ.*

Romæ circa diem 8. Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cn. Calpurnius Piſo.
M. Popilius Lænas.

ANNO MUNDI 3811. *ante C. N.* 137.
A. ☉ 11. ☽ 15.

Hiſce Coſſ. C. Cornelius Hiſpallus Prætor, edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex urbe & Italia juſſit, qui levibus & ineptis ingeniis, fallaci ſiderum interpretatione, quæſtuoſam mendaciis ſuis caliginem injicerent. *Valer. lib.* 1.

Antiochus Sedetes, cùm regnum conaretur recuperare, ne ſibi & cum Tryphone & Simone bellum gerendum eſſet, Simoni & populo Judaico multas concedit immunitates, & quas habebant, auget. Poteſtatem etiam concedit, cudendi monetam, quibus donis Simon illectus, facilè ipſius partes defendit, 1. *Maccab.* 15. Poſtea tamen cùm Tryphonem acie viciſſet, & Syria ejeciſſet, & in caſtro Doræ cum obſideret, auxilia Simonis reſpuit, omnia impudenter repetit quæ conceſſerat, urbes etiam Joppen, Gazam, & arcem Sionis ſibi tradi jubet, & inſuper mille talenta. *Ibid.*

T. Manlius Torquatus filium ſuum Junium Silanum, a Macedonum legatis repetundarum accuſatum, ipſe judicat, condemnat, abdicat, & ad laqueum adigit: nec ejus funeri intereſſe voluit. *Epit. Livii.*

Romæ circa diem 10. Novemb. Iuliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Cornelius Scipio Serapio.
Dec Junius Brutus.

ANNO MUNDI 3812. *ante C. N.* 136.
G. ☉ 12. ☽ 16.

Cùm Coſſ. delectum haberent in conſpectu tyronum, C Matienus accuſatus, quòd exercitum in Hiſpania deſeruiſſet, damnatusque ſub furca die cæſus eſt, & ſeſtertio nummo venit. *Epit. Livii.*

Tribuni plebis, quorum unum Cicero C. Curiatium nominat, quia à Coſſ. non impetrabant, ut ſibi denos milites quos vellent, ex iis, qui conſcripti erant, eximere liceret, Conſules in carcerem duci juſſerunt. Epit. Livii.

Junius Conſul in Hiſpania militibus, qui ſub hoſte Viriato militaverant, agros oppidumq; dedit, quod Valentia vocatum eſt, inde Luſitaniam uſque ad Oceanum perdomuit, & cùm milites flumen Lethe tranſire nollent, ipſe prævivit, nec prius ſigna convertit, quàm cadentem in maria ſolem obrutumque eum in aquis deprehendit. *Vellej. Flor.*

L. Accius Tragœdiarum Scriptor clarus habetur; hiſce Coſſ. egit annum ætatis 33.

Tryphon obſeſſus Doræ, tandem mari aufugit, atq; Apameam venit, ubi urbe vi capta interfectus eſt, triennio poſtquam regno potitus fuerat; interim Antiochus per Cendebeum Cedron caſtrum ædificat, & munit, & Gazenſes vaſtat. 1. *Maccab.* 15.

Cenſores hoc anno fuerunt P. Cornelius Lentulus & Ap. Claudius Pulcher, qui tamen luſtrum non condiderunt.

M. Popilius Proconſul à Numantinis, cum quibus pacem factam Senatus irritam fieri cenſuerat, cum exercitu fuſus, fugatusque eſt. *Epit. Livii.*

Romæ circa diem 8. Novemb. Iuliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Aimilius Lepidus.
C. Hoſtilius Mancinus.

ANNO MUNDI 3813. *ante C. N.* 135.
FE. ☉ 13. ☽ 17.

Mancinus Conſul, cui provincia Hiſpania obvenerat, cùm ſacrificaret, pulli è cavea evolaverunt; conſcendente eo deinde in navim, ut in Hiſpaniam proficiſceretur, in portu Herculis vox improviſò audita eſt: *Mancine mane.* Ipſe ſanè, ut Oroſius inquit, adeò infeliciter rem militarem geſſit, ut ſupremâ ductus deſperatione, ne totum exercitum amitteret, turpiſſimum cum Numantinis fœdus facere cogeretur; quod tamen Senatus ratum eſſe noluit, ideo Numantinis deditus, qui manibus poſt tergum re vinctis expoſitus, ibi uſque ad noctem manſit, & à ſuis deſertus, ab hoſtibus non receptus, lachrymabile ſpectaculum præbuit. *Oroſ. Epit. Livii.*

Lex Caſſia lata, à *L. Caſſio* Longino, ſuadente Africano, quâ populo Romano, ne voce ſuffragium ferre cogeretur, tabella dabatur, ut quod ſentiret, nullo inimicitiarum metu oſtendere poſſet. *Cicero.*

Roſina rex Scotorum, cùm annos 24. regnaſſet, moritur; ſuccedit *Finnamus*, qui regnat annos 30. *Buchanan.*

Attalus ultimus rex Pergami, qui Eumeni patruo, vel Attalo, ut alii habent, cùm annos 21. regnaſſet, ſuccedit, regnum annis quinque ita adminiſtravit, ut id cædibus amicorum & cognatorum, imò matris turpiſſimè fœdaret, inde eo veſaniæ proceſſit, ut tantùm hortos foderet, noxias herbas innoxiis immiſceret, easque ut peculiare donum amicis mitteret, inde æri fundendo operam impendit. *Juſtin.*

Iohannes Hyrcanus, filius Simonis Etnarchæ, à patre impetrat exercitum, quo Cendebei populationes & incurſiones compeſcat: ſed Antiochus rex Cendebeo exercitum, quo Judæos vaſtet, tradit. Res igitur ad prælium deducitur, quo vincit Johannes, & multos hoſtium occidit, & caſtrum Cedron diruit, 1. *Maccab. ultimo.*

Annus Nabonaſſaris 612. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 188. *incipit die* 26. *Septemb. fer.* 2.

Romæ circa diem 17. *Novemb. Juliani, magiſtratum occipiunt:*

Coſſ. P. Furius Philus.
Sex. Atilius Serranus.

ANNO MUNDI 3814. *ante C. N.* 134.
D. ☉ 14. ☽ 18.

Annus à condita Roma numeratus 617.

Annus Simonis Etnarchæ octavus.

Brutus in ulteriore Hiſpania ſexaginta millia Gallæcorum, qui Luſitanis auxilio venerant, aſperrimo & difficillimo prælio vincit, triumphavitque. *Epit. Livii & alii.*

Annus Græcorum Jud. 177. *incipit die* 15. *Martii, fer.* 5.

Æmilius Lepidus Proconſul, Vaccæos innoxiam gentem & ſupplicem expugnare conatur, ſed magna afficitur clade, caſtra etiam amittit, quæ ab hoſtibus exuſta fuerunt. *Oroſ.*

Annus 43. *periodi tertiæ Calippicæ incipit* 14. *Julii, fer.* 3.

Olympias CLXI. acta 29. *Julii.* Eſt annus Olympiadicus 641.

Victor Stadii *Antipater* Epirota.

Rhegium urbs tota incendio conſumitur, ſine ullo humanæ fraudis aut negligentiæ veſtigio. *Obſequens.*

Annus Alexandræus 177. *incipit die* 12. *Septemb. fer.* 7. *Eodem die incipit annus ſabbathicus ſextus Jobelei Judaici* 27. *Eſtque hebdomas Danielis* 42. *Anno Jud.* 3626.

Cenſores hoc anno fuerunt Q. Fab. Max. Servilianus & Q. Fulvius Nobilior: fecerunt luſtrum 58. Principem Senatus legerunt. Ap. Claudium; cenſa ſunt civium capita 323000.

Romæ circa diem 7. *Novemb. Juliani, Magiſtratum occeperunt:*

Coſſ. Ser. Fulvius Flaccus.
Q. Calpurnius Piſo.

ANNO MUNDI 3815. *ante C. N.* 133.
C. ☉ 15. ☽ 19.

Simon Etnarches, dolo generi ſui Ptolomæi, cum filiis duobus Juda & Matathia occiditur, anno Græcorum Judaico 177. menſe Schebat qui eſt undecimus, incipitq; hic menſis hoc anno die 7. Januarii, feria 5. Hyrcanus rex evadit, qui ſtatim collectis copiis arcem Dagon obſidet, ut matrem, quæ captiva tenebatur à Ptolomæo, liberaret; at ille parricida, quando Hyrcanus oppugnationem inſtituebat, ſtatim productam matrem tormentis excruciabat. Quapropter filius pietate victus, tandem oppugnationem omiſit, cùm eſſet annus ſabbathicus. *Ioſeph. lib.* 13. *cap.* 15. Occiſus autem eſt Simon, cùm annos octo principatum, & ſummum ſacerdotium adminiſtraſſet; ſuccedit filius Johannes Hyrcanus, qui eandem dignitatem obtinet annis 31.

Hipparchus obſervavit æquinoctium vernum, referente Ptolomæo lib. 3. cap. 1. *anno* 43 *periodi tertiæ Calippicæ, die* 29. *Mechir menſis Nabonaſſarei, poſt mediam noctem. Ad Calendarium Julianum accidit hæc obſervatio die* 24. *Martii, ineunte, feria* 4. *ad haſce tabulas accidit horis* 2. *poſt mediam noctem.*

Cùm poſt bellum Punicum ſecundum, Siculi facultates ſuas in immenſum auxiſſent, & cives Romani etiam in equites prædia plurima ſibi in Sicilia comparaſſent, factum, ut ingentem ſibi ſervorum numerum, quorum operâ uterentur, in colendis agris & armentis paſcendis, emerent: cùm verò eosdem duriter & parcè haberent, neq; quæ ad victum aut amictum facerent, ſuppeditarent, latrociniis ſibi neceſſaria compararunt; quibus aſſuefacti, tandem conjurarunt, & intra triginta dies multa millia convenerunt, facto rege Euno quodam Syro, cumq; Hypſæum prætorem viciſſent, eorum numerus auctus eſt adeo, ut eſſent ad ducenta millia. Sub idem tempus alibi etiam conjurationes ſervorum factæ ſunt, ut Romæ, Athenis & aliis locis, ſed ſtatim eæ oppreſſæ ſunt. *Diod. Sic.*

Antiochus rex, ut Judæos ſub jugum redigeret, adulta ætate Hieroſolymam obſidet. Hyrcanus verò, cum eſſet annus ſabbathicus, atque adeò non abundaret commeatu, imbellem turbam ex urbe ejicit. Sed Antiochus eandem circa murum urbis concludit, nec in agros evagari, aut aliò diſcedere patitur, quapropter ne fame perirent in urbem recipiuntur. Cùm Scenopegias feſtum adveniret, petit Hyrcanus ab hoſte inducias ad celebrandum iſtud feſtum, quas Antiochus non ſolùm concedit, ſed victimas etiam de ſuo largitur, & in urbem mittit: Quapropter facta eſt pax in haſce conditiones, ut Hyrcanus quingenta talenta ſolveret, & auxiliares copias Antiocho, ſi bellum gereret, adduceret. Hyrcanus aperto ſepulchro Davidis tria millia talentorum invenit, ſolvit, quod debuit, & regem Antiochum liberaliſſimè tractavit. *Ioſeph. lib.* 13. *cap.* 16.

Romæ circa diem 17. *Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. P. Cornelius Scipio Africanus II.
C. Fulvius Flaccus.

ANNO MUNDI 3816. *ante C. N.* 132.
B. ☉ 16. ☽ 1.

Scipioni bellum Numantinum extra ſortem com-

commendatur. Numantia autem Celtiberorum urbs fuit vicina Vaccæis & Cantabris. *Scipio* igitur primùm hoſtes aggredi non auſus, milites, qui ignavia & luxuria diffluebant, in caſtris tanquam in ſchola exercuit, & ad generoſiſſimam militiæ diſciplinam revocavit, omnia delitiarum inſtrumenta recidit, duo millia ſcortorum ex caſtris ejecit, militem omni die in opere habuit, & triginta dierum frumenta, & ad ſeptenos vallos ferre cogebat; ægrè propter onus incedenti dicebat: Cùm te gladio vallare ſciveris, vallum ferre deſinito. Quem militem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, vitibus; ſi extraneus, virgis cecidit. Cùm ſibi ab Antiocho Syriæ rege ampliſſima munera mitterentur, ea non clam ſed pro tribunali accepit, & in publicas tabulas referri juſſit, & ex iis viris fortibus munera daturum promiſit. *Epit. Liv.*

Fulvius Conſul contra ſervos in Siciliam mittitur, eorum Rex erat Eunus, qui in ore abdita nuce, quam ſulphure & igne ſtipaverat, leniter inſpirans flammam inter verba fundebat. Sed quid Fulvius in Sicilia egerit, iniquitate temporum intercidit, niſi quòd aliquot ſervorum caſtella expugnavit. *Oroſ.* Fulvius Proconſul, qui in Illyrico cum Vardæis bellum geſſerat eosque ſubegerat, triumphat. *Onup.*

Romæ circa diem 7. Novembr. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Mucius Scævola.

L. Calpurnius Piſo Frugi.

ANNO MUNDI 3817. *Ante C. N.* 131.

AG. ☉ 17. ☽ 2.

Tib. Sempronius Grachus, cùm fuiſſet Quæſtor in exercitu Mancini, qui pacem cum Numantinis fecerat, deſcivit à bonis, pollicitus eſt toti Italiæ civitatem, & promulgatis legibus agrariis ſumma imis miſcuit, cumq; agri non multum eſſet, quod dividi poſſet, promulgaturum ſe promiſit, ut lege Sempronia reliquis, qui agrum accipere non poſſent, pecunia ex teſtamento Attali, qui tum defunctus erat, daretur. Sed hisce ejus conatibus obſtitit Conſul Mucius. *Epit. Liv. & Vellej.*

Scipio Numantiam operibus circumdederat, & undique concluſerat; ideò fame macerabantur. quæ ut augeretur, perfugas aut fugitivos, Numantiam redegit, donec cùm erumpere non poſſent, ſeſe intra muros clauſerunt, & cuncti ferro, veneno, & igne conſumti ſunt, poſt annum & tres menſes, quàm Scipio eò venerat, qui urbem ſolo æquavit. *Oroſ. Vellej.*

Piſo Conſul in Sicilia Mamercum oppidum expugnavit, ubi octo millia ſervorum interfecit, & cruci affixit. Oroſ.

Annus Nabonaſſaris 616. & annus Philippi & mortis Alexandri 192. incipit die 25. Sept. feria 3.

Cùm ferè in exitû anni Tib. *Grachus iterum Tribunus plebis fieri vellet, & vi leges ſuas promulgare, P. Cornelius Naſica privatus juſſit eum occidi, quod factum eſt in capitolio, ſubſelliorum fragmentis contuſus, inde inſepultus in Tyberim projectus eſt.* Epit. Livii.

Paulò poſt circa diem 16. Novem. Juliani Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Popilius Lænas,

P. Rupilius.

ANNO MUNDI 3818. *ante C. N.* 130.

F. ☉ 18. ☽ 3.

Annus à Roma condita numeratus 621.

Annus Johannis Hyrcani apud Judæos 4.

Scipio ex Hiſpania rediens, de Numantinis nominetenus tantùm triumphat, neque enim captivus quiſpiam ſuperfuit, cùm ad unum omnes ſe occidiſſent; nec præda fuit, ut de pauperibus, quam etiam corruperant; nec arma, quæ cremaverant. *Flor. lib. 2.*

Annus Græcorum Judaicus 181. incipit die 2. April. feria 3.

M. Perperna Prætor res contra ſervos feliciter geſſerat, & urbes aliquot in Sicilia receperat, ideò ovans urbem ingreditur. Florus.

Annus 47. periodi tertiæ Calipp. incipit die 30. Jun. feria 1.

Olympias CLXII. acta die 14. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus 645.

Victor Stadii Damon Delphicus.

Rupilius Conſul in Sicilia Tauromenium & Ætnam, firmiſſima fugitivorum receptacula, bello recipit, ubi multa millia ſervorum trucidata. Ennam proditione capit, Eunum regem, qui ſe Antiochum nominaverat, in prærupta loca fugientem, & in ſpelunca deliteſcentem, extraxit, & in vincula compegit, ubi mortuus eſt. Reliqui ſervi fugitivi re deſperata ſeipſos inter ſe trucidarunt. Inde Inſulam ab omnibus latrociniis repurgavit. *Diod. Siculus.*

Annus Alexandræus 181. incipit die 26. Septemb. feria 5.

Antenor. Sicambrorum rex, cùm annos 16. regnaſſet, moritur; ſuccedit filius *Clodomirus*, qui annis 20. regnavit. *Trithem. in Compendio.*

Ariſtonicus ex pellice Epheſia ab Eumene genitus, Aſiam ut hæreditarium regnum occupat, & populo Romano bellum facit. *Juſt.*

Romæ circa diem 6. Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Licinius Craſſus Mucianus.

L. Valerius Flaccus.

ANNO MUNDI 3819. *ante C. N.* 129.

E. ☉ 19. ☽ 4.

Conſul Craſſus, cùm Pontifex maximus eſſet, primus Pontificum extra Italiam contra Ariſtonicum cum exercitu mittitur; qui cùm plurima à regibus Aſiæ accepiſſet auxilia, tamen ab Ariſtonico vincitur, & in fuga capitur, captus ut ignominiam effugeret, virgam, quâ regnum regebat oculis Thracii militis, à quo vinctus trahebatur, infixit, & eum exoculavit; Quare iratus Craſſum occìdit, qui poſt Smyrnæ ſepultus eſt. Adeò hic Craſſus in expeditione græcæ linguæ ſtuduit, ut legatos ſine interprete audiret. *Hiſtor. Miſcel.*

Cenſores hoc anno, primi de plebe ambo, Q. Cæcilius Metellus Macedonicus. Q. Pompejus Rufus, condiderunt luſtrum 59. princeps Senatus lectus P. Cornelius Lentulus. Cenſa ſunt civium capita 313823. præter pupillos & viduas. Et Metellus cenſuit, ut ducere uxores omnes cives omninò cogerentur liberorum creandorum cauſa, quam orationem poſtea Auguſtus Cæſar cùm de maritandis Ordinibus ageret, velut eo tempore ſcriptam, in Senatu recitavit. Epit. Livii.

Tribunus plebis C. Atinius Labeo, Metellum Cenſorem, à quo in Senatu legendo præteritus e-rat, de Saxo Tarpejo dejici juſſit; quod ne fieret, cæteri Tribuni auxilio fuerunt. *Epit. Livii.*

Romæ circa diem 16. Novembr. Iuliani, magiſtratum occipiunt:

Coſſ. M. Perpenna
C. Claudius Pulcher.

Cùm Antiochus Sedetes tribus præliis Parthos viciſſet, & Babyloniam occupaſſet, *Phraates* Parthorum rex Demetrium Antiochi fratem, olim captum, ad occupandum in Syria regnum dimittit, ipſum Antiochum interea proditione tentat; exercitum enim in hyberna diviſum diverſis partibus aggreditur, & Antiochum tandem, proximis auxilium ferentem, acie victum & à ſuis deſertum, obtruncat. *Iuſtin. Oroſ.*

Conſul Perpenna audita morte Craſſi, ſubitò in Aſiam trajicit, & Ariſtonicum improviſò adortus, nudatum omnibus copiis in fugam vertit, & Stratonice incluſum fameque maceratum ad deditionem cogit, Attalicasque gazas hæreditarias populi Romani navibus impoſitas, Romam deportare conatur. *Iuſtin.*

Iohannes Hyrcanus audita Antiochi morte, legatos mittit Romam, conqueſtum de injuriis Antiochi, quas populo Judaico intulerat, obtinetque à Senatu, ut omnia, quæ Antiochus feciſſet, pro irritis haberentur, & populus Judaicus ab omni onere liber eſſet. Interim ipſe Syriæ urbes proximas, cum ſine præſidio eſſent, occupat, ut Medabam, quam ſexto demum menſe cepit & alias. In monte præterea Garizim templum illud à Sanaballete extructum, cum annis ducentis ſtetiſſet, deſtruit. *Ioſeph. lib. 13. cap. 17.*

Romæ circa diem 6. Novemb. Iuliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Sempronius Tuditanus.
Man. Aquillius.

ANNO MUNDI 3821. *ante C. N.* 127.
CB. ☉ 21. ☽ 6.

Aquillius Conſul, ne P. rpenna provinciam conficiat, feſtinata velocitate in Aſiam contendit, Perpennæ erepturus Ariſtonicum, & de eò triumphaturus; ſed Perpenna paulò poſt Pergami in morbum prolapſus moritur, atque ita contentio Conſulum ſedata eſt: Aquillius perſequens victoriam, ut reliquias belli conficeret, mixtis veneno fontibus ad deditionem urbes compulit, quæ re maturam quidem, ſed infamem fecit victoriam: Quippe cum contra fas moresque majorum medicaminibus impuris Romana arma violaſſet. Florus.

Ptolomæus Evergetes ſive Phyſcon, ob nimiam crudelitatem ſuis inviſus, cum populus regiam accendiſſet, clam in Cyprum profugit; repudiaverat hic ſororem Cleopatram, quam uxorem duxerat, & ejus filiam, ſuam privignam prius ſtupratam, uxorem duxerat. Cum verò intelligeret, repudiatæ ſuo uxori regnum à populo deferri, ſuum quem ex ſorore genuerat filium occidit, matrique caput & manus & pedes ejus miſit, & bellum ſorori minatur. *Iuſtin. & Epit. Liv.*

Seditiones à triumviris Fulvio Flacco, C. Gracho, & C. Carbone de agro dividundo creatis excitantur Romæ, quibus vehementer adverſabatur P. Scipio Africanus. Is dum fortis & validus pridie domum ſe recepiſſet, mortuus in cubiculo inventus fuit. *Epit. Livii.*

C. Sempronius Conſul contra Lapudes in Illyricum miſſus, primo rem malè gerit, poſtea tamen virtute Bruti, qui Hiſpaniam vicerat magna victoria potitur & triumpat. Tab. Cap.

Annus ſabbathicus ſeptimus ſive Iobeleus Iudaicus 17. incipit die 21. Septembr. fer. 5. Eſt hebdomas Danielis 43. incipiens. Anno Iud. 3633.

Annus Nabonaſſ. 620. Et annus Philippi atque mortis Alexandri 196. incipit die 24. Sept. fer. 7.

Bato Cattorum regis filius novercam fugiens, ad Menapium Tongrorum regem venit, qui Batoni dedit ſiniſtram Gallicæ oræ partem, ubi poſt arcem condidit Batoburgum, & poſt totam terram *Bataviam* appellavit, & Neumagium urbem condidit. *Annales Fland. Furm.*

Lælius *ſermonem habet de amicitia, paulo poſt Africani mortem, quam Scævola augur poſt annos 41. Ciceroni recitavit.* Cicer. in Lælio.

Carneades Philoſophus cum vixiſſet annos 85. mortuus eſt anno 4. Olymp. 162. in ipſa eccliſi Lunæ *Diog. Laert. lib. 4.*

Eccliſis hæc Lunæ accidit die 5. Novembr. fer. 7. hora poſt mediam noctem 2, 55. idque Athenis. Latitudo Lunæ vera 37, 56. Sept. ſemidiamet. Lunæ 16, 39. ſumma ſemidiametrorum 59, 48. ſcrup. reſidua 21, 52. digiti Ecclipt. 7, 54.

Circa diem 15. Novembris Iuliani, Magiſtratum ineunt Romæ:

Coſſ. Cn. Octavius.
T. Annius Luſcus.

ANNO MUNDI 3822. *ante C. N.* 126.
A. ☉ 22 ☽ 7.

Annus à condita Roma numeratus 625.

Annus Iohannis Hyrcani Ethnarchæ 8.

Hipparchus anno quinquageſimo tertia periodi Calippica obſervavit æquinoctium vernum, quod accidere die prima Phamenoth menſis Nabonaſſari, circa occaſum Solis. Nobis ad Calendarium Iulianum obſervatio facta eſt die 23. Martii, fer. 5. Idem accidit ad haſce tabulas horis ſeptem fer. poſt meridiem, atque ita obſervationes pleraque conveniunt cum æquinoctiis hiſce æquabilibus.

Hyrcanus circa hæc tempora Idumææ urbes cepit, & omnibus ſubjugatis edixit, ut maſculi circumciderentur omnes, & ritibus aliis etiam convenirent cum Judæis; qui nollent, urbibus in Idumæa excederent. Valuit edictum apud omnes, amore patriæ commotos, quam relinquere nolebant; atque ex eo primum tempore Idumæi inter Judæos cenſeri cœperunt. *Ioſeph. lib. 13. c. 17.*

Olympias CLXIII. acta die 30. Iulii. Eſt annus Olympiadicus 649.

Victor Stadii *Timotheus* Trallianus.

Hippar-

Hipparchus iterum hoc anno inſtrumento obſervavit locum Solis die 16.menſis Epiphi, minutis 40. poſt Solis ortum, cùm præteriiſſent ex annis Nabonaſſareis anni 619. dies 314. horæ 17,50. & viſus eſt Sol in gradu 8,35. Leonis. Ad Calendarium Julianum accidit hæc obſervatio hoc anno die 5. menſis Auguſti, ubi ad tempus ab Hipparcho definitum ad tabulas noſtras Sol invenitur in gradu 8.32.46// *Leonis.*

Annus Alexandræus Seleucidarum incipit 12.Septemb.fer.3.

Cleopatra in Ægypto, cùm ſibi metueret à fratre, Demetrium regem Syriæ evocat ad defendendam Ægyptum. Sed Ptolomæus ſubſtituit regem Syriæ ALEXANDRUM Zebinam, quaſi eſſet Antiochi Sedetis filius. Is cùm videretur ex animo flere, cùm oſſa Antiochi ex Parthia in Syriam afferrentur, magnam autoritatem ſibi conciliavit. *Juſtinus.*

Romæ circa diem 5.Novemb. Juliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Caſſius Longinus,
L. Cornelius Cinna.

ANNO MUNDI 3823. *ante C.N.*125.
G.☉ 23. ☽ 8.

Ptolomæus annotat obſervationem Solis, per inſtrumentum inſtitutum ab Hipparcho, anno Philippi 197. *die* 11. *Pharmuthi menſis, in initio horæ ſecundæ diei, hoc eſt, integra ferè horâ poſt ortum Solis, ubi deprehendit Solem in gradu* 7,35. *Tauri. Ad Calendarium Julianum accidit hæc obſervatio die* 2. *Maji hoc anno, ubi Sol invenitur ad illud tempus ad tabulas noſtras in gradu* 7,36.17// *Tauri.* Ptolom. lib.5.cap.5.

Alexander Zebina, ingentibus auxiliis adjutus à Ptolomæo, cum Demetrio pugnat, & præclarâ victoriâ potitur. Demetrius igitur victus, cùm undique circumſtantibus malis premeretur, ab omnibus deſeritur, ab uxore etiam & liberis, qui portas ipſi claudunt. *Juſtin.*

Ptolomæus adhuc etiam hoc anno obſervationem factam ab Hipparcho annotat, anno Philippi 197. *die* 17. *Payni, horis quatuor poſt meridiem, ubi deprehendit Solem in gradu* 10,54/ *Cancri. Ad Calendarium Julianum accidit hæc obſervatio die* 7. *Julii, ubi ad idem tempus invenitur locus Solis ad tabulas noſtras in gradu* 10,52. *minut.Cancri.* Ptolom.lib.5.cap 5.

Circa diem 15. *Novembr. Juliani, Magiſtratum Romæ ineunt.*

Coſſ. Mamercus Æmilius Lepidus.
L. Aurelius Oreſtes.

ANNO MUNDI 3824. *ante* C.*N.*124.
F.☉:4. ☽ 9.

Hiſce Conſulibus ſcribit Cenſorinus *cap.*17. *de die natali, quartos ludos ſeculares actos eſſe.*

Ætna mons in Sicilia vaſto tremore concuſſus igneos globos tanta vi ejecit, ut vicinum mare efferveſceret, aduſtas rupes molliret, tabulata navium liquefactis ceris diſſolveret, & exanimatos piſces ſupernatantes coqueret: magna hominum multitudo ſuffocata eſt. *Oroſ.*

Clodomirus, Sicambrorum rex anno, regni ſexto, auxilio Germanorum, Gallos ad Moſam magno prælio vincit. *Trithem.*

Cenſores hoc anno fuerunt L. Cæcilius Metellus & L. Calphurnius *Piſo, luſtrum non fecerunt.*

M. Aquilius Proconſul in Aſia, cùm provinciam Aſiam ordinaſſet, Romam proficiſcitur circa Septemb. Jul.Tab,Cap.

Ariſtonico gula in carcere Romæ fracta. Ita Aſia Romanorum facta cum opibus ſuis, vitia etiam Romam transmiſit.

Demetrius, cùm nuſquam locum inveniret, ubi conſiſteret, Tyrum fugit in templum, loci religione ſe defenſurus; ſed extractus inde & miſerè vexatus, tandem interficitur. *Joſeph. lib.* 13.

Ptolomæus, reconciliata gratiâ cum Cleopatra ſorore & uxore, in regnum redit. *Joſephus.*

Romæ circa diem 5. Novemb. Juliani *Magiſtratum ineunt:*

Coſſ. M. Plautius Hybſæus.
M. Fulvius Flaccus.

ANNO MUNDI 3825. *ante C.N.* 123.
E D.☉ 25. ☽ 10.

Cùm Demetrius Syriæ rex cæſus eſſet, Seleucus filius ſumit ſibi diadema, & pro parente regnat; mater Cleopatra irata ipſi, quòd ſe inſciente rex factus eſſet, eum interficit, & Antiochum cognomento Gryphum regem facit, qui colligit exercitum contra Alexandrum Zebinam, ut parentis mortem ulciſcatur. *Joſeph.lib.*13.

Fulvio Flacco Liguria transalpina provincia datur, qui per biennium ſolidum eos omnibus belli cladibus afflixit, & tandem domuit. *Epit. Liv.*

L. Opimius *Prætor Fregellanos, qui defecerunt, bello victos in deditionem accipit, &* Fregellas *diruit* Epit Livii.

Locuſtarum immenſa multitudo in Africa exorta, quæ omnes fruges perdidit, ita ut & cortices arborum & arida ligna eroderent, quas repentinus ventus tandem coegit, & mari immerſit; ſed littoribus appulſæ putredine aërem corruperunt, unde peſtilentia oborta, qua in ſola Numidia octingenta millia hominum periiſſe dicuntur, & triginta millia Romanorum militum. *Oroſ.*

Annus Nabonaſſaris 624. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 200. *incipit die* 23. *Sept. fer.*4.

Hic annus eſt primus æræ Tyriorum, ut videre eſt apud Euſebium in anno ſecundo Probi Imperatoris. Cur autem hoc anno æram inſtituerint Tyrii, an quòd ſe, ſuperiori anno, Demetrio rege occiſo, in libertatem vindicaverint, non conſtat.

Cenſores hoc anno fuerunt Cn. Servilius Cæpio, & L. CASSIUS Longinus, qui luſtrum condiderunt ſexageſimum: principem Senatus legerunt ſecundùm P. Cornelium Lentulum: Cenſent civium capita 390736. *Epit.Livii.*

Romæ circa diem 14. Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Caſſius Longinus.
L. Sextius Calvinus.

ANNO MUNDI 3826. *ante* C.*N.*122.
C.☉ 26. ☽ 11.

Annus à Roma condita numeratus 629.

Annus Johannis Hyrcani Ethnarches apud Judæos 21.

Coſſ.

Coſſ. *transalpinis Gallis bellum inferunt, & Arvernorum infinitam multitudinem ad Rhodanum fluvium interficiunt.* Eutrop.

Olympias CLXIV. acta die 15. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus 653.

Victor Stadii BOETUS Sicyonius.

Frabateria Colonia hoc anno deducta. *Vellejus lib.* 1.

Cùm Alexander Zebina rex in Syria, tumens ſucceſſu rerum, etiam Ptolomæum regem Ægypti ſperneret, à quo hoc regnum habebat, à Ptolomæo oppugnatur, qui Antiocho Grypo non ſolùm magna auxilia contra Alexandrum miſit, ſed etiam ipſi filiam ſuam Tryphenam uxorem collocavit, quâ re magnam ſibi autoritatem comparavit Grypus, pugnansque cum Alexandro eum vincit, & Antiochiam fugat. Alexander inops pecuniâ, ut haberet unde militibus ſtipendia ſolveret, aureum Jovis ſimulachrum ex templo evelli jubet: quapropter urbe ejicitur, & deſertus à militibus, à latronibus capitur, & Grypo traditur, & interficitur. *Juſtinus lib.* 39.

Grypus jam potens regni, à matre Cleopatra inſidiis appetitur, quæ ipſi ab exercitatione redeunti poculum veneni obtulit. Sed cùm Grypus rem antea comperiſſet, matrem ipſam poculum exhaurire jubet, & prolato judice, juſſit, ut ſi innocens eſſet, biberet. Ita cùm effugium non pateret, ſcelere ſuo in ſe verſo periit. *Juſtin. lib.* 39. & Grypus abſque ullo adverſario regnum obtinuit ad annos ferè octo. *Juſt. lib.* 39.

Annus Alexandræus Seleucidarum 189. *incipit die* 28. *Sept. fer.* 3.

Romæ paulò antequam Conſules magiſtratum inirent, C. Gracchus, Tiberii frater Tribunus plebis creatur. Circa diem autem 4. Novembr. magiſtratum inierunt:

Coſſ. Q. Cæcilius Metellus Balearicus,
T. Quinctius Flaminius.

ANNO MUNDI 3827. *ante C. N.* 121.
B. ☉. 27. ☽ 12.

C. Gracchus frater Tiberii, invito Senatu Tribunus plebis creatus, cùm eſſet eloquentiſſimus, & artibus bonis eruditus, leges fert, quæ quidem ad dignitatem reipub. ſpectare videbantur, à multis tamen judicabantur pernicioſæ. Sunt autem hæ: ut populo frumentum, quod copioſiſſimè ex Africa & Sicilia advehebatur, venderetur triente & ſemiſſe: Deinde ut agri, qui à privatis per vim occupati erant, plebi dividerentur: Tertiò ut in Senatum equites ſexcenti eligerentur, qui judicia adminiſtrarent: Item ut Coloniæ Carthaginem, & alia in loca deducerentur. Cùm haſce leges perferre non poſſet, plebs eum in ſequentem etiam annum Tribunum plebis creavit. *Plutarch.*

M. Fulvius Proconſul, qui primus Ligures transalpinos imperio Romano ſubegit, triumphat. *Tab. Capitol.*

Polybius hiſtoricus equo delapſus, cùm ex ſuo prædio Megalopolim rediret, moritur, annis ante Ciceronem natum 17.

Q. Metellus Conſul adverſus Baleares miſſus, bellum gerit. Epit. Livii.

Sextius *Proconſul, victâ Salviorum gente, Coloniam* Aquas Sextias *condidit, ob aquarum copiam ex calidis & frigidis fontibus, atq; à nomine ſuo appellavit.* Epit. Livii.

Romæ circa diem 14. *Novembr. magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Cn. Domitius Ahenobarbus,
C. Fannius Strabo.

Hunc Fannium plebs conſulem fecit favore C. Grachi, à quo circumducebantur, & Tribubus commendabantur. *Plutarch.*

ANNO MUNDI 3828. *ante C. N.* 120.
A. ☉ 28. ☽ 13.

C. Grachus perfert legem, ut judicia à Senatoribus ablata ad equites transferrentur, & equites ſoli judicarent. Plutarchus quidem cenſet, Grachum ſanxiſſe, ut equites unà cùm Senatoribus judicarent: Sed fallitur, ut demonſtrat *Manutius in libro de legibus.* Judicarunt itaq; equites per annos 40. uſque ad Syllana tempora.

Grachus legibus latis efficit, ut plures Coloniæ deducerentur. Ipſe Triumvir creatus, Coloniam in ſolo Carthaginis dirutæ duxit, & Carthaginem anno viceſimo ſecundo, poſtquam à Scipione exciſa erat, reſtituit. Plutarch.

Q. Metellus Proconſul, Baleares inſulas tandem populo Romano ſubjicit, & triumphat. *Strabo.*

Sextius & Caſſius *Proconſules, de Salviis & Arvernis triumphant.* Eutrop.

Annus Sabbathicus primus Jobelei viceſimi octavi, incipit die 7. Septemb. fer. 5. Eſt hebdomas Danielis 44. Anno Jud. 3640.

Grachus, cùm in Colonia adducenda dies 70. abfuiſſet, Romam redit, quòd Fulvius Collega à Tribuno plebis Livio oppugnaretur. Ubi Grachus ſenſim ſuam autoritatem amiſit, adeò ut cùm peteret ſe Tribunum plebis fieri, repulſam paſſus ſit. *Plut.*

Romæ magiſtratum ineunt circa diem 4. Novem.

Coſſ. L. Opimius.
Q. Fab. Maximus Æmil. Allobrogicus.

ANNO MUNDI 3829. *ante C. N.* 119.
GF. ☉ 1. ☽ 14.

Domitius *Proconſul ad oppidum Vindalium Allobroges Gallos prælio vincit, idque maximè Elephantorum auxilio, occiditq; viginti millia hoſtium, tria capit; nec tamen Galli ſe dedunt, ſed copias ubique contrahunt. Domitius de Gallis, Arvernis & Allobrogibus triumphat.* Oroſ.

Opimius Conſul concilium plebis indicit in Capitolio ut leges Grachianas reſcinderet; ibi ipſius lictor, qui Fulvii factionē malos cives vocabat, & loco cedere jubebat, occiditur, quod Opimium malè habuit, & Senatum inſtigavit ad arma contra Fulvium & Grachum, & Senatusconſultum extorſit, quo ipſi mandabatur, ut videret ne Reſpublic. detrimenti quid caperet. Fulvius ibi occupat Aventinum montem, quo accedit etiam Grachus, ſed inermis, & miſit Fulvii filium de pace ad conſulem, ſed Conſul ferocior repudiatâ pace ad tria millia civium occidit, & ſimul Fulvium & Grachum, quos omnes in Tyberim projici juſſit. Hic Opimius pòſt, cùm ſe corrumpi pecuniâ à Jugurtha

gurtha paſſus eſſet, in perpetua ignominia vixit. *Plut.*

Ætna mons iterum ignibus exæſtuat, & torrentibus igneis, CATANAM urbem finesque ejus opprimit, cujus calamitatis levandæ gratia Catanenſibus in decem annos tributa remiſſa ſunt. *Oroſ.* Hoc anno vini bonitas ex commoda temperie cœli tanta fuit, ut id ad ducentos annos Romæ conſervatum ſit, & OPIMIANUM à conſule hujus anni appellatum. *Plin. lib. 14. cap. 4.*

Annus Nabonaſſaris 628. & annus Philippi & mortis Alexandri 204. incipit die 22. Sept. feria 1.

P. Popilius *in exilium ejicitur, ſed referente conſule Opimio, & deprecantibus filiis, reſtitutus eſt.* Cic. in Orat. poſt reditum.

Romæ circa diem 13. Novembr. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Manilius.
C. Papirius Carbo.

ANNO MUNDI 3830. *ante C.N.* 118.
E. ☉ 2. ☽ 15.

Annus à Roma condita numeratus 633.
Annus Johannis Hyrcani apud Judæos 16.

Bituitus Allobrogum rex, cùm ingentem exercitum contraxiſſet hominum centum & octoginta millium, pugnaturus cum Fabio proconſule, qui paucos milites habebat, dixit, exercitum Romanum vix ad eſcam canibus ſuis eſſe: ſed confertâ pugnâ vincitur, & ad centum & quinquaginta millia hominum amittit. ipſe victus Romam proficiſcitur ad ſatisfaciendum Senatui, ſed in Galliam remiſſus non eſt, ſed decretum, ut & filius ejus Cangentianus comprehenderetur, qui cum patre Albam in cuſtodiam datus eſt. Conſul cùm febri laboraret, in ipſa pugna febri liberatus fuit. Pugna facta circa medium Julii Juliani. *Epit. Liv.*

Olympias CLXV. acta die 1. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus 657.

Victor Stadii *Acuſilaus* Cyrenæus.

L. Opimius prioris anni conſul accuſatus à *Q. Decio* Tribuno plebis, quòd indemnatos cives in carcerem conjeciſſet, liberatur. *Epit. Livii.*

Annus Alexandræus Seleucidarum 193. incipit die 15. Sept. fer. 2.

Cenſores hoc anno fuerunt Q. Servilius Cæpio, & Q. Cæcilius Metellus Balearicus; luſtrum condiderunt ſexageſimum primum: Princeps Senatûs lectus à filio, Q. Cæcilius Metellus Macedonicus.

Romæ circa diem 3. Novembr. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cæcilius Metellus,
L. Aurelius Cotta.

ANNO MUNDI 3831. *ante C.N.* 117.
D. ☉ 3. ☽ 16.

Marius Tribunus plebis legem fert de ferendis ſuffragiis, quâ potentiorum in judiciis vires imminuebat. Senatus legem impediendam cenſuit, autore Aurelio Cottâ conſule. Marius igitur in Senatum venit, & Metellum, qui Aurelio adſtipulabatur, in carcerem duci juſſit; Senatus cùm reliqui Tribuni Metello non auxilio eſſent, legem accepit. *Plutarch. in Mario.*

Androgynus in agro Romano natus, in mare deportatur, & virgines ter novenæ per urbem hymnum Junoni cecinerunt. Obſeq.

Circa diem 13. Novembris magiſtratum ineunt.

Coſſ. M. Portius Cato.
Q. Martius Rex.

ANNO MUNDI 3832. *ante C.N.* 116.
C. ☉ 4. ☽ 17.

Q. Martius Conſul Sarinos, Gallorum gentem, ſub radicibus Alpium ſitam, bello aggreditur, qui cùm ſe à Romanis circumſeptos, & bello impares viderent, conjugibus & liberis occiſis ſe in flammas conjecerunt: qui verò capti fuerunt, inediâ ſe confecerunt. *Oroſ. lib. 5.* Martius triumphavit.

Narbo Colonia in Hiſpaniam deducta hiſce Coſſ. *Vellej. Eutrop.*

Micipſa, Maſiniſſæ filius, Numidarum rex, moritur; qui regnum tribus filiis reliquit, Adherbali, Hyempſali & JUGURTHÆ fratris filio, quem in filium adoptavit. *Saluſt.*

Romæ circa diem 3. Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cæcilius Metellus Dalmaticus.
Q. Mutius Scævola Augur.

ANNO MUNDI 3833. *ante C.N.* 115.
BA. ☉ 5. ☽ 18.

Cùm Antiochus Gryphus annum octavum regnum obtineret, natus eſt illi æmulus frater *Antiochus* Cyricenus, ex eadem quidem matre genitus, ſed diverſo patre, Patruo ſcilicet: Mater enim binos fratres conjuges habuerat, Demetrium & Antiochum, ex Demetrio Gryphus erat, ex Antiocho Cyricenus; hi dum inteſtinis diſcordiis vires regni diſtrahunt, Hyrcanus Dux Judæorum plurimùm potentiam ſuam ampliavit. *Juſtinus.*

Cæcilius Conſul nihil delinquentibus Dalmatis bellum infert, qui tamen amicè ipſum ſuſcipiunt; ipſe vero cum Salone hyemem tranſegiſſet, ſequenti anno Romam reverſus, nulla de cauſa triumphat, & Dalmaticus appellatur. Eutrop.

Annus Nabonaſſar. 632. & annus Philippi & mortis Alexandri 208. incipit die 21. Sept. fer. 5.

Romæ circa diem 12. Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Licinius Geta.
Q. Fabius Maximus Eburnus.

ANNO MUNDI 3834. *ante C.N.* 114.
G. ☉ 6. ☽ 19.

Annus à Roma condita numeratus 637.
Annus Johannis Hyrcani apud Judæos 20.

Ptolomæus Phyſcon vel Evergetes, ut diverſimodè appellatur, moritur, & Cleopatram ſororem ac conjugem ſibi ſuccedere jubet, hac conditione, ut alterum ex filiis, quem legiſſet, in regnum aſſumeret: Mater cùm pronior eſſet in minorem filium Alexandrum, alterum filium regem creare cogitur a ſubditis, quod facit, cùm Ptolomæus filius uxorem & ſororem ſuam Cleopatram ex voluntate matris repudiaſſet, & minorem ſororem Selenem uxorem duxiſſet. *Ptol. in Can. Juſtinus lib. 39.*

Olym-

Olympias CLXVI. acta die 17. Augusti. Eſt annus Olympiadicus 671.

Victor Stadii *Chryſogonus* Nicanus.

Annus Seleucidarum Alexandreus 197. incipit die 2. Sept. fer 7.

Romæ circa diem 2. Novembr. Juliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Cæcilius Metellus.
M. Æmilius Scaurus.

ANNO MUNDI 3835. *ante C. N.* 113.
F. ☉ 7. ☽ 1.

Cleopatra vidua Ptolomæi, nubit Antiocho Cyziceno, eique, ne indotata in conjugium veniret, exercitum Ptolomæi in Cypro ſollicitatum velut dotalem adducit. *Juſtin.*

Jugurtha in Numidia, ut ſolus regno potiretur, fratribus inſidias ſtruit, & Hyempſalem fratrem inſidiis petit & occidit; Adherbalem verò alterum fratrem bello petit, & victum regno expellit, qui poſtea, cùm Jugurtha plurimos Romæ muneribus corrupiſſet, juſſus eſt regnum cum Jugurtha dividere, præſentibus legatis Romanis, quorum princeps fuit L. Opimius, qui muneribus corrupti Jugurthæ potiſſimam regni partem dederunt. *Saluſt.*

Conſul Scaurus adverſus Ligures, qui rebellaverant, res gerit & triumphat. Plin. de viris ill.

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei viceſimi octavi, incipit die 19. Septemb. fer. 5. Eſt hebdomas Danielis 45. Anno Jud. 3647.

Cenſores Romæ creati L. Cæcilius Metellus & *Cn. Domitius Ahenobarbus. Luſtrum fecerunt ſexageſimum ſecundum: Cenſa ſunt civium capita 394336.*

Princeps Senatûs iterum lectus Q. Metellus Macedonicus.

Circa diem 12. Novembr. magiſtratum inierunt.

Coſſ. Man. Acilius Balbus.
C. Portius Cato.

ANNO MUNDI 3836. *ante C. N.* 112.
E. ☉ 8. ☽ 2.

Antiochus Cyzicenus, egregio exercitu à conjuge inſtructus, cum fratre Grypo prælio congreditur & vincitur. Victor Grypus, Antiochiam, ubi uxor Cyziceni erat, obſidet & capit, unà cum Cleopatra, quæ adducta ad ſororem Tryphenam Grypi conjugem, atrociſſimè interficitur in templo, quo confugerat, Grypo multum repugnante. *Juſtinus.*

Tres uno tempore Virgines Veſtales, genere nobiliſſimæ, cum aliquot equitibus Romanis, inceſti pœnas dederunt; Æmilia, Licinia, Martia. Epit. Livii.

Cato Conſul contra Scordiſcos profectus, Sylvarum & montium anfractibus concluſus, cum exercitu vincitur & fugatur. *Flor. lib. 3.*

Romæ circa diem 2. Novemb. Juliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Cæcilius Metellus.
Cn. Papirius Carbo.

ANNO MUNDI 3837. *ante C. N.* 111.
DC. ☉ 9. ☽ 3.

Tres hoc anno Romæ triumphant, bini germani fratres, Metelli; & M. quidem ex Sardinia, ubi toto biennio Proconſul bellum geſſerat: Conſul verò ex Thracia. *Eutrop.* Didius verò ex Macedonia triumphavit, *ut teſtatur Cicero in Piſonem.*

Cimbri, gens vaga, populabundi in Illyricum veniunt, ab iis Papirius Conſul cum exercitu funditur. Epit. Livii.

Lumen de cœlo noctu viſum. *Plin. lib. 2. c. 38.*

Annus Nabonaſſaris 636. & annus Philippi ac mortis Alexandri 212. incipit die 20. Sept. fer. 2.

Romæ circa diem 11 Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Livius Druſus.
L. Calpurnius Piſo Cæſonius, qui poſtea occiſus eſt à Tigurinis, *Cæſar.*

ANNO MUNDI 3838. *ante C. N.* 110.
B. ☉ 10. ☽ 4.

Annus à Roma condita numeratus 671.

Annus Johannis Hyrcani apud Judæos 24.

Antiochus Cyzicenus, collecto & reparato exercitu, cum Grypo iterum pugnat, & vincit, uxoremque ejus Tryphenam, quæ ſororem Cleopatram, uxorem Cyziceni, interfecerat, capit & ſupplicio ejus viciſſim ſuæ uxori parentat. *Juſtinus.*

Olympias CXLVII. acta die 3. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus 665.

Victor Stadii *Chryſogonus* Nicanus ſecundum.

Jugurtha, cum Numidiam Adherbali fratri adjudicatam priore anno prædas agendo vexaſſet, hoc anno juſto exercitu fines ejus ingreditur. Adherbalem fuſum fugatumque in Cirtha urbe obſidet, legatos Romanos de ſolvenda obſidione eludit, & Cirthâ potitus Adherbalem cum cruciatu necat. *Saluſt.*

Annus Seleucidarum Alexandreus 201. incipit die 15. Septemb. feriâ 3.

Livius Druſus Conſul adverſus Scordiſcas, gentem à Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnat. Epit. Livii.

Clodomirus Sicambrorum rex, cùm annis 20. regnaſſet, moritur; ſuccedit ipſi *Merodachus*, qui annos 28. regnat. *Trith.*

Romæ circa diem 1. Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Cornelius Scipio Naſica.
L. Calpurnius Beſtia.

Scipio hic in magiſtratu mortuus eſt. *teſte Cic. in Bruto.*

ANNO MUNDI 3839. *ante C. N.* 109.
A. ☉ 11. ☽ 5.

Calpurnius Conſul, cum exercitu contra Jugurtham in Numidiam mittitur, homo avarus, cætera non imperitus belli; is legat ſibi homines potentes, & inter alios Scaurum, & initio ſtrenuè rem gerit, poſtea tamen pecuniâ unà cum Scauro corruptus, Jugurthæ ſe dedere ſimulanti, dat pacem, jubetque ſibi tradi elephantos & perfugas: quo facto Romam revertitur, ad ſubrogandos Coſſ. Populus Romanus iratus conſuli, ſub fide publica evocat Jugurtham per PrætoremC. Caſſium, vultque ex illo diſcere, quos pecuniâ potiſſimum Romæ corruperit. *Saluſt.*

Circa hæc tempora Helvii equitis Romani filia, in agrum à parente deducta, & cùm tempeſtas

ſtas immineret, in medium comitatum recepta, & in equo vecta, ſola cum equo fulmine exanimatur, nemine alio læſo. *Oroſ.*

Maxima pars urbis exuſta, una cum æde Magnæ Matris. *Obſ.*

Circa diem 11. Novembr. Juliani, Romæ Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Minutius Rufus.
Sp. Poſtumius Albinus.

ANNO MUNDI 3840. *ante C.N.* 108.
G. ☉ 12. ☽ 6.

Jugurtha Romæ à Tribuno plebis defenditur, qui ne cauſam dicat, aut pecuniâ corruptos prodat, ipſi auxilio eſt. Interim Poſtumius, cui provincia Numidia evenerat, Maſſivam nepotem Maſiniſſæ ſubornat, qui regnum Numidiæ à populo Romano ſibi petat, Jugurtha ſibi metuens Maſſivam per inſidias occidi jubet, ſed cædis inconſultius commiſſæ reus factus, clam in Numidiam Roma profugit. Poſtumius Conſul cum exercitu in Numidiam miſſus nihil ferè rerum gerit, cum aſtu Jugurthæ bellum duceretur, ideò ipſe ad comitia Romam proficiſcitur, & Aulo fratri legato exercitum committit. *Sal.*

Coſ. Minutius res in Thracia feliciter gerit, non tantū Conſul, ſed etiam poſtea Proconſul. *Epit. Liv.*

Iohannes Hyrcanus Samariam annuo ſpatio per filios, Antigonum & Ariſtobulum, obſidet, & exercitum Cyziceni, qui Samaritanis auxilio mittebatur, fudit, aliquos poſtea corrumpit muneribus, & tandem captam excindit, ſolo æquat, & torrentes aquæ inducit, ut eluvione omnia perirent. *Ioſeph.*

Romæ intercesſionibus comitia impediuntur, ita ut nulli Curules eſſent magiſtratus: quapropter Aulus Poſtumius legatus, ut in Numidia bellum conficeret, in ipſa hyeme exercitum educit, ſed imperitus rerum in impedita loca profectus, patitur ſe pecunia corrumpi, & vendit Jugurtha victoriam: caſtris ita exutus, & in colle quodam obſeſſus, pacem æquam cum Jugurtha facit, promittitque ſe cum exercitu intra dies decem Numidia exceſſurum. Saluſt.

ANNO MUNDI 3841. *ante C.N.* 107.
FE. ☉ 13. ☽ 7.

Poſtumius Conſul metuens ſibi periculum ex delicto fratris, cùm Senatus pacem improbaſſet, in Numidiam feſtinat. Etſi autem cupiebat mederi fratris invidiæ, tamen cùm inveniſſet exercitum omni licentia corruptum, nihil ſibi agendum putavit. *Saluſt.*

Romæ tandem creantur, qui magiſtratum ſtatim acciperent:

Coſſ. Q. Cæcilius Metellus Numidicus.
M. Iunius Silanus.

Tribunus plebis Mamillus rogationem fert ad populum, ut quæreretur in eos, qui à Jugurtha in legationibus aut imperiis pecunias accepiſſent; quæſtio acerbè exercetur, & multi damnantur, inter quos etiam fuit L. Opimius, *teſte Cicerone Saluſt.*

Metellus *Conſul exercitum ferè novum in Italia conſcribit, cùm nihil roboris eſſet in eo, qui erat in Numidia, & in Numidiam profectus, multum temporis conſumit in diſciplina militari, ad antiquum morem revocanda quotidie caſtra movet, eaque militari more munit: Inde confirmato exercitu in Numidiam procedit, & iniquo loco congreſſus cum Jugurtha victor evadit, Zamam tamen expugnare non potuit, ideò inſidias Jugurthæ tendit.* Saluſtius.

Mario, qui legatus erat Metelli, cùm Uticæ ſacrificaret, magna & mirabilia ipſi portendi Haruſpex dicit: quapropter petit à Metello poteſtatem abeundi Romam ad petendum conſulatum, ſed adhuc detinetur. *Saluſt.*

Annus Nabonaſſaris 640. & annus Philippi ac mortis Alexandri 216. incipit die 19. Sept. fer. 6.

Minutius Proconſul vincit iterum Scordiſcos & Triballos, & de iis triumphat. Vellejus.

Junius Conſul improſperè adverſus *Cimbros* pugnat, Senatus tamen Cymbris nec ſedem, nec agros, quibus conſiderent, vel in Italia, vel in Gallia, concedere voluit.

Cenſores hoc anno creati M. Æmilius Scaurus & M. Livius Druſus, qui mortuus eſt in magiſtratu: Ideo Scaurus abdicavit, qui tamen in cenſura viam Æmiliam ſtravit, & Pontem Milvium fecit.

Romæ L. Hortenſius creatur Conſul, qui damnatur, antequam magiſtratum iniret Onuf. *Facti igitur ſunt:*

Coſſ. Serv. Sulpitius Galba.
M. Aurelius Scaurus, qui poſt annos ſex ad Cymbros legatus ab iis occiſus eſt.

ANNO MUNDI 3842. *ante C.N.* 106.
D. ☉ 14. ☽ 8.

Annus à Roma condita numeratus 645.
Annus Johannis *Hyrcani apud* Judæos 28.

Marius in hybernis milites laxiore diſciplina habet, & ſibi conciliat, calumniatur acta Metelli, jubetq; illos Romam de factis Metelli perſcribere, ſuaque facta Romanis commendare, & Marium Imperatorem poſcere. *Saluſt.*

Olympias CLXVIII. acta die 18. *Auguſti.* Eſt annus Olympiad. 669.

Victor Stadii *Nicomachus* Philadelphenſis.

Vaccenſes in Numidia prodito præſidio ad Jugurtham deficiunt, eos recipit Metellus poſt biduum. Præfectum verò præſidii, qui ſolus ferè profugerat, ex diſciplina militari, ſecuri ſubjicit, & Marium urgentem, ad petendum conſulatum dimittit. *Saluſt.*

Q. Servilius Cæpio Proprætor ex Hiſpania triumphat. Eut.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei Judaici 28. *incipit die* 3. *Septemb. fer.* 5. *Eſtq; hebdomas Danielis* 46. *Anno* Judaico 3654. *Eodem die incipit annus Alexandræus Seleucidarum* 205.

Cenſores hoc anno fuerunt *Q. Fabius* Maximus Allobrogicus, & C. Licinius Geta, qui luſtrum fecerunt ſexageſimum tertium, & principem Senatus legerunt M. Æmilium Scaurum. *Tap. Cap.*

Circa diem 31. Octobr. Juliani, magiſtratum ineunt Romæ:

Coſſ. L. Caſſius Longinus.
C. Marius.

C. *Metellus Proconſul difficillimo itinere Thalam urbem pervenit, ubi theſauri erant Jugurthæ, eamq; expugnat diebus quadraginta, & Numidia Jugurtham*

thamexpellit, qui ad Bocchum regem profectus, eum ad ſocietatem belli incitat. Metellus audiens Marium *conſulem factum, & provinciam Numidiam extra ſortem accepiſſe, nihil præterea agit, ſed tantum Bocchum dehortatur à bello.* Saluſt.

ANNO MUNDI 38,3. *ante C.N.* 105.

C. ☉ 15. ☽ 9.

Marius omni ſtudio bellum apparat, & magnis copiis in Numidiam tendit, ubi aliquoties ambos reges Jugurtham & Bocchum vincit, inde ad urbes occupandas & agros vaſtandos diſcedit, & *Capſam* urbem, cùm difficill mo itinere eò perveniſſet, improviſò capit, montem præruptum, ubi Jugurtha theſauros depoſuerat, induſtriâ Liguris cujusdam expugnat. *Saluſt.*

Metellus cùm ad urbem veniſſet, deq; rebus ſuis geſtis diſſeruiſſet, triumphum obtinet, quem duxit inſignem. *Saluſt.*

Caſſiu *alter Conſul, provinciam Galliam ſortitur, ſed Tigurini, Helvetii eum cum Piſone legato conſulari, & exercitu cædunt. Alter legatus* C. Publius, *ne reſidua exercitus portio, quæ in caſtra refugerat, internecione deleretur, obſidibus datis, ut relicta omnium rerum dimidia parte incolumes dimitterentur, pactus eſt. Ipſe legatus de hac pactione Romæ accuſatus, in voluntarium abiit exilium.* Oroſ. Epit. Livii. *In locum cæſi conſulis Caſſii conſul ſubrogatur Cn.* Cornelius Dolabellus.

Finnamus Scotorum rex, cùm annos triginta regnaſſet, moritur, ſuccedit *Durſtus*, qui regnat annis novem. *Buchanan.*

Marius *in Numidia cum in hyberna abire vellet, à Boccho, quem Jugurtha, promiſſa tertia regni parte, in auxilium acciverat, invaditur: ſed Marius ſubductis ſuis in colles binos, quos iniquitate loci territi hoſtes aſcendere non poterant, ſequenti die egregiè vincit, idem accidit quarto die poſt.* Saluſt.

Romæ circa diem 12. Novemb. Juliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Servilius Cœpio.

C. Attilius Serranus.

M. Tullius Cicero naſcitur 3. Nonas Januarii, tertio die cùm Coſſ. hi magiſtratum iniiſſent, circa diem 12 Nov. Juliani: patre M. Tull. Cic. de matre Helvia. *Cic. 2. de leg.*

ANNO MUNDI 3844. *ante C. N.* 104.

B. ☉ 16. ☽ 10.

Marius in Numidia, adhuc hyeme exiſtente, expeditionem ſuſcipit contra Jugurtham, ut turrim expugnaret, ſed infecto negotio rediit, interim legati Bocchi Maurorum regis advenerant, quos dimittit Romam ad petendam pacem. *Saluſt.*

Lex Servilia lata, quâ judicia cum Equitibus & Senatoribus ſimul communicabantur, quam ſuaſit L. Craſſus, ut teſtatur. *Cicero in Bruto.*

Pompejus Magnus naſcitur 29. Septembris, ut habet Vellejus & Plin. Ad Calendarium Julianum ejus natalis incidit in initium Auguſti menſis.

Cæpio Conſul provinciam Galliam contra Cymbros ſortitus, Tholoſanum oppidum diripit, auriq; ex illius templis, *teſte Plinio*, centena & decem millia pondo, Argenti verò quinquies decies centena millia pondo aufert. Unum pondo auri eſt pecuniæ Miſnicæ 164. floreni circiter: argenti verò 15. floreni, unde ſumma ſacrilegii hujus æſtimari poteſt.

Aurelius *Scaurus, legatus Cæpionis, à Cymbris fuſo exercitu captus, cùm deterreret eos, ne Alpes tranſcenderent, & in Italiam tenderent, quòd Romani bello vinci non poſſint, à Bolo Cymbrorum rege, feroce juvene, occiditur.* Epit. Livii.

Romæ circa diem 31. Octob. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Rutilius Rufus.

Cn. Mallius.

ANNO MUNDI 3845. *ante C.N.* 103.

AG. ☉ 17. ☽ 11.

Bocchus rex, cùm pacem impetraſſet, petit à Mario, ut ad ſe Sylla mittatur, cum quo de ſuis rebus colloquatur, qui Boccho perſuadet, ut quoniam pacem impetraſſet, beneficio quoque aliquo populum Romanum ſibi devinciret, & Jugurtham captum ſibi traderet, ut ſocius & amicus appellaretur, idque tandem Boccho perſuaſit. *Saluſt.*

Mallius Conſul, homo ignobilis, ſine virtute, ſine ingenio, vita etiam contemta, *ut Cicero pro Plancio* affirmat, & Proconſul Cœpio, dum invidia & contentione diſſident, vincuntur prælio, & binis caſtris exuuntur, octoginta millia militum cum Conſule cæſa, & calonum ac lixarum quadraginta millia: Qua clade Romæ nunciata ingens fuit luctus & Marium abſentem deſignant Conſulem, & Galliam ipſi provinciam decernunt. Norbanus verò Tribunus plebis rogationem fert ad populum, ut Cœpioni, cujus culpâ clades illa contigerat, imperium abrogetur, qui inſuper damnatus eſt, & ejus bona publicata. *Epit. Livii.*

Annus Nabonaſſaris 644. & annus Philippi ac mortis Alexandri 220. incipit die 18. Sept. fer. 3.

Hyrcanus Dux Judæorum & Pontifex moritur, elapſis annis 31. imperii, circa meſem Novemb. ſuccedit ipſi filius natu maximus *Ariſtobulus*, qui mutato principatu in regnum diadema ſibi imponit, tres fratres minores in carcerem conjicit, cum matre, quam inedia ſuffocat, Antigonum vero quartum fratrem participem regni facit. *Joſeph. lib.* 13.

Magiſtrum Romæ ineunt circa diem 5. Novemb.

Coſſ. C. Marius II.

C. Flavius Fimbria.

Et Marius quidem ipſis Calend. Jan. Romanis die 9. Novemb. de Jugurtha triumphat, eumq; in carcerem conjicit, ubi omnibus rebus ſpoliatus, cum fame ſeptem dies conluctatus, tandẽ moritur.

ANNO MUNDI 3846. *ante C. N.* 102.

F. ☉ 18. ☽ 12.

Annus à condita Roma numeratus 649.

Annus Ariſtobuli primi Judæorum regis. 1.

Ecclipſis Solis hisce Conſulibus facta annotatur ab Obſequente, quæ tanta fuerit, ut ſtellæ apparuerint. Ea accidit die decimo nono Julii, feria ſexta. horis duabus exactè ante meridiem Romæ. Idem tempus etiam Obſequens definit. Parallaxis latitudinis fuit 17,6. Latitudo Lunæ vera 16,36. viſa 0,30. Semidiameter Solis 15,7. Scrup. reſidua 29,54. digiti Ecclipticі 11,52. atque ita Characterem caleſtem hi Conſules exactum habent.

Olympias 169. acta die 4. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus 673.

Victor

Victor Stadii *Nicodemus* Lacedæmonicus.

C.Caſſius *Tribunus plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam fert, in quibus hanc etiam, ut quem populus damnaſſet. cuive imperium abrogaſſet, in Senatu ne eſſet.* Aſcon.

Marius Conſul adverſus Cymbros profectus, primus omnium Aquilam in vexillo prætorio uſurpavit, inde Aquila inſigne imperii Romani facta eſt. Cum verò Cymbri in Hiſpaniam tenderent. Marius milites ſemper in opere habuit & exercuit, fortiſſimosq; effecit: accidit ibi, ut *Luſius* ſorore Marii natus, tribunus militum pudicitiam Trebonii militis tentaret, & vim ipſi afferre conaretur, quem Trebonius interfecit: Re delata ad Marium non ſolùm cædem approbavit, ſed inſuper Trebonium coronavit, quòd pulcherrimum facinus tempore illo periculoſo edidiſſet, hocque factum Mario tertium Conſulatum peperit. *Plut.*

Annus Alexandrus Seleucidarum 209. incipit die 18. Sept. fer. 3.

Ariſtobulus Judæorum rex, cum Antigonus frater ſe præclarè gereret in bello, & Ituræos, ut ritus Judaicos aſſumerent, & pro Judæis cenſerentur, coegiſſet, partemque Iturææ attribuiſſet Judææ; invidia accenſus & à calumniatoribus inſtigatus, fratrem in feſto ſcenopegias occidit; ipſe pœnitens facti, cum ſanguinem vomeret, & ſenſiſſet puerum, qui ſanguinem efferebat, eo ipſo in loco, ubi Antigonus interfectus erat, cecidiſſe, ſtatim animam efflavit, cùm annum tantum unum regnaſſet; ſucceſſit ipſi frater *Alexander*, qui ad ad annum 20. uſq; regnavit. *Ioſeph.*

Romæ circa diem 30. Octob. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Marius III.

L. Aurelius Oreſtes.

ANNO MUNDI 3847. *ante C.N.* 101.

E. ☉ 19. ☽ 13.

Aſcalonitarum æra, quando autonomiam adepti ſunt, incipit hoc anno. *teſte Euſebio*, in ſecundo anno *Probi* Imperatoris; quanquam fieri poteſt, ut cœperit ſuperiori autumno, cum annis Seleucidarum menſe Octobri.

L. Licinius Lucullus contra ſervos in Siciliam, qui ſuperiori anno conjuraverant, mittitur: ſervi autem fecerant ſibi regem *Salvium* quendam. qui ſe Tryphonem voluit appellari. interim Athenio quidam aliis in locis ſervos concitat, quem tamen Tryphon accitum ad ſe in vincula conjicit, ſed adveniente Lucullo, eum ex vinculis eximit, & cum Lucullo pugnat: ubi vincitur, & ad viginti millia ſervorum cadunt, cum verò victoriam non perſequeretur Lucullus, ſervi iterum animos ſumunt, & facilè ſe tutantur.

Cymbri vaſtatis omnibus, quæ circa Rhodanum & Pyrenæum ſunt, per ſaltum in Hiſpaniam transgreſſi, ibique multa loca populati, à Celtiberis fugantur, & in Galliam reverſi, ſe Theutonibus conjungunt. *Epit. Livii*

Turpilius Comicus poeta ſenex moritur Sinueſſæ. *Euſeb.*

C. Lucilius Satyrarum ſcriptor Neapoli moritur. qui juvenis militaverat equo ad Mumantiam. *Euſeb.*

Q. Fabius Maximus filium ſuum adoleſcentem ruri per ſervos interfici curat, & ſervos manu mittit, ne tormentis ſubjici poſſent; ſed accuſatus à C.Pompejo damnatur. *Oroſ.*

Cn. Domitius Ahenobarbus Tribunus plebis, Neronis atavus, lege lata, jus ſacerdotum ſubrogandorum a collegiis ad populum transfert. Hanc legem Sylla abrogavit poſtea, ſed à Cæſare, conſule Cicerone, reſtituitur, aliàs Cæſar Pontifex maximus factus non eſſet: Deinde iterum abrogatur ab Antonio Conſule, ſed ſequenti anno, Conſule Panſa, iterum reſtituitur. Aſcon. Cic.

Marius Conſul ex Gallia, cum Aurelius mortuus eſſet, ad ſubrogandos conſules ad urbem revocatur, & annitente Tribuno plebis Saturnino, Mario non invito, quanquam diſſimulabat, quartum Conſul creatur. Ineunt ergo circa diem 9. Nov. magiſtratum:

Coſſ. C. Marius IV.

Q. Lutatius Catulus.

ANNO MUNDI 3848. *ante C.N.* 100.

D. ☉ 20. ☽ 14.

Antonius prætor & proconſul in Sicilia maritimos prædones perſequitur. *Epit. Liv.*

Hujus filia poſtea à prædonibus ex Miſeno capitur. *Cicero pro lege Manilia.*

Archias Poeta Romam venit; & Ciceroni à prima pueritia princeps ad ſuſcipiendam & ad ingrediendam rationem ſuorum ſtudiorum exiſtit. *Cic.*

C.Servilius Lucullo in Sicilia ſuccedit, qui tamen ſibi metuens, nihil ferè rerum in Sicilia agit, & ſervos omnia vaſtare permittit.

Marius *ex urbe profectus, & cognito hoſtes propè adeſſe, caſtra ad Rhodanum munit, & ut commeatum facilem haberet, per milites à Rhodano ad mare foſſam perducit, quæ* Foſſa Mariana *dicta eſt. Barbari, cùm ob multitudinem ſimul eſſe non poſſent, ſeſe in duas partes dividunt, & Cimbri per Noricum Catulum, qui Alpes munierat, invadere jubentur, Teutones & Ambrones adverſus Marium, qui milites arctè in caſtris cohibeat, proficiſcuntur, & caſtra ejus oppugnant, ſed fortiſſimè repelluntur, ideò relicto Mario ad Alpes ſuperandas tendunt. Marius eos modicis itineribus ſubſequitur,* [illegible] *adeptus eos primum Ambronas fugat, inde poſt biduum juſta acie cum ipſis congreditur, & totum exercitum Teutonum concidit, ubi occiſa dicuntur ad ducenta millia hoſtium, & nonaginta millia capta.* Epit. Livii & Plut. *Eo ipſo tempore nunciatur, quintum Conſulatum Mario decretum.*

Cenſores hoc anno fuerunt Q. Cæcilius Metellus Numidicus, & C. Cæcilius Metellus, patruelis Numidici. Condiderunt luſtrum 64. & princeps Senatus ſecundum lectus M. Æmilius Scaurus.

Circa diem 30. Octob. magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Marius V.

Man. Aquilius.

Catulus, cùm de jugis Alpium tenendis propter frigùs deſperaſſet, ideò in Italia caſtra munierat ad Atheſin fluvium, ſed inde etiam pellitur, & cùm milites ſui fugerent, non tantùm ſe fugæ comitem, ſed potius ducem præbuit, ut conſulto diſcedere milites viderentur: quapropter Marius in Italiam revocatur, qui triumphū, qui offerebatur, diſtulit, & contra hoſtes profectus eſt. *Plutarchus.*

ANNO MUNDI 3849. *ante C.N.* 99.
C B. ☉ 21. ☽ 15.

Man. Aquillio provincia Sicilia evenit, qui inſigni prælio ſervos vincit, & Athenionem, eorum regem occidit, inde reliquos bello perſequitur, & tandem omnes partim vi, partim deditione in poteſtatem redigit, qui Romam deducti, beſtiis objecti ſunt, qui tamen cum beſtiis decertare noluerunt, ſed ſeipſos inter ſe confecerunt, & Dux ultimo loco ſibi manus intulit. *Diod. Sic. lib.* 36. Aquillius poſtea triumphavit.

Marius Conſul & Catulus Proconſul contra hoſtes profecti, ex cohortatione hoſtium tandem in Campis ad Vercellas diem prælii edicunt, ubi pugnatur acriter per multas horas: ſed Cymbris Sol adverſus erat in magno æſtu circa ſolſtitium, ideò ſudore defluebant, Romani contra laboribus indurati hæc non curabant, ſed eò faciliùs pugnabant. Vincuntur ergò Cimbri, eorumq; cadunt, ut Plutarchus habet, centum & viginti millia, capiuntur ſexaginta millia. Hac victoria effectum, ut Marius tertius Romanæ urbis conditor appellaretur, & geminus triumphus decerneretur, ſed uno contentus fuit, quem cum Catulo conjunxit. *Plut.*

Publilius malleolus matrem ſuam interfecit, & damnatus parricidii, inſutusq; in Culeum, in mare projectus eſt. *Hiſt. miſcell. lib.* 6.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei Judaici 28. *incipit die* 13. *Septemb. fer.* 3. *Eſt hebdomas Danielis* 47. *Anno Judaico* 3661.

Annus Nabonaſſaris 648. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 224. *incipit die* 17. *Sept. fer.* 7.

Marius, cùm Romæ principem locum in Senatu habere non poſſet, multitudini inſerviendo, & pecunias etiam diſtribuendo, ut ſextùm Conſul crearetur, efficit. Ineunt igitur magiſtratum circa diem octavum Novemb.

Coſſ. C. Marius VI.
L. Valerius Flaccus.

ANNO MUNDI 3850. *ante C.N.* 98.
A. ☉ 22. ☽ 16.

Annus ab urbe condita numeratus 653.
Annus Alexandri regis Judæorum 4.

Marius Conſul Glauciam & Saturninum inſtigat, ut leges ferant agrarias, quibus clauſulæ loco addunt, ut quicquid populus juſſiſſet, Senatus juraret, ſe id ratum habiturum, nec impugnaturum. De hac re publicè quidem conqueſtus eſt in Senatu, ut de re indigna, quæ omnem Senatus autoritatem everteret, ſed ipſe poſtea juravit. Metellus autem Numidicus, cui Marius infenſus erat, jurare noluit, & maluit de civitate, quàm de ſententia demoveri: Quapropter in exilium actus eſt, ubi Rhodi ſtudiis vacavit. *Plutar.*

C. Julius Cæſar naſcitur die decimo Julii, Calendarii Romani: nobis eſſet ferè decimus quartus Maji in Juliano.

Ceraſus primum in Britannia plantata. *Polydor. Virg.*

Olympias 170. *acta die* 20. *Auguſti*. Eſt annus Olympiad. 677.

Victor Stadii *Simias* Seleucianus.

Annus Alexandrum Seleucidarum 213. *incipit die* 4. *Sept. fer.* 2.

Saturninus Romæ C. Memmium Candidatum conſulatus interficit, & Glauciam Conſulem facere conatur, & aliàs armis & cædibus in urbe graſſatur: Quapropter Senatusconſultum factum, ut Conſules viderent, ne Reſpublica detrimenti quid caperet. Marius, etſi cum utraq; parte colludebat, tamen armatus turbatores pacis Glauciam & Saturninum, bello perſequitur, & in Capitolium fugat, ubi in maximo æſtu inciſis aquarum fiſtulis, cùm potu carerent, ad deditionem eos cogit, ubi quidem omnia conatus eſt, ut cædi eriperentur, ſed populo id perſuadere non potuit, qui Glauciæ cervicem frangi juſſit, Saturninum ſecuri ſubjici, & Apulejum lapidibus cooperuit. *Aurelius Victor.*

Magiſtratum ineunt Romæ circa diem 29. *Octob.*

Coſſ. M. Antonius.
A. Poſtumius Albinus.

ANNO MUNDI 3851. *ante C.N.* 97.
G. ☉ 23. ☽ 17.

Cleopatra, cùm gravaretur ſocio regni, filio ſuo Ptolomæo Lathuro, populum in eum concitat, & regno ejicit, abducta ab eo uxore, & ſorore Selene ex qua tamen binos filios habebat, & inſuper eandem Selenem mittit ad Grypum hoſtem Ptolomæi, ut fieret ipſius uxor: Ptolomæus verò in Cyprum fugit, ubi oppugnatur à matre, non tamen expugnatur. *Juſtin.*

Metellus unius Tribuni plebis rogatione ab exilio revocatur. Marius cùm verbis & factis diu repugnando nihil efficeret, aſpectum Metelli, ab exilio revertentis non ferens, ante adventum ejus in Cappadociam navigavit, ubi ad Mithridatem *pervenit, qui jam ad annum viceſimum primum regnabat, eumque monuit, ut vel compararet ſibi potentiam majorem Romana, aut imperata tacitus exequeretur.* Plutar.

Magnificos ludos exhibuit in ædilitate Claudius Pulcer, in qua Elephanti in Circo pugnarunt, quod primùm tum Romæ viſum. *Plin. lib.* 8. *c.* 7.

Romæ Magiſtratum ineunt circa diem 8. *Novembr. Juliani:*

Coſſ. Q. Cæcilius Metellus Nepos.
T. Didius.

Metellus pater fuit Nepotis, qui cum Cicerone inimicitias geſſit.

ANNO MUNDI 3852. *ante C.N.* 96.
F. ☉ 24. ☽ 18.

Alexander Judææ rex, cùm regnum conſtituiſſet, ad Ptolemaidem ducit exercitum, & cum proſperè pugnaſſet, victos intra mœnia compellit, eosq; obſeſſos expugnat, qui ſibi auxilia accerſunt Zoili, qui turrim Stratonis obtinebat, ſed ea fuerunt infirma, & Grypus ac Cyzicenus reges mutuis cladibus ſe atterebant. *Joſeph.*

Durſto Scotorum rege, qui annis novem regnarat mortuo, ſuccedit Evenus primus annis novendecim. *Buch.*

Ptolomæus Alexander, filius Cleopatræ minor, metuens ſibi à crudelitate matris, à qua in ſocietatem regni priore anno aſſumtus fuerat, ab ea diſcedit. *Juſtin.*

Caſtor Chronographus vixit circa hoc tempus ſub Deiotaro rege, qui cunctis de regus ambiguis ut Au-

ut Auſonius ait, ſcripſit: titulus fuit χαρικὰ ἀγνεύματα. *Svid.*

Lex Cecilia Didia hisce COSS. lata, quâ cavebatur, ne diverſis de rebus lex ferretur; & deinde, ut leges trinundino ferrentur, hoc eſt, ſpatio 25. dierum. Cic.

Cùm M. Aquillius cauſam de pecuniis repetundis diceret, ipſe judices rogare noluit. M. Antonius verò Orator ejus, tunicam à pectore ejus diſcidit, honeſtaſque populo cicatrices oſtendit; quo facto ſtatim abſolutus eſt. Cic.

Didius *Conſul adverſus Celtibros feliciter rem gerit.* Epit. Livii.

Coſſ. Cn. Cornelius Lentulus.
P. Licinius Craſſus.

ANNO MUNDI 3853. *ante C.N.* 95.
E D. ☉ 25. ☽ 19.

Ptolemaidenſes, cùm nullibi auxilium invenirent, evocant Ptolomæum Lathurum ex Cypro: interim tamen pœnitentes facti, ſe Alexandro dedunt, nihilominus tamen Lathurus in Palæſtinam movet: ab eo, dum ſibi metuit Alexander Judæorum rex, evocat matrem Ptolomæi Cleopatram, & interim ſimulat amicitiam cum Ptolomæo, qui cùm totam rem tandem ex ſuis cognoviſſet, Alexandrum perſequitur, & ad Jordanem cum eo decertat prælio, vincitque, & ad triginta Judæorum millia occidit, & victoriam crudeliſſimè exercet. *Ioſeph. l.13.c.21.*

Cenſores hoc anno Romæ fuerunt L. Valerius Flaccus, & M. Antonius, qui luſtrum condiderunt ſexageſimum quintum, & princeps Senatus tertium lectus eſt. Æmilius Scaurus.

Senatus conſultum hoc anno factum, ne homo immolaretur, palamq; tum ſilnit Sacri prodigioſi celebratio. Oroſ.

Annus Nabonaſſaris 652. & annus Philippi ac mortis Alexandri 228. incipit die 16. Sept. fer. 4.

Romæ circa diem 7. Novembr. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cn. Domitius Ahenobarbus.
C. Caſſius Longinus.

ANNO MUNDI 3854. *ante C.N.* 94.
C. ☉ 26. ☽.

Annus à condita Roma numeratus 657.

Annus Alexandri regis Judæorum 8.

His Conſulibus Ptolomæus Cyrenarum rex, cognomine Apio moriens, populum Romanum teſtamento hæredem reliquit, ejus civitates Senatus liberas eſſe jubet. *Caſſiod.*

Olympias 171. acta 6. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus 681.

Victor Stadii *Parmeniſcus* Corcyræus.

Annus Alexandræus Seleucidarum 217. incipit die 19. Septembr. fer. 7.

Cleopatra, cum videret filium in Palæſtina augeri, ne magis creſceret, & fortaſſe in Ægyptum bellum transferret, revocat filium Alexandrum, eumq; jubet cum magna claſſe in Phœniciam appellere. Ipſa Ptolomaidem contendit, urbemque obſidet tandem circa hyemem. *Joſeph. lib. 13. c. 21.*

Antiochus Grypus, Heracleonis inſidiis trucidatur, anno ætatis 45. regni verò 29. cui ſuccedit Seleucus filius, qui cum Antiocho Cyziceno bellum continuat. *Joſeph.*

Romæ circa diem 28. Octobr. Juliani, Magiſtratum ineunt.

Coſſ. L. Licinius Craſſus.
Q. Mucius Scævola.

Lex Licinia Mutia de civibus regundis lata, quæ negabat rectum eſſe, ſi quis ſe pro cive gereret, qui civis non eſſet. Cic. *Cum hac lege Socii Latini in ſuarum civitatum jura redigerentur, ita alienati ſunt à Romanis, ut bellum ſociale inde concitaretur.* Aſconius.

ANNO MUNDI 3855. *ante C.N.* 93.
B. ☉ 27. ☽ 2.

Sylla poſt præturam, quam ſuperiori anno geſſerat, in Cappadociam mittitur, ut Ariobarzanem in regnum reſtitueret, & Mithridatem reprimeret: quo peracto, cùm Sylla circa Euphratem ageret, Arſaces, Parthorum rex, legatum ad eum mittit, amicitiæ jungendæ cauſa: ſed Arſaces poſtea legatum ſuum occidit, quòd Syllæ ſuperiorem in ſedendo locum conceſſiſſet. *Plutar.*

Lucretius Poeta naſcitur. *Euſeb.*

Hortenſius primam in foro Orationem habuit. *Aſcon.*

Alexander Judæorum rex ad Cleopatram venit, & cum ea fœdus jungit: inde Gadaram in Cœleſyria obſidet, eamq; poſt decem menſium oppugnationem tandem expugnat.

Seleucus rex Antiochum Cyzicenum vincit prælio, capit & occidit, cui ſuccedit Cyziceni filius Antiochus, cognomento Euſebes. *Joſeph.*

Romæ circa diem 7 Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt.

Coſſ. C. Cœlius Caldus.
L. Domitius Ahenobarbus.

Cœlius hic inter novos homines numeratur à Cicerone pro Murana, qui ſua in dicendo mediocritate ad ſummos honores pervenerit. In primo de Oratore.

ANNO MUNDI 3856. *ante C.N.* 92.
A. ☉ 28. ☽ 3.

Alexander Judæorum rex, poſt Gadaram potitur Amathunte, munitiſſimo ad Jordanem caſtro, ubi Theodorus Zenonis filius res ſuas chariſſimas depoſuerat, qui ex inſidiis Alexandrum aggreſſus, decem millia Judæorum interfecit, & caſtra Alexandri diripuit. Alexander tamen nihil territus, inde ad maritima progreditur, & Raphiam & Anthedonem, & alia oppida poteſtati ſuæ ſubjecit. *Ioſeph.*

Antiochus Cyziceni filius Seleucum, ut patrem ulciſceretur, bello invadit, & uno prælio victum tota Syriâ expellit. Ille fugâ delatus in Ciliciam, & receptus à Mopſeatis, cùm tributa exigeret, ab iiſdem cum regia, & amicis vivus crematus eſt. *Joſeph. l. 13. c. 21.*

Annus ſabbathicus quintus Jobelei Judaici 28. incipit die 27 Septemb. fer. 3. Eſt hebdomas Danielis 48. anno Jud. 3668.

P. Rutilius ſumma innocentiâ vir, qui legatus fuerat Scævolæ Proconſulis, & à Publicanorum injuriis Aſiam defenderat, inviſus equeſtri Ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus in exilium exigitur. Cujus injuria Senatus permotus, conſilia init, quomodo judicia ab equeſtri ordine auferri, & ad ſe deferri poſſent. *Epit. Livii.*

Romæ circa diem 28. Octobris magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Valerius Flaccus.
M. Herenius.

ANNO MUNDI 3857. *ante C.N.* 91.
GF. ☉ 1. ☽ 4.

Alexander Judæorum rex, cùm animadvertiſſet, Ptolomæum Lathurum in Cyprum Gazâ relictâ receſſiſſe, & Cleopatram in Ægyptum: Infenſus Gazenſibus urbem obſidet, & oppugnat; & quanquam Gazenſes acriter ſe defenderent, capta tamen tandem eſt urbs proditione Lyſimachi, & Alexander crudeliter in cives graſſatus eſt, qui tamen inulti non ſunt mortui: Obſeſſa fuit Gaza annuo ſpatio *Joſeph. lib.* 13.

Antiochus frater Seleuci, Antiochum Cyziceni filium, ut fratrem ulciſceretur, bello invadit; ſed victus & vitam & exercitum ſimul amittit, poſt quem Philippus tertius frater, aſſumto diademate, in parte Syriæ regnat. *Joſeph.*

Cyrenis advecta Romam Laſerpitii pondo triginta. *Plin. lib.* 19.

Annus Nabonaſſaris 656. & annus Philippi aut mortis Alexandri 232. incipit die 15. Sept. fer. 1.

Romæ circa diem 6. Novemb. Juliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Claudius Pulcher.
M. Perperna.

ANNO MUNDI 3858. *ante C.N.* 90.
E. ☉ 2. ☽ 5.

Annus ab urbe condita numeratus 661.

Annus Alexandri regis Judæorũ duodecimus.

Hoc anno nobilis illa cauſa M. Curii & M. Coponii, de qua Cicero diverſis in locis meminit, apud centumviros, à duobus Conſularibus, L. Craſſo & Q. Scævola, acta eſt.

C. Geminius Prætor contra Thraces feliciter geſſit res. *Epit. Liv.*

Olympias 172. acta die 23. Jul. Eſt annus Olympiadicus 685.

Victor Stadii *Eudamus* Cous.

Annus Alexandræus Seleucidarum 281. incipit die 4. Septem.

Alexander rex Judæorum ſeditione excipitur à Judæis, in feſto Scenopegiæ, & Palmarum frondibus petitur, & conviciis laceratur. Quibus injuriis exacerbatus occidit eorum ſex millia, & ſeptum ligneum extruit ad templum, ut à populo tutus eſſet. *Joſeph.*

Cenſores hoc anno Romæ fuerunt Cn. Domitius Ahenobarbus, & L. Licinius Craſſus, qui condiderunt luſtrum 66. Et princeps Senatus quartum lectus eſt Aimilius Scaurus.

Magiſtratum tum inierunt circa diem 27. Octobris Iulians:

Coſſ. L. Martius Philippus.
Sex. Julius Cæſar.

M. Livius Druſus, ut judicia Senatui reſtitueret Socios & Italicos populos ſpe civitatis Romanæ ſolicitavit, & legem ita tulit, ut æqua parte judicia penes Senatum & Equeſtrem ordinem eſſent: cùm dein civitatem ſociis Italicis per Senatum præſtare non poſſet, Italici defectionem incipiunt agitare, & conſpirant in Latinarum feriis de occidendo utroque Conſule, ſed conjuratione detecta, res diſcuſſa eſt. *Flor.*

ANNO MUNDI 3859. *ante C.N.* 89.
D. ☉ 3. ☽ 6.

Bocchus Numida, Socius à Senatu Romano appellatus, tropbæum in Capitolium mittit, in quo ipſe depictus erat, tradens Iugurtham captum Syllæ: id adeo male habuit Marium, *ut dejicere ea donaria conaretur, ſed orto ſociali bello contentio iſta diſcuſſa eſt.* Plut.

Hiſce Coſſ. duo montes inter ſe concurrerunt, crepitu maximo aſſultantes, recedentesque inter eos flamma fumoque in cœlum exeunte, idque interdiu, ſpectante è via Aimilia maxima Romanorum multitudine, *Plin. lib.* 2.

Plotius Gallus, puero Cicerone, primus Romæ Rhetoricam latinè docuit, extremis L. Craſſi temporibus. *Suet. Quint.*

Demetrius, quartus Seleuci frater, à Ptolomæo Lathuro ad Damaſcum conſtituitur rex, qui cum fratre Philippo junctus Antiochum Cyziceni filium acriter perſequuntur, ſed is fortiter reſiſtit, regnumque defendit annis novem, donec cum Parthis bellum gerens trucidaretur. *Ioſeph.*

Alexander Judæorum rex bellum infert Arabibus, & tributa Moabitis & Galaditis imperat; ſed cùm ab Arabibus in fauces aſperas & acceſſu difficiles, juxta Gadara protractus eſſet, vix evaſit incolumis Hieroſolymam, ubi à ſua gente bello vexatus, ad quinquaginta Judæorum millia occidit. *Ioſeph.*

Ludorum Romanorum diebus, menſe Septembri, à Craſſo, Cotta, Sulpitio, Scævola, Antonio & Catulo, &c. habita fuit diſputatio de Oratore, quam Cicero tribus libris complexus eſt. *Cicer.*

L. Craſſus, cùm Idibus Septemb. acerbè in M. Livium Druſum invectus fuiſſet, in Senatu laterum doloribus correptus, ſeptimo die expiravit. *Cic. lib. 1. & 3. de Oratore.*

Druſus cum è foro cinctus immenſa multitudine revertiſſet, in atrio domus ſuæ cultello percuſſus, qui affixus in lateribus relictus fuit, intra paucas horas expiravit.

Roma circa diem 6. Nov. magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Julius Cæſar.
P. Rutilius Lupus.

Hiſce Conſulibus Cicero ſumta virili togâ in forum deductus eſt. Cic. in Bruto.

ANNO MUNDI 3860. *ante C.N.* 88.
C. ☉ 4. ☽ 7.

Hoc anno bellum motum eſt ſociale, quod & dicitur Marſicum, quòd Marſi primum arma ſumſiſſent: Item Italicum, in quo bello Hortenſius primum fuit miles, in ſequenti autem Tribunus. Cic.

Ciſe-

Cicero verò exercetur in Rhetoricis, & Arati carmina de cœlo, ſtellisque in Latinam linguam convertit, quorum fragmenta extant lib. 2. de natura Deorum.

Socii petebant jus civitatis Romanæ, quòd Romam tuerentur, quòd duplici numero militum & equitum in bellis Romanos adjuvarent, & quòd ipſi imperium Rom. in id faſtigium evexiſſent. Promiſit id jus Italicis populus Druſus; At cùm præſtare non poſſet, defecerunt Vejentes, Veſtini, Marſi, Peligni, Marrucini, Lucani, Samnites, & bellum contra Romanos geſſerunt. Abſumſit hoc bellum ad trecenta millia juventutis Italicæ. Cœptum id bellum ab Aſculanis, qui Servium Prætorem Fontejumque legatum occiderunt, inde à Marſis exceptum in omnes penetravit regiones. *Appianus.*

Conſul Rutilius primum malè pugnat contra Marſos & in prælio cadit, decimo Junii. *Ovid.* Marius legatus feliciore aliquantò eventu pugnat. Cœpio Prætor contrà ab hoſte obſeſſus, cùm proſperè eruptione pugnaſſet, & victoriæ non modum faceret, circumventus cadit. L. Cæſar Conſul ſimiliter proſperè pugnat, & victoriam inſignem conſequitur: quapropter ſaga, quæ Romani ſumpſerant, iterùm depoſuerunt. *Epit. Livii.*

Cleopatra, regina Ægypti, filio Alexandro exitium per inſidias molitur, quas filius præoccupat, & matrem occidit; atque ita dignum vitæ exitum ſortita eſt. *Juſtinus.*

Judæi viribus & induſtriâ inferiores rege Alexandro, Demetrium Eucærum in auxilium evocant, qui inſtructus exercitu contra Alexandrum venit, & eum magno prælio vincit. Aliqui Judæorum miſerti ſui regis, ad eum confluunt, quorum metu Demetrius retrò abit. Ita Phariſæi à Demetrio relicti bello ſuccubuerunt, quos captos Alexander vivos crucibus affixit, & in eorum conſpectu uxores & liberos occidit. Hoc bello Alexander omnia, quæ in Arabia & Moabiticis regionibus occuparat, amiſit. *Joſeph.*

Senatus Romanus, ut ſocios Italicos ſepararet, per Conſulem Julium legem promulgat, ut iis, qui bello hoc exorto in fide manſiſſent, quique arma deponerent, civitas daretur. Ita primùm Latinis, deinde Italicis omnibus, cùm in amicitiam rediiſſent, civitas data. *Cic.*

Magiſtratum circa diem 27. Octobr. inierunt:

Coſſ. Cn. Pompejus Strabo.
L. Porcius Cato.

Pompejus hic pater fuit Pompeji magni.

Mithridates occaſione Italici belli uſus, totam Aſiam rapinis & exactionibus vaſtat, per totum quadriennium, *Plutarch. in Sylla.*

ANNO MUNDI 3861. *ante C. N.* 87.
BA. ☉ 5. ☽ 8.

Romani dum eos, qui aut arma adverſus ſe non ceperant, aut eadem poſuerant, in civitatem reciperent, paulatim vires urbis reficiunt. Conſul Pompejus Picentes prælio fundit, & obſidet; ob quam victoriam Romæ prætexta & alia magiſtratuum ornamenta ſumta ſunt. Alter verò Conſul Cato, rebus proſperè geſtis, & fuſis aliquoties Marſis, dum caſtra eorum oppugnat, cadit, & ita hoſtibus victoriam concedit. L. Sylla verò Hirpinos domat, Samnites multis præliis vincit, aliquot populos recipit, magnisque omninò rebus geſtis ad petitionem Conſulatus Romam proficiſcitur *Epit. Livii.*

Demetrius Encærus, relicta Judæâ, Berœam profectus, fratrem Philippum oppugnat. Philippus impar viribus, Arabes in auxilium excivit, & Mithridatem Parthorum Ducem, qui Demetrium in caſtris obſident, & fame, ſiti, & miſſilibus adeò urgent, ut ſe dederet Duci Parthorum, à quo ad Parthos deductus eſt; bene tamen ibi habitus. *Joſeph. lib.* 13.

Ægyptii cùm ſenſiſſent, Cleopatram ab Alexandro filio interfectam, eum in exilium pellunt, & Ptolomæum Lathurum, qui hactenus in Cypro exulaverat, revocant: *Juſtin.*

Cùm ære alieno oppreſſa civitas eſſet, A. Sempronius Prætor, quoniam ſecundùm debitores jus dicebat, ab iis, qui fænerabantur, in foro occiſus eſt. Epit. Livii.

Cenſores hoc anno fuerunt P. Licinius Craſſus, & L. Julius Cæſar; qui cùm novos cives ex tota Italia in Tribus diſtribuiſſent, & octo Tribus reliquis triginta quinq; adjeciſſent, ut ita omninò quadraginta tres Tribus facta eſſent, Magiſtratu abierunt, nec luſtrum condiderunt. Tab. Cap.

Annus Nabonaſſaris 660. & annus Philippi ac mortis Alexandri 236. incipit die 14. Sept. fer. 5.

Tribunus Plautius legem fert, ut ſingula Tribus è ſuo numero, quinos denos quotannis crearent, qui per totum annum judicarent, ut ita etiam Senatores in eorum numero eſſent, & ex equeſtri, & ex plebe; quæ lex poſtea à Sylla abrogata eſt.

Magiſtratum ineunt circa diem 5. Nov. Juliani:

Coſſ. L. Cornelius Sulla.
Q. Pompejus Rufus.

Nicomedes Bithyniæ, & *Ariobarzanes* Cappadociæ, regnis à Mithridate pelluntur.

ANNO MUNDI 3862. *ante C. N.* 86.
G. ☉ 6. ☽ 9.

Annus à Roma condita urbe numeratus 665.
Annus Alexandri Judæorum regis 16.

Sulpitius Tribunus plebis, autore Mario, pernicioſas leges fert, ut exules revocentur, & ut *Marius* adverſus Mithridatem Dux creetur, & adverſantibus Conſulibus vim adfert, Pompejique alterius Conſulis filium, Sullæ generum occidit. Sulla à foro fugiens, cùm ab inimicis urgeretur, in Marii domum profugit, ubi per poſticum tutus dimiſſus eſt, & ad exercitum venit. Marius contra duos Tribunos militum, ad Syllam mittit, mandatum, ut ſibi exercitum tradat, quos exercitus Sullæ occidit. *Plutarch.*

Olympias 173. *acta die* 7. *Auguſti. Eſt annus Olympiadicus* 689.

Victor Stadii *Parmeniſcus* Corcyræus.

Sulla, & ſuæ iræ indulgens, & ardore militum uſus, ad urbem ducit, eamque intrat ad portam Eſquilinam, ubi tegulis de domibus à civibus petebatur, ſed ipſe juſſit domos illas incendi. Ita po-

titus urbe, Marium & Sulpitium proſcribit. Sulpitius indice ſervo proditus, retrahitur & occiditur; ſervus præmio libertatis donatur, ſed ſtatim ob ſcelus domini proditi de ſaxo Tarpejo dejicitur. Marius, cùm ferè ſolus in Italia hinc inde fugeret, nudus & limo obrutus, oculis tantùm & naribus eminentibus, extractus arundineto, in carcerem Minturnenſium perductus eſt; cui immittitur Gallus, adjutus etiam viatico, & in Africam contendit. *Vellejus & alii.*

Annus Seleucidarum Alexandrinus 225. incipit die 20. Sept. fer. 5.

Mithridates interim totam Aſiam occupat, Proconſulem M. Aquillium in vincula conjicit, & uno nuncio & unâ literarum ſignificatione, quicquid civium Romanorum in Aſia fuit, octoginta millia, ut Bibliotheca Photii habet, uno die trucidat, urbes occupat, Athenas etiam in Græcia. Rhodus ſola in fide manſit, obſidionemq; fortiter ſuſtinuit. *Epit. Livii.*

Quintus frater Seleuci *Antiochus*, cognomine Dionyſius, Damaſci principatum poſt Demetrium ambit, & obtinet, non ſine irâ Philippi fratris, qui de eo excutiendo conſilia init. *Joſephus.*

Cicero ſe *Philoni* Philoſopho, cùm is vi Mithridatis pulſus Athenis, Romam veniſſet, erudiendum tradit, admirabili quodam ad Philoſophiam ſtudio concitatus. *Cic. in Bruto.*

Hoc anno Q. Mucius Augur ſermonem Lælii de amicitia habitum paucis ante mortem Africani diebus, Ciceroni exponit. Inde Augure mortuo, Cicero ſe ad Scævolam Pontificem confert. *Cicero.*

Romæ circa diem 26. Octob. magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cn. Octavius Nepos.
L. Cornelius Cinna.

Cinna *hic juraverat Sullæ, ſe, ſi Conſul fieret, Sullanas partes defenſurū; ſed ſtatim ut Magiſtratum iniit, Sullam in jus vocat, quòd exercitu urbem occupaſſet. Sed Sulla relicto judicio in Aſiam contra Mithridatem proficiſcitur.* Plutarch.

ANNO MUNDI 3863. *ante C. N.* 85.
F. ☉ 7. ☽ 10.

Cinna *Conſul, abſente Sullâ, ut ſibi potentiam adſtrueret, Italiæ cives in omnes Tribus diſpertit, quâ ratione Italicis plus poteſtatis dabat in Comitiis, quàm Romanis: Ideò ab Octavio Conſule Româ pellitur, & Conſulatus ei abrogatur, in ejus locum ſufficitur:*

L. Cornelius Merula Flamen Dialis.

Cinna verò exercitum circa Nolam corruptis centurionibus ad ſe traducit, & Italicos ſibi aſſumit, & *Marium* ex Africa cum filio evocat. Marius toto eo tempore miſerrimè in Africa vixerat, & ubique pulſus, & à Prætore Sextilio, & ab Hiempſale Numidiæ rege, fuerat. Is in Italiam veniens, ſtatim ad urbem exercitum ducit, & Romanos commeatu intercludit. Cn. Pompejus Cinnæ conatus opprimere potuiſſet, ſed anceps ſpe, & ad utramque partem inclinans, hoſtes creſcere ſinit. Fit igitur prælium ſub ipſis mœnibus, ſed æquo marte: paulò poſt Cn. Pompejus peſte moritur, & Cinna urbem intrat, Mariumq; revocat ab exilio. Ibi Conſul Octavius juſſu Cinnæ occiditur. *Merula* alter Conſul Magiſtratu ſe abdicaverat, ſed juſſus mori, inciſis venis, ſuperfuſo altaribus ſanguine, multâ cum execratione Cinnæ, ſpiritum exhalat. M. Antonius Orator trucidatur. Q. Catulus, qui cum Mario de Cimbris triumphaverat, in domum nuper incruſtatam ſe incluſit; ibi cùm calcis evaporationem igne fumoque adauxiſſet, ſuffocatus eſt. Multa præterea ſævitiæ exempla Cinna exhibuit, hoſtisque ipſi erat, qui paululùm eſſet locupletior. *Vellej.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobeleus Judaici 28. incipit die 9. Septemb. fer. 2. Eſt hebdomas Danielis 49. Anno Judaico 3675.

Philippus rex Aſiæ, frater Antiochi, qui exercitum in Arabiam eduxerat, Damaſcum proditione occupat; cùm verò Mileſio Præfecto arcis, præmium proditionis non exſolveret, ab eodem iterum urbe ejicitur. *Joſeph.*

Cicero hoc anno Moloni *Rhodio Romæ dedit operam, & auctori ſummo cauſarum, & Magiſtro: & circa idem tempus commentarios Rhetoricos de inventione inchoatos, & rudes edidit.* Cic. de Orat.

Sulla cùm in Græciam veniſſet, urbes ſeſe dedentes recipit, & protinùs Athenas duxit; ubi cùm fame eos ad deditionem cogere poſſet, maluit ſummâ vi agere: ideò Academiæ & Lycæi arbores, ut machinas ædificaret, excidit, & ex omniū ferè Græcorum templis donaria ad ſe transferri juſſit, promittens, ſe ea poſt bellum redditurum. Athenienſes amiciſſimi quidem erant Romanorum, & corpora. neceſſitati ſervientes, intra muros quidem habebant, cùm animis extra mœnia verſarentur; ſed Sylla urbem ſequenti anno circa novilunium Anthelterionis menſis vi cepit, & crudeliter in urbe graſſatus eſt. *Plutarch.*

Romæ circa diem 5 Novemb. Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cornelius Cinna II.
C. Marius VII.

Marius Conſul, cùm ipſis Calendis Januarii Sex. Lucium de ſaxo præcipitâſſet, & perpendere cœpiſſet potentiam Syllæ, in morbum incidit, & moritur Idibus Januarii, ſi ejus vitia cum virtutibus perpendantur, haud facilè dictu eſt, utrum bello melior, an pace pernicioſior fuerit. Rempublicam enim, quam armis ſervaverat, togatus omni genere fraudis, & poſtremò armis hoſtiliter evertit. Mario ſufficitur.

Coſſ. L. Valerius Flaccus; pater is fuit Flacci, pro quo Cicero peroravit.

ANNO MUNDI 3864. *ante C. N.* 84.
E. ☉ 8. ☽ 11.

Antiochus Rex Syriæ Alexandrum regem Judæorum invadit: at hic munitionibus ſe tenens, iis ejicitur, & vincitur. Antiochus verò in Arabia præliatus, cùm jam ſuam victoriam eſſe videret, & alterum aciei cornu, quod laborabat, vellet in integrum reſtituere, trucidatur. *Aretas* igitur Arabum rex perſequitur victoriam, & totum Cœleſyriæ regnum adipiſcitur. *Joſeph.*

Sulla Archelaum, Mithridatis Ducem ingenti exercitu inſtructum, exiguis copiis magna pugnâ vincit, occiſis centum millibus hominum, ad Chæronæam; & paulò poſt, cùm audiſſet, Flaccum Conſulem in Aſiam properare, iterùm Dorylaum alterum Mithridatis Ducem vincit, & regiis caſtris potitur. *Plutarch.*

Vale-

Valerius Flaccus in Aſiam mittitur cum exercitu, ſed univerſa Aſia ipſi portas clauſit, ut Cicero loquitur. Rapinis ergò Aſiam vaſtat. *Cicero.*

Saluſtius Hiſtoricus hoc anno, quo Sulla Athenas cepit, creditur natus. *Crinitus.*

Cenſores Romæ fuerunt L. Martius Philippus & M. Perperna. *Luſtrum condiderunt 67. & octo Tribus novas in triginta quinque Tribus diſtribuerunt. Princeps Senatus lectus* L. Valerius Flaccus.

Romæ à ſeipſis creati magiſtratum ineunt circa viceſimum ſextum Octob. Juliani:

Coſſ. L. Cornelius Cinna III.
Cn. Papirius Carbo.

ANNO MUNDI 3865. *ante C. N.* 83.
DC. ☉ 9. ☽ 12.

Valerius Flaccus *Proconſul, invíſus exercitui propter avaritiam, a C. Fimbria legato, ultimæ conditionis homine occiditur, & ipſe Fimbria exercitum regendum ſuſcipit.* Epit. Livii.

Coſſ. *Carbo & Cinna multos præclaros viros Romæ ſumma injuria afficiunt; quapropter qui poſſunt in Græciam naviganti ad Syllam, à quo recipiuntur, ita ut Sylla videretur Senatum ſecum habere; Metella etiam conjux Syllæ, in Græciam venit, nunciatque à Conſulibus villas ſuas & prædia cremata, ideò Sylla in Italiam cogitat, & pacem cum Mithridate inire cupit.* Plutarch.

Hiſce tribus annis, quibus Cinna præfuit, Cicero dies noctesq; in omnium doctrinarum meditatione ſe verſatum fuiſſe, ipſe in Bruto teſtatur, & Diodorum Stoicum, quem ſecùm domi ſuæ habuerat, diligenter audiviſſe. Is cæcus fuit, ſed dum audiret prælegentem ſervum, in Philoſophia diligenter verſatus eſt, & Geometriæ munere etiam, quod vix credibile eſt, functus eſt, verbis præcipiens diſcentibus unde, & quô quamq; lineam ducerent. *Cic. Tuſcul. l.* 5.

Annus Nabonaſſaris 664. & annus Philippi & Alexandri 246. incipit die 13. Sept. fer. 2.

ALEXANDER Judæorum rex, etſi victus erat ab Areta Arabum rege, tamen multas urbes poſtea obſidet & expugnat, in quibus ſubjiciendis integrum triennium conſumit. *Joſeph.*

Romæ à ſeipſis iterùm creati magiſtratum ineunt, circa diem 4. Novemb.

Coſſ. Cn. Papirius Carbo II.
L. Cornelius Cinna IV.

ANNO MUNDI 3866. *ante C. N.* 82.
B. ☉ 10. ☽ 13.

Annus à condita Roma numeratus 669.

Annus Alexandri Judæorum regis 20.

Valerius Flaccus in Senatu Orationem habet de pace, & perſuadet Cinnæ, ut legati de pace ad Syllam mittantur: quibus Sylla reſpondet, ſe futurum in Senatûs poteſtate, modo exules reſtituerentur. Id probatum eſt Senatui; ſed per conſulem Carbonem res impedita eſt: decernitur itaque, ut Cinna conſul exercitum in naves imponat, & contra Syllam proficiſcatur; ſed exercitus cùm invidus proficiſceretur, Cinnam trucidat; exinde Carbo per totum annum conſulatum ſolus geſſit. Epit. Livii.

Merodachus Sicambrorum rex, cùm annos viginti & octo regnaſſet, moritur; ſuccedit ipſi Caſſander filius, qui regnat annos viginti duos.

Olympias 174. acta die 24. Julii. Eſt annus Olympiadicus 693.

Victor Stadii in hac Olympiade excidit ex tabula Stadionicam.

Annus Alexandræus Seleucid. 229. incipit die 16. Sept. fer. 3.

Fimbria Trojam obſidet, ſed cives ſe Syllam expectare reſpondent, ſi in Aſiam transeat; ideò Fimbria urbem vi expugnat, & funditùs excindit. *Plutarchus.* Cùm verò Sylla in Aſiam veniſſet, exercitus Fimbriæ ad Syllam tranſit, ipſe Fimbria ſe, adjuvante ſervo, occidit. *Plutarchus.* Sulla pacem cum Mithridate facit in has conditiones, ut cederet provinciis, Aſiâ, Bithyniâ, Cappadocia; & ut in Italiam redire poſſit, claſſem cogit. *Plutarchus.*

Romæ circa diem 25. Octobris magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cornelius Scipio Aſiaticus.
C. Norbanus Flaccus.

ANNO MUNDI 3867. *ante C. N.* 81.
A. ☉ 11. ☽ 14.

Legati Parthorum ad Syllam veniunt, ex quibus quidam Syllam contemplatus, dixit ex Phyſiognomia, Syllæ memoriam futuram æternam: ſed legatus Parthorum regis, cùm legationem renunciaſſet, quòd Syllæ digniorem in conſeſſu locum conceſſiſſet, interfectus eſt. Sylla contra in Italiam rediit, cum triginta millium exercitu contra ducenta millia. Plutarchus.

Cùm Sylla rediret in Italiam, Senatus conſulibus mandavit, ut viderent, ne Reſpubl. caperet detrimenti aliquid. Conſules igitur, cùm Duces conquirerent, etiam Sertorium elegerunt; qui cùm videret, conſules negligentiùs rem gerere, acriter ſegnitiem conſulum accuſavit, cujus acerbitatis illi impatientes, eum in Hiſpaniam, in provinciam mittunt, quam poſtea contra Sullam & Romanos, à quibus proſcriptus fuit, aliquot annis fortiter defendit. Plutarch.

Cùm in Italiam veniſſet Sulla, nemini cuiquam nocuit, fuitque ſemper pacis autor, & cum conſule Scipione inter Cales & Theanum *de autoritate Senatus, de ſuffragiis populi, de jure civitatis, & aliis de rebus egit; ſed cùm inter ſe convenire non poſſent, & Sylla Scipionis caſtra oppugnaturus eſſet, univerſus exercitus conſulis ſigna ad Syllam tranſtulit: Scipio dimiſſus eſt, & Maſſiliæ poſteà in exilio vixit.* Civ. & Liv.

Cn. Pompejus, Cn. filius, adoleſcentulus privatus, difficillimo Reipubl. tempore, exercitum conficit, & tribus legionibus cinctus ad Syllam venit. Plutarchus.

Templum Delphicum tertiò incenſum & crematum à Thracibus, cùm Duce Taxile Macedoniam divexarent, & latè depopularentur. *Euſebius.*

Capitolium Romæ conflagravit ſexto Julii, quo incendio perierunt Sibyllini libri, à Numa Pompilio olim comparati. Culpam cremati Capitolii, Plutarchus in Syllam conjicit, Appianus aliter ſentit, Obſequens *dicit, æditui culpâ factum.*

Circa diem quartum Novemb. Romæ magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Marius C. F.
Cn. Papirius Carbo III.

ANNO

ANNO MUNDI 3868. ante C. N. 80.
G. ⊙ 12. ☽ 15

Damaſippus Prætor Domitium, Scævolam, Carbonem Prætorium, conſulis fratrem, Antiſtium, aliosque nobiliſſimos viros, tanquam faventes Syllæ partibus, conſentiente Mario, in curia Hoſtilia trucidat. Vellej.

Marius conſul, annos natus viginti ſex, vincitur à Sylla, & ſe Præneſte cum exercitu includit, ubi obſidetur. Cùm vero variis modis erumpere conaretur, nec tamen poſſet, cuniculum effodit; ſed & hoc obſtructo, ſervo imperat, ut ſe occidat. Epit. Livii.

Pontius Teleſinus *Samnitium dux, ad portam Collinam Calendis Novemb. cùm Sulla dimicat ancipiti periculo, cùm clamaret: nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis, lupos illos Romanos, niſi ſylva, in quam refugere ſolerent, Roma eſſet exciſa. Deſitum eſt præliari poſt horam primam noctis, & Samnites ceſſerunt, cùm diem Sulla perpetuâ ludorum Circenſium honoravit memoriâ.* Vellej.

Sulla urbem ingreſſus, pulcherrimam victoriam crudelitate inquinat. Dum enim vincit, ut Vellejus *ait, mitiſſimo & juſtiſſimo lenior fuit, ſed poſt victoriam, crudeliſſimo crudelior. A* Flacco *enim interrege* Dictator *creatur, cujus honoris uſurpatio per annos* 120. *intermiſſa, poſt Hannibalis exceſſum fuerat, lexq; fertur, ut omnia, quæ feciſſet, eſſent rata: Itaque octo millia deditiorum in via publica trucidat, tabulam proſcriptionis primus propoſuit, & univerſam Italiam cædibus replevit, inter quos Præneſtinorum inermium duodecim millia occidit.*

Pompejus à Senatu in Siciliam miſſus, Carbonem conſulem captum, & muliebriter mortem deprecantem interfecit, & Siciliam terrore belli explicavit. Epit. Livii.

L. Licinius Murena bellum Mithridaticum renovat, cum duabus legionibus in Aſia relictus à Sulla, & Mithridatis conatus variis modis repreſſit, cùm Lucullus tum eſſet Quæſtor.

Circa diem 25. Octob. magiſtratum ineunt Romæ:

Coſſ. M. Tullius Decula.
Cn. Cornelius Donabella.

Sulla menſe Januario Dictator, ex Aſia, Græcia, Ponto, triumphat per biduum. Tab. Cap.

ANNO MUNDI 3869. ante C. N. 79.
F E. ⊙ 13. ☽ 16.

Sulla plebi Romanæ, quæ partibus Marii faverat, infenſus, leges fert, quæ facerent ad imminuendam tribunitiam poteſtatem: Ne Tribunis plebis alios magiſtratus capere liceret: Ne ad eos provocatio eſſet: Ne leges ferre poſſent: Ne etiam concionari ipſis liceret, atque ita tantùm interceſſio ipſis relinquebatur. *Poſtea Pontificum, Augurumque collegia ampliavit, ut eſſent numero quindecim.* Cicero & alii.

Cicero annos ætatis habens 26. cauſam privatam pro Quintio apud Aquilium judicem dixit. Inde iterùm ſe Moloni Rhodio, qui legatus in Rhodiorum causâ Romam venerat, erudiendum dedit. *Cicero in Bruto.*

Pompejus *annos ætatis habens viginti quinque, Africam provinciam ſortitur, eamq; ſubigit, & Domitium vincit & occidit: inde aliquot dies venationibus in capiendis leonibus & elephantis dedit, & in fine anni adhuc eques pro Prætore triumphavit.* Cic.

Annus Nabonaſſ. 668. & annus Philippi & Alexandri Magni 244. incipit die 12. Sept. fer. 6.

ALEXANDER Judææ Rex, cùm poſt domeſticos motus triennio hoſtes externos ultos eſſet. & aliquot urbes regno adjeciſſet, ex intemperantia quartanam febrim accerſit, quâ integrum quadriennium laboravit.

Romæ circa diem 3. Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cornelius Sulla II.
Q. Cæcilius Metellus Pius.

ANNO MUNDI 3870. ante C. N. 78.
D. ⊙ 14. ☽ 17.

Annus à Roma condita numeratus 673.

Annus Alexandri Judæorum regis 24.

Sulla *bona Roſcii Amerini, tanquam proſcripti, cùm paulo ante à quibusdam occiſus eſſet, haſtæ ſubjecit; ea emit Syllæ libertus Chryſogonus duobus millibus nummum, ferè centum florenis. Roſcius filius ægrè ferens, patria bona divendita, demonſtrat, ea ſexagies vendi potuiſſe: plus quàm ducentis florenorum millibus, Sulla hoc ægrè ferens, Chryſogonum jubet Roſcium accuſare de parricidio. Cicero cùm nemo alius eſſet, ſuſcipit patrocinium Roſcii. Victor Cicero in hac cauſa tantum commendationis habuit, ut nulla eſſet, quæ non patrocinio Ciceronis digna videretur.* Plutarch.

Olympias 175. acta die 9. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus 697.

Victor Stadii, ſed in ſtadio puerorum, *Epænetus* Argivus, quòd viri tum temporis à Sulla Romam evocati eſſent, & in Græcia certare non poſſent. *Africanus.*

Annus Alexandreus Seleucidarum 233. incipit die 21. Sept. fer. 2. Eodem die incipit etiam ſeptimus annus ſabbathicus, atque ita Jobelæus 28. qui eſt hebdomas Danielis quinquageſima. Anno Jud. 3682.

Mitylene hoc tempore, quæ ſola urbs poſt Mithridatem arma retinuerat, à M. Thermo Prætore expugnatur; in qua expugnatione Julius Cæſar coronâ civica donatus eſt. *Epit. Livii, Cicero.*

Ptolemæus Lathurus rex *Ægypti*, cum annos 36. ſi primùm initium reſpicias, regnâſſet, moritur; ſuccedit Ptolomæus Dionyſius qui & Auletes appellatur, regnatque annis 29. *Ptolom. in Canone.*

L. Murena, parens Murenæ, quem Cicero defendit, triumphat Romæ de Mithridate. Cic.

Romæ circa diem 24. Octob. Juliani magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Servilius Vatia Iſauricus.
Ap. Claudius Pulcer.

ANNO MUNDI 3871. ante C. N. 77.
C. ⊙ 15. ☽ 18.

Cicero antequam in Græciam proficiſceretur, Arretinæ mulieris libertatem, contra Cottam hominem diſertiſſimum, vivente Syllâ defendit. Cicero pro Cecina. *Inde cùm cauſas hactenus egiſſet magno labore & ſumma contentione, ut moderari voci diſceret, Athenas navigat, ubi Antiocho nobiliſſimo Philoſopho operam dedit.* Cic. in Bruto.

Sulla *ſponte Dictaturâ abit, cùm ultra centum millia hominum occiderat, Senatores nonaginta,*

conſu-

conſulares quindecim, equeſtris Ordinis duo millia & ſexcentes. Inde Cumas ſe contulit, ubi privatus vixit, venationibus deditus. Plutarch.

Ap. Claudius conſul, Clodii parens, in Macedoniam miſſus, levia prælia habuit cum gentibus ad Rhodopen, ibiq; morbo conſumitur. Oroſ.

Servilius conſul in Ciliciam & Pamphyliam miſſus vir ſtrenuus, qui primus in Iſauriam iter fecit, & poſt triennium revertens de eis triumphavit, & nomen Iſaurici meruit. Eutrop. Oroſ.

Evenus Scotorum rex, cùm annos 19. regnaſſet, moritur; ſuccedit Gillus, qui regnat annis tribus. Buchan.

Romæ circa diem 3. Novembr. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Aimilius Lepidus.
Q. Lutatius Catulus.

A Lepido conſule primum marmor Numidicum domi in viliſſimo liminum uſu collocatur, magnâ populi reprehenſione. Plin. lib. 35.

ANNO MUNDI 3872. ante C. N. 76.

E. ☉ 16. ☽ 19.

Sulla, qui neq; ad finem victoriæ ſatis laudari, neque poſt victoriam abundè vituperari poteſt, in agro Cumano moritur. Et annitente Catulo & Pompejo, etiamſi reluctaretur Lepidus, per Italiam in urbem lecticâ aurea, regium in morem delatus, in campo Martio crematur. Plutarch.

Æmilius conſul legem ferre de actis Sullæ reſcindendis, ſed reſiſtente collegâ Catulo & Pompejo, in Gallias abit, patriæ bellum illaturus; ſed Catulus & Pompejus ipſi exercitu obviam proficiſcuntur, Lepidi exercitum ad ſe traducunt, Lepidumq; fugant, qui primo in Hetruriam abit, inde in Sardiniam, ubi morbo periit. Flor.

Apollonius Rhetor floret.

Alexander Judææ rex, cùm annos viginti ſex regnaſſet, & quadriennium quartanâ febri laboraſſet, moritur; ſuccedit ipſi Alexandra uxor, quæ filium natu majorem Hyrcanum fecit ſummum Sacerdotem. Joſeph.

Cicero in Græcia præſtantiſſimos Philoſophos & Oratores audit, totumq; ſe his informandum & mutandum dedit. Inde cùm Romam reverſurus apud Apollonium Molonem Græcè declamaret, in tanta apud auditores admiratione fuit, ut Apollonius diceret, ſe dolere, quòd videat doctrinæ & eloquentiæ laudem, quæ ſola Græcis reliqua erat, per Ciceronem ad Romanos transferri. Plutarch.

Romæ circa diem 4. Octob. magiſtratum ineunt:

Coſſ. D. Junius Brutus.
Mamer. Aimilius Lepidus Livianus.

ANNO MUNDI 3873. ante C. N. 75.

AG. ☉ 17. ☽ 1.

Hoc anno, cùm duo conſules clariſſimi fortiſſimiq; eſſent, Pompejus adhuc eques & privatus contra Sertorium, qui jam ex Hiſpania in Galliam tranſierat, & Italiæ minitabatur, ad bellum maximum, ſuaſu L. Philippi miſſus eſt; & cùm Philippus carperetur, quòd privatum Pompejum pro conſule mitteret, imo reſpondet, non tantum eum pro conſule, ſed pro conſulibus mittendum cenſeo. Pompejus etiam comparato exercitu ſtatim hoſtes in cervicibus Italiæ agentes, ab Alpibus in Hiſpaniam ſubmovit, & Galliam recepit. Cic.

Annus Nabonaſſaris 672. Et annus Philippi & mortis Alexandri 248. incipit die 11. Sept. fer. 3.

Didius Lælius legatus Pompeji inter pabulatores occiditur, cùm paulò ante ad latus Pompeji ſedenti accipiter ſupra caput acceſſerat. Obſeq.

Cicero è Græcia Romam ſe recipit, non modò excitatior, ſed totus propè mutatus; & initiò quidem timidè, pòſt tamen pleno gradu patrocinia aggreſſus eſt, ſtatimq; eluxit, & principem locum obtinuit. Cic. in Bruto.

Romæ circa diem 2. Novemb. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cn. Octavius Nepos.
C. Scribonius Curio.

ANNO MUNDI 3874. ante C. N. 74.

F. ☉ 18. ☽ 2.

Annus ab urbe condita numeratus 677.

Annus Hyrcani Judæorum Pontificis ſecundus.

Evenus, hujus nominis ſecundus, in regno Scotorum ſuccedit Gillo, qui triennium regnaverat, & imperat annis 17. Buchan.

Olympias 176. acta die 26. Julii. Eſt annus Olympiadicus 701.

Victor Stadii Dion Cypariſſenſis.

Annus Alexandræus Seleucidarum 237. incipit die 9. Sept. fer. 2.

Cn. Pompejus cum Sertorio in Hiſpania bis congreditur, ſed dubio eventu: utrâque vice ita pugnatum eſt, ut ſingula ex utraq; acie cornua vincerent. Alterum prælium vocatur Sucronenſe: alterum Durienſe. Plutarchus.

Scribonius conſul, Appio ſucceſſor in Macedoniam miſſus, Dardanos vincit, & uſque ad Danubium penetrat, triumphumque per triennium bello confecto meruit. Oroſ. Eutrop.

CAPITOLIUM reſtitui cœptum. Lactant. lib. 1. cap. 6.

Cicero, cùm unum annum reverſus cauſas nobiles egiſſet, & inter haſce eam, quæ eſt pro Roſcio Comœdo, Quæſturam petit; cùm Hortenſius candidatus eſſet Ædilitatis. Et Cicero cunctis ſuffragiis primus renunciatus eſt Quæſtor. Cic.

Magiſtratum verò Romæ circa diem 23. Octobris ineunt:

Coſſ. L. Octavius Nepos.
C. Aurelius Cotta.

ANNO MUNDI 3875. ante C. N. 73.

E. ☉ 19. ☽ 3.

Cicero Quæſtor ſortitus provinciam Siciliam Lilybetanus Quæſtor factus eſt. ubi, cùm in magna annonæ difficultate atque inopiâ res frumentaria, magnus frumenti numerus Romam eſſet mittendus, Siculos initio offendit: Poſt ubi diligentiam, juſtitiam & comitatem ejus experti fuerunt, majores illi honores, quàm ulli unquam Prætori contulerunt. Cic.

Nicomedes Bithyniæ rex moriens populum Romanum facit hæredem, & regnum ejus in provinciæ formam redigitur. Epit. Livii.

C. Aurelius conſul, cui triumphus decretus erat, moritur ante diem triumphi cùm cicatrix vulneris, quod in prælio acceperat, reſciſſa eſſet. Aſcon.

Roma

Romæ circa diem 2. Novemb. Iuliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Licinius Lucullus.
M. Aurelius Cotta.

ANNO MUNDI 3876. *ante C. N.* 72.
D. ☉ 20. ☽ 4.

Lucullus conſul autor eſt Senatui populoq; Romano, ut pecunias Pompejo, qui cum Sertorio bellum gerebat, mitterent. *Plutarch.* Idem Lucullus magno animo L. Quinctio, homini maximè populari & ad inflammandos multitudinis animos accommodato, qui Syllæ acta reſcindere, & ſtatum Reipubl. convellere nitebatur, reſtitit. *Cic.* Poſtea ſortitus eſt provinciam Ciliciam, & Dux tandem contra Mithridatem electus eſt. *Plutarch.*

M. Antonius, Antonii triumviri pater, gratiâ Cottæ conſulis & factione Cethegi, in Senatu curationem totius oræ maritimæ nactus, Siciliam & omnes provincias depopulatur, & ad extremum inferens bellum Cretenſibus, re malè geſtâ morbo interit. *Aſcon.*

Cotta conſul contra Mithridatem miſſus, ad Chalcedonem, cum Mithridate, & claſſe, & terrâ pugnat, vinciturq; magnâ clade; & prælio navali ad duodecim millia occiſi ſunt, terrâ quinque millia; inde animos ſociorum Mithridatis auctus eſt, & ipſe Mithridates cum Sertorio in Hiſpania facit fœdus. *Photius & Plutarch.*

Pompejus & *Metellus* ab obſidione Calagurii oppidi à Sertorio depulſi, diverſas regiones petere coguntur, & Pompejus in Gallia hybernavit, Metellus verò in ulteriori Hiſpania. *Plutarch.*

Romæ circa diem 23. Octob. magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Terentius Varro Lucullus.
C. Caſſius Varus.

ANNO MUNDI 3877. *ante C. N.* 71.
CB. ☉ 21. ☽ 5.

Lucullus Proconſul, contra Mithridatem profectus ad Cyzicum, cladem regerit, & decem millia ex exercitu Mithridatis cædit, & tredecim millia capit: Inter captos fuit etiam Archelaus Dux. Inde Lucullus perſecutus victoriam, ubiq; Mithridatis exercitum carpit, & ad Granicum ad viginti millia occidit. *Plutarch.*

Spartaco Duce ſexaginta quatuor gladiatores Capuâ profugiunt, & raptis ex ea urbe gladiis, Veſuvium montem primùm petunt, moxq; creſcente multitudine, multiplice clade afficiunt Italiam, Prætorem etiam Romanum Vorenum cum legato vincunt. *Epit. Livii.*

Annus ſabbathicus primus Jobelei Judaici 29. incipit die 3. Septemb. fer. 7. Eſt hebdomas Danielis 51. Anno Jud. 3689.

Annus Nabonaſſaris 676. & annus Philippi ac mortis Alexandri 252. incipit die 10. Sept. fer. 7.

Pompejus *proſperè res gerit contra Sertorium.*

Arioviſtus Germanorum rex, ex Germania in Gallias tranſit. *Cæſ.*

Romæ circa diem 1. Novemb. Iuliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Gellius Poplicola.
Cn. Cornelius Lentulus Clodianus.

ANNO MUNDI 3878. *ante C. N.* 70.
A. ☉ 22 ☽ 6.

Annus à Roma condita numeratus 681.

Annus Hyrcani Pontificis Judæorum 6.

Lucullus cùm Mithridatem variis cladibus affeciſſet, in Bithyniam eum ſequitur, ubi eundem, variis belli & naufragiorum caſibus fractum, cogit in Pontum profugere. *Epit. Livii.*

Olympias 177. acta die 11. Augusti. Eſt annus Olympiadicus 705.

Victor Stadii *Hecatomnus Mileſius.*

Annus Alexandræus Seleucidarum 241. incipit die 23. Sept. fer. 7.

Alexandra Judæorum Regina ex ſententia Phariſæorum multos miniſtros Alexandri defuncti occidit, reliqui ſibi metuentes petunt dimiſſionem ex aula, & ut arcibus in Judæa præficiantur, idque impetrant, *Ioſeph.*

Ambo conſules contra Spartacum proficiſcuntur, ubi Gellius parum cautè in hoſtes irruens, omnes ferè copias amittit: Alter conſul cùm putaret, ſe hoſtem in anguſtias concluſiſſe, à tergo ab hoſtibus invaditur, vincitur, & caſtra mittit. Caſſius Prætor cladem hanc vindicare cupiens, & ipſe pugnâ commiſſâ vincitur. *Plut.*

Romæ circa diem 22. Octob. Iuliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cn. Aufidius Oreſtes.
P. Cornelius Lentulus Sura.

ANNO MUNDI 3879. *ante C. N.* 69.
G. ☉ 23. ☽ 7.

Sertorius, cùm antea multos Romanos, qui in ſuo exercitu erant, proditionis ſuſpectos occidiſſet, à M. Antonio & M. Perperna & aliis conjuratis, in convivio interfectus eſt, octavo ſui Ducatus anno. Magnus Dux, & adverſus duos Imperatores Pompejum & Metellum ſæpe par, & frequentiùs victor, ad ultimum tandem deſeritur & proditur. Inde à proſcriptis imperium ad Marium transfertur, quem Pompejus victum captumque interemit, atque ita Hiſpanias decimo ferè anno, quàm cœptum eſt bellum, recepit. *Epit. Livii.*

Caſſius proconſul & Cn. Manlius iterum malè adverſus Spartacum pugnant, ideò id bellum M. Licinio Craſſo Prætori mandatum, qui primùm cum parte fugitivorum, quæ ex Gallis Germaniſque conſtabat, feliciter pugnavit, eumq; cum quadraginta millibus occidit, atq; ita bellum etiam hoc ſervile ſublatum eſt. *Epit. l. xvii.*

Lucullus Mithridatem in Pontem perſecutus, eum legionibus Romanis patefecit, qui antea populo Romano ex omni aditu clauſus fuerat; ubiq; adverſus Mithridatem feliciter pugnat, occiſis ſexaginta millibus hoſtium. Inde Mithridates in Armeniam profugit, ubi abeſt integro anno & 8. menſibus: interim Cotta & Triarius capiunt Heracleam Ponticam, & vincunt Duces Mithridatis, Lucullus etiam capit Sinopen urbem Ponti, & alias. *Epit. Liv. & Photius.*

Romæ circa finem menſis Octob. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Licinius Craſſus Dives.
Cn. Pompejus Magnus.

Pompe-

Pompejus pridie quàm conſulatum iniret, triumphavit adhuc eques. Cic. *Et ambo conſules amici inter ſe fiunt, cùm aliàs alter alteri invideret: Craſſus quidem, quòd Pompejus ſubitò in juventute ad tantos honores perveniſſet, & adhuc eques conſul fieret: Pompejus contra, quòd Craſſus tantis divitiis floreret.* Vellejus.

ANNO MUNDI 3880. *ante C.N.* 68.
F. ☉ 24. ☽ 8.

Ambo conſules Tribunitiam poteſtatem, cujus imaginem tantùm Sulla Dictator reliquerat, reſtituunt. Vellejus & alii.

M. Aurelius Cotta Prætor judicandi munus, quod Gracchus ereptum Senatui ad equites, Sulla ab equitibus ad Senatum reduxerat, lata lege & populi juſſu ad tres ordines reduxit, ita ut Senatores, equites, & tribuni ærarii ſimul judicarent. Vellejus.

Lucullus, cùm ceraſi in Italia non eſſent, eas è Ponto in Italiam poſt pulſum Mithridatem primus transplantavit. *Plin. lib. 15. cap. 25.*

Verres repetundarum reus fit à Cicerone, ubi prima oratio facta de Accuſatore conſtituendo, & Cicero deſignatus accuſator, poſtulat dies 110. ad inquirendum totum negotium. Sed cùm metueret, ne actio in ſequentem annum, quo conſul futurus erat Hortenſius, differretur; redit ad agendam hanc cauſam poſt dies 50. ut & Hortenſio omnem defenſionis occaſionem eriperet, tantùm teſtes citaret, & eos interrogandos Hortenſio daret, quâ re omnem defenſionem Hortenſio abſcidit, atq; ita Verres convictus ſua ſponte in exilium abiit. Æſtimavit litem Cicero millies ſeſtertium, ultra 4400000 *flor. Verres poſt Ciceronem interfectum etiam periit, interfectus ab Antonio.* Lactant.

Sanatruces Parthorum rex moritur, ſuccedit Phraates. *Phot.*

Virgilius Maro hoc anno Idibus Octob. naſcitur. *Phot.*

Cenſores hoc anno fuerunt L. Gellius *Poplicola & Cornelius Lentulus Clodianus, qui condiderunt luſtrum 68. Principem Senatûs legerunt Q. Metellum Pium. Cenſa ſunt civium capita* 450000. Epit. Livii.

Tigranes Armeniæ rex, cùm quingentis militum millibus invadit Syriam, & Ptolemaidem obſidet. Ad eum Alexandra regina Judæorum legatos mittit, cum magni momenti muneribus, nunciareque jubet, ut Tigranes ſibi bene de regina & populo Judæorum polliceretur. Ubi cùm Ptolemaidem ſibi ſubjeciſſet, audit Lucullum perſequentem Mithridatem in Armeniam venire. Ideò domum revertitur. *Joſeph. lib. 13. cap. 24.*

Romæ circiter diem 22 Octob. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Hortenſius.
Q. Cæcilius Metellus Creticus.

ANNO MUNDI 3881. *ante C. N.* 67.
E D. ☉ 25. ☽ 9.

Alexandra Judæorum Regina, cùm annis novem poſt maritum regnaſſet, moritur. Filius ejus minor *Ariſtobulus* fratri Hyrcano, cùm jam tribus menſibus regnaſſet, & à ſenatu Romano ſucceſſor & Pontifex hiſce Coſſ. confirmatus eſſet, bellum facit, eumque ad Hierichuntem prælio vincit, & Pontificatu & principatu dejicit. *Joſeph. lib. 14. cap. 1.*

Capitolium iterum extructum à Q. Catulo dedicatur, qui in dedicatione primus omnium veliis expanſis populo umbram fecit. Plin. lib. 9. c. 1.

Cicero *hoc anno ædilis curulis factus eſt, cujus munus fuit, ut ternos ludos ageret, primos Cereri & Libero; ſecundos Floræ matri; tertios Romanos, Jovi, Junoni, Minervæ; item ut ſacras ædes curaret, & urbem tueretur, unde ipſi honos habitus, ut antiquiorem in Senatu dicendi locum haberet, ut togam prætextam indueret, ſellâ curuli ſederet, & jus imaginis haberet ad memoriam poſteritatemque prodendam.* Cic. Verri. 7.

Cicero pro Fontejo & A. Cæcinna orationem habet.

Annus Nabonaſſaris 680. & annus Philippi ac mortis Alexandri 256. incipit die 9. Sept. fer. 4.

Tigranes ex Syria reverſus, anno imperii viceſimoquinto, Romanis bellum indicit, cui ſe opponit Lucullus, & die nefaſto cum eo certavit; nonis ſcilicet Octobr. quo die Cæpio conſul à Cymbris fuerat cæſus. Centum millia peditum in eo prælio ex hoſtibus perierunt, cùm Romanorum tantùm quinq; caderent. *Plutarch.*

Paulò poſt, *inquit Dio,* Lucullus Tigrano certam urbem cum ſpoliis ampliſſimis, quæ decem millia talentorum ſuperarent, cepit, & Tigranem iterùm magno prælio vicit. *Dio. l. 35.*

Romæ circa diem 31. Octob. Iuliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Cæcilius Metellus.
Q. Martius Rex.

Metellus conſul paulò pòſt mortuus eſt. & qui in ejus locum ſuffectus eſt, ſimiliter mortem obit, antequam magiſtratum iniret; quaprópter religio Romanis fuit tertium ſubrogare, atque ita Q. Martius Rex ſolus conſulatum geſſit.

ANNO MUNDI 3882. *ante C.N.* 66.
G. ☉ 26. ☽ 10.

Annus à Roma condita numeratus 685.
Annus Hyrcani Pontificis Judæorum 10.

Antipater Idumæus, vir potens, Ariſtobulo, qui Hyrcanum fratrem & regno & Pontificatu dejecerat, infeſtus eſt, & primates Judæorum, ut ipſi rebellent, inſtigat; qui tamen, quòd Hyrcanus otium & pacem præferret, nihil efficit. *Joſeph. lib. 14. cap. 2.*

Olympias 178. acta die 27. Julii. Eſt annus Olympiadicus 709.

Victor Stadii *Diocles* Hypæpenus. Eâdem hac Olympiade uno eodemque die *Strato* Alexandrinus & de Pancratio & de lucta coronatus eſt. *Pauſan.*

Cùm Antonius, qui plures catenas quàm arma in Cretam tranſtulerat, occiſus eſſet, Q. Cæcilius Metellus proconſul eò mittitur, qui intra triennium ingentibus præliis omnem provinciam cepit, & Creticus appellatus eſt, deq; inſulâ triumphavit. Eutrop.

Lucullus *cùm Armeniam vaſtaret, malè ab equitatu hoſtium accipitur, ideoq; ad* Niſibin *urbem proficiſcitur, quam aſtu cepit, & ibi hybernavit.* Dio. lib. 35.

Tigranes, dum putat Niſibin inexpugnabilem eſſe, ea relictâ, Armeniæ loca recipit plurima; ut & Mithridates, qui Fabium legatum Luculli vincit. Triarius tamen Fabio auxilio advenit, & Mithridatem magna clade vincit. *Dio. lib. 35.*

Annus Alexandrinus Seleucidarum 245. incipit die 9. Sept fer. 5.

Romæ circa diem 21. Octob. Juliani. Magiſtratum ineunt:

Coſſ. C. Calpurnius Piſo Frugi.
Man. Acilius Glabrio.

ANNO MUNDI 3883. *ante C. N. 65.*
B. ☉ 27. ☽ 11.

Mithridates tutis in locis conſidens, Triarium in aciem elicere conatur; cùm non procederet, urbem, ubi Romanorum impedimenta erant, oppugnare conatur, ibique Triario, ſi ad urbem defendendam procederet; militem collocat, & voto potitus eſt, & maxima clade Triarium afficit: de quâ Cicero inquit, quòd eam non ex prælio nuncius, ſed ex ſermone rumor extulerit. Ceciderunt, ut Appianus habet, centuriones 150. tribuni 23. & caſtra inſuper capiuntur. Interim Lucullum, quòd militibus plurimum laboris imponeret, in præmiis militaribus parciſſimus eſſet, & in ſuppliciis inexorabilis, ſeditio militum invadit, quam compeſcere nullo modo poteſt: in Tigranem igitur movet, ſed nihil ſeriæ rei agere auſus fuit. *Dio.*

Cùm Romani maximis damnis in provinciis afficerentur à Piratis, Gabinius Tribunus plebis legem fert, de bello Piratico & imperatore ei præficiendo, qui quam maxima poteſtate eſſet. Et tandem circa finem anni Pompejus ad id bellum deligitur. Dio.

L. Roſcius *Otho Tribunus plebis legem fert, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi aſſignarentur. Hinc proverbium ortum: Sedet in quatuordecimis, pro, eſt nobilis, clariſſimus &c.*

C. Cornelius Tribunus plebis legem hoc anno de ambitu fert, in qua graviſſimis pœnis hoc crimen ſanxit: ſed Senatus juſſit, ut de pœna conſules moderarentur. Ideò Calpurnius legem tulit, ut ambitûs convicti, nec magiſtratum gererent, nec in Senatu eſſent, & inſuper multam pecuniariam ſolverent. *Cicero pro Murena.*

Cicero Præturæ Candidatus Prætor primus renunciatus eſt; de qua re in quibuſdam epiſtolis ad Atticum lib. 1. ſcripſit.

Romæ circa diem 21. Octob. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Æmilius Lepidus.
L. Volcatius Tullius.

ANNO MUNDI 3884. *ante C. N. 64.*
A. ☉ 28 ☽ 12.

Pompejus ad bellum Mithridaticum profectus, in hyeme id apparat, in æſtate conficit: maximam enim navium multitudinem contraxit, & plurimos legatos habuit, & maxima moderatione in victoria uſus eſt. Cùm omnes piratas ſimul, ubicunque eſſent, aggrederetur, eos ne paupertate coacti iterum Piraticam facerent, in Ciliciam abduxit, & in urbe, quæ olim Solis dicebatur, collocavit, eamque Pompejopolin appellavit. *Dio.*

Cùm milites in Aſia Lucullo amplius militare nollent, Pontus, Cappadocia & alia plurima loca iterum hoſtibus & Mithridati conceſſa fuerunt; de quibus, cùm Romani certiores fierent, Manilius Tribunus plebis legem fert, ut Pompejo, confecto jam Piratico bello, bellum Mithridaticum daretur; qui ſtatim collecto exercitu ſub finem æſtatis in Aſiam profectus. Suaſit legem Manilìam Cicero, & Julius Cæſar. *Dio.*

Lucullus *ex provincia revocatus, & privatus factus, adeò profuſus in ædificiis, convictibus, & apparatibus, luxuriæ fuit, ut Xerxes togatus vocaretur.* Vellejus.

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei Judaici 29. incipit die 16. Septem. fer. 7. Eſt hebdomas Danielis 52. Anno Jud. 3696.

M. Terentius Varro Lucullus de Beſſis triumphat, quibus primus Romanorum imperator bellum intulerat, eosq; in monte Hæmo ingenti prælio ſuperaverat. Inde multas ſupra Pontum poſitas urbes aggreſſus eſt: Illic Apolloniam evertit, Parthenopolin. Tomos, Calyben, Eumolpiadem, quæ poſtea Philippopolis dicta fuit, & Uſudaniam, quæ hodie Adrianapolis eſt. *Ruff. & Ammian.*

Cicero hoc anno, præterquam quod ſuaſit legem Manilìam, etiam Licinium Macrum repetundarum damnavit, & A. Cluentium defendit. Cic.

Pompejus, cùm in Aſiam veniſſet, perſequitur Mithridatem fugientem, & nocturno ipſum prælio vincit. Mithridates ad Tigranem confugit, ſed non recipitur, quòd filius Tigranis ad Parthos confugiſſet, & patri bellum faceret; ſed pater filium prælio vincit. Pater in anguſtiis conſtitutus dedit ſe Pompejo, à quo recipitur in gratiam, & Armeniæ regnum recipit. Filius verò Tigranes, quòd nullo modo patri reconciliari vellet, à Pompejo in vincula conjicitur, & in hybernis conſervatur, ubi Pompejus ejusq; legati ab Albanis fruſtra invaduntur. Dio.

Romæ deſignati conſules P. Autronius Pætus & P. Cornel. Sulla de ambitu lege Calpurnia damnantur, in eorum locum ſubſtituuntur, qui accuſaverant:

Coſſ. L. Aurelius Cotta.
L. Manlius Torquatus.

Qui inierunt magiſtratum circa 21. Octob. Julian. Catilina *verò, qui conſulatus candidatus fuerat, & inde prohibitus, quòd de repetundis accuſaretur, conjurat de conſulibus trucidandis; ſed res impeditur, quòd Catilina conjuratis ſignum dederat prius, quàm parati eſſent.* Saluſt.

ANNO MUNDI 3885. *ante C. N. 63.*
GF. ☉ 1. ☽ 13.

Antipater in Judæa deponit apud Aretam Arabiæ regem ſuos liberos, quatuor filios, inter quos Herodes ætate ſecundus erat, & filiam Salomen; perſuadetque Hyrcano, ut etiam ad Arabes transfugiat; qui cum eò ſuperiore anno perveniſſet, & Aretæ regi promiſiſſet, ſe redditurum ipſi regionem, cum duodecim oppidis, quæ pater Alexander ipſi ademerat, in regnum reductus eſt; & Ariſtobulus, etſi haberet exercitum quinquaginta millium, victus aufugit Hieroſolymam, ibique ab Areta obſidetur. Adveniente verò Paſchate obſeſſi petierunt ab obſidentibus victimas, offeruntque pecuniam, ſed obſidentes auferunt pecuniam, & contra promiſſionem nullas exhibent victimas. Interim uterque, & Hyrcanus & Ari-

Ariſtobulus, mittunt legatos ad Scaurum, legatum Pompeji, qui in Syriam venerat, qui accepta ab Ariſtobulo pecuniâ, Ariſtobuli principatum confirmat, Arabum regem obſidionem ſolvere jubet, & Ariſtobulo auxilia ſubminiſtrat, quibus poſtea Aretam vicit. *Joſeph. l.* 14. *c.* 4.

Pompejus contra Iberos movet, eosque multiplici clade ita atterit, ut rex eorum Artoces *filios ſuos Pompejo obſides daret; inde in Colchos contra Mithridatem proficiſci conatus eſt, ſed quòd iter impeditum eſſet, regreſſus eſt in Armeniam, inde in Albanos movit, eosque etiam devicit, & Parthorum regi regionem quandam ademit, quam Tigrani dedit. Cùm verò Parthus poſtea Tigrani bellum faceret, Tigrani nulla auxilia miſit, ſed potius miſſis legatis pacem inter eos fecit.* Dio. lib. 37.

Antiochus Syriæ rex, qui hactenus per octodecim annos in Cilicia regnante Tigrane delituerat, petit à Pompejo Syriæ regnum, ſed repulſam patitur, quòd ſuum regnum defendere nunquam potuiſſet, & quæ adempta erant Tigrani, Pompejus, ut Syriam, Phœniciam, & Ciliciam in provincias redegit. *Juſtinus.* Armenia verò minor traditur Dejotaro Galatiæ regi, quòd auxilia Pompejo adduxiſſet, & Paphlagonia redditur Attalo, &c.

Antipater Sidonius Poeta, qui victoriam M. Terentii Luculli de Beſſis epigrammate celebravit, floret. *Suid.*

Annus Nabonaſſaris 684. *Et annus Philippi ac mortis Alexandri* 260. *incipit die* 8, *Sept. fer.* 1.

Horatius Venuſinus Poeta naſcitur 2. Decemb.

Cicero defendit hoc anno Cornelium de majeſtate reum, & Catilina iterum accuſatur de repetundis, ſed pecunia data elabitur. *Cic.*

Cenſores *hoc anno fuerunt Q. Luctatius Catulus, & M. Licinius Craſſus, qui quod conſentire non poſſent de danda civitate iis, qui trans Padum ſunt, magiſtratu ſe abdicarunt.* Dio.

Magiſtratum autè inierunt, circa diem 30. *Octob.*

Coſſ. L. Julius Cæſar.
C. Martius Figulus.

ANNO MUNDI 3886. *ante* C. *N.* 62.

E. ⊙ 2. ☽ 14.

Annus à Roma condita numeratus 689.

Annus Hyrcani Pontificis Judæorum 14.

Pompejus cùm res in Albania compoſuiſſet, movet in Syriam, eamq; in provinciam redigit. Plutarch.

C. Julius Cæſar, *ut Syllæ crudelitatem vindicaret, in exercenda de ſicariis quæſtione, eos quoque ſicariorum numero habuit, qui in proſcriptione Syllana ob relata civium Romanorum capita pecunias ex ærario acceperant: quo judicio multi condemnati ſunt. Catilina etiam reus factus, pecuniâ judicium corrupit.* Aſc. Dio.

Olympias 179. *acta die* 12. *Auguſti. Eſt annus Olympiadicus* 713.

Victor Stadii *Andreas* Lacedæmonius.

Annus Seleucidarum Alexandræus 249. *incipit die* 25. *Sept. fer.* 5.

Apollodorus Pergamenus Græcus orator floret. *Suid.*

Cicero hoc anno auctus eſt filiolo poſt orationem pro Gallio, qui accuſatus fuerat de ambitu, ſed oratio intercidit. Inde petivit conſulatum, & orationem habuit in competitores conſulatus, quâ territus Catilina nova conſilia agitat de trucidando conſule, & deinde de trucidanda tota nobilitate. Ideò Cicero primus conſul eſt renunciatus, cui collega poſt additus Antonius. *Cic.*

Cenſores *hoc anno fuerunt L. Aurelius Cotta, & Q. Cæcilius Metellus pius; hic in magiſtratu mortuus eſt, ille ſe abdicavit.* Tab. Cap.

P. Servilius Rullus Tribunus plebis legem agrariam promulgat, ut decemviri creentur, qui Italiam totam, Syriam univerſam, eaque omnia, quæ virtute Pompeji recens imperio Romano adjecta erant, in poteſtate haberent, venderent quicquid publicum populi Romani eſſet, Colonias deducerent, pecuniam ex ærario caperent, milites conſcriberent & alerent, &c.

Romæ Rempubl. accipiunt plenam ſolicitudinis & timoris circa 20. *Octobris:*

Coſſ. M. Tullius Cicero.
C. Antonius.

Cùm multa prodigia facta eſſent toto anno, quæ recenſet, Dio & Plutarch. *Ecclipſis etiam Lunaris accidit circa tempus, quando Latina celebrabantur; cujus mentionem facit Cicero lib.* 2. *de ſuo conſulatu his verſibus:*

Quod fermè dirum in tempus cecidere Latinæ,
Cùm claram ſpeciem concreto lumine Luna
Abdidit, & ſubitò ſtellanti nocte perempta eſt.

Latinæ autem celebrantur ſtatim primo menſe, quando conſules magiſtratum iniiſſent, ut ex Romana hiſtoria patet.

Hæc ecclipſis accidit die 7. *Nov. fer.* 6. *horis* 2. 24ʹ, *poſt mediam noctem Romæ. Latitudo Lunæ vera* 37 58ʹʹ. *Semidiameter* 26, 4. *digiti ecclipticí* 9. *ferè.*

ANNO MUNDI 3887. *ante* C. *N.* 61.

D. ⊙ 3. ☽ 15.

Dum *Pompejus* in Syria res gerit, Mithridates nova conſilia agitat, & per Scythiam, circumeundo Pontum Euxinum, ad Iſtrum tranſire, & inde in Italiam irrumpere conatur. At verò cùm ſui abhorrerent à tam periculoſo itinere, & ingens terræmotus, quo plurimæ urbes concidebant, ſimul incideret, filius *Pharnaces* de occidendo parente conſilia init. Mithridates verò cùm filio perſuadere non poſſet, ut ſibi parceret, uxoribus, pellicibus & filiabus, venenum dedit; ipſe cùm veneno non poſſet, gladio ſe interficere voluit, ſed cùm ne hoc procederet, Gallo cuidam ſe occidendum dedit. *Dio.*

Pompejus dum Damaſci eſt, audit cauſam fratrum Hyrcani & Ariſtobuli; inde cùm audiſſet Mithridatem occiſum, in Judæam movet, & Ariſtobulum, qui fraude omnia videbatur agere, in vinculis habet, & Hieroſolymam admiſſus, templum oppugnat, idque capit tandem, cùm Judæi feriâ ſeptima hoſtibus non reſiſterent, menſe 3. in Jejunio, qui dies eſt 17. menſis Thamutz, inciditq; hoc anno in diem 4. Julii, feriam ſeptimam. Ceciderunt Judæorum ad 12 millia. *Pompejus* intravit templum, & cum ipſo alii viderunt menſam, candelabrum & alia, ſed in Sanctum Sanctorum, ut quidam affirmant, non introiit, nec quicquam ex templo, abſtulit; ſed juſſit iterum purgare templum, & Pontificatum Hyrcano reddidit, abſque regno tamen, & Ariſtobulum ſecum Romam

abduxit. Ariſtobulus ita præfuerit regno annis ſex, menſibus tribus, non ut Joſephus habet, annis tribus & menſibus ſex. *Joſeph.*

Auguſtus Cæſar naſcitur 9. Calendas Octobr. die 22. Septembris antiqui, qui ad Calendarium Julianum incidit circa initium menſis Julii, quando Sol fuit circa 10. gradum Cancri. Natus autem eſt horoſcopante Capricorno, unde conſequens, quòd natus ſit veſpertino tempore. Falſum igitur eſt, quod ſcribitur, eum natum matutino tempore, & cùm de conjuratione Catilinariâ ageretur, quæ accidit poſt ſeſquimenſem.

Catilinæ conjuratio incipit palàm fieri menſe Octobri. Cùm enim die 21. Octobris antiqui, comitia conſularia indicta eſſent, ea propter hanc conjurationem dilata ſunt. Eodem die Senatusconſultum factum, ut viderent conſules, ne Reſpubl. quid detrimenti caperet. In comitiis porrò conſul Cicero loricâ indutus fuit, & ſtipatus multis amicis; & Catilina in petitione conſulatus repulſam tulit. Conveniunt ergo conjurati noctu, die 6. Novembr. decernitur ibi, ut Cicero per duos equites interficeretur. & urbs deſcribitur ad incendia; die 8 Novemb. cùm Catilina in Senatum veniret, Cicero habet primam Catilinariam: Inde Catilina urbe excedit cum faſcibus & ſecuribus.

Sequenti die Cicero alteram Catilinariam habet, & poſtea conſulem Murenam defendit. Die 2. Decemb. conjuratio planè detecta eſt, & ſontes deprehenſi & 5. Decembr. necati. & Cicero quaſi in triumpho domum deductus eſt. Dio. & Cic.

C. *Julius* Cæſar fit Pontifex maximus, cùm nondum eſſet Prætorius. & ſenes honoratiſſimos in ea petitione vicit; quod factum eſt, cùm electionis poteſtatem ad plebem per tribunos retuliſſet, apud quam plurimùm poterat. *Dio.*

Lucullus *etiam hoc anno adjuvante Cicerone triumphavit.*

Romæ circa diem 30. Octob. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. D. Junius Silanus.
L. Licinius Murena.

Initio anni Catilina in agro Piſtorienſi cum exercitu caſus eſt, Duce Petrejo, cùm Antonius Proconſul ſimularet ſe ægrotare. Antonius imperator appellatus, ſtatim profectus eſt in Macedoniam, eoque laureatos faſces pertulit, ubi magna clade victus eſt. Livius obſ.

ANNO MUNDI 3888. *ante C. N.* 60.
C. ☉ 4. ☽ 16.

Senatus inquirit de conſciis conjurationis Catilinariæ, eoſq; ſeverè punit. Metellus Nepos contra Tribunus plebis litem intendit Ciceroni, quòd cives abſq; populi judicio condemnaſſet. Sed Senatus protexit Ciceronem, & Senatusconſultum fecit, quo hoſtem Reipubl. declaravit, qui hujus rei cauſâ Ciceronem vexaret. *Dio.*

Metellus *de Creta Inſula triumphat, & Creticus appellatur.*

Nepos Tribunus plebis iterum turbat, & Pompejum ad urbem revocat, ad conſtituendam Rempub. reliqui Tribuni, & inter hos Cato, reſiſtunt; inde tumultus exoritur tantus, ut Senatusconſultum fieret, viderent conſules, ne Reſp. detrimenti quid caperet. *Dio.*

C. Julius *Cæſar hoc anno Prætor fuit.* Dio.

Cicero hoc anno domum emit in Palatio, & orationem habet Metellinam, cujus ipſe meminit, ad Att. item pro Sylla.

Pompejus *adhuc in Aſia res componit, & M. Piſonem legatum ſuum mittit ad petendum conſulatum, qui etiam ſtatim conſul renunciatus eſt, cùm omnes metuerent Pompeium.*

Caſſander Sicambrorum rex, cùm annos 21. regnaſſet, moritur. Hic Gothos, qui iterum ex Scandia in Germaniam eruperant, auxilio Doringorum vicit, & repulit. Succedit ipſi filius *Antharius*, qui regnat annos 34. *Trith.*

P. Clodius adoleſcens audax & inſolens, Pompejæ C. Cæſaris uxoris amore captus, eam vitiavit; & extremo hoc anno cùm ſacra Bonæ Deæ pro populo fierent, in opertum cum veſte mulichri venit, ſperans ſe, quòd imberbis eſſet, clàm eſſe poſſe: ſed ab ancilla quadam ex voce, cùm loqueretur, agnoſcitur, & foras ejicitur. Cæſar tamen eum non accuſavit, quod ſciret eum judicium pecuniâ corrumpere poſſe; ſed uxori repudium miſit. *Dio.*

Romæ circa diem 19. Octobr. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. M. Pupius Piſo.
M. Valerius Meſſala.

ANNO MUNDI 3889. *ante C. N.* 59.
BA. ☉ 2. ☽ 17.

Sacra Bonæ Deæ, quæ Clodius polluerat, judicio Pontificum inſtaurantur, & Clodius accuſatur, de violata religione, de ſeditione ad Niſibin, & quòd ſororem ſtupraſſet. Sed elabitur judicio, cùm judices pecuniâ corrupiſſet. Dion.

C. *Pomtinius* Gallos Allobroges, qui rebellaverunt, domat, totumq; eorum exercitum capit, excepto rege. *Dio.*

Domitius Ahenobarbus die 17. Sept. antiqui, ad Julianum circa initium Julii, cùm ædilis eſſet, urſos Numidicos centum & totidem venatores Æthiopes in Circo dedit. *Plin. lib 8. cap.36.* Hoc anno populus, cùm totum diem hactenus ſpectaviſſet, ludos interrupit, & domum pranſum abiit, & poſt redit. *Dio.*

Pompejus, *cùm in Italiam reverteretur, ſciretq; ſe metui à civibus, totum exercitum Brunduſii dimiſit, & privatus Romam rediit, triumphavitque die ſuo natali, die 29. Septembris, qui verè fuit primus Auguſti Juliani: Cujus triumphi præfatio fuit, quòd oram maritimam a prædonibus liberaſſet, & imperium maris populo reſtituiſſet, atque ita ex Aſia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, de Scythis, Judæis, Albanis, Iberis, & Inſula Cretâ, Baſtarnis, & ſuper hæc de Regibus, Mithridate & Tigrane triumphavit. In hoc triumpho* Magnus *conſalutatus eſt.*

Annus Nabonaſſaris 688. & annus Philippi ac mortis Alexandri 264. incipit die 7. Sept. fer. 5.

Conjuratio Nobilitatis fit in Helvetia, de invadenda Galliâ ut teſtatur Cæſar. Præparantur itaque, quæ ad expeditionem faciunt.

Q. Cicero, Marci frater, cum prætores provincias ſortirentur, Aſia ipſi obtigit, quam obtigit triennium.

C. Cæſar Prætor in Hiſpania Gaditanum populum ſummis ornamentis afficit, & controverſias ſedat, & barbariem eorundem diſciplinâ inſtituta ſedavit. Cic.

Cenſe-

Cenſores *hoc anno fuerunt P. Servilius Iſauricus & Mamercus Æmilius Lepidus; luſtrum condiderunt 69. princeps Senatus lectus* Q. Catulus. *Priusquam hi cenſores magiſtratum inirent,* Cicero pro Archia *orationem habuit.*

Romæ circa diem 28. Octob. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. Q. Cæcilius Metellus Celer.
L. Afranius.

ANNO MUNDI 3890. *ante C. N.* 58.
G. ☉ 6. ☽ 18.

Annus ab urbe condita numeratus 693.
Annus Hyrcani Pontificis 18.

Die toto ſereno, inquit Julius Obſequens, circa horam diei undecimam nox ſe intendit, & deinde reſtitutus eſt fulgor.

Quibus verbis procul dubio ecclipſin Solarem deſcribit, quæ invenitur quidem ad haſce tabulas, & etiam in tabulis Prutenicis, quod acciderit die 16. Martii, fer. 6. Sed in utrisq; medium ecclipſis exhibetur hora ſexta, qua tum Sol occidit. Ideò initium hujus ecclipſis Romæ tantum viſum fuit, ſed in Hiſpania ea tota conſpecta fuit, & fulgor Solis rediit.

Pompejus cùm ad urbem venisset, operam dederat, ut & Cæcilius & Afranius conſules fierent, ſperans hoſce ipſi adjumento futuros, ad ea quæ vellet, in republica obtinenda. At verò Afranius ſocors erat, & ſaltationibus aptior, quàm rebus gerendis. Metellus verò cùm Pompejus vellet, ut omnia acta ſua à populo Romano approbarentur, apertè ipſi reſiſtit, voluitque ut de ſingulis ſuis actis ſeorſim referret. Contentio adeò exarſit ut Flavius Tribunus plebis conſulem in carcerem detruderet; cumq; univerſus Senatus conſulem in carcerem ſequi vellet, Pompejus pudore ſuffuſus conſulem dimitti juſſit. Dio.

Clodius, ut inimicis ſuis nocere poſſet, legem ferri curat, ut & patritiis Tribunatum gerere liceret; cùm id non perficere poſſet, ad plebem tranſit, ſed Metellus obſtitit ipſi, negavitque Clodium hoc modo plebejum fieri poſſe; ideò Clodii conatus fruſtrà fuit. *Dio.*

Metellus Nepos latâ legè per totam Italiam vectigalia abrogat, id quod plebi gratiſſimum fuit. *Dio.*

Olympias 180. acta die 29. Julii. Eſt annus Olympiadicus 717.

Victor Stadii *Andromachus* Ambracioſa.

Annus Alexandræus Seleucidarum 253. incipit die 12. Sept. fer. 3.

Diodorus Siculus venit ad Ptolomæum, qui ſe voluit vocari Dionyſium, tum temporis, quando nondum erat rex, & amicus populi Romani appellatus; ut hanc appellationem obtineret, & haberet quod dare poſſet, cùm omnia Romæ eſſent venalia, Ægyptum exactionibus affligit. *Diod. Sic.*

Cicero *impedit, ne fratri ſuccedatur in Aſia & ſcribit commentarios & verſus de ſuo conſulatu.*

Julius Cæſar in prætura ſorte Hiſpaniam obtinuerat, ubi obvenit ipſi equus fiſſis ungulis, qui neminem ſeſſorem admittebat, præterquam Cæſarem; ſomnium præterea habet, ſe cum matre congredi, ideò ad ſumma quæque contendere conatur, & bella ex bellis ſerendo tantas res agit, ut triumpho dignæ eſſent. Sed etiamſi feſtinaret ad urbem, ut triumpharet, & poſt conſulatum peteret; tamen triumphi ſpem abjicere cogitur, cùm ſeriùs veniſſet, & conſulatum adeptus, ut ad ſumma pervenire poſſet, Pompejum & Craſſum diſſentientes in concordiam redigit, fœdus cum ipſis facit, ut ſe invicem adjuvarent, & nullus alteri reſiſteret. Hinc factum, ut & Senatus in partes ſcinderetur, ſolus *Cato* cum pauciſſimis, quæ rempubl. ſpectarent, ſincerè curabat. *Dio.*

Magiſtratum igitur ineunt circa diem 17. Octobris Juliani:

Coſſ. C. Julius Cæſar.
M. Calpurnius Bibulus.

ANNO MUNDI 3891. *ante C. N.* 57.
F. ☉ 7. ☽ 19.

Cæſar conſul, conſentientibus Pompejo & Craſſo, legem ferre conatur, ut, quicquid agri publici in Italia eſſet, populo Romano divideretur. Senatores cùm legem reprehendere non poſſent, tacent: Cato legi repugnat, ideò à Cæſare in carcerem abducitur, ſequente Petrejo, qui dixit, ſe malle cum Catone in carcere eſſe, quàm cum Cæſare in Senatu. Cæſar pudefactus Catonem dimitti jubet; & cùm obtinere non poſſet, ut Patres autores legis fierent, ad plebem hoc defert, ubi Collega *Bibulus*, qui impedire conabatur legem, malè à plebe tractatus eſt: ideò domi ſe continuit poſtea, & dum putat ſe augere Cæſari invidiam, auxit ejus potentiam. Lex enim perlata eſt ſuadente Pompejo & Craſſo, atq; ita circiter viginti hominum millia in agrum deducta ſunt, & Capua jus civitatis recuperavit, quod oblatum erat ante annos 152. *Vellej. Dio.*

Cæſar lege Vatiniâ Illyricum & Galliam Ciſalpinam in quinquennium cum tribus legionibus à plebe impetrat. Senatus præterea etiam Galliam transalpinam cum una legione adjecit. Hæc ut firma faceret Cæſar, Pompejo nuptum tradit filiam ſuam *Juliam*; ipſe verò ducit filiam *Calpurniam* Piſonis, futuri conſulis. *Dio.*

Ptolomæus rex Ægypti, ut ſocius & amicus populi Romani appellaretur, Cæſari dedit ſex talentorum millia, hoc eſt, ferè quinquagies quater aureorum centena millia. *Appianus.*

Evenus Scotorum rex, cùm annos 17. regnaſſet, moritur; ſuccedit *Ederus*, qui regnat annis 48. *Buchan.*

Meſſala Corvinus orator, item *T. Livius* hiſtoricus naſcitur. *Euſeb.*

Annus ſabbathicus tertius Jobelei Judaici 29. incipit die 31. Auguſti Jul. fer. 7. Eſtque hebdomas Danielis 53. Anno Jud. 3703.

Cicero orationem pro Flacco habet, item pro C. Antonio, qui provinciam Macedoniam malè adminiſtraverat, qui etiam damnatur, & in Cephaleniam inſulam in exilium ejicitur. In illa oratione Cicero acerbiſſimè perſtrinxerat Cæſarem, ſed Cæſar vindictæ non cupidus Ciceronem invitat, ut ſuus legatus eſſe velit in Galliis; cùm ne hoc impetraret, & videret Ciceronem adeò ſibi eſſe inimicum, ut ne honorem quidem à ſe accipere vellet, Clodium *ad plebem traducit, ita ut adoptaretur à P. Fontejo, qui tamen ætate minor erat, & perficit, ut Clodius Tribunus plebis fieret, quò Ciceroni nocere poſſet.* Cicero.

Romæ circa diem 27. Octob. Juliani, Magiſtratum ineunt:

Coſſ. L. Calpurnius Piſo.
A. Gabinius.

ANNO MUNDI 3892. *ante C. N. 56.*
b. ⊙ 8. ☽ 1.

Clodius populo Romano frumentum gratuitò dividit, ut favore ejus validior eſſet ad Ciceronem evertendum. Ciceroni verò perſuadet, ne legibus ſuis adverſari velit, ſe nihil contra ipſum moliturum: quare deceptus Cicero, ſe opportunum injuriis fecit, & poſtea, cùm Cæſar & Pompejus diverſa inter ſe ſuaderent, ſtatuit Pompejum ſequi, à quo poſtea proditur, & in exilium ultrò proficiſcitur: inde lex lata, ut bona ipſius publicarentur, & ipſi ultra quadraginta millia liceret eſſe. Abiit urbe circa finem Martii, qui ad Calendarium Juliani in finem Januarii incidit. Inde cùm in Siciliam non reciperetur, Brundufium abiit, & poſtea in Macedoniam ad Plancium venit. *Cic.*

Die 11. Sextilis cùm Pompejus in Senatu eſſet, ſervo Clodii ſica de manibus excidit, quæ ad conſulem Vatinium delata eſt. Quæſtione habita ſervus dixit, ſibi à Clodio imperatum, ut Pompejum occideret; quare Pompejus domi ſe continuit. auſus verò fuit etiam alia Clodius. Nam Tigranem juniorem, qui adhuc in vinculis erat, carcere exemit, ideò Pompejus. cùm aliàs etiam de revocando Cicerone in Senatu actum eſſet, reſtitutionem Ciceronis impenſè adjuvit. Cicero.

Ptolomæus, qui in Cypro reſidebat, fœdere junctus erat Romanis, ſed Clodium olim à Piratis captum non redemerat, ideò Clodius legem fert, de rege Cypri, ut ejus bona publicarentur, & Cyprus in provinciæ formam redigeretur. Facilè id Clodius populo perſuaſit, cùm inhiaret regis divitiis. Rex hoc accepto nuncio venenum ſumit, & Clodius, quòd *Cato* ſuis conatibus reſiſteret, eum in Cyprum mittit. qui Cyprias opes Romam advexit navibus, atque ita populus Romanus jus ejus inſulæ avarius magis, quàm juſtius eſt aſſecutus. *Sext. Ruff.*

Archon apud Athenienſes *Herodes.*

Cæſar *in provinciam profectus, Helvetios ſedem in Galliis quærentes, reprimit, & in Helvetiam redire cogit. Inde* Arioviſtum *Germanum, amicum populi Romani ita aggreditur, ut cauſam juſtam belli nactus eſſe videretur, eumque acerrimâ pugnâ vincit, & Galliâ expellit.* Cæſ. Dio.

Romæ circa diem 7 Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. P. Cornelius Lentulus Spinter.
Q. Cæcilius Metellus Nepos.

Lentulus cùm magiſtratum iniiſſet, nihil priùs ſibi agendum putavit, quàm ut de Cicerone ſententias rogaret. L. Cotta reſpondit: Nihil de Cicerone actum eſſe jure, nihil more majorum, nihil legibus, proinde lege nullâ opus eſſe: Sed Pompejus cenſuit, ad Senatûs auctoritatem beneficium populi adjungendum eſſe. Cauſa poſtea ad populum lata eſt 25. Januar. qui in initium Decemb. Juliani incidit, eo die Clodiani, cæde in foro factâ, ſanguinis flumine reditum Ciceronis intercludendum putarunt, ubi Q. frater Ciceronis inter cadavera tanquam occiſus jacuit. Cùm verò Quæſtores nondum creati eſſent, nec judicia conſtituta, nec Clodius accuſari poſſet; Milo ſuo ſumptu gladiatores emit, & Clodio reſtitit. Cic.

ANNO MUNDI 3893. *ante C. N. 55.*
DC. ⊙ 9. ☽ 2.

M. Calidius Orator clarus habetur, qui poſtea bello civili Cæſarianas partes ſecutus, cùm Togatam Galliam regeret, Placentiæ obiit. *Euſeb.*

Primò vero Belgæ, ſibi à Cæſare tot victorias obtinente, metuentes, bellum Rhemis ſociis populi Romani faciunt: eos Cæſar prælio vincit, ut & reliquos, qui poſt advenerunt, Nervios, & Advaticos, eoſque, cùm non ſincere pacem petiiſſent & præſtarent, haſtæ ſubjicit. Romani ob tantas res geſtas Cæſari quindecim dierum ſupplicationem decernunt.

Lex *de revocando Cicerone tandem perfertur 4. Sextilis menſis, urgente conſule & Anno Milone Tribuno plebis; Senatus gratias agendas cenſuit civitatibus, quæ Ciceronem recepiſſent. Die igitur quarto Septembris Romam venit, ubi maximo plauſu & gratulatione a Romanis exceptus fuit,* ut ipſe teſtatus.

Alexander, Ariſtobuli Judæorum regis captivi filius plurimum in Judæa tumultuatur, & totam regionem incurſionibus vaſtat, munitq; Alexandriam & alias arces: Sed cùm Gabinius in provinciam veniſſet, Hyrcanus Gabinio auxilia mittit, & cum Alexandro pugnat, eumque obſidet in caſtro Alexandrio, quod tandem deditur, & diruitur; interim Gabinius multas urbes in Judæa deſtructas inſtaurat, & in certis locis judicia conſtituit, ut omnia rectius adminiſtrarentur.

Ptolomæus rex Ægypti, cùm Ægyptum pecuniis ſpoliaſſet, & Romanis, quòd Cyprum occupaſſet, ſe opponere nollet, regno pellitur, Romamq; venit, & petit ſe reſtitui: legatos etiam Ægyptiorum, qui venerant ad ſe accuſandum apud Senatum, vel interficit, vel pecuniâ corrumpit. Cùm verò Romani jam de reſtituendo Ptolomæo agerent, carmen Sibyllinum invenitur, quo Romani prohibentur exercitum in Ægyptum mittere. Diu igitur Ptolomæus Romæ hæſit, & tandem de reditu deſperans, Epheſum abiit. *Dio. l. 39.*

Annus Nabonaſſaris 692. & annus Philippi ac mortis Alexandri 268. incipit die 6. Sept. fer. 2.

Cùm fame Romani laborarent, Cicerone autore Pompejus rei frumentariæ præficitur per quinquennium, cum plena poteſtate per totum terrarũ orbem.

Romæ circa diem 17. Novemb. Juliani, magiſtratum ineunt:

Coſſ. Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus.
L. Martius Philippus.

ANNO MUNDI 3894. *ante C. N. 54.*
B. ⊙ 10. ☽ 3.

Annus à Roma condita numeratus 697.

Annus Hyrcani Pontificis Judæorum 22.

Cicero *maximoperè contendit in Senatu, ut Lentulo, qui provinciam Ciliciam obtinebat, reductio Ptolomæi decernatur; ſed id fruſtrà fuit. Orationes poſtea habet pro Sextio, in Vatinium teſtem, de Haruſpicum reſponſionibus, qui aream domus ſuæ Libertati dicatam aſſerebant; de provinciis conſularibus, ne Gallia Cæſari eripiatur; pro Balbo, pro Cœlio,* &c.

Olympias 181. acta die 14. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus 721.

Victor Stadii *Lamachus* Tauromenita.

Annus

Annus Seleucidarum Alexandrum 257. incipit die 26. Sept. fer. 2.

Piſo Frugi, gener *Ciceronis*, ſuperiori anno obierat: ideò Tullia filia, cùm maritum eluxiſſet, deſpondetur hoc anno *Furio* Craſſipedi. *Cic.*

Cùm Cæſar in Galliis nimium creſceret, Pompejus & Craſſus clanculùm invidia moti conſulatum alterum ſibi petendum decernunt, ut hoc modo provincias obtineant, quibus potentiam ſuam confirment. Dio.

Cæſar Venetos ad Oceanum ferè in mari habitantes prælio navali vincit, inde in Morinos & Menapios arma vertit, ſed fruſtra ibi æſtatem exigit, interim tamen per Sabinum legatum Unellos vincit, Apiatesque ad Pyreneos montes per Craſſum, Craſſi filium, in poteſtatem redigit, & poſtea exercitum in hyberna diſtribuit. ipſe in Italiam Lucam diſcedit, eoq; evocat Pompejum & Craſſum, conſentiuntque in eo, ut hi alterum conſulatum peterent, & provincias in quinquennium, & Cæſari Gallias in triennium. Pompejus cùm Romam reverſus eſſet, cùm conſulatum petere non poſſet, curat ut interregnum ineatur, atque ita cum Craſſo iterum creatur conſul.

Ineunt ergo magiſtratum circa initium Decembris Juliani:

Coſſ. Cn. Pompejus Magnus II.
M. Licinius Craſſus II.

ANNO MUNDI 3895. *ante C. N.* 53.
A. ☉ 11. ☽ 4.

Hyemis tempore Uſipetes Germani à Suevis pulſi in Galliam transeunt, locumque à Cæſare ad habitandum petunt: quo non impetrato, dum reditum in Germaniam parant, quidam eorum Cæſaris equites invadunt: Dum verò de hac re legatos ad Cæſarem mittunt, invaduntur ab equitibus Cæſaris in caſtris, & ferè internecione delentur, equites tantum elapſi ad Sicambros perfugiunt. Cæſar profugos à Sicambris dedi poſtulat, & hisce non redditis, cùm ab Ubiis contra Sicambros accerſeretur Rhenum ponte facto tranſit, ſed poſt viginti dies reſciſſo ponte redit. Facta hæc in vere, Pompejo conſule. *Dio.*

Conſules hoc anno Pratores, Ædiles, & Tribunos fecerant, quos voluerunt, Catonem etiam pratura excluſerant: nec tamen abſque tumultu hic annus tranſiit. Dum enim tribunum plebis ſubornant, qui legem ferat, ut alteri conſulum Syria, alteri Hiſpania in quinquennium cum exercitu conferatur, multi qui Rempub. amabant, ſe oppoſuerunt, Cato inprimis & Favonius, unde tumultus exortus, in quo aliqui caſi fuerunt. Pompejus tumultum ſedaturus ſanguine conſpergitur, quem videns ita cruentum conjux, Julia Cæſaris filia, exterrita abortum fecit. Dio.

Gabinius in Syria exercitum contra Parthos educturus literas accipit à Pompejo, ut Ptolomæum regem in regnum Ægypti reduceret. Multa igitur pecuniâ à Ptolomæo acceptâ & promiſſâ, exercitum in Ægyptum ducit, Alexandrinos prælio vincit, Archelaum, quem ſibi præfecerant, Ægypto pellit & Ptolomæum regem iterum facit. *Dio.*

Alexander Ariſtobuli filius, dum Gabinius in Ægypto eſt, iterum exercitum triginta millium colligit & Judæam ſubigere conatur, & multos Romanorum in præſidiis trucidat. Sed Gabinius ex Ægypto reverſus, prælio vincitur, & ægrè evadit, deliteſcitq; uſq; ad bellū civile Cæſaris & Pompeji. *Joſeph.*

Cicero, *cùm in Republ. omnia vi agerentur, ad libros ſuos revertitur; ſcribit libros de Oratore, & Orationem habet in Piſonem, &c.*

Demetrius Pompeji libertus tantam pecuniam corraſerat, ut *Theatrum* Romæ ædificaret. Id verò ne Pompejo infamiæ eſſet, Pompejus ipſe dedicat, ubi quinq; diebus quingenti leones confecti ſunt. Ultimo die elephanti pugnarunt, qui pleriq; confecti ſunt, reliqui miſericordiam viſi ſunt implorare populi, atq; ita invito Pompejo ſervati ſunt.

Cæſar hoc anno in Britanniam tranſiit, eosque vicit, & obſides pacis ab iis accepit, indeq; ingruente hyeme rediens, motus Gallicos compoſuit; ob id ipſi viginti dierum ſupplicationes Romæ decretæ ſunt. *Cæſ. & Dio.*

Cenſores *hoc anno fuerunt M. Valerius Meſſala Nigell. & princeps Senatus lectus Mam. Æmil. Lep.*

Magiſtratum ineunt circa diem 20. Novembris Juliani:

Coſſ. L. Domitius Ahenobarbus.
Ap. Claudius Pulcher.

ANNO MUNDI 3896. *ante C. N.* 52.
G. ☉ 12. ☽ 5.

Gabinius, victo Alexandro, Hieroſolymam profectus res conſtituit, inde adverſus Nabathæos etiam profectus eos etiam vincit, & res quidem non contemnendas gerit: ſed avaritia infamis fuit, adeò ut Dio etiam affirmet, eum expilaſſe Syriam, & quatermillies inde exportaſſe, hoc eſt plus, quàm ſeptendecim milliones. Ideò in æſtate in Italiam rediens noctu Romam ingreſſus eſt, ſed quod Tiberis Romam inundaſſet, plurimumq; damni dediſſet, plebs augurata, hæc ob neglectam religionem fieri, Gabinium in judicium pertraxit, accuſante Cicerone. Sed Gabinius fretus Pompejo, & data pecuniâ effecit, ut abſolveretur. Non diu poſt urgente plebe, iterum Gabinius de repetundis accuſatur, ſed à Cicerone, Pompejo hoc volente, defenditur: nihilominus tamen damnatur, & in exilium ejicitur. Sed Cicero hiſce diverſis actionibus malè audiit, & *Transfugæ* nomen reportavit. *Dio.*

M. Craſſus, primo vere in provinciam abiturus, ſacrificat in Capitolio, ut moris erat, at Tribuni plebis, cùm lege non poſſent eum retinere, & vi vincerentur, omnia ipſi mala imprecantur. At ille hoc modo in Syriam veniens, cùm non haberet, quod ageret, Hieroſolymam venit; ibi cuſtos theſaurorum Eleaſarus, ne Craſſus templum ſpoliaret, offert ipſi trabem auream pondo ſeptingentorum, & quinquaginta librarum auri. Sed Craſſus contra datam fidem aufert ex templo ultra decem millia talentorum; quâ injuriâ Judæi moti, poſtea nihil aut parum in templo repoſuerunt, ſed reditus in ædificando templo & in aliis rebus conſumpſerunt. *Joſeph.*

Craſſus verò inde in Meſopotamiam movit, Parthorumq; regi Orodi bellum infert, etiamſi ipſi bellum indictum non erat, nec cauſam haberet, ſed ut Parthos ſpoliaret: &

quidem in Meſopotamia aliquot urbes diripuit, & in Syriam in hyberna redit. *Dio.*

Cæſar *primo ver: naves ædificat, & claſſem comparat & in Britanniam iterum trajicit, iisq; devictis tributum imponit, & paulò ante æquinoctium, ut ipſe ſcribit li.5. & ut ad Ciceronem ſcribit,* lib.4. epiſt.15. ad Atticum, *die 25. Septembris in Gallias rediit, in Italia hybernaturus. At verò ineunte hyeme ingens motus Gallia contra Romanos inſurrexit, initio facto ab Eburonibus, qui Cottam & Sabinum in hybernis aggreſſi, eos in fraudem deductos, cum legione trucidant, inde aſſumptis Nerviis, Q. Ciceronem legatum in hybernis obſident, qui liberatur adventu Cæſaris, qui nondum Italiam attigerat. Interim Labienus Treviros vincit: propter hosce motus coactus eſt Cæſar in Galliis hyemare.* Dio. Cæſ.

Romæ per auſpicia & turbas in Republica, comitia creandis conſulibus nulla habita, uſque in ſeptimum hujus anni menſem in Auguſtum ferè ſequentis anni relata ſunt. Nulli igitur fuerunt magiſtratus Curules, atq; ideò nec Prætores, nec Ædiles, nec Quæſtores.

ANNO MUNDI 3897. *ante* C. *N.* 51.
FE. ☉ 13. ☽ 6.

Craſſus cùm in Parthiam properaret, multis prodigiis territus eſt. Aquila enim ſignum militare diu à militibus moveri non potuit, ingens etiam coorta eſt tempeſtas, quæ pontem, quo traducebatur exercitus, disrupit, acceſſitq; ominoſa vox: Neminem hac in Syriam rediturum. Ipſe Craſſus uſus eſt conſilio auguris, qui Parthorum partibus occultè fovebat, & omnia Romanorum conſilia Parthis prodebat, ideò Craſſi filium in inſidias deduxit, ubi occiſus eſt, & milites Romani multiplici clade interempti ſunt; ipſe Craſſus, cum Carrhis ſe non crederet, & undiq; à Parthis pelleretur; colloquii ſpecie deceptus, captus & interfectus eſt, mortuoq; aurum liquefactum ori infuſum.

Caſſius cum paucis in Syriam effugit, ibique quantum potuit, exercitum reparavit. *Dio.*

Julia conjux Pompeji, medium concordiæ pignus inter Pompejum & Cæſarem, moritur; ut & filius Pompeji ex Julia, adhuc ante tertium conſulatum Pompei. *Vellej.*

Curio promptus orator claret, qui poſt à Cæſare ad recipiendam Africam miſſus, cùm Varum fugaſſet, ſubitum Jubæ adventum ſuſtinere non potuit: patebat victo fuga, ſed pudor ſuaſit, ut amiſſum ſuâ temeritate exercitum, morte ſequeretur. *Florus.*

Tandem magiſtratus circa menſem Auguſtum creantur, & quidem.

Coſſ. Cn. Domitius Calvinus.
M. Valerius Meſſala.

Cùm largitionum modus nullus fieret, ut homines magiſtratus adipiſcerentur, nec leges de ambitu latæ eum frenare poſſent, Senatusconſultum fit, ut qui conſules, prætoresve fuiſſent, tandem poſt quinquennium, à magiſtratu geſto in provincias mitterentur. *Dio.*

Annus Nabonaſſaris 696. & annus Philippi & mortis Alexandri, incipit die 5. Sept. fer. 6.

Cæſar in Galliis Treviros per Labienum iterum vincit: Inde quòd Suevi Treviris auxilia miſiſſent, iterum pontem ædificat in Rheno, & copias in Germaniam traducit, ſed maturè metu Suevorum ſe recipit. Inde cùm hyems appeteret, copias in hyberna dimiſit, ipſe in Ciſalpinam profectus eſt, ut urbanis rebus propior eſſet. *Dio.*

Cicero *in locum Craſſi Augur factus, cooptatur ab Hortenſio & Pompejo.* Cic.

Maximis contentionibus in comitiis conſularibus actum eſt, Petebant, T. Annius Milo, Hypſæus, & Metellus Scipio. Ideò cùm nulli conſules creari poſſent, Calendis Januarii nulli fuerunt magiſtratus Curules, & res ad interregnum rediit. Dio.

Calendis J*anuarii antiquis nundinæ actæ ſunt, quod pro prodigio acceptum eſt, plurimaque cædes per urbem factæ ſunt.*

Milo, cum Lanuvium die 20. Januarii antiqui proficiſceretur, obvium habet P. Clodium inimicum ſuum, inde convitia jacta ad pugnam rem pertraxerunt, qua Clodius vulneratus fuit. Milo verò putans ſe in judicio facilius cædem, quàm vulnus Clodio vivente defenſurum, Clodium occidit, qui à ſuis Romam deportatus, in curia Hoſtilia, plebe tumultuante & volente, unà cum curia crematur. *Dio.*

ANNO MUNDI 3898. *ante C.N.* 50.
D. ☉ 14. ☽ 7.

Annus à condita Roma numeratus 701.

Annus Hyrcani Pontificis Judæorum 26.

Cùm tanta turba Romæ eſſent, Senatusconſulto ſolus fit,

Conſ. C. Pompejus Magnus III.

die 26. menſis intercalaris, ut habet Aſconius, *is dies ad Calendarium Julianum incidit circa finem Januarii Juliani, Is ſtatim magiſtratum init, & fert leges: Alteram de vi, qua cædes Clodii, & Curia cremata comprehendebatur: alteram de ambitu. Et utraque lex volebat teſtes dari per triduum, & accuſatorem & defenſorem uno eodemque die perorare: & accuſatori dabantur horæ duæ, reo concedebantur horæ tres: & Milo accuſatur de vi, die 11. Aprilis antiqui, defendente Cicerone, qui quòd clamore Clodianorum & corona militum turbatus eſſet, timidiſſimè peroravit, atq; ita Milo damnatus fuit, ut & Sext. Clodius, qui curiam cremaverat, & poſtea Tribunus plebis Plancus, cùm magiſtratu abiiſſet. Milonis bona propter æris alieni magnitudinem ſemuncia venierunt. Plinius dicit eum debuiſſe ſeptingenties æris alieni, hoc eſt, tricies centena millia aureorum.*

Cæſar attentus turbas Romanas, cùm audiviſſet, Pompejum tertiò conſulem factum, in Gallias quæ tumultuabantur, redit, media ferè hyeme, & Avaricum urbem expugnat & excindit. *Cæſ. lib.7.*

Olympias 182. *acta die* 30. *Julii.* Eſt annus Olympiadicus 725.

Victor Stadii *Antheſtion* Argivus.

Simulachrum Jovis Olympii in ipſis hisce ludis fulmine disjicitur. *Euſ.*

Annus Alexandræus Seleucidarum 261. incipit die 12. Sept. Eſtque annus ſabbathicus quartus Jobelei Judaici viceſimi noni, & hebdomas quinquageſima quarta Danielis. Anno Jud. 3710.

Lucretius Poeta, cui conjux Lucilia, à quo nimium amabatur, pro amoris poculo decepta, furorem propinaverat, ſibi mortem intulit, anno ætatis 44. Scripſit aliquot libros per intervalla inſaniæ, quos Cicero poſtea emendavit. *Euſeb.*

Pompejus fert legem de jure magiſtratuum, ne quis aliquem peteret abſens, lege jam in æs inciſâ, recordatus ſoceri ſui C. Cæſaris, eundem legi eximit, & huic abſentem conſulatum petere poſſe conce-

conceditr. Aſſumit ſibi poſtea in quinque reſiduos menſes collegam in conſulatu Socerum ſuum:

Q. Cæcilium Metellum Scipionem.

Qui reus de ambitu, hoc modo judicium effugit. Dio.

Cicero de finibus bonorum & malorum libros quinque perſcribit.

Cæſar, dum ferè tota Gallia in armis eſt, Gergobiam urbem obſidet, ubi audacia militum clade afficitur. Interim reliqui Galli Noviodunum, ubi obſides Gallorum à Cæſare depoſiti erant, occiſis cuſtodibus occupant, urbem exurunt, & ingens bellum Cæſari movent, ſed pauſo poſt Vercingetorix ſummus Gallorum dux, qui exercitu Cæſarem concluſerat, vincitur, ope præſertim Germanorum, quos Cæſar evocarat, & Gallorum exercitum, qui advenerat obſidionem ſoluturus, magno prælio vincit: Ceciderunt hac æſtate ad trecenta Gallorum millia, Vercingetorigem ſeſe dedentem in vinculis habet, & poſtea in triumpho ducit & occidit. Supplicatio in ſexaginta dies Romæ decreta: ſed reſtitit Cato, qui Cæſarem hoſtibus dedendum exiſtimavit, & de ſucceſſore ipſi mittendo mentionē fecit. quod & deſignatus conſul Marcellus ſuaſit, ſed Pompejus reſtitit. *Dio.*

Romæ circa diem 7. *Decemb.* J*uliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ. Serv. Sulpitius Rufus.
M. Claudius Marcellus.

ANNO MUNDI 3899. *ante C. N.* 49.
C. ☉ 15. ☽ 8.

Cæſar inquietiſſima hyberna hoc anno habuit, ſemperque expeditiones fecit, donec æſtatis tempore multis in locis per legatos ſuos, Gallos vinceret, obſides exigeret, & urbes eorundem conſtitueret. *Cæſ. lib.* 8.

Pompejus graviſſima valetudine tentatur in Campania, pro cujus ſalute tota Italia primùm omnium vota concepit. Quòd ſi tum mortuus fuiſſet, gloriam quam apud ſuperos habuerat, illibatam detuliſſet ad inferos. *Vellejus.*

Cicero ex lata lege, ut poſt quintum annum magiſtratus in provincias proficiſcerentur, Ciliciam ſortitus eſt, profectus autem ab urbe, Brunduſium venit die 20. Maji, inde lento itinere circa menſem Sextilem in provinciam venit, inde reſcribit ad Atticum, petitque ut curet, ne ſequenti anno intercaletur. *Epiſt. ad Att.*

Menſe Sextili auditur Ptolomæum regem Ægypti defunctum. *Cælius ad Cic. lib.* 8 Succedit ipſi Ptolomæus puer vix tredecim annorum, cum ſorore Cleopatra, quam uxorem duxit. *Canon. Matth.*

Marcellus conſul legem perfert de imperio Cæſari abrogando: eam diſſuadent Tribuni, & Sulpitius conſul, & aliquo modo Pompejus. Itèò decernitur tandem, ut Cæſar ſequenti anno exercitus dimittat, & privatus domum redeat. Cæſar verò, ne in poteſtate ſuorum inimicorum eſſet, de retinendo imperio conſilia init, & cum Curione, Tribuno plebis futuro, in gratiam redit, ipſius æs alienum, quum centies ſeſtertium fuit, aureorum ferè quingentorum millium, diſſolvit, & omnia conatur, ut inimicis ſuis vel par vel ſuperior eſſe poſſit. *Dio.*

Caſſius in Syria exiguo exercitu Parthos, qui Syriam vaſtabant, inſequens, magna eos clade afficit, Ducem eorum Oſacen occidit, & Syriam ab immani eorum impetu liberat. *Cic.*

Romæ circa diem 23. *Novemb. Juliani magiſtratum* ineunt:

Coſſ. L. Æmilius Paulus.
C. Claudius Marcellus.

ANNO MUNDI 3900. *ante C. N.* 48.
B. ☉ 16. ☽ 9.

Curio Tribunus plebis, cùm non obtinuiſſet de intercalando menſe, ut leges, quas propoſuerat, ferre poſſet, (Dion hic putat intercalandi tempus non fuiſſe, ſed errat. Nam ordo intercalationis id requirebat, cùm ante biennium conſule *Pompejo* intercalatum eſſet, & Cicero in provincia metuebat, ne ordinaria intercalatio obſervaretur) apertè partes Cæſaris defendendas ſuſcipit, quanquam tamen ita ſe gerit, ac ſi Reipubl. ſalutem tueretur. Proponit enim, ut uterque & Pompejus & Cæſar exercitus dimitterent. Sciebat enim Pompejum hoc nunquam facturum, unde Cæſari conſultum non erat, ut ſuum exercitum dimitteret. *Dio.*

Cùm nihil contra Cæſarem procederet, ut aliqua exercitûs parte ſpoliaretur, Senatusconſultum fit, ut duæ legiones militum in Syriam ad Bibulum mitterentur, contra Parthos & uterque Cæſar & Pompejus ſingulas dimitterent. Pompejus verò ante triennium Cæſari legionem unam utendam dederat, eam in Syriam mittendam jubet, & Cæſar alteram adderet, ita Cæſar duabus legionibus ſpoliatur: Eas C. Marcellus conſul ad Pompejum deduci jubet, unde factum, ut cùm Pompejo inimico ſuo tanti exercitus darentur, ſibi etiam liceret ſuum exercitum retinere. *Dio.*

Cæſar, ut plures haberet, qui ſuas partes ſequerentur, alterum conſulem Æmilium ſibi benevolum reddere conatur, ipſique mille & quinquaginta talenta, ſeſquimillionem ferè mittit, & rem perficit. *Dio.*

Roma ingenti incendio deformatur, quatuordecim vici igne conſumpti ſunt *Oroſ.*

Q. Hortenſius orator moritur. *Cic. in Bruto.*

Ciceroni pro re bene geſta ſupplicationes decernuntur, ejusq; filia Tulla nubit P. Cornelio Dolabellæ, qui Appium Claudium repetundarum accuſavit. Ipſe die 3. Auguſti annuum munus in provincia confecerat, & Romam profecturus Athenas venit. Tironem libertum ægrum Patris relinquit, & circa Decembrem Brunduſium venit.

Ecclipſis Solis accidit, antequam Cæſar Rubiconem tranſiret, ut Dio affirmat, *ea accidit die* 21. *Auguſti, feriâ primâ. horis poſt mediam noctem* 6 *40/ 45//. cæpit paucis minutis poſt Solis exortum, atque ita facilius obſervari potuit* *Parall. latitud.* 21/, 25//, *Vera Sept.* 3/ 19//, *viſa* 18/ 6//. *Solis* 15/, 21//. *Scrup.* 21/, 20//. *digiti* 4 49/. *S. lin* 24. 19. *Leonis.*

Cenſores hoc anno Romæ fuerunt, Ap. Claudius & L. Piſo, Cæſaris Socer. Luſtrum condiderunt 71. principem Senatus legerunt P. Servilium Iſauricum. Cenſa ſunt civium capita 320000. *Plut.*

Appius Cæſari inimicus, multos Senatu movit, aut aliàs notavit, qui omnes Cæſaris partes tum ſecuti ſunt, & ita imprudens Cæſaris partes auxit, inter alios Senatu etiam motus eſt *Criſpus* Saluſtius Hiſtoricus.

Roma circa diem 11. *Novembr. Juliani, magiſtratum ineunt:*

Coſſ.

Coſſ. C. Claudius Marcellus.
L. Cornelius Lentulus Crus.

Cicero *ad urbem venit die 16. Novembris, & frequenter ipſi obviam itum eſt. Die 19 Novembris, qui tum fuit dies 7. Januarii, Senatusconſultum fit, ut dent operam conſules, prætores, Tribuni plebis, quique proconſules ſunt ad urbem, ne quid Reſpublica detrimenti capiat. Ideò Trib. plebis profugiunt ex urbe ad Cæſarem. Ciceroni provincia Capua evenit, eò diſcedit 19. Januarii, qui eſt primus Decemb. Cæſar interim aliquot urbes in Italia occupat, & ad urbem tendit.* Cæſ.

Labienus legatus Cæſaris, qui maximas res in Gallia, cùm legatus eſſet Cæſaris, geſſerat, à Cæſare ad Pompejum profugit, quòd nimium ſibi ipſi ſumeret, & à Cæſare non quantum vellet, reſpiceretur. *Dio.* Factum adhuc ante Calendas Januarii Julianas, cùm jam conſules urbe profugiſſent.

ANNO MUNDI 3901. *ante C. N.* 47.
AG. ☉ 17. ☽ 10.

Cæſar, cùm Corfinium recepiſſet, quod factum eſt circa Calendas Januarii Juliani, per Italiam Brunduſium properat, die 9. Martii antiqui, circa 20. Januarii. Obſidet urbem, cùm Pompejus ibi, adhuc eſſet, & conſules, atque partem exercitus in Græciam dimiſiſſet, circa initium Februarii, Pompejus Brunduſio diſcedit in Græciam; ſequenti die Cæſar Brunduſium occupat, & præſidio munit, ne Pompejus regredi poſſet, inde Romam abit, Senatum & populum Romanum conſolatur, & bene ſperare jubet, ſed pecuniæ indigens, ærarium effregit, cum conſules claves ſecum haberent, inde in Hiſpaniam tendit, ſed à Maſſilienſibus non receptus, urbem obſidet, eam obſidionem D. Bruto mandat, ipſe in Hiſpaniam proficiſcitur, ubi ejus res primò in arcto fuerunt, ita ut multi deſperarent de ipſius rebus, & ad Pomp. jum ſe conferrent, ſed ut ſe expediit, omnes copias Pompeji deditione capit, nullo interfecto, & Gaditanis civitatẽ Romanam dat, & ad Pyrenæos montes aram victoriæ ſtatuit, & tandem Maſſilienſes deditione capit. Paulò poſt ſeditione militum excipitur, quorum contumaciores præcipuos morte multat, reliquos magno animo exautorat, qui pœnitentia tamen ducti, ſub ſigna recepti ſunt. *Dio.*

Æquinoctium hoc anno fuit die 13. Maji antiqui.

Cicero filio ſuo togam puram dat Arpini, & die 9. Junii antiqui, qui incidit in 19. Aprilis, tranſit in Græciam ad Pompejum, cujus rei ipſum poſtea pœnituit, non tam propter pericula, quam propter vitia multa, & crudelitatem, quòd conſilia agitarent, quomodo Romam patriam fame ſuffocarent *Cicer. in epiſtolis ad Atticum.*

Ariſtobulus à Cæſare dimittitur in Palæſtinam, ut Pompejanis negotium faceſſeret, ſed in itinere à Pompejanis veneno necatur. Filius ejus Alexander, cùm milites conquireret, capitur, & ad Scipionem Antiochiam deducitur, ibique accuſantibus Romanis, mandante Pompejo, ſecuri percutitur, paucis menſibus poſt interfectum patrem Ariſtobulum. *Joſeph.*

Annus Nabonaſſaris 700. & annus Philippi ac mortis Alexandri 270. incipit die 4. Sept. fer. 3.

Æra Antiochena hoc anno incipit Calendis Octobrib. & prior eſt æra Chriſtiana annis 48. & tribus menſibus. Frequenter hæc apud hiſtoricos & in conciliis uſurpatur. Æra verò Laodicenorum adhuc uno anno antiquior eſt. *Euſ.*

Scribonius *Curio, cùm hac æſtate Siciliam rejecto Catone obtinuiſſet, Africam etiam Cæſari ſubjicere conatur, magnaſq; vires gerit. Sed a Juba Numidiæ rege per inſidias oppreſſus, & cæſus eſt ferè cum toto exercitu. Ideò Juba à Pompejo rex eſt appellatus, à Cæſare verò hoſtis.* Dio.

Cæſar, *cùm Romam veniſſet, Dictator dicitur ſine magiſtro equitum comitiorum habendorum causa. Creatique.*

Coſſ. C. Julius Cæſar.
P. Servilius Vatia Iſauricus.

Ineunt magiſtratum Calendis Januarii antiqui, circiter diem 3. Octobr. Juliani: Et Cæſar primum ſolvendi æris alieni rationem inſtituit, præficitque ei rei Trebonium, qui ſumma æquitate omnia agit. Cæſ. Cæſar *autem, perfectis comitiis prætorum & Quæſtorum, item feriis Latinis poſt initum conſulatum die undecimo peractis, ab urbe profectus Brunduſium venit, & in Græciam ineunte hyeme navigat.* Cæſ.

ANNO MUNDI 3902. *ante C. N.* 46.
F. ☉ 18. ☽ 11.

Annus ab urbe condita numeratus 705.
Annus Hyrcani Pontificis Judæorum 30.

Cæſar cùm partem tantùm exercitus ſecum in Græciam tranſtuliſſet, nec hoſtibus par eſſet, de conditionibus pacis agit per totam hyemem, & interim urbes quaſdã occupat; interim cum aliquot menſes elapſi eſſent, Antonius reliquas copias etiam adducit, inde Dyrrachium ſedes belli deligitur, & Cæſar Pompejum obſidere conatur. *Dio Cæſ.*

Romæ M. Cæcilius Rufus tumultuatur, & novas tabulas proponere conatur, ſed conſul ipſi fortiſſimè reſtitit, ideò Romã diſcedit, ſe cum Annio Milone conjuncturus, qui quòd à Cæſare non revocatus eſſet, Cæſari hoſtis factus erat, & Campaniam turbabat, ſed cùm idem ad Coſam urbem interfectus eſſet, Cælius etiam ab equitibus Cæſarianis interfectus eſt. *Cæſ.*

Scipio Syriam omnem emunxerat hac hyeme pecunia, cùm verò Cæſar copias in Græciam tranſtuliſſet, evocatur à Pompejo, ſed in Macedonia à Domitio bello detinetur & vincitur. Mari etiam filius Pompeji cladem infert navibus Cæſaris, & aliquot cremat. *Cæſ.*

Olympias 183. acta die 15. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus 729.

Victor Stadii *Theodorus* Meſſenius.

Annus Seleucidarum Alexandreus 265. incipit die 28. Sept. fer. 7.

Cæſar clade afficitur ad Dyrrachium, & mille ferè præſtantiſſimos milites amittit. Ideò, quòd & exercitus fame conflictaretur, in Theſſaliam abit, quem inſecutus eſt Pompejus, & in aciẽ educit imprudenter, cum vel ſedendo bellum conficere potuiſſet. ubi Pompejus magna clade vincitur, & mutata veſte conſcendit equum, quatuor amicis comitantibus, & nullo loco curſum intermittit, donec Lariſſam veniſſet, ubi cùm non perpenderet, ſibi adhuc maximas copias eſſe ad Dyrrachium, in Africa & in Hiſpania etiam; item, quòd claſſe totum mare obtineret, planè deſperavit, & in Ægyptum fugit, ubi imperio viliſſimi regis pueri, conſiliis

filiis Spadonum, Pothini & Achillis, ſub oculis uxoris ſuæ liberorumq; trucidatur, pridie natalis ſui, die 28. Sept. *Vellejus & Dio.*

Cæſar in ipſa victoria caſtra etiam Pompeji cepit, inde aſſumptis pauciſſimis militibus Pompejum perſecutus eſt, ubi incidit in claſſem Pompeji, quam ultrò ad transeundum hortatus eſt, cùm ferè in poteſtate claſſis illius eſſet; inde in Ægyptum tranſit, ubi ipſius res, quod exercitum non haberet, in arcto fuerunt. *Cæſ.*

Cicero in pugna Pharſalica non fuit, ſed quòd æger eſſet, relictus fuerat ad claſſem, cùm clades nunciata eſſet, ad ipſum defertur imperium: cùm verò perpenderet, quantâ clade victi eſſent Pompejani, imperium recuſavit, atque ideo in periculo vitæ fuit, ex quo eum expedivit Cato: inde tranſmiſit Brundiſium. *Cic. Plut.*

Pharnaces rex Boſphori, filius Mithridatis, in hiſce turbis imperii ſperavit, ſe paternum imperium recuperaturum; multas igitur urbes in Colchide, etiam Armeniam & Bithyniam occupavit. Domitium etiam, quem Cæſar contra ipſum miſerat, prælio vincit. *Dio.*

Romæ, cùm annus in exitu eſſet, nec ulli magiſtratus eſſent, Cæſar iterùm Dictator dicitur abſens, & M. Antonius magiſter equitum. Dio.

ANNO MUNDI 3903. *ante C. N.* 45.
E. ☉ 19. ☽ 12.

Cæſar Alexandriæ adhuc bellum gerit vario Marte, priusquam advenirent exercitus, donec tandem Cæſar die 27. Martii, ut eſt in Calendario Romano, cùm Ptolomæus aqua ſuffocatus eſſet, Alexandriam reciperet. Inde conſtituto regno & tradito Cleopatræ, in Syriam redit, ubi fuit adhuc Antiochiæ die 18. Quintilis, *ut Cicero habet Epiſtola 20. lib.* 11. Inde perrexit contra Pharnacem in Pontum, quem quidem, ut venit, vidit, etiam vicit, eodem die. Ejus regnum dedit Mithridati Pergameno. Inde in Italiam redit. *Cæſ.*

Romæ magnæ turbæ fuerunt hoc anno. Dolabella enim Ciceronis gener, novas tabulas propoſuit, de quibus Cicero conqueritur in Epiſtolis ad Atticum.

Archon apud Athenienſes *Agathocles.* *Joſephus.*

Cicero toto hoc tempore Brundiſii fuit, ad quem venit Tullia filia, menſe Junio: Inde cùm audiret Cæſarem tandem in Italiam venire: & Tarentum appuliſſe, obviam ipſi progreditur, quem cum Cæſar vidiſſet, ſtatim equo deſcendit, ſalutat, & cum eo ſeorſim procedens multa ſtadia collocutus eſt. Factum hoc in Octobri menſe, ut ex Epiſtola vigeſima apparet. lib. 14. famil.

Cæſar cum Romam veniſſet, omnes recipit in gratiam & creat.

Coſſ. Q. Fuſium Calenum.
P. Vatinium.

Hi paucis diebus uſque ad finem anni conſulatu functi ſunt. Dio.

Cæſar invaditur ſeditione militum, poſcentium dimiſſionem & præmia ſuæ militiæ. Sed Cæſar hanc ſeditionem unico verbo tandem ſedat, dum eos non milites, ſed Quirites appellat, & præmia diſtribuit, & eos dimittit, inde cum vellent iterum militare, ſeditioſiores in agros dimittit, & reliquos in legiones recipit. *Dio.*

Hyrcanus & Antipater legatos mittunt Romam cum muneribus, ut confirmetur Antipatro curatio Judææ, & inſtauratio murorum Hieroſolymæ, & obtinent utrumq; die 13. Decemb. *Joſeph.*

Cato, Scipio, & alii, Africam hoc anno occuparant tantasq; copias compararant, ut filium Pompeji in Hiſpaniam mitterent, ad clientelas paternas concitandas, & movendum bellum. *Dio.*

Romæ Magiſtratum ineunt ante fines anni, circa initium Decembr. antiqui:

Coſſ. C. Julius Cæſar III.
M. Æmilius Lepidus.

Cæſar die 14. Decembris antiqui, movet in Siciliam, inde die 26. Decembris navigat in Africam ad Calendarium Julianum ferè circa diem 10. Octobris. Cùm verò exiguas copias ſecum transportaſſet adverſus innumerabiles hoſtium, arte militari ſua caſtra munit, & ſe quacunq; ratione poteſt, defendit, hoſtes tamen ſuſtinere non potuiſſet, niſi Sitius quidam coacta manu in Mauritaniam veniſſet, & aſſumpto Bogud rege bellum Jubæ Numidiæ regi feciſſet. Juba enim hoc modo in regnum redire coactus eſt, & ſua auxilia ex exercitu Scipionis revocat. *Dio.*

ANNO MUNDI 3904. *ante C. N.* 44.
D. ☉ 20. ☽ 13.

Bellum Africum vario Marte geritur, cùm Cæſar ſe periculo non offerret, donec exercitus reliqui ex Italia & Sicilia in Africam mitterentur, ubi quosdam centuriones ignominiæ cauſa dimittit, inde Jubam regem, Scipionem, & Petreium circa initium Aprilis primo vincit, & trinis caſtris exuit. Juba & Petreius, cum nullibi reciperentur, inter ſe armis concurrunt, & ſe invicem interficiunt, Scipio in navi fugiens capitur & trucidatur, Cato ſibi ipſi manus infert. Cæſar totam Africam recipit, & Numidiam in provinciam redigit, eiq; *Criſpum Saluſtium* præficit, qui eam avariſſimè adminiſtrat, & poſt repetundarum accuſatur, ſed beneficio Cæſaris liberatur. *Dio.*

Cicero hoc belli tempore Romæ fuit, nec ferè exivit propter multas cauſas: ſcripſit epiſtolas ad Varronem, Pætum, Sulpitium. Item de claris Oratoribus ad Brutum. Paulò poſt, cum Cato defunctus eſſet, laudes M. Catonis ſcripſit, quibus laudibus Cæſar oppoſuit, Anticatonem, in quo vitia Catonis recenſuit. Inde Cicero Oratorem ad M. Brutum, qui Galliæ præerat, ſcripſit. Cùmque Cæſar ad urbem reverſus eſſet, M. Marcello, intercedente Senatu, ignovit, quâ clementiâ Cæſaris Cicero motus, gratias ipſi in Senatu egit: Inde poſtea etiam pro Ligurio dixit, & demum Cicero cum Terentia uxore divortium fecit, quæ poſtea diutiſſimè vixit, & tertium ac centeſimum explevit annum. *Valer. Max.*

Cæſar *cùm ad urbem veniſſet, die 26. Quintilis antiqui, triumphos quatuor duxit, & à Senatu plurimos honores conſecutus eſt, & magiſter morum conſtituitur, Dictatorq; perpetuus creatur. Inde Faſtos correxit, annumque ad curſum Solis, ut in Ægypto didicerat, accommodavit, fecitq; eum dierum 365. & intercalario menſe ſublato poſt annum quartum voluit diem unum intercalari. Inde cùm Cn. Pompejus Junior ingens bellum in Hiſpania conciliaret, eò, cum annus ad finem decurreret, cum exercitu profectus eſt.* Dio.

Antipater in Syria, cùm mœnia Hieroſolymæ inſtauraſſet, & videret Hyrcanum Ethnarcham ſtupi-

ſtupidum ac ſegnem, Phaſelum è liberis natu maximum Hieroſolymis conſtituit Ducem, Herodi autem Galilæam curandam commiſit, cùm nondum haberet annos viginti quinque, qui cùm eſſet induſtrius, Ezechiam latronem, qui Syriam latrociniis infeſtam habebat, capit cum ſociis, & ſupplicio affecit; ob eam cauſam accuſatur Hieroſolymis, ſed quòd magno comitatu eò veniſſet, & Sextus Cæſar pro eo ſcripſerat, liberatur ab Hyrcano, ſed Herodes ut magnam potentiam favore Sext. Cæſaris conſequeretur, cum exercitu Hieroſolymam proficiſcitur, ulturus injuriam, quod citatus eſſet à Synedrio, ſed pater Antipater & Phaſelus frater ipſi occurrunt, quorum precibus cohibitus eſt, & in Galilæam rediit. *Joſeph. lib. 14. c. 17.*

ANNO MUNDI 3905. *ante C. N. 43.*

CB. ☉ 21. ☽ 14.

Primo hoc anno Jul. Conſul & Dictator ſolus fuit:

C. Julius Cæſar.

In Hiſpania Cæſar Cordubam obſidet, ut Pompejum ab Ulva deducat, inde vario Marte agitur, tandem ad Mundam acerrimo prælio concurritur, quo fortaſſis æquo Marte veſpera diſceſſiſſent, niſi Cæſar miſiſſet, qui caſtra Pompeji tentarent. Ea enim defenſurus Labienus fugere viſus eſt, atque ita territi Pompejani terga verterunt. Prælium factum die 17. Martii, ipſis Liberalibus, Cn. Pompejus cùm claudicaret ex intorto talo, interficitur circa diem 11. Aprilis, Cæſar de victoria nuncium Romam mittit, qui eò venit 21. Aprilis. Ideò is dies feſtus haberi cœptus. Inde confecta & conſtituta Hiſpania Romam redit circa finem Auguſti menſis. Cic. ad Atticum. *Fuit poſtea Cæſar apud Ciceronem die 19. Decemb. tertiis Saturnalibus.* Cic. ad Atticum.

Cicero in initio anni Publicam virginem uxorem ducit, ut æs alienum diſſolveret, erat enim Publilia dives. Poſtea Tullia filia ex partu decedit, circa initium Martii, quo caſu Cicero adeo conturbatus eſt, ut hortis ferè ſe contineret, ſcripſerunt ad Ciceronem multi epiſtolas conſolatorias: Ipſe etiam Cæſar, cujus literæ datæ ſunt die 29. Aprilis. Inde ipſe conſolationem ſibi ſcripſit, & Publiliæ nuncium remiſit, quod videretur de morte Tulliæ lætari. Junior Cicero tum temporis Athenis fuit. Inde Hortenſium ſcripſit & libros de finibus. In fine anni Dejotarum regem defendit. *Cic.*

M. Marcellus interficitur Athenis die 25. Maji, cùm Cæſar in Hiſpania eſſet.

Cæſar cùm ad urbem veniſſet, creat honorarios.

Coſſ. Q. Fabium Maximum.

C. Trebonium Aſperum.

Annus Nabonaſſaris 704. & annus Philippi & mortis Alexandri 280. incipit die 3. Sept. fer. 7.

Annus ſabbathicus quintus Jobelei Judaici 29. incipit die 24. Septemb fer. 7. Eſt hebdomas Danielis 55. Anno Judaico 37 7.

Ecclipſis Lunæ indicatur hoc anno ab Ovidio, ultimo Metamorph. quando dicit:

Cærulus & vultum ferrugine Lucifer atrâ.

Sparſus erat, ſparſi Lunares ſanguine currus.

Facta Romæ die 7. Novemb. fer. 2. horâ fere ſecunda, poſt mediam noctem. Latitudo Lunæ 0,58 Septen. Semidiameter Lunæ 17,28. Summa Semidiametrorum 62,21. Scrupula reſidua 61,23. Digiti ecclipticì 21,0. Duravit horis ferè quatuor.

Cæſar poſt dies 129. occiſus eſt.

Mortuo Q. Fabio conſule, extremo anni die, in paucas horas ſuffectus eſt à Cæſare C. Caninius, qui in toto conſulatu ſuo ſomnum non vidit, ut jocabatur Cicero.

ANNO MUNDI 3906. *ante C. N. 42.*

F. ☉ 22. ☽ 15.

Annus ab urbe condita numeratus 709. Julian. 2.

Annus Monarchiæ Cæſaris quartus.

Coſſ. C. Julius Cæſar V.

M. Antonius.

Cæſar Coloniis deductis Carthaginem & Corinthum reſtituit, & ſtudio populi impulſus, ne Parthi amplius gloriarentur de victoria, bellum illud ſuſcipit, & Octavium ſororis filium in Græciam præmittit, & Dolabellam ſibi, ſi abiiſſet, conſulem ſubſtituit. In Lupercalibus die 15 Febr. Antonius, qui inter Lupercos erat, Cæſari diadema impoſuit quod Cæſar cum plauſu populi rejecit. Inde Cæſar, priusquam inſequens triennium magiſtratus creaſſet, interficitur à conjuratis in curia Pompeji, tribus & viginti vulneribus confoſſus, die 15. Martii.

Cicero particeps ejus conjurationis non fuit, ſed quòd conjurati, perpetrato facinore, ſæpiùs Ciceronem inclamarent, & ipſi de recuperata libertate gratularentur, ſuſpectus factus eſt. Receperunt ſe inde conjurati in Capitolium, quo etiam Cicero aſcendit, ſed inter legatos de concordia ineunda cum Antonio & aliis non fuit: tertio die poſt in ipſis Liberalibus 17. Martii, ex Ciceronis ſententia Senatusconſultum factum de ἀμνηστίᾳ ſanciendâ, & provinciæ percuſſoribus decretæ. Sed Antonius in funere Cæſaris cruentam Cæſaris veſtem in laudando eo oſtendit, quo facto adeò plebs exarſit, ut ardentibus facibus percuſſorum ædes incendere conaretur; ideo conjurati urbe exceſſerunt, & Brutus abſens ludos exhibuit, circa diem 7 Julii.

Cicero ſcripſit hac æſtate in villulis ſuis tres libros de natura deorum, de divinatione, Dialogum de ſenectute, & de Amicitia: item de fato & univerſitate: Inchoavit etiam libros de Officiis, item Topica ad Trebatium, & duos libros de Gloria. Menſe Julio vult in Græciam, *Epiſt. 7. lib. 14.* ſed die 6. Auguſti cùm eſſet in itinere, rejicitur in Italiam ab auſtro, *Epiſt. 7. lib. 16.* de qua re gloriatur poſtea, Auſtroq; gratias agit, quo flante, iter interruptum ſit, quòd alias putaretur proficiſci ad Olympia ſpectanda, quæ eo anno celebrabantur. Inde revertitur Romam ultimo Auguſti, & cùm ſequenti die in Senatum non veniret, Antonius irâ accenſus eum accerſit, & vi adducturum minatur; ſed deprecante Senatu, res omiſſa eſt, ſequenti die Cicero in Senatum venit, & primam orationem habet Philippicam: inde Antonius ipſi inimicitias denunciat. *Cic.*

Octavius, nepos Cæſaris ex ſorore, cum audiviſſet avunculum interfectum, redit Romam, ingreſſusq; urbem eſt circa 11. Aprilis. *Ep. 5. lib. 14. ad Atticum.* Idem Octavius venit Neapolim die 18. Aprilis, aditurus hæreditatem. Die 22. Aprilis fuit apud Ciceronem, ubi Octavius à ſuis Cæſar ſalutatus eſt, quod Cicero facere noluit, Poſtea Octavius productus eſt in con-

cionem

cionem die 11. Maji, *Epiſtola 22. lib.14.* Inde ſæpiùs cum Cicerone fuit. Calendis Septembribus veteranos ad ſigna revocat, quingenos denarios iis largitur, & bellum contra Antonium molitur, & poſtea die 28. Novembr. Romam venit, *Epiſtola 11. lib. 16.* Nullibi hoc anno hisce diebus, quando Octavius urbem ingreſſus eſt, eccliplis Solis invenitur, quam anxiè inquirit Harvvartus ab Hohnburg. Concludendum igitur, fuiſſe aliquod Phænomenon in Sole, qui pallidus per totum annum apparuit; & arcus quidam Solem circumdedit, velut coronam capiti Octavii apponens, *ut Vellejus inquit.*

Olympias 184. acta die 1. Auguſti. Eſt annus Olympiaticus 733.

Victor Stadii *Theodorus* Meſſenius ſecundùm.

Annus Alexandrinus Seleucidarum 269. & annus Antiochiæ ſextus, incipit Calendis Octobribus ad Calendarium Julianum.

Sext. Pompejus, cùm poſt prælium in Hiſpania latuiſſet, diſcedente Cæſare poſtea iterùm exercitum colligit, & Cæſare interfecto, cum Afinio Pollione iterum ſigna confert, & vincit, donec Lepidus, qui Pontifex maximus factus erat in locum Cæſaris, in provinciam veniret, cum quo pactus eſt, ut bona paterna reciperet, & Hiſpaniâ excederet *Dio.*

M. Antonius cùm audiſſet, legiones quæ Brundusi erant, ex quibus aliquot Centuriones interfeceras, ad Octavium tranſiiſſe, mente concidit, & urbe Paludatus exceſſit, circa 26. Novemb. Properavit autem in Galliam, à qua excluſus fuit à Dec. Bruto, inde die 19. Decembr. Senatusconſultum factum, ut conſulibus deſignatis præſidium daretur, ut ſententiæ de republ. liberè dici poſſent, & habita eſt Oratio Philip. quarta. *Cic.*

ANNO MUNDI 3097. *ante C.N.* 41.

G. ☉ 22. ☽ 16.

Coſſ. C. Vibius Panſa.

A. Hirtius.

Præcedenti anno, antequam Cæſar truci daretur, Cæcilius Baſſus, unus ex Pompejanis Sext. Cæſarem præſidem Syriæ occidit, quo facto reliqui Cæſariani ſe Baſſo opponunt, pœna de eo ſumpturi, quibus etiam Antipater ſua auxilia mittit, id bellum geritur circa Apamiam, donec Marcus Sexti ſucceſſor adveniret, circa initiũ hujus anni. *Joſeph.*

M. Brutus in Macedoniam profectus, nobiles adoleſcentes, qui Athenis erant, ſecum in Macedoniam abduxit, & inter eos Ciceronis filium, qui pro legato habitus multa fortiter & feliciter geſſit. C. Antonium vicit, & in Bruti poteſtatem redegit. *Plutarch.*

Senatus Romanus ſtatim in initio anni, D. Brutum, quòd Antonium Galliâ excluſiſſet, laudat, & decernit, ut Octavius Cæſar bellum una cum *Coſſ.* contra Antonium adminiſtraret, ut ſententiam loco conſulari diceret, conſulatumque decem annis priùs, quàm per leges liceret, peteret. Item ut ſtatua ipſi poneretur & pecunia quam pollicitus erat militibus, qui Antonium reliquiſſent, publicè daretur. *Appian.*

C. Trebonius, unus ex interfectoribus Cæſaris à P. Dolabella Smyrnæ, verberibus & tormentis quæſtione habita, trucidatur: quapropter Dolabella hoſtis judicatur, & Caſſius in Syriam ad bello perſequendam Dolabellum mittitur; qui ſtatim, ut in Syriam venit, omnes exercitus & Marci, & Baſſi & Antipatris, in poteſtatem ſuam redegit, ſed tributa exigendo Judæam valdè afflixit, eamque plusquam ſeptingentis argenti talentis exſpoliavit. In ea re Herodes apud Caſſium inprimis gratiam iniit, quòd pecuniam ſtatim expediit: Inde Caſſius Dolabellam Laodiceæ obſedit, & cùm nullus fugæ locus eſſet, eum ad mortem coegit. *Didor.*

Ovidius Poeta naſcitur die ſecundo quinquatruum, die 20. Martii, diebus 262. ante mortem Ciceronis.

Coſſ. circa initium Aprilis movent in Galliam, ſed Lepidus ex Gallia ad Senatum ſcribit, ut pacem cum Antonio faciat, quod diſſuadet Cicero in Philippica 13. Cùm verò Brutus ad Mutinam vix ſuſtineret Antonium, conſules adveniunt, & biduum pugnant, 14. & 15. Aprilis, & tandem Antonium vincunt, ſed Coſſ. ambo cadunt, Hirtius in prælio, Panſa paucis diebus poſt: Quæ cùm relata ad Senatum eſſent, die 22. Aprilis, ſupplicatio in dies quinquaginta indicitur. Antonius autem fugâ transgreſſus Alpes, primùm repellitur à Lepido, poſtea tamen, cùm ſæpiùs in conſpectum militum Lepidi veniret, proruto vallo, ex adverſa parte, à militibus Lepidi recipitur die 29. Maji: Ideò Lepidus etiam à Senatu hoſtis judicatus eſt die 29. Junii. *Cic.*

Cùm Senatus omnia honorificè de Octavio decreviſſet ante victum Antonium, poſt cum receſſiſſet metus, & Antonius victus eſſet, Bruto & Caſſio, quas occuparant, provinciæ lege latâ decretæ fuerunt, & Panſæ atque Hirtii funera publicè ducta ſunt, Decimo Bruto, ſpreto Octavio, triumphum inſuper decernunt, & reliquias belli perſequendas: Sexto verò Pompejo claſſem tribuunt, & diſſenſiones inter Octavium & exercitũ ſerunt, Decernunt tamen Octavio honores Conſulares & Præturam, ſed ex contemptu *puerum* vocant *laudandum & tollendum.* Id verò Octavius moleſtiſſimè tulit, & legatos ad Senatum miſit, qui ſibi conſulatum peterent, & Ciceronem collegam; ſed repulſam paſſus eſt, ideò per literas cum Antonio de reconciliatione egit, & juſſit, ut milites ſe invicem juramento obſtringerent de non pugnando contra eos, qui aliquando milites Cæſaris fuiſſent, & ſimul Romam verſus caſtra movet, quo audito, Senatus Octavio conſulatum defert, quem iniit die 19. Sextilis, ut *Dio* habet, qui ſcribit, Auguſtum mortuum eodem die, quo primum conſulatum accepit. Collegam ſibi ſumpſit *Q. Pedium,* & legem tulit de quæſtione habenda in eos, quorum operâ C. Cæſar occiſus fuerat, unde Lex Pedia nominatur, quòd Pedius eam tuliſſet, Octavius autor fuiſſet. Inde Octavius urbe profectus eſt, conſulatu ſe abdicavit, & ſubſtituit *C. Albinum Carrinam,* abiitq; ad Antonium & Lepidum, qui imperium Romanum, quaſi hæreditatem quandam inter ſe diviſerunt, & conſtituerunt, ut *Triumviri* eſſent Reipubl. conſtituendæ in proximum quinquennium.

Congreſſus horum triumvirorum factus in Inſula quadam prope Bononiam: ubi tabula Proſcriptionis facta eſt, in qua plurimi equites fuerunt, & centum ac triginta Senatores. Octavius primùm pugnavit pro Cicerone, ſed cùm Lepidus fratrem ſuum, Antonius verò avunculum afferret, permutatio ita facta eſt, & Cicero proditus, qui cùm in Græciam fugere conaretur, ventis impeditus eſt, & interfectus die 7. Decembr. cùm Triumviri iniiſſent triumviratum, die 28. Novembr.

Interfecit autem Ciceronem Popilius centurio, quem in cauſa capitis olim Cicero defenderat, & conſervaverat. Cui Antonius pro navata opera dedit decies ſeſtertium, hoc eſt, 44. aureorum millia. Vixit Cicero annos 64. exceptis paucis diebus. Q. Cicero frater cum filio paucis diebus antea erat occiſus. Dio.

Antipater, procurator Judææ, à Malicho quodam veneno necatur; Caſſius monet Herodem, ne parentis cædem inultam relinquat: Ideò Herodes viciſſim eundem trucidat, & cùm à Caſſio Cœleſyriæ Dux conſtitutus eſſet, plurimum ipſi auxiliorum & pecuniæ contra Antonium dedit. *Joſeph.*

Munatius Plancus Galliam comatam regit, ex qua Epiſtolas ad Ciceronem ſcribit, quibus nihil abſolutius, nihil caſtius, elegantius & rotundius, ſine ulla putiditate & cacozelia eſſe putat *Scaliger.* Hic Plancus cùm Ciceronis partes foviſſet, tandem Octavii partes prætulit. Triumphavit autem hoc anno ex Gallis die 29. Decembr. cùm colonias deduxiſſet *Lugdunum & Rauricam.*

M. Æmilius Lepidus triumphat ex Hiſpania, die 31. Decembr.

ANNO MUNDI 3908. *ante C. N.* 40.
F. ☉ 24. ☽ 17.
Coſſ. L. Munatius Plancus.
M. Æmilius Lepidus II.

Lepidus autem in locum D. Bruti Conſul factus eſt, qui cùm per Illyricum in Macedoniam tranſire voluerat, interfectus erat, cum antea ab exercitu derelictus fuiſſet. *Dio.*

Caſſius, cum M. Bruto in Aſia collocuturus de defendenda libertate contra Triumviros Rhodios, qui triumvirorum partes ſequebantur, bis prælio vincit, & tandem capit diripit, nihilque ipſis relinquit præter libertatem. Brutus verò Pataris & aliis urbibus captis, Lycios ſubigit. Inde in Macedoniam feſtinant, & Antonii Legatos ad Philippos obſident, quapropter obſeſſi auxilium Antonii vocant, ut maturius urbe proficiſcantur.

Sext. Pompejus, cùm ex Inde Hiſpanica & Epiro exercitum collegiſſet, Rhegium in Italia, & inde totam Siciliam occupat, & Octavium, qui contra Brutum proficiſci volebat, impedit. *Dio.*

Octavius cùm ægrotaret Dyrrachii, tamen feſtinavit ad Philippos, ut prælio intereſſet, ne ſi Antonius vinceret ſolus, ſibi prævaleret, ubi in caſtra venit, & elanguerer, tamen quòd medicus ejus ſomnium habuiſſet de periculo, ſi in caſtris manſiſſet, in aciem exiit. ubi victus a Bruto, caſtra amiſit, in quibus proculdubio periiſſet. Sed contra Antonius vicit Caſſium, & Caſſius paulo poſt cum videret Brutum revertentem, & hoſtes victores eſſe putaret, ſeipſum interemit. Brutus autem paulo poſt iterum pugnat, & vincitur, ideò & ipſe mortem conſciſcit. Conjux ejus, cùm ardentem carbonem, deglutiiſſet, periit. Factum prælium exeunte æſtate. Perierunt ibi omnes, qui cædis Cæſaris autores fuerant. Reliqui innoxii ad Sextum Pompejum Siciliam navigaverunt, à quo recepti & defenſi ſunt, donec in patriam reciperentur. *Dio.*

Antigonus Ariſtobuli filius, adjutus à quibusdam, Galilæam invadit: cui Herodes occurrit, eumque vincit & profligat. Id quod Hyrcano gratiſſimum fuit, & Ariſtobuli neptem ipſi deſpondet, cùm aliàs Herodes uxorem haberet Dorem, ex qua ſuſceperat filium Antipatrum. Cùm verò jam Antonius victor poſt Philippenſe bellum in Bithyniam veniſſet, Herodes, qui adjuverat Caſſium, non tantum veniam conſequitur, ſed etiam captivi ex Judæa, quos Caſſius abduxerat, dimittuntur, & paulo poſt in Cilicia, præſente Cleopatra, & Herodes & Phaſelus ab Antonio, qui amiciſſimè cum patre Herodis Antipatro olim vixerat, Tetrarchæ conſtituuntur. *Joſephus.*

Horatius prælio Philippenſi cum Bruto contra Auguſtum ſtetit, & tribunus militum fuit; poſtea veniâ impetrata Mecœnati primum, & poſtea Auguſto innotuit. *Vita Horatii.*

Tiberius Imperator naſcitur hoc anno, die 16. Novemb. *Sueton.*

Octavius Cæſar, cùm in Italiam veniſſet, adeò morbo conflictatus eſt, ut de ſalute ejus multi deſperarent, ideò ſero Romam venit, ubi a Senatu decernitur, cùm jam pax Reipubl. conſtituta eſſet, & armorum nullus uſus, ut militibus veteranis agri diſtribuerentur Cremonenſes, & vicinarum urbium, quæ ex partibus Bruti & Caſſii fuiſſent, & veteres coloni pellerentur. *Dio.*

ANNO MUNDI 3909. *ante C. N.* 39.
E D. ☉ 25. ☽ 18.
Coſſ. L. Antonius.
P. Servilius Vatia Iſauricus II.

Fulvia M. Antonii uxor, Auguſti ſocrus, contempto Lepido triumviro, in tantis ſe rebus in Republ. immiſcet, adeo ut aliquando gladio cincta ad milites concionaretur. Hæc L. Antonio autor eſt, ne duas legiones Auguſto redderet, ſed ipſe potiùs militibus agros diſtribueret, quod Auguſtus facere conabatur, unde diſſidium ortum, & Auguſtus ejus filiam repudiavit intactam adhuc. Ideò conſul & Fulvia, ut Auguſto invidiam creent, diſtributionem agrorum omittunt, cùm interea Auguſtus eam urgeret, atque ita & cives, quibus agros adimebat, offenderet, & milites etiam, quibus nihil ſatis erat, irritaret: unde & inter milites, & cives ſæpiùs pugnæ intercedebant. Cæſar optimum ratus in tantis turbis ſe militibus credere, arbitros eos facit controverſiæ inter ſe & conſulem, & cauſam vincit, & conſulem & Fulviam Peruſiæ obſidet. *Dio.*

Virgilius circa hæc tempora primam Eclogam ſcribit.

Parthi, Duce Labieno, in Aſiam effunduntur, Apameam capiunt & Antiochiam & Tyrum. *Dio.*

Antigonus Ariſtobuli filius Judæus promittit Parthis, qui jam Aſiam & Syriam ferè tenebant, mille talenta & quingentas mulieres, ſi expulſo Hyrcano

ſe in regnum reducerent. Herodes ut Hyrcano adeſſet, Hieroſolymam cum exercitu advenit in Pentecoſtes feſto, ubi tumultus inter Judæos exortus eſt: in eo tumultu Parthus Pacorus Hieroſolymam, quaſi amicus eſſet, ingreditur, & Phaſaelum Herodis fratrem cum Hyrcano dimittit in Galilæam, ubi in vincula conjiciuntur. De qua re certior factus Herodes, ſuos noctu Hieroſolymis in magna trepidatione educit, & Maſſadam in fortiſſimum propugnaculum collocat, fugam ipſe ad Arabes intendit, qui ipſum non recipiunt, ideò in Ægyptum ad Cleopatram proficiſcitur. *Joſeph.*

Annus Nabonaſſaris 708. & annus Philippi & Alexandri Magni 284. incipit die 2. Sept. fer. 4.

Antonius à Cleopatra in Cilicia delibutus, cum eâ in Ægyptum profectus fuerat, ibi voluptatibus deditus, nec quid Parthi in Syria facerent, nec quid Auguſtus in Italia ageret, ſollicitus erat, tantùm amicitiam facit, cum Sext. Pompejo in Sicilia, & ſocietatem init de bello Auguſto inferendo. *Dio.*

Curtius Salaſſus in inſula Arado, cum tributa acerbiſſimè exigeret, cùm quatuor cohortibus vivus exuritur. *Oroſius.*

Annus Seleucidarum Alexandrinus 272. & Antiochenus nonus ineunt Calendis Octobris.

Parthi Hieroſolymam ſpoliant, & Antigonum regem faciunt. Antigonus verò ne Hyrcanus ad Pontificatum receptum haberet, auriculas ipſi præcidit. Phaſaelus verò, cùm ſentiret, ſe ſupplicio deſtinatum, & catenis vinctus eſſet, caput parieti alliſit & expiravit. *Joſeph.*

ANNO MUNDI 3910. *ante C. N.* 38.
C. ☉ 26. ☽ 19.
Annus ab urbe condita numeratus 713.
Julianus 6.
Annus Monarchiæ Auguſti quintus.

Coſſ. Cn. Domitius Calvinus II.
C. Aſinius Pollio.

Peruſia fame coacta deditur, incolumes Antonius & Fulvia dimittuntur. *Antonius* verò in Italiam veniens bellum facit Auguſto, & Sipuntem capit, & Brunduſium obſidet. Auguſtus eò cum exercitu proficiſcitur, Brunduſium defenſurus, ubi Fulvia uxor Antonii, & cauſa belli moritur, ideò Auguſtus & Antonius in gratiam redeunt, & armis poſitis Romam deducuntur, ubi Octavia ſoror Auguſti Antonio nuptum datur. *Dio.*

Herodes hyberno tempore adhuc parùm tranquillis in Italia rebus Romam proficiſcitur, ubi magna tempeſtate conflictatus navem fregit, etiam jactura ſarcinarũ factâ ægrè Rhodum evaſit, ubi alia nave ædificatâ Romam venit, & Antonio ſuam miſerrimam fortunam, & in quibus anguſtiis familiam reliquerit, exponit, & auxilium ejus implorat. Antonius, qui magno ſibi uſui Herodem eſſe poſſe ſperebat, in bello Parthico, quod jam adornabat, à populo Romano Herodi regnum petit, & impetrat, & primo die regni medius Herodes inter Auguſtum & Antonium ex Capitolio deſcendens, apud Antonium convivatur: Inde diebus tantum ſeptem Romæ commoratus, in Syriam redit. *Joſeph. lib. 14. cap. 26. & 27. Antiq.*

Olympias 185. acta die 17. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus 737.

Victor Stadii *Ariſton Thurius.*

Herodes cùm in Syriam rediiſſet, Ptolemaidem venit, ubi accipit auxilia à *Ventidio & Silone*, juſſu Antonii, ubi Joppen primò expugnare conatus eſt, & Silonem à Judæis pulſum ſervavit. Inde receptis ſuis ex Maſſada Hieroſolymam obſidet, ſed à Silone, qui multum pecuniæ ab Antigono acceperat, impeditur, donec exercitus in Hyberna collocaretur. *Joſeph.*

Sext. Pompejus Sardiniam, & alias inſulas occupat, & impedit, ne frumentum in Italiam devehatur. Ingens igitur Romæ fames oritur, quare ut pax cum Pompejo ineatur, populus poſtulat, & repulſam paſſus, ſtatuas Antonii & Auguſti dejicit, magnumq; tumultum excitat, in quo ferè ambo vulnerati ſunt. Ideò pacem cum Pompejo tandem ineunt, & omnes, qui cum Pompejo fuerunt, in gratiam recipiuntur. *Dio.*

ANNO MUNDI 3911. *ante C. N.* 37.
B. ☉ 27. ☽ 1.

Coſſ. L. Martius Cenſorinus,
C. Calviſius Sabinus.

Conſul Martius iisdem Calendis Januarii triumphat ex Macedonia, cui præfuerat. Tab. Cap.

Herodes hac hyeme nequaquam quieſcit, ſed in Galilæa præſidia Antigoni ejicit, Sephorim recipit, latrones compeſcit, idq; vix quadrageſimo die, vere jam incunte.

Auguſtus Cæſar Romæ primam barbam radit, & poſtea genas leves, ut alii, ſervavit, repudiavitq; *Scriboniam* illo ipſo die, cùm ſibi filiam *Juliam* peperiſſet: inde cum Antonio magiſtratus ordinavit in octo annos, & quidem in ſingulos annos, plures, ut multi, quorum opera uſi fuerant, ad honores promoverentur. *Dio.*

In Quæſtorum comitiis candidatus inventus eſt *Vibius Maximus*, olim ſervus, quem agnovit Dominus ſuus, qui eum abduxit. *Dio.*

Antonius & Auguſtus pacem faciunt cum Pompejo, ipſique provincias, Siciliam, Sardiniam & Achajam tribuunt in quinquennium, ita tamen, ut frumenta Romam mittat. Inde Antonius in Græciam abit, eamque deſpoliat, ut infirmam provinciam Pompejo relinquat, ſe etiam Bacchum nominat, cui Athenienſes, ut ipſi adularentur, honoris gratiâ Minervam deſpondent, cui conjugio aſſenſus eſt Antonius, tantummodò dotis nomine ſolverent ipſi quadragies, hoc eſt 178000. florenos. *Diod.*

Ventidius ab Antonio in Parthos præmiſſus, Parthos & Labienum vincit & capit, & pecuniam multam a regibus Syriæ atque ab Antigono exigit. *Dio & Joſeph.*

Ignis multos vicos Romæ conſumpſit, nec unquam majore incendio Roma arſit, adeò ut

Auguſtus ad ejus reparationem magnam vim pecuniæ ex ærario largitus ſit, unde meritò gloriari potuit, ſe lateritiam urbem accepiſſe, marmoream reliquiſſe. *Oroſ.*

Herodes hac æſtate ſpeluncas in Galilæa expugnat, eamque à latronibus purgat, accipit etiam auxilia Romanorum Duce Silone, qui ſe corrumpi ab Antigono patitur, & pecuniam accipit, rebusq; omnibus moram injicit, donec hyems adveniret. *Joſephus.*

Domitius Calvinus hac æſtate Hiſpanos vincit, & Romam profectus triumphat, & Palatium, quod incendio abſumptum erat, ex manubiis reficit. Hac victoriâ Hiſpani ſubacti, ſequente anno *Æram Hiſpanicam* inſtituunt. *Dio.*

Pollio triumphat die 25. Novemb. ex Dalmatia cui etiam filius Solonius naſcitur, qui poſtea à Tiberio Cæſare inedia interficitur, cui Virgilius quartam Eclogam ſcripſit.

ANNO MUNDI 3912. *ante C. N.* 36.
A. ☉ 28. ☽ 2.
Coſſ. Ap. Claudius Pulcher,
C. Norbanus Flaccus.

Ecclipſis Solis magna accidit die 14. Januarii, quam computavit Johannes Georgius Hervvart ab Hohenburg, & inde concludit Auguſtum Cæſarem ſub tempus ecclipſis Romam iniiſſe, & conſules Hirtium & Panſam eo anno fuiſſe. Sed cum poſt biennium Coſſ. *Gellio & Coccejo ecclipſis Solis acciderit, quæ annotatur in faſtis Siculis, item poſt ſexennium ad* Coſſ. *Ahenobarbum & Soſium ſimilis ecclipſis in iisdem faſtis annotata ſit, & hæ ecclipſes aut* Coſſ. *loco moveri non poſſint, neceſſe eſt Hervvartum falli. Adde præterea, Auguſtum non 14. Januarii, ut ex epiſtolis ad Atticum conſtat, ſed 11. Aprilis, & poſtea aliquot diebus, & tandem die 28. Novembris cum exercitu Romam ingreſſum eſſe.*

Oleum ad Tiberim Romæ hoc anno ſcaturiit. *Dio.*

Tib. Claudius Nero patrocinium profeſſus eorum, qui agros amiſerant bellum Auguſto movere conatur, ſed ad interceſſione aliorum ſedatum eſt, conjugiumq; initum, ita ut Auguſtus uxorem Claudii Liviam *in ſextum menſem prægnantem ſibi in matrimonium ſumeret, quæ poſt tres menſes peperit* Druſum *Neronem, ſed infantem Auguſtus patri ſuo remiſit.* Nero *autem pater paulo poſt moriens Auguſtum tutorem ſuorum liberorum facit. Proverbium hinc Romæ ortum.* Fortunatis etiam trimeſtres naſci liberos.

Tedius Afer conſul deſignatus, ut ſufficeretur Claudio. minis Auguſti territus, priusquam magiſtratum iniret, ſe de ſaxo præcipitavit. *Sueton.*

Ventidius contra Parthos iterum profectus, funditoribus egregiis inſtructus, eos vincit, & Pacorum occidit, eosque ut ante ex Syria; ita jam ex Armenia pepulit. Sed Antonius invidens ei victoriam ſupervenit, eum ab exercitu removet, qui tamen Romam veniens triumphum conſecutus eſt. *Dio.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobeleus Judaici 29. incipit die 7. Sept. fer. 5. Eſt hebdomas Danielis 56. Anno Judaico 3724.

Herodes, cùm Ventidius Parthos viciſſet, accipit auxilia, duas legiones & mille milites, Duce Machæra, qui pecuniâ corruptus ad Antigonum deficere conatur, à quo tamen non recipitur. Herodes cùm ſenſiſſet, ſe hoc duce nihil efficere, relicto fratre apud Machæram, & aſſumtis ſuis copiis ad Antonium Samoſatam oppugnantem abiit, quo magno diſcrimine venit, & Antonio ſuam operam probavit: & cùm dedita eſſet Samoſata, Antonius in Ægyptum abiit, & Soſio duci Herodis negotia commendavit; accipit etiam ipſe Herodes duas legiones. Interim Joſephus frater Herodis perierat, cùm populabundus Hieroſolymam acceſſiſſet, ut frumenta demeteret. Herodes autem multas urbes occupavit, & inſignem victoriam de ducibus Antigoni reportat, quâ clade Antigonus adeò conſternatus eſt, ut de relinquenda Hieroſolyma cogitaret, ſed Herodes perſequi victoriam non potuit, quòd magna hyemis aſperitas ſubitò incideret. *Joſeph. lib. 14. cap. 13.*

Bogud Mauritaniæ rex, otii impatiens, in Hiſpaniam trajicit, eamque vaſtat; interim ſubditi ejus Tingitani deficiunt, & Bogud ex Hiſpania revertentem regno excludunt, idq; ex ſententia Auguſti Boccho tradunt. *Dio.*

Belli cauſæ inter Pompejum & Auguſtum oriuntur, & *Menas* libertus Pompeji ad Auguſtum perfugit, ac ab eo jure aureorum annulorum donatur. Pompejus contra Italiam diripit, inde navali prælio congrediuntur, in quo Auguſti Dux plures naves amittit, Pompeji verò Dux cadit. Sed paulo poſt Auguſtus ab hoſte claſſe oppugnatur, & ſequenti die, tempeſtatis procellâ, magnaq; clade afficitur: quapropter per totam Italiam novam claſſem ædificat, in qua paranda hunc & ſequentem annum conſumit. *Dio.*

ANNO MUNDI 3913. *ante C. N.* 35.
CF. ☉ 1. ☽ 3.
Coſſ. M. Vipſanius Agrippa.
L. Caninius Gallus.

Herodes ineunte vere, cùm hyems remiſiſſet, Hieroſolymam obſidione cingit, & durante obſidione nuptias celebrat Samariæ cum *Mariamne* Hyrcani nepte. Inde reverſus eſt Hieroſolymam, & paulo poſt etiam Soſius, poſt Paſcha ſcilicet, & urbem oppugnarunt undecim legionibus. Exterior murus captus eſt diebus quadraginta, Secundus quindecim. Et cùm obſeſſi fame laborarent, & deſtituerentur hoſtiis ad juge ſacrificium: inciderat enim oppugnatio in annum Sabbathicum; pecudes ipſis Herodes intromittit. Verùm cum nulli beneficentia flecterentur, urbs tandem vi expugnatur in ſolennitate jejunii, in qua etiam olim à Pompejo capta fuerat. Hæc incidit in diem 16. Julii, fer. 3.

Antigonus captus, mandante Antonio, ſecuri percutitur, quòd Judæi aliàs non viderentur toleraturi peregrinum regem, & principatus Aſmonæorum ita deſiit poſt encænia Maccabæi, annis 128. *Joſeph.*

Agrippa Gallos tumultuantes compeſcit, & ponte facto Rhenum tranſit, triumphumque ſuis victoriis meretur, quem tamen repudiavit ob cladem navalem Auguſti. Præpoſitus igitur ab Auguſto rei navali, ex lacu Lucrino, cum mare duobus brachiis immiſiſſet, portum facit, quem celebrat *Virgilius lib. 2. Georg. Dio.*

Aquila

Aquila quadam gallinam albam, ramum lauri geſtantem, in ſinum Liviæ conjugis Auguſti abjicit. Livia hac prœſtento maximo habens, gallinam nutrivit, & laurum plantavit, quæ adeò excrevit, ut triumphantes inde ſerta ſibi ſumerent. Exaruit autem hæc poſtea, cùm Nero ultimus ex hac familia Imperator trucidaretur, Dio.

Annus Nabonaſſaris 712. & annus Philippi & mortis Alexandri 288. incipit die 1. Septemb. fer. 1.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 276. & Antiochenus 13. incipiunt Calend. Octobr.

Menas, qui transfugerat à Pompejo ad Auguſtum, quòd alieno imperio ſubeſſe nollet, ad Pompejum refugit, homo naturâ fidei ambiguæ: In eum invehitur *Horat. Oda. 4. Epod.*

Cùm ſimultas inter Auguſtum & Antonium iterùm exorta eſſet, Antonius ex Ægypto Tarentum in Italiam venit, ibi eâ prudentiâ Agrippæ & Octaviæ conjugis Antonii compoſita eſt, fœduſque Tarentinum initum, quod Brunduſino triennio poſterius eſt. Et Antonius Auguſto centum naves ad bellum contra Pompejum attribuit, Auguſtus contra Antonio præbet duas legiones ad bellum Parthicum. *Tacit.*

ANNO MUNDI 3914. *ante* C. N. 34. E. ☉ 2. ☽ 4.

Annus urbis 717.	*Julianus* 10.
Æra Hiſpan. 3.	*Annus Auguſti Cæſaris* 9.

Coſſ. L. Gellius Poplicola,
M. Coccejus Nerva.

Menas ille transfuga iterum à Pompejo ad Auguſtum tranſit, & multum poſthac Auguſto in hoc bello profuit.

Hyrcanus, qui ad Parthos abductus fuerat, honeſtè jam Babylone habebatur, & in honore apud omnes erat: audiens verò Herodem regnum ſtabiliviſſe, in Judæam redit, ubi aliquot annos in honore apud Herodem vixit, donec interficeretur. *Joſeph.*

Eclipſis Solis ad hosce conſules annotata eſt in Faſtis Siculis. Ea facta eſt die 19. Maji, fer. 2. horis poſt meridiem 3.52. ubi parall. latitudo 19.21. veras 19. Viſa 14/21. Semidiameter Solis 15.2. ſcrup. reſidua 17.1. digiti 6.47. Sol in 25.8. Tauri.

Olympias 186. acta die 3. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus 741.

Victor Stadii *Scamander* Alexandrinus.

Herodes poſt interfectum Antigonum, ſummum Pontificem fecerat Ananelum Babylone evocatum. Alexandra Alexandri, qui à Pompejo Antiochiæ ſecuri percuſſus fuerat, vidua, moleſtè ferebat, quòd filia Mariamne Herodis quidem conjux eſſet, Ariſtobulus autem filius, hæres Pontificatus, in nullo honore eſſet: Impetrat igitur ab Herode, ut remoto Ananelo, Ariſtobulus ſummus Sacerdos fieret, etſi erat adoleſcens annorum Septemdecim. Sed cùm is populo acceptiſſimus eſſet, cœpit Herodes ſibi ab eo timere, ideò eum evocatum Hierichuntem ad convivium & ad luſus, ut animi cauſa in piſcinis nataret, per eos, qui ſubornati fuerant, in aqua ſuffocavit. *Joſephus libro 15. cap. 3.*

Agrippa, cum Demochare Pompeji Duce ad Mylas acerrimo prælio navali congreditur, & ferâ nocte tandem vincit: Auguſtus hoſtibus devictis Tauromenium in Siciliam tranſmittit, ſed hoc ei malè ceſſit; obſeſſus enim eſt à Pompejo, & dum navibus erumpere conatur, vincitur, & vix in Italiam effugere poteſt, relicto exercitu in Sicilia, cujus Dux erat *Cornificius,* qui tridui ſpatio commeatu deſtitutus fuit, & inſuper ab hoſtibus graviter afflictus, donec Agrippa cum claſſe ſuperveniret, qui rem reſtituit, exercitum defendit, & paulò poſt iterum navali prælio vincit, & Pompejum Sicilia pellit. *Dio.*

Lepidus auxilio Auguſto venerat, ſed cùm nimium ſibi tribueret, atrociter in Auguſtum verbis invehitur: Ideò Auguſtus ipſius exercitum corrumpit, & ad ſe perducit. Lepidum autem deprecantem omnibus provinciis exuit, & in cuſtodia Romam dimittit. Milites præterea tumultuantes exautorat, tumultuſq; in Hetruria & Africa ſedat, & Antonio naves remittit. *Dio. lib.* 49.

Canidius Craſſus in Iberos movet, victumque regem Pharnazabum coegit ſecum in Albaniam abire, quam gentem etiam ſibi adjunxit: quapropter Antonius ſibi fidens, ex Ægypto movet, & Parthis bellum infert, & in Mediam profectus, Praaſpa munitiſſimam urbem obſidet, ſeque & ſuos fruſtrà fatigat, & plurimùm affligitur eruptione hoſtium, adeò ut obſeſſo, quàm obſidenti ſimilior eſſet. Antonius irritatus culpam in milites confert, ſorteque decimum quemque ad ſupplicium rapit. Inde deceptus ſpe pacis, maximâ clade à Parthis affligitur, & vix in Armeniam pervenit hyemis tempore, ubi multi etiam frigore perierunt. Major clades fuiſſet, niſi præmoniti fuiſſent milites à quodam apud Parthos captivo, Italo. Adeò tamen præfectus eſt exercitus, ut vix tertia ejus pars ſupereſſet ex ſedecim legionibus. *Dio ibid. Florus lib.* 14.

Herodes, cùm Antonius in Parthos proficiſceretur, evocatur Laodiceam, ut cauſam diceret de Ariſtobulo Pontifice in aquis ſuffocato: tantis muneribus Antonium afficit, ut non accuſaretur. Cum autem mandaſſet Herodes Joſepho patruo, ſi ſibi durius aliquid accideret ab Antonio, & interficeretur, ut ipſe etiam Mariamnem uxorem tolleret, quam invidebat ob generoſitatem & formam omnibus aliis. Joſephus hæc effutiit, inde infinita mala in domum & familiam Herodis redundarunt. *Joſeph.*

ANNO MUNDI 3915. *antè* C. N. 33. G. ☉ 3. ☽ 5.

Magiſtratum hoc anno Romæ inierunt:

Coſſ. L. Cornificius.
Sext. Pompejus.

Sed non fuit hic ex Pompeji Magni familiâ.

Pompejus ex Sicilia fugerat, ut Lesbi hybernaret, ubi, cùm audiiſſet Antonium adverſa fortunâ in Parthia uſum eſſe, ſpem concipit, ſe Antonio

 poſſe

poſſe ſuccedere: ſed cùm ſalvus reverſus eſſet, ſibi metuit, & ad Parthos fugere conatur. At verò deprehenditur in fuga, & occiditur. *Dio.*

Herodes Alexandram ſocrum in vincula conjicit, quòd omnium turbarum autor eſſet. Interim Cleopatra in Ægypto, quæ Alexandræ favebat, petit ab Antonio Judæam, & Arabiam; & Herodem regno excutere conatur, ſed Antonius conſentire noluit. *Ioſeph.*

Antonius Armeniæ regem per fraudem intercipere conatur, ſed cùm ſe inſidiis non offerret, ipſe in Armeniam profecturus ex Ægypto in Aſiam venit, ubi ipſi cum muneribus occurrit Octavia uxor, ſoror Auguſti, quam metu Cleopatræ recipere non auſus, eam Romam remittit cum militibus, quos Auguſtum olim ad bellum Parthicum miſerat, & in Ægyptum redit. *Dio. lib. 49.*

Pannonii, dum Auguſtus cum Pompejo decertat, Romanos magnis injuriis affecerant, ideò eò expeditionem inſtituit, ſed veterani tumultuantur, quibus arma adimit, eosque exauctorat, pœnitentes tamen ad ſigna remittit, ſed in peculiarem legionem conjicit. In Pannonia Japydes ex deſperatione ſe ipſos occidunt, omnemque prædam corrumpunt. In reliquis Pannoniis Auguſtus tantùm milites ſuos exercuit, & ex eorundem præda milites aluit. Siſciam urbem, quæ hodie Belgradum eſt, ubi Savus & Colops fluvii miſcentur, expugnat. Inde Romam redit, ſequenti hyeme in Britanniam iturus, ſed à rebellantibus Pannoniis & Dalmatis retrahitur, & in Pannoniam redit. *Dio ibid.*

ANNO MUNDI 3916. *ante C. N.* 32. C. ☉ 4. ☽ 6.

Coſſ. M. Antonius II. L. Scribonius Libo.

M. Antonius eodem die quo conſulatum iniit, eodem ſe abdicat & ſubſtituit L. Sempronium Atratinum. *Dio. lib. 49.*

Antonius poſt cladem in Armenia, territa æſtate eò redit, & Artavaſdi regi Armeniæ inſidiatur, cumq; & legationibus & promiſſionibus eò deducit, ut in caſtra ad ſe veniret, ubi ſtatim comprehenſus fuit, & Armenia ipſa rege abſente ſubjugata, ipſeq; rex in Ægyptum deductus eſt, & aureis catenis vinctus. Ibi Antonius victoria hac fraudulenta elatus, Cleopatram reginam regum appellat, ejusque liberis Cyprum, item Syriam omnem cis Euphratem, Africam item & Armeniam largitus eſt; petiitque hæc ita Romæ rata haberi. *Dio ibidem.*

Agrippa hoc anno aquam Marciam, quæ corruptis canalibus defecerat, inſtaurat, & in plures partes deducit. Et ſequenti anno Ædilis factus, ædificia publica, vias, & cloacas privatis impenſis reficit, & plurima beneficia populo Romano largitur. *Dio.*

Auguſtus extremo anno in Dalmatia in prælio lapide ſauciatur in genu, & per multos dies æger jacuit. Convaleſcens Romam ad conſulatum rediit, & Statilium Taurum ad reſidua ejus bella reliquit.

Salluſtius moritur quadriennio ante Actiacam pugnam, die 13. Maji. *Sueton.*

ANNO MUNDI 3917. *ante C. N.* 31. BA. ☉ 5. ☽ 7.

Coſſ. Auguſtus Cæſar II. L. Volcatius Tullius.

Sextus Pompejus hoc anno deſignatus Conſul fuerat, ſed quòd hoſtis fuerat, conſulatus ipſi abrogatus eſt, & Volcatius aſſumptus.

Auguſtus etiam ſe abdicavit ipſis Calendis Januarii: in ejus locum factus P. Antonius, poſt Calendis Maji L. Flavius; Calendis Julii M. Acilius; Cal. Sept. L. Vinucius; Calendis Octobr. L. Lanonius. Tab. Cap.

Auguſtus *ſtatim in Dalmatiam redit, ne ocio milites corrumperentur, & ut patientia periculorum exercitum confirmaret.*

Agrippa *Ædilis Tepula rivum intercipit, & aquæductus Appia, Anienis, & Martia penè dilapſos reſtituit, & ſingulari curâ compluribus aquis ſalientibus urbem inſtruxit: Aſtrologos inſuper urbe pepulit.* Front.

Tiberius novem annorum puer, patrem Tiberium defunctum pro roſtris laudavit. *Sueton.*

Bocchο rege defuncto, Auguſtus Mauritaniam, & quicquid poſſederat, provinciam facit.

Annus Nabonaſſaris 716. & annus Philippi ac mortis Alexandri 292. incipit die 30. Auguſti, in vitioſo Calend. alias die 31. Auguſt.

Annus Seleucidarum Alexandrans 280. & Antiochenus 17. incipiunt Calendis Octobr.

Antonius uſque ad Araxem fluvium profectus, cum Medorum rege ſocietatem armorum jungit; ipſi contra Perſas, ſibi contra Auguſtum. Inde diſcedens, bellum contra Auguſtum parare incipit, quòd is provincias Lepidi ſibi ſoli ſumpſiſſet. Et Medorum quidem rex, auxiliis Antonii adjutus, & Parthos & Armenios egregiè vincit: ſed cùm Antonius ſua auxilia revocaret, victus eſt, & in poteſtatem hoſtium devenit, atque ita & Armenia & Media amiſſa eſt. *Dio in fin. lib. 49.*

ANNO MUNDI 3918. *ante C. N.* 30. G. ☉ 6. ☽ 8.

Annus urbis 721.	*Julianus 14.*
Æra Hiſpan. 7.	*Annus Auguſt. Cæſ. 13.*

Coſſ. Cn. Domitius Ahenobarbus. C. Soſius Nepos.

Coſſ. cùm Antonii partium eſſent, ipſis Calendis Januarii in abſentem Auguſtum graviter, invecti ſunt: ſed is reverſus, meditata oratione *Coſſ.* reſpondit, ideò ſibi metuentes ad Antonium abeunt: idem permittit poſtea Auguſtus etiam aliis. Contrà ab Antonio quidam ad Auguſtum tranſeunt, & Antonius ipſe Octaviam Auguſti ſororem repudiat, multaque alia peragit, quibus offendit populum Romanum. Teſtamentum prætereà ejus publicatur, quod iniquiſſimum fuit. Ideò conſulatus ipſi abrogatur, ac omnis alia ipſi conceſſa poteſtas. Cleopatræ etiam bellum indictum; & decretum, ut laudentur, qui ab Antonio ſe ſegregent: apparatur igitur magno conatu bellum.

Augu-

Auguſtum adjuvant Italia, Gallia, Hiſpania, Illyricum, Africa, Sardinia, Sicilia, & Inſulæ his vicinæ. Contra verò adſunt Antonio Aſia, Thracia, Græcia, Macedonia, Ægyptus, Cyrenaica, & reges inſulæque propinquæ. Antonius, & copiâ militum, & pecuniâ Auguſto ſuperior, ejus milites ad defectionem ſollicitat: ſed Auguſtus & pecuniarum diſtributione & diligenti cuſtodiâ hoc impedit. *Dio in pr. lib.* 50.

Olympias 187. *acta die* 18. *Auguſti. Eſt annus Olympiadicus* 745.

Victor Stadii *Sopater* Argivus.

Herodes magno apparatu expedit Antonio auxilia, ſed remiſit hæc ipſi Antonius, ideò apparatum illum convertit in Arabes, quos vincit magno prælio. Paulo poſt cùm Arabes iterùm exercitum collegiſſent, vincitur, non virtute Arabum, qui fugiebant, ſed proditione Athenionis, Cleopatræ Ducis, qui interim caſtra Herodis occupavit, & ipſum Herodis militem invaſit; ideo nihil apertè auſus eſt conari Herodes, ſed latrociniis omnia peregit & excurſionibus, ut ita militibus metum demeret, & eos confidentiores redderet. *Joſeph.l.*1. *bell.Jud.cap.*14.

Atticus, amicus Ciceronis, moritur anno ætatis 77. die 31. Martii.

Antonius claſſe in Italiam trajecturus impeditur ab Auguſto, ideò retrocedit, & Patris hybernat. Legati tamen ultrò citroq; commeant, ut alter alterius res ſpecularetur. *Dio.*

ANNO MUNDI 3919. *ante C. N.* 29.
F. ☉ 7. ☽ 9.

Coſſ. Auguſtus Cæſar III.
M. Valerius Meſſala.

Hic in locum Antonii factus, cui abrogatus fuerat à populo Romano conſulatus ſuperiori anno.

Primo vere Iudæa ingenti terræmotu concutitur, ruinis ædium ad decem hominum millia perierunt, ideò Arabes ultrò Herodem laceſſunt, Herodes ſuos conſolatus contra Arabes educit, eosq; in occupando tumulo vincit: ita milites reſumptis animis acriter poſteà contra hoſtes pugnant, atq; ita totam gentem unicâ victoria ſubigit, & ad deditionem adigit, quâ felicitate multum elatus eſt, ſed dum res ſuas ſtabiliſſe viſus eſt, audit Antonium victum ad Actium. *Ioſeph. lib.*15. *antiquit. cap.*7.

Agrippa Methonam in Africa expugnat, occiditq; Bogudem, inde in Græciam navibus excurſionem facit, eamq; ubique perturbat, cùm Antonii remiges vel morbo aſſumpti eſſent, vel minus exercitati. *Dio. lib.*50.

Piſaurum Colonia, quam Antonius deduxerat, hiatu terræ abſorbetur. *Vellejus.*

Liberti in tota Italia octavam partem bonorum ſuorum in ærarium referre coguntur; cives verò quartam annui reditus partem; id cùm inviti facerent, multa incendia Romæ excitata ſunt. *Dio ibidem.*

Auguſtus primo vere, aſſumptis ſecum Senatorum primis, cum exercitu trajicit in Græciam ad Actium promontorium, clàm Antonii claſſem in ſuam partem traducturus. Cùm nihil efficeret, caſtra ibi ponit & communit: eò traducit etiam copias Antonius. Interim Auguſtus in Græciam & Macedoniam duces quoſdam mittit, qui copias Antonii diſtrahant, & urbes in ſuas partes traducant. Receperunt hi duces Leucadem, Patras, Corinthum, &c. Ipſe interim equitatum Antonii vincit, & quaſdam ejus naves expugnat; Ideò multi ab Antonio ad Auguſtum tranſeunt. Et Antonius jam omnes habens ſuſpectos, quoſdam eorum crudeliter interficit, & caſtra caſtris Auguſti, ne transfugiendi copia eſſet, removet. Sed Auguſtus interim eum commeatu intercludit, eoq; cogit, ut de fuga cogitet. Cùm abitum jam pararet, Auguſtus oppoſitâ ſua claſſe eum detinet, & ad pugnam cogit. Cùm dubio marte ad aliquot horas pugnaſſent, *Cleopatra*, ancipitis prælii exitus expectatione & ſollicitudine victa, ſignum ſuis proponit, ut fugiant: fugientes conſpicatus Antonius, cùm victos crederet, & ipſe relicto exercitu fugit. Reliquam claſſem, cùm Auguſtus eam propter magnitudinem navium expugnare non poſſet, allato igne exuſſit. Accidit prælium 2. Sept. fer. 3. in vitioſo Calendario: in vero fuiſſet dies 3. Sept. Poſt victoriam Auguſtus caſtra hoſtium capit, & mittit naves, qui fugientes perſequantur. Ipſe interim reges quoſdam multat, quoſdam civitatibus, & ampliore regno remunerat, civitatibus verò pecuniam imperat. In Italiam, ne quid tumultus ibi oriretur, Agrippam mittit, ipſe in Græciam profectus, inde in Aſiam abit, & media hyeme Romam revertitur. *Dio.*

Annus ſabbathicus ſeptimus, qui eſt ipſe Jobeleus 29 *incipit* 19. *Septemb. fer.*3. *Eſt hebdomas Danielis* 57. *Anno Judaico* 3731.

Ecclipſis Solis annotatur in Faſtis Siculis, quâ hiſce conſulibus facta ſit. Ea invenitur die 20. *Auguſti, quatuordecim diebus ante pugnam ad Actium, fuit ingens, ſed quæ ad Occidentem diutiùs viſa eſt: accidit veſperi Romæ, paulò ante Solis occaſum.*

Hyrcanus ad Arabes ſuaſu filiæ Alexandræ, inquietiſſimæ mulieris, fugere conatur; ideò iratus Herodes eum occidit, ætatis anno octuageſimo; anno quadrageſimo quarto, poſtquam mortuo parente Pontifex factus eſſet. Herodes interim ſibi metuens ab Auguſto, certis in locis familiam diſponit, & ad Auguſtum proficiſcitur, qui tum Rhodi erat: ubi ejuſmodi oratione ad Auguſtum utitur, ut & regnum retineret, & amicitiam prætereà mereretur. *Ioſephus.*

Cleopatra poſt cladem cum Antonio in Peloponneſum fugit, ibi Cleopatra rectà in Ægyptum tendens, ne clades tumultum concitaret, victoriam mentitur, proras navium coronat, & victoriam per tibicines concinere jubet: inde ne ſibi quis obſtare poſſet, multos ex ſuis interficit. Antonius verò cùm exercitu in Aſia non reciperetur, Alexandriam venit. *Dio.*

(o)

ANNO MUNDI 3920. *ante C. N.* 28.
E.☉ 8. ☽ 10.

Coſſ. Auguſtus Cæſar IV.
M. Licinius Craſſus.

In locum Auguſti, Calendis Sextilis, Conſul factus, C. Antiſtius, *& inde in hujus locum, die 13. Septembris uſque ad Novemb.* M. Tullius Cicero *filius*. Tab. Cap.

Catullus Poeta circa hæc tempora moritur: miſit enim ſuum paſſerem, ſive nugas ſuas, Virgilio Maroni, celebri jam Poetæ, quemadmodum Martialis ſuas miſit *Silio*, in bello Punico deſcribendo occupato.

Auguſtus poſt triginta dies, cùm Conſulatum iniiſſet, in Aſiam redit; Antonius contra bellum inſtaurat, ſed auxilia illi à vicinis regibus negantur, ideò milites Auguſti ad proditionem, promiſſa multa pecuniâ, impellere conatur. Cleopatra inſcio Antonio multa Auguſto munera mittit; Auguſtus contrà ipſi, ſi Antonium interficiat, regnum promittit. Fuit tum temporis Auguſtus in inſula Co, Antonius verò in Syria claſſem fraude amittit, & alteram item incendio, in mari rubro. *Dio.*

Herodes, cùm Auguſtus per Syriam in Ægyptum tenderet, omni munificentiâ exercitum ejus affecit, & ad Ptolomaidem, ubi exercitus ejus recenſebatur, ipſi adfuit; inde ne iter facienti aqua & utenſilia deeſſent, magna curâ proſpexit. *Ioſeph.*

Cornelius Gallus præmiſſus ab Auguſto, quatuor legiones Antonii, apud Cyrenas in præſidio conſtitutas, in partes Cæſaris traducit. *Oroſ.*

Auguſtus in Ægyptum veniens, Peluſium proditione Cleopatræ cepit: Antonius verò Alexandriam tendens, equitatu Auguſtum prope Alexandriam vincit, ſed peditibus vincit. Inde Calendis Sextilibus Auguſtus viciſſim equitatu vincit. Eodem die cùm Claſſis contra Auguſtum inſtrueretur, tota claſſis ad Auguſtum tranſiit. Cùm nihil procederet, in Hiſpaniam tranſire parat: ſed cùm & hoc fruſtrà eſſet, Cleopatra primùm, quaſi mortis conſciſcendæ causâ, in monumentum inſiluit, quod vero putans Antonius, ſibiipſi vim infert, & in ſinu Cleopatræ mori voluit: quod Cleopatra ad Auguſtum nunciavit, ſed & regnum dedidit, & cùm metueret, ne in triumpho duceretur, aſpidis morſu periit. *Dio.*

Cùm hæc Romam nunciarentur, Cicero, ſuffectus Conſul, Antonii ſtatuas evertit, & ex Senatusconſulto dies mortis Antonii ſacer decernitur, & ut inde initium annorum numerandorum fiat, decernitur, item ut templum *Jani* claudatur.

Alexandria autem recepta eſt die primo Thot, anni Nabonaſſarei 719. qui incidebat in diem 29. Sextilis, in vitioſo Calendario; qui aliàs incidiſſet in diem 31. Auguſt. *Lagidæ* ita in Ægypto regnarunt annos 295.

Ab *Æra* autem Actiaca *Vettius* Valens Antiochenus Aſtronomus, rationes Aſtronomicas & ſiderum motus deducit.

Auguſtus in Ægypto neminem occidit, ſed eis Cornelium Gallum præfecit, vetuitque, ne quis Senator in Ægyptum proficiſceretur, quòd Ægyptiorum ingenia ad ſeditionem mobilia eſſent. Inde conſtitutis rebus in Aſiam revertitur, ubi Herodi, quod ſe fortiter geſſiſſet, partem regni addit propè Tyrum, quam Antonius olim Cleopatræ dederat. *Dio. Joſeph.*

ANNO MUNDI 3921. *ante C. N.* 27.
DC.☉ 9. ☽ 11.

Coſſ. Auguſtus Cæſar V.
Sext. Apuleius Nepos.

Conſulatum hunc Auguſtus iniit in Inſula Samo. Sic Dio ſcribit, Auguſtum hac æſtate ex Aſia in Græciam trajeciſſe; unde manifeſtum eſt, triumphos Cæſaris non actos eſſe in Januario.

Hoc anno templa ædificata, urbis Romæ & Julii Cæſaris, idque Epheſi & Niceæ: Auguſto etiam templum ædificatum Pergami, item Nicomediæ. Ea æſtate Auguſtus ex Aſia in Græciam, & hinc in Italiam tranſmiſit. *Dio.* atque ita cum Auguſto redeunte finita ſunt bella civilia, ſepulta externa, revocata pax, reſtituta vis legibus, autoritas judiciis, Senatuique majeſtas. Rediit cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa cuique ſuarum rerum poſſeſſio. *Vellejus.*

Triplici autem triumpho menſe Sextili urbem ingreſſus eſt. Et primo die triumphavit de Pannoniis & Dalmatis; Secundo die triumphum navalem duxit; tertium de ſubacta Ægypto, qui omnium ſplendidiſſimus fuit, ubi poſtea etiam multis diebus ſpectacula exhibuit, etiamſi non ſatis commodâ uteretur valetudine. Paulo poſt de deponendo dominatu deliberat. Id enim ſuaſit magnoperè Vipſanius Agrippa, ſed pluribus rationibus disſuaſit Mæcenas, qui etiam quasdam rationes adminiſtrandi principatus oſtendit, quæ poſtmodum inſtitutæ ſunt. *Dio.*

M. Artorius medicus Auguſti naufragio periit. *Euſeb.*

Craſſus in Macedoniam mittitur, Dacos & Baſtarnas vincit, regem Baſtarnarum occidit: Inde in Myſos movet, & totam gentem ſubigit, & adveniente hyeme ad ſocios revertitur: ſequenti anno rebellantibus Baſtarnis iterum in hoſtes movet, eosq; denuò ſubigit. *Dio.*

Annus Nabonaſſaru 720. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 296. *item annus Actiaca victoria ſive mortis Antonii ſecundus, incipit in vitioſo Calendario, die* 29. *Auguſti: In vero, die* 30. *Auguſti, feria* 2.

Annus Seleucidarum Alexandreus 284. *& Antiochenus* 21. *a Calendis Octobr.*

Cenſuram Auguſtus cum Vipſanio Agrippa adminiſtrat: ubi cum bellorum civilium tempore multi in Senatum aſſumpti eſſent, & numerus Senatorum ad mille excreviſſet, monuit Auguſtus, ut qui indignos ſe hoc honore cenſerent, ipſi ab hoc ordine abſtinerent: cui admonitioni locum dederunt quinquaginta, qui abſque ulla notatione privati facti ſunt, ſed cùm idem reliqui quidam, qui minùs digni videbantur, per ſe facere nollent, Auguſtus centum & quinquaginta Senatu movit, & ne Senator extra Italiam, inſciis [illegible] peregrinaretur, interdixit. Inde Colonos

Cartha-

Carthaginem deduxit, quam violaſſe videbatur Lepidus. *Dio.*

ANNO MUNDI 3922. *ante C.N.* 26.
B. ☉ 10. ☽ 12.
Annus urbis cond. 725. *Julianus* 18.
Æra Hiſp. 11. *Annus Auguſt. Caſ.* 17.

Coſſ. Auguſtus Cæſar VI.
M. Vipſanius Agrippa II.

Cenſum peragit Auguſtus, conditq; Luſtrum 62. ipſeque princeps Senatus lectus eſt. Dio.

Auguſtus hoc toto anno militem donis, populum muneribus, & ludis atq; annona delinivit; Senatores pecuniâ, cunctos dulcedine otii allexit, ærarium publicum privata pecunia ſuſtentavit, nomina eorum, qui ærario debebant, publicis incenſis tabulis delevit, cùmque multa bellis & ſeditionibus civilibus contra jus & leges conſtituta eſſent, ea omnia uno edicto ſuſtulit, atq; ita omnium civium benevolentiam ſibi conciliare conatus eſt. *Dio.*

Agon Actiacus inſtitutus Calendis Auguſti, qui quinto quoque anno, quemadmodum Olympiades celebraretur, isque non tantum in uſu fuit tempore Dionis, ut ipſe affirmat, ſed etiam poſterioribus ſeculis, circa annum Chriſti 438. ita enim affirmat Sigebertus, cùm ſolennitas ſancti Petri ad vincula inſtituenda eſſet, electum eſſe diem primum menſis Auguſti, quòd Romani adhuc gentili more agerent Actiacum agonem, ab Auguſto eo die inſtitutum. *Sigeb.*

Olympias 188. acta 4. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus. 749.

Victor Stadii excidit hac Olympiade.

Antharius, Sicambrorum rex, cum Galli in Germaniam irruerent, magno exercitu ipſis reſtitit, ſed infeliciter pugnans prælio victus eſt & cæſus, cùm viginti ſuorum millibus, cum annis 35. regnaſſet; ſuccedit ipſi filius *Francus*, qui regnat annis 28. *Trith.*

Auguſtus tributum Ægyptiis impoſuit ducenties centena millia modium frumenti, hoc eſt, quater decies ferè centena millia modiorum Lipſienſium. Modius autem Lipſenſis pendet ducentas libras, quibus, ſi ſingulis diebus ſingulis hominibus detur libra penis, ſuſtentari potuerunt annuo ſpatio Romæ plusquam ſepties centena millia hominum. *Aurel. Victor.*

Cornelius Gallus ab Auguſto Ægypto præpoſitus hoc anno Thæbas Ægypti diripit, & Pyramidibus, quas refecerat, nomen ſuum inſcribit, quo nomine apud Auguſtum delatus ſeipſum tandem interficit, Auguſto octavum conſule; fuit hic Gallus amicus Pollionis, *lib.* 3. *epiſt. Cic.* 32. & Tibulli, & Virgilii.

Herodes annuo ſpatio, poſtquam Auguſtus ex Aſia diſceſſerat, Mariamnem conjugem, falſo de veneno ſibi offerendo delatam, interficit, quâ de cauſa ipſe tantùm doluit, ut omnium conſpectum fugeret, & fera mente moveretur: ſecuta eſt peſtis ingens per totam Judæam. *Ioſeph.*

ANNO MUNDI 3923. *ante C.N.* 25.
A. ☉ 11. ☽ 13.

Coſſ. Imp. Auguſtus Cæſar VII.
M. Vipſanius Agrippa III.

Auguſtus, cùm omnium gratiam ſibi præcedente anno beneficiis ſuis comparaſſet, oratione ad tempus accommodatâ, proponit in Senatu, ſe abdicare jam imperio, & illud populo Romano reddere excuſatque, quæ tempore belli acta eſſent, vi ſibi potiùs extorta, quàm voluntate ſua in quosdam facta eſſe. Hac ratione factum eſt, cùm alii hoc ſtatu imperii gauderent, alii imperium populi reformidarent, ut communibus precibus eum cogerent, ut imperium retineret, & ut Prætorianos milites aleret ad tuendum corpus, quibus duplex ſtipendium daretur. Ex ſententia etiam Munatii Planci, *Auguſti* nomen accepit die 17. Januarii, ut Cenſorinus habet, ſed, ut Ovidius, 13. Januarii. Nomen autem *Auguſti* ſacrum quid ſignificat & venerandum: & hodie ab augendo dictum putatur, cujus rei primus autor videtur Eutropius, qui Auguſtum ita dictum putat, quòd Rempubl. auxerit. Cùm hoc modo imperium ſtabiliviſſet, Provincias imperii ita partitur, ut pacatiores populo daret, quo Proconſules mitterent; reliquas verò, quæ rebellaturæ videbantur, ſibi ſumeret: quâ arte factum eſt, ut omnes milites ad ſe perduceret, & Senatum totum exarmaret. Inde ipſi tribuitur decennale imperium in omnes provincias, quod ita ſuſcepit: quo elapſo imperium iterum in quinquennium aſſumpſit. Ex hoc exemplo factum eſt, ut & Imperatores reliqui poſtea & decennalia, & quinquennalia, ſi decem vel quinque annos in imperio exegiſſent, celebrarent, factis ſolennibus quibusdam ſacrificiis, & adhibitis ludis.

Auguſtorum autem anni, quantum ex Cenſorino videre eſt, ab hoc anno initium ſumunt, quanquam alii diverſum ſentiunt.

ANNO MUNDI 3924. *ante C.N.* 24.
G. ☉ 12. ☽ 14.

Coſſ. Imp. Auguſtus Cæſar VIII.
T. Statilius Taurus II.

Auguſtus ſuperiori anno expeditionem ſuſceperat in Britanniam, ſed cùm ſibi metuentes legatos obviam miſerant, & populo Romano ſatisfecerant, ſubſtitit aliquo tempore in Galliis, inde in Hiſpaniam tranſierat, ubi hunc conſulatum init *Tarracone.* Parum enim in Hiſpania per ducentos annos actum arbitrabatur, ſi *Cantabri & Aſtures* fortiſſimæ gentes ſua libertate uterentur: idque bellum diu, donec per Oceanum claſſem admoveret, tractum eſt, & poſt quinque annos tandem finitum. *Oroſ.*

Cornelius Gallus, quòd multa protervè in Ægypto egiſſet, actaque ſua Pyramidibus inſcripſerat, ſtatuasq; ſibi aliquot poſuerat, in exilium publicatis bonis agitur, quam indignitatem non ferens, ſibi ipſi manus intulit. *Dio.*

Ædilibus mandatum, caverent ne incendia exiſterent, aut ſi fierent, ut ſtatim reſtinguerentur. Dati ipſis ex publico ſexcenti ſervi, quorum operâ uterentur *Dio.*

Herodes

Herodes ob deſiderium Mariamnes tandem in periculoſum morbum incidit, cui Alexandra mater Mariamnes inſidiatur, & munitiones quaſdam ſibi tradi poſtulat: Herodes eam interfici jubet. Occidit præterea alios, qui ex familia Antigoni quoſdam, cum Hieroſolyma caperetur, occultav. rant, & poſtea foverant. Inſtituit præterea Hieroſolymis Theatrum & ludos: quod, cum pugnaret cum montibus & lege Moiſis, multi ulturi inſidias Herodi ſtruxerunt. *Ioſeph.*

ANNO MUNDI 3925. *ante C. N.* 23.
FE. ☉13 ☽15.

Coſſ. Imp. Auguſtus Cæſar IX.
M. Junius Silanus.

Hunc etiam conſulatum, *teſtante Suetonio*, ininivit Tarracone in Hiſpania *Auguſtus*, cum videretur ſibi bellum Cantabricum confeciſſe, in Britanniam cum exercitu cogitat, ſed ſub tò ſimul rebellant Cantabri, Aſtures & Salaſſi. Contra Salaſſos in Alpibus habitantes mittit Terentium Varronem, qui induſtriâ ſua totam gentem in deditionem accipit, juniores & militiæ aptos vendit, & Auguſtam urbem, in quam veteranos milites collocat, condit, quam Auguſtam Prætoriam vocat. *Dio.*

Cantabri verò ſe difficultate locorum tutantur, & Auguſtum ita fatigant, ut in difficilem morbum incideret, qui tamen nihilominus belli adminiſtrationem C. Antiſtio mandat, qui eos brevi tempore ſubigit. Auguſtus verò ſanitati reſtitutus, Auguſtam urbem in Hiſpania condit, quam *Emeritam* vocavit, quòd milites emeriti in eam ſcripti eſſent, & ſpectacula in caſtris exhibet. *Dio.*

Germani aliquot cives Romanos interfecerant, ideò M. Vinicius hanc injuriam ultus eſt, & triumphum de iis meruit, quem tamen non accepit. Trophæum igitur ipſi poſitum eſt, & conceſſum, Calendis Januarii ut triumphalem veſtem geſtaret. *Dio.*

Templum Jani, cùm nullibi bella amplius reſtarent, ſecundò ab Auguſto clauſum eſt: atque ita quartò ab initio. *Dio.*

Agrippa ſuis ſumptibus Romam mirè exornavit, & ſudatorium etiam Laconicum fecit, ita dictum, quòd nudi in eo ungerentur.

Pantheon etiam templum ædificavit, ita dictum, quòd formâ convexa faſtigiatum, cœli ſimilitudinem referret: id templum etiam hodiè extat Romæ, titulo Mariæ rotundæ. Idem Agrippa eodem anno Auguſti filiam *Juliam* Marcello, filio ſororis Auguſti, collocavit, cùm Auguſtus morbo impediretur. *Dio.*

Annus Nabonaſſaris 724. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 300. *& annus* 6. *Actiacæ victoriæ, incipiunt in vero Calendario die* 29. *Auguſti.*

Annus Seleucidarum Alexandrinus 288. *& Antiochenus* 25. *incipiunt à Calendis Octobr.*

Galatia hoc anno in Provinciam redacta eſt, cùm antea ſub Dejotaro fuiſſet, primusq; eam adminiſtravit *Lollius* Proprætor. *Ruff.*

Francus Sicambrorum rex, cùm Gallorum ferociam repreſſiſſet, & parentis necem ultus eſſet, anno regni tertio à Saxonibus una cum Doringis evocatur contra Gothos, qui è Scandia in Saxoniam eruperant, eamque miſerè vaſtabant. Strenuè ſe geſſit Francus, adeò ut ab eo tota Sicambrorum gens *Franci* appellaretur: quanquam Sicambrorum nomen etiam manſit. Ita enim Remigius, cùm Clodovæum baptiſaret, inquit: *Mitis depone colla Sicamber; Adora quod incendiſti, incende quod adoraſti.* Trith.

ANNO MUNDI 3926. *ante C. N.* 22.
D. ☉14. ☽16.
Annus urbis cond. 729. *Julianus* 22.
Æra Hiſp. 15. *Auguſtorum* 4.
Annus Imp. Auguſt. Cæſ. 21.

Coſſ. Imp. Auguſtus Cæſar X.
C. Norbanus Flaccus.

Auguſtus tandem ex Hiſpania ad urbem redit, ubi Marcellum, ſororis ſuæ filium, Quæſtorem creavit, *Tiberium* verò ædilem. *Dio.*

Herodes, cùm ſibi metueret à ſeditioſis Judæis, etiamſi binas arces Hieroſolymis haberet; Reginam ſcil. ſuam, & Antoniam: nihilominus tamen de nova in urbe regia opportuno loco ædificanda conſilia agitat, & quæ ad eam facerent præparat, utq; etiam iis, qui extra urbem eſſent, frenum injiceret: *Samariam* inſtaurat, quam *Sebaſten* appellavit. Sed hæc nomine novo repudiato, ut ex hiſtoriis videre eſt, vetus illud Samariæ nomen retinuit. *Ioſeph.*

Cantabri & Aſtures in Hiſpania, cùm Auguſtus abiiſſet, iterùm rebellant, plurimosque milites Romanos fraude occidunt, ſed celeriter victi & capti, ſub jugum redeunt.

Olympias 189. *acta. Eſt annus Olympiadicus* 753. Victor Stadii *Aſclepiades* Sidonius.

Annus ſabbathicus primus. Jobelei Judaici 300. *incipit die* 2. *Sept. fer.* 5. *Eſt hebdomas Danielis* 58. *Anno Jud.* 3738.

Quintilius Cremonenſis Poeta, familiaris Virgilio & Horatio, moritur. *Euſeb.*

In Judæa ex longa aëris intemperie, magna fuit agrorum ſterilitas atq; ita ingens fames ingruit: quapropter *Herodes*, ut publicis neceſſitatibus ſubveniret, omnem auream & argenteam ſupellectilem ad Petronium Ægypti præſidem miſit, frumentumque advehi curavit, & benevolentiam populi promeruit. Miſit inſuper *Herodes* auxilia Ælio Largo, exercitum in Arabiam ducenti. *Ioſeph.*

Ælius Largus exercitum in Arabiam Felicem ducit: ſed morbo ingruente in exercitum, vincitur, & Arabiâ expellitur. *Dio.*

ANNO MUNDI 3927. *ante C. N.* 21.
C. ☉15. ☽17.

Coſſ. Imp. Auguſtus Cæſar XI.
A. Terentius Varro Murena.

His

Hic Murena, antequam iniret, mortuus eſt, ideò in ejus locum factus eſt:

Cn. Calpurnius Piſo.

Auguſtus etiam, cùm conſulatum per tres menſes adminiſtraſſet, abdicavit ſe, & ſuffectus eſt L. Sextius Nepos.

Auguſtus *morbo adeo decumbit, ut ſpes nulla eſſet ſalutis, quapropter teſtamentum condidit. & Senatui miſit. Sed ex hoc morbo liberatur induſtria* Antonii Muſæ *medici, qui propterea multis præmiis, etiam jure annuli, cùm alias Libertinus eſſet, donatus eſt. Medicinæ etiam Doctoribus privilegia tributa ſunt.* Dio.

Agrippa, quòd ſimultas quædam interceſſiſſet ipſi cum Marcello, in Syriam ab Auguſto ablegatur, qui tamen in Syriam non pervenit, ſed in Lesbo Inſula manſit, & ſua per legatos in Syria curavit. *Dio.*

Auguſto à Senatu Romano offeruntur magni honores, inter cætera etiam Tribunitia poteſtas, quam accepit die 27. Junii: hinc ortum, ut Imperatores ſequentes lege quadam eam etiam poteſtatem ſibi uſurparent, & tot annos imperaſſe dicerentur, quot haberent annos tribunitiæ poteſtatis. Et quidem cùm Auguſtus moreretur, teſte Tacito, triceſimam ſeptimam poteſtatem tribunitiam inierat.

Herodes, cùm regiam magnificam in ſuperiore urbis Hieroſolymitanæ parte ædificaſſet, animum ad ducendam aliam conjugem in locum Mariamnes adjicit, & eligit filiam Simonis Boethi, qui ut plus dignitatis haberet, Jeſum Phabetis filium, ſummum ſacerdotem, pontificatu removet, & Simonem hunc creat, & nuptias cum ejus filia celebrat. *Ioſeph. lib. 15. cap.* 12. inde ad ſalutandum Agrippam in Lesbum navigat. *cap.* 13.

Marcellus, cùm Ædilis eſſet, magnificentiſſimo munere ædilitatis edito, ex morbo, quem ante annos octo contraxerat, anno ætatis 24. decedit. Erat juvenis virtutum & fortunæ, in quam alebatur, capax. Ejus mentionem facit *Virgilius lib. 6. Æneid.* qui hoc tempore ſcriptus eſt: Mors ejus Liviæ uxori Auguſti imputata fuit à multis, quæ moleſtè ferebat, cum ſuis filiis, Tiberio & Druſo præferri. *Dio.*

Tiberis adeò inundavit, ut urbs triduo navigabilis eſſet. *Dio.*

ANNO MUNDI 3928. *ante C. N.* 20.
B. ☉ 16. ☽ 18.
Coſſ. M. Claudius Marcellus Æſcrinus. L. Arruntius Nepos.

Inundationes iterum urbem Romam vaſtarunt, & peſtis per totam Italiam ita graſſata eſt, ut nemo agris colendis vacaret; unde fames exorta, ejus rei cauſa in Auguſtum à populo collata eſt, quod conſul non eſſet. Quapropter eum Dictatorem perpetuum creare voluerunt, quibus tamen Auguſtus ſumma vi reſtitit. Rationem tamen rei frumentariæ ita habuit, ut binos Prætorios in Senatu crearet, quibus hæc cura per quinquennium committeretur. *Dio.*

Cantabri & Aſtures in Hiſpania iterùm rebellant, ſed ſtatim vincuntur, & Aſtures quidem in ſervitutem rediguntur. Cantabri verò, cùm nulla ſpes libertatis eſſet, ſibiipſis vim intulerunt. *Dio.*

Herodes filios ſuos, Alexandrum & Ariſtobulum, Romam mittit ad ſalutandum Cæſarem, & ut Romanis moribus aſſueſcerent: quâ humanitate Herodis Auguſtus permotus, regnum ejus auget nova acceſſione Trachonitidis & Batanææ. quæ olim ditio fuerat Lyſaniæ, quam Zenodotus quidam certo pretio conduxerat; is verò Zenodotus & Syriam & Judæam latrociniis infeſtabat, de quibus plurimæ querelæ ad Varum Syriæ præſidem delatæ ſunt, quas ille ad Auguſtum miſit, qui totam eam regionem Herodi tradidit, ut latrones illos compeſceret. De hac re Zenodotus miſit ad Agrippam accuſatores Herodis, quos tamen Agrippa vinctos ad Herodem remiſit. *Ioſeph. lib. 15. cap.* 15.

Æthiopes etiam vincuntur à C. Tribonio, qui Ægypto præſidebat, & ad conditiones pacis accipiendas coguntur. *Dio.*

Fannius Cæpio, & Licinius Murena conſiliis ineunt de occidendo Auguſto ſed opprimuntur autoritate publica, dantque pœnas. *Dio & Vellej.*

Pylades Cilix Pantomimus, cùm veteres ipſi canerent & ſaltarent, primus chorum & tibiam ſibi præcinere fecit, cum Auguſtus Romam evocavit. *Euſeb.* Ex hujus familia poſterioris Pantomimi multi Pyladis nomine celebres fuerunt, ut ſub Trajano, Commodo & aliis; quemadmodum à Bathyllo Bathylli reliqui, ut teſtatur *Seneca Scalig. pag. 155. Can.*

Auguſtus appetente autumno in Siciliam abit, interim in creandis Coſſ. in comitiis ſeditio oritur, cùm populus alterum conſulem vellet habere Auguſtum. *Dio.*

Antequam autem abiret, *Cenſores* creati fuerunt L. Munatius Plancus & Paul. Æmilius Lepidus, qui tamen luſtrum non fecerunt. *Dio.*

ANNO MUNDI 3929. *ante C. N.* 19.
AG. ☉ 17. ☽ 19.
Coſſ. Q. Æmilius Lepidus. M. Lollius.

Cùm Auguſtus conſulatum denegaret, Lollius in ejus locum factus eſt, cum ne hoc quidem abſque tumultu fieret, Auguſtus Agrippam præfectum urbis creat, qui ut haberet ſatis autoritatis, juſſus eſt ſuam conjugem repudiare, & ducere Juliam Auguſti filiam, etſi prior conjux eſſet Octaviæ filia. *Dio.*

Auguſtus rebus in Sicilia ordinatis in Græciam transmittit, ubi Lacedæmonios reditibus auxit, quòd Liviam in exilio olim humaniter recepiſſent: Athenienſes contra multavit, & quòd Antonium nimium eſſent amplexi, ipſis Æginam & Erithream eripit: inde adveniente hyeme in Samum navigavit, ibique hiemavit. *Dio.*

Auguſtus incipit tribunitiam poteſtatem tertiam, die 27. Junii.

Annus

Annus Nabonaſſaris 728. & annus Philippi & mortis Alexandri 304. incipit die 28. Auguſti, feria 3. & ſequenti die incipit annus Æra Actiaca victoriæ 10.

Annus Alexandræus Seleucidarum 292. & Antiochenus 29. incipiunt Calendis Octobr.

Herodes ædificationem Turris Stratonicæ aggreditur, eamque urbem vocat poſtea Cæſaream, eamque ingenti portu, magnis ſumtibus exornat.

Horatius Poeta de ſuæ ætatis annis hoc anno ſic ſcribit:

Me quater undenos ſciat impleviſſe Decembres,
Collegam Lepidum quo dixit Lollius anno.

ANNO MUNDI 3930. *ante C. N.* 18.
F. ☉ 18 ☽ 1.

Annus urbis 733. *Julianus* 26.
Æra Hiſp. 15. *Auguſtorum* 8.
Annus Imperii Auguſti 25.

Coſſ. M. Apulejus Nepos.
P. Silius Nerva.

Auguſtus ex Leſbo in Aſiam pergit, & Bithyniæ provinciam ordinat, quæ tamen ad populum Romanum pertinebat, nec ſuis provinciis accenſebatur. Cyzicenis autem libertatem adimit, & Tyrios Sydonioſq; pecunia multat. *Dio.*

Olympias 190. *acta die 6. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus* 757.

Stadii victor *Auphidius* Patrenſis.

Herodes apud Auguſtum accuſatur à Gedarenſibus, qui cum viderent ſe fruſtrà laborare, metu ne dederentur Herodi, ſemetipſos jugulant. Sed Herodes non tantum abſolvitur ab Auguſto, ſed inſuper magnam partem regni accipit ad fontes Jordani, ubi etiam ad Panium in honorem Auguſti magnificum templum extruxit; & ut Judæos ſibi reconciliaret, qui offendebantur hoc templo, tertiam ipſis tributorum partem remittit. *Joſephus.*

Agrippa in Boſphoranos profectus, eos ſuperavit, & ſigna militaria, quæ quondam ſub Mithridate adempta Romanis fuerant, recuperavit, & victos ad deditionem coegit. *Oroſ. l. 6.*

Auguſtus regibus in Aſia tribuit regna, ut Jamblicho, quem Arabiæ Principem fecit, & Archelao, quem creavit Armeniæ minoris regem; Tiberium etiam in majorem Armeniam miſit, qui Tigranem ibi regem conſtitueret; ſed illi ipſi Armenii interfecto Artabaze Tigranem antea regem fecerant. Phraates verò Parthorum rex metuens, ne Auguſtus ſibi bellum inferret, ſigna militaria Craſſo & Antonio adempta, item captivos, quos habere potuerunt, reddit. Inde Auguſtus in Samum reverſus eſt, eiſq; libertatem reſtituit. *Dio.*

Cajus Auguſti ex filia Nepos, & filius Agrippæ, natus eſt hoc anno. *Dio.*

ANNO MUNDI 3931. *ante C. N.* 17.
E. ☉ 19. ☽ 2.

Coſſ. Q. Lucret. Cinna Veſpillo.
C. Sentius Saturninus.

Auguſtus Conſul deſignatus fuerat, ſed cùm conſulatum non reciperet, magni tumultus Romæ coorti fuerunt, quos tamen ſumma ſeveritate ſedavit Saturninus Conſul, & legatos ad Auguſtum miſit, quem vellet ſubſtitui conſulem: qui Lucretium elegit. *Dio.*

Agrippa aquam in agro Lucullano collectam, quæ Virgo appellabatur, quòd à virgine venæ ejus oſtenſæ eſſent, in urbem deduxit. *Front.*

Virgilius Poeta moritur Brunduſii, oſſa ejus Neapolin tranſlata ſunt, ubi ſecundo ab urbe milliario ſepelitur, titulo hoc ſupra ſcripto, quem moriens ſibi fecerat:

Mantua me genuit; Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope. cecini paſcua, Rura, Duces.

Indorum legatio ad Auguſtum venit in Samum pro pace componenda, cum Auguſtus Tribunitiam poteſtatem quintam iniiſſet. Miſſi autem fuerant à rege Indorum Pandione, & magna munera attulerant. *Dio.*

Cùm ſeditionum in urbe Roma nullus modus eſſet, Auguſtus Romam redit, ubi decernitur à Senatu, ut dies, quo rediiſſet in urbem, ludis celebraretur, iique Auguſtalia appellarentur, quæ incidunt in diem 12. Octob. item ut Magiſter morum & Conſul perpetuus eſſet, ſemperq; haberet duodecim faſces, legeſque, quæ ad gubernandum imperium facerent, conderet quas vellet, ſe paratos in eas jurare. *Dio.*

Agrippa Gallis tumultuantibus præficitur, & iis ſedatis in Hiſpaniam tranſit: ibi *Cantabri*, qui in ſervitutem redacti fuerant, interfectis ſuis Dominis ſe in libertatem vendicaverant, Præſidiaq; Romana infeſtabant, hoſce Agrippa magna cum difficultate vicit, quòd eſſent bellorum periti, & deſperaſſent de ſalute, mortemque ſervituti præferrent. *Dio.*

Herodes, ut bene de populo Judaico mereri videretur, *Templum* Hieroſolymitanum de integro conſtruere incipit, magnos in hac re ſumptus fecit, dum mille plauſtra pararet, quæ lapides convehèrent, & ex omni artificum copiâ peritiſſimos ad decem millia, & inſuper mille Sacerdotes ædificiorum peritos, quos aliis præfecit, ſelegit, præter operarios reliquos. Sublatis igitur prorſus veteribus fundamentis nova jecit.

Templum fuit longitudine centum cubitorum: altitudine totidem, & viginti cubitis amplius, qui viginti cubiti tamen, cùm fundamenta ſubſiderent, rurſus dempti ſunt, & iterùm additi Neronis temporibus, habuitque januam ferè templo parem. Cinxit templum porticibus ampliſſimis, quæ reſponderent reliquæ magnificentiæ: harum duæ validis muris fulciebantur. Ab Orientali parte fuit rupes præceps, & verſus auſtrum vallis profunda. Ampliavit autem Herodes aream templi ita, ut in circuitu haberet ſtadia quatuor, ut tàm longitudo, quàm latitudo in eo monte eſſet unius ſtadii ſive Paſſuū 125. ſive pedes 625. Murus ad orientale latꝰ duplicem

plicem

plicem habuit porticum, ſpectantem januã templi in meditullio. Ad ſeptentrionale latus erat arx firma, opus Aſmonæorem, quam Herodes munitiorem fecit, & ab Antonino triumviro Antoniam appellavit. Ad Occidentem erat Porticus, quatuor habens portas: Ex prima tranſitus erat in regiam Herodis per vallem interjectam: duæ portæ ferebant in ſuburbia: quarta in urbem ferebat, gradibus utique multis ad imam vallem usq; diſpoſitis, quibus aſcendebatur in templum. Quartum latus ad meridiem habebat portam ab utroq; angulo æquè diſtantem, & triplicem porticum, longitudine ab orientali valle usque ad occidentalem pertinentem. Erant eæ portibus præaltæ, ita ut nemo absq; vertigine in profundam illam vallem deſpicere poſſet. In porticibus iſtis erant quatuor ordines columnarum. Craſſitudo columnæ unius duodecim cubitorum, quantum tres homines extenſis poſſunt complecti brachiis, longitudo pedum 27. opere Corinthio exornata. Numerus univerſarum fuit 162. quartus tamen ordo columnarum fuit inſertus muro (conſequens hinc, diſtantiam columnarum fuiſſe ſexaginta pedum) atq; hoc modo ſe habebat primus templi ambitus. Poſtea non longo interſtitio ſecundus ambitus ſequebatur paucis gradibus ſcanſilis, quem ſub interminatione capitis pœnæ nemo alienigena ingrediebatur. Patuit hic ambitus ab auſtro ternis januis; à ſeptentrione etiam ternis januis æquè diſtantibus; ab Oriente verò una magna janua, per quam ingrediebantur caſti cum uxoribus, interiora hujus ambitus, nefas eſt mulieres ingredi.

Tertium ſpatium intimum ſolis Sacerdotibus eſt acceſſibile: in eo templum erat, & ante illud, altare ſacrificiorum. Herodes utpote profanus non audebat in interiora ingredi, ideò per Sacerdotes curabat fabricam intimarum particuum, & Templum quidem exterius perfectum eſt octo annorum ſpatio, interius verò ſeſquiannuo ſpatio. Dedicatum eſt templum, quando ſimul incidebat natalis dies regni, (qui in vernum tempus incidit, ſi initium, quo Romanæ rex declaratus eſt, reſpicias: in æſtatem verò, ſi à captis Hieroſolymis numeres,) *Ioſeph.*

ANNO MUNDI 3932. *ante.* C. *N.* 16.
D. ☉. 20. ☽ 3.

Coſſ. P. Cornelius Lentulus Marcellinus.
Cn. Cornelius Lentulus.

Auguſtus, cùm decennii Principatus in exitu eſſet, in aliud quinquennium ſibi principatum prorogavit.

Agrippa genero Auguſtus eadem ferèque ſibi, tum præcipuè Tribunitiam poteſtatem in quinquennium dedit. Inde examen Senatus inſtituit, triginta Senatores ordinavit, qui de quoque Senatore judicarent, an dignus eſſet tanto honore. Senatorem enim numerus nimium excreverat, & nemo per ſe tanto honore abire volebat. Numerum igitur Senatorum ad ſexcentos redegit. Et cùm ambiret Pontificatum maximum, Lepidusque eo honore fungeretur, ipſum quidem multis contumeliis affecit, ipſo tamen vivo Pontificatum recuſavit. Pontificibus tamen negotium dedit, ut Sybillinos libros deſcriberent. Judicia hoc anno ſeverè exercuit, & multas leges condidit. *Dio.*

Herodes Romam navigat, & liberos ſuos Alexandrum & Ariſtobolum, qui ibi fuerant in omnibus bonis artibus inſtituti, domum reducit, iisq; paulò poſt dat conjuges, & Ariſtobulo quidem Berenicem Salomes ſororis filiam: Alexandro autem Archelai Cappadocum regis filiam. *Ioſeph.*

Maria mater Salvatoris noſtri Chriſti hoc anno ſcribitur nata. *Nicephorus.*

ANNO MUNDI 3933. *Ante* C. *N.* 15.
CB. ☉ 21. ☽ 4.

Coſſ. C. Furnius.
C. Junius Silanus.

Lucius Cæſar, filius Agrippæ, Auguſti Nepos, his *Coſſ.* naſcitur, quem ſtatim Auguſtus, ut & fratrem ipſius Cajum, adoptavit, quòd multi eſſent, qui vitæ ipſius inſidiarentur. *Dio.*

Seculares ludos hoc anno Auguſtus quintò celebravit, & Horatius Poeta carmen ſeculare ſcribit.

Auguſtus, cùm Senatores tardius in Senatum venirent, multam iis graviorem quàm antea conſtituit. *Dio.*

Auguſtus Tribunitiam poteſtatem ſeptimam init die 27 Junii.

Annus Nabonaſſaris 732. & annus Philippi ac mortis Alexandri 308. incipit in vero Calendario die 27. Auguſti, fer. 7.

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei Jud. triceſimi, incipit die 15. Sept. fer. 5. Eſt hebdomas Danielis 59. Anno Jud. 3745.

Annus Alexandr. Seleucidarum 296. & annus Antiochenus 33. incipit Calendis Octob.

Meſſala Corvinus præfectus urbis Romanæ conſtitutus fuit, cujus præfectura fuit paucorum dierum, quòd tanto oneri impar eſſet. *Tac. in 6.*

ANNO MUNDI 3934. *Ante* C. N. 14.
A. ☉ 22. ☽ 5.

Annus urbis 737. *Julianus* 30.
Æra Hiſp. 23. *Auguſtorum* 12.
Annus Imp. Aug. 29. *& Trib. poteſtatis Agrippæ* 3.

Coſſ. A. Domitius Ahenobarbus,
P. Cornelius Scipio.

Scipioni Calendis Auguſti ſufficitur L. Tarius, *de quo* Plinius lib. 18. 6. L. Tarius *Rufus infima natalium humilitate conſulatum militari induſtriâ ſub Auguſto meruit.*

N n *Auguſtus*

Plinius poſt biennium hoc factum affirmat. *lib.* 8. *cap.* 17.

Auguſtus Tribunitiam poteſtatem undecimam init die 27. Junii.

Annus Nabonaſſaris 376. & annus Philippi ac mortis Alexandri 312. incipit in vero Calendario die 26 Auguſti, fer. 4.

Annus Seleucidarum Alexandr. 300. *& Antiochenus 37. incipiunt Calendis Octob.*

Auguſtus *iterum Senatum legit, & cùm ex nobilioribus familiis pauci eſſent Senatores, inopiam eorundem ſublevavit.* Dio.

Herodes affligitur domeſticis ſuorum ſeditionibus. Mariamnes filii, Alexander & Ariſtobulus accuſantur, quòd ſuperbiant ob ſpem ſucceſſionis, ideò ut eorundem arrogantiam reprimat Herodes, Antipatrum filium primogenitum Agrippæ Romam deducendum tradit *Ioſeph.*

Agrippa, cùm ex Syria revertiſſet, Auguſtus Tribunitiam poteſtatem iterùm in quinquennium tradit. *Dio.*

ANNO MUNDI 3938. *Ante* C. *N.* 10.
C. ☉ 26. ☽ 9.

Annus urbis 741. *Iulianus* 34.
Æra Hiſp. 27. *Auguſtorum* 16.
Imp. Aug. 33. *& Trib. poteſtatis Agrippæ.* 7.

Coſſ. M. Valerius Meſſala Barbatus.
P. Sulpitius Quirinus.

Meſſala in magiſtratu mortuus eſt: in ejus locum factus eſt conſul *C. Valgius*, qui tamen non iniit. Inde *C. Caninius Rebilus*, qui & ipſe in magiſtratu mortuus eſt. *Tab. Cap.*

AGRIPPA mediâ hyeme, cum imperio in Pannonios mittitur, qui ejus adventu territi, à rebellione deſiſtunt, ideò revertitur, & cùm in Campaniam veniſſet, in morbum incidit, & moritur, die 19. Martii. Auguſtus ubi hæc audivit, ſtatim ad eum excurrit, & cadaver ejus Romam deducit, eumque oratione funebri cohoneſtat, filiumque ejus Poſthumum, Caii & Lucii fratrem, Agrippam appellat. *Dio.*

Olympias 192. acta eſt. Annus Olympiadicus 765.
Victor Stadii *Diophanes Æolus.*

Annus Actiacæ victoriæ 19. incipit die 29. Aug.

Auguſtus cùm indigeret fideli collegâ, qui ſe in adminiſtratione reipubl. adjuvaret, nepoteſque adhuc pueri eſſent, aſſumit Tiberium, quanquam invitus, quem contra Pannonios mittit, qui iterùm rebellabant, cùm Agrippam defunctum eſſe audiviſſent, qui ope Scordiſcorum ipſos ſtatim vincit, & arma eis adimit, & juniores eorum in alienas regiones transfert. *Dio.*

Druſus Germanos Rhenum tranſeuntes repellit, inde in Batavis ad Sicambros tranſit, & ſecundo Rheno in Oceanum devectus Friſios ſubigit, & appetente hyeme Romam revertitur. *Dio.*

ANNO MUNDI 3939. *Ante* C. *N.* 9.
B. ☉ 27. ☽ 10.

Coſſ. Paulus Fabius Maximus.
Q. Ælius Tubero.

Druſus initio veris iterùm Rhenum transvectus Uſipetas imperio ſubiicit: Lupiam fluvium tranſit, & in Sicambros irrumpit, per eos in Cheruſcorum regionem ad Viſurgim procedit. Cùm verò reverteretur, in ingenti periculo fuit, in inſidias hoſtium prolapſus, ex quibus, victis hoſtibus, qui occaſione uſi non fuerant, ſe feliciter expedivit. *Dio.*

Vologeſes Thrax in Cherſoneſum irrumpit, & Sialetæ Macedoniam infeſtant; contra hoſce mittitur L. Piſo ex Pamphylia, qui primùm ambiguo Marte cum hoſtibus congreſſus, poſtea eos vincit & in poteſtatem ſuam redigit. Sic Tiberius Pannonios & Dalmatas iterùm ſubigit. *Dio.*

Ederus Scotorum rex, cùm annos 48. regnaſſet, moritur. Succedit ipſi *Evenus* tertiùs, qui regnat annos ſeptem. *Buchan.*

Auguſtus indicem facit omnium ſuorum bonorum, quaſi privatus eſſet, eumque in Senatu legit. *Dio.*

ANNO MUNDI 3940. *ante* C. *N.* 8.
A. ☉ 28. ☽ 11.

Coſſ. Julius Antonius.
Q. Fabius Maximus Africanus.

Conſul Fabius is eſt, ad quem Ovidius Elegias ſuas ſcripſit, qui poſtea mori juſſus ferè eſt, quòd quædam arcana Auguſti, ſuæ uxori commiſerat, quæ illa ſtatim ad Liviam detulerat *Plutarch.*

Auguſtus iterùm Senatum legit, conſtituitq; Senatus conſulta fieri non debere, niſi adſint Senatores quadringenti. *Dio.*

Tiberius, cùm ex voluntate Auguſti conjugem, filiam Agrippæ, quæ etiam uterum ferebat, dimiſiſſet, Juliam filiam Auguſti, uxorem ducit: paulò pòſt moritur Octavia ſoror Auguſti, quam Auguſtus funebri oratione laudavit. *Dio.*

A Senatu decernitur, ut *Jani* templum claudatur, cùm bella, propter quæ reſeratum fuerat, compoſita eſſent: id ne fieret, obſtiterunt Daci, qui *Iſtrum* frigore concretum transgreſſi Pannonias infeſtarunt. Dalmatæ etiam rebellionem fecerunt: hoſce motus Tiberius ex Gallia evocatus pacavit. *Dio.*

Annus ſabbathicus tertius Jobelei Judaici triceſimi, incipit die 28. Septembr. fer. 5. Eſt hebdomas Danielis 60. Anno Jud. 3752.

Claudius, qui poſt imperavit, naſcitur Calendis Auguſti, patre *Druſo*, qui ſequenti anno in Germania defunctus eſt. *Sueton.*

Germani iterùm tumultuantur, & Chatti ſe cum Sicambris conjungunt, quos Druſus partim ſubegit, partim belli cladibus afflixit: inde cum Auguſto, qui in Galliis tum verſabatur, Romam redit. *Dio.*

Herodes commotus calumniis, filios ſuos Alexandrum & Ariſtobulum Romam adducit, eos apud Auguſtum accuſaturus: Cùm eum Romæ non inveniret, ſecutus eſt eum Aquilejam in Galliam: ibi auditi filii, innocentes pronunciantur, cùm Herodes tantùm ſuas ſuſpiciones allegare poſſet, inita reconciliatione factâ, Herodes Auguſtum

Romam ſequitur, eum trecentis talentis ibi, cùm munera ederet, donavit, & populo congiarium diviſit. Contrà ab Auguſto recipit dimidium redituum è metallis Cypriis, &c. *Ioſephus.*

Auguſtalia hoc anno primùm ex Senatuſconſulto inſtituta die 12. Octob. *Dio.*

ANNO MUNDI 3941. *Ante* C. N. 7.
GF. ☉ 1. ☽ 11.

Coſſ. Nero Claudius Druſus,
T. Quintius Criſpinus.

Druſus Auguſti privignus & conſul, in Chattorum fines progreſſus, obvia quæque ſubigit, quanquam difficilibus præliis, & usque ad Suevos pervenit. Inde in Cheruſcos converſo itinere Viſurgin transgreſſus, ad Albim exercitum duxit, quem cùm tranſire non poſſet, ad Rhenum regreditur, ubi collapſus equo crus fregit; ex qua fractura triceſimo die moritur, annum agens triceſimum, cùm magna ex parte Germaniam domuiſſet. Funus ejus Romam usque deductum eſt, portantibus id primùm militibus, pòſt primoribus urbium. Germanici nomen ipſi & filiis datum eſt.

Tiberius Dalmatas & Pannonios iterum ſubigit, & ovans urbem invehitur.

Auguſtus incipit Tribunitiam poteſtatem 15. die 27. Junii.

Annus Nabonaſſaris 740. *& annus Philippi at mortis Alexandri* 316. *incipit die* 15. *Aug. fer.* 1.

Annus Alexand. 304. *& annus Antiochenus* 41. *incipit à Calend. Octobr.*

Auguſtus de Senatu habendo & Senatuſconſultis faciendis leges promulgat, in urbem tamen non venit propter mortem Druſi. *Dio.*

Herodes Cæſaream urbem, quam inſigni portu exornaverat, ante annos duodecim, & amplius ædificari cœptam, perfecit & dedicat Druſo jam defuncto: in cujus honorem ornatiſſimam turrim ibi Druſi nomine appellarat. *Ioſephus lib.* 15. *cap.* 13. Dicit autem eam dedicatam Olympiade 92. cùm potiùs ad Olympiad. 93. pertineat. *lib.* 16. *cap.* 9.

ANNO MUNDI 3942. *ante* C. *N.* 6.
E. ☉ 2. ☽ 13.

Annus urbis condit. 745. *Julianus* 38.
Æra Hiſp. 31. *Auguſtorum* 20.
Imp. Auguſti Cæſaris 37.

Coſſ. C. Martius Cenſorinus.
C. Aſinius Gallus.

Auguſtus Romam venit, & fert legem de ambitu, deponitque imperium decennale, quòd tamen volente Senatu iterum in decennium proximum ſumit. Tiberium etiam in Germaniam mittit, eumque in ſequentem annum conſulem deſignat. *Dio.*

Auguſtus Calendarium, quòd vitioſa intercalatione Pontificum depravatum erat, emendat, & duodecim annos proximos abſque intercalatione transmittendos ſtatuit, ut tres dies, qui ex præcipitata intercalatione inſerti erant, eximerentur. Sextilium etiam menſem Auguſtum ex Senatuſconſulto nominavit; *de quo Macrob. lib.* 1. *cap.* 23. Quia Auguſtus primum conſulatum in Sextili menſe iniit, tres triumphos eodem menſe egit, & Ægyptus hoc menſe in poteſtatem redacta eſt, atque ita Auguſto feliciſſimus fuit, ideò placuit Senatui, ut hic menſis Auguſtus appellaretur.

Olympias 193. *acta. Eſt annus Olymp.* 769.
Victor Stadii *Artemidorus* Thyaterius.
Annus Actiacæ victoriæ 23. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Horatius Poeta moritur anno ætatis 57. *Suetonius.*

Mæcenas, qui Auguſto familiariſſimus fuit, moritur; multum hic admonitionibus apud Auguſtum poterat, adeò ut cùm aliquando Auguſtus multos eſſet morte damnaturus, nec Mæcenas propter circumſtantium coronam ad ipſum perrumpere poſſet, inſcriberet ſchedulæ hæc verba: *Surget tandem carnifex*, eamque in ſinum Auguſti projiceret: quâ lectâ Auguſtus ſtatim ſurrexit, dimiſitque, quos erat interfecturus. *Dio.*

Q. Cæcilius moritur, qui quamvis multa civili bello perdidiſſet, tamen reliquit ſervorum quatuor millia centum & ſedecim, juga boum tria millia & ſexcenta: reliqui pecoris ducenta quinquaginta ſeptem millia, & in numerato pondo ſexcenta millia; facit ferè milliones novem. *Plinius lib.* 33.

ANNO MUNDI 3943. *Ante* C. *N.* 5.
D. ☉ 3. ☽ 14.

Coſſ. Tiberius Claudius Nero II.
Cn. Calpurnius Piſo.

Tiberio inter Albim & Rhenum ſuperiori anno omnia dedita fuerant, & nonaginta millia deditiorum trajecerat in Galliam, iisque ſedes ad ripam Rheni aſſignarat. Ideò hoc anno Calendis Januarii, triumphat, & cùm quasdam ædes conſtruxiſſet, iterùm in Germaniam abit, ubi tamen nihil memorabile actum. *Dio.*

Cùm incendia multa fierent Romæ, nec tamen autores exiſterent, urbs in quatuordecim vicos vel regiones diſtributa eſt ab Auguſto, & procuratores vicorum conſtituti, quibus ſexcenti ſervi dati ſunt. *Dio.*

Herodes, alterâ vice apud Auguſtum filios accuſaturus, Antiochiam venit, ubi erat Præſes Syriæ Titus, cui reconciliavit Archelaum affinem; inde in regnum reverſus comperit, ab Arabibus latronibus multa ſuis ſubditis damna illata, ideò rem defert ad Præſides Syriæ, Saturninum & Volumnium, qui permittunt Herodi, ut latrones illos in Arabia inveſtiget & ulciſcatur. Sed hac de cauſa à Syllæo Herodes accuſatus apud Auguſtum, magnum diſcrimen ſubit.
Joſephus.

ANNO

ANNO MUNDI 3945. ante C. N. 4.
C. ☉ 4. ☽ 15.

Coſſ. Dec. Lælius Balbus.
C. Antiſtius Vetus.

Cajus Cæſar à populo deſignatus fuerat Conſul, ſed Auguſtus id fieri noluit, quòd adhuc prætextatus eſſet. Sic Calendis Julii alius ſuffectus eſt Conſul:

Q. Nonius Aſprenas Torquatus, *ut inſcriptiones oſtendunt.* Onuf.

Cajus Cæſar ſumit virilem togam, & Lucius etiam prope eſt maturus viris: ideò ambo inſoleſcere incipiunt, & plurimum ferociunt ſuperbiâ. Eos ut compeſceret Auguſtus, Tiberio Tribunitiam *poteſtatem in quinquennium concedit. Sed hoc modo Auguſtus nepotes ſuos offendit, & Tiberius etiam iram eorum metuere incipit, ideo,* ut Vellejus loquitur, *ne fulgor ſuus orientium juvenum obſtare initiis, diſſimulatâ causâ conſilii ſui, commeatum ab Auguſto & matre Livia petiit acquieſcendi à continuatione laborum. Ideò nec comitatum omnem ſecum recepit.* Dio lib. 55. Vellej. lib. 2. cap. 99.

Auguſtus multitudinem eorum, qui frumentum è publico accipiebant, redegit ad ducenta millia, & in ſingulos dedit ducentos & quadraginta denarios. *Dio.* Facit ad decem milliones.

Verrius Flaccus, Caji & Lucii Cæſarum Præceptor, floret, cui ſtatua poſita *Præneſte* in inferiori parte fori contra hemicyclum, in quo faſtos à ſe ordinatos & marmoreo parieti inciſos publicarat. *Sueton.*

ANNO MUNDI 3945. ante C. N. 3.
BA. ☉ 5. ☽ 16.

Coſſ. Imp. Auguſtus Cæſar XII.
L. Cornelius Sulla.

Auguſtus hunc conſulatum ultrò petiit, ut Cajum *nepotem, ampliſſimo præditus magiſtratu, ſuo tyrocinio deduceret in forum.* Sueton. 26.

Criſpinus Hilarius Feſulanus die 11. Aprilis, cum liberis novem (in quo numero filiæ duæ fuerunt) Nepotibus 27. Pronepotibus 29. neptibus novem, magnâ pompâ in Capitolio immolavit. *Plin. lib. 7. cap. 13.*

Auguſtus init Tribunitiam poteſtatem 19. die 27. Junii.

Annus Nabonaſſaris 744. & annus Philippi ac mortis Alexandri 320. incipit in vero Calendario die 24. Auguſti, feria 5.

Annus Alexandreus Seleucidarum 308. & Antiochenus 45. ab Octobr.

Tiro libertus Ciceronis moritur circa hæc tempora. *Nepos.*

Herodes, induſtria Nicolai Damaſceni hiſtorici, reconciliatur Auguſto, & cùm multipliciter filii ipſius ſuſpecti eſſent, & fugæ & veneficii in patrem, impetrat, ut Beryti in præſentia multorum virorum judicium de filiis inſtituat; ubi audiuntur, & ex ſententia Volumnii præſidis interficiuntur, cùm eos tamen Saturninus eodem in judicio abſolviſſet. *Ioſeph.*

ANNO MUNDI 3946. Ante C. N. 2.
G. ☉ 6. ☽ 17.

Annus urbis cond. 749. *Julianus 42.*
Æra Hiſpanica 35. *Auguſtorum 24.*
Imp. Auguſti 41. Tribunitiæ poteſtatis tertius.

Coſſ. C. Calviſius Sabinus.
L. Paſſienus Criſpus.

Die ſecundo Junii, feriâ ſeptimâ hoc anno, prima ex Levitis familia *Joarib*, in qua etiam olim Maccabæus fuit, Ephemeriam ſuam, in adminiſtrandis ſacris in templo Hieroſolymitano, obit. Vigintiquatuor erant familiæ, olim à Davide ita diſtributæ, quarum ſingulæ per ſeptem dies ſacra adminiſtrabant, & ſibi invicem ſuccedebant, atque ita cyclus unus harum familiarum abſolvebatur viginti quatuor hebdomadibus, ſive diebus 168. Cœperant autem anno mundi 3785. die 22. Novembris, feriâ ſeptimâ, cùm templum ab Antiocho prophanatum repurgaretur. Inde ſi familiæ viginti quatuor ordine numerentur, prima familia Joarib iterùm incipiet die 2. Junii. Hinc numerati dies. 49.

Zacharias pater Johannis Baptiſtæ obit vicem ſuam die 21. Julii, per ſequentes ſeptem dies, uſq; ad diem 28. Jul. quo temporis ſpatio, fortaſſis circa finem hebdomadis, accipit promiſſionem ab Angelo Gabriele de naſcendo ſibi filio Johanne Baptiſta.

Olympias 194. acta. Eſt annus Olympiadicus 773.
Rictor Stadii *Damaratus* Epheſius.

Annus Actiaca victoria 27. incipit die 29. Aug.

M. Porcius Latro, inſignis Rhetor, tædio febris quartanæ ſeipſum interficit. *Euſeb.*

Evenus III Scotorum rex, cùm annos 7. regnaſſet, moritur, ſuccedit ipſi *Metellanus*, qui regnat annis 30. *Buchanan.*

Herodes nepotibus ſuis, ex filiis Alexandro & Ariſtobulo, dat uxores ex ſuis potiſſimùm neptibus. Nam cum novem haberet uxores, copioſam etiam habebat ſobolem; volebat igitur omnes, pacis & concordiæ cauſa, inter ſe matrimonio conjungi. *Ioſeph. lib. 17. cap. 3.*

ANNO MUNDI 3947. ante C. N. 1.
F. ☉ 7. ☽ 18.

Coſſ. L. Cornelius Lentulus Flam.
M. Valerius Meſſalinus.

Circa initium Januarii, quinq; menſibus à conceptione Johannis *Baptiſtæ* elapſis, Angelus *Gabriel* mittitur ad *Mariam* virginem, quæ tum Nazarethæ erat, annunciatq; ipſi conceptionem filii *Dei* Domini noſtri *Ieſu Chriſti*; quo nuncio excitata, paulò pòſt abit in montana, ad cognatam ſuam Elizabetham, matrem Johannis Baptiſtæ, *Luc. 1.*

Iohannes Baptiſta naſcitur circa finem menſis Aprilis, menſibus novem completis à conceptione, *Luc. 1.*

 Augu-

Auguſtus Cæſar cùm Breviarium orbis terrarum inſtitueret, quod fuit omnium virium in toto imperio, Judæâ etiam hoc anno deſcripſit, etſi provincia non eſſet, ſed ſub Herode rege. De hac deſcriptione inquit Evangeliſta Lucas: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, quæ verba quidam explicant, obſervata Hebraica phraſi: *Hæc deſcriptio prior facta fuit, quùm Cyrenius fieret Præſes Syriæ.* Nam deſcriptio hæc prima ſimpliciter dici non poteſt. A Pompejo enim, qui primus Judæam in ditionem populi Romani redegit, uſq; ad hunc annum, effluxerant anni ſexaginta, in quibus tributum Romanis penſitatum fuerat. Deinde ut hiſtoriæ teſtantur, Quirinus Præſes Syriæ hoc tempore non fuit, ſed Sentius Saturninus. Quirinus enim hactenus Ciliciæ præfuerat, *ut Tacitus habet*, & jam Romam redierat, ubi ſequenti anno uxorem repudiat, anno urbis 752. *Suet. in Tiber. cap.* 18. Miſſus autem eſt Quirinus poſt novem annos in Syriam, poſt relegatum Archelaum, & Judæam totam redegit in provinciam. Quando enim Judæa ſub rege Herode fuit per quadraginta annos, & ſub Archelao Judæi per ſe tributum Romanis non pendebant, ſed tantùm Herodi regi, qui & Judæis aliquando tertiam partem, aliquando quartam partem tributorum remiſit, quod facere non potuiſſet, ſi id tributum Romanis datum fuiſſet: Sed ipſe Rex, quantum Imperator volebat, à ſe dabat. Poſteaquam verò pulſo Archelao Judæa in provinciam redacta fuit per Quirinum, anno Actiacæ victoriæ 37. longe alia deſcriptio inſtituta fuit. Hoc enim anno tantùm agebatur de viribus Judæorum, in ſubminiſtrandis auxiliis populo Romano ad gerendum bellum. Sed quando Judæa in provinciam per Quirinũ redacta eſt, omnium Judæorum bona in cenſum ſunt relata, & deſcriptio facta, quantum tributi quiſq; Imperatori deberet. Unde hæc Quirini deſcriptio valdè memorabilis fuit, ut ita, cùm tanta mutatio Judaici regni facta ſit, non incommodè hæc interpretatio ferri poſſit.

De hac deſcriptione *Ioſephus lib.* 17. *cap.* 3. ſic ſcribit: Cùm tota gens Judæorum fidem ſuam jurejurando obligaſſet Herodi, ſimul & Imperatori Auguſto, ſoli Phariſæi, quorum numerus excedebat ſex millia, juramentum abnuerunt, & propterea multati ſunt à rege magnâ ſummâ pecuniæ, quam pecuniam pro Phariſæis ſolvit uxor Pheroræ fratris Herodis quæ addicta erat Phariſæis, quòd prædicarent, regnum ab Herode ablatum iri, idque ita à Deo decretum eſſe: qua de cauſa etiam multi Phariſæi ab Herode occiſi ſunt, & uxor etiam Pheroæ in odium apud Herodem venit. Quapropter Herodes agit cum fratre de repudianda uxore, & alia ducenda, ſed Pheroras amans uxoris ex aula maluit recedere, quàm uxorem dimittere. Priuſquam autem abiret, cum Antipatro Herodis filio conjurat de veneno Herodi propinando: Antipater enim inprimis hoc conabatur. Ne verò quiſpiam de ſe hoc ſuſpicari poſſet, Antipater curat, ſe evocari ab amicis ſuis Romam, quo etiam proficiſcitur, magnâ à parente inſtructus pecuniâ. Pheroras verò cum uxore in ſuam tetrachiam abit, jurans ſe nunquam ad Herodem rediturum. *Ioſeph.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei Judaici 30. *incipit die* 10. *Sept. feria* 3. *Eſt hebdomas Danielis* 61. *Anno Jud.* 3759.

Jeſus Chriſtus filius Dei, Dominus noſter, naſcitur circa initium menſis Octobris; finito feſto tabernaculorum, ex Maria virgine, *Luc.* 2.

Magorum adventus quando acciderit, nullibi exprimitur, vix tamen veriſimile eſt, eos ante Purificationem adveniſſe. In ingens enim periculum Joſephus & ſe & puerum Jeſum & Mariam conjeciſſet, ſi fervente motu à Magis Hieroſolymis excitato, & Herode propter clandeſtinam Magorum fugam furente, eò ad purificationem veniſſet. Veriſimilius eſt, Joſephum poſt purificationem in patriam Bethlehemum rediiſſe, & ibi usque ad adventum Magorum habitaſſe, à quibus & in ſomnio divinitus admonitus fuit de inſidiis Herodis, & fugâ inſtituendâ in Æpyptum. Nec enim verba Luc. 2. *Cùm complevissent omnia ſecundùm legem Domini, redierunt in Galilæam, &c.* excludunt fugam Chriſti in Ægyptum, aut negant eam: ſed potiùs eam includunt, & eâ factâ tum demùm parentes Chriſti in Galilæam rediiſſe aſſerunt. Paucis autem ſeptimanis poſt Purificationem Magos adveniſſe, ex hiſtoria apud Joſephum de occiſis Phariſæis, & profectione Antipatri Romam verſus, annuo ferè ſpatio ante mortem Herodis, inſtituta apparet. Qui unde venerint, ac qui, & quales fuerint, ſcire ſatagerunt multi: & Chryſoſtomus ad id multis vigiliis ac precibus opus eſſe ait. Perſas fuiſſe, conſtans ferè opinio eſt; partim quia genti huic aſſcribi eam vocem vident; partim quòd de ſapientia Magorum apud Perſas, plurima antiqui notant. In ſacris literis hæc vox, extra Danielis prophetiam non extat, quâ Philoſophi, Aſtrologi, ac cæteri, qui ſapientiæ, rebusq; occultis vacant, deſignari ſolent. Quod verò ex Oriente adveniſſe dicuntur, itidem torſit interpretes: nam Oriens dicitur ſimpliciter, reſpectu Solis, & aliter, intuitu urbis ſanctæ, uti mons Olivarum, operæ pretium hic fecerit, qui Bileami verba adducat: *De Aram adduxit me Balacus, rex Moabi, de montibus Orientis.* Aram autem eſt Syria. Sic Eſaias, Aram ab Oriente, & Philiſtini ab Occidente. Arabes fuiſſe putat Epiphanius, ſed incongruè, non quòd Magorum vox id evincat, ſed quod nulla extet ratio probabilis. Ac minimè omnium, quòd Arabes ſint Moabitæ, hoc ad

Bilea

Bileamum ſpectat, quem & Syrum, & Interamnatem fuiſſe, nec pro Moabitis, ſed adverſus hos pronunciaſſe, quæ de ſtella, è Jacob proditurâ, dixit omnibus patet. Quem ipſum, ſive ſectam, ſive diſciplinæ ſuæ aſſeclas, non in Arabia, ſed Oriente proximo, tum habuiſſe, res ipſa docet: ſic enim biennio opus fuiſſet ad iter, & Dominus neceſſariò ſecundùm fuiſſet Bethlehemi. Sed in eam ſententiamabit, ob bimulorum cædem. Dona autem, quæ Domino oblata, nihil præter ſubmiſſionis ſignum fuiſſe, dubitandam non eſt: quòd divitus poteſtatem ejus, utante Bileamus, edocti, venerarentur, qui ex ea gente, & è Davidis ſtirpe genito, hæc ſic offerrent. Quemadmodum cum Aben Ezra ad Amos: *Et ecce invenimus ſcriptum; quòd Palaſtini adſerebant ipſi Joſaphat munus, & argentum oneris, quod ſignum eſt, prævaluiſſe manum ejus ſuper eos.* Ab eo tempore, quin perpetuò Syrorum vates de prædictione Bileami cogitarent, quin in montibus Orientis, in quibus primùm ſidus hoc, ſed eminus, ut ipſe loquitur, conſpexerat; aſſiduè nitenti huic rei, atque animo defixi ſtarent, dubitandum non eſt. Ut non ſine cauſa alicubi B. Hieronymus, nullum illuſtriorem de adventu Domini extare prophetiam dicat. Qui & inter Quæſtiones Chriſtianorum hanc fuiſſe docet *Cur Balaam tam manifeſta de Chriſto prædixiſſet?* quem & ipſe ſuper Jobum de cognatione Abraham fuiſſe docet. Quemadmodum Syrorum montes, nihil aliud quàm ſpeculæ tum erant, à quibus cœli motus ortus, obitusque ſiderum; & quaſi nutus ac prædictiones, obſervabant. Quibus notatis, ut Tullius loquitur, quid cuique ſignificaretur, memoriæ prodebant; ut prædici poſſet, quid cuique eventurum, & quo quisque fato natus eſſet. Ut mirum non ſit, ſi nonnulli antiquorum, eos ipſos; de quibus hic agitur, Bileami, diſcipulos fuiſſe exiſtimarint. Sic idem aſtruit legatio Balaci, qui miſit Peor Syriæ, ſive Pethoran, quam Chaldæus interpres locat juxta Euphratem. Chorographi exactiores Chaldæam ſapientum patriam indigitant; & in ipſa Chaldæa regiunculam Magis peculiarem; ubi ſcholas haberent ſepoſiti ab omni ſtrepitu ſeculi; alumnam regiæ ſobolis, & nobilitatis primariæ; quæ ad gubernacula rerum adhiberetur.

Sergius Sulpitius *Galba* naſcitur, cui poſteà Auguſtus, cùm ab ipſo, ut puer, ſalutaretur, quaſi ominatus imperium dixit: *Et tu fili noſtrò imperio adhabeas.* Et Tiberius aliquando dixit; *Et tu aliquando imperium deguſtabis.* Sueton.

ANNO MUNDI 3948.
E. ☉ 8. ☽ 19.

Coſſ. Imp. Auguſtus Cæſar XIII.
M. Plautius Silvanus.

In Locum Plautii, ut Vellejus *innuit, factus eſt circa finem anni.*

C. Caninius Gallus.

14. Herodes *in graviſſimum morbum incidit, rogat igitur fratrem Pheroram, ut ſe inviſat; ſed is, quod mallet fratrem defunctum, ſe excuſat. Paulò poſt, cùm Herodes convaluiſſet, Pheroras ægrotare incipit, quem Herodes inviſit, & ei omnia fraternæ pietatis officia exhibet, quibus delinitus Pheroras, conſilium de necando Herode abjicit, & venenum præparatum exuri jubet: cujus partem quidem uxor cremat, partem quandam retinet. Sed Pheroras hoc morbo perit: interea rumor increbeſcit, Pheroram veneno extinctum eſſe, ideò Herodes acriter de ea re inquirit, & acerbas quæſtiones exercet, & comperit, non Pheroræ ſed ſibi à filio Antipatro præparatum fuiſſe venenum: Literas igitur ad filium in regnum redire jubet, qui parenti obſecutus poſt ſeptem menſes, cum Quintilius Varus ſucceſſor Saturnino datus in Syriam veniret.* Joſeph.

Quintilius Varus Syriæ præſes conſtituitur, qui adeò pecuniæ inhiavit, ut Syriam, ipſe rapinis ditatus, pauperem reliquerit, quam divitem ipſe pauper ingreſſus erat, ſed rapacitatis ejus pœnam Germani poſtea repetiverunt. *Florus.*

Auguſtus magnificentiſſimum gladiatorium munus edit, & Naumachica ſpectacula, quorum meminit etiam *Ovidius lib.* 1. *de arte.*

Ioſephus cum Maria & infante Chriſto hoc anno in Ægypto vitam tolerant. *Matth.* 2.

Herodes Antipatrum filium coram Quintilio accuſat parricidii, eumque convincit; ideò in vincula eum conjicit, & ad Imperatorem Auguſtum omnia perſcribit, qui ipſi poſtea poteſtatem dat ſtatuendi de filio, quicquid velit. Sed interim dum eunt redeuntque Legati, Herodes in morbum incidit. *Joſeph.*

ANNO MUNDI 3949.
DC. ☉ 9. ☽ 1.

Coſſ. Coſſus. Cornelius Lentulus.
L. Calpurnius Piſo Augur.

Lentulus hic poſteà Iſauricus *appellatus eſt.*

Rumor increbeſcit, morbum Herodis eſſe lethalem, ideò bini Profeſſores adhortantur ſuos diſcipulos, ne ſinant templum profanari imaginibus, quas porticibus affixerat Herodes, aut ut Aquilam auream illâ magni ponderis dejiciant. Sed in ipſo facto deprehenſi, unà cum præceptoribus ſuis Hierichunte obducuntur, & vivi cremantur die 9. Januarii, feriâ ſextâ; cùm ſequenti nocte incideret eclipſis Lunæ. *Ioſeph.*

Eclipſis illa facta hora prima poſt mediam noctem; die 10. *Januarii, feriâ ſeptimâ ineunte Hieroſolymis: latitudo Lunæ nulla cùm verſetur in Ecliptica. Semidiameter Lunæ* 17. 40. *ſumma ſemidiametrorum* 63. 6. *digiti eclipticı* 21. 14. *duravit horis quatuor.*

Herodis morbus ingraveſcit; ideò defertur ad Jordanem in thermas, quæ ipſi tamen ſalubres non fuerunt: ideò Hierichuntem redit, ubi ex toto regno, omnes qui vel autoritate vel opibus excellerent, ſeveriſſimo mandato ſub capitis pœna evocat, & poſt mortem ſuam occidi jubet, ut ſubditi etiam nolentes lugerent. Inde occidit filium Antipatrum, & poſt quinque dies moritur: anno poſtquam à Senatu rex declaratus fuerat quadrageſimo, aliàs triceſimo ſeptimo: ſuccedit Hieroſolymis Archelaus. Regnum enim in tetrarchias ab Auguſto diviſum fuit, ita ut Herodes Antipas & Philippus ſingulas acciperent: Archelaus verò binas. *Joſephus.*

Julia filia Auguſti, cùm ageret annum triceſimum octavum, *ut Macrobius habet*; eò laſciviæ progreditur, ut in ipſo foro & roſtris, noctur-

nocturnas compotationes ageret, & nihil, quod facere aut pati turpiter poſſet, omitteret: ideò ab Auguſto conſentiente, in Pandatariam inſulam relegatur, cui voluntaria comes facta eſt Scribonia mater. Julius Antonius, & alii pœnas dederunt, quòd Auguſti filiam, & Neronis conjugem violaſſent; aliqui ſunt relegati. Phœbe liberta, quæ adjutrix ſcelerum fuerat, mortem ſibi conſciſcit. *Dio.*

Auguſtus init Tribunitiam poteſtatem viceſimam tertiam, die 27. Junii.

Annus Nabonaſ. 748. & annus Philippi ac mortis Alexandri 324. incipit die 23. Auguſti, feria 2.

Annus Alexandr. Seleucidarum 312. & Antiochenus 49. à Calendis Octob.

Cajus Cæſar, Auguſti nepos, cùm hæreditatem Herodis inter fratres diviſiſſet, in Armeniam proficiſcitur, quem convenit in Chio inſula Tiberius vitricus, & invenit eum à ſe abalienatum. *Suetonius.*

Ovidius libros ſcribit de arte amandi, poſt Juliam relegatam: unde manifeſtum eſt, Ovidium non propter Juliam Auguſti filiam relegatum fuiſſe, ſed propter Juliam Auguſti neptem.

Poſt defunctum Herodem Joſeph cum Maria & infantulo ex Ægypto in Palæſtinam redeunt, & Oraculo moniti, ſedem rerum ſuarum figunt Nazarethæ in Galilæa, *Matth.* 2.

ANNO MUNDI 3950. *Æra Chriſtiana* 1.
B. ⊙ 10. ☽ 2.

Æra Chriſtiana, qua in notandis annis, à Chriſto nato numeratis, vulgò utimur, incipit hic à Calendis Januariis eſtque hic annus ejus primus.

Annus urbis 753	*Julianus* 46.
Æra Hiſpan. 39.	*Auguſtorum* 28.
Imp. Auguſt. 45.	

Coſſ. Cajus Julius Cæſar.
L. Æmilius Paulus.

Cajus Conſul in Syriam venit: Id ubi Parthus audivit, ſponte ex Armenia in regnum propter inteſtinas diſſenſiones receſſit, & Armeniam Romanis conceſſit; & *Cajus* ad Euphratem in inſula quadā cum Partho in colloquium venit, ubi Parthus primum apud Cajum, poſterior Cajus in hoſtili ripa epulatus eſt. Quo tempore *M. Lollii*, quem Auguſtus voluerat eſſe moderatorem Caji, perfida conſilia indicata ſunt per Parthum; ideò Lollius ſibi mortem conſcivit. *Vellejus.*

Vellejus Paterculus cum Cajo in Armenia eſt, cùm paulò ante ſtipendia facere incepiſſet. *Vellejus.*

Olympias 195. *acta. Eſt annus Olymp.* 777.

Victor Stadii *Damaratus* Epheſius ſecundùm.

Annus Actiacæ victoriæ 31. *incipit die* 26. *Auguſt.*

Meſſala Corvinus moritur, quibiennio ante & memoriam & ſenſum ferè omnem amiſerat, ut vix pauca verba conjungeret, cui *Ovidius* Epitaphium ſcripſit, *ut refert in Elegia ad Meſſalinum in libris de Ponto.*

Francus Sicambrorum rex, cum annis 28. regnaſſet, moritur. Succedit ipſi filius *Clogio*, qui regnat annis 22. *Trith.*

ANNNO MUNDI 3951. Poſt C. 2.
A. ⊙ 11. ☽ 3.

Coſſ. P. Vinitius Nepos.
P. Alfinius Varrus.

Cajus ingreſſus in Armeniam, Ariobarzanem, origine Medum, Armeniis præficit. *Tac.* Ibi Cajus à quodam graviter vulneratur, ex quo, ut minus habile corpus, ita animum minus utilem reipubl. habere cœpit. Fuerunt, qui vitia ejus aſſentatione alerent, unde eò perductus erat, ut in ultimo & remotiſſimo terrarum orbis angulo conſeneſcere, quàm Romam regredi malleti. *Vellejus libro ſecundo, cap.* 102.

Tiberius, cùm à Cajo impetrare non potuiſſet, ut Romam reverteretur, & ſuſpectus eſſet de imperio invadendo, ſolitas exercitationes armorum omiſerat, & in tali ſtatu ferè poſt finitam Tribunitiam poteſtatem biennium permanſerat: Cùm verò jam in contemptum perveniret, & in diſcrimine vitæ eſſet, iterùm ab Auguſto petit, ut ſibi Romam regredi liceat, idque impetravit, conſentiente Cajo; eâ tamen conditione, ne partem reipubl. attingeret. *Sueton.* Rediit igitur octavo ſui ſeceſſus anno, hiſce Coſſ. *ut Vellejus habet.*

Auguſtus tertio decennio completo, morum & legum regimen iterùm ad decennium accipit. *Dio.*

ANNO MUNDI 3952. Poſt C. 3.
G. ⊙ 12. ☽ 4.

Coſſ. Lælius Lamia
M. Servilius Geminus.

Lucius Cæſar Conſul deſignatus, & Princeps juventutis, Auguſti nepos ex filia, in Hiſpanias profecturus, moritur Maſſiliæ. *Sueton. Vellejus.*

Aſconius Pædianus Criticus, & commentator in orationes Ciceronis, vixit cum Virgilio & Livio; Ergò floruit hoc tempore. *Euſeb.*

Athenodorus Stoicus Philoſophus floret. *Euſebius. Seneca.*

ANNO MUNDI 3953. Poſt C. 4.
FE. ⊙ 13. ☽ 5.

Coſſ. Sext. Ælius Catus.
C. Sentius Saturninus.

Julia Auguſti filia, quinto anno, *ut Suetonius habet*, ex inſula in continentem defertur, conſentiente Auguſto, qui à populo Romano ad hoc urgebatur. *Dio.*

Cajus Cæſar cùm ſæpiùs revocatus eſſet ab Auguſto, tandem invitus revertens in Italiam in urbe Lyciæ, (Limyram nominant) morbo obiit: cùm ante annum & menſes quinque Lucius frater obiiſſet; milites cadavera Romam deportarunt. *Vellej. lib.* 2. *cap.* 102. *Dio lib.* 55.

Augu-

Auguſtus poſt nepotum ſuorum obitum, *Tiberium* privignum adoptat, veritus tamen, ne animo elatus ad novas res conſurgeret, *Germanicum*, Druſi fratris filium, ei adoptandum dedit. *Dio.*

Auguſtus tribunitiam poteſtatem 27. *& Tiberius ſextam aſſumunt, die* 27. *Junii.*

Annus Nabonaſſaris 752. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 328. *incipit* 22. *Auguſti, fer.* 6.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 316. *& Antiochenus* 53. *incipiunt Calendis Octob.*

Tiberius poſt adoptionem, non diu Romæ manſit; ſed in Germaniam abiit, ubi ante triennium ſub *M. Vinitio* immenſum exarſerat bellum, ibi Vellejus ſub Tiberio præfectus equitum fuit, per annos continuos novem. Tiberius tamen circa Decembrem Romam redit. *Vellejus.*

Auguſtus cenſum vicatim agit, luſtrum tamen non condit. *Tab. Cap.*

Cn. Cornelius Cinna inſidias ſtruit Auguſto, eas Auguſtus deprehendit, & deliberat, quâ pœnâ eſſet afficiendus. Livia uxor perſuadet Auguſto, ut beneficio ex hoſte amicum faciat, quod & fecit, & ſequenti anno Cinnam Conſulem declaravit. *Dio.*

ANNO MUNDI 3954. Poſt C. 5.
D. ☉ 14. ☽ 6.

Annus urbis 757.	*Julianus* 50.
Æra Hiſpan. 43.	*Auguſtorum* 31.
Auguſti Cæſaris. 49.	

Coſſ. L. Valerius Meſſala Voluſus.
Cn. Cornelius Cinna Magnus.

Auguſtus *die* 5. *Februarii*, Pater Patriæ *appellatur* Ovid.

Tiberis Romam ſeptem diebus navigabilem fecit his Conſulibus, & Sol aliquâ parte lumen ſuum amiſit. *Dio.*

Eclipſis hæc facta eſt die 28. *Martii, feria* 7. *horis poſt meridiem* 4. *& minutis* 50. *ferè, ubi Parall. latitud.* 16.56. *latitudo vera auſtralis* 1.38. *viſa itaque* 18. 34. *Semid. vero Solis* 15. 21. *Scrup. reſidua* 12. 7. *digiti eclipt.* 4. 45. *Sol in* 5. 27. *Arietis.*

Auguſtus militibus exactæ militiæ præmia conſtituit, Prætorianis, qui ſedecim annis meruiſſent, quinque drachmarum millia: Reliquis, qui viginti annis meruiſſent, tria drachmarum millia. Cùm ad hanc rem indigeret pecuniâ, de ærario militum conſtituendo Romæ cogitavit. *Dio.*

Olympias 196. *acta. Eſt annus Olympiadicus* 781. Victor Stadii *Pammenes* Magneſius.

Annus Actiaca victoria 35 *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus quintus Jobelei Judaici 30. *incipit die* 22. *Sept. feria* 3. *Eſt hebdomas Danielis* 62. *Anno Judaico* 3766.

Tiberius hoc anno armis totam Germaniam perluſtravit, receptæ Cauchorum nationes, fracti Longobardi, & ad quadringenteſimum miliarium à Rheno ad Albim, qui Senonum Hermodurorumque fines præterfluit, penetratum; ubi ſe etiam ex Oceano claſſis in Albi cum exercitu junxit, & Tiberius iterùm hyeme Romam rediit. *Vellejus.*

Marcomannorū gens, duce *Maroboduo*, excita ſedibus ſuis, ad bellum conſurgit; incolebat autem incinctos Hercyniæ ſilvæ campos, habebat Germaniam, & ad lævam & in fronte Pannonias, ad dextram; à tergo Noricos, ejus fines non multò [illegible] ducentis millibus paſſuum abſunt ab Alpibus. *Vellejus lib.* 2. *cap.* 108.

ANNO MUNDI 3955. Poſt C. [illegible]
C. ☉ 15. ☽ 7.

Coſſ. M. Mamilius Lepidus.
L. Arruntius Nepos.

Fuerunt Poſtea etiam ſuffecti Coſſ. C. Ateius Capito & C. Vibius Poſthumius.

Ærarium militare tandem conſtituitur; cujus adminiſtrationem mandavit tribus Prætoriis. Auguſtus, utque ſumptibus ſufficeret, vigeſimam hæreditatum & legatorum juſſit in hoc ærarium inferri. *Dio.*

Ingens fames Romæ exorta, quæ & frumento dato & frugalitate indicta ſublevata eſt. Auguſtus præterea gladiatores & laniſtas urbe ejecit. Modius frumenti librarum ferè quatuordecim, venditus fuit denariis quinque. *Dio.*

Nocturni cuſtodes urbis conſtituti ad incendia prohibenda. *Dio lib.* 55.

Tiberius hoc anno *Maroboduum* aggredi ſtatuit & Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos legionem Bojohæmum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen eſt) ipſe à Carnunto, in Norico exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orſus eſt. Sed interim Pannonia inſolens longæ pacis bonis, & Dalmatia adulta viribus, arma corripit. Concitavit eos *Bato* quidam, & Præfectos Romanos vicit. Inde Breuci, Pannoniæ gens alia, alio etiam Batone duce ſumpto, Sirmium oppugnant; hos vicit Cæcinna Severus cruento Marte, ideò Pannonii exercitum reficiunt. *Tiberius* metuens Italiæ, celeriter ex Germania revertitur; Meſſatinum præmittit, qui à Batone vincitur. Paulò pòſt tamen vincit, & triumphalia ornamenta meretur. Sed Bato cum altero Batone vincitur ſocia arma jungit, & omnia vaſtat: *Dio lib.* 55. *circa fin. Vellej. lib.* 2. *cap.* 110.

ANNO MUNDI 3956. Poſt C. 7.
B. ☉ 16. ☽ 8.

Coſſ. A. Licinius Nerva Silianus.
Q. Cæcilius Metellus Creticus.

Suffecti Coſſ. *hoc anno fuerunt P. Cornelius Lentulus Scipio, & T. Quinctius Criſpinus ex Calendis Julii.*

Auguſtus, cùm bellum Pannonicum in longum protraheretur, ſuſpicatur, Tiberium conſultò bellum trahere, ut diutiùs ſit ſuccinctus legionibus, ideò novum exercitum colligit, & *Germanicum* Druſi filium etiam in Pannoniam mittit. *Dio lib.* 55. *circa fin.*

Agrippa Auguſti nepos ex filia, propter improbos mores ab Auguſto abdicatur, & in Planaſiam inſulam propè Corſicam relegatur, ejusque bona in fiſcum militarem referuntur. *Dio ibid.*

Archelaus filius Herodis à Judæis & Samaritanis, tyrannidem ejus non ferentibus, accuſatur apud Auguſtum, & trans Alpes Viennam in Galli-

Galliam relegatur, & Sulpitius *Quirinus* cenſum agit in Judæa, bonaque Archelai in fiſcum redigit, & Judæam provinciæ Syriæ attribuit, & Procuratorem accipit. Cenſus actus incidit in annum trice-
1 ſimum ſeptimum Actiacæ victoriæ. Fratres Archelai Antipas & Philippus, quòd in provinciis ſuis manerent, urbes in honorem Auguſti condunt, Cæſaream Philippi & Bethſaidem, quæ Juliada appellata fuit: recuperavit tamen vetus nomen juſſu fortaſſis Auguſti, qui Juliam filiam averſabatur. *Joſeph. lib. 18. cap. ultimo.*

Tiberius hoſtes Pannonios commeatu intercludit, ſed hoſtes eruptione pugnant, fugantque Romanorum equitatum & auxiliares copias. Sed legiones rem reſtituunt, & hoſtem fugant. *Vell. pat.*

Philiſtio Mimographus celebris, cujus multi Scriptores meminerunt, floret Romæ. *Euſebius.*

Germanicus Mazæos, Dalmaticam gentem pugnâ victam, multis damnis afficit; diviſis deinde exercitibus Pannonios ubique cum Severo, Cecinnâ aggreditur. *Dio in fin. lib. 55.*

ANNNO MUNDI 3957. Poſt C. 8.
AG. ☉ 17. ☽ 9.

Coſſ. M. Furius Camillus.
Sex. Nonius Quinctilianus.

Suffecti Conſules fuerunt L. Apronius Nepos, A. Vibius.

Dalmatæ & Pannonii fame, morbo & bello afflicti, de pace ineundâ legatos mitunt, inter quos etiam *Bato* Dux miſſus, qui cùm ad Tiberium veniſſet, & interrogaretur, cur toties rebellaret: *Quia*, inquit, *ad greges veſtros cuſtodiendos non canes vel Paſtores mittitis, ſed lupos.* Sed pax ea inſida fuit, etiamſi alter Bato etiam interficeretur & Pannonii à Sylvano vaſtarentur. *Dio ibid.*

Auguſtus tribunitiam poteſtatem triceſimam primam; Tiberius decimam. aſſumunt, die 27. Julii.

Annus Nabonaſ. 756. & annus Philippi ac mortis Alexandri 332. incipit die 21. Auguſti, feria 3.

Annus Alexandreus Seleucidarum 320. ☞ *Antiochenus 57. incipiunt à Calend. Octobr.*

Judas Gaulanites, adjunctis ſibi quibusdam Phariſæis, ſeditionem movet contra Romanos, & novam ſectam inſtituit eorum, qui neminem Dominum ſuum agnoſcerent, quàm Deum. *Joſephus lib. 18. cap. 2.*

Ovidius Poeta ejectus eſt in exilium hoc anno, & quidem menſis Octobris initio, quantum intelligitur *ex Elegia ſecunda lib. 1. Triſtium*, refert enim Arcturum tum occidiſſe, quod factum eſt veſperi, quando Sol occidebat, cum gradu 12. Scorpionis, tum temporis circa diem 7. Octobris. Addit præterea, cùm Lucifer oriretur, Lunam fuiſſe ferè in medio cœlo: quo innuit, diſceſſum ſuum incidiſſe poſt aliquot dies, cùm Luna plena fuiſſet. Plena autem fuit hoc anno, die 2. Octobr.

ANNO MUNDI 3958. Poſt C. 9.
F. ☉ 18. ☽ 10.

Annus urbis cond. 761. *Julianus 54.*
Æra Hiſpan. 47. *Auguſtorum 36.*
Auguſti Cæſaris 53.

Coſſ. C. Poppæus Sabinus.
Q. Sulpitius Camerinus.

Suffecti fuerunt Coſſ. poſt ſex menſes, M. Papius Mutilus, Q. Pappæus Secundinus.

Tiberius vere primo Romam venit, cui obviam procedit Augſtus, qui paulò pòſt exquiſitâ oratione exhortatur Romanos ad ducendas uxores & acerbè invehitur in cœlibes, & conjugatis præmia decernit. Ibi cùm *Legem* Papiam Poppæam emendaret de maritandis ordinibus, ſtatuit, ut, ſi vir vel uxor filios non haberent, quod alteri reliquiſſent, decima pars fiſco militari adjudicaretur; quæ lex tandem ſublata eſt Honorii & Arcadii conſtitutione. *Dion pr. lib. 56.*

Germanicus in Dalmatia agens ad Rhætinum urbem, quam occupare conabatur, igne circumdatur clade afficitur, quæ urbs ita tota cremata eſt. Inde Seretium expugnat: advenit etiam eò Tiberius. Exercitu igitur in tres partes diviſo, omnem regionem ſimul bello complectuntur. Tiberius Anderium, ubi Bato erat, oppugnat, magnaque cum difficultate capit. Bato etiam, cùm bello ſe victum videret, & ſuis pacem perſuadere non poſſet, ab eis diſcedit. *Dio d. lib.*

Olympias 197. acta. Eſt annus Olympiadicus 785.
Victor Stadii *Aſiaticus* Halicarnaſſæus.

Annus Actiacæ victoriæ 38. incipit die 29. Aug.

Harminius, qui ſequenti anno Quintilium vicit, Sigimeri, principis gentis ejus, filius fuit, aſſiduus militiæ noſtræ comes, & jam civitatis Romanæ jus, equeſtremque gradum conſecutus eſt. *Vellejus lib. 2. cap. 118.*

Julia Auguſti neptis, adulterii convicta damnatur, & in Inſulam Trimerum, haud procul ab Apulis littoribus, relegatur ab Auguſto, ubi viginti annis exilium toleravit, ſuſtentata ope Liviæ, quæ privignos ſuos per occultum evertebat, & miſericordiam erga afflictos palàm oſtentabat. *Tac. lib. 4. annal. cap. 71.*

Veſpaſianus naſcitur in Samniis ultrà *Reatem*, vico modico, die 17. Novemb. quinquennio antequam Auguſtus moreretur, educaturque in prædiis Coſſanis. *Suetonius in vita ejus cap. 1.*

ANNO MUNDI 3959. Poſt C. 10.
E. ☉ 19. ☽ 11.

Coſſ. P. Cornelius Dolabella.
C. Junius Silanus.

Suffectus Conſul fuit poſt ſex menſes Serv. Cornelius Lentulus.

Bellum in Pannonia tandem, cùm Bato in caſtra ad Tiberium veniſſet, finitum eſt, quod Romanis magnâ jacturâ & hominum & argenti ſtetit, cùm nullius ferè prædæ eſſet. Cùm triumphus & Tiberio & Germanico decretus eſſet, adverſæ fortunæ nuncius affertur ex Germania. Nam Quintilius Varus arctiùs habuerat Germanos; quapropter diſſimulatâ irâ omnia faciunt, donec Varus nimiùm eis fidens, milites à ſe dimitteret, & in Varia loca diſtribueret: tum qui longè à Varo aberant, rebellant: qui propè erant, Varo auxilia ad hanc rem promittunt, ut inſidiis opportunior eſſet. Cùm igitur Varus cum exercitu in ſilvas veniſſet, inſidiatores undique

cohorti, legiones invadunt, & Varum, cum tribus legionibus, ſex cohortibus, & tribus alis equitum: toto triduo pugnatum eſt. Varus ipſe ſibi manus infert, quod & multi alii faciunt: quidam in tenebris ductu *Aſprenæ* evaſerunt. Veſtigia ejus cladis ſunt in Weſtphalia ad oppidum Hornam, ubi campus Windfeld ad ſaltum Teuteberg/per quem à Viſurgi fluvio ad Rhenum itur. *Dio lib.* 56. *& alii.*

Coponius à Cyrenio conſtitutus fuerat Procurator Judææ. Sub eo Samaritani, templum clanculum ingreſſi, in templo oſſa humana ſparſerunt, atque ita templum profanarunt. *Joſeph. lib.* 18.

Auguſtus audita clade Varianâ magnoperè metuit, ne hæ gentes in Italiam irruerent: ideò apparat magno ſtudio bellum, & militiam detrectantes ignominiâ notat, ſorte etiam milites legit, & Tiberium, qui auditâ clade Romam feſtinaverat, cum ea manu in Germaniam mittit, qui Gallias præſidiis firmat, exercitus diſponit, & ultra Rhenum cum exercitu progreditur, territoque Harminio in hyberna regreditur. *Vellejus lib.* 2. *cap.* 120.

ANNO MUNDI 3960. Poſt C. 11.
D. ☉ 20. ☽ 12.

Coſſ. *M.* Æmilius Lepidus.
T. Statilius Taurus.

Suffectus Conſul fuit hoc anno L. Caſſius Longinus.

Tiberius *ædem Concordiæ dedicat, ſuumque & fratris Druſi, ante annos* 19. *defuncti, nomen inſcribit.* Dio lib. 56.

CHRISTUS puer duodecennis in Templo Hieroſolymis cum Doctoribus diſputat, finito Paſchate. Paſcha celebratum ſeptimo Aprilis, feriâ tertiâ. Ultimus feſti dies fuit die 14. Aprilis, quo relictus fuit Hieroſolymis. Nullus fuit tùm Rex Hieroſolymis, ſed tantùm Procurator *M. Ambivius*, qui Coponio ſucceſſerat, ab AUGUSTO miſſus.

Philippus, Herodis filius, Tetrarcha Gaulonitidis, circa hæc tempora condidit *Cæſaream* Philippi ad fontes Jordanis, propè Damaſcum ſitam, & vico Bethſaidæ in ripa lacus Genneſareth urbis ſpeciem addidit. *Joſeph. lib.* 18. *cap.* 3.

Tiberius & Germanicus impreſſionem faciunt in Germaniam, ſed non longè à Rheno abeunt, ibi usque ad autumnum morantur, & celebratis ludis in honorem natalium Auguſti, & edito equeſtri certamine, in Italiam redeunt. *Dio. lib.* 56.

Druſus, filius Tiberii, Quæſtor hoc anno fuit, & cum eo Prætores ſedecim; & Æquitibus permiſſum, ut ludis gladiatoriis dimicarent. *Dio ibidem.*

Aſtrologiæ Auguſtus modum præſcribit, ne Aſtrologi abſentibus arbitris alicujus mortem prædicerent, quanquam ipſe Thema ſuum natalitium publicè propoſuit.
Dio ibid.

ANNO MUNDI 3961. Poſt C. 12.
CB. ☉ 21. ☽ 13.

Coſſ. Germanicus Cæſar.
C. Fonteius Capito.

Germanicus nondum Prætor fuerat, cùm Conſul fieret, & toto anno Conſulatum adminiſtravit; In locum verò Fonteii Calendis Julii ſuffectus fuit C. Viſellus Varro. *Tab. Cap.*

Lex de exulum luxu cohibendo ab Auguſto lata, ne ſervos ſupra viginti haberent, ne plùs quingentis millibus nummum poſſiderent. *Dio lib.* 56.

Auguſtus *Trib. poteſt.* 35. *Tiberius* 14. *aſſumunt die* 27. *Junii.*

Annus Nabonaſſar. 760. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 336. *init die* 20. *Auguſti, fer.* 7.

Caligula naſcitur ultimo Auguſti, Antii, *ut Suetonius demonſtrat*: in caſtris verò, *ut Tacitus aſſerit*, patre Germanico Conſule.

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei Judaici 30. *incipit die* 22. *Septembr. fer.* 2. *Eſt hebdomas Danielis ſexageſima tertia iniens. Anno Jud.* 3773.

Annus Seleucidarum Alexandr. 324. *& Antiochenus* 61. *à Calend. Octobr.*

Ludi Martis acti, & porticus in honorem Caji & Lucii Cæſarum dedicata. Dio.

Tiberius poſt biennium, ex Germania Romam reverſus, debitum de Pannoniis victis egit triumphum. Batonem Pannonium ducem ingentibus donatum præmiis, Ravennam tranſtulit, prandium populo mille menſis dedit, & viritim tricenos nummos divîdit. *Sueton.*

ANNO MUNDI 3962. Poſt. C. 13.
A. ☉ 22. ☽ 14.

Annus urbis 765.	*Iulianus* 58.
Æra Hiſpan. 51.	*Auguſtorum* 40.
Imp. Auduſt. Caſ. 57.	

Coſſ. C. Silius Nepos.
L. Munatius Plancus.

Imp. Auguſtus decennium quintum ad Rempubl. conſtituendam ſuſcipit, & Tiberio Tribunitiam poteſtatem prorogat. Druſo item Tiberio concedit, ut ad tertium annum conſul fieri poſſet: & cùm hactenus quindecim Conſiliarios in ſex menſes habuiſſet, viginti petiit, quibus conceſſum, ut quæ ſtatuerent, perinde rata eſſent, ut Senatus conſulta. *Dio lib.* 56.

Olympias 198. *acta. Eſt annus Olymp.* 789.

Victor Stadii *Diophanes* Pruſainus.

Annus Actiacæ victoria 43. *incipit die* 29. *Auguſt.*

Aſinius Pollio Orator & Conſularis, qui ante Conſulatum Salonas, unde filium Saloninum appellavit, ceperat, & deinde de Parthis poſt Conſulatum triumphaverat, anno ætatis 80. in villa ſua Tuſculana moritur. *Tac. Euſeb.*

Penſio vigeſima multis erat moleſtiſſima, & videbatur motura ſeditionem, nec tamen commodiorem rationem inire poterat Auguſtus: Ideò Senatum jubet de hac re deliberare. Interim dimittit, qui deſcriberent omnium Senatorum prædia & bona: hinc ſibi moleſtiorem penſionem metuentes, viceſimam approbant. *Dio ibidem.*

ANNO

ANNO MUNDI 3963. Poſt C. 14.
G. ☉ 23. ☽ 15.

Coſſ. Sext. Pompejus Nepos.
Sext. Appulejus Nepos.

Auguſtus, cùm inquireret in mores Agrippæ, nepotis relegati, non adeò improbi, ut relatum erat, de eo revocando cogitavit, cui rei nemo conſcius fuit præterquam Fabius Maximus Conſularis, qui hæc effutiit uxori ſuæ Martiæ: ea ſtatim id detulit ad Liviam conjugem Auguſti, quæ cum Auguſto acerbè de hac re expoſtulavit. Unde iratus Auguſtus Fabium juſſit mori, ut habet *Tacitus* 1. *annnal. cap.* 5. *& Plutarchus.* Id factum hoc anno. Ovidius meminit hujus Fabii defuncti *Elegiâ 6. lib. 4. de Ponto,* cùm ſextum annum exilii inchoaſſet.

Cenſum Auguſtus agit cum Tiberio. Cenſa ſunt civium 4037000. Luſtrum Auguſtus non condidit, die 11. Maji, centum diebus ante Auguſti mortem. *Sueton.*

Sotio Philoſophus Alexandrinus Pythagoreus, præceptor Senecæ floret. Euſeb.

Auguſtus cùm Germanicum dimiſiſſet in Germaniam, Tyberium autem mittere vellet in Illyricum, proſequitur eum, ut interceſſet ludicro, quod ejus honori à Neapolitanis agebatur, proceſſitque in Campaniam, & à Tiberio Beneventi diſceſſit, Nolamque petiit, ubi cùm valetudo ingraveſceret, à Livia Tiberius revocatur: ipſe autem moritur die 19. Auguſti, horâ diei nonâ, cùm poſt victum Antonium ad Actium regnaſſet annos 44. minus diebus tredecim: *velut Joſephus habet*, ab interfecto Julio annos 57. menſes ſex, dies quatuor. Succedit Tiberius Cæſar, qui imperat annos 22. menſes 6. & dies 26.

Tiberius ſtatim mittit Centurionem, qui *Agrippam* nepotem Auguſti interſiciat. Sic Julia filia Auguſti, inopiâ & tabe perimitur, juſſu Tiberii, unaque Sempronius Grachus adulter ejus, qui amotus ſimul Cercinam Africi maris inſulam quatuordecim annis exilium toleraverat. *Tacit.*

Milites in Pannona tumultuantur, poſcuntque in ſingulos dies denarium, & poſt ſedecimum annum dimiſſionem, ne veterani ſub vexillo habeantur. Tumultus hic ſedatur, cum eclipſi Lunari, quæ ita obſcurata nubibus obtegebatur, & occidebat, ut milites terrerentur. *Tacit. lib. 1. annal. cap. 17. & 28. Dio lib. 57.*

Eclipſis hæc facta die 27. Sept. fer. 5. horâ quintâ poſt mediam noctem, Latitudo vera aſtralis 7.6. Semidiameter Lunæ 17.29. Summa Semidiametrorum 62. 26. Scrupula reſidua 55. 10. digiti ecliptici 18.28. Locus Solis in primo gradu Libræ & Luna tota obſcurata ita occidit.

Mollerus, autor Phriſicarum tabularum, negat ex hac eclipſi annum obitus Auguſti demonſtrari poſſe, cùm etiam anno præcedente, & anno ſequente eclipſes Lunares factæ ſint. Sed reſpondeo, nec præcedentem nec ſequentem reſpondere deſcriptioni hujus eclipſis, quæ eſt apud Tacitum. Neutra enim earum totalis fuit. Prior enim nondum fuit quinque digitorum, & poſterior tantùm decem digitorum, atque ita Luna non planè obſcurata eſt. Et deinde prior facta horâ poſt meridiem ſeptimâ; poſterior horâ poſt meridiem octavâ: atque ita in utraque Luna ex tenebris illis particularibus emerſit, quod apparuit etiam, ſi Luna in nubibus obduceretur. Et præterea longè plura ſunt argumenta, quæ Auguſti obitum hoc anno cecidiſſe demonſtrant. Refert tamen Dio etiam eclipſin Solis accidiſſe ante mortem Auguſti, ubi Sol totus obſcuratus ſit, quæ eclipſis nullibi invenitur, quemadmodum nec Sol obſcuratus fuit in tranſitu Xerxis, quod tamen à multis affirmatur. Credibile videtur, quemadmodum Xerxe tranſeunte Helleſpontum, Phænomenon in Sole accidit, quo lumen amiſit, & quòd cladem Græciæ portendit; ita tale quid etiam accidiſſe ante mortem Auguſti.

Germanicus ſeditiones militum, quæ ſimiliter exarſerant, multò difficilius ſedat. Primùm ſuâ nece ſeditionem ſedari poſſe credidit, ſed cùm milites id non curarent; literas à Tiberio miſſas finxit, quibus legata militibus perſerebantur, cujus duplum ſingulis ipſe de ſuo perſolvit, & veteranos exautoravit, inde magnas Germanis intulit clades. *Tacit. libr. 1. annal. cap. 31. & 36. Dio lib. 57.*

ANNNO MUNDI 3964. Poſt C. 15.
F. ☉ 24. ☽ 16.

Coſſ. Druſus Tib. F. ex Agrippina Cæſar.
C. Norbanus Flaccus.

Germanicus imminente hyeme, poſt ſeditionem, Ducibus multatis, exercitum in hoſtem eduxerat, & inſigni victoriâ potitus fuerat: ideò triumphus ipſi Romæ decernitur, etiamſi ſatis ſupereſſet bellorum. *Tacit. lib. 1. annal. cap. 55.*

Tiberius legatum ab Auguſto populo Romano promiſſum perſolvit, motus, quod quidam defuncto in aurem inſuſurraverat, ut Auguſto nunciaret, ſua legata nondum eſſe diſtributa, quem tamen Tiberius ſtatim interfecit, juſſitque ut ipſe nuncium hoc ad Augſtum perferret *Dio. lib. 57.*

Terra movit, cujus pars muri urbis Romanæ everſa eſt. *Dio.*

Germanicus per Stertinium Bructeros fundit, & inter prædam Aquilam undevicesimæ legionis cum Varo amiſſam recipit. Inde ad locum cladis Varianæ progreſſus, poſt ſextum annum, oſſa cæſorum colligit & ſepelit. Dum regrederetur, exercitus, Duce Cæcinâ, inſidiis excipitur, ab Armino & multâ cum clade tandem vix in tutiora loca ſe recipit. Nec minore clade, qui navibus redierunt, affecti ſunt: Navibus enim fractis, omnibus ſuis rebus exuti ſunt, multi prætera interierunt. *Tacit. lib. 1. annal. cap. 61. 62.*

Tiberis Romam aliquot diebus inundat: magna inde ſtrages facta & ædificiorum & hominum. *Tacit. lib. 1. annal. cap. 76.*

Vitellius, qui pòſt imperavit, naſcitur die 24. Septembr. *Sueton.*

ANNO MUNDI 3965. Poſt C. 16.
ED. ☉ 25. ☽ 17.

Coſſ. T. Statilius Siſenna Taurus.
L. Scribonius Libo.

Parthi repetunt Vononem filium Phrahatis, regis Parthorum, à Tiberio. Obſes is fuerat apud Augu-

Auguſtum, eumque regem faciunt, ſed Ariabanus eum prælio victum, regno expellit. *Tac. 2. an. cap. 1.*

Germanicus navibus paratis in Germaniam ex oſtio Rheni navigat, cum Harminio prælio congreditur, vincitque. Paulò pòſt iterùm Germanos abſente Harminio ob vulnus acceptum in ſilva, magna clade trucidat, ſed dum regreditur navibus, tempeſtate in Oceano deprehenſus, magna clade afficitur, quam reſarcit felicibus expeditionibus in Chattos & Marſos; inde revocatur à Tiberio ad triumphum. *Tac. 2. annal. cap. 2.*

Tiberius *tribunitiam poteſtatem* 18. *accipit die 27. Junii: incipitque annum Imperii tertium, die 19. Aug.*

Annus Nabonaſſ. 764. & annus Philippi ac mortis Alexand. 340. incipit eodem die 19. Aug. fer. 4.

Scribonius Libo Druſus accuſatus majeſtatis, ſibi ipſi manus infert, die 13. Septembr. & ſequenti die Senatus conſultum factum de Mathematicis Magisque Italia pellendis. *Tac. 2. ann. c. 31.*

Annus Alexandreus Seleucidarum 328. & Antioch. 65. incipit Calend. Octobr.

Clemens quidam fuerat ſervus Agrippæ, nepotis Auguſti interfecti; is ſimulat ſe, cùm formâ abſimilis non eſſet, Agrippam, in Galliis, & multos ſibi adjungit, Romamque contendit, ſed aſtu Tiberii captus & interfectus eſt. *Dio l. 57.*

ANNO MUNDI 3966. Poſt C. 17.

C. ☉ 26. ☽ 18.

Annus urbis 769. *Julianus* 61.

Æra Hiſp. 55. *Auguſtorum* 44.

Coſſ. C. Cœlius Rufus.

L. Pomponius Flaccus Græcinus.

Ovidius circa hæc tempora mortuus eſt. Meminit enim *in penultima Elegia de Ponto* hujus Flacci, futuri conſulis, in Calendis Januarii.

Tiberius prohibet ſibi ſtrenas Calendis Januarii mitti: in eo edicto, cùm uſus eſſet vocabulo minus latino, valdè doluit. *Dio l. 57.*

Archelao etiam Cappadociæ regi diem dixit, quòd ſeſe, cùm Rhodi fuiſſet, nullo officio coluiſſet, interfeciſſetque hominem capularem ſenem, & podagricis morbis enectum, niſi feſtivo mendacio morti ereptus fuiſſet, nihilominùs tamen paulò poſt Romæ moritur, regnum ejus in provinciam redigitur, ut Centeſimæ rerum venalium vectigal ejus fructibus levaretur, quod in ducenteſimam mutatum eſt. *Tac. 2. ann. cap. 42.*

Germanicus *Cæſar de Cheruſcis, Chattis, & Angrivariis triumphat, die 26. Maji*, Tac. d. lib. cap. 41.

Olympias 199. *acta. Eſt annus Olympiad.* 793.

Victor Stadii *Æſchines* Mileſius.

Annus Actiaca victoria 47. incipit 16. Aug.

Syria & Judæa, feſſæ oneribus, diminutionem tributi orant. *Tac. 2. ann. c. 42.*

Druſus filius Tiberii in Illyricum mittitur, ut aſſueſceret militiæ, fuit hic crudeliſſimus, acutiſſimumque gladium geſtavit, adeò ut inde gladii acuti Druſiani vocarentur. *Dio. lib. 57.*

Harminius Germanorum Dux, Marobodunm Bohemiæ regem, magno prælio vincit, ita ut auxilia Tiberii implorare cogeretur. *Tac. 2. ann. c. 46.*

Aſia ingenti terræmotu concutitur, quo duodecim urbes inſignes collapſæ ſunt, (tredecim habet *Euſebius*) Epheſus, Magneſia, Sardes, Moſthene Ægæ, Hiero Cæſarea, Philadelphia, Tmolus, Temnus, Cumæ, Myrina, Apollonia, Hyrlania: Haſce omnes, ut inſtaurarentur, multâ pecuniâ ſublevavit. *Tacit. cap. 47.*

Tacfarnias Numida Romanis bellum movit, quẽ vicit Furius Camillus prælio, & ita triumphalia inſignia adeptus eſt. Longo intervallo Furius hic fuit poſt illos antiquos. *Tac. 2. ann. cap. 52.*

ANNO MUNDI 3967. Poſt C. 18.

B. ☉ 27. ☽ 19.

Coſſ. Tiberius Cæſar. III.

Germanicus Cæſar. II.

Suffecti fuerunt Coſſ. *in Tiberii locum, circa Calendas Aprilis,* L. Sejus Tubero; *in Germanici,* Rubellius Blandus.

Germanicus init Conſulatum in Achaja, inde Athenas venit, inde in Eubœam & Lesbum, ubi Agrippina Juliam filiam, ultimam liberorum peperit; viſit etiam alia celebriora loca, inde viſâ Aſiâ in Armeniam tendit, quibus regem dat *Zenonem*, regis Pontici filium, & honorificè aditur à legatis Artabani Parthi. Ordinat præterea provincias, Cappadociam & Comagenam, &c. *Tac. 2. ann. c. 53. & ſeqq.*

Piſo legatus dato Germanico à Tiberio, qui acta ejus ſpecularetur, totum exercitum, dum Germanicus abeſt, corrumpit. *Tac. c. 55.*

T. Livius Hiſtoricus moritur, quartò anno Tiberii, anno ætatis 76. Cùm Decades ſuas inciperet, ſemel tantùm per Auguſtum templum Jani fuerat clauſum: incepit ergò Hiſtorias Romanas ſcribere, priuſquam Auguſtus templum Jani ſecundò clauderet.

ANNO MUNDI 3968. Poſt C. 19.

A. ☉ 28. ☽ 1.

Coſſ. M. Junius Silanus.

L. Norbanus Flaccus Balbus.

Tiberius *ſtatim poſt mortem Auguſti Valerium Gratum in Judæam miſerat, ut ſuccederet, Annio Ruſo, qui ſtatim primo anno Ananum movit Pontificatu, eumque dedit Iſmaeli; inde & hoc dejecto, eundem Eleaſaro dedit; & hoc ferè poſt annuum ſpatium dejecto, ſucceſſorem illi dedit Simonem, quem etiam hoc anno dejecit, & ſubſtituit Ioſephum, qui Caiphas vocabatur, eratque gener Anani.* Joſephus, lib. 18. cap. 3.

Germanicus in Ægyptum proficiſcitur cognoſcendæ antiquitatis gratia, ibi levavit apertis horreis pretia frugum, viditque veterum Thebarum veſtigia, quæ ſeptingentis hominum millibus ætate militari quondam habitatæ fuerunt: æſtate hac in Ægypto manſit. *Tacit. 2. annal. cap. 59.*

Druſus in Germania inter Germanos diſcordias ſerit. Catualda enim Marobodunm pellit, qui Romanis perfugit, & Ravennæ poſtea conſenuit. Catualda interim Hermundurorum opib. pulſus, etiam ad Romanos confugit, à quibus in Galliam mittitur. Tac. cap. 62.

In Thracia etiam turbatæ res. Rheſcuporis Cotyn patruelem inſidiis intercipit, & trucidat; ſed Tiberius aſtu parricidam intercipit, & Romæ accuſa-

cuſatum damnat, & Alexandriam relegat, fugamq; meditantem interfici jubet. *Tac. cap. 64. & 67.*

Annus ſabbathicus ſeptimus & Jobeleus Judaicus triceſimus, incipit 18. Sept. fer. 2. Eſt hebdomas Danielis 64. incipiens Anno Jud. 3780.

Germanicus *ex Ægypto rediens, omnia à Piſone immutata videt, ideò eum ex provincia excedere jubet. Ipſe veneno petitus moritur Antiochiæ, circa finem Novembr. & in provincia Syriæ ſuccedit Sentius, qui filius fuit Druſi, fratris Tiberii, annorum ferè* 36. Tac. 2. ann. cap. 69.

Libido fœminarum Romæ coercita legibus, cautumque, ne quæſtum corpore faceret, quæ ex equeſtri ordine eſſet. *Tac. c. 85.*

Fœmina primaria Romæ in ſacris Iſidis ſtuprata fuerat per fraudem, quâ detectâ, Senatus conſulto ſacrifici illicum inventrice ſcelerum in crucem acti ſunt. Judæi etiam Romæ, quòd pecuniam à proſelytis datam, Hieroſolymam mittendam, in ſuos uſus verterent, Româ & Italiâ pelluntur; quatuor millia tamen eorum ad coercenda latrocinia in Sardiniam mittuntur. *Joſep. lib. 18. cap. 4. Tacit. d. l.*

Harminius, *pulſo Marobodu & aliis, regnum affectat; ideò populares adverſos habuit, variaq; fortuna cum iis certavit, tandem dolo propinquorum cadit. Liberator haud dubiè Germaniæ fuit, qui florentiſſimum jam imperium Romanũ laceſſivit, præliis ambiguus, bello non victus. Septem & triginta annos vita, duodecim potentiæ explevit. Caniturque adhuc apud barbaras gentes.* Tac. 2. ann. cap. ultimo.

ANNO MUNDI 3969. Poſt C. 20.
GF. ☉ 1. ☽ 2.

Coſſ. *M.* Valerius Meſſala.
M. Aurelius Cotta.

Germanici cineres ab Agrippina conjuge, media hyeme reportantur, magno luctu populi excipiuntur, plurimumque defletur, cùm Tiberius & conjux interim à publico abſtinent. Edicto tandem Tiberii luctus finitus circa Megaleſia, quæ quarto Aprilis celebrabantur. Piſo verò, cùm ad urbem veniſſet, accuſatur parricidii binis diebus, defendit ſe ternis, & tandem à Senatu magno conatu damnatus, mortem ipſe conſciſcit. Plancina uxor, potiſſima cauſa mortis Germanici, interceſſione Liviæ morti eripitur, non ſine indignatione plebis. *Tac. lib. 3. ann. cap.* 1. 3. 13. 15. 17.

Tribunitiam poteſtatem ſuſcipit 22. die 27. Junii, & annum imperii ſeptimum init die 19. Aug.

Annus Nabonaſſaris 768. & Philippi ac mortis Alexandri 344. incipit die 18. Aug. fer. 1.

Annus Alexandrinus Seleucidarum 332. & Antiochen. 69. incipit Calendis Octobr.

Druſus, Tiberii filius, qui in Germania nihil memoria dignum egerat, ovans, contra nitente patre, urbem ingreditur. *Tac.*

Tacfarinas in Africa bellum renovat, Tribunum militum acie vincit, & à ſuis deſtitutum interficit: qua de cauſa cohortis illius decimus quiſque fuſte necatus eſt, & ipſe Tacfarinas victus in ſylvas conceſſit. *Tac. 3. ann. cap. 20.*

ANNO MUNDI 3970. Poſt C. 21.
E. ☉ 2. ☽ 3.

Annus urbis 773. *Julianus* 66.
Æra Hiſp. 59. *Auguſtorum* 48.

Coſſ. Imp. Tiberius Cæſar IV.
Druſius Julius Cæſar, Tiberii F.

Hiſtriones à Tiberio Româ pulſi, quòd mulieres ignominiâ afficerent, & turbas darent. *Dio lib. 57.*

Porticus Romæ maxima ſubſederat in altero latere, minitabaturq; ruinam: hanc in integrum reſtituit architectus quidam levi opera. Tiberius invidens artifici laudem, ejus nomen in libros referri prohibet, & ipſum architectum urbe rejicit. Architectus ut veniam conſequeretur, vitrum inſigne in conſpectu Tiberii frangit & ſtatim reficit. Sed Tiberius iratior factus, ipſum occidi jubet. Dio circa fin. lib. 57.

Tiberius firmandæ valetudinis gratia, & ut filius Druſus munia Conſulatûs ſolus impleret, in Campaniam abit, & *Lepidum* Proconſulem in Aſiam mittit: *Junium* Blæſum in Africam, contra Tacfarinatem. *Tac. 3. ann. cap. 31.*

Olympias 200. acta. Eſt annus Olympiadicus 797.
Victor Stadii *Polemon* Petræus.

Annus Actiaca victoriæ 51. incipit die 29. Aug.

Tumultuatur hoc anno in Thracia, item in Galliis apud Heduos & Treviros, propter æris alieni magnitudinem, qui mortuus per legatos, interfectis autoribus ſedantur. *Tac. l. 3. annal. cap. 40.*

Quirinus moritur, & publicis exequiis honeſtatur, *Tac. cap. 48.*

C. *Lutorius* Priſcus Poeta Germanici caſum defleverat, ideò Tiberius eum oderat; accuſatur præterea, quòd carmen in exequias *Druſi* Conſulis ſi fortè extingueretur morbo, quo tum laborabat, feciſſet, ideò in carcerem Senatus ſententia ductus exanimatur. *Tac. 3. ann. cap. 49.*

ANNO MUNDI 3971. Poſt. C. 22.
D. ☉ 3. ☽ 4.

Coſſ. C. Sulpitius Galba.
D. Haterius Agrippa.

Calendis Julis ſuffecti fuerunt, ut inſcriptiones oſtendunt, M. Coccejus Nerva, C. Vibius Rufinus. *Onuph.*

Tiberius *Druſo filio tribunitiam poteſtatem à Senatu petit, & aſylorum jus, quo licentia & impunitas receptione ſervorum & flagitioſorum hominum vulgabatur, coercet. Et cùm* Livia *mater graviter ægrotaret, in urbem redit.* Tac. lib. 3. ann. cap. 56.

Theatrum Pompeji fortuito igne crematur, quòd ſuis ſumptibus reſtituit Tiberius. *Tac. cap. 72.*

Tiberius Sejano ſtatuam ponit in theatro, quam multi coluerunt. Fuit enim Sejanus tantæ autoritatis apud Tiberium, ut ſua negotia apud Tiberium tantùm per Sejanum perfici poſſe, omnes arbitrarentur. *Dio circa fin. lib. 57.*

Clogio Sicambrorum rex, cùm annos viginti duos regnaſſet, moritur; ſuccedit filius *Herimerus* per annos novem. *Trith.*

Pompo-

Pomponius Flaccus, quòd biduum continuum apud Tiberium bibiſſet & perſeveraſſet, fit Præſes Syriæ. *Sueton.*

Tacfarinas iterùm vi pellitur in Africas; quapropter Blæſo Proconſul Imperatoris nomen datum, & triumphalia inſignia. *Tac. lib. 2. ann. cap. 74.*

Junia, ſoror. M. Junii Bruti, moritur anno ſexageſimo quarto poſt Philippenſem pugnam. *Tacit. cap. 76.*

ANNO MUNDI 3972. Poſt C. 23.
C. ☉ 4. ☽ 5.

Coſſ. C. Aſinius Pollio Saloninus.
C. Antiſtius Vetus.

Pollio iſ eſt, cujus diem Virgilius Eclogâ quartâ celebrat.

Sejanus jam altiora ſpirans de evertenda domo Cæſarum conſilia agitat, & Druſi filii Tiberii conjugem Liviam, Germanici ſororem, adulterio polluit, & DRUSUM ipſum veneno tollit: quare Tiberius motus, Germanici liberos Senatui commendat, ſimulatque ſe depoſiturum Imperium, & Senatui redditurum. *Tac. 4. ann. cap. 8.*

Strabo floruit, & ſcripſit ante hoc tempus. Affirmat enim tres legiones ſuo tempore præſediſſe Ægypto: Id quod verum eſt de tempore Cæſaris & Auguſti; ſed Tiberius tertiam legionem detraxit, & binas ibi tantùm reliquit quemadmodum id poſtea etiam obſervatum, ut ex autoribus conſtat. *Lipſius.*

Hoc anno in unitatem venit equeſter ordo, & annulorum autoritati forma conſtituta eſt. Plinius lib. 33. cap. 2.

ANNO MUNDI 3973. Poſt C. 24.
BA. ☉. 5. ☽ 6.

Coſſ. Serv. Cornelius Cethegus.
L. Vitellius Varro.

Caſſius Severus Orator, miſſus ante annos 17. in exilium ab Auguſto in Cretam, cùm animum non mutaret, & à maledicentia non abſtineret, hoc anno in ſaxum Seriphium ablegatur. *Euſeb.*

Sejanus dolo amicos Germanici ſuperſtites evertit, cùm aliàs liberis ejuſdem nocere non poſſet: aggreditur primùm Silium, qui magnas res in Germania geſſerat; qui ne damnaretur, ſpontè ſibi vim infert: damnantur poſtea alii. *Tac. lib. 2. ann. cap. 19.*

Tiberius *aſſumit tribunitiam poteſtatem 26. editque ludos decennales, & incipit annum Imperii undecimum, die decimo nono Auguſti.*

Annus Nabonaſſaris 772. & annus Philippi & mortis Alexand. 348. incipit die 17. Aug. fer. 5.

Annus Alexandrinus Seleucidarum 336. & Antiochenus 73. incipit à Calendis Octobr.

Dolabella in Africa, etſi exiguis copiis præerat, Tacfarinatem, ſeptem annis Africam vaſtantem, inopinantem obruit, & fortiter ſe defendentem cum latronibus trucidat. Nullo tamen honore propter victoriam, invidia Sejani afficitur. *Tacit. 4. ann. cap. 26.*

Bellum ſervile in Italia gliſcit, motum à Curtiſio propè Brunduſium, ſed ſtatim oppreſſum eſt. *Tacitus. cap. 27.*

Q. Serenus à filio majeſtatis accuſatur falſo: ideò filius fugere conatur, quem tamen retrahit Tiberius, & accuſationem peragere cogit, & Serenus pater damnatur, quòd Tiberius ipſi eſſet iratus. *Tac. c. 28.*

ANNO MUNDI 3974. Poſt C. 25.
G. ☉ 6. ☽ 7.

Annus urbis 777.	*Julianus* 70.
Æra Hiſpanica 63.	*Auguſtorum* 52.

Coſſ. Coſſus Cornelius Lent. Iſaur.
M. Aſinius Agrippa.

Cremutius Poeta, quòd Brutum & Caſſium ante annum ſeptuageſimum defunctos laudaſſet, accuſatur, damnatur, & ejus libri cremandi cenſentur, ſed tamen manſerunt ad poſteros: ut ita ſocordiam eorum irridere libeat, qui præſenti potentia credunt extingui poſſe etiam ſequentis ævi memoriam. *Tac. lib. 2. ann. cap. 34.*

Olympias 201. acta. Eſt annus Olympiad. 801.

Victor Stadii *Damaſias* Cydoniata.

Annus Actiacæ victoriæ 55. incipit 29. Aug.

Sejanus nuptias Liviæ, conjugis olim Caji & pòſt Druſi, petit, ſed repulſam patitur; ideò ut plus poteſtatis ſibi ad Tiberium acquireret, increpat negotia urbis, populi accurſum, multitudinem affluentium, & laudat quietem & ſolitudinem, ut perſuadeat Tiberio, ut urbe exeat, & alibi vivat. *Tac. 4. ann. cap. 39. 41.*

Piſo Prætor in Hiſpania ex inſidiis trucidatur ab Hiſpano quodam, qui tormenta conſtantiſſimè tulit, nec conſciorum quenquam prodidit. *Tacit. cap. 45.*

ANNO MUNDI 3975. Poſt C. 26.
F. ☉ 7. ☽ 8.

Coſſ. Cn. Cornelius Lent. Getulicus.
C. Calviſius Sabinus.

Suffecti fuerunt Conſules alii Calendis Julii, Q. Marcius Barea, & T. Ruſtius Nummius Gallus.

Poppæo Sabino triumphalia ornamenta à Tiberio offeruntur, quòd Thraces rebellantes viciſſet, & caſtella eorundem expugnaſſet. *Tacit. l. 4. ann. cap. 46.*

Claudia Pulchra, ſobrina Agrippinæ, accuſatur adulterii falſò: Agrippina à Tiberio petit, ut defendatur, ſed nihil impetrat, ideò irâ æſtuans, & mœrore obruta, in morbum incidit, ubi cum à Tiberio viſeretur, ipſa petit ſibi maritum dari; at neque hoc impetrat. Sejanus ut eam tandem cum liberis everteret, perſuadet ipſi, ne cum Tiberio ampliùs cibum capiat, venenum ſibi paratum. Inde ſuſpiciones utrinque ortæ. *Tac. cap. 53.*

Annus ſabbathicus primus Jobelei Judaici incipit 2. Sept. fer. 2. Eſt hebdomas Danielis ſexageſima quinta, incipiens anno Jud. 3787.

Tiberius Româ abit, quaſi templum Jovi in Campania dedicaturus: ſed nunquam poſtea Romam reverſus eſt. In Campania verò cùm fortè ſpeluncam ſubiret, os ſpeluncæ corrui cœpit, ſed diffugientibus aliis, Sejanus ſolus intrepidus contra ruinam obniti cœpit, donec alii auxilio venirent; unde poſthac in majori gratia apud Tiberium vixit. *Tac. 4. ann. cap. 57.*

Pilatus *ſucceſſor Grato, qui undecim annis procurator Iudææ fuerat, à Tiberio datus, ſigna militaria cum imaginibus depicta Hieroſolymis noctu importavit, & precantibus Iudæis, ut ea amoverentur, mortem minitatus eſt: at Iudæi nihil deterriti, cervices ſuas nudas offerunt, quorum conſtantiam Pilatus admiratus, ſigna illa ex Iudæa tota removit, & Cæſaream reportavit. Præfuit autem Pilatus annis undecim.* Joſephus lib. 18. cap. 4.

ANNO MUNDI 3976. Poſt C. 27.
E. ⊙ 8. ☽ 9.

Coſſ. *M.* Licinius Craſſus.
L. Calpurnius Piſo.

Amphitheatrum Fidenis immenſam mortalium vim ſpectaculo intentos, aut qui circum adſtabant, in præceps trahit atque operit. Quinquaginta hominum millia eo caſu aut debilitata aut obtrita fuerunt. Ideò Senatusconſulto cautum, ne temerè munus gladiatorium ederetur, aut Theatrum niſi in firmo ſolo ædificaretur. *Tac. lib.* 4. *ann. cap.* 62. 63.

Pilatus theſaurum in templo, qui Corban appellabatur, ſibi ſumit ad inducendas aquas in urbem, per ducenta ſtadia: populus hoc ægerrimè ferebat, & ſeſe opponebat, vociferabaturque, ſed fuſtibus repulſus & ſaucius, aut omninò cæſus, quievit in poſterum. J*oſeph. lib.* 18. *cap.* 4.

Metellanus, Scotorum rex, cùm annis 30. regnaſſet, moritur: ſuccedit *Caractatus*, qui præeſt annis 20. *Buchan.*

Ingens Romæ incendium exortum, quo exuſtus mons Cœlius, & vicinia. Tiberius hanc cladem ſublevavit magna munificentia, ideò plebs ſtatuit montem illum Auguſtum appellandum. *Tac. lib.* 4. *ann. cap.* 64.

Tiberius *dedicatis templis*, Capreas *in inſulam ſe confert, claſſe illa erat inacceſſa, & modico præſidio defendi poterat: ea ſe incluſit, ut luxum & vitia ſua tegeret.* Tac. cap. 67.

ANNO MUNDI 3977. Poſt. C. 28.
DC. ⊙ 9. ☽ 10.

Coſſ. Ap. Junius Silanus.
P. Silius Nerva.

Sejanus evertit Titium Sabinum, amicum Germanici hoc modo: multa in Tiberio reprehendit, & acerbè in eum invehitur apud Sabinum, donec & ipſius aſſenſum eliceret. Collocaverat autem auſcultatores, qui omnia Sabini verba Tiberio referrent; quapropter damnatus majeſtatis in carcerem conjicitur, interficitur, & in Tiberim abjicitur. Canis Sabino fuit, qui nec à carcere abigi potuit, nec à corpore in gradibus Gemoniis abjecto receſſit: mœſtos edidit ululatus, magnâ populi Romani coronâ circumſtante: ex qua cum quidam panem ei objeciſſet, ad os defuncti eum tulit. Innatavit idem cùm in Tiberim cadaver abjiceretur, ſuſtentare conatus, ne demergeretur. *Plinius libro* 8. *cap.* 40. *Dio lib.* 58.

Tiberius *ſumit ſibi Tribunitiam poteſtatem triceſimam, die* 27. Junii, *Inchoat Imperii annum quindecimum, die* 19. *Auguſti.*

Annus Nabonaſſ. 776. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 352. *incipit die* 16. *Aug. fer.* 2.

Johannes *Baptiſta, Zachariæ & Eliſabethæ filius, præcurſor Meſſiæ, incipit prædicare & baptiſare, exeunte æſtate, in feſto, ut plerique cenſent, Clangoris tubarum, quod celebratum fuit hoc anno, ad Calendarium Iudaicum, die* 9. *Septembris feria quinta,* Luc. 3.

Annus Alexandræus Seleucidarum 336. *& Antiochenus* 79. *incipit à Calend. Octobr.*

Julia, neptis Auguſti, poſt viginti annos exilii, in inſula Timero, haud procul Apulis litoribus, moritur. Relegata fuit eodem ferè tempore, quo Ovidius, ex cujus artibus amandi meretricias artes didiciſſe ferebatur. *Tac.* 4. *ann. cap.* 71.

Friſii in Germania pacem exuunt, avaritiâ Romanorum impulſi, qui Urorum pelles pro boum pellibus exigebant, cum quibus L. Apronius parùm proſperè pugnat. Ultra mille Romanorum ceciderunt, & in his clari viri centuriones & præfecti. *Tac. cap.* 72.

Agrippina, filia Germanici, nubit Domitio, è quâ poſtea Domitius Nero genitus eſt. *Tac. cap. ult.*

ANNO MUNDI 3978. Poſt C. 29.
B. 10. ⊙. ☽ 11.

Annus urbis 781. *Julianus* 74.
Æra Hiſp. 67. *Auguſtorum* 56.

Coſſ. C. Rubellius Geminus.
C. Fuſius Geminus.

Ex Calendis J*ulii ſuffecti ſunt alii Conſules, ut oſtendunt inſcriptiones, P. Pomponius ſecundus, & Sanquinius Maximus.*

JeſusChriſtus *Filius* Dei *baptiſatur à Iohanne, ut Epiphanius & alii antiquores tradunt, die* 6. *Ianuarii: Recentiores putant id accidiſſe in feſto Expiationis, die* 10. *menſis Tiſri, anni ſuperioris, qui incidit in diem* 18. *Septembr. fer.* 7. *decem diebus, poſtquam Iohannes Baptiſmum inchoaſſet: Propterea, quòd eo die hircus, qui peccata populi Iſraelitici portabat in deſertum deducebatur, quemadmodum & Chriſtus ſtatim poſt Baptiſmum in deſertum abductus eſt: & quod is dies etiam ferè incideret in diem nativitatis Chriſti, quo annum ætatis triceſimum compleverat. Incidit paulo poſt Iudæorum legatio honorifica ad Iohannem Baptiſtam, ubi Iohannes Chriſto dat honorificum teſtimonium; item quod ſit agnus* Dei, *qui tollat peccata mundi*, Joh. 1.

Chriſtus *vocat quoſdam diſcipulos, Andream & Petrum: Inde Philippum & Nathanaelem. Nuptiæ præterea celebrantur in*

Cana

Cana Galilææ, ubi aqua in vinum converſa eſt. Inde Chriſtus cum diſcipulis aſcendit ad paſcha. Ioh. 1.

Paſcha *primum celebratum fuit ad Calendarium Iudaicum die 17. Aprilis, feria prima, in quo divino Zelo commotus Chriſtus ejicit vendentes & ementes in templo. Diſputat inde cum* Nicodemo *de ratione perveniendi in regnum cælorum,* Ioh. 3.

Herodes Antipas proficiſcitur Romam, divertitque apud Herodem Philippum fratrem, qui uxorem habebat Herodiadem, filiam Ariſtobuli fratris occiſi, cujus formâ captus, eam appellat de conjugio, quæ conſentit, ſi prior ipſius conjux Areta, Arabum regis filia, matrimonio ejiceretur; quæ cum ſenſiſſet mariti propoſitum, ſpontè abit ad parentem, & conqueritur ibi de mariti injuriis, & hinc poſtea bellum ortum *Joſeph. lib. 18. cap. 7.*

Olympias 202. acta. Eſt annus Olymp. 805.
Victor Stadii *Hermogenes* Pergamenus.
Annus Actiacæ victoriæ 59. incipit die 29. Auguſti.

Livia, Auguſti conjux, Tiberii mater, moritur anno ætatis octuageſimo ſexto, eam *Caligula* pro roſtris laudavit: ſed Tiberius parùm æquus erga mortuam fuit, & in Imperio poſtea deterior. Incitatus à Sejano in perniciem Agrippinæ & nepotis Neronis, Senatum incitavit, in qua re Senatus dubius ad mitiora inclinavit, non ſine ira Tiberii. *Tac. in princ. lib. 5. ann.*

Johannes, *quod accuſarat Herodem Antipam inceſti, in carcerem conjicitur Macherunti, circa finem anni. Cauſam* ut Ioſephus ſcribit, *Herodes ad populum ſpargit, quod multos diſcipulos faceret, & ſeditioni materiam præbere poſſet.* Ioſeph. lib. 18. cap. 7.

Chriſtus, *de carcere Iohannis & perſecutione Phariſæorum certior factus, diſcedit in Gallilæam per Samariam, colloquiturque cum Samaritana, & biduum in oppido Sichar commoratus, in Galilæam venit,* Ioh. 4.

ANNO MUNDI 3979. Poſt C. 30.
A. ☉ 11. ☽ 12.

Coſſ. M. Vinitius Quartinus.
C. Caſſius Longinus.

Caſſius hic non eſt J*uriſconſultus ille, qui poſtea ſub Veſpaſiano floruit, ut* Pomponius de origine Juris arbitratur, *ille enim L. prænomine dictus eſt, & vir magni ingenii fuit: hic non magnæ induſtriæ,* ut Tacitus loquitur, *poſt annos tres,* ann. 6. cap. 15.

Chriſtus *in initinere divertit in vicum Cana Galilææ, ibique ſanat abſens unico verbo filium aulici Capernaitani; Inchoat miniſterium ſuum publicè; ejicitur è Nazaret, venit Capernaum; Vocat duo paria Apoſtolorum, Petrum & Andream, Iacobum & Iohannem: docet in Sabbathis,* Matth. 7. 15. *Sanat ſocrum Petri,* Matth. 8. *Inde miraculum capturæ piſcium, quo confirmatur vocatio Petri,* Luc. 5. *Leproſus paulo poſt ſanatur, & Chriſtus iterùm Capernaum venit docetque, cùm hactenus fuiſſet in deſertis locis: ſanat Paralyticum,* Matth. 9. *Matthæum vocat à telonio,* Matth. 9.

Æquinoctium vernum, quod hactenus hæſerat in die 23. Martii, aſcendit ad diem 21. Martii.

Chriſtus *aſcendit ad Paſcha celebrandum, cujus veſtigia ſunt apud Evangeliſtam,* Matt. 12. Marc. 2. Luc. 6. *quando Chriſtus per ſata ivit, jam veſcentibus matura, quod non niſi Paſchate accidere poteſt. Celebratum id fuit ad Calendarium Iudaicum die 8. Aprilis, feria ſeptima. Ivit per ſata die 15. Aprilis, in Sabbatho* δευτεροπρώτῳ. *Inde deſcendit in Synagogas,* Matt. 12. Marc. 3. *& hominis aridam manum paulo poſt ſanat in Sabbatho,* Matt. 12. 10. *Inde ob Herodianorum tyrannidem ſecedit ad mare,* Marc. 3 7. *ibique docet è navi. Huc pertinet concionis Chriſti magna pars, quæ extat* Matt. 5. 17. *Anticipavit enim Matthæus conciones Chriſti, & in unam ſummam conjecit, quæ diverſis temporibus habitæ fuerunt, ut reliqui Evangeliſtæ oſtendunt. Poſtea aſcendit in montem, & duodecim Apoſtolos informat,* Marc. 3. 15. Luc. 6. 13. *Sequitur concio de beatitudinibus, &c. Cumque poſt intraret Capernaum, ſanat ſervum Centurionis, & ex mortuis reſuſcitat filium viduæ Naimiticæ,* Luc. 7. 12.

Vellejus Paterculus ad hunc Vinitium Conſulem ſcribit ſuum librum qui Breviarium continet hiſtoriarum veterum, eruditum ſanè, ſed ipſe huic Conſuli & Imperatori Tiberio indecorè & ſerviliter blanditur. *Lipſius in animadver. ad Vellejum lib. 2. cap. 108. & lib. 5. epiſt. quæſt. ep. 11.*

Chriſtus *aſcendit ad feſtum quoddam,* Johann. 5. *ubi ſanat Clinicum in Sabbatho, & ſequitur prolixa concio Chriſti,* Johan. 5. *Sanatur inde Dæmoniacus cæcus & mutus,* Matth. 12. *Marc. 3. Poſtcà docet in navicula de quadruplici ſemine, & alias parabolas proponit, de quibus Marcus. Trajicit lacum Gennezareth, & tempeſtatem uno verbo ſedat. Duo item Dæmoniaci ſanantur trans lacum, in regione Gergeſenorum,* Matth. 8. *inde revertitur, docetque parabolam de Zizania, & abit in ſuam urbem,* Matt. 13.

Tiberius ægrè tulerat, quòd Aſinius Gallus, aliâs Pollio Saloninus, Conſularis, amicus Germanici & ejus viduæ & Agrippinæ, liberiores in Senatu protulerat ſententias; ideò cùm forte miſſus eſſet à Senatu ad Tiberium legatus, à Tiberio quidem benignè habetur, ſed eâdem horâ ſcribit Ti-

berius ad Senatum, jubetque Aſinium hunc in vinculis haberi, uſque ad ſuum reditum. Ita hic Aſinius ab epulis Imperatoris, cum quo potaverat, & benè habitus fuerat, ſurgens, in triſtiſſimam incidit calamitatem. *Dio circa princ. lib.* 58.

ANNO MUNDI 3980. Poſt. C. 31.
G. ☉ 12. ☽ 13.

Coſſ. Imp. Tiberius Cæſar V.
L. Ælius Sejanus.

Fuerunt Coſſ. *hi uſque ad diem* 15. *Maji, inde ſuffecti Conſules:*

C. Memmius Regulus.
Fulcinius Trio, *ut habent Dio, Suetonius & Tacitus.*

Circa initium hujus anni Chriſtus convivatur apud Matthæum, Marc. 2. Matt. 9. 18. *Sanat Hæmorrhouſam, & ſuſcitat filiam Iairi,* Matt. 9. *Item duos cæcos ſanat, & Dæmoniacum. Inde venit in patriam ſuam, docetque ibi exiguo cum fructu, peragrat inde omnes urbes & vicos,* Marc. 6. *& emittit diſcipulos cum mandatis,* Matt. 10. *Sequitur legatio Iohannis in carcerem, poſt reſuſcitatos illos mortuos,* Matth. 9. Luc. 7. *Facta autem eſt non procul à finibus Iudææ. Prandet poſtea Chriſtus cum Phariſæo,* Luc. 7. 36. *Inde decollato Iohanne, trans mare Tiberiadis abit in deſertum locum,* Matt. 14. Marc. 4. *& ſecuta eſt turba multa, quam cibavit quinque panibus, & duobus piſcibus,* Matt. 14. Joh. 16. *Poſtea Chriſtus & Petrus ambulant in mari, & ſequitur concio Chriſti in ſynagoga Capernaitica, de pane cœleſti. Inde ad Paſcha venit. diſputat enim cum Hieroſolymitanis quibuſdam, qui eum ſecuti erant ex Paſchate redeuntem, de traditionibus Patrum,* Matth. 5.

Paſcha hoc ad Calendarium Iudaicum celebratum eſt die 27. *Martii, feria tertia.*

Tiberius *iterùm de Nerone, Germanici filio, ſuo nepote, acerbè ad Senatum ſcribit; Ideò Senatus, metuens ſibi, eum damnat.* Dio l. 58.

Chriſtus *recedit in partes Tyri ac Sidonis,* Matth. 15. *Sanat filiam Cananeæ, & regreſſus de finibus iſtis ſanat ſurdum & mutum,* Marc. 5. *cibatque quatuor millia cum ſeptem panibus,* Matthæi 15. *Inde petunt Phariſæi ſignum è cœlo in finibus Dalmanuthæ; poſt jubet diſcipulos cavere à fermento Phariſæorum,* Matth. 16. *& Bethſaidæ cæcum ſanat, Marci.* 18.

Tiberius Sejanum ad tantos honores evexerat, ut ipſi par haberetur, & Senatus civesque Romani tam Sejano quàm Tiberio ſacrificabant, & ſtatuas ipſis erigebant. Ideò metuens ſibi, ne ab ipſo everteretur, de eo opprimendo conſilia agitat, ne verò id perſentiſceret, ad majores eum honores evexit, & hoc anno eum ſecum Conſulem fecit. Inde eum ſenſim deprimit, ferendis legibus, ne cuiquam homini ſacrificaretur, vel ſtatua poneretur; ita enim amicos ejus quoſdam damnat, quoſdam ad honores provehit, ita ut Sejanus inciperet dubitare de benevolentia Tiberii. Tandem Tiberius literas ad Senatum ſcribit, ut Sejanus in vinculis haberetur. Cùm Sejano perſuaſiſſent, ut in Senatum veniret, & Tribunitiam poteſtatem, Tiberio ita volente, acciperet, occiditur ita, die 18. Octobris, & ſcelerum ſuorum ſubitas pœnas dedit, in Gemonias projectus eſt, & cadaver ejus triduo ludibrio habitum. Liberi etiam ipſius necati, Filius & virguncula, quæ inſuper à carnifice ſtuprata eſt, cùm jam laqueum in collo haberet, & ſtatim ſuffocata. Perierunt cum eo multi ejus amici, jubente Tiberio. *Dio l.* 58. *Tac. l.* 5. *ann. c.* 9.

Pſeudo Druſus quidam apud Cycladas inſulas ſeſe oſtendit, in Ægyptum navigaturus: ſed induſtriâ Poppæi Sabini captus eſt. *Tac. cap.* 10.

ANNO MUNDI 3981. Poſt C. 32.
FE. ☉. 13. ☽ 14.

Coſſ. Cn. Domitius Ahenobarbus.
A. Vitellius.

Hic Domitius Neronis Imperatoris pater fuit: Vitellius autem ſtatim in magiſtratu mortuus eſt, igitur, *teſte Suetonio,* ipſi ſuffectus:

M. Furius Camillus Scribonianus, *qui poſtea ſub Claudio, cùm bellum civile moviſſet, in Dalmatia interfectus eſt.* Tacit. lib. 12. annal. cap. 52.

Chriſtus, *digreſſus in partes Cæſareæ Philippi, elicit confeſſionem Petri,* Matthæi 16. *Inde glorificatur in monte Tabor; poſt liberat Dæmoniacum, quem diſcipuli non poterant ſanare. Poſtea iterùm inſtituit iter Hieroſolymam,* Luc. 9, 51. *in quo itinere Apoſtoli exemplo Eliæ Samaritanos igne cœleſti extinguere conantur: tumque emittit iterùm diſcipulos, hocque iter circa Paſcha accidiſſe oſtendit Chriſtus, quando inquit,* Meſſis multa, Operarii pauci *nec tamen hoc fuit ultimum Paſcha: redit enim Chriſtus inde in Galilæam. Paſcha hoc accidit, ſecundum Calendarium Iudaicum, die* 13. *Aprilis, feria tertia.*

Otho *Salvius, qui poſt imperavit, naſcitur die* 28. *Aprilis.* Sueton.

Ratisbonam hiſce Conſulibus, quæ olim Imbripolis dicta fuerat, juſſu Tiberii ædificatam fuiſſe, ſcribit *Cuſpinianus:* id ſe in vetuſtiſſimis annalibus legibus affirmat.

Floruerunt hoc tempore in Hiſpania nati, Romæ verò degentes, *Pomponius Mela,* L. Moderatus *Columella,* cujus de re ruſtica extant commentaria; item *Porcius Latro.*

Tibe-

Tiberius *ſumit ſibi Tribunitiam poteſtatem 34. die 27. Junii, inchoatque annum Imper. 19. die 19. Auguſti.*

Annus Nabonaſ. 780. & annus Philippi ac mortis Alexandri 356. incipit die 15. Auguſti, feria 6.

Annus Seleucidarum Alexandr. 340. & Antiochenus 83. à Calendis Octob.

Chriſtus *in Galilæam reverſus ſolvit didrachma, & dirimit litem Apoſtolorum de primatu,* Matth. 18. Luc. 9. *Sequitur doctrina de offenſarum correptione & remiſſione.* Matthæi 18. *Inde Chriſtus iterum venit in fines Iudææ, revertuntur ad eum diſcipuli: Ipſe glorificat Patrem cœleſtem divertit paulò pòſt apud Martham ſororem Mariæ: ſequitur diſputatio Chriſti de divortio,* Matth. 19. *& Chriſtus iterùm docet ſuos diſcipulos orare,* Luc. 11. *Adveniunt tum quidam ex Galilæa, qui nunciaverunt, Pilatum miſcuiſſe ſanguinem ipſorum in ſacrificiis. Subiungit Chriſtus, ſe jam triennium Iudæis regnum Dei annunciaſſe ex parabola de ficu,* Luc. 13. *Sanat mulierem multos annos infirmam in Sabbatho: ſequuntur parabolæ de grano ſinapis, & aliæ: Sanat hydropicum apud Phariſæum: docet de cœna magna: recipit publicanos, idque defendit contra Phariſæos, parabolis de centum ovibus, drachma, filio prodigo, &c. Sequitur concio de injuſto diſpenſatore, de divite epulone,* apud Lucam. *Inde aſcendit ad Scenopegiã,* Joh. 7. *Sanat decem leproſos, & in medio feſti venit Hierſolymam. Ultimo feſti die jubet homines in ſe credere, Phariſæi contrà conantur ipſum comprehendere. Finito feſto, adulteria adducitur ad Chriſtum in templum: ſanat cæcum à nativitate ſua, die Sabbathi: inde de paſtore & mercenariis Phariſæos docet, parvuliſque benedicit: Dives, cùm nollet ſubſtantiam diſtribuere egenis, triſtis diſcedit: & denarius operariis in vinea ex æquo diſtribuitur, Poſtea ſiunt Encænia,* Joh. 10. *ea inciderunt in feriam quintam, in diem 18. Decembr.*

Tiberius crudeliter judicia exerceri jubet in amicos Sejani, plurimique damnati: donec M. Terentius accuſatus fatetur, ſe amicum fuiſſe Sejano, idque judicio Tiberii, qui Sejanum generum, collegam, & ferè ſocium Imperii feciſſet; Conſiliorum verò ejus, & inſidiarum participem non fuiſſe. Eadem excuſatione pòſt etiam alii uſi ſunt, & abſoluti. *Tac. l. 6. cap. 4.8.*

Multos præterea Majeſtatis Tiberius reos facit, præſertim, qui accuſatos aut damnatos fleviſſent; inter quos plurimæ fuerunt fœminæ. *Tacit. cap. 20.*

ANNO MUNDI 3982. Poſt C 33.
D. ☉ 14. ☽ 15.

Annus urbis 785. *Julianus 78.*
Æra Hiſpan. 71. *Auguſtorum 60.*

Coſſ. Ser. Sulpitius Galba.
L. Cornelius Sulla.

Galba hic poſtea factus eſt Imperator, ſucceſſitque Neroni in Imperio, quemadmodum hic Patri Neronis, Domitio, ſuccedit in conſulatu.

Idem *Galba* ſucceſſorem habet in imperio Salvium Otthonem, quemadmodum hic, cùm ſex menſes conſulatum obtinuiſſet, ſucceſſorem habet in conſulatu Salvium Otthonem omine quodam.

Cùm inſidiæ Phariſæorum eſſent manifeſtæ, abiit Chriſtus trans Jordanem, & inde venit Bethaniam, reſuſcitatque Lazarum. Phariſæi verò paulò pòſt decretum faciunt de interficiendo Chriſto: Ideò iterùm ad Jordanem ferè in deſertum, propè oppidum Ephrem diſcedit, manetque ibi, donec Paſcha adveniret, ad quod Paſcha aſcendit, non ex Galilæa vel Samaria, quæ ſitæ erant, reſpectu Hieroſolymæ, verſus Septentrionem, declinantes ad occaſum; ſed à Jordane per Hierichunteṁ, quæ Hieroſolymis ad Orientem erat, ubi ſanat cœcos, & Zachæus aſcendit Sycomorum, ut Jeſum videret. Inde Bethaniam venit in domum leproſi, ſex diebus ante Paſcha, feria prima, die 29. Martii: inde aſello inſidens, in urbem ingreditur, &c.

Die 30. Martii, feria ſecunda, Chriſtus rediens in urbem maledicit ficui.

Die 31. Martii, feria tertia, Chriſtus defendit factum, quòd ejecerit vendentes & ementes, & Phariſæis ſilentium imponit, docetque per parabolas.

Die 1. Aprilis tentatur Chriſtus quæſtione de cenſu dando. Inde prædictio Chriſti de fine templi & mundi, &c.

Die 2. Aprilis conſultant Iudæi de occidendo Chriſto, & Iudas offert ſuam operam Phariſæis in prodendo Chriſto; & Chriſtus comedit cum diſcipulis agnum paſchalem, poſt horam ſextam à meridie, feria ſexta jam ineunte: Hora ſeptima inſtituitur cœna Dominica: hora octava altercantur Apoſtoli de primatu: item concionem habet, quæ deſcribitur Johan. 14. 15. *Hora nona Chriſtus iter in hortum ad montem oliveti inſtituit, ibique hora decima orat in horto ſudatque ſanguinem. Hora undecima Iudas cum militibus advenit, proditque Chriſtum & tradit*

eum in manus militum. Hora 12. Chriſtus ad Hannam deducitur, paulo poſt ad Caipham, &c. ubi Chriſtus examinatur, illuditurque per ſequentes horas noctis.

Die 3. Aprilis, feria ſexta, conveniunt Pontifices Chriſtumque hora ſexta matutina damnant; indeque circa horam ſeptimam à media nocte, ad Pilatum deducunt, ubi variè examinatur, excuſatur, innocens demonſtratur, & tamen ad flagellationem condemnatur. Hora nona Chriſtus ad Herodem Antipam dimittitur, & Iudas ad ſuſpendium adigitur. Hora 10. Chriſtus flagellatur, ſerto ſpineo coronatur, & ad mortem condemnatur. Hora undecima ad locum ſupplicii ducitur, fert ſuam crucem, & inter duos latrones medius in crucem agitur circa meridiem, unde preces fundit pro hoſtibus; fit eclipſis Solis præternaturalis; poſt horam tertiam moritur, velum templi ſcinditur, & terra movet; circa quintam horam poſt meridiem ſepelitur.

In Eclipſi illa Solis, ſtellas diurnis horis toto cœlo fulſiſſe, refertur: idque anno Tiberii decimo nono, & Phlegon *ſupputator Olympiadum*, in ſermone decimo tertio, *aſſerit, quarto anno Olympiadis* 202. *factam eſſe defectionem Solis maximam, & noctem hora diei ſexta ingruiſſe. Terræmotus etiam magnus in Bythinia factus eſt, qui magnam Niceæ urbis partem ſubvertit. De hac Eclipſi etiam ſcribit* Dionyſius Areopagita in Epiſtola ad Polycarpum, & ad Apollophanem. *Meminit etiam ejus* Lucianus Martyr, *item* Tertullianus in apologetico, *&c. Vide* Onuphrium. *Quod verò Onuphrius hac ponit in annum æra Chriſtiana 34. ideò accidit, quòd annos Æræ Chriſtianæ malè ad annos Olympiadum, & Julianos, & ad alias epochas applicârit, de qua re alibi.*

Eclipſis etiam Lunaris accidit eodem die, cùm Luna veſperi oriretur. Latitudo vera auſtralis 36.21. ſemidiameter Lunæ 16.16. Summa ſemidiametrorum 59.20. ſcrupula reſidua 23.0. digiti Eclipticii 8.29. facta eſt Hieroſolymis horis 5. 49. poſt meridiem, cùm paulo poſt Luna oriretur.

Die 4. Aprilis Sabbathum *magnum, & primus dies azymorum.*

Die 5. Aprilis, feria prima, Chriſtus redivivus ex mortuis, reſurgit, & quinquies ſuis diſcipulis, alia atque alia hora apparuit.

Die 14. Maji fer. 5. Chriſtus *ad cælos aſcendit, lætiſſimoque triumpho ſubvectus, Eccleſiæ ſuæ ubique perſonaliter præſens eſt.*

Die 24. Maji Spiritus Sanctus *in feſto Pentecoſtes Apoſtolos inſtruit, & agitat ad prædicandum Evangelium: Petrus Apoſtolus ſtatim tria millia animarum convertit, ſecutaque ſunt reliqua, quæ* in actis Apoſtolorum à capite ſecundo uſque ad nonum *ſcribuntur.*

Olympias 203. acta. Eſt annus Olympiadicus 809.

Victor Stadii *Apollonius* Epidaurius.

Annus Actiacæ victoriæ 63. incipit die 29. Auguſt.

Annus ſabbathicus ſecundus 31. Iobelei Iudaici, incipit die 14. Septemb. fer. 2. Eſt hebdomas Danielis 66. iniens. Anno Iud. 3794.

Tiberius filias Germanici elocat: Druſillam Caſſio; Juliam verò Vinicio. *Tacit. 6. annal. capite 15.*

Fœneratores in jus trahuntur, reprimuntur uſuræ, & liberalitate Tiberii multorum fides ſuſtentatur. *Tac. cap.16.*

Tiberius ingenti crudelitate omnes, qui carceribus detinebantur, accuſatos ſocietatis cum Sejano, necari jubet. Fuerunt ad mille homines, nec propinquis, aut amicis adſiſtere, illacrimari, ne viſere quidem diutius dabatur; unco cadavera in Tiberim trahebantur, ne cremarentur. *Tacitus cap. 19.*

C. Caligula Claudiam filiam Silani uxorem ducit, ſubdolâ modeſtiâ immanem animum tegens, non damnatione matris, vel exilio fratrum rupta voce; ſed ad vultum Tiberii ſe componens: unde de eo dictum; *Neque meliorem ſervum, neque deteriorem Dominum unquam fuiſſe.* Tac. cap. 20.

Druſus filius Germanici inediâ conficitur, cùm ſe miſerandis alimentis, mandendo è cubili tomento, nonum ad diem ſuſtentâſſet: quem mortuum Tiberius crudeliter accuſavit. *Tacit. cap. 23.*

Agrippina Germanici conjux inedia extinguitur, die 18. Octobris, quem diem inter nefaſtos Tiberius haberi jubet, accuſatque eam adulterii, cùm pudiciſſima eſſet. *Tac. cap. 25.*

Coccejus Nerva ſpontè vitâ abit, metuens futura, cùm Tiberius ita graſſaretur, *Tacitus cap. 26.*

Aſinius Gallus moritur, inediâ confectus, ſpontè vel neceſſitate incertum, cùm triennio in vinculis fuiſſet. *Tac. cap. 23.*

Plancina trucidatur, quæ Germanicum occiderat: dudum erat deſtinata neci à Tiberio, ſed ne Agrippina lætaretur ejus morte, dilatum id erat. *Dio lib.* 58.

ANNO MUNDI 3983. Poſt C 34.
C. ☉ 15. ☽ 16.

Coſſ. Paulus Fabius Perſicus.
L. Vitellius Nepos.

Paulus *Apoſtolus, dùm proficiſcitur Damaſcum, terretur fulgure, & deductus Damaſcum, docetur de Chriſto, & ipſe incipit docere in Synagogis. Sed cùm ipſi inſidiæ ſtruerentur, dimittitur in ſporta per munimenta urbis,* Act. 9.

Philippus Herodis Antipæ frater moritur, anno Tiberii viceſimo, cùm ipſe poſt patrem Herodem annis 35. Trachonitidi præfuiſſet. (Joſephus dicit, eum mortuum anno 57. ſuæ Tetrarchiæ; quod verum eſſet, ſi Herodes Aſcalonita anno Juliano 43. mortuus eſſet. Sed Joſephus erravit.) Quia autem ſine liberis diſceſſerat, ditionem ejus Tiberius provinciæ Syriæ attribuit, ita tamen, ut tributa in ea Tetrarchia collecta ſervarentur intra ipſius regionis terminos. *Joſephus libro 18. capite 6.*

Herodes

Herodes Agrippa ſtatim poſt mortem patrui Romam proficiſcitur, accuſaturus Pilatum de tyrannide; ſed à Tiberio nulla accuſatio recipitur. *Joſephus libro 2. de bello cap.* 8. interim inſinuat ſe in amicitiam omnium, plurimumque prodigit pecuniæ in Italia, & multa nomina facit. Cùm verò ſolvendo non eſſet, re malè geſtâ in Judæam redit, vivitque ex munificentia cognatorum. *Joſeph. lib.* 18. *cap.* 8.

Herimerus Francorum rex perimitur, cùm annos 12. regnâſſet: Succedit ipſi Marcomirus frater, qui regnat annos 18. *Trithem.*

Multi inſignes viri hoc anno occiſi. Pomponius Labeo per abruptas venas ſanguinem cum animâ effudit, quem ſecuta eſt conjux. Sic Mamercus Scaurus cum uxore & alii. Eligebatur autem hoc genus mortis, quod ita mors feſtinaretur; & deinde quod metueretur carnifex, à quo occiſi non ſepeliebantur, & inſuper bonis omnibus exuebantur. Qui verò ſponte moriebantur, ſepulturæ tradebantur, & hæredes fruebantur bonis. *Tac.* 6. ann. cap. 29.

Tiberius *die* 19. *Auguſti Decennalia celebrat.* Dio lib. 58.

Getulicus *præſes Germaniæ accuſatus de amicitia cum Sejano, mirâ fiduciâ evadit.* Tacit. 6. annal. cap. 30.

ANNNO MUNDI 3984. Poſt C. 35. B. ⊙ 16. ☽ 17.

Coſſ. C. Ceſtius Gallus.
M. Servilius Rufus Nonianus.

Herodes Antipas bello petitur ab Areta Arabum rege, cujus filiam matrimonio exegerat, & Herodiadem duxerat: occurrit igitur Aretæ maximo exercitu, qui tamen occidione ferè occiditur, cùm exules, qui ex Tetrarchia Philippi effugerant, & ſub Herode militabant, exercitum Arabibus proderent. Herodes tantâ clade affectus, rem omnem perſcribit ad Tiberium. *Joſeph. lib.* 18. *cap.* 7.

Vitellius ſuperioris anni conſul mittitur à Tiberio in Syriam, ut Aretæ audaciam reprimat, ei bellum inferat, & aut vivum, aut caput ejus mortui ad Tiberium mittat. *Joſeph.* 18. *antiquit. cap.* 7. *Sueton.*

L. Vitellius cùm Hieroſolymam veniſſet, ſtolam pontificiam tradidit cuſtodiendam Sacerdotibus. *Herodes* enim Magnus, cùm turrim Antoniam ædificâſſet, ſtolæ cuſtodiam ſibi arrogârat. Idem fecit etiam Archelaus. Inde ejus cuſtodiam procuratores Judææ habuerant. Vitellius cùm poteſtatem hanc Sacerdotibus conceſſiſſet, removit Joſephum CAIPHAM pontificatu, & ſubſtituit Jonathan Anani filium. *Joſephus libro* 18. *capite* 7.

Corvus, *qui ſalutabat Tiberium, Druſum, & Germanicum Cæſares, à quodam ſutore interſicitur; jubetur igitur funebri pompâ efferri à Tiberio usque ad rogum, quod factum eſt die* 28. *Martii.* Plin. lib. 10. cap. 43.

Paulus *Apoſtolus in Arabia Evangelium docet.* ad Gal. 1.

Fulcinius Trio Conſularis accuſatores non ferens, multa libertate in Tiberium & ejus libertos moriens invehitur: ſecutæ ſunt multorum illuſtrium mortes, & Tiberius eo tempore in vicinia urbis ſemper fuit, ut quaſi per domos undantem ſanguinem aſpiceret. *Tacit.* 6. *annal. cap.* 38.

Parthorum *legati ad urbem veniunt, ad novum regem petendum, quibus Tiberius miſit* Tiridatem, *qui per Pharaſmandum fratrem Medorum regem, Orodem filium Artabani magno prælio vincit.* Tacitus cap. 37.

ANNO MUNDI 3985. Poſt C. 36. AG. ⊙ 17. ☽ 18.

Coſſ. Q. Plautius Lælianus.
Sext. Papinius Gallienus.

Vitellius trans Euphratem in Meſopotamiam irruens, adeò terret Artabanum, ut regno profugeret ad ſuperiores provincias: ideò *Tiridatem*, regem Parthis facit, & in Syriam remeat. Tiridati verò omnia proſperè initio ſuccedunt, cùm eſſet mitis ingenio, & coronatur Cteſiphonte. At verò cùm interiora regni non peteret, mutati ſunt Parthorum animi, & Artabanum ex ſuperioribus provinciis iterum accerſunt, qui propere agit, cùm Teridates admodum lentè rebus provideret: ideò Tiridates ex regno fugere cogitur, & ad Vitellium redire. *Tacitus* 6. *annal. capite* 42.

Plurimi illuſtrium virorum Romæ damnantur, & inter cæteros Vibulenus Agrippa, & Tigranes olim rex Armeniæ, C. Galba, frater Sergii, & Æmilia Lepida, Druſo quondam nupta. *Tacit.* 6. *& annal. cap.* 40.

Tiberius incboat Tribunit. poteſtatem 38. *die* 27. *Iunii, & imperii annum* 23. *die* 19. *Auguſti.*

Annus Nabonaſ. 748. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 360. *incipit die* 14. *Auguſti, feria* 3.

Agrippa in Judæa pertæſus paupertatis, pecuniam, quibuscunque modis poteſt, corradit, & iterum Romam navigat, ſolvit æs alienum Romæ, & in intimam amicitiam Caligulæ ſe inſinuat: ubi cùm familiariter cum ipſo loqueretur, precaretur que ipſi imperium. Tiberio verò præcipitem mortem proditur, & à Tiberio, circa finem Septembris in vincula conjicitur; ubi ipſi à quodam homine Germano, qui in vinculis ibi detinebatur, per augurium liberatio poſt paucos dies prædicitur. *Joſeph.* 18. *antiq. c.* 8.

Feneſtella hiſtoriarum & Annalium ſcriptor, moritur extremo principatu Tiberii. *Plin. lib.* 35. *cap.* 11.

Cappadoces rebellant Archelao, cui ſubſidia mittit Vitellius, & rebelles ad deditionem cogit. *Tac.* 6. *ann.* 41.

Roma arſit, quod damnum Tiberius in gloriam vertit millies ſeſtertium impenſa. Tacitus cap. 45.

Annus Seleucidarum Alexandr. 348. *& Antiochenus* 85. *incipiunt à Calendis Octob.*

Tiberius metuens ſibi ab Artabano Partho, jubet, ut Vitellius fœdus cum eo faciat; quod factum eſt in medio Euphratis, & Artabanus filium ſuum Tiberio obſidem mittit; primus omnium Herodes

rodes Antipas Tiberio ſcripſit. & Vitellium hac re valdè offendit. *Joſeph.* 18. *antiq. c.* 6.

Nero qui pòſt imperavit, naſcitur die 15. Decembris, tribus menſibus ante exceſſum Tiberii. *Sueton.*

ANNO MUNDI 3986. Poſt C. 27.
F. ☉ 18. ☽ 19.

Annus urbis 789.	*Julianus* 82.
Æra Hiſpanica 75.	*Auguſtorum* 64.

Coſſ. Cn. Acerronius Proculus.
C. Pontius Nigrinus.

Pilatus cùm in tumultu quodam ad montem Garizim multos Samaritanos occidiſſet, accuſatur apud Vitellium, qui eum juſſit provincia decedere, & apud Tiberium cauſam dicere, ſed cùm eſt in itinere, Tiberius vitâ exceſſit. *Joſephus lib.* 18. *cap.* 5.

Macro præfectus prætorio, Caligulam captat, quod intelligens Tiberius de ſucceſſore conſtituendo ambigit: Multi tamen interea damnantur. Aruntius ſponte vitâ abit, vaticinatus de futura Caligulæ ſævitia, quam etiam prædixerat. Tiberius, qui ſentiebat, eum Sullæ in vitiis ſimillimum futurum, ſed nullam ejus virtutem habiturum. *Tacit.* 16. *annal.* 45. 46. 48.

Tiberius diſſimulat ægritudinem, loca mutat, ſed deficientibus viribus animam exuit, die 16. Martii. Et cùm videretur vocem & viſum recipere, injectâ coprosâ veſte opprimitur, cùm vixiſſet annos 77. dies 120. imperâſſet verò annos 22. menſes 6. dies 28. Succedit ipſi *Caligula*, Germanici filius, annorum 25. qui tantæ fuit prodigalitatis, ut cùm vicies ter millies ſeſtertium, hoc eſt ultra centum milliones in theſauris acciperet, nulla ejus pars ſuperfuerit in tertio ejus imperii anno, ita ut ſecundo anno ſtatim agere inciperet. *Dio in fine lib.* 58. *Tacit.* 5. *ann. cap.* 50. Imperavit autem Caligula annos tres, menſes 10. dies 9.

Vitellius cùm Hieroſolymis eſſet, in paſchate ſummum Pontificem Jonathan pontificatu removet, & Theophilum fratrem ſubſtituit: ubi quarto die pòſt accipit literas de obitu Tiberii, & ſimul Judæos jubet jurare in verba Caligulæ, omittitque bellum, quod Aretæ Arabum regi movere paraverat. Paſcha autem celebratum eſt die 20. Aprilis, fer. 7. *Ioſeph.* 18. *antiq. cap.* 7.

Agrippa ſtatim poſt mortem Tiberii carcere à Caligula liberatur, & catenâ aureâ ejuſdem ponderis, quo ferrea fuerat, donatur, & rex Tetrarchiæ ſuæ conſtituitur: manet tamen hoc anno Romæ, ad demerendum Caligulam. *Joſeph. lib.* 18. *cap.* 8. *in fine.*

Claudius, qui pòſt imperavit, patruus Caligulæ, in nullo honore hactenus fuerat, nec etiam in Senatum aſcitus; at nunc menſe Iunio, à Caligula creatur Senator, & deſignatur conſul in proximè ſequentes Calendas Iulii, in ſex menſes, quem conſulatum Cajus geſſit per binos menſes & duodecim dies, & Idibus Septembis alius ſufficitur. *Dio l.* 59.

Joſephus Hiſtoricus naſcitur hoc primo anno Caligulæ, ut ipſe teſtatur *in principio libri de vita ſua.*

Olympias 204. *acta. Eſt annus Olympiadicus* 813.

Victor Stadii *Serapion* Alexandrinus.

Annus Actiacæ victoriæ 67. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Paulus *ex Arabia Damaſcum revertitur, inde effugiens ſtructas ab Areta rege inſidias, Hieroſolymam venit; vidit Petrum & Iacobum, & iterum inſidias expertus, deductus eſt à diſcipulis Cæſaream; inde profectus eſt Tharſum,* Gal. 1. Act. 9.

Caligula Hiſtriones & Pantomimos reſtituit, immenſam pecuniam iis impendit, & multa ex ipſorum conſilio, abſque ullo Senatûs conſenſu, quod tamen ſanctè promiſerat, facit. Ludos ferè quotidiè ſpectavit, & ne Senatores in Theatro nudis aſſeribus inſiderent, pulvinaria ſubdidit, uſumque pileorum Theſſalicorum conceſſit, ne Solis ardore comburerentur. *Dio in princ. lib.* 59.

Morbo gravi Caligula hoc anno conflictatur, quo tamen liberatur: inde Tiberii nepotem, quem adoptaverat, quod ægrotanti inſidiatus dicebatur, interficit, & Silanum, principem Senatûs, ſocerum ſuum, cogit mori, fuit aliàs adulteriis inquinatiſſimus, omnes ſuas ſorores vitiavit. Dio ibid.

ANNO MUNDI 3987. Poſt C. 38.
E. ☉ 19. ☽ 1.

Coſſ. Imp. Caligula II.
L. Aproſianus Cæſianus.

Hunc conſulatum Caligula geſſit tantùm menſe Januario. Calendis Februarii ipſi ſurrogatus eſt Cn. Domitius Corbulo: iterum, ut refert Dio. *Calendis Iulii Apronio ſuffectus eſt Sanquinius* Maximus II.

Petrus *Apoſtolus viſitans Eccleſias per totam Iudæam, Galilæam, & Samariam, venit etiam ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ, & ſanavit in nomine* Jeſu *Æneam Paralyticum, octo annis decumbentem: Inde Ioppen vocatus, Tabitham reſuſcitavit à mortuis, & poſtea dies multos manſit ibi apud coriarium quendam Simonem. Tandem in exceſſu mentis conſtitutus, per viſionem diſcit, etiam gentibus prædicandum Evangelium: ideò ſequitur legatos Cornelii Centurionis, eique & aliis ſimul præſentibus annunciat Evangelium, eoſque jubet baptiſari, cùm videret eos Spiritu Sancto plenos variis linguis magnalia Dei prædicantes.* Act. 10.

Caligula jubet Senatum in ſuum & ſororum ſuarum ſalutem jurare, actaque quædam Tiberii reſcindit. Rationes etiam pecuniarum publicarum, exemplo Auguſti, conſcribit & publicat, & ordinem equeſtrem, electis ex tota Italia, qui opibus reliquis præſtabant, auget. Liberum interim ſe voluit eſſe ab omnibus legibus, ideo quemcunque

que pro libitu ſuo occidit. Viginti ſex equites unâ vice trucidavit, & aliquando cùm deeſſent, qui ad beluas damnati erant, juſſit ex promiſcua plebe comprehendere quoſdam, & beluis projici, quibus omnibus prius linguam præcidit, ne de crudelitate ejus conquererentur: & hujuſmodi ſpectaculis ſatiari non potuit. *Dio d. lib.*

Caligula etiam, cùm publicis uſibus & privatis voluptatibus ſeptem aquæ ductus non ſufficere viderentur, altero ſui imperii anno, & his Coſſ. duos aquæ ductus adhuc inchoavit, quod opus poſtea Claudius conſummavit poſt annos decem. *Frontinus.* Ut autem his ſumptibus ſufficeret, cùm jam prodigalitate theſauri abſumpti eſſent, multos divitiis claros occidit, & bona eorum in fiſcum redegit. *Dio ibid.*

Agrippa tandem in regnum ſuum ordinandi ejus gratiâ pervenit, dimiſſus à Caligula, hac conditione, ut ſtatim reverteretur; oſtenditque, quanta vis fortunæ in rebus humanis, quæ ex pauperrimo & miſerrimo regem feciſſet. *Ioſephus libr. 18. cap. 8. in fine.*

Paulus & Barnabas, *expleto miniſterio Eleemoſynæ, quam Chriſtiani fratribus Hieroſolymam mittebant, revertuntur Antiochiam, aſſumuntque ſibi Iohannem, conſobrinum Barnabæ, cui cognomen erat Marcus, quem Evangeliſtam Marcum eſſe opinantur.* Coloſſ. 4. Actor. 12.

Veſpaſianus hoc anno Ædilis fuit; cùm verò in angiportu quodam plurimum eſſet luti, juſſu Caligulæ conſperſus eſt multo luto, quòd ipſi ſui muneris cauſa purgandæ urbis cura incumberet. *Dio ibidem.*

ANNO MUNDI 3988. Poſt C. 39.
D. ☉ 20. ☽ 2.

Coſſ. M. Aquilius Julianus,
P. Nonius Aſprenas Torquatus.

Quibus Calendis Julii ſuffecti ſunt Cn. Domitius Afer, & Q. Curtius Rufus.

Paulus *Apoſtolus & Barnabas, emiſſi à Spiritu Sancto, Antiochia abeunt Seleuciam, inde in Cyprum, Salaminem & Paphum, ubi Barjehu vel Elimas Magus excæcatur, & Sergius Paulus Proconſul convertitur, Actor. 13.*

Caligula ſpectaculis deditus, ea etiam de nocte indicebat; cùm verò populus negligentius ad ſpectacula conveniret, optavit, ut totus populus unam tantum cervicem haberet. *Dio l. 59.*

Domitius *Afer accuſatus à Caligula, mortem effugit, cùm fingeret, ſe ſtupefactum eloquentia ejus. Rurſus L. Annæus Seneca, cùm in Senatu, præſente Caligula, cauſam egregiè & luculenta oratione ageret, in præſentiſſimum mortis diſcrimen incurrit, quod viſus eſſet ſuperare velle Imperatorem eloquentia. Servatus eſt ſuaſu mulieris, quæ dicebat, Senecam tabe laborare, & aliàs cito moriturum.* Dio ibid.

Caligula in Gallias, tanquam in Germaniam profecturus, abit; ubi Gallos opibus florentes, & Hiſpanos expilat, cædibus multam ſibi pecuniam paravit, & præterea inſtrumenta principatus vendidit, eaque coegit magni emere, ſi quis divitiis abundare videretur. *Dio ibid.*

ANNO MUNDI 3989. Poſt C. 40.
CB. ☉ 21. ☽ 3.

Coſſ. Imp. C. Caligula III.

Conſulatum iniit ſolus Lugduni, cùm Collega, qui Romæ inire debebat, fato functus eſſet. Cùm verò & ipſe Idibus Januarii magiſtratu abiiſſet, ſuffecti ſunt:

Coſſ. L. Gellius Poplicola.
M. Coccejus Nerva.

Iterum Calendis Julii ſufficiuntur Coſſ. Sext. Junius Celer, & Sext. Nonius Quintilianus.

Herodias, *uxor Antipæ, invidens tantam fortunam fratri Agrippæ, exhortationibus tandem impetrat à marito, ut ipſe ſecum Romam proficiſceretur, & regiam dignitatem à Caligula Imperatore peteret. Sed Agrippa hæc ſentiens, ſcribit ad Imperatorem, quantum armorum Antipas ſibi comparaſſet, & quanta amicitia Artabano Parthorum regi junctus eſſet, efficitque, ut Antipas in Galliam relegaretur, cui conjux Herodias voluntaria comes acceſſit & Agrippa Tetrarchiam Antipæ ſibi acquirit.* Joſephus lib. 18. cap. 9.

Flaccus Avilius, præfectus Ægypti, indulgens populo Alexandrino, Judæos plurimis afficit injuriis, Synagogas eorundem replet imaginibus & ſtatuis, perſcribitque ad Imperatorem, Judæos imaginem colere nolle. Philo Judæus tum Judæorum in Ægypto legatus fuit ad Caligulam, ſed repulſus eſt cum ignominia, nec ipſi loqui licuit. Eo ipſo argumento conſulatus eſt ſuos collegas, quòd ceſſante jam humano auxilio, Dei auxilium præſens ſit. *Joſephus libro 18. cap. 10. Euſeb. II. hiſt. Eccl. c. 5.*

Caligula *cùm intellexiſſet Iudæos abominari imagines, mittit Petronium, ſucceſſorem Vitellio, in Syriam, qui ſtatuam Caligulæ in ipſum templum poneret, & ſi voluntate eam admittere nollent, ut vi eos cogeret. Is collecto exercitu, cùm hybernaſſet Ptolemaide, veniunt ad eum Iudæorum multa millia, deprecantes profanationem templi totis diebus quadraginta, nec ulla vi abigi potuerunt, cùm relinquerentur interim agri inculti. Ideò Petronius conſtantia populi motus differt negotium, legatoſque de ea re ad Caligulam mittit.* Joſephus lib. 18. cap. 11.

Caligula

Caligula ex Gallia proficiſcitur ad Oceanum usque, tanquam in Britanniam tranſiturus, ſed in littore maris conſtitit, & dato ſigno pugnæ milites juſſit conchylia legere, eaque poſtea Romam pertulit, ſeque propterea magnoperè laudari voluit. *Diod. lib.* 59.

Annus Nabonaſſar. 788. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 364. *incipit die* 13. *Auguſti, fer.* 7.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei Judaici 31. *incipit die* 27. *Septembr. fer.* 2. *Eſt hebdomas Danielis* 67. *incipiens Anno Jud.* 3801.

Annus Seleucidarum Alexandr. 352. *& Antiochenus* 89. *à Calend. Octobr.*

Paulus *&* Barnabas *ex Papho veniunt Pergen Pamphiliæ:* Johannes *autem ſeu* Marcus *ab eis diſcedit, revertiturque Hieroſolymam; Ipſi verò peragratis regionibus, Perga venerunt Antiochiam Piſidiæ, ubi à Iudæis motâ ſeditione finibus illis pulſi ſunt.* Act. 13.

Agricola, *qui magnas poſtea res geſſit in Britannia, naſcitur his Coſſ. idibus Junii.* Tac. in vita ejus cap. 44.

Caligula redit in urbem die ſuo natali, pridie Calend. Septembr. atrociter minatus Senatui: libellos enim binos confecit eorum, qui trucidandi eſſent; item omnis generis venena conquiſivit, quæ poſtea Claudius mari merſit, & mare ita infecit, ut piſces enecti in litore ejicerentur. *Sueton.*

Græcinus *Senator, Agricolæ pater, à Caligula ob hoc unum interfectus eſt, quòd melior vir eſſet, quàm expediret ſuis rationibus,* ſive ut Tacitus habet, *quòd M. Silanum accuſare juſſus noluiſſet.* Tacit. in Agric. vita cap. 4.

Caligula reſcribit Petronio, qui ſtatuam ipſius in templo Hieroſolymitano ponere diſtuliſſet, eum indignum eſſe, qui res Romanas curet: ſe facturum ut exemplum eſſet omnibus, qui mandata imperatoria negligerent. Hæ literæ per tres menſes detentæ fuerunt caſu, priusquam in Syriam pervenirent; ita ut prius Petronius certior fieret de cæde Caligulæ, quàm de ſuo interitu, quem poſtea benignitate Claudii effugit. *Joſeph. lib.* 18. *cap.* 11.

Titus *Veſpaſianus naſcitur, die* 30. *Decembr.* ut habet Suetonius, *cujus ambiguitas in deſcribenda die natali Titi, ſolvitur ex anno mortis Titi.*

ANNO MUNDI 3990. Poſt C. 41.
A. ☉ 22. ☽ 4.

Annus urbis 793.	*Iulianus* 86.
Æra Hiſpan. 79.	*Auguſtorum* 68.

Coſſ. Imp. Caligula IV.
Cn. Sentius Saturninus.

Caligula die 7. *Januarii abdicavit: in ejus locum ſuffectus eſt.*

P. Pomponius Secundus II.

Caligula non ſolùm pro Deo adorari voluit, dixitque ſe Jovem eſſe, congredi ſe cum Luna, ſive Diana: fieri interdum Junonem, & templum ſibi ædificavit, equumque ſuum fecit ſibi Sacerdotem, & alia inſaniæ documenta dedit. Inſuper etiam, quos voluit, abſque omni cauſa, occidit; ideò *Caſſius* Chærea tribunus militum, cùm nollet eſſe miniſter cædium & tormentorum in innocentes, & ſibi etiam metueret, cum quibusdum de interficiendo *Caligula* conſilia communicat, & rem perficit die 24. Januarii, horâ unâ ante Solis occaſum. *Joſeph. lib.* 19. *antiq. cap.* 1. *Dio in fine lib.* 59. Regnavit ita Caligula annos tres, menſes decem, dies novem. Succedit ipſi patruus *Tib. Claudius, Druſi filius,* qui imperavit annos tredecim, menſes 8. dies 10 fuitque annorum quinquaginta. *Dio d. l.*

Caſſius *Charea & Lupus, quod res mali exempli eſſet, principem ſuum occidere, gladio plectuntur, quibus acceſſit voluntate ſua Sabinus, qui ipſis morte conjungi voluit.* Joſephus libr. 19. cap. 3. in fine Dio libr. 60. in princ.

Paulus *& Barnabas hoc & ſequenti ferè anno commorantur Iconii, poſtquam ex Antiochia Piſidiæ erant ejecti. Actor.* 14.

Pilatus *multis divexatus calamitatibus, ſibi ipſi vim infert.* Euſeb. lib. 2. hiſt. Ecc. cap. 7. Eutrop.

Olympias 205. *agitur. Eſt annus Olympiad.* 827. Victor Stadii *Eubulidas* Laodicenus.

Annus Actiacæ victoriæ 71. *incipit die* 29. *Aug.*

Claudius Commagenen Antiocho, quam eripuerat Caligula, reddit, & Mithridati Iberum, & alteri Mithridati Boſphorum; revocatque Agrippinam & Juliam ſorores Caligulæ, ab exilio, quo eos Caligula extruſerat. Sed cùm Julia ſuperbior eſſet, & Meſſalinæ conjugi Claudii, nullos honores exhiberet, exigitur iterùm in exilium, addita cauſa, quod adulterium committere cum Seneca, *qui eàdem de cauſá relegatur.* Dio lib. 60.

Agrippa rex de Claudio in aſſequendo Imperio bene meritus, augetur ab ipſo provinciis, Hieroſolymitanâ & Samaritanâ, quod olim ad hoc regnum pertinuiſſent, atque ita Judæi tributum iterùm non Romanis, ſed ſuo regi pependerunt. Additur prætereа Agrippæ principatus Lyſaniæ, atque ita amplius regnum conſecutus eſt, quàm olim Herodes Aſcalonita habuit. Priuſquam autem in Syriam abiret, impetrat à Claudio edictum ad Alexandrinos, & alios in Aſia, ut Judæi eodem viverent ubique jure, quo fuerant ſub Imperatore Auguſto, & libertate ſuæ religionis ubique fruerentur: idem tamen Romæ factum non eſt, ut Dio habet. *Joſephus libr.* 19. *cap.* 4.

Agrippa, cùm Hieroſolymam veniſſet, catenam, quam à Caligula dono acceperat, dedicat in templo, ut eſſet ſignum benignitatis divinæ, qua etiam infimi ad ſummos honores provehuntur. Inde Theophilum movet pontificatu, ſubſtituitque Simonem Cantharam, & Judæis Hieroſolymitanis immunitates omnium rerum concedit. *Joſeph. lib.* 16. *cap.* 5.

Sulpitius Galba Chattos vincit, & P. Gabinius Marſos, & militarem aquilam, quæ à clade Vari ſupererat, recuperat. Dio lib. 60.

ANNO MUNDI 3991. Poſt. C. 42.
G. ☉ 23. ☽ 5.

Coſſ. imp. Claudius II.
C. Licinius Cæcina Largus.

Licinius in magiſtratu mortuus eſt.

Roma fame affligitur, cùm frumento externo uteretur, idq; hyemis tempore in Tyberi advehi non poſſet: quapropter Claudius portum ad oſtia Tyberis ædificat maximis ſumptibus, quo portu effectum eſt, ut Romanis ſemper frumenti copia eſſet. Ut autem Tiberis

magis

magis navigabilis eſſet, Fucinũ *lacũ ei immittere voluit. Sed conatus ejus fruſtra tũ fuit, ut* Dio habet d.l.

Suetonius tamen ſcribit, lacum illum tandem emiſſum fuiſſe à Claudio, undecim annorum ſpatio, triginta hominum millibus perpetuò laborantibus: ubi fuerit, hodiè ignoratur.

Matthæus dicitur hoc anno ſcripſiſſe ſuum Evangelium.

Paulus Lyſtris lapidatur, & pro mortuo efſertur, ſed ad ſe redit. Poſtridie autem cum Barnaba diſcedit, & Derbē proficiſcitur, ubi videtur cõmoratus longo tempore. *Act.* 14.

Agrippa Simonem Cantharam pontificatu movet, & eligit Jonathan filium Anani, qui & olim Pontifex fuerat, ſed is excuſans ætatem petit pontificatum fratri ſuo Matthiæ tribui, & obtinet. *Joſeph. lib.* 19. *c.* 5. *&* 6.

Claudius delectatur magnopere ſpectaculis gladiatorum, inde aſſueſcit etiam cædibus. Meſſalina uxor & Narciſſus multos ita apud eum accuſant, & morti tradunt: Inter cætera Silanum virum præſtantiſſimum & Vinicianum, quòd recuſaſſent coitum cum Meſſalina muliere impudiciſſima. Inde cùm Senatores viderent, ſibi omnibus perniciem impendere, conjurant quidam de alio eligendo Imperatore, deferturque imperium ad *Camillum* Scribonianum, qui tum cum imperio erat in Mœſia: ſed is deſeritur à militibus, ideò ſeipſum interficit. Claudius militibus iis præmia diſtribuit, & ita conjuratio illa evanuit. *Dio lib.* 60.

Ravenna hoc anno muris & portis à Claudio munitur.

ANNO MUNDI 3992. Poſt C. 43.
F. ☉ 24. ☽ 6.

Coſſ. Imp. Claudius III.
L. Vitellius Nepos II.

Claudius multa ſacrificia & ferias Romæ abrogat ne major pars anni in ipſis celebrandis conſumeretur, ſtatuas etiam & numiſmata, in quibus erat effigies Caligulæ, abolevit. Ex quibus tamen Meſſalina ſtatuas Mneſteri hiſtrioni conflavit, cujus amore maximè flagrabat, quem Claudius juſſit imprudens cum Meſſalina coire. Meſſalina enim, cum hiſtrio ille coitum abnueret, conqueſta de eo fuerat apud Claudium, quòd minus eſſet audiens dicto: Ideò commotus Claudius jubet eum Meſſalinæ in omnibus obedire. *Dio l.* 60.

Agrippa iterum removet Matthiam Pontificatu, & ſubſtituit Elioneum Cithæi filium. *Joſeph. lib.* 19. *cap.* 7.

Meſſalina plurimos, ut ſecum adulterium committant, invitat, abnuentibus exilium affert, obſequentibus magiſtratus & honores offert. *Dio l.* 60.

A. Plautius, cùm Britanni inter ſe digladiarentur, exercitum eò traducere conatur. Exercitus abnuit ſic in alium terrarum orbem proficiſci; Ideò Narciſſus libertus Claudii eos adhortari conatur, quem abominati ut ſervum, cum ipſi liberi eſſent, ſpontè Plautium ſequuntur, & eo ac Veſpaſiano Duce Britannos multis in locis vincunt, potiunturque inſula. Plautius verò, ut Claudio rem gratam faceret, eum Roma evocat ad conficiendum bellum Britannicum, qui propterea in Galliam abit, & in Britanniam navigat, & ſæpius ibidem Imperator appellatur. *Dio ibid.*

ANNO MUNDI 3993. Poſt C. 44.
ED. ☉ 25. ☽ 7.

Coſſ. C. Quinctius Criſpinus.
T. Statilius Taurus II.

Paulus & Barnabas, quum Derbæ docuiſſent, reverſi ſunt Lyſtram, & Iconium, & Antiochiam Piſidiæ, denuò confirmant animos diſcipulorum, exhortanturq; eos, ut perſeverent in fide, creantq; presbyteros per ſingulas Eccleſias, *Act.* 14.

Iacobus Apoſtolus frater Iohannis ante paſcha, quod accidit die 1. Aprilis ad Calendarium Iudaicum, ab Herode Agrippa occiditur, & Petrus poſt paſcha interficiendus in carcerem conjicitur, qui inde divinitus liberatur, *Act.* 12.

Claudius ex Britannia revertitur Romam, triumphatque & ludos triumphales edit, ſeque & filium ſuum Britannicum vocat. Rhodiis etiam libertatem adimit, quòd quoſdam Romanos in crucem egiſſent *Dio lib.* 60.

Annus Nabonaſſaris 792. *&* *annus Philippi & mortis Alexandri* 368. *incipit die* 12. *Aug. fer.* 4.

Annus Seleucid. Alexand. 356. *& Antiochenus* 93. *incipit à Calend. Octobr.*

Domitius Afer Nemauſenſis Rhetor floret, qui poſtea, Nerone regnante, cùm cibum avidius deglutiret, ſuffocatus eſt. *Sueton.*

Agrippa rex, cùm Cæſareæ ludos exhibuiſſet, & divinos honores, qui ſibi à populo offerebantur, non recuſaſſet, divinitus percutitur, & quinto die moritur, *Joſeph. lib.* 9. *cap. ult.*

ANNO MUNDI 3994. Poſt C. 45.
C. ☉ 26. ☽ 8.

Annus urbis 797.	*Iulianus* 90.
Æra Hiſp. 83.	*Auguſtorum* 72.

Coſſ. M. Vinutius Quartinus II.
M. Statilius Corvinus.

Qui cùm abiiſſent magiſtratu poſt ſex menſes, ſuffecti ipſis ſunt M. Cluvius Rufus, & Pompejus Silvanus collega Joſeph. lib. 20. c. 1.

Claudius Imp. die 24. Januarii aſſumit Tribunitiam poteſtatem quintam, & titulum habet decimũ Imperatoris, ut docent inſcriptiones. *Onuf.*

Agrippæ Claudius ſuccedere primum voluit filiũ Agrippæ adoleſcentulum, ſed poſtea cogitans illum imparem eſſe tanto regno, iterum Judæam in provinciam redigit, & Syriæ attribuit, mittitque eò procuratorem *Cuſpium Fadum*, qui purgans Judæam latrociniis, ſtolam pontificiam poſcit ſibi cuſtodiendam, in arce Antonii. Pontifices contra contendunt, cuſtodiam ſtolæ ſibi commiſſam, ideò legati Judæorum de hac re mittuntur Romam, qui adjuti opera Agrippæ junioris rem obtinent: literæ datæ ſunt die 28. Junii, cum Claudius eſſet deſignatus quartum Conſul, & haberet Tribunitiam poteſtatem quintam, quod non niſi hoc anno fieri potuit, *Joſeph. lib.* 20. *c.* 1.

Herodes, rex Chalcidis, frater Agrippæ, obtinet à Claudio jus conſtituendi Pontificis Hieroſolymitani; quapropter Hieroſolymam venit, & Simonem Cantharam in ordinem redigit, & eligit Joſephum Camydæ filium. *Joſeph. ibid.*

Claudius, cùm ex Mathematicis didiciſſet, Eclipſin Solis futuram die 1. Auguſti, qui ſibi eſſet natalis, & vereretur; ne populus Eclipſi motus malè quid de ſe ominaretur, Eclipſin hanc in publico programmate proponit, docetq; eam naturalibus cauſis accidere, atq; ita prædici poſſe. *Dio lib.* 60.

Eclipſis illa accidit, ut dixi, Calendis Auguſti horis 10. *& minuto ſeſquialtero, ferè poſt mediam noctem. Parall. latit.* 18, 48. *Latitudo vera* 0, 42. *viſa* 18. 4. *Semidiam. Solis* 15. 12. *ſcrup. reſidua* 13. 19. *digiti eclipt.* 5, 17. *Sol in* 6. *gradu Leonis.*

Olympias 206. *acta. Eſt annus Olympiadicus* 821.

Victor Stadii *Valerius* Mitylenæus.

Archon apud Athenienſes *Antipater.*

Annus Actiaca victoria 75. *incipit die* 29. *Aug.*

Paulus & Barnabas, peragrata Piſidia, venerunt in Pamphyliam, & Pergæ locuti ſunt ſermonem Domini. *Actor.* 14. Ex Perga deſcenderunt in Attaliam, & inde ſolverunt, perveneruntq; Antiochiam Syriæ, unde dimiſſi erant juſſu Spiritus Sancti, ante annos ſex, ubi longo tempore permanſerunt. *Actor.* 14.

Claudius ſtatuarum & imaginum modum præſcribit, & Saturnalibus additur dies quintus, & ipſe Claudius paulò poſt populo tricenos ſeſtertios diviſit. *Dio lib.* 60.

ANNO MUNDI 3995. Poſt C. 46.

B. ☉ 27. ☽ 9.

Coſſ. C. Valerius Aſiaticus II.

M. Junius Silanus.

Onuphrius hic errore quodam M. Valerium Meſſalam Conſulem pro Silano ponit, cùm contra ſentiant & Dio & Faſti Seculi.

Theudas quidam præſtigiator, ſub Cuſpio Fado perſuadet multitudini, ut aſſumptis ſuis facultatibus ſe ſequerentur ad Jordanem fluvium, ſe eos per flumen ſicco pede deducturum. Sed Fadus immittit iis turmam equitum, multos occidit, Theudam capit, & ejus caput Hieroſolymam affert. *Joſeph. lib.* 20. *cap.* 2. Alius hic Theuda videtur ab eo, cujus mentio fit, *Actor.* 5. Nam ibi hiſtoria Theudæ præponitur iis turbatoribus, qui tempore Quirini, qui cenſum egerat, ſeditionem moviſſent.

Aſinius Pollio, homo exiguæ ſtaturæ & deformis dives tamen, Claudio inſidiatus fuerat, & tentaverat muneribus Prætorianos: ideo etſi ſupplicium meritus fuerat, tamen tantùm relegatur. *Dio l.* 60.

Accuſatores plurimi erant Romæ apud principem credulum, iiq; ex damnatorum bonis maxima præmia adipiſcebantur. Senatus obviam hiſce eundem cenſuit, revocataque lege Cincia, de repetundis eos poſtulandos cenſet. Sed cùm ſe defenderent, & præmia ſibi deberi aliquo modo probarent, Claudius præmiorum modum definit dena ſeſtertia, ultra ducentos florenos. *Tac.*

Claudius matrimonii ſui ignarus, aliud agit, leges fert, aquas urbi inducit, novas literas format, Haruſpicum collegium firmat, &c.

Italus ex regia ſtirpe Germanorum, à Cheruſcis expetitur rex à Claudio, qui dimiſſus excipitur cum plauſu, ſed paulatim vileſcit, & ſeditionibus excipitur: Ideò contra rebelles profectus eos vincit, inde poſtea ſecunda fortuna elatus Cheruſcorum res affligit, & proinde varia fortuna agitatur. *Tacit.*

In Ægeo mari inſula ingens triginta ſtadiorum repentè emerſit nocte, qua defectus Lunæ acciderat intra Theram & Theramenem, ſub Claudio Imperatore. *Aurel. Vict. lib.* 2. Hanc *Seneca* enatam ſcribit hiſce Coſſ. hujus anni. Dio refert hunc partum ad ſequentem annum. Sed dum Aurelius characterem addit Eclipſis Lunaris, inveni eam, quòd acciderit hoc anno, nocte, quæ ſecuta eſt ultimum Decembris, & inchoavit ſequentem annum; ut ita hic partus non incommodè ad binos annos referri poſſit.

Facta autem eſt Athenis horis poſt meridiem ultimi Decembr. 10. *& minutis* 28. *ita ut Luna obſcurata adfuerit ineuntibus Calendis Januarii. Latitudo vera Auſtralis fuit ſecundorum* 19. *Semidiameter Lunæ* 17. 20. *Summa ſemidiametrorum* 61. 56. *ſcrup. reſidua* 61. 37. *digiti ecliptici* 21. 20. *Sol in gradu* 8. *Capricorni.*

ANNO MUNDI 3996. Poſt C. 47.

A. ☉ 28. ☽ 10.

Coſſ. Imp. Claudius IV.

L. Vitellius Nepos III.

Cuſpio Fado in Judæa ſuccedit Alexander Tiberius procurator. Sub hoc fames in Judæa, & in toto ferè terrarum orbe ingens prædicta ab Agabo, quo tempore regina Adiabenorum Helena, coempta ex Ægypto annona, famem Judææ ſublevavit. Hæc abdicato cultu Idolorum, legem & ritus Moſaicos amplexa erat. In Græcia tum modius frumenti, *ut Euſebius habet*; emptus fuit duodecim drachmis, eſſet modius Lipſienſis 28. flor. *Joſeph. lib.* 20. *c.* 3. *Euſ. lib.* 2. *hiſt. c.* 11.

Valerius Aſiaticus Conſul ſuperioris anni accuſatur majeſtatis, & cùm nullus teſtis idoneus eſſet, abſolutus fuiſſet, niſi Vitellius à Meſſalina provocatus Claudio nunciaſſet, Valerium petere, ut ſibi mortis conſciſcendæ poteſtas fieret, quod non niſi à malè ſibi conſcio fieri poſſet: exſolvit igitur ſibi venas & præſenti animo mortuus eſt. *Dio lib.* 60. *Tac. lib.* 11. *c.* 3.

Parthorum *regnum diſſidiis duorum fratrum turbatur, & tandem, qui fuerat prælio ſuperior, per inſidias caditur.* Tac. lib. 11. c. 8.

Ludi ſeculares à Claudio editi, anno quarto & ſexageſimo, poſt editos ab Auguſto. Auguſtus enim numerum ſeculi unius obſervavit ita, ut poſt annos centum & decem ederentur. Claudius verò ſingulis centenis annis eos celebrari voluit.

Domitius Corbulo *inferiori Germaniæ præfectus, ipſam & milites ſeverè, & ad priſcum morem regit, & ingentem foſſam, trium & viginti millium longitudine, inter Moſam & Rhenum ducit, qua incerta Oceani vitarentur.* Tac. 11. ann. c. 20.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei triceſimi primi Judaici, incipit die 9. *Sept. fer.* 7. *Eſt hebdomas Danielis* 68. *incipiens anno Judaico* 3808.

Veſpaſianus, *cùm in Britannia à Barbaris circumdatus eſſet, liberatur à filio Tito puerulo, qui*

miſſis

miſit, qui coronam hoſtium diſicerent, & patrem reciperent: & Plautius ob res bene geſtas triumphat. Dio. lib. 60.

Caractatus Scotorum rex, cùm annis 20. regnaſſet moritur; ſuccedit *Corbredus*, qui præeſt annis 18. *Buchan.*

ANNO MUNDI 3997. Poſt C. 48.
GF. ☉ 1. ☽ 11.

Coſſ. A. Vitellius Nepos.
L. Vipſanius Poplicola.

Vitellius hic poſtea fit Imperator. Cùm hi Coſſ. magiſtratu abiiſſent, ſufficiuntur ipſis Calend. Julii, L. Vitellius Paulus, C. Calpurnius Piſo.

Galli, *qui Comati appellantur, jus plenum civitatis orant, & favente Claudio impetrant, & primi eorum fuerunt Hedui, propter antiquum fœdus & jus fraternitatis. Senatum etiam ſupplevit, cùm Cenſor eſſet cum Vitellio. Cenſa fuerunt civium Romanorum* 6844000. Tacit. 11. ann. c. 23.

Herodes rex Chalcidis Hieroſolymam venit, & Joſephum Camydæ filium removet pontificatu, & eligit Ananiam, quem Paulus poſtea *Act.* 23. 2. vocat dealbatum parietem, qui tamen tum temporis iterum remotus erat à pontificatu, *Ioſeph. lib.* 20. *c.* 3.

Lucas Evangeliſta circa hoc tempus Evangelium ſuum ſcripſiſſe dicitur, quindecimo anno poſt aſcenſionem Chriſti, *Euſeb.* 3. *Hiſt. Eccl. c.* 4.

Paulus Apoſtolus, cùm jam quatuordecim anni à converſione ſua præteriiſſent, iter facit Hieroſolymam, unà aſcendente Barnaba & Tito, ad Concilium, *Gal.* 2. quod deſcribitur *Act.* 15. Interfuerunt ei Jacobus frater Domini, Simon Petrus & Johannes: & paulò poſt hanc ſynodum Petrus à Paulo reprehenditur Antiochiæ, *Gal.* 2.

Annus Nabonaſſari 796. *& annus Philippi à morte Alexandri* 372. *incipit die* 11. *Aug. fer.* 1.

Annus Seleucidarum Alexandrini 360. *& Antiochen.* 97. *Calendis Octobr.*

Q. Curtius *Hiſtoricus floruiſſe videtur Lipſio, hoc tempore, ut & Aſconius Pedianus ſecundus.*

Meſſalina uxor Claudii, vivo Claudio, abſente tamen ad Oſtiam, publicè nubit Silio, & nuptias cum eo celebrat; adeò contemnebat maritum Imperatorem. Verùm id produnt Claudio primùm pellices, & ſeverè exaggerat id factum Narciſſus libertus, metumque Imperatori injicit, ex defectione conjugis, & ad vindictam inſtigat unà cùm aliis; nihilominus tamen ignoviſſet adulteræ, niſi Narciſſus aſtu præveniſſet, & eam occidiſſet. Ideò & Silius, & Mneſter, & alii adulteri, occiduntur. *Tac.* 11. *ann. circa fin.*

ANNO MUNDI 3998. Poſt C. 49.
E. ☉ 2. ☽ 12.

Annus urbis 801.	*Julianus* 94.
Æra Hiſp. 87.	*Auguſtorum* 76.

Coſſ. C. Pompejus Longinus Gallus.
Q. Verannius.

Claudius *incipit Tribunitiam poteſtatem nonam die* 24. *Januarii.*

Herodes rex Chalcidis moritur, cujus regnum Claudius dat Agrippæ juniori, & procuratori Alexandro ſuccedit Cumanus. *Joſeph.* 20. *c.* 3.

Barnabas cum Marco navigat in Cyprum Paulus verò cum *Sila* perambulat Syriam & Ciliciam, veniuntque Derben & Lyſtram, & aſſumunt Timotheum comitem reſiduæ viſitationis, *Actor.* 16.

Claudius *pomerio prolato Aventinum montem urbi includit, ut docent inſcriptiones.*

In feſto Paſchatos, cùm Cumani milites in porticibus templi ſtationem obirent, ne fortè in tanto populi concurſu tumultus fieret, miles quidam nudata genitalia oſtendit, quo facto putabant Judæi Deum contumelia affectum, ideò tumultuabantur. Cumanus, ut tumultũ ſedaret, milites populo immittit, populus ſibi metuens, adeò effuſè fugit, ut viginti hominum millia inter fugiendum in viarum anguſtiis conculcarentur, & extinguerentur. Paulo poſt miles quidam libros Moſis in conſpectu populi dilacerat, qui, ut ſatis fieret Judæis, ad ſupplicium Judæis deditus eſt. *Ioſeph. lib.* 20. *cap.* 4.

Olympias 207. *Eſt annus Olympiad.* 825.

Victor Stadii *Athenodorus* Æginenſis Peloponneſius. Hæc Olympias, ut *Frontinus habet libro ſecundo de aquæ ductibus*, in actis publicis notata eſt.

Archon apud Athenienſes *Dionyſidorus Scal.*

Annus Actiaca victoria 79. *incipit* 29. *Aug.*

Claudius Imp. ducit *Agrippinam*, fratris ſui Germanici filiam, conjugem; & ne videretur propinquitate ſangvinibus inceſtum committere, per Senatum & populum hoc matrimonium comprobatur. *Tac.* 12. *ann. c.* 5.

Seneca, annitente Agrippina, ab exilio revocatur; Prætor creatur, & Domitio Neroni præceptor datur: Neroni inſuper Octavia filia Claudii deſpondetur. *Tac. c.* 8.

Parthi regem à Claudio petunt Meherdatem, qui, prælio congreſſus cum Gotarze, vincitur & capitur: paulò poſt tamen Gotarzes moritur. *Tac. cap.* 11.

Mithridates Ponti rex regnum recuperare conatur, ſed irrito conatu; victus tandem, ſalvo tamen conductu, Romam venit. *Tac. c.* 15.

Lollia illuſtris fœmina, artibus Agrippinæ in exilium agitur. *Tac. cap.* 22.

ANNO MUNDI 3999. Poſt. C. 50.
D. ☉ 3. ☽ 13.

Coſſ. C. Antiſtius Vetus.
M. Suillius Rufus Servilianus.

Paulus & Silas, cùm non invenirent occaſionem annunciandi Evangelii in Phrygia, Gallatia, Bithynia, jubentur proficiſci in Macedoniam, & Philippis apud Liviam divertunt: ſed paulò poſt comprehenſi virgis cæduntur, ideò Theſſalonicam ſe conferunt: ſed & hic ejiciuntur, conferunt ergò ſe Athenas, ubi Paulus inſcriptionem Altaris in-

venit, quæ fuit hujuſmodi: Diis *Aſiæ*, Europæ, & Lybiæ, Diis Ignotis & *Peregrinis*. Hinc ſumptâ occaſione, cùm videretur novos Deos annunciare, dicit ſe Deum illum ignotum, cui altare inſcripſiſſent, prædicare. Athenis *Paulus* ſcripſit utramque *Epiſtolam* ad Theſſalonicenſes, *Actor.* 17. inde diſcedit Corinthum circa autumnum, ubi commoratur ſeſquiannuo ſpatio. *Actor.* 18.

Nero, filius Agrippinæ, adoptatur à Claudio, Pallantis & Agrippinæ conſilio, & Agrippinæ ſalutatur Auguſta, quæ, ut potentiam ſuam exteris etiam demonſtraret, *Coloniam* in Ubios, ubi nata erat Veteranorum militum deduci jubet, quæ Agrippina appellata eſt. *Tac.* 12. *ann. c.* 26.

Catti in Germania latrocinantur, ſed à Romanis circumveniuntur & cæduntur, & Vannius, Suevorum rex, à Druſo hiſce gentib. datus regno pellitur: Occupant id Hermunduri. Vannius à Claudio in Pannoniam translatus, accipit ibi agros & certos terminos. *Tac.* 29.

Britannicum bellum adhuc variis artibus geritur, ad compeſcendos hoſtes Colonia veteranorum *Camalodunum* deducitur, ſed *Caractatus* Silurum ibi rex, *Oſtorium*, Romanorum ducem, qui poſt conſulatum eò miſſus fuerat, aperto prælio aggreditur ſed Romani virtute confiſi, iniquitatem loci ſuperant, hoſtes fundunt. & Caractatum capiunt, captum Romam deducunt, ubi magnanimitate ſuâ efficit, ut liber dimitteretur. *Tac.* 32.

Claudius aquæ ductus à Caligula inchoatos tandem conſummavit, & dedicavit die 27. Julii. Erogata fuerunt in hoſce fontes deducendos quingenties quinquagies ſeſtertium. *Frontinus & Plin. lib.* 36. *cap.* 15.

ANNO MUNDI 4000. Poſt C. 51.

C. ⊙ 4. ☽ 14.

Coſſ. Imp. Claudius V.

Ser. Cornelius Scipio Orfitus.

Hiſce ſuffecti fuerunt Calendis Julii C. Minicius Fundanus, & Vettenius Severus. Porrò ex Calendis Novembris Conſul etiam ſuffectus fuit T. Flavius *Veſpaſianus.* Sueton.

Claudius decennalia celebrat die 24. Januarii, & vota concepta in decennalia ſequentia. *Dio l.* 60.

Neroni virilis toga datur, & princeps juventutis appellatur, & Britannico filio Claudii longè præponitur. *Tac.* 12. *ann. c.* 41.

Felix procurator in Judæam mittitur, ope Pallantis fratris, qui omnia poterat apud Agrippinam & Claudium. *Tac. c.* 54.

Romæ frugum inopia laboratum eſt, & tanta Romæ fames fuit, ut medio foro Claudius Imperator, correptus à populo conviciis, & fragminib. panis, turpiſſimè infeſtaretur, & ægrè per Pſeudothyrum in Palatium refugeret, & furorem excitatæ plebis evaderet, quapropter diligenter rem frumentariam curavit. *Oroſ.*

Bellum inter Iberos & Armenios ortum eſt. Pharaſmanes *Iberiæ rex fratrē ſuū Mithridatem, Armeniæ regē, dolo per filiū circumvenit & occidit, Armeniamque occupat. Parthi ſibi Armeniā aſſerere conā ur, ſed cōmeatu deſtituti recedunt, quapropter Armenii ipſi Pharaſmanis filiū pellūt, qui fugiēs uxorē gravidā, quæ fugientem ſequi non poterat, interficit, ut putat, & in Euphratem abjicit. Paſtores quidam caſu advenientes, eam adhuc ſpirantem extrahunt aquis & ad Parthos deducunt ubi honeſte habita eſt.* Tac. 12. ann. c. 44.

Domitianus filius Veſpaſiani naſcitur die 24. Octobris, cum parens poſt dies 7. initurus eſſet conſulatum. *Sueton.*

ANNO MUNDI 4001. Poſt C. 52.

BA. ⊙. 5. ☽ 15.

Coſſ. P. Cornelius Sylla Fauſtus.

L. Salvius Otho.

Quibus ex Calendis Julii ſuffecti ſunt M. Licinius Craſſus Mucianus, & L. Cornelius Sulla.

De Mathematicis Italia pellendis factum Senatus conſultum atrox, ſed irritum, inquit Tacit. 12. ann. c. 52. *Sub Mathematicis autem & Judaos comprehenſos fuiſſe ex hiſtoria Romana patet, ſi hoc Senatuſconſulto atroci Aquila &* Priſcilla *Roma pulſi ſunt.*

Paulus hac æſtate tandem Corinthum venit, *Actor.* 18.

Seditio apud Samaritanos exortu contra Judæos, qua multi cæſi fuerunt: & à Ventidio Cumano iſta ſeditio fovetur, & cauſa in Judæos cuditur. Res cognoſcitur à Numidio Quadrato, præſide Syriæ, qui ſummum pontificem, & alios Judæorum principes, Romam mittit, ubi auxilio Agrippæ Junioris, & cognita cauſa, Judæi abſolvuntur, & Cumanus in exilium pellitur, & Tribunus militum Hieroſolymam mittitur, raptandus per vias & necandus. Felix verò, qui flagitiorum Pallantis particeps fuerat, ope Pallantis eripitur, & ad procuraturam ſuam remittitur, *Joſeph. lib.* 25. *c.* 5.

In Ciliciaturba ſunt, quæ per Antiochum ſedantur. Tac. 12. c. 55.

Annus Nabonaſſ. 800. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 376. *incipit die* 10. *Aug. fer.* 5.

Annus Seleucidarum Alexandreus 364. *& Antiochenus* 101. à *Calend. Octobr.*

Marcomirus Sicambrorum vel Francorum rex moritur, cùm annis 18. regnaſſet; ſuccedit Antenor, qui regnat annos 4. *Trith.*

Paulus, cùm annum & ſex menſes Corinthi fuiſſet, verno tempore, aſſumptis Aquila & Priſcilla, navigat in Aſiam, & Aquilam & Priſcillam relinquit Epheſi, & properat in Syriam, venitque Hieroſolymam: inde aliquantulum moratus, in Galatiam & Phrygiā revertitur, confirmatque diſcipulos. In hac profectione, & Laodiceam venit, ubi ſcribit Epiſtolam primam ad Timotheum. Interea temporis abſente *Paulo* venit Epheſum Apollo, vir diſertus, qui inſtitutus in Chriſtiana religione, proficiſcitur *Epheſum*, *Actor.* 18.

In Fuſcino *lacu naumachia magno apparatu à Claudio exhibetur, unde patet, Fuſcinum lacum adhuc fuiſſe.* Tac. 12. annal. c. 56.

Agrippa Junior rex donatur à Claudio tetrarchiâ Philippi & Batanææ, adjuncta his Trachonitide cum Abila, quæ tetrarchia Lyſaniæ fuerat. Chalcidem verò, quam antea dederat, & cui quadriennio præfuerat, ipſi aufert. *Joſeph. lib.* 20. *cap.* 5.

ANNO MUNDI 4002. Poſt C. 53.

C. ⊙ 6. ☽ 16.

Annus

Annus urbis 805. *Julianus* 98.
Æra Hiſpanica 91. *Auguſtorum* 80.

Coſſ. D. Junius Silanus,
Q. Hæterius Antoninus.

Claudius Tribunitiam *poteſtatem* XIII. *ſumit ſibi die* 24. *Januarii.*

Paulus peragratis ſuperioribus provinciis redit Epheſum, ibi reperit duodecim viros baptiſmate Joannis baptiſatos; iis impoſuit manus, ut dona SpiritusSancti acciperent, de quibus nihil inaudierant. *P*aulò poſt cùm beſtiis *P*aulo depugnandum fuit, 1. *Corint.* 15. 32.

Agrippa rex collocat ſuam ſororem Druſillam Emeſenorum regi, cùm circumciſionem admiſiſſet: ſed id matrimonium diuturnum non fuit, quia Druſilla promiſſis perſuaſa, abjecta religione patria, nubit Felici, procuratori Judææ. *Joſeph. l.* 20. *c.* 5.

Olympias 208. *acta. Eſt annus Olympiad.* 829.

Victor Stadii *Athenodorus* ſecundùm.

Annus Actiaca victoria 83. *incipit* 29. *Aug.*

Nero, natus annos ſedecim, Octaviam Imperatoris Claudii filiam ducit uxorem, & eloquentiæ deditusIlienſibus impetrat libertatem ab omni onere publico. Bononienſium etiam cauſam agit, qui incendio afflicti erant, quibus conſequitur centies largitionem. Rhodiis etiam exorat libertatem: ita Byzantinis etiam hoc anno tributa remiſſa in quinquennium. *Tacit.* 12. *ann. c.* 58.

ANNO MUNDI 4003. Poſt C. 54.
F. ☉ 7. ☽ 17.

Coſſ. Q. Aſinius Marcellus.
Man. Aciolios Aviola.

Aviola is eſt, quem Plinius ſcribit *in rogo revixiſſe, & vivum, cum ipſi, prævalente flamma ſubveniri non poſſet, crematum eſſe.* lib. 6. c. 52.

*P*hilippus Apoſtolus apud Hierapolin cruci affixus, lapidibus obruitur, *Euſeb.*

Cum Hieroſolymis malè Reſpubl. à Felice adminiſtraretur, Jonathan ſummus Pontifex ipſum ſedulò officii admonet, cujus ille pertæſus, ſicarios Pontifici immiſit, qui mixti famulitio Jonathæ, *P*ontificem ita interemerunt, ut autor cædis planè ignoraretur; qua impunitate allecti, multos poſtea clam occiderunt, etiam in ipſo templo. *Joſeph. lib.* 20. *cap.* 6.

Annus ſabbathicus quintus Jobelei *Judaici triceſimi primi, incipit* 21. *Sept. fer.* 7. *Eſt hebdomas Danielis* 69. *anno Jud.* 3815.

Claudius *adverſâ valetudine correptus, Sinueſſam pergit, ubi veneno ab Agrippina uxore, adjuvante Xenophonte medico, interfectus eſt die* 13. *Octob. cum vixiſſet annos* 63. *menſes* 3. *regnaſſet annos* 13. *menſes* 8. *dies* 20. *Succedit ipſi aſtu matris Agrippinæ* L. Domitius Ahenobarbus, *quem Claudius Imperator adoptatum* Neronem Claudium Druſum *appellavit, & filio ſuo naturali Britannico præpoſuit. Imperavit Nero annos* 13. *menſes* 7. *dies* 28. Dio lib. 20. Tac. in fin. l. 12.

Junius Silanus Proconſul Aſiæ, dolo Agrippinæ veneno tollitur, & Narciſſus Claudii libertus, ob divitias: poſſidebat enim plùs quàm quatuor millies (ſeptendecim milliones) & quem reges colebant, ad mortē adigitur. *Dio ibid. Tac. in pr. l.* 13. *ann.*

Nero Claudium defunctum pro roſtris laudat, ſed aliena, Senecæ ſcilicet facundia. *Tac.* 13. *ann. c.* 3.

Parthi iterùm irrumpunt in Armeniam, cum Rhadamiſtus Hyrcanus regni ejus potius profugiſſet, & bellum deſeruiſſet. *Nero* huic bello Domitium *Corbulonem* præficit, & Ariſtobulo filio Herodis Armeniam minorem concedit. *Tac. c.* 6.

ANNO MUNDI 4004. Poſt C. 55.
E. ☉ 8. ☽ 18.

Coſſ. Imp. Nero.
L. Antiſtius Vetus.

Agrippina matris potentia diminuitùr, dum Nero amori Actes libertæ illigatur, quem omnibus modis impedire mater conatur. Cùm enim amor vehementior eſſet, omne obſequium in matrem reluctantem exuit, & præterea *Pallantem* Agrippinæ fideliſſimum, à rebus gerendis removet. Hinc mater iratior de evehendo Britannico, & ad Imperium admovendo conſilia agitat, quem Nero veneno interpocula dato vehementiſſimo enecat. *Tacit.* 13. *ann. c.* 12.

Paulus initio veris ſcribit priorem Epiſtolam ad Corinthios Epheſi: dicit enim *Capite* 16. 8. ſe manſurum adhuc Epheſi uſque ad Pentecoſten, & præterea ſalutat Corinthios nomine Aquilæ & Priſcillæ, qui Epheſi erant, ſeque cum magno fructu ibi docere aſſerit. Subſcriptio quidem hujus Epiſtolæ habet, quòd miſſa ſit Philippis, ſed id fieri non poteſt niſi ſcripta Epheſi, poſtea per ambages primùm Philippos, & inde Corinthum allata ſit. Voluit autem Paulus in *Ma*cedoniam proficiſci, & inde Corinthum, quamquam ut 2. *Corint.* 2. aliter, diſpoſuerat iter. Circa Pentecoſten autem Epheſo diſceſſit, cùm ceſſaſſet tumultus Epheſiorum, quem conciverat Demetrius aurifaber, & profectus eſt Philippos, ubi ſcripſit poſteriorem Epiſtolam ad Corinthios, illoſque, certos facit de afflictione ſua in Aſia Epheſi, ut re nuper geſta. Inde profectus eſt Nicopolin *M*acedoniæ urbem, indeque miſit Epiſtolam ad Titum, ubi etiam hybernavit, cùm tamen 1. *Corint. cap.* 16. Corinthi hybernare ſtatuiſſet.

Agrippina *multis modis* Neroni *repugnat, ideò accuſatur majeſtatis, quòd novas res in* Neronem *molitetur, ſed abſolvitur. Ita ejuſdem criminis accuſantur Pallas & Burrhus, ſed egregiè abſolvuntur, & accuſator in exilium agitur.* Tac. 13. ann. c. 23.

Ægyptius venit Hieroſolymam, qui Prophetam ſe profitetur, ſuadetque plebi, ut ſecuta in montem oliveti aſcenderet, videretque Hieroſolymorum mœnia ruentia, ut quivis, quocunque velit, in urbem introire poſſit, ſed Felix procurator milites cum equitibus imittit, qui eorum quadringentos occidunt, ducentos capiunt. *Joſeph. l.* 20. *c.* 6. & *l.* 2. *c.* 12. *Belli.*

ANNO MUNDI 4005. Poſt C. 56.
DC. ☉ 9. ☽ 19.

Coſſ. Q. Voluſius Saturninus
P. Cornelius Scipio.

Paulus media hyeme per Macedoniam in Græciam abit, *Actor.* 20. reditque Corinthum. Manſit autem & adhortatus fuit fratres in Græcia, tribus menſibus. Interea ſcripſit Epiſtolam ad Romanos Corintho miſſam, in qua ſalutat Aquilam & Priſcillam, qui tum Romæ erant. Scripta epiſtola voluit navigare id Syriam, *ad Romanos* 15. ſed inſidiis Judæorum coactus, redit in Macedoniam, *Actor.* 20. & in feſto Paſchatis diſcedens Philippis, Pentecoſten agere conſtituit Hieroſolymis Paſcha actum hoc anno die 20. Aprilis, fer. 3. Profectus poſt Paſcha, die 28. Aprilis quinto die venit Troadem, ubi comites itineris offendit, ibique manent diebus 7. *Actor.* 20. 6. & Eutychus à morte reſuſcitatur. Inde poſt dies ſex veniunt *Miletum*, eò veniunt Seniores Epheſi. Et tandem nacti occaſionem veniunt Hieroſolymam, circa diem *Pentecoſtes*, ubi benignè quidem *Paulus* acceptus eſt, ſed cùm palàm eſſet, plebem peregrinorum ſeditionem moturam, ſi ipſum vidiſſent, propterea, quòd accuſaretur violatæ legis, quòd non ſolùm ipſe nihili faceret ceremonias *Moſaicas*, ſed & alios doceret, ut eas contemnerent, ſuadent, ut expiationem cum aliis quibuſdam ſuſciperet. Sed hoc facere aggreſſus agnoſcitur, capitur, & à Lyſia abducitur, ubi interrogatur, an ſit Ægyptius ille, qui ſuperiorib. diebus moviſſet ſeditionem. Inde auditur, & experitur poſtea inſidias Judæorum, quibus detectis admonetur à Domino de conſtantia, & Romæ etiam annunciandum Evangelium. Inde Cæſaream perductus, auditur & à præſide & Druſilla, detineturque annis duobus. *Actor.* 24.

Nero lupanaria & diverticula, veſte ſervili in diſſimulationem ſui compoſitus, pererrat, plurimosq; injuria afficit. *Tac. lib.* 13. *ann. c.* 25.

Annus Nabonaſſaris 804. *& Philippi ac mortis Alexandri* 380. *incipit die* 9. *Aug. fer.* 2.

Annus Seleucid. Alexand. 368. *& Antiochenus* 105. *à Calend. Octobr.*

Nero Imperator incipit tribunitiam poteſtatem tertiam, die 10. Octobris.

De libertis ingratis actum in Senatu, ut patronis jus revocandæ libertatis daretur, ſed interceſſione res ſublata eſt. Tac. cap. 26.

Jus Tribunorum plebis & Ædilium etiam, qui nimium ſibi ſumebant in irrogandis pœnis, coercitum eſt. Tac. cap. 28.

Cæſarea, quæ olim Turris Stratonis vocabatur, ſeditio oritur inter Judæos & Græcos, cùm Judæi, ſibi plus ſumerent in jure civitatis, quàm alii, quòd Herodes urbem ædificaſſet. Cognitione Præſidum res cognita & diſcuſſa eſt, & ſeditionis autores aut verberibus coerciti, aut relegati. *Joſeph. lib.* 20. *c.* 6.

Antenor Sicambrorum rex, cum bellum Gallis inferret, ponte ſuper Moſam fluvium conſtructo, pons multitudine equitum rumpitur, cùm jam magna pars exercitus tranſiiſſet. Antenor ab hoſtibus pulſus flumini ſe committit & demergitur, cum annis quatuor regnaſſet, ſuccedit Ratherius filius, qui præeſt annis 23. & *Roterodamum* urbem condit ibique ſepelitur. *Trith.*

ANNO MUNDI 4006. Poſt C. 57.
B. ☉ 10. ☽ 1.

Annus urbis 809. *Julianus* 102.
Æra Hiſp. 95. *Auguſtorum* 84.

Coſſ. Imp. Nero II.
L. Calpurnius *Piſo*.

Ex Calendis Juliis hi ſuffecti ſunt Ducennius Geminus & Pompejus Paulinus. Tac. l. 13. ann. c. 31.

Nero *amphitheatrum apud campũ Martis magna mole extruit, &* Capuam ac Nuceriam *additis veteranis firmat: & vectigal quintæ & viceſimæ venalium mancipiorũ remiſſum, nomine quidem, ſed non reipſa, cùm venditor id pendere juſſus ſit.* Tac. Ibid.

Cæſareenſis ſeditio recrudeſcit, cùm Judæi prævalerent; quapropter Felix vi agere coactus eſt, & milites Judæis immiſit, qui multos occiderunt, & domos eorundem deprædati ſunt, donec deprecantibus Judæis præcipui ex utraque parte jure Civitatis diſceptaturi Romam miſſi ſunt. *Joſeph. l.* 2. *belli* 12.

Agrippa, cùm Hieroſolymam veniſſet, ſummum ſacerdotium Iſmaeli Phabæi filio confert. Inter Sacerdotes autem & Primates Hieroſolymis tantæ contentiones viguerunt, cùm ſinguli incederent ſtipati colluvie audaciſſimorum hominum, ut non ſolùm conviciis ſe invicem conſcinderent, ſed & lapidationibus confligerent. *Joſeph. l.* 20. *c.* 6.

Olympias 219. *acta. Eſt annus Olympiad.* 873.

Victor Stadii *Callicles* Sidonius.

Annus Actiacæ victoriæ 87. *incipit die* 29. *Aug.*

Statius Surculus Toloſenſis, in Galliis Rhetoricam docet, *Euſeb.*

Pomponia Græcina, inſignis fœmina Romæ ſuperſtitionis externæ rea, mariti Plautii, qui magnas res in Britannia geſſerat, judicio permiſſa, innocens pronunciatur, cùm maritus huic judicio ex priſco inſtituto propinquos adhibuiſſet. Longa ei fuit ætas, & poſtea continua triſtitia: Videtur Chriſtiana fuiſſe.

ANNO MUNDI 4007. Poſt C. 58.
A. ☉ 11. ☽ 2.

Coſſ. Imp. Nero III.
M. Valerius *Meſſala*.

Nobili ex familia hic fuit, ideò ipſi in ſingulos annos quingena ſeſtertia data, plùs quàm decem millia florenorum.

Jani templum, pace terra marique parta, hoc anno, ut antiqui nummi & inſcriotiones oſtendunt, quintum clauditur, circa menſem Novembrem, cum Nero iniiſſet Tribunitiam poteſtatem quintam.

Bellum inter Parthos & Romanos de obtinenda Armenia recrudeſcit, Vologeſo id regnum Teridati fratri parante; Corbulone verò, quod olim à Lucullo & Pompeio partum erat, recuperare conante. Ad bellum id Corbulo militem priſca ſeveritate & diſciplina formavit, Armeniamque ingreſſus, caſtella aliquot excindit, urbem Artaxata capit,

capit, Teridate prælium aut defenſionem non auſo. *Tac. lib. 13. annal. cap. 41.*

P. Suillius *miniſter Claudianæ crudelitatis damnatur, non tamen ſine invidiâ* Senecæ, *cui in defenſione objecit, quòd intra quadriennium ter millies, ad tredecim milliones paraviſſet.* Tac. cap. 42.

Octavius *Sagitta, tribunus plebis, Pontiam, alteri nuptam, & detrectantem octavii matrimonium, ferro transadigit. Libertus ejus ſuum id facinus eſſe profitetur, quod ultus eſſet Domini injurias, ſed confutatus ab ancillâ, Octavius lege de ſicariis damnatur.* Tac. cap. 44.

Poppæa *Sabina ambit amorem Neronis, & commendante eam marito ſuo Ottone, obtinet. Otto tamen, ne æmulus eſſet, provinciæ Luſitaniæ præficitur multis annis.* Tac.

Publicanorum avaritia temperata, conſtitutumque, ut Magiſtratus jura adverſus publicanos extra ordinem redderet. *Tac.* 50.

Hoc anno tandem agger, coercendo Rheno, à Druſo ante annos 63. inchoatus, abſolvitur; & *Friſii* in Germaniâ res movent, & ſedes juxta Rhenum figere conantur, ſed à Romanis pelluntur. Eaſdem ſedes poſt Anſibarii occupant, ſed & hi magnâ clade à Romanis rejiciunntur. *Tacit. 13. annal. cap. 56.*

Inter Hermunduros *& Cattos magno prælio certatum, dum flumen gignendo ſale fœcundum, vi trahunt. Conficiebatur & creſcebat ſal, quando aqua ejus rivuli ſuper ardentem arborum ſtruem fundebatur. Id bellum Hermunduris proſperum, Cattis exitio fuit.* Tac. 57.

Porcius Festus, cùm biennium captivitatis Paulinæ effluxerat, ſuccedit Felici, qui multis annis Judææ præfuerat, *Act.* 24. ſequuntur diſcedentem Judæi accuſatores, qui tamen nihil efficiunt Romæ, cùm Felix à Pallante fratre defenderetur. *Ioſephus.*

Paulus cùm urgeretur, ut Hieroſolymam rediret, ubique cauſam diceret, ubi ipſi certiſſima pernicies imminebat, & certus etiam de voluntate divinâ; provocat ad Cæſarem, & cum auditus fuiſſet ab Agrippa rege & Brerenice ſorore, Romam mittitur. Cùm verò menſibus autumnalibus in mari mediterraneo tempeſtatibus agitantur, circa jejunium Thebeth, quod hoc anno incidit in 15. Decembris, appellunt Melitem, ibique permanent ferè tribus menſibus, ad initium menſis Martii ſequentis, *Actor.* 25.

Ficus Ruminalis arbor, quæ ante annos octingentos & triginta Romuli Remique infantiam texerat, areſcente trunco diminuitur, in novos tamen fœtus reviviſcit. Omen ita fuit, Cæſaream ſtirpem in Nerone deſituram, & imperium ad alios Romanos tranſiturum. *Tacit. lib. 13. annal. cap. 58.*

ANNO MUNDI 4008. Poſt C. 59.
G. ☉ 12. ☽ 3.

Coſſ. C. Vipſanius Poplicola Aproniaſ9.
C. Fontejus Capito.

Nero agit cædem matris Agrippinæ, per obliquum ſtimulante Poppæâ: Agrippina verò tàm laſcivè ſe obtulit Neroni, ut videretur inceſto parata. Suaſu igitur Senecæ ſe à matre abjungit. Inde de eâ interficiendâ conſilia agitat, offerente Aniceto ſolutilem navem. Factum 21. Martii, die tertio quinquatruûm Minervæ: ſed Agrippina in mare delapſa, periculo vitato, & unico vulnere tantùm accepto, invadit; ejus vindictam Nero metuens, mittit, qui eam occidat, Anicetum, cui ferienti ſubinde ventrem obtulit, qui transfigendus eſſet, quòd filium talem peperiſſet. Cùm igitur ad urbem rediiſſet, & Agrippinæ defunctæ causâ ſacrificia fierent, Sol obſcuratur, teſte *Tacito*, *Xiphilino & Plinio*, qui ait eclipſin factam pridie Calendarum Maji, horâ diei inter ſeptimam & octavam, & eandem viſam fuiſſe in Armeniâ à Corbulone, horâ inter decimam & undecimam. *Tacit. in pr. lib. 14.*

Eclipſis hæc invenitur die 30. Aprilis Romæ, horâ 2, 36. poſt meridiē. Latitudo Lunæ vera 12.52. ſeptentrionalis. Parallaxis verò auſtralis 19,15. unde apparet latitudo viſa Auſtralis 6,23. Semidiameter Solis 15.8. Summa Semidiametrorum 32,20. Scrup. reſidua 25. 57. Digiti eclipticí 10,17. in Armeniâ totus Sol obſcuratus eſt.

Nero cùm videret ſe à populo & Senatu ſolenniter excipi, fit ſuperbior, tanquam publici ſervitii victor, & in omnes libidines ſe effundit, quas malè coercitas matris reverentia tardaverat; incipit currum agere, & ludionum in morem cithara canere. *Tac. 14. ann. c. 14. 16.*

ANNO MUNDI 4009. Poſt C. 60.
FE. ☉ 13. ☽ 4.

Coſſ. Imp. Nero IV.
Coſſus Cornelius Lentulus.

Quinquennale certamen, ſive, ut alibi vocatur, luſtrale, à Nerone inſtitutum, quod quovis anno quinto exacto ageretur. Fuit autem triplex: Muſicum, gymnicum & equeſtre, *ut Sueton. habet*, quod appellavit Neronia. Judices certaminum elegit ex Senatu præſtantiſſimos. Neronia poſtmodum à Gordiano firmata ſunt, *teſte Capitolino*, anno æræ Chriſtianæ 240. actaque tum ſunt Neronia triceſima ſeptima. *Tac. c. 20.*

Cometa apparuit Romæ, de quo judicium vulgi fuit, portendere eum mutationem principatûs; ideò ſimul jacitur hoc, neminem rectiùs Neroni ſuccedere poſſe, quàm Rubellium Plautum, cui nobilitas per matrem ex Julia familia. Is rumor Plauto huic exilium conciliavit, & ablegatus eſt in Aſiam cum familia. *Tac. cap. 22.*

Fulmen etiam cecidit ante menſam Neronis, & calicem ipſi excuſſit, ut habet *Apollonius.*

Annus Nabonaſſaris 808. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 384. *incipit* 8. *Auguſti, fer. 6.*

Annus Selucidarum Alexandrans 372. *& Antiochenus* 109. *à Calendis Octob.*

Nero *ſumit ſibi Tribunitiam poteſtatem ſeptimam die* 10. *Octobris.*

Corbulo, qui hactenus in Armenia bellum geſſerat, & totam Armeniam ſibi ſubjecerat, regem eis imponit Tigranem, Archelai nepotem, & in Syriam provinciam ſibi deſtinatam redit. *Tac. lib. 14. cap. 23.*

Laodicia terræmotu corruit. At in Italia vetus oppidum Puteoli, jus Coloniæ adipiſcuntur, & veterani Tarentum & Antium adſcripti, non tamen ut olim, qui ſimul militarant, ſed ignoti inter ſe. *Tac. cap. 27.*

ANNO MUNDI 4010. Poſt C. 55.
E. ☉ 8. ☽ 18.

Annus urbis 813 *Julianus* 106.
Æra Hiſpan. 99. *Auguſtorum* 88.

Coſſ. C. Cæſonius Pætus.
C. Petronius Sabinus Turpilianus.

PAULUS, cùm fuiſſet in conductâ domo biennium, ubi ſuſcepit omnes, qui ingrediebantur ad ipſum, prædicans regnum DEI, nemine prohibente, & ſcripſiſſet epiſtolam ad Galatas, & Epheſios per Tichicum, ad Philippenſes per Epaphroditum, ad Coloſſenſes per Tichicum & Oneſimum, ad Philemonem per Oneſimum; liberatur ex captivitate Romanâ, annis poſt captivitatem ſuam viginti ſeptem exactis; & circa hoc tempus Acta Apoſtolorum videntur ſcripta, cum hiſtoriam Pauli Lucas non ampliùs pertexuerit.

Magna clades in Britanniâ accepta, *Camalodunum* Colonia à Britannis excinditur, legio vincitur, & ad ſeptuaginta millia civium ac ſociorum occiduntur. Paulus Suetonius aberat tum in Monâ inſulâ, ideò in Britanniam redit: & cùm colligiſſet militum ferè decem millia, obviam hoſtibus procedit, qui collegerant ad centum viginti millia, aſſumpſerantque ſpectatores ſuæ virtutis & hoſtium cædis, pugnam vincit, occiditque paulò minus octoginta millia. Confeciſſet hoc modo bellum Suetonius, niſi ex invidiâ ſucceſſor ipſi miſſus fuiſſet. *Tac. lib. 14. ann. cap. 29.*

Olympias 210. acta. Eſt annus Olympiadicus 837.
Victor Stadii *Athenodorus* Ægienſis tertium.
Annus Actiacæ victoriæ 91. incipit die 29. Aug.

Præfectus urbis Romanæ Pædanius ſecundus à ſervo occiditur. Ad ſupplicium igitur rapitur tota ejus familia, quincunque ſub eodem tecto fuerunt, ſervi ferè quadringenti, præter alia mancipia. *Tac. 14. annal. cap. 42.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei Judaici 31. incipit die 3. Septemb. fer. 5. Eſt hebdomas Danielis 70. incipiens anno Jud. 3829.

ANNNO MUNDI 4011. Poſt C. 62.
C. ☉ 15. ☽ 6.

Coſſ. P. Marius Celſus.
L. Aſinius Gallus.

His Calendis Julii, ut ex Tacito & Dione *patet, ſuffecti ſunt alii, ut L. Annæus Seneca, Trebellius Maximus, apud Juſtinianum.*

Burrhus *præfectus Prætorio moritur, morbo an veneno incertum: ejus & Senecæ conſiliis imperium hactenus ſteterat. Ideò Seneca ſublato collegâ, cùm minùs ſuccederent, quæ vellet, & in invidiam præterea vocaretur, ſubtrahit ſe negotiis anno decimo quarto, poſtquam præceptor Neroni datus eſſet, vacavitque ſtudiis ſapientiæ.* Tac. lib. 14. ann. c. 51.

Tigellinus *ſuffectus præfectus Prætorio invaleſcit apud Neronem, & ejus conſilio, cùm eſſet impuriſſimus & crudeliſſimus, Sulla & Plautus abſentes trucidantur: Octavia etiam conjux matrimonio exturbatur & adulter ipſi emitur, à quo coarguta adulterii, ſed non convicta, ipſa occiditur, & Poppæa in thalamum Neronis recipitur, cùm hactenus fuiſſet pellex.* Tacit. cap. 57.

Agrippa rex arcem ſuam Hieroſolymis ſplendidè ædificat eâ altitudine, ut proſpicere poſſet ad ſacrificia, quæ in templo fiebant. Pontifices hoc indignè ferentes, educunt transverſum parietem apud porticum. Agrippam hæc res malè habet, accuſat eos apud Feſtum præſidem, qui permittit petentibus Judæis, ut ipſis liceret de hâc causâ Romæ diſceptare, ubi adjuvante Poppæâ, conjuge Herodis, cauſam obtinuerunt, ſed Iſmael ſummus Pontifex & Legatus manet Hieroſolymis apud Poppæam. Fuit tum etiam Joſephus hiſtoricus Romæ, ut ipſe ait. *Agrippa*, cùm causâ cecidiſſet, Iſmaelem removet Pontificatu, & ſubſtituit ipſi *Ananiam*, Hannæ Pontificis filium minimum: atque ita is Hannas, qui Chriſto illuſit, felix fuit, ipſe enim fuerat ſummus Sacerdos, & filios ſuos quinque ſummos Sacerdotes habuit, & præterea generum Caipham. Hic Ananias, priusquam ſucceſſor Feſto adveniret, *Jacobum* fratrem Domini cum aliis quibusdam accuſat impietatis & damnat, eosque lapidandos populo tradit. Ideò Agrippa ipſi iratus, poſt tertium menſem eum iterùm Pontificatu removet, ſubſtituitque Jeſum Damneum. *Joſeph. lib. 20. c. 8.* Hunc Jacobum fabulatur Egeſippus ex tribu Levi fuiſſe, & lintea veſte indutum, & Nazareum, qui abſtinuerit à carnibus & vino. Sed falſum hoc eſt. Fuit enim frater Chriſti conſobrinus, & in ultima Cœna edit ac bibit.

Perſius *Poeta his Coſſ. annos natus 29. moritur, ex vitio ſtomachi, ut habet* interpres ejus.

Pallas *libertus Claudii, ob immenſas opes cum aliis libertis trucidatur.*

Parthi *iterùm irruerunt in Armeniam, & alio exercitu in Syriam, vaſtantque ejus propinqua. Corbulo partem exercitus Tigrani, Armeniæ regi, mittit, ipſe arcet Parthos à Syria, & minis perficit, ut Parthus omitteret bellum, & legatos de pace mitteret, qui infectâ re à Nerone dimittuntur; & novus ſucceſſor Corbuloni mittitur Cæſennius Pætus, qui imperitè bellum adminiſtrat, capit tamen quædam caſtella, & magnificè de ſuâ victoriâ ad Neronem perſcribit.* Tac. in pr. lib. 15.

Gymnaſium Neronis fulmine perit, & ſtatua ejus in eo aurea ad deforme æs liquefacta eſt. Tacit. lib. 15. cap. 22.

ANNO MUNDI 4012. Poſt C. 63.
B. ☉ 16. ☽ 7.

Coſſ. C. Memmius Regulus.
L. Virginius Rufus.

Lipſius ex marmore hæc prænomina hiſce Coſſ. facit.

Die quinto Febr. fuit terræmotus, quo deſedit Pompeji urbs Campaniæ celebris. Seneca lib. 6. nat. quæſt. c. 1. Tac. 15. ann. c. 22.

Parthi *ſibi cum imperito Duce rem eſſe vident, ideò redeunt, Pætum obſident, & adeò urgent, ut turpi fœdere cum hoſte depaciſceretur: Nero tamen ipſi ignovit Inde Parthi legationem Romam mittunt, pacem confirmaturi, & Armeniam ſibi ſumpturi: ſed utrumque*

ipſis

ipſis negatur, & bellum Corbuloni cum ſummâ poteſtate mandatur. Corbulo luſtrato exercitu, in Armeniam proficiſcitur, cui iterùm legati Volgeſi, Parthorum regis, obviam veniunt, veniam petitum. Tiridates ipſe ad Corbulonem venit, & in haſce conditiones paciſcitur, ut ipſe ad Neronem Romam abeat, hâc tamen conditione, ut priùs ſuos fratres & familiam conveniat. Tacit. lib. 15. annal. c. 25.

Marcus Evangeliſta, qui Alexandriæ ſederat, moritur, cùm Nero octavum annum regnâſſet, & ſuccedit ipſi Anianus quidam, qui officio præeſt annos 22. *Euſeb. lib. 2. Ecclеſ. hiſtor. cap.* 23.

Graviſſimus in Aſiâ terramotus hiſce Coſſ. cujus meminit Seneca in 6. nat. quæſt *quo ciciderunt Laodicea, Coloſſa & Hierapolis.* Euſeb.

Latrones Judæam crudeliſſimè vaſtant, & etiamſi Albinus procurator multos caperet, tamen ipſi contrà præcipuum virum aliquem abducebant, quem dimittere nolebant, niſi aliquot latrones viciſſim ab Albino dimitterentur. *Joſeph. lib.* 20. *c.* 8.

Agrippa rex pomœria urbis Cæſareæ Philippi amplificat, & urbem in honorem Neronis Neroniadem appellat. *Joſeph. lib.* 20. *c.* 8.

Jeſus Anani, plebejus quidam, primùm vocem illam ominoſam profert de futuris calamitatibus populi Judaici, quando per ſeptem annos continuò clamavit: Væ Hieroſolymæ & templo, &c. *Joſeph. lib.* 7. *belli Judaici cap.* 12.

ANNO MUNDI 4013. Poſt C. 64.
AG. ☉ 17. ☽ 8.

Coſſ. C. Lecanius Baſſus.
M. Licinius Craſſus Frugi.

Agrippa rex, Jeſum Gamalielis filium facit ſummum Sacerdotem, loco Jeſus Damnæi. Hinc diſſenſiones inter principes Sacerdotum ortæ, convicia jactata, aſſeclæ audaciſſimorum hominum aſciti; unde cædes ortæ, & res Judæorum in pejus prolabi incipiunt. *Joſeph. lib.* 20. *antiq. c.* 8.

Geſſius Florus ſuccedit Albino, homo impurus, cujus conjux à Pompæa Neronis conjuge ipſi hanc provinciam impetrârat, qui rapinis & crudelitate totam Judæam exhauſit, & ut Judæi de ipſo conqueri non poſſent apud Neronem, omni conatu in id ſtuduit, ut eos ad rebellandum inſtigaret. *Joſeph. lib.* 20. *cap.* 9.

Templum Hieroſolymitanum jam abſolutum erat, in quo hactenus opus fecerant quotidiè octodecim hominum millia, qui ex ea re victum ſibi quæſiverant, ne hi jam fame confligerentur, offerunt ſuam operam Agrippæ, qui ſe ipſorum operâ indigere negavit. *Joſeph.*

Nero *cùm indies cupidine ludorum flagraret, neq; tamen Romæ eorundem initium facere auderet, Neapolin, in Græcam urbem abit, ibique ludos inſtituit. Inde omiſſâ Achajâ in præſens Romam redit, provincias Orientales viſere cupiens, maximè Ægyptum, quam expeditionem tamen, cùm ad Veſtæ templum tremore interno ſubitò correptus eſſet, omiſit. Inde per omnia generis flagitia Nero volutatur, imò publicè, & quidem magnâ inſtitutâ pompâ, Pythagoræ cuidam nubit.* Tac. 15. ann. c. 13.

Incendium grande Romæ prorumpens ex prædiis Tigellinis præfecti prætorio, cui ſexto demum die apud imas Eſquilias finis factus, proruentibus per immenſum ædificiis: poſt iterùm invaleſcit, quo perierunt multa templa & porticus. Ortum incendium die 19. Julii, deſiit die 27. Julii. Ipſe Nero interim canit excidium Trojæ, & igne deletam urbem inſtaurat ad menſuram & compoſitè; firmiorem etiam contra incendia & ſalubriorem. Hiſce tamen omnibus efficere non potuit, quin autor incendii illius diceretur.

Ei igitur Rumori abolendo, *inquit Tacitus*, ſubdidit quoſdam reos, quos exquiſitiſſimis pœnis afficiebat, quos vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis Chriſtus, qui Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat, &c. Igitur primo correpti quidam, & deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii, quàm odio generis humani convicti ſunt, & pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi: atque ubi defeciſſet dies in uſum nocturni luminis urerentur. *Tacit. lib.* 15. *annal. cap.* 44.

Flammatio hæc fiebat hoc modo: Illi miſeri tædâ, papyro, & cerâ ſuperveſtiebantur, inde ſtantibus ad palum gutturi uncus ſuffigebatur, ne motatione capitis picem effunderent, aut ignem declinarent. Poſtea in lamina ardente pix aut unguen in caput liquefiebat, ita ut toti arderent, noctuque loco luminis eſſent. Tantus autem Chriſtianorum numerus ita combuſtus eſt, ut rivi pinguedinis humanæ, per arenam amphitheatri ſulcum facerent, ut Poetæ teſtantur. Dicebantur hi comburendi, Cerei, item Sarmentarii.

Petrus & Paulus in hâc perſecutione inprimis videntur martyrio coronati, quorum tamen martyrium à Scriptoribus in ſequentes annos dilatum eſt, ut Petro viginti quinque annos ſui Pontificatûs, ut ſibi perſuaſerant, dari poſſent. Quod tamen ſalvis Actis Apoſtolicis nunquam conficere potuerunt.

Annus Nabonaſſar. 812. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 388. *incipit die* 7. *Auguſti, fer.* 3.

Annus Alexandrinus Seleucidarum 376. *& Antiochenus* 113. *à Calend. Octobr.*

Nero *Imperator ſumit Tribunitiam poteſtatem undecimam die* 10. *Octobris.*

Nero decennalia agit *Xiphil.*

Muſonius, Philoſophus Babylonius, in carcerem à Nerone conjicitur, in quo moritur. Eſt alius à Muſonio, qui ſub Domitiano vixit. *Euſeb.*

Nero cùm ſumptibus non ſufficeret, Italiam & provincias exhaurit, & per Aſiam & Achajam templa diſpoliat. *Tacit. lib.* 15. *cap.* 45.

ANNO MUNDI 4014. Poſt C. 65.
F. ☉ 18. ☽ 9.

Annus urbis 857. *Julianus* 110.
Æra Hiſpanica 103. *Auguſtorum* 92.

Coſſ. P. Silius Nerva.
C. Julius Atticus Veſtinus.
Huic ſuffectus eſt: Anitius Cerealis.

Judæi Cæſarienſes amittunt ſententiâ Cæſaris jus civitatis, quâ injuriâ Judæi irritati ad defectionem ſe præparant, cùm Cæſarienſes inſuper Judæo-

dæorum Synagogam ibi profanarent, & Geſſius Florus ſeditionem gliſcentem inflammaret.

Die octavo Aprilis, cùm, quæ ad Paſchæ feſtum opus, præpararentur, lux ſplendida orta noctu in templo, horâ noctis nonâ, hoc eſt matutino tempore, eaque lux duravit ad dimidiam horam. Eodem die bos, cùm ſacrificanda eſſet, agnum peperit, & Orientalis porta ænea, quæ vix à viginti viris claudi poterat, quæ peſſulos habebat plures in ſaxum demiſſos, horâ noctis ſexta ſponte pateſcit. Sic eodem anno viceſimo primo Maji, hebdomade ante Pentecoſten, ante Solis occaſum, viſi ſunt in aëre ferrei currus, & acies armatæ, urbi circumfuſæ. Et feſto die Pentecoſtes noctu, cùm Sacerdotes ingrederentur, audita vox eſt, *Migremus hinc. Joſeph. lib. 7. belli cap. 12.*

Conjuratio valida, contra Neronem inita, autore Calpurnio Piſone, adjuvantibus Lucano Poeta, Plautio Laterano, qui Conſul in menſem Julium deſignatus erat, & multis aliis. Ea detegitur per Milichum libertum Scevini, qui ſicam ad trucidandum Neronem ferebat. Interficiuntur conjurati, & inter eos etiam innocens. Seneca, qui mori juſſus aperuerat venas in brachio & pedibus; ſed ita cruciatus etiam cicutam bibit, & tandem ſtagnum calida aqua init. Uxor ejus prohibita eſt mori, cum jam plurimum ſanguinis emiſiſſet: ideò per totam vitam poſtea pallida fuit. Conſul etiam Veſtinus occiſus, & multi alii. Flavius Tribunus particeps conjurationis Neroni in os dixit: Fideliſſimus tibi fui, ſed odiſſe te cœpi, poſtquam Parricida matris & uxoris, auriga, hiſtrio & incendiarius extitiſti. *Patefacta eſt conjuratio ludis Circenſibus poſt diem 19. Aprilis. Ideò menſis hic Neronianus dictus eſt.* Tac. lib. 15. cap. 54.

Corbredus, Scotorum rex, cum præfuiſſet annis decem & octo, moritur; ſuccedit *Dardanus*, qui regnat annis quatuor. *Buchan.*

Theſaurorum in Africa occultatorum indicium ad Neronem perfertur, ſed illud vanum fuit, & qui miſſi ſunt, ut adveherent aurum ludibrio ſunt habiti. Interea temporis Neronia *acta, cum ſecundum luſtrũ adveniret, in quo Oratoribus in laudem principis materia de inventis theſauris aſſumta eſt. Nero ipſe theatrum ingreſſus cunctis Citharæ legibus obtemperavit. Spectatores per vim retenti ſunt, multi extincti, aut pro mortuis elati. In periculo etiam fuerunt, qui Imperatorem oſcitantius ſpectarent, inter quos Veſpaſianus fuit* Tac. l. 16. cap. 2.

Olympias 211. hoc eſt annus Olympiadicus 841. agi debuit ſolenni ludorum celebratione, ſed ii dilati ſunt in adventum Neronis, qui intereſſe ludis & ipſe certare volebat, quod factum eſt poſt biennium, ut index Olympicus Africani habet.

Archon apud Athenienſes hoc anno fuit *Demoſtratus.*

Annus Actiacæ victoriæ 95. incipit die 29. Aug.

Poppæa *uxor Neronis mortem obit, fortuitâ mariti iracundiâ, ictu calcis afflicta, cum gravida eſſet. Cui publicas exequias duxit, laudeſque in roſtris dixit.* Tac. lib. 16. cap. 6.

Nero *iterum multos clariſſimos viros Romæ occidit, & in his Silanum, item L. Veterem, cum ſocru & filiâ* Tac. cap. 9.

In Campaniâ magna & prodigii loco tempeſtas. Romæ verò peſtis violenter & inter pauperes & inter illuſtres graſſatur, quâ triginta millia funerum in rationem Libitinæ venerunt. Tacit. Suet.

Nero *ducit uxorem Statiliam Maſſalinam, cujus virum Veſtinum Conſulem hoc anno trucidaverat.* Sueton.

Florus præſes, cùm Hieroſolymis à populo conviciis proſciſſus fuiſſet, Hieroſolymam aſcendit cum militibus, & forum rerum venalium militibus prædæ dat; milites acceptâ hac licentiâ, ferè totam urbem ſpoliârunt, & præterea ſexcentos trucidârunt. *Joſeph.*

ANNO MUNDI 4015. Poſt C. 66.

E. ⊙ 19. ☽ 10.

Coſſ. C. Suetonius Paulinus.

L. Pontius Teleſius.

Socianus *quidam, qui carminibus Neronem læſerat, extra Italiam pulſus fuerat. Ut reſtitueretur, accuſat P. Antejum & Oſtorium, quod Neronis fata ſcrutarentur; ideò miſſis navibus Romam reducitur, ubi accuſationem peragit, & convictos ad mortem adigit. Inde in Tacito longa ſeries recenſetur clariſſimorum virorum, quos Nero occîdit inter quos etiam eſt* Petronius *Poeta, qui voluptatibus plerumque totus merſus fuit. Interdum tamen ſe vigentem, & negotiis parem oſtendit. Ideò etiam Proconſul in Bithyniâ fuit.* Tacit. lib. 16. ann. c. 17.

Florus, menſe Majo, iterùm Hieroſolymam proficiſcitur, & in Judæos debacchatur: intercedit quidem Berenice, ſoror Agrippæ, ſed & ipſa ludibrio habetur. Accidit id die 16. Maji. Inde Florus milites Cæſarea accerſit in urbem, quibus obviam, volente ſic Floro, procedunt Judæi. Milites contrà ſalutantibus non reſpondent, ſed irrumpentes in turbam, cædunt quoſvis, unde multi occiſi ſunt: plures tamen ab ipſis Judæis in anguſtiis viarum contriti ſunt. Florus interim occupat Antoniam arcem, & inhiat theſauris templi. Judæi, ne ipſi aditus ſit in templum, porticum evertunt, atque ita provocati initium belli faciunt. *Agrippa* rex metuens populo Judaico, Hieroſolymam venit, & prolixa oratione pacem ſuadet, & perſuadet quibuſdam, ſed ſeditioſi prævalent, qui templum occupant, & reliquos, qui pacem malebant, in ſuperiori urbe oppugnant. *Joſeph. 2. bell. c. 15. 16.*

Nero proficiſcitur in Campaniam, occurritque Teridati, qui in Oriente advenerat, petiturus reregnum Armeniæ. Advenit cum tribus millibus Parthorum, quos per novem menſes, quibus iter fecerant, Nero ſuis ſumptibus deduxit, eique obviam in Italia miſit currus, & eum primum Neapolin deducit. Inde Puteolis ipſi Gladiatores exhibuit, & tandem Romam deducit. Perſuadere Teridati non potuit, ut gladium deponeret: ne tamen quid conari velle armis putaretur, clavo illum vaginæ affigi curavit. Nero Romæ Teridati diadema imponit, eumque Armeniæ regem proclamare jubet. Inde conventus in Theatro à Senatoribus actus ubi omnia inaurata fuerunt, & Peripeteſmata, quæ ſuſpenſa fuerant, ad arcendum æſtum purpurea. Poſt hæc Nero publicè cithara cecinit quem ea de cauſa Teridates reſpexit, & contra Corbulonem laudavit, in quo tamen hoc reprehendit, quòd talem Dominum ferret. Inde Teridates per Aſiam in regnum rediit, & Artaxatam urbem permiſſu Neronis inſtauravit. *Xiphil.*

Dum Teridates Romæ eſt, Nero Thraſeam & Barcam Soranum, pariterque alios innocentiſſimos

mos juxtà & præſtantiſſimos, ad mortem adigit, & virtutem quaſi ipſam, quantum in ipſo fuit, exſcindere conatus eſt. Tac. l. 16. c. 29.

Seditioſi Hieroſolymis, die 14. Auguſti Agrippæ regis palatium cremant, & inde archivo, ubi cuſtodiebantur publicæ & privatæ literæ, ignem inferunt, ut omnium debitorum ratio extingueretur. Xylophorias feſtum hoc die celebratum eſt, die 4. Ab. feriâ quintâ. Die 15. Auguſti Judæi Antoniam oppugnant, & Menahemus cum multis abit Maſſadam, ubi armarium erat Agrippæ, & arma pro ſeptuaginta millibus hominum, ut alibi habet Joſephus, & id caſtellum expugnat, potitusque armis ſeditioſos inſtruit, & expugnatâ turri tandem obſeſſos adigit, ut de pace agerent; quod accidit die 6. Septembris. Sequenti die Pontifex Ananias capitur, & à latronibus interficitur, cum Ezechiâ fratre. Rurſum latrones illi inter ſediſſentientes, Manahemum interficiunt, & Eleazarum ducem faciunt, & præſidium Romanum obſident: quòd cùm deſtitueretur commeatu, traditis armis de abitu paciſcitur: ſed contra datam fidem omnes ſimul trucidantur, idque die Sabbathi. *Joſephus 2. belli c.* 17. Eodem die Cæſarienſes Judæos ſecum habitantes trucidant, viginti millia hominum, quâ clade efferati Judæi Græcis in aliis urbibus paria reddunt, & multas urbes occupant, vaſtant, & homines interimunt. Græci contrà in totâ Syriâ metuentes ſibi à Judæis, & ne clade aliquâ afficerentur, arma capiunt, & Judæos, qui in ſuis urbibus per totam Syriam habitabant, oppugnant; atque ita in ſingulis urbibus binæ erant acies, Judæorum & Græcorum oppoſitæ, & infinita hominum millia interibant, quorum numerus inire non potuit, quòd inſepulti projicerentur. Alexandriæ in Ægypto in hac diſſenſione quinquaginta millia hominum occiſa fuerunt: ita ut tota provincia Syriæ plena eſſet innumerabilium calamitatum. *Joſeph. 2. belli cap.* 19.

Nero, *ludorum cupiditate flagrans, expeditionem ſuſcipit in Græciam: ſed eò profectus eſt, non ut olim Flaminius, Glabrio aut Mummius, ſed inſtructus Citharœdis, & cum militibus, qui citharas, perſonas & ſoccos ferebant.* Xiphil.

Ceſtius Gallus, Præſes Syriæ, ut bello huic Judaico obviam iret, tandem proficiſcitur Hieroſolymam, aſſumptis regum auxiliis, eoque pervenit die primo Scenopegiorum, qui inciderat in diem 23. Octobris, cui Judæi, contemptâ feſtivitate, obviam occurrunt, in Romanum exercitum irruunt, & ad quinquentos milites occidunt. Ideò Ceſtius firmatis caſtris triduo quieſcit; usque ad diem 27. Octobris, quo Agrippa binos legatos ad Judæos de pace mittit, quorum alter ſtatim occiditur, alter vulneratus effugit. Ideò Ceſtius propiùs ad urbem acceſſit, præſertim cum comperiret, multos Judæos pacem malle quàm bellum, atque ita diſcordia inter eos gliſceret, & triduo diſcordiarum eventum expectat. Quarto autem die, qui erat triceſimus Hyperberetæi ſive Octobris, urbem aggreditur, quâ potitus eſſet, niſi Florus autor belli, fraude rem impediviſſet. Principes etiam civitatis urbem dedere cupiebant, ſed re detectâ à ſeditioſis interficiebantur. Cùm itaque quinque diebus urbi aſſediſſet, ſexto die, qui erat dies quartus Novembris, templum aggreditur, quod ſimiliter expugnâſſet, ſi perſeverare voluiſſet, cùm in ipsâ oppugnatione portas aliqui aperire Romanis conarentur. Sed *Ceſtius* exercitum in caſtra reducit, & ſequenti die longiùs ab urbe regreditur, quem inſecuti Judæi multos noviſſimorum occìdunt. Ceſtius igitur communitis caſtris biduo ibi ſedit, ſed cùm Judæorum copiæ augerentur quotidiè, ſibi abeundum eſſe videt. Progreditur itaque cum exercitu, ſed Judæi ſumptis animis atrociter in exercitum ejus invehuntur, & multos cædunt, & longè plures occidiſſent, niſi nox interveniſſet. Cùm igitur diſcedere cuperet, relinquit in caſtris quadringentos milites, & omnes munitiones & machinas, fugitque noctu. Judæi contrà, dum orto die vident ſe ab his quadringentis, qui plurimos ignes noctu fecerant ad decipiendos Judæos, captos omnes ad unum interficiunt, & *Ceſtium* inſequuntur ad Antipatridem usque, ad tria milliaria ferè Germanica; & Judæi reverſi Pæana cadunt, occiſos ſpoliant, & machinas Hieroſolymam adducunt. Perierunt Romanorum ad ſex millia, & Geſſius Florus autor belli ſimul, *ut Joſephus habet in ſua vita. Ceſtius* hæc omnia perſcribit ad Neronem, qui tum erat in Achaja, & culpam omnem in Florum derivat. Judæi contrà in templo præfecturas diſtribuunt, & Duces rerum gerendarum conſtituunt, ubi Joſephus hiſtoricus utramque Galilæam regendam accipit. *Joſephus lib. 2. cap. 23. 24.*

Damaſceni, dum Ceſtius prope Hieroſolymam eſt, Judæorum ibi decem millia occìdunt. *Joſephus cap. 25.*

ANNO MUNDI 4016. Poſt C. 67.
D. ☉ 20. ☽ 11.
Coſſ. L. Fontejus Capito.
C. Julius Rufus.

Onuphrius *ſufficit hiſce Imperatorem ſolum, ſed* Suetonius & Xiphilinus *habent, Neronem ſuffectum fuiſſe Conſulibus, quando de Galliarum motibus jam inaudiverat; id quod factum eſt tandem ſequenti anno, poſt diem viceſimum primum Martii; & nihil eſt in Suetonio, quod innuat eum Conſulatum ante Calendas iniiſſe.*

Nero certior factus de clade Ceſtii, *Veſpaſianum* Ducem cum ſummâ poteſtate in Judæam mittit ad debellandos Judæos; nec *Veſpaſianus* rebus deeſt, ſed totâ hyeme copias collegerat, & filium *Titum* in Ægyptum miſerat, ut binas legiones in Judæam inde traduceret. Ipſe primo vere per Helleſpontum terrâ profectus, in Galilæam venit, & Gadaram urbem capit, & Jotapatam urbem munitam obſidione cingit, die viceſimo primo Maji: in eâ urbe Joſephus erat Dux, qui acriter urbem defendit. *Veſpaſianus* verò, cùm exercitus jam oppugnando defeſſi eſſent, firmata obſidione, cum parte exercitûs prædatum in Galilæam abit, & Japham urbem die viceſimo quinto excindit, & ad Samariam undecim Judæorum millia per Cerialem die viceſimo ſeptimo Junii trucidat, & ad obſidendam Jotapatam redit, eamque

eamq; capit die quadrageſimo ſeptimo obſidionis, die primo Julii. *Ioſephus in pr. lib. 3. belli Iud.*

Nero, *dum in Græciâ eſt, nuptias celebrat cum Sporo homine exſecto, quas nuptias Græci ſolenniter celebrârunt, & precati ſunt, ut ipſis legitimi liberi ex hoc conjugio naſcerentur: atque ita Nero, cùm nupſiſſet publicè Pythagoræ, ut fœmina, jam ducit majorem uxorem, ut vir, & turpiſſimè init & initur.* Xiphilinus.

Olympias 211. tandem agitur. Victor Stadii fuit Tryphon, *Philadelphienſis* Xenodamus *verò Pancratiaſta Anticyrenſis viros vicit, & oleaſtro coronatus eſt. Hæc Olympias prætérita eſt in Eleorum libris.* Pauſan.

Nero *in Olympico certamine currum agitavit, & cùm ex eo cecidiſſet, ut ferè caſu contritus eſſet, tamen coronatur: quapropter Hellanodicis dedit decies ſeſtertium, quos tamen Galba poſtea Reipubl. reſtitui juſſit. Certavit in omnibus urbibus, ita quibus ludi agerentur. Athenas tamen non venit, nec Lacedæmonem. Græcos verò omnes liberos pronunciavit, & ne populus Romanus, cujus provincia Græcia erat, hoc moleſtè ferret, Sardiniam, quæ ſua erat provincia, populo Romano tribuit.* Xiphil. Suet.

Veſpaſianus Galilæam exercitu peragrat, & Tarichæas ad lacum Gennezareth capit, ubi ex captivis ſex millia elegit, quos in Achajam miſit ad Neronem, ad Iſthmum perfodiendum, idq; accidit die octavo Septembris. Inde Gamalam urbem, quæ erat Romanæ ſocietatis, ſed rebellaverat, poſt menſem, die viceſimo tertio Octobris capit. Inde Giſcala evertitur, atq; ita tota Galilæa recepta eſt. *Ioſeph. l. 2. c. ult.*

Ioſephus captâ Jotapatâ, ſimul ad Veſpaſianum pervenerat, à quo in vincula conditur ad Neronem mittendus: ſed dum Veſpaſiano & Tito prædicit, eos Imperatores futuros, retinetur in vinculis integro biennio. *Ioſeph. lib. 2. belli cap. 14.*

Totâ hâc æſtate Hieroſolymis diſſenſionibus certatur, cum Idumæi etiam eò pervenirent, & multa millia civium trucidantur. *Ioſephus.*

Nero *voluit Iſthmum Peloponneſi perfodere, ſed qui primùm rem aggreſſi ſunt, viderunt ſanguinem ex terrâ erumpentem, & auditi ſunt mugitus & lamenta terræ, & viſa ſpectra: nihilominùs tamen ipſe, ſumpto ligone fodere incipit, & alios ita ad aggrediendum animat. Miſſa ſunt eò multa hominum millia ex omnibus provinciis. Inde cùm multis ſumptibus ad hanc rem indigeret, ditiſſimos quoque in Achajam evocavit, tanquam eorum operâ uſurus eſſet, quos ibi poſtea occidit, & bona publicavit. Inter hos fuit Corbulo clariſſimus Dux, item Sulpitius Scribonius, & alii.* Dio, Pauſanias in Corinth. Plin. lib. 4. cap. 4.

ANNO MUNDI 4017. Poſt C. 68.

CB. ☉21. ☽12.

Coſſ. C. Silius Italicus.
M. Galerius Turpilianus.

Silius *hic celebris ille eſt Poeta, qui bellum Punicum deſcripſit, de quo* Plinius. *Hoſce conſules, cùm ad urbem Nero veniſſet, juſſit abdicare, & ipſe Conſul ſolus factus eſt, cùm putaret, Gallias non niſi per Conſulem debellari poſſe.* Sueton.

Cùm multi Romæ eſſent, qui conſpirabant contra Neronem, Helius præfectus urbis ſæpiùs Neronem de hiſce admonuerat per literas, ſed cùm nihil efficeret, ipſe ad eum abit, ut rediret. Perfectum eſt hoc iter ſeptem diebus. Inde Nero etiam in Italiam properat, cùm adhuc hyems eſſet. Inde venit Neapolin, ubi albis equis urbem introiit, disjecta parte muri, ut mos eſt hieronicarum: ſimili modo Antium ingreſſus eſt, & Albam, & inde Romam. Sed Romam ingreſſus peculiari pompâ, de quâ Suetonius. Neapoli autem dum fuit, primum audivit de defectione Galliarum, idque die, quo matrem occiderat, die 21. Martii. Suetonius & Xiphilinus.

Cùm tanti tumultus eſſent Hieroſolymis, Duces ſuadent Veſpaſiano, ut diſſentientes opprimat, & Hieroſolymam oppugnet: ſed id improbat Veſpaſianus, cùm hoſtes ſeſe diſſenſionibus ſuis infirmiores reddant, & ſui milites interim in hybernis reficiantur. Tandem tamen cùm & profugi Judæi hortarentur, ut propiùs Hieroſolymam caſtra moveret, ut ſervarentur ii, qui Hieroſolymis Romanis faverent, in Gadaram trans Jordanem venit die 4. Martii, atque regionem, quæ trans Jordanem eſt, Romanis ſubjicit. Sicarii interim, qui Hieroſolymis erant, Maſſadam arcem occupant, & ex Engaddi in feſto Paſchatis commeatum in Meſſadam, quæ inexpugnabilis videbatur, inferunt. *Ioſeph. lib. 5. belli cap. 3.*

Veſpaſianus circa id tempus audit de motibus Vindicis in Gallia, nihilominùs tamen Idumæam adhuc ſibi ſubjicit, & die 2. Junii Hierichuntem venit; inde præſidiis diſpoſitis, cùm nihil reſtaret, præterquam urbs Hieroſolyma expugnanda, abit Cæſaream, exercitum adducturus, & Hieroſolymam obſeſſurus: ibi audit, Neronem eſſe occiſum, & Galbam Cæſarem creatum, ideò externa arma, priuſquam novi Imperatoris conſenſum haberet, movenda non putavit, ſed exercitum in nomen Galbæ jurare coëgit, & filium ſuum Titum Romam mittit. *Ioſeph. cap. 4.*

Julius Vindex *Proprætor in Galliis, cùm Galli exhaurirentur exactionibus, atque ideò Imperatori infenſi eſſent, exhortatur eos ad rebellionem, iisq; tandem perſuadet. Priuſquam autem rebellionem apertè præ ſe ferret, ſcribit ad Sulpitium Galbam, qui Hiſpaniis Proconſul præerat, & ipſi imperium offert. Galba cunctandum non ratus, quod comperiſſet, Neronem de ſe interficiendo mandata ad procuratores in Hiſpaniis miſiſſe, & etiam quòd, cùm ſacrificaret, puero miniſtro ad aram adſtanti capillus toto capite caneſceret, quo ſignificari credidit ſe ſenem juveni in imperio ſucceſſurum. Ideò abraſo nomine Neronis ex ſignis ſuum inſcribit. Interim Nero proſcribit Vindicem in Galliis,*

& ejus

& ejus percuſſori promittit centies ſeſtertium , ferè quadraginta aureorum millia. Vindex contrà proſcribit Neronem , & ejus percuſſori promittit ſuum ipſius caput. Ruffus autem præſes Germaniæ accerſitur ad opprimendum Vindicem: ſed dum advenit, privato colloquio à Vindice perſuaſus, arma ſociat. Milites hujus rei ignari , quoſdam ex exercitu Vindicis trucidant, qui putat ſe proditum, & ſeipſum jugulat. Xip.

Nero *Romæ init Conſulatum , & omnem Senatum veneno tollendum in animo proponit, ſed deſperans de ſucceſſu tandem, cùm ab omnibus deſereretur, fugit, & ſeipſum interficit, die 9. Junii , anni ſpatio & viginti duobus diebus, priusquam Veſpaſianus fieret Imperator. Imperavit autem* Nero *annis 13. menſes 7. dies 28. Succedit* Galba.

Annus Nabonaſſaris 816. & Philippi ac mortis Alexand. 392. incipit die 6. Aug. fer. 7.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 380. & Antiochenus 117. à Calendis Octobr.

Annus ſabbathicus ſeptimus ſive Jobeleus Judaicus tricesimus, primus & ultimus, incipit 15. Sept. fer. 5. Eſt hebdomas Danielis 70. completa, quam ſequitur excidium politiæ Judaicæ. Anno Jud. 3829.

Hoc anno prata oleæque ; intercedente via publica, in contrarias ſedes ultra viam publicam ſpontè tranſierunt in agro Marrucino, in prædiis Vectii. *Plin. lib. 2. cap. 83.*

Galba *Imperator ad urbem venit, à quo petunt Prætoriani Neronis, ut in eodem gradu militiæ relinquantur, quo hactenus fuerant . Sed Galba ſe deliberaturum reſpondit, illi contrà tumultuantur; ſed Galba qui dixit, ſe non emere militem, ſed legere, immiſſo exercitu 7000. Prætorianorum occidit, & reliquos mortem deprecantes decimavit.* Xiphil.

ANNO MUNDI 4018. Poſt C. 69.
A. ☉ 22. ☽ 13.

Annus urbis 821.	*Iulianus 114.*
Æra Hiſp. 107.	*Auguſtorum 96.*

Coſſ. Imp. Sulpitius Galba.
T. Vinius Criſpinus.

Vitellius *miſſus fuerat à Galba, ſuperiori anno , in Germaniã, & eò pervenerat circa Decembrem: exercitus verò infenſus erat Galbæ, quòd donativum militibus diſtribuere nollet, ideò exercitus ſuperioris Germaniæ; Calendis Jan. imagines Galbæ à ſignis diripit, & in acta Senatus jurat. Tertio Januarii inferior exercitus, ubi Vitellius erat, creat Vitellium Imperatorem: idem facit poſtea ſuperior exercitus.* Galba, *cùm hæc audiviſſet, Piſonem adoptat in filium, creatq; eum Cæſarem, cùm aliàs filium non haberet , die 10. Januarii.* Sed M. Salvius Ottho , *quòd ipſe adoptatus non eſſet, Prætorianis promittit donativum, & conjurat contra Galbam, occiditq; eum,* & *Piſonem, & Vinium Conſulem, & occupat imperium. Laſcivè hic vixit, & deterior fortaſſe fuiſſet, quàm Nero: vitia tamen , cùm audiret, Vitellium ad urbem properare, texit, quantũ potuit, & init cum fratre Conſulatum Calendis Martii. Interim Vitellius cum tota mole belli in Italiam tendit, quem boni ominis causâ prævolat aquila, priusquam in Italiam veniret.*

Tigellinus, *qui tot ſcelera apud Neronem commiſerat, trucidatur.* Tacit. 1. hiſtor. cap. 72.

Ottho *obviam proficiſcitur Vitellio primo vere ad Bebriacum, ſed vincitur. Ideo paulo poſt ſeipſum occidit fortiſſimè, cùm turpiſſimè vixiſſet. Factum die 20. Aprilis, & Vitellius venit Romam. Iisdem diebus Tiberis totam Romam inundat, & magna clade urbem afficit, cùm paſſim ædes aqua reſoluta ruerent.* Tacit. cap. 86.

Xiphilinus *annotat hoc anno duas eclipſes Lunares, easq; affirmat fuiſſe præternaturales. Nihil autem exſtat, quod ſciam apud autores, de eclipſibus Lunaribus præternaturalibus. Ideò inquiſitione facta, invenio hoc anno binas eclipſes naturales, & prior quidem accidit paulò poſt Otthonis mortem, die 25. Apr. hora 5. poſt mediam noctem, ubi Latitudo vera 28, 46. Semid. Lunæ 16, 12. Summa Semidiametrorum 59. 9. ſcrup. reſidua 30, 33. Digiti eclipſici ferè 12. Sol in ſecundo gradu Tauri.*

Vitellius, *cùm Romam veniſſet, ſecurus jam belli, in inſitatas voluptates devolvitur. Antequam in Germaniam abiret, tantum æris alieni habebat, ut præ concurſu creditorum vix domum ingredi poſſet. Jam Imperator nemini quicquam ſolvere voluit, ſatis magnum beneficium eos habere dicens, quòd non interficerentur. Cæterùm ſumptuoſiſſimè vixit: ſeptem menſium enim ſpatio in cœnas abſumpſit novies millies ſeſtertium. ferè quadraginta milliones, cùm unâ aliquando cibi patina conſtiterit ultra quadraginta florenorum millia , ut* Xiphilinus habet. *Edixit Mathematicis, ut certa die urbe & Italia excederent: ipſi contrà in tabula quadam ipſi præſcribunt , ut ante Calendas Januarii proximas vita abiret; & trucidatus eſt Vitellius, priusquam is dies adveniret.* Xiphil.

Veſpaſianus juſſerat exercitus in Syria & Ægypto jurare in verba Vitellii. Sed Licinius Mutianus præſes in Syria, & Tiberius Alexander in Ægypto, Vitellium Imperatorem abominabantur, ideò Mutianus exhortatur Veſpaſianum, ut ipſe imperium ſuſcipere velit, & tandem, ipſis Calendis Julii Tiberius Alexander milites ſuos jubet in verba Veſpaſiani jurare, & ipſum proclamat Imperatorem. Exercitus verò eum ſalutat Imperatorem, die 3. Julii. Et ex Calendis Julii hoc modo imperavit Veſpaſianus annos novem, menſes undecim, dies quatuordecim, dies quatuordecim. Cùm verò ſciret, quanta moles belli inſtaret, ut & pecunia & commeatu inſtructus eſſet; ipſe Ægyptum ſibi ſumit, & Mutianum cum exercitu mittit terra in Italiam; cùm navibus non poſſet. *Antonius* primus de hac re certior factus, ipſe etiam proclamat Veſpaſianum Imperatorem, & in Italiam tendit. *Tac. 2. hiſt. c. 79.*

Joſephus hiſtoricus hactenus in vinculis habitus, circa menſem Auguſtum catenis inciſis ab Imperatore ſolvitur, & libertate donatur, & apud Imperatorem in honore eſt. Hoc tempore, cùm tota Judæa præſidiis Romanis teneretur, nihil reſtabat, niſi Hieroſolyma expugnanda, & tria caſtella: Herodium, Maſſada & Macharon. *Joſeph. 15. belli cap. 12.*

Olympias 212. acta. Eſt annus Olymp. 845.
Victor Stadii *Polites* Ceramita. Sic, *ut Pauſanias habet, Artemidorus* palmam cepit Olympicam.
Annus Actiacæ victoriæ 99. incipit 29. Aug.
Dardanus Scotorum rex, cùm annos quatuor regnaſſet, moritur; ſuccedit *Corbredus* ſecundus, qui regnat annis 35. *Buchan.*
Antonius , *qui in principio hujus anni Sarmatas, in Mœſiam irrumpentes, & omnia latè vaſtantes,*

ad internecionem ceciderat, primus in Italiam venit, cui Vitellius opponit Ducem Alienum, *virum Conſularem, qui Cremonenem urbem occupat. Inde eclipſis Lunæ accidit*, ut Xiphil. habet.

Eclipſis hæc Lunaris accidit die 18. Octobris, feriâ quartâ, horis ferè decem poſt meridiem. Latitudo vera auſtralis fuit 31.2. Semidiam Lunæ 18,0. Summa Semidiametrorum 64,9. Scrup. reſidua 33,7. Digiti eclipticis ferè 12. Sol in 24. Libræ.

Valdè terribilis fuit hæc Eclipſis, cum ſanguinolenta eſſet, & cruorem præ ſe ferret. Ideò Alienus Dux ſuadet militibus, cùm Veſpaſianus tot exercitus habeat, ut ad ipſũ tranſeant, & perſuadeat initio militibus, ſed poſt pœnitentes facti ſigna Vitellii reſumunt, & Ducem ſuum in vincula conjiciunt, & poſt paucos dies poſt eclipſin, cùm Luna adulta nocte oriretur, etiã noctu acerrimo prælio decertant, in quo ad triginta hominum millia cæſa ſunt. Vincuntur tandem Vitelliani, qui ducem ſuum ex vinculis ſolvunt, & deprecatorem eum ſibi ſumunt: Qui quidem in gratiam recipiuntur, ſed hoc modo perit Cremona urbs, cum anno 286. ſtetiſſet. Tac. 3. hiſt. c. 34.

Vitellius, *cùm die 18. Decembr. audiviſſet, etiam alterum exercitũ, qui Narniæ erat, ad partes Veſpaſiani conceſſiſſe, abdicare ſe vult imperio. Sed poſtero die perſecutus Veſpaſiani fratrem, & Domitianum filiũ in Capitolium, id incendit. Tandem Antonius ad urbem properat, ubi milites Vitellium deprehenſum crudeliter habent, & tandem occidunt die 22. Decemb.*

Civilis *regia ſtirpi apud Batavos oriundus, cùm ſimularet in initio, ſe cum Veſpaſiano ſentire, tandem Batavos, Caninefatesq́, & alios ad arma impellit, hyberna Romanorũ capit, ipſos prælio vincit, & Germanos ſollicitat, Gallosq́, etiam ſibi ſocietate conjungere cupit. Flaccus Herdonius iĩ Batavis præerat, ſed conſcientiâ virium ſegniter rebellibus it obviam ideò tandem à rebellibus obſidetur, & à ſuo ipſius exercitu interficitur.* Tac. 4. hiſt. cap. 14. 16.

ANNO MUNDI 4019. Poſt. C. 70.

G. ☉ 23. ☽ 14.

Coſſ. Imp. Veſpaſianus II.
Titus Veſpaſianus.

Hiſce, Calendis Julii, ſuffecti ſunt Flav. Domitianus, & M. Licinius Craſſus Mutianus II. quibus ſucceſſerunt Calendis Septembr. item Novembris alii atque alii.

Titus cum patre præcedenti anno in Ægyptum abierat, ſed certior factus de victoria ſuorum, & oblato Conſulatu, hyeme adhuc in Judæam redit, bello finem impoſiturus. Judæi verò Hieroſolymis trifariam inter ſe diviſi erant, diſcordesque, & ut aream haberent, in qua de pugnare poſſent, domos propè templum cremant, & ſimul granaria publica cum frumento, quod in multos annos ſufficere potuiſſet. Interim Titus cum exercitu accedit, caſtraque locat, in quæ invehuntur Judæi ſumma vi. Ideò muro conatur eruptionem eorundem prohibere, ſed circa eam munitionem plurima fiunt prælia, & Titus aliquoties in præſentiſſimo fuit diſcrimine. *Joſeph. lib. 6. cap. 1.*

In Germania audita Vitellii mors acriores turbas concitat. Civilis ille Batavus aperte ſe hoſtem Romanorum profitetur, cum Gallis amicitiam firmat, Romanos obſidet, eosq́, tandem, ut in ſua verba jurent, cogit, quemadmodum & Coloniam Agrippinam. Tac. lib. 5. hiſtor.

HIEROSOLYMIS, cum feſtum Paſchatis adveniret, quod incidebat eo anno in diem 14. Aprilis, ut ſolenni celebritate agi poſſet, *Eleaſarus*, qui cum Zelotis templum occuparat, illud populo aperit: ſed Johannes alter Dux, qui inferiorem civitatem tenebat, ſubmiſſis armatis Zelotas templo ejicit, & id occupat, atq; ita jam duo tantum Duces erant, cum tertius hoc modo intercidiſſet. Interim Titus omnia circum murum complanat, & primum murum acriter impugnat, quod videntes Judæi, in concordiam coeunt, jurantque pacem inter ſe contra Romanos, ſed nihilominus murus primus capitur die 5. *Maji*, & paulo poſt potitur ſecundo etiam, quo tamen fraude Judæorum ejicitur: ſed eundem recuperat. Interim ingens fames in urbe exorta, qua multi defuncti ſunt, quorum miſertus Titus, mittit Joſephum, qui iis perſuadeat pacem: ſed jaculis Joſephus petitur, & vix conſervatur. Cum verò multi fame coacti ad Romanos transfugerent, nemo recipiebatur, ſed omnes repellebantur in urbem: cum vero nollent regredi, omnes crucibus affixit, ut cæteri in urbe manerent. Sed famis atrocitas fecit, ut ſponte ad hoc ſupplicium concurrerent, adeo ut ſpatium crucibus, & cruces crucifigendis deeſſent: tandem manus transfugis abſcindit, & eos in urbem redigit. Interim à duodecimo Maji per dies ſeptendecim quatuor aggeres facti, quos Judæi eorumpentes omnes comburunt. Cum igitur Judæi adeo ruerent in mortes, & cum deſparatis pugnare tutum non eſſet, & tantum exercitum ceſſare minimum deceret, muro civitatem circumdare conatur, ut intus fame concluſi, per ſe conficerentur. *Murus* itaque conſtruitur, qui erat ſtadiorum 39. habebatque caſtella tredecim, quorum unumquodque decem ſtadia gyro ſuo complectebatur, idque totum opus tridui ſpatio confectum eſt. Inde alios aggeres conſtruit, etſi ligna non jam haberet, & à nonageſimo ſtadio apportanda eſſent. Joſephus cum in urbe parentes utroſque habuit, quos Judæi, ne transfugerent, in vinculis habuerunt. Ex eo tempore multis modis oppugnatio tentata eſt. Die 17. Julii ex penuria Sacerdotum ceſſavit juge ſacrificium, qua de cauſa populus Judaicus plurimum doluit: quod ſentiens Titus iterum Joſephum ad pacem conciliandam mittit, ſed reſpondetur ei, urbem Hieroſolymam nunquam deſtrui poſſe, cum ſit civitas DEI. Ideo oppugnatio continuatur, & tandem die 8. Auguſti templum oppugnatur, ubi Romani, cum aliter non poſſent, portis & porticibus ignem ſub-

ſubjiciunt, ſed via jam patefacta, Titus juſſit ignem extingui, ne templum cremaretur; quod omni ope conſervandū decernit; ſed Judæi in templum perfugiunt, & ex eo pugnant, quib9 ut reſiſtere poſſet, miles quidā templo ignem infert, quod adeò repente ignem cōcepit, ut nulla ope ignis deleri potuerit. Titus tamen, quæ in templo erant, primùm omnia contemplatus eſt: Quinto die poſt crematum templum Sacerdotes ſe dedunt, qui omnes interficiuntur, cùm eorum uſus templo cremato nullus eſſe poſſet. Inde qui in ſuperiore urbe erant, cùm undique circumvallati eſſent, Titum ad colloquium evocant; petuntque, ut tandem liberi cùm ſuis armis dimittantur; qua impudentia Titus incitatus, iterùm Machinas fieri jubet totis octodecim diebus, easque ad oppugnationem inſtruit; ubi transfugarum ad quadraginta millia ſervati ſunt, inter quos quidam fuerunt, qui vaſa ſacra templi abſconderant, qui hoc modo ad Titum pervenerunt, & tandem urbs die 8. Septembr. capitur, die Saturni; *ut Xiphilinus habet.* Captivorum numerus fuit nonaginta & ſeptem millium: fame defuncti fuerant tempore belli undecies centena millia. *Ioſephus* ſcribit, Ceſtium Gallum, ut multitudinem Judæorum, qui ad Paſcha venirent, ſcire poſſet, juſſiſſe, agnos paſchales numerari, quorum inventi ſunt ducenta & quinquaginta ſex millia & quingenti: ad unum autem agnum adhibebantur non pauciores quàm decem, interdum & viginti; Si ſingulis agnis des duodecim perſonas, habebis tricies centena millia hominum. Excipiuntur præterea impuri; qui ſequenti menſe *Paſcha* comederunt, quorum ingens fuit numerus. *Ioſephus.*

Veſpaſianus *cùm Romam veniſſet, tributum imperavit. Dixit enim ſibi opus eſſe, ut Reſpub. ſtare poſſet quadringenties millies,* teſte Suetonio; *hoc eſt, ultra mille & ſexcêntos milliones. Hic unus princeps acceptoimperio melior factus eſt.* Suet.

Capitolii *fundamenta die* 21. Junii *ſerena luce, multis adhibitis ceremoniis, præſente Veſpaſiano jaciuntur.* Tac.

Cerealis *cum exercitu in Germaniam mittitur, qui eam induſtriam in conciliandis animis adhibet, ut transfugam exercitum reciperet, & Treviros vinceret. Inde contra Civilem progreditur, quem ingenti prælio vincit, cogitque ad Batavos abire; qui tamen non quieſcit, ſed cum victoribus inſtaurat certamen; tandem tamen relictus à ſociis pacem à Cereali petit & impetrat.* Tacit.

Julius *Sabinus imperium, antequam Cerealis adveniret, in Germania ſumpſerat, ſed à Cereali vincitur aliquoties. Ut igitur tutus eſſet, rus abit, & in ſepulchrum quoddam, quod incenſum fuerat, ingreditur; ibi novem annis cum uxore delituit; duoſq; filios ex ea genuit; nihilominus tamen, cùm putaret ſe jam gratiam imperatoris adipiſci poſſe, cum uxore occiſus eſt.* Xiphil.

Sarmatæ *eodem anno Iſtrum transgrediuntur, & Mœſiam populantur, legatum conſularem Fontejum Agrippam occidunt. Hos compeſcit Rubrius Gallus, & Mœſia ejicit.* Tac.

Titus poſt perpetratum bellum militibus præmia diſtribuit, & Cæſaream abit. Interim *Simon* Dux, qui in ſpelunca latuerat, capitur, & Cæſaream ad Titum deducitur. Titus in hybernis fratris ſui natalem celebrat die 24. Octobr. ubi in ſpectaculis, dum Judæi beſtiis objiciuntur, aut inter ſe depugnant, aut cremantur, duo millia & quingenti conſumpti ſunt. *Joſeph.*

ANNO MUMDI 4020. Poſt C. 71.
F. ☉ 24. ☽ 15.
Coſſ. Imp. Veſpaſianus III.
M. Coccejus Nerva.

Nerva hic poſt annos 25. Imperator factus eſt.

Titus, dum in Oriente regna inviſit, Antiochiam etiam venit, ubi cives magnoperè petunt, ut Judæi à ſe expellantur: ſed reſpondit, eos non habere, quò ſe conferant, cum patria eorundem deſtructa ſit. Cùm hoc denegaretur, petunt, ut privilegia Judæorum abrogentur: ſed nec hoc concedere voluit. Sed per Judæam, quam valdè miſeratus eſt, in Ægyptum abiit; ubi dedicatur templum Api; tandem in Italiam, & quidem in navi onerariâ profectus eſt, cùm ſuſpectus factus fuiſſet patri de imperio invadendo. *Joſeph. Suet.*

Duces Romani in Judæa à Veſpaſiano relicti, Herodium deditione capiunt, Machæruntem verò munitiſſimum caſtellum obſident, quod ſimiliter deditum eſt. Deinde Veſpaſianus totam Judæam vendi juſſit, & ſtatuit, ut Judæi ſinguli ubivis terrarum didrachmum, quem Hieroſolymitano templo quotannis offerri ſolebant, Capitolino templo Romæ inferrent. *Joſephus.*

Veſpaſianus *Calendis Julii filio Tito tribuit tribunitiam poteſtatem, facitq; eum Cæſarem, & ſimul cum eo triumphat, & templum* Jani, *cùm pacem populo Romano terra marique peperiſſet; ſextùm clauſit.* Oroſ. lib. 7. c. 9.

Veſpaſianus *aquas, Curtiam & Ceruleam, à Claudio perductas, & poſtea intermiſſas, dilapſasque per novem annos, pecunia ſua reſtituit. Item viam à Capuare ad Auguſtam Emeritam ubique reſtituit.* Antiquæ Inſcript.

Cæſarea *maritima colonia Romanorum facta; & immunis à tributo; ob navatam operam in bello Judaico.* Joſeph.

ANNO MUNDI 4021. Poſt C. 72.
E D. ☉ 25. ☽ 16.
Coſſ. Imp. Veſpaſianus IV.
Titus Veſpaſianus II.

Hiſce Coſſ. Plin. l. 2. c. 13. *videtur indicare binas eclipſes ſpatio dierum duodecim. Verba ejus ſunt:* Nam, *inquit*, ut duodecim diebus utrumq; ſidus (loquitur de Sole & Lunâ) quæreretur, (eclipſin pateretur) id noſtro ævo accidit Imperatoribus Veſpaſianis, Patre IV. & filio iterùm, *Coſſ. Sed ut mendum eſt in numero dierum; hoc enim ſpatio duodecim dierum binæ eclipſes accidere poſſunt; ita error videtur commiſſus in Coſſ. niſi fortaſſe Plinius addidit* Deſignatis, quod

quod librario poſtea omiſſum eſt. Conſules enim hi ex hoc anno moveri nequeunt, tot Scriptoribus conſentientibus. Et hoc anno eclipſis Solis nulla accidit.

Superiori autem anno die 4. Martii, horâ poſt meridiem 8. & minut. 32. accidit eclipſis Lunæ, ſex ferè punctorum, & die 20. Martii, horis tribus ante meridiem accidit eclipſis Solis undecim ferè punctorũ. Sed diſtantia inter utramq; eſt dierum quindecim, horarũ duodecim, & min. 32. Plinius fortaſſis corrigi poteſt, ſi pro duodecim diebus ſcribatur quindecim diebus & duodecim horis.

Veſpaſianus pater & filius ineunt Tribunitiam poteſtatem, ille quartam, hic ſecundam. Calendis Julii.

Annus Nabonaſſaris 820. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 396. *incipit die* 5. *Aug. fer.* 4.

Annus Alexandrinus Seleucidarum 384. *& Antiochen.* 121. *Calendis Octobr.*

Cæſennius *Pætus Antiochum regem Comagenes regno pellit, qui in Ciliciam fugit: filius verò ad Parthos. Reconciliatur poſtea uterq; Veſpaſiano, & regnum recipiunt.* Joſeph. lib. 7. belli cap. 27.

Alani *in Mediam irrumpunt eamq; longe lateq; vaſtant, fugiente Pacoro rege; poſtea tranſeunt in Armeniam, quibus occurrit Teridates, qui penè in ipſo prælio captus fuiſſet.* Joſeph.

ANNO MUNDI 4022. Poſt C. 73.
C. ☉ 26. ☽ 17.

Annus urbis 825. *Julianus* 118.
Æra Hiſp. 111. *Auguſtorum* 100.

Coſſ. Fl. Domitianus Cæſar II.
M. Valerius Meſſalinus.

Judæi, qui Maſſadam occuparant, inexpugnabiles videbantur, quòd commeatu abundarent, niſi Lucilius Baſſus materiem ignis ingentem convexiſſet, & idoneo exoriente vento eam accendiſſet, quo incendio Caſtellum ſimul exuſtum eſt. Sed Judæi ſuâ manu & conjuges & liberos, & poſtremùm ſeipſos interfecerunt. Fuerunt numero 906. acciditque id 15. Aprilis. *Joſeph.*

Olympias 213. *acta. Eſt annus Olympiad.* 849.

Victor Stadii *Rhodon* Cymæus, vel *Theodotus.*

Templum Oniæ, in agro Heliopolitano conditum, clauditur à Lupo præfecto, juſſu Veſpaſiani an. 333. poſtquam ædificatum erat. *Joſeph.*

Annus Actiacæ victoriæ 103. *incipit* 29. *Aug.*

Veſpaſianus Philoſophos Stoicos, quòd homines in varias ſententias traherent, quando publicè diſputarent, urbe ejicit. *Xiphil.*

Ebion Hæreticus ſtatim poſt excidium Hieroſolymæ in Aſiâ ſemina furoris ſparſit. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4023. Poſt C. 74.
B. ☉ 27. ☽ 18.

Coſſ. Veſpaſianus V.
Titus Veſpaſianus III.

Patri Calend. Jul. ſuffectus eſt Cæſar Domit. III.

Veſpaſianus cum filio hoc anno multas victorias obtinuit, unde ſæpius appellati fuerunt Imperatores: ſed ubi & quibus ducibus hoc factum ſit, non extat, niſi quòd Petilius Cerialis Brigantum Britanniæ urbem expugnavit. *Tacit.*

Veſpaſianum *& Titum Cenſores fuiſſe, atq; hoc anno luſtrũ LXXV. condidiſſe docet* Cenſorinus in libro *de die natali, ubi inquis:* Tempus anni magni Romanis fuit, quod *Luſtrum* appellabant, ita quidem à Serv. Tullio rege inſtitutum, ut quinto quoque anno, cenſu civium habito, luſtrum conderetur; ſed non ita à poſteris ſervatum eſt. Nam cùm inter primum à Serv. rege conditum luſtrum, & id, quod ab Imp. Veſp. V. & Tito Cæſ. III. conſulib. factum eſt, anni interfuerint paulò minus 650. Luſtra tamen per ea tempora non plura, quàm 75. ſunt facta, & poſtea planè fieri deſierunt. *Cenſor.*

In hac cenſura, ut meminit Plin. lib. 7. c. 49. *inventi ſunt homines plurimi, qui annos centum, centum & decem centum & viginti, centum & triginta, centum & quadraginta, centum etiam & 50. ætatis exegiſſent.*

Ideò mirum non eſt, qui Chriſtum in carne viderant, ut Ignatius, Dionyſius, Quadratus & alii, quòd vixerint usque ad tempora Trajani, vel etiam Hadriani, cùm centum anni tantum ab aſcenſione Chriſti usque ad ultima tempora Hadriani interſint.

Achaia, *Græcia, Lycia, Rhodus, Byzantiũ, Samus, Thracia, Cilicia, Comagena, quæ libera antea, aut ſub amicis regibus fuerant, in conſuetudinem parendi Romanis clementer provocatæ pervenerunt, & in provincias redactæ ſunt.* Eut. Rufus. *Et Veſpaſianus dixit, hoſce jam libertate uti dedidiciſſe.* Pauſan.

ANNO MUNDI 4024. Poſt C. 75.
A. ☉ 28. ☽ 19.

Coſſ. Imp. Veſpaſianus VI.
Titus Veſpaſianus IV.

Ex Calendis Juliis his ſuffecti ſunt Domitianus Cæſar IV. & M. Licinius *Craſſus Mutianus III.*

Veſpaſianus vineas publicas à privatis occupatas reſtituit in publicum, & menſurarum exactam rationem præſcribit. *Inſer.*

Dialogus de cauſis corruptæ eloquentiæ fingitur habitus his Coſſ. Sed autor dicit, ſe interfuiſſe tunc juvenem, *Vnde conſtat, nec Quintilianũ ejus autorem eſſe, qui hoc tempore ante ſeptem annos à Galbâ Romam deductus celebris Rhetor fuit; nec Tacitum, qui ferè conſularis ætate erat.*

Aſconius *Pedianus Hiſtoricus, cùm eſſet annorum 73. luminibus capitur, & poſt annos 12 moritur in ſummo honore. Eſt alius ab eo, qui commentatus eſt in orationes Ciceronis, qui familiaris fuit Virgilio, cui dixit;* quòd crucem fixerit Grammaticis in verſu, *Tres pateant cæli, &c.* Euſeb.

Annus ſabbathicus primus Jobelei primi Chriſtiani incipit 22. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 3836.

Nero Coloſſum Romæ poſuerat, altum centum & ſeptem pedes, cui ſuum caput impoſuerat. Veſpaſianus turpe putans, impurum hunc ejusmodi monumentum habere, demit ejus caput, & Solis imaginem impoſuit, cum ſeptem radiis, ſeptenis pedibus longis. *Xiph.*

Templum pacis magnificè quinque annorum ſpatio ædificatum dedicatur, & reponuntur in eo ornamenta templi Hieroſolymitani. Pacis autem templum Veſpaſianus ideò ædificaſſe videtur, quòd putaret, ſe eum eſſe, ſuggeſtione Joſephi, de quo *Eſaias cap.* 9. ait: *Vocabitur Princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis, &c.* Perſuaſus à Joſepho, quòd in Judæa imperium adeptus eſſet, hoc credebat.

ANNO

ANNO MUNDI 4025. Poſt C. 76.
GF. ☉ 1. ☽ 1.
Coſſ. Imp. Veſpaſianus VII.
Titus Veſpaſianus V.

Quibus ex Calendis Julii ſuffecti fuerunt Domitianus Cæſar V. & Plautius Sylvanus II.

Hadrianus, *qui poſt imperavit, naſcitur 24. Januarii. Parentes ejus Italica in Hiſpaniâ reſederunt: Majores ejus Hadriâ in Picentibus oriundi.*

Petram *ad Puteolos, juſſu Veſpaſiani, anno imperii ejus ſexto vel circiter, pertuſam fuiſſe, quâ jam mons excavatus tranſitur, ſcribit* Paul. Diac. lib. 9.

Veſpaſianus *cum filio Tito ſumunt ſibi Tribunitiam poteſtatem, ille octavam, hic ſextam.*

Annus Nabonaſſar. 824. & annus Philippi ac mortis Alexandri 400. incipit die 4. Auguſti, fer. 1.

Annus Alexandreæ Seleucidarum 388. & Antiochenus 125. à Calend. Octobr.

Gabenianus, *celeberrimus Rhetor, cujus meminit* Hieronymus lib. 8. in Eſaiam, *floret. Nomen ejus fuit Sex. Julius Gabenianus.* Suet.

Clemens Papa, qui exilium actus fuerat, dicitur die 23. Novemb. ponto merſus & ſuffocatus, jacuitque ibi usque ad Nicolai Papæ tempora, ubi Romam translatus fuit. Sedit annos 9. menſes 2. dies 9. Succedit *Cletus* coadjutor, & Chorepiſcopus Petri & Clementis, qui ſedit annos 6. menſes quinque. De eo ſcribit Damaſus. quòd ſederit à ſeptimo Veſpaſiani conſulatu, usque ad Domitiani conſulatum nonum, quem geſſit cum Ruffo.

ANNNO MUNDI 4026. Poſt C. 77.
E. ☉ 2. ☽ 2.

Annus urbis 829.	*Julianus* 122.
Æra Hiſpan. 115.	*Auguſti* 104.

Coſſ. Imp. Veſpaſianus VIII.
Titus Veſpaſianus VI.

Quibus ex Calendis Julii ſuffecti ſunt Domitianus VI. & Cn. Julius.

C. Plinius *Secundus libros ſuos Naturalis hiſtoriæ 37. dedicat Tito, Veſpaſiani filio, ſextùm conſuli.* Plin.

Alienus & Marcellus, *viri conſulares, Romæ conjurant de interficiendo Veſpaſiano, quo patefacto Alienus juſſu Titi trucidatur. Marcellus verò novaculâ ſibi guttur præcidit.* Xiph.

Olympias 214. acta. Eſt annus Olympiadicus 853.
Victor Stadii *Straton* Alexandrinus.

Annus Actiacæ victoriæ 107. incipit die 29. Aug.

Tres urbes in Cypro terræmotu pereunt, inter quas fuit etiam Salamis. *Euſeb.*

Ingens peſtis Romæ, ita ut in rationem Libitinæ ſingulis diebus ad decem millia hominum referrentur. Veſpaſianus nihil omiſit, vel humanæ opis vel religionis, ut ſedaretur. Euſeb. Suet.

ANNO MUNDI 4027. Poſt C. 78.
D. ☉. 3. ☽ 3.
Coſſ. L. Cejonius Commodus Verus.
C. Cornelius Priſcus.

Hic Commodus proavus fuit L. Veri Auguſti, qui cum Marco imperavit; avus L. Ælii Cæſaris ab Hadriano adoptati; Pater L. Commodi Veri, qui ſub Hadriano Conſul fuit.

Peregrinus, qui Philoſophus fuerat, imponit Chriſtianis, dum ſe ſimulat Chriſtianum, diſcit capita pietatis, alioſque in eis inſtituit. Inde, cùm conjectus fuiſſet in carcerem, & vincula patienter ferret, plurimas collegit pecunias ex eleemoſynis, & tandem ad gentilem religionem deficit, & aufugit, ſatis ſibi viatici dicens eſſe in hoſpitalitate Chriſtianorum. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4028. Poſt C. 79.
C. ☉ 4. ☽ 4.
Coſſ. Imp. Veſpaſianus IX.
Titus Veſpaſianus VII.

Cometa apparuit paulò antequam Veſpaſianus moreretur, quem Veſpaſianus regi Parthorum, cui capillus effuſior eſſet, minari dixit; ſe enim calvum eſſe. Sueton.

Ratherius, *qui Sicambris præfuerat annis 23. moritur, ſepeliturque Roterodami; ſuccedit ipſi* Richimer *filius, annis 34.* Trith.

Veſpaſianus in Campaniâ tentatus levibus motiunculis, dum non abſtinet à laboribus imperii, & legatos etiam decumbens audit, quod diceret Imperatorem ſtantem mori oportere, in Reatinis ruribus, ubi æſtivare ſolebat profluvio ventris correptus, moritur die 24. Junii, cùm vixiſſet annos 69. menſem unum, dies ſeptem, regnâſſetque annos decem, exceptis ſex diebus. Succedit ipſi filius *Titus Veſpaſianus*, patris nomine. Omnes enim Veſpaſiani prænomen habuerunt, & cognomine aliquo, ut Sabini, Domitiani, Patris, Filii, &c. diſtinguebantur. Imperavit annis duobus, menſibus duobus, & diebus viginti. Deliciæ generis humani ob beneficentiam & humanitatem dictus fuit, cùm neminem à ſe triſtem abire pateretur, adeò ut die quodam, cùm nulli beneficiſſet, diem ſe perdidiſſe affirmaret. *Xiphil. Sueton.*

Agricola cùm in Britanniam veniſſet, quod factū eſt mediâ æſtate, Ordovices, qui rebellaverant, magno conatu compeſcuit, & Inſulam Monam ſibi ſubjecit, & exercitum ab injuriis inferendis prohibuit. Felicitate hac efficit, ut Titus Imp. quindecimùm Imperator appellaretur.

Titus *rivum aquæ Martiæ, qui vetuſtate delapſus erat, reficit, & aquam, quæ in uſu eſſe deſierat, reducit.* Inſcript.

Veſuvius *mons Calendis Novemb. horâ primâ poſt meridiem ignem concipit, & primum fumum, inde globos igneos, ejicere cœpit.* Plinius *Secundus, qui ad Miſenum claſſi præfectus erat, nave quantam poteſt advehitur, ſed vi ignis repulſus in villam ſuam revehitur, inde quieſcit. Cùm verò tantâ multitudine & cineres & pumices eò vi ignis projicerentur, ut periculum eſſet, ne amplius villâ exire poſſet, in campum ſe perferri patitur, cervicali tectus, ne læderetur projectu lapidum, ſed ſimul ſulphureo odore ignis ingruente exanimatur, die 2. Novemb. ut ſcribit* C. Plinius, *ex ſorore nepos. Cineres delati ſunt usque in Africam, in Syriam & Ægyptum: perierunt urbes cum vicinis pagis, Herculanum & Pompeji.*

ANNO MUNDI 4029. Poſt C. 80.
BA. ☉ 5. ☽ 5.
Coſſ. Imp. Titus Veſpaſianus VIII.
Flav. Domitianus VII.

Titus Imperator, ad viſendam calamitatem apud Veſuvium montem, in Campaniam proficiſcitur:

ibiq; aliquanto temporis ſpatio abeſt. Interim Roma ardet tribus continuis diebus totidemq; noctibus. Perierunt præter privatas ædes innumeras, Serapium, Septa, Iſium, templum Neptuni, Balnea Agrippæ, Panthæon Diribitorium, Theatrum Galbæ, Scena Pompeji, Octaviana ædificia cum libris omnibus, Templum Jovis Capitolini cum vicinis, &c. Titus verò reſtituendæ Campaniæ præficit viros conſulares, & ſumptus ſuppeditat, agrorum etiam & villarum pretia, ſi Domini non extarent, civitatibus attribuit; Romæ autem reſtituendæ complures ex equeſtri ordine præficit, & ornamenta ſua prætoria iis impendit. *Sueton.*

Titus *Veſpaſianus Tribunitiam poteſtatem decimam ſuſcipit, Calendis Julii.*

Annus Nabonaſſ. 828. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 404. *incipit die* 3. *Aug. fer.* 5.

Annus Seleucidarum Alexandr. 392. *& Antiochenus* 129. *incipit* Calend. Octobr.

Titus *aquas. Curtiam & Caruleam, perductas à Claudio & à Veſpaſiano patre urbi reſtitutas, cùm à capite aquarum vetuſtate dilapſa eſſent, novâ formâ reducendas ſuâ impenſâ curavit.* Inſcr.

Titus *item viam Flaminiam munit duriſſimis ſaxis, ferro perfractis, ut curribus etiam via aperiretur per inacceſſas montium altiſſimorum rupes.* Solin.

Agricola *circumducto exercitu Britannos ita terret, ut voluntate ſuâ obſides darent, deditos Agricola curat doceri, & in bonis artibus inſtitui.* Tacit.

Linus Papa, cùm Romæ duodecim annis præfuiſſet, moritur anno ſecundo Titi Veſpaſiani; ſuccedit ei *Anacletus. Euſeb. in hiſtor. Eccleſ.*

ANNO MUNDI 4030. poſt C. 81.

G. ☉ 6. ☽ 6.

Annus urbis 833.	*Julianus* 126.
Æra Hiſpan. 119.	*Auguſtorum* 108.

Coſſ. M. Plautius Sylvanus.

M. Annius Verus Pollio.

Titus amphitheatrum Romæ nuper ædificatum dedicat, ac in dedicatione unico die quinque millia ferarum occîdit. Dedicatio hæc duravit dies totos centum. *Xiphil.*

Olympias 215. *acta Cal. Auguſti. Eſt annus Olympiadicus* 857.

Victor Stadii *Hermogenes* Xanthinus.

Annus A*ctiaca victoria* 111. *incipit die* 29. *Aug.*

Titus *ſpectaculis abſolutis, ubi ultimo die ubertim fleverat, Sabinos petit aliquantum triſtior, quod ſacrificanti hoſtia aufugerat, & cœlo ſereno tonuerat. Correptus igitur febri transfertur in villam, ubi Pater mortuus erat, ibiq; decedit, cùm imperâſſet annos duos menſes duos, & dies viginti. Vixit annos* 40. *menſes* 9. *mortuus eſt die* 13. *Septembris. Succedit* Domitianus *frater qui imperat annos* 15. *dies* 5. *qui ſtatim omnes titulos in ſe recepit, ſeque conſulem in ſequentes annos decem perpetuos fecit, & cenſorem perpetuum, per omnes vitæ annos* Xiphil.

Agricola *in Britanniâ expeditionibus novis novas gentes invenit, & uſque ad Taum Britanniam vaſtat, ubi etiam intrepida hyems fuit, quod caſtella commodiſſimè poſita, munita & commeatu inſtituta eſſent.* Tac. in vita ejus.

ANNO MUNDI 4031. Poſt. C. 82.

F. ☉ 7. ☽ 7.

Coſſ. Imp. Domitianus VIII.

T. Flavius Sabinus.

Domitianus, *cùm de cæde Domitiæ uxoris conſultaret, perſuadetur ab Urſo, ne faceret, ſed potiùs repudiaret; poſtea duxit filiam fratris ſui Titi Juliam.* Xiphil.

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei Chriſtiani primi, incipit die 12. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 3843.

Juvenalis, Martialis *& alii Poetæ ſub Domitiano ſcripſerunt, ſic* Epictetus *Philoſophus Romæ docet.* Gell. lib. 15. c. 11.

Agricola *peragrat tandem omnem Britanniam, & invenit eam Inſulam eſſe, cùm hactenus fuiſſet exiſtimata novus orbis.*

Inventa etiam tùm ab Agricolâ Orchades inſulæ, & imperio adjectæ, ut Tac. *expreſsè habet, non igitur inventæ ſunt Claudii tempore,* ut Suet. *falsò exiſtimat.*

Domitianus *legem de adulteriis ſeverè exercet, & edicto vetat, ne quis omninò in imperio Romano caſtretur.* Tac.

ANNO MUNDI 4032. Poſt C. 83.

E. ☉ 8. ☽ 8.

Coſſ. Imp. Domitianus IX.

T. Virginius Rufus II.

Domitianus *Flavium Sabinum, ſuperioris anni Conſulem patruelem ſuum, occidit, quòd errore præconis proclamatus fuiſſet non Conſul ſed Imperator.* Suet.

Cletus Papa occiditur die 26. Aprilis, & in Vaticano propè S. Petrum ſepelitur; ſuccedit ei Anacletus, Antiochi filius Athenienſis, creatur die 4. Maji. *Onuf.*

Domitianus *inſectatur Philoſophos, & plurimos, qui vel philoſophiæ vel oratoriæ facultati operam dabant, interficit; reliquos urbe & Italiâ exigit, deponitque humanitatem, quam ſimulaverat, plurimosque alios, ſub diverſis prætextibus, vel in exilium ejicit, vel interficit.* Dio.

Agricola, *cùm jam Britanniam ſubjeciſſet populo Romano, tranſit in Hiberniam, quæ quidem minor eſt quàm Britannia, major tamen quam quævis alia in mari mediterraneo.* Tacit.

ANNO MUNDI 4033. Poſt C. 84.

D. ☉ 9. ☽ 9.

Coſſ. Imp. Domitianus X.

Ap. Junius Sabinus.

Domitianus *tres virgines Veſtales ob ſtuprum damnatas vivas defodit, & inceſtuoſos in foro virgis uſque ad necem cædere jubet: addidit autem præterea duos viros, totidemque mulieres, alteros Græcos, alteros Gallos, eosque in foro boario vivos defodit. Fuerunt hi procul dubio Chriſtiani. Omnium enim incommodorum aut cladium hi putabantur cauſa.* Si Tiberis, *inquit Tertullianus*, aſcendit, ſi Nilus non aſcendit, ſi cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leones, &c. clamatur.

Hoc anno, qui fuit ſextus Agricolæ, in Britanniâ validè Britanni & nonam legionem invadunt: ſed reliqui exercitus Romani à tergo hoſtibus objecti, eos in medio cædunt, & fugant, nihilominùs tamen vires reparant, & cum victoribus certare pergunt. *Tac.*

Eodē anno cohors ex Germanis conſcripta & in Britanniam miſſa, ſuos centuriones interficit, naves quaſdā occupat, prædaturq; in mari & in terrâ: ſed

cùm

cùm ipſis ubique obviam iretur, & eſſent navicula- riæ imperiti, eò penuriæ rediguntur, ut ſorte lectum quemvis ex ſe devorarent, tandem capiuntur, & venduntur, & ex venditis indicium hujus rei factum eſt. *Tac.*

Annus Nabonaſſaris 832. & annus Philippi ac mortis Alexandri 408. incipit 2. Augusti, fer. 2.

Domitianus *Tribunitiam poteſtatem 4. recipit 13. Septemb.*

Annus Seleucidarum Alexandreus 396. & Antiochenus 133. à Calendis Octobr.

Cùm vini ingens fuiſſet copia, parum verò frumenti, Domitianus, putans nimio cultu vini agros negligi, edicit, ne quis in Italia novellet & propaget vites, ii autem, qui extra Italiam ſunt, per totum Romanum imperium vineta ut ſuccidant, & frumentum in iis conſerant. Revocavit tamen poſtea hoc edictum, cùm minaces libelli ſæpiùs de hac re ſpargerentur. *Sueton.*

ANNO MUNDI 4034. Poſt C. 85.

B. ☉ 10. ☽ 10.

Annus urbis 837. *Julianus* 130.
Æra Hiſpanica 123. *Auguſtorum* 112.

Coſſ. Imp. Domitianus XI.
T. Aurelius Fulvius.

Britanni ubique cogunt copias, monteſque & præſidia occupant. Agricola, qui hoc anno filium amiſerat, etiam apparat bellum, ut hoſtibus par eſſe poſſet. *Tacit.*

Amanus, cùm viginti duos annos in Ægypto apud Alexandrinos docuiſſet, moritur. *Euſeb. lib. 3. cap. 12.*

Statius Papinius Neapolitanus Poeta, Sylvarum, Thebaidos & Achilleidos autor, floret. *Euſeb.*

Olympias 216. acta Cal. Aug. Eſt annus Olympiadicus 861.

Stadii Victor *Apollophanes vel Pappus* Tharſenſis.

Annus Actiaca victoriæ 115. incipit die 29. Aug.

Nummi inveniuntur cum hoc conſulatu Domitiani & Tribunitia poteſtate quinta, quibus inſcriptum eſt *Germania capta.* Ergò procul dubio Domitianus hoc anno de Germania triumphavit, & magnam victoriam voluit videri, cùm Septembrem menſem Germanicum appellaverit.

ANNO MUNDI 4035. Poſt C. 86.

A. ☉ 11. ☽ 11.

Coſſ. Imp. Domitianus XII.
Serv. Cornelius Dolabella.

Primus Agon Capitolinus à Domitiano inſtitutus, in quo tripliciter certabatur, *ut Suetonius habet*, quòd fuerit certamen triplex, Muſicum, equeſtre, gymnicum, agebatur circa diem 12. Januarii, ut videre eſt ex *Cenſorino.* Hiſce autem Coſſ. inſtitutum eſſe hunc Agonem, patet ex Cenſorino, item ex chronologo apud Clementem, quòd inſtitutus ſit annis 114. poſt exceſſum Antonii & Cleopatræ.

Agricola in Britannia tandem cum Britannis ad montem Grampium congreditur, cùm milites gravi oratione adhortatus eſſet, ut antiquum decus devictæ Britanniæ tuerentur, vincitque magno prælio, & cæſa hoſtium ad decem millia. Inde exacta æſtate in fines Horeſtorum exercitum deducit. Domitianus lætus fuit hac victoria, cùm antea imaginarium & falſum ex Germania duxiſſet triumphum, deditq; Agricolæ triumphalia ornamenta, & eum Syriæ deſtinat, ubi Acilius Largus defunctus erat. *Tac.*

Antonius Pius, qui poſt imperavit, naſcitur hoc anno die 91. Septemb. *Jul. Cap.*

ANNO MUNDI 4036. Poſt. C. 87.

G. ☉ 12. ☽ 12.

Coſſ. Imp. Domitianus XIII.
A. Voluſius Saturnius.

Agricola, qui novem annis Britanniam obtinuerat, magnaſque ibi res geſſerat, revocatur Romam à Domitiano, quare tradita provincia in Italiam redit, & noctu urbem ingreditur. *Tacit.*

Capitolium, quod imperante Tito combuſtum erat, iterùm inſtauratur à Domitiano, qui id inauravit, inſumptis duodecim talentorum millibus, ferè 12. millionibus. Attamen ædes Domitiani multò fuerunt ſplendidiores. *Plut. in Poplic.*

Domitianus eò veſaniæ procedit, ut ſe Deum juſſerit appellari. Ita enim edictis ſuis præſcribi juſſit, *Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet.* Sic Poeta Martialis lib. 8. in fine. *Edictum Domini Dei noſtri.*

Ita Statius lib. 4. *En hic eſt Deus, hunc jubet beatis Pro ſe Jupiter imperare terris.*

ANNO MUNDI 4037. Poſt C. 88.

FE. ☉ 13. ☽ 13.

Coſſ. Imp. Domitianus XIV.
Minutius Rufus.

Bellum Dacicum exortum, duce *Decebalo*, qui erat Dux callidus, & Romanos valdè exercuit annis circiter ſedecim. In hoc bello memorantur Suevi, quòd habitaverint in Moeſia trans Iſtrum. Domitianus ipſe in eos ducit, ſed bellum non attingit, cùm eſſet laboris impatiens & libidinoſus. Ideò multos milites amiſit, & tamen tanquam victor literas Romam miſit: unde multæ ipſi ſtatuæ poſitæ. *Dio.*

Annus Nabonaſſ. 836. & annus Philippi ac mortis Alexand. 412. incipit Calend. Aug. fer. 6.

Domitianus *ſumit ſibi Tribunit. poteſtatem* 8. *die* 13. *Septemb.*

Domitianus ſeptimos *ludos* ſeculares edit, non obſervato tempore, quo eos Claudius ediderat, ſed rationem Auguſti habuit, quanquam nec hoc tempus rectè obſervavit, cùm ſex anni adhuc deſint, ſed animi ſui libidinem ſecutus eſt. *Xiphil.*

Cornelius Tacitus hoc anno præturam geſſit. Sacerdotio enim Quindecim virali præditus, & prætor inſuper ludis ſecularib. præfuit, quanquam collegio quindecimvirali antiquitus, non prætori, cura ceremoniarum ejuſmodi incumbebat. *Tac.*

Annus Seleucidarum Alexandreus 400. & Antioch. 137. à Calend. Octobr.

Domitianus *crudeliter graſſatur in Senatores, multos occidit, aut in exilium ejicit.* Xiphil.

ANNO MUNDI 4038. Poſt C. 89.

D. ☉ 14. ☽ 14.

Annus urbis cond. 841. *Iulianus* 134.
Æra Hiſp. 127. *Auguſtorum* 116.

Coſſ. T. Aurelius Fulvus II.
A. Sempronius Atratinus.

Domitianus Cocceium Nervam, qui poſt imperavit, in exilium ejicit, quòd ſibi ſuſpectus eſſet de imperio. *Poſtea* tamen eundem circa finem anni revocavit & conſulem fecit. *Xiph.*

Apollonius Tyanæus Magus Romam evocatur, tondetur & carceri mancipatur: ſiſtendus verò Domitiano evanuit, & Puteolis improviſus apparuit. *Philoſt. apud Diog.*

Olympias 217. *acta Calend. Auguſt. Eſt annus Olympiadicus* 865.

Victor Stadii *Hermogenes* Xanthius.

Annus Actiacæ victoriæ 119. *incipit die* 29. *Aug.*

Annus ſabbathicus tertius Jobelei Chriſtiani primi, incipit 26. *Sept. fer.* 7. *Anno Jud.* 3850.

Serapion Alexandrinus multum frumenti in Eliden, in hiſce Olympicis ludis apportat, ideo ipſi ſtatua poſita eſt. *Pauſ.*

Domitianus Senatoribus convocatis præbet cœnam ſepulchralem, quam apparavit in planè atra domo, ubi ſellæ erant nudæ. Hoſpites abſque comitibus ingredi cogebantur; ad quamlibet columnam ſepulchrum paratum erat cum lychno parvulo, inde introibant pueri nudi, ſed planè atri tanquam ſpectra, ſaltabantque: paulò poſt venit ipſe Imperator, habetque orationem de morte; ut ita miſeri planè putarent ſibi moriendum eſſe. Cùm eos ſatis diu detinuiſſet, dimiſit eos, ſed additis peregrinis comitibus, paulò poſt ſequuntur munera Imperatoris, cum pueris jam benè lotis, qui donabantur ſimul Senatoribus. *Xiphil.*

ANNO MUNDI 4039. Poſt C. 90.
C. ☉ 15. ☽ 15.

Coſſ. Imp. Domitianus XV.
Cocceius Nerva II.

Ineunte anno circa diem 12. *Januarii actus eſt agon Capitolinus ſecundus.* Dio.

Johannes Evangeliſta à Proconſule in Aſia Romam ad Domitianum vinctus mittitur; ibi ſcribitur à Tertulliano; Hieron. & Origene, in oleum igneum demerſus, ex quo cùm evaſiſſet ſalvus, in *Pathmum* Inſulam relegatur.

Circa id tempus ad conſulatum Glabrionis, quidam ſicarii veneno illitis acubus pungebant homines quos volebant, inde multi etiam non ſentientes moriebantur: Id quod in multis aliis terra locis etiã accidit, ſed fraude patefacta plurimi ſupplicio affecti ſunt. Xiph.

ANNO MUNDI 4040. Poſt C. 91.
B. ☉ 16. ☽ 16.

Coſſ. M. Ulpius Trajanus Crinitus.
M. Acilius Glabrio.

Trajanus hic poſtea Imperator factus eſt. Præcedenti anno, cùm abeſſet cum imperio in Germania cum Glabrione, à Domitiano Conſul declaratus eſt.

Antipas circa hoc tempus Pergami occiditur. *Apocal.* 2.

Cletus Papa hoc anno martyrium ſubiiſſe traditur, cui Romæ ſuccedit Clemens, Fauſtini filius. *Euſeb. hiſt.* 3. *c.* 7.

Domitianus perſequitur crudeliſſimè Chriſtianos in omnibus imperii locis, Ideò Ignatius ſcribit: *Ego exagitor partim exilus, partim cuſtodiis, partim vinculis.*

Richimeri *anno* 12. *Gothi ex Scandia iterum fines Saxonum vaſtant, contra quos* Widekind/ *rex Saxonũ &* Hermanfried/ *rex Doringorum, & Richimer rex Francorum, ex antiquo fœdere exercitum educunt, Gothosq; vincunt, occiſis viginti millibus.* Trith.

ANNO MUNDI 4041. Poſt C. 92.
AG. ☉ 17. ☽ 17.

Coſſ. Imp. Domitianus XVI.
A. Voluſius Saturninus. II.

Domitianus Corneliam Veſtalium maximam, innocentem, vivam defodi juſſit.

Antonius, qui Germaniæ præerat, cùm jam Domitianus propter ſuperbiam & crudelitatẽ in odium veniſſet, ab eo deficit, ſed à L. Maximo contra eum miſſo vincitur, & capitur. Maximus tamen hic, cùm noviſſet crudelitatem Domitiani, literas apud Antonium in arcula quadam inventas, omnes ſimul cremat, ne aliis periculum creetur, nihilominùs tamen Domitianus multos ſuſpectos occidit. *Xiphil.*

Annus Nabonaſſaris 840. *& Philippi & mortis Alexandri* 416. *incipit die* 31. *Jul. fer.* 3.

Domitianus *init Tribunitiam poteſtatem* 12. *die* 13. *Septemb.*

Annus Seleucid. Alexand. 404. *& Antiochen.* 141. *à Calend. Octobr.*

Agrippa Mathematicus Anno 12. Domitiani, Anno 840. Nabonaſſaris, die 2. Tybi menſis, poſt meridiem horis 5, 15. Francofurti, quod eſt Alexandriæ, horis ferè 7. vidit Lunam operientem ultimam pleiadis meridianam, quæ tum fuit in gradu tertio Tauri, Luna in eodem gradu ad hoc tempus invenitur, & latitudo eſt ibi 5. gradum, in Luna vero 4. & 52. atque ita exactè convenit. *Ptol. lib.* 7. *cap.* 3.

ANNO MUNDI 4042. Poſt C. 93.
F. ☉ 18. ☽ 18.

Annus urbis 845. *Julianus* 138.
Æra Hiſp. 131. *Auguſti* 120.

Coſſ. Pompeius Conlega.
Cornelius Priſcus.

Hiſce ſuffecti ſunt M. Lollius Paullinus, Valerius Aſiaticus Saturninus, C. Antius Julius Quadratus, ut habent inſcriptiones.

Clementem Papam epiſtolam ſcripſiſſe ad Corinthios, diſſentientes in quibuſdam articulis, circa hæc tempora, teſtatur. *Euſeb. lib.* 3. *cap.* 2. *Irenæus item & Clemens Alex. Strom.* 4.

Olympias 218. *acta Calend. Auguſt. Eſt annus Olympiadicus* 869.

Victor Stadii *Heliodorus* Alexandrinus.

Apollinus Alexandrinus damnatus eſt; quòd ſeriùs ad ludos perveniſſet. *Pauſ.*

Annus Actiacæ victoriæ 123. *incipit die* 29. *Aug.*

Mul-

Multi circa hæc tempora exercitus in Mœſia, Daciaque & Germania, Pannoniaque, temeritate aut per ignaviam Ducum amiſſi, ita ut de limitibus Imperii, & de hybernis dubitaretur. Agricola à multis deſtinatur Dux, ſed vocatus ad Domitianum, modeſtè ſe excuſat. Moritur paulò poſt, anno ætatis quinquageſimo ſexto, die 23. Auguſti. Rumor & ſuſpitio fuit, eum veneno ſublatum, quòd Domitianus diligentius, quàm ſolebat, de valetudine ejus inquirebat. *Tac.*

ANNO MUNDI 4043. Poſt C. 94.
E. ☉ 19. ☽ 19.

Coſſ. L. Nonius Aſprenas Torquatus.
M. Arricinius Clemens.

Ex Calendis Julii ipſis alii ſuffecti fuerunt: ut Sextilius Lateranus & C. Silius Italicus III.

Agon Capitolinus tertius actus in Januario. Cenſor.

Joſephus opus ſuum de antiquitate abſolvit, ut ipſe teſtatur in fine, die 13. Principatus Domitiani, anno ætatis 56.

Germani, ut Gothorum eruptiones ex Scandia prohiberent, colonos deducunt ad littus maris Balthici in Marchiam, Duce *Sundio*, ex quo urbes quædam denominatæ ſunt. *Trith.*

Nordmanni Friſios vaſtant, & magna præda parta domum revertuntur. *Tabbo* Princeps Friſiæ, vindictæ cupidus, & claſſem inſtituit, & terra etiam rem gerere incipit, ſed utrumque infeliciter. *Ann. Friſ.*

Julianus præfectus fuit Dacico bello, cùm viciſſet prælio. Decebalus veritus, ne noctu urbem proximam diriperent, ſylvam cædere juſſit, & ſtipitib. arma impoſuit, ut militum ſpeciem haberent: atque ita Romani caſtris ſe tenuerunt. *Xiphil.*

ANNO MUNDI 4044. Poſt C. 95.
D. ☉ 20. ☽ 1.

Coſſ. Imp. Domitianus XVII.
T. Flavius Clemens.

Fabius Quintilianus Rhetor circa hæc tempora moritur. Ejus oratorias inſtitutiones Pogius Florentinus, tempore conciliii Conſtantienſis, in monaſterio ejus urbis quodam invenit & publicavit, cum ad ſexcentos annos antea amiſſi eſſent. Sed Declamationes, quæ adjunctæ ſunt, non reſpondent ſtylo Quintiliani.

Clemens Papa, *ut Onuphr. habet*, relegatur, ſuccedit *Evariſtus*, creatus die 27. Julii. Platina de hoc ſcribit, quòd titulos in urbe Roma Presbyteris diſtribuerit, & ſeptem Diaconos in ordinem redegerit, & noluerit plebis accuſationem in Epiſcopum recipi. Sedit ſecundum Onuphrium annos 12. menſibus 2. dieb. 10.

Johannes Evangeliſta, cùm in Pathmo quinquennium fuiſſet ferè, ſcribit Apocalypſin circa finem Imperii Domitiani. *teſte Irenæo lib. 5.*

Domitianus viam ſternit, quæ inter Sinueſſam eſt & Puteolos, lapidibus. Eodem hoc anno patruelem ſuum & in conſulatu collegam, Fabium Clementem interficit, crimine impietatis damnatum, quod in mores Judæorum tranſiiſſet, hoc eſt, quod factus eſſet Chriſtianus. Ejus uxorem, Flaviam Domicillam cognatam ſuam relegavit, cùm tamen antea filios ejus hæredes & ſucceſſores ſcripſiſſet, *Xiphil. & Suet.*

Occidit etiam Domitianus Glabrionem conſularem, quòd leoni objectus læſus non fuiſſet, ſed potius ipſum leonem confeciſſet. *Xiph.*

Proclus quidam in Germania prædicit annum & diem, qua Domitianus mori debebat. Is captus ad Domitianum mittitur, à quo in vincula compingitur, donec dies illa deſignata præteriiſſet. Sed Domitianus dicta die occiſus fuit. *Xiph.*

ANNO MUNDI 4045. Poſt C. 96.
CB. ☉ 21. ☽ 2.

Coſſ. C. Fulvius Valens
C. Antiſtius Vetus.

Valens hic annorum nonaginta fuit, & in magiſtratu mortuus eſt, *teſte Xiph.* Suffecti poſtea fuerunt conſules, T. Flavius Sabinus Domitiani propinquus, & T. Arrius Antonius, Antonini Pii maternus avus, bis conſul. Prædixit iterùm quidam Domitiano mortem, qui iratus juſſit eum etiam dicere, qua morte obiturus eſſet, & reſpondit, ſe à canibus dilaniandum. Domitianus, ut ejus futilitatem refutaret, juſſit eum vivum comburi. Sed tamen ejus reliquias à canibus devoratas fuiſſe, *Xiphilinus* aſſerit.

Domitianus eos, qui ex familia David erant, interfeciſſe ſcribitur. Sed imperitè additur, eos propagatos fuiſſe à Juda, fratre Salvatoris noſtri Chriſti, cum tamen Judæi familiam David à Sealthiel uſque conſervarint, & adhuc principes ex eadem familia eſſe in Babylone & Seleuciæ creditur. Unde Judæi dicunt: *Vigor David adhuc conſtat* Scal.

Annus Nabonaſ. 844. & annus Philippi ac mortis Alexandri 420. incipit die 30. Julii, feria 7.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei Chriſtiani primi incipit die 8. Sept. fer. 5. Anno Jud. 3857.

Domitianus *ſumit Tribunitiam poteſtatem 16. die 13. Septembris.*

Domitianus nomina eorum, quos ſuſpectos trucidare volebat, in tabulis quibuſdam ediderat. Eas ſumit puer inſcius harum rerum, & incidit in Domitiani conjugem, quæ & ipſa in numero erat trucidandorum. Ideò rem cum aliis communicat, & Nervam Imperatorem eligit, & alios ad occidendum Domitianum inſtruit. Domitianus præcedenti die ominatus cædem, dixit, ſe metuere, ne Luna in Aquario ſe cruentaret, circa horam quintam ſequentis diei. Sed ſequenti die ipſi de horis inquirenti, ſexta pro quinta annunciata eſt: & paulò poſt occiſus eſt adhuc ante meridiem. Factum die 18. Septembris, ut Scriptores unanimi conſenſu teſtantur. Luna hoc anno die 18. Septembris, horâ dimidiâ ante meridiem fuit in 23. gradu minut. 10. Aquarii. Sol. in 13,45. Virginis, ut tabulæ oſtendunt. Ergo Domitianus hoc anno occiſus eſt: Characterem hanc certiſſimum apponere viſum eſt, ne quis dubitet de anno mortis Domitiani. Regnavit autem annos 15. dies 5. Apollonius Magus Epheſi tum fuit in foro, & in media oratione, quam fortè habebat ad populum, ſubitò quaſi attonitus exclamavit, pertite Tyrannum. Et paulò poſt inquit: Confidite, Tyrannus occiſus eſt. Factum eodem die & hora, quâ Domitianus occiſus eſt. *Philoſt. apud Laert.*

Nerva Imp. noluit interfectores Domitiani occidere, ſed milites nullum eorum vivere permiſerunt, & Nerva coactus eſt, non tantùm hoc diſſimulare, ſed militibus etiam gratias agere.

Nerva

Nerva *imperavit annum unum, menſes quatuor, dies novem, & ſtatim, qui impietatis rei erant, abſolvit, & ex exilio revocavit, vetuitque edicto, ne liceret aut impietatis aut ſecta Judaica quempiam inſimulare.* Xiphil.

Annus Seleucidarum Alexandr. 408. *& Antiochenus* 145. *incipit à Calendis Octob.*

Dionyſius Areopagita hoc anno in Galliis propè Pariſios Martyrio coronatur. *Trith.*

Johannes Evangeliſta circa anni finem Epheſum redit, Eccleſiasque deinceps in Aſia gubernat. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4046. Poſt C. 97.

A. ☉ 22. ☽ 3.

Annus urbis 849. *Iulianus* 142.
Æra Hiſpan. 135. *Auguſtorum* 124.

Coſſ. Imp. Coccejus Nerva III.
T. Virginius Rufus III.

Rufus eſt is, qui ex Germania in Galliam venit, & perſuaſus a Vindice arma Neroni intulit. Mortuus eſt in Magiſtratu. Ei ſuffectus eſt Cornelius Tacitus Hiſtoricus, ut habet Plin.

Conjuratio in Nervam Imperatorem à Calpurnio Craſſo cum quibusdam aliis inita detegitur Nerva, ut erat placidiſſimus, cùm neſcirent, conjurationem detectam eſſe, illos in publicis ludis apud ſe collocat, & ſingulis gladium porrigit, jubetque ut inſpiciant, & videant, an cujusque gladius ſatis acutus ſit, oſtenditque ſe non magnopere ſollicitum de vita. *Xiphil.*

Olympias 219. *acta Calend. Auguſt. Eſt annus Olympiadicus.* 873.

Victor Stadii fuit *Stephanus* Cappadox.

Annus Actiaca victoria 127. *incipit die* 29. *Aug.*

Nerva, cùm videret ſuam ſenectutem contemptui eſſe, aſcendit in Capitolium, & clara voce M. Ulpium Trajanum, qui tum temporis Proconſul cum exercitu Germaniam obtinebat, adoptat, eumque Cæſarem facit, & Tribunitia poteſtate exornat, ut ex ſequentibus Inſcriptionibus, & ex epiſtolis Plinii Junioris, liquet. Ptolomæus annum primum Trajani conjicit in annum 845. Nabonaſſaris, ut ex Canone Mathematico & ex obſervationibus conſtat.

Johannes Evangeliſta rogatur ab Epiſcopis Aſiæ, ut Evangelium ſcribat, quo refutentur Cerinthus, aliique Hæretici. Etannuit quidem Johannes: voluit tamen, ut jejunium propter hanc rem Eccleſiis indicerent, & pro felici ſucceſſu Deum deprecarentur. *Hier. in Præf. Matth.*

ANNO MUNDI 4047. Poſt C. 98.

G. ☉ 23. ☽ 4.

Coſſ. Imp. Coccejus Nerva IV.
Cæſ. Ulpius Trajanus II.

Menelaus *Aſtronomus Romæ, primo anno Trajani, Anno Nabonaſſaris* 845. *die* 16. *Mechir ineunte, vidit Lunam planè operire ſpicam virginis horâ quintâ poſt mediam noctem, & hora ferè transacta apparuit iterum Spica. Obſervatio, ut computanti apparet, accidit die* 11. *Januarii, fer.* 1. *manè. Spica tum fuit in* 16. *gradu Virginis, ibi etiam invenitur Luna. Sic poſt tres dies & horas binas Luna obſervata fuit ab eodem Menelao inter ſtellas frontis Scorpionis, die* 19. *Mechir ineunte. Accidit nobis die* 14. *Januarii manè, ubi ſtellæ frontis Scorpii fuerunt in gradu* 5. *Scorpii, & Luna etiam ibi eſt inventa.* Ptol. lib. 7. cap. 3.

Cornelius Tacitus ſcribit de moribus Germanorum, cùm Trajanus ſecundum conſulatum acciperet. *Tac.*

Nerva Imperator, cùm imperaſſet tantum unum menſes item quatuor, & dies novem, moritur die 27. Januarii, cùm vixiſſet annos 66. Succedit Ulpius Trajanus, adoptatus à Nerva, imperavitque annos 19. menſes ſex, dies 15.

Agon *Capitolinus actus* 4.

Aurelius *Victor ſcribit, Nervam mortuum, cùm eclipſis Solis accideret. Inquirenti igitur hoc anno eclipſis ſe offert, ſed non eo die, quo Nerva defunctus eſt, ſed poſt obitum Nervæ, diebus quinquaginta tribus, ut ita videatur Victorem ex fama eam annotaſſe. Accidit hæc eclipſis die* 21. *Martii, feriâ quartâ, horis* 5. *& minut.* 15. *poſt meridiem Romæ. Parall. latitudinis eſt* 16. 51. *Latitudo ver.* 39. 42. *viſa* 22. 51. *ſemidiam. Solis* 15. 25. *ſcrup. reſidua* 7. 51. *digiti eclipt.* 3. 3. *qui in occaſu Solis facilius animadvertuntur.*

Trajanus, cùm putaret à Jove ſe adeptum imperium, quem devotiſſimè coluerat, & aliàs eſſet ſuperſtitioſiſſimus in colendis Idolis, primus ingeſſit Senatui de religione patria, ſive antiqua conſervanda multiplicabantur enim tum Chriſtiani ubivis terrarum, ſpernebanturque Idola, & victimæ non inveniebant emptores. Oracula etiam tum pleraque obmuteſcebant, ut teſtatur etiam *Juvenalis* cum *Plutarcho*, qui commentarios hoc tempore edidit *cur oracula deſierint*.

Clemens Papa, *ut Euſeb. habet*, cùm Idolis ſacrificare nollet, circa hæc tempora ultra Euximum Pontum ad Iberos relegatus eſt, perſecutionem Trajanus contra Chriſtianos directè non juſſit, ſed tantùm edicto prohibuit, ne eſſent promiſcui conventus absque magiſtratu, atque ita hoc modo etiam conventus Chriſtianorum prohibebantur, *ut Plin. habet epiſt.* 97. *lib.* 10.

ANNO MUNDI 4048. Poſt C. 99.

F. ☉ 24. ☽ 5.

Coſſ. C. Soſius Senecio II.
A. Cornelius Palma.

Trajanus, ut teſtatur *Plinius*, hoc anno in comitiis tertium Conſul à populo deſignatus fuit, ſed conſulatum conſtanter recuſavit: & cùm præfecto Prætorii ſtrictum enſem, ut moris eſt, traderet in conſenſu Senatus, *Accipe*, inquit, *hunc gladium, eoque, ſi rectè imperavero, pro me, ſi malè, contra me utitor.* Cedrenus pag. 204.

Johannes Evangeliſta moritur Epheſi, *ut Euſeb. & Hieron. habent*, ſucceſſit ipſi Oneſimus, ut habet *Ignatius epiſt.* 14.

Cornelius *Tacitus libros ſuos hiſtoriarum ſcribit, ut ipſe de ſe teſtatur.*

ANNO MUNDI 4049. Poſt C. 100.

ED. ☉ 25. ☽ 6.

Coſſ. Imp. Ulpius Trajanus III.
M. Cornelius Fronto III.

Multi fuerunt ſuffecti hoc anno Conſules, de quibus vide Onuphrium. Inter alios, fuit etiam C. Plinius *Junior Veronenſis.*

Juſtus

Juſtus Tiberienſis, cum quo Joſephus Hiſtoricus in vita ſua acerbiſſimè expoſtulat, ſcripſit hiſtoriam à Moſe usq; ad Agrippam ultimum Judæorum, & ſeptimum ex familia Herodis, de quo ſcribit, quòd acceperit regnum ſub Claudio, creverit, ſub Nerone, ampliſſimus factus ſit ſub Veſpaſiano, & mortuus ſit anno tertio Imperii Trajani, ubi Hiſtoriæ ſuæ finem ſtatuit. Regnavit autem Agrippa annis triginta poſt deſtructam Hieroſolymam. *Phot.*

Annus Nabonaſſ. 848. *Philippi & mortis Alexandri* 424. *incipit* 29. *Julii, fer.* 4.

Trajanus *init Tribunitiam poteſtatem quartam die* 18. *Septembr.*

Annus Seleucidarum Alexandr. 412. *& Antiochenus* 149. *à Calendis Octobr.*

Trajanus, quòd nollet Dacis amplius pecuniam numerare, & quòd ipſi indies plus ſibi ſumerent, & exercitum augerent, bellum Dacicum apparat, quod geſtum eſt annis quinque, *ut Julianus in Satyra affirmat.*

ANNO MUNDI 4050. Poſt C. 101.
C. ☉ 26. ☽ 7.

Annus urbis 853. *Julianus* 146.
Æra Hiſpanica 139. *Auguſtorum* 128.

Coſſ. Imp. Ulpius Trajanus IV.
Sex. Articulejus Pætus.

Quibus poſt ea ſuffecti ſunt alii atque alii, ut videre eſt apud Onuphrium.

Hadrianus, *qui poſt imperavit, hoc anno Quæſtor fuit* Sparti.

Trajanus in Daciam profectus, cum hoſtibus cōfligit acerrimo prælio, quo plurimi quidem hoſtium cæſi & victi ſunt, ſed tantus apud Romanos vulneratorum numerus fuit, ut deeſſent lintea, quibus vulnera obligarentur, quare Trajanus ſuam ſuppellectilem ad hanc rem diſtribuit. *Xiphil.*

Anacletus, ut Baronius habet, conſtituitur Papa Romanus die 3. Aprilis. Hic primus vetuiſſe dicitur, ne Sacerdotes vel reliqui ſacris initiati barbam aut comam nutrirent. *Polyd. Virg.*

Olympias 220. *acta. Eſt annus Olymp.* 877.
Stadii Victor *Achilles* Alexandrinus.

Annus Actiacæ victoriæ 131. *incipit* 29. *Aug.*

Favorinus Philoſophus, cujus frequenter meminit *Gellius*, hiſce temporibus floret.

Trajanus inſequitur Decebalum, & ad regiam ipſius tandem pervenit, ubi iterùm victoriâ potitur. Decebalus ſtatim legatos ad Trajanum mittit, qui pacem petant. Pax confecta, ut eosdem hoſtes & amicos, quos populus Romanus, haberet, & propugnacula extra Daciam deſtrueret, atque ita Trajanus Romam reverſus de Dacis triumphavit. *Xiphil, & antiqui nummi.*

ANNO MUNDI 4051. Poſt C. 102.
B. ☉ 27. ☽ 8.

Coſſ. C. Soſius Senecio III.
L. Licinius Sura II.

Agon Capitolinus quintus actus.

Hic Licinius quibuſdam ſuſpectus fuerat, quaſi inſidias Trajano ſtrueret, ſed Trajanus illis fidem nullam habuit, quin domum ejus adiit, dimiſſo comitatu, & medicum tonſoremque Licinii popoſcit, oculis ſuis curandis, & tondenda barba, atque etiam apud eundem cœnavit. Eundem poſtea præfectum Prætorio fecit, gladiumque ei tradidit ſolennibus ſuis verbis, ut ſupra habuimus. Xiph.

Plinius Junior in provinciam Bithyniam mittitur Proconſul. *Epiſt.* 28. inde mittit epiſtolam 97. ad Trajanum, in qua deſcribit Chriſtianos, petitque ſe inſtrui, quomodo contra eos agendum ſit, cùm nemini noceant, ſcelera prohibeant, & ſuo Chriſto tantùm hymnos cantent. Trajanus reſcripſit, inquirendos Chriſtianos non eſſe, accuſatos verò & obſtinatos impunitos non dimittendos. *Reſedit quidem*, ut Euſebius inquit, *fervor perſecutionis, hoſtibus tamen piorum magna oblata eſt nocendi occaſio.*

Trajanus Romæ gladiatores in theatrum & ſaltatores reducit: admodum enim eis delectabatur, ex quorum numero Pylades ipſi chariſſimus erat; interim tamen nec armorum ſtudium omittebat, nec abſtinebat à dijudicandis controverſiis privatorum. *Xiphil.*

ANNO MUNDI 4052. Poſt C. 103.
A. ☉ 28. ☽ 9.

Coſſ. Imp. Nerva Trajanus V.
L. Appius Maximus II.

Decebalus in Dacia multa contra fœdus facit, & deprædatur Socios populi Romani; cumque ab injuriis non abſtineret, Trajanus ipſe contra eū proficiſcitur, ubi inſidiis transfugarum à Decebalo ſubornatorum petitur, quos vix vitavit, paulò pòſt Decebalus evocat Longinum Trajani Centurionem, quem cruciatum ad mortem adigit. *Xiphil.*

Annus ſabbathicus quintus Jobelei Chriſtiani primi, incipit 21. *Sept. feria* 5. *Anno Judaico* 3864.

Trajanus, ut commodiùs bellum cum Decebalo gerere poſſet, pontem ingenti ſumptu in Danubio ædificat, qui habuit pilas ex lapide quadrato viginti, altitudine, ſi fundamenta non ſimul computentur, pedum centum & quinquaginta, latitudine pedum ſexaginta, diſtabantq; inter ſe pedibus centum & ſeptuaginta, junctæ ſuperiori parte fornicibus. Tantæ molis pons non uno anno, ſed vix biennio ædificari potuit. Ideo Xiphilinus dicit, eum ſecurè magis quàm celeriter bellum hoc confeciſſe.

ANNO MUNDI 4053. Poſt C. 104.
GF. ☉ 1. ☽ 10.

Coſſ. Suranus II.
P. Neratius Marcellus.

Hunc Marcellum adeò Trajanus dilexit, ut ipſi imperium & provincias commendaret, ſi ipſi fatale quid accidiſſet. Spart.

Lucianus ſophiſta blaſphemus iſte, concionator fuit primùm Antiochiæ poſt defecit ad gentiles, & tandem laceratus eſt à canibus. Vixit circa hoc tempus, *ut Suidas habet*, quanquam ſi ſcripta ejus attendas, videtur ſeptuaginta annis poſterior.

Annus Nabonaſſaris 852. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 428. *incipit* 18. *Junii fer.* 1.

Trajanus *init Tribunitiam poteſtatem* 8. *die* 18. *Sept.*

Annus Seleucidarum Alexandrinus 416. *& Antiochenus* 153. *à Calend. Octob.*

Corbredus Scotorum rex, cùm præfuiſſet annis 35. moritur, ſuccedit *Luctacus*, qui regnat annos 3. *Buch.*

Dum Trajanus in Dacia bellum gerit, Palma præfectus Syriæ, Arabes aggreditur, & eam Arabiam, quæ Petram attingit, in ditionem populi Romani redigit. *Xiphil.*

ANNO

ANNO MUNDI 4054. Poſt C. 105.
E. ☉ 2. ☽ 12.

Annus urbis 887. *Iulianus* 150.
Æra Hiſpan. 143. *Auguſtorum* 132.

Coſſ. Tib. Julius Candidus II.
A. Julius Quadratus II.

Hadrianus *hiſce Coſſ. Tribunus plebis factus eſt.* Spart.

Trajanus perfecto ponte in Daciam venit, hoſteſque magno prælio vincit. In eo prælio eques quidam inteſtina vulneratus, cùm videret ſibi moriendum eſſe, in aciem redit, multiſque rebus fortiter geſtis, tandem occumbit. Decebalus cùm regiam, & omnem ſuam ditionem, in poteſtatem Romanorum veniſſe videret, ne caperetur, mortem conſciſcit. Trajanus theſauris etiam Decebali potitur, in flumine Sargetia defoſſis, quos per captivos quoſdam ibi abſconderat, captivis iſtis poſtea interfectis. Inde pontis ædificati fornices abjicit, & in Daciam colonias deducit. *Xiphil.*

Faſti Siculi affirmant, hoc anno Arabes, Petræos & Boſtrenos epocham novam inſtituiſſe.

Olympias CCXXI. acta. Eſt annus Olympiadicus 881.

Victor Stadii *Theonas*, qui & *Smaragdus* appellabatur, Alexandrinus.

Annus Actiacæ victoriæ 135. *incipit die* 29. *Aug.*

Terræmotus ingens in Aſia & Græcia annotatur ab Euſebio, quo in Aſia quatuor urbes corruerunt, Elea, Myrina, Pitana, Cymæ, in Græcia verò Opuntiorum urbs, & Oritarum in Eubœa. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4055. Poſt C. 106.
D. ☉ 3. ☽ 12.

Coſſ. L. Cejonius Commodus Verus.
L. Tutius Cerealis.

Commodus eſt pater L. Ælii Cæſaris.

Agon Capitolinus ſextus actus, in quo L. Valerius Pudens, cùm eſſet puer annorum tredecim, claritate ingenii coronatus eſt inter Poetas latinos, omnibus ſententiis judicum. Ideò ipſi ſtatua poſita eſt.

Trajanus Romam reverſus bibliothecas extruit, columnamque ingentem in foro Trajano ſtatuit, ſed cœpta eſt tantùm hoc anno, poſt ſeptennium verò abſoluta. Cum eodem tempore legati à Barbaris & ex India etiam Romam veniſſent, ſpectacula edit per dies centum & vigintitres, cæſæ ſunt feræ manſuetæque beſtiæ mille ſingulis diebus, & interdum decem millia. Gladiatorum præterea decem millia inter ſe certaverunt. Stravit paulò pòſt, ponticas paludes lapidibus, extruxitque ædificia, & pontes ſtruxit maximos. *Xiphil.*

ANNO MUNDI 4056. Poſt C. 107.
C. ☉ 4. ☽ 13.

Coſſ. C. Soſius Senecio IV.
L. Licinius Sura III.

Hadrianus *Prætor fit hoc anno* Spart.

Licinius Sura defunctus fuit, priusquam Trajanus in Parthos moveret. Ideo ea expeditio videtur differenda, cùm Licinius non in magiſtratu defunctus ſit. Xiphil.

Simeon Apoſtolus, frater Domini, filius Cleophæ, annos natus centum viginti, Epiſcopus Hieroſolymitanus, à Trajano & Attico conſulari, poſt multiplices cruciatus, in crucem agitur. *Euſeb.*

Ignatius Epiſcopus Antiochenus in vinculis mittitur Romam. Menſe Auguſto Smyrnam pervenit, maritimam civitatem Joniæ, ibique & alibi poſtea aliquot ſcribit epiſtolas: cùm Romam veniſſet, juſſu Trajani beſtiis objicitur. Ultima ejus epiſtola data eſt die 24. Aug. & præmiſſa ad Romanos. *Euſeb. Hieron.*

Luctatus *rex Scotiæ, cum annos 3. regnaſſet, moritur ſuccedit ipſi* Mogaldus, *qui regnat annos* 36. Buch.

ANNO MUNDI 4057. Poſt. C. 108.
BA. ☉ 5. ☽ 14.

Coſſ. Ap. Annius Trebonius Gallus.
M. Atilius Metilius Bradua.

Quibus ſuffecti poſtea ſunt C. Julius *Africanus, & Clodius Criſpinus.*

Trajanus expeditionem parat in Armenios, quòd rex ejus diadema, & cætera regni inſignia non à ſe, ſed à Parthorum rege, tanquam illi ſubjectus, ſumpſiſſet. Cùm in eam veniſſet, regi Armeniæ regnum aufert, & Armeniam provinciam facit, limitemque orientalis imperii ab Euphrate ad Tigrim amnem profert. *Xiphil.*

Annus Nabonaſſ. 856. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 432. *incipit die* 27. *Julii Fer.* 5.

Trajanus *init Tribunitiam poteſtatem* 12. *die* 18. *Septembris.*

Annus Seleucidarum Alexandr. 420. *& Antiochenus* 157. *à* Calend. *Octob.*

Evariſtus Papa occiditur die 26. Octob. cùm ſediſſet annis 13. menſibus 5. ſuccedit *Alexander*, qui ſedit annis 7. menſibus 5. Hic inſtituiſſe dicitur, ut aqua benedicta ſale admixta, interpoſitis ſacris orationibus, & in templis & in cubiculis ad fugandos Dæmones retineretur, & mandavit etiam fieri oblationem ex azymo, non ex fermentato, ut antea fieri conſueverat. *Platina & Onuff.*

ANNO MUNDI 4058. Poſt C. 109.
G. ☉ 6. ☽ 15.

Annus urbis cond. 861. *Iulianus* 154.
Æra Hiſp. 147. *Auguſtorum* 136.

Coſſ. A. Cornelius Palma II.
C. Calviſius Tullus II.

Quibus ſuffecti ſunt P. Ælius Hadrianus, qui poſtea Imperator factus eſt, & Publilius Celſus.

Trajanus, maximis in Armenia rebus geſtis, magnis honoribus à Senatu Romano afficitur, & *Optimus* cognominatur. *Xiphil.*

Olympias CCXXII. acta 1. *Auguſt. Eſt annus Olympiadicus* 885.

Victor Stadii *Calliſtes* Sideta.

Annus Actiacæ victoriæ 139. *incipit die* 29. *Aug.*

Oneſimus Pauli diſcipulus, Epiſcopus Epheſinus lapidibus obruitur. *Euſeb.*

Tres in Galatia urbes terræmotu proſtratæ. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4095. poſt C. 110.
F. ☉ 7. ☽ 16.

Coſſ. Clodius Criſpinus.
Solenus Orphitus.

Agon Capitolinus ſeptimus, ratione temporis, actus.

Tra-

Trajanus, ut inſcriptiones docent, viam à Benevento Brunduſium uſque pecunia ſua fecit hoc anno.

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei Chriſtiani primi, incipit 3. Sept. fer. 3. Anno Judaico 3871

Trajanus, cùm contra Parthos moviſſet, Niſibin urbem occupat & Batnas; ob eam cauſam Parthicus à Senatu appellatus eſt, ſed de hoc nomine non ita gloriari ſolitus eſt, quàm quod Optimus ante annum dictus fuerat. *Xiphil.*

ANNO MUNDI 4060. Poſt C. 111.
E. ☉ 8. ☽ 17.

Coſſ. L. Calpurnius Piſo.
Vettius Ruſticus Bolanus.

Hiſce ſuffecti ſunt Calendis Julii C. Julius Urſus Servilius Servianus II. & L. Fabius Juſtus.

In hunc annum confert Evagrius terræmotum Antiochenum: dicit enim eum accidiſſe anno Antiocheno 159. & diſtare ab eo terræmotu Antiocheno, qui accidit anno ſecundo Leonis Imperatoris, anno Chriſti 458. die 14. Septemb. die Dominico, annis 347. nec diſſentit Caſſiodorus, qui hunc terræmotum confert in annum 14. Trajani. Sed hæc ſententia pugnat cum faſtis conſularibus, qui Pedonem Conſulem, qui in hoc terræmotu, *ut Dio habet*, periit, in annum 18. Trajani conjiciunt. Conciliari fortaſſe poſſent, ſi diceremus, errore librariorum Pedonem pro Piſone, qui hoc anno Conſul fuit, ſcriptum apud Dionem eſſe. Sed obſtant inſcriptiones & monumenta de Trajano, quæ eum ſextùm Imperatorem receptâ Armeniâ vocatum fuiſſe, & anno 17. tandem ſeptimùm, decimo octavo octavùm, decimo nono nonùm, & viceſimo decimùm Imperatorem appellatum, cùm tamen, ut ex Xiphilino videre eſt, paulò ante terræmotum, cùm Niſibin occupâſſet, Parthicus appellatus fuerit, & proculdubio etiam Imperator. Sic paulò poſt terræmotum, cùm Cteſiphontem occupâſſet, iterum Imperator proclamatus eſt. Ideo ratione inſcriptionum proculdubio terræmotus anno 18. Trajani accidit, quicquid ſanè Evagrius contradicat. Lector tamen amplectatur ſententiam, quam velit.

ANNO MUNDI 4061. Poſt C. 112.
DC. ☉ 9. ☽ 18.

Coſſ. Imp. Nerva Trajanus VI.
C. Julius Africanus.

Hadrianus, antequam Imperator fieret, delectatus eſt peregrinationibus, & ut antea fuit Demarchus apud Neapolin, ſi hoc anno fuit Archon apud Athenienſes, *ut Phlegon habet* anno quarto Olymp. 222.

Annus Nabonaſſaris 860. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 436. *incipit die* 26. *Julii fer.* 2.

Trajanus Imp. init Tribunitiam poteſtatem 16. die 18. Sept.

Annus Seleucidarum Alexand. 424. *& Antiochenus* 161. *à Calend. Octobr.*

ANNO MUNDI 4062. Poſt C. 113.
B. ☉ 10. ☽ 19.

Annus urbis 885. *Julianus* 158.
Æra Hiſpanica 151. *Auguſtorum* 140.

Coſſ. L. Publilius Celſus II.
C. Clodius Criſpinus.

Richimer Francorum rex, cùm annos 34. regnaſſet, moritur; ſuccedit *Odemar* filius; qui regnavit annos 14. fuit homo pacificus, & cum vicinis amicitiam coluit. *Trith.*

Olympias CCXXIII. *acta Calendis Auguſti.* Eſt annus Olympiadicus 889.

Victor Stadii *Euſtelus* Sidera.

Annus Actiacæ victoriæ 143. *incipit die* 29. *Auguſti.*

ANNO MUNDI 4063. Poſt. C. 114.
A. ☉ 11. ☽ 1.

Coſſ. Q. Ninnius Haſta.
P. Manilius Vopiſcus.

Agon Capitolinus octavus factus.

Judæi Ægypto, circa Cyrenem, duce quodam Andreâ, rebellant Trajano, & ad ducenta millia hominum occidunt, & reliquos occiſorum carnibus veſci cogunt, multos à vertice ſerris diſciderunt medios, multos abjecere beſtiis, multos inter ſe certare coegerunt. *Xiphil.*

In Cypro etiam Judæi ad ducenta & quadraginta millia capitum trucidârunt, ſed impunè ipſis non fuit. L. Quietus enim cum exercitu in Cyprum miſſus, internecione eos delevit, legemque tulit, ut Judæo capitale eſſet, ſi in Cyprum veniſſet, ſive caſu, ſive vi, ſive errore eo deferretur. In Ægypto Alexandriæ Judæi idem conati ſunt, ſed poſteriores partes tulerunt, cùm à gentibus ſuperarentur. *Xiphil.*

Forum Trajanum cum columna hoc autumno perfectum eſt, ut Inſcriptio indicat: monumentum autem poſitum fuit, ut palàm fieret, quanta altitudinis mons & locus tantis operibus ſit egeſtus.

ANNO MUNDI 4064. Poſt C. 115.
G. ☉ 12. ☽ 2.

Coſſ. M. Valerius Meſſala.
C. Popilius Carus Pedo.

Horribilis factus eſt terræmotus Antiochiæ Syriæ, ubi Trajanus hyemabat: periit infinita hominum multitudo, quæ ruinis oppreſſa eſt, & pertinuit ea calamitas non tantùm ad hanc urbem, ſed ad totum orbem terrarum, cùm legationes ex omnibus partibus terræ eò conveniſſent. Pedo conſul ruinis oppreſſus eſt. Imperator per feneſtram à quodam ſublatus periculum evaſit. In ruinis nemo inventus eſt vivus, præterquam infans cum matre viva, & item infans, qui matris obrutæ & defunctæ ubera ſugeret. Præceſſerunt hanc calamitatem ingentia tonitrua, venti & procellæ. *Xiphil.*

Trajanus vero primo in Parthos movet, ubi cùm Tigrim tranſire non poſſet, Euphratem foſſa facta eò deducere voluit, ſed abſtinuit à conatu, cùm videret Euphratem ita exinanitum iri, cùm altior eſſet Tigri: Ideò naves vehiculis eò transfert, & Adiabenem, Arbela, Gaugamela capit, & Aſſyriam totam occupat. Babylonem etiam venit, & inde Cteſiphontem, ubi Imperator appellatus eſt. *Xiphil.*

Judæi etiam in Meſopotamia, cùm tumultuarentur, multis millibus cæſis domantur; ſic con-

tra eosdem in Ægyptum M. Turbo mittitur, qui infinitas Judæorum copias delet. *Xiphil.*

ANNO MUMDI 4065. Poſt C. 116.
FE. ☉ 13. ☽ 5.

Coſſ. Aimilius Ælianus.
L. Antiſtius Vetus.

Trajanus portum Anconæ ſuo ſumptu inſtaurat, ut tutior eſſet navigantibus: ideo hoc anno ipſi monumentum poſitum. *Onuph.*

Phlegon, Olympiadum ſcriptor, affirmat ſe hiſce Coſſ. Romæ vidiſſe Androgynon. *in Euſeb. Scal.*

Alexander Papa, cùm ſediſſet annos 7. menſes 5. occiditur cum Diaconis, die 3. Maji. Succedit die 29. Maji *Xyſtus*, qui ſedit annos 9. menſes 10. *Onuph.*

Trajanus poſt Cteſiphontem captam ſtatuit mare rubrum trajicere, ſed ibi fuit in magno periculo, quare abſtinuit incepto, dixitque ſe, ſi junior eſſet, in Indiam tranſiturum. Inde redit in Parthiam, ubi videt omnes à ſe defeciſſe: quapropter Lucium & Maximum contra rebelles mittit, ex quibus Maximum cæſus eſt. Lucius verò fortiter ſe geſſit, & Arbelta, Niſibin & alias urbes recuperat. *Xiphil.*

Annus Nabonaſſaris 864. *& Philippi & mortis Alexandri* 440. *incipit* 25. *Julii, fer.* 6.

Trajanus ſumit ſibi Tribunitiam poteſtatem XX. *die* 18. *Sept.*

Annus Seleucidarum Alexandr. 428. *& Antiochenus* 165. *à Calendis Octobr.*

Trajanus cùm videret Parthos non quieſcere poſſe ſub alieno dominio, ipſis ex ſua gente regem deſignat. Sed cùm diſceſſiſſet, & Parthi probro ſibi putarent, regem ab alio impoſitum habere, eum regno ejecerunt. Inde Trajanus in Arabes fruſtra movet, ideo regreditur & in morbum incidit. *Xiphil.*

Cùm Tiberianus Syriæ præſes ad Trajanum retuliſſet, ſe non parem eſſe Chriſtianis occidendis, qui ultrò ſupplicia appeterent, mandavit Trajanus, ut ab iis abſtineret. *Suid.*

Papias diſcipulus Johannis, Epiſcopus Hieropolitanus, vir magnæ autoritatis, ſed ſectæ de millenario, ſive regno terreno piorum in terris per mille annos, autor, floret. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4066. Poſt. C. 117.
D. ☉ 14. ☽ 4.

Annus urbis cond. 889. *Julianus* 162.
Æra Hiſpan. 155. *Auguſtorum* 144.

Coſſ. Quinctius Niger.
T. Vipſanius Apronianus.

Trajanus, ut amiſſa in Meſopotamia recuperâret, eò contendere conatur, ſed ingraveſcente morbo, tutiùs eſſe putavit Romam redire. *Xiphil.*

Olympias 224. *acta primo Auguſti.* Eſt annus Olympiadicus 913.

Victor Stadii *Iſarion* Alexandrinus.

Annus Actiacæ victoriæ 147. *incipit die* 29. *Aug.*

Hadrianus, cùm Trajanus in Italiam contenderet, cum exercitu in Syria relinquitur, ubi abſens, ſtudio Plotinæ conjugis Trajani, à Trajano adoptatur, paulò antequam moreretur: literas enim adoptionis accepit die 9. Menſis Auguſti, cùm ipſe die 10. Auguſti moreretur. Mortuus autem eſt profluvio ventris, cùm vixiſſet annos 63. menſes novem, dies 4. & regnâſſet annos 19. menſes 6. dies 15. Oſſa ejus in urna aurea collocata Romæ, ſub columna fori, quod de ejus nomine vocatur, recondita ſunt. Succedit *Hadrianus*, affinitate Trajano junctus, qui regnavit annos viginti, menſes decem, dies 29.

Initium Hadriani certum eſt. Nam cùm characteribus cœleſtibus exceſſus Domitiani & Nervæ notatus ſit, & Trajanus Tribunitiam poteſtatem 20. ut inſcriptiones oſtendunt, acceperit, & omnes ad unum de anno imperii ejus 19. & 6. menſibus, ſcriptores habeat teſtes: meritò quæritur, cur Ptolomæus Aſtronomus, qui tum vixit, annum Hadriani primum conjiciat in annum Nabonaſſaris 864. ut & obſervationes ejus cœleſtes, & canon Mathematicus oſtendunt, qui annus tamen finitus fuit diebus 15. antequam adoptaretur, & dies adoptionis incidat in diem 15. Thot primi menſis anni Nabonaſſarei 865. Diſſentitque ita Ptolomæus ab omnibus aliis Scriptoribus uno anno, quem poſtea annis Antonini Pii, ut Canon Mathematicus habet, addit. Sed reſponderi poteſt, Ptolomæum ſuum quandam rationem ſequi, & ſemper annos completos intelligere. Ita in Canone dicit, Veſpaſianum mortuũ anno Nabonaſſ. 825. cùm tamen anno 826. complendo tantùm deeſſent dies quadraginta. Sic Tito tribuit annos Imperii tres. Ita hoc loco fortaſſis annos tribunitiæ poteſtatis Imperatorum intelligit, cum Tribunitia poteſtas 19. (tot enim annos Ptolomæus attribuit Trajano) finita eſſet ſuperiori anno, die 18. Septemb. cujus reſpectu anni Nabonaſſarei rectè numerarentur.

Annus ſabbathicus ſeptimus Jobelei Chriſtiani primi, incipit die 15. *Sept. fer tertia Anno Jud.* 3878.

Hadrianus ex Syria provincia Romam contendit & ſecum in urna aurea reliquias Trajani in curru triumphali vehit. *Xiphil.*

ANNO MUNDI 4067. Poſt. C. 118.
C. ☉ 15. ☽ 5.

Coſſ. Imp. Cæſar Hadrianus II.
Tib. Claud. Fuſcus Salinator.

Agon Capitolinus nonus factus ab Hadriano.

Hadrianus, ut adeptus eſt principatum, ſtatim interfici juſſit viros præſtantiſſimos, ut Palam, qui bis Conſul fuerat, Celſum, Nigrinum & alios, & ne propterea in odium veniret, juravit apud populum, ſuo juſſu eos interfectos non fuiſſe. *Xiphil.*

Euphrates Philoſophus Stoicus, confectus morbo & ſenio, poteſtatem petit ab Hadriano cicutæ bibendæ, ne ſibi id poſt mortem ignominioſum eſſet, & ita ſponte è vita abiit. *Xiphil.*

Hadrianus, ut gratiam populi mereretur, omnia tributa fiſco debita remittit, ut teſtatur inſcriptio cùm jam ſecundam poteſtatem Tribunitiam iniiſſet. Fuit ea ſumma novies millies, quadraginta milliones, ut nos putamus.

Hæreſes plurimæ tempore Hadriani in Eccleſia ortæ ſunt, ut *Carpocratis*, qui facultates omnes communes eſſe voluit: Item Baſilidis & Marcionis, qui duo principia ſtatuerunt coæterna. Bonum & malum, & Stoicam neceſſitatem induxerunt.

runt. GNOSTICI etiam tum exorti ſunt, hæ hæreſes infamiæ labem Eccleſiæ aſperſerunt, eam in diverſas opiniones diſtraxerunt, perſecutionibus occaſionem ſubminiſtrârunt, atque ita plus Eccleſiæ, quàm ipſæ perſecutiones nocuerunt. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4068. Poſt C. 119.
B. ☉. 16. ☽. 6.

Coſſ. Imp. Cæſ. Hadrianus III.
Q. Junius Ruſticus.

Hadrianus hunc conſulatum quatuor menſibus tantùm geſſit, inde alium ſuffecit: quis verò fuerit, ignoratur.

Alexander, Romanorum Epiſcopus, cùm decimum Epiſcopatus annum compleviſſet, moritur anno tertio Hadriani; ſuccedit ipſi Xyſtus. *Euſeb. lib.* 4.

Hadrianus invidens gloriæ Trajani, tres provincias ab eo factas relinquit, & præſides ex Aſſyria, Meſopotamia & Armenia revocat, quòd difficile eſſet eas tueri, & finem imperii Romani voluit eſſe Euphratem. *Oroſ. & Spart.*

Judæi in Palæſtina ſeditionem movent, ſed à Tinio Rufo præſide ejuſmodi cladibus contunduntur, ut quieſcant. *Euſeb.*

Plutarchus Chæronæus, & Sextus præceptor Antonini, & Agathobulus florent. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4069. Poſt. C. 120.
AG. ☉ 17. ☽ 7.

Coſſ. L. Catilius Severus.
L. Aurelius Fulvus.

Hic poſtea Antoninus Pius Imperator appellatus eſt. Catilius autem eſt proavus Maternus Martii Imperatoris.

Hadrianus, audito tumultu Sarmatarum & Roxolanorum, præmiſſis exercitibus Mœſiam petit. *Euſeb.*

Annus Nabonaſſaris 868. *& Philippi ac mortis Alexandri* 444. *incipit die* 24. *Julii fer.* 3.

Annus Seleucidarum Alexandraus 432. *& Antiochenus* 169. *à Calendis Octob.*

Hadrianus milites egregia diſciplina habuit, ita ut quæ ab ipſo inſtituta eſſent, vim legis apud poſteros haberent; quod ut facere poſſet, ipſe exemplum eis præbuit, duriterque vixit: quapropter facillimè bella ſedavit, cùm nemini à militibus fieret injuria, & ſubditi liberaliter haberentur. *Xiphil.*

ANNO MUNDI 4070. Poſt C. 121.
F. ☉ 18. ☽ 8.

Annus urbis 893. *Iulianus* 166.
Æra Hiſp. 159. *Auguſtorum* 148.

Coſſ. M. Annius Verus II.
L. Augur.

Marcus Aurelius poſtea Imperator naſcitur, avo ſuo Vero iterùm Conſule, in monte Cœlio in hortis. Jul. Capit.

Batavius equitatus in Pannonia Danubium fluvium tranſit armatus, quâ re Barbari ita obſtupuerunt, ut non ſolùm quieſcerent, ſed & Hadrianum arbitrum ſuarum controverſiarum ſumerent, & Sauromatæ paulò poſt domiti ſunt.

Olympias 225. *acta Cal. Auguſt.* Eſt annus Olympiad. 917.

Victor Stadii *Ariſteas* Mileſius.

Hadrianus *init Tribunitiam poteſtatem quintam die* 13. *Auguſti.*

Annus Actiaca victoria 151. *incipit die* 29. *Aug.*

Antonius, qui poſt imperavit, ſuperioris anni Conſul in provinciam in Aſiam à Senatu mittitur, ibi cùm de Chriſtianis quæſtiones haberet, plurimi, qui religionem Chriſtianam profitebantur, tribunal ſimul adeunt, ſeque Chriſtianos eſſe profitentur, & ſi propterea mortem meriti ſint, ſe mortem oppetituros dicunt. Antonius obſtupefactus eorum multitudine, paucos tantùm juſſit ad ſupplicium ducere, & reliquis dixit: ſi vellent mori, & præcipitia & reſtes ipſis in promtu eſſe, Tribunal ne amplius adirent. *Spart.*

ANNO MUNDI 4071. Poſt C. 122.
E. ☉ 19. ☽ 9.

Coſſ. Man. Acilius Aviola.
C. Corellius Panſa.

Agon Capitolinus decimus factus.

Hadrianopolis ædificata, cùm Hadrianus adhuc in Thracia eſſet, anteà verò dicta fuit *Uſcudama. Ammianus.*

Nicomedia terræmotu corruit, ut & Nicæa, quas urbes Hadrianus ſtudioſè ſublevavit & liberalitate & humanitate. *Euſeb.*

Hadrianus peregrinationem inſtituit per omnes imperii provincias. Primò in Galliam atque in Germaniam tranſit; Inde in Britanniam transmiſſurus: ita circumiens, provinciis quibusvis proſpiciebat, & de ſecuritate & utilitate; in præſides & procuratores provinciarum ita curioſè inquirebat, ut crederetur accuſatores immittere; In dijudicandis verò controverſiis adhibuit Juriſconſultos *Julium Celſum, Salvium Julianum, Neratium Priſcum. Spart.*

ANNO MUNDI 4072. Poſt C. 123.
D. ☉ 20. ☽ 10.

Coſſ. Q. Arrius Pætinus.
C. Ventidius Apronianus.

Hadrianus *in Lybiam & Cyrenen, quas Judæi vaſtaverant, colonias deducit.* Euſeb.

Recenſentur circa hæc tempora Epiſcopi Hieroſolymitani ab Euſebio. Poſt Juſtum *Zachæus, Tobias, Benjamin,* Johannes, *Matthias, Philippus, item Seneca,* Juſtus, *Levi, Ephres,* Joſes, & tandem *Judas*, qui omnes antequam *Ælia Capitolina* ædificaretur, ex circumciſione fuiſſe Hieroſolymis ſcribuntur. At verò, cùm Hieroſolyma à Tito everterentur, ſolo æquata fuerunt, & aratrum illis impreſſum eſt à Muſonio Thyrrono præfecto munitionum: quod ſignificabat nemini hominum licere abſque Imperatoris conſenſu vel caſam ibi ædificare. Diruta itaque jacuit, uſque dum Hadrianus Æliam ædificaret. Quæritur jam, cùm ſucceſſio Epiſcoporum Hieroſolymitanorum habeatur, ubi locorum ſedem Epiſcopalem habuerint. Reſponderi poteſt, *inquit* Joſephus *Scaliger*, Eccleſiam Hieroſolymitanam in aliqua vicinia fuiſſe, quemadmodum hodiè Epiſcopus Antiochenus longè ab Antiochia habitat, & Alexandriæ Epiſcopus ſit Cayri, & tamen Epiſcopus Alexandrinus vocatur.

ANNO MUNDI 4073. Poſt C. 124.
CB. ☉ 21. ☽ 11.

Coſſ. Man. Acilius Glabrio.
C. Bellicius Torquatus.

Hadrianus ex peregrinatione Romam venit, ubi Plotinæ defunctæ, per quam imperio potitus erat, ampliſſimos honores tribuit, novem diebus atratus inceſſit, templum illi extruxit, & cultum ipſi inſtituit. *Xiphilinus.*

Annus Nabonaſſaris 872. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 448. *incipit die* 23. *Julii fer.* 7.

Annus ſabbathicus primus, Jobelei Chriſtiani ſecundi incipit die 27. *Sept. fer. tertia. Anno Judaico* 3885.

Annus Seleucidarum Alexand. 436. *& Antiochenus* 173.

Hadrianus invidit omnibus artem & gloriam; ideò etiam Homeri carmina abolere conatus eſt. Apollodorum inſignem architectum primum exilio multavit, deinde interfecit hac de cauſa. Ædificaverat Hadrianus templum Veneris ad viam ſacram, ejuſque formam ad eum miſerat, ut oſtenderet, magna ædificia etiam abſque Apollodoro fieri poſſe, quæ ſiveratque, num taxari in eo templo aliquid poſſet. Apollodorus, magnos errores in eo ædificio commiſſos oſtendit, quos Hadrianus jam corrigere non poterat; igitur iratus eum interfici juſſit. *Xiphil.*

ANNO MUNDI 4074. Poſt. C. 125.
A. ☉ 22. ☽ 12.

Annus urbis 897. *Julianus* 170.
Æra Hiſp. 163. *Auguſtorum* 152.

Coſſ. P. Cornelius Scipio Aſiaticus II.
Q. Vettius Aquilinus.

Ptolomæus lib. 4. cap. 9. *annotat Eclipſin lunarem factam anno nono Hadriani, anno Nabonaſſaris* 872. *nocte ſequente diem* 17. *Mechir, ubi obſcurata fuit à meridie ſexta pars diametri, horis tribus &* 32. *minutis ante mediam noctem. Ad Calendarium Julianum accidit hoc anno die* 5. *Apr. feria quarta, hora octava & minutis* 48. *poſt meridiem Alexandriæ. Latitudo ejus verſa ſeptentrionalis* 55, 6. *Semidiameter Lunæ* 17. 17. *Summa Semidiametrorum* 62, 15. *Scrup. reſidua* 7. 9. *Digiti eclipſeci duo & aliquot minuta obſcurationis ab Auſtro.*

Olympias 226. *acta primo Auguſti.* Eſt annus Olympiadicus 921.

Victor Stadii *Dionyſius* Alexandrinus.

Annus Actiacæ victoriæ 155. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Hadrianus Athenienſibus leges dedit ad imitationem Solonis, & Cephiſum fluvium Eleuſinam inundantem ponte cum urbe conjungit, ubique initiatur, & hyemem exigit. *Xiphil.*

ANNO MUNDI 4075. Poſt C. 126.
G. ☉ 23. ☽ 13.

Coſſ. Veſpronius Candidus Verus II.
Ambiguus Bibulus.

Agon Capitolinus XI. factus.

Xyſtus Pontifex Romanus, cùm ſediſſet annos novem, menſes novem occiditur die ſexto Aprilis, Succedit *Teleſphorus*, creatus die 9. Aprilis, ſeditque annos decem menſes 9. *Onuph.*

Pertinax, *qui poſt imperavit, natus eſt bis* Coſſ. *Calendis Auguſti* Jul. Cap.

Perſecutio contra Chriſtianos in Aſia adeò invaleſcit, ut de iis non amplius exercerentur legitima judicia, ſed tantùm clamore vulgi delati, tanquam magni criminis convicti, neci dabantur.

Hadrianus Athenis multum temporis exigit, eaſque ita inſtaurat, ut novæ Athenæ appellarentur.

Quadratus Epiſcopus Athenienſis, & Ariſtides Philoſophus libros pro Chriſtiana religione compoſitos Hadriano offerunt; quibus acceſſit *Serenus* Granius legatus, vir apprimè nobilis, qui literas ad Imperatorem miſit, iniquum eſſe dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum ſangvinem concedi, & ſine ullo crimine, nominis tantùm & ſectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minutio Fundano Proconſuli Aſiæ ſcribit, Chriſtianos ſine objectis criminibus non condemnandos. Cujus epiſtolæ, inquit *Euſeb. in Chron.* ad noſtram uſque memoriam durat exemplum.

ANNO MUNDI 4076. Poſt C. 127.
F. ☉ 24. ☽ 14.

Coſſ. Gallicanus.
Cœlius Titianus.

Odemar rex Francorum, cùm annos 14. regnâſſet, pacificè moritur. Succedit ipſi filius Marcomirus, qui regnat annis 21. *Trith.*

Hadrianus decennalia agit, & vota concipit in ſequens decennium. *Xiphil.*

Ptolomæus ſcribit ſe anno undecimo Hadriani, qui eſt Nabonaſſaris 854. *nocte, quæ ſecuta eſt diem ſeptimum Pachon, hora prima noctis, obſervaſſe Saturni ſtellam, eamq; inveniſſe in* 1. 13. *Libræ. Ad Calendarium Julianū incidit hæc obſervatio in diem* 26. *Martii hujus anni, ubi ſimiliter ad tabulas Prutenicas Saturni ſtella in dicto loco invenitur.* Ptol. lib. 11. cap. 5.

Suetonius Hiſtoricus floret, qui Magiſter Epiſtolarum Hadriani fuit, hoſtis Chriſtianorum acerrimus, qui illorum meminit in Nerone hiſce verbis. *Quòd ſint genus hominum ſuperſtitionis novæ & maleficæ.*

ANNO MUNDI 4077. Poſt C. 128.
ED. ☉ 25. ☽ 15.

Coſſ. L. Nonius Aſprenas Torquat.
M. Annius Libo.

Teleſphorus ſuſcipit Epiſcopatum Romanæ Eccleſiæ, *Euſebius* & Cornelius conſtituitur quartus Epiſcopus Antiochiæ. *Euſebius*

Nicopolis & *Cæſarea* terræmotu concidunt. *Euſebius.*

Annus Nabonaſſaris 876. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 452. *incipit die* 22. *Julii fer.* 4.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 440. *& Antiochenus* 177. *Cal. Octob.*

Juſtinus Philoſophus, poſtquam & Stoicos, & Peripateticos, & Pythagoræos, & Platonicos audiſſet, ut cognoſceret doctrinam de Deo, cùm nullibi certi quid inveniret, ad Chriſtianos ſe confert, ut ipſe teſtatur in Dialog.

ANNO MUNDI 4078. Poſt C. 129.
C. ☉ 26. ☽ 16.

Annus urbis 901. *Julianus* 174.
Æra Hiſp. 167. *Auguſtorum* 156.

Coſſ. P. Juventius Celſus II.
Q. Julius Balbus.

Quibus

Quibus ſuffecti ſunt Calendis Martii alii; ut T. Aufidius Fronto, Arrius Severianus. Item Calendis Novemb. Neratius Marcellus & Gallus.

Aquiſgranum circa hoc tempus conditum à Granio Sereno, legato in Germaniâ.

Hadrianus per totam vitam venationibus pluſrimùm deditus fuit, adeò ut Boryſthehi equo, quo in venationibus commodè utebatur; mortuo monumentum ædificaret, & columnam erigeret, inſcripto Epigrammate. *Xiphil.*

Olympias 229. acta Cal. Auguſti. Eſt annus Olymp. 925.

Victor Stadii *Dionyſius* Alexandrinus II.

Annus Actiaca victoria 159. *incipit die 29. Aug.*

Terræmotus *Nicomediam* & alias urbes in Bithynia proſternit, ut habent Faſti Siculi. At aliis hæc clades in alios annos collocatur.

Hero Epiſcopus Alexandrinus ſupplicio afficitur, ſuccedit Cornelius. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4079. Poſt C. 130.

B. ☉. 27. ☽ 17.

Coſſ. Q. Fabius Catullinus.
M. Flavius Aper.

Agon Capitolinus duodecimus factus.

Alexander *Papa Romanus, cùm ſediſſet annos decem, menſes quinque, dies viginti, ſupplicio afficitur ob Chriſtianam religionem, cum aliis duobus Preſbyteris, die 3. Maji ab Aureliano Iudice. Succedit Sixtus.* Baron.

Aquila, qui Prophetas ex Hebræo ſermone vertit in Græcum, cujus Hieronymus ſæpiùs meminit, floret. *Euſeb.*

Hadrianus, cùm ante aliquot annos initiatus eſſet, admittitur ad Eleuſinia ſacra. Hoc enim conſueverat fieri in myſteriis magnis; quæ celebrabantur die 20. Boedromionis; quovis anno ſecundo alicujus Olympiadis. *Plutarchus.*

Ptolomæus *Aſtronomus obſervavit anno decimo quinto Hadriani, ſive anno Nabonaſſaris* 878. *nocte, quæ ſequitur diem 26 Tybi; hora unâ poſt mediam noctis. Alexandria, planetam Martem invenitq; cum in 21. Geminorum.* Ptolomæus lib. 10. cap. 7. *Tabula Prutenica ad hoc tempus, quod eſt dies 15. Decembr. hora unâ poſt mediam noctem, ſtatuunt Martem in 20, 43. Geminorum.*

ANNO MUNDI 4080. Poſt C. 131.

A. ☉ 28. ☽ 18.

Coſſ. Ser. Octavius Lænas Pontianus.
M. Antoninus Rufinus.

Antinous puer, qui in delitiis erat Hadriano, dum in Nilo cum Hadriano vectatur, nave excidit & ſuffocatur, qui ab Hadriano inter Deos refertur, cùm eſſent, qui animam ejus in ſtellam mutatam ſe viſiſſe aſſeverarent. Urbs quoque ipſi ædificata eſt; quæ Antinous vocata eſt, quanquam aliæ etiam urbes ſint ejus nominis.

Annus ſabbathicus ſecundus; Jobelæi Chriſtiani ſecundi incipit die 11. *Septembr. fer.* 2. *Anno Judaico* 3892.

Juſtus Epiſcopus Alexandrinus moritur, ſuccedit Eumenes. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4081. Poſt C. 132.

GF. ☉ 1. ☽ 19.

Coſſ. Sentius Augurinus.
Arrius Severianus. II.

Hadrianus Æliam Capitolinam urbem, in eodem loco ubi Hieroſolyma quondam fuerat, excitat, & ubi templum Domini fuerat, extruit templum Jovis Capitolini; qua re Judæi, cùm ſacer ille locus, ut putabant, adeò à gentibus pollueretur, adeò furore accenſi ſunt, ut niſi ipſi Imperator præſens aut in vicinia fuiſſet, arma ſtatim arripuiſſent. Clandeſtina igitur conſilia agitant de rebellione, & interim terram Judæam totam ſpecubus ſubterraneis muniunt. *Xiphil.*

Annus Nabonaſſaris 880. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 456. *incipit die 21. Jul. fer. 1.*

Ptolomæus lib. 3 cap. 8. *dicit, ſe obſervaſſe æquinoctium autumnale, anno 17. Hadriani, ſive anno Nabonaſſ.* 880. *die 7. menſis Athyr, horis duabus poſt meridiem. Ad Calendarium Julianum obſervatio hæc incidit in 25. Sept. fer. 4. Sed ad noſtras tabulas æquinoctium factum eſſet præcedente die, hora octava, ferè poſt mediam noctem, atque ita plus integro die noſtræ tabulæ ab obſervatione Ptolomæi diſſentiunt.*

Annus Seleucidarum Alexand. 444. *& Antiochenus* 181. *à Calend. Octobr.*

Salvius Julianus nomine Hadriani Imperatoris componit edictum, quod præſides obſervarent in omnibus provinciis, ut idem jus in toto imperio Romano adminiſtraretur. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4082. Poſt C. 133.

E. ☉ 2. ☽ 1.

Annus urbis 905. *Julianus* 178.
Æra Hiſpanica 171. *Auguſtorum* 160.

Coſſ. Hiberus.
Junius Silanus Siſenna.

Ptolomæus obſervavit eclipſin Lunarem anno 17. Hadriani, anno Nabonaſſ. 880. *quæ facta eſt nocte, quæ ſecuta eſt diem 20. Payni, cujus medium incidit Alexandriæ minutis 45. ante mediam noctem, fuit que Luna obſcurata tota, cùm Sol eſſet in 13. parte Tauri, & 15. minut. incidit hæc in hunc annum in diem 6. Maji, feriam tertiam ferè finientem. Latitudo vera meridiana 20. 40. Semidiam. Lunæ 16, 19. Summa Semid.* 59, 35. *Scrup. reſidua* 38, 55. *Digiti ecliptici* 14. 19. l. 4. c. 6.

Idem obſervavit eodem anno; nocte, quæ ſequitur primum diem Epiphi, ſtellam Jovis, quòd fuerit in 23. gradu & 11. minut. Scorp. obſervatio facta hora una ante mediam noctem, & incidit in hunc annum in diem 17. Maji, fer. 7. ubi invenitur ſtella Jovis ad tabulas Prutenicas in gradu 23. min. 12. Scorp. Ptolom. lib. 11. c. 1.

Idem obſervavit etiam ſtellam Saturni eodem hoc anno, nocte, quæ ſecuta eſt diem 18. Epiphi, quòd fuerit in gradu 9. & minut. 40. Sagitarii; incidit hæc obſervatio in diem 3. Junii, fer. 3. ubi veſperi Saturnus ad tabulas Prutenicas invenitur in gradu 9. & 43. minut. Sagittarii.

Olympias 228. acta. Eſt annus Olymp. 929.

Victor Stadii *Lucas* Alexandr.

Annus Actiaca victoria 163. *incipit die 29. Aug.*

Baſilides, à quo Gnoſtici in Alexandria orti, moritur eo tempore, quando Cochebas dux Judææ factionis

factionis Chriſtianos variis ſuppliciis enecavit. *Hieron.*

Profecto Hadriano in Italiam, Judæi duce Cochebâ apertum bellum profitentur, totam terram ſubterraneis ſpecubus perviam faciunt, ut occultos conventus habere poſſent. *Xiphil.*

ANNO MUNDI 4083. Poſt C. 134.
D. ☉ 3. ☽ 2.

Coſſ. C. Julius Servilius Urſus Severianus II.
C. Vibius Juventius Verus.

Agon Capitolinus XIII. factus.

Ptolomæus lib. 10. cap. 1. *annotat obſervationem Veneris, factam die tertio Pharmuthi, ineunte mane, anno 18. Hadriani, ſive anno Nabonaſſaris* 881. *quod viderit eam in* 11,51. *Capricorni. Accidit ad Calendarium Julianum die* 18. *Febr. feria* 4. *ubi matutino tempore ad tabulas Prutenicas ſtella Veneris in eo loco invenitur.*

Cùm Judæi Romanis multa damna inferrent, & multæ gentes lucri cupiditate iis conjungerentur, *Julius Severus* præſtantiſſimus dux, qui in Britannia ad cohercendos hoſtes transverſum murum duxerat, evocatur, qui multitudine & deſperatione Judæorum cognita, apartè cum ipſis congredi non auſus eſt, ſed eos interim commeatu includit. *Xiphil.*

Ptolomæus anno 19. *Hadriani, die* 15. *Athyr menſis, mane anno Nabonaſſ.* 882. *obſervavit Mercurium, quòd fuerit in gradu* 20. 12. *Virgin. Eſt nobis dies* 3. *Octob. hujus anni, fer.* 7. *manè ante ortum Solis, ubi Mercurius invenitur ad tabulas Prutenicas in eodem gradu.*

Ptolomæus obſervavit & annotavit eclipſin Lunarem, quòd acciderit anno decimo nono Hadriani, nocte qua ſequitur ſecundum diem Chojac menſis, anno Nabonaſſ. 882. *hora una ante mediam noctem, fueritque novem digitorum & paulò plùs. Accidit ad Calendarium Julianum hoc anno die* 20. *Octob. hora undecima ferè poſt meridiem. Latitudo Auſtralis* 29. 44. *Semidiam. Lunæ* 16, 35. *Summa Semid.* 59. 42. *Scrup. reſidua* 29. 58. *Digiti eclipt.* 10. *ferè.*

ANNO MUNDI 4084. Poſt C. 135.
C. ☉ 4. ☽ 3.

Coſſ. Pompejus Lupercus I.
L. Julius Atticus Acinianus.

Ptolomæus lib. 10. cap. 7. *ait, Planetam Martem obſervatum à ſe anno* 19. *Hadriani, anno Nabonaſſ.* 882. *nocte, quæ ſecuta ſit diem ſextum Pharmuthi, & deprehenderit eum in gradu* 28. 50. *Leonis. Eſt nobis dies* 21. *Febr. feria prima, hoc anno, ubi ſimiliter Planeta ille ad tabulas Prutenicas in eo loco invenitur.*

Bellum Judaicum finem ſuum tandem ſortitum eſt, Judæis penitùs oppreſſis. Perierunt diverſis præliis ad quinquaginta & octoginta millia. Eorum verò, qui fame, morbo & igni perierunt, infinita fuit multitudo. Nec tamen Romanis incruenta victoria fuit, quòd cùm deſperatis eſſet pugnandum. Judæi ita penitus ex Judæa pulſi ſunt, neminique ibi permiſſum fuit, niſi gentilibus, quibus permiſti fuerunt Chriſtiani. Portis urbis ſues inſculptæ fuerunt, aliæque imagines, Judæis interdictæ. Et in Bethlehem, ut etiam Chriſtianis ægrè faceret Hadrianus templum Veneris extructum, præter templum Jovis in Golgatha. Prophanatio hæc duravit ad annos centum & octoginta, uſque ad tempora Conſtantini Magni. Innumerabilis præterea Judæorum, diverſæ ætatis, & utriuſque ſexus multitudo in mercatu Terebinthi venundata eſt, hoc eſt, in Tabernaculo Abraham, ubi arbor Terebinthus erat, & quotannis mercatus exercebatur, à quo Judæi poſtea planè abſtinuerunt. *Hieronymus.*

Rabbi Akiba hoc tempore floruit, qui putavit, Bar Cochba filium Stellæ, ſive Meſſiam eſſe, ſed poſtea nominavit eum Bar Cozba, filium mendacii. Hic Akiba à Romanis fidiculis excarnificatus obiit. *Thalmud.*

Judæis poſt confectum bellum non licuit Hieroſolymam ingredi, aut ea loca, ubi bellum geſtum eſt. Poſtea tamen temporis impetrârunt ab Imperatoribus certo precio, ut liceret ſibi ſemel in anno, die videlicet 10. Auguſti, Hieroſolymam ingredi, & deflere caſum & ruinam Hieroſolymæ, templi, & totius gentis; idque factum eſt adſtantibus militibus, ad certam horam, & ſi plus flere vellent, plus pecuniæ exigentibus. *Hieron.*

Marcus primus ex gentibus Epiſcopus Hieroſolymis creatur. *Euſeb.*

Ptolomæus cum inſtrumento obſervavit locum Lunæ, anno viceſimo Hadriani, die 13. *Athyr menſis, veſperi ad occaſum Solis, invenitque eam ſecundum curſum medium in gradu* 25, 44. *Sagittarii, ſed per proſthaphæreſin in gradu* 3. 10. *Capricorni. Ad noſtrum Calendarium incidit hæc obſervatio in diem* 1. *Octob. fer.* 6. *ubi ad dictam horã curſu ſuo medio Luna quidem eſt in* 26, 6. *Sagittarii, & non multum abeſt à loco Ptolomæi, ſed per proſthaphæreſin verus ejus locus tantùm conſtituitur in primo gradu, & minut.* 39. *Capricorni. Ex hoc exemplo, ut & ex aliis, ferè apparet, Ptolomæum in obſervationibus ſuis falſum non eſſe, & proinde neceſſe eſt, Eccentricitatem diverſam concedi: medium enim motum Lunæ non ex inſtrumento collegit, ſed ex tabulis perpetuis. Æquationem verò per ſeptem gradus &* 26. *minuta, non niſi ex diverſa eccentricitate habere potuit.* Ptolom. lib. 5. cap. 13.

ANNO MUNDI 4085. Poſt C. 136.
BA. ☉ 5. ☽ 4.

Coſſ. Cejonius Commodus Verus.
Sex. Vetulenus Pompejanus.

Ptolomæus obſervavit eclipſin Lunarem anno viceſimo Hadriani, qui eſt annus 883. *Nabonaſſaris, nocte, quæ ſecuta eſt* 19. *Pharmuti, cujus medium incidit Alexandriæ in horam quartam, poſt mediam noctem, & obſcurata fuit dimidia. Eclipſis hæc accidit die* 6. *Martii, feriâ ſecundâ, in horam* 3, 21. *poſt mediam noctem ad haſce tabulas. Latitudo vera Auſtralis fuit* 46, 11. *Semid. Lunæ* 17. 48. *Summa Semidiam.* 63. 38. *Scrup. reſidua* 17. 27. *Digiti ecliptici* 5, 54.

Idem Ptolomæus obſervavit anno viceſimo Hadriani, anno Nabonaſſaris 883. *nocte, quæ ſecuta eſt diem* 24. *Meſori in media nocte, Saturnum, deprehenditq́; eum eſſe in gradu* 14, 14. *Capricorni.* Ptolom. lib. 11. cap. 5. *Ad noſtrum Calendarium accidit id* 8. *Julii, fer.* 7. *ubi Saturnus ad tabulas Prutenicas invenitur in* 14. 19. *Capricorni.*

Annus Nabonaſſaris 884. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 460. *incipiunt die* 20. *Julii, fer.* 5.

Hadria-

Hadrianus, cùm ſanguinem è naribus ſtillaret, & de vitâ periclitari videretur, ſucceſſorem ſibi adoptat hujus anni Conſulem L. Cejonium Commodum Verum, nominatque eum *L. Ælium Verum*, datque ipſi Tribunitiam poteſtatem, & creat eum Cæſarem, & deſignat eundem Conſulem in ſequentem annum, idque invitis omnibus. Hâc de causâ idem Hadrianus Severianum, ſororis ſuæ maritum, ſenem nonagenarium, cum nepote Fuſco, octodecim annorum adoleſcente, quòd viderentur moleſtè ferre hanc adoptionem, occîdit. Severianus antequam occideretur, ignem popoſcit incenſoque thure, *vos*, inquit, *Deos obteſtor, me nihil mali commiſiſſe. Hadriano tantùm imprecor, ut cùm mori cupiet, non poſſit.* Xiphil.

Ptolomæus *anno viceſimo primo Hadriani, anno Nabonaſſaris* 884. *nocte, quæ ſecuta eſt diem* 13. *Paophi menſis, horis binis ante mediam noctem, obſervavit ſtellam Jovis in gradu* 7. 54. *Piſcium. Obſervatio hæc incidit in diem* 31. *Auguſti, ubi Jupiter invenitur in gradu* 8. *Piſcium, & paucis minutis differt ab obſervatione Ptolomæi.*

Annus Alexandrinus Selucidarum 448. *& Antiochenus* 185. *à Calendis Octob.*

Judæi, qui Chriſtiani facti fuerant, ſimiliter arcentur Hieroſolymâ, ideò leges Ceremoniales, quas hactenus obſervaverant, ſimiliter omittunt. *Sever. lib.* 2. *hiſtor.*

Ptolomæus obſervavit ſtellam Veneris anno 21. *Hadriani, anno Nabonaſſ.* 884. *die* 9. *Mechir, primâ horâ noctis, deprehenditque eam eſſe in gradu* 19. *Aquarii. Incidit nobis in diem* 25. *Decembr. fer.* 2. *ubi eodem tempore deprehenditur in gradu* 18. 54. *Aquarii.* Ptolom. lib. 10. cap. 1.

ANNO MUNDI 4086. Poſt C. 137.
G. ☉ 6. ☽ 5.

Annus urbis 909. *Julianus* 182.
Æra Hiſpan. 175. *Auguſtorum.* 164.

Coſſ. L. Ælius Verus Cæſar II.
P. Cœlius Balbinus.

Verus Cæſar & Conſul dicitur ipſis Calendis Januarii defunctus. *Onuphr.* quis ipſi ſuffectus ſit, ignoratur.

Teleſphorus Papa occiditur die 5. Januarii, cùm ſediſſet annis decem, menſibus novem. Succedit Higeinius Athenienſis, filius Philoſophi, qui ſedit annos quatuor, creatus eſt die decimo tertio Januarii. *Onuph.*

Hadrianus die 10. Auguſti agit vicennalia votaque concipit in ſequens decennium. *Onuph.*

Olympias 229. *acta. Calendis Auguſti*. Eſt annus Olympiadicus 933.

Victor Stadii Epidaurius, alio nomine *Ammonius* Alexandrinus.

Annus Actiacæ victoriæ 167. *incipit die* 29. *Aug.*

Philo Grammaticus circa hæc tempora floret. *Scalig.*

Ptolomæus anno primo Antonini, ut ipſius Canon oſtendit, & ipſe ſcribit, obſervavit ſtellam Jovis, die viceſimo primo menſis Athyr, poſt mediam noctem horis quinque, & invenit eam in gradu 14. 23. *Arietis. Ad noſtrum Calendarium accidit obſervatio die* 8. *Octob. horâ quintâ matutinâ, ubi ad tabulas Prutenicas Jupiter invenitur ſimiliter in* 14. 22. *Arietis.* Ptolom. lib. 11. c. 1.

ANNO MUNDI 4087. Poſt C. 138.
F. ☉ 7. ☽ 6.

Coſſ. Sulpitius Camerinus.
Quintius Niger Magnus.

Agon Capitolinus XIV. factus circa initium anni.

Hadrianus cum ex fluxu ſanguinis in Phthyſin & Hydropiſin incideret, convocato Senatu die 29. Februarii, commendat *T. Aurelium Fulvium*, ut virum prudentem, eumque ſibi ſucceſſorem adoptat, nominatque *T. Ælium Antoninum*, qui poſtea Antoninus Pius dictus eſt, hâc tamen lege, ut cùm Antoninus Filius deſtitueretur; adoptaret ſibi M. Annium Verum, & L. Ælium Verum, defuncti Ælii Cæſaris filium, ab hoc die conſurgit Antonini Pii initium: & ita defendi etiam poteſt Ptolomæi numeratio, de quâ ſuperius in Hadriano dixi.

Juſtinus Martyr, natus Neapoli Syriæ, quæ tempore Davidis Sichem appellabatur, prope Samariam, quo deduxerat Domitianus Græcos colonos inter quos etiam fuerunt parentes Juſtini, ex Pagano Græco factus eſt Chriſtianus, & novo Imperatori offert pro religione Chriſtiana librum. *Euſeb.*

Hadrianus Imperator, cùm Magicis artibus aquam intercutem eduxiſſet, & eâdem iterum repleretur, & morbo aucto & remediis adhibitis indies deficeret, mori decrevit. Sæpè autem venenum aut gladium ſibi poſtulavit, ſed fruſtrà, cùm nemo ea porrigere vellet. Ideò tandem, contemptâ diætâ, cibo & potu uſus minùs idoneo, mortem acceleravit. Mortuus eſt die 10. Julii, cùm imperâſſet annos viginti, menſes decem, & dies viginti novem; vixiſſet verò annos ſexagintaduos, menſes quinque, dies novendecim. Cùm verò Mauſoleum Auguſti plenum jam eſſet, ipſe ſibi tumulum paravit, ex Pario lapide, quadratâ formâ, quæ poſtea moles Hadriani appellata eſt, ſupra quam hodie arx Pontificia extructa eſt. Succedit ipſi Antoninus Pius, qui imperavit annis viginti duobus menſibus ſeptem, diebus viginti ſex.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei Chriſtiani ſecundi incipit die 23. *Septemb. fer.* 2. *Anno Jud.* 3899.

Ptolomæus obſervavit ſtellam Veneris die triceſimo Tybi menſis, anno ſecundo Antonini, qui eſt annus Nabonaſſ. 886. *& deprehendit eam eſſe in gradu ſexto, & minut.* 30. *Scorpii. Obſervatio facta manè horis* 4, 30. *poſt mediam noctem: Ad Calendarium Julianum accidit hoc anno die* 16. *Decemb. fer.* 2. *ubi Venus in tabulis Prutenicis invenitur ad hoc tempus in gradu* 6. 46. *Scorpii.* Ptol. lib. 10. cap. 4.

Idem obſervavit etiam locum Saturni eodem hoc ſecundo anno Antonini, die ſexto Mechir menſis, veſperè horis 8. *poſt meridiem in gradu* 9, 4. *Sagittarii. Ad Calendarium noſtrum obſervatio hæc incidit in diem* 22. *Decemb. feriam primam, ubi ad tabulas Prutenicas ad hoc tempus Saturnus exactè invenitur in gradu* 9. 4. *Sagittarii.* Ptol. lib. 11. cap. 6.

ANNO MUNDI 4088. Poſt C. 139.
E. ☉ 8. ☽ 7.

Coſſ. Imp. Antoninus Pius II.
Bruttius Præſens.

Ab hiſce *Coſſ.* uſque ad Conſules M. Ulpium Cronitum, & Proculum Pontianum, anno 238. Cenſorinus numerat annos centum. *Cenſ.*

Ptolomaus anno ſecundo Antonini, anno Nabonaſſaris 886. die 25. menſis Phamenoth, horis 5. 15. ante meridiem, obſervavit locum Solis inſtrumento, deprehenditque eum in gradu 18. 30. *Aquarii. Ad noſtrum Calendarium incidit hac obſervatio in diem 9. Februarii, feriam primam, ubi ad tabulas Prutenicas Sol in eodem loco invenitur, ſed ad noſtras tabulas, ut ſemper in obſervationibus Ptolomai, Sol fuit in dicto gradu die precedente.* Ptol. lib. 5. cap. 3.

Antoninus Imperator die 25. Februarii, ut Hadriano promiſerat, adoptat M. Annium Verum, adoleſcentem octodecim annorum, eumque pro Annio Aurelium appellavit, quòd in domum Aureliam tranſiiſſet, qui ſtatim lege annariâ ſolutus, Quæſtor eſt factus. Simul autem etiam L. Verus appellatus eſt. *Capit.*

Ptolomaus lib. 9. cap. 9. dicit ſe obſervaſſe Mercurium, anno ſecundo Antonini, anno Nabonaſſaris 886 ſecundo Epiphi menſis, horis 4. 30. ante mediam noctem, & deprehenſus eſt in gradu 17. 30. Geminorum. Accidit hæc obſervatio die 17. Maji, feriâ ſeptimâ hujus anni, ubi ad tabulas Prutenicas Mercurius ad hoc tempus invenitur in gradu 17, 24. Geminorum. *Ptolomaus lib. 9. cap.* 10.

Idem obſervavit eodem anno locum Martis, die 12. *Epiphi menſis, horis duabus ante mediam noctem quòd fuerit in gradu* 2. 33. *Sagittarii. Accidit ea obſervatio ad noſtrum Calendarium die* 27. *Maji, ubi ad tabulas Prutenicas Mars ſimiliter invenitur in gradu* 2, 33. *Sagittarii exactè.* Ptolomæus lib. 10. cap. 7.

Tertullianus, cum omnes regiones univerſi orbis terrarum recenſuiſſet, quo religio Chriſtiana perveniſſet tandem concludit: Chriſti igitur nomen & regnum ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubiquè regnat, ubique adoratur. Idem teſtatur Juſtinus & Irenæus, qui teſtantur, etiam apud Scythas & Nomades Chriſti nomen prædicari.

Ptolomæus obſervavit locum Mercurii anno ſecundo Antonini, ſive anno Nabonaſſ. 886. die 21. Meſori, ante Solis exortum, invenitque eum in gradu 20, 5. Geminorum. Accidit hæc obſervatio ad noſtrum Calendarium in diem 5. Julii fer. 7. ubi ad tabulas Prutenicas ſimiliter Mercurius invenitur, ſed in gradu 19, 52. Geminorum, ubi differentia eſt 13. minutorum.

Idem obſervavit etiam ſtellam Jovis, eodem hoc anno ſecundo Antonini, die 27. Meſori menſis horis quinque poſt mediam noctem, & Jupiter deprehenſus eſt eſſe in 15. 45. Geminorum. Accidit hæc obſervatio nobis in diem 11. Julii hujus anni, in fer. 6. ubi ad tabulas Prutenicas ſimiliter Jupiter invenitur in gradu 14, 31. Geminorum. *Ptolom. lib.* 11. *c.* 2.

Idem Ptolomæus obſervavit etiam æquinoctium autumnale, anno Philippi & mortis Alexandri 463. die 9. Athyr menſis, acciditque id hora ferè una poſt Solis exortum: quod eſſet ad noſtrum Calendarium die 26. Septembr. fer. 6. Noſtræ tabulæ id æquinoctium integro die priùs exhibent, die videlicet 24. Septemb. feria quarta, hora una & quindecim minutis ante mediam noctem. *Ptolom.*

ANNO MUNDI 4089. Poſt C. 140.
DC. ☉ 9. ☽ 8.

Coſſ. Imp. Antoninus Pius III.
M. Aurelius Cæſar.

Ptolomaus anno tertio Antonini, qui eſt Nabonaſſaris 887. *nocte, quæ ſequitur quartum Pharmuthi menſis, obſervavit ſtellam Veneris in gradu* 13, 45. *Arietis. Obſervatio facta eſt ad Calendarium noſtrum die* 18. *Febr. feriâ quartâ, veſperi, ubi ad tabulas Prutenicas Venus invenitur in gradu* 13, 28. *Arietis.* Ptolomæus lib. 10. cap. 3.

Idem etiam obſervavit æquinoctium vernum anno Philippi & mortis Alexandri 463. die ſeptimo menſis Pachon, hora una poſt meridiem. Idem accidit ad noſtrum Calendarium die 22. Martii, feriâ ſecundâ. Sed in tabulis noſtris æquinoctium factum fuit die 21. Martii, feriâ primâ, horis 11, 48. Poſt meridiem, atque ita omnes obſervationes Ptolomæi integro die & ampliùs poſteriores ſunt æquinoctiis æquabilibus. Sed procul dubio Ptolomæus deceptus fuit ab inſtrumentis ſuis, nihilominùs tamen hiſce falſis obſervationibus tota Aſtronomia turbata eſt.

Ita eodem in loco meminit Ptolomæus Solſtitii æſtivi, obſervati eodem hoc anno 463. Philippi & mortis Alexandri, die 11. Meſori menſis, horis duabus poſt mediam noctem. Accidit ea obſervatio die 25. Junii, feriâ ſextâ, ubi ad tempus datum Sol invenitur in primo gradu Cancri, ſed inſuper in minutis 6, 38. in tabulis Prutenicis: in noſtris tabulis integro die prior eſt.

Annus Nabonaſſar. 888. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 464. *incipit die* 19. *Julii, fer.* 2.

Ptolomaus obſervat ſtellam Veneris anno quarto Antonini, anno Nabonaſſ. 888. *die duodecimo Thot, mane ante Solis exortum, ubi invenit eam in gradu* 18, 30. *Geminorum. Ad Calendarium Julianum obſervatio facta eſt die* 30. *Julii mane, ubi ad tabulas Prutenicas Venus hoc tempore invenitur in gradu* 19, 31. *Geminor.*

Sixtus Papa, cùm ferè ſediſſet decem annis, ſupplicio afficitur ob religionem Chriſtianam. Succedit *Teleſphorus*, qui ſedit annos undecim, menſes novem. *Onuph.* Hic inſtituit cani in Eccleſia, *Gloria in excelſis Deo*, ſed nocte tantùm in nativitatis Chriſti, quam ſolennitatem ipſe inſtituit. *Sigebertus.*

Annus Alexandræus Seleucidarum 452. *& Antiochenus* 189. *incipiunt à Calend. Octobr.*

ANNO MUNDI 4090. Poſt C. 141.
B. ☉ 10. ☽ 9.

Annus urbis 913. *Julianus* 186.
Æra Hiſpan. 179. *Auguſtorum* 186.

Coſſ. M. Peducæus Syloga Priſcinus.
T. Hoenius Severus.

Ptolomaus anno quarto Antonini, anno Nabonaſſ. 888. *die* 19. *Phamenoth menſis, ante Solis exortum, obſervavit ſtellam Mercurii in gradu* 13, 30. *Capricorni. Ad noſtrum Calendarium obſervatio facta die* 2. *Febr. feriâ quartâ, ubi ad tabulas Prutenicas, ad datum tempus invenitur in gradu* 13. 38. *Capricorni.*

Antoninus Pius init die 25. Febr. Tribunitiam poteſtatem decimam quartam, & ejus conjux Fauſtina paulò pòſt moritur. *Jul. Cap.*

Sub *Higinio* Papa *Cerdon.*, Magiſter Marcionis Hæretici, Romam venit. *Euſeb.*

Olympias 230. *acta.* Eſt annus Olympiad. 937. Victor Stadii *Didymus* Alexandrinus.

Annus Actiaca victoria 171. *incipit die* 29. *Aug.*

Phlegon

Phlegon Trallianus, Hadriani libertus, qui Olympiades Græcorum liberis ſedecim deſcripſit, pauló ante hunc annum deſinit. *Euſeb.*

Antoninus pontem Romæ vetuſtate collapſum reſtituit, ut habet *vetus inſcriptio.*

ANNO MUNDI 4091. Poſt C. 142.
A. ☉ 11. ☽ 10.
Coſſ. L. Cuſpius Rufinus.
L. Statius Quadratus.

Agon Capitolinus decimus quintus factus.

Pauſanias ſuam hiſtoriam Græcè ſcripſit pauló poſt Hadriani tempora; meminit enim belli Judaici confecti in Atticis, item in Corinthiacis meminit Antonini.

Francus Marcomiri Sicambrorum regis filius, veterem Germanorum urbem Helenopolin ad Mœnum, inſtaurat, & Francofurtum appellat. *Trith.*

Sacrum certamen Iſelaſticum Puteolis ab Antonino inſtituitur, cùm haberet Tribunitiam poteſtatem quintam, ut docet inſcriptio, anno ſecundo cujusvis Olympiad. celebrandum.

Hoc anno, *inquit Euſebius*, nonus Romæ ordinatur Epiſcopus Pius, qui ſedit annos undecim, item Antiochiæ Heron, qui ſedit annos viginti quatuor.

ANNO MUNDI 4092. Poſt C. 143.
G. ☉ 12. ☽ 11.
Coſſ. C. Bellicus Torquatus.
Tib. Claudius Atticus Herodes.

Hujus Attici Herodis Conſularis viri meminit Gellius lib. 1. cap. 2. *& alibi ut &* Julius Capitolinus.

Megaldus, Scotorum rex, cùm annos triginta ſex regnâſſet, moritur; ſuccedit filius *Conatus*, præeſt annis quatuordecim. *Buch.*

Marcus Epiſcopus Antiochenus conſtituitur annis decem.

Antoninus prohibet, ne Sybillinorum aut aliorum gentilium vatum carmina, nec etiam Ciceronis libri de divinatione & naturâ Deorum, legantur, quòd viderentur contra gentilium deos ſtatuere, ut videre eſt ex apologiâ Juſtini, & *Arnobii* ſcripto ad Gentiles.

ANNO MUNDI 4093. Poſt C. 144.
FE. ☉ 13. ☽ 12.
Coſſ. Lollianus Avitus.
C. Gavius Maximus.

Antoninus circa hoc tempus Britannos per Lollium Vrbicum legatum vincit & muro ceſpititio alio barbaros arcet. *Cap.*

Floruerunt hiſce temporibus *Aquila*, interpres bibliorum, Domitius *Labeo Neratius* Priſcus, *Salvius* Julianus, *Galenus* medicus, & alii.

Annus Nabonaſſaris 892. *& Philippi & mortis Alexandri* 468. *incipit die* 18. *Julii fer.* 6.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 456. *& Antiochenus* 193. *à Calend. Octob.*

Valentinus Ægyptius natione, quòd Epiſcopatu excidiſſet, Hæreſiarcha eſſe incipit, cujus multiplicia deliria extant apud Tertullianum, Epiphanium, Clementem & alios.

ANNO MUNDI 4094. Poſt C. 145.
D. ☉ 14. ☽ 13.
Annus urbis 917. *Julianus* 190.
Æra Hiſpan. 183. *Auguſtorum* 172.
Coſſ. Imp. Antoninus Pius IV.
M. Aurelius Cæſar II.

Antoninus init Tribunitiam poteſtatem octavam die 25. *Febr.*

Antoninus Mauros ad pacem petendam cogit, Germanos etiam & Dacos vincit; Alanos etiam ſæpiùs bellum moventes refrenavit. *Jul. Cap.*

Taurus Berytius, Platonicæ Philoſophiæ ſtudioſus floret. *Euſeb.*

Olympias 231. *acta.* Eſt annus Olympiadicus 941. Victor Stadii *Cranaus* Sycionius.

Annus Actiacæ victoriæ 175. *incipit die* 29. *Aug.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei Chriſtiani ſecundi incipit die 7. *Septembr. fer.* 2. *Anno Jud.* 3906.

Meſomedes, qui modos Muſicos citharœdis fecit vel præcepta de modulis muſicis floret, cui Antoninus ſalarium imminuit, dicens: Nihil eſſe ſordidius, imò crudelius, quàm ſi ii Rempub. arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent. *Jul. Cap.*

ANNO MUNDI 4095. Poſt C. 146.
C. ☉ 15. ☽ 14.
Coſſ. Sex. Erucius Clarus II.
Cn. Claudius Severus.

Agon Capitolinus decimus ſextus factus.

Erucius hic bis Conſul fuit, & præfectus urbis, *teſte Gell. lib.* 13. 17.

Severus ex Africa oriundus, naſcitur Lepti, die 8. Aprilis, hiſce *Coſſ. Æl. Spartianus.*

Serapidis cultus à Romanis receptus eſt circa hæc tempora, cui etiam Imperatores initiabantur: ejus ſolennia celebrantur die 6. Maji, teſte Inſcriptione antiqua hujus anni.

Maximus Tyrius floret, & hoc anno primùm Romam venit, poſtea iterùm Romam venit ſub Commodo. *Suid.*

ANNO MUNDI 4096. Poſt C. 147.
B. ☉ 16. ☽ 15.
Coſſ. M. Valerius Largus.
M. Valerius Meſſalinus.

M. Aurelius Cæſar, Fauſtinam Antonini Imperatoris filiam uxorem ducit, & Tribunitiam poteſtatem à Socero parte accipit die 25. Febr. *Jul. Capitolinus.*

Arrianus Nicodemienſis Philoſophus floret. *Euſeb.*

Apollonius Chalcidicus Philoſophus ab Antonino Pio Romam evocatur, ut Marcum Aurelium Cæſarem in Philoſophicis inſtitueret, ſub quo Marcus ita profecit, ut Philoſophus poſtea dictus ſit. Idem Apollonius & Maximus Tyrius etiam Lucium Cæſarem bonis artibus imbuerunt. *Xiphil.*

ANNO MUNDI 4097. Poſt C. 148.
A G. ☉ 17. ☽ 16.
Coſſ. C. Bellicus Torquatus II.
M. Salvius Julianus II.

Julianus proavus videtur fuiſſe Didii Juliani Impera-

Imperatoris poſt Pertinacem, de quo ſcribit *Spartinus*, quod fuerit bis Conſul, & præfectus urbi.

Antoninus more veterum decennalia agit, & in ſequens decennium vota concepta.

Annus Nabonaſſaris 896. & annus Philippi ac mortis Alexandri 472. incipit die 17. Julii fer. 3.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 460. & Antiochenus 197. Calendis Octob.

Marcomirus Francorum vel Sicambrorum rex moritur, cùm regnaſſet annos 21. ſuccedit Clodomiros filius, qui regnat annis 17. *Trith.*

ANNO MUNDI 4098. Poſt C. 149.
F. ☉ 18 ☽ 17.

Annus urbis 921.	*Julianus* 194.
Æra Hiſp. 187.	*Auguſtorum* 176.

Coſſ. Serv. Cornelius Scipio Orfitus.
Q. Nonius Priſcus.

Antoninus Imperator & Marcus Aurelius Cæſar ineunt Tribunitiam poteſtatem; ille duodecimam, hic tertiam.

Olympias CCXXXII. *acta Calendis Auguſti.* Eſt annus Olympiadicus 645.

Victor Stadii *Atticus Sardianus.*

Annus Actiacæ victoriæ 179. incipit die 29. Aug.

Antoninus Pius Mauros in Lybia, cùm bellum provinciis intuliſſent, removet in ultimas Africæ ſolitudines, ad Atlantem montem. *Pauſan. in Arc.*

ANNO MUNDI 4099. Poſt C. 150.
E. ☉ 19. ☽ 18.

Coſſ. Romulus Gallicanus.
Antiſtius Vetus.

Agon Capitolinus decimus ſeptimus factus.

Geladion Epiſcopus Alexandrinus floret. *Euſeb.*

Antoninus urbes Lyciorum & Carum, Rhodum etiam quòd terræmotu afflictæ erant, infinitis ſumptibus juvat. *Pauſan. in Arcad.*

Juſtinus Apologiam edit pro Chriſtiana religione, in qua ſcribit, Chriſtum ſub Cyrenio ante annos 250. natum eſſe: unde apparet, eam circa hæc tempora ſcriptam eſſe; ſed parum tamen profecit. *Juſtin.*

ANNNO MUNDI 4100. Poſt C. 151.
D. ☉ 20. ☽ 19.

Coſſ. Sex. Quinctilius Gordianus.
Sex. Quintilius Maximus.

Antoninus Carthagem aliasque in Jonia urbes magnâ munificentiâ exornat. *Pauſanias in Arcad.*

Creſcens, homo impurus, & Philoſophiæ Cynicæ ſectator, floret. Hic, cùm Juſtino eſſet inimicus, effecit tandem, ut poſtea temporis martyrio coronaretur.

ANNO MUNDI 4101. Poſt C. 152.
C.B. ☉ 21. ☽ 1.

Coſſ. Sext. Acilius Glabrio.
C. Valerius Omollus Verianus.

Theleſphorus Papa, cùm ſediſſet annos undecim, & menſes novem, martyrio coronatur die quinto Januarii. Succedit ipſi Hyginus Græcus, qui ſedit annis quatuor. *Onuph.*

Hoc anno tandem Antoninus inhibuit perſecutionem, juſſitque, ut Chriſtianorum accuſatores ſupplicium ſubeant: cauſam addit, quòd ſuppliciis Chriſtiani deleri non poſſent, cùm ipſi mortem vitæ præferant. *Juſt.*

Annus Nabonaſſaris 900. & annus Philippi & mortis Alexandri 182. incipit die 16. Julii fer. 7.

Annus ſabbathicus quintus Jobeles ſecundi Chriſtiani, incipit die 19. Septembr. fer. 2. Anno Judaico 3913.

Annus Alexandreus Seleucidarum 404. & Antiochenus 201. incipiunt à Calendis Octob.

Romæ incendio circa hæc tempora trecentæ & quadraginta inſulæ ſive domus conſumptæ fuerunt. Jul. Cap.

ANNO MUNDI 4102. Poſt C. 153.
A. ☉ 22. ☽ 2.

Annus urbis 925.	*Iulianus* 198.
Æra Hiſpanica 191.	*Auguſtorum* 180.

Coſſ. Brutius Præſens II.
Antonius Rufinus.

Antoninus Imperat. & Marcus Aurelius Cæſar ineunt Tribunitiam poteſtatem; ille decimam ſextam, hic ſeptimam, 25. Febr.

Pius Papa cùm annos undecim ſediſſet, moritur; ſuccedit ipſi *Anicetus*, qui ſedit annis tribus, ſub quo *Polycarpus* Romam veniens, multos ab errore hæretico revocavit. *Euſeb. & Niceph.*

Olympias CCXXXIII. acta. Eſt annus Olympiadicus 449.

Victor Stadiii *Demetrius* Chius.

Annus Actiacæ victoriæ 183. incipit die 29. Aug.

Valentinus Hæreticus, qui hactenus docuerat in Ægypto, Romam venit, ibique ultra duodecim annos commoratur, ſed hæreſin ſuam tantùm clanculum ſpargit. *Juſtin.*

ANNO MUNDI 4103. Poſt C. 154.
G. ☉ 23. ☽ 3.

Coſſ. Luc. Aurelius Cæſar.
Sextilius Lateranus.

Agon Capitolinus decimus octavus factus.

Hoc anno etiam Aquilius Orfitus Conſul fuit, ut teſtantur inſcriptiones, & Cæſar fortaſſis abdicavit.

Tiberis circa hunc annum Romam inundavit, ut teſtatur Jul. Cap.

ANNO MUNDI 4104. Poſt C. 155.
F. ☉ 24. ☽ 4.

Coſſ. C. Julius Severus.
M. Rufinus Sabinianus.

Caſſiones Hieroſolymis Marco ſucceſſiſſe dicitur, *Euſeb.* qui magnum numerum Epiſcoporum Hieroſolymitanorum conſarcinavit.

ANNO MUNDI 4105. Poſt C. 156.
E D. ☉ 25. ☽ 5.

Coſſ. Plautius Sylvanus.
Sentius Augurinus.

Hyginus Papa martyrium ſubit die 11. Januarii, cùm ſediſſet annos quatuor. Succedit ipſi Pius Ruffini filius Italus, qui ſedit annos novem, menſes ſex. *Onuph.*

Annus

Annus Nabonaſſarii 904. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 480. *incipit* 15. *Julii fer.* 4.

Annus Seleucidarum Alexandræus 468. *& Antiochenus* 205. *à Calendis Octobr.*

Sub Antonino Pio unicus tantùm Senator Romæ proſcriptus eſt Attilius Titianus, Senatu puniente, quòd reus affectatæ Tyrannidis eſſet: ſic ejusdem criminis reus Priſcianus morte voluntaria periit. *Jul. Capit.*

ANNO MUNDI 4106. Poſt C. 157.
C. ☉ 26. ☽ 6.

Annus urbis 929. *Julianus* 202.
Æra Hiſpanica 195. *Auguſtorum* 184.

Coſſ. Barbatus.
Regulus.

Antoninus Imp. & Marcus Cæſar Tribunitiam poteſtatem ſibi ſumunt; ille viceſimam, hic undecimam.

Pius Papa hoc anno decretum edit de Paſchate die Dominico celebrando. Euſebius dicit *Hermetem* quendam ſcripſiſſe librum, qui Paſtor inſcribitur, ut Paſcha die Dominico celebretur.

Olympias 134. *acta*. Eſt annus Olympiad. 953.
Victor Stadii *Heras* Chius.

Annus Actiacæ victoriæ 187. *incipit die* 29. *Aug.*

ANNO MUNDI 4107. Poſt C. 158.
B. ☉ 27. ☽ 7.

Coſſ. Q. Flavius Tertullus.
Licinius Sacerdos.

Agon. Capitolinus XIX. factus.

Antoninus *Pius agit vicennalia, & inſequens decennium vota concipit.*

Nepos Sundii, qui Sundium urbem ad mare Balthicum condiderat, Francofurtum ad Oderam circa hæc tempora condit. *Trith.*

ANNO MUNDI 4108. Æræ C. 158.
A. ☉ 28. ☽ 8.

Coſſ. Plautius Quintillus.
Statius Priſcus.

Lex de adulterio novata his *Coſſ.* quæ æquè viris ac uxoribus caſtitatem tuendam præciperet, cùm antea tantum de uxoribus ageret. *Cod. Theod.*

Annus ſabbaticus Jobeleo Chriſtiani ſecundi incipit 2. *Septembr. fer.* 7. *Anno Iud.* 3920.

ANNO MUNDI 4109. Poſt C. 160.
GF. ☉ 1. ☽ 9.

Coſſ. T. Vibius Barus.
Ap. Annius Bradua.

Hoc anno inveniuntur nummi, in quibus Marci Aurelii Tribunitia poteſtas 14. conjungitur cum Conſulatu ſecundo, & ſequenti anno cum tertium Conſul eſſet, habentur nummi, ubi Tribunitia poteſtas decima quinta cum Coſulatu tertio jungitur: unde patet annus, quando poteſtatem Tribunitiam primam accepit. *Onuph.*

Annus Nabonaſſar. 908. *& annus Philippi de mortis Alexandri* 484. *incipit die* 14. *Julii, fer.* 1.

Annus Seleucidarum Alexandr. 472. *& Antiochenus* 209. *à Calend. Octobr.*

ANNO MUNDI 4110. Poſt C. 161.
E. ☉ 2. ☽ 10.

Annus urbis 933. *Julianus* 206.
Æra Hiſpan. 199. *Auguſtorum* 188.

Coſſ. Marcus Aurelius Cæſar III.
L. Ælius Cæſar. II.

Antoninus Pius & Marcus Aurelius Cæſar ineunt Tribunitiam poteſtatem, ille viceſimam quartam, hic decimam quintam.

Antoninus Pius Imp. die 6. Martii, cùm imperaſſet annis 22. menſibus 7. diebus 26. & vixiſſet annos 74. & menſes 6 mortuus eſt apud Lorium villam: Sepultus eſt in mole Hadriani, & ſtatim inter divos relatus. Succedit ipſi *Marcus Aurelius Antoninus* Philoſophus, qui imperavit annos novendecim, & dies undecim. Statim autem in conſortium imperii aſſumpſit L. Ælium Verum, atque ita populus Romanus primum duobus ſimul imperantibus paruit. Porrò dies obitus Antonini Pii certus eſt ex die obitûs M. Aurelii, & tempore imperii ejus, quod annotârunt *Dio & Jul. Capit.*

Vologeſus, Parthorum rex, magna clade Romanum afficit imperium, dum Servianum Ducem in Armenia unà cum exercitu internecione occîdit.

Olympias 235. Eſt annus Olympiad. 957.
Victor Stadii *Mneſibulus* Heratius.

Annus Actiacæ victoriæ 191. *incipit die* 29. *Auguſt.*

Mneſibulus poſteà à Coſtobocis vel Pliſtobocis Gallis, qui factis incurſionibus in Græciam ad Elataam uſque penetrârunt, caſus eſt. Erecta tum fuit ei ſtatua Elatæa. Pauſan in Phocic.

Marcus cum Lucium Verum contra Parthos mittere conſtituiſſet, ipſi filiam ſuam deſpondet, ut eſſet ſimul gener & collega, atque hoc modo Lucius diſcedit, nondum tamen factis nuptiis. *Xiphil.*

Lucilla *ſponſa Lucii à malo dæmone exagitatur, quo liberata eſt per Albertium Hieropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum, qui hoc beneficio ab Imperatore obtinuit, ut pauperibus in ſua Eccleſia erogarentur quotannis ter mille modii frumenti, & thermæ ibi ædificarentur.* Baron. *frumenti ſumma fuit ducenti modii Lipſienſes.*

Primo hoc anno Marci Tiberis Romam inundat, quo facto plurima ædificia Romæ corruerunt, plurima pecudes interierunt, & fames graviſſima inde exorta eſt. Jul. Cap.

ANNO MUNDI 4111. Poſt C. 162.
D. ☉ 3. ☽ 11.

Coſſ. Q. Junius Ruſticus.
Vettius Aquilinus.

Agon Capitolinus factus viceſimus.

Britannicum ſimul bellum movetur unà cum Germanico. Ad Britannicum mittitur Dux Agricola: Contra Cattos verò Germanos eligitur Dux Aufidius Victorinus Jul. Cap.

Marcus *Imperator ipſe Philoſophus & Philoſophis deditus, eos Romam evocat, & ſtipendiis fovet, ab iisdem perſuadetur, ut pro veteri religione conſervanda edictum promulgaret, qua ratione factum eſt, ut perſecutio Chriſtianorum ab Antonino inhibita, recrudeſceret.* Juſtinus *tum ſcripſit alteram Apologiam pro Chriſtianis, quæ tamen præpoſtero ordine præpoſita eſt priori.*

Athena-

Athenæus circa hæc tempora floret. *Suidas.*

Hermogenes Rhetor floret, qui annos natos octodecim ſuam artem Rhetoricam ſcripſit, inde annos natus viginti quatuor errore mentis eſt affectus, & à ſeipſo degeneravit: obiit tandem ſenio confectus, planè iners quaſi unus de vulgo. *Suid.*

ANNO MUNDI 4112. Poſt C 163.
C. ☉ 4. ☽ 12.

Coſſ. L. Papirius Ælianus.
Junius Paſtor.

Sulpitius Apollinaris, cujus periochæ in Terentium extant, floret; fuit præceptor Pertinacis, qui pòſt imperavit. *Suid.*

Juſtinus Martyr, cùm eſſet Romæ, opera Creſcentis Cynici capitur, & virgis cæſus decollatur à Præfecto urbis Ruſtico ipſis Calendis Junii, *ut habet Baronius.* Multos hic edidit libros, quos antiquitas magni fecit.

ANNO MUNDI 4113. Poſt C. 164.
B A. ☉ 5. ☽ 13.

Coſſ. C. Julius Macrinus.
L. Cornelius Celſus.

Bellum Parthicum à Lucio per legatos feliciter adminiſtratur: magnæ enim res geſtæ ſunt, & Seleuciæ Aſſyriæ urbs, cum quadringentis hominum millibus eſt capta. *Entrop.*

Annus Nabonaſſaris 912. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 488. *incipit* 13. *Julii fer.* 5.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 476. *& Antiochenus* 213. *à Calendis Octob.*

Fronto Orator, *ut Euſebius habet*, hiſce temporibus floret.

Cùm bellum in Armenia per Statium Priſcum gereretur, (Lucius n. Antiochiæ ferè reſidebat) Armeniacum nomen utrique Imperatorum datum, & ſecundâ vice Imperatores appellati ſunt. Armeniæ etiam, ut nummi habent, regem impoſuerunt.

In *Britannia*, concedente Britannorum rege, religio Chriſtiana hoc tempore publicè annunciata eſt. *Beda.*

ANNO MUNDI 4114. Poſt C. 165.
G. ☉ 6. ☽ 17.

Annus urbis 937.	*Iulianus* 210.
Æra Hiſpan. 203.	*Auguſtorum.* 192.

Coſſ. Servilius Pudens.
L. Cornelius Scipio Orfitus.

Imperatores ambo aſſumunt, Tribunitiam poteſtatem, Marcus decimam nonam, Lucius quintam circa menſem Martium.

Profligato hoc anno bello Parthico, uterque Imperator Parthicus à Senatu apppellatus eſt, quod nomen tamen Marcus in initio non recepit, quemadmodum nec nomen patris patriæ: cùm verò Lucius poſt Romam rediiſſet, ambo de Parthis triumphârunt. *Euſeb.*

Hegeſippus hiſce temporibus Romam venit, factus eſt ex Judæo Chriſtianus, ſcripſit de religione Chriſtiana, & Hiſtoriam Eccleſiaſticam; ſed ea deperdita fuit. *Scalig.*

Agrippinus Alexandriæ Epiſcopus fit. *Euſeb.*

Olympias 236. *acta.* Eſt annus Olympiadicus 961.

Victor Stadii *Atidalas* Alexandrinus.

Annus Actiacæ victoriæ 195. *incipit die* 29. *Aug.*

Peregrinus Philoſophus has Olympiade, rogo, quem ex lignis compoſuerat, ſponte ſe injecit & exuſtus eſt triennio ante Lucii Imperatoris mortem, quo tempore etiam *Athenagoras* librum apologeticum pro religione Chriſtiana Imperatoribus obtulit. *Euſeb.*

Pius Papa, cùm ſediſſet annos novem, menſes ſex, martyrium ſubit; ſuccedit *Anicetus*, natione Syrus, qui ſedit annis octo, menſibus ſeptem. *Baronius.*

Polycarpus Romam venit, ut diſſidia, quæ de Paſchate orta erant, componeret, de quibus vide *Euſebium lib.* 5. *cap.* 24.

Clodomirus, Sicambrorum rex vel Francorum, cùm annis ſeptendecim regnâſſet, moritur, ſuccedit Farabertus, qui præeſt annis viginti. *Trithem.*

ANNO MUNDI 4115. Poſt C. 166.
F. ☉ 7. ☽ 15.

Coſſ. Servilius Pudens II.
T. Vitraſius Pollio.

Agon Capitolinus viceſimus primus factus eſt, quo tempore Marco filius mortuus eſt, ſed ipſe noluit ſolennes ludos luctu publico interturbare. Jul. Cap.

Marcomannicum bellum dudum motum fuiſſet, niſi Parthicum bellum tantis ſumptibus geſtum fuiſſet. Ideò qui Germaniæ præerant, quibuscunque potuerunt rationibus, id diſtulerunt, donec Parthicum profligatum eſſet. Imperatores autem ambo ultra biennium Romæ ſubſtiterunt, &, quæ neceſſaria videbantur ad id bellum, præparârunt. *Jul. Cap.*

Annus ſabbathicus ſeptimus ſive Jubelæus ſecundus Chriſtianus, incipit die 17. *Septemb. fer.* 7. *Anno Jud.* 3927.

Commodus filius Imperatoris Marci, Cæſar appellatur die 12. Octobris. *Jul. Cap.*

ANNO MUNDI 4116. Poſt C. 167.
E. ☉ 8. ☽ 16.

Coſſ. Imp. Lucius Verus III.
T. Numidius Quadratus.

Polycarpus Johannis Evangeliſtæ diſcipulus, hoc anno Martyrio coronatur; rogo impoſitus, cùm cremari non poſſet, gladio jugulatus eſt Smyrnæ, factum die 22. Martii, Sabbatho Magno. *Euſeb. lib.* 4. Polycarpi diſcipulus fuit Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus.

Germani uſque ad Italiam penetrant, & graviſſima damna Romanis inferunt. Contra hoſce Marcus mittit *Pertinacem*, qui maximo prælio Germanos vincit, ubi inter cæſos hoſtes plurima mulierum cadavera reperta ſunt, quæ armis juſtis indutæ ſimul pugnaverant. *Xiphilinus.*

ANNO MUNDI 4117. Poſt C. 168.
DC. ☉ 9. ☽ 17.

Coſſ. Junius Montanus.
L. Vettius Paulus.

Plurimi

Plurimi martyres in Gallia facti, quorum acta tempore Euſebii extiterunt.

Peſtis toto orbe vehementiſſimè graſſatur, orta quòd in expugnatione Seleuciæ Caſſius Apollinis Chomei ſimulachrum avulſum Romam deferri curaverat, ubi in ejus avulſione, dum milites omnia ſcrutantur, auguſtum foramen inventum eſt, quo reſerato peſtilens ſpiritus erupit, qui non ſolum Perſarum fines contagiis & mortibus polluit, ſed & uſque ad Rhenum, totum orbem terrarum pervaſit. *Ammianus.* Quidam dicunt, fuiſſe arculam auream.

Annus Nabonaſſaris 961. *& Philippi & mortis Alexandri* 492. *incipit die* 12. *Julii, fer.* 2.

Annus Seleucidarum Alexandr. 480. *& Antiochenus* 217. *à Calendis Octobr.*

Anicetus Romanus Papa, cùm ſediſſet annos undecim, moritur, ſuccedit *Soter*, qui præeſt annis ſeptem. *Euſeb.*

Theophilus Heroni apud Antiochenos in Epiſcopatu ſuccedit, qui ſcripſit contra *Hermogenem* & item alia, quorum meminit Euſebius & Hieronymus. Hermogenes hic pictor primùm fuit, poſtea Stoicus, & multa deliria protulit, & inter alia dixit, corpus Chriſti eſſe in Sole repoſitum. Ex hac facta poſtea *Manichæi* orti ſunt, ut Nyſſenus teſtatur. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4118. Poſt. C. 169.
B. ☉ 10. ☽ 18.

Annus urbis 941. *Julianus* 216.
Æra Hiſpan. 207. *Auguſtorum* 196.

Coſſ. Soſius Priſcus,
Q. Cœlius Apollinaris.

Imperatores ambo aſſumunt Tribunitiam poteſtatem, Marcus viceſimam tertiam, Lucius nonam.

Gervaſius & Protaſius Martyres hoc anno facti ſunt, ut inſcriptio ſepulchri teſtatur. *Baron.*

Olympias 237. *acta. Eſt annus Olymp.* 965.

Victor Stadii *Eudamon* Alexandrinus.

Annus Actiacæ victoriæ 199. *incipit die* 29. *Aug.*

Marcus Imperator, ut ſatis virium haberet contra tantos hoſtes Marcomannos, ſervos milites emit, quos Volones appellavit, quod militare vellent. Sumſit item gladiatores, & plurimos Germanos conduxit, Latrones etiam Dalmatiæ & Pannoniæ milites fecit: item cùm pecunia deeſſet ad bellum actionem fecit ſuorum bonorum. Et tandem ambo Imperatores ad bellum profecti Aquileiæ hybernant, ibi cum Lucius Romam redire vellet, Marcus eum comitatur, ſed Lucius appoplexia moritur, media hyeme, *ut Galenus habet*, cadaver Romam à Marco deducitur, ubi in mole Hadriani ſepelitur, cùm tribunitia poteſtas nona nondum eſſet completa, ut ita non planè novem annos imperii compleverit. *Jul. Cap.*

ANNO MUNDI 4119. Poſt C. 170.
A. ☉ 11. ☽ 19.

Coſſ. M. Aurelius Severus Cethegus.
L. Junius Clarus.

Agon Capitolinus viceſimus ſecundus celebratus.

Melito Aſianus, Sardienſis Epiſcopus, pro Chriſtiana religione apologiam ſcribit ad Imperatorem Marcum. *Euſebius.* Idem ſcribit etiam duos libros de Paſchate, & de die Dominico, & multa alia.

ANNO MUNDI 4120. Poſt C. 171.
G. ☉ 12. ☽ 1.

Coſſ. L. Septimius Severus II.
Herennianus.

Imp. Marcus Decennalia celebrat, & vota concipit in alterum decennium, ut teſtantur Inſcriptiones apud Onuphrium.

Apollinaris Aſianus & Hieropolitanus Epiſcopus claret, qui & ipſe apologiam ſcripſit pro Chriſtianis. *Euſeb. Photius.*

Dionyſius Epiſcopus Corinthiorum claret, & Pinytus vir eloquentiſſimus. *Euſebius lib.* 4. *hiſt. cap.* 22.

Pſeudoprophetia, quæ Cataphryges nominatur, incipit auctore Montano & Priſcilla, & Maximilla. Montanus præterea alia deliria profert, dixit ſe eſſe paracletum, damnavit ſecundas nuptias, inſtituit jejunia & alia, *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4121. Poſt C. 172.
FE. ☉ 13. ☽ 2.

Coſſ. Claudius Maximus.
Cornelius Scipio Orfitus.

Epictetus Philoſophus circa hæc tempora claret, *Suidas.*

Annus Nabonaſſaris 920. *& Philippi ac mortis Alexandri* 496. *incipit* 11. *Julii, fer.* 6.

Annus Seleucidarum Alexandræus 484. *& Antiochenus* 221. *à Calendis Octob.*

Tatianus prolabitur in hæreſin, & amplectitur dogmata Montani & Saturnini. *Euſeb. & Irenæus.*

ANNO MUNDI 4122. Poſt C. 173.
D. ☉ 14. ☽ 3.

Annus urbis 925. *Julianus* 118.
Æra Hiſp. 211. *Auguſtorum* 200.

Coſſ. Cn. Claudius Severus II.
M. Aurelius Claudius Pompejanus.

Marcus *Imperator init Tribunitiam poteſtatem* 27. *die* 25. *Febr.*

Anicetus Papa Romæ interficitur, cùm ſediſſet annos novem ferè, die 17. Aprilis. Hic conſtituit, ne Clericus comam nutriret. Succedit ipſi Soter Fundanus ex Campania: ſedit annis quatuor. *Onuph.*

Marcus Imperator, cùm deſtitueretur ſumtibus ad bellum, ne tamen extraordinarium tributum provincialibus indicere vellet, inſtrumenta regii cultus, etiam mundum muliebrem uxoris, & pocula & alia per continuos menſes divendidit: poſt partam victoriam volentibus permutationem, pecuniam reſtituit. *Aur. Vict.*

Olympias 238. *acta. Eſt annus Olympiad.* 949.

Victor Stadii *Agathopus* Ægineta.

Annus Actiacæ victoriæ 203. *incipit die* 29. *Aug.*

Annus ſabbathicus primus Jobelei Chriſtiani tertii incipit die 26. *Sept. fer.* 7. *Anno Judaico* 3934.

Pauſanias hoc tempore ſcripſit, annis videlicet 217. poſt deductam coloniam Corinthum à Julio Cæſare, ut ipſe teſtatur *in primo Eliacorum.*

ANNO MUNDI 4123. Poſt C. 174.
C. ☉ 15. ☽ 4.

Coſſ. Ap. Annius Trebonius Gallus.
Flaccus.

Agon Capitolinus viceſimus tertius celebratus.

Hoc anno media æſtate Marcus Imperator de Quadis & Marcomannis inſignem victoriam conſequitur, precibus Chriſtianorum adjutus, qui impetrarunt ſuis in maxima ſiti pluviam, & contra hoſtes fulmina: de qua re ſunt elegantes verſus claudiani, hominis à Chriſtiana religione abhorrentis, niſi quod id non Chriſtianis acceptum refert. Verſus ſunt hi de illa victoria.

Laus ibi nulla Ducum, nam flammeus imber in hoſtem
Decidit. Hunc dorſo trepidum fumante ferebat
Ambuſtus ſonipes: hic tabeſcente ſolutus
Subſedit galea, liquefactaque fulgure cuſpis
Canduit, & ſubitis fluxere vaporibus enſes:
Tunc contenta polo mortalis neſcia teli
Pugna fuit, Chaldæa mago ſeu carmina ritu
Armavere Deos, ſeu quod reor, omne Tonantis
Obſequium *Marci* mores potuere mereri.

Hoc anno autem hanc victoriam accidiſſe, teſtatur Dio, *quando dicit, Marcum tum ſeptimum Imperatorem appellatum eſſe, qua appellatio conjungitur in Inſcriptionibus cum Tribunitia poteſtate viceſima octava, qua in hunc annum incidit. Victoriam hanc non magicis artibus impetratam teſtatur ipſe Marcus, qui à Magicis artibus ſe abhorrere ſcribit, nec precibus Marci impetrata fuit*, ut Julius Capitolinus *affirmat, ſed precibus Chriſtianorum, ut teſtatur* Tertullianus & Oroſius, *qui ambo ad literas Imperatoris de hac re ſcriptas provocant. Hanc autem epiſtolam, quæ hodiè extat, Euſebius non vidit, aliàs eam ſuis hiſtoriis miſcuiſſet, ut diligentiſſimus eſt in hiſce rebus annotandis. Caterùm duodecimam legionem fulminatricem appellatam fuiſſe ante hæc tempora, tempore ſcilicet Trajani, oſtendunt Inſcriptiones, & Dio teſtatur, legionem fulminatricem Cappadocia provincia impoſitam fuiſſe, ut ita ipſi ex hoc facto nomen impoſitum non ſit.*

ANNO MUNDI 4124. Poſt C. 175.
B. ☉ 16. ☽ 5.

Coſſ. Calpurnius Piſo.
M. Salvius Julianus.

Caſſius præſes Aſiæ inductus à Fauſtina conjuge Marci imperium arripit, cùm putaret Imperatorem à Quadis occiſum eſſe. Marcus, ut eum eò faciliùs opprimere poſſet, filio ſuo Commodo dat Tribunitiam poteſtatem, die viceſimo Januarii.

Aufidius Caſſius, poſt tres menſes & dies ſex interficitur, Antonius enim centurio eum improviſo ſecundum cervicem vulnerat, facinus tamen imperfectum relinquit & fugit, ſed Decurio, qui ſimul aderat, eum conficit, & caput ejus abſciſſum ad Marcum defert. *Dio.*

Marcus, cum Oriens ita defectione Caſſii turbatus eſſet, eò cum filio Commodo proficiſcitur, & gentes clementiſſimè tractat, literas etiam apud Caſſium inventas abolere jubet, ne cogeretur invitus aliquem odiſſe. *Dio.*

ANNO MUNDI 4125. Poſt C. 176.
AG. ☉ 17. ☽ 6.

Coſſ. T. Vitraſius Pollio II.
M. Flavius Aper II.

Marcus Imperator, compoſito Oriente, Athenas venit, ibique ſacris initiatus fuit. Doctores etiam Philoſophos annua mercede conſtituit ad omnium gentium utilitatem, *ut Dio inquit*. Interim Fauſtina uxor moritur, cui à Senatu ſtatua erigitur, & in templo, unà cum ſtatua Marci collocatur.

Annus Nabonaſſaris 924. & annus Philippi ac mortis Alexandri 500. incipit die 10. Jul. fer. 3.

Annus Alexand. Seleucidarum 488. & Antiochenus 225. incipit à Calend. Octobr.

Marcus Imperator Romam tandem venit, ubi quòd annis ferè octo abfuiſſet, populo viritim octo aureos diſtribuit, & remiſit omnia fiſco debita per annos quadraginta, juſſitque Syngraphas comburi. Inde filium Commodum creat Auguſtum die 27. Novemb. & ſequenti menſe Decemb. cum ipſo triumphat. *Dio.*

ANNO MUNDI 4126. Poſt C. 177.
F. ☉ 18. ☽ 7.

Annus urbis cond. 929. *Julianus 222.*
Æra Hiſpanica 215. *Auguſtorum 204.*

Coſſ. Imp. Commodus,
Plautius Quintillus.

Commodus Imperator die 20. Jan. & Marcus Imperator pater ſumunt ſibi Tribunitiam poteſtatem, ille tertiam, hic viceſimam primam.

Marcus Imperator Smyrnam urbem, quæ ingenti terræmotu corruerat, magnis ſumtibus reficit. *Dio.*

Olympias CCXXXIX. acta. Eſt annus Olympiadicus 953.

Victor Stadii *Agathopus* ſecundum.

Annus Actiaca victoria 207. incipit die 29. Aug.

Marcus Imperator Romæ in ſpectaculis valdè munificus eſt, adeò ut una editione exhiberet centum leones. Crudelis tamen adeò non fuit, ut gladiatores ſpectare non poſſet; ideo juſſit eos tantùm obtuſis gladiis, ut athletæ ſolebant, pugnare. *Jul. Cap.*

Sotero Pontifici, qui annis ſeptem præfuerat, ſuccedit quindecimus Romanæ urbis Epiſcopus *Eleutherus*, qui ſedit annis quindecim. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4127. Poſt C. 178.
E. ☉ 19. ☽ 8.

Coſſ. Vettius Rufus.
Cornelius Scipio Orfitus.

Agon Capitolinus viceſimus quartus celebratus.

Photinus ſuperiori anno Lugduni Galliæ, cujus Eccleſiæ erat Epiſcopus, martyrio affectus erat: hoc anno ipſi ſuccedit *Irenæus.*

Marcus Imperator filio ſuo Commodo dat uxorem Criſpinam, Quintilii filiam, & cum eo, quòd res Scythicæ ejus præſentiam deſiderare viderentur, ad id bellum profectus eſt, tertio nonas Auguſti, *ut Ælius Lampridius habet.*

Maximinus Epiſcopus Antiochenus ſuccedit Theophilo. *Euſeb.*

ANNO

ANNO MUNDI 4128. Poſt C. 179.

D. ☉ 20. ☽ 9.

Coſſ. Imd. Commodus II.
Veſpronius Candidus Verus.

Suffectus eſt hoc anno Pertinax, ut & Capitolinus & Dio *oſtendunt.*

Marcus *cùm contra hoſtes profectus eſſet, duce Paterno hoſtes magno, ſed difficili prælio vicit. Scythiam autem ſubigere hoc anno non potuit: ſi verò ad annum uſque vixiſſet, omnino omnes hasce regiones cum Marcomannis & Quadis in provincias redegiſſet.* Dio.

Hiſce temporibus cum Judæus Catechumenus cum comitibus ſuis iter faceret per Arabiam deſertam, & in morbum incideret graviſſimum adeo, ut animam exhalaturus videretur, petiit magnoperè à comitibus, ut ſibi Sacramentum Baptiſmi impertirent. Cùm igitur precibus ægroti moverentur, eumque baptiſatum vellent, & tamen neque Sacerdos, neque aqua adeſſet, arenâ ter injecta ipſum baptiſarunt, quem tamen poſtea, cùm ex morbo reſtitutus eſſet, Epiſcopus aqua ſacra ablutum voluit. *Nicephorus libro 3. capit. 37.*

ANNO MUNDI 4129. Poſt C. 180.

C. ☉ 21. ☽ 10.

Coſſ. Bruttius Præſens II.
Sex. Quinctilius Gordianus.

Marcus Imperator, cùm annos 19. regnaſſet, & die 11. vixiſſet autem annos quinquaginta octo, menſes decem, & dies 20. in morbum incidit, & à medicis, qui Commodo filio gratificabantur, occiditur die 16. Martii. Id parricidium autem adeò diſſimulavit, ut filium ſuum Commodum ipſe militibus commendaret. Succeſſit igitur optimo Imperatori degener filius, M. Aurelius Commodus Antoninus, maximæ & crudelitatis & ſuperbiæ homo, qui annos natus duodecim, quòd tepidus lotus eſſet, balneatorem in fornacem conjici juſſit, & plurimos Senatores occidit. Quando ad Senatum ſcribebat; ultimis ſuis temporibus, hoc utebatur titulo: Imperator Cæſar Lucius Ælius, Aurelius, Commodus, Antoninus, Auguſtus, Pius, Felix, Sarmaticus, Germanicus Maximus, Britannicus, Pacator orbis terrarum, invictus, Romanus, Hercules, Pontifex maximus, Tribunitiæ poteſtatis XVIII. Imperator VIII. Conſul VII. Pater patriæ &c.

Annus Nabonaſſaris 928. & annus Philippi ac mortis Alexandri 504. incipit die 9. Julii fer. 7.

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei Chriſtiani tertii, incipit die 10. Sept. fer. 7. Anno Iud. 3941.

Annus Seleucidarum Alexandri 292. & *Antiochenus* 229. *a Calend. Octob.*

Commodus menſium in Calendario nomina mutat; eosque ex ſuis nominibus appellari jubet, atque ita numerari: Amazonius, Invictus, Felix, Pius, Lucius, Ælius, Aurelius, Commodus, Auguſtus, Herculeus, Romanus, Exuperans. *Dio.*

Commodus *poſt obitum parentis bellum, quod ferè confectum erat, regibus hoſtium addictus, remittit, & utcunque pace facta Romam redit triumphatque ubi [illegible] perſecutionem Chriſtianorum: [illegible] fortaſſis precibus Martia concubinæ, quæ Chriſtianis ſtudebat.* Xiphi[illegible]

ANNO MUNDI 4130. Poſt C. 181.

A. ☉ 22. ☽ 11.

Annus urbis cond. 933.	*Iulianus* 226.
Æra Hiſpan. 219.	*Auguſtorum* 208.

Coſſ. Imp. Commodus III.
Antiſtius Burrus.

Commodus *Tribunit. poteſtatem 7. ſibi ſumit die 20. Januarii.*

Iſidis Sacra à Romanis admiſſa; & Commodus ipſe ſe Iſidi initiari permiſit, & Anubin portavit.

Commodus, cui parens conſiliarios prudentiſſimos ex Senatoribus adjunxerat, parum eorum admonitionibus locum dedit: ſed voluptatibus deditus, *Perenni*, quem præfectum Prætorio fecerat, totum imperium gubernandum tradit. *Herod.*

Olympias CCXL. acta. Eſt annus Olympiadicus 957.

Victor Stadii *Anubis*, qui alio nomine *Pleiadus Alexandrinus* vocatus eſt.

Annus Actiacæ victoriæ 211. incipit die 29. Auguſt.

Pax Eccleſiæ à Commodo conceſſa, multos allicit ad religionem Chriſtianam amplectendam. *Euſeb. lib. 5.*

Lucius, Britannorum rex, legatos ad Eleutherium Papam Romam mittit, uti Epiſcopum in Britanniam ablegaret, à quo Lucius rex in religione Chriſtiana inſtitutus eſt, & ipſius quoque ſubditi; purè etiam ibi religio conſervata eſt, uſque ad tempora Diocletiani. Tertullianus de Britannis ait: Quòd Britannorum Romanis inacceſſa loca, Chriſto ſint ſubdita. *Beda.*

ANNO MUNDI 4131. Poſt C. 182.

G. ☉ 23. ☽ 12.

Coſſ. Petronius Mamertinus.
M. Vettius Trebellus Rufus.

Quibus poſtea alii ſuffecti ſunt.

Agon Capitolinus viceſimus quintus celebratus.

Verſiones Bibliorum hoc tempore binæ erant, Septuaginta interpretum, & deinde Aquilæ; acceſſit hiſce temporibus tertia *Theodotionis*, qui hæreticus & diſcipulus Tatiani fuerat: Inde ſe Marcionitis adjunxerat, poſtea Judæis, ubi Hebræam linguam didicerat. Verſio tamen ejus propterea ſpreta non fuit. *Bar.*

ANNO MUMDI 4132. Poſt C. 183.

F. ☉ 24. ☽ 13.

Coſſ. Imp. Commodus IV.
M. Aufidius Victorinus.

Aufidium hunc Commodus plurimum amavit, & tandem contra Cattos rebellantes miſit. Cap.

In Britannia, cùm hoſtes murum eſſent tranſgreſſi, qui interceſſerat inter ipſos & Romanos & Romanum exercitum clade affeciſſent, Commodus Ulpium Marcellum contra eos miſit, qui induſtria & ſedulitate militum exercuit & inde Britannos ingenti damno affecit. *Dio.*

Pantænus Philoſophus Chriſtianus apud Alexandrinos, ad Indos proficiſcitur, ibi Evangelium Chriſti annunciaturus *Euſeb. lib. 5.* hujus diſcipulus fuit Clemens Alexandrinus.

ANNO MUNDI 4133. Poſt C. 184.
ED. ☉ 25. ☽ 14.

Coſſ. *M.* Eggius Marullus.
N. Papirius Ælianus.

Gothi, ex Noricis & Suedicis plagis erumpentes, multas magnasque clades diverſis provinciis inferunt, quas crudeliſſimè divexant, & tandem ad utramque Viſurgis ripam ſedes ſuas figunt. Ex eo tempore deinceps Oſtvali & vveſtvali à vicinis appellati ſunt. *Ann. Friſici.*

Annus Nabonaſſaris 932. & annus Philippi ac mortis Alexandri 508. incipit die 8. Julii, fer. 4.

Annus Seleucidarum Alexandraus 596. & Antiochenus 233. à Calendis Octob.

Cùm Commodus uxorem duxiſſet Criſpinam Lucilla Commodi ſoror, & filia Marci Imp. domo exacta eſt, quæ propterea fratri infenſa de eo trucidando conſilia init cum adoleſcente nobili Quadrato. Sed ſtultus, dum pugionem nudat, dicit, *hunc tibi Senatus mittit*, nec facinus ſubitò perpetrat ideò comprehenſus pœnas amentiæ dedit, & hinc Commodi odium erga Senatum exortum eſt.

Soror etiam Commodi Lucilla occiſa eſt, quæſtionem exercente Perenne. *Herodianus lib.* 1.

ANNO MUNDI 4134. Poſt C. 185.
C. ☉ 26. ☽ 15.

Annus urbis 937.	*Iulianus* 130.
Æra Hiſpan. 223.	*Auguſtorum* 212.

Coſſ. Triarius Maternus.
M. Atilius Mentilius Bradua.

Commodus *ſumit ſibi Tribunit. poteſtatem* 11. 20. *Januarii.*

Commodus crudeliter in Senatores Romanos graſſatur, occidit Servium Julianum & Paternum à quibus facillimè imperio exuti potuiſſet, cùm magnis exercitibus præeſſent; Quintilios inſuper, qui doctrina, auctoritate & divitiis plurimum pollebant. Sex. Condianus cùm eſſet in Syria, & ſciret ſe condemnatum iri, ſanguinem leporinum bibit, inde equo vectus conſulto decidit, & plurimum ſanguinis vomuit; inde domum allatus delituit, donec mortuus traderetur, & aries pro eo arcæ infertus combureretur, inde per totum terrarum orbem oberrat, ſed proditus famâ, tandem interficitur. *Dio.*

Olympias CCXLI. acta. Eſt annus Olympiadicus 961.

Victor Stadii *Heron* Alexandrinus.

Annus Actiaca victoria 215. *incipit die* 29. *Aug.*

Farabertus, *Francorum rex, cum annos viginti regnaſſet, moritur, ſuccedit filius* Sunnó, *qui regnat annos viginti octo.* Trith.

Apollonius quidam, à quibusdam Senator Romanus habetur, cum de religione Chriſtiana accuſaretur, petit, ut in Senatu ſibi poteſtas loquendi daretur, ubi plurimum de religione Chriſtiana locutus, tandem capite truncatur, *Euſeb.* Executor ſupplicii Perennis fuit, qui ante vertentem annum occiditur.

ANNO MUNDI 4135. Poſt. C. 186.
B. ☉ 27. ☽ 16.

Coſſ. Imp. Commodus V,
Man. Acilius Glabrio.

Agon Capitolinus viceſimus ſextus celebratus.

Perennis præfectus prætorio conſpirat contrà Commodum, & hæ inſidiæ patefactæ ſunt in ipſis ludis Capitolinis ab homine ignoto, cui fides habita non eſt, ſed ſtatim igne crematus. Cùm verò poſtea Perennis nummos cuderet, illi publicas inſidias patefecerunt, & Perennis cum filio interfectus eſt, cui ſuccedit *Cleander* homo avarus, & crudelis. *Herod. Dion.*

Commodus decennalia agit à tempore, quando à patre in imperium aſſumptus eſt, & vota concipit in ſequens decennium. *Sclavi & Vilta*, contractis in unum viribus ſuis, Antoniam urbem in Druſo Nerone ædificatam excindunt, & eo loco Viltaburgum quæ poſtea *Ultrajectum* appellata eſt, ædificari curant. *Annal. Friſ.*

ANNO MUNDI 4136. Poſt C. 187.
A. ☉ 28. ☽ 17.

Coſſ. Tullius Criſpinus.
Papirius Ælianus.

Cleander pro ſervo venundatus fuerat Romæ, inde libertus factus in aulam aſſumitur, & tandem cubicularius electus à *Commodo* ejus *Pellicem* uxorem ducit, inde præfectus Prætorio creatus, totum imperium venale habuit, adeò ut & dignitatem Senatoriam & præfecturas venderet, viginti quinque Conſules in unum annum deſignavit, quod neque antea, neque poſt id tempus factum eſt. *Dio.*

Annus ſabbathicus tertius Jobelei Chriſtiani tertii, incipit die 23. *Sept. feria* 7. *Anno Jud.* 3948.

Philippus circa hæc tempora præfectus Ægypti fuit, qui pater fuit virginis *Eugenia*, quæ poſtea Martyrio coronata fuit. *Baron.*

ANNO MUNDI 4137. Poſt C. 188.
GF. ☉ 1. ☽ 18.

Coſſ. C. Allius Fuſcianus.
Duillius Silanus.

Silanus hic poſtea interfectus eſt à Commodo. Lamprid.

Maternus quidam latro exercitum colligit contra Commodum & Galliam Hiſpaniamque vaſtat: cum ibi pellexetur, in Italiam venit, & veris initio præparatis veſtibus cum ſociis ſe Prætorianis miſcet, ut Commodum trucidaret, ſed proditus interfectus eſt. *Herod.*

Annus Nabonaſſaris 936. & annus Philippi ac mortis Alexandri 512. incipit die 7. Julii, fer. 1.

Annus Seleucidarum Alexandr. 500. *& Antiochenus* 37. à Calend. Octob.

Capitolium fulmine feritur, & facto incendio Bibliotheca ſumptuoſiſſima cum vicinis ædibus perit. Dio.

ANNO MUNDI 4138. Poſt C. 198.
E. ☉ 2. ☽ 19.

Annus urbis 941.	*Julianus* 134.
Æra Hiſp. 227.	*Auguſtorum* 216.

Coſſ. Junius Silanus.
Servilius Silanus.

Commodus *ſumit ſibi decimam quintam Tribunitiam poteſtatem* 20. *Januarii.*

Cleander nomine *Commodi* thermas Antoninas perficit & dedicat. Commodus enim, quòd multos expe-

experiretur in ſi...latores, Laurentum conceſſerat. Perfectæ autem fuerunt hæ thermæ ad commodum lavantium uſum, habuerunt mille & ſexcenta ſedilia ex Marmore. Suffectus h... anno Conſul fuit *Severus*, qui poſt Imperator fuit, cum Vitellio, *ut teſtatur Spartianus*, quando dicit, Getam hiſce Conſulibus natum, die 27. Maji: Interfectus enim eſt, cùm annos haberet 22. & menſes novem, die 25. Febr. Anno 212. *ut Dio habet.*

Olympias CCXLII. *acta. Eſt annus Olymp.* 965.

Victor Stadii Magnus Cyrenæus.

Annus Actiacæ victoriæ 219. *incipit die* 29. *Aug.*

Peſtis Romæ vehementiſſimè graſſatur, mortui ſunt uno die ad duo millia. Fuerunt, qui acus veneno oblitas in alios conjicerent, id quod Domitiani temporibus etiam factum erat. Dio.

ANNO MUNDI 4139. Poſt. C. 190.
D. ☉. 3. ☽ 1.

Coſſ. Imp. Commodus VI.

Petronius Septimianus.

Agon Capitolinus viceſimus ſeptimus celebratur.

Fames Romanos affligit, cùm Cleander *Commodo familiariſſimus, & præfectus prætorio frumentum coemtum detineret: Eum igitur populus ad necem poſtulat, ſed à militibus malè tractatur populus, & plurimi afficiuntur, fuganturq;. Sed plebs ira accenſa domos ſcandit, equites lapidibus petit, & equites viciſſim fugat. Commodus ſibi metuens Cleandro caput præcidi jubet, ejus liberos occidit. Caput præfixum haſtæ, tandem ſeditionem ſedavit.* Herod.

Serapion, cujus ſcripta citat Euſebius, creatur Epiſcopus Antiochiæ. *Euſeb.*

Miſna Judæorum à Rabbinis, Adda, Juda, & aliis conſcribitur. *Miſn.*

Ethodius, *rex Scotorum, cum annos* 33. *regnaſſet, moritur, ſuccedit ipſi frater* Satrael, *qui regnat annos* 4. Buchan.

ANNO MUNDI 4140. Poſt C. 191.
C. ☉ 4. ☽ 2.

Coſſ. Caſſius Apronianus,

M. Atilius Metilius Bradua II.

Commodus de Coloſſo Neronis, cui Solis caput à Veſpaſiano impoſitum fuerat pro Neronis capite, iterum caput Solis aufert, & ſuum imponit. Lamp.

Pacis Templum incendio conſumitur, & latiùs vagante incendio, etiam templum Veſtæ crematum eſt; inde per plures dies latiùs vagatur, quòd nulla aqua reſtingui poterat. Ideò plurimæ tabernæ & libelli etiam, qui ad principatum pertinebant, omnes ferè conſumtæ ſunt, donec multo imbre ignis reſtingueretur. *Dio.*

ANNO MUNDI 4141. Poſt. C. 192.
BA. ☉ 5. ☽ 3.

Coſſ. Imp. Commodus VII.

P. Helvius Pertinax II.

Celebres ludi Romæ editi à Commodo per dies quatuordecim, quorum omnes ferè meminerunt. Ipſe *Commodus* Herculem ſe dicebat, manu clavam geſtabat, ſiniſtra cruentum gladium, omnibusque erat terribilis: inde cùm ſelætitiæ dediſſet qui ſtultitiam ejus ridebant, occidebantur. *Dio.*

Caſſius Hiſtoricus & Senator, foliis lauri de corona ſumtis, ea comedit, ut motu oris facto, riſus diſſimularetur. Dio.

Eleutherus Papa Romanus, cùm ſediſſet annos quindecim, & dies 23. vita excedit. Hic primus fuit Romanorum Pontificum, *ut Baronius arbitratur*, qui non violenta morte perierit: ſuccedit ipſi Victor Romanus, qui ſedit annis novem, menſe uno & diebus 28. *Euſeb.*

Friſii excurrunt in Gallias, quibus *Commodus* Imperator opponit Albinum, qui fuſis Friſiis tantum nomen adeptus eſt, ut ſequenti anno à militibus Auguſtus crearetur. *Annal. Friſ.*

Annus Nabonaſſari 940. *& Philippi & mortis Alexandri* 516. *incipiunt die* 6. *Julii fer.* 5.

Annus Seleucidarum Alexand. 504. *& Antiochenus* 241. *à Calend. Octob.*

Commodus Imperator Calendis Januariis gladiatorio habitu in Senatum venire conatur, quod diſſuadent Marcia, & præfectus prætorio Lætus, & alii: quare offenſus illorum nomina conſcribit, ut trucidarentur. In eandem ſchedulam incidit Marcia, quæ re deliberata cum reliquis venenum Commodo propinat, quod ſatis efficax non fuit, cùm Commodus ſe vino ingurgitaſſet, ideò conatus eſt id evomere, ſed ſuaſu Medici tranſit ad palæſtram, ubi à Narciſſo conſcio inſidiarum ſtrangulatus eſt, cum imperaſſet annos 12. menſes 8. dies quindecim, ſuccedit ipſis ineuntibus Calendis Januarii. *P. Helvius Pertinax*, qui imperat diebus 87.

Clemens primo Stromatum numerat ab anno Nativitatis Chriſti uſque ad exceſſum Commodi annos 194. quod verum eſt de vero anno nativitatis Chriſti: Idem ait hunc eſſe annum 222. Actiacæ victoriæ, quod ſimiliter verum eſt.

ANNO MUNDI 4142. Poſt. C. 193.
G. ☉ 6. ☽ 4.

Annus urbis 945. *Julianus* 238.

Æra Hiſp. 231. *Auguſtorum* 220.

Coſſ. Q. Soſius Falco,

C. Julius Fructus Clarus

Pertinax natione Ligur fuit, natus modicis parentibus: Pater enim *Succeſſus* lignariam ſive coctiliariam exercuerat, ſive ligna cocta & arida *uxori ...* vendidit. Ipſe in initio ſtudia coluit, & poſtea ſtrenuis factis emerſit, & Imperatoribus carus fuit. Cùm Senatus inſtaret, ut & uxorem Auguſtam appellaret, *ſatis ſibi eſſe*, dixit, *quod ipſe invitus imperaret.* Militibus prætorianis donativum dedit, ſed mediocre, ideo ipſi iraſcebantur, quam occaſionem arripuit Lætus, & ſeditionem movet contra Pertinacem, cui tamen antea imperium detulerat, & Falconem conſulem ad imperium evocavit. Sed pertinax ipſius conatibus obviam ivit, & ſeditionem ſedavit, non tamen Falconem, ut Senatus voluerat, occidit. Poſtea idem Lætus prætorianos mittit ad Pertinacem occidendum, quod & factum eſt, cùm ſe inermem magno animo militibus obtuliſſet, & autoritate tantam ſeditionem comprimere voluiſſet. Factum die 28. Martii. *Dio.*

Didius Julianus, homo pecunioſus & profuſæ luxuriæ, ad exercitum contendit, & ab eo petit imperium, contra licitante Sulpitiano præfecto urbis: ſed quòd plus daret, ideò imperium à militib. accipit, & eadem veſpera, die 28. Martii, in Senatû deducitur.

Sſ 3 Inde

Inde in palatium aſcendit, convivium agitat, alea luſit & Pyladem ſaltatorem admittit, mortuo intus jacente adhuc Pertinace. Etſi autem plurimum populo Romano largiretur, non tamen eum placare potuit ita, quin parricidium & emtionem imperii ipſi obiecerit. Imperavit autem dies ſexanginta ſex. Cùm ſequenti die ſacrificaret, priuſquam Curiam ingrederetur, apparuerunt tres ſtellæ circa ſolem. (Si quis ad tabulas Prutenicas ad hunc diem motus Planetarum inquirat, inveniet Jovem circa finem Sagittarii, & Venerẽ in Capricorno) quæ diurno tempore videri potuerunt: de tertia ſtella dubito. *Dio.*

Populus Romanus infenſus Juliano, ad Peſcennium Nigrum mittit, qui ſe liberet à dominatione Juliani. Ideò imperium aſſumit circa Calendas Maji, imperatq; annum unum & ſex menſes ferè.

Septimius Severus, cùm eſſet in Pannonia, & reliquis vicinior Italiæ, appellatur ab exercitu ſuo Auguſtus ferè invitus, die 15. Maji. Is, cùm etiam Clodius Albinus, qui Britanniam & Germaniam cum fortiſſimo exercitu obtineret, Imperatorẽ ſuo exercitu ſalutatus eſſet, ne & cum Nigro & Albino pugnare cogeretur, Albino perſuadet ut quieſcat, & dignitatem Cæſaream accipiat, inde Romam verſus movet. Julianus ſibi metuens, offert Severo ſocietatem imperii, ſed nihil obtinet: Ideò petit à Senatu, ut virgines Veſtales & Senatus obviam Severo procedant, & eum placent: ſed reſpondent, eum indignum eſſe imperio, qui ſe armis defendere non poſſet. Prætoriani ſibi metuentes, etiam pacem petunt à Severo, ſed coguntur eos tradere, qui Pertinacem occiderant. Inde in urbem venit, Julianum trucidari jubet, Prætorianos ſimul omnes, cùm arma ipſis ademiſſet & equos, exautorat. Factum Calend. Junii. Inde conſtitutis rebus in Orientem contra Nigrum movet. Ex Calendis autem Junii *Severus* imperavit annos 12. menſes 8. dies tres: Natus fuit Lepti in Africa, & primus fuit, qui ex Africa rerum potiretur. *Dio.*

Olympias CCXLIII. *Eſt annus Olympiad.* 469.

Victor Stadii *Iſidorus* Alexandrinus.

Annus Actiaca victoria 223. *incipit die* 29. *Aug.*

Severus in initio pacem Eccleſiæ concedit. *Tertullian.*

ANNO MUNDI 4143. Poſt C. 194.
F. ☉ 7. ☽ 5.

Coſſ. Imp. Severus II.
D. Clodius Albinus Cæſ. II.

Agon Capitolinus viceſimus octavus celebratus, in quo Baso, Philonis filius, præfectus certaminis, aurea corona donatus eſt. Joſeph. Scal.

Severus contra Nigrum profectus excluditur Byzantio, quod præſidio Nigri tenebatur, ideo ad Cyzicum profectus, ducem Nigri vincit: Poſtea iterum victoria potitur majore ad Nicomediam, quæ Severum receperat. Pergit inde in Bithyniam & Cappadociam, easque provincias occupat, ulterius tamen pervenire non potuit, quòd omnes tranſitus à Nigro muniti eſſent. *Herod.*

Theodotus quidam Byzantinus, cùm in perſecutione abnegaſſet Chriſtum, Romam proficiſcitur, ibi cum ſua deliria de Chriſto tantùm homine ſpargere cœpiſſet, à Victore Papa excommunicatur. *Euſ.*

Clemens Alexandrinus, cujus prænomen fuit Titus Flavius, qui ſcripſit Stromatum libros, floret, à Caſſiodoro idem Contextor appellatus.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei Chriſtiani tertii incipit die 6. *Sept. fer.* 5. *Anno Judaico* 3955.

Satrael, Scotorum rex, cum annos quatuor regnaſſet, moritur. Succedit *Donaldus*, frater alter, qui regnat annos 21. Hic primus Chriſtianam religionem amplexus eſt tempore Severi. *Buchan.*

Syri moti victoriis Severi, à Nigro deficiunt, quibus ille infenſus Mauros mittit, qui aliquot urbes ceperunt, homines trucidaverunt, & urbes crematverunt, ut Laodiceam, Tyrum etiam, & alias urbes. Interim cùm ingrueret hyems, tempeſtatib. & inundationibus ruptæ ſunt illæ munitiones ad Taurum montem: igitur Severus tandem cum Nigro concurrit ad ipſum montem, ubi quondam Alexander cum Dario congreſſus fuerat, Niger victus fugit Antiochiam, ubi non receptus in ſuburbio trucidatus eſt. *Herod.*

In hoc bello Severus ter Imperator appellatus eſt, interim magnis exercitibus in Europa obſedit Byzantiũ, qua obſidio in tertium annum extracta eſt. Dio.

ANNO MUNDI 4144. Poſt C. 195.
E. ☉ 8. ☽ 6.

Coſſ. Q. Flavius Tertullus.
T. Flavius Clemens.

Byzantii, cùm multis machinis & tormentis Bellicis inſtructi eſſent, à Priſco quodam inſigni artifice, plurimum damni obſidentibus inferunt: urinatores præterea habebant, qui naves hoſtium reſtibus alligabant, quibus poſtea Byzantium trahebantur, quaſi ſponte naves Byzantium properarent. Priſcus artifex tandem captus, ſed à Severo conſervatus eſt, cujus induſtria in oppugnatione Atrorum plurimum uſus eſt. *Dio.*

Narciſſus Epiſcopus Hieroſolymæ, & Theophilus Cæſarienſis, item *Polycrates & Bacchylus* Epiſcopi in Aſia florent.

Tertullianus Afer, patria Carthaginenſis, nobilitate inſignis, & varia doctrina inſtructiſſimus, ſcribit de præſcriptione contra Hæreticos. *Euſeb.*

Severus *bellum perſequitur in oriente, adverſus Parthos & Adiabenos, & quintum Imperator hoc anno appellatur, ut teſtantur Inſcriptiones.*

ANNO MUNDI 4145. Poſt C. 196.
DC. ☉ 9. ☽ 7.

Coſſ. Domitius Dexter II.
L. Valerius Meſſala Priſcus.

Severus adhuc in Oriente agit, & propter inſignes victorias, Parthici, Arabici & Adiabenici nomen obtinet, & filium ſuum Antoninum Caracallam, Calendis Junii Cæſarem facit. *Dio.*

Annus Nabonaſſaris 944. *& Philippi & mortis Alexandri* 520. *incipiunt die* 5. *Julii, fer.* 2.

Annus Seleucidarum Alexandri 208. *& Antiochenus* 245. *à Calendis Octob.*

Chriſtiani in Aſia ex traditione Johannis Evangeliſtæ, & ſuorum diſcipulorum jejunium ſolvebant, & Paſcha poſtea celebrabant, quarta decima

Lunâ in quamcunque diem Hebdomadis illa incideret. Reliqui in Europâ & Palæſtinâ putabant jejunium non ſolvendum, niſi feriâ primâ, quâ Chriſtus à morte reſurrexerat; atque ita Paſcha tantum feriâ primâ celebrandum eſſe. Hinc quæſtio de Paſchate agitata, de quâ ſcribſit ſuas ſententias Victor Papa Romanus, *Narciſſus* Hieroſolymitanus, Polycrates, Irenæus, Bacchylus & alii; & cùm Victor Papa eâ de causâ Aſiaticos ab Eccleſiâ ſejungeret, acriter ipſi reſtitit Irenæus & alii. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4146. Poſt C 197.
B. ☉ 10. ☽ 8.

Annus urbis cond. 949. *Iulianus* 242.
Æra Hiſpan. 235. *Auguſtorum.* 224.

Coſſ. Ap. Claudius Lateranus.
M. Mauritius Rufinus.

Byzantium hoc vel præcedenti annó expugnatum eſt fame potiſſimùm, cùm etiam pelles madefactas comediſſent, cives omnes interficiuntur, urbs diruitur, & in vicum redigitur & Perinthiis datur. Septem turres habuerat eo artificio conſtructas, ut ſi ſonum edidiſſes in primâ, vel clamâſſes, is ſonus deferretur in ſecundam, inde in tertiam, donec perveniret in ſeptimam, neque debilitaretur, ſed ferè vegetior fieret. Severus tum in Oriente adhuc fuit. *Dio.*

Albinus Cæſar cum Severo diſſentire incipit, cùm Severus Albino Cæſaream dignitatem non daret, & Albinus inſuper Auguſtus dici vellet. Ideò utrinque præparantur exercitus. *Dio.*

Numerius Grammaticus in Gallias abit, conquiſitionem militum habet, tributum imperat, tanquam aliquis Senator Romanus, & aliquoties Albini milites cædit; ſcribit ad eum Severus, & ut plures milites conſcribat, hortatur, quod & facit, & pecuniam conquiſitam ad Severum mittit, ad ſeptingenties, hoc eſt, tricies centena millia ferè aureorum. Bello confecto nihil aliud petiit à Severo, quàm ut ſibi ruri vivere liceret, aliàs procul dubio factus eſſet Senator. *Dio.*

Severus quintam Tribunitiam poteſtatem inchoat Calend. Januarii.

Olympias 244. acta. Eſt annus Olympiadicus 973.
Stadii victor fuit *Iſidorus* Alexandrinus ſecundùm.

Annus Actiacæ victoriæ 227. incipit die 29. Aug.
In epiſtolis Clementis epiſtola etiam Victoris Papæ invenitur ad Epiſcopos Africanos, de celebrando Paſchate, quæ data eſt Calend. Sept. hiſce Conſulibus.

Severus ipſe collectis copiis in Gallias tranſit, ſeque Albino ad Lugdunum opponit. *Dio.*

ANNO MUNDI 4147. Poſt C. 198.
A. ☉ 11. ☽ 9.

Coſſ. Tib. Aterius Saturninus.
C. Annius Trebonius Gallus.

Agon Capitolinus viceſimus nonus celebratus.
Severus in Galliis ad Lugdunum cum Albino prælio concurrit, & primo die Dux ejus vincitur, altero die, cùm ipſe in dextro cornu vinceret, dum fugientes hoſtes perſequitur, exercitus ejus in foveas fraude factas delabitur; & fortuna prælii ferè converſa fuiſſet, niſi ipſe ſua manu milites in prælium reduxiſſet, & fugientes ſuos occidiſſet. Tandem vincit magna clade, in qua etiam Albinus occiſus eſt, cujus caput Romam miſit, & in crucem egit; prælium accidit die 19. Februar. Cùm Romam veniſſet, orationem habuit in Senatu, in qua Syllæ, Marii, item Commodi crudelitatem laudavit, lenitatem autem Cæſaris tanquam incutam vituperavit, ita ut totus Senatus ſibi metueret; attamen triginta quinque Senatores Reos amicitiæ cum Albino abſolvit, ſed contrà alios viginti novem Senatores morte damnavit, & in his ſocerum Pertinacis Sulpitiani. *Dio.*

Severus filio ſuo Antoninum Caracallam ſocium imperii facit, & ipſi Tribunitiam poteſtatem concedit, ut ipſe ſextam iniret, ut Inſcriptiones oſtendunt; & alterum filium Getam Cæſarem facit, atque in Orientem proficiſcitur.

ANNO MUNDI 4148. Poſt C. 199.
G. ☉ 12. ☽ 10.

Coſſ. P. Cornelius Anullinus II.
M. Aufidius Fronto.

Tertullianus circa hoc tempus relicta vera religione, ad Montaniſtas deſciſcit. *Heron.*

Severus, cùm diſceſſiſſet, Plautianum reliquerat Præfectum urbis, hominem avariſſimum & crudelem, qui occaſione ſumpta à milite quodam, Chriſtianam religionem liberius profitente, & militiam denegante, perſequitur Chriſtianos, & plurimos interficit. Tertullianus contrà ſcribit Apologeticum pro Chriſtianis ad Magiſtratus Romanos.

ANNO MUNDI 4149. Poſt C. 200.
FE. ☉ 13. ☽ 11.

Coſſ. Tib. Claudius Severus.
C. Aufidius Victorinus.

Cùm Severus in Parthiam veniſſet, occurrit ipſi aper maximus, qui à triginta viris vix confici potuit: inde factis navibus & trajecto Euphrate Seleuciam & Babylonem deſertas capit, & paulò pòſt Cteſiphontem, quam dedit militibus diripiendam, ubi ſuperſtitum hominum cepit ad centum millia, nihil tamen ſibi retinuit, ſed quòd neceſſariis rebus deſtitueretur, rediit in Meſopotamiam. *Dio.*

Annus Nabonaſſaris 948. *Philippi ac mortis Alexandri* 524. *incipit die* 4. *Julii, fer.* 6.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 512. *& Antiochenus* 249. *à Calend. Auguſt.*

Speratus cum ſociis Carthagini à Saturnino proconſule propter religionem ſecuri percutitur: Proconſul verò paucis diebus ; oculis privatur. *Tertull. ad Scapul. cap.* 3.

Imbribus hic annus abundavit. *Tertull.*

ANNO MUNDI 4150. Poſt C. 201.
D. ☉ 14. ☽ 12.

Annus urbis 953. *Iulianus* 246.
Æra Hiſpan. 239. *Auguſtorum* 228.

Coſſ. L. Annius Fabianus.
M. Nonius Mucianus.

Severus in Meſopotamia *Atra* urbem obſidet, ſed magna clade rejicitur: iterum refecto exercitu eam obſidet viginti diebus, ſed majore clade

rejicitur, ita ut milites eum nollent oppugnare, ideò in Syriam redit.

Severus & *Caracalla ineunt Tribunitiam poteſtatem, ille nonam, hic quartam.*

Verſionem Bibliorum edidit *Symmachus*, non de verbo ad verbum redditam, ſed ut ſententiæ ſententiis reſponderent. *Hieron.*

Victor Papa ſupplicio à Præfecto urbis Plautiano ob religionem Chriſtianam afficitur die 28. Julii, cùm ſediſſet annis novem, menſe uno & diebus 28. Succedit *Zepherinus* die octavo Auguſti; ſeditque annis 18. & diebus octodecim. Hic ordinavit, ne in diſtributione Cœnæ Dominicæ adhiberentur vel lignea vel vitrea vaſa, illa propter raritatem, quâ vinum abſorbetur, hæc propter fragilitatem. Item ut omnes puberes uterentur ſacrâ ſynaxi in Paſchate. *Onuph.*

Olympias 245. acta. Eſt annus Olymp. 977.

Victor Stadii *Alexander* Alexandrinus.

Annus Actiaca victoriæ 231. incipit die 29. Aug.

Annus ſabbathicus quintus Jobelei Chriſtiani tertii, incipit die 17. Sept. fer. 5. Anno Iud. 3962.

Severus, cùm Antiochiam tranſiiſſet, filio Antonino Caracallæ virilem togam dat, thermas ibi ædificat, & ſe ac filium Conſulem creat, conſulatum etiam ibi init. *Spart.*

ANNO MUNDI 4151. Poſt C. 202.
C. ☉ 15. ☽ 13.
Coſſ. Imp. Severus III.
Imp. Antoninus Caracalla.

Agon Capitolinus triceſimus celebratus.

Judæi Claudio latrone duce ſeditionem moverant; eam Severus comprimit, prohibetque ſub gravi pœna, ne liceret cuiquam Judæum aut Chriſtianum fieri; prohibuit præterea circumciſionem, & atrociter perſequitur Chriſtianos, adeò ut pii putarent eum eſſe Antichriſtum. *Euſeb. lib. 6. cap. 6.*

Verba edicti de perſecutione fuerunt, ut præfecti provinciarum animadverterent in eos, qui coiiſſent illicitum collegium.

Severus ex Syriâ in Ægyptum tranſit, ibi ingentem multitudinem Chriſtianorum ſupplicio afficit, inter quos etiam fuit *Leonidas*, pater Origenis; Philippus etiam præfectus Ægypti Chriſtianæ religioni addictus, à *Severo* ab officio removetur & occiditur. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4152. Poſt C. 203.
B. ☉ 16. ☽ 14.
Coſſ. P. Septimius Geta,
M. Septimius Plautianus II.

Geta hic frater Severi fuit; Plautianus autem, præfectus urbis. Severus cum filiis Romam redit, & de Parthis aliiſque nationibus ampliſſimum ducit triumphum. Poſtea celebrat decennalia, & vota concipit in ſequens decennium, datque viritim tot aureos, quot annos imperaverat, quantum nullus Imperator unquam dederat.

Antoninus Caracalla celebrat nuptias cum Plautillâ, Plautiani Conſulis filiâ, cui pater tantum dedit, quantum Reginis quinquaginta ſatis fuiſſet: ditiſſimus enim erat Plautianus, ita ut de eo diceret populus, eum plus poſſidere, quàm tres viros, hoc eſt, quàm Severus cum duobus filiis. Spectacula inde edita per ſeptem dies, occiſæque ſeptingentæ feræ, certaverunt ſexaginta apri, & Elephas & aliæ beſtiæ. *Dio.*

Veſuvius mons iterum maximum ignem edit, cum horrendo mugitu, quem audivit Dion hiſtoricus, cùm eſſet Capuæ, & ſcribebat hiſtoriam. *Dio.*

Pantheum vetuſtate corruptum Severus cum filio cum omni cultu reſtituit, ut Inſcriptio adhuc teſtatur.

Origenes anno ætatis decimo octavo Alexandriæ aperit ludum, multoſque inſtituit ad fortiter ſubeundum martyrium; multi etiam diſcipulorum ſuorum ad ſupplicium rapti ſunt, quemadmodum & Carthagini & aliis locis. Virgines etiam quædam, ut *Perpetua & Felicitas*, ad Martyrium raptæ ſunt: Multi contra à Præſidibus liberum religionis cultum pecuniâ redemerunt.

Irenæus Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus cum cruciatu occiditur, cum omnibus, qui ibi inveniebantur, Chriſtianis. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4153. Poſt C. 204.
AG. ☉ 17. ☽ 15.
Coſſ. L. Fabius Cilo Septimius II.
M. Annius Libo.

Cilo antea ſuffectus Conſul fuit Falconi, ut *Lampridius ſcribit*, *Plautianus* præfectus urbis generum ſuum Caracallam, aſſuetum voluptatibus & imperio, arctè habet; Caracalla contrà uxorem ſuam, filiam Plautiani malè tractat, & pertæſus ejus diſciplinæ de eo trucidando cogitat. *Dio.*

Ludi ſeculares ex Senatus conſulto octavùm facti, anno duodecimo Severi, hiſce Coſſ. anno ducenteſimo viceſimo poſt exhibitos ab Auguſto. *Zoſim.* Facti autem ſunt circa initium Junii, die imperii Severi natali, cùm inchoaret Tribunitiam poteſtatem duodecimam. Anno Antiocheno 252. *Euſeb.*

Annus Nabonaſſar. 952. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 528. *incipit die* 3. *Julii, fer.* 3.

Annus Seleucidarum Alexandr. 516. *& Antiochenus* 253. *à Calend. Octobr.*

Septimius Geta, frater Severi moritur, qui Plautianum rectiùs noverat, & omnia ejus conſilia Severo aperuerat; quapropter Plautianus in odium venit, & ejus ſtatuas, cùm plurimas haberet, dejicit. Alii, qui ſimiliter ſtatuas ejus evertebant, ſupplicio affecti ſunt. Vixit poſt hæc Plautianus annuo ſpatio. *Dio.*

ANNO MUNDI 4154. Poſt C. 205.
F. ☉ 18. ☽ 16.

Annus urbis 957. *Julianus* 250.
Æra Hiſpanica 243. *Auguſtorum* 232.

Coſſ. Imp. Antoninus Caracalla II.
P. Septimius Geta Cæſar.

Narciſſus Epiſcopus Hieroſolymæ, ob perſecutionis metum, circa hæc tempora in deſerto aliquot annis latet, cui ſubſtituitur Dius, &c. *Euſeb.*

Severus & Caracalla *Calendis Junii ineunt tribunitiam poteſtatem, ille decimam tertiam: hic octavam.*

Olympias 246. Eſt annus Olympiadicus 981.

Victor Stadii *Epinicius* Gyzacenus, qui & Cynas.

Annus

Annus Actiacæ victoriæ 235. incipit die 29. Aug.

Antoninus Caracalla, ut aliquando à Socero ſuo præceptore auſteriore liberaretur, ſubſtituit quosdam milites, qui dicerent, ſe miſſos à Plautiano, ut Severum occiderent; quapropter Plautianus ſtatim occiditur, ejus liberi, Plautilla uxor Caracallæ, & Plautius in Inſulam Liparam relegantur, ubi poſt mortem Severi à Caracallâ occiduntur, amici etiam quidam Plautiani ex Senatoribus occiſi ſunt. *Dio.*

ANNO MUNDI 4155. Poſt C. 206.
E. ☉ 19. ☽ 17.
Coſſ. M. Nummius Annius Albinus.
Fulvius Aimilianus.

Agon Capitolinus triceſimus primus celebratus.

Origenes, cùm ſimpliciùs intelligeret verba Chriſti, Matth. 19. de hominibus caſtratis, ſeipſum eviravit, *Euſeb.*

Caracalla & *Geta*, poſt mortem Plautiani, tanquam Pædagogo liberati, turpiſſimè vivunt omnibus libidinibus ſe polluunt, gladiatores ſibi parant, & contrariis ſtudiis diſſidere incipiunt, adeò ut dum curru inter ſe certant, Caracalla crus frangeret. *Dio.*

ANNO MUNDI 4156. Poſt C. 207.
D. ☉ 20. ☽ 18.
Coſſ. M. Flavius Aper.
Q. Allius Maximus.

Severus *& Caracalla viam, quæ ducit ad villam magnam, ſilice ſternendam ſuâ pecuniâ curant; & Caracalla decennalia celebravit circa Calendas Junii, ut Inſcriptiones docent.*

Bulas *Italus, comparatâ manu ſexcentorum latronum, in Italiâ toto biennio maximas prædas facit, nec ullâ arte capi potuit: ſi qui ex ſuis caperentur, eos aſtu liberavit: tandem tamen, dum cum alienâ uxore habet conſuetudinem, proditus capitur, & ad beſtias damnatur.* Dio.

ANNO MUNDI 4157. Poſt C. 208.
CB. ☉ 21. ☽ 19.
Coſſ. Imp. Antoninus Caracalla III.
P. Septimius Geta Cæſ. II.

Severus exercitum in Britanniam præmittit, ipſe interim filio ſuo minori Getæ Tribunitiam poteſtatem concedit, & Auguſtum proclamat, ut docent inſcriptiones.

Annus Nabonaſſaris 956. *& Philippi ac mortis Alexandri* 532. *incipit die* 2. *Julii, fer.* 7.

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei Chriſtiani tertii, incipit 30. *Auguſti, fer.* 3. *Anno Jud.* 3969.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 520. *& Antiochenus* 357. *à Calend. Octobr.*

Tertullianus Afer proconſularis filius primitias ſuorum operum edit: ſcripſit idem poſtea ſub Heliogabalo librum ad Scapulam, ut apparet ex ipſius verbis de Proculo, quem, ut ſcribit, in Palatio Antoninus detinuit, donec moreretur.

Severus in Britanniam cum filiis movet; cùm videret liberos peſſimè vivere, & multa inſpectaculis & in deliciis domeſticis libidinosè facere, milites quoque indulgentiâ corrumpi. Ibique in pacatis provinciis Getam minorem filium juri dicendo præfecit, Caracallam autem ſecum contra hoſtes in aciem educit. *Dio.*

ANNO MUNDI 4158. Poſt C. 209.
A. ☉ 22. ☽ 1.

Annus urbis cond. 961. *Julianus* 254.
Æra Hiſpanica 247. *Auguſtorum* 236.

Coſſ. M. Aurelius Pompejanus.
Lollianus Avitus.

Minutius Felix, qui ſcripſit dialogum hominis Chriſtiani & Judæi, quem citat etiam Hieronymus, floret. Is dialogus hodie extat apud Arnobium: & ſeorſim editus eſt à Joh. Wovvero.

Severus *cum filius ſumit Tribunitiam poteſtatem Cal. Jan. ipſe* 17. *Caracalla* 22. *Geta ſecundam.*

Olympias 247. *acta. Eſt annus Olympiadicus* 985.

Victor Stadii *Saturnilus* Cretenſis Gortynius.

Annus Actiaca victoriæ 239. *incipit die* 29. *Aug.*

Severus *in Britanniâ, cùm hoſtes nullibi comparerent, viam ſibi facit, uſque ad ultimos ejus fines, ubi & noctium & dierum, tam hyberno quàm æſtivo tempore quantitatem diligentiſſimè cognoſcit, & revertitur inde in provinciam.* Dio.

ANNO MUNDI 4159. Poſt C. 210.
G. ☉ 23. ☽ 2.
Coſſ. Man. Acilius Fauſtinus.
C. Cæſonius Macer Rufinianus.

Agon Capitolinus triceſimus ſecundus actus.

Severus *cùm in provinciam rediiſſet, Britannos ad colendam pacem hortatur, iisque partem inſulæ adimit, & ut provincia ab incurſionibus hoſtium tutior eſſet, vallum à mari ad mare ducit per transverſam inſulam, per* 132. *paſſuum millia, per milliaria Germanica* 25. Dio.

Caracalla, *cum ſæpius conaretur Getam fratrem occidere, non tamen auſus eſt, patre vivente; ideò in parentem quoque odium concipit, & aliquando ipſum à tergo occidere conatus eſt, niſi deterritus eſſet ſatellitum clamore. Vidit pater nudum gladium, non tamen id facinus punivit, ſed paulatim mœrore animi contabuit, cùm aliàs gravi valetudine tentaretur.* Dio.

ANNO MUNDI 4160. Poſt C. 211.
F. ☉ 24. ☽ 3.
Coſſ. Q. Epidius Rufus Lollianus Gentianus.
Pomponius Baſſus.

Imp. Severus moritur Eboraci in Britanniâ, die 4. Februar. cùm vixiſſet annos 65. menſes octo: imperâſſet annos 17. menſes ſeptem, dies tres. Succedunt ipſi filii ambo, Antoninus *Caracalla*, & Septimus *Geta*: qui ſimul imperârunt annum, & dies 22. *Spart.*

Mortuo *Severo*, pax Chriſtianis iterum conceſſa fuit ferè per annos triginta octo. *Sulpit. Sever.*

Caracalla *ita dictus eſt, à veſte, quam militibus diſtribuerat, & ſtatim occidit medicos aulicos, quod noluiſſent accelerare mortem parentis; item præceptorem. Inde ambo Romam revertuntur, & Patrem inter Deos referuntur.* Dio.

Caracalla *& Geta, fratres, perpetuò diſſentiunt; & Caracalla inſidiatur Getæ, qui tamen à militibus defenditur: in Saturnalibus tamen parum abfuit, quin Geta occideretur.* Dio.

ANNO

ANNO MUNDI 4161. Poſt C. 212.
ED. ☉ 25. ☽ 4.

Coſſ. M. Pompejus Aſper.
P. Aſper.

Cùm Imperatores fratres ita inter ſe diſſentirent, Imperii Proceres de iis ſeparandis conſilium proponunt, ut alter Antiochiæ vel Alexandriæ reſideret, & partes imperii in Oriente adminiſtraret; alter Romæ eſſet, & Occidentem haberet. *Caracalla* uſus hac occaſione, Getam ad matrem evocat, ut ibi reconcilientur; ibi per centuriones quoſdam Getam ad matrem confugientem, & ejus opem implorantem occidit, ita ut ſimul mater vulneraretur, quæ coacta eſt lætitiam ſimulare de interfecto filio. Accidit cædes die 25. Februarii. Geta vixerat annos 22. & menſes 9. Prohibuit ne poſtea nomen Getæ Romæ uſurparetur, etiam nec in Comœdiis. Inter cæteros occiſus eſt etiam *Papinianus*, quòd noluiſſet excuſare parricidium compoſitâ oratione. *Spart.*

Annus Nabonaſſar. 960. *&* *annus Philippi ac mortis Alexandri* 536. *incipiunt die* 1. *Julii, fer.* 4.

Annus Seleucidarum Alexandr. 524. *& Antiochenus* 261. *à Calend. Octobr.*

Caracalla omnes, quos ſcivit faviſſe Getæ fratri, interfecit ad viginti millia. Cilonem etiam, quem nominabat patrem & educatorem ſuum, occidere voluit per milites: Sed hi eum captum & crudeliter tractatum trahunt per plateas, populus autem miſertus Cilonis, tumultuari incipit, ideò *Caracalla* etiam commotus illum eripuit cædi, & conſervavit & milites illos contra occidit, ſpecie quidem quod Ciloni feciſſent, injuriam reverà autem, quòd eum non ſtatim occidiſſent. *Dio.*

ANNO MUNDI 4162. Poſt C. 213.
C. ☉ 26. ☽ 5.

Annus urbis 965. *Julianus* 258.
Æra Hiſpanica 251. *Auguſtorum* 240.

Coſſ. Imp. Caracalla IV.
P. Cœlius Balbinus II.

Suffectus fuit hoc anno Conſul Gordianus, qui poſt Imperator electus eſt, ut tradit Capitol. *Suffectus præterea fuit Pertinacis filius, quem tamen occiſum fuiſſe à Caracallâ dicit.* Spart.

Sunno, *Sicambrorum rex, cùm regnâſſet annos* 28. *moritur, cùm multa ſtrenuè geſſiſſet; ſuccedit filius* Hildericus, *qui regnat annis* 40. Trith.

Caracalla init tribuniciam poteſtatem 15. *circa initium Junii.*

Olympias 248. *acta. Eſt annus Olympiadicus* 989. Victor Stadii *Heliodorus* Alexandrinus.

Annus Actiacæ victoriæ 243. *incipit die* 29. *Aug.*

Eutropius ſcribit, à Caracallâ Antoninianas *thermas eſſe ædificatas: ſupra autem meminimus, eas à Cleandro nomine Commodi extructas ex Dione. Sed forſan poſtea factæ ſunt ampliores.*

Caracalla *in Gallias proficiſcitur, & proconſulem ibi occidit; paulò poſt in morbum prolapſus diutiùs detinetur.*

Virgines Veſtales quatuor Caracalla occidi juſſit, ſed innocentes ferè, quarum unam Clodiam ipſe ſtuprare conatus fuerat, ſed non poterat, vi venereâ deſtitutus. *Dio.*

ANNO MUNDI 4163. Poſt C. 214.
B. ☉ 27. ☽ 6.

Coſſ. Silius Meſſala.
Q. Aquilius Sabinus.

Agon Capitolinus tricesſimus tertius celebratus.

Caracalla *multos Senatores Romæ occidit, inter alios mandat etiam de Sabino occidendo: Centurio autem, quod ſurdaſter eſſet, accepit de urbe pellendâ, atque ita ſervatus eſt.* Spart.

Tertullianus defendit Montaniſtas, & damnat nuptias ſecundas, anno centeſimo & ſexageſimo poſt ſcriptam à Paulo Epiſtolam priorem ad Corinthios, ut ipſe teſtatur. Scribit etiam contra Pſychicos.

ANNO MUNDI 4164. Poſt C. 215.
A. ☉ 28. ☽ 7.

Coſſ. Æmilius Lætus. II.
Anicius Cerealis.

Caracalla, *cùm in Orientem cogitaret, defectione Germanorum impeditur, & in Germaniam abit, ubi Alemannos, gentem populoſam, & ex equis mirificè pugnantem, devicit prope Mœnum amnem.* Aurelius Victor.

Donaldus, *rex Scotiæ, qui annos* 21. *regnârat, moritur; ſuccedit* Ethodius *ſecundus, ſuperioris filius, qui regnavit annos* 21. Buch.

Caracalla *Romæ non novercam, ſed ſuam ipſius matrem ſtupravit,* Ut teſtatur Oppianus Poeta, *qui tum vixit,* & Herodianus. *Juliam autem Dominam appellatam fuiſſe, & matrem Getæ & Caracallæ, præter alios teſtatur etiam.* Dio.

Annus ſabbathicus ſeptimus ſive Jobeleus tertius Chriſtianus, incipit die 14. *Sept fer.* 7. *Anno Iud.* 3972.

Agrippinus Epiſcopus Carthaginenſis concilium Epiſcoporum agit, & omnium rogatâ ſententiâ Canonem de iterando baptiſmate ſancit. *Cyp. Epiſt.* 71.

ANNO MUNDI 4165. Poſt C. 216.
GF. ☉ 1. ☽ 8.

Coſſ. Q. Aquilius Sabinus II.
Sex. Cornelius Anullinus.

Caracalla in Orientem profectus, evocat Augarum Oſrœnorum regem pacificè, ſed contra datam fidem eum in vinculis habet. Item regem Armeniorum evocat, ſed is exemplo Augari edoctus, venire noluit, ſed arma potiùs paravit. Inde in Parthos movit, qui territi ejus potentiâ, imperata fecerunt. *Dio.*

Annus Nabonaſſaris 964. *& Philippi ac mortis Alexandri* 540. *incipit die* 30. *Junii, fer.* 1.

Annus Seleucidarum Alexandræus 528. *& Antiochenus* 265. *à Calendis Octobr.*

Caracalla, etſi magno amore ferebatur Alexandri magni, adeò ut, qui Alexandri vocarentur, aut aliàs Macedones eſſent, foveret; tamen valde iraſcebatur Alexandrinis in Ægypto, quòd eum Oedipum, & matrem Juliam Jocaſtam appellâſſent. Ideò Alexandriam profectus, diſſimulat in initio iram & magiſtratus urbis obviam ſibi venientes convivio excipit; ſed paulò poſt eoſdem in convivio occidit, inde mandat, ut omnes Alexandrini domi ſe contineant, ipſe exercitum circummittit, domos expugnat & omnes trucidat. Cæſorum numerum

interum nemo inire potuit, multi etiam ex Caracallæ comitibus interfecti ſunt, quod Caracallæ diſſimulâſſent propoſitum. Inde in Serapidis templum progreſſus, gladium, quo fratrem interfecerat, dedicavit, ſed paulò poſt ſomnians vidit patrem Severum porrigentem gladium, quo Geta interfectus fuerat. *Dio.*

Oppianus Cilix, Poeta inſignis, moritur circa finem imperii Caracallæ, annos natus ferè triginta, cui dedicavit Halicutica, vivente Severo, circa tempus ludorum Secularium, quos pater & filius ſimul exhibuerant. Cynegetica autẽ eidem Caracallæ dedicavit, mortuo Severo. *Sozom. in præf.*

Caracalla ambit nuptias filiæ Artabani regis Parthorum, ſed cùm Parthus intelligeret, non ſuam filiam peti, ſed potiùs regnum Parthorum, ideò bellum parat. Caracalla etiam, cùm Mediam attigiſſet, Arbela capit, & ſepulchra Parthorum abjectis oſſibus evertit. *Dio.*

ANNO MUNDI 4166. Poſt C. 217.
E. ☉ 2. ☽ 9.

Annus urbis cond. 969. *Iulianus* 262.
Æra Hiſpanica 255. *Auguſtorum* 244.

Coſſ. Brutius Præſens,
Extricatus.

Caracalla cùm in ſomniis terreretur, dedit operam magicis artibus, & Magos undique accerſit. Defunctorum animas ſæpe evocavit, ſed nulla ipſi aliquid reſpondit, præterquam Commodi, quæ ipſi dixit hæc verba: *ςεῖχε δίκης ἆσσον*, Perge ocius ad ſupplicium. *Dio.*

Macrinum præfectum prætorio prædixerat Vates quidam in Africâ regnaturum, idque jam pervulgatum erat, & Romæ perſcriptum fuerat ad Caracallam. Macrinus certior de hâc re factus, cùm videret ſibi mortem inſtare, prævenire voluit, & perſuadet duobus Centurionibus, ut Caracallam inter Edeſſam & Charras, cùm ad requiſita naturæ abiret, interficerent; factum die octavo Aprilis, cùm regnâſſet poſt patrem annis ſex, menſes duos, dies quinque: inde tenuit interregnum per dies quatuor, donec tandem *Macrinus* (neſciebant enim milites Carallam ab eo interfectum) Imperator eligeretur, qui præfuit rebus imperii anno uno & diebus 28. & à Senatu Romano obtinuit omnia imperii inſignia, ſeque ex Calendis Maji, cum filio M. Opelio Antonino Diadumeniano Cæſare Conſulem fecit. *Dio.*

M. Opelius Macrinus, cùm Artabanus Parthus inſtaret, triduo cum ipſo confligit, ſed cum id ferè æquo marte fieret, pacem cum eo componit. *Herod.*

Olympias 249. *acta. Eſt annus Olymp.* 993.

Victor Stadii *Heliodorus* Alexandrinus ſecundùm.

Annus Actiacæ victoriæ 247. *incipit die* 29. *Aug.*

Flamma in Friſiâ ad montem Rubrichvium ingens per dies undecim erupit, quæ tandem aquâ marinâ adſperſa deleta eſt. Annal. Friſ.

Verſio Bibliorum Græca, *teſte Epiphan. demenſuris* circa hæc tempora propè Hierichuntem in dolio inventa.

ANNO MUNDI 4167. Poſt C. 218.
D. ☉ 3. ☽ 10.

Coſſ. M. Opelius Diadumenianus Cæſar II:
Adventus.

Agon Capitolinus tricesimus quartus celebratus.

Cometa apparuit prodiens ab Occidente ad Orientem. *Dio.*

Iulia mater Caracallæ binas habuit ſorores in Syriâ; quarum utraque habuit filium, altera Avitum, altera Baſſianum; Eutychianus verò Caracallæ libertus, infenſus Macrino, quem ſciebat in odio eſſe apud milites, quibus nihil ferè diſtribuebat, Avitum in caſtra adducit, & fingit de eo, quòd ſit ſpurius Caracallæ; factum die 17. Maji, atque ita milites deficiunt à Macrino. Macrinus contra ſeditionem compreſſurus, vincitur audaciâ Aviti pueri, qui animosè ſuis fugientibus obſtitit, eosque in prælium redegit, & ut vincerent, effecit. Factum prælium die 7. Junii. Macrinus fugiens Chalcedonem usque pervenit, ibi cognitus, & deprehenſus in Cappadociam retrahitur & trucidatur, cùm imperaſſet anno uno, & menſibus duobus, exceptis diebus tribus. Succedit Avitus, qui poſt *Heliogabalus*, appellatus eſt à Deo ſuo, quem Romam adduxerat, & Jovi ipſi præpoſuerat. Fuit autem impuriſſimus omnium principum, qui unquam fuerunt, ideo diu imperare non potuit, cùm propter impuritatem ac omnibus odio haberetur. Imperavit autem annis tribus, menſibus novem diebus quatuor. *Dio.*

Senatus, auditâ Macrini cæde, Heliogabalo omnia quæ ad imperium pertinebant, concedit, & ipſum ex Calendis Julii, cum Eutychiano liberto, qui jam præfectus Prætorio erat, Conſulem facit, *ut Dio habet.*

Heliogabalus *hoc anno Romam non venit, ſed ex Syriâ rediens, propter anni tempus Antiochiæ hybernavit.* Herod.

ANNNO MUNDI 4168. Poſt C. 219.
C. ☉ 4. ☽ 11.

Coſſ. Imp. Heliogabalus II.
Licinus Sacerdos.

Heliogabalus *Romam venit, ſuumque Deum Heliogabalum eò traducit; eumque omnibus reliquis Diis præponit, & humanis victimis, cæſis aliquot pueris, placat, ipſe ſe ſacerdotem ejus facit, & cum eſſet circumciſus, carnibus porcinis abſtinet; unde in odium & militum & civium incurrit.*

Zepherinus Papa, cùm ſediſſet annis octodecim & totidem diebus, moritur die 26. Auguſti. Succedit *Calliſtus* Romanus, autor, ut ferunt, quatuor temporum, qui ſedit annos quinquè, menſem unum, dies duodecim. *Baron.*

ANNO MUNDI 4169. Poſt C. 220.
B A. ☉ 5. ☽ 12.

Coſſ. Imp. Heliogabalus III.
M. Aurelius Eutychianus Comazon II.

Rabbi *Samuel*, qui Tecuphas in Calendario Judaico ex die 7. Octobris Calendarii Juliani in diem 24. Septembr. retraxit, hiſce temporibus floret. *Thalm.*

Julius

Julius *Africanus legationem ſuſcipit ad Imperatorem pro reſtituenda Nicopoli, quæ olim Emaus vocabatur.* Euſeb.

Annus Nabonaſſaris 968. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 544. *incipit die* 29. *Junii fer.* 5.

Annus Seleucidarum Alexandr. 532. *& Antiochenus* 269. *incipit à Calend. Octob.*

Africanus hic ſcripſit hus usque Olympionicas: videtur idem ſcripſiſſe hiſtoriam Suſannæ, ut *Euſebius* innuere videtur *lib.* 6. *cap.* 24.

ANNO MUNDI 4170. Poſt C. 221.

G. ☉ 6. ☽ 13.

Annus urbis 973.	*Julianus* 266.
Æra Hiſp. 259.	*Auguſtorum* 248.

Coſſ. Gratus.
Claudius Seleucus.

Cùm Heliogabalus ſpurciſſimè viveret, duceret uxores & repudiaret, muliebria pateretur, & alia faceret, quæ nefas dictu eſt; mater & avia, quæ ſibi metuebant, perſuadent ipſi, ut conſobrinum ſuum Baſſianum adoptaret, & Cæſarem faceret, quod & fecit circa initium Junii, eumque Alexandrum nominavit, cujus mater erat Mammæa.

Olympias 250. *acta. Eſt annus Olympiadicus* 997. *Victores Studii hactenus ab Africano annotati fuerunt, qui poſtea facti ſunt, interciderunt. Hoc anno in certamine Olympico ſe obtulit Aurelius Ælix, ſed ad certamen admiſſus non eſt, cùm in certamine Capitolino, & luctâ, & Pancratio ſimul viciſſet.* Dion.

Annus Actiacæ victoriæ 251. *incipit die* 29. *Aug.*

Nicopolis in Palæſtinâ, quæ 22. millibus paſſuum ab Hieroſolymis diſtabat, ut itinerarium Burdegalenſe habet, antea Emmaus vocata, inſtauratur, autore *Africano* Hiſtorico hiſce Coſſ. ut *Euſeb. habet.*

Circa finem anni, cùm Alexander Cæſar abhorreret ab impuritate & libidinibus Heliogabali, in periculum venit, cùm ab Heliogabalo ad necem quæreretur. Sed milites defendunt Alexandrum, & Heliogabalum cogunt, ut quosdam à quibus corrumpebatur, ad necem dederet. Lamp.

ANNO MUNDI 4171. Poſt C. 222.

F. ☉ 7. ☽ 14.

Coſſ. Imp. Heliogabalus IV.
M. Aurelius Severus Alexander Cæſar.

Agon Capitolinus triceſimus quintus celebratur.

Heliogabalus iterum conatur Alexandrum interficere, ideo Alexander cum matre ad Prætorianos confugit, qui incenſi furore & Heliogabalum & matrem ejus Sohemitiram, trucidant. Plebs potita cadaveris Heliogabali, id unco traxit, & in Tyberim projecit. Factum die 6. Martii, cùm aggeret annum decimum octavum, & regnâſſet annos tres, menſes novem, dies quatuor, ut *Dio* habet: quod ſi verum eſt, occiſus eſt die 10. Martii: alii habent die ſexto. Succedit ipſi *M. Aurelius Severus Alexander* adoleſcens ſedecim annorum, qui regnavit annos tredecim, dies novem. *Dio & Lamp.*

Alexander, *ut Lampridius ſcribit, matutinis horis in larario ſuo, ubi Deos, quos putabat, habebat* Apollonium, Chriſtum, Abraham & Orpheum, *rem divinam quotidie faciebat. Si quando provinciarum præfectus ordinare volebat, nomina eorum publicè proponebat, jubebatque qui aliquem ex his jure accuſare poſſet, ut id tum faceret. Docebat enim*, cùm id Chriſtiani faciant in ordinandis Sacerdotibus, multò magis id fieri debere in provinciarum Rectoribus. *Ubique adſcribi & proclamari juſſit hoc dictum:* Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Lamprid. & Baron.*

Abgarus, de quo confictæ ſunt Epiſtolæ, quas ſcripſerit ad Chriſtum, miniſterium ſuum in Judæâ obeuntem, & reſponſio Chriſti, regnat hoc tempore *Edeſſa*, ut Africanus habet, *teſte Euſebio.*

Cæterùm Alexandrum hoc anno Imperatorem creatum evidenter demonſtratur ex Canone Paſchali Hippolyti Epiſcopi, qui canon inventus Romæ anno 1551. *explicatur in ſeptimo emendationis temporum à Scaligero. Is incipit à primo anno Alexandri Imperatoris, ubi quartadecima five terminus Paſchalis incidit in diem* 13. *Aprilis, & Paſcha celebratum eſt die* 21. *Aprilis vetuſto more, quando Paſcha nunquam die decimo quinto primi menſis celebrabatur. Plenilunium Paſchale hoc anno fit die decimo tertio Aprilis, horis* 8. *poſt meridiem fer.* 7.

Annus ſabbathicus primus Jobelei quarti Chriſtians, incipit die 26. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 3983.

ANNO MUNDI 4172. Poſt C. 223.

E. ☉ 8. ☽ 15.

Coſſ. Maximus.
Papirius Ælianus.

Alexander *Conſiliarios ſibi aſſumit Juris peritiſſimos*, Ulpianum, Paulum, Pomponium, Celſum, Modeſtinum, Venulejum, *quorum conſiliis adjutus, procul dubio rectè imperium adminiſtravit. At verò cùm omnes hi à Chriſtianâ religione abhorrerent, procul dubio Chriſtianis plurimum nocuerunt, cùm in provincias perſcriberent, ut præſides cultus Deorum proſpicerent, & ſacrilegos Chriſtianos conquirerent.* Baron.

Judæis ab Alexandro conceſſum, ut præfectum ſuum haberent, & in Palæſtinâ habitarent. *Euſeb.*

Trium dierum tenebræ hiſce Coſſ. Romæ extiterunt, & terræmotus ingens factus die 9. *& die* 17. *Septemb.* Faſti Sic.

ANNO MUNDI 4173. Poſt C. 224.

DC. ☉ 9. ☽ 16.

Coſſ. Claudius Julianus.
Clodius Criſpinus.

Ulpianus *præfectus Prætorio plurima emendat, quæ ab Heliogabalo perverſè facta erant, & inde in odium militum incurrit.* Dio.

Annus Nabonaſſaris 972. *Philippi & mortis Alexandri* 548. *incipit* 28. *Junii, fer.* 2.

Annus Seleucidarum Alexandræus 536. *& Antiochenus* 273. *à Calendis Octob.*

Calliſtus Papa Romanus ſupplicio afficitur Romæ, die 14. Octobris, cùm ſediſſet annos quinque, menſem unum & dies duodecim. Succedit *Urbanus*, qui ſedit annos ſex, menſes ſeptem, dies quatuor, *Baron.* Euſebius habet, quòd ſederit annis novem. Hic fecit miniſteria ſacra omnia argen-

argentea, & patinas argenteas viginti quinque appoſuit. *Baron.* Polyd. Virgilius addit, hunc Urbanum ſanciviſſe, ut Sacerdotibus liceret prædia ac fundos à cultoribus religionis oblatos recipere.

ANNO MUNDI 4174. Poſt C. 225.
B. ☉ 10. ☽ 17.

Annus urbis 977. *Julianus* 270.
Æra Hiſpan. 263. *Auguſtorum* 252.

Coſſ. L. Turpilius Dexter,
M. Mæcius Rufus.

Alexander *init Tribunitiam poteſtatem quartam die* 10. *Martii.*

Alexander thermas Neronianas inſtaurat, & novas ædificat, quæ Alexandrinæ appellatæ ſunt. *Lamprid.*

Olympias 251. *acta. Eſt annus Olympiad.* 1002.

Annus Actiaca victoria 255. *incipit die* 29. *Aug.*

Romæ plebs cum Prætorianis diſſentit, inde ſeditio exorta trium dierum, in quâ multi utrinq; occiſi ſunt, donec tandem Prætoriani victi urbem incenderent, quo periculo plebs mota, ſe cum Prætorianis reconciliari paſſa eſt. Dio.

Alexander *compluribus legibus promulgatis reſtituit Rempubl. aliquo modo, & Mathematicis Romæ docere jubet.* Lamp.

ANNO MUNDI 4175. Poſt C. 226.
A. ☉ 11. ☽ 18.

Coſſ. Imp. Alexander II.
C. Quintilius Marcellus.

Agon Capitolinus triceſimus ſextus celebratus.

Multi hoc anno Romæ martyres facti. *Calepodius, Palmatius* Conſularis, *Simplicius* cum totâ familiâ. *Baron.*

Aliquot civitates terræmotu collapſæ ab Alexandro, datâ pecuniâ reſtituuntur. *Lamp.*

Artaxerxes *Perſa deficit à Parthis, & Artabano bellum infert, anno quarto Alexandri, ut Agathias habet. Numerat enim hinc anno* 329. *uſq; ad annum quintum* Coſrohes, *ſive annum* 28. *Juſtiniani. Regnavit hic annos quindecim.* Agath.

Ulpianus, *cùm Prætorianos offendiſſet, ab ipſis invaditur noctu; is tumultum ſentiens, fugit in Palatium, ut antea conſueverat, ad Alexandrum, & ejus matrem: attamen inde tum extractus, occiſus eſt.* Dio.

ANNO MUNDI 4176. Poſt C. 227.
G. ☉ 12. ☽ 19.

Coſſ. D. Cœlius Balbinus II.
M. Clodius Pupienus Maximus.

Ambo hi poſtea Imperatores à Senatu electi ſunt.

Geminus presbyter Antiochenus, qui quædam ſcripſit, quorum Euſebius & Hieronymus meminerunt, floret.

Hippolytus floret, qui cyclum Paſchalem ſedecim annorum ſcripſit & multa alia, fuit Epiſcopus Portuenſis. *Niceph.*

Beryllus Epiſcopus primùm in hæreſin prolapſus, rectiùs eruditur ab Origene.

Epagathus, qui autor fuerat necis Ulpiani, amandatur ab Alexandro in Ægyptum, ut præfecturam ibi obtineret. Sed in viâ interceptus, & in Cretam retractus, ob necem Ulpiani interfectus eſt, ſupplicium enim de eo ſumi Romæ non poterat, Prætorianorum metu. *Dio.*

ANNO MUNDI 4177. Poſt C. 228.
FE. ☉ 13. ☽ 1.

Coſſ. Vettius Modeſtus.
Probus.

Origenes circa hæc tempora creatur presbyter Antiochiæ, & poſtea Cæſareæ in Palæſtinâ aperit ludum. Hoſtem expertus eſt Demetrium, Alexandriæ Epiſcopum, qui latè illa de Origenis ſectione ſparſit. *Euſeb.*

Annus Nabonaſſaris 976. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 552. *incipit die* 27. *Julii, fer.* 6.

Annus Seleucidarum Alexandr. 540. *& Antiochenus* 277. *à Calendis Octobr.*

Ælianus, qui ſcripſit de variâ hiſtoriâ, floret. *Suid.*

Artaxerxes *bellum contra Artabanum continuat, & aliquot præliis eum fundit, & totam Parthiam occupat.* Agath.

Dion *Hiſtoricus in Pannoniâ hactenus fuerat, militesq; ibi optimâ diſciplinâ habuerat; cùm verò Romam rediiſſet, Prætoriani ſibi metuentes à Dione, ne diſciplinam militarem etiam ibi colere inciperet, inſidias ipſi ſtruunt, ſed Alexander Dionem Româ dimittit, & Conſulem ſecum facit.* Dio.

ANNO MUNDI 4178. Poſt C. 229.
D. ☉ 14. ☽ 2.

Annus urbis 981. *Julianus* 274.
Æra Hiſpan. 267. *Auguſtorum* 256.

Coſſ. Imp. Alexander III.
Caſſius Apronianus.
Dio. II.

Alexander init Tribunitiam poteſtatem octavam die 10. *Martii.*

Gordianus *hoc anno ſuffectus eſt Alexandro, atq; ita ſecundùm Conſul fuit.*

Dion *autem Hiſtoricus eſt, qui hiſtoriam ſuam ab initio conditæ urbis, uſque ad hunc annum continuavit.* Dion.

Artaxerxes *tertio prælio tandem Artabanum Parthum occidit, & totum ejus regnum occupat.* Dio.

Olympias acta 252. *circa initium Auguſt. Eſt annus Olymp.* 1005.

Annus Actiaca victoria 259. *incipit* 29. *Aug.*

Annus ſabbathicus ſecundus, Jobelei Chriſtiani quarti, incipit die 7. *Septembr. fer* 3. *Anno Judaico* 3990.

Artaxerxes *irrumpit in Armeniam, in fines Romanos Alexander ſcribit ad eum, ne faciat, ſed potiùs pacem colat in novo regno: ſed ſuperbè reſpondet. Ideò cùm exercitus Romani, quod molliùs habiti fuiſſent, nihil roboris haberent, diſciplina militaris excoli cœpta.* Dio.

Origenes Biblia concinnat tripartita. Primum volumen conficit ex quatuor verſionibus, in quatuor columnis. Prima columna erat, Septuaginta Interpretum: ſecunda translatio Aquilæ: tertia Symmachi: quarta Theodotionis. Secundum volumen fuit ex ſex columnis, quod vocavit Biblia hexapla, ubi prioribus verſionibus acceſſit Hebraicus textus, primùm Hebraicis literis ſcriptus, poſtea Græcis. Tertium volumen fuit octo columnarum, quod vocavit Octopla,

in quibus adjunxit prioribus verſionem, quæ in Hiericho inventa fuerat: alteram deinde, quæ in Græciâ Nicopoli, ut tradit *Epiphan. & Hieron.*

ANNO MUNDI 4179. Poſt C. 230.
C. ☉ 15. ☽ 3.

Coſſ. Calpurnius Agricola.
Clementinus.

Agon Capitolinus triceſimus ſeptimus celebratus.

Alexander Imperator contra Perſas proficiſcitur, ubi ipſe partem exercitûs per Armeniam in Medos duxit, quæ, cùm per montoſa ingrederetur, facilè contra Perſas tutata eſt, ſed altera pars exercitûs aliam viam ingreſſa multis damnis à Perſis affecta eſt. Alexander interim in morbum incidit, quemadmodum & plurimi milites, qui ex Europâ advenerant, illius cœli inſueti. Ideò exercitum Antiochiam reducere coactus eſt, ibi mitiore cœlo convaluit, & exercitum conſolatus eſt, exercitumque ibi inſtauravit & exercuit. Perſæ etiam pluribus præliis afflicti, exercitum dimiſerunt, & ferè quadriennio nihil moverunt; interim Alexander Antiochiæ permanſit. *Herod.*

Longinus Philoſophus de principiis ſcribit. *Porphyr.*

Cæcilia virgo Romæ martyrio coronatur, cum *Valeriano, Tiburtio* & aliis. *Euſeb.*

Ammonius Alexandrinus Philoſophus Chriſtianus inſignis, circa hæc tempora claret.

ANNO MUNDI 4180. Poſt C. 231.
B. ☉ 16. ☽ 4.

Coſſ. M. Aurelius Claudius Pompejanus.
Felicianus.

Vrbanus Papa martyrio afficitur die 25. Maji, cùm ſediſſet annis ſex, menſibus ſeptem, diebus quatuor. Succedit ipſi *Pontianus* Romanus, patre Calpurnio, qui ſedit annos quinque, menſes quinque ferè. *Euſeb.*

Origenes in Palæſtinam venit, petitque ſeceſſum Tyrium, ubi ſua Biblia tandem perfecit, præſtantiſſimos autem ibi habuit diſcipulos *Athenodorum* & *Gregorium. Euſeb.*

ANNO MUNDI 4181. Poſt. C. 232.
AG. ☉ 17. ☽ 5.

Coſſ. Julius Lupus.
Maximus.

Mater Alexandri Mammæa *avarior fuit, & multa tyrannicè agit, ad quæ Alexander cogitur connivere.* Herodot.

Annus Nabonaſſaris 980. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 556. *incipit die* 26. *Junii, fer.* 3.

Annus Alexand. Seleucidarum 544. *& Antiochenus* 281. *à Calend. Octob.*

Perſæ iterùm exercitum colligunt, & impetum in provincias Romanas faciunt. Ideò Alexander ſtudiosè ſuos exercet. Lamp.

Alexandri mater *Mammea* dicitur Origenem in religione Chriſtianâ diſcendâ audiviſſe.

ANNO MUMDI 4182. Poſt C. 233.
F. ☉ 18. ☽ 6.

Annus urbis 985.	*Julianus* 278.
Æra Hiſp. 271.	*Auguſtorum* 260.

Coſſ. Maximus II.
Ovinius Paternus.

Alexander circa diem 10. *Martii init Tribunitiam poteſtatem duodecimam.*

Alexander ſeverè obſervat diſciplinam militarem, ita ut integram legionem exautoraret, quam poſt dies triginta in gratiam recepit. Tribunos tamen militum, quorum negligentiâ milites corrupti erant, ſecuri percuſſit, & hujus legionis virtute poſtea Perſas vicit. *Lamprid.*

Olympias 253. *acta. Eſt annus Olympiad.* 1009. *init* 17. *Julii.*

Annus Actiaca victoria 263. *incipit die* 29. *Aug.*

Res in imperio benè geſta in Mauritaniâ, in Illyrico & Armeniâ. Lampr.

ANNO MUNDI 4183. Poſt C. 234.
ED. ☉ 19. ☽ 7.

Coſſ. Maximus.
Urbanus.

Agon Capitolinus triceſimus octavus celebratus.

Alexander in Perſiam proficiſcitur cum magno exercitu, cui *Artaxerxes* opponit præter egregium exercitum ſeptingentos Elephantos, & mille ac octingentos falcatos currus, & centum ac viginti millia equitum: ſed tamen Alexander virtute militum vincit, & 300. Elephantos capit, & inde conſtitutis rebus Romam proficiſcitur, ibique triumphat die 25. Sept. Perſæ ſuos captivos redemerunt. Inde cùm crebri nuncii venirent ex Germaniâ, qui dicerent, Germanos Rhenum Danubiumque transgreſſos, Romanos fines vaſtare, & tam Illyricum, quam Galliam in periculo eſſe, in Galliam proficiſcitur. *Herod. Lampr.*

ANNMO UNDI 4184. Poſt. C. 235.
D. ☉ 20. ☽ 8.

Coſſ. L. Catilius Severus.
L. Ragonius Urinatius Quinctian.

Alexander in Germaniâ res non adeò feliciter gerit, quòd milites in Galliis laxâ diſciplinâ aſſueti latrocinarentur, ideo quosdam exautoravit, milites verò tantam ſeveritatem non ferentes, Ducem ſibi eligunt Maximinum Thracem, qui ipſum cum matre & familiaribus omnibus, ad quatuor hominum millia, in vico Sicklingen / prope Moguntiam interficit, die 18. Martii, cùm imperâſſet annos tredecim, dies novem. Succedit ipſi militari conſenſu abſque Senatûs autoritate *Maximinus Thrax*, obſcuriſſimis natalibus ortus, patre Miceâ Gotho, & matre Ababâ Alanâ: in juventute bubulcus fuerat, poſt eques homo maximæ ſtaturæ, crudelis & cædis avidiſſimus, omnes conſcios ſuæ ignobilitatis primo ſtatim anno interfecit, regnavit autem biennium, & menſes ferè ſex. *Jul. Cap.* Nondum erat Senator Romanus, & tamen à Senatu omnia ſibi Imperatorum inſignia tribui voluit. *Lamp.*

Pontianus Papa ſuperiore anno in Sardiniam inſulam relegatus, hoc anno circa menſem Novembrem, trucidatur, cùm ſediſſet annis quinque, menſibus quinque. Succedit *Anteros*, natione Græcus, ſed ſedit tantùm menſe uno. *Euſeb.*

Maximinus, *cùm fruges in Germania maturniſſent, in Germaniam tranſiiſſe Rheno venit, & omnia* longè

longè lateq; vaſtat: inde in Pannoniam regreditur, ibique hybernat, interim Romæ & in aliis provinciis divitiores ſpoliavit. Herod.

ANNO MUNDI 4185. Poſt. C. 236.
CB. ☉ 21. ☽ 9.

Coſſ. Imp. Maximinus.
C. Julius Africanus.

Anteros Papa, cùm juſſiſſet Martyrium hiſtorias diligenter annotari, ipſe ad martyrium rapitur die tertio Januarii. Succedit ipſi *Fabianus* die 16. Januarii, ſeditque annos quatuordecim, dies quatuor. *Onuph.*

Legiones in Africâ, odio Maximini & metu, ne in Sarmatiam transferrentur, ſeditionem movent, & procuratorem fiſci, hominem nefarium occidunt, & M. Antonium *Gordianum*, qui bis Conſul fuerat, & jam Proconſul eſſet Africæ Imperatorem faciunt: & quòd Scipiones cognatione attingeret, Africanum appellant: Is ſtatim filium Gordianum Conſularem Auguſtum appellat. Hoc cùm Romam nunciatum eſſet literis Gordianorum, die 27. Maji, ſtatim ambos Auguſtos proclamant, & nepotem ejus ſedecim annorum adoleſcentem Prætorem faciunt, & Cæſarem declarant, & Vitanianum contrà Præfectum prætorio & alios Maximini miniſtros interficiunt. Sed in Africâ poſt menſem & ſex dies *Capellianus* Mauritaniæ præſes, Maximino fidelis, in Africam irruit, & Gordianum juniorem prælio vincit, & trucidat; ſenior verò Gordianus, cùm videret nihil virium in exercitu ſuo eſſe, laqueo vitam finivit, cùm octuageſimum annum ageret. *Senatus* Romanus hac re auditâ, cùm ita defeciſſent à Maximino, in anguſtiis conſtitutus in Capitolio convenit, & ex corpore ſuo eligit duos Imperatores, *D. Cælium Balbinum & M. Clodium Pupienum Maximum*, quorum hic ſæpè exercitus duxerat, & Senatus in omnes Provincias dimittit legationes; quibus ſollicitabantur, ut fideles eſſent Senatui Romano, & à Maximino deficerent. Hac occaſione perſecutio Chriſtianorum, quæ ſeveriſſimè exercebatur, cohibita eſt. *Jul. Cap. Gordianus.*

Annus Nabonaſſaris 984. *& annus Philippiac mortis Alexandri* 560. *incipit die* 25. *Jun. fer.* 7.

Annus ſabbathicus tertius Jobeles Chriſtiani tertii, incipit die 20. *Sept. fer.* 3. *Anno Judaico* 3997.

Annus Alexand. Seleucidarum 548. *& Antiochenus* 285. *à Calend. Octobr.*

Maximinus *cùm hoſce motus audiret, expeditionem in Sarmatias omittit, & contra Senatum Romanum copias colligit.* Jul. Cap.

ANNO MUNDI 4186. Poſt C. 237.
A. ☉. 22. ☽ 10.

Annus urbis cond. 989. *Iulianus* 282.
Æra Hiſpanica 275. *Auguſtorum* 264.

Coſſ. P. Titius Perpetuus.
L. Ovinius Ruſticus Cornelianus.

Maximinus init Tribunitiam poteſtatem tertiam circa 18. Martii, & tranſit Alpes cum exercitu Germanico & Pannonico, & cùm montium nives eodem tempore ingentes torrentes feciſſent, cupis ſive concavis vaſis vino deſtinatis uſus, eos tranſiit. Maximus contrà electus Imperator, omnem commeatum in munitas urbes convehi jubet, omnes pontes in totâ Italiâ dejicit, ita ut nemo ad Maximinum tranſire poſſet, quo factum eſt, ut Maximini exercitus maximâ fame affligeretur. *Jul. Cap.*

Eclipſis Solis magna accidit die duodecimo Aprilis, hora quarta poſt meridiem, quam computavit Buntingus, putavitq; eam factam anno primo Gordiani, ſed initium Gordiani competit ei anno, quando acti ſunt ludi Capitolini, hoc eſt, ſequenti anno. In Agone enim Capitolino interfecti ſunt Imperatores bini, Maximus & Balbinus, priusquam imperium Gordiano deferretur, quapropter eclipſis non hoc anno, ſed ſequenti inveſtiganda eſt. Fuit tamen & hæc eclipſis magna. Latitudo enim Lunæ Borealis fuit 23, 13. *Parallaxis ejus* 18, 12. *Ergò latitudo viſa* 51. *Semidiameter Solis* 15, 53. *Summa Semid.* 33, 33. *Scrupula reſidua* 28, 32. *Digiti ecliptici* 10, 46. *Romæ, & ad tabulas Prutenicas, ſecundam Buntingum.*

Olympias 254. *ſive annus Olympiadicus* 1013. *incipit circa medium Julii.*

Annus Actiacæ victoriæ 267. *incipit die* 29. *Aug.*

Senatus Romanus præſidium Aquileiæ urbi miſerat, & præfectos Conſulares, quibus confiſi Aquileienſes portas Maximino claudunt, atq; ita ejus iter impeditum eſt. Interim Romæ ingentes à Prætorianis excitantur ſeditiones, ita ut ferè urbs cremata eſſet, nec ſedari potuit, donec Gordianus junior in conſpectum veniret. Jul. Cap.

Maximinus, cùm obſidio urbis Aquileiæ parum feliciter tentaretur, culpam confert in milites. Milites contra, cùm uxores & liberos Romæ haberent, nec ſcire poſſent, viis omnibus interclufis, quid Romæ ageretur, putarentq; totam Italiam in armis eſſe, ne contra patriam pugnare viderentur, Maximinum cum filio & Præfecto prætorio in caſtris obtruncant, & cadavera canibus dilanianda projiciunt, menſe, ut videtur, Octobri. Maximus, qui Ravennæ erat, auditâ cæde Aquileiam venit, cives ob conſtantiam laudat, & urbi virtutis ergò nomen datum, ut *Romana civitas* diceretur.

ANNO MUNDI 4187. Poſt C. 238.
G. ☉ 23. ☽ 11.

Coſſ. M. Ulpius Crinitus,
Proculus Pontianus.

Agon Capitolinus triceſimus nonus celebratur.

Prætoriani milites & alii, cùm nollent Imperatores à Senatu eligi, ſed ſuum jus id eſſe putarent, ſeditionem movent, & ambos Imperatores in ludis Capitolinis occidunt. Tutari ſe potuiſſent, ſi concordes fuiſſent; eligunt igitur *Gordianum* puerum ferè adhuc, annos ſedecim natum, & eum Conſulem declarant, ſed indicium fuit non diu imperaturi Gordiani, quòd eclipſis Solis facta eſt tanta, ut nox crederetur, neque ſine luminibus accenſis quicquam agi poſſet. *Jul. Cap.*

Eclipſis facta eſt Romæ die 2. *Aprilis, feria ſecunda, horis quatuor ante meridiem, ad tabulas Prutenicas, quam tabulæ Phyſicæ fruſtra deſiderant, cùm ex iis optimè colligatur. Fuit enim Parallaxis latitudinis* 50. 14. *Latitudo Septen.* 59. 4. *viſa* 8, 50. *Semidiameter Solis* 15, 20. *Summa Semid.* 33, 16. *Scrup. reſidua* 24, 26. *Digiti ecliptici* 9, 33. *Sol in decimo ferè gradu Arietis. Apparet autem ex his, cùm Imperatores occiſi ſint in Ludis Capitolinis, &* Gordianus *factus ſit Imperator ante hanc eclipſin, quòd Agon Capitolinus celebratus ſit ante menſem Aprilem.*

Ad hunc annum *Cenſorinus de natali* ita ſcribit, in libro de die Natali: Hic annus, cujus velut index titulus quidem eſt ULPII & Pontiani Conſulatus ſecundum Varronis rationem, ab Olympiade primâ eſt annus milleſimus & decimus quartus, ex diebus duntaxat æſtivis, quibus agon Olympicus celebratur: à Româ autem conditâ nongenteſimus nonageſimus primus, & quidem ex Parilibus, unde anni urbis numerantur eorum annorum, quibus Julianis nomen eſt ducenteſimus octuageſimus tertius, ex Calend. Januar. unde Julius Cæſar anni à ſe conſtituti fecit principium. Iſque annus conſurgit ex quarto Cæſaris Conſulatu. At eorum, qui vocantur anni Auguſtorum, ducenteſimus ſexageſimus quintus, perinde ex Calend. Januar. quamvis ante diem decimum ſextum Calend. Febr. Imperator Cæſar Divi filius, ex ſententiâ Munatii Planci à Senatu cæteriſque civibus, AUGUSTUS appellatus eſt, ſe ſeptimum, & M. Vipſanio Agrip. tertiùm, Coss. Sed Ægyptii, quòd bienn o antè in poteſtatem ditionemque populi Rom. venerunt, habent hunc Auguſtorum annum ducenteſimum ſexageſimum ſeptimum. Annorum verò, quos Naboraſſaris nominant, quòd à primo imperii ejus anno conſurgunt, annus eſt nongenteſimus octogeſimus ſextus. Item Philippi, qui ab exceſſu Alexandri Magni numerantur, annus eſt quingenteſimus ſexageſimus ſecundus. Sed horum initia ſemper à primo die ſumuntur ejus menſis, cui apud Ægyptios eſt Thoth, quique hoc anno fuit ante ſeptimum Calendas Julii (die 25. Junii) cùm ab hinc annos centum Imperatore Antonino Pio II. & Bruttio Præſente Coſſ. Romæ idem dies fuerit 20. Julii. *Huc usque Cenſorinus*. Hæc Cenſorini omnia ad hanc Chronologiam exactè congruere oſtendunt connexiones annorum. Sed dicat aliquis, alios idem de ſuâ Chronologiâ affirmare, qui tamen hoc Cenſorini teſtimonium in ſequentem annum collocant, ut Onuphrius, Bucholcerus, & alii. Reſpondeo, eos falli, quamtumvis magnificè de ſuâ certitudine glorientur, hâc de cauſâ: quòd characteres Chronologicos non obſervant: idque demonſtratur manifeſtè ex Cyclo Solari. Annus Nabonaſſaris enim 986. incipit, ut Cenſorinus ait, die 25. Junii, & quidem ex ordine perpetuo horum annorum, feria ſecunda. Hoc anno eſt cyclus Solis 23. qui exhibet literam dominicalem G, quæ invenitur die 24. Junii, & indicat eum diem fuiſſe feriam primam. Ergò dies 25. eſt feria ſecunda, & annus Nabonaſſaris 986. convenit ad hunc annum. Sed ſequenti anno eſt cyclus Solis 24. qui exhibet literam Dominicalem F, quæ invenitur die 23. Junii; unde conſequens eſt, quòd dies 25. Junii ſequenti anno ſit feria tertia, & quòd annus 986. ibi incipere non poſſit: feria enim ſecunda & feria tertia, in unum eundemque annum cadere non poſſunt. Error autem Onuphrii inde venit, quòd Æræ Chriſtianæ annum primum non rectè inceperit.

ANNO MUNDI 4188. Poſt C. 239.
F. ☉24. ☽12.

Coſſ. Imp. Gordianus.
Man. Acilius Aviola.

Babylas fit Epiſcopus Antiochenus, ſeditq; annis duodecim, usque ad Decium Imperatorem *Euſ.*

ANNO MUNDI 4189. Poſt C. 240.
ED. ☉25. ☽13.

Coſſ. Vettius Sabinus.
Venuſtus.

Neronianum *luſtrum hoc anno, & his Coſſ. actum, teſte Aurelio Victore, quod Gordianus auxit & formavit: inſtitutum autem fuit à Nerone anno æræ Chriſtianæ 60. & ſecundum luſtrum celebratum eſt anno 65.* ut Tacitus habet. *Ergo triceſimum ſeptimum luſtrum celebratum eſt hoc anno, & fuit tempus annorum quinque ſolidorum.*

Annus Nabonaſſaris 988. & annus Philippi & mortis Alexandri 564. incipit die 24. Junii, fer. 4.

Annus Seleucidarum Alexandr. 552. & Antiochenus 289. à Calendis Octob.

Sabinianus *quidam in Africâ contra Gordianum arripit imperium, quem feliciter reprimit, & pax imperio reſtituitur.* Jul. Cap.

Origenes iterùm Athenas proficiſcitur, ut bibliothecam ſuam inſtruat.

ANNO MUNDI 4190. Poſt C. 241.
C. ☉26. ☽14.

Annus urbis 993. *Julianus 286.*
Æra Hiſp. 279. *Auguſtorum 268.*

Coſſ. Imp. Gordianus II.
M. Aurelius Claudius Pompejanus.

Artaxerxes *Perſarum rex, cùm annos quindecim regnum obtinuiſſet, moritur. Succedit* Sapores *homo crudeliſſimus, qui in regno vixit annis 31. & plurimum damni dedit imperio. Non ſolùm enim Meſopotamiam vaſtavit, ſed & Cilices, & Syros & Cappadoces depopulatus eſt, donec tandem ejus conatus infringerentur ab Odenato Palmyreno. Hoc anno excurſionem fecit in Meſopotamiam & Syriam.* Agath. Cap.

Gordianus, *init Tribunitiam poteſtatem quartam, circa menſem Martium.*

Olympias 225. acta. Eſt annus Olymp. 1017.

Annus Actiaca victoria 271. incipit die 29. Aug.

Gordianus, cùm Perſæ in fines Romanos jam incurriſſent, ducit uxorem filiam *Miſithei* viri fortiſſimi & prudentiſſ. quem ſtatim præfectum Prætorio facit. Terræmotus autem graviſſimi ingruerunt, ita ut quidam hiatu terræ abſorberentur. *Jul. Cap.*

ANNO MUNDI 4191. Poſt C. 242.
B. ☉27. ☽15.

Coſſ. C. Aufidius Atticus.
Caſſinius Prætextatus.

Agon Capitolinus quadrageſimus celebratus: an verò poſteà temporis is celebratus ſit, & quam diu, nulla ſuperſunt in hiſtoriis veſtigia.

Hiſce Coſſ. *Gordianus* apertis templi Jani valvis contra Perſas profectus eſt, fecitque iter per Mœſiam, ibique, quicquid hoſtium fuit, in Thraciis, vicit. *Jul. Cap.*

Gordianus Victor in Mœſiâ per Syriam Antiochiam venit, ibique Perſas ſequentibus præliis vincit: Antiochiam, Carrhas, & Niſibin operâ Miſithei præfecti Prætorii recipit. *Jul. Cap.*

ANNO

ANNO MUNDI 4192. Poſt C. 243.
A. ⊙ 28. ☽ 16.

Coſſ. C. Julianus Arrianus.
Æmilius Papus.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei Chriſtiani quarti, incipit die 4. Sept. fer. 2. Anno Judaico 4904.

Miſitheus ſocer Gordiani præclarè res contra Perſas cum genero geſſerat, ſed moritur; in ejus locum aſſumitur præfectus Prætorio Philippus Arabs, qui ad tantam dignitatem evectus ingratiſſimum ſe exhibuit, & ſtatim Gordianum inviſum militibus reddidit, dum commeatum non expedit, & culpam in Imperatorem confert. *Jul. Cap.*

ANNO MUNDI 4193. Poſt C. 244.
GF. ⊙. 1. ☽ 17.

Coſſ. Peregrinus.
Fulvius Æmilianus.

Philippus Arabs cupiditate imperii incenſus, non tantùm Gordianum optimum Imperatorem eò redigit, ut ipſe ejus collega in imperio aſſumeretur, ſed etiam ipſum collegam Gordianum trucidat in finibus Perſidis. Idque menſe Martio factum eſſe conſtat ex Codice, ex reſcripto Philippi, quod hiſce Coſſ. Idibus Martii editum eſt. Imperavit autem annos ferè ſex, *ut Cap. habet.* Milites cùm regrederentur ex Perſiâ, Gordiano monumentum fecerunt hoc ſenſu: *Divo Gordiano* victori Perſarum, victori Gothorum, victori Sarmatarum, depulſatori Romanorum ſeditionum, victori Germanorum, ſed non victori Philipporum. Hoc monumentum evertit poſteà Licinius Imperator, qui videri voluit, ſe à Philippis originem trahere. *Entrop.*

Philippus Arabs, patre latronum Duce ortus, ad tantos honores à Gordiano evectus, ſuccedit in imperio, cùm tamen Senatus Romæ auditâ cæde Gordiani Marcum quenden Imperatorem crearet, & eo defuncto, Severum Hoſtilianum, ſed & hoc defuncto, Philippum Auguſtum appellavit. Imperavit annos quinque.

Annus Nabonaſſaris 992. & annus Philippi & mortis Alexandri 568. incipit die 23. Junii, fer. 1.

Annus Alexandr. Seleucidarum 556. & Antiochenus 293. à Calend. Octob.

Philippus filium ſuum Gallum Julium Saturninum appellat M. Julium Philippum, eumq; Cæſarem facit: fuit hic adeò ſeveri vultus, ut nunquam riſerit.

ANNO MUNDI 4194. Poſt C. 245.
E. ⊙ 2. ☽ 19.

Annus urbis 997. *Julianus 290.*
Æra Hiſpan. 283. *Auguſtorum 272.*

Coſſ. Imp. Julius Philippus.
Tib. Fabius Titianus.

Philippus in finibus Arabiæ Boſram *urbem inſtaurat, munit, novosque colonos eò deducit, & Philippopolin nominat; inde Romam tendit, cùm pacem feciſſet cum Perſis.* Zonar.

Olympias 256. annus ejus 1022. in Julio.

Annus Actiacæ victoriæ 275 incipit 29. Aug.

Philippus Romam ſecum adduxit *Plotinum* Philoſophum, qui publicè Romæ docuit.

ANNO MUNDI 4195. Poſt C. 246.
D. ⊙ 3. ☽ 19.

Coſſ. Brutius Præſens.
Nummius Albinus.

Refertur ab Euſebio, Caſſiodoro & aliis, qui tamen hoc ex Euſebio deſcripſerunt, Philippum operam dediſſe Chriſtianæ religioni, & baptiſatum eſſe. Sed Euſebius hæc hauſit, ut ipſe dicit, ex epiſtolis Origenis ad Philippum, & ejus conjugem Severam, quæ Epiſtolæ tamen fictæ ſunt. Ideò de religione Philippi nihil certi pronunciari poteſt. Res geſtæ etiam Philippi non reſpondent, nec aliquid contulit Eccleſiæ nec habuit religionis ſucceſſorem, ut Conſtantinus.

ANNO MUNDI 4196. Poſt C. 247.
C. ⊙ 4. ☽ 1.

Coſſ. Imp. Julius Philippus II.
M. Julius Philippus Cæſar.

M. Julius Philippus Cæſar, filius Philippi, Tribunitiam poteſtatem accipit, & Auguſtus appellatur, circa initium menſis Martii, idq; apparet ex nummis ſequentis anni.

Philippus *exoletorum claſſes ſuſtulit*: Lamp. in Alex. *& Poetas, propter poeſeos abuſum lege editâ ex albo Profeſſorum bonarum artium ſuſtulit, & privilegiis excluſit.* Lamp.

ANNO MUNDI 4197. Poſt C. 248.
BA. ⊙ 5. ☽ 2.

Coſſ. Imp. Julius Philippus III.
Imp. Julius Philippus F. II.

Anno urbis milleſimo ſecundum Varronem ferè exacto, circa menſem Martium acti ſunt *Ludi Seculares* à Philippis, Patre tertiùm, filio ſecundum Conſule, ut nummi oſtendunt. Omnis autem generis ludis celebratus eſt agon. Atlas mons in ſpectaculo cucurrit, Repſerunt ſcopuli, mirandaque ſylva cucurrit, *ut olim Martialis cecinit*, & innumerabiles beſtiæ in Circo interfectæ, Ludiq; in Campo Martio ad Terentum theatrales, tribus diebus, & tribus noctibus, populo pervigilante editi. Miſerat autem eas feras Romam, ad triumphum Perſicum exornandum, Elephantos 32. Alces decem, Tigres decem, Leones ſexaginta, Leopardos triginta, hyenas decem, gladiatorum mille paria. *Cap.*

Filius Philippi Conſul, qui nullo commento ad riſum provocari poterat, Patrem ludis hiſce ſecularibus effuſiùs cachinnantem vultu adverſo notavit, cùm tamen vix ex ephebis exceſſiſſet. *Caſſ.* Aurelius Victor ad hoſce ludos addit hæc verba: Noſtrâ quoque ætate poſt mille annos centeſimus Conſule Philippo & Saliâ exceſſit, ſed nullis, uti ſolet, ſolennibus frequentatus, adeò indies cura minima Romanæ urbis.

Annus Nabonaſſaris 996. & annus Philippi & mortis Alexandri 572. incipit die 22. Junii, fer. 5.

Annus Alexand. Seleucidarum 560. & Antiochenus 297. à Calend. Octobr.

Athirco, *Scotorum rex, qui annis duodecim præfuerat, moritur; ſuccedit frater* Nathalocus, *qui ſimiliter regnat annos duodecim.* Buch.

Theatrum Pompeii incenditur, quod & olim ante annos 226. conflagraverat, & Hecaſtylon, *porticus videlicet, ubi athletæ exercebantur, igne crematur.* Euſeb.

ANNO MUNDI 4198. Poſt C. 249.
G. ☉ 6. ☽ 3.

Annus urbis 1001. *Iulianus 294.*
Æra Hiſpan. 287. *Auguſtorum 276.*

Coſſ. Fulvius Æmilianus II.
Vettius Aquilinus.

Philippi, *pater & filius, ineunt tribunitiam poteſtatem; pater ſextam, filius tertiam.*

Olympias 257. acta. Eſt annus Olympiad. 1025.

Annus Actiaca victoria 279. incipit die 29. Aug.

Magnus tumultus Alexandriæ in Chriſtianos ortus, in quo Chriſtiani ad ſupplicia rapti ſunt, & bonis exuti; autor ejus fuit quidam Magus. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4199. Poſt C. 250.
F. ☉ 7. ☽ 4.

Coſſ. Meſſius Decius.
Annius Gratus.

Decius Conſul à Philippis contra Gothos, qui Danubium tranſierant, mittitur, qui milites, quorum culpâ tranſierant, exauctorat, & ad Philippum redit. Milites à militiâ ſemoti, cùm non haberent, quod agerent, ad Gothos deciſcunt: Gothi his ductoribus uſi, Mœſiam vaſtant, & ſpoliis ditati domum redeunt. Jornandes.

Samuel Jarchinai primus videtur eſſe, qui horam in ſcrupula 1080. diviſit, moritur anno hoc. *Scaliger.*

Annus ſabbathicus quintus, Jobelei Chriſtiani quinti, incipit die 17. Septembr. fer. 2. Anno Judaico 4911.

Gothi iterùm Danubium tranſeunt, ideò *Decius* contra eos miſſus ab exercitu Imperator acclamatur. Philippus igitur filio in urbe relicto adverſus *Decium* profectus, Veronæ occiditur; filius Romæ equo excuſſus, dum languet, occiditur, anno Imperii 7. ſuccedit *Meſſius Decius* ex Pannoniâ ortus, vir nobilis, qui cum filio Hetruſco annum unum imperat, & menſes, ut habent annales tres.

ANNO MUNDI 4200. Poſt C. 251.
E. ☉ 8. ☽ 5.

Coſſ. Imp. Meſſius Decius II.
Etruſcus Meſſius Decius.

Decius filium *Hetruſcum* Cæſarem facit, & contra Illyrios proficiſcitur: ipſe proficiſcitur Romam mœnium dedicandorum cauſa. Interim Lucius Priſcus, qui Macedoniæ præerat, imperium rapit, & deinde etiam Romæ Julius Valens, qui ambo cæſi ſunt. *Aurel. Victor.*

Fabianus Papa, cùm ſediſſet annos 15. Romæ in perſecutione occiditur, cui nemo hoc anno ſubrogatus eſt. Onuphrius tamen in Catalogo Pontificum ipſi poſt duos menſes ferè ſurrogat *Cornelium* Romanum, qui ſedit annos duos, menſes ſex.

Cyprianus Epiſcopus ſubduxit ſe paululum, interim omnibus bonis ſpoliatur. Origenes abnegavit: alii innumerabiles martyrio coronati ſunt. multi bona ſua reliquerunt, & in deſerta conceſſerunt, & *Paulus* primus Eremita dicitur factus, qui ob perſecutionem in Eremo manſit usque ad tempora *Conſtantini* Imperatoris. *Euſebius.*

Babylas Epiſcopus in vinculis decedit Antiochiæ. Chryſoſtomus tamen dicit, eum ad ſupplicium ductum. Multi in hac perſecutione religionem abnegârunt, idque duplici modo: Quidam apertè Diis ſacrificarunt, hos nominaverunt Sacrificatos, vel Thurificatos, vel Idololatras: Quidam verò Libellatici dicebantur, qui abnegârant quidem religionem, ſed libellum à præſidibus acceperant, ne publicè cogerentur Diis ſacrificare.

Valerianus *die 27. Octobris in æde Caſtoris Romæ, conſenſu Senatus, Cenſor creatur abſq, collega.*

Decius, contra barbaros trans Danubium profectus, fraude hoſtium in anguſtias cum exercitu deducitur, ubi filius *Etruſcus* primùm cadit, de quo quidam dixit: Detrimentum unius militis parum ſibi videri; ſed pauld poſt in acie in paludem detruſus, ipſe etiam cadit. Succedit ipſi in imperio *Vibius Trebonianus Gallus*, cujus fraude *Decius* in acie ceciderat; regnavit plus anno ſpatio. *Aurel. Victor.*

ANNO MUNDI 4201. Poſt. C. 252.
DC. ☉ 9. ☽ 6.

Coſſ. Imp. Trebonianus Gallus II.
Imp. Voluſianus.

Gallus, cùm in Scythicâ proditione partem exercitus conſervaſſet, & reliqua pars victa etiam ad hanc conceſſiſſet, Imperator declaratus fuerat, qui ſtatim filium Voluſianum Auguſtum declaravit. Inde cùm Scythas vincere non poſſet, pacem cum iis fecit, & primus Imperatorum ſtipendiarius Barbarorum factus eſt: illis promiſit ducenta drachmarum millia, attamen Barbari non contenti hoc tributo depopulantur Dardaniam, Theſſaliam, Thraciam, Macedoniam; ipſe interim Romam proficiſcitur. *Vopiſcus.*

Pionius Smyrnenſis Eccleſiæ Presbyter, vivus crematur cum multis aliis. *Maximus* item Epheſi, & aliis. *Septem Dormientes* etiam in antrum confugerunt. Similiter *Agatha* virgo hoc anno paſſa eſt. *Euſeb.*

Novatianus hæreticus ex Africâ Romam venit, & negotium faceſſit Pontifici Cornelio, quòd apoſtatas & in perſecutione abnegatores in Eccleſiam reciperet. *Euſeb.*

Annus Nabonaſſaris 1000. & annus Philippi ac mortis Alexandri 576. incipit die 21. Jun. fer. 2.

Annus Seleucidarum Alexandraus 564. & Antiochenus 301. à Calendis Octob.

Concilia acta Romæ & Carthagini, in quibus concluſum, lapſos & abnegatores, ſi ordinaria pœnitentiâ perfunguntur, eſſe in Eccleſiam recipiendos; Sacerdotes autem lapſos cenſuerunt ab officio eſſe removendos. *Cyprianus & alii.*

Perſæ in Aſiam irrumpunt, Meſopotamiam vaſtant, & Syriam; inde Antiochiam oppugnant, & capiunt. Ab altera parte Scythæ, cùm Europam diripuiſſent, in Aſiam transgrediuntur & Cappadociam; Peſſinuntem, Epheſum, & alias urbes diripiunt. *Zoſim.*

ANNO MUNDI 4202. Poſt C. 253.
B. ☉ 10. ☽ 7.

Annus urbis 1005. *Iulianus 298.*
Æra Hiſpanica 291. *Auguſtorum 280.*

Coſſ. Imp. Vibius Voluſianus II.
M. Valerius Maximus.

Impe-

Imperium Galli & Voluſiani ſola peſtilentia è morbis atque ægritudinibus notum fere eſt. Peſtis enim adeò ſæviit, ut ad quinque millia Romæ in Libitinæ rationes ſingulis diebus venirent; continuata ferè fuit in decem annos. *Euſeb. & alii.*

Cùm Scythæ Græciam adeò vaſtarent, Gallus Æmilianum contra eos mittit, qui rem ſtrenuè gerit, & cùm Scythis congreſſus eos vincit, & imperii finibus ejicit, & pecuniam illis à Gallo promiſſam, inter milites diſtribuit quare tantam iniit gratiam, ut Imperator proclamaretur, & exercitum retrò in Italiam duceret. Zoſimus.

Olympias CCLVIII. annus Olympiadicus 1029.

Annus Actiacæ victoriæ 283. *incipit die* 29. *Aug.*

Hildericus Francorum rex, cùm annos quadraginta regnaſſet, moritur; ſuccedit filius *Bartherus*, qui regnat annos octodecim. *Trithem.*

Gallus & Voluſianus, dum Æmilianum bello perſequi conantur, à militibus deſeruntur, & inter amnes interficiuntur, cùm nondum biennium imperaſſent. *Eutrop.*

Contra *Novatianum* in Africa & Romæ agitantur concilia: concluditur, lapſos recipiendos, ſed cum quadam diſcretione. Novatianus contra neminem recipiendum clamabat, ideò damnatur. contra in Africa quidam Feliciſſimus & Privatus & alii contendebant, omnes ſimpliciter recipiendos, ſine omni conditione. *Cyprianus.*

Perſecutio Romæ, & in aliis locis viget, & Cornelius Papa Romanus in exilium rejectus fuerat; inde paulò pòſt Romam reductus, capite plectitur ſuccedit, *ut Onuphrius habet*, die 19. Octobris, Lucius Romanus, qui ſedit annum unum, menſes quatuor, dies 14. *Onuph.*

Licinius Valerianus vir nobilis à Gallo in Germaniam miſſus fuerat, ut legiones eas adduceret, quæ contra Perſas mittuntur: qui ad Alpes perveniens, audit Gallum occiſum, parat igitur ſe, ut necem ejus ulciſcatur. Sed milites Æmiliani, ne civili bello perirent, Æmilianum occidunt, qui fuit natione Maurus, obſcuris parentibus ortus, ſed egregius bellator, ſuccedit *Valerianus*, annos ferè ſeptem. *Zoſimus.*

ANNO MUNDI 4203. Poſt C. 254.
A. ☉ 11. ☽ 8.

Coſſ. Imp. Valerianus II.
Imp. Gallienus.

Lollianus *his Conſulibus præfectus urbis fuit.*

Valerianus, cùm tot hoſtes in Romanum imperium ingruerent, & Scythæ iterum in Græciam irruiſſent, ita ut Theſſalonica vix ſe defenderet, Peloponneſii etiam Iſthmũ: ne hoſtes ad ſe pervenirent, filium ſuum Gallienum, conſortem imperii factum, in Europa bellum gerere jubet; ipſe in Orientem contra Perſas expeditionem molitur. *Zoſim.*

Origenes, cùm vixiſſet annos 69. obiit. *Euſeb.* Poſt mortem ſæpè accuſatus fuit hæreſos poſterioribus in primis temporibus. De co uſitatè pronunciatum fuit, *Quòd in ea parte, qua probatur Origenes, neminem ſibi poſt Apoſtolos habeat æqualem, in ea verò, qua reprehenditur, nemo deformiùs aberraverit.*

ANNO MUNDI 4204. Poſt C. 255.
G. ☉ 12. ☽ 9.

Coſſ. Imp. Valerianus III.
Imp. Gallienus II.

Valerius Maximus *his Coſſ. præfectus urbis fuit.*

Lucius Papa Romanus occiditur die 5. Martii, cùm ſediſſet tantùm annum unum, & menſes quinque. Succedit die decimo Aprilis Stephanus Romanus, qui ſedit annis duobus, diebus 25. *Onuphr.*

Scythæ in Aſiam progreſſi, à Succeſſiano Duce feliciter vincuntur & rejiciuntur: ſed dum hic Dux à Valeriano revocatur, & in Orientem Antiochiam mittitur, Scythæ iterum in Aſiam progrediuntur. *Zoſim.*

ANNO MUNDI 4205. Poſt C. 256.
FE. ☉ 13. ☽ 10.

Coſſ. M. Valerius Maximus II.
Man. Acilius Glabrio.

Præfectus urbis his Coſſ. fuit Nummius Albinus.

His Conſulibus ſuffecti ſunt alii, quorum meminit Vopiſcus.

Scythæ iterùm Aſiam vaſtant, & Pityuntem hac æſtate & Trapezuntium occupant, prædaſque domum referunt, quibus viſis Scythæ ſe præparant ad alias prædas agendas. Zoſimus.

Annus Nabonaſſar. 1004. *& annus Philippi à mortis Alexandri* 580. *incipit die* 20. *Junii, fer.* 6.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 568. *& Antiochenus* 305. *à Calendis Octob.*

Controverſia de iterando baptiſmate circa hoc tempus primùm mota, propter Novatianum, qui omnes rebaptiſabat, qui ab Eccleſia ad ſe tranſirent. Nec igitur & Catholici viderentur Novatianorum baptiſmum approbare, & ſuam Eccleſiam deterioris conditionis eſſe, etiam, qui ad ſe ex Novatianis veniebant, ſi ibi baptiſati eſſent, rebaptiſabant. Concilia de hac re acta & in Africa & in Aſia, à Cypriano & Firmiliano. Adverſatus eſt tamen hiſce omnibus Stephanus Papa Romanus.

ANNO MUNDI 4206. Poſt C. 257.
D. ☉ 14. ☽ 11.

Annus urbis cond. 1009. *Iulianus* 302.
Æra Hiſpan. 295. *Auguſtorum.* 284.

Coſſ. Imp. Valerianus IV.
Imp. Gallienus III.

Præfectus urbis fuit Junius Donatus.

Hiſce Coſſ. Calendis Junii alii ſuffecti ſunt, & meminit Vopiſcus.

Valerianus cum Gallieno ineunt Tribunitiam poteſtatem quintam.

Scythæ per hyemem Ponto Euxino ad ſiniſtram relicto, ad dextram Tomos & Iſtrum prætergreſſi, ad Byzantium perveniunt; inde Chalcedonem capiunt, & diripiunt; Nicomediam etiam & Nicæam capiunt, & Cyzicum petunt. *Zoſim.*

Olympias CCLIX. acta in Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1033.

Annus Actiacæ victoriæ 287. *incipit die* 29. *Aug.*

Magus quidã ex Ægypto perſuadet Valeriano, ut humanas hoſtias mactet, & Chriſtianos perſequatur. Euſ. lib. 7. cap. 9. *Ideo edictum proponit de perſequendis*

Chriſtianis in hac ferè verba, ut eſt apud Cyprianum: *Ut in Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos in continenti animadvertatur, & ut Senatores, & viri egregii, & equites Romani, dignitate amiſſa etiam bonis ſpolientur: & ſi perſeveraverint eſſe Chriſtiani, ut capite mulctentur: Matronæ ademtis bonis in exilium relegentur.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei Chriſtiani quarti, incipit die 28. *Sept. fer.* 2. *Anno Iud.* 4018.

Stephanus Papa his Conſulibus interficitur; ſuccedit Xiſtus Athenienſis, qui ſedit annum unum. *Onuphr.*

ANNO MUNDI 4207. Poſt C. 258.
C. ☉ 15. ☽ 12.

Coſſ. M. Aurelius Memmus Fuſcus
Pomponius Baſſus.

Præfectus urbis fuit Cornel. Secularis.

Cum Scythæ iterum in Aſiam irruerent, Valerianus ipſis cum exercitu occurrit, ſed cum peſtis in exercitum ingrueret, regreditur. Interim Sapores Perſa Orientem invadit, quem Valerianus pecunia avertere conatus eſt, ſed fruſtrà id fuit. Zoſimus.

Sixtus Papa in Cœmiterio capite truncatur Romæ 6. Auguſti, & multi alii. Die decimo verò Auguſti, primarius Diaconorum, *Laurentius*, craticulæ impoſitus aſſatur igne, & paulò poſt interficitur Hippolytus miles. *Bar.*

Perſecutio eadem in omnibus Romani imperii provinciis viget: ita Dionyſius Alexandrinus hoc annorum multis aliis ſuppplicio affectus eſt, ita Cyprianus in exilium miſſus cum Presbyteris plurimas Epiſtolas perſcribit ad Confeſſores, quibus conſtantiæ admonentur.

Cyriades contra Aurelianum ſumit ſibi imperium, priuſquam Valerianus eò perveniret, ibi etiam occiſus eſt Trebellius, eſtque primus triginta Tyrannorum ſub Gallieno.

ANNO MUNDI 4208. Poſt C. 259.
B. ☉ 16. ☽ 13.

Coſſ. Fulvius Æmilianus.
Pomponianus Baſſus II.

Præfectus urbis fuit Cornelius Secularis.

Fructuoſus cum multis aliis in Africa martyrii coronam accipit, die 21. Januarii, feria 6. ut eſt in actis, quod non niſi hoc anno fieri potuit.

Valerianus ipſe tandem in Orientem proficiſcitur contra Perſas, ubi proditione Macriani ducis, clade ingenti afficitur; ipſe poſtea, ſive nimium credulus, ſive aliàs proditus à Perſis capitur, ubi infinitis contumeliis affectus fuit: Saporem Perſarum regem, ſi quando equum aſcendere vellet, cervice ſuſtinere coactus eſt, nec ullis precibus aut precio in libertatem reſtitui potuit, ſed tandem excoriatus, & ſale conſperſus, miſerrimè vitam finiit. *Pollio.*

Gallienus non admodum doluit de clade à Perſis illata, & Patre capto: immò ferè gaviſus fuit, quòd liberatus eſſet præceptore, & admonitore acerbiore; ideò ſe jocis & voluptatibus dedit. *Pollio.*

Cyprianus die 14. Septembr. capite truncatur, & martyrii coronam excipit. *Faſt. Sic.*

ANNO MUNDI 4209. Poſt C. 260.
AG. ☉ 17. ☽ 14.

Coſſ. Cornelius Secularis II.
Junius Donatus.

Præfectus urbis fuit Cornelius Secularis.

Macrianus in Syriam mittitur ad conſtituendas ibi res imperii, ſed cum filiis duobus ſumit imperiũ & aſſumpto altero filio in Illyrium redit, in Aureolum qui ſe fecerat Imperatorem, opprimeret, ſed vincitur, & Aureolo cum filio deditur & occiditur, alter filius in Oriente ſimiliter interficitur, & exercitus ad Odenatum tranſeunt. *Pollio.*

Annus Nabonaſſar. 1008. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 584. *incipit die* 19. *Junii, fer.* 3.

Annus Seleucidarum Alexandr. 572. *& Antiochenus* 309. *à Calend. Octobr.*

Sapores Perſa imperium Romanum plurimis in locis vaſtat, ideò cum exercitus Romani ad *Odenatum* Ducem Palmyrenorum veniſſent, ipſe Auguſtus proclamatur, qui ſuam uxorem Zenobiam, & filios tres ſimul Auguſtus creat, & magnas omninò res contra Perſas gerit. *Pollio.*

Ingenuus, qui Pannonias regebat, à Moeſiacis legionibus Imperator dicitur, quem poſtea vincit Gallienus. *Pollio.*

Gallienus etſi natura ſæviſſimus erat, tamen, tot hoſtibus circumdatus, Eccleſiæ iterum pacem concedit. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4210. Poſt. C. 261.
F. ☉ 18. ☽ 15.

Annus urbis 1013.	*Iulianus* 306.
Æra Hiſpan. 299.	*Auguſtorum* 288.

Coſſ. Imp. Gallienus IV.
Petronius Voluſianus.

Præfectus urbis fuit Nummius Albinus.

Gallienus ſumit ſibi Tribunitiam poteſtatem nonam.

Baliſta quidam ſumit imperium, ſed cum Marciano & filiis ipſius occiditur. Sic Valens *Proconſul in Achaia, & Calpurnius Piſo Frugi Theſſalicus, in Theſſalia imperium arripiunt, qui tamen paulò poſt occiduntur.* Pollio.

Sabellii hæreſis paulò ante hæc tempora exorta eſt. Docuit autem, Trinitatem nominetenus ita dici, cùm nulla ſit perſonarum diſtinctio, ut ex patribus apparet.

Olympias CCLX. incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1037.

Annus Actiaca victoriæ 291. *incipit die* 29. *Aug.*

C. Caſſius Poſtumus ex præfecto limitis Rheni, occiſo *Valeriano* tertio, Cæſare, Gallieni filio, cujus curator erat cum filio ſuo Poſtumo, in Galliis aſſumit imperium, & ſeptem annis id obtinet, ita ut perditam à Germanis provinciam ingenti virtute repararet. *Aurel. Vict. Pollio.*

Æmilianus præfectus Ægypti, cùm ſeditione Ægyptorum premeretur, adeò ut ſibi pereundum videret, ſumit imperium, & fortiter regit Ægyptum, ſeditioſos compeſcit, dum horrea occupat & multas urbes ad famem adigit. Hunc poſtea Dux Gallieni Theodotus in pugna capit, & vivum Gallieno mittit. *Aurel.*

ANNO MUNDI 4211. Poſt C. 262.
E. ☉ 19. ☽ 16.

Coſſ.

Coſſ. Imp. Gallienus V.
Ap. Pompejus Fauſtinus.

Præfectus urbis hoc anno fuit Nummius Albinus.

Regillianus in Pannonia; *Saturninus* in Ægypto, ſibi purpuram ſumunt, & Gallieno rebellant. *Pollio*

Inter tot bellicas clade terræmotus fuit, & tenebræ per multos dies: mota eſt Roma, Lybia Aſia, multæque urbes mari abſorptæ ſunt.

Peſtis etiam graſſatur, qua uno die quinque hominum millia Romæ defuncti ſunt. *Pollio.*

Porphyrius Philoſophus, Chriſtianis infenſiſſimus, Romam venit anno ætatis tricesimo. *Porphyr.*

Millenariorum ſectæ ubique contradicitur.

Hoc anno Gothi & Clodius *occupatis Thraciis Macedoniam vaſtant, & Theſſalonicam obſident.* Pollio.

ANNO MUNDI 4212. Poſt C. 263.
D. ☉ 20. ☽ 17.

Coſſ. Nummius Cleionius Albinus II.
Maximus Dexter.

Nummius Albinus præfectus urbis fuit.

Trebellianus in Iſauria *&* *Celſus* in Africa imperium ſibi ſumunt, qui paulò pòſt, à quibus creati fuerant, interficiuntur. *Pollio.*

Germani Hiſpanias invaſiſſe dicuntur, & Tarraconem expugnant. *Oroſ. Victor.*

Gallienus tandem, ut poſtumum in Galliis opprimeret, pacem cum Aureolo in Pannonia facit, variaque fortuna cum poſtumo bellum gerit. Interim Scythæ Bithyniam vaſtant, & Epheſum poſtea capiunt, ubi templum Dianæ, miraculum orbis, ſpoliant & incendunt. Eò igitur Gallienis profectus, milites ſuos, qui Byzantium vaſtaverant, interimit, & Romam rediens Decennalia celebrat *Pollio.*

ANNO MUNDI 4213. Poſt C. 264.
CB. ☉ 21. ☽ 18.

Coſſ. Imp. Gallienus VI.
Amulius Saturninus.

Paternus *præfectus urbis fuit.*

Odenatus rex Palmyrenorum obtinet totius Orientis imperium. Non ſolùm enim Saporem ex Romani imperii finibus ejicit, ſed etiam Niſibin & Carrhas occupat; captos tamen Perſas & Satrapas ad Gallienum mittit, apud Cteſiphontem plurimos Perſas interimit. Dum hæc aguntur, Scythæ in Cappadociam veniunt, & civitates ibi capiunt. *Odenatus* paulò pòſt occiſus eſt, cui ſucceſſit *Zenobia* uxor, quæ fortiſſimè Orientem rexit *Pollio.*

Annus Nabonaſſaris 1012. *& annus Philippi à mortis Alexandri* 588. *incipit die* 18. *Junii, fer.* 7.

Annus ſabbathicus ſeptimus ſive Jobeleus Chriſtianus, quartus, incipit die 11. *Sep, fer.* 7. *Anno Jud.* 4025.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 576. *& Antiochenus* 313. *à Calend. Octobr.*

Claudius Cenſorinus in Italia, Imperator contra Gallienum appellatus, ſeptimo die occiditur. *Pollio.*

Paulus Samoſatenus *innoteſcit* Euſeb.

ANNO MUNDI 4214. Poſt C. 265.
A. ☉ 22. ☽ 19.

Annus urbis 1017. *Julianus* 310.
Æra Hiſpanica 303. *Auguſtorum* 292.

Coſſ. Licinius Valerianus Cæſar II.
L. Cæſonius Rufinianus.

Præfectus urbis fuit Paternus.

Valerianus hic filius fuit Valeriani Senioris, & frater Gallieni, ſed non uterinus.

Gallienus tribunitiam poteſtatem decimam tertiam init.

Antiochiæ celebratum Concilium contra Samoſatenum, quo motus Samoſatenus promiſit ſe Eccleſiæ conſenſurum. Docuit autem, filium Dei non fuiſſe perſonam, antequam naſceretur ex Maria: Epiſcopus tum fuit Antiochiæ. *Euſeb.*

Olympias 261. *incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiad.* 1041.

Annus Actiacæ victoriæ 295. *incipit die* 29. *Aug.*

Germani quadripartito exercitu exteras nationes vaſtant. Franci Gallias ingrediuntur, & vaſtant eas usque ad Pyrenæos montes. *Catti* & Saxones Italiam verſus progrediuntur, & Ravennam capiunt, Romæque minitantur, quos Senatus collecto exercitu repulit. Gothi verò Scythis juncti Græciam & Aſiam minorem vaſtant Suevi irruunt in Pannoniam.

ANNO MUNDI 4215. Poſt C. 266.
G. ☉ 23. ☽ 1.

Coſſ. Imp. Gallienus VII.
Sabinillus.

Paternus *præfectus urbis fuit.*

Zenobia Bellicoſiſſima mulier non ſolum Perſas repellit, ſed etiam in Ægyptum potentiam extendit. Jactabat ſe de Cleopatrarum Ptolomæorumque gente, & imperiali ſagulo per humeros induta, diademate etiam ornata, loco filiorum ſuorum, ut Semiramis imperabat: adorata eſt more regum Perſarum, ad conciones galeata proceſſit cum limbo purpureo, gemmis pendentibus per ultimam fimbriam; media etiam ciclade, veluti fibula muliebri adſtricta, brachio ſæpè nudo. Fuit vultu ſub aquilo, fuſci coloris, oculis ſupra modum vigentibus nigris venuſtatis incredibilis: tantus candor in dentibus, ut margaritas eam plerique putarent habere non dentes. Vox clara & virilis, animus caſtus. Samoſatenus illi familiaris fuit, qui ut eam inflecteret ad Chriſtianiſmum, multas Judaicas opiniones religioni miſcuit. *Pollio.*

ANNO MUNDI 4216. Poſt C. 267.
F. ☉ 24. ☽ 2.

Coſſ. Ovinius Paternus.
Arceſilaus.

Petronius Voluſianus *præfectus urbis fuit.*

Valerianus frater Gallieni, Tribunitiam poteſtatem accipit, & Auguſtus appellatur. *Pollio.*

Lollianus in Galliis occidit *Poſtumos*, & ipſe ſibi ſumit imperium; ſed Aelianus Dux Gallieni eundem Lollianum interficit, & ipſius loco imperium accipit. Paulò pòſt Victorinus Aelianum etiam trucidat. & ipſe ſe cum filio Auguſtum proclamat. *Pollio & Victor.*

Galli-

Gallienus hoc anno in Thracia eſt, ibi audit Aureolum, quam Alpibus præpoſuerat, ne hoſtes ex Galliis in Italiam tranſirent, imperium ſumſiſſe. Ideò Macrianum Ducem cum exercitu contra eum mittit, ipſe Romam redit. *Pollio.*

Claudius moleſtè fert ſegnitiem Gallieni, quòd pateretur omnes fines imperii à barbaris vaſtari, hortaturque ut tandem ſocordiam excutiat, & contra hoſtes proficiſcatur. *Pollio.*

ANNO MUNDI 4217. Poſt C. 268.
ED. ☉ 25. ☽ 3.

Coſſ. Ovinius Paternus II.
Marinianus.

Præfectus urbis iterùm fuit Petronius Voluſianus.

Gallienus à Claudio perſuaſus, ut contra hoſtes tandem moveret, in Gallias proficiſcitur, ubi Macrianus & Heraclianus Duces conſpirant, de interficiendo Gallieno, cùm aliàs à Repub. removeri non poſſet. Ideò factis inſidiis ipſum interficiunt cum fratre Valeriano, & filio Galieno apud Mediolanum, die 21. Martii, anno ætatis quinquageſimo, cùm ferè quindecim annos imperaſſet, ſed ſeptem annis cum patre. Ferunt ſua ſententia Claudium Imperatorem electum eſſe, cui regia indumenta juſſit mitti. Senatus graviter hoc facinus tulit, ſed tamen vindictam de parricidis ſumere non potuit, invito Claudio. *Victor. Pollio.*

Aurelius Flavius Claudius *natione Dalmata, vir bello egregius, ſuccedit, qui imperavit annum unum, menſes decem, dies quinque* Pollio.

Annus Nabonaſſaris 1016. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 592. *incipit die* 17. *Junii, fer.* 4.

Annus Seleucidarum Alexandr. 580. *& Antiochenus* 317. *à Calend. Octob.*

Claudius hoſtis fuit Chriſtianorum infenſiſſimus, & multos procul dubio interfeciſſet, niſi tot hoſtibus circumvallatus fuiſſet. Scribit enim ipſe ad Senatum, trecenta & viginti millia barbarorum in Romanum ſolum veniſſe, & conqueritur, quòd nec arma, nec milites, nec ſagittarios habeat, *Lamp.* Claudius *Aureolum, qui gravior & proprior Reip. erat, primùm magna ſtrage vincit. Deprecantem deinde & pacem petentem, milites apud Mediolanum interficiunt ideò Claudius in Thraciam proficiſcitur.* Trebel.

ANNO MUNDI 4218. Poſt C. 269.
C. ☉ 26. ☽ 4.

Annus urbis cond. 1021. *Julianus* 314.
Æra Hiſpanica 307. *Auguſtorum* 296.

Coſſ. Imp. Aurelianus Claudius II.
Ovinius Paternus.

Præfectus urbis fuit Flavius Antiochianus.

Cladius init tribunitiam poteſtatem ſecundum, die 21. *Martii.*

Scythæ collectis auxiliis, aſſumptis Herulis, Peucis & Gothis, ſex millibus navibus cum 320. millibus militum in Moeſiam veniunt. Claudius, etſi deſtitueretur militibus, quòd Tetricus obtineret Gallias & Hiſpanias, ubi erant vires imperii, & Zenobia in Oriente Sagittarios haberet: tamen contra Scythas profectus eſt, & binis præliis cum iis certavit, & in Moeſia & ad Marcianopolin, ubi etiam multi Gothi naufragio perierunt, tot fœminæ captæ ſunt, ut ſinguli milites vel ternas haberent captivas, nec regio in Romano imperio fuit, quæ non haberet ſervum Gothum; pugnatum etiam eſt ad Byzantium, & ad Theſſalonicam. *Trebell. Poll.*

Olympias 262. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1045.

Annus Actiaca victoria 299. *incipit die* 29. *Aug.*

Zenobia Ægyptum occupat. *Probatus*, cui negotium datum erat à Claudio, ut mare contra Piratas tueretur: Zenobiam ex Ægypto ejicit, ſed dum eandem etiam ex Syria pellere conatur, inſidiis interceptus perit, & Ægyptus in poteſtatem Zenobiæ redit. *Zoſ.*

Claudius interim contra trecenta millia *Alemannorum*, non procul à lacu *Benaco*, in ſylva pugnat, ubi tantam multitudinem fudit, ut vix dimidia pars eorundem ſupereſſet. *Aurelius Victor.*

ANNO MUNDI 4219. Poſt C. 270.
B ☉ 27. ☽ 5.

Coſſ. Flavius Antiochianus.
Furius Orfitus.

Præfectus urbis fuit Flavius Antiochianus.

Hiſce Conſulibus finitum eſt bellum Gothicum, ut habet Pollio, *cùm Gothi ſe in Hæmum montem fugâ contuliſſent, ubi fame & peſte confecti ſunt. Paulò poſt ipſe Claudius Imp. peſte abſumptus eſt, die* 5. *Febr. Fuit vir parcus, modeſtus, juſtitiæ tenax, & Reipub. gerendæ idoneus. Imperavit anno uno, menſibus decem, diebus quinque. Ejus frater* Quintillus, *quaſi imperium hereditarium eſſet, ſibi id ſumit. ſed die* 17. *à militibus ad Aquilejam occiditur.* Pollio. *Succedit* M. Aurelius Aurelianus *Syrmio & Daciâ ripenſi oriundus, qui imperium ingenti bellicarum rerum gloriâ obtinuit, annis ferè quinque. Fuit obſervantiſſimus æqui, & in pœnis ſeverus. Edictum ad milites ita propoſuit:* Si vis Tribunus eſſe, immò ſi vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, ſetegem nemo detrahat, oleum, ſal, lignum nemo exigat, annonâ ſuâ contentus ſit. De præda hoſtis, non de lachrymis provincialium miles vivat, ſtipendium in baltheo, non in popina habeat. &c.

Plotinus Philoſophus miſerè moritur. Porphyrius etiam, qui tum erat annorum 66. Natus enim fuit anno tredecimo Severi. De morbo ejus vide *Firmicum lib.* 1.

Aurelianus Gothos in Danubio ſtrenuè vincit, ditionemque Romanam antiquis terminis ſtatuit. Primus Aurelianus diadema capiti innexuit, gemmiſque inaurata veſte uſus eſt. Aur. Victor.

Tetricus in Galliis victorinos occidit, & ipſe Gallias & Hiſpanias ut hactenus obtinet.

ANNNO MUNDI 4220. Poſt C. 271.
A. ☉ 28. ☽ 6.

Coſſ. Aurelianus.
Pomponius Baſſus.

Præfectus urbis fuit Poſtumius Varus.

Cùm Marcomanni, Suevi & Sarmatæ in Gallias erumperent Mediolanumq;, Romanum imperiũ in magno timore fuit, ita ut Aurelianus juberet libros Sibyllinos inſpici, relatũ de hac re fuit die 11. *Januar.* Vopiſc. *Cùm poſtea cognoviſſet, ſententia in Senatu dicenda primi morte remedium deſiderari, Pomponius Baſſus, qui tum Conſul fuit, ſe obtulit, & vitam ſuam, haud paſſus reſponſa fruſtrari, Reipubl. dono dedit.* Sex.

Aur.

Aur. *Poſtea ingens ad Placentiam accepta eſt clades ab inſidiantibus Marcomannis in ſylva quadam, cum boſce poſtea viciſſet, Romam reverſus, multos occidit, qui obſtiterant, ne libri Sibyllini inſpicerentur*. Vop.

Bartherus, Francorum rex, cùm annos octodecim regnaſſet, moritur, ſuccedit *Clodius*, qui regnat annis viginti ſeptem. *Trith.*

Findoccus, qui Scotis præfuerat annis undecim, moritur, ſuccedit frater *Donaldus*, qui regnat tantùm annum unum. *Buch.*

Annus ſabbathicus primus Jobelei Chriſtiani quinti, incipit die 23. Sept. feria 7. Anno Jud. 4032.

Paulus Samuſatenus in ſuam hæreſin relabitur, ideoque iterùm Antiochiæ concilium agitur, in quo condemnatur, & Epiſcopatu deponitur. Cùm verò inde exire nollet, Aurelianus Imperator mandat, ut ejiciatur. *Euſ. lib. 7. cap.* 24.

Dionyſius Papa, cùm ſediſſet annos novem, menſes quatuor, dies quinque, occiditur die 26. Decembris: ſuccedit ſequentibus Calendis Januarii *Felix Romanus*, qui ſedit annos quatuor, menſes quinque *Onuph.*

ANNO MUNDI 4221. Poſt C. 272.
GF. ⊙ 1. ☽ 7.

Coſſ. Quietus.
Voldumianus.

Præfectus urbis fuit Flavius Antiochianus.

Aurelianus Romæ templum Solis magnificentiſſimum conſtituit, & muros urbis ita ampliavit, ut quinquaginta milliaria eorum ambitus contineret, ferè decem milliaria Germanica. *Vopiſc.*

Donaldus Secundus Scotorum rex, cùm annum unum regnaſſet, moritur; ſuccedit Donaldus Tertius, qui crudeliſſimus fuit Tyrannus, & regnavit annos duodecim. *Buch.*

Annus Nabonaſſaris 1020. *& Philippi ac mortis Alexandri* 596. *incipit die* 16. *Junii, fer.* 1.

Annus Seleucidarum Alexandrans 584. *& Antiochenus* 321. *à Calendis Octob.*

Aurelianus procul dubio edicta de perſequendis Chriſtianis renovavit. *Symphorianus* enim circa hæc tempora Martyrio coronatur, Alexandriæ die 22. Auguſti.

Felix Papa epiſtolam ſcribit ad Maximum Epiſcopum Alexandrinum, quam poſtea in duodecim capitibus citat Cyrillus.

Aurelianus expeditionem in Orientem inſtituit, & in itinere multa bella conficit, in Thracia enim barbaros vincit, Gothorumque Ducem, cum quinque millibus trans Danubium interimit, inde per Byzantium in Bithyniam perrexit. *Vopiſc.*

Sapores Perſarum rex, cùm annos 31. imperaſſet, & Romanum imperium plurimum afflixiſſet, moritur, ſuccedit *Ormiſdas* filius, qui imperavit annum unum. *Agath.*

ANNO MUNDI 4222. Poſt C. 273.
E. ⊙ 2. ☽ 8.

Annus urbis 1025.	*Julianus* 318.
Æra Hiſpan. 311.	*Auguſtorum* 300.

Coſſ. M. Claudius Tacitus.
M. Moecius Eutius Placidus.

Furius Orfitus *Præfectus urbis fuit.*

Aurelianus ſumit ſibi tribunitiam poteſtatem quartam, menſe Febr.

Hiſce Coſſ. inquit Vopiſcus, *vidimus Conſulatum Furii Placidi tanto ambitu in Circo editum, ut non præmia dari aurigæ, ſed patrimonia viderentur, cùm darentur tunicæ ſubſericæ, lineæ peragaudæ, item equi, ingemiſcentibus frugi hominibus.*

Aurelianus in Syria Tyanam urbem capit, & Antiochiam recipit, pugnatum eſt contra Zenobiam ad Edeſſam magno certamine, eamque fugavit & Palmyram urbem cepit, fugientemque Zenobiam intercipit. Inde revertitur in Europam, & Carpos vincit: inde, cùm Palmirani rebellarent, reverſus eſt in Orientem, & urbem evertit, & crudeliſſimè victoria uſus eſt. *Vopiſc.*

Olympias 263. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1049.

Annus Actiacæ victoriæ 303. *incipit die* 29. *Aug.*

Felix Papa Romanus, cum annos quatuor, & quinque menſes ſediſſet, occiditur, ſuccedit *Eutychianus* Hetruſcus, qui ſedit annos novem, menſes ſex, dies novem. *Onuph.*

Ormiſdas Rex Perſarum moritur, cum annuo ſpatio præfuiſſet, ſuccedit *Wararanes*, qui regnat annis tribus. *Firmus* quidam Ægyptum occupat, quam Valerianus ſtatim recipit, inde Gallias petit contra *Tetricum*, qui cum ad ſcelera ſuorum militum hactenus connivere coactus eſſet, ſpontè ſe dedidit, & exercitum prodidit.

ANNO MUNDI 4223. Poſt C. 274.
D. ⊙ 3. ☽ 9.

Coſſ. Imp. Aurelianus II.
C. Julius Gapitolinus.

Præfectus urbis fuit Furius Orfitus.

Sub Aureliano Imperatore Sericum in Aſiam, & alia loca, ex India apportabatur, & auro æquiparabatur, ita ut ſingulæ libræ ſingulis libris auri venderentur. Vopiſc. *Sic Purpura libra tempore Auguſti vendebatur centum denariis.* Plin.

Aurelianus de victis hoſtibus, hoc eſt, de Oriente & Occidente triumphat. Duxit in triumpho currus regios tres, argento, auro, gemmiſque diſtinctos. Ipſe inſidens curru triumphali trahebatur quatuor cervis. Triumphati ſunt Tetricus & Zenobia: & Zenobia quidem tot ornata gemmis fuit, ut ornamentorum onere laboraret, & deprecaretur tantum onus. Vincti erant ejus pedes auro, manus catenis aureis, nec collo aureum vinculum deerat, quod Perſa quidam ferebat. Huic permiſſum eſt, ut Romæ more privatæ matronæ cum filiabus viveret, ubi in honore conſenuit. Tetricus autem Lucaniæ præfectus factus eſt. Aurelianus paulò pòſt Monetariorum bellum confecit, qui ſeptem hominum millia interfecerant, in ipſa Romæ urbe, adulterinam monetam abrogavit & legitimam cudit.

Aurelianus inde ex Roma ad bellum Vindelicum diſceſſit, ubi Bojos egreſſos ex ſaltibus ſuis, & populantes oram Vindelicam, repulit. *Vopiſcus.* Inde Aurelianus Daciam, quam Trajanus provinciam fecerat, deſperans de ea retinenda, relinquit, & Romanos in ea cives in Moeſiam deducit.

ANNO MUNDI 4224. Poſt C. 275.
C. ⊙ 4. ☽ 10.

Coſſ. Imp. Aurelianus III.
T. Avonius Marcellinus.

Præfectus urbis fuit Poſtumus Syagrius.

Suffecti fuerunt hoc anno Conſules M. Aurelius Gordianus, & circa Calendas Julii Vettius Cornificius Gordianus, ut videre eſt ex Vopiſco.

Aurelianus Perſis bellum inferre cupiens, renovens edicta de perſequendis Chriſtianis ubi ſtatim ipſi obvenit malum omen: nam fulmen quàm proximè cum delapſum eſt, & aliquot comitum occidit, & ipſe paulò pòſt propè Byzantium occiſus eſt, dolo Mneſtei Scribæ, qui cùm in iram Imperatoris incurriſſet, & pœnam metueret, catalogum imitatus manum Imperatoris, conſcripſit eorum, qui occidendi eſſent; hi dum verum hoc putant, prævenire, quàm præveniri malentes, innocentem Imperatorem occiderunt: Sed Mneſteus beſtiis propterea objectus eſt. Imperavit annis ſex, minùs paucis diebus, occiſus eſt die 29. Januarii. Inde de eligendo Imperatore conſultatum eſt. Exercitus de ea re referunt ad Senatum, ut princeps ad ſe mittatur, Senatus, cùm ſciret, exercitus ſeriò non velle, ut ſibi Imperator obtrudatur, rem ad exercitum deferunt, atque ita certatur plus quàm ſex menſes. Tandem die 25. Sept. eligitur *M. Claudius* Tacitus qui imperavit ſex menſes & dies viginti. *Vopiſc.*

Scythæ iterum per Mæotidem paludem erumpunt, & Pontum ac Ciliciam vaſtant, contra quos Tacitus proficiſcitur. Zoſ.

ANNO MUNDI 4225. Poſt C. 276.
BA. ☉ 5. ☽ 11.

Coſſ. Imp. Claudius Tacitus II.
Fulvius Æmilianus.

Ovinius Pacatianus *præfectus urbis fuit.*

Tacitus Scythas in Cilicia conficit, & in Europam redit, ubi febri correptus interiiſſe dicitur ab aliquibus; alii eum tumultu militari occiſum referunt ab iis, qui Maximinum quendam, propinquum Taciti interfecerant, & ſibi metuerant. Exceſſit die 13. April. cùm ducentos dies imperaſſet. *Florianus* frater Taciti, quaſi imperium hæreditarium eſſet, illud invadit, obtinetque id duobus menſibus & diebus viginti, ubi occiditur Tarſi in Cilicia *Zoſ. Aurelius Probus* enim, quem Senatus Imperatorem declaraverat, bellum contra Florianum ducit, donec Europæi milites, quos Florianus ſecum in Cilicia habebat, æſtu conficerentur. Cùm enim poſtea nullas amplius vires haberet, à ſuis militibus occiſus eſt. *Zoſ.*

Annus Nabonaſſaris 1024. *& annus Philippi ac mortis* Alexandri 600. *incipit die* 15. *Julii, fer.* 5.

Annus Seleucidarum Alexandr. 588. *& Antiochenus* 325. *à* Calend. *Octob.*

Aurelius Valerius Probus *Imperavit annos ſex, & menſes quatuor, cui præter cauſam abſtulit Baronius in Annalibus annos duos, & falſo affirmat omnes autores de quinque Annis Probi conſentire, cùm omnes de ſex annis affirment, unicus tantum Vopiſcus quinque nominet.*

Probus *Imperator factus, milites, qui Aurelianum & Tacitum interfecerant, ex inſidiis captos, trucidat. Inde Saturninum, qui in Syria res novas moliebatur, opprimit.* Zoſim.

ANNO MUNDI 4226. Poſt C. 277.
G. ☉ 6. ☽ 12.

Annus urbis 1029. *Julianus* 322.
Æra Hiſp. 315. *Auguſtorum* 304.

Coſſ. Imp. Aurelius Probus,
Anitius Paulinus.

Imp. Probus init Tribunitiam poteſtatem 2. *circa Jul. menſem.*

Anno hoc ſecundo Probi, qui eſt juxta Antiochenos 325. ſecundum Æram Tyriorum 402. Laodicenorum 324. Edeſſenorum 588. (quæ æra eadem eſt cum annis Seleucidarum Alexandræorum) & juxta Aſcalonitas 380. *inquit Euſebius*, *Manes*, Magiſter falſitatis diabolicæ, & conditor ſuperſtitionis obſcœnæ, innoteſcit. De eo *Leo Papa ſic inquit in ſerm. de Pentecoſt.* Audebat Manes hic ſe dicere Paracletum. Cùm verò in Perſia promitteret, ſe Perſarum regis filium ſanitati reſtituturum, non medicina ſed tantùm precibus ſuis apud Deum, *ut Cyrillus habet*, nec tamen id præſtaret, & regis filius moreretur, conjectus eſt in carcerem, ex quo deluſis cuſtodibus effugit, qui propterea juſtas ſubierunt pœnas. Ipſe verò cùm in Syria oberraret, & ubique ab Epiſcopis propter blaſphemias pelleretur, in Perſiam rediit, ubi comprehenſus vivus excoriatus eſt. *Euſeb.*

Olympias 264. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1053.

Annus Actiaca victoria 307. *incipit die* 29. *Auguſt.*

Probus expeditionem in Gallias facit, quæ poſſeſſæ hactenus fuerant à Germanis: multa prælia ibi felicia facit, & à barbaris ſexaginta civitates, quas occupaverant, recipit occiſis ferè quadringentis millibus hoſtium, Germaniam ita ſubigit, ut hoſtes ultra Nicrum removeret. *Vopiſc.*

Wararanes Perſa, cùm ferè quadriennium regnaſſet, moritur: ſuccedit *Wararanes* filius, qui regnat annis 17. *Agathias.*

ANNO MUNDI 4227. Poſt C. 278.
F. ☉ 7. ☽ 13.

Coſſ. Imp. Aurelius Probus II.
Furius Lupus.

Furius Lupus *præfectus urbis.*

Probus, vinearum & hortorum ſtudioſiſſimus, non tantùm Gallos, Pannonios & Britannos vineas habere permiſit, ſed ipſe etiam Almam montem in Illyrico prope Sirmium, militari manu foſſum, lectiſſimis vitibus conſuevit. Vopiſc.

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei quinti Chriſtiani incipit die 7. *Septemb. fer.* 7. *Anno Jud.* 4039.

Probus in Illyrico cùm Rhetias etiam in Germania pacaſſet, Sarmatas, cæteraſque gentes ita contundit ut omnia, quæ eripuerant, redderent. *Vopiſc.*

ANNO MUNDI 4228. Poſt C. 279.
E. ☉ 8. ☽ 14.

Coſſ. Imp. Aurelius Probus III.
Ovinius Paternus.

Præfectus urbis Furius Lupus.

Dum Probus in Europa eſt, Lydius *quidam latro Pamphyliam & Lyciam invadit, omniaque longè latèque vaſtat, ſed à Ducibus Probi coactus, ſe* Gremnis *Lyciæ oppido includit, obſidionemque fortiter longo tempore toleravit, donec tandem ex inſidiis Dux vulneratus occubuit, & reliqui ſe dediderunt.* Zoſ.

Ad hoſce motus ſedandos ipſe Probus in Pamphyliam movit. Vopiſc.

ANNO

ANNO MUNDI 4229. Æræ C. 280.
D C. ☉ 9. ☽ 15.

Coſſ. Gratus.
Junius Meſſala.

Præfectus urbis Furius Lupus *fuit.*

Probus Imp. in Orientem movit, ubi Barbaros in Iſauria compeſcuit, à Parthis dona, quæ offerebant, non accepit, pacem tamen iis dedit, & in Thracias rediit, ubi centum Baſtarnarum millia in ſolo Romano conſtituit, qui poſtea imperio fideles fuerunt. Gepidæ verò & Vandali, fide ruptâ fines Romanos latè populati ſunt; eos ipſe oppreſſit. *Vopiſc.*

Annus Nabonaſſaris 1028. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 604. *incip. die* 14. *Junii, fer.* 2.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 592. *& Antiochenus* 329. *a Calend. Octobr.*

Franci in Germania impetrant à Probo, ut & ipſi in Thracia fines Romanos occupent, ſed magna eorum pars fractâ fide, totam Græciam poſtea conturbavit, & in Siciliam delata Syracuſas obtinuit; inde in Africam Carthaginem delati ſunt, & ubique victores circumnavigatâ Hiſpania in patriam redierunt. *Zoſ.*

ANNO MUNDI 4230. Æræ C. 281.
B. ☉. 10. ☽ 16.

Annus urbis 1033. *Julianus* 326.
Æra Hiſpanica 319. *Auguſtorum* 308.

Coſſ. Imp. Aurelius Probus IV.
C. Junius Tiberianus.

Ovinius Paternus *præfectus urbis fuit.*

Probus *init Tribunitiam poteſtatem ſextam, circa Julium.*

Saturninus Gallus, qui Africam à Mauris occupatam liberaverat, mittitur in Syriam: prohibitus tamen ingredi in Ægyptum, quòd videretur fluxæ fidei, nihilominus tamen imperium invadit, ſed obſeſſus propè Apimiam in caſtro quodam, præter voluntatem Probi occiditur. *Vopiſc.*

Olympias 265. *incipit in Julio. Et annus Olymp.* 1057.

Annus Actiacæ victoriæ 311. *incipit die* 29. *Auguſt.*

Gladiatores Romæ octuaginta, cuſtodibus ſuis interemtis, in urbem Romam progreſſi omnia diripiunt, & obvios cædunt, donec trucidarentur. *Zoſ.*

ANNO MUNDI 4231. Æræ C. 282.
A. ☉ 11. ☽ 17.

Coſſ. Imp. Aurelius Probus V.
Pompeius Victorinus.

Pomponius Victorinus *præfectus urbis fuit.*

Proculus, homo libidinoſus, in Galliis ſumit imperium, hortantibus Lugdunenſibus, qui ab Aureliano afflicti fuerant, & ſibi à Probo metuebant. Victus à Probo ad ultimas terras profugit, inde Francorum fidei ſe commiſit, à quibus Imperatori proditus eſt. *Vopiſc.*

Bonoſus Dux militum egregius, ſed potûs cibique capaciſſimus, de quo Aurelianus dixerat, *non eum natum eſſe ut vivat, ſed ut bibat*, Legatos Barbarorum ita vino deponere potuit, ut omnia ſecreta illorum expiſcaretur: is quoque ſumſit imperium, ſed facilè victus eſt. Itaque vitam laqueo finivit, & ob eam item dictus eſt *amphora pendens.* Vopiſc.

Probus cùm bellum pararet contra Perſas, tumultu militari, quòd milites arctiùs habuerat, interficitur in turri, quæ ferrata dicitur, apud Sirmium die 2. Novembr. cùm imperaſſet annis ſex, & menſes ferè quatuor. *Aurel. Vict.* Succedit *M. Aurelius Carus*, natus in Illyrico, in Colonia nobili Narbona, non Narbonenſi in Gallia, imperatque annum unum, menſesque aliquot. *Vopiſc.*

ANNO MUNDI 4232. Æræ C. 283.
G. ☉ 12. ☽ 18.

Coſ. Imp. M. Aurelius Carus II.
M. Aurelius Carinus Cæſar.

Titurius Robuſtus *præfectus urbis fuit.*

Carus ſtrenuus Princeps, cùm filios ſuos *Carinum* & Numerianum, Cæſares feciſſet, Sarmatarum ſedecim millia occidit, & viginti millia utriusque ſexûs capit. Cùm autem audiret Perſas tumultuantes, ſumto apparatu, quam Probus contra Perſas collegerat, & aſſumto filio ſuo Numeriano, optimo adoleſcente, in Perſiam abiit, ubi Perſas in Meſopotamia vicit, & Seleuciam atque Cteſiphontem recepit. *Entrop.*

Dorotheus Presbyter Antiochenus floret: fuit Præceptor Euſebii, & ab Imperatore poſtea Conſtantino præfecturam purpuræ tingendæ Tyri adipiſcitur. Ad Martyrium poſtea rapitur à Juliano, annos natus 105.

Vararanes, *cùm ſeptem annos regnaſſet, moritur; ſuccedit ipſi in regno Perſarum frater Vararanes, qui regnat annum unum.*

Eutychianus Papa, cùm annos decem & ſex menſes ſediſſet, moritur die 17. Decembr. Hic ordinavit, ut frugibus, fabis & uvis in altaribus benediceretur. *Baronius.* Succedit ipſi *Cajus*, natione Dalmata, qui ſedet annis duodecim, menſibus quatuor, diebus ſeptem. *Onuph.*

ANNO MUNDI 4233. Poſt C. 284.
F E. ☉ 13. ☽ 19.

Coſſ. Imp. Carinus II.
Imp. Numerianus.

Præfectus urbis hoc anno fuit Cejonius Varus.

Numerianus Cæſar ſuperiori anno ſuffectus Conſul fuit, ideò jam ſecundum conſulatum adminiſtrat.

Carus in expeditione Perſica in morbum prope Cteſiphontem incidit, ubi in tentorio extinctus repertus eſt, cùm ſimul vehementiſſimum tonitru caderet, quo multi exanimati ſunt, ideò ipſe etiam fulmine interiiſſe putatur. Numerianus optimus adoleſcens, cùm mortem parentis adeò fleret, ut oculos affligeret, lecticâ geſtatur, ubi factione *Apri*, ſoceri ſui occiſus eſt, ſed facinus occultatum eſt, dum cadaver lecticâ clauſum, ne vento oculi affli-

gerentur, portatur, donec odore ſcelus proditum eſt, & *Diocletianus* proclamatus eſt Imperator, die 21. Aprilis, & in concione juravit, ſe cædis Numerianæ conſcium non eſſe. ideò Aprum autorem cædis ſtatim occidit, atque ita expletum oraculum ipſi datum, tum imperaturum, ſi Aprum occidiſſet. Fuit autem *Diocletianus* obſcuris ortus parentibus Diocleæ, & matre Diocleâ, quod nomen in latinam formam mutavit, & ſe Diocletianum appellavit. Imperavit autem totos annos viginti. *Vopiſc. & Aurel.*

Multi martyres hoc etiam anno facti ſunt. *Diodorus* Epiſcopus in ſpecu quodam cùm ſacram ſynaxin celebraret; obſtructo aditu cum omnibus Chriſtianis periit. Ita enim *Marinus* Senator. *Euſeb.*

Annus Nabonaſſaris 1032. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 608. *incipit die* 13. *Jun. fer.* 6.

Æra Diocletiana, quæ & æra matyrum, & anni Cycli Paſchalis appellatur, incipit die 29. Auguſti. menſis, quo die etiam hoc anno Novilunium accidit. Inſtituta eſt ab Ægyptiis, qui hâc anni formâ utebantur, inde à morte Antonii usque & Cleopatræ, quam annos Actiacæ victoriæ; ſive annos Auguſtorum Deorum vocaverat. Jam verò cùm Calippi periodum Lunarem novendecim annorum in uſum revocare vellent, & cyclum paſchalem condere, ab hoc anno ejus initium ſumere voluerunt, quod Novilunium in ipſum diem 29. Auguſti incideret, qui propterea annus primi Cycli Lunaris appellatus eſt, ut & hodiè fit. Latini enim, cùm Cyclum ſuum Paſchalem incipiant à Paſchate, ſequentem annum pro Cyclo lunari primo habent, ubi Novilunium in Paſcha proximè poſt 21. diem Martii incidit. Diſtat enim 21. Martii à die 29. Auguſt. præcedente diebus 206. qui efficiunt ſeptem menſes Lunares, & paulò plus. Hinc manifeſtum eſt, nec Julium Cæſarem Cycli Lunaris autorem eſſe, nec Euſebium hiſtoricum, ut quidam opinantur, ſed Ægyptios Alexandrinos, qui Calippi doctrinam de motu Lunari in uſum revocare voluerunt; de qua re plura in Iſagoge Chronologicâ.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 596. *& Antiochenus* 333. *incipiunt Calend. Octobr.*

Vararanes Perſarum rex, cùm unicum annum regnaſſet, moritur; ſuccedit ipſi *Narſes* filius ipſius, qui regnat annos 17.

Carinus Imper. cùm audiſſet, quid patri & fratri accidiſſet, & Diocletianum Imp. factum, accurrit in Italiam & *Sabinum* Julianum, qui imperium ſumſerat, in campis Veronenſibus vincit. At nihilominus in tanto periculo multis libidinibus ſe polluit: novem enim uxores brevi tempore duxit, & easdem pleraſque prægnantes repudiavit. *Oroſ.*

Donaldus, Scotorum rex, cùm annos 12. regnaſſet, moritur; ſuccedit ipſi *Crathilindus*, filius Findochi, qui regnat annis 24. *Buch.*

Martyres multos hoc anno factos ab Euſebio refertur.

ANNO MUNDI 4234. Poſt C. 285.
D. ☉ 14. ☽ 1.

Annus urbis 1037.	*Julianus* 330.
Æra Hiſpanica 323.	*Auguſtorum* 312.

Coſſ. Imp. Diocletianus II. Ariſtobulus.

Præfectus urbis fuit Cejonius Varus.

Diocletianus autem, ut & Maximianus, ſuperiori anno ſuffecti conſules fuerunt, ut ex Faſtis Siculis elicitur, & Diocletianus ſumit Tribunitiam poteſtatem ſecundam, die 21. *Aprilis.*

Carinus, qui poſt patris mortem Illyricum & Pannoniam, ut Imperator, obtinebat, à Diocletiano ſuperiori anno binis præliis victus, hoc anno, cùm tamen longè meliori exercitu inſtructus eſſet, ad Murtiam profligatur, & à ſuo tribuno interfectus eſt, cujus dicebatur conjugem polluiſſe. *Vopiſc. Victor.*

In *Galliis* novi oriuntur tumultus ab hominibus, qui ſe Bagaudas vocabant, ut hodiè ſunt Banditen/ Coſſaken/ qui Duces habebant Amandum & Ælianum: contra eos Diocletianus *Maximianum* genere Pannonium, apud Syrmium ortum, ſemiagreſtem quidem, militiâ tamen & ingenio bonum, fidum amicitiâ, & antiquum in militiâ ſocium, Cæſarem creat, atque valido cum exercitu eum in Gallias mittit. *Vict. & Diac.*

Olympias 266. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1061.

Annus Diocletiani II. incipit die 29. *Auguſt. Et annus ſabbath.* 3. *Jobeleus* 5. *incipit die* 19. *Septembr. feria* 7. *Anno Jud.* 4046.

Martyres ſub hiſce Coſſ. multi leguntur paſſi, ut *Claudius, Aſterius, Neon, Theonilla,* & alii, in Cicilia, ſub Lyſia proconſule; item *Coſmas & Damianus* & alii. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4235. Poſt C. 286.
C. ☉ 15. ☽ 2.

Coſſ. M. Junius Maximus II. Vettius Aquilinus.

Præfectus urbis fuit Junius Maximus Conſul.

Carauſius à Maximiano ſuperiori anno, quòd maritimarum rerum peritus eſſet, Belgarum oram, quam Franci & Saxones deprædabantur, defendendam accipit, ubi plurimam prædam capit, quam ſibi reſervavit, nec in ærarium intulit, ideò occidi juſſus eſt. Hinc ſibi metuens in Britanniam abiit, exercitus collegit, & ſe Imperatorem declaravit. Eam ſeptennio toto pacificè obtinuit, cùm Imperatores aliis bellis occupati eſſent. *Victor. Diac.*

Diocletianus, cùm plura bella orirentur, *Maximianum* proclamat Auguſtum, ipſique tribunitiam poteſtatem concedit, cum conſulatu in ſequentem annum.

Imperatores Diocletianus & Maximianus *edictum proponunt, ne cui vendere aut emere aliquid, aut molere, aut aquas haurire liceret, niſi ſtatuis thura accenderet.* Baron.

Tiburtius hoc anno carbonibus ignitis inſtitit, & decollatus eſt. *Baron.*

Sebaſtianus miles alligatus palo, à Sagittariis tanquam ſcopo aliquo petitur, & ubique iis repletus interficitur. *Baron.*

ANNO

ANNO MUNDI 4236. Poſt C. 287.
B. ☉ 16. ☽ 3.

Coſſ. Imp. Diocletianus III.
Imp. Maximianus II.

Præfectus urbis Junius Maximus *fuit.*

Diocletianus, cùm in Pannonia Sarmatarum impreſſiones cohibuiſſet, in Armeniam ſe contulit, ubi Perſarum impetum fregit, & ad petitionem pacis coegit. *Oroſ.*

Germani, Burgundiones, & Alemanni in Gallias irrumpunt, omnia cæde, rapinis, vaſtationibus & incendiis miſcent, qui tamen paulò pòſt, cùm Maximianus eos intercluſiſſet, & fame & peſte conflictari cœperunt, quos hiſce cladibus abſumi Maximianus paſſus eſt. *Ammian.*

Maximianus cum Diocletiano edicta contra Manichæos proponit Alexandriæ. *Greg. Papa.*

ANNO MUNDI 4237. Poſt C. 288.
A G. ☉ 17. ☽ 4.

Coſſ. M. Aurelius Maximus II.
Pomponius Januarius.

Præfectus urbis fuit Pomponius Januarius *Conſul.*

Germani iterum in Januario Rhenum glacie concretum tranſeunt, & Gallis vaſtant; quos adeptus Maximianus, trans Rhenum repellit, & paulò pòſt, ponte in Rheno facto, usque ad Danubii fontes Germaniam vaſtat. *Marcell.*

Annus Nabonaſſaris 1036. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 612. *incipit die* 12. *Junii, fer.* 3.

Annus Seleucidarum Alexandraus 600. *& Antiochenus* 337. *à Calend. Octobr.*

Diocletianus in Thracia contra Gothos, qui Iſtrum tranſierant, res agit, eoq; tandem trans Iſtrum rejectos, pacem petere cogit, & inſuper tranſitum Iſtri tribus caſtellis munit. *Amm.*

Eodem anno bellum motum in Ægypto ab Achillæo, qui purpuram induerat; & in Africa à Quinquegentianis, prope Cyrenen, à quinque urbibus ita dictis. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4238. Poſt C. 289.
F. ☉ 18. ☽ 5.

Annus urbis 1041.	*Julianus* 334.
Æra Hiſpan. 327.	*Auguſtorum* 316.

Coſſ. Annius Baſſus II.
L. Ragonius Quinctianus.

Præfectus urbis fuit Pomponius Januarius.

Diocletianus & Maximianus ineunt tribunitiam poteſtatem, circa 21. *Aprilis; ille ſextam, hic quartam.*

Hieracas quidam in Ægypto novam inſtituit ſectam; ejus meminerunt Epiphanius, Hilarius & Evagrius.

Olympias 267. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1065.

Annus Diocletiani ſextus incipit die 29. *Auguſti.*

Plura undiq; bella in Romano Imperio gliſcunt.

ANNO MUNDI 4239. Poſt C. 290.
E. ☉ 19. ☽ 6.

Coſſ. Imp. Diocletianus IV.
Imp. M. Aurelius Maximian. III.

Turrianus Gratianus *præfectus urbis fuit.*

Martyres, *Thracus, Andronicus, Probus* crudeliſſimè tractati, beſtiis objiciuntur; cùm ab ipſis non attingerentur, gladiis occiduntur in Amphitheatro. *Euſebius.*

Bellis undequaq; orientibus, Diocletianus ex Pannonia & Maximianus ex Gallia conveniunt Mediolani, & de Cæſaribus creandis, quibus exercitus tutò committi poſſent, & cum quibus curas bellicas communicarent, deliberant. Eut.

ANNO MUNDI 4240. Poſt C. 291.
D. ☉ 20. ☽ 17.

Coſſ. C. Junius Tiberianus.
Caſſius Dio.

Præfectus urbis M. Junius Tiberianus.

Hoc anno Calendis Martii, *ut ex hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii, Codice Juſtiniani & Galerii Imperatoris edictis conſtat,* VALERIUS CONSTANTIUS Chlorus & VALERIUS GALERIUS Maximianus à Diocletiano & Maximiano Cæſares creantur. Et Conſtantinus quidem natus fuit, filiâ Criſpi, qui Imperatoris Claudii frater fuerat, & patre Eutrapio nobiliſſimo Dardanæ gentis viro, & GALERIUS cognomento Armentarius dictus fuit. Ambo priores ſuas conjuges dimittere coacti ſunt, & Conſtantius quidem dimiſit HELENAM, ex qua CONSTANTINUM filium ſuſceperat, & duxit Theodoram, privignam Maximiani, ex qua ſex liberos ſuſcepit. GALERIUS verò filiam duxit Diocletiani Valeriam, & Conſtantius præfectus fuit Britanniæ recuperandæ; Galerius verò limiti Iſtri defendendo. Diocletianus Ægyptum ſibi ſumit. *Eut.*

ANNO MUNDI 4241. Poſt C. 292.
C B. ☉ 21. ☽ 8.

Coſſ. Afranius Hannibalianus.
M. Aurelius Aſclepiodotus.

Præfectus urbis fuit Claudius Marcellus.

Diocletianus in Ægyptum profectus, urbes Thebaidis ſolo æquavit, & Conſtantius Carauſium Galliâ pellit. *Eut.*

Annus Nabonaſſaris 1040. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 616. *incip. die* 11. *Junii, fer.* 7.

Annus Seleucidarum Alexandraus 604. *& Antiochenus* 341. *à Calend. Octobr.*

Quartus ſabbathicus Jobelei quinti incipit 11. *Septembris. fer.* 5. *Eſt annus Judaicus* 4053.

Carauſius cùm Galliâ pulſus eſſet, & Britanniam ſeptem annos contra Diocletianum obtinuiſſet, occiditur per *Allectum* familiarem ſuum, qui ab hoc anno in triennium ferè Britanniam poſſedit. *Eut. Vict.*

conjuge & liberis captis; atque ita pace facta quinq; provincias recuperavit, & limitem imperii Tigridem conſtituit, captosque regi Perſarum remittit. *Victor.*

ANNO MUNDI 4247. Poſt C. 298.
B. ☉ 27. ☽ 14.

Coſſ. Anicius Fauſtus II.
Gallus.

Præfectus urbis fuit Artorius Maximus.

Hiſce Coſſ. Diocletianus *primus adorari ſe juſſit ut Deum, elatus tantis & tot victoriis; gemmis calceamentis addidit, cùm ante eum omnes Imperatores in modum judicum ſalutarentur, & chlamidem tantùm purpuream à privato habitu diſtinctam haberent.*

Maximinianus *adhuc graſſatur in milites, ſed non eadem, ut hactenus fecerat, cùm nihil proficeret, ſed damnat eos ad labores ſerviles, ad ædificandas termas Romanas & Carthaginenſes.* Euſeb.

Clodius *Gallorum rex moritur, cùm annos 27. regnaſſet; ſuccedit* Waltherus, *qui regnat annos octo.* Trith.

ANNO MUNDI 4248. Poſt C. 299.
A. ☉ 28. ☽ 15.

Coſſ. Imp. Diocletianus VII.
Imp. Maximianus VI.

Præfectus urbis fuit Anicius Fauſtus.

Conſtantius, *apud Clivienſes Rhetore in publica ſchola extincto,* Eumenium *Profeſſioni oratoriæ præficit, dato ſtipendio ſexcentis millibus nummum.* Naz.

Annus ſabbathicus 5. Jobelei 5. incipit die 14. Sept. fer. 5. Anno Jud. 4060.

Thermarum inſtitutarum veſtigia adhuc Romæ apparent; habuerunt ſedilia ex marmore tria millia & trecenta. Photius.

ANNO MUNDI 4249. Poſt C. 300.
GF. ☉ 1. ☽ 16.

Coſſ. Conſtantinus Chlorus Cæſar III.
Gallerius Cæſar III.

Præfectus urbis Pompejus Fauſtinus.

Maximianus Mediolani etiam Thermas ædificat, quarum meminit Auſonius, ſimiliter Aquilejæ novum Palatium inſtituit; ita videtur Amphitheatrum Veronenſe conſtruxiſſe. Ad hæc opera omnia uſus eſt ſervitiis militum, quos ob religionem Chriſtianam ad opera ſervilia condemnaverat. *Euſeb.*

Annus Nabonaſſaris 1048. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 624. *incipit die* 9. *Junii, feria* 1.

Annus Alexandr. 612. *Antiochen.* 349. *Conſtantinop.* 5809. *incipit* 1. *Octobr.*

Anaſtaſia Romæ ob religionem à marito ſuo in privato carcere detinebatur, ex quo liberatur, cùm vir legatus ad Perſas in itinere obiiſſet. *Euſebius.*

ANNO MUNDI 4250. Poſt C. 301.
E. ☉ 2. ☽ 17.

Annus urbis cond. 1053. *Julianus* 346.
Æra Hiſpan. 339. *Auguſtorum* 328.

Coſſ. Poſtumius Titianus.
Fl. Popillius Nepotianus.

Ælius Titianus *præfectus urbis fuit.*

Conſtantius & Galerius *Cæſares decennalia celebrant.* Juſt.

Diocletianus init Tribunitiam poteſtatem 18. *Maximian.* 16. *die* 21. *April.*

Galerius Nicomediæ in Chriſtianos crudeliter graſſatur. *Glyzerium* Presbyterum crudeliſſimè verberatum cremari jubet; deinde univerſum cœtum Chriſtianum in domo quadam congregatum unà cùm domo comburit. *Euſeb.*

Olympias 270. *incipit in Julio. Et annus Olympiadicus* 1077.

Annus Diocletiani 18. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Narſes *Perſarum rex, cum annos* 17. *regnaſſet, moritur; ſuccedit ipſi* Hormiſdas *filius, qui annos ferè imperat octo.* Agath.

ANNO MUNDI 4251. Poſt C. 302.
D. ☉ 3. ☽ 18.

Coſſ. Conſtantinus Chlorus Cæſar IV.
C. Galerius Cæſar IV.

Præfectus urbis fuit Mummius Tuſcus.

Diocletianus & Maximianus, *tandem devictis omnibus hoſtibus, & pacato orbe terrarum, Romæ triumphum agunt de Gothis, Baſtarnis, Quadis, Sarmatis, Ægyptiis & Perſis, quos vicerat Diocletianus; & de Francis, Alemannis, Britannis & Mauritanis à Maximiliano ſubactis: in quo triumpho Diocletianus voluit ſe* Jovium *appellari; Maximianus autem,* Herculum. *Eut. Euſeb.*

ANNO MUNDI 4252. Æræ C. 303.
C. ☉ 4. ☽ 19.

Coſſ. Imp. Diocletianus VIII.
Imp. Maximianus VII.

Præfecto urbis Tuſco tandem ſuccedit Junius Tiberianus *die* 12. *Septemb.*

Diocletianus cum Maximiano immodicis rerum proſperitatibus inflatus, ſive quòd prætetea famam quæreret, ſive quòd acerbum contra Chriſtianos odium gereret, hoc anno, qui eſt Antiochenus, *ut Euſebius habet* 351. menſe Martio edicta proponit, quibus præcipiebatur, ut Chriſtianorum conventicula abolerentur, ut Eccleſiæ ad pavimentum usq; deſtruerentur, & ſanctæ ſcripturæ igni abſumerentur; additum præterea, ut præſides Eccleſiarum in vincula ducerentur, Magiſtratus honoribus privati libertate ſpoliarentur, & quovis conatu omnes ad ſacrificandum Idolis cogerentur. In Aſia autem, ubi hæc edicta primùm propoſita ſunt, Nicomediæ Chriſtiani in Paſchate celebrando ſequebantur Calendarium Judaicum, & Judæi hoc anno & ad periodum Calippicam & ad ſuum Calendarium celebrarunt paſchia die 21. Martii. Sive igitur jam Chri-

ſtiani unà cum Judæis celebrarunt Paſcha, ſive octiduo pòſt, die videlicet 28. Martii, quod veriſimilius eſt, cùm Faſti Siculi habeant, edicta propoſita fuiſſe die 25. Mart. annus hic & Paſcha conveniunt. In hac perſecutione infinita millia Chriſtianorum propter religionem trucidata ſunt, multi libros ſacros perſecutoribus tradiderunt, qui Traditores poſt appellati ſunt, multi etiam abnegarunt fidem Chriſtianam. Atque in Ægypto tantùm, quæ tamen exigua particula fuit Romani imperii, occiſa ſunt in hac perſecutione centena & quadraginta quatuor millia: In exilium verò ejecta ſunt ſeptingenta hominum millia. Nullis unquam bellis mundus ſanguine magis exhauſtus eſt, neque majori unquam, *ut Sulpitius loquitur*, triumpho Eccleſia vicit, quàm cùm decem annorum ſtragibus vinci non potuit. In Gallis tamen, Hiſpania & Britanniâ, mitior hæc perſecutio fuit, quòd iis præſideret *Conſtantius Chlorus*, Cæſar, qui etſi Chriſtianus non erat, abhorrebat tamen à tanta acerbitate; & quantum poterat ſuorum collegarum crudelitatem in ſuis provinciis mitigabat. *Euſebius* Hiſtoricus hanc perſecutionem deſcripſit, & de martyribus quidem multa annotavit, de abnegantibus verò prorſus tacuit, propterea quod & ipſe in hac perſecutione abnegaſſet, ut videre eſt apud *Epiphan. hær.* 68. quemadmodum & idem poſtea de Arrianis multa ſubticuit, & orthodoxorum ſententias depreſſit, cùm ipſe quantum vellet & tuto poſſet, Arrianorum partes foveret, & Athanaſio hoſtis infenſiſſimus eſſet.

Philoſophi hiſce temporibus flammæ perſecutionis oleum addiderunt, & contra religionem Chriſtianam diſputarunt. Rurſum ex medio inimicorum ſuorum Deus excitavit *Arnobium* Rhetorem, qui conſtantiâ Martyrum permotus; ad religionem Chriſtianam acceſſit, eamque contra reliquos Philoſophos defendit; idem poſtea etiam facit *Lactantius*, Arnobii diſcipulus, ex Philoſopho Epiſcopus.

ANNO MUNDI 4253. Poſt C. 304.
BA. ☉ 5. ☽ 1.

Coſſ. Imp. Diocletianus IX.
Imp. Maximianus VIII.

Præfectus urbis fuit Heraclius Rufinus.

Diocletianus triſti ægritudine correptus, (Euſebius habet, quòd morbo correptus in melancholiam inciderit) quòd conſilium de extirpandis Chriſtianis non ſuccederet, & quòd magnis rebus geſtis vereretur, ne fortunam etiam adverſam experiretur, conſilium capit de deponendo imperio, idque etiam tandem Maximiano, qui in initio minimè volebat, perſuadet; idque tandem faciunt die 21. Aprilis, quantum videre eſt ex Panegyricis, ubi ipſe Nicomediæ *Galerium*, Maximianus verò Mediolani *Conſtantium* Auguſtum creat. Inde Diocletianus Salonam in patriam, Maximianus verò in Lucanos conceſſit, cùm Diocletianus annos viginti imperaſſet; Maximianus verò octodecim. Zoſimus numerat à conſulatu Libonis & Chilonis, quo *Severus* ludos ſeculares exhibuit, uſque ad abdicationem Diocletiani annos centum & unum *lib.* 2.

Marcellinus Papa, qui ſuperiori anno abnegaverat, & in templo Veſtæ thus adoleverat, ad Eccleſiam arguente Clero redit, & martyrium ſubit die 26. April. cùm ſediſſet annos ferè octo: ſuccedit ipſi *Marcellus* Romanus, qui ſedit annos 4. menſes 6. dies 21. *Onuph.*

Afra virgo viva exuſta eſt Auguſtæ Vindelicorum una cum matre *Hilaria*. Waller.

Annus Nabonaſſaris 1052. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 628. *incipit die* 8. *Jun. fer.* 5.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 616. *Antiochenus* 353. *Conſtant.* 5813. *à Calend. Octobr.*

Felix Epiſcopus in Africa, quòd ſacros codices tradere nollet, Romam mittitur, & ſupplicio afficitur, Eclipſin Lunæ circa id tempus accediſſe. *Euſebius.*

Eclipſis ea Lunæ accidit ſequenti die, pridie Calend. Septembr. feria quinta, hora poſt meridiem nona, min. 36. Latitudo vera auſt. 17. 54. Semid. Lunæ 16. 34. Summa Semid. 60. 1. ſcrup. reſidua 42. 7. digiti Eclipt. 15. 15. Sol in octavo gradu Virgin.

Conſilium actum in Africa de traditoribus. Traditores vocabantur, qui ſacros codices & theſaurum Eccleſiaſticum præſidibus provinciarum urgentibus tradidiſſent. Hac enim ratione fidem denegaſſe arguebantur. *Auguſt. in Exod. cap.* 17.

Agnes virgo, & *Emerentia*, hoc anno paſſæ dicuntur; item *Dorothea*. Baron.

ANNO MUNDI 4254. Poſt C. 305.
G. ☉ 6. ☽ 2.

Annus urbis 1057.	*Julianus* 343.
Æra Hiſpanica 350.	*Auguſtorum* 332.

Coſſ. Imp. Conſtantius Chlorus V.
Imp. Galerius V.

Præfectus urbis fuit Poſtumius Titianus.

Imp. Conſtantius & Galerius Tribunit. poteſtatem 15. *ſumunt die* 1. *Martii.*

Galerius perſecutionem Chriſtianorum valdè urget, & Conſtantium collegam, ut idem faciat, inſtigat. Conſtantius uſus hac occaſione idem ſe facturum, quod collega, ſimulat, jubetque ut qui Idolis ſacrificare nollent, aulâ ſuâ excedant: quo facto, qui dignitate & honoribus abire volebant, revocavit, & arctiore benevolentiâ complexus eſt, ut qui fidem Deo, cum jacturâ bonorum & honorum ſuorum præſtarent, ſperans eoſdem etiam ſibi fideles futuros. Reliquorum perfidiam increpuit, & ex aula dimiſit. *Euſeb.*

Olympias 271. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1081.

Annus Diocletiani 22. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Andreas, qui tribunus militum fuerat in Armenia, & propter religionem exautoratus, in Cilicia, in Tauro monte, ubi ſecreto hactenus egerat, comprehenditur, & ſupplicio afficitur die 19. Auguſti, die Domin. *Euſeb.*

Iterum hoc anno renovata eſt diſcordia de lapſis recipiendis, cùm plurimi, qui cruciatibus deterriti ab Eccleſia receſſiſſent, recipi ſe peterent. *Petrus* Epiſcopus Alexandrinus, ut diſcernantur lapſi, jubet, & ſatisfactionis annos diſtribuit. De eadem re concilium actum in Hiſpania, cui interfuit *Oſius* Epiſcopus Cordubenſis. *Baron.*

ANNO

ANNO MUNDI 4255. Poſt C. 306.
F. ☉ 7. ☽ 3.

Coſſ. Imp. Conſtantius Chlorus VI.
Imp. Galerius VI.

Præfectus urbis fuit Annius Anullinus.

Galerius ex Illyrico in Italiam reverſus, cùm Conſtantius ipſi præter reliquas imperii provincias, etiam Italiam & Africam relinqueret, duos ſororum ſuarum filios, *Galerium* Maximinum & Aurelium Cæſares appellat, & Calendis Martii ſibi & Conſtantio conſules ſufficit. *Eutrop.*

Thermæ Romæ dedicatæ, cum hac inſcriptione: Conſtantius & Maximianus (ſive Galerius) invicti, Auguſti, Severus & Maximinus Cæſares, Thermas ornaverunt, & Romanis ſuis dedicaverunt.

Conſtantius Imp. ex Gallia in Britanniam movet contra Pictos & Caledonas, ibique bellum gerit. Conſtantinus, ex priori conjuge Helena, Conſtantii filius, qui hactenus apud Galerium fuerat, cùm in creatione Cæſarum præteritus eſſet, & ſentiret ſibi inſidias ſtrui, opportunè fugam arripit ad patrem: & cùm Ciboracum in Britanniam veniſſet, à parente in morbo cubante, omnium militum ſuffragiis, & præcipuè *Croco* Alemannorum rege annitente, parenti ſucceſſor deſtinatur: atq; ita Conſtantius obiit die 25. Julii, unde conſurgit *Conſtantini* initium, qui hoc modo imperavit annos 30. menſes novem, dies 27. *Euſeb.*

Maxentius, quòd à patre Maximiano Herculio in eligendis Cæſaribus præteritus eſſet, & invidens Gloriæ Conſtantini, qui Auguſtus à patre creatus fuerat, conciliatis ſibi per tribunos militum prætorianis, imperium invadit, die 25. Septembr. *Panegyr.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei quinti incipit die 26. *Sept. Eſt annus Jud.* 4067.

Waltherus *Francorum rex, qui annos* 8. *regnaverat, moritur: ſuccedit filius* Dagobertus, *qui regnat annis undecim.* Trith.

ANNO MUNDI 4256. Poſt C. 307.
F. ☉ 8. ☽ 4.

Coſſ. Imp. Conſtantinus.
Maximianus Herculius IX.

Præfectus urbis Tertullus.

Maximianus privatus titulotenus hunc conſulatum geſſit.

Sufficiuntur hiſce conſules Maximinus & Maxentius.

Severus *Cæſar, ut de Maxentio hæc audivit, collecto exercitu Romam tendit, Maxentium pulſurus, quem Maxentius prælio vincit & Ravennæ includit. Maximianus pater hoſce motus ſedaturus, ex Lucania Romam venit, & a Romanis perſuaſus imperium reſumit, & exercitum ad obſidendam Ravennam adducit: perſuadet etiam Severo, ut ſalvâ fide Romam veniat, qui deceptus ad tres tabernas inſidiis Maximiani extinguitur, menſe Aprili.* Galerius *Auguſtus, Severi mortem ulturus, Romam properat, ſed difficultate rei deterritus, in Illyricum revertitur.* Panegyr.

Maximianus, *liber à Galerio, Diocletianum in ſequentem annū Conſulem declarat, & inſuper de everſendo filio Maxentio conſilia agitat, & publicè profatur, Maxentium imperio gerendo idoneum non eſſe. Sed durius acceptus a militibus, depoſito rurſum imperio, ad Diocletianum ſe confert, ubi repulſus in Galliam tranſit ad Conſtantinum, cui deſpondet filiam Fauſtam.* Zoſ.

Alexandriæ, & alibi perſecutiones vigent, & inter alios ad martyrium rapta eſt *Catharina* virgo, item *Menna* præfectus Ægypti. *Bar.*

Ingens Romæ incendium ortum, quo Fortunæ templum conflagravit, & plurima loca per ſeditionem militum incendio vaſtata fuerunt. *Zoſim.*

ANNO MUNDI 4257. Poſt C. 308.
DC. ☉ 9. ☽ 5.

Coſſ. Diocletianus X.
Imp. Galerius VII.

Præfectus urbis Statius Rufinus.

Maxentius quoq; Imperator Romæ ſe cum filio Romulo conſulem facit, ut Damaſus habet.

Maxentius *tandem etiam Africâ potitur, quâ excluſus fuerat à præfecto Alexandro, quem hoc anno capit, & ſupplicio afficit cum multis aliis.* Zoſ.

Conſtantinus *ſuperiori anno Francorum reges in Germania, qui ſedes ſuas inter Saxones & Alemannos habebant, deviceràt, hoc anno Bructeros iterum tranſmiſſo Rheno invadit, & multos captos beſtiis laniandos objicit.* Panegyr.

Annus Nabonaſſaris 1056. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 632. *incipit die* 7. *Junii, feria* 2.

Alexandrinus 620. *Antiochenus* 357. *Conſtantin.* 5817. *a Calend. Octob.*

Pamphilus Cæſarienſis Eccleſiæ Presbyter, martyrio cum multis aliis coronatus fuit; inſignis Scriptor Eccleſiaſticus & laborioſus. Ejus nomen, amoris ergò, aſſumſit ſibi poſtea *Euſebius* Hiſtoricus. *Euſeb.*

Crathilindus, *Scotorum rex, cùm annos* 24. *regnaſſet, moritur; ſuccedit ipſi patruelis* Fincomarchus, *qui regnat annis* 47. Buch.

ANNO MUNDI 4258. Poſt C. 309.
B. ☉ 10. ☽ 6.

Annus urbis 1061. *Æra Hiſpanica* 347.
Julianus 354. *Auguſtorum* 336.

Annus primus poſt conſulatum Diocletiani X. & Galerii VII.

Suffecti ſunt Romæ Coſſ. Maxentius IV. & Maximus, quos alii Hiſtorici non agnoſcunt. Maximus *præfectus urbis fuit.*

Marcellus Papa moritur, cùm ſediſſet annos quinq; mortuus eſt in ſtabulo equorum, quo eum damnaverat Maxentius die 16. Januarii; ſuccedit ipſi *Euſebius*, natione Græcus, qui ſedit annos 2. menſes 7. dies 27. *Onuf.*

Galerius *init tribunitiam poteſtatem* 19. *Calendis Martii: Conſtantinus verò* 4. *die* 25. *Julii.*

Maximianus Treviris conſilia iterum init de imperio invadendo, & Conſtantino amovendo, & milites pecuniâ tentat. Conſtantinus ſuaſu Fauſtæ conjugis, quæ totam rem Conſtantino aperuerat, dignitatem tuetur, & Maximianum perſequitur, captumque ſtrangulari jubet. Cadaver Mediolani ſepultum eſt. *Zoſim.*

Olympias 272. incipit in Julio. Et annus Olymp. 1085.

Annus Diocletiani 26. incipit die 29. Auguſti.

Conſtantinus *Coloniæ Agrippinæ pontem inſtituit, Germaniæ domandæ cauſa, & Bructeros, Cheruſcos, Vangiones, & Alemannos vincit, quam victoriam Nazarius in Panegyrico mirificè extollit.*

Hormiſdas, *Perſarum rex, cùm annos octo regnaſſet, moritur; ſuccedit* Sapores *in utero matris creatus Rex, qui regnavit tot annos, quos vixit, videlicet annos ſeptuaginta.* Agath.

ANNO MUNDI 4259. Poſt C. 310.
A. ☉ 11. ☽ 7.

Annus ſecundus poſt conſulatum Diocletiani X. & Galerii VII.

Heraclius Rufinus *præfectus urbis fuit.*

Galerius *die 21. Aprilis* Licinianum Licinium *Daciâ oriundum, notum ei antiquâ conſuetudine & bello, quod adverſus Perſas geſſerat, ſtrenuè militiâ functum, Carnuti in Pannonia Auguſtum appellat, & Illyrico præponit. Quo audito* Maximinus, *qui jam triennio Cæſar per Orientem fuerat, ſeipſe Auguſtum appellavit.* Euſeb. Zoſ.

Sufficiuntur Coſſ. ex Calend. Septembr. Heraclius Rufinus & Euſebius.

Plurimæ virgines, quòd Chriſtianæ eſſent, & Idolis ſacrificare nollent, in lupanaria detruſæ ſunt; ex quibus multæ ſalvæ evaſerunt. *Baronius.*

Petrus Alexandriæ Epiſcopus, matyrio coronatur. Hic *Arium*, quòd cùm *Meletio* ſentiret ſuâ Eccleſiâ ejecerat, ſed poſt ipſius obitum ad Eccleſiam reverſus eſt. Succeſſit Petro in Epiſcopatu *Achillas. Euſeb.*

Conſtanſtinus *Treviris quinquennalia edit, & paulo pòſt ejuſdem urbis natalem celebrat, ut videre eſt in* Panegyrico Nazarii.

Maximinus & *Maxentius ambo pariter Chriſtianos perſecuti fuerant; tandem ipſi hoſtes fiunt, & propterea ubique infeſtum eſt imperium, nec maria tutò navigari poterant.* Paneg.

ANNO MUNDI 4260. Poſt C. 311.
G. ☉ 12. ☽ 8.

Coſſ. Imp. Galerius VIII.
Imp. Licinius.

Galerius ſolus Conſul fuit in initio, pòſt in poſterioribus menſibus aſſumit Collegam Licinium.

Galerium *Auguſtum & Conſulem ſine collega fœdus invadit morbus ulcere orto circa inguen, unde vermes enati; quo morbo in furorem quaſi actus, medicos fermè omnes occidit. Uterque etiam oculus putredine evulſus fuit, & carnes ejus oſſibus ſuis deciderunt: ideò pœnitens facti, Chriſtianos tandem occidi vetuit propoſito edicto, quod factum eſt, cùm eſſet Conſul 8. & Tribunitiam poteſtatem 20. haberet, & Conſtantinus 5. Unde cognoſcitur, edictum propoſitum fuiſſe circa menſem Aprilem, priusquam Conſtantinus ſextam Tribunitiam poteſtatem iniret, & Galerius paulò pòſt obiit; atque hoc modo deſiit tandem decennalis perſecutio.* Ced. Eutrop.

Euſebius Papa moritur, die 26. Septembr. cùm ſediſſet annos 2. & menſes ferè 8. ſuccedit *Melchiades* Afer, qui ſedit annos tres, menſes duos. *Onuph.*

Diſſenſio, quæ hactenus inter Conſtantinum & Maxentium fuerat, tandem in nervum erumpit, cùm cives Romani nobiliores, qui crudeliſſimè a Maxentio tractabantur, frequentiſſimè ad Conſtantinum perfugerent, & de ſe defendendo, & Italiâ occupandâ ipſum admonerent. Conſtantinus igitur, cùm intelligeret, quanta belli moles futura eſſet, præter copias, quas præparavit firmas potius quā magnas, ſollicitus de auxilio divino, in ipſo meridie, cœlo ſereno, multis ſimul adſtantibus & videntibus, cernit crucem ſplendentem cum expreſſis circum eam literis, In Hoc Vinces. *Quapropter Conſtantinus admonitus Chriſtianæ religionis, (tum enim gentilem adhuc religionem ſequebatur) paſſus eſt doceri in Chriſtianiſmo, & vexilla militaria propoſuit in formam crucis cum duabus Græcis literis* X & P. *quæ nomen Chriſti exprimerent: atque inde ſuperatis Alpibus firmiſſima propinquarum urbium præſidia expugnavit, & triplici inde prælio victor potiſſimam Italiæ partem hoc anno occupavit.*

ANNO MUNDI 4261. Poſt C. 312.
FE. ☉ 13. ☽ 9.

Coſſ. Imp. Conſtantinus II.
Imp. Licinius II.

Maximinus *in Armenia contra Parthos bellum gerens, urget in vicinis locis Chriſtianorum perſecutionem: neceſſitate tamen coactus deſtitit, cùm à Parthis magna clade afficeretur, & Oriens univerſus peſte ſæviſſimè affligeretur.* Zoſim.

Novum morbi genus homines invadit, ulcera carbunculorum ſimillima corpore diſperſa multos extinxerunt, præcipuè ſi eſſent oculis vicina. Zoſ.

Conſtantinus *ad concordiam cum Licinio confirmandam jus affinitatis adjunxit, Conſtantiâ ſorore ipſi deſponſa.* Vict.

Annus Nabonaſſaris 1060. & Philippi & mortis Alexandri 636. incipit die 6. Junii, feria 6.

Conſtantinus, *cum in Italia ſibi ſubjeciſſet Seguſium, Vercellas, Brixiam, Veronam, Aquilejam, Placentiam, Mutinam & alias, urbem Romam petit, cum exercitu nonaginta millium peditum, octoginta millium equitum: cui obviam progreditur Maxentius, portâ Flumentanâ, & ad pontem Milvium Tiberim trajicit, cum exercitu centum & ſeptuaginta millium peditum, octodecim millium equitum. Cùm prælio congrederentur, & Maxentius videret ſuos equites victos, ne urbe excluderetur, per pontem in urbem redire maturavit, quem ſecutus eſt totus exercitus cujus pondere pons fractus, omnes in flumen præcipites egit, & Maxentius pondere thoracis demerſus vix inveniri potuit. Accidit pugna die 24. Septembr. pridie quàm Maxentius Tribunitiam poteſtatem 7. inchoaret, anno ſeptimo Conſtantini.*

Indictio prima hoc anno incipit, die 24. Sept. ab hac pugna, vocaturque Cæſarea, ſi à Septembri incipiat: Romana contra incipit à Calendis Januariis ſequentibus. Illa in Scriptoribus Græcis uſitatiſſima eſt; hæc in hiſtoricis Latinis. Cæterum cur inſtituta ſit Indictio, multæ à multis afferuntur cauſæ, quas ſi legas, cùm diverſiſſimæ ſint, longè incertior abis, quàm acceſſiſti. *Onuphrius* putat, eas inſtitutas, cùm jam Olympiades & agon Capitolinus, quibus tempora numerabantur, deſiiſſent, ut temporum ratio iniri poſſet. *Joſephus Scaliger* putat, inſtitutam hoc anno indictionem, quòd Conſtan-

Conſtantinus quinquennalia celebrarit, & tributa remiſerit; & adducit exempla, ſi retrò quindeni anni aliquoties numerentur, quòd & Hadrianus & Antoninus anno primæ indictionis tributa remiſerint. Sed quinquennalia Conſtantini hoc anno agi non potuerunt, cum ante biennium acta ſint, & tributum à Conſtantino remiſſum eſſe, veſtigia nulla extant, cùm in divulſo imperio ubique bella vigerent, & tributis & collatione pecuniæ opus eſſet. *Baron.* putat tempus legitimorum ſtipendiorum, qui hactenus fuerat XVI. annorum, ad XV. redactum eſſe, & hunc Cyclum inſtitutum, ut milites ſcirent tempus miſſionis ſuæ. Alii putant Indictiones inſtitutas ad pendendum tributum, confirmantque ſuam ſententiam ex Panegyrico Plinii ad Trajanum Imperatorem, qui ipſi gratias agit, quòd ſub ejus principatu provinciæ novis *Indictionibus* non fuerint atteritæ aut vexatæ. Alii denique ſunt, qui Indictionem inſtitutam hoc anno & die volunt, quòd hoc die Maxentius victus ſit, & ſtatim poſt victoriam Conſtantinus libertatem Chriſtianæ religioni & Eccleſiæ indixerit, ut liberum poſthac eſſet cuivis, Chriſtianam religionem ſequi, in conventibus exercere & templa habere: & cyclum hunc in concilio Niceno inſtitutum, qui poſt quindecim annos in orbem redeat, ut eſſet quaſi æra liberatæ à perſecutionibus Eccleſiæ. Hæ ſunt præcipuæ de indictionibus opiniones, ex quibus aliquis eligat quam ſequi velit.

Annus Seleucidarum Alexandrams 624. & Antiochenus 361. Conſtantinop. 5821. à Calendis Octobr.

Conſtantinus & Licinius ſimul edictum proponunt de libertate religionis, & quòd Chriſtianis & templa habere & conventus agere liceret. *Euſebius.*

ANNO MUNDI 4262. Poſt C. 313. D. ☉ 14. ☽ 10. *Ind.* 1.

Annus urbis 1065.	*Æra Hiſp.* 351.
Julianus 358.	*Auguſtorum* 340.

Coſſ. Imp. Conſtantinus III. Imp. C. Licinius III.

Præfectus urbis fuit Rufius Voluſianus.

Conſtantinus *& Licinius Medeolanum progreſſi, nuptias Conſtantiæ celebrant, ubi & decretum de libertate religionis denuò ſancitur, menſe Martio.* Codex.

Maximinus, *quòd ſe dignitate inter reliquos primū conſeret, irritatus edictis Conſtantini & Licinii, in Illyricum impetum facit. Licinius contractis copiis primùm clade quidem afficitur, poſt tamen Maximinum Thraciâ expellit, ubi Maximinus copias colligit, ſed majore clade victus, abjectis inſignibus imperii fugit, ſeque in Cilicia, Tarſo includit, ubi furore accenſus, multos ſuorum, quod bellum ſuaſiſſent, occidit, & poſtea moritur, cum quadriennio Cæſar & trienno Auguſtus imperaſſet.* Victor & Eutrop.

Conſtantinus *in Galliam abit, & ut Francos fide deceſſiſſe vidit, regiones eorum vaſtat, & eos ſub ditionem redigit, ac Treviris triumphum agit, ubi filius Conſtantinus naſcitur.* Zoſ.

Olympias 273. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1089.

Annus Diocletiani 30. incipit die 29. Auguſti.

Conſtantinus *tunc Tribunitiam poteſtatem octavam, Licinius quartam, 25. Julii. Cùm hiſce Coſſ. centeſimus & decimus annus ageretur à conſulatu Chilonis & Libonis, quando Ludi ſeculares acti erant, nulli ludi acti ſunt, quibus neglectis,* inquit Zoſimus, *imperium Romanum paulatim in deterius prolapſum eſt.*

Annus ſabbathicus 7 ſive Jobeleus quintus cœpit die 10. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 4074.

Cæcilianus exagitatur à Donatiſtis. Hinc *Optatus* Milevitanus ſcribit, quòd Epiſcopi Catholici in Africa petierint à Conſtantino, Judices ſibi Epiſcopos dari ex Italia, Gallia & Germania, & quòd convenerint Romæ in domo Fauſtæ in Laterano, die 2. Octobr. feria 6. hoc anno.

Diocletianus, *cùm novem annos poſt imperium privatus vixiſſet, moritur Salonis, cui contigit, quod nulli unquam, ut cùm privatus obiiſſet, tamen inter Deos referretur.* Zoſ.

Miltiades Papa, cùm ſediſſet annos duos, menſes duos, & dies 7. moritur; ſuccedit die 27. Decembr. *Sylveſter*, qui ſedet annos 21. dies 4. *Onuphr.*

ANNO MUNDI 4263. Poſt C. 314. C. ☉ 15. ☽ 11. *Ind.* 2.

Coſſ. C. Ceionius Rufus Voluſianus. Annianus.

Licinius, poſt victoriam de Maximiano partam, omnes ejus regiones ſibi ſumit. Conſtantinus id iniquum eſſe dicit, & partionem æquam petit. Cùm hoc negaret Licinius, diſſidium ortum, & primum prælium factum in Pannonia, ubi cùm Licinius ingenti prælio victus eſſet, Conſtantinus Cybalas, ubi prælium factum erat, & Sirmium capit. Inde Licinius reparato exercitu in Thracia iterum Conſtantino occurrit. Fecerat autem Licinius Valentem Cæſarem, ut ſocium belli haberet; ibi Licinius cœpit de victoria deſperare, & legatos de pace ad Conſtantinum mittit, & pace factâ Conſtantinus Dalmatiam, Macedoniam, Mœſiam, & Daciam retinuit. Licinius autem Thraciam cum Aſia, Ægypto, & Oriente accepit, & Valens Cæſar occiſus eſt. *Zoſim.*

Donatiſtæ iterum tumultuantur in Africa contra *Cæcilianum*, qui innocens præcedenti anno Romæ pronunciatus erat, & ad Epiſcopatum remiſſus; & iterum appellant ad Imperatorem, cujus rei cauſa indicitur concilium Arelati in Gallia, & Cæcilianus iterum innocens pronunciatur. De feſto Paſchatos etiam ut uno eodemque die ab univerſa Eccleſia celebretur, ſancitur. *Bar.*

ANNO MUNDI 4264. Poſt C. 315. B. ☉ 16. ☽ 12. *Ind.* 3.

Coſſ. Imp. Conſtantinus IV. Imp. Licinius IV.

Ariana hæreſis innoteſcit, cùm Alexander Epiſcopus Alexandrinus *Arium* Presbyterio exuiſſet, propter dogmata hæc publicè ſparſa. *Euſeb.*

Conſtantinus, cùm provincias compoſuiſſet, Romam proficiſcitur, & Decennalia agit, circa diem 25. Julii, in quibus CRISPUM & CONSTANTINUM filios Cæſares creat, quibus junxit LICINIANUM Licinii

Licinii filium, nondum viginti menſes natum. *Zoſim.* Sed id non ſatis felix futurum, patefactum defectu Solis iiſdem menſibus facto, *inquit Aurelius Victor:* ſed Eclipſis hæc accidit ſequenti anno. Porrò hoc anno eos Cæſares creatos demonſtratur quibuſdam diplomatis, Idibus Septembris hoc anno datis, quibus ſubſcripſerunt Conſtantinus Auguſtus, & Conſtantinus Cæſar. *Cod. Theod.*

Criſpus Cæſar in Galliam mittitur ad limitem Rheni tutandum, adhibitis Rectoribus adoleſcentiæ, & qui ipſum in bonis artibus erudirent, inter quos fuit *Lactantius* Firmianus, qui in vita poſtea adeò pauper fuit, ut etiam neceſſariis indiguerit. *Euſebius.*

ANNO MUNDI 4265. Poſt C. 316.
A G. ☉ 17. ☽ 13. Ind. 4.

Coſſ. Fl. Rufius Cejonius Sab.
Q. Aradius Rufinus Proculus.

Conſtantinus contra Sarmatas proficiſcitur, & eorum Regem Rauſimodum prælio vincit, qui occaſione uſus, Iſtrum transgreſſus, Pannonias crudeliſſimè vaſtat. Conſtantinus victos ſecutus, tandem etiam eos vincit, & Pannoniâ expellit: Inde Theſſalonicam profectus, portum ibi ædificari juſſit. *Zoſ.*

Annus Nabonaſſaris 1064. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 640. *incipit die* 5. *Junii, feria* 3.

Eclipſis Solis facta die 6. *Julii, feria* 6. *horis ſeptem ante meridiem in ipſo Solis exortu, quæ propterea Romæ terribilior apparuit, cujus meminit Aurelius Victor. Parallaxis latitud.* 32.52. *Latitudo vera Septent.* 14.37. *Latitudo viſa auſtralis* 18.15. *Semidiameter Solis* 15.3. *Summa ſemidiam.* 31.33. *Scrup. reſidua* 13.18. *digiti Eclipſici* 5.18. *Sol in* 14. *Cancri. Sequenti vero anno nulla Eclipſis facta.*

Annus Seleucidarum Alexandrinis 628. *& Antiochenus* 365. *Conſtantinop.* 5825. *à Calend. Octobr.*

Donatiſtæ in Africa, cùm iterum contra Cæcilianum tumultuarentur, evocantur Mediolanum, ut utraque pars tertiâ vice audiretur; ubi Conſtantinus Cæcilianum iterum injuſtè exagitari pronunciat, & Donatiſtas, cùm quieſcere non poſſent, in exilium ejicit. *Bar.*

ANNO MUNDI 4266. Poſt C. 317.
F. ☉ 18. ☽ 14. Ind. 5.

Annus urbis 1069. *Julianus* 362.
Æra Hiſp. 355. *Auguſtorum* 344.

Coſſ. Ovinius Gallicanus.
Septimius Baſſus.

Hi Conſules tandem facti ſunt die 17. *Febr. cùm menſe Januario nulli eſſent.*

Fauſta *Conſtantini Imperatoris conjux iterum filium parit, quem* Conſtantium *appellavit.*

Olympias 274. *incipit Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1093.

Annus Diocletiani 34. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Dagobertus, *Francorum rex, cùm annis undecim regnaſſet, moritur; ſuccedit* Clogio, *qui tantùm regnat annis duobus.* Trith.

ANNO MUNDI 4267. Poſt C. 318.
E. ☉ 19. ☽ 15. Ind. 6.

Coſſ. Imp. C. Licinius V.
Valerius Criſpus Cæſar.

Criſpus *à patre contra Francos rebellantes miſſus, eos inſigni victoriâ domat,* teſte Nazario, *qui tum temporis Rhetoricam docuit. Floruerunt tum temporis etiam* Lampridius, Spartianus, Capitolinus, Vopiſcus, Minutius Felix, *& alii.* Sig.

Arius profert ſua dogmata ubique, & ſibi ſocios quærit; Alexander contra Epiſcopus Alexandrinus de Arii blaſphemiis ſimiliter ad Epiſcopos perſcribit, tandem res defertur ad Conſtantinum, qui ægrè fert diſſidia in Eccleſia oriri, & revocat *Oſium* Cordubenſem in Hiſpania Epiſcopum, eumque ad componendas turbas Alexandriam in Ægyptum mittit. *Euſeb.*

ANNO MUNDI 4268. Poſt C. 319.
D. ☉ 20. ☽ 16. Ind. 7.

Coſſ. Imp. Conſtantinus V.
Licinius Junior Cæſar.

Conſtantinus hoc anno Sirmii fuit, ut reſcripta docent.

Oſius Alexandriam miſſus concilium ibi convocat, ſed acta concilii perierunt. In doctrina de Deo videtur actum, rectè dici unam eſſe ſanctæ Trinitatis οὐσίαν, & tres ὑποστάσεις. Verùm cùm hæc vocabula ignota eſſent, nec antea in Eccleſia uſurpata, valdè exagitata ſunt ab Arianis, & turbæ fuerunt auctæ. *Socr.*

Licinius pœnitens de traditis Illyrici provinciis, cùm & inſidiæ, quas Conſtantino ſtruebat, parum procederet; Ethniciſmum amplectitur, & religionem Chriſtianam prohibet, & Chriſtianos ex ſua aula pellit. *Ced.*

Clogio rex Francorum in prælio contra Gallos cadit, cùm vix biennium regnaſſet: Succedit frater *Clodomirus*, qui regnat annis 18. *Trith.*

ANNO MUNDI 4269. Poſt C. 320.
C B. ☉ 21. ☽ 17. Ind. 8.

Coſſ. Imp. Conſtantinus VI.
Conſtantinus Junior Cæſar.

Præfectus urbis Valerius Maximus.

Conſtantinus Romam reverſus, inde in Gallias abit, ubi Veterani ſeditionem excitarant, quæ ſedatur civilium munerum conceſſa vocatione, Calendis Martii. *Ced.*

Licinius adhuc atrociùs perſequitur Chriſtianos, ſancitque, ne Epiſcopi ampliùs docerent, ne quis adſtaret ſacrificiis non nudato capite, ne mulieres cum viris precationis causâ convenirent: occidit etiam multos, interque alios *Blaſium*, & quadraginta virgines, & aliquot Epiſcopos. Conſtantinus contrà admonet eum fœderis, & decretorum, de defendendis potius quàm exagitandis Chriſtianis. *Ced.*

Annus Nabonaſſ. 1068. *& Philippi ac mortis Alexandri* 644. *incipit* 5. *Junii, feria* 7.

Quinquennalia Cæſarum celebrata, in quibus Nazarius Panegyrin habuit abſente patre Conſtantino, qui in Galliis aberat. Baron.

Annus ſabbathicus primus Jubelei ſexti, incipit die 22. Sept. fer. 5. Anno Jud. 4081.

Annus Seleucidarum Alexandreus 632. Antioch. 369. Conſtant. 5829. à Calendis Octobr.

Conſtantinus leges ſancit his Coſſ. adverſus raptores, item de cœlibatu & fraude religioſorum. *Ced.*

ANNO MUNDI 4270. Poſt C. 321.
A. ☉ 22. ☽ 18. *Ind.* 9.

Annus urbis 1073. *Æra Hiſpanica* 359.
Julianus 366. *Auguſtorum* 348.

Coſſ. Valerius Criſpus, Cæſar. II.
Conſtantinus Junior Cæſar. II.

Præfectus urbis fuit Valerius Maximus *iterum*.

Conſtantinus *tertio filio augetur, quem* Conſtantem *appellavit, ut habet* Ammianus.

Conſtantinus *bellum acre cum Sarmatis gerit, & tandem transmiſſo Iſtro Rauſimodum regem victum in fuga interfecit, victis pacem dat, & Theſſalonicam revertitur.* Zoſ.

Olympias 275. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1097.

Annus Diocletiani 38. incipit die 29. Auguſti.

Donatiſtæ exorant Imperatorem, ut exilium ipſorum ſolvatur, poſt annum quartum, & menſem ferè ſextum exilii. Ideò poſtea clanculum ſerpere conantur, &, qui ſententiam ſuam propagarent, Romam & in alia loca idoneos ſubmittunt. *Sozom.*

Conſtantinus leges fecit de Dominico die feriando: item contra maleficos, & de Clericorum teſtamentis, *Cod.*

ANNO MUNDI 4271. Poſt C. 322.
G. ☉ 23. ☽ 19. *Ind.* 10.

Coſſ. Petronius Probianus.
Anicius Julianus.

Præfectus urbis iterum Valerius Maximus.

Conſtantinus in magna annonæ caritate, lege cavet die 6. Junii, ne quis victus inopiâ, liberos vendat. *Cod.*

Cùm *Licinius* nihil remitteret de perſecutione Chriſtianorum, nec ullâ ratione ab iis exagitandis avocari poſſet, magni utrinque exercitus contrahuntur, & magni fiunt apparatus; Conſtantinus contrahit copias Theſſalonicæ, Licinius in Thracia: Conſtantinus etiam evocat Criſpum filium ex Gallia, & Conſtantinum alterum filium eò mittit. *Sig.*

Lactantius in hiſce belli motibus ſcribit libros ſeptem divinarum inſtitutionum, ut ipſe teſtatur.

ANNO MUNDI 4272. Poſt C. 323.
F. ☉ 24. ☽ 1. *Ind.* 11.

Coſſ. Acilius Severus.
Junius Rufinus.

Conſtantinus tandem confecto exercitu centum & viginti millium peditum, & decem equitum contra Licinium, qui habebat centum & quinque millia peditum, quindecim millia equitum, prope Adrianopolin conſidet, & paulo poſt, die 3. Julii, feriâ quartâ, prælio cum eo contendit, vincitque, triginta millibus hoſtium occiſis & caſtris captis. Licinius fugit, & Byzantio ſe includit, & tandem, cùm urgeretur, in Aſiam tranſit, ubi exercitum iterum colligit, & Martinianum, ut ſocium belli haberet, Cæſarem creat. *Zoſ.*

ANNO MUNDI 4273. Poſt C. 324.
ED. ☉ 25. ☽ 2.

Iterum prælium inter Conſtantinum & Licinium fit ad ſacrum promontorium, ducentis à Chalcedone ſtadiis, ubi ex exercitu Licinii, qui centum & triginta millium fuerat, vix triginta millia evaſerunt. Licinius perditis omnibus ſe victori permittit, & privatam vitam agere juſſus Theſſalonicam dimiſſus eſt. Confectus eſt hoc bellum, teſte Cedreno, *decem & octo menſibus.*

Victo Licinio exules reſtituti ſunt; damnati ad metalla, liberati; bona & honores ipſis redditi, templa reædificata. & Cal. Junii edicta promulgata de abrogandis Licinii legibus. Ced.

Annus Nabonaſſaris 1072. & annus Philippi & mortis Alexandri 648. incipit die 3. Junii, feria 4.

In Campania terræmotu tredecim urbes collapſæ ſunt, & tantus fuit Solis defectus, ut meridie ſtellæ viderentur. *Ced. pag.* 234.

Eclipſis hac accidit die 6. Auguſti, feria 5. poſt meridiem horis quatuor, & minutis 23. 27. ubi Parall. latitudinis 35. 38. Latitudo verò vera 25. 58. unde viſa auſtralis remanet 9. 40. Semid. Solis 15. 13. Scrup. reſid. 19. 57. digiti eclipticæ 7. 52. Sol in gradu 13. 41. Leonis.

Annus Seleucidarum Alexandreus 636. & Antiochenus 373. Conſtantinop. 5833. à Calend. Octobr.

Paulinus Epiſcopus Antiochenus moritur; de ſucceſſore eligendo oritur controverſia. Qui enim Arianorum partes fovebant, eligebant *Euſebium* Cæſareæ Epiſcopum hiſtoricum: Orthodoxi verò *Euſtathium*. Hoc Euſebius ſuo conſilio ductus recitat, quaſi acciderit longo tempore poſt actum Concilium Nicenum, cùm tamen hoc anno factum ſit, ut apparet ex Concilio, ex Athanaſio, Theodoreto & aliis. Pulſo tamen Euſtathio, poſt quinque annos iterùm Euſebius eligitur.

ANNO MUNDI 4274. Æræ C. 325.
C. ☉. 26. ☽ 3. *Ind.* 13.

Annus urbis 1077. *Julianus* 370.
Æra Hiſp. 363. *Auguſtorum* 352.

Coſſ. Anicius Fauſtus Paulinus.
Publius Cejonius Julianus.

Acilius Severus *præfectus urbis fuit.*

Licinius, *dum Theſſalonicæ vivit, de recuperando imperio conſilia agitat, milites conſcribit, & Barbaros mercede ſollicitat, quapropter à Conſtantino tandem occiditur, & ejus rei cauſa Conſtantinus triumphum egit, & inde ad Concilium Nicenum, quod indictum erat, proficiſcitur.* Socrat.

Concilium Nicenum actum anno Seleucidarũ Alexandræo 636. die 22. Maji, id quod confirmatur in Codice, edicto Conſtantini, dato hoc anno Niceæ, die 23. Maji, cùm tamen Conſtantinus ultimus ad

Concilium acceſſiſſet. Ut Socrates habet, factum anno imperii Conſtantini viceſimo, Æræ Hiſp. 363. alii habent eodem anno, ſed die 19. Junii, ubi fortaſſe promulgata fuit ſententia Concilii. Numerus Epiſcoporum, qui convenerunt, fuit trecentorum & octodecim. Inter alios adſuit etiam *Oſius* ille magnus ex Hiſpania; ex Ægypto *Paphnutius & Potamon*; & ex Cypro *Spiridion*. Hi tres monoculi erant propter confeſſionem, & ſuccisi poplite ad metalla quondam damnati. Cùm Imperator in Concilium veniſſet, *Euſtathius* Antiochenus, ad cujus inſpectionem Nicea urbs pertinebat, Imperatori gratias egit, & hymnum recitavit. Inde Conſtantinus hortatus eſt Epiſcopos ad tractandam cauſam: Verùm acta hujus Concilii interciderunt. Plurimum autem laboratum fuiſſe ab Epiſcopis in excogitandis vocabulis, quæ in explicanda filii DEI divinitate uſurparentur, Athanaſius in epiſtola contra Arianos teſtatur, & ab ipſo tandem *Euſebio* Nicomedienſi Ariano fortè fortunâ ſuppeditatum fuiſſe vocabulum ὁμοούσιον, quo unico vocabulo totum Arianæ hæreſis nervum inciderunt. Quod verò ad Symbolum Nicenum attinet, id hodiè multis in locis auctum eſt. Conceptum verò fuit primum, *teſtante Athanaſio ad Jovianum*, in hæc verba: *Credimus in Deum Patrem omnipotentem, creatorem viſibilium & inviſibilium. Et in Dominum* Jeſum Chriſtum *filium* Dei, *natum ex Patre & unigenitum: hoc eſt, ex ſubſtantia Patris*, Deum *ex* Deo, *lumen de lumine*, Deum *verum de* Deo *vero, genitum non factũ, &* conſubſtantialem *Patri, per quē omnia facta ſunt tàm in cœlis quàm in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, &* homo factus *eſt. Paſſus eſt, & reſurrexit tertià die, & aſcendit in cœlos, venturus inde ad judicandum vivos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum.* Huc usque: & de cæteris articulis nihil additum, quod de ipſis non controverteretur. Huic Symbolo ſubſcripſerunt Epiſcopi, exceptis quinque, inter quos fuit *Euſebius* Nicomedienſis; *Euſebius* etiam Hiſtoricus primo die reſtitit, ſed ſequenti die Symbolum approbavit, peculiari tamen modo, ut videre eſt apud Socratem.

De *Paſchate* decretum, ut Dominico die celebraretur, non cum Judæis; & ut Alexandrinus Epiſcopus tempus Paſchatis definiret, & ad Pontificem Romanum & alios Patriarchas tempeſtivè perſcriberet, qui aliis Epiſcopis id indicarent.

Verſus GLORIA *Patri & Filio, & Spiritui ſancto*, uſitatus quidem fuit in Eccleſia tum temporis, ſed in Concilio decretum, ut adderetur etiam alter verſus: *Sicut erat in principio, &c.*

Olympias 276. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1101.

Annus Diocletiani 47. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Vicennalia Niceæ *acta, in quibus Conſtantium filium Imperator Cæſarem creavit.*

Conſtantinus edicta promulgat Beryti die primo Octobris, de gladiatoribus abolendis, & aliis cruentis ſpectaculis. Inde *Criſpum* filium anno viceſimo hoc Imperii, *ut Sozomenus, Euſebius, Cedrenus & Faſti Siculi habent*, ob ſuſpicionem ſtupri cum noverca Fauſta, vêneno, *ut Zoſimus habet*, vel incitatus à Fauſta conjuge, quaſi eam de ſtupro ſollicitaſſet, *ut Aurelius Victor habet*, Polæ in Iſtria interficit. Sed poſtea à matre Helena edoctus ſe ſcelere Fauſtæ uxoris, eam calore balnei ſuffocavit, & manibus filii ſui comitem addidit, ut & *Licinium* Juniorem Cæſarem.

ANNO MUNDI 4275. Poſt C. 326.
B. ☉ 27. ☽ 4. *Ind.* 14.

Coſſ. Imp. Conſtantinus VII.
Julius Conſtantinus Cæſar.

Athanaſius, cùm Alexander Epiſcopus Alexandrinus quinq; menſibus poſt Concilium Nicenum obiiſſet, ſuccedit in Epiſcopatu, à quo ſibi metuentes *Ariani* concordiam ineunt, cum *Meletianis* in Ægypto, ut communi conſenſu Athanaſium oppugnent. *Theod. & Athanaſius.*

Conſtantinus *jubet Hieroſolymam inſtaurari, & templum reſurrectionis ædificari, ut Conſtantini Epiſtolæ oſtendunt ad Macarium.* Euſeb.

Arnobius in Africa floret, qui Paganus Rhetoricam docuit. Inde in ſomnis admonitus de amplectenda religione Chriſtiana, Epiſcopis perſuadere non potuit, ſe ſeriò rem agere, priusquam libros contra Ethnicam religionem ſcriberet. *Euſebius.*

Circa tempora Concilii Niceni *Indi* inferiores religionem Chriſtianam amplexi ſunt, Epiſcopo *Frumentio*, qui puer eò in civitatem abductus, procurator poſtea regis effectus eſt, & templum ibi ædificavit. *Socr. lib.* 1.

Sapores Perſarum rex, calumniis contra Chriſtianos exaſperatus, eorum ad octodecim millia interfecit, & pax, quam cum Conſtantino fecerat, rupta eſt. *Ced.*

Helena *mater Conſtantini moritur*. Ced.

Clodomirus, Francorum rex, cùm annos octodecim regnaſſet, moritur; ſuccedit *Richimer* filius, qui regnat annis tredecim. *Trith.*

ANNO MUNDI 4276. Poſt C. 327.
A. ☉ 28. ☽ 5. *Ind.* 15.

Coſſ. Fl. Valerius Conſtantinus.
Fl. Valerius Maximus Baſilius.

Anitius Julianus *præfectus urbis fuit.*

Hic Valerius Maximus Conſtantinus frater fuit Imperatoris, ſed non uterinus, ex Theodora ſcilicet Maximiani privignâ, ex qua & alios duos fratres habuit; Conſtantium *videlicet patrem Galli & Juliani, &* Hannibalianum *patrem Delmatii.*

Arius & Euſebius Nicomedienſis, cùm jam in exilio eſſent, in omnes partes ſuam confeſſionem mittunt, conanturque probare, ſe idem cum orthodoxis ſentire, quapropter ab exilio revocantur, & Arius quidem hac conditione, ne Alexandriam rediret, Euſebius contrà privatim ab Athanaſio petit, ut recipiatur Arius. Cùm nihil impetraret, occaſione oblata *Conſtantiam*, Conſtantini ſororem, Licinii conjugem, in ſuas partes traducit, & ut ſibi & Arianis faveat, efficit; cujus auxilio literas impetrat à Conſtantino cum minis ſcriptas ad Athanaſium, ut Arium recipiat; quod ſi nolit, ſe miſſurum, à quo Epiſcopatu moveatur, & relegetur. *Athanaſius* tamen convenienti excuſatione iram Imperatoris mitigat, & Arii reditum impedit, inde Euſebius de dejiciendo Athanaſio conſilia agitat. *Athan.*

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei Chriſtiani ſexti, incipit die 5. Sept. fer. 3. Anno Jud. 4088.

Conſtantinus magnam expeditionem inſtituit contra Gothos & Sarmatas, & inſigni victoria eos devincit, & in ſervitutem redigit. *Cedr.*

Conſtantinus Drepanum, Bithyniæ civitatem, inſtaurat, & in memoriam matris ſuæ *Helenopolin* appellat. *Hieron.*

ANNO MUNDI 4277. Poſt C. 328.
GF. ☉ 1. ☽ 6. *Ind.* 1.

Coſſ. Fl. Magnus Januarius.
Fabius Juſtus.

Anitius Julianus *præfectus urbis fuit.*

Bublilius Optatianus Poeta Panegyricum ſcribit, & ad Conſtantinum mittit, qui ob id exilio liberatur. *Hieron.*

Juvencus presbyter, natione Hiſpanus, Evangeliſtas Heroicis verſibus reddidit. *Hieron.*

Templum Conſtantini *Iberi*, qui ad Euxinum incolunt, de religione Chriſtianâ erudiuntur per captivam quandam ex Chriſtianis abductam mulierem; inde Epiſcopos & amicitiam à Conſtantino petunt. *Socr.*

Annus Nabonaſſaris 1076. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 652. *incipit die* 2. *Junii, feria* 1.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 640. *& Antiochenus* 377. *Conſtantinop.* 5837. *4 Calend. Octobr.*

Antonius Monachus in Ægypto floret, ad eum & Imperator & filii Cæſares amantiſſimas literas ſcribunt. Paulò pòſt etiam Romæ inceperunt eſſe monachi, ſed qui manibus ſuis ſibi victum quærerent. *Auguſt.*

Conſtantinus, Imperii ſedem in Oriente conditurus, eligit locum propè Trojam, ubi etiam muros urbis ad aliquam altitudinem excitavit. Verùm cum Byzantii ſitum poſtea conſideraret, eum locum potiùs delegit, & fabros cum omnibus inſtrumentis eò tranſtulit. *Zoſim.*

ANNO MUNDI 4278. Poſt C. 329.
E. ☉ 2. ☽ 7. *Ind.* 2.

Annus urbis 1081.	*Julianus* 374.
Æra Hiſpanica 367.	*Auguſtorum* 356.

Coſſ. Imp. Conſtantinus VIII.
Conſtantinus Filius Cæſar.

Petronius Probianus *præfectus urbis fuit.*

Conſtantinus aliquot nobiles viros Romæ excitat, qui Conſtantinopolin commigrent, quibus providit de ſtipendio & annonâ. Inde in Illyricum profectus eſt, ut Reſcripta oſtendunt, & pontem lapideum ad Iſtrum inſtituit, ne videretur Trajano cedere. *Zoſim.*

Olympias 277. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1105.

Annus Diocletiani 46. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Euſebius & *Arius* Athanaſio crimen intentant apud Conſtantinum, primùm, quòd tributum inſtituiſſet in Ægypto; & deinde, quòd pecuniam miſiſſet *Philumeno* cuidam, qui contra Imperatorem rebellabat. Sed cùm in utraque re mentirentur, iterum in exilium pelluntur, & ſimul *Theognis* Niceæ Epiſcopus. *Bar.*

ANNO MUNDI 4279. Poſt C. 330.
D ☉ 3. ☽ 8. *Ind.* 3.

Coſſ. Ovinius Gallicanus.
L. Aurelius Symmachus.

Conſtantinus diſtribuit imperium in duas partes, in Occidentem & Orientem. *Occidentis* iterùm duas partes facit: Galliam & Italiam. Gallia comprehendit ipſam Galliam, Hiſpaniam, Britanniam & Germaniam. Habuitque Gallia provincias ſeptendecim, Hiſpania ſeptem, Britannia quinque. Italia comprehendit ipſam Italiam, Africam & partem Illyrici. Habuitque Italia provincias ſeptendecim, Africa quinque, pars Illyrici ſex. *Orientis* iterùm duas partes fecit: Aſiam ſc. & Thraciam. Thracia habuit provincias duas, Macedoniam & Daciam; Aſia verò Aſiam ipſam, Ægyptum, Pontum. Aſiæ provinciæ viginti quinque; Ponti decem fuerunt.

Conſtantinopolis dedicatur die undecimo Maji, feriâ ſecundâ, Indictione tertiâ, ibique Conſtantii Cæſaris quinquennalia celebravit. Ablavio etiam præfecto prætorio ex Conſtantinopoli literas miſit die 29. Novembr. *Zonar. Cedren. & alii.*

Templum *Apoſtolorum ſimiliter Conſtantinus Conſtantinopoli ædificat, & templum pacis. Civibus etiam, qui Conſtantinopoli habitare volebant, annonam dedit; unde urbs brevi ſpatio in immenſum aucta eſt, ita ut magno ſpatio Pomeria proferrentur. Diſtribuit autem civibus quotannis octuagies centena millia medimnorum frumenti, quæ ſunt ultra vicies quater centena millia modiorum Lipſenſium.*

Conſtantinus Antiochiæ Dominicum, quod aureum appellatum eſt, condidit. *Hieron.*

ANNO MUNDI 4280. Poſt C. 331.
C. ☉ 4. ☽ 9. Ind. 4.

Coſſ. Annius Baſſus.
Ablavius Ægyptius.

Præfectus urbis fuit *Anitius Paulinus.* Ablavius verò Conſul poſteà Conſtantino cæſus eſt.

Donatus & Donatiſtæ in Africa ſuam cauſam fervidè agunt, jactant viſiones & alia. *Bar.*

Euſebius Nicomedienſis & *Theognis* cùm hactenus in exilio fuiſſent, pœnitentiam ſimulantes offerunt libellum fidei ſuæ Epiſcopis, & recipiuntur in Eccleſiam. *Athanaſ.*

Edicto Conſtantini gentilium templa clauduntur & evertuntur; contra verò Chriſtianorum templis libertas datur. Idem Calendis Auguſti leges fert de cohibendis Magiſtratibus, & de provocatione ab inferioribus præfectis, ſed non à Præfecto Prætorio. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4281. Poſt C. 332.
B A. ☉ 5. ☽ 10. Ind. 5.

Coſſ. Ovinius Pacatianus.
Mæcilius Hilarianus.

Anitius Paulinus *iterùm Præfectus urbis.*

Gothi regionem Sarmatarum ingreſſi, & remoto ex limite Iſtri præſidio, ſe in Thraciam & Moeſiam intulerant: ideò Conſtantinus contra eos proficiſcitur, eos vincit, & trans Iſtrum removet, iiſque tandem pacem dat, hac conditione, ut militum quadraginta millia, ſi quando opus eſſet, Imperatori traderent. *Sigon.*

Annus Nabonaſſaris 1080. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 656. *incipit die* 1. *Junii, fer.* 5.

Annus Alexandr. 644. *Antiochen.* 381. *Conſtantinop.* 5841. *incipit* 1. *Octobr.*

Euſebius reſtitutus, novas inſidias Athanaſio ſtruit, & per Meletianos ipſum accuſat cædis *Arſenii*, cujus trucidati ſe habere manum Meletiani affirmabant. Ille Arſenius autem precio conductus interim latet, quem Athanaſius tamen inquiſitum multo labore tandem invenit. *Athanaſius.*

ANNO MUNDI 4282. Poſt C. 333.
G. ☉ 6. ☽ 11. Ind. 6.

Annus urbis 1081.	*Julianus* 378.
Æra Hiſpan. 371.	*Auguſtorum* 360.

Coſſ. Fl. Valerius Delmatius.
M. Aurelius Xenophilus.

Hic Delmatius à Patruo Conſtantino poſteà Cæſar appellatus eſt.

Gothi, ut Imperatori militem præſtare poſſent, ſervos ſuos ad militiam inſtituunt, & iis arma tradunt. Servi contrà arma in Dominos ſuos vertunt, eoſque ſedibus ſuis pellunt. Domini profugi petunt à Conſtantino locum habitationis, qui eos in provincias recepit, & quoſdam ſacramento militari adegit. Id cùm poſtea alii Imperatores imitarentur, magnam calamitatem imperio accerſiverunt. *Zoſ.*

Olympias 278. *incipit in Julio. Eſt annus Olymp.* 1109.

Conſtantinus init die 25. Julii tribunitiam poteſtatem viceſimam octavam.

Annus Diocletiani 50. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Sæviſſima peſtis & fames annotatur hoc anno, quà innumerabilis multitudo in Syria & Cilicia perierunt, & Antiochia ſola ſublevata fuit modiis tritici ſex mille, & Salamin urbs Cypri terræ motu præterea afflicta. *Ced. Hieron.*

ANNO MUNDI 4283. Poſt C. 334.
F. ☉ 7. ☽ 12. *Ind.* 7.

Coſſ. L. Acontius Optatus.
Anicius Paulinus Junior.

Anicius Paulinus *præfectus urbis.*

Euſebius cum ſuis complicibus iterùm calumniatur Athanaſium apud Conſtantinum, & efficit, ut ab Epiſcopis Cæſareæ Palæſtinæ Concilium indicetur, in quo Athanaſius diſceptaret de ſua cauſa. Verùm Athanaſius comparere noluit, idque ſufficientibus cauſis probavit. *Athanaſius.*

Julius Firmicus lib 1. cap. 2. *annotat. eclipſin Solis factam hiſce Conſulibus magnam, horâ unâ ante meridiem. Ea invenitur ad Prutenicas tabulas die* 17. *Julii Romæ, minutis* 45. *poſt meridiem. Parallaxis Latitudinis eo tempore eſt* 19,6. *Latitudo vera* 18.44. *viſa* 0,22. *Semidiam. Solis* 15,54. *Scrup. reſidua* 31, 17. *Digiti eclipticí* 11,58. *Sol in* 22,35. *Cancri. Invenitur eadem eclipſis & ad noſtras haſce tabulas, ſed poſterior pluſquam horâ integrâ, ut ita tabulæ Prutenicæ propius omnibus ad tempus à Firmico definitum accedant. Notandum hic eſt, quòd Moſterus, qui edidit tabulas Friſicas, falſo affirmet, eclipſin hanc ad tabulas inveniri non poſſe: cum & ego in priore editione eam ad tabulas Prutenicas computatam in Chronologia mea annotârim, & quidem ſex annis antea, priuſquam tabulæ Friſicæ prodirent.*

Annus ſabbathicus 3 *ſive Jobelei ſexti incipit die* 17. *Sept. fer.* 3. *Anno Jud.* 4095.

Arius literis Conſtantini Imperatoris datis 27. Novembr. revocatur; deceptus enim fuerat Imperator ſcriptâ confeſſione Arii; inde Alexandriam, ut ab Athanaſio recipiatur, mittitur. Athanaſius contrà Arium repellit, etiamſi literæ Conſtantini eſſent ſatis minaces. Hac occaſione ſumtâ Euſebius Nicomedienſis, Athanaſium calumniatur ulteriùs, efficitque, ut Synodus Tyri convocetur. *Soc. lib.* 1.

ANNO MUNDI 4284. Poſt C. 335.
E. ☉ 8. ☽ 13. Ind. 8.

Coſſ. Fl. Valerius Conſtantius.
C. Cejonius Rufius Albinus.

Conſtantius hic patruelis fuit Imperatoris Conſtantini, ut Socrates habet. *Alter Conſul fuit etiam præfectus urbis.*

Concilium Tyri convocatur, cui præſedit *Dionyſius* omnes cum militibus, qui Arianorum partes fovebat. Athanaſius hic comparet cum Epiſcopis Ægyptiis quadraginta ſeptem; Judex fuit *Euſebius* Hiſtoricus cum complicibus Arianis. Accuſatores Athanaſii fuerunt *Meletiani.* Accuſationes fuerunt; Prima, quòd hoſpitam ſtuprâſſet: quam Athanaſius refutavit, cùm oſtenderet, ſe ignotum eſſe hoſpitæ illi. Secunda: quòd Arſenium occidiſſet, quem præſentem vivum Athanaſius exhibuit. Tertia; quòd Macarius presbyter calicem fregiſſet: neq; tamen id probari potuit. Ariani ne causâ caderent, legatos mittunt in Ægyptum, inquiſitum de tota vita Athanaſii: Verùm non ex Chriſtianis eos legatos eligunt, ſed ex Paganis. Athanaſius cùm nihil æqui obtineret, Conſtantinopolin ad Imperatorem proficiſcitur. Euſebius contra, quòd Athanaſius finem Concilii non expectâſſet, eum condemnat, Epiſcopatu indignum judicat, & Meletianos in Eccleſiam recipit, & ne quis cum Athanaſio communicare velit, ad omnes Epiſcopos perſcribit. Inde Ariani ex Concilio evocantur Hieroſolymam, & templum *Martyrum* dedicant, ubi & Conſtantinus tricennalia celebrat, & *Conſtantem* Filium Cæſarem creat. *Socrat.*

Calocarus in Cypro ſumit imperium; contra eum Dalmatius mittitur anno triceſimo Conſtantini, qui eum captum Tarſum in Ciliciam adducit, & vivum comburit. *Hieron.*

Sylveſter Papa Romanus, cùm ſediſſet annis 21. diebus 4. moritur die 31. Decemb. ſuccedit ſequente anno die 16. Januarii *Marcus*, qui ſedit menſes octo, die 22. *Onuphr.*

ANNO MUNDI 4285. Poſt C. 336.
DC. ☉ 9. ☽ 14. Ind. 9.

Coſſ. Fl. Popilius Nepotianus.
Facundus.

Rufius

Rufius Albinus *præfectus urbis fuit.*

Athanaſius tandem impetrat, ut ab ipſo Imperatore audiatur. Evocantur ergò eò Ariani, & conveniunt Conſtantinopoli, ubi *Euſebius* Hiſtoricus præmittit orationem ſuam Panegyricam, in tricennalibus de laudibus Conſtantini habitam, ut benevolentiam ſibi conciliaret, & tandem omiſſis illis accuſationibus, quæ Tyri propoſitæ fuerant, novam calumniam fingit de Athanaſio, quòd dixerit, ſe impediturum, ne frumentum Conſtantinopolin devehatur, idque probavit per Ægyptios quoſdam pecuniâ corruptos, effecitque tandem, ut Athanaſius in Gallias relegaretur circa initium menſis Martii. Nihil tamen defuit Athanaſio in exilio, nec ipſi Epiſcopus ſurrogatus eſt, cùm non ut exul dimitteretur, ſed ne aliorum Epiſcoporum inſidiis tolleretur. *Soc. lib.*1.

Eodem tempore, cùm Epiſcopi Conſtantinopoli eſſent, Marcellus etiam Epiſcopus Ancyræ Epiſcopatu pellitur, quòd videretur aliquid in ſententiam Pauli Samoſateni ſcripſiſſe, quæ tamen ipſi contra ſententiam exciderant, & ipſe damnabat. *Socrat. lib.*1.

Annus Nabonaſſ. 1084. *& Philippi ac mortis Alexandri* 660. *incip.* 31. *Maji, feria* 2.

Arius, cùm jam tricesimus Imperii Conſtantini annus exactus eſſet, *ut Socrates habet*, Alexandriam ab Imperatore remittitur, ſed a populo non recipitur: cùmque vi agere tentaret, tumultus propter Athanaſium relegatum & Arium reſtitutum oritur, quapropter Arius revocatur, & Epiſcopo Alexandro Conſtantinopoli ſiſtitur, ut in Eccleſiam recipiatur. Alexander totâ nocte ad terram proſtratus orat à *Deo* auxilium: Arius contrà ſequenti die, magnâ pompâ ad templum deducitur ab Arianis. Sed in via torminibus excrutiatus ſecretum locum petit, ubi omnia inteſtina ſimul effudit, & infami morte defunctus eſt. *Socr. lib.*1.*cap.*25.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 648. *& Antiochenus* 385. *Conſtantinop.* 5845. *incip. à Calend. Octobr.*

Marcus Papa Romanus, cùm ſediſſet menſes quinque, dies ſedecim. *Onuphrius.*

Paterius Orator Romæ Rhetoricam docet. *Hieronymus.*

ANNO MUNDI 4286. Poſt C. 337.
B. ☉ 10. ☽ 15, Ind. 10.

Annus urbis 1089.	*Julianus* 382.
Æra Hiſpanica 375.	*Auguſtorum* 364.

Coſſ. Tib. Fabius Titianus.
Felicianus.

Sapores Perſarum rex ſuperiori anno Meſopotamiam vaſtaverat, & jam Niſibin obſidebat, ideò *Conſtantinus* Imperator ſuſcipit expeditionem in Perſiam: at verò cùm ad thermas Pythias perveniſſet, vehementi febri corripitur, inde cùm Nicomediam perveniſſet, baptiſatur ab Euſebio Nicomedienſi Ariano, & teſtamentum condit, quo filios ſuos tres pronunciat Auguſtos, quibus addit fratris Annibaliani filium Delmatium, quem Cæſarem facit, & moritur die 22. Maji in feſto Pentecoſtes (*plenilun paſchale fuit* 2. *Aprilis fer.* 7. *Ergò Paſcha die tertio Aprilis, & Pentecoſte die* 22. *Maji*) cùm vixiſſet annos 66. imperâſſet annos 30. menſes 9. dies 27. Cadaver Conſtantinopolin relatum & ſepultum in baſilica Apoſtolorum. Succedunt ipſi filii tres: Conſtantinus, Conſtantius, & Conſtans. Conſtantinus natu major imperat annos tres, & cuncta trans Alpes obtinuit. Conſtantini imperat annos 24. menſes 6. qui à freto Propontidis cum Thracia obtinuit Aſiam & Orientem. Conſtans annos tredecim, & habuit Illyricum, Italiam, Africam, Dalmatiam, Macedoniam, & Achaiam.

Cæterùm Conſtantinum morti vicinum, *ut Euſebius habet, & Ambroſius etiam in funebri oratione Theodoſii teſtatur*, baptiſatum eſſe certum videtur, cùm filii ipſius idem imitati ſint: ut Conſtantius in agone ferè baptiſari voluit. Conſtantinus & Conſtans interfecti ſunt, priuſquam baptiſarentur. Idem affirmat Baronius ex Ambroſio, de Gratiano & Valentiano.

Olympias 279. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiad.* 1113.

Annus Diocletiani 54. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Clodomirus Francorum rex, cùm annis octodecim regnâſſet, moritur; ſuccedit filius *Richimer*, qui regnat annis tredecim.

Conſtantius, ab Euſebio Nicomedienſi calumniis perſuaſus, orthodoxos viros præſtantiſſimos, Conſtantium Patruum, Optatum Patritium, Ablavium etiam præfectum prætorio, & Hannibalianum Patruum cum filio Delmatio Cæſare interficit, quaſi ipſorum dolo pater interfectus eſſet.

ANNO MUNDI 4287. Poſt C. 338.
A. ☉ 11. ☽ 16. Ind. 11.

Coſſ. Polemius.
Urſus.

Mecilius Hilarianus *præfectus urbis fuit, & Polemius Conſul ex Oriente.*

Conſtantinus, in cujus regno Athanaſius exulabat, & qui Orthodoxis favebat, regio diplomate *Athanaſium* Alexandriam ad Epiſcopatum recipiendum remittit, cùm exulâſſet biennium & menſes quatuor. Reſtitutus autem eſt hoc anno die 17. Junii, ut ipſe teſtatur. Ariani autem ipſi ſtatim negotium faceſſunt, quòd reſtitutus eſſet abſque Synodali decreto. *Athanaſius Theodor.*

Conſtantius, quòd Sapores Perſarum rex Meſopotamiam vaſtaret, exercitum colligit, eumque mittit in Syriam. Edicta etiam proponit quædam hiſce *Coſſ.* de famoſis libellis, de ambitu & aliis. *Cod.*

ANNO MUNDI 4288. Poſt C. 339.
G. ☉ 12. ☽ 17. Ind. 12.

Coſſ. Imp. Conſtantius II.
Imp. Conſtans.

Lex de adulteriis his Coſſ. *lata.* Cod.

Ariani accuſant Athanaſium apud Lucium Papam Romanum. Athanaſius per legatos ſe excuſat, promittitque ſe cauſam Romæ acturum.

ANNO MUNDI 4289. Poſt C. 340.
FE. ☉ 13. ☽ 28. Ind. 13.

Coſſ. Fl. Septimius Acyndinus.
L. Aradius Valerius Proculus.

Conſulatum inierunt Calendis Febr. cùm ſeriùs ab Imperatoribus creati eſſent. *Onuph.*

Cùm *Conſtans* in Dacia eſſet, ut Reſcripta oſtendunt, *Conſtantinus*, qui forte ſuâ à Patre datâ contentus non erat, ſed inſuper Africam & Italiam petebat, è Gallia contra Conſtantem in Pannonias iter armatus ingreditur. Conſtans ipſi exercitum opponit, à quo vincitur, & cùm in fuga ultimus eſſet, & ſine diademate, ut ignotus occiditur prope Aquilejam, & in flumen Alſam projicitur. Accidit hoc circa finem Martii, ſi quidem Conſtans, qui exercitum ſuum ſubſecutus fuerat, Aquilejæ die ſexto Aprilis fuit, & provincias Conſtantini ordinavit. *Socr. Cod.*

Julius Papa in cauſâ Athanaſii Synodum Romæ indicit, ubi Athanaſius tempeſtivè ſe ſiſtit: Ariani contra venire detrectant. Interim dum expectat adverſarios ſuos, Romæ manet ſeſquiannum, ibique *Symbolum* ſuum conſcribit, & Synodo offert, quod tum repoſitum fuit in Archivis, nec publicatum, niſi quantum ex hiſtoriis conjicere licet, poſt trecentos ferè annos, ubi in Concilio Toletano quarto quædam ex eo translata verba recenſentur. Adduxerat præterea Athanaſius ſecum *Monachos* Ægyptios, qui ſibi hac ratione Romæ ſedes fixerunt. *Baron.*

Annus Nabonaſſaris 340. *& Philippi ac mortis Alexandri* 664. *incipiunt die* 30. *Maji, feria* 6.

Annus Alexandreus 652. *Antiochenus* 389. *& Conſtantinopolitanus* 5849. *à Calend. Octobr.*

Alexander Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cùm ſediſſet annos 23. eſſetque annorum nonaginta octo, moritur, & ſibi ſucceſſorem commendat ex duobus alterum, vel Paulum, vel Macedonium, unde ſchiſma ortum: *Conſtantius* Imperator neutrum vult, ſed *Euſebium* Nicomedienſem Arianum, omnis mali autorem evocat. *Socr. lib.* 1.

Euſebius Hiſtoricus hoc anno moritur. *Socr.*

ANNO MUNDI 4290. Poſt C. 341.
D. ☉ 14. ☽ 19. *Ind.* 14.

Annus urbis 1093.	*Julianus* 386.
Æra Hiſp. 379.	*Auguſtorum* 368.

Coſſ. Fl. Antonius Marcellinus.
Cœlius Probinus.

Conſtantii *& Conſtantis annus quintus ex die* 22. *Maji incipit.*

Athanaſius à Concilio Romano abſolvitur, & Alexandriam ad Epiſcopatum remittitur. *Athanaſius.*

Euſebius, ut labe factaret Concilium Nicenum, & Athanaſium peſſundaret, ſumta occaſione dedicandi Dominici Aurei, cùm ibi Conſtantius etiam quinquennalia acturus eſſet. Concilium convocat nonaginta Epiſcoporum, indict. 14. cui tamen nec Maximus Hieroſolymitanus, nec Julius Romanus affuit: ibi Athanaſius, quòd abſque conſenſu & decreto alicujus Concilii in ſuam ſedem rediiſſet, condemnatur, & Epiſcopatu deponitur, & *Gregorius* Cappadox ipſi ſubſtituitur, & cum quinque millibus militum Alexandriam deducitur. Factum feriâ ſeptimâ, cùm Athanaſius officio ſuo fungeretur in templo: qui ſtatim tumultu audito Pſalmum incipit, auditores quieſcere jubet, & inter alios exeuntes evadit. *Socrat. lib.* 2.

Olympias 280. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1117.

Annus Diocletiani 58. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei ſexti, die 31. *Auguſti, fer.* 2. *Anno Jud.* 4102.

Cùm Concilium ageretur, Franci Romanorum fines, qui Galliæ finitimi ſunt, depopulantur, & omnia longè lateque vaſtant. *Socr.*

Terræ motus univerſum Orientem concutit, inprimis tamen Antiochiam, quæ ad integrum annum terræ motu concuſſa eſt. *Socr.*

ANNO MUNDI 4291. Poſt C. 342.
C. ☉ 15. ☽ 1. *Ind.* 15.

Coſſ. Imp. Conſtantius III.
Imp. Conſtans II.

Euſebius Nicomedienſis, Arianus, Epiſcopus Conſtantinop. moritur, & revocatur ab Eccleſia *Paulus* à Conſtantio ejectus, & hunc pars potior ſequitur, quamvis etiam eſſent, qui Macedonium mallent. Conſtantius Hermogenem cum copiis militaribus Conſtantinopolin mittit, qui Paulum Epiſcopatu dejiciat, qui apertè rem agens ſeditionem commovet, in quâ ædes Hermogenis incenduntur, & ipſe in fugâ retractus, trucidatur. Conſtantius Imperator iratus non tantum Paulum Conſtantinopoli ejicit, ſed & urbem dimidio frumenti, quod civibus in ſingulos annos erogabatur, medimnis ſcilicet Atticis quadringenties mille mulctat. *Socr. lib.* 1.

Eodem anno, *inquit Cedrenus*, Dyrrachium Dalmatiæ urbs terræ motu periit, & Roma periculosè toto triduo tremuit, & quædam in Campania urbes everſæ.

Conſtans Imperator cum Francis, qui Galliam jam tertium annum populabantur, magno prælio confligit, & victoriam obtinet. Franci pace petitâ ad ſuos redeunt. *Hieron.*

Photinus innoteſcit, qui, ut apud Athanaſium eſt, docuit, Chriſtum per ſanctæ converſationis meritum eximio divinitatis honore dotatum, atq; actionum merito in Deum profeciſſe. *Socr.*

ANNO MUNDI 4292. Poſt C. 343.
B. ☉ 16. ☽ 2. Ind. 1.

Coſſ. M. Mæcius Memmius Furius Placidus.
Fl. Piſidius Romulus.

Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, pulſus à Conſtantio, Romam profugit, ubi convocatis Epiſcopis decreto Julii Papæ in Epiſcopatum Conſtantinopolitanum reducitur: ſed cùm eò veniſſet, à Præfecto urbis juſſu Conſtantii in exilium dimittitur, & ejus loco *Macedonius* vir vaferrimus conſtituitur, in cujus conſecratione ultra tria millia hominum interfecti ſunt innocentes, quòd in anguſtias coacti cedere non poſſent. *Socrates.*

Neoca-

Neocæſarea urbs Ponti terræ motu evertitur, excepto templo & Epiſcopi domo. *Hier.*

ANNO MUNDI 4293. Poſt C. 344.
AG. ☉ 17. ☽ 3. Ind. 2.

Coſſ. Salluſtius Autor.
Dometius Leontius.

Ariani iterùm conveniunt Antiochiæ, ubi, ne Occidentalibus Epiſcopis ampliùs de Arianiſmo ſuſpecti eſſent, novam fidei confeſſionem cudunt, quam tamen Occidentales non recipiunt, ſatis ſibi eſſe affirmantes fidem Nicenam, in qua vox *Conſubſtantialis*, quam Ariani averſabantur, erat expreſſa. *Socr.*

Sapores in Perſia perſecutionem renovat, omnesque Chriſtianos p. lli aut trucidari jubet: cùm verò plures eſſent, quàm ut occidi omnes poſſent, juſſit tantùm Epiſcopos & Doctores in Perſia trucidari. *Socr.*

Annus Nabonaſſ. 1092. *& Philippi ac mortis Alexandri* 668. *incipit die* 29. *Maji, feria* 2.

Annus Alexandræus 656. *Antiochenus* 393. *& Conſtant.* 5853. *à Calendis Octobr.*

Weſtphali cum ſuis Friſiam invadunt, ſed infeliciſſimo eventu: attracto enim ſibi hoc modo bello, vincuntur, & Friſiis fiunt tributarii, qui *Suſatum* primùm ædificârunt & *Angriam. Annal. Friſ.*

ANNO MUNDI 4294. Poſt C. 345.
F. ☉ 18. ☽ 4. Ind. 3.

Annus urbis 1097. *Julianus* 390.
Æra Hiſpanica 383. *Auguſtorum* 372.

Coſſ. Amantius.
Cejonius Rufius Albinus.

Conſtantius & Conſtans ineunt annum imperii nonum die 22. Maji.

Protogenes *Sardicenſis Epiſcopus in Illyrico inclareſcit.* Socr.

Sapores *Perſarum rex, perſecutor Chriſtianorum acerrimus, Niſibin obſidet iterum tribus menſibus.* Hieron.

Olympias 281. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiad.* 1121.

Annus Diocletiani 62. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Julianus, qui pòſt Imperator factus eſt, & Apoſtata, puer ſedecim annorum, nomen inter Clericos profitetur, *teſte Nazianzeno*, qui Philoſophiæ tum operam dedit præceptore *Maximo & Jamblicho. Nazianz.*

ANNO MUNDI 4295. Poſt C. 346.
E. ☉ 19. ☽ 5. Ind. 4.

Coſſ. Imp. Conſtantius IV.
Imp. Conſtans III.

Hi Coſſ. *circa anni medium Conſulatum inierunt, cùm invicem diſſiderent, & Calendis Januarii nullos* Coſſ. *creâſſent.* Onuphr.

Seleucia in littore maris Syriaci ſitæ, inſignis portus à Conſtantio magnis reipubl. ſumtibus inſtituitur. *Ced.*

Eclipſis Solis à Cedreno hoc anno decimo Conſtantii annotatur, quæ acciderit die 6. menſis Deſii, horâ ab ortu Solis tertiâ. Deſius autem menſis eſt noſter Junius, & invenitur etiam ad has tabulas die 6. Junii, feria 6. Eclipſis Solis, quæ acciderit poſt horam ſextam matutinam minutis 26, 23 *hoc eſt, horâ tertiâ ab ortu Solis incipiente, ubi Parallaxis latitud. eſt* 40, 11. *Latitudo verò Lunæ* 37, 3. *atque ita viſa* 28. *Semidiameter Solis* 15, 0. *Scrup. reſidua* 27, 4. *Digiti eclipſici* 11, 7. *Sol in* 24, 43. *Geminorum.*

Conſtantius promulgat legem de claudendis Ethnicorum templis, & ſacrificia prohibet ſub pœna capitis & confiſcatione bonorum. *Ced.*

Athanaſius, cùm annum quartum jam Romæ delituiſſet, proficiſcitur Mediolanum, accerſitus à Conſtante Imperatore, ubi de Concilio indicendo agitur. *Athanaſ.*

ANNO MUNDI 4296. Poſt C. 347.
D. ☉ 20. ☽ 6. *Ind.* 5.

Coſſ. Fl. Euſebius.
Fl. Rufinus.

Hiſce *Coſſ.* anno undecimo à morte Conſtantini *Sardicæ* in confinibus Illyrii, Myſiæ & Thraciæ, Concilium ſuperiori anno indictum celebratur: conveniunt Epiſcopi trecenti & quadraginta ſeptem, inter quos præcipui fuerunt *Oſius* Cordubenſis Epiſcopus ex Hiſpania, *Maximus* Hieroſolymitanus, *Paphnutius, Spiridion, Serapion*, qui omnes Niceno Concilio interfuerant. Arianis autem, qui advenerant, in Concilium ut introirent, perſuaderi non potuit, quòd nollent communicare cum Athanaſio & Paulo, ſedibus ſuis pulſis: ideò clanculum diſcedunt, & mirâ calliditate conſilium ineunt de corrumpendo Concilio Sardicenſi. Philippopoli igitur conveniunt, Concilium celebrant, canones conficiunt, & vocabulum ὁμοούσιον anathemate feriunt, idque magnâ celeritate, & ad omnes Eccleſias nomine Sardicenſis Concilii eos transmittunt. Hinc factum, ut cùm dubitaretur, quinam eſſent veri Sardicenſis Concilii Canones, utrique facti ſint ſuſpecti. Interim qui Sardicæ convenerant, harum rerum ignari de Symbolo Niceno agunt, idque integrum ſervandum decernunt: Athanaſium & Paulum, & alios innocentes pronunciant, & ad ſuas Eccleſias remittendos decernunt. *Socr.*

Marcellus in hoc Concilio impoſuit Epiſcopis, quaſi orthodoxè ſentiret, & etiamſi ab Arianis damnatus erat, innocens tamen pronunciatur. Poſtea tamen idem apertè ad Sabellianos defecit, unde Arianis oblata eſt calumniandi hoc Concilium occaſio. *Socr.*

Eclipſis Solis hoc anno annotatur ab Hieronymo, quæ accidit die 20. *Octob. feriâ quartâ poſt meridiem, horis* 4. 26. 28. *ubi Parallaxis latitud.* 53, 22. *Latitudo Lunæ vera unus gradus cum ſcrupulis* 6, 29. *atque ita viſa Septen.* 13, 7. *Semidiameter Solis* 15, 47. *Scrup. reſidua* 18, 42. *Digiti eclipſici* 7, 6. *Sol in gradu* 27, 5. *Libræ: Sunt, qui negant fieri poſſe in ſeptendecim menſibus lunaribus, ut bina Eclipſes ſolares accidant, ſed ii refutantur apertè hoc exemplo.*

ANNO MUNDI 4297. Poſt C. 348.
CB. ☉ 21. ☽ 7. Ind. 6.

Coſſ. Fl. Philippus.
Fl. Salleas.

Noſtrâ ætate, inquit Aurelius Victor, *poſt mille annos centeſimus Conſule Philippo exceſſit, nullis, uti ſolet, ſolennibus frequentatus. Adeò indies cura minima Romanæ urbis.*

Paulus, cùm Conſtans id impetrâſſet à fratre, Conſtantinopolin redit & recipitur. Athanaſius perfidiam veritus, Aquilejæ reſtitit, ubi tertias ſecuritatis literas à Conſtantio accipit, & tandem Alexandriam redit. Priuſquam autem rediret, Gregorius intruſus ille Epiſcopus ab auditoribus trucidatur. *Socr.*

Annus Nabonaſſaris 1096. *& Philippi ac mortis Alexandri* 672. *incipiunt die* 28. *Maji, feria* 7.

Annus ſabbathicus quintus Jobelei ſexti, incipit die 12. *Septemb. fer.* 2. *Anno Jud.* 4109.

Annus Alexandreus 660. *& Antioch.* 397. *& Conſtantinopolitanus* 5857. *incipit à Calend. Octobr.*

Eclipſis Solis annotatur à Caſſiodoro his Coſſ. *ea accidit* 9. *Octob. feriâ primâ poſt mediam noctem, horis* 7. *& minutis* 31, 36. *Conſtantinop. Parallaxis latitudinis* 24 30. *Latitudo Lunæ ſeptent. vera* 31, 27. *Viſa igitur* 6, 57. *Semidiameter* Solis 15.42. *Scrup. reſidua* 24.54. *Digiti ecliptici* 9.31. *Sol in* 16.28. *Libra, atque ita continuis tribus annis eclipſes Solis magnæ viſæ ſunt, quas ſecutæ ſunt ingentes turbæ in imperio.*

Berythus urbs Phœniciæ, maximâ ſui parte terræ motu periit. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4298. Poſt C. 349.
A. ☉ 22. ☽ 8. *Ind.* 7.

Annus urbis 1101. *Iulianus* 394.
Æra Hiſpanica 387. *Auguſtorum* 376.

Coſſ. Acon Fabius Catullinus Philonianus.
Ulpius Limenius.

Conſtantius & Conſtans ineunt annum Imperii decimum tertium die 22. *Maji.*

Sapores Perſa Niſibin urbem iterùm obſidione cingit, & omnis generis oppugnatione tentat, amnem etiam urbi immittit, re tamen infectâ, magnâ ſuâ clade, obſidionem relinquit. *Ced.*

Conſtantius contra Perſas profectus, in campis Sinear ad Singara urbem caſtra Perſarum nocturno prælio expugnat, ſed victoriam è manibus amittit, dum milites luminibus accenſis potui aquæ inhiant, ubi ſagittis à Perſis obruti ſunt. Fuit hæc clades longè maxima, & Amida cum reliquis urbibus amiſſa fuit. *Ammian. Hieron.*

Olympias 282. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1125.

Annus Diocletiani 66. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Conſtans ex Pannonia in Galliam abit, ubi venationibus, voluptatibus, & fœdis libidinibus ſe dedit, omni imperii curâ omiſsâ; quapropter in odium venit. *Socr.*

ANNO MUNDI 4299. Poſt C. 350.
G. ☉ 23. ☽ 9. Ind. 8.

Coſſ. Sergius.
Nigrinianus.

Magnentius Comes contra *Conſtantem* Imperatorem conſpirat, & Imperium ſibi ſumit die 18. Januarii, mittitq; Gaiſonem ad trucidandum Conſtantem, quod factum eſt Helenæ ad Pyrenæos montes, ſecuriſſimè enim vivebat. Occiſus eſt anno imperii, ex quo Cæſar factus erat, decimo ſexto, vitæ triceſimo. *Faſti Sic. Entrop.*

Vetranius etiam, cui Pannonia tuenda data fuerat, imperium ſibi ſumit Calendis Martii, idque perſcribit ad Conſtantium, ſignificatque ſe ipſi amicum futurum, & imperium contra Magnentium defenſurum. *Eutrop.*

Magnentius cùm ſibi metueret à Conſtantio, fratres ſuos *Decentium & Deſiderium* Cæſares facit, & ad Hiſpaniam atque Italiam occupandam dimittit. *Eutr.*

Nepotianus Conſtantini ex ſorore nepos, qui ante annos quatuordecim Conſul fuerat, in hiſce turbis imperium ſibi ſumit die 3. Junii. Sed ab exercitu Maxentii victus vitam & imperium amittit Calendis Julii. *Faſti Sic.*

Floruerunt hiſce temporibus Romæ Victorinus Afer, & Ælius Donatus.

Conſtantius in tanto imperii diſcrimine copias undique colligit, imperium defenſurus.

Richimer Francorum rex, moritur, cùm annos tredecim regnâſſet; ſuccedit ipſi *Theodomirus*, qui regnat annis decem, trucidaturque in prælio à Juliano. *Trub.*

ANNO MUNDI 4300. Poſt C. 351.
F ☉ 24. ☽ 10. *Ind.* 9.

Annus poſt Conſulatum Sergii & Nigriniani.

Conſtantius, cùm & Perſæ Meſopotamiam vaſtarent, & ipſe adjutore in imperio indigeret, *Gallum* patruelem Cæſarem facit, Idibus Martii, datque ipſi ſuam ſororem Conſtantinam uxorem, & Antiochiam mittit, ut imperium contra Perſas defendat. *Ammian.*

Magnentius *Romam venit, multoſque civium & Senatorum, qui videbantur Conſtantio favere, proſcribit. Interim Decentius in Galliis a Chnodomario Alemannorum rege prælio ſuperatur, & Gallia miſerè vaſtatur.* Eutr.

Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus iterùm in exilium Theſſalonicam ejicitur, cui ſubſtituitur Macedonius, in cujus ordinatione plures quàm ter mille homines occiſi ſunt à militibus. Ipſe verò perſecutionem hanc, quæ non multò minor Diocletianâ fuit, non improbavit. *Socr.*

Conſtantius cum exercitu contra Magnentium proficiſcitur, neminemque militem habere voluit, niſi qui eſſet Chriſtianus. Ethnicos autem exauctoravit, & in pagos dimiſit, unde *Pagani* dicti ſunt, quod nomen ad omnes gentiles poſtea traductum eſt. Inter cæteros autem etiam baptiſatus fuit hoc anno *Martinus*, qui poſtea Epiſcopus factus eſt. *Sulp.* Conſtantius verò cùm veniſſet in Pannoniam, inducias facit cum Vetrannione, ne cum duobus ſimul pugnaret, atque interim exercitum ejus ad ſe traducit, & ipſi purpuram detrahit, mittitque Pruſiam in Bithyniam, ipſique ſumtus honeſtos præbuit, quam vitam etiam Vetrannio omni regno prætulit. *Socr.*

ANNO MUNDI 4301. Poſt C. 352.
ED. ☉ 25. ☽ 11. Ind. 10.

Coſſ. Imp. Conſtantius V.
Gallus Cæſar.

Julius Papa Romanus, cùm ſediſſet annos quindecim, menſes quinque, moritur die 12. Aprilis. Succedit ipſi *Liberius*, qui ſimiliter ſedet annos quindecim, menſes quatuor. *Onuphr.*

Gallus *Cæſar Judæos, qui interfectis per noctem militibus arma ceperant, feliciter opprimit, multis millibus eorum occiſis, & civitates eorundē Diocæſaream Tiberia-*

Tiberiadem & alias, flammis comburit; de qua re magnoperè ſolitus eſt gloriari. Cedr.

Annus Nabonaſſaru 1100. *& annus Philippi, ac mortis Alexandri* 676. *incipit die* 27. *Maji, feria* 4.

Annus Seleucidarum Alexandreus 664. *& Antiochenus* 401. *& Conſtantinop.* 5861. *à Calendis Octobr.*

Conſtantius, cùm in Pannonia vario Marte cum Magnentio bellum gereret, tandem ad Murſam eundem magno prælio vincit; ipſe autem in ipſo diſcrimine pugnæ verſari noluit, ſed precabatur in templo, eique aderat Valens Epiſcopus Arianus, qui per nuncios exploravit prælii exitum, & primus ſignificavit Imperatori hoſtes fugere, idque ſe ex relatione Angeli habere, ut ſuæ ſectæ autoritatem adderet, ſed mentitus eſt. *Bar.* Fugato autem Magnentio ipſe Pannoniæ res ordinavit. Magnentius contrà in Italiam cum reliquiis cladis fugit, ubi ad Ticinum Conſtantii Duces viciſſim fugat, ſed cùm à Romanis in urbem non admitteretur, in Galliam tranſcendit. *Zoſim. Zon.*

ANNO MUNDI 4302. Poſt C. 353.
C. ☉ 26. ☽ 12. *Ind.* 11.

Annus urbis 1109. *Julianus* 398.
Æra Hiſpanica 391. *Auguſtorum* 380.

Coſſ. Imp. Conſtantius VI.
Gallus Cæſar II.

Conſtantius init imperii annum 17. *die* 22. *Maji.*

Magnentius, cùm in Galliam tranſcendiſſet, nec ibi amicos inveniret, exercitum quidem per fratres reparat, ſed iterùm à Conſtantio, qui fugientem cum exercitu ſecutus erat, magno prælio vincitur, animo tamen minimè lapſus inſtaurat prælium, ubi cùm tertiò vinceretur, Lugdunum fugit: ibi obſeſſus amicos ſuos interficit, & fratrem Deſiderium vulnerat. Inde ſibi manus infert, menſe imperii quadrageſimo ſecundo. Decentius frater ipſe etiam laqueo vitam finit, ſed Deſiderius ex vulnere recreatus veniam adipiſcitur. *Zoſim.*

Olympias 283. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1129.

Annus Diocletiani 70. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Gallus *dignitate Cæſareâ elatus, omnia pro libitu agit: per Conſtantium blandè de humanitate admonitus, magis efferatur, & comitem Domitianum & Quæſtorem Montium, ſalutaria potiùs quam grata monentes, trucidat. Idem accidit multis aliis, quicunque ab adulatoribus ut nocentes deferebantur.* Ammian.

ANNO MUNDI 4303. Poſt C. 354.
B. ☉ 27. ☽ 13. *Ind.* 12.

Coſſ. Imp. Conſtantius VII.
Gallus Cæſar III.

Conſtantius in hyeme movet in Germanos, & egreſſus Arelate Valentiam petit, ſed excipitur tumultu militum, quod commeatum expedire non poſſet. Tumultus hic auro ſedatur, & cùm parùm proficeret, cum Germanis pacem facit, & Mediolanum in hyberna redit. *Ammian.*

Gallus Cæſar, cùm indies ſuſpectior fieret, blandè evocatur unâ cum uxore Conſtantiniana ſorore Conſtantii, Mediolanum, ut deliberarent de imperio rectè adminiſtrando. Sed Conſtantiniana febri correpta in Bithynia moritur. Gallus verò cùm Conſtantinopolin veniſſet, ludos edit. Inde cùm Iſtram verſus adhuc in hyeme proficiſceretur, à præſidiariis Conſtantii accipitur, & *Polam* Iſtriæ deducitur; ubi cùm rationem gubernationis & tyrannidis dare non poſſet, capite truncatur, quod ad Conſtantium defertur, qui adeò hoc facto intumuit, ut ſe Dominum mundi vocari vellet. Multos ex aula Galli Conſiliarios etiam adduci juſſit, quorum pleroſque Aquilejæ trucidavit. *Julianus* etiam accuſatus eſt, quòd Gallum Conſtantinopoli conveniſſet, & ex Cappadocia privato auſu in Græciam tranſiiſſet ſtudiorum causâ. *Ammian.*

Julianus cùm Athenis eſſet, non ignotus fuit Gregorio Nazianzeno & Baſilio, tum temporis bonis artibus operam Athenis dantibus, & paulò pòſt Gregorius exoratus ab Athenienſib. Oratoriam artem ibi docuit. *Baſil.*

Computus Paſchæ antiquiſſimus & majuſculis literis in membranis manuſcriptus Maffejorum codex hoc anno incipit, & pertingit uſque ad annum Chriſti 610. *Onuph.*

Lentienſes *Germani Rhætiam populantur, & Arbetionem Ducem ex inſidiis aggrediuntur, nec parvam cladem exercitui inferunt, poſtea tamen militum virtute pelluntur, & magnâ clade vincuntur.* Ammianus.

ANNO MUNDI 4306. Poſt C. 355.
A. ☉ 28. ☽ 14. Ind. 13.

Coſſ. Arbetio.
Mavortius Lollianus.

Julius *Firmicus* ſcribit octo libros Aſtronomicorum ad Lollianum Conſulem deſignatum, qui ſeriùs creatus eſt, quòd Conſtantinopoli nullus creatus eſſet Conſul.

Sylvanus *Dux præſtantiſſimus, Germanis Galliam vaſtantibus, in Galliam à Conſtantio miſſus benè rem gerit. Inde in invidiam vocatus, a quibusdam ſimulatur de invadendo imperio; Sylvanus, qui innocens tum erat, cùm noſſet Conſtantii in hujuſmodi crimine inexorabilem ſævitiam, ut ſe defenderet, re verâ ſumit imperium, contra quem mittitur Urſicinus Dux, qui admiſſis perſuaſit militibus, ut Sylvanum occiderent.* Ammian.

Concilium Mediolani indictum, ubi conveniunt ex Oriente pauci, ex Occidente verò ad trecentos. Ipſe *Conſtantius*, qui ſe Dominum orbis terrarum ferebat, Concilio præſedit cum militibus Ipſe Athanaſium accuſavit, & per milites vim adhibuit, nec paſſus eſt de fide agi, niſi agi, niſi Athanaſius damnaretur. Sed Orthodoxi vehementer ipſi reſtiterunt, ideò in exilium ejecti ſunt. *Liberius* Papa Romanus conſulatur exules, ideò ipſe etiam mediâ nocte, ne tumultus fieret, abreptus Mediolanum deportatur, & cùm damnationi Athanaſii ſubſcribere nollet in Thraciam in exilium ablegatur. Paulò pòſt Oſium etiam Cordubenſem Conſtantius ejicere conatur, ſed is cauſam Eccleſiæ magno animo tutatur, ideò detentus fuit Sirmii, quaſi in exilio. *Hilarius* Pictavienſis Epiſcopus, hunc Eccleſiæ ſtatum deplorans, magno animo ad Conſtantium ſcribit, Arianoſque ſuis coloribus depingit, & Orthodoxis exilia relaxari petit. *Hilarius.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei ſexti, incipit 25. *Sept. feria* 2. *Anno Jud.* 4116.

Fincomarchus, Scotorum rex, moritur, cùm annis 47. regnâſſet; ſuccedit *Romachus* Crathilindi filius, qui regnat annis tribus. *Buchan.*

Germani magnis motibus conturbant Galliam & Coloniam Agrippinam capiunt & delent: tumultuantur etiam Sarmàtæ in Pannonia, & Perſæ repoſcunt Armeniam & Meſopotamiam. Cùm igitur Conſtantius omnibus obviam ire non poſſunt, & Ducibus tantam rem committere non auderet, *Julianum* Patruelem, Galli fratrem, accerſitum Romæ proclamat Cæſarem, die 6. Novembr. ipſique jungit matrimonio ſororem Helenam, & in Galliam dimittit, Calendis Decembr. *Ammian.*

ANNO MUNDI 4305. Poſt C. 356.
GF. ☉ 3. ☽ 15. *Ind.* 14.

Coſſ. Imp. Conſtantius VIII.
Fl. Julianus Cæſar.

Conſtantius mittit Syrianum Ducem cum exercitu Alexandriam, qui Athanaſium Epiſcopatu ejiciat; factum, ut literæ Alexandrinorum oſtendunt, die 15. Mechir, die 9. Febr. qui crudeliter ſæviit in Orthodoxos. Athanaſius miro modo evaſit, cæteri Epiſcopi in tota Ægypto, Lybia, & Pentapoli ſedibus ſuis ejiciuntur, & Ariani ſubſtituuntur. Athanaſius interim in eremo delituit, uſque ad Conſtantii obitum, & Athanaſio ſurrogatur Georgius vi intruſus. *Athanaſius.*

Conſtantius Romam abit menſe Aprili, Jani templum claudit, & de Magnentio triumphat: affuit ipſi Hormiſda Perſa profugus, qui interrogatus de urbis Romæ magnificentia, reſpondit, benè ſe omnia habere, cùm & Romæ moriantur homines. Inde matronæ Romanæ intercedunt pro reditu Liberii Papæ, quibus quidem benignè reſpondet, reditum tamen ejus differt uſque in ſequentem annum, & triceſimo die Româ iterùm abit. Factum die 29. Maji. *Ammian.*

Julianus, cùm Viennæ Galliæ hybernâſſet, Auguſtodunum venit die 24. Junii; Inde Brotomagum venit, Germanoſque pellit, & Coloniam Agrippinam reſtituit; Inde per Treviros profectus, apud Senonas hybernat, ubi per triginta dies obſidetur à Germanis, ſed fruſtrà. *Ammian.*

Annus Nabonaſſaris 1104. *& annus Philippi, ac mortis Alexandri* 680. *incipit die* 26. *Maji, feria* 1.

Annus Alexandr. 668. *Antioch.* 405. *& Conſtantinop.* 5865. *à Calend. Octobr.*

Conſtantia urbs Coſtnitz / à Conſtantio Imperatore ædificatur.

Sarmatæ in Pannoniam excurrunt, ideò Conſtantius eò abit, & Urſicinum in Orientem contra Perſas mittit. *Ammian.*

Hoc anno, *ut Sulpitius habet*, Martinus abdicatâ militiâ ſe religioni dedit.

ANNO MUNDI 4306. Poſt C. 357.
E. ☉ 2. ☽ 16. Ind. 15.

Annus urbis 1109.	*Julianus* 402.
Æra Hiſpanica 395.	*Auguſtorum* 384.

Coſſ. Imp. Conſtantius IX.
Fl. Julianus Cæſar II.

Præfectus urbi fuit Orphitus ſecundùm, quo præſidente Obeliſcus Romæ, qui ex antiquis Thebis Ægyptiacis erutus fuit, navi ingentibus ſumtibus translatus eſt. *Ammian.*

Conſtantius ſui imperii annum 21. *die* 22. *Maji.*

Julianus *ex hybernis egreſſus, Rhemos pervenit; Barbatio verò legatus Juliani in Rauracos proficiſcitur. Interim Germani Lugdunum vaſtant, quos Julianus redeuntes & interceptos egregiè ulciſcitur: Inde tres tabernas in Alſatia a Germanis vaſtatas inſtaurat. Barbatio verò à Germanis vincitur, & quòd ſibi malè cum Juliano conveniret, ad Conſtantium abit.* Ammianus.

Sirmii in Pannonia juſſu Conſtantii celebratur Concilium, in quo Imperator & Epiſcopi Orientales, ut ſe ſuſpicione hæreſeos Arianæ liberarent, *Photinum* damnant; novamque Confeſſionem cudunt, cui, cùm & cruciatus & tormenta Occidentalibus Epiſcopis adhiberentur, ſubſcripſit etiam Oſius jam centenario major, & *Liberius*, qui inſuper in damnationem Athanaſii conſenſit, quod Oſius facere noluit. *Liberius* inde Romam revertitur, ſed quòd ſubſcripſiſſet, & cum Arianis communicâſſet, non recipitur. *Felix* interim, qui vicem Pontificis hactenus geſſerat, quanquam malis artibus introierat, Pontificatum gerit, & Imperatorem Conſtantium hæreſeos damnat, ob quam cauſam juſſu Conſtantii trucidatur. *Hiſtor. Eccleſ.*

Olympias 284. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1133.

Annus Diocletiani 74. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Germanorum reges ſex cum exercitu ad tres Tabernas, menſe Auguſto, conſidunt, quorum præcipuus erat *Chonodomarius*: eos aggreſſus Julianus vincit, & Chonodomarium ex fuga redactum capit, Romamque mittit, ubi tandem morbo Caro conſumtus eſt. Ceciderunt ex hoſtibus ſex millia, præter eos, qui in Rheno ſubmerſi ſunt; Romanorum ultra ducentos. Poſt victoriam Julianus Moguntiam proficiſcitur, & Mœnum transgreſſus viciniam vaſtat, idque poſt æquinoctium. Ibi Germani petunt pacem, & obtinent inducias decem menſium. Interim quædem caſtella, quæ ad Moſam inunita a Germanis erant, obſidet, mediâ hyeme, & deditione accipit; reliquum hyemis exigit Pariſiis. *Ammian.*

ANNO MUNDI 4307. Poſt C. 358.
D. ☉ 3. ☽ 17. *Ind.* 1.

Coſſ. Tib. Fabius Titianus.
Neratius Cerealis.

Quadi *& Sarmatæ tumultuantur in Pannoniis; ad eos compeſcendos ipſe Imperator proficiſcitur, & ſtatim primo vere Iſtrum tranſit, regiones longè lateque vaſtat, & totam gentem in deditionem accipit, unde Sarmaticus appellatus eſt.* Ammian.

Ariani propter *Photinum* & alios inter ſe diſſentiunt, quod moleſtè fert *Conſtantius*, & ideò Concilium indicit generale *Nicomediæ*, quo cùm Epiſcopi properant, ipſa Nicomedia terræ motu corruit, dies 24. Auguſti. Concuſſerat idem terræmotus etiam Thraciam & Macedoniam: ideò Concilium impeditum eſt, & ſequenti anno ita diviſum, ut Orientales Epiſcopi *Seleuciam* convenirent, Occidentales verò *Ariminum*. *Sulpit. Ammianus.*

Romachus

Romachus, rex Scotiæ, cùm annos tres regnâſſet, moritur; ſuccedit *Fethelmachus*; qui regnat annos quatuor. *Buchan.*

Julianus cùm hyemem Pariſiis exegiſſet, ante Julium adhuc menſem, quo Germani exercitus educere ſolent, pergit ad Francos, qui Salii vocantur; ſed incidit in maximas difficultates, cùm commeatum ratio haberi non poſſet. Ponte igitur perfecto, cùm Rhenum tranſiiſſet, occurrit regi Francorum, qui pacem petit, & commeatum obtulit. *Iul.*

ANNO MUNDI 4308. Poſt C. 359.
C. ☉ 4. ☽ 18. Ind. 2.

Coſſ. Euſebius.
Hypatius.

Fuerunt hi fratres Germani Euſebia uxoris Conſtantii.

Julianus ne provincias tributo exhauriat, dat operam, horrea præparat, & munit contra Germanos civitates ſeptem, inter quas fuerunt *Noveſium, Bonna, Bingium*, &c. Inde ponte perfecto Rhenum tranſit, in hoſtes ducit, eoſque in deditionem accipit. *Amm.*

Arbetio, vir clarus & olim Conſul, uxoris literis, quas inconſideratius ſcripſerat, in ſuſpitionem affectati imperii ductus interficitur. *Ammian.*

Arimini ad Concilium coguntur Epiſcopi Occidentales ferè quadringenti, die 22. Maji, inter quos fuerunt Ariani ferè octoginta. Confeſſiones Sirmianæ abrogantur, & fides Nicena damnatis Arianis confirmatur, decemque legati, quæ hæc Conſtantinopolin ad Imperatorem perferant, eliguntur & mittuntur: Ariani prodiderant hæc Conſtantio, ideò Legati detinentur, uſque in diem 10 Octobr. Interim Epiſcopi Arimini per *Taurum* prætorio præfectum, tanquam in laxo carcere detinentur. Legatis tandem à Conſtantio alia fidei formula, in qua vox *ὁμούσιος* excludebatur, proponitur, quam ſubſcribere coguntur, & ad Epiſcopos Ariminum conferre, qui, ut tandem dimittantur, ſubſcribunt. Qui Synodo non interfuerant, nec ſubſcribere volunt, ſedibus ſuis pelluntur. *Sulp.*

Rumores de bello Perſico exciti faciunt, ut *Sabinianus* nulli ſanè ingenii induſtriæ in Perſiam mittatur. Sapores autem Perſarum rex ingenti exercitu in Meſopotamiam irrumpit: noſtri contrà ut Perſas commeatu intercludant, terras vaſtant, ſed à Perſis interclusi magnâ clade afficiuntur, quando Perſæ nocturnâ concertatione exercitum Romanum crudeliſſimè trucidârunt. Euphratem tamen Perſæ hoc tempore non tranſcenderunt, ſed ad *Amidam* caſtrum ſubſtitêre, in quo erant Perſidiarii milites ad viginti millia, inter cæteros fuerunt etiam aliquot Galli, qui tædii impatientes erumpunt, regem Perſarum pluſquam centenis millibus hominum vallatum occiſuri: qui cùm magnam ſtragem edidiſſent, amiſſis, quadringentis repulſi ſunt. Obſidio duravit dies 73. & tandem caſtrum expugnatum eſt, amiſit Perſa in ea obſidione ad triginta millia hominum. Ammianus Marcellinus ſimul in obſidione fuit, & vix effugit. *Ammian.*

Seleuciæ, quæ urbs eſt Iſauriæ, conveniunt circa autumnum Orientales Epiſcopi centum & ſexaginta; ô acceritus etiam fuit *Hilarius*, qui jam annum ferè quartum in Phrygia exulaverat. Ibi Ariani qui dicebant, Chriſtum Patri ſimilem eſſe tantùm voluntate, damnantur; damnati contra abeunt Conſtantinopolin ad Imperatorem, ibique novam confeſſionem ad arbitrium Conſtantii cudunt, & Semi-Arianos viciſſim damnant, eoſque Eccleſiis ejiciunt. *Sulp.*

Conſtantius Limigantes Sarmatas in ſuas ſedes repulſurus, inſidiis eorum ferè intercipitur, à ſuis tamen ereptus ad internecionem eos delet, & Conſtantinopolin, ut rebus Perſicis propior eſſet, regreditur. Ammian.

Monſtrum hoc anno natum eſt Antiochia, infans ore gemino cum dentibus binis, & barba, quatuor oculis, & duabus auriculis. Ammian.

ANNO MUNDI 4309. Poſt C. 360.
BA. ☉ 5. ☽ 19 *Ind.* 2.

Coſſ. Imp. Conſtantius X.
Fl. Julianus Cæſar III.

Conſtantius damnatus Semi Arianos ubique ſedibus ſuis expellit, contrà tamen *Hilarium* ab exilio revocatum in Galliam mittit. *Sulp.*

Macedonius Semi Arianus, quòd multiplicis cædis reus eſſet, & Diaconum ſtupri convictum in communionem recepiſſet, in exilium pellitur, qui pulſus hæreſin excitat de Spiritu ſancto, quòd ſit creatura. Contra hunc primus in aciem prodit Athanaſius, latitans in eremo. Ariani contrà blaſphemiam hanc de Spiritu ſancto cupidè arripuerunt, ut & Donatiſtæ & alii. In locum Macedonii ſequenti anno, die 27. Januarii, ſuccedit *Eudoxius* Arianus. *Sozom.*

Ambroſius dicit in Epiſtola ad Epiſcopos, anno Dioclet. 76. Paſcha celebratum eſſe die 28. Pharmuthi, qui eſt 23. Aprilis. Plenilunium Paſchale incidit in 27. Aprilis, fer. 2. Ergo conveniunt anni Diocletiani.

Britanni *tumultuantur, ad quos compeſcendos Julianus mittit Lupicinum; & Urſicinus præſtantiſſimus Dux calumniis opprimitur & ambitu removetur.* Ammianus.

Annus Nabonaſſaris 1108. & annus Philippi & Alexandri 684. incipit die 25. Maji, feria 5.

Per eos tractus, inquit Ammianus, *hoc anno, cœlum ſuit textum caligine obſcura et nebulæ & à primo aurora exortu, uſque ad meridiem intermicabant jugiter ſtella. Quibus verbis ſignificatur eclipſis Solis. Ea accidit 28. Auguſti, feriâ ſecundâ, paulo poſt exortum Solis in Meſopotamia ubi eam Ammianus obſervavit. Parallaxis latitudinis eſt 12. 15. Lunæ verò ſeptentr. 11 27. atque ita latitudo viſa auſtralis 0, 48. Semidiameter Solis 15 23. Summa Semidiametrorum 30, 13. Scrupula reſidua 29. 35. Digiti eclipſeos 11, 32. Sol igitur totus obſcuratus eſt, ſeparavitque tamen ita, ut primùm corniculatus appareret, ut Ammianus* loquitur.

Annus Alexandrinus 672. Antiochenus 409. Conſtantin. 5869 à Calend. Octobr.

Conſtantius expeditionem adornat in Perſas, & propterea mittit in Gallias, & evocat fortiſſimos centuriones, & milites, præcipuè Germanos & Gallos; qui cùm inviti trans Alpes in Orientem proficiſcerentur, motâ ſeditione Julianum Auguſtum proclamant. Julianus, qui vim hanc repellere

pellere non poterat, hæc ad Conſtantium perſcribit, & ſibi ignoſci petit. Conſtantius verò jubet, ut ſe intra poteſtatem Cæſaris contineat, & interim Cæſarea, ubi erat Antiochiam proficiſcitur. *Ammian.*

Meletius ab Arianis Antiochenæ Eccleſiæ præfectus fuerat Epiſcopus, ſed is jam ab Arianis ad Orthodoxos tranſierat, ideò à Conſtantio pellitur in exilium, & ejus rei ergò Conſtantius ibi Synodum Epiſcoporum convocat. *Sozomenus.*

Julianus interim in Francos movet, quos invenit valdè ſecuros, quaſi nemo cum exercitu ad ſe in tanta viarum aſperitate accedere poſſet: ſed Julianus eos vincit, & ad Rauracos venit. *Ammianus.*

Theodomirus, Francorum rex, cùm decem annis præfuiſſet, cadit in prælio contra Julianum; ſuccedit Clogio, qui regnat annis 18. *Trith.*

Sapores Perſa cùm exercitu Tigridem fluvium tranſit, & in Meſopotamia *Singaram* urbem oppugnat, & expugnat, relicto *Niſibi* propugnaculo, & ad *Bezabdam* tranſit, in cujus præſidio tres legiones erant, & caſtrum iterùm munit & muris & præſidio. *Ammian.*

Conſtantius *poſt æquinoctium autumnale Numidiam venit, cladem contemplatur, &* Bezabdam *iterum obſidet magnis conatibus, ſed fruſtrà, cùm aſſiduis imbribus impediretur, igitur in hyberna Antiochiam redit.*

ANNO MUNDI 4310. Poſt C. 361.
G. ☉ 6. ☽ 1. Ind. 4.

Annus urbis 1113.	*Julianus* 406.
Æra Hiſpanica 399.	*Auguſtorum* 388.

Coſſ. Fl. Florentius.
Fl. Taurus.

Julianus, ut omnium favorem retineret, adhuc fingit ſe Chriſtianum eſſe, & in feſto Epiphaniorum ſacris interfuit. *Ammian.*

Conſtantius in hybernis, cùm prior conjux defuncta eſſet, nuptias celebrat cum Fauſtina, & ſe ſocietatibus regis Armeniæ & Iberiæ contra Perſas munit; mittit etiam præſidia in Africam contra Julianum: & Germanos inſtigat, ut rebellent Juliano, ne ex Gallia diſcedere audeat. *Ammianus.*

Conſtantius init imperii annum viceſimum quintum die 22. Maji.

Alemanni *Rhetios vaſtant, ad eos compeſcendos Julianus mittit Ducem, qui trucidatur cum parte exercitûs; ideò alium exercitum eò deducere jubet, qui Vadomarium Alemannorum regem ex inſidiis capit, & hoſtes improviſos opprimit*, Ammian.

Conſtantius, *cùm audiret* Saporem *iterum in armis eſſe, contra eum movet, & Edeſſam pervenit, mittitque Duces cum exercitu, qui Tigridis ripas cuſtodirent, & de conſiliis Perſarum explorarent.* Ammianus.

Julianus, *cùm melius ſibi videretur apertè inimicitias Conſtantio denunciare, quàm ipſi amicum eſſe, motâ ſemel re, ne ſicut frater Gallus tolleretur, pacatâ primo vere Germania, exercitum in multas partes dividit, & diverſis viis in Illyricum & Thraciam tendit.* Ammianus.

Olympias 285. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1137.

Annus Diocletiani 78. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Julianus *in itinere ad diverſas civitates mittit literas, in quibus vituperat Conſtantium, hortaturque eos, ut ſibi fideles eſſe velint: interim duæ legiones, memores fidei datæ Conſtantio, Aquileiam occupant, eamque contra Julianum defendunt. Julianus igitur eam obſidendam ſtatuit, ſed obſeſſi magnâ cum clade obſidentium ſe fortiter defendunt, expugnati tamen tandem fuiſſent ſiti, niſi Julianus eos certiores feciſſet de obitu Conſtantii.* Ammianus.

Conſtantius, cùm audiſſet Julianum Italiam prætergreſſum, & jam appropinquare Thraciæ, præmittit in curribus milites ad defendendam Conſtantinopolin: Ipſe Conſtantinopolin redit, ubi ſe curat baptizari ab Euzoio Ariano. Inde movens ſeneſcente autumno, cùm Tarſum in Ciliciam veniſſet, tentatur febriculâ, quam excuti poſſe labore itineris putavit: ſed cùm morbus ingraveſceret, ſub Tauri montis radicibus moritur, die 3. Novembris, anno primo Olymp. 285. anno Antiocheno 410. indictione quintâ ineunte, cùm imperâſſet cum patre annos 12. ſolus verò annos 24. & menſes ferè ſex. *Socr. Ammian.* Reliquit uxorem gravidam, quæ enixa eſt filiolam, quam uxorem ducit Gratianus Imp.

Julianus, *cùm in Thraciam veniſſet, lentè progreſſus eſt, donec audiret Conſtantium morbo defunctum, & ingreſſus eſt Conſtantinopolin die 11. Decembr. & ſtatim reſecat aulicorum luxum, Epiſcopos quoſvis in exilium ejectos, tam Arianos quàm Orthodoxos, in ſedem ſuam reſtituit, eoſque convocatos admonet concordiæ.* Audite me, *inquit*, quem audiverunt Alemanni & Franci. *Omnium indè benevolentiam ſibi conciliari ſtuduit, omnes beneficiis ſibi devincit. Ethnicorum etiam templa aperire jubet.* Socr.

Athanaſius hoc anno quatuor Orationes pro veræ pietatis defenſione ſcribit, anno triceſimo ſexto, poſt Concilium Nicenum. *Athanaſius.*

ANNO MUNDI 4311. Poſt C. 362.
F. ☉ 7. ☽ 2. Ind. 5.

Coſſ. Fl. Mamertinus.
Fl. Nevitta.

Mamertinus infimæ originis homo fuit, & in magiſtratu crudelis, quem Julianus ad tantos honores evexit. Ammi.

Julianus *præterea Themiſtium Philoſophum primum præturæ inſignibus ornat, inde eum præfectum urbis facit, &* Libanium *Sophiſtam quæſturæ donat inſignibus.* Ecebolius *etiam Rhetor Conſtantinopolitanus illectus beneficiis Juliani, à Chriſtiana religione deficit, & Ethniciſmum amplectitur.*

Julianus Calendis Januarii, cùm dona militibus diſtribuere vellet, omnes ad ſe venire juſſit, arâque ante ſe conſtituta, voluit accedentes thus in ignem conjicere, atque ita dona accipere: quod quidam ſe imprudentes hoc feciſſe excuſaverunt, qui autem id facere noluerunt, ad fines imperii relegati ſunt, inter quos etiam fuit Valentinianus, qui pòſt imperavit. Ut Chriſtianos ad Idololatriam pelliceret, Conſtantinopoli omnia venum expoſita ſacrificiis polluit: ſed cives toto illo quadrageſimæ tempore tantùm frumento cocto in cibum uſi ſunt. *Diaconus.*

Georgius

Georgius ille Alexandriæ intruſus Epiſcopus, cùm locum quendam Ethnicis religionibus olim dicatum repurgari curaret, & in ſacrificiis oblatorum olim hominum calvarias ludibrio haberet, Operarii repelluntur tumultu populi & ipſe ad camelum alligatus raptatur, & diſcerpitur, & comburitur. Julianus ſcribit ad Alexandrinos, & eos admonet concordiæ. *Soc. lib. 3.*

Athanaſius Alexandriæ ſuis ſedibus reſtituitur, Ariani contrà loco Georgii alium Epiſcopum eligunt. Athanaſius verò Epiſcopos ſtatim convocat, ubi vocula *οὐσίας* & *ὑποςάσεως* quæ uſurpari cœperant, explicata ſunt, & eorum uſus probatus contra Hæreticos, ne inopiâ vocabulorum confunderentur & res & auditores. *Soc.*

Julianus cùm bellum Perſicum meditaretur, & pecuniâ deſtitueretur, Chriſtianos, qui Idolis ſacrificare nolebant, pecunia multabat: ideò Alexandrini in tanta occaſione necendi Chriſtianis, Athanaſium accuſant labefactatæ civitatis, quare ad mortem quæritur, uin tamen effugit mirabiliter. *Soc.*

Fethelmachus, cùm 4. annis regnaſſet, moritur: ſuccedit ipſi *Eugenius*, qui regnat annis 21. *Buchan.*

Julianus *Portum extruit Conſtantinopoli, & Bibliothecam conſtruit, præparatque, quæ bello neceſſaria erant, decem menſium ſpatio.*

Annus ſabbathicus ſive 7. Jobeleus 6. incipit 7. Sept. feria 7. Anno Jud. 4123.

Calendarium Judaicum confecit Rabbi Hillel, circa hoc tempus, ut Rabini habent: nominant illi annum deſolationis templi 290. & 670. contractuum, & Judaicum 4118. qui eſſet annus æræ Chriſtianæ 358. qui eſſet deſolationis 288.

Julianus *circa Menſem Octobrem iter Antiochiam verſus ingreditur, & Chalcedone legatos Perſarum, quòd nollent intereſſe ſacrificiis, contra jus gentium occidit. Inde cùm crudeliter in Epiſcopos Galatiæ graſſatus fuiſſet, Antiochiam venit, ubi propter hircinam barbam multis ſcommatis excipitur, in quos, etſi iratus erat, tantùm orationem habuit, quam* Miſopogon, *odium barbæ, appellavit, quâ ſalſè irridet Antiochenorum mores. Conſulit inde oraculum* Daphnes, *quod nihil reſpondit, quòd* Babylas *Epiſcopus in vicinia ſepultus eſſet: ideo effoditur, & ejus reliquiæ aliò transferuntur. Sed paulo pòſt templum illud incenditur, & in ipſo templo nihil præterquam ſtatua Daphnes crematur, proximis tabulis non læſit.* Baron.

Cæſareæ Philippi ſtatuam Chriſti ab Hæmorrhousâ poſitam, ad quam herba pellendis omnibus morbis accommodata creſcebat, Julianus dejicit, & ſuam eo loco ponit, quæ fulmine paulò pòſt dejecta eſt. *Ced.*

Cùm Julianus prohiberet, ne Chriſtianorum filii in Grammaticis & bonis artibus imbuerentur, *Apollinarii*, Pater & filius, in artibus eruditi ſcholas aperiunt, & Pater quidem, Moſen & Hiſtoricos veteris teſtamenti Heroicis verſibus reddidit, aut Tragœdiis expreſſit: Filius verò Evangelia dialogis Platonico more explicavit. *Soc.*

Nicomedia iterum corruit terræmotu die 2. Decembr. veſperi, & non mediocris pars Niceæ urbis. *Hieronymus.*

ANNO MUNDI 4312. Poſt C. 363.
E. ☉ 8. ☽ 3. *Ind. 6.*

Coſſ. Imp. Julianus IV.
Secundus Saluſtius Promotus.

Julianus, *paulò antequam in Perſiam moveret, Judæis non tantum permittit, ut Hieroſolymam inſtaurent, ſed etiam tributum eis remittit, & conſtituto præfecto* Alipio *ſumtibus ſuppeditat. Judæi truculentiores facti templa Chriſtianorum cremant in tota ferè Palæſtina: Sed dum opus aggrediuntur, fundamenta jacta terramotu eruuntur, & ignis è terra erumpens tam operarios quam inſtrumenta eorum conſumit, & in veſtimentis Judæorum cruces apparuerunt.* Soc. lib. 3.

Julianus *cum exercitu ſexaginta quinque millium Antiochia diſcedit die 5. Martii, tranſit Euphratem 7. Aprilis, ubi quaſdam urbes deditione capit, quaſdam expugnat, poſtea ſuas ipſius naves comburit, ne hoſtes iis potirentur. Perſæ contra commeatum intercludunt, ideo in caſtris magna penuria: tandem hoſtes accedunt pugnatur acriter die 18. Junii. Iterum congrediuntur 26. Junii, ubi Julianus ſub dexterâ axilla vulneratur, quo vulnere cecidit, & ſequenti nocte extinctus eſt.* Ammianus.

Jovianus eligitur Imperator ſequenti die: fuit homo Chriſtianus, ſed in magna difficultate: cùm regredi non poſſet, Perſis inſtantibus, & objecto Tigride, pacem, quam Sapor ipſe offerebat, accipit in annos triginta, & concedit ipſius *Niſibin*, & vicina loca: rurſum aſſumit Labarum Conſtantini, quod Julianus removerat, revocat etiam milites in exilium pulſos, & reſtituit Eccleſiis congiaria. Epiſcopos omnes Arianos pariter & Catholicos reſtituit, & hortatur eos ad concordiam, uſus conſilio Athanaſii, qui ipſi cum quibuſdam Epiſcopis aliis præſcribit fidei formulam: multi tum Ariani ad Eccleſiam redierunt, & Philoſophi poſuerunt pallia, quòd delubra gentilium iterum clauderentur. *Ammi.*

ANNO MUNDI 4313. Poſt C. 364.
DC. ☉ 9. ☽ 4. *Ind. 7.*

Coſſ. Imp. Jovianus.
Joviani F. Varronianus.

Infans hic fuit, qui nullis blandimentis adduci potuit, ut curuli ſella veheretur. Ammi.

Jovianus Imp. cùm Conſtantinopolin properaret, apud oppidum Dadaſtana inter Galatiam & Bithyniam, improviſo caſu, nocte exanimatus inventus eſt, fœtore prunarum, *ut Hieronymus habet*, ſuffocatus, die 17. Febr. quæ prunæ ad cellulam iſtam recens inſtructam ſiccandam accenſæ erant, cùm imperâſſet menſes ſeptem, dies 22.

Valentinianus ſtatim poſt obitum Joviani decernitur Imperator: ſed quia aberat, decem dierum interregnum fuit, & cùm Valentinianus adveniret, pridie diei intercalaris toto ſequente die quievit, nec domo exiit, quod ut infauſtum illum diem vitabat, & ſequenti die, qui fuit 25. Febr. in anno biſſextili, declaratus eſt Imperator, cui, dum deliberat de collega aſſumendo, ſubjicit Dagalaiphus conſilium: *Si*, inquit, *tuos amas, habes fratrem: ſi Rempubl. quære alium*, ſed tandem elegit fratrem

fratrem die 1. Aprilis. Hoſtes enim imperii exoriebantur complures, Alemanni videlicet, qui Gallias & Rhetias populabantur; Sarmatæ & Quadi, qui Pannonias; Picti & Saxones & Scoti, qui Britannos; Mauri & aliæ gentes, qui Africam; Perſæ, qui Armeniam; Gothi, qui Thraciam, ut ita collegâ magnopere indigeret. Imperavit autem Valentinianus annos undecim, menſes 8. dies 22. *Ammian.*

Onufrius in Commentario ad hunc annum magnopere gloriatur de certitudine ſuorum annalium, ex hoc argumento quòd annus hic ſit Julianum 408. & æræ Chriſtianæ 364. ambo de numero pariter pari, quo anni biſſextiles fieri conſueverunt. Sed pueriliter errat. Nam anni æræ Chriſtianæ non ejuſdem ſunt conditionis cum annis Julianis. Annus enim præcedens æram Chriſtianam fuerat biſſextilis, & annus Cycli ſolaris nonus, atque ita rectè quivis quaternarius annus in hac epocha eſt biſſextilis: Sed in annis Julianis alia eſt ratio. Ibi enim in fine præcedentis anni omnia intercalata fuerant, & cum primo hujus epochæ anno novus annorum ordo incipiebat hac methodo, ut poſt quatuor annos ſolidos, hoc eſt, quinto anno ineunte, dies unus intercalaretur; quod Pontifices non intelligentes, quarto anno currente diem intercalârunt, atque ita Calendarium corruperunt, quod Auguſtus Cæſar poſtea omiſsâ intercalatione correxit; atque ita, poſt correctionem ab Auguſto factam, biſſextilis in epochâ Julianâ annus ſemper in imparem, videlicet in quintùm, nonum, decumum tertium, decimum ſeptimum, viceſimum primum ineuntem annum, & ſic deinceps, incidit, ut vera ratio poſcit. Fuit enim annus primus Julianus Cycli ſolaris viceſimus primus; quintus verò Cycli ſolaris viceſimus quintus, atque ita biſſextilis, ut Cycli ratio oſtendit. Manifeſtum igitur eſt Onufrium errare, & antiquum Pontificum errorem renovare.

Annus Nabonaſſaris 1112. & Philippi & mortis Alexandri 688. incipit die 24. Martii, feria 2.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 676. & Antiochenus 413. Conſtant. 5873. à Calend. Octobr.

Procopius cognatus Juliani, quem Julianus etiam voluerat ſucceſſorem, Calend. Novembr. ſumit imperium. latuerat hic diu in Cappadocia, & extremâ inopiâ coactus Chalcedone tandem amicos invenit, quibus fretus Conſtantinopolin properat, & pellectâ in ſocietatem ſuam multitudine, dum cognationem ſobolis Conſtantini jactat, regiam occupat. *Ammi.*

Theon Aſtronomus lib. 6. in Ptolomæum *annotat Eclipſin Lunæ factam anno 81. Diocletiani Athyr 29. Anno verò Nabonaſſaris 1112. die 6. Phamenoth, qui menſis & dies incidunt in hunc annum, in diem 25. Novembr. & Eclipſis Lunæ facta eſt nocte, quæ ſecuta eſt diem 25. Novembr. ineunte die 26. Nov. poſt mediam noctem fer. 6. horis 3,24. Alexandriæ latitudo Auſtralis vera 23,58. Semidiameter Lunæ 17, 21. Summa ſemidiam. 61,21. Scrup. reſidua 37, 23. digiti Ecliptici 13,3. Sol in 5. gradu Sagittarii.*

ANNO MUNDI 4314. Poſt C. 365.
B. ☉ 10. ☽ 5. Ind. 8.

Annus urbis 1117. *Æra Hiſpan.* 403.
Julianus 410. *Auguſtorum* 392.

Coſſ. Imp. Valentinianus.
Imp. Valens.

Valentinianus & Valens ineunt annum ſecundum imperii, menſe Martio.

Germani ſtatim poſt Calendas Januarias in Gallias tranſeunt, quibus obviam Valentinianus mittit binos Duces, qui ambo trucidantur à Germanis; ideo majoribus viribus bellum id præparat, interim munit Illyricum, ne Procopius in Pannonias irruat, item Africam. *Ammi.*

Procopius ut favorem multitudinis obtineret, Conſtantii filiam poſthumam cum matre Fauſtina ſecum ducit, quaſi pro iis defendendis bella gereret; & primum quidem exercitum contra ſe miſſum in ſuas partes allicit, inde Helenopolin occupat, Niceam obſidet, & tandem totâ Bithyniâ potitur. *Amm.*

Valens Imper. turbatus Procopii aſtu, quòd & Conſtantinopoli potitus eſſet una cum regiâ, & deinde Scytharum auxilia decem millia acceſſiviſſet, quibus tot regiones occupâſſet, in animo habuit ad conditiones pacis deſcendere, quod & feciſſet; niſi à Ducibus prohibitus fuiſſet. Ideo Nicomediam occupat, & Chalcedonem obſidet ſed probris exagitatus, obſidionem ſolvit. *Ammi.* Inde accipit nova auxilia ex Germania, & prælio cum Procopio congrediens militibus teſſeram dat, autoribus Ducibus ſuis *Auguſtus*: quam vocem ſubinde ingeminarent: quo facto Procopii exercitus ſigna ad Valentem detulit, & Procopius fugit in ſylvas, ſed cùm luna veſpertino ortu eum proderet, captus & trucidatus eſt. Procopii mortem in hunc annum contuli, quia Ammianus, qui interfuit bello affirmat; Dagalaiphum paulò poſt Conſulem deſignatum fuiſſe, cùm caput Procopii ad Valentinianum delatum eſſet. Dagalaiphus autem ſequenti anno factus eſt Conſul. Deinde dicit id factum paulò poſt plenilunium, & Facti Siculi habent, cum captum die 20. Junii. Hoc autem anno die 18. Junii fuit plenilunium.

Olympias 286. incipit Julio. Eſt annus Olympiadicus 1141.

Annus Diocletiani 82. incipit die 29. Auguſti.

Hilarius moritur ſexto anno pòſt habitum Concilium Seleuciæ, quo finito in Gallias quidem remiſſus fuerat, ſed in ſuum locum non reſtitutus. *Sulpitius.*

Valentinianus miſit Dagalaiphum contra Germanos cum Jovino, qui tribus exercitibus Germanorum occiſis revertuntur, & Dagalaiphus propterea Conſul in ſequentem annum cum Gratiano deſignatur. *Ammi.*

Die 21. Julii horrendæ fuerunt tempeſtates, quas ſecuti ſunt terræmotus vehementiſſimi, adeò ut orbis terrarum mutaretur. Alicubi enim ubi antea pedibus conficiebatur iter, jam navigandum erat, & mare in quibuſdam locis digrediebatur, & campi exoriebantur: In Creta Inſula, tum decem urbes perierunt. *Soc.*

Lamſaci Concilium actum eſt, in quo alterius partis Ariani condemnati ſunt, ut Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & alii. Conſtantinopolitanus hanc injuriam ulciſci non potuit, ob bellum Procopianum nondum compoſitum. *Socr.*

ANNO MUNDI 4315. Poſt C. 366.
A. ☉ 11. ☽ 6. *Ind. 9.*
Coſſ. Gratianus Fil. Valentiniani.
Fl. Dagalaiphus.

Valentinianus *Filius Imperatoris naſcitur die 18. Jan.* Faſti Sic.

Sapores, Perſarum rex, liberatus bello Romano, Armeniam invadit, & regem ex inſidiis captum exoculat, & poſtea interficit, munitiones etiam quaſdam intercipit; & cùm Valens mitteret, qui interim Armeniæ præeſſet, is etiam à Sapore ejicitur. *Amm.*

Valentinianus Germanos iterum vincit, ubi primùm res propemodum malè geſta eſt, legione una fugiente, quam Valentinianus non ſolum exauctorare, ſed etiam pro mancipiis militibus diſtribuere voluit: ſed ſupplices pœnam deprecantur, & ſtrenuè poſtea rem gerunt. *Zoſ.*

Valens Chalcedonem capit, & muros ejus diruit quòd Procopii partibus adhæſiſſent, & ſe contumeliis affeciſſent. In lapidibus autem inventum fuit vaticinium hujuſmodi: *hos lapides transferendos Conſtantinopolin ad aquaductum ædificandum*, idque paulò poſt factum eſt in aquæductibus Valentinianis. *Soc.*

Gregorius Nazianzenus, ex eremo revocatus ad Eccleſiam patris ſui in Epiſcopatu fit coadjutor. *Baſilius* item ſuaſu Nazianzeni Cæſaream ex eremo redit. *Baſil.*

Valens, *cum in vinculis haberet Scythas Procopio auxilio miſſos, nec eos dimitteret, bellum Scythicum excitat. Prinſquã eò proficiſceretur, baptizari voluit, ſed ab Eudoxio, Conſtantinopolitano, quo authore multos & Orthodoxos, & Semi Arianos ſedibus ſuis expulit, ipſe inde in Thraciam abit, ibique hyemat.* Zoſ.

ANNO MUNDI 4316. Poſt C. 367.
G. ☉ 12. ☽ 7. *Ind. 10.*
Coſſ. Fl. Lupicinus.
Fl. Jovinus.

Valens *primo vere in Mœſiam irrumpit, & cùm hoſtes nullibi comparerent, omnia longè latèq; vaſtat, & hyeme Conſtantinopolin redit.* Zoſ.

Bellum in Britannia ortum. Picti & Scoti inſulam infeſtam habent: Theodoſius *Theodoſii, qui poſt regnavit, parens feliciter bellum adminiſtrat, Scotos ad ſuas paludes repellit, & binos relinquit, qui inſulæ præſint.* Sig.

Die 2 Julii ingens grando Conſtantinopoli decidit, quo multi homines exanimati ſunt. Faſti Sic. & alii.

Valentinianus periculoſiſſimo morbo decumbit, adeò ut multi ejus ſalute deſperarent, & de novo Imperatore creando conſilia conferrent, quod cõperit Valentinianus, ideò filium *Gratianum* nondũ puberem Auguſtum proclamat, die 24. Auguſti.

Liberius Papa Macedonios, quòd confiterentur ſe cum Orthodoxis in poſterum ſenſuros, in communionem recipit. Moritur inde die 9. Septemb. cum ſediſſet annos 15. & menſes 4. In electione Pontificis oritur Schiſma, dum alii, qui Felicis olim Pontificis partes ſequebantur, *Urſicinum*, alii qui Liberium ſequebantur, *Damaſum* eligunt: magnis certaminibus res geſta eſt, uno die in templo reperta cadavera 137. Duravit hoc Schiſma in ſequentem annum, donec Prætextatus cauſa cognita Urſicinum urbe pelleret, & Neapoli Epiſcopum faceret. *Tripart.*

Ammianus de hoc Schiſmate ita inquit: *Non mirum magna ambitione Pontificatum peti, cùm ditentur oblationibus matronarum, procedantq; vehiculis inſidentes, circumſpectè veſtiti; epulas curantes profuſas, adeò ut eorum convivia regales ſuperent menſas.*

ANNO MUNDI 4317. Poſt C. 368.
FE. ☉ 13. ☽ 8. *Ind. 11.*

Coſſ. Imp. Valentinianus II.
Imp. Valens II.

Germani in celebri ſolennitate capiunt *Moguntium*, totam urbem ſpoliant, & captivos omnes ſecum abducunt. Valentinianus igitur cum Gratiano Rhenum transgreditur, & Germaniam longè lateq; vaſtat, ibi Valentinianus, dum omnia ipſe explorare vult, in inſidias incidit, vixq; eripitur, & his peractis in hyberna redit. *Ammian.*

Valens ex Mœſia iterum Gothorum fines intrare conatur, & dum tranſitum inquirit, totam æſtatem conſumit, impeditus videlicet à Gothis: tandem transgreſſus Gothos vaſtavit, & Martianopolin regreſſus hybernavit. *Ammian.*

Annus Nabonaſſaris 1116. & annus Philippi ac mortis Alexandri 692. incipit die 23. Maji, fer. 6.

Annus Seleucidarum Alexandreus 680. Antiochenus 417. Conſtantinop 5877. a Calend. Octobr.

Ingens terræmotus in Aſia factus, quo concidit Nicæa, menſe Gorpiæo, die 11. Octob. Faſt. Sic.

ANNO MUNDI 4318. Poſt C. 369.
D. ☉ 14. ☽ 9. *Ind. 12.*

Annus urbis cond. 1121.	*Julianus* 414.
Æra Hiſp. 407.	*Auguſtorum* 396.

Coſſ. Sext. Aurelius Victor.
Julius Felix Valentinianus.

Valentinianus & Valens incipiunt annum 6. Imperii, Menſe Martio.

Valentinianus in Germania, cùm Alemannos arcere non poſſet, à Rhetiis uſque ad Oceanum Rheni fluenta munit ingentibus molibus, caſtellis etiam & turribus crebris locis extructis. Poſtea verò etiam tranſito Rheno in Germaniam tranſit, ibiq; etiam munimentum extruxit, quam injuriam deprecati ſunt Germani, cum verò nihil obtinerent, tandem inſidiis diſpoſitis Germani præfectos munimenti intercipiunt. & id deſtruunt. *Amm.*

Thalmud Hieroſolymitanum abſolvitur à Johannan. *Calend. Jud.*

Athanaricus Gothorum rex hoc anno incipit regnavitq; annos 12, is mota perſecutione in Chriſtianos interficit plurimos, reliquos ex ſuis ſedibus ejicit, & in Romanorum terras pellit. *Hieron. Iſid.*

Olympias 287. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1145.

Annus Diocletiani 86. incipit die 29. Auguſti.

Annus ſabbathicus primus Jobelei ſeptimi incipit die 17. Sept. fer. 7. Anno Jud. 4130.

Libanius Sophiſta circa hæc tempora floret. *Hieronym.*

Damaſus Papa convocat Epiſcopos Gallos & Italos numero nonaginta, & damnat concilium Ariminienſe, & contra Nicenam Synodum confirmat; idem faciunt Epiſcopi in Illyrico. Horum conciliorum

ciſtorum acta & ſententiam Valentinianus ad fratrem mittit, rogatque, ut & ipſe eam amplecti, & perſecutione orthodoxorum abſtinere velit: ſed nihil impetrat. *Tripart.*

Valens Grutungos Gothos, bellicoſam gentem aggreditur, & poſt leviora certamina Athanaricum cogit in fugam, & iterum in hyberna redit. Gothi cùm hoc anno afflicti commercia etiam deſiiſſent, & inopia omnium rerum affligerentur, petunt pacem. Hic Athanaricus juraverat, ſe terram Romanorum nunquam calcaturum, ideo ipſe ad Valentem non venit, ſed pacem in medio Iſtro firmavit; idem tamen poſtea à ſuis pulſus, Conſtantinopolin venit, & ibi tandem mortuus eſt. *Amm.*

Ambroſius à Præfecto Prætorio cum inſignibus Conſularibus mittitur Mediolanum, ad regendam Inſubriam, Liguriam & Æmiliam. *Amb.*

ANNO MUNDI 4319. Poſt C. 370.
C. ☉ 15. ☽ 10. Ind. 13.

Coſſ. Imp. Valentinianus III.
Imp. Valens III.

Saxones *in provincias Romanas irrumpunt: in eos mittitur Severus, à quo victi pacem petunt, inde Valentinianus legatis redeuntibus inſidias ſtruit, & omnes ſimul occidit.* Amm.

Valens Imperator in Oriente edictum proponit, ut omnes Epiſcopi, qui à Conſtantio olim abdicati erant, & à Juliano reſtituti, Eccleſiis pellerentur: in ſuis ſedibus tamen reliquit *Athanaſium* Alexandriæ, *Paulinum* Antiochiæ, & *Epiphanium* Cypri Epiſcopum. *Hieron.*

Templum Apoſtolorum dedicatur Conſtantinopoli, die 11. Aprilis. *Hieron.*

Sapores *Perſarum rex invadit Armeniam, ideò Valens, ut propior bello eſſet, proficiſcitur Antiochiam, & exercitum contra Perſas mittit; præcipit tamen Ducibus, ut magis defendant bellum, quam inferant: Igitur laceſſiti occaſionem captantes vincunt, & ab utraque parte in hyberna redeunt.* Amm.

Caſtellum ad Danubium ad arcendas Gothorum irruptiones perficitur ab Equitio Comite & Leontio, hiſce Coſſ. ut lapis teſtatur. Cuſpin.

Eudoxius Arianus Epiſcopus Conſtantinopoli moritur, Orthodoxi occaſionem captantes, dum *Valens* abeſt, *Evagrium* Epiſcopum faciunt, quibus Ariani reſiſtunt, & ſeditionem excitant. Valens mittit, qui ſeditionem ſedet, & Evagrium in exilium ejiciat, inde Ariani inſolentiores facti Orthodoxos omnibus modis exagitant, Orthodoxi legatos mittunt octuaginta Presbyteros & alios, qui deprecentur injuriam. Sed Valens hos legatos in navem imponi jubet, tanquam in exilium portandos, ſed nautis præcipit, ut in medio mari navem igne ſuccendant, & illos vivos crement, quod & factum eſt. *Trip.*

ANNO MUNDI 4320. Poſt C. 371.
B. ☉ 16. ☽ 11. Ind. 14.

Coſſ. Imp. Gratianus II.
Sex. Anicius Petronius Probus.

Valens Antiochiæ comperit, quoſdam de imperii ſucceſſore ſortes exquiſiviſſe, Theodorus enim quidam, & alii Philoſophi, *ut Zoſimus habet*, eas quæſiverant, & cùm datæ eſſent quatuor literæ θεοδ, putavit eas ad ſe pertinere, & non parum inde ſuperbire cœpit: ſed indicatus Valenti interfectus eſt, & hac ſuſpitione multi alii aſperſi ſunt, & ita infiniti capti ſunt, adeò ut carceres non ſufficerent, & inter alios interfecti ſunt Philoſophi, Maximus & alii celebres. *Ammian.*

Athanaſius ſcribit ad Baſilium, ut Arianos pœnitentes, & Orthodoxis conſentientes in Eccleſiam recipiat, quod quidem facit, ſed inter cæteros accepit etiam Euſtachium pœnitentiam ſimulantem: hinc Baſilius ipſe ſuſpectus fuit Arianiſmi, & magnum ſenſit famæ detrimentum. Suſpectus præterea fuit erroris de Spiritu ſancto, quod aliquando uſus eſſet formula hac, *Gloria Patri per Filium in Spiritu ſancto*, qua formula utebantur Ariani in Baptiſmate. Sed pro Baſilio Apologiam ſcripſerunt Nazianzenus, Nyſſenus, & alii, & Athanaſius paulò poſt die 7. Pachon, qui eſt 2. Maji poſt innumeros pro tuenda orthodoxa doctrina ſuſceptos labores, moritur, cùm ſediſſet in Epiſcopatu ad annum quadrageſimum ſextum. Succedit ipſi Petrus, qui juſſu Valentis in carcerem conjicitur, ex quo miro modo evaſit. *Soc.*

Didymus Alexandrinus floret, qui poſt quintum nativitatis ſuæ annum luminibus orbatus literarum uſum non habuit, & per notarios tamen multa ſcripſit. Hic Origenem adeò admiratus eſt, ut omnia ejus dicta pro oraculis haberet, hinc non exigua in Eccleſiam redundavit perturbatio. *Hieronym.*

ANNO MUNDI 4321. Poſt C. 372.
AG. ☉ 17. ☽ 21. *Ind.* 15.

Coſſ. Fl. Arinteus.
Fl. Modeſtus.

Defuncto Athanaſio tandem Valens in Ægyptum venit, & Petro in vincula conjecto, alium ſubſtituit, & in Catholicos Epiſcopos in Ægypto crudeliſſimè graſſatur. Petrus effugiens Romam venit. *Trip.*

Hieronymus in eremo degens diſcit literas Hebraicas; fuit tum triginta annorum, ubi ſcribit etiam in Abdiam Prophetam. *Hieron.*

Gregorii Nazianzeni parens moritur, ipſe, cùm parentem in funere laudaſſet, contulit ſe Seleuciam, ibique uſque ad obitum Valentis permanſit. *Nazianz.*

Annus Nabonaſſ. 1120. *& Philippi & Alexandri* 696. *incipit die* 22. *Maji, feria* 6.

Annus Alexandreus 648. *Antiochenus* 421. *& Conſtant.* 5881. *à Calendis Octobr.*

Valentinianus & Valens, ambo ſuſpicaces & crudeles, atrociſſimè exercent judicia, & provincias inſuper tributis exhauriunt. *Amm.*

Romæ leges latæ, ne ante horam diei quartam taberna Vinaria & eſculentorum aperirentur. Cod.

Themiſtius Philoſophus floret, qui auſus eſt perſuadere Valenti, ne Catholicos perſequeretur: Deum permittere hujuſmodi diſſenſiones, ut doctrina de Deo rectiùs excolatur. *Sigon.*

ANNO MUNDI 4322. Poſt C. 373.
F. ☉ 18. ☽ 13. Ind. 1.

Annus urbis 1125.	*Julianus* 418.
Æra Hiſpanica 411.	*Auguſtorum* 400.

Coſſ. Imp. Valentinianus IV.
Imp. Valens IV.

Valentinianus *& Valens ineunt annum Imperii decimum in Martio.*

Tumultus bellici in Africa, hac hyeme exoriuntur ideò Theodoſius *ſenior eò mittitur, qui beneficiis hoſtes mitigare, & ad ſe adducere conatur, ſed inſidiis excipitur, ideo prælio hoſtes fundit, & ad pacem petendam compellit, menſe Februario, & victoriam celeriter perſequitur, multitudini parcit, ſed authores defectionis flammis exurit. Poſtea iterum ingenti pugna cum* Igmaze *regulo, ad quem* Firmus *autor rebellionis confugerat, congreditur, & primo quidem die æquo Marte pugnatum, ſed poſtea hoſtes, cùm etiam Theodoſii caſtra oppugnare vellent, vincuntur, & Firmus mortem ſibi conſciſcit,* Igmazes *vero pacem obtinuit.* Amm.

Ambroſius dicit in Epiſtola ad Epiſcopos, anno Diocl. 89. Paſcha celebratum fuiſſe ultimo Martii, die 5. Pharmuthi. Plenilunium Paſchale tum incidit in 25. Martii, feriam 2. Ergo Paſcha rectè celebratum, & anni Diocletiani conveniunt.

Quadi & Marcomanni, ad quorum fines præſidiária caſtra juſſu Valentiniani extruebantur, tumultuantur: quapropter Gabinius præfectus præſidiorum regem eorum inſidiis circumventum trucidat, qua injuria irritati Danubium tranſeunt, & tempore meſſis incurſionem faciunt, & parum abfuit, quin Conſtantia filia, quæ Gratiano nuptum adducebatur, capta eſſet, niſi carpento abrepta celeriter Sirmium abducta fuiſſet: vincunt præterea duas legiones Romanas, & ulterius progreſſi eſſent, niſi Theodoſius Junior à tergo ipſos invaſiſſet & ſtraviſſet, qua vi fracti domum redeunt. *Amm.*

Moſes monachus Orthodoxus Saracenorum Epiſcopus fuit, & doctrinam Evangelii latè propagat. *Trith.*

Nazianzenus anno 10. Valentis Conſtantinopolin venit, fuitque ibi in Oratorio Anaſtaſiæ. *Cod.*

Olympias 288. *acta in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1149.

Annus Diocletiani 90. incipit die 29. Auguſti.

Aquaductus à Clearcho præfecta urbis Conſtantinop. perficiuntur cum Nymphæo.

Eunomius, à quo Eunomiana hæreſis orta eſt, inclareſcit. *Hieron.*

Burgundos, qui à frequentibus arcibus in montibus denominantur, ad pellendos Gallia Romanos, à Valentiniano evocantur, qui progrediuntur uſq; ad Rhenum, eorum opera tamen Imperator non utitur. *Amm.*

Gothi *ſeditionibus laborant, & altera pars* Fridigernum *regem facit, quem Athanaricus rex auxiliis Valentis vincit: idem accipit etiam Epiſcopos à Valente, ſed Arianos, ubi Galſilas Epiſcopus* Biblia *in Gothorum linguam transfert.* Iſidorus.

ANNO MUNDI 4323. Poſt C. 374.
E. ☉ 19. ☽ 14. *Ind.* 2.

Coſſ. Imp. Gratianus III.
Fl. Equitius.

Auxentius Mediolanenſis Epiſcopus moritur, & populus ad eligendum novum Epiſcopum in templo convenit, ubi orta diſcordia res ferè ad certamen venit. *Ambroſius* qui cum in ſignibus conſularibus, & militibus ibi Liguriæ & Æmiliæ præſidebat, ut tumultum comprimeret, ad templum accurrit, & populum de concordibus ſuffragiis admonet, ubi ſubitò ab omnibus ſimul, ut Epiſcopatum ſuſcipiat, rogatur, quos ipſe quidem audire noluit, ſed judicio publico præſedit, & tandem Mediolano ceſſit, donec conſenſus Imperatoris acceſſiſſet, ubi ampliùs refragari noluit, & baptizatus poſt octiduum Epiſcopus factus eſt.

Epiphanius ſcribit Ancoratum, hoc eſt, hæreſium confutationem, anno nonageſimo Diocletiani, *Epiphan.*

Illericum *à Quadis & Sarmatis, & ſuperiori anno & jam vaſtabatur, Valentinianus tamen ipſi ſuccurrere non potuit, quod Macrianum, Germanorum in Rauracis regem, hoſtem haberet, cum quo pacem tandem facit adulto autumno, & præparat omnia ad bellum Quadorum.* Amm.

Valens ſollicitus eſt de bello Gothico, qui in Thraciam irruebant. Hunni enim gens barbara, ab extremis Sarmatiarum finibus adveniens, novas ſedes quærens in fines Gothorum irruit, & paulatim eos ſedibus ſuis pellit. Gothi igitur pulſi ut haberent, ubi conſiſterent, ab Imperatore loca Thraciæ vicina petunt. *Amm.*

ANNO MUNDI 4324. Poſt C. 375.
D ☉ 20. ☽ 15. Ind. 3.

Annus poſt Conſulatum Gratiani & Equitii.

Propter bellorum tumultus Conſules novi non creati.

Valentinianus primo vere in Illyricum movit, ad quem legati Sarmatarum veniunt, ſe dedentes, quibus ignovit, ut & Probo, qui cladis autor fuerat; provincias tamen exhaurit immenſis ex actionibus per tres menſes & quoniam Quadi pacem non ſatis fide colebant, tranſito Danubio in Quados irruit, & villas eorum excindit, homineſque captivos abducit, atque inde incolumem exercitum reducit in hyberna, quem ſecuti ſunt legati Sarmatarum in habitu ſordido, qui interrogati reſpondebant, ſe Sarmatarum ſelectiores eſſe; unde adeo exarſit iracundia Valentinianus, quòd cum adeò deſpectis hominibus bellum gereret, ut ſubitò concideret. Medicus ei quidem venam aperuit, ſed nihil ſanguinis effluere voluit; mortuus igitur eſt eodem die, cum compleviſſet annos Imperii duodecim, exceptis centum diebus, *ut Ammianus habet*, cum nec Gratianus, nec Valens in vicinia eſſent. Duces *Valentinianum* puerum, qui propius aberat, ſexto die Imperatorem proclamant, quod poſtea non improbarunt, nec Gratianus nec Valens.

Ambroſius aſſumit ſibi Simplicianum Presbyterum, à quo ſolidiùs in doctrina Eccleſiæ informaretur, *Amb.*

Photinus Hæreticus hoc anno mortuus. *Hier.*

Valens *multis bellis impeditur, Iſauri oppida Lyciæ & Pamphyliæ vaſtant; Valens, cum ipſe Antiochiæ eſſet, Duces ad hoſce compeſcendos mittit.* Zoſim.

ANNO MUNDI 4325. Poſt C. 376.
CB. ☉ 21. ☽ 16. Ind. 4.

Coſſ. Imp. Valens V.
Imp. Valentinianus Junior.

Gratianus *& Valentinianus imperium inter ſe partiuntur, & Gratiano ceſſit Gallia, Hiſpania, Germania, & Britannia: Valentiniano verò Italia, Illyricum*

& Africa: & Juſtina mater Valentiniani, hæreſi Ariana infecta, Mediolanum abit, ubi Catholicos, quos potuit, ſedibus ſuis ejicit.

Annus Nabonaſſaris 1124. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 700. *incipit die* 21. *Maji, fer.* 7.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei ſeptimi incipit die 1. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 4137.

Annus Seleucidarum Alexandræus 688. *Antiochenus* 425. *Conſtantin.* 5885. *à Cal. Octobr.*

Gothi, cùm adeo urgerentur ab Hunnis, operam ſuam offerunt Imperatori, vel contra Perſas, vel alios quosvis, hoſtes, qui vel in Thraciam vel in Italiam irruere conarentur, modò ipſis concedantur loca Thraciæ vicina, ubi uxores & familiam deponant, Valens *autem indigus militum nihil recuſat, præbet etiam ipſis frumentum, ut agros conſerant.* Amm.

ANNO MUNDI 4326. Poſt C. 377.
A. ☉ 22. ☽ 17. Ind. 5.

Annus urbis cond. 1129. *Julianus* 422.
Æra Hiſp. 415. *Auguſtorum* 404.

Coſſ. Imp. Gratianus IV. Fl. Merobaudes.

Valens annum imperii 14. *incipit menſe Martio.*

Ambroſius in epiſtola ad Epiſcopos meminit paſchatis celebrati anno 93. Diocletiani, die 21. Pharmuthi, qui ad Calendarium Julianum eſt dies 16. Aprilis. Plenilun. paſchale factum die 9. Aprilis fer. 1. hora 23. & rectè convenit. Idem Ambroſius nondum triennalis ſacerdos ſcribit in Lucam Evangeliſtam, & inchoat libros 3. de virginitate. *Ambr.*

Gothi eſurire in Thracia incipiunt, ideò petunt annonam à præfectis Valentis, qui offerunt ipſis canes in cibum, ſi pro ſingulis ſibi reddant mancipium. Eodem tempore Valens mittit, qui Gothos trans Helleſpontum in Aſiam ducant, quod Gothi non recuſant, modò ipſis viaticum detur, & cibus in biduum: ſed de commeatu nihil impetrant, imò biduum: ſed de commeatu nihil impetrant, imò biduum ideò ſe defendunt, & juncti Friticulis petuntur, ideò ſe defendunt, & juncti Fritigerno Hadrianopolin obſident, ſed obſidionis imperiti abeunt Thraciam vaſtaturi. Duces Imperatoris colligunt copias, ſed primò vincuntur, & Gothi cæſorum armis ſe muniunt; inde cùm validæ copiæ mitterentur à Gratiano, iterum pugnant atrociſſimè, & dubiam victoriam nox diremit, & Gothi in caſtris concluduntur; interim Gratiani copiæ in Gallias revocantur. *Amm.*

Olympias 289. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1153.

Annus Diocletianus 94. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Auguſtinus natus fuit anno æræ Chriſtianæ 355. die 13. Novembris. Anno ætatis 16. æræ Chriſtianæ 371. Carthaginem petit ſtudiorum gratia, quo anno etiam eſt orbatus patre. Anno 374. impegit in Manichæos, quibus hactenus adhæſit. *Auguſt.*

Gothi *in caſtris concluſi, aſſcitis ſociis erumpunt, & inedia coacti Thracias vaſtant crudeliſſimè: Imperatoris Duces contra omnem commeatum in munitas urbes convehunt, quarum expugnandarum Gothi erant rudes.* Amm.

Valens *in tantis rerum turbis mittit, qui cum Perſis de pace agant, & ipſe Conſtantinopolin, ut propior eſſet bello, redit.* Amm.

ANNO MUNDI 4327. Poſt C. 378.
G. ☉ 23. ☽ 18. *Ind.* 6.

Coſſ. Imp. Valens VI. Imp. Valentinianus Junior II.

Baſilius, cùm octo annis, menſibus ſex, & diebus 16. Epiſcopatu Cæſareæ in Cappadocia functus eſſet, moritur ipſis Calendis Januarii: & *Ephrem* Diaconus Eccleſiæ Edeſſeæ, qui multa ſcripſit, moritur Calend. Febr. *Baron.*

Ambroſius tres libellos ſcribit de fide ad Gratianum Imper. expeditionem molientem contra Gothos Thraciam vaſtantes, ut ſuppetias ferret Valenti patruo.

Germani *ultra quadraginta millia, Februario menſe, Rhenum frigore concretum tranſeunt, quibus obviã Gratianus mittit legiones, aſſumto Francorum rege, eosq; ingenti pugna vincit, ita ut ex tanto exercitu vix quinq; millia effugerent. Inde Gratianus in Lentienſes autores expeditionis hujus movet, ut victoriam perſequatur, & tandem totam hanc gentem in deditionem accipit, perrecturus inde in Thraciam.* Amm.

Valens, tandem, *ut Socrates habet*, Conſtantinopolin venit die 30. Maji, ubi à plebe probris laceſſitur, quòd Gothos in Thraciam recepiſſet, qui etiam jam ſuburbia Conſtantinopolis vaſtaſſent, cui iratus Valens urbe diſcedit die 11. Junii. Gothi ſibi metuentes, Epiſcopum de pace ad Valentem mittunt, ſed nihil impetrant; ſed vindictæ cupidus etiam Gratiani exercitum, qui prope aderat, expectare noluit, ſed die 9. Auguſti pugnat, ubi, cum Gothi ex inſidiis equitatum viciſſent, pedites in anguſtias cogunt, eosque trucidant, quanquam non cadunt inulti. Præſtantiſſimi viri in hac clade deſiderati ſunt, & vix tertia pars exercitus effugit. *Valens* deſertus à ſuis armigeris; neminem habet, qui ſe tueatur, ideò ſagitta vulneratus, in caſam quandam munitam deportatur, quæ obſeſſa, cùm, qui intus eſſent, validè ſe defenderent, tandem allatis virgultis incenditur, & Imperator crematur, hoſtibus ignorantibus, quis intus eſſet. Qui ex incendio fugientes capti ſunt, hæc hoſtibus nunciarunt. Extinctus eſt, cùm imperaſſet annos 14. menſes 4. dies 9. Poſt cladem Gothi Hadrianopolin fruſtra obſident, etiam Conſtantinopolin delati repelluntur ideò latiſſimos Thraciæ, Mœſiæ, Daciæ & Panoniæ campos vaſtant. *Gratianus* contra in Pannoniã profectus, copias undiquaq; accerſit, & *Theodoſium* ex Hiſpania, quò tanquam in voluntarium exilium metu *Valentis* conceſſerat, evocat, & Coſſ. in ſequẽtem annum eligit *Auſonium* Burdegalenſem Poetam, præceptorem ſuum, & Olybrium. *Soc.*

Clogio *Francorum rex moritur, cum annos* 18. *regnaſſet, ſuccedit* Marcomirus *annis* 15. Trith.

Gratianus poſt obitum Valentis legem fert, ut præter Manichæos, Photinianos & Eunomianos, quam quiſque religionem vellet, pro arbitrio coleret, modò pacem coleret. *Cod.*

Concilium *Antiochiæ* celebratur à paucis quidem Epiſcopis, ſed Orthodoxis: inde mittuntur legati ad conſtituendas Eccleſias, in Oriente *Gregorius* Nyſſenus, Euſebius Samoſatenus, *Gregorius* Nazianzenus, & *Meletius* Antiochenus, Nazianzenus Conſtantinopolin venit, ibique epiſcopatui præeſt, ſed malè initio excipitur ab Arianis, quos tamen vicit patientiâ. *Naz.*

ANNO

ANNO MUNDI 4328. Poſt C. 379.
F. ☉ 24. ☽ 19. *Ind.* 7.

Coſſ. D. Auſonius Poeta.
Q. Clodius Olybrius.

Gratianus, cùm nuncios accepiſſet de Germánis tumultuantibus, & bello Gothico urgeretur, & imperium indígeret Duce militiæ perito, comitiis militaribus legit ſibi conſortem Imperii *Theodoſium* die 16. Januarii *Sirmii*, & in Galliam profectus Germanos inde ejicit. Theodoſius autem imperavit annis 16. diebus duobus, & ſtatim ordinat exercitum, & Gothos devictos in gratiam recipit, quibuſdam eorum concedit, ut in Thracia ſedes habeant, quoſdam eorum in Ægyptum collocat, alios agris colendis præficit. *Zoſim.*

Hieronymus in Chronico deſinit hoc anno, quo vertit Chronicon *Euſebii*, anno videlicet ætatis 49. ut ipſe dicit.

Nazianzenus patientia & perſpicuitate doctrinæ efficit, ut turbæ Arianorum Conſtantinopoli, quieſcant; magnam inde autoritatem conſequitur adeò ut Hieronymus etiam Theologiæ diſcendæ gratia eò proficiſceretur. *Hieron.*

Maximus è Cynico Philoſopho Theologus factus, offert Petro Epiſcopo Alexandrino munera ut Conſtantinopolitanus Epiſcopus creetur. Petrus etiam muneribus cæcus, cum Nazianzenus abeſſet, hunc Maximum per Epiſcopos quoſdam in ſedem Conſtantinopolitanam transfert; ſed à populo repudiatur, & urbe ejicitur. *Trip.*

Longobardi *ab extremis Germaniæ finibus, Oceaniq; litore*, Scandiaque *inſulæ magna egreſſi, & novarum ſedium avidi*, Iborea & Aione *ducibus, Vandalos primùm vincunt*. Proſp.

Priſcillianus Epiſcopus Gallæciæ ex Manichæorum & Gnoſticorum dogmate hæreſin novam condit & propagat. *Proſp.*

Theodoſius confecto bello Conſtantinopolin ingreditur die 24. Novemb. *Faſt. Sic.* legesque fert de luxuria frenanda, incipitq; ab ipſa aula, quam inſtituit frugaliſſimam. Nam ſuperiores Imp. parum lautos ſe putabant, niſi hybernæ roſæ poculis innatarent, & æſtivam glaciem falerno refrigerando adhiberent, qui dapes non ſapore, ſed ſumtu æſtimabant quicquid attulerat extremus oriens, vel extrà imperium ſitus Colchus, &c. *Sigon.*

ANNO MUNDI 4329. Poſt C. 380.
ED. ☉ 25. ☽ 1. *Ind.* 8.

Coſſ. Imp. Theodoſius.
Imp. Gratianus V.

Theodoſius Theſſalonicæ in graviſſimum morbũ incidit, ideo baptiſari voluit ab *Acholio* ejus loci Epiſcopo, de quo ſibi conſtabat, quòd Orthodoxus eſſet, ideo paulò poſt, die 27. Februar. ad Conſtantinopolitanos ſcribit, ut fidem Nicenam omnes amplectantur. Et cùm nondum convaluiſſet, Barbari verò ea de cauſa Pannoniam & Macedoniam vaſtarent, Gratianus peritiſſimos Duces cum exercitu mittit, qui Gothos Macedonia ejecerunt, & ex Pannonia etiam exturbarunt & tandem pacem cum eis facit, quam & Theodoſius ratam habuit. *Sigon.*

Leges etiam latæ Theſſalonicæ de orthodoxa doctrina, de tempore Quadrageſimæ & aliis.

Theophilus, poſtea Alexandriæ Epiſcopus, cyclum de obſervatione Paſchatis per nonaginta quinque annos digeſtum, quem laterculum vocat, à primo anno Theodoſii inchoat. *Sigeb.*

Gothorum & Scytharum liberi, quos Valens obſidum loco, cùm parantes eorum in Thraciam recepiſſet, in Aſiam traduxerat, ut ad militiam inſtituerentur, cùm audiſſent, à Theodoſio ſuos parentes victos & trucidatos, de invadendis urbibus & vaſtandis deliberant, ſed re prodita ſtrategemate quodam per omnes urbes ſimul uno die omnes trucidantur. *Zoſim.*

Annus Nabonaſſaris 1128. *& Philippi ac mortis Alexandri* 704. *incipit die* 20. *Maji, feria* 4.

Annus Alexandrinus 692. *& Antiochenus* 429. *Conſtant.* 5889. *à Calendis Octobr.*

Sapores *Perſarum rex, cum tot annos regnaſſet, quot vixerat, nempe ſeptuaginta moritur, & ſuccedit* Artaxerxes *frater, qui regnat annos quatuor*. Agath.

Theodoſius, cùm Conſtantinopolin rediiſſet, Arianos templo primario ejicit, eosque in ſuburbium removet, & templum Nazianzeno tradit. Ariani contra ſicarium mittunt, qui Nazianzenum trucidet; is verò pœnitens facti, veniam petit & impetrat. *Nazianz.*

ANNO MUNDI 4330. Poſt C. 381.
C. ☉ 26. ☽ 2. Ind. 9.

Annus urbis 1133.	*Julianus* 426.
Æra Hiſpanica 419.	*Auguſtorum* 408.

Coſſ. Poſtumus Syagrius.
Fl. Annius Evagrius.

Theodoſius in Januario init annum imperii tertium.

Athanaricus *Gothorum rex, qui juraverat, ſe in fines Romanos nunquam tranſiturum, à ſuis pellitur, & menſe Januario Conſtantinopolin profugus moritur, cùm annos* 12. *regnaſſet. Succedit trans Iſtrum* Alaricus, *qui annos triginta regnavit.* Iſid.

Concilium juſſu Theodoſii Conſtantinopoli, menſe Majo, celebratur à centum & quinquaginta Epiſcopis, ubi primum actum fuit de *Maximo* Cynico, qui per injuriam intruſus erat Epiſcopus, & inſuper adhærebat Apollinari. Jure igitur fuit depoſitus, & *Nazianzenus* confirmatus. Inde de doctrina actum, & doctrina de Spiritu ſancto uberiùs declarata, de proceſſione tamen Spiritus ſancti ex filio hoc tempore nihil additum *Meletius* Epiſcopus Antiochenus in hoc concilio moritur. Nazianzenus ſuadet, ut Antiochena Eccleſia in concordiam redeat, & ne ipſi ſuccederetur, cùm ſupereſſent ibi alii duo Arianus & Orthodoxus; tres enim habuerat Epiſcopos. Sed alii reclamant & diſcordias alunt, & Meletio *Flavianum* ſufficiunt. Adveniunt eodem tempore Epiſcopi Ægyptii & Macedones, qui hactenus abfuerant; ii improbant electionem non tantùm Flaviani, ſed & Nazianzeni. Nazianzenus oblata hac occaſione ſe epiſcopatu abdicat, & privatam vitam præfert. Succedit Nazianzeno Theologo diſertiſſimo & peritiſſimo, Theologiæ rudis & nondum baptiſatus Nectarius, qui prætor tum erat. Aſſumtus autem fuit, quòd eſſet veneranda canitie, & vultu Sacerdote digno; factum ante triceſimum Julii. Canones quidam

in hoc concilio facti ſunt, qui à Romano Pontifice approbati non ſunt, quòd Conſtantinopolitano Epiſcopo tribuerentur ſecundæ poſt Romanum. *Socrat.*

Olympias 290. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1157.

Annus Diocletiani 98. incipit die 29. Auguſti.

Aquileja etiam concilium hoc anno actum eſt contra quoſdam Arianos, qui fuerunt damnati: Ambroſius huic concilio interfuit. *Amb.*

Cæſar-Auguſta in Hiſpania ſimiliter concilium actum contra Priſcillianum, qui ibi damnatus eſt. Sed *Gratianus* Imperator à Macedonio magiſtro officiorum circumventus, eos qui Priſcilliano adhærebant, in integrum reſtitui jubet. *Sulpit.*

ANNO MUNDI 4331. Poſt C. 382.
B. ☉ 27. ☽ 3. Ind. 10.

Coſſ. Fl. Antonius.
Poſtumus Suagrius II.

Cyclus Theophili Alexandrini hiſce Coſſ. Romæ recipitur & inſtituitur, teſte Mariano Scoto.

Juſtina Auguſta, cum videret Arianos in omnibus conciliis damnatos, iram effundit in Ambroſium, quem tamen ſedibus ſuis ejicere non poteſt. *Soc.*

Damaſus Romæ concilium convocat & evocat etiam Epiſcopos Orientis, qui tamen ſe excuſant, & voluntate Theodoſii Conſtantinopoli conveniunt, indeque legatos Romam mittunt. Nazianzenus etiam evocatus fuit Conſtantinopolin, ſed non venit, excuſans valetudinem, & quòd conciliis non libenter intereſſet. Hieronymus verò Romam venit, ubi approbatum fuit concilium Conſtantinopolitanum, ut habet Damaſi Epiſtola apud *Theodoretum.*

Hieronymus Helvidium, hoſtem virginitatis Mariæ, Romæ refutat & quoſdam alios. *Hier.*

Chryſoſtomus ſcribit contra Gentiles & Judæos. *Chryſoſt.*

Priſcillianus cum ſuis per fraudem reſtitutus, multum negotii faceſſit Orthodoxis. *Sulpit.*

ANNO MUNDI 4332. Poſt C. 383.
A. ☉ 28. ☽ 4. Ind. 11.

Coſſ. Fl. Saturninus.
Fl. Merobaudes II.

Theodoſius filium ſuum *Arcadium* pronunciat Auguſtum, die 16. Januarii, præficitque ei præceptorem *Arſenium.* Cùm ipſe aliquando in ludum veniſſet, inveniſſetque præceptorem ſtantem, filium verò in diademate ſuo ſedentem, juſſit filium attendere ad præceptorem aperto capite, & præceptorem ſedere. *Baron.*

Eugenius, *Scotorum rex in Britannia, cùm annis 21. regnaſſet, cadit in prælio contra Maximum, & Scoti ita victi à Maximo Britannia pelluntur, abeuntq; in Scandiam ubi exulant annis* 27. Buch.

Maximus Dux tanta victoria inflatus imperium ſibi ſumit, fretus benevolentia militum. Inde in Gallias profectus reliquos milites magnis propoſitis præmiis ad ſe allicit, & Armoricos ſedibus ſuis pellit, & eorum regionem Britannis diſtribuit; quibus, ne cælibes viverent, conjuges conciliat in Britannia, & virgines evocat undecim mille, quæ cùm incidiſſent in Hunnos, contra Maximum à Gratiano miſſos, trucidantur, ut habet *Baron.*

Auguſtinus Romam venit, cùm eſſet 29. annorū, ibique Rhetoricam docet, adhuc implicatus erroribus Manichæorum. *Aug.*

Antiocheni, *cùm Theodoſius novum tributum imponeret, ut paratus eſſet ad quævis bella, ſeditionem movent, & ſtatuas Imperatoris, conjugisq; ejus defunctæ dejiciunt, & cum ignominia in luto trahunt. Theodoſius iratus mittit duces cum militibus, qui eos majeſtatis reos morte mulctent. Flavianus Epiſcopus & alii, prævidentes hoc futurum, celeriter Conſtantinopolin navigant, iram Theodoſii deprecantur, & ut milites revocentur, impetrant, factum Dominica Palmarum.*

Maximus *filium ſuum* Victorem *Auguſtum pronunciat & in Hiſpanias mittit: ipſe in Gratianum movet. Gratianus contra ſecuriùs agit, ſed cū ab exercitu dejereretur, fugit, & prope Lugdunum Galliæ occiditur die 25. Auguſti, anno ætatis 24. cum imperaſſet annos 16. dies ſex, atque ita Maximus Gallias, Hiſpanias, Africam & Britanniam occupat, & obtinet annis quinq; & duobus diebus.* Marc.

Concilium Conſtantinopoli iterum agitur menſe Junio, ut religio diſcordiis Hæreticorum liberari poſſet, ubi ad teſtimonia Patrum recurritur, ſed nihil efficitur. *Socrat.*

Valentinianus in Italia Orthodoxos perſequitur, & Arianos ſuis ſedibus reſtituit, capitali ſupplicio conſtituto, ſi quis hoc impedire vellet. Ita Auxentius Mediolanum venit ejecto Ambroſio Eccleſiam recepturus, ſed Ambroſius cedere noluit, populo eum contra milites & vim defendente. Eo ipſo tempore de Gratiani Auguſti nece in Gallia nuncius affertur, quo nuncio territus Valentinianus, Ambroſium ſuam Eccleſiam habere permittit. *Socrat.*

Annus ſabbathicus tertius Jobelei ſeptimi, incipit die 14. Septemb. fer. 5. Anno Jud. 4144.

Ambroſius ab Imp. Valentiniano ad Maximum ablegatur, qui oret, ne in Italiam deſcendat, & obtinet. Idem Maximus legatos remittit ad Valentinianum & ad Theodoſium, ut ſe in conſortium Auguſtorum aſſumant: reſpondetur benignè ab utroq; cum ab exercitu imparati eſſent. *Zoſ. Amb.*

ANNO MUNDI 4333. Poſt C. 384.
GF. ☉ 1. ☽ 5. *Ind.* 12.

Coſſ. Fl. Clearchus.
Fl. Ricimer.

Valentinianus, paululum reſpirans à Maximo, vim ſuam contra *Ambroſium* exerit eumque omni conatu Mediolano pellere conatur: reſtitit tamen Ambroſius quantum potuit, & conſtantia ſua effecit, ut Eccleſiam ſuam obtineret: atq; hæc facta ſunt adhuc ante Paſcha. *Amb.*

Ambroſius die 12. Junii veterum Martyrum corpora quædam invenit, *Gervaſii* ſcilicet & *Protaſii*, qui ſæviente Nerone martyrium tulerant, quorum corporum attactu multa miracula edita ſunt, cæcus etiam quidam viſum recepit. Id quod verum eſſe etiam *Auguſtinus in confeſſionibus* fatetur. Idem *Auguſtinus*, cùm hactenus Mediolani, ubi Rhetoricam docebat, Manichæos ſecutus eſſet, tranſit ad Platonicos, eoſque etiam diligenter audit. *Auguſt.*

Annus

Annus Nabonaſſaris 1132. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 708. *incipit die* 19. *Maji, fer.* 7.

Honorius *filius Arcadio junior naſcitur die* 9. *Sept.* Soc.

Maximus ſedem aula Treviris ponit, inde exercitum in Hiſpaniam mittit, quam feliciſſimè occupat. Rebus ſic ad voluntatem fluentibus, effertur ſuperbiâ, & multa tyrannicè agit. Zoſim.

Annus Alexandrinus 696. *Antiochenus* 433. *Conſtantinopolitanus* 5893. *incipiunt Calendis Octobr.*

Artaxerxes *Perſarum rex, cùm regnâſſet annos quatuor, moritur; ſuccedit filius* Sapores, *qui regnat annis quinque, qui legatos etiam mittit ad Theodoſium de pace.* Agath.

Damaſus Papa, cùm ſediſſet annos 17. menſes novem, die 26. moritur die 11. Decembr. ſuccedit die 29. Decembris *Siricius* Romanus, Tiburtii filius, qui ſedit annos 13. menſem unum, & dies 25.

ANNO MUNDI 4334. Poſt C. 385.
E. ☉ 2. ☽ 6. Ind. 13.

Annus urbis 1137. *Julianus* 430.
Æra Hiſpanica 423. *Auguſtorum* 412.

Coſſ. Imp. Arcadius.
Fl. Bauto.

Theodoſius *init imperii annum ſeptimum in Januario: Arcadius tertium.*

Valentinianus *primis hujus anni menſibus Mediolani fuit; inde Aquilejam & Veronam tranſiit, ut* Codex *oſtendit.*

Ithacius, à Priſcilliano loco ſuo pulſus, à Maximo impetrat, ut Burdegalæ conventus Epiſcoporum inſtituatur, & cauſa ſua ibi diſceptetur: & *Priſcillianus* ibi cum ſuis à concilio damnatur, ſed ipſe ad Maximum provocat, ubi cauſa eadem diſceptatur, & Priſcillianus itidem damnatur, & capitis pœnâ afficitur, nec ipſe ſolus: at verò hoc modo ſecta hæc extincta non fuit, ſed latiùs propagata, & Priſcillianus pro martyre habitus. *Sulp.*

Olympias 291. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1160.

Annus Diocletianus 102. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Auguſtinus apud Academicos etiam nihil ſolidi inveniens, Theologos conſulit, Paulumque Apoſtolum legit, & in feriis vindemialibus in rus ad aliquod tempus ſecedit, ibique ſcribit contra Academicos, & Soliloquia. *Auguſtinus.*

Hieronymus, cùm clericórum Romanorum odia multis modis expiretur, conſcensâ navi venit primùm in Cyprum ad *Epiphanium*, inde Antiochiam, in hyeme tranſiit Hieroſolymam; & Paula cum Euſtochii filia paulò pòſt ſimiliter Hieroſolymam veniunt. *Hieron.*

ANNO MUNDI 4335. Poſt C. 386.
D. ☉ 3. ☽ 7. *Ind.* 14.

Coſſ. Honorius Theodoſii Fil. infans.
Fl. Evodius.

Siricius Papa decernit, ne bigamus ad officium Sacerdotis admittatur, aut ut admiſſus pellatur. *Pinguis, inquit, eſt panis Chriſti, cujus dulcedo juxtà probos & improbos allicit, & ut illis bono modo, ita his malo ad eum deguſtandum adſpirant.*

Grutingi, *Scythica natio, Duce Odetheo transmiſſo Iſtro navibus ad ter mille, Thraciam vaſtant, eis* Promotus *militum magiſter auſpiciis Theodoſii occurrit, eosque vincit tantâ ſtrage, ut flumen cadaveribus redundaret.*

---------- fluitantia nunquam
Largius Arctoos pavêre cadavera piſces.

inquit Auſon. Marcell.

Martinus Turonenſis Epiſcopus, ut quosdam Duces Gratiani, qui in vinculis apud Maximum erant, captivitate, liberaret, ad Maximum proficiſcitur, idque impetrat, & ne ulterius Priſcillianiſtas perſequatur, admonet. *Sulp.*

Chryſoſtomus ordinatur Presbyter Antiochiæ, & cum Marcionitis non ſemel diſputatione congreditur. *Photius.*

Hieronymus proficiſcitur in Ægyptum, ut Didymum audiat. *Hieron.*

ANNO MUNDI 4336. Poſt C. 387.
C. ☉ 4. ☽ 8. *Ind.* 15.

Coſſ. Imp. Valentinianus III.
Fl. Eutropius.

Juſtina mater Valentiniani Ariana conducit tribunum, qui Ambroſium clanculum abreptum in exilium deferat, ſed fruſtra; apertè igitur tribunus cum Ambroſio congreditur inſtructus militibus, qui ipſum vel Eccleſiâ ejicerent, vel trucidarent. Sed & hoc fruſtra fuit. Promulgat inſuper nomine Valentini edictum, quo Orthodoxi jubentur ex Eccleſiis pelli, aut in eis occidi. Tribus diebus ita diſceptatur Mediolani. Sed Ambroſius conſtanter reſtitit & obtinuit, ut pax Eccleſiis redderetur. Maximus etiam ex Galliis ſcribit ad Valentinianum, ne Orthodoxos perſequatur. *Amb.*

Ambroſius illum ritum, ut Antiphonæ in Eccleſia canantur, primus à Græcis transtulit ad Latinos: *Ignatius* enim Antiochenus Epiſcopus inſtituit primus, ut per Antiphonarum reciprocationem Pſalmi canerentur. *Sigeb.*

Maximus *minitatur, ſe cum exercitu in Italiam venturum: Valentinianus ſibi metuens petit ab Ambroſio, ut pacis ſequeſter fiat; ſed legatio hæc fruſtra fuit. Maximus enim placidè quidem legatis reſpondet, & fœdus renovat, ſed ut audit, legatos Alpes tranſiiſſe, ſtatim cum exercitu inſequitur, & inopinanti Valentiniano ſupervenit, qui aſſumtâ matre fugit claſſe Theſſalonicam, ibique certiorem facit Theodoſium de ſuâ fortunâ, qui ipſi auxilium promittit. Maximus verò in Italiâ, cùm Aquilejâ potitus eſſet, ſummo ſtudio recipitur, & ſtatua ipſi ac filio Victori collocantur.* Soc.

ANNO MUNDI 4337. Poſt C. 388.
BA. ☉ 5. ☽ 9. *Ind.* 1.

Coſſ. Imp. Theodoſius II.
Fl. Cynegius.

Theodoſius hâc hyeme inſtructus exercitu Theſſalonicam venit, & *Gallam* Valentiniani ſororem uxorem ducit, quædam etiam edicta die 14. propoſuit, & Barbarorum, Gothorum, Hunnorum & Alanorum auxilia conducit, qui tamen poſtea receſſerunt. Maximus contrà, quamvis inſtructior eſſet militibus, quàm Theodoſius, tamen Alpes firmiſſimis præſidiis munit, & claſſem apparat, ut claſſe Theodoſio obviam eat.

Dum *Theodoſius* Conſtantinopoli abeſt, Ariani contra Orthodoxos tumultum concitant, & Necta-

Nectarii Epiſcopi ædes injectis facibus cremant. *Socr.*

Annus Nabonaſſaris 1136. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 712. *incipit die* 18. *Maji, feria* 5.

Theodoſius, *cum Maximus mare obtineret, ad Alpes tendit, & præſidia Maximi dejicit. Maximus contra ipſi occurrit, cum ingenti exercitu, ſed turpiter vincitur, & fugit Aquilejam. Interea Maximi frater Marcellinus cum exercitu ſeſe Theodoſio opponit: ſed & hic vincitur. Deſertus igitur à militibus Aquileja Maximus Theodoſio traditur, qui parſiſſet ejus vitæ, niſi milites id indignum eſſe clamâſſent, & abductum interfeciſſent, die* 26. *Auguſti. Amicorum verò ejus nemo nec interfectus, nec proſcriptus eſt.* Marcell.

Auguſtinus, hoc anno in Paſchate ab Ambroſio baptiſatus eſt, cùm eſſet triginta quatuor annorum; poſtea revertitur Romam, & hâc æſtate Romæ commoratur, ut ineunte vere in Africam naviget, & ſcribit de moribus Eccleſiæ Catholicæ, & alterum de moribus Manichæorum. *Auguſt.*

Annus Alexandræus Seleucidarum 700. *& Antiochenus* 437. *& Conſtantinop.* 5897. *a Calend. Octobr.*

Franci, *Geneboldo & Marcomiro Ducibus, cùm audiſſent tantis motibus in Italiâ Imperatores detineri, Rheno ſuperato inferiorem Germaniam depopulantur, & Coloniam Agrippinam terrent, ſed Victor Maximi filius per Duces ſuos eos ulciſcitur. Quintilinus tamen alter Dux Francos ultra Rhenum perſequendos ducit, quod dum facit, in inſidias de lapſus exercitum amittit.* Sig.

Andragathius, *qui à Maximo miſſus mare obtinebat, cum audiſſet Maximum victum, ſe de navi in mare præcipitem dedit, ne acerbiore ſupplicio afficeretur. Victor etiam filius Maximi ab exercitu Valentiniani vincitur, comprehenditur & interficitur.* Sig.

Theodoſius Valentiniano reddit omnia, quæ Maximus obtinuerat, monetque ut relictis Arianis Orthodoxam fidem ſequatur, & à perſecutione Orthodoxorum abſtineat. *Sigon.*

ANNO MUNDI 4338. Poſt C. 389.
G. ☉ 6. ☽ 10. *Ind.* 2.

Annus urbis 1141.	*Julianus* 434.
Æra Hiſpan. 427.	*Auguſtorum* 416.

Coſſ. Fl. Timatius.
Fl. Promotus.

Theodoſius init in Januario imperii annum XI. Arcadius 7.

Poſt caſum Maximum, cùm nemo in Britanniâ eſſet, qui eam defenderet, gentes ſæviſſima Scotorum à Circio vento, & Pictorum ab Aquilone Britanniam invadunt, & eam vaſtatam ac direptam multis annis opprimunt, Beda.

Auguſtinus, cùm Monicæ matri ſuæ die 14. Maji defunctæ juſta ſolviſſet, navigat in Africam anno ætatis 35. non triceſimo tertio, ut corruptè ſcribitur. *Aug.*

Georgius Nazianzenus moritur die 9. Maji. *Hieron.*

Theodoſius, Menſe Junio, cum Honorio filio, quem Conſtantinopoli accerſierat, & Valentiniano Romæ triumphat, Panarias Romæ evertit, & omnibus ſe mitiſſimum præbat; permânet Romæ, uſque ad menſem Septembrem, inde Mediolanum redit. *Marcell.*

Olympias 292. *acta in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1165.

Annus Diocletiani 106. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Juſtina Valentiniani mater Ariana moritur.

Sapores *Perſa, cùm annos quinque regnâſſet, moritur: Succedit ipſi* Wararanes, *qui regnat annos undecim.* Agath.

Longobardi *Ducibus defunctis, primum ſibi regem* Agelmundum *Aonis Ducis filium creant, qui regnat annis* 34. Proſp.

Cometa, Veneris magnitudine, per viginti dies apparet. Marcell.

ANNO MUNDI 4339. Poſt C. 390.
F. ☉ 7. ☽ 11. *Ind.* 3.

Coſſ. Imp. Valentinianus IV.
Fl. Neotericus.

Theſſalonicenſes injuriâ affecerant Imperatorem, quòd quoſdam ejus præfectos levi de cauſâ interfeciſſent. Aurigam enim quendam propter adulterium in carcerem conjecerant, quem populus, cum nemo præterea adminiſtrandis ludis peritior eſſet, ex carcere liberatum volebant, quod ipſis juſtè denegabatur, vulgus verò irâ æſtuans eos occidit. *Theodoſius*, qui tum in Italiâ erat, graviter hanc injuriam fert, & vindicandam cenſet. *Ambroſius* contra orat, ne faciat. Comites & conſiliarii urgent vindictam, quæ ipſis quidem certis conditionibus permittitur; at illi nullâ habitâ inquiſitione autorum, vulgus vagum trucidant, ita ut trium horarum ſpatio ad ſeptem millia perierint; quapropter ab Eccleſiâ Imperator ab Ambroſio excluditur octo menſium ſpatio, quibus pœnitentiam ſic egit, ut populus pro illo orans magis fleret videndo Imperatorem proſtratum, quàm timeret peccando iratum, *ut Auguſtinus loquitur.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei 7. *incipit* 26. *Sept. feria* 5. *Anno Jud.* 4151.

Signum in cœlo, quaſi columna pendens ardensque per dies triginta apparuit. Marcell.

Galla *Theodoſii uxor moritur.* Marcell.

Concilium Mediolani actum, ubi *Jovianus* damnatus. *Baron.*

ANNO MUNDI 4340. Poſt C. 391.
E. ☉ 8. ☽ 12. Ind. 4.

Coſſ. L. Aurelius Avianus Symmachus,
Tib. Fabius Titianus.

Symmachus is eſt, qui pro gentilium religione inſtauranda apud Valentinianum interceſſit. Fuit enim vir doctus, ſed gentilis, cui *Prudentius* carmine, & Ambroſius ſolutâ oratione, egregiè reſponderunt.

Caput *Johannis* Baptiſtæ ex Ciliciâ perfertur Conſtantinopolin. *Baron.*

Auguſtinus in Eccleſiâ Hipponenſi Presbyter ordinatur, & controverſia de ſcriptis *Origenis* inter Epiphanium Cypri Epiſcopum & alios incipit.

Theodoſius *in Græciam revertitur, Theſſalonica fines videt circum circa vaſtatos, quibus ut ſuccurreret, latrones illos undique inquirit, non ſine magno periculo, inveſtigatos tandem occidit, & Conſtantinopolin venit die* 10. *Novembr.*

ANNO MUNDI 4341. Poſt C. 392.
D C. ⊙ 9. ☽ 13. Ind. 5.

Coſſ. Imp. Arcadius II.
Fl. Rufinus.

Arbogaſtes Francus à Gratiano Imper. Comitis locum in aulâ, propter inſignem belli peritiam, conſecutus, eundem retinuit etiam ſub Valentiniano invicto, poteſtateque ita abuſus eſt, ut omnia ex ſuo arbitrio Imperatorem facere vellet; quod ſibi non ferendum Valentinianus arbitratus, aliquando gladium in ipſum ſtrinxit, ſed impeditus ab aliis eum poſt Comitatu amovere conatur. Arbogaſtes igitur eum apud Viennam Galliæ laqueo ſtrangulari curat, die 15. Maji, feriâ ſeptimâ, pridie Pentecoſtes, die 21. Pachon. Epiph. Plenilunium paſchale 25. Martii fer. 5. Ergo Paſcha die 28. Martii, Pentecoſte 16. Maji. Arbogaſtes, quod eſſet peregrinus, Francus, & exul, noluit ſibi imperium uſurpare, ſed tradidit in Eugenio viro obſcuro, qui quondam Grammaticam docuerat, & ludo relicto in aulam ſe contulerat, ſcriba & quæſtor Imperatoris factus. Soc.

Annus Nabonaſſaris 1140. & annus Philippi ac mortis Alexandri 716. incipit die 17. Maji, fer. 7.

Annus Alexandriaus 704. Antiochenus 441. Conſtantin. 5901. à Calend. Octobr.

Arbogaſtes extremo anno, regulos Francorum odio avito inſectans, exercitum trans Rhenum traduxit, & Bructeros ripæ Rheni proximos vaſtavit. Sigon.

ANNO MUNDI 4342. Poſt C. 393.
B. ⊙ 10. ☽ 14. Ind. 6.

Annus urbis 1145. Julianus 438.
Æra Hiſpanica 431. Auguſtorum 420.

Coſſ. Imp. Theodoſius III.
Fl. Abundantius.

Theodoſius cùm iniret annum Imperii 15. Arcadius 11. filium ſuum minorem Honorium creat Auguſtum, die 10. Januarii. Inde de bello Eugenio inferendo conſilia agitat, indicitque jejunia & Litanias. Poſt milites contraxit; Eugenius ex Galliis in Italiam iter inſtituit, ſed rebellione Francorum impeditur, movet igitur contra Francos & Alemannos, eosque ita terret, ut fœdera antiqua renovarent. Inde in Italiam movet, & cùm Mediolani receptus eſſet, tota Italia ſe ejus poteſtati permiſit. Ambroſius verò paulo antè Mediolano Bononiam diſceſſerat. Sigon.

Olympias 293. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1169.

Annus Diocletiani 110. incipit die 29. Auguſti.

Hæc Olympias, ut Cedrenus annotat, omnium ultima eſt, quæ acta fuit, nec poſtea Græci ad Olympia celebranda convenerunt. Cedren.

Johannes, Epiſcopus Hieroſolymitanus, Hieronymum ex Eccleſiâ ejicit, quòd auderet ſcripta Origenis damnare; Johannes enim defendebat Origenem, ſed Hieronymus ſuæ ſententiæ habuit aſſertores quamplurimos, unde factum, ut certamen acriter exardeſceret. Hieron.

Concilium in Africâ Hippone celebratum, cui interfuit Auguſtinus, & diſputatum in eo eſt de fide & ſymbolo.

Marcellinus, Comes & Proſper affirmant hoc anno horâ diei tertiâ tenebras obortas fuiſſe, quæ verba non incommodè de Eclipſi Solari intelliguntur, quæ accidit die 20. Novembr. & minutis viginti ante meridiem, hora tertia poſt exortum Solem, poſt mediam noctem Romæ horis novem & minutis 43, 40. ubi Parall. latitud. 43, 21. Latitudo Septent. vera 49, 28. viſa ſeptent. 6, 7. Semidiam. Solis 15, 57. ſcrup. reſid. 26, 1. digiti Eclipt. 9, 38. Sol circa initium Sagittarii, atque ita convenit tempus diei. Hieronymus in epiſtola contra Johannem meminit tenebrarum in feſto Pentecoſtes, ſed in Pentecoſten nunquam incidit nec plenilunium nec novilunium, & latitudo Lunæ circa hoc tempus in vere planè refragatur.

ANNO MUNDI 4343. Poſt C. 394.
A. ⊙ 11. ☽ 15. Ind. 7.

Coſſ. Imp. Arcadius III.
Imp. Honorius II.

Donatiſtæ in Africâ, cùm inter ſe diſſentirent, concilium convocant Bagalienſe, quod cœpit die 28. Aprilis, duravitque octo menſibus. Poſtea alterum etiam Concilium celebratum propè Carthaginem, ut meminit Auguſt. lib. 4. contra Creſconium. Auguſtinus cum Hieronymo in quibusdam diſſentit. Auguſt.

Paulinus relicto vitæ ſplendore, & erogatis bonis ſuis in pauperes, fit Chriſtianus, & in agro Nolano ſeneſcit.

Severus Sulpitius illuſtri genere prognatus, Chriſtianam religionem profitetur in Galliis, ſequens veſtigia Martini Epiſcopi Turonenſis. Sulp.

Concilium etiam Conſtantinopoli celebratur, cui interfuerunt Gregorius Nyſſenus & Amphilochius Iconii Epiſcopus. Tom. Concil.

Theodoſius exercitum contrahit Conſtantinopolin, cui adduntur fortiſſimæ cohortes Alanorum, Gothorum & Hunnorum, quorum præfectus fuit inter alios Alaricus, qui poſtea Romam cepit. Eugenius contrà cum ſuis munit clauſtra Alpium contra Theodoſium, & cùm haberet multos minùs obedientes, qui Theodoſio fidebant, minitatur Chriſtianæ religioni exitium, ſi victor rediret. Sed Theodoſius præter omnium ſpem potitur clauſtris, & ſe demittit in campos, prope Aquilejam, & ſtatim pugnandi copiam facit; ubi pugnatum ancipiti marte: veteres enim legiones æquo marte pugnabant, auxiliares autem copiæ Gothorum vincebantur, & eorum decem millia cadebant. Ideò Theodoſius totâ nocte precibus apud Deum pro victoriâ ſupplicans, ubi eſt, inquit, Theodoſii Deus? matutino tempore, die ſexto Septembr. iterùm aciem inſtruit, ubi in ipſâ pugnâ vehemens ventorum procella hoſtium arma & jacula non ſolùm impediit, ſed & retorſit. Ideò fortiſſimæ hoſtium cohortes Duce Arbetione ab Eugenio ad Theodoſium tranſeunt, ubi fide acceptâ jubentur Eugenium, qui in colle eventum prælii expectabat, vinctum adducere, quod & factum eſt; ſed Eugenius ad pedes Imperatoris procidens, à ſatellite trucidatur. Arbogaſtes poſt biduum ſibi ipſi manus infert. Socr. Marcell. De hoc prælio Claudianus Poeta ita canit:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes: cui militat æther
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Zoſimus inquit, Eclipſin factam eſſe fervente prælio. Sed nulla naturalis hoc anno accidere potuit, latitudine Lunæ refragante.

Theodoſius poſt victoriam Ambroſium accerſivit Aquilejam, & inde cum eo Mediolanum acceſſit, ubi

aſſum-

aſſumpto Honorio triumphat, & paucis diebus poſt intercurrentis morbo laborare cœpit, quo ingraveſcente Arcadium *Orienti,* Honorium *vero Occidenti præfecit, tutore addito* Stillichone. Socr.

ANNO MUNDI 4344. Poſt C. 395.
G. ☉ 12. ☽ 16. *Ind.* 8.
Coſſ. Sex. Anicius Hermog. Ol.
Sex. Anicius Probinus.
Hi fratres Germani fuerunt.

Theodoſius *Imperator moritur Mediolani die* 17. *Januarii, cùm imperâſſet annis ſedecim, & duobus diebus. Transfertur ejus corpus Conſtantinopolin, die* 8. *Novembr. Fuit princeps optimus, melior Trajano, cui corpore & moribus ferè ſimilis fuit, niſi quod iſte bella quæſivit, hic non niſi accepta geſſit. Succedunt ipſi filii:*

Arcadius *&* Honorius, *ille imperavit annis tredecim, menſibus tribus, diebus quindecim, in Oriente: Hic annis* 28. *menſibus ſex in Occidente, poſt patrem ſcilicet.* Marcel. Proſp.

Auguſtinus Hippone ordinatur Epiſcopus, agebat tum annum quadrageſimum primum. Ejus anteceſſor *Valerius* adhuc erat in vivis, atque ita duo Epiſcopi erant unius Eccleſiæ, contra Canones, quos tum temporis non viderat. *Auguſt. Proſp.*

Imperium Romanum invaditur ab Hunnis & Gothis. Hunni ab ultimâ Mæotidis palude per Armeniam irrumpunt in Aſiam, obſident Antiochiam, vaſtant Eccleſias, timentur ubique. Hieronymus cum ſuis ad mare procurrit, & quosdam in Italiam mittit. Hieron.

Stillicho, *cui Theodoſius occidentale imperium commendaverat, contendit ſibi etiam Orientale Imperium commiſſum, ideò cum Francis pacem firmat, ut Conſtantinopolin abire poſſit.*

Rufinus *homo improbus, à quo Arcadius totus pendebat,* Alaricum *in Græciam clam evocat, qui eam vaſtet, quod libentiſſimè fecit, & urbes quasvis excindit præter Thebas & Athenas. Inde in Peloponneſum irruit, & Corinthum, Argos, & Spartam vaſtat. In tantis turbis ſperat Rufinus, ſe Arcadium imperio detrudere poſſe, ſed Stillicho unà cum cadavere Theodoſii & exercitu tranſit in Græciam, ut pellat Alaricum, ſed fraude Rufini Stillicho accipit mandatum ab Arcadio, ut omiſſo hoſte exercitum ſtatim Conſtantinopolin mittat, quâ de re iratus, ipſe quidem in Italiam regreditur, ſed* Gainæ *duci mandat, ut fraudem Rufini ulciſcatur, & eum trucidet; quod & factum eſt, cùm Arcadius exercitui obviam iret, ubi Rufinus à militibus mille vulneribus confoſſus in fruſta conciſus eſt. Hic eſt Rufinus, de quo* Claudianus:

Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem &c. *Factum die* 27. *Novembris, cùm die octavo Novembris funus Theodoſii Conſtantinopoli magnificè ſepultum eſſet.* Zoſ. Proſp.

Hieronymus ſacra Biblia ex Hebræo vertit latinè, & ſuâ verſione antiquat eam, quæ ex ſeptuaginta Interpretibus verſa in uſu erat. *Sigeb.* Antiqua autem illa verſio ex ſeptuaginta retenta fuit poſtea in Pſalmis, neglectâ verſione Hieronymi.

Martinus Epiſcopus Turonenſis moritur hoc anno, ſed aliqui habent annum obitus 379. alii 399. alii 402. Sed ſi character temporis vetus eſt, quem addit Gregorius Turonenſis, qui ait eum defunctum nocte, quæ præcedit diem undecimum Novemb. ineunte feriâ primâ, aut hoc anno, aut anno 400. defunctus eſt. Sed neuter tamen annus reſpondet morti Clodovei regis Franciæ, quem dicit Turonenſis defunctum annis 112. poſt tranſitum Martini. Obiit autem Clodoveus anno 409. ſecundum quosdam tamen anno 402. id quod veroſimilius.

ANNO MUNDI 4345. Poſt C. 396.
F E. ☉ 13. ☽ 17. Ind. 9.
Coſſ. Imp. Arcadius IV.
Imp. Honorius III.

Eutropius *Conſtantinopoli Rufino ſuccedit, Rufino nihil melior: honoratiſſimos enim quosque calumniatur, ut Timaſium, Abundantium & alios, eosque in exilium agit.* Stillichonem *etiam in Occidente hoſtem imperii publicè declarari jubet, inſuper* Gildonem *comitem in Africa ad ſuas partes traducit, & ne Africam occupet, eamque tanquam juſſu Arcadii obtineat, decernit.* Sic.

Annus Nabonaſſaris 1144. *& annus Philippi & mortis Alexandri* 720. *incipit die* 16. *Junii, feria* 6.

Panodorus monachus in Ægypto doctiſſimus circa hæc tempora floret.

Didymus contrà Alexandrinus ille cœtus hoc tempore moritur. *Sigeb. Sync.*

Fritigil, Marcomannorum regis conjux, Chriſtianam fidem amplexa, petit ab Ambroſio, ut ſibi præſcribat capita præcipua pietatis, quod fecit. *Ambroſ.*

Hunni etiam, qui jam in Aſia conſidebant, religionem Chriſtianam diſcunt, *ut habet Hieron.*

Annus Alexandreus Seleucidarum 708, *& Antiochenus* 445. *& Conſtantinop.* 5905. *à Calend. Octobr.*

Alaricus *Epiro, quam crudeliſſimè vaſtaverat, relictâ iterum Græciam incurſat tantâ atrocitate, ut multi externas regiones ſalutis gratiâ quærerent.* Sigebert.

ANNO MUNDI 4346. Poſt C. 397.
D. ☉ 14. ☽ 18. *Ind.* 10.

Annus urbis 1149.	*Julianus* 442.
Æra Hiſpan. 435.	*Auguſtorum* 424.

Coſſ. Fl. Cæſarius.
Pontius Atticus.

Arcadius *&* Honorius *inchoant annum imperii tertium,* 17. *Januarii.*

Gladiatoria *certamina Romæ juſſu Honorii prohibentur hac occaſione, quòd populus monachum* Telmatium, *qui cædes baſce ex indignitate abominabatur, lapidibus obruerat.* Sig.

Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis moritur die 4. Aprilis, anno ætatis ſexageſimo quarto. *Paul. Diac.*

Sulpitius Severus ſcribit vitam Martini, vivente adhuc Martino, *ut habet Baronius.*

Concilium Taurinenſe celebratum, in quo altercationes Epiſcopi Arelatenſis & Viennenſis de primatu ſunt ſopitæ. *Baron.*

Concilium tertium Carthagini celebratum, *ut tomi Concil.* affirmant, quod tamen ſecundum dici debebat. Nam quod ſecundi titulum habet, longè poſterius eſt, Conſule Valentiano quartum & Theodoſio. Decretum inter alia, ut ſi de Paſchate diſſenſio oriretur, Epiſcopi rem ad Epiſcopum Carthaginenſem deferrent.

Olym-

Olympias 294. incipit in Julio. Est annus Olymp. 1173.

Annus Diocletiani 114. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus quintus Jobelei ſeptemi incipit die 8. *Sept. fer.* 3. *Anno Jud.* 4158.

Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus moritur die 27. Septembr. Epiſcopi inde conveniunt, deliberaturi de novo eligendo Epiſcopo. *Socr.*

ANNO MUNDI 4347. Poſt C. 398.
C. ☉ 15. ☽ 19. *Ind.* 11.

Coſſ. Imp. Honorius IV.
Eutychianus.

Johannes Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinopolitanus conſtituitur die 26. Januarii, & conſecratur à Theophilo Alexandriæ Epiſcopo invito. Statim autem *Chryſoſtomus* ad ſacerdotum mores corrigendos animum advertit, mulieres ab iis expellit, luxum & ſuperfluos ſumtus reſecat, atque in Clericorum odia in ſe concitat; inde in aulicos etiam & magiſtratus invehitur, ideò habitus eſt juſto ſeverior & quodammodo acerbior. Sedit autem, *ut Nicephorus habet*, annis ſex, menſibus duobus.

Siricius Papa moritur die 22. Febr. cùm ſediſſet annos tredecim, menſem unum, dies 14. Succedit ipſi die 6. Aprilis *Anaſtaſius* Romanus, qui ſedit annos quatuor, dies 21. Hic conſtituit, ut quotiescunque Evangelia ſancta recitarentur, ſacerdotes non ſederent, ſed curvi ſtarent. *Anaſtaſ.*

Gildo *in Africa antehac imperio ſidus, impedit, ne frumenta Romam mittantur, contra hunc ſe offert Ducem* Mazeſceles, *frater Gildonis; Gildo cum hæc comperiſſet, fratris liberos jugulat, & ſcelus ſcelere cumulat.* Zoſ.

Ruffinus transtulerat Origenis libros περὶ ἀρχῶν, & Hæreticas opiniones in eis comprehenſas ita ſparſerat. Petitur igitur ab Hieronymo, ut ipſe eundem librum latinè reddat, & Romam mittat, quod & fecit, appoſitis errorum notis. *Hieron.*

Concilia Carthagine hoc anno duo acta: quod quintum dicitur, id cœptum die 28. Maji: quod quartum dicitur, actum 8. Nov. *Tom.*

Honorius *Imp. uxorem ducit filiam Stillichonis Mariam, ipſe agens annum decimum quartum. Inde Mazeſcelem mittit in Africam contra Gildonem, ſeptuaginta millium militum exercitu inſtructum. Mazeſceles primo milites Romanos ad ſe traducit, inde Barbaros fugat, Gildo victus arreptâ navi fugit, ſed vento in Africam repellitur, ubi capitur & ſtrangulatur, & urbs Roma ſtatim difficultate annonæ ſublevata eſt. Honorio à Senatu ob id decernitur triumphus, ſed Romam non venit.* Zoſ.

Dagobertus *dux Francorum, cùm annos quinque præfuiſſet, moritur; ſuccedit* Genebaldus, *qui ſimiliter Ducis nomine regnat annis ferè viginti duobus.* Trith.

ANNO MUNDI 4348. Poſt C. 399.
B. ☉ 16. ☽ 1. *Ind.* 12.

Coſſ. Fl. Eutropius.
Fl. Manlius Theodorus.

Eutropius *Conſul legem extorquet Arcadio hanc, ut ſi quis ad Eccleſiam confugiat, ab alteri abreptus graviores pœnas pendat, quam legem Chryſoſtomus valde improbavit.* Socr.

Alexandriæ Concilium à Theophilo actum, in quo damnantur *Origeniſtæ*. Templa ethnica etiam à Chriſtianis deſtruuntur, etiam Templum *Deæ Cæleſtis*, quæ à Prophetis Regina cœli vocatur, Chriſtianis deditur, idola ubique evertuntur, unde alicubi ſeditiones exortæ. *Baron.*

Tribigildus *Barborum Dux in Phrygia erat; cùm hoc* Gaina *Comes & Dux Arcadii agit de Eutropio Conſule, qui primus erat apud Arcadium, evertendo, monetque ut Aſiam Tribigildus occupet. Ab Arcadio Gaina contra ipſum mittitur, qui reſcribit Arcadio, hoſtes ab ingenti exercitu inſtructos eſſe, monetque ut potiùs in tolerabiles conditiones deſcendat, inter quas erat, ut Eutropius Conſul ſibi dedatur. Arcadius quod Eutropius in Eudoxiam conjugem contumelioſus fuiſſet, facilè conſentit; Eutropius contra legem à ſe latam in templum confugit, ubi interceſſione Chryſoſtomi ſervatur, & in exilium in Cyprum deportatur: Inde tamen reductus, quòd majorum ſcelerum reus eſſet, Chalcedone interficitur.* Zoſim.

ANNO MUNDI 4349. Poſt C. 400.
A G. ☉ 17. ☽ 2. *Ind.* 13.

Coſſ. Fl. Aurelianus.
Fl. Stillicho.

Gaina Comes ab Arcadio petit, ut templum unum Conſtantinopoli Arianis daretur, cujus petitioni Chryſoſtomus acriter reſtitit, ideò res novas alias molitur Gaina, & cum Tribigildo propius Conſtantinopolin venit, poſtulatque cum Arcadio colloquium; Arcadius ab omnibus deſtitutus conſentit in conditionem inter alias, ut Aurelianus tum Conſul, & Saturninus Conſularis, & Johannes Gainæ tradantur, quos quidem non interfecit, ſed in exilium miſit. *Zoſ.*

Theophilus Epiſcopus Alexandrinus, ut ægrè faceret propoſitis quibuſdam monachorum, ſimulat ſe eſſe cum monachis, qui id pertinaciſſimè ſtatuebant, & perficit hoc modo, ut hi propoſiti expellantur, qui Conſtantinopolin fugiunt, & conqueruntur apud Chryſoſtomum de injuriis Theophili. Chryſoſtomus hos ſuſcipit, non tamen iis communicat, ſed Concilium agit Conſtantinopoli propter ſex Epiſcopos Aſiaticos, qui pecuniæ causâ erant ordinati. Eadem res etiam agitur Epheſi per ſeptuaginta Epiſcopos, & ita ſex Epiſcopi depoſiti, & præpoſiti illi monachorum ex Ægypto innocentes pronunciati. *Soc.*

Vigilius in Tridentinis vallibus ſibi Eccleſiam collegerat, ſed cùm ambarvalia, quæ ſuperſtitioſa erant, celebrantur, *Siſinnius* & *Alexander* interficiuntur die 24. Maji, & poſt menſem etiam Vigilius. *Baron.*

Annus Nabonaſſaris 1148. *& annus Philippi ab mortis Alexandri* 724. *incipit die* 15. *Maji, fer.* 5.

Rufinus contra Hieronymum ſcribit, cui reſpondet Hieronymus poſt biennium. *Hieron.*

Severus Sulpitius ſuas hiſtorias ſcribit, à condito mundo deductas, idque hoc anno. Numerat enim uſque ad annum ſcriptionis annos 45. à Concilio Ariminenſi, & quindecim annos ab interfecto Priſcilliano. *Sulp.*

Wararanes *Perſa, cùm annos undecim regnaſſet, moritur; ſuccedit* Isdegerdes *filius, qui regnat annis viginti.* Agath.

Annus Seleucidarum Alexandræus 712. *Antiochenus* 449. *Conſtantinop.* 5909. *à Calend. Octobr.*

Alari

Alaricus, *cum quinquennium ex Epiro Græciàm fœdis direptionibus vexâſſet, animum ad invadendū Occidentem adjicit, ac in Dalmatiam & Pannoniam tranſit, eaſque regiones latè populatur, ducibus Honorii de hac re non magnoperè ſollicitis.* Jornand.

Gaina *Arcadium ex imperio excuſſurus, aſtu Conſtantinopolin occupare conatur, ſed re proditâ Gothi, qui in ipſam urbem traducti erant, trucidantur; ideò ad Helleſpontum properat, cùm hoſtis ab Imperatore declaratus eſſet. Contra Gainam ab Arcadio mittitur* Fravita, *qui maris præfectus erat, qui Gainæ copias, dum tranſire conantur, vincit, demergit, & victor ad Imperatorem redit. Propterea Conſul in ſequentem annum deſignatur. Gaina victus trans Iſtrum cum ſuis properat, ubi* Huldes *Hunnorum princeps, ut Arcadio rem gratam faceret, ſæpius prælio cum Gainâ congreditur, eum vincit tandem & obtruncat, caputq; ejus die 3. Januarii ſequentis anni,* ut Marcellinus habet, *Conſtantinopolin mittit.* Zoſim.

ANNO MUNDI 4350. Poſt C. 401.
F. ⊙ 18. ☽ 3. Ind. 14.

Annus urbis 1153.	*Julianus* 446.
Æra Hiſpanica 439.	*Auguſtorum* 428.

Coſſ. Fl. Fravitta.
Ragonius Vincentius Celſus.

Arcadius & Honorius *ineunt annum imperii ſeptimum, menſe Ianuarii.*

Gaza Syriæ urbe, cùm gentiles multitudine ſuperarent, Chriſtianos multis injuriis afficiunt. *Porphyrius* Epiſcopus aſſumtis aliis Conſtantinopolin venit, conqueſturus de hac re apud Imperatorem; ſed cùm obtinere non poſſent, ut gentilium delubra everterentur, Eudoxiæ conjugi Arcadii vicinæ partui ſupplicant, & ipſi filium promittunt; quod cùm fieret, & infans baptizaretur, iterùm ſupplicant, & rem obtinent. *Sigon.*

Theodoſius junior naſcitur die 10. Aprilis, quem Chryſoſtomus Epiſcopus de ſancto lavacro ſuſcipit. *Socr.*

Concilium generale celebratum Carthagini die 18. Junii, ubi decernitur, ut legati mittantur ad Pontificem Romanum, qui neceſſitates Eccleſiæ Africanæ de inopiâ miniſtrorum Eccleſiæ ipſi indicent, & ſimul inquirant, quid agendum ſit de pueris à Donatiſtis baptiſatis. Romæ die 13. Sept. reſponſum eſt, & viciſſim legati in Africam miſſi, qui rem inſpicerent. *Tom. Conc.*

Olympias 295. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1177.

Annus Diocletiani 118. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Alaricus *aſſumtis Gothis Italiam invadit hyeme, cui Gothi aſſueverant, bellum geſturus. Noricum igitur invadit, & invito Aëtio perrumpit, & per Tridentinum ſaltum in Venetiam venit die 29. Auguſti, urbeſque eas brevi tempore in poteſtatem redigit, quo audito, omnes ferè in Italiâ de relinquendis ſedibus ſuis conſilia agitant. Verùm Stillicho eos conſolatus, exercitus ubicunque poteſt colligit. Interim Alaricus trajecto Pado* Haſtæ *Honorium obſidet.* Sigon.

ANNO MUNDI 4351. Poſt C. 402.
E. ⊙ 19. ☽ 4. Ind. 15.

Coſſ. Imp. Arcadius V.
Imp. Honorius V.

Theodoſius *junior die 16. Ianuarii à parente Arcadio proclamatur Imperator.* Marcell.

Stillicho, *comparato magno exercitu ex Rhetis & Alpinis populis, accerſitis etiam iis, qui Gallicos & Britannicos limites tuebantur, Honorium obſidione liberat. Alaricum etiam usq; ad Pollentiam inſequitur, ubi Saulus quidam, qui ab Stillichone Pollentiâ præfectus fuerat, in Gothos ipſo die Paſchatos irruit; ſed fœdâ ſtrage reprimitur, & interficitur. Stillicho tamen, ut equites pulſos videt, legiones inducit, & Gothis victoriam e manibus eripit atroci prælio, ubi caſtra etiam Gothorum capta ſunt pleniſſima præda, & cùm Alaricum planè intercludere poſſet, eum tamen dimittit, ne pugnaret cum deſperatis, & pacem cum eo facit. At Alaricus liberatus Veronæ iterùm exercitum reparat, ubi iterùm victus eſt. Tandem adverſis præliis fatigatus, belli reliquias ex Italiâ ultra Alpes in Rhetiam transferre cogitat: ſed excluditur conſiliis Stillichonis, & obſidetur in quodam colle, ubi fame conflictatus exercitus ejus dilabitur, aut ad Romanos tranſit: Ipſe inglorius in Illyricum, unde venerat, pedem referre cogitur. Hæc adhuc ante meſſem confecta.* Sigon.

Anaſtaſius Papa, cùm ſediſſet annis quatuor, menſe uno, diebus tredecim, moritur 27. Aprilis. Succedit *Innocentius* Albanus, qui ſedit annis quatuordecim, menſibus duobus, diebus 22. *Marcel.*

Hieronymus ſcribit contra Rufinum, & Rufinus ipſe Romæ damnatur, unaque ſimul ipſius in Origenem translatio. *Hieron.*

Milevitanum Concilium in Africa habitum, die 27. Auguſti, in quo Presbyter quidam damnatus eſt, cùm Paſcha in ſextum Aprilis incidiſſet, *ut Auguſtinus habet.* Plenilunium paſchale incidit in diem Aprilis tertium, fer. 5. hor. 22. 30. Ergò convenit.

Theophilus Alexandrinus in Cyprum ad Epiphanium proficiſcitur, & perſuadet ipſi, ut convocatis ad ſe Epiſcopis ſecum libros Origenis damnaret, quòd viderentur Anthropomorphitarum ſententiam oppugnare: quo facto eundem Epiphanium hortatur, ut Conſtantinopolin abeat, & ſententiam Concilii ibi publicet. Epiphanius cùm Conſtantinopolin veniſſet. Diaconum ibi in alieno Epiſcopatu contra Canones ordinat, & Chryſoſtomum hortatur, ut Origenis libros damnet, ſed cùm nollet, & affirmaret hoc in generali Concilio fieri oportere, Epiphanius iratus in templo poſt concionem Origenis libros publicè damnat, & Chryſoſtomum acriter perſtringit: Hinc odia inter hoſce exorta, & *Epiphanius*, dum redit, moritur. *Socrates.*

Martinus Epiſcopus Turonenſis hoc anno moritur, *ut Sigebertus habet*, anno Epiſcopatûs 26. vitæ 81. Proſper habet, eum obiiſſe anno octavo Arcadii & Honorii. Severus in ejus vita, ait, eum vixiſſe poſt Priſcilliani mortem annis ſedecim. & Severus tum vixit: & poſt annos ab hinc 112. moritur Clodovæus, anno ſcilicet 514. Errat igitur cum ſuo charactere Gregorius Turonenſis.

ANNO MUNDI 4352. Poſt C. 403.
D. ⊙ 20. ☽ 5. Ind. 1.

Coſſ. Imp. Theodoſius Junior.
Fl. Rumoridus.

Theo-

Theognoſtes Senator Conſtantinopolitanus proſcriptus erat in exilio : ejus viduæ agrum Eudoxia imperatrix eripit invitæ , vidua conqueritur hoc apud Chryſoſtomum, petitque, ut intercedat. Chryſoſtomus id omni conatu agit . ſed nihil obtinet, ideoque cùm aliàs ſciret, Epiphanium ab Eudoxiâ inſtigatum tantum ſibi ſumſiſſe, Conſtantinopoli concionem habet generalem contra γυναικοκρατεῖαν, & præterea die 14. Septembr. Eudoxiam ad templum advenientem excludit; unde ipſa pudore ſuffuſa & indignata Theophilum Alexandrinum evocat , qui adveniens cum ſex Epiſcopis , quos Chryſoſtomus loco moverat, Chryſoſtomum citat extra urbem, ut reſpondeat ad accuſationes. Chryſoſtomus rejicit quosdam ex Epiſcopis judices, ut ipſum Theophilum , illos præterea ſex & Acacium propter conceptas minas. Sed Theophilus nihilominus pergit, & Chryſoſtomum indignum Epiſcopatu judicat, eum removet, & Imperatorem de executione ſollicitat. Veſperi igitur clanculum urbe expellitur, ſed cùm populus tumultuaretur, & inſuper terræmotus ingrueret ſtatim revocatur. *Socr.*

Concilium generale iterùm Carthagine actum in causâ Donatiſtarum. Sed nihil effectum. *Auguſt.*

ANNO MUNDI 4353. Poſt C. 404.
CB. ☉ 21. ☽ 6. *Ind. 2.*

Coſſ. Imp. Honorius VI.
Fl. Ariſtænetus.

Honorius *Romam venit , eamque ipſis Calendis Januarii curru triumphans de Alarico ingreditur die ſereno cùm paucis diebus antè multum plueret , Lunâ novâ. Sic enim in Panegyrico canit Claudianus :*

---------- pluviis turbaverat omnes
Ante dies, Lunamq; rudem madefecerat Auſter,
Ut tibi ſervatum ſcirent convexa ſerenum.

Novilunium factum 29. Decembr. fer. 3 horâ 18.

Paula Hieronymi ſocia moritur 26. Januarii, feria tertia. *Hieron.*

Stillicho *commendat Honorio* Alaricum , *ut ipſi præfecturam militiæ tradat, idque impetrat : ipſe contra cum Alarico paciſcitur , ut relictis Honorii provinciis Illyricum invadat ; ſe enim ſtatim cum exercitu adfuturum.* Sig.

Statua argentea Eudoxiæ Imperatrici non longè à templo Sophiæ collocatur Conſtantinopoli, inde Eccleſiaſticæ ceremoniæ, cùm ludi ibi populares celebrarentur, impeditæ ſunt : Chryſoſtomus publicè hujusmodi ludos vituperat, quod in ſui contumeliam Imperatrix arripiens , alios Epiſcopos conſilio Theophili convocat , qui Chryſoſtomum ejiciant : quare Chryſoſtomus efferveſcens ſuam concionem ita inchoat : *HERODIAS denuò commovetur, inſanit, ſaltare pergit, denuò caput Johannis in diſco accipere quærit, &c.* Ab Epiſcopis autem Chryſoſtomus deponitur, quòd ſuperiori anno depoſitus & revocatus ſuum munus non expectatâ concilii ſententia adminiſtraſſet : Factum paulò ante Paſcha. Poſt damnationem duobus ferè menſibus Conſtantinopoli manet , uſque ad diem 20. Junii, quo expulſus eſt: quo die *templum Sophiæ* incenſum fuit, & aliqua pars urbis cum curia deflagravit. Qui acerbiùs Chryſoſtomum accuſaverat, ei levi de cauſa pes putreſcens abſciſſus eſt , & alter etiam poſtmodum.

Inuſitatæ magnitudinis grando Conſtantinopoli decidit die 30. Septembris , & Eudoxia Imperatrix abortum faciens die quinto Octobris defuncta eſt.

Mirum hoc eſt, quod in faſtis Siculis, ubi eadem hiſtoria refertur, characteres Chronologici apponuntur, qui omnes ſequenti anno conveniunt, quos tamen ſequi non licuit, propter alios autores diſſentientes.

Chryſoſtomus à militibus abreptus ductus eſt in Ciliciam ad Cucuſum, quod Iſauri obtinebant, ut ibi occideretur.

Annus Nabonaſſaris 1152. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 728. *incipit die* 14. *Maji, fer.* 7.

Altera Barbarorum irruptio inſtituitur Radagaiſo *Scythâ duce, qui cum Gothis Sarmatas & Germanos evocavit ad ducenta millia. Honorius contrà milites Alanos & Hunnos ſuos adjungit, & Ravennæ urbi præſidet.* Sigon.

Annus ſabbath. cui ſextus Jobelei ſeptimo, incipit die 22. *Septemb. Anno Jud.* 4165.

Annus Alexandrinus 716. *& Antioch.* 453. *& Conſtantinopolitanus* 5913. *incipit à Calend. Octobr.*

Concilium Carthagini celebratum contra Donatiſtas, ut legibus ac vi cogerentur ab Imperatore, ut ad unitatem Eccleſiæ redirent, ubi etiam Auguſtinus cum Manichæis biduum diſputavit, & quidam ex eis redierunt ad Eccleſiam. *Auguſt.*

Arſacius , homo octogenarius planè infans in loquendo & imperitus, ſuccedit diſertiſſimo Chryſoſtomo Conſtantinopoli in Epiſcopatu die decimo octavo Novembris , ſeditque tantùm annum. *Trip.*

ANNO MUNDI 4354. Poſt C. 405.
A. ☉ 22. ☽ 7. Ind. 3.

Annus urbis 1157. *Julianus* 450.
Æra Hiſpanica 343. *Auguſtorum* 432.

Coſſ. Fl. Anthemius.
Fl. Stilicho II.

Arcadius *& Honorius ineunt annum imperii undecimum in Januario.*

Chryſoſtomus , cùm tota hyeme graviter decubuiſſet, neque tutus eſſet in Cilicia, incurſantibus latronibus Iſauris , deducitur in Armeniam Arabiſſum, quod eſt munitum oppidum ; interim multum ſollicitus de Eccleſia , & dolens vicem *Pelagii* , qui tum inclareſcebat. *Chryſoſt.*

Radagaiſus *ſe in Italiam infert, & præſidia in Alpibus dejicit, & in Venetiam regionem, Æmiliam & in Hetruriam tranſit. Stillicho ſe hoſti nullibi objicit, quòd ea regiones eſſent patentioribus campis, in quibus parvis ſuis copiis ab immensâ illâ multitudine timebat : ideo cùm Radagaiſus jam Florentiam obſidione premeret, in magnis vallium anguſtiis ipſum aggreditur, & ſalvis ſuis omnibus ad centum millia hominum trucidat. Rhadagaiſus paulò pòſt in fugâ captus, cum liberis obtruncatur , Barbari in deditionem veniunt tantâ multitudine , ut ſinguli ſingulis aureis venderentur.* Zoſim.

Olympias 296. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1181.

Annus Diocletiani 122. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Concilium Toleti celebratum contra Priſcillianiſtas die 7. Septemb. *Tomi Conc.*

Concilium iterùm Carthagini celebratum,

plurimiq; Donatiſtarum ad Eccleſiam redierunt: profuerunt in hac re libri Auguſtini contra Creſconium Gramm. *Auguſt.*

Arſacius Pſeudoepiſcopus Conſtantinopolitanus moritur 11. Novemb. *Socr.*

ANNO MUNDI 4355. Poſt C. 406.
G. ⊙ 23. ☽ 8. *Ind.* 4.
Coſſ. Imp. Arcadius VI.
Sex. Anicius Petronius Probus.

Atticus homo verſutus, fit Epiſcopus Conſtantinopolitanus. Legati ab Occidentis Eccleſiâ in causâ Chryſoſtomi mittuntur Conſtantinopolin, ſed miro modo fraude Orientalium & crudelitate etiam *Arcadii* impediuntur, ne Conſtantinopolin intrent, & legationis munere apud Concilium rectè fungi poſſint. Igitur re infectâ dimittuntur, & Comites atque Epiſcopi Orientis, qui cauſam Chryſoſtomi videbantur probare, in diverſa exilia diſperguntur, & crudeliter habentur.

Hieronymus hoc anno commentatur in Prophetas minores, & ſcribit contra *Vigilantium*, qui impugnabat cultum reliquiarum, & cœlibatum Clericorum. *Hieron.*

Reliquiæ *Samuelis* Prophetæ transferuntur ab Arcadio Conſtantinopolin, poſt mille quadringentos & ſexaginta ſex annos ab ejus obitu. *Niceph.*

Stillicho *Alarici auxilio Illyricum Arcadio conatur eripere, ideo exercitum eò traducit.* Zoſ.

Tertia irruptio barbarorum in Occidente facta, quâ Gallia primùm, inde Hiſpania, & poſtremo, Africa ſunt occupata, & omnis generis calamitatibus afflicta. Vandali *enim duce Godigiſilo, &* Alani *aſſumtis in Germaniâ Quadis, Marcomannis, Herulis, Turcilingis, Suevis, Alemannis & Saxonibus, ultimo Decembris ad Rhenum progreſſi, Francis victis Rhenum tranſeunt.* Zoſim.

ANNO MUNDI 4356. Poſt C. 407.
F. ⊙ 24. ☽ 9. Ind. 5.
Coſſ. Imp. Honorius VII.
Theodoſius Junior II.

Vandali *proximas Rheno provincias longè lateq; vaſtant, & crudeliter exercent victoriam, fruſtrà repugnantibus Honorii præfectis. Evertunt Moguntiam, Vangionem deditione capiunt; Rhemi, Ambiani, Attrebates, Morini, Tornavenſes, Nemetes Argentoratumque diripiuntur.* Zoſ.

In Britanniâ milites tumultuantur, & novum Imperatorem per tumultum eligunt Marcum quendam; mox eo occiſo eligunt Gratianum, & hoc quoque occiſo eligunt Conſtantinum, ex infimâ militiâ hominem, tantummodò propter nomen, ſine merito virtutis, qui impetum in Gallias facit, & milites Romanos ad ſe traducit. Zoſ. Bed.

Tempeſtas ingens Conſtantinopoli cum terra motu ſævit, die primo Aprilis.

Concilium iterùm Carthagine actum contra Donatiſtas, & conſultatio inſtituta de ſchiſmate, inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam tollendo. *Aug.*

Olympiodorus *Hiſtoricus ab hoc anno incipit. Paulò poſt Athenis inventa eſt ratio glutinis à Philtatio, cui, quòd rei literariæ plurimùm profuiſſet, ſtatua poſita eſt Athenis, & magno honore habitus.* Olymp. apud Photium.

Hieronymus & Auguſtinus usque ad ſimultatem diſceptant de Paulo Apoſtolo, quòd reprehenderit Petrum: Hieronymo contendente, ſimulationem quandam fuiſſe, nec re verâ Petrum reprehendiſſe. Sed Auguſtinus fortioribus argumentis contradicit. *Sigeb.*

Chryſoſtomus in exilio *Comanis* ad Pontum Euxinum plurimis confectus ærumnis moritur, die 14. Novemb. Magnæ turbæ ejus cauſâ inter Occidentalem Eccleſiam & Orientalem fuerunt, donec poſt annos 31. ejus reliquiæ Conſtantinopolin referrentur, & Theodoſio perſuaderetur, ipſi injuriam factam. Falſum igitur, Arcadium à Pontifice Romano excommunicatum pœnituiſſe de expulſo Chryſoſtomo. *Ced.*

ANNO MUNDI 4357. Poſt C. 408.
ED. ⊙ 25. ☽ 10. Ind. 6.
Coſſ. Fl. Philippus.
Anicius Baſſus.

Stillicho, *qui in Illyrico erat, cùm Honorius audiſſet de Conſtantini irruptione in Galliam, revocatur, & pars exercitus Galliam mittitur.* Zoſ.

Vandali *ex Belgio in Aquitaniam tranſeunt, eamq; vaſtando peragrant, unâ cum Lugdunenſi & Narbonenſi provincia.* Zoſim.

Sarus *Honorii præfectus, Conſtantini ducem Juſtinianum aperto prælio vincit, eumque Valentiæ obſidet, quo ſe etiam Conſtantinus tyrannum contulerat: reliqui Duces collecto exercitu obſidionem ſolvunt, & exercitum Imperatoris in Italiam redigunt. Tyrannus inſuper Alpes Rhenumque & contra Honorium & contra barbaros munit, præſidiis firmat & Conſtantem filium Cæſarem creat.* Zoſim.

Arcadius *Imperator moritur Conſtantinopoli, cùm imperâſſet poſt patrem annos tredecim, menſes tres, dies quindecim. Tutorem filio ſuo relinquit, non fratrem, ſed Iſdegerdem regem Perſarum, cum quo fœdus inierat. Hac occaſione religio Chriſtiana in Perſiâ propagata eſt. Succedit filius* Theodoſius *junior, qui poſt patrem regnavit annos 42. menſes 2. dies 28.*

Annus Nabonaſſaris 1156. & annus Philippi & mortis Alexandri incipiunt die 13. Maji, feria 4.

Cùm nuntius veniſſet, Arcadium mortuum, Honorius eò ad tutandas res pupilli proficiſci conatur. Stillicho id diſſuadet in tanto diſcrimine imperii, cùm Conſtantinus opprimendus eſſet, & Barbari Galliâ pellendi: & ſuam operam offert in tutando imperio Orientali; ſed cùm indicia emanarent, Stillichonem eo conſilio Conſtantinopolin petere, ut ſublato pupillo Theodoſio ſuum filium Eucherium Imperatorem faceret, & ſuſpectus aliàs eſſet, quòd barbaros ad invadendam Galliam ſollicitâſſet, capite truncatur die 23. Auguſti, & de ejus familiaribus quæſtiones acerbiſſimæ ſunt habitæ. Eucherius tum fugâ in Picenum evaſit, paulò poſt tamen retractus jugulatur. Zoſim.

Stillichonis *contra milites, improbatâ cæde ejus ad Alaricum ſe conferunt, eumq; hortantur, ut in Italiam erumpat.* Zoſim.

Annus Alexandrinus 720. Antiochenus 457. & Conſtantinop. 591. incipit à Clend. Octob.

Conſtans *filius Conſtantini tyranni cum exercitu in Hiſpaniam tranſit, duces Honorii pellit, totam provinciam occupat, & Gerontio gubernandum tradit, & ad patrem in Galliam redit.* Zoſim.

Van-

Vandali, *Alani & Suevi vel ètâ Galliâ, quam vaſtaverant. Hiſpanias invadunt biennio antequam Roma ab Alarico Gothorum rege caperetur*, Oroſio teſte, *qui tum vixit. Ingrediuntur autem iter die 13. Octobr.* Vaſæus.

Quidam Epiſcopi Orientis, pœnitentes de injuriis Chryſoſtomo illatis, ſe Occidentalibus applicant & recipiuntur.

ANNO MUNDI 4358. Poſt C. 409.
C. ⊙ 26. ☽ 11. *Ind.* 7.

Annus urbis 1161. *Julianus* 454.
Æra Hiſpan. 447. *Auguſtorum* 436.

Coſſ. Imp. Honorius VIII.
Imp. Theodoſius Junior III.

Honorius init annum Imperii decimum quintum menſe Januar. Theodoſius ſecundum primo Maji.

Alaricus *à militibus incitatus, cùm videret partes Honorii à ducibus militia infirmas, Italiam petit, & Alpibus ſuperatis ad Padum uſque pervenit & Ravennam, poſcitque ab Honorio ſedes in Italiâ ſibi & ſuis. Cùm hoc ipſi negaretur, Romam contendit, eamq; obſidet, ubi mancipia innumera ad ſexaginta millia ad ipſum perfugiunt.* Romani, *cùm ſuſpicarentur, Alaricum à* Serenâ Stillichonis *vidua eſſe accerſitum, laqueo ipſam ſtrangulant, quâ re Alaricus irâ incenſus, omni commeatu Romanos excludit, qui fame tandem extremâ conflictati, cum Alarico pacem faciunt. Multo igitur accepto auro & precioſiſſimâ ſuppellectile Alaricus abit in Thuſciam.* Zoſim.

Eo tempore Conſtantinus tyrannus legatos mittit ad Honorium, qui excuſent factum, & ſe coactum à militibus imperare, & ſi in conſortium imperii recipiatur, promittit ſe fideliter partes Honorii tutaturum. Honorius ne binis bellis involveretur, veniam ipſi dat, & trabeam imperatoriam illi mittit. Zoſim.

Olympias 295. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1185.

Annus Diocletiani 126. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Cùm Vandali, Suevi, & pars Gothorum, Hiſpanias occupâſſent, tanta fames aliquibus locis ingruit, ex deſolatione agrorum, ut ad carnes humanas perventum ſit. Gallaciam Vandali occupant, Suevi in extremitate ſuccedunt, Alani ſumunt Luſitaniam prope Carthaginem novam. Idac.

Honorius *pace cum Conſtantino factâ, conditionum pacis, quas cum Alarico fecerat, ut Româ cederet, parùm curat, nec datis obſidibus pacem confirmat, ideo Alaricus urget pacem & minitatur bellum. Inter conditiones pacis fuit, ut ſibi quotannis detur ſumma aliqua auri, & annona, item Noricum ad habitandum, & ut magiſter militia conſtituatur. Cùm nihil obtineret, Romam redit, eamque arctè obſidet, & proditione tandem capit; cùm mentitus diſceſſum trecentos juvenes Gothos ſenatoribus Romanis dono daret, qui certo die, horâ primâ poſt meridiem Alarico portam Aſinariam aperuerunt: urbe captâ Romanos coegit, ut ad infimas pacis conditiones deſcenderent, ut Honorio imperium abrogarent &* Attalum *quendam Imperatorem facerent. Factum die viceſimo quarto Auguſti.* Honorius *hac parùm curavit, ſed cum ipſi nunciatum eſſet Romam perditam, miratur illam ſubitò periiſſe, quam paulo antè feſtiviſſimè ludentem viderat. Intelligebat autem hoc de gallina quadam pugnaci, cui nomen Roma indiderat, doluitq; ſe fruſtrà turbatum fuiſſe.* Agath. *Sed Attalus novus Imperator Conſtantinum ducem in Africam mittit, & ipſe cum Alarico contra Honorium proficiſcitur. Honorius, in anguſtiis conſtitutus, pacem petit, ſed duriſſima conditiones ipſi proponuntur, ut videlicet abdicato imperio in exilium abeat. Sed commodùm accidit, ut eo ipſo tempore quatuor millia militum acciperet ex Oriente, quibus fultus animum recepit, & Ravennam tutatus eſt. Interea dux Attali in Africam miſſus occiditur, & Herodianus dux Honorii victor, ut Romanis agrè faceret, frumentum omne detinuit in Italiâ; unde tanta fames Romæ orta, ut vitam cogerentur caſtaneis tolerare, & ludis Circenſibus clamarent:* Pretium pone humanæ carni. *Zoſim.*

ANNO MUNDI 4359. Poſt C. 410.
B ⊙ 27. ☽ 12. *Ind.* 8.

Coſſ. Fl. Varari,
Fl. Tertullus.

Propter motus bellicos nulli facti ſunt Conſules Calendis Januarii, ſed in Oriente circa Calendas Febr. iniit Varari; *Roma autem circa Calendas Julii.* Tertullus.

Cùm Attalus *nihil proſperè ageret, & metus eſſet, ne Conſtantinus ex Galliis Honorio auxilio veniret, Alaricus, ut ſibi conſuleret, Attalum imperio removet, & ipſi auguſtalia inſignia detrahit circa initium Febr. & cum Honorio pacem facit hiſce conditionibus, ut* Alaricus *ſocius & amicus eſſet Honorii, & Galliæ partem haberet, quam cum Gothis incoleret, & ibidem Honorii partes defenderet. Sed interim* Sarus *dux Honorii, in Galliâ pacem hanc turbaturus, in Gothos inopinantes irruit, & multos cadit; quâ injuriâ tanquam ab Honorio orta Alaricus commotus Romam ſe recipit, urbem inſidiis Calendis Aprilis occupat, eamque Gothis diripiendam prabet, tantummodo à cade abſtinerent. Urbs ita toto triduo diripitur; qui ad templa confugerunt, tuti fuerunt, multi etiam à Gothis ad templa deducti, ne perirent, & ipſa barbaries valdè mitis erga Chriſtianos fuit. Poſt triduum Gothi urbe exceſſerunt, nullo etiam praſidio relicto. Alaricus enim inde in Latium, Campaniam, Apuliam, Lucaniam & Calabriam profectus, ea etiam loca vaſtat.* Zoſim.

Concilium Carthagine menſe Junio agitur contra Donatiſtas, & legati mittuntur ad Honorium de refrenandâ Donatiſtarum tyrannide.

Cùm Pagani cladem Romanam dicerent factam ob cultum Deorum neglectum, & religionem Chriſtianam receptam, *Auguſtinus*, ut eos refutaret, ſcribit libros de civitate Dei. *Aug.*

ANNO MUNDI 4360. Poſt C. 411.
F. ⊙ 28. ☽ 13. *Ind.* 9.

Coſſ. Imp. Theodoſius IV.

Solus hic in Oriente hoc anno Conſul fuit, cùm propter multiplicia bella in Occidente nullus eſſet.

Theodoſius *junior agit decennalia Conſtantinopoli.* Marcell.

Alaricus *in Siciliam tendit, ſed adverſa tempeſtate rejectus in Calabriam redit, &* Conſentiam *expugnatam diripit: ibi conſultans, quid deinceps faciendum ſit, in morbum incidit, & moritur, quem milites in alveo Buſenti fluminis, averſo interim alio flumine, cum multis opibus ſepeliunt, &* Athaulphum *affinem Alarici regem faciunt, dantque ipſi Placidiam Honorii ſororem in matrimonium. Athaulphus autem Romam rediturus, exoratur à ſponſâ Placidiâ, ne fa-*

ciat, ſed potius, quæ ad ſplendorem imperii faciant, curet: Paulò poſt igitur nuptias celebrat. Regnavit autem Athaulphus annos ſex. Jornand.

Carthagini primo Junii Orthodoxi cum Donatiſtis conveniunt, diſputaturi de controverſis articulis. Donatiſtæ varia effugia quærunt, octavo tandem Junii collationem inſtituunt, quæ uno die abſolvitur. & Donatiſtæ condemnantur. *Auguſt.*

Gerontius dux Honorii contra Conſtantinum in Gallias movet, & filium *Conſtantem* Viennæ concludit, capit & trucidat, & patrem Conſtantinum Arelati obſidet. Interim Honorius etiam *Conſtantium* ducem in Gallias mittit ad evertendum Conſtantinum, qui jam Francos & Alemannos in auxilium evocaverat; ſed Conſtantius diſpoſitis inſidiis Francorum ducem capit, & exercitum ejus trucidat, & Conſtantinum, qui jam depoſuerat purpuram, capit, & Honorio mittit, à quo occiſus eſt.

Annus Jobeleus & ſabbathicus ſeptimus incipit die 4. Septemb. fer. 2. Anno Jud. 4172.

In Britanniâ, *cùm remoto Conſtantino nemo Romanorum eſſet, Scoti, qui jam viginti ſeptem ferè annis in Scandiâ exulârant, duce* Ferguſio, *nepote Eugenii, in Britanniam redeunt, & priſtinas ſedes ſuas recipiunt.* Buchan.

Athaulphus *tandem cum omni Gothorum exercitu Italiâ cedit, & in Galliam, ex fœdere cum Alarico facto, transgreſſus, Narbone & in vicinis locis Gothos collocat.* Oroſ.

Auguſtinus abſolvit primum librum de civitate Dei, & ſcribit contra Pelagianos; idem facit etiam Hieronymus.

ANNO MUNDI 4361. Poſt C. 412.
GF. ☉ 1. ☽ 14. *Ind.* 10.

Coſſ. Imp. Honorius IX.
Imp. Theodoſius Junior V.

Honorius *jam liberatâ Italiâ Romam redit, & vicennalia agit.* Marcell.

Conſtantius *ab Honorio in Gallias mittitur, qui egregiè res gerit, & Conſtantini duces Jovinum & Sebaſtianum magnis præliis vincit, & totâ Galliâ exigit. Inde in Hiſpaniam citeriorem tranſit, ubi Maximum, qui Tyrannidem ferè ante biennium invaſerat, capit, ſed ob humilitatem dimittit; atq; ita Gallia & Hiſpania citerior ad jus Honorii redit.* Sigon.

Annus Nabonaſſaris 1160. *& Philippi ac mortis Alexandri* 736. *incipit die* 12. *Maji, fer.* 1.

Heraclianus *in Africâ, qui Honorii partes hactenus fortiter defenderat, ſuperbiâ elatus ab Honorio deſciſcit, & imperium ſumit; ideò hoſtis judicatur, die quinto Julii, & Conſulatus ipſi in ſequentem annum decretus abrogatur.* Sigon.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 724. *Antiochenus* 461. *& Conſtant.* 5921. *incipiunt Cal. Octob.*

Theophilus Epiſcopus Alexandrinus moritur die 18. Octobris, cui ſuccedit *Cyrillus* Theophili Patruelis, qui ſtatim Novatianorum templa occludit, & Epiſcopos eorum ejicit. In Chryſoſtomum tamen in initio valdè durus fuit, admonitus tamen tandem cum inter Epiſcopos publicè recitari paſſus eſt. *Socrates.*

ANNO MUNDI 4362. Poſt C. 413.
E ☉ 2. ☽ 15. *Ind.* 11.

Annus urbis 1165. *Iulianus* 458.
Æra Hiſpanica 451. *Auguſtorum* 440.

Coſſ. Fl. Lucianus.

Collega ejus futurus erat Heraclianus, ſed hoſtis declaratus hoc anno occiſus eſt, & nomen ejus eraſum.

Honorius in Januario incipit annum imperii 29. *Theodoſius Calendis Maji ſextum.*

Heraclianus *claſſem quàm maximam conficit, & littora Italiæ crudeliſſimè vaſtat; excenſione verò factâ à* Marino *duce Honorii vincitur, & amiſſo exercitu Carthaginem fugit, ubi occiſus eſt.* Oroſ.

Pelagius, quod hactenus clanculum fecerat, ut errores de libero arbitrio ſpargeret, jam in apertum prodit. *Baron.*

Olympias 298. *incipit in Julio. Eſt annus Olymp.* 1189.

Annus Diocletianus 130. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Franci, *cùm Gallia hiſce tumultibus liberata eſſet, collecto exercitu eam invadunt, duce* Marcomiro, *& urbem Trevirorum iterùm capiunt, diripiunt, incendunt.* Sig.

ANNO MUNDI 4363. Poſt C. 414.
D. ☉ 3. ☽ 16. *Ind.* 12.

Coſſ. Fl. Conſtans.
Fl. Conſtantis.

Caſtinus *dux ab Honorio miſſus multa ſecunda prælia cum Francis facit, & tandem eos iterum ex Gallia exigit.* Oroſ.

Donatiſtæ exilio multati mortem præoptant exilio, & equis impoſiti ſponte ſe præcipitabant, etiam in obvios puteos, ut invidiam Orthodoxis conciliarent, & ipſi ab imperitâ plebe pro martyribus haberentur. *Baron.*

Oroſius, quòd hæreſes ab Avito ex doctrina Origenis ſumtæ in Hiſpania ſpargerentur, ad Auguſtinum proficiſcitur. *Oroſ.*

Pulcheria *ſoror Theodoſii Junioris Imperatoris coronatur Auguſta, die* 4. *Julii.*

Judæi Alexandriæ tumultum concitant, & nocturno prælio multos Chriſtianos interficiunt: quapropter Cyrillus eos univerſos Alexandriâ ejicit, & de eorundem ſceleribus Imperatorem certiorem facit. *Socr.*

Athaulphus *Gothus in Gallia, ut Honorio agrè faceret, Attalum, cui imperium ab Alarico datum & viciſſim abrogatum erat, ad invadendum iterùm imperium incitat, ideò Athaulphus cum Attalo Romæ hoſtis judicatur.* Sigon.

ANNO MUNDI 4364. Poſt C. 415.
C. ☉ 4. ☽ 17. Ind. 13.

Coſſ. Imp. Honorius X.
Imp. Theodoſius VI.

Conſtantius *dux cum exercitu contra Athaulphum miſſus eum Narbone obſidet. Athaulphus vim metuens inde evadit, & cùm in Africam non poſſet, in Hiſpaniam properat, & Attalus capitur, & ad Honorium mittitur. Athaulphus verò, cùm ex conſilio uxoris cum Honorio pacem componere vellet, in odium incurrit, & Barcinone, quando equos ſuos in ſtabulo contemplari vellet, à Dobbio ſervo, cujus dominum interfecerat, trucidatur; ejus mors annunciatur Conſtantinopoli die* 24. *Septemb. fer.* 6. *& propterea ſpectacula ibi eduntur. Succedit Athaulpho, qui annos ſex regnârat,* Segericus, *qui, quòd ad pacem inclinatior eſſet, paulò poſt occiditur.* Olymp.

Con-

Concilium Dioſpolitanum in Palæſtinâ celebratur contra *Pelagium* tum præſentem, qui damnatus pœnitentiam agit, & damnat ſuas ipſius hæreſes, & ad Eccleſiam redit; paulò pôſt tamen ad ſua deliria redit. *Tomi Conc.*

Stephani Protomartyris reliquiæ inventæ, item Nicodemi & Gamalielis, *ut Auguſtinus habet ſermon.* 51.

Judæi in Palæſtinâ crucem ludibrio habent, inde puerum Chriſtianum joci causâ cruci alligant: ſed pôſt dementati & inſaniâ correpti miſerum illum puerum adeò verberibus mulctant, ut moreretur: quapropter multi iis locis comprehenſi pœnas dederunt. *Socr.*

Templum Conſtantinopolitanum, in diſceſſu Chryſoſtomi exuſtum, & jam inſtauratum, dedicatur 10. Octobr. fer. 1. *Faſti Siculi.*

ANNO MUNDI 4365. Poſt C. 416.
BA. ☉ 5. ☽ 18. Ind. 14.
Coſſ. Imp. Theodoſius Junior VI.
Junius Quartus Palladius.

Gothi *Athaulpho ſublato Sigericum ſubſtituunt regem. Verùm cum & hic inclinatior ad pacem eſſet, & hunc trucidant, &* Walliam *ſufficiunt, qui in Africam trajecturus a ducibus Honorii impeditur, atque ideò neceſſario pacem cum Honorio facit, & in conditionibus etiam* Placidiam *ſororem ipſi reddit, accipit partem Hiſpaniæ cum conditione de debellandis Vandalis.* Iſidorus.

Lapis *ingens in urbem Conſtantinopolin de cœlo decidit die* 28. *Martii, illuceſcente feriâ tertiâ.* Faſti Siculi.

Annus Nabonaſſaris 1164. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 740. *incipit die* 11. *Maji, feria* 5.

Conſtantinopoli annunciatur Attalum in poteſtatem redactum, & Gothos victos die 28. *Junii, feriâ quartâ, ob eam cauſam ſpectacula eduntur.* Faſti Siculi.

Innocentius Papa, cùm ſediſſet annos quatuordecim, menſes duos, dies 21. moritur die viceſimo octavo Julii. Succedit *Zoſimus* Cappadox Græcus, qui ſedit annos tres, menſes 4. dies 7. Hic decrevit, *ut Sigebertus habet*, ut Cereo in Sabbatho ſanctæ Paſchæ per Eccleſias benediceretur. *Onuph.* Sed Baronius Zoſimi initium in ſequentem annum ponit.

Annus Alexandreus Seleucidarum 728. *Antiochenus* 465. *& Conſtantinop.* 5925. *a Clend. Octob.*

Concilium & Carthagine & Milevi in Numidiâ agitur, in utroque errores Pelagii damnantur. *Tomi Conc.*

ANNO MUNDI 4366. Poſt C. 417.
G. ☉ 6. ☽ 29. Ind. 15.

Annus urbis 1169.	*Julianus* 462.
Æra Hiſpanica 455.	*Auguſtorum* 444.

Coſſ. Imp. Honorius XI.
Fl. Conſtantius II.

Honorius in Januario incipit annum imperii 23. *Theodoſius Calendis Maji decimum.*

Honorius *devictis Gothis Romæ triumphat, & Attalum poſt peractum triumphum, in quo manibus poſt tergum revinctis deductus erat, manu dexterâ truncat, & Liparam relegat.* Sigon.

Terræ *motus magnus factus Conſtantinopoli feriâ ſextâ ante Paſcha die* 20. *Aprilis.* Faſti Sic.

Error in Paſchate celebrando commiſſus. Occidentales enim id celebrârunt die 25. Martii, ubi aqua, quæ ſolito more ad baptiſandos Catechumenos manare in paſchate ſolebat, nulla apparuit; Legitimo autem die Paſchatis horâ baptiſandi ſolitâ emanavit, & Paſcha die 22. Aprilis agi debuiſſe oſtendit. Affirmatur hoc miraculum apud *Sigebertum*, cujus verba ſcripſimus, & apud *Vincentium & Marianum Scotum*, imò apud *Paſchaſinum Epiſcopum*, qui tum vixit, qui ſub hiſce Coſſ. id factum eſſe aſſerit, & quidem ſub Papâ Zoſimo. Unde patet Baronium errare, qui Zoſimi initium in menſem Auguſtum hujus anni conjicit.

Olympias 299. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1193.

Annus Diocletianus 134. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Wallia *Gothorum rex, adjutus auxiliis Honorii, in Luſitaniâ Vandalos & Suevos & Alanos adoritur armis, eoſque multis præliis fatigat, teſte* Sidonio. *Propter hæc in Rempubl. merita Honorius ipſi Aquitaniam provinciam in Galliâ ad Oceanum uſque concedit.* Iſidorus.

Placidia *ſoror Honorii jungitur matrimonio Conſuli Conſtantio invita ferè. Nuptiæ ab Honorio ſplendidè apparantur.* Photius.

ANNO MUNDI 4367. Poſt C. 418.
F. ☉ 7. ☽ 1. Ind. 1.

Coſſ. Imp. Honorius XII.
Imp. Theodoſius Junior VIII.

Wallia *Suevos ad Auguſtam emeritam acie ſuperat, & Alanos etiam in anguſtias redigit, ut caſo ſuo rege pauci, qui ſuperfuerant, ſe Gunderico Vandalorum regi ſubjicerent,* teſte Sidonio.

Concilium Carthagine celebratum ducentorum decem ac ſeptem Epiſcoporum, & hæreſis Pelagiana penitùs damnata, & decreta Concilii ad Zoſimum Papam perſcripta. Imperatores etiam Honorius & Theodoſius edicto jubent Pelagianos accuſatos & convictos in exilium per totum imperium pelli; die ultimo Aprilis. *Cod.*

Eclipſis Solis maxima & à Marcellino & Gallicis ſcriptoribus annotatur; ea accidit Rhemis in Galliâ poſt mediam noctem horis 10,30,27. *ubi Parallaxis latitudinis* 25,27. *Latitudo vera* 21,31. *Viſa auſtralis* 3,56. *Semidiameter Solis* 15, 6. *Scrup. reſidua* 26, 52. *Digiti ecliptici* 10, 42. *Sol in* 26, 30. *Cancri, fuitque die* 19. *Julii, feriâ ſextâ. Digiti ecliptici duodecim, Sol ferè in principio Leonis.*

Annus ſabbathicus primus Jobelei octavi incipit die 16. *Aug. fer.* 2. *Anno Jud.* 4179.

Plintha *comes quidam imperium in Palæſtinâ invadens, à ducibus Theodoſii vincitur & occiditur.* Marcell.

ANNO MUNDI 4368. Poſt C. 419.
E. ☉ 8. ☽ 2. *Ind.* 2.
Coſſ. Fl. Monaxius.
Fl. Plintha.

Zoſimus Papa, cùm ſediſſet annos tres & menſes duos, mortuus fuerat die 26. Decembr. ſuperioris anni. Eliguntur autem quinto Januarii in ſchiſmate duo Pontifices *Eulalius* & *Bonifacius*. Honorius putavit Eulalium eſſe præferendum, ſed aliter edoctus utrumque ad ſe Ravennam evocat,

convocatâ ad id Synodo. Cùm & in Synodo hæc res definiri non poſſet, aliam inſtituit: interim jubet Epiſcopum Spoletinum Romæ ſacra adminiſtrare. Eulalius putat hoc ferendum non eſſe, ideò Romam reverſus, ipſe ſacra adminiſtrare conatur, atque ita ſeditio excitatur; quapropter edicto Honorii die 25. Martii pellitur, & poſtea in Synodo die 13. Junii *Bonifacius* in Pontificatu confirmatur, fuit natione Romanus, ſeditque annos tres, menſes novem. *Anaſtaſius & alii.*

Aetius præfectus militiæ ordinatur Conſtantinopoli die 23. Febr. die Dominica, & in Occidentem mittitur. Faſti Siculi.

Gundebaldus, *cum annos 21. Francis præfuiſſet Ducis nomine, moritur; eligitur Marcomiri filius* Faramundus *die 24. Aprilis, quem poſtea Viceburgi ſcuto ſublatum ritu priſco regem creant die 23. Julii, qui regnavit annos ſeptem.* Sigeb.

Gundericus *Vandalorum rex, cùm annis decem & ſex regnâſſet, & crudeliter in Catholicos graſſatus eſſet, à Dæmone correptus interiit; ſuccedit frater* Geiſericus, *qui regnat totis annis nonaginta octo.* Iſidor.

Valentinianus *naſcitur die 2. Julii ex Conſtantio & Gallâ Placidiâ, Honorii ſorore.*

Euſtochium *Paula filia moritur 28. Septembr.* Hieron.

Wallia *Gothorum rex in Aquitaniâ, quæ poſt* Vaſconia *appellata eſt, cùm annos tres regnâſſet, moritur; ſuccedit Theuderichus rex, qui regnat annis 23.* Iſidor.

ANNO MUNDI 4369. Poſt C. 420.
DC. ☉ 9. ☽ 3. Ind. 3.
Coſſ. Imp. Theodoſius Junior IX.
Fl. Conſtantius.

Iſdegerdes *Perſarum rex, cùm annos viginti regnâſſet, moritur; ſuccedit filius* Wararanes, *qui regnat annis 21.* Agath. *Hic ſtatim perſequitur Chriſtianos, commotus zelo non opportuno Epiſcopi* Audæ, *qui Pyræum, ubi Perſarum ſacer ignis cuſtodiebatur, fuerat demolitus. Hic bellum Perſicum ortum, quòd Rex Perſarum profugos, qui perfugerant Conſtantinopolin, repoſceret, quos Theodoſius prodendos non putabat.* Soc.

Annus Nabonaſſaris 1168. & annus Philippi ac mortis Alexandri 744. incipit die 10. Maji, fer. 2.

Conſtantius, *qui Honorii ſororem uxorem duxerat, & jam ex eâ filium habebat, ab Honorio ad Auguſtalem dignitatem evehitur invitus ferè.* Olymp.

Hieronymus moritur die 30. Septembr. ſepelitur in Bethlehem anno ætatis nonageſimo primo.

Annus Alexandr. Seleucidarum 732. Antioch. 469. & Conſtantinopolitanus 5929. à Calend. Octobr.

Rex Perſarum bellum infert Armeniæ. Theodoſius per duces Armeniam defendit, & inſigni victoriâ potitur, quam carmine Heroico celebrat filia Leontii Philoſophi Athenaiis. Marcell.

ANNO MUNDI 4370. Poſt C. 421.
B. ☉ 10. ☽ 4. *Ind. 4.*

Annus urbis 1173. *Julianus 466.*
Æra Hiſpanica 459. *Auguſtorum 448.*

Coſſ. Fl. Agricola.
Fl. Euſtathius.

Honorius init annum imperii 27. in Ianuario: Theodoſius 14. in Majo.

Conſtantius, *quòd à Theodoſio in ſocietatem imperii non reciperetur, mœrore conficitur, & circa menſem Martium moritur, cum vix ſex menſes imperâſſet.* Proſp.

Honorius, *cùm Gothi Vandalos bello urgerent, in ſpem venit Hiſpaniæ recuperandæ: ideò* Caſtinum *ducem Gallis auxilio mittit, jubetq́; ut &* Bonifacius, *in Africâ claſſem in hanc rem paratam habeat.* Sigon.

Olympias 300. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1197.

Annus Diocletiani 138. incipit die 29. Auguſti.

Faramundus *anno regni tertio convocat Sapientes quoſdam regni, iisque mandat, ut leges populo Francorum condant. Promulgantur poſteà hæ leges in comitiis Salicenſibus, & leges* Salicæ *vocantur. Fuit autem* Salcheim *oppidum ſitum in Franconiâ ad Salam fluvium.* Conſt. Imp.

Ardaburius *dux Theodoſii Niſibin obſidet. Perſæ Alamundarum Saracenum in auxilium evocat, qui cum magna multitudine Perſis auxilio venit, Ardaburius territus obſidionem ſolvit. Interim Saraceni nocturno pavore territi plerique ſe in Euphratem præcipitant, reliqui diffugiunt, & Ardaburius tandem victoriâ potitur. Ea nunciata fuit Conſtantinopoli die 6. Sept. fer. 3.* Faſti.

Theodoſius Athenaidem Leontii Philoſophi Athenienſis filiam, virginem tum virtute, tum eruditione præſtantem, uxorem ducit. Prius tamen eam baptiſari curat, & nomine ejus mutato eam *Eudociam* vocat circa finem anni. *Diac.*

ANNO MUNDI 4371. Poſt C. 422.
A. ☉ 11. ☽ 5. *Ind. 5.*
Coſſ. Imp. Honorius XIII.
Imp. Theodoſius Junior X.

Honorius *Romæ tricennalia celebrat, & eodem tempore Maximus & Iovinus, qui ſibi imperium in Hiſpaniâ ſumſerant, vincti adducuntur, & interficiuntur.* Marcell.

Caſtinus *& Bonifacius, dum æquo imperio bellum Vandalicum adminiſtrant, ut Honorius præceperat, adeò Vandalos affligunt, ut ad ultimam eos deſperationem adigerent. Sed ortâ ex re benè geſtâ ſimultate, cùm Caſtinus Bonifacio imperare vellet, Bonifacius in ſuam provinciam redit, & Caſtinus, cùm inconſultius prælium iniret, ingenti clade à Vandalis afficitur.* Idac.

Auguſtinus cum Maximo Ariano diſputat, & contra eundem ſcribit. *Auguſt.*

Cùm Ardaburius Perſarum immortales, quos ita vocant, viciſſet, pax fit tandem, & Perſæ à perſecutione Chriſtianorum abſtinere jubentur. Socr.

ANNO MUNDI 4372. Poſt C. 423.
G ☉ 12. ☽ 6. *Ind. 6.*
Coſſ. Fl. Aſclepiodotus.
Rufius Prætextatus Marinianus.

Eudocia *conjux Theodoſii Iunioris Auguſta proclamatur die 2. Ianuarii, & paulò poſt multi fiunt terræ motus Conſtantinopoli.* Faſti.

Honorii *ſoror Placidia, quòd ſuſpecta eſſet proditionis cum hoſtibus Gothis fratri, ne in periculum veniret, Conſtantinopolin cum filio Valentiniano aufugit, ubi honeſtè ſuſcipitur.* Sigon. Proſp.

Theodoretus ex monacho eligitur Epiſcopus Cyri. *Baron.*

Agelmundus *Longobardorum rex*, *cùm annos triginta tres regnaſſet*, *moritur*, *ſuccedit* Lamiſſus *meretricis filius*, ut Proſper habet, *apud Longobardos rex ſecundus*. Proſp.

Honorius Imperator intercutis morbo correptus Romam ſe revehi curat, & moritur die 15. Auguſti mortem ejus præceſſit Cometa, *ut Marcellinus habet*, mortuus autem eſt anno ætatis 39. cùm imperaſſet poſt patrem annos 28. menſes 7. *Proſper.*

Johannes, qui Scriba fuerat, cùm fortunam ſuam ferre non poſſet, defuncto Honorio abſque liberis invadit imperium, jungit ſibi duces Caſtinum & Actium, & cùm ſenſiſſet id Theodoſio non placere, & bellum ſibi metuendum eſſe, Actium ad Hunnos mittit, qui contrahat milites. *Socr.*

Bonifacius Papa, cùm ſediſſet annos quinque, minus duobus menſibus, moritur die 25. Octobr. Succedit *Celeſtinus* Romanus, qui ſedet annos octo, menſes quinque, dies tres. Hic conſtituit, ut ante Sacrificium Pſalmi Davidis in initio pro introitu canerentur, cùm antea tantum Epiſtolæ Paulinæ legerentur, ex quo inſtituto excerpti ſunt ex Pſalmis introitus, gradualia, offertoria &c. *Anaſt. Sig.*

ANNO MUNDI 4373. Poſt C. 424.
FE ☉ 13. ☽ 7. *Ind.* 7.

Coſſ. Fl. Victor.
Fl. Caſtinus.

Theodoſius, amitæ Placidiæ & Valentiniano imperium Occidentis conciliaturus, bellum contra Johannem ſuſcipit, & Ardaburium, filiumque ejus *Aſparem* duces conſtituit; patrem, ut maritimo bello Ravennam aggrederetur; Aſparem, ut terra Italiam invaderet. *Ardaburius* in terram propè Ravennam tempeſtate ejectus à Johanne capitur, Aſpar verò Aquilejam capit, eamque urbem belli ſedem habet. *Socr.*

Annus Nabonaſſaris 1172. *& annus Philippi ac mortis Alexandri* 748. *incipit die* 9. *Maji, fer.* 6.

Caſſianus monachus floret, qui de Eccleſia Conſtantinopolitana olim è Chryſoſtomo, ejectus, & in Maſſilia Presbyter factus, multa ſcripſit de vitis Patrum in Ægypto. *Sigeb.*

Annus Seleucidarum Alexandrinus 736. *Antioch.* 473. *Conſtantinopolitanus* 5933. *à Calendis Octobr.*

Valentinianus *puer ſex annorum creatur Cæſar die* 24. *Octobr. & deſpondet ſibi* Eudociam *filiam Theodoſii bimulam.* Marcel. Faſti.

ANNO MUNDI 4374. Poſt C. 425.
D. ☉ 14. ☽ 8. Ind. 8.
Annus urbis 1177. *Julianus* 470.
Æra Hiſp. 363. *Auguſtorum* 452.

Coſſ. Imp. Toheodoſius Junior XI.
Placidius Valentinian. Cæſar.

Academiam *Theodoſius Conſtantinopoli inſtituit, & confirmat die* 27. *Februarii, quæ haberet Oratores tres, Grammaticos denos in Latina & Græca lingua, Sophiſtas quinque Philoſophum unum, Juris Doctores duos.* Cod.

Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cùm ageret annum Epiſcopatus viceſimum primum, moritur. Succedit Siſinnius de ultimo Februarii, qui ſedit annos duos. *Socr.*

Ardaburius, cum eſſet Ravennæ in captivitate, ſocios ſibi fidos adjungit, & ad *Aſparem* filium, quid faciendum ſit, perſcribit, qui aſſumto equitatu celeriter & improviſo Ravennam venit, & paſtore quodam duce per paludem portis patentibus Ravennæ recipitur, ubi Johannem, cùm decimum octavum imperii menſem complevisset, capit, & ad Placidiam mittit, cujus juſſu primum manibus, poſt capite truncatur. Actius verò, qui Hunnos adducebat, cùm audiret Johannem captum, paciſcitur cum Aſpare, ut in gratiam recipiatur, & ut Hunnis munera dentur, quibus acceptis ad ſuos ſponte redierunt. *Socr.*

Theodoſius inchoat annum imperii 18. *menſe Majo.*

Faramundus Francorum rex moritur anno regni ſeptimo: Succedit *Hlodovvin, vel Clogio* filius, qui regnat annis viginti novem, ſedem aulæ habuit Dusburgi in confinio Thuringorum. *Annal. Fland.*

Olympias 301. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1261.

Annus Diocletiani 142. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei octavi incipit die 31. *Auguſti, fer.* 2. *Anno Iudaico* 4186.

Scythæ Iſtrum tranſgrediuntur, & Thraciam populantur: ſed cùm Dux eorum fulmine interiret, reliqui etiam peſte ingruente diſſipati ſunt. *Theodor.*

Valentinianus die 15. Octobr. decreto Theodoſii inſignibus Auguſtalibus afficitur cum matre, & in Italiam remittitur. Imperat annis viginti novem, menſes quinque. *Sigon.*

ANNO MUNDI 4375. Poſt C. 426.
C. ☉ 15. ☽ 9. Ind. 9.

Coſſ. Imp. Theodoſius Junior XII.
Imp. Placidius Valentinianus II.

Theudericus Gothorum rex, non contentus regno Aquitanico, in provincias Romanas irruit, & Archillas oppidum oppugnat; contra quem Placidia mittit Actium, qui Theudericum victum ab obſidione repellit. *Paul. Diac.*

Auguſtinus, cùm eſſet annorum 72. aſſumit ſibi coadiutorem *Eradium* Presbyterum die 26. Sept. & mole Epiſcopatus liberatus recognoſcit libros ſuos. *Auguſt.*

Caſtinus exul, collecto exercitu, in Africam trajicit, eam Imperatori Valentiniano erepturus. Sed à Bonifacio magno prælio vincitur, ut literæ ejus ad Auguſtinum teſtantur. Actius verò invidens gloriæ Bonifacii, calumniatur eum apud Placidiam quaſi ſibi imperium ſumturus eſſet, quòd miſſus in Hiſpaniam affinitatem cum Vandalis ſibi comparaſſet. Inde ad Bonifacium ſcribit, monetque, ne temerè aulam veniat, quòd ſuſpectus eſſet rebellionis, ne calumniis opprimatur: ita Bonifacius irretitus, dum metuit Romam venire, confirmat ſuſpicionem de rebellione. *Oroſ.*

ANNO MUNDI 4376. Poſt C. 427.
B. ☉ 16. ☽ 10. *Ind.* 10.

Coſſ. Fl. Hierius.
Fl. Ardaburius.

Placidia bellum in Africa contra Bonifacium facit, qui Carthagini incluſus obſideretur, ſed inter Duces obſidentes æmulatio & diſcordia orta facit ut alter alterum occidat. Mittitur ergò *Sigevultus*, unde Bonifacius in anguſtias redactus, Vandalorum

rum auxilia implorat, promittitque ipſis Mauritaniam, quam incolant. Vandali duce Geiſerico Mauritaniam, ingreſſi, menſe Majo eam occupant, & Bonifacium firmiſſimis auxiliis juvant. *Tudens.*

Theodoſius & Valentinianus die 23. Maji præcipiunt, ne imago Chriſti picta vel ſculpta humi collocetur, ſed in ſublimi loco ſtatuatur. *Codex.*

Theodotus Antiochenus Epiſcopus moritur, ſuccedit *Johannes* diſcipulus Mopſveſteni, & condiſcipulos habet *Neſtorium, Theodoretum*, & alios in Syria Sacerdotes. *Soc.*

Clogio Francorum rex, cùm miſſis exploratoribus cognoviſſet præſidia in Galliis nulla eſſe, tranſit Rhenum & *Cameracum* occupat, Romanorumque præſidiarios trucidat; inde Tornacum venit, & ad *Somam* fluvium uſque omnia ſuæ ditionis facit. *Sig.*

Theudericus *contra Gothorum rex in Aquitania, in Hiſpaniam tranſit, quam Vandali reliquerant.* Sigeb.

Pannonia, quæ per quinquaginta annos ab Hunnis occupata fuerant, à Theodoſio recipiuntur, & Hunni trans Iſtrum removentur. Marcell.

Ferguſius, Scotorum rex, cùm regnaſſet annos ſedecim, moritur: Succedit *Eugenius* ſecundus, qui regnat annis 22. *Buch.*

Siſinnius Epiſc. Conſtantinop. cùm binos annos ſediſſet, moritur die 24. Decembr. conſultatur de ſucceſſore, & Neſtorius eligitur ſequenti anno. *Socrat.*

ANNO MUNDI 4377. Poſt C. 428.
A G. ☉ 17. ☽ 11. Ind. 11.
Coſſ. Fl. Taurus.
Fl. Felix.

Fraus, qua Bonifacius in tantas turbas deductus erat, tandem detegitur. Sed Placidia, ne Aetium exercitu inſtructum abalienaret, iram reprimit, juratq; Bonifacio benevolentiam & monet, ut Vandalos ex Africa in Hiſpaniam redigat, idque Bonifacius omnibus modis tentat, oblata ingenti ſumma pecuniæ ſed nihil obtinet. Sig.

Neſtorius, homo eloquens & voce ſonora, Epiſcopus Conſtantinopolit. futurus, Antiochia accerſitur, & ordinatur die 10. Apr. fer. 1. Fuit homo ſuperbus & arrogans: *Tu mihi*, dixit publicè pro concione ad Imperatorem, *in profligandis hæreticis ſubveni, & ego tibi in vincendis Perſis auxiliū feram.* Quinto die poſtquam ordinatus eſt, cùm Arianorum templum deſtruere conaretur, ipſi Ariani id accenderunt, & multæ ædes vicinæ ſimul abſumtæ ſunt. *Socrat.*

Annus Nabonaſſaris 1176. *& Philippi* 752. *incipit* 8. *Maji, fer.* 3.

Aetius in Galliis Francos, qui Galliæ partem occuparant, repellit: deſcripſit hæc Sidonius *Apollinaris, qui tum miles fuit.*

Annus Alexandræus 740. *Antiochenus* 477. *& Conſtantinop.* 5937. *incipit à Calend. Octobr.*

Burgundiones, qui in Germania remanſerant, fidem Chriſtianam ſequi incipiunt, & inde hoſtes ſuos feliciter reprimunt. *Soc.*

ANNO MUNDI 4378. Poſt C. 429.
F. ☉ 18. ☽ 12. *Ind.* 12.
Annus urbis 1181. *Julianus* 474.
Æra Hiſp. 467. *Auguſtorum* 456.
Coſſ. Fl. Dionyſius.
Fl. Florentius.

Venetiarum urbs clariſſima hoc anno condi cœpta eſt in rivo alto. Primùm enim ibidem templum ad D. Jacobum dedicatum eſt, ut ex annalibus illius urbis conſtat die 24. *Martii.* Onufrius *hoc in ſequentem annum conjicit, ſed tum dies* 24. *Martii eſt feria* 7. *& credibile non eſt templum dedicatum fer.* 7. *Hoc autem anno idem dies eſt feria* 1. *Et notum aliàs eſt antiquiores ſcriptores uno anno ſemper plus numerare, quàm quòd Æra Chriſtiana facit, ut videre eſt in Euſebio, Hieronymo, Proſpero Beda & aliis.*

Annus Theodoſii 22. *incipit in Majo.*

Anaſtaſius Presbyter, qui cum Neſtorio Conſtantinopolin venerat, primus protulit illud paradoxon Mariam non dicendam *Deiparam*, θεοτόκον: quod poſtea defendendum ſibi ſuſcipit Neſtorius, & libros de ea re ſcribit, eoſque obtrudit monachis, qui eos in Ægyptum deferunt. *Cyrillus* contra ea de re publicam Epiſtolam ſcribit, monetque libros cautè eſſe legendos. Scribit etiam ad Neſtorium, eumque de tota re rectiùs edocet & admonet, ne amplius Eccleſiam turbare velit: Nihilominus tamen Neſtorius pergit, & brachio ſeculari munitus atrociter graſſatur in Orthodoxos & monachos ſuæ ſententiæ adverſantes. *Socr.*

Bonifacius, cùm Vandalis perſuadere non poſſet, ut in Hiſpaniam regrederentur, auxilia accipit & Romana & Conſtantinopolitana, Duce *Aſpare*, & Vandalos vi pellere conatur, ſed prælio victus vix effugit. Inter captivos à Geiſerico captos etiam *Marcianus* fuit, quem ſub dio dormientem aquila ab ardore Solis protexit; unde *Geiſericus* conjiciens ipſum Imperatorem aliquando futurum, amicitiam cum eo facit, & juramentum ab eo exigit, ne ſibi unquam bellum inferret, inde ad vaſtandam Africam ſe convertit. *Sigon. Procop.*

Olympias 302. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1205.

Annus Diocletiani 146. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Cæleſtinus Papa mittit Palladium Diaconum in Britanniam, ut Eccleſias admoneret de Pelagianiſmo vitando, quem quidam ibi propagare conabantur. Idem ulterius ad Scotos pervenit, eoſque in religione Chriſtiana inſtituit. Paulò poſt miſſus eſt in Britanniam à Gallicanis Eccleſiis Germanus Epiſcopus. *Anaſtaſ.*

Picti *& Scoti Britanniam vaſtant. Britanni opem implorant Aetii, qui ipſis integram legionem ſubſidio mittit, & Pictos Scotoſque vincit, & muro ex ceſpite facto eos à Britannia excludit, & in Galliam redit.* Sigon.

ANNO MUNDI 4379. Poſt C. 430.
E. ☉ 19. ☽ 13. Ind. 13.
Coſſ. Imp. Theodoſius Junior XIII.
Placidius Valentinianus III.

Servi fugitivi confugerant ad templum Conſtantinopoli ob crudelitatem herorum ſui: Hi cum à Clericis admonerentur, ut paululum ab altari ſecederent, ne impedimento eſſent ſacris Ceremoniis, duos Clericos trucidant, quaſi ab Aſylo detruderentur, & deinde ſibi ipſi manus inferunt; ita profanatum fuit templum. Quapropter Theodoſius privilegia templorum amplianda cenſuit, ipſaque inviolabilia ſanxit in toto ſui ambitu, ab

altari

altari uſque ad fores ultimas, & arma ipſis inferri prohibuit, die 23. Martii. *Codex Theod.*

Cæleſtinus Papa Romanus certior factus de Hæreſi Neſtoriana, eum à ſacris ſententia ſua removet & Cyrillum hujus ſententiæ executorem facit. Cyrillus igitur convocat Alexandriæ Epiſcopos, & de errore Neſtorii ſententias exquirit, & Neſtorium damnat, idque Epiſtolâ Synodicâ, & Anathematiſmis duodecim tam ipſi quàm Clero Conſtantinopolitano indicatur. *Cyrill.* Pontifex etiam Romanus die 11. Auguſti reſpondet Neſtorii literis, in quibus ſententiam ſuam defenderat, & monet eum, ut ab errore deſiſtat, & Pelagianos, quos receperat, vitet. Perſcribit etiam ad Epiſcopos Orientales, quæ ſua ſit ſententia de opinionibus Neſtorii, & ut eas vitent, hortatur. Johannes Antiochenus etiam Epiſcopus, acceptis Cæleſtini & Cyrilli literis, Neſtorium admonet quietis, & ut confiteatur Mariam eſſe Deiparam.

Caſſianus Monachus contra Neſtorium ſcribit de incarnatione verbi ad Clerum Conſtantinopolitanum, in quo libro poſtea quædam reprehendit *Proſper.*

Neſtorius contra convocat Epiſcopos quoſdam, & inter hos Johannem Antiochenum & Theodoretum, & Anathematiſmos Cyrilli examinat, eosq; ex Apollinaris ſecta derivatos pronunciat.

Picti & *Scoti, cùm abeſſet exercitus Romanus, iterum diruto muro in Britanniam irruunt, & cæde ac populatione omnia miſcent. Aetius iterum exercitum mittit, & amoto ceſpiteo muro lapideum ædificat.* Sigon.

Vandali *in Africa Hipponem urbem obſident, ubi Auguſtinus erat, qui tertio menſe obſidionis febri corripitur & moritur die 28. Auguſti: urbs poſtea capta eſt quarto decimo menſe inſequenti anno.* Soc.

Theodoſius & Valentinianus die 19. Novembr. indicunt Concilium generale Epheſi, ſequenti anno celebrandum, ſtatim poſt feſtum Pentecoſtes. *Cod.*

ANNO MUNDI 4380. Poſt C. 431.
D. ☉ 20. ☽ 14. Ind. 14.

Coſſ. Fl. Antiochus.
Anicius Baſſus.

Concilium Epheſinum celebratur hoc anno. Neſtorius eò venit ſtatim poſt Paſcha, & multos ibi Epiſcopos invenit. Cyrillus Alexandrinus advenit circa feſtum Pentecoſtes. Priuſquam autem Johannes Antiochenus adventaret, cùm plerique Chriſtum Deum eſſe confiterentur, Neſtorius dixit, *ſe eum, qui menſtruis ſpatiis humano more creviſſet, Deum non appellaturum*: Ideo à Cyrillo blaſphemiæ damnatus eſt. Cùm poſt Johannes Damaſcenus adventaret, damnavit quidem Neſtorium, ſed & Cyrillum, atque ita ingentes oriuntur turbæ. Tandem Neſtorius, Johannes Antiochenus, Theodoretus & alii ex concilio abeunt, & alibi conciliabulum celebrant, & anathema dicunt Cyrillo & aliis, & Pelagianiſmum ſtabiliunt, ſuaque hæc decreta ubique ſpargunt. Orthodoxi contra damnant Neſtorium ejuſque doctrinam, & literas ad Imperatorem mittunt de tota re, & ut permittat libros Neſtorii comburi: ſed literæ intercipiuntur à Candidiano Comite. Orthodoxi tandem die 16. Julii de fraude Neſtorii certiores fiunt, ideò cum eo etiam Johannem Antiochenum & Theodoretum damnant; & ne Symbolo Niceno aliqua addantur vel detrahantur, graviſſimè monent. De his omnibus tandem Imperator certior factus, & evocat ex utraque parte ſeptenos Chalcedonem, controverſiam ipſe cogniturus, qui auditi ſunt die 11. Septembr. Ibi Neſtorii improbitas penitus cognita eſt, atque ideo damnatus & Epiſcopatu dejectus: & Epiſcopus electus *Maximianus*, qui conſecratur die 25. Octobr. fuit Presbyter Conſtantinopolitanus, & ſedit annis duobus & menſibus decem. *Socr.*

Neſtorius poſt abdicationem impetravit, ut ad ſuum Cœnobium rediret; quod fuit prope Antiochiam, ubi quadriennio in otio & tranquillitate vixit. *Evag.*

ANNO MUNDI 4381. Poſt C. 432.
GB. ☉ 21. ☽ 15. *Ind.* 15.

Coſſ. Fl. Valerius.
Fl. Aetius.

Cæleſtinus Papa *Patricium* Britonem, nepotem ex ſorore S. Martini ad Scotos mittit, qui ibi Archiepiſcopus fuit ad annos ſexaginta. *Sigeb.* Idem Cæleſtinus gratulatur Epiſcopis orientalibus, Imperatori & clero Conſtantinopolitano de ejecto Neſtorio, die 13. Martii, & poſtea die 6. Aprilis; cum ſediſſet annos octo, menſes quinque & dies tres, moritur. Cui ſuccedit *Sixtus* tertius, qui ſedit annos ferè octo. *Anaſt.*

Johannes Antiochenus & Theodoretus tandem conſentiunt excommunicationi Neſtorii, & in amicitiam Cyrilli ſe redire publicè profitentur, clanculum tamen eum mordent.

Annus Nabonaſſaris 1180. *& Philippi* 756. *incipit die* 7. *Maji, feria* 7.

Moſes quidam in Inſula Creta Judæos per mare in Palæſtinam reducere conatur. Sed plurimi ex credula plebe in mari ſuffocati ſunt. Moſes hic cum propterea ad necem quæreretur, nuſquam eſt inventus. Creditum fuit, Diabolum ſpecie humana imponere Judæis voluiſſe. *Soc.*

Sedulius & Vincentius circa hæc tempora florent.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei 8. *incipit die* 12. *Sept. fer.* 2. *Anno Jud.* 4193.

Annus Alexandræus 744. *Antiochenus* 481. *Conſtantin.* 5941. *incipit à Cal. Octobr.*

Bonifacius ex Africa, cùm, quibuſcunque poterat modis, Vandalis reſtitiſſet, in ſuum locum ſubſtituto *Trigetio*, Romam redit, & innocentiæ demonſtrandæ cauſa Aetium certamine ſuperat, & tertio menſe moritur. Morti vicinus petiit, ut Aetius, qui ad Hunnos confugerat, in gratiam reciperetur. Idem efflagitarunt, etiam Hunni: ideò in integrum reſtitutus eſt. *Soc.*

ANNO MUNDI 4382. Poſt C. 433.
A. ☉ 22. ☽ 16. *Ind.* 1.

Annus urbis 1185.	*Julianus* 478.
Æra Hiſpanica 471.	*Auguſtorum* 460.

Coſſ. Theodoſius Junior XIV.
Fl. Anicius Maximus.

Hic poſtea Imperator factus eſt.

Theodoſius menſe Majo inchoat annum imperii 26. *Valentinianus* 8.

Tumul-

Tumultuatum adhuc fuit in Orientali Eccleſia dum aliqui Cyrillum Palinodiæ accuſant : Aliqui verò Johannem Antiochenum pacis incautius petitæ inſimulant. Sedatum hoc fuit, cùm Cyrillus ſuos duodecim Anathematiſmos Apologia defenderet. *Trip.*

Proſper hoc anno ſcribit adverſus Collatorem, in quo contra Pelagianos ſcribit. Monet autem *Caſſiani* monachi de incarnatione librum cautè legendum, quod videretur cum Pelagianis aliquo modo ſentire, ſed poſtea *Eucherius* Caſſiani librum purgavit, ut Caſſiodorus loquitur, & quæ minus erant, addidit.

Cyrilli Homilia habita in Nativitate *Johannis* Baptiſtæ, die Pharmuthi 28. Indict. 1. die 23. Aprilis.

Olympias 303. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1209.

Annus Diocletiani 150. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Conſtantinopolis triduum arſit, incendium ortum die 15. *Auguſti. Novatianorum templum integrum in incendio ſervatum eſt: id Socrates, qui Novatianus fuit, tribuit precibus Pauli Epiſcopi Novatianorum.* Soc.

Theodoſius exercitum contra Perſas mittit, cui præficit Procopium. Perſarum rex hanc conditionem offert, ut monomachia res decernatur, & duorum tantùm militum pugna victoria judicetur victique pars quinquaginta annorum pacem accipiat. Vicit autem à Theodoſii parte *Areobinda*, & data pax Perſis. Areobinda autem ſequenti anno Conſul deſignatus eſt:

ANNO MUNDI 4383. Poſt C. 434.
G. ☉ 23. ☽ 17. Ind. 2.
Coſſ. Fl. Aſpar.
Fl. Areobinda.

Gundarius *rex Burgundiorum fœdere, quod cum Valentiniano fecerat, neglecto, Belgium invadit. Ideo Valentinianus, ut ſua defenderet, Aetium eò mittit, idque bellum ipſi commendat, quod & ea induſtria gerit, ut Gundarius de pace legatos mitteret.* Sigon.

Maximianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cum ſediſſet annos 2. menſes 5. die 12. Aprilis in hebdomade magna, quæ diem Paſchatis præcedit feria quinta; ſuccedit ipſi *Proclus*, qui antea ad Epiſcopatum Cizycenum ordinatus erat, quem tamen non ſuſcepit. Sedit autem, ut Nicephorus Patriarcha habet, annos 12. menſes tres.

Fames ingens Conſtantinopoli graſſatur. Imperator exponit plebi ſexcentas & undecim auri libras pro frumento emendo, ferè centena aureorum millia. *Faſti Marcell.*

Vincentius Lirenenſis ſcribit contra Pelagianos & Neſtorianos ſub titulo Peregrini adverſus Hæreticos.

Honoria, Valentini ſoror, libidine inflammata, *Attilam* Hunnorum Regem ad ſui connubium invitat; ſed cum id fruſtra eſſet, aliis ſe ſubſternit: inde gravida facta, Conſtantinopolin mittitur. *Sigon. Marcell.*

ANNO MUNDI 4384. Poſt C. 435.
F. ☉ 24. ☽ 18. Ind. 3.
Coſſ. Imp. Theodoſius Junior XV.
Imp. Placidius Valentinianus IV.

Valentinianus tandem pacem cum Vandalis, quos bello Africa expellere non poterat, firmat, die 11. *Febr. ita ut Numidia ipſis ad habitandum daretur.* Proſper.

Theodoſius Juris conſultis ſuis, eruditione, fide ac prudentia præſtantibus, negotium dederat, ut omnes Principum conſtitutiones à Conſtantino uſque, inutilibus prætermiſſis, in unum corpus redigerent, ut ſententiæ in controverſiis ex iis dicerentur. Id opus jam perfectum erat, & *Codex Theodoſianus* appellatum. Publicatur igitur hoc anno die 25. Febr. *Cod.*

Valentinianus ſe Romam confert ad celebranda decennalia, ubi Sixtus Papa à Baſſo & patritio accuſatur de ſtupro ſacratæ virgini illato. Ideo præſentibus Auguſtis, matre & filio, concilium Epiſcoporum convocatur, cauſa dijudicatur, & Sixtus Papa abſolvitur. Accuſatores contra damnantur, & eorum bona Eccleſiæ tribuuntur. *Sigon.*

Theodoſius edictum publicat die 3. Auguſti, ut libri Neſtorii comburantur. Et ut olim Conſtantinus Arianos juſſerat vocari Porphyrianos, peculiari nomine: Ita Theodoſius juſſit Neſtorianos vocari Simoniacos. *Sigon.*

Neſtoriani Theodori Mopſueſteni, præceptoris Neſtorii & ſectæ illius autoris, libros proponunt commendant & in alias linguas transferunt : ideo neceſſe fuit, ut de horum librorum lectione pii admonerentur. Quod etiam fecit Cyrillus & Proclus Conſtantinopolitanus. *Sig.*

ANNO MUNDI 4385. C. Poſt 436.
DE. ☉ 25. ☽ 19. Ind. 4.
Coſſ. Iſidorus.
Senator.

Neſtorius cùm ab impietate non deſiſteret, & cauſam ſuam defenderet, in perpetuum exilium in *Oaſim* relegatur, in locum qui *Petra* appellabatur: qui cùm ab hoſtibus occuparetur, Neſtorius mittitur in regionem elephantinam, inde Pentapolin, ita ut nullibi conſiſtere poſſet. Corpus ejus putredine conſumtum eſt, & linguam vermibus exeſam eſſe, Evagrius ſcribit. *Evag.*

Annus Nabonaſſ. 1184. *& annus Philippi* 760 *incipit* 6. *Maji, fer.* 4.

Theudericus *Gothorum rex iterum bellum Gallis infert, &* Narbonem *invadit, & acri obſidione cingit:* Litorius *Dux cum Hunnorum auxiliis adveniens, obſeſſis facit annona copiam, importatis per ſingulos equites binis frumenti modiis. Inde Avitus pacem conciliat cum Gothis & obſidio ſolvitur.* Proſp.

Annus Alexandrinus 748. *Antiochenus* 485. *& Conſtantin.* 5945. *à Cal. Octobr.*

Richoldus *Uſſo Dux Friſiæ, cum videret, & Francos & Vandalos & Suevos & Gothos, &c. ſibi reges creaſſe, ſe etiam regem vocari voluit.* An. Friſ.

Johannes Antiochenus Epiſcopus moritur: Succedit Domnus.

ANNO MUNDI 4386. Poſt C. 437.
C. ☉ 26. ☽ 1. Ind. 5.

Annus urbis 1189. *Julianus* 482.
Æra Hiſpanica 475. *Auguſtorum* 464.

Coſſ. Fl. Sigevultes.
Fl. Aetius II.

Theodoſius *Menſe Majo inchoat annum Imp.* 30. *Valent.* 12.

Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus ab anno 153. Diocletiani exorſus, Cyclum de tempore Paſchatis ce-

tis celebrandi per annos 95. conſcribit & publicat. *Marian. Sig.*

Magni motus in Gallia citeriore exorti, duce Battone principe, & conſpiravere in Bagaudam omnia ferè Gallorum ſervitia. Sigeb.

Genſericus Vandalorum Rex Arianus perſequitur Orthodoxos in Africa, Epiſcopi ſedibus ſuis pelluntur, aliquot etiam trucidantur. *Soc.*

Olympias 304. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1213.

Annus Diocletianus 154. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Valentinianus tandem uxorem ducturus ad ſponſam ſibi olim promiſſam Conſtantinopolin proficiſcitur, & Eudoxiam promiſſam accipit, ac Theſſalonicæ nuptias celebrat, ex qua genuit Eudociam & Placidiam. *Faſti Sic.*

ANNO MUNDI 4387. Poſt C. 438.
B. ☉ 27. ☽ 2. Ind. 6.

Coſſ. Imp. Theodoſius Junior XVI.
Anicius Acilius Glabrio Fauſtus.

Chryſoſtomi oſſa & reliquiæ, trigeſimo quinto anno poſt eum relegatum Conſtantinopolin reducuntur opera Procli Epiſcopi, ſumtibus verò Theodoſii, atque ita Eccleſia ibi in concordiam redit. Reducta autem ſunt die 24. *Feb. Soc.*

Eudocia conjux Theodoſii voti ſolvendi cauſa Hieroſolymam proficiſcitur, ubi muros urbis inſtaurari jubet, & templum D. Stephano extra urbem inchoat, & ſumtus ad id perficiendum erogat *Socr.*

Maruthas Epiſcopus legatione fungens apud Perſas filium regis à Dæmonio liberat, unde pax Chriſtianis apud Perſas conceſſa. *Sigeb.*

Piratæ, qui Vandalis in Africam tranſeuntibus operam dederant, dimiſſi mare infeſtum habent, & Siciliam vaſtant, adverſus hoſtes Imperatoris præfecti miſſi, Ducem eorundem *Conradum* cum ſociis capiunt, & trucidant. *Sigon.*

ANNO MUNDI 4388. Poſt C. 439.
B. ☉ 28. ☽ 3. Ind. 7.

Coſſ. Imp. Theodoſius Junior XVII.
Fl. Feſtus.

Superſtitiones gentiles invaleſcunt, contra has ſcribunt Theodoretus & alii.

Eudocia Auguſta Conſtantinopolin redit, & ſecum affert tres catenas (ſi credere fas eſt) quibus Petrus, quando ab Angelo liberatus fuit, vinctus fuerat, & præterea reliquias Stephani: Item faſcias Salvatoris. Catenam autem unam mittit Romam ad filiam, & cum conſilio Romani præſulis ſolennitatem ſancti Petri ad vincula Romæ inſtituit, Calendis Auguſti, quæ electæ ſunt, quod Romani adhuc eo die gentili more Agonem Actiacum ab Auguſto eo die inſtitutum agerent. *Sigeb.*

Socrates & Sozomenus *finiunt ſuas hiſtorias.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei 8. incipit die 25. Sept. fer. 2. Anno Jud. 4200.

Litorius in Gallia felici ſucceſſu elatus Gothos ſedibus ſuis pellere conatur, & Toloſam expugnat Theudericus ſibi metuens, Epiſcopos mittit de pace, qui repudiantur: Ideò confugit ad Dei opem, indicitque ſuis jejunium, cum Litorius ut gentilis interim ſacrificiis operam daret, & prælio magno vincit, Litorium ipſum capit, & in urbem ſecum adducit. Valentinianus, ne Gothi ulterius progrederentur, Aetium contra eos mittit, à quo pax confecta eſt. *Sigon.*

Genſericus, cùm videret Valentinianum aliis occupatum curis in Gallia, & Carthaginem urbem non ſatis validis præſidiis munitam, præparat, quæ ad oppugnationem neceſſaria erant, & ſubitò ruptis fœderibus eam invadit. Non tamen vi potius eſt ea, ſed dolo pacis, die 20. Octobr. totamque in ſervitutem redigit. Catholicos omnes pellit, & in naves veteres ac fatiſcentes impoſitos mari committit, quorum tamen multi evaſerunt. *Iſid.*

ANNO MUNDI 4389. Poſt C. 440.
G F. ☉ 1. ☽ 4. Ind. 8.

Coſſ. Imp. Placidius Valentinianus V.
Fl. Anatolius.

Sixtus Papa, cùm ſediſſet annos ferè octo, moritur die 28. Martii: Succedit ipſi Leo Romanus, qui poſt Magnus appellatus eſt, & tum aberat legatus in Gallia, & conſecratus eſt die 12. Maji, ſeditque annos 20. menſes undecim. *Onuf.*

Annus Nabonaſſaris 1188. *& Philippi* 764. *incipit* 3. *Maji, fer.* 1.

Ermericus, Suevorum in Hiſpania rex, cùm ſeptem annis ægrotaſſet, & annis 32. regnaſſet, moritur. Succedit *Rechillanes*, qui & antea in ſocietatem regni à patre receptus fuerat, & partem Luſitaniæ regno adjecerat, regnatque annis octo, & præterea Hiſpalim ſuo regno, & Hiſpaniam Bæticam regno adjicit. *Iſid.*

Genſericus *fortunâ elatus ſeſe intra fines Africæ non continet, ſed ad vaſtandam Siciliam animum adjicit. Valentinianus contra Ducem Sebaſtianum in Africam trajicere jubet, ut Genſericum ex Sicilia retrahat; quod quidem factum eſt, ſed Genſericus Sebaſtianum ſub amicitiæ ſpecie interficit.* Sig.

Annus Alexandr. 752. *Antiochenus* 489. *& Conſtantin.* 5949. *incipit à Cal. Octobr.*

Theodoſius Imperat. tantis tumultibus in Occidentali imperio cognitis, exercitum comparat, ut Valentiniano genero ſuccurrat, & Africam adeundam cenſet. Duces tamen *Areobinda & Anaxillus in* Siciliam primùm exercitum trajiciunt, cui oneri magis, quàm præſidio hac hyeme fuerunt. *Sigon.*

ANNO MUNDI 4390. Poſt C. 441.
E. ☉ 2. ☽ 5. *Ind.* 9.

Annus urbis 1193. *Julianus* 486.
Æra Hiſp. 479. *Auguſtorum* 468.

Coſ. Fl. Cyrus Panopelites.

Occidens Conſulem hoc anno non habuit propter bella.

Theodoſius *init annum imperii* 34. *in Majo, Valent.* 16.

Claſſis Theodoſii ex Sicilia in Africam tranſit, & hoſti quidem formidabilis eſt, nihil tamen tanto conatu dignum efficit. Genſericus tamen arma Theodoſii veritus, animum ad pacem adjungit, & legatos de fœdere Conſtantinopolin mittit. *Sig.*

Celebris Synodus habita in Gallia Narbonenſi *Arauſica*, de legibus quibuſdam Eccleſiaſticis. *Eucherius* Epiſcopus Lugdunenſis, & alii præclari interfuerunt viri. *Tom. Conc.*

Olympias 305. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1217.

Annus

Annus Diocletianus 158. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Vararanes *Perſarum rex, cum annos* 20. *regnaſſet, moritur, ſuccedit filius* Iſdegerdes, *qui regnat annis* 17. Agath.

Attila & Bleda, fratres Hunnorum Reges Mœſiam & Thraciam vaſtaturi, caſtella, in ripis Iſtri ad tutelam Imperii contra barbaros poſita, invadunt, & quædam delent. *Theodoſius* Hunnis exercitum opponit, & caſtella præſidiis firmat. *Sigon.*

ANNO MUNDI 4391. Poſt C. 442.
D. ☉ 3. ☽ 6. *Ind.* 10.

Coſſ. Fl. Eudoxius.
Fl. Dioſcorus.

Theodoſius Hunnorum ferocitate territus, exercitum ex Africa revocat, & pacem cum Genſerico componit. Vaſtaverant enim jam Hunni non tantùm Thraciam & Macedoniam, ſed etiam Græciam tanta immanitate, ut ſtudio Gothorum crudelitatem ſuperare velle viderentur. Theodoſii Duces inferiores viribus magis irritarunt, quàm repreſſerunt Hunnos. *Sigon.*

Genſericus etiam cum Valentiniano pacem facit hac conditione, ut filium *Hunericum* obſidem daret, tributum penderet, & certis finibus Africæ contentus eſſet. Genſericus interim petitus eſt inſidiis ſuorum, & propterea multos ex ſuis interfecit. *Sig.*

Cometa *per plurimos dies ardet.* Marcell.

Normanni, eruptione in Friſiam facta, miſerrimè incolas tractant, quibus occurrit rex Richoldus, & primo die victus, ſequenti die victoriam obtinet, & Normannos pellit. *Ann. Friſ.*

In Galliis cum principes ſeditionis cladibus attererentur & Batto dux etiam caperetur, Bagandarum *conſpiratio conquieſcit.* Sigeb.

ANNO MUNDI 4392. Poſt C. 443.
C. ☉ 4. ☽ 7. *Ind.* 11.

Coſſ. Fl. Paternus.
Fl. Anicius Maximus II.

Saviſſima hyems hoc anno fuit, & tanta vis nivium cecidit, ut vix ſex Menſium ſpatio reſolutæ fuerint, unde ingens & hominum & pecudum multitudo interiit.

Theodoſius impar viribus, pacem Hunnis offert, mittitque de hac re legatos. Concluditur pax hiſce conditionibus, ut Imperator Attilæ daret ſex millia librarum auri & annuum ſtipendium mille librarum. Ita Attila immenſis opibus auctus eſt, captis plus quam centum & viginti millibus hominum in Scythiam redit. *Sigon.*

Manichæi Romæ, cùm clanculum hactenus ſuum errorem propagaſſent, deteguntur, & eorum libri comburuntur. *Baron.*

Theodoretus, qui majore parte temporis relicto ſuo Epiſcopatu Antiochiæ degere ſolebat, edicto Imperatoris ad ſuam ſedem compellitur. *Baron.*

ANNO MUNDI 4393. Poſt C. 444.
BA. ☉ 5. ☽ 8. Ind. 12.

Coſſ. Imp. Theodoſius Junior XVIII,
Cæcina Decius Albinus.

Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, cum ſediſſet annis 32. moritur die 9. Aprilis; ſuccedit *Dioſcorus* ad quem ſcribit Theodoretus anno ſeptimo Epiſcopatus *Domni* Antiocheni Epiſt. 83.

Hæc anno, qui eſt annus 63. Cycli illius, qui Romæ incipit à Conſulatu Siagrii & Antonii; item qui eſt annus octavus ſupputationis Hebraicæ, quæ cœpit Coſſ. Aetio & Sigevultæ, *Paſchaſinus* conſultus à Leone Magno de paſchate hujus anni, quod in hiſce Cyclis notatum erat ad diem 23. Aprilis, ſcribit, Mirum aut erratum videri non debet, ſi Paſcha nono vel ſeptimo Calendarum Majorum occurrat, &c. Ratio autem hæc eſt, quòd terminus paſchalis Cyclo Lunæ octavo figatur in die 18. Aprilis. Jam ſi is dies 18. Aprilis ſit Dominica, neceſſariò paſcha transfertur ad ſequentem Dominicam, qui tum erit dies 25. Aprilis.

Eudocia Auguſta habebat Presbyterum Severum, & Johannem Diaconum, qui ſibi erant à concionibus: Saturninus Comes à Theodoſio miſſus occidit ambos. Cauſa à Marcellino non additur. Eudocia irata protinus Saturninum trucidat, hinc iratus Theodoſius ſpoliat conjugem regiis miniſtris, & apud Æliam uſque ad mortem juſſit cuſtodiri. *Marcell.*

Annus Nabonaſſaris 1192. *& annus Philippi* 768. *incipit die* 4. *Maji, feria* 5.

Annus verò Alexandr. Seleucidarum 756. *& Antiochenus* 493. *& Conſtantin.* 5953. *à Calendis Octobr.*

Attila ab externo bello otioſus rabiem in fratrem convertit, & ut ſolus Imperio potiretur, eum interficit, & omnes ſibi obedire juſſit. Marcellinus ſolus hoc inſequentem annum conjicit, cæteri in hunc annum.

ANNO MUNDI 4394. Poſt C. 345.
G. ☉ 6. ☽ 9. Ind. 13.

Annus urbis 1197. *Julianus* 490.
Æra Hiſpanica 483. *Auguſtorum* 472.

Coſſ. Imp. Valentinianus Junior VI.
Fl. Nonius.

Theodoſius *incipit in Majo annum Imp.* 38. *Valentinian.* 20.

Hilarius Aralatenſis in Gallia Epiſcopus, ordinat in Gallia Epiſcopos, id quoniam ad Romanum Pontificem pertinebat, prohibet Leo, & Valentinianus etiam reſcriptum de hac re mittit ad Aetium, tum Galliæ præſidentem, die 25. Maji.

Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus tyrannicè affligit poſteritatem Cyrilli, cujus familia Epiſcopatum. Alexandrinum ferè annos ſexaginta adminiſtraverat, ut videre eſt ex actis Concilii Chalced.

Conſtantinopolis affligitur ſeditione, igne, peſte, fame ſimul. Marcell.

Olympias 306. *acta in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1221.

Annus Diocletianus 162. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Attila, *cùm ſibi gladius Martis oblatus eſſet, ut credi volebat, totius orbis terrarum imperium mente concipit. Res verò ſic habuit:* Bucula *quadam inter paſcendum ſe in pede vulneraverat. Paſtor verò perſequens veſtigia ſanguinis, inſignem gladium invenit, quem incauta bucula calcaverat; eum effoſſum ad Attilam defert, & quia inſignis fuit, divinus habitus fuit.* Sig.

Proſperi Chronicon hic fuit, qui tamen aliàs uſq; ad captam Romam à Genſerico ſcripſit, ut *Caſſiodorus* teſtatur.

Clodio

Clodio Capillatus Francorum rex, cùm annis 20. regnâſſet, moritur. Succedit *Meroveus*, natione Thuringus in Francorum regno, qui *Alberone* filiô Clodionis excluſo, regnum ſibi ſumſit: Alberonem tamen Brabantiam verſus regnare paſſus eſt. Ab hoc Meroveo, quòd primus eſſet, qui Galliam occupâſſet, reges Franciæ *Merovvingi* appellati ſunt, uſque ad Hildericum, quem Pipinus cœnobio incluſit, per annos trecentos & ſeptem. Meroveum autem hoc anno cœpiſſe demonſtratur Eclipſi lunari, quæ accidit ejus anno octavo, anno 452. ut *Trithem ius habet*, regnat annos 16.

ANNO MUNDI 4395. Poſt C. 446.
F. ☉ 7. ☽ 10. *Ind.* 14.

Coſſ. Fl. Aetius III.
Q. Aurelius Symmachus.

Attilia *iterum Theodoſio bellum indicit, quòd annuum tributum non perſolviſſet: Idem Valentiniano etiam minatur. Ideo Aetius ex Galliis Romam evocatur, de bello Hunnico tractaturus.* Marcell.

Picti *& Scoti iterum Britanniam invadunt, & ſuperato muro, præſidiisque dejectis ubique graſſantur. Ideo Britanni implorant Romanorũ auxilium, ſcribuntque* Aëtium *ter Conſulem hiſce verbis, ut apud Bedam extant:* Aëtio ter Conſuli gemitus Britannorum, &c. Repellunt nos barbari ad mare; repellit mare ad barbaros. Inter hæc oriuntur duo genera funerum: aut jugulamur, aut mergimur, &c. *Sed nihil tamen auxilii impetrant, Romanis de bello Hunnico ſollicitis.* Beda.

Septem dormientes hoc anno reviviſcunt, qui ad ducentos ferè annos in quâdam ſpeluncâ obruti jacuerant; tempore enim Decii in eâ concluſi fuerant. Cùm experrecti eſſent & eſurirent, ad panem emendum unum Epheſum dimittunt, qui quòd nummos Decianos antiquos haberet, ſuſpectus fuit de theſauro invento, ſed re tota comperta, Theodoſius etiam eò profectus eſt, & hoſce ſeptem paulò poſt defunctos in eâdem ſpelunca honeſtè ſepeliri mandavit. *Sigon.*

Annus ſabbathicus quintus Iobel. 8. incipit 7. Septemb. fer. 7. Anno Jud. 4207.

Terræmotus ingens Conſtantinopoli, die 24. Septemb. quo murus cum 57. turribus corruit, pervaſit hic totum orbem terrarum. Duravit enim 6. menſes. Cùm homines urbe cederent, & in campo verſarentur, puer quidam è medio eorum in aërem ſublatus, at precibus piorum illæſus demiſſus eſt, qui dixit ſe audiviſſe concentum Angelorum dicentium: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miſerere noſtri.* Epiſcopus Proclus, cùm hoc audiviſſet, juſſit univerſum cœtum ita canere, & Theodoſius Imperator mandavit, ut ubique ita caneretur. Puer autem paulò pòſt expiravit. *Niceph.*

Cyrus quidam poſtea murum collapſum reſtituit elegantiſſimè, ſed ob id invidiâ preſſus, honoribus dejicitur. Fuerant enim Conſul & præfectus Prætorio, ſed Ethnicus: & ad clericos damnatur, ubi religionem diſcit, & poſtea Coryenſis Epiſcopus conſtituitur. *Baron.*

Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus paulò pòſt moritur, die videlicet 24. Octob. cùm ſediſſet annos 12. menſes tres: Succedit ipſi *Paulinus*, qui ſedit annos ferè tres.

ANNO MUNDI 4396. Poſt C. 447.
E. ☉ 8. ☽ 11. *Ind.* 15.

Coſſ. Fallonius Probus Alypius,
Fl. Ardaburius.

Concilia in Hiſpania celebrata contra Priſcilliani errores, qui negabant tres perſonas Divinitatis, & Deum aliquando Patrem, aliquando Filium, aliquando Spiritum ſanctum dici aſſeverabant. Ut igitur Epiſcopi hoc manifeſtiùs declararent, addiderunt Symbolo Niceno, ad verba de Spiritu ſancto, *Qui à patre Filioque procedit*, id quod receptum ſtatim fuit in Hiſpaniâ, & Galliâ. At Romæ nil additum Symbolo, nec verba illa recepta niſi poſt annos ferè 600. *Baron.*

Attila, cùm Iſter adhuc conglaciatus eſſet, irrumpit in citeriorem *Daciam*. Theodoſius ipſi opponit Anthemium & Arnegiſlum Duces, qui concludunt hoſtem ad Sardicam, ubi acre commiſſum prælium, in quo alter Dux Arnegislus proditor ad Hunnos ſe confert: Anthemius tamen nihilominus vincit, & tandem pacem, cum Theodoſius legatum mitteret, cum Attila facit, hâc tamen conditione, ut Attila Arnegiſlum occideret; In pacem hanc conſenſit etiam Valentinianus. *Sigon.*

Theodoſius Volumen Conſtitutionum novarum quod ad ſuum codicem adjici, & *Novellas* appellari voluit, Romam ad Valentinianum mittit, primo Octob. *Cod.*

Ithacius *Epiſcopus Hiſpaniæ, qui tum vixit, mentionem facit Eclipſis Solaris anno 24. Theodoſii, cùm paulò pòſt Rechillanes Suevorum rex moreretur. Numerat autem hic autor annos Theodoſii ab obitu Honorii, qui mortuus eſt anno æra Chriſtiana 423. die 15. Auguſti. Atque ita hic annus eſt viceſimus quartus Theodoſii. Facta autem eſt Salmatica in Hiſpania die 23. Decemb. fer. 3. horis poſt meridiem undecim, & min. 7,10. Parall. latitud. ad id tempus 54,3. latitudo vera 51,32. Viſa auſtralis 2,31. Semidiam. Solis 15,59. Scrup. reſidua 29,37. digiti Eclipticî 17,7. Solem 2,53. Capricorni.*

ANNO MUNDI 4397. Poſt C. 448.
DC. ☉ 9. ☽ 12. *Ind.* 1.

Coſſ. Fl. Zenon.
Rufius Prætextatus Poſtumianus.

Theodoſius Imp. edictum promulgat contra libros Porphirii & Neſtorii, & *Irenæum* Tyriorum Epiſcopum, quòd poſt ſecundas nuptias Epiſcopus eſſet ordinatus, & Neſtorio videretur favere, loco movet. *Cod.*

Rechillanes, Suevorum in Hiſpania rex, cùm annos octo regnâſſet, & regnum plurimum amplificâſſet, moritur. Succedit filius *Rechiarius*, qui regnat annos octo. Duxit hic Teuderici Gothorum regis filiam Theodoram uxorem. *Ithacius.*

Annus Nabonaſſaris 1196. & Philippi 772. incipit 3. Maii fer. 2.

Aëtius aliis rebus occupatus, cùm Armoricani in defectione permanerent, nos Eucharico Alemannorum regi ſubigendos tradit, cujus poteſtate territi Imperatori reconciliantur, ope Germani Epiſcopi Antiſiodorienſis. *Sigon.*

Ex India tigris domita Theodoſio Imperatori mittitur. *Marcel.*

Scoti & Picti iterùm in Britanniam redeunt, af-

flictos Britannos peſte in ſolitudines deſertas abigunt; quapropter Britannorum rex, cùm fruſtra Valentinianum de auxiliis iterum ſollicitâſſet, de Germanis in auxilium evocandis decretum facit. *Hunind.*

Annus Seleucidarũ Alexandr. 760. & Antiochenus 497. & Conſtantinop. 5957 incipit Calend. Octob.

Eutychiana hæreſis ſemina innoteſcunt, etiamſi, quis ejus autor eſſet, ignoraretur. Fuit autem Eutyches Abbas Conſtantinopolitanus, & poſtea Presbyter, & ſtrenuè ſe geſſit contra Neſtorianos; ſed hâc occaſione in contrariam hæreſin delapſus eſt: quapropter indictum eſt Concilium Conſtantinopolitanum die 8. Novemb. ubi convenerunt Epiſcopi triginta duo. Accuſavit Eutychetem Euſebius Epiſcopus, ſubterfugit autem judicium Eutyches, qui tamen ex ſcriptis ſuis convictus eſt & damnatus. Eutyches contra de re tota fraudulenter ſcribit ad Leonem Pontificem, & impedit Flaviani Epiſcopi Conſtantinopolitani de eadem re literas. *Tom. Conc.*

Hoc anno etiam de Edeſſano Epiſcopo *Iba* actum, binaque Concilia acta, alterum in Februario: alterum in autumno. Mentio hujus rei eſt in concilio Chalcedonenſi. Epiſtolam autem ſcripſerat Iba adverſus Cyrillum, priuſquam Cyrillus & Iohannes Antiochenus in concordiam coirent. Hæc Epiſtola tota erat Neſtoriana, ſed *Iba* ipſe damnavit ſuam Epiſtolam, & declaravit ſe Orthodoxum. *Tomi Conc.*

ANNO MUNDI 4398. Poſt C. 449.
B. ☉ 10. ☽ 13. *Ind.* 2.

Annus urbis 1201.	*Iulianus* 494.
Æra Hiſpanica 587.	*Auguſtorum* 476.

Coſſ. Fl. Protogenes.
Turcius ſecundus Aſterius.

Theodoſius *init in Majo annum Imperii* 42. *Valentinianus.* 24.

Eutyches de ſua cauſa ad Papam Romanum ſcripſerat ſubdolè. & per aulicos, literas *Flaviani* Epiſcopi & Concilii, ne Romam perferrentur, impediverat. Papa igitur, cùm nihil certi ex Eutychetis literis colligere poſſet, Flavianum temeritatis arguit, die 16. Febr. Igitur alia Synodus Conſtantinopoli agitur, ubi tamen acta Eutyches falſavit, & nihil effectum eſt; quapropter Theodoſius aliam Synodum indicit ad Calendas Auguſti Epheſi. *Tomi Conc.*

Attila *ex Oriente in Occidentem fertur, & in Thuringiam proficiſcitur, ubi* Iſnaci *comitia agit, in quibus Ducibus ſuis mandat, ut Normannos, Friſios, Cimbros & alios ſuo Imperio ſubjiciant. Habuit autem Attila quatuor ſuorum nunciorum ſtationes, primam Colina Agrippina, alteram Iadera in Dalmatia, tertiam in Lithuania, quartam in Scythia ad fluvium Tanaim; unde res in toto terrarum orbe geſtas cognoſcere potuit.* Conſt. Imp.

Leo Papa ſcribit ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum celebrem illam Epiſtolam Encyclicam, de vera verbi incarnatione die 13. Ionij.

Olympias 307. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1225.

Annus Diocletiani 166. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Concilium cogitur Epheſinum, quod initium habuit, die 13. Auguſti, adfuerunt Epiſcopi 128. Præſes fuit *Dioſcorus* Epiſcopus Alexandrinus, adfuerunt milites, qui nolentes cogerent *Flavianus* Epiſcopus & Euſebius habentur pro reis. Eutyches pro accuſatore, anathema dicitur omnibus, qui duas naturas poſt unionem in Chriſto fatentur. Damnantur igitur Flavianus, Euſebius, Theodoretus, Ibas & alii, qui ſuis ſedibus exturbati in exilia ejecti ſunt. Epiſcopi, qui ſubſcribere noluerunt, coacti ſunt, aut charta pura tantum iis data, ut nomina ſua tantùm inſcriberent. Multi tamen etiam ſpontè ſubſcripſerunt metu exilii. *Flavianus* cùm ſcripto provocaret ad Papam Leonem, ita mulctatus eſt ab Eutychianis, ut cùm jam abduceretur in exilium, poſt triduum animam efflaret. *Tom. Conc.*

Eugenius *Scotorum rex, cùm annos* 22. *regnâſſet, moritur: ſuccedit* Dongardus *frater, qui regnat annos quinque.* Buch.

Meroveus *rex Francorum ſedes, à Clodione olim captas, repetit, & ad Axonam fluvium regiam conſtituit, ibique regnum firmat.* Annal. Fland.

Saxones *Angri Duce* Hengiſto *& Horſa fratre à Britannis evocati in Britanniam veniunt cum tribus tantùm navibus, Per legatos tamen plures Germanos exciverunt; qui ſedecim navibus paucis pòſt annis in Angliã venerunt, & cum iis ſimul Hengiſti filia, quæ Vertigerno regi Britanniæ nupſit, & ſequentibus temporibus patri Hengiſto Cantiam à marito impetravit.* Mamelsb.

Leo Papa Romanum Concilium cogit primo Octobr. in quo, quæ Epheſi geſta erant, proponit: Scribit ad Theodoſium & Pulcheriam de Oecumenico Concilio indicendo, ut veritati per vim oppreſſæ ſubveniatur. Scribit etiam Valentinianus Imp. ad Theodoſium, & filia Eudoxia ad matrem, ut & Galla Placidia; ſed nihil à Theodoſio impetrant, qui Concilium Epheſinum defendit. *Tomi Conc.*

Galla Placidia mater Valentiniani moritur die 27. *Novembr. quâ defuncta Valentinianus in omnia ſcelera prolabitur.*

Dioſcorus in Ægypto advocat Epiſcopos decem & Leonem Papam excommunicat. *Tomi Conc.*

ANNO MUNDI 4399. Poſt C. 450.
A. ☉ 11. ☽ 14. *Ind* 3.

Coſſ. Imp. Placidius Valentinianus VII
Gennadius Valerius Corvius Avienus.

Ingens Conſtantinopoli terræmotus factus eſt tribus diebus, menſe Ianuario, adeò, ut nemo ſe amplius tectis credere auderet. Faſti Sic.

Genſericus filio ſuo Hunnerico, Theuderici Gothorum in Galliâ regis filiam, uxorem dederat, eamq; pòſt ſuſpectam veneni, naſo reciſo dehoneſtatam, patri remiſerat. Vindictam inde metuens, ne Teudericus Romanis conjunctus injuriam ulciſceretur, Attilæ muneribus multis datis perſuadet, ut Gothos Galliâ pellat. Attila igitur in Comitiis Sicambrienſibus edicit omnibus ſuis, ut expeditionem ſecum in Italiam faciant. Parent igitur omnes, Schytæ, Gothi, Sarmatæ, Quadi,

Rugi, Baſtarnæ, Marcomanni, Burgũdiones, Thuringi, Bructeri, Saxones, Franci. Ipſe Attila ſcripſit ſe regem Hunnorum, Medorum, Gothorum, Danorum, Metum orbis, Deiq; flagellum, & mittit legatos ad Valentinianum rogatum ut patiatur, ut invadat Gothos, infidos Romanorum ſocios: alios contra mittit ad Gothos, ut ſibi auxilio ſint bellum Romanis inferenti, promittitque Gothis dimidiam Galliam. Sed fraude patefactâ Valentinianus omnes Galliæ reges, Theudericum Gothorum, Gothorum Burgundionum, Merovicum Francorum & Sangibanum Alanorum regem ſollicitat de fœdere, cùm omnium ſalus ſimul agatur, & Aëtium totius belli Ducem conſtituit *Iornand.*

Leo Papa mittit legatos quatuor Conſtantinopolin, qui de novo Epiſcopo *Anatolio* inquirant, an Catholicè ſentiat de incarnatione Chriſti. Sollicitatque Imperatorem de inſtituendo Concilio, die 16. Iulii; antea verò die 17. Martii etiam perſcripſerat ad Pulcheriam ſororem Theodoſii, ut adjuvaret Eccleſiam in promovendo Concilio. Factum, ut in tomis eſt, æra 499. quæ aliàs Hiſpanica appellatur. Theodoſius etiam certior factus, ſe deceptum fraude Eutychetis & Dioſcori. *Chryſaphium* Eunuchum, Eutychetis Patronum loco movet, bona ejus publicat, & ipſum relegat. *Tom. Conc.*

Theodoſius *ut venatione ſe exerceret, equo delapſus, vertebram dorſi luxavit, & mortuus eſt die 29. Auguſti, cùm imperaviſſet poſt patrem annos 42. menſes ferè tres. Succedit ipſi* Marcianus, *aſſumens à Pulcheria, ſorore Theodoſii, virgine quinquaginta & unius annorum, in matrimonium, qui regnavit annis 6. & 6. menſibus. Fuit natione Thrax, & ſimul ipſis Calendis Auguſtis* edicit in Eutychianos pœnam, hæreticis definitam, exilium videlicet, & ad Leonem ſcribit de loco Concilii revocat Epiſcopos loco ſuo pulſos exules, & corpus *Flaviani* Conſtantinopolin reducit. *Evag.*

In Italia laboratur fame, ut à parentibus liberi venderentur pro parando cibo. Sequenti enim Januario Valentinianus Imp. edicit, ut liceret parentibus liberos hoc modo venditos redimere. Cod.

ANNO MUNDI 4400. Poſt C. 451.
G. ☉ 13. ☽ 15. *Ind.* 4.

Coſſ. Imp. Marcianus.
Clodius Adelphius.

Attila ſtatim ſæviente adhuc hyeme in Germaniã venit, eamq; ferè totam in ſpem prædæ excivit, & exercitum ad ſeptingenta millia confecit. Inde Rhenum tranſit, Metenſem urbem pridiè paſchatos occupat, diripit, incendit; inde & ad alias urbes occupandas tendit, quæ ad omnes eum receperunt: ſolæ Aureliæ reſtiterunt, quibus Aëtius, aſſumpto Theuderico Gothorum rege, & ejus filio *Thoriſmundo*, auxilium fert, advenitque eo ipſo tempore, cùm jam vi erumperent, in quos ita confuſos irruit, & victoriâ potitur, & urbem liberat. Attila verò cum exercitu ſuo recedit ad campos Catalaunos, ubi ingens prælium commiſſum horâ nonâ diei, in quo ex altero exercitu Dux, Theudericus ſcilicet Gothorum rex, ex altera parte totus exercitus peremtus eſt. Ceciderunt ad centum & octuaginta millia ex utraque acie, præter nonaginta millia Gepidarum & Francorum, qui mutuis vulneribus ceciderunt. *Iornand. Sigebert.*

Ithacius Epiſcopus & Gothi, qui hujus victoriæ meminerunt, eam ſolis Gothis adſcribunt, & Aëtium prudentiâ quâdam utroſque & Hunnos & Gothos commiſiſſe, ut mutuis cadibus debilitarentur, ne alterutra pars Italiam invaderet; impediſſe etiam, ne Thoriſmundus patrem ulciſceretur, & victoriam perſequeretur. Imperaverat autem Theudericus annis 23. Thoriſmundus verò interficitur tertio anno regni. Iornand.

Marcianus Concilium Niceæ indixerat, ſed propter bellorum motus in Illyrico id transfert *Chalcedonem*, cui ipſe cum Pulcheria adeſſe voluit. Cœpit autem die 8. Octob. & convenerant Epiſcopi ſexcenti & triginta, ut aliqui habent.

Primo die *Dioſcorus* Epiſcopus Alexandrinus, qui primum locum occupaverat, juſſus ut reus ſurgere in medio conſedit. Euſebius eum accuſavit, & Theodoretus in Concilium admiſſus eſt. Die 10. Octobr. actum de Orthodoxâ fide, recitatum & Symbolum Nicenum, & Epiſtola Cyrilli & Leonis Papæ. Die 13. Octobr. cùm Imperator & Politici non adeſſent, Dioſcorus citatur ter, ut veniret ad Concilium: cùm renueret, accuſatur multorum ſcelerum & damnatur. Seſſione quartâ die 17. Octobr. *Iuvenalis* Hieroſolymitanus, *Thalaſſius* & Ægyptii, qui adhæſerant Dioſcoro, ad Orthodoxam fidem redeunt.

Die 20. Octobr. Monachis pro Dioſcoro intercedentibus datum ſpatium cogitandi de Orthodoxa ſententia, & controverſiæ quædam inter Epiſcopos ſublatæ. Die 22. Octobr. confeſſio fidei edita ex definitione nimirum trium Oecumenicorum Conciliorum, Niceni, Conſtantinopolitani & Epheſini primi. His adjuncta fuerunt, quæ ad damnationem Eutychianæ hæreſis faciebant.

Die 25. Octobr. ſubſcribunt omnes Epiſcopi confeſſioni fidei, proximâ ſeſſione factæ.

Die 26. Octobr. Controverſia inter Antiochenum & Hieroſolymitanum Epiſcopum compoſita: Deinde de Theodoreto actum, qui Orthodoxus comprobatus eſt, & reſtitutus. *Ibas* etiam Edeſſenus Epiſcopus, cùm ſe declaraſſet, reſtitutus.

Die 27. Octob. Domnus Epiſcopus Antiochenus deponitur, ſed alimenta ipſi à Maximo ſucceſſore ſubminiſtrantur.

Die 29. Octobr. propter diſſenſionem Epiſcoporum nihil actum.

Die 30. Octobr. Epheſinus Epiſcopus, ejuſque ſucceſſor deponuntur, & alius eligitur, qui depoſitis ſingulis ſolvat annuos ſolidos ducentos. Ultima ſeſſio accidit Calend. Novembr. & actum fuit de autoritate Conſtantinopolitani Epiſcopi, quòd ſecundas obtineat à Romano, ſed contradixerunt legati Papæ, & poſtea Leo ipſe. Dioſcorus autem relegatur Gagram in Paphlagoniam. *Acta Conc.*

ANNO MUNDI 4401. Poſt C. 452.
FE. ☉ 13. ☽ 16. *Ind.* 5.

Coſſ. Fl. Aſporatius.
Herculanus.

Marcianus Imp. edictum proponit, quo mandat, ne quis diſputet de Concilio Chalcedonenſi. *Cod.*

Monachorum potiſſima pars adhærebat Eutycheti, ideo plurimum tumultuati ſunt in Ægypto & Palæſtina. Iuvenalis Hieroſolymis planè ejectus eſt. Alexandriæ tumultus exortus, in quo milites, qui *Proterium* novum Epiſcopum defendebant, igne cremati ſunt; miſſi igitur ſunt alii milites, qui tumultum compreſſerunt. *Miſcell.*

Valentinianus conſtituit, ne clerici cauſas dijudicent, & ut ne Clerici forum politicum declinent, niſi quis ſponte ad Eccleſiaſticum magiſtratum provocet; ne etiam Curiales fiant monachi. *Cod.*

Annus Nabonaſſaris 1200. & Philippi ac mortis Alexandr. 776. incipit 2. Maji. fer. 6.

Attila, cum in Galliis res non procederet, reparato exercitu in Italiam irruit; *Venetiarum* populi, quod primum tàm immanis hoſtis impetum ſe excepturos diffidebant, relictâ patriâ in Inſulas ſe conferunt: reliqui aſpera Alpium petunt, ibi ſe defenſuri. Valentinianus contra evocatis Gothis Alpes Iulias munit, Aquilejam præſidiis & annonâ firmat, & Aetium validiſſimo exercitu inſtruit. Attila verò Alpes non magno labore aperit, & Aquilejam aliquot menſes obſidet, & tandem deſperans ferè de expugnatione, cùm videret Ciconiam nidum ſuum in urbe exportare, augurio hoc confirmatus exercitum animat, & urbe potitur, quam evertit Menſe Auguſto; inde reliquis urbibus facilè potitur. *Iornand.*

Marcianus init annum imperii tertium die 29. Auguſti.

Trithemius ſcribit Eclipſin lunarem contigiſſe anno Meroveı Francorum regis octavo, quæ accidit hoc anno die 15. Septembr. feria 2 horis duabus poſt mediam noctem. Latitudo vera 9. 39. auſtralis. Semidiam. Lunæ 16, 25. Summa ſemidiam. 39, 31. ſcrup. reſidua 49. 52. digiti Eclipſeos 18, 13. duravit ultra tres horas.

Annus Alexandrinus 764. Antiochenus 501. Conſtantinop. 5961. incip. à Calend. Octobr.

Tres magni lapides de cælo. ut Marcell. habet. *in Thracia deciderunt.*

Hengiſtus, cùm & annonam & ſtipendium à Britonibus parcius acciperet, pacem cum Pictis facit, & Britones deprædatur. Britones igitur aſſumpto Ambroſio duce ſe Anglis opponunt, & variâ fortunâ bellum gerunt. *Beda.*

ANNO MUNDI 4402. Poſt C. 453.

D. ☉ 14. ☽ 18. *Ind.* 6.

Annus urbis 1205.	*Iulianus* 498.
Æra Hiſpanica 491.	*Auguſtorum* 480.

Coſſ. Fl. Vincomalus.

Fl. Opilio Aetii F.

Attila altera parte Italiæ occupatâ, exercitum Mutinam ducit, quam tamen intactam præterit, unde ipſis hic dies feſtus habetur. Inde recedit aliquantum, ubi tamen ejus exercitus aſſiduè ab Aetio carpitur. Ut verò tandem Italiâ cederet Valentinianus legatum Pontificem Leonem ad eum mittit, à quo perſuaſus exercitum ex Italiâ deduxit. *Iornand.*

Leo Papa ſcribit Epiſtolam Cyclicam, die 21. Martii, ad Epiſcopos Orientales ferè, & confirmat ea, quæ in concilio Chalcedonenſi acta fuerunt, præterquam caput ultimum, quod Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſe præponi voluit Alexandrino & Antiocheno, & ſecundas obtinere poſt Romanum, quas habebat Alexandrinus. *Leo.* Idem *Leo* ſcribit die 16. Iunii ad omnes Epiſcopos de Paſchate: *Anno Æra Chriſtiana 455. celebrando, cui dies Paſchatis adſcriptus erat dies 24. Aprilis, putabatque hoc terminos paſchales excedere.*

Olympias 308. incipit in Iulio. Eſt annus Olympiad. 1229.

Annus Diocletiani 170. incipit die 29. Auguſti.

Pulcheria Auguſta conjux Marciani moritur, die 11. Septembr. Marcell.

Annus ſabbathicus 6. Iobelei 8. incipit 19. Septemb. fer. 7. Anno Iudaico 4214.

Severinus in Norico, hoc eſt, in Auſtria inclareſcit. *Cuſp.*

Venetiæ populi, cùm ſua, quæ habuerant, exuſta eſſent, Inſulas quas ceperant excolunt, & Rempubl. quandam conſtituunt creatis tribunis, ſeque accedentibus aliis adverſus hoſtes muniunt, quâ Republ. uſi ſunt ultra 340. annos ad tempora Caroli Magni; à quo armis petiti rivum altum muniverunt, atque ita ex hac Italiæ vaſtatione exorta eſt civitas, quæ vaſtitatem Italiæ ſubſequentibus temporibus prohiberet. *Sigon.*

Attila iterum in Galliam impetum facit contra Alanos, quibus ſuppetitas fert Thoriſmundus, ubi Attila vincitur, & in Scythiam redigitur, qui tamen paucis diebus poſt, dum vino largiùs indulget, ſanguine è naribus erumpente, ſtertens ſuffocatus eſt. *Iornand.*

ANNO MUNDI 4403. Poſt C. 454.

C. ☉ 15. ☽ 18. *Ind.* 7.

Coſſ. Fl. Studius.

Fl. Aetius Aetii F.

Thoriſmundus Gothorum in Gallia rex, quòd Aetius ſibi nulla auxilia contra Attilam tuliſſet, imperii provincias invadit, & Arelatem obſidet, nec vi ab Aetio depelli potuit: quapropter de pace agitur, & Aetius Thoriſmundo orbiculum aureum gemmis ornatum, pendentem libras quingentas offert, qui in theſauris Gothorum conſervatur. *Ithacius.*

Thoriſmundus, cùm ſe poſt victoriam & pacem factam inſolentius gereret, in odium venit, & cùm fortè ægrotaret, à fratribus ſuis trucidatur, non tamen mortuus eſt inultus, ſed invento ſcalpello plurimos interfecit: regnavit autem annos tres: Succedit ipſi *Theodericus* frater, qui regnat annis 13. *Iornand. Ithac.*

Marcianus Imp. admonitus à Leone Pontifice edicit ad Alexandrinos, ut Orthodoxam fidem amplectantur, & ſequantur veſtigia Theophili & Cyrilli, aut pœnam hæreticis dignam expectarent: die 13. Aug. *Cod.*

Valentinianus Imper. domi reſidens, & ardens amore conjugis Anicii Maximi conſularis, eum in aulam vocat, & luſu talorum ipſius annulo potitur, quo abuſus ejus conjugem in Palatium evocat & ſtuprat: quæ cùm eſſet pudiciſſima, totam cauſam in maritum confert, qui annulum Valentiniano dediſſet. Maximus vindictæ cupidus de cæde Valentiniani cogitat: Sed eam ſibi perniciosam futuram arbitratur, vivente Aetio multis igitur muneribus apud aulicos efficit, ut calumnientur

moientur Aëtium apud Imperatorem, quaſi Imperium arrepturus eſſet. Valentinianus Aetium ex Gallia accerſit, eumque ſuâ manu interficit, qui tamen natus quodammodo videbatur ad dignitatem imperii tuendam & conſervandam. De hac cæde verſus eſt Sidonii Poetæ:

Aetium placidum mactavit ſemivir amens. Proc.

Dongardus Scotorum rex, cum annos quinque regnâſſet, moritur; ſuccedit frater *Conſtantinus*, qui regnat annos 15. *Buchan.*

ANNO MUNDI 4404. Poſt C. 455.
B. ☉ 16. ☽ 19 *Ind.* 8.

Coſſ. Imp. Placidius Valentinia. IIX.
Fl. Anthemius, qui poſt Imper. factus eſt.

Anicius Maximus, ut ulciſceretur injuriam uxori illatam, Aëtii ſatellites conducit, qui Valentinianum Imper. occiderunt in campo Martio, anno imperii triceſimo. Factum die 17. Martii, ipſe Maximus pòſt cum ſatellitibus in pallatium venit, & Eudoxiam recenti cæde mariti turbatiſſimam, uxorem ducit, quapropter ſtatim nemine obſtante imperium arripit; ſtatim autem pœnituit eum arrepti imperii, propter negotiorum molem quotidie ſuſtinendam. Tumultuantibus autem Francis & Gothis in Gallia *Avitum* magiſtrum militiæ facit, & Galliæ conſulere jubet. Ipſe dum Eudoxiæ novæ conjugi imprudenter aperit, ſuâ operâ Valentinianum occiſum, ſibi perniciem accerſit. Eudoxia enim, vindictæ cupida occultè nuncios cum muneribus ad Genſericum mittit, qui orent, ut cædem Valentiniani ex fœdere nuper inito ulciſceretur, & Romam occuparet. *Genſericus* arreptâ hâc occaſione claſſe Romam venit die 12. Iunii, ubi principes urbis & ipſe Maximus, quòd milites nullos haberet, fugit, ſed in fugâ ipſe lapidibus obruitur, diſcerpitur, & in Tiberim abjicitur. Tertio inde die Genſericus urbem intrat, & ab incendio quidem ſibi temperat, totam tamen urbem exceptis tribus templis, per quatuordecim dies diripit, ſpoliat & deformat, & ſpolia hæc in Africam, unà cum Eudoxia & duabus filiabus Placidia & Galla, multisque millibus captivorum, transportat. Placidia poſtea Conſtantinopolin mittitur, ut nubat Olybrio ex Romana c[illegible]de profugo, cui deſponſa fuerat. *Procop.*

Avitus, *qui eo tempore apud Theodericum Gothorum regem legationem obibat, decernitur Imperator, ſi ipſe imperium recipere velit, quod maximè ſuadet rex Theodericus, & milites promptá voluntate ipſum Imperatorem coronant die* 10. *Iulii, viceſimo octavo, die poſt occiſum Maximum.* Sidon.

Marcianus *Imper. etiamſi de auxilio ferendo à Patriciis Romanis invocaretur, & ut Imperatorem novum crearet in locum Valentiniani, tamen vel ætatis, vel inſita ingenio tarditatis causâ nihil molitus eſt.* Sigon.

Hellac, filius Attilæ, Ardarico Gepidarum regi, qui primus ſe in libertatem ab Hunnis vindicavit, bellum infert, ſed ingenti clade, quâ ad 30. millia Hunnorum perierunt, repellitur, exemplumque datur ſe à ſervitute Hunnorum liberandi. *Sigebert.*

ANNO MUNDI 4405. Poſt C. 456.
A. G. ☉ 17. ☽ 1. *Ind.* 9.

Coſſ. Fl. Varari.
Fl. Johannes.

Avitus in Italiam redit, ubi dimiſſo Gothico auxilio, cùm in odio eſſet ob Maximum, & Marcianus Imp. etiam ſic fieri juberet Roma pellatur, & à *Ricimere* Suevo, magiſtro militiæ, comprehenſus imperium deponere cogitur die 17. Maji, qui ne contemtus viveret, Placentiæ Epiſcopatum accipit. Sed cum Senatus non contentus hâc degradatione, mortis pœnam illi irrogaret, in Gallias fugit, ubi mœrore animi mortuus eſt. *Sidon.* Secutum eſt interregnum, ita ut nemo Imperator eſſet Romæ menſibus decem & 15. diebus, uſque ad Cal. Apr. ſequentis anni. *Sid.*

Annus Nabonaſſaris, 1204. *& Philippi* 780. *incipit* 1. *Maji feria* 3.

Theodoricus Gothorum in Gallia rex, pro datis adverſus Attilam auxiliis, fœdere facto cum Avito in Hiſpanias tranſit, & primus in ea obtinuit imperium, & Rectiarium Suevorum regem obviam ſibi cum exercitu venientem ad Urbicum fluvium fundit, fugat & captum tandem, cum fuga evadere non poſſet, occidit; atque ita regno Suevorum potitur, Suevisque præficit *Achiulphum*, qui ſtatim rebellat Theodorico, atque ob id ſtatim pœnas dat; quapropter Suevis permittitur, ut ſibi regem ex ſuis creent, qui regnum deferunt ad Masdram, qui id obtinuit annis quatuor. *Vaſæus.*

Die 29. *Aug.* Marcianus *init annum imperii ſeptimum.*

Annus Alexand. 768. *Antiochenus* 505. *& Conſtantinop.* 5065. *incipiunt. Calend. Octob.*

Vortimerus, novus in Britannia rex improviſo Hengiſtum & Saxones alios adortus fugat, & Horſtum occîdit, & *Hengiſtum* eò redigit, ut Britanniâ excedat; ſed is in Saxoniam profectus nova auxilia colligit, & paulò pòſt in Britanniam redit. *Ethelb.*

ANNO MUNDI 4406. Poſt C. 457.
F. ☉ 18. ☽ 2. *Ind.* 10.

Annus urbis 1209.	*Iulianus* 502.
Æra Hiſp. 495.	*Auguſtorum* 484.

Coſſ Fl. Rufus.
Fl. Conſtantinus.

Marcianus *Imp. cùm de ſucceſſore in imperio occidentali ſe non expediret, moritur die* 26. *Januar. cùm imperâſſet annis ſex, menſibus ſex: ſuccedit* Leo Thrax, *qui imperavit annis ſeptendecim, qui* Majoranum *militiæ magiſtrum creat, die* 28. *Februar. & eum dimittit ad accipiendum imperium Occidentale. Is cùm in Italiam veniſſet, coronatur prope Ravennam Imper. Calendis Aprilis, imperatque annis quatuor, & menſibus quatuor, & hoc anno claſſem comparat ad recuperandam Africam.* Theo. lector.

Alexandrini auditâ morte Marciani Imp. *Proterium* Epiſcopum Catholicum in hebdomade magnâ ante paſcha in templo interficiunt, & *Timotheum* Ælurum Eutychianum Epiſcopum faciunt. Leo Papa certior de hâc re factus, ſcribit ad Leo-

nem Imp. petitque alium dari Epiſcopum Catholicum.

Hengiſtus, cùm in Britanniam rediiſſet, evocatur cum ſuis circa Calendas Maji ad colloquium. At verò cùm ſibi à Britannis metueret, ſuos occultè gladios habere jubet, ſi fortaſſis vis ſibi fieret, atque ita Britannos poſtea vicit, & regnum ſuum *Cantium* poſtea obtinuit, quod in familia Hengiſtiana permanſit annis ferè 320. *Annal. Fland.*

Olympias 309. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiad.* 1233..

Annus Diocletiani 174. *incipit die* 29. *Aug.*

Genſericus, *ut novo Imperatori agrè faceret, Campaniam populatur, cui Majoranus ponit inſidias, & Vandalos atque Afros victos Italiâ cedere cogit.* Sigon.

ANNO MUNDI 4407. Poſt C. 458.
E. ☉ 19. ☽ 3. *Ind.* 11.

Coſſ. Imp. Leo Thrax.
Imp. Majorianus.

Sidonius *Poëta, quod ſcripſiſſet Majorano Conſuli Panegyricum carmen, coronatur, & ſtatua ipſi ponitur.* Sidon.

Masdras *Suevorum rex in Hiſpania, quantum poteſt res Suevorum valdè afflictas erigit, & regnum confirmat.* Iſid.

Isdegerdes *Perſarum rex, cum annos* 21. *regnaſſet, moritur; ſuccedit* Peroces, *qui regnat annis* 16. Agath.

Majoranus, cum videret monumenta publica, & ſaxa ad reædificandam Romam in privatos uſus converti, edicit die 10. Iulii, ne amplius monumenta veterum diruantur. *Cod.*

Majoranus *inde comparatâ claſſe in Africam trajicit, & Mauritaniam recipit: ſed dum in morbum incidit Vandali claſſem ejus affligunt, unde re infectâ in Italiam redit. Interim Theodoricus Gothorum rex à Genſerico perſuaſus, fit Romanorum hoſtis, & fines Romanos populatur.* Sigon.

Antiochia *urbs horrendo terræmotu concutitur, horâ noctis quarta, illuſcente die Dominico, die* 14. *Septembr. quo planè everſa eſt. Imperator Leo ad ejus inſtaurationem præter vectigalia donat ipſis mille auri talenta. Idem terræmotus in Thracia etiam Helleſpontum, & omnem Ioniam, & Cyclades Inſulas concuſſit.* Evag. Niceph.

Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cùm ſediſſet annos octo, menſes octo, moritur; ſuccedit ipſi *Gennadius* Presbyter, qui ſedit annos 13. menſes duos.

ANNO MUNDI 4408. Poſt C. 459.
D. ☉ 20. ☽ 4. *Ind.* 12.

Coſſ. Patritius,
Fl. Ricimer.

Conſtantinopoli ſynodus celebratur Epiſcoporum 73. contra Eutychianos: ſed acta interciderunt, tantùm canon reſtat contra Simoniacos, in quo prohibetur, ne quis offerat pecuniam pro officio Eccleſiaſtico conſequendo, ſub pœna abdicationis tam dantis quàm accipientis. *Tom. Conc.*

Theodoricus *populando ad Rhodanum usque pervenit in Gallias, & Lugdunum oppidum capit.* Sigon.

Conſtantinopoli *Studius* vir clariſſimus & conſularis cœnobium ædificat Monachorum inſomnium, qui in tres ordines diſtributi continuas Deo laudes cecinerunt: vocati ſunt etiam Studitæ hi monachi. *Niceph.*

ANNO MUNDI 4409. Poſt C. 460.
C.B. ☉ 12. ☽ 5. *Ind.* 13.

Coſſ. Apollonius.
Magnus.

Majoranus *adhuc hyeme in Galliam cum exercitu profectus, Gothos ex oppidis, quæ occupaverant, ejicit & datâ pace provinciam perluſtrat.* Sigon.

Annus Nabonaſſar. 1208. *& Philippi ac mortis Alexandri* 784. *incipit die* 30. *April. fer.* 7.

Masdras, *Suevorum in Hiſpania rex, cùm annos ferè quatuor regnâſſet, occiditur menſe Majo, anno quarto Majorani: ſuccedit ipſi* Frumarius, *qui ſimiliter annos* 4. *regnat.* Iſidor.

Timotheus Alexandrinus Eutychianus ſede ſua ejicitur, & in exilio arctâ cuſtodiâ detinetur, aliusque Epiſcopus eligitur circa Iulium, eodem nomine *Timotheus*, idque hoc anno factum eſſe ex *Epiſtola Leonis* patet.

Simeon Stylita, orbis miraculum, qui ſtetit in columnâ annis ferè octuaginta, vixit ultra centum, moritur. Paraverat autem ſibi habitaculum duarum ulnarum latum: columna fuit quadraginta cubitorum alta, in qua 30. annis ſtetit, in aliis anguſtioribus ſteterat annis 17. *Evag. lib.* 1.

Eundem imitatus eſt quidam Daniel Monachus. *Evag.*

Annus ſabbathicus ſeptimus ſive Iobel. 8. *incipit die* 6. *Septembr. fer.* 6. *Annus Ind.* 4221.

Annus Alexandræus 772. *Antiochenus* 509. *& Conſtantinop.* 5969. *incipit à Calend. Octob.*

Meroveus *Francorum rex, cum annos quindecim ferè regnâſſet, moritur anno octavo Theoderici regis Gothorum: Succedit ipſi* Hilderico, *qui regnat varia fortunâ annis* 24. Iſid. Sig.

Dinzig filius Attilæ, rex Hunnorum iterum Oſtro Gothos aggreditur, ſed tantâ clade accipitur & repellitur, ut Oſtro Gothi Hunnis poſtea ſemper fuerint terrori.

Majoranus Imp. ex Galliis in Hiſpaniam venit Cæſar Auguſtum, ut inde paratâ claſſe Vandalos adoriretur, ſed proditione ſuorum, & conſilio hoc Vandalis detecto, claſſe à Vandalis ſpoliatur, & ipſe in Italiam revertitur. *Iſid. Ithac.*

ANNO MUNDI 4410. Poſt C. 461.
A. ☉ 22. ☽ 6. *Ind.* 14.

Annus urbis 1213. *Iulianus* 508.
Æra Hiſpanica 469. *Auguſtorum* 488.

Coſſ. Fl. Dagalaiphus.
Fl. Severinus.

Leo *Imperator init annum imperii quintum menſe Ianuario.*

Genſericus, cùm ſibi metueret à Majorano, fœder Gothorum fulto, legatos ad eum mittit de pace, & obtinet. *Ithac.*

Leo Papa, cùm ſediſſet annos ferè 21. moritur die 11. Aprilis; ſuccedit ipſe *Hilarius* natione Sardus, qui ſedit annos ſex, menſes tres, dies decem, *ità habet Onuph.* Sed Baronius contendit ſedem vacaſſe usque ad diem 12. Novembr. Hilarus Pa-

paau-

pa autem ſcribit ad omnes Epiſcopos de ſua electione, jubetque, ut ſingulis annis conventus habeantur, & Concilia celebrentur, ut ex *Epiſtolis Arelatenſibus* videre eſt.

Plympias 310. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1237.

Annus Diocletianus 178. *incipit die* 29. *Aug.*

Majoranus Alanos Galliâ expellere conatur. Alani contrà, dum Italia ſine præſidio eſt, verſus Italiam movent, quapropter magiſtrum militiæ *Ricimerum* natione Gothum, alii Suevum volunt, cum exercitu advocat, & eum Alanis opponit. At hic Imperatorē comprehenſum die 2. Auguſti imperio removet & die 7. Auguſti occîdit, cùm imperâſſet annos quatuor, & menſes quatuor. Secutum eſt interregnum uſq; ad diem 19. Novemb. quo Imperator declaratus eſt *Severus*, qui imperavit annos tres, menſes novem. *Ithac. Sigon.*

Eridicus frater Theodorici regis Gothorum cum Francis pugnans occiditur, juxta Ligerim Galliæ Gelticæ fluvium. *Vaſæus.*

ANNO MUNDI 4411. Poſt C. 462.
G. ☉ 1. ☽ 23. *Ind.* 15.

Coſſ. Imp. Leo Thrax II.
Imp. Vibius Sêverus.

Pictori cuidam Conſtantinopolitano, qui Chriſtum in forma Iovis pingere conabatur, manus exaruit. *Cedr.*

Hildericus Francorum rex, propter intoleranda tributa, & quòd inſolenter ſe gereret, regno deturbatur, qui exulatum abiit in Thuringiam, annis ferè octo. Franci interim ſibi præficiunt Ægidium ducem Romanum. *Sigeb. Ithac.*

Theodoricus Gothorum rex, in Gallia ſollicitatis quibuſdam comitibus in exercitu Romano, Narbonem urbem capit; inde magnum bellum ortum, de quo tamen inopia Scriptorum altum ſilentium. *Ithac.*

ANNO MUNDI 4412. Poſt C. 463.
F. ☉ 24. ☽ 8. *Ind.* 1.

Coſſ. Fl. Vibianus.
Cæcina Decius Baſilius.

Gothi in Thraciam irrupturi, cùm legatione miſſa nil impetrarent, Illyricum vaſtant. Leo territus annua munera mittit, & à *Theodemiro* Gothorum rege, ut filium *Theodoricum*, poſt Veronenſem dictum, puerum octo annorum obſidem daret, impetrat. *Sigon.*

Leo Zenonem Orienti præficit, qui Presbyterum habuit in comitatu *Petrum* Fullonem: qui Antiochiæ ad hymnum *Sanctus, ſanctus, ſanctus* addidit, *qui propter nos crucifixus eſt*, quæ clauſula poſtea magnas turbas in Eccleſia dedit.

Victorinus Aquitanus, juſſu Hilari Pontificis, ſcribit cyclum Paſchalem annorum quingentorum duorum, qui incipiat ab anno paſſionis Dominicæ, ita ut annis 532. abſolutis ſolennitas Paſchalis in eundem menſem ac diem recurrat. *Marianus.*

Arauſicana Synodus contra Pelagianos celebrata his Coſſ. *ut Baronius demonſtrat.*

Eliſei oſſa hiſce Coſſ. Alexandriam tranſlata ſunt. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4413. Poſt C. 464.
E. D. ☉ 25. ☽ 9. *Ind.* 2.

Coſſ. Fl. Ruſticus.
Fl. Anicius Olybrius.

Alani in Galliis, quòd à Majorano olim pelli non potuiſſent, tantùm ſibi ſumunt, ut mediâ hyeme Alpes transgrediantur, Italiam occupaturi, & in Liguriam veniunt: ſed *Ricimer* militiæ præfectus tanta fortitudine eos accipit, ut omnes ferè internecione delerentur & rex eorum *Beorgock trucidaretur ſexto Febr.* Caſſiod.

Annus Nabonaſſar. 1212. *& Philippi ac mortis Alexandri* 788. *incipit die* 29. *April. fer.* 4.

Conſtantinopoli lucerna in foro relicta tabernas proximas incendit: hinc tantum incendium ortum, ut urbs quatriduum arſerit, nec ope humana ignis extingui potuit, etiamſi *Aſpar* patritius ipſe ſuis humeris aquam afferret, & aliis opem ferentibus aureum nummum diſtribueret, id quod multi alii etiam fecerunt. Hoc incendium Marcellius in ſequentem annum ponit, ſed Faſti Siculi dicunt, id accidiſſe ſecundo Septembr. feriâ quartâ, indictione tertiâ, quæ init cum Septembri menſe. Latitudo crematorum ædificiorum fuit quinque ſtadiorum, longitudo tredecim. *Evagr.*

Annus Seleucid. Alexandraus 776. *Antioch* 513. *& Conſtantinop.* 5973. *incipiunt à Calendis Octob.*

Imperator Zenon incendio tanto motus poſtea edixit, ut ædes ad formam inſularum ædificarentur, & diſtarent inter ſe duodecim pedibus.

ANNO MUNDI 4414. Poſt C. 465.
C. ☉ 26. ☽ 10. *Ind.* 3.

Annus urbis 1217. *Iulianus* 510.
Æra Hiſpanica 503. *Auguſtorum* 492.

Coſſ. Fl. Baſiliſcus qui pôſt Imperat.
Fl. Herminericus.

Leo Thrax imperii annum nonum incipit in Ianuario.

Genſericus omnes oras imperii prædæ habet, & quotannis invadit, modò irruit in Illyricum, modò in Siciliam, Sardiniam, Baleares inſulas, in Ægyptum, &c. quocunque, ut ipſe dicebat, vento deferebatur. Ideò Nauclero præcipiebat, ut eò tenderet, quò ventus pelleret, adeò in omnes hoſtili animo ferebatur. *Procopius.*

Hengiſtus anno adventûs ſui decimo ſeptimo iterùm pugnat cum Britannis, eosque vincit, & accedunt ipſi plura auxilia duce Ælle. *Malmesb.*

Olympias 311. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1241.

Annus Diocletiani 182. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Severus Imp. cùm annos tres, & menſes novem imperâſſet, moritur die 15. Auguſti, fraude, ut putabatur, *Ricimeri*, interfectus. Senatus Romanus, cùm tot hoſtes eſſent imperii, petit à Leone, ut mittat imperatorem, ſi videatur, ſed in hac conſultatione & hunc & ſequentem annum conſumit. Interregnum igitur eſt anni unius & menſium ferè octo.

ANNO MUNDI 4415. Poſt C. 466.
B. ☉ 27. ☽ 11. *Ind.* 4.

Coſſ. Imp. Leo Thrax III.
Tib. Fabius Titianus.

In Gallijs terræmotus circa hæc tempora fuerunt inſignes, & lupi & urſi portas urbium ingreſſi, & impunè per plateas vagati, homines terruerunt.

Terræmotibus hiſce & prodigiis motus *Mamertus* Viennæ Epiſcopus ſupplicationes Deo, pro impetrandis imbribus aut ſerenitate, diebus ante aſcenſionem Chriſti, inſtituit, quæ dies *Rogationum* appellatæ ſunt; jejunabatur ante triduum, ut in Quadrageſimâ, & aſſiduæ ſupplicationes habebantur. *Sigeb.*

Proſper Aquitanus moritur. *Marcel.*

Frumari Suevorum rege, anno quarto mortuo ſuccedit rex Suevorum *Remismundus* filius Masdræ, qui omnibus Suevis in ſuam ditionem redactis regnat & pacem cum Gallæcis facit. *Vaſa.*

Theodoricus Gothorum rex, cùm annis ferè tredecim regnâſſet, ac *Evarico* fratre *Toloſa* occiditur, & ipſe regnat annis ſedecim. *Vaſæus.*

Remismundus Suevus in Luſitaniam profectus, *Conimbricam* ſpecie pacis deceptam diripit, & *Olyſiponem*, tradente Luſidio, qui civitati præerat, occupat. *Vaſæus.*

ANNO MUNDI 4416. Poſt C. 467.
A. ☉ 28. ☽ 12. *Ind.* 5.

Coſſ. Fl. Puſæus.
Fl. Johannes.

Ricimer dux, ex cujus nutu Occidentale imperium pendebat, cum Leone Imp. ita tranſigit, ut mittat, qui Imperator eſſet Occidentis, qui filiam ſuam ſibi deſpondeat, ut ita gener fieret Imperatoris, & Imperatorem in poteſtate haberet. Mittitur igitur *Anthemius*, qui coronatur Imp. die 12. Aprilis feriâ quartâ poſt Paſcha, & nuptias celebrat, quibus etiam interfuit. *Sidonius* Poëta. Imperavit annos quinque menſes tres. *Marcell.*

Hilarus Papa, cùm ſediſſet annos ſex, menſes tres moritur die 28. Iulii. Succedit *Simplicius* Tiburtinus, qui ſedit annos quindecim, menſes ſex, dies viginti tres. *Onuph.*

Leo ingentem claſſem & exercitum præparat ad debellandum Gentericum, & Anthemio novo Imperatori in mandatis dat, ut neceſſaria exercitui & claſſi in Sicilia præbeantur: ſed Genſericus contra Placidiam filiam Valentini ad Olybrium Senatorem potentiſſimum mittit; huic enim olim matrimonio promiſſa erat, eumque dè defectione ſollicitat, promittitque ipſi Occidentale imperium. *Procop.*

Annus ſabbathicus primus Iobelei noni incipit 16. Septembr. fer. 7. Anno Iudaico 4228.

ANNO MUNDI 4417. Poſt C. 468.
G.F. ☉ 1. ☽ 13. *Ind.* 6.

Coſ. Imp. Fl. Anthemius ſine Collega.

Arvandus *præfectus Galliæ cum aliis id agit, ut Gallia Burgundis & Gothis dividatur; quapropter majeſtatis reus pronunciatur, & occiditur.* Sidon.

Annus Nabonaſſar. 1216. *& Philippi ac mortis Alexandri* 792. *incipit die* 28. *April. fer.* 1.

Annus Alexand. Seleucid. 780. *Antiochenus* 517. *& Conſtantinop.* 5977. *à Calend. Octobr.*

Leo duces mittit contra Genſericum, & Marcellinus quidem inſignis dux Sardiniam recipit, & Vandalos inde expellit, & in Siciliam tranſit, ubi dum duces Leonis fideliſſimè adjuvat, ab ipſis fraude occiditur circa Auguſtum menſem. Alter dux Hiraclius Tripolin recipit, & Baſiliſcus totam claſſem Carthaginem ducit: Erat circa mille navium. Sed ibi otio res corrumpitur, & cùm in eo eſſet, ut prælium consereretur, Baſiliſcus primus fugam arripit, totamque claſſem ita ſecum traxit. Hac victoria Genſericus ferè tota claſſe potitus eſt, opesq; ſuas ita ſtabilivit, ut neminem amplius metueret. *Procop. Nicephorus.*

ANNO MUNDI 4418. Poſt C. 496.
E. ☉ 2. ☽ 14. *Ind.* 7.

Annus urbis 1221. *Iulianus* 514.
Æra Hiſpanica 507. *Auguſtorum* 496.

Coſſ. Fl. Zenon Iſauricus poſt Imper.
Fl. Marcianus.

Leo init annum imperii decimum tertium menſe Ianuario.

Leo Imp. iraſcens ſuis Ducibus, quòd tanta clade imperium affeciſſent in Africa, præcipuè tamen Aſpari & Ardaburio: cùm verò ii potentiores eſſent, quam ut puniri poſſent, diſſimulat iram, & filiam ſuam *Ariadnem* filio Aſparis uxorem deſpondet, & eundem Cæſarem creat; cùm verò idem eſſet Arianus, populi valdè improbavit factum Leonis. *Evag.*

Gothi & Hunni inter ſe in panonia de ea obtinenda digladiantur, & Gothi evadunt victores, & *Denſicem* filium Attilæ in prælio obtruncant, ejusque caput Conſtantinopolin mittunt. *Marcel.*

Olympias 312. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1245.

Annus Diocletiani 186. *incipit die* 29. *Aug.*

Hildericus Francorum rex, qui annum jam octavum exulabat in Thuringia, regnum in Galliis recuperat Ægidius enim Severinus hactenus imperio uſus fuerat, & in odium venerat: quapropter Hildericus clam revocatur. *Sigeb.*

Incendium iterum ingens Conſtantinopoli, quo urbs exuſta eſt, à mari ad mare. Faſti Siculi.

Conſtantinus Scotorum rex, cùm annos quindecim regnaſſet moritur; ſuccedit *Congallus*, qui regnat annos 32. *Buchan.*

ANNO MUNDI 4419. Poſt C. 470.
D. ☉ 3. ☽ 15. *Ind.* 8.

Coſſ. Fl. Jordanes.
Fl. Severus.

Evaricus Gothorum in Gallia rex, incitatus à Genſerico, & ut fines imperii etiam dilataret, fines Romanos invadit. Anthemius impar viribus Britannos in eos concitat, ſed & hos Evaricus vincit: quapropter Anthemius muneribus eum placat, & ad antiquum fœdus reducit. *Sig.*

Hunnimundus Suevorum rex in Pannonia, ſimiliter inſtigatus à Genſerico, qui inſulas imperii tanta claſſe auctus invadere conabatur, Pannonias populatur trans Iſtrum ad Dalmatiam usque, ſed revertens à Theodomiro Gothorum rege capitur, & vix dimittitur. *Sigon.*

Baſiliſcus, ut priſtinum decus militiæ Romanæ recuperaret, claſſe cum Genſerico prope Siciliam pugnat, & vincit. *Procop.*

Conſtantinopoli populus acriter tumultuatur contra novum Cæſarem, & Aſparis familiam Arianam, omnes-

omneſque fugant Chalcedonem: Leo tanquam auxilium ipſis præbiturus, deducit eos in aulam, ubi per Zenonem, quem ſibi fidelem putabat, omnes trucidat. Niceph. Evag.

ANNO MUNDI 4420. Poſt C. 471.
C. ☉ 4. ☽ 16. *Ind. 9.*

Coſſ. Imp. Leo Thrax IV.
Fl. Probianus.

Remigius Francorum Apoſtolus immaturus ævo annum agens vicefimum ſecundum, urgente populo, Remenſis Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur die 13. Ianuarii. *Hincmar.*

Ricimer cùm ſibi ſatis potentiæ habere videretur, nec alterius opibus indigere; noluit alieno imperio ſubeſſe; ſed inſidiâs ſtruit ſocero: quæ cùm patefactæ eſſent, Mediolanum fugit, & bellum Imperatori minitatur: ſed pax conciliatur per Epiphanium Epiſcopum Ticinenſem, virum doctum & pium, & Ricimer Antemio reconciliatur circa Paſcha.

Petrus Fullo Eutychianus cum Zenone profectus Antiochiam venit, ibique turbas ciet contra Epiſcopum, quem tandem ſede dejicit; ſed Petrus hic edicto Leonis tandem in exilium ejicitur, pœnitentiam tamen ſimulans intercedentibus aliis, ipſi permiſſum, ut Conſtantinopoli eſſe poſſet. *Niceph.*

Gennadius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cùm ſediſſet annos tredecim, menſes duos, moritur menſe Auguſto; ſuccedit ipſi *Acacius* hæreticus, qui ſedet annis ſeptem, menſibus novem. *Niceph.*

Evaricus *Niſigothus Burgundiones victos ſubigit, & conſilio Genſerici Gallias populatur.* Sigon.

ANNO MUNDI 4421. Poſt C. 472.
B.A. ☉ 5. ☽ 17. *Ind. 10.*

Coſſ. Fl. Feſtus.
Fl. Marcianus.

Marcianus *hic Ricimeri filius fuit, & habuit Leonis Imperatoris filiam Leontiam uxorem.*

Theodomirus Danubium conglaciatum tranſiens Suevos vaſtat, & cum magna præda domum revertitur, filius Theodoricus, qui ab Imperatore ad patrem remiſſus fuerat, Sarmatas invadit & paulò poſt *Theodomirus* moritur, & ſuccedit filius *Theodoricus Veron. Sigeb.*

Annus Nabonaſſaris 1220. *& Philippi, & mortis Alexandri* 796. *incipit die* 27. *April. fer.* 5.

Ricimer bello perſequitur ſocerum Anthemium, & Romam obſidet, & cum tandem die undecimo Iunii capit & occidit; paulò pòſt tamen & ipſe in morbum prolapſus moritur die 18. Auguſti. Imperaverat autem *Anthemius* annos quinque menſes tres, ſuccedit *Anicius Olybrius*, qui imperat menſes tres & dies 23. moriturque 23. Octob. Sequitur interregnum menſium quatuor.

Annus Alexand. Seleucidar. 784. *Antioch.* 521. *& Conſtantinopolitanus* 5981. *Calend. Octobr.*

Epiſcopus Conſtantinopolitanus *Acacius* iterùm ſollicitat de ſuæ ſedis prærogativa apud Papam Romanum, ut videlicet ſibi dentur ſecundæ poſt Papam. Sed Papa recuſat hoc facere, Leo tamen Imperator id confirmat. *Ced.*

Leo Imp. Ariadnæ filiæ, & Zenonis filium nuper natum prætertito parente creat Cæſarem, & propterea ſpectacula edit, ubi horâ diei ſextâ profundæ tenebræ texerunt, & cinere pluit tanquam nive, qui ad palmæ altitudinem jacuit. Propter hanc cauſam ſupplicationes annuæ Romæ conſtitutæ die 6. Novembr. *Veſuvius* autem mons intimis æſtuans ignibus, viſcera exuſta evomuerat, & totam ferè Europam minuto cinere operuerat. *Ced. & Marcell.*

Evaricus *Gothorum rex anno decimo ſexto L*[illegible]*nis Luſitaniam depredatur, & miſſis exercitibus Pompelonem, Cæſar Auguſtam, & Tarraconenſem provinciam in ſuam poteſtatem redigit.* Ithac.

Sidonius Apollinaris hoc anno creatur Epiſcopus *Arvernenſis. Baron.*

ANNO MUNDI 4422. Poſt C. 473.
G. ☉ 6. ☽ 18. *Ind. 11.*

Annus urbis 1225. *Iulianus* 518.
Æra Hiſpanica 511. *Auguſtorum* 600.

Coſ. Imp. Leo Thrax ſine Collega.

Leo *Imperator init annum imperii decimum ſeptimum menſe Ianuario.*

Leo *Imp. nepotem ſuum ex filia* Ariadna *& Zenone Auguſtum proclamat menſe Feb.*

Glicerius Ravennæ coronatur Imp. die 5. Martii, ut autor incertus habet, imperat annum unum, menſes tres, dies 21. Promovetur ad tantos honores à Gothis. *Sidon.*

Olympias 313 *incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiad.* 1249.

Annus Diocletiani 190. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Vindomirus *Oſtrogothorum rex à* [illegible]*, inſtigatus à Henſerico, Italiam cum exercitu petit, ſed magno bono Italiæ moritur in itinere: ſuccedit ipſi filius ejusdem nominis, qui à Glycerio multis muneribus delinitus, relictâ Italiâ Galliam petit, ubi cum Viſi Gothis conjungitur.* Evag.

Theodoricus *alter Oſtrogothorum rex Illyricum invadit & poſtea Theſſaliam, quem ſimiliter Leo Imperator muneribus ab occupanda Græcia avertit.* Sig.

ANNO MUNDI 4423. Poſt C. 474.
F. ☉ 7. ☽ 19. *Ind.* 12.

Coſ. Imp. Leo Infans ſine Collega.

Leo Thrax *ventris profluvio adeò attenuatur, ut quaſi pelluceret, ideò paulò poſt moritur, cùm annos ſeptendecim regnaſſet, ſuccedit Leo Nepos, cujus tutor eſt parens Zenon Iſauricus, qui imperat annos ſeptemdecim, menſibus ſex.*

Leo infans cùm vixiſſet menſes ſeptendecim, *ut Faſti Siculi habent*, paucis menſibus poſt avum moritur, ignorans pariter, qvid accipiſſet, ageret, perderet, aut quid relinqueret. *Faſti Siculi.*

Iulius Nepos à Leone priore anno Cæſar deſignatus erat, ut haberet imperium Occidentale, ideò cum claſſe hoc anno Italiam petit, & *Glycerium* omnibus ferè viribus deſtitutum imperio deponit, & Epiſcopum Salonenſem facit. Ipſe Auguſtalia induit die 24. Iunii. *Marcel.*

Annus ſabbathicus 2. *Iobelei noni, incipit die* 29. *Auguſti. fer.* 5. *Anno Iudaico* 4228.

EVARICUS Gothorum rex, novâ Gothorum acceſſione auctus, bellum Imperatori facit, & Arvernum

vernum arctiſſima obſidione premit; pro qua ſolvenda mittitur Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus, quod obtinet quidem, ſed Arvernum deditur. Sidon.

Petrus Fullo monachus Eutychianus ab Antiochenis poſcitur, ut Conſtantinopoli dimiſſus Epiſcopus Antiochenus fiat, quod & muneribus impetrant. Hic ſtatim Concilium Chalcedonenſe damnavit, & factus eſt Theopaſchita. *Alexand. apud Baron.*

Eo tempore, quo Leo mortuus eſt, Perozes *Perſarum rex, cum annos ſedecim regnâſſet, ab Hunnis interficitur cum toto exercitu, cum profundam foveam feciſſent, & inſidiis quorundam in eam protraxiſſent. Potiti ſunt tum temporis Hunni inſigni unione, quem poſtea Iuſtinianus Imperator centum auri libris redimere voluit.* Cedren.

ANNO MUNDI 4424. Poſt C. 475.
E. ☉ 8. ☽ 1. *Ind.* 13.

Coſ. Imp. Zenon Iſauricus II. ſine Collega.

Saraceni *in Meſopothamiam irruptionem faciunt, ut & in Thraciam Hunni, & peſſimè Rempubl. dilacerant, cum interim Zenon neglectis curis imperii turpiſſimis ſe dederet voluptatibus.* Cedr.

Hildericus Francorum rex poſt Vandalos & Alanos; poſt Gothos & Hunnos Gallias invadunt, non ut eas habeant direptioni, ſed ut ſibi in perpetuum habeant. Et captâ Coloniâ Agrippinâ, fugato Ægidio, multos Romanorum occîdunt. Sequenti æſtate etiam Trevirim capiunt. *Sigon.*

Nepos Imperator, ut laboranti Galliæ ſubveniret, *Oreſtem* Gothum comitem creat & contra Francos & Gothos in Galliam mittit. At Oreſtes inſtructus exercitu fidem fallit, & incautum Imp. Ravennæ die 28. Auguſti dejicit. Nepos improviſo caſu turbatus fugit, & Salonam ſe, ubi Glycerius, quem imperio dejecerat, Epiſcopus erat, recepit. Amici vero Nepotis, quorum plurimos habebat, legatos ad ODOACREM Herulorum regem mittunt, ut veniat, & pœnas de Oreſte ſumat. Odoacer exitus legatione, & ſuâ ſponte etiam divitiis Romanorum ipſe pauperrimus inhians, ſuſcipit expeditionem. *Eugip.*

Oreſtes *hoſtium ſecurus filium ſuum Momyllum Auguſtum ſive Imperatorem creat die ultimo Octobris, qui poſteà, quòd exigua ſtatura eſſet, Auguſtulus appellatus eſt vulgò.*

Timotheus Orthodoxus Epiſcopus Alexandriæ tumultu ejicitur, & Timotheus Aelurus à Leone in exilium pulſus à Zenone revocatur, & Alexandriam, ut ſit Epiſcopus, mittitur.

ANNO MUNDI 4425. Poſt C. 476.
DC. ☉ 9. ☽ 2. *Ind.* 14.

Coſſ. Fl. Baſiliſcus. II.
Fl. Armatus.

Zenon *Imp. à fratre ſocrus ſuæ* Baſiliſco, *qui exercitu inſtructus, & Conſul Heraclea imperium ſumſerat, Conſtantinopoli ejicitur, & cùm ad cædem quæreretur, in Iſauriam fugit, neminique cognitus vitam cum conjuge interdum herbis & radicibus toleravit.* Baſiliſcus *improviſo potitus imperio Orthodoxos ejicit, & Eutychianos exules revocat, ſuiſque ſedibus reſtituit, & Concilium Chalcedonenſe abrogari præcipit.* Evag.

Annus Nabonaſſaris 1224. *& Philippi, & mortis Alexandri* 800. *incipit die* 26. *April. fer.* 2.

Oreſtes in Italia cum Genſerico atque aliis pacem firmat; ſed improviſo adeſt *Odoacer* Herulorum & Turcilingorum rex, qui vere novo Danubium transgreſſus in Italiam Veronam pervenit, & perſecutus Oreſtem, qui inferior viribus erat, Ticinum includit, & urbem tandem capit & militibus diripiendam præbet, & die 23. Auguſti proclamatur rex Italiæ; & Placentiam inde profectus, Oreſtem die 28. Auguſti occidit, exercitu inſpectante; inde Ravennam venit, quam urbem in poteſtatem accipit die 4. Septembr. Tandem Romam proficiſcens, eam in deditionem accipit, & Momyllum Auguſtulum, qui ſe abdicaverat, in Muculanum Campaniæ caſtrum in exilium ejicit; atq; ita finis factus eſt imperio Occidentali, quod ſteterat poſt victum Pompejum, incipiendo à Iulio Cæſare annos 522. *Procop.*

Annus Alexand. 788 *Antiochenus* 525. *& Conſtantinop.* 5985. *incipit à Calend. Octobr.*

Odoacer *ad conſtituendum regnum animum adjiciens, ſibi Gothos adjungit, & tertiam partem agrorum ipſis in Italia attribuit, quod & Oreſtes ipſis promiſerat. Conſulum dignitatem, ad contundendam eorum ſuperbiam, aufert, & ſedem regni Ravennæ conſtituit, regnatq; in Italia annos* 16.

Conſtantinopolis in invidiam Baſiliſci incenditur, quo incendio præſtantiſſima pars urbis periit, etiam Bibliotheca continens librorum millia centum & viginti inter quos fuit opus Homeri exuviis draconis, centum & viginti pedes longis, inſcriptum aureis literis, item Venus Cnidia, Iuno Samia &c. quo Reipubl. detrimento quidam moti clam Zenonem revocant. *Cedr.*

Baſiliſcus, *cùm audiret Zenonem in Iſauria copias parare, remittit aliquantulum de ſua impietate, edictum de damnata Synodo Chalcedonenſi abrogat, & jura Conſtantinopolitana Eccleſiæ reſtituit.* Cod.

ANNO MUNDI 4426. Poſt C. 477.
B. ☉ 10. ☽ 3. *Ind.* 15.

Annus urbis 1229. *Iulianus* 522.
Æra Hiſpanica 515. *Auguſtorum* 504.

Poſt Conſulatum Baſiliſci.
Armati.

Genſericus Vandalorum rex moritur anno triceſimo nono, poſt occupatum Carthaginem, cùm regnâſſet poſt partem annis 58 Succedit ipſi *Hunericus* filius qui regnat annis ſeptem & menſibus decem. Victor.

Childericus Francorum rex bellum cum Saxonibus gerit, & inſulis eos expellit. Alanos item ex Gallia ejicit, & ſuas eis ſedes diſtribuit, unde opes Francorum plurimum auctæ ſunt. *Turon.*

Olympias 314. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1253.

Annus Diocletiani 194. *incipit die* 29. *Aug.*

Odoacer in Italia, ut terrorem Romanis injiceret, ſibi autoritatem pararet, occidit Fravitam Comitem Ravennæ, die 11. Iulii. *Chron. vet.*

Plures

Plures ex Germaniâ Saxones in Angliam tranſeunt, inter cæteros fuit Æille, qui pellit Britannos, & ea loca ſuis filiis tribus & aliis diſtribuit. Ethelb.

Zenon *Imp. imperium recuperat, cùm menſibus viginti exulâſſet. Armatus enim magiſter militiæ à Baſiliſco Zenoni oppoſitus, exercitum Zenoni tradit. Ipſe Baſiliſcus in templum fugit, ſed inde abſtractus, cum conjuge & liberis in exilium miſſus, frigore & inediâ periit, cùm prohibitum eſſet, ne ipſi quicquam ſuppeditaretur.* Procop.

ANNO MUNDI 4427. Poſt C. 478.
A. ⊙ 11. ☽ 4. *Ind.* 1.

Coſ. Illus vir illuſtris Conſtantinopolitanus ſine Collega.

Hæretici. *Petrus* Fullo Antiochiæ, & *Timotheus* Ælurus Alexandriæ, è ſedibus ſuis dejiciuntur, ſed ab Eccleſiis tamen non removentur, de qua re Simplicius Papa admonet Imperatorem Zenonem. *In decret.*

Baſilius præfectus Romæ legem fert, ne Pontifex inſcio ſe ullus eligatur. *Sigon de Imp. Occid.*

Terræmotus ingens eſt Antiochiæ & Conſtantinopoli die 25. Septemb. Corruerunt multa templa, & obruta ingens hominum multitudo; cecidit & ſtatua Theodoſii, quæ columnæ Tauri impoſita erat. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4428. Poſt C. 479.
G. ⊙ 12. ☽ 5. *Ind.* 2.

Coſ. Imp. Zenon III. ſine Collega.

Longobardi, *qui jam quintum regem habebant, ex quo ex Scandia exceſſerant,* Gudeoch, *Rugorum regiones invadunt, eaſque annis 40. quietè poſſident.* Sigebert.

Tumultus oritur Antiochiæ in Templo, in quo Stephanus Epiſcopus cum multis aliis ab Eutychianis occiſus eſt. Alius igitur in locum ejus electus & ordinatus eſt Conſtantinopoli, qui Antiochiam mitteretur. *Decret.*

Odoacer, ut Ticinum inſtauretur, tributum populis remittit, & Romanis, ut Conſules creent, permittit. Deſignatus igitur fuit in ſequentem annum, Baſilius.

ANNO MUNDI 4429. Poſt C. 480.
FE. ⊙ 13. ☽ 6. *Ind.* 3.

Coſ. Fl. Baſilius Junior ſine Collega.

Audovvachrius *Saxo claſſem inſtruit, & Andegavenſes populatur.* Sigeb.

Benedictus monachorum patronus ex patricia familia Aniciorum naſcitur, unà cum ſorore *Scholaſtica*, cujus mater in partu perit. *Chron. Caſſ.*

Annus Nabonaſſaris 1228. *& annus Philippi, & mortis Alexandri* 804. *incipit die* 25. *April. fer.* 6.

Nepos olim Imperator occiditur ex inſidiis à ſuis comitibus die 9. Maji. *Vetus Chron.*

Annus Alexand. Seleucidar. 792. *Antioch.* 529. *& Conſtantinopolitanus* 5989. *à Calend. Octobr.*

Hunericus, *Vandalorum rex, edicit, ut liberum religionis exercitium permittatur in Africa, tam Catholicis, quam Arianis, impetravit hoc interceſſione ſua Imp.* Zenon *& Placidia.* Cod.

Hinc factum, ut Eugenius Epiſcopus Orthodoxus Carthagini ordinaretur & templa Orthodoxorum, quæ jam annis 24. concluſa fuerant, aperirentur.

ANNO MUNDI 4430. Poſt C. 481.
D. ⊙ 14. ☽ 7. *Ind.* 4.

Annus urbis 1233.	*Iulianus* 626.
Æra Hiſpanica 519.	*Auguſtorum* 508.

Coſ. Fl. Placidus ſine Collega.

Z: non *inchoat annum imperii octavum in Ianuario.*

Audovvachrius *Saxo, occupatis multis urbibus Galliæ, obſides accipit: ſed Hildericus Francorum rex obviam ipſi cū exercitu proficiſcitur, & Andegavenſem urbem recipit & cremat, & deditionis autores interficit; inde pax inter utroſque initur, & Hildericus unà cum Audovvachrio Alemannos invadit.* Sigebertus.

Olympias 315. *incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiad.* 1257.

Annus Diocletiani 198. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus 3. *Iobelei noni, incipit die* 10. *Septemb. fer.* 5. *Anno Iudaico* 4242.

Vandali plurimi in Africa, dum religio libera eſt, Orthodoxorum Epiſcoporū doctrinam ſequuntur; unde Arianorum Epiſcopi invidiâ æſtuantes, paulatim Hunnericum ad perſequendos Orthodoxos inſtigant. Carnifices autem templis apponunt, ne Vandali unà cum Afris Orthodoxorum templa ingrediantur. *Victor.*

Theodoricus Scytha, Triarii filius, cum Gothis vaſtat Thraciam, & cum exercitu Conſtantinopolin venit usque ad quartum lapidem, cepiſſetque urbem, niſi ſuorum invidia retardatus fuiſſet. Ideò exercitum reducit. Sed dum equo exerceri vellet, neque rectè ſellæ inhæreret, equusque ferociret, excutitur, quo caſu exanimatus, paulò pòſt moritur. *Evag. lib.* 3.

Vortimerus, *Britannorum rex, à ſuis in turrim compellitur, & crematur.*

Ambroſius Aurelius, ex Romanis olim inſulam obtinentibus ſuperſtes, rex creatur. *Ann. Friſ.*

ANNO MUNDI 4431. Poſt C. 482.
C. ⊙ 15. ☽ 8. *Ind.* 4.

Coſſ. Fl. Severinus.
Fl. Trocondus.

Zenon Imp. clanculum à Synodo Chalcedonenſi deficit, & ſubrogat hæreticos Episcopos, olim propter Eutychianiſmum damnatos, jam verò pœnitentiam ſimulantes. *Baron.*

Stephanus Iunior Epiſcopus Antiochenus, cùm triennio præfuiſſet, moritur. Succedit ipſi *Calendion*, vir Orthodoxus, ſed hic paulò pòſt deponitur, quòd Petrum illum Eutychianum adulterum eſſe ſcripſiſſet, & non ſatis probâſſet: cui ſuccedit *Petrus* Fullo ille Eutychianus. *Evagr.*

Marcianus *Anthemii olim Imperatoris filius, & Leonis gener, imperium invadere cogitat, palatiumque vi occupat. Verùm dum non perſequitur victoriam, ſed rem in poſterum diem differt, à ſuis deſeritur: fugit itaque & deprehenſus tandem in Ciliciâ, ibi coma abraſa presbyter ordinatur* Cedr.

Severinus Apoſtolus Noricorum moritur. *Baron.*

Turonen-

Turonenſis Synodus habita die 14. Novembris, ubi de diſciplina Eccleſiaſtica actum, ubi ſimul corpus Martini, quod in deſpecto loco repoſitum erat, ampliſſimo templo nuper exſtructo infertur, quod latitud. 60. longitudine 120. altitudine 40. pedes explevit: habuit columnas 120. oſtia octo, feneſtras 67. Sidonius Poeta tum Elegiam Martino ſcripſit, quæ extat.

ANNO MUNDI 4432. Poſt C. 483.
B. ☉ 16. ☽ 9. *Ind.* 5.

Coſ. Aninicus Fauſtus ſine Collega.

Simplicius Papa, cùm ſediſſet annos quindecim, menſes 5. & dies decem, moritur; ſuccedit die nono Martii *Felix* ſecundus Romanus, qui ſedit annos octo, menſes undecim, dies ſeptendecim. *Anaſtaſ.*

Felix novus Papa, convocatâ Synodo legatos decernit ad Zenonem Imperatorem, qui Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum accuſent, quòd Petrum hæreticum feciſſet Epiſcopum Alexandrinum, & in communionem recepiſſet abſque legitima pœnitentia; & toleraret præterea Petrum monachum, Epiſcopum Antiochenum Theopaſchitam. *Baron.*

Evaricus Gothorum rex, cùm regnâſſet annos ſeptendecim, moritur Arelati; ſuccedit ipſi *Alaricus* filius, qui regnat annis viginti tribus, anno decimo Zenonis. *Vaſæus.*

Theodoricus Amali, cùm jam placatus eſſet Imperatori, à Zenone conſtituitur magiſter militiæ, deſignatur Conſul, & impletur ſpe occupandi imperii Occidentalis. *Marcel.*

ANNO MUNDI 4433. Poſt C. 484.
AG. ☉ 17. ☽ 10. *Ind.* 7.

Coſſ. Theodoricus Amalus rex Gothorum.
Fl. Venantius Decius.

Hunnericus rex Vandalorum in Africa atrociter perſequitur Eccleſiam, omnes miniſtros abſlicos abdicat, Orthodoxos milites exautorat, & opibus exutos relegat, omnes Orthodoxos Epiſcopos in exilium ejicit, multos præterea alios: ad quinque millia unâ vice in Eremum deducuntur, ut ibi inedia & frigore pereant. Petrus Epiſcopus paralyticus anno quadrageſimo quarto Epiſcopatûs, cùm nihil ampliùs ſentiret, nec loqueretur, jubetur trahi in exilium; multi manibus, oculis, pedibus, naribus, auribus & linguis etiam truncantur. *Victor.*

Annus Naboraſſaris 1232. *& Philippi ac mortis Alexandri* 808. *incipit die* 24. *April. fer.* 3.

Zenon Imperator Orientis intercedit pro Orthodoxis in Africa apud Hunnericum: Legatus eò venit die aſcenſionis Domino. Die 20. Maii Hunericus edicit omnibus Catholicis, ut ad ſequentem annum die primo Febr. Carthagini ſint ad diſputationem, ibique ſuum Homouſin ex ſacris literis probent. *Victor.*

Felix Papa, cùm audiſſet legatos ſuos malè legationem obiiſſe, & minis, & carceribus Conſtantinopoli adactos fuiſſe, ut Hæreticis communicarent, Concilium agit ſeptuaginta Epiſcoporum, & ſuos legatos indignos Epiſcopatu judicat, & *Acacium* Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quòd Eutychianis conſentiret, excommunicat die viceſimo octavo Iulii. Excommunicati ſunt ſimul Petrus Antiochenus, & Petrus Alexandr. *Lib.*

Annus Alexand. Seleucid. 796. *Antiochenus* 533. *& Conſtantinop.* 5993. *à Calend. Octobr.*

Hildericus *Francorum rex moritur, cùm annis* 24. *regnâſſet: ſuccedit* Hlodovvin *vel* Ludovicus *fils, qui regnat annis triginta, qui ducit uxorem* Rothildem *filiam Childerici regis Burgundionum, quem* Gundebaudus *frater peremerat, & conjugem ejus matrem Rothildis ligato ad collum ſaxo aquis immerſerat.* Sigeb.

ANNO MUNDI 4434. Poſt C. 485.
F. ☉ 18. ☽ 11. *Ind.* 8.

Annus urbis 1237.	*Iulianus* 530.
Æra Hiſp. 523.	*Auguſtorum* 512.

Coſ. Q. Aurelius Symmachus ſine Collega.

Zenon Imp. init annum imperii duodecimum menſe Ianuario.

Carthagine Calend. Febr. tandem conveniunt & Ariani & Orthodoxi. ubi Ariani Orthodoxos obtundunt clamoribus, quòd vocabulum Homouſion in ſacris literis oſtendere non poſſent, & Hunericum eò deducunt, ut Catholicos damnaret, & die 24. Febr. edictum promulgaret, quo omnia ſupplicia iis, qui ad Arianos non tranſiiſſent, conſtitueret. Interim & templa & bona Epiſcoporum Arianis data, innumerabiles præterea martyrio coronati; Multis etiam radicitus excîdit linguas, quorum quidam poſtea perfectè locuti ſunt, ita ut omnibus miraculo eſſent, teſtantibus Hiſtoricis ejus temporis, & Sidonio.

Secuta eſt hanc perſecutionem & fames & peſtis in Africa, & Hunericus *etiam rex, cùm imperâſſet annos ſeptem & menſes decem, computruit, & à vermibus vivus conſumtus eſt. De hac perſecutione* Gregorius Thuron lib. 2. cap. 3. *inquit: Tunc Sol teter apparuit, ita ut vix ab eo vel tertia pars eluceret; credo namque pro tantis ſceleribus & ſanguine innocenti. Hunericus etiam propriis ſe morſibus laniabat, & magno cruciatu vitam juſta morte finivit.*

Eclipſis illa contigit hoc anno die 29. *Maii, feriâ* 4. *horis* 7, 5. *poſt meridiem Lutetiæ. Parallaxis latitud.* 38, 10. *Latitudo vera Septent.* 47, 13. *Viſa* 9, 3. *Sept. Semidiam. Solis* 15, 1. *Summa Semidiam.* 30, 49. *Scrup. reſidua* 21, 46. *Digiti eclipt.* 8, 41. *Sol in nono gradu Geminorum.*

Olympias 316. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiad.* 1261.

Annus Diocletiani 202. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Barnabæ comitis Pauli reliquiæ in Cypro inſula inventæ cum Evangelio Matthæi in pectore Barnabæ, manibus Barnabæ ſcripto, quod Imperator ſuis theſauris intulit. *Baron.*

Gaudabundus Genzonis Hunerici fratris filius quem Genzonem, ut natu majorem, ne regnare poſſet, Hunericus in exilium relegaverat, ſuccedit, quia annos duodecim regnavit, & initio pacem Eccleſiis conceſſit. *Iſidor.*

ANNO MUNDI 4435 Poſt C. 486.
E. ☉ 19. ☽ *Ind.* 9.

Coſſ.

Coſſ. Fl. Longinus.
Cæcina Maurus Decius.

Neſtorianiſmus Edeſſæ in Syria & alibi, ubi & Perſarum Scholæ etiam, doceri incipit; inde hæc hæreſis in Perſiam propagata eſt. *Theod. Lector.*

Clodovicus vel *Clodovæus* Francorum rex Romanos invadit, & ad Sueſſionem *Syagrium* Romanum prælio vincit, qui ad Alaricum Gothorum regem perfugit. à quo tamen Clodovæo datus eſt, & Francorum regnum ita ad Ligerim usque propagatum eſt, & finis impoſitus Romani imperii in Galliis. *Iſidorus.*

ANNO MUNDI 4436. Poſt C. 487.
D ☉ 20. ☽ 13. Ind. 10.

Coſ. Anicius Manlius Severinus Boethius ſine Collega.

Videtur pater fuiſſe Boethii Muſici.

Felix Papa Romanus, cùm Orthodoxi in Africa reſtituerentur, & multi periculo territi ad Arianos acceſſiſſent, vellentque in communionem recipi, imponit ipſis pœnitentiam & ſatisfactionem ſatis duram, ut Clerici ſcilicet inter laicos poſthac reputarentur, & ad munus Eccleſiaſticum non admitterentur. *Baron.*

Theodoricus Amali filius, ſatiatus jam honoribus & beneficiis, quibus affectus erat à Zenone, in Mœſiam redit, & fines Romanos vaſtat. Contrà Zenon hunc non armis amovere conatur, ſed eum amicè tractat, & ut potiùs Italiam invadat, monet, ad quam rem promittit ipſi auxilia & edicta, ut reciperetur. *Marcell.*

Odoacer in Rugiam propè Noricum exercitum ducit, & *Febanum* regem exercitu ejus deleto capit, & Romam redit triumphatque die 14. Novembr. *Vetus Chron.* Rugi verò poſt victoriam ſequuntur Odoacrum in Italiam; Longobardi vacuas haſce ſedes nacti, in eas commigrant cum rege ſuo Gudeoco. *Diac.*

ANNO MUNDI 4437. Poſt C. 488.
CB ☉ 21. ☽ 14. Ind. 11.

Acatius Hæreticus Eutychianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus moritur, cùm ſediſſet annis ſeptendecim, menſibus novem: Succedit ipſi *Flavitas* malis artibus ſurrogatus, qui poſt paucos menſes mortuus eſt, *ut Nicephorus habet.*

Annus Nabonaſſaris 1236. & Philippi & mortis Alexandri 812. incipit die 23. April. fer. 7.

Pons Apollinaris Romæ ardet noctu in Paſchate, die 17. Aprilis. Vetus Chron.

Theodoricus Amali filius, cùm vaſtaſſet Italiam, & vidiſſet ſui generis homines, jam Gallias quietè poſſidere, & Herulos obſcuriſſimam gentem Italiam poſſidere, & quaſi jure habere, ſibi & ſuis eam potiùs acquirendam judicat. Ideò præparat, quæ neceſſaria videbantur ad totam expeditionem. *Marcell.*

Annus ſabbathicus 4. Iobelei noni incipit die 22. Septembr. feria 5. Anno Iudaico 4249.

Annus Alexandræus Seleucidarum 800. Antioch. 537. & Conſtantinop. 6059. incipiunt à Calendis Oct.

Fridericus Febani filius, auxiliis Gothorum adjutus, Rugiam recuperat, ſed Odoacer exercitum eò mittit, qui Fridericum vincit, & Rugos, qui reſtabant, unà cum reliquiis *Severini* in Italiam transferunt. *Baron.*

Hengiſtus in Anglia poſt annum 39. ſui adventus, cùm Cantuarienſe regnum annis adminiſtraſſet triginta tribus, moritur; ſuccedit ipſi *Eſca* filius. *Malmesb.*

ANNO MUNDI 4438. Poſt C. 489.
A ☉ 22. ☽ 15. Ind. 12.

Annus urbis 1241	*Julianus* 534.
Æra Hiſpan. 527.	*Auguſtorum* 516.

Coſſ. Euſebius Chronio.
Anicius Probinus.

Imperator Zenon init annum imperii 16. menſe Januario.

Euphemius ſuccedit in Epiſcopatu Conſtantinopolitano Flavitæ, & ſtatim ex ſacris tabulis expungit nomen Petri Alexandrini, & inſcribit nomen Felicis Papæ: ſed tamen propterea à Felice non recipitur in communionem, quòd Acacii nomen etiam non eraſiſſet. Hinc commiſſi ſunt inter ſe Euphemius & Petrus Alexandrinus, & convocatis Synodis alter alterum damnavit. Sedet autem Euphemius annos ſex, & menſes ferè ſex. *Nicephorus.*

Olympias 317. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1265.

Annus Diocletiani 206. incipit die 29. Auguſti.

Daniel Stylita, cùm eſſet annorum ferè octuaginta, moritur, cum diu in Columna ſua ſediſſet, & ſepelitur proximè Columnam. *Baron.*

Cùm *Theodoricus* Amali cum ſuis Italiam verſus iter ingreſſurus eſſet, Gepidæ & Bulgari, Odoacri muneribus conducti, eum invadunt. quo bello totus hic annus conſumtus eſt. Victi tamen ſunt utrique tàm Gepidæ, quàm Bulgari, à Theodorico rege. *Sigon.*

ANNO MUNDI 4439. *Poſt C. 490.*
G ☉ 23. ☽ 16. Ind. 13.

Coſſ. Avienus Fauſtus Junior.
Fl. Longinus II.

Theodoricus Amali, qui pòſt Veronenſis dictus eſt, mediâ hyeme Mœſiâ excedit, univerſo Gothorum populo ſubſequente cum conjugibus, & liberis, & omni ſupellectile. Odoacer contrà Alpes præſidiis munit; ſed Theodoricus ea dejicit, & ad Sontium flumen Odoacrum vincit, caſtráque ejus capit die 28. Martii: iterumque eum vincit in Veronam, quam ſtatim ingreditur, inde Veronenſis dictus eſt: tertiò eum vincit ad Abduam. Odoacer Romam confugit, ſed à Romanis, qui à Zenone literas acceperant, ut Theodoricum regem haberent, non recipitur. Profugit inde Ravennam, ubi ſimiliter excludebatur. Sed ferro ſibi viam facit, eamque occupat die 10. Julii. Inde variâ vice bellum geſtum eſt, donec extremo anno Theodoricus Ravennam obſideret. *Sigon.*

Vandalica perſecutio recrudeſcit: non tamen ea fuit univerſalis, ſed tantùm Clerici ad ſupplicia

rapti ſunt. Innotuit in hac perſecutione *Fulgentius*. Gennad.

Theodulus vir doctus & pius circa hæc tempora obit.

Ex libris Auguſtini malè intellectis de prædeſtinatione & de meriti Chriſti particularitate disputatum eſt, damnataque hæc ſententia à Concilio Arelatenſi. *Tomi Conc.*

Pelagius Patritius Conſtantinopolitanus, quòd liberiùs Zenonem monuiſſet, interficitur; idem accidit & aliis.

ANNO MUNDI 4440. Poſt C. 491.

F ☉ 24 ☽ 17. Ind. 14.

Coſ. Fl. Olybrius Junior ſine Collega.

Zenon *Imp. comitiali morbo, quo frequenter corripiebatur, extinctus putabatur, atque ideò ſepelitur; ſed in ſepulchro ad vitam redit, & miserè ſub ſaxo lamentabatur: ſed nemo ipſum liberabat, cùm Ariadna conjux ſeverè id prohibuiſſet: ideò fame tandem mortuus eſt, cùm ipſe ſuos lacertos devoraſſet. Imperavit autem annos 17. menſes ferè 3.* Zon. Ced.

Succedit Anaſtaſius *ab Ariadna aſcitus, qui imperavit annos viginti ſeptem, & menſes tres. Coronatus eſt die 9. Aprilis, fer. 5. ante Paſcha. Uſa eſt Ariadna in eligendo Imp. conſilio Euphemii Epiſcopi, cujus ſuaſu popoſcit ab Anaſtaſio Chirographum, ſe contra Synodum Chalcedonenſem nihil moturum, idque in ſacrarium depoſitum eſt. Poſtea mortuo Euphemio à ſucceſſore Macedonio id Anaſtaſius repetivit, & nolentem reddere tandem in exilium ejicit: inde perſecutiones undique obortæ.* Cedr.

Odoacer *eruptione nocturna ad Ravennæ pontem candidum infeliciter pugnat, & cum multa clade repulſus eſt: Theodoricus relicta parte exercitus in obſidione, reliquum ad urbes, quæ nondum ſe dederant, occupandas circumducit, & pacem cum Gundamunda, ne amplius Siciliam aut Italiam vaſtaret, fecit.* Procop.

Burgundiones in tanta Italiæ perturbatione Liguriam & Æmiliam invadunt, & vaſtant, & magna præda parta celeriter domum revertuntur. Sigon.

Clodovæus, *Francorum rex, Turingis bellum movet, eoſque ſibi ſubjicit, & poſtea procurante Aureliano legato Rothildam filiam Hilderici, quæ Chriſtianam fidem ſequebatur, uxorem ducit.* Gregor.

Patritii *in Hibernia obitus ſub his Conſulibus refertur.* Marcian. Scot.

Ælla & Ciſſa *Saxones in Britannia Britannos obſident, & expugnatos occidione occidunt.* Ethelb.

ANNO MUNDI 4441. Poſt C. 492.

ED ☉ 25. ☽ 18. Ind. 15.

Coſſ. Imp. Anaſtaſius.
Fl. Rufinus.

Felix Papa Romanus, cum ſediſſet annis fere novem, moritur die 25. Febr. Succedit ipſi *Gelaſius* Afer, die tertio Martii, qui ſedit annos quatuor, menſes octo, dies novendecim. *Anaſtaſius.*

Annus Nabonaſſaris 1240. & *Philippi ac mortis Alexandri* [illegible] *816 incipit 22. April. fer. 4.*

Terra motus accidit Romæ die 7. Junii, quo corruerunt Laodicea, Hierapolis, & alia. Vetus Chron.

Bellum Iſauricum motum, quod duravit annos ſex, *ut Marcellinus habet.* Movit id Longinus frater Zenonis & Athenodorus. Initia feliciter ceciderunt Anaſtaſio: Ideò incipit graſſari in Epiſcopos omnes pariter, qui vel damnarent Concilium Chalcedonenſe, vel idem nimium defenderent. Voluit enim, ut concordiam ſtabiliret, totum illud Concilium ſilentio obrui, ſed fruſtrà. *Evag.*

Ælla, cùm præcedenti anno urbem Andrecaſter expugnaſſet, & nova auxilia ex Germania accepiſſet, inchoat regnum Saxonum Auſtralium. *Hunt.*

Annus Alexandræus Seleucidarum 804. & *Antiochenus* 541. & *Conſtantinop.* 6001. *à Calend. Oct.*

Theodoricus, cum omnes urbes Italiæ præter Cæſenam, occupaſſet, ad obſidionem Ravennæ redit. *Procop.*

ANNO MUNDI 4442. Poſt C. 493.

C ☉ 26. ☽ 19. Ind. 1.

Annus urbis 1245. *Julianus* 538.
Æra Hiſpanica 531. *Auguſtorum* 520.

Coſſ. Euſebius Chronio II.
Decius Albinus.

Anaſtaſius inchoat annum imperii tertium in Apr.

Cum Odoacer *fame urgente diutiùs obſidionem tolerare non poſſet, erumpit fortiſſimè, & inito prælio vincit Theodoricum: Theodoricus contrà in ipſa fuga reſiſtit, & Odoacro victoriam extorquet, & in urbem redigit. Sed cùm & obſeſſi fame urgerentur, & obſidentes Gothi obſidionis labore fatigati eſſent, pax tandem fit, & Theodoricus obſidionem ſolvit die 27. Februarii, & eodem die urbem ingreditur. Sed poſtea Odoacrum ad convivium vocatum trucidat, & occupato Italiæ regno id obtinet annis 33. & menſibus ſex.* Caſſiod.

Olympias 318. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1269.

Annus Diocletianus 210. *incipit die 29. Auguſti.*

Theodoricus *ſapientiſſimè regnum Italiæ conſtituit, & æquiſſimè jubet juſtitiam adminiſtrari.* Caſſiodorum *inter patritios refert, & Conſiliarium cum ſibi facit in adminiſtranda Italia. Pacem facit cum Anaſtaſio Imp. quam Anaſtaſius facilè admittit propter bellum Iſauricum, & poſtidea temporis duas filias potentiſſimis Regibus elocat, alteram Alario Weſt Gothorum regi, alteram Burgundionum regi, ipſe ſibi Clodovæi Francorum regis filiam Audefledam uxorem poſtea ducit.* Caſſiod.

Tumultus Conſtantinopoli in ludis Circenſibus ortus, in quo ſtatuæ Imperatoris dejectæ ſunt, & funibus per urbem tractæ. Marcell.

Feſtum *Michaelis* Archangeli circa hæc tempora inſtitutum eſt. *Baron.*

Pelagiani in Dalmatia iterum pullulant, inde ejus hæreſis in Picenum infertur, quibus reſiſtit Gelaſius Papa, quantum ejus epiſtolæ oſtendunt.

ANNO MUNDI 4443. Poſt C. 494.

B ☉ 27. ☽ 1. Ind. 2.

Coſſ. Turcius Secundus Aſterius.
Fl. Præſidius.

Gelaſius Papa Concilium ſeptuaginta Epiſcoporum Romæ convocat, in quo aſſerit ſuum primatum

tum ſuper omnes Eccleſias, & poſt ſacra Biblia ait etiam ſe recipere Concilium Nicenum, Conſtantinopolitanum contra Macedonium, Epheſinum contra Neſtorium, & Chalcedonenſe contra Eutychetem. *Decret.*

Theodoricus *in Liguria captos à Burgundionibus redimit, & pacem cum iis init. Herulos in Italia, qui principes apud Odoacrum fuerant, in ſubalpinos agros removet, & ſuis Gothis eorum agros diſtribuit.* Caſſiodor.

Horologia, *quæ Clepſydræ dicuntur, ad aquæ fluxum temperata, item exiguæ opera Boethii Mathematici facta, Burgundionibus petentibus ex Italia primum in Gallias mittuntur.*

Benedictus Monachorum Patriarcha è ludo literario Romæ tranſit in ſolitudines cum nutrice ſua, ibique monaſticam vitam inchoat. *Chron. Caſſiod.*

ANNO MUNDI 4444. Poſt C. 495.
A ☉ 28. ☽ 2. Ind. 3.

Coſſ. Fl. Aimilius.
Fl. Viator.

Euphemius, quòd ſuſpectus eſſet proditionis cum Iſauris hoſtibus Anaſtaſii, & præterea minatus eſſet, ſe in ordinem redacturum Imperatorem, niſi à perſecutione Orthodoxorum ſe contineret, convocatis ab Anaſtaſio Epiſcopis deponitur, cùm ſediſſet annos ſex, & menſes ferè ſex. Succedit *Macedonius*; qui ſedit quindecim annos & aliquot menſes. *Niceph.*

Annus ſabbathicus quintus Jobelei noni, incipit die 7. Septembr. fer. 5. Anno Judaico 4256.

Certitius *quidam Saxo anno poſt mortem Hengiſti ſeptimo, cum filio ſuo* Hinrico *quinque navibus in Angliam venit, & primo die adventûs Britones vincit, & ſibi ſubjicit, & poſt annos viginti octo, cùm plures Saxones advenïſſent, regnum Occidentalium Saxonum inchoat.* Malmesb.

ANNO MUNDI 4445. Poſt C. 496.
GF ☉ 1. ☽ 3. Ind. 4.

Coſſ. Fl. Paulus ſine Collega.

Annus Nabonaſſaris 1244. & Philippi ac mortis Alexandri 820. incipit die 21. April. fer. 1.

Clodovæus *expeditionem ſuſcipit in Friſiam, ſed à rege Richoldo fortiter repellitur, & Richoldus eodem hoc anno moritur, cùm annis ſexaginta regnaſſet: Succedit* Odilbaldus, *qui regnat annis 31.* Annal. Friſ.

Annus Seleucidarum Alexandrinus 808. Antioch. 545. & Conſtantinop. 6005. incipiunt à Calendis Oct.

Anaſtaſio ex India numera afferuntur, Elephas & bini Camelo Pardi. *Marcell.*

Gelaſius Papa, cùm ſediſſet annos quatuor, menſes octo, dies novendecim moritur die 21. Novembr. Libri, qui Gelaſii Papæ nomine circumferuntur, è Græco videntur tranſlati, & Græci alicujus autoris eſſe, *ut Baronius autumat.* Succedit die 28. Novembr. *Anaſtaſius* II. qui ſedit annos ferè duos. *Anaſtaſius.*

Gundabundus *Vandalorum rex in Africa moritur duodecimo ſui regni anno: ſuccedit* Thraſamundus *frater, qui Catholicis pacem largitur, & eò poſtea duxit Theodorici Veronenſis Italiæ regis ſororem Amalafridam.* Diac.

ANNO MUNDI 4446. Poſt C. 497.
E ☉ 2. ☽ 4. Ind. 5.

Annus urbis 1249. *Julianus* 542.
Æra Hiſpan. 535. *Auguſtorum* 524.

Coſ. Imp. Anaſtaſius II. ſine Collega.

Anaſtaſius init annum imperii ſeptimum in Aprili.

Eclipſis Solis annotatur hoc anno à Marcellino, quæ accidit die 18. Aprilis ferè horâ 6. 5. poſt meridiem Conſtantinopoli. Parallaxis latitudinis fuit 18. 46. Latitudo vera Septentrionalis 8. 36. Viſa auſtralis 10. 10. Semidiam. Solis 15. 12. Summa Semidiametrorum 30. 17. Scrupula reſidua 20. 7. Digiti eclipticí 7. 57. Sol in principio Tauri.

Liguria, cum ad cæteras calamitates tributorum magnitudine oneraretur, per Epiphanium Epiſcopum Ticinenſem ſupplicat Theodorico regi de ſublevatione, & impetrat in biennium. *Sigon.*

Olympias 319. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1273.

Annus Diocletiani 210. incipit die 29. Auguſti.

Bellum Iſauricum, quod haſtenus geſtum fuit, ſedatur tandem capto Athenodoro principe, cujus caput Tharſum in Ciliciam allatum eſt, ubi contabuit. Marcell.

ANNO MUNDI 4447. Poſt C. 498.
D ☉ 3. ☽ 5. Ind. 6.

Coſſ. Fl. Johannes Scytha.
Decius Paulinus.

Theodoricus alicum habet Orthodoxæ religionis, qui, quòd eſſet in magna gratia apud regem, ſperabat, ſi ſequeretur regis religionem ſive Arianiſmum, ſe ad ampliſſimos honores pervenire poſſe: ideò abnegatâ Orthodoxâ fide Arianiſmo dat nomen, quæ res adeò malè habuit Theodoricum, ut eum manu ſuâ interficeret, cùm ſibi perſuadere non poſſet, eum ſibi fidum futurum, qui Deo fidus non eſſet. *Sigon.*

Boethius hoc anno ſua Philoſophica publicat. Jord.

Longinus frater Zenonis quondam Imperatoris, qui Anaſtaſio in Iſauria bellum fecerat, tandem capitur, & Conſtantinopoli in theatro circumducitur, inde Niceæ variis cruciatibus interficitur. Anaſtaſius victoriæ ergò populo viritim pecuniam diſtribuit. *Marcell.*

JOHANNES Silentiarius, qui fuit in Palæſtina monachus, innoteſcere cœpit. Hic præ nimia ſanctitate & ſpeculationibus continuis nec unicum quidem verbum aliis audientibus protulit. *Baronius.*

Anaſtaſius Papa, cùm ſediſſet ferè biennium, moritur die 19. Novembr. de ſucceſſione certant poſtea Symmachus & Laurentius, unde cædes, rapinæ, & innumera mala exorta, quibus ut obviam iretur, ambo ad Theodoricum regem proficiſcuntur, ſententiam hominis Ariani in hac re audituri. Theodoricus Symmachum ut primum electum Præſulem eſſe jubet. Sedet autem Symmachus annos 15. menſes ferè octo. *Anaſtaſ.*

ANNO MUNDI 4448. Poſt C. 499, C ⊙ 4. ☽ 6. Ind. 7.

Coſſ. Fl. Aſclepius.
Fl. Johannes Gibus.

Symmachus Papa convocat Synodum Romæ, incipit Calendis Martii, in qua de eligendo Pontifice l ges ſan. itæ; ſtatutum autem, ut qui vivo Pontifice ambitûs reus eſſet, loco moveatur & excommunicetur. Laurentius verò alter Papa eligitur, Epiſcopus Nuceriæ, *Anaſtaſ.* Scribit inde Symmachus ad Anaſtaſium Imp. monens, ut caveat ſibi ab hæreticis, ſed literæ hæ ſpernuntur, & Orthodoxis vis ab Anaſtaſio Imperatore affertur.

Bulgari *gens ignota hactenus, ex Borealibus finibus progreſſa Thraciam vaſtat, obvium Anaſtaſii exercitum concidit, ad quatuor millia Romanorum trucidat cum aliquot comitibus. Sed donis poſtea ab Anaſtaſio mitigata pauliſper recedit.* Marcell.

Clodovæus *cum Alemannis difficilimo & ancipiti prælio congreditur, cùmque multis horis pugnaretur, & videretur ferè ſuccumbere, vovit ſe Chriſtianum futurum, ſi victoriâ potiretur. Voti igitur damnatus, & inſigni victoriâ potitus, quâ etiam rex Alemannorum cecidit, à* Vedaſto, *qui pòſt factus eſt Epiſcopus Attrebatenſis in capitibus doctrinæ pietatis inſtituitur, & Rhemos ad* Remigium *proficiſcitur, ubi cum tribus millibus hominum baptiſatur.* Georg. Turon.

Theodoricus *Italiæ rex Ludovico gratulatur de inſigni hâc victoriâ, monetque, ut victoriam clementiâ mitiget. Mittit etiam, quod antea petierat, Citharœdum, qui vocem fidibus jungeret. Hunc Muſicum Boëthius etiam laudat.* Caſſ. in Coll.

Symmachus Papa circa Novembrem inſimulatur multorum ſcelerum, & Ravennæ apud Theodoricum accuſatur. Larentius etiam, qui Nucerinus Epiſcopus hactenus fuerat, Romam evocatur, & omnia turbis miſcentur. *Anaſtaſius.*

ANNO MUNDI 4449. Poſt C. 500. BA ⊙ 5. ☽ 7. Ind. 8.

Coſſ. Fl. Patricius
Fl. Hypatius.

Annus Nabonaſſaris 1248 *& Philipi ac mortis Alexandri* 824. *Aprilis, feria* 5.

Clodovæus Galliæ rex multa prædia donat Rhemenſi Eccleſiæ, eorum præcipuam partem Rhemigius confert Eccleſiæ Laudenſi, ibique Epiſcopatum inſtituit. *Sigeb.*

Fulgentius, tum monachus, poſtea Epiſcopus Ruſpenſis, Romam venit; inde cùm pax fieret inter Theodoricum & Thraſamundum, qui Italiam & Siliciam turbarat, in Africam redit. *Bar.*

Annus Alexandræus 812. *Antiochenus* 549. *& Conſtantinop.* 6009. *incipit à Calendis Octobr.*

Theodoricus rex in magna gratulatione civium cum ſplendido comitatu Romam intrat, quem Boëthius ſolenni oratione excipit: ipſe viciſſim & Senatum & populum humaniſſimè alloquitur, mœnia diruta reficit, urbem munit, & ne propter ambitum & iniquam cupiditatem Pontificatus ſeditiones fiant, neve eæ ſi exoriantur populo exitioſæ ſint, prohibet. *Anaſtaſius.*

ANNO MUNDI 4450. Poſt C. 501. G. ⊙ 6. ☽ 8. Ind. 9.

Annus urbis 1253. *Julianus* 546.
Æra Hiſpanica 539. *Auguſtorum* 528.

Coſſ. Fl. Pompejus.
Rufius Magnus Fauſtus Avienus Senior.

Anaſtaſius *init annum Imperii undecimum.*

Bellum inter Clodovæum Francorum & Alaricum Gothorum regem exortum. Cauſa belli fuit præter religionis diſparitatem, quòd Alaricus profugos hoſtes, Francorum reciperet. Sed Theodoricus Veronenſis, ſequeſter pacis factus, rem ut poteſt componit, & bellicus apparatus à Clodovæo in Burgundos eſt verſus, quos vicit: pacem tamen Gundabundo regi conceſſit, & regnum ipſi reliquit, ſed tamen ſub tributo. Sigeb. Valæus.

Anaſtaſius Imperator ut Orthodoxos, qui Concilium Chalcedonenſe defendebant, & ſibi obſtrepebant, compeſceret, in ludis Circenſibus inermes congregatos ad tria millia occidit. *Anaſtaſ.*

Olympias 320. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1277.

Annus Diocletiani 218. *incipit die* 29. *Auguſti.*

CONGALLUS *Scotorum rex, cùm regnaſſet annos* 32. *moritur: Succedit* Goranus, *qui regnat annos* 34. Buchan.

ANNO MUNDI 4451. Poſt C. 502. F ⊙ 7. ☽ 9. Ind. 10.

Coſſ. Fl. Probus.
Rufius Magnus Fauſtus Avienus Junior.

Concilium Romæ iterum actum in cauſa Symmachi Papæ, præſente Theodorico rege, in quo Symmachus innocens pronunciatus eſt. Vulgus tamen ita contineri non potuit, quin aliquot in tumultu & presbyteri & alii interficerentur. Symmachus etiam penè lapidibus obrutus fuit. Laurentius Antipapa, quòd quieſcere non poſſet, in exilium ejicitur & excommunicatur. *Tomi Concil.*

Bulgari *iterum imperium Orientis vaſtant, & Thraciæ etiam appropinquant.* Anaſtaſius *in anguſtiis conſtitutus muneribus eos placat, & in Occidentem potiùs eos tranſire jubet.* Marcell.

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei noni, incipit die 19. *ſeptembr. feria* 5. *Anno Judaico* 4263.

Cabades *Perſarum rex in Armeniam & Meſopotamiam irruit,* Amidam *propugnaculum ſex menſium obſidione fatigat, & tandem, prodentibus duobus monachis, capit.* Marcell.

ANNO MUNDI 4452. Poſt C. 503. E ⊙ 8. ☽ 10. Ind. 11.

Coſſ. Fl. Dexecratus.
Fl. Voluſianus.

Cùm *Anaſtaſius* Imp. Eutychianis videretur favere, & defendere Acacium, à Symmacho Papa excommunicatur, cujus excommunicationi reſpondet Imp. eamque nullam eſſe demonſtrat, & majoribus ſceleribus Papam obnoxium affirmat. Ideò Symmachus contrà apologeticum edit. *Baron.*

Atque

Atque ita hic Papa primus eſt, qui legitimo magiſtratui reſiſtere auſus fuit.

Anaſtaſius *expeditionem inſtituit contra Perſas ducibus Patritio Hypatio & Areobinda, ſed imperitè prælium conſerunt, ideò ipſi primi fugerunt, & multa millia militum cæſa fuerunt. Anaſtaſius igitur muneribus egit, ut pax conficeretur, quâ Amida caſtellum etiam reſtitutum fuit, ſed planè vacuum.* Marcell.

Barri *populi Pontum invadunt, ideò Anaſtaſius bello impeditus ab Orthodoxorum perſecutione deſtitit, ſed recedentibus hoſtibus ſtatim arma contra Eccleſiam arripuit.* Theod. Lector.

ANNO MUNDI 4453. Poſt C. 504.
DC ☉ 9. ☽ 11. Ind. 12.

Coſ. Cætheus ſine Collega.

Annus Nebonaſſaris 1252. & Philippi ac mortis Alexandri 828. incipit die 19. April. fer. 2.

Bulgari *ſuaſu Anaſtaſii ex Thracia in Pannoniam penetrant, & omnia hoſtili tumultu replent, & Sirmium oppidum occupant. Id* Theodoricus *non ferendum ratus,* Petzam *comitem cum expedito exercitu contra Bulgaros mittit, qui bellum magnâ dexteritate gerit, Gepidarum & Bulgarorum regem trucidat, & Sirmium recipit opera* Vitigis, *qui poſt regnavit.* Sig.

Romæ multi magiæ & incantationibus dediti, ne juſſu Theodorici regis ultimo ſupplicio afficerentur, fugâ elabuntur.

Annus Seleucidarum Alexandræus 816. *Antioch.* 553. *& Conſtantinop.* 6013. *incipiunt à Calendis Octob.*

Gundabundus *Burgundionum rex fratri Godigiſilo bellum facit, & Viennam obſidet; ſed Godigiſilus famis metu turbam imbellem urbe ejicit, in qua tamen etiam fuit Aquilox ſive Aquagii præfectus, qui irâtus Godigiſilo urbem Gundabundo prodit, & per aquæductum milites inducit atque urbem capit, ubi Godigiſilus in templo occiſus eſt.* Sigon.

Perſecutio in Africa à Vandalis olim inſtituta recrudeſcit. & FULGENTIUS, cùm vix ordinatus Epiſcopus eſſet, in exilium ejicitur cum ſeptuaginta aliis Epiſcopis, & in Sardiniam mittitur. *Baron.*

ANNO MUNDI 4454. Poſt C. 505.
B ☉ 10. ☽ 12. Ind. 13.

Annus urbis 1257.	*Julianus* 550.
Æra Hiſpan. 543.	*Auguſtorum* 532.

Coſſ. Sabinianus.
Fl. Manlius Theodorus.

Anaſtaſius *init in Aprili annum imperii* 15.

Anaſtaſius legem fert, ne liceat cuivis militem fieri, niſi is tribus teſtibus probet ſe Chriſtianum eſſe. *Cod.* Idem percuſſores Macedonio Epiſcopo Conſtantinopolitano ſubordinavit, qui tamen à parricidio pietate & beneficentiâ Macedonii abſterrentur. *Theod.*

Olympias 321. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1281.

Annus Diocletiani 222. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Getæ *duce* Mundone *Macedoniam & Theſſaliam vaſtant, Sabinianus Conſul contra ipſos miſſus prælio ſuccumbit, & ingens accipitur clades. Pecunia igitur, cùm ferro poſſent, id quod Anaſtaſio familiare erat, amoventur.* Marcell.

ANNO MUNDI 4455. Poſt C. 506.
A ☉ 11. ☽ 13. Ind. 14.

Coſſ. Fl. Areobinda F. Aſparis.
Fl. Meſſala.

Alaricus *Gothorum rex Theodoſii Imperatoris codicem, qui prolixior videbatur, in Compendium redigere quoſdam juſſerat: id publicat hoc anno die 2. Februar. regni viceſimo ſecundo, & ſecundum illud cauſas dijudicari jubet.*

Anaſtaſius *tumultu populi Conſtantinopoli exagitatur, quod pictorem in aula haberet, qui imagines monſtroſas ibi finxiſſet.* Cedr.

Concilium in Galliis Agathæ actum ab Orthodoxis, conſentiente *Alarico* Weſt-Gothorum rege, regni ejus 22. die 28. Auguſti, in quo inter alia ſtatutum eſt, ne populus niſi finitis ceremoniis Eccleſiaſticis templo exeat. *Tom. Conc.*

THALMUD Judæorum, quod BABYLONICUM vocatur, a Rabbi Aſer collectum, publicatur. *Calend. Jud.*

ANNO MUNDI 4456. Poſt C. 507.
G ☉ 12. ☽ 14. Ind. 15.

Coſſ. Imp. Anaſtaſius III.
Venantius Decius.

Inter Alaricum *Gothorum &* Clodovæum *Francorum regem belli cauſæ exiſtunt. Theodoricus ſuadet utrique, ut res æquis Judicibus committatur. Alaricus conſentit, ſed Clodovæus, quòd judices illi ſibi ſuſpecti eſſent, renuit, nec ipſum ab armis vel Theodoricus vel Gundabundus vel Thuringiæ vel Herulorum rex dimovere potuit. Cùm igitur terram Narbonenſem, quæ patria ſive terra Gothorum dicitur,* das Land der Gothen/ *hodie corruptè* Langnedock/ *ingrederetur, præcepit militibus, ne vel Eccleſiis vel Eccleſiaſticis nocerent. Cùm prælio congrederentur, quod factum eſt in Campo Vocladenſi, vincitur Alaricus & capit, anno regni 23. & Theodoricus filius Clodovæi totum regnum juſſu patris occupat.* Iſidor. Alarico *ſuccedit in Gallia* Geſalricus *Alarici ex concubina Nothus, & eligitur rex Narbone anno* 17. *Anaſtaſii Imp. qui regnat annis quatuor, ut ignobilis ita & degener & infelix, patitur Narbonem à Gundebaldo Burgundionum rege diripi.* Iſidor.

Anaſtaſius Daras *caſtrum Meſopotamiæ magnum & validum in finibus Romani & Perſici imperii munit, & horreis, ciſternis ac aliis rebus neceſſariis id inſtruit.* Cedr.

ANNO MUNDI 4457. Poſt C. 508.
FE ☉ 13. ☽ 15. Ind. 1.

Coſſ. Baſilius Venantius Decius.
Fl. Celer.

Anaſtaſius *Imp. quòd Clodovæus res in Galliis præclarè geſſiſſet, magnifica ipſi dona mittit, & Côſulatus vel potius triumphi inſignia ipſi offert, odio Theodorici Veronenſis, qui Sirmiũ & Pannoniã ad Orientale imperiũ pertinentẽ ſibi ſumſerat. Ea inſignia Clodovæus Turoni induit, & regaliter triumphat, monetã etiam*

auream & argenteam in vulgus ſuâ manu diſpergit. Gregor. Turon.

Annus Nabonaſſaris 1256. & Philippi ac mortis Alexandri 832. incipit 18. Aprilis, feria 6.

Theodoricus Veronenſis, cùm Clodovæus nimiùm creſceret, & vicinos regulos omnes ſibi ſubjiceret, ducem Hibbam in Galliam circa Calendas Julias mittit, qui regnum Gothorum defenderet, & urbes obſeſſas à Francis liberaret. Bellum id variâ fortunâ geritur. *Procop.*

Annus Alexandreus 820. & Antiochenus 557. & Conſtantinop. 6017. incipit à Calendis Octobr.

Anaſtaſius, *dum Theodoricus Galliam defendit, duces mittit cum centum navibus, & octo millibus militum, qui Italiæ littora depopulentur, qui multâ prædâ partâ Conſtantinopolin reverſi ſunt.*

Anno ſexageſimo poſt adventum Anglorum Britanni opponunt ſe Saxonibus in WeſtSaxonia, ſed Certicius fortiter ipſis reſiſtit, acciditque in prælio eorum regem Nazaleod, *& cum eo quinque millia Britannorum.* Huntin.

ANNO MUNDI 4458. Poſt C. 509.
D. ☉ 14. ☽ 16. Ind. 2.

Annus urbis 1261.	*Julianus 554.*
Æra Hiſpan. 547.	*Auguſtorum 536.*

Coſ. Importunus Decius ſine Collega.

Anaſtaſius inchoat annum imperii decimum nonum in Aprili.

Theodoricus *Veronenſis, ut Clodovæo ægrè faceret, qui Arelatenſem civitatem obſidebat, Gepidas ad defendendum Gothorum regem in Galliam mittit, qui, ne moleſti eſſent provinciis Italiæ, per Venetiam ac Liguriam eos traduxit: nihilominùs tamen cum is exercitus Alpes Cottias transiret, nec ſe à maleficiis abſtineret, Theodoricus per ſequentem tertiam indictionem incolis tributa ſolvit,* Procop.

Olympias 322. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1285.

Annus Diocletiani 226. incipit die 29. Auguſti.

Annus ſabbathicus 7. vel Jobeleus nonus incipit 31. Auguſti, fer. 2. Anno Judæ. 4270.

Alamandurus Saracenorum rex invadit Arabiam & Palæſtinam, & monaſteria affligit crudeliſſimè, *Cyrill.*

Inter Theodoricum & Clodovæum *in Galliis pax conſtituitur, & Clodovæus aliquibus locis, quæ occupaverat, Theodorico cedit: pactionem faciunt de Burgundionum rege Gundabundo debellando.* Gregor. Tur.

ANNO MUNDI 4459. Poſt C. 510.
C. ☉ 15. ☽ 17. Ind. 3.

Coſſ. Fl. Eutharicus.
Anicius Manlius Severinus Boethius.

Clodovæus, cùm jam ſe ad bellum præparaſſet contra Burgundos, expectat Theodorici Duces & exercitum, qui tamen juſſu Theodorici moras nectit, ut Franci ſoli cum Burgundis committantur. Clodovæus tamen nihil hac re territus confligit cum Burgundis, eoſque vincit. Poſt victoriam Gothi accedunt, & quod tardius veniſſent, mulctam ſolvunt, & victoriæ participes fiunt. Procop.

Gundabundus *Burgundiæ rex moritur, ſuccedit ipſi Sigismundus filius, qui ab Arianis ad Orthodoxos tranſiit; & paulo poſt concilium Epaunenſe egit.* Baron.

Boëthius in conſulatu ſuo, ut ipſe ſcribit, Ariſtotelem elucidat.

Conſtantinopolis ſeditionibus turbatur, *Anaſtaſius* omnia ſua ſtudia eò dirigit, ut Macedonium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quem plebs defendebat, Epiſcopatu ejiciat, & ut invidiam ipſi pariat, fingit eum conſentire cum Eutychianis. Macedonius contrà ſe excuſat publicè, & approbat concilium Chalcedonenſe, & damnat omnes, qui huic concilio non conſentiunt. *Anaſtaſius & Nicephorus.*

ANNO MUNDI 4460. Poſt C. 511.
B. ☉ 16. ☽ 18. Ind. 4.

Coſſ. Secundinus.
Felix Gallus.

Felix hic domo Gallus fuit, cujus parens primus in tranſalpinam familiam conſulatum intulit.

Anaſtaſius Macedonium Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui 15. annis ſederat, & variis modis ab Imperatore exagitatus fuerat, calumniis peti permittit, & noctu ex urbe abreptum in exilium ejecit, ſubſtituitque Epiſcopum *Timotheum*, Eutychianum hominem impurum, quem Conſtantinopolitani κήλωνα Hurenhengſt appellabant. Ad hujusmodi autem ſcelera Anaſtaſium impulit *Severus* Monachus, lues totius Orientis, & princeps eorum, qui *Acephali* dicti ſunt. *Evag. Marcell.*

Geſalricus in Hiſpania, qui regnum Gothorum occuparat, & jam 4. annis adminiſtrarat, à Theodorico Veronenſi, qui illud regnum nepoti ſuo ex filia & Alarico aſſerere conabatur, regno pellitur: *Geſalricus* verò in Africam fugit, auxilia Vandalorum adducturus; cùm verò nihil impetraret, occultè in Galliam redit, ubi tandem occiditur, & Theodoricus regnum illud Gothorum tutorio nomine annis 15. ferè adminiſtrat, cùm jam Italiam poſt occiſum *Odoacrem* octodecim annis obtinuiſſet. *Iſid.*

ANNO MUNDI 4461. Poſt C. 512.
A. G. ☉ 17. ☽ 19. Ind. 5.

Coſſ. Fl. Muſchianus.
Fl. Paulus.

Theodoricus *caſtellum* Verucæ *ad Atheſin flavium ſitum munit, ut gentibus Italiam invadere cupientibus moram injiceret.*

Annus Nabonaſſaris 1260. & Philippi 836. incipit 17. April. feria 3.

Anaſtaſius indicit ſynodum Sidone celebrandam, ubi conveniunt Eutychiani, damnantque & Neſtorianos, & qui ſynodum Chalcedonenſem amplectebantur. *Circa tempus ejus ſynodi factam ſcribit* Marcellinus *Eclipſin Solis. Ea accidit die 29. Jun. fer. 6. hor. 1. 11. ante meridiem. Parall. latitud. 20. 14. Latitudo vera ſeptent. 17. 23. viſa latit. auſtralis 3. 4. ſemid. Solis 15. 2. Summa ſemidiametrorum 30. 44. ſcrup. reſid. 27. 39. Digiti Eclipticis 12. 2. Sol in 8. 32. Cancri.*

Annus

Annus Alexandrinus 824. *& Antiochenus* 561. *& Conſtantinop.* 6021. *incip. à Calendis Octobris.*

Flavianus Epiſcopus Antiochenus, quòd concilium Chalcedonenſe damnare nollet, in exilium ab Anaſtaſio ejicitur. *Baron.*

Anaſtaſius, quòd juberet, die 6. Novembr. fer. 3. cantico, quo Deum ter ſanctum proclamamus, addi, *qui paſſus eſt pro nobis*, atque ita paſſionem Chriſti ad divinitatem revocaret, ſeditionem populi maximam experitur; & Monachus quidam Anaſtaſio admodum charus occiſus eſt, ejusque caput haſtæ præfixum cum inſcriptione, Hic amicus fuit hoſti ſanctæ Trinitatis, & monialem ſimiliter interfecerunt, & utrumque cadaver cremarunt. Alium præterea Imperatorem popoſcerunt, ejeciſſent etiam ipſum Anaſtaſium urbe, niſi ſummâ humilitate ſe populo obtuliſſet, promiſiſſetque ſe ſynodum Chalcedonenſem defenſurum. *Cedren. Marcell.*

Veſuvius *mons iterum exæſtuans Campaniam hac æſtate vaſtaverat, quamobrem populis iſtis tributum remiſſum.* Caſſ.

ANNO MUNDI 4462. Poſt C. 513.
F. ☉ 18. ☽ 1. Ind. 6.

Annus urbis 1265. *Julianus* 558.
Æra Hiſpan. 551. *Auguſtorum* 540.

Coſſ. Fl. Clementinus.
Anicius Probus.

Anaſtaſius init annum imperii 23. *menſe Aprili.*

Anaſtaſius Severum Monachum, qui omnibus artibus Orthodoxos in Oriente perſequebatur, Epiſcopum Antiochenum facit anno Antiocheno 561. *Evag.*

Eſca *Cantiæ in Anglia rex, cùm annos* 24. *regnaſſet, moritur. Succedunt filii* Otham & Ermericus, *qui regnum adminiſtrant annis* 53. *Eodem hoc anno* Stuff & Wutgar *in Angliam applicant, novas copias ex Saxonia adducunt, & iterum Britannos vincunt, & in anguſtias cogunt.* Malmesb.

Olympias 323. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1289.

Annus Diocletiani 230. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Alamundarus Saracenos perſecutus fuerat hactenus Chriſtianos, ſed conſtantiâ & pietate eorundem fractus, ipſe Chriſtianam religionem diſcit, & baptiſatur. Severus monachus, ut hunc ad ſuam ſectam adduceret, binos mittit, qui ipſum informarent. Sed ipſe eos egregie refutavit, fictâ morte Michaelis Archangeli. *Theod. lector.*

Vitalianus Comes natione Scytha excipit Orthodoxos Conſtantinopoli fugientes, eorum patrocinium ſuſcipit, & exercitum colligit. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4443. Poſt C. 514.
E. ☉ 19. ☽ 2. Ind. 7.

Coſ. M. Aurelius Caſſiodorus Senator ſine Collega.

Vitalianus occupatâ universâ Thraciâ, Scythiâ, Mœſiâ, multas etiam urbes capit, & aſſumto Romanorum equitum auxilio Conſtantinopolin adit, profeſſus, ſe pro Catholicis contra Eutychianos expeditionem ſuſcepiſſe: quâ re territus Anaſtaſius omnia promittit, & ſe Macedonium & Flavianum revocaturum ad ſuas ſedes pollicetur; etiam Synodum Heracleæ de hac re indicturum, & ſic Vitalianum avertit. Interim toto anno nihil de hac re ſolicitus, die 25. Decembr. ad Papam Hormiſdam perſcribit, ut ſuos Epiſcopos ad ſynodum Heracleam ad Calendas Junias ſequentis anni mittat. *Cedr. Marcell.*

Symmachus Papa, cùm ſediſſet annis 15. menſibus ferè octo, moritur die 19. Julii: Succedit die 28. Julii *Hormiſda* Campanus, qui ſedit annos novem, dies 18. *Anaſtaſ.*

Conſtituit autem *Symmachus*, ut omni die dominico, vel natalitiis martyrum, Hymnus, *Gloria in Excelſis, caneretur.* Sig.

Hormiſda ſcribit ad Rhemigium, ipſi conferens inſignia privilegia, inquibus literis meminit Clodovei regis; & ipſe Clodoveus Hormiſdæ miſit coronam auream, unde manifeſtum. Clodoveum ante Hormiſdam mortuum non eſſe, nec etiam Hormiſda ante hoc tempus Papa fieri potuit, ut videre eſt ex *Anaſtaſio, Marcellino & Vitaliano.*

Clodoveus rex, regno Francorum per omnes Galliæ partes dilatato, & legitimè confirmato, moritur, cùm annos triginta regnaſſet, anno centeſimo & duodecimo poſt mortem S. Martini Turonenſis. Succedunt ipſi filii quatuor, *Theodoricus*, qui Metis regnavit annis 23 *Clodomirus*, qui regnat annis 13. *Clotarius*, qui Sueſſionis regnavit annis 50. *Childebertus*, qui regnavit Pariſiis annis 45. *Greg. Turon. Armon.*

ANNO MUNDI 4464. Poſt C. 515.
D. ☉ 20. ☽ 3. Ind. 8.

Coſſ. Fl. Anthemius.
Fl. Florentius.

Anaſtaſius ſtatim in Januario legatos & literas mittit ad Hormiſdam Papam de futuro concilio, quæ Romam deferuntur menſe Aprili. Hormiſda quidem ſtatim reſcribit amicè, ſed poſtea legatos mittit Conſtantinopolin ad Imper. exploratum de futuro Concilio, eosque inſtruit prolixis admonitionibus: & Legati quidem humaniter accipiuntur, & Anaſtaſius omnia promittit extra unum, quod etiam populo erat gratum futurum, ne Acacii nomen ex ſacris tabulis deleatur: retinuit tamen ſecum legatos toto anno, quòd id utile videretur. *tom. Conc.*

Ariadna *Imperatoris conjux, cum ſexaginta ferè annos imperaſſet, moritur.* Marcell.

Hunni *Caſpiis portis egreſſi Armeniam, Galatiam & Pontum incurſionibus vexant, parumque abfuit, quin locum, ubi Macedonius exulabat, occuparent: ideo Macedonius fugit Ancyram, ubi Imperator eum juſſit arctè cuſtodiri; ſed Macedonius paulò poſt moritur.* Cedr.

Alexandriæ plurimi à Dæmonibus vexantur mulieres & pueri, qui, crudeliſſimè à Dæmonibus verberati, ut canes latrabant. *Marcell.*

ANNO MUNDI 4465. Poſt C. 516.
C.B. ☉ 21. ☽ 4. Ind. 9.

Coſ. Petrus ſine Collega.

Anaſtaſius *Vitalianū ad magnos honores promovet,*

facitque eum magiſtrum militiæ, tantummodo ut ipſum ſpe lactet inani. Marcell.

Annus Nabonaſſarii 1264. & Philippi 840. incipit 16. April. feria 7.

Euthaticus *Gothus Thoriſmundi pronepos in Hiſpania, vivit exiguâ ſorte contentus; eum Theodoricus Veronenſis evocat, generum adſciſcit, datâ ipſi Amalaſunthâ filiâ in uxorem, & conſulatum in tertium annum defert, & ut ſplendidè ac regaliter agat, inſtruit.* Caſſ.

Theodobertus *Francorum rex Clochilaicum Danorum regem, qui claſſe Belgium vaſtabat, apud* Antverpiam *infimum Auſtraſiæ limitem cum toto exercitu cedit, & Marchionatum ejus urbis* Ethiloni *Bavariæ Duci concedit.* Annal. Friſ.

Annus Alexandrinus 828. & Antiochenus 565. & Conſtantinop. 6023. incipit à Calend. Octobr.

Annus verò ſabbathicus I. Jobel. 10. incipit 12. Septemb. fer. 2. Anno Judaico 4277.

Anaſtaſius legatos Romanos ultra annum detentos implet ſpe falſa futuri Concilii generalis; & cùm videret, ſe favorem populi iterum collegiſſe, Vitalianum, cujus fervor refrixerat, præfecturâ & omnibus ornamentis exuit, eaque Rufino, qui ſecum ſentiebat, tradit. *Marcell.*

Tarracone Synodus acta apud Gothos anno ſexto Theodorici Veronenſis, quando ſcilicet tutorio nomine regnum Gothorum & in Gallia & in Hiſpania adminiſtravit. *Iſid.*

Friſiam *totam Oceanus inundavit, perierunt ad ſex millia hominum, & pecorum multo plura. Inundationem quidam præſenſit, dum Halecem viventem ex puteo extrahit.* Annal. Friſ.

ANNO MUNDI 4466. Poſt C. 517.
A. ☉ 22. ☽ 5. Ind. 10.

Annus urbis. 1269.	*Julianus* 562.
Æræ Hiſpan. 555.	*Auguſtorum* 544.

Coſſ. Imp. Anaſtaſius IV.
Agapetus.

Anaſtaſius incohat annum imperii 27. in Aprili.

Hermiſda, cùm in ſpe eſſet, Imperatorem concilium generale convocaturum; iterum ad eum ſcribit 3. Aprilis, & etiam legatos cum propoſitionibus quibusdam, ſecundum quas procedi poſſet in concilio, mittit: qui omnia inveniunt aliter conſtituta in Oriente, quàm ipſi reliquerant, cùm priorem legationem renunciarent. *Anaſtaſ.*

Olympias 324. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1293.

Annus Diocletiani 234. incipit die 29. Auguſti.

Anaſtaſius malè accipit legatos Pontificis, & non ſatis auditos per poſticum emittit, navique imponi jubet in Italiam devehendos cum mandatis, ne alicubi in Græciam urbes diverterent: ſcribitque ad Papam, ne audeat imperare Imp. Romano, qui ſolus imperet. Nos jubere volumus, non nobis juberi: vel, ut ejus verba ſonant, Injuriari & annullari ſuſtinere poſſumus, juberi non poſſumus. *Baron.*

Severus Epiſcopus Eutychianus Antiochiæ, qui notat mentem Imp. perſequitur atrociter Orthodoxos monachos, ad trecentos & quinquaginta ab eis abreptos interficit, eorumque cœnobia incendit. Conqueruntur de hac injuria Monachi apud Imperatorem, ſed non audiuntur: Ideò *Papam Romanum* appellant. *Baron.*

Palæſtina omnis affligitur ſiccitate, & inopiâ pluviæ per quinquennium, adeò ut de ea deſerenda monachi conſilia agitarent. Baron.

ANNO MUNDI 4467. Poſt C. 518.
G ☉ 23. ☽ 6. Ind. 11.

Coſſ. Fl. Magnus.
Fl. Florentius.

Anaſtaſius cùm ſuſpicaretur, ſibi ab Orthodoxis inſidias ſtrui, multos ex aulicis in carcerem conjicit; unde ſeditio Conſtantinopoli exoritur, quam vix ſedare poteſt Imperator. *Marcell.*

Terræmotus *ingens in Dardania: caſtella 24. collabuntur paucis horis, quædam planè abſorbentur, quædam dimidiâ ſui parte ſubſidunt.* Marc.

Proclus *Philoſophus ethnicus & inſignis hoſtis Chriſtianæ religionis, Mechanicus tamen optimus, qui non ſolùm Archimedis induſtriam æquavit, ſed etiam in multis ſuperavit: qui eodem modo ut Archimedes quondam claſſem hoſtium ſpeculis cremarat: Is, quod Anaſtaſio prædictum erat, eum fulmine interiturum, ædificium conſtruxit, in quo tutus à fulmine eſſet: ſed fruſtra hoc fuit. Fulmine enim interiit die 9. Julii cum regnaſſet annos 27. menſes 3. Succedit* Juſtinus, *natione Thrax, appellatus Auguſtus à Prætorianis militibus, quibus præfectus erat. Data autem fuerat Juſtino ingens ſumma pecuniæ, quâ emere conabatur Imperium Theocritus, ut Prætorianis diſtribueretur, quod & fecit Juſtinus, ſed Prætoriani, abominati Theocritum, ipſum Juſtinum fecerunt Imp. Imperavit autem annos novem, & dies 26. Multorum, qui cognatione attingebant Anaſtaſium, expertus eſt inſidias, ſed multos etiam deprehenſos occidit.* Evag. Suid.

Juſtinus ſtatim die 15. Julii exules Orthodoxos revocat, & Eutychianos excommunicat: unde factum, ut plures ſynodi in Orientali eccleſia agerentur, & diverſis in locis ſubſcripſerunt Orthodoxæ fidei confeſſores bis mille & quingenti, ut eos numerat. *Ruſticus Diac. apud Bar.*

Amalaſventa *Eutharici uxor parit filium* Athlaricum, *qui poſt Theodorici mortem regno potitus eſt.* Procop.

Arcturus *Britannorum rex, qui ſucceſſerat Uterio, incipit, regnatque annos 24. Sæpius hic dicitur viciſſe Anglos Saxones.* Buch.

Theodoricus *Francus, ab* Ermenfrido *Thuringorum rege evocatus contra fratrem Ermenfridi Badericum, in Thuringiam proficiſcitur, & Badericum victum trucidat; inde Ermenfridus & Theodoricus victores regionem inter ſe dividunt.* Sig.

In Severum *Epiſcopum Antiochenum ſententia lata, ut lingua ipſi præcideretur, ſed fugâ pœnam evaſit.* Evag.

ANNO MUNDI 4468. Poſt C. 519.
F. ☉ 24. ☽ 7. Ind. 12.

Coſſ. Imp. Juſtinus.
Fl. Eutharicus Amalus.

Hormiſda Papa legatos mittit Conſtantinopolin, & ad Imperatorem & ad Epiſcopum, efficitque, ut iterum Eccleſia Orientalis cum Romana in communionem redeat, & nomina Epiſcoporum Hæreticorum Conſtantinopoli, ut & Imperatorum

ctorum Zenonis & Anaſtaſii, ex tabulis ſacris deleantur. *Baron.*

Vitalianus *Comes magnæ autoritatis vir erat. Nam & Anaſtaſium in ordinem redegerat, & Juſtinus eum metuebat; Ideò eum ſibi jungere cœpit. Facit igitur eum præfectum militiæ, & deſignat eum in ſequentem annum conſulem.* Evag.

Cometa *hoc anno viſus ejus forma, quam Pogoniam à barbæ ſimilitudine nominant: fuit in Oriente, & radios verſus occaſum miſit.* Cedr.

Monachi Scythæ Vitaliano familiares, quæſtionem movent Conſtantinopoli, an rectè dicatur, *unum de Trinitate eſſe paſſum*, ipſique magnopere affirmant, quòd eſſent Eutychiani clanculum, Orthodoxi verò negant; & cùm non acquieſcerent Monachi, Pontificem Romanum appellant, à quo ſimiliter rejiciuntur. *Baron.*

Regnum Weſtſaxonum *in Anglia inſtituitur anno ſeptuageſimo primo adventus Hengiſti, & primus rex fuit* Certicius, *qui regnavit annos 15.* Malmesb.

Wachon *Longobardorum rex moritur: ſuccedit* Gualtarith, *qui regnat annis 7.* Sigeb.

ANNO MUNDI 4468. Poſt C. 520.
ED ☉ 25. ☽ 8. Ind. 13.

Coſſ. Fl. Vitalianus.
Fl. Ruſticus.

Annus Nabonaſſaru 1268. & Philippi 844. incipit 15. April. feria 4.

Synodus Conſtantinopoli acta contra Eutychianos, qui cùm ubique damnarentur ab Orthodoxis, Neſtoriani etiam ſe viciſſe credentes, Neſtorii memoriam & aliorum celebrandam cenſent in Syria: Sed Imperator id fieri edicto prohibuit, *Baron.*

Vitalianus Conſul, cùm omnibus videretur ita agere, ut Juſtinum aliquando imperio excuteret, quod & in *Anaſtaſium* auſus olim fuerat, illum ex inſidiis ſeptimo menſe Conſulatûs obtruncari jubet. *Evag.*

Annus Alexandreus 832. & Antiochenus 569. & Conſtantinop. 6029. incipit Calendis Octobris.

Juſtinus cum Cabade Perſarum rege pacem facit, cùm eſſet occupatiſſimus in rebus Eccleſiaſticis conſtituendis. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4470. Poſt C. 521.
C ☉ 26. ☽ 9. Ind. 14.

Annus urbis 1273.	*Julianus* 566.
Æra Hiſpan. 559.	*Auguſtorum* 548.

Coſſ. Anicius Juſtinianus.
Fl. Valerius.

Juſtinianus Conſul, qui pòſt Imperator factus eſt, magnifica edidit ſpectacula. Pecuniam enim publicè diſtribuit, & in Circo viginti leones, triginta Pardi, exceptis aliis feris, exhibiti ſunt. *Marcellinus.*

Brigittam virginem religioſam in Scotia obiiſſe die Calendis Februarii, tradit *Marianus* natione *Scotus.*

Paulus Antiochenus Epiſcopus ob mores diſſolutos & vitæ turpitudinem, cùm metueret accuſatores, ſponte Epiſcopatu abit, & paulò poſt moritur. Succedit *Euphraſius.* Evag.

Alexandrini ferè omnes ad Eutychianos defecerant ſub impiis Epiſcopis, ideò novus Epiſcopus Orthodoxus eò mittitur *Aſterius.* Evag.

Juſtinus *Imperator inchoat annum imperii quartum 9. Julii.*

Olympias 325. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1297.

Annus Diocletianus 238. incipit die 29. Auguſti.

Dyrrachium & Corinthus terræmotu concutiuntur & evertuntur, quas urbes Juſtinus inſtauravit. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4471. Poſt C. 522.
B ☉ 27. ☽ 10. Ind 15.

Coſſ. Q. Aurelius Anicius Symmachus.
Anicius Manlius Severinus Boethius.

Mauri Thraſamundum Vandalorum regem in Africa acerrimo prælio vincunt, & Thraſamundus deſperatis rebus moritur, cùm regnaſſet annos ferè 27. Succedit ipſi *Hildericus* Valentiniani Imperatoris nepos ex filia, quæ fuerat Hunerico nupta. Hunc Sacramento obſtrinxerat Thraſamundus, ne, ſi rex fieret, Orthodoxos unquam reſtitueret. Mortuo igitur Thraſamundo, priusquam rex crearetur, ſtatim edicta de reſtituendis exulibus promulgavit, ne ſe perjurio pollueret; regnavit annos 7. *Iſidor.*

Colchorum ſive Lazorum rex *Zathus* religionem Chriſtianam incipit profiteri, & Conſtantinopolin venit, petitque ſe cum ſuis baptiſari, quem Juſtinus benignè admittit, eiq; nobilem virginem conjugio jungit, quæ res inimicitiis inter Romanos & Perſas cauſam præbuit. *Cedr.*

Sclavi *gens Scythiæ Hiſtriam occupant.* Sabell.

Cabades *Perſarum rex Colchos bello affligit, ſed his ſubſidio veniunt Hunni qui in Cherſoneſo longè lateque imperitabant.* Procop.

ANNO MUNDI 4472. Poſt C. 523.
A ☉ 28. ☽ 11. Ind. 1.

Coſ. Fl. Anicius Maximus ſine Collega.

Boethius ſuperioris anni Conſul magnâ libertate ſe aulicis Theodorici opponit, pro jure privatorum tuendo, unde inimicitias aulicorum & ipſius regis incurrit. *Caſſ.*

Juſtinus Imperator Manichæos & edicto & exiliis perſequitur. Idem facit etiam *Cabades*, Perſarum rex, qui multa eorum millia occidit, quod inſidiati regno eſſent. *Cedr.*

Hormiſda Papa, cùm ſediſſet annos novem, dies 18. moritur die 6. Auguſti. Succedit ipſi *Johannes* Hetruſcus Conſtantii Filius, die 12. Auguſti, qui ſedit annos duos, menſes 9. dies 16.

Annus ſabbathicus 2. Jobel. 10 incipit 26. Septembris fer. 3. Annus Judaic. 4284.

Juſtinus, cùm in omnibus ferè imperii urbibus nocturnæ cædes fierent, acriori cuſtodiâ eas muniri juſſit, & tumultuantes compeſci, & Theodoram conjugem, quam, mortuâ hoc anno Euphemiâ, duxerat, coronat. *Cedr.*

Cabades rex Perſarum, Zeliobem regem Hunnorum cum exercitu viginti millium ad ſe venientem, & auxilia offerentem contra Imperatorem, Romanum, cum exercitu ſimul trucidat, quod ſuſpectus

ſp-ctus eſſet de proditione, cùm tàm à Perſis, quàm à Romanis munera accepiſſet. *Sigeb.*

ANNO MUNDI 4473. Poſt C. 524.
GF ⊙ 1. ☽ 12. Ind. 2.

Coſſ. Imp. Juſtinus II.
Fl. Opilio.

Annus Nabonaſſaris 1272. *& Philippi* 848. *incipit* 14. *April. feria* 1.

Juſtinus promulgat leges contra Arianos, eosq; ſedibus ſuis pellit, qui ad Theodoricum Veronenſem in Italiam confugiunt, & de vi hac conqueruntur. Theodoricus intercedit pro hiſce, & cùm nihil impetraret, legatos mittit, minitaturque ſe, quod Juſtinus in Arianos ſtatuiſſet, idem Catholicis illaturum. *Caſſ.*

Annus Alexandreus 836. *& Antiochenus* 573. *& Conſtantinop.* 6032. *incipit à Calend. Octobr.*

Boëthius *ab invidis apud Theodoricum accuſatur, quòd impediret jus regis, & Senatum criminis læſæ majeſtatis reorum defenderet, atque novis rebus videretur ſtudere: quapropter Ticinum in exilium relegatur, atque ita Theodoricus à ſua humanitate & æquitate hoc judicio deflexit.* Boëth.

ANNO MUNDI 4474. Poſt C. 525.
E ⊙ 2. ☽ 13. Ind. 3.

Annus urbis 1277.	*Julianus* 570.
Æra Hiſpan. 563.	*Auguſtorum* 552.

Coſſ. Fl. Philoxenus.
Anicius Probus Junior.

Johannes Papa, cùm Juſtinus perſeveraret in ejiciendis Arianis, cum præſtantiſſimis civibus Romanis cogitur legationem ſuſcipere ad Juſtinum pro Arianis. Pervenit Conſtantinopolin primo vere, & feſtum Paſchatis ibi ritu Romano celebrat. *Marcell.*

Juſtini annus imperii octavus incipit die 9. *Julii.*

Olympias 326. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1301.

Annus Diocletiani 242. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Theodoricus *tutelam regni Gothorum in Hiſpania & Gallia deponit, & nepotem ex filia* Almaricum *regem facit, qui regnat annis quinque, cùm Theodoricus tutelam geſſiſſet annis quindecim.* Iſidor.

ANNO MUNDI 4475. Poſt C. 526.
D ⊙ 3. ☽ 14. Ind. 4.

Coſ. Anicius Olybrius Junior ſine Collega.

Johannes Papa in Italiam revertitur, renunciaturus legationem; ſed detinetur Ravennæ & in carcerem conjicitur, quod videretur ſentire cùm Juſtino contra Arianos, in quo ſcribit ad Epiſcopos Italiæ, ut Arianis omnibus viribus reſiſtant: in carcere autem moritur, die 27. Maji, cùm ſediſſet annos duos, menſes novem, dies 14. In electionem Pontificis novi immiſcet ſe Theodoricus, & tandem ipſo autore eligitur *Felix* Beneventanus, hujus nominis tertius, qui ſedet annos quatuor, menſes duos, dies 18. *Onufr.*

Antiochia *urbs ingenti terræmotu corruit, die* 29. *Maji, feriâ ſextâ, in ipſo tempore prandii; ubi ſimul, cùm ubique ad ignem coqueretur cibus, ortum eſt incendium, quo, quicquid à terræmotu ſuperfuit, conſumtum eſt. Pereunt hominum aliquot millia, & inter cæteros Euphraſio Epiſcopo caput ablatum eſt. Incendium ſex diebus duravit, omnes ædes, templaque corruerunt, atque ita periit urbs hæc præſtantiſſima, cùm ſtetiſſet annis* 800. *& quod excurrit.* Evag. Marcell.

Symmachus *ſocer Boëthii, ut & ipſe Boëthius, calumniis obruuntur, & præcipiti ſententiâ Theodorico trucidantur. Non diu poſt, die videlicet* 2. *Septembr. cùm* Theodrico *caput piſcis grandioris apponeretur in menſa, adeò exterritus eſt, quòd ſibi videretur videre caput Symmachi, ſibi minitantis, ut ſtatim in ardentiſſimam febrim incideret, quâ poſt paucos dies defunctus eſt; cùm annos ab occiſo Odoacre imperaſſet* 33. *& menſes ſex. Succedit ipſi* Athalaricus *ex filia* Amalaſuntha *nepos, qui regnavit annos octo.* Procopius.

Nonnus Panopolitanus Poëta floret circa hæc tempora; meminit ejus *Agathias libro tertio.*

Priſcianus & Feſtus *Conſtantinopoli florent.* Caſſiodorus.

Amalaſuntha, *quæ pro filio regnum Italiæ adminiſtrabat, liberis Boethii & Symmachi bona reſtituit, & Gothorum libidinem frenat; & ut à Francis, qui jam copias colligebant, pacem redimeret, partem regni Gothorum in Gallia ipſis concedit.* Caſſiodor.

Cùm Romæ Doctoribus eloquentiæ & artium ſtipendia malignè ſolverentur, Amalaſuntha *nomine filii* Athalarici *præcepit, ut ſucceſſoribus Grammaticis & Rhetoricis & Juriſperitis eadem ſtipendia rectè ſolventur.* Cod.

Longobardi *circa hoc tempus in Pannoniam concedunt, ubi manent annis* 42. *Duce* Andonio, *qui regnat annis* 18. Sigeb.

Cùm Gundabundus *Burgundionum rex defunctus eſſet, filii ipſius* Sigiſmundus & Godomarus *regnum ſibi ſumunt, ſed Sigiſmundus, quòd prior conjux defuncta eſſet, alteram ducit, quæ calumniatur filium* Sigericum *ex priore conjuge natum, efficitque ut poſt defunctum* Theodoricum *Veronenſem & ipſe à patre occideretur.* Godomarus *ut hanc injuriam ulciſceretur, fratrem Sigiſmundum cum conjuge occidit.* Grothildis *mater regum Franciæ inſtigat filios, ut in hiſce turbis tandem ulciſcantur avi* Chilperici *& aviæ cædem. Suſcipiunt id bellum Theodobertus & Clodomirus, & vincunt quidem; ſed cùm* Clodomirus *acriùs hoſtes inſequitur, cadit; Theodobertus autem victoriam obtinet, & Godomarum regno pellit. Advenit poſt* Clotarius *frater, cujus auxiliis Auguſtodunum capitur, & fratres deinde totam Burgundiam occupant.* Turon. Sigeb.

ANNO MUNDI 4476. Poſt C. 527.
UC 1279. C ⊙ 4. ☽ 15. Ind. 5.

Coſ. Fl. Mavortius ſine Collega.

Juſtinus, *cùm in feriis Paſchatos inciperet ægrotare ex pede, quem ſagitta læſerat,* Juſtinianum *ex ſorore nepotem, ſocium imperii Calendis Aprilis aſſumit; & cùm malum pedis invaleſceret, moritur Calendis Auguſti, feriâ primâ, cùm imperaſſet annos novem, dies* 23. *&* Juſtinianus *ex die* 31. *Auguſti imperat annos* 38. *menſes* 7.

Oldibaldus *rex Friſiæ, cùm annos* 31. *regnaſſet, moritur; ſuccedit filius* Richoldus, *qui regnat annis* 43. Annal. Friſ.

Juſti-

Juſtinianus Arianos in imperio proſcribit, & bona eorum publicat, & Perſis, qui invadunt Meſopotamiam, obviam cum exercitu mittit *Beliſarium*, & unà *Procopium* Hiſtoricum. *Procop.*

Occa Cantiæ rex, ut ſeſe muniret, contra *Arturum* Britannorum regem, auxiliares copias Saxones evocat, quæ quidem in Gallias veniunt, ſed ab Arcturo arcentur, ne in Britanniam tranſire poſſit; quapropter ad Theodoricum Francorum regem ſe applicant, qui bellum inferebat *Hermenfrido* Thuringiæ regi, eique auxiliares copias adducunt, qui Hermenfridum prælio vincit & occidit, & totam Thuringiam ſibi vindicat: prælium factum ad Unſtrutum fluvium, qui cadaveribus adeò repletus fuit, ut Francis tranſitum per cadavera daret. Theodoricus autem auxiliaribus Saxonibus dedit partem Thuringiæ verſus ſeptentrionem, ad Herc yniam ſylvam, ad Unſtrutum & Helmam fluvios, ubi hodie ejus rei veſtigia ſunt *Saxoburgum* & alia loca. *Turon Sigebert.*

Dionyſius cognomento *Exiguus*, natione Scytha, Cyclum Paſchalem annorum quingentorum triginta duorum incipit ſcribere, quem poſt quinq; annos ad finem tandem perducit. Hic primus eſt, qui docuit annos numerare à nativitate Chriſti. Sed ipſum eosdem annos non rectè concepiſſe, demonſtratum eſt alibi. Meminit hujus Dionyſii Marianus Scotus ſub Conſule Mavortio, & Caſſiodorus. Adeo peritus fuit utriusque linguæ, ut ſubitò ex Græco contextu ſententiam latinè perlegeret, & contrà ex latino Græcè. *Beda.*

Juſtinianus animum ad vetus jus civile emendandum, ſupplendum & componendum adjicit, & Juriſperitos ex Beryti & Cæſariæ gymnaſiis evocat, quibus præcepit, ut novum Juris Codicem, decerta Imperatorum complectentem, imitatione Theodoſii conficerent. Opus inchoatur ſequente Februar. *Juſtin.*

ANNO MUNDI 4477. Poſt C. 528.

B A ☉ 5. ☽ 16. Ind. 6.

Coſſ. Imp. Juſtinianus II. ſine Collega.

Perſæ bellum inferunt Colchorum regi Zatho, propter ſocietatem cum Romanis initam; cui ſuppetias fert Juſtinianus tribus Ducibus, quorum diſſenſione factum eſt, ut ſuccumberent Perſis, ſed hiſce remotis Petrum Notarium ad exercitum mittit, qui magno prælio Perſas vicit. *Cedr.*

Annus Nabonaſſaris 1276. & Philippi 852. incipit die 13. April. feria 5.

Victor Capuanus Epiſcopus, qui Cyclum Paſchalem ſcripſit, & *Victorini* errores redarguit, floret. Victorini tamen Cyclum videntur Galli retinuiſſe, quod à Paſſione Chriſti duceretur: ideo ipſi etiam annos ſuos à Paſſione Chriſti, ſive à Paſchate exorſi ſunt, ut annales eorundem demonſtrant.

Annus Alexandraus 840. Antiochenus 577. & Conſtantinop. 6037. incipiunt à Calend. Octobr.

Herulorum rex *Gretas* ſe Conſtantinopolin confert, religionem Chriſtinianam addiſcit, & cum omnibus ſuis baptiſatur. *Cedr.*

Juſtinianus Armeniæ, quæ hactenus à Comitibus adminiſtrata fuerat, principem Zitham præficit, cui quatuor millia militum addit, qui præſidio ſit iis in locis contra Perſas. *Cedr.*

Perſæ ſolicitant Hunnos, ut ſecum militent contra Romanos: nec abnuunt Hunni, & viginti millia militum ipſis mittere conantur; ſed *Bareza* regina vidua aſſumtis ſuis hunc exercitum delet; duces capit & Conſtantinopolin mittit, & cum Imperatore pace conjungitur. *Cedr.*

Juſtinianus legem fert Epiſcopis & clericis, ne jus ipſis ſit aliquid legandi, aut hæredibus ſuis tradendi, præterquam de facultatibus, quas ante clericatum habuerunt. *Cedr.*

Multi Epiſcopi & alii etiam nobiles viri comperti ſunt maſculorum corruptores, qui merita ſupplicia ſubierunt. *Cedr.*

Eodem hoc anno die 29. Novembr. Antiochia iterum biennio poſt ſuperiorem cladem terræmotu corruit; totam duravit horam cum terribili mugitu. Corruerunt omnia ædificia noviter inſtituta, & perierunt homines 4870. reliqui in alias urbes aufugerunt. Cedr.

ANNO MUNDI 4478. Poſt C. 529.

G ☉ 6. ☽ 17. Ind. 7.

Annus urbis 1281.	*Julianus 574.*
Æra Hiſpan. 567.	*Auguſtorum 556.*

Coſ. Cæcina Decius Baſilius Junior ſine Collega.

Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis in Africa poſt multa exitia moritur ipſis Calendis Januarii; paulo poſt Ruſpenſe territorium præda & incendiis vaſtatur à Mauris. *Iſid.*

Juſtinianus Codicem juris civilis promulgat die 7. Februar. & ſuo nomine edit, atque ex eo jus dici præcipit. Autor autem, qui ad haſce leges ſeligendas adhibitus eſt, fuit *Tribonianus*, legum quidem uſque avarus. Habuit tamen ſocios operis multos alios. *Procop.*

Benedictus Nurſinus in Italia monaſterium condit prope Caſſinum montem, ubi plurima veſtigia erant veteris Idololatriæ, ad villam Marci Varronis, Monachisq; ſuis leges præſcribit ſatis ſeveras; pondus etiam panis & menſuram vini, quibus in ſumma victus tenuitate veſcerentur, ordinat. *Chron. Caſſ.*

Olympias 327. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1305.

Juſtinianus *init annum imperii tertium Calendis Auguſti.*

Annus Diocletiani 246. incipit die 29. Auguſti.

Nicetius monachus accipit Epiſcopatum Trevirenſem, juſſu Theodorici regis Francorum. *Turon.*

Athalaricus Gothorum rex in Italia in bonis artibus à matre prudentiſſima inſtitutus fuerat; id moleſtè ferunt Gothi, ideo extorquent ſuum regem Amalaſunthæ matri, & remotis præceptoribus ipſi juvenes adjungunt, cum quibus ſimul bellicis artibus aſſuefieret. *Agath.*

Samaritani & Judæi in Palæſtina quendam Julianum ſibi præficiunt, regia corona exornant, & armis ſumtis Chriſtianos magna cæde proſequuntur. Hi occidione cum Duce à Juſtiniano delentur. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4479. Poſt C. 530.

F ☉ 7. ☽ 18. Ind. 8.

Coſſ. Poſtumus Lampadius, Fl. Oreſtes.

Juſtinianus *Triboniano, & cæteris Juriſconſultis mandat, ut veterum Juriſperitorũ decreta ex immenſis eorum*

rum voluminibus ſecernant, eáque ordine ad intelligendum & utendum accomodato digerant, & in certos libros ac titulos ita totum jus antiquum per mille & ducentos fere annos diffuſum contrahant. Atque hoc modo inſtitutiones *juris &* Digeſta *legum confecerunt; ſed dum nimium brevitati ſtudent, obſcurarunt illas leges, &, quæ lites decidere debebant, materiam litis ſæpe præbent.* Sigonius.

Hildericus *Vandalorum in Africa rex, quòd malè contra Mauros rem geſſiſſet, & aliàs ſocordia deditus eſſet, à fratre* Gilimere *regno ſpoliatur, & carceri cum liberis includitur. Juſtinianus deprecatur apud Gilimerem pro Hilderico. Sed legati re infectâ redeunt. Regnarat autem Hildericus annos ſeptem. Ipſe Gelimer nec quatuor annos regnum obtinet.* Procop.

Crothildis *ſoror regum Francorum, apud Almaricum Gothorum regem in Hiſpania propter Orthodoxam religionem male habetur; ita ut & ab Arianis lapidibus inceſſeretur. Illa igitur ſaucia ſudarium, quo vulnera abſterſerat, ad fratres mittit, qui exercitum colligunt, ut ſororem ab injuria defenſuri. Sed* Theodoricus *frater, qui* Metin *obtinebat, in ipſo apparatu moritur, cùm annos 17. regnaſſet; ſuccedit ipſi filius* Theodobertus, *qui regnat annis 22.*

Certicius, *rex in Anglia Auſtralium Saxonum, vincit Britannos, & capit Inſulam Vectam.* Ethelberthus.

Mundo *militia magiſter, Getas Illyricum incurrentes vincit, & paulo poſt etiam Bulgaros, qui Thraciam infeſtabant, multis eorum occiſis.* Marc.

Annus ſabbathicus tertius Iobelei 10. incipit die 9. Septembr. fer. 2. Anno Judaico 4291.

Felix Papa Romanus, cùm ſediſſet annos 4. menſes duos, dies 18. moritur die 12. Octobr. In electione novi Pontificis Schiſma iterum oritur: cùm *Bonifacius & Dioſcorus* ſimul eligerentur. Sed Dioſcorus moritur poſt diem 28. & Bonifacius retinet Pontificatum anno uno, & diebus duobus. *Onufr.*

Cabades *Perſarum rex, cùm in initio belli Amidam propugnaculum cepiſſet, & ultores Romanos magna clade viciſſet, ab Ariobinda, qui magnâ prudentiâ bellum ducebat, poſt biennium vincitur, & Amida recipitur. Hoc anno* Beliſarius *ad Niſibin Perſas iterum prælio vincit, & interea temporis etiam ad Caſpias portas feliciter cum Perſis pugnatur.* Procop. libro primo.

ANNO MUNDI 4480. Poſt C. 531.
E ☉ 8. ☽ 19. Ind. 9.

Poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis.

Die 13. Januarii, Hypatius, Pompejus & Probus conſobrini, & Anaſtaſii Imperatoris nepotes, conjurant de evertendo Juſtiniano & ſeditionem excitant; & cùm Juſtinianus in publicum prodire non auderet, quatuor integris diebus urbem prædæ habent; cùm ipſi in aula, ut fideliſſimi Imperatoris, verſarentur. Quinta verò die, cùm in foro Hypatius Imperator proclamaretur, & jam aſcenderet ad occupandum Palatium, Beliſarius, *qui tum fortè ad urbem venerat, aſſumtis militibus Imperatori ſubſidia venit, & ſeditionem ſedat, ſed non abſque ſanguine, cùm ultra triginta millia hominum in foro trucidarentur, cum ſeditionis autoribus* Procop.

Reges Franciæ fratres & patrueles tandem movent in Hiſpaniam contra Almaricum affinem, qui nullo apparatu militum inſtructus fugere conatur; ſed quod precioſiſſima quæque oblitus eſſet, revertitur in aulam, inde ab exercitu Francorum concluditur, & ipſe fugiens ad templum occiditur, cum ultra annos quinque regnaſſet. Franci ſororem Crothilden ſecum cum theſauris abducunt, quæ tamen in itinere moritur, & Pariſiis ſepelitur: Gothi contra eligunt Theuden, *qui quamvis Arianus eſſet, Catholicos tamen perſecutus non eſt; regnatq; annos 17. menſes quinque.* Iſidorus.

Bonifacius Papa convocatâ Synodo voluit omnes excommunicare, qui *Dioſcuro* ſimul electo Papæ adhæſerant; ſed cùm ingens eorum eſſet multitudo, totus clerus interceſſit. *Idem* in eadem Synodo elegit ſibi ſucceſſorem Vigilium, idque ſubſcriptione Cleri confirmatum fuit, ut hoc modo jus, quod ſibi Gothi ſumebant in eligendo Pontifice, eluderet. At Senatores urbis & alii, ſeſe huic decreto opponunt, & convocatâ Synodo cauſam diſceptant, concluduntque, Papam in hac re erraſſe. Ideò Bonifacius ſuam ſententiam revocavit, & ſuum Chirographum ipſe combuſſit. *Anaſtaſius.*

Perſæ *Comagenam invadunt, quibus auxilio advenit Alamundarus Saracenus.* Beliſarius *ipſis obviam veniens eorum incurſiones coercet & co adigit, ut in ſuas regiones reverterentur. Atque ita hoc bellum abſque ſanguine confectum fuiſſet: Sed coactus ferocia militum ſuorum ad pugnam, congreditur cum Perſis, ubi pars ferè clade aſſecta eſt. Beliſarius tamen pro victo habitus, ſed contra Perſarum Dux, quòd victoria adeo cruenta fuiſſet, ab officio remotus fuit.* Procopius.

Justinianus *legatos iterum in Africam mittit, petitque a Gilimere, tandem ex carcere liberet Hildericum cum filio, quem Gelimer excæcaverat, & ſibi mittat, ſe ipſis proſpecturum, ut commodè vivere poſſint: ſed fruſtra hoc eſt, & Gilimer Hildericum arctius cuſtodit.* Procop.

Bonifacius Papa, cùm ſediſſet annum unum, & dies duos, moritur die 17. Octobr. ſed propter ambitum competitorum & contentionem hoc anno ſucceſſorem non accipit. *Anaſtaſius.*

Cabades Perſarum rex moritur, cùm adhuc triginta annos, poſtquam reſtitutus fuerat, regnaſſet: ſuccedit ipſi *Coſrhoes*, qui regnat annos 48. *Procopius.*

Sabas ille celebris monachus in Oriente moritur die 5. Decembr.

ANNO MUNDI 4481. Poſt C. 532.
DC ☉ 9. ☽ 1. Ind. 10.

Annus alter poſt conſulatum Lampadii & Oreſtis.

Johannes Papa, cognomento Mercurius, natione Romanus, ipſis Calendis Januarii Pontifex eligitur, *ut Anaſtaſius habet.* Vacavit enim ſedes menſibus duobus & diebus quindecim, quanquam videtur electus ultimo Decembr. anni præcedentis: qui ſedit annos duos. *Onufr.*

Annus Nabonaſſaris 1280. & Philippi 856. incipit die 12. April. feria 2.

Peſtis *Inguinaria orta in Æthiopia Orientem invaſit, & poſtea totum orbem pervaſit, quæ quaſdam civitates planè exhauſit. Hæc non eodem modo ægrotantes affecit, nec ſemper contagione nocuit, ſed diverſimodè omnes exagitavit.* Procopius.

Pax

Pax cum Perſis inita. Cùm enim utraque pars defeſſa eſſet, & Coſrhoes in initio regni alias ſuarum rerum ſatageret, pax facilè admiſſa eſt, quæ conciliata fuit per Rufinum *&* Hermogenem, *magiſtrum officiorum, & munera invicem miſſa ſunt.* Marcel.

Annus Alexandrinus 844. *& Antiochenus* 581. *& Conſtantinop.* 6041. *incipiunt Calend. Octob.*

Francorum reges, quòd expeditio in Hiſpaniam ſuperiori anno ſuſcepta feliciter ceſſiſſet, iterum eò movent, Theudem regno excuſſuri, & *Cæſar-Auguſtam* obſident & Tarraconenſes populantur; ſed *Theudes* Ducem *Theodiſcum* mittit, qui Francos adeò in arctum cogit, ut & precibus & precio ſe redimerent, multi etiam ſunt trucidati. *Vaſæus.*

ANNO MUNDI 4482. Poſt C. 533.
B. ☉ 10. ☽ 2. *Ind.* 11.

Annus urbis 1285. *Julianus* 578.
Æra Hiſp. 571. *Auguſtorum* 560.

Coſ. Imp. Juſtinianus III. ſine Collega.

Juſtinianus bellum parat contra Vandalos, neminem militem legit niſi Chriſtianum & Orthodoxum, & claſſem præparat. Præfectus Tripolitanus, cùm ſibi hæc de conatu *Juſtiniani* innotuiſſent, ſtatim à Vandalis deficit ad Iuſtinianum. *Godas* etiam præfectus Sardiniæ inſulam tradit, & menſe Auguſto claſſis in Siciliam venit, ubi *Amalaſuntha Athalarici* mater dominabatur, quæ exercitui commeatum obtulit. Inde die 15. Septembr. in Africam veniunt, tertio menſe, poſtquam Conſtantinopoli abierant. *Procop.*

Olympias 328. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadic.* 1309.

Iuſtinianus *Imp. incipit annum imperii ſeptimum Calendis Auguſti.*

Annus Diocletiani 250. *incipit die* 29. *Aug.*

Gothi in Italia contra Amalaſuntham conſpirant, incitantque Athalaricum filium contra matrem. Mater contrà prudentiſſima hoſce rebelles callido conſilio ablegat in Calabriam, ubi eos trucidari jubet. *Procopius.*

Beliſarius paucis diebus Carthaginem venit, & cum *Gilimere*, qui *Hildericum* & multos præſtantes viros aut interfecerat, aut captivos tenebat, pugnat, fratrem ejus *Zanzonem* in pugnâ trucidat, & *Gilimerem* fugat, perſequiturque in Numidiam uſque. Interim Carthaginem recipit nonageſimo quinto anno, quàm fuerat à *Genſerico* occupata. Hæc omnia geſta ſunt menſe Novembri, ita tamen ut Iuſtinianus de tota victoria certior fieret menſe Decembri, ut edictum ejus oſtendit. *Procopius.*

Cùm jam Iuriſperiti inſtitutiones juris & Digeſta confeciſſent, *Juſtinianus* inſtitutiones menſe Novembri; Digeſta verò menſe Decembri promulgat, in qua promulgatione meminit victoriæ Africanæ. Inſtituit autem tria in orbe terrarum Gymnaſia, ubi hæc docerentur, Romæ, Conſtantinopoli, & Berythi, & ut ſecundum ea controverſiæ deciderentur. *Juſtinian.*

ANNO MUNDI 4483. Poſt C. 534.
A. ☉ 11. ☽ 3. *Ind.* 12.

Coſſ. Imp. Juſtinianus IV.
Decius Theodorus Paulinus.

Gilimer Vandalorum rex, cùm fugiſſet in Numidiam, trimeſtri ſpatio in monte quodam obſidetur, ubi deficientibus omnibus rebus petiit ab obſidentibus ſibi dari *Panem* unum, *Spongiam & Citharam* ſignificans ſe eò redactum eſſe, ut optet videre integrum panem, & ſpongiam ſibi neceſſariam ad abſtergendas lachrymas, & Citharam, ut calamitatem flebilibus numeris ſolaretur: ideò dedit ſe. Beliſarius, cùm tanti nominis bellum confeciſſet, petit à Juſtiniano, ut ſibi domum redire liceat; verebatur enim calumnias, cùm tantas res geſſiſſet, ne accuſaretur affectati imperii: reditum impetrat, ideò cum præſtantiſſimis ſpoliis Conſtantinopolin venit, triumphat & palatium ingreditur. Gilimer captivus, cum videret Juſtinianum in alto throno ſedentem, nihil prolocutus eſt, niſi *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Juſtinianus tamen eum benignè habet, & prædia aliqua concedit, unde honeſtè viveret.

Spolia & vaſa, quæ quondam à Tito Veſpaſiano Hieroſolymitanis erepta erant, & à Genſerico in Africam tranſportata, Iuſtinianus Hieroſolymam referri jubet, & Africam in ſeptem provincias diſtribuit, quarum tres conſulares factæ ſunt, quatuor Prætorianæ. *Procop.*

Italia fame affligitur, ſed induſtriâ & abſtinentiâ Caſſiodori, qui tum Præfectus Prætorio erat, factum, ut hoc malum minus ſentiretur. Iuſſit enim, ut omnium rerum venalium precium, arbitrio Epiſcoporum conſtitueretur. *Caſſio.*

Certicus rex Weſtſaxonum in Anglia, cùm jam Inſulam Vectam quatuor annis obtinuiſſet, eam hoc anno ſobrinis ſuis *Stufa & Witgaro* concedit & moritur, cum annos quindecim regnaſſet. Succedit filius *Kinric* vel potius *Henricus*, qui regnat annis 26. Eum autem hoc anno cœpiſſe, demonſtrant Eclipſes Solares binæ, quæ acciderunt ejus anno quinto & ſeptimo, anno videlicet 538. & 540. *Ethel.*

Juſtinianus amicitiam init cum Iberis, cùm rex eorum *Zanabarzus* Conſtantinopolin veniret, ut cum conjuge & liberis ac comitibus ſuis ibi baptizaretur. *Cedr.*

Pompejopolis *urbs Myſiæ terræmotu ita collabitur, ut dimidiâ ſui parte terrâ abſorberetur: quidam tamen ex abſorptis cura reliquorum ex ruderibus vivi eruti ſunt.* Hiſt. Miſc.

Athalaricus corruptis moribus adoleſcens, morbo letali correptus, moritur poſt parentis obitum anno nono. Amalaſuntha videns ſe in odio eſſe apud Gothos, *Theodahatum*, cognatum, & Theodorici ex Amalafreda nepotem in regnum aſſumit, eumque Senatui Romano commendat; qui ita regnum obtinet per triennium. Ipſa verò clam de fuga ex Italia ad Iuſtinianum conſilia agitat, ſed *Theodahatus* malam ipſi gratiam refert, eam calumniatur apud Gothos, & in arctam cuſtodiam relegat: inde in balneo ipſam ſuffocat, qua crudelitate *Juſtinianus* exacerbatus *Gothis* bellum indicit.

ANNO MUNDI 4484. Poſt C. 535.
G. ☉ 12. ☽ 4. *Ind.* 13.

Coſ. Beliſarius ſine Collega.

Johannes II. Papa, cùm ſediſſet annos duos, moritur circa menſem Ianuarium. Succedit ipſi *Agapetus*, ad quem Iuſtinianus ſcribit die 12. Martii

Sedit hic annuo ſpatio. Onufrius & Baronius diſſident de Johanne Papa, & Onufrius ſcribit, eum ſuperiori anno in Majo defunctum.

Goranus *Scotorum rex, cùm annos 34. regnâſſet, moritur: ſuccedit* Eugenius *filius, qui regnat annis* 23. Buchan.

Epiphanius Conſtantinopolitanus Epiſcopus moritur, cùm ſediſſet annis ſedecim, menſibus tribus. Succedit *Anthimus* Trapezontinus Epiſcopus, idque auxilio *Theodoræ* Auguſtæ, conjugis Juſtiniani. Hic cùm Eutychianus eſſet, plurimum damni Eccleſiis intulit. *Baron.*

Agapetus, cùm eruditorum virorum copia non eſſet, de publicis ſcholis conſilium proponit, ſed non auditur, cùm bellum ingrueret: hactenus enim tantùm privatæ ſcholæ fuerant.

Gilimer Vandalorum rex ſuaſerat tempore belli, ut Coſrhoes ſecum bellum iniret contra Juſtinianum, ſed parum profecerat. Idem ſuadent jam Armeni, qui ab Imperatore, quod Duces ſibi ab Imperatore miſſos trucidârant, bello infeſtabantur; dilatum tamen eſt bellum in ſequentem annum. Interim hac hyeme, cùm Sol in Capricorno eſſet, ingens *Cometa* apparuit in Sagittario. *Procop.*

Juſtinianus Mundum Ducem militiæ in Dalmatiam ire jubet, qui devictis hoſtibus, Salonam urbem in poteſtatem redigit, & poſtea *Beliſarium* cum inſigni claſſe in Siciliam mittit, qui ſtatim Catanam capit, & Panormum expugnat, & Syracuſas ingreditur ultimo die ſui conſulatûs, ultimo Decembris. Mittit etiam Juſtinianus legatos cum muneribus ad Francorum reges, ut Juſtinianum adjuvare velint in pellendis Arianis Gothis ex Italia. *Procop.*

ANNO MUNDI 4485. Poſt C. 536.
FE. ☉ 13. ☽ 5. *Ind.* 14.

Annus poſt conſulatum Beliſarii.

Theodahatus *in anguſtias à Beliſario redactus Pontificem Agapetum Conſtantinopolin mittit, ut pacem tolerabilibus conditionibus conciliet & bellum avertat, at verò id fruſtra fuit.* Interim dum Agapetus ibi eſt, *Anthipum* Epiſcopum Conſtantinopolitanum deprehendit Hæreticum, & convocatâ ſynodo illum Epiſcopatu dejicit, & *Mennam* Orthodoxum facit Epiſcopum. Alios præterea hæreticos Conſtantinopoli latitantes producit & ejicit, & paulò pòſt moritur menſe Aprili. Mennas autem ſedit annos 16. menſes 6. *Niceph.* Synodus præterea hæc confirmavit, quæ Papa ſtatuerat, quod & facit Synodus Hieroſolymitana, & Paulum quendam Alexandriæ, cum Theodoſium Epiſcopum Alexandrinum dejeciſſent, Epiſcopum faciunt. *Tom. Conc.*

Agapeto autem Romæ poſt diem ferè quinquageſimum ſuccedit *Silverius* à Theodahato per vim ferè intruſus, & cadaver Agapeti Romam affertur, quod ſepelitur menſe Octobr. *Anaſtaſ.*

Annus Nabonaſſar. 1284. *& Philippi*, 860. *incipit* 11. *April. fer.* 6.

Juſtinianus concilium Epiſcoporum Orientalium convocat in cauſa *Anthimi*; qui Agapeti Papæ ſententiam confirmarunt. *Anaſtaſ.*

Seditio militum in Africa exoritur, propter conjuges, quas in Africa duxerant. Earum enim mariti poſſederant & urbes interdum & prædia, quæ omnia ſibi repetebant mariti novi nomine uxorum, & ſeditio eò erupit, ut Duces militiæ trucidarentur. Salomon Dux vix in Siciliam effugit nunciaturus hæc *Beliſario*, qui ſumtis ſecum centum equitibus unâ navi Carthaginem venit. Seditioſi tum regem ſibi elegerant *Stozam*, & Africam populati Carthaginem obſidebant. Sed viſo Beliſario obſidionem ſolvunt & fugiunt, quosdam fugientes adeptus occidit: ſed *Juſtinianus* ſtatim etiam novum Ducem mittit, atque hoc modo ſeditio ſedata eſt. *Procop.*

Annus Alexandreus 848. *Antiochenus* 585. *& Conſtantinop.* 6045. *incipit à Calend. Octob.*

Gothorum Duces in Dalmatia cum Mauritio, Mundi Ducis filio, prælio ambiguo decertant, in quo Mauritius cadit. Pater *Mundus* cladem ulturus, dum fugientes hoſtes cupidius inſequitur, etiam trucidatur. Sed *Juſtinianus* ſtatim Conſtantianum mittit, qui rem reſtituit, Gothos ejicit, & Dalmatiam totam recipit. *Procop.*

Beliſarius claſſe in Italiam tranſit, ubi urbes maritimæ, pertæſæ imperii Gothorũ, à quibus affligebantur, ſe dedunt; inde terreſtri itinere per Brutios in Campaniam venit, ubi ſe *Neapolis* urbs oppoſuit, quam poſt vigeſimum diem expugnavit, cùm per aquæ ductum ingreſſus eſſet. Inde Neapolin & Cumas præſidiis firmat, & Romam accedit, ubi recipitur die 10. Decembr. & muros urbis inſtaurat, & omni ratione munit. *Procop.*

Gothi cùm nihil ſuccederet, deteſtati Theodahati ignaviam, & veriti ne Italiam totam Beliſario proderet, *Vitigem* regem eligunt, quo facto Theodahatus Ravennam fugit, ubi occiſus eſt, cùm regnâſſet tribus annis. Vitiges autem regnavit annis quatuor. *Procop.*

ANNO MUNDI 4486. Poſt C. 537.
D. ☉ 14. ☽ 6. *Ind.* 15.

Annus urbis 1289. *Julianus* 582.
Æra Hiſpan. 575. *Auguſtorum* 564.

Annus ſecundus poſt conſulatum Beliſarii.

Cùm Roma dedita eſſet, omnes ferè Italici populi ſe Beliſario dedunt, inter quos etiam fuerunt Beneventani. Inde ad Thuſciam occupandam præfectos mittit, & *Narniâ* potitur. Sic Conſtantianus alter Dux propius Juliam accedit, & Spoletum Peruſiamque occupat, ubi feliciter cum Gothis pugnat. *Procop.*

Vitiges in anguſtias coactus ea, quæ in Galliis Gothi habebant, *Francis* concedit, hâc pactione, ne promiſſionibus Juſtiniani confiſi contra ſe militent. Ipſe interim ingentem exercitum comparat ad centum & quinquaginta millia hominum. Progredienti verò Romam obviam ipſi Beliſarius venit cum paucis equitibus: improviſò, non conſultò hoc factum eſt, ubi *Beliſarius* per perfugas agnitus & proditus infinitis jaculis petebatur, cùm clamarent, *in Valam.* Sed fortiter & ipſe præliatus eſt, & à ſuis defenſus. Inde multitudine Gothorum preſſus ad urbem fugit, ſed metu hoſtium non receptus iterum in hoſtes irruit, & circa occaſum Solis in urbem recipitur. Inde obſeſſio cœpta eſt, caſtris ſex circa urbem factis. Cùm obſidio fuiſſet viginti dierum, machinæ obſidionis

perfectæ

perfectæ fuerunt à *Vitige*, quibus inſcienter uſus à *Beliſario* magna clade affectus, adeò ut ad triginta hominum millia perierint. Obſidio autem cœpta eſt menſe Martio. *Procopius.*

Conſtantinopoli die 23. Februar. fer. 2. jactum eſt fundamentum ſumtuoſiſſimi templi *Sophiæ*, anno quinto poſtquam à ſeditioſa plebe incenſum fuerat. *Cedren.*

Quando Silverius Papa factus eſt, ejus legatus *Vigilius* Conſtantinopoli fuit. Petiit autem Juſtinianus à Silverio, ut Anthimum Epiſcopum Conſtantinopolitanum in ſuam ſedem reſtituere vellit, ſed nihil impetravit. Vigilius igitur hac occaſione uſus Theodoræ Auguſtæ promittit, ſe, ſi Papa eſſet, & Anthimum in ſedem ſuam reſtituturum, & inſuper pecuniam ad bellum ſuppeditaturum. Cujus promiſſionibus confidens Theodora ſcribit Beliſario, ut cauſam aliquam ſibi ſumat vel etiam fingat, & Silverium Papam deponat. Accuſatur igitur Silverius, quòd literas ad Vitigem in ipſa obſidione ſcripſiſſet, hâc quindecimâ indictione. Et die 26. Maji in exilium ejicitur, & ſuccedit ipſi die 27. Maji *Vigilius*, malis artibus intruſus. Conſecratur die 14. Junii feria primâ, ſedet annis 18. menſibus 7. *Onuf.*

Olympias 329. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1313.

Juſtinianus *incipit annum undecimum imperii primo Auguſti.*

Annus Diocletiani 254. incipit die 29. Auguſti.

Annus ſabbathicus quartus Jobel, 10. incipit 21. Septemb. fer. 2. Anno Jud. 4298.

Vigilius Papa ſolicitatur ab Auguſta, ut Anthimum Conſtantinopolitanum reſtituat, quod recuſat facere, negatque hoc in ſua poteſtate eſſe, cùm à tot Epiſcopis damnatus ſit. *Juſtinianus* ita Vigilio irratus, cauſam Silverii per Epiſcopos cognoſci jubet, & ſi innocens ſit, reſtitui. Sed *Vigilius* impetrat à Beliſario, ut ſibi Silverius dedatur: qui eum in Palmeriam inſulam deportari jubet, ubi ſequenti anno die 20. Junii inedia obiit. *Onuf.* Baronius hæc collocat in ſequentem annum.

Juſtinianus *ſupplementem & novum exercitum mittit in Italiam, ſed ſerius profecti hyemant in Ætoliâ & Acarnaniâ.* Procop.

ANNO MUNDI 4487. Poſt C. 538.
C. ☉ 15. ☽ 7. *Ind.* 1.

Coſſ. Fl. Johannes.
Fl. Voluſianus ambo orientales.

Eclipſis ſolis annotata invenitur apud ſcriptores Anglicos, quæ acciderit die 15. Calend. Martii, ſive die 15. Febr. anno quinto Hinrici *regis* Weſtſaxonum *in Anglia, horâ diei primâ, usque ferè ad tertiam, ſive ſtatim poſt ortum Solis. Ea ſic invenitur hoc anno & dicto die, ſed in ipſo Solis exortu horis quinque ante meridiem. Parallaxis latitudinis eſt 57,1. Latitudo vera 47,10. Viſa auſtralis 9,51. Semidia. Solis 15,41. ſcrup. reſidua 21,54. digiti eclyptici 8,23. Sol ferè in princip. piſcium. Ad relationem tamen hiſtoricorum videtur accidiſſe dimidia hora circiter, poſt Solis exortum.*

Obſidium urbis Romæ, cùm continuatum fuiſſet anno ſpatio & diebus novem, tandem ſolvitur. Nec in ipſa obſidione *Beliſarius* inopiâ commeatuum laboraret, imbellem multitudinem ſtatim poſt tertium menſem obſidionis Neapolin dimiſerat. *Procopius.*

Beliſarius nova auxilia accipit à Juſtiniano, Duce *Narſete* Eunucho, quorum aliquot millia fuerunt. Ideo diſtribuit Beliſarius exercitum, & *Arimini* obſidionem à Gothis inſtitutam ſolvit, Urbinum capit, & totam Æmiliam Imperatori reſtituit. *Procop.*

Gothi cum Burgundionibus Mediolanum obſident, & deditione capiunt, ipſam victoriam crudeliſſimè exercent, urbem ipſam ſolo æquant, & ad trecenta millia hominum trucidant, fœminas tamen dono dant Burgundionibus. *Procop.*

Ingens *Fames*, quòd agri inculti manſiſſent, Italiam invaſit, unde tantùm in Piceno ad quinquaginta hominum millia fame perierunt, matres liberos mactârunt, duæ fœminæ ſeptendecim viros mactarunt, & comederunt. *Procop.*

ANNO MUNDI 4488. Poſt C. 539.
B. ☉ 16. ☽ 8. *Ind.* 2.

Conſ. Fl. Apion Ægyptius ſine Collegâ.

Bulgari primùm erumpunt in Mœſiam, & agro vaſtato milites præſidiarios trucidant; Hunnorum rex militibus Romanis auxilio venit, & Bulgaros vincit, ſed dum ſecuriùs agit, à Bulgaris intercipitur, quo facto Juſtinianus Mundum natione Gepidam Illyrico præficit, qui acriter fines tutatus eſt, & Bulgaros erumpentes multis præliis repellit: inde facta alta pax in Thracia. *Cedr.*

Vitiges totâ Italiâ ferè pulſus ad Longobardos mittit de auxilio, ſed fruſtrà. Ideo legatos ad Perſas mittit, qui bellum Juſtiniano faciant, ne omnes vires in Italiam effundere poſſet, quibus perſuaſus Coſrhoes impetum in Syriam facit. *Procopius.*

Theodebertus, cùm videret Gothos debilitatos in Italia, in tanta populorum concertatione Italiam irruit, & utrosque tam Gothos quàm Romanos in Liguria caſtris exuit; ſed commeatu deſtituti Franci dyſenteriæ morbo corripiuntur, & peſte conflictari incipiunt, à Beliſario præterea fœderis admoniti in Galliam redeunt tertiâ ferè militum parte amiſſa. Procop.

ANNO MUNDI 4489. Poſt C. 540.
A. G. ☉ 17. ☽ 9. *Ind.* 3.

Coſ. Juſtinus F. Germani ſine Collegâ.

Annus Nabonaſſaris 1288. *& Philippi* 864. *incipit* 10. *April. feria* 3.

Salomon *præfectus Africæ deſertus à militibus interficitur ab hoſtibus Mauris, cui ſuccedit, juſſu Juſtiniani,* Sergius *patruelis.* Procop.

Coſrhoes *Syriam verſus exercitum populabundus ducit, & Surenorum urbem fraude interceptum diripit & incendit, captivos tamen poſtea redimi paſſus eſt ducentis aureis, cum captivorum eſſent duo millia. Poſtea Berrhoen capit & excindit, Antiochiam captam & omnibus ornamentis ſpoliatam exurit. Juſtinianus, cùm vi hoſtem ex Syria amovere non poſſet, pecuniam offert non tantùm in hunc, ſed etiã in ſequentes annos.* Lazii *interim ad Perſas deficiunt, injuriis & avaritia præfectorum Juſtiniani compulſi.* Procop.

Anglici ſcriptores Annotant Eclipſin Solis, quæ acciderit anno ſeptimo Hinrici *regis Saxonum occidentalium, die 20. Junii, dimidia hora poſt horam diei tertiam. Idq; verum eſt. Parallaxis latitudinis eſt 38, 13.*

Latitudo vera ſeptent. 22, 16. *Viſa auſtralis* 13, 57. *Semidiam. Solis* 15. 1. *Summa* 31, 23. *ſcrup. reſidua* 17, 16. *digiti eclipſeos* 6, 54. *Sol in initio cancri. Accidit ad haſce tabulas horis* 4, & 31, 37. *ante meridiem, Londini.*

Annus Alexandreus 852. *& Antioch.* 589. *& Conſtantinop.* 6049. *incipit a. Calendis Octob.*

Beliſarius acriter urget hoſtes in Italia, & Feſulas & Axinum deditione capit, Gothosque contra Gothos militare cogit, & tandem *Ravennâ* expugnatâ, *Vitiges* etiam & reliqui Gothi ſe dedunt, ſi ipſe *Beliſarius* vellet eſſe rex Italiæ. Sed id planè repudiavit, cùm eo ipſo tempore à Juſtiniano contra Perſas revocaretur. Vitigem igitur & Gothos ſecum Conſtantinopolin ad triumphum avehit. Vitiges honeſtè habetur à Juſtiniano, & in fines Perſidis ad gerendum bellum amandatur. *Procop.*

Gothi, cùm adhuc Veronam urbem haberent & paucas alias, ne ſine rege eſſent, *Theudibaldum* poſt Vitigem, qui quatuor annos regnaverat, eligunt. Sed regnat hic tantùm annum ferè. *Procopius.*

ANNO MUNDI 4490. Poſt C. 541.
F. ☉ 18. ☽ 10. *Ind.* 4.

Annus urbis 1293.	*Julianus* 586.
Æra Hiſpanica 579.	*Auguſtorum* 568.

Coſ. Fl. Baſilius Junior ſine Collega.

Ultimus hic conſulum fuit, qui ex privatis electus eſt, Imperatores aliquot poſtea conſulatum primo anno ſui imperii aſſumſerunt, & ſequentis imperii anni poſt conſulatum ejus Imperatores appellati ſunt. Conſules ita Romæ fuerunt per annos 1047.

Feſtum *Hypapante* ſive Purificationis Mariæ inſtitutum hoc anno. *Miſcel.*

Revocato ex Italia Beliſario, Duces relicti opibus corradendis dediti, Italos offendunt; nec Theudibaldus Gothorum rex ſuis rebus deeſt, qui cùm initio vix mille milites haberet, mox magnum exercitum conflavit, & Vitalem Ducem in Venetia prælio vincit, atque ita ſe aliquomodo erexit Reſp. Gothorum, quæ eò devenerat, ut vix unam urbem haberet. Sed circa finem anni ex contentione mulierum diſſenſione orta, *Urajas* Dux optimus à Theudibaldo interficitur, & non diu poſt ipſe rex à Bella vicem Urajæ dolente trucidatur. *Procop.*

Olympias 330. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1317.

Juſtinianus Calendis Auguſti init annũ imperii 15.

Annus Diocletiani 258. *incipit die* 29. *Aug.*

Concilium Arvernenſe celebratum, cui interfuit *Flavius* Remenſium Epiſcopus, anno viceſimo ſeptimo Childeberti Francorum regis. *Tom. Conc.*

Beliſarius contra Perſas profectus, ad Niſibin properat, nec tamen hoſtes invenit, Suſaurorum urbem capit & incendit, & per Duces ſuos in Aſſyria ingentes prædas agit. *Procop.*

Adad, Æthiopum rex, bellum gerit cum *Omeritarum* rege: id cùm difficile & periculoſum eſſet, vovit, ſi vinceret hoſtes, ſe Chriſtianam religionem amplexurum. Voti reus mittit ad Juſtinum legatos, impetratque ab eo Epiſcopos, qui primi omnium Chriſtianiſmum in Æthiopia publicârunt, *Ced.* Hinc patet Æthiopes de antiquitate Chriſtianiſmi apud ſe fruſtra de Philippo ac candace autoribus gloriari.

ANNO MUNDI 4491. Poſt C. 542.
E. ☉ 19. ☽ 11. *Ind.* 5.

Interfecto Theudibaldo, Rugi, qui cum Gothis erant, ex ſuo corpore *Araricum* regem Gothorum erant, ſed *Gothi* repudiato hoc rege, *Badnilam* cognomento *Totilam*, nepotem Theudibaldi, virum ſolertem & magni animi eligunt, qui regnat annos 11. quo audito, Duces Romani fraude inſtituta *Veronam* noctu capiunt, & Gothos ejiciunt; reliqui duces, dum prius diſceptant, quomodo præda ſit dividenda, moram in re gerenda faciunt, interim Gothi animum reſumunt, & in urbem redeunt, Romanosque, qui urbem noctu invaſerant, trucidant, & urbem defendunt. *Totilas* ex hoc caſu recreatus, cùm jam quinque millia militum haberet, Romanos duces invadit, & aperto prælio vincit; paulò pòſt cùm Romani victoriam in manibus haberent, eâ amiſsâ fugiunt. *Procop.*

Coſrhoes in ditiones Romanas viciſſim irruit, ſed Beliſarius obviam ipſi veniens, adeò eum terret, ut regrederetur. *Procop.*

Peſtis hoc anno violentiſſimè graſſata eſt, orta apud Ægyptios, quæ in aliis locis adeò invaluit, ut ad decem millia hominum Conſtantinopoli ſingulis diebus morerentur. *Procop.*

Childebertus & *Clotarius* fratres reges Francorum in Hiſpaniam movent, & Cæſar Auguſtam obſident; ſed cùm eam expugnare non poſſent, *accepta* D. Vincentii *veſte obſidionem ſolvunt.* Iſid.

ANNO MUNDI 4492. Poſt C. 543.
D. ☉ 20. ☽ 12. *Ind.* 6.

Totilas præſidia Romanorum ex urbibus in Thuſcia ejicit, inde reverſus in Samnium *Beneventum* invadit, muroſque ejus dejicit. Cumis etiam potitur, Brutios & Lucanos ſubigit, Apuliam etiam & Calabriam, clementerq; cum ſubditis agit. Contra verò milites Juſtiniani, cùm ſtipendia non redderentur, tumultuantur, Italos deprædantur, Ducibusque obloquuntur. Ideo Juſtinianus novum Ducem Maximinum cum pecunia & militibus in Italiam mittit, qui reliquis omnibus præſit. Sed & hic Dux ineptus fuit rebus gerendis, & belli imperitus, ideò alius Dux Demetrius ſubmiſſus eſt, qui in caſtris Beliſarii militârat. Hic, cùm Totilas Neapolin obſideret, milites in Sicilia colligit, ut obſidionem ſolvat, ſed Totilas hoſce etiam in mari vincit: tandem Maximinus mediâ hyeme auxilia mittit, ſed tempeſtate disjiciuntur, quosdam Totilas capit, & in hiſce etiam Demetrium Ducem; quapropter Neapolitani ſe dedunt, quos iſte & præſidium Romanum Totilas clementiſſimè habet, eos ex graviſſima fame, magnâ curâ ex conſiliis medicorum fovet, & confirmatos dato viatico, quocunque volunt, liberè dimittit, muros tamen Neapolitanos dejicit. Adeò diſciplinæ obſervans fuit, ut quendam ſibi ſanguine junctum, qui ſtuprum virgini obtulerat, morte puniret, omnia ejus bona ſtupratæ daret. *Procop.*

Cùm peſtis in Perſidem ingrueret, Duces Juſtiniani irrumpunt in Perſiam, & maximas prædas agunt; verùm cùm in inſidias prolaberentur, in quibus

quibus tantùm pauci ceciderunt, omnes in turpiſſimam fugam effuſi ſunt, omniaque ſua Perſis reliquerunt. *Procop.*

Terræmotus die 6. Septembr. feriâ primâ, indictione ſeptimâ, ineunte, fuit per univerſum orbem terrarum, quo Cyzici urbs Incerum collapſa eſt, & dimidia abſorpta. *Cedr.*

W*ugar* in Anglia, qui Inſulam Vectam obtinuerat hactenus à Certicio traditam, moritur, & Inſula ad Hinricum redit. *Huntin.*

ANNO MUNDI 4493. Poſt C. 544.
C.B. ☉ 21. ☽ 13. *Ind.* 7.

Annus Nabonaſſaris 1292. *& Philippi ac mortis Alexandri* 868. *incipit die* 9. *Aprilis*, *fer.* 7.

Coſrhoes iterum in ditiones Romanas irrumpit, & Edeſſam urbem oppugnat, ſed fortiſſimè repellitur: ut tamen obſidionem ſolvat, accipit quinquaginta aureorum millia. *Procop.*

Duces Juſtiniani in Italia, neglecta diſciplina militari, incolas prædæ habent, ſed helluantur & milites corrumpunt, ideò nihil ipſis proſperè ſuccedit. Perſcribunt igitur ad Juſtinianum, ſe nec Gothis reſiſtere, nec Italiam tueri poſſe; quibus Juſtinianus coactus Beliſarium ex Perſia revocat, & in Italiam remittit. *Procop.*

Annus ſabbathicus quintus Jobelei decimi poſt everſam Hieroſolymam, *incipit die* 3. *Septemb. fer.* 7. *Anno Jud.* 4305.

Annus Alexandrinus 856. *Antioch.* 593. *& Conſtantinop.* 6053. *incipit à Calendis Octob.*

Totilas Hydruntem obſidet, & ad eas anguſtias redigit, ut de deditione cum Totila colloquerentur. Interim Beliſarius hæc audiens ſubitò ipſis & commeatum & novum præſidium mittit, ideò obſidio ſolvitur. *Procop.*

Cedrenus ſcribit, hoc anno fabrum quendam Andream nomine canem habuiſſe, qui non ſolùm annulos hominibus detractos ſingulis, quorum erant, reddidit; ſed etiam monetas diverſorum Principum diſcernere potuit.

ANNO MUNDI 4494. Poſt C. 545.
A. ☉ 22. ☽ 14. *Ind.* 8.

Annus urbis 1297. *Julianus* 590.
Æra Hiſp. 583. *Auguſtorum* 572.

Beliſarius in Italiam proficiſcens, nullos habet milites; conducit igitur quoſdam, & cùm ad quatuor millia contraxiſſet, in Italiam properat, ubi Piſaurum munit, ut habeat unde equos alat.

Tibur *interim à Totila capitur, prodito oppido à civibus. Sed cives omnes à Gothis ad internecionem occiſi, inde Totilas ad præſidia Romanorum expugnanda ſe convertit, quibus cùm Beliſarius auxilio venire non poſſet, quòd à copiis imperatus eſſet, ideò ſcribit ad Imperatorem.* Procop.

Olympias 321. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1321.

Juſtinianus *Imperator inchoat annum imperii* 19. *Calendis Auguſti.*

Annus Diocletianus 262. *incipit die* 29. *Aug.*

Cùm doctrina Origenis de animis ante corpora exiſtentibus & de fine ſuppliciorum infernalium in Palæſtina reviviſceret, *Origenes* iterùm damnatus eſt. *Theodorus* Cæſarienſis Epiſcopus addictus Origeni, hac damnatione exacerbatus, ſtatuit; ſi doctrinam aliquam defunctis autoribus damnare liceret, etiam Theodorum Mopſveſtenum Theodoretum Cyri & Ibam damnandos eſſe, qui contraria Synodo Chalcedonenſi ſcripſerint. Hâc occaſione quæſtio orta eſt de tribus capitulis, de quibus magnâ concertatione in Eccleſia doctores deinde conflixerunt. *Hiſtor. Eccleſiaſt.*

Cum *Perſis* hoc anno induciæ initæ in quinque annos. *Procop.*

In Africa multis modis hiſce annis tumultuati fuerunt Mauri, quibus acriter ſe oppoſuit Areobinda, *ſed tamen belli non admodum fuit peritus, ideò tandem cecidit. Hoc anno tandem pax rediit omnibus Afris.* Procop.

Mare Thraciã inundavit, & ad quatuor militaria eam obruit, & tandem in ſuam ſedem refluxit. Cedr.

ANNO MUNDI 4495. Poſt C. 546.
G. ☉ 23. ☽ 15. *Ind.* 9.

Diſſidium hoc anno in Paſchate factum Conſtantinopoli, cyclo Lunæ 15. Solis 23. Terminus paſchalis ipſis Calendis Aprilis, literâ Dominicali G: atque ita terminus incidit in feriam primam. Vulgus, quòd putabat Paſcha celebratum iri primo Aprilis, jejunium incipit die quarto Februarii, die ſcilicet Dominicâ, quam vocamus Septuageſimæ. Imperator contrà jubet ſequente hebdomade carnes proſtare, populus contra Carnarios illos foro exigit, & quoſdam interficit. At nihilominus Paſcha non in termino, quod contra Canones fuiſſet, celebratum eſt, ſed jubente Imperatore die 8. Aprilis: atque ita populus dies 36. jejunavit, unâ ſcilicet hebdomade ampliùs. *Cedr.*

Baronius hoc diſſidium collocat in præcedentem annum craſſo errore. Cùm conſtet de die 1. Aprilis, ubi terminus paſchalis fuit, & de 4. Febr. Ipſe igitur terminos paſchales non intellexit.

Bellum Lazicum hoc anno motum. In bello enim Perſico ad Perſas Lazii defecerant, ideò Juſtinianus eos ſub ditionem redigere conatur. Bellum duravit annis quatuor, eo effectu, ut Perſæ penitùs ex eâ regione ejicerentur. *Procop.*

Tria Capitula, de quibus diu in Eccleſia controverſum eſt, ab Imperatore Juſtiniano publicè proponuntur, & ab Epiſcopis damnari jubentur. *Primum* fuit de Theodoro Mopſveſteno, præceptore Neſtorii: *alterum* de Theodoreto, qui ſenſerat olim cum Neſtorio, & ſe duodecim capitulis Cyrilli oppoſuerat. *Tertium* de Iba, qui ſcripſerat Epiſtolam ad Marin Perſam hæreticum, in qua Neſtorii ſententiam defenderat. Et Orthodoxi quidem damnationem horum capitulorum non negaſſent, ſi actum fuiſſet tantùm de doctrina in horum ſcriptis damnandâ, & non actum fuiſſet de perſonis ipſis damnandis, qui tamen ipſi hanc ſuam ſententiam damnaverant, & eâ relictâ ad Orthodoxos acceſſerant. Deinde videbatur hæc damnatio Chalcedonenſi Synodo addi in præjudicium Eccleſiæ, ut ipſa Synodus ſuſpecta redderetur. *Hiſtor. Eccleſ.*

Juſtinianus adhuc ad condemnanda illa tria capitula occupatus eſt, inſtigante Theodoro Cæſarienſi, & *Vigilium* Papam ideò Româ evocat Conſtantinopolin, qui obſecutus ipſi adhuc ante hyemem venit in *Siciliam. Anaſtaſius.*

Beliſarius *nihil eorũ, de quibus ſcripſerat, impetrat interim* Totilas *Firmum, Aſculum, Spoletũ, Peruſiã, & alia loca recipit, & agricolas jubet agro colendo operã*

 dare,

dare, curatque, ne ipſis vis inferatur. Atq; ita Placentini etiam ſe dedunt. Inde abit ad Romam obſidendam, quam ciebat commeatu deſtitutam. Vigilius Papa, ut cives Romanos ſublevaret, multum frumenti navibus Romam mittit, ſed id ſolertia Totila intercipitur, qui etiam Valentinum Epiſcopum, quòd mendacii convictus eſſet, ambabus manibus truncat. Beliſarius etiam qui Romam defendere cupiebat, ſuorum ignavia & temeritate impeditur. Procop.

ANNO MUNDI 4496. Poſt C. 547.
F. ☉ 24. ☽ 16. *Ind.* 10.

Romani *arcta obſidione adhuc premuntur, & fame coacti & mures & omnia fœda animalia comedunt: ideò proditione tandem Iſaurorum urbe* Totilas *potitur die* 17. *Januarii.*

Urbem Totilas conſervavit, ſed tertiam murorum partem dejecit, eo animo, ut urbem etiam excinderet poſtea, à qua ſententia eum Beliſarius dimovit hoc dilemmate: Aut victor eris hoc bello, aut ſuccumbes. Si viceris, & jam Romam integram ſervaveris, opulentior inde fies, & ingentem tibi gloriam ex clementia comparabis: ſi verò ſuccubueris, gratia tibi apud Victorem conciliabitur. *Procop.*

Vigilius Papa, cùm Conſtantinopolin veniſſet, & res majori certamine geri videret, quàm ut componi poſſent, triginta Epiſcoporum Synodum convocavit, in qua, cùm res etiam magnis contentionibus ageretur, jubet, ut quisque ſuam ſententiam ſcripto exhiberet. Cùm hoc factum eſſet, ad Imperatorem accedit, & tria capitula cum perſonis damnanda eſſe præ ſe fert. Paulò pòſt tamen decernit, optimum eſſe, ut de hiſce rebus ſit ſilentium, donec legitimum Concilium indicatur. Hac ſententiæ diverſitate multi fuerunt offenſi, etiam ipſius comites ambo Diaconi. *Facund.*

Bellum *in Italia, variâ fortunâ geritur res Beliſarii reſurgere incipiunt, cùm Juſtinianus milites mitteret. Recipit igitur Tarentum & Spoletum, & Beliſarius Romam feſtinat, cives à Totila per totam Italiam diſperſos revocat, commeatu urbi largiter proſpicit, & munitionem in locum deſtructorum murorum extruere parat. Totilas hoc moleſtè fert, approperat cum exercitu, urbemque vi oppugnat, ſed fortiſſimè repellitur à Beliſario, ideò Tibur abit.* Procop.

Benedictus monachus circa hæc tempora moritur. *Chronicon Caſſinenſe* ejus obitum collocat in annum 542. in diem 21. Martii, in veſperam Paſchatos. Sed nec ibi litera Dominicalis reſpondet, nec Benedictus eo anno mori potuit, cùm poſtidea temporis Totila rex ad ipſum venerit.

Hengiſtus *dederat fratri* Othæ *partes Aquilonares Britanniæ, quas regeret, ſed ita ut ſubditi eſſent Cantuariis, quod & fecerunt annis ferè nonaginta novem. Hoc anno verò* Ida *mutat Ducatum in regnū, idque obtinet annis duodecim. Dictum autem fuit regnum Northumbrorum.* Malmesb.

Alboin *Longobardorum rex, bello petitur à Cunimundo Gepidarum rege, ingentes copiæ conducuntur, & tandem prælio congrediuntur, in quo ex utraque parte ceciderunt ad ſexaginta millia, & Alboin victoriam obtinet, Cunimundum in prælio occidit, & ex ejus calvaria ſibi poculum fieri fecit. Hunni verò Gepidarum ſedem occupârunt.*
Sigeb.

ANNO MUNDI 4497. Poſt C. 548.
ED. ☉ 25. ☽ 17. *Ind.* 11.

Annus Nabonaſſar. 1296 *& Philippi ac mortis Alexandri* 872. *incipit die* 8. *April. feria* 4.

Diaconi Romani, Ruſticus & Sebaſtianus, cùm viderent inconſtantiam Vigilii Papæ, ſcripto probant & evincunt, tria capitula propoſita damnari non poſſe, ſententiamque ſuam ad alias Eccleſias perſcribunt: ſed habent ſententiæ ſuæ adverſarium Imperatorem, qui ſedibus ſuis ejiciebat, quos noverat conſentientes Diaconis. *Hiſtor. Eccleſ.*

Dani *ad Tiſenburgum* Friſiam *vaſtant, & ingentem prædam reportant; Richoldus rex Ducem cum exercitu in Daniam remittit, & cædes ac vaſtationes regerit.* Annal. Friſ.

Franci *in tanto Italiæ bello ſui non obliviſcuntur, ſed duce Buccellino multa in Venetia occupant, quæ Romani tueri non poterant.* Procop.

Theudius *rex Gothorum in Hiſpania à quodam, qui amentiam ſimulabat, trucidatur, cum annos ſeptendecim regnaſſet; ſuccedit ipſi* Theodiſclus *anno uno, & paucis menſibus.* Vaſæus.

Annus Alexandrinus 860. *Antioch.* 597. *& Conſtantinop.* 6057. *incipit à Calendis Octob.*

Heruli Illyricum omne incurſant, & Gepidæ Sirmium capiunt, & alia Dalmatiæ loca. Longobardi etiam cum Gepidis pugnant, & in Norico quædam caſtella capiunt. *Marcel.*

Terræ motus ingens Conſtantinopoli, & in viciniis locis. Nilus etiam ultra conſuetum modum nimium inundavit Ægyptum, Procop.

Cetus piſcis ingens marinus, cùm ferè ad annos quinquaginta plurimùm claſſi imperatoriæ nocuiſſet, tandem, dum Delphinas inſequitur, in vadum defertur & capitur: longitudo ejus fuit triginta cubitorum, latitudo decem.

ANNO MUNDI 4498. Poſt C. 549.
C. ☉ 26. ☽ 18. *Ind.* 12.

Annus urbis 1301.	*Julianus* 594.
Æra Hiſpan. 587.	*Auguſtorum* 576.

Cùm bellum acriter in Italia gereretur, Perſæ occaſione uſi magnas vires colligunt, & fines Romanos deprædantur. Ideò coactus Juſtinianus Beliſarium ex Italia revocat, & Perſis opponit. Beliſarius, cùm non ut par erat, inſtructus exercitu eſſet, quinquennio hoc nihil magnoperè dignum geſſit; ideò lubens Italiâ ceſſit. Præſidiarii interim Romæ ſuum præfectum *Coronem* obtruncant, hujusque facti veniam habere volunt, aut ad Totilam ſe defecturos minantur. Imperator ipſis impunitatem conceſſit. *Procop.*

Conſpiratio in Juſtinianum detegitur, & autores puniuntur. *Proc.*

Olympias 332. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1325.

Juſtinianus *incipit annum imperii* 23. *Cal. Aug.*

Annus Diocletiani 266. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Theodora *Juſtiniani conjux, cùm in imperio exegiſſet annos viginti & unum, mortua eſt die* 9. *Jul.* Ced.

Theodiſclus, *cùm anno uno & paucis menſibus regnum Gothorum in Hiſpania adminiſtraſſet, moritur; Succedit* Agila, *qui regnat annos ferè ſex, & paulo poſt, dum Cordubam oppugnat, in prælio amittit filium, & clade afficitur, adeo in odium venit.* Iſid.

Tonitruis & fulgure frequentiſſimus annus fuit; multi fulmine afflati: & ingens ſeditio Conſtantinopoli exorta, urbs incenſa. Coronam Imperator tum amiſit, qua vix octavo menſe reſtituta eſt. Cedr.

ANNO MUNDI 4499. Poſt C. 550.
B. ☉ 27. ☽ 18. *Ind.* 13.

Vigilius Papa, quòd condemnaverat tria illa capitula, & conſenſerat in condemnatione iis, qui ſuſpecti erant Eutychianiſmi ſuſpectus ipſe ſit deſertæ veritatis; quapròpter ſe excuſat per epiſtolas, & cur de tribus capitulis tacendum ſit, usque dum generalis ſynodus convocetur, cauſas proponit, & deinde Diaconos ſuos excommunicat, & ab officio removet, menſe Aprili.

Totilas iterum Romam obſidet, in cujus præſidio Beliſarius reliquerat tria millia militum, qui Romam quidem defendere potuiſſent; ſed cùm ſtipendia non illi carerentur, Iſaurorum proditione Totilas urbe potitur. Totilas urbem ut jam ſuam munit, & commeatu invecto ludos ibi agit. Recipit inde omnia in Italia, & de Sicilia occupanda conſilia agitat. *Procop.*

Juſtinianus, *ut bellum in Italia inſtauraret*, Germanum *ſororis ſuæ filium, qui* Theodorici *regis Gothorum neptem uxorem habebat, eò cum exercitu mittit; quâ de re magnopere damnatus eſt. Totilas metuens, ne Gothi ad Germanum tanquam ad legitimum regem deficerent. Romani contra magnoperè erecti ſunt. Sed cùm ſeriùs Conſtantinopoli moviſſet, hyemat in Græcia.* Procop.

Sclavi *Iſtrum trajiciunt, urbes munitas expugnant, & omnes abſque diſcrimine trucidant, & imprimis capitis palis ſecundum longitudinem per corpus adactis, & in terram defixis ſuſpendunt.* Procop.

Lechus *Sclavus circa hæc tempora dicitur Poloniam occupaſſe & principatum conſtituiſſe, quem poſteri obtinuerunt annis centum & quinquaginta.* Hiſt. Polon.

Indus *legatus Conſtantinopolin venit, Imperatorique inter alia munera offert Elephantem, qui noctu ſtabulo egreſſus multos homines occidit. Paulo poſt iterum tumultus Conſtantinopoli exortus, in quo multi cæſi ſunt, tabernæ etiam fuerunt effractæ.* Cedr.

ANNO MUNDI 4500. Poſt C. 551.
A. ☉ 28. ☽ 1. *Ind.* 14.

Vigilius Papa, cùm ſententiam ſuam de tribus Capitulis, quòd videlicet de iis tacendum eſſet, usq; ad Concilium, revocare nollet, Conſtantinopoli vim patitur, ideoque ad templum D. Petri, quod proximum erat, confugit. Ex eo loco anathema dicit *Theodoro* Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ, autori trium capitulorum, & Mennæ Epiſcopo Conſtantinopolitano, die 14. Auguſti. *Baron.*

Germanus *priusquam in Italiam proficiſceretur, & in Græcia adhuc eſſet, à Juſtiniano contra Sclavos, qui Macedoniam vaſtabant, mittitur. Sclavi territi nomine Germani iter avertunt. ſed in ipſo conatu Germanus moritur: cui ab Imperatore ſubſtituitur Johannes. Claſſis Imperatoris in Siciliam pervenit, & Syracuſas confirmat. Sed cùm commeatu deſtitueretur, abit, & naufragio perit.* Proc.

Annus ſabbathicus 6. Jobelæus decimus, incipit 16. Septemb. Anno Judaic. 4312.

Totilas liberatus timore Germani in Siciliam tranſit, eam vaſtat, & ingenti copiâ equorum, frumenti & aliarum frugum potitus, in Italiam redit. *Procop.*

Sclavi Germano defuncto, libere in tota Græcia debacchantur, donec alius exercitus contra ſe ab Imperatore mitteretur, quem tamen prope Adrianopolin vincunt. Inde audaciores facti, Thraciam Conſtantinopolin usque vaſtant, ſed exercitus Imperatoris cum ſeſe ex trepidatione collegiſſet, & confirmâſſet, Sclavos aggreditur, eosque magnâ cæde vincit. *Procop.*

Henric rex Weſtſaxonum in Anglia Britannos iterum bello petit, eosque vincit. Cœptum bellum anno 18. regni, duravit quinquennium. *Huntin.*

Alboin Longobardorum rex bellum gerit cum Cunimundo Gepidarum rege, eum vincit & in prælio trucidat, & ex ejus cranio auro ſuperinducto poculum facit, filiamque ejus *Roſimundam* ducit uxorem. Gepidis hoc bellum infeliciſſimè ceſſit. Nam vel trucidati ſunt, vel ſubditi facti, aut Longobardis aut Hunnis. Paulò pòſt hanc victoriam *Narſes* mittit ad Alboin, milites & auxilia petitum contra Totilam in Italia, quòd facilè obtinuit, & horum virtute Totilam & Gothos devicit, quos tamen poſt victoriam ſtatim ad regem ſuum dimiſit. *Diac.*

ANNO MUNDI 4501. Poſt C. 552.
G.F. ☉ 1. ☽ 2. *Ind.* 15.

Juſtinianus ſancit die 8. Febr. ut Judæi ſacra Biblia, non Hebraicè, ſed in uſitata lingua, ubi vivunt, legant, ut in Græcia Græcè, in Italia latinè, atque in aliis locis: in Græcia tamen verſionem ſeptuaginta interpretum retineant. *Cod.* Unde videre eſt, ſacra Biblia etiam à Judæis in omnibus linguis lecta fuiſſe, ut intelligerentur. Cur igitur id Chriſtianis à Pontificiis interdictum?

Vigilius Papa pugno à quopiam Conſtantinopoli verberatur, & homicida appellatur, qui Silverium anteceſſorem occidiſſet; quapropter fugit Chalcedonem ad templum Euphemiæ. Juſtinianus in tanto rerum motu remittit aliquantum, & edicta de damnandis tribus capitulis inhibet, mandatque, ut de iis ſileatur usque ad futurum Concilium. Excommunicati etiam tàm *Theodorus* quàm *Menna* Epiſcopus ſcripto apud Papam deprecantur, & cùm profiterentur ſe orthodoxè ſentire, abſolvuntur, & ſedibus ſuis reſtituuntur. *Baron.*

Annus Nabonaſſar. 1300. *& Philippi & mortis Alexandri* 876. *incipit die* 7. *April. fer.* 1.

Templum Apoſtolorum Conſtantinopoli, quod Juſtinianus ſumtuoſiſſimè inſtaurari juſſerat, cùm crematum olim in ſeditione fuiſſet, dedicatur à Menna Epiſcopo Conſtantinopolitano die 29. Junii.

Armenii *ordiuntur hoc anno die* 9. *Julii feria tertia ſuam æram, quâ adhuc hodiè utuntur: eſt autem forma annorum Nabonaſſarea, & habet menſes duodecim æquabiles, triginta dierum cum ἐπαγομένοις quinque ut in Nabonaſſ.*

Annus Alexand. Seleuc. 864. *Antioch.* 601. *& Conſtantin.* 6061. *à Calend. Octob.*

Auguſta Vindelicorum, quæ in Imperii ditione fuerat annis ferè 550. in Francorum imperium ditionemque concedit. *Welſ.*

Theodebertus Francorum rex, qui Metis regnabat.

bat, moritur, *ut habet Procop.* Francici ſcriptores concedunt ipſi tantùm annos regni quatuordecim. Sed ſi pater ipſius Theodoricus mortuus eſt, bellum ſuſcepturus contra Almericum regem Gothorum, affinem ſuum anno 530. neceſſe eſt, ut hic annos viginti duo regnaverit: caſu autem exanimatus eſt Theodebertus. Nam dum Vrum conficere conatur, latitat poſt arborem. Urus contrà ipſum regem interfecturus, tanto impetu in arborem fertur, ut ramus ingens defringeretur, qui in regem delapſus, eum ita adeò contundit, ut eo ipſo die moreretur. Succedit ipſi filius *Theodobaldus* adhuc ferè puer, qui regnat annis ſeptem. *Agath.*

Juſtinianus *tandem* Narſetem *Eunuchum, artis bellicæ peritiſſimum, in Italiam mittit, qui diu tamen detinetur ob incurſionē Hunnorū in Thraciam.* Proc.

Totilas hâc æſtate Romam exornat, & claſſem mittit ad Græciam diripiendam, quæ primùm Corcyram appellit, eamque diripit. Inde in Peloponneſum abit, multasq; Imperatoris naves capit. Interim Totilas *Anconam* terrâ marique obſidet. Romani contrà cùm ſcirent, quantum momenti in hac urbe ſitum eſſet, auxilium ferunt, claſſe pugnant, vincunt, & ex quadraginta ſeptem navibus Totilæ vix undecim effugiunt, atque ita obſidio ſoluta eſt. Poſtea Gothi etiam ex Sicilia ejiciuntur. *Procop.*

Ingens terræ motus in Græcia. quo plurimæ urbes everſæ ſunt, & inter cæteras Naupactum, Petra, Corona & aliæ. Mare denique plurima loca in Græcia operuit, quòd cùm in ſuas ſedes receſſiſſet, omnis generis piſces incognitos in terra reliquit. *Procop.*

Totilas Crotonem urbem obſidet; obſeſſi, cùm eſſent à commeatu imparati, in Siciliam mittunt, auxilia & commeatum petitum. *Procop.*

Mennas Epiſcopus Conſtantinopolitanus moritur, cùm ſediſſet annos ſedecim. Succedit ipſi ſtatim in initio anni ſequentis *Eutychius*; qui ſedit annis duodecim. *Niceph. Patriarcha.*

ANNO MUNDI 4502. Poſt C. 553.
E. ☉ 2. ☽ 3. *Ind.* 1.

Annus urbis 1301.	*Julianus* 598.
Æra Hiſpanica 591.	*Auguſtorum* 580.

Crotoniatis ex Sicilia mittuntur auxilia & commeatus, quibus non ſolùm obſidio ſoluta eſt, ſed Tarentum etiam Romanis deditum, & quidam Duces relicto Totilâ ad Romanos transfugiunt. *Procop.*

Annus Diocletiani 270. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Olympias 333. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1329.

Juſtinianus *incipit annum imperii* 27. *Calend. Aug.*

Narſes inde Ravennam petit incolumis, & tandem ad Rubiconem fluvium ab hoſtibus cuſtoditum præſidia dejicit, & in Thuſcia Totilam conſecutus, aperto Marte cum eo pugnat & vincit, ſex millibus hoſtium occiſis; Totilas ipſe in prælio vulneratus paulò pòſt moritur, cùm annis ferè undecim Gothis præfuiſſet, & feliciſſimè Gothorum res adminiſtraſſet. *Narſes* ad præſidia dejicienda exercitum circumducit, & Italiam ferè totam recuperat, unà cum Roma urbe. Nuncius hujus victoriæ unà cum clavibus urbis Romæ Conſtantinopolin venit menſe Auguſto. *Procop.*

Concilium Conſtantinopolitanum primo Maji celebratur; convenerunt Epiſcopi plùs quàm centum & quinquaginta, ſed ferè tantum ex Oriente. *Vigilius* Papa noluit Concilio huic intereſſe, quòd Occidentales Epiſcopi abeſſent, contra quàm ab Imperatore promiſſum erat, ideò excuſavit morbum, & *Tria* illa capitula ad ſententiam Juſtiniani damnantur, repugnante Vigilio Papâ, qui prolixum ſcriptum de re hac edidit, *ut habet Baronius* Hinc factum, ut multi, qui diverſum ſentiebant, in exilium ejicerentur, præſertim in Africa & Illyrico, Aſiatici enim ferè omnes ſubſcripſerunt. Vigilius ipſe in exilium actus eſt cum ſuis. *Hiſt. Eccl.*

Gothi Româ & Italiâ pulſi regem ſibi creant *Tejam*, qui ferè annum regnavit, & odio Italorum quosque nobiliſſimos obtruncant. Narſes contrà præſidia Gothorum expugnat, & Cumas obſidet, ubi Totilæ theſauri erant cum valido præſidio. Eò venit etiam *Tejas*, & bellum ibi geritur aliquot menſibus. *Procop.*

Clotarius *Francorum rex Saxones ad Wiſeram fluvium vaſtat; inde in Thuringiam proficiſcitur, & Saxones & Thuringos domat.* Marcellin.

Gothi in Hiſpania ſeditionibus laborant. Infenſi enim Agilæ regi *Athanagildum* regem faciunt. Agila contra Athanagildum bello perſequitur, ſed Athanagildis vincit, & regnum retinet, pulſo Agila, qui annis quinque regnârat, ipſe regnum obtinet annis 14. & aliquot menſibus. *Iſid.*

ANNO MUNDI 4503. Poſt C. 554.
D. ☉ 3. ☽ 4. *Ind.* 2.

Clerus Romanus, cùm Narſes Romæ eſſet, eum rogat, ut apud Imperatorem intercedere velit pro Vigilio, ut Romam remitteretur. Juſtinianus non improbat reſtitutionem, ſi tria illa Capitula damnet. Vigilius ut exilio ſolvatur, improbat ſuum ſcriptum, quod Synodo priori anno contra condemnationem trium Capitulorum obtulerat, & ſubſcribit condemnationi: decernitur igitur, ut in Italiam redeat. *Baron.*

Tejas ultimus Gothorum rex, tandem ad Cumas menſe Feb. fortiſſimè dimicans vincitur, & occiditur; at verò *Agilernus*, qui in præſidio Cumis erat, nequaquam ſe dedere voluit, ſed obſidio diuturno tempore continuata eſt, donec Franci in Italiam venirent. *Franci* enim victis Gothis auxilio ſe venire ſimulabant, procul dubio Italiam occupaturi, ſi potuiſſent, collecto exercitu duorum & ſeptuaginta millium, & in Italiam tranſcendunt, quibus Narſes obviam mittit quoſdam Duces, qui iter eorundem morarentur, ipſe interim Thuſciam recipit. Franci verò cùm Parmæ conveniſſent, Fulcarem Narſetis Ducem temerè ſe inferentem trucidant. Interim Lucenſes portas Narſeti claudunt, quos Narſes obſidet, & in tertium menſem eos urget, donec expugnationis metu ſe dederent. Aligernus etiam in præſidio Cumarum, dum perpenderent, Gothis, quorum res ita ceciderant, aut Francis aut Romanis ſerviendum eſſe maluit Romanis ſe dedere, atque ita Narſes Cumis potitus eſt circa medium autumni. *Agath.*

Perſæ in Laziorum terram irrumpunt contra Juſtiniani exercitum, qui & licentià correptus erat, & Laziorum regem indictâ cauſâ interfecerat. Perſarum tantùm tria millia erant, & Romanorum exercitus quinquaginta millium, & tamen Romani turpiter vincuntur. Agath.

ANNO

ANNO MUNDI 4504. Poſt C. 555.
G. ☉ 4. ☽ 5. *Ind.* 3.

Vigilius Papa, qui anteceſſorem ſuum Sylverium occiderat, malis artibus Pontificatum invaſerat, & conceſſerat Juſtiniano, quod nemo ante eum & pontificibus concedere voluerat, ut Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſecundas poſt Papam Romanum haberet, vehementibus calculi doloribus Syracuſis, quo ſuperiori anno pervenerat, moritur menſe Januario, cùm ſediſſet annos 17. menſes ſeptem & aliquot dies. *Onufr.* Succedit ipſi à Juſtiniano nominatus & a Narſete intruſus. *Pelagius*, qui ſedet annis ferè quinque, cùm invito Clero intruſus eſſet, & ſuſpectus eſſet, quòd Vigilium veneno ſuſtuliſſet, nemo fuit, à quo conſecrari poſſet. Aſſumtus igitur fuit Epiſcopus Oſtienſis & alius, ubi in ipſa conſecratione per omnia ſacra juravit, ſe innocentem de morte Vigilii eſſe. *Anaſt.*

Franci cum Alemannis in Italia ubique graſſantur, & Alemanni quidem per Campaniam in Siciliam usque perveniunt, & crudeliter in homines atque templa graſſantur: Spoliis onuſti reditum ad penates parant, ſed præda ferè omni exuuntur, cùm captivi aufugerent, Romano exercitu appropinquante & urgente: abierunt tamen hi in vicinia Venetorum loca, ubi poſtea peſte ingruente ferè abſumti ſunt. Franci etiam in duas partes diviſi partim totam Italiam per æſtatem vaſtant, ſed veniente autumno redituri domum peſte affligi incipiunt. Alii in Campania bellum faciunt Narſeti, Fuerunt homines ad triginta millia, qui occidione occiſi ſunt, ita, ut quinque tantum homines evaſerint. *Agath.*

Terra Motus ingens concutit Conſtantinopolin die 15. Auguſti. Multæ ædes ſacræ & maxima pars mœnium procidit, mare ad duo millia paſſuum ab urbe receſſit, & multæ naves abſumtæ ſunt. Eâdem clade affecta eſt tota Aſia. *Berythus* urbs, ubi ſchola tum temporis Juriſperitorum erat, everſa eſt. Juris igitur Doctores Sidonem conceſſerunt. Eo terræmotu etiam Ægyptus concuſſa eſt, quæ expers aliàs hujus mali eſſe ſolet: *Cous* Inſula ferè tota interiit. *Agath.*

Perſæ *in Lazorum finibus Phaſida urbem obſident, quam Romani Duces ſtrennè defendunt, & Perſarum ad duodecim millia occidunt, & ita obſidio ſoluta eſt; Cùm vix ducenti Romanorum cecidiſſent, Perſarum Dux collectis reliquiis in Iberiam concedit, ubi hybernat. Juſtinianus contrà Duces ſuos, qui Gubazem Lazorum regem indictâ causâ trucidarant, capitis damnat.* Agath.

ANNO MUNDI 4505. Poſt C. 556.
B. A. ☉ 5. ☽ 4. *Ind.* 4.

Gothorum *millia ſeptem ſuperiori anno, cùm Francos auxiliares viderentur habere, & ipſi nollent Romanis ſubeſſe, Capuam oppidum occupaverant, idque munitionibus inſtruxerant, quæ ſatis eſſent ad obſidionem tolerandam. Narſes igitur eos obſedit tota hyeme, & cùm primo vere præfectus Gothorum cecidiſſet, urbem deditione accepit, quos omnes ſimul Conſtantinopolin mittit, atque ita Gothi ex Italia exacti, & bellum hoc finitum.* Agath.

Annus Nabonaſſaris 1304. *& Philippi ac mortis Alexandri* 880. *incipit* 6. *April. fer.* 5.

Pelagius, quòd ſubſcripſiſſet condemnationi trium Capitulorum, ſuſpectus erat hæreſis, quaſi in Eutychianorum caſtra conceſſiſſet: ideò ſcriptis literis ad omnes Eccleſias ſe excuſat. Scribit etiam ad regem Hildericum eâ de re, & hortatur Narſetem, ut Epiſcopum Aquileiæ, qui tria illa Capitula damnare nolebat, loco moveret, ut & alios, ſed quid Narſes in hac re egerit, nullibi extat. *Baron.*

Annus Armeniorum quintus incipit 8. *Julii fer.* 7

Annus Alexandrinus 868. *Antiochenus* 605. *& Conſtantinop.* 6065. *incipit a Calend. Octob.*

Romani Rhodopolin Colchorum urbem recipiunt, & Miſianorum gentem, quæ ad Perſas defecerat, magnis cladibus affectam recipiunt.

Coſrhoes pertæſus belli, Ducem ſuum, qui ad Phaſida urbem ſuperiori anno malè rem geſſerat, vivum excoriari jubet, & cum Juſtiniano pacem facit hac conditione, ut uterque, quòd occupaſſet, haberet. *Agath.*

Cæſareæ Palæſtinæ Judæi & Samaritani facta ſeditione impetum in Chriſtianos faciunt, & multis interemtis templa Chriſtianorum cremant: ideò Adamantius mittitur, qui quæſtione habitâ alios interficit, & alios publicatis bonis in exilium ejicit. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4506. Poſt C. 557.
G. ☉ 6. ☽ 7. *Ind.* 5.

Annus urbis 1309.	*Julianus* 602.
Æræ Hiſpan. 595.	*Auguſtorum* 584.

Templum Sophiæ Conſtantinopoli tandem perfectum: cre-matum quondam fuerat à populo in ſeditione, ſed quod Juſtinianus reſtituit, longè pulchrius fuit. Longitudo ejus fuit pedum 260. Altitudo pedum 180. latitudo 115. latitudo cujusvis fornicis pedum ſexaginta ſex. &c. *Evagr.*

Olympias 334. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1337.

Juſtinianus *init annum imperii* 31. *Calendis Aug.*

Annus Diocletiani 274. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Circa hæc tempora duo monachi ex India Conſtantinopolin veniunt, Græcosque docent rationem conficiendi ſerici. Inde poſtea artifices alii hujus rei in Græcia extiterunt, & ſequentibus temporibus ad Italos etiam ejus ratio progreſſa eſt.

Terræ motus Romæ tantus fuit, ut is urbem plus vaſtaverit, quàm nulli hoſtes, isque terræ motus hyeme rediit. Conſtantinopolis eodem terræ motu horribiliter concuſſa eſt, duravitque plurimis diebus. Juſtinianus ea de cauſa coronam in Natalitio feſto depoſuit, & impenſas, quæ in ſpectaculis abſumebantur, egenis diſtribuit. *Agath.*

ANNO MUNDI 4507. Poſt C. 558.
F. ☉ 7. ☽ 8. *Ind.* 6.

Peſtis vehementiſſima Conſtantinopolin invaſit ſtatim menſe Februario, quæ adeò invaluit, ut Libitina non ſufficeret ſepeliendis defunctis: ideò mille libitinarii ad reliquos aſſumti ſunt, ſed nec hi ſuffecerunt, præcipuè menſe Julio & Auguſto, ideò currus additi, quibus cadavera in mare projicienda delata ſunt. *Evag.*

Juſtinianus tantâ calamitate motus, legem edidit in maſculorum concubitores, eosq; ſeverè punivit, plerisq; veretrum abſcidit, præſertim clericis, atque ita eos lentâ morte conſumi paſſus eſt. *Ced.*

Annus

Annus ſabbathicus 7. ſive Jobeleus decimus incipit 31. Auguſti. Anno Judaic. 4319.

Theodomirus, *Suevorum in Hiſpania rex, qui ab Arianis ad Catholicos acceſſit, incipit, regnatque annos duodecim.* Iſidor.

Eugenius *Scotorum rex, cùm annos viginti tres regnâſſet, moritur; ſuccedit ipſi* Congallus, *qui obtinet regnum annis duodecim.* Buch.

Hunni *byeme ineunte ad Iſtrum caſtra faciunt, in Thraciam irrupturi quandocunque poſſent, conglaciato Iſtro.* Agath.

ANNO MUNDI 4508. Poſt C. 559.
E. ☉ 8. ☽ 9. *Ind.* 7.

Zaberga *Hunnorum præfectus cum multis millibus Iſtrum glacie concretum tranſit, exercitum dividit, & alteram partem in Græciam tranſire jubet, alteram ipſe in Cherſoneſum ad Seſtum urbem ducit, eâ ſpe, ſi Cherſoneſum in poteſtatem redigeret, ſe facilè inde in Aſiam trajecturum; interim omnia depopulatur, & crudeliſſimè homines tractat. Conſtantinopoli pauci milites erant, & ſi qui erant, prolapſi erant in delicias longâ pace: ideo ingens perturbatio Conſtantinopoli facta, cùm metuerent obſidionem: qui extra urbem erant, omnia in urbem comportabant. Tandem Beliſarius, qui præ ſenio incurvatus erat, à Juſtiniano contrà Hunnos mittitur cum imperio, qui Hunnorum equitatum vincit. Ita vincuntur etiam, qui ad Cherſoneſum erant. Sic qui in Græciam tranſire voluerant, excluduntur, cùm Græci Thermopylas præſidiis firmâſſent. Non tamen ita finibus excedere voluerunt, niſi captivi redimerentur, quibus aliàs mortem minitabantur. Quapropter Imperator tantum auri, quantum popoſcebant, illis numeravit; alios tamen barbaros Imperator in Hunnos excitavit, qui Hunnis redeuntibus obviam facti, eos prædâ exuerunt, & pleroſque trucidârunt: qui evaſerunt, de injuriâ hâc vindicandâ conſilia ineunt, & exercitu redintegrato barbaros illos invadunt.* Agath.

Pelagius Papa, cùm ſediſſet annos ferè quinque, moritur die 2. Martii; ſuccedit ipſi Johannes tertius, qui Catellinus vocatus eſt, ſedetque annis 13. ferè. *Anaſt.*

Theodibaldus Francorum rex, qui Metis regnaverat poſt patrem Theodobertum annis ſeptem, *ut Turonenſis habet*, moritur anno Clotarii Patrui magni quadrageſimo quarto, *quod Marcellinus affirmat*, & Clotarius accipit ejus regnum ſimul & uxorem. Hinc ſimultas oritur inter Hildebertũ & Clotarium fratres, cùm Hildebertus eſſet natu major, & hæreditati videretur proprior. *Turon.*

Euphronius Turonenſis Epiſcopus eligitur hoc anno. *Turon.*

ANNO MUNDI 4509. Poſt C. 560.
D. C. ☉ 9. ☽ 10. *Ind.* 8.

Annus Nabonaſſaris 1308. *& Philippi* 884. *incipit die* 5. *April. feria* 2.

Tumultus ingens Conſtantinopoli, quòd Juſtinianus putaretur mortuus, cùm leviter dolore capitis ægrotaret, oritur; tabernæ direptæ & multi occiſi, donec præfectus urbis horâ nonâ luminaria accenderet, unde intellectum fuit, Juſtinianum adhuc vivere, & tumultus conticuit. *Cedr.*

Armen. Annus 9. *incipit* 7. *Julii, feria* 4.

Annus Alexand. 872. *Antiochenus* 609. *& Conſtantin.* 6069. *inc. Calend. Octob.*

Henric. rex Weſtſaxonum in Anglia moritur, cùm annis 26. regnâſſet; ſuccedit ipſi *Ceaulin* filius, qui regnat annos triginta. *Huntin.*

Ida rex Northumbriæ in Anglia moritur, cùm annos 12. regnâſſet; ſuccedit ipſi *Ella* filius, qui regnat annis 30. *Huntin.*

Saxones Clotario regi Franciæ iterum rebellant, ideo ab ipſo petuntur hoſtiliter. Saxones pœnitentes facti pacem petunt, & offerunt ipſi pro pœna dimidium rerum ſuarum, ſed cùm nihil impetrarent, inviti pugnant & vincunt, & Clotarium totâ Saxonia exigunt. *Marcel.*

ANNO MUNDI 4510. Poſt C. 561.
B. ☉ 10. ☽ 11. *Ind.* 9.

Annus urbis 1313.	*Julianus* 606.
Æra Hiſpanica 599.	*Auguſtorum* 588.

Chramnus filius Clotharii annitente Patruo Hildeberto rebellat, regnumque Francorum ſeditione conturbat. *Saxones hâc data occaſione in* Franciam irruunt, & prædas agunt. Hildebertus Rhemenſem Campaniam populatur, & Clotharius ubique infeſtatur. *Marcellin.*

Brandanus in Scotia claret, qui ſeptennali navigatione fortunatas Inſulas requirens multa miraculo digna vidit, *inquit Sigebert.*

Olympias 335. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiad.* 1337.

Juſtinianus *Imperator inchoat annum imperii* 35. *Calendis Auguſti.*

Annus Diocletianus 278. *incipit die* 29. *Aug.*

Conſtantinopoli die 5. Novemb. Ablavius Marcellus & Sergius Juſtiniano inſidias ſtruunt: conjuratione detectâ capiuntur & capite multantur. A conjuratis etiam Beliſarius nominatus fuit, & à multis inſimulatus, ideò cum tota familia capitur: ſed ſequenti anno re ad liquidum explorata, die 19. Martii in dignitatem priſtinam reſtituitur. (de cæcitate & mendicitate Beliſarii fingitur à Pontificiis, ut exemplum habeant punitæ injuriæ in Papam Romanum) *Cedr.*

Childericus Francorum rex dedicat templum D. Vincentii Pariſiis, donatque ei agros, & alia. Donatio ejus extat data menſe Decemb.

ANNO MUNDI 4511. Poſt C. 562.
A. ☉ 11. ☽ 12. *Ind.* 10.

Caſſiodorus, qui in magna autoritate fuerat apud Theodoricum Veronenſem, & condiderat Cœnobium ſub Athalarico, idque vivarium appellârat, ob copiam piſcium; In eo otio abundans ſtudiis ſe dedit, inſtruxerat id omnis generis inſtrumentis, ut Lucernis, horologiis aquaticis & ſolaribus, præterea bibliotheca copioſa: plurima ſcripſit, & elaboravit, & in primis hoc anno cõputum Paſchalẽ publicavit, quando docet indictionem decimam inveniri, ſi æræ Chriſtianæ 562. addantur tria, & ſumma per quindecim dividatur. Quo anno autem poſtea mortuus fuerit ignoratur. Plus quàm nonaginta annorum ipſe fuit, hoc anno labente.

Mons Rhodano fluvio propinquus in Galliis mugitum per multos dies edit, & tandem ab alio monte vicino divulſus præceps cum omnibus ædificiis in Rhodanum cadit. *Sigon.*

Circulus *annorum* 532. *inquiunt faſti Siculi hoc anno completus eſt, & novus de integro incipit; unde videre eſt, in Græcia etiam fuiſſe, qui computum Victorini ab anno paſſionis Chriſti, ut putabant, deductum, ſecuti ſunt.*

Clotarius *intercedentibus amicis cum fratre Childerico in gratiam redit; ſed cùm Childericus ſequenti anno moreretur, Chramnus ſeſe iterum parenti oppoſuit.* Marcel.

ANNO MUNDI 4512. Poſt C. 563.
C. ⊙ 12. ☽ 13. *Ind.* 11.

Childebertus Francorum rex moritur anno regni quadrageſimo nono, abſque liberis maſculis. Clotharius igitur frater excluſis filiabus totum regnum occupat, atque ita omni Galliâ ſolus potitur, bello tamen à filio petitus ab Eccleſiaſticis tertiam redituum partem ſibi poſtulat; ſed ipſi acriter reſtitit Euphronius Epiſcopus Turonenſis, ideò res omiſſa eſt. *Gaguin.*

Beliſarius moritur *ut Cedrenus habet*; fuit Dux præſtantiſſimus, & cuilibet veterum comparandus.

Chramnus patri Clothario bellum facit, aſcito ad ſocietatem Conobaldo Aquitaniæ rege: ſed Clotharius prælio vincit, fugientes inſequitur, & Chramnus quidem in Angliam effugit, Conobaldus verò, cùm ulterius non poſſet, in ſacellum D. Martini ſe recipit, ex quo, cùm pollicitationibus educi non poſſet, unà cum ſacello vivus crematus eſt. Clotharius tamen id templum magnificentius reſtituit. *Marc.*

Juſtinianus Imperator in eorum hæreticorum errorem prolabitur, qui dixerunt, *Chriſti humanam naturam incorruptibilem, impaſſibilem, & mutationibus obnuxiam non fuiſſe, nec cibo indiguiſſe*, & hunc errorem edicto proponit, & cum ab Epiſcopis approbari voluit. *Hiſt. Eccleſ.*

Conſtantinopolis incendio ferè tota perit. Cedr.

Theodomirus, Suevorum in Hiſpania rex, relicta Ariana hæreſi Orthodoxos ſequitur, & Concilium Bracharenſe celebrat. *Tom. Conc.*

ANNO MUNDI 4513. Poſt C. 564.
FE. ⊙ 13. ☽ 14. *Ind.* 12.

Annus Nabonaſſ. 1312. *& Philippi.* 888. *incipit* 4. *April. fer.* 6.

Juſtinianus Imp. Eutychium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, impugnantem hæreſin Imperatoris, Epiſcopatu Conſtantinopolitano dejicit, & variis in locis detentum tandem in Cœnobio concludit, cùm ſediſſet annos duodecim, menſes duos. Succedit ipſi Johannes, qui ſedit annis duodecim & menſibus ſeptem. *Niceph. Pat.*

Annus Armen 13. *inc.* 6. *Julii fer.* 1.

Annus Alexandrinus 876. *Antioch.* 611. *Conſtantinop.* 6073. *incipit à Calendis Octob.*

Clotarius filium ſuum Chramnum in Britanniam usque perſequitur; ibi, cum Chonobrus Britonum dux Chramnum bello contra patrem defenderet, prælio inito Chonobrum vincit, & in prælio trucidat. Chramnus verò mari fugere conatus, dum uxorem & filias properare jubet, capitur, & cum uxore & filiabus in tuguriolo concluſus, vivus crematur. *Gregor.*

Medardus Epiſcopus Noviomenſis in Gallia moritur, præſente Clothario rege, qui victor ex Britannia redierat. *Gregor.*

ANNO MUNDI 4514. Poſt C. 565.
D. ⊙ 14. ☽ 15. *Ind.* 13.

Annus orbis 1317.	*Julianus* 610.
Æra Hiſpanica 603.	*Auguſtorum* 592.

Clotarius rex Franciæ omnium ſuorum fratrum hæres factus, moritur anno regni quinquageſimo primo. Succedunt ipſi filii quatuor, qui iterum regnum in partes quatuor dividunt: *Charibertus* qui natu maximus, Pariſiis regnat annis novem; *Chilpericus*, qui regnat Sueſſione: *Guntramnus*, qui regnat annis 33. moritur absque liberis: *Sigebertus*, qui & Aribertus, regnat annis 15. Ejus conjux fuit *Brunechildis* regis Athanagildis Wiſigothorum in Hiſpania filia.

Otham & *Ermericus* fratres, cùm Cantuarienſium regno præfuiſſent annis 53. moriuntur, quibus ſuccedit *Ethelbertus* filius *Ermerici*, qui regnat annis 53. qui in primis annis, quòd militiæ non ſtuduiſſet, Britannis bello impar fuit, & ferè toto excuſſus fuiſſet regno, niſi militiæ operam dediſſet, quo facto totam Inſulam occupavit, præter Nortumbriam. *Inde Francorum regis filiam* Bertham *uxorem ducit, cujus pietate permotus, & quod Auguſtinus à Pontifice Romano in Angliam miſſus adveniſſet, nomen Chriſto dedit, cùm annos* 31. *regnaſſet.* Malmesb.

Olympias 336. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1341.

Juſtinianus incipit imperii annum 39. *Calendis Auguſti.*

Annus Diocletiani 282. *incipit die* 29. *Aug.*

Columbanus Presbyter ex Hybernia in Britanniam venit, & Pictones in Chriſtiana religione inſtituit, & eos Paſcha celebrare docuit à quarta decima Luna uſque ad viceſimam, contra morem Romanum & Canones; in quo errore perſtiterunt Angli per annos centum & quinquaginta, usque ad annum 716. ubi error correctus fuit à Beda. *Beda lib.* 3.

Juſtinianus Imp. moritur die 13. Nov. ætatis circ. 84. anno. cùm annos triginta octo imperaſſet, & menſes 3. ac dies 19. Vel menſes ſeptem. ſi à Calendis Aprilis incipias, quibus electus fuit Cæſar. Succedit ipſi *Juſtinus* Curopalates, ſive præfectus prætorio, ſorore Juſtiniani natus, patriâ Thrax, qui imperavit annos 11. menſes 10. dies 20.

ANNO MUNDI 4515. Poſt C. 566.
C. ⊙ 15. ☽ 16. *Ind.* 14.

Juſtinus Imp. populo flagitante Conſulatum in Rempub. reduxit, eumque iniit Calendis Januarii; populo donativum more majorum diſtribuit, & templum cum pompa ingreſſus, Deo gratias egit, precatus ſimul felicem Imperii adminiſtrationem. *Corip.*

Victor Africanus hucuſque Chronicon ſuum deduxit, fuit Epiſcopus Tunnenſis in Africa & in exilium ejectus, quòd tria Capitula illa damnare nollet. *Vict.*

Armenii & *Iberi* cum à Perſarum Idolomania abhorrerent, Imperatori Romano ſe tradunt, unde difficillima bella cum Perſis exorta ſunt. *Ger.*

Juſtinus

Iuſtinus Imperator cùm plerumque vertigine laboraret, raro domo exiit; ideo Conſiliarii & præfecti jus ad arbitrium ſuum flectunt. Imperator ſanitati reſtitutus de ea re publicè inclamatur. Admonet igitur ſuos præfectos, ut res ita adminiſtrare velint, ne ſibi moleſtia exhibeatur. Cum hoc fruſtra eſſet, Imperatorque ulterius quæreret, quâ ratione tandem fieri poſſet, ut Iuſtitia æqualiter omnibus adminiſtraretur, obtulit ſe quidam, qui promittebat, ſi ab Imperatore Præfectus urbis crearetur, & ab Imperatore non impediretur, ſe curaturum, ut juſtè res adminiſtrarentur: Idque præſtitit, cùm aliquot aulicos, qui aliis injuriam faciebant, quod in magnâ gratiâ apud Imperatorem eſſent, ex ipſa menſa Imperatoris abripuiſſet, & eos ignominiâ & pœnâ affeciſſet. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4516. Poſt C. 567.
B. ☉ 16. ☽ 17. *Ind.* 15.

Sigibertus Franciæ rex, qui Metis reſidebat, *Brunechildin*, Athanagildis Gothorum regis in Hiſpania filiam juniorem habebat in matrimonio; *Chilpericus* frater, rex Franciæ, delectatus hujus moribus, ducit ejus ſororem *Geleſvintam*, cùm promiſiſſet, ſe concubinas, quas habebat, ejecturum. Epithalamium cecinit Venantius Fortunatus. Sed conjugium hoc felix non fuit, & quòd Hilpericus pellices retineret, & quod Geleſuintha paulò poſt moreretur. *Turon.*

Narſes, *qui tantas res in Italia geſſerat, in odium incurrit apud Senatum Romanum. Papa Iohannes ſequeſter pacis factus, eos reconciliare conatur, ſed prævalet Senatus, efficitque apud Imperatorem, ut Narſes Conſtantinopolin revocetur, ipſique ſucceſſor mittatur* Longinus, *qui primus* Exarchus *Ravennæ factus eſt. Narſes metuens ſibi, præſertim cùm Auguſtâ dixiſſet, Narſen revocandum, ut penſa traheret cum ancillis in gynæceo; ei reſpondit, ſe talem telam eidem orſurum, quam ipſa dum viveret detexere non poſſet; & miſſis ad Longobardos, quibus notus erat, offertque ſimul munera & fructus, quorum ferax eſt Italia. Longobardi læti hiſce nunciis mittunt ad* Saxones, *qui in Thuringia habitabant, invitantque eos ad ſocietatem belli, qui ſedibus ſuis relictis ad viginti millia cum uxoribus ſuis domo abeunt. In horum locum Sigibertus Franciæ rex Suevos, aliaſque gentes collocat. Tunc etiam* Alboin *Longobardorum rex ſedes ſuas Hunnis & Avaris tradit hâc conditione, ut ſi minus res procederet, revertentibus ſuæ ſedes reſtituerentur. Habitaverant autem in Pannonia annis* 42. Diac.

Baronius negat Narſetem gratiâ excidiſſe apud Iuſtinum, & propterea Longobardos evocâſſe; hoc argumento, quòd *Corippus* Poeta, qvi tum vivixit, de ſatellite Iuſtini ita canat hoc anno.

Armiger interea Domini veſtigia luſtrans,
Eminet excelſus ſuper omnia vertice Narſes.
Comtus cæſareè formâq; inſignis & ore,
Aureus omnis erat, &c. Quod argumentum procederet, ſi probari poſſet, unum tantùm Narſetem fuiſſe. Hic Eunuchus Narſes inſignis Ductor militum fuerat ante triginta annos, & auxiliares copias Beliſario adduxerat, certè non juvenis. Ergò hoc tempore Eunuchus fuit haud abſimilis Terentiano: Vetus, vietus, veternoſus, ſenex, colore muſtelino. Ergo hic non formâ inſignis & ore, ut ille, qui tandem ſub Mauritio Dux militum fuit.

Athanagildis Gothorum in Hiſpania rex, cùm annos 14. regnâſſet, moritur; ſuccedit *Luiba*, qui regnat annos quatuor, ſed qui tamen ſtatim ſequenti anno ſocium regni fratrem legit. *Gerund.*

Iuſtino Imp. inſidiæ ſtruuntur, quibus patefactis rei pœnâ dignâ coërcentur. Suſpectus etiam fuit Imperatori cognatus Iuſtinus, jam militum ductor, Avaris ad Iſtrum oppoſitus, quem revocat blandè, & vinculis conſtrictum Alexandriam mittit; is conſilio Auguſtæ occiditur unâ cum aliis. *Evag.*

In Italia multa prodigia acciderunt, ut armata acies in aëre, & alia, quæ fuerunt præſagia adventus Longobardorum. Evag.

ANNO MUNDI 4517. Poſt C. 568.
AG. ☉ 17. ☽ 18. *Ind.* 1.

Alboinus rex Longobardorum cum populis, quos collegerat ex Longobardis ſuis, ex Saxonibus, Gepidis, Bulgaris, Sarmatis, Pannoniis, Suevis: (Hi populi enim, *teſte Diacono*, poſtea ſuos habuerunt peculiares vicos,) ex Pannonia movet, Indictione primâ, die ſecundo menſis Aprilis, feriâ ſecundâ Paſchatos, venitque in Italiam; ubi cum omnes metu perculſi & corpore defixi eſſent, proſpero ſucceſſu uſus Italiam longè lateque occupavit, miti tamen victoria, cùm habitatum eò veniret, non prædatum: incolas tamen ſuis ſedibus pepulit, easque cum omnibus bonis ſibi ſumſit. *Diac.*

Annus Nabonaſſaris 1310. *& Philippi* 892. *incipit* 3. *April. feria* 3.

Luiba *Gothorum in Hiſpania rex, aſſumit in ſocietatem regni* Levigildum *Arianum, conceditque ipſi Hiſpaniam citeriorem. Hic Athanagildis viduam Goſvvintham ducit uxorem, & regnat annis* 18. Ger.

Iohannes Patriarcha Conſtantinopolitanus orationem habet hoc anno de Trinitate Conſubſtantiali, contra quam poſtea ſcripſit Iohannes *Philoponus* Philoſophus Ethnicus. *Photii Bib.*

Annus Armen 17. *inc.* 5. *Iulii fer.* 5.

Alexandrinus 880. *& Antiochenus* 617. *& Conſtantinop.* 6077. *à Calend. Octobr.*

Bellum inter reges Angliæ. Ethelbertus Cantuariorum rex bello vincitur à Ceaulino W*eſtſaxonum rege, qui jam annum nonum regnabat.* Hunt.

Congallus *rex Scotorum, cùm annos* 10. *regnâſſet, moritur; ſuccedit ipſi* Kinnatellus, *qui regnat annum & menſes ſex.* Buch.

Iuſtinus *Imp. incip. annum imperii* 4. *die* 13. *Novemb.*

ANNO MUNDI 4518. Poſt C. 569.
F. ☉ 18. ☽ 19. *Ind.* 2.

Annus urbis 1321.	*Iulianus* 614.
Æra Hiſpanica 607	*Auguſtorum* 596.

Theodomirus Suevorum rex in Hiſpania concilium Catholicorum Epiſcoporum celebrat Lucenſe in Gallæcia, ipſis Calendis Ianuarii. *Tom. Conc.*

Bulgari Thraciam infeſtant, contra quos à Iuſtino mittitur *Tiberius*, qui hoſtes trans Iſtrum removet, & victor Conſtantinopolin regreditur. *Gerund.*

Olympias 337. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1345.

Annus Diocletiani 286. *incipit die* 29. *Aug.*

Iſmael

Iſmael Maurorum rex rebellat Iuſtino, & Præfe-ctum Africæ prælio vincit & occidit, Gerund.

Alboinus *Longobardus Liguriam ingreditur, in-cipiente Indictione tertia, die 3. Septembris, &* Tici-num *Vrbem obſidione cingit, obſidetq; toto triennio.* Diac.

Theodomirus rex Suevorum in Hiſpania, anno regni duodecimo moritur, ſuccedit ipſi filius Mirus ſive *Ariomirus*, qui regnat annis 13. *Gerund.*

ANNO MVNDI 4519. *poſt*.C. 570.

E ☉ 19. ☽ *Ind.* 3.

Felix Epiſcopus Bituricenſis in Gallia, elegans vas paravit inſtar turris ad Euchariſtiam conſervan-dam. Habuerant antea in quibuſdam locis tũ tem-poris ad hunc uſum argenteam columbam. Sed in concilio, quod hoc anno celebratum eſt, ſancitum eſt. Euchariſtiam non in vaſe, quod imaginem ha-beret, cuſtodiendam. *Concil.*

Epiſcopi in Italia. cùm iam Longobardi eam lon-gè latèq; deprędarentur, vaſa aurea argenteaq; ſa-cra conflaverunt, & in pauperum uſum diſtribue-runt. *Diac.*

Mahamed vel Mahomed Saracenus naſcitur ut Arabes habent, die 5. Maii, feria 2. die 12. Rabie prioris. Idem poſtea moritur, cum annos 63. Ara-bicos vixiſſet die 12. Rabie prioris ineunte veſperi.

Richoldus *Friſiæ rex, cum regnaſſet annos* 43. *moritur, ſuccedit Filius* Beroaldus. *qui regnat annos* 60. *Annal. Friſ.*

Donatus, Profeſſione monachus in Africa, Mau-rorum irruptionem metuens, in Hiſpaniam venit, ibique opibus quorundam adjutus Cœnobium ædificat. Hic primus eſt, qui monachatum in Hi-ſpaniam introduxit. *Vaſæus.*

Kenatellus Scotorum Rex, cum ferè biennium regnaſſet, moritur, ſuccedit *Aidanus*, qui regnat annos 34. *Buch.*

Fortunatus prænomine Venantius Epiſcopus, Pictavienſis claret, Poeta fuit inſignis, excidium, ſcripſit regni Thuringorum, Hymnos ſeptuagin-ta ſeptem, & alia.

Juſtinus *Imp. Armeniam & Iberos provincias Ro-manas facit, cum Perſarum eſſent. Hinc bellum Perſicum motum.* Gerund.

ANNO MVNDI 4520. Poſt.C. 571.

D. ☉ 20. ☽ 2. *Ind.* 4.

Alboinus Longobardorum rex, cum durante obſidione Ticinenſi parte exercitus cuncta occu-paret, ab exercitu ſuo ſolenniter proclamatur rex Italiæ, & ab hoc tempore videtur adhuc annos tres & menſes ſex, ut plerique ſcriptores habent, regnaſſe. Nam eum anno ſeptimo, ex quo in Ita-liam venerat occiſum eſſe, *Turonenſis affirmat*, qui tum vixit.

Leovigildus rex Gothorum in Hiſpania, Cordu-bam urbem obſeſſam proditione noctu occupat, ſicut & alias multas urbes; atque ita mira felicita-te regnum multis modis auget. *Gerund.*

Miro Suevorum rex in Gallæcia bellum Vaſco-nibus infert, & vincit. *Gerund.*

Iuſtinus dum metuit, ne arma Parthorum move-antur, quòd Armenios in ſuam tutelam recepiſſet, legatum per Nilum fluvium & mare Indicum mit-tit ad *Arethan* regem Æthiopum, ſocietatem cum ipſo initurus contra Perſas. *Hiſt. Miſcell.*

ANNO MVNDI 4521. Poſt. C. 572.

CB. ☉ 21. ☽. 3. *Ind.* 5.

Luiba in Hiſpania Gothorum rex moritur, atq; ita ipſius frater *Levigildus* integro Gothorum reg-no cum Gallia Narbonenſi potitur, adiicit hoc eo-dem anno ſuo regno Cantabriam. & ſequente et-iam anno Aragonicos donat. *Vaſæus.*

Annus Nabonaſſ. 1320. *& Philippi* 2896. *incipit* 2. *April. fer.* 7.

Alboinus *tandem Ticino poſt diuturnam obſeſſi-onem potitur, cuius civibus ut & urbi pepercit, in-terceſſione quorundam motus.* Paul. Diac.

Iohannes tertius Papa cùm ſediſſet annis 13. mo-ritur die 13. Iulii: cumque ambitu & ſeditionibus de ſucceſſione certaretur, nemo ſubrogatus eſt hoc anno, ſed ſedes vacavit plus quam decem menſibus. *Baron.* Onufrio verò non convenit cum Baronio, qui eundem Papam Iohannem poſt biennium tan-dem defunctum tradit.

Armeniorum annus 21. *incipit* 4. *Iulii fer.* 2.

Annus ſabbathicus ſecundus Iobeleus 11 *incipit die* 23. *Sept. fer.* 5. *Anno Ind.* 4333.

Annus Alexandræus 884. *Antioch.* 621. *Con-ſtantino.* 6081. *incipit à Calen. Octob.*

Perſarum rex Coſrhoes irruit in Armeniam. Iu-ſtinus mittit Martianum Ducem, copiis tamen non ſatis inſtructum, qui Meſopotamiam petit, & Niſi-bin obſidet, ſed adeò contemnitur à Perſis, ut ne por-tas quidem clauderent. Cumque Iuſtinus Martianum Ducem inſuper ab exercitu removeret, exercitus ipſo obſidionem ſolvit, magno Iuſtini dedecore. Evag.

Charibertus Franciæ rex, cum antea ſororem et-iam ſuæ coniugis duxiſſet, nec eam à ſe dimittere vellet, & ipſa moritur, & ipſe etiam hoc anno nul-lis relictis liberis; regnum eius inter ſe dividunt fratres. Regnarat autem ferè annos octo. *Tur.*

Miro in Hiſpania concilium Bracharenſe ſecun-dum celebrat menſe Decembri, in quo quædam capitula ſancita ſunt. *Tom. Conc.*

ANNO MVNDI 4522. Poſt. C. 573.

A. ☉ 22. ☽ 4. *Ind.* 6.

Annus urbis 1326. *Iulianus* 618.

Æra Hiſpanicæ 611. *Auguſtorum* 600.

Annus Iuſtini octavus in Imperio capit menſe No-vem. anno ſuperiore.

Cùm Romæ diu certatum fuiſſet de ſucceſſione Pontificis, tandem exactis decem menſibus, die 17. Maii, Pontifex creatur Benedictus, patria Roma-nus, Bonoſus alias dictus. Sub hoc dicit Anaſtaſius, Longobardi in Italiam venerunt, quod tamen anno ab hinc ſexto accidit: *adeò meræ tenebræ ſunt in hiſtoria Pontificum Romanorum.*

Olympias 338. *incipit in Iulio. Eſt annus Olym-piadicus* 1349.

Annus Diocletiani 260. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Coſrhoes *Perſa cum exercitu in fines Imperii ir-rumpens, Apameam &* Daras *propugnacula impe-rii expugnat, diripit & incendit, &* Apameæ *qui-dem muros vetuſtate collapſos eruit, Daras autem quinq; menſibus uſq; in hyemem obſedit, & tandem proditione ipſius Præfecti capit.* Evag.

ANNO MVNDI 4523. *poſt*.C. 574.

G. ☉ 23. ☽ 5. *Ind.* 7.

Arthabanus *Perſarum Dux, cùm nullus ipſi op-poſitus eſſet exercitus, crudeliſſimè vaſtat Orientem,*

Apameam, Heracleam diripit & incendit. Antiochia etiam muros deiicit. Iuſtinus *tot malis afflictus ferè mente exiit, interim tamen Tiberius, genere Thrax, contra Avares feliciter res gerit, totumq; ferè imperium adminiſtrat.* Evag.

Alboinus Longobardorum rex Poculis aliquando indulgens, iubet uxorem etiam ſuam ex cranio Patris ſui, unde Poculum confecerat, bibere, & ſe hilarem præbere, quod illa in contumeliam accipiens, ut erat, conſilia init de Alboino interficiendo, tanta vehementia, ut ſe proſterneret adulterio illi, quem ad parricidiũ impellere conabatur: quo parricidio vulgato, ipſa cum adultero ad pænam à Longobardis quæſita, aſſumtis theſauris & aliis rebus pretioſiſſimis ad *Longinum* Exarchum Ravennæ fugit, ubi ſuaſu Longini etiam adultero ſuo ex balneis exeunti venenum bibendum porrigit, cujus partem cum hauſiſſet, & ſenſiſſet, quicquid reliquum erat Roſimundam bibere cogit, atque uterq; eodem veneno periit. Longobardi contra *Clepum* quendam nobiliſſimum virum regem faciunt, ſed qui regnat tantum unum annum, & ſex ferè menſes. Longinus verò Exarchus theſauros Alboini Conſtantinopolin mittit, unà cum Albiſuinda Roſimundæ filia. *Diac.*

Euphronius Epiſcopus Turonenſis moritur, ſuccedit *Gregorius*, qui hiſtoriam Francorum & miracula Martini annotavit, & aliàs Turonenſis appellatur, anno, ut ipſe ait, centeſimo ſeptuageſimo ſecundo poſt tranſitum Martini, anno Siberti regis duodecimo.

ANNO MVNDI 4524. *Poſt.* 575.
F. ☉ 24. ☽ 6. *Ind.* 8.

Iuſtinus Imperator deliquium mentis ſubinde patitur, Sophia eius coniux fæmina prudens ſcribit ad Coſthoem Perſarum regem, dehortaturq; eum à vaſtatione Imperii bellantem hac ratione contra fæminam viduam & ægrotum Imperatorem, cùm ipſe ægrotus antea ex Romano Imperio Medicos acceperit. Per legatum igitur Traianum, qui has literas attulerat, inducias impetrat annuas. Interim perſuadet Iuſtino, ut *Tiberium* Cęſarem faciat, quod factum eſt, *ut Faſti Siculi habent*, die 7. Sept. quem admonet Iuſtinus longa oratione, ne nimium fidat Conſiliariis, ſed ipſe omnia ſuis oculis adminiſtret. *Evag.*

Clepus Longobardorum rex, cum annum unum & aliquot menſes regnaſſet, à ſatellite ſuo trucidatur. Factum ſeptem annis poſt adventum Longobardorum in Italiam. Longobardi Comitiis habitis triginta Duces pari imperio creant: quæ Ariſtocratia duravit decenniũ, ſed Duces hi intemperantiùs ſe geſſerunt, ideò ſtatim in odiũ venerunt *Diac.*

Monaſterium primum in Bavaria ædificatum Weltburck *Avent*

ANNO MVNDI 4525. Poſt C. 576.
ED. ☉ 25. ☽ 7. *Ind.* 9.

Annus Nabonaſſaris 1324. & *Philippi* 900. *incipit primo April. fer.* 4.

Longobardorum *Duces, ut milites exercerent, & præda ditarentur, in Galliam irrumpunt. Guntramnus rex Amatum Patritium cum Munimulo ipſis opponit, qui fortiter Longobardos repriment, & magnum eorum numerum concidunt.* Fuerunt tum in Gallorum exercitu Epiſcopi nòn Spiritualibus armis, ſed ferreis induti qui multos hoſtes ſua manu occiderunt. *Turon.*

Armen Annus 25. *inc.* 3. *Iulii fer.* 3.

Annus Alexandr. 888. *Antioch.* 625. *Conſtantin.* 6085. *incip. à Cal. Octob.*

Suevi bellum inferunt regi Franciæ Sigisberto, qui Metis regnabat. Huic auxilio venit *Chilpericus* frater, qui priore uxore Galſonda defuncta, alterá duxerat, quæ jam gravida erat: quæ cum peperiſſet filiam, conſilio *Fredegundæ* concubinæ Chilperici, ipſa eam in baptiſmo ſuſcipit, qua de cauſa, propter cognationem Spiritualem matrimonio ejecta eſt, & in Cœnobium concluſa. Fredegunda verò in matrimonio ſuccedit, quæ multorum malorum in domo Francorum cauſa fuit. *Turon.*

ANNO MUNDI 4526. Poſt C. 577.
C. ☉ 26. ☽ 8. *Ind.* 10.

Annus urbis cond. 1329. *Iulianus* 622.

Æra Hiſpanica. 615. *Auguſtorum* 604.

Annus Iuſtini Imp. duodecimus cœpit ſuperiori anno, menſe Novemb.

Gennadius, *magiſter militum factus, & in Africam miſſus, Iſmaelem Maurum, qui hactenus Romanum Imperium in Africa valde afflixerat, prælio ſuperat & occidit.* Gerund.

De Paſchate celebrando hoc anno inter Hiſpanos & Gallos certamen ortum, cauſa certaminis fuit, quod terminus Paſchalis incideret in diem 18. Aprilis in feriam primam, unde ſequebatur Paſcha in ſequentem Dominicam in diem 25. April. differendum. Hoc videbatur & Gallis & Hiſpanis terminum Paſchatis excedere: quapropter Hiſpani maluerunt Paſcha anticipare toto menſe, & illud celebrare die 21. Martii, feria ſeptima. Contra Galli Paſcha celebrarunt in ipſo termino, die 20. Martii. Addunt Scriptores miraculum de fonte fluente Gallis, quod Hiſpanis non accidebat.

Baronius in Annalibus hanc rem geſtam refert bis circa hoc tempus, & anno 573. & anno 580. cum neutro loco accidere potuerit, & ratione Lunæ, & Literæ Dominicalis, id quod vel pueris patet; & tamen mirificè de veritate annalium gloriatur.

Olympias 339. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadic.* 1353.

Annus Diocletiani 294. *incipit. die* 29. *Auguſti.*

Benedictus Papa, cum ſediſſet annos 4. menſes duos, moritur die ultimo Julii. Decertatur ambitione & ſeditionibus, tribus menſibus, & tandem die 11. Novemb. ſuccedit Pelagius, qui de conſenſu Imperatorem appellare non potuit, quòd Roma obſeſſa eſſet à Longobardis. *Anaſt.* Hic conſtituit, ut Subdiaconi vel uxores à ſe ſepararent, vel ſacerdotiorum poſſeſſione cederent, ut habet. *Pol. Verg.*

Bellum *inteſtinum inter fratres reges in Gallia oritur, quibus tandem miſcetur etiam Guntramnus, oppugnatus à duobus fratribus, Sigeberto & Childeberto, qui cum ſe invicem oppugnaſſent, & Galliam miſerè vaſtaſſent, in concordiam redierant. Guntramnus verò convocat Synodum Pariſienſem, jubetq; Epiſcopos cauſam controverſiæ diſceptare, & dijudicare, ita poſt diuturnas vaſtationes pax facta.* Turon.

Iohannes Conſtantinopolitanus poſt annum undecimum moritur, & Eutychius, qui olim à Juſtiniano in exilium miſſus fuerat, reſtituitur. Factũ tertio Octob. fer. prima, ſedet annos 4. menſes ſex.

Levigildus *rex Gothorum in Hiſpania cũ ferè totius Hiſpaniæ potitus eſſet, urbem in Celtiberia condit,*

quam

quam Ricopolin nominat; hodie Ripol *dicitur, eiq; multa privilegia tribuit.* Vaſ.

ANNO MUNDI 4527. *Poſt. C.* 578.

B. ☉ 17. ☽ 9. *Ind.* 11.

Perſarum rex Coſrhoes, rupta pace bellum Juſtino infert. *Tiberius* contra ingentem exercitum colligit ex transalpinis ferè circa Rhenum incolentibus item ex Mœſia, Illyrico & aliis, eumq; Duce *Juſtiniano* mittit contra Perſas. Juſtinianus nequaquam detrectavit certamen, quo commiſſo paulum abfuit, quin rex Perſarum caperetur, caſtra & tentorium ejus capta ſunt, unà cum omnibus theſauris. Juſtinianus contra perſequens victoriam; in Perſide multas urbes cepit, ibiq; hybernavit.

Leovigildus filio ſuo *Hermenegildo* uxorem dat, Sigeberti regis Franciæ filiam, & provinciæ partem ipſi tribuit, ſed à matre inſtigatus filius patri rebellat, & Hiſpalin occupat. *Gerund.*

Longobardi iterum Gallias invadunt, ſed *Mummulus* Guntramni Dux, aſſumptis Burgundionibus, ipſis obviam venit, comprehenſosque in ſylva, magna clade afficit, & captivos regi *Guntramno* mittit. *Diac.*

Anno duodecimo Juſtini die 26. Sept. incuntis indictionis duodecimæ, *Tiberius Anicius, Conſtantinus* coronatur Imperator, & poſtea die 5. Octobr. moritur Juſtinus, cum regnaſſet annos ferè duodecim *Tiberius* ſuccedit, qui imperat annos ferè quatuor. *Feſti Siculi.*

ANNO MUNDI 4528. *Poſt C.* 579.

A. ☉ 28. ☽ 10. *Ind.* 12.

Sigisbertus, cùm favorem militum occupaſſet, quib. contra Chilpericus odio erat, ſubitò in Childebertum qui nulla re erat inſtructus, movet Childebertus deſperans de ſua ſalute cum uxore Fredegunda Tornacum fugit, ubi à fratre obſidetur. Pulſus ita fuiſſet regno; niſi Fredegundis conjux ſicarios multo pretio conduxiſſet, qui *Sigisbertum* inopinantem trucidarunt. *Chilpericus* ita ſervatus exercitum in ſua verba jurare jubet, & funus fratri facit. Brunechildin verò uxorem *Sigisberti* Rothomagum exulatum mittit, *Childebertus* verò filius, qui Pariſios effugerat à Chuntramno patruo defenditur, & ſuccedit parenti. Regnarat Sigebertus annos quindecim. *Turon.*

Coſrhoes *bello & animo fractus, mœrore conficitur, & legem fert, ne unquam Perſarum rex Romanis bellum inferat, quam legem tulit cum magna Perſici regni infamia, ideo ſervata non eſt. Juſtinianus verò Dux in mediam Perſiam ingreſſus, iterum Coſrhoem fugat: quo caſu adeò exterritus eſt ut moreretur, cùm regnaſſet annos. 48. ſuccedit ipſi* Hormiſdas *filius, qui regnat annis undecim.* Eva.

Leovigildus, ut Arianiſmum in Hiſpanis propagaret, Synodum convocat Toletanam quatuordecim Epiſcoporum, in qua concludit, qui ex Catholicis ad Arianos deficerent, non baptiſandos eſſe, ut hactenus factum erat, ſed tantum manuum impoſitione recipiendos, & in communionem admittendos, cùm formula verborum hac: *Si dei Gloriam patri per filium in Spiritu Sancto*, cujus rei novitate permoti multi, Arianis acceſſerunt. *Gerund.*

Circa hæc tempora Columbanus Scotus per Gallias in Germaniam venit; ubi cum aliquandiu docuiſſet, à Suevis in Galliam repellitur. *Annal. Suev.*

ANNO MUNDI 4529. *Poſt. C.* 580.

GF. ☉ 1. ☽ 11. *Ind.* 13.

Annus Nabonaſſaris 1328. *& Philippi* 904. *incipit* 31. *Mart. fer.* 1.

Chilpericus filium Meroveum mittit, qui Sigeberti ditiones parentis nomine occupet: ſed Meroveus neglecto patris imperio ad Brunechildin Sigisberti viduam Rothomagum abit, eamque conjugem ducit, & ubi ſenſiſſet patrem cum exercitu adventurum, in templum Martini confugit, inde aſtu à parente eductus, Clericus à patre detondetur, ſed inde effugiens patri bellum facit. Sed paulò poſt à ſervo occiditur. *Turon.*

Annus Armen. 29. *incipit* 2. *Iul. fer.* 3. *Annus Alexandrinus* 892. *& Antioch* 629. *Conſtantinop.* 6089. *incip. Calend. Octob.*

Tiberius menſe Octobri incipit annum Imp. tertiũ.

Chilpericus convocat Synodum Pariſienſem propter Epiſcopum Prætextatum Rothomagenſem, qui foverat partes Merovei, rebellantis contra patrem Chilpericum. Prætextatus videbatur innocens, ſed perſuaſus fatetur delictum, & Epiſcopatu dejicitur in exilium. *Turon.*

Gildas Anglus, qui hiſtorias ſui temporis conſcripſit, vixit circa hæc tempora. *Polyd.*

ANNO MUNDI 4530. *Poſt. C.* 581.

E. ☉ 2. ☽ 12. *Ind.* 14.

Annus urbis 1333. *Iulianus* 626.

Æra Hiſp. 619. *Auguſtorum* 608.

Bellum Perſicum iterum recrudeſcit, in quo Romani egregiam victoriam reportarunt, dum caſtra Hormiſdæ, & ſupellectilem ejus cum Elephantis capiunt, quæ Imperatori tantum reſervata ſunt, reliqua militibus dantur. *Zonar.*

Olympias 340. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1357.

Annus Diocletiani 298. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Saxones, qui cum Longobardis in Italiam venerunt, ſoli in Gallias irrumpunt: verum cum Mummulus ſeſe ipſis cum exercitu opponeret, redeunt in aliam. *Diac.*

Gregorius, qui poſtea Papa electus eſt, cum hactenus militiam ſecutus eſſet, rebus politicis adhibetur, & hoc anno, ut ipſe teſtatur, eſt Præfectus urbi, ſequenti anno cœnobium ingreditur.

ANNO MUNDI 4531. Poſt. C. 582.

D. ☉ 3. ☽ 13. *Ind.*

Tiberius mancipia Barbarorum ex Hunnis & aliis Europæis emerat, eoſque ad militiam inſtruxerat hactenus: eos hoc anno Duce *Mauritio* contra Perſas mittit, à quibus Perſæ vincuntur, & amittunt omnes urbes ac munitiones, quas olim Romanis Imper. ademerant. *Mauritius* reverſus, magna gratulatione excipitur, triumphat, & Cæſar deſignatur *Ced.*

Guntramnus rex Galliæ defenderat Childebertum Patruelem contra fratrem Chilpericum, ſed hoc anno diſſenſione exorta bellum contractum eſt, cum Luna ecclipſin pateretur, bellum tamen ſtatim ſopitum eſt. *Aimoin.*

Ecclipſis hæc Lunæ accidit die 25. *Martii feria quarta, manè horis quatuor poſt mediam noctem in Galliis, Latitudo ſeptent.* 1. 5. *Semidiam. Lunæ* 16. 2. *Summa ſemid.* 58. 39. *ſcrup. reſidua* 57. 34. *digiti eclipt.* 19. 11. *duravit horis quatuor finita eſt oriente Sole.*

Eutychius Patriarcha Conſtantinop. cùm ſediſſet annos quatuor, & menſes ſex, moritur menſe April. Succedit ipſi Johannes Jejunator monachus qui ſedit annis 13. menſibus quinque. *Niceph.*

Saxones, cùm Longobardis in Italia ſubditi eſſe nollent, aſſumptis uxoribus, liberis, & omni ſupellectile, iter per Gallias, in terras ſuas inſtituunt, concedente rege *Sigisberto*. Cùm in patriam rediiſſent, Suevos inde vi pellere conantur, Suevi verò conditionibus ſecum agi petunt, ut pars regionis ipſis concedatur, cum nihil impetrarent, ſe defendunt, & Saxones vincunt. poſtea tamen in gratiam redeunt, & regiones illas prope Saxoburgum ſimul incolunt.

Sigebertus *hanc hiſtoriam in hunc annũ conjicit verùm cùm facta ſit*, teſte ipſo Sigeberto & Diacono *vivente Sigisberto Galliæ rege, & verò ipſe ante triennium, occiſus ſit & tempus ejus mortis certum ſit, hunc creditum ante quinquennium accidiſſe neceſſe eſt, cùm annis ferè decem à ſedibus ſuis abfuiſſent.*

Arichis Longobardorum Dux præcipuus *Beneventum* occupat, & ſibi retinet totis annis quinquaginta. *Diacon.*

Tiberius Imperator, cùm cucurbitas ſerotinas ediſſet, incidit in tabem; quapropter convocatis Præſidibus imperii, *Mauritium* Ducem creat Cæſarem die 10. Auguſti, & die 13. Auguſti ipſi collocat in matrimonium filiam Conſtantinam, & declarat Auguſtum, & die 14. Auguſti feria ſexta, ut expreſſe habent Faſti: moritur, ſepeliturq; in templo Apoſtolorum.

Faſti Siculi, Iſidorus, Gerundinenſis; Beda, Cedrenus & alii, Mauritii *Imperatoris imperium ab hoc anno ordiuntur, ipſique unanimi conſenſu annos viginti, & tres menſes imperii tribuant, ſingulos annos cum annis regum Hiſpaniæ & aliorum conferunt, eoſq; characteribus Chronologicis indictionum & feriarum muniunt. Imo Cedrenus & Hiſtoria miſcella, quid ſingulis hiſce viginti annis rerum à Mauritio geſtum ſit, ordine deſcribunt. Et tamen Baronius audet quatuor annos Mauritio eripere, & Juſtino eos aſcribere, unico loco Evagrii non rectè intellecto ſeductus, ubi ait Juſtinum duodecim annos imperaſſe, & quatuor cũ Tiberio: Cũ hi quatuor illis duodecim includendi ſint. Hinc factũ, ut hiſtoria horũ temporũ fœdiſſimè ſint turbata in Annalib. iſtis.*

Guntheramnus convocat Synodum Matiſconenſem Calendis Novembr. ubi inter alia ſtatutum eſt de jejuniis ante nativitatem Chriſti obſervandis. Item ne Judæi ſint judices Chriſtianorum, ne tempore Paſchatis obambulent in plateis, ne Chriſtiani convivia Judæorum accedant, aut Chriſtianus Judæo ſerviat, &c. *Tom.*

ANNO MUNDI 4532. *Poſt. C.* 583.

C. ☉ 4. ☽ 14. *Ind.* 1.

Leovigildus filium Hermenegildum, quòd ad Catholicos defeciſſet, perſequitur, & Hiſpalim magno exercitu obſidet. *Miro Suevorum* in Hiſpania rex *Leovigildo* auxilia adducit, & ſimul obſidet Hiſpalim, ſed in eadem obſidione moritur, cum annos 13. regnaſſet, ſuccedit ipſi in regno Suevorum *Eboricus* filius, qui tantum annuo ſpatio regnat *Gerund.*

Chilpericus rex Franciæ infert Guntramno fratri bellum, & aliquas civitates ipſi eripit. Paulò poſt naſcitur *Chilperico* ex Fredegunda filius *Theodoricus* Aimoinus.

Longinus, cùm Exarchus fuiſſet annis 16. revocatur, & *Smaragdus* ipſi ſuccedit, qui aptus videbatur ad pellendos Longobardos, & præfuit annis quatuor.

Maxima inundatio ab eodem Aimoino hac æſtate indicatur, qua arborum frondes, ut & frigore ita impeditæ ſunt, ut menſe Septembri tandem florerent.

Chãganus *Avarum rex Sirmium, nobilem urbem in Pannonia occupat, miſſiſq; legatis vult ſibi quotannis ad conſuetum tributum quartam partem adhuc addi, quod pacis cauſa Mauritius concedit. Inde vult etiam Elephantum ſibi à Mauritio mitti, quod etiam Mauritius facit. Sed tertio loco vult ad hac quartam partem tributo addi quod recuſat Mauritius, & exercitum contra* Chaganum *mittit. Sed* Chaganus *recedit, & tantum Sclavos mittit, qui Thracias devaſtent. Sed & hi caſi, ac præda exuti fuerunt.* Zonar.

Leovigildus, ut Hiſpali potiretur, muros *Italicæ* urbis inſtaurat, qua re multum nocuit Hiſpulenſibus, (ubi *Italica* urbs ſita fuerit, hodie non extat, creditur à Saracenis, cùm Hiſpali ubi regiæ plurimum noceret, exciſa) paulò poſt igitur urbe potitur, ſed filius Hermenegildus fuga evadit, poſt tamen capitur, & Valentiam in exilium mittitur. *Iſidorus.*

Peſtis Gallias atrociſſimè affligit. qua extincti ſunt filii duo regis Hilperici & uxor Guntheramni. Tur.

ANNO MUNDI 4533. Poſt. C. 584.

BA. ☉ 5. ☽ 15. *Ind.* 2.

Andeca quidam in Gallæcia *Eboricum* Suevorum regem invadit, & capit, ac in cœnobium detrudit. Ipſe Mironis viduam uxorem ducit, atque ita regno Suevorum potitur anno uno. *Vaſæus.*

Annus Nabonaſſ. 1332. *& annus Philippi* 908. *incipit* 30. *Maji. fer.* 5.

Mummulus Dux Guntheramni, qui magna res contra Longobardos geſſerat, rebellionis convictus, juſſu Guntheramni interficitur & ejus theſauros ipſe & Childebertus dividunt. *Aimoin.*

Armen. Annus 33. *incipit die* 1. *Jul. fer.* 7. *Alexand.* 896. *Antioch.* 633. *Conſt.* 6093. *à Calen Oct.*

Longobardi tribus exercitibus iterum Galliã invadunt, ſed bini exercitus fortiter repelluntur, tertius prædam in Alpibus, cùm ingruente hyeme redirent, urgente gelu amiſit: & contra *Galli* viciſſim in Italiam irrumpunt, caſtrumq; Anagnis ad Tridentum occupant, & multos Longobardorum trucidant, ſed iidem, cum Longobardi conveniſſent, Italia ejiciuntur. *Diacon.*

Mauritius *ſororem ſuam* Philippico *dat uxorẽ, qui contra Perſas profectus in Mediã irrumpit, & oppidis vaſtatis cũ multa præda Conſtantinopolin redit. Interim* Chaganus *violata pace ad longum murum prædando excurrit, quem* Commentiolus *Dux Mauritii multis caſis compeſcit, & præterea ad Adrianopolin Andragaſtum Sclavum vincit* Cedr.

ANNO MVNDI 4534. Poſt. C. 585.

G. ☉ 6. ☽ 16. *Ind.* 3.

Annus urbis 1337. *Julianus* 630.

Æra Hiſpanica 623. *Auguſtorum* 612.

Leovigildus *contra Suevos in Gallæciã movet, & Andecanem regem Suevorum ultimũ, cùm ferè annũ regnaſſet, vincit, capit, regno exuit, & tonſũ monaſterio includit. Potitur ita toto regno Suevorum, cum omnibus theſauris, cùm ab ingreſſu Suevorum in Hiſpanias regnum tenuiſſent annis* 176.

Olym-

Olympias 34. 1. incipit in menſe Iulio. Eſt annus Olympiad. 1361.

Mauritius *Imper. incboat annum imperii quartum die 13. Auguſti.*

Longobardi cùm decennii ſpatio ſine rege fuiſſent regem creant *Autharit*, qui cum nobiliſſimos Romanorum audirent Flavios appellari, huic etiã hoc nomen dederunt: regnavit autem annos quinque & ſex menſes. Regi, ut magnificus eſſe poſſet, Duces triginta dimidiam partem ſuorum theſaurorum tradunt. *Diacon.*

Mauritius ut Longobardis negotium faceſſeret, mittit legatos & munera ad Childebertum Francorum regem, ut Longobardos in Italia invadat. Sed cum Longobardi munitis locis conſediſſent, unde pelli non poſſent, & inſuper ſi recederet, munera offerrent, rediit in regnum. *Tur.*

ANNO MUNDI 4535. Poſt. C. 586.
F. ☉ 7. ☽. 17. *Ind.* 4.

Leovigildus, propter filium iratus Orthodoxis omnibus, eos crudeliſſime perſequitur, filium etiam ſuum *Hermenegildum*, quòd ad Arianos redire nollet, in vigilia Paſchatis, die 13. Aprilis occidit. *Iſidor.*

Baronius fatetur hoc anno Paſcha à Cathol. die 14. Aprilis celebratũ fuiſſe. Sed tamen Hermenegildi cadem in pracedentem annum retrahit, & negat Arianos Hareticos paſchatis veri rationem habuiſſe, quod non video, quomodo probari poſſit. Potius credendũ Baronium Paſchatis veri rationem non intellexiſſe.

Childebertus, cujus ſororẽ Hermenegildis uxorem habuerat, cum audiret affinem interfectum, & ſororem in magno periculo eſſe, exercitum colligit, & in Hiſpaniam irruptionem facit. Cui *Reccaredus* patris Leovigildi juſſu obviam venit, & iter Francorum impedit, eosq; retrocedere cogit. *Iſid.*

Ingundis vidua Hermenegildis, ex Hiſpania cum filiolo fugit, ſed ad Pyrenæos montes à Mauritio præfecto capitur, & in Siciliam abducitur, ubi mœrore animi confecta moritur, & filiolus ad Mauritium Conſtantinopolin mittitur. Mauritius legatos ad Childebertum mittit, nepotem ipſi ex ſorore reddit, & hortatur ipſum, ut Longobardos invadere velit in Italia. Childebertus tanto beneficio provocatus, ingentem colligit exercitum contra Longobardos. *Diac.*

Leovigildus, pœnitens crudelitatis in filium & Catholicos, in morbum incidit. *Reccaredum* igitur filium admonet, ut Catholicos revocet, ipſos & Arianos de veritate doctrinæ diſceptantes audiat & dijudicet, & paulò poſt moritur, cum regnaſſet annos 28. Succedit ipſi filius *Reccaredus*, qui regnat annis 15. *Iſid.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei 12. incipit 19. Sept. fer. 5. Anno Jud. 4347.

Longobardi Cœnobium Benedicti in Caſſino monte nocturno tempore invadunt, omnia diripiunt, fugientes monachi Romam veniunt, & ibidem Cœnobium inchoant: ibiq; annis centum & triginta commorantur. *Chron. Caſſ.*

Pelag. Papa hoc anno conatur Epiſcopos Iſtrię & alios, qui non conſentiebant in damnationem trium capitulorum, ſcriptis duabus prolixis Epiſtolis ad ſui communionẽ revocare, ſed fruſtra, etiãſi per Exarchum Ravennæ cũ imperio ageret. *Greg.*

ANNO MUNDI 4536. *Poſt. C.* 587.
E. ☉ 8. ☽ 18. *Ind.* 5.

Childebertus, cùm magnum exercitum collegiſſet ex Germanis ferè & Francis, ut Mauritio rem gratam faciat, in Italiam contra Longobardos proficiſcitur; ſed orta diſſenſione inter Alemannos & Francos, re infecta redire cogitur. *Diac.*

Autharit Longobardorum rex metuens ſibi à Francis, ne Mauritio conjuncti ſimul ſe oppugnent ex hoſtibus eos amicos facere conatur, mittitque legatos ad patruum Childeberti *Chilpericum*, petitque illius filiam ſibi uxorem quæ etiam promittitur. Sed cùm brevi tempore poſt Reccaredus ex Hiſpania eandem ſibi peteret conjugem, Antharit excidit conjuge, & Reccaredus eam obtinuit. *Diacon.*

Reccaredus decimo menſe tandem poſt obitum parentis, abdicatis Arianis, Catholicam religionem ſequi incipit, quam & poſtea propagavit, & ideò Catholicus appellatus eſt. *Iſidor.*

Antharit *in Hiſtriã movet, eamq; ſibi ſubjicit, ubi Francionem magiſtrum militum, qui fines illos ab Narſete uſq; viginti annis obtinuerat, obſidet, & poſt ſex menſes deditione capit, quem tamen Ravennam dimiſit.* Diaconus.

Philippicus *iterum in Perſas movet, eosq; binis praliis fundit, & ad bina millia captivorum Conſtantinopolin mittit. Poſtea iterum capit ad tria millia, atq; ita feliciter res gerit* Cedr.

Gunthe ramnus anno regni 23. Synodum celebrat Lugdunenſem, in qua inter reliqua ſancitur, ne leproſi vagentur, ſed à cujusquẽ loci Epiſcopo alantur & ſuſtententur. *Turon.*

ANNO MUNDI 4537. Poſt. C. 588.
DC. ☉ 9. ☽ 19 *Ind.* 6.

Priſcus Dux loco Philippici in Perſiam mittitur. qui elato ſupercilio quosvis contemnit, quapropter in odium venit, & milites tentorium ejus diripiunt, eumq; Edeſſam uſq; fugant. Cùm verò repetitus ab exercitu redire nollet, exercitus ipſe ſibi Ducem eligit Germanum ex Phænicia, qui invitus tantum onus ſuſcepit. Mauritius contra Philippicum eò mittit, ſed nihil efficit. *Evag.*

Annus Nabonaſſaris 1336. & Philippi 912. incipit die 29. Mart. fer. 2.

Antharit *Romanos ſuperiori Sept. vicerat, & ſuburbia Roma depradatus fuerat una cum Ravenna: Ideo Mauritius iterum ſollicitat Childebertum de auxilio, qui colligit exercitum & in Italiam irrumpit. At verò cum ex Imperatoris parte nemo compareret, ſolus hoſtes aggredi noluit, ſed clade etiam affectus recedit.* Diac.

Autharit paulò poſt legatos mittit in Boariam, ut ſibi petant filiam Garibaldi Theudelindam uxorem, quam obtinuit. Inter legatos ipſe ſimul fuit, ſed ſub alia perſona, ne noſceretur. *Diac.*

Annus Armen. 37. incip. 30. Iunii, fer. 4.

Annus Alexandr. 900. Antiochenus 637. & Conſtantinop. 6097 incipit à Cal. Octob.

Anno Antioch. 637 ineunte, Antiochia *urbs iterum ingenti terra motu corruit. Perierunt ad ſexaginta millia hominum: una calamitas defuit, quod incendium nullum exortum eſt, cum tamen ubiq; ignes erumperent.*

Chilpericus *Francorum rex, cùm annos 24. regnaſſet, per* Landricum *Prafectum pratorio &*

adulterum uxoris ſuæ Fredegundis *occiditur, cùm fortè hoc adulterium ſenſiſſet. Relinquit filiolum quatuor menſium infantem nondum baptiſatum,* Clotarium, *cujus tutor factus eſt Gunthramnus, rex Aureliæ.* Turon.

Gunthramnus magnum exercitum in Galliam Narbonenſem mittit contra *Reccaredum*, Duce *Boſone*, cujus inertia factum eſt, ut à *Claudio Luſitano*, Duce *Reccaredi* vinceretur, & caſtris exueretur. Iſidorus affirmat, vix ſimilem fuiſſe victoriam: *Gunthramnus* conqueritur de hac clade, ſed cauſam confert in intemperantiam militum, alienis non abſtinentium. Turon.

Perſæ videntes Romanum inferuntur, ſeditione agi, in fines Romanos inferuntur, ſed à Germano Duce & militibus ſeditioſis ita excipiuntur, ut ne unus quidem in Perſiam reverteretur. *Cedren.*

Anno hoc concilium Matiſcone celebratur, in quo inter alia ſancitum, ut ſeculares, ut vocant, Clericis honorem exhiberent, & ſi fortè ſecularis equo incederet, appropinquante Clerico eunti deſcenderet, &c. Gunthramnus paulò pòſt, menſe Octobri edicit, ne Clerici aut Judices ſubſtitutos habeant, ſed quæ ſui officii ſunt ipſi peragant. *Turon.*

Smaragdus Exarchus remeat Conſtantinopolin, cùm ferè quadriennium præfuiſſet, ſuccedit *Romanus* Patritius, qui decem annis Exarchatum adminiſtrat. *Diacon.*

ANNO MUNDI 4538. *Poſt. C.* 589.

B. ☉ 10. ☽ 1. *Ind.* 7.

Annus urbis 1241. *Julianus* 634.

Æra Hiſp. 627. *Auguſtorum* 616.

Mauritius exercitum reſipiſcentem non ſolùm in gratiam recipit, ſed etiam donariis afficit, ideò Dux Philippicus iterum recipitur. Reconciliatio facta hebdomade ante Paſcha. & Philippicus, cùm Martyropolis Perſis prodita eſſet, eam obſidet tota æſtate. *Evag.*

Tunica Chriſti inconſutilis invenitur in urbe Zaphat, in arca marmorea, confeſſione Simeonis Judæi, *ut habet Aimoinus*, ubi ait, hoc factum fuiſſe eo anno, quo Ecclipſis Lunæ facta erat, anno antequã Antharit legatos ad Gunthramnum mitteret.

Ecclipſis illa Lunæ facta eſt in Galliis die 6. *Martii, horis* 2,37 *poſt mediam noctem, feria ſexta ineunte. Latitudo vera ſeptent.* 5. 37. *Semidiam. Lunæ* 16. 40. *Summa ſemidiam* 60. 33. *ſcrup reſid* 54. 53. *digiti Ecliptici* 19. 46. *Sol in gradu* 18. *Tauri.*

Theudelinda ſponſa regis Antharit in Italiam mittitur, cùm Franci in Boariam irruerent, eamq; vaſtarent. Nuptiæ celebratæ ſunt die 13. Maji *Diacon.*

Olympias 342. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1365.

Mauritius incipit annum Imperii 8. *die* 13. *Aug.*

Annus Diocletiani 306. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Rex Perſarum captivos ſuos bello captos munito in loco cuſtodiebat, qui data occaſione ſuos cuſtodes trucidant, & ſe vinculis exſolvunt, ſimulq; Conſtantinopolin redeunt. Commentiolus Dux in Perſiam præterea mittitur, qui multa ſpolia Imperatori Conſtantinopolin mittit. *Cedr.*

Inundatio maxima fluminum per totam Italiam hoc anno, menſe Novembri ab omnibus ferè Hiſtoricis annotatur. Romæ Tiberis plurimas ædes evertit, & muris altior unda fuit. Secuta eſt peſtis inguinaria, quæ multa hominum millia abſumpſit *Diaconus.*

ANNO MUNDI 4539. *Poſt. C.* 590.

A. ☉ 11. ☽ 2. *Ind.* 8.

Pelagius Papa, cùm ſediſſet annis 12. menſibus duobus, diebus 27. moritur peſte inguinaria, 8. Februarii. Ordinavit hic, ut præfationes, quę celebrationi Euchariſtiæ præmitti ſolent, novies variarentur, videlicet in Nativitate Domini, in Apparitione, in Paſchate, in Aſcenſione, in Pentecoſte, de Apoſtolis, de Trinitate, de ſancta cruce, de jejunio. Succedit ipſi poſt ſex menſes Gregorius.

Childebertus, Francorum rex, in Italiam ingentẽ exercitum mittit, qui circa Placentiam & Veronam multa caſtella capit aut deſtruit. Verùm cùm per tres menſes ſtrenuè rem geſſiſſent, & exercitus Imperatoris, ut convenerat, non adveniret, æſtivo tempore Franci dyſenteriæ morbo corripiuntur; quo confecti, pauci & quidem in magna egeſtate domum redeunt. *Diaconus.*

Philippicus *in Perſia iterum ad Martyropolin proficiſcitur, impediturus ne Perſæ commeatum importarent; & vicit quidem Perſas advenientes, nihilominus tamen obſeſſi commeatu potiti ſunt, & æſtas ita exceſſit.* Evag.

Ceaulinus, *rex Weſtſaxonum in Anglia, cùm annos* 30. *regnaſſet, moritur, ſuccedit ipſi* Ceolricus, *qui regnat annis quinque.* Huntin.

Rupertus, Bojarorum Apoſtolus, ex Gallia ejectus in Norico homines ad fidem Chriſtianam convertit, eique credidit Theodo princeps, hujus nominis tertius. *Act. Rupert.*

Peſtis inguinaria per nautas Maſſiliam delata, inde in totam Galliam propagata eſt. Gunthramnus rex Francorum ſubditis convocatis, ipſis jejunium indixit, nihilque edulii ipſis, præter panem hordeaceum, permiſit. *Turon.*

Ella *rex Northumbrorum moritur, cum annos* 30. *regnaſſet, ſuccedit ipſi* Edelricus, *qui regnat annos* 5. Huntin.

Concilium in Galliis agitur, ubi inſtituitur, ne dies Dominicus præcedentibus vigiliis ageretur in Gallia, quod & antea in quibusdam Eccleſiis uſitatum erat. Ordinatum etiam fuit, ne mulieres nudis manibus Euchariſtiam tractarent, ſed adhibito linteolo nitido eam acciperent. Linteolum illud peculiari vocabulo appellarunt ſuum Dominicum *Turon.*

Gregorius, Papa Romanus, tandem eligitur die 3. menſis Septembr. ſeditque annos 13. menſes ſex. Confecit hic *Antiphonarium* & præcepit Kyrieleiſon ad miſſas cantari. Alleluja etiam: ſed hoc extra tempus quadrageſimæ, & orationem Dominicam poſt Canonem addi voluit. *Sigeb. Confirmatus eſt hic Papa ab Imperatore Mauritio. Nam Gothorũ reges hanc poteſtatẽ confirmandi Pontificis ſibi ſumſerant, & Græci, qui Gothos expulerant, jus hoc ſibi ſervabant.* Priuſquam autem Gregorius eligeretur Papa, inſtituit *Litaniã ſeptiformem* dictam avertendæ peſtis vehementiſſimè ſævientis gratia. Ea Litania hoc modo diſtributa fuerat. Septem erant cœtus ex ſeptem templis per urbem prodeuntes. In primo cœtu erant Clerici, in ſecundo cives; in tertio monachi, in quarto moniales; in quinto fœminæ conjuges, in ſexto viduæ, in ſeptimo pueri & infantes. Hiq; cœtus ſeorſim ſuas Litanias per urbẽ

cane-

canebant. *Tanta autem fuit hujus peſtis atrocitas, ut unius horæ ſpatio, dum ita cœtus procedunt, octoginta homines conciderent, & morerentur. Præter peſtem autem conflictata eſt Roma ſeditionibus militum præſidiariorum, foris vero vaſtatione Longobardorum. Menſe Novembri adeo turbine & ventis Roma agitata eſt, ut pluríma templa & ædificia corruerent.* Gregor. Papa.

ANNO MUNDI 4540. Poſt. C. 591.

G. ☉ 12, ☽ 3. *Ind* 9.

Commentiolus, *genere Thrax, Dux Mauritii, feliciter contra Perſas res gerit, eosque ingenti prælio fundit, Ducesque eorum occidit.* Hormiſda *Perſarum rex ægrè ferens, Duci, cujus culpâ clades accepta erat, veſtem muliebrem ignominiæ cauſa mittit, eumq; in ordinem redigit. Dux vero conflictis literis milites incitat in regem, efficitque ut Hormiſdæ regnum abrogent. Ipſe aſſumptis aliis regem ſolio deturbat, ignominioſe tractat, & in carcerem conjicit, & contra filium ejus Coſrhoen regem facit; filius patrem benignè habet, ſed pater iratus filio, eum calumniatur, ideò pater tandem trucidatur. Perſæ contrà filium regno pellunt, qui ad Mauritium perfugit, à quo benignè ſuſceptus in regnum per duces reſtituitur: ipſe contra ab eo recipit Martyropolin. Daras & alia loca, æternaque pax & amicitia cum Perſis firmatur.* Evagrius. *Factum autem hoc, ut ubiq; annotatur, indictione nona. Mauritius Imp. filium ſuum* Theodoſium *Cæſarem facit, ita tamen ne ſimul imperet, qui coronatur à Patriarchâ Johanne die 15. Aprilis in Paſchate.* Zon.

Gregorius ſcribit ſynodalem Epiſtolam ad omnes Patriarchas, in qua damnat tria illa capitula, ita tamen, ut à damnatione Theodoretum & Ibam, quos abſolverat concilium Chalcedonenſe, eximat. *Gregor.*

Antharit *rex Longobardorum, cùm à Childeberto Francorum rege quotannis ferè bello provocaretur, mittit ad Gunthramnum legatos, petitque ut interceſſor eſſe velit apud patruelem Childebertum, ut cognati inter ſe populi Longobardi & Franci in pace vivere poſſint. Sed rex Antharit interim moritur die 5. Septembris, cùm annos 6. regnaſſet. Veneno creditur ſublatus.* Theudelinda *vidua conſenſu ducum regnum retinet, &* Agilulfo *Duci Longobardorum nubit menſe Novembri, qui poſtea ab univerſis Longobardis rex eligitur ſequenti anno, menſe Majo.* Diacon.

ANNO MUNDI 4541. Poſt. C. 592.

FE. ☉ 13, ☽ 4. *Ind.* 10.

Cùm jam alta pax eſſet in Oriente propter amicitiam cum Perſis junctam, & Coſrhoes reſtitutus eſſet, Avarum *rex in Europa & Thracia tumultuatur. Mauritius Imper. ipſe, cùm ver inciperet, præter voluntatem ſuorum in Thraciam contra hoſtes proficiſcitur, ubi ecclipſis Solis facta eſt, cùm Septimio urbe exiret, ubi in venatione paulò poſt ab apro ferè equo dejectus eſſet, & in Perinthum navigans ferè naufragium feciſſet, ideò nulla re tentata domum redit.*

Ecclipſis Solis accidit die 19. Martii, feriâ ſeptima horis poſt mediam noctem decem, Conſtantinopoli. Parallaxis latit. 46,29. Latitudo Borealis 41. 29. latitudo viſa 5,0. Semidiameter Solis 16,58. Summa ſemidiametrorum 34,30. ſcrup. reſidua 29. 30. digiti ecclipſici 10,26. ad tabulas Pruten. Sol in primo Arietis, ut Bunting.

Annus Nabonaſſaris 1340. & Philippi 916. incipit die 28. Martii, fer. 6.

Arnulphus *Longobardorum dux Romaniolam vaſtat & Thuſciam, plurimosque captivos abducit, quos Papa Gregorius, ut ipſe ſcribit, magna pecuniâ redemit.*

Annus Armen. 41. incipit die 21. Junii, fer. 1. Annus Alexandr. 904. & Antioch. 641. Conſtantin. 6101. à Calendis Octobr.

Agilulphus *legatos mittit ad Childebertum Francorum regem de captivis quibusdam redimendis, quos etiam auxilio Brunichildis obtinet.* Paul. Diac.

Siccitas ingens fuit hoc anno à Januario ad menſem Septembris. Locuſtæ præterea ingruerunt, quæ omnia depaſtæ ſunt, quod & ſequenti anno factum. Diacon.

Lex à Mauritio lata, ne quis miles, niſi expletâ militia, monachus eſſe poſſet. Papa Gregorius deprecatur Imperatorem, ne hoc facere velit, ſed Mauritius excuſat inopiam militum. *Mauritius.*

ANNO MUNDI 4542. Poſt. C. 593.

D. ☉ 14, ☽ 5. *Ind.* 11.

Annus urbis 1345. *Julianus* 638.
Æra Hiſp. 631. *Auguſtorum* 620.

Chaganus *vicina Sirmii depopulatur: Mauritius igitur* Priſcum *iterum Ducem facit, qui Chaganum vincit. Contra Chaganus Anchialum incendit, & occaſione captâ Priſcum Ducem obſidet. Mauritius ubi hæc comperit, ſpargit, ſe claſſe Chagani fines populaturum, ita obſidio ſolvitur, & Chaganus ad ſua defendenda abit.* Cedr.

Bellum inteſtinum inter Longobardos enatum hoc anno eſſe, Diaconus affirmat, *& peſtis inguinaria, quæ ceſſare videbatur, circa Ravennam & Hiſtriam recrudeſcit.* Ibid.

Olympias 343. incipit in menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1369

Mauritius *Imp. inchoat annum imperii* 12. *in Auguſto.*

Annus Diocletianus 310. incipit die 29. Auguſti.

Evagrius, *ut ipſe teſtatur lib. 3. ſcribit hoc anno ſuam hiſtoriam, anno videlicet Antiocheno 641. indictione undecima, duodecimo verò Mauritii. Unde Baronius, qui ſe Evagrium ſequi in annis Mauritii affirmat, habere poterit, quomodo errorem ſuum, de quo ſupra habuimus, corrigere poſſit.*

Gregorius Papa dialogos ſuos conſcribit, & in Epiſtola ad Narſetem, conqueritur, ſe Græca neſcire, nec eſſe Conſtantinopoli, qui Latina græcè convertere poſſet, *tanta cum temporis in imperio fuit barbaries.* Gregor. Epiſt. 29. lib. 6.

In Gallia regum filiæ duæ ex concubinis natæ monaſterio includuntur, ſed diſciplinæ impatientes effugiunt, & Epiſcopos excommunicationem minitantes, per populum, qui clamoribus earundem excitatus erat, verberibus multant. Concilium de hac re agitur Pictavis, & Abbatiſſa ſuo loco reſtituitur. Virginum altera deprecata in cœnobium redit, altera abjurans cœnobium, in villa quadam ſervatur. *Turon.*

Romanus *Exarchus* Peruſiam *& alia loca, quæ Longobardorum erant, dum præter opinionem Romá Ravennam abit, intercipit. Sed ſequenti anno Agilulphus ſua recuperat, multos Romanorum capit, & Francis in Gallia vendit.* Ann.

ANNO MUNDI 4543. Poſt. C. 594.

C. ☉ 15. ☽ 6. *Ind.* 12.

Epiſcopi Hiſtriæ, qui communione Pontificis Romani ſe annis ferè quadraginta abſtinuerant, ut & alii, ob tria illa capitula poſtulant prolixiorem declarationem, quos Gregor. redarguit in Epiſt. 37. lib. 3.

Diſſidium in hoc Paſchate hoc anno accidit, ortum ex Cyclo Victorini vel Victorii, qui ſtatuerat, ſi terminus Paſchatis in feriam ſeptimam incideret, ut Paſcha differretur in Lunam viceſimam ſecundam, ne cum Judæis Paſcha ſimul celebraretur. Hoc anno igitur, Cyclo Lunæ 6. terminus Paſchatis incidit in diem 10. *Aprilis, qui fuit feria* 7. *Cyclo Solis* 15. *literâ Dominicali C. Ergò quidam ſecundum Cyclum Dionyſii Exigui Paſcha celebrarunt* 11. *Aprilis. Turonenſis verò celebravit* Paſcha 18. *Aprilis, & dicit, fontes in Hiſpania, qui in Paſchate fluere ſolebant, ſibi fluxiſſe.* Turon.

Conſtantina Imperatoris Mauritii conjux ædificârat Eccleſiam Divi Pauli, quam ut reliquiis Sanctorum exornaret, petit à Gregorio caput D. Pauli Apoſtoli, ſed Papa commemoratis quibuſdam cauſis in Epiſtola 30. lib. 3. renuit.

Ecclipſis Solis accidit hoc anno, qui fuit annus 31. *Gunthramni regis Francorum, ubi à mane uſque ad meridiem Sol minoratus eſt.* Aimoin. & Sigeb. *Hæc accidit hoc anno die* 23. *Julii, feriâ ſexta, horis ſex ante meridianum tempus, & cœpit ferè Sol oriente, Parallaxis latitudinis eſt* 33,10. *Latitudo vera* 35 54. *Viſa Septent.* 2,44. *Semidiam. Solis* 15,16. *Summa ſemidiam.* 31,26. *ſcrup. reſidua* 29,12. *Digiti ecclipticii* 11,28. *Sol in primo gradu Leonis.* Aimoin9. *Sigebertus hanc ponit poſt biennium falſo.*

Priſcus *Dux Mauritii Sclavinos ex Thracia ejicit magnâ in eos edita ſtrage. Sabellicus putat eos tum in Germaniæ fines abiiſſe.* Cedren.

Clodoſvintha, *Childeberti Mediomatricum in Francia regis ſoror, Reccaredo Gothorum regi nubit, unde amicitia & fœdus inter Gothos & Francos conciliatur.* Vaſæus.

ANNO MUNDI 4544. Poſt. C. 595.

B. ☉ 16 ☽ 7. *Ind.* 12.

Agilulphus, *Longobardorum rex fraude Exarchi urbes Longobardorum occupatas non tantùm recipit, ſed etiam urbi Romanæ minitatur: atque ita interrupit enarrationem in Prophetā Danielis à Gregorio Papâ inſtitutam, de qua re ipſe conqueritur ad populum & aliis.*

Edelricus *rex Northumbriæ in Anglia moritur, cùm annos quinque regnaſſet. Succedit filius* Edelfridus, *qui regnat annos* 21. Mamelsb.

Johannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus arrogat ſibi titulum *Oecumenici*, ſive univerſalis, idcoq; redarguitur à Gregorio Pontifice Romano, qui de eadem reſcribit etiam ad Mauritium.

Concilium Romæ celebratum die 5. Julii, Indictione 13. anno Mauritii 13. Eadem verba etiam habet Beda, & tamen *Baronius* non patitur ſe verum doceri, ſed ait erratum eſſe in annis Mauritii.

Circa hæc tempora Chaganus *rex Avarum Venetiarum fines invadit, & Giſulphum cum exercitu trucidat, & conjugem ejus* Romildam *in caſtro Forojuliano obſidione cingit. Romilda videns Chaganum eſſe virum vegetæ ætatis, amore ejus incenſa & pacta conjugium, caſtrum prodit, atque ita Forojulianum caſtrum igne conſumptum, & incolæ in captivitatem abducti. Romilda verò proditionis mercedem dignam accepit, dum palo perforatur, & in campo erigitur.* Diacon.

Priſcus *Dux Sclavinos inſequitur ad Iſtrum eumq; tandem tranſit, & ex regionibus Sclavinorum plurimam prædam capit, & ad Mauritium mittit. Ipſe verò trans Iſtrum hyberna inſtituit, ut præſidio eſſet iis locis.* Miſcel. & Cedr.

ANNO MUNDI 4545. Poſt. C. 596.

AG. ☉ 17. ☽ 8. *Ind.* 14.

Ecclipſis Solis anno ante mortem Gunthramni regis annotatur à Gallicis Scriptoribus, ut & Ecclipſis Lunæ, quæ obſcurior ſol eo viſa eſt. Ecclipſis Solis accidit die 5. *Januarii, feria quinta, horis tribus poſt meridiem in Galliis. Parallax. Lunæ* 43 56. *Latitudo Lunæ ſeptent.* 37,54. *Latitudo viſa auſtralis* 6,2. *Semidiam. Solis* 15,57. *Summa ſemidiam.* 31,17. *ſcrup. reſidua* 25,15. *digiti eccl. pt.* 9,30. *Sol in* 18. *Capricorni.*

Johannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm annis 13. ſediſſet, moritur. Hic propter frequentia jejunia & vitam auſteriorem Jejunator appellatus eſt, ſuccedit ipſi Presbyter Cyriacus, qui ſedit annos 11. *Niceph.*

Annus Nabonaſſ ris 1344. *& Philippi* 920. *incipit à* 27. *Martii, fer.* 3.

Ecclipſis Lunæ, quæ à Scriptoribus Gallicis annotatur, accidit die 15. *Junii, feria ſexta, hora una adhuc ante mediam noctem. Latitudo ejus meridional.* 23,34. *Semidiameter Lunæ* 17,32. *Summa ſemidiam.* 63,31. *ſcrup. reſidua* 39,57. *digiti Ecclipticæ* 13,40. *Sol in* 27. *Geminor.*

Annus Armen. 54. *incipit die* 28. *Junii, feriâ* 5. *Annus* Alex. 908. *Antiochen.* 645. *Conſtant.* 6105. *à Calend. Octobr.*

Auguſtinus & Mellitus Monachi à Pontifice Gregorio in Angliam mittuntur, qui Anglos initia pietatis Chriſtianæ docerent. ut oſtendunt literæ Gregorii, datæ die 23. Julii, anno 14. Mauritii, Indictione 14. Idem repetitur ab eodem Gregorio in Epiſtola ad Arelatenſem Epiſcopum, item in Epiſtola ad Mellitum, item in Epiſtola ad Edelbertum regem Angliæ; unde omninò convincitur, *Baronium* in annis Mauritii errare.

Longobardi regiones, quæ Imperatoris erant, in Italia vaſtant, Crotonem capiunt, & captivos abducunt. Gregorius Papa, quos potuit captivos redimit; quòd ſi qua ſibi eſſet pecunia, ea monialibus expenderetur, quarum ter mille aleret. *Gregor.*

Mauritius *Priſcum Ducem, qui magnas res geſſerat, ab exercitu removet, & fratrem exercitui præficit.* Cedr.

ANNO MUNDI 4546. Poſt C. 597.

F. ☉ 18, ☽ 9. *Ind.* 15.

Annus urbis 1349. *Julianus* 642.

Æra Hiſp. 635. *Auguſtorum* 624.

Gunthramnus, *rex Francorum & Burgundionum moritur*, ut Aimonius habet, *die* 28. *Martii, adhuc ante Paſcha, anno regni triceſimo tertio, cujus mortem anni ſpatio præceſſerant & Ecclipſis Solis & Lunæ, ut ſuperiori anno habuimus. Succedit ipſi* Childebertus *ex fratre Sigeberto, qui regnat ferè triennium poſt Gunthramnum.*

Negat

Negat hoc Baronius ex hoc fundamento, quòd Gregorius Papa ſcripſerit ad Brunichildem matrem Childeberti, & poſtea ad Theodobertum filium Childeberti: & ideo concludit, Childebertum ante Gunthramnum mortuum eſſe. Sed cùm omnes Gallici Scriptores contradicant, & Childeberto triennium poſt Gunthramnum concedant, ab eorum ſententiâ diſcedere non licuit. Facilè enim fieri potuit, etiamſi mortis Childeberti Gregorius non mentionem faciat, ut Auguſtinum matri regis, & inſuper nepotibus commendaverit patre in Burgundiâ, aut aliis in locis occupato, aut etiam, quòd Gregorii literæ à librario alio loco referantur.

Cùm militibus in Thraciâ ſtipendia non ſolverentur, Mauritius de ſtipendiis mandata ad Petrum Ducem mittit, ut exhibeantur partim pecuniâ, partim armis, partim veſtimentis: ſed cum ſibi metueret à ſeditione militum, mandata hæc clam habuit. Sed Paulò pòſt, dum idem Petrus venationibus indulget, pedem graviter offendit: quo comperto Sclavini & alii Thraciam invadunt, & eam otioſè deprædantur. Ideò Petrus iterum ab exercitu removetur & Priſcus reſtituitur. Miſcell.

Olympias 344. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1373.

Annus Mauritii Imp. decimus ſextus, incipit die decimo tertio Auguſti.

Annus Diocletiani 314. incipit die 29. Auguſti.

Gregorius Papa legatum Conſtantinopolin mittit, cui in mandatis dedit, ne communicet cum Cyriaco Epiſcopo, niſi idem Cyriacus abſtineat ab appellatione Oecumenici. *Gregor. epiſt. 31. lib. 6.*

Ceolricus *rex Weſtſaxonum in Angliâ, cum regnaſſet annos quinque, moritur. Succedit* Ceolvvolf, *cujus ſeptimus annus eſt imperatoris Phocæ primus.* Edelvv.

Cùm *Auguſtinus* in Angliam veniſſet, *Edelvvertus* rex Cantuarienſis potens inter reliquos, cùm intelligeret, peregrinos hoſce bona, quæ optima putarent, ſecum communicaturos, eos dignos putat, quos hoſpitio excipiat, foveat & alat. *Beda lib. 1.*

Childebertus, rex Auſtraſiæ & Alemaniæ, poſt mortem patrui Gunthramni Epiſcopatum Vindoniſsâ transfert *Conſtantiam*, anno regni Auſtraſiæ tredecimo, Burgundiæ verò primo. *Chron. Auguſt.*

In feſto Nativitatis Chriſti Auguſtinus cum ſociis, cùm verbo prædicando plurimum operæ dediſſent, ad decem Anglorum millia, unà cum rege Edelberto baptiſant. *Beda.*

ANNO MUNDI 4547. Poſt. C. 598.

E. ☉ 19. ☽ 10. *Ind* 1

Pax tandem in Italiâ, vel potiùs induciæ fiunt duorum menſium, ſollicitante Gregorio Papâ, & eam ſuadente Theudelindâ apud maritum Agilulphum, quam tamen admittere viſus non eſt Arnulphus Dux Beneventanus. *Greg.*

Romanus Exarchus, cùm ferè annis decem præfuiſſet, moritur; cujus ſucceſſorem mittit Mauritius Callinicum, *qui præeſt annis quatuor.*

Childebertus *rex Franciæ, ultturus patris & patrui necem in Fredegunde, ei bellum infert, Fredegundis contrà convocatis Statibus regni, id bellum ita interpretatur, ut Clotarius filius regno pellatur, cui Status juramento obſtricti erant. Ideò Clotarius decreto Statuum defenditur, & Childebertus inſuper ſtrategemate bellico à Fredegunde vincitur.* Aimoin.

Priſcus *Dux Mauritii, transmiſſo Iſtro, venationi operam dat; id, quia non ſine incolarum damno fieri poterat, interpretatur Chaganus de illato bello, & fœdere rupto; ideo bellum in Mauritium apparat.* Hiſtor. Miſcell.

ANNO MUNDI 4548. Poſt. C. 599.

D ☉ 20, ☽ 11. *Ind.* 2.

Cometa *hoc anno apparuit, & Childebertus iterum perſuaſus à Mauritio Longobardis in Italiâ bellum infert: ſed exercitu Mauritii non comparente, cùm aliquot caſtella expugnâſſet, ingruente æſtate, dyſenteriæ morbo malè affligi cœpit; ideo poſt tres menſes domum redit.* Aimoin.

Ediſcopi Iſtriæ ad communionem Pontificis Romani redeunt. *Gregor.*

Chaganus *contractis copiis ſuis Dalmatiam invadit. Priſcus Dux paucos quoſdam exploratum mittit qui ex inſidiis Chaganum aggreſſi, eum prædâ exuunt, & ſalvi ad Priſcum revertuntur.* Cedr.

Callicinus *Exarchus occaſione data per exercitum filiam regis Agilulphi Longobardi cum marito ſuo intercipit, & Ravennam eam deducit, atque ita pax rupta eſt.* Diac.

ANNO MUNDI 4549. Poſt. C. 600.

CB. ☉ 21, ☽ 12. *Ind.* 3.

Chaganus in *Mœſiam irruit circa feſtum Paſchatis, ubi cum exercitu Romanus fame tabeſceret, à Chagano commeatum accipiunt, atque ita Paſcha in induciis egerunt. Poſtea præliis aliquoties concurrunt, quibus Romani ferè ſuccumbunt, & Chaganus in Thraciam tranſcendit, cujus adventu Mauritius adeò turbatur, ut de relinquenda Conſtantinopoli cogitaret. Legatos igitur Mauritius mittit, qui pacem cum Chagano componerent, in cujus tractatione Mauritius promittit quinquaginta aureorum millia annua. Cùm vero captivis Chaganus in itinere impediretur, offert eos Mauritio redimendos, ſingulos ſingulis aureis. Cùm verò nec hoc, nec etiam ejus dimidium conſequi poſſet, iratus captivos ad unum omnes occidit.*

Exercitus Mauritii de clade à Chagano acceptâ inter ſe diſceptant, & culpam ejus in Commentiolum conferunt, qui exercitum prodidiſſet, & Recuperatores ad Imperatorem mittunt, qui Commentiolum accuſent. Sed Mauritius præoccupatus ab aliis recuperatores non audit, & Phocæ, *qui poſt imperavit, quòd cauſam exercitûs liberiùs ageret, colaphos infligi & barbam evelli jubet.* Cedr.

Annus Nabonaſſaris 1348. & Philippi 924. incipit die 26. Martii, fer. 7.

Childebertus *Francorum rex, anno regni Burgundiæ quarto, paterni verò 23. veneno, ut putabatur, extinguitur. Succedunt ipſi filii,* Theodobertus, *qui Auſtraſiam obtinet, &* Theodoricus, *qui regnum Gunthramni accipit, regnatque annis 18.* Aim.

Agilulphus *Longobardorum rex obſidet Patavium, quod hactenus Longobardis reſtiterat, idque injecto igne exurit, præſidium tamen Ravennam mittit.* Diac.

Annus Armeniorum 49. incipit die 27. Junii, feriâ ſecundâ.

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei undecimi, incipit die 15. Sept. fer. 5. Anno Jud. 4361.

Annus

Annus Alexand.912. Antioch.649. & Conſt. 6109. incipit à Calend. Octob.

Gregorius Papa de felici progreſſu religionis in Angliâ edoctus, ſcribit Auguſtino, ut Epiſcopi Londini & Eboraci ſint Metropolitani. *Beda.*

Fredegundis *regina cum filio* Clotario *regna Theodoberti & Theodorici crudeliſſimè vaſtat, & ſequenti anno moritur: crudeliſſimè hac iram ſuam exercuit, & plurimos interfecit, inter cæteros etiam ſuum virum regem Sigebertum, & ejus fratrem.* Aimoin.

Piſces in Ægypto in formâ hominis, in loco, qui Delta appellatur, apparuerunt, maſculus unus, alter fœmina Miſcell.

ANNO MUNDI 4550. Poſt. C. 601.

A. ☉ 22, ☽ 13. *Ind.4.*

Annus urbis 1353. *Julianus* 646.

*Æra Hiſp.*639. *Auguſtorum* 628.

Mauritius ab uxore ipſo die Paſchatis coronam accipit: ſed Mauritius eam abominatus donat templo Apoſtolorum. *Cedr.*

Commentiolus *dux ad Iſtrum venit, ſeq; cum Priſco conjungit contra fœdus cum Chagano initum: ideò & Chaganus copias contrahit, & filios ſuos Romanis ad Iſtrum opponit. Priſcus dux ratibus Danubium tranſit, & quatuor millia hoſtium occidit, altero die octo millia, & tertio die Chagani filios in Iſtro ſubmergit & ipſum Chaganum vincit. Mauritius tamen putans hoc contra fœdus factum, Chagano captivos omnes reddit.* Cedr.

Olympias 345. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1377.

Mauritius *init annum imperii viceſimum die* 13. *Auguſti.*

Annus Diocletiani 318. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Reccaredus *rex Hiſpaniæ, cùm annos* 15. *regnaſſet, moritur: ſuccedit filius* Liuba, *qui regnat tantum annum unum, & ſex menſes.* Iſid.

Cùm Sclavi etiam Siciliæ imminerent, voluit Gregorius Papa bis in hebdomade, feriâ quartâ & ſextâ Litanias cani. *Greg.*

ANNO MUNDI 4551. Poſt. C. 602.

G. ☉ 23, ☽ 14. *Ind.5.*

Mauritius *filio ſuo* Theodoſio *Germani patritii filiam deſpondet. Nuptiæ factæ menſe Februario, ſeptem diebus.* Faſti Siculi

Arnulphus *dux Beneventanus, Romanum exercitum vincit, multis caſis,* ut Greg. habet.

Mauritius pœnitens facti, de captivis non redemptis, quòd ſic homicidii reus factus eſſet, & quòd ſomnia haberet, ſe coram Deo ab iſtis accuſari, ſcribit ad omnes Eccleſias, culpam deprecatur, & jubet pro ſe apud Deum intercedi, ut pœna divina mitigetur. *Cedr.*

Callinicus *Exarchus, qui annis ferè quatuor præfuerat, à Mauritio revocatur, &* Smaragdus *iterum fit Exarchus, qui octo annis præeſt.* Diac.

Mauritio *prædicitur à quodam ſui remotio ab imperio, & cædes perpetranda à quodam, qui initiales literas nominis ſui PH. haberet.* Mauritius *ſuſpicans nullum alium eſſe poſſe, quàm ſororis ſuæ maritum Philippicum, ideò eum in vinculis habet. Vrgente autumno Mauritius mittit mandata ad Petrum ducem, ut in Sclavorũ regione potiùs hyberna conſtituat, & ex hoſtico exercitum alat, non ex ſubditorũ provinciis: quibus mandatis exacerbatus exercitus ab Imperatore deficit, &* Phocam *Centurionem ſibi præficit, & tandem ſupra clipeos elevatũ, eum Imperatorem proclamat. Mauritius interim ſomniũ habuerat, in quo cognoverat, Phocam non Philippicum appellari, à quo imperio pellendus eſſet: ideò Philippicum liberat. Interim exercitus non ſatis fidens Phocæ, legatos mittit, qui vel Germano, ſocero Theodoſii, filii Mauritii, vel Theodoſio imperium offerant. Hanc legationem intercipit Mauritius, & occidiſſet Germanum, niſi ad Eccleſiam confugiſſet: filium certè Theodoſium fuſtibus ipſe cædit. Interim Phocas urget propoſitum, & exercitum totum Conſtantinopolin ducit, ibiq; ab Epiſcopo & Senatu excipitur; & cùm profeſſus eſt, ſe rectè ſentire in religione Chriſtianâ, in templo D. Johannis proclamatur Imperator, menſe Novembr. & tertio die regalia induit, uxoremq; Leontiã ſimiliter creat Auguſtam. Cùm verò ludi eſſent populusq; tumultuaretur de locis occupandis, mittit, qui turbã compeſceret. Turba verò graviùs accepta clamat, Phocã ignorare conſuetudines urbis, ipſi imperio abeundum, Mauritium nondum mortuum eſſe: quapropter Phocas miſſis militibus Mauritiũ Chalcedonẽ trahi jubet, ibiq; ipſius liberos maſculos prius occidit, & poſtea ipſum etiam Mauritium, qui patientiſſimè & cædem filiorum & ſuam ſuſtinuit, ad ſingulas cædes ingeminans:* Juſtus es Domine, & juſtum judicium tuum. *Factæ cædes,* 23. *Novembris. Cæſi poſtea etiam ſunt Mauritii amici & duces, Commentiolus, Petrus, & alii. Philippicus clericus factus eſt, & ejus uxor monialis. Vxor Mauritii cum filiabus ad Eccleſiam confugit, quam abſtrahi populus concedere noluit.* Hiſtor. Miſcellæ. & alii.

Liuba, *cùm anno uno & menſibus ſex regnâſſet, à* Viterico *Gotho, præciſâ dextrâ, ann. ætatis* 20. *interficitur, &* Vitericus *regnum occupat annis* 7. Vaſæ.

ANNO MUNDI 4552. Poſt. C. 603.

F. ☉ 24. ☽ 15. *Ind.6.*

Agilulpho *regi Longobard. naſcitur filius ex Theudelindâ reginâ, qui baptiſatus eſt ſequentis Paſchatis die, die ſeptimo Aprilis, quo hoc anno Paſcha celebratum eſt.* Diac.

Imago Phocæ *& Leontiæ uxoris Auguſtæ affertur Romam, die* 25. *Aprilis, & ambo à Gregorio Papa proclamantur Auguſti.* Gregor.

Theodoſius *Mauritii filius, legatus à patre ad Coſthoen regem Perſarum miſſus, auxilia contra Phocam petiturus, ex itinere retrahitur, qui ante mortem coram omnibus teſtatus, ſe nulli unquam injuriam intuliſſe. Mortem fortiter ſuſtinuit.* Miſcell.

Agilulphus *rex Longobard. cùm ab Exarcho filiam recipere non poſſet, ſtatim menſe Julio obſidet Cremonam, cui auxilia mittit Cacanus Avarum rex. Eam igitur expugnat die* 21. *Auguſti, & excindit. Ita paulò pòſt* Mantuam *etiam capit die* 13. *Septembris. Deditum præterea eſt caſtrum Vulturium, item Bruxillum oppidum, quod tamen exuſtum eſt à ſuo ipſius præſidio, priuſquam fugeret. Exarchus hiſce motus legatos mittit de induciis, filiamq; reddit, & induciæ initæ menſe Novembr. uſq; ad Calendas Aprilis.* Diac.

Coſthoes *Perſarum rex, certior factus de Mauritio Imperatore, amico ſuo cæſo, arma Phocæ infert quinto menſe poſt caſum Mauritium.* Phocas *opponat Perſis* Narſetem *ducem, qui infenſus Phocæ*

pro-

propter caſum Mauritium, cum Perſis colludere videtur. Cedr.

Edelfridus *rex Northumbrorum, Scotorum regem Aidanum bellum inferentem tandem vincit, & Angliâ ejicit.* Beda,

ANNO MUNDI 4553. Poſt. C. 604.
ED. ☉ 25, ☽ 16. Ind. 7.

Gregorius Papa, cùm ſediſſet annos tredecim menſes ſex, & dies decem, moritur die duodecimo Martii. Fuit genere nobilis & Præfectus urbis, priusquam monaſterium ingrederetur: poſtea, quod induſtrius eſſet in rebus gerendis, Diaconus factus eſt, & legatus à latere, & tandem Pontifex. Antiphonarium hic publicavit, & Scholas Cantorum inſtituit. Romæ poſt ejus exceſſum de novo Pontifice eligendo maximæ exortæ ſunt diſſenſiones, dum quisq; ad tantos honores aſcendere cupit. Eligitur tandem poſt menſes quinque, & dies novendecim, Calendis ſcilicet Septembr. *Sabinianus*, Tuſcus natione, patriâ Volaterranus, qui & avaritiâ & invidiâ infamis fuit, qui ſedit menſes quinque, dies novendecim. *Onuph.*

Annus Nabonaſſaris 1352. & Philippi 928. incipit die 25. Martii, fer. 4.

Coſi hoes *bellum ſtrenuè urget, & Germanum ducem prælio vincit, & vulnerat, qui paulò pòſt moritur. Ideò* Phocas *Imperator cum* Chagano *pacem facit, quam ut perpetuo colat, tributum, quod quotannis dare ſolebat, auget, exercitumq; illum in Perſiam mittit ad* Marſetem, *qui tamen Phocæ ſatis fidelis non erat, ideoq; à Coſrhoe vincitur.* Cedr.

Annus Armen. 53. incipit die 26. Junii, fer. 6. Annus Alex. 916. Antioch. 653. Conſtantinop. 6113. incip. Calend. Octob.

Aidanus, *Scotorum rex, cùm annos 34. regnâſſet, moritur; ſuccedit ipſi* Kennethus, *qui regnat tantùm anno uno.* Buchan.

Auguſtinus, primus in Angliâ Epiſcopus, moritur, qui Britones ac Scotos, qui aliter, quàm par erat, Paſcha celebrabant, emendare non potuit. *Beda.*

Theodobertus *& Theodoricus fratres, hortante Brunechilde aviâ, Clotario patrueli bellum inferunt, & prælium cruentiſſimum committitur ad Arvernam fluvium, & Clotarius vincitur, qui, ut pacem redimeret, Theodorico multas ſuæ ditionis regiones conceſſit.* Aimoin.

ANNO MUNDI 4554. Poſt C. 605.
C. ☉ 26, ☽ 17. *Ind. 8.*

Annus urbis 1357. *Julianus 650.*
Æra Hisp. 643. *Auguſtorum 632.*

Sabinianus Papa, cùm ſediſſet menſes quinque, dies novendecim, moritur die 29 Febr. Ejectum eſt ejus funus extra urbem, eò quòd triticum Eccleſiæ non erogâſſet. Vacat ſedes poſt ejus obitum menſibus undecim, & diebus 26. tantis contentionibus certabatur in conſequendo Pontificatu. *Anaſtaſius.*

Hyems frigidiſſima annotatur à Diacono hoc anno, quâ vites emortuæ ſunt omnibus in locis, meſſes poſtea per æſtatem vaſtatæ ſunt à muribus, & præterea uredine perierunt. Fames inde conſecuta.

Narſes *Dux, quòd malè pugnâſſet, metuit ſibi à Phocâ, & Edeſſam occupat, & nuncium ad Coſrhoem mittit; inde reputans, meliùs eſſe, cum Phoca redire in gratiam, à Domentiolo fidem accipit ſecuritatis, & Phocas juramentum interponit. At verò, cum Conſtantinopolin veniſſet, contra fidem datam vivus exuritur à Phocâ, id quod maximo dolori fuit exercitui, Perſis verò gaudio, qui ſibi à Narſete adeò metuebant, ut liberos ſuos Nomine Narſetis terrerent.* Cedr.

Olympias 346. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1381.

Annus Diocletiani 322. incipit die 21. Auguſti.

Conſtantina *vidua Mauritii, cum tribus filiabus adhuc in templo, in quod confugerat, degit. Eas cùm Cyriacus Epiſcopus vi extrahi non pateretur, impetravit tandē, ut monaſterio includerentur.* Cedr.

Perſarum *rex Daras fortiſſimum propugnaculum capit, & totam Meſopotamiam atq; Syriam depopulatur innumerabili prædâ abactâ.* Cedr.

ANNO MUNDI 4555. Poſt C. 606.
B. ☉ 27. ☽ 18. *Ind. 9.*

Tandem Romæ poſt vacationem Pontificatûs annuo ſpatio novus Papa eligitur Bonifacius Romanus, die 15. Febr. qui tertius hujus nominis eſt, qui juſſu Phocæ Imperatoris Synodum convocavit Epiſcoporum 72. ubi promulgatum decretum, non Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui titulum hunc jam multis annis obtinere conatus fuerat, ſed Romanum Pontificem dicendum Oecumenicum: & deinde de Electione novi Pontificis nihil attentandum, niſi tertio die poſt prioris obitum. Sedit autem hic Bonifacius tantùm menſibus octo. Moritur die 12. Novembr. Inde interregnum initur menſium decem. *Anaſt.*

Cyriacus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui decem annos & aliquot menſes præfuerat, moritur. Succedit ipſi *Thomas* Presbyter, qui ſedet annos duos, menſes 7. *Niceph.*

Adewaldus *filius Agilulphi regis Longobardorum, à patre declaratur rex Longobardorum, Mediolani in Circo, præſente patre, & legatis Theodoberti Francorum regis adſtantibus. Et novo regi filiola Theodoberti deſpondetur, & fœdus inter Francos & Longobardos confirmatur.* Diac. *Aimoinus verò, qui eadem ſcribit, addit characterem temporis; dicit enim ecclipſin Solis circa id tempus factam.*

Ecclipſis illa Solis accidit die 10. Junii, fer. 7. horis ferè octo poſt mediam noctem in Galliis. Parallaxis latitudinis eſt 31. 34. Latitudo verò Lunæ vera ſeptentr. 17, 15. Latitudo viſa Auſtralis 14. 9. Semidiam. Solis 15, 0. Summa 29. 24. Scrupula reſidua 15, 15. Digiti ecclipticì 6, 6. Sol in 22. Geminorum.

Smaragdus *Exarchus ex vico* Ferrariâ *caſtrum facit, unde poſtea illud auctum, ſimul urbis celebritatem conſecutum eſt.* Diac.

Pipinus *à Carolomanno patre in aulam* Clotarii *regis Francorum mittitur cum* Hercone *Friſio, ſpurio Beroaldi regis Friſiæ, qui Herco poſtea in Scotiam delatus ad magnos honores pervenit; ſed ibi juſſu Clotarii tandem occiditur.* Annal. Friſ.

ANNO MUNDI 4556. Poſt C. 607.
A ☉ 28, ☽ 19. *Ind. 10.*

Phocas Imperator filiam ſuam Domitiam *Priſco* Patritio & Comiti excubitorum nuptum dat, & factis magnificis nuptiis ludos inſtituit in quibus,

bus, quòd imagines Priſci & Domitiæ propoſitæ publicè eſſent, à populo ambo Auguſti proclamātur. Id verò Phocas moleſtiſſimè tulit, & ſtatim, qui imagines propoſuerant, decollari juſſit, & Priſcum generum ac ſponſum odio habere cœpit; & inquiſitione factâ, cùm plurimi ſuſpecti eſſent novarum rerum, eoſdem in carcerem conjecit, qui cùm anguſtior eſſet, plurimi in tanto fœtore defuncti ſunt. Matrona autem quædam proximè carcerem habitans, cùm miſerias, captivorum noſſet, ſponte ceſſit ædibus ſuis, eaſq; Phocæ dedit ad ampliandum carcerem. *Miſcell. & Glicas.*

Annus ſabbathicus ſeptimus ſive Jobelei undecimus, incipit 28. Auguſti, fer, 2. Anno Jud. 4368.

Bonifacius tandem poſt interregnum decem menſium Papa creatur, qui hujus nominis quartus fuit. Conſecratur die 18. Septembris. Is, quòd noſſet Phocæ indulgentiam in Pontifices Romanos, ab ipſo impetrat *Pantheon* templū, ab Agrippâ tempore Auguſti Cæſaris extructum, idq́ue in honorem virginis Mariæ *Rotundæ*, & omnium Martyrum conſecratur. Sedit autem hic Papa annos ſex, & menſes octo. *Anaſtaſ.*

Conſtantina vidua Mauritii cum filiabus in cœnobio erat Conſtantinopoli, ſed fama exoritur. Theodoſium filium, ut putabatur, occiſum non eſſe, ſed illum rectè valere, & Phocam aliquando imperio excuſſurum. Ea fama & mater & filiæ lætari viſæ ſunt, quapropter à Phoca cœnobio eximuntur, & decollantur, & cum iis multi alii. *Miſcell.*

ANNO MUNDI 4557. Poſt. C. 608.

G F. ☉ 1, ☽ 1. *Ind.* 11.

Annus Nabonaſſaris 1356. *& Philippi* 932. *incipit* 24. *Martii, fer.* 1.

Criſpus gener Phocæ, cùm videret & nobiliſſimos & præſtantiſſimos viros, ſi paululum tantùm ſuſpecti eſſent, ad mortem rapi magna crudelitate & tyrannide, ſibi etiam metuit. Ideò clam ad Heraclium ſcribit, hortaturq́; ut orbem terrarum tyrannide liberare velit. Interim Perſæ, dum nemo eſt, qui reſiſtat, occupant Armeniam & Cappadociam, Romanumque exercitum fundunt, potiunturq́ue etiam Galletia & Paphlagonia, & ad Chalcedonem uſque, dum omnia ferro & flammis vaſtant, penetrant. *Cedr.*

Annus Armeniorum 57. *incipit* 25. *Junii, fer.* 3.

Annus Alexand. 920. *Antioch.* 657. *Conſt.* 6117. *incipit à Calend. Octobr.*

Phocas *annum Imperii ſeptimum inchoat in Novembr.*

Victericus *Gothorum rex in Hiſpaniâ, cum annos ſeptem regnaſſet, inter epulas conjuratione ſuorum occiditur. Nihil egit præclarè unquam, præter quod Saguntiam civitatem Romanis ademit, & regno Gothorum adjecit. Succedit ipſi* Gundomarus, *qui regnat annos ferè tres.* Valæus.

Thomas Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum annos duos & menſes ſeptem præfuiſſet, moritur. Succedit ipſi *Sergius*, qui ſedit annos triginta, & aliquot menſes. *Niceph.*

Brunechildis *in Franciâ quieſcere non poteſt, ſed inſtigat Clotarium contra ſuos ipſius nepotes, Theodobertum & Theodoricum. Sed Theodobertus Clotario hoſti fortiſſimum exercitum opponit mediâ hieme, & vincit.* Aimoin.

ANNO MUNDI 4558. Poſt. C. 609.

E. ☉ 2, ☽ 2. *Ind.* 12.

Annus urbis 1361. *Julianus* 654.

Æra Hiſp. 647. *Auguſtorum* 636.

Seditio ingens Antiochiæ movetur, quâ Judæi Chriſtianos crudeliſſimè perſecuti ſunt, & Anaſtaſium Epiſcopum in foro combuſſerunt. Phocas exercitum mittit Antiochiā jubetq́; quæſtionē haberi. Multi Judæorum damnati, & urbe ejecti fuerunt. Miſcel.

Prætoriani milites conviciis laceſſunt Phocam Imperatorem, quapropter multi ex iis decollantur, aut in mare abjiciuntur. Prætoriani contrà cremant prætorium & curiam & effringunt carceres, quibus Phocas iratus omnes ſimul exautorat. Miſcel.

Olympias 347. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1385.

Annus Diocletiani 326. *incipit die* 21. *Auguſti.*

Phocas *iterum Priſcum generum ſuum tollere conatur, qui ex Senatu quoſdam nobiliores adſciſcit, & legatos ad Heraclium mittit, ad Phocam evertendum.* Zonar.

Qui Faſtos *Siculos conſcripſit, putatur hoc anno mortuus. Sed Herbartus ab Hohenburg putat, hoſce Faſtos deductos fuiſſe uſq; ad annum Chriſti* 360. *& conſcriptos à Georgio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diacono; id quod Suidas innuere videtur.*

ANNO MUNDI 4559. Poſt. C. 610.

D. ☉ 3, ☽ 3. *Ind.* 13.

Synodus Romæ collecta ſeptuaginta duorum Epiſcoporum in cauſâ Anglorum, cui Mellitus Epiſcopus ex Angliâ interfuit. Conſtitutum fuit ibi de monaſteriis erigendis, &c. Acta fuit die 27. Februar. Sic Gundemarus rex Hiſpaniarum Synodum egit in cauſâ Toletani Epiſcopi, quem Carthaginenſis Præſul pro ſuperiore agnoſcere nolebat. *Beda & Concil.*

Conſpiratio fit Conſtantinopoli in necem tyranni, ſed eâ detectâ, multi occiduntur. Interim Heraclius *ſenior filium Heraclium claſſe contra Phocam mittit.* Gregoras *contra mittit* Nicetam *cum exercitu pedeſtri itinere. Ita inter hos convenerat, ut qui prior Phocā evertiſſet, & urbē occupaſſet, imperator eſſet.* Heraclius *prior Phocam in ipſo portu profligat, inde captum & ſervilibus veſtibus indutum, manibus, pedibus & pudendis truncat, & tandem etiam capite: Milites truncum, quod ejus reliquum fuit, igne cremant. Inde Heraclius cum ſponſâ Eudociâ coronatur. Factum menſe Julio. Regnavit annos triginta & unum, cum Phocas octo obtinuiſſet.* Cedr.

Ceolphus rex, Weſtſaxonum in Anglia, moritur, cùm annos quatuordecim regnaſſet; ſuccedit *Cinegilſus* cum fratre, qui regnavit annos triginta & unum, & quarto regni anno Britannos vicit. *Malbesb.*

Perſæ, *dum illæ turbæ ſunt in imperio, omnes provincias percurſant, eaſq; vaſtant: accedunt ex alterâ parte in Europâ Scythæ & Avares, qui ſimiliter ubiq; fines Imperii populantur. Nec habuit Imperator exercitum, quem hoſtibus opponeret, cùm Phocas rem militarem neglexiſſet. Vix enim duos invenit milites, qui à Mauritio lecti erant.* Zonar.

Smaragdus, *qui hactenus Exarchus fuerat annis octo, revocatur, & ipſi ſubſtituitur* Johannes *Lemigius, qui dignitatem hanc obtinuit annis quinque.* Diac.

ANNO

ANNO MUNDI 4560. Poſt C. 611.
C. ☉ 4. ☽ 4. Ind.14.

Perſæ in Armenia & Cappadocia poſt ingentem prædam hominum & bonorum, potiuntur etiam Cæſarea Cappadociæ, captivosque incolas in Perſiam ſecum abducunt. Cedr.

Heraclius Junior naſcitur, & mater ejus Eudocia paulo poſt partum moritur, in cujus exequiis, cùm puella barbara quadam de feneſtra proſpiciens improvide ſputum in feretrum dejeciſſet, viva cremata eſt, & infeliciſſime Eudociæ parentavit. Zonar.

Gundomarus rex Gothorum in Hiſpania, cùm tres ferè annos regnaſſet, moritur: Succedit ipſi Siſebutus frater, qui regnat annis octo & menſibus ſex. Iſidor.

Johannes Epiſcopus Alexandriæ claret, qui ob liberalitatem Eleemoſynarius dictus eſt. Sigeb.

ANNO MUNDI 4561. Poſt C.612.
B.A. ☉ 5. ☽ 5. Ind.15.

Annus Nabonaſſaris 1360. & Philippi 936. incipit die 23. Aprilis, fer.5.

Saraceni in Syriam profecti magnas ibi prædas agunt, & divites domum revertuntur. Cedr.

Columbanus, anno regni decimo tertio Theodoberti & Theodorici, ex Hybernia progreditur, & ad Theodobertum venit, inde ad Theodoricum, ut Aimoinus affirmat. At verò vita Columbani refert, eum hoc anno ſcilicet poſtquam ex Hybernia in Galliam pervenerat, & Cœnobium Luxovienſe condiderat, vigeſimo à Theodorico, inſtigante Brunichilde regno eſſe ejectum, quòd improbaret Theodorici cœlibatum, & promiſcuas libidines, unde filios ſuſcepiſſet. Refertur præterea, cum ad Theodobertum inde veniſſe, inde ad Clotarium, ubi ferè annuo ſpatio permanſerit, & inde ad Suevos circa Moguntiam pervenerit.

Annus Armen. 61. incipit die 24. Junii, fer.7.

Annus Alexandr. 924. Antioch. 661. & Conſt. 6121. incipit à Calend. Octobr.

Theodoricus Francorum rex, Deſiderium Epiſcopum Viennenſem, inſtigante Brunichilde, per Epiſcopos damnatum, & in exilium ejectum, lapidibus obrui curat. Baron.

ANNO MUNDI 4562. Poſt C. 613.
G. ☉ 6. ☽ 6. Ind.1.

Annus urbis 1365. Julianus 658.
Æra Hiſpanica 651. Auguſtorum 640.

Brunichildis inter ſuos nepotes Theodobertum & Theodoricum diſſenſiones ſerit, facitque ut tandem Theodoricus fratri bellum inferret, quem ex relatione aviæ inſimulabat, quòd paternos theſauros ſolus haberet, nec ſecum divideret. Uterque à Clotario cognato auxilia poſcit, quæ tamen ex conſilio Columbani utrique negat. Cùm verò ad prælium conveniſſent, proceres regni, quòd viderent Protadium, qui ſtupri conſuetudinem cum Brunichilde habere credebatur, diſſenſionis cauſam eſſe, eum occidunt, & Theodorico, qui priùs bellum moverat, & inferior viribus erat, ſuadent, ut Theodoberto urbem unam atque alteram traderet. Aimoin.

Heraclius filiam ſuam Epiphaniam coronat Auguſtam in vere; In autumno autem Heraclium filium, quem mutato nomine Conſtantinum appellat. Miſcel.

Olympias 348. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1389.

Heraclius menſe Julio init imperii annum quartũ.

Annus Diocletiani 330. incipit die 29. Auguſti.

Perſæ Damaſcum capiunt, & incolas in ſervitutem redigunt. Heraclius miſſis legatis monet Coſrhoem, ut tandem finem faciat fundendi ſanguinem humanum in Romano imperio, cujus beneficio habebat, ut rex ſit, à Mauritio ſcilicet conſtitutus; ſed legatis ſine reſponſo dimittuntur. Cedr.

Columbanus relictâ Galliâ in Italiam ad Agilulphum regem Longobardorum tendit. Comitem habet S. Gallum, qui in Helvetia febri correptus, ibi morbo detinetur Columbano abeunte, ſed cùm ſanitati reſtitutus eſſet, inchoat poſt annos quatuor ibi cœnobium ſancti Galli. Walaf. Strabo.

ANNO MUNDI 4063. Poſt C. 614.
F. ☉ 7. ☽ 7. Ind. 2.

Bonifacius IV. Papa, cùm ſediſſet annos ſex, menſes octo, dies tredecim, moritur die 8. Maji. Vacat ſedes menſibus ſex, donec tandem die 13. Nov. ſuccederet Deusdedit, qui ſedit annis tribus. Hic decrevit, ut ſi qui viri vel mulieres ſuos ipſius liberos, quocunque modo de baptiſmo ſuſceperint, ſeparentur invicem: Vel ſi quis vir commatrem ſuam, vel ſi qua mulier compatrem ſuum in conjugium duceret, ſepararentur. Mulier tamen maritalem dotem recipiat, & poſt expletum annum, ſi voluerit, alteri nubat. Sigeb.

Heraclius Imperator ducit Martinam neptem ſuam uxorem, concedente Sergio Patriarchâ, & pronunciat eam Auguſtam. Miſcell.

Annus ſabbathicus 1. Jobelei 12. incipit die 10. Septemb. feria 3. Anno Judaico 4375.

Siſebutus in Hiſpania edictum proponit de Judæis, ut omnes annuo ſpatio religionem Chriſtianam diſcerent, aut ex Hiſpania, amiſſis omnibus facultatibus ſuis, pellerentur. Iſid..

ANNO MUNDI 4564. Poſt C. 615.
E. ☉ 8. ☽ 8. Ind.3.

Johannes Exarchus in Italia, quòd inſolentiùs ſe gereret, poſt quintum annum adminiſtrationis à Johanne præfecto occiditur, & ipſe Johannes imperium ſibi ſumit. Sed Heraclius mittit ſeptimum Exarchum Eleutherium, qui Johannem illum & alios, qui cædis rei erant, occidit, & rempublic. adminiſtrat annis quatuor. Diacon.

Edelfridus rex Northumbriæ in Anglia, bello petitus à Scotorum rege, fortiter reſiſtit, & prælio congreſſus totum exercitum Scotorum ferè concidit. Perierunt ſimul monachi mille ducenti, qui cum rege exierant, pro victoria Deum adoraturi. Sigeb.

Terræ motus ingentes per totum ferrè annum Italiam concuſſerunt; acceſſit præterea lues Elephantina, quæ adeò deformavit ægrotos, ut ſi defuncti eſſent, agnoſci non poſſent. Marian. Scot.

Theodoricus ſuaſu aviæ Brunichildi fratri, quem furtivo concubitu natum affirmabat, iterùm bellum infert: concurrunt juxta Tulbiacenſe caſtrum, ubi tandem victus eſt Theodobertus, qui Coloniam Agrippinam perfugiens, prælium inſtaurat: ſed iterum vincitur, & juſſu Brunichildis trucidatur. Aimoin.

Coſrhoes & Perſæ Jordane occupato Palæſtinam invadunt, & Hieroſolymam capiunt, ubi homines trucidant ad nonaginta millia. Tantam cædem autem patrarunt Judæi, qui à Perſis facultates Chriſtianorum emerant. Zacharias Patriarcha unà cum cruce Chriſti in Perſidem captivus abductus eſt. *Cedr.*

Heraclio *naſcitur filius* Conſtantinus. *Cedr.*

Campanula mentio fit in Burgundia, cùm in Oriente adhuc conſuetudo eſſet pulſandi ligna, ad convocandum populum. Baron.

ANNO MUNDI 4565. Poſt C. 616.
D.C. ☉ 9. ☽ 9. Ind.4.

Edelbertus *rex Cantuariorum, cùm regnaſſet annos quinquaginta ſex, moritur die 24. Februarii. Succedit filius* Edwaldus, *qui reſilit a Chriſtiana religione, ſuaſu quorundam, & Epiſcopos ex Anglia pellit, quos tamen ſequenti anno revocat. Regnat autem annos viginti quatuor.* Beda.

Annus Nabonaſſaris 1364. & Philippi 940. incipit 22. Martii, feria 2.

Judæi ex Hiſpania in Gallias perfugiunt odio religionis Chriſtianæ, quam recipere nolebant. Sed in Gallia eandem ſortem adipiſcuntur, ut vel fiant Chriſtiani, vel facultates amittant. Cauſa, cur Judæi ad religionem Chriſtianam coacti ſunt, videtur fuiſſe, quòd prædictum eſſet, religionem Chriſtianam à circumciſis everſum iri, quod creditum fuit de Judæis, cùm Saraceni id poſtea tentarint. *Vaſæus.*

Theodoricus *liberos Theodoberti ad Brunichildin mittit, quos omnes occidit; ſed Theodoricus filiam Theodoberti pulcherrimam virginem ſibi retinuit, ducturus eam uxorem, cùm Theodobertum non crederet ſuum fratrem fuiſſe. Id vero impedit Brunichildis; hinc diſſidium ortum, & Brunichildis nepoti Theodorico ex balneis egredienti venenum offert, quo periit anno regni decimo ſeptimo; atque ita hæc familia, quæ ad quinquageſimum primum annum regnaverat, extincta eſt: ſuccedit patruelis* Clotarius, *qui integrâ monarchiâ Franciæ potitur anno ætatis trigeſimo.* Aimoin.

Annus Armen. 65. incipit die 23 Junii, fer. 4.

Annus Alexandr. 928. Antioch. 665. Conſtant. 6125. incipit à Calend. Octobr.

Agilulphus, *rex Longobardorum, cùm annos 25. regnaſſet, moritur; ſuccedit* Adelwaldus *filius, cum matre Theudelinda, annis decem.* Diac.

Perſæ *univerſam Ægyptum, Alexandriam, Lybiam, Africam, & alia omnia ad Æthiopiam uſque occupant, & plurimâ prædâ captâ domum revertuntur: relinquunt tamen, qui Carthaginem obſideant.* Cedr.

Edelfridus *rex Northumbriæ in Anglia cadit in prælio, cùm annos 21. regnaſſet; ſuccedit ipſi filius* Edwinus, *pacis amantiſſimus, per annos ſeptendecim.* Beda.

ANNO MUNDI 4566. Poſt C. 617.
B. ☉ 10. ☽ 10. Ind. 5.

Annus urbis 1369. *Julianus 662.*
Æra Hiſpan. 655. *Auguſtorum 644.*

Perſæ *per Ægyptum iterum in Africam irruunt, & tandem Carthaginem expugnant.* Cedr.

Cùm Childerici *filius nothus parentis regnum ſibi recuperare conaretur, Clotharius ipſi bellum infert, eum vincit, & capit, cum quatuor liberis Childerici nothis, & avia eorundem Brunichilde: & liberos quidem occidit, Brunichildem vero ex decreto procerum regni, quòd decem reges Franciæ occidiſſet, crinibus & manibus caudæ ferocioris equi alligavit, & incitato ad curſum equo raptari ad mortem uſque juſſit.* Walaf. Strab.

Olympias 349. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1393.

Heraclius *incipit annum imperii octavum menſe Julio.*

Annus Diocletiani 334. incipit die 29. Auguſti.

Siſebutus *rex Gothorum in Hiſpania contra Romanos fortiter agit, Provinciam etiam aliaſque civitates a Francis extortas, ad Wiſigothorum jus revocat.* Sigeb.

Deuſdedit Papa, cùm annos tres ſediſſet, moritur die 8. Novembr. ſuccedit ipſi *Bonifacius* quintus, die 14. Decembris, qui ſedit annis ferè octo. *Baronius.* Onufrius hæc in præcedentem annum collocat, *adeò certi ſunt Pontificii ſuarum hiſtoriarum.*

Eodem tempore, priuſquam Bonifacius ordinaretur, Eleutherius *Exarchus, cum videret Imperatorem, & a Perſis, & Avaribus & Hiſpanis oppugnari, nec cuiquam reſiſtere poſſe, & ipſe arripit imperium; qui cum Romam properaret, ut eam præſidiis muniret, interficitur a militibus, & caput ejus mittitur Conſtantinopolin.* Anaſtaſius.

ANNO MUNDI 4567. Poſt C. 618.
A. ☉ 11. ☽ 11. Ind.6.

Heraclius *abhorrens à bello iterum legatos mittit de pace ad Coſrhoem, qui admonerent eum, quantum deberet Romano Imperio, & ut tandem faceret modum ſuæ felicitatis, & pacem concederet: ſed repelluntur Legati, cùm reſponderet Coſrhoes: ſe* non pacem amplexurum, niſi Heraclius cum omnibus ſubditis, relicto Deo in crucem acto, ſecum Solem adoraret. *Cedr.*

Heraclius ſancit, ne quis Clericus recipiatur in chorum, niſi in defuncti alicujus locum: cùm enim omnes promiſcuè reciperentur, Eccleſiaſtica bona non ſufficiebant tot hominibus alendis. *Baron.*

ANNO MUNDI 4568. Poſt C. 619.
G. ☉ 12. ☽ 12. Ind.7.

Chaganus Imperatori etiam Romano bellum infert, ad Thraciam vaſtandam exercitum educit. *Heraclius*, qui nec Perſis reſiſtere poterat, & hic legatos de pace mittit, quæ fraudulenter promittitur, hâc tamen conditione, ſi Imperator, ne quid in ſe deſiderari pateretur, hoſti obviam proficiſcitur, ſed ferè inſidiis Chagani interceptus fuiſſet, niſi properè ad urbem refugiſſet: omnis imperatoria ſupellex hoc modo amiſſa fuit. *Miſcell.*

Cùm anno ſpatio & amplius Exarchus non fuiſſet, Heraclius novum Exarchum mittit Iſaacium *Patricium, qui octavus eſt gubernandæ Italiæ Exarchus; præfuit annis ferè 25.* Diac.

Siſebutus Hiſpaniarum rex, anno regni nono celebrat Synodum Hiſpalenſem, in qua ſeverè interdictum fuit monachis, ne converſarentur cum monialibus, niſi præſentes eſſent tres aliæ perſonæ: & paulò poſt moritur, cùm regnaſſet annos acto. & menſes ſex; ſuccedit ipſi filius Reccaredus, ſed qui tantùm ſex menſibus regnum obtinuit. *Iſid.*

ANNO

ANNO MUNDI 4569. Poſt C. 620.
F.E. ☉ 13. ☽ 13. Ind. 8.

Annus Nabonaſſaris 1368. *& Philippi* 944. *incipit* 21. *Martii, fer.* 6.

Perſæ *iterum Aſiam minorem vaſtant, Ancyram Galetiæ urbem expugnant, & ad Chalcedonem usque omnia infeſta habent.* Cedr.

Annus Armen. 69. *incipit* 22. *Junii, fer.* 1. *Annus Alex.* 932. *Antiochen.* 669. *& Conſtant.* 6129. *incipit à Calend. Octobr.*

Clotarius rex Franciæ *Pipinum Landeſium* Carolomanni filium, primum Ducem *Brabantiæ* creat. *Annal. Friſ.*

Heraclius, *cùm Perſas verbis placare non poſſet, ne toto imperio pelleretur; conſilia belli tractare incipit, & milites colligit.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4570. Poſt C. 621.
D. ☉ 14. ☽ 14. Ind. 9.

Annus urbis. 3173. *Julianus* 666.
Æra Hiſpan. 659. *Auguſtorum* 648.

Heraclius bellum contra Perſas moliens, primùm omnium firmam pacem cum Chagano facit, nec parcit ſumptibus, cogitq; milites Avares, Hunnos, & alios Europæus; eosque ad bellum exercet. Cùm verò deſtitueretur pecuniâ, theſauros Eccleſiarum, cùm pro Eccleſiis bellum hoc gereretur, mutuo ſumit, & inſuper vaſa aurea & argentea ex templis accepta ad monetam cudendam uſurpat. *Miſcell.*

Olympias 350. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1397.

Heraclius *incipit annum imperii duodecimum menſe Julio.*

Annus Diocletiani 338. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Defuncto ante biennium Siſebutho & ejus filiolo Reccaredo, ſuccedit *Suintilla,* vir bellicoſus, qui Imperatoris, quam adhuc habebat, provinciam totam occupavit, & ſolus primus omnem Hiſpaniam obtinuit: regnavit autem annis decem, & aliquot menſes. *Iſidor.*

Annus ſabbathicus 2. *Jobelei* 12. *incipit* 22. *Septembr. fer.* 3. *Anno Judaico* 4382.

Johannes Eleemoſynarius, Epiſcopus Alexandrinus, moritur, cùm tenderet ad Imperatorem in Cypro. *Leontius.*

ANNO MUNDI 4571. Poſt C. 622.
C. ☉ 15. ☽ 15. Ind. 10.

Heraclius anno Imperii duodecimo, indictione decima, cùm Paſcha celebraſſet die 4. Aprilis, ſequenti die, feriâ ſecundâ, veſperi eduxit Conſtantinopoli exercitum contra Perſas, *ita habent hiſtoria Miſcella:* idem affirmat *Cedrenus.* Jam annos duodecimus Heraclii cœpit menſe Julio ſuperioris anni, & Paſcha hoc anno celebratum eſt die 4. Aprilis, curritq; Indictio duodecima. Ergò Perſicum bellum cœpit hoc anno. *Baronius* tamen, relictis hiſce demonſtrationibus, ſuum ſecutus conſilium, id in ſuperiorem annum conjicit. Porrò Heraclius filium urbi præſidio relinquit, ipſiq; tutorem conſtituit *Chaganum*, cum quo firmam amicitiam pepigerat. *Cedr.*

Saes *Dux à Coſrhoe mittitur, qui univerſam Aſiam vaſtat; is pervenit Chalcedonem usque, & cum Heraclio de pace agit, à qua Heraclius non averſus, mittit legatos ad eum ſeptuaginta, qui perfidiâ plusquam Punicâ in vincula conjiciuntur, & ad Coſrhoem mittuntur, qui iratus quòd Saes non ſimul Heraclium cepiſſet, eum revocat, & vivo cutem detrahit, aliumque mittit ducem* Sarbarum *nomine* Cedr.

Anaſtaſius Dux præterea à Coſrhoe mittitur, qui Sarbaro adſit; ſed hic magno Heraclii bono, relictâ ſuperſtitione gentili, à Perſis ad Chriſtianos transfugit, & ſacris Chriſtianis initiatur, & poſt aliquot annos in Perſiam abductus, martyrio coronatur. *Baronius.*

Mahumed *Pſeudopropheta hoc anno metu inimicorum ſuorum ex urbe Mecha cogitur profugere, & ab hac fuga ordiuntur ſuam æram ſive annos Mahumedam, qui ſunt anni verò lunares duodecim menſium, quorum impares habent dies triginta, ut primus, tertius, quintus, &c. pares verò, ut ſecundus, quartus, &c. habent tantùm dies viginti novem: Incipit autem, ut dixi,* hæc æra Arabum, *ſive* anni Hegiræ *die* 15. *Julii veſperi accidente Sole, Judæorum more, quando inchoatur feriâ ſextâ, Novilunium Judaicum fuit die* 14. *Julii, feriâ quartâ, horis ſeptem, & ſcrupulis* 112. *poſt Solis occaſum.* Saraceni *autem, qui menſem non, niſi quando Luna tenuiter Corniculata poſt Novilunium apparet, inchoant, ſumunt feriam ſextam cum horis ſeptem & ſcupulis* 112. *ſive feriam ſextam cum novem trigeſimis unius diei. Et hæc eſt radix annorum Hegira, quam qui non obſervat, nunquam rectè rationem intercalationis unius diei in annis Hegiræ inibit; de qua re in Iſagoge.*

Eugenius *Scotorum rex, cùm annis* 17. *regnaſſet, moritur; ſuccedit* Ferchardus, *qui regnat annis* 14. Buchan.

Heraclius, *aſſumptis copiis Turcorum, in itinere plures copias contrahit, easque ad pugnam exercet, & relictis Perſarum ducibus rectà in Perſiam proficiſcitur, ubi primùm Perſarum equitatum vincit, inde copias in Perſide in hyberna collocat, ibique in hyeme aliquot præliis Perſicum exercitum atterit, & tandem vincit, & media hyeme ipſe relicto exercitu Conſtantinopolin redit.* Cedr.

ANNO MUNDI 4572. Poſt C. 623.
B. ☉ 16. ☽ 16. Ind. 11.

Heraclius ad exercitum reverſus, iterùm ſcribit ad Coſrhoem, ut pacem amplectatur, & ſeptuaginta ſuos legatos reſtituat, ſed nihil reſponſi accipit: Ideò die 20. Aprilis in Perſiam movet. Coſrhoes interim Sarnabarum Ducem in Aſiam minorem miſerat, quem revocat, cùm bellum adeò propè eſſet. Sed Heraclius nihil territus, urbes Perſidis vaſtat, regias aliquot ſedes Coſrhois cremat, & multa millia captivorum ſecum trahit; qui cùm ſibi oneri eſſent, quinquaginta eorum millia in libertatem reſtituit, & exercitum in hyberna diſtribuit. *Cedr.*

Annus Hegiræ 2. *incipit* 5. *Julii, fer.* 3.

Edvvinus rex Northumbriæ in Anglia, ducit Edelburgam filiam *Eadvvaldi* regis Cantiæ; hæc in vera religione inſtituta erat, ideò marito etiam perſuadet, ut & ipſe religionem Chriſtianam ſequatur. *Beda.*

Clotarius filio ſuo Dagoberto præceptorem dederat, qui cùm Clotario operam rectè probaret, Ducatum quendam in Aquitania accipit; ob id inſolentior factus, Dagoberto æquari voluit. Sed Dagobertus æmuli hujus impatiens, cùm ut par ſibi aſſediſſet, eum virgis cædi jubet; ob id pater iratus filio eum perſequitur, tandem intercedentibus aliis filium ipſe audivit, qui ſuam cauſam ita egit, ut aptus videretur regno. *Robertus.*

ANNO MUNDI 4573. Poſt C. 624.
A.G.☉17.☽17.Ind.12.

Annus Nabonaſſaris 1372.*& Philippi* 948.*incipit* 20. *Martii.feria* 3.

Heraclius *primo vere ex Albania in Perſiam motus, in anguſtiis obſidetur à duce* Sarablaca, *qui bellum videbatur conficere poſſe, ſi Sarbarus alter Dux Perſarum cum exercitu acceſſiſſet. Sed Heraclius prælium urget priusquam alter adveniret, & vincit.* Miſcell.

*Annus Armen.*73. *incipit* 21. *Junii,fer.*5. *Annus Hegiræ tertius* 24. *Junii.fer.*1.

*Alexandr.*936. *Antiochen.* 673. *Conſtantinop.* 6133.*Calend.Octobr.*

Coſrhois *duces cùm convenissent, iterùm pugnant, ſed & tum vincuntur. Advenit poſt tertius Dux* Sain,*quo recreati inſequuntur Heraclium.cujus auxiliares Lazii & alii timore perculſi; Imperatorem deſerunt. Imperator cautè & timidè progreditur, redditque Perſas ſecuros. Inde noctu cum equitatu regreſſus,incautos hoſtes in caſtris invadit, & plurimos occidit, & inſigni præda potitur, hyematque in Armenia.*Miſcell.

ANNO MUNDI 4574. Poſt C. 625.
F.☉18. ☽18. Ind.13.

Annus urbis 1377. *Julianus* 670.
*Æra Hiſpan.*663. *Auguſtorum* 652.

Heraclius *per Taurum montem exercitum primo vere ad Martyropolin & Amidam deducit, ibique eum reficit. Inde Euphratem tranſit menſe Martio, & tandem Samoſatam occupat, ubi per totam æſtatem Perſas variis præliis exercet,& tandem exercitum in hyberna diſtribuit.*Miſcell.& Cedr.

Annus Hegiræ 4.*incipit in Julio.Eſt annus Olympiadicus* 1401.

Heraclius *incipit imperii annum decimum ſextum menſe Julio.*

Annus Diocletiani 342.*incipit die* 29.*Auguſti.*

Clotarius *filio ſuo* Dagoberto *dat partem regni regendam,quæ Auſtraſia dicta fuit,magnam partem Germaniæ complectens.* Pipinum *etiam Ducem Brabantiæ,aulæ præfectum facit perpetuum,qui primus* Major Domus *appellatus eſt, & aulæ,imò totius regni curam geſſit; ipſe verò Clotarius otio ſe dedit.* Annal.Friſ.

Bonifacius Papa, cùm ſediſſet annos 7. menſes 10. diem unum,moritur,ut habet *Baronius.* Sed *Onufrius* hujus obitum ponit in annum 622.ante triennium, & ſtatim ipſi die 7. Novembr. Honorium ſuggerit.Baronius contrà ſeptem ferè menſes interregni ponit,& ſequenti anno tandem in Majo Honorium ad Pontificatum admittit.

ANNO MUNDI 4575. Poſt C. 626.
F.☉19.☽19. Ind.14.

Coſrhoes *legatos hâc hyeme mittit ad Hunnos, Avares & Sclavos cum multis muneribus,eosque invitat, ut ſecum Heraclio bellum inferre velint, & Conſtantinopolin expugnare: quo cognito* Heraclius *exercitum ſuum tripliciter dividit, tertiam partem Conſtantinopolin,ut ubi præſidio eſſet,mittit,partem Theodoro fratri tradit, & ut contra* Sainum *ducem bellum gerat.* Theodorus *primus ad hoſtem venit, & Sainum prælio vincit.* Sain *ſibi à Coſrhoe metuens mœrore animi moritur, quem ſalitum ad ſe deferri juſſit Coſrhoes, & multis verberibus multatum in fruſta diſcerpi jubet.* Heraclius *ipſe in Lazios profectus, Turcos evocat, qui ruptis Caſpiis portis in Perſiam irruunt; eorum quadraginta millia Heraclius conducit,& ſuo exercitui jungit,& Perſiam longè latèque vaſtat.* Sarbaras *tertius Perſarum dux Chalcedonem properat,eamque obſidet,&* Avares,*quos exciverat, in oppugnatione urbis Conſtantinopolis adjuvat,quæ continuata fuit decem diebus,irrito conatu.Ideò* Avares *diſcedunt,ibi obſidionem Chalcedonis continuat,& hyberna ibi ædificat.* Miſcell.

Honorius Campanus, patre Petronio Conſulari natus, creatur Papa, die 13. Maji, ſedet annos 12. menſes 5. Hic regulis æreis obtegit templum D. Petri,quas ſumpſit de templo Romuli, conſentiente Heraclio Imp. *Anaſtaſ.*

Annus Hegiræ 5.*incipit* 2.*Junii,fer.*2.

Adelvvaldus Longobardorum rex, cum matre ſua Theudelinda à Longobardis regno ejicitur; ſuccedit ipſi *Arioaldus* Arianus religione,aliàs vir fortis & beneficus.*Diac.*

Eanfleda, filia *Edvvini* regis Northumbrorum in Anglia, Chriſtianam religionem ſuſcipit, & baptiſatur in Pentecoſte. *Beda.*

Penda *rex Merciorum, in Anglia, vir fortis & bellicoſus,incipit,regnatque annis* 30. Malmesb.

ANNO MUNDI 4576. Poſt C. 627.
D.☉20. ☽1. Ind.15.

Edvvinus rex Northumbrorum in Anglia,prædicante Paulino, religionem Chriſtianam ſuſcipit anno regni undecimo,adventus Anglorum in Britanniam plus minus 180. & baptiſatur in feſto Paſchatis,die 12. Aprilis: Paulinus ipſe Epiſcopus factus eſt. *Beda.*

Annus Hegiræ 6.*incipit* 23.*Maji,fer.*6.

Anaſtaſius, qui ante annos ſex miſſus fuerat à Coſrhoe ad vaſtandam Aſiam minorem, & obſidendam Chalcedonem, & relicta militia Chriſtianam religionem didicerat, capitur,& ad Coſrhoen deducitur; ubi martyrium ſubit.*Baron.*

Heraclius menſe Septembr.iterum Perſiam ingreditur cum Turcis,& Coſrhoem in anguſtias redigit, ſed cùm laceſſeretur à Perſis quotidiè, & tempus hybernum ingrueret,Turcæ relicto Imperatore abeunt; & nihilominùs Heraclius pergit, & Calendis Decembr. ad fluvium Zaban, propè Ninivem caſtra metatur,& die 12.Decembris,acerrimo prælio cum Perſis congreditur,eosque vincit, duce præſtantiſſimo cæſo, & arces ac regias Coſrhois capit,deſtruit & incendit.Interim Coſrhoes, cùm iis in locis nihil firmum videret, ſumptis ſuis theſauris, & ſpoliatis arcibus, *Creſiphontem* properat.quam tamen non ingreditur, quòd prædictum ipſi eſſet ingens periculum in ea urbe: Ideò Seleuciam abit. Heraclius verò in palatiis Coſrhois manet, & *natalia Chriſti, ac feſtum luminum* ibi celebrat,& ſeptimo Januarii ex eo loco diſcedit. *Miſcell.*

ANNO MUNDI 4677. Poſt C.628.
C.B. ☉21. ☽2. Ind.1.

Novo anno ineunte, Heraclius Coſrhoem ex omnibus ſuis palatiis fugat,eaque deſtruit. Coſrhoes contrà,quòd *Sarboras* dux,qui in Aſia contra Heraclium bellum gerere debebat,nihil moveret, literas mittit ad alium ducem, cui mandat, ut Sarboram occidat, & exercitum in Perſiam reducat; ſed ex

ſed eæ literæ deferuntur Conſtantinopolin, ubi ab Heraclio juniore ad Sarboram mittuntur, qui cognito tanto periculo, exercitui perſuadet, ut à Coſrhoe deficiat, & ipſi Imperium abroget. *Cedr.*

Annus Nabonaſſaris 1376. & Philippi 952. incipit die 19. Martii, fer. 7.

Coſrhoes *Seleuciæ, cùm nihil procederet, in dyſenteriam incidit; metuens igitur vitæ ſuæ, minorem filium ſuum regem creare conatur, ſed major filius* Siroes *collectis militibus advenit, parentem Coſrhoem cum fratre capit, ferreis compedibus eum alligat, & magnis ponderibus circa collum gravatum in tenebricoſum locum, ubi theſauros deponere Coſrhoes volebat, detrudit, pauco alimento ſubminiſtrato. Inde poſt quindecimum diem, jam fame maceratum, educit, & cum omnium ſuorum liberorum necem adſpexiſſet, trucidat, cùm annos regnaſſet triginta quinque.*

Sireos *hæc ad* Heraclium *enunciat, pacem cum eo facit, captivos, prædam, Sanctam crucem, & alia, quæ comparaverat, reddit. Heraclius hiſce acceptis cum prædâ omni, quam ceperat, item cum trecentis bellicis ſignis olim amiſſis, bello ſex annorum ſpatio confecto, Armeniam & alias provincias conſtituit.* Cedr. *Regnat Siroes ferè annum.*

Annus Hegiræ 7. incipit 11. *Maji, fer. 4. Armen. 77. die 20. Junii, fer. 2.*

Annus ſabbathicus tertius Jobelei 12. incipit die 5. Septembris, feria 2. Eſt annus Jud. 4389.

Alexandr. 940. Antioch. 667. Conſtant. 6137. Calend. Octobr.

Heraclius *conſtitutis provinciis Conſtantinopolim properat, & ſplendido triumpho urbem ingreditur, in manibus pro victrice lauro Chriſti crucem geſtans.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4578. Poſt C. 629.

A. ☉ 22. ☽ 3. Ind. 2.

Annus urbis 1381. Julianus 674.

Æra Hiſpanica 667. Auguſtorum 656.

Siroes *Perſarum rex, cùm ferè anno uno regnaſſet, moritur primo vere; ſuccedit ipſi filius* Adhelir, *qui regnat tantum menſes ſeptem, occiſus à* Sarbara *duce militiæ, qui bimeſtri ſpatio præeſt, occiſus circa menſem Octobr. ſuccedit ipſi* Barone *Coſrhois filia, quæ regnat menſes ſeptem.* Miſcell.

Heraclius primo vere Conſtantinopoli profectus Hieroſolymam venit, ſpoliaque, quæ inde ablata fuerant, reportat unà cum Zacharia Patriarcha, & Judæos urbe pellit. Inde Edeſſam & Hieropolin profectus ubique conſtituit Eccleſias. *Feſtum exaltationis crucis* etiam hoc anno inſtitutum die 14. Septembr.

Annus Hegiræ 8. incipit die 30. April. fer. 1.

Olympias 352. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1405.

Heraclius *Imperator incipit annum imperii viceſimum menſe Julio.*

Annus Diocletiani 346. incipit die 29. Auguſti.

Heraclius, dum Edeſſæ verſatur, in colloquium deſcendit cum Athanaſio Syro, qui erat vir eloquens; qui cùm promitteret ſe Synodum Chalcedonenſem recepturum, conſtituitur Patriarcha Antiochenus. Inde quæſtionem movet: *An una, vel duæ voluntates in Chriſto Deo & homine dicendæ eſſent.* Imperator, cui hæc nova videbantur, conſulit Syrum Alexandriæ Epiſcopum, & Sergium Conſtantinopolitanum, quos cùm videret conſentientes de una voluntate, ipſe etiam hanc ſententiam amplectitur, & Eccleſia Orientis iterum miſerè turbata eſt errore *Monothelitarum.* Cedr.

ANNO MUNDI 4579. Poſt C. 630.

G. ☉ 23. ☽ 4. Ind. 3.

Hormiſda *Jezdegird ſuccedit circa finem Martii in regno Perſico, cum Borane amita menſe ſeptimo regni defuncta eſſet: ipſe obtinet regnum duobus annis, & tribus ferè menſibus, cæſus à Saracenis.* Miſcell.

Annus Hegiræ 9. incipit die 20. Aprilis, fer. 6.

Weſtphali & Friſii *tumultuantur contra Francos, quibus Dagobertus obviam proficiſcitur trans Rhenum; ſed malè accipitur, tanto ictu exceptus, ut per caſſidem in capite periculosè vulneraretur. Mittit igitur ad patrē Clotarium, qui auxilio advenit filio, & ad* Ingelheimum *acerrimo prælio cum hoſtibus pugnat, & Beroaldum regem Friſiæ obtruncat, adeoq; atrociter perſecutus eſt victoriam, ut triduum totum ex hoſtibus, quicunque menſuram gladii ſui ſtaturâ excederent, trucidaret. Regnaverat autem* Beroaldus *annis ſexaginta, cui ſuccedit* Adgillus, *beneficio Clotarii, cui tamen de regno multa ademit, eumque tributarium fecit. Regnavit Adgillus annis* 49. Annal. Friſ.

Cantabrigienſis Academia in Anglia à Sigisberto, Orientalium Saxonum rege, inſtituta. *Polyd.*

ANNO MUNDI 4580. Poſt C. 631.

F. ☉ 24. ☽ 5. Ind. 4.

Annus Hegiræ 10. incipit die 9. Aprilis, fer. 3.

Suinthilla *rex Gothorum in Hiſpania, cùm in odium veniſſet, à* Siſenando, *qui auxilia Dagoberti ſecum habebat, regno dejicitur, circa initium Maji, cùm regnaſſet annis undecim, & totam Hiſpaniam ſibi ſubjeciſſet. Regnat Siſenandus, annis quatuor, menſibus undecim, diebus 16.* Ildefon.

Muhamed, *qui poſtquam fugatus erat ex urbe Mecha in Arabia, milites collegerat, urbesquaſdam occuparat, & in nonum annum & imperium & doctrinam ſuam propagarat, moritur, cùm vixiſſet annos Hegiræ ſexaginta tres, anno Hegiræ decimo, die duodecimo Rabie menſis, fer. 2. Eſt nobis dies 17. Junii.*

Clotarius, *cùm vixiſſet & regnaſſet annos 45. ferè, moritur, relictis duobus filiis* Dagoberto & Ariberto. *Dagobertus Auſtraſiam cum Neuſtria & Burgundia ſibi retinet, & regnat annis 14. Ariberto verò relinquit Aquitaniam, & quidquid inter Ligerim & Pyrenæos montes interjacet, qui elegit ſibi Tholoſam ſedem regni: obtinuit autem regnum annis ferè octo.* Aimoin.

ANNO MUNDI 4581. Poſt C. 632.

E. D. ☉ 25. ☽ 6. Ind. 5.

Annus Nabonaſſaris 1380. & Philippo 956. incipit 28. Martii, fer. 4.

Annus Hegiræ 11. incipit die 28. Martii, fer. 7.

Edwinus *rex Northumbrorum in Anglia, cùm regnaſſet annis ſeptendecim, à Britonibus ſeditioſis, qui Pendam regem Merciorum in auxilium evocaverant, in prælio occiditur, cum magna clade exercitus. Succedunt ipſi Eanfridus & Oſricbius, qui regnum dividunt, & hac ratione imbecilliores facti ſequenti anno à Carduellâ Britonum duce interficiuntur.* Beda lib. 2.

Saraceni *inferunt bellum Perſis, & regem Jezdegirdum, filiū Sirois, filii Coſrhois, ad oppidū* Merga *vincunt & occidunt. Dux Saracenorū fuit Othman, qui*

poſtea videtur ad regnum vectus. Inde regnum Perſarum occupat,cujus memoriæ ergo Æram inſtituerunt, quam Jezdegirdicam appellarunt à rege caſo, & adhuc eâ hodiè utuntur. Incipit hoc anno die 16. Junii,feriâ tertiâ, cùm effluxiſſent ex Æra Nabonaſſarea anni 1379.& menſes tres. Ex principio autem annorum Hegira ſive Arabum dies ter mille ſexcenti & viginti tres.

Annus Armen.81.incipit die 19.Junii,fer.6.

Annus Alexandr.944. Antiochen.681. Conſtant. 6141. à Calend. Octobr.

Abubecher, *Dux Saracenus ſive Calipha, qui propinquitate Muhamedem attingebat, incipit hoc anno Hegira,regnatque biennium.*Zacuth.

Dagobertus rex Galliæ, repudiatâ uxore ſterili, ducit Monialem & *Amandum* Epiſcopum hæc reprehendentem regno ejicit; qui pergens primùm in Vaſconiam, inde in Belgium abit, & Gandavi gentiles in Chriſtiana religione cum magno periculo imbuit. *Baron.*

Atichis Dux Beneventanus ſenio confectus, cùm quinquaginta annis Ducatui præfuiſſet, moritur; ſuccedit filius *Aio*,qui regnat annum unum, menſes quinque. *Diac.*

ANNO MUNDI 4582. Poſt C. 633.
C. ☉ 26. ☽ 7. Ind. 6.

Annus urbis 1385. *Julianus* 678.
Æra Hiſpan. 671. *Auguſtorum* 660.

Annus Hegira 12.*incipit die* 18.*Martii feriâ*.5.

Interfecto *Eanfrido* & fratre, cùm annum præfuiſſet, ſuccedit tamen *Oſvvaldus* in regno Northumbriæ, qui cum Carduella Britonum duce pugnans, ejus exercitum vicit, & ipſum in prælio occidit, atque ita pacatis rebus tranquillè regno præeſt; & cùm in exilio in Scotia Scotorum linguam didiciſſet Epiſcopos ex Scotia evocavit, qui ſubditis religionem Chriſtianam annunciarent. Cùm verò ii Anglorum linguam non noſſent, ipſe, quod populo in Scotorum lingua propoſuerant, Anglorum lingua interpretatur. *Beda lib.3.*

Anno tertio Siſenandi celebratum fuit Concilium Toletanum quartum, cui præſedit *Iſidorus* Hiſpalenſis, ubi concluſum, Judæos ad Chriſtianiſmum non cogendos, ſed nec ad publica officia admittendos. *Vaſæus.*

Olympias 353.*incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1409.

Heraclius *incipit in Iulio annum imperii* 24.

Annus Diocletiani 350.*incipit die* 29.*Auguſti.*

Saraceni *regionem quandam circa Gazam occupant, & exercitum Heraclii vincunt.* Miſcell.

Ajo Dux Beneventanus vaſtatur à Sclavis, qui claſſe advenientes maritima deprædabantur; quos cohibere Ajo conatus, in foveam à Sclavis factam ex inſidiis præcipitatus trucidatur, cùm annum unum, & quinque menſes regnaſſet. Succedit *Radoaldus* Dux, qui Ajonis mortem ultus, Sclavos vincit, & finibus pellit; præfuit autem Ducatui annis quinque. *Diac.*

ANNO MUNDI 4583. Poſt C. 634.
B. ☉ 27. ☾ 8. Ind. 7.

Annus Hegira 13.*incipit die* 7.*Martii,fer.*2.

Abubecher,cùm binos annos ferè regnaſſet, moritur; ſuccedit *Omar*, quem alii Haumar vocant, qui regnat annos 10. Hic ſtatim Arabiam occupat, & *Boſra* civitatem capit; vincit poſtea Theodorum Heraclii fratrem, inde pergit *Damaſcum* ubi magna præſidia erant Imperatoris, quæ tamen ſtatim primo die, cùm congrederentur, die 23. Auguſti, feriâ 3. & ſi ad quadraginta hominum millia eſſent, vincuntur, cùm fortè fortunâ in ipſo prælio Auſter adverſus vehementior exoriretur; atque ita *Omar* potitus eſt Damaſco, quam vaſtam relinquere noluit, ſed Chriſtianos ibi habitare paſſus eſt. Inde longè lateque vaſtatur Phœnicia. *Heraclius* igitur diffidens de victoria, quæ pretioſa Hieroſolymis erant, ſecum Conſtantinopolin auffert. *Miſcell.*

Oswaldus *Northumbriæ rex iterùm Britones ex Anglia ejicit.* Beda.

ANNO MUNDI 4584. Poſt C. 635.
A. ☉ 28. ☽ 9. Ind. 8.

Annus Hegira 14.*incipit die* 25.*Febr.fer.*7.

Saraceni Ægyptum invadunt, & alter exercitus, cujus erat *Hamar* rex, in Palæſtinam abit, & obſidens Hyeroſolymam, tandem eam capit; poſt biennium inde totam Syriam occupavit. *Miſcell.*

Annus ſabbathicus quartus Jobeles duodecimi, incipit 18. *Sept.fer.*2. *Anno Jud.*4396.

Kinegildis rex Weſtſaxonum in Anglia religionem Chriſtianam recipit, & paucis annis poſt idem faciunt etiam Orientales Saxones. *Huntin.*

ANNO MUNDI 4585. Poſt C. 636.
G.F. ☉ 1. ☽ 10. Ind. 9.

Annus Hegira 15.*incipit die* 13. *Februarii,fer.*4.

Annus Nabonaſſari 1384. & *Philippi* 960. *incipit* 17. *Martii,fer.*1.

Siſenandus *rex Hiſpaniarum, cùm annis ferè quinque regnaſſet, moritur; & ſuccedit menſe Aprili* Chintilla, *qui regnat annos ferè quatuor.* Tud.

Hieroſyma tandem à rege *Omar*, exeunte anno Sabbathico, deditione capitur; ubi cùm templum Salomonis non inveniret, cum luctu civitatem ingreſſus eſt, & religionem Chriſtianam paſſus eſt ibi doceri, manſit ita urbs ſancta ſub ſervitute Saracenica annis 463. donec virtute Gallorum, Duce Godofrido Builioneo, anno 1099. Chriſtianis reſtitueretur. *Zacuth.*

Annus Jezdeg 5.*incipit* 15. *Junii,feriâ* 7. *Armen.* 85.*die* 18.*Junii,fer.*3.

Alexandrinus 948. *Antioch.*685. *Conſtantinop.* 6145. *Calend. Octobr.*

Omar *poſtea Antiochiam invadit, eamque tandem capit.* Zacuth.

Ferchardus rex Scotorum, cùm annos 14. regnaſſet, moritur; ſuccedit frater *Donaldus*, qui ſimiliter 14. annos regnat. *Buchan.*

Dagobertus Francorum rex, revocat *Amandum* Epiſcopum, cùm ſibi recens natus eſſet filiolus Segebertus, ut eum baptiſaret.

ANNO MUNDI 4586. Poſt C. 637.
E. ☉ 2. ☽ 11. Ind. 10.

Annus urbis.1389. *Julianus* 682.
*Æra Hiſpan.*675. *Auguſtorum* 664.

Annus Hegira 16.*incipit die* 2.*Februarii,fer.*1.

Concilium Toletanum quintum celebratum fuit hâc hyeme, cui concilio *Iſidorus* non interfuit. Statutum in eo, ne quis regi malediceret, & anathema diceretur hujuſmodi calumniatori. Paulò pòſt, die 4. Aprilis, moritur *Iſidorus*, qui annis 40. Epiſcopatui Hiſpalenſi præfuerat. *Tudens.*

Olym-

Olympias 354. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1413.

Heraclius *Imperator incipit annum imperii* 28. *menſe Julio.*

Annus Diocletiani 354. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Dagobertus Francorum rex, Collegium D. Petri in monte, quod jam intra *Erfurdiam* eſt, condit. *Trith.*

ANNO MUNDI 4587. Poſt C. 638.
D. ☉ 3. ☽ 12. Ind. 11.

Annus Hegiræ 17. *incipit* 23. *Januarii.*

Concilium Toletanum ſextum celebratur in Hiſpania, in quo decretum fit, ut quilibet Hiſpaniæ rex in poſterum juret, ſe neminem non Catholicum in Hiſpania ferre velle; unde factum, ut Judæi tùm in Hiſpania exulare juſſi ſint. Concilium celebratum menſe Januario.

Ariobaldus rex Longobardorum in Italia, anno duodecimo regni moritur; ſuccedit ipſi *Rotharis* itidem Arianus, qui & Catholicos & Arianos ſimul in urbibus eſſe paſſus eſt. Regnavit autem annos ferè 16. *Diac.*

Rodoaldus filius Aionis, cùm quinque annis ducatum Beneventanum rexiſſet, moritur; ſuccedit ipſi *Grimoaldus*, qui gubernavit ducatum annis viginti quinque, priusquam rex Longobardorum fieret. *Diac.*

Honorius Papa, cùm ſediſſet annos duodecim, & menſes quinque, moritur die 12. Octobris, *ut habet Baronius.* Sed *Onufrius* ponit hujus mortem ante triennium.

ANNO MUNDI 4588. Poſt C. 639.
C. ☉ 4. ☽ 13. Ind. 12.

Annus Hegiræ 18. *incipit die* 12. *Januarii fer.* 3.

Iſaacus Patricius Exarchus, cùm fama eſſet, Honorium Papam multos theſauros collegiſſe, & in Laterano depoſuiſſe, Romam abit, quosdam Diaconos Cardinales relegat, & theſaurum ſibi ſumit, militibus dividit, & partem ad Imperatorem mittit. *Anaſtaſius.*

Sergius Conſtantinopolitanus Patriarcha convocat Synodum, in qua Monotheletarum errorem approbat, & ejus expoſitionem, quam Ectheſin vocavit, nomine Imperatoris conſcriptam, Romam mittit, ut novus Papa ab Imperatore confirmandus ei ſubſcribat. Sed *Severinus*, qui electus fuerat, hanc Ectheſin improbat, ideò non confirmatur, ſed mœrore animi moritur die 4. Auguſti, poſt quem interregnum papale fit, ferè quinque menſium ſpatio *Anaſtaſ.* Paulò pòſt moritur Sergius, cùm ſediſſet annis 31. Succedit *Pyrrhus*, homo nullius religionis, qui præfuit annis ferè tribus.

Aribertus, frater Dagoberti, Aquitaniæ rex moritur, relicto filio Hilperico, qui paucis diebus ſupervixit; ideò Dagobertus univerſa Gallia potitur. *Aimoin.*

Wendi *ſive Vandali Francos invadunt, & vincunt, Doringosque & vicinas regiones crudeliter vaſtant.* Aimoin.

Saraceni *Edeſſam capiunt, & inde* Daras *propugnaculum expugnant, quo facto totâ Meſopotamiâ potiuntur.* Miſcell.

Rotharis *Longobardorum rex, Imperatori duas provincias in Italia eripit, Alpes ſcilicet Cottias ad Opitergium, cùm oppidis ad Terviſium, cùm Iſaacum Exarchum viciſſet, & octo ferè millia militum Romanorum cecidiſſet.* Annal. Suev.

Annus Hegiræ 19. *incipit ultimo Decembr. fer.* 7.

ANNO MUNDI 4589. Poſt C. 640.
B A. ☉ 5. ☽ 14. Ind. 3.

Johannes IV. natione Dalmata, eligitur Papa, & confirmatur ab Imperatore ipſis Calend Januar. Hic Paulò pòſt convocat Synodum Romæ, proponitque Ectheſin ab Imperatore miſſam, eamque examinatam cum Epiſcopis damnat, id quod poſtea etiam faciunt Epiſcopi in Africa. *Anaſtaſ.*

Annus Nabonaſſaris 1388. *& Philippi* 964. *incipit* 16. *Martii, fer.* 5.

Chintilla *Hiſpania rex, cùm regnaſſet annos ferè quatuor, moritur in vere: ſuccedit ipſi* Tulga, *qui regnat annos duos, menſes quatuor.* Tudenſ.

Saxones, *qui Dagoberto regi quotannis offerebant tributum trecentarum vaccarum, offerunt ſuam operam in repellendis* Winnidis, *qui Thuringiam tum vaſtabant, ſi iſto tributo liberarentur. Sed liberati pauca eorum, quæ promiſerant, præſtant; ideò paulò pòſt Dagobertus ſuum filium Sigebertum ſub tutela* Pipini *ad defenſionem finium mittit, cujus opera Sclavi feliciter repreſſi ſunt.* Aimoin.

Annus Jezdegird. 9. *incipit* 14. *Junii, fer.* 4. *Armen.* 89. 17. *Junii, fer.* 7.

Alexandr. 952. *Antiochen.* 689. *& Conſtantinop.* 6149. *Calend. Octobr.*

Eadwaldus *Cantuariorum rex in Anglia, cùm annos* 24. *regnaſſet, moritur; ſuccedit filius* Ercombertus, qui primus omnia idola deſtruit, & quadrageſimale Jejunium obſervari præcepit. Regnat & hic annis 24. *Beda.*

Annus Hegiræ 20. *incipit* 21. *Decembr. fer.* 5.

ANNO MUNDI 4590. Poſt C. 641.
G. ☉ 6. ☽ 15. Ind. 14.

Annus urbis 1393.	*Julianus* 686.
Æra Hiſpan. 679.	*Auguſtorum* 668.

Heraclius Imperator hydrope confectus, moritur die 11. Maji, ut *Cedrenus habet*, cùm imperaſſet annis 30. menſibus 10. Succedit filius Conſtantinus, qui cùm coronaretur, coronam, quæ cum patre ſepulta fuerat, effodi, & ſibi imponi juſſit; ſed veneno à noverca Martina tollitur, cùm quatuor menſes imperaſſet, menſe Septembri. Succedit ipſa noverca cum filio *Heracleone*, & imperat menſibus ſex. *Cedr.*

Olympias 355. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1417.

Annus Diocletiani 358. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Imperante Heracleone Mavias *Saracenus* Cæſaream *Paleſtinæ ſeptem annis oppugnatam vi capit, & ſeptem millia hominum ibi occidit.* Cedr.

Johannes quartus Papa, cùm ſediſſet annum unum, & menſes 9. moritur die 12. Octobris. Ita quidem habet Baronius, ſed diſſentit Onufrius. Succedit *Theodorus* Hieroſolymitanus, qui ſedit annos ſeptem, & menſes ferè octo. *Anaſtaſ.*

Annus Hegiræ 21. *incipit die* 10. *Decembr. fer.* 2.

ANNO MUNDI 4591. Poſt C. 642.
F. ☉ 7. ☽ 16. Ind. 15.

Heracleones *cum matre* Martina, *cùm menſibus* 6. *imperaſſet, à Senatu Cōſtātinopolitano capitur, & naſo, ne im-*

ne unquàm ad imperium adſpirare poſſet, truncatur; mater verò Martina, quòd Conſtantinum occidiſſet, linguâ truncatur, & in exilium ejicitur; & filius Conſtantini Conſtans, *Imperator creatur circa menſem Februarii, & regnat annos* 27. Cedr.

Dagobertus *Francorum rex condit urbem* Trajectum *in medio brachio Rheni, eamque urbem donat Epiſcopo Colonienſi Chuniberto: locus ipſe olim Friſiis erat ademptus.* Annal. Friſ.

Osvvaldus rex Northumbrorum in Anglia, cùm regnaſſet annos octo, commiſſo prælio cum rege Merciorum, Penda pagano trucidatur, exercitusque ipſius cæditur die 5. Auguſti. Succedit frater ipſius *Osvinus*, qui regnavit annos 28. & aſſidua bella cum Penda geſſit. *Beda lib.3.*

Pyrrhus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ſuſpectus criminis majeſtatis, ſpontè abdicat ſe Epiſcopatu, & fugit in Africam, cùm annis ferè tribus ſediſſet; ſuccedit ipſi in Epiſcopatu *Paulus*, qui ſedit annis 12. *Niceph.*

Annus ſabbathicus quintus Jubelei 12. incipit die 31. Auguſti, fer. 7. Anno Judaico 4403.

Kinnegilus rex Weſtſaxonum in Anglia, cùm regnaſſet annos 31. moritur; ſuccedit ipſi filius *Cenvvaldi*, qui & ipſe annis 31. regnat. *Huntin.*

Annus Hegiræ 22. incipit die 30. Novembr. fer. 7.

ANNO MUNDI 4592. Poſt C. 643.
E. ☉ 8. ☽ 17. Ind. 1.

Omar, Saracenorum Amiras, Hieroſolymis è regione montis Olivarum ingentibus ſumptibus Templum cultibus Mahometi deſtinatum ædificat, illudque multis reditibus auget: reliqua enim templa omnia Chriſtianis reliquit. *Cedr.*

Mauritius *Chartularius in Italia, qui exercitum ducebat ſub Iſaacio Patricio Exarcho, ſibi juramentum ab exercitibus dici jubet, & imperium ſibi ſumit: ſed ab Iſaaco Exarcho captus Romæ, propè Ravennam ductus decollatur. Paulò poſt Iſaacius, cùm annis 24. Exarchus fuiſſet, moritur. Succeſſor ipſi mittitur, ineunte indictione ſecunda,* Theodorus Calliopa, *qui obtinuit hanc dignitatem annis* 6. Miſcell.

Annus Heg. 23. incipit die 19. Novembr. fer. 4.

ANNO MUNDI 4593. Poſt C. 644.
D.C. ☉ 9. ☽ 18. Ind. 2.

Annus Nabonaſſaris 1392. & Philippi 968. incipit 15. Martii, feria 2.

Omar *Saracenorum rex, cùm annis decem regnaſſet, à Perſa quodam ſervo ſuo, dum in templo adorat, gladio transfigitur; ſuccedit ipſi* Otmen *cognatus, qui regnavit annis* 12. Zacuth.

Annus Jezdegird. 13. incipit 13. Junii, fer. 1. Armen. 93. 16. Junii, fer. 4.

Alexandr. 956. Antiochen. 693. Conſtantinop. 6153. Calend. Octobr.

Dagobertus *Francorum rex, teſtamentum condit in conventu procerum regni, & utrumque filium Sigebertum, & Ludovicum regem facit: Sigebertum Auſtraſiæ, & Ludovicum Burgundiæ.* Aimoin.

Eclipſis Solis facta anno tertio Conſtantis Imperatoris, ut Cedrenus & Zonaras habent, & facta dimidiâ horâ poſt meridiem die 5. Novembr. feriâ ſextâ. Parallaxis latitudinis 42.40. Latitudo 46.54. Viſa latitudo ſeptentrionalis 4.14. Semidiam. Solis 15.53. ſumma ſemidiam. 30.21. Strup. reſidua 26.7. Digiti ecliptici 9.53. Sol in quindecimo gradu Scorpii.

Annus Hegiræ 24 incipit die 7. Novembr. fer. 1.

ANNO MUNDI 4594. Poſt C. 645.
B. ☉ 10. ☽ 19. Ind. 3.

Annus urbis 1397. *Julianus* 690.
Æra Hiſpanica 683. *Auguſtorum* 672.

Dagobertus *Francorum rex, cùm annos 15. regnaſſet, moritur die 19. Januarii, ſepeliturque Pariſiis; ſuccedit ipſi filius* Ludovicus, *qui regnat annis ſeptendecim.* Aimoin.

Conſtans Imperator orditur annum quartum menſe Februar.

Pipinus *ſenior eodem hoc anno moritur, relinquit filium* Grimoaldum *Brabantiæ ducem &* Beggam *ſororem, quæ* Anſegino *nupta erat, &* Gertrudem, *quæ cùm Cœnobium ædificaſſet, facta eſt monialis.* Annal. Friſ.

Dalmatæ *Sclavi, Duce* Zechio, *in Germania regnum Bohemorum occupant.* Hiſtor. Bohem.

Olympias 357. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1426.

Annus Diocletiani 362. incipit die 29. Auguſti.

Rotharith *rex Longobardorum, leges gentis ſuæ, quas memoria & uſu comprehenſas uſurpabant, libro uno comprehendit, cui titulum fecit:* Edictum *Longobardorum: Factum, cùm Longobardi annum ſeptuageſimum ſeptimum eſſent in Italia, ut habet Prologus.* Diac.

Annus Hegiræ 25. incipit 28. Octobr. fer. 6.

ANNO MUNDI 4595. Poſt C. 646.
A. ☉ 11. ☽ 1. Ind. 4.

Cennevvalkius rex occidentalium Saxonum in Anglia, in ſuperſtitionem gentilem relapſus, à Penda Merciorum rege pagano vincitur, & regno exuitur. Fugit igitur ad Cantuariorum regem, apud quem triennio converſatus, religionem Chriſtianam diſcit: Inde in regnum reſtituitur. *Malmesb.*

In Africa concilia agitantur de controverſia Monotheletarum bina, quæ ſuam ſententiam literis comprehendunt, & ad Papam Romanum mittunt, qui eas Conſtantinopolin mittat, hortetúrq; ut ab errore deſiſtant. *Tomi Conſ.*

Rotharith *Longobardorum rex, Imperatori in Italia omnes urbes in Thuſcia capit, usque ad Francorum fines;* Tarviſium *etiam ex fundamentis diruit.* Diac.

Concilium Toletanum ſeptimum anno quinto regis Chindasvindi agitur, die 18. Octobr. *Vaſæus.*

Annus Herigæ 26. incipit die 17. Octobr. fer. 3.

ANNO MUNDI 4596. Poſt C. 647.
G. ☉ 12. ☽ 2. Ind. 5.

Saraceni *invadunt Africam, ubi Gregorius præſes imperiū ſibi contra Conſtantem ſumpſerat; hunc vincunt, & Africâ pellunt, ipſi tributum Africæ imponunt & revertuntur.* Miſcell.

Ventus Conſtantinopoli multas prægrandes arbores evellit, & columnas illas, in quibus olim Stylitæ ſteterant & habitaverant, evertit. Zonaras.

Rhotharith *cum Exarcho prælio congreditur, vincitque & Romanorum octo millia occidit. Eodem tempore Romæ terræmotus factus eſt, & inundatio aquarum.* Diac.

Annus Hegiræ 27. incipit die 6. Octobr. fer. 7.

ANNO MUNDI 4597. Poſt C. 648.
F.E. ☉ 13. ☽ 3. Ind. 6.

Annus Nabonaſſaris 1397. & Philippi 972. incipit 24. Martii, fer. 6.

Conſtans

Conſtans Imperator ſuaſu Pauli Epiſcopi Conſtantinopolitani monotheletæ, & quòd Epiſcopi in Africa & aliis locis, ubi vel à Saracenis, vel aliis hoſtibus vaſtabantur, monotheletis vehementer contradicerent, ne hi Epiſcopi in univerſum abalienarentur, proponit Edictum, quod peculiari nomine *Typum* appellavit, in quo jubet utramque partem in controverſia de voluntate Chriſto tacere. At verò cùm hoc modo non liceret de voluntate Chriſti loqui, atque ita nec de duabus in Chriſto naturis, *Theodorus* Papa typum hunc, ut impium, convocato concilio damnat, & Paulum Epiſcopum, quod autor hujus typi eſſet, anathemate ferit. *Anaſtaſ.*

Annus Jezdegird.17.incipit 12. Junii, fer.5. Armen.97. die 15. Junii, fer.1.

Alexandr.960. Antioch.697. Conſtantin.6157. Calend. Octobr.

Sigebertus *Auſtraſiæ rex in Francia cum Rathulfo Thuringorum duce, qui tributum uſitatum negabat, pugnat, vincit, & ſub jurisdictionem redegit.* Sigeb.

Mavias *Saracenus expeditionem ſuſcipit in Cyprum (Claſſis fuit navium mille & ſeptingentarum,) & inſulam ſibi ſubjicit, & Conſtantiam urbem in ea capit.* Miſc.

Annus Hegiræ 28. incipit 25. Septembr. fer.5.

ANNO MUNDI 4598. Poſt C. 649.
D. ☉ 14. ☽ 4. Ind.7.

Annus urbis 1401. *Julianus* 694.
Æra Hiſpan. 687. *Auguſtorum* 676.

Conſtans Imp. inchoat annum Imperii 8. *in Febr.*

Chindasvindus *Hiſpaniarum rex, filium ſuum* Recesvindum *in conſortium regni recipit menſe Februar. qui ab hoc quidem tempore regnat annis 23. menſibus ſeptem, diebus undecim; aliàs poſt patris obitum regnavit tantùm annis novendecim. Pater enim vixit adhuc annis quatuor & menſibus* 7. Vaſæ.

Theodorus Papa, cùm ſediſſet annos ſeptem, & menſes ſeptem, & dies viginti, moritur 14. Maji: ſic habet *Baronius*. Sed *Onufrius* ponit hujus Pontificis obitum ante biennium; ſuccedit ipſi *Martinus*, qui, cùm iterùm ſubſcriptio Typi urgeretur, convocat concilium centum quinquaginta Epiſcoporum, in quo iterum Edictum Imperatoris ſive Typum condemnat, ejusque condemnationis cauſas ad omnes Eccleſias perſcribit; factum die 5. Octobris. *Anaſtaſ. Beda.*

Olympias 357. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1425.

Annus Diocletiani 366. incipit die 29. Auguſti.

Annus ſabbathicus ſextus Jobeles 12. incipit 12. Sept. feria 7. Anno Jud. 4410.

Annus Hegiræ 29. incipit die 14. Junii, fer.2.

Cùm Conſtantinopolin fama veniſſet, Romæ Concilium agi, Imperator Olympium Exarchum mittit ad regendam Italiam, cui dat in mandatis, ut inſtet in Synodo apud Epiſcopos, ut omnes Typo ſubſcribant, aut ſedibus ſuis ejiciantur. Venit itaq; Olympius in Synodum, ſed nihil proficit, ideò diſcedit inde in Siciliam, contra Saracenos rem geſturus, ubi exercitum amittit, & mœrore animi extinctus eſt; in ejus locum iterum ſubſtituitur Theodorus Calliopa: præeſt annis 36. *Anaſt.*

Mavias *inſulam* Aradum, *prope Tripolin ſitam, poſt acrem oppugnationem deditione capit, murisque dejectis incendit, & incolas abducit.* Cedr.

ANNO MUNDI 4599. Poſt C. 650.
C. ☉ 15. ☽ 5. Ind.8.

Beda tomo ſecundo ſcribit, poſt convocatam Synodum à Martino Papa Epiſcoporum centum & quinquaginta, factam eſſe ſequenti anno Eclipſin Solis: *Ea accidit die 6. Febr. horis tribus poſt meridiem in Anglia, fer.7. Parallaxis latitud. eſt 36. 55. Vera latitudo 40.36. Viſa ſeptentr. 3.51. Semidiam. Solis 15.46. Summa 31.12. Scrup. reſiana 27.21. Digiti ecliptici 10.25. Sol. in 20.41. Aquarii.*

Theodorus Calliopa Exarchus Romam veniens, Martinum Papam abducit è templo Conſtantiniano, & Conſtantinopolin mittit: factum 16. Junii, fer.2. Sed cum venirent ad Naxum Inſulam, integro ferè anno ibi detinentur. *Anaſtaſ.*

Donaldus *Scotorum rex, cùm annis* 14. *præfuiſſet, moritur; ſuccedit* Ferchardus *Ferchardi filius, qui regnat annis duodecim.* Buchanan.

Buſur *Dux Saracenorum* Iſauriam *verſus exercitum ducit, eamque vaſtat. Conſtans igitur Imperator, cùm ei reſiſtere non poſſet, legatis agit, & petit pacem, quam impetrat in biennium, ſed ſolutâ pecuniâ.* Miſcell.

Annus Heg. 30. incipit die 3. Septembr. fer.6.

ANNO MUNDI 4600. Poſt C. 651.
B. ☉ 16. ☽ 6. Ind.9.

Præfectus Armeniæ, qui à Conſtante eò miſſus fuerat, fœdus facit cum Saracenis, & deſciſcit ab imperio, & fit Vaſallus Maviæ. Miſcell.

Sigebertus Auſtraſiæ in Francia rex, de poſteritate & de prole deſperans, duodecim monaſteria fundat. *Sigeb.*

Annus Hegiræ 31. incipit 24. Auguſti fer.4.

Martinus Papa Conſtantinopolin ducitur die 17. Novembr. ibi detentus fuit in carcere usque ad nonageſimum quintum diem, qui fuit dies 19. Febr. ſequentis anni. *Anaſtaſ.*

ANNO MUNDI 4601. Poſt C. 652.
A.G. ☉ 17. ☽ 7. Ind.10.

Martinus Papa tandem die 19. Febr. in Conſiſtorio Conſtantinopoli auditur, & cùm cauſam ſuam Imperatori non probaſſet, iterum in carcerem includitur, & poſt dies 85. in exilium mittitur, Cherſonam ſcilicet in Pontum, ut ibi fame maceraretur; mittitque Romam, ut alium Pontificem eligant. *Baron.*

Annus Nabonaſſaris 1400 *& Philippi 976. incipit die 13. Martii, fer.3.*

Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus moritur, cùm annis 12. præfuiſſet; revocatur ad ſedem ſuam Pyrrhus, ſed qui ſedit tantùm menſes quinque & moritur, cui ſubrogatus eſt *Petrus*, qui ſedet annis 4. *Niceph.*

Annus Jezdeg. 21. incipit 11. Jun. feriâ 2. Armen. 101. 14. fer.5.

Alexandr. 964. Antiochen. 701. & Conſtant. 6161. Calend. Octobr.

Eugenius natione Romanus juſſu Imperatoris eligitur Papa, die 29. Auguſti in locum Martini, qui adhuc vivebat, ſedetq; menſibus quidem quinque, ſi ab obitu Martini numeres, aliàs ferè biennium ab ordinatione. *Baron.*

Onufrius verò ipſi tribuit annos ferè tres, & eum mortuum ait anno 657. & anno 653. electum.

Annus

Annus Hegiræ 32. *incipit die* 12. *Auguſti, fer.* 1.

Sigebertus *rex, cùm deſtitueretur liberis*, Grimoaldi *Majoris domus filium*, Hildebertum *adoptat in filium, & deſignat eum ſucceſſorem.* Sigeb.

ANNO MUNDI 4602. Poſt C. 653.
F. ☉ 18. ☽ 8. Ind. 11.

Annus urbis 1405. *Julianus* 698.
Æra Hiſpan. 691. *Auguſtorum* 680.

Conſtans Imperator inchoat annum imperii 12. *menſe Febr.*

Mavias *Dux Saracenorum Rhodo potitur, ubi adhuc in ſolo jacebat Coloſſus ille Solis ingens, qui corruerat ante annos octingentos & ſeptuaginta quinque. Eum Mavias Rhodo capta vendit mercatori cuidam Judæo; qui nongentos camelos illius fragmentis oneravit. Onus Cameli plerumque eſt Pondo octingentorum* acht Centner. *Ideò ad hanc proportionem eſſent ſepties centena millia & viginti millia librarum,* ſiebentauſend und zweyhundert Centner. *Effluxerant autem à prima ejus fundatione anni* 1360. *altus fuerat octuaginta cubitos, ſtetitque divaricatis cruribus, quæ tantâ diſtantiâ disjuncta fuerant, ut ſat ſpatii præberent navibus in portum ingredientibus.* Cedrenus.

Olympias 358. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadibus* 1429.

Biennio antequam Penda rex Merciorum moreretur, Angli Mediterranei etiam religioni Chriſtianæ dant nomen. *Beda.*

Annus Heg. 33. *incipit* 2. *Auguſti, fer.* 6.

Annus Diocletiani 370. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Rotharith rex Longobardorum, cùm annos 16. & menſes quatuor regnaſſet, moritur, relicto filio ſuo *Rodoaldo*, qui Gundibergam Agilulphi & Theudelindæ filiam uxorem duxit, regnatque annis quatuor. *Diac.*

ANNO MUNDI 4603. Poſt C. 654.
E. ☉ 19. ☾ 9. Ind. 12.

Mavias, *ut Conſtantinopoli aggrederetur regiam ſedem, ingentem ædificat claſſem Tripoli; quæ cùm jam ferè parata eſſet, fratres quidam, buccinatoris filii, Chriſtiani profeſſione, aſtu ſolvunt carcerē, in quo plurimi captivi detinebantur, quorum auxilio fulti omnem illum apparatum claſſis cremant. Sed nihilominùs Saraceni colligunt claſſem aliam, cùm Conſtans Imperator eâ nocte, quæ pugnam præceſſit, ſomnium habuit, in quo videbatur ſibi Theſſalonica fuiſſe, quod conjectatori expoſuit, qui ita interpretatus eſt ſomnium, ut diceret: Saracenos victoriam in hac pugna conſecuturos, dum interpretatur vocabulum* Theſſalonicam θὲς ἄλλῳ νίκην *cede alteri victoriam, & ita factum eſt, & Imperator mutata veſte in aliam navem translatus vix evaſit.* Miſcell.

Sigebertus *rex Angliæ monachus factus, in prælio contra* Pendam *Merciorum regem fratri* Egrico *auxilia adducens, unà cum fratre occiditur, exercituſque ejus ferè omnis, paucis tantum fugâ elapſis.* Beda.

Annus Hegiræ 34. *incipit* 22. *Julii, fer.* 3.

Martinus Papa in exilio Cherſonæ moritur, die 20. Novembris. Hujus reliquias Baronius affirmat Romam translatas eſſe, ſed nec tempus, nec autorem rei geſtæ dari poſſe, ſed tantùm conſtantem famam eſſe. Interim tamen miracula fieri ad locum, ubi olim Cherſonæ ſepultus fuit, aſſerit: cauſam addit, quòd fortaſſis quædam partes corporis, ibi relictæ fuerint. Succedit jam plenariè Eugenius, qui jam tantum vicem obtinuerat pontificatus, ſedetque tantùm menſibus quinque. *Baron.*

ANNO MUNDI 4604. Poſt C. 655.
D. ☉ 20. ☽ 10. Ind. 13.

Oſwinus, *Northumbriæ in Anglia rex, cùm decertaſſet hactenus cum Penda Merciorum rege, omnibus ferè annis; nec pacem prece vel precio redimere poſſet, bellum ſeriò apparat, indictis publicis ſupplicationibus, & tandem die* 15 *Novembr. cum Penda pugnat, eum vincit & trucidat, regnumque Merciorum occupat. Donavit tamen ejus partem auſtralem cognato ſuo Pandæ, qui tamen ſequenti Paſchate occiſus eſt, atque ita ſolus obtinet regnum Merciorum annis tribus.* Beda.

Eugenius Papa, cùm ſediſſet poſt mortem Martini Papæ ferè menſibus ſex, moritur die 2. Junii; cui ſuccedit *Vitalianus* Signinus ex Hernicis, qui ſedit annis 14. menſibus quinque. Hic voluit in templis Cantui chorali addi organon Muſicum, ut habet *Sigebertus.*

Annus Hegiræ 35. *incipit die* 11. *Julii, fer.* 7.

Otmen *rex Arabum, cùm annos regnaſſet duodecim, trucidatur; ſuccedit* Hali, *qui regnat annos quatuor.* Zacuthi.

ANNO MUNDI 4605. Poſt C. 656.
C.B. ☉ 21. ☽ 11. Ind. 14.

Annus Nabonaſſaris 1404. *& Philippi* 980. *incipit* 12. *Martii, fer.* 7.

Concilium in Hiſpania celebratum Toleti decimum numero, ubi decretum, quòd feſtum *Annunciationis* Mariæ, quod in Martio ob jejunia Quadrageſimæ, vel ob ferias Paſchales impeditur, transferri debeat in diem 17. Decembris; ſed id poſt temporis ab Eccleſia improbatum fuit & abrogatum, & in 25. Martii iterum reductum. *Tom. Conc.*

Annus Iezdegird. 25. *incipit die* 10. *Junii, fer.* 6.
Armen. 105. *die* 13. *Junii, fer.* 2.

Annus ſabbathicus 6. *ſive Jobeleus* 12. *incipit* 24. *Sept. feria* 7. *Anno* 4417.

Annus Alexandr. 968. *Antioch.* 705. *Conſtantin.* 6165. *Calend. Octobr.*

Petrus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cùm biennium ſediſſet, & menſes tres, moritur; ſuccedit ipſi Thomas, qui rectè de voluntatibus in Chriſto ſentire viſus eſt: ſedit hic annos duos.

ANNO MUNDI 4606. Poſt C. 657.
A. ☉ 22. ☽ 12. Ind. 15.

Annus urbis 1409. *Julianus* 702.
Æra Hiſpan. 695. *Auguſtorum* 684.

Conſtans Imperator inchoat annum 16. *Imperii menſe Febr.*

Rodoaldus *rex Longobardorum, cum uxorem cujuſdam Longobardi ſtupraſſet, ab eodem trucidatur, cùm regnaſſet annos quatuor; ſucceſſit* Aripertus *filius Gundibaldi fratris Theudelindæ, qui regnat annis quinque.*

Maximus Abbas cum diſcipulis evocatur Conſtantinopolin ad examen, cùm adeò Imperatoris Typo reclamaret; qui cùm ſatis eruditè ad objecta Monotheletarum reſponderet, & in vera confeſſione perſiſteret, flagellatur, & in deterrimo carcere habetur; inde linguâ & dextrâ manu truncatur, & iterum in exilium pellitur. *Acta Maximi.*

Annus

Annus Hegiræ 37. incipit die 19. Junii. fer. 2.

Olympias 359. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1433.

Annus Diocletiani 374. incipit die 29. Auguſti.

Conſtans Imperator contra Sclavos movet, & feliciter rem gerit; & multâ prædâ potitur. Cedr.

Sigebertus, rex Francorum in Auſtraſia, cùm annos decem regnaſſet, moritur, relicto filio infante Dagoberto; quem fidei Grimoaldi Majoris domus commendavit, ut ejus auxilio, quando adoleſceret, regno potiri poſſet. Sigebertus.

ANNO MUNDI 4607. Poſt C. 658.
G. ⊙ 23. ☽ 13. Ind. 1.

Grimoaldus Major domûs in Auſtraſia, Dagobertum filium Sigeberti infantem attonſum in Scotiam mittit in Cœnobium, ut ibi educaretur. Ipſe interim filium ſuum Hidelbertum, quem Sigebertus ante annos ſex ſucceſſorem ſibi adoptaverat, regem facit; ſed Francorum proceres injuriâ hâc in regem ſuum irritati, Hildebertum capiunt, & Lutetias ad Clodoveum adducunt, qui ipſum æternis adjudicat vinculis, & contra filium ſuum Hildericum Auſtraſiorum facit. Sigeb.

Anſeginus gener Pipini ſenioris eodem hoc anno, quo Hildericus rex factus eſt, ſcelerate interficitur à Gunduino, cujus pater fiduciarius in ſacro baptiſmate fuerat, relicto filio Pipino, qui poſtea Craſſus & Hareſtallus eſt dictus. Annal. Friſic.

Annus Hegiræ 38. incipit die 8. Junii, fer. 6.

Oswinus, Cantuariorum rex, cum inſuper Merciorum regnum tribus annis obtinuiſſet, ejicitur à proceribus regni, & Wulferus filius Pendæ eligitur rex Merciorum, qui regnavit annis 17. Beda.

Adelboldus, rex Auſtralium Saxonum, patitur ſe inſtitui in religione Chriſtiana, cùm poſt trieñium fieret eclipſis Solis. Huntin.

Thomas Patriarcha Conſtantinop. cùm ſediſſet annos duos & menſes ſeptem, moritur; ſuccedit Johannes Presbyter, qui ſedet annos quinque, menſes novem. Niceph.

Saraceni inteſtinis laborant diſcordiis; quapropter Conſtans oblatâ hâc occaſione illis bellum inferre decernit. Mavias ſibi metuens, pacem Imperatori offert cum tributo in ſingulos dies mille numiſmatum, cum inſigni equo & ſervo. Cedr.

ANNO MUNDI 4608. Poſt C. 659.
F. ⊙ 24. ☽ 14. Ind. 2.

Conſtans Imper. Theodoſium fratrem Eccleſiæ mancipaverat, & Diaconum effecerat, ex cujus manibus etiam Euchariſtiam acceperat. Hunc tandem interficit, inde conſcientiæ furiis exagitatus ſæpiùs vidit in ſomniis fratrem habitu Diaconi accedentem, & calicem ſanguine plenum porrigentem & dicentem, Bibe frater. Fugiens igitur hæc ſomnia, loca frequenter mutat, & alias atque alias in Imperio urbes adit. Cedr.

Annus Hegiræ 39. incipit die 29. Maji, fer. 4.

Saraceni in concordiam redeunt, ideo tributum, quod pepigerant, reddere detrectant. Miſcel.

ANNO MUNDI 4609. Poſt C. 660.
E.D. ⊙ 25. ☽ 15. Ind. 3.

Annus Nabonaſſaris 1408. & Philippi 984. incipit 11. Maji, fer. 4.

Maximus monachus adeò afflictus ab Imperatore, moritur, cùm triennium apud Alanos in exilio egiſſet. Acta Max.

Anno Hegiræ 39. currente, Hali rex Saracenorum interficitur, cùm quatuor annos regnaſſet; ſuccedit Haſen filius Hali, & Mavia frater, & Haſen quidem Meſopotamiam ſibi retinuit, Mavia autem Damaſcum; ſed Haſen, homo religioſus, Imperii minimè cupidus, nec audens effundere ſanguinem humanum, Imperio ſe abdicat, & Medinam ſecedit, ubi privatus vixit. Mavia verò regnavit annos 21. Hujus Maviæ meminit liber, qui operibus Hieronymi inſertus eſt. Ideoque is liber Hieronymo tribui non poteſt, cùm Mavias ducentis & quinquaginta annis poſt Hieronymum vixerit. Scalig.

Annus Hegiræ 40. incipit die 16. Maji, fer. 1.

Iezdegird. 29. die 9. Junii, fer. 3. Armen. 109. die 12. Jun. feria 6.

Annus Alexandr. 972. Antioch. 709. Conſtantin. 6169. à Calend. Octob.

Fames graſſatur in Gallia. Clodovæus rex hoc anno regni decimo quarto theſauros Eccleſiæ in uſum pauperum erogari jubet, & argentum, quibus templa ornata erant, detrahi. Paulò poſt autem dum reliquias Dionyſii ſpectat, eaſque irreverentius tractat, brachium Dionyſii avellit; quo facto in melancholiam incidit, adeò ut raro mentis compos eſſet. Aimoin.

ANNO MUNDI 4410. Poſt C. 661.
C. ⊙ 26. ☽ 16. Ind. 4.

Annus urbis 1413. Julianus 706.

Æra Hiſpan 699. Auguſtorum 688.

Conſtans Imperator inchoat annum imperii 20. menſe Febr.

Annus Hegiræ 41 incipit die 6. Maji, fer. 5.

Eclipſis Solis trienniô poſtquam Saxones Auſtrales in Anglia religionem Chriſtianam amplexi ſunt, cujus meminit Beda Tomo ſecundo, accidit die ſecunda Julii. feriâ ſextâ, horis ferè quinque poſt mediam noctem, oriente Sole. Parallaxis latitudinis 36.35. Latitudo vera ſeptentr. 45.20. Viſa latitudo ſeptentr. 8.45. ſemidiamet. Solis 15.2. Summa ſemidiametrorum 29 54. Scrup. reſidua 21.9. Digiti eclipt. 8.26. Sol in 12. gradu Cancri.

Olympias 360. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1437.

Annus Diocletiani 378. incipit die 29. Auguſti.

Genwaldus rex Weſtſaxonum in Anglia bellum gerit cum Wulfero filio Pendæ, rege Merciorum, eumque vincit & capit, cùm poſt triennium ab hoc prælio Sol obſcuraretur, menſe Majo. Ethelred.

Amandus Epiſcopus Trajectenſis Flandrorum Apoſtolus, hoc anno moritur. Nolanus.

ANNO MUNDI 4611. Poſt C. 662.
B. ⊙ 27. ☽ 17. Ind. 5.

Lupus Longobardorum Dux ſpoliat Grados propè Aquilejam, ubi Epiſcopi ſedes fuerat. Diac.

Annus Heg. 42. incipit die 26. Aprilis, fer. 3.

Ludovicus rex Francorum, cùm annos 16. regnaſſet, moritur; relinquit filios tres, Clotarium, Hildericum & Theodoricum, quorum Clotarius ſuccedit in regno, & regnat annos quatuor. Majorem domûs facit Ebroinum, qui Leodegario Heduorum Epiſcopo oculos eruit, & Lambertum Leodiorum Epiſcopum in exilium ejecit.

Aripertus Lõgobardorũ, rex moritur, cũ annos 5. regnaſſet; relinquitq; filios duos Pertharit & Godebertum,

tum, quos diſſidentes de regno, cùm aliquot menſes armis diſceptaſſent, Grimoaldus tandem, exeunte hoc anno, regno excutit; quorum alter occiditur, Perthari verò ad Chaganum Avarum regem aufugit. Diac.

Franci hac hyeme in Italiam irruunt, quibus obviam cum exercitu progreditur Grimoaldus, qui ſimulans metum, caſtra plena commeatuum & optimi vini relinquit. Franci avide ſe his ingurgitant, in quos media nocte irruit, & internecione ferè delet. Diac.

ANNO MUNDI 4612. Poſt C. 663.
A. ☉ 28. ☽ 18. Ind. 6.

Conſtans Imperator cùm in imperio ita vagaretur, tandem exercitum colligit, & contra Longobardos in Italiam abit, Luceriam expugnat, & alia multa oppida Longobardis eripit, Beneventum etiam obſidet & oppugnat. Romoaldus dux Beneventi, qui filius erat Grimoaldi regis, implorat parentis auxilium, qui tamen ſtatim adeſſe non poteſt; ideò Romoaldus aliquoties ex urbe in caſtra erumpit, & feliciter cum Imperatore præliatur. Imperator, audiens Grimoaldum cum exercitu adventare, obſidionem ſolvit, Neapolin concedit, & paulò poſt magnâ pugnâ à Romoaldo vincitur. Diac.

Annus Hegiræ 43. incipit die 15. Aprilis, fer. 7.

Conſtans, cùm Longobardis impar eſſet, Romam venit, exceptus à Papa & Clero magnâ ſolennitate, & obtulit Vitaliano Evangelia aurea in gemmis albis miræ magnitudinis. Factum id die 5. Julii, feriâ 4. Indictione ſextâ, manſit ibi diebus duodecim. Inde ex Italia & Roma, quicquid æris inveniri poterat, & in templis & in tectis, ſecum auferens, primo Neapolin, inde in autumno Rhegium, & tandem in Siciliam, cùm totam terram expilaſſet, abit. Diac.

Annus ſabbathicus primus, Jobeles tredecimi, incipit 9. Septembr. fer. 7. Anno Judaico 4424.

Adolfus fit rex Saxonicum Orientalium in Anglia, ſed hic ſubditus erat regi Merciorum Wulfero. Huntin.

ANNO MUNDI 4613. Poſt C. 664.
G F. ☉ 1. ☽ 19. Ind. 7.

Annus Nabonaſſaris 1412. & Philippi 988. incipit 21. Martii, feria 1.

Hoc anno error Jejuniorum factus, inquit Theoph. in Miſcella: cùm alii jejunium inciperent 21. Januar. Paſcha celebraturi die 24. Martii: alii differrent in diem 18. Februarii, cùm Paſcha celebrandum eſſet die 21. Aprilis.

Eclipſis Solis accidit, cujus meminit Beda, quam ſe vidiſſe teſtatur, quòd acciderit initio Maji hoc anno, indictione ſeptimâ, horâ diei decima. Ea accidit die 1. Maji, feriâ quartâ, horâ 3.45. poſt meridiem, ad tabulas Prutenicas. Parallaxis latitudinis 28.22. Latitudo vera ſeptent. 26.22. Viſa 2.0. auſtralis. ſemidiam. Solis 15. 50. Summa utriuſque ſemidiametr. 33. 8. Scrupula reſid. 31.8. Digiti eclipſtici 11.48. Sol in gradu 12.39. Tauri. Bunt.

In Anglia convenerunt Epiſcopi juſſu Oſvvini Northumbriæ regis, diſputantque de ratione celebrandi Paſchatis, cùm omnes ferè, contra quam in Eccleſia uſitatum erat, Paſcha à decima quarta Luna, uſque ad viceſimam celebrarent, cùm deberent id à decima quinta, uſque ad viceſimam primam agere. Eccleſiæ ratio evidenter ibi demonſtrata eſt, attamen Scoti ſuam rationem retinuerunt, Anglorum præcipua pars Eccleſiam ſecuti ſunt. Beda.

Grimoaldus ſuperiori anno Lupum Ticino præfecerat, qui Grados Inſulam, ubi theſauri erant Aquilejenſis Epiſcopi, ſpoliarat. Cùm verò facti rationem reddere non poſſet, aufugit, & fit in foro Julio Grimoaldo rebellis. Grimoaldus cùm Lupus hic debellandus eſſet, ne Longobardi inter ſe collideventur, Avarum regem Chaganum adhortatur, ut forum Julium invadat; qui adveniens cum exercitu magno, tribus diebus cum Lupo pugnat, & quarto die tandem eum vincit, & prælio trucidat. Grimoaldus verò, cùm à Chagano impetrare non poſſet, ut relicto foro Julio ad ſua rediret, ſtrategemate eum terret, cùm ipſi ſuum exercitum aliquoties aliter atque aliter veſtitum oſtenderet, quem Chaganus putabat ingentem multitudinem eſſe, in partes quaſdam diſtributam. Diac.

Annus Hegiræ 44. incipit 3. April. fer. 5. Jezdegird. 33. die 8. Junii, feria 7. Armen. 113. die 11. Jun. fer. 3. Alexandr. 976. Antioch. 713. Conſtant. 6173. Calend. Octobr.

Gertrudis filia Pipini majoris & majoris domûs in Gallia, hoc anno moritur.

Ercombertus Cantuarienſis rex in Anglia, moritur die 14. Julii, cùm annos 24. regnaſſet; ſuccedit filius Ecbertus, qui 9. annis regnat. Hujus tempore Theodorus & Adrianus in Angliam venerunt, & Scholas inſtituerunt, per quas religionem Chriſtianam plurimùm propagarunt. Beda.

Johannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cùm ſediſſet annis quinque, & menſibus novem, moritur: ſuccedit Conſtantinus, qui ſedet annis duobus.

ANNO MUNDI 4414. Poſt C. 665.
E. ☉ 2. ☽ 1. Ind. 8.

Annus urbis 1417. Julianus 710.
Æra Hiſpanica 703. Auguſtorum 692.

Conſtans Imperator inchoat annum imperii 24. menſe Febr.

Bulgari quidam Duce Alzecoin Italiam veniunt, petuntque à Grimoaldo ſedes, ubi conſiſtere poſſint; qui remittit eos ad Romoaldum filium, à quo accipiunt Bovianum, & vicina loca habitanda. Diac.

Annus Hegiræ 45. incipit die 24. Martii, fer. 2. Olympias 361. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1441.

Annus Diocletiani 382. incipit die 29. Auguſti.

Bathildis uxor Ludovici regis Franciæ, monialis facta, circa hoc tempus bina ædificat cœnobia, Corbejam & Calam. Audom.

Anglorum rex Oſvvin legationem mittit Romam ad Papam Vitalianum, offertque Petro multa vaſa aurea & argentea. Vitalianus contrà promittit ſe Epiſcopum idoneum miſſurum, interim donat regem & reginam aliquot reliquiis Sanctorum. Beda.

ANNO MUNDI 4615. Poſt C. 666.
D. ☉ 3. ☽ 2. Ind. 9.

Lotharius rex Franciæ, cùm poſt parentem annis quatuor regnaſſet, moritur: ſuccedit ipſi frater Theodoricus, qui regnat annos quatuor Aimoin.

Annus Hegiræ 46. incipit die 23. Martii, fer. 6.

Conſtantinus Patriarcha Conſtantinopolitanus moritur, cùm annum & aliquot menſes ſediſſet: ſuccedit ipſi Theodorus homo verſutus & ſubdolus, qui monotheletarum errorem, quantum potuit, promovit. Niceph.

Hoc anno æræ Hiſpan. 704. celebratum eſt in Hiſpania concilium Emeritenſe, in quo inter alia ſtatutum

ANNO MUNDI 4616. Poſt C. 667.
C. ☉ 4. ☽ 3. Ind. 10.

Ildefonſus Archiepiſcopus Toletanus, ex quo *Alfonſi* nomen deducitur, moritur primo Febr. *Baron.*

Sapor *præfectus Armeniæ rebellat Imperatori Conſtanti, & legatos ad* Maviam *Saracenorum principem mittit, auxilia petitum, Conſtans Imper. eodem legatos mittit: ſed Saracenus favet Sapori & auxilia mittit. ſed Sapor hic brevi ſpatio temporis dedit rebellionis pœnas: cum enim equus in ipſis portis urbis exultaret & laſciviret caput affligit portæ, quâ plagâ defunctꝰ eſt.* Cedr.

Mavias *ſuum ſuum in Romaniam mittit, multosq; captivos abducit, potiturq; urbe Amatio in Phrygia, quã firmat quinq; millium præſidiõ, ſed Conſtans hanc urbem recepit in hyeme, trucidato omni præſidio.* Cedr.

ANNO MUNDI 4617. Poſt C. 668.
B. A. ☉ 5. ☽ 4. Ind. 11.

Annus Hegiræ 48. incipit die 19. Febr. fer. 1.

Annus Nabonaſſaris 1416. & Philippi 960. incipit 9. Martii, fer. 5.

Theodorus natione Cilix, homo ſexagenarius, ordinatur Archiepiſcopus Dorovernenſis in Anglia Romæ à Pontifice Vitaliano: inde circa menſem Junium per Gallias in Angliam proficiſcitur. Ebroinus tum Major domûs fuit in Gallia, qui Theodorũ hunc comitatus eſt per Arelatenſem ditionẽ, ubi Theodorus, quod non ſatis firma valetudine eſſet, hâc æſtate & hyeme ſubſtitit. *Beda.*

Annus Iezdegird. 37. incipit die 7. Iunii, feriâ 4. Armen. 117. die 10. Iun. fer. 7.

Alexand. 980. Antioch. 717. Conſt. 6177. Cal. Octob.

Conſtans *Imperator, finiente ferè undecimâ Indictione, Syracuſis, ubi hactenus fuerat, in Balneo ab Andrea Troili filio, ſitula graviter capiti ejus impactâ, trucidatur, anno imperii viceſimo ſeptimo. Exercitus vero, ne ſine Imperatore eſſent, eligunt Armeniũ quendam* Mizizium *Imperatorem tantùm, quòd formoſus eſſet, qui tamen paulo poſt a* Conſtantino *filio Conſtantis claſſe victus occiditur. Conſtantinus igitur ſumpto ſecum parentis cadavere Conſtantinopolin redit, ubi quòd imberbis Conſtantinopoli abiiſſet, & paulo poſt barbatus rediiſſet, Pogonatus dictus eſt. Imperavit annos 17.* Zonaras. *Cùm Conſtantinopoli eſſet, populus clamare cœpit, tres debere eſſe Imperatores: hoc clamore ita motus eſt, ut Tiberium & Heraclium fratres naſo mutilaret, ne unquam ad Imperium adſpirare auderent.* Cedr.

Saraceni bellum Africæ inferunt, & ad octoginta millia hominum captivos abducunt. Cedrenus.

Ferchardus Scotiæ rex, cum annos 18. regnaſſet, moritur: ſuccedit *Malduinus*, qui regnat annos viginti. Buchan.

ANNO MUNDI 4618. Poſt C. 669.
G. ☉ 6. ☽ 5. Ind. 12.

Annus urbis 1421. *Iulianus* 714.

Æra Hiſpanica 707. *Auguſtorum* 696.

Annus Hegiræ 49. incipit die 8. Febr. fer. 5.

Vitalianus Papa, cùm ſediſſet annos quatuordecim, & menſes quinque, moritur die 27. Januarii. Succedit *Adeodatus*, natione Romanus, & monachus, qui ſedet annos ſeptẽm, & menſes ſe è tres. *Anaſtaſ.* Onufrius contra ſentit, & Vitalianum adhuc tres annos ſediſſe affirmat, & mortuum anno 672. & ſequenti Pontifici Adeodato adimit tres ſeſſionis annos.

Theodorus die 27. Maji, feriâ primâ, venit in Angliam, & cum Archiepiſcopatum accepiſſet, viſitat Eccleſias in tota Anglia, & præſedit annis 21. menſibus tribus, diebus 26.

Olympias 362. incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1445.

Annus Diocletiani 386. incipit die 29. Aug.

Conſtantinus Imp. inchoat annum imperii ſecundum menſe Septembri.

Saraceni, cùm viderent tantos motus eſſe in Sicilia, ipſi etiam eam invadunt & Syracuſas obſeſſas tandem capiunt, tabulasque æreas, aut ſi quid æris inventum fuit, quod Conſtans ex tota Italia convexerat, Alexandriam avehunt. *Anaſt.*

Saraceni præterea, ut gens populoſa, omnes ferè provincias Romanas aſſiduè incendiis & direptionibus vaſtant. *Zonar.*

ANNO MUNDI 4619. Poſt C. 670.
F. ☉ 7. ☽ 6. Ind. 13.

Annus Hegiræ 5[illegible]. incipit die 28. Ian. fer. 3.

Hyems adeò vehemens & diuturna fuit hoc anno, ut & homines, & animalia plurima interficeret. Cedr.

Osvvinus *Northumbrorum in Anglia rex pientiſſimus, cum annos regnaſſet viginti octo, moritur die 15. Februarii. Succedit filius* Ectridus, *qui regnat annis quindecim.* Beda.

Annus ſabbathicus ſecundus Iobelei tredecimi, incipit die 21. Septembr. feria 7. Anno Iudaico 4431.

Ebroinus, *Major domûs regis Theodorici in Francia, ſuperbè ſe geriit erga omnes Status; ideo Theodoricus in odiũ venit, & tandem Theodoricus regno pellitur & in cœnobium redigitur, ut &* Ebroinus & Hildericus. *Auſtraſiorum rex Lutetias evocatur, & rex Franciæ generalis conſtituitur.* Aimoin & Sigeb. *regnat annos octo.*

ANNO MUNDI 4620. Poſt C. 671.
E. ☉ 8. ☽ 7. Ind. 14.

Annus Hegiræ 51. incipit die 18. Ianuarii, fer. 7.

Saraceni *vaſtant Lyciam & Ciliciam, præparantque ea, quæ neceſſaria futura erant ad oppugnandam Conſtantinopolin.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4620. Poſt C. 672.
D. C. ☉ 9. ☽ 7. Ind. 15.

Annus Hegiræ 52. incipit die 7. Ianuarii, fer. 5.

Annus Nabonaſſaris 1420. & Philippi 996. incipit die 8. Martij, fer. 2.

Saraceni ingenti claſſe Thraciam aggrediuntur, & Conſtantinopolin obſident totâ æſtate. Conſtantinus verò imperator, claſſe paratâ animoſe ſe eis opponit, pugnatq; cum iis ſæpiſſimè uſq; ad autumnũ: ibi Saraceni claſſẽ Cyzicũ abducunt, ibiq; hyemant, ſequenti vere Conſtantinopolin reverſuri. *Zonar.*

Annus Iezdegird. 41. incipit ſexto Iunii, fer. 1. Armen. 121. nono Iunii, feriâ quartâ. Alexand. 984. Antioch. 721. Conſtant. 6181. à Calend. Octobr.

Theodorus Archiepiſcopus in Anglia convocat Synodum, ineunte indictione prima anno tertio Egfridi Calend. Septembr. in qua inter alia conſtitutum fuit, ut Paſcha celebraretur à quindecima Luna uſque ad 21. Beda.

Receſuindus, *cùm annos poſt patrem regnaſſet duodecim, & menſes ſex, moritur, Æra Hiſp. 710. Calendis Septembris, fer. 4. horâ diei tertiâ, cyclo Lunæ octavo, Lunâ tertiâ, hoc eſt, cùm ante triduũ fuiſſet noviluniũ. Fuit id, ut tabulæ oſtendunt, die 28. Auguſti. Succedit* Bamba, *Regio Gothorum ſanguine ortus, vir pientiſſimus, eodem die, ſed inaugurationem differt poſt dies novendecim, in Lunam viceſimam primam, in diẽ 19.*

Septembr. & regnavit annos octo, menſem unum, die quatuordecim. Ildefon.

Annus Hegiræ 53. incipit die 27. Decembris, fer. 2.

ANNO MUNDI 4622. Poſt C. 673.

B. ☉ 10. ☽ 9. *Ind.* 1.

Annus urbis 1425 *Iulianus* 718.

Æra Hiſpanica 711. *Auguſtorum* 700.

Grimoaldus *metuens ſibi Francorum regibus apud quos* Pertharit *rex Longobardorum profugus exulabat, ne eum in regnum reſtituerant, multum ipſis indulget & amicitiam cum iis colit. Igitur* Pertharit *in Angliam tendit, in itinere ipſi affertur nuncium,* Grimoaldum *eſſe defunctum. Huic enim cùm poſt venæ ſectionem arcum tenderet, vena brachii rupta eſt, ad quam ſanandam dicitur, medicos venenum addidiſſe, cùm regnaſſet annos novem: Fuit vir maximè conſiliis & manu promtus.* Pertharit *ergo in Italiam reverſus regnum paternum 3. menſe poſt* Grimoaldi *obitum recepit, regnatq; annos ferè 18. fuit rex juſtitiæ tenax, & liberalis.* Diac.

Bamba *primo anno regni ſui cum Francis decertat & vincit.* Ildefon.

Ecbertus *Cantuariorum in Anglia rex, cùm annos 9. regnaſſet, moritur menſe Iulio; ſuccedit filius ipſius* Lotharius, *qui regnat annos* 12. Beda.

Olympias 363. incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1449.

Annus Diocletiani 390. incipit die 29. Aug.

Conſtantinus imperii annum ſextum incipit menſe Septembri.

Gennevvalkius, *rex* W*eſtſaxonum in Anglia, cùm annos triginta unũ regnaſſet, moritur. Succedit uxor* Sexburga, *quæ tantum anno uno regnavit.* Malmesb.

Cùm Saraceni *ad obſidionem Conſtantinopolis reverſi eſſent, Conſtantinus per duces ſuos eos claſſe vincit, & ad triginta eorum millia occidit.* Cedr.

Gallinicus *architectus, cùm ab Heliopoli Ægypti Conſtantinopolin fugiſſet, ignem marinum, quem* Græcum ignem *vocant, excogitavit, & claſſem Saracenorum ad Cyzicum hâc hyeme incendit.* Cedr.

Annus Hegiræ 54. incipit die 16. Decemb. fer. 6.

ANNO MUNDI 4623. Poſt C. 674.

A. ☉ 11. ☽ 10. Ind. 2.

Wulferus, *Merciorum in Angliæ rex, cùm annos ferè ſeptendecim regnaſſet, moritur: ſuccedit filius* Edelredus, *qui regnat annos ferè triginta.* Huntin.

Hildericus *Comes in Hiſpania revocat omnes Iudæos in regnum, & Galliam Gothicam illis adjuvantibus rebellem facit. Contra hunc* Bamba *rex Paulum hominem Græcum cum exercitu mittit, qui perfide cum exercitu ad hoſtes tranſit, & ſe regem ſalutari jubet, & ablato ex templis auro milites conducit.* Bamba *igitur ipſe contra hoſtes proficiſcitur, civitates recipit, & proditores vincit.* Vaſæus.

Sexburga *in regnum* W*eſtſaxonum annum ferè regnarat & moritur; ſuccedit filius* Eſcuinus, *qui etiam annum ferè regnat.* Huntin.

Annus Hegiræ 55. incipit die 6. Decembr. fer. 4.

ANNO MUNDI 4624. Poſt C. 675.

G. ☉ 12. ☽ 11. *Ind.* 3.

Bamba *Aſtures & Vaſcones domat, & ſub regnum revocat, & urbem Cartam inſtaurat & ampliat, eamque* Pampelonam, *quaſi Bambæ Lunam appellat.* Tudenſis.

Saraceni, *qui longè lateque regiones Chriſtianorum vaſtare his temporibus ſolebant, etiam in Hiſpaniæ litora deferuntur; ſed* Bamba *claſſe comparata, ducentas & ſeptuaginta Sacracenorum naves capit & igne cremat.* Vaſæus.

Concilium Toletanum iterum indictum die 7. Novembris, in quo multa quidem alia conſtituta ſunt, inprimis tamen tota Hiſpania in certos Archiepiſcopatus & Epiſcopatus, numero octoginta diſtributa eſt, & Metropolitanis quibusque ſui Epiſcopi ſuffraganei aſſignati ſunt, & fines eorundem diſtincti. *Vaſæus.*

Eſcvvinus *rex* W*eſtſaxonum in Anglia, cùm annum unum & aliquot menſes regnaſſet, moritur; ſuccedit frater* Kennevvinus, *qui regnat annos octo.* Hunt.

Annus Hegiræ 56. incipit die 25. Novembr. fer. 1.

ANNO MUNDI 4625. Poſt C. 676.

F.E. ☉ 13. ☽ 12. *Ind.* 4.

Annus Nabonaſſaris 1424. *& Philippi* 1000. *incipit 7. Martii, fer. 6.*

Annus Iezdegird. 45. incipit quinto Iunii, feriâ 5. Armen. 125. octavo Iun. fer. 1.

Papa Adeodatus, cùm ſediſſet annos ſeptem, & menſes ferè tres moritur die 26. Junii; ſuccedit ipſi *Donus*, qui ſedet annum unum, & menſes quinque, ſecundùm Baronium: ſed ſecundùm Onufrium, ſedet annos duos, & menſes quinque. Cùm hic Papa electus eſſet menſe Auguſto, apparuit *Cometa* in Oriente per menſes tres, cujus radii cœlum penetrabant; poſt evanuit. *Anaſtaſ.*

Annus Alexand. 988. Antioch. 725. & Conſtantinop. 6185. incipit à Calend. Octobr.

Mardaitæ *Libanum ingreſſi occupant ſpeculas Libani, easque ita muniunt, ut eſſent inexpugnabiles: ad hoſce transfugiunt ſervi, captivi & indigenæ Saracenorũ, & plurimis damnis Saracenos afficiunt, quâ re Saraceni adeò territi ſunt, ut legatos mitterent ad Cõſtantinum, anno ejus imperii nono, pacis petendæ gratiâ, quæ firmatur in triginta annos, Saracenis pendentibus quotannis decem millia pondo auri, centum ſervos, equos generoſos quinquaginta. Bulgari hâc pace territi, & ipſi pacem petunt, & obtinent.* Cedr.

Annus Hegiræ 57. incipit die 13. Novembr. fer. 5.

ANNO MUNDI 4626. Poſt C. 677.

D. ☉ 14. ☽ 13. *Ind.* 5.

Annus urbis 1429. *Iulianus* 722.

Æra Hiſpanica 715. *Auguſtorum* 704.

Edelredus *rex Merciorum, adducto exercitu Cantiam vaſtat, deſtructis urbibus & monaſteriis crudeliſſimè.* Beda.

Olympias 364. incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1453.

Annus Diocletiani 394. incipit die 29. Auguſti

Annus ſabbathicus quartus Iobelei 13. incipit die 3. Septembr. feria 5.

Conſtantinus Imperator inchoat annum imperii decimum in Septembri.

Epiſcopus Conſtantinopolitanus & Antiochenus Monotheletæ damnant pontifices Romanos, eorumq; nomina ex ſacris tabulis eradunt. *Concil.*

Annus Hegiræ 58. incipit die 3. Novembr. fer. 3.

ANNO MUNDI 4627. Poſt C. 678.

C. ☉ 15. ☽ 14. *Ind.* 6.

Donus vel Domnus vel Dunus Papa, cùm ſediſſet annum unum, & menſes quinque, moritur die

die 11. Aprilis; ſuccedit *Agathon* Panormitanus Siculus, qui ſedet annos quatuor, juxta Baronium, ſed Onufrius ipſi tribuit tantùm annos duos, menſes ſex.

Sudarium Chriſti hæc tempora inventum eſt, & Judæis, qui magnas ſibi divitias ex ejus benedictione cumulaverant, eripitur, per ignem probatur, & à Saracenis reſtituitur Chriſtianis: fuit longum pedes octo. *Beda.*

Bulgari *dicti à Volga vel Bulga fluvio, è Septentrionalibus locis Euxini Ponti in Thraciam effuſi, eam vaſtant, & Romanus exercitus obviã hoſtibus miſſus vincitur. Imperator igitur, qui jam Eccleſiaſtica curaturus erat negotia, & Concilium convocaturus, pacem ipſis offert, & pecuniam numerat.* Cedr.

Wilfridus Eboracenſis Epiſcopus, cùm in diſſenſione quadam ad Papam appellaſſet, Romam profecturus in Friſiam defertur, ubi apud regem Adgillum hybernat, & crebris concionibus multos ad fidem Chriſtianam convertit, ideò ſcribit in Angliam, ut Doctores quoſdam mitterent in Friſiam ſuo loco, ipſe vere primo Romam profectus, interfuit Concilio. *Annal. Friſ.*

Annus Hegiræ 59 incipit die 23. Octobr. fer. 7.

ANNO MUNDI 4628. Poſt C. 679.

B. ☉ 16. ☽ 15. *Ind.* 7.

Conſtantinus Imp. ſpem fecerat Pontifici Romano ſuperiori anno Concilii Oecumenici, quod diſceptaretur controverſia Monotheletarũ. Particularia igitur Concilia agitantur in Anglia, & Gallia, & Italia de iſta controverſia, & in ſingulis confeſſiones fidei conſcribuntur. *Beda & alii.*

Hildericus *rex Franciæ Bodilonem Francum verberibus ſerviliter cædi curaverat; is regem in venatione exceptum una cum prægnante uxore interficit, cùm annos octo regnaſſet: ideoque* Theodoricus *ex Cœnobio ad regnum revocatur, & Leudeſius Major domûs conſtituitur, regnatque annos* 14. Sigeb.

Eclipſis Solis circa indictionẽ octavam annotatur ab Hiſtoricis, quæ facta ſit die 3. Martii, horâ die decimâ, ſed nec novilunium circa hæc tempora in eum diem incidit, nec Luna propter latitudinem apta eſt ad eclipſin. Facta tamen eſt hoc anno eclipſis Solis horâ diei decimâ, ſed accidit die 13. Iulii ferià 4. horis quatuor poſt meridiem. Parallaxis latitudinis 31. 38 Latitudo vera 46. 17. Latitudo viſa ſeptent. 14 39. Semidiameter Solis 15. 4. Summa Semidiam. 29 59. Scrup. reſidua. 15 20. Digiti eclipt. 6. 6. Sol in 23. Cancri.

Adgillus Friſiorum rex, cum annis 49. regnaſſet, moritur: ſuccedit filius *Radbodus*, qui regnat annis 40. *Annales Friſ.*

Bulgari *trajecto Danubio in Bernis habitare inſtituunt: contra hos Imperator mittit exercitum, qui ferocior factus & incautior, quòd Bulgari ſe in immunitis locis continerent, ideò vincitur, & Imperator neceſſariam pacem accipit.* Cedr.

Annus Hegiræ 60. incipit die 12. Octobr. fer. 4.

Romualdus, *poſtquam ſedecim annis regnaſſet, & Tarentum & Brunduſium ſuæ ditioni adjunxiſſet, moritur: ſuccedit ipſi filius Grimoaldus, qui tribus annis Ducatum gubernat, & conjugem ducit Wigelindam, filiam regis Pertharit.* Diac.

ANNO MUNDI 4629. Poſt C. 680.

A.G. ☉ 16. ☽ 16. *Ind.* 8.

Mavia rex Saracenorũ moritur, cum annos 21. regnaſſet: ſuccedit filius Iezid, qui ſtatim ſe regno abdicat: ſuccedit Marvan, *qui regnat aliquot menſes, & moritur circa finem anni* Zacuthi.

Annus Nabonaſſaris 1428. *& Philippi* 1004. *incipit ſexto Martii, feria* 3.

Ebroinus quondam Major domûs in Franciâ ex cœnobio, in quod detruſus fuerat, elapſus, vires undique acquirit, theſauros regis Theodorici & Eccleſiarum diripit, Leudeſium Majorem domûs vincit, & trucidat, & Theodorico regi reconcialiatur, & in priſtinam dignitatem reſtituitur. *Aimoin.*

Bulgari invaleſcunt adeò, ut Imperator ipſis novum tributum præter conſuetum addere cogeretur. Sigeb.

Annus Iezdegird. 49. incipit 4. Iunii, feria 2. Armen 129. incipit die 7. Iunij, fer. 5.

Pertharit *Longobardorum rex, cùm annos ſeptem regnaſſet, filium ſuum* Cunibertum *regni conſortem facit, cum quo regnat ferè annos decem.* Diac.

Eclipſis Lunæ annotatur hoc anno & ab Anaſtaſio & Vrsbergenſe, quæ acciderit die 17. vel 18. Iunii. Accidit & die 18. Iunij, feriâ ſecundâ ineunte, horâ tantùm dimidia poſt mediam noctem. Latitudo Auſtralis vera 14. 37. Semidiam. Lunæ 16. 33. Summa ſemidiam. 60. 27. Scrup. reſidua 45. 50. Digiti eclipt. 16. 37. Sol in fine Geminorum.

Hanc ſecuta eſt peſtis tribus menſibus, Iulio, Auguſto & Septembri.

Annus Hegiræ 61. Alexandræus 992. Antioch. 729. & Conſtantinop. 6189. incipit Calend. Octobr. fer. 2.

Quidã Ardebaſtus ex Græcia ab Imperatore pulſus in Hiſpaniam venit: quem Chindaſuindus rex honorificè ſuſcepit eique conſobrinã ſuam uxorẽ dedit. Inde natus eſt Ervigius, *qui cum eſſet in ſummo honore, & comes, ad altiora nititur, & venenum* Bambæ *Hiſpaniarum regi in cibos indit, unde & memoria ejus extincta eſt, & adeò decubuit, ut animã exhalaturus videretur: Ideò Epiſcopus Sacramentum extremæ unctionis ipſi obtulit.* Cùm autem valetudinem recuperaſſet, & certior fieret de Sacramento ſibi oblato, planè ſe regno & mundo abdicavit, & in monaſterium ſeceſſit, *cùm regnaſſet annos octo, menſem unum, & dies quatuordecim. Factum die 14. Octobris, feriâ primâ, Lunâ 15. hoc eſt in plenilunio. Plenium autem fuit 13. Octobr. Sequenti die* Ervigius *rex factus eſt, qui coronatus eſt 21. Octobr. feriâ primâ, Lunâ vigeſimâ ſecundâ, & regnat annis octo.* Vaſæus.

Legati à Pontifice Romano Conſtantinopolin miſſi ad Concilium, quod indictum fuerat die 7. Novemb. appellunt die 18. Novemb. die Dominico. Invitantur inde ad proceſſionẽ die 22. Novembris, ubi conveniunt Epiſcopi numero 150. inde totâ hyeme diſceptatur. *Anaſtaſ.*

ANNO MUNDI 4630. Poſt C. 681.

F. ☉ 18. ☽ 17. *Ind.* 9.

Annus urbis 1433.	*Iulianus* 726.
Æra Hiſpanica 719.	*Auguſtorum* 708.

Cùm diſceptatum fuiſſet Conſtantinopoli totâ ferè hyeme in Concilio, convenerunt tandem Patres die 23. Febr. & autoritates Patrum lectæ ſunt de duabus in Chriſto voluntatibus, & exemplaria collata. Iterùm convenerunt die 17. Febr. & die 7. Martii, item aliquot diebus: continuatum eſt Concilium usque ad Septemb. & damnati ſunt monotheletæ, & alii. *Anaſtas.*

Olympias 365. incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1457.

Annus Diocletiani 398. incipit die 29. Auguſti.

Coſrhoes & Perſæ Jordane occupato Palæſtinam invadunt, & Hieroſolymam capiunt, ubi homines trucidant ad nonaginta millia. Tantam cædem autem patrarunt Judæi, qui à Perſis facultates Chriſtianorum emerant. Zacharias Patriarcha unà cum cruce Chriſti in Perſidem captivus abductus eſt. *Cedr.*

Heraclio *naſcitur filius* Conſtantinus. *Cedr.*

Campanulæ mentio fit in Burgundia, cùm in Oriente adhuc conſuetudo eſſet pulſandi ligna, ad convocandum populum. Baron.

ANNO MUNDI 4565. Poſt C. 616.
D.C. ☉ 9. ☽ 9. Ind.4.

Edelbertus *rex Cantuariorum, cùm regnaſſet annos quinquaginta ſex, moritur die 24. Februarii. Succedit filius* Edwaldus, *qui reſilit a Chriſtiana religione, ſuaſu quorundam. & Epiſcopos ex Anglia pellit, quos tamen ſequenti anno revocat. Regnat autem annos viginti quatuor.* Beda.

Annus Nabonaſſaris 1364. & Philippi 940. incipit 22. Martii, feria 2.

Judæi ex Hiſpania in Gallias perfugiunt odio religionis Chriſtianæ, quam recipere nolebant. Sed in Gallia eandem ſortem adipiſcuntur, ut vel fiant Chriſtiani, vel facultates amittant. Cauſa, cur Judæi ad religionem Chriſtianam coacti ſunt, videtur fuiſſe, quòd prædictum eſſet, religionem Chriſtianam à circumciſis everſum iri, quod creditum fuit de Judæis, cùm Saraceni id poſtea tentarint. *Vaſæus.*

Theodoricus *liberos Theodoberti ad Brunichildin mittit, quos omnes occidit; ſed Theodoricus filiam Theodoberti pulcherrimam virginem ſibi retinuit, ducturus eam uxorem, cùm Theodobertum non crederet ſuum fratrem fuiſſe. Id vero impedit Brunichildis; hinc diſſidium ortum, & Brunichildis nepoti Theodorico ex balneis egredienti venenum offert, quo perit anno regni decimo ſeptimo; atque ita hæc familia, quæ ad quinquageſimum primum annum regnaverat, extincta eſt: ſuccedit patruelis* Clotarius, *qui integrâ monarchiâ Franciæ potitur anno ætatis trigeſimo.* Aimoin.

Annus Armen. 65. incipit die 23 Junii, fer. 4.

Annus Alexandr. 928. Antioch. 665. Conſtant. 6125. incipit à Calend. Octobr.

Agilulphus, *rex Longobardorum, cùm annos 25. regnaſſet, moritur; ſuccedit* Adelwaldus *filius, cum matre Theudelinda, annis decem.* Diac.

Perſæ *univerſam Ægyptum, Alexandriam, Lybiam, Africam, & alia omnia ad Æthiopiam uſque occupant, & plurimâ prædâ captâ domum revertuntur: relinquunt tamen, qui Carthaginem obſideant.* Cedr.

Edelfridus *rex Northumbriæ in Anglia cadit in prælio, cùm annos 21. regnaſſet; ſuccedit ipſi filius* Edwinus, *pacis amantiſſimus, per annos ſeptendecim.* Beda.

ANNO MUNDI 4566. Poſt C. 617.
B. ☉ 10. ☽ 10. Ind. 5.

Annus urbis 1369. *Julianus 662.*
Æra Hiſpan. 655. *Auguſtorum 644.*

Perſæ *per Ægyptum iterum in Africam irruunt, & tandem Carthaginem expugnant.* Cedr.

Cùm Childerici *filius nothus parentis regnum ſibi recuperare conaretur, Clotharius ipſi bellum infert, eum vincit, & capit, cum quatuor liberis Childerici nothis, & avia eorundem Brunichilde: & liberos quidem occidit, Brunichildem verò ex decreto procerum regni, quòd decem reges Franciæ occidiſſet, crinibus & manibus caudæ ferocioris equi alligavit, & incitato ad curſum equo raptari ad mortem uſque juſſit.* Walaf. Strab.

Olympias 349. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1393.

Heraclius *incipit annum imperii octavum menſe Julio.*

Annus Diocletiani 334. incipit die 29. Auguſti.

Siſebutus *rex Gothorum in Hiſpania contra Romanos fortiter agit, Provinciam etiam aliaſque civitates à Francis extortas, ad Wiſigothorum jus revocat.* Sigeb.

Deusdedit Papa, cùm annos tres ſediſſet, moritur die 8. Novembr. ſuccedit ipſi *Bonifacius* quintus, die 14. Decembris, qui ſedit annis ferè octo. *Baronius.* Onufrius hæc in præcedentem annum collocat, adeo *certi ſunt Pontificii ſuarum hiſtoriarum.*

Eodem tempore, priusquam Bonifacius ordinaretur, Eleutherius *Exarchus, cum videret Imperatorem, & à Perſis, & Avaribus & Hiſpanis oppugnari, nec cuiquam reſiſtere poſſe, & ipſe arripit imperium; qui cum Romam properaret, ut eam præſidiis muniret, interficitur a militibus, & caput ejus mittitur Conſtantinopolin.* Anaſtaſius.

ANNO MUNDI 4567. Poſt C. 618.
A. ☉ 11. ☽ 11. Ind.6.

Heraclius *abhorrens à bello iterum legatos mittit de pace ad Coſrhoem, qui admonerent eum, quantum deberet Romano Imperio, & ut tandem faceret modum ſuæ felicitatis, & pacem concederet: ſed repelluntur Legati, cùm reſponderet Coſrhoes: ſe* non pacem amplexurum, niſi Heraclius cum omnibus ſubditis, relicto Deo in crucem acto, ſecum Solem adoraret. *Cedr.*

Heraclius ſancit, ne quis Clericus recipiatur in chorum, niſi in defuncti alicujus locum: cùm enim omnes promiſcuè reciperentur, Eccleſiaſtica bona non ſufficiebant tot hominibus alendis. *Baron.*

ANNO MUNDI 4568. Poſt C. 619.
G. ☉ 12. ☽ 12. Ind. 7.

Chaganus Imperatori etiam Romano bellum infert, ad Thraciam vaſtandam exercitum educit. *Heraclius*, qui nec Perſis reſiſtere poterat, & hic legatos de pace mittit, quæ fraudulenter promittitur, hâc tamen conditione, ſi Imperator, ne quid in ſe deſiderari pateretur, hoſti obviam proficiſcitur, ſed ferè inſidiis Chagani interceptus fuiſſet, niſi properè ad urbem refugiſſet: omnis imperatoria ſupellex hoc modo amiſſa fuit. *Miſcell.*

Cùm anni ſpatio & amplius, Exarchus non fuiſſet, Heraclius novum Exarchum mittit Iſaacium *Patricium, qui octavus eſt gubernandæ Italiæ Exarchus; præfuit annis ferè* 25. Diac.

Siſebutus Hiſpaniarum rex, anno regni nono celebrat Synodum Hiſpalenſem, in qua ſeverè interdictum fuit monachis, ne converſarentur cum monialibus, niſi præſentes eſſent tres aliæ perſonæ: & paulò poſt moritur, cùm regnaſſet annos octo. & menſes ſex; ſuccedit ipſi filius Reccaredus, ſed qui tantùm ſex menſibus regnum obtinuit. *Iſid.*

ANNO

ANNO MUNDI 4569. Poſt C. 620.
F.E. ☉ 13. ☽ 13. Ind. 8.

Annus Nabonaſſaris 1368. & Philippi 944. incipit 21. Martii, fer. 6.

Perſæ *iterum Aſiam minorem vaſtant, Ancyram Galatiæ urbem expugnant, & ad Chalcedonem usque omnia infeſta habent.* Cedr.

Annus Armen. 69. incipit 22. Junii, fer. 1. Annus Alex. 932. Antiochen. 669. & Conſtant. 6129. incipit à Calend. Octobr.

Clotarius rex Franciæ *Pipinum Landeſium* Carolomanni filium, primum Ducem *Brabantiæ* creat. *Annal. Friſ.*

Heraclius, *cùm Perſas verbis placare non poſſet, ne toto imperio pelleretur; conſilia belli tractare incipit, & milites colligit.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4570. Poſt C. 621.
D. ☉ 14. ☽ 14. Ind. 9.

Annus urbis. 3173. *Julianus 666.*
Æra Hiſpan. 659. *Auguſtorum 648.*

Heraclius bellum contra Perſas moliens, primùm omnium firmam pacem cum Chagano facit, nec parcit ſumptibus, cogitq; milites Avares, Hunnos, & alios Europæus; eosque ad bellum exercet. Cùm verò deſtitueretur pecuniâ, theſauros Eccleſiarum, cùm pro Eccleſiis bellum hoc gereretur, mutuo ſumit, & inſuper vaſa aurea & argentea ex templis accepta ad monetam cudendam uſurpat. *Miſcell.*

Olympias 350. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1397.

Heraclius *incipit annum imperii duodecimum menſe Julio.*

Annus Diocletiani 338. incipit die 29. Auguſti.

Defuncto ante biennium Siſebutho & ejus filiolo Reccaredo, ſuccedit *Suintilla*, vir bellicoſus, qui Imperatoris, quam adhuc habebat, provinciam totam occupavit, & ſolus primus omnem Hiſpaniam obtinuit: regnavit autem annis decem, & aliquot menſes. *Iſidor.*

Annus ſabbathicus 2. Jobelei 12. incipit 22. Septembr. fer. 3. Anno Judaico 4382.

Johannes Eleemoſynarius, Epiſcopus Alexandrinus, moritur, cùm tenderet ad Imperatorem in Cypro. *Leontius.*

ANNO MUNDI 4571. Poſt C. 622.
C. ☉ 15. ☽ 15. Ind. 10.

Heraclius anno Imperii duodecimo, indictione decima, cùm Paſcha celebraſſet die 4. Aprilis, ſequenti die, feriâ ſecundâ, veſperi eduxit Conſtantinopoli exercitum contra Perſas, *ita habent hiſtoria Miſcella:* idem affirmat *Cedrenus*. Jam annos duodecimus Heraclii cœpit menſe Julio ſuperioris anni, & Paſcha hoc anno celebratum eſt die 4. Aprilis, curritq; Indictio duodecima. Ergò Perſicum bellum cœpit hoc anno. *Baronius* tamen, relictis hiſce demonſtrationibus, ſuum ſecutus conſilium, id in ſuperiorem annum conjicit. Porrò Heraclius filium urbi præſidio relinquit, ipſiq; tutorem conſtituit *Chaganum*, cum quo firmam amicitiam pepigerat. *Cedr.*

Saes *Dux à Coſrhoe mittitur, qui univerſam Aſiam vaſtat; is pervenit Chalcedonem usque, & cum Heraclio de pace agit, à qua Heraclius non averſus, mittit legatos ad eum ſeptuaginta, qui perfidiâ pluſquam Punicâ in vincula conjiciuntur, & ad Coſrhoem mittuntur, qui iratus quòd Saes non ſimul Heraclium cepiſſet, eum revocat, & vivo cutem detrahit, aliumque mittit ducem* Sarbarum *nomine* Cedr.

Anaſtaſius Dux præterea à Coſrhoe mittitur, qui Sarbaro adſit; ſed hic magno Heraclii bono, relictâ ſuperſtitione gentili, à Perſis ad Chriſtianos transfugit, & ſacris Chriſtianis initiatur, & poſt aliquot annos in Perſiam abductus, martyrio coronatur. *Baronius.*

Mahumed *Pſeudopropheta hoc anno metu inimicorum ſuorum ex urbe Mecha cogitur profugere, & ab hac fuga ordiuntur ſuam æram ſive annos Mahumedam, qui ſunt anni merè lunares duodecim menſium, quorum impares habent dies triginta, ut primus, tertius, quintus, &c. pares verò, ut ſecundus, quartus, &c. habent tantùm dies viginti novem: Incipit autem, ut dixi,* hæc æra Arabum, *ſive anni* Hegiræ *die 15. Julii veſperi accidente Sole, Judæorum more, quando inchoatur feriâ ſextâ, Novilunium Judaicum fuit die 14. Julii, feriâ quartâ, horis ſeptem, & ſcrupulis 112. poſt Solis occaſum.* Saraceni *autem, qui menſem non, niſi quando Luna tenuiter Corniculata poſt Novilunium apparet, inchoant, ſumunt feriam ſextam cum horis ſeptem & ſcrupulis 112. ſive feriam ſextam cum novem trigeſimis unius diei. Et hæc eſt radix annorum Hegiræ, quam qui non obſervat, nunquam rectè rationem intercalationis unius diei in annis Hegiræ inibit; de qua re in Iſagoge.*

Eugenius *Scotorum rex, cùm annis 17. regnaſſet, moritur; ſuccedit* Fercharus, *qui regnat annis 14.* Buchan.

Heraclius, *aſſumptis copiis Turcorum, in itinere plures copias contrahit, easque ad pugnam exercet, & relictis Perſarum ducibus rectà in Perſiam proficiſcitur, ubi primùm Perſarum equitatum vincit, inde copias in Perſide in hyberna collocat, ibique in hyeme aliquot prœliis Perſicum exercitum atterit, & tandem vincit, & mediâ hyeme ipſe relicto exercitu Conſtantinopolin redit.* Cedr.

ANNO MUNDI 4572. Poſt C. 623.
B ☉ 16. ☽ 16. Ind. 11.

Heraclius ad exercitum reverſus, iterùm ſcribit ad Coſrhoem, ut pacem amplectatur, & ſeptuaginta ſuos legatos reſtituat, ſed nihil reſponſi accipit; Ideò die 20. Aprilis in Perſiam movet. Coſrhoes interim Sarnabarum Ducem in Aſiam minorem miſerat, quem revocat, cùm bellum adeò propè eſſet. Sed Heraclius nihil territus, urbes Perſidis vaſtat, regias aliquot ſedes Coſrhois cremat, & multa millia captivorum ſecum trahit; qui cùm ſibi oneri eſſent, quinquaginta eorum millia in libertatem reſtituit, & exercitum in hyberna diſtribuit. *Cedr.*

Annus Hegiræ 2. incipit 5. Julii, fer. 3.

Edvvinus rex Northumbriæ in Anglia, ducit Edelburgam filiam *Eadvvaldi* regis Cantiæ; hæc in vera religione inſtituta erat, ideò marito etiam perſuadet, ut & ipſe religionem Chriſtianam ſequatur. *Beda.*

Clotarius filio ſuo Dagoberto præceptorem dederat, qui cùm Clotario operam rectè probaret, Ducatum quendam in Aquitania accipit; ob id inſolentior factus, Dagoberto æquari voluit. Sed Dagobertus æmuli hujus impatiens, cùm ut par ſibi aſſediſſet, eum virgis cædi jubet; ob id pater iratus filio eum perſequitur, tandem intercedentibus aliis filium ipſe audivit, qui ſuam cauſam ita egit, ut aptus videretur regno. *Robertus.*

ANNO MUNDI 4573. Poſt C. 624.
A.G.☉17.☽17.Ind.12.

Annus Nabonaſſaris 1372.& Philippi 948.incipit 20. Martii.feria 3.

Heraclius *primo vere ex Albania in Perſiam moturus, in anguſtiis obſidetur à duce* Sarablaca, *qui bellum videbatur conficere poſſe, ſi Sarbarus alter Dux Perſarum cum exercitu acceſſiſſet. Sed Heraclius prælium urget priuſquam alter adveniret, & vincit.* Miſcell.

Annus Armen.73. incipit 21. Junii,fer.5. Annus Hegiræ tertius 24. Junii,fer.1.

Alexandr. 936. Antiochen. 673. Conſtantinop. 6133. Calend.Octobr.

Coſrhois *duces cùm conveniſſent, iterùm pugnant, ſed & tum vincuntur. Advenit pòſt tertius Dux* Sain, *quo recreati inſequuntur Heraclium, cujus auxiliares Lazii & alii timore perculſi; Imperatorem deſerunt. Imperator cautè & timidè progreditur, redditque Perſas ſecuros. Inde noctu cum equitatu regreſſus, incautos hoſtes in caſtris invadit, & plurimos occidit, & inſigni præda potitur, hyematque in Armenia.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4574. Poſt C. 625.
F.☉18. ☽18. Ind.13.

Annus urbis 1377. Julianus 670.
Æra Hiſpan. 663. Auguſtorum 652.

Heraclius *per Taurum montem exercitum primo vere ad Martyropolin & Amidam deducit, ibique eum reficit. Inde Euphratem tranſit menſe Martio, & tandem Samoſatam occupat, ubi per totam æſtatem Perſas variis præliis exercet, & tandem exercitum in hyberna diſtribuit.* Miſcell. & Cedr.

Annus Hegiræ 4. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1401.

Heraclius *incipit imperii annum decimum ſextum menſe Julio.*

Annus Diocletiani 342. incipit die 29. Auguſti.

Clotarius *filio ſuo* Dagoberto *dat partem regni regendam, quæ Auſtraſia dicta fuit, magnam partem Germaniæ complectens.* Pipinum *etiam Ducem Brabantiæ, aulæ præfectum facit perpetuum, qui primus* Major Domus *appellatus eſt, & aulæ, imò totius regni curam geſſit; ipſe verò Clotarius otio ſe dedit.* Annal. Friſ.

Bonifacius Papa, cùm ſediſſet annos 7. menſes 10. diem unum, moritur, ut habet *Baronius*. Sed *Onufrius* hujus obitum ponit in annum 622. ante triennium, & ſtatim ipſi die 7. Novembr. Honorium ſuggerit. Baronius contrà ſeptem ferè menſes interregni ponit, & ſequenti anno tandem in Majo Honorium ad Pontificatum admittit.

ANNO MUNDI 4575. Poſt C. 626.
E.☉19.☽19. Ind.14.

Coſrhoes *legatos hâc hyeme mittit ad Hunnos, Avares & Sclavos cum multis muneribus, eoſque invitat, ut ſecum Heraclio bellum inferre velint, & Conſtantinopolin expugnare: quo cognito* Heraclius *exercitum ſuum tripliciter dividit, tertiam partem Conſtantinopolin, ut ubi præſidio eſſet, mittit, partem Theodoro fratri tradit, & ut contra* Sainum *ducem bellum gerat.* Theodorus *primus ad hoſtem venit, & Sainum prælio vincit.* Sain *ſibi à Coſrhoe metuens mœrore animi moritur, quem ſalitum ad ſe deferri juſſit Coſrhoes, & multis verberibus multatum in fruſta diſcerpi jubet.* Heraclius *ipſe in Lazios profectus, Turcos evocat, qui ruptis Caſpiis portis in Perſiam irruunt; eorum quadraginta millia Heraclius conducit, & ſuo exercitui jungit, & Perſiam longè latéque vaſtat.* Sarbaras *tertius Perſarum dux Chalcedonem properat, eamque obſidet, &* Avares, *quos exciverat, in oppugnatione urbis Conſtantinopolis adjuvat, quæ continuata fuit decem diebus, irrito conatu. Ideò* Avares *diſcedunt, ibi obſidionem Chalcedonis continuat, & hyberna ibi ædificat.* Miſcell.

Honorius Campanus, patre Petronio Conſulari natus, creatur Papa, die 13. Maji, ſedet annos 12. menſes 5. Hic regulis æreis obtegit templum D. Petri, quas ſumpſit de templo Romuli, conſentiente Heraclio Imp. *Anaſtaſ.*

Annus Hegiræ 5. incipit 2. Junii, fer.2.

Adelvvaldus Longobardorum rex, cum matre ſua Theudelinda à Longobardis regno ejicitur; ſuccedit ipſi *Arioaldus* Arianus religione, aliàs vir fortis & beneficus. *Diac.*

Eanfleda, filia *Edvvini* regis Northumbrorum in Anglia, Chriſtianam religionem ſuſcipit, & baptiſatur in Pentecoſte. *Beda.*

Penda *rex Merciorum, in Anglia, vir fortis & bellicoſus, incipit, regnatque annis* 30. Malmesb.

ANNO MUNDI 4576. Poſt C. 627.
D.☉20. ☽1. Ind. 15.

Edvvinus rex Northumbrorum in Anglia, prædicante Paulino, religionem Chriſtianam ſuſcipit anno regni undecimo, adventus Anglorum in Britanniam plus minus 180. & baptiſatur in feſto Paſchatis, die 12. Aprilis: Paulinus ipſe Epiſcopus factus eſt. *Beda.*

Annus Hegiræ 6. incipit 23. Maji, fer.6.

Anaſtaſius, qui ante annos ſex miſſus fuerat à Coſrhoe ad vaſtandam Aſiam minorem, & obſidendam Chalcedonem, & relicta militia Chriſtianam religionem didicerat, capitur, & ad Coſrhoen deducitur; ubi martyrium ſubit. *Baron.*

Heraclius menſe Septembr. iterum Perſiam ingreditur cum Turcis, & Coſrhoem in anguſtias redigit, ſed cùm laceſſeretur à Perſis quotidiè, & tempus hybernum ingrueret, Turcæ relicto Imperatore abeunt; & nihilominùs Heraclius pergit, & Calendis Decembr. ad fluvium Zaban, propè Ninivem caſtra metatur, & die 12. Decembris, acerrimo prælio cum Perſis congreditur, eoſque vincit, duce præſtantiſſimo cæſo, & arces ac regias Coſrhois capit, deſtruit & incendit. Interim Coſrhoes, cùm iis in locis nihil firmum videret, ſumptis ſuis theſauris, & ſpoliatis arcibus, *Cteſiphontem* properat, quam tamen non ingreditur, quòd prædictum ipſi eſſet ingens periculum in ea urbe: Ideò Seleuciam abit. Heraclius verò in palatiis Coſrhois manet, & *natalia Chriſti, ac feſtum luminum* ibi celebrat, & ſeptimo Januarii ex eo loco diſcedit. *Miſcell.*

ANNO MUNDI 4677. Poſt C. 628.
C.B. ☉21. ☽2. Ind.1.

Novo anno ineunte, Heraclius Coſrhoem ex omnibus ſuis palatiis fugat, eaque deſtruit. Coſrhoes contrà, quòd *Sarboras* dux, qui in Aſia contra Heraclium bellum gerere debebat, nihil moveret, literas mittit ad alium ducem, cui mandat, ut Sarboram occidat, & exercitum in Perſiam reducat; ſed ea

ſed ex literæ deferuntur Conſtantinopolin, ubi ab Heraclio juniore ad Sarboram mittuntur, qui cognito tanto periculo, exercitui, perſuadet, ut à Coſrhoe deficiat, & ipſi Imperium abroget. *Cedr.*

Annus Nabonaſſaris 1376. *& Philippi* 952. *incipit die* 19. *Martii, fer.* 7.

Coſrhoes *Seleucia, cùm nihil procederet, in dyſenteriam incidit; metuens igitur vitæ ſuæ, minorem filium ſuum regem creare conatur, ſed major filius* Siroes *collectis militibus advenit, parentem Coſrhoem cum fratre capit, ferreis compedibus eum alligat, & magnis ponderibus circa collum gravatum in tenebricoſum locum, ubi theſauros deponere Coſrhoes volebat, detrudit, pauco alimento ſubminiſtrato. Inde poſt quindecimum diem, jam fame maceratum, educit, & cum omnium ſuorum liberorum necem adſpexiſſet, trucidat, cùm annos regnaſſet triginta quinque.*

Siroes *hæc ad* Heraclium *enunciat, pacem cum eo facit, captivos, prædam, Sanctam crucem, & alia, quæ comparaverat, reddit. Heraclius hiſce acceptis cum prædâ omni, quam ceperat, item cum trecentis bellicis ſignis olim amiſſis, bello ſex annorum ſpatio confecto, Armeniam & alias provincias conſtituit.* Cedr. *Regnat Siroes ferè annum.*

Annus Hegiræ 7. *incipit* 11. *Maji, fer.* 4. *Armen.* 77. *die* 20. *Junii, fer.* 2.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei 12. *incipit die* 5. *Septembris, feria* 2. *Eſt annus Jud.* 4389.

Alexandr. 940. *Antioch.* 667. *Conſtant.* 6137. *Calend. Octobr.*

Heraclius *conſtitutis provinciis Conſtantinopolin properat, & ſplendido triumpho urbem ingreditur, in manibus pro victrice lauro Chriſti crucem geſtans.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4578. Poſt C. 629.
A. ☉ 22. ☽ 3. Ind. 2.

Annus urbis 1381. *Julianus* 674.
Æra Hiſpanica 667. *Auguſtorum* 656.

Siroes *Perſarum rex, cùm ferè anno uno regnaſſet, moritur primo vere; ſuccedit ipſi filius* Adhelir, *qui regnat tantum menſes ſeptem, occiſus à* Sarbara *duce militiæ, qui bimeſtri ſpatio præeſt, occiſus circa menſem Octobr. ſuccedit ipſi* Barone *Coſrhois filia, quæ regnat menſes ſeptem.* Miſcell.

Heraclius primo vere Conſtantinopoli profectus Hieroſolymam venit, ſpoliaque, quæ inde ablata fuerant, reportat unà cum Zacharia Patriarcha, & Judæos urbe pellit. Inde Edeſſam & Hieropolin profectus ubique conſtituit Eccleſias. *Feſtum exaltationis crucis* etiam hoc anno inſtitutum die 14. Septembr.

Annus Hegiræ 8. *incipit die* 30. *April. fer.* 1.

Olympias 352. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1405.

Heraclius *Imperator incipit annum imperii viceſimum menſe Julio.*

Annus Diocletiani 346. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Heraclius, dum Edeſſæ verſatur, in colloquium deſcendit cum Athanaſio Syro, qui erat vir eloquens; qui cùm promitteret ſe Synodum Chalcedonenſem recepturum, conſtituitur Patriarcha Antiochenus. Inde quæſtionem movet: *An una, vel duæ voluntates in Chriſto Deo & homine dicendæ eſſent.* Imperator, cui hæc nova videbantur, conſulit Syrum Alexandriæ Epiſcopum, & Sergium Conſtantinopolitanum, quos cùm videret conſentientes de una voluntate, ipſe etiam hanc ſententiam amplectitur, & Eccleſia Orientis iterum miſerè turbata eſt errore *Monothelitarum.* Cedr.

ANNO MUNDI 4579. Poſt C. 630.
G. ☉ 23. ☽ 4. Ind. 3.

Hormiſda *Jezdegird ſuccedit circa finem Martii in regno Perſico, cùm Borane amita menſe ſeptimo regni defuncta eſſet: ipſe obtinet regnum duobus annis, & tribus ferè menſibus, caſus à Saracenis.* Miſcell.

Annus Hegiræ 9. *incipit die* 20. *Aprilis, fer.* 6.

Weſtphali & Friſii *tumultuantur contra Francos, quibus Dagobertus obviam proficiſcitur trans Rhenum; ſed malè accipitur, tanto ictu exceptus, ut per caſſidem in capite periculosè vulneraretur. Mittit igitur ad patrè Clotarium, qui auxilio advenit filio, & ad* Ingelheimum *acerrimo prælio cum hoſtibus pugnat, & Beroaldum regem Friſiæ obtruncat, adeoq; atrociter perſecutus eſt victoriam, ut triduum totum ex hoſtibus, quicunque menſuram gladii ſui ſtaturâ excederent, trucidaret. Regnaverat autem* Beroaldus *annis ſexaginta, cui ſuccedit* Adgillus, *beneficio Clotarii, cui tamen de regno multa ademit, eumque tributarium fecit. Regnavit Adgillus annis* 49. Annal. Friſ.

Cantabrigienſis Academia in Anglia à Sigisberto, Orientalium Saxonum rege, inſtituta. *Polyd.*

ANNO MUNDI 4580. Poſt C. 631.
F. ☉ 24. ☽ 5. Ind. 4.

Annus Hegiræ 10. *incipit die* 9. *Aprilis, fer.* 3.

Suinthilla *rex Gothorum in Hiſpania, cùm in odium veniſſet, à* Siſenando, *qui auxilia Dagoberti ſecum habebat, regno dejicitur, circa initium Maji, cùm regnaſſet annis undecim, & totam Hiſpaniam ſibi ſubjeciſſet. Regnat Siſenandus, annis quatuor, menſibus undecim, diebus* 16. Ildefon.

Muhamed, *qui poſtquam fugatus erat ex urbe Mecha in Arabia, milites collegerat, urbes quaſdam occuparat, & in nonum annum & imperium & doctrinam ſuam propagarat, moritur, cùm vixiſſet annos Hegiræ ſexaginta tres, anno Hegiræ decimo, die duodecimo Rabie menſis, fer.* 2. *Eſt nobis dies* 17. *Junii.*

Clotarius, *cùm vixiſſet & regnaſſet annos* 45. *ferè, moritur, relictis duobus filiis* Dagoberto & Ariberto. *Dagobertus Auſtraſiam cum Neuſtria & Burgundia ſibi retinet, & regnat annis* 14. *Ariberto verò relinquit Aquitaniam, & quidquid inter Ligerim & Pyrenæos montes interjacet, qui elegit ſibi Tholoſam ſedem regni: obtinuit autem regnum annis ferè octo.* Aimoin.

ANNO MUNDI 4581. Poſt C. 632.
E. D. ☉ 25. ☽ 6. Ind. 5.

Annus Nabonaſſaris 1380. *& Philippo* 956. *incipit* 28. *Martii, fer.* 4.

Annus Hegiræ 11. *incipit die* 28. *Martii, fer.* 7.

Edwinus *rex Northumbrorum in Anglia, cùm regnaſſet annis ſeptendecim, à Britonibus ſeditioſis, qui Pendam regem Merciorum in auxilium evocaverant, in prælio occiditur, cum magna clade exercitus. Succedunt ipſi Eanfridus & Oſrichius, qui regnum dividunt, & hac ratione imbecilliores facti ſequenti anno à Carduellâ Britonum duce interficiuntur.* Beda lib. 2.

Saraceni *inferunt bellum Perſis, & regem Jezdegirdum, filiũ Sirois, filii Coſrhois, ad oppidũ* Merga *vincunt & occidunt. Dux Saracenorũ fuit Othman, qui*

poſtea videtur ad regnum vectus. Inde regnum Perſarum occupat, cujus memoriæ ergo Æram inſtituerunt, quam Jezdegirdicam appellarunt à rege caſo, & adhuc eâ hodie utuntur. Incipit hoc anno die 16. Junii, feriâ tertiâ, cùm effluxiſſent ex Æra Nabonaſſarea anni 1379. & menſes tres. Ex principio autem annorum Hegiræ ſive Arabum dies ter mille ſexcenti & viginti tres.

Annus Armen. 81. incipit die 19. Junii, fer. 6.

Annus Alexandr. 944. Antiochen. 681. Conſtant. 6141. à Calend. Octobr.

Abubecher, *Dux Saracenus ſive Calipha, qui propinquitate Muhamedem attingebat, incipit hoc anno Hegiræ, regnatque biennium.* Zacuth.

Dagobertus rex Galliæ, repudiatâ uxore ſterili, ducit Monialem & *Amandum* Epiſcopum hæc reprehendentem regno ejicit; qui pergens primùm in Vaſconiam, inde in Belgium abit, & Gandavi gentiles in Chriſtiana religione cum magno periculo imbuit. *Baron.*

Atichis Dux Beneventanus ſenio confectus, cùm quinquaginta annis Ducatui præfuiſſet, moritur; ſuccedit filius *Aio*, qui regnat annum unum, menſes quinque. *Diac.*

ANNO MUNDI 4582. Poſt C. 633.
C. ☉ 26. ☽ 7. Ind. 6.

Annus urbis 1385. *Julianus* 678.
Æra Hiſpan. 671. *Auguſtorum* 660.
Annus Hegiræ 12. *incipit die* 18. *Martii feriá* 5.

Interfecto *Eanfrido* & fratre, cùm annum præfuiſſet, ſuccedit tamen *Oſwaldus* in regno Northumbriæ, qui cum Carduella Britonum duce pugnans, ejus exercitum vicit, & ipſum in prælio occidit, atque ita pacatis rebus tranquillè regno præeſt; & cùm in exilio in Scotia Scotorum linguam didiciſſet Epiſcopos ex Scotia evocavit, qui ſubditis religionem Chriſtianam annunciarent. Cùm verò ii Anglorum linguam non noſſent, ipſe, quod populo in Scotorum lingua propoſuerant, Anglorum lingua interpretatur. *Beda lib.* 3.

Anno tertio Siſenandi celebratum fuit Concilium Toletanum quartum, cui præſedit *Iſidorus* Hiſpalenſis, ubi concluſum, Judæos ad Chriſtianiſmum non cogendos, ſed nec ad publica officia admittendos. *Vaſæus.*

Olympias 353. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1409.

Heraclius *incipit in Iulio annum imperii* 24.

Annus Diocletiani 350. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Saraceni *regionem quandam circa Gazam occupant, & exercitum Heraclii vincunt.* Miſcell.

Ajo Dux Beneventanus vaſtatur à Sclavis, qui claſſe advenientes maritima deprædabantur; quos cohibere Ajo conatus, in foveam à Sclavis factam ex inſidiis præcipitatus trucidatur, cùm annum unum, & quinque menſes regnaſſet. Succedit *Radoaldus* Dux, qui Ajonis mortem ultus, Sclavos vincit, & finibus pellit; præfuit autem Ducatui annis quinque. *Diac.*

ANNO MUNDI 4583. Poſt C. 634.
B. ☉ 27. ☾ 8. Ind. 7.

Annus Hegiræ 13. *incipit die* 7. *Martii, fer.* 2.

Abubecher, cùm binos annos ferè regnaſſet, moritur; ſuccedit *Omar*, quem alii Haumar vocant, qui regnat annos 10. Hic ſtatim Arabiam occupat, & *Boſra* civitatem capit; vincit poſtea Theodorum Heraclii fratrem, inde pergit *Damaſcum* ubi magna præſidia erant Imperatoris, quæ tamen ſtatim primo die, cùm congrederentur, die 23. Auguſti, feriâ 3. & ſi ad quadraginta hominum millia eſſent, vincuntur, cùm fortè fortunâ in ipſo prælio Auſter adverſus vehementior exoriretur; atque ita *Omar* potitus eſt Damaſco, quam vaſtam relinquere noluit, ſed Chriſtianos ibi habitare paſſus eſt. Inde longè lateque vaſtatur Phœnicia. *Heraclius* igitur diffidens de victoria, quæ pretioſa Hieroſolymis erant, ſecum Conſtantinopolin auffert. *Miſcell.*

Oswaldus *Northumbriæ rex iterùm Britones ex Anglia ejicit.* Beda.

ANNO MUNDI 4584. Poſt C. 635.
A. ☉ 28. ☽ 9. Ind. 8.

Annus Hegiræ 14. *incipit die* 25. *Febr. fer.* 7.

Saraceni Ægyptum invadunt, & alter exercitus, cujus erat *Hamar* rex, in Palæſtinam abit, & obſidens Hyeroſolymam, tandem eam capit; poſt biennium inde totam Syriam occupavit. *Miſcell.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei duodecimi, incipit 18. *Sept. fer.* 2. *Anno Jud.* 4396.

Kinegildis rex Weſtſaxonum in Anglia religionem Chriſtianam recipit, & paucis annis poſt idem faciunt etiam Orientales Saxones. *Huntin.*

ANNO MUNDI 4585. Poſt C. 636.
G.F. ☉ 1. ☽ 10. Ind. 9.

Annus Hegiræ 15. *incipit die* 13. *Februarii, fer.* 4.

Annus Nabonaſſario 1384. *& Philippi* 960. *incipit* 17. *Martii, fer.* 1.

Siſenandus *rex Hiſpaniarum, cùm annis ferè quinque regnaſſet, moritur; & ſuccedit menſe Aprili* Chintilla, *qui regnat annos ferè quatuor.* Tud.

Hieroſyma tandem à rege *Omar*, exeunte anno Sabbathico, deditione capitur; ubi cùm templum Salomonis non inveniret, cum luctu civitatem ingreſſus eſt, & religionem Chriſtianam paſſus eſt ibi doceri, manſit ita urbs ſancta ſub ſervitute Saracenica annis 463. donec virtute Gallorum, Duce Godofrido Builioneo, anno 1099. Chriſtianis reſtitueretur. *Zacuth.*

Annus Jezdeg 5. *incipit* 15. *Junii, feriâ* 7. *Armen.* 85. *die* 18. *Junii, fer.* 3.

Alexandrinus 948. *Antioch.* 685. *Conſtantinop.* 6145. *Calend. Octobr.*

Omar *poſtea Antiochiam invadit, eamque tandem capit.* Zacuth.

Ferchardus rex Scotorum, cùm annos 14. regnaſſet, moritur; ſuccedit frater *Donaldus*, qui ſimiliter 14. annos regnat. *Buchan.*

Dagobertus Francorum rex, revocat *Amandum* Epiſcopum, cùm ſibi recens natus eſſet filiolus Segebertus, ut eum baptiſaret.

ANNO MUNDI 4586. Poſt C. 637.
E. ☉ 2. ☽ 11. Ind. 10.

Annus urbis 1389. *Julianus* 682.
Æra Hiſpan. 675. *Auguſtorum* 664.

Annus Hegiræ 16. *incipit die* 2. *Februarii, fer.* 1.

Concilium Toletanum quintum celebratum fuit hâc hyeme, cui concilio *Iſidorus* non interfuit. Statutum in eo, ne quis regi malediceret, & anathema diceretur hujusmodi calumniatori. Paulò pòſt, die 4. Aprilis, moritur *Iſidorus*, qui annis 40. Epiſcopatui Hiſpalenſi præfuerat. *Tudens.*

Olym-

Olympias 354. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1413.

Heraclius *Imperator incipit annum imperii* 28. *menſe Julio.*

Annus Diocletiani 354. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Dagobertus Francorum rex, Collegium D. Petri in monte, quod jam intra *Erfurdiam* eſt, condit. *Trith.*

ANNO MUNDI 4587. Poſt C. 638.
D. ☉ 3. ☽ 12. Ind. 11.

Annus Hegiræ 17. *incipit* 23. *Januarii.*

Concilium Toletanum ſexum celebratur in Hiſpania, in quo decretum fit, ut quilibet Hiſpaniæ rex in poſterum juret, ſe neminem non Catholicum in Hiſpania ferre velle; unde factum, ut Judæi tùm in Hiſpania exulare juſſi ſint. Concilium celebratum menſe Januario.

Ariobaldus rex Longobardorum in Italia, anno duodecimo regni moritur; ſuccedit ipſi *Rotharis* itidem Arianus, qui & Catholicos & Arianos ſimul in urbibus eſſe paſſus eſt. Regnavit autem annos ferè 16. *Diac.*

Rodoaldus filius Aionis, cùm quinque annis ducatum Beneventanum rexiſſet, moritur; ſuccedit ipſi *Grimoaldus*, qui gubernavit ducatum annis viginti quinque, priusquam rex Longobardorum fieret. *Diac.*

Honorius Papa, cùm ſediſſet annos duodecim, & menſes quinque, moritur die 12. Octobris, *ut habet Baronius.* Sed *Onufrius* ponit hujus mortem ante triennium.

ANNO MUNDI 4588. Poſt C. 639.
C. ☉ 4. ☽ 13. Ind. 12.

Annus Hegiræ 18. *incipit die* 12. *Januarii fer.* 3.

Iſaacus Patricius Exarchus, cùm fama eſſet, Honorium Papam multos theſauros collegiſſe, & in Laterano depoſuiſſe, Romam abit, quosdam Diaconos Cardinales relegat, & theſaurum ſibi ſumit, militibus dividit, & partem ad Imperatorem mittit. *Anaſtaſius.*

Sergius Conſtantinopolitanus Patriarcha convocat Synodum, in qua Monotheletarum errorem approbat, & ejus expoſitionem, quam Ecthesin vocavit, nomine Imperatoris conſcriptam, Romam mittit, ut novus Papa ab Imperatore confirmandus ei ſubſcribat. Sed *Severinus*, qui electus fuerat, hanc Ecthesin improbat, ideò non confirmatur, ſed mœrore animi moritur die 4. Auguſti, poſt quem interregnum papale fit, ferè quinque menſium ſpatio *Anaſtaſ.* Paulò pòſt moritur Sergius, cùm ſediſſet annis 31. Succedit *Pyrrhus*, homo nullius religionis, qui præfuit annis ferè tribus.

Aribertus, frater Dagoberti, Aquitaniæ rex moritur, relicto filio Hilperico, qui paucis diebus ſupervixit; ideò Dagobertus univerſa Gallia potitur. *Aimoin.*

Wendi *ſive Vandali Francos invadunt, & vincunt, Doringosque & vicinas regiones crudeliter vaſtant.* Aimoin.

Saraceni *Edeſſam capiunt, & inde* Daras *propugnaculum expugnant, quo facto totâ Meſopotamiâ potiuntur.* Miſcell.

Rotharis *Longobardorum rex, Imperatori duas provincias in Italia eripit, Alpes ſcilicet Cottias ad Opitergium, cùm oppidis ad Terviſium, cùm Iſaacum Exarchum viciſſet, & octo ferè millia militum Romanorum cecidiſſet.* Annal. Suev.

Annus Hegiræ 19. *incipit ultimo Decembr. fer.* 7.

ANNO MUNDI 4589. Poſt C. 640.
B. A. ☉ 5. ☽ 14. Ind. 3.

Johannes IV. natione Dalmata, eligitur Papa, & confirmatur ab Imperatore ipſis Calend. Januar. Hic Paulò pòſt convocat Synodum Romæ, proponitque Ecthesin ab Imperatore miſſam, eamque examinatam cum Epiſcopis damnat, id quod poſtea etiam faciunt Epiſcopi in Africa. *Anaſtaſ.*

Annus Nabonaſſaris 1388. *& Philippi* 964. *incipit* 16. *Martii, fer.* 5.

Chintilla *Hiſpaniæ rex, cùm regnaſſet annos ferè quatuor, moritur in vere: ſuccedit ipſi* Tulga, *qui regnat annos duos, menſes quatuor.* Tudenſ.

Saxones, *qui Dagoberto regi quotannis offerebant tributum trecentarum vaccarum, offerunt ſuam operam in repellendis* Winnidis, *qui Thuringiam tum vaſtabant, ſi iſto tributo liberarentur. Sed liberati pauca eorum, quæ promiſerant, præſtant; ideò paulò pòſt Dagobertus ſuum filium Sigebertum ſub tutela* Pipini *ad defenſionem finium mittit, cujus opera Sclavi feliciter repreſſi ſunt.* Aimoin.

Annus Jezdegird. 9. *incipit* 14. *Junii, fer.* 4. *Armen.* 89. 17. *Junii, fer.* 7.

Alexandr. 952. *Antiochen.* 689. *& Conſtantinop.* 6149. *Calend. Octobr.*

Eadwaldus *Cantuariorum rex in Anglia, cùm annos* 24. *regnaſſet, moritur; ſuccedit filius* Ercombertus, qui primus omnia idola deſtruit, & quadrageſimale Jejunium obſervari præcepit. Regnat & hic annis 24. *Beda.*

Annus Hegiræ 20. *incipit* 21. *Decembr. fer.* 5.

ANNO MUNDI 4590. Poſt C. 641.
G. ☉ 6. ☽ 15. Ind. 14.

Annus urbis 1393.	*Julianus* 686.
Æra Hiſpan. 679.	*Auguſtorum* 668.

Heraclius Imperator hydrope confectus, moritur die 11. Maji, ut *Cedrenus habet*, cùm imperaſſet annis 30. menſibus 10. Succedit filius Conſtantinus, qui cùm coronaretur, coronam, quæ cum patre ſepulta fuerat, effodi, & ſibi imponi juſſit; ſed veneno à noverca Martina tollitur, cùm quatuor menſes imperaſſet, menſe Septembri. Succedit ipſi noverca cum filio *Heracleone*, & imperat menſibus ſex. *Cedr.*

Olympias 355. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1417.

Annus Diocletiani 358. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Imperante Heracleone Mavias *Saracenus* Cæſaream *Paleſtinæ ſeptem annis oppugnatam vi capit, & ſeptem millia hominum ibi occidit.* Cedr.

Johannes quartus Papa, cùm ſediſſet annum unum, & menſes 9. moritur die 12. Octobris. Ita quidem habet Baronius, ſed diſſentit Onufrius. Succedit *Theodorus* Hieroſolymitanus, qui ſedit annos ſeptem, & menſes ferè octo. *Anaſtaſ.*

Annus Hegiræ 21. *incipit die* 10. *Decembr. fer.* 2.

ANNO MUNDI 4591. Poſt C. 642.
F. ☉ 7. ☽ 16. Ind. 15.

Heracleones *cum matre* Martina, *cùm menſibus* 6. *imperaſſet, à Senatu Cōſtātinopolitano capitur, & naſo,* ne im-

Conſt.ans Imperator ſuaſu Pauli Epiſcopi Conſtantinopolitani monotheletæ, & quòd Epiſcopi in Africa & aliis locis, ubi vel à Saracenis, vel aliis hoſtibus vaſtabantur, monotheletis vehementer contradicerent, ne hi Epiſcopi in univerſum abalienarentur, proponit Edictum, quod peculiari nomine *Typum* appellavit, in quo jubet utramque partem in controverſia de voluntate Chriſto tacere. At verò cùm hoc modo non liceret de voluntate Chriſti loqui, atque ita nec de duabus in Chriſto naturis, *Theodorus* Papa typum hunc, ut impium, convocato concilio damnat, & Paulum Epiſcopum, quod autor hujus typi eſſet, anathemate ferit. *Anaſtaſ.*

Annus Jezdegird.17. incipit 12. Junii, fer.5. Armen.97. die 15. Junii, fer.1.

Alexandr.960. Antiach.697. Conſtantin.6157. Calend.Octobr.

Sigebertus *Auſtraſiæ rex in Francia cum Rathulfo Thuringorum duce, qui tributum uſitatum negabat, pugnat, vincit, & ſub juriſdictionem redigit.* Sigeb.

Mavias *Saracenus expeditionem ſuſcipit in Cyprum (Claſſis fuit navium mille & ſeptingentarum,) & inſulam ſibi ſubjicit, & Conſtantiam urbem in ea capit.* Miſc.

Annus Hegiræ 28. incipit 25. Septembr. fer.5.

ANNO MUNDI 4598. Poſt C. 649.

D. ⊙ 14. ☽ 4. Ind.7.

Annus urbis 1401. *Julianus* 694.

Æra Hiſpan. 687. *Auguſtorum* 676.

Conſtans Imp. inchoat annum Imperii 8. in Febr.

Chindasvindus *Hiſpaniarum rex, filium ſuum* Recesvindum *in conſortium regni recipit menſe Februar. qui ab hoc quidem tempore regnat annis 23. menſibus ſeptem, diebus undecim; aliàs poſt patris obitum regnavit tantùm annis novendecim. Pater enim vixit adhuc annis quatuor & menſibus 7.* Vaſæ.

Theodorus Papa, cùm ſediſſet annos ſeptem, & menſes ſeptem, & dies viginti, moritur 14. Maji: ſic habet *Baronius*. Sed *Onufrius* ponit hujus Pontificis obitum ante biennium; ſuccedit ipſi *Martinus*, qui, cùm iterùm ſubſcriptio Typi urgeretur, convocat concilium centum quinquaginta Epiſcoporum, in quo iterum Edictum Imperatoris ſive Typum condemnat, ejusque condemnationis cauſas ad omnes Eccleſias perſcribit; factum die 5. Octobris. *Anaſtaſ. Beda.*

Olympias 357. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1425.

Annus Diocletiani 366. incipit die 29. Auguſti.

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei 12. incipit 12. Sept. feria 7. Anno Jud. 4410.

Annis Hegiræ 29. incipit die 14. Junii, fer.2.

Cùm Conſtantinopolin fama veniſſet, Romæ Concilium agi, Imperator Olympium Exarchum mittit ad regendam Italiam, cui dat in mandatis, ut inſtet in Synodo apud Epiſcopos, ut omnes Typo ſubſcribant, aut ſedibus ſuis ejiciantur. Venit itaq; Olympius in Synodum, ſed nihil proficit, ideò diſcedit inde in Siciliam, contra Saracenos rem geſturus, ubi exercitum amittit, & mœrore animi extinctus eſt; in ejus locum iterum ſubſtituitur Theodorus Calliopa: præeſt annis 36. *Anaſt.*

Mavias *inſulam* Aradum, *prope Tripolin ſitam, poſt acrem oppugnationem deditione capit, murisque dejectis incendit, & incolas abducit.* Cedr.

ANNO MUNDI 4599. Poſt C. 650.

C. ⊙ 15. ☽ 5. Ind.8.

Beda tomo ſecundo ſcribit, poſt convocatam Synodum à Martino Papa Epiſcoporum centum & quinquaginta, factam eſſe ſequenti anno Eclipſin Solis: *Ea accidit die 6. Febr. horis tribus poſt meridiem in Anglia, fer.7. Parallaxis latitud. eſt 36. 55. Vera latitudo 40.36. Viſa ſeptentr. 3.51. Semidiam. Solis 15.46. Summa 31.12. Scrup. reſiana 27.21. Digiti eclipſici 10.25. Sol. in 20.41. Aquarii.*

Theodorus Calliopa Exarchus Romam veniens, Martinum Papam abducit è templo Conſtantiniano, & Conſtantinopolin mittit: factum 16. Junii, fer.2. Sed cum venirent ad Naxum Inſulam, integro ferè anno ibi detinentur. *Anaſtaſ.*

Donaldus *Scotorum rex, cùm annis 14. præfuiſſet, moritur; ſuccedit* Ferchardus *Ferchardi filius, qui regnat annis duodecim.* Buchanan.

Buſur *Dux Saracenorum* Iſauriam *verſus exercitum ducit, eamque vaſtat. Conſtans igitur Imperator, cùm ei reſiſtere non poſſet, legatis agit, & petit pacem, quam impetrat in biennium, ſed ſolutâ pecuniâ.* Miſcell.

Annus Heg. 30. incipit die 3. Septembr. fer.6.

ANNO MUNDI 4600. Poſt C. 651.

B. ⊙ 16. ☽ 6. Ind.9.

Præfectus Armeniæ, qui à Conſtante eò miſſus fuerat, fœdus facit cum Saracenis, & deſciſcit ab imperio, & fit Vaſallus Maviæ. Miſcell.

Sigebertus Auſtraſiæ in Francia rex, de poſteritate & de prole deſperans, duodecim monaſteria fundat. *Sigeb.*

Annus Hegiræ 31. incipit 24. Auguſti fer.4.

Martinus Papa Conſtantinopolin ducitur die 17. Novembr. ibi detentus fuit in carcere usque ad nonageſimum quintum diem, qui fuit dies 19. Febr. ſequentis anni. *Anaſtaſ.*

ANNO MUNDI 4601. Poſt C. 652.

A.G. ⊙ 17. ☽ 7. Ind.10.

Martinus Papa tandem die 19. Febr. in Conſiſtorio Conſtantinopoli auditur, & cùm cauſam ſuam Imperatori non probaſſet, iterum in carcerem includitur, & poſt dies 85. in exilium mittitur, Cherſonam ſcilicet in Pontum, ut ibi fame maceraretur; mittitque Romam, ut alium Pontificem eligant. *Baron.*

Annus Nabonaſſaris 1400 & Philippi 976. incipit die 13. Martii, fer.3.

Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus moritur, cùm annis 12. præfuiſſet; revocatur ad ſedem ſuam Pyrrhus, ſed qui ſedit tantùm menſes quinque & moritur, cui ſubrogatus eſt *Petrus*, qui ſedet annis 4. *Niceph.*

Annus Jezdeg. 21. incipit 11. Jun. feriâ 2. Armen. 101.14. fer.5.

Alexandr.964. Antiochen.701. & Conſtant. 6161. Calend. Octobr.

Eugenius natione Romanus juſſu Imperatoris eligitur Papa, die 29. Auguſti in locum Martini, qui adhuc vivebat, ſedetq; menſibus quidem quinque, ſi ab obitu Martini numeres, aliàs ferè biennium ab ordinatione. *Baron.*

Onufrius verò ipſi tribuit annos ferè tres, & eum mortuum ait anno 657. & anno 653. electum.

Annus

Annus Hegiræ 32. *incipit die* 12. *Auguſti, fer.* 1.

Sigebertus *rex, cùm deſtitueretur liberis*, Grimoaldi *Majoris domus filium*, Hildebertum *adoptat in filium, & deſignat eum ſucceſſorem.* Sigeb.

ANNO MUNDI 4602. Poſt C. 653.
F. ☉ 18. ☽ 8. Ind. 11.

Annus urbis 1405. *Julianus* 698.
Æra Hiſpan. 691. *Auguſtorum* 680.

Conſtans Imperator inchoat annum imperii 12. *menſe Febr.*

Mavias *Dux Saracenorum Rhodo potitur, ubi adhuc in ſolo jacebat Coloſſus ille Solis ingens, qui corruerat ante annos octingentos & ſeptuaginta quinque. Eum Mavias Rhodo capta vendit mercatori cuidam Judæo; qui nongentos camelos illius fragmentis oneravit. Onus Cameli plerumque eſt Pondo octingentorum* acht Centner. *Ideò ad hanc proportionem eſſent ſepties centena millia & viginti millia librarum.* ſiebentauſend und zweyhundert Centner. *Effluxerant autem à prima ejus fundatione anni* 1360. *altus fuerat octuaginta cubitos, ſtetitque divaricatis cruribus, quæ tantâ diſtantiâ disjuncta fuerant, ut ſat ſpatii præberent navibus in portum ingredientibus.* Cedrenus.

Olympias 358. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadibus* 1429.

Biennio antequam Penda rex Merciorum moreretur, Angli Mediterranei etiam religioni Chriſtianæ dant nomen. *Beda.*

Annus Heg. 33. *incipit* 2. *Auguſti, fer.* 6.

Annus Diocletiani 370. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Rotharith rex Longobardorum, cùm annos 16. & menſes quatuor regnaſſet, moritur, relicto filio ſuo *Rodoaldo*, qui Gundibergam Agilulphi & Theudelindæ filiam uxorem duxit, regnatque annis quatuor. *Diac.*

ANNO MUNDI 4603. Poſt C. 654.
E. ☉ 19. ☾ 9. Ind. 12.

Mavias, *ut Conſtantinopoli aggrederetur regiam ſedem, ingentem ædificat claſſem Tripoli; quæ cùm jam ferè parata eſſet, fratres quidam, buccinatoris filii, Chriſtiani profeſſione, aſtu ſolvunt carcerem, in quo plurimi captivi detinebantur, quorum auxilio fulti omnem illum apparatum claſſis cremant. Sed nihilominùs Saraceni colligunt claſſem aliam, cùm Conſtans Imperator eâ nocte, quæ pugnam præceſſit, ſomnium habuit, in quo videbatur ſibi Theſſalonicæ fuiſſe, quod conjectatori expoſuit, qui ita interpretatus eſt ſomnium, ut diceret: Saracenos victoriam in hac pugna conſecuturos, dum interpretatur vocabulum* Theſſalonicam *Θὲς ἄλλῳ νίκην cede alteri victoriam, & ita factum eſt, & Imperator mutata veſte in aliam navem translatus vix evaſit.* Miſcell.

Sigebertus *rex Angliæ monachus factus, in prælio contra Pendam Merciorum regem fratri* Egrico *auxilia adducens, unà cum fratre occiditur, exercituſque ejus ferè omnis, paucis tantùm fugâ elapſis.* Beda.

Annus Hegiræ 34. *incipit* 22. *Julii, fer.* 3.

Martinus Papa in exilio Cherſonæ moritur, die 10. Novembris. Hujus reliquias Baronius affirmat Romam translatas eſſe, ſed nec tempus, nec autorem rei geſtæ dari poſſe, ſed tantùm conſtantem famam eſſe. Interim tamen miracula fieri ad locum, ubi olim Cherſonæ ſepultus fuit, aſſerit: cauſam addit, quòd fortaſſis quædam partes corporis, ibi relictæ fuerint. Succedit jam plenariè Eugenius, qui jam tantùm vicem obtinuerat pontificatus, ſedetque tantùm menſibus quinque. *Baron.*

ANNO MUNDI 4604. Poſt C. 655.
D. ☉ 20. ☽ 10. Ind. 13.

Oswinus, *Northumbriæ in Anglia rex, cùm decertaſſet hactenus cum Penda Merciorum rege, omnibus ferè annis; nec pacem prece vel precio redimere poſſet, bellum ſeriò apparat, indictis publicis ſupplicationibus, & tandem die 15 Novembr. cum Penda pugnat, eum vincit & trucidat, regnumque Merciorum occupat. Donavit tamen ejus partem auſtralem cognato ſuo Pandæ, qui tamen ſequenti Paſchate occiſus eſt, atque ita ſolus obtinet regnum Merciorum annis tribus.* Beda.

Eugenius Papa, cùm ſediſſet poſt mortem Martini Papæ ferè menſibus ſex, moritur die 2. Junii; cui ſuccedit *Vitalianus* Signinus ex Hernicis, qui ſedit annis 14. menſibus quinque. Hic voluit in templis Cantui chorali addi organon Muſicum, ut habet *Sigebertus.*

Annus Hegiræ 35. *incipit die* 11. *Julii, fer.* 7.

Otmen *rex Arabum, cùm annos regnaſſet duodecim, trucidatur; ſuccedit* Hali, *qui regnat annos quatuor.* Zacuthi.

ANNO MUNDI 4605. Poſt C. 656.
C.B. ☉ 21. ☽ 11. Ind. 14.

Annus Nabonaſſaris 1404. *& Philippi* 980. *incipit* 12. *Martii, fer.* 7.

Concilium in Hiſpania celebratum Toleti decimum numero, ubi decretum, quòd feſtum *Annunciationis* Mariæ, quod in Martio ob jejunia Quadrageſimæ, vel ob ferias Paſchales impeditur, transferri debeat in diem 17. Decembris; ſed id poſt temporis ab Eccleſia improbatum fuit & abrogatum, & in 25. Martii iterum reductum. *Tom. Conc.*

Annus Iezdegerd. 25. *incipit die* 10. *Junii, fer.* 6.

Armen. 105. *die* 13. *Junii, fer.* 2.

Annus ſabbathicus 6. *ſive Jobeleus* 12. *incipit* 24. *Sept. feria* 7. *Anno* 4417.

Annus Alexandr. 968. *Antioch.* 705. *Conſtantin.* 6165. *Calend. Octobr.*

Petrus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cùm biennium ſediſſet, & menſes tres, moritur; ſuccedit ipſi Thomas, qui rectè de voluntatibus in Chriſto ſentire viſus eſt: ſedit hic annos duos.

ANNO MUNDI 4606. Poſt C. 657.
A. ☉ 22. ☽ 12. Ind. 15.

Annus urbis 1409. *Julianus* 702.
Æra Hiſpan. 695. *Auguſtorum* 684.

Conſtans Imperator inchoat annum 16. *Imperii menſe Febr.*

Rodoaldus *rex Longobardorum, cum uxorem cujuſdam Longobardi ſtupraſſet, ab eodem trucidatur, cùm regnaſſet annos quatuor; ſucceſſit* Aripertus *filius Gundibaldi fratris Theudelindæ, qui regnat annis quinque.*

Maximus Abbas cum diſcipulis evocatur Conſtantinopolin ad examen, cùm adeò Imperatoris Typo reclamaret; qui cùm ſatis eruditè ad objecta Monotheletarum reſponderet, & in vera confeſſione perſiſteret, flagellatur, & in deterrimo carcere habetur; inde linguâ & dextrâ manu truncatur, & iterum in exilium pellitur. *Acta Maximi.*

Annus Hegiræ 37. incipit die 19. Junii, fer. 2.

Olympias 359. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1433.

Annus Diocletiani 374. incipit die 29. Auguſti.

Conſtans Imperator contra Sclavos movet, & feliciter rem gerit, & multâ prædâ potitur. Cedr.

Sigebertus, rex Francorum in Auſtraſia, cùm annos decem regnaſſet, moritur, relicto filio infante Dagoberto; quem fidei Grimoaldi Majoris domus commendavit, ut ejus auxilio, quando adoleſceret, regno potiri poſſet. Sigebertus.

ANNO MUNDI 4607. Poſt C. 658.
G. ☉ 23. ☽ 13. Ind. 1.

Grimoaldus Major domûs in Auſtraſia, Dagobertum filium Sigeberti infantem attonſum in Scotiam mittit in Cœnobium, ut ibi educaretur. Ipſe interim filium ſuum Hidelbertum, quem Sigebertus ante annos ſex ſucceſſorem ſibi adoptaverat, regem facit; ſed Francorum proceres injuriâ hâc in regem ſuum irritati, Hildebertum capiunt, & Lutetias ad Clodoveum adducunt, qui ipſum æternis adjudicat vinculis, & contra filium ſuum Hildericum Auſtraſiorum facit. Sigeb.

Anſeginus gener Pipini ſenioris eodem hoc anno, quò Hildericus rex factus eſt, ſceleratè interficitur à Gunduino, cujus pater fiduciarius in ſacro baptiſmate fuerat, relicto filio Pipino, qui poſtea Craſſus & Hareſtallus eſt dictus. Annal. Friſic.

Annus Hegiræ 38. incipit die 8. Junii, fer. 6.

Oſwinus, Cantuariorum rex, cum inſuper Merciorum regnum tribus annis obtinuiſſet, ejicitur a proceribus regni, & Wulferus filius Pendæ eligitur rex Merciorum, qui regnavit annis 17. Beda.

Adelboldus, rex Auſtralium Saxonum, patitur ſe inſtitui in religione Chriſtiana, cùm poſt trieñium fieret eclipſis Solis. Huntin.

Thomas Patriarcha Conſtantinop. cùm ſediſſet annos duos & menſes ſeptem, moritur; ſuccedit Johannes Presbyter, qui ſedet annos quinque, menſes novem. Niceph.

Saraceni inteſtinis laborant diſcordiis; quapropter Conſtans oblatâ hâc occaſione illis bellum inferre decernit. Mavias ſibi metuens, pacem Imperatori offert cum tributo in ſingulos dies mille numiſmatum, cum inſigni equo & ſervo. Cedr.

ANNO MUNDI 4608. Poſt C. 659.
F. ☉ 24. ☽ 14. Ind. 2.

Conſtans Imper. Theodoſium fratrem Eccleſiæ mancipaverat, & Diaconum effecerat, ex cujus manibus etiam Euchariſtiam acceperat. Hunc tandem interficit, inde conſcientiæ furiis exagitatus ſæpiùs vidit in ſomniis fratrem habitu Diaconi accedentem, & calicem ſanguine plenum porrigentem & dicentem, Bibe frater. Fugiens igitur hæc ſomnia, loca frequenter mutat, & alias atque alias in Imperio urbes adit. Cedr.

Annus Hegiræ 39. incipit die 29. Maji, fer. 4.

Saraceni in concordiam redeunt, ideo tributum, quod pepigerant, reddere detrectant. Miſcel.

ANNO MUNDI 4609. Poſt C. 660.
E.D. ☉ 25. ☽ 15. Ind. 3.

Annus Nabonaſſaris 1408. & Philippi 984. incipit 11. Maji, fer. 4.

Maximus monachus adeò afflictus ab Imperatore, moritur, cùm triennium apud Alanos in exilio egiſſet. Acta Max.

Anno Hegiræ 39. currente, Hali rex Saracenorum interficitur, cùm quatuor annos regnaſſet; ſuccedit Haſen filius Hali, & Mavia frater, & Haſen quidem Meſopotamiam ſibi retinuit, Mavia autem Damaſcum; ſed Haſen, homo religioſus, Imperii minimè cupidus, nec audens effundere ſanguinem humanum, Imperio ſe abdicat, & Medinam ſecedit, ubi privatus vixit. Mavia vero regnavit annos 21. Hujus Maviæ meminit liber, qui operibus Hieronymi inſertus eſt. Ideoque is liber Hieronymo tribui non poteſt, cùm Mavias ducentis & quinquaginta annis poſt Hieronymum vixerit. Scalig.

Annus Hegiræ 40. incipit die 16. Maji, fer. 1.

Iezdegird. 29. die 9. Junii, fer. 3. Armen. 109. die 12. Jun. feria 6.

Annus Alexandr. 972. Antioch. 709. Conſtantin. 6169. à Calend. Octob.

Fames graſſatur in Gallia. Clodovæus rex hoc anno regni decimo quarto theſauros Eccleſiæ in uſum pauperum erogari jubet, & argentum, quibus templa ornata erant, detrahi. Paulò poſt autem, dum reliquias Dionyſii ſpectat, eaſque irreverentius tractat, brachium Dionyſii avellit; quo facto in melancholiam incidit, adeò ut rarò mentis compos eſſet. Aimoin.

ANNO MUNDI 4410. Poſt C. 661.
C. ☉ 26. ☽ 16. Ind. 4.

Annus urbis 1413. Julianus 706.
Æra Hiſpan 699. Auguſtorum 688.

Conſtans Imperator inchoat annum imperii 20. menſe Febr.

Annus Hegiræ 41 incipit die 6. Maji, fer. 5.

Eclipſis Solis trienio, poſtquam Saxones Auſtrales in Anglia religionem Chriſtianam amplexi ſunt, cujus meminit Beda Tomo ſecundo, accidit die ſecundo Julii, feria ſextâ, horis ferè quinque poſt mediam noctem, oriente Sole. Parallaxis latitudinis 36.35. Latitudo vera ſeptentr. 45.20. Viſa latitudo ſeptentr. 8.45. ſemidiamet. Solis 15.2. Summa ſemidiametrorum 29 54. Scrup. reſidua 21.9. Digiti eclipt. 8.26. Sol in 12. gradu Cancri.

Olympias 360. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1437.

Annus Diocletiani 378. incipit die 29. Auguſti.

Genwaldus rex Weſtſaxonum in Anglia bellum gerit cum Wulfero filio Pendæ, rege Merciorum, eumque vincit & capit, cum poſt triennium ab hoc prælio Sol obſcuraretur, menſe Majo. Ethelred.

Amandus Epiſcopus Trajectenſis Flandrorum Apoſtolus, hoc anno moritur. Nolanus.

ANNO MUNDI 4611. Poſt C. 662.
B. ☉ 27. ☽ 17. Ind. 5.

Lupus Longobardorum Dux ſpoliat Grados propè Aquilejam, ubi Epiſcopi ſedes fuerat. Diac.

Annus Heg. 42. incipit die 26. Aprilis, fer. 3.

Ludovicus rex Francorum, cum annos 16. regnaſſet, moritur; relinquit filios tres, Clotarium, Hildericum & Theodoricum, quorum Clotarius ſuccedit in regno, & regnat annos quatuor. Majorem domûs facit Ebroinum, qui Leodegario Heduorum Epiſcopo oculos eruit, & Lambertum Leodiorum Epiſcopum in exilium ejecit.

Aripertus Lōgobardorū rex moritur, cū annos 9. regnaſſet; relinquitq; filios duos Pertharit & Godebertum,

tum, quos diſſidentes de regno, cùm aliquot menſes armis diſceptaſſent, Grimoaldus *tandem, exeunte hoc anno, regno excutit; quorum alter occiditur, Perthari vero ad Chaganum Avarum regem aufugit.* Diac.

Franci *hac hyeme in Italiam irruunt, quibus obviam cum exercitu progreditur* Grimoaldus, *qui ſimulans metum, caſtra plena commeatuum & optimi vini relinquit. Franci avide ſe his ingurgitant, in quos media nocte irruit, & internecione ferè delet.* Diac.

ANNO MUNDI 4612. Poſt C. 663.
A. ⊙28. ☽18. Ind. 6.

Conſtans *Imperator, cùm in imperio ita vagaretur, tandem exercitum colligit, & contra Longobardos in Italiam abit, Luceriam expugnat, & alia multa oppida Longobardis eripit, Beneventum etiam obſidet & oppugnat. Romoaldus dux Beneventi, qui filius erat Grimoaldi regis, implorat parentis auxilium, qui tamen ſtatim adeſſe non poteſt; ideò Romoaldus aliquoties ex urbe in caſtra erumpit, & feliciter cum Imperatore præliatur. Imperator, audiens Grimoaldum cum exercitu adventare, obſidionem ſolvit, Neapolin concedit, & paulò poſt magnâ pugnâ à Romoaldo vincitur.* Diac.

Annus Hegiræ 43. incipit die 15. Aprilis, fer. 7.

Conſtans, cùm Longobardis impar eſſet, Romam venit, exceptus à Papa & Clero magnâ ſolennitate, & obtulit Vitaliano Evangelia aurea in gemmis albis miræ magnitudinis. Factum id die 5. Julii, feriâ 4. Indictione ſextâ, manſit ibi diebus duodecim. Inde ex Italia & Roma, quicquid æris inveniri poterat, & in templis & in tectis, ſecum auferens, primo Neapolin, inde in autumno Rhegium, & tandem in Siciliam, cùm totam terram expilaſſet, abit. *Diac.*

Annus ſabbathicus primus, Jobelei tredecimi, incipit 9. Septembr. fer. 7. Anno Judaico 4424.

Adolfus *fit rex Saxonicum Orientalium in Anglia, ſed hic ſubditus erat regi Merciorum* Wulfero. Huntin.

ANNO MUNDI 4613. Poſt C. 664.
G F. ⊙1. ☽19. Ind. 7.

Annus Nabonaſſaru 1412. *& Philippi* 988. *incipit* 21. *Martii, feria* 1.

Hoc anno error Jejuniorum factus, inquit *Theoph. in Miſcella*: cùm alii jejunium inciperent 21. Januar. Paſcha celebraturi die 24. Martii: alii differrent in diem 18. Februarii, cùm Paſcha celebrandum eſſet die 21. Aprilis.

Eclipſis Solis accidit, cujus meminit Beda, *quam ſe vidiſſe teſtatur, quòd acciderit initio Maji hoc anno, indictione ſeptimâ, horâ diei decima. Ea accidit die 1. Maji, feriâ quartâ, horâ 3.45. poſt meridiem, ad tabulas Prutenicas. Parallaxis latitudinis 28.22. Latitudo vera ſeptent. 26.22. Viſa 2.0. auſtralis, ſemidiam. Solis 15. 50. Summa utriusque ſemidiametr. 33. 8. Scrupula reſid. 31.8. Digiti eclipticı 11.48. Sol in gradu 12.39. Tauri.* Bunt.

In Anglia convenerunt Epiſcopi juſſu *Oſvvini* Northumbriæ regis, diſputantque de ratione celebrandi Paſchatis, cùm omnes ferè, contra quam in Eccleſia uſitatum erat, Paſcha à decima quarta Luna, usque ad viceſimam celebrarent, cùm deberent id à decima quinta, usque ad viceſimam primam agere. Eccleſiæ ratio evidenter ibi demonſtrata eſt, attamen Scoti ſuam rationem retinuerunt, Anglorum præcipua pars Eccleſiam ſecuti ſunt. *Beda.*

Grimoaldus *ſuperiori anno Lupum Ticino præfecerat, qui Grados Inſulam, ubi theſauri erant Aquilejenſis Epiſcopi, ſpoliarat. Cùm verò facti rationem redere non poſſet, aufugit, & fit in foro Julio Grimoaldo rebellis. Grimoaldus cùm Lupus hic debellandus eſſet, ne Longobardi inter ſe colliderentur,* Avarum *regem Chaganum adhortatur, ut forum Julium invadat; qui adveniens cum exercitu magno, tribus diebus cum Lupo pugnat, & quarto die tandem eum vincit, & prælio trucidat. Grimoaldus verò, cùm à Chagano impetrare non poſſet, ut relicto foro Julio ad ſua rediret, ſtrategemate eum terret, cùm ipſi ſuum exercitum aliquoties aliter atque aliter veſtitum oſtenderet, quem Chaganus putabat ingentem multitudinem eſſe, in partes quaſdam diſtributam.* Diac.

Annus Hegiræ 44. incipit 3. April. fer. 5. Jezdegird. 33. die 8. Junii, feriâ 7. Armen. 113. die 11. Jun. fer. 3. Alexandr. 976. Antioch. 713. Conſtant. 6173. Calend. Octobr.

Gertrudis filia Pipini majoris & majoris domûs in Gallia, hoc anno moritur.

Ercombertus *Cantuarienſis rex in Anglia, moritur die 14. Julii, cùm annos 24. regnaſſet; ſuccedit filius* Ecbertus, *qui 9. annis regnat. Hujus tempore Theodorus & Adrianus in Angliam venerunt, &* Scholas *inſtituerunt, per quas religionem Chriſtianam plurimùm propagarunt.* Beda.

Johannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cùm ſediſſet annis quinque, & menſibus novem, moritur: ſuccedit *Conſtantinus*, qui ſedet annis duobus.

ANNO MUNDI 4414. Poſt C. 665.
E. ⊙2. ☽1. Ind. 8.

Annus urbis 1417. *Julianus* 710.
Æra Hiſpanica 703. *Auguſtorum* 692.

Conſtans Imperator inchoat annum imperii 24. menſe Febr.

Bulgari *quidam Duce Alzeco in Italiam veniunt, petuntque à Grimoaldo ſedes, ubi conſiſtere poſſint; qui remittit eos ad Romoaldum filium, à quo accipiunt Bovianum, & vicina loca habitanda.* Diac.

Annus Hegira 45. incipit die 24. Martii, fer. 2.

Olympias 361. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1441.

Annus Diocletiani 382. incipit die 29. Auguſti.

Bathildis uxor Ludovici regis Franciæ, monialis facta, circa hoc tempus bina ædificat cœnobia, *Corbejam & Calam.* Audom.

Anglorum rex *Oſvvin* legationem mittit Romam ad Papam Vitalianum, offertque Petro multa vaſa aurea & argentea. Vitalianus contrà promittit ſe Epiſcopum idoneum miſſurum, interim donat regem & reginam aliquot reliquiis Sanctorum. *Beda.*

ANNO MUNDI 4615. Poſt C. 666.
D. ⊙3. ☽2. Ind. 9.

Lotharius *rex Franciæ, cùm poſt parentem annis quatuor regnaſſet, moritur: ſuccedit ipſi frater* Theodoricus, *qui regnat annos quatuor* Aimoin.

Annus Hegiræ 46. incipit die 23. Martii, fer. 6.

Conſtantinus Patriarcha Conſtantinopolitanus moritur, cùm annum & aliquot menſes ſediſſet: ſuccedit ipſi *Theodorus* homo verſutus & ſubdolus, qui monotheletarum errorem, quantum potuit, promovit. *Niceph.*

Hoc anno æræ Hiſpan. 704. celebratum eſt in Hiſpania concilium Emeritenſe, in quo inter alia

ſtatutum

ANNO MUNDI 4616. Poſt C. 667.
C. ☉ 4. ☽ 3. Ind. 10.

Ildefonſus Archiepiſcopus Toletanus, ex quo *Alfonſi* nomen deducitur, moritur primo Febr. *Baron.*

Sapor *præfectus Armeniæ rebellat Imperatori Conſtanti, & legatos ad* Maviam *Saracenorum principem mittit, auxilia petitum. Conſtans Imper. eodem legatos mittit: ſed Saracenus favet Sapori & auxilia mittit. ſed Sapor hic brevi ſpatio temporis dedit rebellionis pœnas: cùm enim equus in ipſis portis urbis exultaret & laſciviret caput affligit portæ, quâ plagâ defunctus eſt.* Cedr.

Mavias *ſinum ſuum in Romaniam mittit, multosq; captivos abducit, potiturq; urbe Amorio in Phrygia, quã firmat quinq; millium præſidio. ſed Conſtans hanc urbem recepit in hyeme, trucidato omni præſidio.* Cedr.

ANNO MUNDI 4617. Poſt C. 668.
B. A. ☉ 5. ☽ 4. Ind. 11.

Annus Hegiræ 48. incipit die 19. Febr. fer. 2.

Annus Nabonaſſaris 1416. & Philippi 960. incipit 9. Martii, fer. 5.

Theodorus natione Cilix, homo ſexagenarius, ordinatur Archiepiſcopus Dorovernenſis in Anglia Romæ à Pontifice Vitaliano: inde circa menſem Junium per Gallias in Angliam proficiſcitur. Ebroinus tum Major domûs fuit in Gallia, qui Theodorũ hunc comitatus eſt per Arelatenſem ditionẽ, ubi Theodorus, quod non ſatis firma valetudine eſſet, hâc æſtate & hyeme ſubſtitit. *Beda.*

Annus Iezdegird. 37. incipit die 7. Iunii, feriâ 4. Armen. 117. die 10. Iun. fer. 7.

Alexand. 980. Antioch. 717. Conſt. 6177. Cal. Octob.

Conſtans *Imperator, ſiniente ferè undecimâ Indictione, Syracuſis, ubi hactenus fuerat, in Balneo ab Andrea Troili filio, ſitula graviter capiti ejus impactâ, trucidatur, anno imperii viceſimo ſeptimo. Exercitus vero, ne ſine Imperatore eſſent, eligunt Armeniũ quendam* Mizizium *Imperatorem tantùm, quòd formoſus eſſet, qui tamen paulo poſt à* Conſtantino *filio Conſtantis claſſe victus occiditur. Conſtantinus igitur ſumpto ſecum parentis cadavere Conſtantinopolin redit, ubi quòd imberbis Conſtantinopoli abiiſſet, & paulo poſt barbatus rediiſſet, Pogonatus dictus eſt. Imperavit annos* 17. Zonaras. *Cùm Conſtantinopoli eſſet, populus clamare cœpit, tres debere eſſe Imperatores: hoc clamore ita motus eſt, ut Tiberium & Heraclium fratres naſo mutilaret, ne unquam ad Imperium adſpirare auderent.* Cedr.

Saraceni bellum Africæ inferunt, & ad octoginta millia hominum captivos abducunt. Cedrenus.

Ferchardus Scotiæ rex, cum annos 18. regnaſſet, moritur: ſuccedit *Malduinus*, qui regnat annos viginti. Buchan.

ANNO MUNDI 4618. Poſt C. 669.
G. ☉ 6. ☽ 5. *Ind.* 12.

Annus urbis 1421. *Iulianus 714.*

Æra Hiſpanica 707. *Auguſtorum 696.*

Annus Hegiræ 49. incipit die 8. Febr. fer. 5.

Vitalianus Papa, cùm ſediſſet annos quatuordecim, & menſes quinque, moritur die 27. Januarii. Succedit *Adeodatus*, natione Romanus, & monachus, qui ſedet annos ſeptem, & menſes ſe è tres. *Anaſtaſ.* Onufrius contra ſentit, & Vitalianum adhuc tres annos ſediſſe affirmat, & mortuum anno 672. & ſequenti Pontifici Adeodato adimit tres ſeſſionis annos.

Theodorus die 27. Maji, feriâ primâ, venit in Angliam, & cum Archiepiſcopatum accepiſſet, viſitat Eccleſias in tota Anglia, & præſedit annis 21. menſibus tribus, diebus 26.

Olympias 362. incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1445.

Annus Diocletiani 386. incipit die 29. Aug.

Conſtantinus Imp. inchoat annum imperii ſecundum menſe Septembri.

Saraceni, cùm viderent tantos motus eſſe in Sicilia, ipſi etiam eam invadunt & Syracuſas obſeſſas tandem capiunt, tabulasque æreas, aut ſi quid æris inventum fuit, quod Conſtans ex tota Italia convexerat, Alexandriam avehunt. *Anaſt.*

Saraceni præterea, ut gens populoſa, omnes ferè provincias Romanas aſſiduè incendiis & direptionibus vaſtant. *Zonar.*

ANNO MUNDI 4619. Poſt C. 670.
F. ☉ 7. ☽ 6. *Ind.* 13.

Annus Hegiræ 50. incipit die 28. Ian. fer. 3.

Hyems adeò vehemens & diuturna fuit hoc anno, ut & homines, & animalia plurima interficeret. Cedr.

Oſvvinus *Northumbrorum in Anglia rex pientiſſimus, cùm annos regnaſſet viginti octo, moritur die 15. Februarii. Succedit filius* Ecfridus, *qui regnat annis quindecim.* Beda.

Annus ſabbathicus ſecundus Iobelei tredecimi, incipit die 21. Septembr. feria 7. Anno Iudaico 4431.

Ebroinus, *Major domûs regis Theoderici in Francia, ſuperbè ſe gerit erga omnes Status; ideo Theodericus in odiũ venit, & tandem Theodericus regno pellitur & in cœnobium redigitur, ut &* Ebroinus & Hildericus. *Auſtraſiorum rex Lutetias evocatur, & rex Franciæ generalis conſtituitur.* Aimoin & Sigeb. *regnat annos octo.*

ANNO MUNDI 4620. Poſt C. 671.
E. ☉ 8. ☽ 7. *Ind.* 14.

Annus Hegiræ 51. incipit die 18. Ianuarii, fer. 7.

Saraceni *vaſtant Lyciam & Ciliciam, præparantque ea, quæ neceſſaria futura erant ad oppugnandam Conſtantinopolin.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4620. Poſt C. 672.
D C. ☉ 9. ☽ 7. *Ind.* 15.

Annus Hegiræ 52. incipit die 7. Ianuarii, fer. 5.

Annus Nabonaſſaris 1420. & Philippi 996 incipit die 8. Martij, fer. 2.

Saraceni ingenti claſſe Thraciam aggrediuntur, & Conſtantinopolin obſident totâ æſtate. Conſtantinus verò imperator, claſſe paratâ animoſe ſeſe eis opponit, pugnatq; cum iis ſæpiſſimè uſq; ad autumnũ; ibi Saraceni claſſẽ Cyzicũ abducunt, ibiq; hyemant, ſequenti vere Conſtantinopolin reverſuri. *Zonar.*

Annus Iezdegird. 41. incipit ſexto Iunii, fer. 1. Armen. 121. nono Iunii, feriâ quartâ. Alexand. 984. Antioch. 721. Conſtant. 6181. à Calend. Octobr.

Theodorus Archiepiſcopus in Anglia convocat Synodum, ineunte indictione prima anno tertio Egfridi Calend. Septembr. in qua inter alia conſtitutum fuit, ut Paſcha celebraretur à quindecima Luna usque ad 21. Beda.

Receſuindus, *cùm annos poſt patrem regnaſſet duodecim, & menſes ſex, moritur, Æra Hiſp. 710. Calendis Septembris, fer. 4. horâ diei tertiâ, cyclo Lunæ octavo, Lunâ tertiâ, hoc eſt, cùm ante triduũ fuiſſet novilunium. Fuit id, ut tabulæ oſtendunt, die 28. Auguſti. Succedit* Bamba, *Regio Gothorum ſanguine ortus, vir pientiſſimus, eodem die, ſed inaugurationem differt poſt dies novendecim, in Lunam viceſimam primam, in diẽ 19.*

Septembr. & regnavit annos octo, menſem unum, die quatuordecim. Ildefon.

Annus Hegiræ 53. incipit die 27. Decembris, fer. 2.

ANNO MUNDI 4622. Poſt C. 673.

B. ☉ 10. ☽ 9. *Ind.* 1.

Annus urbis 1425 *Iulianus* 718.

Æra Hiſpanica 711. *Auguſtorum* 700.

Grimoaldus *metuens ſibi Francorum regibus apud quos* Pertharit *rex Longobardorum profugus exulabat, ne eum in regnum reſtituerent, multum ipſis indulget & amicitiam cum iis colit. Igitur* Pertharit *in Angliam tendit, in itinere ipſi affertur nuncium,* Grimoaldum *eſſe defunctum. Huic enim cùm poſt venæ ſectionem arcum tenderet, vena brachii rupta eſt, ad quam ſanandam dicitur, medicos venenum addidiſſe, cum regnaſſet annos novem: Fuit vir maximi conſilii & manu promtus.* Pertharit *ergò in Italiam reverſus regnum paternum 3. menſe poſt* Grimoaldi *obitum recepit, regnatq; annos ferè 18. fuit rex juſtitiæ tenax, & liberalis.* Diac.

Bamba *primo anno regni ſui cum Francis decertat & vincit.* Ildefon.

Ecbertus *Cantuariorum in Anglia rex, cùm annos 9. regnaſſet, moritur menſe Iulio; ſuccedit filius ipſius* Lotharius, *qui regnat annos* 12. Beda.

Olympias 363. *incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1449.

Annus Diocletiani 390. *incipit die* 29. *Aug.*

Conſtantinus imperii annum ſextum incipit menſe Septembri.

Gennevvalkius, *rex Weſtſaxonum in Anglia, cùm annos triginta unũ regnaſſet, moritur. Succedit uxor* Sexburga, *quæ tantum anno uno regnavit.* Malmesb.

Cùm Saraceni *ad obſidionem Conſtantinopolis reverſi eſſent, Conſtantinus per duces ſuos eos claſſe vincit, & ad triginta eorum millia occidit.* Cedr.

Gallinicus *architectus, cùm ab Helıopoli Ægypti Conſtantinopolin fugiſſet, ignem maritimum, quem* Græcum ignem *vocant, excogitavit, & claſſem Saracenorum ad Cyzicum hàc hyeme incendit.* Cedr.

Annus Hegiræ 54. *incipit die* 16. *Decemb. fer.* 6.

ANNO MUNDI 4623. Poſt C. 674.

A. ☉ 11. ☽ 10. Ind. 2.

Wulferus, *Merciorum in Anglia rex, cùm annos ferè ſeptendecim regnaſſet, moritur: ſuccedit filius* Edelredus, *qui regnat annos ferè triginta.* Huntin.

Hildericus *Comes in Hiſpania revocat omnes Iudæos in regnum, & Galliam Gothicam illis adjuvantibus rebellem facit. Contra hunc* Bamba *rex Paulum hominem Græcum cum exercitu mittit, qui perfide cum exercitu ad hoſtes tranſit, & ſe regem ſalutari jubet, & ablato ex templis auro milites conducit.* Bamba *igitur ipſe contra hoſtes proficiſcitur, civitates recipit, & proditores vincit.* Vaſæus.

Sexburga *in regnum* Weſtſaxonum *annum ferè regnarat & moritur; ſuccedit filius* Eſcuinus, *qui etiam annum ferè regnat.* Huntin.

Annus Hegiræ 55. *incipit die* 6. *Decembr. fer.* 4.

ANNO MUNDI 4624. Poſt C. 675.

G. ☉ 12. ☽ 11. *Ind.* 3.

Bamba *Aſtures & Vaſcones domat, & ſub regnum revocat, & urbem Cartam inſtaurat & ampliat, eamque* Pampelonam, *quaſi Bambæ Lunam appellat.* Tudenſis.

Saraceni, *qui longè lateque regiones Chriſtianorum vaſtare his temporibus ſolebant, etiam in Hiſpaniæ litora deferuntur; ſed* Bamba *claſſe comparata, ducentas & ſeptuaginta Sacracenorum naves capit & igne cremat.* Vaſæus.

Concilium Toletanum iterum indictum die 7. Novembris, in quo multa quidem alia conſtituta ſunt, inprimis tamen tota Hiſpania in certos Archiepiſcopatus & Epiſcopatus, numero octoginta diſtributa eſt, & Metropolitanis quibusque ſui Epiſcopi ſuffraganei aſſignati ſunt, & fines eorundem diſtincti. *Vaſæus.*

Eſcvvinus *rex Weſtſaxonum in Anglia, cùm annum unum & aliquot menſes regnaſſet, moritur; ſuccedit frater* Kennevvinus, *qui regnat annos octo.* Hunt.

Annus Hegiræ 56. *incipit die* 25. *Novembr. fer.* 1.

ANNO MUNDI 4625. Poſt C. 676.

F.E. ☉ 13. ☽ 12. *Ind.* 4.

Annus Nabonaſſaris 1424. *& Philippi* 1000. *incipit* 7. *Martii, fer.* 6.

Annus Iezdegird. 45. *incipit quinto Iunii, feriâ* 5. *Armen.* 125. *octavo Iun. fer.* 1.

Papa Adeodatus, cùm ſediſſet annos ſeptem, & menſes ferè tres moritur die 26. Junii; ſuccedit ipſi *Donus*, qui ſedet annum unum, & menſes quinque, ſecundùm Baronium: ſed ſecundùm Onufrium, ſedet annos duos, & menſes quinque. Cùm hic Papa electus eſſet menſe Auguſto, apparuit *Cometa* in Oriente per menſes tres, cujus radii cœlum penetrabant; poſt evanuit. *Anaſtaſ.*

Annus Alexand. 988. *Antioch.* 725. *& Conſtantinop.* 6185. *incipit à Calend. Octobr.*

Mardaitæ *Libanum ingreſſi occupant ſpeculas Libani, eaſque ita muniunt, ut eſſent inexpugnabiles: ad hoſce transfugiunt ſervi, captivi & indigenæ Saracenorũ, & plurimis damnis Saracenos afficiunt, quâ re Saraceni adeò territi ſunt, ut legatos mitterent ad Cõſtantinum, anno ejus imperii nono, pacis petendæ gratiâ, quæ firmatur in triginta annos, Saracenis pendentibus quotannis decem millia pondo auri, centum ſervos, equos generoſos quinquaginta. Bulgari hac pace territi, & ipſi pacem petunt, & obtinent.* Cedr.

Annus Hegiræ 57. *incipit die* 13. *Novembr. fer.* 5.

ANNO MUNDI 4626. Poſt C. 677.

D. ☉ 14. ☽ 13. *Ind.* 5.

Annus urbis 1429. *Iulianus* 722.

Æra Hiſpanica 715. *Auguſtorum* 704.

Edelredus *rex Merciorum, adducto exercitu Cantiam vaſtat, deſtructis urbibus & monaſteriis crudeliſſimè.* Beda.

Olympias 364. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1453.

Annus Diocletiani 394. *incipit die* 29. *Auguſti*

Annus ſabbathicus quartus Iobelei 13. *incipit die* 3. *Septembr. feria* 5.

Conſtantinus Imperator inchoat annum imperii decimum in Septembri.

Epiſcopus Conſtantinopolitanus & Antiochenus Monotheletæ damnant pontifices Romanos, eorumq; nomina ex ſacris tabulis eradunt. *Concil.*

Annus Hegiræ 58. *incipit die* 3. *Novembr. fer.* 3.

ANNO MUNDI 4627. Poſt C. 678.

C. ☉ 15. ☽ 14. *Ind.* 6.

Donus vel Domnus vel Dunus Papa, cùm ſediſſet annum unum, & menſes quinque, moritur

die

die 11. Aprilis; ſuccedit *Agathon* Panormitanus Siculus, qui ſedet annos quatuor, juxta Baronium, ſed Onufrius ipſi tribuit tantùm annos duos, menſes ſex.

Sudarium Chriſti hæc tempora inventum eſt, & Judæis, qui magnas ſibi divitias ex ejus benedictione cumulaverant, eripitur, per ignem probatur, & à Saracenis reſtituitur Chriſtianis: fuit longum pedes octo. *Beda.*

Bulgari *dicti à Volga vel Bulga fluvio, è Septentrionalibus locis Euxini Ponti in Thraciam effuſi, eam vaſtant, & Romanus exercitus obviã hoſtibus miſſus vincitur. Imperator igitur, qui jam Eccleſiaſtica curaturus erat negotia, & Concilium convocaturus, pacem ipſis offert, & pecuniam numerat.* Cedr.

Wilfridus Eboracenſis Epiſcopus, cùm in diſſenſione quadam ad Papam appellaſſet, Romam profecturus in Friſiam defertur, ubi apud regem Adgillum hybernat, & crebris concionibus multos ad fidem Chriſtianam convertit, ideò ſcribit in Angliam, ut Doctores quosdam mitterent in Friſiam ſuo loco, ipſe vere primo Romam profectus, interfuit Concilio. *Annal Friſ.*

Annus Hegiræ 59 incipit die 23. Octobr. fer. 7.

ANNO MUNDI 4628. Poſt C. 679.

B. ☉ 16. ☽ 15. *Ind.* 7.

Conſtantinus Imp. ſpem fecerat Pontifici Romano ſuperiori anno Concilii Oecumenici, quod diſceptaretur controverſia Monotheletarũ. Particularia igitur Concilia agitantur in Anglia, & Gallia, & Italia de iſta controverſia, & in ſingulis confeſſiones fidei conſcribuntur. *Beda & alii.*

Hilдericus *rex Franciæ Bodilonem Francum verberibus ſerviliter cædi curaverat; is regem in venatione exceptum una cum pregnante uxore interficit, cùm annos octo regnaſſet: ideoque* Theodoricus *ex Cœnobio ad regnum revocatur, & Leudeſius Major domûs conſtituitur, regnatque annos* 14. Sigeb.

Eclipſis Solis circa indictionẽ octavam annotatur ab Hiſtoricis, quæ facta ſit die 3. Martii, horâ die decimâ, ſed nec novilunium circa hæc tempora in eum diem incidit, nec Luna propter latitudinem apta eſt ad eclipſin. Facta tamen eſt hoc anno eclipſis Solis horâ diei decimâ, ſed accidit die 13. Iulii feriâ 4. horis quatuor poſt meridiem. Parallaxis latitudinis 31. 38 Latitudo vera 46. 17. Latitudo viſa ſeptent. 14. 39. Semidiameter Solis 15. 4. Summa Semidiam. 29 59. Scrup. reſidua. 15 20. Digiti ecliptici 6. 6. Sol in 23. Cancri.

Adgillus Friſiorum rex, cum annis 49. regnaſſet, moritur: ſuccedit filius *Radbodus*, qui regnat annis 40. *Annales Friſ.*

Bulgari *trajecto Danubio in Bernis habitare inſtituunt: contra hos Imperator mittit exercitum, qui ferocior factus & incautior, quòd Bulgari ſe in immunitis locis continerent, ideò vincitur, & Imperator neceſſariam pacem accipit.* Cedr.

Annus Hegiræ 60. incipit die 12. Octobr. fer. 4.

Romaldus, *poſtquam ſedecim annis regnaſſet, & Tarentum & Brunduſium ſuæ ditioni adjunxiſſet, moritur: ſuccedit ipſi filius Grimoaldus, qui tribus annis Ducatum gubernat, & conjugem ducit Wigelindam, filiam regis Perthariti.* Diac.

ANNO MUNDI 4629. Poſt C. 680.

A.G. ☉ 16. ☽ 16. *Ind.* 8.

Mavia *rex Saracenorũ moritur, cùm annos 21. regnaſſet: ſuccedit filius Iezid, qui ſtatim ſe regno abdicat: ſuccedit* Marvan, *qui regnat aliquot menſes, & moritur circa finem anni* Zacuthi.

Annus Nabonaſſaris 1428. & Philippi 1004. incipit ſexto Martii, feria 3.

Ebroinus quondam Major domûs in Franciã ex cœnobio, in quod detruſus fuerat, elapſus, vires undiq; acquirit, theſauros regis Theodorici & Eccleſiarum diripit, Leudeſium Majorem domûs vincit, & trucidat, & Theodorico regi reconcialiatur, & in priſtinam dignitatem reſtituitur. *Aimoin.*

Bulgari invaleſcunt adeò, ut Imperator ipſis novum tributum præter conſuetum addere cogeretur. Sigeb.

Annus Iezdegird. 49. incipit 4. Iunii, feria 2. Armen 129. incipit die 7. Iunij, fer. 5.

Pertharit *Longobardorum rex, cùm annos ſeptem regnaſſet, filium ſuum* Cunibertum *regni conſortem facit, cum quo regnat ferè annos decem.* Diac.

Eclipſis Lunæ annotatur hoc anno & ab Anaſtaſio & Vrsbergenſe, quæ acciderit die 17. vel 18. Iunii. Accidit & die 18. Iunij, feriâ ſecundâ ineunte, horâ tantùm dimidiâ poſt mediam noctem. Latitudo Auſtralis vera 14. 37. Semidiam. Lunæ 16. 33. Summa ſemidiam. 60. 27. Scrup. reſidua 45. 50. Digiti ecliptici 16. 37. Sol in fine Geminorum.

Hanc ſecuta eſt peſtis tribus menſibus, Iulio, Auguſto & Septembri.

Annus Hegiræ 61. Alexandrinus 992. Antioch. 729. & Conſtantinop. 6189. incipit Calend. Octobr. fer. 2.

Quidã Ardebaſtus ex Græcia ab Imperatore pulſus in Hiſpaniam venit: quem Chindaſuindus rex honorificè ſuſcepit eiq; conſobrinã ſuam uxorẽ dedit. Inde natus eſt Ervigius, *qui cum eſſet in ſummo honore, & comes, ad altiora nititur, & venenum* Bambæ *Hiſpaniarum regi in cibos indit, unde & memoria ejus extincta eſt, & adeò decubuit, ut animã exhalaturus videretur: Ideò Epiſcopus Sacramentum extremæ unctionis ipſi obtulit.* Cùm autem valetudinem recuperaſſet, & certior fieret de Sacramento ſibi oblato, planè ſe regno & mundo abdicavit, & in monaſterium ſeceſſit, *cùm regnaſſet annos octo, menſem unum, & dies quatuordecim. Factum die 14. Octobris, feriâ primâ, Lunâ 15. hoc eſt in plenilunio. Plenium autem fuit 13. Octobr. Sequenti die* Ervigius *rex factus eſt, qui coronatus eſt 21. Octobis, feriâ primâ, Lunâ vigeſimâ ſecundâ, & regnat annis octo.* Vaſæus.

Legati à Pontifice Romano Conſtantinopolim miſſi ad Concilium, quod indictum fuerat die 7. Novemb. appellunt die 18. Novemb. die Dominico. Invitantur inde ad proceſſionẽ die 22. Novembris, ubi conveniunt Epiſcopi numero 150. inde totâ hyeme diſceptatur. *Anaſtaſ.*

ANNO MUNDI 4630. Poſt C. 681.

F. ☉ 18. ☽ 17. *Ind.* 9.

Annus urbis 1433. *Iulianus* 726.

Æra Hiſpanica 719. *Auguſtorum* 708.

Cùm diſceptatum fuiſſet Conſtantinopoli totã ferè hyeme in Concilio, convenerunt tandem Patres die 23. Febr. & autoritates Patrum lectæ ſunt de duabus in Chriſto voluntatibus, & exemplaria collata. Iterùm convenerunt die 17. Febr. & die 7. Martii, item aliquot diebus: continuatum eſt Concilium usque ad Septemb. & damnati ſunt monotheletæ, & alii. *Anaſtas.*

Olympias 365. incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1457.

Annus Diocletiani 398. incipit die 29. Auguſti.

Conſtans Imperat. inchoat imperii annum decimum quartum menſe Septembri.

Annus Hegiræ 62. incipit die 20. Septembr. fer. 6.

Abdelmelech *poſt mortem Marvan, qui ferè annum regnarat, fit* Calipha *in Damaſco, regnatque annos viginti.* Zacuth.

Peſtis & fames ingens graſſatur in Saxonia, quòd triennio non pluiſſet; fame urgente multi ſeſe in mare præcipites dederunt. Beda.

ANNO MUNDI 4631. Poſt C. 682.

E. ☉ 19. ☽ 18. *Ind.* 10.

Agatho Papa, cùm ſediſſet annos quatuor ferè, moritur die 10. Januarii. Vacat ſedes anno uno, & menſibus ſeptem, procul dubio ex diſſenſionibus aut ambitione. *Anaſtaſ.*

Georgius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cùm ſediſſet annos tres, moritur; cui iterum ſubrogatur Theodorus, qui, quòd monotheletarum ſententiam ſequeretur, depoſitus fuerat. Jam quòd pœnitentiam ſimularet, & orthodoxam doctrinam profiteretur, etſi clanculum faveret monotheletis, reſtitutus eſt ſeditque annos duos. *Niceph.*

Annus Hegiræ 63. incipit die 10. Sept. fer. 4.

Conſtantinus Imperator remittit Pontificibus Romanis pecuniam, quam pro confirmatione ſua Imperatori præſtare ſolebant, jus tamen confirmationis integrum ſibi retinebat. *Anaſtaſius.*

Fames & peſtis in Syria graſſatur vehementiſſimè. Ideoque cùm Mardaitæ, ſive præſidia in Libano monte Saracenos adhuc deprædarentur, Adelmelech Calipha tributum uſitatum Imperatori per aliquot annos adhuc mittit. Miſcel.

Alahis *Dux Longobardorum Tridentinus contra regem Perthari rebellat, & regem primo prælio fugat, ſed cùm rex majores vires colligeret, Alahis ſibi metuens per filium Cunibertum parenti reconciliatur, & inſuper Brixia Ducatum recipit.* Diac.

ANNO MUNDI 4632. Poſt C. 683.

D. ☉ 20. ☽ 19. *Ind.* 11.

Anaſtaſius, qui hiſtorias Pontificum conſcripſit, meminit hoc anno eclipſis Lunaris his verbis: Temporibus Leonis Pontificis indictione undecimâ die 16. Aprilis poſt cœnam Domini, Luna penè totâ nocte in ſanguineo vultu laboravit, & non niſi per galli cantum ex tenebris cœpit exire.

Eclipſis illa accidit eodem die, die ſcilicet Viridium, ut vocare ſolemus, horâ dimidiâ ante mediā noctem. Cœpit dimidiâ decimâ, finita eſt ferè ſeſquihorâ poſt mediam noctem; duravit enim horis ferè quatuor. Latitudo vera 12. 50. Semidiamet. Lunæ 17. 26. Summa ſemidiametrorum 62. 53. Scrup. reſidua 50. 3. Digiti eclipt. 19. 18. Sol in 29. Arietis.

Leo ſecundus Papa ſecundùm Anaſtaſium, ut videre eſt ex hac eclipſi, cœpit ſuperiori annò, ſeditque annos decem, & mortuus eſt hoc anno, indictione undecimâ, die 26. Junii. Baronius hunc Papam ad Pontificatum admittit tandem hoc anno, & mortuum aſſerit ſequenti anno: unde patet, meras tenebras eſſe in hiſtoria Pontificum. Secundùm Anaſtaſium vacavit ſedes poſt Leonem defunctum menſibus undecim, & diebus viginti duobus.

Annus Hegiræ 64. incipit die 30. Auguſti, fer. 1.

Concilium Toletanum iterum actum die 4. Novembr. Epiſcoporum quadraginta octo, ubi multa acta, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant. *Tom. Conc.*

ANNO MUNDI 4633. Poſt C. 684.

C.B. ☉ 21. ☽ 1. *Ind.* 12.

Stella *noctu juxta vergilias cœlo ſereno inter nativitatem Chriſti & Theophaniam apparet obtuſo lumine, ut Luna: & die 14. Febr. exiit ſtella veſperi à meridie ad ſeptentrionem.* Anaſtaſius.

Annus Nabonaſſaris 1432. & Philippi 1008. incipit die 5. Martij, fer. 7.

Theodorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cùm duos annos ſediſſet, moritur: ſuccedit *Paulus* adhuc Laicus, qui ſedet annis ſeptem. *Niceph.*

Annus Iezdegird. 53. incipit 3. Iunii, feria 6. Armen. 133. die 6. Iunii, fer. 2.

Veſuvius *mons maximas flammas eructat, quarum cineribus finitima exuſta ſunt.* Anaſtaſ.

Poſt interregnum undecim menſium ſuccedit tandem in Pontificatu Romano *Benedictus*, in cujus confirmatione Conſtantinus Imperator clero Romano remittit confirmationem Pontificis, ita ut poſt obitum ſtatim illis liceat Pontificem eligere & confirmare, ne dum confirmatio Conſtantinopolin affertur, interregnum Paparum prolongetur. Sedit autem hic Benedictus tantùm menſes decem. *Baron.*

Annus ſabbathicus quartus Iobelei decimi tertii, incipit die 15. Septembr. fer. 5. Anno Iudaico 4445.

Annus Hegiræ 65. incipit die 18. Auguſti, fer. 5.

Annus Alexand. 996. & Antioch. 733. & Conſtantinop. 6193. Calend. Octobr.

Egfridus *rex Northumbriæ mittit exercitum in Hyberniam, multum deprecantibus Epiſcopis in Anglia & Hybernia, & miſerè illam totam inſulam vaſtat, everſis urbibus & monaſteriis.* Beda.

Concilium Toletanum decimum quartum celebratur, die 20. Novembris, feriâ primâ, in quo Concilium, quod nuper Conſtantinopoli actum fuerat, pro quinto Concilio Oecumenico reputatur, cùm in eo, quod aliàs quintum appellatur, non de doctrina, ſed de perſonis quibuſdam tantùm actum ſit. *Vaſæus.*

ANNO MUNDI 4634. Poſt C. 685.

A. ☉ 22. ☽ 2. *Ind.* 13.

Annus urbis 1437. Iulianus 730.

Æra Hiſpanica 723. Auguſtorum 712.

Benedictus Papa, cùm ſediſſet menſes decem, moritur die 7. Maji: ſuccedit ipſi *Iohannes*, hujus nominis quintus, qui ſedit annum unum. *Anaſtaſ.*

Egfridus, *rex Northumbrorum in Angliæ bellū Pictonum provinciæ infert, ubi fugā ſimulantibus hoſtibus ipſe in anguſtias defertur, & maximâ parte ſuorū ceſis ipſe etiā cadit die 20. Maji.* Picti *victoriā perſequentes, Anglos & Scotos illis locis pellunt, & terras ſuas olim amiſſas recuperant, quod obtinuerunt, ut* Beda ait, *jam annos 46. unde patet Bedam ſuam hiſtoriam ſcripſiſſe anno 731. Periit Egfridus anno regni 15. Succedit* Alcfridus *frater, qui regnat annis decem & octo.*

Olympias 366. incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1461.

Annus Hegiræ 66. incipit die 8. Auguſti, fer. 3.

Annus Diocletiani 402. incipit die 29. Aug.

Conſtantinus *Imper. Inchoaturus annum decimum octavum imperii, moritur menſe Septembri, indictione 14. cùm regnaſſet totos annos ſeptendecim; ſuccedit ipſi filius* Juſtinianus *annis decem, adoleſcens ſedecim annorum, homo impotentis animi, & propterea nullius conſilii.* Cedr.

Theodo-

Theodoricus rex Franciæ Synodum ex Conſilio *Ebroini* Majoris domus celebrat, & multi ab Epiſcopatibus removentur innocenter, quòd olim Ebroino adverſati eſſent. Inter hos etiam fuit *Lambertus* Trajectenſis Epiſcopus, qui exinde monachus factus eſt. Idem Ebroinus Leodegarium infinitis torquet tormentis, & tandem capite truncat. *Sigeb.*

Juſtinianus *Imperator exercitum in Armeniam mittit, Saracenos inde pellit, & eandem imperio Romano reſtituit. Saracenos ita terret, ut tributum uſitatum libentiſſimè offerrent*, Miſcell.

ANNO MUNDI 4635. Poſt C. 686.
G. ☉ 23. ☽ 3. *Ind.* 14.

Lotharius *Cantuariorum rex in Anglia cum annos duodecim regnaſſet, in prælio contra Auſtrales Saxones, quos eduxerat* Edricus *filius Eckerti, jaculo trajicitur & moritur: ſuccedit* Edricus *ipſe, qui regnat tantum uno anno, & ſex menſibus*. Beda.

Annus Hegiræ 67. incipit die 28. Iulii, fer. 7.

Papa *Iohannes* quintus moritur, cum ſediſſet annum unum, & menſes undecim, die 2. Auguſt. Succedit ipſi *Conon* patria Thrax, educatus in Sicilia; poſt Romam profectus, per ordinum gradus aſcendit ad Pontificatum. Contentio autem facta eſt in ejus electione: alium elegit Clerus, alium Exarchus; cum neutra pars cedere vellet. Conſentiunt tandem in tertio in Conone, homine ſene qui ferè ſemper ægrotavit. Sedit autem menſes tantum undecim. *Anaſt.*

Exarchus Theodorus *una cum Pontifice ferè incipit; præeſt huic dignitati tantum aliquot menſibus poſt Theodorum Calliopam, qui fere annis triginta ſex præfuerat.* Anaſt.

Kilianus monachus ex Hybernia, religionem Chriſtianam ſub Conone Papa docet in Francia Orientali, in oppido Würtzburg. *Baron.*

Abdelmelech *Saracenorum Calipha continenter ſollicitat apud Iuſtinianum de pace, & hoc anno tandem initur his conditionibus, ut ipſe Iuſtinianus eos, qui Libanum inſederant, removeret. Fuerunt hæc præſidia Syrorum ad* 12000. *qui ejuſmodi munitionem conſtruxerant, ut eſſent inexpugnabiles, & imperii provincias turbabantur, & ex Saracenorum provinciis prædas agebant. Ipſe contra* Abdelmelech *Iuſtiniano in ſingulos dies præſtaret mille nummos, ſervum unum; & equum, & tributa Cypri, Armeniæ, & Iberiæ æqualiter dividerentur. Sed remotis hiſce præſidiis in Libano, viciniæ regiones à Saracenis crudeliter vaſtatæ ſunt.* Miſcell.

Iulianus Epiſcopus in Hiſpania contra Iudæos ſcribit, qui negabant nos Chriſtianos verum annorum numerum tenere à condito mundo, traditq; Chriſtum natum, cum in æra Hiſpanica, ſive Cæſaris, ut loquitur, triginta octo anni præteriiſſent. *Baron.*

ANNO MUNDI 4636. Poſt C. 687.
F. ☉ 24. ☽ 4. *Ind.* 15.

Juſtinianus, *cùm pacem cum Saracenis firmaſſet, eaque pactio certa videretur, bellum tàm Bulgaris quàm Sclavis infert, & cum multâ prædâ revertitur, quâ tamen ferè à Bulgaris exuitur.* Miſcell.

Annus Hegiræ 68. incipit die 17. Iulii. fer. 4.

Theodorus *Exarchus, qui tantùm aliquot menſibus præſederat, moritur; ſuccedit Iohannes Platon, qui obtinet dignitatem annis* 16. Anaſtaſ.

Seditiones apud Saracenos hactenus viguerant, ſed Muctar hoc anno tandem in Perſia vincitur, & in Syria trucidatur à Muſabo. quem Abdimelech viciſſim vincit atq; ita ſubactis rebellibus univerſo regno Saracenico in Perſia & Meſopotamia etiā potitur. Miſcell.

Ægrotante Conone Papa, Archidiaconus Paſchalis, ut poſt Cononem Papa fieret, miſit donaria inſignia Johanni novo Exarcho, qui ea de cauſâ ſuis præfectis Romæ mandata dat. Cùm igitur Conon Papa moreretur die 13. Septembris, diſſenſio & ſchiſma oritur, idque Onufrius vocat nonum in ordine. Altera pars elegit Theodorum Archipresbyterum, altera paſchalem Archidiaconum, quorum uterque ſe præſidiis munit. Cùm neuter alteri cedere vellet, ſincerior pars Cleri Sergium oriundum ex Syria, natum in Sicilia Papam eligit, cui Theodorus ſtatim ceſſit: ſed Paſchalis promittit Exarcho centum auri libras, ſi dejecto Sergio ſe Pontificem faceret, atque ita ſeditio exorta eſt. Johannes igitur Exarchus ipſe Romam tendit, & cognitâ cauſâ, Paſchalem Archidiaconatu movet, & in monaſterium concludit: centum autem illas auri libras à Pontifice Sergio exigit. Hic Sergius ſedit annos 12. menſes 8. dies 14. & conſtituit, ut tempore cœnæ Domini canatur: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.* Anaſt.

Hervigius, *cùm regnum Hiſpaniæ annis 7. obtinuiſſet, moritur, & regnum* Egicæ *genere ſuo relinquit, propinquitate proximâ* Bambam *attigit, ita ut eum patrem ſuum appellaret; ideò Ervigii filiam uxorem repudiat ob parentis ſcelus, quod Bamba venenum miſcuerat: nihilominus tamen filium* Vitizam *ex Ervigii filia regni heredem conſtituit, regnatque annis fere tredecim.* Vaſ.

ANNO MUNDI 4637. Poſt C. 688.
E. D. ☉ 25. ☽ 5. *Ind.* 1.

Annus Nabonaſſaris 1439. *& Philippi* 1012. *incipit* 4. *Martii, feria* 5.

Concilium Toletanum decimum quintum agitur, in cauſa regis Egicæ, ubi Julianus Epiſcopus etiam ſe Romano Pontifici aſperiùs oppoſuit. *Tom. Conc.*

Wulfaldo *Majore domûs in Auſtraſia defuncto Pipinus filius Anſegiſi princeps fit in Auſtraſia cum Duce Martino. Ebroinus hoſce bello perſequitur victoriaque potitur, ſed Pipinus evadit.* Sig.

Annus Iezdegird. 57. *incipit* 2. *Iunii, feriâ* 3. *& Armen.* 137. *die* 5. *Iun. fer.* 6.

Annus Hegiræ 96. *incipit die* 6. *Iulii, fer.* 2.

Wigbertus Anglus in Germaniam navigat, propagaturus religionem Chriſtianam apud Friſios, Ruginos, Danos, Hunos, Saxones, Bructuarios, ſed nullibi recipitur: Radbodo Friſionum regi fruſtrà toto biennio verbum Dei annunciavit. *Beda.*

Malduinus *Scotiæ rex, cùm annos viginti regnaſſet, moritur; ſuccedit Eugenius quintus, qui regnat annos quatuor.* Buchan.

Annus Alexand. 1000. *Antioch.* 737. *& Conſtantinop.* 6197. *incipit à Calend. Octobr.*

Edricus *rex Cantiæ in Anglia poſt biennium ferè regni moritur; ſuccedere conatur* Cedvvalla, *ſed proceres regni* Victredo *filio Egberti regnum conſervare conantur: ideò fit interregnum annorum ferè trium.* Malmes.

Ermenfridus *quidam* Ebroinum *Majorem domûs Neuſtriæ, inſolentiâ ſuâ Francos acerbiùs prementem, trucidat, & ad Pipinum confugit: in locum Ebroini ſuccedit* Waratho. Sigeb.

ANNO MUNDI 4638. Poſt C. 689.
C. ☉ 26. ☽ 2. *Ind.* 2.

Annus urbis 1441.	*Julianus* 734.
Æra Hiſpan. 727.	*Auguſtorum.* 716.

Ceadualla rex Weſtſaxonum in Anglia, cùm annis duobus regnaſſet, Romam abiit, ibi baptiſmum recepturus. Baptiſatus eſt die Sabbathi, ante Paſcha, die 10. Aprilis, & vocatus eſt Petrus nomine, ſed moritur adhuc in albis poſitus, die 20. Aprilis. *Hic primò ejectus fuerat regno, ſed cùm ipſum ſequerentur nobiliſſimi quique, ſtatim id recuperavit. Succedit ipſi* Ina, *qui juſtitiâ & pietate clarus id regnum retinuit annis triginta octo.* Beda

Kilianus Francorum Apoſtolus à *Geila* ducis Gosberti conjuge, nocte clam cum ſociis interficitur. Locus ſepulchri lapidibus ſternitur, & ut equorum ſtabulum ibi eſſet, ſtatuitur. Geila enim erat fratris Gosberti filia, quam in conjugio habere Gosbertum, qui jam baptiſatus erat, Kilianus prohibebat. *Baron.*

Annus Hegiræ 70. *incipit die* 25. *Iunii, feriâ ſextâ, qui ut Saracenorum annales tradunt, eſt annus Alexandræus milleſimus, quo floruiſſe ajunt Maſarigviam Iudæũ Medicum inſignem & Thiarock* Zacuthi.

Olympias 367. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1465.

Annus Diocletiani 406. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Iuſtinianus Imp. inchoat annum imperii quintum in Septembri.

Perthrit *Longobardorum rex, cùm annos ſeptendecim regnaſſet, moritur: ſuccedit filius, qui jam cum patre regnarat annis decem,* Cunibertus, *regnatque ſolus adhuc annos duodecim.* Diac.

Waratho *Major domus in Gallia Giſmarum filium cum exercitu contrà Pipinum mittit: fit pugna ad Namurcum, aquâ clade diſceditur, paulò poſt Waratho cum filio moritur, & Bertharius gener Warathonis fit Major domus ſub Theoderico: ſed cùm Francorum proceres Bertharium odiſſent, cùm Pipino agunt, ut ipſius conatibus reſiſtat, eique in hac re obſides dant.* Sigeb.

ANNO MUNDI 4639. Poſt C. 690.
B. ☉ 27. ☽ 7. *Ind.* 3.

Julianus Epiſcopus Toletanus in Anglia, qui contra Judæos ſcripſerat, moritur die 8. Martii.

Cùm Pipinus *impetrare à rege* Theodorico *non poſſet, ut exules reſtituerentur, vi cum ipſo agit, & exercitum colligit, & regem ipſum cum Berthario Majore domûs vincit: Bertharius à ſuis occiditur, &* Pipinus *in ejus locum ſuccedit, fitque major domûs per univerſam Franciam.* Sigeb.

Willibrordus ex Anglia in Germaniam cum ſociis undecim venit Trajectum, quod tum Friſones occuparant; ſed non receptus, circa viciniam oberrat.

Annus Hegiræ 71. *incipit die* 14. *Iunii, fer.* 3.

S. Ottilia Abbatiſſa in Alſatia floret. *Annales Suev.*

Iuſtinian. Imp. Saracenis, qui auream monetam, non cum imagine Imperatoris ſignatam, pro tributo attulerant, & aliàs pacem infidè colebant, & provincias Romanas miserè depopulabantur, pacem renunciat, multum deprecantibus Saracenis, & maſſas aureas pro tributo exhibentibus, atque ita non neceſſarium bellum movet, Cypriosque jubet inſulâ excedere, ne expoſiti eſſent incurſionibus Saracenorum. *Miſcell.*

Theodorus Epiſcopus Anglorum, cùm eſſet octoginta octo annorum, & Epiſcopatui Doverenſi annis 22. præfuiſſet, moritur die decimo nono Septembr.

Wictredus *poſt triennii interregnum in Cantia, cùm ipſe eſſet minor ennis, ad regnum Cantiæ aſſumitur, regnatque feliciter annis* 33. Beda.

ANNO MUNDI 4640. Poſt C. 691.
A. ☉ 28. ☽ 8. *Ind.* 4.

Alahis Dux Tridentinus ad ingenium redit, & Cuniberto regi Longobardorum rebellat, & aſtu regiam ſedem Ticinum occupat, excluſo Cuniberto rege, qui interim in aliis ſuis urbibus reſidet, donec Alahis in odium veniret propter inſolentiam. Quo facto, re cum Cuniberto deliberatâ. Alahi ſuadent, ut venatum egrediatur, & interim Cunibertus ſuam regiam ſedem recipit. *Diac.*

Annus Hegiræ 72. *incipit die* 4. *Iunii, fer.* 1.

Suidbertus Anglus ad Bructuarios venit, eosque in religione Chriſtiana inſtituit. Sed cùm à Saxonibus Bructuarii vincerentur, Suidbertus etiam loco pulſus ad Pipinum Majorem domus conceſſit. *Beda.*

Annus ſabbathicus 5. *Iobolei decimi tertii, incipit* 31. *Auguſti, fer.* 5. *Anno Iudaico* 4452.

Iuſtinianus exercitum fortiſſimum triginta millium ex Sclavis colligit, & contra Saracenos educit. Saraceni non parati ad Bellum per omnia ſacra deprecantur bellum, ſed nihil impetrant, & inſuper primo prælio ſuccumbunt: ideò ad fraudem converſi cum Sclavis agunt, ut acceptâ pecuniâ, quantam Imperator numerabat, domum redeant, & ita viginti millia avertunt, & Imperatorem turbatum hâc re vincunt. Imperator igitur hâc defectione irritatus, etiam reliquos Sclavos, qui remanſerant, interficit. *Cedrenus.*

Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cùm ſediſſet annis ſeptem, moritur, & in ejus locum ſufficitur *Callinicus.* homo navandarum rerum ſtudioſiſſimus, ſedetque annis duodecim. *Niceph.*

ANNO MUNDI 4641. Poſt C. 693.
G.F. ☉ 1. ☽ 9. *Ind.* 5.

Præfectus Armeniæ Sabbatius territus clade Imperatoris ſuperiori anno acceptâ, & quòd impar eſſet Saracenis, Armeniam Saracenis tradit.

Annus Hegiræ 73. *incipit die* 23. *Maji, fer.* 3.

Pipinus *Trajectum, quod Friſiorum rex Radbodus in turbis regni Franci occuparat, oppugnat, capit, & Friſiorum regem pellit.* Annales. Friſ.

Annus Iezdegird. 61. *incipit die* 1. *Iunii, fer.* 7. *Armen.* 141. 4. *Iunii, feriâ* 3. *Alexand.* 1004. *Antiochen.* 741. *Conſtant.* 6201.

Eugenius V. *Scotorum rex, cùm quatuor annos regnaſſet, moritur; ſuccedit Eugenius VI. qui regnat annos decem.* Buchan.

Concilium Conſtantinopoli à Callinico Patriarcha convocatur per Juſtinianum Imp. in quo nomine ſextæ Synodi ante decem annos actæ, Canones quàm plurimi editi ſunt de diſciplina Eccleſiaſtica. Et inter alios ſtatutum eſt de conjugio Clericorum, ut ipſis liberum eſſet habere conjuges, tantum-

tantummodò iis abſtinerent tempore adminiſtrationis myſteriorum. Hi Canones ab Orientali Eccleſia recepti ſunt, ſed Sergius Papa Romanus eos rejicit & damnavit. De hiſce Canonibus diuturno tempore in Eccleſia diſceptatum fuit, & ab hoc tempore Orientalis Eccleſia ſe à Pontifice Romano ferè ſeparavit. *Tomi. Concil.*

Willibrordus Anglus à Pipino Majore domus, qui Radbodum Trajecto pepulerat, & ferè regno ejecerat, ad Friſios mittitur, qui eos docuit religionem Chriſtianam. *Beda.*

ANNO MUNDI 4642. Poſt C. 693.
E. ☉ 2. ☽ 10. *Ind.* 6.

Annus urbis 1445. *Iulianus* 738.
Æra Hiſpanica 731. *Auguſtorum* 720.

Juſtinianus *intentus ædificando triclinio, & mœnibus Palatii, præficit operi homines crudeles, qui non tantùm operarios verberibus & flagris affecerunt, ſed etiam eoſdem fumo excruciaverunt, & alios illuſtres viros ſupplicio affecerunt, aut vivos combuſſerunt.* Cedr.

Sisbertus Toletanus Archiepiſcopus conjurat in necem regis. Convocata igitur eſt Synodus Toletana decima ſexta, menſe Majo, quæ hunc Sisbertum Epiſcopatu dejicit, & in exilium ejicit. *Tomi Concil.*

Annus Hegiræ 74. *incipit die* 13. *Maji, fer.* 3.

Olympias 368. *incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1469.

Annus Diocletiani 410. *incipit die* 29. *Aug.*

Juſtinianus *init annum imperii nonum menſe Septembri.*

Muhamed *Saracenus cum ſuis Sclavis locorum peritis Romanos multis in locis affligit, & ingentem multitudinem in captivitatem abducit.* Cedr.

Cum Eclipſis ſolis eſſet, inquit Diaconus, *Rodoaldus Dux Beneventanus in Calabria Tarentum & Brundiſium, & alia Romanis eripit. De eclipſi hac inquit Cedrenus: Anno Iuſtiniano nono tantus fuit Solis defectus, ut ſtellæ apparerent. Idem affirmat* Theoph in Miſcell. *Accidit ea die quinto Octobris, feriâ primâ, horis ante meridiem ferè quator. Parallaxis latitudinis fuit* 23. 56. *Latitudo vera ſeptent.* 25. 40. *Viſa latitudo ſept.* 1. 44. *Semidiameter Solis* 15. 39. *Summa ſemidiametrorum* 31. 48. *Scrup. reſidua* 30. 4. *Digiti eclipſi* 11. 32. *Sol in* 15. *gradu Libræ.*

ANNO MUNDI 4643. Poſt C. 694.
D. ☉ 3. ☽ 11. *Ind.* 7.

Juſtinianus, *iratus Conſtantinapolitanis, Stephano præfecto urbis mandat, ut ſumptâ occaſione plebem Cōſtantinopolitanam trucidet, facto initio à Callinico Patriarcha. Habuit autem in carcere tum* Leontium *Patritium, qui olim præclarè res contra Saracenos geſſerat, quem eodem tempore carcere liberat, eique præfecturam Græciæ mandat. Hunc, dum in portu navigandi tempus expectat, hortantur amici, ut occaſionem ulciſcentur injuriæ elabi non ſinat; aſtu igitur Prætorium occupat, & qui in carcere erant, liberat, & per eoſdem Iuſtinianum imperio dejicit, eum captū naſo truncat, & in Cherſoneſum relegat, miniſtros verò crudelitatis ejus pedibus tractos vivos comburit. Regnaverat autem Iuſtinianus annos ferè novem, in exilio verò degit annos ferè decem. Leontius verò imperium obtinet annis tribus.* Cedr. & Miſcell.

Annus Hegiræ 57. *incipit die* 2. *Maji, fer.* 7.

Theodoricus *Francorum rex, cùm iterùm ferè quindecim annos regnaſſet, moritur; ſuccedit filius* Ludovicus, *qui regnat annis quatuor.* Sigeb.

Alachis *Dux Tridentinus, iterum bellum facit Cuniberto Longobardorum regi, quem Clericis nimium addictum arguit: igitur jurat, ſi victoriâ potiatur, ſe puteum quendam teſticulis Clericorum oppleturum. Cunibertus contra petit ab eo, ut ſubditorum ſanguini parcat, & ſecum potiùs monomachiâ congrediatur: Id verò obtinere non potuit, quapropter congrediuntur binis præliis, & in ſecundo Alachis Dux cadit, & exercitus ejus diſpergitur: Factum prælium trans Padum.* Diac.

Wigbertus ſocius Wilibrordi & conſobrinus, à Radbodo Friſiorum rege interficitur, quòd ſtatuam Jovis & Foſtæ everiiſſet; ejus comites ad Pipinum ſe conferunt, à quo Trajectum, quod jam Francorum erat, cum commeatu remittuntur, & ſequenti anno Oratorium ædificant. *Annal. Friſ.*

Judæi *in Hiſpania conſpirant contra regem cum Iudæis in Africa: Conſpiratione verò hâc detectâ, Concilio convocato, menſe Novembri Iudæi in ſervitutem abripiuntur, res eorum fiſco cedit, & liberi eorum utriuſque ſexus ſeptennes & minores Chriſtianis nutriſcentur.* Vaſæus.

ANNO MUNDI 4644. Poſt C. 695.
C. ☉ 4. ☽ 12. *Ind.* 8.

Annus Hegiræ 76. *incipit die* 21. *Aprilis, fer.* 4.

Suibertus, qui cum ſociis Evangelium annunciarat Weſtphalis, & in vicinia, abit in Angliam, ubi ab Epiſcopo Merciorum ordinatur Epiſcopus Weſtphalorum, & Epiſcopatus Ultrajectenſis inſtituitur ad caſtrum Wildenburg, ædificato templo S. Crucis. *Beda lib.* 5. *cap.* 12.

Audomarus Morinorum Epiſcopus, vir pietate inſignis, moritur hoc anno. *Surius.*

ANNO MUNDI 4645. Poſt C. 696.
B. A. ☉ 5. ☽ 13. *Ind.* 9.

Annus Nabonaſſaris 1444. *& Philippi* 1020. *incipit die* 2. *Martii, feriâ* 5.

Annus Hegiræ 77. *incipit die* 10. *Aprilis, fer.* 2.

Annus Iezdegird. 56. *incipit die* 31. *Maji, fer.* 4.

Armeniorum 145. *die* 3. *Iunii. fer.* 7.

Willibrordus a Pipino Romam mittitur, ut Archiepiſcopus Friſiorum à Sergio Pontifice ordinetur, quod & obtinet, & *Clemens* appellatur, & ſequenti anno revertitur, ubi templum Ultrajecti ædificat D. Cæciliæ. *Beda.*

Suibertus Epiſcopus, cùm dedicaret templum Malſenſe, nobilem adoleſcentem, qui, dum properat, ut dedicationi intereſſet, in Rheno ſubmerſus & ſuffocatus fuerat, precibus parentum motus ex morte reſuſcitat. Marcellinus hæc ſcribit, qui interfuit. *Baron.*

Annus Alexandræus 1008. *Antiochenus* 745. & *Conſtantinop.* 6205. *incipit Calend. Octobr.*

Saraceni hâc æſtate Africam occuparant, ideò Leontius Imp. fratrem Johannem cum claſſe eò mittit, qui Saracenos ejiciat, qui & feliciter rem gerit, & omnia recuperat, Saracenos pellit, & in Africa hyemat. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4646. Poſt C. 697.
G. ⊙ 6. ☽ 14. Ind. 10.

Annus urbis 1449. *Iulianus 742.*
Æra Hiſpan. 735. *Auguſtorum 724.*
Annus Heg. 78. incipit die 30. Martii, fer. 6.

Radbodus *Friſiorum rex, coacto exercitu, Vltrajectum recuperare conatur, ſed eâ clade à Pipino repellitur, ut cogeretur etiam pacem dare his, qui Evangelium Friſiis annunciabant: ſed hujus pacis non fuit ſancta fides.* Annal. Friſ.

Saraceni *ex Africa, ſuperiori anno pulſi reparatis viribus redeunt; & Iohannem fratrem imperatoris profligant, totâque Africâ pellunt. Exercitus malè re geſtâ, cùm & ipſe intemperantiâ ſuâ cladem acceſſeret, ne ad pœnam raperetur, tumultuatur, &* Abſimarum, *qui & Tiberius vocabatur, Imperatorem proclamat; ici improviſo Conſtantinopolin occupat, Leontium capit, & præciſo naſo in Dalmatio monaſterio includit, cùm annis tribus imperaſſet, & Heraclium fratrem exercitui præficit. Imperat autem Abſimarus annis ferè ſeptem.*

Wilibaldus in Franciam Orientalem â Willibrordo mittitur ad prædicandum Evangelium: ejus ſoror fuit virgo *Walpurgis.* Marcell.

Olympias 369 incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1473. Annus Diocletiani 414. incipit die 29. Augusti.

Egica *rex Hiſpaniarum tribus annis ante mortem, filium ſuum* Vitizam *regi conſortem facit, eumq; Tudæ in Gallacia ſedem regni habere voluit; qui eò profectus* Favilæ *Ducis Cantabriæ uxorem adulterio cognoſcit, &* Favilam *ipſum trucidat. Fuit autem* Favila *pater* Pelagii, *qui poſtea ab Hiſpanis contra Saracenos rex creatus eſt.* Vaſæus.

ANNO MUNDI 4647. Poſt C. 698.
F. ⊙ 7. ☽ 15. *Ind.* 11.

Annus Hegiræ 79. incipit die 19. Martii, fer. 4.

Pipinus *Major domûs in Francia, vivente uxore Plectrude, concubinam Alpaidam ducit, ex qua genuit* Carolum *Martellum, quem poſtea hæredem facit omnium ſuorum bonorum, cùm legitimi liberi ſexê extincta eſſent. Alpaidam tamen hanc procul dubio duxit vel ante decennium, ut ex ætate Caroli Martelli, quando poteſt ſedecim annos Major domûs factus eſt, conjici poteſt. Lambertus Epiſcopus hoc in Pipino acriter reprehendit, ſed Alpaidæ conſiliis, quæ ex communicata ab ipſo erat, trucidatur.* Annal. Friſ.

Ludovicus *rex Franciæ, cùm quatuor annos regnaſſet, moritur: ſuccedit frater* Hildebertus, *qui regnat annis decem & octo.* Sig.

Annus ſabbathicus 6. Iobolei decimi tertii, incipit die 12. Septembris, fer. 5. Anno Iudaico 4459.

Muhamed. *Dux Saracenorum Chagano, qui Perſarum regnum impugnabat, auxilia mittit, & Abderathmon in prælio cadit, & Chaganus regnum Perſarum occupat.* Cedr.

Abſimarus, *dum Saraceni inter ſe digladiantur, occaſione uſus Syriam, ad Samoſata usque populando pervagatur, plurimum prædæ ſibi acquirit, & ducenta millia Saracenorum occidit: Sed cùm eſſet gens populoſiſſima, minùs hanc cladem ſenſit.* Cedr.

ANNO MUNDI 4648. Poſt C. 699.
E. ⊙ 8. ☽ 16. Ind. 12.

Annus Hegiræ 80. incipit die 9. Martii, fer. 1.

Habdalla *Saracenus, ut injuriam reponeret ab Imperatore acceptam, in fines imperii irruit, & Antaradum inſulam oppugnat, irrito tamen conatu. Inde Mopsveſtiam munit, & præſidiis firmat.* Cedr.

Drogo *filius Pipini, Dux campanenſium moritur, reliquit tamen filium Theobaldum.* Grimoaldus *frater Drogonis in aulam aſſumitur à patre Pipino, & Major domûs loco parentis ſtatuitur, collocatq; ipſi pater Pipinus poſtea filiam Rabdoni regis Friſonum.* Sigeb.

ANNO MUNDI 4649. Poſt C. 700.
D. C. ⊙ 9. ☽ 17. *Ind.* 13.

Annus Hegiræ 81. incipit die 25. Febr. fer. 3.

Annus Nabonaſſaris 1448. & Philippi 1024. incipit primo Martii, fer. 2.

Radbodus *Duce Gerlaeſo iterum Vltrajectum recuperare conatur, ſed tantâ clade repellitur, ut ab hujuſmodi conatu poſtea deſiſteret. Poſt hoc tempus amicitia inita eſt inter Pipinum & Radbodum, & affinitas juncta.* Annal. Friſ.

Wulfrannus Epiſcopus Senonenſis, munitus diplomate regio Francorum, ſe ad Radbodum confert, ut ipſum religionem Chriſtianam doceret, qui etiam admittitur. Sed cùm Radbodus baptiſandus eſſet, quærit de ſuis majoribus, an in cœlo vel inferno eſſent; cùm reſponderetur de inferno, ſtatim ex baptiſmo pedem retrahit, cum his verbis: ſe malle cum majoribus ſuis viris illuſtribus, & magnâ frequentiâ in inferno eſſe, quàm cum miſero populo Chriſtianorum & clericis in cœlo. Wulfrannus tamen quinquennio, quo in Friſia fuit, multos baptiſavit, & in Franciam rediit. *Annal. Friſ.*

Annus Iezdegird. 69. incipit die 30. Maji, fer. 1. Armen. 149. die 2. Iunii, feriâ 4. Alexandr. 1012. Antiochen. 741. Conſtant. 6209. Calend. Octobr.

Saraceni *totâ Armeniâ potiuntur.* Cedr.

Cracus *primus Polonorum princeps eligitur, qui poſtea urbem & ſedem regni ex ſuo nomine ædificavit* Cracoviam. *Hiſt. Pol.*

Egica *rex Hiſpanorum, cùm annos ferè tredecim regnaſſet, moritur: Cui ſuccedit* Vitiza, *homo flagitioſus & libidinibus inquinatiſſimus, qui Theodofredum Corduba exulantem, Recesvindi filium, qui iterum filium adultum habebat* Rodericum, *oculis privavit. Idem moliebatur etiam* Pelagio, *ſed hic fugâ evaſit.* Baronius ſcribit, *hunc Vitizam negaſſe Pontifici Romano uſitatum tributum, & prohibuiſſe, ne quid pecuniæ Romam efferretur: addit inſuper, regnum Hiſpaniæ fuiſſe feudum Romani Pontificis, id quod hodiè rex Hiſpaniæ negat, & propterea Annales Baronii ex Hiſpania proſcripſit. Regnavit autem* Vitiza *annis octo.* Vaſæus.

Sergius Pontifex Romanus venerabilem Bedam, qui hoc tempore erat triginta annorum circiter, & monachus, ad ſe Romam evocat, *ut habet Baronius.* Sed non videtur eò profectus, fortaſſis quòd Sergius ſequenti anno mortuus eſt, priusquam Beda ſe ad iter rectè appareret. *Baronius.*

ANNO MUNDI 4650. Poſt C. 701.
B. ⊙ 10. ☽ 18. Ind. 14.

Annus urbis 1453. *Iulianus 746.*
Æra Hiſpanica 739. *Auguſtorum 728.*
Annus Hegiræ 82. incipit die 15. Febr. fer. 3.

Principes Armeniæ occiſis præfectis Saracenorum, ſeſe imperio reſtituunt. Sed Muhamed miſſo exercitu ſuis ſubſidio venit, & autores defectionis vivos cremat. Miſcell. & Cedrenus.

Saraceni *etiam exercitum decem millium in Ciliciam mittunt, quibus obviam proficiſcitur Heraclius, Imperatoris frater, & vincit eos, captoſque ad fratrem Conſtantinopolin mittit.* Miſcell.

Olympias 370. incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1477.

Annus Diocletiani 418. incipit die 29. Auguſti.

Abſimarus *Imperatori inchoat annum imperii quintum in Septembri.*

Sergius Papa, cùm ſediſſet annos tredecim, menſes octo, moritur die 9. Septembris. Succedit ipſi die 29. Octobr. *Iohannes*, hujus nominis ſextus, qui obtinuit ſedem Pontificiam annis tribus, menſibus duobus: fuit natione Græcus.

Abdimelech *Saracenorum Calipha in Damaſco, cùm annos viginti regnaſſet, moritur: ſuccedit* Walid *filius, qui regnat annos 14. Edixit hic, ne leproſi in plateis obambulent.* Zacuthi.

Cuniberto *defuncto ſuccedit ipſi filius* Luitbertus *puer adhuc, ſed poſt octo menſes: hoc anno adhuc* Raginbertus *regnum invadit, ſed & ipſe hoc anno moritur. Ejus autem filius* Aribertus *iterum copias contrahit, & Luitbertum puerum vincit & capit, regnatque annos undecim.* Diac.

ANNO MUNDI 4651. Poſt C. 702.
A. ☉ 11. ☽. 19. Ind. 15.

Annus Hegiræ 83. incipit die 4. Febr. fer. 7.

Abſimarus *Imperator mittit Exarchum novum in Italiam* Theophylactum *Patritium, in locum Iohannis Platonis, qui annis ſedecim præfuerat: Obtinuit hic Theophylactus hanc dignitatem annis novem. Mandaverat autem Imperator huic Exarcho, ut priusquam Ravennam iret, Romam peteret, & novum Pontificem Iohannem (qui videtur inconſulto Imperatore ordinatus) Conſtantinopolin mitteret. Sed milites Romani, qui in præſidio erant, propter hanc rem tumultuantur. Quapropter novus Exarchus urbe excluditur, & ſeditio à Pontifice ſedatur.* Anaſtaſ.

Saraceni *repetunt Ciliciam, unde priori anno pulſi erant, ſed Heraclius frater Imperatoris iterū prælio inito eos vincit, & duodecim millia eorū occidit.* Miſcel.

Juſtinianus *olim Imperator, cùm videretur ſeneſcere in decennali exilio, ſpem concipit imperii recuperandi, cùm ad* Chaganum *Cazarorum regem profectus eſſet, à quo benigne ſuſceptus ſororem Chagani Theodoram uxorem acceperat; ſed* Abſimarus *Imperator contra multis muneribus obtinet à Chagano, ut ſibi Iuſtinianus tradatur. Sed Iuſtinianus re comperta inſidiatores comprehendit & trucidat, fugitque ad Bulgaros, ad regem eorum* Terbelin, *à quo ſtatim auxilia impetrat.* Miſcell.

Eugenius, *Scotiæ rex, cùm annos decem regnaſſet, moritur: ſuccedit ipſi* Amberceletus, *qui regnat tantùm annos duos.* Buch.

Giſulphus *Dux beneventanus exercitu collecto Campaniam invadit, Soram, Arpinos, Arcanum, & alia loca ſibi ſubjicit, & ingentes prædas agit. Pontifex obviam ipſi miſit Sacerdotes, egitque cum eo, ut abſtineret ab hac injuria, & captivos à ſe redimendos exhiberet, quod & fecit.* Diac.

Heimeranus Epiſcopus circa hæc tempora à duce Theodone Bavariæ occiditur. *Welſerus.*

ANNO MUNDI 4652. Poſt C. 703.
G. ☉ 12. ☽ 1. *Ind.* 1.

Annus Hegiræ 84. incipit die 24. Ianuarii. fer. 4.

Juſtinianus *aſſumpto Bulgarorum rege Thraciam invadit, & imperium recuperaturus Conſtantinopolin obſidet, ubi multis conviciis à civibus proſcinditur: ſed tertio die Iuſtinianus per aquæ ductum ingreſſus civitatem urbe potitur, Abſimarum in fuga captum, & fratrem Heraclium ſimul, aliosque principes in muro ſuſpendit, Theodoram conjugem cum filio Tiberio Conſtantinopolin reducit, & Auguſtam creat, & Bulgaros multis muneribus donatos domum dimittit, imperatque adhuc annos novem.* Cedrenus.

Gallinicus Patriarcha Conſtantinopolitanus à Juſtiniano deponitur, & oculis ſimul privatur & Romam relegatur, cùm ſediſſet annis duodecim: ſubſtituitur ipſi Cyrus monachus, qui Juſtiniano imperium iterum prædixerat, qui ſedit annis novem. *Cedren. Zonar.*

Giſulphus *Dux Beneventanus, cùm præfuiſſet annis 23. moritur: ſuccedit ex decreto Samnitium* Romualdus *filius, qui regnavit annis 26.* Diac.

Hagag *rex Babylonius, tyrannus crudeliſſimus, qui in viginti annis quibus Tauriſiis & Babyloniis præfuit, centum & viginti millia hominum interfecerat, & in carceribus juſſu ipſius extincti erant virorum quinquaginta millia, mulierum triginta millia: Cùm ægrotaret, accerſivit Aſtrologum, & interrogavit, an ex aſtris comperiſſet, regem hoc anno moriturum? Aſtrologus reſpondit, regem quidem quendam moriturum, ſed cui nomen canis ſit. Hagag contrà memor ſe in pueritia canem vocatum, reſpondit, moriar quidem, ſed tu me hora præcedes, & ipſi ſtatim caput amputari juſſit.* Zacuthi.

ANNO MUNDI 4653. Poſt C. 704.
F.E. ☉ 13. ☽ 2. *Ind.* 2.

Annus Hegiræ 85. incipit die 13. Ianuarii, fer. 2.

Annus Nabonaſſaris 1452. & Philippi 1028. incipit die 29. Martii, feria 6.

Edilredus *Merciorum in Anglia rex, cùm triginta annos regnaſſet, pertæſus mundi, in cœnobium abit, & fit monachus; ſuccedit filius* Corredus, *qui regnat annos quinque* Ingulph.

Annus Iezdegird. 73. incipit 29. Maji. feria 5. Armen. die 153. die 1. Iunii. fer. 1.

Walid *Saracenorum Calipha templum Chriſtianis Damaſci ereptum ſuæ ſuperſtitioni dedicat, prohibetq; Græcè quid literis conſignari, vultque omnia Arabicè ſcribi.* Miſcell.

Amberceletus *Scotiæ rex, cum annis duobus regnaſſet, moritur; ſuccedit Eugenius ſeptimus, qui regnat annis ſeptendecim.* Buchan.

Aripertus *rex Longobardorum circa hæc tempora* Cottias *Alpes, quæ quondam imperii fuerant, ſed à Longobardis hactenus poſſeſſa, Pontifici Romano donat, & donationis inſtrumentum aureis literis perſcriptum, Romam mittit:* Hæc eſt omnium prima provincia à Pontifice Romano poſſeſſa. *Diacon.*

Annus Alexand. 1016. Antioch. 753. & Conſtantinop. 6213. incipit à Calend. Octobr.

Vinofridus, qui poſtea à Pontifice Romano *Bonifacius* appellatus eſt, ex Anglia ſtudio religionis Ultrajectum venit, & cum Willibrordo tredecim annis converſatur. *Annales Frif.*

ANNO MUNDI 4654. Poſt C. 705.
D. ⊙ 14. ☽ 3. *Ind.* 3.

Annus urbis 1457. *Iulianus* 750.
Æra Hiſpan. 743. *Auguſtorum.* 732.
Annus Hegira 86. *incipit die* 2. *Ianuarii, feriâ* 6.
Annus Nabonaſſaris 1453. *& Philippi* 1029. *incipit die* 28. *Februarii, feria* 7.

Iohannes VI. Papa moritur die 10. Januarii, cùm ſediſſet annos tres, menſes duos, dies duodecim. Succedit die primo Martii *Iohannes* ſeptimus, ſedetque annis duobus, menſibus ferè octo. *Anaſt.*

Iuſtinianus malam Bulgaris refert gratiam, pacem rumpit, Anchialum occupat, & claſſe Terbelinum regem perſequitur. Bulgari contrà intenti in omnem occaſionem, cùm Juſtinianus ſecurius ageret, exercitum Romanum fundunt: ipſe cum paucis naviculâ tantùm evaſit, reliqui Bulgarorum prædæ relicti ſunt. *Cedr.*

Olympias 371. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1481.

Annus Diocletiani 422. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus 7. *ſive Iobeleus* 13. *incipit die* 24 *Septembr. Anno Iudaico* 4466.

Alfridus rex Northumbrorum in Anglia, cùm annos novendecim, & aliquot menſes regnaſſet, moritur: cui ſuccedit filius *Oſredus*, puer octo annorum, qui regnat annis undecim. *Beda.*

Suibertus, qui hactenus ad Rhenum docuerat, poſtquam etiam *Brunſvichenſibus* prædicaſſet, tranſit ad Bructuarios, ubi Dæmoniacum ſanavit. *Vita Suiberti.*

Annus Hegira 87. *incipit die* 22. *Decembr. fer.* 2.

ANNO MUNDI 4655. Poſt C. 706.
C. ⊙ 15. ☽ 4. *Ind.* 4.

Vitiza Hiſpanorum rex, cum ſibi metueret ob ſcelera, quibus delectabatur, ne ſubditi rebellarent, muros & munitiones urbium in toto regno deſtruxit, præterquam urbis Toletanæ, Legionenſis & Auſtricenſis: atque ita viam patefecit Saracenis ad Hiſpaniam occupandam. *Ildefonſus.*

Annus Hegira 88. *incipit die* 12. *Decembr. fer.* 1.

ANNO MUNDI 4656. Poſt C. 707.
B. ⊙ 16. ☽ 5. *Ind.* 5.

Rodericus Receſuindi nepos in Hiſpania, cujus patrem *Vitiza* rex oculis privaverat, vindictam meditans hactenus Imperatori Romano adhæſerat, & tandem propter Receſuindi avi ſui gratiam impetrat auxilia ad recuperandum regnum, & proſperè cum *Vitiza* pugnat, & in prælio captum viciſſim oculis privat. Regnaverat autem *Vitiza* annos octo: Rodericus verò regnat annos ferè ſeptem *Vaſaus.*

Iohannes ſeptimus Papa, cùm annos duos, & menſes ferè octo ſediſſet, moritur: ſuccedit ipſi ſequente Januario *Siſinnius*, qui tantùm ſedet diebus viginti. *Anaſtaſ.*

Annus Hegira 89. *incipit die* 1. *Decembris, fer.* 5.

ANNO MUNDI 4657. Poſt C. 708.
A.G. ⊙ 17. ☽ 6. *Ind.* 6.

Siſinnius Papa adeò podagra afflictus fuit, ut nec cibum capere poſſet, & ſubitò moritur, cùm dies viginti ſediſſet, die 7. Februarii. Succedit ipſi ſeptimo Martii *Conſtantinus*, natione Syrus, qui ſedit annos ſex, dies quindecim.

Annus Iezdegird. 77. *incipit* 28. *Maji, feriâ* 2. *Armen.* 157. *triceſimo primo Maji, fer.* 5.

Rodericus *duos filios* Vitizæ, *ne aliquando ſibi rebellent Hiſpaniâ exigit, qui vindictam meditantes in Tingitanam provinciam abeunt, & Saracenorum auxilium implorant. Interim* Iulianus *Comes ſuadet Roderico regi, ut ſubditis ſuis arma adimat, ne aliquando filiis* Vitizæ *adhærentes ſeditionem moveant: Atque ita utrùm via panditur Saracenis ad occupandam Hiſpaniam.* Ildefonſus.

Annus Alexand. 1020. *Antioch.* 757. *& Conſtantinop.* 6217. *incipit à Calend. Octobr.*

Annus Hegira 90. *incipit die* 19. *Novembr. fer.* 2.

Saxones duce Brunone affligunt Bructuarios, quòd religione Chriſtianæ nomen dediſſent, & Chriſtianos ejiciunt. *Suibertus*, cum nullum locum haberet propagandi religionem, Colonam redit ad Pipinum. *Vita Suiberti.*

ANNO MUNDI 4658. Poſt C. 709.
F. ⊙ 18. ☽ 7. *Ind.* 7.

Annus urbis 1461. *Iulianus* 754.
Æra Hiſpan. 747. *Auguſtorum* 736.
Annus Nabonaſſaris 1457. *& Philippi ac mortis Alexandri* 1033. *incipit die* 27. *Febr. fer.* 4.

Batavi *in Friſiam irruunt, & Radbodum regem vincunt: Dux verò Radbodi* Harialtus, *qui effecerat, ne* Radbodus *in prælio trucidaretur, in foſſis urbis perit.* Annal. Fland.

Walid *rex Saracenorum, cùm audiſſet in Hiſpania nec arma hominibus, nec muros civitatibus eſſe, mittit* Tarich *Strabonem cum aliquot millibus militum, qui tranſitum in Hiſpaniam experiretur. Tarich igitur mare tranſgreſſus venit Tarifam, & poſtea aggreditur Algeziram, & alia loca, & cum magna præda revertitur. Factum, ut omnes autores habent, anno Hegiræ nonageſimo, qui cœpit ſuperiori Novembri.*

Olympias 372. *incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1485.

Annus Diocletiani 426. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Conredus Merciorum rex in Anglia, cùm annos 5. regnaſſet voto concepto, aſſumſit ſecum *Offam* filium Sigeri regis Orientalium Saxonum, juvenem amantiſſimæ venuſtatis, *ut Beda loquitur*, Romam abit, ibique fit monachus: ſuccedit ipſi in regno *Celredus*, qui regnat annos octo. *Beda.*

Conſtantinus Papa ab Imperatore Juſtiniano evocatur Conſtantinopolin, ut controverſiæ de Canonibus ſexto Concilio additis finis tandem imponeretur. Ingreſſus eſt iter die quinto Octob. menſis, & cùm veniſſet Hydruntem, ibi manſit per hyemem. *Anaſtaſ.*

Annus Hegira 91. *incipit die* 8. *Novembr. fer.* 7.

ANNO MUNDI 4659. Poſt C. 710.
E. ⊙ 19. ☾ 8. *Ind.* 8.

Theophylactus *Exarchus, cùm annis octo præfuiſſet, moritur: ſuccedit* Johannes Rizocopus, *qui Romam profectus, crudeliter in cives graſſatus eſt, & ex Clero etiam quosdam occidit.* Anaſtaſ.

Iuſtinianus mittit Theodorum Patritium cum claſſe Ravennam, qui novum Pontificem & Patriarcham ibi, qui Pontifici Romano ſubjectus eſſe nolebat, cepit & Conſtantinopolin adducit, ubi in Pontum relegatus eſt. *Anaſtaſius.*

Childebertus *Francorum rex, cùm regnaſſet annos duodecim, moritur. Succedit ipſi* Dagobertus *filius, qui regnat annis quinque.*

Juſtinianus infenſus Cherſoneſum inhabitantibus, propter inſidias ſibi ibidem factas exercitum mittit cum mandatis, ut quosvis trucidaret maſculos & fœminas, adultos & infantes. Crudeliſſimè igitur hic exercitus graſſatur, & ita multa millia perierunt, quidam capti in verubus ligneis ad ignem aſſati ſunt, major pars in mari demerſa. Tantum pueri & infantes conſervati, quos Juſtinianus voluit Conſtantinopoli occidi. Sed hi omnes naufragio perierunt, numero ſeptuaginta tria millia. Reliqui in Cherſoneſo, ſe, ut poſſunt, defendunt, & ad Chazaros auxilia petitum mittunt, & Claſſiarios à Juſtiniano miſſos vincunt, ipſum Juſtinianum execrantur, & alium Imperatorem ſibi creant Philippicum. Cedrenus & Miſcellæ.

Annus Heg. 92. incipit die 29. Novemb. fer. 4.

ANNO MUNDI 4660. Poſt C. 712.
D ☉ 20 ☽ 9. Ind. 9.

Anno Hegira nonageſimo ſecundo menſe Regiab, qui hoc anno incipit die 24. Aprilis, feriâ ſextâ, Moze in Africa iterum Tarich Ducem cum duodecim millibus militum in Hiſpaniam mittit, una cum Juliano comite, cujus uxorem Rodericus rex adulterio cognoverat; qui muniunt in monte, qui poſtea Gebel Tarich, mons Tarich, & hodie corruptè Gibraltar dicitur. Contra hoſce Rodericus mittit ſobrinum ſuum Eneconem, qui victus & interfectus eſt. Tandem iterum exercitus mittitur, & ipſe Rodericus rex in prælio vincitur. Rodericus Toletanus.

Juſtinianus metuens, ne tota Cherſoneſus à Chazaris occuparetur, majorem claſſem mittit, & hoſtes in anguſtias redigit. Sed cùm Chazaris auxilia advenirent, claſſis illa reprimitur & vincitur; quæ, cum ſciret Juſtinianũ crudeliſſimũ eſſe, & ſuppliciis exſatiari non poſſe, ad hoſtes deficit, & Philippicum etiam pro imperatore proclamat. Philippicus igitur auctus exercitu & claſſe, Conſtantinopolin navigat, urbem capit, & filium Juſtiniani Tiberium puerum interfecturus gulam ejus in conſpectu avia diſcinatit, Juſtinianum ipſum capite truncat, cùm imperaſſet poſt reditum annis novem. Philippicus imperat annum unum, & ſex menſes, incipit hoc anno in Decembri fere. Cedr.

Annus Hegira 93. incipit die 19 Octobr. fer. 2.

ANNO MUNDI 4661. Poſt C. 712.
C. B. ☉ 21. ☽ 10. Ind. 10.

Philippico Imperatori prædictum fuerat à monacho quodam Monotheleta, fore, ut imperaret, ſi ſextam Synodum abrogaret. Cùm igitur ad imperium evectus eſſet, magno ſtudio in id elaboravit, & magno cum Eccleſiæ malo. Ideò ſtatim Cyrum Patriarcham in exilium ejicit, & Monotheletarũ anteſignanum Johannem eligit. Monachus enim ille vates, cui Epiſcopatum promiſerat, interim oculis orbatus fuerat & ſtatim Conciliũ Conſtantinopoli indicatur, & ſexta ſynodus damnatur. Græci enim Epiſcopi, ne quod Cyro Conſtantinopolitano acciderat, periculũ ſubirent, Imperatori facilè conſenſerunt. Concil.

Annus Iezdeg. 81. incipit 27. Maji, feriâ 6. Armen. 161. triceſimo Maji, fer. 2.

Aripertum, cum annos novem regnaſſet, invadit Anſprandus Dux auxilio Bajarorum, & dubio Marte cum eo pugnat: ſed Aripertus, dum in Gallias fugere conatur, in Ticino fluvio, cùm navim nimium oneraſſet, mergitur & ſuffocatur. Succedit igitur ipſi Anſprandus, qui tamen poſt menſes tres moritur, & filius ejus Luithprandus ſuccedit, qui regnat annos 31. & menſes aliquot. Diac.

Bulgari in hiſce motibus imperii Conſtantinopolitani Thraciam invadunt, eamque uſque ad portam Conſtantinopolis vaſtant, immenſamque prædam reportant cum multis captivis. Cedr.

Cùm Tarich in Hiſpania victoriam perſequeretur, Moſe præfectus Armenia in Hiſpaniam anno Hegira 93. menſe Rhamadan, qui incipit hoc anno, die 11. Junii. feriâ ſeptimâ, trajicit, & urbes quaecunque poteſt, capit. Rod. Tolet.

Annus ſabbathicus primus, Iobelei decimi quarti, incipit die 6. Septembr. fer. 3. Anno Iudaico 4473.

Annus Alexandr. 1024. Antioch. 761. & Conſt. 6221. incipit à Calend. Octobr.

Exarchus Johannes, cùm crudeliter in quosvis graſſaretur, à civibus Ravennæ trucidatur. Anaſtaſ.

Annus Hegira 94. incipit die 7. Octobr. fer. 6.

Gordianus Friſo filius Harialti, parentis cædem ulturus in Batavos movet, eosque longè latèque vaſtat & cùm multâ prædâ domum revertitur. Annales Friſ.

ANNO MUNDI 4662. Poſt C. 713.
A. ☉ 22. ☽ 11. Ind. 11.

Annus urbis 1465. Julianus 758.
Æra Hiſpanica 751. Auguſtorum 740.

Annus Nabonaſſaris 1461. & Philippi & Alex. 1037. incipit 26. Februarij, feria 1.

Saraceni occupant Antiochiam Piſidiæ cum multâ prædâ, & inſuper terræmotus ingruit in Syria. Miſcel.

Philippicus Imperator mittit imaginem ſuam Romam: hanc, autore Pontifice, ut Hæretici, recipere recuſant. Petrus, qui afferebat imaginem, acriter urget. Dux Romanorum Chriſtophorus verò diu reſiſtit, donec res ad pugnam veniret, quâ finitâ quies fit, & paulò poſt literæ afferuntur, Philippicum imperio dejectum eſſe, & Artemium, qui & Anaſtaſius dictus, imperium occupaſſe. Atque ita Petrus Dux, cùm imaginem abjeciſſet, Romam receptus eſt. Anaſt.

Philippicus, cùm prandiſſet foris apud quosdã proceres, reverſus domum ad ſomnum ſe componit. Rufus præfectus hac occaſione uſus, ipſi Philippico, nemine conſcio, oculos effodit, rem ad Artemium defert, & ſequenti die in ipſo feſto Pentecoſtes Artemius Imperator proclamatur, & à Iohanne Patriarcha hæretico inauguratur. Imperat annos duos. Cedr.

Olympias 373. incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1489.

Annus Diocletiani 430. incipit die 29. Aug.

Rhodericus Hiſpaniarum rex, collectis totius regni viribus, reſiſtit Saracenis, & tandem pugna cum iis congreditur, anno Hegira 94. die tertio Nonas Septembris, feriâ primâ, & integra hebdomade cum Saracenis pugnat, & ad ſedecim millia eorum occidit, & tandem fortiſſimè dimicans cadit, quo facto Saraceni tota Hiſpania potiuntur: Hiſpalin enim hoc anno, ultimo die Ramadan menſis, qui hoc anno convenit cum Iunio, occuparant; inde ad reliquas urbes occupandas digrediuntur. Roder. Tol.

Franci in direptione regni Hiſpanici, & quòd bello laceſſiti eſſent, occupant, quæ Gothi adhuc in Galliis habebant. Tud.

Saraceni Romandiolam vaſtant, & cum multa præda domum redeunt. Inſtruunt etiam claſſem ad Conſtantinopolin occupandam; quapropter Artemius Imperator & ipſe triremes ædificat, aliasque naves cum Græco igni, civesque jubet commeatum habere in triennium. Miſcell.

Annus Hegira 95. incipit die 26. Sept. fer. 1.

Grimoal-

Grimoaldus Pipini filius, Major domûs Leodii in templo adorans à ſatellite Rabdoni ſoceri ſui, regis Friſonum occiditur, quòd conjugis filiam Radbodi negligentiùs haberet, & parvi faceret. Pipinus re compertâ Theodoaldum nepotem ſuum, filium Drogonis, Majorem domûs facit. *Sigeb.*

ANNO MUNDI 4663. Poſt C. 714.

G. ☉ 23. ☽ 12. Ind. 12.

Saraceni adhuc in occupandis urbibus Hiſpaniæ occupati ſunt. Hoc anno Dominicâ Palmarum, cùm Chriſtiani palmas ablaturi urbe prodiiſſent, proditione Judæorum Saraceni in urbem recipiuntur, Chriſtiani verò excluduntur: inde Legionem & alias urbes etiam occupant, & aulæ ſedem in *Corduba* ſtatuunt. Hiſpanis tamen liberum exercitium religionis relinquunt, qui pro frequentandis templis menſtruum Saracenis tributum ſolverent. *Tudens.*

Conſtantinus Papa, cùm ſediſſet annos ſex, & menſem unum, moritur die nono Aprilis. Anaſtaſius tamen ejus mortem ponit in ſequentem annum. Onufrius verò poſt biennium. Succedit poſt dies quadraginta, die 22. Maji, *Gregorius* ſecundus, qui ſedit annos ſedecim, & menſes octo. *Baronius.* Onufrius ipſi tribuit tantùm annos quatuordecim.

Iohannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm annos ſediſſet tres, dejicitur ab Artemio, & eligitur Epiſcopus Cizinenus *Germanus* Patriarcha, qui ſedit annos 14. & menſes quinque. *Theoph.*

Annus Hegiræ 96. incipit die 16 Sept. fer. 1.

Artemius *Imperator cùm audiſſet in Phœnicia claſſem ædificari à Saracenis ad obſidendam Conſtantinopolin, claſſem eo mittit, quæ materiam illam combureret: ſed defenſione in exercitu exortâ, Dux interficitur. Exercitus ne ad imperatorem iratum regredi cogeretur, Imperatori imperium abrogat, &* Theodoſiū *quendam Syrum tributis colligendis occupatum, renitentem & invitum cogit, ut imperium recipiat: & ita cum claſſe Conſtantinopolin redit, eamq; totis ſex menſibus obſidet.* Cedr.

Walid Saracenorum rex, cùm præfuiſſet annis 14. moritur: ſuccedit frater *Suleiman*, qui regnat annis tribus. *Zacuthi.*

Pipinus de Hareſtallo, Major domûs regnum Franciæ, cùm annis 27. ei officio præfuiſſet, moritur die 16. Decembris, & filium ſuum *Carolum* Martellum ex Albeide pellice principatûs ſui hæredem relinquit. *Sigeb.*

ANNO MUNDI 4664. Poſt C. 715.

F. ☉ 24. ☽ 13. *Ind.* 13.

Plectrudis vidua Pipini, nepotem *Theobaldum*, Majorem domûs regis Dagoberti ſuis conſiliis regit, & Franciæ regnum adminiſtrat, jubetq; ut Carolus privignus capiatur & Coloniam in cuſtodiam deducatur. *Sigeb.*

Theodoſius adhuc Conſtantinopolin obſidet, & eâ tandem, cùm terrâ, tandem etiam aggrederetur, potitur: & Artemium, qui Nicæam fugerat, capit, & tondet, & habitu monaſtico indutum, Theſſalonicam in exilium mittit. *Theoph.*

Pontifex Gregorius calcem, & alia præparat ad muros urbis Romæ inſtaurandos, quod dum facit, Dux Beneventanus ipſi Cumas eripit, quas cum Longobardi reddere nollent, ipſemet ex inſidiis miſſo exercitu recuperat, ut tamen pacificè eaſdem poſſidere poſſit, Duci ſeptuaginta auri libras numerat. *Anaſtaſ.*

Annus Hegiræ 97. incipit die 5. Sept. fer. 5.

Dagobertus Francorum rex, cùm annos quinque regnaſſet, moritur: Proceres verò regni in hac mutatione rerum muliebre regnum minimè ferentes, *Hilpericum* Dagoberti defuncti regis fratrem ex Cœnobio extrahunt, eique Ducem Ragintredum, quem Majorem domûs faciunt, addunt. Plectrudem vincunt & præfecturâ cum nepote exuunt. *Carolus* Martellus in hiſce turbis vinculis elabitur, & quæ ad recuperandam dignitatem Majoris domûs faciunt, ſedulò præparat. *Sigeb.*

ANNO MUNDI 4665. Poſt C. 716.

E. D. ☉ 25. ☽. 14. Ind. 14.

Signum, inquit Anaſtaſius tempore Gregorii Pontificis, indictione decimâ quartâ, in Lunâ factum, & viſa eſt cruentata uſq; ad mediam noctem. Eclipſis Lunæ, ut lectori facilè apparet, deſcribitur, quæ accidit die 13. Ianuarii, feriâ ſecundâ, horis poſt meridiem ſeptem, Latitudo Lunæ vera auſtralis 9.20. Semidiam. Lunæ 17.15. Summa Semidiā. Lunæ & Vmbræ 61.39. Scrup. reſidua 53.19. digiti eclipticì 18.36. Cœpta eſt obſcurari paucis minutis poſt horā quintā à meridie, duravitque uſq; ad horam ferè nonam. Sol in 22. gradu Capricorni.

Leo *Iſaurus, Dux militum, ante biennium ferè in Armeniam miſſus, adhuc fideliter propugnat pro Artemio Imperatore. & ipſi etiam Armenii & Saraceni Leoni deferunt Imperiū, & Theodoſii Imperatoris filium in poteſtatē Leonis redigunt: quapropter & Theodoſius, qui invitus imperiū ſumpſerat, ſpontè ſe abdicat, & cum filio Epheſum abit, ſitque clericus. Factum die 25. Martii.* Miſcell. & Cedr. *Regnavit antè annos 25.*

Annus Iedzdeg. 85. incipit 26. Maji, feriâ 3. Armen. 165. die 29. Maji, fer. 6.

Radbodus *rex Friſiorum in Colonienſes movet contra Carolum Martellū, & Carolus non ſatis inſtructus copiis vincitur, non quidem magnâ clade, nihilominus Radbodus ingenti captâ prædâ domum redit. Carolus interim exercitū reparat, ut par poſſit eſſe, & Radbodo & Hilperico regi, a quibus oppugnabatur.* Annal. Friſ.

Annus Heg. 98. incipit die 24. Auguſti, fer. 2.

Annus Alexand. 1028. Antioch. 765. & Conſtantinop. 6225 à Calend. Octobr.

Maſalmas Saracenorum præfectus, in hiſce turbis Imperii, *Pergamum* urbem obſidet & expugnat, etiamſi ſe cives fortiſſimè defenderent: cives enim prægnantem mulierem diſſecuerant, fœtum extraxerant, cruore illius manicas tinxerant, & ita ſe pro patria devoverant; & tamen victi ſunt, Deo puniente tantam impietatem & crudelitatem. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4666. Poſt C. 717.

C. ☉ 26. ☽ 15. *Ind.* 15.

Annus urbis 1469. Iulianus 762.

Æra Hiſpanica 755. Auguſtorum 744.

Annus Nabonaſſaris 1465. & Philippi 1041. incipit. 25 Februarii, feria 5.

Hyems vehementiſſima annotatur hoc anno à Cedreno, quâ in Aſia terra centum diebus totis nive ita obducta fuit, ut pleraq; animantes & feræ perirent.

Roma à Tiberi inundatur, Indictione decima quintâ, ſeptem diebus; & aqua muris tranſcendit, omniaq; ad D. Petri portam evertit. Anaſt.

Suidvvertus Saxonū Apoſtolus, cùm multa millia Saxonum, Bructerorum, & Bructuariorum ad fidem Chriſtianam convertiſſet, moritur die primo Martii, in Cœnobio ſuo Werdenſi. *Annal. Friſ.*

Carolus

Carolus *Martellus, cùm Hilpericus rex cum ſuo Duce Raginfredo in pago Cameracenſi ad Vinciacum ſecuriùs ageret, occaſione nſi in eos irruit, die 21. Martii, die Dominico, vincit & fugat, inſequiturq́; Pariſios uſque; ubi interceptam Plectrudem novercam capit, Coloniam deducit, dignitatem tamē ipſi reſtituit, mandatq́, ut in honeſto otio vivat, nec ſe aliis rebus immiſceat.* Annal. Franc. *Conſentiunt Scriptores prælium factum die 21. Martii, die Dominico ante Paſcha. At verò hunc concludunt aliqui, fuiſſe Dominicam Palmarum, & quidem ſequenti anno Dominica Palmarum congrueret, niſi incideret in diem 20. Martii, id quod* Sigebertus *affirmat.*

Leo Iſauricus *inchoat annum imperii 2. die 25. Martii.*

Olympias 374. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1493.

Annus Heg. 99. incipit 14. Auguſti, fer. 7.

Annus Diocletiani 434. incipit die 29. Auguſti.

Maſalmas *Saracenorum Dux cum magno exercitu populatur Thraciam, & obſidet Conſtantinopolin die 14. Auguſti. Advenit inde, Calendis Sept. ineunte indictione primâ, ipſe* Sulciman Amiras *Damaſci cum ingenti claſſe; cui obviam procedit Leo Imperator cum claſſe munitâ igni Græco, & hoſtium claſſem incendit & diſturbat; ſed die 8. Octobris moritur Amiras* Suleiman, *cùm annos tres regnâſſet; ſuccedítq;* Omar, *qui regnavit annis duobus, & ſecuta eſt iterum hyems aſperrima, cujus vi & equi & cameli Saracenorum plurimi perierunt.* Miſcellæ.

Celredus *Merciorum rex in Angliâ, cùm annos octo regnâſſet, moritur; ſuccedit* Edelwaldus, *qui annis 40. regnavit.* Beda.

Pelagius *vir bellicoſus ex regiâ ſtirpe Gothorum etiam ſecum aliis Hiſpanis Saracenis tradiderat, ſed dum negotiorum cauſâ abeſt, filia ſua vis affertur à Maurorum præfecto, quam injuriam ulciſci cupiens, ad Aſturiorum montes abit; ibi quotquot Gothorum hominum poteſt colligit, monet & hortatur, ut ſe ex ſervitute Maurorum liberent, atq, ita aliquantum hominum, & ſpeciem exercitus, & equites etiam contrahit, quibus ſe utcunq, tutatur.* Vaſæus.

Oſredus *rex Northumbrorum in Angliâ, cùm annos undecim regnâſſet, moritur; ſuccedit ipſi* Oſricus, *qui regnat annis 12.* Beda.

ANNO MUNDI 4667. Poſt C. 718.

B. ☉ 27. ☽ 16. *Ind.* 1.

Omar *Amiras Saracenorum Damaſci, veris tempore novam claſſem mittit Conſtantinopolin quadringentarum navium, & paulo poſt itidem aliam trecentarum ſexaginta navium: Contra ambas Leo Imperator feliciter pugnat. Bulgari inſuper ab Imperatore contra Saracenos, qui latè regiones populabantur, evocantur, qui eorum viginti duo millia occidunt, eâ de cauſa fame etiam laborant Saraceni: ideò Omar cùm videret, ſe fruſtra circa Conſtantinopolin laborare, ſolvit obſidionem die 15. Auguſti. Sed claſſis eorum in Ægeo mari magnis tempeſtatibus acta ferè tota perit, ita ut vix quinq, naves Damaſcum redirent.* Miſcellæ.

Sergius *præfectus Siciliæ, cùm putaret Conſtantinopolin expugnatum iri, novum creat Imperatorem, quem Tiberium vocat. Sed Leo mittit Paulum præfectum, qui ſeditioſos hoſce comprehendit, eorum quoſdam trucidat, quoſdam relegat, quoſdam monaſteriis includit.* Miſcel.

Iſidorus *Pacenſis Hiſpanus hoc anno annotat eclipſin Solis magnam, quæ facta ſit ab horâ ſextâ diei uſq, ad nonam, ita ut ſtellæ apparuerint. Cujus eclipſis etiam meminit Rodericus Toletanus in anno Hegiræ 99. Accidit ea in Hiſpaniâ ſub polo 41. die 3. Junii, fer. 6. horâ poſt meridiem primâ & minutis 15. Parallaxis latitudinis 18,29. Latitudo vera ſeptent. 17,58. Viſa auſtralis 0,31. ſecundis. Semidiameter Solis 15,1. Summa ſemidiametrorum 30,45. Scrupula reſidua 30,14. Digiti ecliptici 12,14. Sol in 15. gradu Gemin.*

Moſe *Dux Saracenorum mittit exercitum contra Pelagium, qui temerè montes ſubiens magnâ clade afficitur, ita ut ad viginti millia hoſtium perierint. Ab hoc tempore* Pelagius *regnavit in Aſturiis, annis 18.* Vaſæus.

Annus Hegiræ 100. incipit die 3. Auguſti.

Carolus *Martellus Coloniam rediens, receptis theſauris patris ſui,* Lotharium *filium Dagoberti regem facit, quòd cenſeret regnum potiùs filio, quàm patruo deberi.* Sed Chilpericus, *cùm Raginfredo ad Eudonem Aquitaniæ Ducem confugit, & auxiliis adjutus bellum redintegrat. Sed iterum vincitur, & Raginfredus capitur, Chilpericus verò fugâ evadit.* Ann. Friſ.

Omar, Amiras Saracenorum, propter cladem acceptam Chriſtianis infenſus, exercitum religionis prohibet, & qui Chriſtum abnegarent, immunitatem à tributis concedit. *Miſcel.*

Leo Imperator auctus filiolo eum in Natalitiis Chriſti baptiſari voluit, ſed infans aquam baptiſmi ſtercore egeſto fœdavit, unde *Conſtantinus* Copronymus dictus eſt. *Miſcel.*

ANNO MUNDI 4668. Poſt C. 719.

A. ☉ 28. ☽ 17. *Ind.* 2.

Artemius *Theſſalonicæ de imperio recuperando conſilia agitat, adjuvante Epiſcopo ejus loci, & ad Terbelen Bulgarorum regem profugit, à quo magna auxilia impetrat: inde movet in Thraciam, verùm cùm à Conſtantinopolitanis non reciperetur, & Bulgari vincerentur, Bulgari ipſum cum Epiſcopo comprehendunt, & Leoni tradunt, à quo trucidantur.* Cedren.

Bonifacius Anglo Saxo literas accipit à Gregorio Pontifice, ut religionem Chriſtianam propaget in Germaniâ. Aliquot igitur menſibus in Thuringiâ docet, inde ad inferiores Saxones ac Friſios abit. *Surius.*

Annus Hegiræ 101. incipit die 23. Julii fer. 1.

Annus ſabbathicus 2. Jobelei 14. incipit 19. Sept. fer. 3. Anno Jud. 4480.

Radbodus *Friſiorum rex, cùm annos 41. regnâſſet, æger animi moritur; ſuccedit* Adgillus *filius; qui regnat annos 49. & Religionem Chriſtianam ſuſcepit tandem, ſed adactus bello à Carolo Martello.* Annal. Friſ.

Omar, *Saracenorum Amiras in Damaſco, cùm duos annos regnâſſet, moritur. Habitus hic fuit pro Sancto, quòd* Muhameticam Religionem *adeò propagârat: ſuccedit ipſi* Jezid *filius Abdelmelech, qui regnavit annis quatuor.* Zacuthi.

ANNO MUNDI 4669. Poſt C. 720.

G.F. ☉ 1. ☽ 18. *Ind.* 3.

Lotharius, *rex Franciæ, cùm annos binos regnaſſet, moritur. Carolus Martellus, ut regem haberet, donec Theodoricus filius Dagoberti adoleſceret, repoſcit*

ab Eudone Aquitaniæ duce Hilpericum, quem regem facit, regnatq; annos tres. Nangis.

Leo Iſauricus *Imperator filium ſuum Conſtantinum hoc anno in Paſchate, indictione tertiâ, Imperatorem creat.* Miſcellæ.

Annus Iezdegird. 89. incipit 25. Maji, fer. 7. Armeniorum 169. die 28. Maji, fer. 3.

Annus Hegiræ 102. incipit die 12. Julii, fer. 6.

Petronax civis Brixianus cœnobium Caſſinenſe inſtaurat, monachos iterum Româ evocat, & ritus ſolennes renovat; ex hoc tempore Caſſinenſe cœnobium perpetuò floruit. *Chron. Caſſ.*

Annus Alexandr. 1032. & Antioch. 769. & Conſtantinop. 6229. incipiunt Calend. Octob.

Saraceni, *Pyrenæos montes transgreſſi, Galliam Gothicam miſere vaſtant, & captâ Narbone Tholoſam obſident. Carolus tamen collecto exercitu eos iterum ejicit, & in Hiſpaniam redigit.* Valæus.

ANNO MUNDI 4670. Poſt C. 721.

E. ☉ 2. ☽ 19. *Ind.* 4.

Annus urbis 1473. *Julianus* 766.

Æra Hiſpanica 759. *Auguſtorum* 748.

Annus Nabonaſſaris 1469. *& Philippi* 1045. *incipit* 24. *Febr. fer.* 2.

Leo Iſauricus inchoat annum Imperii 6. menſe Martio.

Gregorius ſecundus Papa, anno Leonis ſexto, Conſtantini ſecundo, concilium agit, in quo interdixit, ne quis fœminas, Eccleſiæ vel monaſteriis dicatas, conjuges duceret. *Concil.*

Meſſias quidam falſus exoritur, qui illuſit Judæis. *Miſcell.*

Annus Hegiræ 103. incipit 1. Julii, fer. 3.

Olympias 375. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1497.

Annus Diocletiani 438. incipit die 29. Aug.

Eugenius *ſeptimus Scotorum rex, cùm annos 17. regnâſſet, moritur; ſuccedit filius* Mordacus, *qui regnat annis novem.* Buchan.

ANNO MUNDI 4671. Poſt C. 722.

D. ☉ 3. ☽ 11. *Ind.* 5.

Leo imperator Judæos cogit, ut Religioni Chriſtianæ dent nomen, ſed iidem poſtea vel ejurârunt baptiſmum, vel ſe ipſos domibus incluſos cum totâ familiâ cremârunt. *Cedr.*

Annus Hegiræ 104. incipit die 21. Jun. fer. 1.

Bonifacius ad Chattos remeat, eosq; fideliter in religione Chriſtianâ inſtituit. *Wilibald.*

Carolus *Martellus bellum gerit in Germaniâ, & biennium ferè conſumit in debellandis Bavaris & Alemannis.* Annal. Fuld.

Judæus quidam Antiochenus & veneficus, abominatus imagines in Templis Chriſtianorum, & alias etiam apud Arabes; perſuadet JEZETHI, Saracenorum regi, ut promulgato edicto omnes imagines aboleret. Prædicebat enim futurum, ſi hoc faceret, ut annis quadraginta regnum obtineret. Sed Jezid rex poſt ſeſquiannum mortuus eſt, & à filio Jezidis impoſtor ille interfectus. *Miſcella.*

ANNO MUNDI 4672. Poſt C. 723.

C. ☉ 4. ☽ 2. *Ind.* 6.

Bonifacius ex Germania Romam evocatur à Pontifice, ubi auditus de miniſterio Apoſtolatûs ſui, Epiſcopus Germaniæ conſtituitur à Gregorio, & commendatur in Gallia Carolo Martello; in Germania verò Epiſcopis & Principibus; peculiaribus etiam literis inſtruitur ad Thuringos & Altſaxones, qui ita vocari videntur, quòd qui ex his propagati erant in Angliam, etiam adhuc Saxones vocarentur. *Baron.*

Annus Hegiræ 105. incipit 10. *Junii, fer.* 5.

Leoni Imperatori promittitur vita & imperium vel ad centum annos, ſi ſimulachra & imagines evertere velit, qua promiſſione inductus, conſilium init de demoliendis imaginibus. *Cedr.*

Jezid, *Amiras Saracenorum in Damaſco, cùm annos quatuor regnâſſet, moritur anno Hegiræ 105. cui ſuccedit frater* Haſcam, *filius Abdelmelech, qui regnavit annos viginti.* Zacuthi.

ANNO MUNDI 4673. Poſt C. 724.

B. A. ☉ 5. ☽ 3. *Ind.* 7.

Bonifacius ex Italia in Gallias redit, & à Carolo Martello literas accepit de ſecuritate, quibus inſtructus pergit ad Heſſos, inde abit in Thuringiam, ubi in pago Ohrdorff conſtruxit monaſterium ad D. Michaelem. *Wilibald.*

Annus Iezdegird. 93. incipit die 24. Maji, fer. 4. Armeniorum 24. Maji, fer. 7.

Annus Hegiræ 106. incipit die 29. Maji, fer. 2.

Garſias *quidam Gothus in Hiſpaniâ, cùm hactenus Cantabris præfuiſſet,* Ayuſam *nuper ejectis Saracenis occupat, munit, & contra Saracenos defendit; & ita initia regni* Suprarbienſis *jacit, cui præeſt annis 34.* Blanca.

Annus Alexandr. 1036. & Antioch. 773. & Conſtantinop. 6233. incipit Calend. Octobr.

Carolus *Martellus Eudonem Aquitaniæ ducem, quòd Raginfredum, qui Carolo rebellabat, defenderet, bello aggreditur, & ejus regiones vaſtat. Eudo impar bello de evocandis Saracenis in Gallias legatos mittit.* Ann. Fuld.

ANNO MUNDI 4674. Poſt C. 725.

G. ☉ 6. ☽ 4. *Ind.* 8.

Annus urbis 1477. *Julianus* 770.

Æra Hiſp. 763. *Auguſtorum* 752.

Annus Nabonaſſ. 1473. *Philippi* 1049. *incipit die* 23. *Febr. fer.* 6.

Leo *Imperator inchoat annum imperii* 10. *die* 25. *Martii.*

Auguſtini, Hipponenſis Eccleſiæ Epiſcopi, reliquiæ olim ſub Vandalis Eccleſiam perſequentibus in Sardiniam, ubi tum orthodoxi Epiſcopi exulabant, delatæ fuerant: cùm verò hoc tempore Saraceni Inſula Sardinia potiti eſſent, & reliquiæ illæ perirent, Luitprandus Longobardorum rex legatos eo mittit, petens ut ſibi eæ reliquiæ transmittantur, quod factum eſt, & Papiam delatæ ſunt hoc anno, die 28. Febr. *Maximus.*

Victredus, *Cantuariorum in Angliâ rex, cùm annos 34. regnâſſet cum ſex menſibus, moritur: reliquit hic filios tres, Edilbertum, Cadvertum & Aldricum, è quibus Edilbertus ſuccedit; regnavit annos undecim.* Beda.

Annus Hegiræ 107. incipit die 19. Maji, fer. 4.

Olympias 376. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1501.

Annus Diocletiani 442. incipit die 29. Auguſti.

Eudo

Eudo *Dux Aquitaniæ impetrat auxilia Saracenorum.* Abdirama *enim præſtantiſſimus Dux Saracenorum, cum quadringentis millibus hominum in Gallias irruit, ac ſi non ad bellum, ſed habitatum in Galliam venirent, & Garundam ac Burdigalam capiunt, & Hilarii Baſilicam Pictavis incendunt, crudeliterq́ ubivis locorum graſſantur.* Ann. Fuld.

Leo Imperator proponit edictum de demoliendis imaginibus, cui reſiſtit vulgus primùm, & qui imagines dejiciebant, quoſdam occidit. *Germanus* etiam Epiſcopus rem magnoperè diſſuadet, & Gregorius Papa Romanus prolixâ Epiſtolâ Imperatorem dehortatur, ubi affirmat, Imperatoris non eſſe, pronunciare de fide, & novitate aliquâ violare antiqua dogmata Eccleſiæ, quæ à ſanctis patribus eſſent prædicata. *Miſcell.*

Romualdus *Beneventanus Dux, cum præfuiſſet annis 26. moritur; ſuccedit* Gregorius, *qui ſeptem annis Ducatum adminiſtrat.* Diac.

ANNO MUNDI 4675. Poſt C. 726.
F. ☉ 7. ☽ 5. *Ind.* 9.

Gregorius Papa damnat edictum Imperatoris de demoliendis imaginibus, & hâc occaſione, cùm Leo vi agere conaretur, ab obedientiâ Imperatoris reſilit, Longobardorum amicitiam ambit, & tributa Imperatoris in Italiâ atque Romæ inhibet. *Anaſtaſ.*

Annus Hegiræ 108. *incipit die* 8. *Maji, fer.* 4.

Carolus *contra tantam multitudinem hoſtium Longobardos ex Italiâ evocat, & ex totâ Germaniâ auxilia colligit, ita ut ingentem conficeret exercitum. Eudo etiam Aquitaniæ Dux ubiq́, malè audiens ob evocatos Saracenos, & pœnitens facti, reconciliatur Carolo, & in ipſo prælio Saracenorum fit hoſtis, & caſtra eorum in prælio cepit. Carolus igitur inſigni victoriâ potitur, cùm hoſtium caderent trecenta & ſeptuaginta millia, Francorum tantùm mille & quingenti.* Annal. Fuld.

Hoc anno, cùm tanquam ex camino vapor ebulliret inter Theram & Theraſiam inſulas, tandem concreti lapides, ut pumices eruperunt, qui Aſiam, Lesbum, Abydum, & maritima Macedoniæ ferè obruerunt; tandem propè Inſulam ſacram Inſula erupit, cùm antea nulla eſſet. Miſcel.

Maſalmas *Saracenorum Dux Romandiolam invadit, & Cæſaream Cappadociæ capit.* Cedr.

Leo Imperator interim perſequitur imaginum cultores, & inprimis monachos, quorum aliquot cum ſuis libris, & omni ſupellectile in ſuo cœnobio combuſſit. Inde ſeditio Conſtantinopoli orta, & ſtatuæ Imperatoris everſæ ſunt: unde factum, ut multi occiderentur, aut in exilium ejicerentur. Græci etiam claſſe Conſtantinopolin oppugnare incipiunt, ſed eorum naves Græco igni combuſtæ ſunt. *Cedr.*

Gregorius, cùm ſibi metueret ab Imperatore, legatos ad Carolum Martellum, recenti victoriâ clariſſimum mittit, eique ſalutem ſuam & urbis Romæ, propter imagines in periculo conſtitutam, commendat, fœdus cum eo facit, hac conditione, ut ſi Leo vim faciat, ipſe cum exercitu in Italiam ad defendendam Romam deſcendat. Longobardi etiam hac occaſione utentes, Ravennam & alias Imperatoris ditiones invadunt. Imperator, cùm vi nihil contra Pontificem auderet, ex inſidiis eum, ut ſeditioſum & rebellum tollere conatus eſt, ſed & id fruſtrà fuit. *Anaſt.*

ANNO MUNDI 4676. Poſt C. 727.
E. ☉ 8. ☽ 6. *Ind.* 10.

Exercitus & copiæ Imperatoris, præſertim navales, tumultuantur contra Imperatorem, duce Agalliano & Stephano, & Conſtantinopolin adoriuntur; ſed vincuntur die 18. *April. decima indictionis, & Græco igni naves cremantur, aut demerguntur. Agallianus ſe in mare præcipitat: capti vel in mare projiciuntur, vel capite plectuntur.* Miſcell.

Annus Hegiræ 109. *incipit die* 27. *April. fer.* 1.

Circa ſolſtitium hujus anni Saraceni in Bithyniâ Nicæam adoriuntur magno exercitu centum millium, & oppugnatione atq́ operibus magnam partem murorum dejiciunt; urbe tamen potiri non poſſunt, ſed infectâ re, cum plurimâ tamen prædâ, ad ſua revertuntur.

Hilperico *rege defuncto in Franciâ Carolus* Theodoricum *quartum filium Dagoberti regem facit, qui regnavit annis* 15. Sigeb.

Carolus *Martellus Burgundiam ſuo regno adjicit, & Lugdunum capit, & ſequenti anno inſuper Aquitaniam occupat, mortuo Eudone principe.* Ann. Fuld.

Luitprandus *Longobardorum rex, Paulum Exarchum bello aggreditur, & Ravennam expugnatam militibus diripiendam præbet: Exarchus verò Venetorum ope Ravennam recipit, adjuvante Pontifice.* Miſcell.

Ina *Weſt Saxonum in Angliâ rex, cùm annos* 37. *regnâſſet, Romam proficiſcitur, & regnum ſuum vectigale facit Pontifici Romano, ita ut ex ſingulis domibus quotannis ſinguli denarii penderentur: vocaverunt hanc penſionem* Denarium *ſancti Petri.* Polyd.

ANNO MUNDI 4677. Poſt C. 728.
D. C. ☉ 9. ☽ 7. *Ind.* 11.

Johannes *Damaſcenus*, genere nobilis, & in aulâ Saracenicâ Damaſci in magnâ dignitate conſtitutus, pro imaginibus retinendis ſcribit ad Epiſcopos Eccleſiæ. Leo Imperator de hiſce literis edoctus, manum illius imitatur, & ſcribit ad Amiram, periculumque Damaſceno creat, quibus Damaſcenus motus ex aulâ recedit, & Eccleſiæ ſe mancipat. Dictus hic fuit alio nomine μελῳδὸς ſive cantor, quòd muſica & cantilenis fingendis delectaretur. *Cedr.*

Annus Hegiræ 110. *incipit die* 16. *Aprilis, fer.* 6. *Annus Iezdegird.* 97. *incipit die* 23. *Maji, fer.* 1. *Armen.* 177. 26. *Maji, feria* 4. *Annus Alexand.* 1040. *Antioch.* 777. *Conſt.* 6237. *incipit à Calend. Octob.*

Chaganus *Chazarorum princeps, in Mediam & Armeniam expeditionem ſuſcipit, & fuſis Saracenis totam regionem depopulatur.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4678. Poſt C. 729.
B. ☉ 10. ☽ 8. *Ind.* 12.

Annus urbis 1481. *Iulianus* 774.
Æra Hiſp. 767. *Auguſtorum* 756.

Annus Nabonaſſarœorum 1477. *& Philip.* 1053. *incipit* 22. *Febr. feria* 3.

Leo *Imperator inchoat annum imperii* 14. *die* 29. *Martii.*

Bini Cometæ *hoc anno exorti*, inquit Beda, *quorum alter Solem orientem præcedebat, alter Solem occidentem ſequebatur; unde Beda magnam cladem ominatus eſt futuram ex Oriente, & ex Hiſpania ex Occidente.* Beda.

Annus Hegiræ 111. *incipit die* 5. *Aprilis, fer.* 3.

Oſricus, *rex Northumbrorum in Angliâ, cùm annos ferè duodecim regnâſſet, moritur die* 9. *Maji; ſuccedit ipſi* Ceolphus *filius Conredi, qui regnat annos octo.* Beda.

Cùm Friſii adſueſcere Religione Chriſtianæ nollent, Willebrordus Epiſcopus Trajectenſis Carolum Martellum inſtigat, ut Friſiam ad recipiendam Chriſtianam religionem cogere velit, quod & hoc anno fecit, totamq; Friſiam vaſtavit, lucos, fana & idola ſubvertit, & magnâ partâ prædâ domum regreditur; Adgillo tamen regi propterea Friſiam non ademit. *Annal. Friſ.*

Olympias 377. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1505.

Annus Diocletiani 446. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Maſalmas *Dux Saracenorum, miſſus contra Chaganum, prælio vincitur, & exercitum, abductum in Armenia montes vix tutari poteſt.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4679. Poſt C. 730.
A. ☉ 11. ☽ 9. *Ind.* 13.

Germanus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cùm nullo modo Imperatori in dejiciendis imaginibus, & iis damnandis conſentire vellet, de ſede deponitur, & in exilium dejicitur, cùm ſediſſet annis quatuordecim, menſibus ſeptem. Factum id die 7. Januarii, & die 22. Januarii; ſuccedit *Anaſtaſius*, qui ſedit annos ferè 24. *Miſcel.*

Annus Hegiræ 112. *incipit die* 26. *Martii, fer.* 1.

Luitprandus *Longobardorum rex, & Eutychius Exarchus volente Imperatore fœdus faciunt contra Gregorium Papam, ſed induſtria Papæ hoc fœdus diſcuſſum eſt. Interim* Tiberius *quidam invadit imperium in Italia, cui Sacramentum dicunt Mantuani & Lucenſes, & alii. Exarchus verò hunc bello perſequitur & trucidat, caputq; Conſtantinopolin mittit.* Anaſtaſ.

Saraceni *invadunt Gallias, aliquot urbes capiunt, & reliqua crudeliſſimè vaſtant, &* Avenione *potiuntur.* Beda.

Mordacus *rex Scotiæ, cùm regnâſſet annos novem, moritur; ſuccedit* Etwinus, *qui regnat annos* 31. Buchan.

Gregorius Papa Imperatorem, quòd ita propter imagines Epiſcopos ſuis ſedibus pelleret, excommunicat, & tributa ipſius ex Italiâ evehi prohibet. *Anaſt.*

ANNO MUNDI 4680. Poſt C. 731.
G. ☉ 12. ☽ 10. *Ind.* 14.

Gregorius Papa, cùm ſediſſet annos 16. menſes 8. moritur die 11. Febr. Succedit die 16. Februar. *Gregorius* tertius, natione Syrus, qui ſedet annis decem, menſibus novem. *Anaſt.*

Annus Hegiræ 113. *incipit die* 15. *Mart. fer.* 5.

Carolus *Martellus Avenionem urbem Galliæ, à Saracenis dolo & conſenſu provinciæ Ducis Mauronti captam & occupatam, obſidet, eâq; vi receptâ, Saracenos in eâ ad internecionem cædit, cum eos aliquot menſibus obſedîſſet & magnis operibus oppugnaſſet.* Annal. Fuld.

Maſalmas, *Dux Saracenorum Leoni Imperatori bellum infert, & in Cappadociam delatus* Charſianum *caſtrum fraude capit.* Cedr.

Beda Hiſtoriam Eccleſiaſticam gentis Anglorum hoc anno, qui Bedæ eſt annus ab adventu Anglorum circiter 285. abſolvit, anno ætatis 59. *Beda.*

ANNO MUNDI 4681. Poſt C. 732.
F. E. ☉ 13. ☽ 11. *Ind.* 15.

Annus Hegiræ 114. *incipit die* 3. *Martii. Annus Iezdeg.* 101. *incipit die* 22. *Maji, fer.* 5. *Armeniorum* 181. 25. *Maji, fer.* 1.

Leo *Imp. filiam Chagani Cazarorum regis, filio ſuo Conſtantino, cùm eam in pietate inſtitui curaſſet, dedit uxorem, nominavitq; eam* Irenem. Miſcell.

Willibrordus *circa hæc tempora teſtamentum condit, in quo meminit* Antuerpi *Caſtelli ſuper fluvium Scalden.* Vita Willib.

Leo Imp. claſſem contra Pontificem Romanum mittit, quæ tamen in mari Adriatico tempeſtatibus disjicitur, & naufragio perit: quapropter Leo majori irâ exardeſcens reditus Pontificis, quos habebat in Siciliâ & Calabriâ, in ærarium redigit. Fuerunt autem dimidium talentum auri, & tria talenta argenti, octo millia circiter aureorum annuo. *Cedr.*

Annus Alexandr. 1044. *Antioch.* 781. *& Conſt.* 6241. *incipit Calend. Octobr.*

Gregorius Papa Romæ concilium celebrat in cauſâ de imaginibus. Decernitur legatio a Pontifice ad Imperatorem: item Status regni Italici ſimiliter legatum mittunt Conſtantinopolin, deprecatum pro imaginibus, ſed ferè annuo ſpatio detinentur, & ſine reſponſione legati dimittuntur. *Anaſt.*

Saraceni *cùm ſuis Avenione auxilio eſſe non potuiſſent,* Narbonem *in Gothorum finibus occupant. Carolus feſtinans eos cum rege ſuo* Athima *ibi includit, & multis menſibus obſidet.* Annal. Fuld.

ANNO MUNDI 4682. Poſt C. 733.
D. ☉ 14. ☽ 12. *Ind.* 1.

Annus urbis 1485. *Iulianus* 778.
Æra Hiſp. 771. *Auguſtorum* 760.

Annus Nabonaſſ. 1481. *Philippi* 1057. *Hegiræ* 115. *incipit* 21. *Febr. fer.* 7.

Leo *Imp. inchoat annum imperii* 18. *die* 25. *Martii.*

Gregorius Papa cum aliis illuſtribus viris in Italiâ iterum ſupplicat Imperatori pro reſtituendis imaginibus, ſed fruſtrà id fuit: legati detenti per octo menſes, re infectâ redeunt. *Anaſt.*

Theophylactus Nicomedienſis Epiſcopus, quòd conſentire nollet in dejiciendis imaginibus, ſede ſuâ pellitur, & in exilium ejicitur. *Anaſt.*

Olympias 378. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1509.

Eclipſis Solis indicatur ab Anglicis Scriptoribus. Sic enim ait continuator Bedæ: Eclipſis Solis facta die 15. *Cal. Sept. circa horam diei tertiam, ut penè totus orbis Solis nigerrimo & horrendo ſcuto videretur obtectus. Invenitur hæc eclipſis, ut ſcripſit, die* 14. *Aug. fer* 6. *horis poſt mediam noctem octo, &* 30. *minutis in Angliâ, Parallaxis latitudinis eſt,* 26, 14. *latitudo vera* 28, 32. *Viſa latitudo Septentr.* 2, 18. *Semidiam. Solis* 15, 15. *Summa Semidiametrorum.* 30, 19. *Scrupul.*

reſidua

reſidua 18,1. Digiti eclipticí 11,1. Locus Solis in 24. gradu Leonis.

Annus Diocletiani 450. incipit die 29. Aug.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei 14. incipit 14. Sept. fer. 2. Anno Jud. 4494.

Eodem hoc anno, inquit Archidiaconus Huntundinenſis, Scriptor Anglicus, Edelbaldus rex Merciorum plurimas Angliæ provincias ſuo regno adjecit.

Saraceni ſuis, qui à Carolo Martello Narbone obſeſſi erant, auxilio veniunt, obſidionem ſoluturi: ſed tantâ vi à Carolo repelluntur, ut cum rege ſuo Amoreo ferè ad internecionem occiderentur, pauci in Hiſpaniam redierint. Annal. Fuld.

ANNO MUNDI 4683. Poſt C. 734.
C. ⊙ 15. ☽ 13. Ind. 2.

Eclipſis Lunæ à Scriptoribus Anglicis indicatur facta die 24. Jan. feriâ primâ. Sic enim ait continuator Bedæ. Eclipſis Lunæ die 7. Cal. Febr. circa Galli cantum duabus horis Luna planè obſcurata eſt. Facta eſt in Angliâ horâ ferè ſecundâ poſt mediam noctem, feriâ primâ ineunte, die 24. Januarii, Latitudo vera auſtralis 9,8. Semidiameter Lunæ 17,17. Summa Semid. 61,43. Scrupula reſidua 52,35. Digiti eclipticí 18, 15. Sol ferè in octavo gradu Aquarii.

Annus Hegiræ 116. incipit die 10. Febr. fer. 4.

Beda Presbyter in Angliâ, moritur die Aſcenſionis Domini. Sic enim ait Archidiaconus Huntundinenſis. Anno ſeptimo Adelbarti regis Weſtſaxonum in Angliâ Sol obſcuratus eſt, & ſequenti anno Beda moritur. Quòd verò Venerabilis, dicitur, idem Beda, ex levi causâ originem traxit. Diſcipulus enim quidam, cùm vellet præceptori ſuo Epitaphium ſcribere verſibus Leoninis, eſſetque non ſatis exercitatus, ſic incepit: Hâc ſunt in foſſâ Bedæ Presbyteri oſſa: intelligens autem metrum hoc modo ſtare non poſſe, mirè ſe torſit, & tandem defatigatus in hiſce cogitationibus obdormivit, & in ſomnis putavit ſibi divinitus ſuggeri vocabulum Venerabilis, quo verſum compleret, ut eſſet, Hâc ſunt in foſſâ Bedæ venerabilis oſſa, & hoc modo titulum Bedæ fecit, ut Venerabilis diceretur.

Bonifacius in Thuringia conſulit Epiſcopos præcipuos in Angliâ, de hac quæſtione, an conjugium diſſolvendum ſit ejus, qui cùm adoptâſſet quendam in filium, poſtea ejus matrem viduam factam duceret uxorem? affirmabant hoc Pontifices Romani, & capite inſuper virum plectendum cenſebant. Bonifacius tamen de hac quæſtione dubitabat. Bar.

Saraceni, cum in Hiſpaniis quieſcere non poſſent, Gallias invadunt vel terrâ vel claſſe. Carolus, ut tandem hoc bello liberaretur, Longobardos in auxilium evocat, & multiplicibus cladibus eos ita atterit, ut tandem à vaſtationibus ceſſarent; multos præterea in captivitatem abduxit. Qui vero mari aufugerunt, ferè omnes tempeſtatibus abſumpti ſunt. Annal. Fuld.

Suleiman Saracenorum Dux, factis in Aſiam incurſionibus, hoc & ſequenti anno multa captivorum millia abducit. Cedr.

ANNO MUNDI 4684. Poſt C. 735.
B. ⊙ 16. ☽ 14. Ind. 3.

Annus Hegiræ 117. incipit die 30. Januar. fer. 1.

Leo Imperator crudeliſſimè graſſatur in Epiſcopos & monachos, qui imaginum cultum defendebant, quibusdam cutem in capite detraxit, & barbam pice liquenti illitam accendit, inde eoſdem jugulavit, quoſdam ad æternos carceres condemnavit. Menol.

ANNO MUNDI 4685. Poſt C. 736.
A.G. ⊙ 17. ☽ 15. Ind. 4.

Annus Hegiræ 118. incipit die 19. Jan. fer. 6.

Annus Iezdegird. 105. die 15. Maji, fer. 2. Armen. 185. 24. Maji, fer. 5.

Leo Imperator pergit in ejiciendis Epiſcopis, qui imagines defendebant; juſſit etiam virgis cædi Philippicum prætorem Conſtantinopolitanum publicè, quòd abſolviſſet duas mulierculas magiæ reas, qui inviſibiles, ut loquebantur, factæ, interfeciſſent infantes. Ignat. Diac.

Willibrordus, cùm Eccleſiæ Trajectinæ annis quadraginta præfuiſſet, ex cujus ſcholâ, tanquam ex equo Trojano multi Theologi & excellentes Doctores prodierunt, moritur. Ann. Friſ.

Carolus Martellus Gothorum regionem, qui Saracenos acciverant & receperant, invadit, urbes eorundem Nemanſum, Agathen & alia caſtella capit, munimenta & propugnacula eorundem ex fundamento deſtruit. Annal. Fuld.

Annus Alexandr. 1048. Antioch. 785. Conſt. 6245. incipit Calend. Octob.

Edilbertus Cantuariorum in Angliâ rex, cùm annos undecim regnâſſet, fortuito incendio perit; ſuccedit frater Edbertus, qui regnat annos 24. Malmesb.

Pelagius, Hiſpanorum rex, cùm regnum ſuum contra Saracenos annos octodecim fortiter tutatus eſſet, moritur; ſuccedit Favila, qui regnat tantum annis duobus. Vaſaus.

ANNO MUNDI 4686. Poſt C. 737.
F. ⊙ 18. ☽ 16. Ind. 5.

Annus urbis 1489. Julianus 782.
Æra Hiſpanica 775. Auguſtorum 764.

Annus Hegiræ 119. incipit die 8. Jan. fer. 3.

Annus Nabonaſſareorum 1485. & Philip. 1061. incipit die 20. Febr. fer. 4.

Leo Imperator inchoat annum Imperii 22. die 25. Martii.

Carolus adhuc bellum gerit in Gothorum regione, ubi contra Saracenos pugnat, feriâ primâ, ut Hepidannus annotat.

Ceolphus, Northumbrorum rex in Angliâ, cùm annos octo regnâſſet, voluntate ſuâ attonſus, relicto mundo fit monachus; cui ſuccedit cognatus, Egbrictus ſive Eadvvertus, qui regnavit annis 21. Huntind. Ceolphus autem is eſt, ad quem Beda ſcripſit ſuam hiſtoriam.

Olympias 379. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1513.

Annus Diocletiani 454. incipit die 29. Auguſti.

Adgillus Friſiorum rex, cùm annis 18. regnâſſet, moritur; ſuccedit ipſi Gundobaldus, qui regnat annos 12. Annal. Friſ.

Annus Hegiræ 120. incipit 28. Decembr. fer. 7.

ANNO MUNDI 4687. Poſt C. 738.
E. ⊙ 19. ☽ 17. Ind. 6.

Carolus Martellus cum exercitu Provinciam adit, & Maurontium Ducem, qui Saracenos evocaverat,

bello perſequitur & finibus pellit; & hoc ac ſequenti anno Provinciam finibus ſuis adjicit. Annal. Fuld.

Favila, *Hiſpanorum rex, filius Pelagii, cùm binos annos regnâſſet, moritur; Eligitur in hujus locum ab Hiſpanis jugum Saracenicum detrectantibus,* Alphōſus *gener Pelagii, oriundus ex Reccaredi olim Hiſpaniæ & Catholici regis proſapiâ. Regnavit hic annis 19. & Saracenos multis urbibus pellit. Infirmiores enim jàm Saraceni facti erant, tot cladibus in Galliâ attriti; quibus pulſis religionem Chriſtianam inſtaurat, & Epiſcopos ordinat.*

Voluit autem hic Alphonſus dici *Catholicus,* quòd Reccaredus, qui primus relictâ Arianâ hæreſi ad Catholicos acceſſerat, ita nomen Catholici ſibi acquiſiviſſet. Hoc nomen intermiſſum à ſucceſſoribus, *Ferdinandus* Arragonius repetiit à Papâ Julio ſecundo, ut ſibi & ſucceſſoribus eſſet hæreditarium. *Baron.*

Annus Hegiræ 121. *incipit* 18. *Decembr. fer.* 5.

ANNO MUNDI 4688. Poſt C. 739.

D. ⊙ 20. ☽ 18. *Ind.* 7.

Bonifacius ſuperiori anno Romam profectus fuerat; inde redit in Bojariam, ubi invenit multos Epiſcopos & Presbyteros, qui non miſſi prædicabant. Conſultos de hâc re Papa reſpondet, hoſce, ſi rectè doceant, eſſe ordinandos. Bonifacius igitur totam Bojariam in quatuor Epiſcopatus diſtribuit, & inſtituit tum Epiſcopatum *Ratisbonenſem* & *Salisburgenſem. Litera Pontif.*

Tranſamundus *bello petitus à Luithprando, Longobardorum rege, & viribus impar, relicto ſuo Ducatu Spoletano Romam fugit. Luithprandus perſequens victoriam, Romam obſidet, jubetq; ſibi Tranſamundum dedi: cùm id non fieret, ex Ducatu Romano quatuor urbes Pontifici adimit, & exercitum dimittit. Factum menſe Auguſto. Tranſamundus adjutus copiis Pontificis menſe Decembr. ducatum recuperat.* Anaſtaſ.

Soleiman *Dux Saracenorum exercitum nonaginta millium contra Leonem educit, captisq; multis millibus hominum & oppidis, dives prædâ domum redit.* Cedr.

Annus Hegiræ 122. *incipit* 7. *Decembr. fer.* 2.

ANNO MUNDI 4689. Poſt C. 740.

C. B. ⊙ 21. ☽ 19. *Ind.* 8.

Luithprandus *Longobardorum rex iterum Pontificis regiones vaſtat, & Campaniæ urbes ferro flammisq; exſcindit. Pontifex ad Carolum Martellũ ſcribit, ipſiq; per claves Petri ſupplicat pro defenſione. Sed nihil auxilii tamen impetravit, quòd amicitia eſſet intima inter Luithprandum & Carolum.* Anaſt.

Annus Iezdeg. 109. *incipit* 20. *Maji, fer.* 6. *Armen. die* 23. *Maji, feria* 2.

Adelhardus *rex VVeſtſaxonum in Angliâ, cùm annos* 13. *regnâſſet, moritur; ſuccedit cognatus ipſius* Cudredus, *qui regnat annos* 16. Continuat. Bedæ.

Annus ſabbathicus 5. *Jobilei* 14. *incipit* 27. *Aug. feria* 7. *Anno Jud.* 4504.

Annus Alexand. 1052. *Antioch.* 789. *& Conſt.* 6249. *incipit Calend. Octobr.*

Terremotus horrendus extitit Conſtantinopoli, die 26. *Octob. fer.* 4. *quo templa, monaſteria & omnes ferè ædes deſtructæ ſunt. Idem factum Niceæ Nicomediæ, & aliis in locis. Mare etiã alicubi reſluit. Duravit hic terræmotus menſibus ferè undecim: muri urbis juſſu Imperatoris reædificati ſunt, ſed contribuentibus civibus, & anniverſarium feſtum propter hanc rem inſtitutum.* Cedr.

Papa Gregorius tertius ad Bonifacium ſcribit, ut ad Danubium conventum Epiſcoporum agat.

Annus Hegiræ 123. *incipit die* 25. *Nov. fer.*

ANNO MUNDI 4690. Poſt C. 741.

A. ⊙ 22. ☽ 1. Ind. 9.

Annus urbis 1493. *Julianus* 786.

Æra Hiſpan. 779. *Auguſtorum* 768.

Annus Nabonaſſaris 1489. *& Philippi* 1065. *incipit die* 19. *Febr. fer.* 1.

Leo Imp. inchoat annum Imperii 26. *die* 25. *Martii.*

Theodoricus *Francorum rex, hujus nominis quartus, cùm annos* 15. *regnâſſet, moritur:* Carolus *ipſi in regno ſubſtituit* Hildericum *ingenio ſtupidum, qui regnat annis undecim.* Aimoin.

Leo *Imperator, cùm imperâſſet annis* 25. *menſibus duobus, moritur die* 18. *Junii, ex morbo inteſtinorum: ſuccedit ipſi filius* Conſtantinus *Copronymus, qui regnat annis* 34. *menſibus tribus. Statim autem cùm ſucceſſiſſet Copronymus, die* 27. *Junii, contra Saracenos in Aſiam movet. Interim* Artavaſtus, *qui affinis erat, & Leonis Iſaurici filiam uxorem habebat, imperium invadit: ideò Conſtantinus, etſi contra Saracenos res fortiter geſſerat, tamen in Aſiâ hybernare cogitur. Artavaſtus interim, ut vulgum ſibi conciliaret, imagines Conſtantinopoli reſtituit, & liberos Conſtantini captos in vinculis habet.* Miſcell.

Olympias 380. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1517.

Annus Diocletiani 458. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Carolus *Martellus, cùm pacem undique in toto regno victis Gothis, Saxonibus, Friſonibus, Provincialibus, & Saracenis, conſtituiſſet, moritur die* 22. *Octob. anno Ducatûs viceſimo ſeptimo & Pariſiis ſepelitur. Succedunt ipſi in Ducatu & officio Majoris Domûs filii* Carolomannus *& Pipinus.* Aimoin.

Annus Hegiræ 124. *incipit die* 15. *Nov. fer.* 4.

Gregorius tertius Papa moritur die 29. Novembris, cùm ſediſſet annos decem, & menſes novem: ſuccedit *Zacharias* Papa, qui ſedet annis decem, & menſibus tribus.

ANNO MUNDI 4691. Poſt C. 742.

C. ⊙ 23. ☽ 2. *Ind.* 10.

Zacharias Papa legatos mittit ad regem Luithprandum, & cum eo in gratiam redit, urbes ſuas recuperat, & Luithprando auxilia mittit ad debellandum Spoletanum Thraſimundum, qui impar viriviribus ſe regi tradidit. Eò proficiſcetur etiam Papa, & regi tandem perſuadet, ut bello abſiſtat, & urbes Pontifici reſtituat ante biennium ablatas: quin Lutihprandus præterea alias urbes, ante triginta annos imperio ereptas, ut Narniam, Auximarum, Anconitam, & captivos, inſuper donat Pontifici. *Anaſt.*

Antiochena Eccleſia, cùm quadraginta annis fuiſſet absque Epiſcopo ſive Patriarchâ, conſentiente *Haſcam* Amirâ Damaſci, accepit Patriarcham; ſed eligitur Stephanus quidam homo plebejus, pius tamen. *Miſcell.*

Pipinus *& Carolomannus Hunabdum Aquitaniæ Ducem rebellum ſuperant, & finibus ejiciunt; inde in*

Alemannos movent, qui Theodebaldo Duce jugum excutere conabantur, eoſq; celeritate eximia opprimunt. Bellum hoc ducitur in ſequentem annum, quo Opilonem *Bavariæ Ducem prælio vincunt.* Annal. Fuld.

Filius Artauaſti *tyranni Conſtantinopolitani exercitum educit contra Conſtantinum menſe Auguſto, decimæ indictionis, ſed turpiter vincitur.* Miſcel.

Annus Hegiræ 125. incipit die 4. Nov. fer. 1.

Carolus *Magnus naſcitur Ingelheimi, ut habet* Aventinus.

Zacharias Papa Burchardum Epiſcopum Wirtzburgenſem facit & confirmat: Fuit autem natione Britannus. *Annal. Friſ.*

ANNO MUNDI 4692. Poſt C. 743.

F. ☉ 24. ☽ 3. *Ind.* 11.

Haſcam Amiras Saracenorum, cum regnaſſet annos viginti, moritur: ſuccedit Patruelis Walid nepos Abdelmelech, qui patruum projecit inſepultum. Regnavit autem Walid tantum uno anno, mortuusque eſt anno Hegiræ 126. *Zacuthi.*

Conſtantinus Imp. & Artavaldus tyrannus, de imperio diſceptantes, arbitrum ferè faciunt Walid Saracenum, & uterque ſibi auxilia ab ipſo petit. Walid verò utrique infenſus, cùm hoc modo imperium injuriis opportunum eſſet, Natolium invadit, & omnia vaſtat. *Miſcel.*

VValid Petrum Epiſcopum Damaſci lingua mutilat, quòd Arabum, Saracenorum, & Manichæorum religionem non ſolùm improbaret, ſed & refutaret, & inſuper eum in Arabiam in exilium mittit. *Miſcel.*

Luithprandus Ravennam obſidere & oppugnare conatur, Eutychius Exarchus, quod nulla auxilia ab Imperatore habere poſſet, exorat Papam Zachariam, ut ſit pacis ſequeſter. Pontifex ſuſcipit hanc legationem, invito Luithprando, venitque ad Padum die 28. menſis Junii, & deprecatur pro Ravenna, obtinetque rem: ſed Exarchus obſidum loco aliquot urbes Luithprando annuo ſpatio dare coactus fuit, donec legati Conſtantinopolin irent & redirent. *Anaſt.*

Conſtantinus Imp. menſe Septembri duodecimæ indictionis ineuntis, Chalcedonem venit, inde per Abydum in Thraciam accedit, & ad murum in conſpectu civium caſtra locat. Artavaſdus autem urbe egreſſus prælio cum eo decertat, & vincitur, & in urbem fugatur. Cùm verò Conſtantinus claſſe omnem commeatum impediret, & jam Conſtantinopoli ingens eſſet fames, Artavaſdus à plebe pellitur, ejus filius à Conſtantino capitur, & urbs etiam die 2. Novembris occupatur, ubi Artavaſdo & duob. ejus filiis oculi eruuntur: alii proceres & defectionis autores trucidantur. *Cedr. Miſcell.*

Annus Hegiræ 126. incipit die 25. Octobr. fer. 6.

Ogdilo *Dux Bavariæ, rapta ſorore Pipini, Pipino inſuper bellum infert, in quo Pipinus difficillimo prælio vincit. Interim Carolomannus Saxoniam petit, & caſtrum Hochburch capit & Theodoricum Saxonem obſidem pacis ſimul capit.* Sigeb.

Conſtantinus, *cum urbem per milites diripuiſſet, Patriarcham multis contumeliis affectum, & in urbe in aſino averſum ſedentem circumduxiſſet, tandem dignitati reſtituit. Et vocato legato Pontificis Romani, Divo Petro aliquot prædia donavit.* Anaſt.

ANNO MUNDI 4693. Poſt C. 744.

E.D. ☉ 25. ☽ 4. *Ind.* 12.

VValid Saracenorum Amiras in Damaſco, moritur, cùm ferè annum regnaſſet, ſuccedit frater *Jezith*, qui principatum pecunia emit: fuit Conſtantini olim Auguſti nepos ex Peroze, ſed tantum aliquot menſes regnavit. *Zacuthi.*

Luithprandus, Longobardorum rex, cum annos 31. & menſes ſeptem regnaſſet, moritur: & hæredem regni facit ſuum nepotem Aldebrandum ſtatim in initio anni. Sed Longobardi eligunt regem *Rachiſium*, qui cum Pontifice pacem facit in viginti annos. *Anaſt.* Regnat annos ſex.

Hildericus rex Franciæ, in comitiis Sueſſionenſib. multa decernit, quæ ad religionem faciunt: Ducem in hiſce rebus habuit Pipinum Francorum Principem. Factum die 2. Martii, Luna decimâ quartâ pridie plenilunii, quod hoc anno accidit die 3. Martii.

Annus Iezdegird. 113. *incipit* 19. *Maji, fer.* 3. *Armen.* 193. *die* 22. *Maji.*

Bonifacius Epiſcopus cœnobium Fuldenſe in ſolitudine Boconia fundat. *Annal. Fuld.*

Cutredus, *VVeſtSaxonum in Anglia rex, cum Edelbaldo Merciorum rege, magna clade Britannos vincit.* Huntin.

Sacerdos quidam in Boaria Latinæ linguæ ignarus baptiſaverat infantes, *in nomine Patria & filia & Spiritus ſancta.* Bonifacius Epiſcopus hoſce rebaptiſandos cenſet, repugnant alii. Conſultus Papa Zacharias, reſpondet hoc anno, primo Julii, cùm ex ignorantia, non ex hæreſi hoc acciderit, baptiſmi iterationem neceſſariam non eſſe. *Baron.*

Jezith Amiras Damaſci moritur hoc anno, cùm aliquot menſes tantum regnaſſet, ſuccedit *Maruvā* filius Muhamedis, & regnat annos ſex, contra quem inſurgit *Thebith* quidam, qui ad Emeſam urbem victus, pœnas dedit rebellionis. Hic Maruvan iterum paſſus eſt Antiochiæ creari novum Patriarchā *Theophylactum*, Presbyterum Edeſſenum. *Zacuthi. Cedren.*

Annus Alexandr. 1056. *Antioch.* 793. *Conſt.* 6253. *incipit Calend. Octob.*

Annus Hegiræ 127. *incipit die* 13. *Octobr. fer.* 3.

Antequam Hunni Tranſylvaniam hoc anno occuparent tanta è montibus aquilarum multitudo advolavit, ut non tantum pecudes, ſed etiam epulas de menſis raperent. Bonfin. *Simile ferè omen accidit in Styria, anno 1592. priuſquam moveretur bellum Turcicum ſub Rudolpho Imperat.*

ANNO MUNDI 4694. Poſt C. 745.

C. ☉ 26. ☽ 5. *Ind.* 13.

Annus urbis 1497. *Julianus* 790.

Æra Hiſpanica 783. *Auguſtorum* 772.

Annus Nabonaſſ. 1493. *& Philippi* 1069. *incipit die* 18. *Febr. fer.* 2.

Carolomannus & Pipinus, collecto exercitu in Saxoniam abeunt, Saxones enim Thuringiam vaſtarant, quam ambo defendunt, Saxoneſque repellunt, & eorum regiones viciſſim vaſtant, & Oſnabruck caſtrum capiunt, & in Alemannos iterum tumultuantes converſi, eos compeſcunt. *Annal. Fuld.*

Gervilius Epiſcopus Moguntinus in hoc bello ſecutus caſtra Pipini, quendam ex hoſtibus, qui Epiſcopi fratrem in prælio occiderat, amicè evocatum

Pipinus fratri Gryphoni in Neuſtria aliquot Comitatus offert, ſed Grypho hiſce contentus eſſe non potuit, & in Aquitaniam ſe confert. Inde in Italiam tranſit, ubi ſequenti anno trucidatur. *Annal. Fuld.*

Terræmotus ingens & horrendus in Syria factus, ubi quædam urbes penitus exciſæ ſunt, quædam in montibus conditæ in valles dejectæ corruerunt, quædam tamen in ipſo lapſu ſalvæ permanſerunt, & loco ſuo ad ſex millia paſſuum dimotæ. In Meſopotamia terra disrupta fuit ad duo millia paſſuum, & ex ea voragine aſcendit alia terra alba, ſimulq; animal prænuncians adventum peregrinæ gentis contra Saracenos. *Miſcell.*

Annus Hegiræ 133. *incipit die* 9. *Auguſti, fer.* 1.

Cudredus rex WeſtSaxonum in Anglia, contra Edelbaldum Merciorum regem inſurgit, & *Eadbertus*, rex Northumbrorum campum *Cyil* cum aliis regionibus ſuo regno addit. *Append. Bedæ.*

Venda, Craci ducis Poloniæ filia, principatum Polonorum hactenus poſt patrem defunctum adminiſtrarat, cum vero appeteretur in conjugium à Rudigero principe Germano, id reſpuit, & procum principem bello repellit, qua victoria læta, ne adverſus caſus aliquis felicitatem contaminaret, ſe in Viſtulam amnem præcipitem dedit. *Hiſt. Pol.*

Rachiſius Longobardorum rex, oblitus pacis vicennalis, Peruſiam urbem obſidet contra pacta: quapropter Papa Zacharias aſſumpto Clero in Rachiſii caſtra proficiſcitur, regem admonet & objurgat de violato juramento, perſuadetq; ipſi tandem, ut obſidionem relinqueret. Hac Pontificis oratione Rachiſius ita motus eſt, ut relicta regia dignitate cum uxore & filia in cœnobium abiret, pœnitentiam acturus de bello contra jus ſuſcepto, cum regnaſſet annos ferè ſex. *Diac.*

ANNO MUNDI 4700. Poſt C. 751.
C. ☉ 4. ☽ 11. *Ind.* 4.

In feſto Pentecoſtes quartæ indictionis Conſtantinus Copronymus Imperator filium ſuum Leonem creat Auguſtum. Cedr.

Annus Hegiræ 134. *incipit die* 29. *Julii, fer.* 6.

Pipinus dum univerſum Francorum regnum adminiſtrat, ambit regium titulum: mittit igitur Legatos ad Pontificem Zachariam, Burchardum Epiſcopum Virtzburgenſem & Volradum Capellanum, conſulturus Pontificem de *Hilderico*, ſtupido rege Francorum, ultimo ex ſtirpe Merovingorum, qui tantum voluptatibus indulgeret, & quæ ad regnum ſpectarent, omninò negligeret, & Pipinus omnia rectiſſimè adminiſtraret; an non Pipinus dignus eſſet regio nomine, & Hildericus contra à regno removeretur. *Annal. Franci.*

ANNO MUNDI 4701. Poſt C. 752.
B.A. ☉ 5. ☽ 12. Ind. 5.

Zacharias de ſtatu regni Francorum conſultus audaciſſimè pronunciat, Hildericum indignum regno, atque ideo *Pipinum* à juramento, quod regi Hilderico & primoribus regni dederat, abſolvit, eique regnum tradit, & Hildericum monaſterio mancipandum decernit. Ideò *Pipinus* à Bonifacio Epiſcopo Moguntino in Sueſſionum civitate inungitur rex Galliæ, & Hildericus in monaſterium concluditur. *Annal. Franci.*

Zacharias Papa, cum ſediſſet annis decem & menſibus tribus, moritur die 15. Martii. Conceſſit hic regibus Franciæ poteſtatem Epiſcopos ordinandi & præficiendi in ſuo regno, *ut Baronius habet*. Die poſt ejus obitum duodecimo alius eligitur, *Stephanus*, qui tamen tertio die poſt electionem apoplexia moritur, atque ea de cauſa inter Papas non refertur. Poſt hunc alius eligitur, natione Romanus, *Stephanus*, qui hujus nominis eſt ſecundus, & ſedit annos quinque. Et ſtatim tertio menſe legatos mittit ad Aiſtulphum Longobardorum regem, qui omnia circa Romam, vaſtabat, cum muneribus pro pace impetranda, quam & Aiſtulphus promittit in quadraginta annos. *Anaſt.* Hic Stephanus fuit primus, qui ad Lateranum humeris ſubeuntium portari voluit: idem etiam decrevit, ut tabulæ diplomatum Pontificis plumbò obſignarentur, ut diuturniores eſſent. *Polyd. Virg.*

Annus Jezdegird. 121. *incipit die* 17. *Maji, fer.* 4. *Armeniorum* 201. *die* 10. *Maji, fer.* 7.

Annus Hegiræ 135. *incipit die* 17. *Julii, fer.* 3.

Eclipſis Lunæ annotatur à Rogerio ab Hoveden Scriptore Anglo, quæ acciderit pridie Calendarum Auguſti, feria ſecunda, quæ eodem die etiam ad tabulas noſtras invenitur. Facta eſt hora una poſt mediam noctem, ultimo Julii, feria ſecunda ineunte. Latitudo Lunæ vera Septentrionalis 2. 54. *Semidiameter Lunæ* 16. 23. *Summa ſemidiametrorum* 59. 46. *Scrupula reſidua* 56. 52. *Digiti eclipſici* 20. 50.

Annus Alexandræus 1064. *Antioch.* 801. *Conſtantinop.* 6261. *incipit à Calend. Octobr.*

Aiſtulphus rex Longobardorum Ravennam expugnat, & Eutychium Exarchum Italiâ pellit, qui Conſtantinopolin fugit, atque ita Exarchatus Imperatorum Græcorum in Italia deſiit, cum annis 182. duraviſſet. *Diac.* Idem Aiſtulphus victoria hac ferocior factus, cum exercitu Romam redit, poſtulatque plenam jurisdictionem urbis Romæ, jubetque ſibi pendi quotannis in ſingula capita civium ſingulos auri ſolidos: nec ab hac ſententia deterreri potuit, cùm idem Imperatori Græco ſolviſſent. Papa igitur Stephanus ad Imperatorem Conſtantinum legatos mittit, rogatque ut cum exercitu adveniat, & Longobardorum furorem compeſcat. Sed cùm ejus preces apud Imperatorem fruſtra eſſent, clanculum mittit literas Pipino Galliæ regi, eumque ad ſui defenſionem evocat. *Anaſtaſ.*

ANNO MUNDI 4702. Poſt C. 753.
G. ☉ 6. ☽ 13. *Ind.* 6.

Annus urbis 1505. *Julianus* 798.
Æra Hiſpanica 791. *Auguſtorum* 780.

Annus Nabonaſſ. 1501. *& Philippi* 1077. *incipit* 16. *Febr. fer.* 6.

Eclipſis Solis annotatur à Continuatore Bedæ, quæ acciderit die 9. *Januarii hoc anno, quæ etiam ad tabulas noſtras hoc die, qui fuit feria tertia, horis ferè duabus ante meridiem, invenitur. Parallaxis latitudinis fuit* 47. 31. *Latitudo ſeptentrionalis vera* 49. 45. *Viſa ſeptent.* 2. 14. *Semidiam. Solis* 15. 56. *Summa ſemidiametrorum* 30. 21. *Scrup. reſidua* 28. 7. *Digiti eclipſici* 10. 35. *Sol in gradu* 24. *ferè Capricorni.*

Sic Eclipſis Lunæ, ab eodem Continuatore annotatur die 24. *Januarii, in qua Luna horrendo & nigerrimo ſcuto obtecta fuit, invenitur etiam hac dicto die, hora ferè prima poſt mediam noctem, ineunte feria quarta,*

die

die 24. Januarii. Latitudo vera ſeptent. 30. 21. Semidiam. Lunæ 17. 53. Summa ſemidiametrorum 63. 44. Scrup. reſidua 30, 26. Digiti eclipticiferè 12. Sol in 8. gradu Aquarii.

Aiſtulphus, Longobardorum rex Romam obſidet, & vicinas Pontificis urbes occupat. Interim Legati ab Imperatore Chriſtiano adveniunt, ſed ab Aiſtulpho nihil impetrant: ideo Papa legatos ad Pipinum mittit, qui remiſſa honorifica legatione Aiſtulpho perſuadet, ut obſidionem ſolvat, & rem patiatur in induciis eſſe. *Anaſt.*

Conſtantinus init annum imperii die 13. menſis Junii.

Annus Hegiræ 136. incipit die 6. Julii, fer. 7.

Olympias 383. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1529.

Annus Diocletiani 470. incipit die 29. Auguſti.

Pipinus rex exercitum in Saxoniam educit, regiones eorundem vaſtat, & Hildegarius Colonienſis Epiſcopus in hac expeditione à Saxonibus Nibergi ad Viſurgin trucidatur. *Annal. Fuld.*

Abulabas Amiras Saracenus, cùm quatuor annos regnaſſet, moritur, ſuccedit *Abugepher*, alio nomine *Habdallas*, qui regnat annos 22. qui *Seleuciam* inſtauravit, & *Bagdet* appellavit. *Zacuth.*

Anaſtaſius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, moritur morbo fœdo, quo ſtercus per os evomitur, qui morbus Cordapſus appellatur, cùm ſediſſet annis ferè 24. Succedit ſequenti anno Conſtantinus. *Theoph.*

Stephanus Papa, cùm nihil æqui ab Aiſtulpho impetraret, aſſumptis legatis Pipini ipſe Papiam ad Aiſtulphum abit, deprecatur pro pace, ſed nihil obtinet die 14. Octobris. Tandem intercedentibus legatis Pipini impetrat liberam legationem, & commeatum abeundi in Gallias, quod iter ingreditur die 15. Novemb. Cui Pipinus in Gallias obviam mittit filium Carolum cum aliis. *Anaſt.*

ANNO MUNDI 4703. Poſt C. 754.
F. ☉ 7. ☽ 14. *Ind.* 7.

Stephanus Papa a Pipino cum adhuc hyems eſſet, Lutetias perducitur, donec hyems deſæviret, ubi in graviſſimum morbum in Cœnobio Dionyſii Pontifex prolapſus multos menſes ægrotavit, donec convaleſceret. Ibidem dedicavit altare, & Pipinum cum filiis Carolomanno & Carolo inunxit reges Franciæ circa menſem Auguſtum: inde Pipinus iterum legatos ad Aiſtulphum regem mittit, ſed cum nihil impetraret, bellum apparat, ad Pontificem in Italiam reducendum. *Anaſt.*

Conſtantinus Imp. cum Patriarcham feciſſet Cõſtantinum in Synodo, quam inchoavit die 10. Februarii, produxitque usque ad diem 8. Auguſti, decretá facit contra imagines, ut omnes ſimul vocarentur Idola, ne quis imagines haberet: permiſit tamen omnibus, ut per crucem Chriſti jurarent. Convocaverat autem Epiſcopos trecentos & triginta octo, & hanc Synodum vocavit *Concilium Oecumenicum ſeptimum.* Conſtantinus autem Patriarcha hic ſedit annis tredecim. *Theoph.*

Aiſtulphus, cùm ſibi metueret à Pipino, per Abbatem Caſſienſem Carolomannum, monachum fratrem Pipini, in Galliam mittit ad dehortandum Pipinum à bello. Carolomannus etiam in Gallias venit, ſed juſſu Pipini Viennam in Cœnobium dimiſſus eſt, ubi paulò poſt obiit, ejus cadaver poſtea Pipinus Caſſinum in Italiam deportari juſſit. *Anaſtaſ.*

Annus Hegiræ 137. incipit die 26. Jun. fer. 5.

Annus ſabbathicus 7. ſive Jobileus 14. incipit die 23. Sept. feria 2. Anno Jud. 4515.

Cudredus, *rex Weſtſaxonum in Anglia, moritur, cum annos quatuordecim regnaſſet, ſuccedit* Sigebertus, *qui ob crudelitatem ſequenti anno, regno pellitur.* Huntin.

Pipinus, cùm nihil æqui ab Aiſtulpho impetraret, coacto exercitu in autumno, & aſſumpto Pontifice in Italiam properat, anguſtias Alpium per milites præmiſſos munit, ibique Aiſtulphum fugat inde Ticinum tendit, quo fugerat Aiſtulphus, cũque obſidet, ubi tandem pax fit, cum Aiſtulphus promitteret, ſe Ravennam Pontifici traditurum, & quæ Pontifici eripuerat, redditurum, & in hanc rem obſides daret, & Pipinus in Galliam rediit, Stephanus autem Romam. *Anaſt.*

ANNO MUNDI 4704. Poſt C. 755.
E. ☉ 8. ☽ 15. *Ind.* 8.

Bonifacius, cum Friſii religionem Chriſtianam iterum abjeciſſent, conſenſu Pontificis & Pipini, Lullum ſuo loco Epiſcopum facit, & in Friſiam cum Eobano & aliis proficiſcitur, ubi Docomi die 5. Junii à paganis ruſticis & latronibus, unà cum ſociis trucidatur. Cranium cum calice Docomi reverſatum, corpus Trajectum primùm, inde Fuldam relatum. *Wilibaldus.*

Aiſtulphus, Poſtquam Pipinus in Galliam rediiſſet, pactis non ſtetit, ſed undique auxilia conquirit, & Romam iterum tribus menſibus obſidet. Papa ſtatim legatum per mare in Franciam ad Pipinum mittit, qui auxilium roget, inde iterum quinquageſimo obſidionis die legatum, & literas nomine Petri Apoſtoli conſcriptas mittit, in quibus per omnia ſacra auxiliares copias à Pipino expetit. Pipinus non diu moratus, cum exercitu iterum in Italiam ingreditur, & bello Aiſtulphum adeò urget, ut pactis ante annum initis non ſolùm libenter ſtaret, ſed ipſi inſuper eripit plurimas regiones, quas Imperatori Conſtantino eripuerat. Legati tum fortè Imperatoris Conſtantinopolitani aderant, qui à Pipino petebant, ut loca, quæ Longobardi imperio eripuerant, imperio iterum reſtituerentur. Sed Pipinus reſpondet, ſeſe hoſce labores ſuſcepiſſe, & ſumptus tantos feciſſe, non ut imperium defenderet, ſed ut ſi quid Longobardis eriperet id Divo Petro acquireret. Coegit igitur Aiſtulphum, ut omnia præſidia omnibus locis, quæ imperii fuerant, deduceret, & ea libera Romano Pontifici traderet. Accipit ita Papa regiones à Lunis cum inſula Corſica, Soranum, Permam, Rhegium Mantuam, & ſimul univerſum Exarchatum Ravennæ, ſicut antiquitus fuit, cum provinciis Venetiarum & Iſtriæ, & univerſum Ducatum Spoletanum & Beneventanum, atq; ita immenſis divitiis auctus eſt. Pipinus propterea cum filiis inter Patritios urbis Romæ recipitur. *Anaſtaſ. Leo Hoſtienſis.*

Annus Hegiræ 138. incipit die 15. Junii, fer. 2.

Conſtantinus Iberos & Armenios evocatos in Thraciam deducit, ut ibi habitent; multos etiam cum ſuis familiis in ipſam urbem Conſtantinopolin recipit, ut urbs peſte evacuata repleretur iterum. *Miſcella.*

Sigebertus rex WeſtSaxonum anno ſecundo regni propter crudelitatem regno pellitur, cui ſuccedit Cunewulfus; qui regnat annis triginta. *Huntin.*

Pipinus, *cùm in Gallias rediiſſet, comitia celebrat Meti, ubi aliquot leges ſancit de inceſto, vectigalibus, moneta, &c.* Receſſ. Imp.

Ecclipſis Lunæ annotatur à Rogerio ab Hoveden ſcriptore Anglo, die 23. Novembris, feria prima, quæ fuerit totalis apud oculum Tauri, quæ ſtella eodem ſpatio præceſſerit Lunam, incipientem obſcurari, quo ſecuta eſt poſt recuperatum lumen. Hæc eclipſis invenitur die 23. Novemb. feria prima. Latitudo vera Lunæ Auſtralis fuit 12. 27. Semidiam. Lunæ 16.6. Summa ſemidiametrorum 58.25. Scrup. reſidua 45.58. Digiti eclipſeos 17. 8. Facta Londini in Anglia, horis 5. 45. poſt meridiem. Luna tum in gradu 4. 46. Geminorũ. Oculus Tauri in gradu 23. Tauri. Unde videre eſt oculum Tauri à Luna abfuiſſe gradibus undecim, nec tempore eclipſis Lunam eandem ſtellam tranſire potuiſſe.

ANNO MUNDI 4705. Poſt C. 756.
DC. ☉ 9. ☽ 16. *Ind.* 9.

Aiſtulphus Longobardorum rex, ſive fulmine ictus, vel aliàs equo delapſus, ſubitò moritur, abſq; liberis, cum annos regnaſſet ſex. Rachiſius frater ante ſex annos monachus factus repetit regnum, ſed dehortatione Pontificis motus deſtitit. *Deſiderius* verò dux exercitus, cum Pontifici plurima promiſiſſet, auxiliis Pipini occupat regnum, Pontificique tradit Faventiam, Ducatum Ferrariæ & alia. *Anaſt.*

Annus Iezdegird 125. incipit die 16. Maji, feria 1. Armen. 205. incip. 19. Maji, fer. 4.

Annus Hegiræ 139. incipit die 3. Junii, fer. 6.

Edelvvaldus Merciorum rex in Anglia, cum regnaſſet annos quadraginta, trucidatur à Beornredo, qui paucis menſibus regnum adminiſtrat. *Ingulph.*

Annus Alexandr. 1068. Antioch. 805. & Conſtantinop. 6265. incipiunt Calend. Octob.

Hali *Saracenus cum magno exercitu in Cappadociam irruit, metu tamen Conſtantini poſtmodum recedit.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4706. Poſt C. 757.
B. ☉ 10. ☽ 17. *Ind.* 10.

Annus urbis cond. 1509. *Julianus* 802.
Æra Hiſpanica 795. *Auguſtorum* 784.

Annus Alexandr. 1505. *& Philippi* 1081. *incipit* 15. *Febr. feria* 3.

Beornredus Marciorum rex in Anglia, cum tantum aliquot menſibus regnaſſet, regno pellitur, & ſuccedit *Offa*, qui regno Merciorum præfuit annis triginta novem. *Ingulph.*

Stephanus Papa, cum Eccleſiam Romanam immenſis divitiis auxiſſet, & ſediſſet annis quinque & menſe moritur, ſuccedit ipſi poſt aliquam diſceptationem, cum aliqui Theophylactum mallent, frater Stephani Paulus, die 28. Maji, qui præſedit annis decem & menſe uno. *Anaſt.*

Annus Hegiræ 140. incipit die 24. Maji, fer. 4.

Conſtantinus Copronymus init annum imperii 17. menſe Junio.

Olympias 384. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadic. 1533.

Annus Diocletiani 474. incipit die 29. Auguſti.

Alphonſus Catholicus rex Hiſpaniæ, cùm annis novendecim regnaſſet, moritur, cui ſuccedit *Froiolo* filius, qui regnat annis undecim, & menſibus ferè ſex. Hic diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituit, & Sacerdotibus prohibet conjugia. *Tud.*

Habdallas Amiras Saracenorum, auget Chriſtianis tributum in Syria, & ornatum Eccleſiaſticum vendit Judæis. *Theoph.*

Pipinus hoc anno in Saxoniam cum exercitu ingreditur, munitiones Saxonum deſtruit, ipſos prælio vincit, & tributum ipſis imponit trecentos equos. *Sigeb.*

ANNO MUNDI 4707. Poſt C. 758.
A. G. ☉ 11. ☽ 18. *Ind.* 11.

Conſtantinus *Imp. Sclavos invadit, eosq; à Macedonia, cui jam vicini erant, removet.* Miſcell.

Annus Hegiræ 141. die 13. Maji incipit, & quidem fer. 1.

Garſias, qui primus regni Suprarbienſis in Hiſpania initia jecerat, cum annos triginta quatuor regnaſſet, moritur, ſuccedit ipſi filius *Garſias*, qui regnat annis 45. *Blanca.*

Magi in Perſia cum perſuaſiſſent populo, ſe in cœlum evolaturos (incantationibus enim videbantur ſibi hoc conſecuti) nudos ſe advolatum præcipites dant, ac ita terræ illiſi pereunt. Quapropter Habdallas Saracenus in principes Magorum ſedecim numero animadvertit, & Magiam prohibet. *Theoph.*

Eadwertus, *rex Northumbriæ in Anglia, cum annis 21. regnaſſet, abit in monaſterium, relicto mundo, & filio ſuo* Oſwulfo *regnum tradit, qui tantum annum unum regnat*, Hunt.

Vaiferius Aquitanus Pipino regi infeſtus clanculum ejus regiones carpit: qua in furia Pipinus motus bellum Aquitanicum movet, quod totis novem annis continuatum fuit. *Sig.*

ANNO MUNDI 4708. Poſt C. 759.
G. ☉ 12. ☽ 19. *Ind.* 12.

Conſtantinus contra Bulgaros exercitum educit, ſed infelici ſucceſſu. Vincitur enim, & in acie cadunt multi præſtantiſſimi viri, & cum dedecore Conſtantinopolin redit. *Miſcella.*

Annus Hegiræ 142. incipit die 3. Maji, fer. 6.

Froiola *Hiſpaniæ rex, cum Juzapho Saracenorum in Hiſpania principe, collatis ſignis pugnat in Gallaciæ finibus, & inſigni victoria potitur: ceciderunt hoſtium quinquaginta quatuor millia.* Vaſæus.

Gangolphus *in Burgundia claret.* Sig.

Oſvvaldus rex Northumbriæ, cum anno uno præfuiſſet, crudeliter trucidatur, ſuccedit ipſi *Edelvvaldus*, qui regnat annis ſex. *Rogerius.*

Juzaph princeps Saracenorum in Hiſpania, poſt cladem acceptam vilior factus, pellitur Hiſpania, cum novem annis eam obtinuiſſet, ut præfectus; ſuccedit ipſi hoc anno Hegiræ *Abderamen*, qui ſtatim ſe Miramolinum, ſive regem Cordubæ ſcripſit regnavitque annis 27. atque ita Hiſpania deſiit eſſe Miramolino Babylonio vectigalis. *Vaſæus.*

ANNO MUNDI 4709. Poſt C. 760.
F.E. ☉ 13. ☽ 1. *Ind.* 13.

Error in Paſchate hoc anno annotatur ab Anaſtaſio

ſtalio, dum aliqui cyclo Lunæ primo, quando terminus Paſchalis eſt die 5. Aprilis, noluerunt ſequenti die Dominico die 6. Aprilis Paſcha celebrare, ſecuti in hac re tabulas Victorini, ſed diſtulerunt Paſcha usque ad diem 13, Aprilis. Victorinus enim id in tabulis ſuis præceperat, ſed id jam exoleverat, cum Dionyſii Exigui tabulæ jam in uſu eſſent.

Annus Hegira 143. *incipit die* 21. *April. fer.* 3.

Annus Iezdegird 129. *incipit die* 15. *Maji, feria* 5. *Armen.* 209. 18. *Maji, fer.* 1.

Papa Paulus monaſterium Romæ inſtituit, in quo monachi in Græca lingua Pſalmos canerent. *Anaſt.*

Eclipſis Solis annotatur in Miſcellis, quæ acciderit anno viceſimo Conſtantini Copronymi die 15. *Auguſti, hora diei decima. Ea etiam in tabulis Prutenicis invenitur eodem die feria ſexta, hora poſt meridiem quarta, hac enim eſt hora diei decima. Parallaxis latitudinis eſt* 39. 12. *Latitudo vera* 49. 14. *Viſa ſeptent.* 10. 2. *Semidiam. Solis* 16. 8. *Summa ſemidiamet.* 32. 31. *Serup. reſidua* 22. 29. *Ergò digiti eclipticι* 8. 15. *Sol in* 26. *gradu Geminorum.* Bunting.

Annus Alexandræus 1072. *Antioch.* 809. *Conſtantinop.* 6269. *incipiunt à Cal. Octob.*

Comites quidam Galliæ, Chilpingus Arvernenſis, & Ammingus Pictavienſis, ſeſe Pipino opponunt, & Vaiferi Aquitaniæ Ducis cauſam præferunt, ſed prælio victi trucidantur, quo facto Aquitanus ſibi metuens pacem petit, cujus tamen non fuit ſancta fides. *Sig.*

ANNO MUNDI 4710. Poſt C. 761.
D. ☉ 14. ☽ 2. *Ind.* 14.

Annus urbis cond. 1513. *Julianus* 806.

Æra Hiſpanica 799. *Auguſtorum* 788.

Annus Nabonaſſaris 1509. *& Philippi & Alex.* 1053. *incipit die* 14. *Febr. fer.* 7.

Cometa *effulſit hoc anno, qui & in Orientali plaga, & poſt in Occidentali apparuit.* Cedr.

Annus Hegira 144. *incipit die* 10. *Apr. fer.* 7.

Conſtantinus Imperator atrociter perſequitur cultores imaginum, ſed monachus Andreas Calybites nomine, ſpontè Conſtantinopolin venit, cultum imaginum defendit, & Imperatorem redarguit, quapropter crudeliſſimè virgis laceratus eſt, inde colligatis pedibus per plateas reſupinus tractus, donec expiaret, cadaver in mare projectum. *Baron.*

Conſtantinus Imp. inchoat annum imperii viceſimum primum menſe Junio.

Olympias 385. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1537.

Annus Diocletiani 478. *incipit die* 29. *Aug.*

Etvvinus Scotorum rex, infert *Edelbaldo* Northumbriæ regi in Anglia bellum. Prælium accidit die 7. Auguſti, prope Cladunum, ubi Etwinus in prælio cadit, & Edelbaldus inſigni victoria potitur. Regnarat Etwinus annis 31. ſuccedit ipſi *Eugenius VIII.* qui regnat annos tres. *Buchan.*

Oengus Pictorum rex, qui initia regni ſui jecerat ut carnifex, illud etiam ita hoc anno finivit. *Contin. Bedæ.*

Annus ſabbathicus primus Jobelei decimi quinti, incipit die 5. *Sept. fer.* 7. *Anno Jud.* 4522.

Vaifarius *Aquitanus, ruptis pacis conditionibus, Pipino regi bellum infert, & ferro omnia vaſtat, pervenitq; Cavillonem uſq;* Annal. Fuld.

Othmar monachus ſancti Galli, in exilio moritur 16. Novem. *Walaf.*

ANNO MUNDI 4711. Poſt C. 762.
C. ☉ 15. ☽ 3. *Ind.* 15.

Annus Hegira 145. *incipit die* 31. *Martii, fer.* 5.

Conſtantinus Imp. monachos, inprimis cultores imaginum perſequitur, prohibetque monachum aliquem fieri. Latiùs pervagatum eſſet hoc malum, niſi Bulgari ſequenti anno Conſtantino bellum intuliſſent, quo facto perſecutio hæc aliquo modo ſedata fuit. *Theoph.*

Vincentii Martyris oſſa circa hoc tempus è Valentia, civitate Hiſpaniæ à Saracenis occupata, à piis quibusdam in Luſitaniæ promontorium deferuntur, quod poſtea Vincentii nomen accepit. *Tud.*

ANNO MUNDI 4712. Poſt C. 763.
B. ☉ 16. ☽ 4. *Ind.* 1.

Annus Hegira 146. *incipit die* 20. *Martii, fer.* 2.

Coſmas Epiſcopus Apameæ Syriæ, cum quædam vaſa templi in alios uſus convertiſſet, accuſatur; cumque ea reſtituere non poſſet, incipit conſentire Conſtantino de demoliendis imaginibus, quapropter à vicinis excommunicatur & Antiochiæ & Hieroſolymæ. Factum in die Pentecoſtes, qui incidit hoc anno in diem 22. Maji, *Miſcell.*

Conſtantinus *die* 16. *Junii per Thraciam in Pontum Euxinum navigat cum exercitu, & ad Anchialum caſtra metatur, cui occurrit* Teleſis *Bulgarorum rex magno exercitu, ultimo Junii, feria quinta primæ indictionis, & prælio decertant. Sed Bulgari vincuntur, cum pugnaſſent horis ferè octo. Ideò Bulgari regē ſuum, quod videbatur cum Conſtantino conſpiraſſe, aut alias infeliciter pugnaſſe, trucidant. Conſtantinus Conſtantinopolin rediens triumphat,* Miſcell.

Turcæ Caſpiis portis egreſſi, in Armenia crudeliter graſſantur, & multa præda capta redeunt. *Miſcell.*

Calendis Octobris hujus anni Hyems *ſævire incipit, uſq; ad finem menſis Februar. Pontus Euxinus adeò in glaciem concrevit, ut glacies craſſitudine eſſet triginta pedum, acceſſit in quibusdam locis nix profundiſſima.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4713. Poſt C. 764.
A. G. ☉ 17. ☽ 5. *Ind.* 2.

Menſe Febr. cum hyems deſæviiſſet, Pontus per Boſphorum in Propontidem ingentia perpulit glaciei fragmenta, quib. plus quàm triginta homines inſiſtere poterant, & tuto in mari invehi: muros urbis Conſtantinopolitanæ hæc fragmenta alicubi everterunt: ſequente Martio menſe continuæ fuerunt trajectiones ſtellarum, & ſecuta ſiccitas ingens, qua fontes ubique ferè exaruerunt. *Miſcell.*

Annus Hegira 147. *incipit die* 9. *Martii, fer.* 5.

Annus Iezdegird. 133. *incipit* 14. *Maji, fer.* 2. *Armeniorum* 213. *die* 17. *Maji, fer.* 5.

Turcæ Caſpiis portis iterum egreſſi, Iberiam vaſtant, & cum Saracenis ancipiti Marte congreſſi, ad ſua redeunt. Miſcell.

Hiſcabi Moſi, principi cuidam Saracenorum, cum capitis dolore laboraret, Medicus quidam Hab-

dallas

dallas cognatus fortiùs propinat medicamentum, ex quo ad inſaniam ferè redactus eſt, & ipſi eripit principatum: ſanitati tamen aliquo modo reſtituto offert annuum ſtipendium honeſtum. *Miſc.*

Aimoinus in rebus geſtis Francorum annotat eclipſin Solis hoc anno, qua accidit die 4. Junii, feria ſecunda, ferè in ipſo meridie. Parallaxis latitudinis eſt 20. 10. *Latitudo vera* 32. 24. *Viſa ſeptentrionalis* 12. 14. *Semidiameter Solis* 15. 44. *Summa ſemidiametrorum* 31. 13. *Scrup. reſidua* 18. 59. *Digiti eclipticì* 7. 15. *Sol in* 16. *gradu Geminorum.* Bunting.

Eugenius *rex Scotorum, cum annos tres regnaſſet, moritur, ſuccedit* Ferguſius III. *qui regnat ſimiliter annos tres.* Buchan.

Annus Alexandr. 1076. *Antioch.* 813. *& Conſt.* 6273. *incipit Calend. Octobr.*

Conſtantinus *Bulgaros in ſpem pacis conjicit, interea eos incautos ferro & incendio vaſtat.* Miſcell.

Anaſtaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, cũ annis 24. ſedem obtinuiſſet, moritur, ſuccedit Conſtantinus, qui ſedit ferè biennium. *Zonaras.*

ANNO MUNDI 4714. Poſt C. 765.
F. ☉ 18. ☽ 6. Ind. 3.

Annus urbis cond. 1517. *Julianus* 810.
Æra Hiſpanica 803. *Auguſtorum* 792.

Annus Nabonaſſ. 1513. *& Philippi & Alex.* 1089. *incipit die* 13. *Febr. fer.* 6.

Annus Hegira 148. *incipit die* 27. *Febr. fer.* 4.

Conſtantinus Imp. infida pace cum Bulgaris facta iterum in Bulgariam inopinato irrumpit, & tuguria multa Bulgarorum corrumpit, re tamen infecta redit. *Cedr.*

Conſtantinus Imperat. annum imperii viceſimum quintum inchoat menſe Julio.

Olympias 386. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1541.

Annus Diocletiani 482. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Edelwaldus, *Northumbrorum in Anglia rex, cum annos ſex regnaſſet, regnum amittit, ſuccedit* Alredus *vel* Edelredus, *qui regnat annis quatuordecim.* Rogerius.

Pipinus *Franciæ rex iterum Aquitaniam vaſtat, & magnam ejus partem ſibi ſubjicit.* Sigebert.

Conſtantinus, die 20. Novemb. indictionis quartæ incuntis, Stephanum, qui monaſticam vitam magna laude coluerat, & imaginum demolitionem improbabat, crudeliter interfecit, ut & alios multos: Et à ſubditis ſuis jusjurandum novum exegit, ne quis imagines adoraret, & ſanctos coleret. *Miſcell.*

ANNO MUNDI 4714. Poſt C. 766.
E. ☉ 19. ☽ 7. *Ind.* 4.

Conſtantinus Imperator, die 21. Januarii movet contra Bulgaros, claſſe comparata ad Anchialon, quæ claſſis ferè tota tempeſtatib. disjecta eſt, multaq; hominum millia perierunt. *Miſc. Cedr.*

Annus Hegira 149. *incipit die* 16. *Febr. fer.* 1.

Legati à Conſtantino Copronymo mittuntur ad Pipinum cum muneribus. Attulerunt autem inter alia *Organum*, inſtrumentum muſicum nunquam in his regionibus viſum. Ad hujus exemplum alia inſtrumenta poſtea efformata ſunt, & in templis uſurpata, unde poſtea Muſica noſtra, quæ in conſonantiis progreditur, inventa eſt. Voluit autem hac ratione Pipino perſuadere, ut & ipſe imagines demoliri velit, de qua re ſequenti anno Concilium in Francia actum. *Annal. Franc. Avent.*

Bellum Aquitanicum ſumma vi geritur, & Pipinus Remiſtanium perfidum transfugam, fratrem quondam Eudonis, iterum captum ſuſpendit. Sig.

Conſtantinus Imp. die 17. Auguſti proponit edictum de Monachis, ut monaſteriis pellantur, & uxores ducant, vitamque civilem degant. Inde die 15. Auguſti in ludis Circenſibus principes quosdam viros accuſatos majeſtatis vel trucidavit, vel in exilium ejecit. *Miſcell.*

Conſtantinus Patriarcham Conſtantinopolitanum Conſtantinum, quòd ſecreta quædam Imperatoris publicaſſet, die 30. Auguſti in carcerem detrudit, inde in exilium ejicit, & die 16. Novembris Nicetam Eunuchum è Sclavis ortum, eligit Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui ſedet annis quatuordecim. *Zonar.*

Conſtantinus *aquaductum Valentinianum Conſtantinopoli renovat, aliosq; inſuper inſtituit per operarios plus quam ſexies mille*, Miſc.

ANNO MUNDI 4716. Poſt C. 767.
D. ☉ 20. ☽ 8. *Ind.* 5.

Annus Hegira 150. *incipit die* 5. *Febr. fer.* 5.

Pipinus in villa Gentiliaco Epiſcopos ſuos convocat cum legatis ex Græcia, qui adhuc aderant. In hac Synodo diſputatum fuit inter Græcos & Romanos *de imaginibus, & de ſancta Trinitate, & de proceſſione Spiritus Sancti:* cum Romanus Pontifex à Græcis argueretur, ex ſuo ſenſu adjeciſſe verba in Symbolo Niceno, *qui ex Patre Filioq; procedit.* Regino.

Epiſcopatus Saltzburgenſis inſtituitur die 15. Junii per Virgilium natione Anglum, qui poſtea miſit Epiſcopum Modeſtum in Carinthiam, & ibi etiam Evangelium annunciari juſſit. *Hiſtor. Bohem.*

Paulus Papa, cum ſediſſet annos decem, in morbum prolabitur: *Toto* Dux Nepeſinus de hac re certior factus, cum exercitu & caterva ruſticum Romam properat, & ſuum fratrem Conſtantinum adhuc laicum eò deducit, eumq; nondum defuncto Paulo Pontificem proclamat, die IV. Junii, feria prima. Poſtridie moritur Papa Paulus, & Conſtantinus novus Papa, creatur Diaconus & Presbyter, poſtea die 5. Julii conſecratur Papa. Sedit annum unum & menſem. *Onufrius.*

Ferguſius *Scotorum rex, cum annos tres regnaſſet, moritur: ſuccedit ipſi* Sulvatius, *qui regnat annos viginti.* Buchan.

Conſtantinus omnes monachos ex tota Aſia Epheſum convocat, iisque imperat idem, quod ſuperiori anno in Europa præceperat, ut vel induti veſtimentis plebeis uxores ducant, vel erutis oculis in Cyprum deportentur. Monaſteria deinde militibus, & alia habitanda concedit: Durus inſuper eſt in exactionibus, unde immenſos auri & argenti theſauros congeſſit. *Cedr.*

Conſtantinus Patriarcha exul Conſtantinopolin ex exilio retrahitur, & multorum criminum accuſatur, die 7. Octobris, ſextæ indictionis ineuntis, & poſt paucos dies decollatur. *Miſcella.*

Pipinus *Lemovicum urbem in Aquitania iterum expugnat, & ipſam Aquitaniam extremis malis afficit, Waiferique matrem, ſorores & neptes captas ſecum abducit.* Sigeb.

ANNO MUNDI 4717. Poſt C. 768.
C.B. ☉ 21. ☽ 9. *Ind.* 6.

Annus Hegiræ 151. *incipit* 25. *Jan. fer.* 3.

Annus Iezdegird. 137. *incipit* 13. *Maji, feria* 6. *Armen.* 217. *die* 16. *Maji, fer.* 2.

Vaiferus *Aquitaniæ dux, cum tot malorum, quæ bello illata fuerant, & ſibi & ſubditis ipſe ſolus cauſa eſſet, à ſuis capitur; & in gratiam Pipini occiditur, & Pipinus totam Aquitaniam ſibi ſubjicit.* Sigeb.

Cùm Conſtantinus Papa ſedem Pontificiam annuo ferè ſpato obtinuiſſet, nec cedere vellet etiam admonitus, quidam ex Presbyteris clam ad regem Deſiderium proficiſcuntur, eumq; de auxiliis ad ejiciendum Conſtantinum ſollicitant; adjuvant eam rem dux Spoletinus, & alii, & cum exercitu noctu clam urbem Romam introeunt, die 28. Julii, ſextæ indictionis. Totonem ducem Nepeſinum occidunt, & alium Papam eligunt Philippum Presbyterum, qui tamen ex Laterano à populo ejicitur, quinto die, & in monaſterium detruditur: tandem conſentiunt in Stephano tertio, quem eligunt die ſexto Auguſti, qui ſedit annos tres, menſes quatuor ferè. *Anaſt.*

Annus ſabbathicus ſecundus Jobeles 15. *incipit die* 17. *Sept. fer.* 7. *Anno Jud.* 4529.

Annus Alexandr. 1080. *Antioch.* 817. *& Conſt.* 6277. *incip. à Cal. Octob.*

Pipinus *rex, poſt occupatam Aquitaniam in morbum prolapſus, profectus eſt Turonem ad reliquias ſancti Martini, inde ad Dionyſium Lutetias, & mortuus eſt tandem die* 24. *Septembris. Filii* Carolus & Carolomannus *occupant regnum, & inaugurantur die* 9. *Octobr. Carolus VVormatiæ, Carolomannus Sueſſione.* Regin.

Stephanus Papa, ne ejuſmodi turbæ in electione Pontificis accidere poſſint, Epiſcopos in ſequentem annum convocat Romam, legatos etiam in Gallias dimittit, qui inveniunt Pipinum defunctum. Carolus igitur conſentit, ut & ſui Epiſcopi numero duodecim Romam abeant. *Anaſt.*

ANNO MUNDI 4718. Poſt C. 769.
F. ☉ 22. ☽ 10. *Ind.* 7.

Annus urbis 1521. *Julianus* 814.
Æra Hiſpanica 807. *Auguſtorum* 796.

Annus Hegiræ 152. *incipit die* 14. *Januarii, fer. ſeptima.*

Annus Nabonaſſaris 1517. *& Philip.* 1093. *incipit die* 12. *Febr. fer.* 1.

Hunaldus frater Vaiferi, putans Aquitaniam ad ſe pertinere, eam occupat, Carolus & Carolomannus ipſi bellum inferunt, & prælio ſuperatum Aquitania ejiciunt, fuga in Vaſconiam defertur, & tandem à Lupo præfecto Vaſconiæ, Carolo per legatos deditur, atq; ita bellum Aquitanicum decennale finitum eſt. *Annal. Fuld.*

Conſtantinus coronat Eudociam tertiam ſuam uxorem, Calendis Aprilis, & ſequenti die, in die Paſchatis, filios ſuos Chriſtophorum & Nicephorum Cæſares facit. *Miſc.*

Conſtantinus init annum imperii 29. *menſe Junio.* *Olympias* 387. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1545.

Annus Diocletiani 486. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Concilium Romæ celebratum eſt, quod cœpit menſe Aprili, in cauſa Conſtantini Papæ, qui excæcatus & in monaſterium detruſus fuerat, qui iterum damnatur, & ex Eccleſia ejicitur, ejus acta reſcinduntur, & ipſe comburitur. Quos ordinaverat, ii ad inferiores gradus iterum rediguntur, poteſtate tamen facta, ut promotionem iterum à Stephano petere poſſint: decernitur inſuper, ne quiſpiam, niſi per diſtinctos gradus Diaconus, Presbyter, Cardinalis factus ſit, Pontifex eligatur, multò minùs Laicus. *Anaſt.*

Froiola, *cùm rex Legionum & Aſturiæ in Hiſpania fuiſſet annis undecim & menſibus ſex, occiditur ab Aurelio fratre, qui colluſerat cum Saracenis, & Silo principi Saracenorum ſororem ſuam conjugem dederat: occupavit autem regnum, & obtinuit annis ſex.* Ildefonſus.

ANNO MUNDI 4719. Poſt C. 770.
G. ☉ 23. ☽ 11. *Ind.* 8.

Annus Hegiræ 153. *incipit die* 4. *Januarii, fer.* 5.

Irene ſponſa Leonis, Bulgarorum regis filia, moribus Græcis imbuta, Conſtantinopolin deducitur & Leoni jungitur, coronaturque Auguſta in templo Stephani. *Cedr.* Sed Miſcellæ habent hæc ſuperiori anno die 17. Decemb.

Conſtantinus iterum monachos & moniales ſeriò Epheſum convocat, jubetque ut ſi velint, alba induantur veſte, & connubio jungantur, ſi nolint, ut oculis orbentur, & in exilium in Cyprum, ut Saracenorum injuriis expoſiti ſint, deportentur. Aliqui elegerunt, & monaſteria vendita ſunt. *Miſc.*

Concilium Wormatiæ celebratum, in quo à populo & clericis à Carolo impetratum, ne liceret clericis in bellum exire. *Baron.*

Bertha mater Carolomanni in Italiam abit, & ſecum filiam Deſiderii Longobardorum regis in Gallias abducit, junctura eandem filio ſuo Carolomanno. *Stephanus* Papa de hac re edoctus, diſſuadet hoc conjugium, ut qui maximè dicit Longobardorum gentem non dignam, quæ gens diceretur, eſſe perfidam, fœtentiſſimam, horridam, horribilem, perjuram, de cujus natione Leproſorum origo duceretur, hocque pro certo affirmat. Sed aliam cauſam habuit Stephanus Papa, ne Franci cum Longobardorum gente affinitate juncti edocerentur de ſceleribus Pontificum, & aliquid ita pontificiæ dignitati detraheretur. *Regino.*

Annus Hegiræ 154. *incipit* 24. *Decemb. fer.* 2.

ANNO MUNDI 4720. Poſt C. 771.
F. ☉ 24. ☽ 12. *Ind.* 9.

Conſtantinus *filius Leonis & Irenes naſcitur menſe Januario.* Miſc.

Saraceni duce Banaca Iſauriam deprædantur, & obſident caſtrum Syces, exercitumque Imperatoris Conſtantini contra venientem vincunt, potiunturque ſpoliis multis. Miſc.

Præfectus Aſiæ minoris, ut bene mereretur de Conſtantino Imper. monachos quoſdam, qui barbas alebant, ſuffocavit, cum barbam eorum cerâ, & pice illineret, & ſic incenderet: alios alio modo interfecit. *Miſc.*

Sergius Archiepiſcopus Ravennæ moritur. Michael quidam Scriniarius Eccleſiæ, nondum Sacerdos, ejus ſedem invadit auxilio regis Deſiderii & Mauritii ducis Arimenſis. Papa Stephanus hanc invaſionem improbat, & Michaelem ejectum

eupit

rupit, qui tamen invito Pontifice Epiſcopatum retinet, & ejus opes & theſauros in defenſores ſuos effundit. Advenerunt paulò poſt legati Caroli, quorum auxilio hic Michael deponitur, & Romam abducitur. At verò hinc iræ regis. Deſiderii in Pontificem Romanum exardeſcunt, quæ tandem eruperunt in apertum bellum, *Anaſt.*

Carolomannus, *cum jam ex filia Deſiderii Longobardorum regis filiolam haberet, febre corripitur, & moritur die 4. Decembris.* Carolus *ejus uxorem cum filiola ad parentem Deſiderium remittit, id quod malè habet quoſdam proceres Francos. Inter alios Adelradus conſobrinus Caroli propterea exceſſit ex aula.* Annal. Fuld.

Annus Hegiræ 155. incipit die 13. Decem. fer. 6.

ANNO MUNDI 4721. Poſt C. 772.

E. D. ☉ 25. ☽ 13. *Ind.* 10.

Stephanus Papa, cum ſediſſet annos tres, & menſes ferè ſex, moritur Calendis Februa. ſuccedit ipſi Hadrianus Romanus, vir nobilis, qui ſedet annis 23. & menſib. decem. *Anaſt.*

Deſiderius rex Longobardorum, cùm eligeretur Papa, urbes à Pipino Pontifici Romano datas ad Exarchatum Ravennæ pertinentes. Faventiam, Ducatum Ferrariæ & alias, duorum menſium ſpatio occupat, & propè Ravennam in vicis & oppidis præſidia collocat, ne quis Ravenna egrediatur, aut commeatum importet: mittit etiam, qui Pontificem Romanum novum intercipiant, & ad ſe perducant. Sed Pontifex eoſdem Arimini capit. *Anaſt.*

Annus Jezdegird. 141. incipit 12. Maji, fer. 5.

Armeniorum 221. die 15. Maji, fer. 6.

Carolus *Magnus filiam Deſiderii Bertham ſibi deſponſam ad patrem in Italiam remittit, &* Hildegardin *Suevam uxorem ducit. Poſtea comitia agit Wormatiæ, ubi de regno rectè conſtituendo conſilia habentur, & bellum Saxonibus inferendum decernitur. Proficiſcitur igitur in Weſtphaliam & oppidum Eresburg capit, ibique idolum* Irmenſuel *deſtruit. Eſt autem Eresburg in Weſtphalia, non illud Mersburg ad Salam: Inde Saxones ad Weſeram fluvium adeò bello atterit, ut duodecim pacis obſides darent.* Regino: & alii.

Annus Alexandræus 1084. Antioch. 821. Conſtantinop. 6281. incipiunt. Cal. Octob.

Carolus Magnus *inchoat annum regni 5. die 9. Octob.*

Annus Hegiræ 156. incipit 2. Decembr. fer. 4.

ANNO MUNDI 4722. Poſt C. 773.

C. ☉ 26. ☽ 14. *Ind.* 11.

Annus urbis 1525. *Iulianus* 818.

Æra Hiſpanica 811. *Auguſtorum* 800.

Annus Nabonaſſar. 1521. & Philippi 1097. incipit die 11. Febr. fer. 5.

Cùm Deſiderius non deſiſteret ab injuriis, Papa Hadrianus mittit legatos ad Carolum petitque auxilium. Sed Carolus legatione honorifica monet Deſiderium, ut bello abſiſtat, & Pontifici reddat, quæ Pipinus pater ſancto Petro tradiderat. Sed apud Deſiderium nihil obtinet: iterum igitur legatos mittit, qui pecuniam Deſiderio ingentem offerant, modo Pontifici ſua reddat. Cùm & hac legatione nihil efficeretur, exercitum colligit, bello Pontificem defenſurus. *Annal. Fuld.*

Conſtantinus Imp. init menſe Junio annum imperii 33.

Olympias 388. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus. 1590.

Annus Diocletiani 490. incipit die 29. Auguſti.

Walid Saracenorum dux in Romanam ditionem irruit, & multos captivos abducit: Mopsveſtienſes collecto exercitu obviam hiſce proficiſcuntur, prædatores hoſce ex inſidiis opprimunt, & præda exuunt. *Ced.*

Carolus Magnus bipartito exercitu in Italiam ingreditur, & in Alpibus præſidia Deſiderii dejicit, ipſum prælio ſuperat: pater Deſiderii ſe Papiæ includit, quam Carolus obſidet tota hyeme. Adelgiſus verò filius cum paucis Veronam effugit, unde ſequenti anno, ne Carolo traderetur, elapſus, Conſtantinopolin abit, ubi tandem conſenuit. *Annal. Fuld.*

Annus Hegiræ 157. incipit die 21. Novemb. fer. 1.

ANNO MUNDI 4723. Poſt C. 774.

B. ☉ 27. ☽ 15. *Ind.* 12.

Conſtantinus *in Bulgariam expeditionem inſtituit menſe Martio, qua pax Bulgaris exorta eſt, quam tamen non ſanctè obſervarunt: ideò Conſtantinus eos obruit, & duodecim millia eorum interficit, ita ut ne unum ex ſuis amitteret. Inde iterum pax convenit, ne alter alterum læderet.* Cedr.

Carolus cum Ticinum per totam hyemem obſediſſet, Romam ad Paſcha celebrandum proficiſcitur. Paſcha hoc anno die 3. Aprilis celebratum. Inde ad obſidionem revertitur, qua tandem Longobardi fracti, & ſe & Deſiderium cum conjuge dediderunt. Carolus theſauros Deſiderii univerſos exercitui dividit, ipſum verò cùm conjuge in Franciam abducit, atque ita regnum Longobardorum finitum eſt, cum duraſſet annos 206. & Carolus cum magno triumpho in Franciam rediit. Reddidit tamen Pontifici omnia, quæ Pipinus conceſſerat, Longobardorum verò regnum ſibi retinuit. *Sig. Regino.*

Carolus, cùm audiiſſet tempore Paſchatis Romæ alio modo ibi cantari quam in Galliis, offenſus hac diſſonantia, binos Clericos Romæ aluit, qui authenticum Romanorum cantum diſcerent, & Gallos docerent. Hi primùm eundem cantum in Metenſi Eccleſia inſtituerunt, unde reliqui eundem didicerunt. *Sigeb.*

Saxones *cum Heſſis interea, dum Carolus in Italia abeſt, fines Francorum vaſtant, & Eresburgum ac Segeburgum ad Viſurgim fluvium expugnant. contra quos tamen exercitum miſit, qui Saxonum ferociam repreſſit.* Annal. Fuld.

Offa *Merciorum in Anglia rex pugnat contra Cantuarienſes, & vincit*, Hunting.

Annus Hegiræ 158. incipit die 10. Nov. feria 5.

Paulus Diaconus Hiſtoricus, Deſiderio regi à ſecretis, ſimul captus, ſed libertate donatus in Galliam venerat, ibi accuſatur, quod Deſiderio fugiendi rationem clam monſtraſſet, dum manum ſive ſcripturam Caroli imitatus fuiſſet. Juſſit igitur Carolus ipſi præcidi manum, ſed ſtatim pœnitentia ductus, pœnam ipſi remiſit hanc, & ſolummodò relegavit in inſulam Diomedis, ex qua tamen effugit, & in Italiam venit, & in cœnobium Caſſinenſe nomen dedit, ubi monachus vixit, multa ſcripſit in hiſtoria, item hiſtorias & lectiones de Sanctis juſſu Caroli conſcripſit. Carolus ipſe ſua manu & verſib. ad hunc Diaconum ſcripſit. *Leo Oſt.*

ANNO MUNDI 4724. Poſt C. 775.

A. ☉ 28. ☽ 16. *Ind.* 13.

Carolus *iterum in Saxoniam movet, & Eres*

burg readificat, & ad Viſeram fluvium Saxonibus occurrit, qui turpitèr victi ſunt. Perrexit itaque Carolus uſque ad Odacrum, ubi Saxones pacem petunt, & Carolo Homagium præſtant. Sed in Weſtphalia Angarii ſuper Francos irruunt, non tamen impunè, majorem enim cladem reportarunt, quam intulerunt. Qua injuria Carolus irritatus, Weſtphaliam undiq; vaſtat, donec ſe dederent. Regino.

Carolus, cum Radbodus Friſiorùm rex non abſtineret à perſequendis Chriſtianis, querelæque ad Carolum deferrentur, magno exercitu Radbodum invadit, & gemina pugna vincit, & Friſia pellit, cum planè à religione Chriſtiana abhorreret. *Annal. Friſ.*

Aurelius rex Gothorum in Hiſpania, cum annos ſex regnaſſet, moritur: ſuccedit ipſi *Silus* Arabs, cui Aurelius ſororem uxorem dederat, qui regnat annis octo. Fuit autem tantùm quaſi tutor Alphonſi Froiolæ filii, *Tudenſ.*

Annus ſabbathicus tertius Jobelei decimi quinti, incipit die 31. Aug. fer. 5. Anno Jud. 4536.

Habdalias, *cum Damaſci annis 22. Amiras fuiſſet, moritur ex diarrhæa, Anno Hegiræ* 158. *Succedit ipſi filius* Mahdi, *filius Manzur, qui regnat Damaſci annis decem* Zacuth.

Conſtantinus Imperator indictione 13. menſe Auguſto movet contra Bulgaros, ſed ibi anthrace correptus febribus tentatur, & moritur die 14. Septembris. Delectatus hic magnoperè fuit ſordibus & ſtercoribus animalium, & eos plerumque magnifecit, qui malè olerent, ideo, quòd caballino ſtercore plurimum delectaretur, *Caballinus* à quibuſdam vocatus eſt. Succedit ipſi filius Leo, qui regnat annis quinque. *Miſcell.*

Annus Hegiræ 159. incipit die 31. Octob. fer. 3.

ANNO MUNDI 4725. Poſt C. 776.

G.F. ☉ 1. ☽ 17. *Ind.* 14.

Roegandus Dux Foroiulii, dum Carolus in Francia eſt, regnum Longobardorum invadit, idque occupat. Sed Carolus ſumma feſtinatione in Italiam properans, non tantùm eum ex regno Longobardorum ejicit, ſed etiam in acie trucidat. Inde Foroiulium & Tauriſium occupat, præſidiis munit, & Paſcha ibi celebrat. *Regino.*

Leo Imperator, dum Conſtantinopoli res imperii ordinat, rogatur a proceribus imperii, ut filium ſuum Conſtantinum velit creare Imperatorem, quod facturum ſe pollicetur Leo, ſi ſibi jurent omnes & ſinguli, ſe nullum alium imperare paſſuros, niſi filium Conſtantinum poſt ſuum obitum. Juratur in die Paraſceves ante Paſcha, & Dominica Paſchatis Conſtantinus creatur Imperator die 14. Aprilis.

Annus Jezdegird. 145. incipit 11. Maji, fer. 7. Armen. 225. die 14. Maji, fer. 3.

Menſe Majo Nicephorus Cæſar, frater Leonis, conſilia init cum quibuſdam principibus, de dejiciendo fratre Leone ab imperio, ſed eos Leo comprehendit, & majeſtatis reos attonderi jubet, & captivos in Cherſoneſum mitti. *Miſc.*

Saxones abſente Carolo ad Lippam Heresburgum oppugnant, ſed irrito conatu, tandem diſcedunt, & Segeburgum invadunt, ſed eadem fortuna ibi repelluntur, & fugantur. Carolus de hiſce motibus certior factus, feſtinans ex Italia redit, & Saxoniæ fines intrat, cui ſe Saxones, ultima metuentes, ad caput fluminis Lippæ dedunt, Chriſtianosq; ſe fore pollicentur, & obſides in hanc rem dant, quos Carolus voluit. Carolus igitur otium nactus, Heresburg fortiùs munit & adhuc aliud caſtrum ſupra Lippam ædificat. *Regino.*

Annus Alexandr. 1088. & Antioch. 825. & Conſtant. 6285. incipiunt a Cal. Octob.

Annus Hegiræ 160. incipit die. 19 Octob. fer. 7.

ANNO MUNDI 4726. Poſt C. 777.

E. ☉ 2. ☽ 18. *Ind.* 15.

Annus urbis cond. 1529. *Julianus* 822.

Æra Hiſpanica 815. *Auguſtorum* 804.

Annus Nabonaſſ. 1525. *& Philippi* 1101. *incipit die 8. Febr. fer. 2.*

Menſe Majo Saxones plerique ut promiſerant, Carolo Paderbornæ, ubi erat, ſe ſiſtunt & baptiſantur, ubi ſuis Francis & Germanis, qui Saxones ſubegerant, Carolus privilegia communicat, ut ſint Nobiles, *& de publico alantur. Inde* Wedekindi *Ducis Angriæ, qui ad Danos profugerat, ditiones occupat.* Wedekindus *contra apud Danum ſocerum ſuum ad recuperandas ſuas regiones de auxiliis ſollicitat.* Annal. Fuld.

Regulus Cæſar Auguſtanus in Hiſpannia ex Saracenis cum ſociis ſuis ad Carolum Paderbornam venit, ſe ſuaque, Carolo dedit, & auxilia ac reſtitutionem in principatum petit. Carolus, quod hæc putaret pertinere ad propagandam religionem Chriſtianam inter Saracenos, auxilia promittit, & ſtatim exercitum colligit. Annal. Fuld.

Olympias 389, incipit in Julio. Eſt annus Olympiadic. 1553.

Annus Diocletiani 494. incipit die 29. Auguſti.

Leo Imperator inchoat annum Imperii 2. menſe Sept. Carol. 10. die 9. Octob.

Annus Hegiræ 161. incipit. die 8. Octob. fer. 4.

Telericus Bulgarorum rex, à ſuis pulſus Conſtantinopolin fugit, ubi, honorificè ſuſcipitur à Leone inſtituitur in Chriſtiana religione, creatur Patritius, baptiſatur, & accipit uxorem, Irenes Imperatricis conſobrinam. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4727. Poſt C. 778.

D. ☉ 3. ☽ 19. Ind. 1.

Carolus cum exercitu in Hiſpaniam proficiſcitur ſuperatisque Pyrenæis montibus, Pampilonem urbem capit, & defectis muris deſtruit, Cæſar-Auguſtam etiam obſidet, quæ deditur his conditionibus, ut Idnabalam regulum reciperent, ipſi religionem Chriſtianam diſcerent, & regulus concionibus ſacris ſemper intereſſet. In hanc rem obſides accipit, & in Franciam revertitur, at ad ſaltus Pyrenæos, cum Vaſcones ex inſidiis ultimà impedimenta Caroli invaſiſſent, ea diripuerunt, & præſtantes ibi viros occiderunt, Eginhartum regiæ menſæ miniſtrum, *Anshelmum* Comitem palatii, & *Rolandum* Britannici litoris præfectum. Hanc cladem aliqui Scriptores in ultima tempora Caroli conjiciunt. Sed certum annum non definiunt, nec characterem apponunt. Gallici verò Scriptores eam hoc anno aſſignant, indictione prima, quos cæteris prætulimus.

Bremenſis Eccleſiæ privilegia data hoc anno, pridie Idus Julii in Palatio Nemetenſi, fortaſſis Spiræ. *Abb. Sad.*

Saxones, dum Carolus abeſt, rebellant duce Widekindo, qui auxilia Normannorum ſive Danorum adduxerat, & terminos Caroli uſque ad Rhenum devaſtant, repelluntur tamen à præſidiis

diis & ſubſidiis Caroli, tempeſtivè miſſis. *Annal. Fuld.*

Annus Hegira 162. *incipit die* 28. *Sept. fer.* 2.

Alcuinus Anglus Carolum inſtruxerat in Dialecticis, Rhetoricis, & Aſtronomicis. Antea docuerat Eboraci in Anglia, inde legatus miſſus ad Carolum, benignitate ejus illectus, apud eum manſerat. In Theologicis autem Carolus multò inſtructior fuit hoc Alcuino, quod oſtendunt ejus literæ ad Carolum, in quibus diſcere ex ipſo cupiebat, cur Septuageſimæ & Sexageſimæ Dominicæ præcederent Quadrageſimam. Pſallendi verò diſciplinam ſive modum legendi Harmonicum Carolus exactè calluit, eundemque ipſe emendavit, ſed Sacra Biblia, quæ deſcribentium vitio corrupta fuerant Alcuino emendanda tradidit, quorum exempla, ut Baronius teſtatur, adhuc ſuperſunt.

Ludovicus Pius, qui poſt Carolum imperavit, naſcitur hoc anno. *Him.*

ANNO MUNDI 4728. Poſt C. 779.
C. ☉ 4. ☽ 1. *Ind.* 2.

Leo Imp. magnam victoriam à Saracenis reportat hac hyeme in Syria, ceciderunt Arabum ad undecim millia. *Miſcell.*

Carolus in concilio Synodali plurimas leges ſancit de clericis, de decimis, homicidiis, periuriis. Inde adhuc, priuſquam proficiſceretur contra Saxones, immunitates clericorum auget, & monachos Lutetianos immunes à vectigalibus facit, ut teſtantur privilegia, hoc anno data.

Carolus iterum in Saxones movet, eoſq; prælio vincit, ideò partem eorum in deditionem accipit, & leges ipſis præſcribit. Magna verò pars Saxonum armata manu finibus ſuis excedit, Vandalos vicinos loco ſuo pellit, eorundemque ſedes occupat, & hi nominati poſtea ſunt Oſtphali. *Crantz.*

Edelrhedus *Northumbriæ in Anglia rex, cum annos quatuordecim regnaſſet, regno à ſubditis pellitur, ſuccedit ipſi* Adelwaldus, *qui regnat annos decem,* Roger. ab Hov.

Annus Hegira 163. *incipit* 17. *Sept. fer.* 6.

Mahdi *Amiras Saracenorum cladem ulturus, cum ingenti exercitu fines Imperii ingreditur. Leo Imp. cum exercitum æqualem opponere non poſſet, in munitas urbes commeatum convehi jubet, & modico exercitu Saracenos commeatum inveſtigantes carpit, Saraceni igitur recedunt.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4729. Poſt C. 780.
B.A. ☉ 5. ☽ 2. *Ind.* 3.

Nicetas Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm annos 14. ſediſſet, moritur, finiente Januario menſe, ſuccedit ipſi Paulus natione Cyprius, die 6. Febr. feria prima, ſecunda hebdomade Jejuniorum ſedetque annis 9. *Miſcell.*

Leo Imp. media hebdomade Jejuniorum die 5. Martii, quoſdam principes aulæ ob cultum imaginum ignominia afficit, inter quos etiam Theophanes fuit, qui interfectus eſt: reliqui, & potior eorundem pars fuit carceri mancipata. Sic idem Leo apud conjugem Irenen quaſdam imagines reperit, eas Irene negat ſe conſcia paratas eſſe, ſuſpicatur igitur Leo eas ab aulicis ſubminiſtratas fuiſſe quapropter aulicos quoſdam trucidat, & à conjuge ſua poſtea ſe abſtinet. *Miſcell.*

Annus Iezdeg. 149. *incipit die* 10. *Maji, fer.* 4. *Armen.* 229. *die* 13. *Maji, fer.* 7.

Carolus Saxoniam ingreſſus, aulam inſtituit Heresburgi, inde progreſſus, ad Albim venit. In itinere eo multi Bardonganenſes & Nortlingenſes baptiſati ſunt **in Horheim**/ ultra Odacrum fluvium, & pervenit inde ad locum, ubi Ora confluit in Albim **an die Ohr bey Garleben.** Inde regreditur in Franciam, & ſeſe ad iter Italicum accingit. *Regino.*

Epiſcopatus Mindenſis fundatus hoc anno à Carolo Magno, in honorem Apoſtoli Petri, priusquã Wedekindus baptiſaretur. *Annal. Mind.*

Carolus etiam Oſnaburgenſis Epiſcopatus fundamenta jacit, cui tamen poſt annos ſeptem dedit Epiſcopum. Ita citra Viſurgim etiam alium Epiſcopatum inſtituit in oppido **Selingſtedt**/ qui poſt ſeptennium tranſlatus eſt Oſtervicum, & inde *Halberſtadium.* Eodem hoc anno Carolus in Hardesborch deſtruxit idolum Saxonum, cui nomen Crodo, **den Kroden Teuffel.** *Crantz.*

Leo *Imp. cum imperaſſet annos quinque, & dies ſex, moritur die* 6. *Sept. ſuccedit ipſi conjux* Irene, *quæ filio nomine regnat annis decem, menſibus duobus. Reſtituuntur autem ſtatim imagines, & monachi cum monſalibus ſtatim in cœnobia reducuntur.* Stud.

Aaron *filius Mahdi Amira, Armeniam invadit, æſtateque tota eam vaſtat, & caſtella quædam capit in Sept.* Miſcell.

Annus Hegira 164. *incipit die* 6. *Sept. fer.* 4.

Annus Alexandr. 1092. *Antioch.* 829. *& Conſt.* 6289. *incip. Cal. Octob.*

Arragonenſes Hiſpani per *Aſar* principem à Saracenorum jugo magna fortitudine ſe vindicant, & libertatem conſequuntur, & ita Arragonenſis Comitatus initium ſumpſit, qui ſub Suprarbienſi regno fuit. Hic comitatus poſtea regni titulo inſignitus fuit poſt annos 125. *Hiſt. Arrag.*

Conſtantinopoli ſeditio oritur die 18. Octobr. ubi quidam Nicephorum fratrem Leonis carcere liberare Imperatorem, & conſtituere conantur, ſed Irene principibus revocat in mentem juramentum, quod dederant Leoni, & ſeditioſos aut in carcerem conjicit, aut in exilium pellit. Patruos verò omnes Nicephorum, Chriſtophorum, & alios duos, ſacerdotes facit, cum eos attondiſſet. *Miſc.*

Carolus Magnus *in Italiam ineunte hyeme abit, & natalitia Chriſti celebrat hoc anno Ticini.* Ann.

ANNO MUNDI 4730. Poſt C. 781.
G. ☉ 6. ☽ 3. *Ind.* 4.

Annus urbis 1533.	*Julianus* 826.
Æra Hiſpanica 819.	*Auguſtorum* 808.

Annus Nabonaſſaris 1529. *& Philip.* 1105. *incipit die* 9. *Febr. fer.* 6.

Carolus, cùm Paſcha appropinquaret die 15. Aprilis Romam venit, & Pipinum filium ibi curat baptiſari, ſponſore baptiſmi Hadriano Papa, inde ambos filios curat inaugurari reges, Pipinum quidem Italiæ, Ludovicum verò Aquitaniæ. *Reg.*

Thaſſilo Bavariæ Dux Caroli regi bellum infert ſuaſu uxoris ſuæ, quæ filia erat Deſiderii regis Longobardorum, & exilium ſoceri vindicare conatur, at Hadrianus Papa intercedit pro Thaſſilone, ut humaniter cum ipſo agere velit. Inſtituuntur itaq; comitia Wormatiæ, quo Thaſſilo evocatur, qui Carolo

dat juramentum fidelitatis & offert obſides duodecim, & ita in gratiam recipitur. *Sig.*

Olympias 390. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1557.

Annus Hegiræ 165. *incipit die* 26. *Auguſti, fer.* 1.

Annus Diocletiani 498. *incipit die* 29. *Auguſti. Irene Imp. orientis incipit an: imperii* 2. *die* 6. *Sept. Carolus* 14. *die* 9. *Octob.*

Irene *Helpidium præfectum Siciliæ facit, qui tamen favebat clanculum Nicephoro fratri Leonis, eumq; promotum cupiebat, ſed Irene re comperta, ipſum uxorem & liberos carceri includit.* Miſc.

Saraceni *invadunt Ciliciam, ſed ibi ſuperantur à Ducibus Irenes.* Miſc.

ANNO MUNDI 4731. Poſt C. 782.
F. ☉ 7. ☽ 4. *Ind.* 5.

Irene mittit exercitum contra præfectum ſuum in Sicilia Helvidium, qui Nicephorum ad imperium evehere conabatur, cumq; aliquot præliis fractum Sicilia pellit, qui cum Nicephoro in Africam ad Saracenos fugit. *Miſc.*

Eadem mittit legatos ad Carolum Magnum, qui conciliarent nuptias inter filium ſuum Conſtantinum & Rotrudin filiam Caroli: additur legatis Eliſæus Eunuchus, qui Rotrudin Græcam linguam & mores Græcorum doceret. Sed conjugium hoc poſtea impeditum fuit ab ipſa Irene, quæ verebatur, ne filius potentia invaleſceret plus, quàm ſibi uſui eſſet. *Miſcell.*

Aaron *filius Mahdi Amiræ, irruit in Natoliam, clades utrinq; illata & acceptæ. Pax tandem facta, ſed tamen ut Irene quot annis tributum aliquod penderet.*

Annus Hegiræ 166 *incipit die* 15. *Aug. fer.* 1.

Annus ſabbathicus quartus Jobeles 15. *incipit die* 12. *Septembris, feria* 5. *Anno Jud.* 4543.

Carolus ſynodum agit ad fontes Lippæ fluvii in Saxonia. Eo venit etiam Normannorum rex Godefridus, & legati Avarorum. Interim Saxones iterum Duce Videchindo rebellant, & Caroli legatos Adelgiſum & Geilonem cum multis copiis trucidant, ſed potiſſima pars Saxonum, quæ in officio permanſerat, ſeditioſos hoſce ad quatuor mille & quingentos comprehendit, & Carolo offert, à quo trucidati ſunt, Widechindus verò ad Normannos perfugit. *Annal. Fuld.*

ANNO MUNDI 4732. Poſt C. 783.
F. ☉ 8. ☽ 5. *Ind.* 6.

Irene *exercitum contra Sclavos mittit, qui jam vaſtabant Theſſaliam ac Peloponneſum, eoſq; Græcia feliciter ejicit, & multis ſpoliis potitur.* Miſc.

Hildegardis *uxor Caroli M. moritur, pridie Calendarum Maji, in vigilia Aſcenſionis, poſtea die* 12. *Julii moritur etiam Bertha, mater Caroli M.* Regin.

Silus, *qui jam octo annis regnum Hiſpaniæ obtinuerat, & Alphonſum ſecum regnare paſſus erat, moritur, & à proceribus regni regnum hoc Legionis & Aſturiæ ad Alphonſum defertur, ſed à Maurogato patruo ſuo, magnis auxiliis Saracenorum inſtructo, regno deturbatur, fuit hic Maurogatus filius nothus Alphonſi, & regnavit annis quinq; & menſibus ſex.* Valæus.

Annus Hegiræ 167. *incipit die* 5. *Auguſti, fer.* 3.

Carolus iterum in Saxoniam movet, & binis præliis eos vincit, & immenſam multitudinem trucidat, & totam regionem undiq; cum exercitu prædabundus pervadit, & tandem in Franciam redit, & alteram conjugem ducit *Vaſtradam. Annal. Fuld.*

Elipandus Toletanus Epiſcopus incidit in Neſtorianam hæreſin, perſuaſus procul dubio à Saracenis, eandem fidem profitentibus, oppoſuerunt tamen ſe huic errori Presbyter Beatus, item Epiſcopi quidam, & poſt decennium hac de re convocatur Synodus, in qua hic Elipandus Epiſcopatu motus eſt. *Tomi Conc.*

ANNO MUNDI 4733. Poſt C. 784.
DC. ☉ 9. ☽ 6. *Ind.* 7.

Irene *cum filio Conſtantino in Thraciam, ineunte menſe Majo, excurrit, locum condendæ urbis electura.* Miſcell.

Annus Iezdeg. 153. *incipit die* 9. *Maji, fer.* 1. *Armen.* 233. *die* 12. *Maji, feria* 4.

Annus Hegiræ 168. *incipit die* 24. *Julii, fer.* 7.

Carolus, cum magna eſſet aquarum inundatio, in Saxones rebelles per Thuringiam ad Albim uſque exercitum traducit, & inde ad Tagniofurtum & Scammingen pervenit, ubi Oſtphali erant, & inde in Franciam redit. Filio verò Carolo Weſtphalos domandos pater conceſſerat, qui eos prælio vincit, & ſub jugum redigit. *Regino.*

Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum annis quinque, & menſibus ſeptem præfuiſſet, calendis Septemb. pœnitens facti, quod in demolitionem imaginum conſenſiſſet, relicto throno in monaſterium abit, ubi paulò poſt, cum cauſam edidiſſet ſui facti, & iconoclaſtiam damnaſſet, moritur. Eligitur in ejus locum Taraſius, qui & Conſul Conſtantinopoli fuerat, & nobili genere ortus, ſed conſentire electioni noluit, niſi ſpes daretur certa concilii Oecumenici in cauſa de imaginibus quo facto ex laico factus eſt Patriarcha in natalitiis Domini, die 25. Decemb. ſedetque annis [illegible]. *Zonar.*

Annus Alexandr. 1096. *Antioch.* 833. & *Conſt.* 6293. *incipit Calend. Octob.*

ANNO MUNDI 4734. Poſt C. 785.
B. ☉ 10. ☽ 7. *Ind.* 8.

Annus urbis 1537.	*Iulianus* 830.
Æra Hiſpanica 823.	*Auguſtorum* 812.

Annus Nabonaſſ. 1533. & *Philippi* 1109. *incipit* 8. *Febr. fer.* 3.

Taraſius Patriarcha ſtatim in initio anni, cum Irene Imperatrice ſcribit ad Papam, editque ſuam confeſſioné, hortaturq; eũ, ut Conſtantinopolin veniat, ad generale Concilium agendum, de imaginibus, quibus etiam reſpondet Papa Hadrianus, improbat ejus electionem, quod factus ſit Patriarcha ex laico, monetq; ut ubiq; imagines reſtituantur. *Baron.*

Mahdi Amiras *Saracenus, cum annis decem regnaſſet, moritur, ſuccedit frater Moſe, anno tantum uno.* Miſcell.

Cunewolfus *rex Weſtſaxonum in Anglia, cum annis ferè* 31. *regnaſſet, moritur; ſuccedit filius* Brictricus, *qui regnat annis* 16. Ingelph.

Carolus Synodum celebrat Paterbornæ, inde movet in Saxones, & nullo contradicente Saxoniam totam pervadit: ne tamen iterum rebellarent, præcipuas eorundem familias ad decem millia in Brabantiam & Flandriam mittit, & inde in Franciam redit, & intercedente rege Daniæ Windechindus, & Albio in gratiam recipiuntur, & in Galliam evocan-

evocantur, qui & comparuerunt, & Attiniaci baptiſati ſunt. *Regino.*

Fundamenta etiam Epiſcopatus *Mindenſis* jaciuntur, quem ita Widechindus voluit nominari, quòd omnia ſua eſſent Caroli: Saxonicè Min din. *Annal. Saxon.*

Annus Hegiræ 169. *incipit die* 13. *Julii, feria* 4.

Olympias 391. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1561.

Annus Diocletiani 502. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Irene *inchoat imperii annum ſextum in Septembri. Carolus vero decimum octavum die* 9. *Octob.*

Irene *repudiat nurum Rotrudem, filiam Caroli, & revocat Eliſæum Eunuchum ex Franciâ, ne filii ſui vires invaleſcerent, & ipſa à gubernatione removeretur, cùm jam eſſent aliqui pertæſi imperii muliebris, depoſcentes filium ad imperium.* Zonar.

ANNO MUNDI 4735. Poſt C. 785.
A. ☉ 11 ☽ 8. *Ind.* 9.

Abderamen *Miramomimus, vel rex Saracenorum in Hiſpaniâ, anno Hegiræ* 169. *inſigne templum Mahometicum Cordubæ ædificare jubet, & moritur ſequenti anno.* Vaſæus.

Annus Hegiræ 170. *incipit die* 3. *Julii, fer.* 2.

Synodus Conſtantinopolitana convocatur, & Epiſcopi ſive legati ipſorum conveniunt die 7. Auguſti, nonæ Indictionis, Conſtantinopoli in templo Apoſtolorum, decretū facturi de reſtitutione imaginum & cultu ipſorum. Cùm verò ii, qui adorationem imaginum improbabant, minùs audirentur, ſeditione plebis & militum Synodus diſturbatur, & Epiſcopi domum redeunt. Irene imperatrix irata plebi & militibus, ut otioſum vulgus Conſtantinopoli ejiceret, in initio decimæ Indictionis, indicit expeditionem, quaſi verſus Saracenos profectura; ſed cùm in Thraciam veniſſet, ſeditioſū quemq; relegat, & in varios imperii fines diſpergit. *Miſcell.*

Moſe Amiras Damaſci & Babylonis, cùm annum regnâſſet, moritur; Eligitur anno Hegiræ 170. Aaron, *filius Mahdi, qui eâdem nocte, quâ imperium iniuit, nuncium de nato ſibi filio accepit, quem* Maimon *appellavit; & regnat annos* 23. Zacuthi.

Carolus *in Britanniâ Odulphum, principem Cacorum bello aggreditur per duces ſuos, qui etiam magnam Britanniæ partem Carolo ſubjiciunt; inde Carolus profectus eſt in Italiam, & Florentiæ Natalitia celebravit.* Regino.

ANNO MUNDI 4726. Poſt C. 787.
G. ☉ 12. ☽ 9. *Ind.* 10.

Carolus *comitia regni agit Ticini, ubi leges ſancit de eccleſiis & monaſteriis & aliis, quibus ſubſcribit ipſe Carolus, & Pipinus rex. Inde Romam pergit, & Paſcha ibi agit; paulo pòſt juſſu Pontificis, Carolus Ducem Beneventanum Rachiſium invadit, qui parum ſincerè pacem colebat, is verò petiit pacem per filium Romaaldum, & tandem per alterum filium, & obtinet, cùm daret obſides duodecim, & in his filium ſuum.* Regino.

Carolus, cùm animadvertiſſet in Paſchate, ſuos aliter canere ac Romani ſolent, Antiphonarium petit à Romano Pontifice, item Cantores & Organicines, qui ſuos artem organandi, ut loquitur, qui Annales Francicos conſcripſit, docerent; item Grammaticos, Arithmeticos, & qui computum docebant, quos omnes ſecum in Germaniam deduxit; inde in Galliis ſcholas inſtituit, & juventutem in hiſce artibus inſtitui juſſit. *Inde movet in Thaſſilonem Bavarum, qui multipliciter pacem violabat; tribus autem exercitibus eum circumdedit, Francico ex Galliâ, Germanico ex Thuringiâ & Italico, & ita eum terruit, ut ſe dederet, & obſides daret.* Regin. Annal. Fuld.

Annus Hegiræ 171. *incipit die* 22. *Jun. fer.* 6.

Concilium indictum fuerat generale menſe Majo Niceæ, quod ſeptimum eſt ordine, ſed convenerunt tandem die 24. Septembris, ubi primò leguntur literæ Imperatorum, Pontificis Romani, inde aliorum Epiſcoporum. Et qui imagines demoliti fuerant, & pœnitentiam agebant, in Eccleſiam recipiuntur, imagines reſtituuntur, non tamen cultus divinus ipſis tribuitur. Finitum fuit circa medium Octobris. Non improbata fuit in hoc concilio proceſſio Spiritûs Sancti ex filio, niſi quòd putârunt, idem eſſe, ac ſi quis diceret per filium. *Tom. Concil. & Baro.*

Eclipſis Solis anno octavo Irenes & Conſtantini annotatur die 16. *Septembr. feriâ primâ, quæ invenitur etiam ad tabulas Prutenicas. Parallaxis latitudinis eſt* 21,56. *Latitudo vera* 21,12. *Ergò latitudo viſa meridionalis* 0,44. *ſemidiameter Solis* 16,26. *Summa ſemidiametrorum* 32,36. *ſcrupula reſidua* 31,52. *Digiti eclipſici* 11,37. *Accidit Conſtantinopoli horis tribus poſt Solis exortum. Sol ferè in* 26. *gradu Virginis.* Bunting.

Abderamen rex Saracenorum in Hiſpaniâ, cum annos 29. regnâſſet, moritur; ſuccedit ipſi filius *Hiſſem*, qui regnat annis ſeptem, menſibus ſeptem, & diebus ſeptem. *Roder. Tol.*

Solvatius Scotorum rex, cùm regnâſſet annos viginti, moritur; ſuccedit ipſi filius *Achajus*, qui regnat annis 32. *Buch.*

ANNO MUNDI 4737. Poſt C. 788.
F. E. ☉ 13. ☽ 10. *Ind.* 11.

Carolus ineunte vere comitia Wormatiæ habet; eò evocatur etiam Thaſſilo, qui ſuperiori anno ſe dediderat, ubi quòd Hunnorum exercitum contra Carolum eduxerat, convincitur perjurii & infidelitatis, & eâ de causâ deponitur, & cum filiis in cœnobium detruditur. Succedit ipſi *Geroldus* Svevus, Hildegardis quondam conjugis Caroli frater. *Ann. Fuld.*

Annus Jezdegird. 157. *incipit die* 8. *Maji, feria* 5. *Armen.* 237. *die* 11. *Maji, fer.* 1.

Annus Hegiræ 172. *incipit* 11. *Junii, fer.* 4.

Irene *irata Carolo, quòd Ducem Beneventanum, clientem ſuum ſuperiori anno in ordinem redegerat, exercitum mittit cum Adelgiſo rege olim Longobardorum, qui Longobardorum regnum reciperet. Sed Grimoaldus Dux Beneventanus cum Spoletano Duce & auxiliis Caroli Græcos in Calabriâ egredie vincunt, & Italiâ pellunt.* Regino. *Hoc anno indictione undecimâ, die* 14. *Julii, in Palatio Nemetenſi Carolus ſancit, ut devicti* Saxones *ſint liberi, &* Epiſcopatus Bremenſis inſtituatur, cui vicina Saxonum regio decimas ſolvat. *Conſtant. Imp.*

Hunni *evocati olim a Thaſſilone, bipertito exercitu in Germaniam irruunt; iis Carolus fortiſſimos exercitus opponit, eosq; vincit. Bellum cæptum hoc anno duravit octennium.* Eginard.

Adelbaldus *Northumbriæ rex in Angliâ, cum decimum annum regnaret, trucidatur die 23. Sept. ſuccedit ipſi ſesquiannuo ſpatio* Oſredus. Rogerius.

Dani *in Angliam tribus navibus appellunt, & maritima vaſtant. Hæcq; fuit prima incurſio Normannorum in Angliam.* Huntin.

Annus Alexand. 1100. *Antioch.* 837. *Conſtant.* 6297. *incipit à Cal. Octobr.*

Irene *filio ſuo Conſtantino uxorem dat* Mariam *Armeniam, patre quidem pio, ſed ignobili ortam: nuptia hæ apparantur menſe Novemb. invito tamen Conſtantino.* Miſcell.

ANNO MUNDI 4738. Poſt C. 789.
D. ☉ 14. ☽ 11. Ind. 12.

Annus urbis 1541.	*Julianus* 834.
Æra Hiſpan. 827.	*Auguſtorum* 816.

Annus Nabonaſſaris 1537. *& Philippi* 1113. *incipit 7. Febr. fer. 7.*

Terræmotus *horribilis die* 8. *Febr. Conſtantinopoli.* Miſcell.

Maurogatus *Legionis & Aſturiæ rex in Hiſpaniâ, cùm annos quinq; regnâſſet, moritur; ſuccedit ipſi* Veremundus *filius, qui regnat ferè biennium.* Tud.

Carolus indictione duodecimâ, die 21. Martii, leges promulgat de diſciplinâ Eccleſiaſticâ & ejus reformatione; paulò pòſt contra regem Carolum conjurant Hardericus, & alii, ſed eâ conjuratione detectâ, reus truncatur membris, & aliqui in exilium ejiciuntur. *Sig.*

Annus Hegira 173. *incipit die* 31. *Maji, fer.* 1.

Irene diſſentire incipit cum filio Conſtantino de imperio: Erat enim Conſtantinus jam viginti annorum. Sentiens igitur mater, principes quosdam aulæ ſtudere filio, ut ſe remotâ ſolus Imperator fiat, eos intercipit, & detonſos ablegat in Siciliam, in exilium, & exercitum populumq; cogit, ut ſibi neglecto filio fidelitatem jurent. *Miſcell.*

Olympias 392. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1565.

Annus Diocletiani 506. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobeles decimi quinti, incipit 24. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 4550.

Irene *incipit annum imperii* 22. *Septemb. Carolus* 22. *die nono Octobris.*

Sclavi, quos Wendos & Wilſios appellant, vaſtant Magdeburgum, & vicina loca; ideò Carolus per Saxoniam ad Albim veniens, ponte conſtructo in Wilſios illos movet, quibus auxilio venerunt Friſones per Havelam fluvium; ſed Sclavi victi prælio ſe dedunt, & obſides offerunt. *Regino.*

Saraceni claſſe mare infeſtant, quibus Irene claſſem obviam mittit, ubi Theophilus dux cum prætoriâ nave capitur, & Damaſcum abductus, cùm nec donis nec minis compelli poſſet, ut ſectam Muhameticam amplecteretur, gladio occiditur. *Miſcell.*

ANNO MUNDI 4739. Poſt C. 790.
C. ☉ 15. ☽ 12. *Ind.* 13.

Carolus maritima Hiſpaniæ vaſtat, & Saracenos quibusdam è locis pellit; ſed paulò pòſt diſſenſio oritur inter Offam WeſtSaxonum in Angliâ regem & Carolum, & commercia invicem prohibita fuerunt. *Alcuin. in Epiſt.*

Annus Hegira 174. *incipit die* 15. *Maji, fer.* 5.

Incendium Conſtantinopoli ortum, quo perierunt plurimæ ædes, & inter alia etiam interpretationes ſacræ Scripturæ à Chryſoſtomo ſcriptæ. *Cedr.*

Oſredus *Northumbriæ in Angliâ rex, dolo ſuorum regno excutitur, cum tantùm ſesquiannum regnâſſet; ſuccedit ipſi* Edelredus, *rex Northumbriæ ultimus, qui regnat, donec à rege* WeſtSaxonum *Egbertho vinceretur, circa annum* 821.

Exercitus imperii Conſtantinopoli tum in Armeniâ evocatur, ut fidelitatem juraret Imperatrici Irenæ, ſed pertæſus imperii muliebris, Conſtantinum Imperatorem vult, qui matri præponi debeat. Cùm reliqui exercitus hoc viderent, & ipſi cœperunt Conſtantinum Imperatorem poſcere, & conſentire Armeniis, atque ita Irene imperio dejicitur menſe Octobri. Conſtantinus verò multos principum aulæ, qui matri adhæſerant, & ſibi adverſati fuerant, in exilium ejicit, & ſuos, quos mater ejecerat, revocat. *Miſcell.*

ANNO MUNDI 4740. Poſt C. 791.
B. ☉ 16. ☽ 13. *Ind.* 14.

Conſtantinus *Imperator menſe Aprili in Bulgariam movet, ſed infeliciter tentat pugnam, & aliquot ſuorum amittit; ideò retrò Conſtantinopolin redit.*

Burchardus Epiſcopus Herbipolenſis moritur, cùm annis quadraginta Epiſcopatui præfuiſſet. *Annal. VVurtzb.*

Annus Hegira 175. *incipit die* 10. *Maji, fer.* 3.

Carolus Ratisbonæ conventum agit, interim caſtrum aulicum Wormatiæ igne fortuito conſumitur. Sed Carolus comparatis tribus exercitibus in Hungariam movet, ubi ad Aniſum fluvium venit, indicto triduano jejunio exercitum luſtrat; inde aggreſſus Hungaros vincit, fugat usque ad Rabam fluvium, inde Ratisbonam redit. *Regino.*

Hiſſem *rex Corduba, Gallaciam vaſtat, anno Hegira* 175. *cui obviam venit Veremundus rex Legionis & Aſturiæ, à quo vincitur. Veremundus tamen, pertæſus regni & amans quietem, ſpontè regno abit, idque tradit* Alfonſo, *qui Caſtus appellatus eſt, quòd à conjuge, quam duxerat, ſe abſtineret. Factus autem eſt rex menſe Octobri, & regnavit annos ferè ab hoc tempore triginta tres.* Tudenſ.

Conſtantinus hoc autumno movet contra Saracenos, abiitque in Ciliciam; ſed cùm aquationis locum ibi non inveniret, Conſtantinopolin redit, ineunte indictione quintâ decimâ. *Miſcell.*

Diſputatio de proceſſione Spiritûs Sancti inſtituta in Forojulio, ubi damnati ſunt Græci, qui negabant Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere, & conditi ſunt Canones eccleſiaſtici. *Tomi Concil.*

Tiberis *Romam menſe Decembri, tridui ſpatio inundat, & aqua alicubi ſuperavit muros, in Viâ latâ ad ſex ulnas alta fuit.* Anaſt.

ANNO MUNDI 4741. Poſt C. 792.
A. G. ☉ 17. ☽ 14. *Ind.* 15.

Conſtantinus, *rogatus à matre, & quibusdam optimatibus, matrem iterum in conſortium imperii recipit; ei jurant fidelitatem exercitus reliqui, præterquam qui erant in Armeniâ. Factum die* 15. *Januarii.* Miſcell.

Syno-

Synodus *Ratisbonenſis acta ſtatim in vere, in quâ damnatur Felix, natione Hiſpanus, qui eo adductus juſſu Caroli fuerat. Dicebat autem*, Chriſtum eſſe ratione humanæ naturæ adoptivum DEI Filium; *damnatus mittitur Romam ad Papam, ubi errorem revocat, & ad Eccleſiam ſuam remittitur.* Tomi Concil.

Annus Hegiræ 176. *incipit die* 28. *Apr. fer.* 7.

Annus Jezdegird. 161. *incipit die* 7. *Maji, fer.* 2. *Armen.* 241. *incipit die* 10. *Maji, fer.* 5.

Carolus *hâc æſtate pontem Moguntiæ extruit, ut Rhenus tranſiri poſſet.* Regino.

Conſtantinus menſe Julio exercitum educit contra Bulgaros magnâ ſpe victoriæ, atque ob id incautiùs agit; ideò magno prælio vincitur, quo multi optimatum ceciderunt: ipſe refugit Conſtantinopolin, & Bulgari caſtris etiam potiuntur, cum omni inſtrumento Imperatorio. Cùm verò Imperator malè audiret ob rem malè adminiſtratam, quidam conſpirant de Nicephoro ad imperium revocando, ſed re compertâ Conſtantinus patruum Nicephorum oculis privat, & reliquis duobus Chriſtophoro & Nicetæ præter oculos effoſſos, etiam linguam abſcindit, idque factum ſuaſu matris, die Sabbathi, quindecimæ indictionis. *Miſcel.*

Pipinus *Caroli ex concubinâ filius, gibbo etiam deformis, a quibusdam promiſſione regni illectus, contra patrem inſurgit; cujus rei convictus in cœnobium* Prumienſe *detruditur, & conſcii in exilium ejiciuntur, aut perimuntur.* Annal. Fuld.

Annus Alexandr. 1104. *Antioch.* 841. *& Conſtantinop.* 6301. *incipiunt. à Cal. Octob.*

Georgius Taraſii Patriarchæ Syncellus, Conſtantinopoli univerſam Euſebii Chronologiam, ſine ullâ verborum immutatione, in ſuum volumen Chronolog. cum transfert, multis tamen in locis Euſebium præter cauſam carpit. Sed morte oppreſſus, id perducit tantùm uſque ad Diocletianum. Theophanes deinde idem opus ad ſua uſque tempora deduxit. *Scalig.*

Johannes Mailroſius, & Claudius Clemens, Scoti, in Franciam veniunt ad Carolum Magnum, & apud eum profitentur, ſe ſe artes liberales alios docere poſſe. Carolus hâc re attonitus, & per ſuum Doctorem Alcuinum incitatus, fundamenta Academiæ Pariſienſis jecit, hoc anno. *Ramus in Orat.*

ANNO MUNDI 4742. Poſt C. 793.

F. ☉ 18. ☽ 15. Ind. 1.

Annus urbis 1545.	*Iulianus* 838.
Æra Hiſpan. 831.	*Auguſtorum* 820.

Annus Nabonaſſar. 1541. *& Philippi* 1117. *incipit die* 6. *Febr. fer.* 4.

Carolus, *ut ex Rheno in Danubium navigari poſſet, foſſam ducere conatur, quod fieri non potuit, & propter frequentes pluvias, & quòd terra eſſet uliginoſa, & tantum noctu in foſſas relaberetur propter humiditatem, quantum die erat geſtum.* Abb. Stad.

Annus Hegiræ 177. *incipit die* 17. *April. fer.* 4.

Conſtantinus in odium venit, propter crudelitatem in Patruos; ideò Armenii rebellant, contra quos exercitum mittit, multosque capit, quos die 26. Maji primæ indictionis, in feſto Pentecoſtes partim interficit, partim publicatis bonis relegat. Armeni hâc crudelitate magis exaſperati, propugnacula quædam Saracenis tradunt. *Miſcel.*

Olympias 393. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1569.

Annus Diocletiani 510. *incipit die* 29. *Auguſti. Irene inchoat annum imperii* 14. *in Septembr. Conſtantinus tertium. Carolus verò* 26. *in Octob.*

Alphonſus *in Hiſpaniâ, cùm nollet ampliùs Saracenis centum virgines præter ſervos & nobiles quotannis dare, (id enim erat tributum ſolenne pactum à Silo) rebellat Saracenis, & feliciter Hiſpanos a jugo Saracenico liberat, occiſis Saracenorum ſeptuaginta millibus, anno Hegiræ* 177. Rodericus.

Pagani *ab aquilonali climate, Normanni videlicet ſive Dani, irruunt in Angliam, eamque crudeliter vaſtant, quod & ſequenti anno faciunt; omnes tamen ferè pereunt.* Rogerius.

Carolus *contra Saracenos, qui Galliam Norbonenſem vaſtabant, omnes portus præſidiis munit.* Templum etiam Arelati D. Petro ædificat, cui inſcripſit hos verſiculos:

Si Chriſtus Deus eſt, & Petrus claviger ejus,
Jam niſi per Petrum nemo videbit eum.

ANNO MUNDI 4743. Poſt C. 794.

E. ☉ 19. ☽ 16. *Ind.* 2.

Synodus magna *Francfurdiana* convocata à Carolo, hoc anno agitur. Convenerunt Epiſcopi trecenti ferè, præter Abbates & alios ex toto regno Caroli, ubi primum actum eſt de *Elipando* Epiſcopo Toletano & Felice, qui contendebant, Chriſtum ſecundùm humanam naturam dici debere filium Dei adoptivum, nec conſentiebant in damnationem Neſtorii, & damnata eſt hâc Synodo, multis prolatis argumentis. At verò deinde actum fuit in hâc eâdem Synodo de concilio Niceno ſecundo, quod Hadrianus Papa per ſuos vicarios rexerat & approbaverat, quòd imagines eſſent adorandæ. Et ſtatutum fuit ab Epiſcopis, contra Hadriani & legatorum ejus ſententiam, cultum & adorationem imaginum eſſe impiam, & Synodum Nicenam ſecundam, quam ſeptimam Oecumenicam vocârant, eſſe abolendam. *Egin. Annal. Fuld. Regino.* Porrò argumenta, quibus cultum imaginum Epiſcopi improbârunt, vide in *Centuriis Magdeburg. Tomo octavo.*

Annus Hegiræ 178. *incipit* 7. *April. fer.* 7.

Faſtrada, *conjux Caroli moritur hoc tempore, & ſepelitur Moguntii.*

Carolus, *cum Saxones iterum tumultuarentur, diviſo exercitu eos aggreditur; ipſe per Thuringiam, filius vero per Rhenum: & Saxones territos, pacem petentes iterum in fidem recipit.* Reg.

Carolus barbara & antiquiſſima carmina, quibus res geſtæ veterum continebantur, literis deſcribi mandat, & menſibus anni præterea juxta Teutonicam linguam nomina imponit, & cùm quatuor tantùm cardinales venti ſint, eos adjunctis collateralibus duodecim facit. *Sig.*

ANNO MUNDI 4744. Poſt C. 795.

D. ☉ 20. ☽ 17. *Ind.* 3.

Conſtantinus *Imp. odio perſequens uxorem Mariam, fingit ſe veneno ab ea petitum, eam repudiat, & cœnobio includit ſuaſu matris, quæ filium inviſum cupiebat populo. Inde menſe Aprili movet contra Saracenos, eosq. feliciter profligat, menſe Majo.* Miſcell.

Annus

Annus Hegiræ 179. *incipit die* 27. *Martii, fer.* 6.

Carolus edicit, ne clerici, etiam infimi omnium, vulgari habitu ceremonias ſacras adminiſtrent. *Sigeb.*

Saxones *Witzanum, ducem Abodritorum ad Carolum proficiſcentem, trucidant; ob id bello à Carolo petiti, latrones & rebelles dedunt.* Annal. Fuld.

Thudunus *Hunnorum rex ad Tibiſcum ad Carolum venit, ſe ſuaq; Carolo dedit, & ſe Chriſtianæ religioni nomen daturum promittit.* Annal. Fuld.

Alricus, *Cantuariorum rex in Angliâ, cùm annos* 35 *regnâſſet, moritur; ſuccedit ipſi* Edelbertus, *qui biennio tantum regnavit.* Malmesb.

Conſtantinus, *cùm ab expeditione domum rediiſſet, aliam conjugem ducit* Theodeten *ex gynæceo, eamq; coronat Auguſtam. Hinc tumultus in Eccleſiâ exorti ſunt, cùm aliqui putarent, hoc factum diſciplinâ Eccleſiaſticâ notandum eſſe: aliqui verò id condonandum Imperatori cenſerent, ne graviora mala ab Imperatore juvene & mobili Eccleſiæ inferrentur: monachi quidam eâ de causâ in exilium acti ſunt.* Miſcell.

Hiſſem, *rex Corduba, cùm annis ſeptem, & menſibus ſeptem regnâſſet, moritur; ſuccedit ipſi, hoc anno Hegiræ* 179. Alhacam, *qui regnat annos* 27. *ferè.* Rodericus.

Adrianus Papa, cùm ſediſſet annis 24. ferè, moritur die 26. Decembris, die videlicet Stephani, cui Carolus ipſe Epitaphium ſcripſit. Eodem die eligitur *Leo* tertius, qui ſedet annos 20. & menſes ferè ſex. *Anaſtaſ.*

ANNO MUNDI 4745. Poſt C. 796.
C.B. ☉ 21. ☽ 18. *Ind.* 4.

Leo Papa ſtatim in initio anni per legatos claves confeſſionis D. Petri cum vexillo urbis Carolo regi mittit. *Regino.*

Annus Hegiræ 180. *incipit die* 15. *Martii, fer.* 3.

Rogerius *ſcriptor Anglus annotat hoc anno eclipſin Lunarem, quæ acciderit anno ſeptimo Edelrici, Northumbrorum regis, die* 28. *Martii, feriâ ſecundâ, horis quatuor poſt mediam noctem. Eaq; hoc anno invenitur, ſed medium hujus Eclipſis accidit Londini, horis* 5. *& minutis* 15. *poſt mediam noctem, cœpit autem horis tribus & 30. minutis poſt mediam noctem. Latitudo auſtralis* 17.49. *Semidiameter Lunæ* 16.25. *Summa ſemidiam.* 59,39. *Scrup. reſidua* 41 59. *Digiti eclipticì* 15,22. *Sol ferè in* 12. *gradu Arietis.*

Terræmotus magnus menſe Aprili in Siciliâ & Cretâ accidit, ſed menſe Majo Conſtantinopoli. Miſcell.

Annus Iezdegird. 165. *incipit* 6. *Maji, fer.* 6. *Armen.* 245. *die* 9. *Maji, fer.* 2.

Bulgarorum rex Cardames novum tributum poſtulat à Conſtantino, qui ſe venturum pollicetur in Bulgariam, & tributum allaturum. Profectus igitur Conſtantinus, cum hoſtem nullum obviam haberet, Bulgariam longè lateq; vaſtavit. Miſcell.

Offa, *rex potentiſſimus Merciorum, cùm annos* 39. *regnâſſet, moritur die* 26. *Julii; ſuccedit ipſi* Ekfertus, *qui regnat tantùm paucos menſes.* Rogerius.

Saraceni *fines Romanos invadunt, & vaſtant, eos uſq; in Ciliciam & magnâ coactâ prædâ, domum redeunt.* Miſcell.

Plato Abbas Taraſium Patriarcham, quòd Mariam Auguſtam repudiatam à Conſtantino in cœnobium recepiſſet, & Imperatori in aliâ conjuge ducendâ conſenſiſſet, excommunicat. Imperator contrà hunc Platonem in carcerem conjicit, & ejus monachos in exilium ejicit. *Miſcel.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobilei 15. *incipit die* 8. *Sept. feria* 5. *Anno Jud.* 4557.

Annus Alexand. 1108. *Antioch.* 845. *Conſtant.* 6305. *incipit* 1. *Octobr.*

Conſtantinus *menſe Octobri cum matre Irene Pruſam in thermas proficiſcitur; interim dum abeſt, naſcitur ipſi filius, ad cujus nuncium inſalutata matre domum recurrit, infantem baptiſandum curat, & Leonem appellat. Mater ob id irata filio, cum principibus imperii conſultat de filio ab imperio removendo, quod tamen refertur in annum ſequentem.* Miſcell.

Hunni inteſtino bello conflictantur; quâ occaſione uſus Dux Foro Julienſis, aſſumpto Pipino filio Caroli in gratiam recepto, in Hungariam irruunt, & Hunnos fugant, theſauriq; eorum potiuntur, quos ad Carolum mittit, qui magnam eorum partem Pontifici Romano donat. Annal. Fuld.

ANNO MUNDI 4746. Poſt C. 797.
A. ☉ 22. ☽ 19. Ind. 5.

Annus urbis 1549.	*Julianus* 842.
Æra Hiſpan. 835.	*Auguſtorum* 824.

Annus Nabonaſſaris 1545. *& Philippi* 1121. *incipit die* 5. *Febr. fer.* 1.

Ecferto, *rege Merciorum defuncto, qui paucos menſes regnârat in Angliâ, ſuccedit* Cenulphus, *regnatq; annos* 24.

Annus Hegiræ 181. *incipit die* 5. *Martii, fer.* 1.

Menſe Martio Imp. Conſtantinus contra Saracenos exercitum educit, ſed proditione ſuorum motus, Conſtantinopolin redit, ubi moritur filiolus Leo; inde cùm die 19. *Aug. feriâ ſeptimâ, ex equeſtribus ludis rediret, comperit adventuros, qui ſibi juſſu matris vincula injicerent: quosdam igitur ſibi jungit, quos ſibi fidos putabat, & in Armeniam effugere conatur. Sed & hi proditores erat, ſtudebantq; matri, & tandem, cùm alii ſuper venirent, ipſum comprehendunt, oculos ipſi eruunt, tantâ crudelitate, ut paucis diebus moreretur. Inſecutæ ſunt tenebræ Solis, totis ſeptendecim diebus, tantæ, ut naves inter ſe in mari medio die colliderentur. Excæcatus autem eſt eodem die, quo ante quinquennium Patruos ſuos excæcaverat, atq; ita* Irene *iterum ſola regnat, quæ ſtatim Nicephorum & Chriſtophorum mariti fratres Athenas relegat, & ibidem eos occidi jubet, atq; ita Leonis Iſauri genus totum extinctum eſt.* Cedr.

Olympias 394. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1573.

Annus Diocletiani 514. *incipit die* 29. *Auguſti. Irene incipit annum imperii* 18. *Carolus annum regni* 30. *die* 9. *Octob.*

Barcinona *civitas Hiſpaniæ à Francis defecerat ſuperioribus annis, jam ad Carolum redit, qui ad Saxones proficiſcitur, ubi Abdella Saracenus filius Iſſem à fratre regno pulſus, ad Carolum venit Aquiſgranum, & ſeſe in fidem ejus dedit. Carolus eum ipſum addito filio Ludovico, in Hiſpaniam remittit.* Regino.

Cenulphus *Merciorum in Angliâ rex, Cantuariorum regnum crudeliſſimè vaſtat, & Edelbertum regē capit, cui oculos eruit & manus præſcindit, regnum ſuo adjecit imperio. Regnaverat Edelbertus bienniū: ſuccedit* Cutredus, *qui ſubditus fuit Merciorum regi, regnatq; annos octo.* Malmesb.

ANNO

ANNO MUNDI 4747. Poſt C. 798.
G. ⊙ 23. ☽ 1. *Ind.* 6.

Annus Hegiræ 182. incipit die 22. Febr. fer. 5.

Saxones trans Albim, præſides Caroli trucidant, & in Obetricos Vandalos movent, ubi tamen repelluntur. Carolus verò peragrat totam Saxoniam cum exercitu, & eorum quatuor millia occidit. Regino.

Abdelmelech Saracenus equitatum Irenes vincit, & Thraciam vaſtat usq; ad ſuburbia Conſtantinopolis. & cum magnâ prædâ revertitur, neglectis muneribus, quæ ab Irene afferebantur. Miſcel.

Alfonſus *Gallaciæ & Aſturiæ rex, mittit per legatum Carolo regi papilionem miræ pulchritudinis. Interim dum legatus abeſt, pugnare cogitur cum Saracenis, ubi inſigni potitur victoriâ: mittit igitur iterum ad Carolum inſignia victoriæ, loricas, mulos, captivos Mauros & alia.*

Irene *etiam eodem tempore de pace mittit legatos ad Carolum, qui benignè audiuntur, & Carolus legatis reddit Siſinnium, olim in Italiâ captum, qui Taraſii Patriarchæ frater erat, & captivitate liberatum Conſtantinopolin remittit.* Annal. Fuld.

ANNO MUNDI 4748. Poſt C. 799.
F. ⊙ 24. ☽ 2. Ind. 7.

Annus Hegiræ 183. incipit die 12. Febr. fer. 3.

Quidam ex clericis Romæ, ut & alii, Pontificem Romanum Leonem ex inſidiis aggrediuntur in Litaniâ majore, cum equo dejiciunt, crudeliter tractant, alterum oculum eruunt, & nudum ac ſemivivum dimittunt. Cauſam addis Abbas Sladenſis, quòd Papa reſiſteret Romanis, volentibus uſurpare ea, quæ erant Caroli, & quod aliâs Papam multorum ſcelerum arguerent. Papa tandem aufugit in templum Divi Petri, inde clam dimittitur ad Ducem Spoletanum, & inde in Franciam ad Carolum abit. *Scribit Anaſtaſius, Pontifici oculos in hoc tumultu effoſſos & linguam abſciſſam, & miraculo quodam ea recepiſſe: Sed ficta videntur. Item affirmat, hæc accidiſſe in Litaniâ majore, in die divi Georgii, cui dies 23. Aprilis ſacer eſt, cùm tamen Litania major, ſive dies Rogationum, nunquam in eum diem incidere poſſint: hoc anno celebratæ ſunt die 6. Maji.* Papa cùm ad Carolum veniſſet, cum præſidio Romam remittitur, & ejus ſalus præfecto urbis commendatur. *Regino & alii.*

Ericus *Dux Forojulienſis à ſubditis ſuis ex inſidiis trucidatur, &* Geroldus *Bavariæ Dux ab Hunnis circumventus cadit.* Annal. Fuld.

Baleares *Inſulæ acceptis à Carolo auxiliis contra Saracenos, à quibus infeſtabantur, egregiè adverſus Maurorum & Saracenorum inſultus defenduntur, & Carolo multa ſigna Maurorum offeruntur.* Annal. Fuld.

Sclavorum rex Acamirus, Conſtantini Copronymi filios, qui apud ſe exulabant, in imperium reducere conatur, ſed Irene eos interceptos excæcat. Patritii verò quidam, pertæſi imperii muliebris, de eâ dejiciendâ, & imperio occupando conſilia agitant. Miſcell.

ANNO MUNDI 4749. Poſt C. 800.
E.D. ⊙ 25. ☽ 3. Ind. 8.

Annus Hegiræ 184. incipit 31. Januar. fer. 7.

Carolus legatos Hieroſolymam mittit ad Patriarcham cum donariis, ſacro ſepulchro Chriſti offerendis. Aaron Amiras Damaſci certior factus de hiſce legatis, humaniſſimè eos habuit. *Annal. Fuld.*

Carolus claſſem contra prædones Saracenos inſtituit, inde Turonem ad ſepulchrum D. Martini concedit, propter morbum conjugis Luithgardis, quæ tandem obiit die 4. Junii; hæc fuit tertia Caroli conjux. *Regino.*

Annus Jezdegird. 169. incipit die 5. Maji, fer. 3. Armen. 249. die 8. Maji, fer. 6.

Pruina gelu concreta cecidit hoc anno, die 6. & 8. Julii, quæ tamen fructibus non nocuit. Inde Carolus Moguntiam abiit ad Synodum. Annal. *Res Saracenica inteſtino bello, anno Hegir. 184. conflictantur in Hiſpaniâ, & Albacam tandem vincit, & ſeditioſos regno ejicit.* Roder.

Annus Alexandr. 1112. Antioch. 849. Conſtant. 6309. incipit 1. Octob.

Carolus in cauſâ Pontificis iter adornat Romam verſus, eoque pervenit die 24. Novembris, & ſequenti die cauſam cogniturus jubet, ut accuſatores Pontificis compareant, & accuſationem probent. Convocati autem fuerant multi Epiſcopi ad cauſam dijudicandam: ſed Epiſcopi recausârunt hoc facere, nec de Pontifice ſententiam ferre voluerunt, cùm Papa, ut Baronius loquitur, à nemine judicari posſit. Igitur Papa ſolenni juramento ſe purgavit, quòd nullarum rerum, de quibus accuſatus ſit, reus ſit, & ita abſolvitur. In Natalitiis autem Chriſti, horâ matutina, Carolus, cùm in templum veniſſet, in Baſilicâ D. Petri ſolennibus ceremoniis adhibitis, à Leone Papa ſalutatur Auguſtus & Imperator Occidentis, idque confirmatur fauſtis acclamationibus populi. Hanc inaugurationem in ipsâ inauguratione adeò adverſatus eſt *Carolus*, ut affirmaret, ſi præſciviſſet hoc, ſe in tantâ ſolennitate nec templum ingreſſurum fuiſſe. *Egin.*

Epiſcopus Hieroſolymitanus iisdem diebus mittit Carolo claves ſacri ſepulchri cum vexillo, cujus legatos Imp. benignè ſuſcepit, aliquot diebus ſecum habuit, & inde dimiſit. *Regino.*

Romani cives ſeditioſi, quorum quidam principes civitatis erant, qui Pontificem adeò malè tractaverant, trecenti numero, à Carolo uno die decollantur in campo Lateranenſi. Clerici autem in exilium in Galliam relegantur. Eutrop. Presbyter.

ANNO MUNDI 4750. Poſt C. 801.
C. ⊙ 26. ☽ 4. *Ind.* 9.

Annus urbis 1553.	*Iulianus* 846.
Æra Hiſpanica 839.	*Auguſtorum* 828.

Annus Hegiræ 185. incipit die 20. Januarii, fer. 4.
Annus Nabonaſſ. 1549. & Philippi 1125. incipit die 4. Febr. fer. 5.

Tanta fuit hyemis vehementia hoc anno, ut Pontus Euxinus totus glacie obduceretur. Annal. Fuld.

Stauratius *Dux exercitûs inſignis, Conſtantinopoli inhiat imperio; ſed cum ſubitò incideret in morbum, ejus conſilia ſuppreſſa ſunt, moriturque menſe Junio.* Miſcell.

Carolus *cùm totâ hyeme Romæ fuiſſet, die 24. Aprilis Româ Spoletum abit, ubi die 30. Aprilis, horâ noctis ſecundâ, ingens terræmotus Italiam concutit, ita ut Romæ Baſilica D. Pauli everteretur, &*

alib.

alibi urbes & montes corruerent. Regino. Inde abiit Carolus Papiam, & leges Longobardorum, ex veterum conſtitutionibus & Eccleſiaſticis canonibus collectas & ordinatas, recenſet, & promulgat Mutinæ, anno regni Francici 33. Italiæ 28. Conſulatu primo. Conſtit. Imp.

Legati Amiræ Aaronis in Damaſco conveniunt Carolum Piſis in Italiâ, quorum alter Perſa fuit, alter Saracenus Afer, qui Elephantem dono adducunt Carolo. Regino.

Olympias 395. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1577.

Annus Diocletiani 518. incipit die 29. Auguſti.

Irene inchoat annum imperii 22. menſe Septembr. Carol. 34. in Octobr.

Bictricus rex WeſtSaxonum in Angliâ, cùm annos 16. regnâſſet, moritur; ſuccedit Egbertus filius, qui regnat annos 36. & menſes 6. & tandem totam Angliam ſuo imperio ſubjecit. Rogerius.

Carolus Nuceriam, & alias urbes in Italiâ, quæ ad imperium Græcorum adhuc pertinebant, obſidet, & in deditionem accipit, & claſſem adornat eo conſilio, ut Siciliam invadat: quod tamen differtur in ſequentem annum. Regin. Miſcell.

ANNO MUNDI 4751. Poſt C. 802.
B. ⊙ 27. ☽ 5. Ind. 10.

Annus Hegiræ 186. incipit die 20. Januar. fer. 2.

Irene cùm metueret potentiam Caroli, qui aliquas urbes in Italiâ occupârat, & Siciliam invaſurus videbatur, legatos ad Carolum mittit de pace; nec Carolus abnuit, occaſionem ſibi oblatam ratus Siciliæ potiundæ absque bello, ſi Irenen Imperatricem conjugem duceret, & imperium Orientis cum Occidentali conjungeret; mittit igitur Conſtantinopolin legatos. Miſcell. Cedr.

Carolus in Franciam redit, & reliquias Sanctorum, quas legati ex Hieroſolymis attulerant, ut oſſa Cypriani martyris Carthaginenſis, & caput Pantaleonis, ſecum in Franciam refert. Sigeb.

Dux Venetorum Johannes Epiſcopum Gradenſem de turri præcipitem dat, & multos ex clero trucidat levi de causâ. Paulinus Epiſcopus Forojulienſis igitur convocat Synodum, & Ducem apud Carolum Magnum accuſat, & ultionem petit. Hic Paulinus, antequam ad Patriarchatum perveniret, Grammaticam docuerat, & magnis beneficiis à Carolo affectus fuerat. Annal. Fuld. Carolus enim tum temporis volebat, ut in monaſteriis & Epiſcopatibus ſcholæ haberentur, ubi & ingenuorum & ſervorum filii in Grammaticis, Muſicis & Arithmeticis inſtituerentur. Lupus.

Conſtantinopoli in præſentiâ legatorum Caroli, die ultimâ Octobris, feriâ primâ, horâ quartâ noctis, adhuc ante mediam noctem, Nicephorus Patritius, adjuvantibus aliis Irenen Imperatricem, quæ jam annos 23. regnârat, imperio deponit, & in ordinem redigit, & ſequenti die in cœnobium concludit; inde menſe Novembri eandem in Lesbum inſulam relegat, & ut à nemine conſpiceretur, cuſtodiri jubet. Imperavit autem Nicephorus annos octo, menſes novem. Cedr.

Annus Hegiræ 187. incipit die 30. Decemb. fer. 6.

ANNO MUNDI 4752. Poſt C. 803.
D. ⊙ 28. ☽ 6. Ind. 11.

Niceta, qui potiſſimus fuerat in promovendo Nicephoro ad imperium, veneno tollitur ultimo Aprilis, poſt dies octo, die 7. Maji, Nicephorum Imperatorem equus ferocior excutit, & pedem ejus conterit. Miſcel.

Legati Caroli unà cùm legatis Nicephori Imperatoris Conſtantinopoli redeunt ad Carolum, conveniuntq; eum ad Salam fluvium, in loco, qui dicitur Salec, & offerunt pactum faciendæ pacis à Nicephoro conſcriptum. Salec autem, unde leges Salicæ nomen habent, oppidum fuit in Franconiâ ad Salam fluvium, propè Salveldiam. Egin.

Bardanes quidam die 19. Julii, feria quarta præfectus in Oriente, appellatur Imperator contra Nicephorum, quem omnes odio proſequebantur; invitus igitur, metuens bellum civile & cladem Chriſtianorum, offert ſe Nicephoro ſponte, à quo ſecuritatem accipit, & in cœnobium abit. Miſcell.

Irene in exilio mœrore confecta moritur die 9. Auguſti.

Annus ſabbathicus 7. Jobelei 15. incipit 21. Sept. fer. 5. Anno Jud. 4564.

CAROLUS Saltzburgenſem Epiſcopatum peculiaribus literis iterum confirmat, quod & poſtea factum eſt anno 848. die 12. Octobr. Coſmaſ. prag.

Annus Hegiræ 188. incipit die 19. Decemb. fer. 3.

ANNO MUNDI 4753. Poſt C. 804.
G. F. ⊙ 1. ☽ 7. Ind. 12.

Nicephorus filium ſuum Stauracium jubet per Taraſium proclamari Auguſtum, hominem & ingenio & moribus deformem, & paulò pòſt Bardanem in cœnobio, cui incolumitatem ſanctè promiſerat, oculis privat. Miſcel.

Annus Jezdegird. 173. incipit die 14. Maji, fer. 7. Armen. 253. Maji, fer. 7.

Carolus, cùm Saxones trans Albim nec religionem, nec fidem tueri vellent, ut tandem bellorum finis fieret, eorum decem millia in Galliâ variis locis diſtribuit, & eorum locum Obetritis Vandalis dedit, qui mixti Saxonibus ibi habitarent, & paci aſſueſcerent. Regin.

Nicephorus menſe Auguſto cum Saracenis in Phrygiâ pugnat, ſed infeliciter, & vincitur. Paulùlum abfuit, quin ipſe caperetur, niſi virtute ſuorum ereptus fuiſſet. Miſcell.

Oſnaburgæ clericis multæ à Carolo conceduntur immunitates & prædia, hâc Conditione ut Græcam linguam ibi diſcerent, & Epiſcopus, ſi neceſſe eſſet, ad Græcos legatus ire poſſet. Crantz.

Alcuinus moritur hoc anno. Lupus.

Annus Alexandr. 1116. Antioch. 853. Conſtantinop. 6313. incipit Calend. Octobr.

Annus 189. incipit die 8. Decemb. fer. 1.

Papa Leo, cum menſe Novembri iter in Gallias ingreſſus eſſet, venit in Franciam, ut cum Carolo Natalitia celebret; quem ſuſcepit Carolus regaliter, & octo diebus ſecum detinuit. Egin.

ANNO MUNDI 4754. Poſt C. 805.
E. ⊙ 2. ☽ 8. Ind. 13.

Annus urbis 1557.	Julianus 750.
Æra Hiſpanica 843.	Auguſtorum 832.

Annus Nabonaſſaris 1553. & Philippi 1129 incipit die 3. Februarij, feria 2.

Godefridus Danorum rex, cùm conſtituiſſet Carolum convenire, & verò audiſſet Papam adveniſſe, *Sleſvici* manſit, & per legatos, quæ conſtituerat, agit. *Regin.*

Bohemi Sclavi, duce *Lechone*, Hunnos infeſtant, & ſedibus ſuis pellunt; ideò Chaganus Hunnorum rex ad Carolum confugit, petitque ſibi locum concedi, ubi habitet, cùm pellatur à Sclavis. Carolus eum humaniter ſuſcipit, promittit auxilia, & eum ad ſua remittit. *Rhegin.*

Carolus Magnus mittit filium Carolum contrà Sclavos in Bohemiam, qui totam provinciam populatur, & Lechonem Ducem, qui audebat aciem opponere in pugna occidit. *Annal. Fuld.*

Tumultus in regno Saracenorum oriuntur, præſertim in Perſide, in quibus ſedandis Aaron Amiras occupatus eſt: interim Nicephorus munit in Gallætia Ancyram, & alia loca. *Miſcell.*

Olympias 396. incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1581.

Annus Diocletiani 522. incipit die 29. Auguſti. Carolus init anni regnum 38. menſe Octob. Nicephorus quartum menſe Novembr. Annus Hegiræ 190. incipit die 27, Novembris fer. 5.

Cutredus, Cantuariorum in Anglia rex, cùm annis octo præfuiſſet, moritur; ſuccedit ipſi *Baldredus*, ultimus Cantuariorum rex, qui regnat annos 18. *Malmesb.*

ANNO MUNDI 4755. Poſt C. 806.
D. ☉ 3. ☽ 9. *Ind.* 14.

Carolus cùm legati ad Aaronem miſſi non redirent, alios mittit cum magnis donis: inter alia mittit etiam duos moloſſos, venationibus aſſuetos; quibus motus perſa, ſepulchrum Chriſti cum Cœnobiis Carolo tradit. *Avent.*

Taraſius Patriarcha, cùm annis 22. Conſtantinopoli Eccleſiam gubernâſſet, moritur die 26. Februar. Imperator Nicephorus deliberat, quem det ipſi ſucceſſorem, & tandem eligit *Nicephorum* Secretarium ſuum adhuc laicum, ſed eloquentem, qui præeſt Eccleſiæ annis octo, & aliquot menſibus. *Baron.*

Populus Toletanus anno Hegiræ 190. rebellat regi ſuo Achacam, qui aſtutia quadam eos ſub jugum reducit, cùm principes eorundem ad quinque millia occidiſſet. *Roderic.*

Carolus Magnus diſtribuit filiis ſuis Carolo, Pipino, & Ludovico, ſuum regnum in tres æquales partes, nec Imperatorii tituli ullam mentionem facit. Subſcripſerunt id teſtamentum, quod adhuc extat ex bibliotheca Pithæi prolatum, proceres Francorum & Epiſcopi, ubi ſimul in conſultatione hac concilium habitum fuit in villa Theodonis, & ſtatutum, ut lectiones in Eccleſiâ diſtinctè legantur, ut in Eccleſia ſecundùm morem Romanorum canatur, ne in templis ſint ſuperflua altaria, & ut omnes *Computum* rectè diſcant. *Annal.*

Aaron Amiras Saracenorum contra Nicephorum movet exercitu trecentorum millium, occupat multas in imperio munitiones, quas deſtruit. Nicephorus impar viribus, legatos mittit de pace, quæ tandem initur, ſi Imperator quotannis pro tributo daret trecenta & ſex millia numiſmatum, & munitiones deſtructas non reædificaret. Nicephorus dedit quidem pecuniam, ſed munitiones inſtauravit. *Miſcell.*

Eclipſis Lunæ annotatur ab Aimoino, quæ acciderit primo Septembris. Eâ ad tabulas haſce invenitur die 1. Sept. fer. 3. horis 10. & 16. min. poſt meridiem. Latitudo Lunæ vera ſeptentr. 13. 25. Semidiam. Lunæ 16, 15. Summa ſemidiametrorum 59, 11. Scrup. reſidua 45. 46. Digiti ecliptici 16, 54. Sol in 12, 31. Virginis ſecundùm verum motum.

Annus Hegiræ 191. incipit die 16. Novembr. fer. 2.

Pipinus rex Italiæ, filius Caroli, claſſem contra Mauros in Corſicam mittit, & inde eos pellit. *Regino.*

Helmſtadium contra Sarabos & Wilſos Vandalos munitum à Carolo, Caroli Magni filio, circa hæc tempora; id poſtea traditum fuit fratribus Cœnobii Werdenæ, quibus cùm ſine cauſa rebellarent cives, Wilhelmum Brunſuicenſem tandem Dominum ſortiti ſunt. *Chytræus.*

ANNO MUNDI 4756. Poſt C. 807.
C. ☉ 4. ☽ 10. *Ind.* 15.

Pridie Calendarum Febr. inquit Aimoinus, *Luna decima ſeptima fuit, quando ſtella Iovis per eam tranſire viſa eſt. Hoc tempore ad tabulas Prutenicas, die ſcilicet 31. Ianuarii horâ tertiâ poſt mediam noctem, Luna fuit in gradu 2, 27. minut. Libræ, ubi etiã ſtella Iovis tum fuit. Latitudo Iovis ſeptent. 1, 46. Lunæ etiã ſept. 2, 8. Sed Luna nunquã eſt ſine Parallaxi Auſtrali, quæ hoc tempore fuit minutorum 22. quaſi à ſeptentrionali Latitudine ſubtrahantur, reſtat Latitudo Lunæ 1, 46. eadem, quæ Iovis, atque ita Luna Iovem texit.*

Eclipſis itidem Solis ab eodem Aimoino indicatur, quæ acciderit die undecimo Febr. ſtante utroque ſidere in gradu 25. Aquarii. Hæc eclipſis etiam eodem die ad Tabulas Prutenicas invenitur, circa horam duodecimam in meridie. Parallaxis latitudinis fuit 40, 47. Latitudo vera ſeptent. 52, 33. Viſa ſeptentrionalis 11. 46. Semidiameter Solis 16, 32. Summa ſemid. 31. 32. Scrup. reſidua 19, 46. digiti ecliptici 7, 10. Sol motu vero in 26. Aquarii. Aimoinus verò reſpexit ad motum medium. Bunting.

Eclipſis Lunæ etiam ab eodem autore indicatur die 26. Febr. cùm Sol eſſet in gradu undecimo Piſcium, quæ ſimiliter ita invenitur, & quidem horis duabus poſt mediam noctem, ubi latitudo Lunæ borealis eſt 27, 12. Semidiameter Lunæ 17, 46. Summa ſemidiamet. 67. 1. Scrup. reſidua 39, 94. digiti ecliptici 13, 27.

Aimoinus monachus etiam annotat hoc anno die 17. Martis, maculam in Sole viſam per octo dies, quam maculam putat fuiſſe Mercurium. Sed ad tabulas Prutenicas Mercurius longè à Sole ad hoc temp9 abeſt, videlicet in 19. gradu Arietis, cùm Sol eſſet in primo gradu. Nec poteſt hoc propter Paſcha in ſequentem annum referri, alias enim & eclipſes hæ ad ſequentem annum referendæ eſſent.

Aaron in Cypro templa Chriſtianorum deſtruit, & Chriſtianos inſulâ recedere jubet, *Miſcell.*

Nicephorus Imperator movet contra Bulgaros, ſed cùm Hadrionapolin veniſſent, milites negant ipſi ſuam operam, niſi ſtipendia ſolverentur; ideò re infecta Conſtantinopolin redit. *Miſcell.*

Legati, quos Carolus ad Aaronem miſerat, quorum priores quadriennium conſumpſerant, tandem redeunt, & pretioſa munera Carolo ab Aarone afferunt, ſerica imprimis, item horologium ex

ex aurichalco, arte mechanicâ factum, in quo duodecim horarum curſus vertebatur, cum totidem æreis pillulis; quæ ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo tympanum pulſabant: additis in eodem horologio duodecim equitibus, qui completis horis per duodecim feneſtras exibant; & egreſſu totidem feneſtras, quæ apertæ fuerant, claudebant. *Regino.*

Eclipſis Lunæ altera hoc anno annotatur ab Aimoino, quæ acciderit nocte, quæ ſecuta eſt diem 21. Auguſti. Ea invenitur etiam ad tabulas Prutenicas die 21. Auguſti, horis 10, 30. poſt meridiem, ubi latitudo ſeptentrionalis 24, 35. Semid. Lunæ 15, 3. Summa ſemidiametrorum 54, 51. Scrup. reſidua 30, 10. Digiti ecliptici 12, 3.

In comitiis generalibus, quæ Carolus celebravit Neomagi, Nijumagh/ leges ſanciuntur à Carolo, inter quas eſt, ut quilibet pagus ſuos mendicos alat. *Conſt. Imp.*

Aaron Saracenus menſe Septembri Rhodum Inſulam invadit, eamque ex parte capit: ſed cum tempeſtate claſſis convelleretur, re infectâ abire coactus eſt, & claſſis tota eſt disjecta *Miſcell.*

Annus Hegiræ 192. incipit die 6. Novembr. fer. 7.

Nicephorus Conſtantinopoli pulcherrimas virgines in aulam evocat electurus filio Staurato conjugem. Sed re deliberatâ haſce rejicit, & dat ipſi quandam cognatam Irenes, quæ viro juncta erat: ipſe contra ex virginibus iſtis duas eligit, quas ſtuprandas ſibi ſumit. *Miſcell.*

ANNO MUNDI 4757. Poſt C. 808.
B.A. ☉ 5. ☽ 11. *Ind.* 1.

Hyems hoc anno frigore remiſſior indicatur, ſed ob id peſtilentior. *Godefridus* Danorum rex, cùm quieſcere non poſſet, Obetritis Vandalis bellum infert, eosque magna clade vaſtat, ſed non minore clade ipſe afficitur, dum inter cætera etiam filium amittit. *Carolus* contrà filium ſuum Carolum in Saxoniam mittit, ne Danus etiam Saxoniam tentaret, & cùm Danus domum rediiſſet, ipſe Albiam transgreſſus, qui ſeſe Dano dediderant, vaſtat. *Regino.*

Annus Iezdegird. 177. incip. die 3. Maji fer. 4. Armeniarum 257. die 6. Maji. fer. 7.

Danus, *ne quid concederet Carolo, emporium* Rorich *deſtruit. & limites regni ſui, quod reſpicit Saxoniam, vallo munire inſtituit, ab Oceano ſcilicet occidentali, uſque ad orientalem.* Regino.

Rex Northumbrorum in Anglia Edelredus vel Eardulphus, ut nominatur, regno pulſus ad Carolum venit, queſtum de injuria: inde etiam abit ad Pontificem Romam, & ſequenti anno & à Carolo & Pontifice per legatos in regnum reducitur. Annal. Fuld.

Carolus Magnus hoc anno contra Bohemos caſtrum ædificat *Dreſdam* ad Albim, & contra Sorabos Vandalos, ne Thuringiam vaſtarent, *Numburgum* ad Salam ædificat. *Regino.*

Annus Alexandræus 1120. Antioch. 857. Conſtantinop. 6317. incipit Calendis Octob.

Annus Hegiræ 193 incipit die 25. Octobr. fer. 4.

Conſtantinopoli iterum oritur diſſiduum in Eccleſia, quòd Patriarcha quendam, qui excommunicatus fuerat, abſque pœnitentia in Eccleſiã recepiſſet, quod monachi, inprimis *Theodorus* Studita improbat. *Baron.*

ANNO MUNDI 4758. Poſt C. 809.
G. ☉ 6. ☽ 12. Ind. 2.

Annus urbis 1561.	*Julianus* 854.
Æra Hiſpan. 847.	*Auguſtorum.* 836.

Annus Nabonaſſaris 1557. & Philippi 1133. incipit die 1. Febr. fer. 6.

Exeunte menſe Januarii Conſtantinopoli Synodus fit propter Schiſma, quòd Abbates & monachi Patriarchæ communicare nollent, & monachi illi cum Abbatibus in exilium ejiciuntur. *Miſcell.*

Nicephorus mittit ſtipendium militibus in Macedonia contra Bulgaros militantibus, ubi cùm ad Strymonem amnem ſtipendia diſtribuerentur, Bulgari improviſo irruentes, potiuntur omni pecunia, libris auri mille & centum, & inde Grunnus Dux Bulgarorum intercipit Sardicam urbem, & interſicit ex exercitu Imperatoris ſex millia militum, adhuc ante Paſcha. *Miſcell.*

Ludovicus filius Imperatoris in Hiſpaniam movet, ſed re infectâ ferè revertitur: interim Godefridus Danus in Friſiam irruit, eamque ſuo imperio ſubjicit. Cùm res hoc modo ad bellum ſpectaret inter Danum & Carolum, Danus colloquium petit, quod obtinet, ubi res ita componitur, ut Friſiam reſtitueret, & Carolo obſides daret. Cùm verò Danus non facilè quieſceret, Carolus urbem contra Danos munire juſſit *Hamburgum*, cujus fundamenta jacta die 13. Martii. *Regino.*

Aaron *Saracenorum Amiras, cùm regnâſſet annis 23. moritur anno Hegiræ 193. Succedit ipſi filius* Imin, *qui regnat annis quinque, deditus luxui & voluptatibus. Floruerunt ſub eo inſignes medici,* Gabriel *Surianus & Johannes Meſue.* Zacuthi.

Olympias 397. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1585.

Annus Diocletiani 526. incipit die 29. Auguſti.

Carolus concilium jubet celebrari Aquiſgrani, in quo quæſitum fuit, an rectè ab Hiſpanis & Gallis additæ fuerint Symbolo Niceno quatuor hæ Syllabæ, FILIOQVE: Et cùm ſententia ipſa per ſe ſit vera, num liceat eaſdem canendo proferre, etiamſi id vel Romæ vel alibi inuſitatum ſit. Legati de hac re mittuntur ad Pontificem Leonem, qui ſuadet, Symbolum illud aliquo temporis ſpatio in Eccleſia intermittendum & obliterandum, & poſtea iterum abſque additione harum ſyllabarũ canendum. Papa etiam Romæ id Symbolum Græcè & Latinè abſque hiſce ſyllabis in argenteis tabulis deſcribi juſſit. *Tom. Con.*

Thraſco *Dux Obetritorum Vandalorum, cùm ſub ditionem ſuam, qui à ſe ad Danorum regem defecerant, reduceret, trucidatur dolo Godefridi.* Annal. Fuld.

Mauri *in Hiſpania Sardiniam & Corſicam vaſtant, & Pipinus cùm his reſiſteret, a Venetis injuriâ afficitur: quapropter eas obſidet, & terrâ marique vaſtatas ſibi ſubjicit.* Regino.

Carolus inchoat annum regni 42 die 9. Octob. Niceph. 8. in Novemb.

Annus Hegiræ 194. incipit die 15. Octob. fer. 2.

Eclipſis Lunæ annotatur ab Aimoino die 26. Septembris, quæ etiam eodem die invenitur, ſed Romano more ea incidit in diem 25. Septembris, horis fere octo poſt meridiem.

meridiem. Latitudo Lunæ auſtralis 13, 1. Semidiameter Lunæ 15, 4. Summa ſemidiametrorum 54, 23. Scrupula reſidua 41, 10. unde digiti eclipticí ad tabulas Prutenicas, 16, 26. Sol in 9. gradu Capricorni.

ANNO MUNDI 4759. Poſt C. 810.
F. ☉ 7. ☽ 13. *Ind.* 3.

Godefridus Daniæ rex vaſtat Friſiam, & exercitu domat, & ſuo regno ſubjicit. Carolus ingenti exercitu congregato adverſus eum movet, interim Godefridus à ſatellite ſuo trucidatur & claſſis Danorum deſperatâ victoriâ domum redit. Carolus verò pergit, & Hamburgum recipit, quòd Wilſii Vandali occupârant, & tandem compoſitis rebus Saxonicis Aquisgranum redit, ubi Nicephori legatis, qui Venetias à Pipino ſuperiori anno occupatas querebantur, Venetias reddit. Ita enim convenerat inter Carolum & Nicephorum, cùm Iſtriam Liburniam & Dalmatiam occuparet, maritima Conſtantinopolitanis redderentur. *Annal. Fuld.*

Rotrudis filia Caroli, quæ olim deſponſata fuerat Conſtantino Irenes filio, moritur die 6. Junii.

Eclipſis Lunæ annotatur à Scriptoribus Francicis, quæ acciderit die 21. Junii, quæ invenitur, ſi Romano more numeres die 20. Junii, horâ octavâ poſt meridiem, ad tabulas Prutenicas latitudo Lunæ ſeptentr. 0, 12. Semidiam. Lunæ 17, 48. Summa ſemidiamet. 67, 40. Reſtant ſcrup. 67, 28. Ergò digiti ecliptici 22, 45. Sol in ſecundo gradu Cancri.

Iidem Scriptores meminerunt etiam Eclipſis Solis, quæ acciderit die ſeptimo Junii hujus anni. Et Luna quidem eo die pervenit ad nodum, ſed longius tamen abeſt, quam ut Sol propter interpoſitionem Lunæ obſcurari potuerit, ut calculus oſtendit: ideo fortaſſis ad tabulas Aſtronomicas imperfectiores prædicta fuit, ſed non facta.

Pipinus rex Italiæ filius Caroli moritur die 8. Julii, & relinquit filium Bernhardum.

Annus ſabbathicus primus Iobelei decimi ſexti, incipit 3. Septemb. fer. 3. Anno Jud. 4571.

Calendis Octob. fer. 3. quidam tanquam inſanus Conſtantinopoli in Palatium irruit, trucidaturus Imperatorem, & quosdam atrociter vulnerat; tandem comprehenſus examinatur, & dat pœnas. *Miſcell.*

Annus Hegiræ 195. incipit die 4. Octobr. fer. 6.

Eclipſis Solis annotatur à Gallicis Scriptoribus, quæ acciderit hoc anno die ultimo Novembris, in meridie. Ea etiam ad tabulas Prutenicas ita invenitur in meridie, minutis 12. poſt meridiem. Parallaxis latitud. 54. 56. Latitudo vera ſeptentr. 55, 21. Viſa ſeptentrionalis 0, 25. Semidiameter Solis 16, 57. Summa ſemid. 34, 20. Scrup. reſidua 33, 55. Digit. ecliptici 12. Atque ita totus Sol obſcuratus fuit. Sol in 12. Sagitti. Bunting.

Eclipſis altera Lunæ hoc anno annotatur ab iiſdem Gallicis Scriptoribus, quæ acciderit die 14. Decembris. Eaque ita invenitur ferè horâ octavâ poſt merid. Latitudo Lunæ 24, 44. Semidiameter Lunæ 15, 13. Summa ſemiametrorum 59, 15. Scrup. reſidua 33. digiti ecliptici 13. Sol in 27. Sagittarii.

ANNO MUNDI 4760. Poſt C. 811.
E. ☉ 8. ☽ 14. *Ind.* 4.

Nicephorus pecuniam militibus in Armeniam mittit, quæ à Saracenis ipſi eripitur, ſabbato primo jejuniorum, quartæ hujus dictionis, menſe Febr. fuerunt 1300. libræ auri, & multi præterea milites interfecti. *Cedr.*

Carolus legatos mittit Conſtantinopolin, qui ibi ludibrio habentur, ideò cùm Nicephorus viciſſim legatos ad Carolum mitteret, par iisdem refertur, & ita diſſenſio inter utrumque oritur. *Advent.*

Carolus item pacem facit cum Hemmingo Danorum rege, qui patruo Godefrido ſucceſſerat, & Hamburgum reſtituit, & fundamenta jacit Epiſcopatus, quem ibi inſtituit. Cæterum cum ubique bella urgerent, exercitum mittit etiam in Pannoniam ad finiendas controverſias inter Hunnos & Sclavos, & tertium exercitum mittit contra Britones. *Regin.*

Nicephorus Imp. ingenti comparato exercitu contra Bulgaros proficiſcitur, & in Bulgariam pervenit die 20. Julii, & aulam Crunni regis Bulgarorum deſtruit. Crunnus, cum res in anguſtiis eſſet, petit pacem, ſed eam impetrare non poteſt; ideo cum Imperator loca impedita acceſſiſſet, obſtruxit exitus, de quintâ & ſextâ feriâ, & tandem die ſabbathi irruit in Nicephorum, eumque cum omni ferè nobilitate trucidat: accidit clades die 6. Iulii, Indict. 4. Stauratius filius acceptis multis vulneribus evadit, & Hadrianopolin pervenit, & ſuccedit in imperio: verùm cùm ineptus eſſet ad res gerendas, *Michael* Curopalates, qui gener erat Nicephori, eligitur Imperator die 5. Octobr. & imperat anno uno, & menſibus ferè decem. Imperaverat autem Nicephorus annis octo, & menſibus novem. *Miſcel.*

Carolus Magnus teſtamentum facit de rebus mobilibus ſuis poſt obitum diſtribuendis, & principio omnia, quæcunque in theſauris vel aliàs habuit, diſtribuit in tres partes, & duas ex hiſce partibus ſubdividit in partes viginti & unam, quot videlicet Epiſcopatus habebat, & ſingulis Epiſcopatibus legat unam. Ita tamen, ut ſingulæ rurſus in tres partes dividantur, quarum unam ſumat Eccleſia, duas verò ejus ſuffraganei. Tertiam verò partem, quam ex primis integram hactenus ſervaverat præcipit poſt obitum in tres partes dividi, quarum duas liberi retinerent, tertiam verò pauperibus erogarent. *Egin.*

Pons Moguntinus quingentorum paſſuum longitudine, quem Carolus decennii ſpatio ædificaverat mirabili opere, magnis ſumptibus, & ita formaverat, ut perpetuò durare poſſe videretur; tribus horis igne ita abſumitur, ut ne haſtula quidem ex aquis emineret. *Sigeb.* Factum menſe Majo, ut Scladenſis habet.

Annus Hegiræ 196. incipit die 2. Sept. fer. 3.

Carolus filius Caroli Magni, natu primus, moritur ſine liberis die 4. Decembris. *Regino.*

ANNO MUNDI 4761. Poſt C. 812.
D.C. ☉ 9. ☽ 15. *Ind.* 5.

Stauratius filius Nicephori Imperatoris, tandem ex ulcere tabefactus moritur die 11. Januarii.

Michael novus Græcorum Imperator, primùm uxorem, deindè etiam filium Theophylactum fecerat Auguſtum, de Nativitates Chriſti, feria quinta; atque inde mittit legatos ad Carolum, qui pacem cum eo ſanciant, & inde filiam ipſius petant uxorem Theophylacto filio novo Imperatori. Legati hi conveniunt Carolum Aquiſgrani, & ipſi offerunt,

ferunt, & confirmant titulum imperatoris, eumque Græcâ oratione celebrant *Miſcell. & Annal.*

Annus Iezdegird. 181. *incipit die* 2. *Maji, fer.* 1. *Armen.* 261, 5. *Maji, fer.* 4. *Annales Conſtantinopolitani tradunt eclipſin Solis factam feriâ ſextâ, die* 14. *Maji, Et hæc eclipſis ad tabulas Prutenicas ita invenitur die* 14. *Maji, dimidiâ horâ ferè poſt meridiem. Parall. latitud.* 20, 52. *Latitudo vera Lunæ ſept.* 8, 50. *Viſa* 12. 2. *auſtralis. Semidiam. Solis* 15. 47. *Summa utriuſque ſemid.* 32, 55. *Scrup. reſidua* 20. 56. *Ergò digiti eclipt. ferè octo. Sol in* 27. *gradu Tauri.*

Michael Imper. contra Bulgaros cum exercitu proficiſcitur; ſed tumultuantibus militibus Bulgari aliquot urbes imperio eripiunt, & Macedoniam ac Thraciam vaſtant. Imperator, cùm Conſtantinopolin cives domi ſeditionem moverent, re infectâ Conſtantinopolin redire cogitur. *Miſc.*

Menſe Auguſto, hujus quintæ indictionis, *Thebuh* Saracenus contra Chriſtianos expeditionem ſuſcipit, cui Imperator Michael opponit *Leonem* Ducem, qui Saracenos feliciter reprimit. Inde ſeditiones viguerunt in regno Muhametico, ita ut peculiaris Amiras eſſet in Babylone, alius Damaſci, alius Africæ. *Miſcel.*

Hemmingus Danorum rex moritur, Sigfridus nepos Godefridi, & *Anulo* de ſucceſſione acie decernunt, pereunt ad duodecim millia Danorum, & uterque in prælio cadit. Succedunt itaque fratres duo *Heriolduſ & Raginfredus. Annal. Fuld.*

Annus Hegiræ 197. *incipit die* 12. *Septembr. fer.* 1. *Annus Alexandræus* 1124. *Antioch.* 861. *& Conſtantinop.* 6321. *incipit Calend. Octob.*

Crunnus Bulgarorum rex, legatos de pace Conſtantinopolin mittit hâc conditione, ſi ſibi fugitivi redderentur ex ſuo regno. Fugitivi hi Chriſtiani erant, aut Chriſtianam religionem Conſtantinopoli receperant, qui ſupplicabant Imperatori, ne ad cruciatum Bulgaris traderentur. Imperator de hac re Synodum Epiſcoporum convocat: in qua decernitur, profugorum ſalutem non prodendam. Igitur Bulgari repulſi *Meſembriam*, urbem, cùm eam integro menſe oppugnâſſent, & capiunt, ubi inveniunt Siphones æneos triginta ſex, & ignis humidi, qui per Siphones mittebatur, aliquam partem, item auri & argenti haud exiguam copiam. *Miſcell.*

ANNO MUNDI 4762. Poſt C. 813.
B. ☉ 10. ☽ 16. Ind. 6.

Annus urbis 1565.	*Iulianus* 858.
Æra Hiſpan. 851.	*Auguſtorum* 840.

Annus Nabonaſſaris 1561. *& Philippi* 1137. *incipit Cal. Febr. feria* 3.

Crunnus Bulgarorum rex in Thraciam irruit menſe Feb. cui occurrit Michael Imp. die 16. Febr. & Crunnum fugat. *Miſcell.*

Carolus Magnus filium ſuum Ludovicum, quem unicum habebat ex Aquitania evocat, & circa Martium menſem eum proclamari juſſit Imperatorem; inde ut Eccleſiaſticæ res rectè adminiſtrarentur, concilia quinque hoc anno haberi voluit, Moguntiæ, Rhemis, Turoni, Arelati, Cabiloni, quæ pleraque acta ſunt vel menſe Majo, vel Junio, & extant.

Eclipſis Solis annotatur in Miſcellis Conſtantinopolitanis, quæ acciderit quarto Maji, manè oriente Sole, eaque ita ad tabulas Prutenicas invenitur horis ſcilicet quatuor & dimidia poſt mediam noctem fer. 4. *Parallaxis latitud.* 47, 36. *Latitudo Lunæ vera ſeptent.* 54, 1. *viſa ſeptent.* 6, 25. *Semidiam. Solis* 15, 49. *Summa ſemid.* 33, 37. *Scrup. reſidua.* 27, 12. *Digiti eclipt.* 10. 19. *Sol in gradu Tauri.* Bunting.

Michael Imperator ſtrenue quidem defendit Thraciam, ſed ad Menſembriam tamen recuperandā proficiſci non audet; interim Crunnus coacto exercitu redit, & cum Michaele pugnat: ibi cùm exercitus Imperatoris malè inſtructus eſſet, adeò ut nec primum impetum Bulgarorum ferret, ſed ſtatim retrocederet, Bulgari non ſtatim fugientes metu inſidiarum ſecuti ſunt, poſtea tamen multos adhuc in fuga deprehenderunt & trucidarunt; facta pugna die 23. *Maji. Michael igitur, cùm princeps quidem beneficus eſſet & clemens; ſed parum peritus rerum gerendarum, deſperare de imperio incipit, idque Leoni Armeno tradere; cui propoſito obſtant & uxor & liberi, nihilominus tamen, cùm poſtea urgerent idem principes Imperii cum Patriarcha, die* 11. *Julii, ſextæ indictionis, feriâ ſecundâ, cum uxore & liberis abit in cœnobium, cum imperâſſet anno uno, & menſibus novem: Succedit* Leo *Armenus, qui imperat annos ſeptem, & menſes ſeptem.* Miſcell.

Olympias 398. *incipit menſe Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1589.

Annus Diocletianus 530. *incipit die* 29. *Auguſti. Heg.* 198. 1. *Sept. fer.* 5.

Carolus Magnus *incipit annum regni* 46. *menſe Octobr.*

Carolus magnus ante obitum ſuum *Vlmam* civitatem dedit monachis Auguenſibus, à quibus cives longo tempore non in exigua ſervitute habiti ſunt. *Annal. Suevi.* Idem confirmavit etiam ditiones quaſdam, quas *Eginardo* conceſſerat, cùm obtinuiſſet Emmam filiam Caroli, uxorem, ut videre eſt in *Annal. Cœnobii Lorch.*

Crunnus interim Conſtantinopolin obſidet, ſed repulſus fortiter Hadrianopolin cadit circa menſem Decembrem, & crudeliter in eâ graſſatur. *Miſcellæ* quæ hoc eodem anno finiuntur. Scriptæ ſunt autem à *Theophane*, Monacho.

Imin Amiras Saracenorum, qui luxui deditus fuerat, & jam annos quinque imperârat, trucidatur à fratre, anno Hegiræ 198. Succedit ipſi in Babylone *Maimon*, annos natus viginti octo, ſcientiarum doctorumque hominum ſtudioſiſſimus, qui multos libros ex Græco ſermone in Arabicum converti curavit, & imperavit annis viginti. *Abrah. Zac.*

ANNO MUNDI 4763. Poſt C. 814.
A. ☉ 11. ☽ 17. *Ind.* 7.

Carolus Magnus Aquiſgrani, die viceſimo primo Januarii febri corripitur, quam, ut conſueverat hactenus, curare voluit abſtinentiâ: ſed cum hoc modo attraxiſſet ſibi pleuritidem, mortuus eſt ſeptimo die ab inſultu febrili, die videlicet 28. Januarii, feria ſeptimâ, horâ tertiâ à Solis exortu, ſepultuſque eſt Aquiſgrani, cùm regnâſſet annos 46. & menſes ferè quatuor; Imperâſſet verò annos 13. menſem unum: ſuccedit ipſi filius Ludovicus pius, qui imperavit annos 27. menſes quinque, obtinuitque omnia regna Caroli patris, præter Longobardorum regnum, quod patet Bernhardo nepoti conceſſerat, *Eginh.*

Leo

Leo Imp. Theophylactum, filium Michaelis caſtratum, cum fratribus & matre in exilium ejicit. *Cedr.*

Annus Hegiræ 199. *incipit die* 21. *Aug. fer.* 2.

Leo Armenus, cùm à Bulgaris pacem impetrare non poſſet, coacto exercitu adverſus eos proficiſcitur, ſed inito prælio vincitur, & in tumulum quendam elabitur; ubi cùm videret Bulgaros ordines confudiſſe, & ſuos mittit, ut fugere deſinant: ipſe interim Bulgaros invadit, prælium redintegrat, vincit & plurimos Bulgarorum trucidat multo plures capit. Hâc clade Bulgari fracti quieſcunt, & pacem triennalem ineunt. *Cedr.*

Leoni perſuadetur à quodam monacho, ut cultum imaginum aboleat; ideò propoſito de hâc re edicto, cùm multi eſſent, qui imaginum remotionem improbarent, ii in exilium ejuncti ſunt. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4764. Poſt C. 815.
G. ⊙ 12. ☽ 18. *Ind.* 8.

Cùm Hiſpani dirâ ſervitute premerentur à Saracenis, nec religio libera relinqueretur, multi amiſſis hoc modo ſuis bonis in Galliam Narbonenſem aufugerunt, quos omnes Ludovicus juſſit humaniter ſuſcipi & foveri, dedit etiam ipſi privilegia, quæ extant data hoc anno Calendis Januariis Indict. nonæ. *Pithaus.*

Leo Armenus, dum perſequitur imaginum cultores, etiam Nicephorum Patriarcham, qui annis octo & aliquot menſibus ſederat, paucis menſibus ante Paſcha ſede ſuâ pellit in exilium, ſuccedit ipſi in paſchate. *Theodotus*, qui conſenſit Imperatori in dejiciendis imaginibus, qui obtinet ſedem Conſtantinopol. annis 20. *Ced.*

Annus Hegira 200. *incipit die* 11. *Auguſti, fer.* 7.

Ludovicus *Imperator mittit Haraldo Danorum regi auxilia contra filios Godefridi olim regis, qui inſidias ſtruebant regno, & inſuper compeſcit Sclavos tumultuantes.* Annal Fuld.

Leo Papa iterum invaditur à Romanis, quorum multos capite plectit; idque perſcribit ad Imperatorem, qui mittit Bernhardum patruelem, qui ſecum in expeditione Sclavorum fuerat, Romam cum legatis aliquot ad rem inſpiciendam; à quibus innocens pronunciatur Papa. At ſeditioſi iſti Româ aufugientes, Pontificis prædia & bona diripiunt & incendunt, ideò Bernhardus miſit Pontifici præſidium. *Aimoin.*

ANNO MUNDI 4765. Poſt C. 816.
F. ⊙ 13. ☽ 19. *Ind.* 9.

Legenda Pontificum refert, quòd *Jacobi Apoſtoli* corpus poſtquam ab Agrippa Herode occiſus fuiſſet, canibus & volucribus objectum fuerit, attamen à quibusdam poſtea collectum, & Compoſtellam in Hiſpaniam transvectum: Autores verò hujus facti, cùm ſepeliiſſent ibi corpus Jacobi, tandem mortuos fuiſſe, & totum hoc, quod feciſſent clanculum habuiſſe, & ita de transvectione corporis Jacobi nemini conſtitiſſe: hoc verò tempore, regnante Alphonſo Caſto rege, clarâ luce aliquot noctibus locum quendam Compoſtellæ illuſtrante, homines fodere ibi cœpiſſe, & cadaver hominis, dudum videlicet ante annos ferè octingentos decollati & defuncti, inveniſſe: Ad id verò cadaver, cum multa miracula fierent, homines conjeciſſe, eſſe corpus Jacobi Apoſtoli, & inde locum hunc à peregrinantibus frequentari cœpiſſe. *Baron.*

Annus Jezdeg. 185. *incipit Cal. Maji, fer.* 5. *Armen.* 265. *die* 4. *Maji, fer.* 1.

Leo Papa, cùm ſediſſet annis 20. & menſibus ferè ſex, moritur die 12. Junii: Succedit poſt menſtruum ferè ſpatium die 8. Julii *Stephanus* Quartus, qui ſedet menſe ferè 7. qui ſtatim ut electus eſt, populum Romanum in verba Imperatoris Ludovici jurare voluit, & ſtatim menſe Auguſto iter arripuit in Galliam ad Imperatorem, ubi Imperatorem cum conjuge die 29. Auguſti Rhenis coronavit & menſe Octob. Romam reverſus, decretum fecit, ut legati Imp. interceſſent electioni Pontificum, ut hæc extant apud *Gratianum diſt.* 33. *cap.* 28.

Annus Hegira 201. *incipit die* 30. *Jul. fer.* 4.

Ludovicus comitia agit Aquiſgrani, in quibus reformationem cleri & inſtitutiones Canonicæ profeſſionis, ſeu regulam clericorum conſcribit & ordinat. *Conſt. Imp.*

Annus Alexandreus 1128. *Antioch.* 865. *Conſtantinop.* 6325. *incipit Calendis Octob.*

Sorabi iterum rebelles fiunt Imperatori, ſed duces *Ludovici* collecto exercitu ex Francis orientalibus & Saxonibus eos reprimunt. *Annal. Fuld.*

ANNO MUNDI 4766. Poſt C. 817.
D. ⊙ 14. ☽ 1. *Ind.* 10.

Annus urbis 1569. *Iulianus* 861.
Æra Hiſpanica 855. *Auguſtorum* 844.

Ludovicus *Imp. inchoat annum imperii quartum die* 28. *Januarii,*

Annus Nabonaſſarii 1565. *& Philippi* 1141. *incipit die* 31. *Jan. fer.* 7.

Eclipſis Lunæ annotatur in annalibus Fuldenſibus, quæ acciderit hoc anno die 5. *Februar. antequam Ludovicus filium ſuum Lotharium faceret Imperatorem & eadem nocte Cometam viſum Eclipſis hæc invenitur eodem die* 5. *Februar. horis poſt meridiem* 5, 40. *Latitudo ſeptent.* 10, 41. *Semidiamet. Lunæ* 17, 38. *Summa ſemid.* 63. 1. *Scrup. reſidua* 52. 20. *Digiti Eclipticì* 17. 49. *Sol in* 22. *gradu Aquarii.*

Stephanus IV. Papa, cùm ſediſſet menſibus ferè ſeptem, moritur, circa finem Januarii: ſuccedit ipſi *Paſchalis*, qui ſedit annis ſeptem, menſibus quatuor. *Anaſt.*

Ludovicus Imp. cùm feriâ quintâ ante Paſcha: die 7. Aprilis, ex templo domum rediret, porticus lignea putrefactis fundamentum collabitur, cujus ruina multi Comitum malè affecti ſunt, & nemo ferè in columis evaſit præter Imperatorem, cujus tamen cutis ad aurem aliquantum ſciſſa fuit & lignum cruri impactum; cui tamen ſtatim ſubventum fuit, ita ut viceſimo die venatum iret. *Aimoin.*

Leo legatos ad Ludovicum mittit propter controverſias aliquas in finibus Dalmatiæ & Iſtriæ, quæ Aquiſgrani componi non potuerunt: Sed legati miſſi ſunt ad rem inſpiciendam, Idem Leo victoriâ contra Arabes potitur, qua elatus contra imaginum cultores crudeliter graſſatus eſt. *Cedr.*

Ludovicus Aquiſgrani iterum comitia edicit; ubi convocatis quibusdam Abbatibus, octuaginta capita ordinat, quibus monachi in toto imperio

quoad victum & cultum regerentur, quorum exemplaria deſcripta fuerunt, & in omnia monaſteria miſſa. *Annal. Franc.*

Olympias 399. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1593. Annus Hegira 202. incipit die 20. Jul. fer. 2. Diocles. 534. die 29. Aug.

Annus ſabbathicus ſecundus Iobelei 16. incipit 15. Sept. feria 3. Anno Judaico 4578.

Ludovicus convocat filios ſuos Aquiſgrani, & Lotharium primogenitum creat Regem Franciæ & ſocium imperii: Pipinum verò regem Aquitaniæ, & Ludovicum regem Boariæ: inde movet contra Obetritos Vandalos, quibus domitis redit Aquiſgranum, hyematurus ibi: citò verò certis indiciis ibi cognoſcit, Bernhardum patruelem, qui moleſtè ferebat diſtributionem imperii inter filios Ludovici, omnes in ſua verba in Italia jurare coegiſſe, clauſtra Alpium firmaſſe, & rebellem imperio factum: ſubito igitur inſtituit expeditionem, clauſtra Alpium aperit, in Italiam profecturus. Sed Bernhardus imperatus ac pœnitens dedit ſe patruo ſuo, cum conſciis facinoris, quorum multi fuerunt intimi Conſiliarii Ludovici, ut Reginardus Camerarius. & alii, item Epiſcopi Anſelmus Mediolanenſis, Wolfoldus Cremonenſis, Theodolphus Aurelianenſis, quos comprehenſos in carcerem conjicit, ut ſiſtantur ſequenti anno Paribus Francicis, & in hyberna redit. *Aimoin.*

ANNO MUNDI 4767. Poſt C. 818.
C. ☉ 15. ☽ 2. Ind. 11.

Paucis poſt Paſcha diebus Ludovicus convocat Pares Franciæ, jubetque eos cauſam rebellionis Patruelis ſui & complicum cognoſcere, & de pœnâ ſententiam ferre: Qui eos criminis læſæ Majeſtatis reos peragunt, & capitis condemnant. Imperator tamen mitius decernit & laicis quidem oculorum amiſſionem, Epiſcopis perpetuum carcerem definit. Bernhardus verò tantam pœnam non ſuſtinens, triduò poſt, die 17. Aprilis defungitur, cujus mortem Imperat. adeò moleſte tulit, ut publicè pœnitentiam de ea ageret: Sepultus eſt Mediolani. Aimoin.

Sedulius Scotus Poeta floret Hepid. monachus S. Galli.

Sclaomirus Obetritorum rex ad curiam Ludovici evocatus, de multis ſceleribus accuſatur, ideoque in exilium ejicitur, & regnum ejus Ceadrego datur: Sic Lupus Dux Vaſconum in exilium mittitur, ut & Adelhardus conſobrinus Caroli Magni.

Annus Hegira 203. incipit die 9. Julii, fer. 6.

Eclipſis Solis annotatur ab Aimoino, quæ acciderit hoc anno die 8. Julii. Sed ea ad tabulas Aſtronomicas invenitur die 7. Julii, manè horis ferè duabus poſt Solis exortum. Parallaxis latitudinis eſt 32, 35. Latitudo verò ſeptent. 45, 7. Viſa 12, 22. Septentr. ſemidiam. Solis 15, 3. Summa ſemid. 29, 43. Scrup. reſidua 17, 21. Ergo digiti ecliptici 6, 55. Sol in gradu 18. Cancri.

Ludovicus Dux Pannoniæ inferioris res novas moliens contra Ludovicum Imperatorem, multa turbat, ſed ab exercitu Imperatoris pulſus in Dalmatiam abit. *Aimoin.*

Irmingardis uxor Ludovici Imperatoris, mater Lotharii, Pipini & Ludovici regum, moritur die 3. Octob.

ANNO MUNDI 4768. Poſt C. 819.
B. ☉ 16. ☽ 3. *Ind.* 12.

Ludovicus Imp. in conventu Ingelheimenſi iterum leges nomine procerum promulgat, tàm de clericis quàm de laicis. *Conſt. Imp.*

Borna, Dux Ludovici in Dalmatia, bello perſequitur Ludovicum rebellem, qui eò perfugerat, & bellum vario Marte geritur. *Aimoin.*

Annus Hegira 204. incipit die 28. Junii, fer. 3.

Achajus *Scotiæ rex, cùm annis 32. regnum Scotiæ adminiſtráſſet, moritur; ſuccedit Congallus, qui regnat annos quinque.* Buchan.

Pipinus *Imperatoris filius, juſſu parentis in Vaſconiam movet, & ſeditioſos ibi compeſcit, & provinciam pacatam reddit.* Aimoin.

Ludovicus Imp. inſpectis pleriſque nobilium filiabus, Welphi Comitis filiam, nomine Judith, *uxorem ducit: infinita hinc mala exorta ſunt.* Aimoin.

ANNO MUNDI 4769. Poſt C. 820.
A.G. ☉ 17. ☽ 4. *Ind.* 13.

Fortunatus Patriarcha Gradenſis, quòd Ludovicum rebellem Imperatori adjuvaret, & rebellionis particeps eſſet, ab Imperatore evocatur; qui ſibi metuens, in Dalmatiam fugit, & poſtea Conſtantinopolin. *Aimoin.*

Annus Iezdegird. 189. incip. die 30. Apr. fer. 2. Armeniorum 269. tertio die Martii, fer. 5.

Annus Hegira 205. incipit die 17. Junii, fer. 1.

Ludovicus *Imp. tres exercitus mittit contra Ludovicum rebellem in Pannonia, unus eo tranſiit per Alpes, alter per Dravum fluvium, tertius per Carinthiam, qui omnium feliciſſimè rem geſſit, & Pannoniam crudeliſſimè vaſtavit, cùm Ludovicus ſe munitionibus teneret.* Aimoin.

Normanni tredecim navibus Flandriam depopulantur, infelici ſucceſſu; inde pulſu in Aquitania villas exurunt. *Aimoin.*

Æſtas pluvioſa in Galliis: & propterea nec frumentum nec vinum crevit, inde & peſtis graſſari cœpit, & fame laboratum eſt. Frumentum tamen venditum eſt ex conſtitutione Caroli, modius avenæ duobus denariis, hordei & ſiliginis quatuor, farinæ verò ſex. Annal. Fuld.

Regnante adhuc Leone, corpus D. Marci Evangeliſtæ furto ex templo Alexandrino ſurripitur, & per mercatores Venetos aufertur, & Venetias defertur. *Eſt relatio apud Baronium valdè ſuſpecta.*

Annus Alexandr. 1132. Antioch. 869. Conſtantinop. 6329. incipit Calend. Octobr.

Eclipſis Lunæ annotatur ab Aimoino, Scriptore Gallo, quæ acciderit die 24. Novembris horâ noctis ſecundâ, quæ accidet, ſi more Romano numeres, die 23. Novembris, horis 6, 26. poſt meridiem fer. 6. Latitudo Lunæ ſeptentrionalis 19, 58. Semid. Lunæ 17, 14. Summa ſemidiametrorum 61, 29. Scrup. reſidua 41, 31. Digiti eclipitci 14, 27.

Michael Balbus, Dux bonus in militia, imprudentius ſæpius locutus de Imperatore Leone, in periculo vitæ aliquoties fuerat, & tandem cum aliquibus conſpirat de tollendo Leone Imperatore; ſed proditâ re capitur, veſperâ, nativitatis Chriſti, quem Leo eâ ipſa veſpera, ſe inſpectante vivum comburendum decernit. Sed intercedit con-

dit conjux Auguſta, ut ſupplicium differatur, in compedes ideò compingitur, quarum claves imperator ipſe ſibi ſumit. Michael petit ſibi Sacerdotem adjungi, per quem ſocios conjurationis monet, ut pergant, aut ſe omnes proditurum: qui ſibi metuentes eâ ipsâ nocte, antequam illuceſceret, in templo Leonem interficiunt, & Michaelem in thronum Imperatoris collocant, cùm adhuc compedes haberet; & inde liberatum per Patriarcham, eodem Nativitatis Chriſti die, coronant. Imperaverat autem Leo annis 7. menſ. 7. Michael imperat annis octo, menſibus novem, & filios Leonis exectis virilibus in inſulas relegat, Conjugem verò Leonis cœnobio includit. *Curop.*

ANNO MUNDI 4770. Poſt C. 821.
F. ☉ 18. ☽ 5. *Ind.* 14.

Annus urbis 1573. *Iulianus* 866.
Æra Hiſpanica 859. *Auguſtorum* 848.

Annus Nabonaſſaris 1569. *& Philippi* 1145. *incipit die* 30. *Ianuarij, feria* 4.

Ludovicus Imp. inchoat 8. *annum imperii* 28. *Ianuarii.*

Michael Imperator evocat exules Epiſcopos & monachos ad concilium cum reliquis eundum, in quo veritatem de imaginibus vel colendis vel deſtruendis inquirant; ſed exules redeuntes, ut cum iconomachis in concilium coeant, de imaginibus diſputent, adduci non poſſunt: Imperator tamen concedit ipſis, ſi omninò imagines habere velint, ut eas erigant extra urbem Conſtantinopolitanam. *Baron.*

Iterum exercitus in Pannoniam à Ludovico mittuntur, qui vaſtata Pannonia feliciter regrediuntur. Aimoin.

Comitia aguntur Triburiæ ad Theodonis villam, quibus interfuerunt Epiſcopi 32. ubi de reformatione Eccleſiæ actum, & Lotharius Cæſar, filius Ludovici, Irmingarden, Hugonis comitis filiam, uxorem ducit, & Imperator iis, qui Bernhardum ad rebellionem incitaverant, ignoſcit, & pœnitentiam publicè agit. *Aimoin.*

Annus Hegira 206. *incipit die* 6. *Iun. fer.* 5.

Olympias 400. *incipit medio Iulii. Eſt annus Olympiadicus* 1597.

Annus Diocletiani 538. *incipit die* 29. *Aug.*

Saraceni *bello inteſtino digladiantibus, Chriſtiani Barcinonem occupant, quam recepturus* Alhacam, *in ipſo apparatu moritur, anno Heg.* 206. *cùm regnâſſet annos ferè* 27. *cui ſuccedit* Abderamen *filius, qui regnavit annis* 31. Rodericus.

Thomas *quidam ſervus, olim ſub Irene ob ſcelera profugus, ad Saracenos profugerat; ubi mentitus nobilitatem & Muhamedicam religionem amplexus, ad magnas dignitates pervenit, & hâc eâdem æſtate Armeniam & Aſiam vaſtaverat, & omnes ferè reditus Imperatoris interceperat. Is hoc autumno inſtructus claſſe Conſtantinopolin terrâ marique obſidet, usque in Decembrem, ubi frigoribus coactus obſidionem ſolvit.*

Hyems *ſæviſſima fuit hoc anno, adeò ut fluvii Europæ glacie conſtricti, plauſtra onuſta plusquam tricenis diebus ferrent.* Aimoin.

ANNO MUNDI 4771. Poſt C. 822.
E. ☉ 19. ☽ 6. *Ind.* 15.

Thomas ille transfuga iterum obſidet Conſtantinopolin, eamque totâ æſtate urget. Bulgarorum autem rex, ut oſtenderet, ſe pacem cum Imperatore verè colere, auxilia adducit Imperatori ipſe, & cum Thoma pugnat vincitque, & magnâ prædâ potitur & ad ſua redit. Imperator victum Thomam fugat, & fugientem inſecutus Hadrianopoli includit, quam obſidet, & tandem menſe Octobri deditum capit, unà cum ejus filio Anaſtaſio, quos truncatis pedibus manibusque lentis ſuppliciis enecat. *Cedren.*

In Thuringia ceſpes longitudine pedum quinquaginta, latitudine quatuordecim, craſſitudine ſeſquipedali, ſine manibus ſublatus, à ſuo loco viginti pedum ſpatio trajicitur, & in Saxonia terra in modum aggeris intumuit. *Aimoin.*

Annus Hegira 207. *incipit die* 26. *Maji, fer.* 2.

Exercitus iterum in Pannoniam mittuntur, quorum metu Ludovicus ad Sarabos fugit, ubi civitatem quandam occupat, interfecto duce: ſed hoc non impunè tulit, & paulò poſt trucidatus eſt. *Aimoin.*

Baldredus Cantuarienſium rex, cùm regnâſſet annos 18. ab Egberto Weſt-Saxonum rege invaditur, & prælio victus in exilium ejectus eſt: & Centuarienſe regnum ita deſiit, cùm ſtetiſſet annis 365. *Malmesb.*

Saxones ædificant trans Albim caſtellum Delbandæ, *& præſidium imponunt contra Sclavos, qui Saxoniam quotannis vaſtabant.* Aimoin.

Ludovicus Imp. cœnobium Corbeja in Saxonia, ad formam Corbejæ in Gallia ædificat, ibique bonas artes doceri jubet, ex qua ſchola multi viri docti prodierunt, & inter cæteros *Angarius*, Danorum & Suecorum Apoſtolus. *Aimoin.*

Saraceni, *vigente bello inter Thomam & Imperatorem Michaelem, ex Hiſpania navigant in Inſulas maris mediterranei, & ferè omnes deprædantur, & tandem in Cretam appellunt; cujus ſitu & fœcunditate conſpectâ, domum redeunt, novam claſſem adducturi.* Cedren.

Pipinus, *filius Imperatoris Ludovici, cùm filiam Teutberti Comitis uxorem duxiſſet Aquiſgrani, in Aquitaniam redit; Ludovicus Imper. verò in Francos, & Francofurti ad Mœnum Obotritorum, Saraborum, Bohemorum, Moravorum, Avarum, &c. legationes audit, & cauſas dijudicat.* Aimoin.

ANNO MUNDI 4772. Poſt C. 823.
D. ☉ 20. ☽ 7. *Ind.* 1.

Cùm Imperator Ludovicus res Alemannorum Bavarorum & Burgundiorum dijudicaret, Milegaſtum, *etiam Welzorum Ducem deponit, fratremque ejus Celedragum ſubſtituit.* Aimoin.

Lotharius filius Imperatoris, à parente in Italiam mittitur, ad inſpiciendas res Longobardorum & ad eas dijudicandas: quòd cùm celeriter feciſſet, rogatur à Pontifice Paſchali, ut Romam viſere velit, quo cùm in Paſchate veniſſet, coronatur ibi à Paſchali Papa Imperator, & inauguratur, Paſcha hoc anno actum eſt die 5. April. *Aim.*

Ebbo Rhemenſis Epiſcopus à Paſchali Papa mittitur ad Danos ad propagandam religionem. *Bar.*

Annus Hegira 208. *incipit die* 16. *Maji, fer.* 7.

Saraceni ex Hiſpania cum magno exercitu in Cretam inſulam redeunt, eam occupant, & claſſem ſuâ crematâ caſtra firmant. Imperator Michael

 exer-

exercitus eò mittit, ſed cùm Dux incautè pugnam iniret & trucidaretur, ipſe etiam exercitus diſperſus eſt, & ad claſſem refugit. Saraceni verò, à monacho quodam de loco Candace edocti, illum muniunt, urbem incondunt veluti arcem, ex qua omnes urbes inſulæ ſibi ſubjecerunt, & ex hoc loco poſtea Creta *Candia* vocari cœpta eſt. *Ced.*

Popielus Principes Polonorum patruos ſuos veneno per fraudem interimit, eosque poſt inſepultos, ut inſidiatores vitæ ſuæ, projicit. Sed ex cadaveribus mures enati ſunt, qui Popielum & ambos ejus filios, quos habebat, cum uxore devorarent. *Hiſt. Pol.*

Puella quædam tredecim annorum, in territorio Tullenſi poſt ſacram communionem, abſtinendo à pane, tandem planè ab omni cibo & potu abſtinuit ultra biennium, & anno 825. circa Novembr. menſis initium, iterum eſcas ſumere cœpit conſueto more. *Annal. Fuld. & Aimoin.*

Theodorus primicerius, & Leo gener ejus, cives Romani, interficiuntur, quòd fideles eſſent Lothario Imperatori. Paſchalis Papa ejus cædis ſuſpectus fuit, ideò legatos mittit ad Ludovicum: Sed Ludovicus alios legatos Romam mittit ad rem inſpiciendam. Papa in anguſtiis conſtitutus, ſe juramento purgavit. *Aimoin.*

Ludovicus Compendii leges fert, inter quas & hæc eſt, ut quilibet pagus ſuos mendicos alat. *Conſt. Imp.*

Hyems ſecuta aſpera & prolixa, quâ non tantùm animalia, ſed & homines extincti ſunt. *Aimoin.*

ANNO MUNDI 4773. Poſt C. 824.
C. ☉ 21. ☽ 8. *Ind.* 2.

Eclipſis Lunæ annotatur ab Aimoino, quæ acciderit die 6. menſis Martii, horâ noctis ſecundâ, ante obitum Pontificis. Sed mendum eſt in numero dierum, accidit enim die 18. Martii, horis poſt meridiem 7, 9. biduo poſt æquinoctium, Rhemis in Galliis. Latitudo Lunæ Auſtr. 17,49. Semid. Lunæ 17,18. Summa Semidiam. 62,50. Scrup. reſidua 45,1. Digiti eclipt. 15,28.

Michael Imp. orientis mittit legatos ad Imperatorem Ludovicum in Galliam, quem tantum nominat Imperatorem Longobardorum & Francorum, qui ſe commiſerunt itineri die 20. Aprilis. Venerunt tandem ad Ludovicum menſe Octob. & attulerunt libros Dionyſii Areopagitæ de Hierarchia è Græco in Latinam linguam translatos, qui Lutetiæ repoſiti ſunt. *Sigeb.*

Annus Iezdegird. 193. incip. die 29. Apr. fer. 6. Armeniorum 273. 2. Maji, fer. 2.

Annus Hegiræ 209. incipit 4. Aprilis, fer. 4.

Paſchalis Papa, cùm ſediſſet annis ſeptem, & menſibus ferè quatuor, moritur die 14. Maji, poſt cujus obitum duæ Papæ per contentionem à populo electi ſunt. Sed *Eugenius* ſecundus natione Romanus, obtinuit, ſeditque annos tres & menſes ferè ſeptem. Ludovicus moleſtè ferens hanc populi contentionem, Lotharium filium eò mittit, qui, quæ neceſſaria videbantur in electione pontificis, ordinaret, qui eò proficiſcitur menſe Auguſto. *Aimoin.*

Congallus Scotorum rex, cùm annos 5. regnâſſet, moritur. ſuccedit *Dongalius*, qui regnat annos 6. *Buchan.*

Paucis poſt Solſtitium æſtivum diebus, propè Auguſtodunum, in tempeſtate ingens fragmentum glaciei cum grandine decidit, cujus longitudo quindecim, latitudo ſeptem, craſſitudo duos pedes habuit. *Aimoin.*

Alphonſus *Caſtus, cùm annos 33. regnâſſet, & regnum contra Saracenos egregiè firmâſſet, moritur: & ante mortem adhuc* Ranimirum *Veremundi, à quo ipſe regnum acceperat, filium regem facit, qui regnavit annis 26. menſibus novem.* Vaſæus. *Bulgarorum rex legatos ad Ludovicum mittit pacis faciendæ cauſa, qui benignè audiuntur.* Aimoin.

Annus Alexandr. 1136. & Antioch. 873. Conſtantinop. 6333. incipit Calendis Octobr.

Ludovicus Imp. menſe Octob. tribus exercitibus Britones vaſtat per Pipinum filium, & Ludovicum, quadraginta diebus, & acceptis obſidibus Rothomagum redit die 17. Novemb. ubi convenitur à legatis Imperatoris Conſtantinop. *Aimoin.*

Michael Imp. inchoat annum imperii quintum die 25. Dec.

ANNO MUNDI 4764. Poſt C. 825.
A. ☉ 22. ☽ 9. *Ind.* 3.

Annus urbis 1577. *Iulianus* 870.
Æra Hiſpan. 863. *Auguſtorum.* 852.

Ludovicus inchoat annum imperii 12. die 28. Jan.

Annus Nabonaſſaris 1573. & Philippi 1149. incipit die 29. Januarij, feria 1.

Annus Hegiræ 210. incipit die 23. April. fer. 7.

Saraceni à Ranimiro Hiſpanorum rege poſtulant tributum, quibus rex obviam cum exercitu venit, & priori die æquo Marte pugnatur; altera verò ad ſexaginta millia Saracenorum cadunt, & Ranimirus multa oppida capit: victoria accidit menſe Junio. *Vaſæus.*

Olympias 40. incipit die 16. Iulii. Eſt annus Olympiadicus 1601.

Annus Diocletiani 542. incipit die 29. Aug.

Annus ſabbathicus tertius Iobeles 16. incipit die 29. Aug. feria 2. Eſt annus Jud. 4585.

Harialdus Danorum rex, cùm per Ludovicum cum filiis Godefridi pacem feciſſet, Moguntiam venit, ibique cum multis Danorum, præſente Ludovico baptiſatur. *Annal. Fuld.*

Synodus Pariſienſis prima Novembris convenit, ubi actum de imaginibus, id quod petitum fuerat à legatis Græcis ſuperiori anno, & concluſum, imagines ſtultâ præſumtione non abolendas, nec aſſertione ſuperſtitioſa adorandas, ſed memoriæ causâ habendas. Edita eſt hæc Synodus ante paucos annos Francofurti apud Wechelum, nec, quin authentica editio ſit, à Baronio dubitatur, apud quem eadem extat, ſed cum gloſſis.

ANNO MUNDI 4775. Poſt C. 826.
G. ☉ 23. ☽ 10. *Ind.* 4.

Adductus eſt hoc anno ad Imperatorem Ludovicum Presbyter quidam, homo Græcus, *Georgius* nomine, qui ſe *Organon* pneumaticum ad Græcorum rationem fabricare poſſe, profeſſus eſt; qui benignè à Ludovico ſuſceptus, ſtipendium annuum accepit & primum organum Aquisgrani inſtituit. *Aimoin.*

Annus Hegiræ 211. incipit die 13. April. fer. 6.

Anigarius Danorum & Sueccorum Apoſtolus, ſuperiori anno in Daniam ab Haroldo deductus, propagat ibi religionem Chriſtianam & ſequenti anno in Sueciam abit. *Ann. Fuld.*

Michael

Michael Imp. Orientis, defunctâ uxore ſecundas nuptias celebrat cum Euphroſyna moniali, Conſtantini olim excæcati filia. *Cedr.*

Haroldus Danorum rex, propter religionem à filiis Godefridi regno pulſus, à Ludovico Friſiam incolendam accipit. *Abb. Slad.*

Oſſa quædam de corpore Sebaſtiani ex Italia in Galliam transferuntur. *Schafn.*

Eugenius Papa menſe Novembr. celebrat Synodum Romæ, in qua varii Canones conditi ſunt: extant apud *Baron.*

Theodorus Studita, qui multipliciter afflictus fuerat propter cultum imaginum, earumque cultum multiplicibus Epiſtolis & ſcriptis defenderat, moritur die 11. Novembr. fer. 1.

Michael Imp. majorem claſſem ad recuperandam Cretam contra Saracenos mittit, & Duces quidem excenſione factâ Saracenos prælio aggrediuntur & vincunt, at cùm veſpera eſſet, nec victoriam perſequerentur, & ſecuri eâ nocte in caſtris ſuis quieſcerentur, à Saracenis ſubitò obruuntur & ad unum omnes occiduntur: alia igitur claſſis paratur, quæ Saracenorum excurſiones frenaret. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4776. Poſt C. 827.
F. ☉ 24. ☽ 11. *Ind.* 5.

Euphemius præfectus Siciliæ cùm virginem monialem elegantiſſimam vidiſſet, amore ejus captus, eam, cùm ſponte non vellet, invitam rapit; cujus fratres rem deferunt ad Imperatorem, qui Euphemium ad pœnas repoſcit; ſed is fugâ elapſus ad Saracenos in Africam venit, & omni ratione curat, ut in notitiam Amiræ perveniat, & Imper. Michaeli infortunium creet. *Cedr.*

Annus Hegiræ 212. *incipit die* 2. *April. fer.* 3.

Aizo Dux rebellis Imp. Ludovico, ad Saracenos in Hiſpaniam transfugerat; is accipit ab Abdiramine rege Saracenorum exercitum, & Gerundenſium & Barſinoenſium agros crudeliſſimè vaſtat. Ludovicus opponit ipſi Pipinum filium, Aquitaniæ regem, ſed Duces mora ſua omnia corrumpunt, & Saraceni ingenti præda capta domum redeunt. *Annal. Fuld.*

Egbrechtus, rex Weſt-Saxonum in Anglia, cùm antea Cantuarienſium & Northumbrorum, & Merciorum etiam hoc anno regem ſibi ſubjeciſſet, totam Angliam occupat, & fit ejus Inſulæ monarcha, regnatque adhuc annos novem. *Huntindo.*

Eugenius Papa, cùm ſediſſet annos tres, & menſes quatuor, moritur die 11. Auguſti, cui ſufficitur *Valentinus* Romanus, qui ſedet tantùm diebus quadraginta; tandem die 24. Septembr. *Gregorius* hujus nominis quartus eligitur, qui tamen non ordinatur, priusquam legatus Imperatoris veniſſet Romam, & electionem examinaſſet. *Aimoin.* Gregorius hic ſedit annos ſedecim.

Almageſtum Ptolomæi juſſu Maimonis regis Saracenorum in Babylone transfertur in linguam Arabicam, Anno Heg. 212. ut habetur in Almageſto Arabico apud Scaligerum. Poſtea Fridericus ſecundus Imp. circa annum 1230. ex Arabica lingua idem Almageſtum in latinum ſermonem transferri curavit, atque ita, priusquam Græca lingua Europæis nobis innoteſceret, Aſtronomia Ptolomæi ab Arabibus petita fuit. Arabes autem primi ex Nabonaſſare fecerunt Nabuchdonoſorem, qui error poſtea ad Alfonſinos translatus eſt.

ANNO MUNDI 4777. Poſt C. 828.
E.D. ☉ 25. ☽ 12. *Ind.* 6.

Bulgari ſuperiori anno Dalmatiam, quæ Orientem ſpectat, vaſtarant: ideo conventus de ea re agitur menſe Febr. Aquisgrani, & Baldrevus Dux, cujus ignavia Bulgari admiſſi fuerant, Ducatu pellitur, & Dalmatia in quatuor præfectos diſtribuitur, Duces etiam Hiſpanici, qui moras in contrahendo exercitu ſuperiori anno fecerant, dignitatibus removentur. *Aimoin.*

Annus Hegiræ 213. *incipit die* 22. *Martii, fer.* 1.

Annus Iezdegird. 197. *incipit die* 28. *April. fer.* 3.

Armenorum 277. *primo die Maji, fer.* 6.

Euphemius profugus ex Sicilia, impetrat tandem exercitum & claſſem ac Amira Africæ, & ſimul titulum Romani Imperatoris; id enim ſibi depopoſcerat, & irruit in Siciliam & totam ferè inſulam occupat: tandem cùm copias Syracuſanis obſidendis admoveret bini Siculi, quaſi à reliquis profugi, & gratulantes ipſi de tantis honoribus, ipſum trucidant; ex Sicilia poſtea potentiam ſuam in Italiam extenderunt, & Apuliam ac Calabriam crudeliſſimè habuerunt. *Cedr.*

Eclipſis Lunæ hoc anno annotatur ab Aimoino, quæ acciderit die primo Julii, Lunâ in occidente conſtitutâ. Ea etiam hoc anno ita invenitur die primo Julii, horis tribus poſt mediam noctem, cùm Sol eſſet in 13. gradu Cancri Latitudo Lunæ fuit 1, 18 ſeptent. Semid. Lunæ 17, 58. Summa ſemid. Lunæ & umbræ, 64, 48. Scrup. reſidua 93, 13. digiti Eclipticis 21, 19.

Claſſis Ludovici, quæ Corſicæ præerat, in Africam excenſionem fecit, eam longè latèque vaſtavit. Ideò Saracenis nihil laxamenti fuit ad plures copias in Siciliam mittendas. *Aimoin.*

Annus Alexandrinus 1140. *Antiochenus* 877. *Conſtantinop.* 6337. *incipit Calend. Octobr.*

Eclipſis Lunæ altera hoc anno annotatur in Nativitatis Chriſti, circa mediam noctem; ea invenitur hoc anno die 25. Decemb. fer. 6. hora 1, 45. poſt mediam noctem. Latitudo Lunæ Auſtralis 24, 2. Semid. Lunæ 16, 14. Summa ſemid. 58, 40. ſcrup. reſidua 34, 38. digiti Eclipticis 12, 48. Sol in 5. gradu Capricorni.

Michael *Balbus Imp. inchoat 9. annum Imperii 25. Decembr.*

ANNO MUNDI 4778. Poſt C. 829.
C. ☉ 26. ☽ 13. *Ind.* 7.

Annus urbis 1581.	*Iulianus* 874.
Æra Hiſpanica 867.	*Auguſtorum* 856.

Annus Nabonaſſaris 1577. *& Philippi* 1153. *incipit* 26. *Ian. feria* 5.

Ludovicus inchoat annum Imperii 24. *die* 28. *Ianuarii.*

Annus Hegiræ 214. *incipit* 11. *Martii.*

Terræmotus accidit Aquiſgrani, paucis ante Paſcha diebus. *Aimoin.*

Saraceni in Sicilia ſæpè deprædantur Oſtiam Tiberinam urbem, cujus munitiones vetuſtate collapſæ erant; ideò Papa Gregorius de novo hanc urbem condere parat, & opus in partes quaſdam diſtribuit ſingulis faciendas. *Anaſt.*

Ludovicus filius Lotharii Imperatoris, qui pòſt regnavit, naſcitur hoc anno. *Aimoin.*

Olympias

Olympias 402. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1605.

Annus Diocletiani 546. incipit die 29. Aug.

Baſilica Venetiis, Sancto Marca ſacra, hoc anno inchoatur, formâ ſtructuræ ſumptâ à Græcis, qui templa in forma Chriſti crucifixi condebant.

Michael Balbus Imperator, cùm imperâſſet annos octo & menſes ferè decem, moritur die primo Octob. fuit hic Michael imperitus literarum, ideo eas oderat. Succedit ipſi filius *Theophilus*, qui juſtitiæ ſtudioſus videri volebat, atque ideo eos, qui Leonem in templo occiderant, etiamſi parentem ad Imperium promoverant, occidit & novercam Euphroſynam, ex cœnobio a parente eductam, eodem retrudit. Imperat autem annos 12. menſes ferè quatuor. Adverſus Ludovicum conſilia ineunt ii potiſſimùm, quibus in conſpiratione Bernhardina olim ignoverat; quod ſentiens Ludovicus amicorum ſe præſidiis munit, & Bernhardum Hiſpaniæ Comitem ſibi fideliſſimum Cameræ ſuæ præficit; quâ re iſtos magis offendit. *Aimoin.*

ANNO MUNDI 4779. Poſt C. 830.
B. ☉ 27. ☽ 14. *Ind.* 8.

Annus Hegiræ 215. incipit die 28. Febr. fer. 2.

Ludovici Imperatoris aulici, qui conſpiraverant, in Quadrageſima Pipinum filium Ludovici ſibi adſciſcunt, & Bernhardum Præfectum Cameræ adulterii cum Judithâ conjuge Imperatoris accuſant. Pipinus nimium credulus, moleſtè fert tantum ſcelus, & exercitum colligit contra Parentem. Imperator, ut rebus hiſce medelam afferret, Bernhardum illum amovet, & uxorem Juditham interim in monaſterio Laudini eſſe jubet; quo facto Pipinus in ſpem venit, parentem etiam minis eò poſſe compelli, ut imperio ſe abdicet, & in monaſterium abeat: ideo Juditham ex cœnobio ad ſe evocat, eamque minis eò adigit, ut promitteret, ſe perſuaſuram Ludovico, ut ſecum monaſterium ingrederetur. Imperator Ludovicus uxorem quidem monaſterio includit, de ſe verò deliberat. Menſe Majo, Lotharius, alter filius, ex Italia advenit, qui aſſentitur quidem Pipino, nihil tamen violenter patri inferri patitur; & æſtas ita tranſit. Adveniente autem autumno, ſeditioſi poſcunt comitia, quæ Ludovicus Neomagi edicit, ubi congregatis ſuorum fidelibus ex Germania, & allecto filio Lothario, ſeditio iſta diſturbatur, & ejus autores non quidem occiduntur, ſed laici in monachos attondentur; clerici verò in cœnobiis cuſtodiuntur, & Juditha ex cœnobio in thalamum Imperatoris redit, cùm ſeſe legitimo modo purgâſſet. *Aimoin.*

Theophilus *Imperator Orientis, juramento propoſito explorat ſubditos, an eſſent imaginum cultores, & deprehenſos in carcerem conjicit. Idem, cùm videret advehi ingentem navim cùm mercimoniis, eam admiratus, quæſivit cujus eſſet; & cùm reſponſum eſſet, eam eſſe conjugis ſuæ, quæ merces haſce ſibi advehi curâſſet; ergò inquit, mea uxor me mercatorem facit, cùm ſim Imperator, & ſtatim ſibi juſſit afferri ignem, quo navem cum mercibus ſimul cremavit.* Cedr.

Maimon, rex Choraſan ſive Meſopotamiæ, & Amiras, mittit Imperatori centum auri libras dono, ut ſibi *Leonem* Mathematicum, qui Conſtantinopoli exigua mercede docebat, exiguo tempore ad ſe mittat, à quo in Mathematicis artibus inſtitueretur. Scribit etiam ipſi Mathematico, ut ad ſe veniat, promittitque ſe curaturum, ut tota Saracenica natio venienti cervicem ſubmittat, & divitiis & donis eum tantis cumulet, quantis neminem unquàm. Sed Theophilus noluit Saracenos in hiſce artibus doceri, & Leoni ſtipendium auxit. Hic Leo literas & Poetas Conſtantinopoli didicerat, Rhetoricam verò Arithmeticam, Philoſophiam, & alia in Andro Inſula, ubi verſatus fuerat cum *Michaele Pſello*. Cedr.

Dongallus Scotiæ rex, cùm annis 6. regnâſſet, moritur; ſuccedit ipſi *Alpinus*, qui regnat annos tres. *Buchan.*

Hirſaugienſe Cœnobium inſtituitur. *Trith.*

ANNO MUNDI 4780. Poſt C. 831.
A. ☉ 27. ☽ 15. *Ind.* 9.

Annus Hegiræ 216. incipit 26. Febr. fer. 7.

Ludovicus Imp. comitia habet in Ingelheim, ubi ſeditioſos iſtos omnes iterum in gratiam recipit, & bona ipſis reſtituit; Bernhardus etiam ille præfectus Cameræ cùm nemo eſſet, qui ſecum armis decertare vellet, pro veritate indagandâ, ut tum moris erat, juramento ſe purgavit. *Aimoin.*

Eclipſis Lunæ in annalibus Francicis annotatur hoc anno die 30. Apr. eaque eodem die etiam invenitur horis ſcilicet 6.30. poſt meridiem in ipſo Lunæ exortu, ubi tota obſcurata fuit Latitudo vera ſeptent. 24,34. Semid. Lunæ 16,1. Summa Semid. 58,52. Scrup. reſidua 34,18. digiti eclipticii 12,50. Sol in 12. gradu ferè tauri.

Eclipſis Solis etiam indicatur, quæ acciderit 16. Maji fer. 2. Ea eodem die ibi invenitur, horâ unâ ante meridiem Parallaxis Lunæ fuit 51,43. Latitudo contra ſeptentrionalis fuit 51,55. Viſa ſeptent. 20, 12. Semidiam. Solis 15, 3. Summa 31, 15. ſcrup. reſidua 11, 3. digit. eclip. 4, 24. Sol ferè in principio Geminorum.

Alexius gener Theophili, cum exercitu contra Longobardos mittitur, qui feliciter in Italia rem gerit, & ad ſocerum revertitur. *Cedr.*

Amalricus Fortunatus, Trevirenſis Epiſcopus à Ludovico ad Papam legatus miſſus, Antiphonarium Gallicum emendat, ad exemplum Romani illud auget, & ex conſilio Pontificis Reſponſoria ordinat a Pentecoſte uſque ad Adventum Domini. Item officia & alia. *Amalr.*

Annus ſabbathicus quartus Iobelei 16. incipit 11. Septembr. feria 2.

Eclipſis altera Lunæ hoc anno annotatur in annalibus Francorum, quæ acciderit die 24. Octobr. quæ etiam eodem die invenitur fer. 3. horis 10. poſt meridiem in Galliis. Latitudo vera auſtralis 19, 4. Semid. Lunæ 17, 49. Summa Semidiamet. 63, 30. ſcrup. reſidua 44, 26. digiti eclipticii 14, 54. Sol in quinto gradu Scorpii.

ANNO MUNDI 4781. Poſt C. 832.
E. F. ☉ 1. ☽ 16. *Ind.* 10.

Annus Hegiræ 217. incipit die 6. Febr. fer. 4.

Cùm Pipinus filius ſuperiori anno juſſus eſſet ad Ludovicum parentem venire, nec tamen vellet, Ludovicus ipſe in Aquitaniam proficiſcitur, & filium

& filium cogit, ut ſe ſiſtat; ubi ad carcerem condemnatur, & Treviros in cuſtodiam ducitur at ipſe injuriâ cuſtodum elabitur. *Aimoin.*

Eclipſis Lunæ hoc anno annotatur in annalibus Francorum, quæ acciderit die 18. Aprilis, error librarii eſt, quod habet diem 18. Maji: invenitur enim die 18. Aprilis, horis octo poſt meridiem fer. 5. Latitudo Lunæ auſt. 17, 8. Semidiam. Lunæ 16, 30. Summa ſemid. 60, 4. Scrup. reſidua 42. 56. digiti Eclipt. 25. 39. Sol in tertio gradu tauri.

Annus Jezdeg. 291. incipit 27. April. fer. 7. Armen. 281. 30. April. fer. 3.

Sanctius Suprarbienſis rex in Hiſpania à Mauris ingenti clade vincitur, & trucidatur, nullo relicto hærede. *Hiſtor. Arnag.*

Annus Alexand. 1144. Antioch. 881. Conſtantinop. 6341. incipit Calend. Octob. Eodem die Theophilus Imperator orientis inchoat annum Imperii 4.

Hamburgi Archiepiſcopatus inſtituitur à Ludovico, cui ſubjiciuntur Dani, Sueci, Sclavi, & primus ordinatur Archiepiſcopus *Anſgarius* in ſolemni conventu multorum Epiſcoporum. *Adam.*

ANNO MUNDI 4782. Poſt C. 833.
E. ☉ 2. ☽ 17. *Ind.* 11.

Annus urbis 1585. *Julianus* 888.
Æra Hiſpanica 871. *Auguſtorum* 860.
Annus Hegiræ 218. incipit die 26. Januar. fer. 1.
Annus Nabonaſſaris 1581. & Philippi 1157 incipit die 27. Januarij, feria 2.
Ludovicus Imp. inchoat Imperii annum 20. die 28. Januarii.

Filii Ludovici ſinguli ſuarum provinciarum reges, ſueti imperio jam ſub imperio parentis amplius eſſe nolunt, quòd Epiſcopi etiam multa in imperio reprehenderent, ideò de eo deponendo conſilia conferunt, & exercitus contra eum colligunt, ut ſi ſponte in cœnobium nolit, cum vi cogant. Pater & ipſe conſcribit exercitum, & ad haſce turbas ſedandas evocatur Papa Gregorius, qui parenti filios reconciliet. Sed adveniens totus eſt à filiorum partibus contra Ludovicum, & minatur Ludovico excommunicationem ab Eccleſia, niſi imperio ſe abdicet. Tandem in feſto Johannis Baptiſtæ in campo mendacii **Lügenfeld** (ſic dicto à perfidia filiorum Ludovici) propè Baſileam, cùm parens fraude filiorum exercitu ſpoliaretur, cogitur ſe filiis ſuis dedere, qui uxorem ejus in exilium in Italiam deportant, & Lotharius parentem in toto regno circumducit, cumque captivum habet. Viderunt hanc Tragœdiam legati Conſtantinopolitani, qui tum Calendis Octob. fortè aderant, ubi Compendii in conventu, juſſu multorum Epiſcoporum, quos ipſe ex humili ſorte ad tantam potentiam evexerat, fateri coactus eſt, ſe imperio indignum, eò quòd multa in imperio negligenter egiſſet; inde à Lothario filio tota hyeme in cuſtodia habitus eſt. Malè affectus inſuper falſo rumore, quaſi uxor Juditha, & filiolus Carolus periiſſent, quibus ut defunctis, miſſas celebrari juſſit, *Aimoin.*

Olympias 403. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1609.

Annus Diocletiani 550. incipit die 29. Auguſti.

Maimon *Amiras in Baldach Saracenorum, cùm Mathematum ſtudia plurimũ promoviſſet, cùm annis 20. imperaſſet, moritur anno Heg. 218. Succedit ipſi* Mutezam, *ſummus amator medicorum, ſub quo floruit* Imam & Henabethi, *qui regnat annos octo.* Abraham Zacuthi.

Theophilus Imperator Orientis, qui infeliciter ſuperiori anno bellum Saracenicum geſſerat, hoc anno Saracenos vincit, & viginti quinque millia captivorum ſecum Conſtantinopolin abducit. *Cedr.*

Alpinus Scotiæ rex, cùm annos tres regnâſſet, à Pictis in prælio capitur & occiditur; Succedit *Kennethus* hujus nominis ſecundus, qui regnat annos 24. *Buchan.*

ANNO MUNDI 4783. Poſt C. 834.
D ☉ 3. ☽ 18. *Ind.* 12.

Annus Hegiræ 219. incipit die 15. Januar. fer. 6.

Comites quidam in Germania, Burgundia & Aquitania, hac hyeme fœdus faciunt de liberando Imperatore ex carcere, & reſtituendo in imperium; & idem tandem perſuadent Ludovici filiis, Pipino Ludovico, quorum conſenſu victus Lotharius, parentem liberum dimittit; ſed interim Germaniam; quæ Imperatori ſtudebat, crudeliter vaſtat. Ludovicus autem libertati reſtituitur hebdomade prima Quadrageſimæ, ita ut ſequente Dominicâ, quæ fuit prima menſis Martii, ab Epiſcopis convocatis abſolveretur, & per eosdem arma & ornatum imperatorium reciperet, in media Quadrageſimæ 15. Martii. & Ludovicus & Pipinus filii ad parentem veniunt, ipſique gratulantur de abſolutione ab Epiſcopis. Adducitur etiam ipſi uxor ex Italia: interim tamen Lotharius parentem & ipſi fideles armis perſequitur, & Cabillonem urbem, quæ ipſi portas clauſerat, excindit; quam viciſſim parens armis petit, & eò tandem redigit, ut ſupplex veniam peteret, qui tantum duriuſculis verbis acceptus à Patre in gratiam recipitur, & in Italiam dimittitur. Parens tamen in Alpibus præſidium ponit, ne ſe invito eas tranſcenderet. *Aimoin.*

Haymo tertius Epiſcopus Halberſtadenſis, qui in omnes veteris & novi teſtamenti libros commentaria ſcripſit, floret. *Trith.*

Theophilus *Imp. Orientis iterum exercitum contra Saracenos educit; ſed cùm acie congrederentur, Imperatoris exercitus fugit, ideò Imperator iratus omnium ultimus in fuga eſſe voluit, atque ita ferè circumvenitur à Saracenis. Dux ſuorum hoc conſpicatus, vi tandem imperatorem liberat, ſed ipſe hoc modo capitur.* Cedr.

Monaſterium **Frauenmünſter** ad ſiniſtram Limagi ſitum, ex illuſtrib. Principum & Comitum familiis, fundatur à Ludovico. *Annal.*

ANNO MUNDI 4784. Poſt C. 835.
C. ☉ 4. ☽ 19. *Ind.* 13.

Annus Hegiræ 220. incipit die 4. Jan. fer. 3.

Ad feſtum Purificationis Mariæ Ludovicus conventum indicit Meti, ubi acturus erat de Epiſcopis, qui Ludovicum indignum imperio eſſe judicârant, & decernitur eos Epiſcopatibus dejiciendos, inter quos Ebbo Rhemenſis Epiſcopus ſe ipſum indignum judicavit, qui Epiſcopus eſſet. Reliqui provocârunt ad Pontificem Romanum, ut ibi judicarentur: multi etiam antea aufugerant ad Lotharium in Italiam. *Aimoin.*

Theodul-

Theodulphus Abbas Floriacenſis, quòd rebellionis filiorum in parentem Ludovicum particeps fuerat, & cum imperio removendum, & in cœnobium concludendum ſenſiſſet, in carcerem Andegavenſem conjectus fuerat: cùm eò Imperator imperio reſtituṭus veniſſet Dominicâ Palmarum. Theodulphus hymnum, *Gloria, Laus*, &c. quem in carcere fecerat, alta voce prætereunte Imperatore accinere cœpit, cujus elegantiam & melodiæ ſuavitatem admiratus Imperator, non tantùm eum in gratiam recipit, ſed etiam Epiſcopum Aurelianenſem facit. *Crantz.*

Theodotus Meliſſenus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm annis viginti ſedecem occupâſſet, moritur; cui ſuccedit Johannes, qui ſedet annis ſex. *Baron.*

Egbrechtus, totius Angliæ rex primus, Danos cum claſſe adventantes vincit. *Huntin.*

Gregorius Papa feſtum omnium *Sanctorum*, ut ſi quid in iis colendis omiſſum per totum anni ſpatium fuiſſet, hoc die ſimul compenſaretur, die primo Novemb. colendum præfecit: Abdunt *Annales Suevici* hoc feſtum antea fuiſſe celebratum die 12. Maji.

Annus Hegiræ 221. incipit die 25. Decembr. fer. 7.

ANNO MUNDI 4785. Poſt C. 836.
B. A. ☉ 5. ☽ 1. *Ind.* 14.

Lotharius, filius Imp. & ipſe Imperator in Italia Romanæ Eccleſiæ, quæ majorem Italiæ partem, quam ipſe obtinebat, quædam eripere conatur, de qua re conqueritur Papa apud Ludovicum: quapropter Ludovicus legatos mittit ad filium, qui ipſum dehortentur, promittit etiam ſe brevi Romæ futurum; At verò dum ſe accingit itineri, Normanni Friſiam invadunt, & ab ea tributum exigunt, Antuerpiam etiam capiunt & cremant, quibus moribus Ludovicus impeditus, contra Normannos profectus eſt, *Ann. Fuld.*

Annus Iezd. 205. incip. 26. Apr. fer. 4. Armen. 385. 29. April. fer. 7.

Pipinus filius Imperatoris villas, quas cœnobio Parienſi abſtulerat, monitu parentis reddit, de quâ re extant literæ datæ 10. Auguſti.

Egbrechtus rex Angliæ, qui totam Inſulam primus ſibi ſubjecerat, cum annos 36. & ſex menſes regnaſſet, moritur; ſuccedit ipſi filius *Edelvvulf*, qui regnat annos 22. *Huntin.*

Annus Alexandræus 1148. Antioch. 885. & Conſtantinop. 6345. incipit Calend. Octob. Eodem die Theophilus incheat annum Imperii 8.

Annus Hegiræ 222. incipit 14. Dec. fer. 5.

ANNO MUNDI 4786. Poſt C. 837.
C. ☉ 6. ☽ 2. *Ind.* 15.

Annus urbis 1589. *Julianus 882.*
Æra Hiſpanica 875. *Auguſtorum 864.*

Annus Nabonaſſaris 1585. & Philippi 1161. incipit 26. Ian. feria 6.

Ludovicus Imp. incheat Imperii annum 24. die 28. Ian.

S. Viti reliquiæ, quæ per Pipinum olim Româ tranſlatæ erant ad Dionyſium Pariſios, conſentiente Ludovico Imperatore deferuntur Corbejam in Saxoniam: ſic S. *Liberii* Cenomanenſis Epiſcopi reliquiæ, ex Gallia Paderbornam transferuntur. *Baron.*

Circa feſtum Paſchatis Cometa apparet in ſigno Virginis, qui ſpatio viginti quinque dierum Leonem, Cancrum & Geminos pertranſivit, & in capite Tauri tandem evanuit. *Aimoin.*

Olympias 404. incipit circa diem Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1613.

Annus Diocletiani 554. incipit die 29. Auguſti.

Ludovicus Imp. iterum comitia edicit, ubi comparuit etiam filius Pipinus ex Aquitania, in quibus filium Carolum cingit armis militaribus, eumque creat regem Neuſtriæ, cui conſiliarii dixerunt ſacramentum fidelitatis. *Aimoin.*

Annus Hegiræ 223 incipit die 21. Decembr. fer. 5.

ANNO MUNDI 4787. Poſt C. 838.
F. ☉ 7. ☽ 3. *Ind.* 1.

Calendis Ianuarii Cometa iterum apparet in ſigno Scorpii.

Pipinus Aquitaniæ rex, filius Ludovici Imperatoris, relicto filio Pipino, moritur, Iuditha conjux Imperatoris, inhians Aquitaniæ regno, cum Lothario in Italia agit, ut ſui & filii ſui Caroli tutelam ſuſcipere velit; quod ſi faciat, promittit ipſi ab Imperatore Ludovico gratiam, & dimidium regnum. Lotharius hiſce allectus ad parentem venit, culpam deprecatur & in gratiam recipitur: Inde actum de diviſione regni. Et quidem Boaria relinquitur Ludovico filio, reliquum regnum in duas partes dividitur, quarum alteram à Moſa, verſus Auſtrum Lotharius accipit; alteram verò Carolo tradit: ſed hæc diviſio novas diſcordias excitavit, cùm Carolus Ludovico præferretur, & nepos Pipinus hoc modò planè exhæredatur. *Aimom*

Kennethus Scotorum rex ulciſcitur cædem Alpini patris & bellum Pictis infert, ſexies uno die eos vincit, inſulâ pellit, & agros Scotis diſtribuit. *Buchan.*

Annus ſabbathicus 5. Iobeleus 16. incipit 23. Septembr. fer. 2. Anno Judaico 4599.

Annus Hegiræ 224. incipit die 13. Novmb. fer. 7.

Hirſangienſe cœnobium ab Otgaro Epiſcopo Moguntino dedicatur, & primus Abbas in eo ordinatur *Erlafridus* Comes de Calbe, fundatur ejus cœnobii. *Trithem.*

ANNO MUNDI 4788. Poſt C. 839.
E. ☉ 8. ☽ 4. *Ind.* 2.

Ludovicus Junior rex Bavariæ conventum agit procerum ſuorum Francofurti, & conqueritur de injuriis Parentis. Parens Ludovicus collecto exercitu conventum diſſipat, nihilominus armis, quæ cis Rhenum ſunt, ſibi vendicare conatur; tandem tamen legatis miſſis cum parente agitur, ne filium bellum perſequatur, & contra ut filius ſe parenti ſiſtat. *Aimoin.*

Saraceni iterum invadunt Aſiam: Sed Theophilus fortem opponit exercitum, ideò Saraceni ad ſua redeunt. *Cedren.*

Bartholomæi Apoſtoli oſſa quondam in loculo plumbato in India in mare demerſa fuerant, ſed miro modo eadem cum loculo in Inſulam Liparam tranſlata fuerant. Cùm verò Saraceni, qui Siliciam incurſabant, etiam Liparam vaſtarent, & oſſa Bartholomæi diſperſiſſent, Monachus quidam ex revelatione quâdam ea collegit & Beneventum tranſtulit. *Sigeb. & Chron. Caſſ.*

Annus Hegiræ 225. incipit die 12. Novemb. fer. 1.

ANNO MUNDI 4789. Poſt C. 840.
D. C. ☉ 9. ☽ 5. Ind. 3.

Ludovicus filius Imp. cùm pati non poſſet, ſuum regnum adeò anguſtis limitibus à parente definitum, cùm Carolus, qui tamen minimus fratrum erat, in ampliſſimum collocatus eſſet regnū, exercitum clam comparat, & quæ cis Rhenum ſunt, ſuæ ditionis facere conatur. Parens de his certior factus, quanquam & hyems erat & catharris plurimis obnoxius ipſe decumberet, cùm Paſcha peregiſſet Aquisgrani, cum exercitu in Turingiam properat, & Ludovicum filium fugat; inde Wormatiam abit, comitia ibi acturus, eo evocat etiam Lotharium filium & alios. Nithard.

Annus Iedzdeg. 209. incipit die 25. April. fer. 1. Armen. 289. die 28. April. fer. 4.

Eclipſis Solis facta, dum Imperator Wormatiæ eſt, die 5. Maji, fer. 4. in vigiliâ Aſcenſionis Domini, horâ ſeptimâ, ut habent annales Fuldenſes. Ea eo ipſo die inveniuntur ad haſce tabulas, dimidiâ fere horâ poſt meridiem, Parallaxis latitud. 29. 56. Latitudo Septent. 25. 7. Viſa auſtralis 4, 49. Semidiam. Solis 15, 7. Summa ſemid. 31. 18. Scrup. reſidua 20. 29. digiti eclipſici 10, 30. Sol in viceſimo gradu ferè tauri apud plejades.

Ludovici morbus ingraveſcit, ideo omnibus ſimul omnia condonat, & teſtamentum facit, in quo liberis regnum ita dividit, ut Lotharius eſſet Imperator, reliqui autē fratres regnum ut feudum à Lothario haberent, & Pipinus nepos Neuſtriam occuparet; ſed mortuo parente id abrogatum eſt. Mortuus autem Ludovicus eſt die 20. Junii, feriâ primâ, cùm regnâſſet in Aquitaniâ annos 37. & Imperator fuiſſet annis 27. & menſibus ferè ſex. Succedit in Imperio Lotharius filius, qui imperat annos quindecim; habuit filios tres, Ludovicum, Lotharium & Carolum. Ludovicus verò frater fit Germaniæ rex, regnatque annis 36. Carolus verò Craſſus fit rex Galliæ & regnat annis 37.

Walafridus Strabus, abbas poſtea Fuldenſis, adoleſcens Scholam S. Galli frequentârat, & circa hoc tempus Fuldam concedit, ut audiat Rabanum ibique manſit donec Rabanus fieret Epiſcop9 Moguntinus, quod poſt ſeptem annos ferè factum eſt. Scripſit vitam Othmari. Hic etiam primus ex commentariis patrum cœpit Gloſſam ordinariam contexere.

Annus Alexandr. 1152. Antioch. 889. Conſtant. 6349. incipit à Calend. Octob.

Theophilus Imp. Orientis inchoat annum imp. 12. Calend. Octob.

Saraceni iterum Aſiam invadunt; ſed Theophilus ipſis obviam venit, & in Syriam usque proficiſcitur, ubi omnia longè latèquē vaſtat. Habuit tamen Perſas in exercitu, qui non ſincerâ fide militârunt. Cedr.

Annus Hegiræ 226. incipit die 31. Octob. fer. 1.

ANNO MUNDI 4790. Poſt C. 841.
B. ☉ 10. ☽ 6. Ind. 4.

Annus urbis 1593. Julianus 886.
Æra Hiſpanica 879. Auguſtorum 868.

Annus Nabonaſſaris 1589. & Philippi 1165. incipit Januar. feria 3.

Ludovici filii regnum paternum inter ſe partiuntur, obtinentque quantum quisque ſibi acquirere potuit. Lotharius contrà ſibi principalès partes ſumens, reliquis dominari conatur, & eos bello proſequitur; fratres deprecantur vim & effuſionem ſanguinis, volunt q; rem arbitris decerni: ſed nihil impetrant, ideò & ipſi collecto exercitu copias, quas Lotharius contraxerat, ipſo abſente vincunt, & Albertum Comitem, autorem diſſidiorum, trucidant. Accidit id die 13. Maji, & poſtea die 25. Junii ingenti prælio congrediuntur, quo videtur concidiſſe tota Francorum potentia. Perierunt ex utrâque parte ultra centena millia virorum: Lotharius vincitur, & cùm fratres ſuaſu Epiſcoporum victoriam non perſequerentur, ne plures interficerentur, Lotharius ipſe ſuos iterum colligit, & Bavariam vaſtare conatur, ſed pellitur tamen. Annal. Franc.

Mutezam Amiras, cùm annos octo regnâſſet, moritur anno Hegiræ 226. Succedit Aaron filius, qui tantum regnat annis quinque. Zacuthi.

Lotharius inchoat annum imperii 2. die 20. Junii.

Olympias 402. incipit 15. Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1617.

Annus Diocletiani 558. incipit die 29. Auguſti.

Annus Hegiræ 227. incipit die 21. Octob. fer. 6.

Saraceni in Ciliciam irruunt, nec Theophilus detrectat certamen, & vincit quidem in initio, ſed Turcorum ingens numerus apud Saracenos ſuis ſagittis Romanorum exercitum ita obruit, ut fortuna verteretur, & Romani fugere cogerentur: qua victoria partâ Saraceni Amonium, urbem Orientis pulcherrimam oppugnant, & expugnant & excindunt, paucis captivis reſervatis. Theophilus tanta clade affectus, ex Occidente petit ſibi ſuccurri, & mittit legatum in Franciam, qui legatus in ipſo itinere moritur; nec quicquam etiam impetrâſſet, Francis ſuarum rerum ſatagentibus. Cedr.

ANNO MUNDI 4791. Poſt C. 842.
A. ☉ 11. ☽ 7. Ind. 5.

Theophilus Imperator, cùm annos 12. & menſes tres imperâſſet, moritur die 30. Januarii; ſuccedit ipſi Theodora conjux cum Michaele filio, imperatque annos 14. & duos menſes. Cedr.

Johannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm annis ſex ſediſſet, pellitur throno ſuo, & ſubſtituitur ipſi Methodius, qui propter cultum imaginum inter latrones in carcere detentus fuerat: qui jubente Imperatrice Theodorâ concilium Epiſcoporum convocat, & concilium Nicenum ſecundum de imaginibus reſtituendis & colendis comprobat, atque ita imagines reſtituuntur, & controverſia de imaginibus, quæ centum & viginti annis in Oriente agitata fuerat, victa ſuperſtitionibus, quievit. Methodius autem Patriarcha fuit annis quatuor. Zonar.

Lotharius Imp. reparato exercitu iterum in Germaniam venit, cui fratres Ludovicus & Carolus obviam procedunt Argentoratum usque eumque in fugam conjiciunt die 16. Martii, & eo fugato Galliam & Germaniam ex conſilio Epiſcoporum, excluſo Lothario, inter ſe dividunt. Annal. Fuld.

Eclipſis Lunæ annotatur in Annal. Fuld. quæ acciderit feria quinta ante Paſcha 3. Calend. Aprilis, hora noctis decima, quæ etiam ita invenitur, quod acciderit die 30. Martii, fer. 5. horis tribus poſt mediam noctem. Latitudo vera auſtralis eſt 20|13|| Semid. Lunæ 17, 29. Summa ſemidiam. 62, 55. ſcrup. reſidua 42. 42. digiti eclipſici 14, 39| Sol in 13. gradu Arietis.

Piaſtus quidam, cùm in magna annonæ caritate omnes ſublevaret, & plurimos ſæpè convivio exciperet, eligi-

eligitur tandem princeps Polonorum, & regnat annis 19. Hiſt. Polon.

Annus Hegiræ 228. *incipit die* 10. *Octob. fer.* 3.

Gandersheim cœnobium in Saxoniâ, à Ludolpho Saxone fundatur, qui etiam hoc eodem anno moritur. Fuit Dux fortiſſimus, & Normannis, qui Friſiam & vicinas regiones vaſtârant, fortiſſimè reſtiterat: ſepelitur Gandersheimi. Fuit Dux Angliæ & Weſtphaliæ. *Annal.*

ANNO MUNDI 4792. Poſt C. 843.
G. ☉ 12. ☽ 8. *Ind.* 7.

Lotharius *Imp. tandem criſtas demittit, & cùm videret, ſe bello inferiorem eſſe, Legatos tandem mittit ad fratres, qui peterent offenſarum oblivionem & pacem, & ſibi æquam hæreditatis portionem darent, & ſibi videretur, etiam propter imperii dignitatem aliquid adjicerent: Fratres re deliberatâ pacis & concordiæ causâ nihil denegant, & electis ex regno toto arbitris centum & viginti, reditus ita dividunt, ut æquales partes tres ſortirentur: Pipinus verò ex fratre nepos Aquitaniam haberet. Facta diviſio eſt Salveldiæ, quod oppidum eſt prope Coloniam Agrippinam, quod Philippus rex Galliæ donavit Epiſcopo Colonenſi anno* 1204. Neidh.

Saraceni *ex Africâ in Italiam delati, Campaniam & Samnium, quæ Pontificis erant, vaſtant, Beneventum capiunt & monaſterium Caſſinenſe ſpoliant.* Leo Hoſt.

Annus Hegiræ 229. *incipit die* 29. *Septembr. feriâ ſeptimâ.*

Hoc anno Hegiræ plurimæ naves Normannorum Olyſbonam appellunt, & maritima Hiſpaniæ vaſtant, id quod & ſequenti fit anno. Roder.

Gregorius quartus Papa, cùm ſediſſet annos ſedecim, moritur circa finem hujus anni; & electio novi Pontificis differuntur in annum ſequentem. *Anaſt.*

ANNO MUNDI 4793. Poſt C. 844.
F. E. ☉ 13. ☽ 9. *Ind.* 7.

In electioni novi Pontificis iterum fit Schiſma, & Johannes Diaconus occupat Latheranum, ſed relictus tandem à turbâ deſtitit in cepto, & electus eſt die 10. Febr. *Sergius* ſecundus, qui ſedit annos tres & menſes duos. Profunda *inquit Anaſtaſius,* nix cecidit electionis die. Lotharius imperator hâc Romanorum in electione Pontificis præcipitatione mittit filium Ludovicum Romam, & ſimul Drogonem Patruum Epiſcopum Metenſem, qui teſtarentur Pontifici, eum in omnibus eſſe Imperatori ſubjectum, nec abſque ejus conſenſu eligi aut conſecrari poſſe, & proinde à Romanis & Pontifice fidelitatis juramentum exigant: quo facto Sergius in Pontificatu confirmatur, & Ludovicus rex Longobardorum coronatur. *Conſt. Imp.*

Annus Iezdeg. 213. *incipit die* 24. *April. fer.* 5. *Armen.* 293. *die* 25. *April. fer.* 1.

Magna Normannorum claſſis appellit in Galleciam, eamque hoſtiliter devaſtat; cui Ranimirus exercitum opponit, eos devincit & ſeptuaginta eorum naves capit, quas cremat. Vaſæus.

Carolus *rex Galliæ carpit Aquitaniam, & ejus partem occupare conatur; ſed Pipinus etſi adoleſcens, fortiter ipſum repellit, & acie vincit die* 7. *Iunii, in quo prælio multi Abbates & nobiles ex parte Caroli ceciderunt.* Annal. Fuld.

Annus Hegiræ 230. *incipit die* 18. *Septemb. fer.* 5.

Annus Alexandr. 1156. *Antioch.* 893. *Conſtant.* 6353. *incipit à Calend. Octob.*

Ludovicus *rex Germaniæ Obodritos Vandalos rebellantes vincit, regem novum occidit, & totam regionem ſibi ſubjicit.* Annal. Fuld.

ANNO MUNDI 4794. Poſt C. 845.
D. ☉ 14. ☽ 10. *Ind.* 8.

Annus urbis 1597. *Iulianus* 890.
Æra Hiſpanicæ 883. *Auguſtorum* 872.
Annus Nabonaſſaris 1593. *& Philippi* 1169. *incipit* 24. *Ianuar. fer.* 7.

Michael *cum matre inchoat annum imp.* 4. 30. *Ianuar.*

Normanni *in Galliæ regnum impetum faciunt, & per Sequanam fluvium uſque ad Pariſios graſſantur. Carolus rex impar, & à militibus imparatus, multâ pecuniâ pacem redimit; quâ re non tam averſa eſt Normanorum avaritia, quam allecta, cùm viderent regem & ſubditos imbelles, & regiones illas affluentes opibus. Iam averſi in Friſiam abeunt, & Hamburgum deſtruunt, & multum damni vicinis regionibus inferunt.* Annal. Fuld.

Carolus Calvus in Galliâ convocat Synodum Bellovacenſem, in quâ deliberatur de Epiſcopo Rhemenſi ordinando, qui Epiſcopatus poſt depoſitum Ebbonem decennio vacaverat; & tandem eligitur *Hincmarus,* vir eruditus & Carolo familiaris. *Froard.*

Lotharius Imperator inchoat in Iunio annum imperii ſextum.

Olympias 406 *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1621.

Annus Diocletiani 562. *incipit die* 29. *Aug.*

Annus ſabbathicus 6. *Iobelei* 16. *incipit* 5. *Septemb. fer.* 7. *Anno Iud.* 4606.

Annus Hegiræ 231. *incipit die* 7. *Septemb. fer.* 2.

Pax cum Bulgaris facta, cùm Bogeris princeps Bulgarorum Chriſtianam religionem ſuſciperet, & Conſtantinopoli baptiſaretur, & Michael appellaretur: Sed idem reverſus domum, à Bulgaris principatu pellitur: ideo impetrat ab Imperatore Michaele Zaguram regionem, prope Thraciam. *Curop.*

ANNO MUNDI 4795. Poſt C. 846.
C. ☉ 15. ☽ 11. *Ind.* 9.

Saraceni *ex Africâ Romam aggrediuntur; cumque ibi fruſtra aſſiderent, ſuburbia Romæ deprædantur, & templa D. Petri & Pauli divitiis inclyta ſpoliant: Inde Caſſinenſe cœnobium vaſtaturi, inundationibus impediuntur, nihilominus tamen multâ acquiſitâ prædâ in Africam revertuntur.* Annal. Fuld.

Giſalbertus *quidam Comes, Lotharii Imperatoris filiam rapit & ſibi conjugio jungit. Fratres Ludovicus & Carolus, ne videantur participes hujus injuriæ, de excuſatione conſultant & conveniunt, paſchaque ſimul celebrant.* Annal. Fuld.

Annus Hegiræ 232. *incipit die* 28. *Aug. fer.* 7.

Aaron *Amiras Saracenorum in Baldach, cùm annos quinque regnâſſet, moritur; ſuccedit frater* Metuchal, *qui regnat annis ſedecim.* Abr. Zacut.

ANNO MUNDI 4796. Poſt C. 847.
B. ☉ 17. ☽ 12. Ind. 10.

Sergius Papa, cùm ſediſſet annos tres, & menſem

unum; obiit die 12. Aprilis. Hujus tempore mentio fit indulgentiarum trium annorum, & trium quadragenarum venientibus Romam, ad reliquias Sylveſtri Papæ, & aliorum: Succedit ipſi eodem die *Leo* Quartus hujus nominis, patriâ Romanus, qui ſedit annos octo, menſes tres: Eum ſine conſenſu Imperatoris Romani conſecrare non audent: Ideò differtur usque in Junium menſem. Interim Saraceni, qui Italiam vaſtârant, in Africam redeunt, ſed tempeſtatibus affliguntur & potentiſſimam partem prædæ amittunt. Confirmatus, ſtatim templa Apoſtolorum Petri & Pauli reparavit, & priſtino decori reſtituit, paulò pòſt, cùm Baſiliſcus ad templum Luciæ in cavernâ multos homines occideret, qui eo deſcendebant; Leo Papa in feſto Aſſumptionis Mariæ 15. Auguſti, proceſſionem cum litaniis eâ de causâ inſtituit, & precibus ſuis hunc Baſiliſcum interfecit. *Anaſtaſ.*

Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm ſediſſet annis quatuor, & aliquot menſibus, moritur die 14. Junii. Sufficitur ipſi *Ignatius* Nicephori filiâ genitus, patre Michaele Imp. qui ne ad imperium adſpirare poſſet, caſtratus fuerat; qui ſedit annis undecim, & ſex menſes. *Cedr.*

Annus Hegiræ 233. incipit die 17. Auguſti. fer. 4.

Ingens terræmotus totam Italiam concutit, maximè circa Beneventum, quo Iſernia urbs tota corruit, & ingens multitudo hominum periit unà cum Epiſcopo. Chron. Caſſ.

Rabanus fit Epiſcopus Moguntinus. *Ann. Fuld.*

Edelvvolfus rex Angliæ, reliqua in Angliâ regna, quæ Pontifici Romano ab Inâ & aliis donata non erant, ut Cantium & Northumbrorum, Romam veniens hoc anno etiam Leoni Pontifici offert, ad ſolvendum ex ſingulis ædibus denarium. *Polyd.*

ANNO MUNDI 4797. Poſt C. 848. A. G. ☉ 17. ☽ 13. *Ind.* 11.

Lotharius *Imperator Carolo Francorum regi fratri ſuo iraſcebatur propter Giſelbertum: quapropter Ludovicus apud Lotharium pro utroq; deprecatur, & adverſus Bohemos proficiſcitur, quos bello ita affligit, ut legatos de pace mitterent.* Annal. Fland.

Annus Iezdegird. 213. incip. die 23. Apr. fer. 2. Armeniorum 297. die 26. Apr. fer. 5.

Annus Hegiræ 234. incipit die 5. Aug. fer. 1.

Saraceni *Venetorum claſſem ad ſinum Crotoniatem tantâ clade obruerant, ut ne lembus quidem inde evaderet: quapropter Leo Papa metuens urbi Romanæ, novam civitatem, cujus fundamenta jam Sergius jecerat, ædificare incipit; ad quam rem Lotharius Imperator & filius Ludovicus non exiguam pecuniam contribuerunt.* Anaſtaſ.

Annus Alexand. 1160. Antioch. 897. & Conſt. 6357. incipit 1. Octobr.

Synodus ſecunda ſub Rabano Epiſcopo Moguntino habita, in qua Godeſchalcus monachus damnatur, qui docuit, non omnes ad vitam æternam prædeſtinatos, ſed aliquos etiam ad exitium: item Chriſtum non pro omnibus mortuum eſſe. Hincmarus & Rabanus multos annos in hiſce confutandis conſumpſerunt. Fuit autem Rabanus, homo doctus, Theologus, Aſtronomus, Rhetor, Poëta, qui tandem moritur anno 856. *Toani Conc.*

ANNO MUNDI 4798. Poſt C. 849. F. ☉ 18. ☽ 14. *Ind.* 12.

Annus urbis 1601. *Julianus* 894.

Æra Hiſpanica 887. *Auguſtorum.* 876.

Annus Nabonaſſaris 1597. *& Philippi* 1173. *incipit 23. Januar. fer. 4.*

Michael cum matre Theodorâ Oriente inchoat annum Imp. 8. 1. Febr.

Saraceni *de Oſtiâ Tiberina oppugnandâ conſilia agitant, quapropter Leo Papa viciſſim claſſem inſtruit, cui auxilio advenit unà claſſibus ſuis Neapolitani, Cajetani & alii, & Saracenos vincunt. Major fuiſſet victoria, niſi ventus exortus fuiſſet, qui diſperſiſſet claſſem. Multos tamen captivos cum navibus abduxerunt, quos Leo ad labores perpetuos damnavit, & eorū operâ uſus eſt in ædificanda civitate novâ.* Anaſt.

Lotharius *inchoat 20. Junii annum imperii decimum.*

Annus Hegiræ 235. incipit die 26. Julii. fer. 6.

Olympias 407. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1625.

Annus Diocletiani 566. incipit die 29. Auguſti.

Duces Ludovici, Regis Germaniæ, in Bohemiâ magnâ clade afficiuntur, quòd ſuperbiùs erga Bohemos ſeſe gererent. Ann. Fuld.

Nomenoius, præfectus Britanniæ minoris à Carolo rege ordinatus, perſequitur Epiſcopus ejus loci, & multos deponit; quapropter admonetur à Pontifice, ne faciat hoc: at Epiſcopi apud Turonem concilium inducunt, & hunc præfectum anathemate feriunt, qui ſequente anno moritur. *Baron.*

ANNO MUNDI 4799. Poſt C. 850. E. ☉ 19. ☽ 15. *Ind.* 13.

Ranimirus *rex Gallæciæ, cùm regnâſſet annos 16. moritur die primo Febr. ut inſcriptio ejus, quæ extat, oſtendit: ſuccedit ipſi* Ordonius *filius, qui regnat annos duodecim.* Moralis

Corduba in Hiſpaniâ Martyres quidam fiunt, anno Abderaminis 29. die 18. Aprilis, fer. 6. quod publicè Mahumeticam religionem inſectati eſſent. *Tud.*

Annus Hegiræ 236. incipit die 15. Julii, fer. 3.

Nordmanni *Duce Godefrido regnum Caroli deprædantur, & Lutetias uſque aſcendunt. Carolus rex, impar tantis hoſtibus, petit à Lothario fratre auxilium quo commorarentur, ipſe ſibi conſulit & Nordmannos iſtos in regnum recipit, quæ regio poſtea Normannia dicta eſt.* Annal. Fuld.

Fames *graviſſima Rhenanos hoc anno afflixit. Quidam cum uxore & filiolo in Thuringiam tendens, ubi malum hoc tolerabilius erat, fame coactus, conſilium agitat de occidendo filiolo & comedendo in itinere, & jam manum operi admoturus, videt duos lupos in ſylvâ illâ cervam laniantes: quos ſtatim abigit, & ſe ſuosque aliquot diebus iſtis carnibus alit, donec in Thuringiam perveniret.* Annal. Fuld.

Abderamen *rex Cordubæ plateas ejus urbis lapideo fundamento ſternit, & aquam in urbem in plumbeis fiſtulis derivat.* Boder.

Rupertus *Dux Saxoniæ, pronepos Widekindi, benè meritus de regno Galliæ, Comes Andinus conſtituitur à Carolo, contra Britannos & Normannos, inter Lygerim fluvium & Sequanam: præeſt annis ſedecim.* Onuf.

ANNO MUNDI 4800. Poſt C. 851.
D. ☉ 20. ☽ 16. *Ind.* 14.

Saraceni *Beneventanos crudeliſſimè vaſtant, ideò Ludovicus rex Longobardorū in auxilium evocatur, qui Saracenos vincit, pellit & plurimos capit, quos veſperâ Pentecoſtes die 9. Maji omnes occidit, & Ducatum Beneventanum duobus fratribus, in hac re diſſidentibus, æqualiter dividit.* Leo Oſtien.

Cordubæ *in Hiſpaniâ per totum annum plurimi Chriſtiani trucidantur, quod Muhameticam doctrinam publicè refutarent; ut ſcribit* Eulogius, *qui propter eandē cauſam in carcerem conjectus fuit.* Baron.

Sorabi *tumultuantur, & Francorum finibus ſunt moleſti. Ludovicus rex per Thuringiam in fines eorundem cum exercitu profectus, multis eos damnis afficit, & fame magis quàm ferro domat.* Annal. Fuld.

Annus Hegiræ 237. incipit die 4. Julii, fer. 7.

Carolus *rex Galliæ patrueles ſuos reges, Aquitaniæ Pipinum & Carolum, quòd totum Galliæ regnum turbarent, per duces ſuos capit, & tandem detonſos in monaſteria concludit, Pipinum Sueſſione & Carolum Corbejæ, & Aquitanos invitos ſibi ſubjicit.* Annal. Fuld.

Nodgerus Epiſcopus Leodienſis, qui Sequentias feſtorum, & Antiphona, & Reſponſoria etiam ſcripſit, circa hæc tempora floret. *Tritheni.*

Nordmanni *cum trecentis & quinquaginta navibus in Angliam irruunt, & regem Merciorum in fugam conjiciunt, & regnum ejus occupant.* Edelvvulfus *verò, patronus ejus regni, Nordmannos vincit, & plurimos trucidat, & ad naves redigit.* Rogen.

ANNO MUNDI 4801. Poſt C. 852.
C. B. ☉ 21. ☽ 17. *Ind.* 15.

Ludovicus *Germaniæ rex, cùm Moguntini Synodo iterum adfuiſſet, Rheno devehitur Coloniam & inde in Saxoniam, inde per Thuringiam regreſſus* Erfurdiam, *conventum habuit, in quo conſtituit, ne præfectus in ſua ipſius præfectura alterutri parti litigantium patrocinetur.* Annal. Fuld.

Annus Jezdegird. 221. incipit 22. April. fer. 6. Armen. 301. die 25. April. fer. 6.

Annus Hegiræ 238. incipit die 23. Junii fer. 5.

Leo Papa civitatem novam abſolutam, quam jam quadriennii ſpatio extruxerat, abſolvit & dedicat die 27. Junii, & *Leoninam* vocat: in dedicatione totus clerus nudis pedibus circum muros inceſſit, cineribus in capite aſperſis; Cardinales contra *Aquâ benedictâ*, quam ſecum habebant, muros undique conſperſerunt *Anaſt.*

In Hiſpaniam Abderamen Saracenus, rex Cordubæ multos Chriſtianos ob confeſſionem religionis trucidat, & tandem, cùm die 14. Septembr. aliquot ſuſpendiſſet, & cadavera illa pendentia ex arce conſpexiſſet, juſſit ingentem ignem accendi, & cadavera illa cremari, *Sed priusquam ignis ille extinctus eſſet, ipſe etiam ſubitò mortuus eſt, cùm annos regnaſſet* 31. *Succedit ipſi filius Muhamed, qui regnavit annos* 35. Roderic. & Eulogius apud Baron.

Annus ſabbathicus 7. ſive Jobeleus 16. incipit die 17. Septemb. fer. 2. Anno Jud. 4613.

Annus Alexand. 1164. Antioch. 901. & Conſt. 6361. incipit Calend. Octobr.

Saraceni *& Corſicam & Sardiniam vaſtant. Corſi & Sardi relictis ſuis bonis in Italiam aufugiunt, ubi à Pontifice recipiuntur, & nova civitas ipſis habitanda datur, ita tamen, ut ſubditi Pontificis eſſent.* Anaſt.

ANNO MUNDI 4802. Poſt C. 853.
A. ☉ 22. ☽ 18. *Ind.* 1.

Annus urbis 1605. *Julianus* 898.
Æra Hiſpanica 891. *Auguſtorum* 880.

Annus Nabonaſſaris 1601. *& Philippi* 1177. *incipit 22. Jan. feriâ 1.*

Michael cum matre inchoat annum 12. imperii die 31. Jan.

Carolus rex Galliæ Sueſſione in Galliâ concilium celebrari jubet, die 26. April. ubi conveniunt multi Epiſcopi; & diſceptata cauſa fuit eorum clericorum, qui ab Ebbone olim ordinati fuerunt. Ebbo autem ille ſeipſum indignum judicârat quòd eſſet Epiſcopus, & Romam abierat; inde mortuo Ludovico Imperatore à Lothario in Epiſcopatum Rhemenſem reſtitutus fuerat, ubi quosdam clericos ordinaverat. Hi igitur removentur à ſedibus ſuis, quod Ebbo non Synodali ſententiâ ſed politicâ autoritate reſtitutus fuerat. Sed hoc conciliū irritum pronunciatur poſtea à Pontifice Nicolao, poſt annos novem. *Carolus* in hoc concilio decernit, ut legati mittantur, qui inſpiciant res Eccleſiaſticas, & jubeant inſtaurari loca ſacra & cœnobia à Northmannis everſa. *Tom. Concil.*

Normanni eodem tempore iterum per Ligerim in Gallias irruunt, & Nannetem urbem capiunt, diripiunt & excindunt, & Epiſcopum in Sabbatho ſanctæ Paſchæ, cùm baptiſmum adminiſtraret, occidunt; inde ulterius pergunt, & Turonem capiunt & cremant. *Annal. Fuld.*

Annus Hegiræ 239. incipit 12. Junii fer. 2.

Lotharius *incipit annum imperii* 14. 20. *Jun.*

Olympias 408. incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus 1629.

Annus Diocletiani 570. incipit die 29. Auguſti.

Aquitanorum *Legati veniunt ad Ludovicum regem Germaniæ, petuntque ut ſe à tyrannide Caroli liberare velit, & vel ipſe regnum Aquitaniæ accipere, vel filium eò mittere velit, cùm æquale jus cum Carolo habeat, ne ad Normannos deſcedere cogantur. Ludovicus igitur mittit ſuum filium Ludovicum ad rem inſpiciendam, qui deprehendit rem ſe aliter longè habere & legatos à paucis miſſos; ideò recipit ſe in Germaniam.* Annal. Fuld.

Concilium habetur Romæ à Leone Pontifice, die 8. Decemb. in quo Anaſtaſius Presbyter Cardinalis, quod quinquennium totum Eccleſiam ſuam deſeruiſſet, nec revocatus Pontifici parere voluiſſet, deponitur. *Tom. Conc.*

Rennethus *Scotiæ rex, cùm annos 24. regnaſſet, moritur; ſuccedit ipſi* Donaldus *quintus, qui regnat annis* 5. Buch.

ANNO MUNDI 4803. Poſt C. 854.
G. ☉ 23. ☽ 19. *Ind.* 2.

Leo *Papa civitatem* Centum Cellenſem *ante 46. annos à Saracenis funditus deletam, de integro condit, ſed alio in loco, cum prior aquis ſufficientibus caruiſſet, eamque Leopolin appellat hoc anno, indictione ſecundâ.* Anaſtaſ.

Nordmanni *tandem, cùm Galliam viginti ferè annis vaſtâſſent, inteſtinis diſcordiis in Daniam revocati à ſuis, Gallias relinquunt; ubi ſe reliquorum diſſenſionibus immiſcentes, adeò ſeſe invicem attriverunt, ut de regiâ ſtirpe vix unicus puer ſuperſtes eſſet.* Annal. Fuld.

Annus

Annus Hegiræ 240. incipit die 1. Junii, fer. 6.

Hoc anno Arabum, Toletani Regi ſuo Muhamedi rebellant, & Ordonium ex Aſturiis evocant, eique ſe dedunt, ſed infeliciter res ſuccedit: magna enim clade Ordonius afficitur: Toletani tamen propterea ſe nequaquam dedunt, ideò ſequentibus annis vaſtati ſunt, donec anno quinto pax conficeretur. Rodericus.

Theodora Imperatrix Orientis de extirpandis Manichæis, qui totum ferè Orientem occupârant, conſilium habet: mittuntur cum exercitu & imperio, qui cogant eos ſuam ſectam relinquere, & Catholicam fidem ſequi: at hi fortaſſis crudelius, quàm par erat, cum ipſis egerunt, & ad centum millia ſuppliciis affecerunt. Hinc ſeditio & defectio Manichæorum ad Saracenos exorta, quorum auxiliis inſtructi, Imperatoris regiones longè latèque vaſtârunt. *Cedr.*

Michael *Imperator excedens jam ex ephebis, liberè cupit imperare, & paulatim tutores amovere. Malè autem inſtitutus fuerat, adeò ut Neroni perſimilis eſſet in cantando & currus agitando: Scurras plurimùm amavit, & impudentiſſimum Patriarchæ titulo inſignivit, ipſe ſimul cum reliquis ſacerdotibus, & clarâ luce, tanquam in ſolenni proceſſione urbem pervagatus eſt.* Curopal.

ANNO MUNDI 4804. Poſt C. 855.
F. ☉ 24. ☽ 1. *Ind.* 3.

*S*ynodus celebrata Valentina à Carolo Calvo rege Galliæ, in quâ iterum Godeſchalci Scoti errores de prædeſtinatione damnati ſunt, & prohibitæ monomachiæ, veritatis inquirendæ causâ inter Francos olim inſtitutæ. *Tom. Concil.*

Ludovicus *Imp. cum exercitu properat Romam, quod fama eſſet, Romanos novis rebus ſtudere, & urbem Græcis prodere velle: quæ fama tamen falſa deprehenſa eſt, cùm Romam veniſſet.* Anaſtaſ.

Annus Hegiræ 241. incipit die 22. Maji, fer. 4.

Edelvvulfus rex Angliæ, cùm tanta eſſent incurſiones Normannorum, decimas regni Divo Petro conſecrat, ut intercedat pro ſalute regni; ipſe etiam Romam proficiſcitur, & ibi filium Alberum, qui natu minor erat, regem coronari curat. *Weſtmonaſt.*

Leo Papâ, cùm ſediſſet annos octo, & menſes tres, moritur die 17. Julii. Eligitur in ipſius locum *Benedictus*, patriâ Romanus: at verò aliquid de clero Anaſtaſium, qui à Leone, quòd Eccleſiam ſuam deſeruiſſet, excommunicatus fuerat, eligunt, ad eum proficiſcuntur, & cum Imperatori Ludovico commendant, qui eundem per legatos Romam deducit. At verò cùm Anaſtaſius nec à clero, nec à Romanis reciperetur, à legatis Imperatoris etiam rejicitur, & Benedictus conſecratur. *Anaſtaſ.*

Quidam hic Pontificem Johannem octavum, qui fœmina fuerit, Pontificem factum aſſerunt, & duobus annis, & duobus menſibus ſediſſe ſtatuunt. Dicunt hanc fœminam proprio nomine dictam fuiſſe Gilbertam, *natam ex matre ſcorto, & patre ſacrifico Moguntiæ, & mentitam ſexum maſculinum, cœnobio Fuldenſi nomen dediſſe, indeque ſe cum amatore ſuo ex Germaniâ in Græciam Athenas contuliſſe, ad diſcendas bonas artes & Græcam linguam, indeque Romam veniſſe, publicè docuiſſe & tandem, cùm omnibus benevolentiam, & magnam autoritatē ſibi conciliâſſet, ex cleri & Imperatoris conſenſu,* Papam electam & Johannem octavum *nominatam eſſe: poſteà verò ex Cardinale quodam concepiſſe, & cùm ex Vaticano in proceſſione ſolenni Lateranenſem Eccleſiam inviſeret, inter Neronis Coloſſum & Clementis fanum, abortis parturitudinis doloribus, puerum enixam, mortem obiiſſe. Hæc tanta res eſt, ut aut ſceleratè ab hiſtoricis fingatur, aut impudentiſſimè à Pontificiis negetur. Autor hujus rei primus eſſe videtur* Marianus *Scotus, qui ducentis & triginta annis poſt rem geſtam mortuus eſt: hunc ſecuti poſtea ſunt Sigebertus, Platina & alii multi è recentioribus. Sed qui circa hæc tempora, quando res geſta dicitur, ſcripſerunt, hujus rei, quod ſciam, nullam mentionem faciunt, nec etiam vel Græci vel Franci, qui hoſtes ſedis Pontificiæ brevi poſt tempore facti, & contra Pontificem Romanum ſcripſerunt, hoc ut inſigne probrum ſedi Pontificiæ objecerunt, niſi fortaſſis hæc curâ Pontificiorum è libris eraſa fuerunt. Statuat de hâc re, quod quiſque putat verum eſſe.*

Lotharius *Imperator dividit duobus filiis ſuis Ludovico & Lothario regnum, & Ludovico cum Imperatoris dignitate dat regnum Longobardorum, unà cū in Provinciâ in Galliâ: reliquam verò partē Galliæ, quam poſſidebat, dat Lothario, & ingreditur attonsâ comâ cœnobium Prunienſe, ubi hoc anno moritur die 28. Septemb. Ludovicus Imperat annis 18. Lotharius verò regnat annis 14.* Annal. Fuld.

Ludovicus *rex Germaniæ contra Sclavos exercitum educit, & quidem Duces eorundem, cùm ſe munitionibus tenerent, aggreſſus non eſt, magnas tamen ubique prædas egit, & in regnum redit. Sclavi hiſce cladibus irritati, Danubium transgrediuntur, & cladem quantum poſſunt regerunt.* Annal. Fuld.

Rabanus, Epiſcopus Moguntinus, natione Thuringus, qui multa ſcripſit, moritur, cùm ſediſſet annos 8. *Trith.*

ANNO MUNDI 4805. Poſt C. 856.
E. D. ☉ 25. ☽ 2. Ind. 4.

Tiberis *Romam inundat die 6. Januarii, maximâ clade.* Anaſt.

Carolus Calvus Francorum ſynodum agit cum Epiſcopis & proceribus imperii Cariſſiaci, die 15. Febr. ubi agit de raptoribus & prædonibus, quibus referta erat tota Gallia. *Conſtit. Imp.*

Dani cùm Northmannis in Hollandiam irruunt, urbem Doreſtadium planè deſtruunt, & Trajectenſem urbem tandem obſident, & expugnant. Chron. Ultraj.

Annus Iezdegird. 225. incipit die 21. April. fer. 3. Armeniorum 301. die 24. April. fer. 6.

Annus Hegiræ 242. incipit die 10. Maji, fer. 1.

Hoc anno Hegiræ, ſcribit Zacuthi Scriptor Saracenus, per univerſum orbem terrarum fuerunt terræmotus.

Ludovicus *Germaniæ rex per Sorabos exercitum ducit, eosque ſibi jungit; inde Dalmatas aggreditur, (fuerunt fortaſſis Sileſii) eosque ſibi tributarios facit, inde Bohemos etiam hoc anno in deditionem accipit.* Annal. Fuld.

Lotharius frater Imperatoris Ludovici privilegium dat cœnobio Criſpinem, cui Clodovæus olim rex Francorum bona quædam dederat, quæ ſurrepta ad alios pervenerant. Mandat igitur, ut ea cœnobio reſtituantur ad remedium, ut loquitur, animæ genitoris ſui Lotharii Imperatoris. *Antiq. Taxand.*

Annus Alexandr. 1168, *Antiochenus* 905. *Conſtantinop.* 6365. *incipit Calend. Octob.*

In Imperio Orientali Michael, cùm omnia ſcurris diſtribueret, ut ſufficere poſſet ſumptibus & theſauris matris potiretur, eam tonderi & in monaſterio concludi jubet; quod & factum eſt, & ipſe ſolus imperat. Curop.

ANNO MUNDI 4806. Poſt C. 857.
C. ☉ 26. ☽ 3. Ind. 5.

Annus urbis 1609. *Iulianus* 902.
Æra Hiſpanica 895. *Auguſtorum* 884.

Annus Nabonaſſaris 1605. & *Philippi* 1181. *incipit die* 21. *Ian. feria* 5.

Michael *Imp. ſui juris factus, exercitum colligit, & contra Saracenos proficiſcitur, & Samoſatum ad Euphratem obſidione cingit; ſed ii erumpentes, eum vincunt, & magnâ clade afficiunt.* Cedr.

Annus Hegira 243. *incipit die* 30. *April. fer.* 6.

Ludovicus *Imp. ad Lotharium fratrem proficiſcitur Confluentiam, inde Rurucctum* Danum *profugum cum claſſe in Daniam mittit, qui ibi partem regni obtineret cùm hactenus fuiſſet præfectus Lotharii in Doreſtadio.* Annal. Fuld.

Michael *ſolus Imper. inchoat annum Imp.* 2. *in Iun.*

Olympias 409. *incipit menſe Iulii. Eſt annus Olympiadicus* 1633.

Annus Diocletiani 574. *incipit die* 29. *Aug.*

Ludovicus incipit annum imperii 3. *menſe Septembr.*

Edelvvulfus *rex Angliæ moritur, cùm regnâſſet annis* 22. *relictis duobus filiis Edelvvaldo & Edelberto, quorum ille Weſt Saxoniam retinet annis quinque, Edelbertus verò Cantiam, regnatq; annos decem.* Mal.

Pictorum *reliquiæ à Scotis ante annos* 19. *ſuis ſedibus pulſæ, obtinent ab Anglis & Britonibus auxilia, recuperatura ſuas ſedes; ſed Angli & Britones victis Scotis & pulſis ipſi eam regionem occupant, & inter ſe dividunt, excluſis Pictis, qui in Daniam in exilium concedunt, ibi auxilia & defenſionem petituri.* Buch.

Ipſis Calendis Januar. fit terræmotus in Germania Annal. Fuld.

ANNO MUNDI 4807. Poſt C. 858.
B. ☉ 27. ☽ 4. *Ind.* 9.

Benedictus Papa, cùm ſediſſet annos duos, menſes ſex, moritur die 16. Febr. Succedit ipſi *Nicolaus*, qui conſecratur die 24. Aprilis, ſeditque annis novem, & menſibus quatuor, *Anaſt.*

Annus Hegira 244. *incipit* 19. *April. fer.* 3.

Anſgarius Epiſcopus Hamburgenſis, impetrat à Pontifice Nicolao, ut Bremenſis Epiſcopatus, qui antea ad Colonienſem pertinebat, Epiſcopatui Hamburgenſi jungeretur, plurimum reclamante Colonienſi. *Adam.*

Ludovicus rex Germaniæ, cum Lothario patruele collocaturus, multis eum locis operitur: cùm non compareret, nunciatur eum cum Carolo Galliæ rege contra ſe fœdus iniſſe: Ipſe parùm hiſce motus, tres exercitus comparat, quorum primum mittit cum Carolomanno filio contra Sclavos; alterum tradit Ludovico filio, eumque mittit contra Obetritos Vandalos: tertium ipſe ducit contra Sorabos. In æſtate verò veniunt legati ex Galliâ, conquerentes de tyrannide Caroli. Advocato igitur Concilio, deliberatur, quid faciendum, & concluditur in Galliam abeundum, & Rempub. conſtituendam. Carolus rex tum contra Normannos profectus fuerat, & de Ludovico certior factus, ſtatim domum redit, non tamen contra Ludovicum ire audet, conſcius ſuarum virium & fratris. Ludovicus igitur magnam partem Galliæ occupat, & Synodum convocat menſe Decemb. Epiſcopi contrà, cùm exercitus Ludovici cœnobiis plurimum injuriæ intuliſſent, ad Synodum venire recuſant, & prolixas literas ad Ludovicum ſcribunt, in quibus eum impietatis & multarum injuriarum arguunt. Ludovicus igitur, cùm hyemaret in Galliâ, certior fit de rebellione Sclavorum, ideò in Germaniam redit, & Carolus omnia ſua recuperat. *Annal. Fuld.*

Donaldus V. *Scotorum rex, cùm annos quinque regnâſſet, moritur; ſuccedit ipſi* Conſtantinus *ſecundus, qui regnat annis ſedecim.* Buch.

Bardas qui præerat imperio Orientis, cùm Michael rem Publicam negligeret, & ſcurram ageret, repudiârat conjugem, & cum nuru rem habebat; id verò magnopere improbabat Ignatius Patriarcha, & eum in Epiphaniorum feſto Eccleſiâ arcuerat: Quapropter Bardas iratus, cum totâ hâc æſtate exagitat, & tandem comparatis falſis teſtibus eum Patriarchatu dejicit, & in fœdiſſimum carcerem concludit, cùm ſediſſet annis undecim, & aliquot menſibus. Eligitur in ejus locum *Photius* vir celebris eruditione & ſapientiâ, & magnæ autoritatis in aulâ, ſed laicus, qui ſubdito per clericorum gradus deducitur, & conſecratur in natalitiis Chriſti. *Ced. & Curop.*

ANNO MUNDI 4808. Poſt C. 859.
A. ☉ 28. ☽ 5. *Ind.* 7.

Eulogius, qui diu Cordubæ in Hiſpaniâ Mahumetiſmum oppugnaverat, tandem & ipſe capitur, & gladio trucidatur, die 11. Martii, fer. 7. horâ diei nonâ. Plurimi præterea alibi Cordubæ interfecti ſunt. *Bar.*

Annus Hegira 245. *incipit* 8. *April. fer.* 7.

Epiſcopi Galliæ circa initium Junii mittunt legatos ad Ludovicum regem Germaniæ, qui tum Wormatiæ erat, pro pace reconciliandâ: conveniunt igitur reges Ludovicus, Carolus & Lotharius patruelis in quâdam Inſulâ Rheni, in quâ de controverſiis variis agitatum fuit, pleraque compoſita ſunt, & reliquâ dilata in ſequentem annum, ubi iterum conventus indicendus erat. Ludovicus etiam legatum mittit ad Imperatorem Ludovicum in Italiam, & ad Pontificem Nicolaum. *Annal. Fuld.*

Amer *Saracenorum Dux, cum triginta millibus hominum Romanas ditiones invadit, cui obviam proficiſcitur Michael Imperator cum quadraginta quinque millibus: ſed invaditur à Saracenis loco impedito, & turpiter vincitur.* Cedr.

Annus ſabbathicus 1. *Jobelei* 17. *incipit* 2. *Septemb. fer.* 7. *Anno Jud.* 4620.

Circa hoc tempus, propter crebras Saracenorum incurſiones, juſſu Imperatoris ſignum per ignes in ſpeculis datum fuit, quo & Imperator certior fiebat de hoſtibus & agricolæ ad urbes confugiebant, & pretioſiora abſcondebant. Cedr.

Conventus Tullenſis à Carolo Galliæ rege inſtituitur, cui adfuerunt ipſe Carolus rex, & Lotharius,

tharius, & Carolus Lotharii frater, ubi Venilo Archiepiſcopus Senonum accuſator majeſtatis ab ipſo Carolo, quod apertè ad Ludovicum regem Germaniæ defeciſſet, & Carolum oppugnaſſet: Damnatur igitur, & Epiſcopatu dejicitur, & pro proditore habetur. Ab hoc proditores poſtea in Gallia appellati ſunt Ganelones, quod nomen Epiſcopi etiam ſcribatur Guenilo. *Baron.*

Saraceni anno Arabum 245. cum ſexaginta navibus maritima Hiſpaniæ vaſtant. Roder.

Sæviſſima hyems annotata eſt hoc anno in annalibus Fuldenſibus, adeò, ut mare Adriaticum glacie concreſceret & pedibus Venetias ingredi liceret.

ANNO MUNDI 4809. Poſt C. 806.
G. F. ☉ 1. ☽ 6. *Ind.* 8.

Annus Hegiræ 246. incipit die 28. Martii, fer. 5.
Annus Jezdeg. 229. *incipit die* 10. *Apr. fer.* 7. *Armen.* 309. *die* 23. *April, fer.* 1.

Menſe Junio conveniunt Ludovicus Germaniæ rex, Carolus rex Galliæ & Lotharius; confluentiæ, ubi tandem pax initur hac conditione: ut quiſque horum alterius regiones defendat, aut in defenſione auxilia ſubminiſtret, & Carolus profugos ex regno ſuo ad Ludovicum recipiat, & bonis ac dignitatibus reſtituat; atque ſic diſceditur. Sed brevi poſt, cùm Carolus pactis non ſtaret, Ludovicus rex & Lotharius de perfidia illius apud Nicolaum Pontificem per literas conqueruntur. *Annal. Fran.*

Terræmotus die 23. Maji in feſto Aſcenſionis Chriſti Conſtantinopolin ita affligit, ut muri dejicerentur. Cedr.

Scytharum ſive Ruſſorum claſſis ad Taurum montem Conſtantinopolin invadit. Sed tandem re infecta diſcedere cogitur. At verò cum hoc modo multos transfugas & captivos ſecum abducerent, ex captivis poſtea religionem Chriſtianam edocti ſunt, & paucis poſt annis univerſa Ruſſorum gens baptiſata eſt. *Cedr.*

Edelvvaldus *rex WeſtSaxonum in Anglia moritur, cùm annos quinque regnaſſet, ſuccedit* Edelbertus *frater rex Cantiæ; atque ita iterum Angliæ regnum in unum coit: regnatque annos quinque.* Roger.

Nicolaus Papa legatos mittit Conſtantinopolin, ad audiendam controverſiam inter Patriarchas Ignatium & Photium, at cum iidem juſſi eſſent à communione Photii abſtinere, malè accipiuntur & centum continuis diebus ita concluduntur, ne cum quovis Græco loqui poſſent, ne aliquid ad eos referretur de Ignatii violenta remotione. *Baron.*

Annus Alexandr. 1182. *Antioch.* 909. *& Conſtantinop.* 6369. *incipiunt Calend. Octob.*

Britones Ligerim tranſeunt, & Francorum fines crudeliſſimè ferro & igne vaſtant. Carolus, ut eos compeſceret, magnum exercitum contrahit, & in ipſam Britanniam movet, ſed turpiſſimè continuo biduo vincitur; tertio die clam caſtris egreditur & fugit Britones ſpoliatis caſtris, multa præda ditati ſunt, *Regino.*

ANNO MUNDI 4810. Poſt C. 861.
E. ☉ 2. ☽ 7. *Ind.* 9.

Annus urbis 1613. *Julianus* 906.
Æra Hiſpan. 899. *Auguſtorum.* 888.
Annus Nabonaſſaris 1609. *& Philippi* 1185. *incipit die* 20. *Jan. fer.* 2.

Conſtantinopoli Synodus agitur à Photio convocata Epiſcoporum trecentorum & ferè viginti, quam propter multitudinem Epiſcoporum Photius voluit Oecumenicam vocari, ſed Papa Nicolaus eam vocavit latrocinium & conſpirationem. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui in exilium ejectus tum erat ad Terebinthum inſulam & ab incurſantibus Scythis ferè interfectus erat, etiam evocatur ad Synodum, & ubi condemnatur, quaſi non legitimo modo electus Patriarcha fuiſſet, cui damnationi etiam legati Pontificis, minis ab Imperatore coacti, ſubſcribunt. Idem Ignatius etiam ſubſcribere cogitur: cùm verò etiam oculos ipſi effodere vellent, præmonitus aufugit circa feſtum Pentecoſtes. ubi etiam ingruit terræmotus, qui duravit dies quadraginta. *Nicetas apud Baron.*

Annus Hegiræ 247. *incipit die* 17. *Mart. fer.* 2.

Carolomannus *filius regis Germaniæ Ludovici, littora & fines pannonici limitis & Carniolæ ipſe præſidiis firmat, ejectis præfectis, quos pater conſtituerat, qua re indignationem Parentis incurrit, & rebellis Parentis exiſtimatus eſt.* Annal. Fuld.

Amer *Saracenus iterum exercitum quadraginta millium in Romanas provincias educit, & ſimul Armeniam & maritima populatur, cui Michael Imperator opponit Petronas ducem, qui Saracenos cum duce ſuo occidione trucidavit.* Cedr.

Cùm Michael Imp. nullam Reipub. curam attingeret, Bardas regni curam ſuſcipit, Scholas Conſtantinopoli inſtituit, & Philoſophiam doceri jubet, quæ à multis annis barbarie & inſcitia obſoleverat, & ferè evanuerat: atque hoc pacto Bardas bonas literas, quæ ita extinctæ videbantur, ut ne veſtigium illarum extaret, brevi ſpatio evexit ad magnam altitudinem. *Cedr.*

Michael dum ſolus imperat, inchoat annum imperii 6. *menſe Junio.*

Olympias 410 *incipit* 15. *Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1673.

Annus Diocletiani 588. *incipit die* 29. *Aug.*

Ludovicus incipit annum imperii 7. *ultimo Sept.*

Brunſuicum Saxoniæ civitas à Brunone Ludolphi Saxoniæ Ducis filio conditur. Nomen habet à Brunone & à ſinu excurrentis fluminis, quem Saxones ſua lingua Wick appellant, & pars urbis hodie etiam vocatur der alte Wick. Arcem in ea condidit Tanquardus frater Brunonis, quæ Danquarrode vocatur. Civitatem poſtea hanc auxit Heinricus auceps, quæ pars vocatur civitas nova. Quintam partem urbis, quæ à ſylva nomen habet, Heinricus Leo addidit. Templum primum ibi conditum eſt à Brunone & Tanquardo, quod eſt ad D. Jacobum. *Crantz.*

Piaſtus Dux Poloniæ, cum annos 19. regnaſſet, moritur anno ætatis 120. ſuccedit ipſi filius *Ziemovitus*, qui multis regionibus ditionem Polonicam auxit, regnatque annis 31. *Hiſt. Polon.*

Carolus *rex Galliæ, cùm Britones compeſcere non poſſet, ut eorum incurſiones coerceret.* Robertum *Saxoniæ Principem, de regno Galliæ benè meritum, facit ducem regionum, inter Ligerem & Sequanam, qui induſtria ſua illas terras feliciter defendit.* Reg.

Metuchal *Amiras in Baldach, cùm annis 16. regnaſſet, à ſervo Turca anno Heg. 247. interficitur, ſuccedit ipſi filius* Mutnazar *anno uno.* Zacuthi.

Weiſſenſteig cœnobium in Suevia fundatur,

ejus privilegia data ſunt die 13. Decembr. hoc anno.

ANNO MUNDI 4811. Poſt C. 862.
D. ☉ 3. ☽ 8. *Ind.* 10.

Annus Hegiræ 248. incipit die 6. Mart. fer. 6.

Nicolaus Papa remittit legatos Conſtantinopolin cum literis ad Imperatorem, ad Photium & ad omnes Epiſcopos Orientis, in quibus monet, Ignatium injuſtè è ſede ſua pulſum eſſe, & ne Epiſcopi cum Photio communicare velint, hortatur. Factum die 18. Martii.

Lotharius Lotharingiæ rex, cùm amore *Waldradæ* flagraret, perſuadet Gunthario Archiepiſcopo Colonienſi, ſe pertæſum conjugis Teutbergæ, ſi ab eâ ſeparari poſſet, ſe Guntharii ſororem uxorem ducturum, ideo Guntharius aſſumpto Trevirenſi Archiepiſcopo cauſam divortii fingunt inceſtum, & divortium approbant. Inde ſynodum indicunt Aquiſgrani, die 29. Aprilis, ubi Lothario permittitur, ut aliam conjugem ducat, qui repudiata ſorore Guntharii, Waldradam ducit. Teutberga contra conqueritur de hac re apud Pontificem Romanum, ideò menſe Decembri legati Pontificis mittuntur in Galliam, qui Synodo adſint, & Waldradæ cauſam dijudicent. *Regino.*

Ordonius *rex Hiſpaniæ, cum annos 12. regnaſſet, moritur die 27. Maji, ſuccedit ipſi* Alfonſus *Magnus, qui regnat annos* 48. Mariana.

Anſgarii Epiſcopi Hamburgenſis Epiſcopatus crematus fuerat à Normannis, ideò in Comitiis Wormatienſibus decernitur, ut ipſi Cellula Rameſloa, quæ ſub Epiſcopatu Werdenſi erat, poſt hac tribueretur, idque confirmatum fuit die 8. Junii. *Conſtit. Imper.*

Carolomannus, *quòd videretur rebellis parenti Ludovico, citatur Ratiſbonam, ubi comparet, ſe excuſat patri conciliatur, & accuſatores ſuos calumniarum convincit.* Annal. Fuld.

Mutnazar, *Amiras in Baldach moritur anno Hegir. 248. cùm tantum unum annum regnaſſet, ſuccedit* Elmuſtem, *qui regnat annos ſeptem. Zac.*

Sclavi, à Ludovico Germaniæ rege ad Chriſtianam religionem per Methodium converſi, in ſua lingua ceremonias religionis Chriſtianæ peragi volunt, ex dicto: *Omnis Spiritus laudet Dominum*: Idque contra Pontificum decreta; Et Papa *Nicolaus* ipſis indulgendum cenſet. *Balæus.*

Carolus Calvus rex Galliæ proteſtatur menſe Novembri ad fratrem Ludovicum regem Germaniæ, ſe cum Lothario patruele, niſi ſatis juſtas cauſas divortii ſui edat, amicitiam colere non poſſe. Ludovicus igitur curat, ut in unum conveniant, ubi Lotharius promittit, ſe omnia facturum, tantummodò legitimè audiatur. *Receſſ. Imp.*

ANNO MUNDI 4812. Poſt C. 863.
C. ☉ 4. ☽ 9. *Ind.* 11.

Annus Hegiræ 249. incipit die 24. Februar. fer. 4.

Synodus Romæ agitur, in qua Photius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & alii condemnantur & excommunicantur. Ignatius contra, qui ſede iſta dejectus fuerat, innocens pronunciatur. Photius contra, qui partes Ignatii defendebant, ſedibus ſuis pellit, & Synodum convocat, in qua errores Pontificis Romani recenſet, quod jejunium non rectè celebret, quod conjuges ab officiis Eccleſiaſticis removeat, & cum viciſſim excommunicat. *Baron.*

Erdmundenſe cœnobium à Theodorico fundatur, & monialibus traditur, anno Ludovici Imp. octavo. *Hein. Erph.*

Comitatus *primus Hollandiæ inſtituitur à Carolo Calvo Gallorum rege, daturque* Theodorico *die 15. Junii, cui Ludovicus Imperator Sylvam addidit, & inſignia Leonis rubicundi coloris, ut fortiſſimè Normannos repulſit: Regnat autem annos 27.*

Synodus Metenſis celebratur menſe Junio in præſentia legatorum Pontificis, ubi Lotharius profeſſus eſt, ſe nihil egiſſe, niſi ex præſcripto ſuorum Epiſcoporum. Epiſcopi etiam, quæ Lotharius egiſſet, rectè facta eſſe aſſeruerunt, idque ſcripto defenderunt, ſed Papa improbavit hanc Synodum & Archiepiſcopos, Colonienſem ac Trevirenſem, ab Epiſcopatu deponit, & eos excommunicat, reliquos Epiſcopos in gratiam recipit, cùm pœnitentiam egiſſent. *Baron.*

Carolomannus *iterum apud patrem de rebellione accuſatur, accuſationes haſce ut dilueret, ad patrem properat: ut vero audit, ſe rebellionis condemnatum à patre in Corinthiam redit, donec pater placaretur, & interceſſione principum ipſe in gratiam reciperetur.* Annal. Fuld.

ANNO MUNDI 4813. Poſt C. 864.
B. A. ☉ 5. ☽ 10. *Ind.* 12.

Annus Hegiræ 250. incipit die 11. Febr. fer. 1.

Papa ſuos legatos, quos in cauſa Ignatii ante quadriennium Conſtantinopolin miſerat, quique in damnationem Ignatii, contra quam à Pontifice mandatum fuerat, conſenſerant, damnat, eos Epiſcopatu dejicit, & excommunicat. *Baron.*

Annus Iezdegird. 233. incip. die 19. Apr. fer. 4. Armeniorum 313. 22. Apr. fer. 7.

Papa, ut tandem Lotharii regis cauſam rectè dijudicaret, omnes Epiſcopos Galliæ Romam evocat; ſed hi ſibi metuentes à Pontifice, cauſas cur venire non poſſint excogitant. Ludovicus præterea & Carolus rex metuentes ne Lotharius à Pontifice excommunicetur, dilationem ejus rei quærentes, ſcribunt ad Pontificem, ut excommunicationem differat, ſe cum patruele acturos, ut Romam ipſe veniat: quibus Papa reſcribit Lotharium Romæ admitti non poſſe, niſi Teutbergam uxorem recepiſſet, & eidem idoneè caviſſet. *Annal. Fuld.*

Ludovicus rex, menſe Auguſto contra Sclavos profectus ultra Danubium exercitum ducit, & regem Raſticen in eas anguſtias cogit, ut obſides daret; inde in Germaniam reverſus Coloniæ fratrem ſuum Carolum convenit, ubi ſimul amicitiam & ſocietatem fraternam jurant, ejusque rei vades uterque dat Epiſcopos binos, qui liberè de hac fraternitate utrumque admonere debeant. *Annal. Fuld.*

Annus Alexandr. 1176. Antioch. 913. Conſtantinop. 6373. incipit Calend. Octobr.

Dani *Angliam vaſtant, & à Cantuariis multa munera extorquent, ut ſe à vaſtatione abſtineant.* Rog.

Toletani *anno Hegiræ 250. iterum regi Cordubenſi rebellant.* Roder.

ANNO MUNDI 4814. Poſt C. 865.
G. ☉ 6. ☽ 11. *Ind.* 13.

Annus urbis 1617. *Iulianus 910.*
Æra Hiſpanica 903. *Auguſtorum 892.*

Annus

Annus Nabonaſſaris 1613. & Philippi 1189. incipit 19. Januar. fer. 6.

Annus Hegiræ 251. incipit die 1. Febr. fer. 5.

Rudolphus Abbas Fuldenſis hiſtoriographus & Poeta moritur 6. Jan. *Fuld.*

Arſenius Epiſcopus legatus Pontificis, in Galliam mittitur, circa feſtum Paſchatis, in cauſa Rothaldi Epiſcopi, qui ab Hincmaro depoſitus erat, & deinde in cauſa Lotharii regis, & convenit primùm regem Galliæ, Coloniæ: inde Ludovicum regẽ Germaniæ, Francofurti: inde Synodũ convocat, ubi præſens etiam fuit Lotharius. Hic diſcutitur cauſa, & Lothariũ injuſtè egiſſe decernitur: Jubet igitur Lotharium alterutrum ex duobus eligere, aut recipere Teutbergam conjugem, & Waldradam à ſe pellere aut excommunicari. Lotharius in anguſtiis conſtitutus, judicio quidem Papæ ſe ſubmittit, ita tamen, ut in ſpiritualibus ipſi obedire velit: In temporalibus verò proteſtatur ſe non agnoſcere ſuperiorem, & recipit Teutbergam ipſique de ſecuritate cavet juramento duodecim ſuorum optimatum. *Conſt. Imp.*

Pax ſancitur inter regem Ludovicum & Carolum, *Chron. Franc.*

Michael Imp. ſolus inchoat annum imperii 10. menſe Junio.

Olympias 411, incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1641.

Annus Diocletiani 582. incipit die 29. Auguſti.

Ludovicus Imp. incipit annum 11. imperii menſe Octob.

Campanarum uſus increbreſcit in Græcia, cum à Venetiſ eò mitterentur. *Hiſt. Venet.*

Anſgarius, Hamburgenſis Epiſcopus, Apoſtolus Danorum & Suecorum, moritur. *Adam.*

ANNO MUNDI 4815. Poſt C. 866.
F. ☉ 7. ☽ 12. *Ind.* 14.

Annus Hegiræ 252. incipit die 22. Januar. fer. 3.

Papa Nicolaus Waldradam, quod Romam non veniſſet, nec pœnitentiam dignam egiſſet, die 2. Februar. excommunicat, idque præſcribit ad omnes Epiſcopos Galliæ, ne recipiatur, ne etiam in conſpectum Lotharii unquam veniat. *Bar.*

Bardas, qui totum imperium Orientis moderabatur, initio anni Cæſar creatus fuerat, qua dignitate non parum ſe efferebat, & expeditionem inſtituebant in Cretam inſulam, quæ dudum à Saracenis occupata fuerat, ut ea pellerentur, & Imperatorem Michaelem ſecum ducebat. Cum verò in Phrygiam veniſſent, ubi Mæander fluvius ſe in mare exonerat, Bardas jubet caſtra fieri, ſuumque tabernaculum in colle erigi. Imperatoris verò, in valle ſubjecta: qua de re iratus imperator Bardam qui aliàs ſuſpectus erat majeſtatis, jubet occidi, quod tandem ſit magno periculo, eodem die 1. *Apr.* Hac cæde totus exercitus turbatus eſt, & Imperator re infecta domum rediit: Cæterum Michael Imperator, cum Reipub. gerendæ imperitus eſſet, nec etiam liberos haberet, *Baſilium* Macedonem ſocium imperii legit, eumque Cæſarem creat, die 26. Maji, in ipſo feſto Pentecoſtes. Hic Baſilius honeſtatis ſtudioſiſſimus erat, & Michaelem Imperatorem à rebus ſcurrilibus, quibus admodum addictus erat, quantum poterat abducebat; ſed moleſtè id ferebant ſcurræ; ideo ſocietas hæc imperii diu ſtare non potuit. *Cedr.*

Saraceni *in Apulia Longobardos crudeliter vaſtant, & Capuam capiunt ac Beneventum. Ludovicus igitur Imperator accerſitur, qui evocat auxilia fratris ſui Lotharii, ad Italiam defendendam, & bellum inchoat menſe Junio. Capuam tribus menſibus obſeſſam capit, & ex parte exurit, ita etiam Beneventum recipit. Inde cum Saracenis pugnat, ſed primo die inferiores partes ſortitur, poſteriore egregiè vincit, & Barim fortiſſimum caſtrum, toto quadriennio obſidet*, Chron. Caſſ.

Epiſcopi & Status regni in Lotharingia Wirduni conſultant de concordia regnum in utraque Francia conſervanda, ne alter alterius homines ad defectionem ſollicitet, monentque Caroli Calvi ſubditos, ut idem faciant. Carolus enim ſuſpectus erat de invadenda Lotharingia. *Conſt. Imp.*

Michael Bulgarorum rex, honorificam legationem mittit ad Pontificem Romanum, menſe Auguſto, petitque ſibi ſacerdotes mitti, à quibus doceantur Chriſtianam religionem, quibus Papa mittit duos Epiſcopos, cum aliis doctoribus. Idem cùm audiret Conſtantinopolin perveniri poſſe terrâ tuto, cum in maritana pericula occurrerent, etiam eò legatos mittit, menſe Novembri. qui tamen non admittuntur in Thraciam. *Baron.*

Annus ſabbathicus 2. Jobelei 17. incipit 14. Sept. fer. 7.

Edelbertus *rex Weſt Saxonum, cum Dani iterum Angliam vaſtaret, cum quinque annos regnaſſet, moritur; ſuccedit* Edelredus *frater, qui itidem quinq; annos regnat, & perpetua bella cum Danis gerit, quia hoc anno in Anglia hyemant.* Weſtmon.

ANNO MUNDI 4816. Poſt C. 867.
E. ☉ 8. ☽ 13. *Ind.* 15.

Annus Hegiræ 253. incipit die 11. Jan. fer. 7.

Bulgari ſuperiori anno legatum miſerant ad Ludovicum Germaniæ regem, de concionatoribus mittendis ad propagandam religionem Chriſtianam in Bulgaria: ideò hoc anno concionatores in Bulgariam mittuntur, ſed ibi inveniunt Epiſcopos à Pontifice miſſos, ideò hi in Germaniam redeunt. *Annal. Fuld.*

Dani, *qui hyemarant in Anglia, Eboracenſem ditionem vaſtant, & Northumbri hanc cladem ulturi, magna clade vincuntur, occiſo rege, & novus ipſis conſtituitur rex Egbertus, die 21. Martii feria 6. ante Dominicam Palmarum:* Roger.

Teutberga ſcribit ad Pontificem, & conqueritur de conjugis Lotharii injuriis, & tandem ipſa proficiſcitur Romam. Papa contra ſcribit ad Epiſcopos Lotharingiæ, & ad Ludovicum & Carolum fratres, ut Lotharium dehortentur ab iſtis injuriis, ſed nihil impetrant. Lotharius contra petit ſibi à Pontifice concedi, ut Romam veniat, quod ipſi Pontifex denegat. *Regino.*

Nordmanni in Gallias irrumpunt, quibus obviam veniunt Robertus Andiæ Dux & Marchio: item Ranulfus Aquitaniæ Dux, eoſque repellunt, & in templo concluſos obſident. Obſidentes propter æſtum arma ferè depoſuerant dum Nordmanni eruptione pugnant, & duces ambos interficiunt, quo facto Franci recedunt, & Nordmanni cum præda abeunt. Reg.

Michael Imperator Baſilium Cæſarem oderat, propter liberiores admonitiones. Ideò ſcurram quendam regalibus veſtibus induit, & in ſenatum inducit, vultque ut eum Cæſarem faciant, & Baſilio im-

lio imperium abrogent, ſed res impeditur. Conducit igitur quendam, qui Baſilium Lancea trajiciat: ſed & hic aberravit. Baſilius igitur, cum videret, ſe vivente Michaele vivere non poſſe, prævenire potius voluit, quàm præveniri, & Michaelem per ſuos die 24. Septembr. hora noctis tertia, ebrium occidit, cum regnaſſet cum matre annos quatuordecim, ſolus verò duodecim. Fuit autem Baſilius Macedo, natione Armenius, ſed redactus cum parentibus ad extremam inopiam cum Bulgari Hadrianopolin diriperent. Cùm igitur adoleſceret, parentibus relictis, ſolus Conſtantinopolin ivit, ubi miniſteriis & induſtria ſua effecit, ut in aulam reciperetur, ubi fortitudine & rerum agendarum dexteritate effecit, ut Cæſar adoptaretur: & ſic cum Michaele impetravit annum & menſes quatuor, ſolus verò poſtmodum annos novendecim. *Cedr.*

Photius, qui à Pontifice Romano toties damnatus erat, & qui Ignatium innocentem de ſede dejecerat, à Baſilio Epiſcopatu dejicitur, & Ignatius revocatur, qui priſtinæ ſedi reſtituitur, die 23. Novemb. feria prima. Inde ambo, & Ignatius, & Baſilius. literas ſcribunt ad Nicolaum Pontificem, quæruntque quid de lapſis, & de iis quos Photius ordinaverat, faciendum ſit: quibus reſpondit poſtea novus Pontifex Hadrianus. *Baron.*

Baſilius convocatis Statibus imperii oſtendit ærarium Imperatoris exhauſtum eſſe, & omnes theſauros in mimos & ſcurras effuſos, qui decernunt omnia hæc Reipub. reſtitui debere. Baſilius tamen mitiùs cum ipſis agit, & dimidiam partem tantùm repoſcit. Inde edicit, ut Juſtitia ubique rectè adminiſtretur, & ipſe per ſe omnium rerum eſt arbiter. Cedr.

Papa Nicolaus, cùm ſediſſet annos novem, & menſes ſex, moritur, die 13. Decemb. Succedit ſtatim *Hadrianus* II. natione Romanus, qui ſedet annis quinque. In ipſa conſecratione *Lambertus* Dux Spoletanus Romam cum militum manu ingreditur, eamque diripit; propter hanc cauſam à Ludovico Imperatore Ducatu pellitur. *Anaſt.*

Annus Hegiræ 254. incipit die 31. Decembr. fer. 5.

ANNO MUNDI 4817. Poſt C. 868.

D.C. ☉ 9. ☽ 14. *Ind.* 1.

Hadrianus Papa Epiſcopum Trevirenſem excommunicatione ſolvit, (qui tamen paulò pòſt moritur) ut & Waltradam, pœnitentiam ſimulantem, interceſſione motus Ludovici Imperatoris, menſe Febr. *Baron.*

Primo anno Baſilii Saraceni Raguſium *Dalmatiæ obſident, & machinis etiam oppugnant, cives ærumnis diu toleratis, tandem cum Michael occiſus eſſet, ad Baſilium legatos mittunt, à quo impetrant auxilia centum naves, atque hanc ob cauſam Saraceni obſidionem ſolvunt.* Cedr.

Annus Jezdegird. 237. incipit 18. April. fer. 1. Armen. 317. die 21. April. fer. 4.

Lotharius frater Imperatoris, cum tandem impetraſſet à Pontifice, ut ſibi liceret Romæ eſſe, Romam venit menſe Julio: ubi audita cauſa, jurat, ſe, ex quo juſſus fuerat Waldradam rejicere, & Teutbergam recipere, cum Waldrada commercium non habuiſſe, nec impoſterum habere velle, & ad hoc teſtificandum & probandum ſacra Synaxi utitur una cum ſuis optimatibus, addita horribili execratione. Inde Roma diſcedens Placentiam venit die 8. Auguſti, feria prima ubi hora diei nona peſte corripitur, & moritur ſequenti die, hora ſecunda. Omnes ipſius optimates ferè ſimul perierunt. *Regin.*

Annus Alexand. 1180. *Antioch.* 917. *& Conſtantinop.* 6377. *incipit à Calend. Octob.*

Hadrianus *Papa ſcribit ad Carolum Galliæ & Ludovicum Germaniæ regem, ut Lotharii defuncti regnū invadere velint, cum id pertineat ad Ludovicum Imperatorem, in debellandis Saracenis jam occupatum, ſi contra fecerint, minatur excommunicationē.* Baron.

Dani iterum Angliam vaſtant: Edelredus cum fratre acriter ipſis reſiſtit, nec tamen eos inſula pellere potuit, ſed hyemant ibi, & Merciorum rex ſibi metuens pacem iis facit. *Rogerius.*

Annus Hegiræ 255. incipit die 20. Dec. fer. 2.

ANNO MUNDI 4818. Poſt C. 869.

B. ☉ 10. ☽ 15. *Ind.* 2.

Annus urbis cond. 1621. *Iulianus* 914.

Æra Hiſpan. 907. *Auguſtorum* 896.

Annus Nabonaſſaris 1617. *& Philippi* 1193. *incipit die* 18. *Jan. fer.* 3.

Dani in Northumbriæ fines redeuntes, toto anno eos deprædantur. Roger.

Baſilius Imperator Orientis, cum filios, Conſtantinum, & Leonem, & Alexandrum, Cæſares creaſſet, & Stephanum filium minimum Eccleſiaſticorum collegio adſcripſiſſet, in Saracenos movet, plurima caſtella evertit, & tandem cum Euphratem tranſiſſet, Samoſatam & multas alias urbes capit, & magnâ prædâ captâ revertitur. Inde auxilia mittit in Italiam, quibus addit Sclavos & Raguſios, ad Saracenos debellandos in Italia per Ludovicum Imperatorem, & Baris ibi capitur & Soldanus Saracenorum captivus ad Ludovicum deducitur. *Cedr.*

Baſilius idem, cùm venatum abiret, à cervo cornibus magno cum vitæ periculo ſublimis attollitur: Satelles accurrit, & ut Imperatorem liberet ilico zonam gladio diſcindit, ſed malam inde recipit gratiam, quòd enim ſtrinxiſſet ferrum in Imperatorem, capitis pœnam ſubiit. *Zonar.*

Elmuſtein à *Turcomannis occiditur anno Hegiræ* 255. *cui ſuccedit Mutadi filius, qui regnat tantum annum unum. Eodem tempore Turcomanni regem Ægypti, & omnis Syriæ faciunt* Tolonem, *qui regnavit annis* 15. Zacuthi.

Olympias 412. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 1645.

Annus Diocletiani 586. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Baſilii Imp. annus 3. *incipit in Septemb.*

Ludovici 15. *in Octob. Hegiræ* 256. 9. *Dec. fer.* 6.

Sclavi Bavariam vaſtant multipliciter, quibus Ludovicus præſidia opponit, at illi inde deflectentes cum Sorabis Thuringiam aggrediuntur. Ludovicus igitur rex Germaniæ, tripartito exercitu Sclavos invadit, & Ludovicum filium contra Sarabos mittit, Carolomannum verò in Auſtriam, & Carolum filium contra Bohemos, ubique locorum res ex ſententia geſta eſt, & exercitus divites ſpoliis revertuntur. Interim Ludovicus pater graviter ægrotat: ideo Carolus Calvus rex Galliæ, dum exercitus Ludovici etiam abſunt, Lotharii hæreditatem invadit, diſſuadentibus Conſiliariis, ſed ſuo conſilio uſus Metim venit 5. Septemb. & die 9. Septem. rex Lotheringiæ coronatur. Ludovicus tamen de diviſione hac legatos ad fratrem mittit. *Aimoin.*

Conci-

Concilium Oecumenicum octavum Conſtantinopoli celebratum in cauſa Ignatii & Photii Patriarcharum. Cœptum Octob. fer. 4. idq; protactum eſt uſque in ſequentem annum. *Baron.*

Annus Hegiræ 256. incipit die 9. Decembr. fer. 6.

ANNO MUNDI 4819. Poſt C. 870.
A. ☉ 11. ☽ 16. *Ind.* 3.

Ludovicus rex, ut convaluit, die 2. Febr. Francofurtum abit, ubi Lotharii miniſtros ſuæ aulæ aſcribit, & inde legatos mittit ad Carolum fratrem, de occupata Lotharingia. Carolus, qui tum metuebat potentiam Ludovici, victis Sclavis auctam, promittit partem Lotharingiæ Ludovico. Annal. Fuld.

Concilium Conſtantinopol. finitur, in quo Photius condemnatus eſt, & cultus imaginum ſtabilitus. Eodē tempore Ludovicus Imp. miſit legatos Conſtantinop. offerens Conſtantino filio Baſilii, filiam ſuam uxorem, ſed impeditur res, quod Baſilius nollet Ludovico tribuere titulum Imperatoris, & deinde, quod controverſia non levis incidebat de Bulgaria, an Romanæ, an verò Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ addi deberet, cum utraque eam ad ſe traheret. Legati Pontificis, qui in concilio fuerant, tandem dimiſſi à Sclavis intercipiuntur, omnibus ferè libris, quos ſecum habebant, amiſſis, tandem ſequenti anno liberantur, & Romam redeunt. *Baron.*

Zuendeboldus *nepos Raſtici Sclavi, veritus potentiam Caroli, ſed dedit Carolomanno. Avus propterea iratus nepoti Zuendeboldo inſidias ipſi tendit, ut capiatur, ſed iisdem inſidiis ipſe capitur, & Zuendeboldo à Carolomanno avi regnum cum omnibus theſauris datur. Raſticus enim toties fœdifragus, ſententia Francorum damnatus, oculis privatus fuerat. Nec tamen Zuendeboldus amicitiam fideliter coluit, ſed deprehenſus coquere belli conſilia, adhuc hoc anno carceri mancipatur: ſequenti tamen anno, datis obſidibus in regnum remittitur.* Annal. Fuld.

Carolomannus filius Caroli Calvi, deprehenſus, quòd inſidias parenti ſtruxiſſet, Abbatiis, quas habebat privatur, & Sylvanectæ cuſtodiæ mancipatur, qui appellat ad Pontificem Hadrianum, qui menſe Julio in Carolomanni & Ludovici Imperatoris cauſa, propter occupatam Lotharingiam legatos & literas ſatis minaces ad Carolum, Ludovicum, Epiſcopos ad aulicos ſcribit. *Baron.*

Ludovicus rex, & frater Carolus conveniunt Flandershemii in Belgio, ubi dum conclave vetuſtate & carie conſumptum corruit, Ludovicus magnopere periclitatur. Factum id menſe Julio. Contuſio enim iſta, cum negligentius curaretur, adeò intumuit, ut jam putreſcens ſecari neceſſe eſſet, non ſine vitæ periculo. *Aimo.*

Diviſum autem ibi fuit Lotharingiæ regnum, & Ludovico acceſſit Trevirum, Utrechtum, Straſburgum, Metis, &c. Carolo verò acceſſit Lugdunum, & Friſiæ tertiæ pars. *Conſt. Imp.*

Pontificis legatio fruſtrà ferè fuit, niſi quòd Carolomannus vinculis liberatus fuit, accedente interceſſione patrui Ludovici. Epiſcopi enim de diviſione Lotharingiæ reſponderunt, nec ſuum, nec Pontificis ejus eſſe, de politicis iſtis negotiis anxiè inquirere. *Baron.*

Edmundus Orientalium Anglorum rex, cum Danis Angliam vaſtantibus prælio congredi auſus, vincitur, & ex templo, quo confugerat, extrahitur ad arborem ligatur & jaculis configitur, die 20. Nov. fer. 2. Luna 22. *Weſtm.*

Annus Hegiræ 257. incipit 29. Nov. fer. 4.

In Scotia Moniales, ne prædæ & injuriæ obnoxiæ eſſent, Danis inſulam vaſtantibus, naſum & labrum ſuperius novacula ſibi præſcindunt: Dani ſupervenientes, cœnobium primum ſpoliant, & poſtea id ſimul cum Monialibus cremant. *Weſtmonaſt.*

ANNO MUNDI 4820. Poſt C. 871.
G. ☉ 12. ☽ 17. *Ind.* 4.

Dani cum undique Anglos vaſtaſſent, etiam Anglos occidentales aggrediuntur, ſed Ethelredus, *ex novies cum ipſis hoc anno acie congreditur, & in omnibus ferè præliis vincit, ſed moritur paucis diebus poſt Paſcha, cùm annos quinque regnaſſet: Succedit* Alfridus *frater, qui regnat annis* 28. Roger.

Iſo Magiſter, qui ſcripſit vitam Othmari moritur 12. Maji.

Ludovicus *rex Carolomanno, filio primogenito, propter induſtriam quadam ſeorſim tribuerat, ideo Ludovicus & Carolus fratres patri rebellant. Pater verò omni arte eos fovet, ne regnum inteſtinis diſcordiis labefactetur: Igitur ipſis etiam quadam munuſcula tribuit.* Annal. Fuld.

Ludovicus *Imperator die* 19. *Maji Romam venit, & ſequenti die, die Pentecoſtes coronatur à Pontifice rex Lotharingiæ, cum patrui, Carolus & Ludovicus, regnum illud inter ſe diviſiſſent.* Aim.

Zuendeboldus Sclavus, cùm in regnum rediiſſet, fide rupta, ut ignominiam carceris ulciſceretur, exercitum Carolomanni ſecurum & inopinantem invadit, Duces capit, milites ferè omnes ad internecionem cædit. Carolomannus, ut ſuos liberaret, omnes Sclavorum obſides reddere cogitur. *Annal. Fuld.*

Carolomannus, filius Caroli Calvi, regis Galliæ, à parente aufugiens, iterum rebellat, & totam Galliam vaſtat. Ideò Carolus judicium Eccleſiaſticum exquirit in Synodo, ubi Epiſcopi ipſum ex communione Eccleſiæ excludunt. Etiam ſcribunt ad Papam Epiſcopos ſingularum provinciarum cauſa ſuæ Eccleſiæ poſſe finaliter dijudicare, nec neceſſe eſſe, ut ad Papam hujusmodi controverſiæ dijudicandæ mittantur. Carolus ipſe ſcribit ad Papam, ſe non agnoſcere majorem, nec eſſe Epiſcoporum villicum, & Pontificis non eſſe imperare regibus Francorum. *Conſt. Imp.*

Ludovicus *Germaniæ rex, cum Engilberga uxore Imperatoris ita tractat, ut tandem promitteret, ſe Imperatoris ita tractat, ut tandem promitteret, ſe Imperatori, quæ ex Lotharii regno accepiſſet, reddere velle,* Aimoin.

Adalgiſus Dux Beneventanus, à Græcis ſeductus fecit Imperatori bellum, & urbes ad defectionem ſollicitat: territus tamen, adventante Imperatore cum forti exercitu, pœnitentiam ſimulat, & pacem petit, atque ita incautum Imperatorem, qui deceptus exercitum dimiſerat, capit, & ad conditiones ſibi ignominioſas approbandas, quas juramento confirmet, adigit, *Regino.*

Annus Hegiræ 258. incipit die 18. Nov. fer. 1.

ANNO MUNDI 4821. Poſt C. 872.
F.E. ☉ 13. ☽ 18. Ind. 5.

Baſilius *Orientis Imperator, legatos mittit ad Ludovicū Germaniæ regem, qui ipſum conveniant Ratiſbonæ, of-*

næ offeruntque ipſi criſtallum miræ magnitudinis, auro & gemmis exornatum, menſe Januario.

Ludovicus ex captivitate dimiſſus, Romam venit, conqueritur de fraude Adelgiſi, ubi Adelgiſus hoſtis judicatur, & Imperator à Pontifice juramento, quod in detrimentum regni & Eccleſiæ factum erat ſolvitur. Ideo Adelgiſus ſuccedit in Corcyram donec à ſequentis Pontificis interceſſione in gratiam receptus eſt. Quidam hanc hiſtoriam in ſequentem annum conferunt. *Regino.*

Annus Iezdegird. 241. *incipit die* 17. *April. fer.* 5. *Armeniorum* 321. 20. *April. fer.* 1.

Ludovicus *rex bellum Bohemis infert quatuor exercitibus, ſed primus exercitus, quòd de Duce creando diſſentieret, pulſus fugatusque eſt, alter verò exercitus cladem regerit, & reliqui etiam exercitus rem ex ſententia gerunt. Interim tamen Zuendeboldus Bavariam vaſtat.* Annal. Fuld.

Conſtantinopolitani primum *Campanis* uti cœperunt, quas dono acceperant à Venetis, *Sabel.*

Alfredus rex WeſtSaxonum in Anglia, variis modis affligitur, adeò ut primis hiſce regni annis ferè pulſus videretur regno: poſtea tamen vires ſibi acquiſivit, & regnum fortiſſimè defendit. *Roger.*

Annus Alexandr. 1184. *Antioch.* 921. *& Conſtantinop.* 6381. *incip. Calend. Octob.*

Annus Hegiræ 259. *incipit die* 6. *Novembr. fer.* 5.

Hadrianus Papa, cum ſediſſet annis quinq; moritur primo die Novemb. Succedit ipſi Johannes, qui octavus cognominatus fuit, qui ſedet annis decem, *Onufr.*

ANNO MUNDI 4822. Poſt C. 873.
D. ☉ 14. ☽ 19. *Ind.* 6.

Annus urbis 1625. *Julianus* 918.
Æra Hiſpanica 911. *Auguſtorum* 900.

Annus Nabonaſſaris 1621. *& Philippi* 1197. *incipit die* 17. *Jan. feria* 1.

Ludovicus Germaniæ rex comitia agit Francofurti, die 26. Januarii, ibi Carolus minimus filius, cum ſtruxiſſet parenti Ludovico inſidias, easq; intentiùs diſpoſuiſſet, mente movetur, & adeò inſanire incipit, ut vix à ſex validis militibus teneri poſſet. Sanitati poſtea reſtitutus, confeſſus eſt, quid cõnatus fuiſſet, hortatusq; eſt fratres, ne unquam tale quid in parentem audeant. Hic Carolus eſt, qui poſtea Imperator factus eſt, & Craſſus appellatus. *Annal. Fuld.*

Carolomannus *Calvi filius, Sylvanectæ propter rebellionem, & vaſtatam Galliam iterum in cuſtodiam datur, ubi cum conſilia belli contra parentem iniret, judicio Epiſcoporum, oculis privatur,* Aimoin.

Baſilius *rex Orientis, aſſumpto filio, expeditionem in Syriam ſuſcipit, occupat Cæſaream Cappadociæ, inde plurimas regiones, exercitu omnia vincente & excindente, adiit. In reditu cum captivi oneri eſſent, plerosque occidit, & domum rediit.* Cedr.

Locuſtæ Gallias depopulantur. Deformes fuerunt aſpectu, ſena alarum regimina habuerunt pedes ſex, dentes lapide duriores, ore lato, inteſtino diſtento, Duces ſuos præmittebant, loca viſuros & metaturos venienti multitudini. unius diei & noctis ſpatio omnia viridia in herbis & arboribus vaſtabant: cum perveniſſent ad Britannicum mare, vento demerſæ ſunt. *Aimoin. Annal. Fuld.*

Olympias 413. *incipit* 15 *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1649.

Annus Diocletiani 590. *incipit die* 29. *Aug. Baſilii Imperii ſeptimus in Septemb.*

Ludovici 19. *in Octob.*

Annus Hegiræ 260. *incipit die* 27. *Octob. fer.* 3.

Ludovicus Germaniæ rex, die 13. *Sept. coram legatis Pontificiis reſtituit Ludovico Imp. Lotharingiæ partem, quæ ſibi obvenerat, & jubet ſubditos ipſi jurare fidelitatem.* Aimon.

Rudolphus Normannus Friſiam invadit claſſe, cui Friſii fortiter reſiſtunt, & ipſum obtruncant, captos verò data pecunia dimittunt. Annal. Fuld.

Alfonſus *rex Hiſpaniæ, fines Saracenorum hoſtiliter vaſtat, & adventante hyeme exercitum ſpoliis onuſtum domum reducit.* Mariana.

ANNO MUNDI 4823. Poſt C. 874.
C. ☉ 15. ☽ 1. *Ind.* 7.

Vandali, Sorabi, & reliqui Sclavi iterum ſe regi Ludovico opponunt, ſed iis viribus cohercentur, ut omiſſo bello poſtea longo tempore paci ſtuduerint, inde Ludovicus in Italiam proficiſcitur, & Veronæ cum Imperatore Ludovico & Johanne Pontifice colloquitur. Poſt *Zuendeboldum* Sclavum, pacem petentem, & tributum offerentem, in gratiam recipit, ut Bohemos. *Annal. Fuld.*

Nordmanni Andegavenſem urbem occupant, ſedesq; ibi figunt, & inde reliquam Galliam vaſtant, Carolus aſſumto Salomone Britonum rege, diu eam obſidet. Interim audit filium ſuum Carolomannum vinculis, auxilio fratris Ludovici, ereptum in Germania eſſe, & Moguntiæ cœnobio incluſum. Obſidio tamen Andegavenſis urbis adeò urgetur, ut videretur jam capi poſſe, ſed Carolus ſumpta à Nordmannis pecunia obſidionem ſolvit, & ut Nordmanni religionem Chriſtianam diſcerent, perſuadet. *Aimoin.*

Berorredus rex Merciorum, à Danis adeò urgetur, ut regno cedat, is ergò Romam abit cum conjuge, ubi mœrore animi moritur. Dani eligunt alium regem, Ceolphum nomine. *Roger.*

Tarſenſes *Saraceni in Cilicia multum negotii faceſſunt Baſilio, ideo contra eos mittit Andream Scytham, virum acerrimum, & belli peritum, qui eos magno prælio vincit, urbem tamen propter fortiſſimas munitiones aggredi non audet. Ideo ab exercitu removetur, & alius mittitur, qui ſponderat, ſe urbem exciſurum. Sed is multa imperitè agit, & tandem ab urbe à Saracenis fugatur.* Cedr.

Toletani cladem ſuperioris anni ulturi, ditiones Alfonſi iterum vaſtant, ſed ita accipiuntur, ut eorum duodecim millia caderent, ex Cordubenſi verò exercitu multo plures. Induciæ inde fiunt in triennium, *Mar.*

Saraceni ex Africa in Italia *Salernum* obſident ibi *Abdita* in quodam templo tabernaculũ fixerat, ubi violaturus virginem, trabe delapſa examinatur, ſalva virgine. Inde alius eligitur Dux, ſed exercitu Ludovici Imp. adveniente obſidio ſolvitur *Baron.*

Dani Scotiam etiam vaſtant. Abbas in quodam cœnobio, cùm Dani in vicinia eſſent, Miſſam incipit, & Pſalmos canit, donec Dani advenirent & Abbatem cum Monachis occiderent.

Conſtantinus, Scotiæ rex, collectu exercitu pulſurus Danos, vincit eos quidem, ſed cum eos iniquo loco coactos pellere conaretur, ipſi ex deſperatione pugnantes regem trucidant, cùm annos ſedecim regnaſſet. Succedit ipſi frater *Ethus*, qui tantum regnat anno uno. *Buch.*

Annus Hegiræ 261. *incipit die* 16. *Octob. fer.* 7.

Ludovicus *rex Germaniæ, filium Carolum ad Carolum Calvum Galliæ regem mittit, de inſtituendo colloquio in quibusdam controverſiis, idque tandem habetur menſe Decembri.*

ANNO MUNDI 4824 Poſt. C. 875.

A. ☉16. ☽ 2. *Ind.* 8.

Corbienſes monachi, in Germania barbaras gentes religionem Chriſtianam edocturi, in *Rugiam* tandem veniunt, quæ mari undiq; alluitur, ubi primum benignè audiuntur. Oratorium igitur primum conſtruunt, inde templum D. Vito tutelari ſuo, ſed paulò poſt monachi illi pelluntur. Rugani autem illi, cum vidiſſent miracula ad D. Vitum facta, Vitum illum, ut Deum colere cœperunt, & ipſi gentilia ſacra inſtituerunt & victimas obtulerunt, uſq; ad tempora Ottonis primi. *Bar.*

Richildis *nova uxor Caroli Calvi abortum facit.* Aimoin.

Cometa die 6. Junii apparuit plus juſto ſcintillans, & longas comas projiciens.

Dani, *cum in Anglia per totam æſtatem vaſtaſſent* Northumbriam, *tandem eo regno etiam potiuntur, quod ſequenti anno inter ſe dividunt.* Roger.

Ethus Scotorum rex, cùm ferè annum unum regnaſſet, moritur, ſuccedit *Gregorius*, qui regnat annos octodecim. *Buch.*

Ludovicus ſecundus Imperator, cum imperaſſet annos ferè viginti, moritur menſe Auguſto, nullis relictis hæredibus, ſepelitur Mediolani, uxor ejus cœnobio ſe mancipat, cujus theſauros, quos ſecum ſumſerat, poſtea abſtulit Carolus Calvus. Papa autem ſtatim legatos in Galliam mittit ad Carolum, eumque hortatur ad ſuſcipiendum imperium. Carolus etiam ipſe evolat, & omnibus theſauris Ludovici in Italia potitur. Contra Ludovicus rex Germaniæ, ſeriùs de hiſce rebus certior factus, filium ſuum Carolomannum in Italiam mittit, qui hæc prohibeat, cui Carolus Calvus obviam proficiſcitur, humaniter eum excipit, plurimos theſauros ipſi offert, promittitque ſe nihil amplius tentaturum, ſed omnia judicio Ludovici permiſſurum, atque ita Carolomannum eludit, qui ad patrem redit. *Aimoin.*

Annus Hegiræ 263. incipit die 24. Sept. fer. 2.

Ludovicus rex Germaniæ, cum filius ita deceptus eſſet, collecto exercitu Galliam invadit, eamq; ſubjicicit. Hincmarus Epiſcopus Rhemenſis contra omnes Epiſcopos Galliæ exhortatur, ut ſint Carolo fideles: nihilominus tamen magnam partem Galliæ Ludovicus occupat, & in Gallia hyemat. Carolus verò in Italia menſe Decembri Romam properat, & in Natalitiis Chriſti proclamatur Imperator, regnatq; annis tribus. *Aimoin.*

ANNO MUNDI 4825. Poſt. C. 876.

AG. ☉ 17. ☽ 3. *Ind.* 9.

Carolus *Imperator die 5. Januarii Papiam abit, & Boſonem Ducem, virum ſtrennuum, Italiæ præficit, qui Boſo, cum Carolus abiiſſet, Hirmengardin viduam Imperatoris Ludovici ex cœnobio evocatam, uxorem ducit.* Aimoin.

Concilium, dum Imperator Papiæ eſt, celebratur, in quo Epiſcopi & Status regni Longobardorum Carolo jurarſint fidelitatem. *Conc.*

Annus Jezdegird. 245. incipit 16. April. fer. 2. Armen. 325. die 19. April. fer. 5.

Ludovicus *rex, qui adhuc erat in Galliis, exoratus à Statibus regni Gallici, ut parcat ſibi, ne ſtultitiam fratris in ſubditis ulciſceretur. Ideo ex Gallia recedit, nihilominus tamen in armis eſt,* Annal. Fuld.

Compoſt. llæ templum dedicatur hoc anno, die 7. Maji, fer. 2 Luna undecima. *Marian.*

Concilium Pontigonenſe in Galliis agitur die 21. Junii, ubi Anſegius Epiſcopus Senenſis ex voluntate Papæ, & regis Caroli, primatum obtinere conatur in Galliis & Germania, cui Archiepiſcopi reclamant, & inprimis Rhemenſis, nihil præterea actum in Synodo præterquam quod Carolus cum conjuge oſtenderit Imperatoriam majeſtatem. *Aimo.*

Carolus ex hac Synodo mittit legatos ad fratrem Ludovicum, cui *Ludovicus* itidem legatos remittit, & paulò poſt moritur, die 28. Auguſti, cum regnaſſet poſt patrem annos 36. & duos menſes: ſepelitur in monaſterio Lorch. Succedunt ipſi Ludovico in regno filii tres, *Carolomannus*, qui obtinuit Bavariam, Bohemiam, Moraviam, Auſtriam, Carinthiam, regnavitque annos tantum tres: *Ludovicus* qui obtinuit Belgium, Haſſiam, Saxoniam totam, Thuringiam, Sorabos, regnavit quæ annos quinque *Carolus Craſſus*, qui habuit Sueviam, Alſatiam, Lotharingiam, regnavitque annos undecim. *Annal. Fuld.*

Annus Hegiræ 263. incipit die 24. Sept. fer. 2.

Carolus Calvus Imperator, audita fratris morte ut patrueles ſuos regno pelleret, primum Aquiſgranum occupat, inde in Ludovici patruelis fines ingreditur, cui Ludovicus ex altera parte Rheni occurrit cum paucis, exſpectatq; exercitum: interim deprecatur per legatos vim à patruo, & ſuis jejunium incidit. Sed Carolus transmiſſo Ludovicum obruere conatur, qui tamen fortiter ſe defendit, & cum paucis magnum Caroli exercitum vincit, fugat, & in caſtris Caroli omni ejus theſauro potitur: Prælium factum 7. Octobris, prope Andernache. Richildis uxor Caroli, quæ ſecuta erat virum ad bellum, in fuga ex terrore parit. Paulò poſt prælium adveniunt & reliqui fratres, gratulanur fratri victoriam, & amicitiam, fidelitatemque invicem contra hoſtes jurant. *Annal. Fuld.* Aimoin.

Annus Alexand. 1188. Antioch. 925. & Conſtantinopol. 6385. incipit Calend. Octob.

Rollo *Danus cum Normannis ſuis in Galliam irruit, die 17. Novemb. & Carolum Imp. in tantas anguſtias redigit, ut ipſi Normanniam concederet, cum urbibus Rothomago & aliis. Hic Rollo poſtea baptiſatus eſt, &* Robertus *appellatus. Ab hoc deſcendunt Reges Angliæ hodierni.* Rogerius.

Papa Imperatorem evocat ad compeſcendos Saracenos, ſed nihil impetrat, cum Carolus ſuarum rerum ſatageret, *Baron.*

ANNO MUNDI 4826. Poſt. C. 877.

E. ☉18. ☽ 4. *Ind.* 10.

Annus urbis cond. 1641. *Julianus* 922.

Æra Hiſpan. 915. *Auguſtorum* 904.

Annus Nabonaſſaris 1625. *& Philippi* 1201. *incipit 16. Jan fer. 4.*

Dani, *cum totam ferè Angliam occupaſſent, regnum WeſtSaxonicũ etiã invadunt, & Alfredum regem prælio vincunt, & regno expellunt: pars exercitus ejus in Gallias abiit, pars cum rege ſuo ſe in ſylvis*

occultavit, donec circa Pentecoſten rex Danos ex inſidiis aggrederetur, & vinceret tanta ſtrage, ut territi religionem Chriſtianã reciperent, aut fuga in Gallias penetrarent, quas poſtea va de afflixerunt. Rog.

Papa cum magnopere à Saracenis affligeretur, auxilium & præſentiam Caroli Imperatoris ſtatim menſe Februario expetit. Cum verò Carolus differret, iterum ſcribit ad Imperatorem, ejus conjugem & Epiſcopos, mittit etiam legatos. Inde Compendii comitia aguntur, menſe Junio, in quibus filium ſuum Ludovicum regno Galliæ præficit, & tributum exigit, tam de ſubditis quàm de clericis, quod penderetur Nordmannis, & contra Saracenos uſui eſſet.

Olympias 412. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadic.* 1653.

Annus Diocletiani 594. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Carolus inchoat in Aug. annum imp. 3. *Baſilius in Sept. annum undecimum.*

Annus Hegiræ 264. *incipit die* 13. *Sept. fer.* 6.

Cum *Carolus* menſe Julio in Italiam veniſſet, cum Pontifice abit Papiam. Is ibi Boſonem creat regem, ut videretur etiam regibus imperare: inde cum audiſſet Carolomannum Ludovici filium cum exercitu Italiam invadere, exercitum quidem opponit ei, ſtatim tamen eundem revocat, & fugit Romam. *Carolomannus* autem cùm veniſſet in Italiam, nulla re geſta revertitur, territus enim fuerat mendaci nuncio, & Pontificem & Imperatorem magno exercitu advenire. *Carolus* autem inde in Gallias rediens, febri corripitur prope Mantuam, ubi pro medicamento à Sedechia Judæo accipit pulverem veneno infectam, quo poſt diem undecimum moritur, die 6. Octobris, & Vercellis ſepelitur, donec poſt ſeptennium Lutetias transferretur. Regnavit autem poſt parentem annis 37. Fuit aliàs princeps literarum amantiſſimus, & fautor eruditorum, Arabum libros curavit in latinam linguam transferri. Succedit ipſi filius *Ludovicus Balbus*, qui ſeſquiannuo ſpatio imperavit. *Aimoin.*

Papa deſtitutus jam omni auxilio, paciſcitur cum Saracenis, oblatis viginti quinq; millibus aureorum annuorum, ut pace frui liceat. *Bar.*

Sergius *dux Neapolitanus, quòd cum Saracenis ſentiret, trucidatur à fratre Epiſcopo, quem Papa propter hoc facinus magnopere laudat, & inſuper præmio afficit.* Baron.

Ludovicus *Balbus, conventu habito, ac Hincmaro Rhemorum Epiſcopo coronatur rex Galliæ, die* 8. *Decemb.* Aimoin.

ANNO MUNDI 4827. Poſt. C. 878.

E. ☉ 19. ☽ 5. *Ind.* 11.

Ludovici regis Germaniæ filii tres, partem regni, quæ Lotharii Patruelis fuerat, æqualiter inter ſe dividunt, *Carolomannus* tamen contentus regno fratribus, quæ ſibi obvenerant, donat, ad eosdem Ludovicus Imperator de pace legatos mittit. *Annal. Fuld.*

Johannes Papa menſe Aprili ſcribit Conſtantinopolin, & Ignatium Patriarcham monet, ut quos miſerat Epiſcopos in Bulgariam, intra triginta dierum ſpatium revocet, & Bulgariam Pontifici Romano relinquat: ſin hoc non fecerit, minatur ipſi excommunicationem, & depoſitionem ab Epiſcopatu. *Baron.*

Carolomannus legatos cum exercitu Romam mittit, civesq; ut ſibi fidelitatem jurent, adigit, & Johannem Pontificem in cuſtodia detinet. Pontifex contra ſacra omnia omitti jubet, & ad Ludovicum Imperatorem in Galliam fugit, & Lambertum & Adelbertum Comites, Duces Carolomanni excommunicat: ſecum autem ſumit captivum Epiſcopum *Formoſum*, quem Trecis in Gallia una cum ducibus iterum excommunicat. *Annal. Fuld. Aimoin.*

Plures adhuc Dani hoc anno in Angliam veniunt, ſed reliquis junguntur. Roger.

Annus Hegiræ 265. *incipit* 3. *Sept fer.* 4.

Alfonſus rex Hiſpaniæ Overti munitionem conſtruit contra Normannos Piratas, & templo illius loci offert crucem auream inſignem, anno regni 17. Ær. Hiſp. 916.

Ecclipſis Lunæ annotatur, quæ acciderit in Galliis hora noctis ultima, die 15. *Octob. Eaque ad haſce tabulas ibi invenitur feria* 4. *horis quatuor poſt mediam noctem. Latitudo vera Septent.* 22,30. *Semid. Lunæ* 16,7. *Summa Semid.* 58,30. *Scrup. reſidua* 36,0. *Digiti ecclipticis* 13,24. *Sol in gradu* 26. *Libræ.*

Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus moritur die 23. Octob. cum poſt reſtitutionem ſediſſet annis undecim. Succedit iterum *Photius* ille qui ſedet annis octo. *Baron.*

Ecclipſis Solis à Scriptoribus Gallis annotatur, quæ acciderit die 29. *Octob fer.* 4. *hora diei nona, quæ tanta fuerit, ut ſtellæ apparuerint. Ad haſce tabulas eadem eòdem die invenitur, ſed quæ acciderit hora ferè una poſt meridiem. Parallaxis latitudinis eſt,* 53,15. *Latitudo contra Septentr.* 55 28. *Reſtat viſa latitudo Septent.* 2,13. *Semid. Solis* 15,50. *Summa Semid* 31,50. *Scrup. reſidua* 29,37. *Digiti ecclipt.* 11,14. *Sol in* 10. *gradu Scorp.*

Ludovicus Imp. & Ludovicus ſecundus Germaniæ rex ad Gundulfi villam die primo Novemb. pacem inter ſe ſanciunt, his conditionibus: ut Lotharii regnum, ut quondam à Carolo Calvo & Ludovico rege diviſum eſſet, ita maneret. De regno autem Italiæ dividendo alio tempore ſtatueretur, interim amicitiam colerent, & alter alteri auxilio eſſet contra Normannos. *Aimoin.*

Papa Johannes aſſumpto defenſore Boſone rege in Italiam redit.

ANNO MUNDI 4828. Poſt. C. 879.

D. ☉ 20, ☽ 6. *Ind.* 12.

Ludovicus Balbus *Imperator, cùm annum unum & menſes ſex imperaſſet, & à morbo relevari non poſſet, jubet filium ſuum Ludovicum adoleſcentem regem creari, & ipſe moritur die* 10. *Aprilis, in paraſceve veſperi. Succedit in regno Galliæ filius Ludovicus, qui regnat annos tres. Proceres tamen aliquot regni evocant Ludovicum Germaniæ regem, qui Gallias obtineat, ſed Ludovicus Galliæ rex mittit ipſi legatos obviam, petitque ut memor fœderis cum parente facti in ſuo regno maneat, & offert ipſi alteram etiam partem de regno Lotharii.* Aimoin.

Johannes Papa convocat Synodum Calendis Maji celebrandam, & in literis Epiſcopos monet, ne aliquem pro Imperatore agnoſcant, cum, qui ordinandus Imperator eſt, à Papa debeat vocari & eligi. *Baron.*

Carolomannus jam defuncto Ludovico hæres erat imperii: ſed hac hyeme paralyſi correptus fuerat, & uſum loquendi amiſerat. Quapropter ipſe regnum ita depoſuit, ut *Carolo* fratri Italiam & im-

perium traderet, Ludovico vero alteri fratri Bavariam & *Arnulpho* Auſtriam & Carinthiam. *An. Fuld.*

Boſo *rex in Italia, audita morte Ludovici in Gallias abit, & Burgundiam occupare conatur, ibiq; rex inauguratur.* Regin.

Hugo *Lotarii quondam ex VValdrada filius, in Gallia tumultuatur, eum compeſcit Ludovicus, & autores hujus tumultus debita pœna afficit.* Annal. Fuld.

Normanni poſt Ludovicum Germaniæ regem defunctum, quem metuerant expeditionem in Germaniam ſuſcipiunt, quibus ſe opponunt, dum filii Ludovici in aliis rebus occupati ſunt, Saxonum Duces *Bruno & Tanquardus* & alii. Pugna accidit Calendis Auguſti, propè Luneburgum, ubi Saxones victi multitudine hoſtium internecione occiſi ſunt, cum Ducibus occiſi ſunt ſimul duodecim Comites, & duodecim Epiſcopi: ſucceſſit fratribus in Ducatu Otto filius tertius Ludolphi, pater Henrici Aucupis. *Annal. Fuld.*

Baſilius Imperator legatos mittit, petitq; à Pontifice Romano, ut Photius in communionem Eccleſiæ recipiatur, & Patriarcha confirmetur. Johannes Papa, contra Nicolai & Hadriani prædeceſſorum ſuorum decreta, abſq pœnitentia Photii, & præter jus & æquum, Photium anathemate ſolvit, & in Epiſcopatu confirmat, commendatque ipſum Imperatori, ut patrem ſpiritualem & anathemate ferit omnes, qui Photium pro legitimo Patriarcha agnoſcere non volebant. Photius tam benigna ſententia, ſublevatus, Synodum convocat, & quicquid priores Pontifices Romani in ſua cauſa conſtituerant, abrogat. *Bar.*

Annus Hegira 266. incipit die 23. Aug. fer. 1.

Tharſenſes Saraceni Euripum invadunt, ſed malè ibi accipiuntur, plærique cadunt, & claſſis deprimitur. Sic Cretenſium claſſis ſimiliter bis vincitur, primo in Ægei maris faucibus, & inde prope Corinthum. Cùm verò inſuper captivi ſuppliciis atrociſſimis interficerentur, mare Saraceni amplius tentare noluerunt. *Cedr.*

Dani, qui Angliam hactenus vaſtarant, eam jam incolere incipiunt, plurimi tamen in Belgium transeunt, & Gandavi toto anno ſubſiſtunt. Rog.

ANNO MUNDI 4829. Poſt. C. 880.

CB. ☉ 21, ☽ 7. *Ind.* 13.

Ludovicus ſecundus Germaniæ rex, in Galliam profectus, filios Ludovici Balbi in tutelam accipit, inde menſe Martio Normannos ad Scaldam fluviū vincit, quinq; millib. occiſis, in quo tamen filius Hugo cecidit. Inde pupillis ſuis Galliam diviſit & Ludovicus quidem natu major Franciam & Neuſtriam accepit, Carolomannus verò natu minor, Burgundiam & Aquitaniam. *Aimoin.*

Carolomannus *rex Auſtriæ, cum totum annum paralyticus jacuiſſet, moritur die 22 Mart.* An. Ful.

Annus Iezdegird. 249. incipit die 15. April. fer. 6.

Armen 329. 18. Apr fer 2.

Bohemi *& Sorabi certiores facti de clade Saxonum à Normannis illata, Thuringos vaſtant, & magnas prædas agunt, quos tamen Poppo comes & Marchio ad internecionem cecidit.* An Fuld.

Claſſis Saracenorum ex Africa in Græciam delata, multos captivos abducit, & claſſiarii Imperatoris metu hoſtium diffugiunt, profugos hoſce, quos potuit Imperator capit, & atroci ſupplicio afficit, quo deterriti reliqui ad officium redeunt, & Saracenos magna clade vincunt. Inde in Siciliam itum, & urbes maritimæ, quas Saraceni habebant, pleræque recuperatæ. Inde in Italia etiam hæc claſſis feliciter rem gerit, & cum multa præda ad Imperatorem revertitur. *Cedr.*

Annus Hegira 267. incipit die 11. Aug. feria 5.

Annus ſabbathicus 4. Jobelei decimi ſeptimi, incipit 8. Sept fer. 5.

Legati Pontificis ſuperiori anno malè Conſtantinopoli rem geſſerant, & Photio in omnibus, in damnando ſcilicet concilio in cauſa Photii, item improbanda ſententia Pontificum Nicolai & Hadriani, conſenſerant: Ideo Papa Johannes id improbat, & Epiſcopum Marinum nomine eò mittit qui proteſtetur de his coram Imperatore, quod & legatus facit, & propterea triginta diebus in vinculis eſt detentus. Cùm deinde legatus iterum Romam reverſus eſſet, Photius à Papa iterum excommunicatur. *Baron.*

Annus Alexandr. 1192. Antio h. 929. & Conſtantinop. 6389. incip. Calend. Octob.

Ludovicus *Germaniæ rex &* Carolus Craſſus frater, Boſonem, *qui ſe regem crearat, Francia pellunt, & Viennam obſident.* Aimoin.

Carolus Craſſus à Pontifice, Saracenis omnia prædæ habentibus, in Italiam evocatur, qui menſe Novembri in Italiam veniens, Longobardorum regnum occupat, & paucis diebus in deditionem accipit, inde Romam abit, & coronatur Imperator in feſto nativitatis Chriſti. *Aimoin.* Baronius coronationem in ſequentem annum ponit, ſed cum privilegium appoſitum datum ſit anno 884. menſe Junio, anno quarto Imperii Caroli, neceſſe eſt, ut hoc Decembri coronatus ſit.

Normanni *hac hyeme iterum Galliam vaſtant, & Noviomagum capiunt, ibiq; hyberna conſtruunt. Ludovicus hosce ejecturus, infecta re redire coactus eſt.* Annal. Fuld.

ANNO MUNDI 4830. Poſt C. 881.

A. ☉ 22, ☽ 8. *Ind.* 14.

Annus urbis 1633. *Julianus* 916.

Æra Hiſp. 919. *Auguſtorum* 908.

Annus Nabonaſſar. 1629. *& Philippi* 1205. *incipit die* 15 *Jan. fer.* 7.

Athanaſius Epiſcopus, & Dux Neapolitanus, unà cum Saracenis vaſtat Campaniam, Capuam, Beneventum, & vicina loca. Ideo à Pontifice excommunicatur, quem etſi pœnitentiam ſimularet, tamen Pontifex recipere noluit, niſi aliquot Saracenos & cepiſſet & interfeciſſet, & obſides daret de Saracenorum amicitia vitanda. *Bar.*

Ludovicus *in Galliam profectus, Hugoni VValdradæ filio dat aliquot Comitatus.* Annal. Fuld.

Ludovicus Balbi filius egregiè cum Normannis pugnat, ſed falſo nuncio territus recedit. Normanni igitur reparato exercitu, & accerſito equitatu, Ludovici regis Germani ditiones aggrediuntur.

Olympias 415. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1657.

Annus Hegira 268. incipit die 1, Aug. fer. 3.

Eclipſis Solis annotatur, quæ acciderit die 18. Auguſti, in Annal Franc. & ea quidem ita invenitur die 28. Auguſti, fer. 2. hora 3, 23. minut. poſt meridiem. Parallaxis latit. 24, 53. Latitudo vera Septentr. 24,

 21. *Viſa*

21. *Viſa auſtralis* 18.32. *Semid. Solis* 15,19. *Summa Semid.* 29.59. *Scrup. reſidua* 11,27. *Digiti ecclipticì* 4.28. *Sol in* 10. *gradu Virg.*

Annus Diocletiani 598. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Baſilius Imp. orientis inchoat annum imperii 15. *circa Sept.*

Normanni Neumagium occupant, Ludovicus eos ejicere conatur, ſed fruſtra. Obſidione tamen fatigati, conditionem offerunt, ſi obſidione liberentur, ſe ſponte ex Germania abituros. Sed cum hoc conceſſum eſſet, ipſi contra datam fidem Neumagium urbem exurunt, una cum palatio. Inde in Ludovici Germaniæ regis ditiones progreſſi, *Cameracum, Trajectum, Aquiſgranum. Coloniam,* & alias urbes incendiis vaſtant. Ludovicus dum ægrotabat, nihilominus tamen exercitum collegit, menſe Decembri.

ANNO MUNDI 4831. Poſt. C. 882.

G. ☉ 23. ☽ 9. *Ind.* 15.

Cometa apparuit die 18. *Januarii cum prolixa cauda,* & Ludovicus rex Germaniæ moritur paucis dieb. poſt, ſepeliturq; in Cœnobio Lorch apud patrem, regnarat annos ſex. Ideo ipſius exercitus Normannis oppoſitus, cum non eſſet, qui ſolveret ſtipendium dilabitur. Eorum veſtigia ſecuti Normanni, longius in Germaniam progrediuntur, Confluentiam cremant, & Treviros urbem die 5. Aprilis incendunt, ubi Epiſcopus Metenſis, cum eis reſiſtere conaretur, in prælio cadit. *Sigeb.*

Carolus Imperator in tantis turbis in Germaniam redit menſe Majo, & primum ditiones Ludovici occupat, ſibique fidelitatem jurare jubet. Inde unà cum Arnulpho, ſed diverſis exercitibus, contra hoſtes proficiſcitur, eosque obſidet. Cum verò ſimul ingentes ſubortæ eſſent tempeſtates, & grandine ingenti caſtra Caroli turbata eſſent, pax Normannis offertur hac conditione, ut Chriſtianam fidem colant, à vaſtationibus abſtineant, & Friſiam ſibi habeant, Duxq; Godefridus Lotharii defuncti filiam uxorē accipiat. *Annal. Fuld.*

Annus Hegiræ 269. *incipit* 21. *Jul. fer.* 7.

Ludovicus *Caroli Calvi filius, rex Galliæ, moritur die* 20. *Auguſti, cum ferè quatuor annos regnaſſet, ſuccedit ipſi Carolomannus frater.* Aimoin.

Albatenius *Aſtronomus obſervavit æquinoctium autumnale die* 19. *Elul ſive Septemb. Anno Philippi* 1206. *die* 8. *Pachon horis* 12.36. *min. poſt meridiem, h.e. minutis* 36. *poſt mediam noctem. Si accidit æquinoctium die octavo Pachon fer.* 4. *ergo annus* 1206. *incipit die* 15. *Januarii fer.* 2. *Demonſtratur etiam hoc modo. Dicit enim Albatenius; inter obſervationem Ptolomæi, quæ accidit anno Philippi* 463. *& hanc, intereſſe annos æquabiles* 743. *dies* 178. *horas* 17. *& minuta* 24. *Facta autem eſt Ptolomæa obſervatio anno Philippi* 463. *die* 9. *Athyr, hora una poſt ortum Solis, h.e. prateriérant ex annis Philippi, anni* 462. *dies* 68. *& horæ novendecim. His ſi addas differentiam obſervationum, annos Ægyptiacos* 743. *dies* 178. *& horas* 17,36. *minut. conficies annos* 1205. *dies* 247. *horas* 17,36. *minut. Si ad tabulas noſtras æquinoctium inquiras, invenies illud confectum, die* 19. *Septemb. fer.* 4. *horis* 3. *poſt mediam noctem in Arabia, atq; ita obſervatio poſterior eſt horis* 22. *ferè. Quod verò additur, factam anno Alexandri Dhilcarnaim* 1194. *mendum videtur. Cùm is annus incipiat ſequentibus Calendis Octobris, & ſcribendum anno* 1193. *Dhilcarnaim, die* 19. *Elul.*

Saxones cum Thuringis bello decertant, concitantibus bellum Poppone Thuringo, & *Egınone* Comitibus. Poppo cum Thuringis inferiores partes tulit. *Annal. Fuld.*

Carolus *Wormatiæ comitia agit, ubi Boſo rex & Hugo Waldradæ filius ſe dederunt.*

Johanni octavo Papæ venenum propinatur, inquiunt Annales Fuldenſes, cum verò id minus efficax eſſet, malleolo illius cerebrum diſcutitur, & moritur die 15. Decembris, cum ſediſſet annos decem, ſuccedit ipſi die 18. Decemb. *Marinus* Galleſianus Faliſcus, qui ſedit annum unum, & menſem unum. *Onufr.*

ANNO MUNDI 4832. Poſt. C. 883.

F. ☉ 24. ☽ 10. *Ind.* 1.

Formoſus Epiſcopus Portuenſis, vir inſignis, qui Papam Johannē liberiùs taxaverat, cum aut contra anteceſſorum ſuorum ſtatuta, aut aliàs remiſſius ageret, rebellis à Papa habitus fuerat, ac proinde remotum eum ab Epiſcopatu Johannes excommunicaverat, & in vinculis habuerat, is ut fidelis defenſor ſedis Apoſtolicæ, à Marino Papa abſolvitur, & in priſtinam dignitatem reſtituitur. *Baron.*

Carolus Imperator, cum Paſcha Ratisbonæ egiſſet, in Italiam properat, ubi Wido Comes Tuſciæ majeſtatis accuſatur. Pœnam fuga evitat, & ad Saracenos ſe confert, fœdusq; cum ipſis facit, ut in Ducatum reſtituatur. *Annal. Fuld.*

Sigfridus, alter Normannorum Dux, cum quadraginta millib. militum Lutetias obſidet, ſed Otto Comes, & poſtea rex, fortiſſimè ipſis reſiſtit. Nihilominus reliqui Nordmanni Galliam undiq; vaſtant, *Aimoin.*

Dum Carolus in Italia abeſt, Sclavi Bojariam & Auſtriam crudeliſſimè vaſtant. *Annal. Fuld.*

Ecclipſis Lunæ obſervata eſt Albategnio Aſtronomo, quæ acciderit anno Dhilcarnaim 1194. *die* 23. *menſis Tamuz horis poſt meridiem octo. Eaq; ſic invenitur in* 23. *Julii fer.* 3. *ad noſtras tabulas quidem hora quinta poſt meridiem, ſed horis tribus Babylon orientalior eſt Lipſia, atque ita convenit. Latitudo meridionalis* 31,11. *Semid. Lunæ* 17,21. *Summa Semid.* 62,47. *Scrup. reſidua* 31,36. *Digiti eccl. undecim. Sol in gradu* 4. *Leonis. Mendum tamen eſt, quod dicitur accidiſſe anno Philippi* 1206. *cum ſit annus* 1207. *ut ex præcedenti anno patet.*

Annus Hegiræ 270. *incipit die* 10. *Jul. fer.* 4.

Tolon Amiras Ægypti, cum annos 15. regnaſſet, moritur; Succedit *Hamarıa* filius, qui regnat annos 19. *Zacuthi.*

Bellum Thuringorum cum Saxonibus recrudeſcit, & Thuringi iterum Saxonibus inferiores ſunt. *Annal. Fuld.*

Johannes Scotus, vir in omni doctrinarum genere præclarè doctus, linguarum ſtudia *Oxoniæ* propagavit, ubi cum recreationis gratia in cœnobium Melmesburienſe veniſſet, & monachos ob ignorantiam & ignaviam acrius reprehendiſſet, ſtylis confoditur. *Weſtmon.*

Photius Conſtantinopoli ſcribit de proceſſione Spiritus ſancti, & negat Spiritum ſanctum ex filio procedere poſſe. Papa igitur, quod antea Romæ nondum factum fuerat, in Symbolo Niceno addi voluit, ut in Gallis, Hiſpaniis & Germania uſitatum fuerat, vocabulum *Filioque Baron.*

ANNO MUNDI 4833. Poſt. C. 884.

ED. ☉25. ☽ 11. *Ind.* 2.

Marinus Papa, cum ſediſſet annum unum & menſem ferè, dum in Germaniam ad Imperatorem properat, in medio itinere in morbum incidit, & moritur die 18. Januarii hujus anni: (*Annales Fuldenſes*, qui hoc tempore ſcripti ſunt, mortem ejus conjiciunt in annum ſequentem) Succedit ipſi *Hadrianus* tertius, Romanus natione, qui ſedet annum unum, menſes tres. *Baron.*

Annus Jezdegird 253. *incipit die* 14 *April. feria* 3. *Armen.* 333. 17. *Apr fer.* 6.

Annus Hegiræ 271, *incipit die* 29. *Jun. fer.* 2.

Pandolphus Dux Capuæ perſequitur Cajetanos bello, qui viribus impares, Saracenos ſibi jungunt, & in urbem recipiunt, qui ita fixam ſedem habentes, totis quadraginta annis Italiam afflixerunt. *Caſſ.*

Carolus Imp. dum in Germania eſt, exercitum Bavarorum in Italiam contra Guidonem mittit, ipſe in Auſtriam cum exercitu proficiſcitur, auxilia adducturus Arnulpho patrueli, contra Zuendeboldum, qui multas turbas in Auſtria ciebat, quibus feliciter ſedatis in Italiam redit, & intercedentibus aliis Guidonem in gratiam recipit, inde in Germaniam redit. *Annal. Fuld.*

Annus Alexand. 1196. *& Antioch.* 933. *Conſtantino.* 6393. *incipit* 1. *Octob.*

Normanni *cum a Galliis vaſtandis abſtinere nollent, Carolomannus ipſis pecuniam offert, atque ita duodecim argenti probati millibus acceptis pacem duodecim annorum promittunt, & recedunt.* Sigeb.

ANNO MUNDI 4834. Poſt. C. 885.

C. ☉26. ☽ 12. *Ind.* 3.

Annus urbis cond. 1637. *Julianus* 930.

Æra Hiſp. 923. *Auguſtorum* 912.

Carolus Craſſus init Imperii annum 5. *Regni nonum, ſed menſe Aug.*

Annus Nabonaſſaris 1633. *& Philippi* 1209. *incipit die* 24. *Jan. fer.* 5.

Carolomannus rex Galliæ, cum à pacificatione cum Normannis domum reduxiſſet, in venatione ſeſe oblectaturus, caſu vulneratur. Dum enim aprum interficere tentat, à ſatellite, qui auxilium ferre volebat, in tibia vulneratur, ex quo vulnere die ſeptimo moritur, cum poſt parentem regnaſſet annis ſex. Succedit ipſi filius *Ludovicus*, qui, quod nihil ageret, nomen ignavi accepit, abduxit tamen hic monialem ex cœnobio, & ſibi connubio junxit. Supererat tamen adhuc frater Carolomanni Carolus Simplex, puer ſex vel ſeptem annorum, qui ſuam portionem regni habebat, cujus tutor à proceribus regni conſtituitur Otto Comes Andegavenſis, Saxonicæ nationis. *Aimoin.*

Hadrianus Papa, cum ſediſſet annum unum, & menſes tres, moritur die 9. Maji: Succedit *Stephanus* V. homo nobilis & dives, qui, quod ſede vacante atrium pontificum ſpoliatum fuerat, ut ſemper fieri conſueverat, de ſuo pauperes alere coactus eſt, cum fortè magna fames ſimul ingruiſſet. Sedit autem annos ſex. *Baron.*

Annus Hegiræ 272. *incipit die* 18. *Junii, fer.* 6. *Olympias* 417. *incipit die* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1661. *Annus Diocletiani* 602. *incipit die* 29. *Auguſti. Baſilius Imperator inchoat annum imperii* 19. *circa Septemb.*

Leo *filius Baſilii Imperatoris calumniis petitur à quibusdam, adeò ut carceri includatur, cum tamen nihil feciſſet, niſi quod pugionem ſecum in venationem ſumſiſſet, quod ſui interficiendi cauſa factum eſſe Baſilius ſuſpicatus eſt.* Zonar.

Hugo Waldradæ filius poſt Carolomannum defunctum, de occupanda Gallia conſilia agitat, verum cum ipſe infirmior eſſet viribus, Godofridum affinem ſuum Normannum in Friſia ſocium aſſumit, ut ſibi eſſet auxilio, & pro præmio accipiat dimidium regni. Godofridus ne videatur contra fœdus facere, & bellum Carolo Imperatori inferre; petit ſibi ab Imperatore quædam loca tribui, quæ eſſent vini feracia, cùm in Friſia vinum non eſſet. Carolus, qui jam ſenſerat dolum & conſpirationem, utrique ſtruit inſidias, & Godefridum quidem trucidari jubet, ſed Hugonem Waldradæ filium per Henricum comitem captum, oculis privari jubet, & in monaſterium detrudi. *Regino.*

ANNO MUNDI 4835. Poſt. C. 886.

B. ☉27. ☽ 3. *Ind.* 4.

Status regni Galliæ, cum nec Ludovicus, nec Carolus Simplex ad juſtam ætatem perveniſſent de gubernatore regni deliberant, & tandem eligunt proregem Othonem *filium Roberti Comitis Andegavenſis, ex Saxonum progenie, virum militarem & ſtrenuum.* Compendii Abbas St.

Baſilius Imperator, cùm annos 19. poſt Michaelem ſolus imperaſſet, & filium ex carcere & ſuſpicione liberaſſet, & ad gubernandum imperium fidelibus præceptis informaſſet, moritur circa initium menſis Martii: ſuccedit enim ipſi filius Leo, qui imperavit annos 25. & menſes tres, & mortuus eſt die 11. Junii, Anno 911.

Normanni iterum in Galliam expeditionem ſuſcipiunt, eam miſerabiliter vaſtant, & fœderis ac induciarum duodecennalium admoniti, reſpondent: ſe cum rege Carolomanno, non cum populo fœdus feciſſe, & rege ex humanis exempto fœdus eſſe ſolutum: Atque ita vel pecunias undiq; extorquent, vel incendiis, rapinis & cædibus omnia vaſtant. *Regino.*

Circa hæc tempora Scythicæ nationes finibus ſuis egreſſæ, provincias eas permiſſu Imperatoris Conſtantinopolitani occupant, quæ ab ſuo ipſius nomine *Croatia* & *Servia* dictæ ſunt. Ipſi enim Croatæ & Servii appellabantur. *Curopalat.*

Leo novus Imperator Photium Patriarcham, quod de cognato ſuo ad imperium evehendo conſilia agitaret, Epiſcopatu, quem annis octo adminiſtrarat, deponit, & fratrem ſuum *Stephanum*, qui tamen ſub Photio clericus factus erat, Patriarcham facit: Id verò ut fieri poſſit, Leo ſcribit ad Papam Romanum: ſedit autem Stephanus hic annos duos & aliquot menſes. *Curop.*

Annus Hegiræ 273. *incipit die* 8. *Jun. fer.* 4.

Carolus Craſſus Imperator evocatur à Pontifice in Italiam, qui aliquot Epiſcopos Galliæ ſecum ad Papam educit, qui ſedibus ſuis a Normannis ejecti erant, quibus Papa de aliis Epiſcopatibus proſpicit. *Annal. Fuld.*

Berengarius *Dux Forojulii, Epiſcopum Gradenſem bello affligit, quæ res ſequenti anno ab Imperatore componitur.* Annal. Fuld.

Carolus *Craſſus, cùm in Germaniam rediiſſet,* Ludovicum *Comitem præficit Thuringiæ, cui ipſe & filius & nepos poſtea præfuerunt. Nepos enim ſub Henrico Aucupe ab Hungaris caſus eſt.* Chyt.

Guido *Dux Longobardiæ contra Leonem Orientis imperatorem inſurgit, & ejus Ducem ex Italia circa has tempora pellit.* Zonar.

ANNO MUNDI 4836. Poſt. C. 887.
A. ☉ 28 ☽ 14. *Ind.* 5.

Nordmanni, quòd fluviis adjuvarentur, Pariſiorum urbem cingunt & obſidione ferè annua premunt. *Henricus* Brabantius, vir bello egregius, eam ſoluturus, dum explorat aditum, fraude hoſtili in foveas paleis repletas cum exercitu incidit, & trucidatur: Igitur Carolus Imperator magno cum exercitu Gallis auxilio advenit, ſed cum iiſdem pugnare non auſus, tandem eò decurritur, ut Neuſtria, quæ olim promiſſa, & Normannia nominata, ipſis plenariè dederetur, cùm Incolæ illius regionis cum Carolo rebellarent, quo facto Normanni hi quieverunt, ſed alii hac luculentâ promotione illecti, finibus ſuis egreſſi idem ſequentibus annis tentarunt. *Regin.*

Annus Hegiræ 274. *incipit die* 28. *Maji. fer.* 1.

Guido *Dux* Logobardorum, cum multa, quæ Imperatoris Orientis erant, occupaſſet, plura erepturus videbatur. Ideò Leo Imp. mittit Conſtantinum cum exercitu, qui malè rem gerit, & deleto ſuo exercitu, vix evadit. *Cedr.*

Annus ſabbathicus quintus Jobelei 17. *incipit die* 21. *Sept. feria* 5. *Anno Jud.* 4648.

Sub idem tempus inquit Cedrenus, Sol hora diei ſexta adeò defecit, ut ſtellæ viderentur: Ecclipſis tanta, quantam Cedrenus voluit, hoc anno non invenitur in hiſce tabulis. Accidit quidem Ecclipſis Solis die 20. *Octob. fer.* 6. *hora diei ſeptima ferè, ſed digiti eccliptici nondum quinque inveniuntur:* Fortaſſis mendum eſt in numeris, & intelligit eam poſt triennium.

Muhamed rex Cordubæ in Hiſpania, cum regnaſſet annos 35. moritur, anno Hegiræ 274. Succedit ipſi filius *Almondar*, qui tantum duobus annis regnavit. *Roder.*

Menſe Novembri Franci, Saxones & Thuringi Carolum Craſſum Imperatorem deſerunt, quod Normannos benigniùs habuiſſet, quod corpore ferè ægrotaret, quod uxorem falſo adulterii accuſaſſet, & inprimis, quod animo collaberetur, & *Arnulphum* Carolomanni filium nothum, Ducem Auſtriæ & Carinthiæ Imperatorem eligunt. Judicium horum ſequuntur etiam alii Status, ut & aulici, ut Carolus planè ſolus relinqueretur, adeò ut de victu etiam ferè deſperaret, niſi Luidvvertus Epiſcopus Triburienſis, ubi in comitiis hæc fiebant, ipſi de victu proſpexiſſet, & Arnulphus etiam ejus aulam ſuppeditatis ſumptibus ſuſtentaſſet *Reg.* Imperavit autem Arnulphus annos ferè duodecim.

ANNO MUNDI 4837. Poſt. C. 888.
GF. ☉ 1. ☽ 15. *Ind.* 5.

Carolus Craſſus Imperator, poſt ſex hebdomadas remotionis ab imperio, moritur, die 13. Januarii. Primum hunc fuiſſe, qui in actis ad numerum annorum regni, etiam adjecerit annos *Æræ Chriſtianæ*, teſtatur *Aventinus*.

Venetiis *turris quadrata pope Baſilicam D. Marci lata pedum* 40. *ædificari cœpta.*

Annus Jezdegird. 257. *incipit* 13. *April. fer.* 7. *Armen.* 337. *die* 16. *April. fer.* 3.

Annus Hegira 275. *incipit* 16. *Maji fer.* 5.

Aurelitis in Gallia imago Salvatoris aliquot diebus lachrymas emittere viſa eſt, & paulò poſt lupus templum ingrediens campanæ pulſum arrepto fune concitavit, & ſequenti anno urbs tota cum omnibus templis exuſta eſt. Epiſcopus verò dum fundamenta jacit novi templi, magnum invenit theſaurum. Habet nomen hæc urbs, ut putatur, à Ligeri flumine, quaſi os Ligeris Glaber, qui vixit circa annum 1033.

Stephanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum ſediſſet annos duos, moritur, ſuccedit ipſi *Antonius* qui itidem duos annos ſedit. *Cedr.*

Arnulphus Ratisbonæ comitia agit, ubi dum otioſè tempus terit, *Berengarius* Dux Veronenſis, qui Ducatum Forojulianum regebat, ſe regem Italiæ facit. Quidam tamen præferunt *Guidonem* filium Lamberti, Ducem Spoletanum & hunc etiam regem faciunt. Hinc bellum ſequentibus annis ortum, quo Guido victor extitit, & Berengarium Italia exegit. Sic Rudolphus filius Conradi occupata. Burgundia etiam ſe regem creat. Similiter Ludovicus filius Boſonis, & Guido filius Lamberti in Gallia, Galliam Belgicam, & Provinciam ſub regio titulo occupant, & Otto prorex in Gallia Aquitaniam ſibi ſumit, qui ut eam pacificè haberet, fidelitatem Arnulpho jurat, idem facit etiam Rudolphus & Berengarius, quibus Imperator, quæ ſibi ſumſerant, concedit, quòd exercitum tum temporis non haberet. Atque ita regnum Caroli Craſſi in plurimas partes laceratū eſt. *Annal. Fuld.*

Annus Alexand. 1200. *Antioch.* 937. *& Conſtantinopol.* 6397. *incipit* 1. *Octob.*

Almondar, rex Saracenorum, Cordubæ in Hiſpania anno Heg. 275. moritur, cùm ferè biennium regnaſſet, ſuccedit *Abdalla*, qui regnat annis 25.

Simeon *Bulgariæ princeps, quòd ſui mercatores vectigalibus Theſſalonicæ gravarentur, Leoni Imperatori Orientis infert bellum, ejusque Duces vincit in Macedonia.* Cedr.

ANNO MUNDI 4838. Poſt. C. 889.
E. ☉ 2. ☽ 16. *Ind.* 7.

Annus urbis 1641. *Julianus* 934.
Æra Hiſp. 927. *Auguſtorum* 916.

Annus Nabonaſſaris 1637. *& Philippi.* 1213. *incipit* 13 *Jan. fer.* 2.

Leo Imperator Hungaros gentem Scythicam evocat contra Bulgaros, qui jam Græciam miſerè vaſtabant, nec Hungari, novarum ſedium cupidi, plurimos capiunt, quos Imperatori Leoni vendunt. Hac clade fractus Simeon pacem à Leone petit, donec Ungari receſſiſſent. *Cedr.*

Leo Imp. inchoat annum imperii 4. *menſe Junio.*

Olympias 417. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1665

Annus Diocletiani 606. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Arnulphus inchoat annum imp. tertium menſe Novemb.

Obetriti *Vandali tumultuantur, contra hosce jubet Arnulphus educi exercitum, ſed nihil ferè efficitur.* Ann. Fuld.

Guido rex Italiæ, Berengarium regem Forijulii bis prælio vincit, & Lombardia expellit, qui fugiens in Germaniam venit, & Arnulphum de reſtitutione ſollicitat. Annal. Suev.

ANNO MUNDI 4839. Poſt. C. 890.
D. ☉3. ☽17. *Ind.* 8.

Antonius Patriarcha Conſtantinopol. cùm ferè biennium ſediſſet, moritur die 14. Februarii; ſuccedit *Nicolaus cognomento Myſticus*, ab officio primario, quod olim obierat in aulâ, ſic dictus; qui ſedet annis undecim. *Baron.*

Annus Hegiræ 277. incipit die 25. Aprilis, fer. 7.

Simeon Bulgarorum princeps, cùm Hungari abiiſſent, iterum contra Imperatorem Leonem inſurgit, cùm Imp. ut pax conciliari poſſet, omnes captivos Bulgaros, quos ab Hungaris emerat, gratis reddit. *Cedr.*

Arnulphus Imperator, ut ſe amicitiis muniret, amico ſuo Zuendeboldo Duci Moraviæ, homini non ſatis bonæ fidei, donat regnum Bohemiæ; quo facto infido huic amico potentiam auget, & ad rebellionem vires addit. *Sigeb.*

Northmanni vaſtant Britannos in Galliâ, Dux eorum Alanus vovit votum, ſi hoſtes viciſſet, ſe decimas bonorum ſuorum D. Petro oblaturum; atq; ita fortiſſimè cum iis pugnat, ita ut ex quindecim millibus vix quadringenti effugerent. Regin.

Stephanus Papa, cùm ſediſſet annos quinque, & aliquot menſes, moritur. Dies mortis ejus ignoratur, & etiam multa alia. Nam Scriptores Pontificii hoc tempore magnoperè diſſident in recenſendis Pontificibus, cum alii aliis ſucceſſiſſe ſcribunt; in hôc tamen conſentiunt, quòd quidam horum fuerint homines ſceleratiſſimi: Succedit ſecundùm Baronium, Formoſus Epiſcopus Portuenſis, contra quem electus eſt *Sergius* Diaconus. Cùm autem pars, quæ Formoſum elegerat, alteram partem excederet viribus, Sergius in exilium actus eſt. Sedit autem annos 6. & aliquot menſes. Cæterùm Formoſum hoc anno electum & conſecratum eſſe, oſtendunt Annales Fuldenſes hoc tempore ſcripti, qui teſtantur, Formoſum Papam honorificam legationem Arnulpho miſiſſe, qui eum evocarent ad compeſcendos Saracenos, ſed propter turbatam Galliam & Germaniam imperio excedere non potuit. *Annal. Fuld.*

ANNO MUNDI 4840. Poſt. C. 891.
C. ☉4. ☽18. *Ind.* 9.

Formoſus Papa: quòd à Saracenis urgeretur, & Arnulphus in Italiam venire non poſſet, *Guidonem* regem Italiæ Imperatorem creat, atq; ita jam duo ſimul erant Imperatores, alter creatura Pontificis Gvido, alter à Statibus imperii electus *Arnulphus.*

Annus Hegiræ 278. incipit 14. April. fer. 4.

Saraceni Taurominium in Sicilia expugnant, magna cum civium cæde, & Lemno tandem etiam potiuntur, ingentemq; captivorum numerum occidunt. *Cedr.*

Leoni Imperatori inſidiæ ſtruuntur in ipſo feſto Pentecoſtes, & fuſte ſternitur; ſalvus tamen evadit, & parricida atrociter punitur, neminem tamen edit inſidiarum conſcium. *Cedr.*

Normanni iterum in Gallias & Germaniam erumpunt, & Wormatienſem civitatem evertunt, cives occidione occidunt, inde Moguntinum Epiſcopum Sunderholdum trucidant, die 26. Junii; cui ſuccedit poſtea *Hatto* Auginenſis Abbas, vir verſutiſſimus. *Mar. Scotus.*

Ecclipſis Solis annotatur facta die 8. Aug. obſervata fuit ab Albategnio Aracte, quod acciderit anno Dilcarnain 1202. die 8. menſis AB, horâ una temporali poſt meridiem: Hac etiam ita invenitur ad tabulas Pruten: Parallaxis latitudinis eſt 27, 46. Latitudo vera 19, 40. viſ. auſtralis 8, 6. ſemidiam. Solis 10, 2. ſumma 31, 20. ſcrup. reſidua 23. 14. digiti eclipticí 842. Quòd vero additur, ecclipſin factam anno Philippi 1214. mendum eſt, cùm facta ſit anno 1215, ut ſuperius vidimus. Bunting.

Ratiſbona die 10. Auguſti tota exuritur. *Mart. Scot. & Annal.*

Arnulphus *tandem menſe Septembri ipſe contra Normannos proficiſcitur, qui caſtra ſepibus munierant, & à tergo flumen habebant, ſed Arnulphus expugnatis caſtris magnam ipſis cladem infert: pereunt cum ducibus ambo reges, & militum ad nonaginta millia, quos potiſſimùm fluvius hauſit: ex Arnulphi parte vix unus dicitur cecidiſſe miles.* Annal. Fuld.

Symbatitius *Patritius miſſus ab Imperatore Conſtantinop. Beneventum tribus menſibus obſidet, & capit tandem die 18. Octob. cum in poteſtate Longobardorum fuiſſet annis 330. ſed in poteſtate Imperatoris vix manſit quadriennium.* Caſſ. Chron.

Gvido *Imp. in Italia leges quaſdam ſancit Paviæ de jure principum in civitates, ab Imperatore in Feudum acceptas, die 22. Novembris,* ut habent Conſt. Imp. apud Goldaſtum.

ANNO MUNDI 4841. Poſt. C. 892.
BA. ☉5. ☽19. *Ind.* 10.

Saraceni claſſe Romanas ditiones invadunt contra quam Leo ſuam claſſem dimittit, ſed ea impar Saracenis, pugnam detrectat quapropter Saraceni Theſſalonicam expugnant, atrociter in devictos ſæviunt, & omnes captivos abducunt urbem tamen non excindunt. *Cedr.*

Annus Heg. 279. incipit die 3. Aprilis, fer. 2.

Annus Iezdegird. 261. incipit 12. April. fer. 4.

Armen. 341. 15. April. fer. 7.

Zuendeboldus *Sclavorum Dux, beneficio Arnulphi ad magnã potentiam pervenerat: Ideò jam Imperatori rebellat, & ejus ditiones vaſtat menſe Julio. Arnulphus impar Sclavis, de externis auxiliis cogitat, & Hungaros excitat, qui à tergo irruentes facilè Zuendeboldi proterviam compeſcunt, & Sclavorum ditiones longè lateq; vaſtant.* Annal. Fuld.

Fulco Epiſcopus Rhemenſis, *Carolum* Simplicem inungit regem Galliæ, & Ottonem proregem abdicat, unde Galliam bellis civilibus immiſcuit: ut autem jam Carolus defenſores haberet, commendat eum Fulco Pontifici Formoſo, *Arnulpho*, & Guidoni Imperatoribus. *Frodoard.*

Oxonienſis *Academia inſtituta ab Alfredo rege Angliæ.* Chyt.

Mutemad *Amiras Babyloniæ, cùm annis* 10. *regnaſſet, moritur anno Heg.* 279. *ſuccedit filius* Mutezad, *qui regnat annos novem.* Zacuthi.

Annus Alexand. 1204. Antioch 941. *Conſtantinopolitanus 6401. incip. Calend. Octobr.*

Gregorius, rex Scotiæ, cùm annos 18. regnaſſet, moritur; ſuccedit Donaldus ſextus, qui regnat annos undecim. Buch.

Ziemovitius, *Poloniæ Dux, cùm annos 31. regnaſſet, moritur; ſuccedit filius* Leſcus, *qui annis 12. regnat.* Hiſtor. Pol.

Guido Imperator in Italia, cùm iter faceret cum conjuge, divertitur in cœnobium die 10. Novembr. ubi ipſi naſcitur filius *Lambertus*, pro quo offert monaſterio auri puri tantum pondus, quantum infans Lambertus ponderabat, additis quibusdam aliis bonis. *Conſt. Imp. Gold.*

ANNO MUNDI 4842. Poſt. C. 893.

G. ☉ 6, ☽ 1. *Ind.* 11.

Annus urbis 1645. *Julianus* 938.

Æra Hiſp. 631. *Auguſtorum* 920.

Annus Nabonaſſar. 1641. *& Philippi* 1217. *incipit* 12. *Januarii. fer.* 6.

Arnulphus *iterum exercitum in Moraviam inducit. ſed quòd in inſidias præcipitaſſet, multos perdidit, adjuvantibus autem Ungaris Sclavos tandem domuit, & Hungaris loca ad Tibiſcum fluvium habitanda conceſſit. Hungari verò commoditate harum perſpecta, ut de iis vaſtandis cogitarent, hinc occaſionem ſumſerunt.* Regin.

Annus Hegiræ 280. *incipit die* 23. *Martii, fer.* 6.

Leo Imp. inchoat annum imperii 8. *menſe Julio.*

Olympias 418. *incipit* 15. *Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1669.

Annus Diocletiani 610. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Arnulphus *inchoat annum imperii.* 7. *menſe Novembr.*

Guido Imp. filiolum ſuum Lambertum etiam Imperatorem à Formoſo Papa coronari ſinit, quantum ex literis cognoſcitur Pontificis. *Baron.*

Bulgari, *cùm adeò oppugnarentur à Leone Imperatore Orientis, Patriarcham Conſtantinopolitanum relinquunt, & ſe Pontifici Romano ſubjiciunt.* Baron.

Formoſus *Papa iterum legationem mittit ad Arnulphum, eumq; hortatur, ut in Italiam veniat, & Romam ex faucibus Guidonis, qui magnum præſidium Romanis impoſuerat, eripiat:* Arnulphus *promittit, ſe brevi venturum.* Annal. Fuld.

ANNO MUNDI 4843. Poſt. C. 894.

F. ☉ 7, ☽ 2. *Ind.* 12.

Formoſus Papa ſcribit in Gallias ad Fulconem Epiſcopum Rhemenſem, pro Carolo Simplice rege Gallorum, & Ottonem pro regem ab injuriis deſiſtere jubet; evocatq; Fulconem ad Synodum celebrandam menſe Martio. *Baron.*

Annus Hegiræ 281. *incipit die* 12. *Martii, fer.* 3.

Arnulphus *Imp. quòd promiſerat Pontifici Formoſo, expeditionem verno tempore in Italiam ſuſcipit, urbem Bergamum capit, & præfectum ejus loci ad portam ſuſpendit. Ideò cæteræ urbes deditionem faciunt, & Arnulphus in Germaniam redit.* Sigeb. Annal. Fuld.

Zuendewoldus *rex Moraviæ, quòd Arnulpho Imperatori rebellis fuiſſet; conſcientiâ tactus aufugit, & ad Eremitas contendit, ubi detonſus fit monachus. Eligitur ejus loco Dux Bohemiæ* Borivoi, *qui baptiſatur die* 23. *Junii.* Coſinas Bohem.

Annus ſabbathicus 6. *Iobelei* 17. *incipit* 5. *Septemb. fer. Eſt annus Jud.* 4655.

Otto *prorex Galliæ, Fulconi Epiſcopo Rhemenſi iratus, quòd ſibi imperium abrogaſſet, & Carolum regem inunxiſſet, Rhemos obſidet, & regiones Epiſcopi undique vaſtat, donec Carolus rex novus auxilio cum exercitu veniret; quapropter Otto obſidionem ſolvit.* Fulco in lit.

ANNO MUNDI 4844. *Poſt. C.* 895.

E. ☉ 8, ☽ 3. *Ind.* 13.

Annus Hegiræ 282. *incipit die* 2. *Mart. fer.* 1.

Synodus Moguntina acta ab Hattone Archiepiſcopo, in qua quinquaginta octo canones conſtituti. inter quos & hic fuit, ut excommunicati, ſi non obediant, carceri tradantur. Item ſi Epiſcopus & Comes conventum indicant eodem die, ut populus Epiſcopum præferat. *Tom. Conc.*

Formoſus Papa iterum legatos mittit ad Arnulphum, adhortaturque eum, ut approperet Romam; ideo collecto exercitu ex Germania menſe Septembri Imperator egreditur, & Florentiam usque pervenit, & urbes eas ſibi ſubjicit; inde Lunam progreditur, ibique natalitium Chriſti celebrat. *Ann. Fuld.*

Abarca *primus Aragoniæ & Pompeloniæ rex, incipit, regnatq; annos ferè viginti & unum.* Hiſt. Arrag.

Bremenſis Epiſcopatus, datus quondam fuerat Anſgario Hamburgenſi Epiſcopo, reclamante Archiepiſcopo Colonienſi: ſed hoc anno per Pontificem Formoſum idem reſtituitur Colonienſi. *Baron.*

Cluniacenſe cœnobium ædificatur à Bernone, Comite Burgundiæ. qui etiam primus fuit ejus Abbas. *Hiſt. Magd.*

ANNO MUNDI 4845. Poſt. C. 896.

DC. ☉ 9. ☽ 4. *Ind.* 14.

Annus Hegiræ 283. *incipit die* 19. *Febr. fer.* 5.

Annus Iezdegird. 265. *incipit* 11. *April. fer.* 1.

Armen. 345. *incipit* 14. *April. fer.* 4.

Arnulphus primo vere Romam movet, quam Agiltrudis conjux Guidonis valido præſidio obtinebat. Ideo Leoninam urbem, quæ & civitas nova Romana vocabatur, obſidet, quam & capit, occaſionem præbente lupuſculo, quem Arnulphi milites inſequebantur. Romani enim milites hujus rei ignari, impetu currentis exercitus territi, murum & munitiones relinquunt, & militibus occaſionem aſcendendi & occupandi murum præbent: Ideò à Pontifice Formoſo Arnulphus toties è Germania evocatus honorificè excipitur, & Imperator coronatur. Arnulphus contra aliquot principes Romanorum, qui Formoſo moleſti fuerant, capitis damnat, & civibus fidelitatem ſibi jurare jubet hâc Formulâ: quòd nunquam vel Lamberto, vel Agiltrudæ matri ejus Romam vel apertè vel clam tradere velint. *Guido* enim Pontificis Imperator, cùm Imperatori Arnulpho impar viribus eſſet, fuga ubicunq; poterat [illegible] occultaverat, & mortuus fuerat. Arnulphus autem cùm quindecim diebus Romæ fuiſſet, Agiltrudam cum Lamberto obſidet Spoleti, quæ re deſperata miniſtrum Arnulphi magnis donis corrumpit, ut offerat ipſi portiunculam, qua hauſtâ triduum continuum dormivit, nec excitari potuit, ſed ita malè affectus, rem benè & fortiſſimè cœptam relinquere, & domum redire coactus eſt. *Sigebert.*

Græci, *cùm quadriennio Beneventum obtinuiſſent, iterum eo ejiciuntur, & Marchiones Thuſciæ id occupant, & retinent annis* 177. Chron. Caſſ.

Annus Alexandræus 1208. *Antioch.* 945. *Conſtantinop.* 6405. *incipit* 1. *Octob.*

Formo-

Formoſus Papa, cùm ſediſſet annos ſex & aliquot menſes, moritur menſe Decem ſequenti anno novus Papa eligitur. Bar.

ANNO MUNDI 4846. Poſt. C. 897.
B. ☉ 10. ☽ 5. Ind. 15.

Annus urbis 1649. Julianus 642.

Æra Hiſp. 935. Auguſtorum 924.

Annus Nabonaſſaris 1645. & Philippi 1221. incipit 11. Febr. fer. 3.

Annus Hegiræ 284. incipit die 8. Febr. fer. 3.

Bonifacius quidam invadit ſedem Pontificiam, homo nefarius, antea bis gradu depoſitus; à Diaconatu primùm, deinde à Presbyteratu. Pellitur hic, cùm dies quindecim ſediſſet, ab æquè ſcelerato Nicolao, qui, ut Baronius ait, homo impius fuit, & ſacrarum literarum ignarus, dictus Stephanus: & Bonifacius quidem pro Papa non habetur, hic verò, qui pejor fuit, agnoſcitur, hac de causâ quòd quinque annos ſedit. Hic Nicolaus ſcelus nefarium, impium, deteſtandum & inauditum committit, inquit Baronius, dum collecta ſynodo quorundam Epiſcoporum, Formoſi Papæ cadaver jubet effodi, pontificalibus indui, & in ſynodum afferri; quod adductum, ita ut viventem hominem jubet accuſari, damnari, pontificiali habitu ſpoliari, & amputatis tribus digitis, quibus in conſecratione Pontifices utuntur, in Tiberim abjici: Inde omnes à Formoſo ordinatos exautorat. Hoc ſcelus Pontificis Luitprandus tribuit Sergio. Sed Baronius huic Stephano ſeptimo, vel Nicolao, qui addit, hoc tempore ad Pontificatum perveniſſe homines monſtroſos, vita turpiſſimos, moribus perditiſſimos, & undiquaque fœdiſſimos.

Imperator Arnulphus menſe Majo ex Italia redit. Annal. Fuld.

Leo Imp. Orient. inchoat annum imperii 12. menſe Junio.

Olympias 419. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1673.

Annus Diocletiani 614. incipit die 29. Auguſti.

Arnulphus ordiur annum Imp. undecimum menſe Novem.

Lambertus in Italia liberatus exercitu Imperatoris Arnulphi, Romam ſe confert, ubi Imperator iterum confirmatur. Annal. Suev.

Zuendeboldus filius nothus Arnulphi Imperatoris rex Lotharingiæ creatus fuerat à parente, ante annos quatuor, is crudeliter ſubditos affligit, & Rhemenſium agros vaſtat. Fulco.

Carolus Simplex, & Otto prorex in concordiam reducti fuerant, per Fulconem, & hactenus pacem coluerant ita ut Carolus à regio titulo abſtineret; at jam diſcordia recrudeſcit, & Carolus ut par ſit viribus Ottoni, de Normannis in auxilium evocandis conſilia agitat, à qua re per literas eum dehortatur Fulco Epiſcopus.

ANNO MUNDI 4537. Poſt. C. 898.
A. ☉ 11. ☽ 6. Ind. 1.

Otto prorex Galliæ, in morbum prolapſus, ſuadet Gallis, ut Carolum, ad quem regnum ordinariè pertinebat, regem agnoſcant, & ipſe moritur die 3. Januarii; ſuccedit Carolus ſimplex, qui regnat annis 29. Chron. Belg.

Annus Hegiræ 285. incipit 28. Iunii, fer. 7.

Ingens fames annotatur hoc anno ab Urſbergenſe in Germania. Ticini ſeditione orta, magna ſtrages facta ab Arnulpho Imperatore.

Bohemi & Moravi inteſtino bello conflictantur. Imperator Arnulphus alteri parti auxilia mittit, & ſequenti anno milites reverſi ſunt, divites prædâ. Annal. Fuld.

ANNO MUNDI 4848. Poſt. C. 899.
G. ☉ 12, ☽ 7. Ind. 2.

Annus Hegiræ 286. incipit 17. Januar. fer. 4.

Uxor Arnulphi, cùm ipſe poſt reditum ex Italia morbis graviſſimis obnoxius eſſet, menſe Iunio adulterii accuſatur, & convincitur: quâ re ita turbatus eſt Arnulphus, ut paralyſi corriperetur, qua aliquot menſibus confectus eſt, & deceſſit die 29. Nov. Luitprandus ait, eum inſuper etiam Phthiriaſi conſumtum lib. 1. cap. 9.

ANNO MUNDI 4849. Poſt. C. 900.
FE. ☉ 13. ☽ 8. Ind. 13.

Annus Hegiræ 287. incipit die 7. Januar. fer. 2.

Forchemia conveniunt Status imperii, & eligunt Imperatorem Ludovicum, filium Arnulphi puerum, cujus tutelam conſenſu Statuum ſuſcipiunt Hatto Archiepiſcopus Moguntinus, & Otto Dux Saxoniæ affinis. Sed Romam non venit, nec eſt coronatus. Regin.

Annus Iezdeg. 269. incipit die 10. April. fer. 5. Armen. 349. die 13. April. fer. 1.

Fulco Epiſcopus Rhemenſis, ex regia Gallorum progenie, à Balduino Flandriæ Comite, quem coegerat, ut Abbatiam reſtitueret, occiditur, die 17. Junii. Baron.

Alfredus rex Angliæ, qui, ut poterat, regnum adverſus Danos defenderat, cùm annos 29. regnaſſet, moritur; ſuccedit filius unicus Eduardus, qui regnat annos 24. ferè. Roge.

Theodoricus Comes Hollandiæ, cùm Comitatum rexiſſet annis 27. moritur; ſuccedit filius unicus Theodoricus, qui Comitatum rexit annis 88. mortuus eſt tandem ætatis anno 125. Chron. Belg.

Zuendeboldus, filius nothus Arnulphi, rex Lotharingiæ, qui hactenus Galliam undique vaſtarat, & ſubditos crudeliſſimè habuerat, deſeritur à ſubditis, ſeſe ad Ludovicum conferentibus; & paulò poſt, die 13. Auguſti in prælio contra ſubditos trucidatur. Regin.

Stephanus Papa Romanus, cum ſediſſet annos quatuor ferè, ſede Papali pellitur, & in carcerem conjicitur, & tandem ſtrangulatur, ut oſtendit ejus Epithaphium apud Baronium, qui, ut Baronius loquitur, intravit ovile DEI ut fur & latro, atque ita vitam laqueo vindice DEO clauſit, & tamen à Johanne IX. pontifice poſt annos quinque Beatus prædicatur. Electus eſt in ejus locum Romanus nomine, filius Conſtantini, quem ajunt menſes præſediſſe quatuor. De quo, quid Baronius dicere poſſit, non habet.

Annus Alexand. 1212. Antioch. 949. Conſtant. 6409. incipit Calend. Octob.

Berengarius defuncto Guidone, & fortaſſis etiam Lamberto, ut Regino & Sigebertus habent, vel fortaſſis, ut puero adhuc profugo, quod Luitprandus aſſerit, regnum Italiæ occupat. Sed Ludovicus Boſonis filius regnum Italiæ ſibi hæreditarium affirmans, quòd pater Ludovici Imperatoris

viduam

viduam uxorem duxiſſet, & à Carolo rex Italiæ creatus eſſet, in Italiam tendit, & aliquot prœliis Berengarium vincit, & Italia pellit; inde Romam abit, & à Pontifice Imperator coronatur. Atq; ita iterum ſunt duo Imperatores, alter Pontificis, ſed cujus tamen Pontificis ignoratur, alter a Statibus Imperii electus.

Annus Hegiræ 288. incipit die 26. Decemb. fer. 6.

ANNO MUNDI 4850. Poſt. *C.* 901.

D. ☉ 14, ☽ 9. *Ind.* 4.

Annus urbis 1653. *Iulianus* 946.

Æra Hiſp. 939. *Auguſtorum* 928.

Ludovicus inchoat annum ſecundum Imperii, circa Calendas Ianuarii.

Annus Nabonaſſaris 1649. *& Philippi* 1225. *incipit die* 10. *Iannar. fer.* 7.

Papa circa initium anni moritur; ſurrogatur *Theodorus* ſecundus, qui ſedit diebus viginti; Cui ſuccedit *Iohannes IX.* patria Tiburtinus, poſeſſione Monachus, Diaconus ordine, qui ſedit annis quatuor & aliquot menſibus. In *Baronio* de tribus annis mendum eſt.

Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm ſediſſet annis undecim, & nollet Imperatorem Leonem, qui mortua conjuge tertiâ quartam duxerat, in Eccleſiam recipere, ſede deponitur, & in cœnobium ablegatur, Succedit ipſi *Euthymius* Iſauricus natione, qui ſedit annos decem. *Baron.*

Ludovicus *Imperator Italiæ, Papiæ privilegia & ſtatuta regum Aiſtulfi, Deſiderii Adalgiſi, item Caroli Magni, Ludovici, Lotharii, Ludovici, Carolomanni, Caroli Craſſi, Arnulphi, Guidonis, & Lamberti data & conceſſa, confirmat hoc anno primo Imperii, die* 1. *Iulii.*

Hungari *in Bavariam irruunt, quibus occurrit Ludovicus Imperator in Germania, eoſq; primo prælio vincit. Sed victor in inſidias præcipitatur, & magna clade afficitur: Ideò Ungari Bavariam, Sueviam &* Franciam *longè lateq; vaſtant.* Urſberg.

Leo *Imp. Orientis inchoat annum imperii* 16. *menſe Iunio.*

Olympias 420. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1677.

Annus Diocletiani 618. *incipit die* 28. *Auguſti.*

Ecclipſin Lunæ annotavit Albategnius qui acciderit anno Alexandræo 1212. *poſt meridiem ſecundi diei Ab horis* 15. 35. *Aracta. Ea ita invenitur. Eſtq; feria ſecunda, hora* 4. *ad haſce tabulas* 25. *minutis ſerius quàm deſcripſit. Latitudo Lunæ auſtralis* 22, 12. *ſemidiam. Lunæ* 17, 19. *ſumma ſemidiam.* 62. 35. *ſcrup. reſidua* 40, 23. *digiti eccliptici* 140. *Sol in* 25. *Leonis.*

Annus ſabbathicus 7. *ſive Iobelei* 17. *incipit* 17. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 4662.

Mutezad *Amiras Babyloniorum, cùm annos* 9. *regnaſſet, moritur anno Heg.* 288. *ſuccedit filius Muchtaphta, qui regnat annos ſeptem. Vixit ſub hoc ſummus ille vir* Tebeth, *filius Corab.* Zacuth.

Annus Hegiræ 289. *incipit die* 15. *Decemb. fer.* 4.

ANNO MUNDI 4851. *Poſt. C.* 902.

C. ☉ 15, ☽ 10. Ind. 5.

Hungari ex Pannonia egreſſi, Italiam ingenti clade afficiunt, Tranſpadanas nobiliſſimas civitates, cunctaque in Lombardia cæde ac incendiis peſſundant: vindices prædæ ad unum trucidantur, Epiſcopus Vercellenſis in fuga ab Ungaris deprehenſus occiditur, & theſauris, quibus abundabat, ſpoliatur. Regino.

Leonis *uxor quarta parit ipſi filium, cùm Cometa apparet, cauda verſus Orientem projectâ, qui quadraginta diebus fulſit.* Cedr.

Albertus *Comes Bambergenſis, infenſus Epiſcopo Wurtzburgenſi bellum ipſi indicit, in quo cum res ad pugnam deducta eſſet, bini Comitis fratres cadunt, ipſe vix evadit.* Regino.

Saraceni *claſſe inſulas maris mediterranei, ut & Græciam vaſtant.* Himerus *Dux ipſis obviam mittitur, qui Saracenos egregie vicit, die* 6. *Octob.* Cedr.

Annus Hegiræ 290. *incipit die Decemb. fer.* 1.

ANNO MUNDI 4852. Poſt. C. 903.

B. ☉ 16, ☽ 11. *Ind.* 6.

Albertus *Comes Bambergenſis, reparatis viribus tandem Epiſcopum Wurtzburgenſem ditione pellit, ejuſq; ditiones crudeliſſimè depopulatur; inde ejus patrueles, principes Haſſiæ, filios Eberhardi, qui ſuperiori anno Epiſcopo Wurtzburgenſi auxilium tulerat, & in acie ceciderat, cum matre ditione ejicit.* Regin.

Ludovicus *Boſonis filius in Italia tandem Berengarium regno Lombardico ejicit, idq; ipſe occupat, poſtea dimiſſo exercitu Veronæ degit. Berengarius contrà civibus ſibi faventibus fretus, cum exiguis copiis urbem adit, & à civibus admittitur, ubi Ludovicum capit & oculis privat; factum menſe Auguſto.* Regino.

Berengarius inde totam Italiam occupat, & Romam proficiſcitur, & ſe Romanũ Imperatorem creari curat: atq; hic eſt alter Pontificis Romani Imperator, ſequente anno accedet tertius. Regino.

Donaldus IV. *Scotorum rex, cùm annos undecim regnaſſet, moritur: ſuccedit ipſi* Conſtantinus II. *qui regnat annos* 40. Buch.

Berengarius *Imp. Ticini in conventu Epiſcoporum & Optimatum leges quaſdam ſancit.* Conſtitut. Imp.

Annus Hegiræ 291. *incipit die* 24. *Nov. fer.* 5.

ANNO MUNDI 4853. Poſt. C. 904.

AG. ☉ 17, ☽ 12. *Ind.* 7.

Dani *Adelwaldum fratrem Eduardi regis Angliæ inſtigant, ut regnum à fratre repetat: ſed induſtria Eduardi factum eſt, ut Adelbaldus regno pelleretur; qui cùm annum exulaſſet, ad Danos redit, à quibus Dux belli contra Eduardum conſtituitur, & in Angliam irruit, ubi prælio congreſſi Adelbaldus cadit, victoria utrâs dubia fuit, & Dani duce deſtituti de pace agunt.* Polyd.

Annus Iezdegird. 273. *incipit die* 9. *April. fer.* 2.

Armen. 353. *die* 12. *April. fer.* 5.

Ecclipſis Lunæ magna incidit hoc anno, inquit Cedrenus, qua territus in uirit, quid ea ſignificet: reſpondetur ipſi, hac ecclipſi proximo cuidam ab Imperatore mortem deſignari. Ea ad haſce tabulas invenitur accidiſſe Conſtantinopoli die primo Junii, fer. ſexta, hora una, & minut. 30. *poſt mediam noctem. Latitudo auſtralis fuit tantum minut. ſecundorum* 15. *ſemidiam. Lunæ* 16/, 44// *umbra* 44//, 11//, *ſumma ſemid.* 60. 55. *ſcrup. reſidua* 60/, 40//. *digiti eccliptici* 21, 45. *Sol in* 15. *gradu Geminorum.*

Pontifex Johannes Synodum Epiſcoporum 74. Ravennæ agit. Synodus quidem extat, ſed an-

hoc

hoc anno celebrata ſit, incertum eſt: In hiſtoria enim Romanorum Pontificum hiſce temporibus nihil certi invenitur. Onufrius in Catalogo Pontificum, Pontificem hunc Johannem ponit in annum 897. & dicit eum ſediſſe tantùm annis duobus, atq; etiam eo tempore hæc ſynodus facta eſſet; alii aliter ſtatuunt. Decretum fuit in hac ſynodo, Stephani Papæ ſententiam, in Formoſum Papam defunctum, & in concilium adductum, impiam eſſe, & nullo loco haberi debere, & Formoſi acta, quæ tum damnata erant, reſtitui debere: Berengarii etiam coronationem per vim factam eſſe, atq; ita illum Imperatorem non eſſe, ſed potius Lambertum, qui olim coronatus Imperator erat, pro Imperatore haberi debere; & Lambertus in concilium evocatus, ſancit, Pontificem non conſecrandum, abſente Imperatore vel ejus legatis, propter multiplices ſeditiones & tumultus populi; item ſi quis Romanorum civium ad Imperatorem provocet, ne impediatur à quovis. *Baron. & Conſtit. Imp.*

Annus Alexandreus 1216. Antioch. 653. & Conſtantinop. 6413. incipit 1. Octobr.

Annus Hegiræ 292. incipit die 13. Novemb.

ANNO MUNDI 4854. Poſt. C. 905.

F. ☉ 18. ☽ 13. *Ind.* 8.

Annus urbis 1657. *Julianus* 950.

Æra Hiſp. 943. *Auguſtorum* 932.

Ludovicus Imp. inchoat annum imperii ſextum.

Annus Nabonaſſaris 1653. & Philippi 1229. incipit 9. Januar. fer. 4.

Conradus *Comes Franciæ, filium ſuum in Galliam mittit, ut ibi tumultuantes compeſcat, ipſe Epiſcopum Wurtzburgenſem defenſurus, contra Albertum Bambergenſem movet; ſed hic occaſione ſumtâ Conradum improviſò obruit, & trucidat die 27. Febr. Ludovicus Imperator, cognatus Conradi, iratus Alberto, eum citat menſe Julio, ut rationem redderet de tot commiſſis facinoribus: cùmque comparere nollet, eum in ſua arce obſidet, ſed cùm vi nihil efficere poſſet, per* Hattonem Archiepiſcopum Moguntinum, *hominem verſutum, in fraudem illectum Albertum capit, & capite plectit, die 9. Septemb. & facultates ejus in Fiſcum rediguntur.* Regino.

Leo *Imper. inchoat annum imp. 20. menſe Julio.*

Olympias 421. incipit die 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1681.

Annus Diocletiani 622. incipit 29. Auguſti.

Johannes IX. Papa, cùm ſediſſet annos quatuor, moritur; ſuccedit ipſi *Benedictus IV.* qui ſedet annos ferè binos, ſecundum *Baronium*, ſed ſecundum alios autores, nec tempus ſeſſionis, nec ſucceſſio convenit. *vide Onuf. & Baron.*

Alfonſus *Magnus inſignem victoriam de Saracenis in Hiſpania reportaſſe ſcribitur.* Moral.

Annus Hegiræ 293. incipit die 2. Nov. fer. 7.

ANNO MUNDI 4855. Poſt. C. 906.

E. ☉ 19. ☽ *Ind.* 9.

Ludovicus *Imp. Rotvvilæ in Comitiis ritum manumiſſionis, per excuſſionem denarii de manu illius juxta legem Salicam ſancit, die 31. Maji, Indict. 9.*

Vandali, *Obetriti, & Sorabi rebellant Ottoni Duci Saxoniæ, qui ſenio confectus bellum id demandat* Henrico *filio, qui poſtea Henricus auceps Imperator fuit. Vandali, cùm Henrico impares eſſent, auxilio advocant Hungaros, qui perſpecta horum regionum fertilitate mala hiſce terris intulerunt.* Lamb.

Annus Hegiræ 294. incipit die 22. Octob. fer. 4.

ANNO MUNDI 4856. Poſt. C. 907.

D. ☉ 20. ☽ 15. *Ind.* 10.

Benedictus IV. Papa, cùm biennium ferè ſediſſet, moritur; ſuccedit Leo ejus nominis quintus, qui ſedit tantùm dies quadraginta; detruditur enim in carcerem à *Chriſtophoro*, qui violenter ſedem occupat, adjutus à Marchionibus Tuſciæ; ſedit autem tantùm menſes ferè ſeptem, usq; in ſequentem annum: fuit homo ſceleratus, ut habet *Baron.*

Ludovicus *Imp. contra Ungaros Bavariam vaſtantes, magno exercitu proficiſcitur, ad Aniſum fluvium, ubi continuo trium dierum prælio certatum eſt. Sed Ludovicus inferiores tulit, & magna clade afficitur; cecidit ibi* Leopoldus *Dux Auſtriæ, cum multis nobilibus.* Schafnab.

Annus Hegiræ 295. incipit die 12. Octob. fer. 2.

ANNO MUNDI 4857. *Poſt. C.* 908.

CB. ☉ 21. ☽ 16. *Ind.* 11.

Chriſtophorus Papa à Sergio ſede Pontificia dejicitur, vinculis conſtringitur, & in carcerem detruditur, inde in monachum detondetur, & monaſterio includitur; ſuccedit tandem ille *Sergius III.* homo ſceleratiſſimus, ter relegatus, qui olim cum Formoſo contenderat. Sedit tribus ferè annis: incerta enim hoc tempore eſt Pontificum Romanorum hiſtoria, credo, quòd quia omnes ſcelerati eſſent & indigni, nemo monſtrorum horum hiſtoriam conſignare voluit. *Baron.*

Annus Iezdegird. 277. *incipit* 8. April. *fer.* 6. *Armen.* 357. 11. *April. fer.* 2.

Theodora impudens ſcortum Adelberti Marchionis Tuſciæ, hoc tempore Romæ degit, & imperium urbis obtinuit: quæ filiam *Maroziam* Pontifici Sergio in concubinam tradit, ex quo ſceleſto concubitu genitus poſtea eſt *Johannes* Papa ſceleſtiſſimus. *Baron.*

Muchtaphi *Amiræus Babyloniorum, cùm Amiram Ægypti viciſſet, & totum Saracenorum regnum ſibi ſubjeciſſet, moritur, anno regni octavo, anno Hegir. 295. ſuccedit ipſi filius* Muctedar, *qui regnat annos 25.* Zacuthi.

Annus ſabbathicus 1. Jobelei 18. incipit 30. Auguſti, fer. 3. Anno Jud. 4669.

Annus Hegiræ 296. incipit 30. Sept. fer. 6.

Annus Alexandr. 1220. Antioch. 957. & Conſtantinop. 6417. incipit Calend. Octob.

ANNO MUNDI 4858. *Poſt. C.* 909.

A. ☉ 22. ☽ 17. *Ind.* 12.

Annus urbis 1661. *Julianus* 954.

Æra Hiſp. 947. *Auguſtorum* 936.

Ludovicus III. incipit annum Imperii, 10. *Calend. Januarii.*

Annus Nabonaſſ. 1657. & Philippi 1233. incipit 8. Januarii, fer. 1.

Hungari vaſtant totam Germaniam, Bavari & Franci, qui reſiſtere ipſis auſi fuerant, cæſi ſunt, inde veniunt in Thuringiam. *Burchardus* Landgravius Thuringiæ prælio cum ipſis propè Iſnacum congreſſus, vincitur & trucidatur. Hungari victo-

victoriam adepti, omnia incendiis & cædibus vaſtant, captivos crudeliſſimè tractant, urbes tamen munitas & arces, in tranſitu non expugnant: unde factum, ut ſequenti tempore multæ munitiones etiam clandeſtinæ in montibus & petris excilæ fuerint. *Thuringia* autem, cùm Burchardus nullos reliquiſſet hæredes, à Ludovico data fuit Ottoni Saxonum Duci. *Schafnab.*

Claſſis Saracenorum trecentarum navium, vincit Leonis Imperatoris claſſem ad Samum, & eam penitus diſſipat. Cedr.

Ludovicus *Imp. ſancit autoritatem inſtrumentorum anno regni decimo.* Conſt. Imp.

Leo Imp. inchoat annum imperii 24. menſe Iunio.

Olympias 422. incipit 15. Iulii. Eſt annus Olympiadicus 1685.

Annus Diocletiani *626. incipit 29. Auguſti.*

Annus Hegiræ 297. incipit die 19. Septemb. fer. 3.

Calecutenſes *Mauri inchoant anno Hegiræ 297. æram ſuam: Ideo qui annos Calecutenſium habere voluerit, ſubducat ex annis Hegiræ annos 296. Iam quidem dediti ſunt Idololatriæ gentili, ſed in initio cum Calecutum Emporium nobiliſſimum conderent, amplexi fuerant Muhammediſmum, quem poſtea rejecerunt: hic igitur annus Hegiræ 297. eſt ipſis primus.* Joſeph. Scal.

ANNO MUNDI 4859. Poſt. C. 910.
G. ☉ 23, ☽ 18. *Ind.* 13.

Lambertus rex Italiæ, ab Hugone Comite Mediolanenſi, ex inſidiis, cùm venationi operam dat, occiditur; ſuccedit ipſi in regno Italiæ Berengarius, qui olim Imperator à Pontifice coactò inauguratus erat. *Luitp.*

Ludovicus *Imp. iterum contra Hungaros infeliciter pugnat, ideò principibus Hungarorum multos offert theſauros, ut pax fiat, & certo tributo annuo excurſiones hæ, & vaſtationes inhibeantur, quod tandem impetrat.* Schafnab.

Sergius Pontifex poſt malum ingreſſum, deteriorem progreſſum, ſortitus eſt non ſceleribus dignum egreſſum, ut *Baronius* in Chriſtophoro loquitur, cùm annos tres ſediſſet. Damnavit hic iterum Formoſi Pontificis acta, & Bremenſem Eccleſiam iterum adjudicavit Hamburgenſi. Succedit ipſi *Anaſtaſius* III. qui ſedit annos circiter duos. Hic in gratiam Berengarii regis Italiæ concedit Ticinenſi Archiepiſcopo multa privilegia, ut uſum umbellæ, ut vehatur albo equo, & crucem præviam habeat, item aſſideat lateri ſiniſtro Pontificis. *Baron.*

Saraceni *ex Africa ab Amira miſſi, in Italia Apuliam & Calabriam, Imperatori Leoni Orientis rebelles invadunt, & Apulis & Calabris devictis regionem occupant; inde Romam verſus* Garelianum *montem occupant, eoq; munito multas Italiæ urbes ſuæ ditioni ſubjiciunt.* Sigebert.

Regino Abbas Prumienſis claret circa hæc tempora, & Chronicum ſuum huc usq; deduxit. *Trith:*

Annus Hegiræ 298. incipit die 9. Sept. fer. 1.

Eduardus *Angliæ rex, occiſo rege* Erico *Orientalium Saxonum, illud etiam regnum ſibi ſubjecit, & paulo poſt etiam regnum Merciorum; atq; ita tota Anglia ſub unius ditionem pervenit, niſi quòd Dani adhuc Northumbriam haberent,* Polyd. Virg.

Alphonſus *rex Hiſpaniæ, coactus à filio* Garſia *abdicat ſe regno, cùm id obtinuiſſet annis 40. dictus hic fuit Magnus ob frequentes victorias de Saracenis. Major tamen adhuc ſe ipſo fuit, quòd cedere filiis maluit, quàm bello inteſtino contra filios regnum turbare, & injurias Saracenorum objicere; ſuccedit autem Garſias major filius in regno Aſturiorum annis tribus: Alter autem filius* Ordonius *Gallæciam occupavit, & regnavit annis 12. menſib. 6.* Marian.

ANNO MUNDI 4860. Poſt. C. 911.
F. ☉ 24. ☽ 19. *Ind.* 14.

Leo *Imperator, cum annos viginti quinque & menſem ſ rè imperaſſet, alvi pro fluvio correptus, moritur die 11. Iunii, feriâ tertia Pentecoſtes, cùm ante decem annos iisdem feriis ferè occiſus eſſet. Fuit vir doctiſſimus, voluit ſe Philoſophum appellari, & multa ſcripſit, quorum Catalogum vide apud Baronium: ſuccedit ipſi frater* Alexander, *qui olim à patre Baſilio Cæſar declaratus fuerat, qui imperavit tantum menſes tredecim.* Hic ſtatim in initio Nicolaum Patriarcham, qui a Leone depoſitus fuerat, revocat, & *Euthymium*, qui hactenus decem annis ſederat, virum ſenem & venerandum, ſeſe dejicit, quem Clerici, quos aſperiore diſciplinâ habuerat, verberibus excipiunt, & barbam ipſi evellunt: ſedit autem Nicolaus poſt hæc tempora annos novendecim. *Curop.*

Annus Hegiræ 299. incipit die 29. Auguſt. fer. 5.

Ludovicus Imp. cùm parum feliciter bella geſſiſſet cum Hungaris, & propterea in contemptu viveret, animi mœrore in diuturnum morbum prolabitur. Status imperii maturè convenient, & deliberant de ſucceſſore eligendo, cùm morbus videretur incurabilis: quæ deliberatio, ut feliciter procederet, Saxonum principes etiam ad conſilium admiſſi ſunt. *Chron. Magdeb.*

ANNO MUNDI 4861. Poſt. C. 912.
ED. ☉ 25. ☽ 1. *Ind.* 15.

Scriptores Angli meminerunt Eclipſis Lunaris, quæ anno 13. Eduardi regis, menſe Januario, die 7. horis tribus poſt mediam noctem, accidit. Ea ita hîc invenitur, fuitque feriâ tertia. Latitudo vera auſtralis fuit 19,40. ſemidiam. Lunæ 17,57. ſumma ſemidiametrorum 63,53. ſcrup. reſidua 44,13. digiti eclipticis 14,47. Sol in 2. Capricorni fit horis tribus & duodecim minutis, poſt mediam noctem. Londini.

Ludovicus III. *Imperator, mœrori animi, quòd infeliciter bella gereret, moritur, die 21. Januarii, cùm annis duodecim regnâſſet, & annos natus eſſet vix novendecim. In hoc deſiit ſtirps Carolina, à Carolo uſque in Germania deducta. In electione novi Imperatoris defertur imperium Ottoni Duci Saxoniæ; ſed is excuſans ætatem ſimilem, magno animo id recuſavit, & ſequenti anno mortuus eſt. Eligitur igitur Dux Franciæ* Conradus, *qui imperavit annis ſeptem ferè.* Sigebert.

Annus Iezdegird. 281. incipit die 7. April. fer. 3.

Armen. 361. incipit 10. April. fer. 6.

Anaſtaſius Papa moritur: ſuccedit *Lando*, ſed hoc brevi temporis ſpatio defuncto, intruditur à Theodora, ſcorto Adalberti, dominante tum temporis Romæ, *Johannes* decimus. Hic cùm Diaconus Ravennæ eſſet, & ab Epiſcopo ſæpius mitteretur Romam, in notitiam propter inſignem formam ſcorti illius penetraverat, & ad concubitû petitus fuerat; paucis poſt annis per idem ſcortum deſignatur Archiepiſcopus Ravennæ. Inde

hoc anno, ne ita procul abeſſet à ſcorto, Romanus Papa intruditur. Cùm itaq; hæc ita publice à Pontifice Romano peragerentur, quis de pudicitia reliquorum clericorum & *monachorum dubitare potuit: Nec tamen fuit, qui eos redargueret, aut à Diabolo Pontificatum Romanum adminiſtrari cerneret.* Luith. Baronius.

Alexander *Imperator Orientis, cùm menſibus tredecim regnaſſet, die 6. Junii dum pilâ luderet, ægrotare incipit, & ſequenti die ſanguinis profluvio ex omnibus corporis partibus, moritur.* Succedit Conſtantinus *octavus, puer ſeptem annorum, qui primùm cum matre, poſtea cum Romano, & inde ſolus imperavit annos* 49. Cedr.

Annus Hegiræ 300. *incipit die* 17. *Auguſti, fer.* 2.

Annus Alexand. 1224. *Antioch.* 961. *Conſtant.* 6421. *incipit* 1. *Octobr.*

Conſtantino *opponit ſe Conſtantinus Ducas, qui Imperatorem ſolio dejicere conatur, ſed deprehenſus malè perit. Inde* Simeon *Bulgarorum princeps Conſtantinopolin obſidet, ſed fruſtra ejus conatus fuit, ideò pacificationem admittit*, Cedr.

Abdalla *Saracenorum rex, Corduba, cùm annos* 25. *regnaſſet, moritur: ſuccedit* Abderamen *nepos* Muhametis, *qui voluit ſe* Almanſorem *vocari, & regnavit annis* 50. Rodericus.

ANNO MUNDI 4862. Poſt. C. 913.
C. ⊙ 26. ☽ 2. *Ind.* 1.

Annus urbis 1665. *Julianus* 958.

Æra Hiſpan. 951. *Auguſtorum* 940.

Annus Nabonaſſaris 1671. & *Philippi* 1237. *incipit* 7. *Januarii, fer.* 5.

Conradus *Imperator menſe Februar. inchoat annum imperii* 2.

Zoa Mater Conſtantini Imperatoris, in aulam recipitur, & in gubernationis partem aſſumitur; quæ, cùm ſibi poſtea autoritatem acquiſiviſſet, tutores alios paulatim amovit. *Simeon* tamen Bulgarus rupta pace iterum Thraciam deprædatur, & capit Adrianopolin, quam pecunia acceptâ reddit. *Cedrenus.*

Conſtantinus cum matre inchoat annum 2. imperii menſe Junio.

Olympias 423. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1689.

Annus Hegiræ 301. *incipit die* 7. *Auguſti, fer.* 7.

Annus Diocletiani 630. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Eduardus *rex Angliæ, urget Danos in Northumbriam; qui ne expellantur cum Scotis fœdus faciunt.*

Garſias *cùm regnum, quod parenti extorſerat, obtinuiſſet annis tribus, moritur; ſuccedit ipſi frater* Ordonius, *qui adhuc regnat annos novem & menſibus ſex, & cum Saracenis multa bella geſſit.* Marian.

Leſco Dux Polonorum, cùm annis 21. regnaſſet, nec peculiariter tamen quid geſſiſſet, moritur; ſuccedit filius *Ziomomislus*, qui regnat annis 51. Hic ſterilem uxorem habuit, ſed quæ tandem ipſi genuit filium; ſed recens natus puer, cæcus erat totis ſeptem annis. *Hiſt. Polon.*

ANNO MUNDI 4863. *Poſt. C.* 914.
B. ⊙ 27. ☽ 3. *Ind.* 2.

Hungari *in Bavariam irruunt, non contenti annuo tributo, cum Ludovico olim pacto. Ideò* Conradus *Imperator contra eos exercitum educit, eoſq; bis prælio atterit, ut recedere cogerentur.* Avent.

Annus Hegiræ 302. *incipit die* 22. *Julii. fer.* 4.

Henricus *Auceps, poſtea temporis Imperator, ſuſpectus erat Conrado Imperatori de rebellione, ideo eum ex inſidiis tollere conatur, per Hattonem Epiſcopum Moguntinum, hominem hiſce fraudibus aptiſſimum, qui monile inſigne ſibi fieri curavit, quo in convivio Dux Henricus Hattoni dolo caperetur: ſed præmonitus Henricus Hattoni fraudem exprobrat. Ideò Hatto confuſus, mœrore animi, ſequenti anno extinguitur. Henricus verò apertè ab Imperatore bello petitur.* Avent.

ANNO MUNDI 4864. *Poſt. C.* 915.
A ⊙ 28. ☽ 4. Ind. 3.

Principes Italiæ cum Pontifice mittunt legationem Conſtantinopolin, petitum auxilia contra Saracenos in Gareliano monte, qui plurimum damni Italiæ inferebant: quibus acceptis Saracenos illos obſident tribus continuis menſibus, & fame eos tandem domant: Erumpentes enim in montes & ſylvas fugerunt, quorum tamen pauci evaſerunt, qui ab inſequentibus non trucidati eſſent. Factum menſe Auguſto. *Chron. Caſſ.*

Conradus Imperator ſancit legem de *Pace* publica, ſub pœna capitis, & hâc lege poſtea capitis damnati ſunt Erchinger & Bertholdus Duces Sueviæ, quòd Salomonem Epiſcopum cepiſſent. *Conſt. Imp.*

Annus Hegiræ 303. *incipit die* 17. *Julii, fer.* 2.

Annus ſabbathicus 2. *Jobelei* 18. *incipit die* 12. *Sept. fer.* 3. *Eſt annus Jud.* 4676.

Conradus Imperator obſidet Henricum, Saxoniæ Ducem Mersburgi, ſed Henricus exercitu collecto obſidionem ſolvit, & Eberhardum Ducem Imperatoris tanta clade vincit, ut de hac victoria proverbium factum ſit, ubi tantus infernus inveniri poſſet, qui tot Francos cæſos caperet. *Avent.*

Berengarius rex Italiæ, quod fidelem operam præſtitiſſet in ejiciendis Saracenis, à Pontifice Johanne coronatur Imperator, cùm Conradus verius imperaret in Germania, qui multo potentior erat Berengario, & legitimè electus. *Baron.*

ANNO MUNDI 4865. *Poſt. C.* 916.
GF ⊙ 1. ☽ 5. Ind. 4.

Ordonius *rex in Hiſpania aliquot loca Saracenis eripit: quapropter* Almanſor *rex multis aſcitis auxiliis propè Caſtellam prælio cum Ranimiro congreditur, ſed magno prælio funditur. Ceciderunt ad* 70. *millia Saracenorum*, & *Miramolinus Almanſor vix cum viginti equitibus aufugit. Paulò ante prælium, refert Vaſæus, incidiſſe eclipſin Solis.*

Et accidit die 5. *Aprilis fer.* 6. *horis ferè ſex ante meridiem ſtatim oriente Sole. Parallaxis latitudinis fuit* 44. 10. *Latitudo vera* 29. 2. *Viſa auſtralis* 15. 8. *ſemid. Solis* 15. 20. *ſumma ſemid.* 39. 58. *ſcrup. reſidua* 15. 40. *digiti ecliptici* 6. 7. *Sol. in* 20. *gradu Arietis.*

Annus Jezdegird. 285. *incipit die* 6. *Aprilis, feriâ* 7. *Armen.* 365. *die* 9. *Aprilis, fer.* 6.

Annus Hegiræ 304. *incipit die* 5. *Julii, fer.* 6.

Mmm 3 *Carolus*

Carolus Simplex rex Galliæ, iterum Lotharingiam occupat, & ſuo regno acquirit, *Sigeb.*

Imperator Conradus oppidum Grunaw propè Ileburgium in Milnia, obſidere conatur, quòd Henricus Dux Saxoniæ ibi eſſet: ſed legati ejus, quòd perſuaſi eſſent de magnifico apparatu belli, qui tamen exiguus erat, diſſuadent Imperatori bellum. Ideò Imperator copias contra Arnulphum Ducem Bavariæ ducit, qui ſocietatem inierat contra Imperatorem cum Hungaris, & Ratisbonam obſidet, deditamq; capit, & Eberhardo fratri Ducatum committit, ſed Arnulphus fuga ad Hungaros pervenit. *Urſb.*

Annus Alexandr. 1228. *Antioch.* 695. *Conſtant.* 6225. *incipit* 1. *Octob.*

Duces Sueviæ, quòd rebelles eſſent, & Epiſcopatibus & monaſteriis, quæ poterant, auferrent à Pontifice, petente id Conrado Imperatore, excommunicantur die 20. Octobr. *Spangenb.*

ANNO MUNDI 4866. Poſt. C. 917.
E. ☉ 2. ☽ 6. *Ind.* 5.

Annus urbis 1669. *Iulianus* 962.
Æra Hiſpan. 955. *Auguſtorum* 944.

Annus Nabonaſſaris 1665. *& Philippi* 1241. *incipit die* 6. *Ianuarij, fer.* 2.

Conradus *Imp. inchoat annum imperii* 6. *circa Februar.*

Arnulphus aſſumtis Hungaris in Bavariam redit, Ratisbonam recipit, & Eberhardum fugat. Hâc occaſione Hungari ex Bavaria Fuldam usque progrediuntur, & omnia longè lateq; vaſtant. *Trith.*

UNNI fit Epiſcopus Hamburgenſis, electus ab Imperatore Carolo præter opinionem, cùm alii ſuffragia cleri haberent. Hic enim videbatur longè aptior Epiſcopatui, quàm alii. Eidem Johannes Papa dedit pallium. *Baron.*

Conſtantinus *octavus cum matre inchoat annum* 6. *imperii.*

Annus Hegiræ 305. *incipit die* 24. *Junij, fer.* 3.

Olympias 424. *incipit* 15. *Julii.* *Eſt annus Olympiadicus* 1693.

Annus Diocletiani incipit die 29. *Auguſti.*

Guipertus vel Wiperícht, Vir nobilis, fundat monaſterium *Gemblacenſe* ad Leodium: ibique fit monachus & Abbas *Trith.* Alii hoc ponunt poſt annos 30.

Duces Conſtantini in Bulgariam profecti, fortiter rem gerunt, & die 6. Auguſt: pugnam committentes, Bulgaros vincunt; ſed dum effuſè & nullo ordine fugientes inſequuntur, Bulgari pugnam inſtaurant, & Duces hoſce maxima clade vincunt, trucidatis multis ducibus: qua victoria Bulgari efferati, Conſtantinopolin veniunt, à civibus tamen fortiter repelluntur. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4867. Poſt. C. 918.
D. ☉ 5. ☽ 6. *Ind.* 6.

Romanus Patritius, præfectus claſſis, cùm urgeretur à quibusdam aulicis, non ferentibus imperium matris, Imperatoris pueri, ut Imperatorem in ordinem redigeret, & Zoam matrem ab imperio removeret, in feſto Annunciationis Mariæ, impugnat quidem Imperatorem, ſed intercedentibus aliis in concordiam abeunt. *Cedr.*

Annus Hegiræ 306. *incipit die* 14. *Junij. fer.* 1.

Imperator Conradus Comitem Ringelheimenſem contra Danos mittit, qui eos vincit, & pacem inde reportat. Hic Comes, qui fuit ex familia Wedekindea, fratres tres habuit, quorum primus Wedekindus peregrinus eſt Compoſtellam, ubi obiit, relicto filio *Aimar*, qui in Italia educatus ab Ottone ſecundo, Marchio *Monsferratenſis* factus eſt. Alter frater fuit Inetundus Amedeus, ex quo Duces in Saphoia originem ducunt.

Conradus Imperator, cum annos ſeptem & ſex menſes ferè imperaſſet, morbo corripitur; ubi dignitatem imperii non fratri ſuo Eberhardo tribui voluit, ſed elegit adverſarium ſuum *Henricum* Aucupem, fratremque hortatus eſt, ut lubens hanc dignitatem Henrico concederet, qui ferendo eſſet, & moritur die 23. Decembr. *Trith.*

ANNO MUNDI 4868. Poſt. C. 919.
C. ☉ 4. ☽ 8. *Ind.* 7.

Duces & Principes Germaniæ cùm Epiſcopis Friſlariæ conveniunt, & unanimi conſenſu ut initio anni eligunt ſibi regem & Imperatorem *Henricum Saxoniæ Ducem.* Is cùm à legatis hunc honorem ipſi deferentibus in aucupio inveniretur. Auceps appellatus eſt; inde ad comitia perveniens, cùm honorem declinare non poſſet, Coronationem tamen ab Epiſcopo non admiſit, quod ſe indignum judicaret tanto honore, & ſat ſibi eſſe affirmavit, quòd præter ſpem ad imperii dignitatem perveniret. Is autem condiderat *Goslariā & quedlinburgum.* Duxerat etiam ante hæc tempora filiam Comitis *Oldenburgenſis* viduam, quæ poſt obitum ſui mariti monialis facta fuerat, & filium Danckwerdum ex ea ſuſceperat: ſed Epiſcopis affirmantibus, hoc non licere, divortium cum ea fecit, & duxit Mechtildem Ringelheimenſem, quæ ipſi peperit, antequam Imperator fieret, *Ottonem* Magnum. Inde etiam aliis filiis auctus eſt, ut Henrico contentioſo & Brunone, qui pòſt Epiſcopus Colonienſis factus eſt. *Schafnab.*

Conſtantinus Imperator ducis filiam Romani Patritii, ducis ſui, Dominica Judica, & eam coronari jubet imperatricem in Paſchate. Paulò pòſt *Leo* Phocas ſeditionem excitat contra Imperatorem, cum imperio dejicere conatus, ſed aſtu Romani evertitur, & oculis orbatur. Inde *Romanus* die 24. Cæſar creatur, & in Natalitiis Chriſti etiam Auguſtus proclamatur. Mater autem Imperatoris Conſtantina Zoa in monaſterium detruditur. *Cedrenus.*

Annus Hegiræ 307. *incipit die* 3. *Junii, fer.* 5.

Ordonius rex Hiſpaniæ, cùm pacem ſuperiori anno cum Saracenis firmaſſet, ſedem aulæ Aſturiis *Legionem* transfert inſtauratis ædificiis, ſed diu ipſi pace frui non licuit: hoc autumno enim iterum cum Saracenis pugnavit, ſed æquo ferè marte, niſi quòd Saracenos penitus ex Gallæcia ejecit. *Mariana.*

ANNO MUNDI 4869. Poſt. C. 920.
BA. ☉ 5. ☽ 6. Ind. 8.

Romanus Imperator etiam conjugem ſuam coronat Auguſtam, die Purificationis Mariæ, & die Pentecoſtes etiam filium Chiſtophorum. *Cedr.*

Annus

Annus Iezdegird. 489. *incipit* 5. *April. feria* 4. *Armen.* 369. *incipit* 8. *Aprilis, fer.* 7.

Abderamen Almanſor, aſſumptis auxiliis ex Africa, iterum maximis viribus bellum inſtaurat, cui Ordonius ferè inferior fuit, & Cantabriæ pars quædam à Saracenis occupata. Capti etiam ſunt duo Epiſcopi. *Marian.*

Annus Hegiræ 308. *incipit die* 22. *Maii. fer.* 2.

In Conſtantinopolitana Eccleſia diſſenſiones erant, quòd quidam Epiſcopi adhærerent Euthymio ejecto Patriarchæ, & jam defuncto; quidam verò *Nicolao*, qui reſtitutus erat: & deinde quòd quidam ſentiebant, quartum conjugium concedi poſſe, quidam negabant. Menſe Julio tandem iterum conſenſerunt, & quartum conjugium prohibitum, & Euthymii reliquiæ Conſtantinopolin reductæ. *Baron.*

Burchardus Dux Sueviæ, Henricum Aucupem pro Imperatore agnoſcere nolebat, fretus affinitate cum Rudolpho Burgundiæ rege; ſed cùm Henricus cum exercitu adventaret, criſtas demiſit, & fidelitatem Imperatori juravit. *Schafnab.*

Annus Alexandr. 1232. *Antioch.* 969. *Conſtant.* 6429. *incipit.* 2. *Octobr.*

ANNO MUNDI 4870. Poſt. C. 921.
G. ☉ 7. ☽ 10. *Ind.* 9.

Annus urbis 1673. *Julianus* 966.
Æra Hiſpan. 959. *Auguſtorum* 948.

Annus Nabonaſſaris 1669. & *Philippi* 1245. *incipit die* 5. *Junii. fer.* 6.

Conſtantinus cum Romano, inchoat annum imperii 15. *Henricus Auceps tertium.*

Bulgari iterum in Thraciam veniunt, eamq; vaſtant. Ideò ne Conſtantinopolin venirent, & ſuburbia vaſtarent, Romanus Imp. ipſis exercitum obviam mittit, qui tamen à Bulgaris vincitur, quinta ſeptimana quadrageſimæ. *Cedr.*

Annus Hegiræ 309. *incipit die* 12. *Maii. fer.* 7.

Henricus Imp. bellum movet Carolo Francorum regi de Lotharingia, quam Carolus Henrico concedit, & inſuper ipſum donat Sancti Dionyſii defuncti manu, & aliis muneribus. *Frodoard.*

Olympias 425. *incipit* 15. *Iulii. Eſt annus Olympiadicus* 1697.

Annus Diocletiani 638. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Arnulphus Dux Bavariæ, quem Conradus paulò ante mortem iterùm pepulerat Ducatu, in Ducatum reverſus, cùm eum ordinaſſet, & exercitum collegiſſet, de Henrico Imperatore dejiciendo conſilia init. Henricus cum exercitu profectus in Bavariam, eum evocat ad colloquium, ubi ipſi tandem perſuadet, ut arma deponat, & ſibi fidelitatem juret. *Schafnab.*

Wenceslaus *conſtituitur Dux Bohemorum, qui Chriſtianam religionem fideliter coluit, multas Eccleſias ædificavit, & miraculis etiam, ut ſcribunt, claruit: regnat autem tantùm annos octo.* Coſm.

ANNO MUNDI 4871. Poſt. C. 922.
F. ☉ 7. ☽ 11. *Ind.* 10.

Hungari, cùm Imperator nollet tributum dare, quod olim Ludovicus & Conradus pepigerant, in Germaniam magno exercitu irruunt, & in Sueviam excurſionem faciunt, inde in Lotharingiam & Galliam tranſeunt; revertentes inde apud Wormatiam per Haſſiam & Thuringiam, in Saxoniam veniunt, & Magdeburgum exſcindunt. Inde trans Albim tranſeuntes, Bremenſes obſident, expugnant, cremant. Imperator cùm eſſet impar viribus, omnibus artibus belli eos cohibet, & tandem eorum Duces aliquot capit. Cùm hoſce vinculis liberari vellent, promiſerunt Imperatori pacem per novem annos, ſi Imperator mitteret annua munera; & ſic ex Germania diſceſſerunt. *Spangenb.*

Annus Hegiræ 310. *incipit die* 1. *April. fer.* 4.

Carolus Simplex Galliæ rex, cùm regeretur totus conſiliis Haganonis, hominis non adeò nobilis, à principibus deſeritur, qui eligunt regem novum *Robertum*, Comitem Pariſiorum, qui ab Rhemenſi Epiſcopo Heriveo rex inungitur, die 2. Julii, qui Epiſcopus tamen tertio die poſt moritur. Hinc inteſtina bella in Gallia exorta. *Gaugu.*

Trevirenſis Archiepiſcopatus cum ſuffraganeis hactenus fuerat ſub regibus Galliæ: reſtituitur imperio Romano à Carolo Simplice, autore Archiepiſcopo Ruperto. *Chron. Belg.*

ANNO MUNDI 4872. *Poſt. C.* 923.
E. ☉ 8. ☽ 12. *Ind.* 11.

Eugenius Martyr in Hiſpania à Saracenis interficitur, die 16. Martii, anno Almanſoris duodecimo *Baron.*

Annus Hegiræ 311. *incipit die* 20. *April. fer.* 1.

Rudolphus Burgundiorum rex ab Italis evocatus in regnum, contra Berengarium tyrannum, cum conſerta pugna vincit & regno pellit, idque triennio obtinet. *Sigeb.*

Carolus Simplex, advocato Normannorum auxilio, ruptis induciis, *Robertum* creatum regem imparatum obruit, & occidit, die 15. Julii, fer. 1. Filius Roberti, cæde parentis irritatus, exhortatur ſuos, & victoriam Carolo extorquet. Et paulò pòſt *Herbertus* Comes Viromandenſis regem Carolum ad ſe invitat, & inopinantem in vinculis habet. *Aimon.*

Ranimirus rex Hiſpaniæ, iterum vincit Saracenos ad Talabricam, & eorum duodecim millia occidit; paulò pòſt moritur, cùm poſt fratrem regnaſſet annos novem, menſes ſex. Succedit ipſi filius *Frojola*, homo libidinoſus & crudelis, qui regnat menſibus tantum quatuordecim *Marian.*

Status in Gallia deliberant de rege, & eligunt Rudolphum regem Burgundiæ, celebrem victoria de Berengario in Italia; qui regnat annos duodecim. Ludovicus autem filius Caroli Simplicis aufugit in Angliam ad Adelſtanum conſobrinum. *Aimoin.*

ANNO MUNDI 4873. *Poſt. C.* 924.
DC. ☉ 9. ☽ 13. *Ind.* 12.

Henricus Imperator comitiis inſtitutis de neceſſaria defenſione contra Hungaros inſtituenda deliberat; ubi decernitur, ut ex agricolis nonus quiſque in urbes recipiatur, quià reliquis agricolis accepta tertiâ parte fructuum alatur. Hinc factum ut multi vici & pagi oppidorum privilegia ab Imper. acciperent, & mœnibus ac munitionibus cingerentur: Cives contra, ut arma parent, in armis certis diebus decurrant, ſe ad bellum exerceant, quotannis luſtrentur, & pro merito munera accipiant: utq; nundinæ & nuptiæ tantùm in oppidis fierent

ut agricolæ moribus civium aſſueſcerent, amicitias jungerent, & ad eoſdem tempore neceſſitatis perfugium haberent. *Schafnab.*

Annus Jezdeg. 293. incipit 4. April. feria 1.

Armen. 373. 7. Aprilis, fer. 4.

Annus Hegiræ 312. incipit die 9. April. fer. 6.

Berengarius in Italia, cùm pulſus eſſet regno, Hungaros in auxilium evocat: Itali verò de advenientibus Hungaris certiores facti, Berengarium occidunt: nihilominus Hungari pergunt, Italiam depopulantur, Papiam urbem capiunt, incendunt, & delent die 14. Maji, feria 6. hora diei tertiâ. Cremata ſunt præter domos & arcem templa quadraginta tria: Vix ducendi cives ex tanta clade ſuperfuerunt. Inde Hungari in Galliam abierunt, ubi à Rudolpho rege in anguſtiis alpium cæſi ſunt. *Frod.*

Frojola ille in Hiſpania occiditur, ſuccedit *Alphonſus* filius Ordonii, qui regnavit annos ſex, & menſes ſex. *Marian.*

Bulgari iterum Thraciam vaſtant, Duces Imperatoris, & ſi caſtra Bulgarorum, cùm prædatum abiiſſent, invaſerunt, & ea ceperunt, tamen iterum ejecti ſunt & Bulgari paulò pòſt *Adrianopolin* obſidione cinxerunt, & fame domitam deditione ceperunt. Inde Simeon Dux in Bulgariam rediit, præſidium verò ſatis validum in urbe reliquit, ſed cùm Duces Imperatoris Romani advenirent, præſidium illud aufugit, & urbs recepta eſt. *Cedr.*

Annus Alexandræus 1236. Antioch. 973. & Conſtant. 6433. incipit Calend. Octobr.

Eduardus rex in Anglia, cùm annos 23. regnaſſet moritur; ſuccedit *Adelſtanus*, qui regnat annis 16. & ſubjectis ſibi Britonibus & Northumbricis etiam, cùm Danos fugaſſet, regnum plurimum auxit. *Roger.*

ANNO MUNDI 4874. Poſt. C. 925.

B. ☉ 10. ☽ 14. *Ind.* 13.

Annus urbis 1677. *Julianus* 970.

Æra Hiſpan. 963. *Auguſtorum* 952.

Annus Nabonaſſaris 1673. & Philippi 1249. incipit 42. Januarij, fer. 3.

Conſtantinus cum Romano inchoat annum imperii 4. Henricus ſeptimum.

Annus Hegiræ 313. incipit die 29. Martij. fer. 3.

Seulphus Epiſcopus Rhemenſis, veneno de medio tollitur; *Eribertus* Dux Aquitaniæ, qui regem Galliæ Carolum Simplicem captivum habebat, eò advolat, adducitque ſimul ſuum filium, puerum quinquennem, remque ita tranſigit, ut puer hic Archiepiſcopus eligeretur: eundem etiam Johannes Papa conſecravit. Hinc mos inolevit ut pueri etiam beneficiorum Eccleſiaſticorum capaces eſſent. *Baron.*

In Hiſpania Epiſcopus ante quinquennium captus, cognatum ſuum puerum nobilem pro ſe obſidem dederat, Pelagium nomine, qui quòd libidini Almanſoris regis obſequi nollet, ignitis forcipibus in fruſtra diſcerptus eſt, die 15. Julii, feriâ prima, ab hora diei ſeptima usque ad veſperam. *Hiſtor. Hiſpan.*

Olympias 426. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1701.

Annus Diocletiani 642. incipit die 29. Auguſti.

Henricus Imperator tirones ſuos, quos proximo anno exerceri juſſerat, exploraturus, eos contra Vandalos ducit ad Suevum, Oderam & Havelum fluvios, nec infeliciter res gerit, & in tantas anguſtias eos redigit, ut tandem in urbem *Schorelitz*, quę hodiè Brandeburgum eſt, ſe conferrent, ubi ſperabant ſe Imperatori reſiſtere poſſe, ſed Imperator factis caſtris, ineunte hyeme, cùm paluſtria illa loca glacie concreta tranſire poſſet, eos adeò affligit, ut ſe dederent: Ut verò Vandalorum excurſiones prohibere poſſet, Marchionem urbi præficit Sigfridum Comitem Ringelheimenſem, qui primus Marchio Brandenburgenſis factus eſt. Paulò pòſt idem Imperator Epiſcopatum ibi inſtituit, & templum eo in loco conſtruit, ubi tum vicerat. *Cranz.*

ANNO MUNDI 4875. Poſt. C. 926.

A. ☉ 11. ☽ 15. *Ind.* 14.

Annus Hegiræ 314. incipit die 19. Martii, fer. 1.

Ecclipſis Lunæ hoc anno annotatur à Frodoardo, facta Calendis Aprilis, incipiente aurorà, cujus color totus fuit ſanguineus. Hæc ita invenitur hoc die, quòd acciderit Calendis Aprilis, fer. 7. horis tribus poſt mediam noctem in Gallia. Latitudo vera auſtr. 18. 21. ſemidiam. Lunæ 16. 18. ſumma ſemid. 60. 15. ſcrup. reſidua 41. 54. digiti ecclipt. 15. 7. Solis 15. 47. Arietis.

Abarca *rex Navarræ & Vaſconum, cùm annis viginti regnaſſet, trucidatur in pugna contra Caſtellanos; ſucceſſit* Garſias *Sanctius, qui regnavit annis quadraginta.* Marian.

Hugo *Comes Arelatenſis ſive Provinciæ, clàm evocatus à Pontifice, contra Duces Rudolphi regis Galliæ, qui Italiam ante biennium occuparant, ut eos pelleret, & Italiæ rex eſſet: cum exercitu eò proficiſcitur, & Burchardum principem Germanorum, ſocerum Rudolphi, trucidat: & adjuvante Papa regnum Italiæ occupat, quod Rudolphus deinceps ita fieri paſſus eſt.* Frodoar.

Saraceni *Lemnum oppugnant, qui tamen ab Imperatoris Romani claſſe ibi vincuntur.* Cedr.

ANNO MUNDI 4876. Poſt. C. 927.

G. ☉ 12. ☽ 16. *Ind.* 15.

Annus Hegiræ 315. incipit die 8. Martij, fer. 5.

Henricus Imperator, cùm Vandali Sorabi quieſcere non poſſent, expeditionem in eos ſuſcipit, & vaſtatis illorum regionibus urbem *Grunau* infra Ilenburgum obſidet tribus ſeptimanis, & tandem vi capit, ubi præter impuberes omnes occiſi ſunt, urbs direpta & exciſa. *Crantz.*

Eribertus Comes, qui Carolum Simplicem captivum tenebat, injuriis afficitur à Rudolpho rege Galliæ. Ideò cùm Pontifex etiam liberationem Caroli urgeret ut Rudolpho ægrè faceret, Carolum dimittit, & in regnum reſtituit. Sed ſequenti anno, cùm amicitiam reconciliaſſent, Eribertus, Rudolphus, & inſuper Papa, carceri rurſum mancipatur Carolus. *Frodoard.*

ANNO MUNDI 4877. *Poſt. C.* 928.

FE. ☉ 13. ☽ 17. *Ind.* 1.

Annus Hegiræ 316. incipit die 25. Febr. fer. 2.

Annus Jezdegird. 297. incipit die 3. April. fer. 7.

Armen. 377. die 6. April. fer. 1.

Guido, frater Hugonis, infenſus Pontifici propter fratrem Pontificis Petrum, cum conjuge Merozia meretrice Romam venit, & per appari-

apparitores ſuos Petrum illum ex improviſo occidit, & ipſum Papam Johannem virum ſceleratiſſimum capit, & in carcerem detrudit, die 7. Aprilis, cùm ſediſſet 15. menſes circiter tres. Succedit ipſi *Leo* ſextus, cùm Johannes Sergii ſpurius qui ſedem occupare conatus fuerat, dejectus eſſet; & ſedet *Leo* menſes ferè ſeptem. *Baron.*

Henricus Imp ſollicitus de incurſione Vandalorum, Sclavorum & Hungarorum, contra Sclavos ad Albim ædificat urbem, quam à rivulo ibi decurrente in Albim *Miſenam* appellavit, eam munivit, & Marchionatum Miſniæ ibi inſtituit, cui præfecit cognatum ſuum Comitem Withinenſem, eique regiones attribuit, ut imperium contra Bohemos & Sclavos tutaretur. Ipſe Henricus interim in Bohemiam profectus, Pragam obſidet, & tandem pacem cum Wenceslao Duce facit. Contra Hungaros verò in Auſtria præficit *Leopoldum* Ducem Sueviæ. qui primus Marchio Auſtriæ fuit, præfuitque totis annis 55. ut *Trithemius* habet.

Simeon Dux Bulgarorum, menſe Sept. iterùm ingentem exercitum in Græciam educit, populatur Macedoniam & Thraciam, & Conſtantinopolin uſque pervenit, ubi tandem de pace ineunda conſilia agitata ſunt, quæ perfecta eſt die 9. Novembr. *Cedr.*

Annus Alexandrani 1240. *Antioch.* 977. *& Conſtant.* 6437. *incipit* 1. *Octobr.*

Leo Papa, cùm menſes ſeptem ferè ſediſſet, circà initium Novembr. ab eodem *Guidone* de ſede deponitur, & in carcerem detruditur, cui ſucceſſit *Stephanus* VII. qui ſedit annos duos, & menſes ferè duos, ut habet *Onufr.* Sed *Baronius* hæc in initium ſequentis anni collocat.

Romanus Imper. filios ſuos Stephanum & Conſtantinum, Cæſares facit, & coronat; tertium autem filium jubet in clericum attonderi, qui fiat Diaconus, in feſto Nativitatis Chriſti. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4878. Poſt. C. 929.
D. ☉ 14. ☽ 18. *Ind.* 2.

Annus urbis 1681. *Julianus* 974.
Æra Hiſpan. 967. *Auguſtorum* 956.

Annus Nabonaſſaris 1677. *& Philippi* 1253. *incipit* 3. *Januarii, fer.* 7.

Henricus *Imp. inchoat annum imperii* 15. *Conſtantinus cum Romano* 18.

Annus Hegiræ 317. *incipit die* 14. *Febr. fer.* 7.

Papa Johannes & *Leo* ambo in carcere hoc anno moriuntur. *Baron.*

Alfonſus rex Hiſpaniæ vovit ſe monachum futurum ideò fratri *Ranimiro* regnum tradit, Sed paucis diebus pòſt, pœnitens facti, ad regnum redit. Ranimirus contra jam potens regni, fratrem urget, ut in cœnobium, quemadmodum voverat, abeat, & nolentem obſidet biennio ferè. *Tudenſ.*

Lancea, quâ Chriſti latus perforatum fuerat, ut ferebant, donata fuerat regi Galliæ Rudolpho hanc expetit Henricus Imperator, & eam tandem precibus, minis, muneribus & addita parte provinciæ Suevorum impetrat, & ut inſigne imperii poſteris reliquit. *Sigeb.*

Olympias 427. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1705.

Annus Diocletiani 646. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei 18. *incipit die* 7. *Septembr. fer.* 2. *Eſt annus Judaicus* 4690.

Wenceslaus *à fratre ad luſtricum convivium invitatus, in templo inter pias preces per odium ab eodem occiditur, die* 28. *Sept. cùm octo annis regnaſſet; ſucceſſit parricida frater* Boleslaus *qui regnat annis* 38. Colm.

Prælium ingens hoc anno inter Adelſtannum regem, & Danos cum Scotis commiſſum, quo Dani cum Scotis acerrima pugna victi ſunt, caſo totius nobilitatis Scoticæ flore. Ademit Adelſtannus Scotis Cymbriam & Weſtmariam, & Northumbriam à Danis recuperat. Buch.

Vandali *Saxoniam, dum Henricus alibi fines tutatur, vaſtant: quare contra eoſdem Duces ſuos, Bernhardum Ducem Lunaburgenſem, & Comitem Withinenſem cum exercitu mittit, qui Vandalorum ad centena & viginti millia trucidarunt ad mare Balthicum, ubi poſtea ad Cymbricam Cherſoneſum Henricus Marchionatum* Slesvicenſem *inſtituit, qui tamen poſtea in Epiſcopatum mutatus eſt.* Cranz.

ANNO MUNDI 4879. *Poſt. C.* 930.
C. ☉ ☽ *Ind* 3.

Annus Hegiræ 316. 3. *Februarii fer* 4.

Henricus Imp. in Daniam movet, & Wormium regem ſibi tributarium facit, impetrat etiam commeatum Epiſcopi Hamburgenſis Hunni, ut apud Danos & Normannos & Suecos Chriſtianam religionem, cujus cultus poſt Anſgarium derelictus erat, inſtauraret. Inde Obetritos Vandalos etiam religionem Chriſtianam profiteri cogit. *Crantz.*

Nicolaus Patriarcha Conſtantinopol. cùm à reſtitutione ſediſſet annos novendecim, moritur die 15. Maji, Succedit ipſi Stephanus quintus qui ſedit annis tribus. *Curop.*

Otto *Magnus ex conſilio Parentis Imperatoris Imperatoris ducit* Editham *Edmundi in Anglia, fratris Adelſtam filiam, uxorem.* Crantz.

Stephanus Papa, cùm ſediſſet annos duos, & menſes duos, moritur die 8. Decembr. veneno ſublatus: Succedit ipſi Johannes undecimus, Sergii Pontificis ex Marozia ſcorto filius nothus, intruſus hoc tempore, cùm ea omnia poſſet; ſedetque annis ferè quinque. *Onufr.* Sed Baronius hæc collocat in initium ſequentis anni.

ANNO MUNDI 4880. Poſt. *C.* 931.
B. ☉ 16. ☽ 1. Ind. 4.

Annus Hegiræ 319. *incipit die* 23. *Ianuar. fer.* 5.

Hugo rex Italiæ, cùm quinque annos regnaſſet, aſſumit in ſocietatem regni filium Lotharium, & quidem in Conſtitutionibus ſive Receſſibus Imperatorum apud Goldaſtum, Hugo ſtatim ab initio regni vocatur Imperator, & ab hoc anno Lotharius Cæſar: quos tamen Baronius non agnoſcit.

Henricus Auceps ſancit, ut primogenitis præ cæteris fratribus & ſororibus extra ordinem tribuantur arma & bellica inſtrumenta parentis, das Heergeräthe. Receſſ. Imper.

Simeon Bulgarorum princeps, menſe Majo in Crobates movet, ubi in anguſtiis montium victus, omnem exercitum amittit; & paulò pòſt moritur: Succedit ipſi filius Petrus, qui cum cerneret parentis injuriis omnes ferè vicinos irritatos eſſe, & Bulgariam inſuper famem ſentire, ideò

metuens ſibi, cupit cum Imperatore Conſtantinopolitano pacem & affinitatem jungere, & tandem impetrat filiam *Chriſtophori* Cæſaris, uxorem; Nuptiæ celebrantur die 8. Octobr.

Ranimirus in Hiſpania tandem expugnat fratrem Alfonſum, & in cœnobio eum concludit. Ipſe contra regnum init die 7. Octobr. quod obtinet ab hoc tempore annis 18. & menſibus ferè tribus *Marian.*

ANNO MUNDI 4881. *Poſt. C.* 932.
AG. ☉ 17. ☽ 2. *Ind.* 5.

Annus Hegiræ 320. *incipit die* 13. *Januar. fer.* 6.

Henricus Imperator Comitia agit, & cum Statibus imperii conſultat, cùm tempus induciarum cum Hungaris exierit, & ipſi proculdubio majus tributum poſtulaturi ſint, quid agendum ſit. Reſpondetur ipſi à Statibus, bello ipſis reſiſtendum, cum Dei gratia Germania armis floreat, virisque. Ideò cùm paulò pòſt legati Hungarorum advenirent, poſtulantes non ſolùm munera annua, ſed etiam peculiare tributum, non ſolùm ipſis omnia negantur, ſed etiam ludibrio habentur, oblato cane villatico ſcabioſo & tonſo. Ideò bellum minitantur. *Spangenberg.*

Wenceslas Bohemorum Ducis interfecti cadaver Pragam deducitur, & ibi humatur 7. Martii, & Boleslaus frater *Boleslaviam* ad Albim condit. *Coſmas.*

Annus Jezdegird. 301. *incipit die* 2. *Aprilis fer.* 2.

Armen. 381. *die* 5. *Aprilis, fer.* 5.

Romani Imperatoris Conſtantinopolitani Dux Curcuas magnas res gerit contra Saracenos, & tandem *Melitenam* oppugnat & expugnat, quæ in provinciæ formam redacta, magnos reditus ærario miniſtravit. *Ced.*

Henricus Imperator anno imp. 14. die 1. Junii univerſalem ſynodum celebrat Erfordiæ, ſancitq; quædam capita Eccleſiaſtica, quorum primum eſt, ut Natalitia duodecim *Apoſtolorum* ſolenniter celebrentur. *Baron.*

Arnulphus Dux Bavariæ quòd ex ſtirpe Carolina eſſe videretur, evocatur ab Epiſcopo Veronenſi in Italiam contra Hugonem, & ipſe quidem cum aliquibus copiis Veronam pervenis, ſed repellitur ab Hugone. Hic Arnulphus poſtea Auguſtam urbem diripuit. *Sigebert Baron.*

Muctedar Amiras Babyloniorum, cùm annis 25. regnaſſet, moritur anno Heg. 320. ſub eo floruit *Sinan*, filius *Tebeth.* Succedit filius *Elcahar*, qui annum unum regnavit. *Zacuthi.*

Annus Alexandreus 1244. *Antioch.* 981. *Conſtantinop.* 6441. *incipit Calend. Octobr.*

Hungari collecto exercitu trecentorum millium in Germaniam tendunt, circa menſem Decembris auxilia inſuper aſſumunt Sclavorum, & omnia ferro flammisq; vaſtant, fœminas in captivitatem abducunt cum pueris, viroſque, quos capere potuerunt, occidunt. *Hedenb.*

ANNO MUNDI 4882. Poſt. C. 933.
E. ☉ 18, ☽ 3. *Ind.* 6.

Annus urbis 1685. *Julianus* 978.

Æra Hiſpan. 971. *Auguſtorum* 960.

Annus Hegiræ 321. *incipit Calendis Januarii, fer.* 3.

Annus Nabonaſſaris 1[illegible]1. *& Philippi* 1257. *incipit die* 2. *Junii, feria* 4.

Henricus *Imper. incipit annum imperii* 15. *menſe Januarii.*

Hungari primo vere, cùm hyemem per ſcelera & omnia flagitia in Orientali Germania tranſegiſſent, in binos exercitus ſe devidunt, quorum prior in Thuringiam pergit alter Merſburgum occupare conatur. Qui in Thuringiam venerant, propè Sundershuſium ad unum omnes à Comite & incolis; pro patria fortiter pugnantibus, cæſi ſunt, cùm tamen eorum eſſent ad quinquaginta millia. Henricus Imperator hâc victoria audita, benè de eventu ſperans, etiam propè Weiſſenfelſiam alterum Hungarorum exercitum aggreditur, eum vincit, & perſequitur, ita ut pauciſſimi evaſerint multa etiam captivorum millia erepta ſint. Inde Henricus Gottingam in Saxoniam cum Ducibus exercitus abit, ubi de ludis equeſtribus in Germania inſtituendis cum principibus agit, feruntur que leges duodecim, quibus nemo ad eos ludos, niſi verè nobilis, & pius, & ſceleris purus, admittebatur. *Cranz.*

Elcahar *Amirus Babyloniorum, cùm regnaſſet annum unum, moritur anno Heg.* 321 *ſuccedit* Raze, *qui regnavit annos ſex.* Zacuthi.

Olympias 428. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1709.

Annus Diocletiani 650. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Guido ante hæc tempora cum Marozia ſcorto Romam obtinuerat, qui moritur: ideò Marozia Hugonem, qui rex Italiæ erat, de conjugio ſollicitat, tantummodo Romam veniat, ne Marozia Roma ejiciatur. Filius Maroziæ *Albericus* quem ex Alberico Marchione Thuſciæ genuerat, cùm Hugo adveniſſet, ad cives Romanos ſe confert, eos adhortatur, ut Hugonem urbe ejiciant cum Marozia, quod & fit, & ipſe Albericus Romam occupat, & paulò pòſt ſuum fratrem nothum Johannem Papam ad ſe traductum, in libera cuſtodia habet. *Frod.*

Stephanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm ſediſſet annos ferè tres, moritur die 6. Julii: de ſucceſſore eligendo dubitatur. Theophylactus enim filius Imperatoris Romani, quem pater Patriarcham fieri volebat, tantùm erat annos ſedecim natus. Ideò clerici per leges annales eum rejiciebant. Decurritur eò, ut habeat *Tryphonem* monachum ſubſtitutum per duos annos, qui eligitur menſe Decembr. Frigus tùm fuit ingens, adeò ut illud duraret ad dies centum & viginti: & ſecuta eſt ſequenti anno ſæviſſima peſtis. *Cedr.*

Annus Hegiræ 322. *incipit die* 22. *Decemb. fer.* 1.

ANNO MUNDI 4883. Poſt. C. 934.
E. ☉ 19. ☽ 4. *Ind.* 7.

Obtetriti Vandali, dum Imperator Henricus Gottingi eſt, conjurant inter ſe, & præfectos ſuos & Epiſcopos ſuos trucidant. Ideò Imperator primo vere in eos movet; Vandali belli immemores, ſponte ſe offerunt ad pœnam, ſi peccaſſe ſe demonſtretur, & de cæde horum ita ſe excuſant, ut Imperator juſtè eos cæſos eſſe pronúciaret. *Crantz.*

Ecclipſis Solis annotatur à Trithemio, quæ ſignum futuri obitus Imperatoris exiſtimata fuit. Ea accidit die 19. *Aprilis, fer.* 4. *horis* 4, 30. *poſt meridiem*

diem. Parallaxis latitud. Solis fuit 23,22. Latitudo Septentrionalis 25, 56. Viſa Septent. 2,34. Semid. Solis 15 14. Summa ſemid. 31,56. Scrup. reſidua 29,22. Digiti ecclipſici 11,36.

Imperatoris Conſtantinop. Romani filius Chriſtophorus Cæſar, *ſocer Bulgarorum regis, moritur* 14. *Auguſti.*

Albericus Romæ Pontificem Romanum fratrem ſuum nothum in libera cuſtodia habebat: Ideò Conſtantinopolitanus Imperator amicitiam cum Alberico jungit, & per eum apud Johannem Papam impetrat, ut filio ſuo Theophylacto Patriarchæ Conſtantinopolitano liberum jus pallii utendi permittatur; atq; ita Epiſcopi Græciæ amplius *Pallia* à Romanis Pontificibus non redemerunt. *Conſt. Imp.*

Annus Hegiræ 323. incipit die 11. Decemb. fer. 7.

ANNO MUNDI 4884. Poſt. C. 935.
D. ☉ 20. ☽ 5. *Ind.* 8.

Primi ludi Equeſtres, ab Imperatore Henrico inſtituti, celebrantur Magdeburgi, die 12. *Januarii.*

Theophylactus, cùm jam octodecim annorum, Pontificatum ipſe adminiſtrare incipit, die 11. Februarii Tryphonem removet. Poſtea die 7. Aprilis Turcæ Conſtantinopolin invadunt, & omnia populantur. Romanus Imperator omni ſtudio in id contendit, ut pax cum ipſis componatur, nec ſumptibus parcit, ut captivi redimantur. *Cedr.*

In Januenſium urbe in Alpibus Cocciis fons ſanguinis largiſſimè fluit, & ita prænunciavit futuram cladem. Saraceni enim ex Africa eodem anno cum magna claſſe eò veniunt, & inopinato urbem invadunt, puberes mares omnes occidunt, pueros & fœminas in Africam cum ingenti præda abducunt. *Luithp.*

Annus Hegiræ 324. incipit 30. Novembr, fer. 2.

ANNO MUNDI 4885. Poſt. C. 936.
CB. ☉ 21. ☽ 6. *Ind.* 9.

Johannes XI. cùm annos ſediſſet quinque, & ultimis ſuis temporibus in libera cuſtodia à fratre detentus fuiſſet, moritur: ſuccedit *Leo* ſeptimus, qui ſedet annis tribus, menſ. ſex. *Baron.*

Annus Jezdegird *305. incipit die 1. April. fer. 6.*
Armen. 385. 4. April. fer. 2.

Manaſſes Arelatenſis Epiſcopus, confiſus cognatione cum Hugone rege Italiæ, deſerta ſua Eccleſiâ in Italiam abit, ubi à rege accipit Epiſcopatum Veronenſem, idem Tridentinum, Mantuanum & Mediolanenſem, atque ita primus fuit eorum, qui plures Epiſcopatus ſimul rexerunt, probavitque hæc rectè fieri, cùm Petrus Apoſtolus ſimul fuerit Epiſcopus Romanus, & Antiochenus. *Baron.*

Henricus Imp. cùm conſtituiſſet in Italiam proficiſci, morbo corripitur, & moritur Memlebiæ in cœnobio, quod uxor ipſius exſtruxerat, die 2. Julii, cùm imperâſſet annos ſeptendecim, & menſes ſex: ſepelitur Quedlinburgi in cœnobio, quod ipſe fundaverat, ubi & filiam ſuam Mathildem Abbatiſſam fecerat. Succedit ipſi pietate, prudentiâ, fortitudine & humanitate par filius *Otto*, qui coronatur Aquiſgrani ab Epiſcopo Moguntino, imperatque annis 42. *Luithp.*

Rudolphus rex Galliæ moritur, cùm ferè duodecim annis regnum gubernaſſet: Status Regni Gallici mittunt Archiepiſcopum Senenſem in Angliam, accerſuntque Ludovicum Caroli Simplicis filium, cui regnum deferrent, quòd ſolus erat ex familia Carolina. Adelſtanus rex Angliæ ita Ludovicum dimittit, poſtulato tamen juramento à legatis, quòd non fraude hoc agerent; regnavit autem annis ferè 18. *Frod.*

Annus ſabbathicus quintus Jobelei 18. *incipit* 19. *Septembr. fer.* 2. *Anno Judaico* 4697.

Annus Alexandr. 1248. *Antioch.* 985. *Conſtant.* 6445. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Hegiræ 325, incipit 19. Novembr. fer. 7.

Hoc anno prædicat *Baronius* bonum opus *Odonis* abbatis Romæ & monachi ſui: Quòd videlicet monachus in agro, cùm horas ſuas canonicas recitaret, & videret furem advenientem, & equum furto abducentem, noluerit furem inclamari, & alios ut inſequerentur excitare, ne peccaret in regulas ſilentii. Et deinde quòd *Odo* abbas, cùm fur iſte ab aliis jam deprehenſus eſſet, noluerit ipſum pœnâ aliqua affici, ſed quòd totam noctem hoc modo vigilaſſet, & magno labore, equum abduxiſſet, juſſerit ipſi numerare quinque ſolidos. Hujuſmodi bonorum operum exempla multa invenies apud *Baronium.*

ANNO MUNDI 4886. Poſt. C. 937.
A. ☉ 22, ☽ 7. *Ind.* 10.

Annus urbis 1689. *Julianus* 982.
Æra Hiſp. 975. *Auguſtorum* 964.

Annus Nabonaſſaris 1685. *& Philippi* 1261. *incipit Cal. nd Januarii, fer.* 1.

Boleslaus *Dux Bohemorum, incurſionibus vaſtat vicinos ſuos in imperio. Ideò ad eos defendendos Otto Imp. Ducem mittit cum exercitu, qui imprudenter exercitum dividit, ubi alter Thuringorum ſcilicet, cùm videret ſe imparem viribus hoſti, tempeſtivè fugit. Sed Imperator ipſe expeditionem hanc ſuſcepit, & in Bohemiam profectus, ducem imperio reſtituit, & ſubjicit, & cum victoria in Germaniam revertitur die* 25. *Septembr.*

Cum defunctus eſſet Sigfridus Marchio Brandenburgenſis *abſque liberis.* Tancvverdus *frater Ottonis Imp. Marchionatum iſtum occupare conatur, ſed Otto præfert Geronem Comitem: hinc inimicitiæ ortæ inter Tancvverdum & Ottonem, quæ ſequenti anno in bellum eruperunt.* Widi.

Olympias 429. *incipit die* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1713.

Conſtantinus inchoat cum Romano annum imperii 26. *Otto ſecundum.* *Annus Diocletiani* 654. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Monaſteria multa hoc anno exuſta ſunt, ut S. Galli in Suevia, Fuldenſe, & Scothorum, &c. *Trith.*

Arnolphus *Bavariæ dux moritur, relictis tribus filiis; qui cùm de hæreditate diſceptarent, nec Imperatorem arbitrum ferrent, ſed contra ad arma conclamarent, Ducatu excidunt, & paucis coguntur eſſe contenti, ut comitatu Wittelsbach o, Schirenſi, & aliis.* Widick.

Hungari in Italiam irruunt, & omnia circa Beneventum & Capuam vaſtant, captivorum multitudinem ingentem abducunt, pro quibus liberandis plurimum auri abſumptum eſt, in tota ferè Italia: Iidem tamen Hungari poſt à Marſis & Pelignis victi, omni prædâ ferè exuuntur. Chron. Caſſ. *Ita Hungari etiam in Saxoniam veniunt, & diviſis copiis undique eam vaſtant, ſed cives, jam cum agri-*

colis aſſueti, armis eos ita excipiunt, ut pauciſſimi in Hungariam redirent, cùm ex omnibus pagis & oppidis armis appeterentur. Wid.

ANNO MUNDI 4887. Poſt C. 938.
G. ☉ 32. ☽ 8. *Ind.* 11.

Tancvverdus iratus fratri, ob ereptum Marchionatum, ut putabat, fœdus init cum Eberhardo Palatino contra Imperatorem, & contracto exercitu ſimul cum eo *Bardevicum* urbem, ubi Imperatoris frater Henricus erat, expugnat, & diripit, & Eberhardus Henricum captivum in Palatinatum abducit; quibus injuriis Imperator commotus, movet in *Tancvverdum* in Saxoniam, ubi ipſi Eresburgum, ubi erat, ſtatim deditur; *Tancvverdus* in templum ſecuritatis cauſa fugit, ſed à militibus iratis, inſcio Ottone confoditur, multi capiuntur, & qui autores viſi ſunt rebellionis, capitis damnantur. Palatinus his ſucceſſibus Imperatoris territus, Henricum captivum non ſolùm dimittit, ſed eundem admonet, de genitura Imperatoria, ut velit eſſe potius Imperator, quàm tantam dignitatem à fratre Ottone Injuſtè occupatam, dimittere; ad quam rem promittit ſuam operam, atque ita facile adoleſcentulo perſuadet, ut fœdus ſecum & cum Giſelberto Lotharingiæ Duce contra Imperatorem ineat. *Luitp.*

Annus Hegiræ 327. *incipit die* 18. *Octobr.*

Eberhardus Palatinus, cùm ad bellum imparatus eſſet, pro pace, hortatu Epiſcopi Moguntini, ſupplicat apud Imperatorem, & impetrat quidem, ſed ita, ut Hildesheimium in exilium abducatur; ita Henricus frater etiam in gratiam recipitur. *Urſb.*

ANNO MUNDI 4888. *Poſt. C.* 939.
F. ☉ 24. ☽ 9. *Ind.* 12.

Magdeburgum in dotem datur *Edithæ* conjugi ab Imperatore Ottone, & urbs inſtauratur. *Jus Saxonicum* etiam tum conſtitutum eſt & confirmatum: ita quæſtio deciſa, quod nepotes patris ſui defuncti loco hæreditatem avi ſui adire poſſent. Privilegia urbi data ſunt ſequenti anno 17. Junii. *Crantz.*

Papa Leo ſeptimus, cùm annos tres & menſes ſex ſediſſet, moritur die 6. Junii, ut Onufrius habet: Succedit Stephanus octavus, operâ Ottonis Imperatoris, cui Romani gratum facere volebant, qui ſedit annos tres, & menſes 4.

Ecclipſis Solis accidit die 19. Julii, horâ die tertia, fer. 6. anno Imperatoris Ottonis quarto, ut habet Hepidanus monachus S. Galli: Anno item quarto Ludovici regis Galliæ, ut habet Chron. Belgicum: obſervata eadem fuit in Hiſpania paulò ante victoriam Ranimiri de Saracenis. Ea igitur ad meridiem Salmantica pol. 41. invenitur accidiſſe die 19. Julii ante meridiem horis 4,15. Parallaxis lat. 28, 13. Latitudo vera Septent. 22,25. Viſa Septent. 5. 48. Semid. Solis 15.5. Summa 31,15. Reſid. 25,27. Digiti ecclipt. 10,7. Sol in primo Leonis.

Ranimirus Hiſpaniæ rex ſive Legionis, poſt ecclipſin, cum Saracenis, qui certam ſpem de victoria ex hac ecclipſi, quòd Luna Solem obſcuraſſet, conceperant, pugnat, & ingenti victoriâ potitur, cæſis hoſtium octoginta millibus. *Tud.*

Annus Hegiræ 328. *incipit die* 18. *Octobr. feria* 6.

Raze Amiras Babylonis, cùm annis 6. regnaſſet, moritur anno Hed. 328. cui ſuccedit *Muctaphe*, qui regnat annos 14. *Zacuthi.*

Eberhardus Palatinus in gratiam ab Imperatore receptus, ſtatim ad vomitum redit, & fœdus contra Imperatorem facit, cum Henrico fratre Imperatoris, aſſumto Giſelberto Lotharingo & Friderico Epiſcopo Moguntino: conveniunt Salveldiæ, ubi omnia juramentis confirmantur. *Fab.*

ANNO MUNDI 4889. Poſt. C. 940.
ED. ☉ 25. ☽ 10. *Ind.* 13.

Albericus Tuſciæ Marchio, qui Romæ reſidebat, infenſus Pontifici Stephano, quòd Germanus eſſet, gratiâ Ottonis ad dignitatem tantam evectus; ideò ſubornat quosdam, qui male tractarunt Pontificem, & in vultu adeò eum deformarunt, ut per totam vitam domo exire non auderet. *Baron.*

Annus Jezdegird. 309. *incipit* 31. *Martii, fer.* 3. *Armen.* 389. 3 *Aprilis, fer.* 6.

Otto Imp. monaſterium S. Johannis fundat Magdeburgi in urbe, id poſteà extra urbem translatum eſt ad Auſtrum, & *Berga* vocatur. *Trith.*

Imperator, cùm rebelles copias cogerent, ad eos proficiſcitur, rebelles verò trans Rhenum erant, eò tendit etiam Imperator, ſed paucæ tantùm aderant naves, quibus tran vecti fuerunt Ottonis milites ferè ducenti. Hoſtes occaſione uſi hoſce invadunt, quibus jam ſubſidia mitti non poterant, Otto hæc, ſuos nempe in ipſa morte conſtitutos, videns, equo deſilit, & ardenter orat, nec illi milites ſibi deſunt in anguſto loco conſtituti, ſed in binas cohortes ſe dividunt, quarum altera à tergo in hoſtes irruit, atque adeò tantùm exercitum terrent, ut fugam caperet: & in hac pugna malè mulctatus eſt Henricus, qui, cùm audiret à fratre omnes ſuas ditiones occupatas eſſe, in Saxoniam abit, ſed ibi Eresburgi obſidetur. Indofactis induciis elabitur. *Widich.*

Annus Alexandr. 1252. *& Antioch.* 989. *Conſtantinop.* 6449. *incipit* 5. *Octobr.*

Annus Hegiræ 329. *incipit die* 6. *Sept. fer.* 3.

Adelſtanus rex Angliæ, cùm annos ſedecim regnaſſet, moritur die 28. Octobris, feria 4. Ind. 14. Cui ſuccedit *Edmundus* frater, qui regnat annis ſex. *Roger.*

Annus Nabonaſſaris 1689. *& Philippi* 1265. *incipit* 31. *Decembr. fer.* 5.

ANNO MUNDI 4890. Poſt C. 941.
C. ☉ 26. ☽ 11. *Ind* 14.

Annus urbis 1693.	*Julianus* 986.
Æra Hiſp. 979.	*Auguſtorum* 968.

Sclavi in Bohemia Pragam, quòd religionem Chriſtianam coleret, oppugnant, ſed cum ſua clade: Boleslaus igitur ipſe accedit, & urbem obſidet, ſed re infecta diſcedere cogitur. *Coſm.*

Ruſſorum claſſis cum exercitu decem millium, die 14. Junii Conſtantinopolin veniunt, cùm omnes oras Thraciæ crudeliſſimè vaſtaſſent. *Romanus* Imper. feliciter cum hiſce pugnat, eos vincit, claſſem eorum cremat, & totum exercitum diſſipat. *Cedr.*

Conſtantinus Imp. cum Romano inchoat annum 30. Otto ſextum.

Olympias 430. *incipit die* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1717.

Annus Diocletiani 658. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Hugo

Hugo Imp. in Italia & Lotharius Cæſar ſanciunt, Eccleſias eſſe inſtaurandas, die 20. Juli, Ind. 14. Anno Hugonis 15 Loth. 10. *Conſt. imp.*

Rebelles Imperatori Ottonis, inſtaurant bellum, & magnum exercitum contrahunt, aſſumto rege Galliæ: Imperator in Alſatiam venit, ubi cùm Moguntinus, qui cum Imperatore erat, omnia hoſtibus proderet, multi ab Imperatore deficiunt. Ab imperatore ita in anguſtiis conſtituto petere quidam nobilis auſus eſt, ut ſibi, qui egregiam ipſi operam in bellis præſtitiſſet, donaret monaſterium Lorch, ſed graviſſimè ab Imperatore increpatur: *Sanctum non canibus dandum* affirmante, paulò pòſt Eberhardus & Giſelbertus prædas agunt propè caſtra Imperatoris, & re bene geſtâ epulantur, ſed proditi à ſpoliatis agricolis, viginti tantùm equites Imperatoris in illos irruunt, Eberhardum trucidant, & Giſelbertus fugiens in Rheno ſubmergitur. Rex Galliæ pœnitens facti, pacem ab Ottone petit, & mentionem injicit ducendæ viduæ Giſelberti, quæ ſoror erat Imperatoris, idque perficitur paucis pòſt menſibus. *Widich.*

Annus Hegira 330. *incipit die* 25. *Sept. fer.* 7.

Sclavi ad libertatem aſpirant in tantis turbis imperii, & vicinos ſuos injuriis laceſſunt, Geroni etiam Marchioni inſidias ſtruunt, ſed Gero certior factus de ſuo periculo, autores ſceleris amicè ad ſe vocat, & convictos occidit: Inde ut Brandeburgum recuperet, quod amiſſum erat, Havellorum principi, ut in hac re Imperatori operam navet, perſuadet: Erat autem ille Sclavus, magnæ autoritatis. Is igitur Dux Sclavorum factus, omnes eos *Geroni* prodidit, & Sclavi domiti ſunt uſque ad Oderam. *Fab.*

ANNO MUNDI 4891. Poſt C. 942.
B. ☉ 27. ☽ 12. *Ind.* 15.

Henricus rebellis fratri, fractis jam opibus, nullibi habet ubi conſiſtat, pergit igitur ad Sclavos, ubi invenit militem Saxonicum Geroni infenſum, quòd ſtipendia parciùs daret, & arctâ tamen diſciplina eos coerceret. Hoſce igitur nactus rebelles Imperatori facit, & inſidias ſtruit fratri, ipſo feſto Paſchatis: ſed iis detectis ſumtum eſt, ſupplicium de multis militibus, qui alias ſtrenuam operam navaverant Imperatori. *Fabric.*

Galli rebellant ſuo regi Ludovico. Papa Stephanus legatione miſſa cohortatur ſubditos ad obedientiam, ſub pœna excommunicationis. Sic Imperator etiam Otto ſtuduit Ludovico regi, ideò rebellio ita ſedatur. *Frod.*

Hugo Italiæ rex quotannis Romanos bello affligit, propter Albericum Marchionem Tuſciæ, qui viribus impar Romam quidem tenebat, ſed quæ extra urbem erant, ab Hugone deſtruebantur. *Luitp.*

Annus Hegiræ 331. *incipit die* 15. *Septembr. fer.* 5.

Imperatores Orientis Romanus & filii ſui & Conſtantinus, cùm Italia bellis inteſtinis flagraret, recuperant Calabriam, Apuliam, & partem Campaniæ, ut apparet ex privilegio ab ipſis hoc anno monachis Vincentii ad fontes Vulturni dato. Baron.

Henricus rebellis nuſquam jam tutus, ſpe veniæ impetrandæ venit Francofurtum, ubi Imperator Natalitia Chriſti celebrabat, & mane fratri templum adeunti inermis, & atratus occurrit, ſeque ad pedes ejus ſupplicem proſternit, petitque veniam impetratque, ſed cum acerba objurgatione. Ab eo tempore fidus fuit fratri per totam vitam. *Wid.*

ANNO MUNDI 4892. Poſt. C. 943.
A. ☉ 28. ☽ 13. *Ind.* 1.

Stephanus VIII. Papa, cùm ſediſſet annos 3. menſes 5. moritur in initio anni, ut *Baronius* habet; ſed *Onufrius* dicit, mortuum ſuperiori anno, die 21. Octobr. Succedit ipſi *Marinus* ſecundus, qui ſedit annis tribus & menſibus ſex.

Turcæ *Thraciam iterum invadunt, quos Romanus, cùm aliter non poſſet, auro avertit.* Cedr.

Annus ſabbathicus 6. Jobelei 18. incipit 4. Septembr. fer. 2. Anno Judaico 4704. Eodem etiam die incipit Annus Heg. 332.

Conſtantinus *rex Scotorum, cùm annis 40. regnaſſet, & cladem à rege Angliæ illatam regere non poſſet, abiit in Cœnobium; ſuccedit ipſi* Malcolumbus, *qui regnat annis* 15. Buch.

In Lotharingia turbatur, cùm Otto præfectus & tutor liberorum Giſelberti defunctus eſſet. Imperator igitur Conradum *Francum, virum bello paceq; cognitum, Ducem Lotharingiæ facit, ipſique jungit filiam Luitgarden. Hic Conradus ſapientiæ nomine celebris fuit.* Widichind.

ANNO MUNDI 4893. Poſt C. 944.
GF. ☉ 1, ☽ 14. *Ind.* 2.

Marinus Papa anno Pontificatus ſecundo, menſe Martio, dat Privilegium monachis D. Vincentii ad Vulturnum. *Baron.*

Conſtantinus Imp. Conſtantinopolitanus legatum mittit ad Hugonem regem Italiæ, petitum ipſius filiam Romano filiò ſuo uxorem, idque impetratur, & puella Conſtantinopolin adducta, Eudoxia appellatur. *Curop.*

Annus Jezdegird. 313. *incipit* 30. *Martii, feriâ* 7.
Armen. 393. 2. *Aprilis, fer.* 3.

Edmundus *Angliæ rex vincit Northumbros, qui ſibi peculiarem regem creaverant, eoſque ſibi ſubjicit & totius inſulæ fit Dominus.* Reg.

Ludovicus Galliæ rex aſperiùs ſe gerit contra principes ſuos, ideò in odium venit. Herbertum enim Comitem, qui patrem regis Carolum Simplicem captivum habuerat ſuſpendit, & Wilhelmum Rollonis filium, Normanniæ Ducem, ex inſidiis hoc anno occidit. *Malmesb.*

Imago Chriſti *Edeſſena*, quæ quondam ab Abgarum miſſa fuerat, ut fabulantur, Conſtantinopolin venit, die 26. Auguſti. Inde poſtea Romam tranſlata eſt, ſed quando & quâ occaſione factum ſit, non refertur. *Baron.*

Annus Hegira 333. *incipit* 24. *Auguſti, fer.* 7.
Annus Alexand. 1256. *Antioch.* 993. *Conſtantin.* 6453. *incipit Calend. Octobr.*

Saracens Italiam adoriuntur claſſe, quos Hugo, rex Italiæ, adjutus claſſe à Conſtantino Imp. navali prælio vincit, & Fraxinetum, quod occupaverant, capit: & cùm eos delere poſſet, fœdus cum ipſis facit ad pellendum Berengarium, qui pulſus ab Hugone ad Ottonem Imperatorem profugerat, ac acceptis auxiliis in Italiam redierat, cui tamen reſiſtere non potuit. *Luitp.*

Roma-

Romanus, qui ſimul cum Conſtantino imperabat, filios etiam ſuos Auguſtos creaverat, & antepoſuerat eosdem vero Imperatori Conſtantino, ab altero filio Stephano capitur, imperio exuitur, detondetur, & in Inſulam relegatur, die decimo ſexto Decembr. *Cedr.*

Annus Nabonaſſaris 1693. & *Philippi* 1269. *incipit die* 30. *Decembr. fer.* 2.

ANNO MUNDI 4894. Poſt. C. 945.

E. ☉ 2. ☽ 15. *Ind.* 3.

Annus urbis 1697. *Julianus* 990.

Æra Hiſp. 983. *Auguſtorum* 972.

Conſtantinus Leonis filius, qui hactenus a Romano ejusque filiis, quos ad tantos honores provexerat, ita oppreſſus fuerat, ut nihil pro imperio ageret, cum præterea ſibi inſidiæ ſtruerentur, ipſe eos prævenit, & ambos affines ſuos, cùm ſecum pranderent, capit, eosque raſos, clericos facit; & Conſtantinus qui item, qui erat alter filius Romani in Samothraciam relegatus eſt, ubi cum ſæpius effugere vellet, occiſus eſt. Stephanus verò Lesbum relegatur, ubi novendecim annis in exilio vixit. *Cedr.*

Hugo Comes Pariſienſis Ludovicum regem à Normannis captum ad ſe perducit, & toto anno eum captum detinet, quòd plurimum adjuvaretur, à civitate Argentinenſi. Otto Imperator, ut Ludovico affini ſuccurreret, Argentinam profectus, urbem occupat, & *Straſburgum* vocat, & Hugonem eò redigit, ut Ludovicum liberum dimittat & inſuper etiam totam Lotharingiam occupat. *Luitp.*

Conſtantinus Imper. ſolus inchoat annum imperii 34. *Otto verò decimum.*

Olympias 431. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1721.

Annus Hegira 334. *incipit* 13. *Auguſti.*

Annus Diocletiani 662. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Hugo & Lotharius reges Italiæ ſanciunt 13. Auguſti, Anno Hugonis 20. Lotharii 15. Indictione 3. *Ne quis contra pri... eg a Eccleſiis injuriam afferat, ſub pœna mille librarum auri.* Conſtit. Imperiales. Et *Hugo* paulò pòſt, cùm tota Italia ferè à ſe deficeret, ex Italia cum theſauro ſuo fugit in Galliam, ubi cœnobium ædificavit, & monachus factus eſt: Succeſſit ipſi Lotharius filius, qui hactenus ſimul imperarat. *Luitp.*

Legati Conſtantini Imperatoris Calendis Novembris cum magnis muneribus conveniunt Imperatorem Ottonem, inquit Schafnaburg.

ANNO MUNDI 4895. Poſt. C. 946.

D. ☉ 3. ☽ 16. *Ind.* 4.

Berengarius potentiâ creſcit in Italia, adjutus auxiliis Ottonis Imperatoris. Ideò cùm jam celebre eſſet ipſius nomen. Conſtantinus Imperator mittit ad ipſum legatum, qui ipſi gratulatur. Berengarius etiam mittit legatum Conſtantinopolin, *Luitprandum* Hiſtoricum, & poſtea Epiſcopum *Luitp.*

Marinus Papa, cùm ſediſſet annos tres, menſes 6. dies 14. moritur, ut *Onufr.* habet, die 14. Maji: Succedit ipſi *Agapetus*, qui ſedet annis 9. menſes 7.

Edmundus *Angliæ rex, die* 26. *Maji, fer.* 3. *alii habent die* 28. *Auguſti, in convivio per inſidias trucidatur, cùm regnaſſet annos* 6. *ſuccedit ipſi frater*, Edredus. *qui regnat annis* 9 *& menſes* 6. Rog.

Annus Hegira 335. *incipit die* 2. *Auguſti. fer.* 1.

Gemblacenſe cœnobium in Gallia, ab Agapeto Papa & Imperatore privilegia accipit: Nuper enim erat ædificatum, & Imperatoris data ſunt Leodii, die 20. Septembr. anno Ottonis undecimo, Indictione quarta *Baron.*

Otto Imp. cùm animi gratiâ feras ſectaretur, lapſu periculoſiſſimum vulnus accipit, ideò de vita ferè deſperans, communi ſuorum conſenſu, honoris & laboris conſortem eligit *Ludolphum* filium, eumque ſucceſſorem deſignat; quod dum poſtea mutat, magna bella ſuſcitata ſunt. *Luitp. Ditmarus.*

ANNO MUNDI 4896. Poſt. C. 947.

C. ☉ 4. ☽ 17 *Ind.* 5.

Editha *conjux Imperatoris moritur, die* 26. *Jan. ſepelitur Magdeburgi, in cœnobio Johannis.* Dit.

Lotharius, *ex Italia, ducit Adelheidam, filiam Rudolphi regis Burgundiæ, uxorem, cum qua ferè quadriennium vixit.* Chron Caſſ.

Annus Hegira 336, *incipit* 23. *Julii, fer.* 6.

Bertholdus *Bavariæ Dux moritur; mater Imperatoris Mathildis orat filium Ottonem, ut fratri Henrico olim rebelli hunc Ducatum conferat, quod & fecit, & Henricus ſe poſtea per totam vitam gratum erga Imperatorem prebuit.* Luitp.

Haroldus Danorum rex, arcem Sleſvicenſem evertit, & Marchionem cum omnibus ſuis trucidat; hinc bellum Danicum ſequenti anno exortum, *Crantz.*

ANNO MUNDI 4897. Poſt. C. 948.

BA. ☉ 5, ☽ 18. *Ind.* 6.

Die 6. Januarii, Indict. 6. in Comitiis Ingelheimenſibus, anno regni Ottonis 13. præſente Ludovico Galliæ rege, ab Hugone Comite Pariſienſi pulſo comitia acta, in quibus Hugo, niſi reſipiſcat, & Ludovico regnum reſtituat, excommunicatur; ita Hugo quidem, qui Rhemenſem Archiepiſcopatum evaſerat, deponitur, & Artaldus verus Archiepiſcopus eſſe decernitur. Menſe Junio iterum convenitur, & præſente Ottone ac Ludovico, ab Epiſcopatu & legato Pontificis eadem decernuntur. *Frod.*

Annus Jezdegird. 317. *incipit die* 29. *Martii, feriâ* 4.

Armen. 397. 1. *April. fer.* 7.

Annus Hegira 337. *incipit die* 11. *Julii, fer.* 3.

Romanus *Imperator olim Conſtantinopolitanus, detonſus & monachus, moritur menſe Julio.* Conſtantinus *contra Leonis filius liber ab æmulis, ſcientias magnis propoſitis præmiis excoli juſſit, quæ longo tempore jam ob incuriam & inſcitiam Imperatorum obſcuræ manſerunt.* Cedr.

Annus Alexand. 1260. *Antioch.* 997. *Conſtantin.* 6487. *incipit Calend Octobr.*

Hungari *in Bavariam irrupturi, ab Henrico novo Duce fortiter repelluntur, & bis prælio vincuntur; Idem Henricus tum Aquilejam cepit.* Sigeb.

Pontificis legatus Marinus unà cum Ottone Fuldam abeunt, ubi à legato novum templum, hac hyeme conſecratur. *Baron.*

Annus Nabonaſſaris 1697. & *Philippi* 1273. *incipit* 29. *Decembr. feria* 6.

ANNO MUNDI 4898. Poſt. C. 949.

G. ☉ 6. ☽ 19 *Ind.* 7.

Annus urbis 1701. *Julianus* 994.

Æra Hiſpan. 987. *Auguſtorum* 976.

Otto Imperat. Danis bellum infert, ob interfectum Marchionem Sleſvicenſem, eosque prælio vincit, & ut fidem Chriſtianam recipiant cogit. Inſtituit pro Marchionatu Epiſcopatum Sleſvicenſem, item Stargardenſem, qui etiam Adelburgenſis vocatur. Papa etiam Agapetus privilegia Hamburgenſis Epiſcopatûs renovat, & novos Epiſcopatus renovat, & novos Epiſcopatûs Hamburgenſi ſubjicit. *Adam*

Conſtantinus *inchoat annum imperii* 38. *Otto* 14. *in Julio.*

Annus Hegiræ 338. *incipit die* 30. *Junii, fer.* 7.

Olympias 432. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1725.

Annus Diocletiani 666. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Otto Imp. ſuaſu Michaelis Epiſcopi Ratisbonenſis, ut ulciſceretur cædem Wenceslai, & Eccleſiam ibi tenerrimam adhuc contra ſævitiam & tyrannidem Boleslai Ducis Bohemiæ fratri idæ, & matris ejus defenderet, Boleslao bellum infert. qui ſibi metuens, *Pragæ* patrem, quam novam appellant, foſſis, vallo, mœnibus ſepſit, ad obſidionem tolerandam, ſed cum acriter eam Otto oppugnaret, metuens ne urbs vi caperetur, de deditione verba facit, & ſupplex in caſtra venit, ubi pax fit in has conditiones: ut fidem Chriſtianam colat, de commiſſo fratricidio pœnitentiam Canonicam agat, & exules Chriſtianos revocet, & Vaſallus ſit imperii. Factum 24. Septembr. *Fabric.*

Hungari expeditionem in Italiam ſuſcipiunt, & omnia longè lateq; vaſtant. Frod.

ANNO MUNDI 4899. Poſt C. 950.

F. ☉ . ☽ 1. *Ind.* 8.

Ranimirus ad urbem *Talavera* cum Saracenis iterum pugnat, ubi ceciderunt hoſtium duodecim millia, capta ſeptem millia; & cùm ſubitò in morbum incideret, mortuus eſt die quinto Januarii, anno decimo nono regni, cùm regnaſſet annos 18, menſes duos, dies 25. Succedit filius *Ordonius*, qui ſuorum ſeditionibus conflictatus eſt, qui Sanctium fratrem malebant regem: regnavit hic annis quinque, menſibus ſeptem. *Mariana.*

Lotharius rex Italiæ, veneno petitus in phrenesin incidit. & moritur anno regni quarto. Vidua *Adelheidis*, metuens Berengarium, concedit ad Azonem Comitem in arcem *Canuſinam*, quæ munitiſſima erat. Berengarius ibi eam obſidet & tyrannidem exercet in tota Italia. Ideò *Azo* & Adelheida Ottonem Imperatorem evocant in Italiam, ut accipiat regnum Italiæ & Adelheidam uxorem. Otto occupatus in expeditione Gallica filium Ludolphum in Italiam cum exercitu Suevico mittit, qui tamen, quòd parum autoritatis apud Italos haberet, nihil dignum memoriâ geſſit. *Luitp.*

Annus Hegiræ 339. *incipit die* 20. *Junii, fer.* 5.

Annus ſabbathicus 7. *ſive Jobeleus* 18. *incipit* 16. *Sept. fer.* 2. *Anno Judaico* 4711.

Hungari in Italia longiùs progrediuntur, eos metuens Berengarius pecuniam eis offert. Ideò ipſe & Adelbertus die 24. Septembris, anno regni primo edicunt, ut ſubditi tributum in capita conferant, cum *Taxi* Hungarorum regi decem modios nummorum ſolvere cogeretur. In hac exactione pecuniæ, nec lactantes infantes immunes fuerunt: Multo autem majorem ſummam pecuniæ collegit, quàm neceſſe erat, ut haberet contra Ludolphum, qui jam adventabat, belli nervos. *Frodoard.*

Cùm Hugo Comes Pariſienſis iterum Ludovicum Regem captivum haberet, nec curaret proſcriptionem vel excommunicationem, & inſuper Ottonem ludibrio haberet, & magnificè de ſuis viribus gloriaretur, Otto minitans ipſi, tot ſe galeros ſtramineos adducturum dixit, quot nunquam vidiſſet, & ita in Galliam movit. Hugo tanto apparatu territus, regem dimittit, cum Ottone de pace agit, & fœdus cum ipſo facit. In hac expeditione *Coloniam* Agrippinam urbem Imperialem fecit, & Belgium ac Burgundiam imperio ſubjecit. *Spangenberg.*

ANNO MUNDI 4900. Poſt C. 951.

E. ☉ 8. ☽ 2. *Ind* 9.

Berengarius peſſimè tractat Epiſcopos, minitatur etiam Pontifici Romano: Ideò Pontifex evocat Ottonem Imperatorem ad capiendum regnum Italiæ, & defendendam Adelheidam. *Frod.*

Annus Hegiræ 340. *incipit* 9. *Junii, fer.* 2.

Berengarius cum filio dat privilegium monachis D. Vincentii, die 24 Septembr. *apud Baron.*

Otto Imp. cum *Ludolphus* filius in Italia ſocorditer res gereret, ipſe exercitum congregat quinquaginta millium, aſſumto genero Conrado, & Epiſcopo Moguntino, feliciter Italiam ingreditur, Berengarium cum filio vincit, ejus filias capit, & in Germaniam mittit, & Canuſium profectus, ibi hybernat, & *Adelheidam* uxorem ducit, regnoque ita potitur Italiæ. *Luitp.*

ANNO MUNDI 4901. Poſt C. 952.

DC. ☉ 9. ☽ 3. *Ind.* 10.

Otto Imp. humaniſſimè invitatur à Pontifice, ut Romam veniat, & coronam imperii accipiat: Otto etiam legatos ad Albericum mittit, ut ſibi hoc liceat; ſed Albericus metuens ſibi, denegat ipſi hoc: quapropter cum alia negotia imperii urgerent, ipſe regno Italiæ præficit generum *Conradum*, & in Germaniam cum uxore redit. *Frod.*

Annus Jezdegird. 321. *incipit* 29. *Martii, fer.* 1.

Armen. 401. *die* 31. *Maii fer.* 4.

Annus Hegiræ 341. *incipit* 28. *Maji, fer.* 6.

Berengarius tanto ejectus regno, ſpiritus illos ſublimes deponit ſubmiſsè per amicos apud Ottonem agit, de tuto commeatu, & convenit cum Martisburgi, ubi jubetur, ut in Comitiis Auguſtanis ſe ſiſtat, quæ celebrata ſunt die 7. Auguſti, ubi, præterquam, quòd quædam capita de diſciplina Eccleſiaſtica ſancita ſunt, Berengario & filio Alberto ſubjectionem & fidelitatem promittenti, regni Italici reddit inſignia hac conditione, ut annuatim pendat pondo auri centum & triginta: Adimuntur tamen ipſi Veronenſis & Aquilejenſis Marchionatus, quos accipit frater *Henricus*, Dux Bavariæ. *Witich.*

Annus Alexand. 1264. *Ant ech.* 1001. *Conſtant.* 6461. *incipit* 1. *Octobr.*

Ludol-

Annus Hegiræ 344. *incipit die* 27. *Aprilis, fer.* 6.

Edredus Angliæ rex, qui novem annos & ſex menſes regnârat, moritur; ſuccedit *Edvvinus*, adoleſcens ſedecim annorum, qui dividit regnum eum fratre, qui Merciorum regnum ſortitur; regnat autem annis quatuor. *Rogerius.*

Ordonius rex in Hiſpània; cùm annos 5. & menſes 6. regnaſſet, moritur; ſuccedit ipſi *Sanctius, frater, cognomento Craſſus*, qui regno pulſus, anno ſequente ad Vaſconum regem confugit; & ſuccedit *Ordonius patruelis, Alfonſi* monachi filius. Interim Sanctus curâ medicorum Cordubenſium pinguedinem exuit, & ad maciem reducitur: inde Ordonium illum iterum pellit, & ita regnum obtinet annis duodecim. *Mariana.*

Hungari iterum ingenti exercitu in Bavariam irruunt, fuerunt ipſorum ultra centum millia; Otto Imper. collectis omnibus ferè viribus imperii, (habuit enim octo legiones) illis occurrit ad Lycum fluvium prope Auguſtam, & acerrimo prælio per totam diem cum ipſis congreditur, & tandem vincit: ubi omnes Hungari cæſi ſunt, captivi ut plurimum vivi ſepulti ſunt: Duces eorum quinque miſſi ſunt ad Henricum Bavariæ Ducem, qui tum graviter ægrotabat, & hoc anno menſe Novembri mortuus eſt; ille captivos hoſce ſuſpendi jubet. Cecidit autem in prælio Conradus gener Imp. item Burchardus gener Henrici, Dux Sueviæ, & alii. Heroldo Epiſcopo Salisburgenſi, qui Hungaros evocaverat, oculi eruuntur. *Witich.*

Agapetus Papa, cùm ſediſſet annos novem, dies ſeptem, ut Onufrius habet, moritur, die 27. Decemb. Succedit ipſi ſequenti anno, die 9. Januarii *Octavianus Alberti filius*, Princeps urbis Romæ, qui primus, ut Baronius ſcribit, nomen ſuum mutavit, & *Johannes duodecimus* vocari voluit. Illegitimè autem hunc electum & intruſum eſſe, demonſtrat Baronius, & tamen idem affirmat poſtea, cum propter ſcelera non legitimè eſſe depoſitum; quod quomodo fieri poſſit, ego non intelligo. Sedit annos octo, menſes quatuor.

ANNO MUNDI 4905. *Poſt C.* 956.
F E. ☉ 13. ☽ 7. *Ind.* 14.

Theophylactus patriarcha Conſtantinopolitanus, qui flagitioſè vixerat, equos bis mille ſemper aluerat, & annis 23. ſederat, moritur die 27. Feb. Succedit *Polyeuctus* monachus eunuchus, qui ſedit annos 14. *Cedr.*

Annus Iezdegird. 325. *incipit* 27. *Martii, fer.* 5. *Arm.* 405. *die* 30. *Mar. fer.* 1.

Annus Hegiræ 345. *incipit die* 15. *Apr. fer.* 3.

Sclavi Saxoniam affligunt; Wichmannus etiam & Egbrechtus ex cuſtodia Imperatoris effugerant, & ad Sclavos profugerant, ducesque erant Sclavorum, & multa millia in captivitatem abducebant. Otto igitur Imperator, qui vix ex difficillimo morbo reſurrexerat, in eos movet, & tandem virtute ſumma eos vincit, captivos plurimos gladio ferit, & univerſos Sclavos ſibi ſubjicit, Wichmannus tamen & Egbrechtus in Gallias evadunt ad Hugonem. Otto Imperator, celebris factus tot victoriis, honoratur plurimis muneribus à vicinis regibus, & principibus, etiam Saracenis.

Ludolphus Imperatoris filius, cùm conquerentur Itali de Berengarii tyrannide, in Italiam mittitur ad coercendam ejus petulantiam; ſed parum efficitur, cùm rebellione ſua in contemptum veniſſet. *VVitichind.*

Annus Alexand. 1268. *Antioch.* 1005. & *Conſtantinopolit.* 6465. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Nabonaſſar. 1705. & *Philippi* 1281. *incipit* 27. *Decemb. fer.* 7.

ANNO MUNDI 4906. Poſt. C. 957.
D. ☉ 14, ☽ 8. *Ind.* 15.

Annus urbis 1709. *Julianus* 1002.
Æra Hiſpan. 995. *Auguſtorum* 984.

Otto Imp. cùm comitia egiſſet Coloniæ, Aquisgranum venit, ubi convenitur à ſororibus ſuis, viduâ Ludovici regis, & conjuge Hugone Comitis Pariſienſis, qui ipſe præſens affuit. *Æmil.*

Annus Hegiræ 364. *incipit die* 4. *Apr. fer.* 7.

Bardas Dux Conſtantini contra Saracenos profectus, res magnas gerit, & multas ditiones recuperat, quibus victoriis Conſtantinus elatus, claſſem etiam in Cretam mittit, contra Saracenos; ſed Dux imperitè agens, caſtris exuitur, & omnibus ferè rebus ſpoliatur. *Cedr.*

Conſtantinus init imp. annum 46. *in Junio.* *Otto* 22. *in Julio.*

Olympias 434. *incipit die* 15. *Julii.* *Eſt annus Olympiadicus* 1733.

Annus Diocletiani 674. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus primus Jobelei 19. *incipit die* 29. *Aug. fer.* 7. *Annus Jud.* 4718.

Ludolphus filius Ottonis, cùm ferè annum fuiſſet in Italia, febre corripitur, & moritur die ſexto Septembr.

Otto Imp. de morte filii accipit nuncium, cùm eſſet in caſtris contra Sclavos, & deflevit ejus mortem, propter conjugem Editham, quam dilexerat, cujus hic erat primogenitus. *VVit.*

ANNO MUNDI 4907. Poſt C. 958.
C. ☉ 15. ☽ 9. *Ind.* 1.

Egbrechtus & *Wigman* proſcripti principes, cùm nuſquam tuti eſſent, & vires nullas ad rebellandum haberent, de reconciliatione agunt, quam conſequitur Egbrechtus per Brunonem Epiſcopum Colonienſem, filium Imperatoris: Wigmannus verò per Geronem, Marchionem Brandeburgenſem, & dimittuntur ad ſuarum uxorum bona dotalia. *VVit.*

Romanus, filius Imperat. Conſtantini, parenti, quòd nimium diu ſibi vivere videretur, venenum propinat, cujus tamen magna pars effuſa eſt, atque ideò Conſtantinus non eſt mortuus, ſed diu ægrotavit. *Cedr.*

Annus Hegiræ 347. *incipit* 25. *Martii, fer.* 5.

Hugo magnus, Comes Pariſienſis, moritur die 16. Junii, ſuccedit ipſi filius *Hugo* Capputius vel Cappet, à tegumento capitis ita dictus, qui poſtea factus eſt rex Galliæ. *Aem.*

Milcolumbus, cùm annos 15. regnâſſet in Scotia, moritur; ſuccedit ipſi *Indulphus*, qui regnat annos 9. *Buch.*

Arnulphus Comes Flandriæ, ad rerum gubernacula admovet Balduinum filium, qui tertio pòſt anno moritur, Calendis Januarii, variolis.

ANNO MUNDI 4908. Poſt C. 959.
B. ☉ 16. ☽ 10. *Ind.* 2.

Annus Hegiræ 348. *incipit die* 14. *Martii, fer.* 2.

Legati Helenæ Ruſſorum reginæ, quæ Conſtantinopoli baptiſata erat, veniunt ad Ottonem, petitum Epiſcopos, qui populum ferocem in pietate inſtituerent. Mittitur ſequenti anno Adalbertus, ſed is à Ruſſis rejicitur, & vix vivus evadit, & poſtea Abbas Fuldenſis factus eſt. *Baron.*

Edvvinus in Anglia, deditus libidinibus, adoleſcens annorum ſedecim, moritur, cùm quatuor annos regnâſſet; ſuccedit *Eadgarus* frater, qui regnat annos ſedecim. *Roger.*

Conſtantinus *Imperator menſe Septembr. Indictione tertiâ ineunte, in Syriam proficiſcitur contra Saracenos, ubi in morbum incidit, & moritur die* 9. *Novemb. cùm vixiſſet annos* 54. *regnâſſet cum Alexandro & matre annis* 13. *cum Romano* 26. *ſolus* 15. *Succedit filius Romanus, qui imperat annos tres, & menſes ferè quatuor* Cedr.

Otto *Imperator iterum in Vandalos movet, qui quieſcere non poterant, ſed ſui juris eſſe aut vivere nolebant: in hac expeditione amiſit Comitem magni nominis,* Ditmarum. Wittichind.

ANNO MUNDI 4909. Poſt C. 960.
A G. ☉ 17. ☽ 17. *Ind.* 3.

Primo vere Otto iterum movet in Vandalos, cùm enim quieſcere nollent, Imperator eos ita atterere neceſſe habuit, ut amplius nocere non poſſent. Penè igitur ad internecionem delebantur, & fortunæ ipſorum militibus dabantur, non quidem injuriâ, quod injuriam ſemper inferendo, ſibi tantas calamitates attraxerant. Dum in ea expeditione eſt, præter Epiſcopos exules, qui à Berengario pulſi erant Italiâ, Pontifex Johannes legatos mittit, qui orent, ut tandem in Italiam veniat; tyrannide Berengarii eò deventum, ut & religio laboret, & omnium libertas. Otto igitur compoſitis his rebus Selavicis, *Hermannum* Bulingum, Luneburgenſem Ducem creat, & præficit toti Saxoniæ; erat vir juſtitiæ tenaciſſimus, qui cùm villicos tantùm ſeptem haberet, quando privatus erat, omnes propter furtum ſimul ſuſpendi juſſit: inde Imperator ad Comitia profectus eſt. *Wittichind.*

Annus Hegiræ 349. *incipit die* 2. *Mart. fer.* 6.
Annus Jezdeg 329. *incipit die* 26. *Mar. fer.* 2.
Armeniorum 409. 29. *Martii, fer.* 5.

Romanus Imperator filium ſuum Conſtantinum in Paſchate coronat Imperatorem, & poſtea Nicephorum Phocam in Cretem mittit contra Saracenos, qui ſtrenue rem gerens, omnes inſulæ urbes expugnat, & ſibi ſubjicit. *Cedren.*

Annus Alexandr. 1272. *& Antioch.* 1002. *Conſtantinop.* 6469. *incipit* 1. *Octobr.*
Annus Nabonaſſar. 1709. *& Philippi* 1285. *incipit* 26. *Dec. fer.* 4.

ANNO MUNDI 4910. Poſt C. 961.
F. ☉ 18. ☽ 12. *Ind.* 4.

Annus urbis 1713.	*Julianus* 1006.
Æra Hiſpan. 999.	*Auguſtorum* 988.

Annus Hegiræ 350. *incipit die* 20. *Febr. fer.* 7.

Nicephorus Phocas cùm in Creta omnes alias urbes expugnâſſet, etiam die ſeptimo Martii Candacem Saracenorum receptaculum expugnat. Sic alter dux *Phocas* in Syriam miſſus, Saracenos tanta clade afficit, ut captivorum multitudo Conſtantinopolin miſſa, amplius non eſſet uſui. *Cedren.*

Signum in Sole factum, inquit Hermannus Contractus, quibus verbis Ecclipſin Solis, indicat hoc anno, quo Otto in Italiam profectus eſt. Ea accidit. ut Contractus habet die 17. *Maji, feria ſexta, horis ferè quinque ante meridiem. Parallaxis latitud.* 40,46. *Latitudo Septentrionalis* 34, 10. *Latitudo viſa auſtralis* 6, 36. *Semidiam. Solis* 15, 4. *Summa ſemidiam.* 29, 52. *Scrup. reſidua* 23. 21. *digiti ecclipticì* 9, 18. *Sol in primo gradu Geminorum.*

Legati Pontificis iterum orant Ottonem, ut Italiam tyrannide Berengarii liberaret: ideò Otto, antequam iter ſuſciperet, filium Ottonem ſeptem annorum puerum declarat regem, & ſibi ſucceſſorem, eumque per abſentiam ſuam Brunoni & Guilhelmo Archiepiſcopis commendat. *Wittichind.*

Olympias 435 *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1737.
Otto Imp. inchoat annum Imp. 26 *in Julio.*
Annus Diocletiani 678. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Abderamen *rex Saracenorum Corduba, cum anno* 50. *regnâſſet, moritur, anno Heg.* 350. *Succedit ipſi filius Albacam, qui regnat annis ſedecim, & menſibus duobus.* Roderic.

Otto rebus omnibus præparatis per Alpes Jul as Veronam proficiſcitur, ubi multi ipſi occurrunt gratulatum; inde cùm Berengarius fugeret, & montem Leonis occuparet, ipſe Ticinum occupat, ubi cum ingenti gaudio ab omnibus excipitur, regiam ſedem à Berengario crematam inſtaurat, exules revocat, civibus immunitates reddit, ibique hyemat, mittitq; Hattonem poſtea Epiſcopum Moguntinum Romam, qui locum hoſpitio eligat, & cætera curat. *Luitprand.*

ANNO MUNDI 4911. Poſt C. 962.
E. ☉ 19. ☽ 13. *Ind.* 5.

Annus Hegiræ 351. *incipit* 9. *Februar. fer.* 1.

Otto Imp. urbem Romam intrat menſe Febr. ubi magno cum gaudio excipitur, cùm & ſapientia & gravitate præſtaret, Italicam etiam linguam aliquo modo didiciſſet, & ſe omnibus præberet beneficium. Ibi confirmat Pontifici donationes D. Petro factas à Pipino, Carolo & aliis, ipſe etiam de ſuo aliquot civitates addit, promittitque ſe Berengarium & filium ejus Albericum ex hisce Pontificis ditionibus ejecturum, ut Pontifex eas liberè poſſidere poſſet. Factum id 13. Feb. Inde coronatur Imperator, & redit Ticinum, ibique celebrat Paſcha. Berengarius interim montem Leonis munierat; uxor verò ejus, inſulam Julii occupârat: hanc duobus menſibus Imperator obſidet & capit, liberam tamen dimittit, ut perſuadeat marito pacem: Inde cùm reddidiſſet inſulam Julii Epiſcopo Novarienſi, die 29. Julii, abit ad montem Leonis, eumque diuturno tempore obſidet: Sed filius Berengarii ad Saracenos ſe con-

ſe confert, cùm non haberet, ubi tutò conſiſtere poſſet. *Wittich.*

Nicephorus Dux Conſtantinopolitanus, cùm Cretam recuperaſſet, prohibetur Conſtantinopolin redire: prædictum enim fuerat, eum qui Cretam recepiſſet, Imperatorem futurum. Ideò mittitur Chalepum, ubi Saracenos ingenti pugnâ vincit. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4912. Poſt. C. 963.

D. ☉ 20. ☽ 14 *Ind. 6.*

Annus Hegiræ 352. incipit die 30. Jan. fer. 6.

Romanus junior Imper. Conſtantinopolitanus moritur die 16. Martii, anno Hegiræ, ut Arabes annotant 352. cùm imperâſſet annis tribus, menſ. 4. ſexta indictione. Poſtea menſe Aprili *Nicephorus* Phocas Conſtantinopolin venit. ducitque triumphum, & die 2 Julii proclamatur Imp. Seditio inde orta contra Nicephorum, quàm compeſcuit die 9. Auguſti, fer. primâ, & inde coronatur 16. Auguſti, fer. prima, imperatque annos 6. & menſes ferè quatuor: & paulò pòſt cùm amplius in Sicilia tributum Saraceni pendere nollent, (id erat aureorum viginti duorum millium,) exercitum eò mittit, Duce Emanuele, qui imperitus rerum, ex juvenili fervore rem malè gerit, & cum toto exercitu à Saracenis cæditur. Eodem tempore etiam Johannem Zimiſcem cum exercitu in Ciliciam contra Saracenos mittit, qui feliciter rem gerit, & Saracenos occidione occidit. *Cedr.*

Otto Imper. Ticini regnum Longobardicum conſtituit, Adelbertus contrà Corſicam occupat, & Pontificem de fœdere ſecum ineundo contra Ottonem ſollicitat.

Papa etiam contra jusjurandum, quod dederat Imperatori, de hoſtibus imperii non adjuvandis, fœdus cum Adelberto facit, Conſtantinopolin etiam mittit, qui auxilia accerſant contra Ottonem, item ad Hungaros, ut in Germaniam irruant. Sed Otto, quamvis legatos cum literis intercepiſſet, tamen relicto Pontifice, quem, quòd juvenis eſſet, ſperabat admonitionibus corrigi poſſe, contra Berengarium movet. Interim Adelbertus Romam ad Pontificem venit, ubi omnes, qui videbantur Imperatori favere. vel ejecti ſunt, vel interfecti. Ideo Otto ad urbem redit, Papa contra cum Adelberto aufugit. Cives interim jurant Imperatori, ſe ipſo inſcio nunquam Papam electuros; inde indicitur Synodus Epiſcoporum in Italia, quæ fit tandem menſe Novemb. *Luitp.*

Carolus filius Ludovici regis Galliæ, & frater regis Francorum Lotharii, accipit Ducatum Lotharingiæ & Brabantiæ, quem rexit annis 29.

Synodus Romæ menſe Novembri celebratur, qua accuſatur Papa Johannes de multiplicibus ſceleribus, de homicidiis, perjuriis, ſacrilegiis, inceſtu: quòd cum duabus ſororibus rem habuerit, quòd in amorem diaboli vina biberit, quòd in ludo aleæ dæmonum auxilia implorârit: ideò per Epiſcopos legitime citatur ad Synodum, cum ſalvo conductu, ſed cùm nollet comparere, tandem judicio Synodi. die 6. Dec. deponitur, cùm ſediſſet annis 8. menſibus 4. & in ejus locum eligitur Leo VIII. qui ſequenti anno iterum à Johanne ejicitur. *Luitp.*

ANNO MUNDI 4913. Poſt. C. 964.

CB. ☉ 21. ☽ 15. *Ind. 7.*

Otto *Imp. cùm putaret ſe oneri eſſe Romanis, ſi magnum exercitum Romæ retineret, multis dimiſſis, paucis tantùm ibi hybernavit. Johannes rejectus Papa. promittit Romanis omnem pecuniam Pontificis, ſi Leonem Papam & Ottonem interficerent: quapropter Romani ſeditionem excitant, die tertio Januarii: Sed imperator paucis militibus eos fugavit, & centum obſides ab iis exegit, & decimo Januarii Spoletum abiit, & intercedente Leone Romanis obſides remittit.* Luitp.

Annus Hegiræ 353. incipit die 18. Jan. fer. 3.

Annus Jezdegird. 333. incipit die 25. Mart. fer. 6.

Armeniorum 413. die 28. Martii, fer. 2.

Romani ſtatim, cùm Imperator abiiſſet, perjuri ſiunt, & Johannem Pſeudopapam in urbem recipiunt, qui Otgerum Spirenſem Epiſcopum ex inſidiis intercipit, ſervilem in modum virgis cædit, & tandem ſi vivere vellet, ut ſe in gratiam Imperatoris reponeret, præcepit, multos gladio feriit, aut in exilium ejecit. Die 26. Febr. concilium celebrat, ubi concluditur ab Epiſcopis, Johannem injuſtè eſſe depoſitum, & Leonem eſſe invaſorem Pontificatûs. Leo omnibus ſuis rebus amiſſis vix ad Imperatorem effugere potuit, qui vehementer Romanis iratus, de urbe iterum occupandâ cogitat: interim die 14. Maji Johannes Pſeudopapa, in adulterio deprehenſus, occiditur. Hunc Johannem *Baronius* pro legitimo Pontifice agnoſcit, fortaſſis, quòd ſceleribus par fuerit reliquis Pontificibus plurimis: verùm cùm ipſe Baronius affirmat, eum illegitimè illectum fuiſſe, & omnibus ſceleribus ſedem conſpurcâſſe, non video, quomodo non ab Imperatore, & tot Epiſcopis deponi potuerit. Sederat autem annis octo.

Porrò Romani ſibi à Leone metuentes, contra datum jusjurandum alium Pontificem eligunt Benedictum. Sed Imperator adveniens, cum portæ ſibi clauderentur, omnem vicinam vaſtat, & Romam obſidet. Papa ille hortatur cives, ut fortiter ſe gerant, & in muros aſcendens, Imperatorem cum exercitu diris devovet. Sed Imperator hæc non curans, adeò cives arctat, ut deditionem facerent. Inde Imperator iterum Synodum cogit, menſe Julio: ubi decernitur, Benedictum eſſe invaſorem ſedis Pontificiæ, & Benedictus in Synodo Pontificialibus exuitur, & Hamburgum relegatur. Sedit autem Leo VIII. tantùm annum unum: Inde Otto iterum Româ diſcedit, & cùm interim cepiſſet Berengarium cum uxore & liberis, eum in Bavariam in exilium mittit. Adelbertus enim Conſtantinopolin aufugerat. Cùm Otto Roma diſcederet, peſtis ipſius exercitum invaſit, qua defuncti ſunt Epiſcopus Trevirenſis & Dux Lotharingiæ, & multi alii: ipſe in Liguria venationi deditus interim præparat, quæ ad reditum in Germaniam neceſſaria erant. *Luitp.*

Arnulphus, Comes Flandriæ, princeps potentiſſimus, moritur 27. Martii, cùm annis 48. regnaſſet: ſuccedit Arnulphus Junior, ſed ferè infans. qui regnat annis 24. *Annal. Fland.*

Ziemomiſlus *Dux Poloniæ, cùm annis 31. gubernâſſet, moritur; ſuccedit filius* Miciſlaus, *qui à nativitate cæcus fuerat annis ſeptem.* Hic ſequenti

anno ambit uxorem Boleslai, Bohemiæ ducis ſiliam, quæ conſentit, ſi ipſe religionem Chriſtianam recipiat, & in Polonia Epiſcopatus inſtituat, ut religio Chriſtiana propagetur, quod & factum eſt. *Hiſt. Polon.*

Annus ſabbathicus 2. Jobelei 19. incipit die 10. Septembr. fer. 7. Anno Jud. 4725.

Annus Alexandr. 1276. Antioch. 1013. Conſtantin. 6475. incipit 1. Octob.

Nicephorus *Imp. Orientis, ipſe in Ciliciam movet multas urbes capit, ut Tarſum, Mopſveſtiam & aliâs, totam tamen Ciliciam hoc anno recipere non poteſt, quod tempore hyemis ab uxore revocaretur.* Zon.

Annus Nabonaſſaris 1713. & Philippi 1289. incipit 25. Decemb. fer. 1.

ANNO MUNDI 4914. Poſt C. 965.

A. ☉ 22. ☽ 16. *Ind.* 8.

Annus urbis 1717. *Julianus* 1010.

Ære Hiſpan. 1003. *Auguſtorum* 992.

Annus Hegira 354. incipit die 7. Jan. fer. 7.

Otto Imperator, cùm regnum Italiæ ordinâſſet, in Germaniam redit, & Wormatiæ feſtum Purificationis Mariæ celebrat. In itinere occurrerant ipſi filii Guilhelmus & Otto, & magno gaudio parentem exceperant, ubi Otto filio Guilhelmo Epiſcopo magnam partem Thuringiæ tribuit, cùm Burchardus Landgravius Thuringiæ olim ab Hungaris cæſus eſſet, & tres præfecturas ejus conſtituit, Erfurtenſem, Deberſtetenſem & Schilderodiam. Pentecoſtem Imper. Aquisgrani celebrarit, ubi omnis ejus proſapia convenit, binæ ſorores ex Francia cum Lothario rege Galliæ, frater etiam & filii ex Germania. Inde in Saxoniam abit, & Hermanno ac Geroni, qui fines imperii, dum abfuit, egregiè tutati fuerant, gratias agit, Ducesque eos conſtituit; illum Luneburgenſem, hunc Brandeburgenſem, & regiones eas ipſis, & poſteris hæreditatio jure attribuit. *Fab.*

Leo octavus Papa, cùm annum vix rectè ſediſſet, moritur die 17. Aprilis. Romani tandem jurisjurandi memores, legatos mittunt in Germaniam ad Ottonem Imper. de novo Pontifice creando, qui per Epiſcopos miſſos creat Epiſcopum Narnienſem Johannem XIII. Pontificem, quem poſtea Romani, quibus non admodum placebat, per Rotfredum Capuæ Comitem in urbem adductum capiunt, & in vinculis Capuam abducunt circa finem anni, ubi in vinculis ad undecim menſes detentus eſt. Tempus ſeſſionis ejus fuit ferè annos 7. *Onuf. Regino.*

Olympias 436. incipit die 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1741.

Otto *Imp. inchoat annum Imperii 30. menſe Julio.*

Nicephorus tertium, menſe Auguſti.

Annus Diocletiani 682. incipit die 29. Auguſti.

Gotha *urbs à Meingotho Abbate Hirſfeldenſi circa hæc tempora condita, quam poſtea Swarcebburgi, & Arnshangîi Comites poſſederunt; inde ad Landgravios Thuringiæ pervenit.* Fab.

Bruno Epiſcopus Colonienſis, frater Ottonis Imperatoris, moritur die 11. Octob.

Nicephorus *totam ferè æſtatem in Cilicia conſumpſit, & Saracenos penitus ex ea ejecit; inde in Syriam abit, & Tripolin urbem Phœniciæ ſibi tributariam facit.* Cedr.

Annus Hegira 355 incipit die 28. Dec. fer. 4.

ANNO MUNDI 4915. Poſt. C. 966.

G. ☉ 23. ☽ 17. *Ind.* 9.

Inſubres Galli, ad regnum Longobardicum pertinentes, ex ſuperbia contemnentes imperium Ottonis ejus præfectos ejiciunt, & Albertum Berengarii filium regem faciunt. Imperator Burchardum Sueviæ Ducem in Italiam mittit, qui rebelles compeſcit, Albertum prælio vincit, fugat, & in Germaniam revertitur. *Fab.*

In Polonia religio Chriſtiana inſtituitur, & rex die 7 Martii baptiſatur.

Dicitur factum Dominicâ Lætare, ſed ea in ſeptimum Martii non incidit, niſi poſt annos triginta ſeptem. Eâ Dominica ex mandato Regis ſtatim Idola & ſimulachra Ethnicorum ex templis ejecta & confracta ſunt, & ejus rei memoria publico hoc ritu, ut ſimulacra ejicerentur, celebrata eſt. Hic mos poſtea in Sileſiam, Miſniam, & alias regiones translatus eſt. Rex autem Miccislaus Epiſcopatum inſtituit *Cracovienſem & Gneſnenſem. Hiſt. Pol.*

Antiochia *urbs in Syria à Ducibus Nicephori pulſis Saracenis recuperatur, de cujus nobiliſſima urbis receptione Imperator gaudere debuiſſet: ſed contriſtatus eſt, quòd prædictum eſſet, ſe periturum, ſi hæc urbs reciperetur; ideò Duces abominatus eſt, & eos ab exercitu removit.* Cedr.

Dani *Scotiam claſſe quinquaginta navium vaſtant, ſed fortiter ab Indulpho rege repelluntur.* Buchan.

Garſias *Sanctius, Navarræ & Vaſconum rex, cùm annos 40. regnâſſet, moritur; ſuccedit filius* Sanctius, *qui regnat annis 27. in primis tamen decem annis Ranimirum fratrem, conſortem imperii habuit.* Marian.

Otto Imp. certior factus de captivitate Pontificis, quantâ poteſt celeritate res imperii conſtituit, & comitia Wormaciæ indicit, ubi primùm imperium ſuo filio confirmat, inde Status Imperii exhortatur, ut ſecum expeditionem in Italiam iterum ſuſcipiant, & cum fortiſſimo exercitu iter ingreditur, poſt diem 15. Auguſti Mediolani rebellionis autores relegat, & bona eorum publicat. Romani ſibi metuentes, curant Comitem Capuanum interfici, & Johannem Papam reducunt, in priſtinam dignitatem reſtituunt, & ejus ſedem Lateranum magnificè extruunt. Imperator eò venit menſe Decembri, cum firmo exercitu, & Romanos ad dicendam cauſam de ejecto Pontifice convocat, ut autores nominatim edant, quosdam etiam quæſtionibus ſubjicit. Binos igitur Conſules publicatis bonis in exilium ejicit: Prætorem verò integro die crinibus ſuſpenſum, poſtea virgis cædi, & aſino averſum, ita ut faciem ad caudam ejus verteret, in urbe altero die circumduci jubet, & tandem ſuſpendi: ita etiam duodecim Senatores, qui maximè rei erant, ſuſpenſi ſunt, & iterum edicta priſtina renovat. *Fab. & Regin.*

Annus Hegira 356. incipit die 17. Dec. fer. 2.

ANNO MUNDI 4919. Poſt C. 967.

F. ☉ 24. ☽ 18. *Ind.* 10.

Otto

Otto Imper. cùm Natalitia Romæ celebrâſſet cum Pontifice, ut Paſcha ibi celebret, Ravennam adit, eamque urbem ſedi Pontificiæ reſtituit; inde convocatis Epiſcopis Italiæ, deliberat cum ipſis, quomodo Sclavorum gens, quæ nulla vi ad pacem ſervandam cogi poſſit ad manſuetiorem vitæ cultum deduci queat: decretum itaque, ut præſules in gente Sclavorum conſtituat, à quibus veram religionem doceantur: inde communi conſenſu leges fert de raptu, de moneta, de latronibus perſequendis,&c. *Conſt. Imp.*

Indulphus *Scotorum rex, cum annos novem regnâſſet, moritur*; *Succedit* Duffus, *qui imperat annis ferè.* 5. Buch.

Boleſlaus, rex Bohemiæ, cum regnaſſet annos ferè 38. moritur, die 15. Julii; ſuccedit *Boleſlaus* ſecundus, qui regnat annos ferè triginta. *Coſm.*

Sancius Legionum rex pomo medicato guſtato inficitur veneno, atque ita moritur, cùm regnaſſet annis 12. Succedit ipſi Ranimirus tertius, puer quinq; annorum, qui obtinet regnum annis quindecim. *Mariana.*

Albaca rex Saracenorum Cordubæ, bellum infert Comiti Caſtellæ, ditiones ejus vaſtat, & multa regno ſuo adjicit. Ferdinandus Comes, cùm impar eſſet viribus, mœrore animi extinguitur. *Maria.*

Nicephorus *pulſis Saracenis ad Europaeos convertitur, & Thraciam hoc anno viſitat.* Cedren.

Nicephorus legatos mittit ad Ottonem cum muneribus, renovaturus antiquum fœdus, quod inſtitutum fuerat cum Ottone & reliquis Imperatoribus, ut ſua ſibi ſervarentur, videlicet Calabria, Apulia, cum aliis. Otto Imperator non abnuit de pace; verum cùm jam Saraceni Apuliam & Calabriam haberent, eos bello compeſcendos cenſet, & non obſcurè præ ſe fert, utramque ſibi concedendam, ut Saraceni Italiâ ejiciantur. Decurritur eò, ut Nicephorus privignam ſuam Ottoni filio det uxorem, & dotis loco addat Calabriam & Apuliam, & legatus propterea Conſtantinopolin mittitur *Luitprandus*, cujus relatio legationis extat. *Luitp.*

Annus Hegiræ 358. incipit die 25. Nov.

ANNO MUNDI 4917. Poſt. C. 968.

ED. ☉ 25. ☽ 19. *Ind.* 11.

Otto Imper. in clientelam ſuam ſumit Ducem Beneventanum & Capuanum, qui antea fuerant in ditione Imperatoris Conſtantinopolitani; eâ de causâ legatus Luitprandus, Conſtantinopoli fuit in magno periculo. Paulò pòſt Papa Johannes etiam legatos mittit ad Nicephorum, ſed cùm inſcripſiſſet literas Imperatori Græcorum, & non Romanorum, legati in carcerem conjecti ſunt. Luitprandus verò tota hâc æſtate detentus eſt. *Luitp.*

Annus Jezdegird 337. incipit die 24. Mart. fer. 3.
Armeniorum 417. die 27. Martii. fer. 6.

Menſe Majo venti aſperi & urentes, frumentum & fructus arborum, & vineas perdiderunt; unde ingens penuria frumenti exorta, cujus meminit etiam Luitprandus in legatione. *Cedr.*

Ruſſi menſe Auguſto Bulgaris bellum inferunt, multas urbes & caſtella in Bulgaria ſolo æquant. *Cedr.*

Annus Alexandr. 1280. *Antioch.* 1017. *Conſtantinop.* 6477. *incipit* 1. *Octobr.*

Ditmarus natione Saxo, patriâ Magdeburgenſis, ordinatus ab *Hattone* præſule Moguntino, Epiſcopus Pragenſis, qui quòd Sclavonicæ linguæ uſum haberet, multos ad fidem Chriſtianam convertit, & baptiſavit. Vixit in Epiſcopatu tantùm annum unum, & aliquot menſes.

Johannes Papa, quòd Capuæ exulaſſet, cum Imperatore Capuam proficiſcitur, & ibidem Archiepiſcopatum inſtituit. Primus Archiepiſcopus fuit ibi Johannes Comitis frater: Noſtro tempore ibi Archiepiſcopus fuit *Robertus Bellarminus.*

Normanni *centum navibus Galliciæ fines toto hoc anno vaſtârunt, præſul Compoſtellanus vim ex præda, ipſe fit præda, & trucidatur: Tandem Gundiſalvus, hodie dicitur Conſalvus, hoſce Normannos occaſione occidit, & totam claſſem cremat.* Tuden.

Otto Imperator, cùm in ſpe eſſet matrimonii perficiendi inter filium ſuum & Theophaniam, filium Ottonem evocat in Italiam, qui etiam hoc anno eò venit, & in Natalitiis Domini coronatur Imperator, præſente Imperatore.

Annus Hegiræ 358. *incipit* 25. *Nov. fer.* 4.

Wilhelmus Archiepiſcopus Moguntinus ſuperiori anno mortuus fuerat, ipſique ſucceſſerat *Hatto Abbas Fuldenſis.* Hic, cum in tota Europa ingens eſſet frumenti inopia, nec haberet ut tot egenos alere poſſet, eos in horreo concluſit & cremavit: miſerè autem ejulantes & clamantes irriſit, dixitque mures ſuos ita clamare. Ideò ſequenti anno à muribus catervatim advenientibus arroditur, nec profuit ipſi turris in medio Rheni ædificata, ut mures aquis arcerentur, ſed adnatantes catervatim turrim aſcenderunt, & violentiſſimè arroſum comederunt: *Trithem. & alii.*

Johannes Papa, cùm Romam rediiſſet, primus *Campanam* Lateranenſem majorem nuper conflatam conſecravit, & aquâ benedictâ abluit, Johannemque appellavit, quæ ſuperſtitio hactenus in Papatu permanſit. *Baron.*

Ecclipſis Solis annotatur à Luitprando, & Cedreno, quæ acciderit hora diei tertia, die Decembr. Eaque etiam hoc die invenitur. Parallaxis latitudinis eſt 52, 23. *Latitudo ſeptent.* 52, 58. *Viſa ſeptent.* 0, 35. *ſemidiam. Solis* 15, 59. *ſumma ſemid.* 32, 5. *ſcrup. reſidua* 31. 30. *Digiti ecliptici* 11 50. *fit duabus ferè horis ante meridiem. Sol. in* 6. *Capricorn.*

Annus Nabonaſſar. 1717. *& Philippi* 1293. *incipit* 24. *Dec. fer.* 5.

ANNO MUNDI 4918. Poſt. C. 869.

C. ☉ 26, ☽ 1. *Ind.* 12.

Annus urbis 1721. *Julianus* 1014.
Æra Hiſp. 1007. *Auguſtorum* 996.

Ditmarus, primus Epiſcopus Pragenſis, moritur die 2. Januarii, cui ſufficitur die 19. Februarii à Boleſlao vir nobilis Wogtiech, qui mittitur ad Impe-

Imperatorem, qui tum in Italia erat Veronæ, ubi confirmatur die 2. Junii, & à Wiligiſo præſule Moguntino conſecratur, die 11. Junii, nominaturque. *Albertus. Coſmas.*

Venæ metallicæ Goſlarienſes, quas aperuerat Henricus Auceps in monte Ramelo, præclarè ſuos cultores ditare incipiunt copia & proventu. Dit.

Hungari, cùm Miezislaus Poloniæ Dux quinto ſui regni anno ſororem ſuam Geiſam Hungarorum regi uxorem dediſſet, religionem Chriſtianam recipere incipiunt. *Hiſt. Pol.*

Olympias 437. incipit in Ju io. Eſt annus Olympiadicus 1745.

Otto *Imper. inchoat annum imperii 34. Nicephorus ſeptimum.*

Annus Diocletiani 686. incipit die 29. Auguſti

Nicephorus *Imp. Conſtant. legatos cum exercitu mittit in Italiam, promiſſis literis, ſe adducere ſponſam, conjugem junioris Ottonis; quibus Otto honoris causa obviam mittit præſtantiſſimos viros, qui magnificè Græcos illos cum ſponſa exciperent & adducerent: Sed Græci fraude agentes, plurimos ex huce capiunt cum omni apparatu, aut trucidant, & Conſtantinopolin captivos abducunt, pauci effugiunt, qui Ottonem de tanta fraude certiorem faciunt. Otto iratus Græcis, ſtatim movet in Calabriam, cladem regeſturus Græcis, nec conatus inanis fuit. Nam plurimos cepit, quorum quosdam mutilato naſo Conſtantinopolin remiſit, quosdam verò, ut vitam redimerent, omni pecunia emunxit, qui reverſi Conſtantinopolin, omnem ſuæ calamitatis cauſam in Nicephorum Imperatorem conjecerunt.*

Anno Hegiræ 358. Johar *dux militiæ à Mehezedinalla miſſus ad occupandam Ægyptum, urbem in ripa Nili ædificat, nomine* Cahere, *quæ poſtea facta eſt ſedes regia, &* Alcairum *nominata.* Wilh. Tyrius.

Annus Hegiræ 359. incipit die 14. Nov. fer. 1.

Nicephorus Imp. cùm in odio eſſe ſe cerneret, muros palatii altiores fecerat, & claves ſemper ipſe ſibi ſumebat; nihilominus tamen ea ipſa nocte, quando hanc rationem ſuæ cuſtodiæ incipiebat, ejus uxor *Johannem* Zimiſcen per murum attrahit, à quo in conclavi occiditur, die 11. Decembr. cùm annos ſex, & menſes ſex imperâſſet; & *Zimiſces* in Nativitate Chriſti, cùm non ſua manu, ſed per alios Nicephorum Imperatorem occiſum demonſtraſſet, Imperator coronatur, & Nicephori uxor in cœnobium relegatur. Imperat Zimiſces annis ſex, & menſibus ſex. *Zonar.*

ANNO MUNDI 4919. Poſt C. 970.
B. ☉ 27. ☽ 2. *Ind.* 13.

Johannes Zimiſces Imperator ut oſtenderet ſibi fraudem Nicephori diſplicere, Germanos, qui capti fuerant, liberat, eis, quæ ſua erant, reſtituit, & cum *Theophania* ſponſa ad Ottonem mittit, addita dote, quicquid Græci in Italia haberent: Nuptiæ celebratæ ſunt Romæ magnificentia inſigni: Ipſa ſponſa imperatrix coronatur, & multi equites creantur. Factum, ut *Aventinus* habet 18. Aprilis, qui eſſet feria ſecunda, poſt Dominicam Cantate. Inde cùm Fraxinetum, quod Saraceni munierant, expugnare non poſſet. Otto Imperator Pandolphum Ducem Campaniæ facit, & partem potiſſimam exercitûs in Germaniam mittit, ipſe in Gallias cum filio Ottone abit, ut res controverſas ibi inter ſuos cognatos reges, & duces componat, & ipſos cum filio ſuo fœdere conjungat. Inde in Germaniam redit. *Witich.*

Polyeuctus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm ſediſſet annis 14. moritur die 30. Januarii. Succedit Baſilius, qui ſedit annis 4. *Zon.*

Saraceni irati, ſe Syriâ à Nicephoro ejectos, & pulcherrimas urbes amiſiſſe, fœdus faciunt de iis recuperandis, & cum exercitu centum millium Antiochiam obſident. Zimiſces Antiochenis auxilia mittit, quibus fulti Saracenos vincunt. *Cedr.*

Ruſſi, qui ſuperioribus annis in Bulgariam irruperant, eam incolere incipiunt, & cum Imperator hoc prohibere conaretur, in Thraciam cum ingenti exercitu trecentorum & octo millium veniunt: contra quos Zimiſces Ducem *Bardam* mittit, cum duodecim millibus, qui aſtu rem aggreditur, & ſui contemtum multa patiendo apud hoſtes auget, & tandem occaſionem nactus Ruſſos hosce binis præliis vincit, & Thracia ejicit. *Cedr.*

Annus Hegiræ 360. incipit die 3. Nov. fer. 5.

Roſuida monialis virgo cœnobii Gundersheimenſis eruditiſſima, ſc. ipſit heroica carmina, item comœdias ſex ſtylo Terentiano, claruitque hoc tempore. *Trith.*

ANNO MUNDI 4920. Poſt C. 971.
A. ☉ 28. ☽ 3. *Ind.* 14.

Contra Imperatorem Zimiſcen *Leo* Phocæ filius in Aſia ſeditionem movet, cumque imperio dejicere cupit: Ideò Zimiſces ad eam ſeditionem compeſcendam mittit Bardam ducem cum mandatis, ut quoad id poſſet, faceret abſque effuſione ſanguinis civilis: Idque factum, & autores tantùm centum in exilium miſſi. *Cedr.*

Zimiſces *in vere exercitum in Bulgariam ducit, ut Ruſſos ibi tandem debellaret: multas urbes ibi expugnat, multa prælia committit, & tandem vincit Ruſſos; eos que Bulgaria expellit.* Cedr.

Otto Imperator conſtituerat apud ſe Archiepiſcopatum inſtituere Magdeburgi, cui ſubjiceret vicinos Epiſcopatus, quos aut ipſe aut Parens fundaverat. In hac re magnopere obſiſtebat ipſi *Bernhardus Epiſcopus Halberſtadienſis*, qui putabat totam Sclavorum regionem, & omnes novos Epiſcopatus ſibi ſubjectos eſſe. Cùm nollet Imperatori cedere, in liberam cuſtodiam abducitur. Sed is jubet ſibi afferri Pontificialia, vocat etiam ad ſe Imperatorem. Imp. putat Epiſcopum aliquid remiſſurum, ſedis præſentem Imperatorem diris devovet, niſi deſiſtat ab hujusmodi conatu. Hac conſtantia liberatur ex cuſtodia, & Imperatoris propoſitum impeditur uſque in ſequentem annum. *Fabr.*

Annus ſabbaticus 3. Jobelei 19. incipit die 23. Septemb. fer. 7. Anno Jud. 4732.

Annus Hegiræ 361. incipit die 24. Octob. fer. 3.

Otto, *cùm fuerat in Gallia, ita cum cognatis egerat, ut Carolo fratri Lotharii Lotharingiæ Ducatus concederetur. Is igitur, cùm ſuperiorem Lotharingiam aliàs haberet, hoc etiam anno inferiorem accipit.* Chron. Belg.

ANNO

ANNO MUNDI 4921. Poſt. C. 972.
GF. ☉1. ☽ 15. *Ind.* 15.

Bernhardus moroſus ille Epiſcopus Halberſtadenſis, moritur 3. Febr. *Otto* juſſerat ipſi *Hildwardum* comitem Werlanum, cujus patrem, quòd in Ottonem conſpiraſſet, necaverat. Hic tantò beneficio affectus, & quòd pium eſſe cenſeret, ut plures Epiſcopatus inſtituerentur, etiamſi id fieret cum aliquo ſuo detrimento, conſentit Imperatori in inſtituendo Archiepiſcopatu. *Fab.*

Annus Jezdeg. 341. incipit die 13. Mar. fer. 7. Armeniorum 421. incipit 27. fer. 3.

Gero Archiepiſcopus Colonienſis cum fratre Dithmaro condit cœnobium in Saxonia Münchenenburg. Sic Hermannus Dux Lunæburgenſis conſtruit monaſterium *Luneburg.* Trith.

Duffus *Scotiæ rex, cum annos quinque regnâſſet, moritur; Succedit ipſi frater* Culenus, *qui regnat annis 4.*

Annus Alexandr. 1284. Antioch. 1021. Conſtantin. 6481. incipit 1. Octob.

Annus Hegiræ 362. incipit die 12. Octob. fer. 2.

Johannes XIII. Papa, cùm ſediſſet annos ferè ſeptem, moritur die 6. Septemb. Succedit ipſi *Domnus,* qui ſedet tantùm menſes tres; mortuus eſt circa finem anni. *Baron.*

Annus Nabonaſſaris 1721. & Philippi 1297. incipit 23. Decemb. fer. 2.

Otto Imp. ad inſtituendum Archiepiſcopatum evocaverat legatum Pontificis, & conventum indixerat in feſto Natalis Chriſti; ibi proponit ſententiam ſuam, quòd gratitudinis causâ adverſus Deum, cujus defenſionem, auxilium & protectionem multipliciter ſenſerat, Archiepiſcopatum Magdeburgi inſtituere velit, quæ ſententia ab omnibus approbatur, & primus Archiepiſcopus Magdeburgi ordinatur *Albertus,* cui ſuffraganeos eſſe voluit Epiſcopum Miſnenſem, Cicenſem, Merſburgenſem, quos Epiſcopatus inſtituerat, & reditibus liberalibus ex agris atque urbibus Sclavis ademptis inſtruxerat. Et primi Epiſcopi omnes à Legato Pontificis conſecrantur. Inde Halberſtadenſi Epiſcopo ſuffraganeos eſſe voluit, Havelbergenſem, Brandeburgenſem, & Poſnanienſem qui antea paruerant Moguntino. Hamburgenſi autem ſubdidit Mechelburgenſem, Sleſvicenſem, Rippenſem & Altenburgenſem, ſive Stargardenſem. *Fab.*

ANNO MUNDI 4922. Poſt. C. 973.
E. ☉2. ☽ 5. *Ind.* 1.

Annus urbis 1725. *Julianus* 1018.
Æra Hiſp. 1011. *Auguſtorum* 1000.

Zimiſces *Imp. inchoat annum imperii quartum.*

In locum Domni Papæ, qui tres menſes ſederat, eligitur *Benedictus* Sextus, qui ſedet annum unum & tres menſes. *Onuf.*

In Dania, cùm à ſuperſtitione gentili homines deſiſtere nollent, & miraculo religionem Chriſtianam confirmari vellent; Poppo Comes ferrum magni ponderis ignitum & candens, quouſque voluerunt, abſque ulla læſione portavit. *Fab.*

Otto *Imper. Comitia indixeret Quedlinburgi ad diem 25. Martii, in die Paſchatis: ubi convenerunt legati plurimi Græcorum, Beneventanorum, Romanorum, aliorum item Italorum, Hungarorum, Danorum, Sclavorum, Bulgarorum, Ruſſorum, item Poloniæ & Bohemiæ Duces ipſi præſentes erant. Ibi moritur Hermannus Dux Lunaburgenſis, quem Otto propter induſtriam maximè dilexerat. Cùm legatos omnes dimiſiſſet, Merſburgum abit, ubi feſtum Aſcenſionis celebrat. Inde Memlebiam adit cœnobium ad Unſtrutum ad tempe, quæ aurea vocantur; ibi biduum moratur, & deficientibus viribus tandem ibi præſente filio & uxore, feria quarta ante Pentecoſtem, die 7. Maii vitam placidiſſimè claudit, cùm ferè annos 37 imperaſſet: ſuccedit ipſi filius* Otto *qui obtinuit imperium annis decem & menſibus ſeptem. Inteſtina ejus manent Memlebii, corpus defertur Magdeburgum, ubi tumulatur & tumulo inſcripti fuerunt hi verſus:*

Tres luctus cauſæ ſunt hoc ſub marmore clauſæ,
Rex, decus Eccleſiæ, ſummus honor patriæ.

Huldericus Epiſcopus Auguſtanus moritur 4. Julii fer. 6. ſenex Octogenarius, quem ſepelivit S. *Wolffgangus;* poſt decem annos autem inter Sanctos refertur à Pontifice *Baron.*

Olympias 438. incipit die 15. Iulii. Eſt annus Olympiadicus 1749.

Annus Diocletiani 690. incipit die 29. Auguſti.

Henricus *Bavarus, patruelis Ottonis, ſibi deberi imperium contendit, & ſuæ ex parte habet Epiſcopos Auguſtanum Moguntinum, Magdeburgenſem: Ex Politicis regem Daniæ, Ducem Poloniæ Boleſlaum, Bohemium, & alios. Sed Otto indicit comitia, & publico conſenſu mittuntur legati ad Henricum, à quibus perſuaſus apud Ottonem culpam deprecatur.* Fab.

Annus Hegiræ 363. incipit die 2. Octobr. fer. 5.

Otto Memlebianum cœnobium magnificentiùs ædificat, & moniales, quæ ibi erant, traducit Quedlinburgum, & monachos introducit. Inde movet in Hannoniam, ad compeſcendos ſeditioſos. *Spangenb.*

ANNO MUNDI 4923. *Poſt. C.* 974.
D. ☉3. ☽ 6. *Ind.* 2.

Otto *Imperator in Daniam contra Heroldum Danorum regem movet, qui adhæſerat Henrico Bavaro, & vaſtarat Saxoniam; & aliquot ejus urbes capit, & tantum ei metum injicit, ut promitteret, ſe imperata facturum, & in comitiis ſententiæ imperii pariturum.* Fab.

Benedictus VI. Papa, cùm ſediſſet annum unum & tres menſes, à Bonifacio Francone Cardinale violenta manu capitur, & in carcerem ad molem Adriani compingitur, & tandem ſtrangulatur. Succedit ipſi *Bonifacius* VII. parricida, ſedetque annum ferè. *Onuf.*

Gero Epiſcopus Colonienſis fundat monaſterium Gladebach, propè Neoveſium, item cœnobium *Martini* in Colonia. *Trith.*

Annus Hegiræ 364. incipit 21. Sept. fer. 2.

Otto *cùm ex Dania reverſus eſſet Magdeburgi die 27. Septemb. ſancit, ne quis turbet juriſdictionem Eccleſiarum.* Conſt. Imp.

ANNO MUNDI 4924. Poſt. C. 975.
C. ☉ 4. ☽ 7. *Ind.* 3.

Otto, in initio anni conventum indicit *Wiſ-*

maria, ubi tranſactum eſt cum Daniæ rege de finibus, & de jure obligationis ad imperium, Bohemus Dux comparere noluit, ideò is bello petitur, quo ſubactus imperata fecit. Bavarus Henricus, patruelis Ottonis ſecundi, etſi vires nullas habebat, & à ſociis ; m deſertus eſſet; tamen bellum parat, ſed ab Ottone Ducatu pellitur, isque datur *Ottoni* Duci Sueviæ, Ludulphi fratris filio, Henricus exulabit in Bohemia. *Fab.*

Bonifacius Papa, homo nefandiſſimus, & truculentiſſimus prædo, cum ſediſſet annuo ſpatio, & omnium odia in ſe concitaſſet, à *Benedicto* ex Alberici familia prognato, urbe pellitur, die 11. Maii, ſed priusquam cedit templum Vaticanum ſpoliat, & ſacrilegâ onuſtus præda, Conſtantinopolin navigat, & Benedictus eligitur Pontifex, qui ſedet annis novem, dictus Benedictus ſeptimus. *Onuf. & Baron.*

Edgarus rex Angliæ, cùm ſedecim annis regnaſſet, moritur die 8. Julii. Succedit filius *Eduardus II.* qui regnat annis tribus, & menſibus ſex. *Rogerius.*

Cometa viſus eſt menſe Auguſto per totos octo menſes. *Cedr.*

Annus Hegiræ 365. incipit die 10. Sept. fer. 6.

Baſilius Patriarcha Conſtantinopolitanus, propter ſcelera, ſede ſua deponitur, & ſufficitur ipſi *Antonius* Studites, qui ſedit annis ſex. *Zon.*

Zimiſces Imp. cùm iter faceret in Orientem, videretque ampliſſimas ſuorum Spadonum poſſeſſiones, ingemuit, quod milites, qui imperium defenderent, ærumnas paterentur, & immenſis laboribus perfungerentur, & tamen vix haberent; ut vitam tolerarent. Ideò à Spadone Baſilio præfecto vigilum veneno tollitur prope Damaſcum, die 4. Decemb. cùm imperaſſet annis 6. & menſibus ſex. Succedit ipſi anno ſequenti ſtatim in principio *Baſilius* filius Romani, qui jam habebat annos 20. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4925. *Poſt. C. 976.*
BA. ☉ 5. ☽ 8. *Ind.* 4.

Otto Imp. cùm audiſſet Henricum Bavarum in Bohemia eſſe, exercitum eò mittit, qui Bohemiam longe lateque vaſtavit, omnia patientibus hoſtibus, ut tandem ſecuri fierent, quod conſecuti ſunt. Ideò Bavarus improviſo in eos irruit, & multos occidit, & caſtra vix defenſa; inde exercitus poſtea retroceſſit. Henricus verò Paſſaviam in ripa Danubii ſitam munit, & arcem belli ſibi ibidem conſtituit. *Fab.*

Annus Jezdeg. 341. incipit die 22. Mart. fer. 4.
Armeniorum 921. 29. *Mart. fer.* 7.

Bardas Sclerus perſuadens ſibi, ſe Imperatorem futurum ex prædictione Monachi, à militibus proclamatur Imperator, cui Baſilius opponit Ducem, qui tamen vincitur, & caſtris exuitur. Idem accidit alteri Duci, ita ut Baſilius in magno metu eſſet; ſed paulò poſt tamen claſſis Bardæ vincitur ab Imperatore, & ne Bardas ulterius procedere poſſit; Imperator Niceam firmat, & præſidiis munit. *Cedr.*

Culenus *Scotiæ rex moritur, cùm annos 4 regnaſſet; ſuccedit ipſi* Kennethus III. *qui regnat annos* 18. Buch.

Annus Hegiræ 366. incipit die 30. Aug. fer. 4.

Annus Alexandr. 1288. & *Antioch.* 1025. *Conſtantinop. die 6485. incipiunt* 1. *Octob.*

Otto *Imp. priusquam Henricus Paſſaviam ſatis firmaſſet, eò ducit exercitum, & urbem obſidet. Henricus obſeſſus, cùm nec commeatum haberet, nec militem, de pace agit, promittitque ſe compariturum in judicio imperii. ideo dies ipſi conſtituitur in ſequentem annum.* Fab.

Albaca rex Cordubæ in Hiſpania, cùm annis 16. regnaſſet, moritur an. Heg. 366. Sub hoc vixit *Raſis* Mauros, qui commentarios ſuos Miramamolino Africæ miſit. Succedit ipſi *Hiſſem* filius, puer annorum decem, cui datus eſt vice rex Muhamedes, qui ſe Almanſorem vocari voluit, qui hâc poteſtate uſus eſt annis viginti ſex: & hoc ſpatio quinquagies bis in Chriſtianos expeditionem fecit. *Rodericus.*

Annus Nabonaſſaris 1725. & *Philippi* 1301. *incipit die 22. Sept. fer. 6.*

ANNO MUNDI 4926. Poſt. C. 977.
G. ☉ 6. ☽ 9. *Ind.* 5.

Annus urbis 1729. *Julianus* 1022.
Æra Hiſpan. 1015. *Auguſtorum* 1004.

Baſilius Imp. Conſtant. inchoat annum Imperii 2. in Januario.

Henricus Bavarus ad comitia evocatus ſiſtit ſeſe, ubi communi Principum conſenſu, exilio mulcatur ipſe & filius. Epiſcopi, Auguſtanus & Friſingenſis, ſponte ſolum mutaverunt. Moguntinus verò & Magdeburgenſis amicorum interceſſione dignitatem ſuam recuperant, Dux Bohemiæ etiam in gratiam recipitur. *Fab.*

Bardas rebellis Dux, Niceam urbem unà cum præſidio capit, & inſuper Bardam Phocam præſtantiſſimum Imperatoris Ducem prælio vincit, qui tamen ſtatim reparato exercitu cum victore inſtaurat certamen, & vincit; & cum tota Aſia pellit, qui ad Saracenos confugit, & ditiones Romanas quadriennio ferè vaſtavit, *Cedr.*

Otto Imp. inchoat annum Imp. 5. menſe Majo.

Olympias 439. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1753.

Annus Hegiræ 367. *incipit die* 19. *Aug. fer.* 1.

Annus Diocletiani 694. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Saraceni in Italia, cùm Imperator rerum ſuarum ſatageret in Germania, Capuam Bariumque arcta obſidione concludunt; easque urbes expugnaſſent, niſi Urſeolus Dux Venetus commeatum intuliſſet. *Juſtinian.*

Robertus Epiſcopus Moguntinus animi mœrore extinguitur; ei ſucceſſorem dat Imperator è ſuis ſacerdotibus, virum ſpectatiſſimum *Willigiſum*, patria Saxonem, in pago Strominga natum, plauſtrario patre: in hujus rei memoriam rota in inſignibus Moguntinis ab Imperatore Henrico Claudo addita. *Schafnab.*

ANNO MUNDI 4927. Poſt. C. 978.
F. ☉ 7. ☽ 10. *Ind.* 6.

Lotharius Galliæ rex, & Ottho Dux Burgundiæ, conſobrini, conjurant, de fratre Lotharii Carolo ex Lotharingia expellendo, & non denunciatis inimicitiis Lotharingiam prædando percur-

percurrunt. Imperator tum Aquiſgrani erat, item uxor, & alii, qui hoſtibus advenantibus improviſò, vix è manibus Francorum elabuntur. Rex occupatâ urbe prandium, quod Imperatori paratum erat, abſumit, & tribus diebus urbem ſpoliat, & vicinas regiones diripit. Imperator igitur hanc injuriam vindicaturus, exercitum colligit. Rhemenſem & Lugdunenſem agrum vaſtat, prædaſque agit uſque ad Pariſiorum ſuburbia. Inde cùm peſtis ingrueret, domum revertitur, ſed inſequitur ipſum Lotharius, & deprehenſum ad flumen Axona, impedimentis exuit, cùm præcipua exercitûs pars flumen tranſiiſſet. *Wolffgangus* Epiſcopus Ratisbonenſis ſimul Imperatorem comitatus erat; is exhortatus exercitum, primus flumen tranſierat, atque ita Imperator circa finem Novembris expeditionem hanc minus lætam confecit, & in Saxoniam reddit. *Fab.*

Annus Hegiræ 368. incipit die 8. Aug. fer. 5.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei 9. incipit die 5. Sept. fer. 5. Eſt annus Iud. 4739.

Bulgari, cùm tantæ turbæ eſſent in imperio Orientis, quatuor duces ſibi creant, & ditiones imperii invadunt, præcipuè Thraciam vaſtant, & Macedoniam, & Theſſaliam; multa capiunt caſtella, & plurimos captivos in Bulgariam abducunt: Baſilius Imperator, cùm Bardas victus eſſet, contra Bulgaros proficiſcitur, ſed fraude ſuorum in fugam conjicitur, & impedimenta ac inſignia imperii amittit. *Cedr.*

ANNO MUNDI 4828. Poſt. C. 979.
E. ☉ 8. ☽ 11. Ind. 7.

Lotharius Galliæ rex, qui ſciebat Ottonem Imperatorem, non Francorum viribus, ſed fortuna adverſa tantùm victum, metuebat ne bellum perſequeretur; ideò de pace agit, & conveniunt Rhemis, ubi Lotharingia Ottoni reſtituitur, cujus pars Carolo iterum gubernanda ab Imperatore traditur; partem ejus accipiunt præſules Leodienſis, Trevirenſis & Colonienſis. Ita Marchionatus Antverpienſis, Comitatus Lovanienſis Imperatori reſtituitur. Hæc tranſactio malè habuit Hugonem Pariſienſem, & alios proceres Franciæ. *Fab.*

Eduardus rex Angliæ, cùm annos tres, & menſes 8. regnaſſet, menſe Aprili poſt Paſcha, cùm venatum exiſſet, & non procul à noverca ſua caſtello abeſſet, eò ſolus venit, ut ſitim levaret: illa ſitienti ſtatim venenum prabuit, & miſit adhuc, qui ipſum trucidarent. Succedit ipſi frater Edelredus, *qui regnat annis 37. & à Danis undique bello affligitur. In Baptiſmo hic aquam excrementis ſuis inquinaverat.* Malmesb.

Annus Hegiræ 369. incipit die 29. Jul. fer. 3.

Diſſidium oritur inter Geronem comitem, & Waldonem miniſtrum nobilem Imperatoris; cùm res componi non poſſet; offerunt ſe ad Monomachiam, in qua ambo mutuis vulneribus cadunt: Factum menſe Auguſto: Sed Imperator addit ignominiam Geroni, eumque mortuum jubet decollari, & cadaver canibus dilacerandum relinqui: Filia ejus certior de hac re facta ſupplicat Imperatori pro ſepultura, promittitque ſua bona Epiſcopatui Magdeburgenſi. & impetrat. *Fabr.*

Synodus in Anglia celebratur, ubi clerici Dunſtanum Epiſcopum, a quo arctâ diſciplinâ habebantur, cogere conantur, ut diſciplinam aliquo modo laxet. Sed conclave illud interiore parte corruit, & miſerè omnes lapſu affliguntur, ſolus Dunſtanus ſalvus in ſua ſede manet. *Bar.*

ANNO MUNDI 4929. Poſt. C. 980.
DC. ☉ 9. ☽ 12. Ind. 8.

Antonius Patriarcha Conſtantinopolitanus ante quatuor annos, cùm tot ſeditiones in regno eſſent, & multa fierent, quæ ſibi diſplicebant, pontificatui ſui renunciaverat, nemo tamen ipſi ſubſtitutus fuerat. Hoc anno igitur ſuccedit ipſi *Nicolaus* Chryſobergus, qui ſedet annis ferè 13. *Zon.*

Annus Jezdegird. 349. incipit 21. Martii, fer. 1. Arm. 429. incipit 24. Mart. fer. 4.

Annus Hegiræ 370. incipit die 18. Julii. fer. 7.

Baſilius Imp. quum liber eſſet à bello Saracenorum, iratus Zimiſcæ, qui Calabriam & Apuliam dotis loco Theophaniæ dediſſet, exercitum mittit ad eam recuperandam. Præfecti igitur Imperatoris pelluntur, multæ urbes capiuntur, nemoque erat, qui ipſis reſiſteret, cùm Saracenorum auxilio ſibi junxiſſent. Imperator igitur, cùm res Germaniæ compoſuiſſet, forti exercitu congregato, per Bavariam in Italiam tranſit, & Græcorum præſidia ex Dalmatia atque Illyrico fugat, & ante hyemem Romam venit, ubi copias Germanorum recenſet, & urbibus certum numerum militum in Italia imperat. *Fab.*

Annus Alexand. 1291. & *Antioch.* 1029. *Conſtantinopolit.* 6489. *incipit 1. Octobr.*

Ranimirus Rex Hiſpaniæ, anno regni 14. ducit uxorem, & per inſolentiam multa committit, quibus ſibi odium ſubditorum conciliavit. Comites igitur, & Status regni conveniunt, & die 15. Octobr. novum regem creant *Veremundum*; ſed hinc bellum inteſtinum ortum, quod duobus annis duravit. *Tudenſ.*

Haraldus Danorum Rex, à filio ſuo Sveno vel Sweinbello petitur bello, qui diutius vivere videretur, quàm par erat. Abnegaverat a. Suenus Chriſtianam religionem, & ſe dediderat Ethnicorum ſuperſtitioni, quorum plurimi erant adhuc in regno, atque illa eos ſibi ſocios belli fecit, & in pugna parentem vincit, qui etiam vulneratus eſt periculoſiſſimè, & paucis diebus pòſt, in feſto omniũ Sanctorum, mortuus eſt, cùm regnâſſet annos 50. ſed hoc parricidium Deus ita ultus eſt, ut filius paucos poſt annos regno ejiceretur, & totis annis 14. exularet. *Adam.*

Annus Nabonaſſar. 1729. & *Philippi* 1305. *incipit 21. Decemb. fer. 3.*

ANNO MUNDI 4930. Poſt. C. 981.
B. ☉ 10. ☽ 13. Ind. 9.

Annus urbis 1733. *Iulianus* 1026.

Æra Hiſpanicæ 1019. *Auguſtorum* 1008.

Baſilius Imp. Conſtant. incipit annum imperii 6.

Otto Imper. Sueviæ Ducem Ottonem; fratris ſui filium, dimittit ex portu Oſtienſi cum aliquot navibus, ut littora circumiret, exceptiſque hoſtibus exploraret hoſtium vires & conſilia; cùm eos magna multitudine conveniſſe cerneret; & paratos ad pugnam, reverſus ſuadet Imperatori, ut bellum illud aggrederetur, & urbem aliquam ſumeret oppugnandam: qui proficiſcitur

ficiſcitur Tarentum, urbem maritimam, quam obſ.ſſam primo menſe expugnat, inde hoſtibus ad vicum quendam occurrit, quos acri congreſſu in fugam conjicit, & in campo quodam in anguſtiis fugientes adortus, plurimos eorum occidit; qua victoriâ lætus cœpit optimè ſperare de eventu, & exercitus inſolentior factus, hoſtem contemnit, & multum de induſtria ſua remittit. *Fab.*

Otto *Imp. inchoat annum Imperii nonum menſe Majo.*

Olympias 440. *incipit die* 15. *Julij. Eſt annus Olympiadicus* 1757.

Annus Diocletiani 698. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus Hegiræ 371.. *incipit die* 6. *Iul. fer.* 4.

Pagus Doberſoclum ſitum ad fontes Salis hoc anno cæptum eſt a̋ dificiis augeri & impetrata ſunt privilegia hoc anno ab Imperatore, ut ſi civitas libera & imperialis, quæ dicta eſt Hala. Spangenb.

Septem naves piratica Angliæ maritima miſerè vaſtant. Malmesb.

ANNO MUNDI 4931. *Poſt. C.* 982.
A. ☉ 11. ☽ 14. *ind.* 10.

Otto Imperat. cùm multæ urbes in Apulia & Calabria præſidiis Græcorum tenerentur, ad ea ejicienda primo vere proficiſcitur inſigni exercitu. Græci aſſumtis ſuis auxiliis, ne totâ Italia pellerentur, acie decernendum exiſtimant, nec detrectat Imperator, & Italis poſcentibus primam aciem concedit; ſed hi vix primum impetum hoſtium ferunt, & in fugam ſe conjiciunt, & totum exercitum turbant. Germani non fugere ſueti, acerrimè ſe defendunt, ſed proditi à ſociis, & tandem in arctum ab hoſtibus concluſi, & ipſi fugiunt, ubi ceciderunt viri præſtantiſſimi, Epiſcopi etiam aliquot & Comites. Imperator cujus equus valdè vulneratus erat, ad mare pervenit, ubi ægrè recipitur: Sed non agnitus, cum abjectis ornamentis Imperatoriis, & lorica pro mercatore ſe gereret, perſoluto lytro & beneficio Græcæ linguæ, quam didicerat, evadit, novaque auxilia ex Germania jubet adduci, qui Veronæ conveniant. Clades accidit die 15. Julii. Interim cùm à Beneventanis fugæ initium factum eſſet, Beneventum militibus predæ dat, & urbem cremat; & deinde, cùm & Romani principes, & alii in Italia proditionis ſuſpecti erant, eos plus nomen Ottonis Sanguinarii reportavit *Fab.*

Annus Hegira 372. *incipit die* 26. *Junii. fer.* 2.

Sclavi, *cùm Imperator abeſſet, ut veteres, ut putabant, injurias ulciſcerentur, in Germaniam irruunt, & vaſtationibus & cædibus crudeliſſimè graſſantur, Epiſcopatus Havelbergenſis diripitur, Brandeburgum capitur, & vicinia tota vaſtatur; inde aſſumptis Bohemis, & aliis Sclavis Epiſcopatum Cizenſem & Merſburgenſem crudeliſſimè afflixerunt.* Fabric.

Ramimirus Rex Hiſpaniæ, cùm fratrem ſuum *Veremundum*, à Statibus regem electum, eò adegiſſet, ut ad Saracenos perfugeret, moritur, cùm regnaſſet annos 15. menſes ſeptem: Succedit frater Veremundus, qui regnat annos 17. Ante hyemem adhuc cum Saracenis pugnat, ſed æquo Marte; cauſa videtur fuiſſe, quòd in exilio Saracenis multa promiſiſſet, pauca præſtaret. *Tadenſ.*

ANNO MUNDI 4932. Poſt. C. 983.
D. ☉ 12. ☽ 15 *Ind.* 11.

Cùm Sclavi ita gr. ſſarentur in Saxonia, Giſelarius Archiepiſcopus Magdeburgenſis, & comites quidam, collecto exercitu Vandalos adoriuntur, & eorum triginta millia trucidant: multi tamen fugâ evaſerunt, & ita Saxonia tum liberata fuit. Fab.

Comitia tandem Veronenſia celebrantur, in quibus concluſum, Italiam nequaquàm deſerendam, ſed vires imperii ita diſtribuendas, ut ad recuperandam Italiam, & Germaniam defendendam ſatis ſint: & Otto Sueviæ Dux, ex Italia ad Germaniam tutandam mittitur: Imperator voluit manere in Italia. Sancitum etiam hoc fuit, in comitiis hiſce, cùm Itali levitate ſua juramentis abuterentur, & perjuriis prædia acquirere conarentur, præſente Ottone filio, qui advenerat, & Conrado Burgundiæ rege, ut in hujuſmodi controverſiis, ſi probationes aliæ non adeſſent, per Monomachiam veritas exquireretur. Inde Otto Imperator claſſe Saracenos adoritur, & pugna valde cruenta edita eſt, ſed vicit Imperator tanta victoria, ut *pallida mors Saracenorum* diceretur, attamen ipſe Imperator in hac pugna ſagitta venenata vulneratus fuit, quo vulnere poſt obiit. *Fab.*

Annus Hegira 373.. *incipit die* 15. *Iul. fer.* 6.

Edelredus rex Angliæ, iratus Epiſcopo Roffenſi, urbem ejus obſidet, & fortaſſis eam expugnaſſet, niſi *Dunſtanus* arbiter pacis fuiſſet: mulctam tamen ſolvere coactus eſt Epiſcopus. *Baron.*

Otto Imper. cum vulnus ulterius ingraveſceret, teſtamentum condit, in quo filium ſuum, qui tum ferè undecim erat annorum ſucceſſorem imperio relinquit, & bona ſua mobilia in quatuor partes diſtributa, Eccleſiis, & unam partem miniſtris legat, & moritur die 10. Dec. ſepeliturque Romæ in atrio templi D. Petri. Sepulcro impoſita fuit ſtatua Salvatoris, benedicentis introeuntib. aut exeuntibus *Fabricius* ſcribit, id ſepulchrum hodie dejectum eſſe, & factum mendicorum cloacam. Imperavit autem annos 10. & menſes fere 6. ſuccedit filius Otto, qui imperat annis octodecim, & menſem unum. *Fab. lib.* 2.

ANNO MUNDI 4933. Poſt. C. 984.
FE. ☉ 13. ☽ 16. *Ind.* 12.

Sodalitas Sacerdotum Romæ, die 22. Febr. pro ſe & poſteris inſtituta, ut ſi quis ex hac ſodalitate moreretur, ſinguli quadraginta Miſſas canerent, ſtatim poſt obitum, niſi quis morbo impediretur, qui id ſequenti tempore perficere coactus fuit, niſi voluit excommunicari. *Baron.*

Annus Jezdeg. 353. *incipit die* 20. *Mart. fer.* 5.

Armeniorum 433, 23. *Mart. fer.* [illegible]

Annus Hegira 374 *incipit die* 4. *Iulij. fer.* 4.

Otto Tertius Coloniæ apud Antiſtitem educabatur, cùm reverſus eſſet ex Italia. Henricus Bavarus, quòd patruus magnus Ottonis eſſet, ad ſe pertinere tutelam affirmat, & Coloniam proficiſcens, eum ſecum abducit: Inde principes Magdeburgum

per Magdeburgum convocat, ubi ſe pro Imperatore gerit, inde cum iis Quedlinburgum abit, ubi planè Imperator proclamatur, & paulò póſt inſuper Ottonis ſororem Adelheidam, quæ Halæ Saxonum educabatur, abducit. Principes reliqui, quòd fidelitatem Ottoni huic & parenti antea dediſſent, novum Imperatorem reſpuunt, ne perjuri fierent, ideò ad bellum omnia apparant. Bavarus metuens Saxones, puerum reddit, qui Willigiſo Moguntino educandus datur, & ad Bohemos concedit, qui à Bavaro excitati in Miſniam irruunt, & multas urbes ſpoliant. Exercitus igitur Imperatoris in Bohemiam ducitur, & Meſiconem eò adigit, ut ſupplex bellum deprecaretur. *Fabricius.*

Benedictus Papa, cùm ſediſſet annos novem, moritur die 10. Julii. Subrogatus eſt ipſi Petrus Papienſis Epiſcopus, Cancellarius Ottonis ſecundi, qui, ut antea Octavianus ille, quod nomen Chriſto in Baptiſmo dederat, abnegavit, & Johannes voluit appellari; ita hic pro Petro *Johannis XIV.* nomen aſſumſit, ſedit autem menſes 8. *Onuf.*

Annus Alexandr. 1296. Antioch. 1033. & Conſtantinop. die 6493. incipit à Calend. Octob.

Almanior *prorex Corduba, ad Aſturiam cum exercitu venit, eam obſeſſurus.* Veremundus *rex improviſo adeſt, caſtra hoſtium invadit, & multos trucidat; eos tamen ejicere penitus non poteſt, ſed tandem repellitur.* Marian.

Lotharius *rex Galliæ, occaſione uſus inſtantis imperii turbis, Lotharingiam invadit, & Verdunum urbem capit, eamque præſidiis munit.* Fab.

Annus Nabonaſſaris 1733. & Philippi 1369. incipit die 20. Dec. fer. 5.

ANNO MUNDI 4934. Poſt. C. 985.

D. ☉ 14. ☽ 17. *Ind.* 13

Annus urbis 1737. *Julianus* 1030.

Æra Hiſp. 1023. *Auguſtorum* 1012.

Annus Baſilii Imp. Conſtant. 10. Ottonis 2.

Conventus *imperii indicitur Francofurti, ubi Hermanni Saxoniæ Comitis ſagacitate & induſtriâ, cauſa Henrici Bavari tranſacta eſt, & Ottoni imperium confirmatum, & Bavaro, fidelitatem Imperatori juranti, Ducatus Bavariæ commendatus: inde Otto Paſcha Quedlinburgi celebravit, & de bello ad Sclavos compeſcendos actum, qui putabant imperium à puero regi, ac propterea vicinos vaſtabant.* Fab.

Bonifacius VII. Papa, qui Conſtantinopolin fugerat, defuncto Imperatore & Pontifice in Italiam redit, & muneribus efficit, ut Romæ recipiatur, & Johannem XIV. Papam jam octavum menſem ſedentem throno exturbat, ad molem Adriani eum carceri includit, & fame enecat, necatumque publicè inſepultum abjicit, qui clam ab aliquibus ſepelitur, & ſacrilegus hic ac ſceleratiſſimus ſuccedit, qui potius inter famoſos latrones, & potentiſſimos graſſatores, & patriæ perditores numerandus eſt, ut loquitur *Baronius*, quàm inter Pontifices; ſeditque menſibus quatuor.

Annus Hegiræ 375. incipit 24. Maji, fer. 1.

Almanſor *Prorex Corduba, obſidet Barcinonem urbem 1. Julii fer. 4. Indict. 13. eamq; 6. Julii capit. Inde ad Legionem urbem tranſit, quam annuo ferè ſpatio obſidet, priusquam caperet.* Marian.

Olympias 441. incipit die 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1761.

Annus Diocletiani 702. incipit die 29. Auguſti.

Annus ſabbathicus quintus Jobelei decimi noni, incipit 17. Sept. fer. 5. Anno Jud. 4746.

Bonifacius Papa, cùm quatuor menſes ſediſſet, moritur: eum defunctum Romani pedibus trahunt in vico Lateranenſi, ligno affigunt, contis & lanceis configunt, & inter plebejos tandem ſepeliunt. Succedit *Johannes XV.* ſed huic quieto eſſe non licuit: *Creſcentius* enim, qui molem Adriani occupârat, & Conſulatum aſſumſerat, Papam urbe ejicit, qui in Tuſciam abiit: ſedit autem annos novem, & menſes ſex. *Baron.*

Lotharius, *cùm intellexiſſet Ottonem Imperatorem confirmatum, quæ imperio in Lotharingia eripuerat, eareſtituit.* Fab.

Micislaus *Poloniæ Dux, bellum infert Vlodimiro Ruſſorum Duci, ſed nullo cum emolumento, imò potius damno: Amittit enim quaſdam ditiones.* Hiſtor. Polon.

ANNO MUNDI 4935. Poſt. C. 986.

C. ☉ 15. ☽ 18. *Ind.* 14.

Lotharius *rex Galliæ, cùm regnâſſet annis 31. moritur die 2. Martii; ſuccedit ipſi filius* Ludovicus, *qui poſt patrem defunctum ferè biennium regnat.* Sigebertus.

Annus Hegiræ 376. incipit die 13. Maji fer. 5.

Riddacus *Marchio Miſnenſis divitiis multis affluens moritur circa hoc tempus. Supereſt in Comitatu Mansfeldenſi arx ab ipſo ædificata hodie* Ritzeburg/ *item pagus* Ritzerode *dicta. Hic fundavit cœnobium* Gerbſtet. Spang.

Otto *Imp. cum Bohemis iterum bellum gerit, & eos tandem imperata facere cogit.* Ditm.

Terræ motus menſe Octobri annotatur à Cedreno, quo non tantum muri & templa Conſtantinopoli corruerunt, ſed etiam tota Græcia eo terræ motu concuſſa eſt.

Creſcentius Romæ, cùm certior fieret, Pontificem Johannem invitare Imperatorem, ut in Italiam veniat, & ſe reſtituat, terretur, cùm ſciret, quomodo Otto primus & ſecundus injurias Pontificibus illatas vindicaverant; Agit igitur cum Pontifice ut Romam redeat, cui advenienti pedes oſculatur & omnem humanitatem exhibet. *Bar.*

ANNO MUNDI 4936. Poſt. C. 987.

B. ☉ 16. ☽ 19. *Ind.* 15.

Bellum *inter Ottonem & Bohemos adhuc gerebatur, brevi tamen poſt Meiſco frater Boliſlai Ducis ad Imperatorem venit, offert camelum tum temporis in Germania non viſum, & recipitur in gratiam.* Spang.

Annus Hegiræ 377. incipit die 3. Maji, fer. 3.

Barda *Phocas, Dux belli præſtantiſſimus, qui Bardam Scelerum vicerat, & imperio ejecerat, proclamatur ab exercitu Imperator, die 15. Auguſt. Indict. 15. Rebellio hæc duravit toto biennio, donec ipſe Bardas, cùm Conſtantinopolin proficiſceretur, ut ipſam obſideret, inopinato periret.* Ced.

Ludovicus *Galliæ rex, cùm ferè biennium regnâſſet, circa finem hujus anni veneno, à conjuge ſua Blancha præbito, moritur adhuc juvenis* Compendii. *Succedere huic voluit* Carol. Dux Lotharingiæ, *ſed,*

eſſet Germanorum principibus, rejicitur à plerisque, qui Hugonem Capetum eligunt; inde bellum civile ortum. Chron. Belg.

ANNO MUNDI 4937. Poſt. C. 988.
AG. ☉ 17. ☽ 2. *Ind.* 1.

Annus Jezdeg. 357. *incipit die* 19. *Mar. fer.* 2.
Armeniorum 437. *die* 22. Martii, *fer.* 5.

Otto die 20. Martii Adalgado Archiepiſcopo Bremenſi dat poteſtatem emendi, & vendendi vel mutandi mancipia: permittit etiam, ut ipſi liceat emere agros, prædia, &c. quæ poſtea immunitatibus Eccleſiæ fruantur. *Conſt. Imp,*

Annus Hegiræ 378. *incipit* 21. *Aprilis, fer.* 7.

Theodoricus, ſecundus Comes Hollandiæ, cùm annis 88. regnaſſet, moritur die 6. Maii: Succedit ipſi filius Arnulphus, qui regnat annis tantùm quinque. *Beckavv.*

Carolus Lotharingius exercitu collecto regnum avitum & paternum Galliæ repetit, & Hugoni bellum infert, Laudanumque capit. Hugo contrà inſtructo exercitu Laudanum obſidet, ſed Carolus erumpens, caſtra Hugonis incendit, plurimos trucidat, & obſidionem ſolvit. Hocque inteſtinum bellum aliquot annis geritur. Nihilominus tamen Hugo cum filio Roberto Rhemis coronatur, regnatque annos novem, prædictum fuerat Hugoni in ſomniis, ante annos ſeptem, ſuam progeniem perpetuò regnum Galliæ poſſeſſuram: atque ita defecit regnum Carolinorum poſt annos 236. *Ganguin.*

Peſtis per totam Germaniam graſſatur, acceſſit ingens ſiccitas. Trit.

Annus Alexandr. 1300. *Antioch.* 1037. *Conſtantinop.* 6497. *incipit* 1. *Octobr.*

Leopoldus *Auſtriæ primus Marchio, cùm annis* 55. *præfuiſſet, moritur; ſuccedit* Henricus *filius, qui præfuit annis* 53. Criſp.

Aiſcomanni, Dani, (ſic vocabantur à Saxonibus) claſſe ingenti per Albim in Saxoniam irruunt Stadenſem urbem capiunt unà cum Marchione: Inde vindices etiam prædæ Saxones vincunt, & plurimos nobiles capiunt: Marchio ope piſcatoris evadit. Quâre Dani adeò exacerbati ſunt, ut reliquos captivos pedibus & manibus aut naſo mutilarent & ſic abjicerent. Cùm verò alias prædam multam haberent, nec vias, redeundi ſatis noviſſent, Herbatum quendam Saxonem cogunt, ut Dux itineris eſſet, qui eos abducit in loca paluſtria, & Saxonibus id ſignificat, ubi Dani cæduntur ad unum omnes, viginti millia hominum, & præda recuperatur. *Abb. Stadeſ.*

Annus Nabonaſſaris 1737. *& Philippi* 1313. *incipit* 19. *Dec. fer.* 4.

ANNO MUNDI 4938. Poſt. C. 989.
F. ☉ 18. ☽ 2. *Ind.* 2.

Annus urbis 1741. *Julianus* 1034.
Æra Hiſpanica 1027. *Auguſtorum* 1016.

Baſilius Imp. Conſtantinop. inchoat annum Imperii 14. *Otto ſextum.*

Theophania mater Imperatoris, in Italiam abit, fidelitatem ſibi loco filii jurari curat, atque ita Italos in officio continet, & rebelles futuros compeſcit. *Spang.*

Annus Hegiræ 379. *incipit die* 10. *Apr. fer.* 4.

Circa hoc tempus luxus Epiſcoporum crevit, & incrementa ſumpſit, cùm Imperator puer eſſet: Antea enim Epiſcopi inter ſe aut cum clericis ita verſabantur, ut inter ſe fratres, non Domini appellarentur, unà diſcebant, pſallebant, orabant, epulabantur. Antiſtites ipſi in tuguriis, non arcibus, juxta templa, non in ſylvis habitabant: Sed jam aucti facultatibus libertatem ſibi ſumebant, Ottonem puerum non amplius obſervabant, fratrum nomen non amplius admittebant, non diſcere ipſi vel ſacra facere volebant, ſed vicariis operas ſuas committere, ipſi equis ſtudere & opibus, cocos, ſtructores, fartores alere, cum concubinis & famulabus habitare, ſcurris & morionibus dare præmia ſolebant, Privilegia de venationibus ferarum ab Imperatoribus petere, quemadmodum id Herpo Epiſcopus Verdenſis ab Ottone tertio hoc anno flagitavit & obtinuit. *Fabr.*

Bardas *Phocas, rebelles Imperatori Conſtantinopolitano, dum Conſtantinopolin obſidere parat, mortuus erat ſubitò quapropter Imperator Baſilius, dum exercitum habet, expeditionem fecit in Bulgariam, ibique præſidia diſponit, ne fines imperii populari poſſint, ipſe abit in Phœniciam & Damaſcenos Tripolitanos, & alios cogit imperio parere.* Cedr.

Olympias 442. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1765.

Annus Diocletiani 706. *incipit die* 29. *Auguſti*

Dunſtanus Archiepiſcopus in Anglia moritur, anno undecimo Edelredi regis; paulò poſt ejus obitum, ut prædixerat, à Danis Anglia miſere vaſtatur, & rex hoſtibus pecunia ſatisfecit, cùm armis eos depellere non poſſet. *Malm.*

Adelbertus Epiſcopus Pragenſis, jam quinque annis ferè abfuerat in Italia, monachus factus ad Caſſinum montem. Boleslaus igitur fratrem ſuum Sotrachaques Epiſcopum facit, & Moguntiam mittit, ut conſecretur. Is inter duos Epiſcopos jacens pronus, diabolico ſpiritu arreptus eſt, & tam diu vexatus, ut animam exhalaret. Archiepiſcopus itaque Willigiſus Romam mittit, ut Adelbertus ad Epiſcopatum redeat, quod Papa etiam Alberto mandat, ſed non diu Pragæ manſit, cùm ut Chriſtianos decebat, non vitam inſtituere vellent. *Baron.*

ANNO MUNDI 4939. Poſt. C. 990.
E. ☉ 19. ☽ 3. *Ind.* 3.

Edelredus *rex Angliæ, vix liberatus à Danis, invaditur à Richardo Comite Normannicæ, quod bellum ancipiti Marte geſtum eſt.* Edelredus, *cum ſatis animi non haberet, & ſibi metueret, Pontificis Romani auxilium implorat, qui miſſis ad utrumque legatis Epiſcopis, rem compoſuit ſequenti anno.* Malmesb.

Annus Hegiræ 380. *incipit die* 31. *Mart. fer.* 4.

Hugo Rex Galliæ Arnulphum, ex familia regia Cardinorum, hoſtium ſuorum, Epiſcopum Rhemenſem fecerat, ut bene de ipſo mereretur, & ad partes ſuas pertraheret: Accidit autem hoc anno, ut à Carolo Lotharingiæ Duce, legitimo hærede regni Gallici, urbs Rhemenſis caperetur & diripere-

diriperetur, etſi autem Arnulphus concilium celebraret, & prædatores urbis diris devoveret, & excommunicaret, tamen ſuſpectus fuit de proditione urbis, *Baron.*

Ecclipſis Solis annotatur in hiſtoria Quedlinburgenſi, quæ annuo ſpatio acciderit, antequã Theophania mater regis moreretur menſe Octobri, ea invenitur accidiſſe die 21. Octobris, hora diei quinta, ut Chronicon illud habet, nobis duabus horis ante meridiem, Parallaxis latitud. 38,5. Latitudo vera Sept. 45,53. Viſa Septent. 7,48. Semidiameter Solis 15,46. Summa Semidiam. 30,16. Scrup. reſidua 22,28. digiti eccliptici 8,33. Sol in 3. gradu Scorpii.

Adelbertus Epiſcopus Pragenſis, cum Bohemorum licentiam ferre non poſſet, iterum in Italiam abit, *Baron.*

ANNO MUNDI 4940. Poſt. C. 991.
D. ☉ 20. ☽ 4. *Ind.* 4.

Hugo rex Galliæ ſcribit ad Pontificem de Arnulpho Epiſcopo Rhemenſi, proditore urbis, qui adhuc captivus tenebatur, ut à Pontifice deponatur. Idem flagitant reliqui Epiſcopi, ſed Arnulphus mittit Pontifici equam albam pulcherrimam & alia dona, impeditq; ne deponatur, *Baron.*

Annus Hegiræ 381. incipit die 20. Mart. fer. 6.

Hugo Marchio Brandeburgenſis ab Ottone miſſus fuerat cum matre Theophania in Italiam, ad eam regendam: Is jam Marchio Florentinus creatur, & laudabiliter rempub. rexit, vendidit autem partem Marchionatus Brandeburgenſis, quæ ſibi debebatur, & inde ſex cœnobia in Italia erexit, *Spang.*

Theophania mater Imperatoris, cum ex Italia ad filium reverſa eſſet, moritur, ejus funus filius Noviomagum ducit, & exequias honorificè celebrat. Erat in Græcia nata, in Italia Ottoni deſponſata, & in Germania mortua & ſepulta eſt. *Fab.*

ANNO MUNDI 4941. Poſt C. 992.
CB. ☉ 21. ☽ 5. *Ind.* 5.

Oſvvaldus Wigornienſis in Anglia Epiſcopus moritur ultimo Feb. *Rog.*

Annus Hegira 382. incipit die 9. Mart. fer. 4.

Annus Jezdegird. 361. incipit 18. Mart. fer. 6.

Armen. 441. 21. Martii.

Henricus *Bavarus, reconciliatus jam cum omnibus Gandesheimum ad ſororem abit ubi morbo correptus filium Henricum accerſit, monetq; ut Imperatori fidelis ſit & paulò poſt moritur.* Fab.

Arnulphus Epiſcopus Rhemenſis, ſuſpectus de proditione urbis Rhemenſis, ſectatur Carolum Lotharingium, hoſtem Hugonis regis ſui, atque familiariter cum ipſo converſatur Lauduni. At Hugo per proditionem admiſſus in urbem, capit ibi Carolum Lotharingum, & Arnulphum Epiſcopum, & Hugo, convocata Synodo Rhemenſi ſiſtit ibi Arnulphum, qui faſſus id ſcelus, ſe indignum Epiſcopatu affirmat, ſeque abdicat, & ab Hugone in carcerem abducitur, ubi triennium manſit. In ejus locum ſubſtituitur monachus doctus Gerbertus nomine, qui olim in aula Ottonis vixerat, & inde Roberti filii Hugonis præceptor fuerat, is prolixa oratione in ea Synodo demonſtrat, Pontifices Romanos quoſdam fuiſſe ſceleratiſſimos, & indignos, qui Eccleſiæ præſideant, & Antichriſtos eſſe, nec audiendos, niſi verbum Dei afferant: extat ea Synodus Rhemenſis apud Baronium, ſed gloſſis miſerè deformata.

Otto *Imp. anno regni nono, die 17. Julii, Indict. 5. Venetis privilegia concedit, ne ſint ſub alterius juriſdictione, & ut juriſdictionem habeant in ſuas Eccleſias.* Conſtit. Imp.

Annus ſabbathicus 6. Jubelei 19. incipit die 1. Sept. fer. 5. Eſt annus Jud. 4753.

Annus Alexand. 1304. Antioch. 1041. Conſtantinop. 6501. incipit 1. Octob.

Carolus Lotharingiæ Dux, cum jam annis 29. gubernaſſet, in captivitate Hugonis moritur, ſuccedit filius Otto, qui cum Ducatum obtinet annis 14. *Chron. Belg.*

Annus Nabonaſſar. 1741. & Philippi 1317. incipit 18. Decem. fer. 1.

In Natalitiis Domini lux ab Aquilone refulſit, adeo ut dies eſſe crederetur, viſaq; ſunt paulò poſt chaſmata, & ſecuta eſt hyemis ſæviſſima ſimul & longiſſima. *Spang.*

ANNO MUNDI 4942. Poſt C. 993.
A ☉ 22. ☽ 6. *Ind.* 6.

Annus urbis 1745. *Julianus* 1038.
Æra Hiſp. 1031 *Auguſtanum* 1020.

Annus Imp Baſilii Conſt. 18. Ottonis verò decim.

Udalricus Epiſcopus olim Auguſtanus, ſolenni ceremonia Romæ a Pontifice inter Sanctos refertur, menſe Febr. ſive canoniſatur, & hujus Canoniſationis exempla multa hoc tempore inveniri *Baronius* innuit.

Annus Hegiræ 383. incipit die 26. Feb. fer. 1.

Chiezo Quedlinburgenſis, inſignis miles, quòd offendiſſet Ditericum, & propterea bonis ſuis ſpoliatus eſſet, deficit ad Vandalos Lutitios, & multas clades Saxonib. infert. Sed ut fieri ſolet hæc ſodalitas & concordia non fuit diuturna: Ideò cum apud Vandalos in odio eſſe inciperet, & Brandeburgicæ civitatis jam dominium haberet, cum Imperatore agit, ſi ſibi venia delicti detur, & bona reſtituantur, ſe Brandeburgum traditurum, atque ita urbs ab quæ ſanguine recepta eſt menſe Martio. *Fabric.*

Ex Veſuvio monte crebra circa hoc tempus erumpunt incendia, quibus tota Italia afflicta, Roma etiam magna ſui parte exuſta eſt, *Baron.*

Sanctius *Garſias Vaſconum rex, cum annis 27. regnaſſet, moritur, ſuccedit filius,* Sanctius *Garſias Tremulus, qui regnat annis ſeptem.* Marian.

Olympias 443. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1769.

Annus Diocletiani 710. incipit die 29. Auguſti.

Saraceni in Hiſpania Gallæciam vaſtant, & Compoſtellam urbem vi capiunt, & incendunt, campanaſque avehunt, lue tamen exercitus corrumpitur, & multi moriuntur, donec etiam à Veremundi exercitu profligarentur, *Marian.*

Arnulphus *Hollandiæ Dux, cum Friſus primo Octobris die decertat ad pagum* Winckel *a quibus fugatur, & in fuga trucidatur, cum annis quinque præfuiſſet, ſuccedit filius* Theodoricus III. *qui præeſt Comitatus annis* 46. Beka.

ANNO MUNDI 4943. Poſt C. 994.
G. ☉ 23. ☽ 7. *Ind.* 7.

Annus Hegira 384. incipit die 15. Febr. fer 5.

Otto *Imp. ut ſubditorum ſuorum benevolentiam ſibi conciliaret, non tantum in Saxonia aulæ ſuæ ſedem habere voluit, ſed in Weſtphaliam eam tranſ-*

tulit, & alia in loca: ſtatim ſubditorum ſuorum & urbium diligenter inquiſivit, & ubique propter clementiam & ſapientiam bene audivit. Leb.

Hugo rex Galliæ, poſt conſtitutum Epiſcopum Rhemenſem Gerbertum, cum Papa hoc factum improbaret, & Epiſcopos Italiæ, qui ſe inſciente Archiepiſcopum depoſuiſſent, & novum elegiſſent, diris devoveret & excommunicaret, ipſe verò ſibi in novo regno metueret, ſcribit ad Pontificem, petitq; ut ipſe in Gallias venire velit, vel legatum mittere, & promittit obedientiam, ſed nihil hoc anno impetrare potuit. *Bar.*

Kennetus *rex Scotiæ, cum annis 18. regnaſſet, moritur, ſuccedit Conſtantinus, qui tantum regnat annum unum.*

Dani Angliam iterum invadunt, ſed fortiter in initio repelluntur, ſed auctis viribus maritima miſerè vaſtant, & non ſolùm ſtipendium ab Edelredo rege extorquent, ſed impetrant etiam, ut in Anglia hyement. Roger.

ANNO MUNDI 4944. Poſt C. 995.
F. ☉ 24. ☽ 8. *Ind.* 8.

Annus Heg. 385. incipit 5. Febr. fer. 3.

Adelbertus, Epiſcopus olim Pragenſis, cùm impetraſſet à Pontifice poteſtatem prædicandi in Polonia, Pannonia & Boruſſia, cùm Bohemi ad ſuum nutum vivere nollent, primum in Poloniam venit, poſt ſequenti anno tranſit ad Boruſſos. *Coſmas.*

Nicolaus Patriarcha, cum annos ſediſſet Conſtantinopoli ferè 25. moritur, ſubſtituitur Siſinnius, qui ſedit annis tribus, *Cedr.*

Papa Johannes XV. mittit legatum in Gallias, qui concilium Moſomitanum agit, die 2. Junii, quique Gerberto Epiſcopo Rhemenſi mandat, ut ab officio ceſſet, uſque ad aliam Synodum, quæ celebratur poſtea Calendis Julii, ubi Arnulphus, qui jam tres annos in carcere degerat, reſtituitur. Gerbertus depoſitus in Germaniam abit ad Ottonem Imperatorem, & Magdeburgi ſolarium, quo horæ diei deprehendebantur, inſtituit, quod effecit cum per fiſtulam ſtellam nautarum ducem, ut *Ditmarus* loquitur, obſervaſſet.

Conſtantinus IV. Scotiæ rex cum annum regnaſſet, moritur, ſuccedit Grimus, *qui annis 9. regnum obtinet.* Buch.

Samuel Bulgarus inſidias ſtruit Ducibus Imperatoris, & tandem eos deprehendit, & cum exercitu trucidat, & Theſſaliam, Bœotiam, Peloponneſumque vaſtat, Baſilius igitur Imp. ipſi alium Ducem adverſus inſidias ſatis cautum opponit, qui eadem arte Samuelem decipit, & caſtris ejus potitur, captivos omnes liberat, & prædam recuperat. *Cedr.*

Otto Imp. Natalitia celebrat Coloniæ, ubi ſimul comitia agit, & Statibus mandavit, ut ſe in Italiam ſequenti anno, menſe Martio comitentur cum exercitu, Fab.

ANNO MUNDI 4945. Poſt C. 996.
ED. ☉ 25. ☽ 9. *Ind.* 9.

Annus Hegiræ 386. incipit die 24. Jan. fer. 7.

Annus Jezdegird 365. incipit 17. Mar. fer. 3.

Armen. 445. die 30 Mart. fer. 6.

Imperator Otto menſe Martio per Alpes Julias in Italiam tendit, & Venetias invitatus, eorum Duci *Petro Arſedo* trabem auream donat, inde Ravennam petiit, Ticinium item, & poſt Romam venit, ubi honorificentiſſimè excipitur. *Baronius* dicit, Gerbertum hoc anno factum Archiepiſcopum Ravennatem, ſed errat: In Gerberti enim Epitaphio, quod extat Romæ, & quod ipſe ponit anno 1003. dicitur eum tantum ſediſſe in Archiepiſcopatu Ravennatenſi uno anno: Neceſſe eſt igitur, ut ſi præſul factus anno 998. cum Otto altera vice in Italiam proficiſceretur.

Papa Johannes XV. moritur die 7. Maji, cum ſediſſet annos decem, ut Baronius habet, ſed Onufrius in Catalogo Pontificum dicit, eum præcedenti anno mortuum, & quidem 10. Februar. utri jam credendum ſit, alii videant. Sic Onuphrius binos Johannes facit à Creſcentio intruſos, Baronius tantum unum, ut ita nihil certi hiſce temporibus de Pontificibus inveniatur. Otto, ut Baronius habet, cum præſens eſſet, ſuum conſanguineum Saxonem facit Papam, nominatque eum Gregorium V. à quo idem Otto coronatur Imperator. *Lamp.*

Sclavi *cum Imperator abeſſet, Berneburgum uſq; veniunt, ibique potiſſimam partem exercitus in ſylvis abſcondunt, & præfectum eliciunt, adfuit tum etiam Archiepiſcopus Magdeburgenſis, ſed cum ex inſidiis Sclavi prorumperent, præfectus cum ſuis trucidatur, præſul in urbem refugit, & civibus autor eſt, ut urbem relinquant & fugiant atq; ita* Bernburgum *crematur.*

Annus Alexand. 1308. Antioch. 1040. & Conſtantinopol. 6505. incipit 1. Octob.

Otto Imp. peregrinatum abit Roma in Apuliam, in montem Garganum, ad templum Archangeli, quod in Germania voverat, quo voto abſoluto Venuſiæ præfecturam & Beneventanam Italis reddit, & in Germaniam redit. *Fab.*

Annus Nabonaſſaris 1745. & Philippi 1321. incipit 17. Dec. fer. 5.

ANNO MUNDI 4946. Poſt C. 997.
C. ☉ 26. ☽ 10. *Ind.* 10.

Annus urbis 1749. Julianus 1042.

Æra Hiſpan. 1035. Auguſtorum 1024.

Baſilius Imp. Conſtant. incipit annum imperii 22. Otto 14.

Annus Hegiræ 387. incipit 13. Jan. fer. 4.

Adelbertus olim Epiſcopus Pragenſis, cum in Boruſſiam veniſſet, ab idololatricis hominibus palo alligatur, & ſeptem haſtis tranſjicitur, propè oppidum Fiſchhauſen. Hoſpes, ad quem non ita pridem diverterat, corpus ejus diſſectum cophino colligens, trans amnem ad Polonos detulit, id poſtmodum poſt annos triginta novem Pragam translatum eſt. *Coſm.*

Boleslaus Bohemiæ Dux, cum jam diu Pragenſis Eccleſia viduata fuiſſet Epiſcopo, impetrat ab Ottone Imperatore novum Epiſcopum, Theodatum genere Saxonem, virum eruditum, & Bohemicæ linguæ gnarum, & ab Archiepiſcopo Moguntino Willigiſo conſecratur. *Coſm.*

Gregorius Papa, à Creſcentio Romanorum Conſule, Pontificatu dejectus, in Germaniam venit, & Placentinus Epiſcopus Papa à Creſcentio conſtituitur. Erat is natione Græcus, & ſervus fuerat in Calabria, inde quod eruditus eſſet à Theophania olim ſtipendium impetraverat, & tanta gratiam promeruerat, ut legatis, quos Imperator Conſtantinopolin mittebat, adderetur Comes. Hic tandem Placentiæ factus eſt Epiſcopus, ubi

ubi tantam pecuniam collegiſt, quanta neceſſaria fuit ad emendum Papatum Romæ. Eum impetrat à Creſcentio, & ita Gregorius exturbatur. *Fab.*

Olympias 444. incipit die 15. Julii. Eſt annus Olympiadic. 1773.

Annus Diocletiani 714. incipit die 29. Auguſti.

Geiſa *Ungariæ Dux moritur, ſuccedit* Stephanus *primus, qui religionem Chriſtianam in ſua ditione propagavit, & regnavit annis* 41. Herm. Cont.

ANNO MUNDI 4947. *Poſt C.* 998.

B. ☉ 27. ☽ 11 *Ind.* 11.

Annus Hegiræ 388. incipit die 3. Jan. fer. 2.

Hugo *Galliæ rex, anno nono regni moritur, relicto filio Roberto principe pientiſſimo & doctiſſimo, qui Eccleſiaſtica cantica dicitur feciſſe, ut* Sancti Spiritus adſit nobis gratia, *Item reſponſorium in Nativitate Domini:* Judæa & Jeruſalem. *Regnavit autem poſt patrem annis* 35.

Otto Imp. cum paraſſet ſibi profectionem in Italiam, juſſit ſibi principes cum exercitu adeſſe in agro Veronenſe, delectum ibi acturus. Creſcentius metuens ſibi, occupatus eſt in urbe munienda, & caſtro ſuo, Imperatori advenienti Romani cives portas aperiunt, invito Creſcentio, qui in ſuam arcem effugit cum ſuo Papa. Imperator a Romanis ne fraude agere poſſent obſides accipit, & Creſcentium ita urget, ut ſe dederet, & Creſcentius ipſe membris truncatus fuit, tractus, in aſino averſo circumvectus, & ſuſpenſus. Papa Johannes à vulgo virgis cæſus, oculis privatus, & demum confoſſus, priusquam de eo Otto ſententiam ferret. Senatus prætorius Creſcentii ſecuri percuſſus; Erant autem duodecim viri nobiles. Cives quidam rebelles in vincula conjecti, & Gregorius Papa, cum undecim menſibus exulaſſet, reſtitutus eſt. *Fab.*

Otto Imper. cum ipſe deſtitueretur liberis, in quos imperium derivare poſſet, multique eſſent, qui imperio inhiarent, in Italia atque etiam fortaſſis in Gallia, re deliberata cum Pontifice Gregorio cognato ſuo conſtituit in frequentiſſima ſynodo principum Germaniæ, Italiæ & Epiſcoporum, ut apud ſolos Germanos principes tam politicos, quam Eccleſiaſticos jus eligendi regem eſſet, qui poſtea à Pontifice conſecraretur Imperator. Septenorum enim Principum Electorum numerus non tum fuit definitus id quod patet ex ſequentib. rationibus. *Primò* quod Wippo Hiſtoricus in vita Conradi Saliqui Imperatoris dicit in ejus electione omnes proceres imperii, inprimis verò omnes Epiſcopos convocatos fuiſſe.

Deinde *quòd Pontifices Romani, quando Henricum imperio dejicere voluerunt, electionem non mandarunt peculiaribus electoribus, ſed in genere omnibus Principibus & Epiſcopis Germaniæ, quemadmodum hoc manifeſtum eſt ex hiſtoriis.*

Tertiò quòd Principes interdum, ad quorum familiam Septemviratus nunquam pertinuit, electionem quorundam Imperatorum improbarunt. Sic Conradus & Fridericus Sueviæ Duces improbarunt electionem Lotharii Imperatoris, anno 1125. Sic electionem Conradi III. Imp. improbavit Henricus Bavarus, anno 1138. &c. quod nullo jure facere potuiſſent, niſi & ipſi jus electionis habuiſſent, atq; ita hoc jus ad omnes ſpectaſſet.

Quartò, Fridericus Barbaroſſa, Anno 1165. negat imperium eſſe Pontificis Romani, quod Hadrianus Papa tum affirmabat. Sed ſe id habere ait ex beneficio divino, & electione omnium principum. Verba ejus ſunt: Liberam imperii noſtri coronam tantum beneficio divino aſſcribimus. Electionis primam vocem Moguntino Archiepiſcopo, deinde quod ſupereſt, cæteris ſecundum ordinem principibus. Recognoſcimus regalem unctionem Colonienſi. Supremam verò, quæ imperialis eſt, ſummo Pontifici. Quicquid præter hæc eſt, ex abundanti eſt, à malo eſt, &c. *Matth. Pariſ.*

Quintò, Barbaroſſæ filius *Henricus* VI. anno 1196. voluit imperium hæreditarium facere, idq; approbarunt omnes principes, & ipſa Papa: de qua re in magno Chronico Belgico Piſtorii habentur hæc verba: *Henricus* VI. *ne in electione Imperatoris amplius diſſenſiones fierent, legem fecit, Imperatorem fieri debere ex ſola ſanguinis ſucceſſione, ut ſit hæreditarium imperium quod ut fieret, filium Fridericum creat ſibi ſucceſſorem, & regna ſua Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ, & principatum Capuæ Romano imperio unit, ut perpetuo ad Imperatorem pertinerent. Conſenſit Papa & Principes Germaniæ quinquaginta duo, qui* Imperatorem eligere *conſueverant, quorum ſigilla literis de hac re confectis appenſa ſunt.* Hæc Piſtorius affirmat ſe ſcripſiſſe ex Johanne Monacho, hiſtorico illorum temporum.

Sextò, cum Henricus VI. defunctus eſſet, ejusque filius Fridericus tantum eſſet quadrimulus, diſſenſio orta eſt in electione Imp. Quidam enim Philippum Suevum patruum Friderici elegerunt, qui quaſi tutor eſſet Friderici. Quidam verò ex commendatione Papæ & Richardi regis Angliæ elegerunt Ottonem VI. Brunſvicenſem: de hac electione. *Rogerius ab Hoveden in annalibus ſuis poſterioribus, qui tum vixit in Anglia,* ſic inquit: *Defuncto Imperatore, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Duces, Comites, & cæteri magnates, convenientes eligunt duodecim perſonas in genere, ex quibus volunt eligi Imperatorem, eos afferunt Archiepiſcopo Colonienſi, & Moguntino. Duci item Saxoniæ & Comiti Palatino ad Rhenum, & quicunque ab hiſce quatuor electus fuerit ex illis duodecim, is erit Imperator: Hoc que ſic actum anno* 1198.

Septimo *in Conſtitutionibus Imp. à Goldaſto collectis ad annum* 1208. *hæc habentur: Otto IV.* cum tandem Philippo ſucceſſiſſet, tulit legem de eligendo Imperatore his verbis: Imperatorum nullus hæreditariam dignitatem vindicato. Principes ſex, ſacri ordinis tres, Moguntinus, Trevirenſis, & Colonienſis; Profani totidem, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ & Marchio Brandeburgenſis, cum eligunto. Hi ſi diſcordes fuerint Bohemiæ regem cooptanto. *Factum hoc decretum in Franckenfurt, cum conſenſu Principum, in præſentia legatorum ſummi Pontificis, Hugolini & Leonis. Hanc legem ſequentibus temporibus obſervatam fuiſſe, teſtatur* Albertus Abbas Stadenſis *in ſuo Chronico, quod ſcripſit anno* 1256. *quando ſic inquit:* Ex prætaxatione principum & conſenſu, Imperatorem eligunt Trevirenſis, Moguntinus, & Colonienſis. Trevirenſis enim, licet de Aleman a non ſit, ratione antiquitatis, eligit: Palatinus eligit, quia dapifer eſt, Dux Saxoniæ, quia Mareſchallus: Marchio Brandeburgenſis, quia Camerarius, Rex vero Bohemiæ, quia pincerna eſt, non eligit, quia non eſt Teutonicus. *Ex hiſ-*

ce omnibus videre eſt, Septenorum principum Electorum numerum non ad conſtitutionem hanc Ottonis III. *ſed potius ad conſtitutionem Ottonis* IV. *referendum eſſe, ad annum ſcilicet* 1209. *Variatum tamen proculdubio poſtea etiam aliquo modo fuit in hac lege. Nam Papa Innocentius, quando Imperatorem Fridericum* II. *in concilio Lugdunenſi diris devovet, & alium eligere jubet, anno* 1245. *ſeptem quidem principibus, ut Duci Auſtriæ, Duci Bavariæ, Duci Saxonum, Duci Brabantiæ, item Epiſcopi Colonienſi, Moguntino, & Salisburgenſi demandat, ut teſtatur, qui tum vixit* Matthæus Pariſienſis: *ſed videtur tamen hoc, quod alii aſſumpti ſunt, ideò factum, quòd Palatinus, & Brandenburgenſis, & Bohemiæ rex cum Trevirenſi, Friderici imperatoris partes adhuc ſequerentur, nec alium eligi vellent. Porrò Imperator Rudolphus Habſpurgenſis Bohemiæ regi VVenceslao genero ſuo tandem confirmat dignitatem Electoralem, & officium Pincernatus, anno* 1290. *ut teſtantur Conſtitutiones imperii: unde iterum apparet Septemviratum noviter tum temporis inſtitutum fuiſſe, nec ad tempora Ottonis* III. *attingere.*

In Hiſpania, cum hactenus civili diſſenſione res Chriſtianorum afflictæ eſſent, regnumque Legionenſe & Gallæciæ civitates in poteſtatem Saracenorum veniſſent, *Almanſor* prorex reliqua etiam occupare conatur. Sed Hiſpani adunati, & collectis omnibus ſuis viribus Almanſori occurrunt, trucidantq; Saracenorum ſeptuaginta millia, & amiſſa omnia recuperant. *Moralis.*

Quidam religioſus ab Hieroſolymis rediens in Siciliam, ibidem ad ollam Vulcani ignem evomentem audit diabolus conquerentes, quòd multæ animæ ex damnatione precib. Monachorum Cluniacenſium ſibi eriperentur: quapropter *Odilo* ejus Cænobii Abbas conſtituit in ſuo cœnobio, ſecundo die Novembris, Feſtum omnium Sanctorum (fortè animarum) id quod poſtea in tota Eccleſia obſervatum fuit. *Sigeb.*

Annus Hegiræ 389. *incipit* 23. *Dec. fer.* 6.

ANNO MUNDI 4948. Poſt C. 999.

A. ☉ 28. ☽ 12. *Ind.* 12.

Gregorius Papa, cum ſediſſet annos duos, & menſes octo, moritur die 18. Febr. Succedit ipſi Gerbertus, qui prius fuerat Archiepiſcopus Rhemenſis, poſtea Ravennæ, & jam Romæ Papa: dictusque eſt *Sylveſter* II. Ideò verſum de ſe fecit, *Scandit ab R. Gerbertus in R. poſt Papam viget R.* Sedit autem annos quatuor, & menſes tres Belga hic fuit, & Monachus Floriacenſis, ſtudiis Mathematicis addictiſſimus, & pro mago habitus, qui pactum fecerat cum diabolo, ut ad ſummos honores promoveretur. *Quod falſum eſſe, vix videtur, cum nemo unquam acrius Papam Romanum & ſedem Pontificiam impugnarit, & omnes ferè ſceleſtos Pontifices ordine numerarit, idque in recenti memoria ante annos octo, cum ab Epiſcopatu Rhemenſi dejiceretur, & tamen Papa factus ſit.*

Otto Imp. Vercellenſem Eccleſiam donat Comitatu Vercellenſi, ut & Comitatu Agathæ. Diploma Ottonis datum Romæ, die 7. Maji, Indictione 12. *Poſt hoc tempus Otto in Germaniam rediit, cum anno ſpatio fuiſſet ferè Romæ.*

Mieciſlaus Poloniæ Dux, cum annis 35. Ducatui præfuiſſet, moritur, ſuccedit ipſi filius Boleslaus, qui ſequenti anno coronatur rex ab Ottone, & regnat annis 26. *Hiſt. Polon.*

Cœnobium Benedicti ab Evergero Colonienſi ædificatum, quod *Tuitium* appellatur. *Trith.*

Urbs Paderbornenſis hac æſtate tota conflagravit, periit nobile monaſterium à Carolo Magno conſtructum, cum inſigni Bibliothéca, privilegiis, & aliis ornamentis: privilegia tamen tam à Pontifice, quàm ab Imperatore renovata ſunt, ſub dato Calendis Jan. Anno 1000.

Veremundus rex Hiſpaniæ, cum annos 17. regnaſſet, moritur, ſuccedit *Alfonſus* puer quinque annorum, qui poſtea inſtauravit Legionem urbem, à Saracenis adeò vaſtatam. eam munivit & ſedem aulæ ibi inſtituit. *Marian.*

Annus ſabbathicus 7. *ſive Job. decimi noni, incipit* 14. *Sept. Anno Jud.* 4760.

Siſinnius Patriarcha Conſtantinopol. cum ſediſſet annos tres, moritur, ſuccedit Sergius ex progenie Photii, qui ſedit annos viginti. *Cedr.*

Edelredus *iterum eo adigitur, ut Danis, niſi totam inſulam vaſtari velit, ſtipendium penderet.* Roger.

Annus Hegiræ 390. *incipit die* 12. *Dec. fer.* 3.

ANNO MUNDI 4949. Poſt C. 1000.

GF. ☉ 1. ☽ 13. *Ind.* 13.

Annus Jezdegird. 369. *incipit die* 25. *Mart. fer.* 7. *Armen.* 449. 19. *Mart. fer.* 3.

Otto Imp. peregrinationem voverat ad S. Albertum, ante quatuor annos à Boruſſis trucidatum, cujus oſſa Gneſnam delata fuerant, ibi à Boleslao Duce ſingulari magnificentia accipitur, & tractatur, ideo Imperator, ut ſe gratum exhiberet, ipſum Ducem regem creat: hac conditione, ut ſit membrum imperii, & quotannis aliquid tributi loco, Imperatori daret: Boleslaus hoc grato animo accipit, & Imperatori viciſſim brachium de corpore Alberti donat, eleganter argento incluſum. Inde cum in Germaniam rediiſſet, comitia egit Aquisgrani, ubi more antiquorum in hemicyclo ſedit altiore loco, & ſolus comedit; inde cum monumentum Caroli magni nullum eſſet, nec locus ſciretur, ubi ſepultus eſſet, pavimentum perfodi juſſit, & invento capulo regio crucem auream, & partem aliquam veſtimentorum nondum corruptam ſecum retinuit, reliqua reponi omnia curavit. Inde circa finem anni, tertio in Italiam Otto profectus eſt. *Fab.*

Stephanus Ungariæ rex mittit ad Papam legatos, petitque, ut rex à Pontifice declaretur, ſe Chriſtianam religionem promoturum, & plures Epiſcopatus fundaturum, offertque pro titulo hoc Pontifici regnum ſuum Hungaricum in feudum, ut *Baronius* quidem affirmat.

Annus Alexandr. 1312. *Antioch.* 1049. *& Conſtantin.* 6509. *incip.* 1. *Octob.*

Garſias Sanctius Tremulus rex Vaſconum, cum annos ſeptem regnaſſet, moritur, ſuccedit Sanctius, qui regnavit annis 34.

Baſilius *Imper. Conſtantinop. cùm Bulgari non quieſcerent, magnum exercitum in Bulgariam mittit, & multas urbes capit.* Cedr.

Annus Hegiræ 391. *incipit die* 1. *Dec. fer.* 1.

Annus Nabonaſſar. 1749. *& Philippi* 1325. *incipit die* 16. *Dec. fer.* 2.

ANNO MUNDI 4950. Poſt C. 1001.

E. ☉ 2. ☽ 14. *Ind.* 14.

Annus urbis 1753. *Julianus* 1046.

Æra Hiſpan. 1039. *Auguſtorum* 1028.

Baſilius inchoat annum imperii 26. Otto annum 18.

Imperator Otto conſtituit res Imperii in Italia, & verſatur adhuc Papiæ menſe Junio, ubi privilegium dat Eccleſiæ Novarienſi, die 22. Junii Papiæ. Inde proficiſcitur Ravennam, ibique monaſterium fundat in honorem Alberti, ubi à Romualdo Presbytero admonetur, ut ſe imperio abdicet, & vitam monaſticam amplectatur, quod quidem Imperator non recuſat, ſed id differendum cenſet, quòd Status imperii adhuc ſit turbulentus, inde Romam ait, ubi Templum ædificat in Inſula Tiberina, in honorem Alberti, cujus brachium ibi deponit. Paulò poſt etiam corpus S. Bartholomæi Apoſtoli Benevento tranſtulit eodem, quanquam *Leo Oſtienſis* id factum neget, ſed S. Paulinum pro Bartholomæo ibi eſſe translatum affirmet, cui tamen contradicit. *Baron.*

Baſilius *Imperator Orientis iterum in Bulgaros movet, & totam Serviam recuperat, ejectisque Bulgaris eam Romano præſidio munit, inde in Theſſalia omnes urbes recuperat à Bulgaris olim occupatas. Mittit etiam* Uranum *Ducem cum exercitu in Syriam, qui dum Antiochiæ ſubſiſtit, facilè efficit virtute & victoriis, ut Saraceni quieſcerent.* Ced.

Olympias 445. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1777.

Annus Diocletiani 718. incipit die 29. Aug.

Otto Imp. dum Romæ eſt, urget, diſciplina Eccleſiaſtica inſtituatur. Peregrini enim, qui Romam veniebant, offendebantur licentia & ſceleribus clericorum: ita ferebat quasdam leges politicas quæ ad diſciplinam faciebant, qua re cives ſimul cum clericis offendebantur, cùm dicerent, Romam eſſe urbem liberam, quæ regere velit, non regi, & alias Germanorum imperium odiſſent, ideò à *Gregorio* principe urbis Improviſò concluditur & obſidetur, & in magno eſt periculo, cum militem non haberet. *Hugo* Marchio Thuſciæ, ut Imperatorem liberet, venit Romam, demulcet Senatum cum plebe, monet ne vi agere velint, juratque ipſis, ſi ſe arbitro uti velint ſe utriusque partis dignitatem & utilitatem ſedulò conſervaturum, atque ita aditus ipſi ad Imperatorem conceditur, cum quo viam init, ut urbe Imperator noctu elabatur, ipſe etiam poſt abit, de qua re cum poſtea indignarentur Romani, Reſpondet ipſis, maximè hoc ex dignitate & utilitate Romanorum fuiſſe, ut Imperator liberaretur, ne fortaſſis ipſi parricidæ Imperatoris facti æternum opprobrium urbi attraxiſſent; & Germaniæ tantas vires eſſe, ut tantum ſcelus excidio urbis vindicaſſent. Imperator verò hanc Romanorum injuriam ulturus, evocat è Germania exercitum. *Dum.*

Annus Hegiræ 392. incipit die 20. Nov. fer. 5.

ANNO MUNDI 4951. Poſt C. 1002.

D. ☉ 3. ☽ 15. *Ind.* 15.

Otto Imperator, cum injurias Romanorum aliquo modo ultus eſſet, & jam iter in Germaniam appararet, accipit à vidua Creſcentii, quem olim rebellem ſuſpendi curaverat, cum qua familiariter verſari ſolebat, quæque ſperabat ſe Imperatricem futuram, Chirothecas veneno infectas: unde ipſi morbus exortus fœdus, ita ut puſtulæ lividæ toto corpore pullularent, quibus tandem defunctus eſt die 28. Januarii ad Paternum in Italia. Corpus in Germaniam delatum, & inteſtina in templo Afræ, Auguſtæ vindelicorum condita. Ipſe autem Aquisgranum delatus, cum regnaſſet annos 18. menſes ferè duos: Succedit ipſi *Henricus* Sanctus vel claudus, qui imperavit annos 22. menſes quinque. *Ditmar.*

Ekhardus, *Marchio Saxoniæ, qui arcem Ekhardibergenſem condiderat, magnæque autoritatis princeps erat, ambit imperium, idque vi ad ſe rapere contendit: Sed dum omnia vi agit, à Statibus imperii deſeritur & proſcribitur, interficiturque ſequenti anno, die 30. Aprilis.* Fab.

Boleslaus Poloniæ rex Cracoviam eripit Duci Bohemiæ Boleslao, omnibus ferè incolis occiſis, paulò poſt facit cum eo pacem, cumque invitat ad convivium, in quo eundem capit, oculis privat, & exercitu Bohemiam invadit, & Pragam integro biennio occupat. *Coſm.*

Edelredus *rex Angliæ, cùm vi Danos pellere non poſſet, aſtu eos delendos putat, & miſſis literis per ſuos fideles die Briccii ſive 9. Julii, uno die omnes excindere jubet, ſed Dani hanc fraudem ulturi ſequenti anno in Angliam redeunt.* Huntind.

Baſil. *Imp. Conſt. iterum in Bulgariam movet, & Samuelem Bulgarorum Principem in ultimam Bulgariam repellit.* Ced.

Nordmanni numero quadraginta, redeuntes ex peregrinatione Hieroſolymitana, caſu Salernum veniunt, quæ obſidebatur à Saracenis & audaciſſimè in Saracenos irruunt, eosq; profligant. Princeps Salernitanus admiratus eorum virtutem, amicitiam cum ipſis jungit, vultque ut ſecum in Italia maneant, ſed cum patriam præferrent, iis de fructibus terræ multa dat munera, cum veſtibus, quibus illecti poſt ſedecim annos, Italiæ partem occupant, *Chron. Caſ.*

Annus Hegiræ 393. incipit die 10. Nov. fer. 3.

Almanſor prorex Cordubæ, dicitur hoc anno Hegiræ defunctus, cum annis 26. regnum gubernaſſet, & Chriſtianos plurimum afflixiſſet, ſuccedit filius annis ſex, qui nihil præclari gerit, & *Corduba* regnum ſic corruit. In multis enim urbibus principes ſimul & ſemel ſe reges proclamarunt, & ita vires Saracenorum diſtractæ fuerunt, præbueruntque Chriſtianis præclaram occaſionem Hiſpaniæ recuperandæ, niſi ipſi etiam bellis inteſtinis vires ſuas atterere voluiſſent. *Rog.*

ANNO MUNDI 4952. Poſt C. 1003.

C. ☉ 4. ☽ 16. *Ind.* 1.

Giſelerus Epiſcopus Magdeburgenſis, qui ſimul præſedit Merſburgenſi, quem multis reditibus ſpoliavit, moritur die 25. Januarii. Sed Imperator Henricus ſuum Sacellanum *Tagmonem* facit Archiepiſcopum, & Merſburgenſem adeò deformatum in integrum reſtituit. *Fab.*

Hoſtes Imperatoris, qui ipſi invidebant imperium, ut Hermannus Dux Sueviæ, Bruno Epiſcopus Auguſtanus Germanus frater Imperatoris, ſapientia Imperatoris eò adiguntur, ut culpam deprecarentur, & in gratiam reciperentur. Fab.

Papa Sylveſter ſecundus, cum ſediſſet annos quatuor, moritur die 12. Maji, ut habet inſcriptio. Marchiones Tuſciæ. qui potentes erant in urbe, cum Imperator abeſſet, creat Papam *Johannem XVI.* die 7. Junii, qui ſedet tantum menſes quinque. Inde die 20. Novembris ſuccedit alius *Johannes*, qui numero XVII. eſt, ſedetque annis 5. menſibus 7. Sylveſter Mathematum ſtudiis valde deditus fuit, & libros ejusmodi ex tota Europa inquiri juſſit, & multa pecunia eos comparavit. Scripſit etiam ſub nomine Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſtolam, qua exhortatur omnes Chriſtianos, ut Eccleſiæ Hieroſolymitanæ depreſſæ, & à Saracenis oppreſſæ ſubſidium ferre velint: atque ita hic primus autor extitit *Belli Sacri*, *Baron.*

Grimus Rex *Scotiæ, cum annos IX. regnaſſet, moritur, ſuccedit* Milcolumbus II. *qui regnat annis* 30. Buch.

Annus Hegiræ 394. incipit die 30. Octob fer. 7.

Burgundi *nolebant Robertum filium regis Galliæ regem habere, quod putarent ab Imperatore ſibi regem dari debere, ideo Robertus ipſis bellum infert, ſed cum* Antiſſiodorum *obſediſſet, vi civium inde depulſus in Gallias redit, miſerè tamen vaſtata Burgundia.* Monac. Antiſſ.

ANNO MUNDI 4953. Poſt C. 1004.

B A ☉ 5. ☽ 17. *Ind.* 2.

Annus Jezdegird. 373. *incipit die 15. Mart. fer.* 4.

Armen. 453. 18. *Mart. fer.* 2.

Synodi in Galliis celebrantur, in quibus de multis rebus Eccleſiaſticis diſputatur, inter cætera, An canenda cantio *Te Deum Laudamus* in Quadrageſima, & in Adventu. Item an feſtum Annunciationis, quod in Martio turbat jejunium, celebrandum ſit in Decembri cum Hiſpanis, qui id ex concilio Toletano decimo faciebant: & negatur, & Hiſpani tandem ſuam rationem etiam reliquerunt. *Baron.*

Imperator Henricus per totum imperium circumvagatur, in Thuringiam cum veniſſet, liberat eos tributo, quod pendebant ab antiquo tempore Saxonibus trecentorum porcorum, & ſexcentorum ferè pannorum factorum: Inde cum audiret, Henricum Auſtriacum cum filio Erneſto rebellare, eos bello perſequitur. & filium quidem capit, qui ne capite multaretur, fit interceſſione principum, & in exilium relegatur. Pater Henricus deſerta ſua ditione fugit ad Bohemos, qui Miſniam hactenus vaſtarant; Inde Imperator in Saxoniam revertitur. *Fab.*

Annus Alexand. 1316. *Antioch.* 1053. *& Conſtantinop.* 6513. *incipit* 1. *Octob. fer.* 1.

Annus Hegiræ 395. *incipit* 18. *Octobr. fer.* 4.

Dani cum integro anno Angliam miſerè vaſtaſſent, tandem ab Edelredo rege fortiter hoc anno ejiciuntur. Roger.

Annus Nabonaſſaris 1753. *& Philippi* 1329. *incipit* 15. *Decemb. fer.* 6.

ANNO MUNDI 4954. Poſt C. 1005.

G. ☉ 6. ☽ 18. *Ind.* 3.

Annus urbis 1757. *Julianus* 1050.

Æra Hiſpan. 1043. *Auguſtorum* 1032.

Baſilius Imp. Conſtantin. inchoat annum imperii 30. *Henricus* 4.

Henricus Imp. in Wilzios Vandalos movet ſtatim in hyeme, ſed cum ex proviſo glacies reſolveretur, plus damni accepit, quam intulit: Inde Merſburgum redit, ubi Henricus Marchio Auſtriæ rebellis in Bohemia, quaſi in exilio vagaretur, per deprecatores agit, ut liceat ſibi culpam apud Imperatorem deprecari, quod impetravit quidem, ſed veniam ita conſecutus eſt, ut eſſet interim in cuſtodia Gebichenſtein. Inde menſe Martio Imperator inſigni exercitu in Italiam movet, ubi in tranſitu Henricum affinem ſuum Palatinum Rheni creat, die 21. Martii. Pulſis inde præſidiis *Arduini* Longobardi, qui imperium ſibi ſumſerat, ſuperat Alpes ante Paſcha. cujus celeritate territi Itali, qui Arduino faverant, illum relinquunt & ad partes Imperatoris ſe applicant, Veronenſes patentibus portis Imperatorem accipiunt, idem faciunt Brixiani, inde principes Italiæ Imperatorem excipiunt & operam ſuam ipſi deferunt. Dum Papiæ eſt, inter vigiles Imperatoris, & cives levi de cauſa oritur contentio, quæ pervenit tandem ad manus, quo tumultu territi reliqui cives, ſuis auxilio veniunt. Exercitus Imperatoris certiores facti de tumultu, portas effringunt, & ut in tenebris videre poſſint, domos quaſdam incendunt, unde tumultus civium fit major, nec ſedari potuit, & urbs ferè dimidia cremata. Imperator creditur in hoc tumultu crus fregiſſe, unde Claudico-gnomen acceſſit.

Arduinus *planè à ſuis deſeritur, adeò ignotus cum fideliſſimis ſuis alio ſe confert. Imperator inde Mediolanum venit, urbem tamen intrare noluit. Hetruriam inde peragrat, & menſe Junio in Germaniam redit.* Ditm.

Olympias 446. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympia. icus* 1781.

Annus Diocletiani 722. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Imperator *Jarimirum* fratrem Boleslai Principis Bohemi in Bohemiam reducit. Boleslaus vix credere potuit hoc fieri, ideo obrutus celeritate Imperatoris, fugit, & *Jarimirus* princeps Bohemorum conſtituitur, & inauguratur, Concione habente Godeſchalco, præſule Friſingenſi: qui dum virtutes principis alicujus recenſet, maximè laudat clementiam, & tandem deſcendit ad cauſam Henrici Auſtriaci, quem captivitate ſolvi petit, quod paulò poſt factum eſt. Inde Budiſſina capitur, & Boleslaus undique fugatur. *Fab.*

Annus Hegiræ 396 *incipit die* 8. *Octob. fer.* 1.

Circa finem anni Otto *Lotharingiæ Dux, ultima progenies Caroli Magni, ſi mares ſpectes, moritur. Henricus Imperator, cum eſſet res magni momenti, ne Galli eam invaderent, eam tradit Godefrido Duci Arduenna, cui litem movet Balduinus Comes Flandriæ, & bellum Lotharingicum ita oritur.* Annal. Hand.

ANNO MUNDI 4955. Poſt C. 1006.

F. ☉ 7. ☽ 19. *Ind.* 4.

Imperator, cùm luxus clericorum nimium creſceret, ſynodum indicit Tremoniæ, ubi Imperator ipſe adfuit, objurgati ſunt Sacerdotes ob negligentiam, & exprobratur effuſio & luxuria ex bonis Eccleſiaſticis, quæ religioni & paupertati dicata eſſent, non luxuriæ, ideo quædam ademta prædia cœnobio Fuldano, & reliquis ſimilis pæna, niſi modeſtè viverent, denunciata, *Fab.*

Impe-

Imperator ineunte æſtate movet bellum Polono, quia ad Albim usq; vaſtaverat imperium; feliciter id bellum geſtum eſt, & Poloni non ſolùm repulſi, ſed Imperator Poſnaniam usq; proceſſit: Polonus veritus, ſi hæc urbs caperetur, ne penitus regno profligaretur, de pace legatos mittit, & ſimul obſides, & pax facta eſt. In hoc bello Imperator forti & fideli opera uſus eſt Sclavorum, quos invitarat magnopere ad Chriſtianam fidem ſuſcipiendam, ſed parum in hac re promovit propter ſuperſtitionem gentis. *Fab.*

Suinus *rex Daniæ, cum olim profugus ab Anglis receptus non eſſet, ipſis iratus menſe Julio, cum multis navibus appellit, omnia cæde & incendio complet, nec tamen facit copiam pugnæ: Adveniente autem autumno, in Inſulam Vectam abit, & Edelredus rex iterum tributum pendit.* Roger.

Peſtis hoc & ſequenti biennio adeò graſſatur in Germania; ut nec dimidia pars hominum ſupereſſet Pagi quidam, & villæ planè deſerebantur, & armenta & pecudes liberè vagabantur, nemine cuſtodiente. Sigeb.

Annus ſabbathicus primus Iob. 20. incipit die 27. Auguſti. fer. 7. Anno Iud. 4767.

Annus Hegiræ 397. incipit die 8 Octob. fer. 2.

Balduinus Comes Flandriæ contra patruum Godefridum, cui Imperator Lotharingiam dederat, arma movet, & multa in Lotharingiâ occupat, & ſimul etiam Valentiam urbem imperio adimit. Imperator dedecus hoc eſſe imperii arbitratus, Valentiam, ubi Balduinus erat, obſidet, & Robertum regem Galliæ in auxilium evocat, nihilominus tamen hyeme coactus, obſidionem ſolvit, in Germaniam redit & exercitum colligit. *Fab.*

ANNO MUNDI 4956. Poſt C. 1007.
E. ☉ 8. ☽ 1. *ind.* 5.

Imperator primo vere ſtatim in Flandriam movet fluvium Scaldin invito Balduino ſuperat. & Gandavum obſidet; & interim etiam omnia longè lateq; vaſtat, & plurimos nobiles intercipit. Balduinus videns ſe viribus longè imparem, de pace agit Lotharingica, & Valentiam reſtituit, & Imperatori fidelitatem jurat. Poſt pacificationem Imperator Balduinum majore honore extollit; reddit enim ei Valentiam, & quaſdam Inſulas in Selandia, creatq; ipſum Comitem Valentiæ. Fab.

Imperator cùm in Saxoniam rediiſſet, conſtituit Epiſcopatum Merſburgenſem, qui à Giſelero valdè attritus fuerat, aſſignat eidem reditus urbis, quos à mercatoribus & aliis exteris habebat, quia Saxonum erat emporium. *Fab.*

Annus Hegiræ 367. incipit 27. Sept. *fer.* 6.

Reinholdus *Comes Pabebergenſis defunctus fuerat absq; liberis, atq; ita Comitatus ad Imperatorem devolutus erat, quem ipſe conjugi ſuæ dederat doti. Inde Epiſcopatus eum deſtinat, ſed repugnat Wurceburgius Epiſcopus, qui aliquot fundos in eo Comitatu habebat, cui ſatis facturus tamen erat Imperator. Ideo conventus inducitur Francofurti, ubi ab Epiſcopis Imperator humiliter petit, ſibi hoc concedi.* Magdeburgenſis Epiſcopus *ſententiam rogatus pronunciat,* cùm hoc modo inſigne incrementum accedat ad cultus divinos id legitimè fieri poſſe. *Hunc ſequuntur alii, atq; ita Imperator obtinet, & hoc anno* cœptum eſt ædificari templum, item duo monaſteria. *Fab.*

ANNO MUNDI 4957. Poſt C. 1008.
D. ☉ 9. ☽ 2. *Ind.* 6.

Annus Jezdegird. 377. incipit 14. Martii, fer. 1.

Armen. 457. incipit 17. Martii, fer. 4.

Boleſlaus *exul, ex Bohemia ab Imperatore pulſus, à Sclavis auxilia impetrat, & à Saxonibus quibusdam, & Budiſſinam urbem obſidet, quam deditione capit, menſe, ut* Fabr. *habet,* Aprili.

Ludolphus præſul Trevirenſis defunctus erat, in ejus locum electus erat *Adelberto*, frater Imperatricis, adoleſcens. Imperator putabat adoleſcentibus non committendas Eccleſias, quod cum authoritate illis præeſſe non poſſent, & ab hoc facto, ſi permitteret, exemplum ſumturos alios, & ſubſtituit alium *Meingardum*; inde bellum ortum, quod biennium ferè duravit, cùm Bavariæ duces Adelberto patrocinarentur, Imperator verò contra tenderet. *Fab.*

Annus Hegiræ 399. incipit die 5. Sept. fer. 1.

Annus Alexandr. 1320. Antioch. 105[illegible]. Conſtant. 6517. incipit Calend. Octob

Apud Senones in Galliis inventa eſt particula virgæ Moſaicæ, quæ magna miracula peregit in Ægypto, ut teſtatur Glaber. & habet Baronius: qui etiam ſcribit, *Brunonem*, qui auſus erat Prutenis religionem Chriſtianam annunciare, hoc anno ibidem interfectum fuiſſe.

Edelredus *rex Angliæ, cùm metueret ſibi à Danis claſſe pollentibus, etiam ſumtus corradi jubet, & claſſem ædificat, qua Anglia ab incurſionibus Danorum defendi poſſet. Sed claſſis quam ædificarat, tempeſtate exorta periit.* Rog.

Annus Nabonaſſaris 1757. & Philippi 1333. incipit die 14. Decemb. fer. 3.

ANNO MUNDI 4958. Poſt C. 9009.
B. ☉ 10. ☽ 3. *Ind.* 7.

Annus urbis 1761. *Julianus* 1054.
Æra Hiſp. 1047. *Auguſtorum* 1036.

Baſilius Imp. Conſtantinop. inchoat annum Imp. 34. Henricus 8.

Adelberto electus Epiſcopus Trevirenſis, ſpreto judicio Imperatoris, Epiſcopatum retinet, ideo ab Imperatore obſidetur Dominicâ Quaſimodogeniti, & obſidio diu continuatur, & plurimum damni urbi infertur; nec tamen Adelberonem hoc anno ejicere potuit, qui poſtea tamen ſponte ceſſit. *Chron. Belg.*

Danica claſſis iterum Angliam vaſtat, cui ſubſequitur alia Danorum claſſis menſe Auguſto, quâ maritima Angliæ crudeliſſimè vaſtata ſunt; nec excurſiones ejusmodi prohiberi potuerunt Rog.

Olympias 447. incipit die 15. Julii. *Eſt annus Olympiadicus 1785.*

Annus Hegiræ 400. incipit die 25. Aug. fer. 5.

Diocletiani 726. die 29. Auguſti.

Johannes XVII. Papa, cùm ſediſſet annos 5. menſes 7. moritur; ſuccedit Petrus Bucca Porci Sauriſſel/ qui nomen ſuum mutavit, & *Sergium IV.* ſe nominavit, ſedit autem annos 2. menſes 9. *Baron.*

Luna in ſanguinem mutata eſt hoc anno, inquit Chron. Belg. *Ea Ecclipſis facta eſt die 6. Octob. fer. 6. hora unâ ante mediam noctem. Latitudo ejus auſtralis vera 10, 27. Semid. Lunæ 17. 3. Summa Semid. 61, 6. Scrup. reſidua 50, 39. Digiti Ecclipticí 17, 49.*

ANNO MUNDI 4959. Poſt C. 1010.
A. ☉ 11. ☽ 4. Ind. 8.

Ecclipſis Solis annotatur a Sigeberto, quæ acciderit horâ diei ſecundâ poſt meridiem. Ea invenitur die 18. Martii, ſed ad tabulas haſce horis 4. poſt meridiem. Parallaxis latitudinis eſt 29, 14. Latitudo vera 22, 4. Viſæ 7, 10. Semid. Solis 15, 27. Summa Semid. 30, 18. Scrup. reſidua 23, 8. Digiti Eclipt. 9. ferè: Sol in 3, 14. Arietis.

Benno Dux Saxoniæ, cujus pater ex humili ſorte ad ampliſſimam dignitatem evectus erat, moritur; ſuccedit filius Bernhardus, qui infenſus Henrico Imperatori, odium quod diu diſſimulaverat, ſtatim incipit non obſcurum habere; unde ingentes calamitates Saxoniam obruerunt. Fab.

Annus Heg. 401. incipit die 14. Auguſti, fer. 2.

Amiras Ægypti, natus matre Chriſtianâ, ne patrum videretur Mahumedanus, inquit Cedrenus, indictione hac ſextâ, levi de cauſâ pacem cum Imperatore Baſilio rumpit, & templum Hieroſolymis ad ſepulchrum Chriſti ſumtuoſiſſimum evertit, monaſteria cremat, & omnes religioſos extorres facit. Torſell. s.

Dani, ut conſueverant ſuperioribus annis, non ſolùm Angliam vaſtant, ſed victoria etiam præclara de Edelredo potiuntur; quapropter Anglia orientalis planè in ipſorum ditionem redacta eſt. Roger.

ANNO MUNDI 4960. Poſt C. 1011.
G. ☉ 12. ☽ 5. Ind. 9.

Belgram Hermundurorum inducitur conventus, cui adfuit Jarimirus Dux Bohemiæ, à fratre Boleslao valde exagitatus; ideo indicitur Boleslao bellum qui cum Bernhardo Duce Lunæburgenſi fœdus fecerat adverſus Imperatorem; legati Ranſtadii deprehenſi ſuſpenduntur, ſed bellum ſocorditer geritur, & Boleslaus, cùm capi potuiſſet, dimittitur.

Grando ingens hoc anno cecidit, die 30. Jul. fer. 2. Lunâ 26. Annal. Suev.

Annus Hegiræ 402. incipit die 4. Aug. fer. 7.

Nordmanni, ne Danis invaſtando aliquid concederent, Friſiam ſibi vaſtandam ſumunt; & ut ſuperiori anno Thile urbem incenderunt, ita hoc anno Ultrajectum. Cremant.

Imperator circa autumnum templum Bambergicum, quod jam abſolutum erat, dedicare jubet, & D. Archangelo ſacrum pronunciatur; alterum verò, D. Benedicto. Schola etiam ibidem inſtituta eſt, ut adoleſcentes nobiles in pietate inſtituerentur, ut aliquando præeſſe poſſent Eccleſiis. Ditmarus ſcribit Patriarcham Aquileienſem in præſentiâ triginta præſulem templum id conſecrâſſe, & ſimul Synodum actam, in qua Metenſis Epiſcopus accuſatur, quòd Imperatorem falſo crimine apud Pontificem detuliſſet, præter viri religioſi officium. Epiſcopus etiam Magdeburgenſis, quæ erant Mersburgico Epiſcopatui adempta, reſtituit, & paulo poſt moritur. Fab.

Cùm Edelredus Danis nullo modo reſiſtere poſſet, pacem ab eis petit, & pecuniam ipſis offert, ſed fraude circumducitur. Dani enim circa feſtum Michaelis Cantuariam urbem expugnant vi, eamq; crudeliſſime vaſtant, & totam hyemem in Anglia vaſtandis conſumunt. Rog.

ANNO MUNDI 4961. Poſt C. 1012.
FE. ☉ 13. ☽ 6. Ind. 10.

Annus Jezdeg. 381. incipit die 13. Martii, fer. 5. Armen. 461. die 16. Mart. fer. 1.

Danis, cùm totâ hyeme, Angliam afflictâſſent, promittitur tributum à rege Edelberto; dum id expectant Londini, ejus loci Epiſcopum, quod nollet, quantam volebant dare pecuniam, occidunt, die 19. Aprilis, fer. 7. poſt Paſcha: inde abeunt inſula, plerique tamen tempeſtate obortâ merguntur, pauci manent in Anglia. Roger.

In villa Kolbeke in Saxonia quindecim viri & tres mulieres ſaltant in cœmiterio, quos increpat primùm presbyter nomine Ecbertus, qui miſſam inchoabat. Cùm non obedirent, imprecatur ipſis nomine S. Magni martyris, ut ſic totum annum inquieti ſaltarent. Filia presbyteri nomine Merſindis inter haſce erat, cui patruelis Johannes brachium, dum eam detinet, avulſit. Annuo ſpatio peracto, Epiſcopus Colonienſis eò venit die Nativitatis, & ſuper eos oravit, & quieſcere cœperunt. Abbas Stad. Rogerius Anglus, & multi alii.

Bernhardus Dux Saxoniæ & Lunæburgenſis, vir inquietus & rebellis Imperatori, inito fœdere cum Miſlibogo Vandalo Megaloburgenſi, plurima adimit Bremenſi & Hamburgenſi, & vaſtat omnem Vandaliam Imperatori ſubjectam: Inde Vandali relictâ religione Chriſtiana, ut tuti ores eſſent, ad ſua Idola redibant: Emungebantur enim pecunia ſub ſpecie religionis. Dehortati ſunt ab hac rebellione Bernhardum Epiſcopus Hamburgenſis, & alii Principes, eumq; ita permoverunt ut ſolveret multam, & ſupplex pacem ab Imperatore peteret. Helmb.

Annus Hegiræ 403. incipit die 23. Jul. fer. 4.

Albero, Ducis Moſellani filius, creatur Epiſcopus Metenſis; cui cùm puer eſſet, datus eſt tutor Diterieus, qui puerum Epiſcopatu ejicit, & eum ſibi ſumit. Ideo Imperator menſe Auguſto ad obſidendam urbem procedit, civesq; adigit, ut ſe dedant. Fab.

Sergius Papa, cùm ſediſſet annos duos, menſes ferè novem, moritur die 13. Maii, ut habet inſcriptio ſepulchri, quam citat Baronius, ſed ut diplomata ejus Eccleſiis data oſtendunt, vixit adhuc æſtate. & ut alia monumenta oſtendunt, ſecundum Baronium, ſequens Papa Benedictus non niſi ſequente anno incipit: unde videre eſt, quantas diſſenſiones alant de capite ſuæ Eccleſiæ Pontificii. Benedictus autem VIII. genere nobilis, qui ſequitur, ſedit annis 12. Baron.

Annus Alexandræus 1324. Antioch. 1061. & Conſtantinop. 6521. incipit 1. Octobr.

Annus Nabonaſſaris 1761. & Philippi 1337. incipit 13. Decemb. fer. 7.

ANNO MUNDI 4962. Poſt C. 1013.
D. ☉ 14, ☽ 7. Ind. 11.

Annus urbis 1765. Julianus 1058.
Æra Hiſp. 1051. Auguſtorum 1040.

Baſilius imp. orientis inchoat annum Imp. 38. Henricus 12.

Boleslaus, cùm mortuus eſſet Archiepiſcopus Magdeburgenſis, exercitum ducit ad urbem nuper conditam ab Henrico, Lebuſiam: cives, qui pauci numero erant, (nec enim urbis undique habitabatur) ſtatim ſe dedunt, ſed crudeliſſime cum iis agit, multos occidit, ad quingentos captos abducit, & urbs deſtruitur & crematur, paulo poſt Boleslaus hic à rege Poloniæ Boleslao in convivio capitur & excæcatur, ejuſque conſiliarii trucidantur, ipſe in Bohemiam abit & Pragam occupat, eamque biennio habet. Colm.

Mures militem quendam hoc anno devorant, qui nulla ratione cuſtodiri potuit, ne mures ad eum pervenirent. *Fab.*

Swin *Daniæ rex, claſſe magna iterum Angliam invadit, & Northumbrorum regionem ſub ditionem redigit; inde in Merciorum ditionem involat, eam ferro, cæde, incendiis & rapinis crudeliſſimè vaſtat, urbes plurimas occupat, & tandem Lundinum, ubi rex erat, obſidet; ubi quidem repellitur, ſed ad alias urbes converſus, eas occupat, cùm Lundinenſes jam ſoli eſſent, etiam ſe dedunt. & ita rex Edelredus, tota Anglia pellitur. Præmiſerat autem uxorem & liberos in Normanniam Galliæ, ipſe abit in Vectam Inſulam, circa menſem Auguſtum.* Rog.

Annus Hegiræ 404. incipit die 13. Iul. fer. 2.

Diocletiani 730. die 29. Auguſti.

Olympias 448. incipit die 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1789.

Annus ſabbaticus 2. Jobelei 20. incipit 8. Sept. fer. 3. Annus Iud. 4774.

Baldricus Epiſcopus Leodienſis caſtrum ædificaverat, id impedire conatur Comes Lovanienſis Lambertus: prælio congreſſi, Epiſcopus vincitur. *Chron. Belg.*

Henricus Imp. cùm evocaretur à Pontifice Benedicto, qui pulſus erat à Gregorio quodam, qui ſedem Papalem occupaverat, expeditionem inſtituit in Italiam, & iter ingreditur die 21. Septemb. Ticini hyemem agit, & Benedictum Romam mittit. Fugerat enim Gregorius. *Fab.*

Baſilius Imp. Conſtantinop. Indictione duodecima ineunte, in Bulgariam expeditionem inſtituit, Bulgaros vincit, & eorum quindecim millia capit, quos omnes oculis erutis excæcat, centeno tamen quovis monoculo relicto, qui reliquos duceret. Eâ clade Samuel Bulgarius ita affectus, ut biduo poſt moreretur; Succedit filius Gabriel, qui ſequenti anno trucidatur. *Ced.*

ANNO MUNDI 4963. Poſt C. 1014.

C. ☉ 15. ☽ 8. *Ind.* 12.

Henricus Imp. à Benedicto Papa Romam invitatus, eò proficiſcitur, & coronatur die 14. Febr. fer. 1. Ibi cùm in ponte Tiburino tumultus exortus eſſet à militibus, autores ejus tres inſigniores vinctos in Germaniam mittit, eosq; tandem in cœnobio concludit. *Ditm.*

Suenus Danorum rex, cùm jam Angliam occupâſſet, ſubitò moritur die 3. Febr. cui Dani ſtatim ſufficiunt filium *Cnutum.* Contrà Angli in Normanniam mittunt, revocantq; ſuum regem *Edelredum*, qui inſtructus exercitu Cnutum Angliâ pellit. Cnutus cùm non ſatis copiarum haberet, obſides datos naribus & auribus multat, eosque ita dimittit; minitans ſe celeriter in Angliam reverſurum. Anglis ad cæteras calamitates etiam hæc acceſſit, quòd mari multis in locis obruerentur. *Rog.*

Annus Hegiræ 405. incipit die 2. Iul. fer. 6.

Baſilius Imperator Conſtantinopolitanus iterum in Bulgariam movet, multas urbes capit, & per Duces varia fortuna bellum gerit. Ced.

Godefridus Lotharingiæ Dux Gerardum Comitem multis modis Lotharingiam turbantem tandem prælio vincit, ſed non ſine ſuâ ipſius clade: filius enim in acie cecidit, ideò non amplius eſt perſecutus victoriam. *Sig.*

Henricus Imperator, Arduinum, qui ſe olim pro Imperatore geſſerat, quiq; ſupplicabat, ut ſibi tantùm darentur Comitatus unus atq; alter, ut vitam honeſtè degere poſſet in gratiam recipere non vult, cum putaret, eum ità viribus exutum, ut nihil turbare amplius poſſet: ſed cùm Imperator abiiſſet, plurimum Italiam afflixit. Imperator interim in Germaniam redit, & Argentorati templa fulmine disjecta reparat. *Fab.*

Beringerus Comes Ballenſtadius rapit Reinhildin Beichlingiam orbam, ſed commendatam Imperatori; in ipſo raptu graviſſimè vulneratur, & eâ de cauſa moritur. Imperator deliberat de pœna in cadavere ſumenda, ſed concluditur tandem, cùm probari non poſſet, eam invitam raptam, ut honeſtè ſepeliatur. *Fab.*

ANNO MUNDI 4964. Poſt C. 1015.

B. ☉ 16. ☽ 9. *Ind.* 13.

Baſilius Imp. Conſtantinop. menſe Januario ex Bulgaria Conſtantinopolin revertitur, & ſtatim exercitum in Mediam mittit, & Saracenos ibi profligat. Poſtea circa Septemb. iterum in Bulgariam movet, caſtrum Pernicum obſidione diuturnâ cingit, ſed fruſtra id oppugnat tota hyeme. *Ced.*

Mortuo Frotmundo, *Comite Senonum, ſucceſſerat Reinhardus filius, qui, quòd perſequeretur clerum ab Archiepiſcopo Senonum* Leodorico *in ipſa Senonum urbe obſidetur, die 22. April. Indict. 13. Append.* Aim.

Meſico filius regis Poloniæ, qui, dum in Italia Henricus aberat, fidem non ſanctè coluerat, ad Imperatorem ſalutandum venit ſtatim ineunte anno. Henricus, qui bella oderat, liberaliter illum habet, ſed dum is Meſico revertitur, in itinere à Bolislao Bohemiæ Duce capitur, id quod malè habet Imperatorem: ideò Meſiconem ab eo repoſcit, & tandem impetrat, & Meſiconem ſalvum inde dimittit, qui iram in Imperatorem vertit. Bohemus etiam iraſcitur Imperatori, & regiones Imp. ubi poteſt carpit: Idem facit *Bernhardus* Saxoniæ Dux.

Imperator in Polonos movet, & duplici prælio eos vincit, non tamen victoria incruenta, cùm principes aliquot amitteret. Victoria contigit die 3. Auguſti.

Poloni contra poſteà 13. Septemb. cladem ulturi Miſnam urbem obſident, eamq; proculdubio cepiſſent, niſi Hermannus Marchio eo veniſſet, eodem die, quo obſidebatur, cùm verò ex imbribus continuis Albis incrementum caperet, Poloni ſibi metuentes domum abeunt. Fab.

Dux Sueviæ Erneſtus, feria ſecunda Pentecoſtes, die 30. Maji venatum abit & caſu infauſto ab Alberone Comite in feram telum torquente trajicitur; cùm vulnus letale eſſet, uxorem jubet ſalutari, & Alberoni ignoſci. Ipſe cùm ſacerdos nõ adeſſet, ſuos advocavit, & præſentibus omnibus confeſſionem peccatorũ ſuorum edit, cum mallet coram multis erubeſcere, quam coram Deo reus apparere. Annal. Suev.

Ecclipſis Solis annotatur in Chronico Belgico hoc anno, quæ invenitur die 19. Junii, feriâ primâ, dimidia horâ poſt ortum Solis, cum Sol eſſet in gradu ſecundo cancri. Parallaxis Latitud. 41, 14. Latitudo Lunæ Septent. 25, 1. Viſa 16, 13. Semid. Solis 15, 0. Summa Semid. 30, 4. Scrup. reſidua 13, 51. Digiti Ecclipt. 5, 37.

Annus Hegiræ 406. incipit 21. Jun. fer. 3.

Gode-

Godefridus Lotharingiæ dux Comitatum Montenſem, qui Hannonia dicitur, depopulatur, quem Raginerus quidem defendit, ſed prælio vincitur. In prælio cadit *Lambertus* Comes Lovanienſis, cui ſuccedit filius Henricus, qui Bruxellenſem Comitatum adjunxit, præfuitque annis 23. *Chron. Belg.*

Cnutus *Daniæ rex minarum non immemor, cum magna claſſe in Angliam redit, eamque crudeliſſime vaſtat.* Edelredus *rex tum ægrotabat Londini.* Malmesb.

ANNO MUNDI 4965. Poſt C. 1016.
AG. ☉ 17. ☽ 10. *Ind.* 14.

Annus Jezdegird. 385. incipit die 12. Mart, fer. 2.
Armen. 495. die 15. Mart. fer. 1.

Henricus Imperator, quòd lubens Goslariæ eſſet, urbem illam, quæ tum vicus erat, multum auxit. *Spang.*

Cnutus *Danorum rex Londinium, ubi rex erat, obſidet: Obſeſſus Edelredus rex moritur die 23. April. fer. 2. in Paſchate, cum regnaſſet annis 37. Succedit filius* Edmundus, *qui octo menſes ferè regnavit, is vincit Cnutum 27. Maii, Dominica Rogationum, & poſt feſtum æquo marte cum Danis congreditur: ſed poſtea magna clade Edmundus vincitur, qua periit flos Angliæ. Edmundus jam viribus ſuis diffidens, animo tamen non victus, offert Cnuto hoſti duellum, ne propter duos diſceptantes tota Anglia adeo affligeretur, ſed Cnutus abnuit, offert tamen, ut pax fiat, hanc conditionem, ut Anglia in duas æquales partes divideretur, quarum alteram Edmundus retineret, qui elegit Weſt Saxoniam, & Merciorum regnum Danus reliquit: moritur poſtea ultimo Nov. & frater ejus Edvardus cum liberis Anglia pellitur, atq; ita Cnutus totam Angliam poſſedit, Inde multos Epiſcopos traducit in Daniam, Scandiam & Selandiam, ſed Epiſcopus Hamburgenſis putavit hoc fieri in ſuum præjudicium, & Epiſcopum quendam capit, donec Cnutus ipſe ſcriberet, & excuſaret ignorantiam.*

Annus Hegiræ 407. incipit die 10. Jun. fer. 1.

Imperator bellū Bohemis infert, ſed non ſatis feliciter; ex inſidiis enim multi cæſi ſunt, quos Imperator vix impetrat ad ſepulturam: inde rex Burgundiæ ad Imperatorem venit, ſuumque regnum, ſi abſque liberis moreretur, imperio tradit; qua re offendit Burgundos, & bellum inteſtinum excitavit, quod per Pictavienſem Comitem geſtum eſt, qui nunquam ſe æquo loco hoſti obtulit, atque ita Burgundia tantum vaſtata eſt. Fab.

Annus Alexandræus 1328. Antioch. 1065. Conſtantinop. 6525. incipit Calend. Octob.

Baſilius Imp. iterum in Bulgariam movet, & multa præda potitur, multas urbes & Caſtella oppugnat, & totâ hyeme in ea commoratur. *Ced.*

Saraceni in Italiam irrumpunt, quos obſidet exercitus Pontificis, & tandem eos vincit; Rex tamen eorundem evadit, & clade ſuorum audita ſe reverſurum minatur. *Dum.*

Annus Nabonaſſaris 1765. & Philippi 1341. incipit 12. Decemb. fer. 4.

ANNO MUNDI 4966. Poſt C. 1017.
F. ☉ 18. ☽ 11. *Ind.* 15.

Annus urbis 1769. *Julianus 1062.*
Æra Hiſp. 1055. *Auguſtorum 1044.*

Baſilius Imp. Orientis inchoat annum Imperii 42. *Henricus* 16.

Baſilius *Imp. ex Bulgariâ die 9 Januar. Indict. 15. Conſtantinopolin redit, interim Johannes Bulgariæ Dux Dyrrachium oppugnat, ubi trucidatur, cum regnaſſet annis duobus: Reliqui hoc caſu conſternati ſe dedunt, & Græciæ excedunt: Baſilius ita in Bulgariam venit, univerſa potitur, theſauris etiam regum, quos militibus diſtribuit, & hunc ac ſequentem annum in ea ordinanda conſumit.* Cedr.

Judæi quidam Romæ nacti imaginem Chriſti crucifixi, in Paraſceve ei, ut Chriſto olim Judæi, illudunt, eam flagellant, & iterum cruci affigunt: Deprehenſi in facinore, decollantur. *Glab.*

In feſto Johannis, in Gallia pluit ſanguine; qui, ſi in lapides aut carnem hominis cecidiſſet, elui non potuerat: in veſtibus autem & lignis abluebatur. *Fulb. Epis.*

Annus Hegiræ 408. incipit 30. Maii, fer. 5.

Pax inter Pictavienſem Comitem & Burgundum firmatur, & Pictavienſis fit præfectus regni, atque ita regnum ſolus obtinuit: cum rex propter ignaviam curam regni nullam ageret, Ignavi cognomen accepit. Fab.

Olympias 449. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1793.

Annus Diocletiani 734. incipit die 29. Aug.

Memlebii propter luxum & libidinem Abbas cum Monachis ejicitur, & alii Monachi inducuntur ab Abbate Hirsfeldenſi, cui ita cœnobium, quod antea ſui juris fuerat, ſubjectum fuit. *Fab.*

Cnutus rex, cùm Emmam viduam Edelredi uxorem duxiſſet, menſe Julio Angliam in quatuor partes dividit & ſibi WeſtSaxoniam retinet, reliquas partes Comitibus ſuis dividit, donec eosdem Anglia poſtea ejiceret. *Roger.*

ANNO MUNDI 4967. Poſt C. 1018.
E. ☉ 19. ☽ 12. *Ind.* 1.

Cnutus Danorum rex, ex Anglia in Daniam redit, defenſurus eam contra irruentes Svecos, quos etiam vincit, & Dania pellit. *Rog.*

Boleslaus Polonus cum Imperatore Henrico pacem facit, legati conveniunt Budiſſinæ, & impetrat auxilia contra Ruſſos. *Jaroslaus* enim, Ruſſorum Dux, cum ingentibus copiis in Poloniam irruerat, quem auxilio Saxonum feliciter Poloniâ ejicit. *Fab.*

Annus Hegiræ 409. incipit 19. Maii, fer. 2.

Normanni in Gallia inter ſe diſſident, & eorum quidam Rudolpho duce in Italiam abeunt ad Papam: Papa verò eos, cum eſſent viri fortes, adhortatur, ut Græcos pellere velint, & eas ſedes occupare. Rudolphus igitur Græcorum fines ingreſſus, tribus præliis eos vincit, & oppidis, quibus ſe tenuerant, ejicit, ſed quarto prælio vincitur ad Cannas in Apulia, & ſimul omnia perdit, quæ acquiſiverat ſibi: Græci victoriâ abuſi, multum damni Imperatoris finibus inferunt, & Rudolphus in Germaniam ad Imperatorem venit. *Chron. Caſſ.*

Fridericus Comes Hollandiæ Bavonem hominem inquietum & latronem, qui multum damni ſuis finibus intulerat, ditione ſua ejecerat; ob quod factum Ultrajectenſis Epiſcopus Friderico infert bellum, & die 11. Julii cum ipſo prælio decertat, vinciturque. Inde cùm plures copiæ conveniſſent, iterum fortunam prælii tentat, die 29. Julii, & iterum vincitur. Inde fit pax; Fridericus

verò

verò duplici victoria elatis, cum auxiliis Imperatoris in Friſios movet, ſed Panico quodam terrore, exercitu diffugiente, ipſe captus in Friſiam abducitur. *Bekauv.*

Henricus *Dux Auſtriæ, cùm annis 35. præfuiſſet moritur; cui ſuccedit filius* Albertus, *qui præeſt annis 32. Auſtriam amiſſam, & ab Hungaris occupatam, recuperat, & fideliter adminiſtrat*, Cuſp.

Ditmarus *hiſtoricus, qui ſcripſit hiſtorias quinque Imperatorum Henrici, Ottonis primi, ſecundi, tertii, & Henrici ſecundi, moritur anno ætatis 41. die 1. Decembr.*

ANNO MUNDI 4968. Poſt C. 1019.
D. ☉ 20. ☽ 13. *Ind.* 2.

Baſilius Imp. cùm Bulgariam jam ordinaſſet, ſtatim ineunte anno Conſtantinopolin redit, & parat expeditionem adverſus Saracenos. Cedr.

Bohemiæ *Dux plurimum moleſtiæ exhibuerat Miſnenſibus, ſed hoc anno per arbitros res ad pacem deduci cœpit, quæ tranſacta eſt die* 30. *Januarii: Inter conditiones etiam hæc fuit, ut Bohemus Odam Ekhardi Marchionis Miſnenſis filiam duceret.* Fab.

Lutitii Vandali Saxoniam crudeliſſimè vaſtant, incolæ territi, non defenſione, ſed de fuga tantum cogitant, quos Imperator increpat, jubetq; ut potius hoſti reſiſtant, donec cum conſenſu principum in Paſchate convenientium ipſis auxilium ferat. Fab.

Annus Hegiræ 410. *incipit die* 9. *Maii, fer.* 7.

Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm annis 20. ſediſſet, moritur in Julio; ſuccedit Euſtathius, qui obtinet ſedem annis ſex *Cedr.*

Godefridus *Dux Lotharingiæ, ſuperiori anno captus, ex captivitate dimittitur, & Friſiis culpa remittitur.* Chron. Belg.

Bambergenſis Epiſcopatus, à Benedicto Papâ ad hoc ipſum ex Italia ab Henrico evocato, dedicatur, qui & eò libentius ad Imperatorem venerat, ut ſtatum Italiæ Imperatori ſignificaret. Donavit autem Henricus, ut Baronius habet, hunc Epiſcopatum Benedicto Papæ, qui cenſum conſtituit, per ſingulos annos equum optimum album, cum ornamentis ac phaleris, item centum argenti Marcas. Sequentibus temporibus Henricus tertius pro Bamberga dat Pontifici Beneventum. *Chron. Caſſ.*

Godefridus *Lotharingiæ Dux, cùm Ducatum obtinuiſſet annis* 13. *moritur: Succedit* Gozelo *frater, qui regit eum annis* 21. Chron. Belg.

Babo *Baro in* Abenſperg, *videtur in dedicatione Epiſcopatus affuiſſe, qui ex legitimis duabus uxoribus ſuſcepit filios triginta duos, & filias octo. Innotuit autem Imperatori Henrico hoc modo, quòd vocatus ad conventum cum miniſtro unico, adduxiſſet omnes ſuos filios, & ſingulos quidem cum ſingulis miniſtris, quibus eâ occaſione impetravit ab Imp. præfecturas, & alia beneficia.* Beat. Rhen.

Synodus Noviomagenſis ab Henrico celebratur, ubi inter alia ſtatutum, ut in celebratione Miſſæ, panis ad dexteram altaris ſtatueretur: calix autem ad ſiniſtram. *Fab.*

ANNO MUNDI 4969. Poſt C. 1020.
CB. ☉ 21. ☽ 14. *Ind.* 3.

Annus Jezdegird. 389. *incipit* 11. *Martii, fer.* 6.
Armen. 469. *incipit* 14. *Martii, fer.* 2.

Annus Hegiræ 411. *incipit die* 27. *Apr. fer.* 4.

Otto Comes Thuringiæ inſidias inſtruxerat Archiepiſcopo Moguntino, qui domum ex comitiis rediens comitatum magnum habebat, qui vehebatur partim Rheno, partim equis ingrediebatur, inter quos etiam erat Epiſcopus; qui certior factus evadit, at qui in navibus erant, partim interficiuntur, partim capiuntur, pauci evadunt. Munierat Otto in arcem Hammerſteinianam, ſed Imperator eam obſidet, & tandem deditione capit. Fab.

Ecclipſis Lunæ indicatur à Scriptoribus hoc anno. Dicunt enim Lunam in ſanguinem converſam fuiſſe. Ea invenitur die 4. *Septembris, feriâ prima, horâ una ferè ante mediam noctem, Coloniæ. Latitudo Lunæ Septent.* 9,23. *Semidiam Lunæ* 16,7. *Summa ſemidiam.* 58,51. *Scrup. reſidua* 49,28. *Digiti ecclipticì* 18,25. *Sol in* 19. *gradu Virg.*

Peſtis graſſatur in Germania vehementiſſimè, ſerpentes præterea ſtatim in cadaveribus naſcuntur, quâ de cauſa difficulter ſepeliri poterant. Spang.

Annus ſabbathicus 3. *Jobelei* 20. *incipit die* 20. *Sept. fer.* 3. *Anno Jud.* 4781.

Annus Alexandræus 1332. *Antioch.* 1069. *Conſtantinopol.* 6529. *incipit* 1. *Octob.*

Berno Abbas Augienſis multa ſcripſit de Muſica, & de inſtrumentis, & de menſura monochordi: Floruitq; circa hæc tempora. *Trith.*

Annus Nabonaſſar. 1769. *& Philippi* 1345. *incipit* 11. *Decemb. fer.* 1.

ANNO MUNDI 4970. Poſt C. 1021.
A. ☉ 22. ☽ 15. *Ind.* 4.

Annus urbis 1773. *Julianus* 1066.
Æra Hiſpan. 1059. *Auguſtorum* 1048.

Baſilius *in Oriente inchoat annum imperii* 46. *Henricus viceſimum.*

Annus Hegiræ 412. *incipit die* 21. *Aprilis, fer.* 2.

Terræmotus in Germania factus die 12. *Maji*, 7. *fer.* 6. *ut annotatur in hiſtoria Auguſtana.*

Phocas *quidam princeps Conſtantinop. imperium invadit; ſed inſidiis Baſilii evertitur, & ſeditio ita ſedatur.* Ced.

Olympias 450. *incipit die* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1797.

Annus Diocletiani 738. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Imperator Henricus, cùm comitia celebraſſet, Quedlinburgum abit, ubi præſentibus ſuis quibusdam cognatis, & aliquot Epiſcopis, intereſt dedicationi Epiſcopatûs, quæ peracta eſt die 24. Sept.

ANNO MUNDI 4971. Poſt C. 1022.
G. ☉ 23. ☽ 16. *Ind.* 5.

Imperator Henricus, collecto exercitu copioſiſſimo, in Italiam tendit, cùm Græci auxilio Saracenorum eam undiq; vaſtarent: exercitum diviſit in tres partes, quarum potiſſimam ipſe ducit; alteram, quæ fuit viginti millium, Duce Pilgerino, Epiſcopo Colonienſi, Romam mittit ad capiendum Abbatem Caſſinenſem, & principem Capuanum: Abbas verò effugit mari, ubi & merſus & ſuffocatus fuit; Capuanus in vinculis in Germaniam deducitur, & Pandulphus ipſi ſubſtituitur, uterque fœdus fecerat cum Græcis, ipſe Imperator victis Græcis Trojam civitatem obſidet tribus menſibus, inde menſe Julio ad Caſſinum montem venit, inde totam Apuliam & Calabriam occupat, & quædam loca Normannis, qui ipſum ſecuti erant, tribuit,

buit,& ita annum hunc in ordinandâ Italia conſumit. *Glaber. Hiſt. Caſſ.*

Annus Hegiræ 413. *incipit die* 6. *Apr. fer.* 6.

Guido Aretinus Muſicus inclareſcis; evocatur hac æſtate à Pontifice Benedicto, ut videret ipſius rationem canendi,& Antiphonarium. Habuitannos ætatis tum viginti octo, quando enim edidit ſuam Muſicam Micrologum dictam,erat trigintaquatuor annorum; poſt annos ſex, valdè mirum viſum, quòd cum antea vix decennii ſpatio aliquis rationem diſceret, hic idem hac ratione pauciſſimis menſibus perficeret. *Guido.*

Aribo Epiſcopus Mogunt, die 13. Auguſti ſynodum convocavit Salingſtadii, in qua decreta facta ſunt. De jejuniis in feſtorum quorundam vigilia obſervandis, ut Johannis Baptiſtæ & aliorum: item de nuptiis certo tempore intermittendis, ut ab Adventu Domini usque ad 13. Januarii, & à Dominica Septuageſimæ, usque ad Quaſimodogeniti: Item ne Presbyter æſtivis noctibus poſt galli cantum poculis indulgens, proxima die Miſſam celebret; hyeme autem hoc permiſſum ſi aliqua neceſſitas urgeret. Reprehenduntur etiam Presbyteri, qui orto in urbibus incendio, id extinguere conabantur linteo, ut vocant Corporali, in ignem injecto: linteum id erat, cujus uſus eſt in Miſſa. *Acta ſynodi.*

In Polonia nobiles quidam ægrè ferunt, decimas dari Epiſcopis, cenſentq; religionem Chriſtianam eſſe oneroſam, & idola multo minore ſumptus coli, unde ingens ſeditio orta; ſed rex Boliſlaus capita rebellionis ſtatim prehendit, & interficit, aliquos verberibus coercet. *Baron.*

Baſilius *Imp. Orientis*, *Abasgis hoc autumno bellum infert, & prælio cum eis congreſſus, aqua clade diſcedit: hoſtes tamen cladem magis ſenſerant, ideò ſe dedunt.* Cedr.

ANNO MUNDI 4972. Poſt C. 1023.
F. ☉ 24. ☽ 17. *Ind.* 3.

Henricus *Imperator ex Italia redit in Germaniam, & convenit* Robertum *regem Galliæ ad Carum fluvium, apud Evaſium, acturus cum eo de ſtatu regni & Eccleſiæ, decernuntq; Papam conveniendum de hiſce rebus Papiæ, & tunc factam eſſe ecclipſin Solis* Sigebertus *innuit. Ea accidit die* 24. *Januarii, feria quintâ, minutis* 49 *ante meridiem, & non in Paſchate, ut Sigebertus habet, cùm etiam Paſcha in pleni Junio celebratur.*

Parallaxis latitudinis fuit 54, 54. *Latitudo Lunæ vera ſept.* 52. 50. *Viſa auſtralis* 2, 4. *Semid. Solis* 15, 52. *Summa ſemid.* 32, 1. *unde ſcrup. reſidua* 29, 57. *dant digitos eclipticos* 11, 20. *Sol in* 10. *Aquarii.*

Annus Hegiræ 414. *incipit* 16. *Martii, fer.* 3.

Templum cathedrale Trajecti dedicaretur ab Epiſcopo Adelboldo, die 26. Junii, præſente Imp. Henrico, & duodecim aliis Epiſcopis. *Beca.*

Miſtevo princeps Vandalorum ambit nuptias filiæ Bernhardi, Ducis Saxoniæ & Lunæb: quæ ipſi promiſſa fuerat; atq; propterea Miſtevo equitatum magnum cum Bernhardo & Imperatore in Italiam miſerat; ſed Bernhardus reverſus repudiat generum, vocatq; eum Vandalicum canem, unde ſibi & toti Saxoniæ accerſit perniciem. Miſtevo enim hanc injuriam ulturus, Saxoniam crudeliſſimè vaſtat, *Hamburgum* & Stargardenſem Epiſcopatum evertit, ſacerdotes trucidat, quibusdam verticem in formam crucis diſcindit, & ſpectandi gratia per oppida ducit. Theodoricus Marchio Brandeburgenſis in his tumultibus ditione ſua exuitur, & Brandeburgum à Vandalis occupatur. Bernhardus quidem ope Saxonum Vandalos tandem repellit, pacem ut poteſt cum eis componit, ſed religionem Chriſtianam ipſis perſuadere non potuit, nec *Brandeburgum* recuperare. Marchio Brandeburg. vixit in exilio Magdeburgi, & ut haberet unde viveret, Canonicatum liberalitate Epiſcopi accepit. *Spang.*

Cùm plurimæ eſſent controverſiæ de jurisdictione inter Epiſcopos & Abbates, decernit Imperator Henricus, quid de eis fieri velit, die 2. Decemb. *Receſſ. Imp.*

ANNO MUNDI 4973. Poſt C. 1024.
ED. ☉ 25, ☽ 18. *Ind.* 7.

Benedictus VIII. Papa, cùm ſediſſet annos decim ferè, moritur. Hic in vita ſua delectatus fuit caballis candidis, ideò voluit etiam ſibi ex Epiſcopatu Bambergenſi quotannis hujusmodi equum phaleris eleganter ornatum pro tributo dari; ſed poſt mortem apparuit cuidam in atro caballo, conquerens, ſe cruciatibus intolerandis in inferno affici, nec ſuas eleemoſynas ſibi quicquam prodeſſe, cùm eas dederit de furtis & rapinis, ut habet Baronius; qui addit, eum tandem liberatum fuiſſe, cùm eleemoſynæ de legitima ejus pecunia diſtribuerentur: ſed ex inferno nulla eſt redemptio.

Annus Jezdegird. 393. *incipit* 10. *Mart. fer.* 3.

Armen. 473. *incipit* 13. *Martii, fer.* 6.

Annus Hegiræ 415. *incipit die* 15. *Martii, fer.* 1.

Henricus *Imp. cùm valetudine adverſâ & periculoſa laborare inciperet, conventum Alſtetæ habuit; ubi cum principibus deliberavit de ſucceſſore imperii, prætulit* Conradum *Ducem Franciæ, ipſeq; poſtea mortuus eſt Gröningæ, propè Halberſtadium die* 13. *Julii, anno ætatis* 52. *cùm poſt Ottonem imperio præfuiſſet annis* 22. *menſibus ferè quinque. Corpus magnifi è ex Saxonia transfertur Papebergam, ubi conditur in templo Petrino. Ipſius conjux, qua virginitatem in conjugio cuſtodiviſſe ſcribitur, in cœnobio, quod extruxerat, fit Monialis. Eligitur à Statibus imperii & omnibus Epiſcopis, in ejus locum* Conradus, *qui præfuit imperio annis* 15. *Conſecratur Moguntiæ, die Nativitatis Mariæ,* 8. *Septembris. Fuit princeps ſtrenuus, conſilio prudens, & Reip. peritus.* Wippo.

Annus Alexand. 1336. *Antioch.* 1073. *Conſtantinop.* 6533. *incipit* 1. *Octobr.*

Erneſtus *Dux Sueviæ, & Welpho Dux Bavariæ electioni Conradi repugnant; ſed victi conſenſu omnium Statuum, quieſcunt.* Spang.

Annus Nabonaſſar. 1773. *& Philippi* 1349. *incipit* 10. *Decembr. fer.* 5.

ANNO MUNDI 4974. Poſt C. 1025.
C. ☉ 26, ☽ 19. *Ind.* 8.

Annus urbis 1777. *Julianus* 1070.
Æra Hiſp. 1063. *Auguſtorum* 1052.

Baſilius Imp. orientis inchoat annum imperii 50.

Annus Hegiræ 416. *incipit* 4. *Mart. fer.* 5.

Guilielmus Dux Aquitaniæ peregrinatum abit in Italiam cum filio ſuo, ut eum commendaret principibus

bus Italiæ, ſi fortè ita regnum Italiæ adipiſci poſſet: ſed cùm videret ſtudia Longobardorum in Conradum, deſtitit incepto. Baron.

Boleslaus *Poloniæ rex primus, cùm annos viginti quinque regnaſſet, moritur die tertio Aprilis: cui ſuccedit Miceslaus filius, qui coronatur cum uxore, in feriis Pentecoſtes; regnatque annos ferè novem.* Hiſt. Pol.

Longobardorum principes in Italia mittunt legatos ad Conradum in Germaniam, qui ipſi de imperio gratulantur, & fidelitatem ipſi jurant; Ticinenſes contra, ne Imperator Germanus ſedem aulæ apud ſe habeat, palatium regium, quod olim Theodoricus ædificaverat, Otto tertius exornaverat, Henricus auxerat, evertunt; quo facto iram Conradi incurrunt. Wippo.

Olympias 451. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1801.

Conradus incipit in Jul. annum imper. 2.

Annus Diocletiani 742. incipit die 29. Auguſti.

Euſtathius Patriarcha Conſtantinopol. cùm annis ſex ſediſſet, moritur menſe Novembri; cui ſuccedit *Alexius,* qui obtinet Patriarcharum annis 18. & menſibus tribus. *Cedr.*

Baſilius *Imp. Conſtantinop. cùm exercitum ad Siciliam recuperandam miſiſſet, incidit in morbum, & moritur menſe Decembri, cùm vixiſſet annos 72. imperaſſet annis 50 Succedit ipſi* Conſtantinus IX. *frater, homo pravus, & Reſp. inutilis, ludicris tantùm deditus, & ſcurris ſeſe delectans; Bonos verò odio proſequens, ideò Nicephorum præſtantiſſimum Ducem oculis privavit.* Cedr.

ANNO MUNDI 4975. Poſt C. 1026.

B. ☉ 17. ☽ 1. *Ind.* 9.

Annus Hegiræ 417. incipit 21. Febr. fer. 2.

Norvegiani *Olaum regem ſuum ob ſimplicitatem repudiant, & Cnutum Daniæ & Angliæ regem ſibi expoſcunt; qui cum quinquaginta navibus adveniens, Olaum regno ejicit, & ita Norvegiæ etiam regnum occupat: Olaus paulò pòſt, cùm regnum regnum recuperare conaretur, à ſuis occiditur.* Rog.

Rudolphus Burgundus promiſerat Henrico II. Imp. ſucceſſionem in regno: At cùm Henricus mortuus eſſet, reſilit. Conradus igitur Imp. *Baſileam,* quæ ad regnum Burgundorum pertinebat, occupat; inde in Burgundiam tendens, Burgundum eò adigit, ut promiſſionem non ſolùm ſervaret, ſed etiam Comes eſſet itineris in Italiam, quam Imperator adornabat, quod & factum eſt: & Conradus filium ſuum coronat regem Romanorum in Germania. In Italia Imperator recipitur ab omnibus, præterquam à Papienſibus, quorum agros vaſtat, commeatu eos intercludit, & fame macerat, donec ſe dederent, & palatium, quod dejecerant, ſuis ſumptibus reædificarent. *VVippo.*

Richardus *Dux Normannorum moritur; ſuccedit Richardus tertius, qui hoc eodem anno moritur; ſuccedit igitur ipſius frater* Robertus. Roger.

Pazinazæ *tranſito Iſtro in Bulgariam irruunt, ſed repelluntur. Sic Saraceni claſſe Cycladas inſulas invadunt, quibus Imperatoris claſſis obviam venit, & cum eis prælio decertat, & duodecim naves cum omni apparatu capit.*

ANNO MUNDI 4976. Poſt C. 1027.

A. ☉ 28. ☽ 2. *Ind.* 10.

Annus Hegiræ 418. incipit die 11. Febr. fer. 7.

Cnutus rex Angliæ, Daniæ & Norvegiæ, hâc hyeme orationis cauſâ Romam proficiſcitur, eoq; pervenit in hebdomade magna, adfuitque coronationi Conradi Imperatoris: impetravit à Pontifice & Imp. multa privilegia ſubditis ſuis, Anglis & Danis, ne ſcilicet pro Palliis redimendis Epiſcopi tantam pecuniam ſolvant, ne peregrinaturi Romam teloniis emungantur, & alia. *Baron.*

Conradus Imp. Romam venit pridiè Cœnæ Dominicæ, & coronatur à Pontifice die Paſchatis, 26. Martii præſente Cnuto rege, & Burgundiæ rege Rudolpho: ſeditionem movent Romani contra Imp. in ipſo Paſchate, ſed vi militum compeſcuntur: ſancitur tum Imperatore, ut Antiſtes Mediolanenſis Imperatorem coronandum Romæ primum conſecret regem Italiæ, & poſtea eundem deducat Romam, ut à Pontifice Imperator coronetur. *Conſt. Imp.*

Alfonſus *rex Legionum in Hiſpania, cùm annos 28. regnâſſet, dum bellum infert Saracenis, in Portugallia, ſagitta vulneratur, & moritur die 7. Maji, æra Hiſp* 1065. *Succedit filius* Veremundus, *qui regnat annos* 10. Marian.

Conradus Imp. in Germaniam reverſus, Würtzburgum venit in feſto Johannis Baptiſtæ, inde Ulmam progreditur. Gvelphus enim Comes Sveviæ bellum intulerat Epiſcopo Auguſtano, ditionem ejus vaſtaverat, & ipſam urbem ceperat, & diripuerat. Vocatus Ulmam deprecatur culpam, & veniam conſequitur. cùm promitteret ſe damnum præſtiturum: Erneſtum verò Ducem Alemaniæ privignum ſuum reum majeſtatis ad vincula damnat, & in arcem Gibichenſtein mittit. *VVippo.*

Eodem in conventu Imperator die 21. Julii monaſterio Murratenſi privilegia quædam de ſylvis & aliis rebus concedit. Annal.

Annus ſabbathicus 4. Jobelei 20. incipit 4. Septemb. fer. 2. Anno Jud. 4788.

Balduinus *filius Balduini Comitis Flandriæ uxorem ducit, filiam Roberti regis Galliæ & propterea patrem ditione ejicit: ſed Pater Balduinus à Roberto Normanno reſtituitur, & filius patri reconciliatur.* Annal. Fland.

ANNO MUNDI 4977. Poſt C. 1028.

GF. ☉ 1. ☽ 3. *Ind.* 11.

Annus Hegiræ 419. incipit die 30. Jan. fer. 4.

Annus Jezdegird 397. incipit 9. Martii, fer. 7.

Armen. 477. incipit 12. Mart. fer. 3.

Imp. Conradus filium ſuum Henricum annos natum XI. à Pilgrino Archiepiſcopo Colonienſi Aquisgrani coronari jubet in hebdomade magna Paſchatis. Wippo.

Robertus rex Galliæ Hugonem filium ante decennium declaraverat regem; ſed is hoc anno moritur, ætatis ſuæ 28. Ex duobus igitur reliquis filiis majorem natu *Henricum* vult ſecum regnare, ſed repugnat mater, quæ præfert Robertum. Hinc diſſenſiones in aula exortæ ſunt, quæ propagantur inde in Status regni, & tandem erumpunt poſt obitum Patris, in bellum civile. Pater tamen hoc anno *Henricum* jubet coronari regem Rhemis. *Glab.*

Guido Aretinus hoc anno edit micrologum, ſive librum de Muſica, anno ætatis trigeſimo quarto.

Imp. Conradus filium ſuum Henricum ante bien-

biennium creaverat regem Bavariæ; Sed rex Hungariæ Stephanus putat id regnum deberi ſuo filio, propter matrem Bavaram, ideò legatos de hac re ad Imperatorem mittit; cùm repulſam ferret, Imperatori bellum indicit, quod poſt biennium geſtum eſt. *Spang.*

Annus Alexandrinus 1340. *Antioch.* 1077. *Conſtantinop.* 6537. *incipit Calend. Octob.*

Conſtantinus Imperator Orientis, die 9 Nov. ægrotare incipit ad deſperationem uſque medicorum, ideò conſultatur de ſucceſſore. Offert conditionem Imperator *Romano* Argyro, ut vel uxorem ſuam dimitteret, & filiam Imperatoris uxorem duceret, & Cæſar fieret, aut oculos ſibi erui pateretur, ne rebellaret, ſi alius conditionem hanc acciperet. Uxor Argyri, ne conjugi periculum crearet, ſtatim ſibi comam præſcindi curat, in monaſterium abit, & fit monialis: ipſe verò Argyrus Cæſar. Et Conſtantinus moritur, cum imperaſſet annos tres. *Cedr.*

Annus Nabonaſſaris 1777. & *Philippi* 1353. *incipit* 9. *Decemb fer.* 2.

Romanus *coronatur Imperator in feſto Nativitatis Chriſti, & imperat annos quinque, menſe ſex.* Cedr.

ANNO MUNDI 4978. Poſt C. 1029.

E. ☉ 2. ☽ 4. *Ind.* 12.

Annus urbis 1781. *Julianus* 1074.

Æra Hiſpan. 1067. *Auguſtorum* 1056.

Annus Hegira 420. *incipit* 19. *Jan. fer.* 1.

Erneſtus *Dux Alemannia iterum Vitrico Imperatori rebellat, ideò ſententiâ principum Ducatu excidit, qui datur Hermanno fratri, cui rebellio hæc diſplicuerat.* Hep.

Garſias *Caſtella Comes Junior in ipſis nuptiis, die 13. Maji, trucidatur, cui ſuccedit Sanctius rex Vaſconum & Navarra. Hujus Sanctii filius poſtea fit hæres regni Legionis, & ita regna Hiſpania ferè ad hunc unum delata ſunt.* Marian.

Conſtantinopoli tumultus ingens concitatur in feſto Pentecoſtes, in templo inter clericos, qui diſceptabant de ſeſſione, ſive de loco ſuperiori. Cedr.

Olympias 452. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1805.

Imp. Conradus inchoat annum imp. 6.

Annus Diocletiani 745. *incipit die* 29. *Auguſti.*

In Galliis Lemovicenſis ſynodus agitur, in qua diſceptatur, an D. *Martialis* inter Apoſtolos vel confeſſores collocandus ſit. Probationes, quòd inter Apoſtolos referendus ſit, afferuntur ex antiquis libris, & autoritate Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ & Anglicanæ; ſed altera pars provocat ad Pontificem. *Baron.*

Stella ultimo Octobris die ab occaſu verſus ortum trajicitur, quo die claſſis Romani magnam patitur cladem, propè Antiochiam Syria. Cedr.

Imbres hoc autumno continuati ſunt uſq; ad menſem Martium ſequentis anni: unde inundantes facta, quibus perierunt pluria animalia. Cedr.

Conradus *Imp. ſancit. legem Ratisbona de proprietate ſylvarum & venationis jure: item de bonis Eccleſia non abalienandis.* Conſt. Imp.

ANNO MUNDI 4979. Poſt C. 1030.

D. ☉ 3. ☽ 5. *Ind.* 13.

Annus Hegira 421. *incipit die* 9. *Jan. fer.* 6.

Hungari ob Bavariam, ſibi, ut putabant ereptam, bellum inferunt Bavariæ, eamque vaſtant. *Conradus* igitur exercitu fortiſſimo collecto in Hungariam movet, eam longe lateque vaſtat, ad Jaurinum uſque: inde commeatuum inopiâ preſſus in Germaniam redit, Stephanus verò, cùm videret bellum hoc non eſſe ſuarum virium, & quòd filius Emericus, cui, ut putabat, Bavaria debebatur, mortuus eſſet, per Henricum filium Imperatoris pacem petit, & impetrat. *Wipo.*

Dum Imperator in Hungaria eſt, Erneſtus Ducatu pulſus, vaſtat Imperatoris ditiones. Comes Imperatoris Manegold cladem ulturus ſeſe Erneſto opponit, ſed in velitatione uterque cecidit, factum die 18. *Auguſti.* Wippo.

Piſani in Italia contra Saracenos decertant, & regem eorum capiunt, quem Romam deducunt, ubi baptiſatur. Annal. Svev.

Imperator Orientis Romanus expeditionem in Syriam inſtituit, qua ipſi infeliciter ceſſit. Nam interra ſicca a Saracenis aqua prohibetur, & tandem caſtris exuitur; à Ducibus tamen quibusdam ex ſuis, ferocia Saracenorum comprimitur. Sic præterea eodem hoc anno res in Sicilia contra Saracenos malè adminiſtrata fuit, ob Ducum vel imperitiam, vel ignaviam, vel malitiam. Ced.

Annus Hegira 422. *incipit* 29. *Dec. fer.* 3.

ANNO MUNDI 4980. Poſt C. 1031.

C. ☉ 4. ☽ 6. *Ind.* 14.

Roberti regis Gallia filii, Henricus & Robertus bello civili inter ſe digladiantur, matre ferè autore. Robertus pater contra etiam exercitum colligit ſed cùm interrogaſſet Wilhelmum quendam Abbatem de eventu hujus calamitatis, reſponſum accipit, ipſi hoc ferendum eſſe, qui ipſe patrem ſuum hujusmodi bello afflixiſſet, ideò de concordia fratrum, actum & res ſopita eſt. Glaber.

Dominicus monachorum patronus, qui plurima monaſteria fundavit, moritur in Campania, in cœnobio Soræ octuagenarius ferè. *Chron. Caſſin.*

Amer *Saracenorum præfectus Chalepi Conſtantinopolin venit ad Imperatorem, fœdusque, quod olim etiam fuerat, renovat, & tributum conſuetum offert.* Cedr.

Annus Hegira 423. *incipit die* 19. *Dec. fer.* 1.

ANNO MUNDI 4981. Poſt C. 1032.

BA. ☉ 3. ☽ 7. *Ind.* 15.

Vandalorum Princeps Miesko fratrem ſuum ditione ejecerat, qui confugit ad Imperatorem Conradum: ſed Miesko bellum perſequitur, vaſtatque regiones Imperatoris intra Salam & Albim, ultra centenos pagos vaſtat, abducitq; ultra novem millia hominum in captivitatem: Conradus contrà, Ottonem in principatum ſuum reducit abſque ulla vaſtatione gentis. Miesko in anguſtias redactus pacem petit, quæ ipſi conceditur, cum pagos & homines abductos & prædam reſtituiſſet. Spang.

Annus Jezdegird 401. *incipit die* 6. *Mart. fer.* 4. *Armen.* 481. *die* 11 *Mart. fer.* 7.

Romanus Orientis Imp. iterum exercitum in Syriam educit; interim inſidiæ ipſi ſtruuntur, quæ deprehenſæ puniuntur, conjugis etiam ſuæ ſoror, ne rebellionis cauſam aliquando præberet, in monaſteriū detru-

detruditur. Poſtea die 28. Julii Stella *noctu trajicit à meridie verſus Septentrionem, quæ terram fulgore ſuo illuminavit. Paulo poſt triſtes nuncii ex Meſopotamia veniunt, Saracenos ibi longe lateq; graſſari; item Pazinaces, Iſtro transmiſſo, Myſiam & Illyrici ora incendiis uſque ad Corcyram vaſtare.* Cedr.

*Annus Alexandr.*1344. *Antioch.*1081. *Conſtantinop.*6541. *incipit Calend. Octob.*

*Annus Nabonaſſar.*1781. *& Philippi* 1357. *incipit* 8 *Decembr. fer.*6.

Annus Hegiræ 424. *incipit* 7. *Decemb. fer.* 5.

Rex Burgundiæ Rudolphus moritur: atq; ita hoc regnum deſiit, cùm decem reges habuiſſet, & ſtetiſſet annis ferè 144. Odo *filius ſororis Rudolphi id regnum invadit, & præcipua loca præſidiis munit, cùm Imperator Conradus tum temporis Sclavis bellum inferret. Sed Conradus facta pace cum Sclavis, ferè media hyeme in Burgundiam movet, quædam caſtella obſidet, ſed vehementiâ frigoris impeditus in Germaniam redit.* Hepid.

ANNO MUNDI 4982. Poſt C. 1033.
G. ☉ 6. ☽ 8. *Ind.* 1.

Annus urbis 1785. *Julianus* 1078.
Æra Hiſpan. 1071. *Auguſtorum* 1060.

Romanus Argyrus in Oriente incipit annū imp. 5.

Stella *die* 28. *Febr. iterum à Septentrione verſus meridiem trajicit, cum ſonitu & fragore, & viſa fuit uſque ad diem* 15. *Martii. Inde Saraceni mille navibus inſulas maritimas invadunt; qui tamen fortiter à Nicephoro repelluntur, & quingenti captivi ad Imperatorem mittuntur. Et præfectus Meſopotamiæ Edeſſam ex Inſidiis Saracenorum eripit, munit & præſidiis firmat.* Cedr.

Imp. *Conradus* ineunte æſtate iterum in Burgundiam venit, urbes expugnat, & Odonem pellit, omnia inde ſibi ſubjicit, uſque ad Genevam, ubi ab Heriberto Mediolanenſi Archiepiſcopo, & cæteris Italiæ ac Burgundiæ principibus honorificè ſuſceptus, Calendis Auguſti rex Burgundiæ coronatur. *Hepid.*

Ecclipſis Solis annotatur ab omnibus hujus temporis Scriptoribus, quæ facta ſit die 29. *Junii, in meridie: de ea Glaber, qui eam vidit, ſic ſcribit: Die tertia Calend. Julii, feriâ ſexta, Lunâ vigeſima octava, facta eſt ecclipſis ab hora diei ſexta, uſque in octavam, nimium terribilis. Nam Sol ipſe factus eſt Saphiri coloris, gerens in ſuperiore parte ſpeciem Lunæ quartæ. &c. Ea invenitur ad haſce tabulas poſt mediam noctem, hor.*11, 4.20. *Parallax. latitud.*24,15. *Latitudo Sept.*22, 35. *Viſa* 1,40. *Semid. Solis* 15, 1. *Summa ſemidiam* 30,9. *Scrup. reſidua* 28.29. *Digiti ecclipt.*11,12. *major aliquanto quàm à Glabro deſcribitur, & prior etiam. Sol in* 12, 30. *Cancri.*

Robertus *rex Galliæ, cùm annos* 34. *regnaſſet, moritur; diebus* 21. *poſt factam Ecclipſin, die videlicet* 20. *Julii, ut Glaber expreſſè ſcribit. Idem tamen, ut & alii, ſcribit, Robertum mortuum* 20. *Julii præcedentis anni, feria tertia. atque ita certum quid pronunciari vix poteſt; ſuccedit ipſi filius Henricus, qui regnat annis* 27. *ferè.*

Olympias 453. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1809.

*Conradus imperator inchoat annum Imper.*10.

Annus Diocletiani 750. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Milcolumbus *rex Scotiæ, cum annos* 30. *regnaſſet, moritur; ſuccedit* Donaldus, *qui regnat annos ſeptem.* Buch.

Amyras Ægypti, cujus mater Chriſtiana fuit, perſuaſus à matre, concedit Imperatori, ut templum ſepulchri Chriſti, quod deſtruxerat ante annos 23, reædificetur. Romanus igitur mittit, qui ædificationi præſint. *Cedr.*

Papa Johannes XIX cùm ſediſſet annos 9. menſes octo, moritur 6. Novemb. ſuccedit ipſi autoritate Alberici Comitis Tuſculani, qui ſuffragia pecuniâ emerat, *Benedictus IX.* puer undecim annorum, qui ſedet annis undecim, ut habet Glaber apud Baronium.

Annus Hegiræ 425. *incipit* 26. *Novemb. fer.* 2.

ANNO MUNDI 4983. Poſt C. 1034.
F. ☉ 7. ☽ 9. *Ind.* 2.

Terræmotus Syriam affligit die 17. *Febr. duravit ibi & Conſtantinopoli dies* 40. *quo tempore Romanus Imp. Orientis morbo ſubito conficiebatur, quòd ipſi venenum à conjuge Zoa, quæ Michaelem quendam deperibat, præbitum fuerat. Capilli & barba in univerſum defluxerunt ipſi, tandem die* 15. *Aprilis, fer.* 2. *in Paſchate ſuffocatur in balneo, ab adultero illo Michaele, cùm imperaſſet annos quinq; & menſes quatuor: Eadem nocte Michael à Patriarcha accerſito, & niſi pecunia interveniſſet coacto, coronatur Imp. quod tamen & Imperatrici & Michaeli malè ceſſit. Nam Michael animo ita motus fuit, ut pro imperio nihil agere poſſet; fratres autem habuit binos Johannem, qui Imperatricis partes egit, & Zoam Imperatricem planè à gubernatione removit, & Johannem, qui hoc anno Antiochiam cum exercitu mittitur; ubi cùm ad nutum receptus eſſet, centenos viros primarios urbis contra jusjurandum crudeliter occidit.* Cedr.

Micislaus Poloniæ rex, cùm annos ferè novem regnaſſet, moritur, die 15. *Martii. Reliquit filium impuberem Caſimirum, cujus mater, cùm regnum adminiſtrare vellet, inſolentius ſe gerit. atq; propterea regno pellitur, quæ ſecum ſumto theſauro fugit in Germaniam, ubi poſſeſſiones ſibi emit, atque ita fit interregnum in Polonia annis ſeptē: Caſimirus enim in Galliam abierat Lutetias, ibi cùm bonis artibus ſeſe dediſſet, poſtea Italiam luſtravit, & tandem factus eſt monachus Cluniacenſis.* Hiſt. Pol.

Annus ſabbathicus 5. *Jobelei* 20. *incipit die* 16. *Sept. fer.* 2. *Anno Jud.* 4895.

Cùm Odo iterum Burgundiam invaderet, Conradus iterum Burgundiam petit, & Odonem cum complicibus penitus pellit. Wippo.

Fridericus *Moſellanorum dux moritur abſque hæredibus maſculis: ideo Ducatus ille conſenſu Imperatoris Conradi devolvitur ad Gozelonem Lotharingiæ ducem: qua re ejus potentia mirificè aucta eſt.* Sigeb.

Annus Hegiræ 426. *incipit die* 16. *Nov. fer.* 7.

ANNO MUNDI 4984. Poſt C. 1035.
G. ☉ 8. ☽ 10. *Ind.* 3.

In Italia ſeditiones gliſcunt, atque adeò milites Imperatoris in Italia contra Duces tumultuantur. Poteſtate enim ſuâ Duces videbantur abuti, & ſeditio hæc ſedari non potuit, niſi reſcripto Imperatoris. Eodem tempore Imperator filio ſuo Henrico dat uxorem filiam Cnuti regis Angliæ, Daniæ & Norvegiæ. *Hepid.*

Saraceni *menſe Majo ex Africa & Sicilia oram*

Thracia & Cycladas inſulas crudeliter vaſtant: effuſi tamen populantes trucidati ſunt, & multi vel palis ſuffixi, vel in captivitatem abducti. Ced.

Terræmotu hiatum factum eſſe dicit Cedrenus, & quinque oppida abſorpta.

Berengarius de Sacramento Euchariſtiæ docet contra Eccleſiæ ſententiam, dum negat corpus Chriſti ibi eſſe; idque ubiq; divulgatur, Henricus rex Galliæ de hac re Concilium convocandum cenſet, ſed diſſuadet id Leodienſis Epiſcopus Durandus, qui putat hæc prius Pontifici Romano ſignificanda. Baron.

Albertus Dux Carinthiæ offendit Imperatorem, ideo Ducatu excidit, & in exilium mittitur. Wippo.

Conradus Imp. die 15. Septembr. mercatoribus concedit immunitates in itinere Magdeburgico. Conſtit. Imp.

Sanctius Major Caſtellæ rex, cum annos 34. regnaſſet, trucidatur die 19. Octobris. Diviſerat autem regnum Hiſpaniæ ſuis filiis quatuor æqualiter; at hi æmuli magnitudinis paternæ, dũ quisq; alterius ditiones ambit, infinitis malis regnum involvunt. Regnavit autem Ferdinandus annos 30. Garſias annos 18. Ranimirus in Aragonia 32. Marian.

Annus Hegiræ 427. incipit die 5. Nov. fer. 4.

Cnutus rex Daniæ, Angliæ & Norvvegiæ, filium ſuum Svein facit regem Norvvegiæ, Hardecnutum regem Daniæ, & Haroldum regem Angliæ, moriturque die 12. Nov fer. 4. Rogerius.

Bellum geritur in Lombardia Italiæ, ubi claſſis Saracenorum vincitur, & hyems ſecuta eſt aſperrima, & Pazinacæ Iſtro transgreſſo Myſiam & Thraciam ad Macedoniam uſque crudeliſſime vaſtant, non tantum hâc hyeme, ſed & ſequenti vere. Cedr.

ANNO MUNDI 4985. Poſt C. 1036.

D C. ☉ 9. ☽ 11. Ind. 4.

Annus Jezdegird 405. incipit die 7. Martii, fer. 1.

Armen. 485. die 10. Martii. fer. 4.

Haroldus Cnutonis filius in Angliam venit, quæ ita diſtributa à parente fuerat, ut Hardecnuto fratri etiam partem ejus daret. Et cum ipſe in Angliam non veniret, Haroldus eam totam ſibi ſumſit, regnavitque annos quatuor, menſes 4.

Balduinus Flandriæ Comes moritur die 30. Martii; cum annis 48. Comitatum rexiſſet, ſucceſſit filius Balduinus, qui eundem tenet annis 34. Annal. Fland. qui addunt, partem Normannorum, ducibus Wiſcardo & Richardo, Italiam invaſiſſe, & ſedes ibi poſuiſſe hoc anno.

Amiras Saracenus in Ægypto moritur; vidua ejus Chriſtianæ religioni dedita, legatos Conſtantinopolin mittit, de pace, quæ concluſa eſt in annos 30. Ced.

Ranimirus Aragoniæ rex ducit uxorem die 22. Auguſti, Lunâ 25. & paulo poſt Mauros quoſdam ſibi tributarios facit. Blanca.

Annus Alexandræus 1348. Antioch. 1085. Conſtantinopol. 6545. incipit Calend. Octob.

Svinus Norvegiæ rex, æmulus paternæ virtutis, Scotiam invadit, id regnum ſibi ſubjecturus. Sed Donaldus rex adeò eum variis præliis affligit, ut nemo ferè in Norvegiam rediret: ideo apud eos lege ſancitum, de Scotia non amplius invadenda. Buch.

Annus Hegiræ 428. incipit 24. Octob. fer. 1.

Annus Nabonaſſaris 1785. & Philippi 1361. incipit die 7. Decemb. fer. 3.

Popularis ſeditio viguit in Italia ferè per totam æſtatem, ideò imperator eò advocatur; cùm interim præfecti & comites ſeipſos defendere conarentur, clade affecti ſunt; ideo Imperator in hyeme ipſe in Italiam tendit, & Veronæ Natalitia celebrat. Wippo.

ANNO MUNDI 4986. Poſt C. 1037.

B. ☉ 10. ☽ 12. Ind. 5.

Annus urbis 1789. Julianus 1082.

Æra Hiſpan. 1075. Auguſtorum 1064.

Imp. Conradus, cum intellexiſſet, omnem rebellionem in Italia extitiſſe autore Heriberto Epiſcopo Mediolanenſi, eum captum Patriarchæ Aquileienſi cuſtodiendum tradit, ubi fugâ elapſus, cunctis viribus Imperatori bellum facit. Imperator igitur Paſchatis feſto Ravennæ acto, Mediolanum repetit urbem obſidet, agrum ejus vaſtat, & ad deditionem compellit, & Epiſcopos, Placentinum, Cremonenſem & Vercellenſem in exilium mittit, & totum hunc annum in Italia in rebus iſtis componendis conſumit. Contractus.

Eclipſis Solis annotatur in fragmentis Gallicis, quæ facta ſit hora diei primâ, die Lunæ, poſt Quaſimodogeniti, ita ut pars tantum appareret Solis, qualis eſt Lunæ ſecundæ; & circa horam tertiam habuit ſpeciem Lunæ quintæ &c. factaq; eſt eodem tempore, cum Conradus eſſet in Italia, & Odo Lotharingiam vaſtaret; ubi Gozelo Lotharingius Imperatori fidelis collecto exercitu Odonem reprimit, & conſerto prælio eum apud Barum trucidat. Hæc Eclipſis ita invenitur, quod acciderit horis poſt mediam noctem 8,21. Parall. latit. 42,22. Latitudo vera 46,8. viſa 3,56. Semid. Solis 15,13. Summa Semidiam. 30,10. Scrup. reſidua 26,14. Digiti Eclipt. 10,21. Sol in 3,37. Tauri, atq; ita hæc eclipſis poſterior eſt, quàm debebat, & minor, cum quæ ante quadriennium fuerat, & prior & major exhibebatur, quàm autor definit.

Olympias 454. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1813.

Michael Imp. Orient. inchoat annum imp. 4.

Conradus in Septemb. 14.

Annus Diocletiani 754. incipit die 29. Auguſti.

Annus Hegiræ 429. incipit die 14. Octob. fer. 6.

Edeſſa hac æſtate à Saracenis vehementiſſimè oppugnatur, ſed fortiſſimè defenditur. Ced.

Siccitas ingens fuit per totam æſtatem, unde ſterilitas & inopia frumenti: (coëmta ſunt Conſtantinopoli modiorum centena millia, quibus annona ſublevata fuit. Ced.

Babylon hoc anno, ut Scaliger habet in animadv. ad Euſeb. everſa & ſolo eſt æquata.

Saraceni fratres in Sicilia diſceptant de principatu inſulæ, quorum alter Imperatorem Conſtantinopolitanum in exilium evocat, alter Amiram Saracenum in Ægypto: Auxilia Imperatoris Saracenos aliquoties vincunt, ſed cum fratres Saraceni in concordiam viderentur coire, Romani, ne ab utroq; oppugnarentur, inde diſcedunt; libertatis tamen ex captivitate ad quindecim millibus hominum. Ced.

ANNO MUNDI 4987. Poſt C. 1038.

A. ☉ 11. ☽ 13. Ind. 6.

Conradus Imp. in Italia hybernat Parmæ, ubi cives ſeditionem movent contra Imperatorem, ſed ita compeſcuntur, ut multi cives caderent, & urbs inſuper cremaretur. Inde capuam venit in vigiliis Pentecoſtes, Pandulphum, qui Caſſinenſe cœnobium plurimum afflixerat, principatu dejicit, & eundem Gaumario Salernitano tradit. & in

Germa-

Germaniam revertitur. In itinere peſtis ingruit in exercitum, quâ multi defuncti ſunt, inter alios etiam Conradi conjux, & Hermannus filius Imperatricis. Conradus vero, cùm in Germania omnia pacata inveniſſet, abiit in Burgundiam, idq; regnum filio ſuo Henrico tradit, cum Ducatu Sueviæ, qui fuerat Hermanni. *Contract. & alii.*

Veremundus *rex Legionis, ſuperiori anno bellum intulerat* Ferdinando *Caſtellæ regi, & trucidatus fuerat: Ferdinandus igitur totum* Legionis *regnum cum urbe occupat, & inauguratur rex, die 22. Junii, feriâ quinta; regnavitque inde annis 28, menſibus 6.*

Stephanus *Hungariæ rex moritur, cùm annis 41. regnaſſet, & religionem plurimum propagaſſet; ſuccedit Petrus ex ſorore nepos, qui tyrannice agit cum ſubditis; ideo tandem regno pellitur.* Bonf.

Annus Hegiræ 430. incipit die 3. Octob. fer. 3.

Saraceni *ſpecie pacis*, Edeſſam *recuperare conantur, miſſis quingentis camelis, qui viderentur munera Imperatoris Orientis afferre; ſed ſinguli ferebant, quatuor milites, ſed opera cujuſdam mendici fraus detecta fuit, & duces cum militibus & camelis capti.* Cedr.

Magna annonæ caritas fuit hoc anno Theſſalonicæ & alibi, & Epiſcopus ejus loci egentes non ut debebat, ſublevabat, cùm Imperator ibi eſſet, & negabat ſibi quicquam pecuniæ eſſe: Imperator igitur quæri apud ipſum juſſit, & inventi ſunt auri centenarii triginta tres, quos Imperator ſibi juſſit afferri, diſtribuitq; quibus debebatur. *Baron.*

Imperator Orientis fortem exercitum Duce Maniace in Siciliam mittit, ad ejiciendos Saracenos. Saraceni diſcordiâ, quâ diſcerpebant, depoſitâ, ſeſe fortiter opponunt. ſed prælio facto, ingenti clade vincuntur, & 13. urbes Romano imperio iterum ſubjiciuntur. Cedr.

Bretislaus, *cùm Polonia abſque rege eſſet, expeditionem ſuſcipit in Poloniam, & eam longè lateque vaſtat, & cum multa præda in Bohemiam revertitur:* Adducitq; ſecum oſſa Alberti Epiſcopi olim Pragenſis. Gneſenſis Epiſcopus, & proceres regni conqueruntur hâc de re apud Pontificem, & obtinent hanc ſententiam, ut Bretislaus ſub pœna excommunicationis omnia reſtituat: Sed Bretislaus muneribus effi it Romæ, ut impunitus abiret. *Baron.*

ANNO MUNDI 4988. Poſt C. 1039.

G. ☉ 12. ☽ 14. *Ind. 7.*

Ludovicus cognomine barbatus, Comes Aurelianenſis, cùm fuiſſet Marſchallus imperatoris Conradi, *tandem commendatur Epiſcopo Moguntino, ut præficeretur Thuringiæ; qui cùm provinciam bene & ſapienter adminiſtraſſet, & arcem Schaumburgenſem ædificaſſet, à Conrado creatur Comes provincialis Thuringiæ, & accepit etiam inſignia, quæ poſtea ad Landgravios Thuringiæ & Haſſiæ pervenerunt.* Spang.

Henricus *Comes Lovanienſis & Bruxellenſis, cùm Comitatum rexiſſet annis 23. moritur; ſuccedit ipſi frater Lambertus cognomine barbatus, qui eundem adminiſtrat annis 16.* Chron. Belg.

Conradus *Imp. cùm Trajecti eſſet in feſto Pentecoſte ſubito morbo corripitur, & moritur die 4. Junii, fer. 2. cùm imperaſſet annis 14. menſibus 10. diebus 22. Sepelitur Spiræ Nemetum. Succedit ipſi* Henricus III. *filius, qui imperat annis 17. menſibus 4.*

Ecclipſis Solis annotatur poſt mortem Conradi Imp. quæ acciderit horâ ſexta diei, ſcilicet & meridie, die 22. Auguſti, eaque ita eodem die invenitur minutis 20. poſt meridiem, fer. 4. Parallaxis latitud. 35,50. Latitudo vera Septent. 27,52. Viſa 7,58. Semid. Solis 15,19. Summa Semidiamet. 30,39. Scrup. reſidua 22,54. 1. Digiti ecliptici 8,53. Sol in 4. gradu Virg.

Haraldus *rex Daniæ, cum annos 4. regnaſſet, moritur; ſuccedit ipſi frater ex Dania* Hardecnutus, *qui regnat tantum annos binos.* Roger.

Annus Hegiræ 431. incipit die 22. Sept. fer. 7.

Theodoricus *Comes Hollandiæ, cum peregrinatus eſſet Hieroſolymam, ibidem moritur die 27. Decembris, cum Comitatui præfuiſſet annis 46. Succedit ipſi filius Theodoricus, qui eundem regit annis novem.* Beka.

ANNO MUNDI 4989. Poſt C. 1040.

FE. ☉ 13. ☽ 15. *Ind. 8.*

Conſtantinopoli & in Aſia ingens terræ motus, quo Smyrna urbs ferè tota corruit, menſe Feb. accidit: Et paulò poſt Saraceni ex Africa iterum in Siciliam claſſem mittunt cum exercitu, ſed à Maniace iterum tanta clade afficiuntur, ut uno prælio ad quinquaginta hoſtium millia caderent; cum fere tota Sicilia recepta eſſet, Maniaces Dux calumniis petitus captivus Conſtantinopolin abripitur, & ſucceſſor Stephanus mittitur, imperitus rerum, qui totam Siciliam iterum amittit. Sola Meſſiana operâ Ambuſti fortiter defenditur, cùm obſideretur, & tandem die Pentecoſtes eruptione pugnans obſidionem ſolvit, & caſtris hoſtium potitur. *Cedr.*

Annus Jezdegird *409. incipit 6. Martii, fer. 5. Armen. 489. die 9. Mart. fer. 1.*

Robertus *Dux Normanniæ peregrinationem ſuſceperat in terram ſanctam voti cauſa, qui cum hoc anno rediret, moritur in Bithynia. Succedit ipſi Guilielmus filius, apud quem exulabat Edvardus rex Angliæ exul; is promittit Guilielmo, ſi ſe adjuvaret in recuperando regno, ſucceſſionem ſiquidem abſque liberis moreretur; & hoc jure poſtea Guilielmus regnum Angliæ occupavit.* Polyd.

Donaldus *Scotiæ rex cum annis ſeptem regnaſſet, moritur in Bithynia; ſuccedit ipſi* Macbetus, *qui regnat in Scotia annis 17.* Buch.

Status regni Polonici conqueruntur apud Henricum de vi, injuriis, & ſpoliis ducis Bohemiæ Bretislai, & quòd ſe ſcribat legem Poloniæ, & aliquot arces præſidiis firmaſſet. Imperator monet Bretislaum, ut ab injuriis deſiſtat: Sed Bretislaus contrà Imperatori bellum facit. & omnes aditus Bohemiæ concaedibus impedit: Imperator bipartito exercitu, altero per Sileſiam, altero per Bavariam, quem exercitum ipſe ducebat, in Bohemiam irrumpit, ſed clade afficitur, & alter exercitus tantum vaſtata Bohemiâ etiam recedit. Spang.

Annus Hegiræ 432. incipit die 11. Sept. fer. 5.

Annus Alexandræus 1352. Antioch. 1089. Conſtantinop. 6549. incipit Calend. Octob.

Bulgari hoc anno ab Imp. Orientis deficiunt, duce Petro, qui ſervitutē ſervive at, & ſtirpem regiam mentiebatur; Imperator eò exercitum mittit cum Duce, qui crudeliter habebat milites, ideò à militibus interficitur, & milites illi, ne puniantur, ad hoſtes concedunt, atq; ita Imperatorem Theſſalonicæ invadunt, eum fugant, & theſauro ejus

potiuntur. Petrus ita perſequitur victoriam, & Dyrrachium capit, & alias provincias occupat, quòd ipſis à præfectis avarè imperaretur. Hæc rebellio tamen ultra annum non duravit, cùm Duces ſeſe mutuò interficerent. *Cedr.*

Annus Nabon-aſſaris 1789. & Philippi 1356. incipit 6. Decemb. fer. 7.

ANNO MUNDI 4990. Poſt C. 1041.
D. ☉ 14. ☽ 16. *Ind. 9.*
Annus urbis 1793. *Julianus* 1086.
Æra Hiſpan. 1079. *Auguſtorum* 1068.

Polonorum ſtatus erat turbulentiſſimus, quòd regem non haberent; ideò concludunt, Caſimirum filium Boleſlai, qui cum matre in Germaniam exulatum abierat, revocandum ad regnum. Eum dum inquirunt, inveniunt matrem Brunſuici, ipſum verò in cœnobio Cluniacenſi in Gallia, ubi & Monachus factus erat, & jam Diaconus, ideo apud Pontificem agunt, ut is ex cœnobio dimittatur ad regnum, quod impetrant, cùm promitterent, ſe comam ultrà auriculas non alturos, & de ſingulis capitibus in Polonia ſingulos nummos Romam miſſuros quotannis, & lucernam in æde Petri ſemper arſuram; regnavit Caſimirus annos 18. *Hiſt. Pol.*

Imp. Henricus *poſt comitia Selingſtadiana iterum movet in Bohemiam felici eventu. Vincit enim Ducem Bohemiæ, & diebus 42. Bohemiam vaſtat, & Pragam obſidione cingit. Leopoldus etiam Auſtriacus aliquot urbes Bohemo eripit, adeò ut cogeretur Bretislaus de pace agere, qui datis obſidibus promittit, ſe Imperatoris ſententiæ ſtaturum; ubi recipitur in gratiam, regium titulum deponit, & manet Dux Bohemiæ.* Coſm.

Petrus *Hungariæ Rex, quòd crudelius ſubditos tractaret, ab Hungaris pellitur, & ad Imperatorem confugit: Hungari Abanum regem faciunt, qui volunt Petrum dedi ſibi, aut minantur bellum. Cùm hoc negaretur, tribus exercitibus in Germaniam irruunt: Sed quòd non ſine clade prædarentur, de prædâ non magnoperè gloriari potuerunt.* Spang.

Michael Imp. Orientis inchoat annum imper. octavum Henricus tertium.

Olympias 455. incipit die 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 817.

Annus Diocletiani 758. incipit 29. Auguſti.

Annus Hegiræ 433. incipit die 31. Aug. fer. 2.

Eodem die etiam 31. Aug. init. Annus ſabb. 6. Jobelei 20. anni Judaici 4802.

Arduinus *Præfectus Apuliæ, à Græcis injuria affectus, cum Ranulfo & Normannis, quorum multi in Italiam hoc tempore confluebant, conſilia init de Græcis Italiâ ejiciendis; & magna celeritate præcipuas urbes Apuliæ occupat, & Imperatoris Conſtantinopolitani exercitum bis vincit, & ita Normanni Apuliam occupant.* Chron. Caſſ.

Michael *Paphlago Imp. Orientis, cùm imperâſſet annis 7. & menſibus octo, moritur; die 10. Decemb. Succedit* Michael *Calaphates auxilio Zoes viduæ ſed imperat tantùm quatuor menſes, cùm coronandus vertigine oborta corrueret.* Cedr.

ANNO MUNDI 4991. Poſt C. 1042.
C. ☉ 15. ☽ 17. *Ind. 10.*

Michael Imperator Orientis, pertæſus conjugis *Zoes* jam vetulæ, eam ablegat, & in monialem detonderi jubet, die viridium. Sed cùm cives fieri hoc ſenſiſſent, tumultum cient, Imperatorem lapidibus inſequuntur, & cogunt, ut eam revocaret: quo facto ipſi Imperatori oculos eruunt, & in cœnobium detrudunt die 21. Aprilis, cùm imperâſſet menſes 4. ſuccedit in imperio aſſumtus in matrimonium Zoes *Conſtantinus* Monomachus, die undecimo Junii, & poſtridie coronatur, imperatque annis 12. *Ced.*

Henricus *Mutinenſibus concedit, ut civitatem ſuam contra hoſtes muniant, & alveum fluvii ſui augeant ad merces in Padum, & inde Venetias avehendas.* Conſt. Imp.

Henricus *Imp. cum exercitu in Hungariam movet, Hungarorum regem Abanum bis prælio vincit, Presburgum expugnat, & Abanum pellit, & alium principem Hungariæ præficit, cùm nollent Petrum regem habere.* Spang.

Hardecnutus *rex Anglorum, cùm fratris ſui Haraldi acta infirmaſſet, & ipſum ex ſepulchro ejici & abjici juſſiſſet, ſubitò in convivio apoplexiâ correptus, mutus corruit die 20. Julii, feriâ tertia, & ita expiravit, cùm duobus annis regnâſſet: ſuccedit ex Normannia accerſitus* Alfredus *Edelredi filius, qui legem ſancit, ne Danus quiſpiam poſthac in Anglia regnaret. Regnavit autem Alfredus vix paucis menſibus.* Polyd.

Annus Hegiræ 434. incipit die 21. Aug. fer. 7.

Die 6 Octob. Cometa *apparuit toto illo menſe, progrediens ab Oriente in Occaſum.* Ced.

Servii *rebellant Imperatori Orientis, & viciniam vaſtant. Imperator mittit, qui eos compeſcat: qui collecto magno exercitu in Serviam irruit, ſed imperitus belli, cùm præſidia nuſquam conſtituiſſet, in anguſtiis deprehenditur, & quadraginta millia militum amittit, ipſe vix evadit.* Cedr.

Maniaces, *qui in Sicilia egregiè res geſſerat, in Italiam mittitur, ſed infenſus Imperatori ab ipſo deſciſcit, & coronam ſibi imponit, & ad Bulgaros deficit, à quibus Imperator conſtitui poſſet; ibi Imperatoris exercitum quidem vincit, ſed ipſe ſimul lethaliter vulneratur, & moritur.* Ced.

ANNO MUNDI 4992. Poſt C. 1043.
B. ☉ 16. ☽ 18. *Ind. 11.*

Alexius Patriarcha Conſtantinopolitanus cùm ſediſſet annos 18. moritur die 20. Febr. Collegerat hic ad octies centena millia aureorum, quos Imperator ad ſe recepit, & ordinat Patriarcham Michaelem Cerularium, die 25. Martii, qui ſedet annis 15. *Ced.*

Alfredus *rex Angliæ moritur, cùm paucis menſibus ſediſſet; ſuccedit Patruus* Eduardus, *qui coronatur in Paſchate, die tertio Aprilis, regnatq; annis* 24. Rog.

Aban *Hungarorum Rex, petit ſibi regnum relinqui, ſed Imperator dimittit ejus legatos ad Bavaros, quos vaſtârat. Cum nihil impetrarent, Imperator ſtatim in Hungariam movit, & Abanum ita terruit, ut ſe dederet, & omnia polliceretur; ibi Imperator Alberto Bavaro, qui fideliſſimam operam præſtiterat in Hungaria, partem de ſuperiori Hungaria ipſi tradit, quam Imperator reſpectu Germaniæ* Auſtriam *appellavit.* Dubrav.

Annus Hegiræ 435. incipit die 10. Aug. fer. 4.

Maslaus, *qui ſe Maſoviorum Ducem fecerat, &*

à regno

à regno Polonico defecerat, per Caſimirum regem Poloniæ ducatu pellitur, cum gravi prælio victus eſſet: ſed aſſumpſit Boruſſorum auxilia, & ceciderunt Maſoviorum quindecim millia, & ſic quievit. Hiſt. Pol.

Ruſſorum regulus Bladmerus, homo audax & iracundus, ob interfectum quendam nobilem Imperatori bellum indicit, colligitque exercitum quinquaginta millium, Imperator contra eos proficiſcitur, & eorum quindecim millia occidit, & paulò poſt eoſdem claſſe vincit, atque ita Ruſſi ad ſua redeunt. *Cedr.*

Hoc anno multi inſidias Imperatori ſtruxerunt, qui deprehenſi vel excæcati ſunt vel in cœnobia detruſi: Sic menſe Septembr. ventus fuit violentiſſimus, quo uvæ perierunt.

ANNO MUNDI 4993. Poſt C. 1044.
AG. ☉ 17. ☽ 19. *Ind.* 12.

Romæ ingentes turbæ propter ſceleratos Pontifices exoriuntur. Benedictus nonus, qui juvenis adhuc erat, & duodecim annis ferè Pontificatum adminiſtrarat, urbe ejicitur propter immania ſcelera, emit poſtea Epiſcopatum Epiſcopus Sabinienſis, qui Sylveſter appellatus eſt; hunc, cum tres menſes ſediſſet, Benedictus rediens iterum ejicit; & Pontificatum recuperat. Sed cùm videret, ſe omnibus inviſum, agit cum Johanne Gratiano, qui loco ſuo ſit Papa. Ne hoc gratis fieret, Gratianus Benedicto dat reditus, qui proveniebant ex Anglia ut Baronius habet: fuerunt omnes tres ſceleſtiſſimi, ut idem affirmat, & quilibet horum certam ſedem Romæ occupat: *Sylveſter* ad D. Petrum, *Benedictus* ad Mariam majorem, *Gregorius* ad Lateranum, atque ita ſedes Romana triceps facta eſt, nec tamen quiſpiam fuit, qui auſus eſſet dicere, Papatum ex Diabolo ortum eſſe. *Baronius* Gregorium pro legitimo habet, reliquos pro adulterinis, cum tamen & Benedictus per duodecim annos ipſi fuerit legitimus.

Annus Jezdegird. 413. *Incipit die* 6. *Mart. fer.* 2. *Armen* 493, 8. *Mart. fer.* 5.

Imperator Conſtantinus templum ingreſſurus die 9. *Martii, à populo, qui ſenſerat, eum concubinam habere, inclamatur, probris laceratur, & tandem lapidibus obrutus fuiſſet, niſi Zoe conjux cum ſorore populi furorem ſedaſſent.* Ced.

Gozelo Dux Lotharingiæ, cum annis ferè 26. præfuiſſet, moritur: ſuccedit ipſi filius Godefridus, qui & ipſe Ducatum obtinet annis 26. ſed cum Moſellanum Ducatum non impetraret ab Imperatore, bellum clam parat, & imperium, cum Imperator abeſſet, turbat. *Annal. Fland.*

Henricus Imp. iterum in Hungariam movet, ducitque ſecum Petrum regem exulem, & die 4. Julii copias Albini vincit, eumq; regno pellit: Petrus cum eundem in fuga cepiſſet, eum occidit; & Hungari Imperatori jurarunt. *Spang.*

Annus Hegiræ 436. *incipit* 29. *Jul. fer.* 1.

Imp. cum in Germaniam rediiſſet, & turbas à Godefrido excitatas intellexiſſet, vocat eum ad judicium procerum imperii, eumque vinculis adjudicatum in arcem Gebichenſtein *concludit.* Spang.

Annus Alexandr. 1356. *Antioch.* 4093, *& Conſtantin.* 6553. *incip. Calen. Octob.*

Ecclipſis Lunæ hoc anno annotatur. Verba Glabri ſunt. Die 8. Novembr. fer. 5. hora octava noctis, inter Solem & ipſam Lunam, ſive patratum à Deo oſtenſum, ſive interveniente ſphæra alicujus ſyderis qualiter evenerit, manet notum ſcientiæ conditoris: ipſa Luna primitus facta eſt tota ſicut teter ſanguis, paululum evadendo uſque ad auroram. *Aliud fragmentum hiſtoriæ Franciæ habet, quod ecclipſis hæc facta ſit inter hyades & Plejades. Invenitur eò die ecclipſis Lunæ horis* 3, 32. *poſt mediam noctem, Latitudo vera Septent.* 33. 2. *Semidiam Lunæ* 16. 47. *Summa Semid.* 60. 35. *Scrup. reſidua* 27. 33. *Digiti ecclip.* 9. 52. *Luna fuit in gradu* 22. *Tauri f. rè. Hyades autem tum temporis fuerunt in* 24. *Tauri, Plejades in gradu* 17. *Tauri.*

Sic ecclipſis Solis ſtatim ibi etiam ita indicatur, quæ acciderit die 22. *Nov. quæ etiam ita invenitur. Parallaxis latitud. fuit* 41. 21. *Latitudo vera Septent.* 43. 14. *Viſa* 1, 53. *Solis* 15, 57. *Summa Semidiamet.* 30. 31. *Scrup. reſidua* 28. 35. *Digiti ecclipt.* 10. 46: *Sol. in* 6. *gradu* 34. *Sagittarii. Facta horis* 2. 48. 51. *ante meridiem Rhemis.*

Annus Nabonaſſar. 1793. *& Philippi* 1369. *incipit die* 5. *Dec. fer.* 4.

ANNO MUNDI 4994. Poſt C. 1045.
F. ☉ 18. ☽ 1. *Ind.* 18.

Annus urbis cond. 1797. *Julianus* 1090.
Æra Hiſpanicæ. 1083. *Auguſtorum* 1072.

Henricus Imp. evocatur à Petro Hungariæ rege, cum ſubditi contra ſe inſurrexiſſent. Etſi autem multa haberet, quæ ageret in Lotharingia & alibi, tamen in Hungariam abit; ibi cum in Auſtria in arce Boſenburgia cœnaret cum ducibus ſuis, inter cœnandum locus, ubi accumbebat, concidit; Imperator in feneſtram confugiens ſervatur, multi ſuorum obruti fuerunt, Bruno. Epiſcopus Wurtzburgenſis graviter læſus, die ſeptimo expirat. Imperator convocatis Hungaris, Petrum regem ipſis commendat, promittitque ſe ipſius defenſorem futurum.

Henricus Imp. inchoat annum imper. 7. *menſe Jun. Conſtantinus* 4.

Olympias 456. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1821.

Annus Hegiræ 437. *incipit die* 19. *Jul. fer.* 6.

Annus Diocletiani 762. *incipit die* 29. *Aug.*

Bellum in Iberia hoc anno movetur; Cacicius enim quædam retinebat, quæ ad imperium pertinebant, duravit hoc bellum totum biennium, & Cacicius ſe Imperatori dedidit Ced.

Normanni in Italia quædam, quæ ad Caſſinenſe cœnobium pertinebant, occupant, invitis monachis; monachi expectant, uſque dum Princeps eorundem in Caſſinenſe cœnobium adorandi cauſa veniret, ibi eum capiunt, comites trucidant, & ſic ſua recuperant. *Chron. Caſſ.*

ANNO MUNDI 4995. Poſt C. 1046.
E. ☉ 19. ☽ 2. *Ind.* 14.

Magnus Norvegiæ rex, Olai quondam, qui à Cnutone ſpulſus fuerat, filius, regnum paternum repetit, & regem Swein, qui Norvegiam cum Dania conjunxerat, prælio vincit & fugat, & Norvegiam recuperat, *Reg.*

Imperator cum Aquiſgrani eſſet, intercedentib. aliis Lotharingiæ Ducem Godefridum captivitate liberat, & in Ducatum ſuum remittit, obſidem tamen ejus filium accipit; & Godefridus quidem quievit, quoad vivebat filius, verum cum paulò poſt moreretur, quando Imperator in Italiam ibat belli, conſilia renovavit, aſſumto in ſocietatem belli Balduino Flandro, & ditiones Imperatoris vaſtat. *Annal. Fland.*

Annus Hegiræ 438. incipit die 8. Jul. fer. 3.

Leo Tornitius quidam Adrianopoli ab exercitu appellatur Imperator, ideo Conſtantinopolin obſidet; Conſtantinus Imperator tum vix mille milites habuit, & voluntati civium non ſatis fidebat, & tamen educit ſuos milites, qui etiam vincuntur, & niſi ceſſatum fuiſſet ab hoſte, urbs tum capta fuiſſet cum Conſtantino. Tornitius cùm obſidio ſpe diuturnior eſſet, eam ſolvit metu, ne exercitus Imperatoris ex Oriente advenirent, qui cum adveniſſent, & Tornitii etiam exercitus ad Conſtantinum redeunt, & Tornitius captus, oculis poſtea privatur in natalitiis Chriſti.

Imperator *Henricus*, cum tres Papæ Romani cedere nollent, exercitu comparato firmo in Italiam abit. Veronam venit menſe Octobri, inde edicit conventum Sutrii propè Romam, interim Epiſcopum Ravennatenſem deponit. In Synodo Sutrii, res inquiritur trium Pontificum, & omnes ſimul deponuntur, & Gregorius inſuper in Germaniam in exilium mittitur, aliuſque eligitur Suidgerus Epiſcopus Bambergenſis, qui Clemens ſecundus vocatur, vixitque in Pontificatu menſes circiter novem. Conſecratur in natalitiis Chriſti, & ſequenti die coronat Imperatorem cum conjuge Agnete. *Herm. Cont.*

Hungari infenſi ſuo regi Petro, eum in venatione capiunt, excæcant, aliumq; ſibi eligunt Andream *& omnes, quos ſtuduiſſe ſciebant Petro, interficiunt, ita trucidati etiam ſunt Epiſcopi & Clerici. Andreas verò ſibi metuens ab Imperatore, legatos mittit in Italiam, qui Imperatori haſce turbas ſignificent, & ſuã obedientiam ipſi promittant; legati jubentur ire in Germaniam, & ejus expectare adventum* Spang.

ANNO MUNDI 4996. Poſt C. 1047.

D. ☉ 20. ☽. 3. *Ind.* 15.

Imperator Henricus, cum res Romæ conſtituiſſet, & Romani cives cum clericis juraſſent, ſed inſcio Imperatore Papam nunquam electuros, abit in Campaniam, & inde in Apuliam; cumque res undiquaque, quantum fieri poterat, conſtituiſſet, aſſumpto ſuo Pontifice Clemente, qui ſibi metuebat ab Italis, in Germaniam redit. *Herm.*

Clemens Papa, antequam in Germaniam abiret, concilium Romæ celebravit contra Simoniacos inprimis, hoc eſt contra eos, qui pecuniæ cauſa alicui vel Epiſcopatum vel Diaconatum conferrent, puniebantur etiam, qui accipiebant & dabant pecuniam; item ii, qui etiamſi ipſi nihil dediſſent, tamen ab eo ordinarentur, qui olim ab alio aliquid accepiſſet; nec tamen hoc malum extirpari ex Eccleſia potuit, quòd caput Eccleſiæ Papa nihil gratis faceret, & omnium maximus eſſet Simoniacus. *Baron.*

Annus Hegiræ 439. incipit 27. Jun. fer. 7.

Turcæ *tempore Romani Argyri à Saracenis in auxilium evocati fuerant, qui cognita Saracenorum ignavia eos ipſos, quibus auxilio venerant, oppugnant, vincunt, & Perſarum Imperium & Babylonem occupant. Hoc anno cum iidem Turcæ in Mediam & Armeniam irrumperent, Ambuſtus Præfectus Orientis cum vicinis regulis iis obviam proficiſcitur, & ſtratagemate quodam eos vincit, & interneci ne debet.* Ced.

Godefridus *Lotharingiæ Dux rebellis Imperatori, Neomagi palatium Imperatoris cremat, & urbem funditus delet, auxiliante Flandro.* Annal. Fland.

Swein *rex Daniæ & Norvegiæ, iterum à Magno Norvegiæ rege vincitur, & Dania etiam pellitur, atq; ita vixiſſet in exilio, niſi Magnus ille paulò poſt mortuus fuiſſet.* Roger.

Wilhelmus *Dux Normanniæ à ſubditis ſuis pellitur, ideò ad Henricum Galliæ regem confugit, qui ingenti prælio Normannos vincit, & in Ducatum reſtituit.* Frag. Gall.

Clemens ſecundus Papa, in Germania, dum apud Imperatorem eſt, moritur die 9. Octob. & ſepelitur Bambergæ; cum id innoteſceret Romæ, Benedictus ille ſceleſtus tertiò repetit Pontificatum, & eum obtinet menſibus octo, donec alius ab Imperatore ordinaretur.

ANNO MUNDI 4997. Poſt C. 1048.

CB. ☉ 21. ☽ 4. *Ind.* 1.

Swein *profugus rex Daniæ, audita morte Magni regis Daniam recuperat, & paulò poſt etiam Norvegiam.* Roger.

Annus Jezdeg. 417. incipit die 4. Martii, fer. 6.

Armen. 497. die 7. Mart. fer. 2.

Theodoricus Comes Hollandiæ vocatus Leodium ad haſtiludium, cum multis ſuorum venit, & caſu interficit fratrem Epiſcopi Colonienſis ut cædem ulciſceretur, aſſumptis auxiliis Brabantiam vaſtat, Dordacum occupat. Comes urbem noctu recuperat, hoſtes expellit & fugat, ſed dum incautius obambulat, vulneratur ab hoſtibus, qui adhuc latebant in domo quadam ex quo vulnere mortuus eſt die 15. Maii, cum præfuiſſet annis novem: ſuccedit frater *Florentius*, qui eundem gubernat annis 13. *Chron. Belg.*

Annus Hegiræ 440. incipit die 16. Jun. fer. 5.

Poppo Bavarus, Epiſcopus Brixienſis, ſive ut alii habent Aquileienſis, ordinatur Pontifex ab Imperatore, is tandem Romam venit, & conſecratur Papa die 17. Julii: nominaturque Damaſus II. Sed ſedet tantum diebus 23. & tollitur veneno à Benedicto IX. invaſore ſceleſtiſſimo, qui etiam jam quarto invadit ſedem Pontificiam, eamque obtinet menſibus ſex *Onuf. & Baron.*

Godefridus *Lotharingiæ Dux, adhuc bellum gerit cum Imperatore, & Albertum, quem Imperator Moſellanorũ Ducem fecerat, occidit. Sed, Imperator Alberto ſubſtituit Gerardum Elſatienſem & Lotharingiæ ducatum dat* Friderico Lutzelburgenſi. Annal. Flan.

Annus ſabbathicus 7. ſive Jobeleus, 20. incipit 12. Sept. fer. 2. Anno Jud. 4809.

Annus Alexand. 1360. *Antioch.* 1097. *Conſtantinopol.* 655. *incipit 1. Octob.*

Turcarum rex in Perſide, cladem ſuperioris anni ulturus, mittit Abrahamum Ducem cum centũ millibus hominum in Armeniam, Ambuſtus cui exiguus exercitus erat, cedit, & aggreſſos in munita loca confugere jubet, ſed Abrahamus ejuſmodi locum expugnat, & centum ac quinquaginta millia hominum ibi occidit, factum die 18. Sept.

Ambu-

Arrbuſtus iterum colligit exercitum, pugnare tamen non vult, donec cogeretur die Dominica, veſperi ubi Turcas vicit, ſed non incruenta victoria. *Ced.*

Eodem tempore Paſtinaza Iſtrum tranſeunt, Imperatori ſe dedunt, & religionem Chriſtianam recipiunt, una cum quibusdam locis ad habitandum ſed obortis invicem ſuſpicionibus, loca ſua, quæ acceperant, deſerunt, & in Moſcoviam redeunt. Cedr.

Annus Nabonaſſaris 1797. & Philippi 1373. incipit 4. Dec. fer. 1.

ANNO MUNDI 4998. Poſt C. 1049.

A ☉ 22. ☽ 5. *Ind.* 2.

Annus urbis 1801. *Julianus* 1094.

Æra Hiſpan. 1087. *Auguſtorum* 1076.

Bruno Comes, ſed Epiſcopus Tullenſis, deſignatus ab Imperatore Pontifex Romanus, venit Romam, die 12. Februarii, ubi coronatur, vocaturq; Leo IX. Paſcha primum celebravit die 26, Martii. Litera enim Dominicalis hoc anno A. eſt, & terminus Paſchalis die 22. Martii. Celebrat in Italia Synodum contra Simoniacos, idem etiam poſtea fecit Rhemis in Gallia, ubi multos ab Epiſcopatibus depoſuit: Inde Moguntiæ alteram Synodum indixit, & Imperatorem juvit plurimum in ſubjugandis rebellibus principibus. *Baron.*

Annus Heg. 441. incipit 5. Jun. fer. 2.

Henricus Imp. inchoat annum imperii 12. menſe Junio.

Conſtantinus octavum.

Olympias 457. incipit die 15. Julii. Eſt annus Olympiadic. 1825.

Anno Diocletiani 766. incipit. die 29, Auguſti.

Franco *Leodicenſis Scholaſticus, qui ſcripſit de* quadratura Circuli, *floret hoc tempore*, Sigeb.

Imp. Henricus magno exercitu tendit contra rebelles Principes in Lotharingiam, comitatus Pontifice Leone, & rege Danorum Sweino, qui Imperatori homagium tum præſtitit. Lotharingius tanta vi territus, & admonitus à Leone Pontifice, ut ſuis rebus conſuleret, dedit ſe, venitque Aquisgranum ad Imperatorem ſupplex, ſed tamen deditur Epiſcopo Trevirenſi cuſtodiendus. Balduinus Comes Flandriæ adhuc in rebellione perſiſtit, ſed cum Imperator etiam adventaret, & ipſe videret hoc certamen non eſſe ſuarum virium, dat obſides, & cavet Imperatori de obedientia, *Annal Fland.*

ANNO MUNDI 4999. Poſt C. 1050.

G. ☉ 21. ☽ 6. *Ind.* 3.

Henricus *Imp. adhuc in inferiori Saxonia in componenda pace detinetur, ubi Balduinus imperio reſtituit Cameracū & Antverpiam falſa, interim exoritur rumor de incurſione Polonorum in Germaniam, ſed falſus fuit. Ipſe rex Caſimirus venit ad Imperatorem. ſeq, excuſavit.* Spang.

Leo Papa in initio anni Romam venit, & circa Paſcha Synodūm Romæ celebravit, in qua damnata eſt ſententia Berengarii, & Lanfrancus, qui videbatur ſocius Berengarii, innocens pronunciatur. Gradenſis etiam Epiſcopatus transfertur Venetias, & Epiſcopus ibi Patriarchæ dignitatem accipit; inde Berengarius citatur ad alteram Synodum Vercellas, ſed non comparuit, & iterum damnatus eſt in autumno *Baron.*

Annus Hegira 442. incipit die 26. Maji, fer. 7.

Sultanus *Turcarum in Perſia iterum in Mediam irrumpit, ſed cum omnia in munita loca abducta videret, atque ita commeatum non haberet, re infecta retrocedit.* Cedr.

Imperator Conſtantinus Monomachus offendit Pazinacas, quapropter illi aſſumptis auxiliis magna clade Imperatorem & ejus regiones afficiunt. *Cedr.*

Albertus Marchio Auſtriæ Hungaros invadit, & Andream regem, qui Petrum regem, cujus ſororē Albertus conjugem habebat, oculis privaverat, prælio vincit auxiliis Bavorum; pacem tamen cum eo fecit ita jubente Imperatore. *Cuſp. Auſt.*

Henricus IV. *poſtea Imperator naſcitur die 11. Novemb. fuit enim, cum coronaretur Imperator, anno 1054. quatuor annorum,* Sigeb.

ANNO MUNDI 5000. Poſt C. 1051.

F. ☉ 24. ☽ 7. *Ind.* 4.

Hermannus Comes Montenſes moritur, Balduinus Comes Flandriæ ei ſuccedit, cum verò idem comitatus eſſet feudum Imperii, Imperator eum repoſcit, ſed Balduinus cum invito Imperatore occupat: Hinc bellum Flandricum recrudeſcit. *Annal. Fland.*

Annus Hegira 443. incipit 15. Maji. fer. 4.

Pazinacæ *Myſiam crudeliter vaſtant, ideò ipſis Imperator exercitum opponit, qui omnibus belli artibus hoſtes à præda prohibet, ideò in Macedoniam tranſeunt, ſed & ibi dum noctu ſecurius agunt, magna clade afficiuntur. Ideò recedunt* Cedr.

Campanus natione Lombardus, Aſtronomus celeberrimus, circa hæc tempora floret, ſcripſit Aſtronomica, Calendaria, de computo, item de errore Ptolomæi in ſupputatione motus Lunaris & Solaris, orto ex ignoratione octavæ Sphæræ, huic coætanei fuerunt Arabes quidam inſignes. *Trith.*

Imp. ipſe magno exercitu & conatu in Hungariam movet, ſed quod eſſent continuæ pluviæ, & Hungari ipſi omnem commeatum avexiſſent in munita loca, fluminaque excreſcerent, re infecta Imperator in Germaniam rediit. *Spang.*

Ordo Monachorum Vallis umbroſæ à Johanne Gualberto inſtitutus, quod cum ad imaginem Chriſti crucifixi oraret, imago ipſa caput ſuum inclinaret. *Spang.*

ANNO MUNDI 5001. Poſt C. 1052.

E. ☉ 25. ☽ 8. *Ind.* 5.

Annus Jezdegird incipit 3. Mart. fer. 3. Armen. 501. *die 6. Mart. fer. 6.*

Annus Hegira 444. incipit die 3. Mart. fer. 1.

Ferdinandus *Caſtella & Legionis rex in Hiſpania, Mauris magnam partem Portugallia eripit, & ſibi ſubjicit.* Tuden.

Sultanus Turcarum in Perſide bellum gerit cum ſuo fratre Cutlumuſo, eumq; fugat: Victus in Iberiam tranſit. Sultanus victum perſequens, prædas quidem agit, ſed cum Imperator Romanus ipſi exercitum opponeret, domum redit. *Cedr.*

Henricus Imp. iterum expeditionem ſuſcipit in Hungariam & Presburgum obſidet. Andreas rex ſibi metuens, Pontificem Romanum Leonem appellat, ut ſit arbiter, qui venit in Hungariam, & primum cum Imperatore agit, quem invenit placabilem;

cabilem; cum ad Andream veniret, illum planè à pace alienum invenit, quapropter ſub excommunicationis pœna ipſi mandat, ut pacem admittat & Imperatori ſe ſubjiciat. *Herm. Cont.*

Annus Alexand. 1364. *Antioch.* 1101. *& Conſtantinop* 6561. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nibonaſſar. 1801. *& Philippi* 1377. *incipit* 3. *Decemb. fer.* 5.

Papa, cùm rediret ex Hungaria, cum Imperatore venit Moguntiam; ibi in nativitate Chriſti, cum Epiſcopus miſſam celebraret, Diaconus legit Evangelium præter morem. Id prohibet Papa, ſed Archiepiſcopus jubet, ut pergat. Papa Diaconum ſtatim removet ab officio, Archiepiſcopus noluit officium Miſſæ abſolvere, niſi Diaconus reſtitueretur, & Papa obſecutus eſt Archiepiſcopo, & Diaconum reſtituit. *Baron.*

ANNO MUNDI 5002. Poſt C. 1053.
C. ☉ 26. ☽ 9. *Ind.* 6.
Annus urbis 1805. *Julianus* 1098.
Ære Hiſpan. 1091. *Auguſtorum* 1080.

Papa Leo IX. priusquam in Italiam abiret, egit cum Imperatore de bonis, quæ antiquitus D. Petro in Germania data eſſent, ut de Abbatia eſſent, ut de Abbatia Fuldenſi in Epiſcopatu Bambergenſi: convenitq; ut Pontifici pro his detur Ducatus Beneventanus in Italia, hinc impetrat ab Imperatore auxilia adverſus Northmannos in Italia, inter quos etiam fuit Godefridus Lotharingiæ Dux, ejusq; frater, qui poſtea Papa factus eſt. Romam venit ante Paſcha, ubi Synodum egit, in qua Aquilejæ ſedes primatum accepit totius Venetiæ: Forojulienſis autem Eccleſia finibus Longobardorum contenta eſſet. Inde profectus eſt contra Northmannos, ubi proditione Italorum pugna victus eſt, & captus die 18. Jun. & Beneventi à Northmannis in libera cuſtodia detentus, uſque ad diem 12. Menſis Martii, ſequentis anni. Multi hoc tempore improbarunt militiam hanc Pontificis, cum bella ad magiſtratum politicum pertineant, ſed *Baronius* defendit Papam, & cum jus utriusq; gladii habere aſſerit.

Annus Hegiræ 445. *incipit die* 23. *April.*

Henricus Imp. inchoat annum imp. 15.

Conſtantinus 12.

Olympias 458. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1829.

Annus Diocletiani 779. *incipit die* 29. *Auguſti.*

In Orientè iterum magnus exercitus contra Pazinaces mittitur, ſed is clade ab ipſis afficitur ingenti. Cum verò Imperator majorem exercitum cogeret, Pazinacæ pacem petunt, & impetrant tricennalem. Cedr.

Garſias rex Vaſconum in Hiſpania infert fratri ſuo Ferdinando bellum, in quo vincitur & trucidatur. *Marian.*

Conradus *Dux Bavariæ controverſiam habet cum Epiſcopo Ratisbonenſi, quam dijudicat Imperator. Cum verò Conradus acquieſcere nollet, Ducatu pellitur, ipſe fugit ad Hungaros, unde poſtea magni motus bellici exorti ſunt.* Spang.

Suvein rex Daniæ petit à Pontifice, ne ſuæ Eccleſiæ in Dania ſint ſubjectæ Hamburgenæ Epiſcopo, ſed Archiepiſcopatus erigatur in Dania. Hamburgenſis contra petit, ut ſuus Epiſcopatus fiat Patriarchatus, ut ita Danicæ Eccleſiæ, etiamſi Archiepiſcopum haberent, tamen ſibi ſubjectæ eſſent: Sed prudentia Pontificis res dilata eſt. *Baron.*

ANNO MUNDI 5003. Poſt C. 1054.
B. ☉ 27. ☽ 10. *Ind.* 7.

Papa Leo menſe Januario ſcribit ad Imperatorem Conſtantinopolitanũ, mittitq; eò legatos in cauſa Longobardorum, & unionis cum Romana Eccleſia. Inter legatos fuit Fridericus frater Godefridi Lotharingii, infenſus Imperatori; is ex legatione reverſus fit monachus in Caſſinomonte, & paulò poſt Abbas, inde Papa, Steph. II. nomine. Is primus fuit, qui ſe Imperatoribus adeò furioſè oppoſuit.

Annus Hegiræ 446. *incipit die* 12. *Apr. fer.* 3.

Leo Papa, cum morbo invaderetur, petit ſe à Northmannis dimitti, & deductus Capuam, poſtea Romam venit, ubi moritur die 19. Aprilis; vacat inde ſedes ferè annuo ſpatio: ſeditionibus enim Romæ certabatur de Papa eligendo, cum id absq; conſenſu Imperatoris non auderent, tandem mittitur Hildebrandus ille ad Imperatorem de Pontifice eligẽdo, ubi ab Imperatore eligitur *Gebhardus* Epiſcopus Euchſtatenſis, ex familia Comitum Calvenſium, cognatus Imperatoris, qui ſequenti tandem anno Romam venit.

Henricus *Imp. in Flandriam contra Balduinum expeditionem ſuſcipit, & Flandriam crudeliſſimè vaſtat, & cum magna præda in Germaniam revertitur.* Annal. Fland.

Hermannus Contractus, natus ex familia Weringenſium Comitum, Monachus S. Galli, qui ſcripſit de Muſica, de monochordo, de ſex ætatibus mundi ſive Chronicon, de quadratura circuli, de ecclipſibus & aliis, floret.

Conſtantinus *Monomachus Imperator Orientis, cum imperaſſet annos* 12. *moritur, qui elegerat quidem, qui ſibi ſuccederet, Nicephorum, ſed morte præventus priusquam ex Bulgaria rediret, id exequi non potuit. Succedit ergo Theodora Zoes ſoror, & Nicephorum hunc relegat, ipſa imperium obtinet anno uno, & menſibus novem.* Cedr.

Gozeca propè Numburgum circa hoc tempus fit Cœnobium, introducuntur Monachi Benedictini, & ſubjicitur Epiſcopatui Bremenſi. *Fab.*

ANNO MUNDI 5004. Poſt C. 1055.
A. ☉ 28. ☽ 11. *Ind.* 8.

Breciſlaus Dux Bohemiæ moritur die 10. *Januarii, cum jam moliretur expeditionem in Pannoniam, & annos* 19. *regnaſſet, ſuccedit* Spigneus *filius, qui Ducatui ſex annis præeſt, & Germanos ſtatim ex Bohemia pellit.* Coſm.

Annus Hegiræ 447. *incipit die* 1. *Apr. fer.* 1.

Electus Papa tandem venit in Italiam, & ibi conſecratur die Viridium 13. Apr. fer. 5. & Victor II. appellatur, Sedit annis duobus, menſibus 3. *Onufr.*

Imperator ipſe in Italiam proficiſcitur, & Mantuæ Paſchæ celebrat, cauſas ibi diſceptat, & Epiſcopos aliquot ab officio deponit, Florentiæ etiam ſynodum celebrari jubet, ubi inter alia decretum, ne bona Eccleſiaſtica abalienentur; inde feſtinat in Germaniam, ubi Bavari ſeditionem excitarant, & ſe filio ſuo oppoſuerant, cujus conſpirationis princeps erat Epiſcopus Ratisbonenſis: Eum igitur Epiſcopatu dejicit. *Her.*

Annus ſabbathicus 1. *Jobelei* 21. *incipit die* 25. *Sept. fer.* 2. *Annus Jud.* 4816.

Ferdinandus *rex Legionum in Hiſpania ſumpſerat ſibi nomen Imperatoris, quod ſibi Henricus*

Imp.

Imp. patiendum non putavit; conqueſtus eſt hac de re in concilio Trecenſi in Galliis per legatos, & Papa promiſit legatos ad Ferdinandum, perſuaſitque ipſi, ut ab Imperatoris nomine abſtineret. Marian.

Romæ cum Papa Victor in Germaniam abire vellet, & Miſſam prius celebraret, Subdiaconus ejus venenum calici in altari miſcuit, quod tamen Victor Papa deprehendit & abſtinuit. Benno affirmat antea etiam quibusdam aliis Germanis idem accidiſſe, ne dubitat aſſerere, autore Hildebrando id factum, qui ipſe poſt Pontifices factus eſt. *Baron.*

ANNO MUNDI 5005. Poſt C. 1056.

G F. ☉ 1. ☽ 12. *Ind.* 9.

Annus Jezdegird 425. *incipit* 2. *Mart. fe*[illegible]

Armen. 405. *die* 5. *Martii, fer.* 3.

Annus Hegira 448. *incipit* 21. *Mart. fer.* 5.

Annales Belgici annotant ecclipſin Luna his verbis:

In vigilia Cœnæ Dominicæ, poſt primum pullorum cantum effecta eſt Luna nigra tota, ut carbo extinctus, horis ferè duabus, inde recuperavit lumen. *Ecclipſis hac facta eſt die 2. Aprilis, feria tertia, jam finiente, hora una ante mediam noctem, in Belgio. Latitudo Luna vera Auſtr.* 6,51. *Semid. Luna* 17,59. *Summa ſemid.* 64,34. *Scrup. reſidua* 57,43. *Digiti ecclipt.* 19,15. *Sol in 19. grad. Arietis.*

Albertus Marchio Auſtriæ, qui annis 23. præfuerat, moritur; ſuccedit filius Erneſtus: Leopoldus enim mortuus fuerat, & *Erneſtus* præfuit Auſtriæ, annis 19. Cui poſtea Henricus VI. Imperator dedit titulum *Prioris* in imperio, qui advocatus eſſet Epiſcopatus Laureacenſis & Batavenſis *Cuſp.*

Circa hoc tempus ritus flagellantium ſe inchoatus eſt tanto fervore & frequentia, ut in uno cœnobio tria millia ſcoparum flagellando abſumpta ſint. *Baron.*

Theodora *Imperatrix Conſtantinopoli moritur ſub exitum Auguſti menſis, cum annum & novem menſes imperaſſet. Eunuchi ipſius, ipſa animam agente, eligunt Michaelem Statioticum, in bellis tantum verſatum, civilis doctrina planè rudem, qui declaratus eſt Imperator ultimo Auguſti. Theodoſius patruus Conſtantini contra hunc imperium arripere conatur, ſed re infecta relegatur. Imperat autem tantum annum unum.* Cedr.

Annus Alexand. 1368. *Antioch.* 1105. *Conſtantinop.* 6565. *incipit* 1. *Octob.*

Victor Papa in Germaniam venit ad Imperatorem Wormatiæ, ibiq; carcere liberat Epiſcopum Ratisbonenſem interceſſione ſua, & Imperatorem ſequitur *Goslariam.*

Henricus interim exercitum contra Vandalos miſerat, qui magna clade affectus fuerat, & totus ferè cum Ducibus perierat: quapropter animo æger Bordfeldiæ *ad Hercyniam ſylvam, ubi venationibus operam dabat, morbo correptus vita abit die 5. Octob. cum vixiſſet annos 39. imperaſſet autem ſeptendecim annis, menſ. 4. Commendavit filium ſuum Statibus & Pontifici Romano. Sepelitur Spiræ die Simonis & Juda, ſuccedit filius quinque annorum puer, annis quinquaginta.* Henricus tertius ultimus fuit, qui majeſtatem imperii contra tyrannidem Pontificiorum illibatam conſervavit.

Annus Nabonaſſar. 1805. *& Philippi* 1381. *incipit die 2. Dec. fer. 2.*

Victor Papa, cum Agnetem Imperatricem conſulatus eſt, Coloniam abit, & Godefrido Lotharingio & Balduino Flandro perſuadet, ut à novo Imperatore pacem petant, & ab injuriis in poſterum abſtineant, *Annal. Fland.*

ANNO MUNDI 5006. Poſt C. 1057.

E. ☉ 2. ☽ 13. *Ind.* 10.

Annus urbis cond. 1809. *Julianus* 1102.

Æra Hiſpan. 1095. *Auguſtorum* 1084.

Annus Hegira 449. *incipit die* 10. *Mart. fer.* 2.

Victor Papa ex Germania in Italiam redit in Quadrageſima, & Romæ concilium celebrat; inde cum multa alia peregiſſet, Florentiam abit, moriturque die 28. Julii, cum ſediſſet annos duos, menſes tres. Succedit ipſi die 10. Auguſti, inſcio Imperatore contra juramentum à Clericis Romanis datum Fridericus Lotharingius Abbas Caſſinenſis, qui vocatur Stephanus IX. ſedetq; menſibus octo. *Baron.*

Saxones ſub Henrico tertio arctiùs vixerant. Cupiunt ergò ſua libertate frui: ideò Marchionem Ottonem, qui hactenus apud Bohemos fuerat, & jam fratris ſui ditionem occupaverat, cupiunt eſſe Imperatorem. Cum hæc omnium rumoribus perferrentur, Imperatrix Comitia edicit Mersburgi ubi convenirent, & qui Henricum defenderent, eos oppugnarent. Duces Brunſvicenſes Bruno & Egbertus, equitatu inſtructo eò proficiſcuntur, quibus occurrit propè Mersburgum Otto ille, ubi prælio congreſſi Bruno & Otto ambo ſimul cadunt. Egbertus victoriam obtinet, atq; ita prima rebellio extincta fuit; qui enim ejus participes fuerant, jam extincto duce muſſitabant. *Schafnab.*

Fuit quidam his temporibus, qui Icari fabula audita adaptavit ſibi pennas, ut volaret, nec infeliciter proceſſit, quando volatum periclitaretur; ſed cum de turri quadam, multa collecta pecunia, devolaret, exorto ventorum turbine in terram dejectus crura fregit, quibus pennas non aptaverat. *Chron. Belg.*

Olympias 459. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1833.

Annus Diocletiani 774. *incipit die* 29. *Aug.*

Michael Stratioticus moroſus homo, Duces ſuos in nullo honore habebat, ſed potius eos ignominia afficiebat: Ideò imperium non diu obtinuit. Sed die 8. Junii à Ducibus declaratur Imp. Iſaacius Comnenus, qui exercitum Imperatoris ad Nicæam vincit, & inde Conſtantinopolin properat, ubi receptus die 2. Septemb. coronatur, cum Michael die ultimo Auguſti purpuram depoſuiſſet, & in cœnobium abiiſſet. *Cedr. Hoc anno Cedrenus finit ſuam hiſtoriam.*

Macbethus *Scotorum rex, cum annis* 17. *regnaſſet annos moritur: ſuccedit* Milcolumbus III. *qui regnat annos* 36. *Hic in pueritia regno pulſus fuerat, & in Anglia exulaverat. Dignitatum igitur vocabula, quæ in Anglia erant ut Comitum, Baronum, Marchionum &c. etiam in Scotia inſtituit.*

Stephanus Papa jubet ſibi omnem theſaurum Caſſinenſis cœnobii afferri; cum evocaſſet fratrem Godefridum Ducem Lotharingiæ, eum conabatur regem Italiæ creare & Romanum Imperatorem, ſed cum Godefridus adeſſe non poſſet, res dilata eſt, & theſaurus in cœnobium relatus, donec Papa moreretur. *Bar.*

ANNO MUNDI 5007. Poſt C. 1058.
D. ☒ 3. ☽ 14. *Ind.* 11.

Annus Hegira 450. *incipit die* 27. *Feb. fer.* 6.

Stephanus IX. Papa cum ſediſſet menſes octo, in morbum incidit, quem ſenſit lethalem, ideò mandat, ne poſt ſuum obitum Papa alius eligatur, priusquam Hildebrandus Archidiaconus redeat. Sed cum defunctus eſſet die 29. Martii, poſtquam ſediſſet menſes octo, Principes quidem Romani eligunt *Benedictum* X. qui noctu conſecratur ab Epiſcopo Oſtienſi, & poſtero die plurimam pecuniam ſpargit, ſedetque menſibus novem. Reliqui Cardinales ad Imperatorem legatum mittunt, petuntq; ſibi legitimum Papam mitti, qui nominat *Gerhardum* Epiſcopum Florentinum, qui introducitur ſequente anno. *Bar.*

Michael Cerularius Patriarcha, cum tantum ſibi ſumeret, ut putaret etiam ſe Imperatorem poſſe deponere, & alium eligere, ab Imperatore *Iſaacio* die Michaelis Archangeli, cum extra urbem eſſet, relegatur, cùm ſediſſet annos quindecim. Cum vero paulò poſt moreretur, honorificè in urbe ſepelitur, & alius eligitur *Conſtantinus* Lichudus, qui ſedet annis 4. menſibus ſex. *Zonar.*

Caſimirus *Poloniæ Rex, cum regnaſſet annis* 18. *moritur die* 28. *Novembr. Succedit filius Boleslaus, qui regnat annos ferè* 22. Hiſt. Polon.

ANNO MUNDI 5008. Poſt C. 1059.
C. ⊙ 4. ☽ 15. *Ind.* 12.

Gerardus, Florentinus Epiſcopus, conſecratur menſe Januario *Papa*, nominaturque *Nicolaus* II. qui ſedet annos duos & menſes ſex. Hic ſtatim indixit Synodum paulo poſt Paſcha, ad quam in ſpecie evocat Berengarium, qui etiam comparuit, & errorem ſuum revocavit, & ipſe accendit ignem, quo libros ſuos combuſſit, abjuravitque peculiari formula ſuum errorem. Idem poſtea in errorem relapſus eſt, & præterquam quod docuit, Chriſtum in ſua carne præſentem in Cœna eſſe non poſſe, addidit, eundem Chriſtum ad Apoſtolos clauſis janius introire non potuiſſe. In eadem ſynodo concluſum eſt de electione Pontificis, quòd is à Cardinalibus & clero eligi debeat de ipſius Eccleſiæ Romanæ gremio, ſi dignus adfuerit; ſin minus ex alia aſſumatur, ſalvo debito honore & reverentia dilecti filii noſtri, ut loquitur, Henrici, qui in præſentiarum rex habetur, & futurus Imperator ſperatur, &c. *Baron.*

Annus Hegira 451. *incipit die* 17. *Feb. fer.* 4.

Henricus *rex Galliæ filium ſuum Philippum Rhemis jubet coronari regem. feriis Pentecoſtes, in Majo, ſed fuit puer ſeptennis.* Frag. Hiſt. Gal.

Iſaacius *Comnenus Imperator Conſtantinop. dum navigat fulmine afflatur, atque ita attonitus domum relatus, ſeſe purpura exuit, & imperium deponit, fitque monachus in Studitarum cœnobio, ubi interdum ex obedientia Abbatis ſæpe Janitoris officio functus eſt, elegit autem ſucceſſorem, non ſanguine ſibi junctum, ſed virum Reipub. peritum* Conſtantinum *Ducam, qui imperavit annos* 7. *menſes* 6. Zonar.

Nicolaus Papa æſtate abit in Apuliam ad Normannos, eosque ſolvit excommunicatione, cum ablata bona cœnobiis reſtituerent, ipſisq; dat Apuliam, Calabriam & Siciliam; ſi ejectis Græcis & Saracenis ea potiri poſſint, hac conditione, ut pro quolibet jugo boum ſolvant Pontifici quotannis duodenos denarios Papienſis monetæ, & jurent Pontifici fidelitatem, ejusq; dignitatem defendant. Pontifex etiam ſtatim eos inſtructo exercitu jubet invadere Comites Tuſculanos & alios, qui moleſti erant Pontificibus, nullo indicto bello, & eos crudeliter vaſtare, donec iidem Comites pacem peterent, & fidelitatem jurarent. Hoc factum Baronius vocat divinum conſilium. *Baron.*

ANNO MUNDI 5009. Poſt C. 1060.
BA. ⊙ 5. ☽ 16. *Ind.* 13.

Annus Hegira 452. *incipit* 5. *Feb. fer.* 1.

Annus Jezdegird 429. *incipit die* 1. *Martii, fer.* 4.

Armen. 509. 4. *Mart. fer.* 7.

Henricus Primus Gallorum rex, cum regnaſſet annis 31. moritur, ſuccedit Philippus filius primogenitus, puer octennis, ſub tutela Balduini Flandriæ Comitis, qui regnat annis 49. *Annal. Fland.*

Marinus Scotus ex Scotia in Gallias; inde in Germaniam venit, fit monachus primum Coloniæ, poſtea Fuldæ & Moguntiæ; ſcripſit Chronicon. *Sigeb.*

Annus Alexandr. 1372. *Antioch.* 1109. *& Conſtantin.* 6569. *incip* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſ. 1809. *& Philippi* 1385. *incipit Calend. Decemb. fer.* 6.

ANNO MUNDI 5010. Poſt C. 1061.
G ⊙ 6. ☽ 17. *Ind.* 14.

Annus urbis 1813. *Julianus* 1106.

Æra Hiſpan. 1099. *Auguſtorum* 1088.

Annus Hegira 453. *incipit die* 26. *Jan. fer.* 9.

Spigneus *Dux Bohemiæ, cum Ducatum annis ſex gubernaſſet, moritur die* 28. *Januarii, ſuccedit frater* Uradislaus, *qui præeſt annis triginta & uno.* Coſ.

Florentius Comes Hollandiæ, ut necem fratris ſui Theodorici in Colonienſibus vindicaret, movet contra eos, vincitq; & hoſtes fugat: poſt victoriam feſſus dum dormit, ab hoſtibus, fuga elapſis, ſolus inventus trucidatur die 20. Junii, cum annos 13. Comitatum rexiſſet. Succedit ipſi filius *Theodoricus* Domicellus, ſub tutela Roberti Comitis Flandriæ.

Papa Nicolaus moritur die 3. Julii, cum ſediſſet annis 2. & menſibus 6. Poſt ejus obitum ingentes ſeditiones exoriuntur Romæ, de alio eligendo, plerique cenſent Imperatoris arbitrio Papam eligendum.

Olympias 460. *incipit die* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadic.* 1827.

Annus Diocletiani 778. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Henricus IV. inchoat annum imperii 6. *menſe Octob.*

Conſtantinus tertium.

Andreas Hungariæ rex à fratre *Bela*, qui Hungaros ad ſe traduxerat, invaditur: Ideò mittit uxorem & filium Salomonem in Germaniam ad Imperatorem, petitq; auxilia. Imperator mittit ea Ducibus Marchione Thuringiæ Wilhelmo & Epiſcopo Cirenſi. Marchio acer in primo prælio Hungaros vincit: Sed Hungari collectis omnibus copiis Marchionem obſident. Ideò eruptione, cum commeatu interclusus eſſet, erat pugnandum, ubi Andreas rex ungulis equorum conteritur, Epiſcopus trucidatur cum toto exercitu, Marchio in tumulo ſeſe fortiſſimè defendens, tandem ſe dedit, & ob virtutem ſalvus ab Hungaris dimittitur, & lega-

legatus pro pace, ab Imperatore impetranda, miſſus eſt. *Mechovius.*

Cardinales Romæ eligunt Papam Epiſcopum Lucenſem Anshelmum, patria Mediolanenſem, & legationem mittunt ad Imperatorem, petuntq; eum confirmari. Imperator, cum ſe inſcio hunc elegiſſent contra juramentum, eum confirmandum negat: Sed alium eligit Cadolaum Parmenſem Epiſcopum. Sed Cardinales pergunt, & Anshelmum conſecrant menſe Octobri, qui ſe nominat *Alexandrum* II. ſeditque poſtea annos undecim, & menſes 6. Cadolaus conſecratur 28. Octob. & nominatur *Honorius II. Bar.*

Comitatus Sangerhulanus *circa hoc tempus pervenit ad Ludovicum Landgravium, cum eum emeret à Patruele Conrado.* Spang.

ANNO MUNDI 5011. Poſt C. 1062.

F. ☉ 7. ☽ 18. *Ind.* 15.

Annus Hegiræ 454. *incipit die* 15. *Jan. fer.*3.

Cadolaus Papa, qui in Parmenſi Eccleſia reſidebat, comparato exercitu Romam properat, caſtra ante urbem ponit, & primo prælio quidem vincit, ſed poſtea vincitur, & caſtris exuitur, ideò ad Parmenſem Eccleſiam redit; Factum menſe Apr. *Bar.*

Wilhelmus *Marchio Thuringiæ moritur, ejus fratrem Ottonem Moguntinus Epiſcopus ad ſucceſſionem admittere non vult, niſi decimæ ſibi in tota Thuringia dentur, quod quidem promiſit, ſed infinitæ clades hinc exortæ ſunt.* Schafn.

Cum Status Imperii moleſtè ferrent, ſibi imperare fœminam, ex ſua & Epiſcopi Auguſtani ſententia: ideò conveniunt Hanno Epiſcopus Colonienſis, Egbertus Marchio Saxoniæ, & alii, & Henrico puero perſuadent, ut ſecum in navim aſcenderet, quod quidem fecit, ſed cum ſe videret abduci, vim metuens, in Rhenum ex navi deſilit, & ſic periiſſet, niſi Egbertus Marchio ſimul in Rhenum deſiliiſſet, & in maximo periculo ſe & puerum ſervaſſet. Mater conturbata hac re, cùm nihil contra auderet, tandem in cœnobium abit, & mundo valedixit. *Schafn.*

Annus ſabbathicus 2. *Jobelei* 21. *incipit die* 7. *Sept. fer.*7, *Anno Jud.* 4823.

Haroldus *Norvegiorum rex totus militiæ deditus, omnes inſulas Oceani occidentalis ſibi ſubjecit hoc tempore, etiam Orchades inſulas &* Islandiam, *ſed paganus fuit, & perſecutor Eccleſiæ, ideò Papa eum religionis Chriſtianæ admonet, ſed nihil impetrat.* Adam.

Hanno Colonienſis Epiſcopus, admonitus ab Alexandro Pontifice & aliis, indicit Synodum, ubi omnes Epiſcopi Germaniæ conveniant, in quâ diſceptatur cauſa Cadolai, Papæ Parmenſis, & decernitur, cum Alexandri electio non facta ſit in ignominiam Imperatoris, ſed per legatos ejus confirmatio legitimè petita ſit, illius Pontificatum approbandum, & Cadolaum removendum, factum die 28. Octob.

Fames *hoc anno in tota Germania graſſata eſt, adeò, ut Ludovicus Landgravius in Thuringia munitiones quaſdam extrueret, nudo pane operariis conductis, & inſuper unico miſnico nummo in diem; ut arcem Friburgenſem & VVartburgum.* Spang.

ANNO MUNDI 5012. Poſt C. 1063.

E. ☉ 7. ☽ 19. *Ind.* 1.

Annus Hegiræ 455. *incipit die* 5. Jan. *fer.*7.

Ordinatum in Caſſinenſi cœnobio, ut in capite Quadrageſ. toto triduo monachi nihil niſi verba lectionum & precum loquendo proferrent, nudis pedibus incederent, totum Pſalterium cantando percurrerent, nihil niſi modicum panis cum aqua guſtarent, & mutua ſcoparum caſtigatione ſe quotidiè purgarent. *Baron.*

Goslariæ in feſto Pentecoſtes Epiſcopus Hildeſienſis, & Abbas Fuldenſis propter ſeſſionem Epiſcopo Moguntino proximam eò diſceptant, ut à verbis ad verbera pervenirent in ipſo templo; Epiſcopus occupato ſuperiori loco, claſſicum canit, ſuosq; fortitudinis admonet, & victoriam obtinet. Fuldens primum fugati, ſed paulò poſt melius armati victoriam Hildenſibus extorquent, & nox certamen diripit. Poſtero die, inquiſitione facta culpa omnis in Abbatem confertur, qui ut gratiam Epiſcoporum recuperaret, cædes expiaret, & reconciliaretur Eccleſiæ, omnia ferè Cœnobii bona vendidit, & ad paupertatem redactus eſt, cum antea omnibus aliis antecelleret opibus. *Schafn.*

Bela rex Hungariæ moritur, ejus filius Geiſa ſibi metuens ab Imp. ſponte cedit regno, advocat, ne ex Germania Patruelem Salomonem, qui eò cum exercitu ab imp. mittitur, & regno inauguratur. Schaf.

Henricus Imp. Aſſiettis ſancit legem, ut jus omnibus æqualiter adminiſtretur, factum die 27. Jun. anno ordinationis Henr. 8 *Regni* 6. *Ind.Et.*1. Conſt.Imp.

Magnus exercitus collectus in Galliis ad debellandos Saracenos in Hiſpania conſcribitur, & traducitur quidem in Hiſpaniam, ſed cum fines Saracenorum vaſtaſſent, & commeatus jam deeſſent, re infecta redierunt. Sig.

Monachi apud Florentinos, cum ſcirent Petrum Epiſcopum accipere pecuniam pro beneficiis Eccleſiaſticis, idque alia ratione demonſtrare non poſſent, rem probant per ignem, & monachus quidam per ignem ſatis magnum nudis pedibus per carbones ignitos pedetentim ivit, neq; læſus eſt ulla parte corporis, neq; in crinibus. Fuit is ex familia Aldobrandinorum, & poſtea Cardinalis factus eſt, qui dictus eſt Petrus igneus. *Baron.*

Annus Hegiræ 456. *incipit die* 25. *Dec. fer.*5.

ANNO MUNDI 5013. Poſt C. 1064.

DC. ☉ 9. ☽ 1. *Ind.* 2.

Henricus *Imp. die* 17. *Januar. anno ordinationis ſuæ nono, regni ſeptimo, indictione ſecunda, Triburiæ ſancit leges de jure miniſterialium, quod Dominus cum ipſis agere poſſit, quod velit.* Conſt. Imp.

Annus Jezdegird 433. *incipit* 29. *Febr. fer.*1. *Armen* 513. *die* 3. *Martii fer*, 4.

Cum cives Romani, & principes etiam quidam Italiæ, Cadolao uti legitimo Pontifici adhærerent, Mantuæ concilium generale celebratum eſt, cui interfuerunt etiam Germaniæ & Galliæ Epiſcopi, ubi electio utriuſq. Pontificis inſpecta fuit, & cum Cadolaus concilio intereſſe noluiſſet, pronunciatur ſecundum Alexandrum; nihilominus tamen Cadolaus adhuc habet ſuos defenſores. *Bar.*

Conſtantinopoli, ut & in Aſia & in Thracia ingens terræmotus fuit, menſe Auguſto, qui continuatus eſt etiam in ſequentem annum, quo plurima ædificia corruerunt, inter cætera etiã Sophiæ templum. Curop.

Annus Alexandr. 1376. *Antioch.* 1113. *& Conſtantin.* 6573. *incip.* 1. *Octob.*

Epiſcopi, ut Moguntinus, Bambergenſis & alii

ut Comites quidam & nobiles, aſſumtis ſeptem hominum millibus peregrinantur in terram ſanctam, ineunte autumno, pertranseuntque Conſtantinopolin, ſed ſequenti anno invaduntur ab Arabibus, quos quidem vincunt, ſed tamen obſidentur, ſed Arabes omnes captivos abducere conantur, ideò Epiſcopo Bambergenſi autore ipſi Arabum principes capiunt. Interim ad Saracenorum principes res defertur, qui captos Arabes ſibi ſumit, & accepto in ſingula capita ferè aureo, eos Hieroſolymam dimittit, mari, qui ſalvi in Europam reverſi ſunt, trajecerunt: Fuerunt autem non ultra duo millia. *Ingulphus* Anglus qui ipſe interfuit. *Baron.*

Annus Nabonaſſaris 1813. *& Philippi* 1389. *incipit die* 30. *Nov. fer.* 3.

Annus Hegiræ 457. *incipit* 13. *Dec. fer.* 2.

Cadolaus Pontifex Parmenſis iterum invadit Romam, occupat urbem Leoninam, & inde etiam molem Adriani fortiſſimum caſtrum, ubi biennium dicitur obſeſſus, donec perſoluta pecunia dimitteretur. *Baron.*

ANNO MUNDI 5014. Poſt C. 1065.

B. ☉ 10. ☽ 2. *Ind.* 3.

Annus urbis 1817. *Julianus* 1110.

Æra Hiſpan. 1103. *Auguſtorum* 1092.

Annus Jezdegird. 434. *incipit* 28. *Febr. fer.* 2.

Fridericus Palatinus Saxoniæ, frater Epiſcopi Bremenſis, Weiſſenburgi propè Friburgum, ubi hodie cœnobium Schiplitz eſt, habitabat: Is proditione conjugis ſuæ illectus, à Landgravio Ludovico, qui in ditione Friderici venabatur, interficitur menſe Jan. & poſt triennium Friderici conjux nubit Ludovico, ex quo etiam liberos habuit, ſed Epiſcopus Bremenſis defert hoc facinus ad Imperatorem, qui Ludovico diem dicit, quo tamen noluit comparere, ideo aliis artibus capitur, & in Gebichenſtein turri biennium detinetur, ex qua tandem in Salam præcipitem ſe demittit, & ſalvus evadit, unde à ſaltu nomen retulit, dictus der Springer. Inde abſolutionem petit à Pontifice Romano, & templum Hulderici Sangerhuſiæ ædificat, poſt ſecundo ac tertio ab Imperatore captus, ſemper mirabiliter evadit, & tandem fit monachus in Reinhartzbrun/ & reditus cœnobii *Oldislebienſis* multum auget. *Fab. & Spang.*

Terræmotus in Germania die 27. *Martii in ipſo die Paſchatis.* Annal. Ang.

Sclavi Pagani occidunt ſuum principem Godeſchalcum, inſignem propagatorem religionis Chriſtianæ, trucidant etiam Presbyteros & monachos, & vaſtant Epiſcopatum Hamburgenſem, & planè ad Paganiſmum relabuntur. *Adam.*

Imp. Henricus incipit annum imperii 10.

Conſtantinus 7. *menſ. Jun.*

Olympias 461. *incipit die* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadic.* 1841.

Annus Diocletiani 782. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Scythæ, quos Uzi nominabant, in Thraciam progreſſi omnia vaſtant, exercitum ab Imperatore oppoſitum vincunt, duces capiunt, & in Græciam usq; penetrant. Conſtantinus Ducas, propter avaritiam milites non alebat, ideo in tantis anguſtiis conſtitutus tandem ad preces confugiebat, cum hoſtium eſſent ad ſexcenta millia. Sed Bulgari & Pazinacæ hoſce Scythas aggreſſi, quod peſte inſuper hoſtes affligerentur, eos delent. Zonar.

Fridericus Lotharingiæ Dux decedit, ſuccedit ipſi Gerardus Dux Moſellanus. *Annal. Fland.*

Annus Hegiræ 458. *incipit* 2. *Dec. fer.* 6.

Ferdinandus, *rex Legionis in Hiſpania, Legionem venit die* 24. *Decemb. morbo correptus moritur die* 27. *Decemb febri tertiana, in meridie, regnarat in una ſumma annos* 40. *reliquit* 3. *filios, quorum* Sanctius *Caſtellæ rex factus eſt, & regnavit annos ſex & menſes ſex.* Alfonſus *obtinuit Legionis regnum,* & Garſiæ *Gallæcia data eſt.* Marian.

ANNO MUNDI 5015. Poſt C. 1066.

A. ☉ 11. ☽ 3. *Ind.* 4.

Edvardus, *Angliæ rex, ex Cerdicia familia ultimus, quæ WeſtSaxoniam in Anglia annos* 549. *& poſtea totam Angliam annis ferè* 270. *obtinuerat, moritur absque hæredibus, die* 4. *Januarii, cum annis fere* 23. *regnaſſet. Superiori anno, ut & antequam reſtitutus eſſet in regnum, fecerat & ſcripſerat hæredem Wilhelmum Normanniæ Ducem, ſed Haraldus Comes, in Anglia id regnum arripit, obtinetque menſibus fere decem.* Ingulph.

Cometæ unius omnes Scriptores ferè meminerunt: apparuit ineunte Majo, ſequens Solem occidentem, conſpectus eſt per 40. ferè dies: principio ferè par Lunæ fuit, inde cum caudam acciperet, ea creſcente, magnitudo ejus decrevit. *Zon.*

Richardus Normanniæ princeps, menſe Majo ſubjugata Campania Romam tendit, ut Imperator coronetur, ſed Papa huic opponit Godefridum Tuſciæ Marchionem, qui ipſum impedit. Henricus etiam Imperator, ut haſce turbas ſedet, in Italiam expeditionem molitur, ſed diſſuadentibus aliis rem omittit, & legatos mittit. *Schafn.*

Epiſcopus Trevirenſis moritur Calendis Junii. Anno Epiſcopus Colonienſis, non conſulto clero & civibus illis, Epiſcopum obtrudere conatur Cononem comitem, quem cum exercitu adducit. Cives igitur cum clero, cum jam propè advenìſſent, eos in villa quadam obruunt, reliquos fugant, & Canonem captum in vincula abducunt, inde de ſaxo præcipitant. *Chron. Belg.*

Conſtantinus Patriarcha Conſtantinopol. cum annos ferè ſeptem præſediſſet, moritur, ſuccedit ipſi *Johannes* Xiphilinus is, qui Dionem Caſſium in compendium redegit, magno Reipub. malo: Dionis enim commentarius ita excidit, & compendium retentum eſt, præſedit autem annis 13. & menſibus ſex. *Zonar.*

Haraldus *Norvegiæ rex, bellator egregius, ſed Paganus, cum mille navibus in Angliam irruit menſe Sept. eam crudeliſſimè vaſtavit, & ultra mille ſacerdotes occidit. Sed Haraldus rex Angliæ ipſi obviam profectus, eum pugna vincit & occidit.* Roger.

Mantuæ concilium actum, in quo Imperatori poteſtas eligendi Pontificem abrogatur, cui conſentit Hanno Moguntinus Epiſcopus. *Platina.*

Wilhelmus Dux Normanniæ, cum per totam æſtatem diſputaſſet de jure ſuo ad regnum Angliæ, & nihil obtineret, claſſe hoc autumno & egregio exercitu inſtructus in Angliam venit, pugnatque cum Haraldo, eumq; in pugna occidit die 14. Octobr. Inde rex coronatur ſequentibus Natalitiis Chriſti, ab Epiſcopo Eboracenſi. *Roger.*

Hoc

Hoc anno incipit Hiſtoricus Matthæus Pariſienſis, ad S. Albanum in Anglia monachus, qui hiſtoriam horum temporum uſq; ad annum 1270. fideliter conſcripſit, & quia ſcelera Pontificum ex publicis monumentis deſcripta liberè recenſet, magno à Pontificis odio habetur. Prodiit primùm in lucem anno 1571. Londini.

Annus Hegiræ 459. incipit 22. Nov. fer. 4.

ANNO MUNDI 5016. Poſt C. 1067.
G. ☉ 12. ☽ 4. *Ind.* 5.

Conſtantinus *Ducas Imperator Orientis, cum regnaſſet annos ſeptem cum dimidio, moritur; ſuccedit Eudocia conjux menſibus ſeptem quæ contra jusjurandum, quod marito dederat, nubit* Diogeni *Romano, qui imperavit annis ferè quatuor.* Zonar.

Ramirus Aragoniæ rex, cum annis 32. regnaſſet, infert Sanctio Caſtellæ regi bellum, & in pugna trucidatur, ſuccedit filius *Sanctius*, annos natus 18. & regnat annis 27. *Annal. Aragon.*

Balduinus Flander, cum Comitatui præfuiſſet, & magnificè eum adminiſtraſſet, moritur 1. Sept. Succedit filius Balduinus, qui tantum Comitatui præeſt annis tribus. *Annal. Fland.*

Gulielmus Conquaſtor, Angliæ rex Oxoniam & Eboracum obſeſſas capit, vaſtat, & plurimos Anglia ejicit. Paril.

Annus Hegiræ 460. incipit die 11. Nov. fer. 1.

ANNO MUNDI 5017. Poſt C. 1068.
FE. ☉ 13. ☽ 5. *Ind.* 6.

Otto *Marchio Thuringiæ, ſuperiori anno mortuus fuerat, ei ſuffecerat Imperator Eccardum Marchionem Saxoniæ, qui videtur cœnobium D. Georgii, & templum Numbergenſe ædificaſſe, is moritur ſtatim in initio anni, & ſuccedit filius Eccardus infans ferè.* Schafn.

Annus Arm. 517. incipit die 2. Martii, fer. 1.

Hildebrandus Archidiaconus & Cardinalis, princeps omnium erat apud Pontificem, nec dubitabat de ſucceſſione, is in ſynodis, quas in tota Europa celebrabat frequentes, comites aut principes ſemper admonebat fidelitatis in defendenda ſede Petri; utque id certius eſſet, politicos, ut fidelitatem ſuam in defendendo Pontifice juramento coram ſynodis teſtari velint, hortatus eſt. *Bar.*

Diogenes *Imp. Romanus, hoc primo ſui imperii anno Saracenos multis præliis in Syria afficit, eos præda exuit, & feliciter Conſtantinopolin revertitur.* Zonar.

Annus Alexand. 1380. Antioch. 1117. & Conſtantinop. 6577. incipit Calend. Octob.

Annus Hegiræ 461. incipit die 30. Octob. fer. 5.

Imperator contra Luſatios Vandalos movet, eosque iterum ſibi ſubjicit, & quoniam Epiſcopus Miſnenſis Benno rebellionis ſuſpectus erat, cives ibi ſibi jurare jubet, & urbem regi Bohemiæ commendat: cum rediiſſet Otto Dux Bavariæ, ſicarium ipſi immittit, qui tamen facinoris patrandi nullam occaſionem habuit. *Spang.*

Annus Nabonaſſar. 1817. & Philippi 1393. incipit die 29. Nov fer. 7.

ANNO MUNDI 5018. Poſt C. 1069.
D. ☉ 14. ☽ 6. *Ind.* 7.

Annus urbis 1821. Julianus 1114.

Æra Hiſpan. 1107. Auguſtorum 1096.

Diogenes Imp. Orientis inchoat annum 2.

Annus Jud. 438. incipit 27. Feb. fer. 6.

Henricus Imperator ex juvenili fervore, (erat enim tum adoleſcens octodecim annorum) cum Epiſcopo Moguntino agit de dimittenda uxore, quam ante biennium duxerat, ſe ipſi cohabitare non poſſe, & virginem eam adhuc eſſe, & virginem etiam dimiſſurum. Moguntinus, ſi ſibi decimæ ex Thuringia dentur, promittit ſe rem perfecturum, & in comitiis rem proponit, & eò deducit, ut Imperatrix in cœnobium Lorch mittatur, & de hac re Synodus inſtituatur, interim ipſe abit in Thuringiam ad exigendas decimas, quas dandas eſſe diſſuadet Theodoricus Marchio, vitricus & tutor Eccardi. Ideò armis agitur, & Imperator arcem Beichlingianam capit, & urbem arci ſubjectam excindit, & Theodoricum ferè Thuringia pellit. Interim dicta dies Synodo advenit, & Pontifex mittit legatum, qui divortium prohibeat. Is fuit *Petrus Damianus*, monachus valde eruditus, defenſor Pontificis acerrimus, qui, ut ipſe loquitur hoſtes Pontificis mordaciſſimè loquendo & ſcribendo deſtruebat, quique primus fuit, qui ſcripſit de Pontifice Romano, quòd Deus ipſi vacantis imperii Romani jura permiſerit, ut Baronius habet ad an. 1057. Diſſuadent id reliqui Status imperii, & Imperator conjugem honorificè ad ſe recipit, & ſequenti tempore ipſi jucundè cohabitavit, genuitque ex ea binos filios, & tres filias. Hanc hiſtoriam Baronius, non verbis Lamberti, ut aliàs ſolet, recenſet, ſed ſuis ipſius mordaciſſimis, quibus & mendacia immiſcet.

Hilpericus monachus S. Galli, Aſtronomus inſignis, qui ſcripſit de Muſica, computo Eccleſiaſtico & aliis, floret. *Trith.*

Olympias 462. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1845.

Annus Diocletiani 786. incipit die 29. Auguſti.

Annus ſabbathicus C. Jobelei, 21. incipit 19. Sept. fer. 2. Anno Jud. 4830.

Henricus incipit annum imp. 14.

Annus Hegiræ 462. incipit die 20. Octob. fer. 3.

Wilhelmus rex Angliæ crudelius cum Anglis agebat, ideo quidam ad Cnutum Daniæ regem perfugiunt, eique perſuadent, ut avitum regnum Angliæ repetat: Ideò cum 300. navibus in Angliam venit, & Normannos vincit, & *Ebroracum*, quod caſu ab Anglis crematum fuerat, dum ſuburbia exurunt, ne Danis receptaculo ſint, capit, & Northumbriam miſerè cædibus & rapinis vaſtat: unde fames horrenda orta. Wilhelmus poſtea Danos expulit, partim vi, partim pecunia. *Roger.*

Diogenes *Imp. contra Turcas ad Euphratem uſque proficiſcitur, & inde in Cappadociam, Iconeum uſque pervadit.* Zonar.

ANNO MUNDI 5019. Poſt C. 1070.
C. ☉ 15. ☽ 7. *Ind.* 8.

Otto Bavariæ Dux accuſatur læſæ majeſtatis, & fortaſſis non falſo; cum autem comparere nollet, proſcribitur ab Imp. & Bavaria miſerè vaſtatur. Otto cum impar viribus eſſet, ut viciſſim Imperatori ægrè faceret, Thuringiam invadit & præda divite potitur, vindices etiam prædæ poſtea ad trecentos occidit. *Schafn.*

Manuel Comnenus, Dux inſignis, cum Turcas viciſſet, & Imperator ipſi, ut qui tam timeretur à Turcis, dimidium exercitus ſubtraxiſſet, infirmior factus, & in inſidias delapſus capitur. Zonar.

Balduinus *Comes Flandriæ, cum annis 34. præfuiſſet, moritur die 17. Julii: ſuccedit filiolus* Arnulphus *ſub tutela Roberti Patrui, qui tamen vix ſeſqui anno ſpatio præfuit.* Annal. Fland.

Scoti in Angliam irruunt, eamq; vaſtant, plurimamq; prædam inde abducunt hominum, jumentorum, & opum Rogerius.

Lanfrancus Italus natione, Abbas in Galliis, evocatur à Wilhelmo rege in Angliam, eò venit die aſſumtionis Mariæ, 15. Auguſti. Inde habita Synodo declaratur Epiſcopus Cantuarienſis, & inauguratur die decollationis Johannis, die Dominico. *Roger.*

Annus Hegiræ 463. incipit die 9. Octob. fer. 7.

Godofredus *Lotharingiæ & Bullonii Dux, inquietiſſimus homo, moritur, cum annis viginti ſex Ducatum obtinuiſſet. Relinquit filium Godefredum ſucceſſorem annis ſex, & Idam filiam* Godofredi *Bullionei matrem.* Ann. Fland.

ANNO MUNDI 5020. Poſt C. 1071.
B. ☉ 16. ☽ 8. *Ind.* 9

Diogenes Imperator, cum iterum exercitum contra Turcas eduxiſſet, Turcæ pacem petunt, ſed recuſat Diogenes, niſi omnia reſtituant: interim proditione *Andronici* privigni exercitus ejus in fugam actus eſt, & ipſe à Turcis capitur, ſed à Sultano Turcarum benignè tractatur, etiam menſæ ejus adhibetur, & paulò poſt dimittitur: Conſtantinopolitani interim alium eligunt Imperatorem *Michaelem* Ducam, qui Andronicum vitrico obviam mittit, & Andronicus Diogenem capit, oculosq; ipſi eruit, nec tamen ipſi medicamenta, ut fieri ſolet, adhibet, quapropter vermes in capite enati ſunt, atque ita mortuus eſt. *Michael* autem imperavit annos ſex & menſes ſeptem *Zonar.*

Wilhelmus Epiſcopus Trajectenſis auxiliis Godefridi Gibboſi, Ducis Lotharingiæ, Hollandiam occupare conatur, cui obviam venit Robertus Comes Flandriæ, tutor Theodorici Domicelli Comitis Hollandiæ, qui ab utroque vincitur, & Godofredus ac Wilhelmus Hollandiam inter ſe dividunt, Godofredus inde victoriam perſequens, Friſiam etiam ſibi ſubjicit, & quatuor annis Hollandiam obtinet. *Beka.*

VVilhelmus Abbas Hirſaugienſis inauguratur in feſto Aſcenſionis Chriſti 2. Jun. qui 7. Cœnobia fundavit, & inter ea etiam cœnobium S. Petri Erfurdiæ: Hirſaugienſe autem cœnobium accepit privilegia libertatis An. 1075. die 9. Octob. *Trith.*

Annus Hegiræ 464. incipit die 29. Sept. fer. 5.

Inteſtino bello confligitur Flandria, cum Balduini vidua Robertum maritum ſuum nollet habere filiis tutorem Vidua in auxilium evocat regem Galliæ Philippum, & primo prælio æqua clade diſceditur; inde Robertus vincit Arnulphum privignum maxima clade, eumque trucidat, ſed clades accedit ſequenti anno die 22. Febr. & Robertus *in ducatu Flandriæ ſuccedit.* Annal Fland.

In Hiſpania per annos ferè ſex inter tres fratres, Ferdinandi filios, decertatum fuerat: Hoc anno tandem Alfonſus à fratre Sanctio capitur, & in monaſterium concluditur, & Sanctius etiam Legionis regnum ſibi ſumit, & inde Garſiam fratrem etiam capit, & carceri mancipat, atque ita totam Hiſpaniam occupat. *Marian.*

ANNO MUNDI 5021. Poſt C. 1072.
AG. ☉ 17. ☽ 9. *I. d.* 10.

Damianus defenſor Pontificis acerrimus moritur die 23. Febr. anno ætatis 66. *Baron.*

Annus Armen. 521. incipit die 1. Mart. fer. 5.

Theophylactus, patria Conſtantinopolitanus, & Epiſcopus Bulgarorum, circa hæc tempora floret: meminit enim in ſcripturis ſuis Imperatorum qui circa hæc tempora fuerunt, ut Comnenorum & Ducarum. *Baron.*

Cum Otto Bavariæ Dux, occupato opportuno loco, unde pelli non poterat, ad prælium conferendum paratiſſimus eſſet, Imp. abhorrens ab effuſione ſanguinis Chriſtiani, admittit interceſſores pro Ottone, qui ſponderent de eo ſiſtendo, id quod factum eſt ſuperiori anno; detentus jam fuerat ferè annuo ſpatio, cum alii pro eo intercedunt & obtinent, ut in gratiam recipiatur. Ducatu tamen Bavariæ excidit, & retinuit tantum paternas ditiones Comitatum Northeimenſem, & alia. *Urſb.*

Sultanus *Turcicus, iratus Conſtantinopolitanis, quòd Imperatorem, cui ipſe perceperat, interfeciſſent, bellum in Oriente inſtaurat, & multò crudelius omnia vaſtat, quam unquam fecerat.* Zonar.

Controverſia de Cantuarienſi & Eboracenſi Epiſcopatu in Anglia, uter ſuperior eſſet, convocata Synodo diſcutitur, & pronunciatur ſecundum Cantuarienſem, qui primus inſtitutus fuerat. *Malmesb.*

Annus Hegiræ 465. incipit die 17. Sept. fer. 2.

Annus Alexand. 1384. *Antioch.* 1121. *& Conſtantin.* 6581. *incipit 1. Octob.*

Annus Nabonaſſar. 1821. *& Philippi* 1397. 28. *Nov. fer.* 4.

Sanctius rex potentiſſimus in Hiſpania, cum etiam ſororibus ſuis eripere conaretur, quæ ad ipſas pertinerent, & obſideret Zamoram, ex inſidiis trucidatur, cum ſeptennium ferè regnaſſet, ſuccedit ipſi frater *Alfonſus* ex cœnobio dimiſſus, qui Garſiam fratrem in vinculis detinet, & obtinet regnum adhuc annos 36. *Mar.*

Hanricus *Imp. cum totum imperium infame eſſet latrociniis, exorat Annonem Colonienſem Archiepiſcopum, qui vices imperii in ſe ſuſcipiat, & univerſa tuta à latrociniis præſtet, quod & ſtrennè fecit, & latrones plurimos ſuppliciis affecit.* Schafn.

ANNO MUNDI 5022. Poſt C. 1073.
T. ☉ 18. ☽ 10. *Ind.* 11.

Annus urbis cond. 1825. *Julianus* 1118.

Æra Hiſpan. 1111. *Auguſtorum* 1100.

Annus Jezdegird. 442. *incipit* 26. *Feb. fer.* 3.

Archiepiſcopus Moguntinus urget decimas ex Thuringia, in qua coadjutorem habet Henricum Imp. Synodus indicta Erfurdiæ die 10. Mart. ubi tandem Thuringi, & Abbas Fuldenſis, & Hirſchfeldenſis coguntur conſentire de reddendis decimis. Schafn.

Alexander II. Papa, cum annos ſediſſet undecim & menſes ſex, moritur die 22. Aprilis. Eodem die eligitur *Hildebrandus* Tuſcus natione, qui *Gregorius* VII. vocatus eſt, qui ſedit annos duodecim, qui ſtatim poſt octavum diem electionis ſuæ, ultimo Aprilis, ſcribit ad Principes Hiſpaniæ, ut cum Saracenos ex Hiſpania expuliſſent, id regnum

Pon-

Pontifici Romani reſtituerent in feudum, quemadmodum id olim fuerat. Idem in Sardiniam etiam ſcribit, ut & illa Inſula D. Petro in feudum reſtituatur. *Bar.*

Henricus Imp. inchoat annum imp. 18. in Junio. Michael 3.

Olympias 463. incipit 15. Julii. Eſt Annus Olympiadic. 1849.

Annus Diocletiani 790. incipit 29. Auguſti.

Annus Hegiræ 466. incipit die 6. Sept. fer. 6.

Imper. Henricus plurimas arces & caſtella in Thuringia & Saxonia ædificat, ex quibus præſidiarii vicinos deprædabantur, & vim inferebant etiam fœminis, de qua re cum conqueſti ſæpius eſſent apud Imperatorem, & nihil impetrarent, Saxones & Thuringi conjurant de libertate defendenda, & legatos iterum mittunt deprecatum injurias. Imperator de ſubjiciendis ſibi Saxonibus conſilia agitat, & hortatur Cnutum Daniæ regem, & Latitios Vandalos, ut velint Saxonum hoſtes eſſe, ſed Saxones interim obſident Hartisburgum, ubi Imperator erat, qui Saxones legatis mittendis tamdiu detinet, donec ipſe triduano itinere per invios ſaltus in Halſiam evaderet, ubi etiam exercitum collegit; interim Saxones & Thuringi plurimas arces Imperatoris deſtruxerunt, & Thuringi à decimis dandis liberati ſunt. Conventus etiam omnium Statuum inſtitutus Gerſungi, menſe Septembri, ubi deliberatum de novo Imperatore eligendo. Sed Papa mittit legatos ad utroſque & hortatur, ut bello deſiſtant, & coram legatis cauſam diſceptent. *Schafn.*

Gregorius Papa, cum querelæ de Philippo, Francorum rege, Romam allatæ eſſent, ſcribit Epiſcopo Cabillonenſi, ut regem admoneat, ut gratis Epiſcopos & Abbates ordinet, aut ſi hoc non faciat, minetur ipſi depoſitionem, ſive futurum ut regno privetur. *Baron.*

Crabbati, *qui Servii appellantur, Bulgariam occupare conantur, plurimum eas terras vaſtant, ſed tandem rejiciuntur, & in ſuas terras repelluntur. Zon.*

ANNO MUNDI 5023. Poſt C. 1074.
E. ☉ 19. ☽ 11. *Ind.* 12.

Arx Aſſenburg. ubi Imperatoris conjux fuerat, expugnatur à Thuringis menſe Januario, dimiſſa autem fuerat conjux Imperatoris à Thuringis gravida, quæ peperit filium die 12. Feb. Hirſchfeldiæ. Schafn.

Imp. Henricus colligit exercitum contra Saxones, ſed tum temporis impar viribus, cum Saxones & Thuringi ad prælium paratiſſimi eſſent, conſilio ſuorum ad pacis conditiones ſe dimittit, inter quas ea graviſſima erat, ut arces nuper extructas everteret: Conſentit quidem Imperator, ſed cum arcem Hartesburgum everteret, muros tamen ita ſtare voluit cum templo. At Saxones Imperatore decedente cum muris etiam templum everterunt, & cremarunt, quod Imperator in ſui ignominiam factum cenſuit, & propter templum deſtructum Saxones apud Papam accuſavit. *Schafn.*

Gregorius Papa, Synodo convocata Simoniacos qui vel dediſſent aliquid vel accepiſſent pro beneficiis Eccleſiaſticis, ex Eccleſia ejicit, & uxoratos clericos à divino officio removet & laicos Miſſas eorum audire prohibet, mandatq; ut ſinguli Epiſcopi hoc decretum de cælibatu clericorum publicent. Moguntinus Erfurdiæ de hac re Synodum celebrat, ubi ſimul decimas expoſcit, ſed utrumq; ipſi negatum fuit, & in magno periculo vitæ propterea verſatus eſt. *Schafn.*

In Oriente magnæ turbæ fuerunt, invaſerunt enim imperium Nicephorus Botoniates in Aſia, item Nicephorus Bryennius in Thracia. Imperator Michael in anguſtiis conſtitutus, invocat Pontificis Romani auxilium, promittit conſenſum in omnibus fidei articulis, nec Papa renuit, colligit ad quinquaginta millia hominum bellatorũ, & offert ſe Ducem exercitus, & commendat interea Imp. Henrico Eccleſiam. Sed cum turbæ illæ ſedatæ eſſent, expeditio hæc evanuit.

Colonienſes tumultuantur adverſus ſuum Archiepiſcopum, eò advenit etiam *Henricus* Imp. & tumultum in autoribus graviter ultus eſt. *Schafn.*

Annus Hegiræ 467. incipit die 27. Aug. fer. 4.

Geiſa rex Hungariæ infert Salomoni, qui potiſſimam ejus regni partem poſſidebat, & Imperatoris Henrici affinis erat, bellum, eumq; duobus præliis vincit. Salomon evocat Imperatorẽ in auxilium promittitq; ſi reſtitutus fuerit ab ipſo in integrum, ſe regnũ imperio tributarium facturum, & quinq; ipſi urbes traditurum: quibus promiſſionibus motus Imp. ipſe in Hungariam movet. Sed Geiſa omnem commeatum in munitas urbes avexerat, ideò Imper. re infecta recedere cogitur. Pontifex cum hoc reſciverit, increpat Salomonẽ de promiſſione, cum regnum Hungaricum tributarium ſit Pontifici Romano, à Stephano olim rege oblatum. *Baron.*

Cum Henricus in Ungariam moveret, ecclipſin Lunæ factã eſſe Hiſtoria Auguſtana affirmat.

Ea accidit die 7. Octobris fer. 3. fere finiente, horis duabus ante mediam noctem. Latitud. Lunæ Sept. 2, 43. Semid. Lunæ 16, 14. Summa Semid. 58, 49. Scrup. reſidua 56, 6. Digiti ecclip. 20. 44. Sol in grad. 23. Libræ, duravit 4. horis. Ergò cœpit horis octo poſt merid.

Henricus *Comes Lovanienſis, cum annis 19. præfuiſſet, moritur; ſuccedit filius Henricus, qui præeſt Comitatui annis 16.* Chron. Belg.

Angli impatientes ſervitutis ſub Wilhelmo rege, conſpirant de eo ejiciendo, ſed conſpiratione detecta vel relegantur, vel in vinculis habentur. Rog.

Marianus Scotus, & alii veniunt Ratisbonam ædificaturi cœnobium, quod & ipſis conceſſum eſt, fuerunt in magna autoritate ob vitæ ſanctimoniam. Privilegia Scotis hiſce dantur à Pontifice poſt annos quindecim. *Avent.*

ANNO MUNDI 5024. Poſt C. 1075.
G ☉ 20. ☽ 12. *Ind.* 13.

Dememetrius *Ruthenus, qui priore anno regnum ſuum Pontifici Romano in feudum dederat, hoc anno à fratre pellitur. Ideò ad Henricum venit in Germaniam, & auxiliares copias petit, quibus in regnum regnum reſtituatur, Imperator negat auxilium armorum, legatos tamẽ mittit, ſed nihil impetrat,* Schafn. & Baron.

Imperator Henricus die 9. Junii fer. 3. in Thuringia, propè Neiſſtadium ad Unſtrutum, inſtructus egregio exercitu, cum Saxonibus & Thuringis acerrimo prælio congreditur, in quo quidem Saxones vincuntur, ſed præſtantiſſimi tamen duces & nobilẽs ex parte Cæſaris ceciderunt. Inde Saxonia vaſtatur, ubi induciæ fiunt uſque in menſem Octobrem, ubi Principes Saxoniæ & Epiſcopi ſe dedunt, qui ſtatim in cuſtodias traduntur, extra Germaniam plerique. Saxones reliqui

putant crudelius actum eſſe cum ſuis principibus, quam par eſſet, querelam de his inſtituunt apud Pontificem Romanum & Imperatorem multorum ſcelerum accuſant; qua anſa arrepta, *Gregorius* Papa ſeſe ex dominio Imperatoris liberare, & contra Imperatorem ſibi ſubjicere conatus eſt.

Erneſtus *Dux Auſtriæ cecidit in hoc prælio contra Saxones ad Unſtrutum, ſive ut olim* Unſtrut/ *cum præfuiſſet annis 9. ſuccedit ipſi filius Leopoldus Pulcher, qui præeſt annis 21.* Cuſp.

Annus Hegiræ 468. incipit 16. Aug. fer. 1.

Cincius præfectus urbis, vir potens, excommunicatus a Papa in vigilia Nativitatis Chriſti, cum ſuis in templum irruit, Papam Miſſam celebrantem ab altari abripit, & in carcerem concludit: Sed cum vulgus propter hanc rem tumultuaretur, Papam iterum dimittit. ipſe hoſtis Pontificis extra urbem factus, plurimum damni ipſi intulit. *Schafnab.*

ANNO MUNDI 5025. Poſt C. 1076.
CB. ☉ 21. ☽ 13. *Ind.* 14.

Annus Armen. 525. *incipit die* 29. *Feb. fer.* 2.

Godefridus *Lotharingus, cum Hollandiam & Friſiam ſub ſua ditione tam fere quatuor annos habuiſſet, Antverpiæ, dum abit ad ſecreta naturæ, noctu a ſicario extra domum conſtituto tranſfoditur, ex quo vulnere mortuus eſt die 25. Feb. Cum hic Godefridus liberos non haberet, Henricus Imperator dat Ducatum hunc filiolo ſuo Conrado; condidit idem oppidum* Delft/ *&* Gibboſus *vocatus fuit.* Hiſt. Belg.

Papa Gregorius Henricum Imperatorem, ut reſponderet accuſationi Saxonum, & quòd ſumpta pecunia Epiſcopos feciſſet, Romam citat. Imperator legatos mittit, qui ſe excuſent. Sed hi, ut *Benno* ait, in vincula conjiciuntur, & tandem in contumeliam Imperatoris circumducuntur, & urbe ejiciuntur. Imperator verò ubi hæc audiſſet, indignatus ſynodum convocat Wormatiæ, conqueritur de hiſce injuriis, & cum fortè adveniret Cardinalis, cui notæ erant Pontificis artes, ſcelera Pontificis recenſet & veneficia, atque propterea eum indignum pontificatu cenſet, ideoq; deponendum. Huic decreto ſubſcribunt 26. Epiſcopi, Pontifex nihilominus Synodum Dominica Reminiſcere Romæ celebrat, in qua pronunciat, Romam eſſe caput mundi, & ſuæ poteſtatis eſſe, Imperatorem deponere. Hæc & alia extant apud Baronium. Item omnibus rationibus conatur Henricum inviſum reddere, eumq; tandem excommunicat, & ab imperio removeri mandat, & diploma ejus rei mittit ad omnes Epiſcopos & Principes, non ſolùm in Germania, ſed etiam in aliis locis, & Principes ac ſubditos Germaniæ & imperii abſolvit ab obedientia olim Imperatori promiſſa. *Schnafnab.*

Rex Daniæ Suvein moritur, ſuccedit Haraldus.

Theodoricus *Domicellus Comes Hollandiæ, tandem colligit exercitum, & auxilio vitrici ſui Roberti repetit Hollandiam, & prælio conſerto victoriam obtinet, Epiſcopum capit, Comitem Zudphanienſem trucidat, munitiones Epiſcopi deſtruit, & Hollandiam recuperat.* Chron. Traject.

Annus Heg. 469. incipit 4. Auguſt. fer. 5.

Annus ſabbathicus 4. Jobelei, 21. incipit 1. Sept. fer. 7. Anno Jud. 4837.

Annus Alexand. 1388. Antioch. 1125. Conſtantinopol. 6585. incipit 1 Octob.

Status Imper moti excommunicatione Pontificis, & quòd Henricus malè ſe in imperio geſſerat conveniunt Triburiæ, die 16. Octobris, alium eligendi Imperatorem. Henricus ex altera parte Rheni adeſt, deprecatur ignominiam, promittit emendationem omnium peccatorum, & rem ita detinet octiduum. Cùm tandem concluſum eſſet de alio eligendo Imperatore, & metuerent ne hoc modo bella civilia moverentur, conſtituunt Henricum armis obruere & delere, ſed re prodita Henricus ſuum exercitum convocat. Ideò tandem concluditur, negotium hoc totum tractandum eſſe ex arbitrio Pontificis, qui ſequenti anno in Germaniam venturus eſſet: Interim Henricus curaret, ut excommunicatione ſolveretur ante annum vertentem. *Schafn.*

Annus Nabonaſſaris 1825. *& Philippi* 1301. *incipit die* 27. *Nov. fer.* 1.

Henricus *menſe Decembri iter ingreditur Italiam verſus, cum conjuge & filio & paucis comitib. petiturus abſolutionem excommunicationis ab hoſte ſibi infenſiſſimo: Principum aliqui, cum hoc ſenſiſſent, muniunt Alpes præſidiis, ut ante aliorſum ipſi abeundum eſſet. Venit tamen in Italiam ſed tranſitum parte Burgundiæ mercari coactus eſt.* Schafn.

ANNO MUNDI 5026. Poſt C. 1077.
A. ☉ 22. ☽ 14. *Ind.* 15.
Annus urbis 1829. *Julianus* 1122.
Æræ Hiſpan. 1115. *Auguſtorum* 1104.

Imp. Henricus in Italia poſt plurimas interceſſiones, & tridui inediam & frigus, quo nudus pedibus & laneis indutus conſiſtabatur, tandem abſolvitur 28. Januarii ab excommunicatione Canuſii, ſub duriſſimis conditionibus, ut in controverſia cum Saxonibus & aliis Papam arbitrum acciperet, ne quid interim pro imperio ageret, ut omnes ſubditos à juramento, quo ſibi obſtricti ſunt, abſolveret, & tandem, ut in omnibus Pontifici concederet & obediret, & haſce conditiones juramento confirmaret, & in hanc rem obſides daret. Interim Papa legatos in Germaniam miſerat, qui intereſſent electioni novi Imperatoris, quod factum eſt Forchemii die 20. Febr. ubi repudiato Henrico eligitur *Rudolphus* Sueviæ Dux, qui coronatur Moguntii, Dominica Lætare, 26. Martii. Sed cives faventes adhuc Henrico, novum Imperatorem eodem die cum Epiſcopo urbe ejiciunt. Epiſcopus Argentinenſis hæc videns, feſtinabundus Romam pergit. Henrico totam rem aperit, & clanculum Roma eum educit in Longobardiam; inde, cum Alpes clauſæ eſſent, per Venetias eum in Germaniam traducit. & circa Rhenum exercitum colligit ubi ipſi inter alios auxilio venit Godefridus Bilioneus. Rudolphus hiſce territus, in Saxoniam abit. *Schafn.*

Annus Jezdegird 446. *incipit die* 25. *Feb. fer.* 7. *Armen* 526. 28. *Feb. fer.* 3.

Papa per legatos die 12. Maji concilium agit Linconienſe in Gallia, ubi prohibet inveſtituram Laicorum, ne quis Epiſcopatum à Laico Imperatore vel lege accipiat & ne Archiepiſcopus hujuſmodi electum conſecreret.

Henricus Imp. inchoat annum imper. 22. *in Junio. Michael ſeptimum.*

Olympias 464. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1853.

Annus Heg. 470. *incipit* 25. *Jun. fer.* 3.

Annus

Annus Diocletiani 794. incipit die 29. Auguſti.

Henricus Imperator pulſo Rudolpho totam ſuperiorem Germaniam occupat, & Sueviam donat Friderico Staufnugenſi viro ſtrenuo, quem ſimul eligit generum. Rudolphus tandem cum exercitu in Franconiam venit, & Wirtzburgum obſidet, ubi Henricus urbi ſubſidio venit, ſed cum res ad prælium veniret, proditione quorundam nobilium acie vincitur, & urbs occupatur; ſed Imperator reparato exercitu, paulo poſt urbem recuperat. Schafn.

Geila rex Hungariæ moritur, ſuccedit Ladislaus. Baron.

Xiphilinus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm rexiſſet Eccleſiam annis ferè duodecim, moritur; Succedit Cosmas monachus, qui ſedit annis ferè ſex. Zonar.

Dux Polonorum, cum tantæ turbæ eſſent in imperio Romano, & ſibi ab Imperatore metuendum non eſſet, jubet ſe in feſto natalitio Chriſti regem inaugurari. Schafn.

ANNO MUNDI 5027. Poſt C. 1078.

G. ☉ 23. ☽ 15. Ind. 1.

Papa Gregorius Synodum celebrat Romæ centum Epiſcoporum, in qua multos excommunicat Epiſcopos, & tredecim Cardinales ſchiſmaticos, qui videbantur ſentire cum Henrico, & legatos in Germaniam decernit, qui convocatis Principibus & Epiſcopis cauſam Henrici & Rudolphi diſceptent. Baron.

Nicephorus Botoniates, rebellis Imperatori, cum Niceam, auxilio Turcorum adjutus, occupaſſet, proclamatur Imperator die 25. Martii, & ita deponitur Michael, cum annos ſex, & menſes octo imperaſſet, & in cœnobium cum uxore detruditur, veſpera Paſchatos; cum verò Nicephorus Bryennius adhuc in Thracia ſe pro Imperatore gereret, Alexium Comnenum contra eum mittit, qui eum vi ctum cepit, & excæcavit. Regnavit autem Botoniates annos 3. Zonaras.

Annus Hegiræ 471. incipit die 14. Jul. fer. 7.

Rudolphus cum Henricus Imperator ſuperiorem Germaniam obtineret, cum exercitu contra eum proficiſcitur, ubi prælio concurrunt propè Melleſtadium in Franconia, æquali ferè clade, niſi quod ex Rudolphi parte plures Duces ceciderunt, Dux Saxoniæ Magnus, item Epiſcopus Magdeburgenſis & alii. Ex partibus Imp. cecidit Poppo Comes Hennebergenſis; factum die 7. Auguſti, fer. 3.

In Novembri Papa iterum Synodum celebravit, in qua Epiſcopos, qui ad Synodum venire noluerant, excommunicat. Baron.

ANNO MUNDI 5028. Poſt C. 1079.

F. ☉ 24. ☽ 16. Ind. 2.

Henricus Imp. tota hyeme Turingiam vaſtat, & Fridericus Palatinus Saxoniæ jungit ſe Henrico, & Kiſhuſam arcem occupat, & præſidio munit; ſed Saxones mittunt Lotharium cum copiis, qui arcem tamdiu obſidet, donec eam caperet, quæ ne hoſtibus receptui eſſet, communi decreto cremata, & ſolo æquata eſt. Inde Rudolphus cum exercitu etiam in Thuringiam venit, & prælio cum Henrico congreditur propè Fladenheim, ubi Saxones vincuntur magna clade: ſed Saxones tamen inter præliandum copias miſerant ad caſtra Henrici oppugnanda, quibus captis non exiguam cladem Henrico etiam intulerunt; factum prælium 8. Febr. Inde Henricus Erfurdiæ, quæ Epiſcopi Moguntini erant, occupavit, & caſu quodam Eccleſia Cathedralis cum Severi templo, & aliis ædificiis cremata eſt.

Hoc anno Imperator Coraſan ſive Meſopotamiæ, convocatis octo viris præſtantiſſimis, inter quos etiam fuit Aviſenna, juſſit inquiri æquinoctium vernum quod deprehenderunt factum die 14. Martii, hora 2. minut. 9. poſt meridiem, ac inde inchoat æram Gelalæam, quâ Perſæ utuntur in annalibus & Calendariis.

Boleslaus rex jam Poloniæ, cùm plane vitiis & libidinib. ſe dedidiſſet, & admonitus ab Epiſcopo vitam emendare nollet, excommunicatur ab Epiſcopo Stanislao, quâ excommunicatione ut ſolveretur, Stanislaum Epiſcopum die 8 Maji trucidari jubet; eâ de cauſa Papa Gregorius Boleslaum excommunicat, & regno deponit, ſubditosque ab obedientia ſolvit, ideo in odium adductus ex regno aufugit in Hungariam. Hiſt. Pol.

Annus Hegiræ 472. incipit die 4. Julii, fer. 5.

Robertus, filius Guili. Imi regis Angliæ & Normaniæ Ducis, infert parenti bellum, ſuaſu Philippi regis Galliæ, & ferè victor fuit belli, ſed tamen parcit parenti, & cum eo in gratiam redit. Polyd.

Alfonſus Toletum oppugnare incipit, & prioribus quatuor annis tantum agros eorum vaſtat, & commeatu intercludit, oppoſitis opportunis in locis præſidiis. Marian.

Haraldus rex Daniæ, cum duobus annis regnaſſet, moritur; ſuccedit Cnutus, qui itidem regnat annis binis. Baron.

ANNO MUNDI 5029. Poſt C. 1080.

E D. ☉ 25. ☽ 17. Ind. 3.

Henricus Imp. in Saxoniam irrumpit, ſed repellitur, & redit in Thuringiam, quo etiam venit Rudolphus; ubi concurritur propè Uberam ad Unſtrutum, die 28. Februar. fer. 5. ubi Saxones iterum vincuntur; alii collocant hoc prælium in ſuperiorem annum. Ursberg.

Uratislaus petierat à Pontifice, ut liceret Bohemis ſacra adminiſtrare Sclavonica linguâ, quam intelligeret; at Gregorius hoc ipſi denegat, & monet eum, ut velit à conſortio Henrici imperatoris abſtinere. Baron.

Gregorius Papa concilium celebrat Romæ, in quo primùm ſancit, ne quis à Laico inveſtituram accipiat, & qui acceperit, ne is habeatur pro Epiſcopo, vel Abbate, vel Presbytero, nec ipſi quiſpiam obediat, & Laicos, qui audent creare Epiſcopos vel Abbates, excommunicat. Inde iterum ad excommunicationem Henrici Imperatoris accedit, quam ſancit certa formulâ: Beate Petre, inquit, Princeps Apoſtolorum, & beate Paule, Doctor gentium, dignamini quæſo aures veſtras ad me inclinare, meque clementer exaudire, adjuvate, ut veritatem vobis dicam, &c. Et paulo poſt: Quapropter confidens de judicio & miſericordia Dei, ejusq; piiſſimæ matris ſemper virginis Mariæ vultus, veſtra authoritate fiſè nominatum Henricum, quem regem dicunt, omnesq; fautores ejus excommunicationi ſubjicio, & anathematis vinculis alligo, & iterum regnum Teutonicum & Italiæ ex parte omnipotentis Dei & veſtrâ interdico ei, atque omnem poteſtatem & dignitatem illi regiam tollo, & ut nullus Chriſtianorum ei ſicut regi obediat, interdico: omnesque, qui ei juraverunt, vel jurabunt de regni dominatione, à juramenti promiſſione abſolvo. Ipſe autem

Henricus cum ſuis fautoribus in omni congreſſione belli nullas vires, nullamq; in vita ſua victoriam obtineat. Ut autem Rudolphus regnum Teutonicorum regat & defendat ad veſtram fidelitatem, ex parte veſtra dono, largior, & concedo omnibus fideliter ipſi adhærentibus, abſolutionem omnium peccatorum &c. Agite nunc quæſo (Petre & Paule) Patres & Principes ſanctiſſimi, ut omnis mundus intelligat & cognoſcat, quia ſi poteſtis in cœlo ligare & abſolvere, poteſtis in terra Imperia, regna, principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus & omnium hominum poſſeſſiones pro meritis tollere unicuique & concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus frequenter tuliſtis pravis & indignis, & religioſis viris dediſtis. Si enim ſpiritualia judicatis, quid de ſecularibus vos poſſe credendum eſt? Et ſi angelos dominantes omnibus ſuperbis principibus judicabitis, quid de illorum ſervis facere poteſtis? Addiſcant nunc reges & omnis ſeculi principes, quanti vos eſtis, quid poteſtis: & timeant parvipendere juſſionem Eccleſiæ veſtræ, & in prædicto Henrico tàm citò judicium veſtrum exercete, ut omnes ſciant, quia non fortuitò, ſed veſtra poteſtate cadet. Romæ 7. Martii: Indict. 3. Hanc execrationem Papa celeriter mittit in Germaniam & alia in loca, additq; Rudolpho coronam cum verſu:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho. Baron.

Alfonſus *Hiſpaniarum rex* Toletum *urbem, quæ annis 368. in poteſtate Saracenorum fuerat, recuperat die 25. Maji, arcem in ea condit, ſedemque regni ibi figit; vult etiam ſe nominari Imperatorem, Hiſpaniæ, & hoc anno etiam ibi Epiſcopum ordinat ut habet* Baronius.

Annus Hegiræ 473. incipit die 22. Junii, fer. 2.

Henricus *Imperator, cùm accepiſſet excommunicationem, convocat Epiſcopos quoſdam Moguntiæ, inde Brixia in Norico,* ubi triginta Epiſcopi conveniunt, & Gregorium Papam *ob immania ſcelera, quæ recenſent, Pontificatu deponunt: eliguntque alium Pontificem* Guibertum *Epiſcopum Ravennatenſem, eumque vocant* Clementem *tertium, die 25. Junii, fer. 5. Gregorius, cum hoc audiviſſet, convocat copias, bello Clementem ejecturus, ſed res refriguit poſtea.* Baron.

Michael *Imperator ante biennium depoſitus à Nicephoro, ex cœnobio, ubi fuerat, effugit, & in Italiam venit, petitque à Pontifice & Normannis, ut imperium reſtituatur. Ideò Papa jubet militem conſcribi, ut expeditio ſequenti anno ſuſcipiatur.* Baron.

Annus Alexandr. 1392. Antioch. 1129. *Conſtantinop. 6589. incipit 1. Octobr.*

Henricus *cum Rudolpho die 15. Octobris, fer. 5. quarto prælio inter Eliſtrum fluvium & Grona paludes congreditur, in quo tanta vi certatum eſt, ut cornua utrinq; laborarent, & prælium ſæpius inſtauraretur, & victoria viſa eſt ad Saxones concedere. Ideò Henricus ſe cum aliquot fidelibus ex acie ſubducit, ſed tamen Fridericus à Staufen cum Suevis fortiſſimè adhuc pro Imperatore pugnat, cui jungitur Godefridus Bilionens, cui aquilam Imperator commiſerat; qui videns Rudolphum, deforme & lethale ipſi vulnus infligit circa ilia, & aliis accurrentibus etiam dextera manus ei abſcinditur. Cadente Duce totus exercitus Saxonum diffugit, & ad Henricum latum nuncium de victoria perlatum; Rudolphus perlatus Martiſburgum, cùm conqueſtus eſſet de perfidia Epiſcoporum, qui perſuaſerant ipſi, ut fidem* Henrico *datam falleret, & ſibi legitimam à Deo irrogatam pœnam fateretur, moritur. Magnificè fuit ibi ſepultus, donec Michael Sidonius Epiſcopus ibi Patrum memoria, dum cellam vinariam effodit, regium hoc ſepulchrum violavit, nihil territus vel loci religione, vel reverentia principis, qui Pontificis cauſam fortiſſimè defenderat.* Fab.

Annus Nabonaſſar. 1829. & Philippi 1405. incipit die 26. Novemb. fer. 5.

ANNO MUNDI 5030. Poſt C. 1081.

C. ☉ 26. ☽ 18. *Ind.* 4.

Annus urbis [illegible]33.	*Julianus* 1126.
Æra Hiſpan. 1119.	*Auguſtorum* 1108.

Annus Jezdegird 450. *incipit* 24. *Febr.* 4. *Armen.* 530. *die* 27. *Febr. fer.* 7.

Nicephorus *Botoniates Imp. Orientis ab* Alexio *Comneno, Duce militiæ inſigni, imperio exuitur feria quinta ante Paſcha, cùm imperaſſet annos tres; ſuccedit* Alexius, *qui imperat annos 37. menſes 4.* Zonar.

Robertus *Normannus ſuaſu Pontificis expeditionem in Græciam ſuſcipit, ut Michaelem illum in regnum reducat, & quidem propè Epidamnum vincit Alexium Imperatorem; ſed reparato exercitu ex inſidiis Alexius cladem regerit.* Zonar.

Terræmotus ingens annotatur à Pariſienſi in Anglia, die 26. Aprilis, poſt occaſum Solis.

Henricus *Imp. cum exercitu in Italiam ingreditur, ad deponendum Pontificem, & quidem omnia ſibi feliciſſimè ſubjicit, ſed Papa Romam præſidiis & commeatu munierat, ideò eam veſperâ Pentecoſtes obſidet, & in æſtivis caloribus exercitum in proxima urbis loca diſtribuit, quibus præficit Clementem* III. *Papam, qui vaſtando plurimum urbi nocuit.* Spang.

Templum Cathedrale pulcherrimum veſperâ Paſchatis Bambergæ crematur.

Annus Hegiræ 474. incipit 11. Junii, fer. 6.

Imp. Henricus inchoat annum 26.

Olympias 465. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1857.

Annus Diocletiani 798. incipit 29. Auguſti.

Cnutus *Daniæ rex, cùm binos annos tantum regnâſſet, diſſenſione ortâ de decimis dandis, à ſubditis trucidatur; ſuccedit* Olaus *frater, qui annos 10. regnavit.* Baron.

Boleſlaus *Poloniæ rex, cùm annos ferè 22. regnaſſet, moritur in Hungaria, quo confugerat; ſuccedit frater* Ladiſlaus, *qui principis nomine contentus, regis nomen abnuit, & regnavit annis* 20. Hiſtor. Polon.

Anſhelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis in Anglia floret, qui & hoc anno Romam evocatur. *Trith.*

Papa Gregorius ſcribit ad Status Teutonicos, ut circumſpectè agant in Imperatore novo eligendo, & ut caveant, inprimis fidelis ſit Pontifici Romano. Ideò præſcribit verba, in quæ juret eligendus Imperator, quæ ſunt: Ab hac horâ, & deinceps, fidelis ero per rectam fidem Beato Petro Apoſtolo, ejusque vicario beato Gregorio, & quodcunque ipſe mihi præceperit ſub his verbis, *per veram obedientiam fideliter, ſicut oportet Chriſtianum, obſervabo, &c.*

Saxones igitur & alii Principes conveniunt Bambergæ, & eligunt *Hermannum* Lotharingiæ Ducem; at reliqui Principes, ne inteſtino bello Germania conflictetur, electioni reſiſtunt, nihilominus tamen Saxones pergunt, & ſuum novum Imperatorem Hermannum per Epiſcopum Moguntinum coronant, die 26. Decembr. Hic Hermannus ſedem aulæ inſtituit Islebiæ, ubi tum temporis magnus proventus fuerat allii. Ideò dictus eſt rex aliorum, Knoblochskönig. *Trith.*

ANNO MUNDI 5031. Poſt C. 1082.
B. ☉ 27. ☽ 19. *Ind.* 5.

Henricus Imp. tempore Quadrageſimæ iterum urbem Romam invadit & obſidet, urbemq; ex parte incendit, ut in eo tumultu eam capere poſſit: ſed id fruſtra fuit, quapropter iterum, cùm æſtivi calores advenirent, in Longobardiam recedit. & Clementem Papam relinquit cum exercitu, ut Romanos perſequatur. *Bar.*

Magna turba in Suevia excitata à Leopoldo Duce Auſtria contra Fridericum Staufenſem, qui tamen fortiſſimè ipſi reſtitit. Sed ſequenti anno urbs Auguſta à Leopoldo capta & ſpoliata eſt, Epiſcopus fugatus, & alius illius loco electus.

Annus Hegira 475. *incipit die* 1. *Jun. fer.* 4.

Alexius Comnenus Imp. Orientis edidit edictum de bonis Eccleſiæ non abalienandis. *Baron.*

Imp. Miſniam regi Bohemia dederat, ſed ante Rudolphum victum Ecbertus Marchio Bohemum ejecerat. Rudolpho occiſo, cum Cæſariana partes reſpirare inciperent, Bohemus per generum Guibertum Comitem Groicenſem Ecbertum viciſſim ejicit, VVurcenam, Lipſiam & alia crudeliter vaſtat, & Groiciam arcem recuperat, inſtaurat, & munit. Fab.

ANNO MUNDI 5032. Poſt C. 1083.
A. ☉ 28. ☽ 1. *Ind.* 6.

Annus Hegira 476. *incipit* 21. *Maji. fer.* 1.

Henricus Imp. cum hactenus circa Romam ferè biennii ſpatio per duces ſuos omnia vaſtaſſet, ad obſidionem urbis redit, & Nordmannos, qui Romanis auxilio venire volebant, callidè eludit; & tandem urbe Leonina, operâ nobilis cujusdam Germani, qui muros in meridie aſcenderat, potitur, die 2. Jun. fer. 6. ante Pentecoſtem. Hac parte urbis occupata, cum civib. Imp. tractat, ut cum Pontifice agant de coronatione; quam ſi acceperit, promittit ſe bellum remiſſurum, quod quidem ſanctè promittunt. Interim alii principes agunt inter Pontificem & Imp. ut fiant induciæ, & Papa in Novemb. menſe concilium celebret, ubi res jure diſceptetur. Evocantur igitur omnes Epiſcopi: ſed qui ex partibus Pontificis erant, metuentes ſibi ab Henrico, noluerunt comparere, nec qui ex partibus Henrici erant, Pontifici ſatis fidebant. Ideò nihil concluſum in concilio. *Baron.*

Wilhelmus *rex Anglia deſcribi jubet omnes regiones Anglia, agros, ſylvas, prata, & quicquid erat, ſubditorum, & hinc vectigal ſuis imp. ſuit.* Pariſ.

Annus ſabbathicus 5. *Jobelei* 21. *incipit* 16. *Septemb. fer.* 7. *Annus Jud.* 4844.

Duces Henrici vincunt hoſtes ſuos juxta Danubium apud villam Hochſtein die 11. *Auguſti, fer.* 6. *ita in Saxonia Epiſcopus Bremenſis, evocatis praſidiariis Henrici, & aſſumptis Friſiis Hermannum novum regem obſidens, Islebiam capiunt & exurunt; ſed Comes Mansfeldenſis Erneſtus, ſua ita vaſtari moleſtè ferens, collectis ſuis irruit in hoſtes pradatores à tergo. Hermannus ne ſibi deeſſet, à fronte pugnat, ita Friſii in medio caſi.* Spang.

ANNO MUNDI 5033. Poſt C. 1084.
G F. ☉ 1. ☽ 2. *Ind.* 7.

Alexius Imp. Or. maxima munera cum pecunia in Italiam ad Henricum mittit, ut Normannos in Apulia oppugnet, ut Robertus, qui in Græcia erat, ad ſua defendenda revocetur. Idq; Imp. præſtitit, & poſtea Romam iterum invadit, ubi fer. 5. ante Dom. Palmarum palatium Lateranenſe occupat, & Papam in caſtellum ſancti Angeli fugat, atq; ita die 24. Mart. Dom. Palmarum *Clemens* Papa conſecratur, & poſtea in magna ſolennitate, in feſto Paſchatis cum uxore coronatur. Inde Aventinum montem Imp. munit, quòd diffideret civibus Romanis & Roberto Normanno. Gregorius enim omnes ſuos vaſallos ad ſui defenſionem evocaverat. Idem Imperatori ſicarium immittit, qui eum trucidaret in templo D. Mariæ, ſuperius dejecto ſaxo, ſi ut ſolebat, in genua ad aram orandi causâ procumberet; ſed hic imprudenter ſaxum movens. à ſaxo per præceps detrahitur, & expirat; ejus cadaver in fruſtra à populo diſcerpitur. Propter æſtum autem intolerabilem Henricus cum Romanis pace facta obſides accipit, & Senas abit. Robertus Normannus interim Romam venit, eam, ut Pontifici rebellem diripit, & incendit, ac Pontificem abducit Caſſinum primùm, inde Salernum, ubi manſit Papa, donec moreretur. *Baron.*

Annus Hegira 477. *incipit die* 9. *Maji, fer.* 5.

Henricus *inde in Germaniam redit. Auguſtam vindelicorum iterum capit, Epiſcopum deponit, & alium introducit. Inde Germaniam ferè peragrat, & à pleriſq; honorificè excipitur.* Spang.

Annus Alexandr. 1396. *Antioch.* 1133. *& Conſtantinop* 6593. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaris 1833. *& Philippi* 1409. *incipit* 25. *Novemb. fer.* 3.

Robertus *in Italia novas copias conſcribit, quas in Græciam traducat. Alexius verò claſſem mittit, qua conjuncta cum Venetis tranſitum ei impediat, ſed Robertus eam claſſem magna ſtrage vincit, & copias ſalvas traducit.* Bar.

ANNO MUNDI 5034. Poſt C. 1085.
E. ☉ 2. ☽ 3. *Ind.* 8.

Annus urbis 1837. *Julianus* 1130.
Æra Hiſpan. 1123. *Auguſtorum* 1112.

Garſtungi in Thur. Synodus agitur die 20. Jan. in qua convenerunt quam plurimi, ubi Conradus Trajectenſis Epiſc. copioſè adhortatur Ordines imp. ad pacem, & oſtendit Imperatori factam injuriam: quâ ratione quosdam ad partes Henrici traduxit. Sed cum omnes conſentire non poſſent, alia indicitur Synodus in Majo menſe celebranda Moguntii, ubi Imp. ipſe adeſſet, ſed reliqui, qui adverſabantur Henrico, Synodum indicunt Quedlinburgi. *Urſb.*

Annus Jezdegird. 454. *incipit* 23. *Febr. fer.* 1. *Armen.* 534. 26. *Febr. fer.* 4.

Quedlinburgi conveniunt Saxones cum ſuo rege Hermanno, & legato Pontificis, & confirmant edicta Hildebrandi, & iterum excommunicant Imperatorem, cum omnibus Epiſcopis, qui ipſi

ipſi adhærebant. Contrà Imperator cum ſuis Epiſcopis convenit Mogunti, ubi excommunicatur Hildebrandus Papa, confirmatur Clemens III. & excommunicantur etiam Epiſcopi, qui Quedlinburgi ſynodum celebrârant. Ad eos Epiſcopatu dejiciendos Imperator colligit exercitum. *Urſb.*

Annus Hegiræ 478. *incipit* 29. *Apr. fer.* 3.

Gregorius VII. Papa moritur die 25. Maji, cùm ſediſſet annis 12. Qui ejus partes defendebant, conveniebant quidem, ſed de electione conſentire non poterant, donec integer ferè annus abiret. *Baron.*

Robertus *Dux Normanniæ potentiſſimus in Italia moritur. menſe* Julio, *cui filii bini fuerunt, Rogerius & Boamundus; Boamundus poſtea expeditionem ſuſcepit in terram ſanctam.* Rog.

Henricus Imp. inchoat annum 30. *menſe* Jun. *Alexius* 5.

Olympias 466. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1861.

Annus Diocletiani 802. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Imperator collecto exercitu in Saxoniam proficiſcitur, Hermannum regem fugat trans Albim, Magdeburgi Epiſcopum ordinat, ut & Halberſtadii, & cùm hoſtes ita victos crederet exercitum dimittit. Sed Hermannus aſſumptis ſuis Epiſcopis, Imperatorem iterum ex Saxonia ejicit, eumq; inſequitur Hersfeldiam uſque. Spang.

ANNO MUNDI 5035. Poſt C. 1086.
D. ☉ 3. ☽ 4. *Ind.* 9.

Imperator Henricus ſtatim in hyeme adhuc Saxones, qui Hirsfeldiam vaſtabant, invadit, eos pellit, inſequiturque uſque ad Bodam fluvium, & iterum Saxones & Thuringios ſibi ſubjicit. Eo tempore Ludov *Landgravius Thuringiæ parenti, qui monachus factus erat, ſuccedit.* Spang.

Annus Hegiræ 479. *incipit die* 18. *Aprilis, fer.* 7.

Deſiderius Beneventanus Abbas Caſſinenſis, feſto Pentecoſtes eligitur Papa, ſed cùm ipſe repugnaret, & abjecto ornatu Pontificio in cœnobium rediret, etiam ejus conſecratio intermiſſa eſt hoc anno. *Baron.*

Henricus *Imp. in comitiis Mogunti, quo etiam Uratiſlaum Bohemiæ Ducem evocaverat, eum coronat regem, translato Moravorum regno, quod defecerat, in Bohemiam; quem inaugurat* Archiepiſcopus *Trevirenſis, die* 15. *Junii Pragæ.* Coſm.

Saxones collecto exercitu Franciam invadunt, & Würzburgum quinque ſeptimanis obſident. Imp. obſidionem ſoluturus, proditione Colonienſium & Trajectenſ. qui in medio pugnæ fervore commilitones ſuos invadebant, & Imp. ipſum trucidare conabantur, vincitur: Et quanquam hi proditores ad unum omnes trucidarentur, tamen reliquus exercitus conjectus eſt in fugam, & ceciderunt ex parte Imperat. ad quatuor millia, & Würtzeburgum deditur die 11. Aug. Imperator tamen collectis viribus paulo poſt redit, Saxones pellit, urbem recuperat, Epiſcopum introductum capit, ſed inviolatum dimittit. *Spang.*

Marianus Scotus monachus Fuldenſis moritur, anno ætatis 58 *Trith.*

Profeſſor quidam Lutetiæ defunctus, cum jam ſepeliendus eſſet ſubitò exclamat *Juſto Dei judicio damnatus ſum*, idq; fecit etiam ſecundò & tertiò. Cùm omnes adſtantes exanimarentur, Bruno quidam Profeſſor dixit, relinquamus mundum, ne ſimiliter pereamus, & cum quibuſdam paucis in ſylvam pervenit *Carthuſiam* dictam, ibi inſtituit cellulas, & ordinem monachorum, qui à nomine loci ita dicti ſunt. Silentium eis fuit perpetuum, intima veſte utebantur cilicina, ſummo pallio nigro, carnibus nunquam veſcebantur. *Cent. Magd.* Sed Bar. hujus hiſtoriæ non meminit, fortaſſis ut fictæ.

ANNO MUNDI 5036. Poſt C. 1087.
C. ☉ 4. ☽ 5. *Ind.* 10.

Victor III. Papa tandem coronatur die 21. Mart. Dominicà Palmarum, qui Deſiderius vocacabatur, ſed ipſi non licuit eſſe diu ſecuro. Clemens enim tertius Papa Romam invadit, Victorem in arcem S. Angelli pellit, & Miſſam in templo Mariæ rotundæ celebrat: nec tamen hic diu Romæ manſit, ſed Ravennam reverſus, Epiſcopos & Abbates per Italiam ordinat. *Baron.*

Burchardus Epiſcopus Halberſtatenſis, quem Imp. ex infimo loco exaltatum Epiſcopum fecerat, quique poſteà in acie contra Imp. terdecies ſteterat, in populari ſeditione Goslariæ plurimis plagis multatur, ſtatimq; occiſus fuiſſet, niſi ejus miniſtri incendium excitâſſent, quo cives revocati ſunt: poſt octiduum tamen extinctus fuit, factum 5. Aprilis. *Walramus.*

Annus Hegiræ 480. *incipit die* 7. *Apr. fer.* 4.

Hermannus *Lotharingius à Saxonibus electus Imp. Saxonià ab ipſis Saxonibus pellitur, qui agit de reconciliatione cum Imp. & in gratiam receptus, arci cuidam à Trevirenſi Epiſcopo præficitur; quam dum ipſe quaſi hoſtis, ut ſuorum induſtriam & fortitudinem exploraret, oppugnat, à fœmina dejecto ſaxo trucidatur.* Urſb.

Wilhelmus *Angliæ rex, cùm Galliæ arma inferret, ſaltu equi diſruptis inteſtinis moritur, cùm annis* 21. *regno Angliæ præfuiſſet, & Comitatum Normanniæ annis* 52. *rexiſſet, die* 6. *Septemb. Succedit ipſi* Wilhelmus *filius, qui coronatur rex Angliæ die* 26. *Septembr. fer.* 1 *die Coſmæ & Damiani.* Malmesb.

Victor Papa Beneventi concilium celebrat, & quæ Gregorius ſtatuerat, de inveſtituris à Laicis non accipiendis, confirmat, & paulo pòſt moritur, die 16. Sept. vacat ſedes aliquot menſibus. *Baron.*

Victor Papa exercitum in Africam contra Saracenos miſerat, qui victis Saracenis aliquot urbes occupat. Baron.

ANNO MUNDI 5037. Poſt C. 1088.
BA. ☉ 5. ☽ 6. *Ind.* 11.

Cardinales Romani, poſt vacationem ſedis Pontificiæ menſium ſex, Epiſcopum Oſtienſem creant Papam, die 12. Martii, eumq; vocant *Urbanum* ſecundum, qui veſtigiis Gregorii VII. inſiſtens, confirmat quæcunq; egerat. *Baron.*

Annus Hegiræ 481. *incipit die* 27. *Mart. fer.* 2.

Auguſta *urbs Vindelicorum iterum à Suevis die* 13. *April. fer.* 5. *ante Paſcha ſcalis appoſitis capitur, Epiſcopus in vincula conjicitur, & muri urbis in hebdomade Paſchali dejiciuntur.* Chron. Aug.

Uratiſlaus *Bohemiæ rex Miſniam, quam Ecbertus Marchio Saxoniæ habebat, vaſtat, & prædâ dives*

jam

jam abitum parabat, ſed Miſnenſes nobiles collecto equitatu Bohemos vincunt, & prædam recuperant 2. Julii.

Angli contra regem ſuum novum conſpirant, eumq; perſequuntur, evocaturi ejus fratrem Robertum, ut rex fieret, qui proculdubio autor erat hujus rebellionis. Wilhelm. in anguſtiis conſtitutus, Anglis omnia tributa remittit, ut quieſcant, & maritima præſidiis munit, ne Robertus appellere poſſit. Malm.

Annus Alexandr. 1400. Antioch. 1137. Conſtantinop. 6597. incipit 1. Octobr.

Urbanus II. Papa Epiſcopo Toletano reddit privilegium, quod ea ſedes habuerat ante annos 374. videlicet ut eſſet primus in tota Hiſpania. Factum menſe Octob. Baron.

Annus Nabonaſſar. 1817. & Philippi 1413. incipit die 24. Novemb. fer. 6.

Ecbertus unicus ferè adhuc hoſtis erat Imperatori, cæteri ferè ad eum ſe receperant; ut igitur & hunc expugnaret, arcem ejus Gleicham in Thuringia obſidet. Ecbertus, ut Imperatori vicem redderet, Quedlinburgum obſidet, ubi erat ſoror Imperatoris, & ſimul ſponſa, quibus Imperator timebat, atq; ita potiſſimam partem exercitûs ad defendendum Quedlinburgum, Duce Harduico Epiſcopo Magdeburgenſi, mittit, qui colludens cum hoſte, eum monet, quid agendum. Ecbertus igitur Imperatorem in caſtris ad Gleicham die 24. Decembr. fer. 1. obruit, & eum ab obſidione magna clade repellit. Chron. Laur.

ANNO MUNDI 5038. Poſt C. 1089.

G. ☉ 6. ☽ 7. Ind. 12.

Annus urbis 1841. Julianus 1134.

Æra Hiſpan. 1127. Auguſtorum 1116.

Annus Jezdegird. 458. incipit 22. Febr. fer. 5. Armen. 538. die 25. Febr. fer. 1.

Annus Hegiræ 482. incipit 16. Martii.

Alexius incipit annum 9.

Urbanus Papa die 18. April. ſcribit Epiſcopo Conſtantienſi in Germania, ut ſuas partes tueatur, & Synodum cogat, ac Papam Clementem cum Imperatore eorumque fautores excommunicet. Baron.

Lanfrancus Epiſcopus Cantuarienſis in Anglia moritur die 24. Maji, fer. 5. multa ejus opuſcula extant.

Olympias 467. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1865.

Henricus Imp. inchoat annum imperii 34.

Annus Diocletiani 806. incipit 29. Auguſti.

Horribilis terræmotus annotatur die 11. Auguſti in Anglia. Malmesb.

Ecbertus Marchio Saxoniæ, poſt victoriam illam de Imperatore Henrico, magnam potentiam & autoritatem acquiſivit tam apud Thuringos, quàm apud Saxones: Ideò Hildesheimum invadit, & aſtu Epiſcopum capit, quem duriter habuit, ſperans ſibi Hildesheimum traditum iri. Spang.

Henricus Comes Lovanienſis, cùm Comitatum annis 16. rexiſſet, moritur; ſuccedit ipſi ſequenti anno filius Henricus, qui præeſt annis 11. Chron. Belg.

ANNO MUNDI 5039. Poſt C. 1090.

F. ☉ 7. ☽ 8. Ind. 13.

Annus Hegiræ 483. incipit die 6. Martii, fer. 1.

Ecbertus Marchio Saxoniæ, urgens obſidionem Hildesheimenſem, profectus erat novas adductum copias, quas conſcribi juſſerat; eas acceptas præmittit, ipſeq; ſequitur, divertens cum paucis in molendino Eyſenbeutel/ in ſylvula prope Numburgum. Cæſariani equites, qui itinera explorabant, ex molitore audiunt, Ecbertum ibi eſſe, & velociter eum obruunt, & fortiſſimè dimicantem trucidant. Imperator hoc hoſte ſublato Miſniam dat Thimoni Marchioni in Landsberg: cujus poſteritas hoc ipſo tempore rerum potitur feliciter. Thimo tamen hic, cùm Imperatori ſuam probare vellet in oppugnatione arcis cujuſdam, cadit, & ejus filii ad poſſeſſionem provinciæ admiſſi non ſunt, niſi poſt annos 36. cùm Lotharius imperaret.

Monaſteriorum Lorch fortuito igne penitus exuritur, cùm eum ludicri causâ ejacularentur monachi, die 21. Martii.

Godefrido Bullioni, qui hactenus à partibus Imperatoris ſteterat, datur Ducatus Lotharingiæ ab Imp. quem obtinuit annis fere ſeptem. Chron. Belg.

Imperator Henricus pacata Germaniâ, ut plurimum de Italia ſollicitus eſt, ideò ſtatim ineunte æſtate eò proficiſcitur, & quaſdam urbes deditione capit, & Mantuam urbem ducem menſibus ferè obſidet, quæ capta eſt ſequenti anno, veſperâ Paſchatos. Baron.

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei 21. incipit 29 Auguſti, fer. 5. Anno Jud. 4851.

Wilhelmus Angliæ rex exercitum in Normanniam mittit contra ſuum fratrem Robertum. Robertus contrà evocat in auxilium Philippum regem Galliæ; Wilhelmus contrà tantundem pecuniæ mittit Philippo, ut auxilia abducat & quieſcat. Rog.

IVO Carnotenſis Epiſcopus, qui ex Canonibus Sanctorum Decretalia conſcripſit, quorum uſus fuit ante Gratiani tempora, floret. Trit. Bar.

Waltramus, Epiſcopus Numburgenſis, ſcribit ad Ludovicum Landgravium pro Imperatore Henrico IV. contra Hildebrandum & alios. Gold.

ANNO MUNDI 5040. Poſt C. 1091.

E. ☉ 8. ☽ 9. Ind. 14.

Annus Hegiræ 484. incipit 23. Febr. fer. 1.

Mantua urbs ab Imperatore capta pridie Paſchatis, cum multis aliis oppidis, & partes Imperatoris ſe in Italia erigere incipiunt: Inde Clementem tertium Papam Romam mittit, qui occupat caſtrum S. Angeli, idq; præſidiis munit. Urbanus Papa interim vel Capuæ, vel in Samnio ſe continet. Baron.

Coſmas die 4. Mart. eligitur Epiſcopus Pragenſis, cum Henricus Imp. in Italia eſſet apud Longobardos, & confirmatur Veronæ ſequenti anno. Coſ.

Wilhelmus Abbas Hirsaugienſis, qui ſcripſit de Muſica, & Horilogio, moritur hoc anno. Trith.

Gothici characteres literarum juſſu regis Alfonſi in Hiſpania abolentur, & Latinorum ſcribendi ratio aſſumitur. Marian.

Wilhelmus rex Angliæ ipſe in Normanniam abiit, bellum geſturus cum fratre, ſed pax reconciliatur, ut alter alterius eſſet hæres. Interim Milcolumbus rex Scotiæ Angliam vaſtat, quem ulciſci ſtatuit Wilhelmus, ſed tempeſtate claſſis demergitur; quare pax facta in eas conditiones, ut rex Scotiæ ex parte ſubeſſet regi Angliæ. Roger.

Dum ſchiſma inter Pontifices eſſet, & tamdiu duraret, Angli neutri adhærere voluerunt;

ſed Galli & Itali plerique Urbanum coluerunt. *Rogerius.*

Theodoricus *Comes Hollandiæ, cùm quindecim ferè annis Comitatum gubernaſſet, moritur; ſuccedit ipſi* Florentinus *filius, qui præeſt annis* 30. Chron. Belg.

ANNO MUNDI 5041. Poſt C. 1092.
D C. ☉ 9. ☽ 10. *Ind.* 15.

Annus Hegiræ 485. *incipit die* 11. *Febr. fer.* 5.

Hoſpitaliorum ordo inſtitutus circa hæc tempora in terra ſancta, antequam à Bilioneo Hieroſolyma recuperaretur. Originem ordo hic traxit à mercatoribus Italis, qui à Saracenis locum ſibi precio comparârunt, ubi religio Chriſtiana exerceretur ſeorſim. Huic templo additæ ædes, ubi peregrini hoſpitio exciperentur, largitione poſt principum & eleemoſynis piorum magnoperè ditati ſunt, ita ut urbes & regna ſibi compararent. *Centur. Magd.*

Uratislaus *Bohemiæ rex moritur die* 14. *Januarii, cùm annis* 31. *regnâſſet. Succedit ipſi frater Conradus, excluſis Vratislai liberis, ſed non diu regnum occupavit, ſed mortuus eſt die* 6. *Septemb. ubi tandem die* 14. *ſuccedit filius Vratislai Primislaus, & coronatus eodem die, regnatque annis* 8. Coſm.

In hebdomade Paſchali, Calendis Aprilis, nix cecidit ingens, & fuit gelu horridum. *Coſm.*

Wilhelmus Angliæ rex ægrotus, ex devotione ſinguli *Anſelmum* Abbatem Beccenſem Epiſcopum deſignat Cantuarienſem; Paulò poſt ſanitati reſtitutus, pecuniam Epiſcopis extorquet. *Pariſ.*

Annus Alexandræus 1404. *Antioch.* 1141. *Conſtantinopol.* 6601. *incipit Calend. Octob.*

Annus Nabonaſſaris 1841. *& Philippi* 1417. *incipit* 23. *Novemb. fer.* 3.

Ericus *Daniæ Rex ſuccedit fratri Olao, qui annos* 10. *regnarat; ſed ſtatim in principio regni excommunicatur ab Epiſcopo Hamburgenſi, qua propter ipſe ad Urbanum proficiſcitur, conqueritur de injuriis Epiſcopi, petitque in ſuo regno Archiepiſcopatum erigi, ne externo Epiſcopo ſit ſubjectus, idque impetrat non ſolùm, ſed Archiepiſcopatus Daniæ inſpectionem etiam accepit Eccleſiarum in Suecia & Norvegiâ, & ita Epiſcopatus* Hamburgenſis *non parum minuitur.* Baron.

ANNO MUNDI 5042. *Poſt C.* 1093.
B. ☉ 10. ☽ 11. *Ind.* 1.

Annus urbis 1845. *Julianus* 1138.
Æra Hiſp. 1131. *Auguſtorum* 1120.

Annus Hegiræ 486. *incipit die* 1. *Feb. fer.* 3.

Annus Jezdegird 462. *incipit* 21. *Febr. fer.* 2.
Armen. 542. *die* 24. *Febr. fer.* 5.

Alexius Imp. Orientis incipit annum 13.

Anſelmus ex cœnobio Beccenſi Normannorum evocatus in Angliam (fuerat ibi diſcipulus Lanfranci) eligitur Epiſcopus Cantuarienſis die 6. Martii, Dominicâ prima Quadrageſimæ, ſed conſecratur demum die 4. Decemb. fer. 1.

Pomerani, qui à regno Polonico defecerant, à Ladislao Poloniæ Duce, diuturno bello ſubacti, tandem ſe dedunt, & regno Polonico ſubjiciuntur. Hiſtor. Polon.

Olympias 468. *incipit die* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1869.

Henricus Imp. inchoat annum Imperii 38.

Annus Diocletiani 810. *incipit* 29. *Auguſti.*

Ecclipſis Solis annotatur hoc anno, quæ facta fuerit horâ diei tertia, ut habet Chron. Belg. die 23. *Sept. fer.* 6. *eaq; ita invenitur. Accidit enim poſt m. diam noctem horis* 5. *& minut.* 25 *Rhemis in Galliâ. Parallax. latit.* 30,9. *Latitudo vera* 38,42. *Viſa Sept.* 8,33. *Semid. Solis* 15,33. *Summa* 30,47. *Scrup. reſid.* 22,14. *Digiti ecclipt.* 8,34. *Sol in* 7. *gradu Libræ.*

Urbanus Papa biennio jam Româ pulſus fuerat, utq; reduceretur efficit per Guelphonem Ducem & Mathilden, ut *Conradus*, quem Pater *Henricus* Imp. Regem Italiæ fecerat, Patri rebellaret, qui per Mediolanenſem Epiſcopum Anſelmum, qui tamen paulò poſt expiravit, regem ſe Italiæ coronari patitur, inde à Pontifice excommunicatione ſolvitur, & Urbanum Romam reducit. Conjux etiam Henrici profuga ad Pontificem ſe confert, atque inde in cœnobium abit. Pater etiam Henricus in magnis anguſtiis in Italia verlatur, cùm civitates inter ſe fœdus fecerent. *Baron.*

Milcolumbus *Scotiæ rex iterum in Angliam irruit, & Northumbriam vaſtat. Cauſa belli fuit, quòd Wilhelmus caſtellum quoddam ipſi eripuerat, quod recuperare conabatur: ſed eruptione hoſtium ibi trucidatur, circa menſem Novemb. cùm annos* 36. *regnâſſet; ſuccedit quanquam cum magna difficultate, poſt ſex menſes filius* Dunſtanus. *Buch.*

Robertus *Friſiæ & Flandriæ Dux, cum annis* 21. *præfuiſſet, moritur; ſuccedit filius* Robertus, *qui præeſt annis* 18. Annal. Fland.

ANNO MUNDI 5043. Poſt C. 1094.
A. ☉ 11. ☽ 12. *Ind.* 2.

Annus Hegiræ 487. *incipit die* 21. *Junii. fer.* 7.

Conſtantienſis Epiſcopus, ut legatus Papæ Urbani, in Germania concilium celebrat in Quadrageſima, in quo conſtitutum, ut jejunium quatuor temporum celebretur, primum in ſeptimana prima Quadrageſimæ, alterum vero in hebdomade Pentecoſtes, reliqua, ut olim ſolebant. Conſtitutum etiam eſt, ut feſtum Paſchatis tribus diebus, ut & Pentecoſte celebraretur: antea enim Paſcha toto octiduo, Pentecoſte verò unico die celebrabatur. *Baron.*

Papa Clemens tertius adhuc caſtellum S. Angeli Romæ obtinuit, quapropter etiamſi Urbanus Romæ eſſet, non tamen eum expellere potuit, ſed & aliquot hoſtes Pontificis ibi intercepti ſunt.

Alfonſus *rex Portugalliæ primus naſcitur.* Hiſt. Port.

Scoti *regem ſuum Dunſtanum trucidant & alium,* Eadgarum *fratrem Milcolumbi, ſibi præficiunt, qui regnat ferè annis undecim.* Rog.

Sanctius *Arragoniæ Comes, cùm multa Mauris eripuiſſet, & præfuiſſet annis* 27. *dum obſidet* Oſcam *urbem, trucidatur, die* 4. *Junii. Succedit ipſi* Petrus *filius qui obſidionem continuat, & poſtea rex appellatur. Hic, cùm Mauri obſidionem ſolvere vellent, maximo & difficillimo prælio cum eis congreſſus eſt, vicitq;, occiſis quadraginta millibus hoſtium* 18. *Nov.*

Wilhelm. Angliæ rex, cùm in Angliam navigaſſet, ut fratri Roberto iterum bellum faceret, auxilio Philippi regis Galliæ Northumbriæ Dux, qui Milcolumbum regem Scotiæ interfecerat, rebellat regi Wilhelmo, & Walliam ſibi ſubjicit; ſed Wilhelmus

in Angliam reverſus, eum vincit, & in vincula conjicit. Paril.

ANNÓ MUNDI 5044. Poſt C. 1095.
E. ☉ 12. ☽ 13. *Ind.* 3.

Annus Hegiræ 488. incipit 10. Jan. fer. 4.

Urbanus Papa celebrat Synodum Placentiæ in magna frequentia, in media Quadrageſima. Eò legati adveniunt Alexii Imperatoris Orientis, conquerentes ſibi omnia jam erepta eſſe, quæ habuerint in Aſia, & Turcas jam ſuburbia Conſtantinopolis deprædari: Petunt ergò à Pontifice auxilium. Advenit eò etiam Petrus Eremita, qui literas attulerat Patriarchæ Hieroſolymitani, auxilium flagitantis. Papa igitur ut exercitum conflare poſſet, indicit Synodum generalem in Galliis menſe Novembri, & cùm Placentiâ abiiſſet, Cremonam venit. ubi *Conradus* rebellis filius Imperatoris Pontifici ſtratoris officium exhibuit, cui viciſſim Papa promittit, ſi conſentiat in legem de inveſtituris clericorum à laicis non accipiendis, imperium & coronam. Inde Papa in Gallias abit; Conr. verò ad ſponſam ſuam, Rogerii Ducis Siciliæ filiam, quæ attulit ipſi ingentes pecuniæ theſauros; ſed parvula adhuc tum erat. *Baron.*

Anſelmus in Anglia agnoſcit Urbanum pro legitimo Pontifice, ſed rex amplectitur Clementem III. Ideo in Quadrageſima celebratur Synodus, ſed rem obtinet Clemens, ideò Anſelmus Angliâ cedere cupit, diſſuadetur hoc regi, interim fiunt induciæ, uſque ad Pentecoſten, & rex ipſe ad Urbanum mittit, curatq; afferri Anſelmo pallium, & relicto Clemente, Urbanum ſequitur & Anſelmus induit pallium die 4. Junii, fer. 1. *Bar.*

Stellæ in cœlo die 4. April. fer. 4. Lunâ 25. viſæ ſunt inter ſe pugnare, in tanta frequentia, ut numerari non poſſent. Baldricus.

Philippus *rex Galliæ thoro ſuo ejecerat conjugem in pagum [illegible]endum, in quo etiam poſt aliquot annos mortua fuit, interim aliam conjugem duxerat: de ea re admonitus, cùm pellicem hanc ejicere nollet, &* Ivo *Carnotenſis Epiſcopus acriter in regem inveheretur, conjectus eſt à rege in carcerem; poſtea tamen cùm audiret Pontificem adventare, eum liberavit.* Ivo.

Urbanus Papa, cùm in Gallias veniſſet, concilium celebrat ad Clarum montem, ubi adfuerunt Archiepiſc. 13. & Epiſcopi & Abbates ad trecentos, ubi pronunciat Eccleſiam ab omni ſervitute regum liberam, ac proinde inveſtituram à clericis recipiendam non eſſe; præcipit jejunium Quadrageſimale incipiendum à laicis in die Cinerum, à clericis autem ipſa Dominicâ Quinquageſimæ: Excludit filios presbyterorum ex uxoribus & concubinis natos à presbyteratu, niſi prius facti fuerunt monachi; acta Hildebrandi confirmat, & Galliæ regem in ipſa Gallia propter pellicem anathemate ferit. Atrebates etiam Cameracenſibus adimit, & peculiarem Epiſcopum ibi creat. Inde aliquot prolixas orationes habet, quibus ſuadet expeditionem ſanctam à principibus Europæ ad terram ſanctam recuperandam; dimiſit etiam Epiſcopos & Abbates ad adhortandam plebem, cumque res eſſet magni momenti: ut quotidie preces ad S. Mariam virginem à clericis fundantur, & ſalutatio Angelica multis vicibus recitetur, quas ut numerare poſſent, juſſit clericos globulos ligneos in funiculo habere, id quod poſtea ad plebem pervenit, & funiculi cum globulis dicti ſunt *Pater noſter*, quòd oratio Dominica etiam aliquot vicibus ad hoſce globulos recitaretur. *Baron.*

Annus Hegiræ 489. incipit 31. Dec. fer. 2.

ANNO MUNDI 5045. Poſt C. 1096.
F E. ☉ 13. ☽ 14. *Ind.* 4.

Ecclipſis Lunæ annotatur hoc anno à multis hiſtoricis, quæ acciderit die 11. Febr. Eaque ita invenitur, accidit enim eodem die feriâ ſecunda, horis 3,42. poſt mediam noctem, Rhemis in Galliis. Latitudo ejus vera auſt. 6,57. Semidiam. Lunæ 16,30. Summa Semid. 59.29. Scrup. reſidua 52,32. Digiti ecclipt. 19,6. Sol in 28. Aquarii.

In Galliis cùm conveniſſent, qui expeditionem ſanctam in Palæſtinam ſuſcipere volebant, Papa eos juſſit ex rubra lana crucem facere, & humeris affigere: fuit autem innumerabilis multitudo, qui hoc & ſequentibus annis Palæſtinam verſus profecti ſunt. Wilhemus Malmesburienſis, qui tum vixit, putat, ſi in una ſumma computentur, fuiſſe ad ſexagies centena millia.

Primus ingreſſus eſt iter Walterus quidam nobilis, *Senſavir* appellatus, cum militibus ſuis, die octavo Martii, ſed in toto exercitu vix habuit octo equites, cujus exercitus ferè totus à Bulgaris ſpoliatus & cæſus eſt, ipſe tamen venit Conſtantinopolin.

Secundus qui ingreſſus eſt iter fuit *Petrus* Eremita, autor ferè hujus expeditionis, ut qui à reliquis Chriſtianorum in Europam ad adducendum exercitum miſſus fuerat, collegit exercitum ferè quadraginta millium ex Lotharingia, Bavaria & Auſtria. Horum, cùm prædas interdum in Hungaria ſectarentur, cæſi ſunt ad decem millia; reliqui veniunt Conſtantinopolin Calendis Auguſt. inde Helleſpontum transgreſſi in Aſia caſtra locant, utque commeatus eſſet expeditior, in duas partes diſtribuuntur, & pars altera Duce Reinaldo trium dierum iter ingrediuntur in Romaniam, & caſtrum munitum expugnant: ubi cum duobus menſibus fuiſſent, Calendis Octob. accurrunt Turcæ, & obſeſſos octo dierum ſiti macerant, & deditione tandem capiunt, omneſq; in captivitatem abducunt. Altera pars jam rebellis erat Petro, eumque fugaverat; hoſce Turcæ ſimiliter invadunt, & aut trucidant, aut in captivitatem abducunt, atque ita ferè omnes perierunt ex Petri exercitu.

Tertius, qui ingreſſus fuit iter, Godeſchalcus Presbyter, vir deſertus, collegerat in Germania voluntarios ad quindecim millia; qui cum præda non abſtinerent, cæſi ſunt ad Belgradum ferè omnes à rege Hungariæ.

Quartus qui per Hungariam iter ingreſſus eſt, fuit *Emmicho*, item Thomas de Feria, Hermannus Comes cum ſociis aliis, qui ad ducenta hominum millia collegerat, & tria equitum millia. Hi cùm Germaniam tranſirent, & expeditionem hanc contra infideles & paganos ſuſceptam ſcirent, Judæos Coloniæ, Moguntiæ, & alibi aggrediuntur, eorum ad duodecim millia trucidant. Quum verò in Hungariam veniſſent; ab Hunga-

rorum rege tranſitu prohibentur; & cum putarent, ſe vi perrumpere poſſe, in fugam aguntur, & qui evaſerunt. vel in Italiam abierunt, vel abjurata peregrinatione domum redierunt.

Quintus fuit *Hugo* Magnus, regis Philippi in Gallia frater; qui cùm in Bulgariam cum ſuis veniſſet, à Bulgaris capitur, & captivus Conſtantinopolin perducitur. *Geſt. Franc.*

Incidit tum ecclipſis Lunæ quæ facta eſt die 6. menſis Auguſt. fuitq; ſolito major, cœpitque initio noctis, eaque ita invenitur: accidit enim eodem die fer. 4. horis 8. & minut. 23. poſt meridiem Rhemis in Gall. Latitudo Lunæ fuit 13,4. Sept. Semid. Lunæ 17,11. Summa Semidiam. 62,2. Scrup. reſid. 48,58. Digiti Eccl. 17,6. Sol in 20. gradu Leonis; atq; ita binæ Eclipſes maximæ uno anno fuerunt, quod rarò accidit.

Sextus qui ingreſſus eſt iter fuit *Godefridus* Bilioneus, qui abiit die 15 Auguſt. menſis, cum fratribus & aliis præſtantiſſimis viris, & feliciter Hungariam, Bulgariam & Mœſiam tranſit; ibi certior factus de Hugone magno capto. legatos ad Alexium Imperatorem mittit, petitum ut libertati reſtituatur, cùm religionis causâ, & ad hoſt ſipſius Alexii depellandos iter ingreſſus ſit; ſed repulſam patitur Godefridus, ideò iratus Imperatori octo dierum ſpatio Thraciam vaſtat, atque ita Alexius coactus non ſolùm Hugonem, ſed & omnes alios, quos captos habebat, libertati reſtituit. Venit inde Conſtantinopolin Godefridus die 23. Decemb. Ubi cùm iterum Alexius prohiberet, ne peregrinus forum venale præberetur, Godefridus jubet ſuburbia Conſtantinopolis vaſtari, atque ita Alexium ad legitima commercia cogit.

Septimus fuit Boamundus, *Rogerii* Apuliæ Ducis frater, qui per Græciam Conſtantinopolin tendit, ſed hybernat in Græcia.

Octavus fuit Raimundus, & Comes Tholoſanus, qui ex Longobardia per Forumjulii in Hiſtriam & Dalmatiam, in Macedoniam deſcendunt, ibiq. hybernant.

Ultimus ingreditur iter Robertus Normanniæ Dux, qui Ducatum ſuum vendidit Wilhelmo fratri ſuo, regi Angliæ, decies mille libris. Huic juncti fuerunt Stephanus Comes Bleſenſis, & Robertus Comes Flandriæ; ſed ante hyemem vix ingreſſi Italiam, Lucam, inde Romam veniunt, & in Apulia ac Calabria hybernant *Geſta Franc.*

Bengazela *Arabs, qui multos libros de medicina compoſuit, floret.* Zacuth.

Annus Alexandr. 1408. *Antiochenus* 1145. *Conſtantinop.* 6605. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaru 1845. *& Philippi* 1421. *incipit* 22 *Novemb. fer.* 7.

Hoc anno, antequam Godefridus Conſtantinopolin veniret, infinita multitudo locuſtarum ab Occidente advolans, Conſtantinopolin pervenit. Zon.

Leopoldus Auſtriæ Dux, cùm annos 21. præfuiſſet, moritur; ſuccedit ipſi filius, Leopoldo cognomento pius, qui annis 40. præeſt. Cuſp.

Urbanus Papa, tanquam victor & triumphator de Palæſtina, in Italiam redit, Caſtellum tamen S. Angeli expugnare non poteſt. *Bar.*

Anshelmus vix tandem menſe Octobri poteſtatem impetrat à rege Wilhelmo, ut ipſi liceat ad Pontificem Urbanum abire: ne quid precioſi ex Anglia efferret, à rege cautum eſt. *Pariſ.*

Annus Hegira 490. *incipit die* 19. *Dec. fer.* 6.

ANNO MUNDI 5046, Poſt C. 1097.

C. ☉ 14. ☽ 15. *Ind.* 5.

Annus urbis 1849. *Julianus* 1142.

Æra Hiſpan. 1135. *Auguſtorum* 1124.

Annus Jezdeg. 466. *incipit* 20. *Febr. fer.* 6. *Armen.* 546. *die* 23. *Febr. fer.* 2.

Stella *non nimis fulgida apparuit, radium unum ſublucidum de ſe protendens, ut Luna.* Hiſtor. Auguſt.

Boamundus in hybernis ab Alexio invaditur fer. 4. quæ caput eſt Quadrageſimæ, die Cinerum, 18. Feb. Cùm vero veniſſet Conſtantinopolin. Principes omnes cum Alexio fœdus ſanciunt hiſce legibus, ut Alexius Imp. peregrinantes adjuvaret operâ, conſilio, armis, & commeatibus, quantum poſſet: Ipſi contrà, quicquid Turcis eriperent, Alexio reſtituerent, exceptis Hieroſolymis. Inde in Aſiam pergunt die ſexto Maji, & pridie Aſcenſionis 14. Maji Niceam veniunt, eamque obſident per dies 52. Interim prima hebdomade menſis Junii advenit etiam Niceam Robertus Normannus cum aliis, ubi numeratus eſt exercitus, inventaque ſunt peditum ſexcenta millia, & equitum loricatorum centum millia, præter impedimenta, ubi erant Clerici & mulieres. Solymannus cupiens obſidionem ſolvere, prælio vincitur, & ferè quatuor millia de ejus exercitu trucidantur, quorum capita in urbem adhibitis tormentis projecta ſunt: Captivi verò ad Alexium dimiſſi, & urbs Nicea capta, die 20. Junii, cum uxore Solymanni, ut Tyrius habet. Inde cùm quieviſſent, die 29. Junii iter ingrediuntur, & quoniam uno itinere pergere non poſſent, Itali & Normanni a leva, ſive à parte Septentrionis iter faciunt, reliqui à dextris. Solymannus 1. Julii Boamundum Appulum & Normannos invadit, cum ingenti exercitu, qui quidem animoſè reſiſtit. amiſit tamen ad duo millia militum, ſed cùm Godefridus auxilio veniſſet, victus eſt Solymannus ſtatim, amiſitque ad quatuor milla militum. Inde cùm Turcæ diffiderent, ſe illam regionem tueri poſſe, univerſam terram relinquunt. & ita noſtri Ciliciam occupant. Cùm Ciliciam ſuperaſſent, Balduinus frater Godefredi, aſſumptis ſuis militibus & aliis, verſus Septentionem ab exercitu abit, venitque in regionem Chriſtianorum opulentam, uſq; ad Euphratem, & pulſis præſidibus Saracenis totam illam regionem ſibi ſubjicit. Edeſſeni famâ ejus moti, legatos ad eum mittunt, petuntque, ut ſuperato Euphrate ad ſe veniat; quo cùm eſſet perventum, princeps Edeſſæ eligitur, & ſtatim *Samoſatum* capit.

Reliqui noſtri cum magna difficultate progrediuntur, adjuvantur tamen plurimum à Vimerio piratâ, qui claſſe advectus ſtrenuam ipſis præſtitit operam; deinde etiam à Pancratio Armenio, quem Alexius vinctum habuerat, & Godefrido pro duce itineris dederat, qui peritus omnium regionum, multum noſtris profuit. *VVil. Tyrius.*

Alexius incipit Imperii annum 17. *in Paſchate.*

Henricus 42. *in Junio.*

Olympias 469. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1873.

Annus Diocletiani 814. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Sveno *Danus, filius regis, qui etiam expeditionem ſacram ſuſceperat, cùm Niceam tranſiiſſet, à*

Soly-

Solymanno invaditur, & cum omnibus ſuis trucidatur. Tyr.

*Annus ſabbathicus 7. ſive Jobelei 21. incipit 8. Sept.fer.5. Anno Jud.*4858.

Noſtri tandem Antiochiam veniunt die 21.Octob.fer.4.eamq; obſident ſtatim; & cùm videretur res longinqui temporis, Principes conveniunt jurantque, neminem niſi confecto bello, & occupatis Hieroſolymis in Europam eſſe rediturum. Interim in obſeſſione noſtri omnibus rebus neceſſariis deficere incipiunt, quapropter feriâ ſecunda poſt nativitatem Chriſti abeunt prædatum, & commeatum de longinquo afferre coguntur, nec deerant exploratores, qui hæc omnia ad hoſtes deferrent. Boamundus ut hoſtibus terrorem incuteret, captivos Turcas quosdam mactari mandat, & verubus affigi, & ad ignem aſſari, iisq; exercitum veſci ſimulat, quam crudelitatem extimeſcentes hoſtes, plurimum de fortitudine remiſerunt. Convaluit etiam tum Godefredus, qui dum militem ab urſo liberat, periculosè cum urſo decertârat, & etiamſi victor fuerat, graviſſimè tamen vulneratus diſceſſerat. *Pariſ.*

Imp. Henricus *redit in Germaniam, & ut poteſt, cum Statibus pacem ſancit, qua pax publicata eſt Argentina, & alibi.* Urſb.

Urbanus Papa, ut Eccleſiam Conſtantinopolitanam uniret cum Romana, concilium indicit Bari in Apulia, ad quod evocat Græcos, & item Anſelmum Anglum; ibi diſputatur de proceſſione Spir.S. & quidem Pontifex ſe ſatis explicare non potuiſſet, niſi Anſelmus affuiſſet, qui reſponſionis partes ſuſtinuit. *Baron.*

Annus Hegiræ 491. *incipit* 8. *Dec. fer.* 3.

ANNO MUNDI 5047. Poſt C. 1098.
C. ☉ 15. ☽ 16. *Ind.* 6.

Saraceni *deducta præſidia ex aliis urbibus Antiochiam mittere conantur, ſed noſtri per exploratores recognitâ re obviam proficiſcuntur, vincuntq; eos milites, occiſis duobus ferè millibus, & captis mille equis.*

Genuenſes *etiam aliquot cruce ſignatos navibus advehunt, ſed hi, quòd per proditores cogniti eſſent, ab Antiochenis ferè omnes interficiuntur. Sed Godefridus graviſſimè hanc cladem ultus eſt, occiſis duobus millibus Antiochenorum, dum redirent, & captis ferè duobus millibus equorum.* Tyr.

Ciſtertienſium ordo cœpit hoc annô per *Robertum* Abbatem & alios monachos, qui exierunt Moliſmo, & invenientes locum ſalebroſum & vaſtæ ſolitudinis, ibi manſerunt, & locum Ciſtertium vocaverunt; in Burgundia prima Abbatia conſtructa fuit die 21.Martii. *Chron.Belg.*

Antiochia tandem proditione *Emiferi* civis Antiocheni, qui Boamundo occaſionem indicavit, capitur die 3. Junii, fer.5. cùm annis quatuordecim in poteſtate Saracenorum fuiſſet; obſeſſa fuit octo menſibus. Die tertiâ poſt captam Antiochiam Corroboranus Perſarum Dux cum infinitis copiis advenit, obſidionem ſoluturus, & noſtros in capta urbe commeatu vacua rurſum obſidet, graviſſima fame coacti, multi noſtrorum juramenti immemores, urbe effugiunt, cladem noſtrorum augent, & Alexium cum quadraginta millibus auxilium ferentem noſtris, deterrent. Deſperato igitur auxilio noſtri eruptione pugnant die 28 Junii, & vincunt, hoſtium ultra centena millia: capta eſt præda ampliſſima cum equis, & aliis inſtrumentis bellicis. Inde ſecuta eſt peſtis atrox in urbe, qua noſtrorum ad quinquaginta millia perierunt. *Tyr.*

Stephanus *Comes Bleſenſis, pridiè quam urbs caperetur, relictis noſtris in Europam rediit.*

Romæ in Eccleſia Mariæ Rotundæ Clemens III. Papa per legatum concilium die 7.Auguſti indicit, in quo ſalvo conductu omnes evocat, qui partium Hildebrandi aut Urbani eſſent, ut rationem redderent, cur annis ſedecim Eccleſiam ſchiſmate turbaſſent; cùm verò non comparerent, eorum decreta combuſta ſunt. *Conſt. Imp, & Bar.*

Amiras Ægypti, intentus in bellum ſacrum, cum videret Turcas cæſos eſſe ad Antiochiam, intercipit interea Hieroſolymam, eamque obtinet menſibus undecim, uſq; in ſequentem annum. *Tyr.*

Antiochia belli ſede capta, noſtri viciniam totam ſibi ſubjiciunt, & præparant, quæ videbantur neceſſaria ad occupandam Hieroſolymam. Interim principes Hugonem, regis Galliæ fratrem, legatum Conſtantinopolin mittunt, qui Imperatorem admoneat pactorum, & ut ipſe cum exercitu in auxilium adveniat; quod niſi fiat pacta rupta videri. Sed Hugo magna cum infamia legationem deſerit, & in Galliam redit menſe Octob. *Tyr.*

Lanceam quidam Antiochiæ invenerat, quam dixit revelatione divina inventam, & eſſe eam, quæ latus Chriſti in cruce perforatum fuerat, & die 28. Junii ea prælata exercitus fortiter rem geſſerat. Sed cùm videretur hoc fraude dicere, fidei faciendæ gratia per rogum ardentem tranſit, ſed ita afflatur igne, ut paucis diebus moreretur. *Tyr.*

Calendis Novemb. conſtituunt Hieroſolymam abire: Sed contentio orta eſt de principatu Antiochiæ, & Boamundus quidem, cujus opera capta erat, dixit ſe cum aliis iturum Hieroſolymam, qua occupata ſe ſtaturum judicio principum. Pergunt itaque expugnantq; urbem Marrha die Sabbathi, die 11. Decemb. Inde iterum recrudeſcit contentio de Antiochia obtinenda, & Boamundus cum Godefrido rediit Antiochiam. *Tyr.*

Annus Hegiræ 492. *incipit* 28. *Nov. fer.* 1.

Ecclipſis Solis annotatur in Hiſtoria Auguſtanâ, quæ facta ſit hoc anno die 25.*Dec. fer.*7. *in meridie, eaque etiam hoc anno ita invenitur. Viſa enim fuit* 42. *minutis ante meridiem. Parallaxis latitud.* 49,15. *Latitudo Septent. vera* 45,10. *Viſa auſtralis* 4,5. *Semid. Solis* 15,59. *Summa Semid.* 30. 40. *Scrup. reſidua* 26,35. *Digiti ecclipt.* 10,0. *ferè Sol in* 10. *gradu Capric.*

ANNO MUNDI 5048. Poſt C. 1099.
B. ☉ 16. ☽. 17. *Ind.* 7.

Henricus *Imperator celebrat ſtatim comitia ineunte anno. & filium rebellem in Italia* Conradum *abdicat, & proſcribit, &* Henricum *filium minorem ex conſenſu principum regem eligit, cùm prius juramento promiſiſſet, ſe parenti fidum fu.urum; factum* 6. *Januar.* Urſb.

Godefridus in Aſia cum reliquis ducibus urbes & regiones vicinas occupant, nec defuerunt in occupationibus urbium diſſidiorum occaſiones:

Convenerunt tamen, ut tandem caput belli *Hieroſolymam* peterent. Paſcha celebrârunt ad Tripolin 10. April. Pentecoſten verò Cæſareæ, ſive ad turrim Stratonis, die 29. Maji, & die 6. Junii Hieroſolymam obſidione cingunt. Armatorum militum obſidentium fuerunt quadraginta millia, & mille ac quingenti equites, præter impedimenta. Expugnaſſentq; urbem die 10 Jun. ſi ſcalas habuiſſent, & alia ſaltem tormenta. Ad machinas haſce comparandas plurimum inſumtum eſt & laboris & ſumtuum, cùm tota regio arboribus deſtituta eſſet, nec parum laboratum eſt ſiti, cùm hoſtes fontes obſtruxiſſent: Capta tamen tandem eſt die 15 Julii, fer. 6. Pr[illegible]s murum occupavit *Godefridus* Dux, ſecuti [illegible]c reliqui cum militibus, & internecione occide[illegible]nt Saracenos. Urbem tamen nequaquam ſpoli[illegible]nt, ſed quam quisque militum domum occuparat, eam retinuit ſibi in perpetuum. Reliquis tamen de bonis ſuis fideliter communicarunt, Die 22. Julii Principes unanimi conſenſu eligunt Godefridum regem: Patriarcha autem tardiùs electus eſt, quod prior morte ſubtractus fuerat in Cypro. Inde Godefridus viginti fratres inſtituit, qui in templo Domini officia divina obirent. Poſt quinque hebdomadas, cùm Amyras Ægypti cognoviſſet, Hieroſolymam eſſe captam, magnum exercitum educit Aſcalonem uſque, ſed Godefridus relicto præſidio, ipſi obviam proficiſcitur, & clariſſimam victoriam reportat die 12. Auguſti, feriâ 6. ubi Robertus Normanniæ Dux, Ducem hoſtium occidit; ceciderunt ad triginta millia hoſtium, cùm noſtrorum eſſent tantùm viginta millia. Inde cùm Hieroſolymam reverſi eſſent, & Deo gratias egiſſent, laviſſent etiam in Jordane, quisque ad ſua redeunt: Boamundus Antiochiam, Balduinus Edeſſam, Tholoſanus Comes Seleuciam, Tancredus Tiberiadem: Reliquorum multi in Europam redierunt. Godefridus interim Aſſur obſidet, & fruſtra aliquot ſeptimanis obſidione ſe & hoſtes fatigat, & medio Decembri Hieroſolymam redit. *Tyr. & alii.*

Epiſcopus Trajectenſis templum B. Mariæ ædificaturus, lutoſum ibi fundum invenit, qui ferendo ædificio non eſſet, ibi offert ſuam operam Friſius quidam, ſi ſibi precium dignum detur. Epiſcopus avarus aſtu elicit ex ipſo, quomodo fundamentum firmari poſſet, & templum extruit, Friſius ille iratus Epiſcopum occîdit, die 24. April. *Chron. Tra.*

Ecclipſis Lunæ annotatur in Chronico Caſſinenſi eo anno, quo Urbanus mortuus eſt, quæ acciderit Calendis Julii, cùm Luna oriretur; ſed mendum eſt, accidit enim nonis Junii fer. 1. hor. 6, 28. poſt meridiem oriente Lunâ. Latitudo ejus auſtralis 14, 28. *Semidiam. Lunæ* 16, 54. *Summa Semid.* 61, 25. *Scrup. reſid.* 46, 57. *digiti Ecclipt.* 16, 40. *Sol in* 20. *gradu Leonis.*

Urbanus Papa, cùm ſediſſet annis undecim, & menſibus quatuor, moritur die 29. Julii; ſuccedit ipſi poſt dies quatuordecim, *Reinerius* monachus Cardinalis, qui ſedet annis octodecim, vocatusq; eſt *Paſchalis II. Baron.*

Anglia inundatur die 3. Novemb. & plurimi homines cum animantibus ſubmerguntur. Roger.

Annus Hegiræ 493. *incipit die* 17. *Nov. fer.* 5.

ANNO MUNDI 5049. Poſt C. 1100.

A G. ☉ 17. ☽ 18. *Ind.* 8.

Philippus *rex Galliæ, mortuo Urbano Baltradam ſuperinductam uxorem iterum ad ſe recipit.* Ivo *Carnotenſis Epiſcopus conqueritur de hac re apud Pontificem Paſchalem, qui binos legatos mittit in Galliam, jubet concilium celebrari, & regem iterum excommunicari.* Baron.

Brandeburgum *à Duce Soliquedlenſi iterum expugnatur, & Vandalis eripitur, qui eâ urbe diu jam potiti erant.* Spang.

Boamundus *Dux Antiochiæ, evocatus in Meſopotamiam, tranſito Euphrate, intercipitur à Turcis, & in Perſiam abducitur, die 2. Julii, cui poſtea* Tancretus *Comes Tiberiadis ſuccedit, cùm regionem ſuam Balduino tradidiſſet, donec Boamundus ex captivitate liberaretur.* Godefridus *etiam rex Hieroſolymis, cùm annuum ſpatium regnaſſet, moritur die 15. Julii; ſuccedit ipſi frater* Balduinus *Dux Edeſſanus, qui menſe Octobri Hieroſolymam venit, & in feſto Nativitatis coronatur, regnatque annis 17. & menſibus ferè novem.* Tyr.

Wilhelmus *Rufus, rex Angliæ, à VValtero Gallo in venatione improviſo ictu, qui in cervum directus fuerat, per pectus trajicitur: in arbore enim ictus ſagitta reflexus in regem delatus fuerat, die 2. Auguſt. fer. 5. cùm regnaſſet annos tredecim: cadaver ejus in plauſtro carbonario domum revehitur, & fracto plauſtro in lutum provolvitur; ſuccedit ipſi in regno Henricus frater junior, qui adhuc in peregrinatione aberat, qui regnavit annis 35. Anshelmus ſtatim in initio rediit in Angliam.*

Annus Alexandræus 1412. *& Antioch.* 1145. *Conſtantinop.* 6605. *incipit* 1. *Octobr.*

Henricus *Comes Lovanienſis, cùm annis undecim præfuiſſet, in haſtiludio Tornaci perit; ſuccedit ipſi frater Godefridus, qui dictus eſt cum Barba, qui poſt ſeptem annos acquiſivit ſibi Ducatum Lotharingiæ.* Chron. Belg.

Annus Nabonaſſaris 1849. *& Philippi* 1425. *incipit* 21. *Novemb. fer.* 4.

Bretislaus *Dux Bohemiæ, dum redit è venatione, à latrone occiditur die 22. Decemb. Latro dum feſtinat, ſuo ipſius gladio vulneratur & interit, cùm equus ſimul laberetur. Succedit frater* Borivoi, *quem ſequenti anno Udalricus expulſurus Germanos adducit, ſed re infecta cogitur recedere.* Coſm.

ANNO MUNDI 5050. *Poſt C.* 1101.

F. ☉ 18. ☽ 19. *Ind.* 9.

Annus urbis 1853. *Julianus* 1146.

Æra Hiſpan. 1039. *Auguſtorum* 1128.

Annus Jezdegird 470. *incipit* 19. *Febr. fer.* 3. *Armen.* 550. 22. *Febr. fer.* 6.

Clemens III. Papa, qui contra Pontifices Hildebrandum, Victorem, Urbanum & Paſchalem per annos 21. pugnârat, moritur: eligitur à Cardinalibus Ravennatenſibus contra Paſchalem Albertus Attellanus, ſed à Paſchali captus abdicat ſe: Inde eligitur Theodoricus Romanus, ſed & hic poſt menſes tres captus in monaſterium detruditur: tandem eligitur Sylveſter, ſed & hic fugatur, atque ita deſiit ſchiſma, quod ultra viginti annos Eccleſiam turbârat, *Onuf.*

Conradus *filius Henrici Imperatoris, anno nono defectionis in Italia moritur, ſepelitur Florentiæ.* Sigeb.

Baldui-

Balduinus *Hieroſolymæ rex expeditionem ſuſcipit in Arabiam, ubi multum prædæ capit, & inter cæteras Arabici Principis uxorem prægnantem, quam comiter habuit, quo facto ab Arabibus ingentem init gratiam inde cùm audiviſſet Genuenſium claſſem appuliſſe ſocietatem belli cum ipſis jungit ita, ut tertia pars urbium maritimarum captarum Genuenſium eſſet, & ita hâc æſtate capit Arſuth, inde Cæſaream Palæſtinæ, quæ capitur fer. 6. cùm 15. diebus oppugnata fuiſſet, menſe Septembri: Cùm audiſſet Saracenos ex Ægypto cum exercitu veniſſe Aſcalonem, cum ipſis pugnat die 7. Septemb & victoriam obtinet, cæſis hoſtium quinque millibus.* Tyr.

Alexius incipit annum Imperii 21. menſe April.

Henricus 46. in Junio.

Olympias 470. incipit die 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1871.

Annus Diocletiani 818. incipit 29. Auguſti.

Robertus *Dux Normanniæ, cùm ex peregrinatione ſacra rediiſſet, & Wilhelmus rex interea mortuus fuiſſet, putat regnum ad ſe pertinere, cùm ſit major natu, atque ita in Angliam trajicit die 1. Auguſti menſis, ut erepturus fratri regnum. Pax tamen reconciliatur hiſce conditionibus, ut Robertus Normanniam retineat, & à fratre accipiat tria millia marcarum annua.* Pariſ.

Henricus *Dux Lymburgenſis, à Godefrido Bilionæo Ducatum Lotharingicum acceperat inſcio Imperatore. Imperator igitur eundem Henricum bello perſequitur, & cogit, ut ſe dedat, & Lotharingia cedat. Dux tamen Imperatorem blandis verbis ita permulcet, ut Lotharingia Ducatum ab Imperatore receperit.* Chron. Belg.

Annus Hegiræ 495. incipit 26. Octob. fer. 7.

ANNO MUNDI 5051. Poſt *C.* 1102.

E. ☉ 19. ☽ 1. *Ind.* 10.

Paſchalis Papa, cum Imperator Romam non veniret, & ſe judicio ſiſteret, iterum in concilio etiam Abbas *Urſbergenſis*, qui in Palæſtinam profecturus, ab Alexio Imperatore Turcis proditus, cum ſuis vix evaſerat, & inde naufragus in Italiam redierat. *Urſb.*

Balduinus, *cum Saracenorum viginti millia Equitum & decem peditum ad Aſcalonem conveniſſent, die 15. Maji, contra eos proficiſcitur, aſſumptis tantum ducentis equitibus, ſed multitudine hoſtium obrutus vincitur, & vix beneficio Arabis, cujus uxorem ante annum ſervaverat, per multas ambages, per medios hoſtes Joppen deducitur, inde collecto exercitu hoſtes vincit. Tancredus etiam Comes Antiochenus Apamiam Cœleſyriæ urbem ſuo imperio adjicit, ut & Laodiceam.* Tyr.

Ladiſlaus *Princeps Poloniæ moritur die 4. Junii, cum regnaſſet annos viginti; ſuccedit filius Boleſlaus, qui regnat annis 37 qui ſequenti anno uxorem ducit Sventoplocci Kiovienſium Principis filiam. Borivoi, princeps Bohemiæ, tum ſub ipſis nuptiis de invadenda Polonia conſilia agitabat, ideò ipſi præſidia oppoſita.* Hiſtor. Polon.

Anſelmus in Anglia concilium agit Londini, ubi ſtatuit inveſtituras in beneficia Eccleſiaſtica à rege vel alio laico non accipiendas, item damnat conjugium & Sodomias clericorum; rex opponit ſe decreto de inveſtituris, ideò legati mittuntur ad Papam. *Baron.*

Paſchalis *literas mittit ad Robertum Comitem Flandrenſem, qui* Cameracum *imperii urbem occupârat, eique gratulatur, hortaturque, ut & Leodium occupare velit, promittit ipſi & ſuo exercitui remiſſionem peccatorum, ſi plurimum damni dent Henrico excommunicato Imperatori. Sed Imperator ad comprimendum Flandrenſem cum exercitu advolat, & multa quidem ejus caſtella expugnat, hyeme tamen ingruente recedit.* Baron. Sigeb.

Annus Hegiræ 496. incipit 15. Octob. fer. 4.

ANNO MUNDI 5052. Poſt C. 1103.

D. ☉ 20. ☽ 2. *Ind.* 11.

Anſelmus die 17. Aprilis, quòd rex inveſtituris renunciare nollet, Romam ex Anglia abit. Rex eodem Legatum mittit, cùm is à Pontifice nihil æqui impetraret, mandat, ut Anshelmus extra regnum maneat: qui elegit exilii locum Lugduni. *Baron.*

Boamundus *cum quartum jam annum in captivitate Turcorum fuiſſet, precio redemptus Antiochiam redit, &* Joſcelinus *Comes Comitatum accipit propè Euphratem. Sic* Balduinus *rex poſt Paſcha Ptolemaidem obſidet, ſed cum claſſe deſtitueretur, vaſtatis finibus Cæſaream redit; ubi in reditu à quodam latrone periculoſiſſimè vulneratur, ex quo tamen poſteà convaluit.* Tyr.

Bellum *Flandricum hoc anno componitur in conventu Leodienſi, & Comes ſupplex Imperatori factus in gratiam recipitur. Pax præterea in imperio per quatuor annos ſancitur.* Sigeb.

Boleſlaus *Poloniæ Dux, à fratre Zbigne bello petitur, qui ſocium aſſumpſerat Borivoi Bohemiæ Ducem. Boleſlaus oblata pecunià Bohemo perſuadet, ut domum redeat, atque ita frater auxilio deſtitutus eſt.* Coſm. Prag.

Annus Hegiræ 497. incipit die 5. Octob. fer. 5.

Oda virgo, olim anno 713. inter Divos relata, ſolenniter elevatur, per Epiſcopum *Edbertum* Leodienſem, & feſtivitas ejus indicitur die 27. Novembris.

ANNO MUNDI 505[illegible] Poſt C. 1104.

CB. ☉ 21. ☽ 3. *Ind.* 12.

Imperator Henricus Ratisbonæ Paſcha celebrat, ubi inter Saxones & Bavaros ſeditio oritur, & Sigfridus Comes Burghuſanus captus ſubitò decollatur, absque ullâ alia cauſa, niſi quod videretur ſuperbior. *Spang.*

Balduinus *rex Hieroſolymitanus iterum obſidet Ptolemaidem, cui auxilio adveniunt naves Genuenſium ſeptuaginta, eamque poſt dies viginti duos deditione capit, circa diem 24. Maji.* Tyr. *Eodem tempore Boamundus princeps Antiochiæ, Tancredus, Balduinus Edeſſæ Comes & Joſcelinus ſocietatem ineunt de Carrhis occupandis, urbem etiam obſidione ita fatigant, ut ſe traderet, quam tamen traditam non ſtatim accipiunt, ſed diſceptant primùm, cujus ditioni accedere debeat atque ita ingreſſus dilatus eſt in ſequentem diem: interim auxilia Turcorum adveniunt, obſidionem ut ſolvunt, & Balduinum & Joſcelinum Comites capiunt. Boamundus verò evadit quidem, ſed ære alieno obſtrictus, ferè omnibus, ut id ſolveret, venditis, in Italiam redit, ubi regis Galliæ filiam ducit uxorem.* Tyrius.

Annus ſabbathicus primus Jobelei 22. incipit 22. Sept. fer. 5. Annus Jud. 4865.

Annus Hegiræ 498. incipit die 23. Sept. fer. 6.

Petrus primus Aragoniæ rex moritur die 28. Septembris, cùm decem annis regnâſſet; Hic anno 1096 occidit in uno prælio ad Oſcam, quatuor nigrorum Arabum reges; quorum capita Aragoniæ reges in inſignis uſurpant, & paulo poſt Oſca urbs ipſi dedita eſt, eo anno, die 27. Novembr. Succedit ipſi frater Alfonſus, qui regnat annis triginta. Annal. Arrag.

Annus Alexandr. 1416. Antioch. 1153. & Conſtantinop. 6613. incipit 1. Octob.

Annus Nabonaſſar. 1853. & Philippi 1429. incipit 20. Novembr. fer. 1.

Ex Europa plurimi felicitate rerum geſtarum in Palæſtina inducti, peregrinationem ſuſcipiunt; ſed non deteriores hoſtes Turcas experti ſunt, quàm proditorem Alexium, Imperatorem Conſtantinopolitanum, qui multa millia Chriſtianorum Turcis occidenda tradidit. Tyrius.

ANNO MUNDI 5054. Poſt C. 1105.

A. ☉ 22. ☽ 4. Ind. 13.

Annus urbis 1857. Julianus 1150.

Æra Hiſpan. 1143. Auguſtorum 1132.

Annus Jezdegird 474. incipit 18. Febr. fer. 7. Armen. 554. 21. Febr. fer. 3.

Raimundus Comes Tholoſanus olim, tum Tripolitanus, moritur die ultimo Feb. Succedit ipſi Wilhelmus nepos: menſe Aprili vero Saracenos vincit propè Antiochiam. Tyr.

Synodus Northuſi inſtituta, in qua primùm actum, quando Jejunium quatuor temporum agendum ſit. Hæc Synodus congregata fuerat a filio Henrici Imperatoris, cui perſuaſerant Pontificii, neminem bona conſcientia cum excommunicato quopiam converſari poſſe, etiamſi is Parens ſit, & admonuerant eum de invadendo regno, ne ſi id Parenti à Pontifice & concilio abrogetur, in alium excluſo filio transferatur: præterea juramentum parenti de hac re datum non obligare. Ideò filius exercitum colligit, Epiſcopos à parentibus depoſitos reſtituit, ordinatos pèllit, & patrem Moguntiæ obſidere conatur. Sed inde digrediens Norimbergam capit poſt obſidionem duorum menſium, cujus muros dejicit, inde Ratisbonam venit. Pater cum exercitu filium ſequens, conſtitutos Epiſcopos à filio removet, & favore populi filium Ratisbona ejicit. Prælio congreſſi fuiſſent, niſi principes ſeſe interpoſuiſſent. Conſilio eorundem principum Imperator ſcribit ad Paſchalem Papam, ut cavere velit, ne ſanguis Chriſtianorum perfidè fundatur, ſe, ſi ſibi imperium cum dignitate avita reſervetur, omnia facturum, quæ obedientem filium Eccleſiæ decent, ſed nihil reſponſi accipit. Legatus à latere mittitur, qui concilium Mogunti habeat, ubi cauſa diſceptetur. Interim filius ad Patrem Imperatorem venit, deprecatur culpam apud Parentem, ſe ſeductum ab aliis hoc conatum fuiſſe, ut pater ipſe ſcribit ad regem Galliæ, & ita decipit Patrem, ut copias dimitteret & cum filio Moguntiam verſus proficiſceretur, ubi Bingi parentem in cuſtodia habet, menſe Decembri, donec ipſi imperium abrogaretur. Urſb.

Alexius Imp. inchoat annum imperii 25. menſe Apr.

Henricus 50. in Junio.

Olympias 471. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1881.

Annus Diocletiani 822. incipit 22. Auguſti.

Annus Hegiræ 499. incipit die 12. Sept. fer. 4.

Edgarus Scotiæ rex, cùm annis decem ferè regnâſſet, moritur, ſuccedit Alexander, qui obtinet regnum annis 19. Buch.

Calypha Ægypti, cùm rumor eſſet, peregrinos ferè omnes in Europam reverſos, & paucos tantùm in Palæſtina relictos, novam expeditionem exornat, tam claſſe, quàm terra; ſed Balduinus occurrit iis, qui terra venerant ad Aſcalonem, die 27. Auguſti in plenilunio, & inſigni victoriâ potitur, & plurima prædâ capta. Claſſis vero tempeſtatibus disjecta, naufragio ferè in univerſum periit. Tyr.

Theodoricus Domicellus Comes Hollandiæ, cùm annis 29. Comitatum obtinuiſſet, moritur die 18. Novembr. ſuccedit filius Florentius, qui dictus eſt Craſſus, & Comitatum obtinuit an. 21. Chron. Tra.

ANNO MUNDI 5055. Poſt C. 1106.

G. ☉ 23. ☽ 5. Ind. 14.

Henricus Imperator ſtatim ineunte anno judicio Principum & Epiſcoporum Germaniæ, removetur ab Imperio. Moguntinus, Colonienſis & Vormatienſis Epiſcopi & Legati regalibus ornamentis, quibus Imperator indutus erat, eum violenter ſpoliant, & Henricum filium iis induunt, & cum eo ad Aquas Rufſas urbem tendunt, ubi ſeditione à civibus excipiuntur, & oppido ejiciuntur, relictis ibi regalibus, quæ parenti per vim extorſerant. Henricus pater iterum ab Henrico Duce Lotharingiæ, quem Ducatu olim ejecerat, recipitur, Coloniam deducitur, & inde Leodium: Filius ut ægrè faceret parenti, eumque caperet, Leodii etiam Paſcha celebrare conſtituit, Parens deprecatur vim, & ut à ſua perſecutione deſiſtat, orat. Filius contra per vim Leodium ingredi conatur, ſed magna cæde repellitur. Hinc Coloniam feſtino itinere regreditur, ſed non recipitur: Ideò Bonnæ Paſcha celebrat. Poſtea convocato exercitu Coloniam obſidet, ſed nullo ſuo emolumento, cùm obſeſſo, quàm obſidenti, propter frequentes eruptiones, ſimilior eſſet. Cùm obſidio ſolveretur, iterum parens deprecatur vim: ſed ipſi indicitur conventus Aquiſgrani, ubi ſe ſiſtat, ſed cum nec ſalvus conductus daretur, nec temporis ratione cum amicis adeſſe poſſet, nihil agitur. Interim moritur ipſe Leodii, & ſepelitur in cœnobio Lamberti; juſſu tamen filii è loco ſacro in profanum profertur, ac deducitur Spiram, ubi inſepultus in ſarcophago jacuit annis quinque, donec regio honore à filio ſepelitur. Imperaverat annos 50. Succedit filius Henricus, qui imperat annos ferè 19. Urſb.

Menſe Febr. biduo poſt novilunium viſus eſt magnus Cometa ad occaſum Solis brumalem. Tyr.

Zuatoplúch Comes Bohemiæ rebellârat Duci Borivoi ſuperiori anno, & Pragam invadere conatus fuerat; hoc anno circumvenit Ducem, & in Bohemiam recipitur, & tandem exuit Borivonem Ducatu, ſed ſequenti anno. Coſm.

Magnus Dux Saxoniæ moritur, cui ſuccedit Lotharius Comes de Supplinburg, qui poſtea factus eſt Imperator. Trith.

Anſelmus juſſu & rogatu Henrici regis in Angliam revocatur; ipſe rex menſe Julio in Normanniam trajicit, bellum contra fratrem Robertum, qui pactis ſtare nolebat, gerit, & eum tandem vigiliâ Michaelis victum capit, & ad perpetuos carceres damnat.

Annus Hegiræ 500. incipit 2. Sept. fer. 1.

Henri-

Henricus V. poſt patrem defunctum, civitates Coloniam, Leodium & alias in gratiam recipit, ſed non ſine mulcta: ſed Henricus Lotharingiæ Dux Majeſtatis accuſatur, & deditus cuſtodiæ traditur, ex qua mirabiliter tamen evadit. Ducatu nihilominus Lotharingio excidit, qui Ducatus datur Comitibus Lovanienſibus, legitimis, hæredib. Godefrido ſcilicet cum Barba, cum Comites Arduennes cum annis centum & uno tenuiſſent. *Chron. Belg.*

Celeberrima fama tum temporis in Eccleſia fuit, futurum brevi tempore, ut *Antichriſtus* rerevelaretur, ut habet Baronius hoc anno. Unde apparet, Antichriſtum tum temporis ſediſſe in Eccleſia, ſed non fuiſſe revelatum, quòd tempus revelationis ejus non fuiſſet completum, alias facilè eum agnoviſſent in Hildebrando, Urbano, Paſchali & ſequentibus, qui ſe ſuper omnia, quæ ſunt in mundo, extollebant, ſed nemo tum credere poterat, Papam eſſe Antichriſtum.

ANNO MUNDI 5056. Poſt C. 1107.

F. ☉ 24. ☽ 6, *Ind* 15

Henricus Imperator à principibus Germaniæ edoctus, circa feſtum Paſchatos legatos miſit ad Paſchalem Papam, qui tum in Gallis ſynodum agebat Trecis, eiq; nunciat, ſe privilegio de inveſtitura clericorum cedere non poſſe, cum id datum ſit Carolo Magno & omnibus aliis Imperatoribus. Papa in Gallia peregrinus, concedit Imperatori inducias, ut de hac re cogitet annuo ſpatio, donec ipſe Romam veniat. *Vrsb.*

Zuantepolch, *cum Borivoum Ducatu Bohemico expuliſſet, die 14. Maji, Ducatum arripit Bohemiæ. Borivoi autem abiit in Germaniam, & ſupplicat Imperatori, ut in Ducatum reſtituatur, ſed deprecatur vim Zuantepolch, & miſſis muneribus imperatorem a re agenda avertit.* Spang.

Henricus *olim Dux Lotharingiæ Ducatum recuperaturus, occupat Aquiſgranum, ſed inde à Godefrido cum Barba expellitur, Henricus vix evadit, uxor ejus relicta capi potuiſſet, ſed Godefridus turpe ſibi duxit mulierem capere, eam potius deduci quo vellet, juſſit.* Sigeb.

Hugo *Comes Tiberiadis, Tyriis infenſus, & à Balduino juſſus, eorum agros aſſiduè vaſtat, & tandem caſtrum quoddam, quo ſui ſe defenderent, ſi à Tyriis urgerentur, non longe ab urbe conſtruit, ex quo dum magis magis que Tyriis nocere conatur, tandem ſagitta ictus cadit,* Tyr.

Anſelmus in Anglia Calendis Auguſti Synodum agit de inveſtituris clericorum, ubi rex cedit juri ſuo, & Epiſcopi ordinati ab Anſelmo ſunt die 11. Aug fer. 1. *Rog.*

Annus Hegira 501. incipit die 22. Aug. fer. 5.

Cœnobia conſtructa ſunt circa hoc tempus Baichlingiæ Monialium, & alterum in Viceburgo quod translatum eſt in Reniſdorffium, ad Unſtrutum, in quod poſtea monachi deducti ſunt. *Spang.*

Aſcalonitæ in Palæſtina infeſti ſunt Joppoenſibus, & iis, qui peregrinabantur Hieroſol. ſed hoc anno menſe Nov. egregiè vincuntur. *Tyr.*

Cum Alexius Imperator Orientis aſtutè ſimularet amicitiam peregrinorum, & interim omnia eorum conſilia Solymanno Turcorum principi proderet, Boamundus ingentem colligit exercitum, & ejus fines magna claſſe invadit die 9. Octobris, maritima omnia depopulatur: inde ſequenti anno Epirum petit, & tandem Dyrracchium obſidet. Alexius hac vi coactus promittit, ſe peregrinantibus futurum fidelem adjutorem. Tyr.

ANNO MUNDI 5057. Poſt C. 1108.

E D. ☉ 25. ☽ 7. *Ind.* 1.

Henricus Imperator, quòd Hungari exercitum Hieroſolymitanum tranſeuntem ſpoliaſſent, interfeciſſent, aut in ſervitutem redegiſſent, bellum ipſis infert: Occaſionem nactus, quòd Rex & Dux Hungarorum diſſentirent, & Duci auxilium ferre conabatur, aſſumitque ſibi in auxilium Ducem Bohemiæ Zuatoploch, ſed interim Borivei Dux exul Ducatum Bohemiæ recuperare conatur, & revertente Duce ipſe etiam in Poloniam redit, & Zuatoploch crudeliter ſævit in eos, qui ſuſpectæ fidei videbantur, quos cum liberis occiderit: Imp. etiam etiamſi Presburgum obſederat, tamen re infecta redire coactus eſt. *Coſm.*

Philippus rex Francorum moritur die 30. Julii, cum regnaſſet annis 49. menſibus duobus, & diebus 7. Succedit ipſi Ludovicus filius, qui jam egregium in regno gubernando præſtiterat adjumentū, qui regnat annis 29. ferè. *Fragm. Hiſt. Gall.*

Annus Hegira 502. incipit die 11. Aug. fer. 3.

Annus Alexand. 1420. Antioch. 1157. & Conſtantin. 6617. incipit Cal. Octob.

Annus Nabonaſſar, 1857. & Philippi 1433. incipit 19 Nov. fer. 5.

Cum Turcæ trans Euphratem Comitatum Edeſſanum undiq; vaſtarent, Tancredus evocato Balduino rege copias contrahit, & trans Euphratem movet; ſed cum hoſtes nullibi pugnandi copiam facerent, noſtri Edeſſam & vicinas urbes commeatu firmant, & in regnum redeunt. *Tyrius.*

ANNO MUNDI 5058. Poſt C. 1109.

D. ☉ 26. ☽ 8. *Ind.* 2.

Annus urbis cond. 1861. *Julianus* 1154.

Æra Hiſpan. 1147. *Auguſtorum* 1136.

Annus Jezdegird 478. *incipit* 17. *Febr. fer.* 6. *Armen.* 558. 20. *Febr. fer.* 7.

Zuantepolch, princeps Bohemorum, die 12. Nov. ſuperioris anni expeditionem ſuſceperat in Hungariam, ſed in ſylva quadam ramo arboris percuſſus, oculum amiſerat, ideo iterum menſe Februario in Hungariam proficiſcitur, eam longè latèque vaſtat, & plurima præda capta domum revertitur. *Coſm.*

Anſelmus moritur die 21. Aprilis, fer. 4. & ſequenti die, qui eſt Cœnæ Dominicæ, ſive Viridium; ſepelitur Cantuariæ. *Roger.*

Henricus Imperator legatos mittit in Angliam, petitum filiam Henrici regis Mathilden in uxorem, quæ promiſſa eſt ipſi in feriis Pentecoſtes. Pariſ.

Comes Edeſſanus Balduinus, & Joſcelinus tandem captivitate liberantur, datis obſidibus de certa pecunia numeranda, qui obſides poſtea ſuos cuſtodes trucidarunt, & ſe liberarunt. Revertentibus Comitibus, Tancredus negat ipſorum rationem habendam, aut Comitatus reddendos. Inde bello inteſtino incipiunt confligari, quod intervenientibus aliis principibus ſopitum fuit. *Tyr.*

Alfonſus Hiſpaniarum rex moritur die primo Julii, feria quinta, cum annos regnaſſet 43. à patris morte: ſuccedit filia Urraca, quæ imperita rerum conjugem, ducit *Alfonſum* regem Arragoniæ, quod

conjugium impedire conatus eſt Papa, cum cognati eſſent in tertio gradu, qui ita & Legionis & Vaſconum accipit regnum, idque obtinet adhuc annis 26. *Marian.*

Bertrannus *Raimundi de Provincia Comitis filius, Tripolin obſidet, & adjuvante rege Balduino tandem deditione capit circa decimum Julii. Januenſes, qui & ipſi adjuverant obſidionem, deditionis & pactionis ignari, in urbem irruunt, & multos occidunt. Rex Tripolin & Biblum ſub Comitatus nomine donat Bertranno, ita tamen ut ſit feudum regni Hieroſolymitani.* Tyr.

Olympias 471. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1885.

Annus Hegira 503. incipit die 31. Jul. fer. 7.

Henricus Imp. inchoat annum imp. 4.

Alexius viceſimum nonum.

Annus Diocletiani 826. incipit die 29. Auguſti.

Henricus Imperator Moguntiæ Comitia egerat, ubi decreta fuerat expeditio in Poloniam, quæ tandem ſuſcipitur menſe Auguſto, & Oderam fluvium tranſit die 24. Auguſti. Glogoviam arctè obſidet & oppugnat. Boleslaus legatos mittit ad Imperatorem de pace, qui pacis conditiones proponit duras, quas ſi legati recipere nollent, oſtendit eis theſaurum pecuniæ ingentem, quo compelli poſſent. *Scharbicus* Baro legatus erat, qui annulum ſuum auro Cæſareo adjecit. Cui Imp. dixit Germanicè habe danck. Inde familia ea in Polonia adhuc obtinet nomen habe danck. Paulo poſt die 21. Septem. Zuatoploch princeps Bohemiæ, cum vix ultra biennium regnaſſet, moritur: Succedit ipſi *Ladislaus*, qui præfuit annis 16. ferè ſed hoc modo diſcedentibus auxiliariis Bohemis, prælium acerrimum inter Imperatorem & Polonos factum eſt, miliari uno à Vratislavia, in quo victi ſunt Germani, & inſepulti relicti: Campus is a canibus, qui ibi relicti fuerant, aut alias ad cadaverum paſtum accurrerant dictus eſt Hundsfeld. *Hiſt. Pol.*

ANNO MUNDI 5059. Poſt C. 110.

B. ☉ 27. ☽ 9. *Ind.* 3.

Borivoi Bohemus exul Ducatum recuperaturus, veſpera nativitatis Chriſti Pragam invaſerat, & adhuc Bohemiam vaſtabat Ladislaus auxilium Imperatoris implorat, qui ſtatim mittit exercitum, qui Borivoi & alios rebelles capiunt, quibus partim oculos eruit, partim vincula injicit. Præfectus urbis, quòd noluiſſet Ladislaum Dominum admittere, cogitur ſcabioſum canem portare, à quo ſtercore multipliciter inquinatus eſt, inde barba ipſi abſcinditur, & tandem relegatur. *Coſm.*

Balduinus *rex ſtatim in Febr. cum auxilio adeſſent* Januenſes, *Berythum obſidet, cui etiam auxilio advenit Comes Tripolitanus, & tandem eam vi capiunt, cum obſidio duraviſſet diebus 75. Capta eſt autem adhuc menſe Aprili.* Fulcher.

Alfonſus Aragoniæ & Caſtellæ rex, tandem ultimum Maurorum regem occidit die 24. Martii. *Annal. Ar.*

Ecclipſis Lunæ annotatur à Pariſienſe, quæ acciderit hoc anno ad primum Gallorum cantum. Ea invenitur accidiſſe die 5. Maji, fer. 5. horis decem poſt meridiem Londini in Anglia. Latitud. Lunæ vera auſtr. 3,46. Semid. Lunæ 17,58. Summa ſemid. 64,45. Scrup. reſidua 60,59. Digiti ecclipt. 20,22.

Cometa die 6. Junii apparuit, qui caudam verſus Auſtrum projecit. Tyr.

Eodem tempore, cum Papa certior fieret, *Henricum* Imperatorem in Italiam venturum, ipſe abit in Apuliam, exhortaturque Principes & Comites Normannorum contra Imperatorem, eosque juramento ſibi obſtringit. *Chr. Caſ.*

Annus Hegira 504. incipit die 20. Jul. fer. 4.

Sigebertus Hiſtoricus hiſce temporibus floret. *Tritt.*

Henricus Imp. magno coacto exercitu in Italiam menſe Sept. properat, & omnes urbes, quas attigit, occupat. Pluviis tamen plurimum impeditur, & tandem *Florentiæ natalem Chriſti celebrat.* Sigeb.

Poloni *Bohemiam vaſtant, Bohemi injurias vindicaturi, magna clade afficiuntur, die 8. Octob.*

Norvegienſes Peregrini cum magna claſſe Africam prætervecti Joppen applicant, offeruntq; regi Balduino ſuam operam, ſi quis ſui uſus eſſet in amplificando regno Hieroſolymitano: quapropter Balduinus *Sidonem* cenſet oppugnandam, eamque ſimul obſidet, & eandem tandem deditione capit die 19. Dec. Et peregrini Norvegienſes patriam repetunt. *Tyr.*

ANNO MUNDI 5060. Poſt C. 111.

A. ☉ 28. ☽ 10. *Ind.* 4.

Henricus Imp. die 11. Feb. Romam cum exercitu contendit. Papa, priusquam admitteretur, per legatos poſtulat, ut renunciet juribus de inveſtitura clericorum. Imperator promittit ſe facturum, quod Eccleſiæ & Principibus imperii videretur atque ita quidem recipitur: ſequenti die Dominica in actu coronationis agitur, ut Imperator publicè inveſtituris clericorum renunciet. Imper. contra contendit, hoc jus in poteſtate Imperatorum fuiſſe à Carolo Magno ad ſua uſque tempora. Cum Papa nollet Imp. hoc modo coronare, pervenitur à verbis ad verbera, & Imperator ferè ipſe oppreſſus fuiſſet, niſi fortiſſimè ſe ſua manu defendiſſet, ſed exercitu ſuo vincente, multi Romanorum cæſi fuerunt, multi in Tyberim adacti. Inde Roma diſcedit, & Papam captivum ſecum ducit. Per dies tum ſexaginta actum fuit de hac controverſia, & Papa tandem conſentientibus Cardinalibus, ſub ſigillo ſuo, die 13. Aprilis Imperatori dat privilegium, de inveſtitura Epiſcoporum & Abbatum tam per annulum, quàm per virgam, & in corroborationem factæ pacis, in Miſſa ipſe Imperatori panem conſecratum porrigit his verbis: Hoc eſt corpus Domini natum ex Maria, &c. id damus tibi in confirmationem factæ pacis inter me & te: atq; ita Imp. coronatur. Inde in Germaniam Imp. redit, & *Henricum* parentem magna cum ſolennitate ſepelit. *Baron.*

Turcæ ex Meſopitamia Antiochiæ appropinquant. Tancredus princeps evocat Balduinum in auxilium, ſed cum Turcæ pugnandi copiam non facerent, receſſum eſt. Inde Tyrus etiam quatuor menſibus obſeſſa, ſed omnis Balduini conatus tum fruſtra fuit. Tyr.

Annus Hegira 505. incipit 10. Jul. fer. 2.

Annus ſabbathicus 2. Jobelei 22. incipit 5. Sept. fer. 3.

Anno Jud. 4872.

Cardinales legati Pontificis, Epiſcopi, &c. quique Romæ non fuerant, improbant privilegium Imperatori à Pontifice Paſchali datum: Papa verò excuſat ſe, quòd invitus dederit, & promittit ſe emendaturum. *Baron.*

Angli *in Normannia à rege Ludovico Craſſo vincuntur, & Meldi obſidentur: Ubi Robertus Flandriæ Dux ſuffoſſo equo oppreſſus moritur die 4. Dec. cum annis 18. præfuiſſet: Succedit Balduinus cognomine Securus qui præeſt annis octo.* Annal. Fland.

ANNO MUNDI 5061. Poſt C. 1112.

G F. ☉ 1. ☽ 11. *Ind.* 5.

Paſchalis II. Papa, Romæ in Laterano concilium convocat, cum plurimi Archiepiſcopi & Epiſcopi interfuerunt, fatetur ſuum erratum, quòd conceſſerit Imperatori inveſtituras, & petit Epiſcoporum conſilium, qui cenſent omninò id privilegium revocandum eſſe: idq; faciunt die 18. Martii, ultimo conciliidie. Inde legati Pontificii, item Archiepiſcopi in Gallis & alibi, Imperatorem Henricum excommunicant, petuntq; ejus excommunicationis confirmationem à Pontifice, ſed Pontifex confirmationem differt quadriennium ferè. Nihilominus tamen Albertus Archipræſul Moguntinus, etiam excommunicat Imperatorem, & totam Germaniam in eum concitat: ſed Imperator eum capit, & in carcerem compingit triennio. *Urſb.*

Otto Comes Geldriæ & Zutphaniæ, die 18. *Martii moritur; ſuccedit filius Gerardus, qui rexit Comitatum annis* 19. Chron. Belg.

Gualdericus Epiſcopus Laudunenſis à civibus ſuis ſeditioſis gladio confoſſus perit die 25. Apr. fer. 5. In hebdomade Paſchali domus Epiſcopi crematur: Eodem igne conflagravit templum Mariæ & Johannis Baptiſtæ, & aliæ plurimæ ædes. Rex Ludovicus in autores graviter animadvertit.

Annus Hegira 506. *incipit die* 28. *Octob. fer.* 6.

Henricus I. *Comes* Portugalliæ *moritur, ſuccedit filius* Alfonſus, *qui à ſubditis rex coronatur, regnatque annos* 73. Hiſt. Port.

Annus Alexand. 1424. *Antioch.* 1161. *Conſtantinop.* 6621. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaris 1861. *& Philippi* 1437. *incipit die* 18. *Nov. fer.* 2.

Tancredus *Antiochiæ princeps moritur menſe Decembri, cum præfuiſſet annis* 12. *Succedit* Rogerius, *qui principatum obtinet annis* 7. Tyr.

ANNO MUNDI 5062. Poſt C. 1113.

E. ☉ 2. ☽ 12. *Ind.* 6.

Annus urbis 1865. *Julianus* 1158.
Æra Hiſpan. 1151. *Auguſtorum* 1140.

Annus Jez.degird. 481. *incipit* 16. *Febr. fer.* 1.
Armen. 562. *die* 19. *Febr. fer.* 4.

Henricus Imp. Erfordiæ Comitia agit ineunte anno, diſceptaturus de imperii negotiis, cum plurimi excommunicatione ejus turbarentur. Sed Saxones & alii principes, qui fœdus contra Imperatorem fecerant, non comparent, ideò communi decreto proſcribuntur & Imperator *Hornburgum* fortiſſimum caſtellum evertit, Brunſvigum capit, Halberſtadium exurit, & in ſummas anguſtias omnes redigit. Dux ipſius primarius Hoierus Mansfeldenſis obruit proſcriptorum principes tres, quorum Ludovicus Landgravius vix fuga evadit, alter occiditur, tertius capitur, qui ne pœnam capitis ſubiret, à filio oblata arce Croicenſi Imperatori, redimitur. *Spang.*

Ecclipſis Solis indicatur, quæ viſa ſit in Palæſtina à VVilhelmo Tyrio, quæ invenitur die 19. *Martii, fer.* 4. *hora una poſt Solis exortum Hieroſolymis. Parallaxis latitudinis* 47,31. *Vera latitudo* 40,38. *Viſa* 6.53. *Merid. ſemidiam. Solis* 15,28. *Summa ſemidiametrorum* 31,40. *Scrupula reſidua* 24,47. *Digiti ecclipticı* 9,38. *Sol in* 5. *gradu Arietis.*

Edeſſani in Meſopotamia fame laborant, toties à Turcis vaſtati. Joſcel nus, qui Vaſallus erat Balduini Comitis Edeſſani, patrono ſuo enunciari jubet, ſi Comitatum vendere velit, ſe ipſi ſat magnas pecunias daturum. Balduinus iratus Joſcelinum Comitatu ſub privat. Ideo Joſcelinus de relinquenda Palæſtina cogitat, ſed Balduinus rex Tiberiadem ipſi concedit, ut occaſionem habeat Tyrios vaſtandi. *Tyrius.*

Balduinus rex Hieroſolymitanus proficiſcitur contra Saracenos, ſed præcipitat in inſidias, & vix evadit, mille & quingentis è ſuis amiſſis. Interim Aſcalonitæ abſente rege oppugnant Hieroſolymam, ſed fruſtra, horrea tamen ibi incendunt. Poſtea accerſit Balduinus reliquas copias, ſed cum Turcæ copiam pugnandi non facerent, ab armis diſceſſum eſt. *Tyr.*

Annus Hegira 507. *incipit* 17. *Jun. fer.* 3.

Olympias 472. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1889.

Imp. Alexius inchoat annum imperii 33. *in Maio. Henricus* 8. *in Auguſto.*

Bernhardus anno ætatis 22. cum ſociis triginta, anno quindecimo poſt inſtitutum ordinem Ciſtertienſium, fit monachus, factus eſt poſtea Abbas Clarevallenſis poſt triennium ferè. *Bar.*

ANNO MUNDI 5063. Poſt C. 1114.

D ☉ 3. ☽ 13. *Ind.* 7.

Henricus *Imp. Moguntı Comitia agit, ubi ſimul nuptias celebrat, cum Mathilde regis Angliæ filia, cujus dotem, ut* Polydorus *habet, rex Henricus corraſit ex tributo jugeribus ſubditorum impoſito.*

In Belgio die 23. Aprilis tanta nix cecidit, ut & arbores quibusdam in locis frangerentur. *Chron. Belg.*

Annus Hegira 508. *incipit die* 7. *Junii, fer.* 1.

Ecclipſis Lunæ annotatur à Pariſienſi, quæ invenitur facta die 18. *Auguſti, fer.* 3. *horis ferè tribus poſt mediam noctem Londini in Anglia. Latitudo Lunæ Septentr.* 9,27. *Semidiam. Lunæ* 17,8. *Summa ſemidiam.* 61,46. *Scrup reſidua* 52,19. *Digiti ecclipticı* 18,19. *Sol in primo gradu Virg.*

Imperator Henricus contra Epiſcopum Colonienſem profectus, ejus ditiones vaſtat. Saxones ſibi metuentes ab Imperatore conjurant, non tantum de ſe defendendo, ſed etiam de inferendo bello, & undiq; copias cogunt, nec ſuis rebus deeſt Imperator. *Spang.*

Sobieslaus minimus frater Ladislai Principis Bohemiæ cum Polonis, quos ſibi junxerat, Bohemiam vaſtat, & plurimum prædæ ſibi acquirit: Sed adveniente fratre Ladislao omni præda exuitur, & Bohemia fugatur. *Dubr.*

ANNO MUNDI 5064. Poſt C. 1115.

C. ☉ 4. ☽ 14 *Ind.* 8.

Saxones collecto exercitu vaſtant Comitatum Mansfeldicum, propterea quod Hojerus Comes præcipuus Imperatoris Dux eſſet, & Saxonibus plurimum nocuiſſet. Imperator ibidem hoſtibus

Saxonibus occurrit, ingenti prælio congrediuntur. Comes Mansfeldicus, cùm egregiè pugnaſſet, in acie cadit, reliquus exercitus Imperatoris fugatur, factum prælium die 11. Febr. ceciderunt ex utraq; acie ultra quinq; millia. Imperator ad ſuperiora Germaniæ profectus, Moguntiper æſtatem manet, ubi tandem menſe Septembr. ſeditione civium accipitur, quam ut ſedaret, ex captivitate Epiſcopum Moguntinum, hoſtem ſuum liberare coactus eſt. Paulò poſt audit Mathilden viduam in Italia morte defunctam eſſe, & ejus ditiones imperio aſſerendas: Ideò præparat, quæ itineri neceſſaria erant in Italiam. *Spang.*

Boleslaus *Boruſſiam cum exercitu evadit, Boruſſosque vincit, & plurimos captivos ad agros in Polonia colendos diſtribuit* Hiſt. Pol.

Annus Hegiræ 509. incipit die 27. Maji, fer. 5.

Saraceni hoc anno inter ſe bellum gerunt, & Princeps Damaſci ſocietatem belli jungit cum rege Balduino, eumq; in auxilium advocat, quapropter Turcæ diſcedunt: Interim Saraceni Aſcalonitæ Joppen obſident, & portum ſeptuaginta triremibus capiunt, ſed fortitudine civium repelluntur. Paulò poſt cum Balduinus iterum abeſſet, Aſcalonitæ redeunt, ſed à Comite Antiocheno Rogerio vincuntur magna clade in Sept.

Alfonſus *Aragonius, rex ferè totius Hiſpaniæ, menſe Majo obſeſſam Cæſar Auguſtam capit, die 18. Decembr. cum jam quadringentis annis in ditione Saracenorum fuiſſet. Poſt biennium inſtituitur ibi iterum Epiſcopatus.* Blanca.

ANNO MUNDI 5065. Poſt C. 1116.

BA. ☉ 5. ☽ 15. *Ind.* 9.

Paſchalis Papa Romæ die 6. Martii, fer. 2. Synodum celebrat, in qua agitur de inveſtituris laicorum, & utriq; tam dantes, quàm accipientes inveſtituras excommunicantur, urgent præterea, ut Imperatorem Henricum excommunicet, quod tamen Epiſcopi non impetrant. Hoc efficiunt, ut quicquid legati ſui feciſſent in Gallia, Anglia, Germania, Polonia & alibi, ut ratum haberetur. Hi autem Imperatorem excommunicaverant. *Baron.*

Annus Hegiræ 510. incipit die 15. Maji, fer. 2.

Stephanus *Hungariæ rex, fœdus firmatum venit in Bohemiam cum Duce Bohemiæ, ubi fortè diſſidium oritur inter Bohemos & Hungaros, & res ad prælium deducitur, in quo Hungari vincuntur, & pelluntur die 11. Junii.* Coſm.

Ivo Carnotenſis Epiſcopus, abbreviator Decretorum, hoc anno moritur, ut habet *Chr. Bel.*

Imp. Henricus turbato ſtatu imperii in Germania, in Italiam abire non audet, ſed in Franconia Epiſcopo Wurtzburgenſi Ducatum Franciæ adimit, eumque dat Conrado duci Sueviæ, ſororio ſuo. *Spang.*

Annus Alexandr. 1428. Antioch. 1165. & Conſtantin. 6625. incip. 1. Octob.

Annus Nabonaſſ. 1865. & Philippi 1441. 17. Novemb. fer. 6.

Henricus *rex Angliæ oppugnat Ludovicum Galliæ regem, eumque ex Normannia tantum adventus ſui terrore ejicit.* Pariſ.

Balduinus *Hieroſolymæ rex, ut Tyrios expugnare poſſet, caſtrum in vicinia, quod olim Alexander Magnus communierat, reparat, unde ipſis ingentia damna infert.* Tyrius.

ANNO MUNDI 5066. Poſt C. 1117.

G. ☉ 6. ☽ 16. *Ind.* 10.

Annus urbis 1869. *Julianus 1162.*

Æra Hiſpan. 1155. *Auguſtorum 1144.*

Annus Jezdegird 486. incipit 15. Febr. fer. 5. Armen. 566. 18. Feb. fer. 1.

Ingens terræmotus annotatur factus die 3. Jan. qui duravit per quadraginta dies, in Lombardia multas ædes & templa dejecit, villa etiam quadam de loco ſuo in locum remotum tum pervenit. Mediolani cum ſenatus haberetur, quidam ex ſenatu evocatus eſt, cum is moraretur aliquantum, is qui eum evocavit, ipſum eduxit, & ſtatim ædificium corruit, omnesq; ſimul oppreſſit. Baron.

Henricus Imp. in Quadrageſima Romam venit, ſed Papa *Paſchalis* cum hoc ſenſiſſet in Apuliam abierat ad Normannos. Henricus verò Paſcha celebravit ibi, inde propter æſtum abſceſſit, & autumno adveniente iterum Romam abiit, ſed ad Pontificem venire non potuit, nec etiam excommunicatione ſolvi, cum Papa diceret, à ſe Imp. excommunicatum non eſſe, ſed ab aliis, & eam excommunicationem ſolvi non poſſe, niſi in concilio. *Bar.*

In Palæſtina hoc & præcedenti anno immenſa vis locuſtarum totam terram menſe Majo tranſiit. Tyr.

Annus Hegiræ 511. incipit die 5. Maji, fer. 7.

Ecclipſis Lunæ annotatur hoc anno menſ. Jun. ea ad tabulas invenitur, die 16. Jun. fer. 7. min. 49. poſt med. noct. Coloniæ. Latit. Lunæ auſt. 19, 4. Sem. Lunæ 16, 58. Summa Sem. 61, 37. Scrup. reſ. 42, 33. Digiti ecclip. 15, 3. Sol in primo gradu Cancri.

Olympias 473. incipit die 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1893.

Alexand. Imp. inchoat annum Imperii 37.

Henricus 12.

Annus Diocletiani 834. incipit 29. Auguſti.

Balduinus rex Hieroſolymis in Æpyptum cum exercitu proficiſcitur, ad Nilum uſq; ubi civitatem quandam capit, & domum redit ægrotus, qua occaſione Epiſcopi eum monuerunt, ut uxorem, quam præter legitimam duxerat, tandem dimitteret, quod & fecit. *Baron.*

Altera ecclipſis Lunæ annotatur hoc anno ab Hiſtoricis, quæ facta ſit die 11. Decemb. fer. 3. & eodem tempore etiam invenitur hora ferè integra poſt mediam noctem Coloniæ, Latitudo Lunæ 7, 16. Auſtral. Semid. Lunæ 16, 48. Summa Semid. 60, 12. Scrup. reſidua 52, 56. Digiti ecclipticì 19. ferè Sol in gradu Sagittarii.

ANNO MUNDI 5067. Poſt C. 1118.

F. ☉ 7. ☽ 17. *Ind* 11.

Paſchalis II. Papa, cum ſediſſet annos 18. & menſes quinq; & rediret Romam armato exercitu contra Imperatorem, moritur die 18. Jan. Tertio die eligitur Johannes Cajetanus, quem Centius Frangipanis ſtatim ex templo ablatum in vincula deduxit, ſed inſtantibus Romanis eum dimiſit. Imperator Henricus fretus ejus amicitia conſentit in electionem, ſed cum Imperator peteret ſe ſolvi excommunicatione, & Cajetanus ipſi hoc denegaret, niſi compareret in Synodo, Imper. Romam occupavit. Cajetanus autem fugiee claſſe Cajetam, ubi Calendis Martii conſecratus & *Gelaſius II.* appellatus eſt. Imperator contra Romæ alium Pontificem creat Mauritium Bracharenſem olim Epi-

Epiſcopum, quo conſtituto Imperator ad Longobardos abiit. Paulò poſt Gelaſius Papa Romam reverti conatur, ſed ita excipitur, ut vix fuga evaderet, quapropter cum nec Romæ, nec in Italia tutus eſſe poſſet, die 2. menſis Septem. in Galliam iter inſtituit. Imperator autem, cum metueret, ne Germaniam turbaret, ex Italia in Germaniam cum conjuge redit. *Baron.*

Balduinus Hieroſolymæ rex iterum expeditionem inſtituit in Ægyptum, ineunte hoc anno, & ad Nilum uſq; pervenit. Sed ibi morbo correptus redire cogitur, & in itinere moritur. Perfertur Hieroſolymam Dominica Palmarum, & ibi ſepelitur. Succedit ipſi die 15. Aprilis in Paſchate *Balduinus* affinis, Comes Edeſſanus, qui regnavit annis 13. menſibus 4. *Tyr.*

Annus Hegiræ 512. incipit die 24. Apr. fer. 4.

Alexius *Imp. Conſtantinopolitanus, cum imperaſſet annos 36. menſes 4. moritur die 15. Auguſti, ſuccedit ipſi filius* Calo-Johannes, *ut eum Nicetas appellat, qui imperat annos 24. menſ.* 8. Nic.

In Bohemia menſe Septembri ingens fuit inundatio; adeo ut aqua decem ulnis altiores eſſent pomœriis. Coſm.

Annus ſabbathicus 3. Jobelei 23. incipit die 7. Sept. fer. 3. Anno Jud. 4879.

Ordo *Templariorum* ſive militiæ templi hoc anno inſtitutus. Nam cum latrones plurimi peregrinis inſidiarentur, alios ſpoliarent, & alios trucidarent, quidam commiſeratione & pietate moti, offerunt ſuam operam Patriarchæ Hieroſolymitano in coercendis illis latronibus. Autor hujus rei primus fuit *Hugo* de Paganis, & Godefridus de S. Almaro. Prima eorum profeſſio fuit, ut viverent caſtè & piè, more canonicorum, & pro conſequenda remiſſione peccatorum itinera tutarentur à latronibus, in ſecuritatem peregrinantium. Exiguo ita ab initio orti, brevi tempore munificentia Chriſtianorum ad immenſas divitias pervenerunt, ut cuivis regi in alendis exercitibus pares eſſent. *Tyrius.*

ANNO MUNDI 5068. Poſt C. 1119.
E ☉ 8. ☽ 18. *Ind.* 12.

Ineunte anno Gelaſius Papa concilium indicit, in quo Imperator iterum excommunicat, quam excommunicationem promulgat Cuno Coloniæ, Friſlariæ & alibi. Imperator hisce injuriis excitatus conventum totius imperii Triburiæ indicit, ubi in pleno conſeſſu omnibus quibus injuriam feciſſe dicebatur, ſatisfecit, & pacem per totam Germaniam ſancivit. *Urſb.*

Gelaſius Papa, cum ſediſſet annum, moritur in ipſo ferè concilio; eligitur ſtatim *Guido* Burgundus ex nobili familia, qui conſecratur, & appellatur *Calliſtus II.* qui ſuam electionem notam ſtatim fecit in tota Europa: ſedetq; annis ferè 6. *Bar.*

Annus Hegiræ 513. incipit die 14. Apr. fer. 2.

Balduinus Comes Flandriæ, qui octo annis præfuerat, in bello, quod Ludovicus Gallus cum Anglo gerebat, vulneratus moritur, die 17. Junii, in teſtamento hæredem fecit, cum careret liberis, Carolum Amitinum, Regis Danorum filium: inde bellum inteſtinum exortum, Carolus autem annis ferè ſeptem, præfuit *Ann. Fland.*

Ventus validiſſimus Auſter die 20. Julii fer. 4. arcem VViſſegradi in Bohemia evertit. Exteriora quidem firma manſerunt, medium verò arcis funditus erutum, arbores infinitæ radicitus erutæ ſunt. Coſm.

Calo Johannes Turcis Sozopolin adimit, miro ſtrategemate, ut & alias urbes. Niceta.

Rogerius *Princeps Antiochiæ in Syria, magna clade à Turcis vincitur, & in ipſa pugna cadit.* Balduinus *rex exercitum adducit, cladem regerit, die 14. Auguſti, & Turcas magna ſtrage vincit, etſi haberet paucos milites. Inde Balduinus Antiochiam ingrediens, eum principatum regno Hieroſolymitano ſubjicit.* Tyr.

Boleſlaus *Poloniæ Princeps tandem totam* Pomeraniam *ſibi ſubjicit*, incolasq; ad ſuſcipiendam Chriſtianam religionem adigit, quam antea bis ſuſceperant, bis abjecerant. *Hiſt. Polon.*

Calixtus Papa Rhemis in Gallia concilium indicit, die 20. Octob. fer. 2. & confirmat acta Hildebrandi & Urbani, Henricus Imperator accerſitus fuerat, ſed non venerat, propè tamen aberat, & legati invicem mittebantur: conſenſum fuit in omnibus, præterquam de inveſtituris Clericorum, quod jus Imperator abſque conſenſu totius imperii amittere nolebat. Propter hanc cauſam Imperator iterum excommunicatur, & cum plurimi eſſent Epiſcoporum, qui indignè ferebant, Imperatorem hac injuria affici, priusquam excommunicationem perageret, juſſit eos Papa ſurgere, & ex concilio diſcedere, qua violentia coacti, conſenſerunt excommunicationi. *Roger.*

Papa intrudit Epiſcopum Eboracenſem contra voluntatem Henrici regis, & cum rex eum in regnum recipere nollet, regem excommunicavit, & regem ita ad recipiendũ Epiſcopum coegit. *Roger.*

ANNO MUNDI 5069. Poſt C. 1120.
DC. ☉ 9. ☽ 19. *Ind.* 13.

Annus Hegiræ 514. incipit die 2. Apr. fer. 6.

Colomanus *rex Hungariæ, injuriis Venetorum provocatus,* Iaderam *in Dalmatia obſidet, Veneti ei exercitum opponunt, Duce Ordelapho, qui acie caditur, & exercitus vincitur, & urbs capitur.* Juſt. Ven.

Turcæ per Euphratem Syriam invadunt, ſed munitionibus & caſtris ſe tantum tenent, & occaſione data prædas agunt, quibus abactis in Meſopotamiam redeunt. Tyr.

Rupertus Abbas Tuitienſis, qui multa ſcripſit, floret. *Trith.*

Gratianus monachus Bononienſis, qui ſcripſit Decretorum volumen ex veterum ſtatutis, ſanctionibus, & ſcriptis, quod poſtea approbatum eſt ab Eugenio Pontifice, floret. *Trith.*

Annus Alexandr. 1432. Antioch. 1169. & Conſtantin. 6629. incipit 1. Octob.

Annus Nabonaſſar. 1869. & Philippi 1445. incipit die 19. Nov. fer. 3.

Wilhelmus, Henrici regis Angliæ filius, in Normanniam profectus, Ludovico Gallorum regi præſtitit juramentum, & fit Normanniæ Dux. Hic cum in Angliam rediret, incuria nautarum ſcopulis alliſus, nocte, quæ ſecuta eſt diem 25. Novem. feriam quintam, periit cum fratre, & aliis nobilibus 140. præter nautas. *Roger.*

ANNO MUNDI 5070. Poſt C. 1121.
B. ☉ 10. ☽ 1. *Ind.* 14.

Annus urbis 1885.	*Julianus* 1178.
Æra Hiſpan. 1159.	*Auguſtorum* 1148.

Annus

Annus Jezdegird 490, *incipit* 14. *Februar. fer* 2. *Armen.* 570. 17. *Feb. fer.* 5.

Florentius *Comes Hollandiæ, cum rexiſſet Comitatum annis* 30. *moritur die* 2. *Martii, ſuccedit ipſi filius* Theodoricus, *qui eundem regit* 30. *annos.* Chron. Belg.

Annus Hegiræ 115. *incipit* 22. *Mart. fer.* 3.

Ecclipſis Lunæ annotatur à Coſma Pragenſi, quæ acciderit nocte, quæ fuit Judaicum Phaſe. Ea invenitur die 4. *April. fer.* 2. *horis poſt meridiem* 9,42. *Latitudo Lunæ* 3,55. *Semidia. Lunæ* 16,29. *Summa Semid.* 59,51. *Scrup. reſidua* 55,56. *Digiti ecliptici* 20,22. *ferè Sol in* 21. *Arietis.*

Sequenti anno itidem fuit Ecclipſis Lunæ in Phaſe Judaico, ſed fuit tantùm quinque digitorum.

Calixtus Papa ſuperiori anno in Italiam redierat & cupidè Romæ receptus fuerat. Inde in Apuliam ad Normannos tranſierat, de copiis comparandis contra Mauritium Burdinum, quem Imper. Papam fecerat; hoc anno Sutrium, quo ſe Burdinus contulerat, obſidet, Burdinum capit, in camelo averſum per totam urbem traducit. ignominiæ cauſa, inde eum apud Caſſinum monaſterium in vinculis habet. *Baron.*

Calixtus Papa facit Albertum Moguntinum legatum à latere, qui profectus in Saxoniam, exercitum congregat contra Imperatorem, qui jam Moguntinam obſidere parabat: conveniunt exercitus ſed arbitri principes ſe interponunt, & dies inſtituitur Wurceburgi, ubi tota controverſia de inveſtitura Epiſcoporum tractatur toto octiduo. Inde legati mittuntur ad Pontificem. *Urb.*

Balduinus *rex Hieroſ. Damaſcenos prædas agentes compeſcit, & caſtrum propè Jordanem deſtruit.* Fulcher.

Olympias 474. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadis* 1901.

Imp. Henricus inchoat menſe Aug. annum Imp. 16 *Calo Joh. in.* 4.

Annus Diocletiani 838. *incipit die* 28. *Auguſti.*

Gazi Turcorum rex iterum in Palæſtinam irrumpit, cui obviam progreditur rex & Joſcelinus, ſed *Gazi* apoplexia tactus moritur, & Turcæ diſſipantur. *Tyr.*

Henricus rex Angliæ ducit uxorem filiam Ducis Lovaniæ; nuptiæ celebrantur ferè eo tempore, quando Ecclipſis Lunæ accidit.

Ecclipſis hæc invenitur die 28. *Septemb. fer.* 4. *horis* 4,47. *poſt mediam noctem Londini in Angl. Latitudo Lunæ prorſus nulla Semid. Lunæ* 17,56. *Umbræ* 46,6. *Summa Semid.* 64,2. *Digiti ecclipſici* 21,25. *Sol in undecimo gradu Libræ Pariſ.*

Monaſterienſes in Weſtphalia Epiſcopum ſuum ejecerant, ideo à Lothario Saxone obſidentur, & Epiſcopus reſtituitur: igne tamen fortè exorto, templum in cineres redactum eſt. *Spang.*

ANNO MUNDI 5071. Poſt C. 1122.

A. ☉ 11. ☽ 2. *Ind.* 13.

Annus Hegiræ 516. *incipit die* 12. *Mart. fer.* 1.

Joſcelinus Comes dum contra *Balac* Turcorum regem improvidè pugnat, & ejus Comitatus miſerè vaſtatur. Balduinus rex hiſce auxilio venit, vindex cladis, ſed dum incautiùs hoſtium caſtra contemplatur, intercipitur, & in eandem arcem, ubi cæteri captivi erant, abducitur. Armenii quidam habitu monaſtico induti, dolo efficiunt, ut in arcem illam admittantur, qui admittantur, qui admiſſi præfectum & præſidiarios trucidant & captivos liberant. Turcæ rem edocti ſubitò advolant, arcem obſident: Unicus tamen *Joſcelinus* evadit, reliqui captivi recipiuntur, & arctius cuſtodiuntur, ipſi Turcæ totam Palæſtinam vaſtant, & ad deditionem cogere conantur, ſed fortiter ab Euſtathio, qui electus erat Prorex, ejiciuntur, vincuntur, & ad mare depulſi, à Venetis, qui advenerant, deprimuntur.

Leopoldus *Marchio Auſtriæ Hungaros maximo prælio vincit ad Leitam fluvium, eosque tota Hungaria ſuperiore ejicit.* Culp.

Comitatus *de* Marcha *& de* Monte *hoc tempore inſtituuntur à duobus nobilibus, quorum alter ædificavit caſtrum, quod quia propius à Comitatu* Arensberg *erat, quam debebat, dictum eſt* Altunah/ *quaſi* Allzunahe. *Alter ædificavit caſtrum* Altenberg: *illud vocatum eſt Comitatus de Marca, hoc Comitatus* Montenſis: *qui poſtea factus eſt Ducatus.* Chr. Bel.

Imp. initio anni legatos mittit Romam ad Pontificem, qui nunciarent, ſe ex conſilio principum imperii ceſſurum inveſtituris Clericorum, ſi ſolveretur excommunicatione, & etiam imperio quod ſuum eſſet, tribueretur. Ideò Pontifex habito concilio legatos mittit in Germaniam binos Cardinales, conventus indicitur Wurzeburgi die 29. Jun. Ibi quod Moguntinus præſul Epiſcopum, quem Imperator elegerat, rejeciſſet, & alium elegiſſet, diſſenſio orta eſt, de qua certatum aliquot ſeptimanis. Tandem indicitur aliis conventus Wormatiæ 24. Sept. ubi Imperator ſcripto profeſſus eſt, ſe dimittere Deo & ſanctæ Eccleſiæ Cathol. omnem inveſtituram per annulum & baculum, & concedere liberam conſecrationem in omnibus Eccleſiis: Idque manu ſua ſcribit, & aureo ſigillo obſignat, quod adhuc habetur Romæ. Papa contra concedit Imperatori, ut in præſentia ejus Epiſcopi & Abbates eligantur, & electus regalia per ſceptrum ab Imperatore recipiat, atq; ita ingens privilegium opinione pietatis Pontifici datum eſt, unde infinita mala in imperium redundarunt.

Scythæ in hyeme Iſtrum transgreſſi, Thraciam populantur: Calo Johannes Imp. copias contra eos educit, eosq; aſtu vincit, & propterea Conſtantinopoli magnus triumphus actus. Nicet.

ANNO MUNDI 5072. Poſt. C. 1123.

G. ☉ 12. ☽ 3. *Ind.* 1.

Annus Hegiræ 517. *incipit die* 1. *Mart. fer.* 5.

Ladislaus *Bohemiæ Dux, fratrem Sobeslaum menſe Martio ditione ſua pellit, ex Moravia ſcilicet, quam filio ſuo Conrado tradidit, Sobeslaus verò ad Imperatorem confugit.* Coſm.

Euſtathius *prorex Hieroſolymæ die* 15. *Junii, moritur, eligitur igitur alius, Wilhelmus videlicet Comes Tiberiadis. Tyr.*

Moguntinus præſul à Thuringis iterum decimas poſtulat, & vi quosdam ſpoliat & trucidat; quapropter Thuringi concurrunt, exercitum conficiunt viginti millium. Sed Epiſcopus prolixa oratione ipſis pacem perſuadet, promittit etiam ſe decimas in poſterum non poſtulaturum. *Spang.*

Imperator Henricus *Marchionatum Miſniæ, cum Egbertus olim mortuus eſſet, concedit Wigberto Groicenſi, ſed Henricus IV. pater eandem dederat Thimoni Comiti VVethinenſi, qui filium reliquerat Conradum. Saxones arbitrantes Marchionatum*

ad Con-

ad Conradum pertinere, auxilia ipſi pollicentur. Wigbertus Comes ſibi inc uens evocat in auxilium Bohemos, qui cum nullus hoſtis in Miſnia inveniretur, eam tamen deprædantur. Coſ.

Ægyptius Calipha audiens Balduinum regem captum, proregem mortuum, atque ita regnum opportunum injuriæ; Aſcalonem pervenit, & claſſem mittit Joppen verſus, portumque occupat, urbem oppugnaturus, ſed à Wilhelmo prorege ad Aſcalonem vincitur magna ſtrage. Eodem tempore advenit Venetorum claſſis, claſſem Ægyptiorum in portu Joppenſi oppugnat, multas naves deprimit, plures capit, atque ita prorex & Veneti Hieroſolymam aſcendunt læti, Natalitia Chriſti ibi celebraturi, ubi fœdus ineunt de expugnanda Tyro ſequenti anno, ſi tertia pars urbis Venetis concedatur. *Tyrius.*

ANNO MUNDI 5073. Poſt C. 1124.
F E. ☉ 13. ☽ 4. *Ind.* 2.

Annus Hegiræ 518. *incipit die* 18. *Feb. fer.* 2.

Claſſis Venetorum ex portu Joppenſi ſolvit die 15. Feb. ad obſidendam Tyrum mari. Prorex Wilhelmus paulò poſt eandem obſidet terra, & durat obſidio menſibus quatuor, capiturq; die 29. Junii, & binæ ejus partes cedunt regi: tertia verò pars Venetis, quorum Dux erat Michael. Interum dum *Tyrus* terrâ mariq; obſidetur, Joſcel. Comes cum Balac. Turc. rege ad Hierapolin fortiter pugnat, eumque ſua manu trucidat, & victoriæ nuncium in caſtra Tyrum mittit; Rex etiam Balduinus, cùm octo menſibus captus fuiſſet, libertati reſtituitur, promiſſis ducentis Ducatorum millibus, interim obſidem filiam ſuam dare cogitur. Capta Tyrus, ut Saraceni habent, anno Hegiræ 518. *Zacuth. Tyrius.*

Conventus Bambergæ agitur ab Imperatore, ubi Lotharius Saxo comparere noluit, atque ita iram Imperatoris incurrit, & proſcribitur. Imperator etiam ſtatim colligit exercitum, qui tamen viſus eſt ideo collectus, ut Imperator auxilia ferret regi Angliæ, ſocero ſuo, contra Ludovicum regem. Sed cum Ludovicus obviam exercitum mitteret, Imp. exercitum dimiſit. *Spang.*

Norbertus PræMonſtratenſes monachos deducit *Antverpiam,* ubi ipſis Abbatia D. Michaelis à Canonicis conceditur. *Baronius.*

Ecclipſis Solis ab Anglicis Scriptoribus annotatur, quæ acciderit die 17. Auguſti, inter horam quintam & ſextam diei. Eaque ita eodem die feria ſecunda invenitur, cujus medium fuit Londini integra ferè horâ ante meridiem. Parallaxis latitudinis fuit 31, 49. *Latitudo* 45, 11. *Latitudo viſa ſeptent.* 13, 22. *Semidiam. Solis* 15, 13. *Summa Semidiametrorum* 31 11. *Scrupula reſidua* 17, 49. *Digiti Ecclipticì* 7, 1. *Sol in* 24. *gradu Leonis.*

Dedo Marchio Landsbergi inchoat D. Petri templum, in Lauterbergo propè Halam Saxoniæ, quod frater ejus Conradus poſtea perfecit & abſolvit. Hodie dicitur Petersberg. *Fabr.*

Alexander Scotorum rex moritur, cùm annos ferè 19. regnaſſet; ſuccedit ipſi frater David, qui rex Epiſcopatibus, qui in *Scotia* erant, quatuor alios adjecit, quos tantis reditibus auxit, ut ſe ferè ad inopiam redigeret. Regnavit autem David annis 29. *Buch.*

Lex lata in Bohemia hoc anno, ne quis mancipium fieret Judæorum. *Coſ.*

Annus Alexandr. 1436. *Antioch.* 1449. *incipit* 15. *Novemb. fer.* 1.

Calixtus II. Papa, cùm ſediſſet annis ferè ſex, moritur die 13. Decemb. In electione novi Pontificis ferè ſchiſma oritur, ſtudio Leonis Frangipanis, qui intruſit *Lambertum* Bononienſem, quem nominavit *Honorium* II. qui ſedit annos quinque: Ne tamen videretur intruſus, cùm benevolentiam Cardinalium electorum ſibi comparâſſet, in conſpectu eorum deponit Papatum, & ſic legitime electus eſt. *Baron.*

ANNO MUNDI 5074. Poſt C. 1125.
D. ☉ 14. ☽ 3. *Ind.* 3.

Annus urbis 1877. *Julianus* 1170.
Æra Hiſpan. 1163. *Auguſtorum* 1152.

Annus Jezdegerd 494. *incipit die* 13. *Febr. fer.* 6.
Armeniorum 574. 16. *Febr. fer.* 2.

Annus Hegiræ 519. *incipit die* 8. *Febr. fer.* 7.

Honorius Papa expetit ab Abbate Caſſinenſi pecuniam, quæ ipſi denegatur, quòd Abbas electioni Pontifici non interfuiſſet. Hinc diſſentio orta. Evocatur poſtea Abbas Romam ad Pontificem, & cùm ter vocatus non compareret, deponitur, & alius Abbas eligitur; monachi tamen ſuum Abbatem defendunt, ideo etiam excommunicantur. *Chron. Caſſin.*

Ladiſlaus Dux Bohemiæ, cùm annis 16. præfuiſſet, moritur die 12. Aprilis, qui tum erat Dominica Miſericordias; cùm autem nullos haberet liberos, hæredem facit fratrem ſuum *Sobeslaum,* qui interceſſione matris in gratiam receptus fuerat; qui declaratur Dux die 16. Aprilis, & præeſt Ducatui annis 15.

Die 20. Maji fer. 4. in hebdomade Pentecoſtes nix cecidit, & ſecutum eſt intenſum frigus, quo perierunt arbores, vites, apes. *Coſm.*

Henricus V. Imperator, dum imperii negotia expedit, in Belgio in morbum incidit, & moritur Trajecti die 23. Maji, feria 7. in hebdomade Pentecoſtes, cùm imperaſſet annis 18. menſibus novem. Cùm deſtitueretur liberis, electio facta eſt difficilis; erant quidam Duces Sueviæ ejus ſororii, & habebant ſui ſtudioſos multos principes, ſed Alberto Moguntino maximè annitente, *Lotharius* Saxo eligitur die 29. Auguſti, & coronatur per Colonienſem, die 13. Septemb. Imperavit hic annos duodecim, & menſes tres. Hic cùm eſſet avunculus Comitis Hollandiæ, Comitatus Oſtergaw & Weſtergaw abſtrahit ab Epiſcopatu Trajectenſi, eosque donat Comiti Hollandiæ. *Chron. Traj.*

Olympias 475. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1901.

Calo Johannes inchoat annum Imp. 8.

Annus Diocletiani 842. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei 22. *incipit die* 31. *Aug. fer.* 2. *Anno Jud.* 4886.

Monaſterium Schonaw in territorio Trevirenſi conditur à nobili viro Hildelino, qui primus in eo factus eſt Abbas. *Trith.*

Rudolphus Abbas S. Trudonis ad Leodium, qui ſcripſit Chronica, & cantus etiam compoſuit, floret. *Trit.*

Johannes Cremenſis Cardinalis mittitur à Pontifice Honorio, in Angliam, ut celebret concilium, quod actum eſt menſe Septembri. In eo promulgat, cœlibatum ſacerdotibus obſervandum, ubi inter cætera dixit, turpiſſimum eſſe à latere, ſcorti ſurgere, ad conficiendum corpus Domini. ſed eâ ipſa nocte, quæ promulgationem ſecuta eſt, ipſe apud ſcortum in lecto deprehenſus eſt. *Rogerius & alii.*

Balduinus *rex Hieroſolymis Saracenos vincit propè Antiochiam, & ex manubiis tantum ferè pecuniæ colligit, quantum Saracenis pro libertate pepigerat, atque ita redimit ſuam filiolam quinquennem: Inde etiam Ægyptios Saracenos inſtante hyeme vincit.* Tyr.

ANNO MUNDI 5075. Poſt C. 1126.
C. ☉15. ☽6. *Ind.* 4.

Annus Hegiræ 520. *incipit* 28. *Jan. fer.* 6.

Balduinus rex ſtatim ineunte anno movet contra Damaſcenos, eosque ancipiti prælio tandem vincit; inde cum Comite Tripolitano urbem quandam prope Apamiam expugnat, ultimo Martii. Claſſis etiam Ægyptiorum maritima vaſtavit hoc anno, ſed fortiſſimè repulſa eſt, & *Boamundus* Junior ex Apulia repetitum Ducatum avitum Antiochenum in Palæſtinam venit, cui Balduinus Ducatum reſtituit, & inſuper filiam ſuam ipſi in matrimonium collocat. *Tyr.*

Otto Moraviæ Dux putabat Ducatum Bohemiæ ad ſe pertinere, atque ideo ad Imperatorem Lotharium veniebat, petebatque ſe Ducem Bohemiæ creari, & in Ducatum cum exercitu deduci: quod & impetrat, ſed Sobeslaus Dux arboribus cæſis omnes vias impediverat, quas cùm Imperator purgare vellet, obruitur à Bohemis, & non exigua clade afficitur; cecidit Moraviæ Dux & multi alii; pax tamen tandem conficitur, cùm Sobeslaus Dux promitteret *Lothario* auxilia contra Duces Sueviæ. *Trith.*

Conradus *Dux Sueviæ putans imperium ad ſe pertinere, præcipuas urbes imperii in ſuam ditionem redigit, & præſidiis munit, ut* Ulmam, Noribergam, Auguſtam; *inde cum exercitu in Italiam proficiſcitur, & Mediolani coronatur rex Longobardiæ, ſed cùm Pontifex ipſum averſaretur, & conatus ejus impediret, re infectâ in Germaniam redit.* Spang.

Porta Cœnobium circa hæc tempora fundatum, ſed Smolnæ primum fuit. Inde commutatione per Udonem Epiſcopum Numburgenſem, qui filius fuit Ludovici Comitis Thuringiæ, qui ſaltu ſe carcere liberarat, factâ, paucis annis poſt ad Salam translatum eſt, indeq; in angulum vallis reductum: hodie ſchola illuſtris ibi habetur.

Ingens Fames *in Gallia & Flandria hoc anno fuit: Carolus Comes Flandriæ prohibuit cerevisiam coqui, & omnes canes in Flandria juſſit occidi, ne præriperetur hominibus frumentum.* Annal. Fland.

Caſſinenſe cœnobium & Cluniacenſe etiam ſeditionibus vaſtantur, & ibi quidem bini erant electi Abbates, qui omnem theſaurum & dona cœnobio exhibita in milites effuderunt; Cluniacenſe verò à Pontio, olim ejus cœnobii monacho, conductis militibus vaſtatur. *Baron.*

ANNO MUNDI 5076. *Poſt C.* 1127.
B. ☉16. ☽ 7. *Ind.* 5.

Annus Hegiræ 521. *incipit die* 17. *Jan. fer.* 1.

Carolus Comes Flandriæ à quibusdam ſuis nobilibus perfidè Brugis in templo Donatiani inter orandum trucidatur fer. 3. poſt Reminiſcere, die 1. Martii, cùm rexiſſet Comitatum annis ferè 8. Succedit ipſi, Ludovici Francorum regis ope, Wilhelmus Normannus, Normannia pulſus. *Annal. Fland.* Eodem die Burgundi etiam Wilhelmum Ducem ſuum trucidant, qui liberos non habuerat: Ideò Imperator Lotharius eum Ducatum donat *Conrado* Domiti Zeringenſi. *Gemblac.*

Lotharius Imp. auxiliis accerſitis Sobeslai Ducis Bohemiæ, Norinbergam obſidet duobus menſibus, & viciniam crudeliſſimè vaſtat; ſed quod validum eſſet ibi præſidium Suevorum, re infecta diſcedere cogitur. *Annal. Suev.*

Epiſcopatus *Julini* in Pomerania à *Boleslao* Poloniæ rege, ſuaſu Ottonis Epiſcopi Bambergenſis, quem evocat, inſtituitur, confirmatur poſtea ab Innocentio poſt quadriennium: fuit autem tum florentiſſima civitas, viginti enim duo millia civium ab Ottone primum baptiſata eſſe ſcribuntur. Hodie oppidulum tantum eſt Wollin nomine, patria *Johannis Bugenhagii*, Paſtoris olim Witebergenſis. A Danis enim hæc urbs anno 1170. ſolo æquata fuit. *Chyt.*

Wilhelmus *Dux Apuliæ, cum annis 26. Ducatum rexiſſet, moritur die 26. Julii, cui ſuccedit* Rogerius *Comes Siciliæ, quem & hæredem ſcripſerat. Rogerius etiam juramentum fidelitatis ab Apulis exigit, ſed quoniam Ducatum, qui erat feudum Pontificis, à Pontifice non accepiſſet, bello eum perſequendum Pontifex ſtatuit, & omnes ſuos vaſallos convocat Beneventum: eò proficiſcitur & Rogerius & Beneventanos vaſtat.* Baron.

Concilium agitur Trecis in Gallia juſſu Pontificis, ubi nono anno poſt inſtitutionem ordo Templariorum confirmatur, & *Bernhardus* ipſis regulam præſcribit, & veſtitu albo ipſos à reliquis diſtinguit. Poſtmodum veſtitui huic albo addiderunt rubram crucem, poſt annos ferè viginti. *Baron.*

Conradus Marchio Landsbergi, profectus ad Lotharium Imp. & adjutus interceſſione Rigiſæ, uxoris Lotharii cognatæ ſuæ, obtinet Marchionatum Miſniæ & Comitatum Ileuburgicum, qui olim patri ſuo Thimoni ab Henrico IV. dati fuerant. *Fabr.*

Fulco Comes Andegavenſis peregrinatur Hieroſolymam, facitq; Gaufridum filium Ducem, cui rex Angliæ deſpondet Mathilden, Imperatoris Henrici defuncti filiam, quæ tres filios ipſi peperit, ex quibus unus factus eſt rex Angliæ. *Pariſ.*

Eboracum cœnobium in Franconia, ordinis Ciſtertienſis condi incipitur, ubi corda Epiſcoporum Wurtzenburgenſium ſepeliuntur, quatuor equis eo vehuntur, & ſunt in vitro concluſa, ut videri poſſint. *Cuſp.*

ANNO MUNDI 5077. Poſt C. 1128.
AG. ☉ 17. ☽ 8. *Ind.* 6.

Annus Hegiræ 522. *incipit* 6. *Jan. fer.* 6.

Rogerius Comes Siciliæ, in Apulia, quæ reſtabant, ſibi ſubjicit, Honorius Papa, collecto forti exercitu ex ſuis Vaſallis, eum perſequitur, & ex Apulia ejicere conatur. Sed Rogerius ſe in tutis locis continet, nec certamini ſe offert, donec exercitus Pontificis dilaberetur: inde inſequitur Pontificem, & obſidet Beneventi, ubi pax facta, & ille Pontifici homagium præſtitit: ſed pax hæc non diu duravit. Nam bis hoc anno Rogerius excommunicatus eſt, ſemel quòd ſe ducem eſſe aſſereret, quem titulum à Pontifice non acceperat, & deinde quòd ſuos Epiſcopos ex Sicilia Romam dimittere nollet. *Baron.*

Imp. Lotharius Epiſcopum Würtzburgenſem in integrum reſtituit, & Ducatum, quem Henricus V. ipſi eripuerat, & Conrado Duci Sueviæ dederat, reddit: inde abit obſeſſum Spiram, quam novem menſibus obſidione fatigat, & tandem deditione capit. Moguntinus interim Epiſcopus & Magdeburgenſis *Nodgerus*, autor ordinis Præmonſtratenſium, Conradum excommunicant. *Spang.*

Theodoricus Elſatius, aſſumtis ſuis Germanis, & adjutus auxiliis Henrici regis Angliæ, Guilielmum Comitatu Flandrico ejicere conatur, ſed vincitur à Wilhelmo. Wilhelmus tamen leviter in pugna vulneratus ex eo moritur die 16. Auguſti, cùm vix annuo ſpatio præfuiſſet. Succedit Theodoricus, qui præeſt Comitatui annis quadraginta. *Annal. Fland.*

Annus Alexand. 1440. *Antioch.* 1177. *& Conſtantinopolit.* 6637. *incipit Calend. Octobr.*

Annus Nabonaſſaris 1877. *& Philippi* 1453. *incipit die* 14. *Nov. fer.* 4.

Annus Hegiræ 523. *incipit die* 25. *Decemb.*

Johannes de temporibus, qui Caroli magni armiger fuerat, attigeratque annum ætatis trecenteſimum ſexageſimum primum, hoc anno ſcribitur mortuus à Nauclero, Martino Cramero, Vincentio & aliis.

ANNO MUNDI 5078. Poſt C. 1129.

F. ☉ 18. ☽ 9. *Ind.* 7.

Annus urbis 1881.	*Julianus* 1174.
Æra Hiſpan. 1167.	*Auguſtorum* 1157.

Annus Jezdegird 498. *incipit die* 12. *Febr. fer.* 3. *Armeniorum* 578. 15. *Febr. fer.* 6.

Meginerus, Archiepiſcopus Moguntinus, qui Conradum excommunicaverat, cum Romam ineunte vere tenderet, à Clericis ſuis proditus, à Conrado capitur, qui ipſi oculos erui juſſit, & in captivitate detinuit, uſque dum mortuus eſt primo die Octob.

Philippus. *Ludovici regis Francorum filius, Rhemis rex coronatur die* 14. *Aprilis die Paſchatis, ſed ſequenti anno ex equo præceps datus, qui interventu porci corruebat, corpore fracto expirat die* 13. *Octob.*

Lotharius Norinbergam & Ulmam deditione capit: idem Lotharius Spiram obſidet, ubi Conradus erat, die 15. Julii, quæ obſidio continuata eſt uſque ad 3. Januarii ſequentis anni.

Olympias 476. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1505.

Calo Johan. Imp. Orientis incipit annum imp. 12. *Lotharius quintum, menſe Auguſto.*

Annus Diocletiani 846. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Godefridus *Lotharingiæ Dux, prælio decertat cum Epiſcopo Leodienſi ad Duracium, ceciderunt multi ex utraque parte, vicit Dux: accidit prælium die* 7. *Auguſti, fer.* 4.

Helinandus frigidi montis monachus Hiſtoricus floret. *Trith.*

Annus Hegiræ 524. *incipit die* 15. *Dec. fer.* 1.

ANNO MUNDI 5079. Poſt C. 1130.

E. ☉ 19. ☽ 10 *Ind.* 8.

Imperator cùm Spiram ſex menſibus obſediſſet, tandem bello finis imponitur die 3. Januarii. fer. 6. & Conradus ac Fridericus in gratiam recipiuntur. *Trith.*

Honorius II. Papa, cùm annos quinque ſediſſet, moritur die 17. Febr. De novo creando Pontifice Cardinales ita conſentiunt, ut eligatur in templo D. Marci. Sed populo tumultuante, qui pecunia corruptus erat, Cardinales in templum Marci venire non poſſunt, ideò conveniunt & eligunt Gregorium Cardinalem, quem vocant *Innocentium* II. Reliqui Cardinales conveniunt in templo D. Marci, & eligunt Petrum, Petri Leonis filium, potentiſſimum in urbe Roma, eumque nominant *Anacletum* II. atq; ita exortum eſt ſchiſma in Romana Eccleſia nefandiſſimum. Innocentius ſedit annos 13. menſes 7. Anacletus verò annos 7. menſes 9. Sed Anacletus, quòd potentia prævaleret, Innocentium urbe & Italia ejecit, & ad omnes, Imperatorem, reges, & principes ſcribit de ſua electione, nemo tamen ei reſpondet. Ideò Innocentium anathemate ferit, & ut haberet, qui ſe agnoſceret Papam Romanum, *Rogerium* Siciliæ & Apuliæ Ducem creat regem. Innocentius contrà, qui in Galliam fugerat, ibidem Anacletum anathemate ferit, &c. *Baron.*

Balduinus magno exercitu congregato Damaſcum obſidet, ſed cùm pabulatores ſui nebuloſo templore clade affecti eſſent, turbatus ipſe obſidionem ſolvit. *Tyrius.*

Hugo de ſancto Victore, qui Chronicon de Pontificibus Romanis & Imperatoribus ſcripſit, hoc anno deſinit.

Halæ Saxonum legati quidam & præfecti Imperatoris, furente populo, trucidantur, ideò à Lothario bello petuntur, & parricidii dant pœnas atroces, innocentes etiam coguntur mulctam ſolvere. *Spang.*

Annus Hegiræ 525. *incipit die* 4. *Dec. fer.* 5.

ANNO MUNDI 5080. Poſt C. 1131.

D. ☉ 20. ☽ 11. *Ind.* 9.

Innocentius Papa, ineunte vere ad Lotharium Imperatorem legatos mittit, qui petant colloquium, quod conſtituitur Leodii. Eò venit Papa die 22. Martii, Dominicâ Oculi, ubi agit Papa de ſua reſtitutione, expetitque operam Lotharii. Lotharius contra à Pontifice repetit jus inveſtituræ, quod Imperatoribus ademptum erat. Sed duriter à Bernhardo Imperator accipitur, & Pontifici promittitur auxilium. Inde Dominicâ Lætare Lotharius cum conjuge coronatur, & Papa in Gallias redit, Eccleſiaſque viſitat, præfer-

præſertim ditiores, & de earum copia ſuæ inopiæ defectum ſupplet, ut autor loquitur. *Baron.*

Boamundus *Antiochiæ princeps in Siciliam profectus, à Saracenis invaditur & trucidatur. Balduinus rex, ſocer, filiæ ſuæ bona dotalia conſtituit Laodiceam & Gabulum, & nepotem facit Ducem Antiochenum, cui juramentum præſtant ſubditi. Balduinus ipſe poſtea moritur die 22. Auguſti, cùm regnâſſet annis 13. ſuccedit ipſi gener* Fulco *Comes Turonenſis, qui regnat annis 10.* Tyrius.

Hugo Presbyter & monachus S. Victoris, natione Saxo, Philoſophus & Theologus inſignis, in Galliis floret. *Trith.*

Innocentius in Galliis die Lucæ, 18. Octob. celebrat concilium Rhemis, in quo hiſce verbis à D. Bernh. Clarevallenſi deſcribitur: plusquam Moiſes hic; Moiſi commiſſa fuit una plebs Iſraelitica, huic univerſa Eccleſia: plusquam Angelus hic; cui enim Angelorum dixit Deus, quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis? Secundum officium dico non ſecundùm meritum: præter Deum non eſt ſimilis ei, nec in cœlo nec in terra, &c. in ipſo concilio Ludovicus rex Galliæ filium ſuum Ludovicum jubet à Pontifice coronari regem. *Gemblac.*

Fulco rex Hieroſolym. Saracenos, qui ex ſinu Perſico Antiochiam uſq; pervenerant, ſecuros in caſtris obruit, cædit, & univerſis caſtris cum omni præda potitur; & Pontius Comes Tripolitanus Damaſcenis bellum infert, ſed infeliciter pugna vincitur & cæditur: ſuccedit ipſi filius *Raimundus*, qui collecto exercitu Turcas in Libano, qui patri cauſa cædis fuerant, perſequitur & profligat. *Tyr.*

Annus Hegiræ 526. incipit die 23. Nov. fer. 2.

Raimundus Pictaviæ Comes ducit uxorem Conſtantiam ſororem Boamundi defuncti Ducis Antiocheni, atque ita Antiocheno principatu potitur, & *Berſabe* urps à Fulcone inſtauratur. *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5081. Poſt C. 1132.

CB. ☉ 21. ☽ 12. *Ind.* 10.

Innocentius Papa, cùm in Gallia collectam Eccleſiis indixiſſet & accepiſſet, Italiam verſus proficiſcitur, in Lombardia Paſcha celebravit, ibique concilium indixit; inde Piſas abiit, ubi ſimiliter concilium indixit, & Genuenſem ac Piſanum Epiſcopos creat Archiepiſcopos, quod fideliter ipſi inhæſiſſent, utrosq; à Mediolanenſi juriſdictione liberat, & ſingulos Epiſcopos ſubdit ex Sardinia & Corſica. *Baron.*

Sanguinus Turcarum princeps, Comitem Tripolitanum bello urget, qui Comes Fulconem regem in auxilium evocat. Ad hoſtes jam profecti impedito itinere progrediuntur ab hoſtibus invaduntur & diſſipantur, Comes Tripolitanus capitur, rex in quoddam caſtrum evadit, quod Sanguinus obſidet & oppugnat: interim auxilia ad eripiendum regem conveniunt, quibus Sanguinus territus, regem & Raimundum Comitem liberos dimittit, caſtram tamen illud ſibi retinet. *Tyr.*

Ratisbona hac æſtate tota flammis exuritur. *Gemblac.*

Lotharius menſe Auguſto iter Italiam verſus ingreditur, Auguſtæ Vindelicorum ſeditione exorta inter cives & milites, multi cives trucidantur, & pars urbis exuritur: inde in Italiam properans, quæ imperii erant, occupat in Lombardia & Hetruria, urbes pleræque ſe dedunt, aut occupantur, præter Veronam & Mediolanum, & in Thuſcia hybernat. *Spang.*

Calo Johannes, Imp. Conſt. cum exercitu advenit, cùm audiſſet Raimundum principem Antiochenum factum, ut eum principatu ejiceret, & urbem ſibi ſubjiceret. Sed Fulco rex Antiochiam deſcendit, & pacem inter principem & regem facit hac conditione, ut princeps ſit vaſallus Imperatori. *Tyrius.*

Annus ſabbathicus 5. Jobelei 22. incipit die 12. Septemb. fer. 2. Anno Jud. 4893.

Annus Alexandr. 1444. Antioch. 1181. Conſtantin. 6641. incipit 1. Octob.

Annus Nabonaſſaris 1881. & Philippi 1457. incipit 13. Novemb. fer. 1.

Annus Hegiræ 527. incipit die 12. Nov. fer. 7.

Rogerius rex Siciliæ, cupiens ſibi ſubjicere Beneventanos & Avellinos, Avellinum Comitem Romam ad Papam ſub ſpecie legationis mittit, interim ejus urbem, uxorem, liberos, &c. capit. Comes aſcitis ſociis regem prælio vincit, & fugat, menſe Septemb.

ANNO MUNDI 5082. Poſt C. 1133.

A. ☉ 22. ☽ 13. *Ind.* 11.

Annus urbis 1885. *Julianus* 1178.

Æra Hiſpan. 1171. *Auguſtorum* 1160.

Annus Jezdeg. 502. *incipit die* 11. *Febr. fer.* 7. *Armeniorum* 582. 14. *Febr. fer.* 3.

Lotharius Imp. tandem verè ineunte cùm præparaſſet neceſſaria, Romam cum Pontifice Innocentio proficiſcitur, die 30. Aprilis, ubi quidem Papa in Lateranum reſtituitur: verùm cùm Anacletus adhuc eſſet Romæ, & munitiones præſtantiſſimas urbis occupaſſet, & firmaſſet. Imperator etiam magnam manum militum non haberet, pelli Româ non potuit. Ideò Imper. coronari ſe paſſus eſt die 3. Junii, ut habet *Trithemius. Inde cùm Rogerius Siciliæ rex exercitum colligeret, & in Apulia urbes affligeret, Imperator impar viribus Roma & ex Italia in Germaniam diſceſſit præſertim cùm audiret, Duces Sueviæ novis rebus ſtudere, & reverſus* Ulmam *obſedit, eamque valde afflixit: inde bellum deponitur, & Conradus ac Fridericus, ſe gratiam Imperatoris quæſituros pollicentur.* Pontifex etiam, ne diutiùs cædibus, rapinis & incendiis in perniciem urbis Romæ cum Anacleto certare cogeretur, urbe abiit, & Piſas conceſſit. *Baron.*

Ecclipſis Solis annotatur ab hiſtoricis, quæ in Flandria acciderit die 2. Auguſti, feriâ quarta, in meridie, & tanta fuit, ut ſtellæ videri potuerint; Accidit Brugis in Flandria, minutis 41. ante horam duodecimam, in meridie, Parallaxis latitud. 32, 20. *Latit. vera ſept.* 31, 41. *Viſa ſeptent.* 1, 21. *Semid. Solis* 15, 10 *Summa* 31, 16. *Scrup. reſidua* 29, 55. *Digiti ecclipt.* 11, 50. *Sol in* 16. *grad. Leonis.*

Lotharius Imp. Cnutum Ducem Slesvicenſem facit regem Vandalorum, & propterea, ut receſſus Imperatorum apud Goldaſtum habent, Innocentius Papa decernit, Epiſcopos in Dacia, Suecia, Norvegia, Gronlandia, Islandia, &c. dicto audientes eſſe debere Archiepiſcopo Hamburgenſi Alber-

Alberto: ſed hic Cnutus inſidiis Danorum interficitur, & trucidatur. Daniæ rex autem, ne bello petatur, promittit ſe futurum vaſallum Imper. & mulctam pro cæde ſoluturum. *Spang.*

Imp. Calo Johannes Cæſaream Cappadociæ obſidet, cui auxilio venit Comes Edeſſanus, & Princeps Antiochiæ: ſed cùm Princeps & Comes ludicra potius quàm bellum viderentur tractare, Imperator diſcedit, & Antiochiam venit cum Principe, quam ejecto principe univerſam ſibi retinuiſſet, niſi aſtu Comitis Edeſſani Antiochia exceſſiſſet. *Tyr.*

Annus Hegiræ 528. incipit die 1. Nov. fer. 4.

Theodoricus Comes Hollandiæ, mediâ hyeme expeditionem in Friſiam facit, eamque longè vaſtat, victorque revertitur: frater Theodorici ad Friſios deſciſcit, & Theodorico bellum infert: ſed Lotharius Imper. pacem inter eos conciliat. *Chron. Traj.*

ANNO MUNDI 5083. Poſt C. 1134.

G. ☉ 23. ☽ 14. *Ind.* 12.

Fridericus Suevus & Conradus in gratiam recipiuntur ab Imperatore Lothario, cùm ejus gratiam ſuppliciter petiiſſent. Factum Bambergæ, die 18. Martii, Dominica Oculi. *Annal. Suev.*

Lotharius in Paſchate Halberſteti regem Daniæ & ejus filium Magnum in tutelam recipit, qui & juramentum fidelitatis exhibuit, ſed idem paulò poſt in feſto Pentecoſtes à ſubditis trucidatur. Inde Lotharius Mersburgi filiam ſuam Gertrudem dat Henrico Duci Bavariæ, qui ſuperbus cognominatus eſt, cui dotis loco addidit Ducatum Saxoniæ, cùm filios non haberet. *Trith.*

Alfonſus rex Arragoniæ & Vaſconum 7. Sept. cum regnaſſet annis 30. in velitaria pugna à Mauris trucidatur, tricies hic cum Mauris præcipuè collatis ſignis pugnaverat, unde *Pugnacis* nomen obtinuerat. Succedit ipſi filius Ramirus Monachus, cujus initia non ſatis feliciter ſucceſſerunt. Nam Alfonſus Caſtellæ rex, Alfonſi demortui privignus, ipſi aliquot urbes eripuit, & inter alias etiam Cæſar-Auguſtam, quam tamen recipit; regnavit tantum annos 4. *Annal. Arra.*

Calendis Octobris mare fines egreſſum in Belgio, plurimum damni dedit, & magnam ejus partem inundavit. *Gemb.*

Annus Indorum 1216. & Hegiræ 529. incipit 21. Octob. fer. 1.

Rogerius, Siciliæ rex, infenſus Pontifici Innocentio, Beneventum, quæ à partibus ſtabat Innocentii, invadit, eam tandem occupat, & Capuam etiam & alias. *Baron.*

ANNO MUNDI 5084. Poſt C. 1135.

F. ☉ 24. ☽ 15. *Ind.* 13.

Princeps Damaſci moritur incunte anno: Sanguinus Turca ſuccedere conatur, Damaſceni implorant auxilium Falconis regis Hieroſolymitani, oblato ſtipendio, qui Turcis Cæſaream Philippi eripere conatus, eam obſidet Calendis Maji, & tandem deditione capit. *Tyr.*

Alfonſus Caſtellæ & Legionis rex, in feſto Pentecoſtes proclamatur & inauguratur ab Epiſcopo Toletano, juſſu Innocentii Pontificis, Imperator, magna injuria Imperatoris Germani. *Marian.*

Ingens ſiccitas hac æſtate: flumina navium capacia exaruerunt, & fomes, vel aliud igni concipiendo aptum, in terram delapſum, ſtatim ignem in quibusdam locis concepit. Avent.

Lotharius Moniales ex cœnobio Luthern expellit, & Benedicti ordinis monachos introducit, inſtauratq; illud, & appellat Königes Luthern.

Annus Indorum 1217. & Hegiræ 530. incipit 11. Octob. fer. 6.

Henricus Angliæ rex eſu murænarum febrim conciliat, qua moritur die 1. Dec. cum regnaſſet annis 35. & tribus menſibus. Ejus morte non mediocriter regnum turbatum eſt, cum deeſſet legitimus hæres: ſuccedit tamen *Stephanus* ex ſorore nepos, homo Gallus, qui coronatur die 22. Decemb. die Dominico. *Malmesb.*

Matthæus Pariſienſis dicit, cum Henricus rex moreretur, Lunam nunquam comparuiſſe: quibus verbis procul dubio eclipſin Lunæ totalem indicat. Ea accidit die 22. Decembris, fer. 1 hora 8. & undecim minutis poſt mediam noctem, eo ipſo die, quando Stephanus coronabatur. Initium eclipſis fuit horis 6. & 38. minutis poſt mediam noctem, tota Luna obſcurata eſt; poſt horam ſeptimam, & 19. minuta, Londini. Latitudo auſtralis tantum fuit 5,21. Semid. Lunæ 16,46. Summa ſemidiam. 60,6. ſcrup. reſidua 54,42. Sol in 7. gradu ferè capricorni, atq; ita Luna obſcurata oriente Sole videri non potuit. Regnavit autem Stephanus annis 18. Matth. Pariſ.

ANNO MUNDI 5085. Poſt C. 1136.

E D. ☉ 25. ☽ 16. *Ind.* 14.

Wilhelmus Comes Pictavienſis, dum peregrinatur Compoſtellam, moritur die Paraſceves ante Paſcha, nullam habebat prolem maſculam, ideò filiam majorem natu deſponderat Ludovico, Ludovici regis Galliæ filio, addita dotis loco Aquitania & Pictavia; minori dedit filiæ, quæ habuit in Burgundia. *Baron.*

Henricus, Marchio Oſterlandiæ, & Burggravius Magdeburgenſis, moritur Moguntiæ in publicis Comitiis. Lotharius Imperator dat Marchionatum illum *Conrado* Marchioni Miſniæ, Burggraviatum verò Magdeburgenſem dat Burchardo Comiti Querfurtenſi cognato. *Fab.*

Anno Hegir. 530. AVERROES Avicennæ æmulus ſcribit commentaria in Ariſtotelis libros de cœlo. *Marian.*

Lotharius Imp. tandem in Italiam proficiſcitur, & pervenit in Longobardiam, ubi adeò turbatas res invenit, ut ſe nec explicare, nec ad Pontificem venire hoc anno poſſet, etiamſi & literis & legatis evocaretur. Rogerius interim totam ferè Italiam occupaverat, *& plurimum affligebat Innocentii Papæ provincias, & cœnobium Caſſinenſe.* Baron.

Ludovicus Craſſus rex Galliæ, cùm annos triginta regnaſſet, moritur die 1. Auguſti: ſuccedit ipſi filius *Ludovicus*, qui ſeptimus ordine eſt, qui regnavit annis 44. *Baron.*

Annus Indorum 1218. & Hegiræ 531. incipit 29. Sept. fer. 3.

Annus Alexandr. 1448. & Antioch. 1185. Conſtantinop. 6645. incipit Cal. Octob.

Annus Nabonaſſaris 1885. & Philippi 1461. incipit 12. Novemb. fer. 2.

Leopoldus Marchio Auſtriæ, cùm cœnobium illuſtrè fundaſſet, & vetera inſtauraſſet, & quadraginta annis præfuiſſet, moritur die 15. Nov. Succedit

cedit ipſi Leopoldus junior, qui obtinuit Marchionatum annis ſex. *Cuſpin.*

ANNO MUNDI 5086. Poſt C. 1137.
C. ☉ 26. ☽ 17. *Ind.* 15.
Annus urbis 1889. *Julianus* 1128.
Æra Hiſpan. 1175. *Auguſtorum* 1164.
Annus Jezdegird. 506. *incipit* 10. *Febr. fer.* 4.
Armeniorum 586. *die* 13. *Febr. fer.* 7.
Annus 58. *Neurutz Gelali inc. ab æquinoctio Verno.*

Lotharius in Italia ſtatim primo vere in Apuliam movet, Rogerium Siculum ex Italia pellit, Barenſe caſtrum quadraginta diebus obſeſſum expugnat, quingentos milites captos ibi ſuſpendit; inde Salernum occupat, & alias urbes, & in Apulia reperit *leges Romanas*, quas Piſapis donat, jubetq; ut explicentur, & jus in Romano imperio ſecundum eas dicatur. Hi libri poſtea Florentiam in bibliothecam Mediceam tranſlati ſunt.

Aſcalon urbs in Palæſtina receptaculum erat Saracenorum, & valde munitum: ex eo hoſtes deprædabantur totam Judæam. Fulco rex, ut tandem id expugnare poſſit, & commeatum intercludat, bina caſtra in propinquo ejus ædificat. *Tyr.*

Oldislebiæ in Thuringia lapis de cœlo cecidit, in forma & magnitudine capitis humani, qui longo tempore ibi conſervatus, & hominibus pro miraculo oſtenſus fuit. *Spang.*

Æſtas hujus anni ferventiſſima fuit, ideò multæ urbes exuſtæ, & inprimis Moguncia, Spira, Goslaria ferè eodem die. *Trith.*

Olympias 478. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1913.

Lotharius inchoat annum imp. 13. *Calo Johannes.*

Annus Diocletiani 854. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus Ind. 1219. *& Hegira* 532. *incipit die* 19. *Sept. fer.* 1.

Stephanus Angliæ rex, bellum gerit in Normannia cum Duce Andegavenſi; ſed viribus ferè ſuccumbit, ideò intervenientibus aliis pax componitur, ſi Stephanus Andegavenſi quotannis ex Angliæ regno pendat quinque millia marcarum. *Pariſ.*

Rogerius *rex Siciliæ, cum audiret Lotharium Imperatorem abitum ex Italia parare, & jam in Longobardiam tranſiiſſe, Ranulphum, quem Papa & Imperator Ducem Apuliæ fecerant, bello aggreditur, ſed fortiſſimè repellitur: ideò claſſe circumvectus maritima affligit, inde majoribus viribus auctus, etiam Beneventum Pontifici eripit.* Baron.

Lotharius II. *cum jam in itinere eſſet in Germaniam, & Tridentum veniſſet, morbo corripitur, moriturq; ibi die 6 Decemb. die Nicolai, cum ſeſquianno ſpatio in Italia fuiſſet. Ejus cadaver in Germaniam deportatur, ſepeliturq; propè Brunſvicum in monaſterio, quod inſtaurarat,* Königs Luthern. *Imperavit feliciter annis* 12. *Succedit ipſi ſequenti anno Conradus Dux Sueviæ. Lotharius dicitur urbem* Chemnitium *in Miſnia ædificaſſe.* Spang.

ANNO MUNDI 5087. *Poſt* C. 1138.
B. ☉ 27. ☽ 18. *Ind.* 1.

Anacletus Papa, cùm annos octo ferè ſediſſet in ſchiſmate contra Innocentium, moritur 7. Januarii: Cardinales adjuvante Rogerio Siciliæ rege, eligunt alium contra Innocentium, quem Victorem IV. appellant. Sed Cardinales illi ſchiſmatici, ut Innocentio reconcilientur dant operam: ideò relictus Victor, ſe abdicat Dominica poſt Pentecoſten. *Bar.*

Principes *imperii conveniunt Confluentiæ, de electione Imperatoris novi acturi; ibi annitente Alberto Trevirenſi Archiepiſcopo,* Conradus *Dux Sueviæ evehitur ad imperium, relicto Henrico ſuperbo, Duce Bavariæ & Saxoniæ, qui tamen erat gener Lotharii, & habebat regalia: Hinc magni motus in imperio exorti. Henricus enim regalia retinet, ideo citatur primum Bambergam, ut ſe Imperatori ſiſtat, inde die 29. Junii Ratisbonam, ubi quidem comparuit, & regalia reddidit, actioni reliquæ prolongatur dies, & cum quæ ad imperium in Italia & Germania pertinebant, reddere nollet, proſcribitur, & Ducatus Saxoniæ datur Alberto Urſo Marchioni Brandeburgenſi, & Noricum cum Bavaria datur Leopoldo Auſtriaco: Conradus imperat annos* 14. Friſ.

David Scotorum rex, irruens in Northumbriam & Angliam, crudeliter omnia vaſtat cædibus & incendiis. Stephanus rex Angliæ fortiter ſe opponit, ſed interim rebellio oritur in Anglia contra regem: Igitur Stephanus omiſſo externo hoſte inteſtinum bellum componit. Scotus ipſum ſequitur, & multo atrocius Angliam vaſtat: ſed rex Stephanus cum prælio vincit, ubi 11000. Scotorum cæſa dicuntur, & eum Anglia ejicit. *Pariſ.*

Annus Jud. 1220. *& Hegiræ* 533. *inc.* 8. *Sept. fer.* 5.

Calo Johan. contra Mahumetem Turcam bellum gerit in Paphlagonia, ubi acie Emmanuel filius Imp. injuſſu patris temerè in hoſtes provehitur, quem quidem poſt prælium in præſentia exercitus laudavit, ſed abductum deinde ſeorſim in tabernaculum, pronum in terra jacentem pluribus verberibus affecit. *Nic.*

Fulco rex Hieroſolymis tertium caſtrum non longè ab Aſcalone in edito monte ædificat, & ſimiliter præſidiarios ibi collocat. *Tyr.*

Ranimirus, *rex Arragoniæ, cum quadriennium regnaſſet, & filiolam genuiſſet jam bimulam, pertæſus laborum regni, in cœnobium, unde evocatus fuerat, redit; filiolam tamen ſuam prius deſpondet Raimundo Berengario, Barcinonenſi Comiti, cui ſtatim regnum tradit, qui regnat annos* 28. Annal. Arrag.

ANNO MUNDI 5088. Poſt C. 1139.
A. ☉ 28. ☽ 19. *Ind.* 2.

Innocentius Papa Romæ celebrat Synodum Lateranenſem die 8. Apr. ubi Rogerium Siciliæ regem excommunicat, & prohibet, ne monachi regulares ſint ſimul cauſidici aut medici: prohibet enim monomachiam, & interfectis denegat ſepulturam. *Baron.*

Ranulphus, Dux Calabriæ & Apuliæ, qui acriter reſtiterat conatibus Rogerii, eumque ſæpius fugaverat, moritur ultimo Aprilis. Rogerius hoc audiens, ſtatim invadit Calabriam & Apuliam, nec eſt, qui ipſi reſiſtat, ideò omnia occupat. Innocentius Papa, qui eum nuper excommunicaverat, ipſe cum exercitu contra eum proficiſcitur, ſed inſidiis Rogerii intercipitur, & capitur 10. Julii. Agitur inde de pace, quæ conficitur die 25. Julii, & Rogerius ex communicatione ſolvitur, coronatur ab Innocentio, rex Siciliæ, & filius regis fit Dux Apuliæ & Calabriæ, accipitque ſimul Capuam. Inde Trojam veniens, ubi Ranulphus ſepultus fuerat, urbem introire non voluit, niſi Ducem ex ſepulchro extra civitatem deferrent, quod factum eſt, & cadaver crudeliſſimè tractatum, cùm terra rapere-

pararetur, & in ſtagnum abjiceretur, cujuſmodi crudelitatem apud Ethnicos vix invenias. *Baron.*

Alfonſus Comes Portugalliæ, die 25. Julii coronatur rex, & ſtatim die 27. Julii Mauros ingenti prælio vincit, & quinque regulorum ſignis potitur. Ex hac victoria quinque ſcutula in inſignibus Portugallenſibus. Poſt victoriam multas urbes Mauris eripuit. *Marian.*

Albertus Urſus potitus potitus Saxoniâ, urbes in inferiori Saxonia occupat, Barduvvicum, Bremam, & caſtrum Luneburgum: interim Henricus ex Bavaria profugus, in Saxoniam venit, à quibus benignè ſuſcipitur, & auxiliis juvatur, & Albertum Urſum totâ ſua ditione pellit, qui ad Imperatorem fugit. Sed Henricus mœrore animi moritur die 19. Sept. cùm filium ſuum Saxonibus commendaſſet. Albertus tamen hoc modo ſuas ditiones recipit. *Abb. Sladenſ.*

Conradus Imp. priusquam Henricus moreretur, ipſi inſtructio auxilis Saxonum & Palatini ad Rhenum, cum exercitu in Thuringia occurrerat: ſed prudentiſſimus Imperator, nec vires imperii inteſtino bello attererentur, ipſe hoſti offert conditiones pacis. *Spang.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei 22. incipit die 28. Aug fer. 2. Anno Jud. 4900.

Annus Judæorum 1221. & Hegira 534. incipit eodem die.

Stephanus rex Angliæ Scotum ulterius bello perſequitur, & in Scotiam expeditionem facit, Scotumque cogit, ut ſe Vaſallum regis Angliæ faceret, inque id dedit obſidem filium. *Rog.*

Boleslaus Poloniæ Dux, cùm quadragies ſepties victor fuiſſet, in prælio victus fuerat ſuperiori anno in Ruſſia: gregarii tamen militis operâ equum adducentis morti eripitur, inde toto anno ægrotat, & filium Ladislaum ſucceſſorem facit, cùm regnaſſet annis 36. Ladislaus autem regnat annis ferè 7. *Hiſtor. Polon.*

Calo Johannes Imp. Conſtantinop. iterum Antiochiam verſus movet; ſed in itinere bini ejus filii moriuntur. Venit primùm ad Edeſſanos, & à Comite obſides exigit: inde Antiochiam pergit die 25. Septembris. Cùm verò parum proficeret, in Ciliciam in hyberna redit. *Tyr.*

Mathildis Henrici regis Angliæ quondam ſoror, in Angliam venit die 30. Septembris, comitata tantùm 540. militibus, quibus tantùm fidebat, ut regi indiceret bellum. Regnum enim ipſi potius debebatur, quàm ſororis defunctæ filio. *Malmesb.*

ANNO MUNDI 5089. Poſt C. 1140.

G F. ☉ 1. ☽ 1. *Ind.* 3.

Mathildis tandem exercitum accipit, quem adducit Robertus, Dux Gloceſtriæ, cognatus; congreſſus cum Stephano rege eum vincit, & lapidis ictu procumbentem capit die 2. Febr. inde Mathildis pro regina Angliæ ſuſcipitur. Contradicunt tamen Wintonienſis Epiſcopus & Londinienſis, qui contracto exercito bellum gerunt cum Mathilde & tandem die 14. Septemb. vincunt, & Robertum Gloceſtriæ Ducem capiunt, qui captivum habebat regem. Inde de compoſitione actum, & de permutatione captivorum, quod factum eſt die omnium Sanctorum, ubi ambo libertati reſtituuntur, & Stephanus paulatim vires ad recuperandum colligit. Malmesburienſis, qui vixit tum, hanc hiſtoriam collocat in ſequentem annum, cùm Dominica prima Quadrageſimæ eſſet die 16. Febr. Pariſienſis autem dicit, paucis diebus poſt captum regem, factam eſſe Eccliplin Solis: Id quod factum hoc anno. Conciliet, qui poteſt.

Ecclipſis ſolis annotata à multis hiſtoricis, accidit hoc anno die 20. Martii, fer. 4. horâ poſt merid. prima. & min. 47,42. Londini in Anglia. Parallaxis latitud. 35,36. Latit. vera Sept. 33,58. Viſa 1, 38. auſtr. ſemid. Solis 15,27. Summa 31,37. ſcrup. reſidua 29,59. Digiti ecclipticì 11,38. Sol. in 6.22. Arietis.

Henricus frater Ludovici regis Franciæ fit monachus Clarevallenſis, qui non diu poſt fit Epiſcopus Beluacenſis. *Chron. Belg.*

Godefridus Dux Lotharingiæ, cùm annis undecim Ducatum gubernaſſet, moritur; Succedit filius Godefridus, qui præfuit tantùm annis quatuor. Eripuit Comiti Lymburgenſi oppidum Trudonis, & Civitatem Aquenſem. *Chron. Belg.*

Annus Indorum 1222. & Hegira 535. incipit 17. Aug. fer. 7.

Sileſia à Bohemis invaditur, ſed Sobeslaus Dux Bohemorum febre correptus, paulò poſt moritur. *Chron. Pol.* Videtur Sobeslao ſucceſſiſſe Ladislaus; quod ſi eſt, præfuit annis 34. & à Friderico Barbaroſſa creatur rex. *Dubrav.*

Conradus Imp. audiens, quæ Rogerius patraverat in Ducatu Apuliæ, exercitum congregat ad eum rurſus Ducatu ejiciendum. Sed innocentius Papa valde diſſuadet hoc Conrado: ideò omiſſa eſt hæc expeditio. Interim Leopoldus conatur occupare Bavariam, ſed Welpho, frater Henrici ſuperbi, hanc injuriam vindicaturus, vincit Leopoldum die 13. Auguſti. *Urſb.*

Annus Alexand. 1452. Antioch. 1189. Conſtantinopolit. 6619. incipit 1. Octobr.

Annus Nabonaſſar. 1889. & Philippi 1465. incipit 11. Novemb. fer. 2.

Fridericus Dux Sueviæ, auxilio advenit Leopoldo Auſtriaco, & Welphoni Duci Bavariæ occurrit propè oppidum Winſberg/ eumque vincit & trucidat. In hac pugna ſcribitur cognomina Welforum & Gibelinorum orta. Welphus enim Dux adjuvabatur ab Epiſcopis Saxoniæ, & aliis, qui ſimul Imperatori repugnabant. In pugna igitur congreſſi ipſius milites clamabant hie Welff/ Cæſariani contrà hie Weiblingen/ quod Conradus in eo caſtro natus & educatus fuiſſet. Itali inde vocabulum Weiblingen/ mutarunt in Gibelinorum nomen. *Nauclerus.* Poſt pugnam Conradus obſidet *Winsbergum*, quam quidem deditione capit, ſed adeò iratus ipſis fuit, ut omnibus viris in ea mortem minitaretur: fœminæ obtinent ab irato victore, ut liberæ abirent, ſumptis ſuis bonis, quæ aſportare poſſent. Fœminæ neglectis opibus ſuos viros humeris exportant, qua φιλοςοργίᾳ Conradus, etſi iratus eſt, ita motus eſt, ut & viros & bona ipſis concederet, *Trith.*

ANNO MUNDI 5090. Poſt C. 1141.

E ☉ 2. ☽ 2. *Ind.* 4.

Annus urbis 1893. *Julianus* 1186.

Æra Hiſpan. 1179. *Auguſtorum* 1168.

Annus Jezdeg. 510. incipit die 9. Febr. fer. 1.

Armen. 590. 12. Febr. fer. 2.

Annus Neurutz Gelali 62. incipit ab Æquinoctio verno.

In Italia ubique inter urbes diſſenſiones oriuntur. Lucenſes oppugnabant Piſanos in Thuſcia: Paravini contra in Longobardia oppugnabant Veronenſes: Mediolanenſes implacabili odio Comenſes perdere conabantur: Sic Tiburtini Romanis obedire nolebant, inde factum ut itinera eſſent infeſtiſſima, vel à latronibus vel à militibus, ita ut Romam nemo ferè adire poſſet. Romani contra Tiburtinos egreſſi, turpiter vincuntur, & in urbem rediguntur. Papa igitur ipſe colligit exercitum, & Tibur obſidet, & ad deditionem cogit. Hâc victoriâ Romani efferati, de reſtituenda republ. in antiquum ſtatum conſilia agitant, ita ut ſint bini Conſules, Prætores item & trecenti Senatores. Sed Papa ipſis reſiſtit. Duravit tamen hæc concertatio uſque ad Pontificis obitum. *Bar.*

Henricus *Marchio Brandenburgenſis ſine liberis obit, cujus ditionem Imp. Conradus dedit in feudum Alberto Comiti de* Solwedel. Trith.

Olympias 479. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1917.

Conradus incipit annum imperii 4. menſe Martio. Calo Johan. 24. in Auguſto.

Annus Indorum 1223. & Hegiræ 536. incipit die 6. Aug. fer. 4. Diocletiani 858. incipit 29. Auguſti.

Fulco rex Hieroſolymis, dum leporem in cautiùs propè Ptolemaidem inſequitur, cum equo corruit, & capite ad ſaxum afflicto moritur die 13. Novembris: Succedit ipſi filius *Balduinus*, puer annorum tredecim, qui coronatur die 25. *Decembris*, regnavitque annis viginti. *Tyr.*

Mathildis *regina in Anglia obſidetur menſe Novembri, Oxoniæ à Stephano rege, quæ derelicta à ſuis, ne dederetur Stephano, circa feſtum nativitatis Chriſti, cum profunda nix ceci diſſet, noctè veſtibus albis cum ſuis induta, evadit.* Pariſ.

ANNO MUNDI 5091. Poſt C. 1142.

D. ☉ 3. ☽ 3. *Ind.* 5.

Innocentius Papa in Galliis facit Petrum quendam Epiſcopum Bituricenſem, inſcio rege Ludovico, & præter Ludovici voluntatem, unde ingentes turbæ in regno Galliæ ortæ, & Epiſcopus ille à rege Epiſcopatu pellitur, & alii Epiſcopatus, qui non conſentiebant regi, vaſtantur. *Bar.*

Leopoldus Dux Auſtriæ, cum ferè toto quadriennio occupatus fuiſſet in occupando Ducatu Bavarico, & parum obtinuiſſet, moritur, cùm 6. annis Marchionatum adminiſtraſſet: ſuccedit ipſi frater Henricus, qui præeſt annis 35. *Cuſp.*

Francofurti ad Mœnum Comitia aguntur, in quibus ventilata fuit cauſa Henrici ſuperbi & ejus filii *Henrici*, & intercedentibus Saxonibus mitius cum ipſo actum eſt. Saxoniæ enim Ducatus Ipſi reſtitutus eſt, & Albertus Urſus abſtinere juſſus eſt inferiori Saxonia. Vidua autem Henrici ſuperbi nupſit *Henrico* Auſtriaco, atque ita Marchio Auſtriæ obtinuit Bavariam uxoris ſuæ cauſa, *Trith.*

Annus Indorum 1224. & Hegiræ 537. incipit 26. Jul. fer. 1.

Sanguinus, *qui Ninivitarum princeps erat, Edeſſi obſidet, & diuturnâ obſidione fatigat, eamq; tandem expugnat, & crudeliter in victos ſævit.* Tyr.

ANNO MUNDI 5092. Poſt C. 1143.

C. ☉ 4. ☽ 4. *Ind.* 6.

Londini in Anglia concilium agitur, ubi ſancitur, quòd qui manus violentas clerico intulerit, abſolvi non poſſit niſi à Papa. *Baron.*

Ludovicus *rex Galliæ bellum infert Theobaldo Comiti, arcemque ejus obſedit, in cujus vicinia templum fuit, ubi cremata arce templum incenſum fuit, in quo perierunt ultra mille homines* Baron.

Calo Johannes, *cùm in venatione paucis diebus poſt Paſcha aprum gladio trajiceret, caſu evertit ſagittas ſuas veneno infectas, ſeque in manu lædit: quo facto nulla medicina adhiberi potuit: & ita mortuus eſt abſens in Cicilia, facitque filium ſuum* Emanuelem *ſucceſſorem, præterito Iſaacio, qui tamen natu major erat. Imperavit autem* Emanuel *annos 38. & aliquot menſes.*

Alchoranus, *qui liber eſt de religione Saracenorum, à Petro Cluniacenſi Abbate transfertur ex Arabica lingua in Latinam, ut ab ſurditas ejus magis eluceſceret, anno Hegiræ 537.* Chron. Belg.

Annus Indorum 1225. & Hegiræ 538. incipit 16. Julii, fer. 6.

Sanguinus *Turcarum princeps, cùm violentiæ non faceret modum, trucidatur: cui ſuccedit* Noradinus, *filius, patre longè deterior.* Tyr.

Romani Senatum urbis, ut quondam fuit, reſtituunt, voluntque Pontificem tantùm ſacra tractare. Innocentius Papa, cum vi reſiſtere non poſſet, mœrore animi moritur die 24. Septemb. cum ſediſſet annis 13. & menſibus ſeptem: ſuccedit ipſi eodē die, feſtinantibus Cardinalibus, ne ſeditio oriretur, Guido de caſtello, qui vocatus eſt *Celeſtinus II.* qui ſedit tantùm menſes quinque, dies 13. *Baron.*

ANNO MUNDI 5093. Poſt C. 1144.

BA. ☉ 5. ☽ 5. *Ind.* 7.

Celeſtinus Papa, cùm ſediſſet menſibus quinque, moritur die 12. Martii: in ejus locum eligitur Gerardus Bononienſis, qui *Lucius* II. vocatus eſt, ſeditque menſibus undecim. *Baron.*

Emanuel *Imperat. Orient. legatos mittit in Germaniam ad Imperatorem Conradum, petitum ejus cognatam uxorem, eamque accipit regia ſtirpe ortam, & virtutibus eximiam; quæ cùm fucum omnem abominaretur, minus accepta fuit Imperatori, qui propterea vagas libidines ſecutus eſt.* Nicet.

Damaſcenus *quidam offert Balduino regi Boſram urbem, ſi eam accipere velit, item aliam, quæ ſibi unà cum Boſra credita fuerat: cui temerè fides adhibetur, & exercitus in infinita pericula conjicitur, ex quibus tamen patientia & fortitudine emergit.* Tyr.

Alphonſus Portugalliæ rex, pietatis ergò regnum ſuum vectigale facit Pontif. Rom. per legatos, oblato quotannis cenſu quatuor unciarum auri. *Bar.*

Annus Ind. 1226. & Heg. 539. incip. 4. Julii fer. 3.

Godefridus *Lotharing. Dux, cùm quatuor annis Ducatum feliciter adminiſtraſſet, moritur relicto filiolo anniculo Godefrido, cui Ducatum adminiſtravit annis 41. & Imp. ſtatim ipſi omnia privilegia confirmavit Dictus fuit Godfrid* in der Wiege. *Pancis enim rebus poſt parentis obitum, diuturna illa diſcordia inter Brabantinos & Grimbergenſes erupit in nervum, & triduano prælio congrediuntur, Ceſſit victoria Lotharingis ac Brabantinis, cùm Dux eorum infans in cunis vagiens, de arbore editiore dependens, appoſito vexillo Brabantinis animum adderet.* Chron. Belg.

Annus Alexandræus 1456. Antioch. 1193, Conſtantinop. 6653. incipit 1. Octob.

Annus

Annus Nabonaſſar. 1893. *& Philippi* 1469. *incipit* 10. *Nov. fer* 6.

Romani Cives ſenatum ad antiquam reipub. formam ordinant, & Patricium, qui Ducis loco ſit, ordinant, & à Pontifice regalia tam intra quam extra urbem repoſcunt, eumque more antiquorum ſacerdotum de decimis tantùm & de oblationibus ſuſtentari oportere ſanciunt. Scribunt etiam ad Conradum Imp. nunciantque, Pontificem cum Rogerio multa in perniciem imperii moliri, & multa, quæ imperii ſunt, Rogerio conceſſa, hortanturque ut Romam venire velit, & regiam ibi ædificare, ſe ipſius ſubditos futuros, & ulturos in Pontificibus injurias, quas Henricis Imperatoribus intuliſſent: ſed Conradus ipſis nihil reſpondet.

ANNO MUNDI 5094. Poſt C. 1145.
G. ☉ 6. ☽ 6. *Ind.* 8.

Annus urbis 1897. *Julianus* 1190.

Æra Hiſpan. 1183. *Auguſtorum* 1172.

Conradus Imper. inchoat annum imperii 8. *Emanuel* 3.

Annus Jezdegird. 514. *incipit die* 8. *Febr. fer.* 5. *Armeniorum* 594. *die* 11. *Febr. fer.* 1.

Annus Neurutz Gelali 66. *incipit ab Æquinoctio verno.*

Lucius II. Papa, cùm ſediſſet menſes 11. in ſeditione populi Romani incerto ictu lapide percutitur, ex quo ictu obit 28. Januar. Succedit Petrus Bernhardus Piſanus, qui appellatur *Eugenius* III. qui ſedit annos 8. & menſes 4. Propter ſeditiones Romanorum Romæ conſecrari non potuit, ſed id factum in monaſterio Parphenſi; inde abiit Viterbium. *At Populus Romanus irâ furens, abrogato præfecto urbis, quem Pontifex conſtituerat, Patritium ſui Senatûs conſtituunt, & ex ejus conſilio turres quaſdam & Cardinalium ædes ſubruunt, ut forma Roma antiqua aliquo modo appareret.* Friſ.

Marchio Stadenſis quædam donat Eccleſiæ Hamburgenſi, quam donationem Conradus Imper. hoc anno confirmat.

Ladislaus, Polonorum princeps fratribus infeſtus, eos patriâ exturbare conatur, & Poſnaniam obſidet aliquot menſibus; ſed cum ibidem ſecurius ageret, obruitur militibus à fratribus ſuis, & amittit caſtra cum omni commeatu, & nudus Cracoviam redit. *Hiſt. Pol.*

Emmanuel Imp. Inſulis triremes, quas quotannis Imperatori mittebant, conſilio Puzeni, qui totum imperium adminiſtrabat, remittit, & jubet pro triremibus aurum numerare; unde piratæ hâc occaſione exorti, mare infeſtum longo tempore habuerunt. *Niceta.*

Annus Indorum 1227. *& Hegira* 540. *incipit die* 23. *Junii, fer.* 7.

Olympias 480. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1921.

Annus Diocletiani 862. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Armeniorum legati, qui ex regno Hieroſolymitano ad Pontificem à Balduino miſſi erant, Viterbium veniunt, & petunt auxilium contra Turcas, cùm Comitatus Edeſſanus amiſſus ſit cum tribus Archiepiſcopatibus, qui tamen, dum legati abſunt, receptus fuerat. Papa promittit auxilium, & ſcribit ad Ludovicum Francorum regem, ut expeditionem ſuſcipiat, & pollicetur ipſi & omnibus cruce ſignatis remiſſionem peccatorum, libertatem ab uſuris, ſi quid fortè debent, defenſionem ſuorum bonorum & alia. *Armenii* conſulunt Papam de Sacramento Cœnæ, quum utantur in ea pane fermentato: item quòd feſtum Nativitatis Chriſti & Epiphanias celebrent eodem die &c. *Friſ.*

Eugenius Papa conſcripto exercitu Romanos ita bello premit, ut de conciliatione promitterent. Conſentiunt itaque ut Patriciatus abrogetur, & præfectus urbis à Pontifice reſtituatur. Ita Papa rediit in urbem, & Nativitatis feſtum ibi celebravit. *Friſing.*

ANNO MUNDI 5095. Poſt C. 1146.
F. ☉ 7. ☽ 7. *Ind.* 9.

Conradus Imp. incitatus literis Pont. Romani & Bernhardi Abbatis, comitia celebrat, in quibus profitetur, ſe ſequenti anno expeditionem ſuſcepturum in Palæſtinam, hortaturque principes imperii, ut ſocii velint eſſe hujus expeditionis, & ſuos ſubditos ad tam pium opus excitare. Idem agitur Carneti in Galliis, ubi juſſu regis, Dominicâ tertia poſt Paſcha Status convenerunt, ubi præſens fuit Bernhardus, & Status ad hanc expeditionem exhortatus eſt. *Baron.*

Papa Eugenius à ſeditioſis Romanis iterum ſua ſede pellitur; ſed abiit tantùm trans Tiberim in caſtrum ſancti Angeli, ubi hoc anno permanſit. *Friſ.*

Ingens gelu annotatur die 22. *Maji, fer.* 4. *Pent. quo & arbores & vites perierunt.* Annal. Suev.

Annus Indorum 1228. *& Hegira* 541. *incipit* 13. *Jun. fer.* 5.

Annus ſabbathicus ſeptimus Jobelei 22. *incipit die* 9. *Sept. fer.* 2. *Anno Jud.* 4907.

Imp. Conradus tantam peregrinationem ſuſcepturus, Rotvvila Judicium ſive Cameram imperii *inſtituit, cujus præſides voluit eſſe Comites Sulzenſes, quod judicium diu in imperio floruit.* Annal. Suev.

Ladislaus Pol. princeps, cum ab injuriis fratrum non abſtineret, tandem à fratribus principatu pellitur, & in Germaniam aufugit ad Imp. affinem. Eundem ſequitur paulo poſt uxor, & ita cùm alia Conradus agere cogeretur, in exilio contabeſcit, cum annis ſeptem ferè præfuiſſet; ſuccedit ipſi frater *Boleslaus* qui annis 27. Polonis præeſt. *Hiſtor. Polon.*

ANNO MUNDI 5096. Poſt C. 1147.
E ☉ 8. ☽ 8. *Ind.* 10.

Pontifex Eugenius priore anno effecerat, ut expeditiones contra Saracenos & alias gentes non Chriſtianas inſtituerentur, ut religio Chriſtiana quàm latiſſimè propagaretur, prior in Syriam, altera in Hiſpanos Saracenos, tertia adverſus Vandalos. In Syriam abierunt Germani & Franci ſive Galli. *Conradus* Imp. collecto exercitu ducentorum millium, in quo ad ſeptuaginta millia erant equitum cataphractorum, iter ingreditur poſtridie Aſcenſionis Domini. Venit Conſtantinopolin ad affinem Emmanuelem Imperatorem die 7. Sept. ubi benevolè quidem verbis excipitur, ſed reipſa expertus eſt Emmanuelem hoſtem & proditorem

ditorem. Sic enim *Nicetas* Græcus Scriptor in vita ejus lib.1. affirmat: *Nullum malum, inquit, non machinatus eſt Emmanuel, vel machinandi autor fuit in eos, qui cum* Conrado *in Palæſtinam profecti ſunt, calcem farinæ admiſceri voluit, & ex improbo argento monetam cudi, qua venditurus aliquid Germanis daretur, & ubicunq; potuit, eos pecunia ſpoliavit multos etiam ex inſidiis interfecit. Ferum rerum venalium ita præbuit, ut cives urbes clauderent, & de mœnibus in corbibus pecuniam attraherent, darentq; poſtea ſumma cum injuria vel nihil vel quantum liberet. Inde Emmanuel prodidit Turcis omnia Conradi conſilia, addidit Conrado Duces, qui ipſum in avia loca, & inſidiis opportuna deducerent, & menſe Novemb. propè Iconium noſtri ingenti clade à Turcis afficiuntur, ita ut vix decima pars inde Conſtantinopolin reverteretur, & Turci ingenti præda potiti ſunt. Rex Francorum, qui Dominica ſecunda poſt Pentecoſten iter ingreſſus erat, ſeriùs Conſtantinopolin venit, & tutiore itinere per Aſiam minorem Epheſum venit, ſed variis tamen modis cum Turcis conflictatus eſt, non tamen tantâ clade.* Nicet.

In Hiſpanica expeditione militârunt rex Ericus Daniæ, Epiſcopus Bremenſis, Burgundus, comes Flandriæ Theodoricus, qui potiſſimam exercitus partem duxit cum multis Lotharingis & Anglis: ſolverunt ex Anglia die 12. Aprilis, venerunt in Hiſpaniam die 28. Junii, ubi obſident *Ulyſbonum*, quæ erepta eſt ex ſervitute Maurorum poſt quinq; menſium obſidionem, 25. Octob. eaq; data Alfonſo regi Hiſpaniæ. Corduba enim recepta eſt & Almeria, ſed hasce poſt abitum claſſis noſtræ Mauri receperunt, & claſſis in Hiſp. hybernavit.

In expeditione Vandalica, cui Papa ſignum dederat, crucem in globo rotundo erecto, Dux fuit Archiep. Magdeburgenſis, Dani & alii. Bellum ita geſtum fuit, ut induſtria & celeritate conſiliorum Nicloti Sclavorum principis noſtri multum vincerentur, obſidione tamen & expugnatione urbium eò redacti ſunt, ut promitterent, ſe religionem Chriſtianam recepturos, & pacem cum Saxonibus & aliis viciniſ culturos *Spang.*

Annus Indorum 1229. & Hegira 542. incipit 2. Junii, fer.2.

Ecclipſis Solis annotatur hoc anno poſt abitum Conradi in Palæſtinam à Scriptoribus Germanicis, quæ acciderit die 26. Octob. fer.1. hora quarta diei, eaque ita invenitur: nam accidit eodem die, horâ una & minutis 40,50. *antemeridiem. Parallaxis latitud. fuit* 42,17. *Latitud. Septent. vera* 42,41. *Viſa* 0,24. *Semidiam. Solis* 15,48. *Summa Semidiam.* 30,53. *Scrup. reſiduæ* 30,28. *Digiti ecliptici* 11,41. *Sol in gradu* 19. *Scorp.*

ANNO MUNDI 5097. Poſt C. 1148.

DC. ☉ 9. ☽ 9. *Ind.* 11.

Rogerius *Apuliæ & Siciliæ rex, paulò poſt Conradi tranſitum, cùm audiviſſet noſtros adeo indignè ab* Emmanuele *tractari, expeditionem in Corcyram inſtituit, eam occupat & omnem Græciam depopulatur, & infinita prædâ potitur.* Emmanuel *hæc audiens menſe Februario* jubet monachos & clericos pro ſe orare, *datque ipſis privilegium, quod* Medicamentum *voluit appellari, in quo concedit monachis habere latifundia; inde claſſe parata Corcyram tres menſes oppugnat, ubi multiplici clade affectus eſt, tandem tamen arcem, cùm famem metuerent, deditione capit: Inde in Siciliam navigare conatus eſt, ſed tempeſtatibus impeditus in Serviam abiit, ubi aliquantulum præda nactus eſt.* Nic.

Conradus Imp. & Ludovicus rex, cùm viderent ſe terra in Palæſtinam venire non poſſe, claſſes comparant, & Ludovicus propè Antiochiam venit, media Quadrageſima Dominicâ Palmarum Hieroſolymis fuit, eò venit etiam Conradus. Ibi concilia agitantur de amplificando regno Hieroſolymitano, & concluditur, Damaſcum regno adjiciendam. Ad eam obſidendam proficiſcuntur menſe Majo, quo tempore advenerunt etiam Theodoricus, Comes Flandriæ, & alii. *Tyr.*

Eugenius Papa, cùm vix tutus eſſet Romæ, in Gallias abierat ſuperiori anno, & hoc anno 22. Martii celebrat concilium Rhemis, ubi Hæreticus quidam vel potius fatuus, qui ſe Chriſtum eſſe dicebat, & in furca bifida ſuam potentiam demonſtrabat, damnatus eſt ad carceres, ubi primum memoriâ & poſtea vitâ privatus eſt. Conſtituti ſunt in eodem concilio plurimi canones de diſciplina Eccleſiaſtica. Et Bernhardus conqueritur, eos ſancitos eſſe quidem, ſed nunquam obſervatos, cùm nemo transgreſſoribus irrogaret pœnam. *Bar.*

Annus Indorum 1230. & Hegira 543. incipit 22. Maji, fer.7.

Dum obſident *Damaſcum*, priuſquam caperetur, diſputatur, cui accedere deberet Damaſcus ſi caperetur. Et Conradi, Ludovici, & aliorum, qui recens advenerant, ſententia erat, eam dandam Theodorico Comiti Flandriæ, tum Imperator, & rex in Europam ſint reverſuri. Sed veterani in Syria eam potius non capi volebant, quàm captâ carere: qua diſcordia intellecta obſeſſi veteranos pecuniâ corrumpunt, qui poſtea exercitum ab ea urbis parte, ubi capi poterat, abducunt ad aliam partem, ubi urbs firmiſſima erat, & obſidentes multum lædi poterant. Hoc videntes Imperator, & rex, & alii, obſidionem ſolvunt, & in Europam redeunt, & Ludovicus rex dum redit, in Græcorum naves incidit, à quibus capitur, & rectâ Conſtantinopolin ad Emmanuelem ducitur. Forte fortunâ eo loci vagatur claſſis Rogerii rege Siculi, quæ ſuburbia Conſtantinopolis deprædata fuerat, cujus Dux Gregorius Græcos invadit, & devictis Græcis regem invenit, liberat, & ſecum in Siciliam abducit; unde Romam, & inde in regnum rediit. *Chron. Belg.*

Annus Alexandræus 1460. Antioch. 1197. & Conſtantin. 6657. incipit 1. Octob.

Annus Nabonaſſar. 1897. & Philippi 1473. incipit 9. Novemb. fer.3.

Claſſis Rogerii, dum ita inter Inſulas maris Ægæi vagatur, Chalcidem abit, ubi invenit *artifices conficiendi ſerici*, quos ſecum traduxit in Siciliam, & in Apuliam. *Annal. Suev.*

ANNO MUNDI 5098. Poſt C. 1149.

B. ☉ 10. ☽ 10. *Ind.* 12.

Annus urbis 1901. *Julianus* 1194.

Æra Hiſpan. 1187. *Auguſtorum* 1176.

Conradus Im. inchoat annum imperii 12. *Emmanuel.* 7.

Annus Jezdegird. 518. incipit 7. Febr. fer. 2. Armen. 598. 10. Febr. fer. 5.

Emmanuel Imperator, vere appetente Ducem Michaelem Palæologum, virum impigrum cum claſſe in Siciliam mittit, qui Italiam prius adit, & Ro-

& Rogerii copias fundit. Eodem tempore etiam expeditionem facit in Servios Imperator, eos fugat, & inde in Hungariam tranſcendit, eamque rege abſente vaſtat. *Nicet.*

Annus Indorum 1231. *& Hegira* 544. *incipit* 11. *Maji, fer.* 4.

Noradinus princeps Turcarum, cum videret Imperatorem cum rege receſſiſſe, Antiochiam invadit & eam obſidet. Raimundus princeps, qui tum aberat, exercitum colligit, ut obſidionem ſolvat, eoq; contendit; ſed cùm infirmior eſſet ab exercitu, à Noradino cæditur & trucidatur die 29. Junii. Noradinus perſequitur victoriam, omniaq; circa Antiochiam vaſtat. Cùm igitur Antiochenis nulla à Noradino quies eſſet, evocant Joſcelinum, ſed & hic in itinere poſitis à Noradino inſidiis intercipitur, & in vincula abducitur: Interim Hieroſolymis Balduinus cum matre diſceptat de regno, quæ particeps ejus eſſe volebat, & eam obſidet, deditamque à regno removet. *Tyrus.*

Olympias 481. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1925.

Anno Diocletiani 866. *incipit. die* 29. *Auguſti.*

Balduinus rex, ut magis Aſcalonitas coerceret, Gazam urbem reſtituit, & munit firmiſſimè, eamque Templariis defendendam concedit. *Tyr.*

Ludovicus Thuringiæ Landgravius, gener Lotharii Imper. à quo ad tantam dignitatem evectus fuerat, moritur; ſuccedit ipſi hoc anno filius *Ludovicus*, qui, quòd metueret ſuos quoſdam nobiles, quos arctiùs habebat, & propterea loricâ indutus ferè erat, *ferreus* appellatus eſt. Duxit hic Conradi Imper. filiam Juditam uxorem, & regnat annis 18. *Spang.*

ANNO MUNDI 5099. Poſt C. 1150.
A. ☉ 11. ☽ 11. *Ind.* 13.

Rogerius Siciliæ & Apuliæ rex reparat exercitum contra Græcos, cùm Palæologus à Ducatu ab Imperatore per invidiam remotus eſſet, & vincit Græcos prælio, ducesque capit. Emmanuel aliam claſſem inſtituit, ulturus hanc cladem, & ab Aſtrologis conſtitutâ felici horâ portu ſolvere jubet, quæ tamen nihilo felicius rem gerit: Dux enim ipſe capitur. Ideo Emmanuel inferior bello de pace legatos mittit. *Nicetas.*

Ecclipſis Lunæ annotatur, quæ acciderit horâ nonâ noctu in Quadrageſima, quæ invenitur die 15. *Martii, fer.* 4. *horis tribus poſt mediam noctem, atq; ita horâ nonâ noctis. Latitudo ejus vera eſt* 1.59. *merid. Semid. Lunæ* 16, 39. *Summa* 60, 7. *Scrup. reſid.* 58, 8. *Digiti ecclipt ici* 21, 0. *ferè. Sol in ſecundo ferè gradu Arietis.*

Theodoricus Flandriæ Comes ex Sacro bello reverſus, portionem ſacerrimi *Sanguinis* Chriſti ſecum reportavit, & Brugis in æde D. Baſilii collocavit. *Annal. Fland.*

Annus Indorum 1232. *& Hegira* 545. *incipit* 30. *April. fer.* 1.

Emmanuel Imp. cùm Antiochenus Comes interiiſſet, ſibi poſcit Comitatum, & aſſentitur *Balduinus* rex, cùm defendi non poſſet: ſed Noradinus annuo ſpatio totum Comitatum, in quo tres erant Archiepiſcopatus, ſibi ſubjicit, & Græcos expellit. *Tyr.*

Gaufridus *Comes Andegavenſis reddit filio Henrico Normanniam, idque contra voluntatem regis Ludovici, qui eodem tempore Leonoram conjugem, quæ in quarto gradu conſanguinitatis ſibi juncta, & ſecundum quoſdam adulterii ſuſpecta erat, dimittit, quam ducit Henricus Comes Normanniæ, & à rege repoſcit dotem, quam Leonora ad regem attulerat: Hinc bella inter Angliæ & Galliæ reges exitialia orta.* Pariſ.

Reatina *civitas longa obſidione à Rogerio ſede Siciliæ preſſa capitur & deſtruitur: paulò poſt moriuntur liberi regis Rogerii, tres filii & filia, remanetque unicus filius Wilhelmus.* Baron.

Conradi *Imperatoris filius unicus Henricus moritur.*

Dodechinus presbyter, Cum Conrado Imp. in Palæſtinam profectus, & hiſtoriæ ejus autor, floret.

Rupertus Epiſcopus Lincolnienſis, qui ſcripſit de computo, de Sphæra, de Calendario, floret. *Trit.*

Anno Hegiræ 545. Almo hades interpretes *Alcorani* novi in Hiſpaniam venerunt, & novam quaſi religionem introduxerunt, neminemq; ſub ſe Chriſtianam religionem colere paſſi ſunt. *Mar.*

Garſias Vaſconum rex, equi caſu in venatione afflictus ad rupem moritur, cùm regnaſſet annos ferè 44. *Marian.*

ANNO MUNDI 5100. Poſt C. 1151.
G. ☉ 12. ☽ 12. *Ind.* 14.

Rogerius rex Siciliæ contra Saracenos in Africam movet, & planè feliciter contra eos præliatur: unde verſum hunc gladio ſuo inſculpi voluit.

Apulus & Calaber, Siculus mihi ſervit & Afer.

Annus Indorum 1233. *& Hegira* 546. *incipit* 20. *Aprilis, fer.* 6.

Archiepiſcopi duo primarii in Germania, Moguntinus & Colonienſis, citantur Romam ad dicendam cauſam. Ambo pecuniâ ſe onerant, cujus auxilio ſe liberari poſſe putabant. Sed Eugenius nulla accepta pecuniâ Colonienſem abſolvit, Moguntinus autem ampliatus eſt, & uterque ſuam pecuniam reportavit, quod valde miratur Bernhardus.

Hildegardis monialis nobilis, multa ſcripſit, quæ Eugenius Papa præſente Bernhardo approbavit. Hæc prædixit magnam aliquando religionis mutationem futuram. *Baronius.*

Ludovicus rex Galliæ, & Euſtachius regis Angliæ filius, magnum exercitum conſcribunt contra Henricum Normanniæ Ducem, eumq; Ducatu conatur dejicere. Sed Henricus cum parente Gaufrido non minorem exercitum collegit, quapropter conſilio procerum pax inita eſt, & Henricus fidelitatem de Ducatu Normanniæ regi juravit, & paulo poſt Gaufridus Andegavenſis, pater Henrici moritur, die 7. Septemb. *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5101. Poſt C. 1152.
FE. ☉ 13. ☽ 13. *Ind.* 15.

Conradus Imper. cum omnia præparaſſet, quæ ad iter Italicum facere videbantur, in morbum incidit, & moritur die 15. Februar. non ſine veneni ſuſpicione, per medicos Italos præbiti, quos

accerſiverat autore Rogerio Siciliæ rege, qui ſibi à Conrado metuebat, cum imperaſſet annnos 14. Cùm decumberet, cum principibus præſentibus deliberavit de futuro ſucceſſore, & præterito filio ſuo Friderico, ſuaſit, ut ſui fratris filium Fridericum, virum induſtrium, laboris patientem & ſapientem eligerent, quod & factum eſt, & *Fridericus Barbaroſſa* à ruffa barba, electus eſt die 4. Martii, feriâ tertia poſt Oculi Francofurti. Coronatur die 9. Martii, Dominica Lætare, Aquiſgrani. Imperavit annos 38. & menſes 3.

Frider. die 23. Martii Conſtantiæ, anno regni primo, indictione 15. fœdus init cum Pontifice Eugenio, quòd velit Romanos ſeditioſos compeſcere, & Græcos Italiâ pellere. Contrà Papa promittit, ſe Fridericum Imperatorem coronaturum, & auxilia ad Græcos Italiâ pellendos miſſurum. *Conſt. Imp.*

Annus Indorum 1234. & Hegira 547. incipit 8. Apr. fer. 3.

Menſe Septemb. Magdeburgi diſſenſio oritur, in Electione Archiepiſcopi: utraque pars provocat ad Imperatorem. Imperator, qui præſens aderat, cùm difficilis eſſet inter hoſce duos electio, propter æqualitatem votorum, ſuadet ut Epiſcopum Cizenſem, virum nobilem eligant, & obtinet: Ea de cauſa Eugenius Papa vehementer iratus fuit Imperatori. *Baron.*

Annus Alexand. 1464. Antioch. 1201. & Conſtantinopolit. 6661. incipit Calend. Octobr.

Annus Nabonaſſaris 1901. & Philippi 1477. incipit die 8. Nov. fer. 7.

Henricus Normannorum Dux, ut antiquum jus matris ſuæ in regno Angliæ urgeret; in Angliam navigat, & quædam caſtella contra regem occupat. Induciæ tamen fiunt inter regem & Ducem, & caſtella illa interim ſolo æquantur. *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5102. *Poſt C.* 1153.
D. ☉ 14. ☽ 8. *Ind.* 1.
Annus urbis 1905. *Julianus* 1198.
Æra Hiſpan. 1191. *Auguſtorum* 1108.

Annus Jezd. 522. *incipit 6. Feb. fer. 6. Armen.* 602. *9. Febr. fer. 2.*

Emmanuel Conſtant. Imperator inchoat annum imperii 11. *Fridericus* 2.

Annus Neuruz Gelali 74. incipit ab Æquinoctio verno.

Annus Indorum 1235. & Hegira 548. incipit 28. Martii, fer. 7.

Ecclipſis Solis annotatur ab hiſtoricis, & à quibuſdam aliis obſcurè, quando dicunt, mirabile quid accidiſſe in Sole, poſtridie converſionis D. Pauli. Sed fuit ecclipſis Solis, quæ accidit die 26. Jan. horâ una & min. 50. ante meridiem. Parallaxis latitud. fuit 48, 34. Latitudo vera 43, 24. Viſa auſtralis 5, 10. Semid. Solis 15, 51. Summa 30, 24. Scrup. reſidua 25, 14. Digiti ecclipticí 9, 34. Sol. in 13, 31. Aquarii.

Henricus Normanniæ Dux, Mathildis Imperatricis filius ineunte anno iterum trajicit in Angliam, eamque vaſtat tota æſtate crudeliſſimè, ita ut proceres regni de pace agendum ſtatuerint, quæ inita eſt tandem circa Decembrem hâc conditione, ut Henricus Dux à Stephano rege ſcriberetur ſucceſſor & hæres regni, atque ita bellum hoc, quod ſeptendecim annis, magnis utrinq; cladibus geſtum fuerat, depoſitum eſt. *Pariſ.*

Eugenius Papa, cùm ſediſſet annos octo, menſes quatuor, moritur die 8. Julii: eligitur in ipſius locum Conradus Cardinalis Sabinenſis, qui vocatus fuit *Anaſtaſius* IV. die 10. Julii, qui ſedit annum unum, menſes quatuor. *Baronius.*

Bernhardus monachus Clarevallenſis moritur menſe Auguſto. Fuit autor monaſteriorum ultra centum & ſexaginta: refertur poſt novem annos inter Sanctos à Pontifice Alexandro, quòd Apoſtolicam ſedem adeò defendiſſet. *Pet. de Natal.*

Olympias 482. incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus 1929.

Annus Diocletiani 870. incipit die 29. Auguſti.

Annus ſabbathicus primus Jobelei 23. incipit 21. Sept. fer. 2. Anno Jud. 4914.

David Scotorum rex cùm regnaſſet annos 29. moritur: ſuccedit ipſi nepos *Milcolumbus, qui regnat annos duodecim.* Buchan.

Landenſes & Papienſes in Italia legatos mittunt ad Imperatorem Fridericum, & conqueruntur de injuriis Mediolanenſium, & quòd de occupando regno Lombardico conſilia agitent.

ANNO MUNDI 5103. *Poſt C.* 1154.
C. ☉ 15. ☽ 15. *Ind.* 2.

Papa legatum mittit ineunte anno ad Magdeburgenſes propter electum Epiſcopum Wigmannum, ſed cùm ipſe Imperator Calendis Januarii adeſſet, legatus fruſtrà de removendo Wigmanno laboravit, & dum redit, in via defunctus eſt. Imperator verò ipſe legatum ad Pontificem miſit, qui impetravit Wigmanno pallium. *Friſ.*

Balduinus rex Hieroſolymitanus, die 25. Januarii Aſcalonem profectus, eam obſidet, & tandem, cùm eam menſibus quinque oppugnaſſet, ingens pars muri tormentis everſa eſt; quo facto *Templarii* primo in urbem irrumpunt, & aliquos ibi conſtituunt, ne reliqui ſimul irruant, ut Templarii potiſſimam occupent prædam. Sed Aſcalonitæ paucitatem eorum contemnentes, Templarios iſtos oppugnant, comprehendunt & trucidant. Deditur tamen poſtea urbs die 12. Auguſti, hâc conditione, ut incolæ ſalvis ſuis rebus abirent. Urbs ipſa datur Comiti Joppenſi. *Tyr.*

Annus Indorum 1236. & Hegira 549. incipit die 18. Martii.

Wilhelmus Epiſcopus Eboracenſis in Anglia, ſcelere ſuorum Clericorum veneno appoſito, & in ablutione calicis poſt celebratam Miſſam, ut moris, ex hauſto, interficitur. *Baron.*

Ecclipſis Lunæ indicatur, quæ accidere feria prima mane. Ea invenitur in die 27. Junii, feria prima, horis poſt mediam noctem 3, 20. Latitud. vera 14, 54. Semid. Lunæ 17, 45. Summa 65, 5. Scrup. reſidua 48, 11. Digiti ecclipt. 16, 17.

☞ *Calendis Octobr. hoc anno Sol toto die obſcuratus fuit, apparuitque ut Luna, quando ecclipſin patitur.* Ursberg.

Stephanus rex Angliæ moritur die 25. Octobr. cum regnaſſet annos 19. ſuccedit ipſi ex pacto Mathildis Imperatatricis filius *Henricus*, Comes Andegavenſis & Dux Normanniæ, qui in Angliam venit, die 7. Decemb. & die 19. Decemb. feriâ prima coronatur. Regnavit hic annos 34. menſes ſeptem, *Rogerius.*

Fride-

Fridericus Imp. cum ſeſe ad iter Italicum præparaſſet, & *Henrico* Duci Bavariæ & Saxoniæ ſpem feciſſet de Bavaria recuperanda, in Italiam abit, circa menſem Novembrem, & Placentiam obſidet, quam deditione capit. Inde in Mediolanenſes movet, eorumque ditiones vaſtat, & Ticin *Natalitia* celebrat. *Friſin.*

Anaſtaſius IV. Papa, cùm ſediſſet annum unum & menſes quatuor, moritur die 3. Decembr. Succedit ipſi Nicolaus natione Anglus, qui aliquot annis in Suecia docuerat, qui dictus fuit *Hadrianus IV.* & ſedit annos 4. menſes octo. *Onuff.*

ANNO MUNDI 5104. Poſt C. 1155.
B. ☉ 16. ☽ 16. *Ind.* 3.

Imperator *Fridericus*, cùm in Italia Dertonam tota hyeme uſq; ad Paſcha obſediſſet, tandem eam deditione accipit die 13. Aprilis, Dominicâ Jubilate. Inde Romam abit ad coronationem: Cùm verò *Pontifex* ipſi obviam veniret, cui equum aſcendenti Imperator ſtapedem tenere debebat; Imperator abſtinuit ſe ab hoc ſervili opere, ut Baronius habet: ob eam rem Papa Imperatorem ad oſculum admittere noluit. inde diſceptatio orta per integrum diem, & tandem cùm exemplum Lotharii proximi adduceretur, Imperator ſibi perſuaderi paſſus eſt, & ſtapedem ſequenti die tenuit. Inde coronatur die 18. Junii. In coronatione Imperatoris expertus eſt Romanorum ſeditionem, ſed ita repulſi ſunt, ut multi interficerentur. Inde æſtu ingruente Româ Imperator abiit, & Spoletum petiit, ubi non exceptus urbem oppugnavit, cepit, & ſolo æquavit. Veronenſes etiam in ſaltu copias ejus turbarunt, ſed pecuniâ ſatisfecerunt. *Friſin.*

Annus Indorum 1237. *& Hegira* 550. *incipit* 4. *Martii, fer.* 2.

VVilhelmus filius Rogerii Siciliæ regis, Pontificis Romani fines vaſtat, & multa occupat, Beneventum etiam obſidet. Papa cum ſuis viribus hoſtem non poſſet propellere, primùm ipſum excommunicat, deinde mittit legatos Conſtantinopolin, ut Emmanuel Siciliam invadat, qui hoc non abnuit, ſed poſcit à Pontifice in Italia tres urbes maritimas, ut ſedem habere poſſit. Tertio Papa ab Imperatore etiam poſcit auxilium. ſed quòd propter æſtum exercitus malè eſſet affectus, nihil impetrat. *Baron.*

Arnoldus quidam docuerat omnes ſacerdotes eſſe ſub magiſtratu publico, & proinde Pontificem Romanum etiam abſtinere debere à rebus politicis, & tantùm ſacris occupari: unde Romani commodi Senatum urbis, quæſtores, equites & alios ordines, ut ab antiquo fuerant, inſtaurant. Sed hic ab Imperatore capitur in Tuſcia, & Romam ad Pontificem mittitur, qui ipſum vivum exurit, & cineres ejus in Tiberim projicit. *Baron.*

Hoſpitalarii Hieroſolymis ſuperbire incipiunt, præclaras conſtruunt ædes, prædia emunt, decimas Epiſcopis dare nolunt, iisque multis modis ſunt moleſti. Patriarcha Hieroſolymitanus inſtructus teſtimoniis Epiſcoporum proficiſcitur in Italiam ad Pontificem, ubi tum fuerunt magni bellorum motus, ſed nihil impetrat, cùm omnia ab Hoſpitalariis pecuniâ corrupta eſſent. *Tyr.*

Godefridus *Dux Lotharingiæ in uxorem ducit Margaritam, filiam Henrici Comitis Limburgenſis, & ita tandem ſuum Ducatum tranquillè poſſidere incipit.* Monach. Valcell.

Dum abſens eſt Imperator in Italia, Germaniam turbat Hermannus Comes Palatinus, qui bellum infert Arnoldo Epiſcopo Moguntino, quem Imperator abſens præfecerat imperio. Sed dat pœnam poſtea turbatæ pacis publicæ. Trith.

Epiſcopatus, qui Oldenburgi fuerat hactenus, traducitur *Lubecam*, & Geroldus primus fuit ibi Epiſcopus. *Trith.*

Friſii in Hollandiam irruunt, eamque vaſtant. Harlemenſes in prædam eripiunt, & nongentos eorum occidunt. Traject.

ANNO MUNDI 5105. Poſt C. 1156.
AG. ☉ 17. ☽ 17. *Ind.* 4.

In initio anni Wormatiæ Comitia aguntur, in quibus diſceptatur cauſa de vi publica Hermanni Palatini, qui condemnatur, & Spiræ Nemetum in præſentia totius ſenatus imperii, cum auxiliaribus ſuis octo Comitibus, canem ferre coactus eſt. Otto Friſ.

Annus Indorum 1238. *Hegira* 551. *incipit* 23. *Februarii, fer.* 6.

Wilhelmus *Siciliæ rex, cùm technas Pontificis in concitandis ſibi hoſtibus intellexiſſet, & ipſe ſeſe ad bellum exercet, & Græcos, qui jam quædam in Apulia occuparant, prælio vincit, & omnibus eorum theſauris potitur.* Inde capit Pontificem ipſum: Pontifex contra, ut ſe liberaret, cum Wilhelmo in gratiam redit inſciis ſociis belli, quos excitaverat, quorum quidam poſt à Wilhelmo capti, & excæcati fuerunt, & multa dat VVilhelmo privilegia, ſibi & ſedi Pontificiæ pernicioſa; unde diſſenſio inter Cardinales orta, quorum quidam auro Siculo corrupti, factum Pontificis approbarunt, aliqui ſinceriores contradixerunt, & auxilium Imperatoris implorarunt. *Baron.*

Conradus *Marchio Miſnenſis, cum annis* 29. *præfuiſſet, moritur; ſuccedit ipſi filius* Otto *cognomento* dives, *propter metalla, quæ tempore ipſius effodiebantur, qui præfuit annis* 33. Fab.

Fridericus *Imp. autore Pontifice dimiſerat conjugem, propter cognationem. Hoc anno ducit Beatricem filiam Ducis Burgundiæ, cum qua poſt ſoceri obitum Burgundiam accepit.* Friſ.

Calipha Ægypti in Ægypto trucidatus fuerat, *Noſeredinus* autor cædis à Templariis comprehenſus in vinculis habitus fuit, ubi ſpe liberationis diſcit latinam linguam, & promittit ſe Chriſtianum futurum; ſed Ægyptii, ne dimittatur ita; plurimum pecuniæ Templariis offerunt, quâ accepta ipſe Ægyptiis excruciandus traditur. *Tyr.*

Reinaldus princeps Antiochiæ, promiſſis Imperatoris Conſtantinopolitani inductus, latrones è Cilicia ejecerat. Sed cùm Imperator nihil præſtaret, nec ſumptus redderet, Cyprum Inſulam invadit, eam ſpoliat, & prædâ dives Antiochiam redit. *Tyr.*

Fridericus Imperator curiam Ratisbonæ habet menſe Septembri, ubi Ducatum Bavariæ Henrico Duci Saxoniæ reſtituit. & ne Marchio Auſtriæ Duci Bavariæ ſubjectus eſſet, Marchionem creat Ducem, & aliquam partem Bavariæ ipſi concedit, & ut Patruus Henrici VVelpho etiam ali-

quid haberet, ipſi Imperator quædam in Italia concedit. *Cuſp.*

*Annus Alexandr.*1468. *Antioch.*1205. *Conſtant.* 6665. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Nabonaſſaris 1905. *& Philippi* 1481. *incipit* 7. *Novembr. fer.*4.

Balduinus rex conceſſerat Turcis paſcua propè Cæſaream Philippi, & paulò poſt hoſtiliter eos invadit, & magna prædâ potitur: *Noradinus* propter hanc injuriam obſidet Cæſaream, ſed repellitur à Balduino, inde tamen Balduinus in inſidias præcipitatus multos principes amittit. *Tyrius.*

Vandali *improviſò Brandeburgum invadunt, eamque urbem capiunt.* Spangenb.

ANNO MUNDI 5106. Poſt C. 1175.
F.☉18. ☽18. *Ind.* 5.
Annus urbis 1909. *Julianus* 120:.
Æra Hiſp. 1195. *Auguſtorum* 1184.

Annus Jezdegird 526. *incipit die* 5. *Febr. fer.* 3. *Armen.*606. 8. *Febr. fer.* 6.

Annus Ind. 1239. *& Hegira* 552. *incipit* 13. *Febr. fer.*4. *Neurutz Gelali* 78. *ab Æquinoctio.*

Fridericus inchoat annum imperii 6. *Emmanuel.* 15.

Albertus Urſus Marchio-Brandeburgenſis contra Vandalos exercitum colligit, adjuvante inprimis Wigmanno Archiepiſcopo Magdeburgenſi, & poſt aliquot menſium obſidionem Brandeburgum recuperat, die undecimo Junii. *Spangenberg.*

Imperator *Fridericus* in Poloniam movet. Ladislaus olim rex Poloniæ, gener Henrici quinti Imperatoris, pulſus jam dudum erat à fratribus: hunc in Poloniam recipi volebat Imperator & annuum tributum ſolvi: cùm neutrum fieret, eò proficiſcitur, comitante Wenceslao Bohemo. Et etiamſi Polonus ſuam ditionem ipſe vaſtaverat, ne Imperator commeatum haberet, tamen perventum eſt in mediam Poloniam, & omnia crudeliſſimè vaſtata ſunt, donec ſupplicanti Polono, & omnia promittenti, & mulctam ſolventi, pax daretur. *Spangenb.*

Noradinus Princeps Damaſci iterum Cæſaream Philippi oppugnat, ſed fortiter inde rejicitur, & in morbum incidit. Noſtri interim Cæſaream ad Libanum ſitam expugnant, opera in primis Comitis Flandriæ. Interim Noradinus convaleſcit, & in ipſum regnum Balduini irruit, unde rex coactus aſſumpto Comite Flandrenſi exercitum fortem ipſi opponit, & pugnat cum eo propè Jordanem, & egregia victoriâ potitur, die 15. Julii. *Tyr.*

Olympias 483. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1933.

Annus Diocletiani 874. *incipit* 29. *Auguſti.*

*Horrendi terræmotus fuerunt hoc anno in Syria, propè Damaſcum, item aliis in locis: in Catanenſium urbe dicuntur viginti millia hominum periiſſe anno Heg.*552. Zacuth.

Alfonſus *Imperator Hiſpaniæ moritur die* 21. *Auguſti, cùm regnaſſet in una ſumma annis* 35. *ſuccedit ipſi in Caſtellano regno filius* Sanctius, *ſed qui tantùm anni ſpatio regnavit.* Marian. Ferdinandus *vero frater obtinuit Legionis & Gallaciæ regnum, cui præfuit annis* 53.

Diſſenſio inter Imperatorem & Pontificem oritur hac de cauſa: Romani affirmare ſolebant, imperium urbis & regnum Longobardorum donatione Pontificum Imperatores habere, atque ideò Lotharium Imperatorem pinxerant Pontifices in palatio Lateranenſi Romæ, ſubſcriptis verſiculis hiſce:

Rex venit ante fores jurans prius urbis honores.
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

fit Papæ, hoc eſt, fit Vaſallus Papæ, ut jam loquimur. Hanc picturam deleri volebat Fridericus: at hoc anno Papa ſcribit ad eundem, & inter alia ponit hæc verba, quòd Imperator cogitare debeat, Papam inſigne imperialis coronæ Imperatori contuliſſe, nec pœnitentiâ moveri, etiamſi majora beneficia ipſi conceſſiſſet, quibus verbis commotus, conqueritur apud ſtatus imperii de hac injuria: *A pictura cœpit*, inquit, *ad ſcripturam, pictura proceſſit, ſcriptura in Autoritatem prodire conatur.* Hoc ſe paſſurum negat, aut coronam ſimul cum vita poſiturum. Ideò etiam iter in Italiam accelerat, & præmittit Palatinum Comitem cum Cancellario. *Baronius.*

ANNO MUNDI 5107. Poſt C. 1158.
E. ☉19. ☽19. *Ind.* 6.

Annus Indorum 1240. *& Hegira* 553. *incipit* 2. *Febr. fer.* 1.

Fridericus *Imp. menſe Januario celebrat comitia Ratisbonæ, ubi* Wencealaum *Bohemiæ Ducem* creat Regem, *& Inſignia ei tribuit leonem album cum cauda bifurcata.* Trith.

Otto Friſingenſis Epiſcopus, filius Leopoldi Marchionis Auſtriæ, qui mortuus fuit anno 1136. & annales ſcripſit, moritur hoc anno. *Cuſpin.*

Henricus Angliæ rex, cùm Walliam ſuperiori anno ſibi ſubjeciſſet, filio ſuo Henrico filiam Ludovici Galliarum regis Margaretham deſponderi curat, & propterea ad regem Ludovicum Lutetias, proficiſcitur. *Pariſ.*

Sanctius Caſtellæ rex moritur ultimo Auguſti cùm regnaſſet annum unum, dies undecim: ſuccedit *Alfonſus*, puer quadriennis, qui regnavit annis 53. Hunc Ferdinandus Patruus rex Legionis intercipere conatus fuit, ſed ab Abulenſibus abductus & defenſus eſt, qui & propterea *Fidelium* titulo honorati ſunt. Ferdinandus tamen interea maximam partem Caſtellani regni occupavit: acceſſit præterea Sanctius Vaſconum rex hoſtis, qui plurima etiam ex regno eodem decerpſit. *Mariana.*

Fridericus cum magno exercitu in Italiam proficiſcitur. Papa ſibi metuens legatos ipſi obviam mittit, ſcribitque, ſe, quæ de beneficio collato dixerit, beneficii nomen non de feudo, ut uſitatum aliàs eſt, accipere, ſed tantùm de benefacto: nec ſe hæc velle, ut ignominiæ ſint imperio, & ſe petere reconciliationem, ideò pax facta. *Imperator autem convocavit in Longobardia Rencalia ad Padum proceres regni Longobardici, quibus jungi voluit quatuor Profeſſores juris celeberrimos: Inter quos fuit* Bulgarus & Martinus. *Hoſce nactus aliquando quæſivit, an non omnia in regno Lombardorum Imperatoris eſſent. Sed Bulgarus reſpondit, non omnia eſſe Imperatoris quoad proprietatem, ſed quemvis ſubditum habere ſuum, quod poſſideret.*

Marti-

Martinus verò contra ſtatuit, omnia eſſe Imperatoris atque ideò Martinus Imperatoris Palafredum ſive equum dono accepit. Convenerunt autem die 23. Novemb. & ex ſententia Juriſconſultorum & Statuum regni Longobardici regalia & leges ejus regni conſcripſerunt, & Friderico obtulerunt. Juraverunt etiam omnes Status fidelitatem Imperatori, & pacem inter ſe & Mediolanenſes promiſerunt, ſe aquilam Imperatoris turri impoſituros. Sed pax hæc nec ſeptem menſibus duravit, cùm Mediolanenſes Laudenſibus bellum inferrent. Radevicus.

ANNO MUNDI 5108. Poſt C. 1159.
D. ☉ 20. ☽ 1. *Ind.* 7.

Annus Indorum 1241. *& Hegira* 554. *incipit* 23. *Januarii. fer.* 6.

Papa hortantibus Cardinalibus Imperatori iterum ſeſe opponit, & acerbas ipſi literas mittit per tabellarium vulgarem. Inde Imperator ipſi reſcribit more antiquo, & ſuum nomen præponit, Papamq; ſingulari numero appellat. Papa exprobrat hoc Imperatori his verbis: *In literis,* inquit, *ad nos miſſis, nomen tuum noſtro proponis, in quo inſolentiæ ne dicam arrogantiæ notam incurris. Ab Epiſcopis homagium requiris, fidelitatem exigis, Cardinalibus noſtris miſſis non ſolùm Eccleſias ſed & civitates regni tui claudis. reſipiſce.* Cui reſpondet Fridericus: *Quicquid,* inquit, *Papatus veſter habet, id ex largitione Principum obtinet; unde cum Romano Pontifici ſcribimus, jure antiquo nomen præponimus; revolvite annales, & ſi legere neglexiſtis, quod aſſerimus, illic invenitur. Ab Epiſcopis autem jus regalia noſtra tenent, cur homagium & regalia Sacramenta non exigamus? Aut igitur regalia noſtra nobis dimittant; aut ſi hæc utilia judicaverint, quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari perſolvant. Cardinalibus veſtris clanſa ſunt Eccleſiæ, nec patent civitates; Quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores, non pacis corroboratores ſe pecuniæ raptores, non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores. Cùm autem viderimus eos, quales requirit Eccleſia, portantes pacem, illuminantes patriam, aſſiſtentes æquitati, neceſſariis ſtipendiis & commeatis eos ſuſtentare non differemus. &c.* Hinc Papa exacerbatus, ſcribit Mediolanenſibus & Cremenſibus, ut Imperatori rebellent. Cùm verò difficulter hæc facerent, cùm prætextum cauſæ non haberent, agunt cum Pontifice, ut Imperatorem excommunicet: Item ut Pontifice mortuo ex conjuratis Cardinalibus, alius Papa eligatur, qui excommunicationem continuet, & ut in hac cauſa Wilhelmus Siciliæ rex aſſumatur: quod Papa facit. & in defenſionem Italiæ evocat Siculum, miſſo Petri vexillo, ut habet *Monachus Valcellenſis.* & omnem Italiam ab obedientia Imperatoris abſolvit. Ideoque Mediolanenſes bellum incipiunt, ſuburbia ſua exſcindunt ipſi, & in *Feſto Pentecoſtes* Laudam urbem ſpoliant, & ſicarios Imperatori immittunt. Imperator quòd exercitu non magno inſtructus eſſet, Cremenſes primùm obſidet, quibus die 15. Julii Mediolanenſes auxilium ferunt, ſed ad internecionem ferè cæduntur, deinde obſidio duravit uſque ad ſequentem Januarium, & multæ utrinq; & illatæ & acceptæ clades, *Annal. Svev.*

Henricus Leo Saxoniæ & Bavariæ Dux plurimis victoriis potitur adverſus Vandalos Obetritos, & extorquet etiam Adolpho Lubecam civitatem.

Hadrianus Papa 31. Auguſti, fer. 2. muſcæ involatu in os ſub hauſtum aquæ ſuffocatur, cum ſediſſet annos 4. menſes novem: Tyrius habet, quòd anginâ mortuus ſit. Succedunt ipſi die 5. Septembris bini Pontifices in ſchiſmate, prior ex illa conjuratione Rolandus Bandinellus, qui *Alexander III.* vocatus eſt, ſeditque annos 22. alter Octavianus Romanus, qui *Victor IV.* nominatus eſt, & ſedet annis 4. & menſibus ſeptem. Imperator, cùm ab utraque parte appellaretur, ex tota Europa convocat Epiſcopos ineunte Januario ad concilium, jubetque utramque partem ſub ſalvo conductu cauſam ſuam coram Epiſcopis diſceptare. *Balduinus.*

Emmanuel Imperator præcipiti autumno in Ciliciam movet, ut eam ab Armeniis defendat, qui pleraſque ejus urbes ceperant. Ibi Antiochenus princeps, qui Cyprum ſpoliarat, recipitur in gratiam. Eodem proficiſcitur etiam Balduinus gener Imperatoris, & cum magna ſolennitate recipitur, qui etiam Armenios in gratiam collocat. *Tyr.*

ANNO MUNDI 5109. Poſt C. 1160.
CB. ☉ 21. ☽ 2. *Ind.* 8.

Annus Indorum 1242. *& Hegira* 555. *incipit* 11. *Januarii, fer.* 3.

Fridericus Imperator, cùm Cremam ſeptem menſibus obſediſſet, eam tandem deditione capit, & cùm clementiſſimus eſſet, omnes vivos dimittit, cum ſingulis veſtimentis, & urbem excindit. *Annal. Svev.*

Concilium, ut Fridericus voluerat, celebratur Papiæ in initio Februarii adfuerunt Archiepiſcopi & Epiſcopi 50. Abbates & alii innumeri. Imperator in primo conſeſſu omnes exhortatur ad diligentiſſimam controverſiæ hujus, uter eſſet verior Papa, meditationem & juſtam ſententiam, ac exiit. Rolandus citatus nunquam comparuit: ergò pronunciatum ſecundùm præſentem, & Victor IV. judicatur legitimus Papa, qui ſtatim 4. Februarii cum candelis ardentibus excommunicavit Alexandrum. Contrà Alexander die 28. Martii excommunicavit Victorem, & Imperatorem ſimul. *Annal. Svev.*

Waldenſes ſive pauperes de Lugduno, exoriuntur circa hæc tempora, autore Petro Waldenſi. Hi à Pontificibus exuri facultatibus extremam paupertatem ſubierunt, & victum ſuis manibus quærere coacti ſunt. Petrus hic ſacra Biblia dicitur in ſuam vernaculam linguam tranſtuliſſe. *Centur.*

Carmelitarum ordo in Palæſtina circa hoc tempus exortus in monte Carmelo, quibus habitus propheticus, & pallium verſicolor fuit. Hunc habitum poſtea ipſis Honorius Papa poſt ſexaginta ferè annos, ut luxurioſum, ademit. *Centur.*

Moguntini Epiſcopum ſuum die Johannis Baptiſtæ trucidant, inſepultum abjiciunt, ubi, cùm tribus diebus nudus jacuiſſet, tandem clam in templo ſepultus eſt. *Baron.*

Fridericus Mediolanenſes obſederat, ſed non erat ſatis firmus ab exercitu, nihilominus tamen eos die 6. Auguſti magna clade affecit: ſed non minore ipſe afficitur die 9. Auguſti, & etiam caſtra amittit. Quâ clade irritatus ſcribit in Germaniam, jubetque exercitum conſcribi, juratque ſeſe

Johannes Cremenſis Cardinalis mittitur à Pontifice Honorio, in Angliam, ut celebret concilium, quod actum eſt menſe Septembri. In eo promulgat, cœlibatum ſacerdotibus obſervandum, ubi inter cætera dixit, turpiſſimum eſſe à latere, ſcorti ſurgere, ad conficiendum corpus Domini. ſed eâ ipſa nocte, quæ promulgationem ſecuta eſt, ipſe apud ſcortum in lecto deprehenſus eſt. *Rogerius & alii.*

Balduinus *rex Hieroſolymis Saracenos vincit propè Antiochiam, & ex manubiis tantum ferè pecuniæ colligit, quantum Saracenis pro libertate pepigerat, atque ita redimit ſuam filiolam quinquennem: Inde etiam Ægyptios Saracenos inſtante hyeme vincit.* Tyr.

ANNO MUNDI 5075. Poſt C. 1126.
C. ☉15. ☽6. *Ind.* 4.

Annus Hegiræ 520. incipit 28. Jan. fer. 6.

Balduinus rex ſtatim ineunte anno movet contra Damaſcenos, eosque ancipiti prælio tandem vincit; inde cum Comite Tripolitano urbem quandam prope Apamiam expugnat, ultimo Martii. Claſſis etiam Ægyptiorum maritima vaſtavit hoc anno, ſed fortiſſimè repulſa eſt, & *Boamundus* Junior ex Apulia repetitum Ducatum avitum Antiochenum in Palæſtinam venit, cui Balduinus Ducatum reſtituit, & inſuper filiam ſuam ipſi in matrimonium collocat. *Tyr.*

Otto Moraviæ Dux putabat Ducatum Bohemiæ ad ſe pertinere, atque ideo ad Imperatorem Lotharium veniebat, petebatque ſe Ducem Bohemiæ creari, & in Ducatum cum exercitu deduci: quod & impetrat, ſed Sobeslaus Dux arboribus cæſis omnes vias impediverat, quas cùm Imperator purgare vellet, obruitur à Bohemis, & non exigua clade afficitur; cecidit Moraviæ Dux & multi alii; pax tamen tandem conficitur, cùm Sobeslaus Dux promitteret *Lothario* auxilia contra Duces Sueviæ. *Truth.*

Conradus *Dux Sueviæ putans imperium ad ſe pertinere, præcipuas urbes imperii in ſuam ditionem redigit, & præſidiis munit,* ut Ulmam, Noribergam, Auguſtam; *inde cum exercitu in Italiam proficiſcitur, & Mediolani coronatur rex Longobardiæ, ſed cùm Pontifex ipſum averſaretur, & conatus ejus impediret, re infectâ in Germaniam redit.* Spang.

Porta Cœnobium circa hæc tempora fundatum, ſed Smolnæ primum fuit. Inde commutatione per Udonem Epiſcopum Numburgenſem, qui filius fuit Ludovici Comitis Thuringiæ, qui ſaltu ſe carcere liberarat, factâ, paucis annis poſt ad Salam translatum eſt, indeq; in angulum vallis reductum: hodie ſchola illuſtris ibi habetur.

Ingens Fames *in Gallia & Flandria hoc anno fuit: Carolus Comes Flandriæ prohibuit cereviſiam coqui, & omnes canes in Flandria juſſit occidi, ne præriperetur hominibus frumentum.* Annal. Fland.

Caſſinenſe cœnobium & Cluniacenſe etiam ſeditionibus vaſtantur, & ibi quidem bini erant electi Abbates, qui omnem theſaurum & dona cœnobio exhibita in milites effuderunt; Cluniacenſe verò à Pontio, olim ejus cœnobii monacho, conductis militibus vaſtatur. *Baron.*

ANNO MUNDI 5076. *Poſt C.* 1127.
B. ☉16. ☽ 7. *Ind.* 5.

Annus Hegiræ 521. incipit die 17. Jan. fer. 1.

Carolus Comes Flandriæ à quibusdam ſuis nobilibus perfidè Brugis in templo Donatiani inter orandum trucidatur fer. 3. poſt Reminiſcere, die 1. Martii, cùm rexiſſet Comitatum annis ferè 8. Succedit ipſi, Ludovici Francorum regis ope, Wilhelmus Normannus, Normannia pulſus. *Annal. Fland.* Eodem die Burgundi etiam Wilhelmum Ducem ſuum trucidant, qui liberos non habuerat: Ideò Imperator Lotharius eum Ducatum donat *Conrado* Domiti Zeringenſi. *Gemblac.*

Lotharius Imp. auxiliis accerſitis Sobeslai Ducis Bohemiæ, Norinbergam obſidet duobus menſibus, & viciniam crudeliſſimè vaſtat; ſed quod validum eſſet ibi præſidium Suevorum, re infecta diſcedere cogitur. *Annal. Suev.*

Epiſcopatus *Julini* in Pomerania à *Boleslao* Poloniæ rege, ſuaſu Ottonis Epiſcopi Bambergenſis, quem evocat, inſtituitur, confirmatur poſtea ab Innocentio poſt quadriennium: fuit autem tum florentiſſima civitas, viginti enim duo millia civium ab Ottone primum baptiſata eſſe ſcribuntur. Hodie oppidulum tantum eſt Wollin nomine, patria *Johannis Bugenhagii*, Paſtoris olim Witebergenſis. A Danis enim hæc urbs anno 1170. ſolo æquata fuit. *Chyt.*

Wilhelmus *Dux Apuliæ, cum annis 16. Ducatum rexiſſet, moritur die 26. Julii, cui ſuccedit* Rogerius *Comes Siciliæ, quem & hæredem ſcripſerat. Rogerius etiam juramentum fidelitatis ab Apulis exigit, ſed quoniam Ducatum, qui erat feudum Pontificis, à Pontifice non accepiſſet, bello eum perſequendum Pontifex ſtatuit, & omnes ſuos vaſallos convocat Beneventum: eò proficiſcitur & Rogerius & Beneventanos vaſtat.* Baron.

Concilium agitur Trecis in Gallia juſſu Pontificis, ubi nono anno poſt inſtitutionem ordo Templariorum confirmatur, & *Bernhardus* ipſis regulam præſcribit, & veſtitu albo ipſos à reliquis diſtinguit. Poſtmodum veſtitui huic albo addiderunt rubram crucem, poſt annos ferè viginti. *Baron.*

Conradus Marchio Landsbergi, profectus ad Lotharium Imp. & adjutus interceſſione Rigiſæ, uxoris Lotharii cognatæ ſuæ, obtinet Marchionatum Miſniæ & Comitatum Ilenburgicum, qui olim patri ſuo Thimoni ab Henrico IV. dati fuerant. *Fabr.*

Fulco Comes Andegavenſis peregrinatur Hieroſolymam, facitq; Gaufridum filium Ducem, cui rex Angliæ deſpondet Mathilden, Imperatoris Henrici defuncti filiam, quæ tres filios ipſi peperit, ex quibus unus factus eſt rex Angliæ. *Pariſ.*

Eboracum cœnobium in Franconia, ordinis Ciſtertienſis condi incipitur, ubi corda Epiſcoporum Wurtzenburgenſium ſepeliuntur, quatuor equis eo vehuntur, & ſunt in vitro concluſa, ut videri poſſint. *Cuſp.*

ANNO MUNDI 5077. Poſt C. 1128.
AG. ☉ 17. ☽ 8. *Ind.* 6.

Annus Hegiræ 522. incipit 6. Jan. fer. 6.

Rogerius

Rogerius Comes Siciliæ, in Apulia, quæ reſtabant, ſibi ſubjicit, Honorius Papa, collecto forti exercitu ex ſuis Vaſallis, eum perſequitur, & ex Apulia ejicere conatur. Sed Rogerius ſe in tutis locis continet, nec certamini ſe offert, donec exercitus Pontificis dilaberetur: inde inſequitur Pontificem, & obſidet Beneventi, ubi pax facta, & ille Pontifici homagium præſtitit: ſed pax hæc non diu duravit. Nam bis hoc anno Rogerius excommunicatus eſt, ſemel quòd ſe ducem eſſe aſſereret, quem titulum à Pontifice non acceperat, & deinde quòd ſuos Epiſcopos ex Sicilia Romam dimittere nollet. *Baron.*

Imp. Lotharius Epiſcopum Würtzburgenſem in integrum reſtituit, & Ducatum, quem Henricus V. ipſi eripuerat, & Conrado Duci Sueviæ dederat, reddit: inde abit obſeſſum Spiram, quam novem menſibus obſidione fatigat, & tandem deditione capit Moguntinus interim Epiſcopus & Magdeburgenſis *Nodgerus*, autor ordinis Præmonſtratenſium, Conradum excommunicant, *Spang.*

Theodoricus Elſatius, aſſumtis ſuis Germanis, & adjutus auxiliis Henrici regis Angliæ, Guilielmum Comitatu Flandrico ejicere conatur, ſed vincitur à Wilhelmo. Wilhelmus tamen leviter in pugna vulneratus ex eo moritur die 16. Auguſti, cum vix annuo ſpatio præfuiſſet. Succedit Theodoricus, qui præeſt Comitatui annis quadraginta. *Annal. Fland.*

Annus Alexand. 1440. *Antioch.* 1177. *& Conſtantinopolit.* 6637. *incipit Calend. Octobr.*

Annus Nabonaſſaris 1877. *& Philippi* 1453. *incipit die* 14. *Nov. fer.* 4.

Annus Hegiræ 523. *incipit die* 25. *Decemb.*

Johannes de temporibus, qui Caroli magni armiger fuerat, attigeratque annum ætatis trecenteſimum ſexageſimum primum, hoc anno ſcribitur mortuus à Nauclero, Martino Cramero, Vincentio & aliis.

ANNO MUNDI 5078. Poſt C. 1129.
F. ☉ 18. ☽ 9. *Ind.* 7.

Annus urbis 1881. *Julianus* 1174.
Æra Hiſpan. 1167. *Auguſtorum* 1157.

Annus Jezdegird 498. *incipit die* 12. *Febr. fer.* 3. *Armeniorum* 578. 15. *Febr. fer.* 6.

Meginerus, Archiepiſcopus Moguntinus, qui Conradum excommunicaverat, cum Romam ineunte vere tenderet, à Clericis ſuis proditus, à Conrado capitur, qui ipſi oculos erui juſſit, & in captivitate detinuit, uſque dum mortuus eſt primo die Octob.

Philippus. *Ludovici regis Francorum filius, Rhemis rex coronatur die* 14. *Aprilis die Paſchatis, ſed ſequenti anno ex equo præceps datus, qui interventu porci corruebat, corpore fracto expirat die* 13. *Octob.*

Lotharius Norinbergam & Ulmam deditione capit: idem Lotharius Spiram obſidet, ubi Conradus erat, die 15. Julii, quæ obſidio continuata eſt uſque ad 3. Januarii ſequentis anni.

Olympias 476. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1505.

Calo Johan. Imp. Orientis incipit annum imp. 12.

Lotharius quintum, menſe Auguſto.

Annus Diocletiani 846. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Godefridus *Lotharingiæ Dux, prælio decertat cum Epiſcopo Leodienſi ad Duracium, ceciderunt multi ex utraque parte, vicit Dux: accidit prælium die* 7. *Auguſti, fer.* 4.

Helinandus frigidi montis monachus Hiſtoricus floret. *Trith.*

Annus Hegiræ 524. *incipit die* 15. *Dec. fer.* 1.

ANNO MUNDI 5079. Poſt C. 1130.
E. ☉ 19. ☽ 10 *Ind.* 8.

Imperator cùm Spiram ſex menſibus obſediſſet, tandem bello finis imponitur die 3. Januarii. fer. 6. & Conradus ac Fridericus in gratiam recipiuntur. *Trith.*

Honorius II. Papa, cùm annos quinque ſediſſet, moritur die 17. Febr. De novo creando Pontifice Cardinales ita conſentiunt, ut eligatur in templo D. Marci. Sed populo tumultuante, qui pecunia corruptus erat, Cardinales in templum Marci venire non poſſunt, ideò conveniunt & eligunt Gregorium Cardinalem, quem vocant *Innocentium* II. Reliqui Cardinales conveniunt in templo D. Marci, & eligunt Petrum, Petri Leonis filium, potentiſſimum in urbe Roma, cumque nominant *Anacletum* II. atq; ita exortum eſt ſchiſma in Romana Eccleſia nefandiſſimum. Innocentius ſedit annos 13. menſes 7. Anacletus verò annos 7. menſes 9. Sed Anacletus, quòd potentia prævaleret, Innocentium urbe & Italia ejecit, & ad omnes Imperatorem, reges, & principes ſcribit de ſua electione, nemo tamen eireſpondet. Ideò Innocentium anathemate ferit, & ut haberet, qui ſe agnoſceret Papam Romanum, *Rogerium* Siciliæ & Apuliæ Ducem creat regem. Innocentius contrà, qui in Galliam fugerat, ibidem Anacletum anathemate ferit, &c. *Baron.*

Balduinus magno exercitu congregato Damaſcum obſidet, ſed cùm pabulatores ſui nebuloſo templore clade affecti eſſent, turbatus ipſe obſidionem ſolvit. *Tyrius.*

Hugo de ſancto Victore, qui Chronicon de Pontificibus Romanis & Imperatoribus ſcripſit, hoc anno deſinit.

Halæ Saxonum legati quidam & præfecti Imperatoris, furente populo, trucidantur, ideò à Lothario bello petuntur, & parricidii dant pœnas atroces. innocentes etiam coguntur mulctam ſolvere. *Spang.*

Annus Hegiræ 525. *incipit die* 4. *Dec. fer.* 5.

ANNO MUNDI 5080. Poſt C. 1131.
D. ☉ 20. ☽ 11. *Ind.* 9.

Innocentius Papa, ineunte vere ad Lotharium Imperatorem legatos mittit, qui petant colloquium, quod conſtituitur Leodii. Eò venit Papa die 22. Martii, Dominicâ Oculi, ubi agit Papa de ſua reſtitutione, expetitque operam Lotharii. Lotharius contra à Pontifice repetit jus inveſtituræ, quod Imperatoribus ademptum erat. Sed duriter à Bernhardo Imperator accipitur, & Pontifici promittitur auxilium. Inde Dominicâ Lætare Lotharius cum conjuge coronatur, & Papa in Gallias redit, Eccleſiasque viſitat, præfer-

præſertim ditiores, & de earum copia ſuæ inopiæ defectum ſupplet, ut autor loquitur. *Baron.*

Boamundus *Antiochiæ princeps in Siciliam profectus, à Saracenis invaditur & trucidatur. Balduinus rex, ſocer, filiæ ſuæ bona dotalia conſtituit Laodiceam & Gabulum, & nepotem facit Ducem Antiochenum, cui juramentum præſtant ſubditi. Balduinus ipſe poſtea moritur die* 22. *Augusti, cùm regnâſſet annis* 13. *ſuccedit ipſi gener* Fulco *Comes Turonenſis, qui regnat annis* 10. Tyrius.

Hugo Presbyter & monachus S. Victoris, natione Saxo, Philoſophus & Theologus inſignis, in Galliis floret. *Trith.*

Innocentius in Galliis die Lucæ, 18. Octob. celebrat concilium Rhemis, in quo hiſce verbis à D. Bernh. Clarevallenſi deſcribitur: plusquam Moiſes hic; Moiſi commiſſa fuit una plebs Iſraelitica, huic univerſa Eccleſia: plusquam Angelus hic; cui enim Angelorum dixit Deus, quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis? Secundum officium dico non ſecundùm meritum: præter Deum non eſt ſimilis ei, nec in cœlo nec in terra, &c. in ipſo concilio Ludovicus rex Galliæ filium ſuum Ludovicum jubet à Pontifice coronari regem. *Gemblac.*

Fulco rex Hieroſolym. Saracenos, qui ex ſinu Perſico Antiochiam uſq; pervenerant, ſecuros in caſtris obruit, cædit, & univerſis caſtris cum omni præda potitur; & Pontius Comes Tripolitanus Damaſcenis bellum infert, ſed infeliciter pugna vincitur & cæditur: ſuccedit ipſi filius *Raimundus*, qui collecto exercitu Turcas in Libano, qui patri cauſa cædis fuerant, perſequitur & profligat. *Tyr.*

Annus Hegiræ 526. *incipit die* 23. *Nov. fer.* 2.

Raimundus Pictaviæ Comes ducit uxorem Conſtantiam ſororem Boamundi defuncti Ducis Antiocheni, atque ita Antiocheno principatu potitur, & *Berſabe* urps à Fulcone inſtauratur. *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5081. Poſt C. 1132.

C B. ☉ 21. ☽ 12. *Ind.* 10.

Innocentius Papa, cùm in Gallia collectam Eccleſiis indixiſſet & accepiſſet, Italiam verſus proficiſcitur, in Lombardia Paſcha celebravit, ibique concilium indixit; inde Piſas abiit, ubi ſimiliter concilium indixit, & Genuenſem ac Piſanum Epiſcopos creat Archiepiſcopos, quod fideliter ipſi inhæſiſſent, utroſq; à Mediolanenſi juriſdictione liberat, & ſingulos Epiſcopos ſubdit ex Sardinia & Corſica. *Baron.*

Sanguinus Turcarum princeps, Comitem Tripolitanum bello urget, qui Comes Fulconem regem in auxilium evocat. Ad hoſtes jam profecti impedito itinere progrediuntur ab hoſtibus invaduntur & diſſipantur, Comes Tripolitanus capitur, rex in quoddam caſtrum evadit, quod Sanguinus obſidet & oppugnat: interim auxilia ad eripiendum regem conveniunt, quibus Sanguinus territus, regem & Raimundum Comitem liberos dimittit, caſtrum tamen illud ſibi retinet. *Tyr.*

Ratiſbona hac æſtate tota flammis exuritur. *Gemblac.*

Lotharius menſe Auguſto iter Italiam verſus ingreditur, Auguſtæ Vindelicorum ſeditione exorta inter cives & milites, multi cives trucidantur, & pars urbis exuritur: inde in Italiam properans, quæ imperii erant, occupat in Lombardia & Hetruria, urbes pleræque ſe dedunt, aut occupantur, præter Veronam & Mediolanum, & in Thuſcia hybernat. *Spang.*

Calo Johannes, Imp. Conſt. cum exercitu advenit, cùm audiſſet Raimundum principem Antiochenum factum, ut eum principatu ejiceret, & urbem ſibi ſubjiceret. Sed Fulco rex Antiochiam deſcendit, & pacem inter principem & regem facit hac conditione, ut princeps ſit vaſallus Imperatoris. *Tyrius.*

Annus ſabbathicus 5. *Jubelei* 22. *incipit die* 12. *Septemb. fer.* 2. *Anno Jud.* 4893.

Annus Alexandr. 1444. *Antioch.* 1181. *Conſtantin.* 6641. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaris 1881. & *Philippi* 1457. *incipit* 13. *Novemb. fer.* 1.

Annus Hegiræ 527. *incipit die* 12. *Nov. fer.* 7.

Rogerius rex Siciliæ, cupiens ſibi ſubjicere Beneventanos & Avellinos, Avellinum Comitem Romam ad Papam ſub ſpecie legationis mittit, interim ejus urbem, uxorem, liberos, &c. capit. Comes aſcitis ſociis regem prælio vincit, & fugat, menſe Septemb.

ANNO MUNDI 5082. Poſt C. 1133.

A. ☉ 22. ☽ 13. *Ind.* 11.

Annus urbis 1885. *Julianus* 1178.

Æra Hiſpan. 1171. *Auguſtorum* 1160.

Annus Jezdeg. 502. *incipit die* 11. *Febr. fer.* 7.

Armeniorum 582. 14. *Febr. fer.* 3.

Lotharius Imp. tandem verè ineunte cùm præparaſſet neceſſaria, Romam cum Pontifice Innocentio proficiſcitur, die 30. Aprilis, ubi quidem Papa in Lateranum reſtituitur: verùm cùm Anacletus adhuc eſſet Romæ, & munitiones præſtantiſſimas urbis occupaſſet, & firmaſſet. Imperator etiam magnam manum militum non haberet, pelli Româ non potuit. Ideò Imper. coronari ſe paſſus eſt die 3. Junii, ut habet *Trithemius. Inde cùm Rogerius Siciliæ rex exercitum colligeret, & in Apulia urbes affligeret, Imperator impar viribus Roma & ex Italia in Germaniam diſceſſit præſertim cùm audiret, Duces Sueviæ novis rebus ſtudere, & reverſus* Ulmam *obſedit, eamque valde afflixit: inde bellum deponitur, & Conradus ac Fridericus, ſe gratiam Imperatoris quæſituros pollicentur.* Pontifex etiam, ne diutiùs cædibus, rapinis & incendiis in perniciem urbis Romæ cum Anacleto certare cogeretur, urbe abiit, & Piſas conceſſit. *Baron.*

Ecclipſis Solis annotatur ab hiſtoricis, quæ in Flandria acciderit die 2. *Auguſti, feriâ quarta, in meridie, & tanta fuit, ut ſtellæ videri potuerint; Accidit Brugis in Flandria, minutis* 41. *ante horam duodecimam, in meridie, Parallaxis latitud.* } 2,20. *Latit. vera ſept.* 31,41. *Viſa ſeptent.* 1,21. *Semid. Solis* 15,10 *Summa* 31,16. *Scrup. reſidua* 29,55. *Digiti ecclipt.* 11,50. *Sol in* 16. *gradu Leonis.*

Lotharius Imp. Canutum Ducem Slesvicenſem facit regem Vandalorum, & propterea, ut receſſus Imperatorum apud Goldaſtum habent, Innocentius Papa decernit, Epiſcopos in Dacia, Suecia, Norvegia, Gronlandia, Islandia, &c. dicto audientes eſſe debere Archiepiſcopo Hamburgenſi

Alber-

Alberto: ſed hic Cnutus inſidiis Danorum interficitur, & trucidatur. Daniæ rex autem, ne bello petatur, promittit ſe futurum vaſallum Imper. & mulctam pro cæde ſoluturum. *Spang.*

Imp. Calo Johannes Cæſaream Cappadociæ obſidet, cui auxilio venit Comes Edeſſanus, & Princeps Antiochiæ: ſed cùm Princeps & Comes ludicra potius quàm bellum viderentur tractare, Imperator diſcedit, & Antiochiam venit cum Principe, quam ejecto principe univerſam ſibi retinuiſſet, niſi aſtu Comitis Edeſſani Antiochia exceſſiſſet. *Tyr.*

Annus Hegiræ 528. incipit die 1. Nov. fer. 4.

Theodoricus Comes Hollandiæ, mediâ hyeme expeditionem in Friſiam facit, eamque longè vaſtat, victorque revertitur: frater Theodorici ad Friſios deſciſcit, & Theodorico bellum infert: ſed Lotharius Imper. pacem inter eos conciliat. *Chron. Traj.*

ANNO MUNDI 5083. Poſt C. 1134.

G. ☉ 23. ☽ 14. *Ind.* 12.

Fridericus Suevus & Conradus in gratiam recipiuntur ab Imperatore Lothario, cùm ejus gratiam ſuppliciter petiiſſent. Factum Bambergæ, die 18. Martii, Dominica Oculi. *Annal. Suev.*

Lotharius in Paſchate Halberſteti regem Daniæ & ejus filium Magnum in tutelam recipit, qui & juramentum fidelitatis exhibuit, ſed idem paulò poſt in feſto Pentecoſtes à ſubditis trucidatur. Inde Lotharius Merſburgi filiam ſuam Gertrudem dat Henrico Duci Bavariæ, qui ſuperbus cognominatus eſt, cui dotis loco addidit Ducatum Saxoniæ, cùm filios non haberet. *Trith.*

Alfonſus rex Arragoniæ & Vaſconum 7. Sept. cum regnaſſet annis 30. in velitaria pugna à Mauris trucidatur, tricies hic cum Mauris præcipuè collatis ſignis pugnaverat, unde *Pugnatoris* nomen obtinuerat. Succedit ipſi filius Ramirus Monachus, cujus initia non ſatis feliciter ſucceſſerunt. Nam Alfonſus Caſtellæ rex, Alfonſi demortui privignus, ipſi aliquot urbes eripuit, & inter alias etiam Cæſar-Auguſtam, quam tamen recipit; regnavit tantum annos 4. *Annal. Arra.*

Calendis Octobris mare fines egreſſum in Belgio, plurimum damni dedit, & magnam ejus partem inundavit. *Gemb.*

Annus Indorum 1216. *& Hegira* 529. *incipit* 21. *Octob. fer.* 2.

Rogerius, Siciliæ rex, infenſus Pontifici Innocentio, Beneventum, quæ à partibus ſtabat Innocentii, invadit, eam tandem occupat, & Capuam etiam & alias. *Baron.*

ANNO MUNDI 5084. Poſt C. 1135.

F. ☉ 24. ☽ 15. *Ind.* 13.

Princeps Damaſci moritur ineunte anno: Sanguinus Turca ſuccedere conatur, Damaſceni implorant auxilium Fulconis regis Ieroſolymitani, oblato ſtipendio, qui Turcis Cæſaream Philippi eripere conatus, eam obſidet Calendis Maji, & tandem deditione capit. *Tyr.*

Alfonſus Caſtellæ & Legionis rex, in feſto Pentecoſtes proclamatur & inauguratur ab Epiſcopo Toletano, juſſu Innocentii Pontificis, Imperator, magna injuria Imperatoris Germani. *Marian.*

Ingens ſiccitas hac æſtate: flumina navium capacia exaruerunt, & fomes, vel aliud igni concipiendo aptum, in terram delapſum, ſtatim ignem in quibusdam locis concepit. Avent.

Lotharius Moniales ex cœnobio Luthern expellit, & Benedicti ordinis monachos introducit, inſtauratq; illud, & appellat Königes Luthern.

Annus Indorum 1217. *& Hegira* 530. *incipit* 11. *Octob. fer.* 6.

Henricus Angliæ rex eſu murænarum febrim conciliat, qua moritur die 1. Dec. cum regnaſſet annis 35. & tribus menſibus. Ejus morte non mediocriter regnum turbatum eſt, cum deeſſet legitimus hæres: ſuccedit tamen *Stephanus* ex ſorore nepos, homo Gallus, qui coronatur die 22. Decemb. die Dominico. *Malmesb.*

Matthæus Pariſienſis dicit, cum Henricus rex moreretur, Lunam nunquam comparuiſſe: quibus verbis proculdubio eclipſin Lunæ totalem indicat. Ea accidit die 22. Decembris, fer. 1 hora 8. & undecim minutis poſt mediam noctem, eo ipſo die, quando Stephanus coronabatur. Initium eclipſis fuit horis 6. & 38. minutis poſt mediam noctem, tota Luna obſcurata eſt poſt horam ſeptimam, & 19. minuta. Londini. Latitudo auſtralis tantum fuit 5,21. Semid. Lunæ 16,46. Summa ſemidiam. 60,6. ſcrup. reſidua 54,42. Sol in 7. gradu ferè apricorni, atq; ita Luna obſcurata oriente Sole videri non potuit. Regnavit autem Stephanus annis 18. Matth. Pariſ.

ANNO MUNDI 5085. Poſt C. 1136.

ED. ☉ 25 ☽ 16. *Ind.* 14.

Wilhelmus Comes Pictavienſis, dum peregrinatur Compoſtellam, moritur die Paraſceves ante Paſcha, nullam habebat prolem maſculam, ideò filiam majorem natu deſponderat Ludovico, Ludovici regis Galliæ filio, addita dotis loco Aquitania & Pictavia; minori dedit filiæ, quæ habuit in Burgundia. *Baron.*

Henricus, Marchio Oſterlandiæ, & Burggravius Magdeburgenſis, moritur Moguntiæ in publicis Comitiis. Lotharius Imperator dat Marchionatum illum *Conrado* Marchioni Miſniæ, Burggraviatum verò Magdeburgenſem dat Burchardo Comiti Querfurtenſi cognato. *Fab.*

Anno Hegir. 530. AVERROES Avicennæ æmulus ſcribit commentaria in Ariſtotelis libros de cœlo. *Marian.*

Lotharius Imp. tandem in Italiam proficiſcitur, & pervenit in Longobardiam, ubi adeò turbatas res invenit, ut ſe nec explicare, nec ad Pontificem venire hoc anno poſſet, etiamſi & literis & legatis evocaretur. Rogerius interim totam ferè Italiam occupaverat, *& plurimum affligebat Innocentii Papæ provincias, & cœnobium Caſſinenſe.* Baron.

Ludovicus Craſſus rex Galliæ, cùm annos triginta regnaſſet, moritur die 1. Auguſti: ſuccedit ipſi filius *Ludovicus*, qui ſeptimus ordine eſt, qui regnavit annis 44. *Baron.*

Annus Indorum 1218. *& Hegira* 531. *incipit* 29. *Sept. fer.* 3.

Annus Alexandr. 1448. *& Antioch.* 1185. *Conſtantinop.* 6645. *incipit Cal. Octob.*

Annus Nabonaſſari 1885. *& Philippi* 1461. *incipit* 12. *Novemb. fer.* 2.

Leopoldus Marchio Auſtriæ, cùm cœnobium illuſtre fundaſſet, & vetera inſtauraſſet, & quadraginta annis præfuiſſet, moritur die 15. Nov. Succedit

cedit ipſi Leopoldus junior, qui obtinuit Marchionatum annis ſex. *Cuſpin.*

ANNO MUNDI 5086. Poſt C. 1137.

C. ☉ 26. ☽ 17. *Ind.* 15.

Annus urbis 1889. *Julianus* 1128.

Æra Hiſpan. 1175. *Auguſtorum* 1164.

Annus Jezdegird. 506. *incipit* 10. *Febr. fer.* 4. *Armeniorum* 586. *die* 13. *Febr. fer.* 7.

Annus 58. *Neuruz Gelali inc. ab æquinoctio Verno.*

Lotharius in Italia ſtatim primo vere in Apuliam movet, Rogerium Siculum ex Italia pellit, Barenſe caſtrum quadraginta diebus obſeſſum expugnat, quingentos milites captos ibi ſuſpendit; inde Salernum occupat, & alias urbes, & in Apulia reperit *leges Romanas*, quas Piſanis donat, jubetq; ut explicentur, & jus in Romano imperio ſecundum eas dicatur. Hi libri poſtea Florentiam in bibliothecam Mediceam tranſlati ſunt.

Aſcalon urbs in Palæſtina receptaculum erat Saracenorum, & valde munitum: ex eo hoſtes deprædabantur totam Judæam. Fulco rex, ut tandem id expugnare poſſit, & commeatum intercludat, bina caſtra in propinquo ejus ædificat. *Tyr.*

Oldislebiæ in Thuringia lapis de cœlo cecidit, in forma & magnitudine capitis humani, qui longo tempore ibi conſervatus, & hominibus pro miraculo oſtenſus fuit. *Spang.*

Æſtas hujus anni ferventiſſima fuit, ideò multæ urbes exuſtæ, & inprimis Moguntia, Spira, Goslaria ferè eodem die. *Trith.*

Olympias 478. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympianicus* 1913.

Lotharius inchoat annum imp. 13. *Calo Johannes.*

Annus Diocletiani 854. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus Jud. 1219. & *Hegiræ* 532. *incipit die* 19. *Sept. fer.* 1.

Stephanus Angliæ rex, bellum gerit in Normannia cum Duce Andegavenſi; ſed viribus ferè ſuccumbit, ideò intervenientibus aliis pax componitur, ſi Stephanus Andegavenſi quotannis ex Angliæ regno pendat quinque millia marcarum. *Pariſ.*

Rogerius *rex Siciliæ, cum audiret Lotharium Imperatorem abitum ex Italia parare, & jam in Longobardiam tranſiiſſe, Ranulphum, quem Papa & Imperator Ducem Apuliæ fecerant, bello aggreditur, ſed fortiſſimè repellitur: ideo claſſe circumvectus maritima affligit, inde majoribus viribus auctus, etiam Beneventum Pontifici eripit.* Baron.

Lotharius II. *cum jam in itinere eſſet in Germaniam, & Tridentum veniſſet, morbo corripitur, moriturq; ibi die 6 Decemb. die Nicolai, cum ſeſquianno ſpatio in Italia fuiſſet. Ejus cadaver in Germaniam deportatur, ſepeliturq; propè Brunſvicum in monaſterio, quod inſtauraverat,* Königs Luthern. *Imperavit feliciter annis* 12. *Succedit ipſi ſequenti anno Conradus Dux Sueviæ. Lotharius dicitur urbem* Chemnitium *in Miſnia ædificaſſe.* Spang.

ANNO MUNDI 5087. *Poſt C.* 1138.

B. ☉ 27. ☽ 18. *Ind.* 1.

Anacletus Papa, cùm annos octo ferè ſediſſet in ſchiſmate contra Innocentium, moritur 7. Januarii: Cardinales adjuvante Rogerio Siciliæ rege, eligunt alium contra Innocentium, quem Victorem IV. appellant. Sed Cardinales illi ſchiſmatici, ut Innocentio reconcilientur dant operam: ideò relictus Victor, ſe abdicat Dominica poſt Pentecoſten. *Bar.*

Principes *imperii conveniunt Confluentiæ, de electione Imperatoris novi acturi; ibi annitente Alberto Trevirenſi Archiepiſcopo,* Conradus *Dux Sueviæ evehitur ad imperium, relicto Henrico ſuperbo, Duce Bavariæ & Saxoniæ, qui tamen erat gener Lotharii, & habebat regalia: Hinc magni motus in imperio exorti. Henricus enim regalia retinet, ideo citatur primum Bambergam, ut ſe Imperatori ſiſtat, inde die 29. Junii Ratisbonam, ubi quidem comparuit, & regalia reddidit, actione reliqua prolongatur dies, & cum quæ ad imperium in Italia & Germania pertinebant, reddere nollet, proſcribitur, & Ducatus Saxoniæ datur* Alberto *Urſo Marchioni Brandeburgenſi, & Noricum cum Bavaria datur Leopoldo Auſtriaco: Conradus imperat annos* 14. Friſ.

David Scotorum rex, irruens in Northumbriam & Angliam, crudeliter omnia vaſtat cædibus & incendiis. Stephanus rex Angliæ fortiter ſe opponit, ſed interim rebellio oritur in Anglia contra regem: Igitur Stephanus omiſſo externo hoſte inteſtinum bellum componit. Scotus ipſum ſequitur, & multo atrocius Angliam vaſtat: ſed rex Stephanus cum prælio vincit, ubi 11000. Scotorum cæſa dicuntur, & eum Anglia ejicit. *Pariſ.*

Annus Jud. 1220. & *Hegiræ* 533. *inc.* 8. *Sept. fer.* 5.

Calo Johan. contra Mahumetem Turcam bellum gerit in Paphlagonia, ubi acie Emmanuel filius Imp. injuſſu patris temerè in hoſtes provehitur, quem quidem poſt prælium in præſentia exercitus laudavit, ſed abductum deinde ſeorſim in tabernaculum, pronum in terra jacentem pluribus verberibus affecit. *Nic.*

Fulco rex Hieroſolymis tertium caſtrum non longè ab Aſcalone in edito monte ædificat, & ſimiliter præſidiarios ibi collocat. *Tyr.*

Ranimirus, *rex Arragoniæ, cum quadriennium regnaſſet, & filiolam genuiſſet jam bimulam, pertæſus laborum regni, in cœnobium, unde evocatus fuerat, redit; filiolam tamen ſuam prius deſpondet Raimundo Berengario, Barcinonenſi Comiti, cui ſtatim regnum tradit, qui regnat annos* 28. Annal. Arrag.

ANNO MUNDI 5088. Poſt C. 1139.

A. ☉ 28. ☽ 19. *Ind.* 2.

Innocentius Papa Romæ celebrat Synodum Lateranenſem die 8. Apr. ubi Rogerium Siciliæ regem excommunicat, & prohibet, ne monachi regulares ſint ſimul cauſidici aut medici: prohibet enim monomachiam, & interfectis denegat ſepulturam. *Baron.*

Ranulphus, Dux Calabriæ & Apuliæ, qui acriter reſtiterat conatibus Rogerii, eumque ſæpius fugaverat, moritur ultimo Aprilis. Rogerius hoc audiens, ſtatim invadit Calabriam & Apuliam, nec eſt, qui ipſi reſiſtat, ideò omnia occupat. Innocentius Papa, qui eum nuper excommunicaverat, ipſe cum exercitu contra eum proficiſcitur, ſed inſidiis Rogerii intercipitur, & capitur 10. Julii. Agitur inde de pace, quæ conficitur die 25. Julii, & Rogerius excommunicatione ſolvitur, coronatur ab Innocentio, rex Siciliæ, & filius regis fit Dux Apuliæ & Calabriæ, accipitque ſimul Capuam. Inde Trojam veniens, ubi Ranulphus ſepultus fuerat, urbem introire non voluit, niſi Ducem ex ſepulchro extra civitatem deferrent, quod factum eſt, & cadaver crudeliſſimè tractatum, cùm terra raptare-

ptare-

peteretur, & in ſtagnum abjiceretur, cujusmodi crudelitatem apud Ethnicos vix invenias. *Baron.*

Alfonſus Comes Portugalliæ, die 25. Julii coronatur rex, & ſtatim die 27. Julii Mauros ingenti prælio vincit, & quinque regulorum ſignis potitur. Ex hac victoria quinque ſcutula in inſignibus Portugallenſibus. Poſt victoriam multas urbes Mauris eripuit. *Marian.*

Albertus Urſus potitus potitus Saxoniâ, urbes in inferiori Saxonia occupat, Barduvvicum, Bremam, & caſtrum Luneburgum: interim Henricus ex Bavaria profugus, in Saxoniam venit, à quibus benignè ſuſcipitur, & auxiliis juvatur, & Albertum Urſum totâ ſua ditione pellit, qui ad Imperatorem fugit. Sed Henricus mœrore animi moritur die 19. Sept. cùm filium ſuum Saxonibus commendaſſet. Albertus tamen hoc modo ſuas ditiones recipit. *Abb. Sladenſ.*

Conradus Imp. priusquam Henricus moreretur, ipſi inſtructio auxilis Saxonum & Palatini ad Rhenum, cum exercitu in Thuringia occurrerat: ſed prudentiſſimus Imperator, nec vires imperii inteſtino bello attererentur, ipſe hoſti offert conditiones pacis. *Spang.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei 22. incipit die 28. Aug fer. 2. Anno Jud. 4900.

Annus Judæorum 1221. & Hegira 534. incipit eodem die.

Stephanus rex Angliæ Scotum ulterius bello perſequitur, & in Scotiam expeditionem facit, Scotumque cogit, ut ſe Vaſallum regis Angliæ faceret, inque id dedit obſidem filium. *Rog.*

Boleslaus Poloniæ Dux, cùm quadragies ſepties victor fuiſſet, in prælio victus fuerat ſuperiori anno in Ruſſia: gregarii tamen militis operâ equum adducentis morti eripitur, inde toto anno ægrotat, & filium Ladislaum ſucceſſorem facit, cùm regnaſſet annis 36. Ladislaus autem regnat annis ferè 7. *Hiſtor. Polon.*

Calo Johannes Imp. Conſtantinop. iterum Antiochiam verſus movet; ſed in itinere bini ejus filii moriuntur. Venit primùm ad Edeſſanos, & à Comite obſides exigit: Inde Antiochiam pergit die 25. Septembris. Cùm verò parum proficeret, in Ciliciam in hyberna redit. *Tyr.*

Mathildis Henrici regis Angliæ quondam ſoror, in Angliam venit die 30. Septembris, comitata tantùm 540. militibus, quibus tantùm fidebat, ut regi indiceret bellum. Regnum enim ipſi potius debebatur, quàm ſororis defunctæ filio. *Malmesb.*

ANNO MUNDI 5089. Poſt C. 1140.
G F. ☉ 1. ☽ 1. *Ind.* 3.

Mathildis tandem exercitum accipit, quem adducit Robertus, Dux Gloceſtriæ, cognatus; congreſſus cum Stephano rege eum vincit, & lapidis ictu procumbentem capit die 2. Febr. inde Mathildis pro regina Angliæ ſuſcipitur. Contradicunt tamen Wintonienſis Epiſcopus & Londinienſis, qui contracto exercito bellum gerunt cum Mathilde & tandem die 14. Septemb. vincunt; & Robertum Gloceſtriæ Ducem capiunt, qui captivum habebat regem. Inde de compoſitione actum, & de permutatione captivorum, quod factum eſt die omnium Sanctorum, ubi ambo libertati reſtituuntur, & Stephanus paulatim vires ad recuperandum colligit. Malmesburienſis, qui vixit tum, hanc hiſtoriam collocat in ſequentem annum, cùm Dominica prima Quadrageſimæ eſſet die 16. Febr. Pariſienſis autem dicit, paucis diebus poſt captum regem, factam eſſe Eccliplin Solis: Id quod factum hoc anno. Concilict, qui poteſt.

Ecclipſis ſolis annotata à multis hiſtoricis, accidit hoc anno die 20. Martii, fer. 4. horâ poſt merid. prima. & min. 47, 42. Londini in Anglia. Parallaxu latitud. 35, 36. Latit. vera Sept. 33, 58. Viſa 1, 38. auſtr. ſemid. Solis 15, 27. Summa 31, 37. ſcrup. reſidua 29, 59. Digiti ecliptici 11, 38. Sol. in 6. 22. Arietis.

Henricus frater Ludovici regis Franciæ fit monachus Clarevallenſis, qui non diu poſt fit Epiſcopus Beluacenſis. *Chron. Belg.*

Godefridus Dux Lotharingiæ, cùm annis undecim Ducatum gubernaſſet, moritur; Succedit filius Godefridus, qui præfuit tantùm annis quatuor. Eripuit Comiti Lymburgenſi oppidum Trudonis, & Civitatem Aquenſem. *Chron. Belg.*

Annus Indorum 1222. & Hegira 535 incipit. 17. Aug. fer. 7.

Sileſia à Bohemis invaditur, ſed Sobeslaus Dux Bohemorum febre correptus, paulò poſt moritur. *Chron. Pol.* Videtur Sobeslao ſucceſſiſſe Ladislaus; quod ſi eſt, præfuit annis 34. & à Friderico Barbaroſſa creatur rex. *Dubrav.*

Conradus Imp. audiens, quæ Rogerius patraverat in Ducatu Apuliæ, exercitum congregat ad eum rurſus Ducatu ejiciendum. Sed innocentius Papa valde diſſuadet hoc Conrado: ideò omiſſa eſt hæc expeditio. Interim Leopoldus conatur occupare Bavariam, ſed Welpho, frater Henrici ſuperbi, hanc injuriam vindicaturus, vincit Leopoldum die 13. Auguſti. *Urſb.*

Annus Alexand. 1452. Antioch. 1189. Conſtantinopolit. 6619. incipit 1. Octobr.

Annus Nabonaſſar. 1889. & Philippi 1465. incipit 11. Novemb. fer. 2.

Fridericus Dux Sueviæ, auxilio advenit Leopoldo Auſtriaco, & Welphoni Duci Bavariæ occurrit propè oppidum Winſiberg/ eumque vincit & trucidat. In hac pugna ſcribitur cognomina Welforum & Gibelinorum orta. Welphus enim Dux adjuvabatur ab Epiſcopis Saxoniæ, & aliis, qui ſimul Imperatori repugnabant. In pugna igitur congreſſi ipſius milites clamabant hie Welff/ Cæſariani contrà hie Weiblingen/ quod Conradus in eo caſtro natus & educatus fuiſſet. Itali inde vocabulum Weiblingen/ mutarunt in Gibelinorum nomen. *Nauclerus.* Poſt pugnam Conradus obſidet *Winsbergum*, quam quidem deditione capit, ſed adeò iratus ipſis fuit, ut omnibus viris in ■ mortem minitaretur: fœminæ obtinent ab irato victore, ut liberæ abirent, ſumptis ſuis bonis, quæ aſportare poſſent. Fœminæ neglectis opibus ſuos viros humeris exportant, qua φιλοστοργίᾳ Conradus, etſi iratus eſt, ita motus eſt, ut & viros & bona ipſis concederet, *Trith.*

ANNO MUNDI 5090. Poſt C. 1141.
E ☉ 2. ☽ 2. *Ind.* 4.
Annus urbis 1893. Julianus 1186.
Æra Hiſpan. 1179. Auguſtorum 1168.

Annus Jezdeg. 510. incipit die 9. Febr. fer. 1. Armen. 590. 12. Febr. fer. 2.

*Annus Nabonaſſar.*1893. *& Philippi* 1469. *incipit* 10. *Nov. fer.* 6.

Romani Cives ſenatum ad antiquam reipub. formam ordinant, & Patricium, qui Ducis loco ſit, ordinant. & à Pontifice regalia tam intra quam extra urbem repoſcunt, cumque more antiquorum ſacerdotum de decimis tantùm & de oblationibus ſuſtentari oportere ſanciunt. Scribunt etiam ad Conradum Imp. nunciantque, Pontificem cum Rogerio multa in perniciem imperii moliri, & multa, quæ imperii ſunt, Rogerio conceſſa, hortanturque ut Romam venire velit, & regiam ibi ædificare, ſe ipſius ſubditos futuros, & ulturos in Pontificibus injurias, quas Henricis Imperatoribus intuliſſent: ſed Conradus ipſis nihil reſpondet.

ANNO MUNDI 5094. Poſt C. 1145.
G. ☉ 6. ☽ 6. *Ind.* 8.

Annus urbis 1897. *Julianus* 1190.
Æra Hiſpan. 1183. *Auguſtorum* 1172.

Conradus Imper. inchoat annum imperii 8. *Emanuel* 3.

Annus Jezdegird. 514. *incipit die* 8. *Febr. fer.* 5. *Armeniorum* 594. *die* 11. *Febr. fer.* 1.

Annus Neuruz Gelali 66. *incipit ab Æquinoctio verno.*

Lucius II. Papa, cùm ſediſſet menſes 11. in ſeditione populi Romani incerto ictu lapide percutitur, ex quo ictu obit 28. Januar. Succedit Petrus Bernhardus Piſanus, qui appellatur *Eugenius* III. qui ſedit annos 8. & menſes 4. Propter ſeditiones Romanorum Romæ conſecrari non potuit, ſed id factum in monaſterio Parphenſi; inde abiit Viterbium. *At Populus Romanus irâ furens, abrogato præfecto urbis, quem Pontifex conſtituerat, Patritium ſui Senatûs conſtituunt, & ex ejus conſilio turres quaſdam & Cardinalium ædes ſubruunt, ut forma Romæ antiqua aliquo modo appareret.* Friſ.

Marchio Stadenſis quædam donat Eccleſiæ Hamburgenſi, quam donationem Conradus Imper. hoc anno confirmat.

Ladiſlaus, Polonorum princeps fratribus infeſtus, eos patriâ exturbare conatur, & Poſnaniam obſidet aliquot menſibus; ſed cum ibidem ſecurius ageret, obruitur militibus à fratribus ſuis, & amittit caſtra cum omni commeatu, & nudus Cracoviam redit. *Hiſt. Pol.*

Emmanuel Imp. Inſulis triremes, quas quotannis Imperatori mittebant, conſilio Puzeni, qui totum imperium adminiſtrabat, remittit, & jubet pro triremibus aurum numerare; unde piratæ hâc occaſione exorti, mare infeſtum longo tempore habuerunt. *Niceta.*

Annus Indorum 1227. *& Hegira* 540. *incipit die* 23. *Junii, fer.* 7.

Olympias 480. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1921.

Annus Diocletiani 862. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Armeniorum legati, qui ex regno Hieroſolymitano ad Pontificem à Balduino miſſi erant, Viterbium veniunt, & petunt auxilium contra Turcas, cùm Comitatus Edeſſanus amiſſus ſit cum tribus Archiepiſcopatibus, qui tamen, dum legati abſunt, receptus fuerat. Papa promittit auxilium, & ſcribit ad Ludovicum Francorum regem, ut expeditionem ſuſcipiat, & pollicetur ipſi & omnibus cruce ſignatis remiſſionem peccatorum, libertatem ab uſuris, ſi quid fortè debent, defenſionem ſuorum bonorum & alia. *Armenii* conſulunt Papam de Sacramento Cœnæ, quum utantur in ea pane fermentato: item quòd feſtum Nativitatis Chriſti & Epiphanias celebrent eodem die &c. *Friſ.*

Eugenius Papa conſcripto exercitu Romanos ita bello premit, ut de conciliatione promitterent. Conſentiunt itaque ut Patriciatus abrogetur, & præfectus urbis à Pontifice reſtituatur. Ita Papa rediit in urbem, & Nativitatis feſtum ibi celebravit. *Friſing.*

ANNO MUNDI 5095. Poſt C. 1146.
F. ☉ 7. ☽ 7. *Ind.* 9.

Conradus Imp. incitatus literis Pont. Romani & Bernhardi Abbatis, comitia celebrat, in quibus profitetur, ſe ſequenti anno expeditionem ſuſcepturum in Palæſtinam, hortaturque principes imperii, ut ſocii velint eſſe hujus expeditionis, & ſuos ſubditos ad tam pium opus excitare. Idem agitur Carneti in Galliis, ubi juſſu regis, Dominicâ tertia poſt Paſcha Status convenerunt, ubi præſens fuit Bernhardus, & Status ad hanc expeditionem exhortatus eſt. *Baron.*

Papa Eugenius à ſeditioſis Romanis iterum ſua ſede pellitur: ſed abiit tantùm trans Tiberim in caſtrum ſancti Angeli, ubi hoc anno permanſit. *Friſ.*

Ingens gelu annotatur die 22. *Maji, fer.* 4. *Pent. quo & arbores & vites perierunt.* Annal. Suev.

Annus Indorum 1228. *& Hegira* 541. *incipit* 13. *Jun. fer.* 5.

Annus ſabbathicus ſeptimus Jobelei 22. *incipit die* 9. *Sept. fer.* 2. *Anno Jud.* 4907.

Imp. Conradus tantam peregrinationem ſuſcepturus, Rotvvila Judicium ſive Cameram imperii *inſtituit, cujus præſides voluit eſſe Comites Sulzenſes, quod judicium diu in imperio floruit.* Annal. Suev.

Ladiſlaus Pol. princeps, cum ab injuriis fratrum non abſtineret, tandem à fratribus principatu pellitur, & in Germaniam aufugit ad Imp. affinem. Eundem ſequitur paulo poſt uxor, & ita cùm alia Conradus agere cogeretur, in exilio contabeſcit, cum annis ſeptem ferè præfuiſſet; ſuccedit ipſi frater *Boleſlaus* qui annis 27. Polonis præeſt. *Hiſtor. Polon.*

ANNO MUNDI 5096. Poſt C. 1147.
E ☉ 8. ☽ 8. *Ind.* 10.

Pontifex Eugenius priore anno effecerat, ut expeditiones contra Saracenos & alias gentes non Chriſtianas inſtituerentur, ut religio Chriſtiana quàm latiſſimè propagaretur, prior in Syriam, altera in Hiſpanos Saracenos, tertia adverſus Vandalos. In Syriam abierunt Germani & Franci ſive Galli. *Conradus* Imp. collecto exercitu ducentorum millium, in quo ad ſeptuaginta millia erant equitum cataphractorum, iter ingreditur poſtridie Aſcenſionis Domini. Venit Conſtantinopolin ad affinem Emmanuelem Imperatorem die 7. Sept. ubi benevolè quidem verbis excipitur, ſed reipſa expertus eſt Emmanuelem hoſtem & proditorem

ditorem. Sic enim *Nicetas* Græcus Scriptor in vita ejus lib. 1. affirmat: *Nullum malum, inquit, non machinatus eſt Emmanuel, vel machinandi autor fuit in eos, qui cum* Conrado *in Palæſtinam profecti ſunt, calcem farinæ admiſceri voluit, & ex improbo argento monetam cudi, quæ venditoribus aliquid Germanis daretur, & ubicunq; potuit, eos pecunia ſpoliavit multos etiam ex inſidiis interfecit. Forum rerum venalium ita præbuit, ut cives urbes clauderent, & de mœnibus in corbibus pecuniam attraherent, darentq; poſtea ſumma cum injuria vel nihil vel quantum liberet. Inde Emmanuel prodidit Turcis omnia Conradi conſilia, addidit Conrado Duces, qui ipſum in avia loca, & inſidiis opportuna deducerent, & menſe Novemb. propè Iconium noſtri ingenti clade à Turcis afficiuntur, ita ut vix decima pars inde Conſtantinopolin reverteretur, & Turci ingenti præda potiti ſunt. Rex Francorum, qui Dominica ſecunda poſt Pentecoſten iter ingreſſus erat, ſerius Conſtantinopolin venit, & tutiore itinere per Aſiam minorem Epheſum venit, ſed variis tamen modis cum Turcis conflictatus eſt, non tamen tantâ clade.* Nicet.

In Hiſpanica expeditione militârunt rex Ericus Daniæ, Epiſcopus Bremenſis, Burgundus, comes Flandriæ Theodoricus, qui potiſſimam exercitus partem duxit cum multis Lotharingis & Anglis: ſolverunt ex Anglia die 12. Aprilis, venerunt in Hiſpaniam die 28. Junii, ubi obſident *Ulyſbonum*, quæ erepta eſt ex ſervitute Maurorum poſt quinq; menſium obſidionem, 25. Octob. eaq; data Alfonſo regi Hiſpaniæ. Corduba enim recepta eſt & Almeria, ſed haſce poſt abitum claſſis noſtræ Mauri receperunt, & claſſis in Hiſp. hybernavit.

In expeditione Vandalica, cui Papa ſignum dederat, crucem in globo rotundo erecto, Dux fuit Archiep. Magdeburgenſis, Dani & alii. Bellum ita geſtum fuit, ut induſtria & celeritate conſiliorum Nicloti Sclavorum principis noſtri multum vincerentur, obſidione tamen & expugnatione urbium eò redacti ſunt, ut promitterent, ſe religionem Chriſtianam recepturos, & pacem cum Saxonibus & aliis viciniſ culturos. *Spang.*

Annus Indorum 1229. *& Hegiræ* 542. *incipit* 2. *Junii, fer.* 2.

Ecclipſis Solis annotatur hoc anno poſt abitum Conradi in Palæſtinam à Scriptoribus Germanicis, quæ acciderit die 26. *Octob. fer.* 1. *horæ quarta diei, eaque ita invenitur: nam accidit eodem die, horâ una & minutis* 40.50. *antemeridiem. Parallaxis latitud. fuit* 42,17. *Latitud. Septent. vera* 42,41. *Viſa* 0,24. *Semidiam. Solis* 15,48. *Summa Semidiam.* 30,53. *Scrup. reſidua* 30,28. *Digiti ecclipticí* 11,41. *Sol in gradu* 19. *Scorp.*

ANNO MUNDI 5097. Poſt C. 1148.
DC. ☉ 9. ☽ 9. *Ind.* 11.

Rogerius *Apuliæ & Siciliæ rex, paulò poſt Conradi tranſitum, cùm audiviſſet noſtros adeo indignè ab* Emmanuele *tractari, expeditionem in Corcyram inſtituit, eam occupat & omnem Græciam depopulatur, & infinita prædâ potitur.* Emmanuel *hæc audiens menſe Februario* jubet monachos & clericos pro ſe orare, *datque ipſis privilegium, quod* Medicamentum *voluit appellari, in quo concedit monachis habere latifundia; inde claſſe parata Corcyram tres menſes oppugnat, ubi multiplici clade affectus eſt, tandem tamen arcem, cùm famem metuerent, deditione capit: Inde in Siciliam navigare conatus eſt, ſed tempeſtatibus impeditus in Serviam abiit, ubi aliquantulum prædæ nactus eſt.* Nic.

Conradus Imp. & Ludovicus rex, cùm viderent ſe terra in Palæſtinam venire non poſſe, claſſes comparant, & Ludovicus propè Antiochiam venit, media Quadrageſima Dominicâ Palmarum Hieroſolymis fuit, eò venit etiam Conradus. Ibi concilia agitantur de amplificando regno Hieroſolymitano, & concluditur, Damaſcum regno adjiciendam. Ad eam obſidendam proficiſcuntur menſe Majo, quo tempore advenerunt etiam Theodoricus, Comes Flandriæ, & alii. *Tyr.*

Eugenius Papa, cùm vix tutus eſſet Romæ, in Gallias abierat ſuperiori anno, & hoc anno 22. Martii celebrat concilium Rhemis, ubi Hæreticus quidam vel potius fatuus, qui ſe Chriſtum eſſe dicebat, & in furca bifida ſuam potentiam demonſtrabat, damnatus eſt ad carceres, ubi primum memoriâ & poſtea vitâ privatus eſt. Conſtituti ſunt in eodem concilio plurimi canones de diſciplina Eccleſiaſtica. Et Bernhardus conqueritur, eos ſancitos eſſe quidem, ſed nunquam obſervatos, cùm nemo tranſgreſſoribus irrogaret pœnam. *Bar.*

Annus Indorum 1230. *& Hegiræ* 543. *incipit* 22. *Maji, fer.* 7.

Dum obſident *Damaſcum*, priuſquam caperetur, diſputatur, cui accedere deberet Damaſcus ſi caperetur. Et Conradi, Ludovici, & aliorum, qui recens advenerant, ſententia erat, eam dandam Theodorico Comiti Flandriæ, tum Imperator, & rex in Europam ſint reverſuri. Sed veterani in Syria eam potius non capi volebant, quàm captâ carere: qua diſcordia intellecta obſeſſi veteranos pecuniâ corrumpunt, qui poſtea exercitum ab ea urbis parte, ubi capi poterat, abducunt ad aliam partem, ubi urbs firmiſſima erat, & obſidentes multum lædi poterant. Hoc videntes Imperator, & rex, & alii, obſidionem ſolvunt, & in Europam redeunt, & Ludovicus rex dum redit, in Græcorum naves incidit, à quibus capitur, & recta Conſtantinopolin ad Emmanuelem ducitur. Forte fortunâ eo loci vagatur claſſis Rogerii regis Siculi, quæ ſuburbia Conſtantinopolis deprædata fuerat, cujus Dux Gregorius Græcos invadit, & devictis Græcis regem invenit, liberat, & ſecum in Siciliam abducit; unde Romam, & inde in regnum rediit. *Chron. Belg.*

Annus Alexandræus 1460. *Antioch.* 1197. *& Conſtantin.* 6657. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſar. 1897. *& Philippi* 1473. *incipit* 9. *Novemb. fer.* 3.

Claſſis Rogerii, dum ita inter Inſulas maris Ægæi vagatur, Chalcidem abit, ubi invenit *artifices conficiendi ſerici*, quos ſecum traduxit in Siciliam, & in Apuliam. *Annal. Suev.*

ANNO MUNDI 5098. Poſt C. 1149.
B. ☉ 10. ☽ 10. *Ind.* 12.
Annus urbis 1901. *Julianus* 1194.
Æra Hiſpan. 1187. *Auguſtorum* 1176.

Conradus Im. inchoat annum imperii 12. *Emmanuel.* 7.

Annus Iezdegird. 518. *incipit* 7. *Febr. fer.* 2. *Armen.* 598. 10. *Febr. fer.* 5.

Emmanuel Imperator, vere appetente Ducem Michaelem Palæologum, virum impigrum cum claſſe in Siciliam mittit, qui Italiam prius adit, & Ro-

& Rogerii copias fundit. Eodem tempore etiam expeditionem facit in Servios Imperator, eos fugat, & inde in Hungariam tranſcendit, eamque rege abſente vaſtat. *Nicet.*

Annus Indorum 1231. & Hegira 544. incipit 11. Maji, fer. 4.

Noradinus princeps Turcarum, cum videret Imperatorem cum rege receſſiſſe, Antiochiam invadit & eam obſidet. Raimundus princeps, qui tum aberat, exercitum colligit, ut obſidionem ſolvat, eoq; contendit; ſed cùm infirmior eſſet ab exercitu, à Noradino cæditur & trucidatur die 29. Junii. Noradinus perſequitur victoriam, omniaq; circa Antiochiam vaſtat. Cùm igitur Antiochenis nulla à Noradino quies eſſet, evocant Joſcelinum, ſed & hic in itinere poſitis à Noradino inſidiis intercipitur, & in vincula abducitur: Interim Hieroſolymis Balduinus cum matre diſceptat de regno, quæ particeps ejus eſſe volebat, & eam obſidet, deditamque à regno removet. *Tyrius.*

Olympias 481. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 1925.

Anno Diocletiani 866. incipit. die 29. Auguſti.

Balduinus rex, ut magis Aſcalonitas coerceret, Gazam urbem reſtituit, & munit firmiſſimè, eamque Templariis defendendam concedit. *Tyr.*

Ludovicus Thuringiæ Landgravius, gener Lotharii Imper. à quo ad tantam dignitatem evectus fuerat, moritur; ſuccedit ipſi hoc anno filius *Ludovicus*, qui, quòd metueret ſuos quoſdam nobiles, quos arctiùs habebat, & propterea loricâ indutus ferè erat, *ferreus* appellatus eſt. Duxit hic Conradi Imper. filiam Juditam uxorem, & regnat annis 18. *Spang.*

ANNO MUNDI 5099. Poſt C. 1150.
A. ☉ 11. ☽ 11. *Ind.* 13.

Rogerius Siciliæ & Apuliæ rex reparat exercitum contra Græcos, cùm Palæologus à Ducatu ab Imperatore per invidiam remotus eſſet, & vincit Græcos prælio, ducesque capit. Emmanuel aliam claſſem inſtituit, ulturus hanc cladem, & ab Aſtrologis conſtitutâ felici horâ portu ſolvere jubet, quæ tamen nihilo felicius rem gerit: Dux enim ipſe capitur. Ideo Emmanuel inferior bello de pace legatos mittit. *Nicetas.*

Ecclipſis Lunæ annotatur, quæ acciderit hora nonâ noctis in Quadrageſima, quæ invenitur die 15. Martii, fer. 4. horis tribus poſt mediam noctem, atq; ita hora nonâ noctis. Latitudo ejus vera eſt 1.59. merid. Semid. Luna 16, 39. Summa 60, 7. Scrup. reſid. 58, 8. Digiti ecclipticì 21, 0. ferè. Sol in ſecundo ferè gradu Arietis.

Theodoricus Flandriæ Comes ex Sacro bello reverſus, portionem ſacerrimi *Sanguinis* Chriſti ſecum reportavit, & Brugis in æde D. Baſilii collocavit. *Annal. Fland.*

Annus Indorum 1232. & Hegira 545. incipit 30. April. fer. 1.

Emmanuel Imp. cùm Antiochenus Comes interiiſſet, ſibi poſcit Comitatum, & aſſentitur *Balduinus* rex, cùm defendi non poſſet: ſed Noradinus annuo ſpatio totum Comitatum, in quo tres erant Archiepiſcopatus, ſibi ſubjicit, & Græcos expellit. *Tyr.*

Gaufridus *Comes Andegavenſis reddit filio Henrico Normanniam, idque contra voluntatem regis Ludovici, qui eodem tempore Leonoram conjugem, quæ in quarto gradu conſanguinitatis ſibi juncta, & ſecundum quoſdam adulterii ſuſpecta erat, dimittit, quam ducit Henricus Comes Normanniæ, & à rege repoſcit dotem, quam Leonora ad regem attulerat: Hinc bella inter Angliæ & Galliæ reges exitialia orta.* Pariſ.

Reatina *civitas longa obſidione à Rogerio ſede Siciliæ preſſa capitur & deſtruitur: paulò poſt moriuntur liberi regis Rogerii, tres filii & filia, remanetque unicus filius Wilhelmus.* Baron.

Conradi *Imperatoris filius unicus Henricus moritur.*

Dodechinus presbyter, Cum Conrado Imp. in Palæſtinam profectus, & hiſtoriæ ejus autor, floret.

Rupertus Epiſcopus Lincolnienſis, qui ſcripſit de computo, de Sphæra, de Calendario, floret. *Trit.*

Anno Hegiræ 545. Almohades interpretes *Alcorani* novi in Hiſpaniam venerunt, & novam quaſi religionem introduxerunt, neminemq; ſub ſe Chriſtianam religionem colere paſſi ſunt. *Mar.*

Garſias Vaſconum rex, equi caſu in venatione afflictus ad rupem moritur, cùm regnaſſet annos ferè 44. *Marian.*

ANNO MUNDI 5100. Poſt C. 1151.
G. ☉ 12. ☽ 12. *Ind.* 14.

Rogerius rex Siciliæ contra Saracenos in Africam movet, & planè feliciter contra eos præliatur: unde verſum hunc gladio ſuo inſculpi voluit.

Apulus & Calaber, Siculus mihi ſervit & Afer.

Annus Indorum 1233. & Hegira 546. incipit 20. Aprilis, fer. 6.

Archiepiſcopi duo primarii in Germania, Moguntinus & Colonienſis, citantur Romam ad dicendam cauſam. Ambo pecuniâ ſe onerant, cujus auxilio ſe liberari poſſe putabant. Sed Eugenius nulla accepta pecuniâ Colonienſem abſolvit, Moguntinus autem ampliatus eſt, & uterque ſuam pecuniam reportavit, quod valde miratur Bernhardus.

Hildegardis monialis nobilis, multa ſcripſit, quæ Eugenius Papa præſente Bernhardo approbavit. Hæc prædixit magnam aliquando religionis mutationem futuram. *Baronius.*

Ludovicus rex Galliæ, & Euſtachius regis Angliæ filius, magnum exercitum conſcribunt contra Henricum Normanniæ Ducem, eumq; Ducatu conatur dejicere. Sed Henricus cum parente Gaufrido non minorem exercitum collegit, quapropter conſilio procerum pax inita eſt, & Henricus fidelitatem de Ducatu Normanniæ regi juravit, & paulo poſt Gaufridus Andegavenſis, pater Henrici moritur, die 7. Septemb. *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5101. Poſt C. 1152.
FE. ☉ 13. ☽ 13. *Ind.* 15.

Conradus Imper. cum omnia præparaſſet, quæ ad iter Italicum facere videbantur, in morbum incidit, & moritur die 15. Februar. non ſine veneni ſuſpicione, per medicos Italos præbiti, quos acces-

acceſſiverat autore Rogerio Siciliæ rege, qui ſibi à Conrado metuebat, cum imperaſſet annos 14. Cùm decumberet, cum principibus præſentibus deliberavit de futuro ſucceſſore, & præterito filio ſuo Friderico, ſuaſit, ut ſui fratris filium Fridericum, virum induſtrium, laboris patientem & ſapientem eligerent, quod & factum eſt, & *Fridericus Barbaroſſa* à ruffa barba, electus eſt die 4. Martii, feriâ tertia poſt Oculi Francofurti. Coronatur die 9. Martii, Dominica Lætare, Aquisgrani. Imperavit annos 38. & menſes 3.

Frider. die 23. Martii Conſtantiæ, anno regni primo, indictione 15. fœdus init cum Pontifice Eugenio, quòd velit Romanos ſeditioſos compeſcere, & Græcos Italiâ pellere. Contrà Papa promittit, ſe Fridericum Imperatorem coronaturum, & auxilia ad Græcos Italiâ pellendos miſſurum. *Conſt. Imp.*

Annus Indorum 1234. *& Hegira* 547. *incipit* 8. *Apr. fer.* 3.

Menſe Septemb. Magdeburgi diſſenſio oritur, in Electione Archiepiſcopi: utraque pars provocat ad Imperatorem. Imperator, qui præſens aderat, cùm difficilis eſſet inter hoſce duos electio, propter æqualitatem votorum, ſuadet ut Epiſcopum Cizenſem, virum nobilem eligant, & obtinet: Ea de cauſa Eugenius Papa vehementer iratus fuit Imperatori. *Baron.*

Annus Alexand. 1464. *Antioch.* 1201. *& Conſtantinopolit.* 6661. *incipit Calend. Octobr.*

Annus Nabonaſſaris 1901. *& Philippi* 1477. *incipit die* 8. *Nov. fer.* 7.

Henricus Normannorum Dux, ut antiquum jus matris ſuæ in regno Angliæ urgeret, in Angliam navigat, & quædam caſtella contra regem occupat. Induciæ tamen fiunt inter regem & Ducem, & caſtella illa interim ſolo æquantur. *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5102. *Poſt C.* 1153.
D. ☉ 14. ☽ 8. *Ind.* 1.

Annus urbis 1905. *Julianus* 1198.
Æra Hiſpan. 1191. *Auguſtorum* 1108.

Annus Jezd. 522. *incipit* 6. *Feb. fer.* 6. *Armen.* 602. 9. *Febr. fer.* 2.

Emmanuel Conſtant. Imperator inchoat annum imperii 11. *Fridericus* 2.

Annus Neurutz Gelali 74. *incipit ab Æquinoctio verno.*

Annus Indorum 1235. *& Hegira* 548. *incipit* 28. *Martii, fer.* 7.

Ecclipſis Solis annotatur ab hiſtoricis, & à quibusdam aliis obſcurè, quando dicunt, mirabile quid accidiſſe in Sole, poſtridie converſionis D. Pauli. Sed fuit ecclipſis Solis, quæ accidit die 26. *Jan. horâ una & min.* 50. *ante meridiem. Parallaxis latitud. fuit* 48, 34. *Latitudo vera* 43, 24. *Viſa auſtralis* 5, 10. *Semid. Solis* 15, 51. *Summa* 30, 24. *Scrup. reſidua* 25, 14. *Digiti ecclipticì* 9, 34. *Sol. in* 13, 31. *Aquarii.*

Henricus Normanniæ Dux, Mathildis Imperatricis filius ineunte anno iterum trajicit in Angliam, eamque vaſtat tota æſtate crudeliſſimè, ita ut proceres regni de pace agendum ſtatuerent, quæ inita eſt tandem circa Decembrem hâc conditione, ut Henricus Dux à Stephano rege ſcriberetur ſucceſſor & hæres regni, atque ita bellum hoc, quod ſeptendecim annis, magnis utrinq; cladibus geſtum fuerat, depoſitum eſt. *Pariſ.*

Eugenius Papa, cùm ſediſſet annos octo, menſes quatuor, moritur die 8. Julii: eligitur in ipſius locum Conradus Cardinalis Sabinenſis, qui vocatus fuit *Anaſtaſius* IV. die 10. Julii, qui ſedit annum unum, menſes quatuor. *Baronius.*

Bernhardus monachus Clarevallenſis moritur menſe Auguſto. Fuit autor monaſteriorum ultra centum & ſexaginta: refertur poſt novem annos inter Sanctos à Pontifice Alexandro, quòd Apoſtolicam ſedem adeò defendiſſet. *Pet. de Natal.*

Olympias 482. *incipit menſe Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1929.

Annus Diocletiani 870. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus primus Jobelei 23. *incipit* 21. *Sept. fer.* 2. *Anno Jud.* 4914.

David Scotorum rex, cùm regnaſſet annos 29. moritur: ſuccedit ipſi nepos *Milcolumbus, qui regnat annos duodecim.* Buchan.

Laudenſes & Papienſes in Italia legatos mittunt ad Imperatorem Fridericum, & conqueruntur de injuriis Mediolanenſium, & quòd de occupando regno Lombardico conſilia agitent.

ANNO MUNDI 5103. Poſt C. 1154.
C. ☉ 15. ☽ 15. *Ind.* 2.

Papa legatum mittit ineunte anno ad Magdeburgenſes propter electum Epiſcopum Wigmannum, ſed cùm ipſe Imperator Calendis Januarii adeſſet, legatus fruſtrà de removendo Wigmanno laboravit, & dum redit, in via defunctus eſt. Imperator verò ipſe legatum ad Pontificem miſit, qui impetravit Wigmanno pallium. *Friſ.*

Balduinus rex Hieroſolymitanus, die 25. Januarii Aſcalonem profectus, eam obſidet, & tandem, cùm eam menſibus quinque oppugnaſſet, ingens pars muri tormentis everſa eſt; quo facto *Templarii* primo in urbem irrumpunt, & aliquos ibi conſtituunt, ne reliqui ſimul irruant, ut Templarii potiſſimam occupent prædam. Sed Aſcalonitæ paucitatem eorum contemnentes, Templarios iſtos oppugnant, comprehendunt & trucidant. Deditur tamen poſtea urbs die 12. Auguſti, hâc conditione, ut incolæ ſalvis ſuis rebus abirent. Urbs ipſa datur Comiti Joppenſi. *Tyr.*

Annus Indorum 1236. *& Hegira* 549. *incipit die* 18. *Martii.*

Wilhelmus Epiſcopus Eboracenſis in Anglia, ſcelere ſuorum Clericorum veneno appoſito, & in ablutione calicis poſt celebratam Miſſam, ut moris, exhauſto, interficitur. *Baron.*

Ecclipſis Lunæ indicatur, quæ acciderit feria prima mane. Ea invenitur in die 27. *Junii, feria prima, horis poſt mediam noctem* 3, 20. *Latitud. vera* 14, 54. *Semid. Lunæ* 17, 45. *Summa* 63, 5. *Scrup. reſidua* 48, 11. *Digiti ecclipt.* 16, 17.

Calendis Octobr. hoc anno Sol toto die obſcuratus fuit, apparuitque ut Luna, quando ecclipſin patitur. Urſberg.

Stephanus rex Angliæ moritur die 25. Octobr. cum regnaſſet annos 19. ſuccedit ipſi ex pacto Mathildis Imperatricis filius *Henricus*, Comes Andegavenſis & Dux Normanniæ, qui in Angliam venit, die 7. Decemb. & die 19. Decemb. feriâ prima coronatur. Regnavit hic annos 34. menſes ſeptem, *Rogerius.*

Fridericus Imp. cum ſeſe ad iter Italicum præparaſſet, & *Henrico* Duci Bavariæ & Saxoniæ ſpem feciſſet de Bavaria recuperanda, in Italiam abit, circa menſem Novembrem, & Placentiam obſidet, quam deditione capit. Inde in Mediolanenſes movet, eorumque ditiones vaſtat, & Ticin *Natalitia* celebrat. *Friſin.*

Anaſtaſius IV. Papa, cùm ſediſſet annum unum & menſes quatuor, moritur die 3. Decembr. Succedit ipſi Nicolaus natione Anglus, qui aliquot annis in Suecia docuerat, qui dictus fuit *Hadrianus IV.* & ſedit annos 4. menſes octo. *Onuff.*

ANNO MUNDI 5104. Poſt C. 1155.
B. ☉ 16. ☽ 16. *Ind.* 3.

Imperator *Fridericus*, cùm in Italia Dertonam tota hyeme uſq; ad Paſcha obſediſſet, tandem eam deditione accipit die 13. Aprilis, Dominicâ Jubilate. Inde Romam abit ad coronationem: Cùm verò *Pontifex* ipſi obviam veniret, cui equum aſcendenti Imperator ſtapedem tenere debebat; Imperator abſtinuit ſe ab hoc ſervili opere, ut Baronius habet: ob eam rem Papa Imperatorem ad oſculum admittere noluit, inde diſceptatio orta per integrum diem, & tandem cùm exemplum Lotharii proximi adduceretur, Imperator ſibi perſuaderi paſſus eſt, & ſtapedem ſequenti die tenuit. Inde coronatur die 18. Junii. In coronatione Imperatoris expertus eſt Romanorum ſeditionem, ſed ita repulſi ſunt, ut multi interficerentur. Inde æſtu ingruente Româ Imperator abiit, & Spoletum petiit, ubi non exceptus urbem oppugnavit, cepit, & ſolo æquavit. Veronenſes etiam in ſaltu copias ejus turbarunt, ſed pecuniâ ſatisfecerunt. *Friſin.*

Annus Indorum 1237. & *Hegira* 550. *incipit* 4. *Martii, fer.* 2.

VVilhelmus filius Rogerii Siciliæ regis, Pontificis Romani fines vaſtat, & multa occupat, Beneventum etiam obſidet. Papa cum ſuis viribus hoſtem non poſſet propellere, primùm ipſum excommunicat, deinde mittit legatos Conſtantinopolin, ut Emmanuel Siciliam invadat, qui hoc non abnuit, ſed poſcit à Pontifice in Italia tres urbes maritimas, ut ſedem habere poſſit. Tertio Papa ab Imperatore etiam poſcit auxilium. ſed quòd propter æſtum exercitus malè eſſet affectus, nihil impetrat. *Baron.*

Arnoldus quidam docuerat omnes ſacerdotes eſſe ſub magiſtratu publico, & proinde Pontificem Romanum etiam abſtinere debere à rebus politicis, & tantùm ſacris occupari: unde Romani commodi Senatum urbis, quæſtores, equites & alios ordines, ut ab antiquo fuerant, inſtaurant. Sed hic ab Imperatore capitur in Tuſcia, & Romam ad Pontificem mittitur, qui ipſum vivum exurit, & cineres ejus in Tiberim projicit. *Baron.*

Hoſpitalarii Hieroſolymis ſuperbire incipiunt, præclaras conſtruunt ædes, prædia emunt, decimas Epiſcopis dare nolunt, iiſque multis modis ſunt moleſti. Patriarcha Hieroſolymitanus inſtructus teſtimoniis Epiſcoporum proficiſcitur in Italiam ad Pontificem, ubi tum fuerunt magni bellorum motus, ſed nihil impetrat, cùm omnia ab Hoſpitalariis pecuniâ corrupta eſſent. *Tyr.*

Godefridus *Dux Lotharingia in uxorem ducit Margaritam, filiam Henrici Comitis Limburgenſis. & ita tandem ſuum Ducatum tranquillè poſſidere incipit.* Monach. Valcell.

Dum abſens eſt Imperator in Italia, Germaniam turbat Hermannus Comes Palatinus, qui bellum infert Arnoldo Epiſcopo Moguntino, quem Imperator abſens præfecerat imperio. Sed dat pœnam poſtea turbatæ pacis publicæ. Trith.

Epiſcopatus, qui Oldenburgi fuerat hactenus, traducitur *Lubecam*, & Geroldus primus fuit ibi Epiſcopus. *Trith.*

Friſii in Hollandiam irruunt, eamque vaſtant. Harlemenſes in prædam eripiunt, & nongentos eorum occidunt. Traject.

ANNO MUNDI 5105. Poſt C. 1156.
AG. ☉ 17. ☽ 17. *Ind.* 4.

In initio anni Wormatia Comitia aguntur, in quibus diſceptatur cauſa de vi publica Hermanni Palatini, qui condemnatur, & Spiræ Nemetum in præſentia totius ſenatus imperii, cum auxiliaribus ſuis octo Comitibus, canem ferre coactus eſt. Otto Friſ.

Annus Indorum 1238. *Hegira* 551. *incipit* 23. *Februarii, fer.* 6.

Wilhelmus *Siciliæ rex, cùm technas Pontificis in concitandis ſibi hoſtibus intellexiſſet, & ipſe ſeſe ad bellum exercet, & Græcos, qui jam quædam in Apulia occuparant, prælio vincit, & omnibus eorum theſauris potitur.* Inde capit Pontificem ipſum: Pontifex contra, ut ſe liberaret, cum Wilhelmo in gratiam redit inſciis ſociis belli, quos excitaverat, quorum quidam poſt à Wilhelmo capti, & excæcati fuerunt, & multa dat VVilhelmo privilegia, ſibi & ſedi Pontificiæ pernicioſa; unde diſſenſio inter Cardinales orta, quorum quidam auro Siculo corrupti, factum Pontificis approbarunt, aliqui ſinceriores contradixerunt, & auxilium Imperatoris implorarunt. *Baron.*

Conradus *Marchio Miſnenſis, cum annis* 29. *præfuiſſet, moritur; ſuccedit ipſi filius* Otto *cognomento* dives, *propter metalla, quæ tempore ipſius effodiebantur, qui præfuit annis* 33. Fab.

Fridericus *Imp. autore Pontifice dimiſerat conjugem, propter cognationem. Hoc anno ducit Beatricem filiam Ducis Burgundiæ, cum qua poſt ſoceri obitum Burgundiam accepit.* Friſ.

Calipha Ægypti in Ægypto trucidatus fuerat, *Noſeredinus* autor cædis à Templariis comprehenſus in vinculis habitus fuit, ubi ſpe liberationis didicit latinam linguam, & promittit ſe Chriſtianum futurum; ſed Ægyptii, ne dimittatur ita; plurimum pecuniæ Templariis offerunt, quâ acceptâ ipſe Ægyptiis excruciandus traditur. *Tyr.*

Reinaldus princeps Antiochiæ, promiſſis Imperatoris Conſtantinopolitani inductus, latrones è Cilicia ejecerat. Sed cùm Imperator nihil præſtaret, nec ſumptus redderet, Cyprum Inſulam invadit, eam ſpoliat, & prædâ dives Antiochiam redit. *Tyr.*

Fridericus Imperator curiam Ratiſbonæ habet menſe Septembri, ubi Ducatum Bavariæ Henrico Duci Saxoniæ reſtituit. & ne Marchio Auſtriæ Duci Bavariæ ſubjectus eſſet, Marchionem creat Ducem, & aliquam partem Bavariæ ipſi concedit, & ut Patruus Henrici VVelpho etiam ali-

 quid

quid haberet, ipſi Imperator quædam in Italia concedit. *Cuſp.*

Annus Alexandr. 1468. *Antioch.* 1205. *Conſtant.* 6665. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Nabonaſſaris 1905. *& Philippi* 1481. *incipit* 7. *Novembr. fer.* 4.

Balduinus rex conceſſerat Turcis paſcua propè Cæſaream Philippi, & paulò poſt hoſtiliter eos invadit, & magna prædâ potitur: *Noradinus* propter hanc injuriam obſidet Cæſaream, ſed repellitur à Balduino, inde tamen Balduinus in inſidias præcipitatus multos principes amittit. *Tyrius.*

Vandali *improviſo Brandeburgum invadunt, eamque urbem capiunt.* Spangenb.

ANNO MUNDI 5106. Poſt C. 1175.
F. ☉18. ☽18. *Ind.* 5.

Annus urbis 1909. *Julianus* 1202.
Æra Hiſp. 1195. *Auguſtorum* 1184.

Annus Jezdegird 526. *incipit die* 5. *Febr. fer.* 3. *Armen.* 606. 8. *Febr. fer.* 6.

Annus Ind. 1239. *& Hegira* 552. *incipit* 13. *Febr. fer.* 4. *Neurutz Gelali* 78. *ab Æquinoctio.*

Fridericus inchoat annum imperii 6. *Emmanuel.* 15.

Albertus Urſus Marchio-Brandeburgenſis contra Vandalos exercitum colligit, adjuvante inprimis Wigmanno Archiepiſcopo Magdeburgenſi,& poſt aliquot menſium obſidionem Brandeburgum recuperat, die undecimo Junii. *Spangenberg.*

Imperator *Fridericus* in Poloniam movet. Ladislaus olim rex Poloniæ, gener Henrici quinti Imperatoris, pulſus jam dudum erat à fratribus: hunc in Poloniam recipi volebat Imperator & annuum tributum ſolvi: cùm neutrum fieret, eò proficiſcitur, comitante Wenceslao Bohemo. Et etiamſi Polonus ſuam ditionem ipſe vaſtaverat, ne Imperator commeatum haberet, tamen perventum eſt in mediam Poloniam, & omnia crudeliſſimè vaſtata ſunt, donec ſupplicanti Polono, & omnia promittenti,& mulctam ſolventi, pax datetur. *Spangenb.*

Noradinus Princeps Damaſci iterum Cæſaream Philippi oppugnat, ſed fortiter inde rejicitur, & in morbum incidit. Noſtri interim Cæſaream ad Libanum ſitam expugnant, opera in primis Comitis Flandriæ. Interim Noradinus convaleſcit, & in ipſum regnum Balduini irruit, unde rex coactus aſſumpto Comite Flandrenſi exercitum fortem ipſi opponit, & pugnat cum eo propè Jordanem, & egregia victoriâ potitur, die 15. Julii. *Tyr.*

Olympias 483. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1933.

Annus Diocletiani 874. *incipit* 29. *Auguſti.*

Horrendi terræmotus fuerunt hoc anno in Syria, propè Damaſcum, item aliis in locis: in Catanenſium urbe dicuntur viginti millia hominum periiſſe anno Heg. 552. Zacuth.

Alfonſus *Imperator Hiſpaniæ moritur die* 21. *Auguſti, cùm regnaſſet in una ſumma annis* 35. *ſuccedit ipſi in Caſtellano regno filius* Sanctius, *ſed qui tantùm annuo ſpatio regnavit.* Marian. Ferdinandus *verò frater obtinuit Legionis & Gallæciæ regnum, cui præfuit annis* 53.

Diſſenſio inter Imperatorem & Pontificem oritur hac de cauſa: Romani affirmare ſolebant, imperium urbis & regnum Longobardorum donatione Pontificum Imperatores habere, atque ideò Lotharium Imperatorem pinxerant Pontifices in palatio Lateranenſi Romæ, ſubſcriptis verſiculis hiſce:

Rex venit ante fores jurans prius urbis honores.
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

fit Papæ, hoc eſt, fit Vaſallus Papæ, ut jam loquimur. Hanc picturam deleri volebat Fridericus: at hoc anno Papa ſcribit ad eundem, & inter alia ponit hæc verba, quòd Imperator cogitare debeat, Papam inſigne imperialis coronæ Imperatori contuliſſe, nec pœnitentiâ moveri, etiamſi majora beneficia ipſi conceſſiſſet, quibus verbis commotus, conqueritur apud ſtatus imperii de hac injuria: *A pictura cœpit*, inquit, *ad ſcripturam, pictura proceſſit, ſcriptura in Autoritatem prodire conatur.* Hoc ſe paſſurum negat, aut coronam ſimul cum vita poſiturum. Ideò etiam iter in Italiam accelerat, & præmittit Palatinum Comitem cum Cancellario. *Baronius.*

ANNO MUNDI 5107. Poſt C. 1158.
E. ☉19. ☽19. *Ind.* 6.

Annus Indorum 1240. *& Hegira* 553. *incipit* 2. *Febr. fer.* 1.

Fridericus *Imp. menſe Januario celebrat comitia Ratisbonæ, ubi* Wenceslaum *Bohemiæ Ducem* creat Regem, *& Inſignia ei tribuit leonem album cum cauda bifurcata.* Trith.

Otto Friſingenſis Epiſcopus, filius Leopoldi Marchionis Auſtriæ, qui mortuus fuit anno 1136. & annales ſcripſit, moritur hoc anno. *Cuſpin.*

Henricus Angliæ rex, cùm Walliam ſuperiori anno ſibi ſubjeciſſet, filio ſuo Henrico filiam Ludovici Galliarum regis Margaretham deſponderi curat, & propterea ad regem Ludovicum Lutetias, proficiſcitur. *Pariſ.*

Sanctius Caſtellæ rex moritur ultimo Auguſti cùm regnaſſet annum unum, dies undecim: ſuccedit *Alfonſus*, puer quadriennis, qui regnavit annis 53. Hunc Ferdinandus Patruus rex Legionis intercipere conatus fuit, ſed ab Abulenſibus abductus & defenſus eſt, qui & propterea *Fidelium* titulo honorati ſunt. Ferdinandus tamen interea maximam partem Caſtellani regni occupavit: acceſſit præterea Sanctius Vaſconum rex hoſtis, qui plurima etiam ex regno eodem decerpſit. *Mariana.*

Fridericus cum magno exercitu in Italiam proficiſcitur. Papa ſibi metuens legatos ipſi obviam mittit, ſcribitque, ſe, quæ de beneficio collato dixerit, beneficii nomen non de feudo, ut uſitatum aliàs eſt, accipere, ſed tantùm de benefacto: nec ſe hæc velle, ut ignominiæ ſint imperio, & ſe petere reconciliationem, ideò pax facta. *Imperator autem convocavit in Longobardia Rencalia ad Padum proceres regni Longobardici, quibus jungi voluit quatuor Profeſſores juris celeberrimos: inter quos fuit* Bulgarus & Martinus. *Hoſce nactus aliquando quaſivit, an non omnia in regno Lombardorum Imperatoris eſſent. Sed Bulgarus reſpondit, non omnia eſſe Imperatoris quoad proprietatem, ſed quemvis ſubditum habere ſuum, quod poſſideret.*

Marti-

Martinus verò contra ſtatuit, omnia eſſe Imperatoris atque ideò Martinus Imperatoris Palafredum ſive equum dono accepit. Convenerunt autem die 23. Novemb. & ex ſententia Juriſconſultorum & Statuum regni Longobardici regalia & leges ejus regni conſcripſerunt, & Friderico obtulerunt. Juraverunt etiam omnes Status fidelitatem Imperatori, & pacem inter ſe & Mediolanenſes promiſerunt, ſe aquilam Imperatoris turri impoſituros. Sed pax hæc nec ſeptem menſibus duravit, cùm Mediolanenſes Laudenſibus bellum inferrent. Radevicus.

ANNO MUNDI 5108. Poſt C. 1159.
D. ☉ 20. ☽ 1. *Ind.* 7.

Annus Indorum 1241. *& Hegira* 554. *incipit* 23. *Januarii, fer.* 6.

Papa hortantibus Cardinalibus Imperatori iterum ſeſe opponit. & acerbas ipſi literas mittit per tabellarium vulgarem. Inde Imperator ipſi reſcribit more antiquo, & ſuum nomen præponit, Papamq; ſingulari numero appellat. Papa exprobrat hoc Imperatori his verbis: *In literis*, inquit, *ad nos miſſis, nomen tuum noſtro proponis, in quo inſolentiæ ne dicam arrogantiæ nomen incurris. Ab Epiſcopis homagium requiris, fidelitatem exigis, Cardinalibus noſtris miſſis non ſolùm Eccleſias ſed & civitates regni tui claudis. reſipiſce.* Cui reſpondet Fridericus: *Quicquid*, inquit, *Papatus veſter habet, id ex largitione Principum obtinet; unde cum Romano Pontifici ſcribimus, jure antiquo nomen præponimus; revolvite annales, & ſi legere neglexiſtis, quod aſſerimus, illic invenitur. Ab Epiſcopis autem qui regalia noſtra tenent, cur homagium & regalia Sacramenta non exigamus? Aut igitur regalia noſtra nobis dimittant; aut ſi hæc utilia judicaverint, quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari perſolvant. Cardinalibus veſtris clauſa ſunt Eccleſiæ, nec patent civitates; Quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores, non pacis corroboratores ſed pecuniæ raptores, non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores. Cùm autem eos cernimus eos, quales requirit Eccleſia, portantes pacem, illuminantes patriam, aſſiſtentes æquitati, neceſſariis ſtipendiis & commeatis eos ſuſtentare non differemus. &c.* Hinc Papa exacerbatus, ſcribit Mediolanenſibus & Cremenſibus, ut Imperatori rebellent. Cùm verò difficulter hæc facerent, cùm prætextum cauſæ non haberent, agunt cum Pontifice, ut Imperatorem excommunicet: Item ut Pontifice mortuo ex conjuratis Cardinalibus, alius Papa eligatur, qui excommunicationem continuet, & ut in hac cauſa Wilhelmus Siciliæ rex aſſumatur: quod Papa facit. & in defenſionem Italiæ evocat Siculum, miſſo Petri vexillo, ut habet *Monachus Valcellenſis*, & omnem Italiam ab obedientia Imperatoris abſolvit. Ideoque Mediolanenſes bellum incipiunt, ſuburbia ſua exſcindunt ipſi, & in *Feſto Pentecoſtes* Laudam urbem ſpoliant, & ſicarios Imperatori immittunt. Imperator quòd exercitu non magno inſtructus eſſet, Cremenſes primùm obſidet, quibus die 15. Julii Mediolanenſes auxilium ferunt, ſed ad internecionem ferè cæduntur, deinde obſidio duravit uſque ad ſequentem Januarium, & multæ utrinq; & illatæ & acceptæ clades, *Annal. Svev.*

Henricus Leo Saxoniæ & Bavariæ Dux plurimis victoriis potitur adverſus Vandalos Obetritos, & extorquet etiam Adolpho Lubecam civitatem.

Hadrianus Papa 31. Auguſti, fer. 2. muſcæ involatu in os ſub hauſtum aquæ ſuffocatur, cum ſediſſet annos 4. menſes novem: Tyrius habet, quòd anginâ mortuus ſit. Succedunt ipſi die 5. Septembris bini Pontifices in ſchiſmate, prior ex illa conjuratione Rolandus Bandinellus, qui *Alexander III.* vocatus eſt, ſeditque annos 22. alter Octavianus Romanus, qui *Victor IV.* nominatus eſt, & ſedet annis 4. & menſibus ſeptem. Imperator, cùm ab utraque parte appellaretur, ex tota Europa convocat Epiſcopos ineunte Januario ad concilium, jubetque utramque partem ſub ſalvo conductu cauſam ſuam coram Epiſcopis diſceptare. *Balduinus.*

Emmanuel Imperator præcipiti autumno in Ciliciam movet, ut eam ab Armeniis defendat, qui pleraſque ejus urbes ceperant. Ibi Antiochenus princeps, qui Cyprum ſpoliarat, recipitur in gratiam. Eodem proficiſcitur etiam Balduinus gener Imperatoris, & cum magna ſolennitate recipitur, qui etiam Armenios in gratiam collocat. *Tyr.*

ANNO MUNDI 5109. Poſt C. 1160.
CB. ☉ 21. ☽ 2. *Ind.* 8.

Annus Indorum 1242. *& Hegiræ* 555. *incipit* 11. *Januarii, fer.* 3.

Fridericus Imperator, cùm Cremam ſeptem menſibus obſediſſet, eam tandem deditione capit, & cùm clementiſſimus eſſet, omnes vivos dimittit, cum ſingulis veſtimentis, & urbem excindit. *Annal. Svev.*

Concilium, ut Fridericus voluerat, celebratur Papiæ in initio Februarii adfuerunt Archiepiſcopi & Epiſcopi 50. Abbates & alii innumeri. Imperator in primo conſeſſu omnes exhortatur ad diligentiſſimam controverſiæ hujus, uter eſſet verior Papa, meditationem & juſtam ſententiam, ac exiit. Rolandus citatus nunquam comparuit: ergò pronunciatum ſecundùm præſentem, & Victor IV. judicatur legitimus Papa, qui ſtatim 4. Februarii cum candelis ardentibus excommunicavit Alexandrum. Contrà Alexander die 28. Martii excommunicavit Victorem, & Imperatorem ſimul. *Annal. Svev.*

Waldenſes ſive pauperes de Lugduno, exoriuntur circa hæc tempora, autore Petro Waldenſi. Hi à Pontificibus exuti facultatibus extremam paupertatem ſubierunt, & victum ſuis manibus quærere coacti ſunt. Petrus hic ſacra Biblia dicitur in ſuam vernaculam linguam tranſtuliſſe. *Centur.*

Carmelitarum ordo in Palæſtina circa hoc tempus exortus in monte Carmelo, quibus habitus propheticus, & pallium verſicolor fuit. Hunc habitum poſtea ipſis Honorius Papa poſt ſexaginta ferè annos, ut luxurioſum, ademit. *Centur.*

Moguntini Epiſcopum ſuum die Johannis Baptiſtæ trucidant, inſepultum abjiciunt, ubi, cùm tribus diebus nudus jacuiſſet, tandem clam in templo ſepultus eſt. *Baron.*

Fridericus Mediolanenſes obſederat, ſed non erat ſatis firmus ab exercitu, nihilominus tamen eos die 6. Auguſti magna clade affecit: ſed non minore ipſe afficitur die 9. Auguſti, & etiam caſtra amittit. Quâ clade irritatus ſcribit in Germaniam, jubetque exercitum conſcribi, juratque ſe in

Germaniam non rediturum, niſi expugnato Mediolano. *Monach. Vaſcell.*

Annus ſabbathicus 2. Jobelei 23. incipit 3. Septem. fer. 7. Anno Jud. 4921.

Annus Alexandr. 1472. Antioch. 1209. Conſtant. 6669. incipit 1. Octobr.

Annus Nabonaſſaris 1909. & Philippi 1458. incipit 6. Novembris. fer. 1.

Noradinus adverſus Principem Iconienſem proficiſcitur; interea Balduinus rex Damaſcenam regionem fœdè populatur: Princeps etiam Antiochia in Edeſſenum Comitatum, quem Turcæ occuparant, involat; ſed dum revertitur, præda exuitur, & ipſe à præfecto Damaſci capitur. *Tyren.*

Liffridus præfectus Groningæ abſq; liberis moritur, habuit tamen nepotes ex filio. Epiſcopus Trajectenſis aſſerit jam vacare præfecturam, & ad ſe Dominum feudi relapſam. Nepotes Patronum adoptant Comitem Geldriæ, hinc bellum exortum annuum, donec Epiſcopus accepta pecuniâ nepotes ad præfecturam cum privilegiis admitteret. *Chron. Belg.*

Annus Indorum 1243. & Hegiræ 556. incipit 31. Decembr. fer. 7.

ANNO MUNDI 5110. Poſt. C. 1161.
A. ☉ 22. ☽ 3. *Ind. 7.*

Annus urbis 1913.	*Julianus* 1206.
Æra Hiſpan. 1199.	*Auguſtorum* 1188.

Annus Jezdegird 530. incipit 4. Januarii, fer. 7. Armen. 610. 7. Jan. fer. 3.

Annus Neurutz Gelali 82. incipit ab Æquinoctio Verno.

Fridericus Imperator inchoat annum imperii 10. Emmanuel. 19. menſe Martio.

Alexander Papa, exoratus ab Henrico rege Angliæ, *Eduardum* regem, ante centum ferè annos defunctum, inter Sanctos refert, die 7. Febr. inde ad urbem redit, ſed cum ibi tutus eſſe non poſſet, Tarracinam abit, ubi Wilhelmus rex Siciliæ ipſi mittit quatuor naves, quibus in Gallias veheretur; ſed ortâ tempeſtate naves confractæ ſunt, & hâc hyeme etiam in Italia manſit.

Fridericus ineunte æſtate, cùm copias ex Germania jam collectas haberet, iterum fines Mediolanenſium ingreditur, & ſegetes vaſtat, die 30. Maji. Inde urbem obſidet, & obſidio tracta eſt uſque ad ſequentis anni menſem Martium. *Annal. Svev.*

Ecclipſis Lunæ annotatur à Lycoſthene, quæ accidit menſe Auguſto, quæq; præceſſerit mortem reginæ Galliæ, Alphonſi regis in Hiſpania filiæ. Ea invenitur die 7. Auguſti, fer. 2. horis 7, 27. poſt meridiem, oriente Luna. Latitud. ejus Auſtr. 5, 4. Semidiam. Lunæ 16, 9. Summa ſemidiam. 58, 45. Scrup. reſid. 53, 41. Digiti ecclipt. 19, 57. ferè Sol in 21. Leonis.

Olympias 484. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1937.

Annus Diocletiani 878. incipit 29. Auguſti.

Emmanuel Imperator mittit legatos ad Balduinum regem Hieroſolymorum de nuptiis ineundis cum filia Comitis Tripolitani, & Balduinus agit de hac re cum Comite; ſed Emmanuel mente mutata hanc repudiat, & ducit filiam principis Antiocheni. Tripolitanus, ut injuriam ulciſceretur, claſſem mittit, quæ Græciam & maritima vaſtaret. *Tyren.*

Annus Ind. 1244. ☒ *Hegiræ 557. incipit 21. Decemb. feriâ 5,*

ANNO MUNDI 5111. Poſt C. 1126.
G. ☉ 23. ☽ 4. *Ind. 10.*

Mediolanenſes tanta fame conflictantur in obſidione, ut & à canibus & equis non abſtinerent; pridie Miſericordias Domini, die 3. Mart. fer. 7. dedunt ſe, ubi de urbe conſultatio habita, cùm cives in perpetuum exilium diſperſi eſſent, concluſumq; urbem penitus excindendam: *Ibi Reinholdus Colonienſis Epiſcopus ab Imperatore* corpora trium Magorum *impetrat, & Coloniam defert, & in Eccleſia majore collocat.* Trith. Urbs igitur funditus deleta fuit, & ſolum ejus, aratro transverſum acto, ſale conſperſum. Inde reliquæ urbes deditiones faciunt, & pecuniâ mulctantur. *Annal. Svev.*

Humiliatorum ordo circa hæc tempora extitit, cùm Imperator Fridericus Lombardiam vaſtaret. Plurimi enim facultatibus ſuis ejecti, pro iis recuperandis, induti veſtibus albis Imperatori ſupplicant. & voti compotes, hunc habitum poſtea retinuerunt. *Cent.*

Thomas Cantuarienſis Epiſcopus in Anglia, circa Paſcha, indicto à rege concilio, eligitur. *Baronius.*

Reimundus Arragoniæ rex, cùm Ilerdam & alias urbes, item *Dertuſam*, unde Marchionatus deducitur, à Mauris recepiſſet, & jam annis 24. regnaſſet, moritur die 6. Auguſti; Succedit ipſi filius *Alfonſus*, qui caſti nomen obtinuit, qui regnavit annis 34. *Annal. Arrag.*

Fridericus Imperator cùm moleſte ferret, Eccleſiam ſchiſmate Pontificum ſic ſcindi, legatos mittit ad Reges ac Principes Europæ, ut convenire velint cum ſuis Epiſcopis, ad hanc controverſiam dijudicandum, indiciturq; *Concilium Leonæ* ad Saonam ſive Ararim, ubi Germania à Gallia dividitur, die 29. Auguſti. Ibi *Victor* Papa quidem comparuit, ſed Alexander, aſſerens ſe à nemine judicari poſſe, perſuaſit regi Galliæ & Angliæ, ne ad Imperatorem accederent, atque ita infecto negotio diſceſſum eſt, præſertim cùm ingens penuria rerum venalium ingrueret. *Sed neceſſarium fuiſſe, ut hæc protervia Paparum in concilio dijudicaretur, oſtendit concilium Conſtantienſe.*

Ingens bellum movetur adverſus Vandalos, ab Henrico Duce Saxoniæ, Waldemaro Dano, & Alberto Urſo. Dux Vandalorum Niclotus ipſe vaſtat ſuas urbes in tanto diſcrimine, Megaloburgium, Sverinum, & alias, & tantùm unicam urbem *Werlam* munitiſſimam retinet. Sed Dux Henricus cum auxiliis ſuis omnes Vandalorum regiones ita vaſtavit, ut ferè penitus deſererentur; Ideò aliæ gentes excitæ ſunt ex Flandria, Hollandia & Friſia, à quibus iterum hæ regiones excultæ ſunt, & urbes inſtauratæ, excepto Megaloburgio. *Helmol de Sclavis.*

Fridericus Imper. Moguntiam venit, parricidas Epiſcopi ante triennium interfecti capite plectit, muros

muros & alias munitiones urbis diruit, quæ reſtituta non fuerunt, niſi poſt annos 36. permiſſu Ottonis Imper. Novum etiam Epiſcopum ordinat Conradum, qui ſequenti anno Epiſcopatum deſerit, & ad Alexandrum in Galliam ad concilium ſe confert. *Mon. Colon.*

Annus Indorum 1245. & Hegira 558. incipit die 10. Decembr. fer. 2.

ANNO MUNDI 5112. Poſt C. 1163.
F. ☉ 24. ☽ 5. *Ind.* 11.

Balduinus Hieroſolymorum rex, cùm annis 20. regnaſſet, moritur die 13. Febr. de quo Turcæ dixerunt, ejus ſimilem & fortunâ & juſtitiâ in toto orbe terrarum non inveniri; ſuccedit ipſi *Almaricus* frater, qui regnavit annis undecim, coronatur die 18. Febr. *Tyr.*

Alexander III. Papa Turoni in Galliis celebrat concilium die 19. Maji, ubi, qui à Victore Papa ordinati fuerant, profani pronunciantur, &c. adfuerunt Cardinales 17. Epiſcopi 125.

Ladislai, qui Sileſiam ex judicio Friderici olim obtinuerat, filii impetrant Sileſiam, ita ut principem Poloniæ agnoſcerent ſuperiorem, atque ita, cùm tres eſſent filii, *Sileſia* in tres partes diviſa eſt. *Hiſtor. Polon.*

Theodoricus Hollandiæ Comes cùm annis 37. Comitatum adminiſtraſſet, moritur 5. Auguſti; ſuccedit filius *Florentius*, qui annis 27. præeſt. *Chron. Traj.*

Scoti *ſeditionibus turbatur. Milcolumbus rex ſeditionem hanc feliciſſimè compeſcit.* Buchan.

Thomas Cantuarienſis Epiſcopus in Anglia ſe regi opponit, & homicidam quendam clericum, & alios facinoroſos & capitis reos civili Magiſtratui tradere non vult, contra regis edictum, ſed ſatis eſſe putat, ſi in cœnobia hi detrudantur: quapropter diſſidia inter clericos & regem oriuntur. *Baronius.*

Annus Indorum 1246. & Hegira 559. incipit 29. Novembr. fer. 6.

ANNO MUNDI 5113. Poſt C. 1164.
E D. ☉ 25 ☽ 6. *Ind.* 12.

Calendis Febr. in Anglia conventus habetur in cauſa Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi, qui nunquam reddiderat rationes acceptorum, cùm Cancellarius regni anteà fuiſſet: ubi ſimul jura regni Anglici contrà cleri uſurpationes in præſentia regis publicantur, quæ non ſolùm approbari vult rex à Clero, ſed & ſigillis firmari. Thomas Epiſcopus approbat quidem, ſed ſigillum apponere non vult, & clam effugit ex regno in Belgium, & inde in Galliam, ubi acceptus ab Alexandro, fit monachus apud Pontiniacum. *Baron.*

Mare die 16. Feb. fines ſuos egreditur ad Viſurgin fluvium, & omnia ibi inundat ad 12. milliaria Germanica, multa hominum millia perierunt, cum gregibus animalium innumerabilium. Trith.

Victor IV. Papa moritur in Paſchate, cùm ſediſſet annos 4. menſes ſeptem: ſuccedit ipſi Guido Cremenſis, die 22. Aprilis: qui vocatus fuit *Paſchalis III.* qui ſedet annis quinque. *Onuff.*

OTTO, Marchio Miſnenſis in ſilveſtri valle ad Muldam fluvium monaſterium CELLENSE ſocietatis Ciſtertienſis ædificat, ſed Pagos, ubi metalla fodebantur, cœnobio aliàs propinquos, ipſe ſibi ſumit, & pro eis Ruſpam civitatem ei conſecrat. *Fab.*

Fridericus Imperator iterum in Italiam abit, & *principem Sardiniæ regem creat*, ubi, cùm Veneti cum Veronenſibus, quòd putarent crudeliùs cum Lombardis actum ab Imperatore, clam conſultarent de rebellione contra Imperatorem, ipſe arcibus imponit homines Germanos, qui ad conatus Venetorum & Veronenſium attenderent. *Baronius.*

Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, cujus libri quatuor extant ſententiarum, hoc anno moritur. *Baronius.*

Annus Alexandr. 1476. Antioch. 1213. Conſt. 6673. incipit 1. Octobr.

Annus Nabonaſſaris 1913. & Philippi 1489. incipit 5. Novemb. fer. 5.

Annus Indorum 1247. & Hegira 560. incipit 18. Novembr. fer. 4.

Caroli Magni oſſa, cùm Imperator ex Italia reverſus Aquiſgranum veniſſet, elevantur, & à Paſchali Papa inter Sanctos Carolus ipſe refertur. *Annal. Fland.*

ANNO MUNDI 5114. Poſt C. 1165.
C. ☉ 26. ☽ 7. *Ind.* 13.

Annus urbis 1917.	*Julianus 1210.*
Æra Hiſpan. 1203.	*Auguſtorum 1192.*

Annus Jezdegird 534. incipit 3. Februarii, fer. 4. Armen. 614. 6. Februarii, fer. 7.

Annus Neuruz Gelali 86. incipit ab Æquinoctio Verno.

Fridericus Imperator inchoat annum imperii 14. Emmanuel. 23. menſe Martio.

Dominica Sexageſima mare, terminos egreſſum per tres continuos dies excreſcendo in Sicilia duodecim ferè hominum millia interemit, ut habet Chron. Belg.

Epiſcopi Colonienſis, Mindenſis, & Henricus Dux Saxoniæ urbem Arnßberg obſident, quòd Henricus Comes fratrem in vincula conjeciſſet, in quibus expirarat. Captâ urbe Comes in exilium ejicitur, poſteà tamen in gratiam recipitur, cùm ſua omnia Epiſcopo Colonienſi ſubmiſiſſet. *Chron. Bel.*

Epiſcopus Trajectenſis & Florentinus Hollandiæ Comes contendunt inter ſe de Orientali *Friſia*, uterque eam ſibi ex donatione Imperatorum aſſerebat. Imperator jubet reditus æqualiter dividi. *Chron. Traj.*

Cometæ *duo hoc anno ſimul apparuerunt, ante Solis exortum, quorum alter ad Auſtrum fuit, alter ad Aquilonem.* Roger. Arra.

Henricus Dux Saxoniæ, edoctus ſuam conjugem ſibi in quarto gradu eſſe cognatam, eam repudiat, & Colonienſem Epiſcopum in Angliam mittit ad regem Henricum, qui petat ſibi filiam Henrici regis Mathildem. *Pariſ.*

Philippus *filius Ludovici regis Galliæ naſcitur, fer. 7. in octava aſſumptionis Mariæ, die 22. Auguſti.* Append. Aimoin.

Olympias 485. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1941.

Annus Diocletiani 882. incipit 29. Auguſti.

Suldanus Ægypti trucidatur; Succedit ipſi *Saphar*, qui Ægytum occupat auxilio Noradini, qui Ducem & exercitum ipſi miſerat. At Noradini Dux, cùm Ægyptum ſubjugaſſet, cedere recuſat, ſed urbes potius præſidiis munit. Ideò Saphar mittit ſtipendium Almarico regi cum magnis muneribus, qui Ducem Noradini Ægypto ejiceret, quod & factum eſt. Sed interim dum Almaricus abeſt in Ægypto. Noradinus caſtrum quoddam obſidet, propè Antiochiam. At princeps Raimundus, item Boamundus, & alii colligunt exercitum, & obſidionem ſolvunt; ſed dum incauti hoſtem inſequuntur, non ſolùm vincuntur, ſed & omnes ſimul capiuntur, & caſtrum illud ſtatim expugnatur. Factum die 10. Auguſti: Inde Noradinus perſequitur victoriam, & Cæſaream Philippi oppugnat, eamq; deditione tandem capit, die 18. Octob.

Alexander III. Papa, cùm accerſeretur à Romanis, qui Paſchalem III. Papam recuſabant, in Italiam redit. Pervenit primùm in Siciliam, inde navibus deductus à Wilhelmo rege Romam pervenit. *Baron.*

Eliſabeth monialis & Abbatiſſa in Schönaw/ quæ ſcripſit de undecim millibus virginum apud Colonienſes, moritur hoc anno. *Trith.*

Annus Ind. 1284. & Hegiræ 561. incipit 7. Novemb. fer. 1.

Milcolumbus *Scotiæ rex, cum regnaſſet annos 12. moritur die 9. Decembr. Succedit ipſi frater, Wilhelmus, qui coronatur in feſto Nativitatis Chriſti, & annis 49. regnat.* Buch.

ANNO MUNDI 5115. Poſt C. 1166.

B. ☉ 27. ☽ 8. *Ind.* 14.

Fridericus Imperator, cùm Conradus Moguntinus Archiepiſcopus fugiſſet ad Alexandrum, alium ordinat Epiſcopum, Chriſtianum, ſuum Cancellarium, & jubet, ut Ludovicus Landgravius Thuringiæ muros Erfurdenſium dejiciat. *Spangenberg.*

Guelpho Dux cum Palatino Rheni bellum gerit. Palatinus inferior Bohemos in auxilium evocat, à quibus Bavaria & Suevia miſerè vaſtatur. Pax tandem fit, cùm Imperator expeditionem novam adornaret. Annal. Suev.

Fridericus concilium celebrat Herbipoli, ubi iterum diſceptatur cauſa Paparum, & decernitur, Paſchalem III. eſſe legitimum Pontificem, idque approbant omnes ſtatus imperii, præter Saltzburgenſem: legati etiam ex Anglia, qui præſentes affuerunt in judicio, approbarunt. *Paulo poſt menſe Junio Imperator movet in Hungaros, ſed ii ſibi metuentes obviam Imperatori veniunt, & tributum debitum offerunt, & fidelitatem jurant.* Spangenb.

Alfonſus *puer, Caſtellæ rex, regni habenas ſuſcipit, & Toletum recuperat anno ætatis duodecimo, die 26. Auguſti, fer. 6.* Marian.

Annus Indorum 1249. & Hegiræ 562. incipit 28. Octobr. feriâ 6.

Imperator Fridericus menſe Novembri iterum in Italiam expeditionem facit, ubi omnibus ſe præbuit clementiſſimum. Adventus Dominicam Papiæ celebravit: *inde Anconam, quam Emmanuel Imperator occupaverat, obſedit tota hyeme.* Emmanuel interim per legatum offert Pontifici, ſe Eccleſiam Orientis cum Romana conciliaturum, ſi ſibi corona Imperii Romani in Italia detur. Papa de hac re legatum in Græciam mittit.

ANNO MUNDI 5116. Poſt C. 1167.

A. ☉ 28. ☽ 9. *Ind.* 15.

Imperator Fridericus die 11. Januarii Chriſtianum Epiſcopum Colonienſem *Tuſculum mittit propè Romam, qui ubiq; graſſatur populationibus & incendiis, unde civitates Lombardiæ irritatæ conjurant, & Mediolanum inſtaurant, die 27. Aprilis.* Barbaroſſa *interim Anconam adhuc obſidet, ſed Romani, jubente Pontifice Alexandro III. & eo benedicente, cum exercitu quadraginta duorum millium Româ exeunt, & Tuſculi Epiſcopatum & exercitum Imperatoris obſident, die 27. Maii, vigilia Pent. Imp. auxilia obſeſſis mittit die 29. Maji his ſeſe opponunt Romani, ſed* Colonienſis *à tergo eruptione pugnat: ita Romani in medio concluſi caduntur: cadunt eorum novem millia, capiuntur quinq; millia, quâ victoria audita Fridericus ſolutâ obſidione Ancona Romam properat, urbe potitur, ducentos & octuaginta obſides à Romanis exigit, & cum Beatrice conjuge ibidem Calendis Auguſti per Paſchalem Papam coronatur. Alexander verò mutato veſtitu Beneventum effugerat, ſed ut nihil eſt ex omni parte beatum, peſtis ingruit in exercitum Imperatoris, & brevi ſpatio duo millia virorum perierunt, inter quos inſignes fuerunt Reginaldus Colonienſis, & Fridericus Dux Sueviæ. Ideò Imperator urbe exceſſit die undecimo Septemb. feriâ tertia, relictis obſidibus apud Pontificem Paſchalem.* Monach. Colon.

Calipha *Perſiæ Ægyptum invadere conatur cum magno exercitu, qui in deſertis Arabiæ ferè arenâ obrutus fuit, & tempeſtatibus diſperſus, nihilominus tamen venit in Ægyptum. Almaricus contrà rex Hieroſolymis auxilio venit Soldano in Ægyptum, ſtipendio inductus & annuo tributo, ſtatim primo vere, & Perſas undique oppugnat, ubi tandem pax inita eſt die 21. Auguſti, ut Perſæ Ægypto cederent. Ideò ipſe etiam Hieroſolymam reverſus eſt, acceptis multis Ægypti theſauris.* Tyr.

Æ(W)ilhelmus Siciliæ rex, cùm regnaſſet annos tredecim, & menſes duos, moritur die 30. Aprilis; ſuccedit ipſi filius major natu, Wilhelmus puer duodecim annorum, qui regnat annos 22. Baron.

Annus ſabbathicus 3. Jobelei 23. incipit 16. Septembr. fer. 7. Anno Jud. 4928.

Thomas Cantuarienſis in Gallia exul abſens Angliæ regnum, quantum poteſt turbat: impetraverat enim à Pontifice Alexandro III. ut eſſet legatus Pontificiæ ſedis in Anglia, ideò excommunicationi pleroſque ejus regni Epiſcopos ſubjicit. Regem etiam ipſum excommunicaturus, audit eum graviter ægrotare, ideo ſpe mortis ejus excommunicationem differt. Epiſcopi & rex appellant ad Pontificem, ubi rex miſſo multo auro ad Cardinales quoſdam, cauſam aliquantiſper ſuſtinet. *Baron.*

Annus Indorum 1250. & Hegiræ 563. incipit 17. Octobr. fer. 3.

ANNO

ANNO MUNDI 5117. Poſt C. 1168.

GF. ☉ 1. ☽ 10. *Ind.* 1.

Florentinus *Comes Hollandiæ hac hyeme in Friſiam movet, eamque longe lateque vaſtat, ſed dum nimium prædæ deditus eſt, ab inſidiantibus Friſiis cingitur, prædâ exuitur, & vix evaſit.* Chron. Traj.

Theodoricus *Comes Flandriæ, cùm annis 40. præfuiſſet, moritur die 14. Februarii; ſuccedit ipſi filius* Philippus, *qui Comitatum adminiſtrat annis 21.*

Cùm Imp. Fridericus propter bellicos motus in Germania, militem nullum ex Germania acciperet, atque ita adverſariis ſuis par eſſe non poſſet, abiit inde in Burgundiam, & poſt in Saxoniam. Cremonenſes itaq; cum Mediolanenſibus & Placentinis, ejectis præfectis Imperatoris, urbem novam inchoant in gratiam Alexandri Pontificis extruere, cujus fundamenta locant ipſis Calendis Maji, eamq; nominant *Alexandriam*, ſitam ad tres fluvios, loco fertili & amœno, quæ ſubita incrementa ſumpſit, adeò ut vel primo anno numerarentur ad quindecim millia civium. *Baron.*

Fridericus in Germania quantum poteſt, bella cohibet, Comitia indicit Wurtzeburgi, ubi cauſæ cognoſcerentur; ubi etiam Epiſcopo Wurtzeburgenſi Ducatum Franciæ, & jurisdictionem ſuperiorem novo privilegio, die 10. Julii, confirmat. *Annal. Suev.*

Roſtochium *à Primulao Heneto ante annos octo ædificatum, ab Imperatore accipit privilegia.*

Woldemarus Danus cum exercitu proficiſcitur in Rugiam, ubi Rugiani victi religionem Chriſtianam ſuſcipiunt: idem faciunt *Finlandi* ab Erico Suecorum rege victi. *Æminoct.*

Ludovicus Landgravius, qui ferreus dictus eſt, propter loricam, quâ ſemper induebatur, cùm præfuiſſet annis 19. moritur Numburgi, quem nobiles ſui Numburgo ad cœnobium Reinhertsbrun *per duodecim milliaria portarunt; ſuccedit ipſi filius Ludovicus, qui præeſt annis* 24. Spangenb.

Emmanuel, cùm audiviſſet, quantas divitias Almaricus rex Hieroſolymis ex Ægypto reportaſſet, ſocietatem cum ipſo facit invadendæ Ægypti, & cum magna claſſe Joppen venit die 8. Julii. Sed Almaricus, quòd cauſam nullam haberet gerendi bellicum amico, diem de die profert, tandem tamen excogitat cauſam, & in Ægyptum veniunt menſe Septembr. & *Damiatam*, quæ olim Memphis fuit, quinquaginta diebus oppugnant, tandem tamen induciis factis die 4. Decembr. obſidionem ſolvunt, & domum redeunt cùm Almaricus omnia corrupiſſet morâ ſuâ. Andronicus Dux per Aſiam domum redit: qui navibus abierunt, ferè naufragio perierunt. *Nicet.*

Annus Alexandr. 1480. *Antioch.* 1217. *Conſt.* 6677. *incipit Calend. Octobr.*

Annus Indorum 1251. *& Hegira* 564. *incipit* 5. *Octobr. fer.* 7.

Annus Nabonaſſaris 1917. *& Philippi* 1493. *incipit* 4. *Novembr. fer.* 2.

Papa Alexander, cùm videret Tuſculum opportunè ſitum ad coercendos Romanos, cum Comite Tuſculano permutat, oblato alio Comitatu. Cives Romani hoc ægrè ferunt, atque ea de cauſa Papam in urbem recipere nolunt. Tandem convenit, ut ſi Papa recipi velit munitiones Tuſculi deſtruat: quo facto cives, de Tuſculo penitus deſtruendo conſilia agitant. Sed Papa metuens, munito iterum Tuſculo Anagniam abit. Baron.

Controverſia inter Regem Angliæ & Thomam Cantuarienſem variis modis tractatur à Pontifice Alexandro, qui metuebat, ſi ſtrictè agere vellet, ne Rex ſe repudiato Paſchalem Papam ſequeretur; ideò mittit legatos, qui Epiſcopos Angliæ abſolverunt ab excommunicatione Thomæ. Inde tractatur de eadem re in Normannia, præſente Galliæ rege, ſed hoc anno nihil effectum eſt, cum & Papa ſibi metueret, & rex Cardinales pecuniâ corrumperet. *Baron.*

ANNO MUNDI 5118. Poſt C. 1169.

E. ☉ 2. ☽ 11. *Ind.* 2.

Annus urbis 1921. *Julianus* 1214.

Æra Hiſpan. 1207. *Auguſtorum* 1196.

Annus Jezdegird 538. *incipit* 2. *Februarii, fer.* 1.

Armen. 618. *die* 5. *Februarii, fer.* 4.

Annus Neurutz Gelali 90. *ab Æquinoctio Verno.*

Fridericus Imperator inchoat annum imperii 18. *in Martio. Emmanuel.* 27.

Cathana, *urbs Siciliæ, terræmotu die* 4. *Febr. tota evertitur, ita ut ne unica quidem domus ſalva permaneret. Perierunt ad quindecim millia hominum, cum Epiſcopo, Clericis & Monachis.* Baron.

Superiori anno, cùm Almaricus Ægyptum præter cauſam affligeret. Soldanus evocaverat auxilia Noradini, principis Damaſci, qui ipſi mittit fratrem Siraconum, Ducem inſignem, cujus nepos erat Saladin, *juvenis egregius. Siraconus igitur, cum videret imperitiam* Soldani, *eum trucidat, & demeretur Calypham, ut* Soldanus *Ægypti conſtituatur, atque ita avaritia & fraude Almarici factum eſt, ut regnum noſtris amicum ad hoſtes infeſtiſſimos perveniret. qui poſtea regnum Hieroſolymitanum everterunt.* Tyr.

Papa Alexander pro Thoma Cantuarienſi legatos mittit ad regem Angliæ, ut controverſiam iſtam diſceptent: leni enim brachio Papa regem tractabat, ne ad partes Imperatoris Friderici ſe applicaret. Cùm igitur Rex legatis aliquando minitaretur, dixerunt legati: *Nos non curamus tuas minas, ſumus enim ex ea curia, quæ imperat Imperatoribus & Regibus*, & tandem toto anno nihil in hac cauſa actum. *Baron.*

Romani cives infeſti Albanis vicinis ſuis cum exercitu exeunt, & Albam *urbem ex fundamentis eruunt, idem exitium minitantur Tuſculanis.* Baron.

Olympias 486. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1945.

Annus Diocletiani 886. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1252. *& Hegira* 565. *die* 25. *Sept. feriâ* 5.

Imperatoris filius *Henricus*, puer quinque annorum à patre coronatur Aquisgrani, die 15. Auguſti. *Mon. Col.*

Rex Daniæ vicerat ſuperiori anno Rugiam, multamq; prædam ceperat, in auxiliis autem habuerat Vandalos. Jam verò pactum fecerant Henricus Dux Saxoniæ & Waldemarus de præda dividenda, quod renuit in hac cauſa Danus. Ideò Henricus ſuis ſubditis mandat, ut Daniam vaſtent, quo facto Danus prædam reddidit, & pax iterum facta eſt. *Spangenb.*

Emmanuel Imperator & Almaricus iterum Æ yptum invadunt, menſe Octobri, die 16. & perveniunt Damiatam die 27. Octobr. quam iterum oppugnant machinis. Sed pluviis, & quòd commeatu deſtituerentur, compulſi obſidionem relinquunt, & in Palæſtinam redeunt. *Tyr.*

ANNO MUNDI 5119 Poſt C. 1170.
D. ☉ 3. ☽ 12. *Ind.* 3.

Siraconus Soldanus Ægypti, cùm vix annuo ſpatio præfuiſſet, moritur; cui ſuccedit nepos ex filio Saladinus, *qui ut erat juvenis audax, captatâ occaſione Caliphum ſupremum Dominum Ægypti occidit, atq; ita univerſo regno Ægypti potitur.*

Papa Alexander iterum mittit legatos ad regem Angliæ, qui agant cum eo de reſtitutione Thomæ Cantuarienſis, qui ſimul afferunt mandatum ad omnes Epiſcopos Angliæ, ne interſint coronationi filii regis, quam inſtituerat: Sed rex ſuppreſſit hoc Pontificis mandatum, & filium coronari juſſit die Johannis Baptiſtæ. *Baron.*

Ingens Terræmotus in Oriente fuit hâc æſtate, quo plurimæ urbes everſæ ſunt, Antiochia tota ſubverſa eſt cum omnibus templis: Sic Laodicea, Halapia, Cæſarea, Emiſſa, Tripolis circa 29 Julii: duravit autem aliquot menſes: multa millia hominum perierunt. Tyr.

Carmelitarum monachorum ordo in Palæſtina inſtitutus, confirmatur ab Alexandro Papa. *Polyd.*

In *Livonia* per mercatores Lubecenſes & Bremenſes ſemina Chriſtianæ religionis ſparguntur circa hæc tempora. *Chyt.*

Annus Indorum 1253. & Hegiræ 566. incipit 14. Septembr. fer. 2.

Mare vehementiâ ventorum exagitatum limites ſuos tranſgreditur, & totam ferè Friſiam inundat. Rogerius.

Thomas Cantuarienſis Epiſcopus tandem, urgentibus legatis Pontificiis, cum rege Henrico reconciliatur, die 12. Octobr. & Calendis Decemb. in Angliam navigat ad ſuum Epiſcopatum occupandum: Redierunt ſimul omnes, qui cum eo exierant. Interim Epiſcopi, qui partes regis fovebant, à Pontifice excommunicantur. Poſtulant Epiſcopi à Thoma, ut excommunicatione ſolvantur: negat hoc ipſis Thomas, ideò Epiſcopi in Normanniam abeunt ad regem, conqueruntúrq; de duritia Thomæ & quòd ita regnum conturbet. Rex iratus erumpit in hæc verba: Neminem ergò ego miſer habeo fidelem, qui me liberet ab injuriis hujus clerici? Conjurant igitur quatuor ſatellites de interficiendo Thoma, quod perficiunt die quinto poſt Nativitatem Chriſti, feriâ 3. die 29. Decembr. in templo. Hic Thomas poſt triennium ab eodem Pontifice inter Sanctos refertur, anno 1174. Sed anno 15 8 ab Henrico rege in ignem conjicitur & crematur.

Saladinus menſe Decembri magno exercitu in Palæſtinam venit ad caſtrum *Darum*, idque ferè expugnat. Almaricus rex ſubitò copias cogens advenit, & obſidionem ſolvit. Sed Saladinus nihilominus interea *Gazam* oppugnat & præter arcem capit, & potitus multis ſpoliis in regnum redit *Tyr.*

ANNO MUNDI 5120. Poſt C. 1171.
G. ☉. 4. ☽ 13. *Ind.* 8.

Almaricus rex, cùm regnum tanto hoſte urgeri inciperet, omnes principes regni convocat Hieroſolymam, deliberatque cum ipſis de defenſione regni: ubi tandem eò decurritur, ut plurimi legati in Europam mittantur ad nova auxilia evocanda, ſed in perturbato ſtatu Eccleſiæ & reipubl. fruſtra fuerunt ſuorum ferè omnes querelæ. *Tyr.*

Ottonis Marchionis Miſnenſis temporibus, hoc ut fertur anno, argenti *Metalla* in Miſnia fodi cœperunt. Auriga quidam ſalem in Bohemiam portans, metallorum non penitus rudis, lapidem argenti & plumbi fertilem in iis locis invenerat, & ſecum Goslariam deportarat, ubi ejus rei periculum factum eſt: quapropter metallici Cellerveldii & Goslarienſes confeſtim ſe ad radices Sudetarum montium contulerunt, viſcera terræ ſcrutari cœperunt, & copioſum fructum ex metallis ceperunt. Nec defuit ipſis liberalitas principis Ottonis, qui fundamenta urbis *Friberga*, quaſi diceres, liberi montis, ubi excitavit, quæ urbs non ſolùm ſubitò inde incrementum ſuſcepit, ſed & ex ea poſteà Coloniæ quaſi deductæ ſunt, & mœnibus Iſenbergum, & Lipſia, & aliæ urbes circundatæ, & poſtea auctiores & pulchriores redditæ. *Fab.*

Ex Barbaria Avioth Saracenus in Hiſpaniam venit cum magno exercitu, ſucceſſor futurus Lupi Saraceni, qui abſq liberis deceſſerat: multas hic urbes cepit, & regionibus Alfonſi multum damni intulit. *Rogeri.*

Annus Indorum 1254. & Hegiræ 567. incipit die 3. Septembr. fer. 3.

Cinna cœnobium propè *Juterbocum* à Wilhelmo Epiſcopo Magdeburgenſi conditur. *Chyt.*

Petrus *Comeſtor*, Petri Lombardi, ut volunt, frater nothus floret. Comeſtor dictus eſt, quòd Biblica dicta ita memoriter proferret, quaſi ea in ventrem memoriæ, eſu condidiſſet. *Trit. Cent.*

Ob cædem Thomæ Cantuarienſis multi ſcribunt ad Pontificem, & accuſant regem Angliæ; ſed is legatos mittit ad Papam, teſtatur ſe innocentem eſſe, & ſtaturum Pontificis judicio. Ideò ipſe non excommunicatur, ſed tantum ii, qui cædem fecerunt, aut parricidas juverunt, aut adhuc defendunt. Inde rex in Britanniam expeditionem facit, quæ territa ſtatim ſe dedidit, cujus poſſeſſionem Papa ipſe confirmat. *Roger.*

ANNO MUNDI 5121. Poſt C. 1172.
B A. ☉ 5. ☽ 14. *Ind.* 5.

Ecclipſis Lunæ annotatur ab hiſtoricis hac hyeme, quæ duraverit horis 4. Ea invenitur die 13. Januarii, fer. 5. ineunte, hora una & 24. minutis poſt mediam noctem Colonia. Capit mediâ duodecimâ, duravitque uſque poſt horam tertiam matutinam. Latitud. merid. eſt tantum 4, 38. Semid. Lunæ 16, 40. Summa Semid. 50, 51. Scrup. reſidua 55, 13. Digiti ecclipſ. 19, 53. Sol in fine Capr.

Ex mitiſſima hyeme frondes & gramina tempeſtivè germinarunt, adeò ut in Febr. menſe aves incubarunt & pullos excluderent. Chron. Traj.

Almaricus rex Hieroſolymis Conſtantinopolin abit ad Imperatorem ſocerum auxilia accerſitum, & redit

& redit die 15. Junii Sidonem. Inde conjunctus cum principe Antiochiæ, vaſtat Ciliciam, injurias ulturus, quæ noſtris inde inferebantur. Interim Noradinus in regnum irruit & Petram Arabiæ expugnare conatur, feliciter tamen inde rejicitur. Similiter Saladinus ingentes copias ex Ægypto in Syriam reducit, ſed fruſtrà inſumto labore, cum nihil proficeret, & munitis locis nocere non poſſet, domum redit. *Tyr.*

Cùm rex Angliæ primo vere ex Britannia reverſus eſſet, convenitur à legatis Pontificis in Normannia, in hebdomade Aſcenſionis Domini, ubi jurat ſe inſcio Thomam occiſum eſſe. Sed quoniam occaſionem forſitan præbuiſſet, jubet Papa, ut aleret ducentos milites per annum integrum, & unicuiq; horum ſolveret trecentos aureos: Item ut jura regni, quæ voluerat eſſe inviolata, antiquaret: quæ omnia, ut gratiam Pontificis recuperaret, præſtitit. *Baron.*

Annus Indorum 1255. & Hegira 568. incipit 23. Auguſti, fer. 4.

Rex Angliæ fecerat quidem filium ſuum regem, ſed ipſi peculiarem ſedem nec in Anglia, nec in Normannia dare vult, ubi cum conjuge habitare poſſet, qua durius tractabatur apud ſocrum: Ideò filius patri rebellat, & tranſit ad ſocerum regem Galliæ, & rex Angliæ miris modis ludificatur. Rog.

Vienna. *Auſtria inſtauratur ab Henrico primo, Duce Auſtriæ.* Avent.

Romani adhuc Pontificem Alexandrum in urbem recipere nolunt, ideò etiam hoc anno commoratur Tuſculi & Anagniæ. *Baron.*

Annus Alexandr. 1484. Antioch. 1221. Conſtant. 1681. incipit 1. Octobr.

Annus Nabonaſſaris 1921. & Philippi 1497. incipit 3. Novembr. fer. 6.

Quatuor illi, qui Thomam Contuarienſem occiderant, cùm nuſquam tuti eſſent, à Pontifice Romano veniam expoſcunt, quæ ipſis datur, cùm promitterent, ſe perpetuò in terra Sancta militaturos, *Baron.*

ANNO MUNDI 5122. Poſt C. 1173.

G. ☉ 6. ☽ 15. *Ind.* 6.

Annus urbis 1925.	*Julianus* 1218.
Æra Hiſp. 1211.	*Auguſtorum* 1210.

Annus Jezdegird 542. incipit 1. Febr. fer. 5. Armen. 622. die 4. Febr. fer. 1.

Fridericus Imperator, inchoat annum imperii 22. Emmanuel 31. menſe Martio.

Annus Neuruz Gelali 94. incipit ab Æquinoctio verno.

Henricus Dux Saxoniæ Hieroſolymam proficiſcitur cum quingentis ferè militibus, feliciter iter peregit, & aliquot captivos Chriſtianos ex Saracenorum poteſtate liberavit. *Monach. Colon.*

Legatos rex Babyloniæ ad Imperatorem mittit, petitum filio ſuo ejus filiam uxorem, cum promiſſione de receptione Chriſtianæ religionis, & liberatione captivorum Chriſtianorum. Imperator legatos per ſemeſtre ſpatium ſecum detinuit, & ritus Chriſtianorum diligenter inſpicere & diſcere juſſit. *Monach. Colon.*

Saladinus *iterum ex Ægypto movet, & ad Aſphaltiten lacum pervenit, & omnia longè lateque vaſtat. Almaricus, oppoſito exercitu eum amplius progredi prohibet, ideò in regnum redit: Eo tempore Raimundus Comes Tripolitanus ex captivitate octavo anno, ſolutis octuaginta millibus aureorum, in libertatem reſtituitur.* Tyr.

Rex Galliæ, ut genero ſuo, patri regi Angliæ rebellanti, ſine multo ſumtu auxilium præberet, diſcordias ſerit in regno Angliæ, & Wilhelmo regi Scotorum perſuadet, ut in Angliam irruat; ſed rex Angliæ feliciter Scotos rejicit, itque plus damni infert, quàm paſſus erat. Sic Robertus Gloceſtriæ Dux, autore Gallorum rege, rebellat in Anglia, ſed cum tribus millibus militum capitur, quorum præſtantiores carceri includuntur, reliqui in flumine ſuffocantur. Pariſ.

Noradinus *Princeps Damaſci anno regni 27. moritur, menſe Majo, relicto impubere filio de cujus tutela cùm diſceptarent principes, ne diſceptatio ea noceret regno, clam Saladinum ex Ægypto advocant, qui ita potitur etiam regno Damaſceno, atque ita utrinq; noſtros in Judæa affligere poteſt.* Almaricus, *mortuo Noradino, priuſquam Saladinus accerſeretur, Cæſaream Philippi obſidet. Noradini vidua pecuniam pro pace offert, & tandem etiam, cùm viginti captivos liberaſſet, pacem obtinet. Sed* Almaricus *rex paulò poſt moritur die 11. Julii, anno regni duodecimo; Succedit* Balduin. IV. *puer 15. annorum, qui coronatur die 15. Julii, regnat annos decem.* Tyr.

Olympias 487. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1949.

Annus Indorum 1256. & Hegira 569. incipit 12. Auguſti, fer. 1.

Annus Diocletiani 890. incipit die 29. Auguſti.

Henricus rex Angliæ ex Anglia movet in Normanniam contra filium & regem Galliæ, & hoſtes vincit die 9. Auguſti, fer. 5. ita vincuntur etiam, quos Ludovicus miſerat in Britanniam, quapropter Ludovicus pertæſus ſumtuum, colloquium cum rege Angliæ inſtituit, reconciliaturus filium Patri, die 27. Septembr. nihilominus tamen bellum recrudeſcit, cùm ad partes Ludovici accederet Comes Flandrenſis. *Rogerius.*

Wilhelmus Siciliæ rex menſe Auguſto claſſem ducentarum navium in Ægyptum mittit, ad oppugnandam Alexandriam, ſed malè ipſi res ceſſit, multis enim acceptis damnis, die ſexto diſcedere coguntur. *Tyr.*

Boleslaus *princeps Poloniæ moritur, cùm principatus annis 27. adminiſtraſſet; Succedit* Miecislaus *frater, qui, quod aſperior eſſet, quarto anno principatu dejicitur.* Hiſt. Pol.

Emmanuel Imperator Orientis, Venetis bellum infert, eorumque bona fiſco adjudicat. Veneti viciſſim Græciam vaſtant, & tandem Wilhelmo Siciliæ regi fœdere junguntur. Emmanuel hanc ſocietatem metuens, pacem Venetis offert, & damnum præſtat, oblatis quindecim auri centenariis. *Nicet.*

Menſe Decembr. in finibus Rheni tuſſi laboratum eſt, multiq; defuncti ſunt. Mon. Colon.

ANNO MUNDI 5123. Poſt C. 1174.

F. ☉ 7. ☽ 16. *Ind.* 7.

Noradini frater, Saladinum ex regno Damaſci expulſurus, cum ingenti exercitu advenit.

Eodem

Eodem tempore, menſe Januario Raimundus Tripolitanus Comes viceRex, ſimiliter exercitum contra Saladinum educit, ſed ab ipſo Saladino ab hoc conatu avertitur, oblatis obſidibus, quos olim pro liberatione miſerat, & aliis quibusdam captivis liberatis, & redit in regnum, circa initium Maji. Noradini frater autem turpiter vincitur. *Tyr.*

Cum Philippus Comes Flandriæ juraſſet, ſe Henrico filio regis Angliæ, Angliam hoc anno ſubjecturum, Rex Angliæ ad hoc præcavendum in Angliam redit, & pœnitentiam publicè agit de occiſo Thoma Cantuarienſi. Eodem tempore die 11. Junii intercipitur ab Anglis Wilhelmus rex Scotorum in Northumbria. Comes etiam Flandriæ territus regis præſentiâ, Angliam invadere non audet, ſed in Normanniam abit ad regem Galliæ, & Rothomagum obſidet, quam tamen obſidionem ſolvere coguntur, cum Angliæ rex in Normanniam veniret. *Pariſ.*

Wilhelmus Tyrius, cùm fuiſſet cancellarius regni Hieroſolymitani ſub Almarico rege, jam promovetur menſe Junio ad Epiſcopatum Tyri, die 8. Junii. *Tyri.*

Annus Indorum 1257. & Hegira 570. incipit 1. Auguſti, fer. 5. Et annus ſabbathicus 4. Jobeles 23. incipit 29. Auguſti, feria 5. Anno Judaico 4935.

Fridericus Imperator quintam expeditionem ſuſcipit in Lombardiam; venit eò die 8 Septemb. & Siculam urbem cremat. Aſtenſem etiam urbem obſidet, & deditione capit. Inde, etſi propter pluvias continuas & inundationes fluminum abſtinere debuiſſet ab obſidione Alexandriæ novæ urbis, tamen eam obſidet, & irrito conatu tota hyeme oppugnat. *Baron.*

ANNO MUNDI 5124. Poſt C. 1175.

E. ☉ 8. ☽ 17. *Ind.* 8.

Imperator, cùm irrito conatu Alexandriam tota hyeme obſediſſet, neque res ſortiretur felicem eventum, cuniculis expugnare eam conatur: ſed & hoc fruſtra fuit, cùm qui introierant, cæderentur, & ipſe etiam à portis propelleretur. Accedebat tertium malum, quòd *Henricus* Saxoniæ Dux multum deprecante Imperatore, cum omnibus ſuis in Germaniam rediret: quapropter obſidio ſolvitur veſperâ Paſchatos, & quarta feriâ Paſchatis intercedentibus quibusdam Italis, de pace inſtituta actio, & induciæ initæ uſque ad menſem Junium, ubi interim etiam legati Pontificii auditi ſunt, ſed conveniri non potuit. *Mon. Colon.*

Ludovicus rex Galliæ, & Comes Flandriæ pertæſi ſumtuum, quibus *Henricum filium* contra patrem adjuvabant, de pace cum Angliæ rege agunt, & tandem patrem filio reconciliant, ubi rex Scotiæ etiam ex carcere dimittitur, hâc tamen conditione, ut regi Angliæ quatuor caſtella traderet, & eſſet Vaſallus regis Angliæ. Inde Angliæ rex uſus auxilio Brabantiæ Ducis, ſubditos ſuos tandem compeſcit, præſertim cùm ſuperiori anno conjugem Lionoram, quæ diſſenſiones inter Ordines ſerebat, in carcerem conjeciſſet. *Pariſ. & Polyd.*

Annus Indorum 1258. & Hegira 571. incipit 22. Julii, fer. 3.

Balduinus rex Hieroſolymorum, cùm videret Saladinum ſatagere rerum ſuarum in occupando regno, ipſi inſuper negotium faceſſit, & Damaſcum verſus expeditionem ſuſcipit, & omnia longè lateque vaſtat, & plenus præda domum redit. Inde menſe Auguſto in Ituræam terram omnibus bonis affluentem irruit, & præfectum ejus loci, fratrem Saladini prælio vincit, & iterum multam prædam armentorum & divitiarum domum deducit, atque ita Saladinum frequentibus injuriis irritat. *Tyr.*

Emmanuel Conſtantinopolitanus, dum contra Soldanum Iconii prælio decertat, magna clade vincitur, qua perierunt ex cognatis & nobiliſſimis quamplurimi. *Tyr.*

Fridericus Imperator ex Italia in Germaniam recurrit, & Comitia agit, in quibus conqueritur de Henrico Duce Saxoniæ, eumque accuſat proditionis & criminis læſæ majeſtatis, propterea quòd reverſus in Germaniam, fœdus cum quibusdam contra Imperatorem iniiſſet; cum verò ſe non ſiſteret judicio, proſcribitur, & ipſe Imperator in Italiam redit: jubet interea conſcribi copias, qui ſequenti anno in Italiam deportentur. *Annal. Suev.*

Alexander Papa, quòd Alexandria fortiter ſeſe geſſiſſet in obſidione, Epiſcopatum ibi inſtituit, quem voluit ſuffraganeum eſſe Mediolanenſi, & Archiepiſcopum propter ſchiſma privat & cruce & pallio. *Baron.*

ANNO MUNDI 5125. Poſt C. 1176.

D C. ☉ 9. ☽ 81. *Ind.* 9.

Inter Imperatorem & regem Siciliæ Wilhelmum legati commeant; qui de connubio cum Imperatoris filia, & rege Siciliæ agant. Papa *verò certior factus, omnibus modis impedit hoc conjugium, & ſuadet Wilhelmo, ut potius ducat Henrici regis Angliæ filiam Johannam, quod etiam factum eſt ſequente anno.* Baron.

Imperator FRIDERICUS *expectat copias ex Germania, cùm civitates in Lombardia bellum urgerent, adducit eas copias Epiſcopus Colonienſis: Longobardi hosce de via laſſos invadere conantur, impedit nihilominus id Imperator, attamen nihilominus vincitur, & in præſenti diſcrimine vitæ conſtitutus vix evadit. Conjux ejus pro mortuo eum luxit, priusquam tuta via ad eam pervenire poſſet.* Colon.

Annus Indorum 1259. & Hegira 572. incipit 10. Julii, fer. 7.

Imperator, cùm in bello Lombardico partes inferiores ferret, & Henricus Dux Saxoniæ Germaniam turbaret, & reliqui Status moleſte ferrent, ſe ſolos in Europa ſchiſmaticos vocari & excommunicari, ad reconciliationem cum Pontifice Alexandro animum adjicit, & legatos ad eundem mittit, Chriſtianum Moguntinum & Magdeburgenſem, cum liberis mandatis, qui totis diebus quindecim de pace agunt, & eam tandem inter Imperatorem & Pontificem concludunt, ſi conſentiant rex Siciliæ & civitates Lombardicæ, ſine quibus Papa affirmavit, ſe pacem nullam facere poſſe. *Baron.*

Emmanuel *Imperator Conſt. prælio inito cum Sultano Iconii, victor tandem exiſtit, & eum cogit ad pacis conditiones ineundas.* Roger.

Annus

Annus Alexandr. 1488. *Antioch.* 1225. *Conſtant.* 6685. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Nabonaſſaris 1925. *&* *Philippi* 1501. *incipit* 7. *Novemb. fer.* 3.

Saladinus, ut ulciſceretur prioris annni injurias, in Palæſtinam irruit, & Aſcalonem urbem obſidet. Balduinus rex, etſi quandam partem exercitus Tripolitano dederat ad caſtrum Hærens obſidendum, tamen cùm hoſtes ſua timiditate audaciores feciſſet, & Brabantini ſimul adveniſſent, cum eis pugnat, & fortitudine Brabantinorum inſigni victoriâ potitur: fama fuit, vix centeſimum in Ægyptum rediiſſe, factum die 25. Novemb. Hieroſolymam autem profectus, conſilio habito muros urbis in circuitu ædificat, factâ etiam contributione Cleri. *Tyr.*

Hoc anno Wigmannus, priusquam in Italiam proficiſceretur, prohibuit ludos equeſtres eos quibus acutis lanceis concurrebatur, hac de cauſa, quòd præcedenti anno ſedecim adoleſcentes nobiliſſimi, in hisce ludis interfecti fuiſſent: prohibitio facta ſub pœna excommunicationis, idq; probavit Alexander Papa. *Fab.*

ANNO MUNDI 5126. Poſt. C. 1177.

B. ☉ 10. ☽ 19. *Ind.* 10.

Annus urbis 1929. *Julianus* 1222.

Æra Hiſpan. 1915. *Auguſtorum* 1204.

Annus Jezdegird 546. *incipit* 7 *Januarii, fer.* 2. *Armen.* 626. 3. *Febr. fer.* 5.

Annus Neuruz Gelali 98. *incipit ab Æquinoctio verno.*

Imperator Fridericus, incipit annum imperii 26. *Emmanuel* 35. *in Martio.*

Mare Bataviam inundat 7. *Januarii, & ferè totam ſubmergit.* Regin.

Henricus Dux Auſtriæ, cùm annis 35. præfuiſſet, moritur die 1. Febr. Succedit filius Leopoldus, qui his militavit in Palæſtina, & præfuit annis tantum 16. *Cuſ.*

Fridericus perſuaſus à conſiliariis ſuis pacem facere cum Pontifice cupit, nec minus Alexander Papa pacis cupidus eſt. De loco dubitatur ubi fiat, cùm Papa nec Bononiæ nec Ferrariæ, vel aliis in urbibus hoc fieri vellet, metu fraudis: tandem eliguntur Venetiæ, eò abit 23. Martii, & cum Duce ac Senatu de hac re agit. Inde Dominicâ paſſionis abit Ferrariam, ibi concluſum, ſi pax cum rege Siciliæ & Lombardis conveniſſet, ut Imperator Venetiis à Duce in urbem admitteretur. Interim agitur de pace inter Lombardos & Imperatorem; quæ actio producitur uſque ad 6. Julii, nec tamen pax ſanciri potuit: induciæ tantùm factæ ſunt, in annos ſex. Inde cum rege Siciliæ actum, ubi pax convenit in annos quindecim. Tandem veſperæ Jacobi Apoſtoli Cardinales mittuntur, qui Imperatorem ab excommunicatione ſolvant, & in feſto Jacobi, Papa Imperatorem procidentem tardius ſublevavit, unde principes Germaniæ irati fuerunt Pontifici. Miſſa peractâ Imperator ſtapedem Pontifici equum aſcendenti tenuit, & Imperator, ut & Papa Venetiis manſerunt uſq; ad medium Octobrem, ubi in Italiam redierunt. Pacem autem hanc factam hoc anno, cùm ſchiſma duraſſet annis octodecim, character temporis teſtatur, quando dicitur eam factam eo anno, quando Paſcha incidit in 24. Aprilis. *Conſtit. Imp.*

Annus Indorum 1260. *&* *Hegiræ* 573. *incipit die* 30. *Junii, fer.* 6.

Olympias 488. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1953.

Annus Diocletiani 894. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Alfonſus *Caſtellæ rex arma in Mauros movet, & Concham urbem munitiſſimam nono obſidionis menſe, die* 21. *Septembr. capit.* Marian.

Micislaus Princeps Poloniæ, cùm quatuor annis præfuiſſet, propter crudelitatem principatu pellitur; & ſuccedit fratrum ultimus Caſimirus, qui præeſt annis 17. Micislaus confugit ad Imperatorem, ſed ab eo derelictus, recuperat aliquid bonitate & benevolentia fratris Caſimiri. *Hiſt. Pol.*

Benezet puer duodecim annorum in Burgundia audit vocem quandam, quâ admonebatur, ut ædificaret *Pontem in Rhodano*, qui tandem ab eadem voce coactus abit Avenionem, & tridui iter conficit tribus horis. Ibi in publica concione promittens ſe pontem ædificaturũ, irridetur: puer inſtat, ut ſibi ad opus perficiendum aliquid largirentur. Epiſcopus dicit ſe habere domi ſaxum ingens ad fundamentum firmandum: id habuit pedes tredecim in longitudinem, ſeptem in craſſitudinem. Id ſaxum puer tollit, & pro fundamento locat, inde alii contribuunt, & pons hoc anno ædificatus eſt. *Baronius affirmat hanc hiſtoriam confirmari diplomatis Pontificum Romanorum Innocentii IV. Clementis IV. & V. & aliorum.* Sit fides penes autorem.

ANNO MUNDI 5127. Poſt C. 1178.

A. ☉ 11. ☽ 1. *Ind.* 11.

Ecclipſis Lunæ annotatur à Monacho Colonienſi, quæ acciderit die 5. *Martii, horâ noctis* 1. *fer.* 1. *ubi per unius horæ ſpatium, dimidium ejus obſcuratum fuit, alterum verò fulgidum permanſit. Hæc Ecclipſis ita invenitur eodem die. Latitudo* 40,3. *Auſtral. Semidiamet. Lunæ* 17,39. *Summa* 63,14. *ſcrupul. reſidua* 23,11. *digiti ecliptici* 7,52. *Sol in* 22. *gradu piſcium.*

Romani cives ſibi metuentes à Pontifice, qui cum Imperatore in concordiam redierant, ne viribus Imperii coercerentur, offerunt Pontifici pacem, petuntq; ut Romam redire velit, promittuntque obedientiam, id quod accidit Dominica Lætare, in Quadrageſima, die 19. Martii. *Baron.*

Chriſtianus Epiſcopus Moguntianus, cùm poſt pacem factam in Italia belli occaſiones quæreret, à Marchioni Montisferratenſi, qui auxiliis Conſtantinopolitani Imperatoris adjuvabatur, vincitur & capitur. *Annal. Svev.*

Annus Indorum 1261. *&* *Hegira* 574. *incipit* 19. *Junii, fer.* 2.

Papa Johannes de Struma, qui ſe Calliſtum III. vocari voluerat, cùm non haberet, à quo coleretur vel defenderetur, abdicat ſe Pontificatu, die 29. Auguſti, & veniam conſequitur. *Baron.*

Ecclipſis Solis annotatur in Chron. Belgico hoc anno, quæ acciderit die 13. *Septemb. fer.* 4. *quæ etiam ita invenitur. Parall. Latitud.* 39,9. *Latitud. ſeptent. vera* 35,25. *viſa auſtralis* 3,44. *Semid. Solis* 15,28. *Summa ſemid.* 31,32. *ſcrup. reſid.* 27,48. *Digiti ecliptici* 10,51. *Sol in* 27. *gradu ferè Virginis.*

Albigenſes in Galliæ civitate Toloſa pulſi in Bohemiam abeunt, ibique ſemina ſuæ religionis ſpargunt. *Dub.*

Baldui-

Balduinus rex Hieroſolymis ſit leproſus, ſed tamen munia regni adminiſtrat, & ad vadum Jordanis in tribu Nephtali ad tribum Dan caſtrum ædificat miræ fortitudinis, quod tamen eodem hoc anno deſtruitur à Saladino, & inſuper clades magna accepta, cùm noſtri prædatores incautiùs inſequerentur, & in inſidias præcipitarent. *Tyr.*

ANNO MUNDI 5128. Poſt C. 1179.

G. ☉ 12. ☽ 2. *Ind.* 12.

Concilium Romæ ab Alexandro III. generale celebratur die 5. Martii, cui interfuerunt Epiſcopi & Archiepiſcopi circiter trecenti, ubi multa ad ſtabiliendum Pontificatum ordinata ſunt: inter cætera promiſſa eſt militantibus contra Albigenſes remiſſio peccatorum, & Petrus etiam *Lombardus* hæreſeos damnatur, injuſtè tamen, propter quædam de Trinitate à Pontifice bellicis rebus aſſueto non intellecta; triginta ſex annis ita damnationi ſubjacuit, donec reſtitueretur ab Innocentio III. & ejus accuſatores damnati. *Baron. & Centur. &c.*

Portugallia regi confirmatur à Pontifice titulus regius, propter res præclarè geſtas contra Saracenos. *Baron.*

Annus Indorum 1262. *& Hegira* 575. *incipit die* 8. *Junii, fer.* 6.

Balduinus *rex Hierosolymis biennii inducias paciſcitur cum Saladino ex aquo. ne alter alterius fines ingrediatur.* Tyr.

Comitia aguntur Wormatiæ, ubi omnes vicini de violentia & injuriis Henrici Saxonis conqueruntur, ideò ad proxima comitia citatur, ſed non comparet. Mon. Colon.

Ecclipſis Lunæ paulò poſt comitia accidit die 19. *Auguſti, quæ duravit à media ferè uſque ad Orientem Solem. Eodem etiam die invenitur, quòd acciderit Coloniæ, horis duabus &* 28. *minutis; ideò paulò poſt mediam noctem cœpit, Sole in* 2. *gradu virginis. Latitudo Lunæ auſtralis* 1, 21. *Semidiam. Lunæ* 16, 10. *ſcrup. reſidua* 57, 46. *digiti eccliptici* 21, 26.

Philippus filius regis Galliæ in morbum periculoſiſſimum incidit, *Pater igitur votiscauſa in Angliam ad tumbam Thomæ Cantuarienſis adoraturus, in Angliam abit* die 22. Auguſti. Revertitur poſt quatriduum, & cùm filius convaleſceret, eum regem coronare vult die 8. Septembr. Verùm cùm valetudine non ſatis eſſet firma, dilatum id fuit uſque ad Calend. Novembr. ubi ſolenniter fuit coronatus: puer fuit 14. annorum, & duorum menſium. *Rich.*

Emmanuel Imp. Orientis magnificè gloriatur de ſuperato Sultano Iconii in literis ad Fridericum Barbaroſſam, ipſique mittit egregia munera, & inter alia cantharum ſmaragdineum, capientem Sextarium. *Crantz.*

ANNO MUNDI 5129. Poſt C. 1180.

FE. ☉ 13. ☽ 3. *Ind.* 13.

Cùm ſubinde triſtes nuncii ex Palæſtina venirent, Alexander III. Papa ſcribit die 16. Januarii ad omnes principes Europæ, ut terræ ſanctæ ſubſidium mittere velint. Idem mandat etiam Epiſcopis in Europa, ut quosvis adhortentur ad peregrinationem in ſanctam terram. Emmanuel Imp. ne hæc expeditio ſuis provinciis ſit damnoſa, ſcribit ad Papam, ut Cardinalem ſimul mittere velit, qui petulantiores milites coerceat. *Baron.*

Ecclipſis Solis indicatur hoc anno die 28. *Januarii, quæ eodem die fer.* 2. *etiam accedit, ſed horâ ferè quarta poſt meridiem. Parallaxis latitud.* 35, 27. *Latitudo vera* 36, 18. *Latitudo viſa* 0, 51. *Semid. Solis* 15, 50. *Summa ſemidiamet.* 31, 0. *ſcrup. reſidua* 30, 9. *digiti ecclipt.* 11, 26. *Sol in gradu* 15 8. *Aquarii.*

Judæi die 14. Februar. fer. 2. in Gallia, quia dicebatur ſingulis annis Chriſtianum circa Paſcha jugulare, capiuntur, & omni auro exſpoliantur, *Richord.*

Emmanuel Conſtantinop. filio ſuo Alexio, puero 13. annorum, deſpondet filiam Ludovici regis Galliæ octennem, cùm Wilhelmus Epiſcopus Tyri paulò poſt menſe Junio in Palæſtinam rediret, cùm anno uno & menſibus decem abfuiſſet. *Tyr.*

Annus Indorum 1236. *& Hegira* 576. *incipit* 28. *Maji, fer.* 4.

Gerhardus Comes Geldriæ & Zutphaniæ moritur, cùm annis 23. Comitatui præfuiſſet; ſuccedit ipſi *Otto* frater, qui præeſt annis 37. *Chron. Belg.*

Philippus *priore anno rex à parente inauguratus, die* 29 *Maji celebrat nuptias cum* Iſabella, *nepte Philippi comitis Flandriæ, cui dotis loco data eſt pars occidua Flandriæ, cui dotis loco data eſt pars occidua Flandriæ. Hinc poſtea multiplicia bella inter Gallos & Flandros exorta. Inde Ludovicus rex Galliæ paralyſi correptus moritur die* 18. *Septembr. fer.* 5. *cum regnaſſet annos* 43. *& Philippus filius ſuccedit, qui regnum ampliavit, & regnavit annos iisdem* 43.

Henricus Leo Dux Bavariæ & Saxoniæ, cùm citatus aliquoties ad comitia non compareret, à Statibus condemnatur Majeſtatis, privatur omnibus bonis, & ex imperio proſcribitur. Bavariæ Ducatus datur *Ottoni* Wittelsbachio die 13. Julii. Hujus majores olim ab Henrico I. Imperat. Bavariâ ejecti fuerant. Saxoniæ verò Ducatus datur Bernhardo Anhaldino, qui donatus urbibus Witteberga & aliis, inſignia ſertæ rutaceæ accipit, ut diſcrimine aliquo à fratribus diſtingueretur. *Fab.*

Landshutum *ab Ottone Wittelsbachio ædificatur, ut eſſet ſedes Ducum Bavariæ.*

Hildegardis Abbatiſſa Ruperti, quæ ſcripſit Carmina & Epiſtolas, & ad quam Epiſtolæ extant Imperatorum & Epiſcoporum, moritur die 17. Septembr. *Trith.*

Annus Alexandr. 1492. *Antioch.* 1229. *Conſtant.* 6689. *incipit* 1. *Octobr.*

Emmanuel Conſtantinop. Imperator, cùm imperaſſet annos 38. & aliquot menſes, toto ferè anno morbo decumbens, moritur die 6. Octobr. *Wilhelm. Tyrius.* Succedit filius *Alexius* puer, qui imperat annos 4.

Annus Nabonaſſaris 1929. *& Philippi* 1505. *incipit* 1. *Novemb. fer.* 7.

Colonienſis *ex damnatione Henrici Ducis acceperat Ducatum Weſtphaliæ & Angriæ, ideò Colonienſes ſibi metuebant ab* Henrico *Duce atque ea de cauſa urbem fortiſſimè muniunt.* Aquicinct.

Saladinus *trajecto Euphrate cepit omnes urbes Meſopotamiæ, uſq; ad Niſibin, atque ita regna ſua plurimum ampliavit.* Zacuth.

ANNO MUNDI 5130. Poſt C. 1181.
C. ☉ 14, ☽ 4. *Ind.* 14.

Annus urbis 1933. *Julianus* 1226.
Æra Hiſpan. 1219. *Auguſtorum* 1208.
Annus ſex. degird. 550. *incipit* 30. *Ianuarii, fer.* 6.
Armen. 630. 2. *Febr. fer.* 2.
Fridericus Imper. inchoat annum imper. 30. *menſe Martio.*
Annus Neuruz Gelali 102. *incipit ab aquinoctio Verno.*

Bellum Flandricum inter Philippum regem Galliæ, qui ſuæ conjugis dotem, partem occiduam Flandriæ, petebat, & Comitem Flandriæ, exoritur ſtatim initio anni, vaſtationibus tamen tantum certatum, & ter hoc anno induciæ initæ, ter bellum reparatum. *Annal. Fland.*

Henricus Dux Saxoniæ proſcriptus animoſe Principibus & Epiſcopis, qui regiones ipſius ab Imperatore conceſſas occupare volebant, reſiſtit, Colonienſem aperto prælio vincit, *Halberſtadium* expugnat & exurit, Epiſcopum captivum abducit, Northuſium itidem expugnat, & Mulhuſium. Ita Landgravium & novum Ducem Bernhardum bello invadit, ambos vincit, & Landgravium capit & præda dives Brunſuicum redit. *Spang.*

Annus Indor. 1264. & *Hegir.* 577. *incipit* 17. *Maji, fer.* 1.

Olympias 489. *incipit die.* 15. *Julij. Eſt annus Olympiadicus* 1957.

Annus Diocletiani 898. *incipit* 2. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus 5. *Jobelei* 23. *incipit* 12. *S. fer.* 7

Annus Ind. 4942.

Alexander III. Papa, cum ſediſſet annos 22. moritur die 27. Auguſti ſuccedit ipſi die 29. Auguſti Umbaldus Thuſcus, qui appellatus eſt *Lucius* III. qui ſedet annos quatuor. Hic ſtatuit *Hæreticum* ſi fuerit ſacris initiatus, primum deſecrandum & mox tradendum locorum magiſtratibus, ut igne cremetur. *Polyd.*

Princeps Antiochenus pulſa uxore ſua, regis Balduini ſorore, pellicem aſſumit; ob id excommunicatur, ipſe contra Clerum perſequitur & omnibus incommodis afficit. Tyr.

Noradini filius, qui pauca quædam adhuc in regno Damaſco obtinebat, moritur, qui ſua omnia legavit patrueli, principi potentiſſimo in Meſopotamia. Saladinus hoc audito ſtatim adfuiſſet, & ea occupaſſet, niſi veritus eſſet claſſem Siculorum tum Ægyptum petere ad occupandum Alexandriam, quæ tamen tum maximè inſulas quaſdam in Græcia occupabat. *Tyr.*

Balduinus *rex Hieroſolymis, cum regni negotia tractare non poſſet, propter elephantiaſin morbum, regitur à ſorore & aliis aulicis, quorum ſuaſu injurias infert quibuſdam principibus, unde ſeditiones metuebantur, interventu tamen aliorum invicem reconciliantur.*

ANNO MUNDI 5131. Poſt C. 1182.
C. ☉ 15. ☽ 5. *Ind.* 15.

Fridericus Imperat. cum *Henricus* proſcriptus undique victoriam exerceret; ne imperii decreta vana eſſent, cum exercitu contra Henricum proficiſcitur, propellit eum totâ Saxoniâ, urbes ejus & arces occupat, & tandem *Lubecam* obſidet, quæ cum obſidionem tuliſſet ad aliquod tempus, impetrat ab Imperatore, ut liceat ſibi in ſuis auguſtiis Ducem Henricum conſulere, qui ſuaſit, ut ſe dederent, quæ fides adeò placuit Imperatori, ut Lubecam deditam privilegiis augeret, & pro inſignibus urbis aquilam geminam daret. *Henricus* pulſus Danum pro auxiliis implorat, ſed & hoc fruſtra fuit, ideo tandem comparet coram Imperatore & miſericordiam ejus implorat, qui ſuaſit ei, ut imperio per triennium cederet, & ſibi Ducatum Brunſuicenſem & Luneburgenſem retineret. Atq; ita in Angliam abiit, ubi in Normannia ſumptibus regis Angliæ ſuſtentatus fuit. *Spang.*

Philippus rex Galliæ, menſe Aprili proponit edictum, quo jubebantur Judæi, qui divitias ferè omnes totius Galliæ *uſuris* ad ſe derivarant, ut ante feſtum Johannis Baptiſtæ Gallia exularent, mobilia interim venderent, immobilia verò regi relinquerent, niſi vellent Chriſtiani fieri, qua neceſſitate quidam coacti religionem Chriſtianam recipiunt; quidam regno exceſſerunt menſe Julio. Recepti tamen poſtea iterum ſunt in regnum, quantum ex hiſtoriis videre eſt. *Rich.*

Wilhelmus Tyri Epiſcopus, à temporibus Machomet per annos 577. uſque adhunc annum, hiſtoriam Saracenorum ſcripſit, rogante Almarico rege Hieroſolymorum, qui ſuppeditabat exemplaria Arabica, ſed ea hiſtoria intercidit. *Tyrius.*

Annus Indorum 1265. & *Hegiræ* 587. *incipit* 6. *Martij, fer.* 5.

Andronicus *Emanuelis quondam Patruelis, qui olim propter ſcelera exulaverat, & jam Ponto præerat; collecto exercitu Conſtantinopolim venit, & tutores omnes regis, qui quatuordecim annorum erat, trucidat, & ipſe tutorem & adminiſtratorem regni ſe fecit.* Tyr.

Mille & quingenti peregrini navibus in Palæſtinam tendentes, naufragium propè Ægyptum faciunt, evadunt tamen in terram, ſed à Saladino ſpoliantur, & in vincula conjiciuntur, atq; ita induciæ ruptæ: antea tamen Comes Tripolitanus etiam quoſdam Arabes ceperat, & Saladino reddere noluerat. Ideò Saladinus ex Ægypto Damaſcum properat, & Palæſtinam vaſtat. Balduinus opponit exercitum, & aliquot turmis eum vincit. Sed Saladinus ut noſtros viribus diſtraheret, ex Ægypto incurſionem in Palæſtinam jubet fieri. Interim ipſe Berythum & terra & mari obſidet, ſed irrito conatu, ideò ſolvit obſidionem, copias ingentes in Perſiam abducit, multaſque urbes capit, & inter alias Apamiam etiam. Balduinus verò, cum Damaſci regnum ſine præſidio eſſet, id longè lateq; vaſtat, & tandem caſtro fortiſſimo potitur. *Tyrius.*

Henricus *rex Angliæ vult reliquos ſuos filios homagium & juramentum facere* Henrico *majori natu: ſed recuſant id, atq; ob id rebellant. Cum igitur* Henricus *bellum adverſus fratres appararet, in ipſo apparatu moritur.* Pariſ.

Maronita, ad Libanum populus bellicoſiſſimus, cum hactenus Monotheletarum errorem ſecuti eſſent, religionem Latinorum recipiunt, plurimum hi profuerunt noſtris in bellis contra Saracenos. *Baron.*

Franciſcus Monachorum Coriphæus naſcitur hoc anno, ut habet Abbas Staden.

Menſe Dec. Fridericus *in Italiam abit, & honorificè à Mediolanenſibus & aliis excipitur.* Annal. Suev.

Uuu ANNO

ANNO MUNDI 5132. Poſt C. 1183.
B. ☉ 16. ☽ 6. Ind. 1.

Andronicus ſuperiori anno menſe Septembri cũ Alexio in imperium receptus fuerat, & Imperator proclamatus; ſed ſtatim omnem Alexii cognationem exſcindere nititur, & prius viduam Emanuelis ſuffocari jubet, & paulò poſt Alexium noctu chorda arcus ſtrangulat, & cadaver in mare demergit, cum vix natus eſſet annos quindecim, inde Latinos omnes, qui Conſtantinopoli habitabant, exſcindere parat, multi tamen effugerunt, qui cum multi eſſent numero, claſſem Andronici occupant & ea utuntur ad vaſtandam omnem Græciam, & præda quidem bona amiſſa adæquarunt: ſed conjuges eorum & liberi Conſtantinopoli crudeliter trucidati ſunt: Legatus etiam Pontificius Romanus inter reliquos occiſus. Inde exercitum Andronicus parat, & urbes, quæ ſeditioſis Ducibus adhærebant, bello petit, inprimis Niceam, quam deditione capit, ſed in dedititios crudeliter graſſatur, Pruſiam poſt vi capit, & exſcindit. *Nicet.*

Indorum annus 1266. & Hegira 579. incipit. 26. Apr. fer. 3.

Ludovicus Landgravius Thuringiæ, Marchioni Miſniæ aliquot urbes & caſtella eripit. Marchio Otto cum paucis equitibus hoſti obviam proficiſcitur, & capitur, & Wartburgum deducitur; Imperator poſtea rem componit, & Ludovicus cogitur Marchionem dimittere, & pro caſtellis pecuniam numerare. *Fab.*

Fridericus *Imp. pacem tandem facit, cum Lombardicis civitatibus, quæ ſancitur Conſtantiæ, die 25. Junii, atq; eam ob cauſam* Conſtantienſis, pax *appellatur, quam ſcholiis illuſtravit poſtea Baldus.* Bar.

Lucium Papam cives Romani, quòd non omnes eorum conſuetudines approbaret, urbe pellunt, & ejus ditiones vaſtant. Papa invocat in exilium Imperatorem, à quo Cancellarius cum exercitu mittitur, qui cives pellit in urbem & ſuburbia vaſtat: cives cum vi non poſſent exercitum pellere, perfidia id efficiunt, fontem enim, quem ferè unicum habebat exercitus, quo vina miſcebant, veneno inficiunt, quo Cancellarius & alii inſigniores ad mille interfecti ſunt. *Bar.*

Auguſta Vindelicorum fortuito igne die 16. Junii tota crematur. *Chr. Aug.*

Balduinus *cum metueret creſcententem Saladini potentiam, tributum imperatori Palaſtinæ, de centum aureis unum, & de proventib. annuis q inquageſimam partem, & Saladinus reverſus D. maſcum,* Halapia *potentiſſima urbe potitur die 5 Junij.* Tyr.

Balduinus rex, cum præter Elephantiaſis morbum, quo & oculis privatus erat, & manus pedesque putreſcerent, etiam febris accederet, procuratorem regni ſibi aſſumit affinem Comitem Aſcalonis, cui cæteros jubet fidelitatem jurare, inde filium ſuum Balduinum, puerum quinque annorum, pronunciat Imperatorem die 20 Nov. *Tyr.*

ANNO MUNDI 5133. Poſt C. 1184.
AG. ☉ 17. ☽ 7. Ind. 2.

Annus Indorum 1267. & Hegira 580. incipit 14. Apr. fer. 7.

Conſpiratio Conſtantinopoli facta in perniciē Tyranni Andronici, autore Iſaacio, qui Cyprum occupavit, cujus cum Andronicus compos eſſe non poſſet, fratres ejus Conſtantinopoli, viros honoratiſſimos, lapidibus obrutos, poſtea palis affigit in Aſcenſione Domini. *Nicet.*

Senonenſis civitas in Gallia tota incendio periit in vigilia Johannis Baptiſtæ. *Richar.*

Fridericus Imper. Erfurdiæ in Thuringia comitia habet, ubi cauſa diſceptata eſt inter Ludovicum Landgravium, & Epiſcopum Moguntinum, die 26. Julii, ubi infelici cauſa aula, ubi convenerant, corruit. Imperator clathris feneſtrarum apprehenſis ſalvus permanſit: pereunt plurimi, & inter cæteros, ſex Comites, qui corruente ædificio in latrina fœdè perierunt. *Spang.*

Florianus martyr hoc anno impetratus precibus Caſimiri Ducis transfertur Roma in Poloniam. Papa Lucius noluerat in principio conſentire, ſed cum ſacrarium quoddam, ubi plurimi jacebant martyres, Pontifex introiret, & quæreret, quiſnam martyrum in Poloniam abire vellet, Florianus manum ex tumba protendit, & ſic dimiſſus eſt. *Baron.*

Abeniacobus Saracenus in Italia plurimos Saracenorum reges cum magno exercitu ex Africa evocat in auxilium, qui in Luſitania multas urbes ceperunt, & totam regionem crudeliter vaſtarunt, ſed ab Alfonſo tandem magna clade bis vincuntur & Jacobus ille trucidatur, cui ſuccedit *Aben Joſephus* frater. *Mariana.*

Sylva Ducis Hertzogen Buſch *conditur hoc anno à Godefrido Duce Lotharingiæ, qui dictus eſt,* Gotfried in der Wiege. *Vallum tamen ejus & foſſa perfecta ſunt tandem anno 1196.* Antiq. Flaxand.

Annus Alexandr. 1496. Antioch. 1233. Conſtantinop. 6693. incipit Cal. Octob.

Annus Nabonaſſaris 1933. & Philippi 1509. incipit die 31. Octo. fer. 4.

Arnoldus Trevirorum Epiſcopus mortuus fuerat in cujus locum bini eliguntur, quorum alterum conſecrari vult Imperator, alterum Papa Lucius. Hinc factum, ut iterum ſimultas oriretur inter Papam & Imperatorem, & propterea Imperator venit Veroniam in Italiam, quo etiam acceſſit Papa Lucius ubi Legati adveniunt à rege ex Angliā ad Pontificem, ut intercedat apud Imperatorem pro Henrico Duce Saxoniæ, ut in gratiam recipiatur, & in Germaniam redeat: quod factum eſt ſequente anno *Baron.*

ANNO MUNDI 5134. Poſt C. 1185.
F. ☉ 18. ☽ 8. Ind. 3.

Annus urbis cond. 1937. *Julianus 1230.*
Æra Hiſpanica 1223. *Auguſtorum 1212.*
Annus Jezdegird 554. incipit 29. Ianu. fer. 3. Armen. 634. 1. Febr. fer. 6.

Annus Neuruz Gelali 106. incipit in Æquin.

Fridericus Imp. incip. annum imp. 34.

Legati à terra ſancta in Italiam veniunt, inter quos fuit Patriarcha & Wilhelmus Epiſcopus Tyri, qui annò ſuperiori hiſtoriam ſuam finit. Petunt autem auxilium à Pontifice contra potentiſſimum hoſtem Saladinum Papa eos commendat regi Angliæ & Galliæ, qui benignè quidem reſpondent, ſed Patriarcha maluiſſet regis Angliæ filium regem Hieroſolymis creari, ut ita cum juſto exercitu in Palæſtinam veniret, ſed id fruſtra fuit.

Annus Indorum 1268. & Hegira 581. incipit 3. April. fer. 4.

Imperator cum Pontifice varia tractat, ſed conſentire non potuerunt. *Primum* fuit de Marchionatu Mathildis, quem ſibi aſſerebat Pontifex: ſed Imper. ſuum eſſe affirmabat, proferuntur utrinque inſtrumenta. *Alterum* de Epiſcopo Trevirenſi, ubi ſimiliter convenire non potuerunt. Sed Imperator ſuo electo dedit regalia & uſumfructum. *Tertium* fuit, quod Imperator voluit filium ſuum coronari, quemadmodum olim *Carolus Ludovicum, Ludovicus Lotharium, &c.* ſed Papa noluit, niſi pater ſe imperio abdicaret. *Hiſt. Sclav.*

Ecclipſis Solis annotatur in annalibus Francicis, quæ accideret ipſis Calendis Maji. Ea etiam invenitur ibidem Rhemis in Galliis, hora una, & min. 53. poſt meridiem, fer. 4. Parall. latitud. 27,18. Latitudo vera 35,57. Viſa 8,39. Semid. Solis 15,12. Scrup. reſidu. 22,44. Digiti ecclipticí 9. fere Sol. in 17,37. Tauri. In Anglia ſcribitur fuiſſe totalis, & verum eſt, præſertim in Scotia.

Alexius Comnenus, Emanuelis nepos, ab Andronico in Scythiam relegatur, qui reverſus in Siciliam *Wilhelmum* regem iuſtigat, ut Græciam deprædetur ubi Wilhelmus hac æſtate Dyrrachium, & poſtea Theſſalonicam corona cepit die 15. Augu. *Nicet.*

Andronicus *verò eadem hac æſtate aquaductum maximum renovavit, quod hydrale fluvio, in eum derivato, in medio foro aquam fontanam & potabilem effunderet. Id opus tamen morte ejus interruptum eſt, & ſequentes Imper. id non curarunt.* Nic.

Olympias 390. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1961.

Annus Diocletiani 902. incipit die 29. Auguſti.

Balduinus leproſus rex Hieroſolymis moritur, cum regnaſſet annos undecim; ſuccedit Balduinus puer qui vixit in Imperio tantum menſes 8. *Pariſ.*

Caſimirus princeps Poloniæ infert bellum *Bela* Hungariæ regi, ſed id tamen triennalibus induciis ſopitum eſt. *Hiſt. Pol.*

Flandriæ *Comes Hannonienſem agrum crudeliſſimè vaſtat, ſed cùm induciæ intervenissent, copias dimittit.* Hiſt. Fland.

Andronico Imp. prædicitur à malo ſpiritu, ipſum periturum ante diem 14. Septembr. & trucidatum iri ab aliquo, cujus nomen ab Is inciperet, fuit is Iſaacius Anglus. Is igitur die 11. Septembr. comprehendendus ſe acriter defendit, & quoſdam trucidat, & in templum confugit, ubi ſtatim proclamatur Imperator, & Andronicus comprehenditur, & fœdis modis cruciatur & trucidatur, cum imperaſſet annos tres; *& Iſaacius* ſuccedit, qui imperat annos ferè decem, & ſtatim movet contra *Wilhelmum* Siciliæ regem, qui & Amphilon occuparat, & Theſſaliam obtinebat. Sed *Iſaacius* feliciter omnia recuperat, & hoſtes & terra & mari victos Græcia expellit. *Nic.*

Iconii *Sultanus eodem tempore irruptionem in Thraciam facit, omnia longè lateque vaſtat, quem* Iſaacius *muneribus placat.* Nice.

Lucius Papa, cum ſediſſet annos 4. moritur die 25. Novembr. ſuccedit Lambertus Cribellus Mediolanenſis, qui ſedet annos ferè duos, & vocatus eſt Urbanus III. qui quòd pacem inter Eccleſiam & imperium turbare conaretur, à Germanis dictus eſt Turbanus.

Alfonſus *rex Portugalliæ, cum regnaſſet annos 73. vixiſſet annos 91. moritur die 6. Decembris: Succedit* Sancius *filius, qui regnavit annos 26. Hujus tempore Sylvenſis civitas Saracenis erepta eſt opera Danorum, Friſiorum, & Hollandiorum.* Hiſt. Port.

ANNO MUNDI 5135. Poſt C. 1186.

E. ☉ 19. ☽ 9. *Ind.* 4.

Imperator Fridericus filio ſuo Henrico nuptias ſplendidiſſimas facit Mediolani die 27. Januarii, cum haberet annos 21. Duxit autem ſororem *Wilhelmi* regis Siculi, qui poſtuma fuerat patris *Wilhelmi*, & jam annos triginta habebat. *Non autem fuit monialis*, ut plerique Scriptores autumant. *Nam Papa nunquam conſenſiſſet, ut monialis nuberet, quia Papa erat tum hoſtis Imperatoris*, & ſtudebat Tancredo, fratri notho *Wilhelmi* regis, ut is in regno ſuccederet. In cœnobio tamen hæc Conſtantia ab ineunte ætate educata fuerat. *Baron.*

Balduinus puer, rex Hieroſolymis moritur: Succedit ipſi Guido. qui Balduini leproſi ſororem uxorem habebat, cui inimicitiæ erant cum Comite Tripolitano Reimundo, qui hactenus regnum adminiſtrarat, & prorex fuerat. Inde ſuſpitio oritur, Guidonem Balduinum puerum veneno ſuſtuliſſe, ut regno potiretur; Ideò bello petitur à reliquis. Induciæ tum erant cum Saladino; Ideo ejus mater ex Ægypto proficiſcitur Damaſcum, cum multis divitiis tanquam, in pace firma. Sed Reginaldus de caſtello inhians ejus divitiis, impetum in eam facit, ipſam omnibus rebus ſpoliat, adeò ut ipſa multo diſcrimine vix evaderet, atque ita induciæ ruptæ ſunt. Saladinus tamen petiit, ut rei ſibi ex fœdere darentur, ſed nihil impetravit; ideò bellum Guidoni indixit. *Pariſ.*

Annus Ind. 1269. & Hegir. 582. incipit 24. Mart. fer. 2.

Imperator, cùm Marchionatum Mathildis in Italia ab Imperio diſtrahi nollet, & Pontifici tradi. nec etiam jura imperii in vacantis Clericorum dimittere, non impetrat, ut filius ſuus coronetur, & offendit Pontificem. Sed nihil territus Metenſem Epiſcopum, qui Papæ ſtudebat, Epiſcopatu deponit, & Trevirenſem ſuum confirmat, & conqueritur de importunitate Papæ apud omnes Epiſcopos Germaniæ, qui ea de cauſa etiam ad Pontificem ſcribunt. Sed Papa nihilominus tamen Imperatorem excommunicaſſet, niſi id impediſſent Veronenſes & alii, & Papa ipſe poſt mortuus fuiſſet. *Baron.*

Ecclipſis Lunæ annotatur in vigilia paſſionis Dominicæ ſive veſpera Palmarum à Monacho Colonienſi, quæ fuerit partialis. Ea etiam invenitur hora 6. poſt meridiem Coloniæ Latit. Sept. 4,45. Semid. Lunæ 16,45. ſcrup. reſid. 55,50. Digiti ecclipt. 20. Sol in gradu 22,32 Arietis. Unde videre eſt fuiſſe hanc Ecclipſin totalem, & cum mora. Sed Monacho viſa eſt partialis, quia Luna orta fuit, cum ecclipſis decreſceret, & lumen à Luna recuperaretur. Richo.

Ecclipſis etiam Solis fuit, quam annotant Arabes anno Hegiræ 582. ſed ea tantum quatuor digitorum fuit, hora 1. diei 21. Aprilis, minutis novem poſt horam 5. à media nocte Francofurti. Ideò autem annotata eſt, quòd præcederet Conjunctionem omnium Planetarum hoc anno in Septembri. Latitudo Lunæ vera fuit 1,15.18. Parall. 54,28. viſa 10,50. Semid. Solis 15,13. ſcrup. reſid. 10,9. Sol in 7. Tauri.

Papa repudiato Rudolpho Epiſcopo Trevirenſi ab Imperatore conſtituto, ſuum *Volcmarum* conſecrat, ſed is à Trevirenſibus non recipitur. Ideo Rhemos ſe confert, concilium agit, & Trevirenſes excommunicat, nihilominus Rudolphus retinet ſuum Epiſcopatum. *M. n. Colon.*

Iſaacius Imp. ſeptuaginta naves in Cyprum mittit, quæ occupantur à piratis, cum vacuæ jam eſſent propterea quòd nautæ excenſionem feciſſent, atq; ita naves in Siciliam pertrahuntur. Exercitus territus amiſſione navium, à tyranno Cypri cæditur & capitur, & nautæ dimittuntur. *Nicet.*

Conjunctio omnium Planetarum hoc anno facta menſe Septembri, quum præceſſiſſet ecclipſis Lunæ 5. April. & Ecclipſis Solis, die 21. Aprilis. Mars & Saturnus conjunguntur die 7. Septembr. hora 8. horoſcopante Sagittario. Jupiter Saturno jungitur die 10. Octobr. fer. 6. etiam Capricorno horoſc. Omnium conjunctio *fit die 16. Septemb fer. 3. hora 1. Sole oriente, ubi Sol in 30. Virgin. Jupiter in 23. Libræ. Venus 3,49. Saturnus 8,6. Mercurius 4,10. Mars 9, 18. Cauda Draconis 8,23, Libræ Pars fortunæ 19. ita annotat hac Rogerius Anglus.* Richardus *verò Gallus dicit Arabes ex Hiſpania ſcripſiſſe, hanc conjunctionem fieri anno Judaico 4946 die 29. Elul, die Dominica, quæ eſt dies 14. Septemb. ubi Luna cum Sole etiam conjungitur.* Hinc prædixerunt: *Tantus*, inquiunt, *erit ventus, ut pulvere repleturus ſit arbores & turres.* Inde ſequentur hæc miracula: *Veniet vir ſapiens, Doctor veritatis. Deinde orietur quidam ex Elam, qui magnas ſtrages faciet.* Sed nihil annotatum eſt, quod evenerit.

Quidam in Anglia, cum novem diebus mentis exceſſu laboraſſet, tandem longum carmen recitavit triginta trium diſtichorum, idque decies & ſæpius eodem ordine, nulla mutata ſyllaba iteravit. Prædixit autem bella & peſtem & alia. *Roger.*

Walachi ab imperio deſciſcunt, & Imperatori plurimum dant damni. Exercitum primò miſſum & ſecurius agentem ſub Duce imperito rei militaris ferè totum delent. Alius igitur exercitus mittitur Duce Alexio Brana. Sed hic ſceleſtus rebellat Imperatori, repetit Conſtantinopolin, Iſaacium imperio pulſurus. Sed cum Conſtantinop. aliquot diebus obſediſſet, à Conrado Cæſare Italo eruptione facta trucidatur. Hic Conradus poſtea abit in Palæſtinam, ubi fortibus ſuis factis multis innotuit. *Nicet.*

Rex Ungariæ Bela *legatos mittit ad regem Galliæ Philippum, ut ſibi ſororem ſuam Margaretham det uxorem. idque impetrat.* Richor.

Fridericus Imp. Cremonenſes rebellantes auxilio Mediolanenſium in deditionem redegit. *Aquic.*

Pax hoc anno facta inter regem Galliæ & Comitem Flandriæ, ſed conditionibus Flandro non admodum æquis. Hiſt. Fland.

Philippus rex Franciæ indignatus tantum luti eſſe Lucretiæ Pariſiorum, in omnibus ejus vicis ſtravit vicos quadratis lapidibus, id quod multæ aliæ civitates imitatæ ſunt. *Chron. Belg.*

Epiſcopatus Rigenſis hoc anno à Meinardo erectus. *Baron.*

ANNO MUNDI 5136. Poſt C. 1187.
D. ☉20. ☽ 10. *Ind.* 5.

Annus Ind. 1270. *& Hegira* 583. *incipit* 13. *Martii. fer.* 6.

Ecclipſis Lunæ annotatur à Scriptoribus Gallicis ante amiſſam terram ſanctam, hoc anno, quæ accideret die 25. Martii, quæ ferè fuerit totalis. Ea ita invenitur die 26. Martii manè, horis 3. & minut. 54. poſt mediam noctem Rhemis. Latitudo fuit 37, 55. auſtralis. Semid. Lunæ 17, 28. ſcrup. reſidua 24, 57. Digiti eccl. 8, 34.

Saladinus ſtrenuus bellator deteſtatus mollitiem Ægyptiorum, ut haberet milites, quos Europæis in Syria habitantib. opponere poſſet, miſerat hactenus quotannis ad Circaſſos, propè Mœotidem paludem habitantes, & cum Tartaris perpetuò decertantes, & emit captivos adoleſcentes ſelectiores non paucos, eosq; armis inſtruxit, & ad belli exercitia aſſuefecit, ita tamen ut ſimul Mahumeticam religionem addiſcerent: Hiſce militibus etiam hoc anno *Chriſtianos* ex Palæſtina ejecit. Ex hisce militibus poſtea, cum poſteritas Saladini extincta erat, illi ipſi ex ſuo corpore regem elegerunt, nulla habita ratione ſucceſſionis in familiis, ſed tantum virtutis in bello. Inſtitutum autem perpetuò tenuerunt hoc, ut adoleſcentes quotannis coemerent præſertim baptiſatos. *Nec enim ad honores pervenire quiſpiam apud eos potuit, niſi qui baptiſatus fuiſſet, & religionem Chriſtianam abnegaſſet.* Petrus Bizarus. Hi *Mameluccii* dicti ſunt.

Auguſtæ Vindelicorum die 6. Aprilis, Luna 24. fera 2. dedicatur templum *D. Uldarici*, præſente Imperatore Friderico. *Chron. Aug.*

Saladinus, contracta ingenti copia militum & ad quinquaginta millia equitum, irruit in Palæſtinam, menſe Aprili, eamq; longè lateq; vaſtat. Magiſter militiæ templi, & magiſter Hoſpitalitatis ſeſe opponunt: Sed hic cadit, ille fuga elabitur, ipſis Calendis Maji. Inde rex omnes vires colligit, & hoſtibus obviam proficiſcitur in Galilæam, ubi rex Guido Raimundum Tripolitanum, Comitem militiæ, principem facit, & aperto prælio cum Saladino congreditur. Pugna fit acerrima, & cum neutro inclinaret res, *Comes Tripolitanus*, à Saladino pecunia corruptus, vexillum ſuum projicit, & ſuis fugæ autor eſt: Factum die 3. Julii. Maxima clade *Chriſtiani* affecti ſunt Guido rex cum magiſtro militiæ templi & *cum ſancta cruce* captus eſt, & tota Gallilæa deditur: nec Saladinus ſegnis eſt in perſequenda victoria, & cum apparatu ſummo *Ptolemaidem* properat, quæ ipſi traditur poſt biduum. Inde *Berytum & Biblum* ſimiliter his conditionibus capit, ut diſcedentibus ſuæ res permanerent, ſed ſub tributo. Inde Aſcalonem petit, quam ſimiliter deditione capit, hac conditione, ut rex & magiſter militiæ templi libertati reſtituerentur. Deditur autem eodem die, quo Ecclipſis facta eſt, quaſi Sol compatiens, luminis beneficium defectu ecliptico & urbi & orbi ſubtraheret. *Mar.*

Ecclipſis hæc Solis accidit die 4. Sept. horis duabus minus ſex minutis ante meridiem. Parallax. Latitud. 34,32. *Latitud. Septembr.* 45,16. *viſa Septent.* 10,44. *Semidiam. Solis* 15,25. *Summa* 31. 34. *ſcrup. reſid.* 20.50. *Digiti ecclipſici* 8.6. *in Anglia. Sol in* 18. *gradu Virginis.*

Saladinus inde Hieroſolymam abit, quam oppugnat diebus 14. eamq; tandem deditione capit die 2. Octob. cum annos 88. ſub poteſtate Chriſtianorum fuiſſet, ſed hac conditione, ut infans redimatur duobus aureis, qui decem annos exceſſerat, decem aureis maſculus, ſed fœmina quinque & poſt-

& poſteaomnialocâ profanantur, & *Mahumetica religio* in templo inſtituitur.

Conradus Marchio Montisferrati qui Conſtantinopoli egregiè ſe geſſerat, ſub idem tempus appellit Tyrum, & promittit civibus, ſe Tyrum defenſuru n, ſi ſub ditione velint eſſe, quod promittunt; paulò poſt advenit Saladinus, ſed Conradus crebris eruptionibus & terra & mari adeò eum exercet, ut re infecta obſidionem ſolveret, menſe Dec *Marin.*

Philippus *rex Galliæ, ineunte æſtate filios regis Angliæ Richardum & Johannem in caſtro Radulphi obſidet, quos pater rex Angliæ ex obſidione erepturus exercitum adducit, & aciem inſtruit, ſed proceres ex utraque parte, ne decerneretur, obſiſtunt, & induciæ biennii fiunt.* Rog.

Urbanus Papa, cum adeò triſtes nuncii de rege Hieroſolymorum capto & cruce amiſſa in Italiam venirent, mœrore animi moritur, die 19. Octobr. cùm ſediſſet annis ferè duobus: Succedit ipſi Albertus Beneventanus Cancellarius, qui ſe dici voluit Gregorium VIII. qui ſedit tantum menſes duos, moritur in fine Decemb. Hic ſtatim inſtituit *Jejunium quinquennale*, ut omnes Chriſtiani jejunarent feria ſexta inprimis, & deinde feria quarta & ſeptima.

Saladinus cum Imper. Conſtantinopolitano fœdus init his conditionibus, ne quenquam ex Europa Chriſtianum tranſire permittat, & ipſe contra accipiat omnes Eccleſias in terra ſancta, ubi religio Græco ritu exerceatur. *Marin.*

ANNO MUNDI 5137. Poſt C. 1188.

CB. ☉ 21. ☽ 11. *Ind.* 6.

Poſt obitum Gregorii Papæ, cum ſedes vacaſſet diebus 20. Paulinus Romanus eligitur Papa qui vocatur Clemens III. & ſedet annis 3. & menſibus 3.

Philippus *in Gallia*, & Henricus *Angliæ die* 13. *Januarii promittunt, ſe abituros armatos cum ſuis in terram ſanctam. Idem promittunt multi alii, ut Comes Flandriæ & alii & propterea indicuntur* decimæ *in omnibus provinciis, quas ſolvant, qui iter hoc ſacrum abnuunt ut habeant peregrini, unde vivant, & ut invicem diſtinguantur, Galli ſumunt rubram, Angli albam, Flandri viridem faſciam.* Rich.

Annus Ind. 1271. *& Hegiræ* 584. *incipit die* 2. *Mart. fer.* 4.

Comitia aguntur Moguntiæ in quibus *Fridericus* Imper. cum ſuo filio Friderico, & multis aliis Principibus & Comitibus Dominica Lætare vovet *peregrinationem ſacram*, & ſtatim præmittit Epiſcopum Moguntinum, qui commeatum expediat per Hungariam Conſtantinopolim uſq;. Mittit etiam Imperator legatum ad Saladinum *Henricum* Comitem Dicenſem, qui Saladino, niſi terram ſanctam reſtituat, bellum indicat, cui Saladinus animoſè reſpondet in literis, quæ extant apud Pariſienſem & Baronium, dataq; ſunt hoc anno Heg. 584.

Guido *Rex menſe Maio à Saladino, ut Aſcalonitis promiſerat, carcere liberatur, & dimittitur, cum regnum abjuraſſet, & ſe in Europam abiturum promiſiſſet.* Hoc juramentum, ut quod metu extortum ſit, & in perniciem religionis factum, irritum cenſent Epiſcopi, & eum ad defendendas reliquias adhortantur. *Etſi autem rex non haberet, ubi pedem poneret, tamen Ptolemaidem obſidet, cui auxilio venit frater* Gaufridus: *Interim* Guido *petit ſe recipi in urbe Tyro, quæ eſſet urbs regni. Sed* Conradus *Marchio hanc occuparat conſentientibus civibus, ideò regem cives repudiant, Piſani contra concedunt urbem regi dedendam. Hinc diſcordia orta, & Piſani urbe ejiciuntur.* Vitriac.

In Anglia die 8. Auguſti feria ſecunda, hora tertia poſt meridiem uſque ad occaſum Solis, *crux* in cœlo apparuit, cui affixus viſus eſt *Salvator* noſter clavis affixus, ita ut & Sanguis appareret. *Rogerius.*

Pax tandem fit inter Pontificem Romanum, & Romanæ urbis Senatum, ita ut cives concederent Pontifici omnem Jurisdictionem in urbe, ſed ita ut de moneta tertiam partem haberet ſenatus, & poteſtate n habeeret Tuſculi diruendi. *Baron.*

Annus ſabbathicus 6. *Jobelei* 23. *incipit* 24. *Sept. fer.* 7. *Anno* Jud. 4949.

Annus Alexandr. 1500. *Antioch* 1237. *& Conſtantin.* 6697 *incip.* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaris 1937. *& Philippi* 1513. *incipit* 30. *Octob. fer.* 1.

Ferdinandus *Legionis rex, cum annos* 31. *regnaſſet, moritur: ſuccedit filius* Alfonſus, *qui regnat annos* 42.

In Galliis Richardus Comes Pictavienſis, rupto fœdere infert bellum Comiti Tholoſano, quod bellum in æſtate poſt Pentecoſten cœptum tota æſtate in hyemem uſq; duravit, & utrumque regem & Galliæ & Angliæ ſimul involvit. Richord.

Imperator Conſtantinop. *Iſaacius* bellum moverat VValachis ſuperiori anno, ſed varia fortuna idem accidit ipſi hoc anno. Ideò hyeme ingruente domum redit, deliciis operam daturus *Niceta.*

ANNO MUNDI 5138. Poſt C. 1189.

A ☉ 22. ☽ 12. *Ind.* 7.

Annus urbis 1941.	*Julianus* 1234.
Æra Hiſpan. 1227.	*Auguſtorum* 1216.

Annus Jezdegird. 558. *incipit* 28. *Jan. fer.* 7. *Armen.* 638. 31. *Jan. fer.* 3.

Annus Ind. 1272. *& Hegiræ* 585. *incipit die* 19. *Febr. fer.* 1.

Annus Neurutii Gelali 110. *incipit ab æquin.*

Imperat. Fridericus *incipit annum imper.* 38. *menſe Martio.*

Richord. Scriptor Gallicus, ut & Chron. Belg. meminit Eccliþſis Lunaris, quæ acciderit die 2. *Febr. fer.* 5. *hora noctis* 4, *ea ita invenitur, ſed fuit tantum digitorum novem Sole in* 27. *piſcium. Latit. fuit* 36, 20. *Semid Lunæ* 17, 25. *ſcrup. reſid.* 25, 51.

Fridericus Imp. cum jam exercitus conveniſſet, *ut Arnoldus Lubecenſis habet*, centum & quinquaginta millium, partem ejus miſit per Italiam, claſſe quinquaginta navium: potiſſimam partem ipſe ducit per Hungariam. Iter ingreditur, cum comitia Ratisbonæ habuiſſet die 9. April. & Paravium deſcendit, ubi reliquos expectavit. Presburgi egit Pentecoſten, inde fer. 4. itinere pergit. Dominica Trinitatis occurrit illi Rex Hungariæ cum multis muneribus. Belgradum venit die 29. Junii, ubi quidam nobiles prædas egerant, & propterea decollati ſunt. Inde Bulgariam ingrediuntur, quam quòd ubiq; inſidiis exciperentur, vix duobus menſibus pertranſire potuerunt. Inde Imperator præmittit legatos Coſtantinopolin, qui in carcerem

conjiciuntur, & *Iſaacius* Imperatori nunciari jubet ſe tranſitum conceſſurum, ſi ſibi homagium & ſubjectionem jurare velit, obſides daret, & dimidiam partem Palæſtinæ, alias iter impediturum. Sed *Fridericus* progreſſus die 25. Auguſti *Philippopolin* capit, unde cives omnes profugerant. Inde cum *Iſaacius* omnes vias concædibus muniret, & exercitum opponeret, ſex millia Græcorum occidit, & vias patefecit. Quapropter *Iſaacius* legatos, quos in carcerem conjecerat, liberat, & *Friderico* remittit, & tandem Adrianopolin pervenit Imperator, ubi commeatum invenit in multos menſes, factum id die 22. Novemb.

Argentifodina aperiuntur in Epiſcopatu Mindenſi, eas Imperator Henricus *à patre* Friderico *conſtitutus ad imperium pertinere contendit, & ita edicit die 21. Martii.* Conſt. Imp.

Hamburgenſes *Comiti Adolpho domino ſuo profecturo in Palæſtinam pecunia ſubveniunt, unde ampliſſima privilegia conſequuntur & immunitatem vectigalium.* Cent Mag.

Angliæ rex Henricus in Galliam venit, ſed malè ibi accipitur à rege Galliæ, nec pax iniri potuit, & cum fortè fortuna res ad prælium ſpectaret, turpiter cadit, & tandem pax conficitur die 29. Junii. Ipſe verò Henricus triduo poſt, die 3. Julii moritur, cum regnaſſet annis 34. & menſib 7. Succedit ipſi filius Richardus, qui Dux Normanniæ & comes Andegavenſis declaratur die 20. Julii feria 5, & poſtea tendens in Angliam 13. Auguſti, coronatione multi Judæi occiſi ſunt, durante adhuc anno Sabbathico. *Pariſ.*

Saladinus *inſidias ſtruit obſidentibus Ptolemaidem ſed Guido Rex fortiſſimè eum repulit, die 1. Jul.*

Otto *Marchio Miſnenſis, cum præfuiſſet annis 33. moritur, & primus in cœnobio Cella in Miſnia ſepelitur, ſuccedit filius* Albertus, *homo atrocis ingenii & ſuperbi, qui præfuit annis ſex.* Fab.

Olympias 491. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 1965.

Annus Diocletiani 906. incipit die 29. Auguſti.

Iſaacius incipit annum imp. 5. in Auguſt.

Henricus Leo Dux Saxoniæ abſente Imperatore ſua recuperare conatur, Hamburgum & Holſatiam ſtatim recepit. *Bardevicum* obſidione cingit, & tandem vi expugnat, & planè excidit, ut etiam adhuc deſtructa jacet. ex cujus ruderibus Lunæburgum crevit. Inde Lubecam venit, & eam etiam deditione capit. *Spang.*

Ordo Monachorum de *valle caulium* hoc anno exortus eſt, ſed quia regulas habuit ſtrictioris vitæ, paucos habuit ſectatores. *Chron. Belg.*

Wilhelmus rex Siciliæ moritur, & proclamare juſſit ſucceſſorem *Henricum* Imperatorem, ſed proceres regni, rejecto *Henrico* cum Conſtantia, *Tancredum* eligunt, quem etiam confirmat Papa. *Henricus* quidem in Apulia & Calabria Ducatum occupat, ſed Siciliam occupare non poteſt, & re infecta in Germaniam redit. *Baron.*

Hollandi, Selandi & Flandri claſſem conficiunt navium 87. in Palæſtinam profecturi, & in itinere regi Portugalliæ ferunt auxilium, & *Sylviam* expugnant, ubi ad ſexaginta millia Saracenorum perierunt. *Hanc urbem Regi Portugalliæ tradunt, qui Epiſcopatum ibi inſtituit.* Pariſ.

ANNO MUNDI 5139. Poſt C. 1190.

G. ☉ 23. ☽ 13. *Ind.* 8.

Annus Indorum 1275. & Hegira 586. incipit 8. Febr. fer. 5.

Saladinus in magno metu eſt propter adventum *Friderici* Imperatoris, ideo munitiones commeatu inſtruxit, urbium autem muros dejicit, ne ſi ſe Imperatori dederent, recuperatu difficiles forent. *Marin.*

Richardus *rex Angliæ undique corradit pecuniam, ſumſit etiam à* Wilhelmo *rege Scotiæ decem millia marcarum auri, arces & obſides ei reddit, & Juri Scotorum regni renunciat.* Buch.

Judæi Eboraci in Anglia die 16. Martii feria 6. Palmarum à populo in turri incluſi expugnantur, priusquam autem id fieret, conjuges & liberos ſuos & ſeipſos etiam jugularunt, fuerunt viri numero quingenti, præter fœminas & liberos. *Roger.*

Imperator *Fridericus* ſtatim in Januario milites convocaverat in Græcia, & qui Philippopoli hybernarant, conveniunt menſe Febr. Sed Hadrianopoli hybernans ad Helleſpontum venit menſe Martio, & ipſe ultimus omnium tranſit die 28. Martii, fer 4. Cum hoc Turcæ ſenſiſſent, occurrunt Imperatori die 7. Maji, & magno prælio certatur: vincuntur Turcæ & caduntad 6 millia: non amplius accedere auſi, è longinquo noſtros obſervant, cum ibi noſtrorum quidam, ut equum relevaret tanto pondere, ex equo deſcenderet, & pedes equum duceret, ſolus accurrit quidam Turca, ſed noſter uno ictu equo Turcico anteriores pedes ambos abſcindit, & iterato ictu, Turcam adhuc reſidentem in equo per caput medium diſſecat, ita ut & ſella ſcinderetur, & equus etiam in tergo vulneraretur, ut *Nicetas* habet. Die 13. Maji, die Pentecoſtes iterum ingenti copia Turcæ Friderico occurrunt, ſed iterum fugantur, & eorum cadunt ad 10. millia, nullus noſtrum, niſi quòd filius Imperatoris in facie lapide percuteretur, & bini ipſi dentes excuterentur. Die 19. Maji iterum pugnant cum hoſtibus. & Iconium capiunt, ubi præter commeatum, quo hactenus deſtituti fuerunt, etiam theſauros pecuniæ inveniunt die 10. Junii, feria 1. Cum jam omnes difficultates itineris ſuperaſſent, & cætera prona eſſent, dum in anguſtiis ad flumen Saphar ſuos præmittit Imperator, & tædio moræ ſuis tranſeuntibus jungitur, in flumen cum equo præceps labitur & ſuffocatur, etiamſi undiq; ante & retrò præſentes in flumen inſilirent: unde tantus in exercitu mæror & luctus excitatus eſt, ut vix ulli principum tantum lachrymarum datum ſit. Sequenti die exercitus juravit Friderico Imperatoris filio, & Antiochiam venit die 21. Junii, ubi filius Fridericus patrem ſepelit, ante aram in templo D. Petri. Imperavit autem annos 38. menſes tres. Succedit ipſi filius Henricus, qui ſextus eſt hujus nominis, & imperavit annis 8.

Berna *Helvetiorum pagus à* Bertholdo *Zeringenſium Duce menſe Majo inchoatur, & conditur ad coercendos quoſdam nobiles, qui ſe ſuperbius gerebant.* Annal. Suev.

Obſeſſi Ptolemaide variis artibus obſidentes eludunt, & eorum munitiones & tormenta menſe Majo cremant. Pariſ.

Rex *Galliæ & Rex Angliæ iter ingrediuntur menſe Auguſto: ſed cum naves per columnas Herculis*

tardius

par.lim advenissent, *Rex Galliæ die 16. Septembr. Meſſanam ingreditur, & Rex Angliæ eodem pervenit die 23. Septemb. quem neq; Galli neque Siculi recipere voluerunt, ſed vi ſibi aditum perfecit. Egit cum Tancredo pro negotiis ſororis ſuæ Johannæ, quæ* Wilhelmi *regis vidua erat, accipitque viginti millia unciarum auri, de quibus ſponſorem appellat Pontificem Romanum.* Roger.

Florentinus, *Comes Hollandiæ, in expeditione ad terram ſanctam moritur in caſtris Antiochiæ die 1. Auguſti, cùm præfuiſſet annis 27 filius ejus* Wilhelmus *ſocius expeditionis quinquennio manet in Palæſtina, & Damiatam cum aliis expugnavit. In Comitatu verò Hollandico ſucceſſit* Theodoricus, *qui undecim annis præfuit.* Chron. Traj.

Ordo militiæ Teutonicus in obſidione Ptolemaidis, quæ in longum protrahebatur. inſtituitur autore *Henrico* Walpot, ut ægrotantium curam haberent. Approbârunt hunc ordinem ſtatim Fridericus Imperatoris defuncti filius, & alii, & legatos mittunt in Germaniam & Italiam ad Pontificem, ut confirmaretur, quod factum eſt anno 1201. die 22. Aprilis à Pontifice Innocentio III. datu que eſt ipſis veſtitus albus cum nigra cruce. *Cent.Magdeb.*

ANNO MUNDI 5140. Poſt C. 1191.
F. ☉ 24. ☽ 14. *l. d* 9.

Annus Indorum 1274. *& Hegira* 587. *incipit die* 29. *Jan. fer.*3.

Hebræus quidam obſervavit hoc anno, die 23. *Martii, fer.*7. *. olis locum, quam obſervationem factam ait completis annis æra Chriſtianæ* 1190. *& diebus* 82. *Tranſactis annis Hegiræ* 586. *& diebus* 54. *Item annis Nabonaſſareis* 1939. *& diebus* 145. *& Philippi annis* 1515. *& diebus* 145. *Tranſactis æra Hiſpanicæ, & diebus* 22. *Item annis Alexandrais* 1501. *& diebus* 173. *Tranſactis annis Perſicis Jezd.* 559. *& diebus* 55. *Item annis Diocletian.* 906. *& diebus* 206. *Liber impreſſus eſt Norenbergæ cum Meſſahala.* Ex hac conſignatione apparet, hunc Judæum fuiſſe bonum Chronologum.

Clemens III. Papa, qui ſederat annos tres & menſes tres, moritur die 25. Martii; ſuccedit ipſi Hyacinthus Bobo Romanus, qui *Celeſtinus III.* appellatus fuit, qui ſedit annos ferè ſeptem. *Baron.*

Philippus rex Galliæ ineunte vere ſeſe ad trajiciendum in Palæſtinam præparat, jubetque idem facere Richardum Anglum, qui moras nectit aliquas; inde diſſidium ortum. Philippus igitur ingreditur iter die 30. Martii, & feliciter venit Ptolemaidem, die 20. Aprilis, feriâ 7 poſt Paſcha. Sed *Richardus* ſolvit Meſſana die 11. Aprilis, ſed disjicitur ipſius claſſis paucis poſt diebus, quam ſpoliavit rex Cypri. De qua re cùm Anglo ſatisfacere nollet, omnem vim convertit ad Cyprum expugnandam, quam & capit, & nuptias ibi celebrat 12. Maji, feriâ prima, cum Beringera filia regis Navarræ, & Tyrannum Cypri *Iſaacium Comnenum* tandem capit primo Junii, in vigiliis Pentecoſtes, eumque pro mancipio donat populari ſuo. Inde cùm tenderet ex Cypro Ptolemaidem; capit naves Saladini cum variis inſtrumentis defendendæ urbis, applicatque ad portum Ptolemaidis die 8. Junii. Inde *Ptolemais* deditur die 13. Julii, cùm ferè biennium obſeſſa fuiſſet, hac conditione, ut permutarentur captivi, & *ſancta crux* redderetur. Sed Saladinus crucem reddere noluit, ideo rex Angliæ ſuos captivos ad quinque millia ſecuri ſubjicit. Galliæ autem rex ſuos permutat, & die 31. Julii Ptolemaide diſcedit, cùm jam diviſiſſet regnum Hieroſolymitanum, & redit in Europam, & 8. Octobris venit in Italiam; Ibi conqueſtus de injuriis regis Angliæ ad Papam, abit in Galliam, cùm abſolutus eſſet à voto peregrinationis à Papa. *Roger.*

Henricus *Imperator proficiſcitur in Italiam, ut coronetur à Papa; ſed Papa tum mortuus fuerat, & Celeſtinus electus ob id differebat conſecrationem, ut ægrè faceret* Henrico *præſtolanti: tandem cùm Pontifex inauguraretur die Paſchatis, Imperator coronatur feriâ quarta Paſchatis, vel ſecundâ, ut alii habent:* Cui adoranti Papa, cum antea coronam capiti ipſi impoſuiſſet, pede elevato coronam decuſſit, quo facto ſignificavit, in ſua poteſtate eſſe dare & auferre Imperatoribus imperium quando voluerit. *Baronius putat Pontificem rectè & ordinatè hoc feciſſe, ut beſtia patrocinetur. Inde* Henricus *abit ad regnum Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ occupandum, contra voluntatem Pontificis, & conjugem* Conſtantiam *mittit Salernum. Ipſe interim conjugem* Henrici *Tancredo produnt, a quo capitur, ſed ob hoc factum poſtea crudeles pœnas dederunt, &* Henricus *bellum reparaturus in Germaniam redit.* Annal. Suev.

Welphorum *ultimus Dux Spoleti moritur die* 15. *Decembr. cujus ditionem occupavit Imperator* Henricus. *Annal. Suev.*

Ecclipſis Solis annotatur hoc anno à Scriptoribus Angliæ in vigilia Johannis Baptiſtæ die 23. *Junii fer.* 1. *eaque ſic invenitur hoc die, minutis* 20. *poſt meridiem. Parallaxis latitud.*25,22. *Vera* 25,42. *Viſa* 0,20. *Semidiam. Solis* 15,0. *Summa* 29,31. *ſcrup. reſid.*29,11. *digiti eccliptici* 11,32. *Sol in* 7,33. *Cancri.*

Tuſculum evertitur hoc anno. Imperator hactenus id obtinuerat cum præſidio, ſed inſtante Pontifice, id ipſi concedit. Papa porrò tradit id Romanis, ut pace cum ipſis frueretur; Romani juſſis incolis, ut ſua aufferrent; ad ſolum uſque id deſtruxerunt. *Baron.*

In Palæſtina videns Saladinus ſe cætera tueri non poſſe, urbes maritimas, Cæſaream Joppen, Aſcalonem, Gazam & Darum reſtituit. Rex Angliæ Joppen *readificat, & præſidiis firmat. Similiter poſtea cùm Hieroſolyma fruſtra oppugnare conatus eſſet,* Aſcalonem *readificat,* Darum *itidem &* Gazam, *& Ptolemaide hybernat. Die verò* 12. *Novemb. ipſe contra Saladinum aciem inſtruit, interfuit tum adhuc Dux Sueviæ filius Imperatoris, ſed Saladinus diffidens ſuis viribus, relictis caſtris montes petiit, & inde levem armaturam noſtris oppoſuit.* Vitriacus.

ANNO MUNDI 5141. Poſt C. 1192.
E D. ☉ 25. ☽ 15. *Ind.*10.

Annus Indorum 1275. *& Hegira* 588. *incipit* 17. *Jan. fer.*7.

Leopoldus Auſtriacus, cùm ſimul eſſet in terra ſancta, præmittit Joppen, qui ſibi hoſpitium præpararet, & ſignum ſuum hoſpitio affigeret, quod. & factum eſt. Sed *Normannus* quidam nobilis, ſe potiùs hoſpitium ibi habere contendens, obtinet à rege *Richardo*, ut ſignum Auſtriaci ab ædibus avel-

avelleretur, quod ipſe poſtea in cloacam projecit, atque ita Auſtriacus omnibus deridendus propinaretur. Auſtriacus ita offenſus repetiit Germaniam. *Pariſ.*

Adolphus Holſatiæ princeps, dum in Palæſtinâ abeſt, excutitur ab *Henrico Leone* ducatu, ſed hoc anno in Germaniam reverſus, auxilio vicinorum principum eundem recuperat, & *Lubecam* etiam deditione cap t. Ipſe *Henricus* Imperator *Adolpho* auxilio venit, ſed fruſtra tum *Brunſuicum* oppugnavit, *Hannoveram* tamen cepit & excuſſit. *Spang.*

Richardus rex bellum continuat in Palæſtina cum Saladino, eumque prælio vincit menſe Junio. Sed paulò pòſt relinquitur ab exercitu Gallico, quem rex Galliæ in Palæſtina reliquerat; nihilominus tamen fortiter ſe Saladino opponit. Sed menſe Septembri tradit *Guidoni* regi inſulam Cyprum à ſe captam pro Ptolemaide, & cùm pecunia inciperet deficere & commeatus, & inſuper peſtis exercitum invaderet, audiret etiam regem Galliæ invadere Normanniam, & ſuum Cancellarium eſſe pulſum, quorum nullum ignotum erat Saladino ignominioſas. Conditionibus enim inſertum fuit, ut Aſcalonis, Gazæ & Dari munitiones deſtrueret, & tantùm retineret Joppen & Ptolemaidem. Decedit Ptolemaide die 8. Octobr. fer. 5. & in mari multis tempeſtatibus conflictatur, cumque audiret ſibi intutum iter eſſe per Gallias, incognitus habitu mercatorio per Germaniam iter facere conſtituit, & in Hiſtriam appellit, ubi proditur; & cùm Leopoldus Auſtriacus id audiſſet, omnes ipſi vias obſepſit, & cum tandem cepit propè Viennam in caſa ruſtica, ubi gallinam aſſabat die 20. Decemb. eumque ita captum ſequenti anno, menſe Martio mittit ad Imperatorem. *Roger.*

Iſaacius Angelus Imperator Conſtantinop. petitur rebellione ab *Alexio*, qui ſe Comnenum & Emmanuelis filium appellabat. Hic tanto applauſu ab hominibus receptus eſt, ut nunquam cum ipſo Imperator prælio congredi auderet, ne ſui milites etiam ad eum deficerent. Tandem tamen, cùm ſolus requieſceret, à quodam Sacerdote interfectus eſt. *Nicet.*

Annus Alexandrinus 1504. *Antioch.* 1241. *Conſtantinop.* 6701. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Nabonaſſaris 1941. *& Philippi* 1517. *incipit* 29. *Octob. fer.* 5.

Papa *Celeſtinus Conſtantiam Imperatricem ex Sicilia à Tancredo impetrat, eamque ad* Henricum *Imperatorem mittit. interea moritur* Rogerius *Tancredi filius, & paulò poſt ipſe Tancredus relicto filiolo* VVilhelmo *cum matre.* Bar.

Ecclipſis Lunæ annotata eſt hoc anno à Richardo Gallo, quæ acciderit die 20. Novembr. horâ noctis octavâ, ubi duæ partes obſcuratæ fuerint. Ea quidem inventur, & quidem nocte, quæ ſecuta eſt diem 20. Novembr. horis duabus poſt mediam noctem, incipiente feriâ 7. Latitudo ejus vera fuit 46, 1. Semidiamet. Lunæ 17, 26. Summa 63, 15. ſcrup. reſid. 16, 14. digiti Ecclipt. ferè ſex, Sol ſuperaverat gradum 6. Sagittarii.

ANNO MUNDI 5142. Poſt C. 1193.
C. ☉ 26. ☽ 16. *Ind.* 11.

Annus urbis 1945. *Julianus* 1238.
Æra Hiſpan. 1231. *Auguſtorum* 1220.

Annus Jezdeg. 562. *incipit* 27. *Januar. fer.* 4. *Armen.* 642. 30. *Jan. fer.* 7.

Annus Indorum 1277. *& Hegiræ* 589. *incipit* 6. *Jan. fer.* 4.

Neurutz Gelali 114. *incipit ab Æquinoctio verno.*

Saladinus *in Oriente, cùm florentiſſima regna Ægypti, Damaſci & in Meſopotamia obtinuiſſet, moritur hebdomade prima Quadrageſimæ. 16. Febr. qui in ſepultura ſigniferum juſſit pro vexillo præferre particulam ſerici panni, & proclamare,* Regem Orientis potentiſſimum nihil in morte de gloria ſua reportare, quàm tantundem panni. *Valde laudatur hic rex ab Arabibus propter Juſtitiam. Diviſerat autem regnum duodecim ſuis filiis: Fratri autem Saphadino qui fel citer ipſi in omnibus expeditionibus affuerat, planè nihil dedit, quapropter ad patruelem in Ægyptum ſe contulit, & cùm filius Saladini in Ægypto ex equo præcipitaretur, & cervices frangeret, ipſe ſucceſſit in regno, unde ingens contentio orta inter Saracenos, quæ pacem* Chriſtianis *in Syria præbuit aliquot annis.* Marinus.

Imperator *Henricus* regem Angliæ, quòd regno Siciliæ & Apuliæ inſidiatus fuiſſet, Cyprumq; occupâſſet, & Leopoldum Auſtriacum, & alios Germaniæ Principes in Palæſtina ignominioſè habuiſſet, diligenter cuſtodit, ſed cum eodem tamen, quod Papa diligenter intercederet, die 29. Junii, de liberatione agit, poſtulat pro ſolutione ſibi centum millia marcarum argenti, & Leopoldo quinquaginta, ſcribitque cum rege ad Anglos, qui conficiunt quinquaginta argenti marcas, & pro reliquis dant obſides. Sed rex tandem dimittitur ſequenti anno, & die 3. Februar. in Angliam venit. *Roger.*

Olympias 492. *incipit die* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1969.

Imp. Henricus *incip. annum* 4. *Imp.*

Iſaacius *Angelus nonum.*

Diocletiani 910. *incipit* 29. *Auguſti.*

Leopoldus Dux Auſtriæ, cùm fortè caſu equi pedem fregiſſet, & eundem propter enatum apoſtema reſecare coactus eſſet, *Monachus* eſt factus, cùm annis ſedecim ducatui præfuiſſet. Hic Stiriam emtam parvo ære, à genero ſuo Ottocaro emit, qui ſine liberis diſceſſit: ſuccedunt ipſi filii Fridericus & Leopoldus; & Leopoldus præfuit Ducatui annis 37. *Cuſp.*

Iſaacius iterum contra Walachos movet cum exercitu, ſed infecta re poſt bimeſtre ſpatium domum redire cogitur; ubi cùm ſe in anguſtias convallium dimiſiſſet cum exercitu, ingenti clade à Walachis affectus eſt. *Nicet.*

Albertus Magnus naſcitur hoc anno Laugingæ. *Trith.*

Ecclipſis Lunæ totalis facta die 10. Novembr. horâ 1. noctis, ita annotatur à Richardo Gallo. Invenitur etiam ita. Latitudo ejus tantum 4, 26. Semidiamet. Lunæ 17. 59. ſcrup. reſidua 59, 38. digiti eclipticì 19, 54. fit in Galliis poſt meridiem horis 57. Sol in 25. Scorpii.

Henricus Imperator expeditionem ſuſcipit in Italiam, menſe Decembri. & *Salernum* deditum ferè excindit, quòd conjugem ſuam Tancredo prodidera it in captivitatem: inde totam Apuliam & Calabriam capit. *Baron.*

Annus Indorum 1277. *& Hegiræ* 590. *incipit die* 57. *Decemb.*

ANNO MUNDI 5143. Poſt C. 1194.
B. ☉ 27. ☽ 17. *Ind.* 12.

Henricus Imperator in Italia, cùm omnem Apuliam & Calabriam occupaſſet, in Siciliam tranſit, cui ſe Siculi tradunt, ſed obſides ab eis & ex Apulia & Calabria accipit, eoſque in Germaniam mittit. Wilhelmum Tancredi filium comitem Tarenti facit, ſed Tancredum ipſum jubet effodi, & coronam, quam dicebat injuſtè ſumſiſſe, ita detrahi. Paulò poſt naſcitur ipſi *Fridericus*, qui poſt Imperator præcellentiſſimus factus eſt. *Annal. Suev.*

Rex Galliæ Philippus ducit Canuti regis Daniæ ſororem virginem uxorem, quam & coronat, ſed eandem paucis diebus poſt repudiat, quod diceret eam ſibi cognatam, & aliam ducit. Conſenſerunt quidem Epiſcopi, ſed Papa improbat hoc: *& hâc de cauſa multæ legationes factæ.* Richard.

Henricus Imperator dimiſerat regem Angliæ, etſi rex Galliæ plura offerret pro captivitate regis Angliæ, quàm ipſe daret pro liberatione. Is in Angliam veniens die 17. Aprilis poſt Paſcha iterum rex Angliæ coronatur, & menſe Majo in Normanniam navigat, menſe Julio, prælio vincit regem Galliæ, & plurimum prædæ capit. Inde pax inter utrumq; reconciliaretur. *Roger.*

Caſimirus *Princeps Poloniæ ſubitò in convivio, quod præparaverat die 5. Maji, cùm regnaſſet annis 17. moritur; ſuccedit filius* Leſcus *albus, qui annis 33. præfuit, in vari fortuna, ter electus, ter repulſus.*

Sanctius *rex Vaſconum moritur Pampelonæ die 27. Junii, cùm regnaſſet annos 43. menſes ſeptem. Succedit ipſi* Sanctius *filius octavus hujus nominis, qui regnat annis tantùm ſex fere; pellitur enim regno ab Alfonſo Caſtellæ rege & Petro Aragonio.*

Ingens ſiccitas *hoc anno in Germania, ita ut flumina ferè exaruerint, quam ſecutæ ſunt ingentes* tempeſtates, *cum grandine ovorum gallinarum quantitate, quadrangulari aut triangulari formâ; corvi etiam viſi ſunt in aere carbones ignitos ferre, quibus domos incenderunt Incendia enim frequentiſſimâ fuerunt in tota Europa.* Richard.

Balduinus Flander egregiam victoriam obtinet contra Comitem Namurcenſem, quâ comitatum illum ſibi acquiſivit; ſed mortuâ uxore Margaretâ, quæ cauſa fuerat occupati comitatus, ſuccedit Balduinus, qui pòſt factus eſt Conſtantinopolitanus Imperator. *Annal. Fland.*

Albertus Marchio Miſnenſis prius injurius in patrem poſt ejus obitum Ditericum etiam fratrem coronatur peſſundare, cui nihil dedit ex metallis, etiam Weiſſenfeldiam, quæ ſola ipſi ſupererat, obſidet. Ditericus coactus peregrina auxilia implorat, & Landgravium invocat, qui denegat ipſi auxilium, cùm nullam cauſam habeat, quam prætendat. Offerebat tamen conditionem, ſi filiam ſuam, quæ propter lippitudinem non maritum inveniebat, duceret, tum ſe generum defenſurum; vi fratris coactus Ditericus accipit conditionem, quæ res ipſi & Marchionibus Miſnenſibus feliciter ceſſit. Cùm enim familia Landgraviorum Thuringiæ defeciſſet, Marchiones Miſniæ per hoc connubium cauſam habuerunt occupandæ Thuringiæ, & Hermannus Landgravius ſuum generum defendit, etſi ſibi multos inimicos hoc modo faceret. *Fab.*

Iſaacius Angelus Imperator Conſtantinop. iterum movet in Walachos, ubi primùm in Servios ivit, quos vicit, inde ad Belam Hungariæ regem ad ſuum ſocerum, ubi aliquandiu commoratus Conſtantinopolin redit. *Nicet.*

Annus Indorum 1278. *& Hegira* 591. *incipit* 16. *Decemb.*

ANNO MUNDI 5144. Poſt C. 1195.
A. ☉ 28. ☽ 18. *Ind.* 13.

Iſaacius Comnenus ineunte vere, cùm ipſius exercitus iterum clade à Walachis affectus eſſet, ipſe contra eos proficiſcitur, ubi quendam Eremitam accedit, qui futura prædicere ſolebat. Is nihil ipſi reſpondit, ſed imagini ejus, quæ fortè aderat, oculos effodit, id quod factum eſt paucis diebus poſt, die videlicet 10. Aprilis, cùm ab *Alexio Comneno* fratre ſuo & imperio exueretur, & oculis privaretur; cùm præfuiſſet imperio annos novem, menſes octo. Alexius frater hic imperat annos 8. menſes 3. & exuitur imperio ab Iſaaci filio. Cùm coronaretur Alexius, equus eum ſeſſorem capere noluit. Cùm tandem Imperator in eum inſiluiſſet, adeò ferocivit, ut coronam ejus dejiceret primùm, & deinde ipſum Imperatorem. Corona ita fracta Imperatori reponitur & alius equus adducitur. *Henricus* verò Imperator cùm in Sicilia eſſet, & turbas has Conſtantinopolitanas audiſſet, legatos ad Alexium mittit, jubetque, ut aut annuum tributum ſibi ſolvat, aut bellum expectet, pro injuriis olim *Conrado* & parenti *Friderico* in Palæſtinam tranſeuntibus illatis. Alexius imparatus ad bellum, cùm nullam pecuniam nec ex ſubditis nec ex templis habere poſſet, ſepulchra Imperatorum Græcorum aperit, ex quibus ad ſeptuaginta talenta conflavit. *Nicet.*

Albertus *Marchio Miſnenſis, cùm* Cœnobium Cellæ *eodem anno ſpoliaſſet, fœdo morbo correptus moritur in caſa ruſtica, & ſepelitur Cellæ, menſe Julio, cum annis ſex præfuiſſet. Succedit ipſi frater* Ditericus, *qui præfuit annis* 27.

Richardus *rex Angliæ bis prælio cum Gallo congreditur, & bis hoc & ſequenti anno vincit.* In ultimo prælio cepit Epiſcopum Belluacenſem, pro quo Celeſtinus Papa ad regem ſcripſit, ut filius ſuus liberè dimittatur. Rex exuit Epiſcopo loricam & alia arma, mittitq; ea ad Pontificem, quæſitum, an hæc filii ſui tunica eſſet. *Pariſ.*

Aben-Joſephus rex de Marocho aſſumtis Aphris, Numidis, Mauris & aliis, cum ſexcentis millibus hominum in Hiſpaniam tranſit, eamque cædibus & rapinis, crudeliſſimè vaſtat, vincit etiam Alphonſum regem Caſtellæ, occiſis quinquaginta millibus hominum, die 19. Julii, feriâ quarta, & Beticam omnem occupat, quam & Mauri obtinuerunt, uſque ad *Caroli V.* avum *Ferdinandum* annis trecentis. *Zacuthi hoc anno Heg. & alii.*

Annus ſabbathicus 7. Jobelei 23. incipit 7. Sept. fer. 5. Anno Jud 4956.

Miecislaus ſenior *Leſcum* principem Poloniæ electum pellere conatur, & Cracoviam venit, ſed à Leſco pellitur, & filium præterea amittit, cùm ipſe vulneratus vix aufugeret. *Hiſt. Pol.*

Wilhelmus Comes Hollandiæ ex Palæſtina reverſus, ubi toto quinquennio fuerat, Orientalem Friſiam occupat, & fratri Theodorico bellū facit;

adju-

adjuvatur in hiſce à Flandriæ Comite *Balduino*, ſed *Theodoricus* utrique exercitum opponit, & utrumque vincit. Pax tandem facta, ut *Wilhelmus* Orientalem Friſiam pacificè obtineret. *Chron. Traj.*

Guilielmus Tancredi filius, quem Imperator Comitem Tarenti fecerat, rebellat Imperatori, & totam Apuliam concitat: ſed deprehenſus crudeles dat pœnas, oculi ipſi effodiuntur, & in Germaniam mittitur. *Baron.*

Annus Indorum 1279. *& Hegira* 592. *incipit* 6. *Decemb. fer.* 4.

ANNO MUNDI 5145. Poſt C. 1196.
GF. ☉ 1, ☽ 19. *Ind.* 14.

Henricus Imperator ex Italia in Germaniam redit, & Philippo fratri, qui ante annum Iſaaci Angli filiam uxorem duxerat Irenen, confert Ducatum Sueviæ. Conradus enim, qui eum habuerat, absque liberis defunctis fuerat. *Append. Vrsb.*

Alfonſus *Aragoniæ rex, cùm annos* 34. *regnaſſet, moritur die* 25. *Aprilis; ſuccedit filius* Petrus, *qui regnat annos* 17. Annal. Arrag.

Guido Rex Hieroſolymorum de feneſtra Palatii procidens expirat, ejus conjugem Iſabellam ducit Americus, qui ita & Cyprum & regnum Palæſtinæ, quantum ejus fuit occupat. *Append. Vrsb.*

Academia Montis Peſſulani *circa hoc tempus inſtituta, qua olim floruit ob Iurisprudentiam, hodiè ob Medicinæ ſtudium celebris eſt.*

Annus Alexandr. 1508. *Antioch.* 1245. *& Conſtantinop.* 6705. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaris 1945. *& Philippi* 1521. *incipit* 28. *Octob. fer.* 2.

Annus Indorum 1280. *& Hegira* 593. *incipit* 24. *Novemb. fer.* 1.

Celeſtinus Papa mittit Cardinalem in Germaniam, qui incitet omnes ad militiam ſanctam, cui nomen dant multi principes in Germania, ut Henricus Dux Saxoniæ Leonis, filius Dux Lovanienſis & alii. Ipſe Imperator Henricus ſimul proficiſci voluit, ſed principes Germaniæ id diſſuadent. Ideo ſuo loco præficit exercitui Epiſcopum Moguntinum & Adolphum Holſatum. Ipſe igitur in conventu principum petit, filium ſuum Fridericum ferè triennem eligi Imperatorem, quod & obtinet. *Legem in his comitiis, ſanxit de creando Imperatore, ne amplius diſſenſiones fierent, Imperator impoſterum fieret ex ſola ſanguinis ſucceſſione, ita ut fieret hæreditarium, cujus initium ipſe tum fecit, dum filium ſuum creat ſucceſſorem, & regna ſua, Sicilia, Apulia, Calabria, principatum Capua & Spoleti & alia unio imperio, ut quicunque eſſet Imperator, hæc regna ſimul haberet. Conſenſit in hanc rem* Papa & principes Germaniæ quinquaginta duo, *qui Imperatorem eligere conſueverant, quorum Sigilla literis de hâc re confectis appenſa ſunt.* Hæc in Chron. Belg. ex Johanne Monacho. *Sed hac lex unà cum Henrico expiravit, ut hiſtoria oſtendunt. Poſt Comitia Imperator cum exercitu ſexaginta millium, qui in Paleſtinam mitti debebat, Italiam ingreditur, ubi iterum Siculi & Apuli rebellàrant, & regem novum elegerant: Sed Henricus huic regi capto coronam ferream candentem imponi & claviculis in capite affigi juſſit, reliquos etiam rebelles crudeliſſimè tractavit, unde Aſperi nomen tulit.* App. Urſb.

ANNO MUNDI 5146. Poſt. C. 1197.
E. ☉ 2. ☽ 1. *Ind.* 15.

Annus urbis 1949. *Julianus* 1242.
Æra Hiſpanica 1235. *Auguſtorum* 1224.

Annus Jezdegird. 566. *incipit* 26. *Jan. fer.* 1. *Armen.* 646. 29. *Jan. fer.* 4.

Annus Neurutz Gelali 1118. *incipit ab Æquinoctio verno.*

Henricus Princeps Bohemiæ moritur paulo ante mortem Henrici Imp. cui patrueles fratres Primiſlaus & Ladiſlaus plurimum negotii fecerant in vaſtanda Moravia, quos etiam ex principatu pepulerat, ita ut omnium egeni alibi verſarentur. Patruelis Primiſlaus eò inopiæ redactus fuerat, ut Ratisbonæ in ferendis lapidibus operam locaret; hic audiens patruum defunctum in Bohemia redit, & patruo ſuccedit. *Dubrav.*

Suldanus Meſopotamiæ Alexio Imper. Conſt. mittit dono elegantes equos binos, hosce intercipit Suldanus Iconienſis, qui tamen legatos mittit, factumq; excuſat, quòd alter equus ex longinqua via claudus factus eſſet, ſe ambos, ſi ſat quieviſſent. miſſurum. Alexius verò iratus ſtatim omnes negotiatores Iconienſes detinet, mercesque ipſis eripit, quapropter irritatus Soldanus viciſſim bellum Alexio infert, & Cariam vaſtat ac Phrygiam. *Nicet.*

Olympias 493. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiacus* 1973.

Alexius inchoat annum Imp. 3. *Henricus VIII.*

Annus Diocletiani 914. *incipit* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1281. *& Hegiræ* 594. *incipit* 13. *Novemb. fer.* 5.

Henricus Imp. dimittit tandem milites ſacros cum Ducibus ſuis in claſſe, quæ ſolvit Calendis Sept. & feliciter in Palæſtinam appellit, ubi Saraceni Joppen expugnarant, & ad viginti millia Chriſtianorum ibi occiderant. Exercitus hic contra Saracenos iterum prælio vincit, Berythum, Sidonem & alias urbes capit, quas Americo Regi Hieroſolymitano tradit, atq; hoc modo rex hic factus eſt Vaſallus Imperatoris. Cæterum cùm in Palæſtina auditum eſſet, Henricum Imperatorem defunctum eſſe, & exercitui neceſſaria non mitterentur, dilapſus eſt exercitus. *Reg.*

Henricus Imp. cùm crudeliſſimè Normannorum principes perſequeretur, offendit conjugem Conſtantiam, quæ conſpirat cum Normannis contra maritum Imp. & occupat Panormum, ubi erant theſauri regum Siciliæ, & exercitum immittit Imperatori, qui, quòd deſtueretur omni exercitu, in fortiſſimum quoddam caſtrum confugit, ubi obſidetur; ſed legatos mittit ad conjugem, & pacem cum ejus arbitrio facit & dimittitur, ubi oblitus quaſi injuriarum venationibus indulget, & aliquando ex frigidiſſimo fonte potans febri corripitur, & moritur die 8. Septemb. cùm imperaſſet annos octo, & menſes aliquot; ſuccedit ipſi patruus *Philippus*, ſed non ſine diſſenſione principum, qui imperat annos octo fere. Fuit autem Henricus nullâ in re ſuo parenti par, ſed crudelis & arrogans: de ejus obitu habentur hi verſus:

Impe-

Imperii Romæ ſexto diſceſſit ab anno
Mille dein centum bis demtis tribus ab iſtis
Tranſierant annis, periit cùm peſſimus anguis.
Baron.

ANNO MUNDI 5147. Poſt C.1198. D. ☉3, ☽2. *Ind* 1.

Celeſtinus Papa cùm ſediſſet annos 6. & menſes novem, ægrotare incipit in feſto Nativitatis Chriſti, & augurans, ſe mortem obiturum, petit à Cardinalibus, ut ſibi ſucceſſorem eligerent, quem vellet, ſe Pontificatu abiturum. Sed Cardinales hoc ipſi denegarunt, ipſeq; mortuus eſt die 8. Jan. In ejus locum eligitur 13. Januarii Lotharius Anagninus, qui vocatu eſt *Innocentius III.* qui ſedit annis 8. & menſibus ſex. *Onuff.*

Papa infenſus Svevis, jubet cavere Colonienſem, ne frater Henrici defuncti *Philippus* eligatur Imperator: quapropter ſtatim in Jan. Colonienſis navigat in Angliam, rogaturus regem, ut eligendo Imperatori adeſſe velit, & menſe Martio Moguntiam venire. Philippus contrà monet Principes promiſſionis ſuæ de electo Imperatore Friderico, qui cùm puer ſit, tutore indigeat, & ſe proximum ejus eſſe agnatum, ad quem tutela pertineat. Interim Moguntì primò Martii, eligitur Im. Bertholdus *Dux Zaringenſis*, dives quidem, ſed valdè avarus. Philippus contrà, qui ſibi ſtudebant, jubet convenire Mulhuſi in Thuringia, die 8. Martii, ubi eligitur etiam Imperator: & Zaringenſis, cùm odiſſet bellum, ſtatim ipſe ad Philippum venit, & fidelitatem ipſi jurat. Colonienſis, cum rediiſſet ex Anglia cum Epiſcopis, convocat aliquos Principes & eligit *Ottonem* Henrici Leonis filium, atq; ita diſſenſione ex electione orta, Germania in infinitas calamitates conjicitur. Philippus ut coronetur Aquisgrani, occupat urbem præſidio, ſed Otto majore exercitu adveniens, præſidium Philippi ejicit, & coronatur à Colonienſi. Philippus contrà venit Moguntiam, & coronatur ab Epiſcopo Tarentino; Moguntinus enim aberat in Palæſtina. Papa Innocentius mittit Cardinalem in Germaniam, qui *fulmen excommunicationis* torqueat in Philippum & ſocios: Sed non ut olim fulmen illud metuebatur. Philippus enim comparato exercitu ſuperiora Germaniæ ſibi ſubjicit, & Ottonem propè Spiram vincit, & in Saxoniam pellit, & eum inſecutus obſidet Brunſuigi, ſed fruſtrà. Otto enim eruptione pugnans vincit, & inde veterem vicum, qui extra urbem erat, urbi includit, cum cœnobio D. Ægydii. Landgravius etiam, qui favebat Ottoni, multas urbes cogit Ottonem ſequi. *Spang.*

Alexius *Imp. Conſtant. duas filias elocat, quæ viduæ erant; alteram dat* Alexio *Palæologo, alteram Theodoro Laſcari, & paulò poſt propter ignaviam multis ſeditionibus conflig itur.* Nicet.

Fridericus *Dux Auſtriæ, cùm conjugem non duxiſſet militiam ſecutus eſt. & primùm in Hiſpania contra Saracenos militavit, inde abiit in Palæſtinam, ubi etiam biennio militavit, & mortuus eſt, cujus frater Leopoldus poſteà omni Auſtria potitur.* Cuſp.

Philippus rex Francorum Judæos, quos olim Galliâ expulerat, recipit, & Luteriæ habitare promittit, pecuniâ expugnatus. *Rich.*

Jacobitæ novum genus prædicatorum hoc anno authore Innocentio Papa in Italia exorti, qui nihil proprii habere voluerunt, nec de craſtino fuerunt ſolliciti. *Pariſ.*

In Hiſpania, cùm Abentu Zephus Maurus urbes maximè vaſtaret, Alfonſus Caſtellæ rex & Petrus Aragoniæ pacem cum eo faciunt, & ſuas vires in regem Vaſconum & Legionis vertunt magna cum infamiâ. Marian.

Cùm bellum eſſet inter Anglum & Gallum, Comes Flandriæ fortunam ſecutus, à Gallo defecit ad Anglum, & multa in Gallia occupat, & menſe Septembri unà cum Anglo regem Galliæ vincit, & iterum eum vincit die 28. Sept. & ita rex Galliæ maximâ clade affectus eſt. Roger.

Annus Indorum 1282. *& Hegiræ* 595. *incipit* 3. *Nov. fer.* 3.

ANNO MUNDI 5148. Poſt C.1199. C. ☉4. ☽3. *Ind.* 2.

Philippus *rex Galliæ, & Richardus rex Angliæ pacem faciunt in quinquennium, menſe* Januario. *Inde Anglus Ducem Aquitaniæ ſubigit, ubi dum obſidet caſtellum quoddam, vulneratur telo quodam die 26. Martii, quod vulnus, cùm id minus curaret, adeò inflammatum eſt, ut medicationi nullus eſſet locus, & moritur die 6. Apr. fer. 3. cum regnaſſet annos decem; ſuccedit ipſi frater* Johannes, *qui ſtatim Normanniam occupat, & die 25. Maji venit in Angliam, ubi die 27. Maji in feſto Aſcenſionis Chriſti coronatur, & regnat annos* 8. Pariſ.

Circa Quadrageſimam terræmotus Conſtantinopoli, in quo Alexius Imp. ferè periiſſet, cum terra ante eum dehiſceret, & plurimi familiarium ſuorum voraginem illa implicitis malè afficerentur, & quidam planè perirent. Nicet.

Primiſlaus *Bohemiæ princeps Philippo Imperatori contra Ottonem adhæret, & Saxoniam vaſtat; quapropter Bohemiæ rex à Philippo creatur Moguntì* Dubrav.

Fratres reges Ungariæ decertant de occupando regno Andreæ, & alteri adeſt auxilio Leopoldus Dux Auſtriæ. Sed Conradus Epiſcopus Moguntinus legatus eò miſſus à Pontifice iis perſuadet, ut ambo expeditionem in Palæſtinam faciant, & uter ibidem fortiùs ſe geſſiſſet, is reverſus regnum obtineret. *Monach. Colon.*

Micislaus patruus Leſci, principis adhuc juvenis perſuadet matri Leſci, ut cederet principatu, ſe Leſcum adoptaturum, ut in principatu ſuccederet. Sed cùm hoc modo principatum obtinuiſſet, nihil eorum, quæ promiſerat præſtitit, ideò poſt paucos menſes iterum pellitur, & Leſcus reſtituitur *Hiſt. Pol.*

Ordo Monachorum, fratrum domûs *Sanctæ Trinitatis* in Gallia circa hæc tempora incipit, item Wilhelmus Pariſienſis inſtituit ordinem mendicantium Auguſtinienſium, *Chron. Belg.*

Balduinus Flander, cùm Richardus rex Angliæ defunctus eſſet, & Johannes ſucceſſor contra regem Galliæ nihil auderet, bello petitur à Gallo; ſed intercedentibus aliis, pax ita conficitur, ut partem eorum retineret, quæ occupaverat in regno Galliæ. *Annal. Fland.*

Annus Indorum 1283. *& Hegira* 596. *incipit* 23. *Oct. fer.* 7.

ANNO MUNDI 5149. Poſt C. 1200.
B A. ☉ 5, ☽ 4. *Ind.* 3.

Reges Galliæ & Angliæ iterum conveniunt, & inter pacis conditiones hoc inſerunt, ne Angliæ rex mittat in Germaniam auxilia Ottoni, nec rex Galliæ Philippo Imper. & ut filia Richardi regis Angliæ defuncti nubat Ludovico filio regis Galliæ, cui datur in dotem Comitatus ad Normanniam pertinens; atq; ita rex Galliæ anſam nanciſcitur occupandæ Normanniæ. Pariſ.

Philippus rex Galliæ Canuti regis Daniæ filiam duxerat uxorem, ſed eam repudiârat propter cognationem, quæ tamen nulla erat, & aliam duxerat: Ideò accuſatus fuerat apud Pontificem. Cùm igitur reginam, quam expulerat, recipere nollet, à Pontifice excommunicatus eſt, & omnes Ceremoniæ Eccleſiaſticæ intermiſſæ ſunt. Sed Philippus hoc parùm curavit, imò potiùs Epiſcopos perſecutus eſt, & ſedibus ſuis ejecit. *Rich.*

Alexius *Imp. Conſtantinop. fratrem ante annos quinq; & imperio & oculis privarat, eumq; jam ut pacificum vivere patiebatur, & in liberiori loco habebat. Hic meditatus vindictam, filium ſuum in Germaniam mittit ad generum Philippum Imp. qui etſi occupatiſſimus erat in bello contra Ottonem, ſine auxilio tamen eum non dimiſit, commendavitq; eum Venetis, ubi naves fabricatæ ſunt.* Nic.

Innocentius Papa adeò obſiſtit Philippo Svevo, ne imperium obtineret, ut ſanctè juraret, ſe potiùs pontificiam dignitatem amiſſurum, quàm Philippo regium diadema permiſſurum. At Philippus nihil ſuperbè contra Pontificem unquam locutus eſt, ſed hoc anno in Alſatia multas civitates ſibi ſubjecit, & inter alias *Straßburgum*, & tota ferè ſuperior Germania ipſi fidelitatem juravit. *Cuſp.*

Leopoldus *Dux Auſtriæ novam civitatem ad coercendas excurſiones Hungarorum condit, quæ propterea etiam Novæ civitatis nomen retinuit, quòd ferè quotannis ab Hungaris exureretur, & inſtauraretur.* Cuſp.

Wernerus ſive Irnerius vir illuſtris, juris civilis profeſſor clariſſimus, qui primus jus civile gloſſis illuſtravit, docuit Romæ, & pòſt Bononiæ circa hoc tempus. *Trith.*

Annus Alexandr. 15, 12. *Antioch.* 1209. *& Conſtantinop.* 6709. *incipit* Calend *Octobr.*

Annus Nabonaſſaris 1949. *& Philippi* 1525. *incipit* 27. *Octob. fer.* 6.

Annus Indorum 1284. *& Hegira* 597. *incipit* 11. *Octob. fer.* 4.

Alphonſus *Caſtellæ & Petrus Arazoniæ rex in Vaſconum regem Sanctium, qui jam ſextum annum regnarat, movent, eumq; regno pellunt, qui ex deſperatione in Africam ad Mauros confugit, inde auxilium allaturus: ſed nihil auxiliis iſtis effecit, interim ambo hi Reges Vaſconum regnum inter ſe diviſerunt.* Marian.

Vena metallica Mansfeldenſes à privatis *quibusdam inveniuntur, qui cùm viderent ſciſſiles iſtas lapides æris plenos,* Hecſtadium *urbem incolere cœperunt.* Spang.

Riga in Livonia ab Epiſcopo Alberto inſtaurata eſt. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5150. Poſt C. 1201.
G. ☉ 6. ☽ 5. *Ind.* 4.

Annus urbis 1253. Julianus 1246.
Æra Hiſpan. 1239. *Auguſtorum* 1228.
Annus Jezdegird. 570. *incipit* 25. *Januar. fer.* 5.
Armen. 646. *die* 28. Jan. *fer.* 1.
Neurutz Gelali 122. *incipit ab æquinoctio Verno.*
Philippus *Imp. inchoat annum imp.* 4. *menſe Martio.*
Alexius 8. *menſe Aprili.*

Primiſlaus rex Bohemiæ habebat uxorem ſororem Diterici Marchionis Miſniæ, & cum Philippo Imperatore hactenus ſenſerat: ſed cùm ſororem Diterici præter cauſam repudiaret, offendit affinem & Imperatorem, quapropter Ottoni ſe applicat tanta obſtinatione, ut inde *Ottogarus* quaſi *planè Ottonis*, diceretur. Præfecti Philippi tum odio Landgravii, qui Ottonis partes ſequebatur, Bohemiam vaſtant, Landgravius Bohemum evocat. Sed Bohemi non minus damnum intulerunt Thuringiæ, atque hoſtes fecerant, & octodecim cœnobia hoc anno in Thuringia vaſtata ſunt, præter vicos & urbes. *Spang.*

Papa Innocentius in Germaniam Guidonem Cardinalem Præneſtinum mittit, qui Coloniæ Philippum ejusque aſſeclas excommunicet, & reliquos omnes Ottoni obedire jubeat. *Monach. Colon.*

Balduinus Comes Flandriæ vovebat expeditionem in terram ſanctam, & in Italia jam claſſem ædificaverat, ſed jam omni abſumpta pecunia progredi non poterat. Advenit tunc Dux Venetus, qui oblatis muneribus eum adhortatur, ut ſecum *Scodram* urbem in Hungaria expugnet, abſentibus regibus in Palæſtina, quod & fecit, & ingenti prædâ potitus eſt. Sed hoc Innocentio Pontifici valdè diſplicuit, abſentes belli ſacri cauſa ita lædi, eum excommunicat; ſed excommunicatione tandem, intercedente Alexio Græco exule, ſolvitur. *Mon. Colon.*

Canutus *Rex Daniæ cum Waldemaro fratre, dum Philippus & Otto Impp. vires imperii atterunt, in Germaniam tranſeunt, & Canutus occupat* Hamburgum, *Waldemarus verò capit* Lubecam, *ambas urbes imperiales; ſed Lubeca feſtivo ſtrategemate ſeipſam poſt aliquot annos in libertatem reſtituit.* Abbas. Stad.

Henricus *Dux Brabantiæ bellum movet Theodero, Hollandiæ Comiti; is caſtris exutus, & amiſſis vivus in poteſtatem Ducis Brabantiæ venit. Sub hoc Duce pomœria urbis Antverpienſis aucta ſunt, ut ejus annales habent.* Orig. Ant.

Olympias 494. *acta in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1977.

Annus Diocletiani 918. *incipit* 18. *Auguſti.*

Annus Indorum 1285. *& Hegira* 598. *incipit* 1. *Octob. fer.* 2.

Innocentius Papa iterum legatos in Galliam mittit ad regem, qui eum ſeverè admoneant de reducenda conjuge, ne denuò excommunicetur, & regnum in infinita diſcrimina conjiciat, de hac re legati concilium indicunt: Sed rex cùm ſciret, quàm difficile eſſet Pontifici repugnare, inopinantibus legatis conjugem recipit, & legati pudore ſuffuſi concilium remittunt. *Richard.*

ANNO

ANNO MUNDI 5151. Poſt C. 1202.
F. ☉ 7. ☽ 6. *Ind.* 5.

Philippus Imperator iterum colligit exercitum, ut obſideat Ottonem in urbe Brunſviga, nec minorem colligit Otto, ita ut aperto campo ſe committeret cum auxiliariis; ſed Philippus mandat Ottonis ſociis, ut eum deſerant, aut minatur ipſis bellum & vaſtationem, quapropter Otto à multis deſeritur, etiam à ſuo fratre. Otto igitur in urbem redit, & exercitu hoc relicto ad alium conſcribendum in Saxoniam tendit, interim hic exercitus Goslariam improviſò capit & diripit, ne cremaretur obſtitit præfectus Ottonis, qui ipſo inſciente tantam urbem delere non audebat. *Spang.*

Miecislaus *in Polonia iterum matri Leſci perſuadet, ut principatum ſibi tradat, & ſimul quosdam principes regni, quod & factum eſt: ita principes occidit, nec tamen Leſcum adoptavit, ſed ipſe tamen paulo poſt mortuus eſt, & ſuccedit ipſi filius Ladislaus, excluſo Leſco.* Hiſt.Pol.

Changius *Tartarorum Imperator primus ex Sinarum regione progreſſus regnum plurimùm amplificavit, perſuadetque Tartaris*, ut unum ſolum Deum colant, *imperat 3, annis 12. ut* Zacuthi *in hiſtoria Saracenorum habet*: Bizarus *contra affirmat, eum hoc anno defunctum.*

Annus ſabbaticus primus Jobelei 21. incipit 29. Sept. fer. 5. Anno Jud. 4963.

Annus Indorum 1286. *& Hegira* 599. *incipit* 20. *Sept. fer.* 6.

Angliæ rex ſuſpectus occiſi Comitis Arturi in Britannia, citatur ad judicium Lutetiam, quod ignominioſè accipit: ideò rex eum bello perſequendum decernit, movet in Normanniam, & caſtellum expugnat, inde abit in hyberna. Richard.

Epiſcopus Wurtzburgenſis, dum ex templo Cathedrali domum redit, occiditur die Barbaræ: Parricidæ poſt biennium pœnitentes à Pontifice abſolvuntur, addita tamen gravi ſatisfactione. *Trith.*

ANNO MUNDI 5152. Poſt C. 1203.
E. ☉ 8. ☽ 7. *Ind.* 6.

Philippus Imper. ineunte vere, aſſumpto ſuo exercitu, iterum in Thuringiam movet, & eam vaſtat, præſertim, ſi quo in loco excommunicationem Pontificis affixam inveniebat. Landgr. qui ipſe ſatis firmas copias non habebat, evocat Primislaum Bohemum, qui cùm quatuordecim millibus in Thuringiam irruit, & Philippum ambo Erfurdiæ obſident, evocantq; ſimul Ottonem alterum Imp. ut particeps ſit prædæ; ſed Philippus nocte quadam illum ex urbe inopinantibus hoſtibus evadit, Marchionem Miſniæ Ditericum & alios de auxiliis ſollicitat, & *Schmalcaldium* evertit. Hoſtes de Philippi copiis certiores facti obſidionem ſolvunt & Otto quidem paulo poſt Mersburgi comitia agit, ubi ipſe primùm à Pontificis legato coronatur iterum, & ipſe coronat Primislaum regem Bohemiæ. Inde abit in Epiſcopatum Bremenſem, ubi quædam ſibi ſubjicit. Philippus verò conciliat ſibi nobiles in Thuringia, qui Landgravio rebellant, & *Sangerhuſium* cum arce capiunt. *Spang.*

Rex Galliæ Philippus iterum vaſtat Normanniam, Angliæ verò rex deditus voluptatibus & ſecurus, ipſum ita graſſari ſinit, & tandem relictâ Normanniâ in Angliam abit; nec rex Galliæ ſuis rebus deeſt, occupat quæcunque poteſt, reliqui dant obſides in hanc conditionem, niſi ab Anglo intra annum ſpatium defendantur, ſe futuros ſubditos regis Galliæ. Inter cætera autem caput Normanniæ occupat Rothomagum, *quo caruerant Franci annis* 327. *à tempore Caroli Calvi, cui Rollo Danus Normanniam eripuerat.* Pariſ.

Balduinus tandem ab Alexio perſuaſus auxilio Venetorum Conſtantinopolin movet, eoq; venit die 6. Julii, urbemq; oppugnat: habebat autem in exercitu viginti millia peditum præter equites, die 17. Julii tandem Veneti irrumpunt, & Alexium Imperatorem vincunt, qui aufugit, atque ita Iſaacius cœcus cum filio imperium recipiunt. Alexius coronatur in templo Sophiæ. At cùm jam ſtipendia ſolvenda eſſent militibus, & Balduino ac Venetis præmium pro reductione, nec pecunia eſſet, aut ſtatim cogi poſſet, noſtri exorantur, ut Conſtantinopoli hybernare velint. Imperaverat autem Alexius annis novem. Hic Alexius autem imperat tantùm menſes ſeptem. Piſani cum Venetis ſtatim Iſaacio autore reconciliantur, die 19. Auguſti. Paulo poſt Latini, cùm Saracenorum Synagogam diripere vellent, repelluntur, ideo Conſtantinopolin incendunt, quæ ardet tota ea nocte, & poſtridie uſq; ad veſperā. *Nicet. Antiſſiod.*

Annus Indorum 1287. *& Hegira* 600. *incipit* 9. *Sept. fer* 3.

Guido hiſtoricus hoc tempore moritur. *Chron. Belg.*

Ordo monachorum montis Dei in Alboitz inſtitutus per Alexandrum Eremitam. *Chron. Belg.*

Ludovicus Bavarus cum Epiſcopo Ratisbonenſi bellum gerit, & vaſtationibus & incendiis invicem plurimum damni dederunt, intercedentibus aliis id componitur anno ſequenti. *Chron. Auguſt.*

ANNO MUNDI 5153. Poſt. C. 1204.
D C. ☉ 9. ☽ 8. *Ind.* 7.

Conſtantinopoli, cùm nulla via inveniendæ pecuniæ appareret, nec Latini ita abſcedere vellent, ſeditio exoritur, & alius Imperator eligitur, *Ducas Alexius*, qui ob conjuncta ſupercilia Murziſli dictus fuit, die 25. Januarii, qui triduo exacto Iſaacium cum filio in carcerem compingit, & ipſe proclamatur Imperator, & inde Iſaacium & Alexium interficit menſe ſeptimo imperii. Alexio bis venenum dedit, quod antidotis ſumptis rejectum eſt, ideò laqueo ſtrangulatur. Clavâ tamen ferrea in ſiniſtro latere contunditur, ut crederetur lapſus exanimatus, & Ducas mittit, qui claſſem Latinorum & Venetorum exurant. Sed à Balduino urbs iterum obſidetur, quæ obſidio duravit dies 68. inde eam oppugnant die 9. Aprilis, feriâ ſexta ante Judica, ſed rejiciuntur: poſt triduum tamen die 21. Aprilis eam capiunt, & Balduinum Imperatorem eligunt die 24. Aprilis, veſperâ Paſchatis, quem coronant die 16. Maji, Dominica Jubilate. Ducas autem effugit, cùm menſes duos. & dies 16. imperaſſet. Imperavit autem Balduinus paulò plus anno. Verſus de occupata Conſtantinop. ſunt.

Bis ſexcentenus erat annus bis quoque binus.
Quo Conſtantini dominantur in urbe Latini.
Nicet. & alii.

Ecclipſis Lunæ poſt Conſtantinopolin captum annotatur, quæ acciderit die 16. Aprilis. Ea etiam ita invenitur: fuit fer.6. & accidit in Anglia minutis 39. poſt mediam noctem. Latitud. ſeptent.3,1. Sem. Lunæ 16,45. Summa ſem.60.50. Scrup. reſidua 57, 49. Digiti ecclipt.20,39. Sol in 2,41. Tauri.

Philippus Imperator iterum collecto exercitu venit in Thuringiam, & *Weiſſenſeham* obſidet 40. diebus. Landgravius evocat Bohemum cujus auxilio putat Philippum vinci poſſe: Sed Philippus certior factus de Bohemo, ipſi occurrit, eumque vincit & fugat. Landgravius deſertus petit pacem, & obtinet facillimè. Facilitatem igitur & clementiam Philippi multi ſectantes, ſeſe dedunt urbes & principes, ut Epiſcopus Colonienſis, Lotharingiæ Dux & Brabantiæ & alii, & Comitia indicuntur Aquisgrani, ubi Philippus iterum coronatur. *Spang.*

Annus Indorum 1288. *& Hegira* 601. *incipit* 19. *Aug. fer.1.*

Annus Alexandr. 1516. *Antioch.* 1253. *Conſt.* 6714. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaris 1953. *& Philippi* 1529. *incipit* 26. *Octob. fer.3.*

Rex Galliæ occupat totam Normanniam, Andegaviam & Pictaviam, & quicquid Regis Angliæ fuerat, rege Angliæ interim in delitiis marceſcente, & nihil hæc curante. Pariſ.

Ordo militiæ Chriſti, qui veſte alba & rubente gladio cum ſtella cincti erant, inſtituitur circa hoc tempus, ab Alberto Epiſcopo Rigenſi in Livonia. *Cent. Magd.*

Ducas iſte, qui Imperatorem Conſtantinopoli occiderat, menſe Octobr. in Græcia deprehenſus, & Conſtantinopolin in judicium deductus & damnatus, de altiſſima columna præcipitatur. Alexius etiam Comnenus Imperator olim, qui effugerat, dum Græciam occupare conatur, capitur à Marchione Montisferrato. qui eum tandem in Germaniam mittit, atque ita non toto vertente anno imperium Conſtantinopolitanum ſubactum eſt Nicet.

ANNO MUNDI 5154. Poſt C. 1205.

B. ☉ 10. ☽ 9. *Ind.* 8.

Annus urbis 1957. *Julianus* 1250.

Æra Hiſpan. 1243. *Auguſtorum* 1232.

Annus Jezdegird 574. *incipit* 24. *Jan. fer.2. Armen,* 654. 27. *Jan. fer.5.*

Annus Neurutz Gelali 126. *incipit cum æquin.*

Imper. Philipp. incipit annum imper.8. menſe Martio.

Balduinus Imper. Conſtantinopolitanus Innocentio III Romam ſcribit, & ex dicto Petri, *Subditi eſtote,* &c. concludit, quòd ſacerdotium ſit ſub Imperatore, & imperium præeminere, & Imperatorem Jurisdictionem habere tàm in Sacerdotes quàm in Laicos. *Conſt. Imp.*

Cùm Papa certior factus eſſet *Adolphum* Colonienſem conſecraſſe Philippum Imperatorem, mittit Sigfridum Moguntinum & alium Legatum, qui Coloniæ Epiſcopum Adolphum excommunicent, & alius eligitur, qui Bruno vocatur. Id verò moleſtiſſimè fert Philippus, ideò exercitum Coloniam deſtinat, qui Colonienſibus ſit infeſtus, & omnem commeatum, tàm terra quàm in Rheno intercludat, quod & factum eſt ſeſquiannuo ſpatio. Ipſe etiam Philippus Coloniam die 29. Sept. oppugnat, ſed fruſtrà. *Noveſium* autem deditione capit, idque Adolpho Epiſcopo depoſito tradit. *Mon. Colon.*

Conſtantinopolitani principes, qui ſuperiori anno effugerant, ſeſe ad Walachos contulerant, ut eorum auxilio Conſtantinopolin reducerentur: eorum igitur auxilio multas urbes capiunt. Balduinus Imper. ipſis obviam proficiſcitur Adrianopolin uſq; ubi in inſidias præcipitat & capitur, captus abducitur, & crudeliſſimè habetur à Walachis, & tandem truncatis manibus & pedibus in vallem præcipitatus tertio die expirat. Johannes Walachiæ princeps etiam non cunctatur, ſed Theſſalonicam etiam expugnat, valdè tamen cruenta victoria. Latini interim neſciunt, quid ſuo Imperatori factum ſit, & hoſtibus ſine principe ſe opponere non audent. Qui in Aſiam effugerant, ut Theodorus Laſcares, David Comnenus, & Emmanuel, occupant quædam, ſeque reges appellant. Niceta.

Cùm Conſtantinopolis caperetur, Venetis ex fœdere dimidium prædæ debebatur, ideò ipſis Creta *inſula datur, & omnes ferè aliæ Inſulæ maris Jonii & Ægæi. Ita hoc anno etiam in Peloponneſum navigant, & Methonem atque Corcyram expugnant.* Hiſtor. Ven.

Olympias 495. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 1981.

Annus Indorum 1289. *& Hegira* 602. *incipit* 18. *Auguſti. fer.5.*

Annus Diocletiani 922. *incipit* 29. *Auguſti.*

Leſcus *Poloniæ princeps iterum eligitur, & Ladislaus. cùm videret conſenſum nationis Polonicæ, ultrò principatu abit, & Leſcus novos hoſtes Ruſſos, qui bellum inferunt, vincit prælio, die* 29. *Junii.* Hiſtor. Polon.

Primislaus *Rex Bohemiæ per Landgravium & alios Philippo reconciliatur, qui non ſolùm in gratiam recipitur, ſed etiam impetrat filiam Imperatoris filio ſuo uxorem. imperator enim per hanc affinitatem quærebat ſibi vires, ideò alteram filiam deſpondet Duci Brabantiæ.* Spang. & Dub.

Almericus *rex in Palæſtina, cùm aurellas, quæ propè Ptolemaidem ſapidiſſimæ capiuntur, avidiùs devorâſſet, moritur, cùm annos 7. regnaſſet; ſequitur interregnum quinq; annorum.* Marin.

ANNO MUNDI 5155. Poſt C. 1206.

A. ☉ 11. ☽ 10. *Ind.* 9.

Walachi in tota Thracia, cùm rex non eſſet, omnes ferè urbes occupant aut vaſtant, & exſcindunt præter Didymotichum & Adrianopolin, quæ à Latinis defendebantur. Græciam verò & Peloponneſum Conſtantinopolitani nobiles inter ſe dividunt. In Oriente verò & minore Aſia, Epheſus & alia Theodoro Laſcari parebant, qui claſſe comparata Inſulas etiam, quas potuit, ſibi ſubjicit. Alii Trapezuntem & Phrygiam obtinebant. Sic Rhodus etiam ſuum principem habuit, ſed hi omnes inter ſe diſſidebant, nec in commune conſulebatur. *Nicet.*

Alexius *ille Imperator & exul effugit ex Germania, & ad Turcos per mare Ægæum fugit, petitq; auxilia ad recuperandum imperium, & multa promittit. Turca legatos mittit ad Theodorum Laſcarem, qui Niceæ ſedem habebat, ut ſocero regnum reſtituat aut bellum expectet. Sed Laſcaris exiguis copiis contra Sultanum profectus, prælio eum vincit & obtrun-*

truncat, & Alexium recipit, quem Nicetam perductum liberaliter habet.

Johannes *rex Angliæ tandem in Aquitaniam trajicit magno exercitu, cui obviam venit rex Galliæ, ſed intercesſione procerum nihil ad invicem tentant, ſed induciæ in biennium firmantur, & Johannes in Angliam redit.* Pariſ.

Annus Ind.1290. & Hegira 603. incipit 8. Augusti fer.3.

Conſtantinopoli cùm Latini annum unum, & menſes quatuor rempubl. ſine Imperatore adminiſtrâſſent, neceſſitatibus adducti de Imperatore conſilium habent, & communibus votis eligunt Henricum *fratrem Balduini, die 20. Augusti, qui imperat annis decem.* Niceta *historicus, qui Conſtant. Senator primarius fuit, & amplo officio apud Imperatores functus erat, valdè prædicat Latinorum modeſtiam & juſtitiam in eligendo Imperatore, quod dedecus Græci in ſimili caſu per cædes & ſanguinem expetivissent; deſinit autem hoc anno.*

Philippus, cùm Colonienſes commeatu jam diu interclusiſſet, eos obſidet adjuvante etiam rege Bohemiæ. Otto incluſus tum ſimul erat, qui ne ibi caperetur, noctu eruptione factâ evadit, quanquam cum magno periculo & clade. Bruno Epiſcopus capitur, & Colonienſes ita deſerti ſe dedunt Philippo. Otto ubique profligatus, ne etiam ſuo Ducatu ejiceretur, per Angliæ regem apud Pontificem agit, ut pacem in Germania conciliet, cum ſuo tamen aliquo reſpectu. *Spang.*

ANNO MUNDI 5156. Poſt C. 1207.
G. ☉12. ☽ 11. *Ind.* 10.

Status imperii, cùm Germania tantis cladibus ex duorum Imperatorum electione afficeretur, communi conſenſu legatos mittunt ad Pontificem, remedium horum malorum quæſituri. Papa videns Philippum prævalere, duos Cardinales in Germaniam mittit, & Philippus à pace alienus non eſt, petit tamen primùm, ut excommunicatione ſolvatur, cùm ea injuſta ſit, quod quidem fit: Sed Cardinales proponunt hanc conditionem, ut Philippus quidem ſit Imper. ſi deſpondeat filiam ſuam nepoti Pontificis ex fratre Richardo, & dotem dicat Comitatum Spoletanum, Marchiam Anconitanam & Thuſciam. Status imperii reſponderunt, Pontificis fuiſſe res imperii priùs curare, quibus rectè diſpoſitis potuiſſet agere rem privatam. Igitur ipſi pacem faciunt his conditionibus, ut Otto ducat filiam Philippi Beatricem, & abſtineat à titulo & re imperii, quoad Philippus vivat, poſt cujus mortē ſtatim in imperio ſuccedat. *Mon. Colon.*

Ecclipſis Solis annotatur in plurimis hiſtoricis die 28. Febr. Sed malè vel in præcedentem, vel in ſequentem annum refertur; hoc enim anno accidit die 28. Feb fer.4. horâ una & 10. min. 22. ante meridiem, Rhemis in Gallia. Parallaxis latitud. 43, 26. *Latitudo vera* 39,42. *Viſa* 3,44. *Semid. Solis* 15,37. *Summa* 30,49. *Scrupula reſidua* 26,45. *Digiti eccliptici* 10.20. *Sol in* 16.30. *Piſcium.*

Annus Indorum 1291. *& Hegira* 604. *incipit* 28. *Jul fer.* 4.

Ducatus Mœram, qui fuit in confinio Thuringiæ & Miſniæ, circa hæc tempora dividitur ab Imp. in præfectos, ſive Voigtos, unde Ducatus nomen poſt id ea temporis invenit, ut diceretur Voigtlandia; *habet civitates Culmbach,* Plauen/Hof/ *&c.*

Cum Ciſtertienſes contra Albigenſes perpetuò concionarentur, exortus eſt novus ordo monachorum fratrum *Prædicatorum*, à Domino Hiſpano inſtitutus. Habent hi legem Auguſtini, & habent Priorem generalem. *Chron.Belg.*

Eodem etiam hoc anno fœminarum ordo cœpit, quæ *Beginæ* vocatæ ſunt ab autore, qui Bege vocatus eſt. *Chron.Belg.*

ANNO MUNDI 5157. Poſt C. 1208.
FE. ☉13. ☽ 12. *Ind.* 11.

Ecclipſis Lunæ annotatur à Pariſienſi, quæ acciderit in Feb. horâ prima noctis. Ea invenitur die 3. Februar. horis 5. & minutis 10. poſt meridiem, paulò poſt ortum Lunæ, & Luna tota obſcurata exorta eſt Latitudo Lunæ vera auſtr. 2, 59. *Semid. Lunæ* 16,35. *Summa* 59,38. *Scrupula reſidua* 55,39. *Digiti eccliptici* 20,8. *Sol in* 21,31. *Aquarii.*

Comes Tholoſanus fraude trucidat legatum Pontificis, ideoque excommunicatur. Papa paulò pòſt colligit exercitum contra *Albigenſes* hæreticos, in qua re, cùm Tholoſanus ſtrenuam operam navaret, excommunicatione ſolvitur *Antiſſidior.*

Pax imperii Romæ inita hoc anno fuit, & legati miſſi, qui eam in Germania publicarent; quo facto *Philippus* externos hoſtes aggredi conſtituit, ut Danum, qui Hamburgum & Lubecam in hiſce moribus interceperat. Sed die 22. cùm Philippus fortè quieſceret in lectulo poſt venæ ſectionem, *Otto Wittelsbachius* Palatinus, (cui olim filiam deſponderat, ſed quòd Otto familiarem quendam Ducis Bavariæ præter cauſam occidiſſet, atque ita homicidii reus & perfidiâ notatus eſſet, Imperator ipſum repudiarat) venit eodem tempore, & admittitur ad Imperatorem, cùm Imperatori adeſſent tantùm Epiſcopus Spirenſis, Camerarius & Dapifer. Otto admiſſus ſtatim uno ictu imp. occîdit, Epiſcopus ſe occultat. Camerarius & Dapifer ſe fortiter opponunt, ſed inermes ambo vulnerantur, & parricida effugit. Imperavit autem annos 10. *Mon.Colon.*

Templum Cathedrale Magdeburgi ab Alberto Epiſcopo inchoatur, Brotuff.

Annus Indorum 1292. *& Hegira* 605. *incipit* 16. *Julii, fer.*4.

Annus Alexandr. 1520. *& Antioch.* 1257. *& Conſtantinop.* 6717. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Nabonaſſaris 1957. *& Philippi* 1533. *incipit* 25. *Octob. fer.*7.

Otto *indicit Comitia Francofurti, ubi à quinquaginta Principibus, qui convenerant, eligitur Imp. & ſtatim* Ottonem Wittelsbachium *proſcribit, ubi etiam lex de eligendo Imp. ab Henrico ſancita antiquata eſt, & de novo ſancita his ferè verbis:* Imperatorum nullus hæreditariam dignitatem vindicato. Principes ſex, ſacri ordinis tres, *Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis*: Profani totidem, *Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ* (qui tum fuit Brunſvicenſis) & *Marchio Brandeburgenſis* eum eligunto. Hi ſi diſcordes fuerint Bohemiæ regem cooptanto. Hoc ſancitum ita eſt à Principibus omnibus in præſentia legatorum Papæ, qui fuerunt: Hugolinus Oſtienſis & Leo Sabinenſes Cardinales. *Conſt. Imp.*

ANNO MUNDI 5158. Poſt C. 1209.
D.☉.14.☽ 13. *Ind.* 12.

Annus urbis 1961. *Julianus* 1254.
Æra Hiſpan. 1247. *Auguſtorum* 1236.

Annus Jezdegird 578. *incipit 23.Januar.fer.6.*
*Armen.*558. 26.*Jan. fer.* 2.
Annus Neurutz Gelali 130. *incipit cum Æquin.*

In Anglia Cantuarienſis Epiſcopus defunctus fuerat, & monachi non conſulto rege alium elegerant, ſed rex hunc repudiabat, ideò alium eligebant. Sed hoc etiam rejecto Pontifex Romanus tertium eligit. Angliæ rex iratus & Pontifici & Monachis, Monachus regno Angliæ ejicit. Pontifex de hâc re mittit legatos, ſed cùm rex nec Epiſcopum Cantuarienſem recipere, nec monachos revocare vellet, à Pontifice Romano excommunicatur, die Lunæ poſt Dominicam Palmarum, die 23.Martii. Rex contra Clericorum bona in fiſcum redigit, & Clericis tantùm neceſſaria ſubminiſtrat, & à ſubditis iterum juramentum fidelitatis exigit. Movet etiam in Scotiam, cujus rex ſibi metuens pacem petit, & offert pecuniam & obſides. Papa irâ æſtuans, quòd rex excommunicationem contemnere auderet, jubet eum nominatim excommunicatum ſingulis diebus Dominicis in Anglia proclamari, quod tamen factum non eſt, cùm Clerici ſibi metuerent, ſed potius ex Anglia effugere conantur. Sed rex Archidiaconum in fuga deprehenſum plumbea tunicâ induit, ne effugere poſſet, quâ preſſus poſt aliquot dies obiit. *Pariſ.*

Ordo Monachorum *Franciſcanorum* ſive *fratrum minorum* incipit, inſtitutus à *Franciſco.* Hic Johannes primum vocabatur, & mercaturæ ſe dederat, paulò poſt tamen ſe Presbytero adjunxit, inde leproſis inſervivit. Poſt annos quatuordecim hic ordo ab Honorio confirmatur, & tam ſubita incrementa ſumſit, ut brevi ſpatio, hujus ordinis monachorum ad duo millia monaſteriorum extruerentur. *Sabell.*

Academia Pariſienſis circa hæc tempora florebat maximè in omnibus facultatibus, & deferebantur ex Arabica lingua eò Metaphyſica Ariſtotelis in latinam translata; ea judicio Epiſcoporum prohibentur & flammis abolentur. Richord.

Annus Indorum 1293. *& Hegira* 606. *incipit* 6. *Julii, fer.* 2.
Olympias 496. *incipit die* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1985.

*Otto Imp. incipit annum Imp.*2. *Henricus Conſtant.* 5.

Annus Diocletiani 926. *incipit* 29. *Auguſti.*

Otto Imp. impetraverat à Pontifice, ut ſibi liceret Beatricem filiam Philippi uxorem, quod aliàs propter cognationem fieri non potuiſſet, ducere: Sed nuptias tamen differt, & expeditionem exornat in Italiam ſplendidam, recipitur etiam à Longobardis, celebrat ibi comitia, & tandem Romam venit, ubi coronatur die 4.Octob. fer.1. Poſt coronationem, cùm Papa in diſſenſione imperii per decennium, quæ imperii erant, occupaſſet, ut Marchionatum Anconæ, quem Mathildis vidua Henrici quarti Pontifici dediſſe dicebatur & alia, quæ tamen omnia Lotharius & ſequentes Imp. viciſſim imperio aſſeruerant, repoſcit Otto ea à Pontifice, cùm præeunte Pontifice juràris, ſe imperii bona fideliter curaturum & aucturum. Pontifex contrà recuſat, ſe imperio hæc dare poſſe, atque ita diſſentire incipiunt, adeo ut Imperator urbe ejiceretur, & multi de nobilibus ſuis interficerentur. *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5159. Poſt C. 1210.
C.☉15. ☽ 14. *Ind.*13.

Rex Angliæ Judæis pecuniam aufert, & cuidam ſuam pecuniam abſcondenti ſingulis diebus ſingulos dentes excuti juſſit: cùm is ſeptem dentes ita amiſiſſet, pecuniam ſuam regi obtulit, inde rex circa initium Junii in Hyberniam venit, eamque ſibi ſubjicit, & in regnum reverſus Clericos iterum pecuniâ emungit. *Pariſ.*

Otto Wittelſbachius Palatinus parricida viciſſim trucidatur à Palatino Pappenheimenſi. Annal. Svev.

Otto Imp. & in Italia ulterius ignominiam & cædem ſuorum, non ſolùm quæ ad imperium pertinebant, occupat, ſed etiam omnia, quæ ad bellum Pontifici inferendum faciebant, colligit, arces Pontificis occupat & frumentum convehit. Papa per legatos ipſum dehortatur, ſed nihil cùm efficeret, eum excommunicat. Spang.

Stralſundum urbs in Pomerania ædificari cœpta, quæ centum annorum ſpatio adeò viribus crevit, ut duorum regum & decem principum oppugnationem firmiter ſuſtineret. *Chyt.*

Annus Indorum 1294. *& Hegira* 607. *incipit* 25. *Junii, fer.*6.

Stephanus Anglicus, Rector Academiæ Pariſienſis, primus ſcripturam ſacram moraliter exponere cœpit circa hoc tempus. *Trith.*

Johannes *Brenenſis Comes invitatus ad regnum Hieroſolymitanum, Ptolemaidem applicat veſperâ exaltationis crucis, & nuptias contrahit cum regina, coronaturq́; paulò poſt.* Marian.

Henricus *Imp. Conſtant. recuperat omnes urbes, quas Walachi & alii imp. eripuerant.* Antiſ.

Academia Palentiana circa hoc tempus inſtituta hortatu Roderici Toletani. Marian.

Bellum Mauricum iterum inchoatur, Reges Hiſpaniæ contra tantam vim fœdere coeunt, Mahomed Dux Maurorum, interim Salvaterram urbem poſt bimeſtrem obſidionem capit, Ferdinandus filius Alfonſi juvenis acer multa Mauris eripit, ſed morbo correptus moritur; interim bellum maximis viribus apparatur, & cruce ſignantur, qui huic militiæ nomen dare voluerunt. Pugna hoc anno commiſſa videtur, quanquam character feriæ non reſpondet, quæ eſt 16. Julii, fer.2. perierunt ex Mauris ultra ducenta millia, & multæ urbes recuperatæ. *Marian.*

Theodericus Hollandiæ Comes obſidet Trajectum, & undique urbem circumvallat. Interim capitur Comes Geldriæ ſocius Hollandi, à Duce Brabantiæ ex inſidiis, militabat is ſtipendiis Imp. Ottonis. *Theodericus* igitur obſidionem ſolvit, & exercitu Brabandinum petit, Buſcumducis obſidet, & 7. Septemb. capit, & ingenti prædâ potitur; Brabantinus interim auxilia coegerat, & obviam Theodorico venit, eum omni prædâ exuit, & capit etiam, & Hollandiam ac Geldriam undiq; vaſtat. *Chron.Belg.*

ANNO

ANNO MUNDI 5160. Poſt C. 1211.
B. ☉ 16. ☽ 15. *Ind.* 14.

Otto in *Italia præter Comitatum Anconæ occupat etiam Apuliam & Calabriam, quòd eæ regiones ad imperium pertinuiſſent, & à Rogerio olim per vim occupatæ fuiſſent; mittit etiam in Germaniam, qui Friderici Suevi regis Siciliæ Ducatum vaſtent. Inde cogitat in Galliam, quòd rex Galliæ Normanniam occupaſſet, quæ tamen eſſet regis Angliæ. Sed* Papa excommunicat iterum Ottonem, & formulam excommunicationis mittit in Germaniam ad Moguntinum, qui eam publicat. *Cùm autem hoc modo perturbaret imperium, majeſtatis accuſatur, & frater Imperatoris & Dux Brabantiæ eum Epiſcopatu pellunt, qui tamen ad Landgravium Thuringiæ confugit, à quo defenditur, & paulò poſt Landgravius cum Moguntino & Magdeburgenſi Epiſcopis, & cum aliis deliberant de Friderico filio Henrici, quem olim puerum Imperatorem elegerant ad imperium capeſſendum evocando. Cùm id Erphurtæ, ubi deliberabant, fieri non poſſet, comitia indicunt Norinbergæ, ubi legati ad Fridericum evocandum mittuntur.* Mon.Col.

Caſtellæ rex, iterum fines Maurorum vaſtat, & Caraſſum urbem poſt bimeſtrem obſidionem, die 18. *Maji pridie Aſcenſionis capit.* Marian.

Annus Indorum 1295. *& Hegira* 608. *incipit* 4. *Junii, fer.* 3.

Rex Angliæ Walliam ſibi ſubjicit, inde reverſus, obvios habuit Pontificis legatos, quibus conſentit de receptione Epiſcopi Cantuar. & Monachorum, ſed de ſumtibus præſtandis nihil polliceri voluit, quapropter iterum excommunicatur. *Pariſ.*

Hiſce temporibus quotannis ferè expeditio in Albingenſes ſuſcepta fuit: inveniunt tamen defenſorem Raimundum Comitem Tholoſanum, qui propterea excommunicatur. *Antiſſiod.*

Ferdinandus *Luſitaniæ regis filius ducit Johannam Balduini Imperatoris olim filiam, fitque comes Flandriæ, quam obtinet triennio, donec caperetur à rege Galliæ.* Annal.Fland.

ANNO MUNDI 5161. Poſt C. 1212.
AG. ☉ 17. ☽ 16. *Ind.* 15.

Otto Imp. ex Italia, cùm Pontifex tantas cieret turbas in Germania, revertitur, & indictis in Paſchate Comitiis Norinbergæ, Statibus exponit cauſas diſſenſionis inter ſe & Papam, & ſe nihil commiſiſſe, niſi quod imperio utile & Germanis honorificum ſit. Inde eorum auxilio movet contra Hermannum, Landgravium Thuringiæ, deſtruit Rotenburgum, Salzungen & Weiſſenſehe, ubi inſtrumento bellico primum utitur, quod Driebock appellatum fuit. Inde Northuſium abit, & celebrat nuptias cum Beatrice filia Philippi Imp. quæ tamen quarto die nuptiarum moritur. *Trith.*

Henricus *Brabantiæ Dux in feſto Aſcenſionis Chriſti fugato Epiſcopo Leodienſi, urbem ipſam capit, & ditiſſimis ſpoliis potitur.* Trith.

Annus Indorum 1296. *& Hegira* 609. *incipit* 3. *Junii, fer.* 1.

Pueri diverſæ ætatis & conditionis ubique congregantur in Saxonia ad recuperandam crucem Domini, quorum pleriq; perierunt & in Alpibus, & in Italia, & in ſylvis, frigore, fame, ſiti. In Gallia eadem expeditio puerorum fuit: Excivit eos adoleſcens quidam per vicos & urbes incedens, canens cantilenam, cujus ſumma erat: *Jeſu Chriſte crucem tuam nobis reſtitue, &c.* atque ita omnes pueros excivit, & qui canentem audierat, cum nec ſeræ nec cuſtodiæ poſitæ retinere potuerunt. Abierunt hi Maſſiliam verſus, ubi in mari pleriq; perierunt. *Pariſ.*

Wallenſes rebellant regi Angliæ: adverſus eos expeditionem inſtituit rex, ſed monetur ab amicis de proditione ſuorum, cùm à Pontifice eſſent abſoluti à fidelitatis juramento: quapropter domum redit & à ſuſpectis obſides exigit. Papa autem Innocentius, cùm rex ſperneret excommunicationem, indignum eum regno pronunciat, regnumq; Galliæ Philippo donat, & omnibus, qui ſeſe milites adverſus regem Angliæ exhibent, remiſſionem peccatorum, & liberationem expurgatorio promittit. *Pariſ.*

Sancius *Portugalliæ rex moritur, cùm annos regnaſſet* 27. *ferè; ſuccedit filius Alfonſus, qui obtinet regnum annis* 12. Hiſt.Pol.

Gerardus *à Lippa, Archiepiſcopi Bremenſis rogatu, aſſumtâ nobilitate Brabantina & aliis,* Stadinganos *hæreticos crudeliſſimè perſequitur, & eos ferè internecione delet.* Orig.Antverp.

Circa hoc tempus vixit *Alexander* de Villa Dei, qui edidit Grammaticam carmine leonino, cujus titulus eſt *Doctrinale puerorum,* quæ in Scholis regnum obtinuit per annos trecentos, donec tandem ſuperiori ſeculo Grammatica certioribus fundamentis & regulis tradita fuere. *Annal.Svev.*

In Galliis in diœceſi Lingonenſi novus ordo Monachorum cœpit, qui dictus eſt ordo Vallis ſcholarium, inchoatus per Wilhelmum Anglicum: habent hi regulam Auguſtini. *Chr. Belg.*

Annus Alexandr. 1520. *& Antioch.* 1261. *& Conſtantinop.* 672. *incipit Calend. Octob.*

Annus Nabonaſſaris 1961. *& Philippi* 1537. *incipit* 24. *Octobr. fer.* 4.

Pontifex videns Ottonem contemnere excommunicationem, nec de reconciliatione ſollicitum eſſe, Fridericum *ex Sicilia evocat, & cum eo agit, ſi velit Pontificiæ ſedi fidelis eſſe, ut fiat Imperator, atq; ita eum in Germaniam mittit. Otto hac audiens ipſi obviam proficiſcitur, conaturque eum retinere, ſed Briſaci à civibus oppido ejicitur;* Fridericus *verò, cùm Haganoam deditione accepiſſet, Moguntiæ die* 30. *Nov. comitia agit, ubi juramentum fidelitatis ipſi multi dederunt, inde die* 13. *Decemb. Aquisgrani coronatur.* Mon.Colon.

Bernhardus *primus Dux Saxoniæ, qui primus inſigniarutæ in transverſis trabibus, & duos gladios ad excindendos Vandalos accepit à* Friderico Barbaroſſa *Imp. moritur.* Spang.

ANNO MUNDI 5162. Poſt C. 1213.
F. ☉ 18. ☽ 17. *Ind.* 1.

Annus urbis 1965. *Julianus* 1258.
Æra Hiſpan. 1251. *Auguſtorum* 1240.

Annus Jezdegird 582. *incipit* 22. *Jan. fer.* 3. *Armen.* 662. 25. *Jan. fer* 6.

Annus Neuruz Perſ. Gelali 134. *incipit cum Æquinoctio.*

Otto *Imp. bello affligit Epiſcopum Magdeburgenſem, & Magdeburgum obſidet, ſuburbia incendit tam verſus Auſtrum quam verſus Septentrionem, ſed rebus infectis obſidionem ſolvit, & Magdeburgenſes*

pomœria amplificant, & ſpatium, ubi hodie parœchiæ ſunt ad D. Catharinam & Jacobum, urbi includunt. Chron. Sax.

Fridericus *Imp. cùm fœdus feciſſet cum rege Galliæ, ducit uxorem filiam Petri Arragoniæ regis, quò Petrus adhuc hoc anno occiditur.* Trith.

Rex Angliæ vi Pontificis in anguſtias redactus, quum in regno nemini ferè fidere poſſet, & regem Galliæ ad invadendam Angliam paratum videret, ſubjicit ſe Pontifici Romano, qui miſerat Pandulphum legatum, ut ipſi conditiones pacis præſcriberet, quod factum eſt die 13. Maji, fer. 2. quapropter facit ſuum regnum feudum Pontificis & vectigale, adeò ut præter denarium D. Petri ſolveret quotannis Pontifici mille marcas Sterlinorum, ferè centum millia noſtrorum florenorum, & reſtitueret Eccleſiis omnia, quæ eripuerat. *Par.*

Rex Galliæ conſtituerat in Angliam trajicere die 7. April. ſed prohibetur à legato Pontificis, cùm de pace inſtituta eſſet tractatio: quapropter iratus arma convertit in *Ferdinandum* Comitem Flandrenſem, qui injuſtum eſſe ſtatuebat, ad nutum Pontificis aliquem bello petere; atque ita auxilia ſua retraxerat, & fœdus cum Anglo inierat, & omni Comitatu ferè eum pellit; ſed cùm auxilia ex Anglia adveniſſent, claſſem regis Galliæ trecentas ferè naves capit, reliquas cremat, & totum Comitatum recipit. *Pariſ.*

Annus Indorum 1297. *& Hegira* 610. *incipit* 23. *Maji, fer.* 5.

Olympias 497. *incipit* 15 *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1989.

Diocletiani 930, *incipit* 29. *Auguſti.*

Saraceni *ex Africa in Hiſpaniam navigant, ſed fortiter repelluntur à rege Arragoniæ, qui elatus hac victoriâ, cùm Pontifex eodem tempore crucem prædicare juberet contra Albigenſes, eoſdem d fendere conatur, & Comitis Laiceſtriæ, qui Dux erat contra Albigenſes, provinciam adimit, & ſe Tholoſanis conjungit. Sed Archiepiſcopus Narbonenſis Bituricenſem civitatem expugnat, & cum Comite Leiceſtriæ contra regem Arragoniæ pugnat, eumque trucidat die* 13. *Septembr. cùm regnaſſet* Petrus *hic annis* 17. *Cui ſuccedit* Jacobus *filius, qui regnat annis* 63. Annal. Arrag.

Barones in Anglia regem ad bella euntem comitari nolunt, & privilegia olim ſibi data allegant, ſed rex Angliæ agit cum Pontifice, ut ſumta occaſione Barones & Epiſcopos excommunicet, miſſaque pecuniâ non ſolùm hoc impetrat, ſed etiam ut reſtitutio bonorum Clericis ablatorum differatur. *Pariſ.*

Regina *Hungarorum* Gertrudis, *mater* Eliſabethæ, *cùm maritus bellum Rhutenis inferret, trucidatur à Comite Petro, qui ſtatim deprehenſus ſequenti nocte dat pœnas. Suaſit eadem Epiſcopus Strigoniiſ hiſce verbis, nulla diſtinctione adhibita:* Reginam occidere nolite timere bonum eſt: ſi omnes conſentiunt, ego non contradico. *Chron. Aug.*

Henricus Dux Brabantiæ villas Epiſcopi Leodienſis cremat, Epiſcopus cum exercitu defendit ſe, & prælio cum Duce congreditur 14. Octob. fer. 1. & æquali ferè clade diſceditur. Eodem anno *Ferdinandus* Comes Flandriæ & frater regis Angliæ & Comes Hollandiæ obſident oppidum Bruxellenſe, propterea quod Dux Lotharingiæ ſemper ſuppetias ferret *Philippo* Francorum regi: pax tandem initur, ut Dux Comiti Flandriæ auxilio eſſet. *Chron. Belg.*

ANNO MUNDI 5163. Poſt C. 1214.

E. ☉ 19. ☽ 18. *Ind.* 2.

Otto Imp. cùm in Miſnia & aliis locis contra *Fridericum* nulla felicitate bellum gereret, & tantæ turbæ eſſent in Flandria & Gallia, ibi fortunam belli experiri tentat, proficiſciturque Flandro & Anglo auxilio contra regem Galliæ, ubi ingentes exercitus contrahuntur utrinque & primùm Comitatus Geldriæ vaſtatur & confinia Galliæ, inde die 27. Jul. fer. 1. prælio concurrunt ad *Bavinas*, Rex Galliæ cavebat prælium quantum poterat, ſed ita die Dominica ad prælium coactus ad preces ſuos cohortatur, & inſignem victoriam reportat. Capiuntur quatuor Comites, Comes videlicet Flandriæ, Boloniæ, Hollandiæ & frater regis Angliæ. *Otto* verò Imp. & Dux Lotharingiæ conſtanter ſuos tutati ſunt, & ſic prælio exceſſerunt. *Chron. Belg.*

Annus Indorum 1298. *& Hegira* 611. *incipit die* 12. *Maji, fer.* 2.

Fridericus obſidet caſtrum munitiſſimum *Werdum*, ubi *Otto* obſides & captos habebat: id ſeptem hebdomadibus obſeſſum capit, & obſides & captivos liberat & dimittit. Inde Brabantiam petit, ſed Dux ſibi metuens ad Imperatorem ſupplex venit, fidelitatem jurat, & filium dat obſidem. *Monach. Colon.*

Rex Angliæ abſolvitur tandem plenariè ab excommunicatione, cui ſubjacuerat annis ſex, menſibus tribus & diebus quatuordecim. *Pariſ.*

Guilielmus, *rex Scotiæ. cùm annos* 49, *regnaſſet, moritur; ſuccedit filius* Alexander, *qui regnat annis* 35. Buch.

Alfonſus *Caſtellæ rex, cùm annis* 52. *& diebus* 22. *regnâſſet, moritur* 6. *Octob fer.* 2. *Succedit filius* Henricus, *puer ſeptennis, qui vivit in regno tantùm annos duos & menſes octo.* Marian.

ANNO MUNDI 5164. Poſt C. 1215.

D. ☉. 20. ☽ 19. *Ind.* 3.

Cometa illuxit menſe Martio, & die 17. *Mart. ſecuta eſt ecclipſis Lunæ, quæ cœpit, ut Richardus habet, à galli cantu, & duravit uſque ad Solis exortum, fuit fer.* 3. *cœpit paulò ante ſecundam poſt mediam noctem: Medium ecclipſis Coloniæ incidit in horam* 3, 35. *Latitudo merid. fuit* 1, 17. *Semidiam. Lunæ* 17. 59. *Scrup. reſidua* 63. 7. *Digiti ecclipticì* 21, 3. *Sol in* 3, 6. *arietis.*

Johannes rex Angliæ à Baronibus cogitur, ut multa privilegia ipſis concederet: de his conqueritur apud Pontificem & impetrat, ut privilegia hæc tanquam invito extorta, nulla eſſent. Rex interim exercitum colligit in Pictavia & Flandria, quo Barones compeſceret, ferè ad 40. millia hominum, ſed is naufragio periit. Cùm & hâc via rex contra Barones non proficeret, impetrat à Pontifice Romano, ut Barones Angliæ excommunicentur, & *Epiſcopus Cantuarienſis* deponatur, cùm de his literas à Pontifice accepiſſet, crudeliter in Barones debacchatur. *Pariſ.*

Otto Monaſterienſis Epiſcopus ante biennium Coloniam venerat, & juſſu Ottonis Imperatoris in vincula conjectus fuerat, & Werdenam dedu-

deductus detinebatur. Adolphus Comes de Monte hoc anno Werdam oppugnat, & deditione capit, & Epiſcopum liberat die 24. Jul. *Mon. Col.*

Annus Indorum 1299. & Hegira 622. incipit 2. Maji, fer. 7.

Fridericus *cum multis Principibus Aquisgranum venit, & coronatur ibi a legato Apoſtolicæ ſedis* Sigfrido, *cum Colonia Epiſcopus nullus eſſet. Factum die 25. Julii. Multi ibi ſocietatem jungunt de expeditione ſuſcipienda in Palæſtinam. Inde Fridericus* Coloniam *venit, quæ, quod Ottoni Imperatori addicta fuiſſet, excommunicationi Pontificiæ ſubjacuerat annuo & quinque menſium ſpatio, ſed à Trevirenſi Epiſcopo jam ſoluta erat.* Mon. Colon.

Conradus de Marburgo inquiſitor hæreticæ pravitatis in Germania, multos hæreſeos condemnat, & Argentinæ homines octuaginta cremat. Examen ejus hoc erat, ſi quis hæreſeos accuſatus eſſet & negaret, ſubjiciebatur judicio candentis ferri qui adurebantur, tanquam impietatis convicti cremabantur. Sed plerique innocentes perierunt. *Trith.*

Fridericus Imp. Hamburgum, quod à rege Daniæ in civili bello Imperatorum interceptum fuerat, obſidet & recipit, ſed ſequenti anno, cùm Fridericus aliis negotiis implicaretur, Danus eandem urbem recuperat. *Abb. Stad.*

Ludovicus *Bavariæ Princeps à Friderico Imperatore Rhenatium Ducatum, quem Palas vocant, accipit, & ab eo tempore Bavariæ Principes Rheno potiuntur.* Annal. Svev.

Ditericum Marchionem Miſnenſem ſubditi tam nobiles quàm cives oderant, adeò ut inſidias vitæ ipſius ipſi ſtruerent, quapropter ut ſibi reconciliarentur, multa ipſis indulſerat, & impunitatem promiſerat. Ante biennium, cum videret parum ſpei in Ottone eſſe, auxilia Friderico contra Ottonem miſerat, & eundem victorem hoc anno evocat *Lipſiam* & recipitur quidem Marchio cum Imperatore in urbem cum paucis militibus, ſed milites reliqui, cum negotia ſibi fingerent, per partes in urbem introierunt, quibus mandatum, ut ſinguli ſuos hoſpites caperent, Campanulam, qua cives aliàs convocari conſueverant, Marchio abſtulerat, & ſimul exercitus Imperatoris ad urbē accedebat. Cives territi implorant clementiam Principis, ſed fruſtrà: Urbs diripitur, muri dejiciuntur, & libertas adimitur ipſis, in vitam tamen nihil ſævitum: tres inde arces ad latera civitatis extructæ, quarum duæ in urbem receptæ, in cœnobia verſæ ſunt. *Paulò ante hæc tempora ab eodem Diterico cœnobium ad D. Thomam extructum fuerat.* Fabr.

Hermannus *Langravius Thuringiæ, cum annos 35. præfuiſſet, moritur Gothæ, ſepelitur Iſnaci, ſuccedit filius* Ludovicus, *qui* Sanctus *appellatus eſt, & præeſt annis 15.* Spang.

Concilium Romæ celebratur Calend. Novemb. in quo *Tranſſubſtantiatio* panis & vini in cœna Domini a Lanfranco primum introducta, de qua plurimum diſputatum fuerat, quod fieret aqua, quæ vino admiſceretur, approbata & confirmata fuit. Item *Petrus Longobardus* in loco de Trinitate defenſus, decreta etiam eſt expeditio in Palæſtinam, & dimiſſi ſunt per Europam, qui homines ad militiam hanc ſuſcipiendam adhortarentur. Interfuerunt huic concilio Epiſcopi 412. Abbates & Clerici ultra mille. *Centur. Magd.*

ANNO MUNDI 5165. Poſt C. 1216.

CB. ☉ 21. ☽ 1. *Ind.* 4.

Johannes rex Angliæ per totam hyemem Barones miſerè affligit, & petit à Pontifice excommunicationem iterari, quod & impetrat. Barones contra bonis ſuis ſpoliati de vindicta cogitant, & Ludovicum regis Galliæ filium in Angliam evocant, cum eum regem Angliæ elegiſſent. Pontifex verò certior factus de voluntate regis Galliæ, mittit legatum, qui transfretationem in Angliam prohibeat ſub pœna excommunicationis. Sed Ludovicus neglecto Pontifice in Angliam abit die 11. Maji, & bona Baronibus recuperat, quæ Johannes abſtulerat. Legatus Pontificis ſequitur Ludovicum in Angliam, ibi iterum cum cum Baronibus excommunicat. Sed Ludov. nihil minus Johannem perſequitur, & Angliam vaſtat, in tota Auſtrali parte. Rex Johannes ne Ludovicus commeatum haberet, Angliam vaſtat in ſeptentrionali plaga, atq; ita ferè tota Anglia perit. Æger tamen animi rex, cum nihil ſuccederet, moritur die 18. Octob. cum regnaſſet annos 18. menſes 5. Succedit *Henricus* primogenitus, qui coronatur die 28. Octob. & regnat annis 58. *Parif.*

Annus Indorum 1300. & Hegira 623. incipit 24. April. fer. 4.

Henricus *Imp. Conſtantinop. cum deſtitueretur ſobole maſcula, filiam Jolantam nuptum dedit Comiti Antiſſiodorenſi, cum dote imperii Conſtantinopol. & Henricus Imp. cum annos ferè decem imperaſſet, moritur apud Theſſalonicam, die 11 Junii: Cui ſucceſſit ſtatim* Petrus gener. *Mon. ch.* Antiſſiod. *qui tamen hunc Petrum vocat ſororium.*

Innocentius III. Papa, cum ſediſſet annos 18, menſes 6. moritur die 16. Julii, ſuccedit ipſi Centius Sabellus, Camerarius Pontificis & Cardinalis qui voluit ſe vocari *Honorium*, qui ſedet annos 10. menſes 8. *Onuff.*

Ditericus Marchio diſſentire incipit cum Abbate Pegavienſi, & Abbas hic multum ipſi negotii faceſſit, accuſat eum apud Pontificem, ubi Marchio damnatur, & pro impenſis Abbati ſolvere coactus fuit pondo argenti trecenta. *Fab.*

Annus ſabbathicus 3. Jobelei 24. incipit 13. Sept. fer. 3. Anno Jud. *4977.*

Annus Alexandr. 1528. Antioch. 1265. & Conſtantin. 6725. incip. Cal. Octob.

Annus Nabonaſſaris 1965. & Philippi 1541. incipit 23. Octob. fer. 1.

Honorius Papa confirmat ordinem fratrum Prædicatorum, quem Dominicus Hiſpanus ante novem annos inſtituerat, factum die 22. Decembr. *Chron. Belg.*

ANNO MUNDI 5166. Poſt C. 1217.

A ☉ 22. ☽ 2. *Ind.* 5.

Annus urbis 1969.	*Julianus* 1262.
Æra Hiſpan. 1255.	*Auguſtorum* 1144.

Annus Jezdegird. 586. incipit 21. Jan *fer. 7. Armen. 666. 24. Jan. fer. 3.*

Fridericus Imp. inchoat annum imperii 5. Ann. Perſi. Gelal. 138. in æquinoctio.

Ludovicus filius regis Galliæ, cum audiret ſe iterum excommunicatum, facit cum novo rege Henrico inducias, & in Gallias ad parentem auxilia

xilia adducturus redit; Pater filio excommunicato ſubvenire non auſus, conjugi mandat, ut filium adjuvaret, ſed claſſis ea tardè adornabatur, & ab Anglis die Bartholomæi capiebatur. Interim Ludovicus cum rege Henrico in Anglia prælio congreditur, ſed vincitur magna clade, die 20. Maji, Sabbatho poſt Pentecoſten. Ludovicus igitur deſperat de Angliæ regno occupando, & cum obſideretur Londini, pacis conditiones petit, quæ oblatæ ſunt ei, ut Angliam ejuret, & Normanniam & Pictaviam in Galliis regi Angliæ reſtituat. *Pariſ.*

Annus Indorum 1301. *& Hegira 614. incipit* 10. *Apr. fer.* 2.

Petrus Imp. Conſtant. Romam venit cum Jolanta conjuge ſua, ubi ab Honorio Pontifice ad D. Laurentii fanum extra muros imperii Conſtantinopolitani inſignia accipit, & coronatur Dominica Miſericordias Domini, inde nono die Conſtantinopolin rediturus per Macedoniam ſalvo conductu à Theodoro Laſcare impetrato, capitur, & biennii ſpatio in vinculis detinetur, interim Jolanta gubernat imperium. *Cuſpin.*

Andreas *rex Hungariæ, & Leopoldus Dux Auſtriæ ſuperiori anno menſe Novemb.* Ptolemaidem *venerant ſed verè adveniente rex Hungariæ nulla re geſta cum claſſe ſua in regnum redit, multa deprecante Patriarcha.* Pariſ.

Wilhelmus Comes Hollandiæ, Friſii itidem, & alii, iter in Palæſtinam ingrediuntur die 29. Maji. Veniunt in Angliam Cal. Jul. inde Ulyſbonam abeunt, ubi ab Epiſcopo & Hiſpanis exorantur, ut ſibi auxilio ſint contra Saracenos, quod & faciunt, & Saracenorum regem & exercitum vincunt die 9. Sept. trucidatis quatuordecim millibus: tandem caſtrum Salaciam expugnant, & in Hiſpania hybernant. *Mon. Colon.*

Olympias 498. incipit 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1993.

Annus Diocletiani 934. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Henricus *Caſtellæ rex adhuc puer, dum cum æqualibus ſuis ludit in area, tegulæ ictu percutitur, & comminuto capite moritur die* 6. *Jun. fer.* 3. *cum regnaſſet annis duobus, & menſibus octo, ſuccedit* Ferdinandus, *qui regnat annis* 35. Marian.

Ordo Monachorum Scholarium à Guilielmo Pariſienſi inſtitutus confirmatur ab Honorio Pontifice.

ANNO MUNDI 5167. Poſt C. 1218.

G. ☉ 23. ☽ 3. *Ind.* 6.

Annus Indorum 1302. *& Hegira* 614. *incipit* 30. *Martii, fer.* 6.

Otto Imperator paucis diebus poſt Paſcha peſte Brunſvigi corripitur, & moritur poſtea 15. Maji, ſepeliturq; apud Blaſium. *Mon. Colon.*

Peregrini *in Hiſpania ſolvunt die* 31. *Martii profecturi in Palæſtinam: die* 12. *April. qua fer.* 5. *erat ante Paſcha, tempeſtate disjiciuntur, inde veniunt Ptolemaidem, ibi conſilio habito decernunt, Ægyptum eſſe invadendam. Paucis diebus poſtquam eò veniſſent, Eclipſis Lunæ facta eſt ferè generalis. Ea accidit die* 9. *Julii, horis* 10. *poſt meridiem Sol in gradu* 24. *Cancri. Latitudo Lunæ* 29. 27. *Septen. Semid. Lunæ* 17, 50. *Scrup. reſidua* 34, 56. *Digiti eclipticι* 11, 45. *Primùm tamen, quàm Damiata obſideretur.* Taphnis *turris fortiſſima in Nilo capienda videbatur, cujus capiendæ cum nulla ratio iniri poſſet, Germani tamen eam tandem expugnarunt die* 24. *Aug. fer.* 6. *Inde quies militibus conceſſa, & conveniunt multi alii peregrini: quidam tamen etiam in Europam receſſerunt cum diſſenſiones in exercitu exorirentur. Legatus enim Pontificis in omnes imperium obtinere volebat, quod Johannes Brennes rex ſibi adſcribebat, atq; ita occaſiones rei gerendæ omittebantur.* Saphadinus Calipha *audiens turrim captam moritur.* Jacob. de Vitria.

Rudolphus Comes Habsburgenſis poſtea Imp. naſcitur die 27. Aprilis. *Sponſor Baptiſmi* fuit Fridericus Imp.

In Phryſia mare ſuis finibus egreſſum, totam Friſiam ferè inundavit. & ad centena hominum millia perierunt. Trith.

ANNO MUNDI 5168. Poſt C. 1219.

F. ☉ 24. ☽ 4. *Ind.* 7.

Damiata in Ægypto à noſtris menſe Febr. arctiùs obſidetur, & tota æſtate ibidem eruptionibus pugnatur, & noſtri aliquoties magnis cladibus affecti fuerunt: nihilominus tamen cum Saraceni in urbe & fame & peſte affligi inciperent, Suldanus offert Chriſtianis conditiones pacis haſce, ſe redditurum *ſanctam crucem* cum toto regno Hieroſolymitano, & ſumtus ad inſtaurandos muros Hieroſolymorum. Hoſce enim hac æſtate dejecerat, ne ſi caperetur recipi non poſſet: retenturum ſe tamen duo caſtra in Arabia, Rex Johannes & reliqui principes ſtatuunt haſce conditiones eſſe accipiendas, cum expeditio hæc propter nullam aliam cauſam ſuſcepta ſit. Sed reſtitit Legatus Pontificis & obtinuit, ne diſcederetur, atq; ita tandem Damiata capta eſt die 5. Novemb. fer. 3. & Suldanus combuſtis caſtris ſuis fugit. Obſeſſa fuerat *Damiata* anno & ſeptem menſibus, inde diſcedunt Tanaim verſus, olim urbem, jam tantum caſtrum, quo tamen nihil potuit eſſe firmius. *Vitriac.*

Indorum annus 1303. *& Hegira* 616. *incipit* 19. *Mart. fer.* 3.

Ludovicus *filius regis Galliæ movet contra Albigenſes & Tholoſanos, eosque obſidet, ſed ob peſtem ingruentem re infecta diſcedit.* Antiſſiod.

Fridericus Imp. ut coronetur Romæ, cum maximo apparatu eò proficiſcitur, & coronatur die 22. Novemb. utq; Pontifici rem gratam faceret, donat ipſi *Comitatum Fundenſem*, hæc pax tamen inter Pontificem & Imp. diuturna non fuit, *Trith.*

ANNO MUNDI 5169. Poſt C. 1220.

E D. ☉ 25. ☽ 5. *Ind.* 8.

Annus Indorum 1304. *& Hegira* 617. *incipit* 8. *Martii, fer.* 1.

Corradinus Damaſcenus deſtruit caſtra quædam Chriſtianorum, dum in Ægytoabſunt, inprimis Saphet, quod valde munitum fuit. *Marin.*

Fridericus *Imp. in Apulia & Sicilia res componit, & Comites Thuſciæ quosdam, quòd Apuliam hoſtiliter diripuiſſent, bello profligat, qui ad* Pontificem *confugiunt, unde nova diſſenſio inter Pontificem & Imp. orta.*

Henricus rex Angliæ iterum coronatur die 17. Maji in feſto Pentecoſtes, & *Thomas Cantuarienſis* paulò poſt, menſe Julio transfertur & elevatur in feſto. *Pariſ.*

Milites ordinis Teutonici magiſtro Hermanno de Salza Boruſſiam, volente ita Imperatore, ingrediun-

diuntur, eamque brevi tempore ſibi ſubjiciunt, & Coloniis ex Germania eductis frequentem reddunt retro, auro & gemmis eleganter ornati. *Chyt.*

Annus Alexandr. 1532. *& Antioch.* 1269. *& Conſtantin.* 6729. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaris 1969. *& Philippi* 1545. *incipit* 22. *Octob. fer.* 5.

Cum noſtri in Ægypto ulterius tenderent, ut totum Ægyptum occuparent, Soldanus ipſis commeatum intercludit, & tandem obſeſſos immiſſis aquis affligtat. Pacem igitur cum Saphadino facere coguntur duris conditionibus. Damiatam enim reddunt, & captivi utrinque permutantur, cum Damiatam vix octo menſium ſpatio obtinuiſſent. *Marin.*

Simultates inter nobiles Miſnenſes & Dietericum Marchionem, circa hæc tempora recrudeſcunt, adjuvat nobiles Albertus Magdeburgicus, qui caſtrum ſuum Tauchaw foſſa & vallo cingit, ut nobiles haberent, quo ſe reciperent, nec ſincera pax & amor inter Principem Dietericum & ſubditos conſtitui potuit. Fabr.

Gingitz Chan *Tartarus cum ingenti exercitu anno Hegira* 617. *omnia cade & incendiis vaſtat, & exercitum regis Chorasan ad flumen vincit.* Zacuth.

ANNO MUNDI 5170. Poſt C. 1221.
C. ☉ 26. ☽ 6. *Ind.* 9.

Annus urbis cond. 1973. *Julianus* 1266.
Æra Hiſpan. 1259. *Auguſtorum* 1249.
Fridericus Imp. inchoat annum imp. 9.
Annus Jezdegerd 590. *incipit* 20. *Jan. fer.* 4. *Armen.* 670. *die* 23. *Jan. fer.* 7.
Neuruiz Perſ. 142. *cum Æquinoct.*
Indorum 1305. *& Hegir.* 618. *incipit* 25. *Feb. fer.* 5.

Petrus Imp. Conſtantinopolitanus, cum diuturno carcere detentus fuiſſet, tandem in convivio apud Imperatorem obtruncatur: ſucceſſerat autem ipſi filius *Robertus*, qui ad nuncium paternæ captivitatis Conſtantinopolin jam dudum venerat, dicitur imperaſſe annos ſeptem. *Pariſ.*

Thomas de Aquino, ex illuſtri familia Comitum oriundus, naſcitur in vigilia Aſcenſionis. Magiſtrum poſtea habuit in bonis artibus *Albertum Magnum* coætaneum. *Cent. Magd.*

Ludovicus *Landgravius celebrat nuptias cum* Eliſabetha, *Andreæ regis Ungariæ filia.* Spang.

Patavina Academia in Italia ab Imperatore Friderico conditur, cum Bononienſe Gymnaſium eo tranſtuliſſet. Cent. Magd.

Olympias 499. *incipit die* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 1997.

Annus Diocletiani 938. *incipit* 29. *Auguſti.*

Dominicus Monachus, autor monachorum, moritur Romæ die 8. Auguſti. *Petr. de Natal.*

Theodorus Laſcares, cum poſt captam Conſtantinopolin in Natolia, poſt captam Niceam regnaſſet annos 22. & regnum aliquod conſtituiſſet, & legibus firmaſſet, moritur; ſuccedit ipſi filius *Johannes* Ducas, qui regnat annos 33. *Nicet. Greg.*

ANNO MUNDI 5171. Poſt. C. 1222.
B. ☉ 27. ☽ 7. *Ind.* 10.

Annus Indorum 1306. *& Hegira* 619. *incipit* 14. *Feb. fer.* 2.

Terræmotus ingens fuit hoc anno tàm in Germania quàm alibi. In Cypro duæ urbes everſæ, in Italia verò nemo in urbibus metu ruinarum nocte permanſit. *Brixia* urbs ferè tota ſubverſa eſt. *Trith.*

Woldemarus *rex Daniæ à Comite Sverinenſi Henrico capitur, & biennio toto in caſtro Tannenberg cuſtoditur.* Trith.

Fridericus Imper. in Italia multipliciter à Pontifice injuriis afficitur, quibus commotus bello ſe defendit, & cum metueret dirum illud Pontificis telum excommunicationis, abit in Germaniam, & convocatis principibus injurias Pontificis exponit ejus conatus in evertendo imperio Romano, & in ſe transferendo demonſtrat, & ex ipſorum conſilio filium ſuum *Henricum* puerum novem annorum Imperatorem Aquisgrani die 8. Maji, Dominica ante Aſcenſionem Domini, coronat, qui cum patre novem annis in Germania imperat, ipſe pater in Italiam redit, & contra rebelles Apulos & Calabros quod jam aliquot annis fecerat, bellum gerit. Saracenos tamen Siciliæ pulſos in Italiam traducit, eosque Luceriam, quam *Nuceriam* appellarunt, inhabitare jubet. *Annal. Svev.*

Theodoricus Marchio Miſnenſis, qui poſt patrem *Conradum* annis 33. præfuerat, poſt fratrem verò *Albertum* annis 27. mortuus fuerat menſe Febr. reliquerat filium *Henricum* triennem, cui tutorem præfecerat Landgravium Thuringiæ *Ludovicum*, qui fideliter curat pupillum. At viduæ *Theodorici*, ſoror Landgravii, mulier procax & imperioſa; nubit *Pepponi Hennebergico*, quem Marchionatui conatur præficere, unde diſſidia & bella inteſtina videbantur oriri poſſe, quapropter Lipſienſes à Landgravio impetrarunt, ut ſibi liceret arcem ad portam Grimmanam urbi includere, ut eſſet urbs munitior. *Henricus* autem hic regiones ſuas feliciter auxit Landgraviatu Thuringiæ, & præfuit annis 66. *Fab.*

ANNO MUNDI 5172. Poſt C. 1223.
A ☉ 28. ☽ 8. *Ind.* 11.

Annus Indorum 1307. *& Hegira* 620. *incipit* 4. *Februar. fer.* 7.

Fridericus Imp. cum exercitu in Italiam proficiſcitur contra Pontificem, à quo excommunicatus erat, quòd eſſet hoſtis Eccleſiæ, & diſcipulus Mahometi, &c. Et fortaſſis eum Roma & Italia ejeciſſet, niſi cives etiam Romani Pontificem odiſſent. Sed venit tum in Italiam *Johannes* Brennes, Hieroſolymæ rex, petitum auxilia contra Saracenos. Is pacem conciliat inter Pontificem & Imperatorem, & offert filiam ſuam *Jolantam* Imperatori ſponſam, & uxorem cum dote regni Hieroſolymitani. Imperator etiam eandem ducit, & nuptias Romæ celebrat, jubetq; ſibi reſignari omnia jura regni Hieroſolymitani, & ab hoc tempore reges Siciliæ & Apuliæ titulum ejus regni habuerunt. Johannes inde proficiſcitur in Galliam ad regem *Philippum*, quem invenit periculoſè decumbentem, & inde in Angliam. *Pontifex etiam jubet crucem prædicare contra Saracenos*, ita ut iter inſtituatur poſt biennium, in die Johannis Baptiſtæ. *Trith.*

Alexius *Senior &* Iſaacius *quòd non ſucceſſores Laſcaris in Natolia deſtinati fuerant, ad Robertum Imperatorem Conſtantinopolin perfugiunt petuntq; auxilium contra* Johannem Ducam *Imperatorem. Sed cum veniſſent in Aſiam cum exercitu, vincuntur* à Jo-

à Johanne, & Robertus *præterea amittit omnes urbes, quas Henricus olim occupaverat in Aſia.* Niceph. Greg.

Philippus *Francorum rex, qui regnum plurimum amplificaverat, jam annos* 43. *regnaſſet, moritur die* 14. *Julii, ſuccedit filius primogenitus* Ludovicus, *qui coronatur die* 6. *Aug. qui regnat paulò plus triennio.* Richord.

Albigenſes perſecutionibus Galliæ & Hiſpaniæ ejecti in fines Bulgarorum, Croatiæ & Dalmatiæ pervenerant, ii, cùm ſua doctrina feliciter propagaretur, Antipapam ſibi eligunt. *Pariſ.*

Annus ſabbathicus 4. *Jobelei* 24. *incipit* 28. *Aug. fer.* 2. *Anno Jud.* 4984.

Peſtis ingens annotatur hoc anno à Trithemio, qua tertia pars pecorum perempta viſa eſt.

Papa *Honorius* conſenſu Cardinalium ordinem Monachorum Franciſci, ſive fratrum Minorum vivente Franciſco confirmat, die 29. Novembr. *Trithem.*

ANNO MUNDI 5173. Poſt C. 1224.

G F. ☉ 1. ☽ 9. *Ind.* 12.

Annus Indorum 1308. *& Hegira* 621. *incipit die* 23 *Jan. fer.* 4.

Imperator *Fridericus* cum Comite Orlemundenſi plurimum laborat pro libertate *Woldemari* regis Daniæ, qui in vinculis detinebatur à Comite Sverinenſi, & Comes quidem conditiones offert, quas tamen Dani recuſant. Inde Imperator fœdus facit cum *Ludovico* rege Galliæ, & fraternum novem inter Gallos & Germanos renovat. *Ann Svev.*

Sanctius *Portugalliæ rex, cum annis* 12. *regnaſſet, moritur, ſuccedit filius* Sanctius *qui* Ignavus *dictus fuit & regnavit annis* 22. Hiſt. Port.

Annus Alexandr. 1536. *Antioch.* 1273. *Conſtantinop.* 6733. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſar. 1973. *& Philippi* 1549. *incipit* 21. *Octob. fer.* 2.

Barones *in Anglia, caſtella, de quibus diu certatum fuerat, reſtituunt regi, metu excommunicationis aut belli adducti.* Pariſ.

Ferdinandus Caſtellæ rex iterum movet bellum Mauris, multa oppida iis eripit, & Mauros in eis tributarios facit; continuatur hoc bellum feliciter etiam ſequenti anno. *Marina.*

Ludovicus rex Galliæ Comitatum Pictavienſem invadit, & Rupellam urbem, quæ ſola poſt Comitatum Andegavenſem & Ducatum Normanniæ, Angliæ regi parebat, obſidet, eamq; deditione capit, atq; ita Angli tota Gallia expulſi ſunt. *Rith.*

ANNO MUNDI 5174. Poſt C. 1225.

E. ☉ 2. ☽ 10. *Ind.* 13.

Annus urbis 1977. *Julianus* 1270.

Æra Hiſpan. 1263. *Auguſtorum* 1252.

Fridericus Imp. incipit annum imp. 13.

Annus Indorum 1309. *& Hegira* 622. *incipit* 13. *Jan. fer.* 2.

Annus Jezdegird 594. *incipit* 19. *Februar. fer.* 1. *Armen.* 674. 22. *Jan. fer.* 4.

Neuruz. Perſ. 146. *incipit ab æquinoctio Verno.*

Albertus Comes Orlemundenſis, cùm interceſſionibus pro rege Daniæ nihil efficeretur, bellum parat, vi regem erepturus, ſed magno prælio vincitur, & captivus in eadem vincula deducitur, liberatur poſtea uterque ſequenti æſtate. *Monach. Col.*

Rabbi Moſe Cordubenſis filius Maimon: Item Rabbi Joſeph ejus diſcipulus, florent. *Zacut.*

Henricus Imperator, filius Imperatoris *Friderici*, nuptias celebrat Norinbergæ, cum filia Leopoldi Ducis Auſtriæ, inde comitia agit in Saxonia, propè Lunæburgum. *Trith.*

Rex Angliæ celebratis comitiis decernit, Normanniæ Ducatum & Comitatum Andegavenſem & Pictavienſem recuperari debere, ideò à ſubditis decimam quintam partem redituum expoſcit. Cùm conſenſiſſent ſubditi ſtatim fratrem ſuum Comitem Pictavienſem declarat, & cum eò mittit. Pariſ.

Balduinus quidam venditabat ſe pro *Balduino Flandro*, olim Imperatore Conſtantinopolitano, repoſcebat à rege Galliæ Comitatum Flandrenſem & perſuadebat ferè omnibus, ſe verum illum eſſe Balduinum, ſed filia tamen ejus pro patre eum planè agnoſcere nolebat, & de re tota inquiſitionem inſtituit, & tandem deprehendit eum impoſtorem eſſe, ideò ſuſpenditur, ab utroque latere appenſis canibus. *Pariſ.*

Mercatores quidam ex Thuringia in Polonia ſpoliati erant, & ſuis bonis exuti. Landgravius ſubditorum ſuorum cauſa agit apud Principem Poloniæ, ut bona ipſis reſtituantur. cum nihil daretur, Landgravius collectis militibus clanculum præmittit quoſdam in Poloniam, ad Lubitium urbem occupandam, ipſe menſe Julio ſubitò cum pluribus advenit, urbem capit, & arce per deditionem potitur, & multam prædam avehit, nequicquam Polono tumultuante. *Ludos equeſtres* inſuper ibi celebrat, & die decimo ſexto in Thuringiam redit. *Spang.*

Olympias 506. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 2001.

Annus Diocletiani 942.

Chriſtus Franciſco hoc anno apparuiſſe dicitur & ſtigmata vulnerum ſuorum ipſi impreſſiſſe. *Chr. Belg.*

Albertus *Holſatiæ Comes jus ſuum in Hamburgenſem civitatem Senatui vendit* 1500. *marcis argenti, quibus indigebat in expeditione, quam adornabat, Hieroſolymitana.* Eodem tempore Lubecenſes, *ſtrategemate regem Daniæ urbe excludunt, & ſe in libertatem vendicant,* Chyt.

Engelbertus Epiſcopus Colonienſis à Friderico Comite Iſenburgio in itinere trucidatur vulneribus octo, die 7 Novemb. *Comes hic poſt biennium ferè capitur, & juſſu* Friderici *rota, ut alii latrones, contunditur, eique imponitur, arxque ejus ad ſolum uſq; deſtruitur.* Monach. Colon.

ANNO MUNDI 5175. Poſt C. 1226.

D. ☉ 3. ☽ 11. *Ind.* 14.

Annus Indorum 1310. *& Hegira* 623. *incipit die* 2. *Jan. fer.* 6.

Imperator in vere conventum Imperii indicit Cremonæ in Italia, ut Germaniæ principes eò veniant: ſed Veronenſes hoſtes Imperatoris munita loca in Alpibus obſederant, ut illa nemo tranſire poſſet. Pauci per Auſtriam in Italiam ingreſſi ſunt, reliqui infecta re in Germaniam reverſi ſunt. Paulo poſt Longobardi, quòd rebelles eſſent præter juſtam cauſam Imperatori, ab Honorio Papa excommunicantur, ſed paulò poſt Papa mutata ſententia à Longobardis contra Imperatorem ſtetit, fœduſque cum iis fecit in detrimentum imperii,

quod

quod dictum fuit *Logobardorum ſocietas. Monach. Colon.*

Mersburgi *Ludi equeſtres celebrantur, ubi virgo ſumptuoſè veſtita, equo graduario inſidens, & niſum cum aureo cane venatico manu geſtans victori præmium danda conſtituta fuit. Propoſuit eam* Waldmannus à Setelſtedt/ *ſed ipſe omnes ſuſtinuit, nec à quoquam equo dejici potuit. Victi igitur omnes coacti ſunt annulum valoris unius aurei virgini dare.* Chr. Querf.

Papa *Honorius* per omnes Europæ partes legatos mittit, qui Romanæ curiæ ex ſingulis Epiſcopatibus & monaſteriis binas præbendas, ut vocat, dari juberent, quæ pecunia bello ſacro impenderetur Galli hoc concedendum non putarunt, plurimis adducti rationibus. Angli, ut obſtricti Pontifici ſe idem facturos, quod cæteri, reſponderunt. *Pariſ.*

Rex Galliæ *Ludovicus* ingentem exercitum comparat, ad quinquaginta millia equitum. Pedites enim vix numerari poterant, cum quibus jubente Pontifice contra Comitem Tholoſanum, & contra Albigenſes proficiſcitur. In vigilia Pentecoſtes venit Avenionem, quæ erat Comitis Tholoſani, quam graviſſimè obſidet, ſed exiguo cum fructu: perierunt enim obſidentium ad viginti duo millia. Pax tamen quibusdam conditionibus facta eſt, & Legatus Pontificis petiit, ſe in urbem cum paucis intromitti, quod cum obtinuiſſet, portarum cuſtodes perfidè trucidat, & totum exercitum immitt e, atq; ita urbe potitur, & crudeliſſimè in cives graſſatur. *Pariſ.*

In expeditione contra Albigenſes Comes Namurcenſis obit, cum Comitatum occupat Henricus Lucelburgenſis, *quem tamen poſtea Hannonienſibus reddit.* Annal. Fland.

Gingitz Chan *Tartarus, cum duodecim annis in regno Perſico graſſatus fuiſſet, moritur, cui ſuccedit* Octai *filius, qui fratribus ſuis ingentes dat exercitus, & aſſignat unicuique certam partem orbis terrarum, quam ſubigeret, unde factum, ut uni ex fratribus Moſcovia vaſtanda daretur, quam non ſolum ſubegit, ſed inde in Poloniam, & poſt in Germaniam penetravit.* Zacuthi.

Leſcus princeps Poloniæ per proditionē à Sventopolco Pomeraniæ Duce interficitur, cum à morte patris annis 33. præfuiſſet; ſuccedit ipſi *Boleslaus* Pudicus filius, qui regnavit annis 52. *Chron. Pol.*

Franciſcus Monachus moritur die 4. Octob. feria prima Aſſiſii, anno ætatis 45. & poſt biennium inter Sanctos refertur. *Trith.*

Ludovicus *rex Galliæ, cum annos tres & menſes quatuor regnaſſet, moritur die 7. Novemb. ſuccedit ipſi* Ludovicus, *puer annorum duodecim, qui coronatur D min. I. Adventus regnatq; annis* 43. Rich.

ANNO MUNDI 5176. Poſt C. 1227.

C. ☉ 4. ☽ 12. *Ind.* 15.

Annus Indorum 1311. *& Hegira* 624. *incipit* 22. *Octob. fer.* 3.

Honorius III. Papa, cum ſediſſet annis ferè undecim, moritur die 19. Martii, fer. 6. Succedit ipſi ſequenti die Hugolinus Anagninus, Epiſcopus Hoſtienſis, qui voluit ſe Gregorium IX. appellari, ſeditq; annis 14. menſibus 5. *Onuf.*

Rex Angliæ Henricus, *eo tempore, quo ſub tutore fuerat, conceſſerat multa privilegia Baronibus & Epiſcopis, cum ea antiquo tempore habuiſſent: ſed jam cum imperii potens eſſet privilegia illa antiquat, unde diſſenſiones ortæ in regno.* Pariſ.

Waldemarus rex Daniæ ex captivitate Suerinenſi liberatus, pactis ſtare recuſ-t, & Lubecenſibus Suerinenſi Comiti bellum infert, ſed Lubecenſib. auxilio inſuper veniunt Epiſcopus Bremenſis, & *Albertus Dux Saxoniæ*; & Danus vincitur & quatuor millia militum amittit, atq; ita Lubecenſes integram libertatem, approbante *Friderico* Imperatore, conſequuntur. *Chytr.*

Ferdinandus Caſtellæ rex circa hoc tempus Saracenos ex Majorica inſula ejicit, & Chriſtianos ſubſtituit. *Cent. Magd.*

Henricus *Comes Palatinus Rheni & Dux Brunſvicenſis, filiam ſuam Gertrudem elocat Ottoni Duci Bavariæ: cumque is maſculum hæredem non haberet, per Gertrudem* Palatinatus *pervenit ad Bavaros.* Trith.

Expeditio ingens ex univerſa Europa hoc anno in *Palæſtinam* ſuſcepta eſt, ex ſola Anglia ad ſexaginta hominum millia, præter mulieres ſe itineri commiſerunt, ducibus duobus Epiſcopis. Voverat etiam Imperator, ſe in Palæſtinam abiturum, atque ideò quosdam principes Germaniæ ſimul evocaverat, inter quos fuit Landgravius *Ludovicus* qui in Italiam veniens, cum jam ſolvenda eſſet claſſis, febre corripitur, & moritur die 13. Sept. cum præfuiſſet annis 12. Succedit ipſi *Henricus* frater, qui præeſt annis 17. *Fridericus* ipſe ſe itineri committit, ſed morbo affectus revehitur in Italiam, qua re offenſus Papa, qui interim Imperatorem regnis excutere cogitabat, Imperatorem excommunicat, & ut effœminatum proclamat. Reliqui in Palæſtinam abeunt, & fortiter ſe gerunt. *Monach. Col.*

Otto *Trajectenſis Epiſcopus caſtrum vaſalli ſui expugnare conatur, ſed imperitus belli, dum per lutoſa loca ingreditur & paluſtria, circumdatus ab hoſtibus capite truncatur.* Monach. Col.

Annus Indorum 1312. *& Hegira* 625. *incipit* 11. *Decem. fer.* 1.

ANNO MUNDI 5177. Poſt C. 1228.

B A. ☉ 5. ☽ 13. *Ind.* 1.

Conradus Friderici filius ex Jolanta Hieroſolymitana naſcitur, ideò titulum regis Hieroſolymitani fert, ſed mater in partu moritur. *Ann. Suev.*

Comites Pfirtenſes multa damna inferunt Epiſcopo Argentinenſi, qui tandē vindicaturus injurias, Alberto Habsburgenſi Duce comites illos prælio vincit, plurimos capit & ad præſtandum damnum cogit. Trith.

Romani cives contra Pontificem Gregorium ſeditionem excitant, eumque in Paſchate urbe ejiciunt, fugientemq; Viterbium uſq; perſequuntur, ejectum etiam inde cogunt Peruſium perfugere. Papa, cum nihil aliud ad manus eſſet, Romanos excommunicationis fulmine ferit. *Pariſ.*

Rex *Galliæ Comitem Tholoſanum Comitatu ejecturus, exercitum contra eum mittit, quem Comes per inſidias ſtravit, multosque occidit die* 18. *Maji.* Pariſ.

Fridericus Imp. cum ſeſe in viam die 31. Auguſti dediſſet, venit Ptolemaidem die 7. Septembris, & cum exercitum ordinaſſet die 15. Novembr. Joppen munivit. *Papa Gregorius* iratus Imperatori, quòd excommunicatus auſus eſſet in Palæſtinam abire, mittit legatum & literas ad omnes in Palæ-

ſtina,

ſtina, ne quis cum Imperatore communicet, niſi & ipſe excommunicari velit, & regem Hieroſolymitanum Johannem Brennes ſumptibus belli ſacri inſtruit ad occupandam Apuliam & Calabriam. Portus etiam maris omnes ita munivit, ne nuncius ex Palæſtina de rebus geſtis Friderici in Europam venire poſſet, imò ut Imperatorem, ſi fortè rediret, ipſum caperet & in vinculis haberet; Scribit etiam ad Soldanum, ne Friderico quicquam credat, aut aliquid ipſi concedat: Haſce literas Soldanus ipſe ad Fridericum miſit. Legatum etiam in Germaniam mittit, qui nunciet obitum Imp. & Ottonem Ducem Luneburgenſem invitet ad imperium occupandum: ſed legatus hic Cardinalis nullibi in Germania benignè auditus fuit. *Mon. Col. & Par.*

Annus Alexandr. 1540. *Antioch.* 1277. *Conſtantinop.* 6737. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaris 1977. *& Philippi* 1553. *incipit* 20. *Octob. fer.* 6.

Annus Indorum 1313. *& Hegira* 626. *incipit* 30. *Novemb. fer.* 5.

Barones Franciæ Comitem Campaniæ, quòd Ludovico regi fidelis eſſet bello perſequuntur, quem rex defendit, ideo iidem Barones aſſumpto Duce Britanniæ regi rebellant, regem etiam Angliæ evocant ad ſocietatem belli, ut Normanniam recuperet. Rex Galliæ collecto exercitu in Britanniam movet & Bletinum caſtrum obſidet, & deditione capit. Rex Angliæ contemplatus vires regis & ſuorum ſociorum deſperat de victoria, & in Angliam redit. Factum hoc ineunte hyeme, qua frigus adeò fuit intenſum, ut equis ignis circumdandus eſſet, ne frigore perirent. *Nangu.*

Ecclipſis Solis annotatur in Cent. Magdeb. ex Scriptore Italo, quæ acciderit Neapoli in Italia. Ea invenitur die 28. *Decemb fer.* 4. *horis* 7. *&* 55. *minut. paulo poſt ortum Solis. Parallis latitud. eſt* 43,27. *Latitudo ſeptent.* 37,14. *Viſa auſtralis* 6,13. *Semidiam. Solis* 15,59. *ſcrup. reſidua* 24,52. *Digiti ecclipt.* 9,19. *Sol in* 14. *gradu &* 27. *Capricorni.*

ANNO MUNDI 5178. Poſt C. 1229.

G. ☉6. ☽14. *Ind.* 2.

Annus urbis 1989. *Julianus* 1274.

Æra Hiſpan. 1267. *Auguſtorum* 1256.

Imperator Fridericus incipit annum imp. 17.

Annus Jezdegird 598. *incipit* 18. *Jan. fer.* 5. *Armen.* 678. *die* 21. *Jan. fer.* 1.

Annus Neuruz. Perſ. 150. *cum æquin.*

Monachi Cantuarienſes in Anglia elegerant Epiſcopum, quem repudiabat rex. Controverſia Romam ad Pontificem defertur, cui cum rex offerret decimas regni ad Fridericum Imperatorem opprimendum, facilè obtinuit, ut electus Epiſcopus à Pontifice rejiceretur. Decimæ illæ ſtatim efflagitatæ & redditæ ſunt ab omnibus, inde datæ Johanni Brennes, ut vaſtaret Apuliam, eamq; ſibi ſubjiceret. *Pariſ.*

Fridericus Imperator, cum jam immineret Hieroſolymis, & Soldanus occupatus eſſet domeſtico bello, ſpontè offert Friderico Imperatori regnum Hieroſolymitanum totum, crucem, & quicquid Saladinus Chriſtianis eripuerat: tantum concederetur Saracenis, ut etiam templum Hieroſolymis habeant, ubi inermes adorent, & extra urbem hoſpitia ſua habeant. Pax inita die 18. Februarii, feria 1. Hieroſolymam ingreditur Imperator die 17. Martii, feria 7. Sequenti die Dominica Lætare Hieroſolymis coronatur, omniaq; ſolenniter fiunt, præterquam quod ſacra non celebrata, propter excommunicatum Imperatorem: Pax hæc fuit decennalis. Inde cum Imperator vellet in Jordane lavare eo loco, ubi Chriſtus baptiſatus eſt, Templarii ſignificarunt id Suldano, ut ibi Imperatorem interciperet. Sed Suldanus perfidis iſtis templariis longè melior literas eas ad Fridericum mittit. *Imperator igitur cum* Reinholdum *Bavariæ ducem, addito exercitu & claſſe, Præſidem Palæſtinæ feciſſet, Calendis Maji Ptolemaide ſolvit, in Italiam rediturus, exploratores undiq; præmittit, & ſalvus in Siciliam pervenit. Inde auxilio Ducis Spoletani & aliorum, ſocerum ſuum Brennem perfidum vincit, & ſpatio quindecim omnia recuperat, Soram uno die cepit & excidit; Inde quosdam principes ex Germania evocat, iiſdem perfidiam Papæ demonſtraturus, & eosdem de pace inter ſe & Pontificem conſulturus.* Mon. Col. Pariſ. & alii.

Olympias 501. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 2005.

Annus Diocletiani 946. *incipit* 29. *Auguſti.*

Comes Britanniæ derelictus à rege Angliæ & Baronibus Franciæ, cum viribus eſſet impar, pacem quærit apud regem, & invenit. *Nangu.*

Lutetiæ hoc anno duo Studioſi interfecti fuerant multis vulneribus, inde diſſidium ortum inter cives & Academicos: quare Academici cum omnibus ſtudioſis urbe excedunt, & Andegaviam veniunt, ſed rex eos humaniſſimè eodem hoc anno revocat. *Pariſ.*

Robertus Imperator Conſtantinopolitanus circa hoc tempus moritur, relinquit filium impuberem *Balduinum*, cui offert Imperator Trapezuntius filiam uxorem. Sed Latini cum conſenſu Pontificis Johannem Brennem regem Hieroſolymorum olim ipſi dant adjutorem, & filiam ejus Martham Balduino deſpondent, & Brennius ſtatim Balduinum in Gallias mittit, imploratum auxilia. Trapezuntius autem Imperator repudiatus à Latinis filiam ſuam *Johannis Laſcaris* filio deſpondet, & conſilia cum eo init depellendis Latinis Conſtantinopoli. *Balduinus* autem de auxiliis adducendis laboravit in Gallia & Anglia anno 1238 teſte *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5179. Poſt C. 1230.

F. ☉7. ☽15. *Ind.* 3.

Romæ in Tyberis hoc anno adeò inundat, ut ad ſeptem millia hominum in aquis perierint. Chr. Belg.

Monachorum *mercenariorum* ordo aliquot annis antea inſtitutus à Pontifice Gregorio IX. confirmatur. Privilegium datum Peruſi die 17. Januarii. *Marian.*

Alphonſus Legionis rex Mauros maximo prælio vincit; inde Auguſtas urbes, Emeritam & Pacem Mauris eripit, & tandem circa finem anni moritur cum annis 42. regnaſſet; ſuccedit ipſi *Ferdinandus* Caſtellæ rex, qui regna hæc potentiſſima Caſtellæ & Legionis conjunxit, & vivit adhuc annos 22. *Marian.*

Ecclipſis Solis annotatur à Pariſienſi matutino tempore die 14. *Maji, feria* 3. *ante Rogationes, quæ mox intendi viſa eſt & prolongari. Ea invenitur accidiſſe eodem die, ſed medium viſum invenitur ad haſce tabulas per quadrantem horæ ante Solis exortum, Parallaxis latitud.* 55,14. *Latitud. ſeptent. eadem.*

eadem. Semidiameter Solis 15,5. *Summa ſemidiametrorum* 31,10. *Digiti ecclipt.* 12,24. *Sol in initio Geminorum.*

Angliæ rex in Galliis Gallorum regi bellum infert, interim Hyberniæ quidam regulus vaſtat Angliam, ſed infeliciter hoc ipſi ceſſit: in inſidias enim præcipitat, & amittit ad viginti millia hominum. *Pariſ.*

Leopoldus Dux Auſtriæ evocatus ab Imperatore in Italiam venit, & agit cum Pontifice, ut Imperatorem ab excommunicatione ſolvat, ſed non gratis hanc ei abſolutionem impertiri voluit. Imperator enim ſolvere coactus fuit ipſi centum & viginti millia unciarum auri, efficiunt ferè duos milliones, atque ita Imperator ad menſam Pontificis admittitur, ſed Imperator non diu gaviſus eſt hac pace. Factum in menſe Auguſto. Inde Imperator in Germaniam abit, ubi in ſtagnum Heilbrunnenſe *Lupum piſcem* cum multis aliis collocat, quibus omnibus annulos æreos, inſcriptos nomine ſuo & numero anni à Chriſto nato, induit. Horum quidam captus fuit anno 1497. cùm vixiſſet in illo ſtagno annos 267. & pondere fuit 350. librarum. *Annal. Svev.*

Aro natione Italus Bononienſis, fons legum, lucerna Juris, claret hoc tempore. *Trithem.*

Annus ſabbathicus 5. Jobelei 24. *incipit die* 9. *Septemb. fer.* 3. *Anno Jud.* 4991.

Annus Indorum 1315. *& Hegira* 628. *incipit* 9. *Dec. fer.* 7.

Leopoldus *in Auſtriam ex Italia reverſus moritur, cùm poſt patrem Styria annis* 37. *& Auſtria poſt fratrem annis* 31. *præfuiſſet; ſuccedit ipſi* Fridericus *filius, princeps libidinoſiſſimus, ſed bellator ſtrenuus, propter ſcelera proſcriptus; ditione ſua nulla arte pelli potuit, ſed tandem univerſam ditionem reconciliato Imperatore recuperavit. Præfuit annis* 16. Cuſpinian.

Ecclipſis Lunæ partialis annotatur à Pariſ. Ea accidit die 22. *Novembr. fer.* 6. *horâ una poſt mediam noctem. Latitudo Lunæ vera Sept.* 35,55. *Semid. Lunæ* 17,44. *ſcrup. reſid.* 27,18. *Digiti ecclipt.* 9,14. *Sol in gradu ſeptimo Sagittarii.*

ANNO MUNDI 5180. Poſt. C. 1231.
E. ☉ 8. ☽ 16. *Ind.* 4.

Wallenſes in Angliam irruunt, eamque vaſtant, quos ut rex compeſceret, præſidium quibusdam locis impoſuit, prædatores quosdam cepit, & ſupplicio affecit. Wallenſes igitur, ut præſidio pares eſſent, magna caterva in Angliam irruunt, ideò rex coactus eſt extructo caſtello eorum latrocinia compeſcere. *Pariſ.*

Ludovicus Bavarus à morione, quem per ludum inceſſebat, trucidatur: alii putant, Saracenum illum de induſtria ſe morionem eſſe ſimulaſſe, & præmio conductum ad principem occidendum. *Annal. Svev.*

Induciæ inter Regem Angliæ & Galliæ fiunt in quinquennium, incipiendo à die 5. *Julii.* Pariſ.

Marchiones Brandeburgici Comitatum Sangerhuſanum, quem Palatini Thuringiæ habuerant, unde ad Landgravios pervenerat, certis conditionibus ad ſe recipiunt. *Spangenb.*

Cùm Papa adeò expilaret regnum Angliæ, Barones cum Academicis Profeſſoribus tandem communi conſenſu concludunt, Pontifici nihil amplius dandum. *Pariſ.*

Annus Indorum 1316. *& Hegira* 629. *incipit* 29. *Octob. fer.* 4.

Eliſabetha, *Andreæ regis Hungariæ filia, Ludovici Landgravii conjux, moritur die* 19. *Novemb. ſepulta Marpurgi. Poſt obitum mariti ex Thuringia ab Henrico pulſa fuerat, ſed interceſſione aliorum obtinuerat Marpurgum.* Hæc poſt annos quinque inter Sanctos refertur.

ANNO MUNDI 5181. Poſt C. 1232.
DC. ☉ 9. ☽ 17. *Ind.* 5.

Sigfridus Epiſcopus Moguntinus exigit pecuniam ab Abbate in Raurhardßbrun. Prohibet dare Landgravius, Cœnobium enim ſuum liberum habere cupit. At Epiſcopus minis & autoritate pervincit, ut Abbas claneulum non ſolùm pecuniam daret, ſed etiam pro ſatisfactione fuſtigationi ſe ſubjiceret. Landgravius iratus Epiſcopo movet ei bellum, & vaſtationibus & incendiis longè lateque graſſatur, *Friſlariam* etiam vi expugnat, diripit & excindit. *Spangenb.*

Cœnobium Lorch cum omnibus Monachis & vaſallis datur Archiepiſcopo Moguntino, propter Monachos ferociores, qui non agnoſcebant ſuperiorem, & luxurioſius vivebant. Donatio facta die 27. Aprilis, Indictione quinta. Epiſcopus monachos illos omnes ejicit, & Ciſtertienſis ordinis fratres ibi conſtituit, ſed exules monachi ejecti bis cœnobium invaſerunt, Ciſtertienſes illos crudeliſſimè tractarunt, quosdam interfecerunt. Ideò demum cœnobio Ciſtertienſes exceſſerunt, & tandem Præmonſtratenſis ordinis recepti ſunt. *Chron. Lorch.*

Soldanus *Babylonia Friderico tentorium elegantiſſimum mittit, mirâ arte ita inſtructum, ut Sol & Luna in eo facti curſum ſuum rectè obſervarent, & hora tàm noctis quàm diei rectè indicarentur.* Trith.

Annus Alexandr. 1544. *Antioch.* 1281. *Conſtantin.* 6741. *incipit à Calend. Octob.*

Annus Indorum 1317. *& Hegira* 630. *incipit* 17. *Octob. fer.* 1.

Annus Nabonaſſaris 1981. *& Philippi* 1557. *incipit die* 19. *Oct. fer.* 3.

Ecclipſis Solis à Monacho Colonienſi annotata eſt in meridie, ſed parva, & non multum notabilis, ut loquitur. Ea invenitur die 15. *Octobris, fer.* 6. *minutis* 4,29. *poſt meridiem, Rhemis in Gallia. Parallax. latitud.* 49,6. *Latitudo ſept.* 30,33. *Viſa* 18,33. *Semid. Solis* 15,43. *Scrupula reſidua* 11,34. *Digiti* 4,25. *Sol in principio Scorpii.*

Johannes Ducas, qui ſe Imp. Orientis ſcribebat, validâ manu Cyprum occupat, contra eum Imperator, ad quem regnum Cypri pervenerat, Richardum Marſchallum mittit, ſed is magna clade à Johanne vincitur. *Mon. Colon.*

ANNO MUNDI 5182. Poſt C. 1233.
B. ☉ 10. ☽ 18. *Ind.* 6.

Annus urbis 1985. *Julianus* 1278.

Æra Hiſpan. 1271. *Auguſtorum* 1260.

Fridericus *Imp. incipit annum Imp.* 21.

Annus Jezdegird 602. *incipit die* 17. *Jan. fer.* 2.

Armeniorum 682. 20. *Jan. fer.* 5.

Neuruz Perſ. Gelal. 154. *incip. ab æquin. verno.*

Theodorus Angelus ex familia Imper. Conſtant-

cùm in Theſſalia exercitum congregaſſet, tandem Macedoniam occupat, & regni ſedem Theſſalonicam facit, cùm Marchio Montisferratenſis Dominus Græciæ in Italia eſſet, jubet ſe proclamari regem Græciæ, & vaſtat Thraciam Conſtantinopolin uſque. Sed Johannes Bulgariæ rex fœderatus Marchiaci hunc regem acie vincit & excæcat. *Nicet.*

Epiſcopatus Pomezanienſis fundatus in Boruſſia. *Chytr.*

Olympias 302. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 2009.

Annus Diocletiani 950. *incipit* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1318. *& Hegira* 631. *incipit die* 7. *Oct. fer.* 6.

Rex Angliæ ex aula ſua remotis Anglis, quòd putabat eos non ſatis ſibi fideles, aſſumit exteros Pictavienſes; id adeò malè habet Barones in Anglia, ut etiam ſeditionem moverent. Paril.

Meſſana in Sicilia rebellaverat Imperatori, quapropter Imperator eam ipſe ingreditur, & autores captos igni cremat. *Mon. Col.*

ANNO MUNDI 5183. Poſt C. 1234.
A. ☉ 11. ☽ 19. *Ind.* 7.

Henricus rex Angliæ, metuens ſibi à ſeditioſis ſuis Baronibus, de reconciliatione cum ipſis agit, & Pictavienſes ex aula removet; interim ſeditioſorum Princeps Mareſchallus 1. Aprilis, fer. 7. capitur, & reliqui in gratiam recipiuntur, *Pariſ.*

Crux à Pontifice contra Stadingos populos in confinibus Saxoniæ & Friſiæ prædicatur. Florentius igitur comes Hollandiæ cum Henrico Duce Brabantiæ, & Theodorico comite Cliviæ & Bremenſibus contra Stadingos movent, eosque crudeliter vaſtant, quòd expulſis Sacerdotibus religionem non colerent. *Chron. Traj.*

Conradus ille Hæreticæ pravitatis inquiſitor, cùm modum non faceret inquiſitionis, & plurimos innocentes cremaret, ex inſidiis à nobilibus intercipitur & trucidatur, ſepelitur Marburgi. *Trith.*

Theodoricus Comes Mompelgardenſis vaſtat Alſatiam & fines Epiſcopi Argentinenſis, ut vindicaret injuriam, quòd quondam ab Epiſcopo captivus detentus fuerat: Sed Epiſcopus convocatis ſuis ſubditis, denuò comitem perſequitur, eumque capit. *Trith.*

Henricus filius Imperatoris coronatus rex, Bavariam invadit, & Ducem cum tota Bavaria in deditionem accipit; victoria hâc *Henricus* elatus, patri rebellare incipit, ſocios ſibi quoscunque poteſt adſciſcit, nec paucos invenit, qui fidem & auxilium ad hanc rem polliceantur. Et cùm ſenſiſſet, Marchionem Badenſem id patri in Italia renunciaſſe, bellum infert Marchioni, nullo tamen cum ſuo emolumento. *Annal. Svev.*

Annus Indorum 1319. *& Hegira* 632. *incipit die* 26. *Sept. fer.* 3.

Pontifices Romani hactenus urbi Romanæ abſolutè dominati non fuerant: Gregorius hic Papa id audere voluerat, quapropter eum urbe pepulerant. Sed cùm Viterbium etiam occupare vellent, Papa Imperatorem in auxilium evocat, & cives magnâ clade vincuntur; quapropter poſtea Pontifici reconciliantur. *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5184. Poſt C. 1235.
G. ☉ 12. ☽ 1. *Ind.* 8.

Fridericus Imperator mittit legatos in Angliam ad *Henricum* regem, petitum ſibi ſororem regis Iſabellam uxorem. Legati in Angliam veniunt die 23. Febr. Sponſa poſtea feria quinta ante Pentecoſten à Colonienſi & Duce Brabantiæ Coloniam deducitur, ubi per menſem moratur, inde Wormatiam deducta. Imperatori nubit, & nuptiæ fiunt magna ſolennitate die 22. Julii, feriâ prima. *Pariſ.*

Henricus filius Imperatoris, metuens ſibi à patre fœdus inierat cum civitatibus in Alſatia, & obſides acceperat, ſed præſente patre oblitus belli deprecatur culpam, & interceſſione Principum recipitur in gratiam. Cùm verò nihilominus quasdam munitiones ſibi contra patris voluntatem retinere vellet, à Patre in Siciliam in cuſtodiam mittitur, ubi poſt quintum annum mortuus eſt. *Trith.*

Fridericus Imperator eodem tempore comitia agit Moguntí, ubi Ottoni Bavariæ Duci *Palatinatum*, quod haberet Henrici Palatini comitis filiam uxorem, Ducatum verò *Brunſvicenſem* & Lunæburgenſem dedit *Ottoni Saxoniæ* Duci, hac conditione, ut Saxoniæ Ducatui renunciaret, quem de Cæſaris manu accepit *Albertus*, filius Henrici Comitis Anhaldini. *Trith.*

Annus Indorum 1320. *& Hegira* 633. *incipit* 16. *Sept. fer.* 1.

Claremontenſis Comes edixerat *Haſtiludium*, ad quod evocaverat vicinos Comites & Principes. Eò igitur adveniunt Comes Hollandiæ Florentinus, & Comes Cliviæ: Claremontenſis in haſtiludio occidit Florentium Comitem, & quia videbatur datâ operâ id feciſſe, Comes Cliviæ eum viciſſim obtruncat, & ita ex ludo fit lugubre prælium. Præfuerat Florentius annis duodecim; ſuccedit ipſi *Wilhelmus* filius puer, cujus tutor fuit Epiſcopus Trajectenſis. Factus eſt hic *Wilhelmus* poſtea Romanus Imperator, & Comitatui præfuit annis 21. *Chron. Belg.*

Conradus Epiſcopus Colonienſis per *Wilhelmum* Comitem Juliacenſem in prælio capitur, & novem menſibus captivus detinetur. *Chron. Belg.*

Comes Tholoſanus, & Comes Provinciæ veniunt ad Imperatorem & Tholoſanus præſtat Imper. homagium, creaturque Marchio Provinciæ in Gallia: Comes autem Provinciæ jam quinquagenarius, cujus filias uxores duxerant & rex Galliæ & rex Angliæ, creatur eques auratus & miles: Ignominioſum enim putabant reges, ſuum ſocerum militem non eſſe. *Monach. Colon.*

ANNO MUNDI 5185. Poſt C. 1236.
FE. ☉ 13. ☽ 2. *Ind.* 9.

Ferdinandi regis Hiſpaniarum milites, die 23. Decembr. ſuperioris anni, mœnia *Cordubæ* urbis tranſcenderant, & ſe ita munierant, ut pelli non poſſent. Ferdinandus rem nequaquam contemnit, adducit exercitum, urbemque ita oppugnat totis ſex menſibus, & tandem eâ potitur, die 29. Junii, atque ita etiam ſe regem poſtea Cordubæ ſcripſit. *Mariana.*

Decretalium *libri à Gregorio Papa publicantur, ut habet* Pariſienſis.

Gregorius Papa, cùm omnes homines vellent votum

votum facere de ſuſcipienda expeditione in Palæſtinam, multi autem vel ætatis, vel valetudinis ratione proficiſci non poterant: jubet igitur hos à voto abſolvere, ſi certam pecuniæ numerent ſummam, atque hoc modo emunxit argento totam Europam, quod omne Romam transvectum eſt. *Pariſ.*

Antverpia tota hoc anno exuſta eſt fortuita flamma. *Scriban.*

Eliſabethæ corpus Marburgi levatur. Mandata fuit ea res Archiepiſcopis, confluxerunt ad duodecies centena millia hominum, adfuit ipſe Imperator, & capiti Eliſabethæ auream coronam appoſuit. *Inde Imperator bellum Duci Auſtriæ infert per Duces ſuos, & regem Bohemiæ & Ducem Bavariæ: ipſe vero exercitum in Italiam educit contra Longobardos. Papa contrà graviſſimas cauſas exponit, cur ſibi in Italia bellandum ſit. Papa igitur Longobardis auxilia mittit, ſed Imperator Vincentinos vincit, urbem eorum capit & incendit.* Monach. Colon.

Annus Indorum 1321. *& Hegira* 634. *incipit* 4. *Septemb. fer.* 5.

Annus Alexandr. 1548. *& Antioch.* 1285. *Conſtantinop.* 6745. *incipit Cal. Octob.*

Annus Nabonaſſarii 1985. *& Philippi* 1561. *incipit* 18. *Octob. fer.* 7.

Bathi Tartarorum rex *Volgam* urbem ad Rha fluvium occupat, & ulterius à meridie ad ſeptentrionem. *Moſcov.*

Bellum cum Duce Auſtriæ minus feliciter à Bavaro geritur, ideo Imperator relictis præſidiis ex Italia reverſus id adminiſtrat. Ducem profligat, & arci includit; ipſe interim *Viennam* urbem Imperialem facit, & ibi hyemat. *Annal. Svev.*

ANNO MUNDI 5186. Poſt C. 1237.
D. ☉ 14. ☽ 3. *Ind.* 10.

Annus urbis 1989. *Julianus* 1282.
Æra Hiſpan. 1275. *Auguſtorum* 1264.

Fridericus Imp. incipit annum Imperii 25.

Annus Jezdegird 606. *incipit die* 16. *Jan. fer.* 6. *Armeniorum* 686. 19. *Jan. fer.* 2.

Neurutz 158. *incipit cum aquin.*

Fridericus *dum in Auſtria hyemat, fundamenta jacit Academiæ Viennenſis.* Annal. Svev. *Inde abit Spiram Nemetum ad Comitia, ubi conventus annuos, qui Moguntiæ antea habebantur, Francofurti ad Mœnum inſtituit. qui conventus poſtea* Miſſa S. Bartholomæi *vocatus eſt, atque ita* nundinæ *propter conventum inſtitutæ.* Conſtit. Imp.

In Palæſtina, cùm defunctus eſſet Soldanus Halapiæ, Templarii inducias ſimul expiràſſe putantes, eruptiones faciunt in caſtella, quæ circa Antiochiam ſunt, ſed gravi prælio repelluntur. *Pariſ.*

Græca Eccleſia & vicinæ ab obedientia Pontificis Romani planè recedunt, allegantq; hujus rei graviſſimas cauſas, quas vide apud *Pariſienſem.*

Bathi Tartarus perſecutus victoriam in Moſcoviam pervenit, & Moſcoviam regiam urbem, omneſque reliquos principatus invadit, incolas abducit, & urbes exurit, & principem Moſcoviæ *Georgium* interficit, & Moſcovitis novum ducem dat fratrem cœſi ducis, & eos ſervilem in modum tractat diuturno tempore, donec jugum Tartarorum iterum excuterent. *Moſcovit.*

Olympias 503. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 2013.

Annus Indorum 1322. *& Hegira* 635. *incipit* 24. *Aug. fer.* 2.

Diocletiani 954. *incipit* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei 24. *incipit die* 21. *Sept. fer.* 2. *Anno Jud.* 4998.

Fridericus, cùm Ducem Auſtriæ in gratiam recepiſſet, iterum cum exercitu in Italiam abit, & Mediolanenſes aperto Marte vincit in loco, qui Curia nova dicitur, ubi hoſtium ad decem millia cœſa ſunt; quâ clade audita tota ferè Italia ſub imperium Friderici rediit, exceptis tribus urbibus. *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5187. Poſt C. 1238.
C. ☉ 15. ☽ 4. *Ind.* 11.

Comes Clivienſis Colonienſem Epiſcopatum invadit Calendis Febr. cui cum exercitu occurrit Epiſcopus. Sed intercedente Comite Geldriæ pax fit, & Clivienſis de quibusdam injuriis Epiſcopo ſatisfacit. *Monach. Colon.*

Henricus Alſatiæ ultimus Landgravius moritur ſine hæredibus, qui multa, quæ ad Epiſcopatum Argentinenſem pertinuerant, occupaverat; quapropter Imperator Epiſcopo Argentinenſi cum regione attribuit etiam titulum Comitatûs Alſatiæ. *Trith.*

Hungari cùm metuerent ſibi a Tartaris, Moſcoviam & finitimas regiones vaſtantibus, legatos mittunt ad Imperatorem, & ad regem Galliæ & Angliæ & alios, ſed parum videntur impetraſſe. *Pariſienſ.*

Gregorius Papa infenſus Imperatori, hoſtes ipſi excitare conatur, & die 13. Junii mittit legatos ad Jacobum Aragoniæ regem, qui ipſi offerant regnum Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ, ſi cum exercitu in Italiam contra Fridericum Imperatorem venire velit. Sed Jacobus hoc ſibi perſuaderi paſſus non eſt, & conditionem repudiavit, & depellendis Mauris ſollicitus, *Valentiam* urbem obſedit, quæ ipſi deditur die 28. Septembr. ubi Maurorum ultra quinquaginta millia ſub fide, cum oneribus, quæ ferendo erant, ex urbe dimiſſa ſunt. *Mariana.*

Annus Indorum 1323. *& Hegira* 636. *incipit* 14. *Aug. fer.* 2.

Soldanus *Babylonia & Ægypti moritur; ſuccedit ei filius* Edel, *Saladinum autem frater obtinebat regnum Babylonia ad Euphratem, &* Jobet *nepos Saladini regnabat Damaſci, unde ingentes oriuntur ſeditiones in regno Saracenorum.* Marianus.

Fridericus Imperator in ſubigendis Italis, etſi haberet principum Germaniæ auxilia, parum profecit in obſidione Mediolanenſium. Ideo Brixiam ſimul obſedit, ut alter eſſet alteri auxilio, atque ita exacta æſtate, inducias cum Mediolanenſibus facit. *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5188. Poſt C. 1239.
B. ☉ 16. ☽ 5. *Ind.* 12.

Imperator Fridericus Sardiniam Inſulam Saracenis eripit, eamque imperio unit. Hanc, quòd olim Pontificis fuiſſet, antequam à Saracenis

occuparetur, repetit Papa. Cùm hoc Imperator iniquum eſſe cenſeret, propter hanc cauſam & crebras victorias excommunicatur, die Palmarum, die hiſce actibus non conſueto; id enim die Cœnæ Dominicæ fieri conſueverat. Sed tempus anticipavit, ne Imperatoris legati rem impedirent. Imperator verò ſe ſcripto excuſat, ſcribit etiam ad cives Romanos & ad Cardinales. Literæ extant apud Pariſienſem. Epiſcopi Germaniæ huic excommunicationi contradixerunt: Interim Imperator Academiam Neapolitanam inſtituit, eamq; privilegiis exornat, jubetque Ariſtotelis ſcripta & Mathematicas artes ex Græca aut Arabica lingua in latinam transferri, & movet in Bononienſes, eosq; magna clade afficit, & Mediolanenſes arctè obſidet, prohibetq; ne, qui convenerant in Gallia & Italia & alibi ad ingrediendum iter Hieroſolymitanum, & cruce ſignati erant, hoc anno proficiſcantur, & petit, ut per annum adhuc morari velint, ſe comitem & Ducem eorum futurum, ſi per Pontificem liceat; & *Helias* quidam Monachus ordinis Minorum Imperatorem editis libris defendit contra Papam. Imperator etiam, cùm in obſidione Mediolanenſi variis modis impediretur, eam ſolvit & rectâ contra Pontificem Romam tendit, unde ingens trepidatio Romæ orta. *Papa in anguſtias redactus, crucem contra Fridericum prædicare jubet, & omnibus ſeſe Romano Imperatori opponentibus promittit liberationem ex purgatorio & vitam æternam*, atque ita non exiguum colligit exercitum: Sed Fridericus hunc ſacratum exercitum vicit, & orco mactavit. *Pariſ.*

Ecclipſis Solis annotatur à Scriptoribus Gallicis, quæ acciderit hoc anno die 3. Junii, feriâ ſexta, eaque etiam eodem die invenitur. Accidit enim Rhemis minutis 26,24. ante meridiem, ubi Parallaxis latitud. 27,28. Latitudo vera 20,5. viſa 7,23. auſtralis. Semid. Solis 15,1. ſcrup. reſid. 23,36. digiti eclipt. 9,25. Sol in 18 53. geminorum. Alia præterea ecclipſis Solis innuitur, quod facta ſit die 15. Julii. Sed hoc naturaliter fieri non potuit.

Regnum Granatæ *hoc anno initium ſumſit, cum cives ejus urbis ſe Alhamari Saraceno dediſſent.* Mar.

Annus Indorum 1324. & Hegira 637. incipit die 3. Aug. fer. 4.

Hoc anno Hegiræ in Aſia quidem nomine *Babu* Prophetam ſe dicit. & ex colluvione hominum ingentem exercitum contrahit, omniaque longè lateque vaſtat, omnibus ex æquo hoſtis, quem tandem Rex Guniæ delevit. *Tartari* interim Ancyram; Galdatiam, & Cæſaream ſubigunt. *Zacuth.*

Otto & Johannes, *Marchiones Brandenburgenſes, auxilia regis Bohemiæ conſequuntur contra Epiſcopos, Magdeburgenſem & Halberſtatenſem, & Henricum Marchionem Miſnenſem, quos vincunt ad Havelum fluvium, & Epiſcopum Halberſtadenſem capiunt.* Dubr.

ANNO MUNDI 5189. Poſt C. 1240.

AG. ☉ 17. ☽ 6. *Ind.* 13.

Papa, *contra Imperatorem bellum gerens,* Ferrariam *recuperat, quam donat Azoni Eſtenſi, atq; hæc eſt origo damnationis Eſtenſium in civitate* Ferrarienſi. Annal. Svev.

Galli & Angli cruce ſignati, dum fines Damaſci populantur, magna clade afficiuntur à Saracenis! Imperator Fridericus pro captivis apud Saracenos intercedit, & ſe regibus Galliæ & Angliæ excuſat. *Pariſ.*

Tartari Ruſſiâ pervaſtata arcem Lublinenſem, & omnem illam oram uſque ad Viſtulam longè lateque vaſtant. *Hiſtor. Pol.*

Fridericus Imperator Ravennam recipit, & Senenſes etiam ſe Imperatori dedunt, inde exercitum contra Romanos ducit. Papa *proceſſionibus inſtitutis, in quibus nudus pedibus capita Petri & Pauli circumgeſtavit*, copias ſuas Friderico immiſit, quæ tamen turpiter fuſæ ſunt. Inde Papa in anguſtias redactus, & à plerisq; Cardinalibus deſertus, inducias facit cum Imper. uſque ad concilium generale. Sed cùm paulò poſt videret, magnam pecuniæ ſummam, quæ ex iis collecta erat, qui cruce ſignati abire noluerant, à ſuis legatis afferri, ruptis induciis bellum continuat. Rex Galliæ tamen pecuniam collectam ex Gallia exportari noluit. Inde Papa convocat concilium, ſed eos Epiſcopos tantùm evocat, qui publici hoſtes erant Imperatoris. Ideò Imperator omnibus interdicit, ne ad Concilium hoc veniant, die 13. Sept. quando *Faventiam* obſidebat, quæ obſidio duravit per totam hyemem, cùm hac æſtate Aquilam urbem ex ruinis Amiterni & Furconis inſtauraſſet. *Annal. Svev.*

Palentina Academia ante annos 30. ferè inſtituta ab Alfonſo, à Ferdinando rege traducitur *Salmanticam*, ob loci commoditatem: Inde Murciæ regnum Maurorum deditione accipit, cùm ſe contentum fore dixiſſet, dimidia ſumma omnium redituum. *Marian.*

Annus Indorum 1325. & Hegira 638. incipit die 22. Jul. fer. 1.

Hugo Cardinalis, ſub hoc Pontifice, Barcinone in Hiſpania, ſacram ſcripturam commentariis illuſtrat, & *Concordantiarum* Biblicarum opus primus inſtituit, cujus diligentiam poſtea imitati ſunt Græci & Hebræi.

Florent & hiſce temporibus Juriſconſulti *Bernhardus* Dorna Azonis diſcipulus, item *Accurſius*, natione Italus Florentinus, item *Alexander de Ales*, qui ſummam Theologiæ ſcripſit, Item *Euſtachius*, qui & Bonaventura, *Vincentius* Burgundus, qui ſcripſit de omni re ſcibili in ſpeculis ſuis: ſcripſit enim ſpeculum quadripartitum, Naturale, Doctrinale, Morale & Hiſtoriale, quod deſiniit anno 1244.

Annus Alexandr. 1552. Antioch. 1289. Conſtantinopolit 6749. incipit 1. Octobr.

Annus Nabonaſſar. 1989. & Philippi 1565. incipit 14. Octob. fer. 4.

Otto Bavariæ dux Ludovicum filium mittit ad occupandas quaſdam regiones, ad Ducatum Auſtriæ pertinentes; cepit *Linzium*, & quæ ad Anaſum fluvium ſunt magna ex parte. *Chronic. Aug.*

Wiſmaria hoc anno conditur à Gunshelmo Comite Suerinenſi. *Hiſtor. Pol.*

In Palæſtina nova firmantur induciæ à Templariis, in quibus Soldanus Damaſci plura concedit caſtra peregrinis advenientibus. In hiſce Hoſpitalarii non comprehendebantur: Ideo ipſi ſe ad Soldanum Ægyptum applicant. Richardus *ex Anglia tum adveniebat, qui neutri parti ex hiſce adhærere voluit, ſed ſuo conſilio uſus Aſcalonem inſtaurat.* Mar.

ANNO MUNDI 5190. Poſt C. 1241.

F. ☉ 18. ☽ 7. *Ind.* 14.

Annus

Annus urbis 1993. *Julianus* 1286.
Æra Hiſpan. 1279. *Auguſtorum* 1268.
Imp. Fridericus *incipit annum imp.* 29.
Annus Jezdegird 610. *incipit die* 15. *Jan. fer.* 3.
Armeniorum 690. 18. *Jan. fer.* 6.
Annus Neuruz Perſ. 162. *cum æquin.*

Tartari, cùm Viſtula fluvius glacie concretus eſſet, per eum veniunt in *Poloniam*, & circa Quadrageſimam ingentes prædas agunt, quibus tamen exuuntur fortitudine Palatini. Sed iterum die 18. Martii cum Tartaris acerrimo prælio pugnant, ubi Poloni magnâ clade vincuntur: quapropter Princeps *Boleslaus* collectis ſarcinis cum uxore in Hungariam perfugit, quem ſecuti ſunt plurimi Principes, quidam tamen abeunt in Sileſiam. Tartari Cracoviam veniunt, eamq; comburunt, inde copias dividunt, & *Bathus* Tartarorum Princeps Polonum Principem in Hungariam perſequitur, *Peta* verò alter Dux ſumit ſibi Sileſiam & Bohemiam vaſtandam. *Dubr.*

Fridericus Imperator, cùm tota hyeme *Faventiam* urbem obſediſſet, eam deditione capit die 14. Aprilis fer. 1. Obſidio hæc integrum ferè annum continuata eſt. Septem exercitibus ſe tum Imperator defendit, uno cui ipſe præfuit, ſecundo navali ad Genuam, tertio terreſtri ad Genuam, quartum in Germania tum contra Tartaros Duce filio collegerat: quintum apud Terviſium in Italia habebat, ſextum in Marchia Anconæ & Spoleti, ſeptimum in Palæſtina. Cùm verò jam Epiſcopi Romam ad Concilium properarent, Imperator edicit, ſe ſalvum conductum iis daturum, ſi terrâ Romam proficiſci velint, ſi verò mari pergerent, ſe eos pro hoſtibus habiturum. Sed Epiſcopi hi parant claſſem viginti ſex navium, cùm Imp. tantum viginti & unam naves haberet. Imperatoris itaque filius iis occurrit, & Prælatos vincit, captis viginti navibus, & tribus ſubmerſis die 3. Maji. Prælatos hoſce captos Imperator nequaquam Pontifici reſtituere voluit, ſed potius ejus urbes invaſit, cepitque. *Annal. Svev. & Pariſ.*

Waldomarus *Danorum rex moritur die* 28. *Martii, in die Cœna Dominica.* Sladens.

Richardus frater regis Angliæ in Palæſtina inducias facit cum Suldano Babyloniæ, recipitque quaſdam urbes, & captivos ad Damaſcum captos. Inde cùm circa initium Junii rediiſſet in Siciliam, Pontificem Romanum rogatu Friderici convenire voluit de pace cum Imperatore facienda, ſed Papa nullam mentionem pacis admittere voluit, niſi abſque ulla conditione Imperator ſe Pontifici ſubjiceret. *Pariſ.*

Stannum *hoc anno in Germania inventum puriſſimum & copioſiſſimum, magis quàm in Anglia.* Pariſienſ.

Annus Indorum 1326. *& Hegira* 639. *incipit* 12. *Jul. fer.* 6.

Olympias 504. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 2017.

Annus Diocletiani 958. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Iſabella Imperatoris conjux moritur in partu.

Gregorius IX. Papa mœrore animi, quod ſibi omnia adverſa contra Imperatorem acciderent, cùm ſediſſet annos 14. & menſes quinque moritur die 21. Auguſti; ſuccedit Gaufridus Caſtellio, qui voluit appellari *Celeſtinus IV.* qui ſedet tantùm diebus ſeptendecim, & moritur biduo poſt Ecclipſin. Secutum eſt interregnum anni unius & octo menſium. *Onuf.*

Ecclipſis Solis annotatur ab Abbate Sladenſi, quæ acciderit die 6. Octob. feriâ prima in meridie modicum ſtellis apparentibus, & Sole à noſtris viſibus occultato, cœlo ſereno. Ea ita invenitur accidiſſe poſt meridiem minutis 13, 2. *diei 6. Octobr. ubi Parallaxis latitud.* 47, 46. *Latitudo vera* 50, 57. *viſa* 3, 11. *Semidiameter Solis* 15, 40. *Scrup. reſidua* 28, 40. *digiti Ecclipt.* 11, 0. *Locus Solis* 20, 15. *Libra.*

Mons in Burgundia terræmotu à montibus reliquis abruptus, multa millia agricolarum, qui in valle habitabant, oppreſſit. Trith.

ANNO MUNDI 5191. Poſt C. 1242.
E. ☉ 19. ☽ 8. *Ind.* 15.

Wormatia urbs incendio fortuito conſumitur die 13. Aprilis, perierunt ad trecentos homines. *Trith.*

Pleſcovia in Lithuania à Germanis Livonienſibus capitur deditione, quæ tamen poſtea ab Alexandro Duce Moſcoviæ, qui auxilia Tartarica Principis *Bathi* acciverat, poſt biennium recipitur. *Guanginus.*

Tartari in Sileſiam irrumpunt, Vratiſlavienſes ſibi metuentes urbem incendunt, & in arcem concedunt. Ideò Tartari eos relinquunt, & Lignitium petunt, ubi Henricus Dux in initio feliciter cum eis præliatur, poſtea tamen magna clade vincitur, & in ipſo prælio trucidatur. Tot *Chriſtiani* in hoc prælio dicuntur cecidiſſe, ut auriculis, quas ſingulas ſingulis occiſis præciderant, novem ſaccos complerent. Nequaquam tamen cecidit inultus; tanta cæde & ipſi affecti ſunt, ut ulterius progredi non auderent. Inſuper cùm Moraviam vaſtarent, à Sternbergio Duce Tartarorum trucidatur, quapropter confuſim Hungariam abeunt, ubi Bathus ſupremus Tartarorum Dux exercitum *Bela* Hungariæ regis internecione occidit. Rex ſolus ferè pedes, & ignotus exadit in Auſtriam, ubi à Duce Auſtriæ omnibus ſuis fortunis, quas uxor præmiſerat, ſpoliatur, & in Dalmatiam exul & inops ejicitur. *Dubr.*

Annus Indorum 1327. *& Hegiræ* 640. *incipit* 1. *Jul. fer.* 3.

Templarii *hoc anno in Palæſtina multa millia Saracenorum admirandâ fortitudine vincunt.* Pariſ.

Rex Angliæ ut recuperaret, quæ parens deſidia ſua amiſerat, in Pictaviam cum exercitu navigat, & inducias in triennium pactas rumpit, regique Galliæ bellum indicit: Sed rex Galliæ fortiſſimo exercitu Regem Angliæ aggreditur, qui contrà ire non audens, turpiter non ſine clade fugit, & novas inducias cum rege Galliæ pangit in quinquennium. *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5192. Poſt C. 1243.
D. ☉ 20. ☽ 9. *Ind.* 1.

Ciennium *urbs in Hiſpania jam octo menſibus à Ferdinando rege Caſtellæ obſeſſa fuerat, ea tandem deditur regi menſe Aprili. Rex Granatæ ſibi metuens à Ferdinando, offert ſe vaſallum Ferdinando, cum tributo annuo centenorum ac ſeptuaginta millium aureorum.* Marian.

Cùm ſedes Papalis jam annum & 8. menſes vacaſſet,

caſſet, & culpa in Imperatorem conferretur, quaſi electionem Pontificis impediret, dimittit Cardinales & Epiſcopos, quos ceperat, iiſque mandat, ut tandem Pontificem eligerent. Cùm hoc non impetraret. Romam obſidet, vi eos coacturus, ſed edoctus a civibus, quòd hoc non in poteſtate civium eſſet, Pontificem eligere, & ſe injuſtè bello affligi, ſolvit obſidionem, vaſtatque bona Cardinalium. Rex Galliæ etiam mittit legatum, qui urgeat electionem; ſi id nollent, minatur ſe in ſuo regno caput Eccleſiæ electurum, ſecundum privilegium, quod aliquando à Clemente D. Dionyſio datum ſit. Ideò Cardinales conveniunt, & die 24. Junii eligunt Inibaldum de Fliſco ligurem, amiciſſimum Friderico Imper. ſed ſtatim electus animum amicum exuit, voluit ſe *Innocentium* IV. vocari, & ſententiam excommunicationis in Imperatorem latam à Gregorio confirmavit. Sedit autem annos 11. menſes 5. *Onuph.*

Annus Indorum 1328. *& Hegira* 641. *incipit* 25. *Junii, fer.*7.

Monachi *Præmonſtratenſes* Cœnobium illud ditiſſimum Lorch, quod diu vacuum fuerat, juſſu Moguntini occupant. *Trith.*

In Palæſtina Templarii Pontifici addicti ordinem Teutonicorum, qui favebat Imperatori, ferro & igne perſequuntur, & diſſenſionibus ſuis vires hoſtium alunt. *Pariſ.*

Viterbium *urbs proditis Cæſarianis deficit ad Pontificem, quod & aliæ urbes faciunt*. Vercella & Alexandria. *Imperator contrà impedit, ne pecunia Romam perferatur.* Pariſ.

Beginæ mulieres continentiam & ſimplicitatem vitæ privato voto profitentes, paucis ab hinc annis cœptæ, multiplicantur ita, ut Coloniæ & in vicinis locis ad 2000. invenirentur. *Cent. Mag.*

Auguſtiniani Monachi hoc anno primum ab Antverpienſibus evocantur Argentorato, ut ad ſe veniant. *Scribanus.*

Hedvvig, Henrici qui in acie contra Tartaros ceciderat, mater, gratulata ſibi, quòd filius mortem pro patria & Eccleſia oppetiiſſet, moritur die 9. Octobris. Hæc poſtea à Clemente IV. Pontifice anno 1266. inter Sanctos refertur. *Hiſt. Pol.*

ANNO MUNDI 5193. Poſt C. 1244.

CB. ☉ 21. ☽ 10. *Ind.* 2.

Suldanus Ægypti Orientales ex Babylonia evocat in Palæſtinam, qui veniunt cum magno comitatu, & Hieroſolymis atque alibi multa millia Chriſtianorum occiduntur, aut in captivitatem abducuntur. *Chriſtiani*, ex fœdere evocant Damaſcenum, qui ipſis venit auxilio, & tandem prope Aſcalonem prælio congrediuntur, die 18. Octob. Sed fugientibus Damaſcenis Chriſtiani etiam funduntur. *Marinus.*

Innocentius Papa in feſto S. Trinitatis creat decem Cardinales, atque iis ut & aliis dat rubrum pileum. quo admonerentur fidelitatis erga ſuum Pontificem, etiamſi ſanguine ſuo eum defendere cogerentur. Inde cùm legatos Imperator mitteret de reconciliatione, clam fugit Genuam, quaſi ab Imperatore pelleretur, ut ita odium conciliaret Imperatori. Imperator contra in hac cauſa judices eligit regem Galliæ & Angliæ. Papa cùm aliquot menſibus deſediſſet Genuæ. evocat Cardinales, & cum iiſdem abiit in Gallias. *Pariſ.*

Annus Indorum 1329. *& Hegira* 642. *incipit* 9 *Julii, fer.* 5.

Annus ſabbathicus ſeptimus Jobelei 24. *incipit* 5. *Sept. fer.*2. *Anno* Jud. 5005.

Annus Alexandræus 1556. *Antioch.* 1293. *& Conſtantinop.* 6753. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaru 1993. *& Philippi* 1569. *incipit* 16. *Octobr. fer.* 1.

Sanctius *rex Luſitaniæ regno pellitur à fratre Alfonſo, qui ſuccedit. Sanctius autem regnaverat an-*nos 21. Mariana: *regnavit Alfonſus annis* 33.

Elmutan Suldanus Ægypti anno Hegyræ 642. à Turcomannis conjuratione facta pulſus in turrim ligneam confugit, cui Turcomanni ignem ſubjiciunt, ut Soldanus comburatur: ne hoc fieret, ipſe ſe in profluentem præcipitem dedit, atque ita ſimul igne periit. Ei ſufficitur ſequenti anno Turcomannus Aredin Ibic, atque ex eo tempore Turcomanni ſive *Mameluchi* in Ægypto dominati ſunt. *Zacuthi.*

ANNO MUNDI 5194. Poſt C. 1245.

A. ☉ 22. ☽ 11. *Ind.* 3.

Annus urbis 1997. *Julianus* 1290.

Æra Hiſp. 1283. *Auguſtorum* 1272.

Imp. Fridericus incipit annum Imperii 33.

Annus Jezdegird 614. *incipit die* 14. *Jan. fer.* 7. *Armeniorum* 694. *die* 17. *Jan. fer.* 3.

Neuruz Gelali 166. *cum æquinoctio verno.*

Henricus rex Angliæ init pecuniæ ſuæ rationem, quam Papa quotannis ex Anglia reciperet, & invenit ſexaginta millia marcarum Eſterlingorum, quælibet autem Marca pro florenis octo, quantum ſcio, computatur: facit igitur noſtræ monetæ florenos 480000. *Pariſ.*

Circa aſcenſionem Domini, die 25. *Maji orta eſt verſus meridiem quaſi in Capricorno ſtella quædam, ad inſtar Luciferi magna, clara, ſed rubea, & quaſi unus Planetarum, certum ſingulis diebus ortum tenuit & occaſum. Et quia rubea fuit, Martem eſſe plurimi autumabant. Jupiter non fuit, quia circa quinque annos manifeſtè viſus jam circa Virginem vagabatur. Multi dixerunt, quòd ab ipſis, licet aſſiduam circa aſtra conſiderationem habuerint, nunquam, quod meminerint, antea viſa fuerit. Illa ſtella poſt diem Jacobi Apoſtoli ulterius adeò lucida viſa non eſt, ſed die in diem tam magnitudinem perdidit, quam claritatem.* Abbas Slad.

Annus Indorum 1330. *& Hegira* 643. *incipit* 29. *Maji, fer.* 2.

Fridericus *menſe Junio Ducibus Auſtriæ regiam dignitatem tribuit, atque ob id titulum* Archiducum *ſibi ſumſerunt.* Cuſpin.

Papa indicit Concilium generale Lugduni, idq; inchoat fer. 2. die 26. Jun. ubi proponuntur capitula, de quibus agendum erat, & poſtea die 28. Jun. fer. 4. Papa Imperatorem graviſſimè accuſat. Reſpondet pro Imperatore legatus *Thaddæus* de Sueſſa, vir eloquens, & impetrat 14. dierum inducias. Die 16. Julii Papa horrendis devotionibus Imperatorem Imperio indignum judicat, abdicat & excommunicat. Mandat præterea, ut principes Germaniæ præcipui in Inſulam quandam Rheni abducantur, ibique relinquantur ſoli, amotis omnibus navigiis & commeatu, donec de Imperatore eligendo conſentiant: Imp. verò ad omnes

Status

Status ſe excuſat, monetque, ne nova electione imperium turbare velint. *Pariſ.* In eodem Concilio damnatur *Epiſcopus Leodienſis* & abdicatur, cùm convictus eſſet infinitæ libidinis & ſcortationis, ita ut ſpurios relinqueret 65. *Chron. Leodienſ.*

Ecclipſis Solis annotatur ab Abbate Sladenſi, quæ acciderit 25. Jul. fer. 3. matutino tempore horis 6, 13. 21. ante meridiem. Parall. latit. 27, 34. vera 42, 8. viſa 14, 54. Semid. Solis 15, 7. ſcrup. reſid. 15, 11. digiti ecclipt. 6, 0. Sol in 8, 49. Leonis, idq; Rhemis in Gallia; in locis Septentrionalibus longè major fuit.

Olympias 505. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 202.

Diocletiani 962, *incipit* 29. *Auguſti.*

Imperator Fridericus *à Pontifice depoſitus Italiam invadit, & Mediolanenſes graviter affligit; Papam etiam in eas anguſtias redigit, ut pœniteret eum excommunicationis. Exorta hinc ſunt graviſſima diſſenſiones in Italia, cum, qui Pontificiis partes ſequebantur,* Welfi *dicerentur, qui verò Imperatorem defendebant,* Gibellini *Trith.* Papa ut ſumtib. ſufficeret ad opprimendum Imperatorem, petit ex tota Europa quintam partem redituum Eccleſiaſticorum, & Jacobum Leodienſem Archidiaconum ad res componendas Polonicas mittit, ut eosdem reditus in triennium à Polonis exigat, datque ipſi poteſtatem relaxandi Polonis partem jejunii ante Paſcha, quod obſervaverant hactenus per 9. hebdomadas à Dominica Septuageſima; reſecuit ex eo dies 17. *Hiſt. Pol.*

Rodericus Toletanus, qui hiſtorias Gothorum & Arabum ſcripſit, moritur hoc anno. *Marian.*

ANNO MUNDI 5195. Poſt C. 1246.

G. ☉ 23. ☽ 13. *Ind.* 4.

Epiſcopus Moguntinus & Colonienſis eligunt Imper. *Henricum Landgravium*, qui excuſat & ætatem ſuam & vires ad Friderici minimè comparandas, ſed Papa mandat ipſi, ut dignitatem hanc ad Eccleſiæ utilitatem recipiat, mittitque ſimul 25000. marcarum argenti: atq; ita *Henricus* perſuaſus patitur ſe eligi Imperatorem, indicitq; conventum ad diem 25. Julii. Conradus filius Imper. conventum hunc impediturus cum exercitu approperat, & ita die 5. Auguſti res ad manus venit, ſed à Comitibus ſuis, quibus Papa ſpem fecerat de Ducatu Sveviæ accipiendo, vincitur & fugatur, & Henricus Francofurti Imperator eligitur. *Spang.*

Annus Indorum 1331. *& Hegira* 644. *incipit* 19. *Maji, fer.* 7.

Florentia in Italia Friderico deditur, ubi paulò poſt conjuratione quorundam petitur, ſed eâ detectâ graviſſimè in autores animadvertit. Inde iterum reconciliationem quærit cum Pontifice per regem Galliæ, & promittit, ſi excommunicatione ſolvatur, & ſi filius Conradus ſuo loco Imperator eligatur, ſe ſuis ſumtibus in Palæſtinam contra Saracenos profecturum, ibi perpetuò manſurum, & bellum geſturum, ſed nihil impetrat. *Pariſ.*

In Concilio Lugdunenſi Rex Angliæ conqueſtus erat de exactionibus Pontificiis in ſuo regno, id quod Pontificem adeo malè habuit, ut juberet regem Galliæ rumpere inducias, & bellum regi Angliæ inferre, *Pariſ.*

Bela rex Hungariæ, cùm Tartari poſt quartum annum, quibus Hungariam vaſtârant, Hungariâ abiiſſent, cupit in regnum reverti, ſed Fridericus Auſtriæ Dux, ne per fines ſuos transeat, prohibet. Bela, cùm alia via non pateret, vi ſibi tranſitum facere conatur, & cum Friderico prælio decertat. Fridericus ad dextrum oculum vulneratus, equo excutitur, & conteritur, die decimo quinto Junii, die Viti. *Dubr.*

Soldanus Babyloniæ quædam in Palæſtina noſtris eripit, Papa miſſis legatis Soldanum ad pacem cohortatur; Sed Soldanus reſpondet, ſe cum Pontifice nihil rei habere, cum Friderico verò, ut pater fecerat, ſe etiam pacem colere velle. *Pariſ.*

Papa *Innocentius* Friderico ſicarios immittit, qui deprehenſi ſupplicio ſunt affecti: Rem ipſam narrat Imperator ipſe in epiſtolis ad regem Angliæ apud *Pariſienſem.*

ANNO MUNDI 5196. Poſt C. 1247.

F. ☉ 24. ☽ 13. *Ind.* 5.

Proceres Auſtriæ, principe *Friderico* cœſo ab Ungaris, deliberant de eligendo Principe: habuerat quidem tres ſorores, ſed tantùm Conſtantia, quæ nupſerat *Henrico* Marchioni Miſniæ, filios habebat, ideo legatos mittunt ad Henricum, qui alterum filium mittat ad gubernandam Auſtriam. Legati in Bohemiam profecti literas tuti commeatus petunt, rex aliquid ſuſpicatus eos convivio excipit, ubi futiliter cum vino mandata effutiunt; negat igitur rex commeatum, jubet legatos regredi, & commendat Statibus Auſtriæ ſuum filium Ottogarum; atque ita Marchiones Auſtria exciderunt, præſertim cùm ſequenti anno de Thuringia pugnandum eſſet, quæ potior videbatur, & opportunior quàm Auſtria. *Fab.*

Ludovicus Comes Palatinus Mariam uxorem adulterii ſuſpectam interficit, pro quo facto *Cœnobium* Fürſtenfeld ædificat; inde caſtrum Friburg contra Epiſcopum Auguſtanum ædificat, & Annam regis Poloniæ filiam uxorem ducit. *Trith.*

Annus Indorum 1332. *& Hegira* 645. *incipit* 8. *Maji, fer.* 2.

Civitates ad Rhenum metuentes ſibi à novo Imperatore Henrico in tantis diſſenſionibus fœdus ineunt cum principibus, pacis & Reipublicæ causâ, & *Henricus* novus Imperator *Reutlingam* obſidet irrito conatu, inde ad obſidendam *Ulmam* pergit, ubi die 7. Dec. vulneratur. *Annal. Suev.*

Cùm *Fridericus* cum exercitu Lugdunum abire vellet, impeditur conſiliis Pontificis, qui *Parmam* ipſi eripuit. Neceſſe igitur habuit recedere & Parmam obſidere, quod factum eſt die 2. Auguſti; interim per Robertum Caſtilionem Pontificios vincit. *Annal. Suev.*

Ferdinandus Hiſpalim die 20. Auguſti in Hiſpania obſidet, & obſidionem continuat ſedecim menſibus, & tandem deditam capit; centena Maurorum millia urbe pulſi ſunt, ingreſſus eſt urbem ſequenti anno die 22. Decemb. Mar.

Turcæ principatum Antiochiæ invadunt, villisque moliuntur excidium, Antiocheni improvidè cum eis pugnant & vincuntur, quapropter omnibus ferè pecoribus, quibus ea gens inhiabat, ſpoliantur. *Marinus.*

Haco coronatur rex Norvegiæ, procurante Pontifice. *Pariſ.*

ANNO MUNDI 5197. Poſt C. 1248.

E D. ☉ 25. ☽ 4. *Ind.* 6.

Guelpha & Gibellina factio Florentiæ tumultuantur, urbs incenditur, & ad mille ædes cremantur. Sed cùm Fridericus Imperatoris filius nothus accerſeretur, Guelphi fugiunt Bononiam, & eorum bona publicantur: factum menſe Januario. *Annal. Suev.*

Henricus electus ab Epiſcopis Imperator poſt vulnus acceptum ad Ulmam, morbo inſuper corripitur, ideò Iſnacum defertur, ubi ex vulnere moritur die Julianæ, circa 7. Februar. nullos reliquit hæredes maſculos, ſed filiam, quæ nupſerat Duci Brabantiæ, & filium habebat trimulum: Sororem etiam habebat, quæ nupſerat Diterico Marchioni Miſniæ, ex qua filium habebat Henr. Marchionem Miſniæ, bello ſtrenuum; utraque pars contendit hæreditatem ad ſe pertinere, utraque pars occupat urbes, Marchio in Thuringia, Sophia in Haſſia per interceſſores principes, Res eò deducitur, ut quod quisque occupaſſet, teneret, donec per Imperatorem & Principes ſententia proferretur; fuit ita res in induciis per quadriennium. *Fab.*

In obſidione Parmenſi, cùm Fridericus pecuniâ deſtitueretur, *de corio monetam finxit*, quam poſtea aureis ſingulis, ſive ducatis redemit. Sed cùm ipſe aliquando abeſſet, Parmenſes eruptione pugnant, exercitum Friderici fugant, caſtra expugnant, theſauris ejus potiuntur, & Thaddæum de Sueſſa virum inſignem trucidant; factum feriâ 3. die 18. Februar. *Pariſ.*

Annus Indorum 1333. & Hegira 646. incipit 26. Apr. fer. 1.

Ecclipſis Lunæ annotatur à Pariſienſi, quæ acciderit paulò poſt occaſum Solis, die 7. Junii, fer. 1. Eaque ita invenitur: Accidit enim Londini horis 8, 49. poſt meridiem. Latit. Lunæ 16,41. Semidiam. Lunæ 16,3. ſcrup. reſid. 42,27. Digit. ecclipt. 15,52. Solis in 24. gradu Geminor.

Ludovicus rex Galliæ voverat expeditionem ſacram: dat ſe igitur hoc anno itineri poſtridie Bartholomæi, applicat in Cypro die 20. Septembris, ibique hybernat. *Pariſ.*

Horribilis terræmotus in Sabaudia, quo plurimæ urbes & pagi corruerunt, & montibus obruti ſunt, perierunt ad novem millia hominum cum animantibus innumerabilibus: incendia præterea fuerunt per totam Europam hoc anno. *Pariſ.*

Defuncto Landgravio Papa jubet, ut alius Imper. eligatur. Conſentiunt plerique in *Wilhelmo* Comite Hollandiæ, diſſentiunt tamen etiam multi, qui adhærent adhuc Friderico Imperatori. Electio facta eſt poſtridie Michaelis. Coronari tum non potuit, quòd Aquisgranenſes ipſi clauderent portas, ideo eos obſidet, & inundationibus aquarum eò redigit, ut ſe dederent, & coronatur die omnium Sanctorum. Conradus filius Friderici obſidionem ſoluturus tardiùs advenit, & tandem exercitu cruce ſignatorum etiam rejicitur. *Pariſ.*

Annus Alexandrarum 1560. Antioch. 1297. Conſtantin. 6757. incipit 1. Octob.

Annus Nabonaſſaris 1997. & Philippi 1573. incipit die 15. Octob. fer. 5.

Hala Svevorum quidam Pontifici Romano manifeſtè contradicunt. *Abb. Slad.*

Balduinus Imper. Conſtant. obſeſſus ferè à Johanne Ducâ, ita ut non auderent cives portis egredi pretioſiſſima pignora Conſtantinopoli, *Lanceam, qui Salvator vulneratus eſt in cruce, ſpongiam, qua potatus fuerat, cum magna ſanctæ crucis parte.* Veneris in pignus dedit, quæ poſtea redempta fuerunt à rege Galliæ Ludovico magno precio. Veneti igitur claſſe viginti quinq; triremium Conſtantinopolin obſidione liberant, & hoſtes pellunt. *Cuſpin.*

Mortuo Henrico Duce Lotharingiæ & Brabantiæ, qui 12. annis præfuerat, ſuccedit filius Henricus pacificus, qui præeſt annis 13. *Annal. Belg.*

ANNO MUNDI 5198. Poſt C. 1249.

C. ☉ 26. ☽ 15. *Ind.* 7.

Annus urbis 2001. *Julianus* 1294.
Æra Hiſpan. 1287. *Auguſtorum* 1276.

Annus Friderici Imperatoris 37.

Annus Jezdegird 618. incipit die 13. Jan. fer. 4. Armen. 698. incipit die 16. Jan. fer. 7.

Neurutz Gelali 170. incipit ab æquinoctio verno.

Ludovicus dum in Cypro hæret, legatos Tartarorum, qui ſocietatem belli & amicitiam ejus quærebant, excipit & honorificè dimittit, interim creſcit omnium rerum penuria in Inſula, adeò ut rex cum exercitu ferè fame enecaretur: Invocat igitur Imper. Fridericum, qui ſufficientem annonam eò mittit. Hoc beneficium magnoperè prædicat rex Galliæ apud Pontificem, petitque ut tandem cum Friderico in gratiam redeat. Fridericus etiam ipſe ſe humillimè ſubjicit, ſed nihil impetrat. *Pariſ.*

Petrus de Vinea, qui hactenus fuerat fideliſſimus Friderico, muneribus corruptus perſuadetur à Pontifice, ut Fridericum veneno tollat; res in ipſo articulo indicatur, & medicus ſtatim ſuſpendio necatur, Petro oculi eruuntur, & in vinculis detinetur, qui metu gravioris ſupplicii, capite ad columnam colliſo expiravit. *Pariſ.*

Conradus filius Imperatoris reparato exercitu *Wilhelmum* iterum aggreditur, eumq; vincit, ideò *Wilhelmus* viribus impar in inferiori Germania deliteſcit. *Pariſienſ.*

Annus Indorum 1334. & Hegira 647. incipit 16. April. fer. 6.

Heinſius *filius Imperat. pecuniam quæ Parmenſibus à Pontifice mittebatur, intercipit, ipſe verò paulò poſt, dum Mutinenſibus auxilium fert, à Bononienſibus capitur, cum multis aliis, quorum trecenti ſuſpendio necati fuerunt, ipſe captivitate liberari non potuit, quicquid etiam vel ipſe, vel parens offerret: regio more tamen habitus fuit, & cùm detentus fuiſſet annis 22. menſibus novem, diebus 16. moritur, & ſepultus eſt à Bononienſibus magnificè, die 14. Martii, anno 1272. Captus ergò fuit hoc anno die 17. Maji.*

Olympias 506. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 2025. Diocletiani 965. incipit 29. Auguſti.

Cum *Ludovicus* Galliæ rex in feſto *Trinitatis*, 15. Maji, ſolviſſet ex Cypro, 4. die Jun. appropinquat Ægypto; & cùm rumor eſſet, eum Alexandriam petere, præfectus Damiatæ, ut Alexandriæ præſidio eſſet, eò tendit, ſed *Ludovicus* Damiatam venit, & Inſulam occupat die 5. Junii, ſequenti die ferias agunt, & die 7. Damiata capitur, ibiq; manent totâ æſtate; eò venit poſtridie Simonis & Judæ frater

ter *Lud.* Alfonſus Comes Pictavienſis, & die 10. Nov. contra Saracenos abeunt pugnaturi, & ad eos perveniunt die Martis ante Nativitatem Chriſti, caſtraque ad flumen Tanaos ponunt, ubi multi Saracenorum perierunt. *Nangis.*

Henricus *Dux Sileſiæ, cùm fratri* Vratislaviam *eripere vellet, ternas expeditiones ſuſcepit, quibus tamen nihil effecit, ſed potius coactus eſt omnem ſupellectilem in ſtipendia militum diſtrahere, & arces quaſdam hypotheca cauſa oppignorare. Tum etiam* Libuſſenſe territorium *Brandenburgenſibus Marchionibus oppignoravit, atque hoc modo id ad Brandenburgenſes pervenit.* Hiſt. Pol.

Alexander *Scotiæ rex, cùm regnaſſet annis 35. moritur; ſuccedit filius* Alexander, *puer octo annorum, qui regnavit annis 37.* Buch.

ANNO MUNDI 5199. Poſt C. 1250.
B. ☉ 2.7 ☽ 16. *Ind.* 8.

In Palæſtina Chriſtiani, qui erat Ptolemaide, Turcas, qui totam regionem vaſtabant, invadunt eos, vincunt & pellunt, & ad ſedecim millia pecorum ipſis eripiunt. Piſani interim, & Genuenſes ibi diſcordiis inteſtinis agitantur, & continuis diebus 21. decertant; tandem interceſſione proregis induciæ firmatæ ſunt in triennium. *Marin.*

Ludovicus rex Galliæ, cùm vadum inveniſſet in Thanaim fluvio, Saracenos fugat, ſed Saraceni viſa noſtrorum paucitate ad pugnam redeunt, multos interficiunt, & inter alios etiam Robertum regis fratrem, dum in villa Saracenos inſectatur. Factum die Cinerum, 10. Feb. fer. 6. poſtea iterum acris fit pugna, in qua etſi Saraceni magna caterva irruerent, noſtri tamen fortiter eos ſuſtinent. Poſt aliquot dies adventat Soldani filius cum magno exercitu. noſtri contra peſte confligantur, & etiam inopia commeatuum, cum Damiata nihil afferri poſſet, impedientibus Saracenis. Ideò Ludovicus conatur redire Damiatam die 5. Apr. ubi cum totus exercitus circumdaretur Saracenis, rex *Ludovicus* captus eſt, cum duobus fratribus, reliqui ferè omnes ad internecionem cæſi: laborabat tum rex peſte, ſed à Suldano diligentiſſimè curatus eſt. Tandem ineuntur induciæ, ut Damiata Saracenis reddatur, captivi utrinque dimittantur. Rex pro liberatione octo millia Biſantiorum ſolvat, & decennio toto bellum contra Saracenos non gerat, atq; ita rex liberatur die 2. Maji, ubi induciæ & inita pax publicabatur. Inter publicandum Suldanus à ſuis in fruſtra conciditur, & ex duodecim millibus captivorum vix tria millia redduntur. Rex *Ludov.* liberatus Ptolemaidem navigat die 8. Maji, ubi integrum quadriennium permanſit. Fratres enim dimiſerat in Europam ad adducendas novas copias.

Annus Indorum 1335. & Hegira 468. incipit 5. Apr. fer. 3.

In Hiſpania puer ſeptem annorum Cæſar-Auguſtæ natus, à Judæo Judæis venditur, in Paſchate cruci affigitur, & lancea in pectore trajicitur. *Annal. Arrag.*

Henricus *Danorum rex ab Abele fratre in mari ſuffocatur: Abel verò ſequenti anno, dum Friſonibus bellum infert, trucidatur.* Chron. Belg.

Petrus Caſſiodorus, miles Catholicus, Anglus in Anglia hoc anno contra tyrannidem Pontificiam ſcribit. *Joſeph. Scal.*

Friſiam *Oceanus inundat, quâ inundatione multa hominum millia perierunt cum armentis.* Pariſ.

Balduinus *de retinenda Conſtantinopoli deſperans, donariis templorum ablatis in Italiam defertur ad* Fridericum *Imperatorem, cùm Parmam diu fruſtrà obſeſſam ex inſidiis cepiſſet.* Cuſp.

Fridericus *Imperator cui prædictum fuerat, eum in caſtro quodam* Florentino *moriturum,* Florentiam *ſemper vitavit, ſed die 13. Decembris venit in arcem quandam in Apulia, quæ* Florentina *dicebatur, ubi morbo corripitur, eo ipſo die, quo quondam erat coronatus Imperator, & moritur tandem die 26. Decemb. die Stephani, cùm imperaſſet annos 38. Multa millia unciarum auri reliquit, quam legavit* Templariis, Hoſpitalariis & Hieroſolymitanis, *item ingentem ſummam pecuniæ reliquit ad recuperandam terram ſanctam* Ariſtotelem, Ptolemæum & Galenum ex Græca aut Saracenica lingua in latinam linguam traduci juſſit, & ſtudia diſcentium plurimum adjuvit. *Feliciſſimus vixiſſet & imperaſſet, niſi ita p. eſſus fuiſſet tyrannide Pontificia. Interregnum ferè in imperio ſecutum eſt annorum viginti duorum. Etſi enim &* Wilhelmus *Comes Hollandiæ, &* Richardus *frater regis Angliæ Imperatores electi fuerunt; res tamen imperii non adeò curarunt, nec ab omnibus pro Imperatoribus agniti fuerunt.*

ANNO MUNDI 5200. Poſt C. 1251.
A. ☉ 28. ☽ 17. *Ind.* 9.

Annus Indorum 1336. & Hegira 649. incipit 25. Mart. fer. 7.

Quidam Hungarus, ſed linguæ Saracenicæ & Gallicæ peritus, in Galliis opiliones ut plurimum, deinde agricolas ſibi adjungit, ſpe occupandæ terræ ſanctæ: perſuaſerat ita ferè omnibus, ut ad ſexaginta millia hominum ſecum duceret, quibus vexillum fecerat, cui agnus inſigne erat; ſed cùm tanta colluvies, non ex præparato commeatu viveret, Galliam populari incipiebat, & cùm Hungarus ille ita occideretur, & reliqui diſperſi ſunt, nominabant ſe Paſtorellos, de quibus verſus:

M. Semel & bis CLI. conjungere diſce.
Duxit Paſtorum ſæva Megæra chorum.
Pariſ.

Poſt mortem Friderici Florentini *ejectis Gibelinis ſe in libertatem reſtituunt, & Guelphos revocant. Conradus verò Imperatoris* Friderici *filius in Italiam ſtatim in hyeme adhuc properat, regnum Apuliæ & Siciliæ occupat, cùm Neapolin urbem octo menſibus obſediſſet.* Annal. Svev.

Innocentius Papa eodem tempore in Italiam venerat, cùm tutò ibi eſſe ſe poſt mortem Friderici poſſe crederet: ſed cùm experiretur Conradum hoſtem, eundem die Paraſceves excommunicat, & omnibus qui idpſum oppugnarent, non tantùm remiſſionem peccatorum & liberationem ex purgatorio, ſed etiam eorum parentibus promittit. *Pariſ.*

In Galliis ordo *fratrum de pœnitentia* inſtituitur Maſſiliæ. *Hiſt. Belg.*

Suidas Græcus ſcriptor circa hæc tempora vixit.

Annus ſabbathicus primus Jobelei 25. incipit 18. Sept. fer. 2. Anno Jud. 5012.

Conradus Frider. filius ex Italia reverſus Ratisb. capit, ubi inſidias Conradi Hohenfelſii Epiſcopi vix

vix evadit, qui *noctè Innocentum* in ejus cubiculum irruit, ſex illuſtres viros in eodem cubiculo dormitantes occidit, cùm *Conradus*, qui advenientes ſenſerat, ſeſe ſub ſcabellum ad lectum appoſitum occultaſſet. *Avent.*

ANNO MUNDI 5201. Poſt C. 1252.
G F. ☉ 1. ☽ 18. *Ind.* 10.

Papa *Innocentius* Conradum Friderici filium cùm armis non poſſet, veneno tollere conatus, ſed induſtria medicorum id prohibetur. Inde alia via cum aggreſſus, eundem excommunicatione ſolvere promittit, ſi *Henricus* ipſius frater ex Iſabella Anglica natus neptem Pontificis ducat uxorem, ſed Conradus hanc conditionem reſpuit. Poſt biennium, cùm ad fratrem Conradum properaret, in Lucanis per inſidias à Saracenorum Duce occiditur, procurante fortaſſis id Conrado fratre, ut Pandulphus habet. *Pariſ.*

Annus Indorum 1337. *& Hegira* 650. *incipit* 14. *Martii, fer.* 5.

Turca cùm pacem feciſſent cum Johanne Duca, qui Imperator Conſtantinopolitanus dici volebat, etſi inde pulſus fuerat, ideò quòd Tartari in Aſiam progreſſi Meſopotamiam occupaſſent, & omnia inde in Aſia vaſtarent jam annos octo ferè: Ideò hic Johannes otium nactus, agriculturæ ſtudet his temporibus, & ingentem theſaurum colligit. *Nicet.*

Ferdinandus, rex Hiſpaniæ potentiſſimus, cùm in Caſtella regnaſſet annis 35. & Legione 22. moritur die 30. Maji: ſuccedit die 1. Junii *Alfonſus*, qui dictus eſt ſapiens, regnavitque annis 32. *Et eodem hoc die ac anno, feriâ ſeptima opus Aſtronomicum* Alphonſinum *fixum eſt. Convocavit enim hic rex præſtantiſſimos Aſtronomos, Hebræos & Mauros, qui* tabulas Alphonſinas *confecerunt: expendit in hanc rem ad quater centena millia aureorum. Tempus ita deſcribit, ut dicat effluxiſſe uſque ad meridiem hujus diei primi Junii, feria 7. hujus anni* 1252. *annos* Nabonaſſareos 1999. *& dies* 230. *annos* Philippi & mortis Alexandri 1575. *& dies* 230. *annos* Alexandreos 1562. *& menſes octo: annos* Æræ Hiſpan. 1289. *menſes* 5. Diocletianos 967. *menſes novem, dies* 3. *annos* Hegiræ 649. *dies* 123.

Wilhelmus Comes Hollandiæ, electus Imperator, Margaretæ Comitiſſæ Flandriæ, quòd fidelitatem jurare nollet, terras, quas ab imperio poſſidebat, abjudicat die 11. Julii, *Conſtit. Imp.*

Annus Alexandræus 1564. *Antioch.* 1301. *Conſtantinop* 6761. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaris 2001. *& Philippi* 1577. *incipit* 14. *Octobr. fer.* 2.

In Palæſtina Saraceni inteſtino bello conflictantur; Ludovicus Galliæ rex hac occaſione uſus cum Suidano Babyloniæ quindecim annorum inducias ſancit, hac conditione, ut Suldanum adjuvet contra ſuos hoſtes. *Pariſ.*

In Polonia Salis metalla apud Bochnam, quinto à Cracovia milliario inveniuntur, unde uberes principi reditus acceſſerunt: *Chron. Polon.*

ANNO MUNDI 5202. Poſt C. 1253.
E. ☉. 2. ☽ 19. *Ind.* 11.

Annus urbis 2005. *Julianus* 1298.
Æra Hiſp. 1291. *Auguſtorum* 1280.

Annus Jezdegird 622. *incipit die* 12. *Jan. fer.* 8.
Armeniorum 202. *die* 15. *Mart. fer.* 4.

Annus Indorum 1338. *& Hegira* 651. *incipit* 3. *Mart. fer.* 2.

Annus Neuruz Perſ. 174. *cum æquin.*

Innocentius Papa tandem domum redit, cùm hactenus hæſiſſet Peruſii, & exercitum mittit contra Conradum in Apuliam, Duce Wilhelmo nepote, qui à Conrado trucidatur, & Conradus omnia recuperat, Neapolin rebellem funditus exſcindit, Capuam mœnibus nudat, & crudeliùs agit, quàm clementem principem deceret, aut Reipubl. tempora permitterent. Inde cùm Conradus odio ſubditis eſſet, *Papa* ſollicitat Ricdardum, Comitem Cornubiæ, regis Henrici in Anglia fratrem, eique donat regnum Siciliæ & Apuliæ, modò Conradum inde ejiciat, & promittit ſua auxilia. Sed Richardus metuens Conradi potentiam, non paſſus eſt ſibi perſuaderi. Henricus verò frater rex cupidè hanc conditionem accepit, & infinitos in hanc rem theſauros temerè profudit. *Pariſienſ.*

Soldanus Damaſci cum Soldano Ægypti ſocietatem init contra *Chriſtianos*, & Sidonem urbem improviſò capiunt, incolas ferè omnes trucidant, & quadringentos captos Damaſcum deducunt: Ludovicus rex Galliæ Sidonem ſtatim recipit, inſtaurat & munit. *Marin.*

Robertus quidam *Sorbonam* inſtituit Lutetiæ, fundatque *Cœnobium Sorbonæ.* Eodem tempore *Ludovicus* rex ex Palæſtina redit, mandatque, ut Judæi ex Galliis ejiciantur, cùm ob id Chriſtiani apud Saracenos malè audiant; relinquuntur tamen, qui victum manibus quærant. *Pariſ.*

Flandri Hollandiam oppugnant Wilhelmi cauſa, ſed magno prælio vincuntur: inde pax fit, & ſoror Margareta reconciliatur fratri Wilhelmo, qui ſororis cauſa bellum Gallis infert, & eorum multa millia occidit circa menſem Novembrem: qua clade Galli fracti Ludovicum ex Palæſtina ad defendendum regnum revocant. *Pariſ.*

Olympias 508. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 2033.

Annus Diocletiani 974. *incipit* 28. *Auguſti.*

Ottomarus, regis Bohemiæ filius, Auſtriæ Ducatum ſuſcipit, ducitq; *Friderici* defuncti *Archiducis* ſororem vetulam. Cum verò paulo poſt pater *Ladulaus* moreretur, & Hungari & alii ipſi utrobique negotium faceſſerent, Hungaris pacis gratia Styriam tradit, & Margaretam Auſtriam poſt triennium repudiat, aliamque ducit, tandem Margaretam veneno necat. *Cuſpin.*

Rex Armeniæ *Haiton*, cùm videret Saracenorum incrementa in Palæſtina, ſibi metuens, mittit fratrem ſuum ad *Mangonem* magnum Cham Tartarorum, petitque ſalvum conductum, ut ſibi liceat eum accedere. Cum id obtineret, perſuadet Tartaro, ut *religionem Chriſtianam* ſuſcipere & colere velit, & Saracenos omnesque Mahumedanos perſequi, ſibique auxilia neceſſaria contra Saracenos tribuere. Cum omnia obtinuiſſet, cum valido exercitu ex Tartaria regreditur. *Marianus.*

ANNO MUNDI 5203. Poſt C. 1254.
D. ☉ 3. ☽ 3. *Ind.* 12.

Annus

Annus Indorum 1239. *& Hegira* 652. *incipit* 21. *Feb. fer.* 7.

Ludovicus Galliæ rex, cùm Sidonem urbem muniiſſet, die 8. Martii Ptolemaidem redit, & die 25. Aprilis iter Galliam verſus ingreditur magno cum periculo: multos enim offenderat, & multis multa debebat. Pervenit tamen in Galliam. *Pariſ.*

Papa Innocentius, cùm pecuniam, quam Angliæ rex miſerat, dilapidaſſet, rex Angliæ jubet aliam ſumere à mercatoribus Italicis, & pro ea fide jubet. Sed *Conradus* ſe viriliter defendit, & conatibus Pontificis obſiſtit: at in ipſo conatu moritur, vigiliâ *Aſcenſionis*, die 22. Maji, à fratre Manfredo, ut ſcribitur, interfectus, qui nomine *Conradini*, filii *Conradi* tum in Bavaria erat apud matrem Eliſabetham. Papa *Innocentius* auditâ morte *Conradi* ſtatim in Apuliam evolat, ſed Apuli Duce Manfredo ipſum repellunt. *Pariſ.*

Papa Wilhelmum Hollandum Imperatorem electum Romam evocat ad coronationem, & ut ſibi auxilio ſit contra Manfredum. *Wilhelmus*, ut res Italicas exploraret, ignotus cum duodecim tantùm Comitibus Italiam perluſtrat. Cùm rediiſſet, Friſii rebellant, ad hos compeſcendos Trajectum abit, ubi ex inſidiis lapide ingenti petitus fuit, & periculum vix evaſit. *Chron. Traj.*

Bela *Hungarorum rex, qui hactenus Auſtriam, Styriam & Moraviam vaſtaverat, multis millibus in captivitatem abductis, tandem pacem facit cum Ottocaro rege Bohemiæ, accepto Ducatu Styriæ.* C. Aug.

Clara virgo monialis moritur 10. Auguſti. Refertur inter Sanctos à Pontifice Alexandro IV.

Innocentius Papa in ipſo conatu occupandæ Apuliæ, moritur die 7. Decemb. cùm ſediſſet annos undecim, menſes quinque. Succedit ipſi Reinaldus Anagninus, qui voluit ſe appellari *Alexandrum* IV. & ſedet annis ſex, menſibus quinque.

ANNO MUNDI 5204. Poſt C. 1255.
C. ☉ 4. ☽ 2. *Ind.* 13.

Annus Indorum 1240. *& Hegira* 653. *incipit* 10. *Febr. fer.* 4.

Nobiles Aſſeburgenſes in Saxonia rebellant Alberto Duci Brunſvicenſi, & Lupum, quem in inſignibus ſuis geſtabant, ita pingunt, ut vellicaret aures Leonis Brunſvicenſis. Dux iratus Aſſeburgum caſtrum obſidet, & tandem capit. & Aſſeburgenſes ditione pellit, quibus tamen, intercedentibus aliis pòſt, quaſdam regiones concedit. *Spangenb.*

Contentio orta in Academia Pariſienſi de numero Profeſſorum in qualibet facultate, & præſertim in Theologia. Sed Monachi ordinis Prædicatorum obtinent, ut tot ſint, quot eſſe velint, idque cum aliorum Profeſſorum in aliis facultatibus injuria. Pariſ.

Wilhelmus de Amore Monachus ſcribit contra Monachos mendicantes: ejus liber à Pontifice Alexandro poſtea comburitur. *Cont.*

Ludovicus & Henricus fratres Bavari ineunte æſtate dividunt Ducatum. & *Henrico* ceſſit nomen Ducis. cum majore parte Bavariæ: *Ludovico* verò ceſſit ſuperior pars Bavariæ cum Palatinatu Rheni, addito titulo *Burggravii Ratisbonenſis.* Hic ſtatim ſe junxit cum fœderatis civitatibus ad Rhenum. *Chron. Aug.*

Cruciferi tandem in Boruſſia *Sambienſes* vincunt, & ut religionem Chriſtianam recipiant, cogunt. *Hiſt. Pol.*

Wilhelmus Friſiam invadit & caſtrum munitum ad coercendos Friſios ædificat, in eoque totam æſtatem conſumit: dedit eodem tempore privilegium Epiſcopo Mindenſi in caſtris ibidem. *Chron. Traj.*

Ecclipſis Lunæ annotatur à Pariſienſi die 30. *Julii, feria tertia. Ea invenitur Londini accidiſſe horis* 9,47. *poſt meridiem. Latitudo Lunæ* 6,39. *Semid. Lunæ* 17,3. *Scrup. reſid.* 5,11. *& digiti ecclips.* 19,25. *Sol in* 4,18. *Leonis.*

Alexander Papa continuat bellum contra Nuceriam, à Saracenis ita volente *Friderico* inhabitatam, ſed ipſius exercitus turpiter rejicitur. & cum magna clade; quapropter Papa Edmundum filium regis Angliæ creat regem Apuliæ & Siciliæ, die 24. Octob, cùm nondum ſciret Papa, ſuum exercitum cæſum. Ideò Papa crucem jubet prædicare contra Manfredum & Apulos. Apuli verò nullius impietatis ſibi conſcii, cùm inſuper putarent ſe in ſervitutem regi Angliæ ſibi ignoto dari, fœderibus junguntur, & exercitum contra Pontificis conatus colligunt. *Pariſ.*

Ottogarus Bohemiæ rex, cùm jam fines ſuos usque ad mare Adriaticum propagaſſet, bellum *Prutenis* infert, ſocio Ottone Brandeburgico, eosque vincit, & *ut religionem Chriſtianam ſuſcipiant*, armis cogit, & *Montem regium* urbē condit. *Dubrav.*

Johannes Ducas morbo conflictatus fuerat toto anno, & tandem moritur, cùm imperium Niceæ annis 33. adminiſtraſſet: ſuccedit ipſi filius Theodorus Laſcares, annorum triginta trium, qui tres annos imperium obtinuit.

Ecclipſis Solis in obitu Theodori Laſcaris poſt triennium indicatur in Pachimeris fragmentis: in qua Sol per horam obſcuratus fuit, adeò ut tenebræ operirent omnia, & ſtellæ in cœlo apparerent. Sed poſt triennium & ſequentibus annis non invenitur talis Ecclipſis. Ideò arbitror mundum eſſe in fragmento, & ecclipſin accidiſſe ſexto die poſt obitum Johannis hujus, qui fuit pater Theodori Laſcaris. Facta eſt autem die 30. *Decemb. poſt meridiem horis* 3. *& minut.* 17. *Conſtantinopoli: ubi latitudo ſeptent.* 40,0. *Parall.* 38,40. *Viſa tantum* 1,20. *Semidiam. Solis,* 15,58. *Scrup. reſid.* 29,30. *Digit. ecclipſ.* 11,5. *Sol in* 16. *gradu Capricorni.*

ANNO MUNDI 5205. Poſt C. 1256.
B A. ☉ 5. ☽ 3. *Ind.* 14.

Ludovicus Comes Palatinus *Mariam*, ſuam uxorem, Ducis Brabantiæ ſororem, adulteri convictam die 18. Jan. decollari jubet. *Chron. Belg.*

Annus Indorum 1241. *& Hegira* 654. *incipit* 29. *Jan. fer.* 1.

Wilhelmus Comes Hollandiæ electus Imperator, ingreſſus Friſiam exercitum bifariam dividit, & alteram partem Brederodius ducit, qui feliciter rem gerit. *Wilhelmus* verò dum explorat viciniam, equus in fracta glacie mergitur, & ſuffocatur: Ipſe verò à Friſiis, qui fortè in inſidiis latebant, comprehenſus occiditur, & cum agnitus eſſet, ne fierent majeſtatis rei, clam in loco ignobili ſepelitur, cum Hollandiam annis 21. rexiſſet, & Imperator fuiſſet annis 7. cui ſuccedit filiolus *Florentinus*, jam anniculus, qui præeſt annis 30. *Chron. Traj.*

Genuen-

Genuenſes auxilio Piſanorum bellum Venetis inferunt, & urbem Venetias capiunt uſq; ad templum *D. Marci*. Inde Veneti prudentiâ uſi, Piſanos ſocios ſibi faciunt, qui perſuaſi Genuenſes deſerunt, & ad Venetos accedunt, atque ita Veneti urbem recipiunt. *Marinus.*

Moguntinus Epiſcopus incitat Comitem *Eberſteinium*, Vaſallum *Alberti* Brunſvicenſis, ut vaſtat ditiones Ducis Brunſvicenſis, qui id ſtrenuè facit, & prædam abigit in Thuringiam. Præfectus Ducis, cùm Dux Aſſeburgum adhuc obſideret, in Thuringiam irruit, & cladem regerit, & Moguntinum atque Comitem noctu intercipit; Moguntinus annuo ferè ſpatio captivus detinetur, & liberatur tandem pecuniâ *Richardi* fratris regis Angliæ. Comes verò, ut perfidus patrono ſuo, pedibus ſuſpenditur, ubi vix tridui ſpatio expiravit. *Spangenb.*

Manfredus in Italia adductis teſtibus probat, matrem ſuam *Friderico* patri tandem legitimo conjugio in fine vitæ fuiſſe junctam, & Pontifici Capuam, Neapolin & alias urbes eripit. Inde *Ezelinum* mittit, qui Marchiam Tarviſiam occupet; Sed Veneti Pontifici auxilio veniunt, & oras illas defendunt. *Marinus.*

Annus Alexandræus 1568. *Antioch.* 1305. & *Conſtantinop.* 6765. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſar. 2005. & *Philippi* 1581. *incipit* 13. *Octobr. fer.* 6.

Theodorus Laſcaris, cùm & Bulgari & affinis *Michael* defeciſſent, in Europam ducit, amboſque ita terret, ut pacem peterent, & obtinent, & adventante hyeme ipſe in Aſiam redit. *Niceph. Greg.*

ANNO MUNDI 5206. Poſt C. 1257.
G. ☉ 6. ☽ 4. *Ind.* 15.

Annus urbis 2009. *Julianus* 1302.

Æra Hiſpan. 1295. *Auguſtorum* 1284.

Annus Jezdegird 626. *incipit die* 11. *Jan. fer.* 5. *Armen.* 706. 14. *Jan: fer.* 1.

Annus Indorum 1342. & *Hegira* 655. *incipit* 19. *Jan. fer.* 6.

Neurutz Gelali 178. *incipit ab æquinoctio.*

Epiſcopus *Moguntinus* cum Colonienſi & aliis in fine præcedentis anni elegerant Imperatorem *Richardum* Comitem Cornubiæ, fratrem regis Angliæ, qui *Richardus* Epiſcopum Moguntinum ex captivitate Brunſvicenſis decem millibus marcarum argenti liberârat. Legati de hac re ad Imperatorem evocandum mittuntur in Angliam, qui eò veniunt die 13. Januarii. Paulò pòſt Paſcha Richardus in Germaniam tranſiturus vento detinetur & aliis incommodis. Coronatur Aquisgrani in feſto Aſcenſ. die 17. Maji. Sed alii principes diſſentientes ab hac electione conveniunt Francofurti, & eligunt *Alfonſum* regem Hiſpaniæ die 31. Martii. *Pariſ.*

Novus ordo Monachorum *Saccatorum* in Anglia Papæ authoritate introducitur. *Pariſ.*

Eclipſis Lunæ annotatur hoc anno in Chronico Auguſtano, quæ acciderit die 18. *Ma i, ea etiam ita invenitur. Fuit feriâ ſeptima, & accidit horis* 11.6 56. *poſt meridiem Francofurti. Latitud. Lunæ* 20.11. *Semidiam. Lunæ* 16,58. *Scrup. reſid.* 41,22., *Digiti ecclipt.* 14,38. *Sol in* 7,27. *Cancri.*

Olympias 507. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 2033.

Annus Diocletiani 974. *incipit* 29. *Auguſti.*

Odoacer *Bohemiæ rex vaſtat Bavariam, fiunt induciæ in unum diem, qui fuit* 24. *Auguſti, fer.* 6. *Inde Odoacer fugit clam, & ejus exercitus multis in locis capitur.* Aventinus.

Boleslaus calvus Epiſcopum Vratislavienſem cum Canonicis ruri captum in tetrum carcerem conjecerat, non dimiſſurus eum, niſi numeraret decem millia marcarum. Archiepiſcopus Genuenſis, cùm eum vinculis ſolvere non poſſet, Boleslaum diris devovet, ſed omnia princeps ſpernit: quapropter ad Alexandrum Pontificem res defertur, qui jubet Germanos & Polonos concitari contra Boleslaum, & crucem contra eum prædicari. *Hiſt. Pol.*

Genuenſes Piſanos & Venetos invadunt Ptolemaidem, & aliquot eorum turres & propugnacula capiunt. Veneti cum Piſanis interim claſſem inſtruunt, & Genuenſium claſſem invadunt & vincunt, & propugnacula recipiunt. *Marinus.*

ANNO MUNDI 5207. Poſt C. 1258.
F. ☉ 7. ☽ 5. *Ind.* 1.

Annus Indorum 1343. & *Hegira* 656. *incipit* 8. *Jan. fer.* 3.

Cùm controverſia de Thuringia inter Brabantinam & Marchionem Miſniæ Henricum componi non poſſet per Imperatores, Brabantina ſe ad Albertum Brunſvicenſem, florentem tum rerum geſtarum gloria, quòd viciſſet Aſſeburgenſes, & cepiſſet Moguntinum Epiſcopum, ſe applicat, & filium ſuum infantem Haſſiæ commendat *Alberto*, ut ducat aliquando *Alberti* filiam: Interim *Albertus* ſit tutor, & ejiciat Marchionem ex Thuringia. Marchio tum arcem *Wartburgum* obtinebat. Brabantina verò habebat *Iſnacum* urbem. Brunſvicenſis tres arces ædificat, quibus Marchioni commeatum intercludat. Marchio contra binas ædificat, quibus Iſnacenſibus incommodet, atque ita hoc anno munitionibus tantùm certatur. *Spangenb.*

Michael *Palæologus Nicæ, cùm metueret inſidias* Theodori *Laſcaris, ideò, quia ſuſpectus erat imperii invadendi, profugit ad Suldanum Babyloniæ, eumque adjuvat contra Tartaros. Sed Turcæ magna clade vincuntur, & Palæologus à Laſcare amiciſſimè revocatur.* Niceph.

Halach *Tartarus Turcas vincit, & opulentam Babylonis urbem expugnat, & Caliphum capit, cui omnes theſauros, quos congeſſerat cum margaritis & gemmis apponit, ut iis veſceretur, quod iis confiſus, Deum ad ſe defendendum votis non expopoſciſſet. Ita miſer famè primùm maceratus eſt, ut Bizarus habet. Inde aurum igne liquatum ipſi in os infudit, quòd in tantis divitiis adeò avarus fuiſſet. Poſtea Saracenorum templa per totam regionem diruit, & Chriſtianam religionem coli jubet.* Marin.

Seditio Romæ exoritur contra Pontificem, ideò Papa fugit Viterbium. Manfredus *promittit Romanis auxilium contra Papam, atque ita Pontificis conatus contra* Manfredum *evanuit. Poſtea princeps Senatûs, quem Pontifices conſtituere ſolebant, moritur, ſed Romani ſpreto Pontifice alium, Brancaleonis, qui defunctus fuerat, cognatum eligunt.* Par.

Alfonſus,

Alfonſus, *quòd electus eſſet Imperator Romanus, negotium faceſſit* Richardo *etiam electo. Sed* Richardus *ſe bellum bello pulſurum reſpondit. Interim* Richardus, *ut Statuum imperii favorem ſibi conciliaret, quaſdam urbes imperii ab aliis oppignoratas redemit, & imperio reſtituit. Papa inſuper ab Alfonſo in auxilium evocatus reſpondit, in ſe nihil auxilii eſſe.* Pariſ.

Annus ſabbathicus ſecundus Jobelei 25. incipit 31. Auguſti, fer. 7. Anno Jud. 5019.

Genuenſes aliam claſſem mittunt Ptolemaidem, quæ erat 49. triremium. Veneti & Piſani obviam iis veniunt cum 40. triremibus, & Genuenſes vincunt, & triremes 24. capiunt; atque hoc modo hi in perniciem regni Hieroſolymitani & imperii Conſtantinopolitani invicem digladiantur. *Marinus.*

Annus Indorum 1344. & Hegira 657. incipit die 28. Decemb. fer. 7.

ANNO MUNDI 5208. Poſt C. 1295.
E. ☉. 8. ☽ 6. *Ind.* 2.

Richardus *electus Imp. multis dilapidatis theſauris in Germania, pœnitens facti in Angliam redit, reformaturus ibi regnum.* Pariſ.

Albertus Magnus nobilis Suevus eligitur Epiſcopus Ratiſponenſis, ſed poſtea, ut liberiùs literis vacare poſſet, ſe abdicavit, & privatus Coloniæ vixit, publicèque prælegit. *Sequentias* plurimas in Eccleſia decantandas compoſuit, reliquit diſcipulos multos, & inter alios præcipuum Thomam de Aquino.

Henricus Angliæ rex in Franciam venit ad Ludovicum regem, ubi pace junguntur, ita ut rex Angliæ renunciet omni juri in Ducatu Normanniæ & Comitatu Pictavienſi, Andegavenſi, & Turonenſi, & acciperet trecenta millia marcarum Turonenſium. Contra verò rex *Ludovicus* det ipſi Galloniam & Viciniam, & ea de cauſa rex Angliæ appelletur *Dux Aquitaniæ*, & ſit ex 12. Paribus regni Francici, dum modo regi Galliæ fidelitatem juret. *Naug.*

Theodorus Laſcares Imperator Niceæ, cum annum ætatis 36. ageret, moritur, cum 3. annos præfuiſſet & aliquot menſes, & tutorem filio ſuo ſextum annum agenti Muzalonem inſtituit, qui ex inſidiis necatur paulò poſt, & eligitur communi conſenſu *Michael* Palæologus, cum titulo *deſpotes*. Michael autem deſpota in Macedonia, audita morte Laſcaris, auxiliis convocatis præcipuè Manfredi in Sicilia, Macedoniam & Thraciam invadit. Palæologus tutor fratrem ſuum cum exercitu contra eum mittit, circa Caniculæ exortum: prælium commiſſum circa æquinoctium, ubi Michael deſpota aſtu decipitur, ut domum redeat, Guilielmus princeps Achaiæ capitur, & Manfredus vix effugit. Hac victoria celebris Michael Palæologus proclamatur Imperator Cal. Dec. & jurat ſe pupilli res fideliter curaturum. *Niceph. Greg.*

Manfredus *in Italia fingit Conradinum, filium Conradi, vita functum eſſe, & propterea ſe creat regem etiam Siciliæ, ſed Pontifex de vita Conradini certior factus, Manfredum, ut regni invaſorem, excommunicat.* Pariſ.

Tartarorum ingens vis iterum ſe in Poloniam menſe Decemb. effundit, Ruſſis ductoribus, & infinitam hominum multitudinem captam ſecum in ſervitutem abducit: Sendomirienſe oppidum exurunt, & arcem fraude occupant, inde *Cracoviam* capiunt, cremant, & poſt tertium menſem tandem in Ruſſiam redeunt. *Hiſt. Pol.*

Annus Indorum 1345. & Hegira 658. incipit 18. Dec. fer. 5.

ANNO MUNDI 5209. Poſt C. 1260.
D C. ☉ 9. ☽ 7. *Ind.* 3.

Wilhelmus Princeps Achaiæ à Palæologo captus, pro ſua liberatione tres urbes in Peloponneſo Palæologo concedit, quibus frater Palæologi præficitur, qui Latinos, qui Peloponneſi partem occupaverant, multis in locis cædit. Inde Palæologus in vicinia Conſtantinopolis multa caſtella munit, ita ut Conſtantinopolitani portis exire non auderent unde in magnas anguſtias coacti ſunt, & ob lignorum inopiam multas ædes deſtruxerunt. *Nic. Greg.*

Albertus *Brunſvicenſes* Creutzburgum *urbem capit, & exuit, unde cum metuerent, ne Marchio aliquando Iſnaco urbe potiretur, ſuadet, ut arx ædificetur ad muros, quam Germanicè* Klemmen *vocavit, quod anguſtiis afficere conaretur & Wartburgenſes & cives Iſnacenſes, ne ſe Marchioni dederent.* Fab.

Halach Tartarus Antiochiam venit, ut amicus, & benignè ſuſcipitur. Inde bellum infert *Damaſceno*, & vicinis urbibus Saracenorum, cumq; Hieroſolymam Chriſtianis recuperare vellet, Magnus *Cham* moritur, quapropter *Halach* redit ad occupandum regnum, ſed cum alter frater id occupaſſet, & tertii fratris filius exercitum adduceret ad dejiciendum patruum regno, pugnat cum eo in flumine, glacie concreto, in quo fracta glacie patruelis ille cum exercitu ſubmerſus eſt. *Marin.*

Otto Friſingenſis Epiſcopus in Bavaria, Friderici Barbaroſſæ nepos, floret, inquit Trithemius; an verò hic idem ſit cum ſuperiori ante centum annos videant alii.

Ottogarus *rex Bohemiæ, mortuo Bela Hungarorum rege, Styriam invadit, & eam Auſtriæ iterum jungere conatur, cui occurrit Stephanus rex Hungariæ. Prælium accidit die Margaretæ, 13. Julii fer. 2. in æſtu maximo, & Hungari vincuntur magna clade, & ita amittunt Styriæ Ducatum.* Chron. Aug.

Annus Alexand. 1572. & Antioch. 1309. & Conſtantin. 6769. incipit 1. Octobr.

Annus Nabonaſſar. 2009. & Philippi 1585. incipit 12. Octob. fer. 3.

Annus Indorum 1346. & Hegira 659. incipit die 6. Decemb. fer. 2.

Flagellantium ſecta circa hæc tempora exorta. Erant ſuper umbilicum nudi, tecti facie, ne agnoſcerentur. Nunc in terram corruebant, nunc nuda brachia ad cœlum elevabant, nullo frigore obſtante. *Chron. Aug.*

Tartari, *qui remanſerant in Syria, vincuntur à Suldano, 3. Octob. qui tamen ſtatim, cum rediſſet in Ægyptum, trucidatur.* Marin.

Julianus Dominus Sidonis vendit Sidonem & vicinum caſtrum Templariis, unde diſcordia orta inter Templarios, & regem Armeniæ. *Marin.*

ANNO MUNDI 5210. Poſt C. 1261.
B. ☉ 10. ☽ 8. *Ind.* 4.

Annus urbis 2013.	*Julianus 1306.*
Æra Hiſp. 1299.	*Auguſtorum 1288.*

Annus interregni decimus.

Annus Jezdegerd 630. incipit 10. Januar. fer. 2. Armen. 710. 13. Jan. fer. 5.

Neuruntz Perſ. Gelali 182. ab Æquin.

Florentini in Italia cum Lucanis in gratiam Pontificis Senenſes oppugnant, Manfredus Comitem Jordanum cum exercitu Senenſibus auxilio mittit; qui *Florentinos* vincit, urbem eorum expugnat, munitiones eorum deſtruit, & urbem iterum ejectis Welphis Manfredo ſubjicit. *Sup. Pariſ.*

Adolphus Comes Holſatiæ moritur. Hic relicto Comitatu monachus factus fuerat. Aliquando, cum lac oſtiatim monachorum more emendicaſſet, & obvios haberet filios, caballis more Comitum ſublimes incedentes, valdè erubuit, ſed revocata mente ſeſe ipſum increpans, cum adhuc filii in conſpectu eſſent, ollam lacte plenam ſupra caput evertit. Infelix, inquiens, erubuiſti Chriſti pauperiem, & portare lac in manibus; nunc vel in capite oſtende quid portaveris. *Crantz.*

Alexander IV. Papa, cum indixiſſet concilium menſe Junio Viterbii celebrandum, moritur die 25. Maji, cum ſediſſet annos 6. menſes 11. Succedit Jacobus Pantaleon Gallus, qui tum erat Patriarcha Hieroſolymitanus, qui voluit ſe appellari *Urbanum* IV. qui ſedet annos 3. menſem unum.

Olympias 509. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 2037.

Diocletiani 978. incipit 29. Auguſti.

Marchio *Miſnenſis*, Henricus, *ex Wartpurgo in autumno vicinas Brabantiæ arces intempeſta nocte, ubi inexpugnabiles videbantur, invadit, expugnat & evertit, & ita Iſnacenſibus ingentem terrorem incutit, qui tædio diuturni belli minus alacriter ſe defendebant.* Fab.

Annus Indorum 1347. & Hegira 660. incipit 25. Novemb. fer. 6.

ANNO MUNDI 5211. Poſt C. 1262.

A. ☉ 11. ☽ 9. *Ind.* 5.

Marchio Miſnenſis *Henricus* ſcalis præparatis nocte Iſnacum aggreditur, quibuſdam civibus conſciis, & urbe potitur, ubi in neminem civium eſt animadverſum, præterquam in quendam *Velsbachium* ſerratorem, qui plurima in Marchionem jaciebat convicia, nec captus jam ab iis abſtinebat. Ideò tympano extra murum impoſitus, inſtar jaculi projectus eſt. Marchio arcem à Brabantina inchoatam abſolvit, & arces reliquas extra urbem, quas Brabantina extruxerat, deſtruit, Albertus Brunſvicenſis, dum Marchio alibi occupatus eſt, arces quaſdam ejus expugnat. *Fab.*

Michael Palæologus, cum duo anni exiiſſent, ex quo Imperator erat proclamatus, bellum parat contra *Michalem*, qui Macedoniam & Thraciam populabatur, & fratrem ſuum, quem Cæſarem appellarat, contra eum cum valido exercitu mittit jubetq; tentare in itinere Conſtantinopolin, quam ſubitò occupat die 25. Julii, poſtridie ſanctæ Annæ cum Latini eam obtinuiſſent annis 58. menſibus 3. *Annal. Svev. & append. Pariſ. & Niceph. Greg.* Cæterum alii ita diſſentiunt de tempore recuperatæ Conſtantinopolis, ut id ponant vel ante quinquennium. *Juſtinianus Venetus* habet poſt quinquennium. Ita alii modo diſcrepant. *Balduinus* pulſus in Gallis conſenuit.

Conſtantia Manfredi filia Petro Aragonio deſpondetur, die 20. Auguſti & Manfredus eo utitur interceſſore apud Pontificem, ut tandem pax fiat, ſed nihil impetrari potuit, Dos Conſtantiæ fuit, cum Manfredus maſcula herede careret, regnum Siciliæ & Apuliæ. Marian.

Cæſar frater Palæologi poſt captam Conſtantinopolin contra Michaelem movet, ſed non pari fortuna ibi bellum gerit. Victus enim capitur, & ad Manfredum mittitur, à quo Conſtantinopolin tandem remittitur pro ſorore ſua. *Niceph. Greg.*

Saraceni *Babylonii Antiochiam obſidione fatigant, & eam etiam expugnaſſent, quod fame laborarent, niſi rex Armeniæ conductis Tartaris obſidionem ſolviſſet.* Marin.

Annus Indorum 1348. & Hegira 661. incipit 15. Novemb. fer. 4.

ANNO MUNDI 5212. Poſt C. 1263.

G. ☉ 12. ☽ 10. *Ind.* 6.

Bendocdar Soldanus Ægypti ingenti exercitu Ptolemaidem venit die 14. April. ſuburbia & hortos vaſtat, propterea quod Templarii & Hoſpitalarii inducias parum ſanctè colerent. *Marin.*

Palæologus, ut imperium ſibi firmaret, filias Theodori Laſcaris collocat alienigenis in Italiam & Genuam, & Johanni filio Laſcaris, annum decimum agenti oculos eruit. *Nic. Greg.*

Maurorum reges in Hiſpania conſpirant de Mauris ex Africa in Hiſpaniam traducendis. Alfonſus ut hoc impediret, ipſe in Mauros Hiſpanos movet, eoſque hoc anno malè mulctat. Duravit bellum hoc annis ferè quatuor, in quibus Mauri ex multis urbibus expulſi ſunt. *Marian.*

Ecclipſis Solis annotatur in annalibus Svevicis, quæ fuerit magna, & acciderit 5. Aug. poſt meridiem. Quæ etiam ita invenitur, fuit feria 1. Accidit horis 3,24.15. poſt meridiem. Parallax. lat. 39, 21. Latit. vera 40,43. Viſa 1,22. Semid. Solis 15, 10. Scrup. reſid. 28,28. Digiti ecclipt. 11,17. Sol in 19, 19. Leonis.

Veneti *claſſe 55. navium, die 2. Septemb.* Tyrum *oppugnant, eodem etiam tendunt, qui Ptolemaide erant, ſed re infecta recedunt.*

Acho rex Norvegiæ inſulas Scotiæ invadit, & magnum exercitum adducit. Sed Alexander Stuartus rex exercitum ferè univerſum trucidat; ideò mœrore animi moritur, cui ſuccedit poſtea *Olaus* magnus, à quo pax impetrata. *Buch.*

Albertus Dux Brunſvicenſis, cùm in Thuringia res patrum feliciter ſuccederet, in Miſniam tranſit, cum forte Marchio in Bohemia abeſſet, vaſtat Epiſcopatum Numburgenſem & Mersburgenſem, qui imbelles erant, quod eſſent humili loco orti. Sed *Rudolphus Varila*, vir belli peritus, cogit ſubitò aliquot equites, venit Lipſiam, ubi evocantur alii, inde noctu in hoſtes movet, & oriente Sole hoſtes invadit, multos occidit. Albertum Ducem cum duobus Comitibus Anhaldinis & plurimis nobilibus capit. Inde de pace actum, ſed cum Albertus pacis conditiones repudiaret, fuit in cuſtodia anno uno & dimidio, tandem pax fit, ut Brabantina Haſſiam retineret, & Brunſvicenſis præter pecuniam 8. præfecturas de ſuo Brabantinæ adderet. *Fab.*

Annus Indorum 1349. & Hegira 662. incipit 4. Novembr.

ANNO MUNDI 5213. Poſt C. 1264.

FE. ☉ 13. ☽ 11. *Ind.* 7.

Bendocdar *Soldanus Ægypti capit Cæſaream per*

proditionem, qua clade territi, qui Ptolemaide erant ſuburbana templa deſtruunt. Templarii contra & Hoſpitalarii expeditiones quasdam ſuſcipiunt adverſus Saracenos Babylonicos, & feliciter rem gerunt. Bendocdar vero regnum Damaſci recuperat, contra quem Halach Tartarus proficiſcens in itinere moritur, cui ſuccedit filius. Abaga Cham. *Marinus.*

Palæologus in Theſſaliam contra Michalem deſpotam, qui iterum fidem ruperat, digreditur, ubi *Cometam* vidit menſe Julio in ſigno Tauri manè orientem, qui fuit longiſſima & latiſſima cauda, quoad latitudinem cauda pauliſper attenuata eſt. Palæologus verò territus Conſtantinopolin redit, ubi videt Bulgaros in Thraciam irrupiſſe, ut Johanni Laſcari, quem Imperator excæcaverat, auxilio eſſet, cum ejus ſorore uxorem haberet: rebellionem hanc juvit Suldanus Turcicus. *Niceph. Greg.*

Urbanus Papa convocato prælatorum concilio, evocat *Carolum* Comitem Andegavenſem, Ludovici regis Galliæ fratrem, cui donat regnum Siciliæ & Apuliæ, modò pellat Manfredum, & quotannis poſtea Pontifici ſolvat quadraginta millia aureorum. *Append. Pariſ.*

Angli *inteſtino bello digladiantur, & commiſſo prælio cum Baronibus ſuis ambo & H*enricus rex & Richardus *frater electus Imperator Romanus capiuntur.* Appen. Pariſ.

Feſtum corporis Chriſti inſtituitur à Pontifice Urbano, hortatu Thomæ de Aquino, ut celebretur Feria 5. poſt Trinitatis. Bulla de hac re data eſt die 8. Septemb.

Annus Alexand 1576. *Antioch.*1313. *& Conſtantin.*6773. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſ. 2013. *& Philippi* 1589. *incipit* 21. *Octob. fer.*7.

Annus Indorum 1350. *& Hegira* 663. *incipit* 24. *Octob. fer.*6.

Urbanus IV. Papa, cum ſediſſet annos tres, menſem unum, moritur die 7. Octob. Peruſii, ſequitur interregnum quinq; menſium ſpatio. *Onuf.*

Jazygum gens, quæ ſæpius Poloniam vaſtaverat, à Boleslao pudico, rege circa hæc tempora ferè tota deletur, *& reliquiæ ejus ad amplectendam Chriſtianam religionem adiguntur.* Hiſt. Pol.

ANNO MUNDI 5214. Poſt. C. 1265.

D. ☉ 14. ☽ 12. *Ind.* 8.

Annus urbis 2017. *Julianus* 1310.

Æra Hiſpan. 1303. *Auguſtorum* 1292.

Interregni annus 14. *Michaelis Palæol.* 6.

Annus Jezdegird 634. *incipit* 9. *Jan. fer.*6. *Armen.* 714. *die* 12. *Jan. fer.*2.

*Annus Neuratz Gel.*186. *cum æquin.*

Poſt vacationem ſedis Pontificiæ quinque ferè menſium, tandem eligitur Papa Guido Fulconius, olim miles & uxoratus, cùm genuiſſet duas filias. Factus eſt poſtea Epiſcopus Podienſis, inde Archiepiſcopus Narbonenſis, & tandem Cardinalis. Eligitur die 3. Febr. nominatur *Clemens* IV. ſedet annos tres, & menſes ferè 10. *Onuff.*

Hugo *Luſignanus, prorex Cypri. Ptolemaidem venit cum claſſe die* 12. *Martii, cui poſtea junguntur multi peregrini, qui tamen parum efficiunt.* Marin.

Carolus frater regis Galliæ, Comes Andegavenſis, cum exercitum præparaſſet, cum copiis Alpes tranſit, & claſſe etiam ad Tiberina oſt a pervenit, paucis diebus poſt Paſcha: inde Romam venit, & magno honore excipitur, Senator creatur, & rex Hieroſolymorũ & Siciliæ proclamatur. *Ann. Suev.*

In Anglia filius Henrici regis, qui ſimul cum parente & patruo captus erat, & ſeorſim in cuſtodia habitus, arte è cuſtodia elabitur pridie Pentecoſtes. Inde exercitum colligit, cum Baronib. prælio congreſſus, die 5. Aug. ſuperiores partes obtinet præcipuos Barones occidit, & Patrem Patruumq; captivitate liberat. *App. Pariſ.*

Olympias 510. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 2041.

Annus Diocletiani 982. *incipit* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus 3. *Jobelei* 25. *incipit* 12. *Sept. fer.*7. *Anno Jud.*5026.

Annus Indorum 1351. *& Hegira* 664. *incipit* 13. *Octob. fer.* 3.

Henricus Marchio Miſnenſis, ſecutus exemplum proavi ſui, hæreditatẽ dividit inter filios. & Alberto primogenito dat Thuringiam, Diterico Oſterlandiam, Friderico Dreſdenſem ditionem, cum ante annos 8. Alberto dediſſet uxorem Margaretam, Friderici Imperatoris filiam, ex qua anno 1258. natus erat nepos Fridericus cum admorſa gena. *Fab.*

ANNO MUNDI 5215. Poſt C. 1266.

C. ☉ 15. ☽ 13. *Ind.* 9.

Carolus *Andegavenſis Comes, rex Siciliæ ab Urbano conſtitutus, prope Beneventum Manfredum regem prælio ſuperat, & interficit per proditionem, opera* Johannis Rotæ *Comitis, cujus conjugem Manfredus ſtupraverat:* App. Pariſ. *Inde Conradinus, Imp. Friderici ex Conrado nepos, regnum Apuliæ & Siciliæ jure paterno repetit, ſed per Clementem & Carolum cum injuria repellitur. Prælium factum* 5. *Martii.* Trith.

Bendocdar Soldanus Ægypti Calendis Junii obſidet Ptolemaidem: Sed nona die re infecta inde recedens, caſtrum *Saphet* fortiſſimum obſidet, & die 24. Junii expugnat, omnesque qui ad *Mahometiſmum* tranſire nolebant, crudeliter trucidat, & totam viciniam depopulatur. *Marin.*

Hermannus *Comes Hennebergicus vincitur ab Epiſcopo Wurtzburgenſi die* 8. *Aug.* Annal. Stereon.

Annus Indorum 1352. *& Hegira* 665. *incipit* 2. *Octob. fer.*7.

In Anglia, etſi Barones ſuperiori anno victi fuerant, non deſinunt tamen, & iterum cum magna clade Angliæ, regi ſuo & Richardo rebellant. *App. Pariſ.*

ANNO MUNDI 5216. Poſt C. 1267.

B. ☉ 16. ☽ 14. *Ind.*10.

Colonienſes ſeditione laborant, & proruentes ad arma, Senatum oppugnant, nec pauci ex utraque parte pereunt. Inde *Comes Juliacenſis* civibus auxilio venit, & cum Epiſcopo prælio decertat, eum vincit, capit, & carceri deterrimo mancipat: Liberatur tandem poſt triennium, cùm ſanctè pacem promiſiſſet. *Trith.*

Bendocdar Soldanus Ægypti, excurſionem facit ad Ptolemaidem, & quingentos ibi cives capit, quos partim trucidat, partim vivis pellem de capite detrahit, & crudeliſſimè *Chriſtianos* perſequitur. *Marin.*

Ecclipſis Solis annotatur à Nicephoro Gregora, quæ acciderit die 25. *Maji ante meridiem. Sed addit eam factam, cum Sol eſſet in* 4. *gradu geminorum, cum tamẽ in decimo fuerit. Fuit fer.*4. *accidit hora* 11. *minut.*

nut.9,21. poſt mediam noctem. Parall.19,27. Latit. vera 18,43. Viſa Septent.0,44. Semidiam. Solis 15,3. Scrup. reſiana 29,46. Digiti 11,52. Sol in 10. 26. geminorum, anno, ut Nicephorus *habet, Conſtantin. 6775.*

Ruſſi & Tartari funduntur, duce Petro Palatino Cracovienſi, cum rex Boleslaus domi precationibus vacaret. *Hiſt. Polon.*

Genuenſium naves ſedecim Ptolemaidis portum invadunt, & quicquid Venetorum aut Piſanorum poſſunt, capiunt, Venetis tamen paulò poſt advenientibus, Genuenſes Tyrum redeunt, atque ita Chriſtiani in Palæſtina, & à Saracenis & à Genuenſibus oppugnantur. *Marin.*

Annus Indorum 1353. *& Hegira 666. incipit* 22. *Sept. fer.5.*

Conradinus *accerſitus à Siculis & Apulis in Italiam, cum eſſet impar ſumptibus, Sueviæ partem vendit Ludovico Bavaro, comitatus Duce Auſtriæ & aliis, Romæ magna gratulatione accipitur, cum Papa abeſſet.*

ANNO MUNDI 5217. Poſt C. 1268.

AG. ☉ 17. ☽ 15. *Ind.* 11.

Bendocdar Soldanus Ægypti die 7. Martii *Joppen* per proditionem capit, cum tamen res in induciis eſſent. Inde Antiochiam venit die 29. Maji, eamque deditione capit, ad ſeptendecim millia ibi *Chriſtianorum* interfecta ſunt, ad centum millia capti. *Mar.*

Robertus Comes Flandriæ cum ſubſidiis Francicis proficiſcitur in Italiam, ut ſocero ſuo Comiti Andegavenſi repugnet, qui eripere conabatur Conradino verò hæredi regnum Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ. *Annal. Fland.*

Henricus *Brabantiæ, cum annis ſeptem præfuiſſet, relicto Ducatu abit in monaſterium. Succedit ipſi frater Johannes, qui confirmatur à Richardo Rege Romanorum, & regit Ducatum valde à ſe auctum, annis* 26. Chron. Belg.

Conradinus, hæres regnorum Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ, pugnat cum invaſore regnorum Carolo Andegavenſi, regis Galliarum fratre, ad lacum Fuſcinum, die 22. Auguſti, & magna clade vincitur; evadit ipſe quidem cum Duce Auſtriæ. ſed ex annulo agnitus, ex fuga retrahitur, & ex ſententia Pontificis Clementis, potius inclementis, decollatur cum Duce Auſtriæ, & Marchione Badenſi, die 29. Octob. fer.2. Robertus Comes Flandriæ vehementiſſimè obſtitit, ne Conradinus interficeretur. Cum id impedire non poſſet, Magiſtrum Robertum Barienſem, qui ſententiam damnationis promulgarat, ſua manu trucidat, ne gloriari poſſet, ſe regem tantum morte damnaſſe. Ita & Carnificem poſt peractam cædem ſtatim occidi juſſit, ne gloriari poſſet, à ſe tàm nobilem ſanguinem effuſum. Mors Conradini poſtea crudeliſſimè vindicata eſt in veſperis Siculis poſt annos 14.

Eodem tempore in Hollandia milites nocturno tempore decertare viſi ſunt. Secuta paulò poſt ſeditio plebis, quæ principes & nobiles ubiq; profligare & pellere conata eſt. Seditioſi recipiuntur à Trajectenſibus, qui victi poſtea pœnas dederunt.

Annus Indorum 1354. *& Hegira 667. incipit* 10. *Sept. fer.2.*

Annus Alexandr. 1580. *& Antioch.* 1317. *& Conſtantin.* 6777. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaris 2017. *& Philippi* 1593. *incipit* 10. *Octob. fer.4.*

Clemens IV. Papa, cum ſediſſet annis 3. menſibus 10. moritur 29. Novemb. Viterbii, & cum Romam nunquam ingreſſus eſſet, Viterbii non Romæ ſepelitur. Secutum eſt interregnum annorum duorum & menſium 9. quod Cardinales conſentire non poſſunt. *Onuf.*

Marchiones *Miſniæ & Landgravii Haſſiæ cognati inter ſe fœdus ineunt hæreditarium de ſucceſſione mutua, ſi maſculi hæredes deeſſent.* Chyt.

ANNO MUNDI 5218. Poſt C. 1269.

F. ☉ 18. ☽ 16. *Ind.* 12.

Annus urbis cond. 2021. *Julianus* 1314.

Æra Hiſpanica 1307. *Auguſtorum* 1296.

Annus Interregni 18. *Michaelis Palæologi* 10.

Annus Jezdegird 638. *incipit* 8. *Jan. fer.3. Armen.* 718. 11. *Jan. fer. 6.*

Neuruz Gelali 190. *incipit ab Æquinoct.*

Ludovicus rex Galliæ, cum iterum de ſuſcipienda expeditione in terram ſanctam votum feciſſet, præparatis rebus iter ingreditur, feria tertia poſt Petri & Pauli feſtum, & tempeſtate disjectus in Sardiniam defertur, ubi cum repararet naves, hyemare ibidem cogitur. *Nangis.*

Olympias 511. *incipit in* Julio. *Eſt annus Olympiadicus* 2045.

Annus Diocletiani 986. *incipit* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1355. *& Hegira* 668. *incipit die* 30. *Auguſt. fer.6.*

Jacobus Aragoniæ rex die 4. Septemb. fer.4. legationibus Palæologi Imperatoris & Tartarorũ etiam excitus, expeditionẽ ſuſcipit in terram ſanctam, ſed tempeſtate jactatus in Catalauniam redit. *Mar.*

Guilielmus, civis Placentinus, Medicus Veronenſis floret. *Trith.*

Hugo *rex Cypri, Ptolemaidem venit, & die* 24. *Septemb. coronatur rex Hieroſolymorum: ingens eo anno fuit omnium rerum caritas Ptolemaide, propter vaſtatos agros.* Marin.

ANNO MUNDI 5219. Poſt C. 1270.

E. ☉ 19. ☽ 17. *Ind.* 13.

In Polonia Margareta, *Virboslai Comitis uxor, die* 20. *Jan. hujus anni, uno partu edidit triginta ſex pueros vivos.* Hiſt. Pol.

Marchiones *Brandenburgenſes cum Polonis hoc anno, vario Marte decertant, & hoc bellum etiam ſequenti anno duravit.* Hiſt. Pol.

Ludovicus Galliæ rex, dum in Sardinia hybernaſſet, ad quem venerat etiam *Eduardus* Angliæ regis filius, & ſciret, Tunetanos in Africa plurimum incommodare peregrinantibus, eosq; hoſtili animo aggredi, totam belli molem eò vertit, & die 2. Junii in Africam venit, ubi primùm Carthaginem aggreditur, eamque capit, inde Tunetum invadit, ſed ingruente peſte *Ludovicus* rex etiam eadem abſumitur, poſtridiè Bartholomæi. Eodem die in caſtra ad Tunetum venit etiam Carolus Siciliæ rex: ſed cum peſtis vehementia victi nihil ulterius conari auderent, de diſceſſu cogitarunt, & Ludovici regis corpus diſſecuerunt & coxerunt, & carnes atq; inteſtina Carolo in Siciliam deferenda dederunt. Philippus filius oſſa ſecum in Franciam abſtulit. In mari tempeſtate conflictati ſunt, & ad quatuor hominum millia perierunt. Eduardus verò Anglus, Francis relictis, in Palæſtinam cum ſuis abit, ubi plus ferè biennii ſpatio fuit, & inde rediens à Carolo Siciliæ rege honorificè receptus eſt. Et Philippus rex Galliæ regnat annis 16.

Annus

Annus Indorum 1356. *& Hegira* 669. *incipit* 20. *Auguſti, fer.* 4.

Seditio *Colonienſis tandem conquieſcit, intercedente Alberto Magno, Profeſſore ibidem.* Trith.

Principes Germaniæ multi conveniunt Quedlinburgi, cum nullus eſſet Imperator, ibique fœdus faciunt, de ſe invicem non offendendo, aut injuriam communibus opibus repellendo. *Spang.*

ANNO MUNDI 5220. Poſt C. 1271.

D. ☉ 20. ☽ 18. *Ind.* 14.

Suldanus Ægypti, die 18. Febr. obſidet caſtrum in Moabitarum regione, defendentibus Hoſpitalariis, qui tandem obſidione fracti paciſcuntur de ſalvo conductu, & die 8. Aprilis caſtrum tradunt. Inde Suldanus etiam inducias facit cum Tripolitano, & Ptolemaidem obſidet, ſed re infecta coactus eſt diſcedere. *Marin.*

Stephanus Belæ filius, rex Hungariæ, iterum rupta pace bellum Ottocaro regi Bohemiæ infert: Ideo Ottocarus Dominica Quaſimodogeniti movet in Hungariam, occupat *Presburgum, Altenbergam,* & alia. Sed inopia commeatum coactus, in Bohemiam redit circa Pentecoſten: Stephan. coacto exercitu Moraviam, & Auſtriam invadit, & non minus damni infert. Pax tandem fit per Epiſcopos. *Dubr.*

Annus Indorum 1357. *& Hegira* 670. *incipit* 9. *Auguſt. fer.* 1.

Bonaventura ordinis Minorum monachus & Cardinalis maximè ſuadet, ut tandem Papa, cum tanto tempore ſedes vacaſſet, eligatur. Conveniunt igitur die 1. Sept. Cardinales, & Pontificem pronunciant Theobaldum, Vice Comitem Placentinum, qui cum Eduardo Anglo abſens erat Ptolemaide, qui ſequenti anno tandem in Italiam venit. Sedit autem annos 4. & menſes 4. vocatusque eſt *Gregorius X Onuff.*

Eduardus *Anglus, cum eſſet Ptolemaide, & videret nihil præſidii eſſe in Chriſtianis contra Bendocdar Soldanum Ægypti, legationem ad Tartaros mittit, eosq; evocat in auxilium, qui non ſegnes accipiunt occaſionem, & Saracenos ubique trucidant.* Marin.

Richardus electus Romanus Imp. mortuus fuerat hoc anno in Anglia, die 2. Aprilis, ſed ejus filius *Henricus* interficitur, menſe Octobri. Viterbii in Italia, ab exule Anglo. *Append. Pariſ.*

ANNO MUNDI 5221. Poſt C. 1272.

CB. ☉ 21. ☽ 19. *Ind* 15.

Gregorius *Papa venit in Italiam* 11. *Febr. Viterbium & inauguratur die* 27. *Martii.* Platina.

Heinſius filius *Friderici* Imperatoris, cum captivus detentus fuiſſet à Bononienſibus, annis 22. menſibus 9. diebus 16. moritur 4 Martii. Sepultus fuit regio more. *Cuſp.*

Hugo rex Hieroſolymis inducias pangit cum Suldano Ægypti, ſed tantum in vicinia Ptolemaidis Eduardum hæc malè habebant, & ipſe pauló poſt periculum vitæ ſubit, & ferè interfectus eſſet à Saraceno, quem nimium familiarem habebat, quapropter domum redit, die 22. Sept. *Marin.*

Gerardus Mercator invenit eclipſin Lunæ annotatam hoc anno, quæ acciderit die 10. *Auguſt. Exquiſita invenitur accidiſſe eodem die, fer.* 4. *horis* 7. 12. 34. *poſt meridiem Francofurti. Latitud. fuit* 41, 23. *Semid. Lunæ* 17, 42. *Scrup. reſidua* 22, 24. *Digiti eclipt.* 7, 34. *Sol in* 25. *Leonis.*

Stephanus Hungariæ rex, cum poſt Belam regnaſſet annis 13. moritur die 1. Auguſti; Succedit filius Ladislaus, qui regnat annis 18. *Dub.*

Annus Indorum 1358. *& Hegira* 671. *incipit die* 28. *Jan. fer.* 5.

Annus Alexandr. 1584. *& Antioch.* 1321. *& Conſtantin.* 6781. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaris 2021. *& Philippi* 1597. *incipit* 9. *Octob. fer.* 1.

Conradus Marchio Brandenburgenſis Gedanum à Polonis hypothecæ cauſa acceperat; id ei iterum vi eripitur, & ditiones ejus à Polonis vaſtantur crudeliſſimè, uſq; ad Oderam. *Hiſt. Pol.*

Alfonſus *Caſtellæ rex in Hiſpania ſapientiſſimus in odium ſubditorum incurrit, qui contra ipſum hoc anno inſurgunt.* Marian.

ANNO MUNDI 5222. Poſt C. 1273.

A. ☉ 22. ☽ 1. *Ind.* 1.

Annus urbis 2025. *Julianus* 1318.

Æra Hiſpanica 1311. *Auguſtorum* 1300.

Annus Interregni 23. *Michaelis Palæologi* 14.

Annus Jez. *degird* 642. *incipit* 7. *Januarii, fer.* 7. *Armen.* 722. 10. *Jan.*

Neuruez Gelali 194. *incipit cum Æquinoctio.*

Thomas de Aquino, qui plurima ſcripſit, moritur die 7 Martii, anno ætatis 50. *Trith.* Inter Sanctos refertur anno 1323.

Carolus Siciliæ rex perfidè in venæ ſectione, quam inſtituerat 26. Maji, veneno interficitur. *Annal. Stereon.*

Olympias 512. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadinus* 2049.

Annus Indorum 1359. *& Hegira* 672. *incipit die* 18. *Jul. fer.* 3.

Annus Diocletiani 990. *incipit* 29. *Auguſti.*

Gregorius X. Papa, mandat Principibus & Electoribus in Germania, ut tandem Imperatorem creent, niſi velint ſibi aliquem à ſe imponi. Conveniunt itaq; Francofurti 8. Octob. ut habet *Albertus Argentinenſis,* omnes interfuerunt præter Henricum Ducem Bavariæ, qui ſolennes legatos miſerat, & per ratihabitionem ſuam Electoribus præbuit conſenſum, ubi primum Ottocaro regi Bohemiæ defertur ſolenniter imperiū. ſed is ſtulto conſilio, dum putat ſe longè potentiorem eſſe Imperatore Romano, imperium repudiat. Itaq; conſenſum eſt in Imperatorem *Rudolphum* Comitem Habsburgenſem, qui tum fortè Baſiliam obſidebat. Is antea fuerat magiſter aulæ apud *Ottocarum* regem Bohemiæ. Sed electus Imperator ſtatim ab Ottocaro repetit Auſtriam & Carinthiam, ut quæ ad imperium pertinerent; non neſcius autem, quanta potentia eſſet Ottocarus, Rudolphus filias ſuas deſpondet Principibus potentibus, alteram Ludovico Palatino, alteram Duci Saxoniæ. Imperavit autem annis 17. menſibus 9. diebus 16. *Albert. Argen.*

Henricus *rex Angliæ, cum regnaſſet annis* 57. *moritur die* 21. *Novemb. Succedit ipſi filius* Eduardus, *qui regnavit annis* 33. *& menſib.* 8. Polyd. Verg.

ANNO MUNDI 5223. Poſt C. 1274.

G. ☉ 23. ☽ 2. *Ind.* 2.

Ecclipſis Lunæ novem digitorum invenitur annotata hoc anno in vetuſto libro à Gerha de Mercatore invento ea facta eſt die 23 *Jan. fer.* 3. *hora una & minutis* 21. *ante mediam noctem. Latitud. Lunæ* 34, 39.

Semidiam Lunæ 17,29. Scrupula reſidua 27,35. Digiti eccliptici 9,25 Sol in 11,37. Aquarii.

Eberhardus *Comes Wirtenbergicus, inito cum multis aliis fœdere, in Rudolphum Imperatorem inſurgit, ſed poſtea territus potentia Imperatoris, culpam deprecatur, & ſe dedit.* Trith,

Gregorius X. Papa concilium celebrat Lugduni in Gallia, Calendis Maji, quod duravit uſque ad diem 22. Julii. Interfuerunt Epiſcopi quingenti, Abbates & Prælati ad mille. In hoc concilio leges promulgatæ ſunt in electione Pontificis obſervandæ, quæ tamen progreſſu temporis paululum ſunt immutatæ. *Alfonſus* etiam Caſtellæ rex, cui imperium ante oblatum fuerat, perſuaſus à Pontifice cedit id Rudolpho, & ſocietas initur terræ ſanctæ recuperandæ, ad quam rem Papa deputat ſex annorum decimas Eccleſiaſticas. Legati etiam Imperatoris Conſtantinopolitani adfuerunt, qui obedientiam Pontifici Romano promiſerunt, tantummodo non ſubminiſtrarentur auxilia Balduino profugo. *Marin. Niceph. Greg.*

Bonaventura Cardinalis obit in hoc concilio, anno ætatis 53. Inter ſanctos refertur anno 1482.

Annus Indorum 1360. & Hegira 673. incipit 7. Jul. fer. 7.

Rudolphus *Comitia celebrat Augustæ Vindelicorum, in quibus* Ottocarus *rex Bohemiæ, quod occupaſſet Comitatum* Tyrolenſem & Carinthiam, *quæ provinciæ imperii erant, cum Henrico Bavaro* Annal. Svev.

ANNO MUNDI 5224. Poſt C. 1275.

F. ☉ 24. ☽ 3. *Ind.* 3.

Mauri in Hiſpania fœdere facto Afros in Hiſpaniam evocant, & noſtros menſe Majo prælio vincunt, trucidatis ferè quatuor millibus hominum. Induciæ tamen poſtea fiunt in biennium. *Marian.*

Annus Indorum 1361. & Hegira 674. incipit 27. Junii, fer. 5.

Engelbertus *Epiſcopus Colonienſis capitur à civibus Colonienſibus, quamob cauſam* Colonienſes *excommunicati fuerunt annis ferè 6.* Chron. Belg.

Boamundus princeps Antiochenus & Tripolitanus moritur in Syria, die 11. Maji, ſuccedit filius *Boamundus* jam ferè adoleſcens, cui tutor datur Epiſcopus Tortoſæ, Templariis valdè ſtudioſus: Boamundus adoleſcens verò ſtudebat Romanis militibus. Hinc diſſenſiones ortæ ſunt, quæ reliquias regni Hieroſolymitani valdè concuſſerunt. *Marin.*

Fridericus *à Zollern, primus Burggravius Norinbergenſis factus à Rudolpho Imp.* Cent. Magd.

Erfurtenſes *bello perſequuntur quosdam vicinos Comites, ſed ab hoſtibus fracti, auxilium implorant Epiſcopi Moguntini, qui quidem eos defendit, ſed cum poſt pacem inter ſe partes conciliares,* Erfurtenſibus *mulctam impoſuit.* Spang.

Albertus Dux Saxoniæ, nepos *Bernhardi*, quem *Fridericus Barbaroſſa* ex Comite de *Anhald* fecerat Ducem Saxoniæ, hoc anno matrimonio ſibi junxit, *Annam, Rudolphi* Imperatoris filiam. Idem hic *Albertus* præferebat ſtratoria ſigna nigra in fulvo Clypeo in inſigniis, fuerant ea patrum ſuorum in Ballenſted, ſuperjecta tamen rutea corona, quam hujus *Alberti* pater dono acceperat à *Friderico Barbaroſſa. Bunting.*

ANNO MUNDI 5225. Poſt C. 1276.

ED. ☉ 25. ☽ 4. *Ind.* 4.

Gregorius X. Papa, cum ſediſſet annos 4. menſes 4. moritur die 10. Januar. Succedit ipſi Petrus, natione Burgundus, die 22. Februarii, qui voluit ſe nominari *Innocentium V.* ſedet menſibus quinque, moritur die 22. Junii. *Hic Genuenſes & Venetos miſſa legatione conciliare ſtuduit:* Succedit ipſi *Otto* bonus Ligur, qui dictus eſt *Hadrianus V.* & ſedet dieb. 40. *Hic* Rudolphi *Imperatoris opem implorat, ſtatim contra* Carolum *Siciliæ regem, ſed fruſtra id fuit, cum* Rudolphus *occupatus eſſet bello Auſtriaco*: moritur die 18. Auguſti: ſuccedit ipſi Petrus Ulysbonenſis Hiſpanus, die 13. Septemb. qui *Johannes XXI* appellatus eſt, & ſedet menſibus 8. diebus 8. *Onuff.*

Hic eſt *Petrus* Hiſpanus, vir eruditus, qui multa ſcripſit, in medicina etiam edidit theſaurum pauperum. *Onuff.*

Hugo rex Hieroſolymis diſcedit *Ptolemaide* Tyrum, nullo relicto Prorege, Templarii & Veneti hoc æquo animo ferebant, ut qui ſuperiorem ferre non poſſent. Reliqui legationem de eligendo Prorege ad Hugonem mittunt. *Marin.*

Annus Indorum 1362. & Hegira 675. incipit 15. Junii, fer. 2.

Epiſcopus Magdeburgenſis Ericus cum *Ottone* Brandenburgico vaſtant Thuringiam, ſed fortiter ab *Alberto* Landgravio repelluntur, adeò ut pacem peterent, & poſtea amicitia jungerentur. Epiſcopus, ut fraude Landgravio & fratri *Diterico* noceret evocat eum in auxilium contra *Falcenſteinium*, quod bellum ſimulabatur. *Albertus* mittit filium *Fridericum* cum admorſa gena cum fratre, qui ab *Anhaldinis*, ſociis Epiſcopi, quibus auxilio venerant, juſſu Epiſcopi per fraudem cum multis nobilibus ſceleratè capiuntur. *Fridericus* deceptis cuſtodibus evadit, & vindictæ cauſa Cotenam urbem exſcindit. *Ditericus* multo auro ſe redimit, ſed Berbinam & Taucham, quæ in ditione Epiſcopi erant, deſtruit, & Anhaldinis oppidum Delitium & Bittelfeldium ad impendia ſarcienda eripit. *Fabr,*

Lubeca urbs tota incendio petit in æſtate ideò tota de integro directis vicis & plateis conditur. *Chyt.*

Jacobus *rex Aragoniæ qui regnarat annos 63. & condiderat* templa *ad duo millia, moritur die 27. Jul. ſuccedit ipſi filius* Petrus, *qui regnat annis novem.* Annal. Arrag.

Rudolphus Imperator, cum *Ottocarum* regem Bohemiæ ſæpiſſimè ad curiam ſuam evocaſſet, nec tamen compareret, bello ipſum petit, ac Auſtriam invadit, & Viennam ultra menſem obſidet, die 18. Octobris. *Ottocarus* cum exercitu advenit, ſed cum impar eſſet viribus, conſilio ſuorum petit ſe in gratiam recipi, & jurat Imperatori in tabernaculo, quod tamen ita comparatum erat, ut inter jurandum ſubitò disjiceretur, & rex in genibus omnibus appareret. *Hiſt. Auſt.*

Annus Alexan. 1588. & Antioch. 1325. & Conſtantin. 6785. incipit 1. Octob.,

Annus Nabonaſſaris 2025. & Philippi 1601. incipit 8. Octob. fer. 5.

Ecclipſis Lunæ annotatur in Cent. Magd. hoc anno, quæ invenitur die 23. Novemb. manè horis ferè

tribus

tribus poſt mediam noctem. Latitud. Lunæ auſtralis 7,14. Semidiam. Lunæ 16,42. Scrup. reſid. 52,49. Digiti ecclipt. 19. Sol in 8,49. Sagittarii.

ANNO MUNDI 5226. Poſt C. 1277.
C.☉26. ☽ 5. *Ind.* 5.

Annus urbis 2029. Julianus 1322.
Æra Hiſpan. 1315. Auguſtorum 1304.
Annus Rudolphi Imperatoris 4. Palæologi 18.
Annus Jezdegird 646. incipit 6. Januarii. fer. 4. Armen. 726. die 9. Jan. fer. 7.
Annus Neuruz Perſ. 198. cum Æquinoctio.

Maria *Domicella, quæ contendebat jus regni Hieroſolymitani ad ſe pertinere, & non ad Hugonem Luſingi, nec tamen multum proficeret, ſuum jus donavit, præſentibus Cardinalibus.* Carolo *Siciliæ regi per notarios; quapropter* Carolus *proregem* Rogerium *Comitem mittit die 7. Junii, quem ſtatim recipiunt Templarii, & alii Comites milites, imò etiam princeps Antiochiæ.* Marinus.

Bendocdar *Soldanus Ægypti, immaniſſimus perſecutor Eccleſiæ, cùm Tartaros perſequeretur, & natando etiam Euphratem tranſiret, frigore diſenteriam excitavit, quâ moritur die 15. Aprilis.* Marin.

Johannes XXI. Papa die 20. Maji Viterbii interit, ruinâ palatii oppreſſus, inter rudera vix ſexto die inventus, cùm ſediſſet menſes octo; vacat ſedes menſibus ſex. Succedit ipſi die 25. Novembr. Johannes Cajetanus, qui dictus eſt *Nicolaus* III. qui ſedet annis 2. menſibus novem. Hic ſtatim Carolum regem Siciliæ a vicariatu Senatûs amovit, & ſe ſenatorem eligi curavit. *Albert. Argen.*

Annus Indorum 1363. & Hegira 676. incipit 4. Jun. fer. 6.

Argentoratenſis *turris inchoata hoc anno, & perducta per quatuor cochleas. Poſt annos 28. anno 1305. reliqua perfecta ſunt, uſq; ad coronam: ſed finis operi impoſitus eſt anno 1449.* Annal. Svev.

Puella quadam in Suevia anno ætatis octavo puerum peperit, ut habent. Annal. Svev.

Otto *Comes Geldriæ, qui acquiſiverat ſibi dominatum Noviomagenſem certo pretio, quod confirmaverat etiam Imper. Rudolphus, moritur anno imperii quinto; ſuccedit ipſi filius Renaldus, qui præeſt annis 49.*

Olympias 513. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 2053.

Annus Diocletiani 994. incipit 29. Auguſti.

Florentius *Comes Hollandiæ, cum exercitu proficiſcitur in Friſiam, ut parentis ſui oſſa reportet; ſed bellum geritur varia fortunâ, & tandem re infecta receſſum eſt.* Chron. Belg.

Templarii in Palæſtina inſurgunt contra principem Antiochiæ, nec princeps etiam, ut juvenis ab injuriis abſtinet. Id diſſidium tribus annis continuatum eſt Marinus.

Ottocarus rex Bohemiæ, uxore inſtigante Imperatori rebellat, & cum exercitu in Auſtriam venit, cui copias opponit Rudolphus Imperator: & Moravia ac Auſtria totâ hyeme incendiis & rapinis vaſtatur. Cùm verò Rudolphus ipſe ad exercitum veniret, amicitiam jungit cum Ladislao Hungaro, & eum contra Bohemum defendit. *Hiſt. Aug.*

ANNO MUNDI 5227. Poſt C. 1278.
B.☉.27. ☽ 6. *Ind.* 6.

Wilhelmus Comes Juliacenſis die ſedecimo Martii Aquisgranum cum tribus filiis noctu ingreditur, ſpecie ut penſionem ab Imperatore præſcriptam exigeret, revera autem ut urbem occuparet. Sed cives ad arma conclamati eum cum tribus filiis & omnibus militibus occîdunt. Hæc cùm crudelius peregiſſent, bellum inde exortum eſt. *Trith.*

Imper. *Rudolphus* Pontifici Nicolao concedit Hetruriæ vicariatum, & Flaminiam, ipſamq; Bononiam, & Exarchatum Ravennæ, cùm promitteret ſe ſuo ſumptu bellum in Palæſtina geſturum; ſed Papa provincias haſce in ſuam poteſtatem quidem redegit, ſed bellum neglexit. *Centur. Magd.*

Annus Indorum 1364. & Hegira 677. incipit 25. Maji, fer. 4.

Ottocarus clam comparato exercitu, cùm Imperator nullum ferè exercitum haberet, Imperatorē aggreditur die 26. Auguſti, feriâ ſexta: fit acre prælium, & Bohemi vincuntur, caduntque ad 14. millia, ipſeq; rex capitur, ſed ab Auſtriis ita tractatur, ut biduo pòſt moreretur. Rudolphus igitur Moraviam primùm occupat, inde in Bohemiam tranſit, ubi intercedentibus principibus, Wenceslao filio Ottocari nubit filia Rudolphi, & altera filia Ottoni Marchioni Brandeburgenſi, cum tutela regni Bohemici deſponſatur. Regnaverat Ottocarus annos 26. Wenceslaus 27.

Dux Brabantiæ & Comes Flandriæ, ulturi cædem Comitis Juliacenſis *Aquisgranum* magno exercitu obſident, ſed tandem re infectâ diſcedunt, & Aquisgranenſes, ut res componatur, ſolvunt mulctam Imperatori. Archiepiſcopus Colonienſis interea multa Juliacenſi Comiti eripit, ut oppidum Duren, & multa caſtella. Sed *Dux* Lymburgenſis cognati ſui injurias ulciſcens, viciſſim in ditiones Epiſcopi involat, & cogit Epiſcopum, ut erepta reſtituat. *Chron. Belg.*

Hoſpitalarii caſtrum Margath in finibus Saracenorum oppugnant & expugnant, captosq; trucidant, & viciniam Saracenorum regionem vaſtant. *Marin.*

ANNO MUNDI 5228. Poſt. C. 1279.
A.☉ 28. ☽ 7. *Ind.* 7.

Margaretha, *quæ hactenus Comitatui Flandriæ & Hannonienſi præfuerat, moritur die 10. Febr. ſuccedunt filii,* Guido *in Comitatu Flandrico,* Balduinus *in Hannonienſi.* Annal. Flandr.

Ecclipſis Solis hoc anno annotata invenitur teſte Mercatore, quæ acciderit 12. die April. feriâ quarta, paulò ante occaſum Solis, quæ ad tabulas hunc eodem die invenitur. Parallax. latit. fuit 28,40. Latitudo vera 33,12. Viſa 4,32. Semidiam. Solis 15,22. Scrupula reſidua 25,54. Digiti eccliptici 10,6. Fuit Francofurt. poſt meridiem horis 6. minut. 55. Sol in initio Tauri.

Carolus, *regis Caroli filius in Sicilia, in Franciam venit, qui* ludis equeſtribus *adhibitus, ut nobilis fieret, adeò malleorum ictibus in galea tunditur, ut mente moveretur, & ad finem uſque vitæ ita permaneret.*

Annus Indorum 1365. & Hegira 678. incipit 14. Maji, fer. 1.

Alfonſus *Portugalliæ rex, cùm regnaſſet annis ferè 33. moritur; ſuccedit ipſi filius* Dionyſius, *qui adeò liberalis fuit, ut Petro Aragoniæ regi mutuam pecuniam petenti, denegaret quidem mutuum, ſed duplum ejus donaret. Regnavit hic annos 46. & Co*nimbricam *Academiam inſtituit.* Ann. Portugall.

Annus ſabbathicus quintus Jobelei 25. incipit 8. Sept. fer. 7. Anno Jud. 5040.

Boleſlaus *pudicus, princeps Polonorum, cùm poſt patrem præfuiſſet annis 52. & varias expertus eſſet fortunæ viciſſitudines moritur die 10. Decembr. Succedit* Leſcus *Niger, ex fratre patruele filius, qui annis decem præeſt.* Hiſt. Pol.

ANNO MUNDI 5229. Poſt C. 1280.
GF. ☉ 1. ☽ 8. *Ind.* 8.

Johannes *Prochita Manfredi olim prorex in Sicilia, profugerat ad Petrum Aragonum poſt occiſum Manfredum; hic ſub hoc Nicolao Pontifice, qui Gallis infeſtus erat, navigat ad Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum, & fœdus impetrat pro Aragonio, cui Pontifex etiam ſubſcribit.* Interim moritur Papa: ſuccedit Martinus, Galliis deditus & Aragoniis infeſtus, qui etiam Palæologum excommunicat, *nec tamen Galli quippiam olfaciunt. Aragonius igitur claſſem ædificat, ſub prætextu Africam invadendi, nec quiſpiam bienni ſpatio veram cauſam, cur claſſis ædificetur, expiſcari poteſt.* Marian.

Soldanus Babyloniæ conducto exercitu, caſtrum Margath iterum obſidet, ſed Hoſpitalarii erumpentes obſidionem ſolvunt, & multos trucidant. *Marian.*

Annus Indorum 1366. & Hegiræ 679. incipit 2. Maji, fer. 5.

Thaddæus natione Florentinus, Medicus inſignis floret hoc tempore, qui poſt annos 6. Honorium Papam ægrotantem adire noluit, niſi ſibi darentur in ſingulos dies centum aurei: cumq; Honorius convaluiſſet, accepit præterea 10000. aureorum pro honorario. *Trith.*

Omnium rerum affluentia celebratur hoc anno adeò, ut quælibet res victui neceſſaria, quàm minimo pretio venderetur, modius tritici viginti & duobus nummis, gallina duobus, quindecim ova uno nummo, ut & octo haleces uno nummo. Spang.

Moguntinus & Johannes de Spanheim Comes bello decertant; Comes vincitur, & multi præſtantes viri captivi abducuntur, qui ſequenti anno die 12. Decembris captivitate liberantur, interponente ſe Imperatore, qui Bugurdum ſibi rebellem invadit, & prælio ſuperat, & ad deditionem cogit, multas præterea urbes Rheni, quæ fœdus inter ſe fecerant, in rebellione capit, & autores rebellionis occidit vel proſcribit. *Trith.*

Nicolaus III. Papa, cùm ſediſſet annos duos, & menſes 9. moritur die 22. Auguſti, vacat ſedes uſque ad coronationem Martini ferè 9. menſibus. *Onuph.*

Annus Alexandr. 1592. Antioch. 1329. Conſtantinop. 6789. incipit 1. Octobr.

Annus Nabonaſſar. 2029. & Philippi 1605. incipit 7. Octob. fer. 2.

Albertus Magnus Svevus moritur Coloniæ, menſe Novembri, anno ætatis 80. *Trith.*

ANNO MUNDI 5230. Poſt C. 1281.
E. ☉ 2. ☽ 9. *Ind.* 9.

Annus urbis 2033. Julianus 1326.

Æra Hiſpan. 1319. Auguſtorum 1308.

Annus Rudolphi Imperatoris 8. Palæologi 22.

Annus Jezdegird 650. incipit 5. Januar. fer. 2. Armen. 730. 8. Jan. fer. 4.

Neuruz. Perſ. 202. cum æquin. verno.

Romæ poſt diuturnas contentiones tandem eligitur Papa, Simon Turonenſis Gallus, die 24. Jan. coronatur die 23. Martii, Dominicâ Lætare, & in Paſchate ſex Cardinales creavit. *Hic reſtituit regi Carolo ſenatoriam dignitatem, & per legatum à Petro Aragonio inquirit, cur tanto apparatu claſſem ædificaret; à quo reſponſionem accepit, ſe tunicam ſuam interiorem laceraturum, ſi conſcia eſſet ſui conſilii.* Sedit hic Pontifex, qui *Martinus IV.* appellatus eſt, annos quatuor, menſem unum. *Platina.*

Filia Imp. Rudolphi in Italiam mittitur, ut nubat Carolo regi Apuliæ & Siciliæ, mater ejus Anna, cùm filia à ſe abduceretur, & ipſa deſiderium ejus non ferret, moritur mœrore animi, die 18. Apr. *Hiſtor. Auſt.*

Annus Indorum 1367. & Hegira 680. incipit 22. Apr. fer. 3.

Olympias 514. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 2057.

Annus Diocletiani 998. incipit 29. Auguſti.

Marchiones Miſniæ, Fridericus & *Dizemannus* incipiunt ſe opponere parenti Alberto Landgravio, qui Thuringiam filio ſuo ſpurio tradere conabatur, & Fridericus major natu filius à Referebergio Comite capitur, ad Albertum deducitur, ubi totum annum captivus detentus eſt, donec cuſtodes carceris miſericordiâ moti eum per alios ex carcere eripuiſſent. *Fab.*

Mariaburgum urbs Pruſſiæ hoc anno condita. *Chytr.*

Pruteni *eodem tempore Crucigeris multas arces & oppida eripiunt, & eos graviter affligunt.* Chron. Polon.

Tartari *Saracenos invadunt, Soldanus Babyloniæ ad centum millia equitum contra eos educit, & acerrimo prælio cum iis contendit; nihilominus tamen vincitur, & in fuga tam à* Tartaris *quàm ab Armeniis graviſſimè affligitur.* Marin.

ANNO MUNDI 5231. Poſt C. 1282.
D. ☉ 3. ☽ 10. *Ind.* 10.

Abaga Cham *Tartarus, cùm iterum exercitum contra Babyloniæ Soldanum duceret, curâ Soldani veneno necatur. Succedit ipſi frater* Tangodor, *qui Muhamedanis deditus, Muhamed Cham appellari voluit, & quoscunq; potuit, ad Muhamediſmum cogit, & Chriſtianos crudeliſſimè perſequitur; regnavit triennio ferè.* Marin.

Cùm Siculi cum Petro Aragoniæ rege dudum de ejiciendis Gallis conſilia iniiſſent, ipſe Petrus bellum Tunetanis in Africa infert, non quidem ſatis feliciter. Interim Siculi conſtituto tempore, quando feriâ ſecunda Paſchatos, die 30. Martii, veſperi campanæ pulſarentur, omnes Gallos duarum horarum ſpatio in tota Sicilia, inter quos fuerunt ducenti nobiles, tanta crudelitate occîdunt, ut etiam prægnantes ex Galliis occiderentur, ne quid

quid *Gallici* ſanguinis ſupereſſet. Petrus certior factus de hac re ſtatim in Siciliam tranſit, & ſe regem Siciliæ & Apuliæ coronari jubet. Carolus quidem citus advenit, & Meſſanam aggreditur, ſed re infecta diſcedit, & Petrus per literas ipſi mandat, ut regno ſuo exeat; & Conſtantia, filia Manfredi, uxor Petri ſtatim die 22. Apr. in Siciliam venit. Papa irâ frendens interim Petrum Aragonium excommunicat. *Nangis.*

Pariſiis *inter Studioſos Piccardos & Anglos ingens diſſenſio oritur, Angli Piccardorum domos expugnant, quos poſſunt occidunt, aut urbe ejiciunt.* Nang.

Annus Indorum 1368. *& Hegira* 681. *incipit* 11. *Apr. fer.* 7.

Moguntini cives, feriâ 2. Pentecoſtes in Judæos exſurgunt, multos interficiunt, reliquos bonis exutos ex civitate ejiciunt; horum exemplum multæ civitates in Germania ſunt ſecutæ. *Trith.*

Theodoricus Marchio, qui Fridericum & Dizemannum educaverat, eosque ita univerat cum ſuo filio, ut filius vel illorum hæres, vel illi filii ſui hæredes eſſent, ſi maſculâ ſobole deſtitueretur, moritur, ſepelitur Suſelitii ad Albim: ſuccedit filius *Fridericus*, qui præeſt annis novem, ac *Pirnam* ac *Dreſdam* ſibi ſubjecit, quæ Epiſcopus Miſnenſis ſibi eripuerat. *Fab.*

Lithuani *cum reliquis* Jazygibus *Poloniam vaſtant, & quadraginta hominum millia abducunt*; Leſcus *niger poſt aliquot dies abeuntes inſequitur, deprehenditq; eos, ubi ipſe cum exiguis copiis multos vincit, cùm captivi etiam vincula rupiſſent, & à tergo hoſtibus obſtarent.* Hiſt. Pol.

Ordo *ſervorum Mariæ*, autore Philippo Tuſco, medico Florentino, incipit; approbatur poſtea à Pontifice. *Cent. Magd.*

Alfonſus ſapiens, Caſtellæ rex, à Sanctio filio, regno ſpoliatur, Sanctius contra à Pontifice die 8. Novembr. diris devovetur, abdicatur, & ſucceſſione ſpoliatur. *Marian.*

Leolinus princeps Walliæ, cùm tertiò fidem datam regi Angliæ fefelliſſet, & prælio decertaret, trucidatur; frater ejus David captus pœnam defectionis capite luit, & præfectus à rege Wallis imponitur. *Polyd.*

Florentius Hollandiæ *Dux* Hagæ, *ubi palatium fuerat* Wilhelmi *Imperatoris, aulam altam condit.* Chron Belg.

Rudolphus Imperator comitia agit Auguſtæ, ubi filium *Albertum* creat ducem Auſtriæ, & Stiriæ, Fridericum verò ducem Sveviæ: tertius filius Hinrandus, per Rhenum cum aliis navigaturus, everſâ navi ſubmergitur, die 20. Decembr. *Hiſtor. Auguſt.*

ANNO MUNDI 5232. Poſt C. 1283.

C. ☉ 4. ☽ 11. *Ind.* 11.

Carolus Siciliæ rex, evocatis ex tota Gallia auxiliis contra Petrum Aragoniæ regem, in Siciliam venit. Petrus viribus impar proponit haſce Carolo conditiones, ne nimium ſanguinis Chriſtiani propter duorum regum cupiditatem effundatur, ut ad ſequentes Calendas Junii centeni contra centenos pugnent. Hanc conditionem accipit Carolus, ſed interim *Galli* aëris inſueti, morbis corripiuntur, & exercitus dilabitur.

Papa interim iterum Petrum Aragoniæ regem anathematis fulmine percutit, eumq; regno Aragonico privat, idq; dat Carolo Valeſio, filio minori regis Galliæ, die 21. Martii. Eodem tempore & *Sanctius* filius Alfonſi ſapientis excommunicatus erat, & omnes ſimul, qui Sanctium ſequebantur, atque ita ſacrorum juſtitium fuit ferè in tota Hiſpania. *Mariana.*

Annus Indorum 1369. *& Hegira* 682. *incipit* 1. *Aprilis.*

Florentius Comes Hollandiæ iterum Friſiam invadit exercitu, ut parentem ulciſceretur, & ejus oſſa legitimo ſepulchro inferret: & primâ quidem velitatione ſuccumbit, ſed pòſt victor cum magna præda domum revertitur, & parentem Wilhelmum Middelburgi in cœnobio ſepelit. *Chron. Traj.*

Hennebergenſes *Comites die Potentianæ virginis bellum* Wurtzbergenſibus *inferunt, & oppidum* Swarzbach *igne comburunt, & quadam cœnobia.* Trith.

Conventus Principum Wurtzburgi actus, in quo Pontifex decimas à Clero exigit, cui poſtulationi ſe oppoſuerunt Colonienſis, Trevirenſis. *Trith.*

Michal *Palæologus Imperator Conſtantinopolitanus moritur die* 11. *Decembr. cùm imperaſſet poſt Laſcarem annis* 24. *mortuus eſt anno Conſtantinopolitano* 6791. *palpitatione cordis, annos natus* 58. *Succedit filius* Andronicus, *qui imperat annis* 45 Niceph. Greg.

ANNO MUNDI 5233. Poſt C. 1284.

B A. ☉ 5. ☽ 12. *Ind.* 12.

Annus Indorum 1370. *& Hegira* 683. *incipit* 20. *Martii, fer.* 2.

Hugo *rex Cypri, qui olim inauguratus erat Rex Hieroſolymitanus, moritur die* 26. *Martii. Ejus filius* Johannes *coronatur rex Cypri Nicoſiæ, die* 22. *Maji, ſed moritur ſequenti anno die* 20. *Maji.* Marinus.

Alfonſus ſapiens, qui præter Aſtronomiæ ſtudium etiam ſacra *Biblia* in Hiſpanicam Linguam traduci curavit, *moritur die* 21. *Aprilis, cùm annis* 32. *regnaſſet*; *ſuccedit ipſi filius* Sanctius, *qui regnavit annis undecim, dsib.* 4. Marian.

Rogerius, Dux Petri regis Aragoniæ & Siciliæ, Francorum claſſem 20 *triremium ad Melitam vincit, die* 8. *Junii: paulo poſt die* 23. *Junii alias ſeptuaginta triremes, quas Carolus Caroli filius ducebat, vincit, & Carolum capit, & plurimas urbes in magna Græcia occupat. Carolus tum in Aquitania erat, & in Italiam redit, Neapolin recipit, eiq; deprecante Pontifice parcit, ſuſpenſis tamen civibus centum & quinquaginta potentioribus.* Annal. Svev.

Clades Hamelenſium accidit hoc anno, die Johannis Pauli, ſive 26. Jun. dum enim cives ſacram concionem audiunt, is qui mures & rattos flumini merſerat, nec ſatis pecuniæ acceperat, pueros centum triginta urbe educit in vallem Koppenbergiam, ubi monte obruuntur. *Hiſtor. Hamel.*

Annus Alexandr. 1596. *Antioch.* 1333. *& Conſtantinopol.* 6793. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſar. 2033. *& Philippi* 1609. *incipit* 6. *Octob. fer.* 6.

Petrus *Aragoniæ rex in Hiſpania Alberacinum urbem obſidet, & tandem eam in autumno capit,* atq;

atq; hoc modo Aſagrarum Saracenorum regnum in Hiſpania deſiit. Marian.

ANNO MUNDI 5234. Poſt C. 1285.

G. ⊙ 6. ☽ 13. Ind. 13.

Annus urbis 2037. Julianus 1330.

Æra Hiſp. 1323. Auguſtorum 1312.

Annus Rudolphi 12. Andronici 2.

Annus Jezdegird 654. incipit 4. Jan. fer. 5. Armen. 734. 7. Jan. fer. 1.

Annus Neurutz Gelali 206. cum æquinoctio.

Carolus, qui Siciliam & Apuliam obtinuerat annis ferè 17. jam pulſus à Petro Aragonio, & adverſarum rerum multitudine fractus, moritur die 7. Januar. Nang.

Tilo Colup. ſenex & veterator aſtutus, fingit ſe Fridericum II. Imperatorem eſſe, & in Palæſtina hactenus captivum detentum: ſed à multis non recipitur. Noveſienſes tamen eum recipiunt & alii; tantæ fuit audaciæ, ut Rudolpho Imperatori mandaret, imperium deponeret, & privatus ad ſe veniret, & homagium faceret. Sed a Rudolpho captus faſſus eſt, ſe olim in aula Friderici fuiſſe, & hinc ipſi tanta indicia: ſed igne crematus eſt. Spang.

Annus Indorum 1371. & Hegira 684. incipit die 9. Mart. fer. 6.

Martinus IV. Papa, cùm ſediſſet annis 4. menſe uno, moritur die 25. Martii, ipſo die Paſchatis, ut habet Nangis. Hic tanto odio perſecutus eſt Germanos, ut ſæpè exoptaret, ſe ciconiam eſſe aut lucium, Germanos autem vel ranas eſſe, vel piſces. Succedit ipſi die 2. April. Jacobus Sabellus, ex nobiliſſima familia Romana, qui ſedet annos duos, & bellum continuat contra Petrum Aragonium. Dictus eſt Honorius V. Onuf.

Leſcus princeps Polonorum à Proceribus regni rejicitur, & Conradus Maſoviæ dux ipſi ſubſtituitur, & ſola Cracovia urbs in fide manſit, quæ tamen in tantis motibus exuritur, donec Leſcus Hungarorum auxilia adduceret, quibus Conradum vicit, & ducatum recuperat. Hiſt. Pol.

Olympias 515. incipit die 15. Julii. Anno Olympiadico 2061.

Annus Diocletiani 1002. incipit 29. Auguſti.

Nuptiæ filiæ Imperatoris cum Wenceslao filio Ottocari celebrantur Egræ, ubi Wenceslaus coronatur rex Bohemiæ. Hiſt. Auſtr.

Soldanus Babyloniæ iterum caſtrum Margath obſidet, idque tandem deditione capit. Marin.

Mahumed Cham fratrem ſuum Argon interficere conatur, quòd foveret Chriſtianos: Sed Argon elapſus ex inſidiis, fratrem Mahumed trucidat, & Cham appellatur. Marin.

Philippus rex Galliæ, etſi patruus Carolus defunctus erat, tamen circa Pentecoſten maximo exercitu in Aragonios movet, Pyrenæum ſaltum ſuperat, & Gerundam obſidet, & Petrum Aragonium ibi vincit & vulnerat, & urbem deditione capit. Interim Rogerius Doria bis Gallicam claſſem vincit & incendit, & Aragonios plurimum hâc ratione juvat: ingruente inſuper peſte, exercitum domum reducit, & multis incommodis in itinere afflictus, moritur Perpiniani, die 6. Octobris, cùm annis quindecim regnaſſet; ſuccedit ipſi filius Philippus Pulcher, qui regnat annos 28. Petrus Aragonius etiam ex vulnere ad Gerundam, cùm omnia ferè recuperaſſet, quæ Gallus occupaverat, moritur die 8. Nov. annos natus 46. cùm annos novem regnaſſet: ſuccedit ipſi filius Jacobus, qui tantum ſex annis præfuit in Sicilia, poſtea in Aragoniam conceſſit. Marin.

Arnoldus de villa nova circa hæc tempora floret, qui ex humano ſemine corpus humanum efformaſſe dicitur. Marian.

Piſani cum Genuenſibus armis congrediuntur, & triremes quadraginta novem amittunt, cùm duodecim millibus hominum: quâ clade ita attritæ ſunt eorum vires, ut nunquam reſurgere potuerint. Plat.

ANNO MUNDI 5235. Poſt C. 1286.

F. ⊙. 7. ☽ 14. Ind. 14.

Philippus pulcher rex Galliæ coronatur die 6. Januarii.

Annus Indorum 1372. & Hegira 685. incipit die 27. Febr. fer. 4.

Jacobus filius Petri Aragonii coronatur rex Siciliæ, & princeps Apuliæ & Capuæ; frater autem ejus Alfonſus coronatur rex Aragoniæ die 15. Aprilis, feriâ 2. Paſchatos. Et Alfonſus regnat annos quinque.

Wenceslaus rex Bohemiæ multum negotii habet cum ſubditis, qui rapinis aſſueti ægrè pacem colebant, ideò ſuppliciis plurimis eos coercuit. Hiſt. Bohem.

Henricus rex Cypri Ptolemaidem venit die 24. Junii, & cum gaudio ſuſcipitur. Prorex verò à Carolo defuncto conſtitutus in arcem concedit, quam tamen rex Henricus deditione capit, & in feſto aſſumptionis Mariæ rex Hieroſolymorum Tyri coronatur, & tandem ultimo Novembris in Cyprum redit. Marinus.

Wilhelmus Durandi Epiſcopus Minacenſis edidit ſuum Rationale divinorum. Trith.

Johannes Dux Brabantiæ emit ab Adolpho Comite Montenſi, qui hæres erat Ducatus Lymburgenſis, & Ducatum Lymburgenſem & Comitatum Montenſem. Comes Geldriæ, qui poſt Adolphum proximior hæres erat, in ſui præjudicium & damnum hoc fieri exiſtimat, & ſe contractui opponit. Hinc bellum graviſſimum ortum, & longè lateq; vaſtati fines. Chron. Belg.

Annus ſabbathicus ſextus Jobelei 25. incipit 21. Sept. fer. 7. Anno Jud. 5047.

Rudolphus Imp. Cancellarium in Italiam mittit, & Lucenſibus ac Florentinis libertatem accepta multa pecuniâ donat, qui ſtatim libertate aucti, ſuos tribunos conſtituunt. Trith.

ANNO MUNDI 5236. Poſt C. 1287.

E. ⊙ 8. ☽ 15. Ind. 15.

Annus Indorum 1373. & Hegira 686. incipit 16. Febr. fer. 4.

Rudolphus Imperator, cùm jam annorum 69. eſſet, alteram ducit uxorem, puellam annorum 14. Burgundam, die 2. Febr. Domin. Septuag. Annal. Svev.

Honorius Papa legatum mittit in Germaniam in Quadrageſima, qui poſtulat quartam partem redituum Eccleſiaſticorum in quinque annos. Imperator hâc de re conventum indicit Herbipoli, ubi poſtulationi Pontificis fortiter reſiſtitur à clericis, autore Probo Epiſcopo Tullenſi. Annal. Svev.

Inte-

Interim *Honorius* hic moritur die 3. Aprilis, cùm ſediſſet annis duobus, & vacat ſedes menſibus decem. *Onuf.*

Rogerius Auria, Dux Aragonius, vincit claſſem Gallorum ad Neapolin die 16. Junii, & quadraginta duas capit. Captivorum fuerunt quinque millia. & in his *Guido* Montfortius, hoſtis regum Angliæ & Aragoniæ. *Mar.*

Andronicus Imperator Conſtantinopol. fratrem Conſtantinum, quòd liberalis eſſet, & multos ſibi beneficentiâ ſua conciliaret, atq; ob id ſuſpectus eſſet de imperio invadendo, in carcerem compingit. *Niceph. Greg.*

Walli *in Anglia iterum electo principe tumultuantur, ſed magna clade victi pœnas dant rebellionis, & dux captus ſecuri percutitur.* Polyd.

Albertus filius Imperatoris, Dux Auſtriæ, exercitum in Hungariam abducit, & *Poſonium* obſidet, quod ipſi ſtatim cum arce traditur. *Hiſtor. Auſtr.*

Soldanus *Babylonia die 13. Aprilis Caſtrum* Lyciæ *principis Antiochia capit, & inde ſtatim ad obſidendam Tripolin machinas & tormenta parat: ſed cùm filius ſuus tum moreretur, diſcedit re infectâ, & princeps Antiochia* Boamundus *moritur: ſuccedit ipſi ſoror* Lucia, *qua tum nupta erat in Europa.* Marin.

Tartari *menſe Decembri in Poloniam irrumpunt, eamq; miſerrimè vaſtant, incolas omnes utriusq; ſexûs occidunt; reſervarunt ſibi tantùm virgines ad libidinem complendam, fuerunt ea ultrà viginti millia; abeuntes inſuper fontes veneno inficiunt, ut & flumina, ut fieret terra inhabitabilis.* Chron. Polon.

Friſia *die 14. Decembr. tota inundatur mari, Florentius Comes Hollandia hâc occaſione uſus claſſem adaptat, & ex tota Friſia obſides ubique accipit, atq; ita hâc re Friſiam absq; armis in ſervitutem redigit. Statim enim refluentibus aquis effrenem iſtius populi rebellionem edomuit.* Chron. Traj.

ANNO MUNDI 5237. Poſt C. 1288.
DC. ☉ 9. ☽ 16. *Ind.* 1.

Annus Indorum 1374. *& Hegira* 687. *incipit* 4. *Febr. fer.* 5.

Henricus *Marchio Miſnenſis, qui poſt parentis obitum præfuit annis 66. ferè. moritur die 15. Febr. is inſtituit ſuos nepotes,* Fridericū *cum admorſa gena, & Dicemannum hæredes, & ab hoc tempore* Fridericus *præfuit annis* 37. *ſed variâ fortuna.* Fab.

Cùm ſedes Papalis vacaſſet menſib. decem, eligitur tandem die 22. Febr. Hieronymus Aſculanus, qui vocatur *Nicolaus* IV. & ſedet annis quatuor, menſe uno. *Onuf.*

Suldanus *Babylonia Melech Meſſor iterum obſidet Tripolin die* 17. *Martii, qua nec viribus nec commeatu tunc magnoperè munita erat, ideò eam expugnat & cremat die* 26. *April is. Pereunt Chriſtianorum ad ſeptem millia, reliqui navibus ſalutem quæſiverunt, & ferè evaſerunt. Rex Henricus impar Soldani viribus inducias cum eo pangit, ut interim auxilia ex Europa accerſat ſed cùm auxilia adveniſſent, & Soldanus prætenderet inducias, auxilia illa fidem violare noluerunt, & in Europam redierunt.* Marin.

Judæi in Diœceſi Herbipolenſi quendam occultè occidunt, cujus carnes in torculari preſſerunt. Idem Monaci factum creditur. *Albertus Argen.*

Reinhardus Comes Geldriæ, congregato exercitu invadit Johannem Brabantiæ Ducem, qui prælio cum ipſo congreditur die 5. Junii, in quo cecidit *Henricus Lutzelburgenſis*; ipſe autem Comes captus eſt cum Archiepiſcopo Colonienſi & Adolpho Naſſovienſi, qui poſt Imperator factus eſt: Hâc victoria Dux Brabantiæ omnia obtinuit. Comes enim non tantùm juri ſuo renunciavit, ſed & mulctam ſolvit. *Chron. Belg.*

Leſcus *Princeps Polonorum exercitum in Maſſovios duxerat, eosq; vaſtarat, quos Conradus Maſſovienſis cadit, & omnem prædam recuperat.* Hiſtor. Polon.

Annus Alexandr. 1600. *Antioch* 1337. *& Conſtantinopol.* 6797. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſaris 2037. *& Philippi* 1613. *incipit* 5. *Octob. fer.* 3.

Carolo, Caroli filio, capto in Sicilia, pœna capitis dicta fuerat, ut vindicaretur mors Conradini, quem Caroli pater interfecerat. Sed Conſtantia regina Siciliæ miſericordiâ mota eum dimittit hac conditione, ut contentus Neapoli, Apuliâ, Calabriâ, & Tarento, Aragoniis Siciliam & Sardiniam relinqueret. Curatur etiam per regem Angliæ, ut Pontifici regnum Siciliæ traderet, ſed Carolus dimiſſus fidem non ſervavit. *Marian.*

Papa *Nicolaus* Epiſcopum Trajectenſem, quòd malè præeſſet bonis Eccleſiæ, eaque diſſiparet, deponit. *Chron. Traj.*

ANNO MUNDI 5238. Poſt C. 1289.
B. ☉ 10. ☽ 17. *Ind.* 2.

Annus urbis 2041. *Julianus* 1334.
Æra Hiſpan. 1327. *Auguſtorum* 1316.

Rudolph. *Imp. incipit annum imp.* 16. *Andron.* 6.

Annus Jezdegird 658. *incipit* 3. Jan. fer. 2. *Armen.* 738. 6. *Jan. fer.* 5.

Annus Neuruz. Perſ. 210. *cum Æquin.*

Annus Indorum 1375. *& Hegira* 688. *incipit* 25. *Jan. fer.* 3.

Rudolphus *Imp. Comitem Burgundia rebellem tandem capit, & vinculis mancipat, & paulò poſt Comitem Montisbelgardenſem ſibi parere cogit.* Trith.

Albertus *Dux Auſtria exercitum contra Saltzburgenſem mittit, ideo quòd is caſtrum quoddam Auſtria everterat; multa ibi præda capta eſt, inde expugnat arcem* Falkenſtein/ *quòd latronum receptaculum eſſet.* Hiſtor. Auſt.

Argon Cham *Tartarus in Meſopotamia moritur; cui ſuccedit frater, qui gula deditus, negotia regni aliis commiſit* Marin.

Ottugarel, *qui in annalibus Turcicis Ertucules appellatur, ex Parthia, ubi majores ſui rerum potiti fuerant, à Tartaris pulſus, venit in Romaniam ad* Aladin. *Suldanum Iconii, & honorificè recipitur anno Heg.* 688. Zacuth.

Olympias 516. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2065.

Annus Diocletiani 1005. *incipit* 29. *Auguſti.*

Leſcus *Niger Polonia princeps moritur die* 30. *Sept. cùm decem annis præfuiſſet. Nullos reliquit hæredes, ideo Polonia bellis inteſtinis conflictata eſt, quolibet principe regiones ad ſe protrahente. quorum præcipui erant* Boleslaus *Maſſovia Dux,* Henricus *Dux Vratiſlavienſis,* Ladiſlaus Locticus, *&* Wenceslaus *rex Bohemia.* Hiſt. Pol.

Erfur-

Erfurtenſes ſeditione laborant, ad quam ſedandam Rudolphus Imper. Comitia ibi indicit; eò pervenit die 13. Decemb. cum magno comitatu, ubi autores ſeditionis gladio occidit; & cùm Thuringia infamis eſſet propter latrocinia, ſexaginta arces, latronum receptacula deſtruit, & Ilmenæ latrones 29. Erfurdiam adductos decollari juſſit. *Spang.*

ANNO MUNDI 5239. Poſt C. 1290.
A. ☐ 11. ☽ 18. *Ind.* 3.

Annus Indorum 1376. *& Hegira* 689. *incipit* 14. *Jan. fer.* 7.

Imperator Rudolphus dum Erfordiæ ferè anno ſpatio commoraretur, & intelligeret diſſenſiones inter Landgravium Albertum & ejus filios Fridericum & Dicemannum, *evocat eos ad ſe, & rem quantum poteſt, componit. Sed cùm Albertus nihil horum præſtaret, & hoſtes filiis ſuis conciliaret, etiam arces & alia peregrinis oppignoraret,* Fridericus *eum capit, quem tamen ita volente Imperatore iterum dimittit. Pater liberatus cum Brandeburgico agit, ut Miſniam vaſtet, id quod factum ineunte anno ſequente, cùm Imperator Erfurdiâ diſceſſiſſet.* Spang.

Judæi ex Anglia in univerſum pelluntur hoc anno. *Polyd.*

Henricus *Dux Bavariæ moritur die* 5. *Februar. relictis filiis Ludovico & Stephano, qui ſimul Ducatum quadriennio adminiſtrant.* Abb. Arg.

Tartarorum Imperator, quòd voluptatibus deditus eſſet, removetur à gubernaculis, & ſuccedit ipſi Caſanus Cham Argonis filius, qui iterum favet Chriſtianis. Bizarus.

Cum Epiſcopus Colonienſis adhuc in captivitate eſſet, ante triennium captus, Walramus *Comes Juliacenſis &* Eberhardus *Comes de Marcha Epiſcopatum invadunt, & Weſtphaliam ac Angriæ Ducatum ferro & igne vaſtant.* Trith.

Hugolinus Patriarcha Conſtantinopolitanus Theologus floret. *Trith.*

JACOBUS Epiſcopus Genuenſis, qui ob crebras allegationes *vorago* nuncupatus eſt, quique ſcripſit LEGENDAM auream, ſive ſpeculum Sanctorum, & Chronicum Genuenſium, floret. *Trith.*

Albertus Dux Auſtriæ Hungariam vaſtat, & plurima oppida capit & præſidiis munit; interim moritur *Ladiſlaus* rex Hungariæ, cùm annis 18. regnâſſet: ſuccedit *Andreas*, qui regnat annos undecim. *Hiſt. Auſt.*

Eclipſis Solis magna annotatur à Spangenbergio, quæ invenitur die 5. *Septembr. feria* 3. *hor* 7, 37.7. *poſt mediam noctem Viteberga, ubi Parall. latitud.* 25,8. *Latitudo vera* 28,7, *viſa* 2,59. *Semid. Solis* 15,25 *ſcrup. reſid.* 27,0. *digiti Eclipt.* 10,30. *Sol in* 19,36. *Virginis.*

Melech *Meſſor Soldanus Babyloniæ iterum exercitum in Palæſtinam educit, ad extirpandos* Chriſtianos *menſe Octobri: ſed ipſe ſubitò defungitur in itinere, ideò apparatus hic totus dilabitur; Succedit ipſi filius* Seraph. Marin.

Rudolphus *Imp. die* 26. *Septembr. regi Bohemiæ Wenceslao, genero ſuo aſſerit & confirmat officium* Pincernatûs *in Imperio & dignitatem Electoralem.* Conſtit. Imp.

ANNO MUNDI 5240. Poſt C. 1291.
C. ☉ 12. ☽ 19. *Ind.* 4.

Annus Indorum 1377. *& Hegira* 690. *incipit* 3. *Jan. fer.* 4.

Johannes Marchio Brandenburgenſis, perſuaſus ab Alberto Landgravio Miſniam cum exercitu invadit, & urbem Miſenam obſidet. *Fridericus* mittit Dicemannum fratrem ad obſidionem ſolvendam, cives de auxiliis certiores facti erumpunt, & Marchionem vincunt; inde hoſtem inſecuti, iterum eum vincunt, ubi cadunt tria millia, capiuntur ſeptem millia. Inde Brandenburgenſis reparato exercitu iterum Miſniam invadit, & *Hainam* urbem obſidet, ſed cives erumpentes eum iterum vincunt. Ideo Brandenburgenſis Anhaldinum de auxiliis ſolicitat, qui etiam ea promittit in ſequentem annum. *Spang.*

Seraph Soldanus Babyloniæ, quòd ad Ptolemaidem mercatores Saraceni 19. ſpoliati & trucidati eſſent, contra inducias, ulturus injuriam, cum magno exercitu obſidet Ptolemaidem die 5. Apr. habuit in exercitu ſexaginta millia equitum, centum & ſexaginta millia peditum, & magno conatu oppugnationem urget. *Rex* Henricus 4. Maji præſidium infert, ſed die 18. Maji, feriâ ſexta Saraceni coronâ urbem invadunt, & vi capiunt, trucidata ibi fuerunt ad triginta millia hominum. Ptolemaide capta, cùm vicini Tyrii caſum urbis vicinæ audiſſent, eàdem veſpera urbe fugiunt, & ſtatim ſequenti die Saraceni eandem quoque occupant. Idem etiam accidit reliquis urbibus, atque ita *Syria* tandem penitus amiſſa eſt, multi tamen effugerunt in Cyprum. *Marin.*

Fridericus Marchio, qui ſedem aulæ *Dreſdæ* habebat, cùm novem annis poſt fratrem vixiſſet, moritur, & cùm absque liberis moreretur, patrueles ſuos Fridericum & Dicemannum inſtituit hæredes. *Fab.*

Alphonſus *Aragoniæ rex, Petri filius, adoleſcens annorum* 27. *paulò ante nuptias, quas inſtituerat cum filia regis Angliæ, moritur die* 18. *Junii, cùm tantùm annos* 4. *regnaſſet; ſuccedit ipſi frater* Jacobus, *qui hactenus rex in Sicilia fuerat, qui regnat annos* 17. Ann. Arag.

Rudolphus Imperator Principes Electores convocat Francofurtum, ut filium ſuum *Albertum* regem Romanorum creent, ſed id non obtinet; paulò pòſt Erfordiam venit, ubi graviſſimè ægrotare incipit. Inſtituit igitur iter properabundus Spiram verſus, dicens ſibi multos ibi conveniendos eſſe reges, innuens, ſe ibi ſepeliri velle. Moritur autem, priusquam eò perveniret, die 15. Julii: In octava diviſionis Apoſtol. habet Trith. die 18. Auguſti habent alii: alii denique die 30. Septemb. *Cuſp.*

Dux *Poloniæ* Leſco *uxori ſuæ, priusquam moreretur, amplam portionem regni Polonici legârat, ipſa verò eandem portionem tradit Wenceslao regi Bohemiæ, nepoti ex ſorore, qui miſſo exercitu hæreditatem cernit; auxilia inſuper adduxit regi Bohemiæ Otto Marchio Brandenb.* Dubr.

Rex *Hungariæ Andreas in Auſtriam irruit, quam ſex ſeptimanis viciſſim vaſtat; intercedunt tandem Epiſcopi, & redduntur regi oppida, quæ ad Hungariam ſpectabant.* Hiſt. Auſt.

Annus Indorum 1378. *& Hegira* 691. *incipit* 24. *Decemb. fer.* 2.

ANNO

ANNO MUNDI 5241. Poſt C. 1292.
F.E. ☉ 13. ☽ 1. *Ind.* 5.

Electores Imperii conveniunt Francofurti, electuri Imperatorem, ubi Moguntinus, qui multum officii debebat Adolpho Naſſovienſi, fallit Electores, ita ut unanimiter Moguntino concederent poteſtatem eligendi, quem vellet; qui eligit *Adolphum* Naſſovienſem inſtructum nec autoritate, nec divitiis, nec prudentiâ, qui imperat annos ferè ſeptem. *Spang.*

Nicolaus IV. Papa, cùm ſediſſet annis 4. menſe uno, moritur die 4. April. Cardinales in electione novi Pontificis diſcordias alunt, ideò ſedes Pontificia vacat annis 2. menſibus 3. *Onuf.*

Seraph *Soldanus Babyloniæ, ulterius perſecuturus* Chriſtianos, *claſſem ædificat, ut in Cyprum trajiceret, ædificatq; centum triremes. Sed Saraceni metuentes ſibi à bello maritimo, eum in venatione trucidant. Inde cùm moreretur abſq; heredibus, ingentes de ſucceſſione exortæ ſunt diſſenſiones: frater tamen ejus tandem aliquid obtinuit.* Marin.

Styriæ *nobiles rebellant Alberto Auſtriaco, ſeq; dedunt* Ottoni *Duci Bavariæ, qui fultus auxilio Saltzburgenſis, Styriam occupat: Sed Albertus tandem comparato exercitu in mediâ hyeme Styriam ingreſſus, eos omnes expellit.* Hiſt. Auſt.

Sanctius *rex Caſtellæ, Maurorum triremes viginti vincit, tredecim ex iis capit, & Tarteſſum urbem Mauris eripit, die* 21. *Septemb.* Marian.

Annus Alexandr. 1604. *Antioch.* 1341. *Conſtant.* 6801. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſar. 2041. *& Philippi* 1617. *incipit* 4. *Octobr. fer.* 7.

Annus Indorum 1379. *& Hegira* 692. *incipit die* 13. *Decemb. fer.* 6.

Anhaldinus *Princeps exercitu comparato Miſniã vaſtat, circa* Torgam & Ilenburgum; *Fridericus ipſi obviam profectus, eum vincit magnâ clade, & fugat. Brandenburgenſis interim* Luccam *obſidebat, ſed & hic vincitur, quem Dicemannus inſequitur* Francofurtum *uſque, quam urbem obſidet menſis ſpatio; tandem obſidionem ſolvit, & omnem regionem ibi vaſtat, quibus cladibus Brandenburgicus victus, pacem quærit & obtinet.* Spang.

ANNO MUNDI 5242. Poſt C. 1293.
D. ☉ 14. ☽ 2. *Ind.* 6.

Annus urbis 2045.	*Julianus* 1338.
Æra Hiſpan. 1331.	*Auguſtorum* 1320.

Annus Imp. Adolphi 2. *Andronici* 10.

Annus Jezdegird. 662. *incipit* 2. *Jan. fer.* 6. *Armen.* 742. *incipit die* 5. *Jan. fer.* 2.

Neuruz Perſ. 214. *incipit cum æquin.*

Naves *duæ Angliæ vi ventorum, dum in Aquitaniam tendunt, in Normanniam deferuntur, ubi tanquam hoſtiles capiuntur, & nautæ crudeliſſimè interficiuntur. Claſſis reliqua Anglorum Normanniam vaſtat, propter injuriam illatam, hinc graviſſimum bellum ortum, & claſſis Gallica aperto marte vincitur, ſed interim Gallus ferè totã Aquitaniam occupat.* Polyd.

Olympias 517. *incipit* 15. *Julio. Eſt annus Olympiadicus.* 2069.

Annus Diocletiani 1010. *incipit* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus 7. *ſive Jobelei* 25. *incipit* 3. *Sept. feria* 5. *Anno Jud.* 5054.

Adolphus *electus Imperator Albertum Auſtriacum ditione pellere conatur, quòd fidelitatem jurare nollet, ideo exercitum adverſus eum inducit.* Hiſtor. Auſt.

Heinricus de Grandavo, Archidiaconus Tornacenſis, natione Teutonicus, Theologus inſignis, moritur hoc anno. *Trith.*

Conradus *Glogovienſis Dux,* Heinricum, *Ducem Lignicenſem patruelem ſuum, captum vaſi ferreo includit, in quo nec ſedere nec recumbere potuit, per ſex menſes.* Hiſt. Polon.

Albertus *Landgravius Thuringiæ, ut filiis ægrè faciat, conſtituit Thuringiam vendere, offert principibus & præſulibus partes, quæ ipſis opportunæ eſſent; emtorem tamen nullum invenire potuit, quòd diffiderent, ſe poſſe obtinere eam provinciam, cujus adhuc eſſent legitimi hæredes.* Fab.

Annus Indorum 1380. *& Hegira* 693. *incipit* 2. *Decemb. fer.* 4.

ANNO MUNDI 5243. Poſt C. 1294.
C. ☉ 15. ☽ 3. Ind. 7.

Rex *Angliæ bellum inferens regi Galliæ, mittit centum millia marcarum argenti Adolpho Imp. ut eas diſtribueret principibus imperii, & auxilia ſibi mitteret contra Gallum. Adolphus acceptâ pecuniâ principes conſuluit, ſed cùm nec principes ſtipendiarii vellent fieri regis Angliæ, & prohiberent, ne Imperator fieret Adolphus auxilia mittere non potuit, pecuniam tamen retinuit.* Polyd.

Barones Bohemiæ Wenceslao regi Bohemiæ rebellant, & Ducem Vratislavienſem advocant, qui veneno trucidatur. Pontanus Canon.

Cùm ſedes Pontificia jam vacâſſet biennio, & tribus menſibus, eligitur Papa *Petrus* de Murone die 5. Julii, qui voluit ſe *Celeſtinum V.* vocari; is, quia homo ſimplex erat & Eremita, perſuaſus à Benedicto Cajetano Pontificatu ſe abdicat, quapropter cùm Cardinales quosdam creâſſet, & legem tuliſſet, licere Pontifici, ut ſi vellet, ſe abdicare poſſit Pontificatu, abdicat ſe die 13. Decemb. cùm ſediſſet menſes quinque & dies 7. & eligitur in ejus locum veſperâ nativitatis Chriſti Benedictus Cajetanus, qui dictus eſt *Bonifacius IIX.* qui ſedet annis 8. menſibus novem. Hic Celeſtinum, cùm iterum in Eremum tenderet, cepit, & toto biennio in captivitate habuit. *Platina.*

Johannes *Dux Brabantiæ in haſtiludio die Inventionis crucis in brachio periculosè vulneratur & moritur, cùm præfuiſſet annis 26. ſuccedit ipſi filius* Johannes, *qui præfuit annis* 18. *Hic montem Gertrudis ſuis ditionibus adjecit, & terram Waſſenburgenſem.* Chron. Belg.

Albertus Landgravius Thuringiæ Adolpho Imperatori argento Anglico inſtructo vendit totam Thuringiam, excepta arce Wartburgenſi, quam ſibi retinuit ad vitam. Cùm verò Thuringi ipſi homagium facere nollent, niſi ſolverentur juramento à ſuis principibus Friderico & Dicemanno, vi eos cogendos decernit. Iſnacenſes tamen voluntarii in ditionem ipſius conceſſerunt propter arcem vicinam Wartburgum. Inde Adolphus Iſlebiam fruſtra obſidet. Inde progreſſus in mediam Thuringiam, omnia immaniter & crudeliſſimè vaſtat, homines, moniales & virgines ſtuprandas militibus conceſſit. Inde in odium venit, nec

Marchiones Fridericus & Dicemannus ſuis rebus deſunt, & cùm hoſtes longè lateq; popularentur regiones, multos nobiles unà Ralpenburgi comprehendunt, quos propter ſcelera in virgines commiſſa exſectâ virilitate nudos ad Imperatorem dimittunt. Pudore confuſus Adolphus recedit Mulhuſium, ubi à civibus urbe ejicitur, nihilominus tamen exercitum mittit in Oſterlandiam, & Friburgum ibi expugnat & arcem Numburgenſem, & omnia incendiis vaſtat. *Spang.*

Albertus Dux Brunſuicenſis, fratrem ſuum ditione pellit, qui cum liberis fugiens *Einbeccum* contendit, & initium fecit Ducatus *Grupenhagen. Spang.*

Annus Indorum 1381. *& Hegira* 694. *incipit* 21. *Novemb. fer.* 1.

ANNO MUNDI 5244. Poſt C. 1295.
B. ☉ 16. ☽ 4. *Ind.* 8.

Colonienſis Epiſcopus, ex captivitate Comitis Montenſis multâ pecuniâ redemtus, contra juramentum datum viciſſim Comitem capit, qui etſi & pecuniam & alia Epiſcopo reſtituere vellet, dimitti tamen non potuit, ſed in captivitate mortuus eſt. *Trith.*

Alexander *Scotiæ rex, equo excuſſus, cervices frangit & moritur, die* 19. *Martii, cum regnâſſet annis* 37. *inde diſſenſiones oriuntur, obtinet tamen regnum frater* Johannes, *qui unico tantum anno præeſt.* Buchanan.

Sanctius *Caſtellæ rex, cùm regnâſſet annis undecim, moritur die* 25. *Aprilis; ſuccedit filius Ferdinandus, puer undecim annorum, qui regnat annos* 17. Marian.

Adolphus Imperator iterum mittit in Thuringiam exercitum, qui circa Creutzburgum omnia vaſtat, & tandem urbem obſidet per integrum menſem, quam tandem cepit, cùm ei ignem injeciſſet; arx pòſt dedita eſt, cum ſiti obſeſſi laborarent. Eodem tempore Adolphus ſimul exercitum mittit in Miſniam, Duce Philippo, qui Marchionibus ibi negotium faceſſeret, quem tamen Fridericus vincit & caſtris exuit. Auxilia poſtea huic mittuntur & complementum, ſed ingruente hyeme in hyberna diſceſſum eſt. *Fab.*

Ludovicus *Comes Palatinus, cùm quinque annis præfuiſſet, moritur; ſuccedit* Rudolphus *primogenitus, qui ducit uxorem Mathildem Adolphi Imperatoris filiam: nuptiæ celebrantur Calendis Septembr.* Heinr. Monach.

Status *Polonici pertæſi diſſenſionum* Gneſnæ *comitia agunt, & eligunt principem* Primiſlaum, *qui regium nomen, à majoribus per annos ducentos & quindecim intermiſſum, repetit, & Gandavum munire incipit; regnat tantum menſes circiter octo.* Hiſt. Pol.

Guido Comes Flandriæ, filiam ſuam Eduardo regis Angliæ filio uxorem deſpondet: id malè habebat Gallum, & evocat Guidonem, & inopinantem in carcerem cum conjuge conjicit. *Annal. Fland.*

Rex Galliæ claſſem in Angliam mittit, & maritima ejus deprædatur; Johannes etiam rex Scotiæ, relicto Eduardo Anglo incipit adhærere regi Galliæ. Hinc bellum inter Anglos & Scotos exortum. *Polyd.*

Annus Indorum 1382. *& Hegira* 695. *incipit* 10. *Novemb. fer.* 5.

Maria Lauretana traditur in Italiam hoc anno migraviſſe, ut habent plerique Scriptores.

ANNO MUNDI 5245. Poſt C. 1296.
A.G. ☉ 17. ☽ 5. *Ind.* 9.

Otto & Johannes Marchiones Brandeburgenſes *Pomeraniam*, quæ ad Polonos tum pertinebat, vaſtant; eis occurrit Primiſlaus rex Poloniæ cum exiguis copiis, & occiditur menſe Martio, cùm tantum ferè octo menſes regnâſſet. Status regni Polonici iterum conveniunt die 23. Aprilis, die Alberti & creant regem *Ladulaum* Locticum, cui tamen poſt quadriennium, propter ignaviam & libidines abrogant imperium. *Hiſt. Pol.*

Adolphus iterum mittit exercitum in Miſniam, & primo vere *Fribergam* urbem Metallicam obſidet, ubi mons cuniculis ſuffoſſus corruit, & plurimos de exercitu ejus occidit: Duravit obſidio integro anno & menſibus quatuor. Interim Friderici equitatus vincit equitatum Imperatoris tumultuario prælio. *Fabr.*

Cùm Johannes rex Scotiæ non Anglo, ut debebat, ſed regi Galliæ auxilia ad bellum mitteret, invaditur ab Eduardo rege Angliæ, qui Berwicum urbem expugnat, & *Johannem* regem prælio vincit, & capit tandem, cum vix annum regnâſſet. Interregnum poſtea fuit in Scotiâ per annos ferè undecim. *Buchan.*

Rex Angliæ, ut Guidonem Comitem Flandrenſem ex captivitate liberaret, mittit exercitum in Galliam; ſed is vincitur, & multi nobiles trucidantur aut capiuntur. Intercedentibus tamen Epiſcopis Guido liberatur, ſed datâ obſide filiâ ſuâ, quæ Eduardo Anglo deſponſata fuerat, quam Gallus poſtea dimittere nolebat, ideoq; Guido fœdus facit cum Anglo. *Annal. Fland.*

Florentius *Comes Hollandiæ, fraudulenter à ſuis Baronibus & aulicis in venationem deductus, capitur & ad Angliæ regem abducendus abſtrahitur. Quidam effugientes evocant ſubditos, qui latrones illos inſequuntur, qui tamen priusquam caperentur, Florentium interficiunt, cum præfuiſſet annis* 42. *Capti latrones dolio, clavis acutis conſerto, incluſi de monte in planiciem devolvuntur, & rotâ deinde contunduntur; idem accidit etiam Baroni de* Cronenburg / *authori ſceleris, quem Comes Clivenſis vindex parricidii integro anno obſedit. Succedit* Johannes *filius, qui triennio præeſt.* Chron. Traj.

Bonifacius Papa Jacobum & Petrum *de Columnâ* Cardinales deponit, tamque ipſos quàm omnes de Columnâ uſq; in tertiam generationem. Hi in Galliam fugiunt, ubi Pariſiis Synodum agunt, in quâ Bonifacium multorum ſcelerum arguerunt; Ideo Papa Philippum regem regno dejicere conatus eſt. *Cent. Mag.*

Annus Alexandr. 1608. *Antioch.* 1345. *Conſtantinop.* 6805. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſ. 2045. *& Philippi* 1621. *incipit* 3. *Octobr. fer.* 4.

Annus Indorum 1353. *& Hegira* 696. *incipit* 30. *Octob. fer.* 3.

Bonifacius Papa Carolum Comitem Andegavenſem olim regem Siciliæ, Jacobo Siciliæ & Aragoniæ regi conciliat, & Jacobo filiam Caroli Blancam deſpondet, hâc conditione, ut Siciliam Carolo Andegavenſi relinquat, eamq; ita reſtituat.

Verùm

Verùm Siculi, qui capitali odio à Gallis diſſidebant, *Fridericum* Jacobi fratrem ſibi regem præficiunt, anno undecimo poſt Petri Aragonii mortem. *Golzius pag. 31.*

ANNO MUNDI 5246. Poſt C. 1297.
F. ⊙ 18. ☽ 6. *Ind.* 10.

Annus urbis 2049. *Julianus* 1342.
Æra Hiſpanica 1335. *Auguſtorum* 1324.
Adolphus inchoat annum imp. 6. *Andronicus* 14.

Annus Jezdegird. 666. *incipit* 1. *Januar. feria* 3. *Armen.* 746. 4. *Jan. fer.* 6.

Annus Neuruz Perſ. 218. *cum æquin. verno.*

Johannes *Comes Hollandiæ, contra rebellantes Friſios hâc hyeme movet, & eos prælio vincit, die* 27. *Martii. Wilhelmus trajectenſis Epiſcopus, autor rebellionis, Comitem excommunicat, Friſiis auxilia mittit, & omnibus, qui contra Comitem militent,* remiſſionem peccatorum promittit, *atq; ita magnum exercitum colligit, ſed iſti ſacrati milites nihilominus vincuntur.* Chron. Belg.

Wenceslaus *rex Bohemiæ in feſto Pentecoſtes cum Jutta uxore ſuâ Pragæ ab Epiſcopo Moguntino iterum coronatur, præſentibus pluribus principibus, ubi actum de deponendo* Adolpho *Imperatore.* Heinr. Monach.

Tartari *anno Hegiræ* 696. *in regnum Aladin Sultani Iconienſis per Perſiden irruptionem faciunt: Aladin fugiens* Otrugarel *regno Carmaniæ præficit. Sed hoc poſt paucos menſes defuncto, filio ejus* Othmen *inſignia regni Carmaniæ tribuit, vexillum, enſem & indumenta, eumq; regem Carmaniæ facit. Ab hoc familia Imperatorum Turcicorum Ottomannicorum initium ducit, eodem ferè tempore, quo familia Habspurgenſis celebris eſſe incipit.* Zacuthi.

Philippus *pulcher rex Galliæ jubet Flandros excommunicari, ſed Papa contra Flandros ſolvit excommunicatione, nihilominus* Philippus *in Flandriam abit, eam occupat, cùm Flandros viciſſet die* 13. *Auguſti, feriâ tertiâ. Tandem fiunt induciæ in biennium, ſed duriſſimæ conditiones proponuntur Flandro.* Annal. Fuld.

Olympias 518. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2073.

Annus Diocletiani 1014. *incipit* 29. *Auguſti.*

Ludovicus rex Galliæ, qui expeditionem multorum annorum fecerat in Ægyptum & Palæſtinam, & tandem in caſtris ad Tunctum ante annos 27. defunctus fuerat, die undecimo menſis Auguſti à Pontifice *Bonifacio* inter Sanctos refertur & proclamatur, ut ejus natalis celebretur die 25. Auguſti. *Vitriac.*

Adolphus Imp. in Miſniâ *Fribergam*, quam 16. menſibus obſederat, per proditionem capit, arcem verò cum multis nobilibus, paucis diebus poſt deditionem, hâc conditione, ut liberi cum armis decederent, quam conditionem Punicâ fide ſervavit. Sexaginta enim ex eis cives gladio occidit, reliquis pro redemtione magnam pecuniæ ſummam impoſuit. Hos ut liberaret Fridericus, tres urbes Grimmam, Rochlitium & Leiſnicum Imperatori tradere coactus fuit; dedidit ſe ſpontè Imperatori Miſena urbs, quòd Ep ſcopus Adolfo faveret. Fridericus ita totâ ditione ferè pulſus, exules & amicos colligit, & noctu Rochlitium recipit, & paulò pòſt ex inſidiis Philippum Naſſavienſem intercipit, qui ut liberaliùs in captivitate haberetur, Friderico Geitam, Dobelam & Bornam reddit. *Fab.*

Interim præfecti Adolphi in Alſatiâ mutuas viciniis inferunt injurias, quapropter comites & urbes fœdus ineunt contra Imperatorem, & rebellant. Trith.

Annus Indorum 1384. *& Hegiræ* 697. *incipit* 19. *Oct. fer.* 7.

ANNO MUNDI 5247. Poſt C. 1298.
E. ⊙ 19. ☽ 7. *Ind.* 11.

Principes Germaniæ præcipui conveniunt in Auſtriâ apud Albertum die 2. Feb. ubi & fer. 4. in eâdem hebdomade Rex Bohemiæ Wenceslaus ducit filiam regis Hungariæ Andreæ. Inde Albertus cum magno comitatu pergit in Sueviam contra Adolphum Imp. qui ſententiam publicârat de Alberto ex Auſtriâ & aliis provinciis pellendo; qui etiam in Comitatum *Hegerlochium*, qui ad Auſtriam pertinebat, menſe Aprili irruerat, & Comitem inopinantem trucidâret. Interim Moguntinus & alii principes Moguntiæ conveniunt die 24. Junii, & Adolphum indignum imperio pronunciant, & deponendum, & *Albertum* Auſtriacum Imperatorem pronunciant. Imp. Adolphus Albertum profligaturus, cum exercitu & auxiliis ducum Bavariæ Ottonis & Rudolphi adveniens, cum Alberto acie decernit, die Proceſſi & Martiniani, qui eſt dies 2. Julii (*Feſtum enim viſitationis Mariæ tunc inſtitutum non erat*) & in acie cadit, interfectus ab ipſo Alberto Auſtriaco: filius ejus cum multis capitur. Inde Auſtriacus voluit omnes principes convenire, & legitimè eligi, ne videretur imperium invadere, quod factum eſt die 25. Julii Aquisgrani, ubi caronatus eſt. Tanta ubi convenit hominum multitudo, ut & Dux Saxoniæ opprimeretur. Menſe Novembri etiam uxor ipſius coronatur, ubi ipſe filius ſuis Rudolpho, Friderico & Leopoldo Auſtriam, Styriam, Carniolam & alias provincias diſtribuit. Imperaverat autem *Adolphus* annos ſex & menſes ſex. Albertus verò annos ferè decem. Papa hanc electionem Alberti in initio improbavit. Cæterùm hoc etiam obſervetur, quòd ferè omnes, qui Adolphum oppugnârunt, violentâ morte perierint. *Trith.*

Bonifacius *Papa die* 3. *Martii publicat librum ſextum decretalium.* Chron. Belg.

Bonifacius *Jacobum Aragoniæ regem abſolvit ab excommunicatione, datque ipſi Inſulæ Sardiniæ imperium, ſub certis tamen conditionibus.* Albert. Argent.

Fama exorta de Judæis, quòd conſecratam hoſtiam, ut vocant, in mortario contuderint, unde copioſiſſimus ſanguis effluxerit, quem ſiſtere non potuerunt; quapropter ubique locorum pulſi ſunt, & facultatibus exuti aut trucidati. Scribitur, multos ſuos liberos interfeciſſe, ne aliquando nomen ſuum Chriſto darent, & in ignes ſe & ſuos conjeciſſe. *Alb. Argent.*

Annus Indorum 1385. *& Hegiræ* 698. *incipit die* 8. *Octob. fer.* 4.

Scoti *Duce Vallâ rebellant, rex Eduardus verò, dum in Flandriâ eſt, mittit exercitum in Scotiam, cujus magna pars ex inſidiis à Scotis trucidata eſt. Reliqua pars impar hoſtibus in Angliam rediit, quam ſecuti ſunt Scoti, & Angliam crudeliſſimè vaſtârunt.* Polyd.

Jacobus *Aragoniæ rex contra fratrem Fridericum Siciliæ regem claſſem mittit, eum pulſurus regno; & Fridericus quidem vincitur, poſtea tamen idem vincit, & regnum ſuum tutatur.* Marian.

Juriſperiti circa hæc tempora florent: *Johannes* Andreæ Bononiæ. Item Mugellanus, & *Johannes* Scotus Doctor ſubtilis. *Chron. Belg.*

Marchiones *Miſniæ ſperant Adolpho cæſo, ſe ſua recuperaturos, & proinde urgent captum Philippum Naſſovienſem, ut urbes captas ſibi reſtituat, quas etiam aliquas reddit, Friberga tamen cedere noluit; quapropter arctiùs cuſtoditus eſt, ſed nihilominus ex captivitate evaſit, & apud Imperatorem novum de auxiliis ſollicitavit.* Fab.

ANNO MUNDI 5248. Poſt C. 1299.

E. ☉ 20. ☽ 8. *Ind.* 12.

Albertus Imper. petit confirmationem imperii à Bonifacio Papa, qui denegat ipſi hoc, & Albertum vocat parricidam, qui Adolphum interfeciſſet, & ipſe die Palmarum coronatus & accinctus in publicum prodiit inquiens: *Ego ſum Cæſar & Papa.* Tandem tamen, ut haberet, quem Philippo regi Galliæ opponeret, electionem Alberti approbavit. *Cuſp.*

Inter regem Galliæ & Angliæ tandem fit pax, & Gallus reſtituit Anglo Aquitaniam. Inde Eduardus rex in Angliam redit, cladem ulturus Scotorum, quam intulerant, & *Valla* quidem ſeſe egregiè defendiſſet, niſi proditus fuiſſet ab invidis nobilibus: Ideo magnâ clade affectus eſt, in quâ ceciderunt Scotorum ad decem millia, factum prælium die 22. Julii. *Buchan.*

Annus Indorum 1386. *& Hegira* 699. *incipit die* 28. *Sept. fer.* 2.

Johannes *Comes Hollandiæ, cùm præfuiſſet annis tribus cum dimidio, moritur ſine liberis die* 29. *Octob. Pervenit itaque Comitatus hic ad Comites Hannonienſes, & ſuccedit* Johannes *filius Adelheidis, ſororis* Wilhelmi *Imper. Comitis Hollandiæ, qui præeſt annis quatuor.* Chron. Traj.

Albertus *Auſtriacus, & rex Galliæ conveniunt in Galliis, & Alberti filius Rudolphus ducit Blancam ſororem regis Galliæ. Male hoc habuit Archiepiſcopos Moguntinum & Colonienſem, quòd Philippus cum ſuis excommunicatus eſſet, & propterea nuptiis intereſſe noluerunt: hinc diſſidia orta, quæ in bellum eruperunt.* Hiſt. Auſt.

ANNO MUNDI 5249. Poſt C. 1300.

C B. ☉ 21. ☽ 9. *Ind.* 13.

Bonifacius VIII. Papa, quod nulli in mentem venerat, revocaturus morem Imperatorum, qui ſingulis centenis annis annum ſecularem inſtituerant, *annum Jubilæum* hoc anno agendum decernit, in quo pleniſſimam omnium peccatorum indulgentiam, Romam venientibus, quam etiam aliis temporibus, ſed minutatim largiebatur, tum apertis miſericordiæ ſuæ horreis, nullius menſuræ parcitate cohibitam, omnibus publicè, ſed non omninò gratis omnium peccatorum condonationem effunderet. Cùm ſequentes Pontifices viderent hujuſmodi Jubilæo magnum [illegible] Pontificio fiſco fructum, tum non ſolum [illegible] annos, ſed etiam ad 33. & tandem ad annos [illegible] duxerunt. Papa primo die proceſſit in habitu [illegible]tificali, populoq; benedictionem impertivit: Sed ſecundo inceſſit indutus habitu Imperatorio, & prævio gladio evaginato proclamari juſſit. *Ecce duo gladii hic. Crantz. Urſb.*

Fratricelli in Lombardiâ circa hoc tempus exorti, qui Papæ contradicebant quidem, ſed in omni genere libidinum volutabantur; quare juſſu Pontificis, vel armis vel inediâ oppreſſi fuerunt. *Par. Urſb.*

Gazanus *Cham Tartarorum Imp. inſigni victoriâ potitur contra Soldanum Ægypti, in qua ad* 30000. *Saracenorum interfecta ſunt, plures poſtea perierunt in fugâ, cùm Tartari celeritate equorum prævalerent. Eodem anno cepit Damaſcum, ubi Henricum Megapolitanum Ducem annis* 26. *captivum liberat, & in Europam dimittit. Sed idem Cham turbis regni Perſici revocatus, alium Damaſcenis præponit, qui ad Tartaros deficit.* Marin.

Wenceslaus *rex Bohemiæ, cùm magnam partem Poloniæ obtineret, & Ladiſlaus Lecticus propter deſidiam poſt annos tres regno pulſus eſſet, rex Poloniæ declaratur & conſecratur, ductâ in uxorem filiâ Primiſlai primi regis.* Dubr.

Veneti *& Genuenſes prælio navali decernunt, & Veneti victi fugiunt.* Albert. Argent.

Philippus *rex Galliæ magno exercitu Flandriam ingreditur, & Comitem* Guidonem *totâ ditione pulſum in colloquium evocat, & cum duobus filiis capit, & contra datam fidem in captivitate detinet.* Annal. Flandr.

Annus ſabbathicus primus Jobelei 26. *incipit* 15. *Septem. fer.* 5. *Anno Jud.* 5061.

Annus Indorum 1387. *& Hegira* 700. *incipit* 16. *Septembr. fer.* 6.

Annus Alexandr. 1612. *Antioch.* 1349. *Conſtant.* 6809. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Nabonaſſar. 2049. *& Philippi* 1625. *incipit* 2. *Octobr. fer.* 1.

Annus Jezd. 670. *incipit* 31. *Decemb.*

Moguntinus Epiſcopus, Rudolphus Palatinus & Trevirenſis Epiſc. ſocietatem ineunt contra Imperatorem. Imperator tamen cum exercitu adveniens eò rem deducit, ut pax fieret, & Moguntino unam atq; alteram urbem eripit. *Heinric. Monach.*

Raimundus Lullius in ſolitudinem delatus, cum literarum omninò expers eſſet, ibi ita ſe artibus ingenuis dedit, eaq; ſcribit, quæ homines admirantur potiùs, quàm ut aſſequantur; in Mauritaniam delatus tandem lapidibus obrutus occumbit. *Marian.*

Alanus de inſulis Magiſter Pariſienſis, qui nomen *Doctoris univerſalis* promeruit, claret hoc tempore. *Trith.*

ANNO MUNDI 5250. Poſt C. 1301.

A. ☉ 22. ☽ 10. *Ind.* 14.

Annus urbis 2053.	*Julianus* 1346.
Æra Hiſpanica 1339.	*Auguſtorum* 1328.

Andron. inchoat annum imp. 18.

Annus Armen. 750. *incipit* 3. *Jan. fer.* 3. *Neuruz* 222. *in Æquinoct.*

Bonifacius Papa mittit bullam ad regem Galliæ Philippum, in quâ ſe prædicat Dominum mundi in ſpiritualibus & temporalibus, & eâ de causâ jubet, ut Galliæ rex ſe pro feudi Domino agnoſcat. Hanc Bullam Philippus publicè comburit, & Status regni convocat, qui ſtatuunt, Pontifici nullum jus eſſe in regnum Galliæ. *Polon.* Ideò iratus Papa, fulmen

fulmen excommunicationis emittit in regnum Franciæ, præſertim quòd Cardinales de Columnâ à rege foverentur. Sed nemo excommunicationem hanc ratam habuit in Galliis, præter Epiſc. Burdegalenſem. *Hen. Mon.*

Wenceslaus rex Bohemiæ & Poloniæ, accitis è Florentiâ Hetruſcâ monetariis, primus *groſſos Bohemicos* cudit, qui duplo plus argenti habuerunt, quàm qui ante centum annos cuſi ſunt. *Dubr.*

Heinricus *Comes Lutzelburgenſis juſſu Imperatoris contra Epiſcopum Trevirenſem educit exercitum fortiſſimum, menſe Julio, & omnia circum Treviros vaſtàvit, urbemq; obſedit, undecimâ tamen die obſidionem ſolvit.* Trith.

Olympias 519. *incipit in Julio. Annus Olympiadicus* 2077.

Albertus *Imperator inchoat annum imp.* 4.

Annus Diocletiani 1018. *incipit* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1388. *& Hegira* 701. *incipit die* 5. *Sept. fer.* 3.

Philippus *rex Galliæ in Flandriam venit, & juramentum fidelitatis à Flandris exigit. Sed Brugenſes paulo poſt, cùm juràſſent, ſeditionem movent, & filii deinde Guidonis Comitis Flandriæ ex altera uxore, de recuperando Comitatu conſilia agitant.* Annal. Flandr.

Andreas *rex Hungariæ moritur, cùm annos* 11. *regnâſſet. In eligendo rege Hungari diſſentiunt, & altera pars eligit filium regis Bohemiæ, altera verò filium regis Siciliæ, atq; hinc Hungaria miſerè vaſtatur.* Hiſt. Auſtr.

Gazanus *Cham Tartarorum Imperator in Syriam profectus, evocat* Chriſtianos *ad recuperandam Palæſtinam; verùm cùm Gazanus in periculoſum morbum incideret,* Chriſtiani *in Cyprum revertuntur.* Mares.

ANNO MUNDI 5251. Poſt C. 1302.
G. ☉ 23. ☽ 11. *Ind.* 15.

Scoti *cum Anglis iterum pugnant, eosq; vincunt die* 24. *Februarii. Sed rex Eduardus irritatus, magnâ vi in Scotiam irruit, eam vaſtat, & ut ſibi videbatur, totam occupat, præfectumq; eis loco regis imponit.* Buchan.

Brugis die 23. Maji à præfectis regis Galliæ proclamatur publicè, ut, qui ſeditionis rei fuiſſent ſuperiori anno, urbe excederent: Exceſſerunt ergò viri armati ad quinque millia, & rex ita obtinet urbē cum equitibus, ſed die 25. Maji, biduo pôſt, feriâ ſextâ ante litaniam majorem exules Brugenſes revertuntur, urbem recuperant, & Gallos omnes occîdunt. Rex irritatus ingentem exercitum iterum in Flandriam ducit, ſed adſunt filii Guidonis cum non contemnendâ manu, quibus ſe hi Flandri jungunt, prælio congrediuntur cum regiis die undecimo Julii, & inſigni victoriâ potiuntur. Interfectorum fuerunt ad viginti millia hominum, quatuor equitum; ſeptingenta aurea calcaria ſuſpenduntur à Flandris in trophæum: Nullus equus, ut fertur, triduo ante pugnam hinnitum ediderat. Autumno ſequente iterum rex Galliæ comparat exercitum, ſed nullâ re geſtâ poſt ſeſquimenſem in Galliam redit. *Annal. Fland.*

Annus Indorum 1389. *& Hegira* 702. *incipit* 26. *Auguſt. fer.* 1.

Pax tandem fit inter Gallos & regem Siciliæ, ut Fridericus regnum Siciliæ retineat, à ceterâ autem Italiâ abſtineat: factum ultimo Auguſt. Marian.

Templarii *in Inſulâ Tortoſâ quaedam loca muniverant, ſed Soldanus Ægypti eò cum exercitu pervenit, eosq; in tantas anguſtias redegit, ut ſe dederent; deditos autem non in Cyprum, ut promiſerat, ſed in Ægyptum captivos trahit, reliquos trucidat.* Mar.

Bonifacius *Papa mittit Cardinalem, qui pacem procuret in Hungariâ: cùm nihil efficeret, & Siculum & Bohemum Romam evocat, ut ibi diſceptent de jure regni.* Hiſt. Auſtr.

ANNO MUNDI 5252. Poſt C. 1303.
F. ☉ 24. ☽ 12. *Ind.* 1.

Aladin *Perſarum rex, qui Othmen præfecerat Carmaniæ, & regio titulo ornârat, moritur anno Hegiræ* 702. *Othmen igitur ſibi retinuit Carmaniam, & ex eâ vicinam Aſiam minorem occupavit.* Zacuthi.

Flandri *à regè Galliæ clade modicâ afficiuntur, inde variis modis in Flandriâ belligeratur, donec fierent induciæ, & Guido Comes captivitate liberaretur.* Annal. Flandr.

Synodus Pariſienſis agitur, in quâ decernitur, Bonifacium octavum eſſe Simoniacum, homicidam, hæreticum, Epicoreum, qui Saracenos allexerit ad invadendam Siciliam. *Conſt. Imp.*

Annus Indorum 1390. *& Hegira* 703. *incipit* 15. *Aug. feriâ* 5.

Bonifacius Papa, cùm recenſeret ſuos theſauros, quos in anno Jubilæo corraſerat, Anagniæ in patriâ ſuâ, in profeſto nativitatis Mariæ, die 7. Septembr. proditur, capitur, abducitur, & omni theſauro ſpoliatur à Wilhelmo de Rogareto, conſciis Columnenſibus Cardinalibus. Tertio die tamen liberatur, & Romam profectus, mœrore animi moritur die 11. Octobris, cùm ſediſſet annos octo, menſes novem, dies octodecim. De eo dictum fuit, *quod intrârit ut vulpes, regnaverit ut leo, mortuus ſit ut canis. Hâc formulâ loquendi* Baronius *ſæpè utitur de aliis etiam Pontificibus.* Succedit ipſi quidam Nicolaus, qui ſe voluit appellari *Benedictum XI.* qui ſedit menſibus tantùm octo, & diebus ſeptendecim. *Plat.*

ANNO MUNDI 5253. Poſt C. 1304.
E. ☉ 25. ☽ 13. *Ind.* 2.

Controverſia intra Pontificem Romanum & regem Galliæ Peruſii componitur, & privilegia & libertates, quæ Bonifacius regibus Galliæ ademerat, rex recipit, ita & Columnenſes Cardinales reſtituuntur. Polon.

Franciſcus Petrarcha Philoſophus, Rhetor, & Poeta celeberrimus, qui humanitatis artes poſt longa ſilentia intermortuas ab inferis revocavit, naſcitur die 20. Jul. *Volater.*

Benedictus XI. cùm ſediſſet menſes octo, moritur die 7. Julii, feriâ 3. Propter diſſenſionem Cardinalium nullus Papa eligi potuit, vacat igitur ſedes menſes undecim. *Onuf.*

Flandri victoriâ elati, Seelandiam & Hollandiam vaſtant, & ferè occupant præter Zirizæam & Harlemum, ſed poſtea ancipiti bello rem gerunt, cùm Hollandi ſe fortiter defenderent. Tandem Wilhelmus, filius Comitis Hollandiæ Johannis, claſſe adjutus à rege Franciæ Philippo Flandros adhuc Zirizæam obſidentes graviſſimo prælio vin-

vincit, occiſis decem millibus, & captis mille navibus, cum ingenti prædâ. *Johannes* pater plurimum lætus de filii ſui victoriâ, moritur die 9. Septemb. cùm præfuiſſet annis 4. Succedit filius *Wilhelmus*, qui præeſt annis 33. Porrò rex Galliæ Philippus in devictos Flandros hoc eodem anno circa Calendas Julii movet. ſed repellitur à Flandris, à quibus die 18. Aug. fer. 3. vincitur, in maximo æſtu rex vix periculum mortis evaſit. Paulò pòſt rex iterum redit, ſed induciæ ſunt in ſequentem annum. *Annal. Flandr.*

Annus Indorum 1391. *& Hegira* 764. *incipit* 4. *Aug. fer.* 3.

Annus Nabonaſſaris 2053. *& Philippi* 1629. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Alexandr. 1616. *Antioch.* 1353. *& Conſt.* 6813. *incip.* 1. *Octob. fer.* 5.

Annus Iezdegird. 674. *incipit* 30. *Decemb. fer.* 4. *Armen.* 736. 8. *Jan. fer.* 4.

In *Miſniâ* & *Thuringiâ* Philippus Naſſovius, quæ adhuc obtinebat, defendebat, nec expelli poterat, quòd Albertus Imp. ipſi clanculum ſubſidia ſubminiſtraret, cùm tamen Fridericum interim ſpe pacis lactaret. Albertus pater mortuâ Cunigundâ tertiam uxorem duxerat, viduam comitis Arnſhang / quæ filiam habebat Elizabetham, omnibus virtutibus ornatam, ad quam Fridericus animum adjicit, & ex arce Wartburgo Iſnacum euntem intercipit, & Gotham deducit, ſtatimque id ad matrem perſcribit, cur hoc modo initium matrimonii, ſi ſuâ voluntate fieri poſſit, fecerit. Inde advocatis multis principibus, & comitibus nuptias celebrat. *Fab.*

ANNO MUNDI 5254. Poſt C. 1305.
C. ☉ 26. ☽ 14. *Ind.* 3.

Annus urbis 2057. *Julianus* 1350.
Æra Hiſpanica 1343. *Auguſtorum* 1332.
Andron. inchoat annum imp. 22.
Annus Armen. 754 2. *Jan. Neuruz.* 226. *æquin.*

Wenceslaus *rex Bohemiæ revocat filium ſuum Wenceslaum ex Hungariâ, ubi rex fuerat per biennium, qui abſtulit ſimul coronam ſanctam: Ideò Hungari eligunt ſibi Ottonem Bavariæ Ducem regem, qui regnum accipit, cùm VVenceslaus coronam ſanctam reſtitueret. Sed cùm regnum hàc illàc peragraret, ut ſe regem eſſe oſtenderet, intercipitur à præfecto Tranſylvaniæ Ladislao, & arce includitur, donec regno renunciaret, & coronam reſtitueret. Succedit ipſi Carolus.* Dubr.

Cùm ſedes Pontificum vacâſſet menſibus 11. die 5. Junii eligitur Papa abſens Bertrandus de Gotto, Vaſco, Epiſc. Burdegalenſis, qui vocatus eſt *Clemens V.* ſeditque annos 8. & menſes 10. Hic ſtatim evocavit Cardinales Lugdunum in Galliam, & ſedem Pontificiam fixit in Galliâ, ubi manſit ad annos 74. Dies coronationis conſtituitur 18. Aug. ubi cùm egrederetur templo, pars muri onere ſpectatorum avulſa Johannem Britanniæ Ducem oppreſſit, cum plurimis aliis. Ipſe Pontefex ex albo caballo deturbatus, carbunculum ex tiarâ amiſit, precio 6000. aureorum, ipſe Philippus etiam ex hâc ruinâ non modicum afflictus fuit. *Platina.*

Guido, *Comes Flandriæ octogenarius jam, cùm annis 26. præfuiſſet, moritur 7. Mart. fer. 1. Inde pax fit in Flandriâ die 5. Junii, ſed duris conditionibus, quas Flandri rejicere non audebant. Succedit Guidoni filius Robertus, qui præeſt annis* 17. Annal. Flandr.

Wenceslaus *rex Bohemiæ, cùm annos 20. regnâſſet poſt coronationem, moritur phtiſi, die 23. Jun. Succedit ipſi filius VVenceslaus degener, qui nec annum regnavit.* Dubr.

Annus Indorum 1392. *& Hegira* 705. *incipit die* 24. *Jul. fer.* 7.

Olympias 520. *incipit in Julio. Annus Olympiadicus* 2081.

Albertus *inchoat annum imperii* 8.

Annus Diocletiani 1022. *incipit* 22. *Auguſti.*

Vilna *urbs in Lithvaniâ conditur à Gedimino Lithvano, qui nuper* Wolhyniam *& Kioviam occupaverat.* Chyt.

Fridericus Marchio plurimum damni dat Iſnacenſibus, qui præſidiis Imp. Alberti tenebantur. Imperator autem evocat & patrem & filios, & pater quidem comparet, & increpatur ob injurias filiis illatas. Filii comparere non audebant: Ideò Imp. eos condemnat, & iis Miſniam abjudicat. Inde Imperator abit in Bohemiam, morte Wenceslai turbatam. *Fab.*

Henricus Comes Lutzelbergicus mittit medicum ſuum, virum diſertum, ad Pontificem in Galliam, ut impetraret filio ſuo Balduino Archiepiſcopatum Moguntinum. Sed medicus ille ſuas res agit, efficit, ut ipſe fieret Archiepiſcopus. Gratus tamen poſtea fuit, & Balduinum poſt biennium fecit Archiepiſc. Trevirenſem. Ille enim hoc anno urbem *Confluentiam*, quæ ob exactiones nimias rebellaverat, obſedit, oppugnavit, & cepit, ſed tantos facere ſumtus coactus eſt, ut omnia ferè, quæ habebat, oppignoraret. *Trith.*

ANNO MUNDI 5255. Poſt C. 1306.
B. ☉ 27. ☽ 15. *Ind.* 4.

Rhenus hoc anno, die purificationis Mariæ adeò inundavit, unà cum *Mœno*, ut pons Francofurti frangeretur, & multæ domus ſubmergerentur. *Trith.*

Scoti *ſuperiori anno inteſtinis diſſenſionibus adeò conflictati fuerant, ut* Valla, *qui regnum fideliſſimè tutatus fuerat, caperetur, & cum cruciatu necaretur; & novus rex tum electus fuit* Robertus Bruſſius *quidam, qui coronatur hoc anno menſe Aprili, qui regnavit annis 24. cùm interregnum fuiſſet 10. annorum. Vincitur autem hic novus rex ab Eduardo filio regis Angliæ, die 20. Julii.* Buch.

Templarii *& Hoſpitalarii in Cypro regem Hugonem regno deponunt die 26. Aprilis, eumque in Armeniam incarcerem mittunt.* Marin.

Annus Indorum 1393. *& Hegira* 706. *incipit die* 13. *Jun. fer.* 4.

Judæi in Galliis mandato regis Philippi, die 22. Julii capiuntur, facultatibus exuuntur, & regno ejiciuntur. *Albert. Argent.*

Wenceslaus *rex Bohemiæ expeditionem inſtituit in Poloniam, ut regnum illud paternum ſibi acquireret, ſed Olmutii meridiano tempore in cubiculo quieſcens trucidatur, incertum an à ſuis, vel à ſubornatis ab Alberto Imper. percuſſoribus, cùm vix annum regnâſſet. Ab hoc tempore Bohemi externis regibus uſi ſunt.* Hiſt. Pol.

Hoſpi-

Hoſpitalarii *Inſulam Rhodum, quam jure quidem incolebant, ſed in tutela Imperatoris Conſtantinopolitani aggrediuntur hoc anno, & quaſdam inſulas ex vicinis occupant, ex quibus poſtea commodius Rhodienſes Turcas oppugnare potuerunt: Duravit hoc bellum quadriennium.* Polon.

Albertus Imper. Aldenburgum venit, quo evocat Fridericum Marchionem, ſed à ſicario ibi interfectus fuiſſet, niſi miniſtri obſtitiſſent, & ipſe mutatis veſtibus evaſiſſet. Inde à ſocru, quæ maritum Landgravium Albertum improbabat, evocatus Fridericus Wartburgum occupat, & patrem Albertum Erfordiam dimittit. Imperator jubet arcem recuperari auxilio Erfurtenſium, Mulhuſinorum, & Nothuſanorum, ſed Fridericus erumpit clanculum, auxilia colligit, & commeatum arci infert, multaſque urbes interea recuperat. Gotham tamen interim amittit, quam interum paulò poſt recipit, & Comitem Vinarienſem fugat, oppidum capit, & plurimam partem Thuringiæ recuperat. *Fab.*

Imperatores Conſtantinop. circa hoc tempus Orientem ſive Aſiam minorem, ferè pro derelicta habuerunt, in quam plurimos ſumptus faciebant, nullos autem reditus inde accipiebant. Fragm. Pachimerii.

ANNO MUNDI 5256. Poſt C. 1307.
A. ☉ 28. ☽ 16. *Ind.* 5.

Rudolphus filius Imperatoris Alberti, à patre ducitur in Bohemiam, ut Wenceslao trucidato ſuccedat: quod & factum eſt, ſed non integro anno regnavit, dyſenteria enim mortuus eſt adveniente hyeme. Inde pater Albertus voluit Fridericum alterum filium ſuccedere, quod & obtinuiſſet, niſi ſequente anno occiſus fuiſſet. *Dubr.*

Albertus Imp. ex Bohemia mittit Ducem cum milite Suevico, qui Philippo conjunctus, Marchiones Miſnia pelleret, qui *Luccam* expugnandam ſibi ſumit. Marchiones fratres auxilia impetrant à Brunſuicenſi affine 300. equites, alium militem ex ſubditis conferibunt. & habitis ſupplicationibus magna alacritate contra hoſtes proficiſcuntur, eoſque tanta clade vincunt, ut proverbium inde ortum in hiſce regionibus, ſi cui res infelicitèr procedit, ut dicatur, *evenit tibi ut Suevis ad Luccam.* Victis hoſtibus fratres Miſniam totam præter Fribergam hoc anno recuperant. Dicemannus Abbatem Pegavienſem, qui hoſtes commeatu juverat, malè mulctat, & ditione pellit, die 21. Julii. Albertus cognita ſuorum clade literis agit cum Comitib. in Thuringia, ut tandem à Marchionibus recedant, ſed nihil impetrat, igitur novum exercitum colligit. *Fab.*

Brandeburgenſes Marchiones, dum nullus rex eſt in Polonia, *Pomeraniam* ſibi acquirunt, & *Dantiſcum* obſident. Novus rex Ladislaus Locticus agit cum cruciferis, ut Dantiſcum defendant, quod quidem faciunt, ſed ſibi ipſis Gedanum retinent, contra pactiones, in quibus convenerat, ut intra triennium ſumptibus reſtitutis inde diſcederent. *Hiſt. Pol.*

Eduardus *Angliæ rex moritur die 7. Julii, anno regni 34. Succedit filius* Edvardus *II. qui regnat annos* 19. Polyd.

Annus Indorum 1394. *& Hegira* 707. *incipit* 3. *Jul. feria* 2.

Annus ſabbathicus 2. *Jobelei* 25. *incipit* 29. *Aug. fer.* 3. *Anno Jud.* 5068.

Templarii de erroribus graviſſimis accuſantur, quòd defecerint à Chriſtiana religione, quod deteriores ſint Saracenis, quod olim Ludovicum regem Galliæ Suldano prodiderint, &c. & damnantur die 13. Octob. fer. 6. Princeps eorum Jacobus Burgundus flammis exuritur, multi in Germaniam dimittuntur, bona eorum recipit pleraque rex Galliæ. *Paralip. Vrſb.*

Helvetiorum *pagi tres* Viri Svitii, *& Vndervvaldii injuriis præf. ctorum Auſtriacorum, quas recenſet Simlerus, coacti de fœdere inter ſe faciendo, & ejiciendis præfectis, conſilia agitant.* Simlerus.

Dicemannus *Marchio nocte Nativitatis Chriſti, in templo D. Thomæ Lipſiæ, autore Philippo Naſſovio, à ſicario periculosè vulneratur, ex quo vulnere moritur, & in templo D. Pauli ibidem ſepelitur.* Fabr.

ANNO MUNDI 5257. Poſt C. 1308.
G. F. ☉ 1. ☽ 17. *Ind.* 1.

Alberto *Imperatori venenum offertur, quo quidem liberatur vomitu, ſed tamen tanta ejus vis fuit, ut alterum oculum corrumperet, & monoculus factus eſt.* Cuſ.

Philippus rex Galliæ Iſabellam filiam ſuam *Edvardo* ſecundo regi Angliæ in matrimonium collocat menſe Januario adhuc. Hinc factum, ut Angli jus ſibi eſſe in regnum Galliæ dicant, unde poſtmodum multiplicia bella exorta. *Annal. Flan.*

Edvardus *rex in Angliam redit, & 22. Febr. coronatur rex Angliæ ad VVeſtmonaſterium: ſed hic rex flagitioſam & impudentem vixit vitam.* Polyd.

Helvetii pagi tres fœderati per inſidias arces Auſtriacorum quaſdam capiunt & deſtruunt, quos Imp. Albertus bello perſequi conſtituit; interim ipſe à conjuratis trucidatur: Pagi autem hi tres fœdus firmum faciunt in decennium. *Simler.*

Albertus Imp. à patruele *Johanne*, cujus bona tutorio nomine diutius juſto obtinebat, aſſumptis tribus nobilibus, qui curam cuſtodiendi corporis Imperatoris habebant, & fideliſſimi putabantur, trucidatur, Cal. Maji. *Cuſp.* habet die 24. Apr. cùm imperaſſet annis ferè 10. Parricidæ omnes, etſi effugerunt, tandem tamen deprehenſi debito ſupplicio affecti ſunt, unus *Walterus* nomine, cum amiſſis ſuis bonis triginta quinque annis poſt illud facinus opilionem egiſſet, ſe tandem ipſe ad pœnam offert. Johannes verò in Italiam in Cœnobium mittitur. *Cuſp.*

Annus Indorum 1395. *& Hegira* 708. *incipit* 21. *Junii, fer.* 6.

Fridericus Marchio & Landgravius occurrit fortè fortuna Philippo Naſſovio ad Bornam, ubi equeſtri prælio decertant, & Marchio, Naſſovium parricidam inſecutus, cum ſua manu occidit. Inde hoſtes cum nemo ſumptibus occiſo Alberto ſuccurreret, paulatim ex his terris diſcedunt, & Iſnacenſes & reliqui ſponte ſub imperium redeunt, Freiburgenſes vi capiuntur, & quoniam Marchio multis damnis ab Imperatoribus affectus erat, in compenſationem horum occupavit *Aldenburgum, Chemnitium, & Zviccaviam*, quæ erant urbes imperii. In Luſatia quædam reliquit Brandeburgico, & ſubditis ſuis in ſequentem annum remittit tributum. *Fab.*

Ciſalpinæ *gentes, cum nullus Imp. in Italiam veniret & Albertus occiſus eſſet, eligunt ſibi ſuos præfectos Dominos. Ita Verona eligit* Scaligeros, *Mantua* Paſſerinos, *Patavium* Carrarienſes, *ſic* Eſtenſes *in poſſeſſionem Mutinæ venerunt.* Platin.

Annus Nabonaſſar. 2057. *& Philippi* 1633. *incipit* 30. *Sept. fer.* 2.

Annus Alexandr. 1620. *& Antioch.* 1357. *& Conſt.* 6817. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Iezdeg. 678. *incipit* 29. *Decemb. fer.* 1.

Electores Imp. tandem menſe Novemb. conveniunt in villa Renſe, & regem Romanum poſt longam deliberationem creant *Heinricum* Comitem Lutzelburgenſem, die 27. Nov. principem ab opibus non magnoperè inſtructum, ſed induſtrium, magnanimum & prudentem, is coronatur Aquisgrani, die 6. Jan. Imperavit annis 4. menſ. 9. *Trith.*

ANNO MUNDI 5258. Poſt C. 1309.

E. ☉ 2. ☽ 18. *Ind.* 7.

Annus urbis 2061. *Julianus* 1354.

Æra Hiſpan. 1347. *Auguſtorum* 1336.

Annus Andronici 26. *Heinrici primus.*

Armen. 758. *incipit* 1. *Jan. fer.* 5.

Neuruz Perſ. Gelali 230. *ab Æquin. verno.*

Erfurtenſes multas arces aut pagos ab Alberto Landgravio emerant, aut dono acceperant, hæc repetit Fridericus filius, quod ſe invito abalienata eſſent. Hinc bellum ortum, & Fridericus cavet, ne Erfurtenſibus inferatur commeatus: Ideò Comitem Vinarienſem ſocium invocant: hinc damna utrinque illata, & Vinarienſis victus pacem petit circa finem anni. *Spang.*

Clemens Papa diris devovet *Venetos*, in die cœnæ Dominicæ, quod quædam ad Ferrariam pertinentia occupaſſent, mittitque exercitum Duce Arnoldo Cardinali ad ea recuperanda, qui pugna inita Venetos vincit menſe Aug. *Pol.*

Annus Indorum 1396. *& Hegira* 709. *incipit die* 10. *Junii, fer.* 3.

Olympias 521. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2085.

Annus Diocletiani 1026. *incipit* 29. *Auguſti.*

Almeria *urbs à Ferdinando tota æſtate obſidetur, Granatenſes obſidionem ſoluturi, die* 24. *Auguſti funduntur. Iterum vincuntur die* 15. *Octobris. Sed obſidio tamen tandem ſolvitur, propter continuos imbres, ſequenti Feb.* Marian.

Flandri tandem incunt pacem cum Philippo rege Galliæ, ſed conditionibus valdè duris Flandrenſibus. *Annal. Fland.*

Helvetiorum tres illi pagi obtinent ab Henrico Imperatore hoc privilegium, ne præfectos accipiant, niſi ab Imperatoribus. *Simler.*

Bartolus de Saxoferrato, Juriſconſultus celeberrimus naſcitur Bononiæ, inſignia Doctoratus accepit anno ætatis 21. poſt quadriennium publicè Piſis juriſprudentiam docuit. *Trith.*

ANNO MUNDI 5259. Poſt C. 1310.

B. ☉ 3. ☽ 19. *Ind.* 8.

Erfurtenſis, aſſumptis Mulhuſinis & Northuſanis & Comite Vinarienſi, iterum regiones Marchionis vaſtant, princeps verò ſubditò comparatis militibus equites Erfurtenſium ferè ducentos intercipit, præfectum occidit, Vinarienſem iterum ita mulctat, ut ſupplicaret de pace. Inde Erfurtenſes obſidet, ignem in urbem projicit, qui ſi ventus faviſſet, totam urbem abſumpſiſſet. Inde de hyberna milites dividit, qui vineas & agros Erfurtenſium vaſtent. *Fab.*

Eclipſis Solis annotatur à Spangenbergio die 31. *Januarii, ſed malè ab ipſo & aliis ponitur in præcedentem annum. Parallaxis latitud.* 39. 20. *Latitud. vera* 43. 4. *Viſa* 3. 44. *Sem. Solis* 15. 50. *Scrup. reſid.* 26. 52. *Digiti eclipt.* 10. 10. *fit* 31. *Jan. fer.* 7. *horis* 2. 2. 30. *poſt meridiem Vitebergæ. Sol in* 19. 34. *Aquarii.*

Heinricus Imp. ſollicitatus à Statibus Bohemiæ, ut regnum Bohemiæ in feudum concederet Eliſabethæ, relictæ filiæ regis Bohemiæ conſilio habito Eliſabetham filio ſuo connubio jungit, & filium regem Bohemiæ creat, qui ſequenti demum anno in Bohemiam venit, *Trith.*

Pluviæ & inundationes plurimæ fuerunt tempore veris & æſtatis, unde ingens penuria frumenti. Hoc tempore Heinricus *Imp. cum in Italiam veniſſet, Mediolani coronatur, ubi Matthæum vice Comitum conſtituit, inde Brixiam obſidet, ubi eruptione ab hoſtibus facta frater Imperatoris Balduinus cum multis aliis cadit.* Pol.

Templarii ordinis quinquaginta Lutetiæ vivi cremantur in Majo. Fland.

Annus Indorum 1397. *& Hegira* 710. *incipit* 31. *Maji, fer.* 1.

Robertus Bruſſius *rex Scotiæ bis Angliam invadit, eamque vaſtat, deletis omnibus, quibus aut ferro aut igni nocere poterat, & ſequenti biennio Anglos tota Scotia exegit.* Buchan.

Bellum Wirtebergicum ortum à Conrado Winsbergenſi Barone & civitatibus Suevicis, qui ſeptuaginta oppida & arces Wirtenbergico eripuerunt; victus præterea pulſusque Comitatu eſt. Poſt Imperatoris mortem verò non tantum amiſſa recuperavit, ſed etiam plura acquiſivit. *Annal. Suev.*

Novus in Cypro rex creatus moritur. Etſi autem alius creabatur, tamen Templarii *obtinuerunt, ut Hugo ex Armenia revocaretur. Factum die* 26. *Aug.* Marin.

Hoſpitalarii, cum toto quadriennio Rhodum oppugnaſſent, tandem ea potiuntur die 8. Septemb. *Marin.*

Cruciferi in Boruſſia regi Poloniæ Pomeraniam & Dantiſcum eripiunt & ne Polono jus eſſet eam recuperandi, à Woldemaro Marchione Brandeburgenſi eam emptam contendunt, & emptionem ab Imperatore Heinrico confirmari curant. Eodem modo Cruciferi Livonienſes etiam *Rigam* urbem & territorium Rigenſe Archiepiſcopo eripiunt, quod *Benedictus* XI. Papa acceptis quindecim aureorum millibus ipſis addixit. *Chron. Pol.*

ANNO MUNDI 5260. Poſt C. 1311.

C. ☉ 4. ☽ 1. *Ind.* 9.

Johannes Lutzelbergenſis, filius Heinrici Imperatoris, rex Bohemiæ coronatur die 2. Febr. cum antea Pragam obſeſſam per prodionem cepiſſet, & Heinricum Ducem Carinthiæ, qui Bohemiæ regnum per triennium occupatat, Bohemia expuliſſet, regnat autem annos 35. *Dub.*

Fridericus Marchio, cum Abbatem Puldenſem expertus eſſet hoſtem in ſuperiori bello, exercitum adverſus eum ducit, ſed in itinere audit, filium ſibi natum, ideò in tanta lætitia bellum depoſuit. Paulò poſt audit Comitem Vinarienſem tertiò fidem temeraſſe, ideò adverſus eum movet, & in eas anguſtias redigit, ut cederet præcipuis ſuæ ditionis urbibus, *Orlemunda, Vinaria, Madela, Vippecha*, quæ poſtea fuerunt & manſerunt in ditione Landgraviorum. *Fab.*

Annus Indor. 1398. *& Hegira* 711. *incipit* 20. *Maji fer.* 5.

Clem-

Heinricus Imperator Brixiam expugnatam exſcindit, & Cremonæ mœnia dejicit. Vicinæ igitur urbes, Mantuani, Veronenſes, Vicentini, Patavini, Tarviſini, Veneti, Placentini horum calamitatibus moti ſe dedunt, & Imperator multam eis imponit, & ſexaginta obſides imperat, quos Romam mittit, & ipſe Genuæ hyemat. *Platin.*

Hollandiæ Comites collegium Canonicorum quatuordecim inſtituunt Middelburgi, quibus adjungunt Decanum. *Chr. Holland.*

Imp. Heinricus ſeptimus decernit, Imperatorem Romanum Pontifici Romano juramentum præſtare non debere, cum ſit res inuſitatiſſimi exempli & novi, principem & Dominum orbis terrarum ſervo ſervorum fidelitatis juramento obſtringi. *Conſt. Imp.*

Clericus ille de calvo monte, Wigandus de Theben, cujus apud vulgus multa mentio, circa hæc tempora flaret. *Wigand.*

Concilium Viennæ in Galliis celebrantur, cujus prima ſeſſio fuit die 16. Octob. in qua actum fuit de recuperanda terra ſancta, ut voluntarii milites cruce ſignarentur, ſed qui huic militiæ nomina dederant, & magnos ſumptus fecerant, cum in Italiam veniſſent, illuſi cum pudore ad ſuos redeunt. Duravit hoc concilium in ſequentem annum. *Pol.*

ANNO MUNDI 5261. Poſt C. 1312.
B.A. ☉ 5. ☽ 2. *Ind.* 16.

In Concilio Vienenſi iterum habetur ſeſſio die 22. Martii, ſed privata in Conſiſtorio Papæ, in qua abrogavit ordinem Templariorum, quæ abrogatio, poſtea menſe Aprili, in alia ſeſſione promulgatur. Facta hæc abrogatio, ut putabatur, in gratiam Philippi, regis Galliæ, cui cenſerunt eorum bona in Galliis, in aliis verò locis ea data ſunt Hoſpitalariis. Poſtea in Majo ultima ſeſſio fuit, in qua regulæ quædam publicantur, quæ ordinem fratrum minorum ſive Franciſcanorum decernunt. *Pol.*

Annus Indorum 1399. *& Hegira* 712. *incipit* 9. *Maji, feriâ* 3.

Imp. Heinricus Piſis iterum coronatur, inde poſt duos ferè menſes abit Romam, ubi Senatus populusque Romanus omne jus ſuum in Imperatorem confert uti eſt in Receſſibus. Venit Romam 6. Maji, ſed non potuit eam ingredi per portam Petri ubi ipſi obſtabant Urſini & Johannes frater regis Apuliæ, ſed ingreſſus eſt per portam molarum, & coronatur per legatos Pontificis, Dominica poſt feſtum Petri & Pauli. Inde abit in agrum Tiburtinum, manſitque ibi usq; ad finem Septemb. Inde iterum Romam rediit, poſtea abiit Florentiam, & Piſis hybernavit, ubi tres reges fecit, & regem Siciliæ Robertum proſcripſit.

Platina meminit eclipſis Solaris, quæ ſecuta ſit coronationem, die 5. Julii, horis 7. 47. poſt mediam noctem. Parallaxis latitud. 21. 31. *Latitudo vera* 43. 36. *Viſa* 22. 5. *Semidiam Solis* 15. 2. *Scrupula reſidua* 8. 28. *Digiti tantum* 3. 23.

Annus Nabonaſſaris 2061. *& Philippi* 1637. *incipit die* 29. *Septemb. feria* 6.

Annus Alexandr. 1624. *Antioch.* 1361. *Conſtantinop.* 6821. *incipit* 1. *Octobr.*

Fridericus Marchio & Landgravius bellum facit *Woldemaro* Marchioni Brandeburgenſi. Sed feliciter hoc ipſi ceſſit. Captus enim fuit, & duriſſimæ ipſi liberationis conditiones proponuntur, quibus ferè dimidia parte regionum ſuarum ſpoliabatur, quas tamen recipiendas Marchio putabat, cum Fuldenſis, & alii ſuperiorem Thuringiam vaſtarent, & Imperator Erfurtenſibus auxilia miſiſſet & Marchioni Thuringiam abjudicaſſet. Repugnabant tamen nobiles in Pleiſſen ſeditione, qui Woldemaro aſſentiri nolebant, niſi juberentur ab ipſo principe præſente. *Woldemarus* igitur per Anhaldinum addito forti exercitu eum adducit, ſed nobiles illi clanculum convocatis ſuis principem ſuum iſtis eripiunt, & Anhaldinum & multos alios capiunt, & conditione præſcriptæ abolentur. *Fab.*

Tigurini, *Schafhuſiani, Sangallenſes & Conſtantienſes fœdere inito inter ſe ſociantur.* Siml.

Ferdinandus Caſtellæ rex duos fratres, cædis ſuſpectos, ex vinculis cauſam dicere juſſos, capitis condemnat, qui teſtati Deum & ſuam conſcientiam, clamant, ſe innocentes damnari, & tandem Ferdinando regi de iniquitate ſententiæ latæ in diem triceſimum, diem dicunt, quo ſibi reſpondeat coram Chriſto: Qui paulo poſt morbo tentatus invenitur exanimatus in lecto, annos natus tantum 25. cùm regnaſſet annos 17. Succedit ipſi triceſimo die ab iſtis damnatis Alfonſus, qui regnat annos 38.

Annus Jezdegird. 682. *incipit* 28. *Dec. fer.* 5. *Armen.* 762. 31. *Decemb. fer.* 1.

ANNO MUNDI 5262. Poſt C. 1313.
G. ☉ 6. ☽ 3. *Ind.* 11.

Annus urbis 2065.	*Iulianus* 1358.
Æra Hiſpanica 1351.	*Auguſtorum* 1340.

Andron. inchoat annum imp. 30. *Heinr.* 5.

Neurum. Gelal. 234. *incip. cum æquin. verno.*

Clementinæ, quarum titulus eſt ſeptimus Decretalium, abſolvuntur die 21. Mart. in Caſtro de Montitiis juxta Carpentoratum, à Pontifice Clemente tamen publicatæ non ſunt, cum morte præveniretur. *Pol.*

Heinricus *Imper. Piſis dies* 23. *Februar. proſcribit Robertum regem Siciliæ & Apuliæ, anno primo poſt coronationem. Eam proſcriptionem irritam pronunciat Papa Clemens.* Heinr. Mon.

Annus Indorum 1400. *& Hegira* 731. *incipit* 28. *April. fer.* 7.

Ludovicus Bavarus eligitur tutor regis Hungariæ infantis. Duces Auſtriaci hoc prohibere conantur unde bellum ortum, & Auſtriaci vincuntur à Bavaro in confinio Vindelitiæ. *Annal. Suev.*

Hoc anno fames & peſtilentia dira Germaniam afflixit, adeò ut rex Siciliæ frumentum exportaretur in mediam Germaniam. Annal. Suev.

Anno Conſtantinopolitano 6821. *Turcæ in Thracia toto ferè biennio ſuburbia Conſtantinopolis & viciniam crudeliſſimè vaſtarant, ideò Andronicus mercenarium militem conſcripſit, & Turcas ex Thracia expellit.* Niceph. Greg.

Rex Galliæ Philippus iterum tres exercitus ducit Flandriam, ſed nulla re geſta, factis induciis poſt ſeſqui menſem in Galliam redit. Annal. Flandr.

Olympias 572. *incipit in Julio. Annus Olympiadicus* 2089.

Annus Diocletiani 1030. *incipit* 29. *Auguſti.*

Heinri-

Heinricus Imp. dum in Thuſcia bellum gerit, venit in caſtrum Beneventum, die 15. Auguſti, *ſequenti die, feria quinta, ſacra Synaxi uſurus, in cujus præparationem quatuordecim dies jejunarat, ubi per monachum in ablutione calicis venenum ipſi offertur*, quo defunctus eſt die 24. Aug. Imperator Monachum abire præcepit; ſed monaſterium exuſtum eſt, monachus etiam ipſe poſt captus, vivus excoriatus eſt: Imperavit autem annos quatuor, menſes octo. Secutum eſt interregnum menſium quatuordecim. *Append. Urſb.*

Conventus principum in Germania actus erat hac æſtate Norinbergæ, in quo, cum Robertus Apuliæ rex bellum faceret Imperatori, exercitus decretus erat, quem ducebant Johannes filius, rex Bohemiæ, & Marchio Brandeb. & Dux Bavariæ; ſed in Taurinis ſaltibus auditum fuit, Imperatorem veneno ſublatum, ideo auxilia pleraq; redeunt. Filius Johannes tamen pergit, & Cremam, Brixiam, atq; alias urbes cum Mediolanenſibus ſentire cogit. *Dubrav.*

Pax cum Erfurtenſibus circa finem anni facta eſt, cum Erfurtenſes privilegiis ab Alberto datis renunciarent, & pro villis emtis Friderico plus pecuniæ numerarent, & mulctam ſolverent decem millium marcarum argenti, quam pacem plebs gratanter accepit, cũ toto ſeptennio agri culti non eſſent. Ad eandem pacem admiſſi ſunt etiam Mulhuſini & Northuſi, cum ſimiliter mulctam ſolverent. Fabr.

ANNO MUNDI 5263. Poſt C. 1314. F. ☉ 7. ☽ 4. *Ind.* 12.

Annus Indorum 1401. *& Hegira* 714. *incipit* 17. *April. fer.* 4.

Clemens V. Papa, cum ſediſſet annos octo, menſes. 10. dies 16. moritur die 20. Aprilis; poſt obitum ejus vacat ſedes biennio & quatuor menſibus, atque ita hoc tempore anni nec Imperator nec Papa in Europa fuit. *Plat.*

Robertus Bruſſius rex Scotiæ præſidia Anglica ex Scotia ejicit, & regem Edvardum prælio vincit, inde in Hyberniam trajicit, eamq; quadriennio toto bello affligit, ſed tandem tamen ejicitur, cum Edvardus frater regis cum exercitu cæſus eſſet. *Polyd.*

Annus ſabbathicus 3. *Jobelei* 26. *incipit* 12. *Sept. feria* 5. *Anno Jud.* 5075.

Albertus *Landgravius, qui infinitis calamitatibus Thuringiam & Miſniam afflixerat, cũm jam videret filium Fridericum cum admorſa gena florentem opibus & potentia, mœrore animi moritur Erfurdiæ in magna paupertate, ibiq, etiam ſepelitur.* Fabr.

Electores imperii tandem, cum imperium plus quã annuo ſpatio vacaſſet, conveniunt Francofurti, ubi electio incidit difficilis & periculoſa inter duos cõpetitores & conſobrinos *Fridericum* Auſtriacum & *Ludovicum* Bavarum, inter ſe hoſtes. Fridericum eligunt Colonienſis & Palatinus Rudolphus, qui frater erat Ludovici, & Rudolphus Saxoniæ. Ludovicum Moguntinus Trevirenſis, rex Bohemiæ & Brandeburgenſis, hic ut ſuffragiis ſuperior coronatur Aquisgrani die Catharinæ, ille Bonnæ. Hinc Germania in factiones diſtracta eſt, & bellum inteſtinũ ortum: Imperavit Ludovicus annis 33. *Heın. Mon.*

Philippus II. vel III. *Pulcher rex Galliæ, dum aprũ inſequitur equo excutitur, trahitur, unde in morbum incidit, quo moritur die* 29. *Novembr. cum regnaſſet annos* 28. *Succedit ipſi filius Ludovicus, qui regnat ſeſquianno ferè.* Annal. Fland.

ANNO MUNDI 5264. Poſt C. 1315. E. ☉ 8. ☽ 5. *Ind.* 13.

Annus Indor. 1402. *& Hegır.* 715. *incipit die* 6. *Apr. fer.* 2.

Cum poſt Calendas Majas uſque ad finem anni continenter plueret, nec frumenta ad maturitatem pervenire poſſent, ingens facta eſt annonæ caritas, unde factum, ut multi fame morerentur: ad hoc tempus definiendum aſſumtum eſt vocabulum *Cucullum*, in quo annus æræ Chriſtianæ notatur in hoc verſu:

Ut lateat nullum tempus famis, ecce CUCULLUM.

Ludovicus rex Galliæ coronatur die 3. Auguſti, feria prima, qui *Judaos* iterum in regnum admittit, admiſſos ſpoliat, & paulo poſt magno exercitu in Flandriam movet, cui Wilhelmus Comes Hollandiæ auxilia adducit. Sed ingruente pluvioſa tempeſtate, qua terra ita emollita eſt, ut commeatus ſubvehi non poſſet, cum ſingulis vini doliis vehendis vix triginta equi ſufficerent, re infecta rediit. Wilhelmus tamen maritima ſpoliavit, & prædæ aliquid ſibi acquiſivit. *Chron. Tras.*

Uri, Svuis, & Underwaldenſes, ejectis præfectis Friderici, *Ludovicum* Bavarum Imperatorem agnoſcunt, ideò *Leopoldus* Auſtriacus in eos movet, quem vincunt die 16. Novemb. ad Morgartum, qui amiſit mille & ſexcentos equites. Comes Straſburgenſis eodem die invaſerat Underwaldenſes, ſed eodem etiam die vincitur. Ideo hi tres pagi primùm fœdus ſuum in literas conferunt, & juramento confirmant, die 6. Decemb. *Siml.*

Cometa *menſe Decembri circa nativitatem Chriſti apparuit, qui circa polum ſe volvens, caudam in diverſas orbis partes, in orientem, occidentem & ſeptentrionem extendit, & duravit uſq, ad finem Februarii, ubi paulò poſt alius exortus eſt.* Albertus Argent.

ANNO MUNDI 5265. Poſt C. 1316. DC. ☉ 9. ☽ 6. *Ind.* 14.

Annus Indorum 1403. *& Hegira* 716. *incipit die* 25. *Mart. fer.* 6.

Carolus IV. qui poſtea Imperator factus eſt, naſcitur die 14. Maji, hora prima diei, Pragæ cui in *baptiſmo* nomen datum fuit Wenceslao, ſed cum confirmaretur à Pontifice Pariſiis, Carolus ab eo appellatus eſt. *Vita Caroli.*

Fames adhuc graſſatur in Thuringia, adeò ut intra mœnia Erfurdiana ad octo millia hominum fame perierint, qui carpentis evecti ſunt, ne piſtis inde oriretur. In hujus famis memoriam adhuc etiam panes coquuntur, quorum unus ſex nummis tum emtus eſt, quorum hodie vel decem uno nummo emuntur. Fab.

Ludovicus Galliæ rex, cum vix ſeſquiannum regnaſſet, moritur die 5. Julii, fer. 7. ejus conjux gravida erat, ideò curator regni fit Philippus frater. Sed poſthumus, quem vidua enixa erat, paucis diebus moritur, & Philippus rex fuit, regnavitq; annos quinq; & ſex menſes. *Annal. Fland.*

Papa poſt vacationem ſedis per biennium eligitur die 5. Auguſti, Jacobus de Oſſa, vel ut Imperator eum nominat, de Baburco, Epiſcopus Portuenſis Gallus, vocaturq; *Johannes XXII.* qui ſedit annos 18. menſes 4. *Onuf.*

Annus

Annus Nabonaſſar. 2065. *& Philippi* 1641. *incipit* 28. *Sept. fer.* 3.

Annus Alexandr. 1628. *& Antioch.* 1365. *& Conſt.* 6825. *incipit* 1. *Octob.*

Ludovicus Imp. fratrem ſuum Rudolphum, qui à partibus Friderici contra fratrem ſtabat, ditione ſua pellit, qui etiam in exilio mortuus eſt poſtriennium. *Hein. Mon.*

Annus Iezdeg. 686. *incipit* 27. *Decemb. fer.* 2. *Armen.* 766. 30. *Dec. feria* 5.

ANNO MUNDI 5266. Poſt C. 1317.
B. ☉ 10. ☽ 7. *Ind.* 15.

Annus urbis 2069. *Iulianus* 1362.

Æra Hiſpan. 1355. *Auguſtarum* 1344.

Androm. incipit annum imp. 34. *Ludovicus* 3.

Annus Neuruz, Gelali 238. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Ferrarienſis *Academia dicitur circa hoc tempus inſtituta.*

Sundium *urbs ad mare Balthicum, à duobus regibus & decem principibus obſidetur & oppugnatur, quod tamen magna felicitate ſuſtinet.*

Johannes Papa Tholoſanum Epiſcopum evehit, ut ſit Archiepiſcopus. *Pol.*

Annus Indorum 1404. *& Hegiræ* 717. *incipit die* 24. *Mart. fer.* 3.

Olympias 523. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 2093.

Annus Diocletiani 1034. *incipit* 28. *Auguſti.*

Fridericus Auſtriacus Eslingam priore anno fruſtra per integrum menſem oppugnarat, jam redit ad ejus obſidionem, quam tamen Ludovicus Imp. ſolvit, quæ res eos deduxit ad prælium, ex quo incerta victoria abierunt. *Paralip. Ursb.*

Decretalium *liber ſeptimus a Clemente Papa collectus, unde* Clementinæ *vocantur* leges, *publicatur à Johanne, menſe Novemb.* Chr. Belg.

ANNO MUNDI 5267. Poſt C. 1318.
D. ☉ 11. ☽ 8. *Ind.* 1.

Annus Indorum 1405. *& Hegira* 718. *incipit* 4. *Mart. fer.* 1.

Petrus de Roſinberg in Bohemia, & alii Barones Bohemiæ, rebellant regi. Cauſa vera fuit, quod Barones poſſiderent caſtra regis, eaque regi reddere nollent: videbantur ea ſibi diuturnitate temporis acquiſiviſſe. Rex Johannes igitur acceſſit ad Ludovicum Imperatorem Egram, die 23. Martii, ubi induciæ factæ inter regem & Barones, & tandem pax fit die Paſchatis, qui in diem Gregorii inciderat. *Hiſt. Pol.*

Canis magnus Scaliger, Dominus Veronenſis, Paduanas regiones longè lateq; vaſtat, cujus metu incolæ Venetias profugerunt, idem in Terviſina regione factum. *Marin.*

Reinaldus Comes Geldriæ à filio ſuo Reinaldo capitur, & arcta cuſtodia retinetur. *Chr. Belg.*

ANNO MUNDI 5268. Poſt C. 1319.
G. ☉ 12. ☽ 9. *Ind.* 2.

Annus Indor. 1406. *& Hegira* 719. *incipit* 21. *Febr. fer.* 5.

Apud *Argentinenſes* duæ familiæ nobiles, in quorum poteſtate erat Reſp. cum præeſſent petulanter & inter ſe etiam inimicitias alerent, poteſtate ſubmoventur, & plebei ſubſtituuntur, qui etiam adhuc Remp. obtinent. Hoc anno etiam, cum Friderici partes ſecuti eſſent, ad Bavarum accedunt. *An. Suev.*

Wilhelmus *Comes Hollandiæ mittit filium* Wilhelmum *cum exercitu, ut auxilia adduceret ordini Teutonico in ſubjuganda Pruſſia, idem fecerunt etiam alii principes, & fuit Pruſſia tanquam ſchola militiæ.*

Papa inſtituit novum ordinem militum de militia Jeſu Chriſti in regno Portugalliæ ad reſiſtendum Saracenis pro defenſione fidei, quibus Papa donavit ea, quæ in illis regnis fuerunt, ex bonis militiæ templi. *Chr. Belg.*

Bellum ingens circa hoc tempus geſtum eſt in Italia, Ducibus Piſanis contra Guelphos, prælium commiſſum die 31. Aug. Piſani, qui de exercitu Heinrici plurimos ſibi junxerant, vincunt, occiſis centum ferè millibus Guelforum. *Annal. Suev.*

Uterque Imp. exercitum contrahit, conſidetque ad Eniſum fluvium, ubi Ludovicus ſuſpicans aliquos eſſe in ſuo exercitu non ſatis fidos, & metuendam proditionem, retrò cedit, & Fridericus circa Danubium crudeliſſimè Bavariam vaſtat, *Chr. Belg.*

Woldemarus *Marchio Brandeburgenſis, ultimus hujus ſtirpis, moritur menſe Octob. ſine liberis. Ideo vicini principes quaſdam urbes Marchionis ſibi ſumunt & occupant. Henricus Dux Sileſiæ ſumit ſibi* Gorlitium & Laubanum, *Johannes rex* Budiſſinum *& vicinas*, Chron. Bohem.

ANNO MUNDI 5269. Poſt C. 1320.
F.E. ☉ 13. ☽ 10. *Ind.* 3.

Ladislaus Locticus, anceptiti fortuna diuturno tempore uſus, tandem auxilio Pontificis regnum Poloniæ obtinet, & coronatur die 20. Januarii, qui ut erga Pontificem gratus eſſet, viciſſim Pontifici *denarium Sancti Petri* pro ſingulis capitib. in regno offert. Repugnant in hac re Duces Sileſiæ, ideo à Pontifice excommunicantur. *Hiſt. Bohem.*

Annus Indorum 1407. *& Hegira* 720. *incipit* 10. *Febr. fer.* 2.

Inter Flandros & regem Galliæ tandem pax fit, cum Robertus Comes minis Pontificis adductus ſe Lutetiæ regi ſiſteret, die 5. *Maji.* Annal. Fland.

Imperatores ambo iterum exercitum adducunt Argentinam, & viciniam vaſtant, Argentinenſes in ancipiti hoc caſu utriq; Imperatori commeatum ex æquo præbent, donec Ludovicus prior abiret, quem inſequitur Fridericus fruſtra *Chr. Bohem.*

Nicolaus Liranus, natione Anglicus, qui Hebræam linguam optimè calluit, floret hiſce temporibus. *Trith.*

Annus Nabonaſſ. 2069. *& Philippi* 1645. *incipit* 27. *Septembr. fer.* 7.

Annus Alexandr. 1632. *Antioch.* 1369. *Conſtant.* 6829. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Iezdegird. 690. *incipit* 26. *Decemb. fer.* 6. *Armen.* 770. 29. *Decemb. fer.* 2.

Colonienſis Archiepiſcopus, qui fideliter ſtudebat Friderico Auſtriaco, à Ludovico Bavaro bello petitur, per Johannem regem Bohemiæ, Wilhelmum Comitem Hollandiæ, & alios, qui Epiſcopatum infinitis damnis affligunt. *Trith.*

Moguntinus Archiepiſcopus oppidum **Gieſſen** quod Trithemius vocat **zu den gieſſen** obſidione cingit, & capit. *Trith.*

ANNO MUNDI 5270. Poſt C. 1321.
D. ☉ 14. ☽ 11. Ind. 4.

Annus urbis cond. 2073. *Julianus* 1366.
Æra Hiſpan. 1359. *Auguſtorum* 1348.
Andron. inchoat annum imp. 38. *Ludovicus* 7.
Neuruz Gelali 242. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Annus Indorum 1408. *& Hegira* 721. *incipit* 31. *Janu. fer.* 7.

Andronicus Junior nepos, avo ſuo Imperatori Andronico imperium erepturus, die 20. Aprilis anni 6829. in feſto reſurrectionis Chriſti, Conſtantinopoli media nocte aufugit, Adrianopolin verſus, & poſt ſeptem dies Conſtantinopolin obſidet, cui avus pacem offert, ut Thraciam & Macedoniam obtineat, & ſibi Conſtantinopolin relinquat. Cum Conſtantinopolin obſideret, equus, in aula ad parietem artificioſiſſimè pictus à Paulo quodā inſigni Pictore, clarum hinnitum & die & nocte edidit. Idem fecerat ante annos centum & ſeptendecim, cum Balduinus Conſtantinopolin occuparet. *Niceph. Greg.* Videtur autem hæc obſidio facta anno ſuperiore, quo Paſcha incidit in 20. Aprilis, & mendum eſſe in numero annorum.

Nicephorus Gregoras ætatis ſuæ 27. ſe in aulam Andronici ſenioris hoc anno confert, & Chartophylacis dignitas ipſi offertur, quam tamen abnuit, & paulò poſt Andronico Imperatori offert rationem emendandi Calendarii. *Niceph.*

Edvardus rex in Anglia ex inſidiis quoſdam ſuos Comites, optimè de regno meritos, & benè regi conſulentes, capit & trucidat. *Polyd.*

Eclipſis Solis annotatur in hiſtoria Bohemica, quæ acciderit die 26. Junii, ab hora prima uſque ad tertiam, ut eſt horologium Bohemicum. Eaq; ita invenitur: Fuit feria 6. & facta eſt horis 6. & minut. 1. poſt mediam noctem. Parallax. Lat. eſt 36. 59. Latit. vera 34. 56. Viſa 2. 3. Semidia. Solis 15. 0. Scrup. reſid. 28. 16. Digiti eclipt. 0. 17. Sol in 11. 24. Cancri.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei 26. incipit 25. Septem. fer. 5. Anno Jud. 5082.

Fridericus *Auſtriacus Bavariam vaſtat duorum menſium ſpatio crudeliſſimè, in conſpectu Ludovici, cujus exercitus tum aberat.* Annal. Svev..

Dantes Aligerus Florentius, Poeta inſignis, pulſus patria, exulans apud Aragoniæ regem, moritur hoc anno ætatis 56. *Trith.*

Leproſi in Francia & ad Rhenum flumina, fontes & puteos inficiunt, venenato injecto pulvere, ut omnes homines vel leproſi vel morbidi alias fierent; quod ſi effeciſſent, ſperabant ſe futuros principes, Comites, Barones, & ſibi titulos hoſce jam adſcribebant. Re patefacta multi in ſuis ædibus à furente plebe combuſti ſunt, quidam juſto judicio ad ignem condemnati, plerique ædibus incluſi, ut ibi contabeſcerent, mulieribus ſeorſim concluſis, ne multiplicarentur. *Chr. Belg.*

ANNO MUNDI 5271. Poſt C. 1322.
C. ☉ 15. ☽ 12. *Ind.* 5.

Philippus rex Galliæ moritur diſenteria, die 3. Januarii, cum regnaſſet annos quinque menſes ſex; ſuccedit frater *Carolus*, qui coronatur die 21. Febru. Dominica Quinquageſimæ, regnatque annos quinque. *Annal. Fl.*

Annus Indor. 1409. *& Hegira* 722. *incipit* 20. *Jan. fer.* 4.

Johannes Papa facit Cardinales ſeptem, & proclamat Hæreticos, qui aſſererent, Chriſtum & Apoſtolos nihil proprii habuiſſe. *Platina.*

Aſtronomus *Johannes Davidis Toletanus*, & *omnes magiſtri ejus loci, publico programmate perſcribunt ad omnes homines, futurum eſſe, ut anno 1329. menſe Septembri, omnes planetæ in Libra conjungantur, & poſt futuram eclipſin Solis & Lunæ, unde prædicunt futura bella, & annonæ caritatem, terræmotum, & tantas ventorum procellas, ut nullus locus ſit tutus futurus. Jubent itaque præparari cameras ſubterraneas, & commeatum in triginta dies. Affirmant præterea in programmate, omnes Philoſophos, Aſtronomos Hiſpaniæ, Arabiæ & Græciæ idem ſentire.* Sed cum adveniſſet ille annus, totus per omnes menſes quietus fuit & temperatus. *Chr. Bohem.*

Imperatores ambo, ad oppidum Muldorf prope pagum Ampfingen iterum conveniunt, ubi Fridericus Auſtriacus caſtra in colle tutiſſimè locaverat, & fratrem Leopoldum expectabat, ſed Ludovicus auxilio habebat Johannem regem Bohemiæ, Heinricum Ducem Bavariæ, & Bernhardum Ducem Sileſiæ, & plurimos Comites, & aggreditur Fridericum, qui plurimum loco adiuvabatur, & tandem tamen vincitur & capitur cum fratre Heinrico, virtute nobilis cujuſdam à Rindsmaul. Sigfridus Schwepperman/ à partibus Ludovici Dux, Bohemos jam ferè victos, & in fugam averſos reduxit, præliumque reſtituit, atque ita ipſius opera Ludovicus victoriam obtinuit, ideoque eo ipſo die in cœna binis ovis ab Imperatore donatur, cum ob inopiam commeatus, & paucitatem ovorum reliqui cum Imperatore vix ſingulis veſcerentur. Verba Imp. fuerunt, Dem Man ein Ey/ aber dem frommen Schwepperman zwey/ quæ verba ipſius ſepulchro inſcripta ſunt: prælium factum die 28. Sept. die Wenceslai. *Chr. Bohem.*

ANNO MUNDI 5272. Poſt C. 1323.
B. ☉ 16. ☽ 13. *Ind.* 6.

Annus Indorum 1410. *& Hegira* 723. *incipit* 10. *Jan. fer.* 2.

Superiori anno *Robertus* Comes Flandriæ mortuus erat, die 17. Septemb. fer. 6. cum præfuiſſet annis 17. Hoc anno ſuccedit ipſi *Ludovicus* Comes Niverſenſis contra regis voluntatem, cum tamen probaſſet, ſucceſſionem ad ſe pertinere, Rex admiſit homagium, & mitiit illum in Flandriam Calendis Febr. qui pacem facit cum Hollandis & Seelandis. Bellum tum erat inter oppida Brugas & Scluſas propter emporia, & Scluſa hoc anno bis capta, & tandem menſe Auguſto ſpoliata & cremata eſt. Præeſt autem Ludovicus annis 23. *Annal. Fland.*

Rex Bohemiæ Johannes, in cujus captivitate Heinricus Auſtriacus ſuperiori anno captus erat, eum captivitate liberat, certis tamen conditionibus, ut privilegiis quibusdam renunciaret, & urbibus, quæ ad Bohemiam pertinerent, cedat. Chr. Bohem.

Ingens gelu indicatur in Chronicis Bohemiæ, die 24. Maji, quo perierunt ſegetes & vites.

Ætna mons Siciliæ ſubſidit cum magno terræ motu, & ejectis ignibus viciniam vaſtat, die 30. Junii. ſequenti die tantum cineris nigerrimiq; pulveris copiam depluit, ut longinquæ regiones cooperirentur, & flante Borea in Melitam inſulam deferrentur. Goltzius.

Wol-

Woldemarus *Marchio Brandeburgenſis, ultimus ex Vrſina familia, ante quadriennium defunctus fuerat, ideò Ludovicus Imperator* Marchiam *Brandeburgenſem dat filio ſuo Ludovico, de qua tamen ſpem fecerat Johanni regi Bohemiæ, cui dedit aliquas urbes,* Buſſidinam, Gorlitium, &c.

Turcæ ædificatâ claſſe Thraciam & Macedoniam vaſtant, Imperator Andronicus exhauſto ærario, ut Turcis obviam iret, ornamenta veterum Imperatorum vendit, paulò pòſt *Philadelphiam* urbem Turcæ obſident & oppugnant, quam obſidionem ſolvit Alexius Philandropenus, qui Turcis erat notus, & obſidionem diſſuadebat. *Niceph. Gregor.*

Galli Aquitaniam vaſtant, & Scoti Angliam; Eduardus rex relictis Gallis, Scotis obviam proficiſcitur, ſed bis prælio vincitur, & vix ſalvus evadit. Prolyd.

Papa Johannes, Italiam contra Ludovicum concitat, Ludovicus contrà Viceecomitibus, & Scaligero auxilia contra Papam mittit, ideò Papa, iratus Ludovico, ipſi mandat die 8. Octobris, ut imperio abeat, & quæ egiſſet reſcindat: ſe enim neſcio neminem ad imperii culmen aſcendere debere flagitiosè affirmat, atque ita eum citat, ut trium menſium ſpatio Avenione ſit. *Aventinus.*

Wilhelmus Occam Theologus Franciſcanus, à Pontifice hæreſeos damnatus, quòd clerum ad paupertatis amorem, ad exemplum Apoſtolorum flecteret, ad Imperatorem Ludovicum in Germaniam venit. *Advent.*

Fridericus Landgravius Thuringiæ, & Marchio Miſniæ, liberator patriæ noſtræ & defenſor acerrimus, cùm ante Triennium comœdiâ de quinque virginibus fatuis, quæ veniam à DEO impetrare non poterant, conſternatus eſſet, moritur die 26. Novembr. ſepelitur Iſnaci. Præfuerat poſt avum annis 36. Succeſſit ipſi filius *Fridericus*, qui præeſt annis 25. erat autem adoleſcens quindecim annorum, cui tutor datus eſt Heinricus Comes Suarceburgicus. *Fab.*

Annus Indorum 1411. *& Hegira* 724. *incipit* 29. *Decembr. fer.* 6.

ANNO MUNDI 5273. Poſt C. 1324.
A. G. ☉ 17. ☽ 14. *Ind.* 7.

Armeniorum *legati conqueruntur apud Pontificem de intolerabilibus tributis, quibus premantur à Saracenis, petuntque auxilium.* Marin.

Bellum *in Sicilia inteſtinum movetur, quod duravit annos* 24. *Robertus Apuliæ rex Genua potitur, Gibellinos Soanâ pellit, & Galeacius Vicecomes* Vercellas *ſubigit.* Goltz.

Eclipſis Solis indicatur in Hiſtoria Bohemica, quæ facta ſit 24. *Aprilis, oriente Sole, Eaque ſic invenitur. Fuit feria tertia, accidit horis* 4.35. *minut. poſt mediam noctem. Parallax. Latitud.* 51.42. *Latit. vera* 10.20. *Viſa* 8.36. *Semidiamet. Solis* 15.12. *Scrup. reſidua* 21.58. *Digiti* 8.8. *Sol in* 12. *ferè Tauri.*

Rex Angliæ, cùm ſibi metueret à Gallo, inducias pangit cum rege Scotiæ in tredecim annos. *Polyd.*

Ludovicus Imperator Francofurti die 29. conventum agit, ubi *Caſtrutio* conceditur vicariatus Lucæ urbis in Italia, quem poſtea facit Ducem Lucenſem. *Trith.*

Rex Aragoniæ Sardiniam inſulam occupat ex conceſſione Pontificis, qui eam ad ſe pertinere affirmabat. *Marian.*

Diſcordia inter Ludovicum Imperatorem & Pontificem incrementa ſumit, Papa Ludovicum invaſorem imperii nominat, Ludovicus contra Pontificem vocat Hæreſiarcham; ideò Ludovicus conventum principum imperii Ratisbonæ agit, in quo inſignia imperii Statibus exhibet, & an à Pontifice hæc accipi debeant, deliberare jubet. Concluditur ab univerſis, libertatem imperii defendendam, nec Pontifici jus eſſe in Romanum Imp. *Advent.*

Marſilius Patavinus hoc tempore librum ſcribit ad Ludovicum Imperatorem nomine *Defenſoris pacis*, in quo probat Pontificem eſſe ſub Imperatore. *Trith.*

Johannes Bohemæ rex hoc anno Bonnam obſidet, ſed per principes cum Colonienſi reconciliatur: Inde *Metim* urbem obſidet quatuordecim diebus, unde tamen re infectâ recedit. *Chron. Bohem.*

Annus Nabonaſſaris 2073. *& Philippi* 1649. *incipit* 26. *Septembr. feria* 4.

Annus Alexandr. 1636. *Antioch.* 1373. *Conſtantinop.* 6833. *incipit* 1. *Octobr.*

Mare die 23. *Novembr. in Hollandia adeò intumuit, ut ſubmergeret plurimas villas, & ſuffocarentur homines in aquis ad quinque millia.* Chron. Bel.

Annus Indorum 1412. *& Hegira* 725. *incipit* 18. *Decembr. fer.* 3.

Annus Iezdegird. 694. *incipit* 25. *Decembr. fer.* 3. *Armeniorum* 774. *die* 28. *Decembr. fer.* 6.

ANNO MUNDI 5274. Poſt C. 1325.
F. ☉ 18. ☽ 15. Ind. 8.

Annus urbis 2077 *Iulianus* 1370.
Æra Hiſpanica 1363. *Auguſtorum* 1352.

Andronicus Imperator inchoat annum imperii 43. *Ludovicus* 11.

Annus Neuruz Gelali Perſ. 246. *incipit cum Æquinoctio Verno.*

Dionyſius *Portugalliæ rex, qui Academiam Conimbricam inſtituerat, cùm regnaſſet annis* 46. *moritur die* 7. *Januarii; ſuccedit filius Alfonſus, qui regnavit annos ferè* 32. Hiſtor. Portugal.

Seditio ingens concitatur in Flandria, plebis contra nobiles & omnium nobilium ferè ædes cremantur, quæ ſeditio durat uſque ad Dominicam Palmarum, ubi induciæ factæ: paulò pòſt iterum irritatur, & Burgenſes capiunt ſuum Comitem Ludovicum; die 21. *Junii, Gandavenſes verò alieni ab hac ſeditione, vincuntur à Brugenſibus die* 15. *Julii, feriâ* 2. *Interim Brugenſes & alii excommunicantur à Pontifice, & Gandavenſes melius exercitu inſtructi vincunt Brungenſes binis præliis; quibus cladibus fracti dimittunt Comitem liberum, die* 21. *Decembr. quem ſex menſibus captum habuerant.* Annal. Flandr.

Hyemis tempore adhuc Ludovicus Imper. obſidet oppidum Burgace: *ſed inde repellitur per Leopoldũ; inde cum Papa proceſſibus & excõmunicatione urgeretur, & ſibi metueret, Fridericum Auſtriacum captũ certis conditionibus dimittit, die* 23. *Aprilis. Poſtea hoc eodẽ anno die* 3. *Sept. amicitiam Ludovicus cum Friderico jungit firmam, & conjurant fraternitatẽ de unanimi*

 admini-

adminiſtratione imperii, de qua re literæ factæ fuerunt, quas vidit Cuſpinianus : *obſignatæ tamen non fuerunt, fortaſſe quòd Leopoldus mortuus fuit, quem metuebat Ludovicus.* Cuſp. & Chron. Bohem.

Olympias 525. incipit in Julio. Anno Olympiadicus 2101.

Annus Diocletiani 1042. incipit die 29. Auguſti.

Ladislaus *Poloniæ rex cum Lithuanis, qui hactenus Poloniam crudeliſſimè vaſtarant, fœdus facit, & filiam Gedimini Ducis Lithuanorum ſuo filio uxorem accerſit, cum dote omnium captivorum abductorum in Lithuaniam; filia nucis* baptiſatur & Anna *nominatur.* Hiſt. Polon.

Cùm Iſabella regina Angliæ apud fratrem regem Galliæ diutiùs in Gallia detineretur, eò quòd filius Eduardus regi Galliæ homagium præſtaret, Eduardus maritus rex Angliæ uxorem & filium exules pronunciat. At hi collectâ manu in Angliam, die 25. Septembr. trajiciunt, ad quos Barones regni conveniunt, & toto regno potiuntur, regemque capiunt. *Polyd.*

Burchardus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, vir rixoſus, qui bellum ex bello ſerebat, olim captus, & in civitate diu à Magdeburgenſibus detentus, tandem clavâ occiditur. Epiſcopus Merſburgenſis, frater ejus, de hac re apud Pontificem conqueſturus, capitur à Landgravio Haſſiæ. *Chron. Bohem.*

Annus Indorum 1413. *& Hegira* 726. *incipit* 8. *Decembr. fer.* 1.

ANNO MUNDI 5275. Poſt C. 1326.
E. ☉ 19. ☽ 16. *Ind.* 9.

Eduardus *rex Angliæ ſe ipſum regno abdicat, cùm regnaſſet annos* 19. *& filium* Eduardum *adoleſcentem quatuordecim annorum jubet coronari regem, die* 29. *Januarii, qui regnat annos* 51. Polyd.

Cum Imperatores Conſtantinopolitani Aſiam negligerent, quòd milites ad ejus defenſionem alere non poſſent, pleraque urbes & provinciæ in Bithynia à Turcis ſubactæ ſunt. Sic Othmen mittit filium ſuum Orchanem ad oppugnandam Pruſiam, *quam diuturnâ obſidione fatigatam capit, incolas cum ſuis rebus ſalvos dimittit, anno Heg.* 726. *& ibi ſedem regni figit, Turcæ eam urbem Burſam vocant.* Zacuth. Leonc.

Reinhaldus Comes Geldriæ & Zutphaniæ moritur 9. Octobr. Succedit ipſi filius Reinaldus, qui poſtea factus eſt Dux Geldriæ, & Comes Zuphaniæ. *Chron. Belg.*

Annus Indorum 1414. *& Hegira* 727. *incipit* 27. *Novembr. fer.* 5.

ANNO MUNDI 5276. Poſt C. 1327.
D. ☉ 20. ☽ 17. Ind. 10.

Carolus rex Galliæ, cùm regnaſſet annis 5. morbo conſumptus moritur die 1. Februarii, abſque liberis, relictâ uxore gravida, quæ peperit filiam. Diſputatur de ſucceſſore: aliqui eligunt Eduardum regem Angliæ, qui ex ſorore Caroli natus erat: Potiſſima pars cenſet legem Salicam obſervandam, quæ fœminas in regno Galliæ non admittit, atque ita eligitur *Philippus Valeſius*, patruelis Caroli nuper defuncti, qui coronatur 31. Maji in feſto Pentecoſtes. *Annal. Flandr.*

Ludovicus *Imp. in Italiam profecturus, ſocerum ſuum Wilhelmum Comitem Hollandiæ evocat incomitatum.* Papa *hoc audiens, iter Comitis impedit, pœnâ excommunicationis denunciatâ. Nihilominus Ludovicus menſe Martio in Italiam abit, evocatus à* Cane Scaligero. *Interim* Papa *Avenione* ſententias fulminat, exercitum inſtruit, & in ſubſidium pro ſede Apoſtolica dimicantium à toto clero per univerſam Europam decimas exigit. *Chron. Bohem.*

Angli & Scoti ambo in expeditione ſunt, ſed res ad manus non pervenit, ſequenti anno in æſtate die 24. *pax facta. Interim* Eduardus *Angliæ rex, qui abdicaverat, per uxorem Iſabellam Franciam, & adulterum Rogerium Mortimerium in cuſtodia captivus necatur, cujus parricidii poſt pœnas dederunt Eduardo filio* Buch.

Othmen rex Turcicus, cùm regnâſſet annos ferè triginta, & tumore pedum diu impeditus fuiſſet, moritur anno Heg. 727. Succedit filius *Orchanes*, qui perſecutus victoriam in Aſia multas regiones occupat, & tandem ſanguinicos ſive præfecturas filiis ſuis diſtribuit, regnatque annis 20. *Zacuth.*

Johannes, *Bohemiæ rex, Polonorum regni invaſurus, exercitum conſcribit, ſed terretur minis regis Hungariæ, qui ſe Polonorum defenſorem futurum profitebatur.* Chron. Bohem.

Naralinga urbs amplificatur pomœrio prolato, & novus murus ædificatur. Annal. Suev

Nicephorus Gregoras annotat eclipſin Lunæ totalem die 1. *Septembr. quæ acciderit paulo ante Solis exortum. Ea accidit, ut nos putamus, Conſtantinopoli die* 2. *Sept. fer.* 4. *horis* 6.26. *poſt mediam noctem, ita ut ejus initium tantum ibi videri potuerit. Latitudo fuit* 8. 5. *Semid. Lunæ* 16. 54 *Scrupula reſidua* 52.54. *Digiti* 18. 47. *In hiſce regionibus & potiſſimum in Hiſpania tota videri potuit. Putat autem Nicephorus, eam portendiſſe calamitates, quæ ſecutæ ſunt lib.* 9.

Jacobus Aragoniæ rex, cùm annos 17. regnaſſet, & primus ſanxiſſet, ut principatus Aragoniæ, Cataluniæ & Valentiæ individui eſſent, magno reipublicæ bono, moritur die 2. Novembr. Succedit *Alfonſus* filius, qui 18. annos regnat. *Mariana.*

Annus Indorum 1415. *& Hegira* 728. *incipit* 16. *Novembr. fer.* 2.

Andronicus nepos Imperator cum Michael Bulgariæ principe fœdus init, ut ſibi auxilia ſubminiſtrentur contra avum, & ipſe Michaeli ſubſidio ſit contra *Cralem* Serviæ Deſpotam. Sed hoc anno tantùm totam Macedoniam ſibi ſubjicit. *Niceph. Greg.*

ANNO MUNDI 5277. Poſt C. 1328.
C.B. ☉ 21. ☽ 18. Ind. 11.

Ludovicus, *cùm Romam veniſſet, cauſam ſuam contra Pontificem diſceptat, & coronatur per Caſtellanum cum conjuge, die* 6. *Januarii, & totis novem mēſibus ubi manet, ubi etiam ejus conjux peperit filium, quem voluit* Romanum *appellari. Die* 15. *Februarii Caſtrutium Ducem Lucenſem facit, ſed quoniam paulò pòſt idem Caſtrutius mortem obiret, Imperator alium vicarium ſubſtituit, & Caſtrutii liberis quatuor mille annuos florenos legat die* 17. *Decembr.* Idem in feſto Aſcenſionis Chriſti, conſenſu quorundam Epiſcoporum, novum Pontificem eligit Petrum de

Corba-

Corbaria, ex familia Columnenſium, qui ſe *Nicolaum quintum* appellavit, qui ſtatim duodecim Cardinales creavit. *Chron. Bohem.*

Eclipſis Lunæ annotatur à Nicephoro Gregora primo vere, quæ non totalis fuerit, ſed decem punctorum; ea accidit Conſtantinopoli horâ 1. 47. poſt mediam noctem, die 25. Febr. fer. 6. Latitudo fuit 30. 10. Septent. Semidiam Lunæ 17, 31. Scrup. reſid. 32. 31. Digiti ferè undecim Solis 14. 45. Piſcium.

Eduardus Davidi Scotorum regi pacem concedit, quæ ut firmior ſit, ei ſororem dat in matrimonium, atque ita bellum *Scoticum*, per annos triginta geſtum, hoc anno finitur, quanquam pax diuturna non fuit. *Polyd.*

Andronicus *Junior omni Macedoniâ & Thraciâ occupatâ, Conſtantinopolin movet, quam tandem noctu per proditionem occupat die 24. Maji. 11. indictionis, avum Andronicum ſecludit, qui morbo quodam oculis privatur.* Niceph. Greg.

Moguntini cives, quòd dicerent, ſe metuere obſidionem, monaſteria extra urbem deſtruunt; eam ob cauſam ad cameram imperii citati, mulctam ſolvunt. *Trith.*

Philippus *Valeſius rex Galliæ iterum in Flandriam movet, cui Wilhelmus Comes Hollandiæ auxiliares copias adducit, & Flandros vincit, occiſis ſex millibus, die 24. Auguſti. fer. 4.* Chron. Traj.

Annus ſabbathicus 5. Jobelei 26. incipit 5. Septemb. fer. 3. Anno Jud. 5089.

Annus Nabonaſſaru 2077. & Philippi 1653. incipit die 25. Septemb. fer. 1.

Annus Alexandr. 1640. Antioch. 1377. & Conſtantinop. 6837. incipit 1. Octobr.

Reinaldus *Comes Geldriæ, auxilia adducit Epiſcopo Leodenſi contra cives Leodenſes, eorumque ad novem millia occidit.* Chron. Belg.

Bellum inteſtinum oritur inter Duces Auſtriæ. *Otto* Junior, putans ſe à fratribus contemni, iis bellum facit, adjuvante Carolo, rege Hungariæ, & Johanne Bohemiæ, qui Auſtriam vaſtat, & quadraginta ferè caſtra expugnat: quapropter *Fridericus* coactus cum fratribus & regibus pacem facit menſe Novembri; inde Johannes in Lithuanos movet. *Chron. Bohem.*

Annus Indorum 1416. & Hegira 729. incipit 5. Novembr. feriâ. 7.

Annus Jezdeg. 998. incipit 24. Decembr. fer. 7. Armen. 777. incipit 27. Decemb. fer. 3.

Papa Avenione die 28. Januarii iterum proclamat publicè Ludovicum Imp. eſſe excommunicatum, hæreticum & ſchiſmaticum, jubetque hoc in omnibus Eccleſiis pronunciari, ſingulis feſtis diebus, & diebus Dominicis. *Chron. Bohem.*

Adronicus *Junior Imp. primo vere exercitum colligit ad defendendam* Nicæam, *quam Orchanes rex Turcarum arctiſſimè obſidebat: ſed à Turcis tranſitum in via cuſtodientibus vincitur, & caſtris exuitur, ipſe etiam vulneratus Conſtantinopolin redit.*

Boleslaus Dux Siciliæ, & fratres ejuſcum cognatis, relicto rege Poloniæ, ad regem Bohemiæ accedunt, & à Johanne bona ſua in feudum accipiunt, totosque ſe ipſis ſervitio mancipant. *Chron. Bohem.*

Societatem ineunt Veneti, Florentini, Mediolanenſes, Ferrarienſes, Mantuani, Bononienſes, contra Maſtinum Scaligerum; Carolus etiam filius regis Bohemiæ fit ejus hoſtis, ſed Dux Auſtriæ noluit eum per fines ſuos proficiſci: quare in Hungariam in Longobardiam venit, menſe Junio. Veneti obſident Patavium, & tandem deditione capiunt, ſimulque in captivitatem abducunt Albertum fratrem Martini. Carolus verò occupat civitatem Bellunenſem, & poſt ſex hebdomades Feltrium deditione capit, & ſocietatem jungit cum Venetis. Chron. Bohem.

Robertus rex Scotiæ, cùm regnaſſet annos 24. moritur die 9. Julii; ſuccedit ipſi filius *David*, qui tamen vix coronatur anno ſequente in Novembri, ut autoritas Pontificis intervenire poſſet. Regnavit quidem annos 39. ſed in varia fortuna, adeò ut tot annos ferè exul eſſet, quot rex. *Buchanan.*

Olympias 526. incipit in. Julio. Eſt annus Olympiadicus 2105.

Annus Diocletiani 1046. incipit die 29. Auguſti.

Annus Indorum 1417. & Hegira 730. incipit 25 Octobr. fer. 4.

Ludovicus Imperator, cùm fruſtrà contra Robertum regem Apuliæ expeditionem ſuſcepiſſet, Romam redit, ſed & Roma ferè pellitur à civibus, ob ingentes ſumptus. Inde redit in Tuſciam & gubernatione Lucana movet filios Caſtrutii, inde obſidet Mediolanum, remoto Comite de Monteferrato. Sed Brixiani & alii, qui ſeſe olim Heinrico Imperatori dediderant, evocant ejus filium Johannem regem Bohemiæ, ut ſe contra Ludovicum Bavarum defendat, quem Papa pro Imperatore non agnoſcat. *Dubr.*

ANNO MUNDI 5278. Poſt C. 1329.
A. ☉ 22. ☽ 19. *Ind.* 12.

Annus urbis 2081. *Julianus 1374.*
Æra Hiſpan. 1367. *Auguſtorum. 1357.*
Ludovicus Imperator inchoat annum imperii 15. Andronicus. 2.

Annus Neurutz 250. cum æquinoctio verno.

Johannes Bohemiæ rex, ſuperiori menſe Decembri à *Wernero* Pruſſiæ magiſtro evocatus, movet in Lithuanos, & multas urbes ordini militiæ Teutonico acquirit, Plura effeciſſet, niſi hyems fuiſſet tepidior, unde ipſe ex gravi & nebuloſo aëre, altero oculo captus eſt. *Dubr.*

Franciſcus *Dandalus creatur Dux Venetorum die 8. Januarii, cùm Johannes Superantius defunctus eſſet ultimo Decembris.*

ANNO MUNDI 5279. Poſt C. 1330.
G. ☉ 23. ☽ 1. *Ind.* 13.

Fridericus *Auſtriacus philtro potatus, unde corpus extabuit, & diſenteriæ morbo reſolutus, obiit die 13. Januarii.* Cuſpin.

Ludovicus Imperator redit ex Italia, & *Fridericus* Marchio Miſnenſis ducit ejus filiam Mathildem uxorem. Nuptiæ celebrantur Norinbergæ, & obtinet à ſocero urbes imperii, quas occuparat, Aldeburgum, Zwiccaviam, & Chemnitium, inde Patruelibus ſuis, Rudolphi Palatini, quem ditione ejecerat, filius reſtituit Palatinatum, ceſſeruntque ipſis urbes *Heidelberg & Amberg*; ſibi retinuit *Monacum, Ingolſtadium, &c.* Heinric. Monac.

Andronicus Imperator Conſtantinop. in graviſſimum morbum incidit, adeò, ut teſtamentum conderet. Quidam miniſtri cogunt Avum *Andronicum*, ut tonderetur in Monachum, quo in ſtatu ferè biennium vixit. *Niceph.*

Carolus Hungariæ rex, dum ſedet in aula cum conjuge, ferè occiſus eſſet ab Hungaro quodam, & graviter vulneratur. Reginæ etiam, quæ alterum ictum excipiebat, manum amputavit. *Chron. Bohem.*

Eclipſis Solis annotatur in Chronico Bohemiæ, quæ acciderit die 16. Julii, hora diei octava, quæ tanta fuit, ut vix remaneret in Sole ſpatium, quaſi Lunæ trium noctium. Eaque ita invenitur, fuit feria ſecunda, accidit horis quatuor poſt meridiem & 5. minutis. Parall. latitud. 41. 38. latitud. vera 45. 15. Viſa 3. 37. Semid. Solis 15. 4. Scrup. reſid. 26. 56. Digiti 10. 43. Sol in primo gradu Leonis.

Serviæ Dux, cum hæc eclipſis fieret, bellum inferebatur Michaeli Bulgariæ Deſpotæ propter divortium, quod fecerat cum ſua ſorore, & Imperatoris ſororem duxiſſet, & prælium cum eo commiſit, quo Michael Deſpota victus eſt, & trucidatus. Sed tamen Serviæ Dux victoria nequaquam feliciter uſus eſt; paulò pòſt enim à ſuis, vel ſciente vel diſſimulante filio occiſus eſt. *Niceph. Greg.*

Nicolaus V. Papa, quem Ludovicus Romæ creaverat, à Papa Johanne capitur in Italia, & in Galliam deducitur, ubi abdicavit ſe Avenione die 25. Auguſti. *Onuff.*

Johannes Danck *de Saxonia, Aſtronomus inſignis: qui ſcripſit canones eclipſales, item canones tabularum item de aſtrolabio, floret.*

Johannes de Lignariis Philoſophus & Aſtronomus, qui primus Aſtronomiam Pariſiis inſtauravit, & ſcripſit Canones primi mobilis, floret. Trith.

Bernenſes amicitiam jungunt cum tribus iſtis pagis in Helvetia. Vicini principes, ne libertatis cupido longius ſerperet, Bernenſibus bellum inferunt, quibus auxilio adveniunt Suitenſes ſummâ alacritate, ita ut extra ordinem cum equitatu ipſi pedites in patentibus campis congredi auderent & vincerent; vicerunt ſimiliter Bernenſes peditatum. Cæſorum hoſtium fuerunt ad quatuor millia. *Birckheimer.*

Annus Indorum 1418. *& Hegira* 731. *incipit* 14. *Octobr. feria* 1.

Eclipſis Lunæ annotatur hoc anno in hiſtoria Bohemica, cum Johannes rex Bohemiæ in Italiam expeditionem faceret, quæ acciderit die 16. Decembr. Ea etiam ſic invenitur. Latitudo Lunæ tantum 2. 15. Semid. Lunæ 16. 34. Scrup. reſid. 57. 18. Digiti eclipſis 20. 44. Sol in 12. 17. Capricorni. Accidit Pragæ, fer. 4. horis 3. 49. poſt mediam noctem.

ANNO MUNDI 5280. Poſt C. 1331.
F. ☉ 24. ☽ 2. *Ind.* 14.

Johannes rex Bohemiæ inſtigatus à Pontifice ſuperiori Decembri Tridentum venerat, Italiam cum exercitu ingreſſurus. Hoc anno ſtatim in initio in Italiam venit, & nomine Pontificis Bergomum, Brixiam, Lucam, Parmam, Rhegium, Mutinam, &c. occupat, ſeque cum Pontificio legato contra Imperatorem conjungit, Imperator contrà regi Bohemiæ adverſarios in Germaniam excitat, quibus coactus filium Wenceslaum, qui jam *Carolus* vocabatur, in Italiam evocat, cui exercitum tradit, & ipſe menſe Auguſto in Germaniam redit, ubi *Gorlitium* & alia oppida oppignorata Marchioni Miſniæ adimit, & Friderico etiam Auſtriaco aliquot urbes eripit. Carolus cùm Veronam veniſſet veſpere Paſchatis, ſequenti die, qua Carolus urbatur ſacrâ ſynaxi, quidam, qui finxerat ſe mutum, omnibus eſcis in culina venû miſcuit, quo perierunt quidam ex aulicis, quidam tamen ſanitati reſtituti ſunt. Carolus illo die jejunus manſit, & mutus ille in tormentis confeſſus eſt, ſe conductum fuiſſe ab Azone Vicecomite Mediolanenſi. In fine anni, die Catharinæ, Carolus in Italia ad caſtrum *Felicis* ancipiti prælio vincit regem Apuliæ & vice Comitis, Mediolanenſem, Veronenſem, Maſtinum Scaligerum, Mantuanum Ferrarienſem, Reinaldum Eſtenſem, inde pax facta. *Chron. Bohem.*

Anno Hegira 731. Orchanes *rex Turcarum magnam illam & celebrem urbem* Niceam *diuturnâ fame & obſidione preſſam, capit, & captivos Conſtantinopolitanis vendit, templa* Chriſtianorum *pleraque diruit, pauca tantum pro* Meſſiti *ſive* templis Mahumeticis *retinet cum Scholis. Inſtitutum ibi primum fuit ut pueri Chriſtianorum in Natolia caperentur, Turcæ Niceam vocant Iznick.* Zacuth.

Tigurum urbs, quod Ludovico Imperatori adhæreret, excommunicatur à Pontifice, & ſubjacet huic excommunicationi annos 18. Clericos interim nullus habuit, præterquam Franciſcanos Monachos, qui per unam portam ad edictum Papæ urbe exierant, & per alteram redierant. *Annal. Helvet.*

Cruciferi majorem Poloniam crudeliſſimè vaſtant, quos pellit *Ladislaus* rex, commiſſo prælio 27. Septembr. quo hoſtium ceciderunt ad viginti millia. *Chron. Pol.*

Annus Indorum 1419. *& Hegira* 732. *incipit die* 4. *Octobr. fer.* 6.

Eclipſis Solis annotatur à Nicephoro Gregora, & Hiſtor. Bohemica, die Andreæ, ſive 30. *Novembr. Eaque ita invenitur. Accidit feria* 7. *poſt mediam noctem horis* 8. *minut.* 26. *ubi Parall. latitud.* 44. 40. *latitud. vera* 56. 33. *Viſa* 11. 53. *Semid. Solis* 15. 58. *Scrup. reſid.* 20. 17. *Dig.* 7. 41. *Sol in* 15. 50. *Sagit.*

Eclipſis Lunæ annotatur ibid. quæ acciderit 15. *Decembr. fer.* 1. *horis* 6. *poſt mediam noctem, ubi latitudo Lunæ Septent.* 29. 46. *Semid. Lunæ* 16. 1. *Scrup. reſid.* 28. 18. *unde conſurgunt undecim digiti ferè. Sol in* 1. *gradu Capricorni.*

Fridericus *Marchio Miſnenſis* ludos equeſtres *celebrat Pegaviæ, ubi graviſſimè vulneratur, & plusquam menſe decubuit.* Spang.

ANNO MUNDI 5281. Poſt C. 1332.
E.D. ☉ 25. ☽ 3. *Ind.* 15.

Andronicus ſenior Imperator Conſtantinopolitanus cùm ferè fuiſſet biennio monachus, moritur 12. Febr. tot diebus poſt eclipſin Solis, quot annos vixerat, diebus videlicet 74. anno quinquageſimo, poſtquam Imperator factus fuerat. *Niceph. Gregor.*

Johannes Bohemiæ rex filio ſuo Carolo in Italiam auxiliares copias adducit, & *Bergomum* recuperare conatur, ſed res impeditur: quinquaginta enim, qui ingreſſi fuerant, capti de muro ſuſpenduntur, poſteà cùm ſumptus deficerent,

Johannes cum filio in Germaniam redit. Interim Auſtriacus oppida ſua recepit, poſt menſem ſeptimum, quàm ea miſerat. *Dubr.*

Heinricus Dux Bavariæ, diviſioni Ducatus Bavariæ non acquieſcens, *Henrico* juniori bellum infert. Sed *Ludovicus* Imperator *Strubingam* duobus menſibus obſidet, eamque cepiſſet, niſi interveniente rege Bohemiæ *Johanne* pax conciliata fuiſſet. *Trith.*

Polonorum legati, propè *portam* cœnobium in Thuringia, *à Friburgenſibus* ſpoliantur, & aliquot cadunt, Fridericus Marchio inquirit iſtos latrones, juſſu Imperatoris. *Friburgum* obſidet, capit, latrones interficit, & oppidum cum arce retinet. *Spangenb.*

Comites Vinarienſes, Hermannus & Fridericus, arcem ædificant ad Vnſtrutum Fluvium, quæ jam Wertzlebiorum eſt, Wendelſtein. *Spangenb.*

Cùm David Scotorum rex nollet regi Angliæ jurare fidelitatem, ab *Eduardo* rege Angliæ bello petitur, & regno pulſus ad regem Philippum concedit. Sed *Balliolus* ſuperioris olim regis filius in Scotiam venit, regnum recuperat, & coronatur 25. Auguſti. *Buch.*

Annus Indorum 1420. *& Hegira* 733. *incipit* 22. *Septembr. feriâ.* 3.

Annus Nabonaſſaris 2081. *& Philippi* 1657. *incipit* 24. *Septembr. feriâ* 5.

Annus Alexandr. 1644. *Antioch.* 1381. *Conſt.* 6841. *incipit* 1. *Octobr.*

Lucernates *Helvetii fœdere junguntur tribus iſtis pagis, atque ita quartus ſit pagus.* Annal. Suev.

Annus Iezdegird. 702. *incipit* 23. *Decembr. fer.* 4. *Armeniorum* 782. *die* 26. *Decembr. fer.* 7.

ANNO MUNDI 5282. Poſt C. 1333.
C. ☉ 26. ☽ 4. *Ind.* 1.

Annus urbis 2085. *Julianus* 1378.
Æra Hiſpan. 1371. *Auguſtorum.* 1360.

Ludovicus inchoat annum imperii 29. *Andronicus* 6.

Annus Neurutz 254. *cum Æquinoctio verno.*

Andronicus Imperator Conſtantinop. movet contra affinem ſuum Bulgariæ regem, qui deprecatur bellum, movetque haſce vires in Turcas effundendas, & ſe auxilia adducturum. Sed Andronicus pergit bello, ideo & Deſpota copias contrahit, Andronicum vincit, eumque cum exercitu ſiti peremiſſet, ſi voluiſſet: Ideò ultro pacem ipſi offert. Inde Sirgianus quidam Andronico bellum infert, & cum Serviæ Deſpota conjurat, & totam macedoniam occupat. Andronicus impar viribus, ad fraudes ſe convertit, & per ſicarium eum trucidari curat, & Serviæ Deſpota, pace data, domum redit. *Niceph. Greg.*

Ladislaus *Locticus, rex Poloniæ, cùm iterum annos* 13. *regnaſſet, moritur die* 10. *Martii; ſuccedit filius* Caſimirus, *qui coronatur die* 25. *Aprilis; & regnat annos* 37. *& menſes* 6. Hiſtor. Polon.

Eclipſis Solis annotatur in hiſtoria Bohemica hoc anno, quæ acciderit die 14. *Martii. fer.* 6. *poſt meridiem. Invenitur etiã ita, quòd facta ſit horis tribus poſt meridiem Viteberga Parall. latitud.* 23.53. *Latitudo vera* 19.31. *Viſa* 4.22. *Semid. Solis* 15.5. *Scrup. reſidua* 25.55. *Digiti* 10.18. *primo gradu Geminorum.*

Eduardus Angliæ rex, dum Scotia inteſtinis diſcordiis turbaretur, bellum Scotis indicit, & *Bervicum* tribus menſibus obſidet, & Scotos magna clade vincit die 23. Julii. *Buchan.*

Olympias 527. *incipit* 15. *Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2109.

Annus Diocletiani 1050. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1421. *& Hegira* 734. *incipit die* 12. *Septembr. feriâ* 1.

Mauri cum magno exercitu in Hiſpaniam transvecti, aliquot urbes occupant, & reliquas longè lateque vaſtant, Alfonſus ipſis obviam profectus nihil majoris rei efficit, ſed potiùs inducias cum ipſis in quadriennium facit, cùm Aragoniæ rex Alfonſi fines præter jus & æquum popularetur. *Marian.*

ANNO MUNDI 5283. Poſt C. 1334.
B. ☉ 27. ☽ 5. *Ind.* 2.

Nix profundiſſima ab hiſtoricis hoc anno annotatur, die 23. *April. quâ plurimæ arbores perierunt, juxta verſum:*

Arboribus magnam dat nix inopina ruinam.

Duravit ita quinque diebus, & præter expectationem agris fertilitatem attulit. Hiſtor. Polon.

Northuſan à ſeditio, quæ jam annis novem continuata fuerat, cùm utramque pars fatigata eſſet, tandem deſinit, & cives Friderico Marchioni reconciliantur. *Spangenb.*

Otto *Dux Brunſuicenſis moritur, & ſuccedit ipſi frater* Magnus. *Spangenb.*

Waldemarus III. *parenti in regno Danorum ſuccedit, regnatque annis* 42. Chyt.

Papa Johannes duos Epiſcopos, Græcæ linguæ peritos, Conſtantinopolin mittit, qui concordiam in religione concilient, ſed Patriarcha Conſtantinop. rudis in Theologia erat, ut & reliqui Epiſcopi. Ideò cùm Græci non auderent ſe diſputationibus committere, cauſæ excogitatæ ſunt, cur diſputationes hujusmodi admitti non poſſent. *Niceph. Gregor.*

Annus Indorum 1422. *& Hegira* 735. *incipit* 1. *Septembr. fer.* 5.

Johannes XXII. Papa, cùm vixiſſet annos nonaginta, & ſediſſet annos 18. menſes 4. moritur die 4. Decembr. reliquit inæſtimabilem auri theſaurum, videlicet ducentes & quinquagies centena aureorũ nummorum millia, ſive quinquaginta octo milliones: Succedit ipſi die 19. Decembr. Jacobus de Furno Gallus, qui ſedet annos 7. menſes 3. dies 17. nominat ſe *Benedictum XII.* & ſententiam anteceſſoris de excommunicato Ludovico continuat, & cùm hoc modo Imperator per excommunicationem depoſitus ſit, nec alius electus, ſe *Vicarium imperii* eſſe contendit, & proinde Vicarios in urbes imperii in Italiã mittit. *Platin.*

ANNO MUNDI 5284. Poſt C. 1335.
A. ☉ 28. ☾ 6. *Ind.* 3.

Johannes Bohemiæ rex, mediâ hyeme in Lithuanos movet, ſed cum hyems tepidior eſſet, parum effecit, arcem tantùm ibi extruxit. *Dubr.*

Turcæ magna incrementa ſumunt, & non ſolùm inſulas maris mediterraneas vaſtant, ſed & excurſiones faciunt in Continentem, & mercatores

ſpoliant. Ideò Latini, Itali & alii, re inter ſe communicata, aſſumpto Carolo Apuliæ rege, legatos Conſtantinop. mittunt de ſocietate jungenda contra Turcas; quibus Andronicus libentiſſimè aſſentitur, & impoſito tributo, naves ædificat. Niceph. Greg.

Annus Indorum 1423. & Hegira 736. incipit die 21. Auguſti fer. 2.

Annus ſabbathicus 6. Jobelei 26. incipit 18. Sept. fer. 2. Anno Jud. 5096.

Fridericus Landgravius, & Marchio Miſnenſis, cum Epiſcopo Trevirenſi Erfurdiam obſidet, cives erumpentes vincit, Bruletum incendit, & eo redigit, ut non tantum captivos, quorum cauſa bellum ſuſceptum erat, redderent, ſed & multam ambobus ingentem ſolverent. Fab.

Menſe Novembri pax inita inter Cruciferos & Caſimirum regem Poloniæ, ita ut Cruciferi Pomeraniam retinerent usque ad comitia. Hiſt. Polon.

ANNO MUNDI 5285. Poſt C. 1336.
G. F. ☉ 1. ☽ 7. Ind. 4.

Alfonſus Aragoniæ rex, cùm regnaſſet annis octo, moritur die 24. Januarii; ſuccedit filius Petrus, qui regnat annis 51. Marian.

Scotia magnis cladibus vaſtatur ab Angliæ rege & Balliolo, propterea quod multi Scoti ſtuderent regi Davidi exuli; ideo hi etiam in exilium ejiciuntur. Buch.

Lex in Anglia à rege, conſentientibus Baronibus lata, ne cuivis homini liceat aurum argentumve ex inſula exportare. Polyd.

Andronicus Imperator viginti navibus completis eas educit, ſed Latini ortâ diſſenſione in Italia nullas naves mittunt. Interim Genuenſes Andronico bellum indicunt, cujus tamen ipſos ſtatim pœnituit. Paulò pòſt Cantanes Deſpota Phoceæ, occupat fraude Mitilenen. Quapropter Andronicus claſſe comparatâ Phoeæam proficiſcitur ſub Caniculæ ortum in æſtate, eamque obſidet auxiliantibus Turcis, ſed Hoſpitalarii & Rhodii deprecantur pro Catane, & obſidio ſolvitur. Niceph. Greg.

Annus Indorum 1424. & Hegira 737. incipit 10. Auguſti, fer. 7.

Annus Nabonaſſaris 2085. & Philippi 1661. incipit 23. Septembr. feriâ 2.

Annus Alexandr. 1648. Antioch. 1385. Conſt. 6845. incipit 1. Octobr.

Reinaldus Comes Geldriæ bellum incidit Friſonibus, eosque prælio vincit, eorumque ad duo millia occidit. Chron. Belg.

Gandavenſes promittunt Anglorum regi auxilia contra Gallorum regem coactiferè, quòd ex Anglia aliàs lanam habere non poſſent. Sed auxilia illa retrahere coguntur, juſſu Comitis Flandriæ Ludovici, qui Gallo ſtudebat, quòd ei fidelitatem juraſſet; quapropter Flandri ab Anglo, bello petuntur, & vincuntur die 10. Novemb. fer. 1. Annal. Flandr.

Annus Iezdegird. 706. incipit 22. Decembr. fer. 1. Armeniorum 786. die 25. Decembr. fer. 4.

ANNO MUNDI 5286. Poſt C. 1337.
E. ☉ 2. ☽ 8. Ind. 5.

Annus urbis 2089.	Julianus 1382.
Æra Hiſpanica 1375.	Auguſtorum. 1364.
Annus Ludovici 23.	Andronici 10.

Ann. Neurutz Perſ. 258. incipit cum Æquinoctio verno.

Alfonſus Caſtellæ rex, bellum infert Alfonſo Luſitaniæ regi, ejusque claſſem vincit. Marian.

Nicephorus Gregoras annotat eclipſin Solis, quæ præceſſerit cladem Thraciæ, illatam a Scythis. Ea accidit die 2. Martii, fer. 3. horis 10. 22. poſt mediam noctem. Parallaxis latitud. eſt 42. 27. Latitudo vera 39. 4. Viſa 3. 23. Semid. Solis 15. 36. Scrup. reſidua 27. 5. Digiti 10. 25. Sol in 20. 54. Piſcium.

Sileſiæ principes ſe Johanni regi Bohemiæ & ejus ſucceſſoribus dedunt, & in feſto palmarum Vratislaviæ homagium regi Johanni præſtant. Dubr.

Cometæ bini hoc anno ſcribuntur exorti, quorum alter præceſſit alterum, ferè unius menſis ſpatio. Spangenb.

Wilhelmus Comes Hollandiæ, cùm annis 33. præfuiſſet, moritur die 7. Julii; ſuccedit filius Wilhelmus, qui præeſt annis octo. Chron. Holland.

Fridericus rex Siciliæ, cum regnaſſet annis 39. moritur; ſuccedit ipſi filius Petrus. Marian.

Olympias 528. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 2113.

Annus Indorum 1425. & Hegira 738. incipit die 30. Julii.

Annus Diocletiani 1054. incipit die 29. Auguſti.

Scythæ in Thraciam incurrunt, eamque diebus quinquaginta vaſtant, ubi quidem multos Turcas ceperunt, qui Thraciam etiam vaſtabant; ſed ſimul cum ipſis ad triginta captivorum millia abduxerunt. Hanc cladem ſecuta eſt eclipſis Lunaris, præceſſit Solaris, in initio anni. Nicephorus Gregor.

ANNO MUNDI 5287. Poſt C. 1338.
D. ☉ 3. ☽ 9. Ind. 6.

Eclipſis Lunæ, annotata à Nicephoro Gregora, fit die 5. Febr. fer. 5. horis 4. [illegible] poſt merid. atque ita quinquaginta minutis ferè, ante Lunæ ortum, ſed cum orirétur adhuc ferè tota obſcurata fuit, atque ita notabilior & terribilior. Latitudo ejus Septentr. 8. 41. Semidiamet. Lunæ 18. Scrup. reſid. 55. 25. Digiti eclipt. 18. 28. Sol in gradu 25. Aquarii.

Ludovicus Imperator ſolennes legatos miſerat ad Pontificem, ut tandem excommunicatione ſolveretur, cùm nihil peccaſſet, & eſſet religionis veræ cultor, ut anno 1332. miſerat duos Comites, anno 1337. Ducem & Comitem, atque ita etiam hoc anno. Cùm verò nihil impetraret, die 6. Julii provocat ad generale concilium, & in comitiis Renſenſibus omnes Electores imperii ſcribunt ad Papam Benedictum, ſibi conſtare ex proceſſibus Johannis Papæ, quòd ſententias excommunicationis non de jure, ſed de facto contra Deum & juſtitiam, & juris ordinem fulminarit. Inde conveniunt Moguntí, ubi die 8. Auguſti decernitur, quòd Imperator imperium habeat à ſolo Deo, & ſi electus ſit ab omnibus Electoribus, vel à potiore parte Electorum, ex ſola electione cenſeri & habe-

& haberi debeat ab omnibus, pro legitimo Imperatore, etiamſi à Papa non ſit unctus, conſecratus, & coronatus, & qui contrà ſenſerit, eum incurrere crimen læſæ majeſtatis, & bona ejus publicanda. Item decernunt, concilium Epiſcoporum eſſe ſupra Papam, hinc actum, ut hæc quæſtio diuturno tempore ſit tractata. Monachi quidam, qui huic edicto contradicebant, ex cœnobiis pulſi ſunt, & Francfurtenſes Canonici, qui hoc decretum templo affigi nolebant, urbe pulſi ſunt, & exularunt annis 24. *Trith.*

Annus Indorum 1426. *& Hegira* 739. *incipit* 19. *Julii, fer.* 1.

Johannes Bohemiæ rex proficiſcitur ad regem Galliæ, bellum parantem contra Anglum, ubi cum monoculus eſſet, altero etiam oculo laborare incipit: Secedit igitur ad Montem Peſſulanum ad Medicos, ubi à *Judæo* quodam Medico planè excæcatur. Miſerat tum Carolum filium in Hiſpaniam, ut auxilio eſſet regi Hiſpaniæ contra Saracenos, ſed cæcus factus eum revocat. *Hiſt. Bohem.*

Turcæ iterum in Thraciam cum 24. navibus irruunt meſſis tempore, & omnia vaſtant. Andronicus Imperator adeò à militibus inops, ut vix 25. equites contrahere poſſet, & 500. pedites, quos tribus navibus imponit, & captatâ occaſione Turcas aggreditur, & quatuordecim eorum naves capit, Turcas cædit, ferè mille interficit, & omnem prædam recuperat. Paulò pòſt idem conducit duo millia Turcarum, Illyricos invadit, & omnibus eorum civitatibus potitur, & Turcos divites prædâ dimittit; inde pergit, & Ætolos atque Acarnanes in ſuam ditionem redigit. *Niceph. Gregor.*

Hoc anno etiam *Nicomedia* Bythiniæ metropolis, longâ fame domita à Turcis capitur. *Niceph. Gregor.*

ANDREAS Dandalus Ventorum Dux, cùm per Helleſpontum iter mercatorum intercluderetur, à Suldano Ægypti per legatos impetrat licentiã negociandi per Syriam & Ægyptum. *Juſtin.*

Locuſta jam triennio Poloniam, Auſtriam, Bohemiam, & inde totam Germaniam vaſtarans tantâ copia, ut ſi volarent, umbram facerent ut nubes. *Carolus* filius regis Bohemiæ, aliquando exploraturus exercitum locuſtarum, invenit eum in latitudine habere ſeptem miliaria Germanica, ſed longitudinis finem invenire non potuit: omnia depopulabantur. Hoc tandem anno per totam æſtatem à ciconiis, ictibus, vulturibus, corvis & monedulis abſumuntur, & ſimul tandem nive omnes obruuntur, poſtridiè Lucæ Evangeliſtæ, 19. Octobr. Unde verſus:

Quas nive mox truce proſtravit lux altera Lucæ.

ANNO MUNDI 5288. Poſt C. 1339.
C. ⨀ 4. ☽ 10. *Ind.* 7.

Comitia aguntur Francofurti in media Quadrageſimæ, quibus interfuit etiam Eduardus Angliæ rex, ubi à principibus decernitur, ſolennitates Pontificis in coronando Imperatore eſſe adventitias, nomina ſine re, & ab alio quovis Epiſcopo adminiſtrari poſſe, nec vacante imperio imperii jus ad Papam revolvi, ſed ad *Palatinum & Saxonem*: in iisdem Comitiis *Reinaldus* Comes Geldriæ, propter ſingularem prudentiam & fortitudinem, creatur Dux, eiq; additur Comitatus Zutphaniæ. Sic *Wilhelmus* etiam Comes Juliacenſis tum temporis creatur Marchio; & diviſio Palatinatus legitimè ibi inſtituitur inter patrueles fratres. *Conſt. Imp.*

Eduardus rex, qui præſens fuit, auxilia ſibi petiit ab Imperatore; ſed cùm per principes imperii, qui amicitiam cum Gallo colebant, hoc ipſi denegaretur, nihil impetravit. *Trith.*

Stuartus *in Scotia fit Prorex contra Balliolum & Anglos, & defendit Davidem regem, qui in Exilio erat.* Buchan.

Eclipſis Solis annotatur à Trith. & aliis die Kiliani, 8. *Julii, eaq; ſic invenitur. Facta enim eſt eodem die, horis* 3. 35. 14. *poſt meridiem. Parallaxis latitudinis eſt* 35. 4. *vera ſeptentr.* 33. 45. *viſa* 1. 19. *Semidiamet. Solis* 15. 2. *Scrup. reſidua* 27. 18. *Digiti eclipticii* 10. 53. *Solis* 21. 47, *Cancri.*

Annus Indorum 1427. *& Hegira* 740. *incipit* 9. *Junii, fer.* 6.

Rex Angliæ ex Germania in Flandriam, ubi admiſſus ſuperiori anno fuerat contra voluntatem Comitis, reverſus, exercitum educit; ita rex Galliæ quàm citiſſimè copias contrahit ad centum millia, Ducesque belli celeberrimos conſtituit, initiumq; belli facit in Aquitania, & claſſem etiam in Angliam mittit. Rex Angliæ contrà in Santonibus exercitum habet, ſed Galliæ rex monitus ab Alfonſo Caſtellæ rege, ne in aciem deſcenderet, inſtare enim ſibi ingentem calamitatem, pugnam declinat, atque ita æſtas extrahitur. *Annal. Flandr.*

Piſis *Academia inſtituitur, quæ poſtea reparatur à Laurentio Mediceo.* Volat.

Franciſcus Petrarcha, ob eloquentiam Romæ in Capitolio coronâ Poeticâ donatur. *Naucl.* Sed *Platina* ait præcedenti anno.

Dreſurtenſis nobilis *Hermannus*, vir inquietus, nunc Marchioni Miſniæ, nunc Landgravio, nunc Epiſcopo Moguntino moleſtus eſt vaſtationibus, ita tamen ut ſemper ex trib. aliquem haberet amicum, à quo defendebatur; tandem hi tres conjunctis viribus *Hermannum* ditione ejiciunt, & ſimul eam occupant. *Spangenb.*

ANNO MUNDI 5289. Poſt C. 1340.
B.A. ⨀ 5. ☽ 11. *Ind.* 8.

Turris Viennenſis *inchoatur hoc anno, ab Alberto Auſtriæ Duce, & perficitur anno* 1400 *à filio Alberti, poſt annos ſexaginta, ita ut altitudo tota ſit pedum* 480. *Superatur tamen ab Argentinenſi, pedibus ferè viginti.* Cuſpin.

Flandri iterum excommunicantur à *Pontifice*, procurante id rege Galliæ; ideò cùm *Sacerdotes* non haberent, rex Angliæ ipſis alios mittit ex Anglia. Rex Galliæ interim magnam claſſem parat, ut omnes portus præcludat, ne Angliæ rex in Flandriam venire poſſet; ſed is præparatis navibus 260. ſolvit, & altera die, pridie Johannis Baptiſtæ, Gallos vincit ingenti prælio, omnes eorum naves ad trecentas perdit, & ad 30. millia hominum occidit: factum 23. Junii. *Polyd.*

Annus Indorum 1428. *& Hegira* 741. *incipit* 27. *Junii, fer.* 3.

Gerardus de Senis, inſignis Juriſconſultus floret in Italia. *Trith.*

Wilhelmus Comes Hollandiæ, in gratiam Imperatoris bellum movet regi Galliæ, & aliquot caſtella expugnat & Cameracum vaſtat; & Gallus ſibi metuens, ab Anglis per mulieres, ut Iſabellam matrem regis Angliæ, & matrem ejus, Philippi Pulchri viduam, impetrat inducias ſequenti anno primùm annuas, poſtea tamen biennales. *Annal. Flandr.*

Annus Nabonaſſaris 2089. *& Philippi* 1665. *incipit die* 22. *Septemb. fer* 6.

Annus Alexandr. 1652. *Antioch.* 1389. *& Conſtantinop.* 6849. *incipit* 1. *Octobr.*

Mauri ex Africa ſuperiori anno in Hiſpaniam transierant, & binis cladibus affecti fuerant; ſed hoc anno cladem regerunt, claſſem regis Caſtellæ deprimunt, & *Tariffam* die 23. Septemb. obſident. Caſtellæ rex obſidionem ſoluturus, cum exercitu advenit, prælium committit feliciſſimum, die 30. Octobr. feriâ 2. in qua ad ducenta millia Maurorum ceciderunt; ſed poſt victoriam, cùm tot eſſent ex victoribus ſaucii, ceſſatum eſt. *Marian.*

Annus Jezdeg. 710. *incipit* 21. *Decembr. fer.* 5. *Armen.* 790. 24. *Decemb. fer.* 1.

ANNO MUNDI 5290. Poſt C. 1341.
G. ☉ 6 ☽ 12. *Ind.* 9.

Annus urbis 2093. *Julianus* 1386.
Æra Hiſpanica 1379. *Auguſtorum* 1368.

Ludovicus inchoat annum imperii 27. *Andronicus.* 14.

Neuruz 262. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Eduardus priusquam induciæ fierent, *Tornacum* obſidet, & ferè capit; ſed rex Galliæ tandem inducias per mulieres impetrat, cùm Philippus Anglo redderet quædam in Aquitania, & Flandris pecuniam debitam remitteret. *Polyd.*

Cometa *iterum apparet in Libra, viſus progrediens, cùm ad Leonem perveniſſet, evanuit, &* Andronicus *Imperator die* 15. *Junii, paulo ante Solis ortum, ex ſplenis tumore moritur, anno Conſtant.* 6849. *ætatis* 45. *cum ante viginti annos Conſtantinopolin jure belli occupaſſet, & tredecim annis poſt captum avum imperaſſet: Succedit filius* Johannes, *qui annos natus duodecim, tutorem accipit* Cantacuzenum, *cujus filiam Orchanes rex Turcicus habebat uxorem: regnavit hic, ut videtur, annos* 50. Chalcocondylas *enim, qui ſcripſit res Græciæ poſt* Nicephorum, *hoc anno deſinentem, non adeo annotat tempora; igitur incertiora ſunt, quæ in Græcis ſequuntur.*

Annus Indorum 1429. *& Hegira* 742. *incipit die* 6. *Junii, feria.* 5.

Olympias 529, *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2117.

Annus Diocletiani 1058. *incipit* 29. *Aug.*

Alcala urbs Maurorum à rege Caſtellæ obſeſſa, tandem deditur die 26. Auguſti, cives incolumes dimittuntur. *Marian.*

Galliæ rex liberatus ab Anglo, Britannis bellum infert, & Ducem Britanniæ capit, ſubditosque multis modis afflixit: Uxor Ducis igitur in Angliam navigat, indeque exercitum educit. *Annal. Flandr.*

Caſimirus rex Poloniæ *Lithvaniam* in provinciæ formam redigit, & ſibi ſubjicit, & paulò pòſt ducit Landgravii filiam. *Hiſt. Pol.*

ANNO MUNDI 5291. Poſt C. 1342.
F. ☉ 7. ☽ 13. *Ind.* 10.

Ingens tempeſtas annotatur à Trithemio die 23. *Januarii, quæ ſævit tonitruis, fulgure, fulminibus, & pluvia: in media æſtate ingentes fuerunt inundationes, & Mœnus fluvius damna multa viciniis intulit, & integras villas evertit.*

Ludovicus Imperatoris filius, die 10. Februar. nuptias celebrat cum Margarita Duciſſa Carinthiæ, & Comitiſſa Tyrolis, & Imp. parens filio ſuo Ducatum & Comitatum illum confert. Pulſus interim fuerat Johannes Heinricus Auſtriacus, Margaritæ maritus, qui impotens, totis annis octo uxorem non cognoverat. *Cuſpin.*

Benedictus XII. Papa cùm ſediſſet annos 7. menſes 4. moritur die 25. Aprilis, cui Epitaphium à quodam factum extat in *Annal. Fland.*

Hic ſitus eſt Nero, Laicis mors; vipera clero,
Devius à vero, cupa repleta mero.

Succedit ipſi die 7. Maji, Petrus Monſtrius, qui *Clemens VI.* appellatus eſt; ſeditque annis 10. menſibus 7. *Onuf.*

Rex Angliæ Eduardus hoc anno ſcribit ad novum Pontificem, ne velit in Angliam Epiſcopos mittere, qui Anglicam linguam ignorent, nec etiam velit ita exhaurire Epiſcopatus. *Conſtant. Imper.*

Annus Indorum 1430. *& Hegira* 743. *incipit* 6. *Junii, fer.* 5.

David *Bruſſius rex Scotia exul, in Scotiam ex Gallia redit die* 3. *Julii, & iterum regni habenas accipit.* Buchanan.

Annus ſabbathicus 7 *ſive Jobelei* 26. *incipit* 2. *Sept. fer.* 2. *Anno Jud.* 5103.

Vectigal novum excogitatum in Hiſpania ad opprimendos Saracenos, viceſima ſcilicet pars rerum venalium, idque appellatum eſt *Alcavala*, voce à Mauris deſumpta, & paulò pòſt claſſis Maurorum vincitur, ubi viginti quinque naves depreſſæ, *Marian.*

Algezira *nobilis Maurorum urbs obſeſſa fuerat die* 3. *Auguſti; extracta eſt ea obſeſſio usque in hyemem, & obſeſſi primum globos ferreos tormentario pulvere actos ex urbe ejecerunt, ut* Mariana *habet. Etſi hoc verum eſt,* Bombardarum *inventio antiquior eſt, quam putatur; aut* Bertholdus Schwartz *monachus, qui tormentarium pulverem invenit, ante hac tempora vixit.*

Philippus rex Galliæ, cùm plurimæ pecuniæ abſumeretur bello Anglico, novum tributum inſtituit ex ſale. Cùm enim adventitio utantur, & nemo eo carere poſſit, monopolium illud rex ſibi ſumpſit. *Gaguinus.*

Fridericus Marchio *Nebram* oppidum expugnat; cùm ignem injeciſſet; & paulò pòſt idem bellum infert Vinarienſi, qui præ ſuperbia contemnebat Fridericum. Huic bello involuti ſunt etiam Comites Schvvartzburgenſes, duravitque annis ferè quatuor, & Vinarienſis victus omnia ſua dedit Marchioni, à quo ipſi eadem in feudum accepit. *Fab.*

ANNO

ANNO MUNDI 5292. Poſt C. 1343.
E. ☉ 8. ☽ 14. *Ind.* 11.

Cruciferi *in Boruſſia tandem conceſſione regis* Caſimiri *obtinent Pomeraniam in Comitiis Warſovienſibus, quam conceſſionem tamen Epiſcopi regni valde improbabant.* Chron. Polon.

Robertus *Siciliæ rex ſtudiis humanioribus valde deditus, moritur, ut habet.* Marian.

Annus Indorum 1431. *& Hegiræ* 744. *incipit* 26. *Maji, fer.* 2.

Reinſteinenſes Comites incautiùs deprædantur agrum Mulhutinum: Hi enim inſecuti prædones, non ſolùm prædam recuperant, ſed etiam ipſos Comites capiunt. *Spangenb.*

Vinum optimum hoc anno collectum eſt, cujus vas urnarum 672. *adhuc* Heidelbergæ *conſervatur, ut habent* Annal, Suev.

Reinaldus *primus Dux Geldriæ, cùm Comitatum annis* 13. *rexiſſet, & poſtea annis* 4. *Dux fuiſſet, moritur die* 12. *Octobris: ſuccedit ipſi filius* Reinaldus, *qui præeſt annis* 17. Chron. Belgic.

Imperator Ludovicus, cùm ſubinde inſtaret, ut tandem ſolveretur excommunicatione, quòd & pro eo faciebat Philippus Francorum rex, tandem ei à Pontifice Clemente ſex hæ præſcribuntur conditiones: ut primùm Wilhelmum Occam Pontifici dederet, acta contra Pontificem reſcinderet, edicto ſanciret, imperium eſſe beneficium Papæ, fatetur ſe hæreticum eſſe, imperium deponeret, nec niſi ex voluntate Papæ reſumeret, & ſeipſum liberos & omnes ditiones in manus Pontificis traderet. De his conditionibus principes imperii conſulti, ſtatuunt poſtulata pontificis eſſe prava, inepta, antiquata, argutiora denique, quam ut ſimplicitati Chriſtianæ conveniant. Itaque irrita & vana declarata ſunt, cùm Papa putet ſibi licitum, quod libeat. Huic decreto & Carolus Bohemiæ rex ſubſcripſit, & legati miſſi, qui hæc Pontifici exprobrent. *Conſt. Imp.*

ANNO MUNDI 5293. Poſt C. 1344.
D.C. ☉ 9 ☽ 15. *Ind.* 12.

Algezira urbs Hiſpaniæ, tandem diuturnâ obſidione fatigata & fame oppreſſa, deditur; cives aliò abire dimittuntur, urbem ingreditur Caſtellæ rex die 28. Martii, qui fuit Dominica Palmarum. *Marian.*

Aragoniæ *rex Alfonſus, ejecto rege Baleari ſuo cognato, ipſe eas inſulas ſibi ſumit.* Marian.

Annus Indorum 1432. *& Hegiræ* 745. *incipit die* 15. *Maji, feriâ.* 7.

Ludi Equeſtres à Marchione Miſnenſi celebrantur Iſnaci ſolenniter, ubi mater Marchionis, quæ obſervarat pietatem & induſtriam filiæ Comitis Hennebergici, ſuaſit, ut ſuo nepoti daretur in uxorem; quod quidem fieri tum non potuit, cùm de dote convenire non poſſet, peractum tamen eſt ſequenti anno. *Fab.*

Annus Nabonaſſaris 2093. *& Philippi* 1669. *incipit die* 21. *Septemb. fer.* 3.

Annus Alexandr. 1656. *Antioch.* 1393. *& Conſtantinop.* 6853. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Jezdeg. 714. *incipit* 20. *Decembr. fer.* 2. *Armen.* 794. 23. *Decemb. fer.* 5.

Tartari iterum in Poloniam irruunt. *Viſtulam* tamen tranſire nequeunt, quòd Caſimirus cum exercitu tranſitum cuſtodiret. Ideò cùm ſatis prædæ jam haberent, ad ſua redierunt. *Chron. Belg.*

Baldus *de Vbaldis celeberrimus Juriſconſultus Bononiæ publicè docet, & ob inſignem in controverſiis dijudicandis dexteritatem, in precio habetur.* Mant.

ANNO MUNDI 5294. Poſt C. 1345.
B. ☉ 10. ☽ 16. *Ind.* 13.

Annus urbis 2097 *Julianus* 1390.
Æra Hiſpanica 1383. *Auguſtorum* 1372.

Ludovicus inchoat annum imperii 31.

Nevruz. Perſ. 266. *ab Æquinoctio verno.*

In Galliis, cùm propter continuum bellum pecunia deficeret, in *Parlamento* decernitur, uſurariorum bona in fiſcum redigenda: ii autem erant Itali ferè, qui primum decimam ſortis pro uſura exegerant, inde vix quintâ vel quartâ parte ſortis contenti erant. *Guanginus.*

Conjugium tandem firmatur inter Catharinam Hennebergicam & Fridericum Marchionis filium, ſed ſocer dotem, quam promiſerat firmare non vult, ideò etiam Marchio ipſi filiam remittit. Inde bellum ortum, & Hennebergicus atrociter vaſtat ſuperiora Thuringiæ, ubi tamen Marchio, etſi in maximo periculo fuerat, victoriam obtinet; inde Hennebergicus ſibi metuens, deprecatur culpam: urgent præterea novi conjuges, qui ſe unicè amabant, fitque pax, & dos tandem firmatur ditio Coburgenſis, quæ hoc modo ad Landgravios Thuringiæ pervenit. *Fab.*

Gandavi *die* 2. *Maji, feriâ ſecundâ fullones & textores diſſentientes prælio contendunt in media urbe, & cadunt quingenti ferè maximè fullones.* Eduardus *rex Angliæ paulò poſt in Flandriam venit, vultque ut ſupremus Dux Flandriæ conſtituatur, & Ludovicus Comes exhæredetur, quod tamen Flandri negant, ſe facturos. Inde ſeditio oritur, &* Artevelda *quidam, qui rem ad Anglos trahebat, & multis modis Flandriam turbaverat, trucidatur die* 17. *Julii, feriâ primâ poſt meridiem.*

Annus Indorum 1433. *& Hegiræ* 746. *incipit* 4. *Maji, fer.* 4.

Olympias 530, *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2121.

Johannes Imperator Conſtantinop. inchoat annum imperii 5.

Annus Diocletiani 1062. *incipit* 29. *Aug.*

Wilhelmus Comes Hollandiæ, cùm ex Boruſſia rediiſſet bellum Trajectenſibus infert, eos duobus præliis vincit, & *Trajectum* obſidet ſex menſibus; inde pace facta in Friſiam expeditionem facit, ubi infeliciter res gerit, & ab hoſtibus, immiſſis aquis ſuffocatur die 26. Septembr. & cùm abſque liberis obiret, ſoror ejus Margaretha, quæ nupta erat Imperatori Ludovico, ut vicinior hæres Comitatum Hannoviæ, Seelandiæ & Hollandiæ, adfert domui Bavaricæ, quos obtinuit hæc familia annis ferè octuaginta, donec iidem Comitatus ad domum Burgundicam pervenirent. Præfuit autem Margaretha annis ſex. *Trith.*

Ludovi-

Ludovicus rex Hungariæ, emit Andreæ fratris ſui hæreditatem, regnum ſcilicet Hungariæ, 352000. ducatis, quibus Andreas uſus eſt ad regnum Apuliæ occupandum. *Avent.*

ANNO MUNDI 5295. Poſt C. 1346.
A. ☉ 11. ☽ 17. *Ind.* 14.

Salza Thuringorum erat quorundam nobilium, qui diſſentientes de hæreditate dividenda oppidum vendendum putant, emptorem quidam eligunt Marchionem Miſniæ, quidam Epiſcopum Moguntinum. Epiſcopus primus mittit, qui id occupant, & ludibrio habent legatos Marchionis. Ideò Fridericus cum exercitu advenit, cùm & ſic à ſannis non quieſcerent, ignem injecit, & totum cremavit. Perierunt homines plus quam octingenti, & multi dum ſupra murum elabuntur, cauſa attriti ſunt, inde oppidum dimidium cedit Landgravio, dimidium Moguntino. Incendium accidit hoc anno menſe Febr. *Fabrit.*

Annus Indorum 1434: *& Hegira* 747. *incipit die* 23. *April. feriâ* 1.

Papa Clemens in die Cœnæ Dominicæ Ludovicum Imperatorem, qui tamen & ſæpius & præcedenti etiam anno abſolutionem ab excommunicatione humiliter petierat, atrociſſimè execratur, eum proclamat hæreticum & ſchiſmaticum, & ad principes Electores ſcribit, ut intra certum tempus aliud Imperatorem eligant. *Cuſpin.*

Electores Imperii, Trevirenſis, Colonienſis, Johannes rex Bohemiæ & Saxoniæ Dux, à Pontifice exciti conveniunt Renzi *propè Trevirum, ibique eligunt filium Johannis regis Bohemiæ* Carolum *regem Romanorum, qui tum aberat in Galliis. Contrà verò Ludovicus evocat Status Imperii Spiram, ubi de electione Caroli ſententia exquiruntur, & decernitur, eam nullo jure factam, & proinde* Carolum *pro Imperatore non habendum. Jurant igitur de novo fidelitatem Ludovico. Carolus contra poſt prælium ad Craſſiacum menſe Novembri in Germaniam venit, ut coronetur, ſed Aquisgranenſes eum admittere noluerunt; Ideò Bonnæ tandem coronatur die Catharina. Nihil tamen pro imperio agit, quam diu Ludovicus vixit:* Wilhelmus Occam etiam ſcripſit librum contra Pontificem & Carolum. *Trith.*

Eduardus rex Angliæ Calendis Julii applicat in Normannia navibus plus quàm mille, multa loca capit & diripit, ditemque prædam cum captivis in Angliam mittit. Inde ferè Lutetiæ propinquat, ſed cùm Gallus cum exercitu appropinquaret, retrocedit, & prælium tandem conſeritur ad ſylvam Creſſiacam die 26. Auguſti, feriâ 7. ubi ſagittarii ſoli Anglorum totum exercitum Gallorum fuderunt, duravitque prælium totâ die, & nocte inſuper, donec Luna occideret, quod factum eſt horâ primâ poſt mediam noctem; Luna paulò ſuperarat primum quadrantem. Ceciderе in prælio *Johannes* rex Bohemiæ, & rex ex Balearibus inſulis, Dux Lotharingiæ *Rudolphus*: *Carolus* frater regis Galliæ. *Ludovicus* Comes Flandriæ, & multi alii: altero die cùm Angli capta ſigna Gallorum erexiſſent, milites Galli tanquam ad amicos approperant, ubi non pauciores, quàm priori die ceciderunt. Eduardus poſt victoriam *Cales* urbem obſidet, quæ obſidio dicta eſt usque in ſequentem annum, Galliæ verò rex Ludovicum Ludovici Comitis Flandriæ filium baltheo militari cingit. & Comitem Flandriæ facit, qui præeſt in varia fortuna annis 38. cùm pater præfuiſſet annis 24. *Bohemi*, quòd uterque rex & Ottogarus & Johannes die 26. Auguſti, die B. Ruffi ceciderint cum diem atrum habent. *Chron. Bohem.*

Gelu ingens hoc anno, die 13. *Septembr. quo vites cum uves perierunt.* Chron. Bohem.

Papa donat Alfonſo Caſtellæ regi *Fortunatas* inſulas, ſive *Canarias*, hac lege, ut ibi Chriſtianam legem inſtituat. *Marian.*

. idelbergenſis *Academia à Ruperto Palatino & Electore inſtituitur.* Avent.

ANNO MUNDI 5296. Poſt C. 1347.
G. ☉ 12. ☽ 18. *Ind.* 15.

Flandri Ludovicum novum Comitem ad ſe accerſunt & captivum habent. qui tamen ſequenti anno, die 28. Martii, feriâ quartâ, ante Paſcha, elabitur, & ad regem Galliæ ſe confert. *Annal. Flandr.*

Philippus rex Galliæ multa tentat, ut regem Angliæ ab obſidione urbis *Cales* pellat. Primùm tentat Flandros, eosque & precibus, & precio, & viâ ſocietate Anglia vellere conatur, ſed nihil efficit; imò Flandri victoriâ utuntur, & Galliam crudeliter vaſtant. Inde Scotiæ regem *Davidem* incitat, ut regi Angliæ bellum faciat, quod quidem ſtrenuè facit, ſed Angli abſente rege, adeò eum repellunt, ut quindecim millia Scotorum prælio caderent, & ipſum regem caperent; accidit id 30. Septemb. fer. 7. *Philippus* præterea obſeſſis commeatum mari mittere conatur, ſed & id fruſtra eſt, & tantâ fame laborant obſeſſi, ut à nullo immundo animali abſtinerent; nec vi etiam Rex Angliæ pelli pôteſt, quapropter tandem menſe Auguſto *Cales* deditur Cives omnes oppido excedere jubentur, & novi adducuntur Coloni ex Anglia. Inde Papa inducias facit inter utrumque regem, & Euduardus præclare re geſtâ in Angliam die 8. Octobr. redit. *Annal. Flandr.*

Wilhelmus Occam moritur die 10. Aprilis.

Annus Indorum 1435. *& Hegira* 748. *incipit* 13. *April. feriâ* 6.

Leodienſes *ſuperiori anno Epiſcopum ſuum, qui tamen auxilia habuerat Gallica, & regis Bohemiæ, acie vicerant: ſed Epiſcopus exercitu reparato eos vincit hoc anno magnâ clade, ceciderunt civium ad quindecim millia. Factum die* 22. *Julii.*

Petrus Aragonæ rex crudeliter, & cum injuſtitiâ ſuis ſubditis præerat, quapropter adverſus eum inſurgunt in toto regno, quos tandem ſequenti anno compeſcit, & ſub jugum redigit. *Hiſt. Arag.*

Nobiles Franciæ inter ſe ſanciunt leges Sumptuarias *de veſtitu & aliis rebus, ſed exiguo tempore obſervata ſunt.* Heinr. Monach.

Andreas *Apuliæ rex ab uxore dormiens in lecto ſtrangulatur, ut habent.* Paralip. ad Urbs.

Ludovicus Imperator veneno potatus fuerat, dolo, ut putabatur, Auſtriaci; id conabatur vomitu ejicere: cùm hoc anno procederet, ut corpus roboraret, venatum abiit, ubi dum urſum ingentem impetit, maximo impetu de equo præcipitat, & paulò pôſt moritur die 11. Octobr. cùm imperaſſet annis 33. *Avent.*

Princi-

Principes Imperii poſt Ludovici obitum Comitia agunt Francofurti, ubi decretum factum *de jugo Pontificio excutiendo, quod ſervus ſervorum faſtu libidineque dominandi ita inſaniat & in praceps abeat.* Statuunt etiam *Carolum IV.* nequaquam legitimè electum, cùm pecuniâ vota electorum emerit; quod non debito loco Francofurti electus ſit, nec Aquisgrani coronatus, nec apertè, ſed latenter; nec vacante Imperio: nec ſervato juris proceſſu: nullâ cauſa urgente; non ob Reipubl. commodum, ſed ob privatam cupiditatem. Ideò eligunt *Eduardum* regem Angliæ, florentem gloriâ rerum geſtarum. Sed is ſuarum rerum ſatagens, pro honore tanto principibus gratias agit. *Cuſpin.*

Clemens Papa poſt obitum Ludovici mittit legatum, qui principes Imperii, qui Ludovicum ſecuti erant, ab excommunicatione abſolverent, ſi jurarent, Imperatoris non eſſe, ut Papam deponat, & deinde ſe nolle obedire Imperatori ſuo, niſi is Imperator à Pontifice approbetur. Clerici ut plurimum hoc approbarunt, repugnarunt acriter Laici. Inde cùm metueretur ingens motus in Germania, Papa remiſſo hoc juramento omnis abſolvit ab excommunicatione. *Avent.*

ANDEGAVENSIS Academia circa hac tempora condita a Ludovico Andegavenſi Comite & rege Apulia.

Peſtis, qua hactenus graſſata fuerat in Aſia, tandem venit in Europam: violentiſſima fuit, & totum mundum pervaſit in annis ſex. Europam ita vaſtavit, ut nec tertia pars hominum ſupereſſet. Florentia in Italia ad ſexaginta hominum millia abſumpta ſunt, Lubeca in Saxonia nonaginta millia, ita ut viginti quatuor horarum ſpatio mille & quingenti perirent. Jumenta in agris, nemine cuſtodiente vagabantur, cùm nemo in aliquod pagis ſupereſſet: continuata eſt ad triennium. Chron. Belg. & alii.

ANNO MUNDI 5297. Poſt C. 1348.
F.E. ☉ 13. ☽ 19. *Ind.* 1.

Ingens terramotus in Germania orientali, in Auſtria ſcilicet, Pannoniâ & Carniâ factus, die 25. Januarii, qui quadraginta diebus duravit, & viginti ſex urbes, cum multis arcibus proſtravit, quem ſecuta eſt peſtis, qua ante annum etiam vehementiſſima fuerat. Judæi *accuſantur infectorum puteorum, & Auguſta vindelicorum in tumultu omnes ſimul comburuntur.* Chron. Auguſt.

Status Imperii iterum conveniunt, electuri Romanum Imperatorem, & conſentiunt in *Friderico* Landgravio Thuringiæ & Marchione Miſnenſi, & videbatur electioni conſentire. Sed Carolus rex Bohemiæ hoc ipſi diſſuadet, offertque ipſi, ſi renuat honorarium decem millium marcarum argenti. Fridericus igitur, cùm & aliàs metueret vicinitatem Caroli, ne ſuæ ditiones à Bohemis vaſtarentur, ſeſe Electoribus excuſat. *Trith.*

Annus Indorum 1439. *& Hegira* 749. *incipit* 1. *April. feriâ* 3.

Carolus, *qui ſe Imperatorem ferebat, confirmat Regi Bohemia jus electionis, die* 7. *April. anno regni ſecundo.* Conſt. Imp.

Ludovicus *Comes Flandria tandem in Flandriam redit, & civitates cum eo redeunt in gratiam. Gandavenſes verò textores, cùm ſeditionem moverent, ad unum omnes trucidantur.*

Hymbertus Delphinus, Imperii beneficiarius, ditiones ſuas ſive principatum vendit regi Galliæ, ut cognatos ſuos, quot oderat, eo fraudaret, & fit monachus. Carolus Imperator conſentit, dummodo regum Galliæ filii *Delphinatum* poſſiderent, eſſentque in fide & clientela Imperii. Urbs præcipua Delphinatus eſt Vienna. *Annal. Flandr.*

Annus Nabonaſſaris 2097. *& Philippi* 1673. *incipit die* 20. *Septemb. feria* 3.

Annus Alexandr. 1660. *Antioch.* 1397. *Conſtantinop.* 6857. *incipit* 1. *Octobr.*

Jezdegird. 718. *incipit* 19. *Decembr. feriâ* 6. *Armen.* 798. 26. *Decembr. fer.* 2.

In Anglia dum induciæ ſunt, inſtituitur ordo militum Divi Georgii. *Polyd.*

ANNO MUNDI 5298. Poſt C. 1394.
D. ☉ 14. ☽ 1. Ind. 2.

Annus urbis 2101.	*Iulianus* 1394.
Æra Hiſpanica 1387.	*Auguſtorum.* 1376.

Neutruz 270. *incipit cum æquinoctio verno.*

Indorum 1437. *& Hegira* 750. *incipit* 21. *Mart. fer.* 7.

Fridericus *Marchio Miſnenſis, & Landgravius, cùm annis* 24. *prafuiſſet poſt parentem. moritur die* 2. *Febr. ſuccedit ipſi* Fridericus *filius, qui ſtrenui appellationem meruit, prafuitque annis* 31. Fab.

Guntherus Comes Suartzburgenſis, vir induſtrius & bellicoſus, eligitur Imper. qui feriâ ſextâ poſt Hilarii feſtum, ut habet *Chronicon Argentinenſe*, ſeu 16. Januarii, Francofurtum venit, & ſeſquimenſe caſtra ante urbem habuit. Inde in urbem admittitur, & publicè Imp. proclamatur. Carolus verò impar viribus; arte principes à Gunthero avertit. Interim Guntherus decretum Francofurtenſe, quòd is Imperator ſit, quem Electores elegerunt, etiamſi à Pontifice non ſit unctus, confirmat die 10. Martii, & Francofurtenſibus mundinas alias *vernales* dedit. Carolus enim, quoniam à Francofurtenſibus non admittebatur, iis nundinas *autumnales*, quas olim à Moguntinis acceperant, ademerat & Moguntinis reddiderat. Poſtea tamen idem Carolus autumnales etiam Francofurtenſibus reſtituit, & vernales etiam approbavit, & utriaſque confirmavit. *Conſt. Imp.* Gunthero poſtea leviter ægrotanti affertur à medico *Freidankio* potiuncula, quam Imperator ſuſpicatur eſſe venenum mixtam, atque ita jubet medicum dimidium ejus exhaurire, quod & facit, & triduo poſt moritur. Imperator verò etſi aliquid veneni ejecerat, tamen inhabilis factus eſt ad arma tractanda. Ideò Ludovicus Brandeburgenſis arbiter pacis factus, perſuadet Gunthero, ut titulo Imperatoris abſtineat, & ſummam pecuniæ & impenſas belli accipiat, quod & factum eſt, & poſt tres menſes mortuus eſt. *Trith.*

Eclipſis Lunæ nocte, qua Commemorationem Pauli ſignata eſt, mediâ nocte paucis diebus poſt obitum Guntheri annotata eſt. Ea accidit incipiente primo Julii, minutis 20. *poſt mediam noctē. Latitudo ejus auſtralis tantum* 2. 31. *Semidiamet. Lunæ* 17. 52. *ſcrup. reſid.* 61. 59. *digiti eclipt.* 20. 49. *Sol in* 16. 24. *Cancri.* Heinr. Monach.

Defuncto

Defuncto Roberto Siciliæ rege *Johanna* ejus uxor interfecerat maritum ſuum Andream, fratrem Ludovici regis Hungariæ; quapropter Ludovicus bello perſequitur Johannam, & eam regno Apuliæ pellit. *Bonf.*

Olympias 531. incipit in Julio. Anno Olympiadico 2125.

Annus Diocletiani 1066. incipit die 29. Auguſti.

Annus ſabbathicus 1. Jobelei 27. incipit 14. Sept. fer. 2. Anno Jud. 5110.

Carolus *Imperatur concedit civitatibus Rhenenſibus* telonia. *Hinc cum qualibet civitas ſingula telonia ordinaret, impenſa rerum vehendarum nimium creſcebant, Argentoratenſes igitur Rhenum multis ſtipitibus fixis ita claudunt, ut nulla navis nec aſcendere, nec deſcendere poſſet. Clauſus ita fuit Rhenus biennio & dimidio, donec telonia illa abrogarentur.* Paralip. Urſb.

Megapolitani *Comites*, Albertus & Johannes *ac Imperatore duces creantur, & Comitatus in Ducatum mutatur.* Chron. Bohem.

Molitor quidem Meinike nomine, Woldemaro Marchioni Brandeburgenſi ante annos 17. defuncto non abſimilis, Marchiam Brandeburgenſem à Ludovico Ludovici Imperatoris filio repetit, & impetrat auxilia multorum principum, & bello Marchiam undecim ferè annis fatigat. *Spangenberg.*

Peſtis adhuc atrociter, ut aliàs nunquam factum fuerat, graſſatur, putatur tertia pars hominū, aliqui habent dimidiam, extincta. In Cœnobio quodam, teſte Spangenbergio, *inventus catalogus monachorum Carthuſianorum hàc peſte extinctorum, qui fuit 124434.* Ad hanc peſtem ſedandam *Flagellatores* in Hungaria exorti veniunt in Germaniam; fuerunt homines Idiotæ, mares & fœminæ, ſeminudi incedentes, & cruces ligneas in manibus portabant cum flagellis, in extremitate tribus nodis cum aculeis præparatis, quibus ſemet ipſos usque ad ſanguinis effuſionem verberabant, prout Magiſter eorum verba præibat. Secta hæc tandem authoritate Pontificis Clementis repreſſa fuit. *Trith.*

ANNO MUNDI 5299. Poſt C. 1350.
C. ☉ 15. ☽ 2. *Ind.* 3.

Jubilæus annus iterum Romæ celebratur à Clemente VI. Pontifice, traductus à centeſimo ad quinquageſimum, quòd vita hominis centeſimum annum non attingeret, revera, ut Pontifices Romani meſſem illam argentariam ſæpius meterent. Multi homines pro remiſſione peccatorum impetranda, hac vice ſe Romam contulerunt, qui mortem corporis reportarunt, cùm vix decem ex millenis reverterentur, adeò peſtis graſſabatur. *Plat. Trith.*

Annus Indorum 1438. & Hegiræ 751. incipit 11. Martii, feriâ 5.

Alfonſus Caſtellæ rex in caſtris ad Heracleam, quam obſidebat, peſte moritur, die 26. Martii, cùm annis 38. regnaſſet: ſuccedit filius *Petrus*, adoleſcens 16. annorum, qui in varia fortuna regnat annis 19. *Marian.*

Ludovicus *Marchio Brandeburgenſis, cùm jā Carolꝰ Imperator ab omnibꝰ approbaretur, tandem tradit ex theſauris Ludovici patris* Regalia *& inſignia Imperii, ut* lanceam, quâ perforatum eſt latus Chriſti; clavos, quibus affixus cruci; dentem Johannis Baptiſtæ; ſpongiam, quâ Chriſtus bibit acetum; teſtis partem, quâ Chriſtus flagellandus ad columnam alligatus fuit; partem aliquam de Anna avia Domini; gladium Mauritii martyris, *gladium Caroli Magni.* Heinr. Monach.

Margaretha vidua Ludovici Imperatoris removet filium Wilhelmum à Comitatu Hollandiæ, & ſubſtituit Ludovicum, & Wilhelmo Hannoniam conceſſit. Hoc tempore ibi duæ factiones hominum exortæ ſunt, quæ diutiſſimè Rempubl. turbarunt, altera Aſſellata dicta, vom Stockfiſch / altera Hamata, von der Angel. Idem accidit in Geldria, ubi Hercedina & Branckhorſtina factio: Sic apud Friſios, Schiringa & Vercopera: In Italia Guelfi & Gibelini. *Suffrid.*

Johan. de Beca, Clericus Trajectenſis, qui ſcripſit hiſtoriam Trajectenſem, deſinit hoc tempore. *Trith.*

Heinricus de Erfordia Chronologus floret. *Trith.*

Philippus Valeſius, rex Galliæ curis ſuccumbens, moritur die 28. Auguſti, cùm regnaſſet annis 23. ſuccedit ipſi filius *Johannes*, qui regnat annis 14. *Annal. Flandr.*

Inſidiæ *Tigurinis* ſtruuntur, & urbs ferè noctu intercepta fuiſſet: ſed in ipſo articulo inſidiæ patefiunt, & multi capiuntur participes proditionis, & rota contunduntur. *Annal. Suev.*

ANNO MUNDI 5300. Poſt C. 1351.
B. ☉ 16. ☽ 3. Ind. 4.

Annus Indorum 1439. & Hegiræ 752. incipit 28. Februarii, fer. 2.

Tigurum *hoc anno obſidetur arctiſſimè; opera tamen Baſilienſium & Bernatum, & aliorum pax fit: Ideò Tigurini fœderi Helvetico perpetuo cum Lucernatibus, Uriis, Suitiis & Undervvaldenſibus ſe conjungunt, & conſenſu reliquorum principem locum in conſeſſu occupant.* Siml.

Glarona *etiam hoc anno ſextus Helvetiorum pagus factus, cujus præfectus cùm ſequenti anno, die 2. Februar. urbem invaderet, cum multa nobilitate occiſus eſt.* Annal. Suev.

Maſtinus *Scaliger, Dominus Veronenſis, cùm duxiſſet filiam Ludovici Marchionis Brandeburgenſis, & plurimum pecuniæ ipſi ſubminiſtraſſet, moritur menſe Junio.* Heinric. Monach.

Aſellata factio in Hollandia *Wilhelmum*, qui remotus erat à Comitatu per matrem, quique invitâ matre volebat Comitatum, cogit, ut Comitatum invadat, eundem etiam circumducit, ut fidelitatis juramentum à ſubditis accipiat. Mater contrà contrahit exercitum, & cum filio bis pugnat, & primo quidem vincit, poſtea tamen victa in Angliam fugit. Prælium faciunt quarto die Julii. Pax deinde facta, ut mater Comitatum Hannaviæ retineret. *Suffrid.*

Bellum urbs Magdeburgenſis cum ſuis gerit extra urbem, quieſcente Epiſcopo, quod duravit annos tres; nobiles tandem extra urbem pertæſi ſumptuum, per Brunſuicenſes urbi reconciliantur.
Spangenb.

ANNO

ANNO MUNDI 5301. Poſt C. 1352.
A. G. ☉ 17. ☽ 4. *Ind.* 5.

Annus Indorum 1440. *& Hegira* 753. *incipit* 18. *Febr. fer.* 7.

Ludovicus Marchio Brandeburgenſis tandem fratribus ſuis, Ludovico Romano & Ottoni *Marchiam Brandeburgenſem* tradit, & ipſe Bavariæ hæreditatem adit, retinet tamen dignitatem Electoratûs Brandeburgenſibus debitam. *Henr. Mon.*

Cæleſtis flamma poſt Solis occaſum inter Zephyrum & Auſtrum latiſſimè excreſcens, terribileque oſtendans incendium, cum magno tandem murmure per cœlum dilabitur. *Trith.*

Lucernates *arcem* Habſpurgum *funditus evertunt, circa Pentecoſten, præſidiumque trucidant; & Tigurini* Tucium *captum ſeptimum Helvetiorum pagum faciunt.* Annal. Suev.

Papa Clemens Ludovicum Tarenti Principem, cui Johanna nupſerat, quæ maritum Andream laqueo ſuffocârat, in regnum Apuliæ reſtituit, contra Ludovicum Hungariæ regem. *Func.*

Annus Nabonaſſar. 2101. *& Philippi* 1677. *incipit* 19. *Sept. fer.* 4.

Annus Alexandr. 1664. *Antioch.* 1401. *Conſtant.* 6861. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdeg. 722. *incipit die* 18. *Dec. fer.* 3. *Armen.* 862. 21. *Decemb. fer.* 6.

Veneti & Aragonii cum Genuenſibus ad Peram magno conatu pugnant æqua ferè clade, ut *Marianus* habet. *Platina* dicit, pugnam factam inter Conſtantinopolin & Chalcedonem ad Peram, & Venetos magnâ clade victos fuiſſe.

Clemens VI. Papa, cùm ſediſſet annos decem, & menſes ſeptem, moritur die ſexto Decembr. Eligitur in ejus locum die 19. Decembr. Stephanus Auberus Claremontenſis, qui vocatur *Innocentius VI.* ſeditque annos ferè decem. *Platina.*

ANNO MUNDI 5302. Poſt C. 1353.
F. ☉ 18. ☽ 5. *Ind.* 6.

Annus urbis 2105.	*Iulianus* 1398.
Æra Hiſpanica 1391.	*Auguſtorum* 1380.

Neuruz Perſ. Gelali 274. *incipit ab Æquinoctio Verno.*

Annus Indorum 1441. *& Hegira* 754. *incipit die* 7. *Febr. fer.* 4.

Berna fœderi Helvetico adjungitur, & illis honoris causâ ſecundus poſt Tigurinos locus aſſignatur. *Siml.*

Guilielmus *Comes Hollandiæ tandem pacem firmat cum matre, die* 13. *Aprilis, ita ut mater retineat, dum vivit, Comitatum Hanonienſem, ita tamen, ut ſit in clientela filii.* Annal. Fland.

Cùm in Polonia menſis Martius, Aprilis & Majus ultra medium verno calore ſegetes ad calamos, & ariſtas produxiſſent, ingens nix cecidit, quæ ad ſextum uſque diem duravit cum frigore, & tamen præter ſpem ingens ubertas frugum ſecuta eſt. Chr. Pol.

Infinitus *locuſtarum* numerus iterum in Africa, Aſia, Cypro, & aliis locis exortus, à quibus omne, quod viride eſſet, depaſtum fuit. *Chron. Belg.*

Olympias 532. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2129.

Carolus IV. inchoat annum Imp. 7. *Johannes Conſt.* 13.

Annus Diocletiani 1070. *incipit* 29. *Auguſti.*

Cæleſtis flamma longum poſt ſe trahens extinctum limitem, iterum apparet, & fertur à Septentrione in Auſtrum. Trith.

Veneti non procul à Corſica claſſem Genuenſium fundunt, eorumque triremes quadraginta demergunt. *Platina.*

Johannes Rex Galliæ, Carolum Navarræ regem, & Carolum Normanniæ Ducem cum multis nobilibus in convivio capit, & in vinculis detinet. *Froſſ.*

ANNO MUNDI 5303. Poſt C. 1354.
E. ☉ 19. ☽ 6. *Ind.* 7.

Annus Indorum 1442. *& Hegira* 755. *incipit* 27. *Jan. fer.* 1.

Carolus Imp. Metis die 13. Martii Filium ſuum Wenceslaum, Comitem *Luceiburgenſem* evehit in ordinem Ducum, & Comitatum in Ducatum mutat, officia quoque in curia Imperatorum ipſi certa deſignat. *Chron. Belg.*

Genuenſes iterum apud Peloponenſi promontorium Venetos claſſe ſuperant hoc anno. *Plat.*

Eclipſis Solis in Chronico Belgico annotatur, cùm Carolus in Italiam proficiſceretur; ea accidit die 17. *Septemb. fer.* 4. *hora* 8, 45, 9 *poſt mediam noctem. Parallax. latitud.* 28. 55. *Latitudo vera* 20, 21. *Viſa* 8. 34. *Semid. Solis* 15, 30. *Scrup. reſid.* 22, 31. *Digiti* 8, 43. *Sol in* 1, 55. *Libra.*

Johannes Brabantiæ Dux, cùm annis 42. præfuiſſet, moritur, nullo relicto hærede maſculo: ſuccedit igitur filia, quæ nupta erat Wenceslao Duci Lucelburgenſi, qui ſequenti anno, die 3. Januarii, venit in Brabantiam, & à conjuge donatur Ducatu & inauguratur. *Chron. Belg.*

Carolus IV. in Italiam proficiſcitur, & Mediolani ferreâ coronâ coronatur, & *Galeacium* cum fratre Barnaba conſtituit Vicecomitem Mediolanenſium; quorum potentia poſtea valde aucta eſt. *Func.*

ANNO MUNDI 5304. Poſt C. 1355.
D. ☉ 20. ☽ 7. *Ind.* 8.

Annus Indorum 1443. *& Hegira* 756. *incipit* 17. *Jan. fer.* 6.

Carolus Imp. primo vere Romam proficiſcitur, & à Legato Pontificis ibi coronatur, die Paſchatos 5. Aprilis, anno ætatis ſuæ 40. *Trith.*

Franciſcus Catelufius, cùm *Johannem* Imperatorem Conſtantinopolitanum defenderet contra Johannem Cantacuzenum tutorem, & ſocerum & uſurpatorem imperii, donatur Inſula *Lesbo*, & Imperatoris ſororem uxorem ducit. Obtinuerunt ejus poſteri Lesbum ferè centum annis, donec anno Heg. 866. Muhamed hiſce devictis eam occuparet. *Annal. Turc.*

Ludovicus Siciliæ rex menſe Julio moritur, ſuccedit frater Fridericus, homo ſimplex ingenio & ætate. *Mariana.*

Eduardus Angliæ rex iterum in Galliam expeditionem ſuſcipit, eamque miſerè vaſtat. Cùm verò rex Galliæ cum exercitu accederet, retrocedit, & in Angliam redit. *Annal. Fland.*

Bartholus de Saxo ferrato, Juriſconſultus celeberrimus moritur Peruſii, anno ætatis 46.

Ludovicus Hungariæ rex, ut ſucceſſor fieret Caſimiri in regno Poloniæ, Polonis plurimum indulſit. Eodem anno, *Maſoviæ* Ducatus regno Poloniæ additur, & feudi nomine à Ziemoviro Duce obtinetur, qui jurat fidelitatem regi Poloniæ, die 27. Dec.

Eodem anno *Judicium Teutonicum*, evocatis ſeptem Scabinis Magdeburgenſibus, Cracoviæ inſtitutum, ne è longinquis locis jus illud eſſet petendum, magnis litigantium ſumptibus. *Hiſt. Polon.*

ANNO MUNDI 5305. Poſt C. 1356.
G B. ⊙ 21. ☽ 8. *Ind.* 9.

Annus Indorum 1444. *& Hegira* 757. *incipit* 5. *Jan. fer.* 3.

Carolus Imp. die 10. Januarii in conventu Norinbergenſi legem Carolinam, ſive *auream Bullam* de eligendo Imperatore, de jure Electorum, & eorum privilegiis promulgat, in qua etiam gradus poteſtasque Principum & aliorum ordinum in Germania diſcernuntur. Idem Carolus etiam ab *Ottone* Brandeburgico *Marchionatum* emit grandi pecunia, quem proprium dicavit regibus Bohemiæ, interdicta ejus alienatione jurisjurandi religione & infamiæ. *Dubrav.*

Bellum *Brabantinum*, *ortum inter Ludovicum Flandriæ Comitem & Brabantiæ Ducem VVenceslaum, & Comes Ducem prælio vicit die* 17. *Auguſti, Mechliniam, Lovanium, & multas alias urbes capit, & titulum Ducis Brabantiæ aſſumit.* Annal. Flandr.

Eduardus filius regis Angliæ, in Galliam cum exercitu venit, & tandem cùm rex Galliæ Johannes cum exercitu adveniret, pugnam committit in Pictonibus die 19. Septembr. feriâ ſecunda: Anglorum in acie tantùm fuerunt octo millia, Gallorum verò quinquaginta millia, & tamen victoria adeò dubia non fuit, ut ad ſeptem millia Gallorum caderent, nobiles caperentur 1700. Comites 17. & tandem rex ipſe Johannes cum filio minimo Philippo, qui ſequenti anno tandem in Angliam abductus eſt. Cùm hæc victoria in Angliam nunciaretur, octo dierum ſupplicatio inſtituta fuit. *Polyd.*

Annus ſabbathicus ſecundus Jobeles 27. *incipit* 27. *Aug. fer.* 7. *Anno Jud.* 5117.

Annus Nabonaſſar. 2105. *& Philippi* 1681. *incipit die* 18. *Sept. fer.* 1.

Annus Alexandr. 1668. *Antioch.* 1405. *& Conſt.* 6865. *incipit* 1. *Octob.*

Terræmotus ingens die 18. Octobr. factus in Germania. Templum Cathedrale Baſileæ totum corruit, & multæ ædes, & ad duo hominum millia perierunt. *Hein. Mon.*

Marquardus Epiſcopus Auguſtanus ab Imperatore in Italia relictus, adjungit ſibi milites, & Apuliam Thuſciam & alias etiam Italiæ partes incendiis & rapinis vaſtat. Sed cum & Mediolanenſes invaderet, capitur menſe Novembri. *Heinric. Monach.*

Annus Jezdeg. 726. *incipit die* 17. *Dec. fer.* 7. *Armen.* 806. 20. *Decemb. fer.* 3.

Annus Indorum 1445. *& Hegira* 758. *incipit* 24. *Dec. fer.* 7.

ANNO MUNDI 5306. Poſt C. 1357.
A. ⊙ 22. ☽ 9. *Ind.* 10.

Annus urbis 2109. *Julianus* 1402.
Æra Hiſpanica 1395. *Auguſtorum* 1384.

Neuruz Perſ. Gelal. 278. *incipit ab Æquinoctio Verno.*

Carolus Imperator totus eſt in ornando & amplificando regno Bohemico: Ideò cùm, quæ olim ad regnum Bohemicum pertinuiſſent, Baro *Ruthenus* in Miſnia occupaſſet, quibus miſta erant, quæ ad Marchionatum Miſniæ pertinebant, cum *Friderico* ſtrenuo Marchione. Rutheno bellum infert, Ziegenruskum, Triptis, Sleinam, Ronneburgum, Weidam & alia occupat, & Marchioni ſua reddit. Ruthenus iraſcens ſuis præfectus, qui arces dediderant, omnes eos in horreum compellit, & ſimul comburit. *Fab.*

Soleiman filius Orchanis regis Turcici, cum paucis militibus per Helleſpontum tranſit in Thraciam, & captivo Græco ductore caſtrum quoddam occupat, & paulò pòſt, meſſis tempore pluribus militibus accitis caſtrum illud firmat, cum præfecto *Calliopolis* pugnat, vincit, & Calliopolin deditione capit. Hæc Imperator Johannes adeò ſpernit, ut diceret, vini amphoram tantùm amiſſam eſſe, & ſtabulum quoddam porcorum; ſed quid hoc modo amiſſum fuerit, eventus docuit. *Annal. Turc.*

Alfonſus IV. *Portugalliæ rex, cùm regnaſſet annos* 31. *menſes quinque, moritur menſe Julio; Succedit ipſi filius* Petrus, *qui regnavit annos decem, & menſes ferè octo. Valde crudelis hic fuit, & in pœnis ſumendis acerbus.* Hiſt. Portug.

Olympias 533. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2133.

Carolus Imp. inchoat annum 11. *Johannes Conſtant.* 17.

Diocletiani Annus 1074. *incipit* 29. *Auguſti.*

Inter regem Angliæ & Galliæ agitur per Pontificem de pace, & cum ea conveniri non poſſet, fiunt induciæ in biennium. Interim ingens ſeditio ruſticorum, *exoritur in Gallia, quæ vix multis millibus trucidatis ſedari potuit.* Polyd.

Annus Indorum 1446. *& Hegira* 759. *incipit* 14. *Dec. fer.* 5.

ANNO MUNDI 5307. Poſt C. 1358.
G. ⊙ 23. ☽ 10. *Ind.* 11.

Wilhelmus Comes Hollandiæ, cùm ex Anglia rediſſet mente motus fuit, die Georgii, 23. Aprilis, ita ut catenis conſtringeretur: in eo furore permanſit annis totis novendecim. Ad gubernandum igitur Comitatum, evocatur frater ejus *Albertus*, qui rexit eum tutoris nomine, annis 20. *Chron. Belg.*

Soleiman filius Orchanis Turcæ, dum leporem inſequitur, excutitur equo, & moritur anno Hegiræ 759. Pater ejus Orchanes poſt duos menſes moritur, cùm regnaſſet annos 31. ſuccedit ipſi filius alter *Amurathes*, qui ſedem regiam in Pruſia figit, & regnat annos 32. *Annal. Turc.*

Ludovicus Hungariæ rex Venetos bellō petit, quòd Dalmatiæ regnum infeſtum haberent, victoriaque potitus, regnum illud recuperat. *Trith.*

Alber-

Albertus Dux Auſtriæ, filius Imperatoris Alberti, cùm poſt parentem annis quinquaginta Auſtriæ præfuiſſet, moritur die 20. Julii: addiderat Ducatui Auſtriæ Comitatum Phiretarum & Ducatum Carinthiæ: ſuccedit *Rudolphus* filius, qui per uxorem Margaretham, cognomine Maultaſch/ propter deforme os, domui Auſtriacæ Comitatum Tyrolis adjecit, & Academiam Viennenſem inſtituit; qui præeſt tantum annis 6. *Cuſpin.*

Henricus Forolivienſis, Juriſconſultus celebris: & præceptor Bartholi, moritur hoc anno.

Sic *Johannes* de rupe ſciſſa, qui deſolationem Eccleſiæ Romanæ prædixit, in carcerem conjectus eſt, in quo conſenuit & mortuus eſt. *Trith.*

Eberhardus Comes Wirtenbergenſis iterum bello petitur ab urbibus Suevicis & Imperatore; pax tamen conciliatur per Badenſem, ſed ea tamen inſida fuit per multos annos. *Annal. Suev.*

Annus Indor. 1447. *& Hegiræ* 760. *incipit* 3. *Dec. fer.* 2.

ANNO MUNDI 5308. Poſt C. 1359.
F. ☉ 24. ☽ 11. *Ind.* 12.

Defunctus fuerat *Guntherus*, Guntheri Imperatoris filius, Comes Swartzburgenſis abſque liberis; ejus hæreditatem vendicabat ſibi Marchio Miſnenſis, repugnabant agnati. Tandem res componitur, cùm Comites caſtra quædam, & pecuniam etiam Marchioni darent. *Fabr.*

Amurathes rex Turcicus magno exercitu in Thraciam trajicit, & Hipſalam ac Philippopolin capit, & Hadrianopolitanos prælio vincit, anno Hegiræ 760. *Annal. Turc.*

Carolus Imperator edit Pragæ conſtitutionem Carolinam de privilegiis & immunitatibus Clericorum, die 13. Octobris. *Conſt.*

Papa & reliqui principes magnopere ſollicitant de pace inter Anglos & Gallos facienda, & liberando rege ex captivitate. *Eduardus* Anglus igitur ut rex proprior eſſet tranſactionibus, Gallum ex Anglia Caletium ducit, ubi ab Anglo proponuntur duriſſimæ pacis conditiones, quas Galli recipere non poterant: quapropter *Eduardus* Galliam magno exercitu vaſtat: Galli ineunt rationem comparandi exercitus, cùm pecunia in ærario non eſſet, ut urbes & oppida & nobiles, equites darent, & centeni agricolæ peditem, atq; hoc modo haberi poſſe abſque magnis ſumtibus exercitum triginta millium fortiſſimorum virorum. Sed ſubitò is exercitus comparari non potuit. Eduardus verò cùm & hyeme & tempeſtatibus plurimum afficeretur, animum ad pacem inclinavit, & tolerabiliores conditiones propoſuit, & pax facta ſequenti anno. *Froſſard.*

Annus. Ind. 1448. *& Hegir.* 761. *incipit* 22. *Nov. fer.* 6.

ANNO MUNDI 5309. Poſt C. 1360.
E.D. ☉ 25. ☽ 12. *Ind.* 13.

Johannes Imperator Conſtantinopol. à *Marco* Bulgariæ Deſpota obſidetur; ideò implorat Turcarum auxilium, qui libentiſſimè operam ſuam offerunt, & Deſpotam pellunt, ideò conſenſu Imperatoris retinet Amurathes Callipolin, & paulò pòſt, cùm præfectus Hadrianopoli aufugiſſet, & Oenum ſe contuliſſet, atque ita urbi nemo præeſſet, eam deditione capit, & regiam ibi ædificat, anno Heg. 761. *Annal. Turc.*

Pax inter Anglum & Gallum tandem concluditur, & rex dimittitur. Accipit autem rex Angliæ totam Aquitaniam cum omni jure imperioque ſupremo, pro liberatione pendit tricies centena aureorum millia, obſideſque dat tres filios, & multos alios nobiles. *Annal.*

Carolus Imp. Comitia habet Eslingæ, ubi ſeditione civium ferè obruitur, & oppido cedere cogitur. Mandat igitur Wirtenbergico, ut injuriam hanc ſibi & Imperio illatam vindicet, qui urbem obſidet, & eò adigit, ut multam darent ſexaginta millia aureorum Imperatori, & triginta Comiti Wirtenbergenſi pro expenſis. *Trith.*

Academia *Pragenſis hoc anno inſtituitur, &* Epiſcopatus Pragenſis exaltatur in Archiepiſcopatum, ne ſubſit Moguntino. Caſtrum etiam Ingelheim Carolus mutat in cœnobium, ita ut Bohemi tantum in id recipiantur. Impetrat idem à Pontifice, ut *Feſtum* lanceæ & clavorum Chriſti inſtitueretur, quotannis celebrandum feriâ ſexta poſt Dominicam Quaſimodogeniti. *Trith.*

Kindelbrucca Papus in Thuringia, à Marchionibus olim oppignoratus fuerat Comiti Beichlingenſi, qui peſſimè eos afficit, & ope Northuſanorum & Mulhuſinorum pagum vi capit, incendit, & agricolarum multos trucidat. Marchio de hac injuria cum Comite & auxiliis ejus expoſtulat, & urbes mulctam ſolvunt, qua Kindelbruccenſes redimuntur, & pro recreatione jus oppidi accipiunt. *Spang.*

Petrus Berthorius Gallus *Livium* primus in Gallicam linguam vertit hoc anno. *Trith.*

Petrus Hiſp. Monach. Dominicanus, in Chronico Francfurtenſi ad hunc annum annotat hæc verba: Muſica ampliata eſt. Nam novi Cantores ſurrexêre, & Componiſtæ & Figuriſtæ incœperunt alios modos aſſuere.

Caſimirus Poloniæ rex Stephanum, qui à fratre Petro Walachia pulſus erat, in eam reducere conatur, ſed exercitus ejus in ſylva quadam, arboribus fraude Walachorum inciſis, deletus eſt. *Chron. Polon.*

Annus Nabonaſſaris 2109. *& Philippi* 1685. *incipit* 17. *Septemb. feria* 5.

Annus Alexandr. 1672. *Antioch.* 1409. *& Conſtantinop.* 6869. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Indor. 1449. *& Hegiræ* 762. *incipit* 11. *Nov. fer.* 4.

Annus Iezdeg. 730. *incipit die* 16. *Dec. feria* 4. *Armeniorum* 810. *die* 19. *Dec. fer.* 7.

Wirtebergenſes Comites, feriâ ſextâ poſt Andreæ, die 4. Decembr. die Barbaræ, concludunt, Comitatum Wirtebergenſem futuris temporibus dividendum non eſſe. *Annal. Suev.*

ANNO MUNDI 5310. Poſt C. 1361.
C. ☉ 26. ☽ 13. *Ind.* 4.

Annus urbis 2113. *Julianus* 1406.
Æra Hiſpanica 1399. *Auguſtorum* 1388.

Neuruz Perſ. Gelali 282. *cum Æquinoctio Verno.*

Wenceslaus, *filius Caroli Imperatoris, naſcitur Norinberga die* 17. *Martii, mater ejus moritur in puerperio*, baptiſatur die 11. Aprilis, Dominica Mi-

ſericordias Domini. Pater pro eo offert D. Mariæ virgini Aquisgrani tantùm auri, quantum pondus eſſet filii, ſedecim marcas; ſed dum aqua baptiſmi calefit, domus illa incendio perit, ipſe infans aquam baptiſmi lotio aſpergit, & nondum bimulus, cùm coronaretur rex aram in templo, ſuo fimo inquinat. *Dubrav.*

Amurathes ex Hadrianopoli vicinas regiones crudeliſſimè vaſtat eo anno, quando ingens ſolis defectio fuit, ut ſtellæ conſpicerentur: cùm verò Turcæ ingentem captivorum numerum hoc modo haberent, Sacerdos eorum quintum quodque mancipium juſſit Amurathi regi dare, quod jus poſtea exigit etiam Amurathes ſubditis ſuis Chriſtianis, ut quivis quintum Imperatori daret, aut ſi tot non haberet, pro quovis filio 25. aſpros daret. Hi captivi in Aſiam transvehebantur, ubi laboribus exercebantur, & Turcicè diſcebant; inde in militiam aſciſcebantur, & *Janyers* vocabantur. *Annal. Turc.*

Eclipſis illa, cujus meminit autor annalium, accidit die 5. Maji feriâ quartâ, horis decem minutis 14. 32. poſt mediam noctem Conſtantinopoli. Parallax, latitud. 31, 11. Latitudo vera 23, 35. Viſa 8, 43. Semidiameter Solis 15, 9. Scrupul. reſid. 22, 28. Digiti ecliptici 8, 54. Sol in 22, 30. Tauri.

Taulerus monachus moritur hoc anno die 17. Maji. *Trith.*

Milites in Gallia, cùm jam pax facta eſſet, non habebant, quod agerent. Ideò prædas agunt & latrocinantur, contra quos rex mittit *Borbonium*, qui tamen turpiter vincitur. Inde tamen diſperſi ſunt, quorum magna pars perit in Germania. *Froſ.*

Gerardus Comes Montenſis, & *Arnoldus* Comes de Blanckenheim in haſtiludio Coloniæ ſeſe mutuò impetentes, dum neuter ſatis cavet, ambo alterius lanceâ ſimul confixi ſunt. *Trithem.*

Bellum Geldricum tandem finitur, cùm *Eduardus* fratrem Reinaldum primogenitum prælio vincit, cum multis nobilibus capit, & eum toto vitæ tempore in vinculis detinet, annis ſcilicet decem. *Chron. Belg.*

Olympias 334. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 2137.

Carolus inchoat annum imper. 15. Johannes Conſtant. 11.

Annus Diocletiani 1078. incipit 29. Auguſti.

In Anglia rege Eduardo decernitur, ut in judicio Judices Anglio ſermone loquerentur, actaque vel Anglica vel in Latina lingua ſcriberentur, quòd hactenus Gallicè factum fuerat. *Polyd.*

Rex Galliæ cùm indigeret pecuniâ, Judæos in regnum recipit, ut eos argento emungeret. *Ganguin.*

Annus Indorum 1450. & Hegira 763. incipit 31. Octob. fer. 1.

Philippus Dux Burgundiæ ultimus, ſine hæredibus moritur die 21. Nov. atque ita hic Ducatus ad regem Galliæ devolvitur, qui ſimul fit Dux Burgundiæ. *Annal. Fland.*

ANNO MUNDI 5311. Poſt C. 1362.
B. ☉ 27. ☽ 14. *Ind.* 15.

Petrus Caſtellæ rex clade afficitur à Mauris, multi occiſi captique ſunt; nihilominus tamen Granatiæ rex fœdus cum eo facit, ſed Petrus eum fraude interceptum trucidat, cùm paulò ante Blancam uxorem occidiſſet. *Marian.*

Eduardus Dux Geldriæ Alberto Comiti Hollandiæ bellum indicit, & paulo poſt pœnitens facti bellum remittit, ſed Albertus irritatus bello pergit & Geldriam vaſtat. *Suffr.*

Innocentius VI. Papa, cùm ſediſſet annis 9. menſibus octo, moritur die 12. Sept. Succedit Wilhelmus de Griſaco, qui voluit ſe *Urbanum V.* nominari, qui ſedit annos 8. menſes 3. *Onuf.*

Annus Indor. 1451. & Hegira 764. incipit 23. Oct. fer. 6.

ANNO MUNDI 5312. Poſt C. 1363.
A. ☉ 28. ☽ 15. *Ind.* 1.

Johannes rex Galliæ, Ducatum Burgundiæ donat filio ſuo *Philippo*, qui ſecum captivus fuerat; factum 6. Sept.

Petrus Luſinianus rex Cypri venit in Galliam, petitque auxilia contra Saracenos, fuit etiam in Hollandia; & rex Galliæ quidem ſpondet ſe auxilio profecturum, ſed ſequenti anno moritur. *Ann. Flandr.*

Petrus Caſtellæ rex bellum Aragonio infert, & aliquot urbes occupat, Valentiam etiam obſidet, ſed obſidio fuit diuturna & irrita, cùm ſequenti anno eam ſolvere cogeretur. *Marian.*

Annus ſabbathicus tertius Jobelei 27. incipit 9. Septemb. fer. 7. Anno Jud. 5124.

Annus Indorum 1452. & Hegira 765. incipit 10. Octob. fer. 3.

Monachi ordinis Brigittæ à Papa confirmantur. *Naucl.*

Albertus Megapolitanus Dux, creatur rex Succiæ, qui imperavit annis 25. *Func.*

Cathedrale templum hoc anno Magdeburgi dedicatur, præſentibus plurimis Epiſcopis & Principibus. *Spangenb.*

ANNO MUNDI 5313. Poſt C. 1364.
G.F. ☉ 1. ☽ 16. *Ind.* 2.

Johannes Galliæ rex ſpontè in Angliam abit ad Eduardum regem, ſe de quibuſdam excuſaturus, ſed ibi Londini moritur menſe Aprili, anno regni decimo quarto; qui ſepelitur poſtea Lutetiæ menſe Majo, ſuccedit ipſi filius *Carolus*, qui Quintus fuit hujus nominis, qui regnat annis 16. & ſtatim confirmat fratri Ducatum Burgundiæ. *Annal. Fland.*

Veneti Cretam Inſulam, & fugitivos recipiunt hoc anno. Ideò ſolennes ludos agunt die 4. Junii. *Juſtin.*

Annus Ind. 1453. & Hegira 766. incipit 28. Sept. fer. 7.

Annus Nabonaſſ. 2113. & Philippi 1689. incipit die 16. Sept. fer. 2.

Annus Alexandr. 1676. Antioch. 1413. & Conſt. 6873. incipit 1. Octob.

Annus Jezdegird. 734. incipit die 15. Dec. fer. 1. Armen. 814. 18. Dec. fer. 4.

Academia Cracovienſis in Polonia à Caſimiro Poloniæ rege inſtituitur, confirmatur poſt annos triginta ſex à Ladiſlao Jagellone. *Func.*

Carolus Bleſenſis, & Johannes de Monteforti, cùm diu certarent de poſſeſſione Britanniæ, prælio decertant die 29. Septembris, feria prima, in quo

quo Carolus Bleſenſis ingenti clade vincitur, & trucidatur, atque ita Johanni Monsfortio Britanniam reliquit, de qua certatum fuerat anno 20. *Annal. Fland.*

ANNO MUNDI 5314. Poſt C. 1365.
E. ☉ 2. ☽ 17. *Ind.* 3.

Annus urbis 2117.	*Julianus* 1410.
Æra Hiſpan. 1403.	*Auguſtorum* 1392.

Neurutz Perſ. Gelali 116. *cum æquin. verno.*

Rudolphus *Archidux Auſtriæ, cum præfuiſſet annis 7. moritur; cui ſuccedit frater* Albertus, *qui eum adminiſtrat annis* 35. *& Academiam Viennenſem à Rudolpho inſtitutam perfecit, & cenſibus auxit.* Cuſpin.

Albertus Dux Einbeccenſis detinet quoſdam latrones, qui vaſtant Thuringiam & Eisfeldiam; ideò Landgravius, cùm admonitionibus nihil efficeret, militem conſcribit: acceptis auxiliis Moguntini, vaſtat Ducatum Einbeccenſem, & cogit Ducem, ut ſiſteret ſe Iſnaci, ubi & ſumptus belli reddidit, & de damno omnibus ſatisfecit. *Fabr.*

Olympias 535. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus.* 2141.

Carolus inchoat annum imp. 19. *Johan. Conſtant.* 25.

Annus Diocletiani 1082. *incipit* 29. *Auguſti.*

Petrus Caſtellæ rex, quòd conjugem occidiſſet, in odio omnium erat. Ideò *Heinricus* frater ejus nothus colligit copias in Gallia, quas maximas obtinet ſtudio Pontificis, qui Galliam militibus levari cupiebat, haſce in Hiſpaniam educit: Sed in Hiſpaniam venit ſequenti anno. *Marian.*

Annus Indorum 1454. *& Hegiræ* 767. *incipit* 18. *Sept. fer.* 5.

ANNO MUNDI 5315. Poſt C. 1366.
D. ☉ 3. ☽ 18. *Ind.* 4.

Heinricus cùm exercitu ex Galliis collecto venit Barcionem ipſis Calendis Januarii, ubi ab Aragonio multo auro ſublevatur, & die 16. Martii Calagurrim deditione Epiſcopi occupat, & rex Caſtellæ proclamatur. Petrus imparatus Burgis munitiſſimo loco tandem excedit, & Hiſpalim venit; inde, quæ Aragonio eripuerat, deſerit, & fuga cum theſauris ſuis in Luſitaniam diſcedit, ſed ibi etiam non receptus, Bajonam in Aquitaniam ad Anglos abit. *Mariana.*

Amurathes, quòd Hadrianopolin occupâſſet, muniiſſet, & ſedem regni feciſſet, magnum terrorem injecerat Europæis vicinis; quapropter auxilia conjungunt vi ejecturi Amurathem, conveniuntque ad quinquaginta millia hominum. Amurathes in Aſia erat, nec in Europam tranſire poterat, offert igitur Genuenſibus pro ſingulis militibus transvehendis ſingulos aureos. Sed interim in obſidione, dum noſtri poculis indulgent per totam noctem, Schachines nocturna eruptione noſtros per totam noctem cædit, & noſtri vix ortâ luce, quo quisque poterat, amiſſis caſtris & omnibus impedimentis, nemine perſequente fugiunt. *Annal. Turc.*

Factio Lombardica, quæ militaverat, Vicecomiti, ſe in Germaniam effundit, & *Argentoratum* obſidet. Omnibus Germanis hoc modo terror injectus, ſed cùm Status ad commune incendium hoc reſtinguendum exercitum mitterent, metu ejus factio illa dilabitur. *Fabr.*

Annus Indor. 1455. *& Hegiræ* 768. *incipit* 7. *Sept. fer.* 2.

Civitates Imperiales *ad Rhenum & alia fœdus inter ſe faciunt, quod etiam principibus fuit formidabile.* Trith.

Veneti Tarviſium amittunt iterum, poſt tertium & quadrageſimum annum, cùm id Scaligero eripuiſſent. *Juſtin.*

Ulricus *Comes Wirtenbergicus moritur, qui Comitatum Tubingenſem Comitatui Wirtenbergico addidit.* Annal. Suev.

ANNO MUNDI 5316. Poſt C. 1367.
C. ☉ 4. ☽ 19. *Ind.* 5.

Petrus *Caſtellæ rex, exul & pulſus à fratre notho Heinrico, auxilia impetravit, ab Anglis, quorum ope Pyrenæos montes ſuperat, & Pampelonem venit. Heinricus collecto exercitu ſeſe ipſi opponit, & prælio concertat die tertio Aprilis, feriâ ſeptimâ, & vincitur, fugitque in Galliam. Petrus recuperato regno, principes civitatum, qui deditionem ad Heinricum ſuaſerant, omnes interficit, & odium ſubditorum auget.* Marian.

Annus Ind. 1456. *& Hegir.* 769. *incipit* 27. *Aug. fer.* 6.

Magnus *Torquatus, Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis, bello infeſtat Epiſcopum Hildeſienſem, & prælium cum eo committit die* 3. *Sept. vincitur, & captivus cum multis comitibus abducitur, qui poſtea ut ſe redimeret, Comitatum* Sangerhuſanum *Friderico Landgravio vendit.* Spangenb.

Eberhardus Wirtenbergenſis Comes in balneis Sylveſtribus valetudinem curat; Comes Ebersteinius huic tempori inſidiatus fuerat, ut Wirtenbergicum interciperet: ſed ruſtici cujusdam auxilio, per invia evadit. Hinc bellum eſt exortum, quod ſequentibus annis geſtum eſt.

ANNO MUNDI 5317. Poſt C. 1368.
B.A. ☉ 5. ☽ 1. *Ind.* 6.

Petrus Portugalliæ rex, cùm regnaſſet annos 10. menſes ſeptem, moritur die 18. Januarii; ſuccedit *Ferdinandus*, qui regnavit annos 17. *Hiſtor. Portugal.*

Heinricus nothus rex Caſtellæ in Galliis auxilia conduxerat, quæ ipſi odio Anglorum & Petri non defuerunt; igitur in Hiſpaniam veniens, *Burgis* recipitur, & paulo poſt *Legione*, die 30. Aprilis. Petrus rex metuens ſibi, Maurorum auxilia accipit, & ſuas ipſius urbes cremat. *Marian.*

Jeſuatorum Monachorum ordo hoc tempore exoritur Senis in Italia, ut habet *Sabellicus.*

Sigismundus filius Caroli Imperatoris naſcitur die 28. Junii, cui poſtea, cùm eſſet quinquennis, traditur Marchia Brandenburgenſis, cùm frater Wenceslaus Imperator deſignatus eſſet, anno 1372. & Sigismundo pauló poſt deſpondetur filia regis Hungariæ: quapropter in Hungariam mittitur, ut eam linguam diſceret, & aliquando in regno iſto ſuccederet. *Dubr.*

Eberhardus *Comes* Wirtenbergenſis *moritur; ſuccedunt filii duo* Udalricus *&* Eberhardus, *qui bellum cum Eberſteinio Comite continuant.* Trith.

Auguſtæ Vindelicorum ſeditio exorta, ideò Scabinatus inſtitutus. Chron. Aug.

Annus Ind. 1457. *& Hegira* 770. *incipit* 16. *Aug. fer.* 4.

Annus Nabonaſſaris 2117. *& Philippi* 1693. *incipit* 15. *Sept. fer.* 6.

Annus Alexandr. 1680. *Antioch.* 1417. *Conſtant.* 6877. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Iezdeg. 738. *incipit die* 14. *Decemb. fer.* 5. *Armen.* 818. *die* 17. *Dec. feria* 1.

Urbanus *Pontifex ad Carolum Imperatorem mittit, rogatque ut cum exercitu Italiam ingredi velit, & Longobardos Gibellinos tumultuantes compeſcere, quod & factum eſt.* Pontani Bohem.

Carolus VI. *filius Caroli V. regis Galliæ, naſcitur die* 13. *Decemb. feriâ primâ, horâ tertiâ, poſt mediam noctem, Lunâ* 14. *cùm Luna eſſet in Virgine.* Annal. Fland.

ANNO MUNDI 5318. Poſt C. 1369.
G. ☉ 6. ☽ 2. *Ind.* 7.

Annus urbis 2121.	*Iulianus* 1414.
Æra Hiſpan. 1407.	*Auguſtorum* 1396.

Annus Neurutz Gelal. 290. *inc. cum Æquinoctio Verno.*

Carolus *ut in Italiam venit, nihil ſatis feliciter egit, nec bellum ex animo geſſit, aut hoſtes domuit, ſed veluti mercatum ageret, theſauros colligebat, omnia concedens omnibus, à quibus pecuniam abradere potuit, ut* Cuſpinianus *ſcribit, ideo* Wilhelmum *Landgravium pœnituit, quod eum ſecutus eſſet.* Fabr.

Heinricus rex Caſtellæ tandem die 14. Martii, feriâ primâ, cum Petro, qui ſuum ipſius regnum vaſtabat, & Anglos, quibus ſtipendia non ſolverat, dimiſerat, pugnat, vincit, & Petrum fugientem fraudeque interceptum capit, & die 23. Martii ſecuri percutit, cùm regnaſſet annis 19. Hinc alii hoſtes exorti, qui jus ſibi ſumebant in regnum Caſtellæ, ſed Heinricus tempore & induſtria prior reliquos compreſſit: regnat annis tredecim. *Mariana.*

Bellum inter Anglos & Gallos recrudeſcit, & multi deficiunt ab Anglis ad Gallos. Dux Burgundiæ *Philippus*, Imperator exercitus Gallici, cùm Anglos à vaſtatione prohibuiſſet, & Angli prælio urgerent, tamen integro exercitu abit. Duxerat autem hic Philippus Margaretham, filiam unicam Ducis Flandriæ, nuptiæ peractæ die 19. Julii, feriâ tertiâ. *Annal. Flandr.*

Olympias 536. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 2145.

Carolus inchoat annum imper. 23. *Johannes Conſtant.* 29.

Annus Indorum 1458. *& Hegira* 771. *incipit* 5. *Aug. fer.* 1.

Diocletiani 1086. *incipit* 29. *Auguſti.*

Diſſenſio *Coloniæ* oritur inter cives & Clerum de teloniis & aliis rebus; Cùm cives nihil remitterent, Clerus rebus ſuis aſportatis abeunt, & cives excommunicantur. Poſt ſeſquiannum Clerus revocatur, & cives excommunicatione ſolvuntur. *Trith.*

Johannes Withclef Anglus, in Anglia multa hiſce temporibus ſcribit contra receptas ſeculi ſui opiniones, & Papatum falſitatis arguit, ideò poſtea inter hæreticos numeratus eſt: Ex hujus perſecutione, quâ diſcipuli ejus Anglia pellebantur, cùm libri ejus in Bohemiam venirent, *Johannes* Huſs inde edocetur aliquo modo de veritate Chriſtianæ religionis.

ANNO MUNDI 5319. Poſt C. 1370.
F. ☉ 7. ☽ 3. *Ind.* 8.

Angli iterum Galliam crudeliſſimè vaſtant, Burgundus tamen exercitus Dux, cautè Anglorum agmen carpit, ita ut arctius prædarentur: tandem Eduardus filius regis Angliæ Lemovicum, quod ad Gallos defecerat, expugnat, diruit, & poſtea utrobique claſſis paratur. *Polyd.*

David Scotorum rex, cùm in varia fortuna annos ferè 39. regnaſſet, moritur die 7. Maji; ſuccedit ipſi *Robertus* Stuartus, cujus familia adhuc rerum potitur, qui regnat annos 20. *Buch.*

Johannes Fuggerus, *agricola, in pago Geggingen, propè Auguſtam Vindelicorum, civis fit hoc anno Auguſtanus, artemque exercet textoriam. Ex eo hodie illuſtris & magnifica* Fuggerorum *familia orta eſt.* Annal. Suev.

Helvetiorum pagi fœdus faciunt peculiare contra iniquas ſacerdotum excommunicationes. *Annal. Suev.*

Annus. Ind. 1459. *& Hegir.* 772. *incipit* 26. *Jul. fer.* 6.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei 27. *incipit* 21. *Sept. fer.* 7. *Anno Jud.* 5131.

Circa hæc tempora Cypri rex parenti Petro in regno ſuccedit, in cujus coronatione legati adfuerunt, & Venetus & Genuenſis. Cùm jam in illa ſolennitate uterq; novo regi ad dextram ire vellet, repellitur Genuenſis. Hinc bellum ortum Genuenſes enim comparata claſſe 40. triremium Cyprum hoſtiliter vaſtant, & novus rex multis millibus aureorum pacem redimere coactus fuit, pactus ſimul annuum tributum. *Platin.*

Caſimirus Poloniæ rex moritur, cùm annis regnaſſet 37. die 5. Novembr. Succedit ipſi *Ludovicus* Hungariæ rex, qui coronatur die 17. Nov. ante exequias Caſimiri, regnatque annis 12. *Chron. Polon.*

Rudolphus *Saxoniæ Dux & Elector*, qui Witebergæ templum cathedrale inſtituerat, *moritur* 6. *Decembris, cùm præfuiſſet annis* 14. *& menſibus novem. Succedit ipſi frater* Wenceslaus, *qui præeſt annis* 17. *menſibus quinque.* Spang.

Urbanus V. Papa, moritur die 21. Decemb. cum præfuiſſet annis 8. & menſibus duodecim: ſuccedit ipſi Petrus Bellifortis, die 29. Decembr. qui ſedit ipſi Petrus Bellifortis, die 29. Decembr. qui ſedit annis 7. menſibus tribus: dictus eſt *Gregorius XI.*

ANNO MUNDI 5320. Poſt C. 1371.
E. ☉ 8. ☽ 4. *Ind.* 9.

Heinricus Caſtellæ rex novus claſſem mittit regi Galliæ auxilio, quæ quadraginta Anglorum naves ad Rupellam vincit & demergit, & Gallus Anglos aliquot locis in Gallia pellit. Exercitus etiam novi Gallo obveniunt, quibus omnia fortaſſis recuperaſſet, niſi per Pontificem induciæ factæ eſſent. *Polyd.*

Magnus Torquatus, Dux Brunſuicenſis, conatur

tur Lunæburgum recuperare, quòd Duces Saxoniæ eam habebant; & ſeptingentis armatis muros tranſcendit, quod ita fieri Lunæburgenſes permiſerunt; ſed pòſt, circumdatos exercitu, omnes ad unum occidunt. Paulò pòſt idem *Magnus* prælio vincitur ab Alberto Megapolitano. *Spangenb.*

Annus Indor. 1461. *& Hegira* 771. *incipit* 15. *Jul. fer.* 3.

Wenceslaus Dux Lutzelburgenſis & Brabantiæ, movet bellum Wilhelmo Juliacenſi, levi de cauſa, prælio cruento dimicatur die 22. Auguſti, feriâ ſextâ in quo Wenceslaus capitur, cum plurimis aliis. Occiditur Guido Comes ſani Pauli, item Eduardus Dux Geldriæ cadit, cùm decem annis præfuiſſet: Succedit ipſi frater *Reinaldus*, qui hiſce decem annis captivus fuerat, qui tamen poſt tres menſes etiã moritur, nullo relicto hærede, die 6. Decemb. De clade hac mire variant ſcriptores. Soli Annales Flandriæ addunt characterem, feriam 6. die 22. Auguſti.

Civitates Suevicæ bellum inferunt Comitibus vicinis, idque bellum diu duravit: mille & ducenti pagi hoc bello combuſti fuerunt. *Annal. Suev.*

ANNO MUNDI 5321. Poſt C. 1372.
D.C. ☉ 9. ☽ 5. *Ind.* 10.

Duces Geldriæ ſuperiori anno defuncti erant abſque liberis, ideò hoc anno ſuccedit Wilhelmus Dux Juliacenſis, qui duos hoſce Ducatus conjunxit. *Chron. Belg.*

Otto Dux Brunſuicenſis bellum facit Hermanno Landgravio Haſſiæ, & ſumit ſibi ſocios factionem *Stellatorum*, quæ factio conſtabat ex nobilibus quibusq;, qui conjurârant, ut ſeſe mutuò defenderent, & qui unum læſiſſet, is ab omnibus hoſtis ſimul declararetur. Hermannus igitur ſibi metuens, abit ad Landgravium, & ut eum ſocium & defenſorem pararet, mentionem facit *fœderis hæreditarii* ineundi *inter Landgravios Haſſiæ & Thuringiæ*, cùm olim ſemper ſub uno principe fuiſſent, ut alter alteri, ſi abſque liberis moreretur, in hæreditate ſuccederet. In hoc fœdus conſenſerunt omnes Landgravii, & à ſubditis utrobique juramentum exactum eſt. *Fab.*

Annus Ind. 1461. *& Hegira* 774. *incipit* 3. *Julii, fer.* 7.

Annus Nabonaſſaris 2121. *& Philippi* 1414. *incipit die* 24. *Sept. fer.* 3.

Annus Alexandr. 1684. *Antioch.* 1412. *& Conſt.* 6881. *incip.* 1. *Octob.*

Annus Iezdegird. 742. *incipit die* 13. *Dec. fer.* 2. *Armen.* 822. 16. *Dec. fer.* 5.

Wirtenbergenſes Comites vincunt *Ulmenſes.* Auguſtani ſibi metuentes, viginti ænea tormenta comparant, quibus tamen non ferreos globos, ſed lapideos ejaculabantur. *Annal. Suev.*

Angli in Galliis minus accepti ſunt ſubditis, & inſuper eos pecunia emungunt, ideò paulatim exuuntur poſſeſſionibus. *Annal. Fland.*

ANNO MUNDI 5322. Poſt C. 1373.
F. ☉ 10. ☽ 6. Ind. 11.

Annus urbis 2125. *Julianus* 1418.
Æra Hiſpanica 1411. *Auguſtorum* 1406.

Annus Gelali Perſ. 294. *incipit cum æquinoctio verno.*

Eduardus Angliæ rex mittit Eduardum filium cum 13. millibus Anglorum in Galliam, ut eam vaſtet, & quædam occupet. Dux Burgundiæ, belli *Dux*, agmen hoc iterum cautè carpit, commeatu prohibet, ut cum paucis ſeſe recipere non poſſent: ideò inopiâ coacti ad ſua redierunt. *Annal. Fland.*

Annus Indor. 1462. *& Hegira* 775. *incipit* 23. *Jun. fer.* 5.

Olympias 537. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2149.

Imp. Carolus inchoat annum 27. *Johan. Conſtant.* 33.

Annus Diocletiani 1090. *incipit* 29. *Auguſti.*

Duces Bavariæ vendunt circa hæc tempora Marchionatum Brandeburgenſem *Carolo Imp. & regi Bohemiæ, ut* Trithemius *habet, aureis ducentis millibus; relinquuntur tamen Ottoni ad vitam aliquot Caſtella, & Sigiſmundus filius declaratur Elector.* Spang.

Ordo Monialium S. Catharinæ à Catharina Senenſi inſtitutus, circa hoc tempus incipit, quo & *Brigitta* mortua eſt. *Sylv.*

Bellum oritur inter *Henricum* Caſtellæ regem, & Luſitanum, quod Papa legato miſſo tempeſtivè compoſuit. *Marian.*

Magnus Dux Brunſuicenſis, qui nullum bellum unquam feliciter geſſerat, tamen Comitem Schonbergenſem bello petit, à quo trucidatur. *Spang.*

Auguſtani menſe Nov. tranſigunt cum Comite Wirtembergenſi pecuniâ. Idem faciunt etiam reliquæ civitates, atque ita Wirtembergenſes pecuniâ ditati ſunt.

ANNO MUNDI 5323. Poſt C. 1374.
A. ☉ 11. ☽ 7. *Ind.* 12.

Civitates Sueviæ, quòd adeò mulctatæ eſſent à Wirtembergico, fœdus inter ſe faciunt, de injuriis à ſe communi conſenſu defendendis: huic fœderi ſubſcripſerunt etiam multi Comites. *Trith.*

Moguntini elegerant Epiſcopum Adolphum. Carolus præfert Bambergenſem, fratrem Landgravii Ludovicum, & cum Pontifice agit, ut Adolphus rejiciatur. Adolpho adhærebant Erfurtenſes, & Landgravio adverſabantur: propterea, cùm auxiliares copias accepiſſent, bellum faciunt, ſed infeliciter: obſidentur enim diuturno tempore omnia culta vaſtantur, & niſi Carolus rem compoſuiſſet, ita ut Erfurtenſes multam ſolverent, fortaſſe capti eſſent. Duravit bellum biennium. *Fabr.*

Brunſuicenſes ſeditionibus conflictantur, & potiſſima pars ſenatûs capite luit; idem dicitur factum Northuſii.

Annus Indorum 1463. *& Hegira* 776. *incipit* 12. *Jun. fer.* 2.

Menſe Julio hujus anni factio plebis congregata fuit, virorum, mulierum choreas agentium, quorum ventres interdum adeò intumuerunt, ut periculum eſſet, ne diſrumperentur, quapropter & mappa fortiſſimè ligabantur. Pervagata eſt ferè totum Belgium per quadriennium. Contrà in ſuperiori Germania Maniaca paſſio quædam homines invaſit, ita ut ſaltarent, tam viri, quàm fœminæ. Cadebant primùm in terram, ſpumabantque; inde ſurgentes quaſi mentis inopes ſaltabant, donec vires deficerent. Medicina unica fuit, ut à ſuis fortiſſimè funibus

conſtringerentur manus pedesque. Morbus fuit appellatus **Der Veitztantz**.

Franciſcus Petrarcha Hetruſcus, Philoſophus, Poëta, & Rhetor inſignis, qui literas humaniores poſt longa ſilentia emortuas ab inferis primus revocavit, moritur 19. Julii. *Trith.*

Ludovicus Hungariæ rex, ut filiabus ſuis regna conciliaret, alteram deſpondet *Sigismundo*, Caroli Imperatoris filio, alteram obtrudit Polonis, ut ea deſponderetur Lithuaniæ principi, qui ſibi ſuccederet. Ut hoc impetraret, remittit ipſis vectigal uſitatum, & quidem ita, ut de ſingulis menſis quotannis binos tantum groſſos penderent, nobiles autem & clerici eſſent immunes. *Chron. Polon.*

ANNO MUNDI 5324. Poſt C. 1375.
G ☉ 12. ☽ 8. *Ind.* 13.

Johannis Wiclefi doctrina in Anglia condemnatur juſſu Pontif. *Juvius.*

Carolus Imp. obſidet Ulmam civitatem Imperialem, & civitates Suevicæ confœderatæ bellum gerunt contra Comitem Wirtenbergenſem. *Chr. Aug.*

Annus Indorum 1464. *& Hegira* 777. *incipit die* 1. *Jun. fer.* 6.

Johannes Bocatius, Italus Hiſtoricus, & Philoſophus inſignis, qui multa latinè ſcripſit, in Italica autem lingua conſcripſit joco-ſeria ſive *Centum* novellas, moritur hoc anno. *Trith.*

ANNO MUNDI 5325. Poſt C. 1376.
F. E. ☉ 13. ☽ 9. *Ind.* 14.

Marchiones Miſniæ fratres, *Fridericus Balthaſar, & Wilhelmus*, cùm hactenus *Fridericus* totam provinciam obtinuiſſet, & inde pro ratâ fratribus aliquid dediſſet, hæreditatem dividunt, & *Fridericus* Oſterlandiam, Balthaſar Thuringiam, Wilhelmus Miſniam ſortitur. *Fabric.*

Annus Indorum 1465. *& Hegira* 778. *incipit* 21. *Maji, fer.* 4.

Wirtebergenſes Comites magnâ clade afficiuntur à Reutlingenſibus, & aliis Suevicis civitatibus; perierunt multi nobiles. Clades accidit die 14. Maji, fer. 5.

Carolus, *ut filium ſuum* Wenceslaum *ſibi ſucceſſorem faceret & Imperatorem, nihil non conatur, promittit ſingulis Electoribus centum aureorum millia, & obtinet, ut* 12. *Iun. crearetur* Rex *Romanorum; inde die* 6. *Iulii; coronatur Aquisgrani anno ætatis* 16. *In ipſa coronatione Aquisgrani ingens diſſenſio oritur inter* Wenceslaum *Ducem Luzelburgenſem, &* Ducem Saxoniæ, *uter horum præferret novo regi enſem. Res componi non potuit, ideo Sigismundus frater, puer adhuc, id officii præſtitit. Cùm jam Carolus Electoribus promiſſam pecuniam dare non poſſet, ipſis publica imperii vectigalia oppignoravit. Sedecim Sueviæ urbes vicinis principibus vendidit, & ita plurimum de patrimonio imperii detraxit, unde imperium ferè ad nihil redactum eſt, nec caput iterum attollere potuit.* Æneas Sylvius & alii.

Annus Nabonaſſar. 2125. *& Philippi* 1418. *incipit* 13. *Sept. fer.* 7.

Annus Alexandr. 1688. *Antioch.* 1425. *& Conſt.* 6885. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdeg. 746. *incipit die* 12. *Dec. fer.* 6. *Armen.* 826. *incipit* 15. *Dec. fer.* 2.

Colonienſes cives Archiepiſcopo ſuo infeſti, *Tuitium* urbem cum monaſterio excindunt; quapropter omnium odium incurrunt, & excommunicantur. Duravit hoc bellum annis 7. *Trith.*

Eduardus Eduardi regis Angliæ filius, in ipſo flore ætatis moritur, relicto filio Richardo puero. *Polydorus.*

Florentini multa Pontifici eripiunt, ideò Papa ſuaſu Catharinæ Senenſis ſedem Pontificiam in Italiam referre conatur, molliturque iter cum impedimentis in autumno.

ANNO MUNDI 5326. Poſt C. 1377.
D. ☉ 14. ☽ 10. *Ind.* 15.

Annus urbis 2129. *Iulianus* 1422.
Æra Hiſpanica 1415. *Auguſtorum* 1404.

Annus Gelali Perſ. 208. *incipit cum Æquinoctio Verno.*

Papa Gregorius Romam intrat die 13. Januarii, cùm ſedes Pontificia annis ferè ſeptuaginta duobus in Galliis fuiſſet, & urbes quæ defecerant, recipit. *Florentinos* ſacris interdicit, & excommunicationem ſpernentibus bellum infert. *Plat.*

Annus Indorum 1466. *& Hegira* 779. *incipit* 10. *Maji, fer.* 1.

Wilhelmus Bavarus Comes Hollandiæ, cùm annis 26. præfuiſſet, & in hiſce per totos novendecim annos mente motus fuiſſet, tandem moritur; ſuccedit frater *Albertus*, qui hactenus Comitatum adminiſtraverat, & Comitatui præeſt annis 27. *Chr. Belg.*

Eduardus III. Angliæ rex, cùm regnaſſet annis 51. & magnam partem Galliæ regno Angliæ adjeciſſet, moritur menſe Majo: Succedit ipſi nepos ex majore filio Eduardo *Richardus*, puer undecim annorum, cujus tutor fit Patruus, & regnat annis 22, *Polyd.*

Ulma die 20. Julii, feriâ tertiâ, horâ tertiâ poſt ortum Solis fundamenta templi jacta, quo nec longius, nec latius, nec etiam altius invenitur in tota Germania; ſed abſolvitur tandem poſt annos centum, & undecim. *Annal. Suev.*

Olympias 538. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2150.

Carolus *inchoat annum Imp.* 31. *Johannes Conſtant.* 37.

Annus Diocletiani 1094. *incipit* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus 5. *Jobeles* 27. *incipit* 5. *Sept. fer.* 7. *Anno Jud.* 5138.

Mare die 16. Novembr. fer. 2. ruptis aggeribus irrumpit in Flandriam, & plures quam ſeptendecim pagos ſubmergit. *Annal. Fland.*

ANNO MUNDI 5327. Poſt C. 1378.
C. ☉ 15. ☽ 11. *Ind.* 1.

Venæ auri, & argenti in Bohemia ad Cutnenſes montes aperiuntur hoc anno. *Pontan.*

Carolus IV. Imperator, moritur Pragæ Bohemorum, cum plurimum id regnum amplificâſſet, die 27. Martii, cùm poſt Ludovicum imperâſſet annis triginta, menſibus quinque. Sed à prima electione, annis ferè 32. Succedit ipſi filius WENCESLAUS, ignavus, voluptatibus deditus, & vini quam imperii curioſior, ut *Æneas Sylv.* *loquitur.*

loquitur, propter ſocordiam tandem deponitur ab Electoribus poſt annos 22. *Avent.*

Gandavii incendium ingens oritur die 25. Martii, dicuntur ædes exuſtæ eſſe quinquies mille. Annal. Fland.

GREGORIUS XI. Papa moritur eodem die, quo Carolus, die 27. Martii, cum ſediſſet annos ſeptem, menſes tres: ſuccedit ipſi die 9. Aprilis Bartholomæus Butillus Neapolitanus, Barenſium Epiſcopus, qui coronatur 18. Aprilis in Paſchate, qui ſe URBANUM VI. nominat, ſedetque annis 11. menſibus ſex. Cardinales, inprimis Galli, cum ſe à plebe coactos eſſe dicerent, ut Pontificem crearent, & inſenſi eſſent novo Pontifici, Fundos abeunt, ibique ex ſuo corpore creant Papam Robertum Gebennenſem, quem CLEMENTEM VI. vocant, qui Avenionem in Galliam abit, ſedetque annis ſedecim: inde ingens Schiſma ortum, quod duravit annis 40. Itali, Germani, & Angli Urbanum ſecuti ſunt; Galli & Scoti Clementem prætulerunt; Hiſpani neutrum probarunt.

Annus Indorum 1467. *& Hegira* 780. *incipit* 29. *Apr. fer.* 6.

Tartari hactenus Moſcoviam obtinuerant, ſed Demetrius hoc anno Tartaris rebellat, eosque magno prælio vincit. Idem accedit etiam tertio anno pòſt. Sed anno 1383. à Tartaria iterum vincitur, & Moſcoviam regiam urbem amittit. *Hiſtor. Moſcov.*

ANNO MUNDI 5328. Poſt C. 1379.
B. ☉ 16. ☽ 12. *Ind.* 2.

Annus Indorum 1468. *& Hegira* 781. *incipit* 19. *Apr. fer.* 3.

Henricus Caſtellæ rex, cùm annis 13. & duobus menſibus regnaſſet, moritur die 30. Maji, fer. 2. ſuccedit filius *Johannes*, qui regnat annos 11. & menſes quinque. *Marian.*

Bellum inteſtinum Flandricum exoritur, quod ſubditi geſſerunt cum Comite, qui quaſdam urbes præſidiis muniverat, inprimis *Aldenardam*, quæ ſexaginta millibus ſubditorum obſidetur, menſe Octobri, & die 4. Novemb. fer. 6. maximè oppugnatur: Sed fruſtra. Pax fit tandem per *Philippum* Burgundum die 3. Decemb. fer. 7. Annus hujus belli ſignatus eſt hoc verſu:

Inſurgunt Catuli, cupiunt ſpoliare Leonem.

ANNO MUNDI 5329. Poſt C. 1380.
A.G. ☉ 17. ☽ 13. *Ind.* 3.

Pontifex Urbanus Carolum regem Hungariæ evocat in Italiam, ſpemque ipſi facit regni Neapolitani, contra Margaretam Neapolis reginam, quæ fratrem ipſius Andream peremerat, & jam nupſerat Ottoni Brunſuicenſi; qui ſibi metuens, quod conjugium ſterile eſſet, Ludovicum Andegavenſem adoptat, qui ſibi aliquando in regno Neapolitano ſuccederet. Marian.

Annus Ind. 1469. *& Hegira* 782. *incipit* 7. *Apr. fer.* 7.

Civitates Rhenanæ fœdus inter ſe ineunt contra principes & Duces Bavariæ, eorumque regiones vaſtant. Diuturnum hinc bellum ortum, quod ſopitum fuit tandem poſt quinquennium, cùm fœdus illud à Bavaricis diſſolveretur. *Trith.*

Flandricum bellum recrudeſcit, & ancipiti marte hâc æſtate geritur, & Gandavenſes clade afficiuntur, die 27. Auguſti, fer. 2. ceciderunt ad quinque millia, *Gandavum* etiam obſeſſum, inde induciæ factæ, die Martini, quæ ruptæ ſunt ſequenti Ianuario. *Annal. Fland.*

Papa Urbanus menſe Julio, quòd peſtis Romæ graſſaretur, cùm quatuordecim Cardinalibus Neapolim verſus progreditur, ſed inde repellitur à principe Tarentino, ideo Genuam proficiſcitur. In itinere autem ſeptem Cardinales, qui videbantur favere Tarentino, & ſentire cum Clemente Papa in Galliis, ſaccis inſutos in mare demerſit. *Plat. & Juſtin.*

Carolus V. Rex Galliæ, moritur die 16. Septemb. cùm ſedecim annis præfuiſſet; ſuccedit ipſi filiolus Carolos VI. qui regnat annos 42. cujus tutor fit Philippus Burgundus, ſed rem tamen adminiſtrat Dux Andegavenſis. *Annal. Fland.*

Annus Nabonaſſaris 2129. *& Philippi* 1701. *incipit* 12. *Sept. fer.* 4.

Annus Alexandr. 1692. *Antioch.* 1429. *Conſtant.* 6889. *incip.* 1. *Octob.*

Annus Iezdegird. 750. *incipit* 11. *Decemb. fer.* 3. *Armen.* 830. 14. *Dec. fer.* 6.

Fridericus Landgravius Thuringiæ, & Marchio Miſniæ, cùm præfuiſſet annis 31. moritur; Succedit ipſi filius *Fridericus*, qui poſtea fit Dux Saxoniæ & Elector, præfuitque annis 48. *Fab.*

ANNO MUNDI 5330. Poſt C. 1381.
F. ☉ [illegible]. ☽ 12. Ind. 4.

Annus urbis 2133. *Julianus* 1426.
Æra Hiſpanica 1419. *Auguſtorum* 1408.

Annus Gelali Perſ. 302. *incipit cum æquinoctio verno.*

Annus Ind. 1470. *& Hegira* 783. *incipit* 28. *Mart. fer.* 5.

Wenceslaus incipit annum imp. 4.

Leo Armeniæ rex hiſce temporibus in Hiſpaniam, & in Galliam venit, pacem facturus in Europa, & arma contra Saracenos excitaturus; ſed in ipſo conatu moritur. *Marian.*

Carolus ex Hungaria evocatus venit in Italiam, Romæ à Pontifice Senator creatur, inde adverſus Neapolitanos movet, ubi *Otto* Dux Brunſuicenſis capitur, Regina verò captiva ſuſpendio necatur, id loci, ubi Andreæ marito gulam fregerat. Andegavenſis eodem tempore moritur. Bellum etiam Luſitanicum in Hiſpania hoc tempore cœptum, quod Luſitanus cum Anglis contra regem Caſtellæ geſſit: ſed Luſitanus hoc anno vincitur, amiſſis 30. triremibus. *Marian.*

Gandavenſes, quatuor miſſis exercitibus, Comitis Flandriæ Domini ſui partes vaſtant, Comes viciſſim exercitum colligit, & Gandavenſium ad ſex millia occidit, die 13. Maji fer. 2. Gerardi mons oppidum capitur, & comburitur, & Gandavenſes arctâ obſidione cinguntur. *Annal. Fland.*

Ludovicus, Epiſcopus Moguntinus & Magdeburgenſis, dum Calbæ ad Salam fluvium choreas ducit, levi incendio orto, in tumultu, cùm ſcala deſcendentium multitudine frangeretur, ipſe ſolus inter cadentes per præceps, exanimatur; fuit ex familia Marchionum Miſnenſium: ſuccedit ipſi *Adolphus* Naſſavienſis in Epiſcopatu Moguntino. *Fab.*

Olympias 539. incipit 15. Julii. Eſt annus Olympiadicus 2157.

Johannes Conſtant. Imper. incipit annum imperii 41.

Annus Diocletiani 1098. incipit die 29. Auguſti.

Pax inter Genuenſes, & Venetos conciliata fuerat, cùm Clodiæ obſeſſi nullibi erumpere poſſent, ſed cùm quieſcere non poſſent, iterum ditionem Venetam crudeliter vaſtant hoc anno, & iterum per Sabaudiæ Ducem fit pax, die 25. Auguſti. *Plat.*

Peſtis ſæviſſimè hoc anno graſſatur Prage & aliis etiam locis in Germania. Pragæ uno die aliquando obierunt homines 1116. Trith.

Rex Richardus *in Anglia, ut ſumtibus ſufficeret, tributum imperat in capita, inde ſeditio orta graviſſima & maxima. Fuerunt enim ſeditioſorum ad ſexaginta millia, quæ tamen ſedata fuit paulò pòſt.* Polyd.

Magnus Dux Moſchoviæ caſtrum Nienhus in Livonia, quæ Crucigerorum erat, obſidione in tantas anguſtias redegerat, ut nihil amplius munitionũ haberent. Præfectus caſtri tandem ultimum telum emittit, pòſt ſe dediturus, ſed eo ipſo telo Ducem Moſcoviæ trucidat, atque hoc modo obſidio ſolvitur.

ANNO MUNDI 5331. Poſt C. 1382.
E. ☉ 19. ☽ 13. *Ind.* 5.

Annus Indor. 1471. *& Hegira* 784. *incipit die* 17. *Mart. feriâ* 2.

Gandavenſes obſidione in extremam neceſſitatem coacti, quòd fame adeò urgerentur; quapropter cives quinq; millium numero conjurant contra Comitem, & proficiſcuntur Brugas, Comitem ſuum, qui quadraginta millibus inſtructus erat, vincunt, pellunt, & plurimum commeatus in urbem mittunt. Inde præſidia Comitis oppugnant, & Comes pulſus ad regem Galliæ confugit, qui impetrat non ſolùm auxilia, ſed rex ipſe in Flandriam venit; ubi pugnatum cum Gandavenſibus die 27. Nov. fer. 5. ante primum Adventus. Gandavenſes victi ceciderunt ad viginti millia, nec tamen propterea pacem petunt, ſed auxilia Anglorum regis implorant. *Annal. Fland.*

Ludovicus Hungariæ rex, qui Polonos annis 12. & Hungaros annis 41. bello rexerat, moritur die 14. Septemb. *Sigiſmundus* filius Caroli olim Imper. cùm in eo eſſet, ut rex Poloniæ coronaretur, ut audit ſocerum Ludovicum defunctum eſſe, relictâ Poloniâ in Hungariam tendit. Sed Carolus Andreæ filius, rex Neapolitanus eam occuparat fraude, quam ulta eſt mater regina cum filia, ſequenti anno. *Dubrav.*

Amurathes *Turcicus Rex plurima in Macedonia & Theſſalia occupat, multis hominum millibus captis, & in captivitatem adductis; inde in Natoliam abit, ubi Hierapolin capit, anno Hegiræ* 784. Annal. Turc.

ANNO MUNDI 5332. Poſt C. 1383.
D. ☉ 20. ☽ 14. *Ind.* 6.

Annus Indorum 1472. *& Hegira* 785. *incipit* 6. *Martii, fer.* 6.

Papa Urbanus VI. Romæ indulgentias & vitam promittit æternam omnibus, qui contra Clementem Papam in Galliis militent, quibus indulgentiis Angli exciti, Gallis bellum inſerunt. Rex Galliæ contra in Flandriam cum exercitu ingreditur, eamque miſerrimè vaſtat; cùm ſat vaſtationibus utrinque datum eſſet, tandem fiunt induciæ, quibus etiam Flandri comprehendebantur. *Annal. Fland.*

Brandenfelſii *nobiles in Thuringia Imperiales urbes injuriis afficiunt; cùm earum patientes eſſent, omnia ſibi licere exiſtimant illi nobiles, & Balthaſaris Landgravii ditiones vaſtant Landgravius ita ad vindicandum cenſet, ut earum arces deſtruantur: conſentiunt reliqui. Sed nobiles reliqui deprecantur tantam vim, perſuadentque Brandenfelſiis, ut ſupplices pacem petant.* Fab.

Ferdinandus *Portugalliæ rex, cùm regnaſſet annis* 16. *menſibus* 9. *moritur die* 20. *Octob. Succedere conatur Johannes Caſtellæ rex, ſed fruſtra.*

ANNO MUNDI 5333. Poſt C. 1384.
G. B. ☉ 21. ☽ 17. *Ind.* 7.

Ludovicus *Comes Flandriæ in contentione cum Johanne Biturige vulneratur pugione, die* 6. *Januarii, ex quo vulnere moritur, die* 9. *Januarii: ſuccedit ſocero* Philippus *Dux Burgundiæ.* Annal. Fland.

Annus Indorum 1473. *& Hegira* 768. *incipit* 23. *Febr. fer.* 4.

Cœpta eſt hoc anno peregrinatio ad oppidum *Vilſenacum*, propter repertam hoſtiam ſanguine tinctam. *Annal. Fland.*

Johannes Caſtellæ rex in regno Portugalliæ ſuccedere conatus, urbes aliquas occupat: Sed cùm Olyſibonam obſideret, obſidionem ſolvere cogitur propter peſtem ingruentem, inde in contemtum venit. Inde Johannes filius Petri regis nothus, qui erat Dux exercitus, rex proclamatur, die 5. April. & regnat annis 48. *Hiſt. Portugal.*

Wenceslaus *Dux Brabantiæ & Lucelburgenſis, cùm Ducatu Brabantiæ præfuiſſet annis* 28. *moritur menſe Sept. Succedit ipſius vidua, quæ præeſt annis* 23. Chron. Belg.

Annus Nabonaſſaris 2133. *& Philip.* 1709. *incipit* 11. *Sept. fer.* 1.

Annus ſabbathicus 6. *Jobelei* 27. *incipit* 17. *Sept. fer.* 7. *Anno Jud.* 5145.

Annus Alexandr. 1696. *& Antioch.* 1433. *Conſt.* 6893. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdegird. 754. *incipit die* 10. *Dec. feria* 7. *Armenorum* 834. 13. *Dec. fer.* 3.

Wenceslaus *Imp. ordinis Teutonici in Boruſſia privilegia confirmat.* Func.

Judæi in imperii civitatibus vel trucidantur, vel datâ pecunia vitam redimunt hoc anno, ut habet *Funcius.*

ANNO MUNDI 5334. Poſt C. 1385.
A. ☉ 22. ☽ 18. *Ind.* 8.

Annus urbis 2137.	*Julianus* 1430.
Æra Hiſpan. 1423.	*Auguſtorum* 1312.

Wenceſl. inchoat annum imp. 8.

Annus Gelali 306. *inc. cum Æquinoctio. Verno.*

Annus Indorum 1474. *& Hegira* 787. *incipit* 12. *Febr. fer.* 1.

Rupertus *Elector Palatinus, qui Heidelbergenſem Academiam fundaverat moritur: Succedit ipſi* Rupertus *cognomento tenax, qui præfuit annis* 13. Trith.

Kelem-

Keſembergius Comitatus in ſuperiori Thuringia, cùm ultimus Comes absque hæredibus in Palæſtina defunctus eſſet, devolvitur ad Landgravium Thuringiæ Balthaſarum. *Fab.*

Olympias 540. *incipit* 15. *Julii.* *Eſt annus Olympiadicus* 2161.

Johannes Conſtant. Imper. inchoat annum imperii 45.

Annus Diocletiani 1102. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Carolus *rex Neapolitanus abit in Hungariam ad regnum occupandum, ubi Ludovici vidua cum filia eum in convivio curant trucidari, die* 4. *Junii.* Mariana *tamen de rebus Hiſpanicis ponit hæc in ſequentem annum; ſuccedit ipſi in regno Neapolitano Ladislaus filius cum Iohanna filia.* Mariana. *Sed Banus Croatiæ, ulturus cædem, Budam advolat, qui apud reginam erant, occidit, & viduam ipſam in Danubio ſubmergit, filiam vero captivam abducit.* Dubr.

Johannes *Caſtellæ rex, cùm Portugalliæ regnum inquietaret, tandem magno prælio vincitur, à novo rege Portugalliæ; ceciderunt ad* 10. *millia die* 15. *Auguſti.* Marian.

Philippus Burgundus novus Dux Flandriæ, cùm Gandavenſes compeſcere non poſſet, tandem eos commeatu intercludit. Sed ne ſic domari potuerunt. Ideò offert ipſis tandem pacem ſalvis ſuis privilegiis, quæ concluditur die 18. Dec. fer. 2. atque ita bellum illud inteſtinum Flandriæ finitum eſt, quo ceciderunt ad ducenta hominum millia. *Annal. Fland.*

Amurathes Apolloniam in Epiro obſidet, ſed re infecta valde triſtis ab obſidione recedit; paulò poſt comperit, munitiones Apolloniæ ſponte collapſas, ideo cum exercitu redit, & ingenti præda potitur. Annal. Turc.

Albertus *Dux Saxoniæ & Angriæ, cui Carolus IV. Ducatum Lunaburgenſem dederat, dum oppugnat nobiles de Mandeslo, bombardâ ictus crus amittit, & paulo poſt moritur; ſuccedit* Wenceslaus *Elector Saxoniæ.* Spang.

ANNO MUNDI 5335. Poſt C. 1386.
C. ⊙ 23. ☽ 19. *Ind.* 9.

Sigismundus tandem rex Hungariæ coronatur, ſtatim in initio anni, & Barum illum, qui reginam occiderat, bello perſequitur, & tandem in Boemia deprehenſum per cruciatum occidit, & Poloniæ regno ſe abdicat. *Dub.*

Annus Indorum 1475. *& Hegira* 788. *incipit* 1. *Febr. fer.* 5.

Poloni Jagello Lithuaniæ Principi filiam regis defuncti deſpondent, *hac conditione, ut Chriſtianus fiat*; & Lithuaniam pol. regno conjungat, quam conditionem accipit, & 12. Febr. *baptizatur, vocaturque Ladislaus Iagellus* & cum Hedvvige matrimonium init. *Hiſtor. Pol.*

Wilhelmus Juliacenſis, & Geldriæ Dux bellum infert Duciſſæ Flandriæ, & *Gravam* urbem oppugnat, quam tamen Duciſſa recipit, iterum tamen expellitur: Duravit bellum biennio. *Chron. Belg.*

Themir Lances, hoc eſt, Claudus, anno Hegiræ 788. *Bagdet*, cui Achmetes Suldan præerat, capit; Achmetes metuens ſibi fugit in Ægyptum. *Annal. Turc.*

Leopoldus Dux Auſtriæ, Sempachium urbem obſidere conatus, eodem die ad urbem illam venit, quo 1400. pedites ab Helvetiis urbi præſidio mittebantur. Leopoldus hoſte advenientes ſolo equitatu aggreditur, ſed turpiſſimè vincitur, & trucidatur, reliqui diſſipantur, & caſtra cum omni apparatu capiuntur; pugna facta die Cyrilli. Birckheim.

Maxima vini copia hoc anno annotatur, adeò ut veches vini Ein Fuder Wein zwölff Ohm/ venderentur unico floreno. *Trith.*

Portugalliæ rex, navali prælio victus à Caſtellæ rege, invocat Anglos, qui advenienſes magnâ clade Caſtellæ regem vincunt. *Polyd.*

Galli ingenti exercitu: & numero navium 1300. comparato, ut putabant, in Angliam trajicere conantur. Sed æſtas extrahitur, priuſquam omnes naves perficerentur. Interea Dux Lanceſtriæ magnas omninò res gerit in Hiſpania. *Annal. Fland.*

ANNO MUNDI 5336. Poſt C. 1387.
F. ⊙ 24. ☽ 1. *Ind.* 10.

Carolus Vaſconum rex moritur ipſis Calendis Januarii; regnarat annos 37. menſes tres; ſuccedit ipſi *Carolus* filius, regnatque annos 38. & ſex menſes. *Mariana.*

Annus Indorum 1476. *& Hegira* 789. *incipit* 22. *Jun. fer.* 3.

Angli in portu Rupellano mercatores Flandros ſpoliant, ceperunt ad novem millia vaſorum vini, deprædati præterea ſunt Schlandiam, & alia maritima, die 25. Martii. *An. Fland.*

Vicecomes Johannes Galeatius bellum denunciat *Antonio Scaligero* Veronenſi, die 21. Aprilis, quo bello *Scaliger* principatu pellitur. *Annal. Suev.*

Lithuani, annitente principe ſuo jam rege Poloniæ, amplectuntur religionem Chriſtianam, *Hiſtor. Pol.*

Moritur interea in Anglia Johannes Widef Theologus.

Andronicus, *Iohannes Imperatoris Conſtantinopolitani filius, cum Amurathis filio conſpirat, ut uterque ſuum parentem interficiat, ut ipſi imperio potiantur: re patefacta Amurathes filium ſuum captum oculis privat. Idem conatur etiam Iohannes, ſed impeditum fuiſſe oſtendunt ſequentes hiſtoriæ.*

Balthaſar *Landgravius Thuringiæ cum Moguntino, hoc & ſuperiori anno, vaſtat Haſſiam, & multas urbes occupat; ſequenti anno tandem bellum hoc componitur.* Spang.

ANNO MUNDI 5337. Poſt C. 1388.
E. D. ⊙ 25. ☽ 2. *Ind.* 11.

Petrus Aragoniæ, *cùm annis* 52. *regnaſſet, moritur die* 6. *Ianuarii; ſuccedit ipſi* Johannes *Filius, qui regnat annos* 7. *menſes* 4. Hiſtor. Arrag.

Annus Ind. 1477. *& Hegira* 790. *incipit* 11. *Ian. fer.* 7.

Wenceslaus *Saxoniæ Dux & Elector; cùm ante quadriennium defuncto fratre Ducatum Lunaburgenſem accepiſſet, ac ſoli Cellenſes ad Elleram fluvium ipſi ibidem reſiſterent, illorum urbem obſedit, ubi vulneratus oppetiit, die* 17. *Maji, anno* 23. *Electoratûs; ſuccedit ipſi filius* Rudolphus, *qui præeſt annis* 31. Spang.

Inteſtini motus ingentes in Germania exoriuntur, cùm civitates Sueviæ, Bavariæ, & Franciæ contra Principes Germaniæ conſpirant. Principes ſibi metuentes ſtatuunt, à quovis principe vicinas civitates eſſe oppugnandas, atq; ita Eberhardus *Comes Wirtenbergenſis, civitatum Suevicarum exercitum fugat, prope oppidum* Wilam, *ſed tamen ſine ſuorum clade, Filium enim Ulricum in pugna amittit, quæ accidit vigeſimo tertio Auguſti, feriâ primâ; inde cum* Wirtenbergenſis *victoriam perſequeretur, civitates pacem petunt,*

petunt, & pecunia luunt. Palatinus elector, auditâ hâc victoriâ, Moguntinenſes, Wormatienſes, & Spirenſes, qui jam Palatinatum vaſtabant, etiam prælio aggreditur, ineunte menſe Novemb. eosq; vincit & multos capit, quorum ſexaginta in fornace lateritia cremat, reliqui pecunia ſe redimunt. Nobiles de Croneburg Francfurtenſes, qui ſibi bellum inferebant, debellandos ſibi ſumunt, eos prælio vincunt, multos capiunt, qui ſeptuaginta millibus florenorum redimuntur, atque ita fœdus hoc perniciosum diſcuſſum eſt. *Trith. & alii.*

Veneti *Naupactum in Ætolia capiunt, pulſo Paulo Spatâ.* Cruſ.

Annus Nabonaſſaris 2137. *& Philippi* 1713. *incipit* 10. *Septemb. feria* 5.

Annus Alexandr. 1700. *Antioch.* 1437. *& Conſtantinop.* 6897. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Iezdeg. 758. *incipit die* 9. *Dec. feria* 4. *Armen.* 838. *incipit* 12. *Dec. fer.* 7.

Academia Colonienſis ſumtibus Senatûs inſtituitur, & confirmatur etiam ab Urbano Pontifice. *Trith.*

Bellum Luſitanicum componitur, cùm conjugium intercederet inter filiam Lancaſtriæ ex Anglia, & Heinricum filium regis Caſtellæ. *Marian.*

Feſtum conceptionis Mariæ ab Urbano Sexto Pontifice inſtituitur, ut ſolennibus precibus factis Schiſma tolleretur: celebratur die 8. Decembr. *Bulla.*

Annus Indorum 1478. *& Hegiræ* 791. *incipit* 30. *Dec. fer.* 4.

ANNO MUNDI 5338. Poſt C. 1389.
C. ☉ 26. ☽ 3. *Ind.* 12.

Annus urbis 2141.	*Iulianus* 1434.
Æra Hiſpanica 1427.	*Auguſtorum* 1416.

Wencesl. incipit annum imp. 12.

Annus Gelali Perſ. 310. *cum Æquinoctio Verno.*

Urbanus Papa die undecimo Aprilis promulgatâ Bullâ inſtituit, ut triceſimus quivis annus ſit, *Jubilæus*, ſecundum ætatem Chriſti, qui triginta annorum baptiſatus prædicare incipit; atq; vult, ut hac ratione annus ſequens 1390. ſit Jubilæus. Deinde voluit, ut feſtum Viſitationis Mariæ inſtituatur die 2. Julii, ut Beata virgo ſuâ interceſſione Eccleſiæ unionem reſarciat, & unitam conſervet. Idem etiam hoc anno Cardinales creat 17. inter quos fuerunt Archiepiſcopi, Moguntinus, Trevirenſis, & Colonienſis, qui tamen honorem hunc recipere noluerunt. *Chron. Belg.*

Amurathes rex Turcicus, Serviam vaſtat, cui Servii, Duce Lazaro Deſpota, reſiſtunt. In ipſa pugna *Carbilovicius* Deſpotæ ſervus fit transfuga, & Amurathem regem interficit, cùm annos 32. regnaſſet, & bella maxima geſſiſſet. Baſſæ occultant cædem, & alterum filium Amurathis Jacob Zeliben in vincula conjiciunt, & alterum *Bajazeth* Gildorum regem faciunt, qui in ipſa pugna victoriam obtinet, Lazarum capit, & in fruſta conſcindit: factum anno Hegiræ 791. Regnavit *Bajazeth* annos decem, captus à Tamerlano. *Annal. Turc.*

Olympias 541. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2165.

Johannes Conſtant. Imper. incipit annum imperii 49.

Annus Diocletiani 1106. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Albertus *Comes Hollandiæ præficit Comitatui Johannem principem de* Arkel, *ipſe Hagæ Comitis reſidet.* Suffrid.

Wilhelmus *Comes* Montenſis *per Wenceslaum creatur Dux.* Trith.

Urbanus Papa IV. cùm annos undecim & menſes 6. sediſſet, moritur die 15. Octobr. fer. 6. Succedit ipſi Petrus Tomacellus, die 2. Nov. qui inauguratur die 11. Novemb. vocaturque *Bonifacius IX.* Hic adeo felix fuit, ut argentariam meſſem in binis Jubilæis bis faceret. Statim enim confirmavit ſententiam Urbani de Jubilæo quovis triceſimo anno celebrando, quam tamen poſtea mutavit, ut anno 1400. Jubilæum iterum celebraret; munivit hic Romæ S. Angeli caſtrum. *Plat.*

Margaretha Daniæ regina bellum gerit cum Alberto rege Sueciæ, cumque captum ſeptem annis in vinculis detinet. *Chyt.*

Annus. Ind. 1479. *& Hegir.* 792. *incipit* 20. *Dec. fer.* 2.

ANNO MUNDI 5339. Poſt C. 1390.
G. ☉ 27. ☽ 4. *Ind.* 13.

Andronicus, filius Imperatoris Conſtantinopolitani Johannis, patrem, & fratrem Emanuelem capit & in captivitate habet, totis annis tribus; ut hoc perficere poſſet, à Bajazethe accepit auxilia, quatuor millia equitum, pro quibus ipſe *Bajazethi* promiſit annuum tributum, & præfectum peculiarem, qui Conſtantinopoli controverſias inter Turcas componeret. *Chalcocond.*

Robertus rex Scotiæ, cùm annos regnaſſet 19. moritur die 19. Aprilis; ſuccedit ipſi filius Johannes, qui voluit ſe ſe *Robertum* vocari, coronaturque die 13. Aug. & regnat annis 16. *Buchan.*

Bellum ſacrum hoc anno in Boruſſia geritur, cui etiam Scoti interfuerunt, imprimis Duglaſius, qui claſſi præfuit. Buchan.

Bajazethes Turcarum rex totam Caramaniam ſibi ſubjicit, quòd princeps ejus nuper defunctus eſſet. Annal. Turc.

In *Flandria*, cùm Wenceslaus Imp. Duciſſam Flandriæ non defenderet, contra impetum Ducis Geldriæ, alium defenſorem ſibi quærit Ducem Burgundiæ; quapropter donatione ſolenniter facta omnes ſuos Ducatus tradit nepti ſuæ ex ſorore Margarethæ, Duciſſæ Burgundiæ, proximæ ſuæ hæredi. *Chron. Belg.*

Joannes Caſtellæ rex ludibundus quaſi equo excutitur, & moritur 9. Octobr. fer. 1. cùm regnaſſet annos 11. menſes 6. Succedit filius *Henricus*, puer undecim annorum, qui regnat tantum annos quinque. *Marian.*

Novi orbis *pars Borealis, quæ verſus* Groenlandiam, Islandiam, & Friſlandiam *inſulas extenditur, à Friſlandiæ piſcatoribus fortè appulſis invenitur. Olim quidem etiam cognita fuit, ſed oblivioni tradita, atque hoc anno iterum coli cepta.* Ortel.

Galli, Angli, Veneti, & Genuenſes in Africam contra Saracenos proficiſcuntur, & multi Chriſtiani ex triſtiſſima ſervitute liberantur. *Æmilius.*

Annus Ind. 1480. *& Hegira* 793. *incipit* 9. *Dec. fer.* 6.

ANNO MUNDI 5340. Poſt C. 1391.
A. ⊙ 28. ☽ 5. Ind. 14.

Bonifacius Papa, ſuperiori anno *Jubilaum* celebraverat, ſed meſſem argentariam monita divitem, ut ſperarat, fecerat: Ideò hoc anno civitati Colonienſi concedit poteſtatem diſtribuendi *indulgentias*, & ſequenti anno eandem poteſtatem concedit etiam Magdeburgenſibus, hac tamen conditione, ut theſaurarius Pontificis ſemper adeſſet; unde & literis indulgentiarum ſemper addebatur, eas ratas fore porrigentibus Eccleſiæ Romanæ manus adjutrices. *Chron. Belg.*

Scoti *in Angliam excurrunt, eamque crudeliter vaſtant, ter cum Anglis prælio contendunt, bis æquo Marte diſcedunt, tertio vincunt, in quo prælio multi praſtantes viri ceciderunt.* Polyd.

Bonif. Papa, *Annatas*, ſive reditus unius anni alicujus Sacerdotii in tota Europa vacantis, reddendos Pontifici Romano ſeveriùs ſancit: Annatarum enim origo vetuſtior eſt, & primo dabantur politico magiſtratui, inde Epiſcopatibus. Eos jam ſibi Pontif. ex ſumpſit, qui eum potentiſſimum reddiderunt; perſolvit autem eos reditus is, cui id ſacerdotium defertur. *Plat.*

Annus ſabbathicus ſeptimus ſive Jobelei 27. *incipit* 31. *Aug. fer.* 5. *Anno Jud.* 5152.

Annus Indorum 1481. & *Hegira* 794. *incipit* 29. *Novembr. fer.* 4.

Stephanus *Dux Bavariæ, cum Florentini à Galeacio Mediolanenſi bello urgerentur, evocatur, ſed parum ipſis uſui fuiſſe ſcribitur.* Palm.

ANNO MUNDI 5341. Poſt C. 1392.
G.F. ⊙ 1. ☽ 6. *Ind.* 15.

Wenceslaus Imp. non ſolùm totus in voluptatib. volutabatur, ſed etiam tyrannicè cum plurimis agebat: ideò Pragenſes, & proceres regni eum aliquoties captivum habuerunt, & primum quidem eum carcere publico, & teterrimo detinent 4. menſibus: tandem ab ipſo exorati ut tantum lavaret, opera balneatricis nudæ ipſe nudus evadit, & in arcem ſuam penetrat. Sed nihilo melior factus eſt poſtea iterum capitur, ſed & hac vice elabitur. Tandem clam captus Viennam Auſtriæ deducitur, omnibus ferè ignorantibus, ubi eſſet; ibi etiam opera piſcatoris evadit, & Pragam habitu mendici reverſus, regnum recuperat. *Dubr.*

Judæi edicto Imp. ex tota Germania ejiciuntur, & literas ac pignora debitoribus reddere coguntur, nobilibus quidam absque illa ſolutione, civibus & aliis pro dimidio precio. *Annal. Suev.*

Conſtantinopoli *Johannes olim Imper. & filius Emanuel ex Andronici carcere elabuntur, & ad Bajazetem Turcam perveniunt, à quo Emanuel imperium Conſtantinopolitanum impetravit, ſub tributo annuo triginta millium aureorum & auxiliaribus copiis quovis tempore in quovis bello, & Andronicus captus ad Bajazethem mittitur.* Chalcoc.

Rex Galliæ Carolus, *cum eſſet in expeditione Britannica, ſubitò in Phreneſin armatus incidit, vix potuit comprehendi, factum* 29. *Junii, fer.* 4. *Hoc morbo poſtea per intervalla laboravit.* Annal. Fuld.

Jacobus Trajectenſis bonarum artium *Magiſter*, allatis literis Pontificis Trajectum, fit ſuffraganeus, & fungitur officiis Epiſcopi. Sed cum manifeſtum fieret, literas eſſe falſas, & adulterina ſigilla, deponitur, ſacris veſtibus exuitur, & pellis digitorum, quibus Sacramenta adminiſtraverat, vitro deraditur, & damnatus ut oleo ferventi coquatur magiſtratu traditur. *Chr. Belg.*

Annus Nabonaſſaris 2141. & *Philippi* 1717. *incipit* 9. *Sept. fer.* 2.

Annus Alexandr. 1704. *Antioch.* 1341. & *Conſtantinop.* 6901. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Indorum 1482. & *Hegira* 795. *incipit* 17. *Nov. feria* 1.

Annus Jezdeg. 762. *incipit* 8. *Decembr. fer.* 1. *Arwen.* 842. 11. *Decemb. fer.* 4.

Albert. Comes Hollandiæ, Bavariæ Dux, non contentus conjuge Margaretha, ſuperinduxerat concubinam Adelheidam. Filius Wilhelmus inſtigatus à factione Hamatorum 19. Septembr. Hagam profectus, Adelheidam trucidat. Pater hac de cauſa Wilhelmum proſcribit, qui fugiens in Galliam, regis Galliæ filiam uxorem ducit, & inde patri reconciliatur. *Suffrid.*

Præſul Wirtzburgenſis immiſcuerat ſe bello, quod Svvartzburgenſes gerebant cum Landgraviis circa hoc tempus, cum autem militibus ſtipendia ſolvere non poſſet, vult id contribui à civibus, qui ipſi hoc denegant, quod præter cauſam id bellum ſuſceperit. Hinc bellum ortum inter Epiſcopum, & Wurtzburgenſes, quo in bello Academia diſſipata fuit, quæ conceſſit Erfurdiam, ubi à Magiſtratu urbis inſtituta, & hoc anno per Bonifacium IX. Pontificem privilegiis, & libertatibus donata fuit. *Trith.*

ANNO MUNDI 5342. Poſt C. 1393.
E. ⊙ 2 ☽ 7. *Ind.* 1.

Annus urbis 2145. *Julianus* 1438.
Æra Hiſpanica 1431. *Auguſtorum* 1420.
W*enceslaus incipit annum imperii* 16.
Annus Gelal. 314. *incipit cum æquin. Verno.*

Quinque nobiles Lutetiæ, die 28. Januarii, feria tertia, ſtupa pice illita veſtiti, ut ſylveſtres homines vel ſatyri viderentur, media nocte *choreas agunt*, aſſumuntque in hanc ſocietatem regem, eodem modo veſtitum, quibus *Aurelianus*, Patruus regis, joci cauſa facem admovet, ſed hoc modo quatuor nobiles planè ſunt cremati, Rex vix ſervari potuit. Nomina eorum in Annalibus extant: factum in ædibus reginæ, in ſuburbano D. Marcelli. *Annal. Fland.*

Huſſii Doctrinâ in Bohemia latè incipit ſpargi, adeò ut hoc anno Auguſto vindelicorum inquiſitio in hæreticos inſtitueretur, & multi comburerentur. *Annal. Suev.*

Olympias 542. *Annus Olympiadicus* 2160.
Emanuel Conſtant. incipit annum Imp. 2.
Annus Diocletiani 1110. *incipit die* 21. *Aug.*
Annus Indorum 1483. & *Hegira* 796. *incipit* 6. *Novembr. fer.* 5.

Bellum geritur inter Epiſcopum Magdeburgenſem, & Electorem Saxoniæ Rudolphum, & Archiepiſcopus occupat oppidum Aken / *die* 2. *Octob.*

ANNO MUNDI 5343. Poſt C. 1394.
D. ⊙ 3. ☾ 8. *Ind.* 2.

Bajazeth Turcarum rex, judicibus & præfectis apud Turcas ſtipendia de publico unde vivant, ordinat, cum antea ex litigantium ſumptibus & contributione viverent. *Annal. Turc.*

In Hibernia montani reliquam inſulam vaſtant, ideò rex Angliæ exercitum eo traducit, & eum motum compeſcit. Polyd.

Clemens Papa VII. in Galliis Avenione moritur die 16. Septemb. cum annos ſedecim ſediſſet. Priusquam in ejus locum alius eligeretur, conſenſum eſt. & juramento confirmatum inter Cardinales. electum Pontificem Pontificatu abiturum, ſi ita Eccleſiæ videretur, ad tollendum ſchiſma. Eligitur itaque die 28. Septembr. Petrus Luna Aragonenſis, qui ſe voluit vocari Benedictum XIII. Privatur Pontificatu hic die 5. Julii in concilio Piſano, iterum abdicatur anno 1417. die 26. Julii in cœnobio Conſtantienſi, ſed tamen retinet dignitatem; moritur, cum Pontificatum obtinuiſſet, invitis omnibus, anno 1424. cum ſediſſet annos 30. *Onuff.*

Annus Indorum 1484. *& Hegira* 797. *incipit die* 27. *Octobr. feria* 3.

ANNO MUNDI 5344. Poſt C. 1395.
C. ⊙ 4. ☽ 9. *Ind.* 3.

Cum Wilhelmus *Comes Hollandiæ, gener Caroli regis Galliæ, ad menſem ſederet, advenit* Magiſter *morum, & cenſor diſciplinæ militaris, & mappam menſalem abſcidit ante* Wilhelmum, *quod Friſios, qui avunculum* Wilhelmum *occidiſſent, nondum eſſet ultus, quâ ignominia coactus bellum parat in Friſios.* Suffr.

Proceres Galliæ legatos mittunt ad novum Pontificem *Benedictum XIII.* cumque rogant, ut tollendi ſchiſmatis cauſa in Eccleſia, Pontificatu abeat. Sed Benedictus negat navem Petri deſerendam eſſe; ut tamen Gallos mitigaret, jus decimæ de ſacerdotibus cogendis regi Galliæ concedit, quod factum èſt menſe Majo. *Marian.*

Johannes Aragoniæ rex, dum venationibus dat operam, portentoſæ magnitudinis lupa, ſive ſpectro potiùs, territus moritur 19. Maji, ſuccedit ipſi Martinus frater, qui tum aberat in Sicilia. Sed Comes Fuxenſis ſimiliter magnas copias cum auxiliis regis Galliæ educit, ut Aragoniæ regnum occupet, ſed prohibitus commeatu, menſe Januarii ſequentis anni, inglorius in Galliam redit. *Marian.*

Cum Sigiſmundus bellum Transalpinum ſive Dacicum confeciſſet, & auxiliares Alexandri Dacici, Turcas videlicet viciſſet, conjux Maria moritur, & rex Poloniæ Ladislaus Jagello nomine conjugis Hungariæ regnum appetit. Dubr.

Bajazeth *Turcicus rex petit ab Emanuele, ut ſibi Lydiæ urbem fortiſſimam* Philadelphiam *traderet, qui aſſentitur, & cum eo proficiſcitur, ad eam obſidendam, & inter primos murum ſuorum ſubditorum conſcendit.* Laoni.

Annus Indorum 1485. *& Hegira* 798. *incipit die* 19. *Octobr. fer.* 7.

Rudolphus Saxoniæ Dux & Elector, cum Archiepiſcopus Magdeburgenſis cum civibus ſuis & etiam Hallenſibus expeditionem ſuſcepiſſet, & Peltiam & Rabenſteinam oppugnaret, eum prælio vincit, & obſidionem ſolvit, & Dannebergum inſuper occupat, captivi facili precio redimuntur, quòd Epiſcopus Electoris filio ſpem feciſſet de Epiſcopatu, & ſucceſſione. *Spang.*

Calmarniæ in Suecia communi procerum conſenſu decernitur, ut tria regna, Dana, Suecia & Norvegia ab uno eodemque rege adminiſtrentur. *Chyt.*

Paulo antequam Bajazeth Conſtantinopolin obſideret, Emanuel duxit regis Colchorum, qui & Trapezuntinus Imperator erat, viduam: Sed pater Emanuelis Johannes jam ferè ſeptuagenarius hanc videns, eripit eam filio, & ſibi eam jungit uxorem. Laon.

Judæi ex tota Gallia planè ejiciuntur. Annum hunc ipſi ſuæ ejectionis in Calendario ſuo definiunt.

ANNO MUNDI 5345. Poſt C. 1396.
B. A. ⊙ 5. ☽ 10. *Ind.* 4.

Wilhelmus *Comes Hollandiæ una cum patre Alberto Bavaro expeditionem facit in Friſiam, habuit in exercitum centum millia armatorum, & tantam claſſem, ut haberet ſocios navales triginta mille: ſubjicit igitur ſibi Friſiam totam, & avunculi ſui Wilhelmi oſſa in Hollandiam reportat.* Suffr.

Bajazeth Turcicus rex habebat Emanuelem Imperatorem Conſtantinopolitanum pro ſuo quaſi ſervo: niſi omnia daret & faceret, quæ vellet, ſtatim hoſtis ipſius fiebat, & urbem obſidebat, idque faciebat hoc anno etiam, unde principes Germaniæ & Galliæ cenſent, vim reprimendam, & Burgundus cum magno exercitu mittit filium Johannem, & in Hungaria collectis omnibus copiis tenditur in Thraciam, perveniuntque Nicopolin. *Bajazeth* audito eorum adventu obſidionem ſolvit, & ipſis obviam proficiſcitur, ibi Johannes ſumit ſibi regendam primam aciem, invito Sigiſmundo, qui eam dederat Walachiæ principi. Turcæ igitur in prima acie ſimulant fugam, quos Burgundus cupidè inſequitur. Sed Turcæ palos fixerant poſt rubetum quoddam, qui cerni non poterant à noſtris. Cum igitur noſtri eò perveniſſent, nec pergere poſſent, & à ſequentibus noſtri urgerentur, trucidantur à Turcis. Burgundus inter primos capitur, cum multis nobilibus. Sigiſmundus navi Conſtantinopolin effugit. Accidit clades die 28. Sept. veſpera Michaelis, fer. 5. id quod convenit huic anno, & ita habent etiam plerique noſtri Scriptores. Sed Annal. Turcici & Zacuthi conferunt hanc cladem in annum Heg. 794. qui eſt annus Æræ Chriſtianæ 1392. & mirum eſt, eos quatuor annis à noſtris diſcrepare. *Bajazeth* poſt tantam victoriam ad obſidendam Cōnſtantinopolin redit, ubi tandem pax fit, ut intra mœnia urbis Turcæ ſuum judicem haberent; inde paulò ante hyemem ditiones quaſdam Sultani Ægyptici invadit, & quaſdam occupat, & imminente hyeme Pruſiam redit. *Annal. Turc. & alii.*

Comites Mansfeldes, & Quernfurtenſes fœdus hereditariū ineunt, de invicem ſuccedendo, ſi altera ſtirps deficiat: Sed qui factum ſit, cum ſtirps Quernfurtenſis defeciſſet, poſt centum fere annos, ut Mansfeldenſes non ſucceſſerint, ignoratur. Spang.

Annus Nabonaſſaris 2145. *& Philippi* 1721. *incipit* 8. *Sept. fer.* 6.

Annus Alexandr. 1708. *Antioch.* 1445. *Conſtantinop.* 1905. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Indorum 1486. *& Hegira* 799. *incipit* 4. *Octobr. fer.* 4.

Annus Jezdeg. 766. *incipit* 7. *Decembr. fer.* 5. *Armen.* 846. 10. *Decemb. fer.* 1.

In Scotia, *cum controverſia inter claras familias jure dirimi non poſſent, triceni ad pugnam utrinque ſelecti ſunt, ex quorum victoria res deciſa eſt,* Buch.

Vlmenſes Comitatum Helfenſteinum emunt multo auro, & tamen eum ſine multiplici contentione retinere non potuerunt. *Ann. Suev.*

ANNO MUNDI 5356. Poſt C. 1397.
G. ☉ 6. ☽ 11. *Ind.* 5.

Annus urbis 2149. *Iulianus* 1442.
Æra Hiſpanica 1435. *Auguſtorum.* 1424.
W*enceslaus inchoat annum* 20 *Emmanuel* 6.
Annus Gelali 318. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Sigiſmundus Ungar. rex, ex clade in Ungariam reverſus, à Baronibus regni indignis modis tractatur, barba ipſi evellitur, & in cuſtodiam traditur: Barones interim *Ladislaum* Neapolitanum regem, ad capeſſendum Hungariæ regnum evocant. Sigiſmundus vero elapſus in Germaniam properat, & ut Hungaricum regnum recuperet, Marchiam *Brandeb.* patruelibus ſuis Jodoco & procopio March. oppignorat certa pecunia, atque ita collectis militibus regnum Hungaricum recipit. *Dubr.*

Bajazeth rex Turcicus, accepto portu, ab Imperatore Conſtantinopolitano Margatz ædificat, & initio æſtatis copias in Armeniam ducit, ibique quasdam urbes occupat; cumque audiret, Temir Lancum in Parthia bellum gerere, in Græciam redit, & Amphipolin capit. Ideo in Peloponneſum abit, ubi ingentem prædam colligit. *Annal. Turc.*

Olympias 543. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 2173.

Annus Diocletiani 1114. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1487. *& Hegira* 800. *incipit die* 24. *Sept. fer.* 2.

Chryſoloras *Conſtantinop. in Italiam profectus, ludum Græcæ linguæ diſcendæ hoc anno aperit.* Chr. Belg.

Geldrenſes, qui in Buſco Ducis habitabant, occidunt quendam civem, qua cæde irritati cives trucidant omnes Geldrenſes, cum eorum præfecto. Hinc bellum ortum, & Dux Geldriæ Brabantiam vaſtavit. Duciſſa contra vaſtavit Ducatum Julia-cenſem; ſed quoniam ipſa belli gerendi perita non eſſet, advocavit tandem poſt triennium, Philippum Ducem Burgundiæ. *Chron. Belg.*

Thomas *patruus regis Richardi in Anglia, deteſtabatur patruelis ſui regis ignaviam, eumq; dehortabatur: Sed rex per inſidias patruum capit, & ſtrangulare.* Pol.

Temir Lancus *anno Heg.* 800. *cum in Parthia victricia arma circumtuliſſet, progreditur in Syriam, & Chalepum cum univerſa regione finitima occupat, & Damaſcum fœdè etiam diripit.* Ann. Turc.

ANNO MUNDI 5347. Poſt C. 1398.
F. ☉ 7. ☽ 12. Ind. 6.

Wenceslaus Imperator, plurima ſuorum admonitione, ut ſchiſma Pontificum tolleretur, ad regem Galliæ proficiſcitur Rhemos, in Quadrageſima, ubi rex Galliæ omnem ſumptum ipſi ſuppeditavit, ſingulis diebus decem vaſa halecum cum octingentis carpionibus; ſed actio omnis fruſtrà fuit, cum neuter Papa cedere vellet, ideò paulò poſt rex Galliæ Papam Benedictum bello perſequitur, cumque capit, & Avenionenſib. cuſtodiendum tradit, idem tamen effugit poſtea. *Ann. Fland.*

Bajazethes Turcarum rex crudeliſſimus erat, omnia omnibus eripiebat, ideò vicini, ut & Emanuel Conſtantinopolitanus, communem legationem mittunt, in Syriam ad *Temir Cham*, eumque evocant in auxilium. Sed Temir Cham primùm per legatos rem agit, & honorificis literis eum admonet humanitatis, & appellat eum filium ſuum. Sed *Bajazeth* ignominioſè reſcribit, cum Titulo *Temur clauda*, ſive *Lanco*, inde ipſi nomen hæſit: quibus *Temur Cham* irritatus, bellum in Bajazethem parat. Interim Sultanus Alcairi, propter ereptam Damaſcum, & Chalepum, cum exercitu in Syriam venit, ſed turpiſſimè vincitur, & Temir Cham omnem illam regionem occupat, & hybernat ad Charapagum. *Annal. Turc.*

Albertus *Archidux Auſtriæ, cum* 33. *annis præfuiſſet moritur die* 1. *Sept. relicto filio Alberto quadrimulo, qui ab hoc tempore præeſt annis ferè* 43. Cuſ.

Annus ſabbathicus 1. *Jobeles* 28. *incipit* 12. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 5159.

Annus Indorum 1488. *& Hegira* 801. *incipit* 13. *Septembr. feriâ.* 6.

Wenceslaus *Imp. abſque conſenſu principum Electorum, Galeacium Vicecomitem* Mediolanenſem *creat Ducem, acceptis centum millibus aureorum, de quo facto poſtea ab Electoribus accuſatur, & ab Imperio removetur.* Trith.

Rupertus Elector Palatinus, cognomento Tenax cum poſt parentem annis 3. præfuiſſet, moritur. Succedit ipſi filius *Rupertus*, cognomento Klemm Rigoroſus (non Parvus) qui poſt biennium creatur Imperat. *Trith.*

Johannes Dux Lanceſtriæ, patruus Richardi regis in Anglia, moritur hoc anno, ejus bona omnia ſumit ſibi Richardus abſque ulla cauſa, & ejicit filium ejus *Heinricum* exhæreditatum ex Anglia. *Polyd.*

Paulus Burgenſis dictus à loco, ubi Epiſcop. fuit, natione Judæus, qui multos libros edidit in ſuo genere mirandos, moritur hoc anno. *Marian.*

ANNO MUNDI 5348. Poſt C. 1399.
E. ☉ 8. ☽ 13. *Ind.* 7.

Bajazethes metuens ſibi à Temir Cham bellum ſtrenuè apparat, & Tartarorum evocat ingentem multitudinem, & iratus omnibus, qui legationem ad Temir Cham miſerant, iram effundit in Emanuelem Conſtantinopolitanum, & urbem obſidet quam etiam expugnaſſet, niſi Temir Cham cum exercitu adveniſſet, cui Duces ſuos obviam mittit, qui à Temir Lanco vincuntur, ideo obſidionem ſolvit, & ipſe aſſumptis omnibus copiis in Aſiam progreditur. Habuit in exercitu trecenta millia equitum, & ducenta peditum. Concurritur ad Stellam montem, ubi quondam Pompejus Mithridatem vicerat acerrimo prælio: cadunt ex utraque parte plusquàm trecenta millia hominum, & *Bajazeth* vincitur fraude Tartarorum ſuorum evocatorum, qui in ipſa pugna, ſua ſigna ad Temir Cham transtulerunt, quod & fecerunt multi alii Principes, qui Bajazethem oderant: Solus Deſpota Serviæ fideliter genero Bajazethi adhæſit, qui poſtea fuga evaſit. Ipſe Bajazeth capitur, & ad Temir Cham deductus humaniter habetur. Dum verò animum victorias acerbiorem reddit, reſponſione inſolentiore, qua dixit, ſe ſi Temir Lancum ita cepiſſet, cavea ferrea incluſurum, ipſe caveæ includitur in qua per 4. annos ferè detentus fuit, donec ipſe mortem conſciſceret, capite ad caveam illiſo, cum contumeliam, quæ uxori inferebatur, quæ ferè ſeminuda aliis miniſtrare cogebatur, ferre non poſſet. *Iſſem* filius ex pugna elapſus, Pruſiam occupat, & re-

& regnat ibi annos ferè 4. Bajazeth regnarat annos 10. *Laonicus.*

Friſii iterum rebellant, quos etiam Wilhelmus iterum ſibi ſubjicit, & tandem dominus Friſiæ inauguratur Stauriæ. Suffr.

Albatorum ſecta mirabilis exoritur hoc anno. Quidam presbyter ex Alpibus deſcendens per anni trientem ad ſeptuaginta hominum millia congregat, omnes jubet veſtiri veſtibus lineis albis, velato capite facieque, qui ſub dio manentes peragrant ferè totam Italiam: deplorabant autem ſtatum Eccleſiæ, & ejus emendationem expoſcebant. Sed Papa Viterbii Presbyterum illum jubet capi, & examinari, quem etiam igne cremat, atque ita ſecta dilabitur. *Annal. Fland.*

Annus Indorum 1489. *& Hegira* 802. *incipit* 3. *Septembr. fer.* 4.

Heinricus filius Johannis Lancaſtri, exhæreditatus, à Baronibus Anglis revocatur, qui etiam Richardum regem capit, quem Barones ad perpetuos carceres damnant; Sed ipſe eum mori cogit, & inauguratur rex 13. Octob. vocaturq; *Heinricus IV.* regnatque annis 13 Richardus regnarat annos 22.

Antonius *filius Philippi Ducis Burgundiæ & Comitis Flandriæ, inauguratur Dux Brabantiæ* 14. *Dec. fer.* 3. *cui præfuit annis* 15. Siml.

ANNO MUNDI 5349. Poſt C. 1400.
D.C. ☉ 9. ☽ 14. *Ind.* 8.

Bonifacius Papa iterum agit annum Jubilæum, fuit Jubilæus quartus.

Temir Cham poſt captum *Bajazethen* vere appetente profectionem parat in Europam, ut ſi eam victoria peragraſſet, per Hiſpaniam in Mauritaniam trajiceret, ita ut totius terrarum orbis imperio occupato, in patriam reverteretur. Sed Indi ipſi bellum movent, ideò partem copiarum eò mittere cogitur, interim ipſe in Natolia, & aliis in locis componit. *Laon.*

Bellum Scotorum & Anglorum recrudeſcit. Heinricus in Scotiam irrumpit, hoſtes tamen non, ut potuiſſet, crudeliter vaſtavit. Sequenti anno Scoti in Angliam irrumpunt, & Northumbriam vaſtant, ſed prælio à rege vincuntur die 7. *Maji, in quo flos nobilitatis Scoticæ periit. David etiam regis Scotiæ filius, quod libidinoſius viveret, à patruo clanculum in carcerem conjicitur, & fame necatur.*

Wenceslaus ignavus ab Electoribus imperii Francofurti congregatis accuſatur & removetur, & in ejus locum eligitur *Fridericus* Dux Brunſuicenſis 25. Maji. Hunc oderat Epiſcopus Moguntinus & ipſi in alta pace domum revertenti inſidias ponit propè Fritzlariam, per Comitem Waldeccenſem, qui eum trucidat. Fratres Friderici cædem ulturi, cum magnis difficultatibus implicarentur, & tamen non multum efficerent, fide civium Brunſuicenſium ſublevati ſunt, pro quo beneficio *Brunſuicenſes αὐτονομίαν* & plenam in urbe jurisdictionem, privilegia, immunitates, & aliquod prædia conſecuti ſunt. *Chyt.* Electores igitur iterum convenientes, eligunt 20. Septembr. Imperatorem *Rupertum* Comitem Palatinum, qui præfuit imperio annis novem, menſibus ferè novem, coronatur autem 6. Januarii, ſequentis anni, Coloniæ, cum Aquisgranenſes eum recipere nollent. *Trithem.*

Annus Indorum 1490. *& Hegira* 803. *incipit* 22. *Aug. feriâ* 2.

Annus Nabonaſſaris 2149. *& Philippi* 1725. *incipit* 7. *Septembr. feriâ* 3.

Annus Alexandr. 1712. *Antioch.* 1449. *& Conſt.* 6909. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Iezdegird. 770. *incipit* 6. *Decembr. fer.* 2. *Armeniorum* 9. *Decembr. fer.* 5.

Heinricus de Haſſia canonicus Wormatienſis, & lector in Academia Viennenſi floret, fuit prolixus in ſuis lectionibus. *Trith.*

Gravis conſpiratio in Heinricum Angliæ regem facta, quam ipſe aſtu vitavit, & rebelles ſupplicio affecit. *Polyd.*

Hyems ingruit frigidiſſima & maria glacie concreta, qua occaſione uſi cruciferi in Boruſſia Moſcovitis bellum inferunt, & victores cum præda revertuntur. Annal. Fland.

ANNO MUNDI 5350. Poſt C. 1401.
B. ☉ 10. ☽ 15. *Ind.* 9.

Annus urbis 2153. *Julianus* 1446.
Æra Hiſpanica 1439. *Auguſtorum.* 1428.
Rupert. incipit annum 1. *Emanuel* 10.
Annus Gelali 319. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Rupertus Imper. cum ab Aquisgranenſibus ad coronationem non admiſſus eſſet, poſt coronationem Coloniæ factam eos publicè proſcribit, & res ſex annos tandem componitur. Trith.

Wenceslaus Imperator depoſitus nolebat civitatibus imperii juramentum ſibi factum remittere, ideò eædem civitates novo imperatori jurare non poterant: Soli Norinbergenſes, qui eum donarunt vino optimo, id conſecuti ſunt. Ideò Rupertus per Marchiones & Landgravios Thuringiæ bellum infert Wenceslao, & Praga obſidetur per ſeſquimenſem. *Spang.*

Olympias 543. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2177.

Annus Indorum 1491. *& Hegira* 804. *incipit die* 11. *Aug. fer.* 5.

Annus Diocletiani 1114. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Sigiſmundus Hungariæ rex Barones 32. rebelles ſibi in Hungaria occiderat, quapropter à ſubditis captus, viduæ cuidam, cujus maritum cum reliquis occiderat, captivus datur, ut ſervetur, donec ordines regni de ejus ſupplicio ſtatuant, ſed Sigiſmundus perſuadet viduæ, ut dimittatur, quo facto recuperat regnum, & viduæ filios ad ſummos honores promovet. *Æneas Syl.*

Rupertus Imperator in Italiam expeditionem molitur, ſed cum plurimi principes id diſſuaderent, quòd Germania nondum pacata eſſet, eam omiſit. Av.

Cracovienſis Academia ex teſtamento Hedvvigis reginæ & liberalitate regis conditur. Eriguntur duo collegia, alterum Philoſophorum & Theologorum, alterum Juriſconſultorum & Medicorum accerſuntur Magiſtri ex Academia Pragenſi. *Hiſtor. Polon.*

Cum Wallenſes in Anglia ad defectionem ſpectarent, & res contra eos jam profectus eſſet, ſubitò quidam Comites conſpirant, & magno exercitu contra regem proficiſcuntur, quibus rex obviam venit, relictis Wallenſibus, & ſtrenuè propugnando eos vincit. *Polyd.*

Maria uxor Wilhelmi Ducis Juliacenſis, mater Wilhelmi & Reinaldi, Ducum Geldriæ, moritur, atque ita Ducatus Juliacenſis devolvitur ad Wilhelmum Ducem Geldriæ. Chron. Belg.

ANNO

ANNO MUNDI 5351. Poſt C. 1402.
A. ☉ 11. ☽ 16. *Ind.* 10.

Wilhelmus Dux Geldriæ & Juliacenſis, & Comes Zutphaniæ, moritur abſq; liberis die 16. Febr. cum Ducatum adminiſtraſſet annis 24. Succedit ipſi frater *Reinaldus*, qui præfuit annis 22. *Chr. Belg.*

Bajazeth. in cavea habitus, cum Temir Cham ſive Lanco, quoties equum conſcenderet, ſcabelli loco fuiſſet, & vinctis poſt tergum manibus oſſa & micas cum canibus ſub menſa Temiri vorantibus ore & dentibus roſiſſet, conjux verò, filia Lazari Deſpotæ, ſeminuda potum miniſtraſſet, non amplius ferens ignominiam & miſerias, caput ferreæ caveæ illiſit, & mortuus eſt circa finem anni Heg. 804. *Ann. Turc.*

Annus Indorum 1492. *& Hegira* 805. *incipit* 1. *Auguſt. fer.* 3.

Froſſardus, qui hiſtoriam Franciæ ſcripſit, hoc tempore claret. *Trith.*

ANNO MUNDI 5352. Poſt C. 1403.
G. ☉ 12. ☾ 17. *Ind.* 11.

Soleiman, alter filius Bajazethis, collegerat exercitum in Europa, & bellum facit fratri Iſſem, ipſumque ſequitur in Aſiam, ubi eum vincit & trucidat, cum ferè quatuor annos regnaſſet, ut *Laonicus* habet, ſ. de eodem tempore *Muſa* tertius frater, à Temir Cham, ubi cum patre captus fuerat, dimiſſus in Aſiam venit, & quoscunq; poteſt Soleimanno hoſtes facit, ſibiq; exercitum parat. Proficiſcitur etiam ad *Lazarum* Serviæ Deſpotam, avum maternum, eumq; inſtigat ad bellum ſecum ſuſcipiendum, promiſſis multis muneribus, & obtinet auxilia, venitque Adrianopolin, ubi rex conſtituitur. Inde cum fratre Soleimanno propè Conſtantinopolin pugnat eumq; vincit. Sed Soleiman victus cum quingentis ferè ſe abſcondit propè Conſtantinopolin; inde fratris *Muſa* caſtra irrumpit, ea occupat, & Muſam revertentem rejicit, qui deſertus â militibus fugit, & Soleiman Adrianop. aliaq; loca recuperat, regnatque annos 7. donec in odium veniret. *Laon.*

Rupertus *Florentinorum & Pontificis Romani literis aſſiduè ſollicitatus, ad deprimendam Vicecomitis* Galeacii *potentiam, in Italiam venit. Se à Vicecomite modica clade in agro Brixiano affectus, cum nec Florentinorum, nec Pontificis auxilia acciperet, in Germaniam rediit.* Cuſpin.

Annus Indorum 1493. *& Hegira* 806. *incipit* 21. *Jul. feriâ.* 7.

Wilhelmus *Dux Montenſis ex inſidiis à filio captus, in captivitatem adductus fuiſſet, niſi aſtu iterum ab Epiſcopo Colonienſi ereptus fuiſſet.* Trith.

Luxus immodicus, & ſuperbia clericorum faciunt, ut *Huſſus* Pragæ in Bohemia, & alii inquirerent de Principatu in Eccleſia, unde hujusmodi diſputationes ortæ, quibus irritati Romanenſes articulos Withclefi quadraginta quinq; publicè condemnarunt. *Hiſt. Bohem.*

Antverpia, cum hactenus fuiſſet in ditione Comitum Flandrenſium, abſque titulo Marchionatus, pervenit ad Brabantiæ Duces cum titulo Marchionatus. *Scriban.*

Ceti octo ad Oſtendam die 12. Novembris capiuntur, cum æſtu maris deſtituerentur, longitudinis ſeptuaginta pedum. Ex ſingulis vaſa pinguedinis viginti quinque collecta. Sequenti anno etiam major adhuc captus. *Annal. Fland.*

Mulier aquatica ſive marina capitur in lacu Purmerio ab Emdenſibus, nuda & muta, quæ Harlemum miſſa didicit veſtes induere, item nere, etiam edere panem & lacticinia, *honorem etiam exhibere Mariæ virgini.* Annal. Fland.

Duo Studioſi Lutetiæ ſtrangulantur, quos præfectus urbis ipſe de patibulo ſolvere, & oſculari coactus eſt. Annal. Fland.

ANNO MUNDI 5353. Poſt C. 1404.
F.E. ☉ 13. ☽ 18. *Ind.* 12.

Temir Lancus, qui ab exiguo initio ad res maximas pervenerat, moritur relictis duobus filiis, tanti imperii ſucceſſoribus, & tot regnorum & provinciarum hæredibus, qui dum odiis & bello inteſtino digladiantur, eadem facilitate tot regna amittunt, qua parens ea ſibi acquiſiverat. *Vita Temir.*

Philippus Audax, Dux Burgundiæ & Flandriæ Comes, cum præfuiſſet Burgundiæ annis 41. Flandriæ annis 19. moritur die 26. Aprilis: Succedit filius Johannes, qui præeſt annis 15. *Annal. Fland.*

Auguſtæ *Vindelicorum die* 8. *Maji decretum factum ne domus amplius vel ſtramine vel ſcandulis tegerentur, ſed tegulis aut imbricibus.* Annal. Suev.

Margaretha Duciſſa Burgundiæ filium ſuum Antonium Ducem Brabantiæ facit die 19. Maji, quæ præfuit annis 15. filius verò præeſt annis 13. *Chron. Belg.*

Annus Indorum 1494. *& Hegira* 807. *incipit* 9. *Julii, fer.* 4.

Annus ſabbathicus 2. *Jobelei* 28. *incipit* 27. *Aug. fer.* 5. *Anno Jud.* 5166.

Annus Nabonaſſaris 2153. *& Philippi* 1729. *incipit* 6. *Sept. fer.* 7.

Annus Alexandr. 1716. *Antioch.* 1453. *& Conſtantinop.* 6913. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdeg. 774. *incipit* 4. *Decembr. fer.* 6. *Armen.* 854. 8. *Decemb. fer.* 2.

Bonifacius IV. Papa, cum ſediſſet annos ferè undecim, moritur die primo Octob. Succedit ipſi Coſmatus Melioratus Sulmonenſis, qui eligitur 17. Octob. vocaturque *Innocentius VII.* ſeditque annos duos. Cum eſſet eligendus hic Pontifex, Cardinales omnes ſimul jurarunt coram plurimis teſtibus & notariis, ſi quiſpiam ex ſe Pontifex eligeretur, ut curaret abolere ſchiſma, etiam ſi abeundum eſſet Pontificatu. Sed poſtea hic Benedictus à Romanis admonitus de tollendo ſchiſmate, undecim eorum præſtantiſſimos ſtatim necavit, eque feneſtra dejecit. Hic etiam ſeditione Ladiſlai Apuliæ regis ſequenti anno exagitatus, Roma excedit & Viterbii ſedem locat. *Palm.*

Albertus *Dux Bavariæ & Comes Hollandiæ, cum Comitatui præfuiſſet annis* 46. *annis ſcilicet* 19. *vivente fratre, & annis* 27. *per ſe, moritur die* 13. *Dec. Succedit filius* Wilhelmus, *qui duxit* Margaritam, *filiam Philippi Ducis Burgundiæ.* Suffr.

ANNO MUNDI 5354. Poſt C. 1405.
D. ☉ 14. ☽ 19. *Ind.* 13.

Annus urbis 2157. *Julianus* 1450.
Æra Hiſpan. 1443. *Auguſtorum.* 1432.
Rupertus imp. inchoat annum 5. *Emmanuel* 14.
Annus Neurutz Gelali 326. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Adolphus *Dux Montenſis tam patrem quam matrem Ducatu ejicit, qui ad Imp. profecti conquerentes de hac injuria, efficiunt, ut filius proſcribetur.* Trith.

Johannes *Dux Burgundiæ in Flandriam venit, & inauguratur Comes Flandriæ Gandavi, die* 21. *Aprilis, feria tertia paſch.* Ann. Fland.

Annus Indorum 1495. *& Hegira* 808. *incipit* 29. *Junii, fer.* 2.

Olympias 545. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2181.

Annus Diocletiani 1122. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Wilhelmus Comes Hollandiæ Johannem de Arckel atrociſſimè perſequitur, ejusq; urbes expugnat & tandem eum poſt biennium tota ditione pellit; qui profugus ad Geldriæ Ducem, ipſi urbem Gorichemenſem reſignat, & alia oppida ab ipſo recipi. *Suffrid.*

Veneti potiuntur Patavio die 23. Novemb. cum paulo ante Veronam etiam occupaſſet, & *Scaligeros* ejeciſſent *Carcarius* Dominus Patavii in carcere ſtrangulatur. *Juſtin.*

ANNO MUNDI 5355. Poſt C. 1406.
C. ☉ 15. ☽ 1. *Ind.* 14.

Robertus Scotiæ rex certior factus de filio ſuo ab Anglis capto, & ad regem Galliæ miſſo, mœrore animi moritur die 17. Martii, cum regnaſſet annos 16. Succedit ipſi filius *Jacobus*, captivus apud regem Galliæ, qui regnat annis 31. Interim donec in regnum veniret, Prorex fuit patruus. *Buch.*

Circa Paſcha Nobiles quidam, quòd à Moguntinis civibus multis injuriis afficerentur, clam conſpirant, & in urbem noctu, ut amici admittuntur, ubi infinitis malis Moguntinos affecerunt. Trith.

Balthaſar Marchio Thuringiæ, cum ſuperiori anno generalem exactionem in terris ſuis inſtituiſſet, in ſingula capita duodenarium, moritur hoc anno die 18. Maji, ſuccedit *Fridericus* filius, qui præfuit annis 34.

Eclipſis Lunæ annotatur in Chronico Belgico die 1. *Junii. Ea facta eſt nocte, quæ ſecuta eſt diem primum Junii, hora prima poſt mediam noctem fer.* 4. *ineunte. Latitudo vera Auſtr.* 31. 3. *Semidiameter Lunæ* 16. 8. *ſcrup. reſidua* 28. 18. *digiti eclipt.* 10. 31. *Sol in gradu* 19. *Geminorum.*

Eodem loco annotatur etiam eclipſis Solis tanta, ut alter alterum vix dignoſcere potuerit, quæ facta eſt die 16. *Junii, fer.* 4. *horis* 6. *& unico minuto poſt mediam noctem ubi parallaxis* 41. 53. *Latitudo vera Septent.* 39. 59. *Viſa* 1. 54. *Semidiam. Solis* 15. 0. *ſcrup. reſid.* 29. 5. *digiti* 11. 38. *Sol in* 2. 30. *Cancri.*

Annus Indor. 1496. *& Hegir.* 809. *incipit* 18. *Junii, fer.* 6.

Carolus VI. Francorum rex anno regni 26. die 11. Septembr. Pariſiis in generali Parlamento decernit, Annatas & primitias proventum Eccleſiaſticorum è regno Galliæ non exportandas, & ſi Papa ob id aliquos excommunicare velit, eos hoc ipſo decreto ab excommunicatione eſſe abſolutos. *Conſt. Imp.*

Innocentius VII. Papa, cum ſediſſet annos duos, & dies 32. moritur die 6. Novemb. ſuccedit Angelus Corrarius Venetus, die 30. Novembr. qui vocatus eſt *Gregorius XII.* ſeditque annos decem. Jurarat hic ſumma cum execratione, ſe concordiæ cauſa Pontificatum depoſiturum, ſi Antipapa idem faceret, quod tamen in Concilo Piſano poſt facere noluit. *Platin.*

Heinricus *Caſtellæ rex moritur die* 25. *Dec. cum regnaſſet annis ſedecim, menſibus ferè tribus; ſuccedit filius* Johannes *bimulus, qui regnavit annos* 48. Marian.

Fridericus *Burggravius Norinberg. hoc & ſequenti anno Rotenburgum Franciæ fruſtrà obſidet.* Func.

ANNO MUNDI 5356. Poſt C. 1407.
B. ☉ 16. ☽ 2. *Ind.* 15.

Cum ſuperiori anno inter Mauros & Caſtellæ regem certatum eſſet nocturno prælio, & Caſtellanus vix pares tuliſſet, bellum id hoc anno renaſcitur, ſed diſſimili eventu Mauri enim & terra mari vincuntur, & oppida quædam eis eripiuntur. Marian.

Annus Indorum 1497. *& Hegira* 810. *incipit* 7. *Junii, fer.* 3.

Ingens *Leodii* exoritur ſeditio, in qua Conſules & primores alii, qui conſpirationi intereſſe nolebant, interfecti ſunt & Epiſcopus cum clero urbe ejectus: Epiſcopus igitur vicinorum principum auxilia implorat. Leodienſes interim Trajectum obſident diebus 113. & die ſabbathi 22. Septemb. Leodium re infecta redeunt. Epiſcopus verò ſequenti anno, accitis auxiliis, quorum præcipua erant Wilhelmi Hollandiæ, Seelandiæ & Hannoniæ Ducis: item Ducis Burgundiæ, & aliorum Comitum ac Baronum, bello Leodienſes invadit, prælioque vincit die 23. Sept. feria prima, in qua ceciderunt ad 23. millia Leodienſium: ipſi Leodienſes ſeſe poſt biduum dedunt, privilegia ipſis adimuntur, & ſocietatum vexilla comburuntur, ſupplicio capitis afficiuntur centum & quadraginta ſeptem, pecuniam ſolvunt ducenta & viginti millia coronatorum. *Chr. Belg.*

Reinaldus *Dux Geldriæ accipit in feudum ab Antonio Brabantiæ Duce Gravam urbem, die* 23. *Octob.*

Johannes Burgundiæ Dux, Aurelianum Ducem patrueſem, quod conjugem de ſtupro appellaſſet, curat interfici die 22. Novemb. feria 3. hora octava veſperi, Lutetiæ, & ſequenti anno die 8. Martii Burgundus cum exercitu in Gallias venit, coram rege cauſam cædis dicit, & abſolvitur. *Annal. Fland.*

ANNO MUNDI 5357. Poſt C. 1408.
A. G. ☉ 17. ☽ 3. *Ind.* 1.

Fridericus *Burggravius Norimbergenſis iterum auxilia adducit Epiſcopo Herbipolenſi, & Rotenburgum obſidet magna vi.* Trith.

Pontifex Gregorius mandat ſuis Cardinalibus, ne cum Gallicis Cardinalibus de unione Eccleſiæ faciendæ tractent, ſub pœna depoſitionis. Cardinales contra, quod juraſſent, ſe unioni Eccleſiæ operam daturos, neglecto Pontificis mandato Piſas abeunt, provocantq; à Pontifice ad generale concilium. Paſquillus tum oſtio confeſſarii Papæ afflixus fuit, in qua Sathanas Papam abſolvit à juramento, quod dederat de deponendo Pontificatu, ſi ita concilio videretur. Incipit autem his verbis: *Sathanas regnorum Acherontis Imperator, tenebrarũ rex, perditionis Dux, ſuperbiæ Princeps, omnium damnatorum æternus comes, fideliſſimo dilecto noſtro Gregorio, &c.*

Ladislaus Apuliæ rex occupat Romam cum Capitolio, ſed dum molem Adriani obſidet, inde pellitur à Paulo Urſino, Pontificis Duce, & Roma iterum pellitur. *Plat.*

Potentia Bohemorum in Academia Pragenſi *creſcit, & ad opprimendas alias nationes ſibi vires acquirit, connivente ad omnia Wenceslao rege ignavo.* Æneas

Annus

Annus Indorum 1498. *& Hegira* 811. *incipit* 27. *Maji, fer.* 1.

Annus Nabonaſſaris 2157. *& Philippi* 1733. *incipit die* 5. *Septemb. fer.* 4.

Annus Alexandr. 1720. *Antioch.* 1457. *& Conſtantinop.* 6917. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdeg. 778. *incipit* 4. *Decembr. fer.* 3. *Armen.* 858. 7. *Decemb. fer.* 6.

Fridericus Landgravius Thuringiæ, Balthaſaris filius, conjugem ducit Comitis Suartzburgenſis filiam, & totum ſe addicit ſocero, ita ut ipſi omnem gubernationem committeret; unde factum ut abalienaretur à patruis, & res ad bellum ſpectare inciperet. *Fab.*

ANNO MUNDI 5358. Poſt C. 1409.
F. ☉ 18. ☾ 4. *Ind.* 2.

Annus urbis 2161. *Julianus* 1454.
Æra Hiſpanica 1447. *Auguſtorum* 1436.

Rupertus inchoat annum 9. *Emanuel* 18.

Gelali annus 330 *incipit cum Æquinoctio verno.*

Cardinales, qui diſceſſerant à Pontifice Romano, indicunt hoc anno concilium celebrandum Piſis, menſe Junio. *Gregorius* Papa itidem eodem tempore indicit concilium: Idem facit *Benedictus* in Galliis. Ideo Imp. Comitia celebrat Francofurti, ubi de hiſce conciliis deliberat, ne Chriſtiana Eccleſia quorundam malitiâ jam fœdè laceraretur. Aderant etiam Pontificum & Cardinalium legati, qui Cæſarem in ſuas partes flectere conabantur. Verùm *Rupertus* totum negotium ad futurum concilium rejicit: Interim omnes adhortatur ad pietatem & concordiam. Nihilominus tamen Cardinales, qui videbantur Eccleſiæ concordiam ſpectare pergunt ſuo concilio Piſis, & deponunt ſuâ ſententiâ ambos Pontifices, & die 26. Junii eligunt *Petrum* Cardinalem, obſcuro genere ortum, & jam nonagenarium, quem appellant *Alexandrum V.* quem conſecrant die 7. Julii, fer. 1. qui ſedet menſes tantùm decem. Hic adeò liberalis fuit, ut diceret, ſe divitem Epiſcopum fuiſſe, pauperem Cardinalem, & jam Pontificem mendicum. *Plat.*

Eclipſis Solis annotatur hoc anno, quæ facta eſt die 15. *Aprilis fer.* 2. *hora* 3. *poſt meridiem ferè; defuit enim tantùm unicum minutum &* 26. *ſecund. Parall. latitud.* 23,0. *Latitudo vera* 25,34. *Viſa* 2, 34. *ſemid. Solis* 15. 46. *ſcrup. reſid.* 27,34. *digiti* 10, 48. *Sol in* 3. *gradu &* 48. *min. Tauri.*

Annus Indorum 1499. *& Hegira* 812. *incipit* 16. *Maji, fer.* 5.

Sigiſmundus *rex Hungariæ pro Senderoviâ in ripâ Danubii à Turcis magnâ clade afficitur, vix ſalvus ipſe ultra Danubium evadit.* Cuſp.

Martinus *rex Siciliæ, Calaribus in Sardiniâ, dum Sardos rebellantes vincit, moritur: ſuccedit ipſi ſocer Martinus rex Aragoniæ, qui regna Aragoniæ, Siciliæ & Sardiniæ conjunxit.* Marian.

Invaleſcente Huſſiticâ doctrinâ Pragæ apud Bohemos, reliquæ nationes Pontifici Romano addictæ Pragâ diſcedunt magno numero; ita factum, ut multi etiam confluerunt Lipſiam, quos Fridericus *Marchio Miſnenſis hoſpitio excipit, & ſtatim animum ad erigendam* Academiam *adjicit, cui privilegia impetrat à nuper creato Pontifice Alexandro V. atque ita, præſente Marchione & fratre ejus* Wilhelmo, *introducta eſt hoc anno, die* 2. *Decembr. fer.* 2. *poſt primam Dominicam Adventûs.*

ANNO MUNDI 5359. Poſt C. 1410.
E. ☉ 19. ☽ 5. *Ind.* 3.

Wilhelmus *frater Fridericus Marchionis Miſnēſis, oppignoratum accipit Marchionatum Brandeburgenſem à Jodoco Marchione Moraviæ; ſed cùm ille Jodocus paulo pòſt moreretur, & Sigiſmundus ejus hæres eſſet, Marchionatum à* Wilhelmo *redemit, & poſtea cum Friderico Burggravio Norinbergenſi vendidit. Cauſam addunt* Sabinus & Fabritius, *ne in unâ familiâ bini Electores eſſent: Sed ſtare hæc ratio non poteſt, cùm dignitas Electoralis ad Marchiones Miſniæ non perveneriti, niſi poſt annos ferè quatuor decim, & Electoratus Brandeburgenſis poſt biennium ferè Friderico datus, & poſtea in concilio Conſtantienſi ſolenniter confirmatus ſit, cùm Elector Saxoniæ Rudolphus, cum ſuis filiis & fratre adhuc viveret & floreret.*

Alexander *V.* Papa, cùm ſediſſet menſes 10. moritur die 3. Maji, fer. 7. Bononiæ, quo ſedem aulæ tranſtulerat: Succedit ipſi Balthaſar Coſſa Neapolitanus, die 25. Maji, qui nominari voluit *Johannes XXIII.* qui ſedit annos 5. *Meretrices* tum, quæ ſequebanrur aulam Pontificis, Bononiæ ſingulæ ſolvebant Pontifici quotannis trecentos aureos. At Johannes Papa non diu Bononiæ manſit, ſed cùm Gregorius XII. qui ſub protectione Caroli de Malateſtâ ſederat Romæ, inde diſcederet Ariminum; Johannes pacem init cum rege Siciliæ, & Romam proficiſcitur. Benedictus verò XIII. ex Galliis recepit ſe in regnum Aragoniæ. *Chron. Belg*

Annus Indorum 1500. *& Hegira* 813. *incipit* 6. *Maji, fer* 3.

Rupertus *Imperator, cùm præfuiſſet annis* 9. *& menſibus* 9. *moritur Oppenheimii,* 18. *Maji, ſepelitur Heidelbergæ: ſuccedit ipſi in Electoratu* Ludovicus *filius, cognomine Barbatus, qui præfuit annis* 27. *in Imperio autem ſucceſſit* Jodocus *Marchio Moraviæ, ineptus ad res gerendas, ut* Sylvius *habet; præfuit tantum quinque menſibus. Extat ejus conſtitutio, quæ eſt,* Quòd Status Imperii Imperatori ipſi reſiſtere poſſint, ſi contra ordinationes Imperii fecerit, abſque ullo crimine rebellionis & infidelitatis. *Goldaſt.*

Mauricum bellum inſtauratur in Hiſpaniâ, Antequera *urbs obſidetur à noſtris menſe Majo, ubi prælio commiſſo Mauri vincuntur, quindecim millibus occiſis, oppidum capitur die* 16. *Septembr. & arx etiam deditur, cives alio migrare juſſi.* Marian.

Martinus Aragoniæ rex moritur die ultimo Maji, ipſe ultimus ex Barcinonenſium Comitum proſapiâ, quæ in ſexcenteſimum annum propagata erat. Multi tum ambibant regnum Aragoniæ & Siciliæ: Igitur proceres, ne bellum excitetur, conveniunt, & vota de rege eligendo quiſque ſua Notariis offeruntur, & poſtea ab iiſdem repetunt die 28. Junii, & numerant, pronunciantque *Ferdinandum*, infantem Caſtellæ, regem Aragoniæ: qui coronatur 3. Sept. feriâ 7. Cæterum ſi characteres electi Ferdinandi ſpectes, electus eſt poſt biennium, anno 1412. Cyclo Solis 21. *Marian.*

Albertus *Archidux Auſtriæ, remotis tutoribus ipſe Archiducatum regendum ſuſcipit, ingrediturque Viennam die* 6. *Junii, cùm vix quindecim annos eſſet natus.* Cuſpin.

Cruciferi in Boruſſia, cùm quoquo modo ditiones ſuas amplificare conarentur, & Polonis regiones eri-

 pere,

pere, bellum tandem Polonis inferunt, & acerrimè cum ipſis ingrediuntur propè Mariaburgum; ſed vincuntur magnâ clade, cæſis in quinquaginta millia, captis quatuordecim millibus, facta clades 13. Julii. Eodem anno, die 10. Octobris iterum prælio vincuntur, perierunt ad decem millia, quibus cladibus ita attriti ſunt, ut criſtas deponerent: ſequenti anno facta pax. Hiſt. Pol.

Soleiman *rex Turcicus ſeſe Hadrianopoli voluptatibus dederat, & eâ de causâ in odium venerat: quapropter à militibus deſeritur, qui ad* Muſam *fratrem Soleimani defecerunt. Soleiman deſertus à fratre capitur & trucidatur, cum ſeptem annis regnâſſet: Muſa verò retinet regnum annis tribus.* Annal. Turc.

Withcleffi, Huſſi, Milizii, Matthiæ Pariſienſis, & Hieronymi Pragenſis libri manu ſcripti in curiâ Epiſcopali Pragæ comburuntur, ob quam rem ſeditio exorta eſt, quæ tamen ſtatim ſedata fuit. Eodem hoc anno Huſſus cauſam ſuam per legatos Romæ agit, & excommunicatur. *Hiſt. Bohem.*

Auguſtæ *Vindelicorum aquaductus hoc anno ædificatus eſt.* Chron. Aug.

Petrus de Anchorano Italus multa ſcripſit in jure. Hic hoc tempore floret. *Trith.*

ANNO MUNDI 5360. Poſt C. 1411.
D. ☉ 20. ☽ 6. Ind. 4.

Poſt mortem Marchionis Moraviæ Imper. Electores conveniunt, eliguntque communi ſuffragio Sigiſmundum, *filium Caroli quarti Imperatoris, regem Hungariæ, die 20. Martii, qui imperavit annis 27. pace bonus princeps, ſed in præliis ferè infelix.* Cuſp.

Monachi Montolivienſes inſtituuntur, cùm ſedes Romana jam triceps facta eſſet, qui uſi ſunt candido amictu. *Polyd.*

Annus Indorum 1501. *& Hegira* 814. *incipit die* 25. *April. feriâ* 7.

Aurelianenſes *fratres in Galliis Burgundo bellum indicant, qui fortiſſimo exercitu contra eos inſtructus proficiſcitur, impeditur tamen ſeditione militum à rebus gerendis: attamen tandem obtinet victoriam.* Annal. Fland.

Muſa Turcarum rex, iratus Conſtantinopolitanis, quòd fratrem Soleimanum juviſſent, Conſtantinopolitanum Imp. obſidet. Sed Emanuel frater nothus Imper. feliciter claſſe cum Turcis pugnat & vincit; poſtea tamen ex invidiâ in carcerem conjicitur, in quo detentus eſt annis 17. Imp. verò, cùm Muſa obſidionem non ſolveret, in Aſiam mittit ad Soleimani filium Orchanem adducendum, ſed Muſa & hunc intercipit & ſtrangulat. Minimus autem Bajazethis filius apud Græcos baptizatus eſt, & ibi defunctus. Muſa verò rex obſidionem ſolvit. *Laon.*

Friſii ſuo principi Comiti Hollandiæ rebellant, & captâ urbe Stauriâ, præfectum trucidant, & expulſis Hollandis ſe in libertatem vindicant. *Chron. Traj.*

Petrus Dreſdenſis, qui primus Pragæ mutationem cœnæ Dominicæ impugnavit, in Miſniam venit, regitque ſcholas, *Miſnenſem*, & pòſt *Chemnicenſem & Zwiccavienſem.* Hic cantica Natalitia compoſuiſſe fertur, in quibus Latina ſunt miſta Germanicis: Ut puer natus in Bethlehem, In dulci jubilo, &c. *Fab.*

ANNO MUNDI 5361. Poſt C. 1412.
C.B. ☉ 21. ☽ 7. Ind. 5.

Annus Indorum 1502. *& Hegira* 815. *incipit* 14. *April. fer.* 4.

Muhamed, *penultimus filius Bajazethis, ne interficeretur à fratribus, in pueritiâ juſſu tutoris ſui artificium faciendarum chordarum didicerat: jam cum adoleviſſet, exercitum contrahit in Carmaniâ, & tandem Aſiæ imperium invadit; inde fœdus facit cum Imperatore Conſtantinopolitano, & trajicit in Traciam, ubi vincitur à Muſâ, quapropter refugit Conſtantinopolin, & inde in Aſiam. Muſa inſecutus cum fuiſſet, ſed impeditur à Conſtantinopolitanis, qui omnes portus præſidiis firmaverant.* Laon.

Sigiſmundus Imperator mittit Fridericum Marchionem Olnozbaccenſem in Marchiam Brandeburgenſem, hâc poteſtate, ut omnes vaſalli & civitates ipſi tanquam ſupremo proviſori & advocato Marchiæ homagium facerent. Id quod & factum eſt ab omnibus exceptis paucis nobilibus, quibus vis adhibita. *Chr. Cizens.*

Bellum, *quod videbatur futurum inter patrueles Landgravios Thuringiæ, autore Suarceburgio, componitur comitate & prudentiâ Friderici Marchionis: ſed aliud excitatur à Comitibus Mansfeldenſibus, in quo caſtrum Heldrungenſe pervenit ad Comites Honſteinenſes.* Spang.

Annus Nabonaſſaris 2161. *& Philippi* 1737. *incipit die* 4. *Septemb. fer.* 1.

Annus ſabbathicus tertius Jobelei 28. *incipit* 8. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 5173.

Alexandrans 1724. *& Antioch.* 1461. *& Conſtantinopol.* 6921. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Jezdegird. 782. *incipit* 3. *Decembr. feriâ* 7.

Armen. 862. 6. *Decembr. fer.* 3.

Aurelianenſes *fratres, impares Burgundo & regi Galliæ, fœdus faciunt cum rege Angliæ; ſed & hoc modo vincuntur, ideò pax facta.* Annal. Fland.

ANNO MUNDI 5362. Poſt C. 1413.
A. ☉ 22. ☽ 8. *Ind.* 6.

Annus urbis 2165. *Julianus* 1458.

Æra Hiſpanica 1451. *Auguſtorum* 1440.

Sigiſmundus inchoat annum imp. 3. *Emanuel* 22.

Gelali annus 334. *cum Æquinoctio verno.*

Johannes Papa, & rex Siciliæ conſilium ineunt de oppugnando Ladiſlao rege Neapolitano. Ladiſlaus contra Romam aſtu capit, & Pontificem Florentiam fugat. Pontifex in anguſtias redactus, crucem prædicare jubet contra Ladiſlaum, & legatos ad Imperatorem Sigiſmundum mittit, qui orent, ut generale concilium indicat, *Huſſus* verò Pragæ, & voce & calamo & diſputatione impugnat conatum Pontificis, qui hoſtes ſuos, non Eccleſiæ, militibus ſacratis pellere conetur. *Chron. Belg.*

Annus Indorum 1503. *& Hegira* [illegible]6. *incipit* 3. *April. fer.* 2.

Heinricus IV. *rex Angliæ, cùm regnâſſet annis* 14. *moritur ſtatim in initio anni: Succedit ipſi filius* Heinricus V. *qui coronatur die nono Aprilis, regnatque annos novem, menſes* 5. Polyd.

Seditio ingens Lutetiæ excitatur autore Johanne Burgundo, in quâ laniorũ duodecim millia in albis pileis capiunt præfectum, & primores urbis. Sed cum hoc modo & rex in periculum veniſſet, iraſcens Burgundo

ab

ab ipſo deficit ad Aurelianenſes, ideò Burgundus ſibi metuens ex Galliâ diſcedit. Annal. Fland.

Muhamed *priore anno victus exercitum reparat, & venit iterum in Europam; ibi priusquam acie congrederentur, Chaſanes ſocius Muſa regis ad Muhamedem transfugere conatur. Muſa verò hoc videns, transfugam occidere conatur, ſed à miniſtro Chaſanis herum tutante, manu truncatur, quo conſpecto Turca eum repudiant, & ad Muhamedem transeunt, qui fratrem Muſam laqueo ſtrangulat, cùm annos tres & menſes ſex regnâſſet & Muhamed regnat annos* 8.

Olympias 547. *incipit in Julio. Anno Olympiadico* 2189.

Annus Diocletiani 1130. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Caramaniæ *princeps, dum fratres inter ſe digladiantur, Pruſiam urbem capit, & igne cremat. Sed cùm Muhamed fratris Muſa cadaver eò ſepeliendum mitteret, Caramania princeps nondum captâ arce diſcedit. Muhamed igitur injuriam ulciſcens, tres urbes Caramanno, & magnam partem provinciæ extorquet, & filium Muſa Muſtapham Nicæam mittit, ubi privatus vivat.* Annal. Turc.

Papa Johannes interdicit Pragenſibus ſacra, uſque dum Huſſum exturbarent atque ejicerent, qui ſponte Pragâ diſcedit, & ad Nicolaum Huſſenicum ſe confert, à quo in arce Krakovetz defenditur. *Hiſt. Bohem.*

ANNO MUNDI 5363. Poſt C. 1414.
G. ☉ 23. ☽ 9. Ind. 7.

Burgundus *cum exercitu Lutetias proficiſcitur ſtatim in Januario, ſed non recipitur in urbem. Rex verò copias colligit contra Burgundum, & Sueſſionem urbem inſignem capit, diripit, & incendit die* 21. *Maji. Atrebatum obſidet, ubi cùm exercitus regius dyſenteriâ conflictaretur, pax facta.* Annal. Fland.

Ferdinandus *tandem inauguratur rex Aragonia, die* 9. *Februarii; inde cum Benedictus XIII. adveniſſet, totu quinquaginta diebus cum ipſo egit, ut Pontificatum poneret, Eccleſia causâ, ſed nihil impetrare potuit.* Mariana.

Annus Indorum 1504. *& Hegira* 817. *incipit* 23. *Martii, fer.* 6.

Ladislaus *rex Neapolitanus moritur die* 6. *Auguſti, veneno, ut fama erat; ſalutatur regina, ſoror ejus* Johanna *vidua, qua nupſit Jacobo Borbonio.* Marian.

Concilium Conſtantienſe maximum & generale indictum, quod celebraretur menſe Octob. Convenerunt peregrini ad ſexaginta millia hominum: Papa ipſe Johannes venit menſe Octobr. & paulò pòſt Imperator. Johannes Huſs eò acceſſit 3. Novemb. Imperator, ut omnia ordine gererentur, totum Concilium diſtribuit in quinque nationes, in Italos, Gallos, Anglos, Hiſpanos, & Germanos, quæ ſingulæ elegerunt ſuum prælatum, qui negotia Concilii tractaret, id quod Papæ & Cardinalibus adeò diſplicuit, ut de deſerendo Concilio cogitarent. *Chr. Belg.*

Petrus de Aliaco Epiſcopus & Cardinalis Cameracenſis, inſignis Mathematicus & Hiſtoricus, præter alia, quæ de Clericorum vitiis emendanda cenſuit, ſtatim in initio Concilii propoſuit emendationem *Calendarii*, hâc formâ, *ut termini Paſchales ad æquinoctium vernum revocentur*, eòque res perducta fuit, ut Bulla de hâc re conformaretur, quæ publicanda eſſet: ſed propter perturbatiſſimum ſtatum res peragi non potuit. Factum tamen inde eſt, ut ſubinde Pontifices de emendatione Calendarii conſilia agitarent, donec id perfecit tandem Gregorius XIII. ſed non adeò feliciter.

ANNO MUNDI 5364. Poſt C. 1415.
F. ☉ 24. ☽ 10. *Ind.* 8.

Æra Hiſpanica hoc anno etiam in Luſitaniâ antiquata eſt, cum deſiiſſet in aliis Hiſpania locis. Uſi aliàs fuerant Hiſpani hac ærâ annis 1441. *& jam demum annis æra Chriſtiana uti cœperunt.* Marian.

Papa Johannes die 2. Martii Conſtantiæ, cùm Miſſam celebraret, promittit ſe Pontificatu abiturum, ſed ſimulavit hæc. Egit enim cum Friderico Auſtriaco, ut ſe concilio ſubducere velit, id quod factum eſt 20. Martii: ſed Helvetii, inprimis Tirungini, ſuaſu Patrum in Concilio, Papam & Fridericũ perſequuntur, & opimis feudis ob id ab Imperatore donantur, atque ita retrahitur Papa ex fugâ. Inde die 26. Martii poſt palmas publicè pronunciatur, Concilium hoc eſſe legitimè congregatum, nec fugâ Pontificis diſſolutum, & die 2. Martii citatur Papa Johannes, & accuſatur graviſſimorum ſcelerum, & Pontificatu deponitur, & carceri mancipatur die 31. Maji. *Gregorius* autem Papa Ariminiꝫ, ne idem ſibi accidat, per legatos ſuos ſeſe ipſe in concilio abdicat, die 4. Julii, qui propterea à Concilio conſtituitur Princeps Cardinalium, & legatus Papæ in Marchiâ Anchonitana. Johannes verò ad Ludovicum Bavarum mittitur, apud quem fuit triennio in cuſtodiâ Manheymenſi, cuſtodientibus Germanis, ut commercium ſermonis abeſſet. *Plat.*

Annus Indorum 1505. *& Hegira* 818. *incipit* 12. *Martii, feriâ.* 3.

Sigiſmundus *Imp. in hoc ſolenni concilio* Adolphum *Clivenſem promovet in ordinem Ducum, die* 25. *Aprilis, ut & Amedæum* Sabaudiæ *Comitem. Idem etiam dedit Vicecomiti Mediolanenſi Galeacio inſignia Ducatûs Mediolanenſis.* Chron. Belg.

Eclipſis Solis annotatur, facta tempore Concilii Conſtantienſis, qua acciderit 7. *Junii, eaque ita invenitur facta* Witebergæ *minutis* 17. 21. *ante horam ſeptimam poſt mediam noctem, fer.* 6. *parall. latitud.* 42,4. *Latitudo vera* 38,19. *Viſa* 3,45. *ſemid. Solis* 15.0. *ſcrup. reſid.* 28. 21. *digiti Eclipt.* 11, 20. *Sol in* 26. *Geminorum ferè, Conſtantia, ferè totus Sol obſcuratus fuit.*

Johan Huſs damnatus in concilio traditur contra datam fidem Magiſtratui Politico, & imponitur rogo die 6. Julii, feriâ ſeptimâ, pridie ſextæ Dominicæ Trinitatis. *Hiſt. Bohem.*

Sigiſmundus inde menſe Julio cum legatis totius concilii abiit in Hiſpanias, ad deponendum Benedictum, venit Perpinianum die 19. Sept. ad Ferdinandum Aragoniæ regem, cum quadringentis equitibus: aliàs vili cultu, cùm remotâ aureâ & argenteâ ſuppellectile ſtanneâ uteretur. Nihil impetratum à Benedicto, quapropter fœdus iniit cum Ferdinando de uno Pontifice ſimul habendo, & Benedictus etiam à Ferdinando die 6. Januarii publicè Pontificatu indignus pronunciatur; nihilominus tamen ipſe honorem retinuit usque ad mortem.

Luſitaniæ *rex Johannes claſſe in Africam tranſit, & Septam urbem uno die,* 21. *Auguſti expugnat, ibique ſedem regni figit.* Marian.

Angli

Angli *Galliam miſerè vaſtant, interim Aurelianenſis Dux exercitum colligit, cui auxilio venit Antonius Dux Brabantiæ, & Anglos ferè omni commeatu intercludit; ſed cùm eos nimium arget, & cum deſperatis pugnat, vincitur; Anglorum decem millia erant, qui trucidant in acie decem millia, capiunt decem millia. Cecidit in acie Antonius, Dux Brabantiæ, cum fratre Philippo: Reliquit Dux filios Johannem & Philippum. Accidit clades prope Azincurt, die 25. Octob. fer. 6.* Chr. Belg. & Fland.

ANNO MUNDI 5365. Poſt C. 1416.
E. ☉ 25. ☽ 11. *Ind.* 9.

Sigiſmundus Imp. ex Galliis Leodium venit ineunte anno, & Leodienſibus reddit Privilegia & libertatem, Aquisgranum etiam venit, ubi diſſidia inter Colonienſem & Ducem Montenſem tollit; & cùm totam Europam ferè peragrâſſet & ubique, quantum in ſe eſſet, pacem feciſſet, adveniente hyeme ad concilium redit. *Chr. Belg.*

Johannes *Brabantiæ Dux, Antonii filius, qui annis 13. præfuerat, ſuccedit Parenti, & inauguratur die 24. Januarii, fer. 3. & præeſt annis tantùm 11.* Chron. Belg.

Annus Indorum 1506. *& Hegiræ* 819. *incipit die 1. Martii, feriâ. 1.*

Ferdinandus *Aragoniæ rex, cum regnaſſet annis tribus, & decem menſibus, moritur die 2. Aprilis, fer. 5. ſuccedit Alphonſus filius, qui præeſt annis 42.* Marian.

M. Hieronymus Pragenſis, Huſſiticæ doctrinæ propagator fidelis, cujus eruditionem & virtutes *Poggius* deſcribit in Epiſtolâ ad Aretinum, fide publicâ evocatus ad concilium Conſtantienſe, damnatur & crematur, die 30. Maji, feriâ 7. poſt Aſcenſionis.

Annus Nabonaſſaris 2165. *& Philippi* 1741. *incipit 3. Septembr. feriâ 5.*

Annus Alexandr. 1728. *Antioch.* 1465. *Conſt.* 6925. *incipit 1. Octobr.*

Annus Iezdegird. 786. *incipit 2. Decembr. fer. 4. Armeniorum* 866. *die 5. Decembr. fer. 7.*

Hernoja *Dux Boſniæ, quæ olim Dardania dicta fuit, in aulâ regis Hungariæ riſibus & jocis exagitatus, ad Mahumetem Turcarum regem deficit, a quo acceptis copiis, trajecto Savo, Hungariam vaſtat, & Hungaros prælio vincit, &* Paulum *jocorum autorem captum pelle bovinâ inſuit, & in flumen demergit.* Chytr.

Wilhelmus Comes Hollandiæ, Aſſellatis infenſus, Comitem Egmontanum ditionibus pellit, & filiam ſuam Jacobam ordinibus Hollandiæ commendat, ut ſibi ſuccederet, cùm ſibi maſculus hæres non eſſet. *Suffrid.*

Conſtantiæ cùm non haberent, quod agerent in concilio, quæſitum fuit, quotnam eſſent cœnobia ſancti Benedicti in Europâ; & numerata ſunt quindecim millia centum & ſeptem, in quibus ſingulis monachi ſunt, ſi pauciſſimos numeres 7. Ergo monachorum plus quàm centena & vicena millia fuerunt. Relati tum fuerant inter Sanctos monachi Benedictini ordinis ultra triginta quinque millia, ſcilicet 35449. *Chron. Belg.*

ANNO MUNDI 5366. Poſt C. 1417.
C ☉ 26. ☽ 12. *Ind.* 10.

Annus urbis 2169. *Julianus* 1462.

Æra Hiſpanica 1455. *Auguſtorum* 1444.

Sigiſmundus inchoat annum imperii 7. Emanuel 20.

Gelali annus 338. *incipit cum æquinoctio verno.*

Annus Indorum 1507. *& Hegiræ* 821. *incipit 18. Februar. fer. 5.*

Cum Concilium Conſtantienſe decreviſſet, Laicis tantùm ſub unâ ſpecie Euchariſtiam diſtribuendam, Bohemi die 10. Martii contrarium ſcriptum publicè proponunt, Huſſumque & Hieronymum martyres proclamant, memoriam illorum conſecrant, & quotannis celebrandam decernunt; & hinc *bellum Huſſiticum* exortum, quod novendecim annis multis cladibus geſtum eſt, *Hiſt. Bohem.*

Petrus de Lunâ, qui & Benedictus XIII. Papa die 16. Martii publicè citatus ad concilium, cùm non compareret, diris devovetur & deponitur. *Chron. Belg.*

Carolus, *filius Caroli, regis Galliæ, Delphinus, veneno extinguitur die 5. April. fer. 2. poſt Palmar.* Suffrid.

Sigiſmundus Imp. Friderico Norinbergenſi *Marchiam Brandeburgenſem* cum dignitate ſeptemvirali vendit, quater centenis millibus aureorum, hâc conditione, ut ſi ſibi Imperatori filius naſceretur, utraque dignitas redimeretur; ſi minus, utramque retineret; & die 18. Aprilis Fridericum inaugurat, & in feudum tradidit, ob fidelem operam in bellis Hungaricis, & aliis imperii negotiis. *Hiſt. Brandeb.*

Wilhelmus *Dux Bavariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Dominus Friſiæ, cùm præfuiſſet annis 12. menſibus ſex moritur die 2. Junii fer. 4. Pentecoſtes; ſuccedit ipſi filia Jacoba, quæ in accipitis fortunâ præeſt annis* 19. Suffr.

Olympias 548, *incipit in Julio. Anno Olympiad* 2193.

Annus Diocletiani 1134. *incipit die 19. Auguſti.*

Angli menſe Auguſto veniunt in Normanniam ingenti claſſe. Normanni verò ſibi metuentes, Normanniam ferè deſerunt, & in Britanniam ſe conferunt, & ita Britones etiam diſcunt artem lanificii, quæ antea ipſis erat incognita. *Annal. Fland.*

Johannes, *frater Wilhelmi Comitis Hollandiæ. Epiſcopus Leodienſis, tutorem ſe profitetur Jacobæ neptis, & menſe Septembri in Hollandiam venit, & proſcriptos ditioneque expulſos revocat. Ergo redit VVilhelmus ab* Arckel / *qui tamen paulò poſt interficitur, cùm ultimus fuiſſet hujus familiæ; & Egmontanus, qui paulo poſt iterum exulare juſſus eſt.*

Sigiſmundus & Epiſcopi Germaniæ volunt fieri reformationem Eccleſiæ à concilio, idque priusquam aliquis Papa eligatur, reliquæ nationes reclamant. Reformationis tamen articuli concipiuntur, ſed non publicantur. Ideò agitatur de electione Pontificis & ex quâvis natione ſeni, atque ita triginta numero cum Cardinalibus, die 8. Novembr. fer. 2. conclave ineunt, & undecimo Novemb. eligunt Ottonem, de Columnâ Cardinalem, qui quòd electio in feſto Martini facta fuerat, voluit ſe nominari *Martinum V.* ſedit annos 13. menſes 3. *Platina.*

ANNO

ANNO MUNDI 5367. Poſt C. 1418.
B. ☉ 27. ☽ 13. *Ind.* 11.

Annus Indorum 1508. *& Hegira* 821. *incipit* 7. *Febr. fer.* 2.

Johannes Epiſcopus Leodinenſis, miſſis legatis ad concilium Conſtantienſe reſignat Epiſcopatum, ducitque uxorem, & Comitatum Hollandiæ invadit. *Jacoba verò, cujus tutor eſſe volebat, nubit Johanni Brabantiæ Duci, & Johannem, qui Dordracum occupârat, obſidet ferè toto anno; qui fortiter ſe defendens, victor fit belli, & retinet tutelam, obtinetque auſtralem Hollandiæ partem jure feudali.* Suff. id.

Martinus V. Papa invito Sigiſmundo Conſtantiâ diſcedit, Mantuam venit, & inde Florentiam; quapropter concilium finitur die 22. Aprilis.

Tartari, *vulgò* Ziegeuner *(genus hominum erroneum & maleficum, primum in his regionibus viſum.) & propter furta & libidines ex Miſnâ exterminantur.* Fab.

Huſſitæ die 30. Junii, Euchariſtiam Pragæ invito rege, qui id prohibuerat, circumferunt: Ideò rex ſibi metuens in arcem conceſſerat, inde ſeditio aucta. Simul igitur in prætoriũ irrumpunt, ſeptem Senatores cum prætore de feneſtris præcipitant; quibus exterritus & attonitus paralyſi corripitur, & moritur die 16 Auguſti. *Sylv.*

Muhamed *bellum Venetis indicit, propter regionem, quæ Jonium ſpectat, & ejus claſſis vincitur. Veneti* Lampſacum *ſibi hoc bello acquiſiverunt, & inde pace cum Muhamede juncti ſunt.* Laon.

ANNO MUNDI 5368. Poſt C. 1419.
A. ☉ 28. ☽ 14. *Ind.* 12.

Annus Indorum 1509. *& Hegira* 822. *incipit* 28. *Januar. fer.* 7.

Heinricus *rex Angliæ iterum in Normanniam trajicit, & tandem* Cadomum *urbem expugnat, arcem verò deditione capit; clade hujus urbis auditâ omnis vicina volens in Angli ditionem concedit, ipſe aliquanto regi editur, & Rothomagum obſidet, eamque tandem fame domat.* Polyd.

Rudolphus Dux & Elector Saxoniæ, volente Imperatore legatione fungitur in Bohemiâ, ut ipſos ad Eccleſiæ unionem revocaret: ſed ſeditioſi quidam, ne aliquibus perſuaderet eum tollendum cenſuerunt, & cùm ferro non poſſent, veneno eum peremerunt, qui mortuus eſt die 11. Junii, cum Electoratum adminiſtrâſſet annis 31. Filios ejus Wenceslaum & Sigiſmundum dormientes turris Sveidnicia ad Eliſtrum oppreſſerat, ideò ſuccedit frater *Albertus*, qui præfuit annis tribus. *Spang.*

Johannes de Torſenaco, quem *Ziſcam*, hoc eſt, cæcum nominârunt, quòd unoculus eſſet, poſt mortem regis Wenceslai, Huſſitarum Dux fuit, & templa Pragenſia ſpoliat, & cœnobia evertet. *Sylvius.*

Caroli *regis Galliæ filius Delphinus, die* 29. *Julii pacem cum Burgundo facit Armaraci, ſed fraudulentam; & conſciente patre Burgundum inopinantem in ponte die* 10. *Sept. feriâ primâ horâ* 5. *poſt meridiem, trucidat.* Annal. Fland.

Annus ſabbathicus quartus Jobelei 28. *incipit* 21. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 5180.

Bellum atrox inter Duces Brunſuicenſes & Epiſcopum Hildeſienſem: cùm Epiſcopus bis victus eſſet, res compoſita eſt per Colonienſem. Spang. *Eisfeldenſes etiam, qui armenta Mulhuſina abegerant, ope Landgravii a Mulhuſinis capiuntur, numero centum & ſeptuaginta, plerique nobiles.* Idem.

Johannes & Albertus, Duces Megapolitani, cum ſenatu urbis Roſtochienſis Academia fundant, coloniâ inſtar, ex Erfurtenſi & Lipſienſi Academiâ deductâ. Privilegia confert Martinus V. Papa. *Chytr.*

Muſtapha, *Soleimanni filius, bellum patruo facere conatur; ſed cùm omnes propter æquitatem faverent Muhamedi, fruſtrà operam impendit, & à Græcis capitur, & in carcere uſque ad mortem Muhamedis detinetur. Poſt captum Muſtapham Emanuel Imperator dat filio primogenito Johanni uxorem, filiam Comitis Montisferati, & ſucceſſorem conſtituit, ſed Johannes uxorem averſatur, aliamque poſtea ducit Ruſſiæ principis filiam.* Laonic.

ANNO MUNDI 5369. Poſt C. 1420.
G. F. ☉ 1. ☽ 15. Ind. 13.

Annus Indorum 1510. *& Hegira* 823. *incipit* 16. *Januar. fer.* 4.

Sigiſmundus Imperator, hæres regni Bohemici poſt fratrem Wenceslaum, *Vratiſlaviam* venit die 6. Januarii, & ſeditioſos, qui Senatum trucidârant, ſecuri percutit, quo audito *Pragenſes*; qui ejuſdem criminis rei erant, Sigiſmundo rebellant, & edicunt, ne Sigiſmundus ab ullâ civitate recipiatur. Hinc *Huſſitæ* vires nanciſcuntur, & *Ziſca* Dux Auſicam urbem capit Dominicâ Quadrageſimæ, & civitatem *Thabor* ædificat. Inde nocte Paraſceves ante Paſcha, ducem Sigiſmundi, qui mille equites habebat, vincit, quæ victoria ipſi contigit in locis aſperis, & montanis, ubi ipſe cum ſuis pedes in hoſtes equites pugnabat. Ideò hoſtes etiam, cùm propter loci iniquitatem in equis pugnare non poſſent, ex equis deſcendunt. Sed *Ziſca* juſſit mulieres, quas ſecum habebat, pepla inter hoſtes projicere, quibus per calcaria ita implicabantur, ut vinctos ſe ipſos ad cædem præberent. Inde Sigiſmundus oppidum *Thabor* obſidet, ſed & inde repellitur die 6. Julii: ita pulſus Sigiſmundus, cùm Pragam occupare non poſſet, in arcem non contendit, ubi coronatur die 30. Julii, & Bohemiâ excedit. *Sylvius.*

Salmanticæ *Collegium Bartholomæi hoc anno extructum, qui Academia aucta eſt.* Marian.

Baldus de Ubaldis Peruſinus JCtus Ticini, decrepitâ prorſus ætate, moritur die 4. Aprilis ſub auroram, in juris profeſſione verſatus annos 76.

Heinricus Luſitani filius, monitus à quibuſdam Aſtronomis, inſulas aliquas in Oceani vaſtitate procul dubio ſitas eſſe, mittit claſſem tentatum, ſi quod operæ precium facere poſſet: & inter Olyſibonam & inſulas fortunatas claſſem pergere juſſit, quæ invenit inſulam anguſtam quidem, ſed fertilem, cui *Madera* nomen factum: ab hoc principio extima Africæ litora legi cœperunt, & tandem ad *Sinas* perventum. *Marian.*

Ludovicus *Andegavenſis Dux, Johannam Neapolitanam reginam obſidet; Alfonſus Aragonius Sardiniâ domitâ, in auxilium evocatus, obſidionem claſſe ſuâ diſſipat, pro quo beneficio ipſe a Johanna adoptatur in regnum, die* 16. *Septembris, approbante Pontifice.* Mar.

Annus Nabonaſſaris 2169. & Philippi 1745. incipit die 2. Septemb. fer. 2.

Alexandraus 1732. & Antioch. 1469. & Conſtantinopol. 6929. incipit 1. Octobr.

Annus Jezdegird. 790. incipit 3. Decembr. feriâ 1. *Armen.* 870. 4. *Decembr. fer.* 5.

Laurentius Valla Grammaticorum princeps, qui latinè vertit Herodotũ, Homerum, Thucydidem, moritur, ut volunt, hoc anno. *Trith.* Alii diem ejus obitûs referunt ad annum 1465.

Leidenſes & alii, *Johannem tutorem Hollandiæ recuſant, quapropter obſidentur, & tertio menſe deditione capiuntur.* Suffrid.

Ingentes ſunt motus hoc anno in Galliâ propter interfectum Burgundum: Philippus filius graviſſimè perſequebatur parricidas, & cum parum proficeret, evocat regem Angliæ, qui, quod Carolus rex parum mente conſtaret, tutor fieret regni. Carolus in anguſtiis conſtitutus, dat regi Angliæ filiam uxorem, cum multis regni provinciis. Annal. Fland.

ANNO MUNDI 5370. Poſt C. 1421.
E. ☉ 2. ☽ 16. *Ind.* 14.

Annus urbis 2173. *Iulianus* 1466.
Æra Hiſpan. 1459. *Auguſtorum.* 1448.

Sigiſmundus inchoat annum imper. 11. *Emanuel* 30.

Indorum 1511. *& Hegira* 824. *incipit* 6. *Januar. fer.* 7.

Perſ. Gelal. 342 *cum æquinoctio Verno.*

Carolus VII. *filius regis Galliæ, Delphinus, adhuc, defendit parentem contra regem Angliæ & Burgundum, & evocat Scotos in auxilium, vincitque Anglos pridie Paſchatos; cadunt mille ferè, ſed* Philippus *Burgundus viciſſim cladem regerit & vincit exercitum Delphini,* 30. *Auguſti, feriâ ſeptimâ.*

Fridericus *Marchio Brandeburgenſis,* Tangermundam *ad Albim ſuæ ditioni adjicit, & Pomeranos id prohibere conantes reprimit, & vincit.*

Fridericus & Wilhelmus, Marchiones Miſniæ, validum exercitum in Bohemiam ducunt, & congreſſione factâ ante Bruxiam duo millia *Huſſitarum* interfecerunt, cùm vix quinquaginta ex ſuis caderent, qua victoriâ ingentẽ gratiam apud Sigiſmundum inierunt. Nihilominus tamen *Ziſca* pergit, ac in obſidione Rabi alterum etiam oculum, quo unico lumen cœli videbat, ſagittâ ictus amittit, nec tamen caſtrenſem laborem, aut rei militaris curam remittit, ſed cœcus etiam multas victorias obtinuit. *Sylv.*

Muhamed *Turcarum rex, cùm 8. annis regnâſſet, moritur anno Hegir.* 824. *Succedit ipſi filius* Amurathes, *ſed in magnâ perturbatione regni, cùm & à patruo, & à fratre oppugnaretur. Regnavit autem annos* 31. Annal. Turc.

Martinus V. *Romam tandem proficiſcitur, quam invenit direptam & vaſtatam, ut vix civitatis faciem præ ſe ferret.* Plat.

In Hollandiâ, Auſtrum verſus, nocte Eliſabethæ, in Novemb. ingens tempeſtas exorta, quâ mare aggeres rupit, & eluvione pagos, urbes, & villas evertit. Ad montem Gertrudis perierunt pagi ſeptuaginta duo, qui adhuc abſorpti ſunt. Chron. Belg.

Annus Indorum 1512. *& Hegira* 825. *incipit* 26. *Decembr. fer.* 6.

ANNO MUNDI 5371. Poſt C. 1422.
D. ☉ 3. ☽ 17. Ind. 15.

Sigiſmundus *in Bohemiam cum exercitu venit, ſed vincitur a Ziſca die* 7. *Januarii.* Hiſtor. Huſs.

Civitates Suevicæ capiunt, & excindunt Zollern *arcem, cùm eam annuo ſpatio obſediſſent.* Annal. Suev.

Albertus *Auſtriacus, qui poſtea electus eſt Imp. ducit uxorem Elizabetham, Sigiſmundi Imperatoris filiam: nuptiæ ſunt Viennæ, cui dudum ipſa deſponſata fuerat.* Cuſpin.

Jacoba *Comitiſſa Hollandiæ, quæ nupſerat Johanni Brabantiæ Duci, diſcedit a conjuge propter cognationem, & in Angliam abit, nubitque Duci Gloceſtriæ, eumque in Hollandiam adducit; ſed Brabantiæ Dux exercitu adducto, Ducem Gloceſtriæ ex Hollandiâ pellit.* Suffr.

Heinricus V. *rex Angliæ, cùm annis 9. regnâſſet, & eſſet annorum 36. dum in Galliis abeſt, moritur, ut annales Flandriæ habent, die 29. Auguſti; ſuccedit ipſi filius Heinricus impuber, qui regnat in variâ fortunâ annos* 49. Polyd.

Albertus Saxoniæ Dux, & Elector, cùm animi causa venatum abiiſſet in ſaltus Lochavios, & in caulam ruſticam diverteret, orto incendio nocturno, vix nudus evadit, morboque ex terrore contracto, paucos poſt dies mortuus eſt abſque hærede, ſepeliturque Wittebergæ; atq; ita ditio hæc ad imperium recidit, & *Fridericus* Elector Brandeburgicus nomine Imperatoris ditiónem illam, cujus caput eſt *Witteberga*, occupat, & præſidiis munit. *Chron. Miſn.*

Concilium indictum Papiæ juſſu Pontificis inchoatur, ſed cum nemo ibi ferè adeſſet, & peſtis inſuper ingrueret, Senas delatum fuit, quo plures quidem advenerunt, nihil tamen agi potuit. *Plat.*

Carolus VI. *rex Galliæ, cùm annos 42. regnâſſet, moritur die 20. Octobris; quo defuncto, Pares regni Gallici ſumma ope, nituntur, ut Anglos è regno Galliæ ejiciant. quod ut faciliùs fiat, filius Caroli, Carolus VII. ſe regem proclamari juſſit, quaſdam urbes occupat, & Anglos ubicunque poteſt, pellit & trucidat; Angli paria faciunt & niſi rex Angliæ puer fuiſſet, proculdubio Carolum regno pepuliſſet. Regnavit autem Carolus VII. annos 39. ferè.* Annal. Fland.

Mortuo Muhamede, Græci liberant captivitate Muſtapham, contra filium Muhamedis Amurathem. Amurath contra legationẽ mittit ad Emanuelem, & monet fœdera eſſe ſervanda. Sed Johannes filius nuper Auguſtus creatus, putat utramque partem eſſe fovendam, ut mutuis certaminibus atterantur, atque ita Conſtantinopoli Muſtaphæ junguntur, qui regnum Europæ occupat paucis diebus. Laon.

Sigiſmundus Imp. maximam expeditionem contra Bohemos ſuſcipit. & tripartitum exercitum in Bohemiam mittit, quorum unum ducebat Marchio Miſnenſis, alterum Burggravius Norinbergenſis, tertium ex Suevis Archiepiſcopus Treverenſis, qui ſeſe in ſaltu Bohemico conjunxêre numero ad ducenta millia, & *Satz* oppidum obſederunt, ubi panico quodam terrore omnes concutiuntur & fugiunt, cùm fortè paſſerculus tentorium unum atque alterum incenderet, factum 19. Octobr. *Hiſtor. Huſſ.*

Annus

Annus Indorum 1513. *& Hegira* 826. *incipit* 15. *Dec. feriá* 3.

ANNO MUNDI 5372. Æræ C. 1423.
C. ☉ 4. ☽ 18. *Ind.* 1.

Sigiſmundus Imp. die 6. Jan. ditionem Ducum Saxoniæ, cum dignitate Electoratûs confert *Friderico* Marchioni Miſniæ, & Landgravio Thuringiæ, pro navatâ & adhuc præſtandâ operâ in bellis Bohemicis: hac tamen conditione, ut Brandeburgico pro ſumptibus ſolveret 28000. marcarum argenti. Literæ datæ ſunt Budæ in Hungariâ, ad Electores etiam ſcribit, ut hunc Fridericum in Electorem collegium recipiant. *Ericus* contra Dux Saxoniæ, Angriæ & Weſtphaliæ ab Epiſcopo Bambergenſi feudum Archimarſ. Saxoniæ accipit, & ad Sigiſmundum Imp. proficiſcitur, eumque docet, ſe legitimum hæredem eſſe. Sed Imp. eum ad Electores remittit, inde ad Imperatorem remittitur, & cauſæ cognitio differtur ubique; & etſi rem urgeret omnibus ferè comitiis, tamen Imp. non obſcurè præ ſe tulit, ſe ſententiam ſuam non retracturum eſſe. *Crantz. & alii.*

Purbachius Georgius Bavarus Mathematicus inſignis hoc anno naſcitur die 30. Martii. *Trith.*

Reinardus *Dux Juliacenſis & Geldriæ, cùm annis* 23. *præfuiſſet, moritur die* 23. *Junii. In Ducatu Geldriæ ſuccedit* Arnoldus, *filius Johannis, Comitis de Egmond, qui præfuit annis* 42. *Juliacenſem verò Ducatum Adolphus Dux Montenſis ſuo filio Ruperto acquirit, auxilio Archiepiſcopi Colonienſis. Multiplices clades & variæ in regno Galliæ, quæ inferuntur & reguntur à rege Galliæ Carolo VII. legitimo hærede regni, & rege Angliæ, qui regnum Galliæ ſibi aſſerebat, hoc anno annotantur.* Annal. Fland.

Jacobus *Scotiæ rex anno* 18. *quum captus fuerat, magnâ perſolutâ pecuniâ, tandem in regnum ab Anglis dimittitur.* Buchan.

Muſtapha, *cùm regnum videretur firmâſſe in Europâ, in Aſiam tranſit ad pellendum Amurathem: Sed rumor ibi ſpargitur, Conſtantinopolitanum defeciſſe ad Amurathem, & ita deſeritur à militibus, & Amurathes inſequitur fugientem. Cùm verò, obſtantibus Græcis cum exercitu, mare tranſire non poſſet, Genuenſem navem invenit, & gubernatori mercedem perſolvit, quantam voluit, & Muſtapham capit, eumque laqueo ſtrangulat, cùm ferè annis tribus regnaſſet.* Laon.

Annus Indorum 1514. *& Hegira* 827. *incipit die* 5. *Dec. fer.* 1.

ANNO MUNDI 5373. Æræ C. 1424.
B. A. ☉ 5. ☽ 19. *Ind.* 2.

Johannes *olim Epiſcopus Leodienſis, tutor Hollandiæ, cum tutela annis ſeptem præfuiſſet, veneno ſublatus, moritur die* 6. *Januarii: Veneficus à factione Hamaticâ conductus, ſupplicio afficitur, ideò Johannes Brabantiæ Dux, olim maritus Jacobæ, in Hollandiam revocatur.* Suffrid.

Amurathes rex Turcicus, obſidet Conſtantinopolin, eamq; tormentis horribiliter concutit, ſed tamen tandem re infectâ diſcedere cogitur; Imperator Johannes, qui id temporis ſucceſſerat patri Emanueli, cùm ſemel atque iterum pacem ab Amurethe petiiſſet, convertit ſe ad ejus fratrem Muſtapham, qui in Germaniâ verſabatur, eumque Conſtantinopolin evocat, & exercitu eum juvat, qui in Aſiam tranſmittitur, & Niceam capit, ſed poſtea idem à proditoribus capitur, & loqueo ſuffocatur. *Laon.*

Eclipſis Solis annotatur hoc anno, quæ facta ſit menſe Junio. Accidit ea die 26. *Junii, fer.* 2 *horis* 3. *&* 57. *minutis ferè poſt meridiem Viteberga. Parallaxis latitud.* 38,55. *Latitudo vera* 41,36. *Viſa* 2,41. *Semidiam Solis* 15,0. *Scrupula reſidua* 28. 20. *Digiti eclipſeos* 11, 20. *Sol in* 13. *gradu* 4. *in Cancri.*

Galliæ rex *Carolus ad Vernelium magnâ clade ab Anglis vincitur die* 17. *Augusti, feriâ quintâ, ceciderunt ad quinque millia.* Annal. Fland.

Annus Nabonaſſaris 2173. *& Philippi* 1749. *incipit* 1. *Septembr. feriá* 6.

Annus Alexandr. 1736. *Antioch.* 1473. *& Conſt.* 6933. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Indorum 1515. *& Hegira* 828. *incipit* 23. *Novemb. feriâ.* 5.

Annus Iezdegird. 794. *incipit* 30. *Novembr. fer* 5. *Armen.* 874. 3. *Decembr. fer.* 1.

Ziſca *eo apparatu ſe ſuosque in Bohemiâ defendit, ut Imperator Sigiſmundum in Anguſtias redactus, ipſi homini planè cæco, ſi ſuas partes ſequi vellet, offerret præfecturam militiæ & gubernationem totius regni, & annuas inſuper penſiones: nec renuit Ziſca, ſed paulò pòſt die* 11. *Octobr. fer.* 4. *cùm armis vinci non poſſet, peſte moritur.* Sylvius.

Adolphus Dux Montenſis, cùm terram de Bare ſibi acquirere vellet, & res ſatis feliciter ſuccederet, ex inſidiis nocte quâdam inter moniales intercipitur cum filio, inde, ut libertati reſtitueretur, omni jure in terram de Bare renunciare cogitur. *Trith.*

Benedictus XIII. Papa olim depoſitus, cùm ita annis 30. ſediſſet, moritur hoc anno; ſuccedit ipſi Egidius Munionis, qui vocatus fuit *Clemens VIII.* qui poſt annis quatuor coactus ſeſe abdicat, & ad Epiſcopatum redit, atque ita hoc ſchiſma deſiiit. *Platin.*

ANNO MUNDI 5374. Æræ C. 1425.
G. ☉ 6. ☽ 1. *Ind.* 3.

ANNO

Annus urbis 2177.	*Julianus* 1470.
Æra Hiſpanica 1463.	*Auguſtorum.* 1452.

Sigiſmundus inchoat annum imper. 15. *Johan.* 2. *Gelaſi annus* 346. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Alfonſus *Siciliæ rex in Hiſpaniam ſuperiore anno in autumno trajecerat, ubi & Maſſiliam in tranſcurſu capit: ſed interim dum abeſt, Andegavenſis Neapolim in Italiâ, & totum ferè regnum Apuliæ occupavit.* Marian.

Dux Brabantiæ Johannes uxorem Jacobam die 25. *Martii, obſidet in Schonhoſiâ; continuatur obſidio hebdomadibus* 22. *& quatuor diebus, ſolvitur die* 29. *Auguſti. Cùm præterea rumor eſſet, Ducem Glóceſtriæ in Hollandiam cum exercitu redire, & Dux Brabantiæ nullibi acceptus eſſet, factio Aſellata evocat Philippum Ducem Burgundiæ, ut ſit tutor Jacobæ, quod & factum eſt. Sed factio Hamata impedit hoc, atque ita bellum geritur per annos tres.* Suffrid.

Olympias 550. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2201.

Annus Diocletiani 1142. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1516. *& Hegira* 829. *incipit* 12. *Novemb. fer.* 2.

Carolus *rex Vaſconum, cùm annos 38. regnâſſet, moritur die octavo Septemb. feriâ quintâ: Succedit ipſi gener* Carolus, *qui regnat annis* 16. Marian.

ANNO MUNDI 5375. Æræ C. 1426.
F. ☉ 7. ☽ 2. *Ind.* 4.

Primiſlavia nuper à Pomeraniæ Duce intercepta erat. Fridericus filius Brandeburgici patre abſente cum civibus ita agit, ut noctu recipiatur, & ita cum civibus Pomeranos, qui in præſidio erant, obſidet & oppugnat, & tandem incendio terret, ut deditionem facerent. In ipſo ferè articulo deditionis Pomeraniæ princeps cum auxiliis adeſt, ſed re jam peractâ: Atque ita Primiſlavia ad Brandeburgenſes redit.

Fridericus Elector hoc anno planè confirmatur in dignitate Electoratûs, idque factum Presburgi. Budæ inſignia accipit, & per Comitem Lupſenſem in urbes Electoratûs nomine Imperatoris introducitur. Ericus Dux Saxoniæ, cùm nullibi audiretur, ad Pontificem Martinum appellat, qui de hâc re ad Sigiſmundum ſcribit, ſed Imperator commotus hâc importunitate Erici, literas Pontificis abjicit. *Crantz.*

Angli *in oppugnatione Cenomanorum primùm utuntur æneis tormentis, quæ* Bombardæ *appellantur, & urbe potiuntur, poſt Biennium hi Cenomani iterum ad Gallos deficiunt. Sed Angli irati ad urbem oppugnandam redeunt, & Gallos ſimul in captâ urbe capiunt.* Polyd.

Bohemi *oppidum* Auſsigk *in Bohemiâ, quòd Elector Fridericus præſidio firmaverat, obſident, Elector Saxoniæ Fridericus mittit exercitum, qui obſeſſis ſubſidio veniat, qui cupiditate pugnandi cœcus ex itinere, cùm miles & itinere & fame & æſtu enectus eſſet, caſtra hoſtium aggreditur, & magnâ clade vincitur.* Auſsigk *ſtatim poſt victoriam deditur. Perierunt plus quam novem millia Miſnenſium, quanquam victoria Bohemis haud fuit incruenta, qui cùm inteſtinis diſcordiis in regno conflictarentur, extra regnum arma afferre non auſi fuerunt, aliàs ſtatim invaſiſſent Miſniam. Clades accidit die 15. Junii, fer. 7.* Fabr.

Dux *Gloceſtriæ ex Angliâ, ut uxori ſubſidio veniret, exercitum in Hollandiam mittit, qui tamen vincitur à Duce Burgundiæ Philippo, & perierunt à tria millia Anglorum.* Chron. Belg.

Annus ſabbathicus quintus Jobelei 28. incipit 2. Sept. fer. 2. Anno Jud. 5187.

Annus Indorum 1517. *& Hegira* 830. *incipit die 7. Nov. fer. 7.*

Veneti hac æſtate Brixiam obſederant ſeptem menſiũ ſpatio, eamque tandem deditione capiunt; jurant Brixenſes Venetis fidelitatem die ſexto Octorbris.

Ludovicus *Comes Palatinus peregrinatur in Paleſtinam, quo toto tempore barbam aluit, quam & reverſus nunquam radi voluit, ideò dictus eſt Dux cum barbâ ſive Barbatus.* Trith.

Johannes *Brabantiæ Dux, impetrat à Pontifice Martino V. poteſtatem inſtituendi Academiam Lovanii, abſque Theologica tamen profeſſione; quam tamen poſtea admiſit Eugenius Papa, ſucceſſor Martini. Factum eſt initium lectionum hoc anno, die 2. Dec. fer. 2.* Chron. Belg.

ANNO MUNDI 5376. Æræ C. 1427.
E. ☉ 8. ☽ 3. *Ind.* 5.

Johannes *Brabantiæ Dux, cùm præfuiſſet annis 12. & ſcholam inſtituiſſet Lovanii, moritur die 17. Aprilis, die Viridium, ſine liberis: ſuccedit ipſi frater Philippus, Conneſtabilis regis Galliæ, qui inauguratur die 22. Maji, fer. 5. & regit Ducatum annis tribus, & menſibus tribus.* Chron. Belg.

Amurathes *rex Turcicus ſuperiori anno Stephanum Deſpotam Serviæ ſenem, totâ ditione pepulerat; hoc anno Hegira 830. cùm filius Georgius Serviam recuperâſſet, eam longè latèque depopulatur.* Annal. Turc.

Annus Indorum 1518. *& Hegira* 831. *incipit 22. Oct. feriâ 4.*

Ingens terræmotus in Cathaloniâ, qui viginti civitates ſubvertit. Ad montem Peſſulanũ civitas Tertona *penitus abſorpta eſt in lacu, cujus profunditatẽ nemo explorare adhuc potuit.* Chron. Belg.

ANNO MUNDI 5377. Poſt C. 1428.
D.C. ☉ 9. ☽ 4. Ind. 6.

Fridericus *primus Dux Saxoniæ, & Elector, cùm ſua ditione poſt parentem annis 48. præfuiſſet, Electoratûs verò dignitatem quinquennio obtinuiſſet, moritur die 4. Januarii, feriâ primâ poſt circumciſ. Succedit ipſi filius* Fridericus, *cognomine placidus, qui præfuit annis* 36. Fabr.

Philippus *Burgundus hactenus bellum geſſerat, cũ Jacobâ herede Comitatûs Hollandiæ tandem pax fit die 4. Maji, ita ut Philippus ubiq; tutor deſignaretur, & inſuper heres deſignatur omnium provinciarum, quæ ad Hollandiam pertinebant, ut Hannonia, Hollandia, Zelandia, & Friſia. Et idem fit Comes Namurcenſis, rex Galliæ* Carolus VII. *hoſtis ſui Burgundi potentiâ creſcente territus, cùm deſtitueretur ſumptibus bellicis, ferè ſupplex à Philippo pacem petit, nec tamen aliquid impetrat.* Annal. Fland.

Comitia Norinbergæ aguntur, in quibus actum fuit de debellandis Bohemis, & ingentes comparantur exercitus, qui tripartito itinere in Bohemiam irruant. Cùm eò perveniſſent, omnia timidè acta, oppidum Mies obſident, ſed cùm audiunt *Huſſitas* cum exercitu advenire, obſidionem ſolvendam cenſent; quod dum faciunt, & ab urbe recedunt Germani, reliqui putant eos fugere, ideò & ipſi fugiunt, & ita iſte apparatus ingens in fumum abiit. Ceciderunt inſuper ad decem millia Germanorum, & caſtra commeatum & prædæ plena hoſti relinquuntur. Factum die 21. Julii. *Fab.*

Amurathes in Natholiam exercitum educit anno Heg. 831. & plurimas ibi nationes ſibi ſubjicit. Annal. Turc.

Annus Nabonaſſaris 2177. *& Philippi* 1753. *incipit 31. Auguſt. feriâ 3.*

Annus Alexandr. 1740. *Antioch.* 1477. *& Conſt.* 6937. *incipit Calendis Octobr.*

Annus Indorum 1519. *& Hegira* 832. *incipit 11. Octob. feriâ. 2.*

Annus Iezdegird. 798. *incipit 29. Novembr. fer. 2. Armen.* 878. *die 2. Dec. fer. 5.*

Angli cùm plurima in Galliâ occupâſſent, tandem autumno *Aurelianum* urbem actiſſimè obſident. Oppidani cùm non ſatis commeatu inſtructi eſſent, de deditione conſilia habent, & plu-

rimá

timi putant urbem Burgundo dedendam : Anglos enim oderant, mittunt etiam legatum de hâc re ad Burgundum ſed Angli reclamant, & Burgundum prohibent. Ideò ſemina diſcordiæ inter Anglos & Burgundum oriri incipiunt. Interim *Johanna* puella Lotharingica, cùm ſæpius apud profectũ urbis in Lotharingiâ egiſſet, ut ad regem Carolum mitteretur, ſe ipſi militaturam, tandem mittitur; quæ cùm ad regem veniſſet eâ ſpe regem implevit, ut putaret, ſe hâc puellâ Duce Anglos regno pulſurum atque ita eam cum commeatu ad Aurelianenſes mittit, quem per obſidentes infert obſeſſis, & inde majorem commeatum recipit, & tandem eruptione hoſtes Anglos adeò fatigat, ut obſidionem ſolverent ſequenti anno. *Annal. Fland.*

Johannis Witchleſi cadaver in Angliâ, anno ab ejus morte quadrageſimo primo, juſſu Pontificis effoditur, ut publicè crematur. *Polyd.*

ANNO MUNDI 5378. Poſt C. 1429.
B. ☉ 10. ☽ 5. *Ind.* 7.

Annus urbis 2181.	*Julianus* 1474.
Æra Hiſpanica 1467.	*Auguſtorum* 1456.

Sigiſmundus inchoat annum imper. 19. *Johan.* 6.
Gelali Perſ. 350. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Aurelianenſis obſidio ducta fuerat usque in menſem Majum, cùm Johanna puella Lotharingica Anglos iterum vincit, & obſidionem ſolvere cogit die 27. Maji; quapropter eidem ſtatua poſita eſt ibi. Inde Angli quidem alias urbes capiunt, ſed ſtatim à Gallis recipiuntur, cùm urbes ſe potiùs crederent Gallis quàm Anglis: paulò pòſt Angli vincuntur tumultuario prælio, ubi Anglorum ultra mille ceciderunt, Dux Talbotus captus fuit, quâ victoriâ *Carolus VII.* rex nixus, & à Johannâ puella perſuaſus, plures urbes recipit, & inter eas etiam Rhemos, ubi ſolenniter menſe Julio coronatur; poſtea tentat Pariſios, ſed fruſtrà cùm firmo præſidio Anglorum tenerentur. *Annal. Fland.*

Aragoniæ *& Vaſconum reges Caſtellæ regi* Johanni *in Hiſpania bellum inferunt, pugnaturi erant die* 1. *Julii. fer.* 6. *ſed induciæ factæ : iterum verò recrudeſcit bellum in autumno, & aliquot urbes Caſtellæ regi eripiuntur, & tandem clade vincitur die* 11. *Novembris.* Marian.

Johannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, quòd in concilio conſtantienſi emendationem Eccleſiæ Romanæ plurimis rationibus propoſuiſſet, diſſoluto concilio à Pontifice domo, patria, dignitatibus, &c. ſpoliatus Lugduni conſenuit, moriturque hoc anno 12. Julii. *Trith.*

Olympias 551. *incipit* 15. *Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2205.

Annus Diocletiani 1146. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1520. *& Hegira* 833. *incipit* 30. *Sept. fer.* 6.

Bohemi crebris victoriis elati & prædarum avidi, & Miſnenſibus infeſti, hoſtili exercitu Pirnam aggrediuntur, ſed repelluntur : inde *Dreſdam* veterem capiunt, ab urbe ipſâ, induſtria Electoralis arcentur, ideò diſcedunt in pagos, quos crudeliſſimè vaſtant; inde ab urbe *Miſna* repulſi ſequuntur Albim fluvium Vitebergam usque, inde per Sileſiam in Bohemiam cum magnâ prædâ revertuntur. Elector quidem omnibus in locis ipſis præſidia oppoſuerat, ſed ternis cladibus hoc anno afficitur: ad Grimmam enim equites ferè quadringentos amittit. Prope Taucham quidam milites fugebant, & in Sileſiâ etiam ejus exercitus pulſus erat. *Fab.*

Abbates *Cellani hoc anno in fœdus Helveticum recipiuntur.* Siml.

ANNO MUNDI 5379. Poſt C. 1430.
A. ☉ 11. ☽ 6. *Ind.* 8.

Philippus *Dux Burgundiæ tertiam ducit uxorem Eliſabetham, Johannis Luſitaniæ regis filiam; nuptiæ celebrantur Brugis regio apparatu, die* 10. *Januarii, quo die inſtituit ordinem militum* Aurei Velleris. Annal. Fland.

Bohemi iterum ſtatim initio anni Miſniam invadunt, Elector conſcripſerat auxiliares copias Principum multorum & urbium, ut proterviam eorum reprimeret, propè Lipſiam : ſed intempeſtivè motâ quæſtione, ſi clades acciperetur, quis damnum præſtaret, cum Elector diceret, hoſtem eſſe omnium communem, & paribus ſumptibus debellandum, tempus teritur : Interim vincuntur equites Electoris, & hoſtes relictâ Miſniâ *Aldenburgium* abeunt, urbem cremant, inde pergunt in *Voigtlandiam*, Babenbergam usque, & omnibus tantum metum incutiunt, ut pleræque urbes, Erfordia, Magdæburgum, Brunſuicum, &c. novis propugnaculis ſe muniret : Noribergenſes & quidam Principes, multa data pecunia, pacem redimunt, atque ita Bohemi divites præda & pecunia iterum domum redeunt. *Fab. & alii.*

Philippus Burgundus poſt nuptias Compendium in Galliis obſidet, idque tuetur magno animo, *Johanna* puella Lotharingica, cùm ſæpius erumperet, tandem intercipitur die 24. Maji feriâ 4. pridie Aſcenſionis, & datur captiva Johanni Lucelburgenſi, qui eam Anglis vendit, apud quos etiam tormentis examinata fuit. Accuſata fuit hæreſeos & veneficii, ſed nihil inventum, & tamen cremata eſt ſequenti anno Rothomagi in foro, die 30. Maji, fer. 4. quòd veſtibus virilibus induta fuiſſet. *Annal. Fland.*

Dum Philippus adhuc Compendium obſidet, moritur Philippus *Brabantiæ Dux, die* 4. *Auguſti, cùm præfuiſſet annis tribus. Mortuus autem fuit absque liberis, ideò hæreditas hæc devenit etiam ad Philippũ Burgundum, qui ea de causâ obſidionem ſolvit, & inauguratur Dux Brabantiæ, die* 5 *Octob.* Chron. Belg.

Johannes Imper. Conſtantinop. cùm pace Turcarum cauſa frui non poſſet, & tamen infirmior eſſet, quàm ut quæ extra Thraciam erant defenderet, *Theſſalonicam* ante aliquot annos Venetis vendiderat; ſed Amurathes otii & quietis impatiens, exercitum urbi admovet eamque tandem cuniculis & aperta vi capit anno Heg. 833. Cives per totam Europam & Aſiam diſtrahuntur & venduntur: præſidium Venetorum evaſit in portum, & effugiunt, ipſe Amurathes novos incolas eò traducit. Hac de cauſa Veneti Amurathi bellum indicunt, ſed parum proficiunt. *Laon.*

Florentini *Lucam urbem obſident, ſed à Philippo Mediolanenſi acie vincuntur ad Anſerem.* Juſtin. Venet.

Annus Indorum 1521. *& Hegira* 834. *incipit* 9. *Sept. fer.* 3.

Maphæus Vegius Laudenſis Orator & Poeta claret. *Trith.*

Ambroſius Florentinus auditor Chryſoloræ, qui Venetiis multa in latinam linguam ex Græco transtulit, ut *Dionyſii* Areopagitæ libros, item *Diogenem* Laertium, & quosdam *Chryſoſtomi* libros, floret.

ANNO MUNDI 5380. Poſt C. 1431.
G. ☉12. ☽7. *Ind.* 9.

Martinus V. Papa cum ſediſſet annis 14. menſibus 3. moritur die 20. Februarii; ſuccedit ipſi die 3. Martii Gabriel Condelérus Venetus, qui dictus eſt *Eugenius IV.* ſeditque annos 16.

Norinbergæ die 23. Aprilis comitia inſtituuntur de exercitu comparando contra Bohemos. Mittitur à Pontifice Eugenio *Julianus* Cardinalis qui principes inſtiget ad bellum, quod & facit ſtrenuè, & ingentes exercitus ſcribuntur, equitum quadraginta millium, peditum numerus non extat. In æſtate in Bohemiam progreſſi eam crudeliter vaſtant, ſed orto vano rumore de magno exercitu Bohemorum die 14. Auguſti, quaſi Panico terrore perculſi fugiunt, relictis duodecim millibus ferè curruum commeatu & inſtrumentis bellicis refertorum; perierunt inſuper in iſto tumultu ad undecim millia armatorum. *Sylv.*

Maurorum exercitus ad Granatam à rege Caſtellæ vincitur, menſe Julio, die Dominico; pereunt ad decem millia. Marian.

Eugenius Papa inchoat Concilium Baſilienſe die 19. Julii: inſtituit reformationem Eccleſiæ, & Papam etiam citavit, ut reſponderet in concilio. Imperator hoc concilium approbavit, duravitque annis 15.

Magdeburgenſes *vaſtationibus Huſſiticis moti, urbem ſuam magis muniunt, quod prohibere conatur Epiſcopus Guntherus, ſed cives propterea non deſiſtunt, ideò Epiſcopus cum Clero urbe excedit per annos ferè 6. Ea res in bellum erupit, ſed nihil aliud effectum, niſi quòd ſubditi Epiſcopi vaſtati ſunt, munitiones interim perficiuntur.* Spang.

Annus Indorum 1522. *& Hegira* 835. *incipit* 9. *Sept. fer.* 1.

Procopius *Raſus Bohemorum Dux ſucceſſu belli elatus in Sileſium irrumpit, ſed Elector Saxoniæ mittit Sileſiis auxilia, quibus Bohemi vincuntur.* Spang.

Renatus rex Siciliæ de Ducatu Lotharingico certat cum Comite Vallemontino, ubi Burgundus Philippus comiti auxilia mittit, ſed renatus multum præſtabat exercitu, & tamen vincitur & capitur & Burgundo traditur, ceciderunt 8. millia: Ita captus Renatus amittit ſuum regnum avitum Neapolitanum, quod ſequenti anno occupavit Alfonſus rex Aragoniæ. *Marian.*

Burgundus pacem init cum Leodienſibus, cùm mulctam ſolverent, & turrim ſuperbiæ demolirentur. Annal. Fland.

Philippus *Dux Mediolanenſis, Venetorum claſſem in Pado vincit, & eam ferè totam delet; perierunt ultra 6000. hominum, ſed cladem hanc Veneti pòſt ulciſcuntur in Genuenſibus.* Juſtin. Venet.

ANNO MUNDI 5381. Æræ C. 1432.
F.E. ☉13. ☽8. *Ind.* 10.

Bohemi *cum Polonis Marchiã novam & Pomeraniam vaſtant, inde* Francofurdiam *oppugnant, unde non ſine magno ſuo detrimento repulſi ſunt.* Munſt.

Sigiſmundus Imp. hortatur Bohemos, ut ad concilium Baſilienſe proficiſci velint, & offert omnibus & à ſe & à concilio ſalvum conductum. Bohemi eligunt trecentos ferè, qui eò proficiſcantur, ubi rationem fidei ſuæ proponunt, diſputantque ferè quinquaginta diebus, & communio ſub utrâque ſpecie certis conditionibus ipſis permittitur. *Hiſt. Bohem.*

Alfonſus Aragoniæ rex evocatus anteà à Pontifice in Italiam redit, & regnum Neapolitanum recipit. Marian.

Carmaniola *Venetorum Dux, cum ſuſpectus eſſet proditionis, domum revocatur, & in carcerem conjectus, trigeſimo die decollatur.* Juſtin.

Circa initium Auguſti inundationes fuerunt per totam ferè Germaniam, in Bohemiâ aliquot pagi perierunt. Albis pontes evertit Miſniæ, Dreſdæ, ut & alii fluvii ſuos pontes. In Thuringiâ quadraginta pagi periiſſe dicuntur. Spang.

Wilhelmus Dux Brunſuicenſis, auxilio profectus fuerat ad regem Galliæ Carolum VII. interim ſpoliatur à fratre arce ſuâ Wolferbito, ideo Wilhelmus reverſus bellum apparabat; Sed cùm alii ſe interponerent, & fratres *Heinricus*, qui arcem occupàrat, liberis careret, nec arx abalienari poſſet, cum ſuis liberis hæreditatẽ expectare maluit, quàm bello geſto rem in diſcrimen adducere. *Spang.*

Annus Indorum 1523. *& Hegira* 836. *incipit* 28. *Aug. fer.* 5.

Annus Nabonaſſaris 2181. *& Philippi* 1757. *incipit* 30. *Auguſt. feriâ* 7.

Annus Alexandr. 1744. *Antioch.* 1481. *& Conſt.* 6941. *die* 1. *Octobr.*

Annus Iezdegird. 802. 28. *Novembr. Armen.* 882. 1. *Dec. fer.* 2.

Sigiſmundus *Imp. ut coronaretur Romæ, in Italiam proficiſcitur, & Mediolani coronatur die* 27. *Nov. Inde ob tumultus bellicos in Italiâ manſit Senis toris ſex menſibus; inde profectus Romam venit, die* 21. *Maji, in feſto Aſcenſionis, & coronatur die* 31. *Maji, in feſto Pentecoſtes.* Cuſp. Chron. Belg.

ANNO MUNDI 5382. Æræ C. 1433.
D. ☉14. ☽9. *Ind.* 11.

Annus urbis 2185. *Iulianus* 1478.

Æra Hiſpanica 1471. *Auguſtorum* 1460.

Sigiſmundus inchoat annum imp. 23. *Joh.* 10.

Gelali annus 354 *incipit cum Æquinoctio verno.*

Anno ineunte nives quadraginta diebus continuata ſunt, magnâ ſtrage quadrupedum aliumque. Feræ neceſſitate famis ad pagos & oppida concurrebant, occîdi aut occidere paratæ. Marian.

Heinricus VI. rex Angliæ, adoleſcens, in Gallias evocatur à Ducibus, ad Gallos, qui ſubinde ad regem ſuum Carolum VII. deficiebant, in fide continendos, & coronatur rex Franciæ Pariſiis, & principes Galliæ ipſi jurant; inde per Pontificem, cùm pax inter Anglos & Gallos conciliari non poſſet; induciæ ſex annorum initæ ſunt, quæ tamen ſtatim ruptæ ſunt. *Polyd.*

Quodam die Mercurii, dicunt Annales Turcici, anno Heg. 336. ſub veſperam adeo lumen Solis deficit, ut tenebræ terram occuparent. *Hæc Eclipſis facta eſt die* 17. *Junii, fer.* 4. *& Viteberga quidem poſt meridiem horis* 4. *min.* 5, 54. *Conſtantinop. verò poſt horam* 5. *Parall. latitud.* 37, 34. *Latitudo vera* 36, 35.

Viſa

Viſa 0, 49. *ſemid. Solis* 15, 0. *ſcrup. reſidua* 30. 17. *digits eclipt.* 12, 8. *Sol in* 4, 20. *Cancri.*

Johannes *rex Portugalliæ moritur die* 21. *Auguſti, cùm regnâſſet annos* 48. *menſes* 4. *ſuccedit ipſi* Eduardus *filius, qui regnat tantùm annos* 5. Mar.

Annus Indorum 1524. *& Hegira* 837. *incipit* 17. *Aug. fer.* 2.

Olympias 552. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 2209.

Annus Diocletiani 1150. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus 6. *Jobelei* 28. *incipit* 15. *Sept. fer.* 3. *Anno Jud.* 5194.

Jacoba *Hollandiæ Comitiſſa nubit gubernatori ageris Martini, & accipit à Philippo auſtralem Hollandiam. Ipſe contra Philippus ſumit ſibi hæreditario Hannoniam, Zelandiam, Friſiam, & Hollandiam ſeptentrionalem.* Sigfrid.

Conradus *Moguntinus, & Landgravius Ludovicus diſſentientes, poſt vaſtationes plurimas prælio decernunt, & Moguntinus vincitur. Sic Trevirum urbs obſidetur fruſtra.* Trith.

Magdeburgenſes *cum Hallenſibus Epiſcopi ſui ditiones vaſtant, & oppida ejus occupant; Epiſcopus* Guntherus *interim in Concilio Baſilienſi de contumaciâ ſuorum queritur*, & fulmen excommunicationis *contra ambas civitates emittit, quot tamen minime terrebantur.* Spang.

Bernhardus *Dux Saxoniæ, Angriæ & Weſtphaliæ, Brandeburgenſi Electori bellum facit, & Brignitiam ſpoliat; ſed Brandeburgenſis cladem regerit, multa vaſtat, & Erdinburgum arcem cum oppido, ſolo æquat poſt quadriennium.* Crantz.

ANNO MUNDI 5383. Poſt C. 1434.
C. ☉ 15. ☽ 10. Ind. 12.

Ericus *Dux Saxoniæ, Angriæ & Weſtphaliæ, in Concilio Baſilienſi accuſat Imperatorem Sigiſmundum, quòd Electorem dederit Marchioni Miſniæ: Imperatus Erico prætendit incompetentiam fori, & jubet cauſam ad ſe remitti, cum proteſtatione ſolenni.* Conſt. Imp.

Pontifex *Eugenius IV.* quòd Columnenſes proceres exagitandos ſuſcepiſſet, à populo Romano, inſtigantibus Columnenſibus, Româ pellitur, actuario navigio per Tiberum evaſit in Franciſcano cucullo, veſte Pontificiâ abjectâ, telis lapidibusq; ab utrâque ripâ petitus, die 8. Julii; poſt menſes quinque tamen fit pax, & Columnenſes in gratiam recipiuntur. *Marian.*

Amurathes *Turcarum rex, Tomaro & Pindo môtibus tranſcenſis, continuo victoriæ curſu omnes regiones ad Iſthmum uſque incredibili celeritate domat, & Johannem Caſtriotum Epirotarum principem cogit, ut* Crojâ *urbe cedat, & filios tres, inter quos* Scanderbejus *fuit obſides mittat.* Func.

Ladislaus *Poloniæ rex, cum regnâſſet annos* 48. *& menſes* 3. *moritur die* 31. *Maji: ſuccedit* Ladislaus *filius, qui coronatur die* 25. *Julii. Evocatus hic fuit poſtea ad regnum Hungaricum, ceciditque ad* Varnam *poſt annos* 10. Chron. Pol.

Annus Indorum 1525. *& Hegira* 838. *incipit* 7. *Auguſti, feria* 7.

Carolus *Burgundus naſcitur die* 10. *Novembr. quem parens voluit nominari Carolum Martini.* Sigfrid.

Ludovicus *Andegavenſis in Italiâ moritur menſe Novemb. quem regina Johanna Apuliæ ſequitur die* 2. *Februar. anni ſequentis, & ita Aragonio occaſio datur occupandi regni Neapolitani.*

ANNO MUNDI 5384. Poſt C. 1435.
B. ☉ 16. ☽ 11. *Ind.* 13.

Amurathes *anno Heg.* 838. *iterum copias in Albaniam ducere jubet, ipſe interim Serviæ Deſpotæ filiam uxorem ducit, novercam futuram filii Mahumedis.* Annal. Turc.

Hallenſes diffidebant à ſuo Epiſcopo: Epiſcopus auxilium implorat concilii Baſilienſis, & inſuper adducit auxilia vicinorum principum, Electoris Saxoniæ & Landgravii Haſſiæ, Halam obſidet primo Maji. Cum res non procederet, & diuturna videbatur futura obſeſſio & periculoſa, ſolvitur, & arces quædam muniuntur propè Halam, quibus Halenſes plurimum impediebant: ideo pax facta ſequenti anno tolerabilibus conditionibus *Fab.*

Præneſte *urbs à Duce Pontificis Eugenii, Viteleſco funditus evertitur.* Platin.

Annus Indorum 1526. *& Hegira* 839. *incipit* 27. *Julii, fer.* 4.

Hoc anno Amurathes in Albaniâ plurimas prædas agit. Annal. Turc.

Alfonſus Aragonius ut regnum Apuliæ occuparet, Cajetam obſidet: Genuenſes contra, qui tum ſub ditione Philippi Ducis Mediolanenſis erant, commeatum in urbem inferre conantur, quibus Alfonſus cum fratribus ſuis obviam incurrit, ſed intrà pugnâ cum fratribus ſimul capitur die 5. Auguſti, fer. 6. & captivi ad Ducem Philippum Mediolanenſem ducuntur, qui ipſos liberaliter habet, & fœdere facto dimittit & Cajeta deditur die 25. Dec. Mediolanenſes hæc Ducis ſui humanitas adeò malè habuit, ut eo deſerto ſe in libertatem vendicarent. *Marian.*

Pax in Galliâ tentatur inter Gallos & Anglos ab Eugenio Pontifice, quæ quidem conciliari non potuit. Interim tamen hoc actum, ut Burgundus regi reconciliaretur, cùm rex multâ pecuniâ cædem Johannis Burgundi parentis Philippi expiaret; Angli deindè, cùm à Burgundo non ſolùm deſerti eſſent, ſed etiam oppugnarentur, magnis cladibus affecti ſunt. *Polyd.*

ANNO MUNDI 5385. Æræ C. 1436.
A.G. ☉ 17. ☽ 12. *Ind.* 14.

Fœdus hæreditarium inter domum Saxonicam & Haſſicam renovatur, cùm Heſſus filiam Electoris Saxoniæ uxorem duceret: aucta tum eſt Haſſia quatuor Comitatibus, cùm legitimi hæredes defuncti eſſent, Zigenhainenſi, Nidano, Catimelinbocenſi, & Dietiano. Fab.

Roſtochienſes *cives ſeditioſi ſenatum urbe ejiciunt & eam ob cauſam non ſolùm proſcribuntur, ſed etiam excommunicantur. Academici, ut excommunicatorum converſationem fugerent, abeunt* Grypsvvaldium, *ubique toto quinquennio manent, donec res componeretur.* Chyt.

Pariſii, *qui jam quindecim annis in poteſtate Anglorum fuerant, proditione quorundam ad Gallos redeunt, & fidelitatem jurant Carolo.* Polyd.

Bohemi bellorum pertæſi tandem ad Sigiſmundum legationem mittunt, & ad regnum Bohemicum evocant, hac conditione, ſi ſibi Euchariſtia in utrâque ſpecie concedatur, & excom-

 muni-

municatione ſolvantur. Utrunque præſtat ipſis Sigiſmundus, & Pragam intrat, ibique coronatur die 14. Auguſti. *Dubr.*

Annus Indorum 1527. *& Hegira* 840. *incipit* 15. *Jul. fer.* 1.

Annus Nabonaſſaris 2185. *& Philippi* 1761. *incipit die* 29. *Auguſti, fer.* 4.

Annus Alexandr. 1748. *Antioch.* 1485. *& Conſtantinop.* 6945. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdeg. 806. *incipit* 27. *Novemb. fer.* 3. *Armen.* 886. 30. *Novemb. fer.* 6.

Erneſtus *Dux Bavariæ formoſiſſimam juvenculam Auguſtanam, propterea quòd à filio ſuo nimium diligeretur, & conjugis loco haberetur, jubet de ponte Straubingenſi in Danubium præcipitari & ſuffocari. Ingens hic diſſenſio inter patrem & filium, quæ ſedari non potuit*, donec pater Eccleſiolam ad tumulum ejus ædificaret, & quotidie miſſam pro defunctâ cani juberet. *Trithe.*

Blondus Flavius Foroliviensis, Eugenii Pontificis Secretarius, qui multa ſcripſit, præcipue in hiſtoriis, claret. Sic *Gregorius Trapezontius* Eugenii orator inſignis claret, & Johannes *Regiomontanus* Francus eſt natus hoc anno. die 16. Junii, horis 4. poſt meridiem.

Philippus *Burgundus Caletum obſidet, ſed fruſtrà; cùm enim audiret, Jacobam Comitiſſam Hollandiæ defunctam, quæ annis 19. præfuerat, obſidionem ſolvit, & Hollandiam & reliqua, quæ ad Comitatum pertinebant, occupat, quibus præfuit annis* 31. Annal. Fland.

Eugenius Papa decretum facit de concilio Baſilienſi transferendo Ferrariam, cui decreto repugnant Præſides concilii. Sigiſmundus igitur ipſe, ne concilium diſſolveretur, Baſileam venit die undecimo Octob. ibique manſit usque ad Majum ſequentis anni. *Chron. Belg.*

ANNO MUNDI 5386. Poſt C. 1437.
F. ☉ 81. ☽ 13. *Ind.* 15.

Annus urbis 2189. *Julianus* 1482.
Æra Hiſpanica 1475. *Auguſtorum* 1464.
Sigiſmundus inchoat annum imp. 37. *Johan.* 14.

Annus Gelali Perſ. 358 *incipit cum Æquinoctio verno.*

Jacobus *rex Scotiæ, cùm annis ferè* 31. *regnâſſet viginti octo vulneribus inflictis in ſuo lecto trucidatur: Succedit filiolus* Jacobus, *puer ſex annorum, qui regnat annos* 23. *dictus eſt* Jacobus *ſecundus*. Buchan.

Dux Saganenſis irruit in Brandeburgici regiones & Francofurti *pontem & ſtrues lignorum cremat, pecoraque abigit: ſed cives & arma conclamantes hoſtem perſecuti, eum profligant, & prædam reducunt.* Munſt.

Sigiſmundus Imp. & Philibertus Conſtantienſis Epiſcopus legatus conſilii Baſilienſis, in Latinâ, Germanicâ, Bohemicâ, & Hungaricâ linguâ publicè promulgant, Bohemos communicantes ſub duplici ſpecie, panis ſcilicet & vini, eſſe legitimos & Germanos Catholicæ Eccleſiæ filios. Hæc promulgatio ad poſteritatem perpetuo monumento tabulæ Marmoreæ aureis literis inſcripta eſt, in æde corporis Chriſti. *Hiſt. Bohem.*

Annus Indorum 1528. *& Hegira* 814. *incipit* 5. *Julii, fer.* 6.

Luſitani in Africam expeditionem inſtituunt, die 12. *Auguſti, & Tingin urbem obſident, ſed malo fine. Mauri enim coacto exercitu, occidentes undique cingunt, ita & utrinque oppugnarentur, & ita incluſi tandem ſe dedunt. Maxima tamen eorum pars in Hiſpaniam redit.* Marian.

Amurathes *anno Hegiræ* 841. *in Hungariam irruit, & ſex caſtellis potitur*, Annal. Turc.

Concilium Baſilienſe bullam edit de Papæ Romani ſuſpenſione ab officio paſtorali, propter ejus lupinam Tyrannidem; item de non impediendâ Eccleſiæ reformatione in capite & in membris, & quòd Papa ſit ſubjectus concilio. *Quod niſi eſt*, inquiunt, *quis unquam Romano Pontifici quamdam improbiſſimo contradiceret?* Hæc bulla publicè promulgata eſt die 17. Januarii, anni ſequentis. *Conſt. Imp.*

Sigiſmundus, *cùm imperâſſet annos* 37. *anno ætatis ſeptuageſimo moritur die* 9. *Decembr. cùm priùs primores regni Hungaros & Bohemos obteſtatus eſſet, ut generum ſuum Albertum Auſtriæ Ducem, ſucceſſorem ſuum & regem nominarent; ſepelitur Varadini.* Cuſp.

Ludovicus *Bavariæ Elector ſenio confectus & inſuper cæcus, qui præfuerat annis* 27. *moritur ultimo Dec. Succedit ipſi filius* Ludovicus, *qui præfuit annis* 13. Avent.

ANNO MUNDI 5387. Poſt C. 1438.
E. ☉ 19. ☽ 14. *Ind.* 1.

Albertus *Dux Auſtriæ, Sigiſmundi gener, eligitur Imp. ab Electoribus imperii in medio Quadrageſima, die* 20. *Martii. Ter coronatur hoc anno, ſtatim Calendis Januarii rex Hungariæ, die* 6. *Maji rex Bohemiæ, & die* 30. *Maji Imperator.* Cuſpin. *in Bohemiâ contrà menſe Martio Huſſitæ eligunt alium regem* Caſimirum, *fratrem regis Poloniæ, qui quidem monetur à principibus imperii, ne Imperatoris regnum turbet; ſed cùm non audiret, Albertus Imp. cum Electore Saxoniæ eum pellunt in turpem fugam.* Fabr.

Johannes Imperator Conſtantinopolitanus cum Demetrio Peloponneſii principe Venetias venit die 9. Feb. fer. 1. Inde magno Comitatu proficiſcitur Ferrariam, ubi Pontifex inchoârat concilium, ubi ſeſſiones aliquot habitæ, & diſputatum fuit de controverſis articulis, de proceſſione S. S. & de aliis, ſeſſionesque ibi habentur ſedecim, donec peſtis ingrueret, & abſque periculo Ferrariæ nemo eſſe poſſet. *Annal. Suev.*

Franciſcus *Sfortia, qui hactenus Venetis & Pontifici militârat, relictis iis ad Philippum Ducem Mediolanenſem ſe confert, ejusq; filiam unicam* Blancham *uxorem ducit; à Philippo tamen ſocero in quibusdam diſſentiens idem deficit iterum ad Venetos, à quibus in ſingulos menſes accepit ſtipendium quatuordecim aureorum millium.* Juſt.

Annus Indorum 1529. *& Hegiræ* 842. *incipit* 24. *Junii, fer* 3.

Pragmatica ſanctio, quam ſtatuerant in concilio Baſilienſi Patres communi conſenſu, in quâ capita, quibus Eccleſiaſtica dignitas conſervari poſſet, digeſta erant, publicatur Lutetiæ, juſſu regis, 7. Junii. Hanc Pontifices ſemper poſtea impugnârunt, & hæreticam appellârunt. *Gaguin.*

Auguſtani impetrant diploma ab Imp. de expellendis Judæis; jubentur igitur Judæi proſpicere rebus ſuis, & domos vendere biennii ſpatio, & exceſſerunt urbe anno 1440. die 8. Julii. *Annal. Suev.*

Eduardus *rex Portugalliæ, cum regnaſſet annis 5. moritur die 19. Septemb. fer. 6. quando ſimul incidebat Eclipſis Solis: Succedit ipſi filius* Alfonſus *puer 6. annorum, qui regnat annis* 46. Marian.

Eclipſis illa Solis eodem die invenitur poſt mediam noctem, horis novem, excepto minuto unico cum 15. ſecundis. Parall. lat. eſt. 28. 32. Lat. vera 18. 49. Viſa 9. 43. Semid. Solis 15. 30. Scrup. reſidua 20. 59. Digiti eclipt. 8. 7. Sol in 4. 38. Cancri.

Fridericus Elector evocatus in Bohemiam, fraudulenter invaditur à Bohemis & Sternbergio: in anguſtiis igitur conſtitutus, adhortatur ſuos ad fortitudinem, & ut velint ſe pugnantem imitari: fortiter igitur invadit Bohemos, eosque vincit & fugat, quorum & quatuor millia cadunt, ultra duo millia capit, qui in cuſtodias diſtributi per urbes Miſnenſes, cum Elector eos redimi nollet, in carceribus perierunt, excepto Duce; accidit pugna menſe Octob. *Fab.*

Philippus *Dux Burgundiæ infert Brugenſibus bellum, quod duravit annis duobus, & Brugenſes victi imperium in Sluſenſes amittunt. Eodem hoc anno aggeribus ruptis Hollandia & Batavia aquis obruta fuit, Gandavum contra exuſtum.* Sigfrid.

Amurathes contra Georgium Serviæ Deſpotam, ſocerum ſuum, proficiſcitur. Georgius verò viribus impar in Hungariam auxilia adducturus proficiſcitur: & regnum interim Stephano filio commendat. *Bonfin.*

ANNO MUNDI 5388. Poſt C. 1439.

D. ☉ 20. ☽ 15. Ind. 1.

Concilium Baſilienſe die 20. Febr. ſcribit ad omnes ordines imperii de promovenda reformatione Eccleſiæ in capite & in membris, ut ei Papa ſubjiciatur, & quod Papa non habeat poteſtatem mutandi concilia, & quod tyrannicè agens ab officio Papali debeat ſuſpendi, aut ſi non reſipiſcat, deponi. *Conſtit. Imp.*

Florentiæ in Italia continuatur Concilium, quod inchoatum erat Ferrariæ, & die 26. Febr. fer. 5. habetur prima ſeſſio, ut & 24. Martii, fer. 3. altera. In hoc concilio Imp. & alii Conſtantinopolitani agnoſcunt primatum Papæ & conſentiunt in aliis articulis, & ita concordia inſtituitur die 22. Novemb. ſed domum reverſi, à reliquis Græcis malè accipiuntur, & acta reſcinduntur. *Laonic.*

Amurathes Synder oviam, Gregorii Deſpotæ ſoceri ſui, urbem munitiſſimam capit, filios ejus, cum audiſſet eum in Hungaria eſſe, adductum auxilia, exoculatos & emaſculatos in carcerem conjicit, & Belgradum aliquot ſeptimanis obſidet. Deſpota interim auxilia adducit, quo audito Amurathes obſidionem ſolvit, & in hyberna diſcedit. *Albertus* autem Imperator, qui ſimul in exercitu erat, morbo corripitur, exercitus diſſenteria affligitur, & ipſe nimio peponum eſu abuſus moritur, die 27. Octob. cum imperaſſet annum tantum & ferè novem menſes. Reliquit uxorem gravidam, quæ peperit ſequenti anno die 21. Februarii filiolum *Lapislaum Poſthumum.* Tidua verò, cùm regnum in tanto diſcrimine propter irruentes Turcas eſſet, ex conſilio procerum evocat Ladislaum Poloniæ regem ad conjugium, quem tamen, ut regnum Poſthumo conſervaret, poſtea repudiat, & ipſa fugit Viennam in Auſtriam. *Bonfin.*

Annus Indorum 1530. *& Hegira* 843. *incipit die 17. Junii.*

Eugenius Papa à concilio Baſilienſi aliquoties citatus, cum non comparuiſſet, Pontificatu indignus judicatur, & deponitur à concilio, die 25. Junii. In ejus locum eligitur Amedæus Sabaudiæ. Dux, qui hactenus fuerat Eremita; & dictus eſt *Felix V.* qui ſedit annis 10. Perniciosiſſimum ſchiſma hoc iterum fuit cum aliqui Eugenio, alii Felici; aliqui neutri adhærerent. Eugenius adeò iratus fuit Arelatenſi Epiſcopo, qui autor præcipuus fuerat ſententiæ in Eugenium, ut 60. millia coronatorum promitteret ei, qui Arelatenſem captivum adduceret. *Vrb.*

Novi motus in Caſtellæ regno oriuntur: Principes enim quidam, quòd rex alieno conſilio regeretur, rebellant, Rex ut hoſce motus ſedaret, cum Aragoniis pacem facit, iisque aliquot urbes reſtituit, atque ita etiam motus quieſcunt. Marian.

Carolus VII. *Galliæ rex Normanniam Anglis eripere conatur, ſed binis cladibus afficitur. Inter hoſce periculoſiſſimos motus inſuper* Ludovicus *filius deficit, qui tamen per quoſdam patri reconciliatur, & autoribus ignoſcitur.* Polydor.

Fridericus Landgravius Thuringiæ & Marchio, filius Balthaſaris, moritur ſine liberis, ideò Fridericus Elector & frater Wilhelmus ſuccedunt. Renovata tum *res nummaria* eſt, percuſſique nummi cum capite Judæi pileato, quorum viginti valerent aureo Rhenano, item nummi minores, quorum ſexaginta valerent aureo Rhenano, quo facto exteri nummi minus probati ex hiſce regionibus exterminati ſunt. *Fab.*

ANNO MUNDI 5389. Æræ C. 1440.

C. B. ☉ 12. ☽ 17. *Ind.* 3.

Sigiſmundus, Elector Saxoniæ, Friderici frater, eligitur Epiſcopus Wurzburgenſis die 2. Februar. & quidem in initio modeſtè ſe gerit, ſed poſtea ad ingenium redit, & omnia crapula & libidinibus polluit: ideo accuſatur apud Imp. & tandem deponitur, & ferè à fratribus in cuſtodia habetur uſque ad mortem, per annos 14. *Fab.*

Fridericus *Archidux Auſtriæ, anno ætatis 26. eligitur Imperator ab Electoribus, menſe Martio, coronatur die 17. Junii, imperavit annis 53.*

Bohemi, neglecto Ladislao Poſthumo infantulo filio Alberti regis ſui, Albertum Ducem Bavariæ regem ſibi eligunt, eumque evocant; ſed Albertus, regio animo uſus, regnum, quod non niſi excluſo vero hærede ocupare poterat, repudiat. *Sylv.*

Annus Indorum 1531. *& Hegira* 844. *incipit 2. Junii, fer. 5.*

Eliſabeth *vidua Lucelburgenſis moritur hoc anno; hæredem ſe profitetur* Wilhelmus *Dux Saxoniæ, ſed Philippus Burgundus viribus ſuperior, eum Ducatum invadit: de eo aliquandiu certatur.* Sigfrid.

Annus Nabonaſſar. 2189. *& Philippi* 1765. *incipit 28. Aug. fer. 1.*

Annus ſabbathicus 7. Jobelei 28. incipit 29. Aug. fer. 2. Anno Jud. 5201.

Annus Alexand. 1752. *& Antioch.* 1489. *& Conſtantin.* 6949. *incipit 1. Octob.*

Annus Jezdegird. 810. *incipit 26. Novemb. fer. 7. Armen.* 890. 29. *Novemb. fer. 3.*

Sfortia *ſoceri ſui Philippi Ducis Mediolanēſis copias fundit, Brixiā commeatu juvat, & Veronā, quā à Gōzaga & Philippo capta erat ex improviſo, quarto die*

recipit, Gonzagam ipſum trucidat, & in hyberna diſcedit. Juſtin.

Magiſter Teutonici ordinis in Boruſſia ſubditos crudeliter tractat: ſubditi vero fœdere facto leges promulgant de juſtitia adminiſtranda. Chyt.

Typographica ars excogitatur circa hoc tempus à Johanne Gutenbergio, aurifice Argentinenſi, publicatur primum Moguntí magnis autoris ſumptibus, eandem poſtea auxit Johannes Mentel Argentinæ, item Sixtus Ruſinger Argentinenſis, qui eandem traduxit Neapolin in Italiam. Eodem ferè tempore Udalricus Hahn Germanus eandem Romæ exercuit, quem multi putaverunt ex Gallia oriundũ eſſe, cum ſe in cognomine latinè ſcriberet Gallum Wimpff. Cap. 65.

ANNO MUNDI 5390. Æræ C. 1441.
A. ☉ 22. ☽ 16. *Ind.* 4.

Annus urbis 2193. *Iulianus* 1486.
Æra Hiſpanica 1479. *Auguſtorum.* 1468.
Fridericus incipit annum imperii 2. *Johan.* 18.
Annus Gelali Perſ. 362 *cum Æquinoctio verno.*

Triennio ferè ante cladem Varnenſem *Theodorus* Conſtantinopolitanus, frater Imperatoris, iratus, quod à fratre regione aliqua ſpoliaretur, impetrat ab Amurathe auxilia contra fratrem, & Conſtantinopolin obſidet: ſed fruſtra tamen, cum Johannes fortiſſimè ſe defenderet, & ipſe ſtipendia Turcis ſolvere non poſſet. *Laon.*

Annus Indorum 1532. *& Hegiræ* 845. *incipit* 22. *Maji, feriâ.* 2.

Sfortia hoc anno vires Philippi ſoceri Ducis Mediolanenſis adeò bello atterit, ut actum videretur de ejus principatu: Ideo pax per Eſtenſem interpretem quæritur, & pax facta poſt quartum annum ex quo bellari cæptum. Eodem hoc anno Ravenna Veneti potiuntur. *Juſtin.*

Bellum hoc anno exortum inter Gandavenſes & Philippum Ducem, quod crudeliſſimè geſtum eſt per triennium Sigfrid.

Fridericus *Marchio & Elector Brandeburgenſis, cum dignitatẽ Electoralem annis* 24. *obtinuiſſet, moritur die* 21. *Septem. Succedit ipſi in dignitate hac* Fridericus *filius, qui eum obtinet annis* 29. Chyt.

Anno Heg. 845. Amurathes mittit Meſibegum Ducem, qui per Walachiam in Hungariam penetraret. *Hunniades* nuper à Ladiſlao novo rege Hungariæ Waivoda in Tranſylvania conſtitutus erat, hic ſe acriter Meſibego opponit, & eum cum univerſis copiis delet, fuerunt ferè octoginta millia. *Annal. Turc.*

Hollandi *cum Orientalibus* Hanſæ *civitatibus bellum hactenus geſſerant per triennium ferè, hoc eſt cum Lubecenſibus, Hamburgenſibus & aliis. Hoc anno, cum Hanſæ civitates magna clade affecti eſſent, & naves ſuas amiſſent, facta ſunt induciæ.* Annal. Fland.

ANNO MUNDI 5391. Æræ C. 1442.
G. ☉ 23. ☽ 18. Ind. 5.

Annus Indorum 1533. *& Hegiræ* 846. *incipit die* 12. *Maji. fer.* 7.

Amurathes Beglerbegum cum univerſis copiis & Genizaris miſit, ut peragrata Walachia in Hungariam irruerent: mittitur cum Beglerbego ſimul *Scanderbegus*, qui olim à patre Caſtrioto cum tribus fratribus obſidum loco traditus fuerat, nomen ipſi fuit Georgio, ſed Turcæ propter ejus magnifica facta ipſi Scanderbego nomen fecerunt. Hic deſiderio augebatur Patriæ Epiri, & paterni regni, quòd Amurathes totum ſibi vendicaverat. In expeditione igitur illa nuncios de ſua voluntate ad Hunniadem mittit, & in ipſo prælio à Turcis ſecedit: præcipuos Baſſas & ſecretarium capit, jubetque ut literæ nomine Amurathis fiant, & ſigillo ejus ſignentur, quibus ſibi Croja paterna urbs, & totum Epiri regnum, ut præfecto ſummo conſtituto tradi mandabatur; inde omnes hoſce Baſſas cum ſecretario occidit, ne res enunciaretur. Hunniades verò interim exercitum Turcicum vicerat, & ad triginta millia occiderat, quinque ceperat, *Scanderbegus* ſumtis literis illis fictis Crojam venit, admittitur, & prior præfectus ipſi cedit, atque ita toto patrio regno potitur, baptiſatur ſtatim, & bellum contra Amurathem apparat. *Vrsb.*

Alfonſus *rex Aragoniæ, cum Neapolin diu obſediſſet, eandem per inſidias capit die* 2. *Junii fer.* 7. *per aquaductum ingreſſus. Hoc modo regnum Neapolitanum Aragoniis ceſſit, & Renatus Andegavenſis Dux Lotharingiæ pellitur.* Annal. Fland.

Concilium Baſilienſe die 6. Octob. promittit Imperatori Friderico, ſe, ſi ita velit, & ipſis ſalvo conductu atque privilegiis rectè caveatur, concilii locum mutaturos eſſe, quod aliàs ad voluntatem Pontificis non facerent. *Conſt. Imp.*

Amurathes *reparato exercitu, ipſe contra Ladiſlaum in Vngariam progreditur, & levioribus præliis factis propter frigus bellum omittere cogitur, unde Deſpota Serviæ reconciliatur Amurathi, anno Heg.* 846. Annal. Turc.

Vinum hoc anno copioſum crevit, adeò ut vehes venderetur duobus florenis. Frugum etiam magna copia fuit: ſecuta eſt hyems diuturna. Trith.

ANNO MUNDI 5392. Æræ C. 1443.
F. ☉ 24. ☽ 19. *Ind.* 6.

Alfonſus, cum ſuperiori anno Neapolin atque ita totum regnum Apuliæ occupaſſet die 26. Februar. Neapoli triumphat, & cum Pontifice Eugenio fœdus facit, qui quotannis octo millia unciarum auri pendit. *Marian.*

Annus Indorum 1534. *& Hegira* 847. *incipit* 1. *Maji. fer.* 4.

Amurathes Turcarum rex in Natoliam proficiſci cogitur, propter Germaniæ principes, qui cladibus hiſce Turcarum auditis, bellum Amurathi, ut ſua recuperarent, inferebant. Sic Helleſpontus à Florentinis invaditur, & Hunniades inſuper exercitum colligit, nec quieſcit Scanderbegus, quapropter Amurathes de pace ineunda cum Ladiſlao agit, & per legatos & per Serviæ Deſpotam ſocerum, cui omnia ſua reddit, & tandem pacem impetrat decennalem, quæ die 13. Junii & literis & juramento confirmatur, facta pax anno Heg. 847. *Annal. Turc.*

Eugenius Papa die 28. Sept. dimittit concilium Florentinum, & Romam abit; ſtatim tamen edicit novum concilium ad Lateranum Romæ, ut autoritatem Baſilienſis concilii infringeret. *Plat.*

Leonhartus Aretinus, qui multa in Ariſtotele, Plutarcho, & in reliquis autoribus Græcis Latinè vertit, moritur Florentinæ. *Trith.*

ANNO

ANNO MUNDI 5393. Æræ C. 1444.
E D. ☉ 25 ☽ 1. *Ind.* 7.

Pontificem Eugenium malè habet, quod Ladislaus decennis pacem cum Amurathe firmaſſet, quapropter mittit legatum Julianum, qui pacem infringat, & Ladislao perſuadeat, juramentum hoſtibus Eccleſiæ factum nullius eſſe momenti: *ſcribit etiam ad Imperatorem de auxilio Polono mittendo. Comitia de hac re Norimbergæ habentur, ubi quidem concluſum de bello Turcis inferendo, ſed res effectu caruit.* Trith.

Ludovicus Gibboſus Bavariæ Dux, Ludovici Barbati filius, quod exhæreditatus eſſet, patrem auxilio Alberti Brandeburgici bellum perſequitur, pleriſque urbibus ad Danubium occupatis, ac Neoburgo expugnato ipſum capit, captumque Alberto Brandeburgico pro ſumptibus belli tradit, qui tamen poſtea per Heinricum Patruelem magna vi auri redimitur. *Avent.*

Baptiſta Mantuanus, Poeta & Carmelitarum prior generalis naſcitur 12. Aprilis.

Annus Indorum 1535. & *Hegira* 848. *incipit* 19. *April.*

Suſatenſes repudiato Epiſcopo Colonienſi ſe dedunt Duci Clivenſi, Colonienſis vero, collecto exercitu, Weſtphaliam multis in locis vaſtat, Suſatenſium villas, caſtella & munitiones deſtruit, multosque captivos abducit. Trith.

Ludovicus Caroli VII. regis Galliæ filius, à Friderico Imp. incitatus, cui controverſiæ erant cum Helvetiis, & qui cupiebat concilium Baſilienſe diſſolvi, cum 30. millibus in Alſatiam & Helvetios irrumpit: ab Helvetiis contra mittuntur tria millia ferè Baſileam, qui iniquo loco deprehenſi ad unum omnes cadunt, nequaquam tamen inulti, & fuit victoria Gallis lugubris & cruentiſſima, nec Ludovicus ulterius pergere potuit. Reliqui Helvetii, qui tum Tigurinum ſuum pagum obſidebant, audita hac clade obſidionem ſolvunt. *Siml.*

Annus Nabonaſſar. 2193. & *Philippi* 1769. *incipit* 27. *Aug. fer.* 5.

Annus Alexandr. 1756. *Antioch.* 1493. & *Conſtantinop.* 6953. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Jezdegird. 814. *incipit* 25. *Novemb. fer.* 4. *Armen.* 894. 28. *Novembr. fer.* 7.

Julianus Cardinalis perſuaſerat *Ladislao* Poloniæ & Hungariæ regi, *hoſti religionis Chriſtianæ Amurathi fidem ſervandam non eſſe*, ideò exercitum colligit, & in Thraciam movet. Amurathes tum in Natolia erat, & latini tranſitum cuſtodiebant, ſed cum ventus validus exoriretur, claſſis Imp. & Pontificis propter tempeſtates in cuſtodia eſſe amplius non potuit, qua occaſione uſus Amurathes per otium tranſportatus eſt, & ad Varnam noſtris occurrit, & Hungari fortiſſimè præliantur, & Aſiathicos milites fugant. Sed Auxiliares Ladislai Daci interim in caſtra Amurathis irruunt, & ingenti præda potiuntur, nec in prælium redire volunt. Hunniades verò verſatur in prælio acerrimè, cui invidentes Hungari, hortantur regem Ladislaum, ut & ipſe hoſtes invadat, quod & facit. *Amurathes in anguſtiis conſtitutus concipit preces, vovetque ſe monachum futurum*, & ita contra Ladislaum prælium init, ibi Hungari malè ſuum regem cuſtodiunt, qui aliàs anthrace laborabat, & cum trucidari non ſentiunt, unde Turcæ animoſiores facti, victoria potiuntur. Cadit poſtea in fuga *Julianus* etiam Cardinalis, Hunniades in magno diſcrimine effugit.

Fridericus Imperator Wilhelmo Saxoniæ Duci pro certa ſumma pecuniæ tradit Ducatum Luzelburgenſem, qui eò mittit gubernatorem cum exercitu, Comitem Glichenſem. Duciſſa Bavarica Jacoba, quæ hæres erat Ducatus ejus, ſi in fœminas deſcendere poſſet, ſuum jus vendit Duci Burgundiæ Philippo, qui omnia præparat, & captata occaſione menſe Novembri Glichenſem obſidet diebus ſeptendecim, & tandem intempeſta nocte urbem Luzelburgum proditione civium expugnat, & Glichenſis ex præſidio, cum incendio urgeretur vix evadit, Miſnenſes omnes cedere urbe juſſi in Thuringiam redeunt. *Fab.*

ANNO MUNDI 5394. Æræ C. 1445.
C. ☉ 26. ☽ 2. Ind. 8.

Annus urbis 2197. *Julianus* 1490.
Æra Hiſpan. 1483. *Auguſtorum.* 1472.
Sigiſmundus incipit annum imper. 6. *Johan.* 22.
Annus Gelali Perſ. 366. *incipit cum Æquinoct. Verno.*

Annus Indorum 1536. & *Hegira* 849. *incipit die* 9. *April. fer.* 6.

Amurathes voverat in prælio, ſe *monachum ſuæ religionis futurum*, ideò relicto regno in Aſiam diſcedit, & filium Muhamed regem declarat, & Magneſiam abit. Genizeri improbant ejus conſilium & Adrianopolin incendunt, & in incendio diripiunt. Muhamed igitur, ut eos placaret, ad diurnum ſtipendium dimidium Aſpri adjicit, neque tamen impetrat, ut ſe regem habere velint, ſed potius patrem revocant, & Mahumedem relegant, anno Heg. 849. *Zacuth.*

Bohemi, *cum non haberent regem, legatum mittunt ad Fridericum Imperatorem ut regnum ſuſcipiat, vel tantum ſit tutor pupilli hæredis. Sed neutrum facit, potius hortatur Bohemos, ut ipſi conſtituant gubernatorem. Hac ratione Georgius* Pogiepracius *conſtituitur gubernator regni, qui præeſt annis* 26. Sylvius.

Hunniades in feſto Pentecoſtes conſtituitur à proceribus regni, gubernator regni Hungarici, qui ſtatim Friderico Imp. infert bellum, quod Ladislaum infantem, & regem Hungariæ in regnum remittere nollet. *Dubr.*

Aragonii *in Hiſpania cum aliis contra regem Caſtellæ inſurgunt; ſed vincuntur, prælio commiſſo die* 19. *Maji fer.* 4.

Olympias 555. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 2221.

Annus Diocletiani 1162. *incipit* 29. *Aug.*

Comes Suartzburgenſis Heinricus depopulatus fuerat Baronis Gerani oppida Fridericus Elector tutor defendit Pupillum & hac ratione offendit fratrem Wilhelmum: inde Wilhelmo, quod cuperet ducere uxorem, permittitur, ut dividat provincias, Friderico verò ut eligat. Fridericus eligit Thuringiam, Wilhelmus reclamat, inde orta diſcordia, quæ in bellum quinquennale erupit. Conſultatum inde eſt de ſarcienda fratrum diſcordia, inter provinciales Epiſcopos, Abbates & nobiles, ſed nihil effectum eſt, cum Apel de Vizthum ſuperbior eſſet apud omnes, & tamen apud Wilhelmum gratioſiſſimus. *Fab.*

Mahumed *Saracenus in Africa regem Granatæ Saraceno*

racenum regno pellit, menſe Septemb. menſe Hegira Giumadi ſecundo, qui hoc anno incipit die 15. Septemb. Mariana.

Heinricus *rex Angliæ uxorem ducit Margaretham Andegavenſium Ducis filiam, fœminam honoris appetentem & ſagacem, quæ maritum ſuum poſteà ſtrenuè defendit.* Polyd.

ANNO MUNDI 5395. Æræ C. 1446.
B. ☉ 27. ☽ 3. *Ind.* 9.

Annus Indorum 1537. *& Hegira* 850. *incipit* 29. *Mart. fer* 3.

Mare ad Dordracum die 17. Aprilis Dominica Palmarum, ruptis aggeribus, plusquam centum hominum millia, cum infinita pecorum multitudine, interemit. ſecutum eſt gelu die 29. Aprilis, quo vites perierunt. *Trith.*

Fridericus *bellum Helvetiis indixerat, quod tamen exiguis viribus geſtum fuit, quòd ipſi auxilia ab imperio non mitterentur, ideò ſopitur hoc anno die* 26. *Maji, fer.* 5. *poſt Pentecoſten. Eodem anno Comitia Francofurti celebrata de diſſidio conciliorum Florentini & Baſilienſis.* Ann. Suev.

Wilhelmus Landgravius Thuringiæ nuptias inſtituit cum Anna, Alberti Imperatoris filia Ienæ. menſe Junio. Eodem nuptiarum die Elector Fridericus inſtituit conventum Lipſiæ, ubi agitur de injuriis Appeli de Vietzthumb, qui author erat diſſidiorum inter fratres Wilhelmum & Electorem; fama ſtatim effertur Jenam, & nuptiarum lætitiæ interrumpitur. Sed Brandenburgicus occurrens Electori ſuadet, ut à bello abſtineat, & perſuadet: Sed Wilhelmus urget bellum, & Epiſcopi Numburgenſis ditiones vaſtat. Interim nobilitas ut plurimum diſcedebat à Wilhelmo, quod Appel de Vietzthumb ſuperbiùs ſe gereret. *Fab.*

Amurathes *revocatus ad regnũ, Peloponneſum invadit, quæ munita erat muro, ſed cum ingenti exercitu murum illum ſuperaſſet, Peloponneſum ſibi ſubjicit, eique tributum imponit, anno Heg.* 850. Ann. Turc.

Colonienſis iterum Suſatenſes obſidet, & oppugnat; ſed cives erumpentes magno afficiunt Archiepiſcopum damno, & plurimos captivos abducunt. *Trith.*

Eugenius Papa, Philippus Mediolanenſis, & Alfonſus rex fœdus faciunt contra Sfortiam, cumque Piceno ferè pellunt: ideò Sfortia ſollicitatus à Papa, ad Philippum Mediolanenſem ſocerum redit, & bello in Venetos excitato ſoceri partes defendit, paulo antequam Eugenius Papa moreretur. *Juſtin.*

Glóceſtriæ Dux in Anglia, cum regno Angliæ tutorio nomine per annos 15 *optimè præfuiſſet, ſtrangulatur ab improbis in Anglia, connivente rege: cauſa affertur, quod in vindicandis delictis ſeverior fuerit.* Polyd.

ANNO MUNDI 5396. Poſt C. 1447.
A. ☉ 28. ☾ 4. *Ind.* 10.

Eugenius Papa, qui ſederat annos ferè ſedecim, moritur die 23. Februarii. Succedit ipſi Thomas de Suſanna Lucenſis, modicis parentibus ortus, qui Nicolaus V. vocatus eſt, ſeditque annis octo. Ingens hic fuit fautor literarum, nec quiſquam unquam fuit, cui plures inſcripti ſint libri: Bibliothecam Vaticanam, miſſis viris literatis in omnes Europæ partes, plurimis libris, qui majorem negligentiam ferè perierant, Romæ auxit, in qua circiter tria millia librorum volumina condidit. *Plat*

Annus Indorum 1538. *& Hegira* 851. *incipit* 18. *Martii.*

Proceres in Thuringia conquerentes de faſtu Vietzthumii, cujus arbitrio omnia in aula gerebantur, Erphurdiæ quaſi ad *Bacchanalia* conveniunt, ibique fœdus inter ſe contra Wilhelmum faciunt, & Electorem hortantur, ut ſuo honori conſulat. Ideò Wilhelmus hos bello ſequitur: Erneſtus Comes Glichenſis contra ex partibus Electoris, Vietzthumii pagos & oppida deprædatur Vicini principes Brandenburgicus & Haſſus, fratribus conventum indicunt, ſed nihil ibi agitur, tamen induciæ fiunt uſque ad alterum conventum, ad diem 24. Martii: nec ibi quippiam agitur, cum Oratores cauſæ agendæ omnia atrociſſimè exponerent, & diſcordias augerent. Interim Vietzthumius ex Bohemia militem accerſit, cum Wilhelmus ſubditorum milite ferè deſtitueretur, id tamen perficitur, ut etiamſi adductus miles eſſet, tamen fierent induciæ uſque ad 1. Septembr. ubi conveniretur Mulhuſii: Interim hoſpites Bohemi valdè moleſti erant Wilhelmo cum ſtipendia ſibi perſolvi vellent: & commodum accidit, ut Archiepiſcopus Colonienſis hoſce Bohemos evocaret ad debellandos Suſatenſes, quod factum in feriis Pentecoſtes. *Fab.*

Clivenſis Dux Suſatum, a civibus accerſitus acriter defendit, & urbem ſibi uſurpat contra Archiepiſcopum Colonienſem, qui Bohemicum exercitum, & Miſnenſem ex Thuringia evocat, & urbem obſidet, & valde concutit muros per integrum menſem. Inde eum die 19. *Julii oppugnat, ſed fortiſſimè repellitur, cum in urbe eſſet Clivenſis filius Johannes, & amittit ad ſex millia hominum. Ideò ſolvit obſidionem, & Montenſem Ducatum crudeliter vaſtat, militemque dimittit.* Fab.

Annus ſabbathicus 1. *Jobelei* 29. *incipit* 11. *Sept. fer.* 2. *Anno Jud.* 5208.

Conventus *Mulhuſinus de pace agitur, in cauſa Landgravii & Electoris fratrum, menſe Septembri, ubi tandem autoritate Principum inter fratres qualiſcunque pax conciliatur.* Fab.

Amurathes Albaniam movet, & Scanderbegi fines rapines exhaurit, & aliquot urbes in Epiro etiam obſidet, ſed jam capere non poteſt, ideò hyeme ingruente obſidionem ſolvit, & exercitum reducit. *Laon.*

ANNO MUNDI 5397. Æræ C. 1448.
G. F. ☉ 1. ☽ 5. *Ind.* 11.

Annus Indorum 1539. *& Hegira* 852. *incipit die* 7. *Mart. fer.* 5.

Civile *bellum iterum inter Sueviæ urbes & Wirtebergicum excitatum eſt, in quo vineta Wirtebergica caſa ſunt & Ulmenſes cladem acceperunt.* Ann. Suev.

Scotiæ inteſtinis diſcordiis ſub rege puero agitatur, ideò Angli exercitum adducunt. Sed Scoti contra externum hoſtem, obliti contentionum proficiſcuntur, & Anglos fortiter repellunt, caſis tribus millibus, & plurimis captis, inde fiunt induciæ in triennium. Buch.

Matthæus *Palmerius* Florentinus, qui Euſebii Chronicon continuavit uſque ad hunc annum, cum de Anglis perverſè ſentiret, apud Curnam civitatem exuſtus eſt. *Trith.*

Philippus *Dux Mediolanenſis, qui Italiam multis bellis turbaverat, moritur die* 8. *Auguſti.* Platina *Mediolanenſes interim, cum Sfortia eodem tempore Vene-*

Venetos viciſſet, metuunt, ne Sfortia Ducatum Mediolanenſem occuparet, & ſibi libertatem adimeret, auxilia Sfortiæ ſubducunt, ne quid amplius moliri poſſit. Ideò Sfortia ad Venetorum ſocietatem redit; & Mediolanenſes oppugnat. Juſtin.

Eclipſis Solis à Trith. & Platina annotatur hoc anno, die 29. Auguſti, in meridie, eaque ſic invenitur, quod facta fuerit Tubingæ horis decem & minutis 23. 4. poſt mediam noctem. Parallaxis latitudinis 27. 4. Latit. vera 20. 2. Viſa 7. 2. Semid. Solis 15. 21. Scrupula reſidua 22. 45. Digiti 8. 53. Sol in 14. 36. 28. Virgin.

Annus Nabonaſſaris 2197. & Philippi 1773. incipit 26. Aug. fer. 2.

Alexandræus 1760. & Antioch. 1497. & Conſtantinopol. 6957. incipit 1. Octobr.

Annus Jezdegird. 818. incipit 24. Novemb. feriâ 1. Armen. 898. 27. Novemb. fer. 4.

Amurathes iterum in Epirum proficiſcitur, & Venetos monet, ne Scanderbegum juvare velint, vel etiam recipere in ſuis ditionibus, & Crojam urbem arctiſſimè obſidet, mœniaque tormentis deſtruit: verùm cum audiret, Hunniadem ipſi bellum moliri obſidionem ſolvere cogitur. *Laon.*

Johannes Imperator Conſtantinopolitanus, cum ferè annis 25. præfuiſſet, moritur: Succedit ipſi *Conſtantinus* Palæologus filius, qui præfuit annis quatuor, & aliquot menſibus, ſed magna exoritur ipſi cum fratribus diſcordia, qui in Peloponneſo ditiones habebant, & Amurathem de auxiliis ſollicitabant, nec repulſam patiebantur, ut ita inter ſe conficerentur. *Laonic.*

Nicolaus Cuſanus Germanus, ob eruditionem ferè pro miraculo habitus, eligitur Cardinalis die 30. Decemb.

ANNO MUNDI 5398. Æræ C. 1449.
E. ☉ 2. ☽ 6. *Ind.* 12.

Annus urbis 2201.	*Julianus* 1494.
Æra Hiſpan. 1487.	*Auguſtorum.* 1476.

Fridericus inchoat annum imperii 10. Conſtant. 1.

Annus Gelali Perſ. 370. incipit cum Æquinoctio verno.

Annus Indorum 1540. & Hegira 853. incipit die 14. Feb. fer. 2.

Imperator Fridericus perſuadet Felici Antipapæ, ut cedere velit, nec Eccleſiam diſtrahere, quod & fecit. Hoc Pontifici adeò placuit, ut Felicem Cardinalem faceret, & legatum à latere in Germaniam mitteret. *Plat.*

Tumultus *Toleti exoritur, cum Johannes Caſtellæ rex vellet ſibi tria aureorum millia dari. Maxima pars urbis in eo tumultu cremata eſt, & rex urbe aufugit.* Mariana.

Bellum Norinbergenſe oritur cum Alberto Marchione Brandeburgenſi, qui Norinbergenſibus bellum indicit die 2. Julii: Norinbergenſes omnium civitatem imperialium auxilia conſequuntur. Marchio verò adjuvatur à ſeptendecim Principibus. Norinbergenſes hoc anno oppidum Winsbach & Altorfium exurunt: Novies prælio congreſſi feruntur, in quibus Albertus tantum ſemel victus eſt, bis tamen ex acie ferè ſemianimis exportatus eſt. Tanta vi ipſe pugnavit: poſt biennium tandem ex ſententia Alberti pax facta eſt. *Sylv.*

Olympias 556. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 2225.

Annus Diocletiani 1166. incipit 29. Aug.

Angli *hoc anno ex Vaſconia à Francis, Duce Comite Fuxio, ejiciuntur, etiamſi rex Navarra Anglis ſubſidio veniret.* Gaguin.

Hunniades collecto exercitu contra Amurathem movet ad Coſovæ campos, ubi integro die decertarunt, ut Annales Turcici habent: ſed noſtri dicunt, duraſſe prælium triduo, cœpiſſeque die 16. Octobr. fer. 5. Utrumque cornu Turcarum in fugam actum eſt, ſed Amurathes fortiter prælium ſuſtinuit, & tandem fuga ſimulata ordines noſtrorum, qui fugientem ſequebantur, turbavit, & vicit. Ceciderunt ex Turcis triginta quatuor millia, noſtrorum octo millia: Hunniades quidem ex acie evaſit, ſed à Deſpota Wallachiæ capitur, & in vincula conjicitur, dimittitur tamen circa feſtum Nativitatis Chriſti, cum connubium inter liberos intercederet, prælium accidit anno Heg. 853. *Ann. Turc.*

ANNO MUNDI 5399. Æræ C. 1450.
C. ☉ 3. ☽ 7. Ind. 13.

Jubilæum Romæ celebratur ex decreto Papæ Nicolai, ubi in ponte Tyberino, dum fortè duo hominum agmina ſibi obviam fiunt, & neutra pars quod urgerentur à ſequentibus, cedere poteſt, vel etiam vult, plusquam quingenti homines vel oppreſſi, vel in flumen præcipitari fuerunt, obtriti ſimul ſunt equi tres & mula.

Suartzburgenſes Comites inter ſe diſſident, cum Heinricus patruo ſuo Gunthero ditiones eriperet, & tamen eundem honeſtè ſuſtentare nollet. Guntherus igitur implorat auxilium Electoris, qui Heinricum bello perſequitur: ſed Heinricus ſeſe Wilhelmo fratri Electoris applicat, unde malè ſanatum bellum recruduit, & atrociùs quam unquam geſtum eſt. Spoliantur agricolæ, incenduntur villæ, abiguntur armenta: compertum eſt uno die ſexaginta pagos exuſtos fuiſſe. Wilhelmus cùm Pegavium expugnare non poſſet, Geram abit, & eam urbem obſidet, & tandem vi expugnat, ubi ad quinque hominum millia oppetierunt, Baro ipſe cum multis nobilibus captus, in Bohemiam abductus eſt, ubi peſte obiit, maluit enim exul in captivitate mori, quàm ſuorum ſubditorum magna pecunia redimi. *Fabr.*

Annus Indorum 1541. & Hegira 854. incipit Febr. feria 7.

Angli hoc anno vincuntur à Gallis, Rothomagum amittunt, & totam Normanniam, quam jam annis triginta obtinuerant. Ann. Fland.

Amurathes *Belgradum iterum tentat, ſed facit id irrito conatu, & valetudine adverſa tentatus diſcedit.* Annal. Turc.

Archiepiſcopus Moguntinus, vir prudens, monet Imperatorem Fridericum, ut authoritatem ſuam interponat inter fratres Miſnenſes, nec patiatur terram optimam, & bonorum virorum fertiliſſimam ita vaſtari, quod & facit, & legati magnæ authoritatis mittuntur, qui jubent fratres bellum deponere, & minas, ni fecerint, addunt, amboſque Bambergam evocant, ut Imperatore arbitro res componatur. Fridericus Brandeburgicus Elector & Heſſus Numburgum veniunt rem compoſituri, ubi Brandeburgicus graviſſima oratione utrumque adeò

adeò proceſſit, ut promitterent, ſe in poteſtate futuros, atque ita ambo fratres ſoli inter ſe committuntur, ubi paucis verbis factis concordiam fratres ineunt, cum ingenti gaudio ſubditorum. Appel de Vietzthum aberat eo tempore peregrinatum Romam, & Elector, qui & in ipſo bello noluerat fratrem ictu bombardæ interfici, primus Wilhelmum fratrem ad Weiſſenfeldiam comitatur; inde Wilhelmum viciſſim ſequenti anno Lipſiam ad Saturnalia agenda invitat, ubi tota cauſa ſepoſita, & firma pax inita eſt. *Fab.*

ANNO MUNDI 5400. Æræ C. 1451.
C. ☉ 4. ☽ 8. *Ind.* 14.

Annus Indorum 1542. *& Hegira* 855. *incipit* 3. *Febr. fer.* 4.

Amurathes, *cum nimia vini copia ſe obruiſſet, moritur fer.* 4. *die* 8. *Muharam*, 10. *Feb. regnaverat annos ferè* 30. *Succedit ipſi filius* Muhamed, *qui regnat annos* 33. *& ſtatim pace facta cum Conſtantino Paleologo*, 16. *Muharam, movet in Caramaniam, & ibi rebus compoſitis* Hadrianopoli *condit novam arcem, hoc anno* 855. *Hegira.* Annal. Turc.

Ludovicus Palatinus Elector, qui tredecim annis præfuerat, mortuus fuerat ſuperiori anno, die Hippolyti, menſe Aug. relicto Philippo filio poſtumo, cujus tutor fit *Fridericus* patruus, qui hunc Philippum, cum alios liberos non haberet, adoptavit, atque ita Elector factus eſt, præfuitque annis 25. *Trith.*

Albertus Brandeburgicus, dum piſcatur in ſtagno quodam Norinbergenſi, prælio funditur, ipſeque captus fuiſſet, niſi perfidia Conradi Rauſungi evaſiſſet, 11. Martii. Pax tandem facta eſt, & bellum depoſitum ex ſententia Alberti, menſe Julio, *Annal. Fland.*

Papa Nicolaus urbem Romam munit, & mœnia readificat, priuſquam Fridericus *Imp. in Italiam veniret.* Plat.

Eleonora, *regis Portugallia Alfonſi ſoror, promittitur Imperatori Friderico conjux, Sponſalia fiunt die* 9. *Auguſti, feria.* 2. Marian.

Conſtantinopolitana Eccleſia cohortatur Bohemos ad mutuam concordiam & unionem, promittitque Sacerdotes doctos, & integritate vitæ ſpectatos. *Epiſtola extat.*

Diſſenſio Marchionum Miſnenſium tandem recidit in autores Vitzthumios in Thuringia, qui tota Thuringia ejiciuntur è ſedibus ſuis, & pelluntur in exilium, plerique conceſſerunt in Bohemiam: qui Apolda erat, non conſenſerat cum reliquis igitur manſit in ditione ſua. Fab.

Veneti, cum viderent Franciſcum *Sfortiam* creſcere, & vererentur, ne Mediolano potiretur, una cum Mediolanenſibus ſimul Sfortiam oppugnare ſtatuunt, ſed Sfortia nihil territus Mediolanum deditione capit, declaraturque Vicecomes & Dux ferè eo tempore, quando Fridericus in Italiam venit. *Juſtin.*

ANNO MUNDI 5401. Poſt C. 1452.
B. A. ☉ 5. ☽ 9. *Ind.* 15.

Capiſtranus Franciſcanus, legatus Pontificis in Germaniam miſſus, paſſim in urbibus concionari cœpit, acriter invectus eſt in quælibet vitia, taxavit luxum in veſtitu, cibo & potu: luſorum aleas, teſſeras, tabulas, & chartas magno numero congeſtas, & coacervatas publicè cremavit, & populum ad expeditionem Turcicam exhortatus eſt Fabrit.

Annus Indorum 1543. *& Hegira* 856. *incipit die* 22. *Junii, fer.* 1.

Fridericus *Imp. Italiam ingreditur, & Romam venit ſequenti die, tandem* 15. *Mart. rex Longobardorum Roma coronatur; id enim Mediolani fieri non poterat, cum in urbem non admitteretur, & peſtis etiam ibi graſſaretur. Die* 16. *Martii, Sponſalia celebrantur ipſius cum Leonora ſponſa, qua cum ipſo, die* 19. *Martii coronatur Dominica Reminiſcere. Inde Neapolin abit, ibique nuptias celebrat.* Cuſp.

Indulgentias Papa in Flandria vendit hoc prætextu, ut pecunia in bellum Turcicum colligatur, ſed inſumit Papa eam pecuniam in oppugnandis Mediolanenſibus & Alfonſo etiam. *Annal. Fland.*

Gandavenſes Aldenardam urbem, feria 6. poſt Paſcha obſident, Gerhardi montem capiunt, quod tamen à Burgundo ſtatim recipitur, qui etiam Gandavenſes prælio vincit, & Aldenardæ obſidionem ſolvere cogit, & inde Gandavum obſidet, ubi variò Marte pugnatur. *Ann. Fland.*

Muhamed æſtate adveniente plurimum calcis præparat, arcem conditurus in Europa ad Boſphorum, qua via eſt ad transfretandum arctiſſima, ut nemo tranſitum illius impedire poſſet, immenſam multitudinem hominum convocat, qui eam arcem celeriter ædificarunt, latitudo muri fuit viginti pedum, in turribus verò triginta, & intra tres menſes abſolutum eſt ædificium. Interim dum ædificant, ipſe Conſtantinopolitanos obſidet, menſe tamen Auguſto, arce abſoluta, recedit, & poſt ſeptem menſes poſtea redit. *Laon. & Chron. Belg.*

Fridericum Palatinum *Moguntinus, Bipontinus, & Comites Luzelſteinenſes oppugnant: plurimumq; damni ipſi inferunt, quibus irritatus comparat exercitum, & Luzelſteinenſes obſidet, expugnat, Comites ipſos expellit, & ſibi Comitatum adjungit.* Trith.

Annus Nabonaſſar. 2201. *& Philippi* 1777. *incipit* 25. *Aug. fer.* 6.

Annus Alexandr. 1764. *Antioch.* 1501. *& Conſtantinop.* 6961. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Jezdegird. 822. *incipit* 23. *Novemb. fer.* 5. *Armen.* 902. 26. *Novembr. fer.* 1.

Johannes Stofflerus Mathematicus inſignis, Academiæ Tubingenſis Profeſſor, naſcitur 20. Dec. hora ſexta à merid.

Fridericus *Imp. in Auſtriam reverſus autore Ulrico Cilia Comite, & Eyzingero & aliis, apud novam civitatem obſidetur, quod Ladiſlaum regem Hungaria ad capeſſendum regnum dimittere nollet, ideò eum dimittit, & certis conditionibus facta eſt pax. Inde regna Ladiſlai diſtribuuntur in tres partes*: Hungaria *adminiſtranda datur Johanni Hunniadi*, Bohemia *Podiebracio*, Auſtria *verò Ulrico Comiti, qui Ladiſlaum apud ſe retinuit.* Sylv.

Carolus VII. rex Galliæ Aquitaniam recipere conatur, aliquot urbes expugnat, & tandem cum Anglis prælio congreditur, vincit quidem, ſed Marte valdè cruento. Plures enim Galli, quàm Angli cæſi ſunt, atq; ita Aquitania, quàm Angliæ, reges annis ferè 300. obtinuerunt, ad Gallos tandem rediit. *Pol.*

Duglaſſius *Comes potentiſſimus in regno Scotia, cum multa protervè in regem faceret, in aulam vocatus, trucidatur. Hinc ingens ſeditio in regno Scotia orta, qua ad quinquennium duravit.* Buch.

ANNO MUNDI 5402. Æræ C. 1453.
G. ☉ 6. ☽ 10. Ind. 1.

Annus urbis 2205.	*Julianus* 1498.
Æra Hiſpanica 1491.	*Auguſtorum* 1480.

Fridericus inchoat annum imperii 14.

Annus Indorum 1544. *& Hegira* 857. *incipit die* 12. *Januarii, fer.* 6.

Annus Gelali Perſ. 374. *incipit cum Æquinoctio Verno.*

Muhamed *anno tertio regni, anno Hegiræ* 857. *vere primo, Conſtantinopolin aggreditur maximo exercitu quadringentorum millium, Bombardas habuit maximas, quæ globos emitterent librarum* 400. *unam habuit, quæ à ſeptuaginta jugis boum trahebatur, & viris bis mille. Secutæ ſunt etiam naves triginta, triremes & minores naves ducentæ. Obſidio cœpta die* 5. *Aprilis, duravit diebus quinquaginta quatuor. Triduo antequam expugnaret, indixit Muhamedes triduanum jejunium, & promittit primo aſcendenti murum, provinciam amplam, quam vellet in Europa, exercitui toto direptionem urbis per triduum. Conſtantinus territus tantis minis legatos mittit de pace, cui Muhamed conditiones fert, ut quotannis ſibi pendat centena aureorum millia, & reliqua Thracia abſtineret: aut ſi hoc nō poſſet, excederet urbe cum ſuis bonis. Sed Conſtantinus neutram conditionem accepit, atque ita expugnata eſt urbs fer.* 3. 89. *Maji, die Giumadi prioris viceſimo. Cùm irruerent Turcæ, tanta hominum fuga fuit per reliquas portas urbis, ut portæ omnes obſtruerentur jacentibus; primis enim quibusdam procidentibus, reliqui ſuper eosdam ruebant, & portas complebant. Conſtantinus in fugam conjectus in humero lethaliter vulneratur, cui caput abſcinditur, & ad Muhamedem affertur, quod fieri non potuiſſet, ſi in porta obrutus fuiſſet. Longus Genuenſium Dux primus oppugnantibus Turcis ceſſit, & in viam irruentibus patefecit; atque ita* Conſtantinus *Helenæ filius. Conſtantinopolin condidit & Conſtantinus Helenæ filius eandem perdidit. Conjecturæ, quibus quidam moti hanc expugnationem in præcedentem annum ponunt, nullius ſunt momenti, nec digna, quæ refutentur.*

Renatus *Comes Andegavenſis, Alfonſo regni Siciliam erepturus ad Sfortiam venit cum quatuor millibus equitum, & Venetis bellum indicit, ſed æſtate exacta in Galliam redit.* Juſtin.

Ulricus Ciliæ Comes, qui hactenus regem Ladislaum in ſua poteſtate habuerat, & omnia ſuo arbitrio rexerat, cùm nobilitati gravis fuiſſet, majoremque familiam ac rex aluiſſet, & præfecturas & ſacerdotia vendidiſſet, accuſatur apud regem, & cedere aula jubetur, vix quatuor famulis comitatus: in ejus locum ſuccedit *Eyzingerus.* Sylv.

Alvarus, qui regi Caſtellæ intimus fuerat, ex cujus quaſi præſcripto regnum gubernatur, à proceribus regni capitur, & capite mulctatur 5. Julii, *Marian.*

Olympias 557. *in Julio. Annus Olympiadicus* 2229.

Annus Diocletiani 1170. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Milites Teutonici in Boruſſia recellant ſuo Magiſtro, qui ſuperbius ſe adverſus ſubditos gerebat, & Poloniæ regem patronum appellant. Controverſia hæc ad Imperatorem Fridericum Viennam defertur, qui pronunciat contra milites, & Status Boruſſiæ, & mandat, ut deſiſtant à fœdere cum Polono, & Magiſtro ſuo ſex aureorum millia pro mulcta ſolvant. *Chyt.*

Epiſcopus Moguntinus, Ludovicus Dux Veldentianus, Comites Leiningenſes, Naſſovienſes, Wirtenſes, Henneberġenſes aggrediuntur Fridericum Palatinum apud Pfedersheim. Sed Fridericus eos ex inſidiis invadit, vincit & plurimos Comites capit. Dux fugâ ſalutem quæſivit, Moguntinus Comites redimere debebat, ſed cùm deſtitueretur ære, pagos binos Friderico ceſſit. *Munſt.*

Ladislaus poſthumus deducitur Pragam, ubi coronatur rex Bohemiæ 28. Octobris, ferâ 1. ubi confirmavit Bohemis ſua privilegia de religione, & liberam electionem Epiſcoporum Bohemis tribuit, ipſe tamen eorum templa non intravit. *Sylv.*

Hermolaus *Barbarus Venetus naſcitur hoc anno, qui poſtea vertit Themiſtium.*

ANNO MUNDI 5403. Æræ C. 1454.
F. ☉ 7. ☽ 11. *Ind.* 2.

Annus Indorum 1545. *& Hegira* 858. *incipit* 1. *Jan. fer.* 3.

Boruſſiæ *ordines, cùm ab Imperatore damnarentur, nec Magiſtri ſui tyrannidem ferre poſſent, dedunt ſe in clientelam regis Poloniæ Caſimiri, qui bellum apparat in Magiſtrum.* Chyt.

Menſe Januario conjuratio Romæ facta de comprehendendo Pontifice, ſed conjuratis captis, Papa, qui antea cum Romanis liberiùs vivebat, magis ſibi cavit, & factus eſt moroſior; nihil tamen ipſum magis cruciavit, quàm quòd Conſtantinopolis à Turcis capta eſſet. Inde cùm jam Italia multis annis continuo bellorum motu concuſſa eſſet, autore Pontifice pax facta die 9. *April.* Plat.

Muhamed *contra Tryballos proficiſcitur, & Novobyrgam obſidet, & deditione tandem capit, potiſſimam hominum partem abducit, & reliquos retinet ad metalla.* Laon.

Johannes *Caſtellæ rex in Hiſpania, cùm annos* 48. *regnaſſet, moritur die* 20. *Julii; ſuccedit filius* Heinricus, *qui regnat annis viginti.* Marian.

Aquitani in Galliis clanculum legationem ad Heinricum VI. regem Angliæ mittunt, promittuntque ejus fidei ſeſe commiſſuros; qui mittit Talbotum, qui Burdegalam & multas alias urbes recipit, ſed paulò poſt ictu tormenti trucidatus eſt. Ideò cùm non eſſet Dux in Gallia, rex hæc ſtatim recepit. Polyd.

Annus ſabbathicus 2. *Jobelei* 29. *incipit* 23. *Septemb. fer.* 2. *Anno Jud.* 5215.

Ladislaus rex Bohemiæ & Hungariæ bellum minitatur Electori Saxoniæ propter aliquas urbes. Elector contra ad æquos judices provocat, & mittit fratrem Wilhelmum, qui affinitate junctus erat regi, Pragam cum ingenti comitatu, circa menſem Octobr. Bellum tum gerebatur in Boruſſia à rege Poloniæ, ad hunc ſcribit Appel de Vietzthum, ut poſt partam victoriam exercitum in Thuringiam mittere velit, ſe ipſi cum magnos equitatu affuturum, & ſocios ſuos in Bohemia mortatur, ut Wilhelmum in Bohemia retinere, aut abeuntem in ſylvis ex inſidiis trucidare velint; ſed rex Poloniæ vincitur, & literæ depræhenſæ ad Wilhelmum mittuntur, qui ſtatim in Thuringiam redit. *Fab.*

Annus Indor. 1546. *& Hegira* 859. *incipit* 21. *Dec, fer.* 7.

ANNO MUNDI 5404. Æræ C. 1455.
B. ☉ 8. ☽ 12. *Ind.* 3.

Nicolaus V. Papa, cum ſediſſet annos octo, moritur die 24. Martii: Succedit ipſi Alfonſus Borgia Hiſpanus, 8. Aprilis. qui ſedit annos tres.

& menſes tres, dictus *Calixtus III.* Expeditionem vovit in Turcas, in eaq; *Lesbum* inſulam expugnavit, ſed paulò poſt advenientibus Turcis claſſis ejus disjecta eſt. *Plat.*

Georgius Triballorum princeps, cùm à rege Hungariæ auxilia contra Mahumedem non obtineret, moritur: Succedit filius Lazarus, ſed filii cœci Stephani & Georgiani eandem regionem à Muhamede obtinent. *Laon.*

Inde Muhamed urbem Serviæ novam, quam Chriſtiani receperant, rurſus expugnat, & cùm hoc modo totam Serviam occupaſſet, Belgradum, quòd ad Serviam olim pertinuiſſet, ab Hungaris repoſcit. *Annal. Turc.*

Conrad. **Kauffungen** nobilis, olim cum Friderico Electori militaret, captus fuerat, & non ab eadem redemptus, quod tamen aliis præſtiterat; igitur ſeipſum redemerat, quatuor millibus aureorum, eam pecuniam repoſcebat ab Electore minis etiam, ideò totâ ditione ab Electore ejicitur. De ultione cogitans, tandem intempeſtâ nocte, quæ diem 8. Julii præcedit, fer. 3. ineunte, cum ſociis quibusdam in Aldenburgenſem arcem ſcalis nectilibus, adjuvante quodam coquo, aſcendit, dum Fridericus Lipſiæ eſt, & aulici plerique in urbe epularentur, & ambos Electoris filios *Erneſtum & Albertum* abducit. Sed Albertus eodem die recipitur, & Aldenburgum 10. Julii reducitur, & paulò pòſt etiam frater Erneſtus. Conradus verò à **Kauffungen**/ cùm vidiſſet coqui illius & aliorum ſupplicia, quibus in quatuor partes diſſecabantur, Fribergæ die 21. Julii capite truncatur. *Spangenberg.*

Ludovicus niger, nepos Ruperti Imperatoris, Comes Bipontinus, iterum arma movet in Fridericum Electorem Palatinum. Ideò is indignatus obſidet urbem **Bergzabern**/ quam tamen interceſſione aliorum principum motus, illi reſtituit. Ludovicus verò minus gratus fuit. *Munſt.*

Eyzingerus, qui proximum locum à Ladislao rege obtinebat, & Comitem Ulricum Ciliæ aula ejecerat, cùm Baronum rapinis in Auſtria obſiſteret, gratiâ regis Ladislai, calumniantibus Baronibus, excidit, aulâ pellitur, & Ulricus Comes reducitur. *Sylvius.*

Johannes *Capnio ſive Reuchlinus naſcitur die* 28. *Decembr. primus ferè literas Hebraicas & Græcas in Germaniam importavit.*

Annus Indorum 1547. *& Hegira* 860. *incipit* 11. *Decembr. feriâ* 5.

ANNO MUNDI 5405. Æræ C. 1456.
D. C. ☉ 9. ☽ 13. *Ind.* 4.

Ludovicus Galliæ regis filius iraſcens patri, quòd ſibi exigui ſumptus ſuppeditarentur, in Delphinatum abit, & patri rebellat: quapropter pater filium perſequitur; qui fugit in Flandriam ad Burgundum, à quo ſingulis menſibus accipit tria aureorum millia; manſit apud Burgundum annis ferè 5. *Annal. Flandr.*

Richardus *Dux Eboracenſis jungit ſibi Richardum Varvicum & alios, bellumq; regi Angliæ nimis ſocordè infert, victoriaq; potitur, regem capit, & ſe proregem facit.* Polyd.

Cometæ bini *hoc anno apparuerunt, ut habent Annales Turcici & alii, poſterior fuit menſe Junio procera cauda:* quibus Papa Calixtus territus ad avertendam Dei iram aliquot dierum ſupplicationes indixit, conſtituitq; in urbibus, ut in meridie *Campanæ* pulſarentur, ut omnes de precibus contra Turcarũ tyrannidem fundendis admonerentur. *Platina.*

Mahumed *ſuperato Hæmo monte in Hungariam tranſit cum exercitu centum & quinquaginta millium, & Belgradum obſidet die* 21. *Junii. Ladislaus rex ſuaſu Ciliæ Comitis Ulrici à quo regebatur, Turcis occurrere non audet, Johannes* Hunniades *prorex, &* Capiſtranus *legatus Pontificius exercitu collecto, urbem intrant: & Hunniades claſſem Muhamedis in fluvio naves ducentas capit, reliquas ne uſui eſſent Hungaris, Muhamed ipſe cremat. Inde cùm continua verberatione tormentorum mœnia disjecta eſſent, paſſus eſt Hunniades, ut Jannizari urbem invaderent, ſed circumdatos ad unum trucidavit; inde erumpens eum ita pellit, ut bombardarum potiretur, quibus converſis in caſtra Muhamedis fulgurat, & ita toto die certatur: perierunt ad quadraginta millia Turcarum. Factum* 6. *Auguſti: ipſe Muhamed vulneratus, ſequenti nocte incenſis caſtris cum exercitu fugit, prædâ câ tantùm relictâ, quæ igne abſumi non potuit. Hunniades feliciſſimus Hungariæ defenſor moritur die* 10. *Septembr. Capiſtranus verò die* 26. *Octobr.* Calixtus Papa in memoriam hujus victoriæ inſtituit feſtum *Transfigurationis* Chriſti, die 6. Auguſti. *Plat.*

Terræmotus in Italia magnus, quo ad triginta millia hominum perierunt in Calabria. Marian.

Annus Nabonaſſar. 2205. *& Philippi* 1781. *incipit* 24. *Auguſti, fer.* 3.

Annus Alexandr. 1768. *Antioch.* 1505. *& Conſt.* 6965. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdeg. 826. *incipit* 22. *Novembr. fer.* 2 *Armen.* 906. 25. *Novembr. fer.* 5.

Gryphiswaldiana *Academia conditur ab Vratiſlao Pomeraniæ Duce, introducitur ſequenti anno die* 18. *Octob.* Chyt.

Annus Indorum 1548. *& Hegiræ* 861. *incipit* 29. *Novembr. fer.* 2.

ANNO MUNDI 5406. Æræ C. 1457.
B. ☉ 10. ☽ 14 *Ind.* 5.

Annus urbis 2209. *Julianus* 1502.
Æra Hiſpanica 1495. *Auguſtorum* 1484.
Fridericus inchoat annum imperii 18.

Annus Gelali Perſ. 378. *incipit cum Æquinoctio Verno.*

Ladislaus *Hungariæ rex Belgradum excurrit, viſurus monumenta victoriæ Hunniadis. Ibi Ciliæ Comes Ulricus infenſiſſimus hoſtis Hunniadis calumniatur filios Hunniadis de conſpiratione in necem regis factâ. Major filius Ladislaus urget Comitem, ut vel probet, vel revocet mendacia; Comes prior gladium ſtringit, Ladislaus verò ferociter Comitem obtruncat, & tertio die, cùm Budam abductus fuiſſet, non ſatis cognitâ cauſa capite truncatur, quod factum eſt quarto demum ictu.* Matthias *verò alter filius, captivus Viennam deducitur.* Bonfin.

Hoc anno in Miſnia Groſſi *primum percuſſi ſunt cum gladiis, qui vocati ſunt* **Schwertgroſchen**/ *quorum* 28. *valuerunt aureum Rhenanum.* Chr. 22.

Heinricus *rex Caſtellæ bellum Granatæ regi facit: ſed cùm Saraceni ſeſe locorum difficultate tuerentur, nec ad pugnam deſcenderent, tantum vaſtationibus bellum geſtum.* Annal. Suev.

Olym.

Olympias 558. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus.* 2233.

Annus Diocletiani 1174. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Regiomontanus Aſtronomus Eclipſin Lunarem annotat die 3. *Sept. fer.* 3. *cujus medium obſervavrit Viennæ, poſt meridiem horis undecim & minutis* 6. *Ad tabulas Prutenicas invenitur poſt undecimam minut.* 36. *Sed ad haſce tabulas poſt undecimam minutis* 7. *atque ita proxime obſervationi accedit. Latitudo Lunæ Septent.* 20. 7. *Semid. umb.* 17. 58. *ſcrupula reſidua* 44. 20. *Digiti eclipt.* 14. 49. *Sol in* 20. *gradu Virginis.*

Annus Indorum 1549. *& Hegira* 862. *incipit* 19. *Novembr. fer.* 7.

Ladislaus Hungariæ & Bohemiæ rex juvenis octodecim annorum, in ipſo apparatu nuptiarum, quas celebraturus erat cum Caroli VII. regis Galliæ filia, ad quam adducendam legati miſſi erant, moritur Pragæ, ubi ſponſam expectabat die 21. Novemb. hora tricelima ſexta, quam morbo correptus erat, non ſine veneni ſuſpicione.

Matthias Huniades eodem die captivus Vienna Pragam deducitur, ubi ſequenti anno rex ſalutatur. *Sylv.*

ANNO MUNDI 5407. Poſt C. 1458.
A. ☉ 11. ☽ 15. *Ind.* 6.

Matthias Corvinus, à pago ita nominato dictus, Hunniadis filius, rex Hungariæ declaratur die 22. Januarii, ſucceditque Ladislao defuncto, regnatque annos 32. & menſes tres. Attende hic miram rerum converſionem. *Ladislaus rex exſpectabat ſponſam, & defertur mortuus ad tumulum*; *Matthias metuebat mortem trepidus, & ex vinculis producitur rex*, & Podiebracius poſtea declaratur rex Bohemiæ die 2. Martii. fer. 5. ante Dominicam Oculi; ejus filii creantur principes à Friderico Imp. die 20. Febr. anno 1463. *Sylv.*

Muhamed bellum infert Scanderbejo, qui auxilium implorat Pontificis, & regi Neapolitano Grojam urbem donat, tantum ut eam defendat. *Laon.*

Alfonſus *rex Aragoniæ, cum annis* 42. *regnaſſet Neapoli & in Hiſpania, moritur die* 27. *Junii: ſuccedit ipſi in regno Neapolitano* Ferdinandus *filius nothus, qui regnavit annis* 36. *in Aragoniæ vero regno ſuccedit ipſi frater* Johannes *qui regnat annis* 21.

Muhamed *anno Heg.* 862. Peloponneſum *invadit. Tributum enim ipſi ſolvere non poterant propter diſcordias, atque ita ſe ipſos perditum ibant: ideo bello petuntur, &* Muhamed Corinthum *fame expugnat, & totam fere Peloponneſum occupat, Hexamilum etiam deſtruit, & reliquam partem ſub tributo Græcis relinquit.* Laon.

Calixtus III. Papa cum ſediſſet annos 3. & menſes tres, moritur die 6. Auguſti: Succedit ipſi *Æneas Sylvius* Picolomineus Senenſis, vocaturque *Pius* II. Hic ſcriba fuerat in conſilio Baſilienſi, idque probaverat publicis ſcriptis: poſtea fuit Secretarius Imp. Friderici, inde Epiſcopus, poſt Cardinalis, & tandem Papa, ubi concilium Baſilienſe improbavit. *Plat.*

Seditio *in Anglia, cum Galli maritima Angliæ vexarent, & Scotus etiam inſtaret, conquieſcit, & rex Henricus inſtituitur: Sed paulo poſt ſeditio recruduit, & Richardus Eboracenſis iterum regis copias vincit. Sed rex reparato exercitu Eboracenſem ita terret, ut Anglia excederet in Hyberniam, ubi bellum iterum coquit. Rex vero eum cum ſociis patriæ hoſtes proclamat eorumque bona publicat.* Pol.

Annus Indorum 1550. *& Hegira* 863. *incipit* 8. *Novemb. fer.* 4.

Ludovicus Bavariæ Dux Donawerdam *obſidet & capit, quam tamen anno ſequente ex Cæſaris mandato, qui tum Norimbergæ comitia celebrabat, imperio reſtituere cogitur.* Munſt.

Controverſia Regis Bohemiæ cum Electore Saxoniæ de oppidis quibusdam dirimitur Egræ, coram Ludovico Palatino & Alberto Brandeburgico, ita ut quæ intra Bohemiæ ſylvam regis eſſent; extra vero ſylvam Electoris; & affinitas jungitur. *Fab.*

ANNO MUNDI 5408. Æræ C. 1459.
G. ☉ 12. ☽ 16. *Ind.* 7.

Maximilianus *primus naſcitur die* 22. *Martii die Viridium.*

Sigismundus *Auſtriæ Dux, quod Nicolaum de Cuſa Cardinalem in vincula conjeciſſet, a Pontifice excommunicatur. Sigiſmundus vero, quod putaret ſe nihil in hac re deliquiſſe, provocat ad futurum concilium. Papa vero* Mantuanum *concilium indicit, in quo quidem de bello Turcis inferendo actum eſt, ſed cum diſſenſiones tantæ eſſent in Europa, ille conatus evanuit. Papa vero in eo concilio decrevit, à Pontifice ad generale concilium provocandi jus non eſſe ulli, cum tamen ipſe contrarium olim conſtituiſſet in concilio Baſilienſi.* Marian.

Antonius Archiepiſcopus Florentinus Chronica ſcripſit, ut & alia multa; is moritur hoc anno die 2. Maji. *Trith.*

Muhamed, hoc anno Heg. 863. Boſniam bello petit, & Synderoviam obſidet. Stephanus rex, quod Synderovia olim pertinuiſſet ad ſocerum Serviæ Deſpotam, urbe cedit, atque ita Muhamed eam deditione capit. *Annal. Turc.*

Ludovicus Bavarus, quod literas quaſdam Imperatoris publicè conſcidiſſet, proſcribitur: Executio hujus mandati committitur Alberto Marchioni Brandeburgenſi. Sed Ludovicus Marchionis regiones crudeliter vaſtat, quam cladem regerit Marchio, ſed tandem per regem Bohemiæ fit pax. *Trith.*

Annus Indorum 1551. *& Hegira* 864. *incipit* 28. *Octobr. fer.* 1.

Adolphus Dux Holſatiæ & Sleſuicenſis moritur, ſuccedit ipſi Chriſtiernus rex Daniæ. *Annal. Fland.*

ANNO MUNDI 5409. Æræ C. 1460.
F. E. ☉ 13. ☽ 17. *Ind.* 8.

Muhamed in Aſiam tranſiturus primum urbem Amaſtrum, quæ Genuenſium erat ad Pontum Euxinum obſidet, eam deditione capit, & potiſſimam partem civium Conſtantinopolin traducit, quemadmodum etiam fecerat, cum Peloponneſum occuparet. *Laon.*

Wilhelmus Landgravius iter ſacrum inſtituit in Palæſtinam, elegit ſibi comitatum ex multis nobilibus & ex comitibus numero 98. feliciter iter peragit, unicus tantum in via defunctus eſt in Cypro. Equeſtria inſignia reportarunt ſex & quadraginta, menſes conſumti ſeptem. *Fab.*

Fridericus Imperator promittit Muhamedo, Turcico regi, filiam Cunigundam hac conditione, ſi relicto Muhametiſmo Chriſtianam fidem ſequatur; ſed hæc Cunigundis fortaſſis non invita abducitur aſtu Alberti Bavari, invito tamen Imp. *Cuſp.*

Johannes de turre cremata Epiſcopus Sabinenſis floret. *Trith.*

Uſumcaſſanus Perſæ molitur bellum Muhameto, ideò Muhamed concedit Græcis in Peloponneſo pacem; ſed cùm iidem Græci tributum non ſolverent, differt bellum Perſicum, & in Peloponneſum ſe convertit, ubi Thomam Palæologum principem Græcorum dat in cuſtodiam, captivos Græcos ad ſex mille interfecit, reliquos qui ſe dederunt, tranſtulit in ſuburbia Conſtantinopolis. Thomas tamen ille effugit in Italiam, & Demetrio fratri tradit Oenum Inſulam. Dum in Peloponneſo eſt quodam die Veneris, primo diluculo Sol adeò lucem ſuam amiſit, ut omnia tenebris involverentur, ut loquuntur. *Annal. Turc.*

Eclipſis hac Solis accidit die 18. *Julii, die Veneris, horis quinq́, & minutis* 32. *poſt mediam noctem. Parallaxis latitudinis* 22.45. *Latitudo vera* 25,28. *Viſa* 2.43. *Semid. Solis* 15.5. *Scrupul. reſid.* 28,26. *Digiti*,11,19. *Sol in* 4. *gradu Leonis.*

Eclipſis Lunæ præceſſit hanc die 3. *Julii, obſervata à Monteregio in Auſtria, facta fer.* 5. *horis* 7. *&* 31. *minut. poſt meridiem. Latitudo* 44.44. *Semid. Lunæ* 16.3. *Scrup. reſid.* 14.24. *Digiti* 5.23. *Sol in* 19. *Cancri.*

Richardus Eboracenſis exul, cum exercitu in Angliam redit, & regem ingenti prælio vincit, in quo ad decem millia ceciderunt. Ipſe etiam rex capitur, quem Richardus regno deponere conatur; Sed reclamant alii. Interim Margarita Andegavenſis, regis conjux, exercitum reparat, cum Eboracenſi ipſa pugnat, eumque vincit, & in acie trucidat. Duces etiam ſeditioſi multi capiuntur, & ita uxor virum ex captivitate liberat. *Polyd.*

Annus Nabonaſſar. 2209. *& Philip.* 1785. *incipit* 23. *Auguſti, fer.* 7.

Annus Alexandr. 1772. *Antioch.* 1509. *& Conſtantinop.* 6969. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Ind. 1552. *& Hegira* 865. *incipit* 17. *Octob. fer.* 6.

Annus Jezdegird. 830. *incipit* 21. *Novembr. fer.* 6. *Armen.* 910. 24. *Nov. fer.* 2.

Heinricus *Dux Viſeenſis, filius Johannis regis Portugalliæ; Geographia ſtudiis deditiſſimus, cui accepta ferenda ſunt Hiſpanicæ navigationes in Indiam, moritur hoc anno.* Marian.

Pius II. Papa Gregorium Heimburg. Cancellarium Sigiſmundi Auſtriæ Ducis, qui Cuſanum Cardinalem in carcerem conjecerat, excommunicat, quòd Sigiſmundum in hoc facto auderet defendere. Sed Heimburg Pontifici maſculè reſpondet, & ut tutior ab eodem eſſet, in Bohemiam concedit. *Birckheim.*

Baſilienſis *Academia à Pio II. Pontifice, &* Friburgenſis *etiam in Briſgoja ab Alberto Archiduce Auſtriæ inſtituta.*

Eclipſis Lunæ à Regiomontano prope Viennam iterum hoc anno eſt obſervata, accidit ea 28. *Dec. ſeſquihorâ ferè poſt med. noct. fer.* 1. *ineunte. Lat. auſtral.* 18.51. *Semid. Lunæ* 17.59. *Scrup. reſid.* 45.10. *Digiti* 14. *Sol in gradu* 15. *Capricorni.*

ANNO MUNDI 5410. Æræ C. 1461.
D. ☉ 14. ☽ 18. *Ind.* 9.

Annus urbis 2113.	*Julianus* 1506.
Æra Hiſpanica 1499.	*Auguſtorum* 1488.

Imperator Fridericus inchoat annum 22.
Gelali Perſ. 382. *incipit cum æquinoctio verno.*

Seditioſi in Anglia iterum ingentem exercitum conſcribunt, & cum rege prælio graviſſimo, in quo ad viginti hominum millia perierunt, congrediuntur; rex vincitur, & ad Scotiæ regem profugit. Uxor verò ad parentem Ducem Andegavenſium recedit; prælium accidit ipſo die Palmarum, & Eduardus Marchiæ Comes die 29. *Junii creatur rex Angliæ, qui Heinricum VI. nova auxilia ex Scotia adducentem vincit, & in Scotiam repellit, eundemq́, poſtea veſtitu mutato in Angliam venientem capit. Regnarat Heinricus annos* 38. *Eduardus verò IV. regnat annos viginti duos.* Polyd.

Muhamed in Aſiam abit, ubi Synopen urbem deditione capit, & incolas Philippopolin traducit. Inde contra Unumcaſſanem Perſam movet, qui imparatus pacem per matrem impetrat. Ergò in Trapezuntii Imperatorem movet, quem obſidione dierum 32. fatigat, & tandem urbem, & ipſum deditione capit, Imperatorem Davidem, ultimum ex Comnenorum familia, & Conſtantinopolin deducit, ibique eum cum tota familia interficit. *Laon.*

Eclipſis Lunæ à Regiomontano obſervata eſt die 22. *Junii, circa medium noctis. Ea accidit die* 22. *Junii, fer.* 2. 10. *ferè minutis ante mediam noctem. Latit. Lunæ Sept.* 3.54. *Semid. Lunæ* 16,12. *ſcrup. reſidua* 56.17. *digit. eclipt.* 21. 0. *Sol in* 9. 33. *Cancri.*

Carolus VII. *rex Galliæ, qui in initiò adverſa fortuna in obtinendo regno uſus fuerat, & jam poſt parentem annis* 40. *regnarat, moritur die* 22. *Julii: Succedit regi mitiſſimo aſper & iracundus filius* Ludovicus XI. *qui regnavit annis* 22.

Olympias 559. *in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2237.

Annus Diocletiani 1178. *incipit* 28. *Auguſti.*

Annus ſabbathicus 3. *Jobelæi* 29. *incipit* 5. *Septembr. fer.* 7.

Annus Indor. 1553. *& Hegira* 866. *incipit* 6. *Octob. fer.* 3.

Ditherus Iſenbergius ſuperiori anno factus fuerat Archiepiſcopus Moguntinus: Hic deponitur hoc anno à Pontifice Pio II. injuſtâ cauſa. Adverſabatur enim injuſtis Pontificum exactionibus prætextu belli Turcici, & nolebat inſuper ſe ſuosque ſucceſſores juramento Pontifici obſtringere, ſe nunquam abſque Pontificis conſenſu convocaturum ſeptem viros imperii, ſive electuri eſſent Romanum Imperatorem, ſive aliud quid acturi; ideò perjurus proclamatur. Hunc in juſtiſſima cauſa defendendum ſuſcepit *Fridericus* Palatinus Elector, & Ludovicus Bavarus Dives: pro expenſis Fridericus accepit tractum illum die Bergſtraſſe. Papa autem elegit *Adolphum* Naſſovienſem, quem defendendum ſuſcepit Albertus Brandeburgenſis, Ludovicus Bavarus Niger, Marchio Badenſis & Ulricus Comes Wirtenbergenſis. *Nauclerus.*

ANNO

ANNO MUNDI 5411. *Æræ* C. 1462. C. ☉ 15. ☽ 19. *Ind.* 10.

Johannes Trithemius Trevirenſis naſcitur die 1. Februarii, hora undecima, minutis 30. poſt mediam noctem: Fit Abbas Spanheimenſis, cùm eſſet annorum 21. ubi fuit annis 23. quo tempore cœnobium auxit illuſtri Bibliotheca. Inde electus eſt Abbas, cum eſſet annorum 44. ad S. Jacobi in Herbipolenſi, quòd Spanheimenſes monachi ipſi eſſent moleſti. *Trith.*

Muhamed Lesbum *inſulam capit & Mitylenen, poſt dierum* 27. *obſidionem.* Cruſius.

Simeon Hieromonachus Trapezuntius, ut Marcum Patriarcham Conſtantinopolitanum ſede dejiceret, offert Muhamedo mille aureos; ut verò hic rurſum Patriarchatu moveretur, Dionyſius Philippopolitanus Epiſcopus offert duo aureorum millia: ſeditque hic annis octo. Sed *Simeon* ille Trapezuntius iterum ad Patriarchatum admittitur, cum duo aureorum millia daret. Iterum verò dejicitur, cùm *Raphael* Hieromonachus Servius duo aureorum millia quotannis ſolvenda offerret. Verùm hic cùm annus abiiſſet, & aureos illos corradere non poſſet, in vincula conjectus eſt, & poſteà in ſumma miſeria oſtiatim ſtipem collegit: ſucceſſit huic Emanuel Maximus, qui pro munere dedit quingentos aureos & in ſingulos annos duo millia pro tributo: hic ſedit adhuc cùm Muhamed moreretur, atque ita videre eſt, Græcos ipſos eſſe calamitatis ſuæ cauſam, *Cruſ.*

Eclipſin Lunæ obſervavit Regiomontanus Viterbii in Italia, quæ facta fuerit nocte, quæ ſecuta eſt diem 11. *Junii. Eaque invenitur facta horis tribus poſt mediam noctem, ineunte fer.* 7. *Latitudo auſtr.* 40.0. *Semidiam. Lunæ* 16.58. *ſcrup. reſidua* 21.37. *digiti eclipt.* 7. 38. *Sol in* 29. *Geminorum.*

Controverſia inter Epiſcopos Moguntinos jam ad certa capitula pacis deducta erat per Burgundum; ſed Epiſcopus Metenſis, Marchio Badenſis, Comes Wirtebergenſis & alii, ut aliquid adderent gloriæ ſuæ, ante concluſam pacem vaſtant ditiones Palatini, qui corradit equites quos poteſt, quibus jungit pedites ſimul in equis cum equitibus ſedentes, & concludit hoſtes, ita ut effugere non poſſent. Duo Comites de Helfenſtein & Salm in acie cadunt, reliqui tres principes capiuntur cum omnibus nobilibus, undecim menſibus habentur captivi, magno ſe ære redimunt. Victos poſt prælium adhibet convivio, ſed ipſis panem appònere vetat, quòd frumentum & molendina inſtrumenta panis corrupiſſent. Factum prælium primo Julii, feriâ 5. *Nauclerus.*

Albertus Brandeburgicus vaſtat etiam Ludovici divitis ditiones, ſed Ludovicus ipſi occurrit ad Gingen oppidum, cum vincit & fugat, multosque capit die 19. Julii. Papa cùm Adolphi copiæ disjectæ eſſent, orat Philippum Burgundum, ut Adolphum defendere velit. *Annal. Suev.*

Annus Indorum 1554. *& Hegira* 867. *incipit* 25. *Septemb. fer.* 7.

Fridericus Imperator autumni tempore obſidetur à civibus Viennenſibus, juvante eos Alberto Auſtriaco fratre. Liberatur rex per Podiebracium ergem Bohemiæ. *Trith.*

Muhamed *iterum expeditionem ſuſcipit in Walachiam, & Weivodam Walachiæ Draculam magno cum exercitu petiit; Dracula verò fugit, & Mahamed Walachiam ſibi adjungit.* Annal. Turc.

Adolphus Naſſovienſis, aſſumto Ludovico Nigro Duce Bavariæ, potitur urbe Moguntina nocte, quæ ſecuta eſt 27. Octobris per proditionem civium quorundam; eam diripit & incendit, Ditherus Epiſcopus vix effugit, Clerus & cives, qui à partibus Ditheri erant, omnes urbe pelluntur. *Trith*

ANNO MUNDI 5412. *Æræ* C. 1465. B. ☉ 16. ☽ 1. *Ind.* 11.

Heinricus rex Caſtellæ, & Ludovicus rex Galliæ conventum de regno Vaſconum acturi. Rex Vaſconum Carolus, cùm 16. annis regnaſſet, mortuus erat ſuperiori anno, die 23. Septembr. feriâ 4. Sed nihil effectum eſt, odia potius aucta ſunt. *Mar.*

Inter Epiſcopos Moguntinos pax facta, ut Naſſovienſis Archiepiſcopatum obtineret, & Ditherus quibusdam caſtellis & oppidis contentus eſſet, ad vitam honeſtè tolerandam. Trith.

Muhamed *Veirem Baſſam iterum in Peloponneſum ablegat, qui ſimiliter aliquot urbes capit; interim ipſe ædificiis ædificandis Conſtantinopolin incumbit.* Annal. Turc.

Fridericus *Elector Palatinatus inſtituit ſupremam curiam,* das Hoffgericht/ *quotannis quater celebrandam.* Trith.

Annus Indorum 1555. *& Hegira* 868. *incipit* 15. *Septembr. fer.* 5.

Magna vilitas annotatur à Trith. eorum, quæ ad victum pertinebant, menſura vini unico obulo Hallenſi emebatur, tres modii ſiliginis uno floreno.

Peſtis crudeliſſimè graſſatur in Thuringia & alibi, Erfurdiæ defuncti ſunt ad viginti octo hominum millia. Fab.

Papa Pius crucem contra Turcam prædicari jubet, & promittit omnibus vitam æternam, qui arma ſumerent in Turcam. Multi ex Germanis hâc promiſſione moti expeditionem ſuſcipiunt, ſed oleum & operam perdunt. Cùm enim in Italiam veniſſent, deridentur, & omnium rerum inopes domum revertuntur. *Spangenb.*

ANNO MUNDI 5413. *Æræ* C. 1464. A. G. ☉ 17. ☽ 2. *Ind.* 12.

Coſmus *Medices Florentinus, vir opulentus hoc anno obit; hic primus Mediceæ familiæ fundamenta ſplendoris jecit.* Chyt.

Carolus *Canut, quondam à Suecis ob avaritiam regno pulſus, hoc anno revocatur.* Chyt.

Nicolaus de Cuſa Cardinalis, quem Sigiſmundus Auſtriacus in Carcere habuerat, moritur die 11. Auguſti. *Trith.*

Papa Pius II. cùm ſediſſet annos ſex, moritur die 16. Auguſti. Succedit ipſi Petrus Barbo Venetus, die 31. Auguſti, qui ſe nominari voluit PAULUM II. qui ſedit annos 7. Hic Cardinales inſignivit veſte coccinea, inſigni cucullo, quod conveniret, rubenti petaſo, idem tamen malè tractavit eruditos: *Pomponium Lætum & Palatinam* propter ſuſpiciones in carcerem conjecit. *Plat.*

Annus Nabonaſſ. 2213. *& Philippi* 1789. *incipit* 22. *Auguſti, feria* 4.

Annus Indorum 1556. *& Hegira* 869. *incipit* 3. *Sept. fer.* 2.

Annus Alexandr. 1776. *Antioch.* 1516. *& Conſt.* 6973. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Iezdeg. 838. *incipit* 20. *Novemb. feria* 3. *Armen.* 914 23. *Novembr. fer.* 6.

Fridericus Placidus Elector Saxoniæ, cùm præfuiſſet annis 36. moritur Lipſiæ die 7. Septemb. Succedit ipſi filius *Erneſtus*, qui annis 22. Electoratum adminiſtravit, & *Albertus*, qui Ducatui præfuit annis 36. *Fab.*

Muhamed Boſniam adoritur, & regem Stephanum, qui patrem ſuum fraude è regno ejecerat, iterum fraude ex arce elicit, & captum vivum excoriat, totumque regnum ſibi ſubjicit. Partem tamen regni *Matthias* rex Hungariæ ſibi vendicat, ut Jaitzam cum viginti ſeptem oppidis, quam partem ſummâ vi contra Turcos defendit. *Annal. Turc.*

ANNO MUNDI 5414. Æræ C. 1465.
F. ☉ 18. ☽ 3. *Ind.* 13.

Annus urbis 2217. *Julianus* 1510.
Æra Hiſpanica 1503. *Auguſtorum* 1492.

Fridericus inchoat annum imperii 26.
Gelali Perſ. 386. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Adolphus Dux Geldriæ, die 9. Januarii patrem ſuum *Arnoldum* interceptum ex inſidiis in oppido Grava capit, cum mediâ hyeme, nudum pedibus, per quinque milliaria ducit vel potius trahit, & in deterrimum carcerem conjicit, ea de cauſa, quòd filius diceret, patrem ſatis diu Ducatui præfuiſſe. *Chron. Belg.*

Iſmael *rex Granatenſis moritur die* 7. *April. fer.* 1. *anno Heg.* 869. *die decimo menſis Sahaben, cui ſucceſſit Albohatenus.* Marian.

Carolus Burgundus parentis gratiam recuperat, & contra Ludovicum regem Galliæ cum aliis movet. Id bellum nominatum fuit *bonum publicum*, expeditio facta die 15. Maji. Pugnat cum rege die 16. Julii, fer. 3. Inde agitur de pace die 5. Octobr. Interim *Leodienſes* regiones Burgundi vaſtant, quos tamen ulciſcitur Philippus Burgundus pater, occiſis duobus millibus: poſtea tamen tractant de Rege Galliæ in protectione aſſumendo, & Caroli officiales trucidant, Tungrum etiam oppidum cum ſuo Epiſcopo capiunt, & Epiſcopum Leodium traducunt: Carolus verò ex Gallia reverſus, exercitum per hyberna diſtribuit. *Chron. Belg. & Annal. Flandr.*

Heinricus Caſtellæ rex à ſubditis ſuis regno ſpoliatur hac ſolenni ceremonia: Statuam Heinrici regis abſentis ſumunt die 5. Junii, feriâ 4. eam ornant regio modo. & proponunt publicè. inde eam accuſant, damnant, ornamentis ſpoliant, & tandem perpræceps agunt, ſubſtituuntque ipſi *Alfonſum* fratrem, qui tamen non diu regnavit. *Mariana.*

Olympias 560. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2241.

Annus Indor. 1557. *& Hegira* 870. *incipit* 23. *Auguſti, fer.* 6.

Diocletiani 1182. *incipit* 2. *Auguſti.*

Johannes *Dux Saxoniæ, Angriæ & Weſtphaliæ, litem iterum movet de titulo, dignitate ac ditione Electorum Saxoniæ, & Archimarſchallum ſe imperii more majorum ſuorum, nominat. Sed cum nihil efficeret, tandem litem deponit.* Chyt.

Laurentius *Valla, Alfonſi regis Neapolitani Secretarius, de lingua latina optime meritus, moritur, anno ætatis* 50.

ANNO MUNDI 5415. Æræ C. 1466.
E. ☉ 19. ☽ 4. *Ind.* 14.

Carolus Burgundus contra Leodienſes movet, qui trepidi rerum ſuarum ſe dedunt, & pax fit ſtatim in Januario. Sed cùm Leodienſes iterum pactis non ſtarent, & præfectos Caroli trucidarent, Carolus menſe Auguſto redit: Sed intervenientibus quibusdam, iterum Leodienſes in gratiam recipiuntur, datis tamen obſidibus. Inde Carolus Dinantenſes obſidet, expugnat, & octingentos captivos in flumine ſubmergit, cùm eos octo menſibus obſediſſet. *Comin.*

Plavenſis Baro ſubditos ſuos malè hactenus tractarat, quòd prodigalitate omnia conſumeret; & admonitus ſæpè fuerat ab Electore de emendatione. Sed cùm nihilo melius fieret, Elector Erneſtus contra eum movet die 10. Februar. eum ditione ſuâ pellit, Plauen, Olsnicium, Adorſum & alia occupat; ipſi tamen Barqni, intercedentibus aliis, pecuniam dedit, ut ſibi quædam emeret in Bohemia. *Fab.*

Paulus II. Papa infenſus Bohemis, regem Georgium in Cœna Domini cum omnibus Huſſitis excommunicat, crucem contra eos prædicare jubet, & militantibus contra Bohemos promittit, quicquid alii conſequerentur meriti, peregrinatione Hieroſolymitana, Compoſtellana, Romana, eleemoſynis, inedia, orationibus, extruendis templis & clauſtris, id omne eos conſequi, qui militêt contra Bohemos. Inſuper hujusmodi milites abſolvit ab omnibus peccatis commiſſis & committendis & ſoboli in tertiam & quartam generationem eadem bona promittit. Urget etiam Imperatorem, ut principes imperii ad id bellum exhortetur, ſed tamen parum efficitur, ingens quidem militum numerus convenit, ſed abſq; duce, & à Georgio rege facilè vincuntur & diſſipantur. *Fabr.*

Annus Indorum 1558. *& Hegira* 871. *incipit* 13. *Auguſti, feriâ* 4.

Magiſter ordinis Teutonici in Boruſſia à ſubditis & rege Caſimiro victus. pacem init cum rege, cedit Mariæburgo, Elbinga & aliis; & retinet ſibi Regiomontem, & alias urbes, ut in clientela eſſet regis Poloniæ, ipſique fidelitatem juraret, atque hoc modo *Boruſſia* ab imperio avulſa Poloniæ jungitur. *Chyt.*

Muhamed *in Albaniam proficiſcitur, & Scanderbegi ditiones petit, ejusq; regiones ſibi ſubjicit. Cùm vero ejus exercitus peſte confligeretur, Philippopolin abit.* Annal. Turc.

Franciſcus *Sfortia moritur, cùm ante biennium Genuæ dominatum ſibi acquiſiviſſet; ſuccedit ipſi filius* Galeatius. *qui hoc tempore in Gallia erat contra Carolum Burgundum militaturus, ubi furtim ſe ſubtraxit ad occupandum Ducatum,* Piat.

ANNO

ANNO MUNDI 5416. Æræ C. 1467.
D. ⊙ 20. ☽ 5. *Ind.* 15.

Civitates Saxoniæ Einbecca & Gottinga, *aſſumtis vicinorum auxiliis, impugnant Ducem Brunſuicenſem, qui in auxilium evocat* Wilhelmum *Landgravium Thuringiæ. Hic aſſumtis Bohemis quibusdam, civitates ita terret, ut de pace facienda conſentirent, quod perfectum tandem eſt per Fridericum Brandeburgicum Electorem.* Fab.

Matthias Hunniades, rex Hungariæ, Boſniam Turcis eripere conatur, ſed a Weiwoda ex inſidiis ferè obrutus fuit cum toto exercitu, & cùm fortiſſimè pugnaret, tribus vulneribus ita cùm fortiſſimè pugnaret, tribus vulneribus ita confectus fuit, ut in caſtra reportaretur: Quapropter in Hungariam re infecta redit. *Bonf.*

Philippus *Burgundus, cum Burgundiæ Ducatum annis 48. rexiſſet, eumque abunde locupletaſſet, moritur die 15. Junii: ſuccedit ipſi in omnibus provinciis filius unicus* Carolus. *qui præfuit annis 9. & menſibus ferè 6. inauguratur die 28. Junii, fer. 1. Gandavi, ubi cives ſequenti die ſeditionem movent, & novo Duci extorquent nova Privilegia, quæ tamen Carolus rata nunquam habuit.* Annal. Frandr.

Annus Indorum 1559. *& Hegiræ* 872. *incipit* 2. *Septemb. fer.* 1.

Muhamed *anno Hegiræ* 872. *ineunte, iterum in Albaniam movet, & eam ferè totam occupat, & Scanderbejum poſſeſſione ſua ejicit; qui fugiens in Italiam, omnes ad bellum Turcis inferendum inflammat, ſed in ipſo conatu febri corripitur, moriturq;, die 27. Januarii ſequentis anni, anno ætatis* 63. Append. Laon.

Leodienſes oppidum Hojo, Epiſcopi ſui ſedem obſident, & capiunt nocte, quæ præceſſit diem Lamberti, ſive die 16. Septembr. Epiſcopus vix effugit, illi verò multos crudeliſſimè interfecerunt. Epiſcopus de vi conqueritur apud Carolum, & defenſionem petit, quapropter Carolus comparato exercitu contra eos expeditionem inſtituit, ſed deprecatur pro eis Comes S. Pauli Conneſtabilis, miſſus à Rege Galliæ, quem tamen Carolus audire noluit. Inde legatus Pontificis nomine regis mittitur, ſed fruſtra hoc eſt. Quapropter menſe Octobri *Trudonem* Leodienſium oppidum vaſtat, ſed Leodienſes obviam Carolo veniunt cum exercitu, ubi vincuntur die 27. Octobris, amiſſis tribus millibus civium: Inde cùm pacem peterent, pax fit die 11. Novemb. ſed jura ſua ac privilegia Carolo tradere coacti ſunt, & ſimul arma omnia cum bombardis, & ſumptibus ſuis muros diruere, mulctam etiam ſolvere non tantùm hanc, quæ jam impoſita erat, ſed etiam antiquam; atque tum demum Carolus urbem ingreditur. *Chron. Belg.*

Deſiderius *Eraſmus naſcitur Roterodami in Hollandia, in exigua domuncula ad Cœmiterium, die 28. Octob. & primum inſtituitur Daventriæ.* Cardan.

ANNO MUNDI 5417. Æræ C. 1468.
C B. ⊙ 21. ☽ 6. *Ind.* 1.

Otto Dux Stetinenſis adoleſcens moritur peſte, ſine ſobole. *Fridericus* Elector Brandeburgenſis, tanquam Ducatus ad ſe pertineret, agnatos Ottonis excludit, & titulum Pomeraniæ Ducatus ſibi ſumit. Diſputatum de hac re fuit per delegatos principes tribus ferè annis. Cùm *Fridericus* verò nec dominium utile, nec directum ejus Ducatus obtinere poſſet, bellum Ducibus Pomeraniæ movet, & *Stetinum* occupaſſet proditione, niſi id quidam cives animadvertiſſent. Hoc bellum tandem ſequente anno, curante id rege Poloniæ, depoſitum eſt. *Crantz.*

Beſſario Nicenus Cardinalis, Bibliothecam ſuam, quam ex Græciæ reliquiis hinc inde conquiſiverat, templo D. Marci Venetiis dicat, ut tuto in loco eſſet. *Juſtin.*

Paulus II. Papa, ad imitationem veterum, populo Romano ludos exhibet, & lautiſſimum epulum præbet; ſed inter ludos, cùm quidam de eo tollendo conſpiraſſent, ferè occiſus eſſet, ideò ſuſpectos conjurationis in carcerem conjecit, inter quos fuit Platina. *Plat.*

Annus Indorum 1560. *& Hegiræ* 873. *incipit die* 22. *Julii, fer.* 6.

Annus Nabonaſſar. 2217. *& Philip.* 1793. *die* 21. *Auguſti, fer.* 1.

Annus ſabbathicus 4. *Jobelei* 29. *die* 17. *Sept. fer.* 7. *Anno Jud.* 5229.

Annus Alexandr. 1780. *Antioch.* 1517. *Conſtantinop.* 6977. 1. *Octobr.*

Annus Jezdegird. 838. 19. *Novembr. fer.* 7. *Armen.* 918. 22. *Nov. fer.* 3.

Henricus *Caſtellæ rex, cùm jam diu à ſubditis pulſus fuiſſet, in regnum recipitur & ſubditi iterum ei fidelitatem jurant, ita tamen ut Iſabellam ſororem in regnum aſſumeret, & ipſa hæres ipſius eſſet, quæ ſuccederet.* Marian.

Johannes *Aragoniæ rex, ſenex ſeptuagenarius & cæcus, viſum recipit curante Medico Judæo; is Aſtrologiæ peritiſſimus erat, & elegit primum diem* 11. *Septembris, quo dextro regis oculo albuginem acu deterſit, ad ſiniſtrum oculum ſumſit diem* 12. *Octob.* Marian.

Carolus Burgundus iterum contra regem Galliæ arma ſumit, pro Carolo regis fratre, quem Ludovicus oppugnabat; ſed pacem hic cum fratre fecerat, ideò Ludovicus etiam cum Burgundo paciſcitur, qui impenſas belli reddit: Pax facta die 14. Octobr. Interim Leodienſes rebellaverant, & ſuum Epiſcopum ceperant; cùm hoc viderentur feciſſe hortatu regis, Carolus vult, ut rex ſecum ad oppugnandos Leodienſes veniat, quod & factum eſt, & Carolus Leodium capit die 30. Octobr. feriâ primâ, & urbem ſpoliatam omnibus bonis incendit, monaſteria tamen cum templis integra ſervat, ſed cives novi infinitis poſt exactionibus exhauſti ſunt. *Annal. Flandr.*

ANNO MUNDI 5418. Æræ C. 1469.
A. ⊙ 22. ☽ 7. *Ind.* 2.

Annus urbis 2221.	*Julianus* 1514.
Æra Hiſpanica 1507.	*Auguſtorum* 1496.

Fridericus inchoat annum imperii 30.
Gelali Perſ. 390. *incipit cum æquinoctio verno.*

Fridericus Palatinus fratrem ſuum Rupertum Archiepiſcopum Colonienſem adjuvat in recuperandis bonis Epiſcopatus, quæ anteceſſores oppignoraverant. *Trith.*

Angliæ regnum inteſtinis diſcordiis concutitur; rex Eduardus, qui à Comite Varvicenſi ad regnum evectus fuerat, ab eodem bello petitur, & vincitur, & capitur, ſed ex cuſtodia elapſus, iterum copias adverſus Comitem comparat, unde ſibi timens Comes pacem admittit. Polyd.

Eubœa erat ditionis Venetæ; hanc oppugnaturus Muhamed, non ſolùm exercitum eò deducit, ſed etiam claſſem per Baſſam mittit, acerrimeq́; Chalcidem, *oppugnat, ac tandem per vim capit, anno Hegiræ* 874. *ineunte, circa finem menſis Julii.*

Præfecti Veneti filia forma elegantiſſima ad Muhamedem deducta mori maluit, quàm ſe ejus libidini proſtituere. Annal. Turc.

Annus Indorum 1561. *& Hegiræ* 874. *incipit* 11. *Julii, feriâ* 3.

Olympias 561. *incipit in Julio. Anno Olympiadico* 2246.

Annus Diocletiani 1186. *incipit* 29. *Auguſti.*

Paulus II. Papa, anno Pontificatus ſexto ſtatuit, ut de cætero perpetuis futuris temporibus annus jubilæus, cum omnibus & ſingulis indulgentiis, vicenis quinis ſingulis annis celebretur; rationes ejus rei exprimuntur in bulla. *Chron. Belg.*

Ferdinandus filius Johannis regis Aragoniæ, adoleſcens, ſedecim annornm, Iſabellam, ſororem Heinrici Caſtellæ regis, cui dos erat Caſtellæ regnum, ducit uxorem, & nuptias celebrat die 19. Octobr. fer. 5. *Marian.*

Fridericus *Imperator religionis ergò Romam proficiſcitur menſe Decembri, nemini, ut* Crantzius *loquitur, formidabilis, paucis etiam venerabilis, quòd exiguo ſtipatus eſſet comitatu. Exceptus eſt à Pontifice perbenignè, pridie Nativitatis Chriſti, manſitq́, ibi diebus ſeptendecim.*

ANNO MUNDI 5419. Æræ C. 1470.
G. ☉ 23. ☽ 8. *Ind.* 3.

Fridericus Marchio Brandeburgenſis & Elector, cùm præfuiſſet annis 30. ferè, moritur die 10. Febr. Is *Luſatiam* inferiorem ſibi acquiſivit, quam tamen regi Bohemiæ permiſit, *Cotbuſium* ſibi retinuit. Occupavit item Vierradenſem Comitatum, & arcem Tergeloviam, civitatesq; Garzam & Banen. Idem autor fuit, ut domus Brandeburgica aſſumeretur in fœdus hæreditarium Landgraviorum Thuringiæ & Haſſiæ: ſuccedit ipſi frater Albertus, qui præfuit annis 16. *Chyt.*

Papa *Paulus Comitem Eſtenſem inter Miſſarum ſolennia creat Ducem, die* 15. *Aprilis, Dominicâ Palmarum; & ita quæ Imperatoris erant ſibi ſumit, conivente Imperatore.* Trith.

In Anglia copiæ iterum parantur, ſed rex eas vincit, & decem ferè millia hominum occidit; Varvicenſis ita in anguſtias redactus, implorat auxilia regis Galliæ, à quo ſublevatur auxiliis. Cùm ea in Angliam veniſſent, Angliæ regem regno pellit, & Heinricum antiquum regem carcere liberat, & in regnum reſtituit. Eduardus rex fugit in Hollandiam, & ad Carolum Burgundum venit, & â Varvicenſe hoſtis Angliæ declaratur die 26. Septembris, bonaq; ejus publicantur. *Polyd.*

Fridericus Elector Palatinus, Ludovicum Nigrum Ducem Bavariæ & Comitem Veldentianum oppugnat, quòd Adolpho Moguntino & aliis ſuis hoſtibus arma ſociaſſent, & oppida illis eripuit Schriſſen/ quod in pagum redigit, & Arnsheim. *Munſter.*

Annus Indor. 1562. *& Hegir.* 875. *incipit die* 30. *Junii, fer.* 7.

Nicolaus Berottus Saxoferratenſis, & Sipontinus Epiſcopus, autor Cornucopiæ, floret. Trith.

Georgius Purbachius *Germanus Aſtronomus Viennenſis, hoc anno ſcribit Theorias Planetarum.* Trith.

Bernhardus Teutonicus Muſicus Venetiis claret, qui omnia inſtrumenta Muſica peritiſſimè tractavit, & numeros in organis pneumaticis auxit, ita ut pedes etiam adjuvarent concentum. *Volat.*

Jacobus Scotiæ rex conjugem ducit Annam Danicam, & dotis loco inſulas *Orcades* cum aliis accipit, die 10. Julii. *Buch.*

Muhamed *ad Savum fluvium* Sabbatiam *ædificat opportunè ſitam ad invadendos & deprædandos fines Hungaricos.* Annal. Turc.

Gaſto *Comes Fuxenſis in Galliis in haſtiludio à confracta haſta in adverſarii pectore ipſe occiditur; aſſula enim haſtæ per caſſidis buccellam in os inflexa ipſi lethale vulnus inflixit die* 23. *Novembr. feriâ ſextâ.*

ANNO MUNDI 5420. Æræ C. 1471.
F. ☉ 24. ☽ 9. *Ind.* 4.

M. Johan Rochizan Presbyter Huſſiticus, qui rexerat Eccleſiam in Bohemia, moritur die 22. Februarii, quem ſequitur die 22. Martii Georgius Podiebracius, rex Bohemiæ ex hydrope, cùm audiſſet ex proceribus regni, non filium, ſed Poloniæ regem ipſi ſucceſſurum. Proceres igitur eligunt Ladiſlaum, Caſimiri regis Poloniæ filium, die 25. Maji, cùm eſſet adoleſcens quindecim annorum, qui regnat annos 45. Podiebracius regnarat annos 13. *Dubr.*

Eduardus rex Angliæ, ope Caroli Burgundi in Angliam redit, aſcitisque ſociis Londinium iterum occupat, & Heinricum regem iterum in carcerem compingit. Prælio etiam difficili, ipſo die Paſchatos, die 14. Aprilis cum Comite Varvicenſe congreſſus vincit, Comitemque cum decem millibus hominum occidit. Paulò pòſt regina *Heinrici* regis capti uxor bellum inſtaurat, ſed ipſa cum filio capitur: Cùm exercitus cæſus eſſet, filius Eduardus occiditur, ipſa ab Andagavenſi redempta in Gallias redit. *Polyd.*

Fridericus Elector Palatinus adhuc Ludovicum Nigrum bello affligit, & oppidum Wachenheim die 5. Junii capit, & muros ejus disjicit, ita Caſtellum Bockenheim expugnat die 14. Junii, & Ludovicum in extremas neceſſitates adigit, adeò ut pacem peteret, quam etiam obtinuit. *Trith.*

Annus Indorum 1563. *& Hegiræ* 876. *incipit* 20. *Jun. fer.* 5.

Paulus II. Papa, cùm ſediſſet annis 7. moritur: ſuccedit ipſi Franciſcus de Ruvere Saxone oriundus, frater ordinis Minorum, qui *Sixtus IV.* appellatus eſt, eligitur 9. Auguſti, ſedetque annis 13. Primus hic rebus bellicis ſtuduit, & milites prætorianos aluit. *Onuffr.*

Carolus Burgundus agit cum Adolpho Duce Geldriæ, ut parentem carcere liberet & alat, data aliqua præfectura, & penſione annua: Idem Papa Paulus ſuperiori anno die 19. Septembr. per literas ab eodem petierat. Sed cùm Adolphus negaret, ſe hoc

hoc facturum, quorundam inſidiis intercipitur, & Namurci in vincula conjicitur. Pater verò carcere liberatur, qui filium Adolphum exhæreditat, & die 7. Sept. Ducatum Geldriæ vendit Carolo Burgundo. *Annal. Flandr.*

Venæ *Metallicæ à Schnebergenſibus inventæ ditiſſimæ, quæ 30. annorum ſpatio uſq; ad annum 1501. decimarum loco Electori & domui Saxoniæ perſolverunt ultra quinquaginta milliones.*

In fine menſis Decembris ingens Cometa conſpectus eſt per dies ſequentes octoginta, igneo colore, in principio Libræ, longiſſimam caudam protendens. Trith.

ANNO MUNDI 5421. Æræ C. 1472.
E. D. ☉ 25. ☽ 10. *Ind.* 5.

Ludovicus Galliæ rex Carolo fratri Duci Britanniæ bellum infert, qui Carolum Burgundum evocat in auxilium. Sed rex pacem cum Burgundo facit, juratque ſe oppida omnia fratri Carolo redditurum, ſed fefellit utrumque Burgundus igitur, cùm videret ſe deceptum à rege, copias educit, & crudeliſsimè in Galliis bellum gerit, aliquot Caſtella expugnat & excindit, & in Normanniam usq; progreditur. *Comin.*

Cominæus *Philip. hoc anno relicto Carolo Burgundo, ſe ad regem Galliæ Ludovicum confert, non ſine aliqua infamia.* Annal. Flandr.

Annus Indorum 1564. *& Hegira* 877. *incipit die* 8. *Junii, fer.* 2.

Uſum Chaſanes *Parthorum rex, miſſo exercitu Armeniam longè lateq; vaſtat, & miſſis literis in Europam Principes adhortatur, ut Muhamedo regi Turcico bellum inferre velint. Sed Muſtapha Muhamedis filius, iis locis à parente præpoſitus, quosdam Parthos vincit, Ducem Parthorum capit, & ad parentem Conſtantinopolin mittit.* Annal. Turc.

Sixtus IV. Parthicis literis excitatus, claſſem in Turcarum fines mittit; ſed fruſtrà omnis conatus fuit. *Onufr.*

Conjuratio valida Florentiæ in *Mediceos* facta, cujus conſcius etiam Papa fuit, quâ Julianus Medices cæſus fuit, frater verò Laurentius elapſus, qui juſſit conjuratos, inter quos & Archiepiſcopus fuit, & alii viri principes, captos ſuſpendio de feneſtris puniri. Ob horum cædem Papa Medicæos excommunicavit, & poſtea ipſis diuturnum bellum intulit, quod diſcuſſum tandem eſt, cùm Muhamed *Hydruntum* in Italia caperet. *Onuf.*

Pomponius *Lætus in Italia floret, qui adeò ſtuduit latinitati, ut Græca attingere non auderet; abjecto Chriſtiano nomine Petri, ſe Pomponium dici voluit, diem natalem Romanæ urbis ſacrum habuit, & Romulum coluit.* Lud. Viv.

Annus Nabonaſſaris 2221. *& Philippi* 1797. *incipit* 20. *Auguſti, feria* 5.

Annus Alexandr. 1784. *Antioch.* 1521. *Conſtant.* 6981. *die* 1. *Octob.*

Annus Iezdeg. 842. *incipit* 18. *Novemb. feria* 4. *Armen.* 922. 21. *Novembr. fer.* 1.

Duces Saxoniæ emunt Ducatum Saganenſem in Sileſia; Saganum autem fuit territorium Ducatus Glogovienſis, & ita pervenit in manus Ducum Saxoniæ, ubi permanſit per annos 77. *donec per Ferdinandum anno* 1549. *ab Electore Mauritio ad Bohemiæ regnum rediret.* Albin.

ANNO MUNDI 5422. Æræ C. 1473.
C. ☉ 26. ☽ 11. *Ind.* 6.

Annus urbis 2225.	*Julianus* 1518.
Æra Hiſpanica 1511.	*Auguſtorum* 1500.

Fridericus Imperator. inchoat annum imperii 34. *Gelali Perſ.* 394 *incipit cum Æquinoctio verno.*

Arnoldus *Dux Geldriæ, qui hæredem fecit Carolum Burgundiæ Ducem, excluſo filio Adolpho, moritur die* 23. *Febr. ſed cùm Dux Juliacenſis jus ſucceſſionis obtineret in Ducatu Geldriæ, id jus etiam Carolus emit à Duce Juliacenſi, atq; ita Burgundus inauguratur Dux Geldriæ, die* 24. *Julii.*

Muhamed ulturus injurias Uſumchaſanis, bellum ipſi infert, & in Natoliam tranſit, omniaque recuperat. Parthus ingenti hoc exercitu territus, dolo agit, & Beglerbegum Ducem cum exercitu Muhamedis præcedentem vincit, & trucidat cum triginta millibus militum; ſed dum victoriam perſequitur, incidit in ipſum Muhamedem, qui victoriam hoſti extorquet bombardarum uſu, quibus Perſæ magnoperè terrebantur, eosq; caſtris exuit, & in Perſiam redigit. *Annal. Turc.*

Annus Ind. 1565. *& Hegir.* 878. *incipit* 28. *Maji, fer.* 4.

Olympias 562. *incipit in Julio. Anno Olympiadico.* 2249.

Diocletiani 1190. *incipit* 29. *Auguſti.*

Sigismundus *Dux Auſtriæ, metuens ſibi ab Helvetiis, quaſdam vicinas Suitenſibus regiones oppignoraverat Carolo Burgundo, qui præfectum in eas regiones miſerat, qui valde tyrannicè cum ſubditis agit, ideò à ſubditis capitur, & capite truncatur, & ditiones hæ ita ad Sigismundum redeunt. Sigismundus verò metuens ſibi à Burgundo, fœdus facit ex æquo cum Helvetiis hoc anno.* Birckh.

Fridericus Imperator die 28. Septemb. venit Auguſtam Trevirorum, eò etiam ſe confert Carolus Burgundus, ubi agitur primùm de matrimonio inter Maximilianum & Caroli filiam unicam, & deinde ut Carolus crectur rex Burgundiæ. Cùm hoc Carolus non impetraret, de priori etiam non penitus conſentit, ſed multos inani ſpe lactavit. *Annal. Burg.*

Ladulaus rex Poloniæ Uratislavienſibus, quòd Matthiæ regi Hungariæ homagium præſtitiſſent in ſui contumeliam, bellum cum patre Caſimiro rege Poloniæ infert, & Ladislaus eò venit die 24. Oct. *Dubrav.*

ANNO MUNDI 5423. Æræ C. 1474.
B. ☉ 27. ☽ 12. *Ind.* 7.

Matthias *rex Hungariæ Uratislavienſes defendendos ſibi ſumit, & magno exercitu eò contendit, & quanto eſſet peritior in re militari, eò magis in anguſtia videbantur conſtituti Poloni. Electores, Johannes Brandeburgenſis & Erneſtus Saxoniæ, cùm equitibus duorum millium ad ambos reges contendunt, eos adhortantur ad pacem, minitantur etiam ei, qui alienior fuerit à pace, & tandem ambobus perſuadent, ut res æquis judicibus committatur.* Fabr.

Diſſidium ingens inter Epiſcopos Colonienſes exoritur, cùm duo in ſchiſmate electi eſſent. *Rupertus* alter, qui ex familia Palatinorum fuit, & *Hermannus* Landgravius Haſſiæ à Capitulo electus, uterque

uterque

uterque ſe muniebat auxiliis. Hermannus invocat imperatorem, ſed Rupertus Carolum Burgundum. *Fab.*

Annus Iudorum 1566. *& Hegira* 870. *incipit* 18. *Maji, fer.* 4.

Imperator Fridericus propter diſſidium Colonienſe indicit Comitia Auguſtana, ubi proſcribit Fridericum Palatinum, quòd poſt obitum fratris uſurparet Electoratum, cùm verus hæres jam adultus eſſe: at Fridericus hæc parum curavit, & Electoratum retinuit. *Munſt.*

Muhamed Scodram urbem Johannis Caſtrioti jam diu obſederat, eam tamen expugnare non potuit, ſed ſoluta obſidione in Moldaviam irruit, cui occurit Moldaviæ Vaivoda Stephanus, & pede collato Muhamedem vincit & Moldavia ejicit, cùm jam acre frigus eſſet, anno Hegir. 879. *Annal. Turc.*

Carolus Burgundus auxilia adducit Ruperto Colonienſi Epiſcopo, & agrum Colonienſem vaſtare incipit, & tandem die 29. Julii, fer. 6. ad Noveſium caſtra ponit, quod defendebat Hermannus in magna difficultate annonæ; continuata fuit hæc obſidio per menſes undecim. *Trith.*

Ludovicus rex Galliæ, Sigismundus Dux Auſtriæ, & Renatus Lotharingus æquo fœdere junguntur cum Helvetiis, quòd ſibi metuerent à Carolo Burgundo, qui tum Noveſium obſidebat. *Annal. Suev.*

Heinricus Caſtellæ rex cùm regnaſſet annis 20. menſibus 5. moritur die 11. Decembr. fer. 1. Succedit Iſabella ſoror cum *Ferdinando* Aragonio, qui regnat annis ferrè 42. *Marian.*

ANNO MUNDI 5424. Æræ C. 1475.
A. ☉ 28. ☽ 13. *Ind.* 8.

Sixtus IV. Papa ad hunc annum, & deinde ad quemvis viceſimum quintum, veniam ſecularem redigit, ut Paulus II. antea decreverat, & hoc anno Jubilæum agit. *Plat.*

Judæi die 23. Martii, feria 5. Tridenti furantur puerum bimulum, quem ſequenti die excarnificant & occidunt; deprehenſi pœnas dignas luunt *Annal. Suev.*

Annus Ind. 1567. *& Hegir.* 880. *incipit* 7. *Maji, fer.* 4.

Alfonſus *Portugallia rex, arbitratus ſibi jus eſſe in regnum Caſtella, id aſſerere ſibi conatur, & Zamara urbe ſine ſanguine potitur, ſed* Ferdinandus *hanc urbem paulo poſt recipit.* Marian.

Renatus *Lotharingia Dux Carolo Burgundo bellum indicit adjuvantibus Helvetiis, & Ducatum Lucemburgenſem vaſtat. Certat interim Carolus adhuc ad Noveſium, & die 23. Maji congrediuntur pralio, ſed exigua clade ex utraque parte; & Carolus, videns ſe imparem numero cum Germanis congredi, ad pacem inclinat, qua cum Germanis congredi, ad pacem inclinat, qua concluditur die 31. Maji; obſidio tamen ſoluta tandem eſt die 27. Junii, cùm duraſſet undecim menſibus. Initio Julii Anglia rex, ut Carolo ſuppetias ferat, in Galliam venit cum magno exercitu, ſed cùm Carolus ipſis adeſſe non poſſet, Ludovicus cum Anglis agit, ut Gallia excedant, & ſolvit ipſis ampla ſtipendia.* Annal. Flandr.

Adolphus Epiſcopus Moguntinus moritur, ſuccedit ipſi iterum Ditherus de Iſenburg; antea pulſus. *Hinc poſtea Academiam Moguntinam inſtituit.* Trith.

Annus ſabbathicus 5. *Jobelei* 29. *incipit* 2. *Sept. fer.* 7. *Anno Jud.* 5236.

Menſe Auguſto ingens locuſtarum *multitudo ex Pannonia in Sileſiam & Moraviam venit, longitudo congregationis trium erat milliarium latitudo ſeſquimiliare, omne viride depopulabantur.* Abb. Urſb.

Muhamed *claſſem per Pontum Euxinum mittit in Tauricam Cherſoneſum, & Theodoſiam Genuenſium coloniam, urbem pulcherrimam expugnat, quo facto Tartari etiam victos ſe Muhamedo dedunt; Dux fuit Achmet Baſſa, qui ex humillima ſorte ad tantam dignitatem aſcenderat.* Annal. Turc.

Matthias rex Hungariæ, dum *Muhamed* alibi eſt occupatus, *Sabbatiam*, quam *Muhamed* ad fines Hungarici regni ædificaverat, recipit, ne Turcæ arcem finibus Hungaricis impoſitam haberent *Annal. Turc.*

Carolus Burgundus bellum movet Lotharingo hoſti, menſe Septembr. & Lotharingiæ potiſſimam partem occupat, & die 14. Octobr. Nancejum obſidet, quod deditur die 28. Nov. Renatus pulſus ditione, ad regem Galliæ confugit, inde commendatur Helvetiis. *Annal. Flandr.*

Ludovicus Lucenburgenſis, Conneſtabilis regis Galliæ, quòd contra regem quædam molitus erat, capite truncatur Lutetiæ, die 19. Decembr. fer. 5. *Annal. Flandr.*

ANNO MUNDI 5425. Æræ C. 1476.
G.F. ☉ 1. ☽ 14. *Ind.* 9.

Ferdinandus Caſtellæ rex, Alfonſum Portugalliæ regem ad Taurum montem prælio vincit, die 1. Martii, fer. 6. Cædes quidem magna non fuit, ſed victoria & præda maxima. Luſitanus enim de occupando Caſtellæ regno deſperans, in ſuum regnum rediit. *Marian.*

Carolus *Burgundus in Helvetios movet, ut continuum regnum haberet usque in Italiam, & Granſonium expugnat, ubi quingentos Helvetios captos ſuſpendit, ſed* 2. *April. fer.* 3. *ab Helvetiis vincitur, cum nondum aciem ordinaſſet, ideò minor fuit clades: amiſſa tamen ſunt omnia impedimenta cum precioſiſſima ſuppellectile, in Theſauris ſuis amiſit decies centena millia aureorum, & pecunia ab* Helvetiis *diviſa fuit non numero, ſed repletis galeis. Poſt die* 22. *Junii, fer.* 7. *Carolus iterum vincitur ad Moratum ab Helvetiis magnâ clade; ceciderunt ad decem millia militum & hac clade ſimul excluſus fuit à ditionibus ſuis. Renatus vero perſequens victoriam menſe Auguſto. Nancejum obſidet, & recipit deditione, die* 6. *Octobris, ſed* Carolus *menſe Novembr. reparato exercitu Renatum iterum Lotharingia pellit, & Nancejum obſidet.* Annal. Flandr.

Annus Indor. 1568. *& Hegira* 881, *incipit* 25. *Apr. fer.* 5.

Muhamed *totam Carniolam, & Saltzburgenſem Epiſcopatum graviter affligit, & usque ad Italia montes graſſatur.* Abb. Urbs.

Pomeraniæ *Duces pacem faciunt cum* Brandeburgicis *per Duces* Megapolenſes *his conditionibus, ut capta in bello uterque retineret, &* Brandeburgicis *legitimè caveretur, ſi maſcula ſtirps* Pomeraniæ *Ducem defeciſſet, de ſucceſſione.* Chyt.

Regiomontanus Aſtronomus moritur Romæ indict. 9. *Trith.*

Annus Nabonaſſaris 2225. *& Philippi* 1801. *incipit* 19. *Auguſti, feria* 2.

Annus

Annus Alexandr. 1788. *Antioch.* 1525. *Conſtant.* 6985. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdegird. 846. *incipit* 17. *Nov. feriâ* 1. *Armen.* 926. 20. *Novembr. fer.* 4.

Muhamed Walachiæ & Moldaviæ principem Stephanum, qui præcedente anno Turcas magnâ clade affecerat, penitus debellaturus, Tartaros excitat, qui Walachiam invadant Tanai fluvio trajecto, ipſe Iſtro trajecto alterâ parte eandem vaſtat. *Stephanus* ab omnibus deſertus, *fidens auxilio divino* Tartaros primum aggreditur, eosque feliciter devincit, & ad Boryſthenem usq; fugat. Inde contra *Muhamedem* rediens, cùm viribus inferior eſſet, & aperta vi Turcam aggredi non auderet, ex inſidiis eum laceſſit, & commeatu prohibet, etiam incenſis ſuis urbibus, donec Turcæ, cùm lue inſuper infeſtarentur, Walachia excederent, & obſidionem Synderoviæ, quam Matthias diu oppugnaverat, ſolverent. *Annal. Turc.*

Fridericus Elector Palatinus, cùm præfuiſſet annis 25. moritur die 12. Decembr. Succedit ipſi patruelis *Philippus*, Electoris antecedentis filius, qui præeſt annis 31. Hic ante bellum Bavaricum potentiâ & opibus longè florentiſſimus fuit, ſed cùm æquiſſimum judicem *Maximilianum* audire nollet, & Gallo regi fideret, magnam ditionis partem amiſit. *Annal. Suev.*

Galeatius *Sfortia dux Mediolanenſis, à quodam cive Mediolanenſi trucidatur, die 26. Decembr. die Stephani, in templo D. Stephani.* Annal. Flandr.

ANNO MUNDI 5426. Æræ C. 1477.
E. ☉ 2. ☽ 15. *Ind.* 10.

Annus urbis 2229.	*Julianus* 1522.
Æra Hiſpan. 1515.	*Auguſtorum* 1504.

Fridericus inchoat annum imperii 38.

Gelali Perſ. annus 398. *incipit cum Æquinoctio Verno.*

Carolus Burgundus cùm Renato Lotharingo, commeatum Nanceis obſeſſis adducenti cum magnis copiis, cedere nollet ab obſidione, prælium committit die 5. Januar. fer. 1. ubi inopinantibus omnibus cadit; cadaver ſequenti die ex glacie erutum agnitum eſt, & ſepultum, cùm annos 9. menſes ſex præfuiſſet; ſuccedit ipſi filia unica Maria, quæ præeſt annis 5. Mortuo verò Carolo ingentes ſeditiones in urbibus exoriuntur: Sævitumq; in Senatum & optimates, ut Gandavi & alibi. Silvæducis hic tumultus ſedatus eſt die 26. Maji, ſed autores malè mulctati ſunt. *Antiq. Taxand.*

Alfonſus Portugalliæ rex, ex Caſtellæ regno pulſus, non ferens ignominiam, regnum deſerit & ignotus peregrinari conſtituit; ſed cùm in Gallias ad regem Ludovicum veniſſet, revocatur ab hoc conſilio à rege, ideò in regnum redit, quo pervenit quinto die, poſtquam filius rex creatus erat, ſed parens regnum recipit. *Marian.*

Quedlinburgenſes petulanter ſe opponunt Abbatiſſæ ſuæ, quæ ſoror erat Erneſti Electoris Saxoniæ, ideò invocat auxilium fratris, qui cum exercitu adveniens, urbem expugnat, diripit, ſtatuam Rolandi dejicit, & libertatem civibus adimit. Epiſcopum etiam Halberſtadenſem mulctat, quòd Abbatiſſam non defendiſſet. *Spangenb.*

Tubingenſis *Academia inſtituitur ab* Eberhardo *Comite Wirtenbergenſi, hortatu matris & patrui Ulrici, & privilegia impetrat à Sixto Pontifice; introducitur* 3. *Julii.* Annal. Suev.

Burgundiam *tanquam ad ſe revolutam, mortuo Carolo, Ludovicus Galliæ rex invadit, nec utraq; contentus, ulterius ditiones Caroli ſibi ſubjicere conatur, ideò Maria filia Caroli nubit Maximiliano filio Friderici Imperatoris adoleſcenti* 18. *annorum: nuptiæ factæ ſunt in fine menſis Julii.* Abb. Urſb.

Olympias 563. *incipit* 15. *Julii.* *Eſt annus Olympiadicus* 2253.

Annus Diocletiani 1194. *incipit* 29. *Auguſti.*

Domitius *Calderinus* Poëta Veronenſ. moritur. *Trith.*

Monachus apud Aruernos in Galliis, cùm Hermophrodita eſſet, fit gravida; aſſervata eſt magnâ diligentiâ, donec pareret. *Gaguin.*

Muhamed *Solymanum Baſſam in Peloponneſum mittit, ſed parum felix fuit hæc expeditio, ideò regreditur in Hungariam, ſed & hæc expeditio non ex voto ipſi ceſſit: Duces enim Matthiæ regis ad undecim millia Turcarum cedunt anno Hegiræ* 882.

Johannes *Moſcoviæ Dux Ducatum Novogardiam & urbem ipſam capit menſe Novemb. cùm eos bello 7. annorum fatigaſſet, & acie viciſſet; & ingenti prædâ potitur.* Hiſtor. Moſcov.

ANNO MUNDI 5427. Æræ C. 1478.
D. ☉ 3. ☽ 16. *Ind.* 11.

Uſum Caſſanes Perſa, cùm annis 18. circiter regnaſſet, & cum Turcis plurimum dimicaſſet, & jam a filio affligeretur, moritur 5. Januarii, & ſuccedit ipſi Jacobus filius, qui regnat tantùm annos ſeptem ferè. *Bizarus.*

Annus Indorum 1570. *& Hegiræ* 883. *incipit* 4. *April. feriâ* 7.

Erneſtus filius Electoris Erneſti, ante biennium Magdeburgum à patre magno comitatu deductus, factus erat Epiſcopus Magdeburgenſis, cui etiam parebant Hallenſes; at urbs hæc ſimultates inter cives alebat, dum optimates Salinarum domini premunt plebem, nec Epiſcopo dant, quæ debebant, ideò Epiſcopus evocat fratrem Erneſtum Electorem Saxoniæ, qui admiſſus in urbem, primates graviter mulctat, leges quaſdam emendat, & de privilegiis quædam adimit, ſequenti etiam anno arcem ad coercendam civium petulantiam ædificat, die Moritzburg. *Fab.*

Maximiliano naſcitur filius PHILIPPUS, die 25. Junii.

In Sardinia principes tumultuantur, & ab Aragoniis deficiunt, ſed eos ulciſcitur Siciliæ Prorex, & ſeditioſorum bona Aragoniis acceſſerunt; pugnatum die 19. *Maji.* Marian.

Inquiſitio Hiſpanica Caſtellæ inſtituitur, quòd Mauri, & Judæi, & multi alii non Chriſtiani, ſe pro Chriſtianis gererent. *Marian.*

Bombarda in Galliis Lutetias perfertur, quam artifex, qui eam conflaverat, experimento probare vult. Inditur pulvis tormentarius, inde ingens globus lapideus, qui impetu immiſſus, ſcintillam ignis excitat, quâ pulvis incenſus globum retorquet, & proximè adſtantes quatuordecim in aërem diſſipat, item aucupem in campo, & multos alios. *Gag.*

Rupertus alter Epiſcopus Colonienſis, qui bellum excitarat, tandem ab Heinrico Landgravio

Haſſiæ capitur, & biennio pòſt in captivitate detentus moritur. *Trith.*

Maximilianus in Belgio, cùm paucis diebus Geldriam in ſuam ditionem redegiſſet, contra Ludovicum regem Galliæ exercitum educit, & ad Terbonam ad 20000. Francorum cum exiguo exercitu fundit, & cùm caſtra prælio amiſiſſet, forti manu ea recuperat, hoſtemq; caſtris exuit. *Cuſp.*

Muhamed *ipſe ad obſidendam Scodram in Epeiro, quam ſæpius fruſtrà obſederat & oppugnarat, proficiſcitur, nec tamen quicquam efficit, ſed potius clade afficitur; ideo tria caſtella ædificat, & egregiè munit, quibus omnem commeatum impedit, ideo cùm Johannes Caſtriotus famem tolerare non poſſet, urbem dedit, permittitur tamen ipſi & civibus, ut bona ſua aliò transferant.* Annal. Turc.

Theodorus *Gaza Theſſalonicenſis moritur Romæ.*

ANNO MUNDI 5428. Æræ C. 1479.
C. ☉ 4. ☽ 17. *Ind.* 12.

Johannes Aragoniæ rex, cùm vixiſſet annos ferè 82. & regnaſſet annis 21. moritur die 19. Januarii, fer. 4. Succedit filius *Ferdinandus* jam rex Caſtellæ. *Marian.*

Annus Indorum 1571. *& Hegiræ* 884. *incipit* 25. *Martii. fer.* 5.

Muhamed occupata Scodrà quieſcere non poteſt, ſed collecto exercitu Iſabegum in Hungariam mittit: ſed Matthias malè hoc accipit, triginta enim millia eorum, uno prælio occidit, unà cum Iſabego, quanquam victoria haud incruenta fuit; ex Hungaris enim octo millia deſiderata ſunt. *Annal. Turc.*

Johannes Weſſelius Concionator Wormatienſis damnatur Hæreſeos Moguntiæ, quod de indulgentiis, jejunio, & aliis articulis, quædam à communi Pontificiorum opinione aliena doceret. *Abb. Urſb.*

Petrus Uxamenſis Salmanticæ *ſcholas Theologicas* explicat, in quibus ſtatuit, Papam errare poſſe, & ſacerdotes per ſe nullam vim habere in remittendis peccatis, & alia; quæ ſcholæ damnantur die 24. Maji Toleti. *Marian.*

Conventus Regum Matthiæ & Ladiſlai Bohemiæ inſtituitur Olmutii, ubi pax inita hoc modo, ut utraq; pars ſua retineret, quoad viveret, & poſtea omnia ad regnum Bohemiæ redirent.

Luſitani & rex Caſtellæ, tandem intercedente Pontifice, pace coeunt, quæ concluditur menſe Octobri, ubi Luſitanis permittitur explorare extima Africæ littora, quo usq; velint. *Marian.*

ANNO MUNDI 5429. Æræ C. 1480.
B. A. ☉ 5. ☽ 18. *Ind.* 13.

Rudolphus Agricola die 3. Febr. abſolvit libros de inventione, ut ipſe ſcribit.

Annus Ind. 1572. *& Hegiræ* 885. *incipit* 13. *Mart. fer.* 2.

Erneſtus Elector Saxoniæ in templo cathedrali Miſenæ inſtituit Cantores inſomnes, ita ut ſemper alii aliis ſuccederent, nec unquam ceſſaretur à divinis laudibus. Erant 14. Canonici, totidem Sacellani, & vicarii ſexaginta, Chorales duodecim, Grabati quindecim. *Fab.*

Muhamed *Meſitem Baſſam ad oppugnandam* Rhodum *mittit, quod præſtit quidem, ſed irrito conatu: obſidio cæpit die 23. Maji, & maximo cum detrimento, & jactura obſidionem ſolvere coactus eſt die 18. Aug. perierunt ad 30. millia Turcarum. Interim Geducem Achmetem Baſſam in Apuliam mittit cum exercitu, qui* Hydruntum *die 13. Auguſti obſidet, & poſt dies 17. expugnat, infinita ibi crudelitatis exempla edidit, Archiepiſcopum, hominem ſenem, ligneâ ſerra diſſecuit, perierunt ad 12. millia hominum; inde Apuliam vaſtavit, & tantum terrorem hominibus injecit, ut deſerenda Italia cogitarent. Principes tamen poſitis ſuis privatis diſſenſionibus de pellendis Turcis fœdus faciunt.* Annal. Turc.

Veneti, dum Muhamed Rhodum obſidet, mortuis regibus Cypri, Cyprum occupant, & regis defuncti matrem Corneliam, quia Veneta erant, ad ſe deducunt. *Onuph.*

Annus Nabonaſſar. 2229. *& Philippi* 1805. *incipit* 18. *Auguſti, fer.* 6.

Annus Alexandr. 1792. *Antioch.* 1529. *& Conſt.* 6989. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdeg. 850. *incipit* 16. *Novembr. fer.* 5 *Armen.* 930. 19. *Novembr. fer.* 1.

Erneſtus Elector peregrinatum abit Romam, ordinat interim præfectos cum fratre Alberto, qui ſibi cohabitabat Dreſdæ. Præfectus ſuperbiùs ſe gerebant erga Albertum, ſed Albertus hæc modeſtè fert, donec rediret frater, ubi eo relicto, abſq; ulla tamen diſſenſione, diſcedit *Torgam*, ibiq; familiam inſtituit, & arcem atque alia ædificat. *Fab.*

Eduardus fratrem ſuum Clarentiæ Ducem, quòd contra voluntatem Eduardi Carolo auxilium ferre voluiſſet, crudeliter interficit: in Malvatici vini enim dolio vivus extinguitur, & pòſt capite truncatur. *Gangv.*

ANNO MUNDI 5430. Æræ C. 1481.
G. ☉ 6. ☽ 19. *Ind.* 14.

Annus urbis 2233. *Iulianus* 1526.
Æra Hiſpanica 1519. *Auguſtorum* 1508.
Fridericus Imperator inchoat annum Imp. 42.
Gelali Perſ. 402. *incipit cum Æquinoctio Verno.*

Annus Indorum 1573. *& Hegira* 886. *incipit* 2. *Martii, fer.* 6.

Muhamed *relicta Conſtantinopoli in Natoliam proficiſcitur, & propè Nicomediam in prato quodam, die 4. Rabie priori; feria 5. circa veſperam, anno Hegiræ 886. moritur, anno ætatis 53. cùm regnaſſet annos 31. & duo imperia, duodecim regna, & plus quam ducentas magnas urbes imperio ſuo ſubjeciſſet. Janizeri ſtatim Conſtantinopolin reverſi urbem diripiunt.* Bajazethes *filius Conſtantinopolin appellit, die 19. Rabie prioris, & ſalutatur Imperator* Zemis *verò, vel Gemis frater Bajazethis Collecto exercitu paucis diebus poſt Pruſam occupat, ſibiq; ibi domicilium conſtituit. Bajazeth revocat exercitum ex Apulia cum Achmet Baſſa, eumq; in Caramaniam contra fratrem mittit, quem victum Anatolia expellit. Itali & rex Neapolitanus, accerſitis auxiliis Matthiæ regis Hungariæ, Turcici belli peritis* Hydruntum *recuperant, & præſidiarios Turcos omnes in captivitatem abducunt.* Annal. Turc.

Chriſtianus *rex Daniæ & Dux Holſatiæ moritur, cùm annos 24. regnaſſet; ſuccedit ipſi filius Johannes, qui regnat annos* 18. Chyt.

Olympias 564. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2257.

Diocletiani 1198. *incipit* 29. *Auguſti.*

Franci-

Franciſcus Philadelphus eques auratus,& Poëta Laureatus Italus, qui multa ex Græco in latinam linguam vertit, moritur Bononiæ nonagenarius, ſed adeò pauper,ut ad funus efferendum & cubiculi & culinæ inſtrumenta venierint. *Trith.*

Bartholomæus *Platina* Cremonenſis moritur peſte Romæ. *Trith.*

Friburgenſes & Solodurnenſes *in civitatem Helvetiorum recipiuntur.* Siml.

Alfonſus rex Portugalliæ, cùm regnaſſet annis 43.& Tingni urbem nobiliſſimam in Africa,& alias ſuo regno adjeciſſet, moritur die 8. Auguſti; ſuccedit *Johannes* filius, qui regnat annis 14. *Mariana.*

Veneti bellum inferunt *Herculi* Duci Ferrariæ, ejusque Ducem Alfonſum regis Neapolitani filium vincunt & capiunt, ſed poſtea viciſſim clade accepta pax facta, & captivi utrinque dimiſſi. *Onuff.*

Carolus Andegavenſis, qui ſe ſcribebat regem Neapolis, Siciliæ & Sardiniæ, ſed nominetenus ſine ullo proventu, moritur. Hinc reges Galliæ putant ſibi jus eſſe in regnum Neapolitanum. *Marian.*

ANNO MUNDI 5431. Æræ C. 1482.
F. ☉ 7. ☽ 1. *Ind.* 15.

Annus Indor. 1574. & *Hegir.* 887. *incipit die* 20. *Febr. fer.* 4.

Maria Maximiliani uxor, venandi ſtudio egreſſa, ex equo ferociente dejicitur, & cùm dolorem diſſimularet,& medicinam negligeret, ne Maximilianus mœrore afficeretur, moritur die 16. Martii, cùm præfuiſſet Belgio annis 5. Succedit ipſius filius Philippus, puer nondum quinque annos natus, qui præeſt annis 24. Tutor interim eſt pater Maximilianus. *Sigf.*

Zemes frater Bajazethis ex peregrinatione Mechenſi reverſus, magnum exercitum ex Ægypto adducit ad recuperandum regnum, quo erat ejectus, cùm tamen ipſe eſſet major natu. Bajazethes igitur ipſe exercitum educit,ſed Zemes decipitur ab Achmete Baſſæ & vincitur, victusque effugit Rhodum, & *religionem Chriſtianam amplexus,* quatuor liberos gignit,qui poſtea tamen,cùm Soleimanus Rhodum caperet, interfecti ſunt; ipſe Zemes poſtea miſſus ad Pontificem veneno interficitur. *Annal. Turc.*

Moguntina *Academia à Dithero Archiepiſcopo inſtituitur & introducitur,* cùm paulò pòſt moreretur: Succedit ipſi Albertus filius Erneſti Electoris, qui tamen vix biennio præeſt, & moritur in ipſo flore juventutis: ſub hoc munitio ad Cyriacum Erfurdiæ ædificata eſt. *Fab.*

Johannes *Caſtriotus, filius Scanderbegi, dum fratres Turcici de regno decertant, bello inteſtino* Epirum *paternam ditionem recuperat.* Annal.

Halberſtadenſes ſeſe opponunt Erneſto Archiepiſcopo Magdeburgenſi, qui vocatus etiam erat, ut eſſet Epiſcopus Halberſtadenſis. Igitur Erneſtus evocat parentem, qui obſidet *Halberſtadium,* & expugnat,& clerum cogit,ut Epiſcopo ſuo obediat; mulctat etiam eundem, ne jus habeat amplius eligendi Epiſcopos,ſed ſubſit Magdeburgenſi. *Fab.*

Annus ſabbathicus 6. *Jobelei* 29. *incipit* 14. *Septembr. fer.* 7. *Anno Jud.* 5243.

Marchio Brandenburgenſis Johannes, Electoris Alberti filius, bello devincit Heinricum Glogovienſem,& ad pacem petendam adigit, quæ fit, cùm Croſna & aliæ quædam urbes à Sileſio Brandeburgenſibus darentur. *Ann. Sileſ.*

Wilhelmus Dux Saxoniæ, cùm præfuiſſet annis 54. moritur 17. Septembr. & ſepelitur Vinariæ: ſuccedunt ipſi frater Erneſtus & Albertus. *Fab.*

Bajezeth nocte, quæ ſequitur ſextum diem Schebatis, qui eſt dies 22. Novemb. fer. 6. vocat omnes Veziros ſuos ad cœnam, eosque novâ veſte honorat. Achmethem verò Baſſam, quòd videretur potentior eſſe, interficit. *Annal. Turc.*

ANNO MUNDI 5432. Æræ C. 1483.
C. ☉ 8. ☽ 2. *Ind.* 1.

Annus Indorum 1575. & *Hegira* 888. *incipit die* 9. *Febr. fer.* 1.

Eduardus IV. rex Angliæ, cùm annis 22. regnaſſet, moritur die 9. Aprilis: Succedere debebat filius Eduardus, ſed frater defuncti regis *Richardus* cupiditate regni cœcus, eos qui ſuæ cupiditati obſtare videbantur, occidit, & fratrem ſuum defunctum nothum fuiſſe affirmat, ſuamque ipſius matrem adulteram fuiſſe, & propterea ſibi regnum deberi, & impetrat, ut rex coronetur die 6. Julii; Patrueles ſuos paulò poſt necat; regnat autem annis duobus. *Polyd.*

Hoc anno Heg. menſe Rabie prioris fer. 3. (*menſis hic incipit die* 10. *Aprilis*) *urbs* Hadrianopolis *cum omni apparatu mercium conflagrat.* Annal. Turc.

Trajectenſes *Epiſcopum ſuum Davidem Burgundum capiunt, & cuſtodiæ mandant in feſto Aſcenſionis Chriſti, ſed Maximilianus hâc de cauſâ obſidet Trajectum, & ad pacis conditiones cogit, & Epiſcopus in integrum reſtitutus eſt, die* 18. *Junii.* Sigfrid.

Principes Portugalliæ contra regem Johannem conſpirant, qua conſpiratione detecta Brigantinus Dux capitis damnatur die 22. Junii; reliqui vel capitis damnantur, vel in exilium ejiciuntur, nihilominus tamen alia conſpiratio initur à quibusdam in cædem regis, quæ detegitur die 22. Aug. fer. 6. & autores capite plectuntur, quidam fuga elabuntur. *Mariana.*

Ludovicus XI. rex Galliæ, cùm filio ſuo deſponſiſſet Margaretham filiā Maximiliani,& ad ſe deduci curâſſet, moritur die 30. Auguſti, fer. 7. regnaverat annos 23. Succedit ipſi filius *Carolus VIII.* adhuc juvenis, qui regnat annis 14. *Gaguin.*

Martinus Lutherus naſcitur Islebiæ, patre Johanne, & matre Margaretha, die 10. Novembris, paulò ante mediam noctem, pridie Martini, ineunte fer. 3. *Eberus.*

Mauri Zaharam urbem Ferdinando nocturno furto eripiunt, die 27. Decemb. noſtri contrà fraudem regerunt,& Alhamam Mauris viciſſim eripiunt anno ſequente, die 28. Februarii. *Marian.*

ANNO MUNDI 5433. Æræ C. 1484.
D.C. ☉ 9. ☽ 3. *Ind.* 2.

Annus Indorum 1576. & *Hegira* 889. *incipit* 28. *Jan.*

Duces regis Caſtellæ magnâ clade afficiuntur ad Malacam die 21. Martii: poſtea, cùm Boabdiles rex Granatæ Lucenam urbem noſtris eripere cona-

conaretur, fuſus fugatusque eſt, & tandem capitur. Ferdinando igitur & Iſabellæ propter victoriam coronæ in inſignibus, & in moneta adduntur. Inde Ferdinandus bellum Mauricum perſequitur, & Alloram urbem expugnat die 21. Junii. *Mariar.*

Principes Anglici regni conjurant contra Richardum regem Tyrannum, ſed conjuratio hæc maturius detegitur, & rex opprimit proceres celeritate, quorum tamen magna pars vel in Flandriam, vel in Britanniam venit. *Pol.*

Julius Cæſar Scaliger, Benedicti, viri & bellatoris fortiſſimi, ex antiquiſſima & nobiliſſima Scaligerorum Principum quondam Veronenſium familiâ oriundi, filius, naſcitur in caſtro Ripa, ad caput lacus Benaci die 23. Apr.

Comites *Mansfeldenſes* emunt à Comitibus Hanſteinenſibus ditionem Heldrungenſem, de quâ multis annis diſceptatum fuerat; ab hoc tempore *Mansfeldenſes* titulum ſibi ſumſerunt dominorum in Heldrungen. *Spang.*

Sixtus IV. Papa, cùm ſediſſet annis 13. moritur die 13. Auguſti. fer. 6. Succedit ipſi Johannes Baptiſta Cybo, ex antiqua Græcorum familia, quæ quondam Genuæ habitationis ſuæ ſedem fixerat. Electus Papa die 29. Auguſti, fer. 1. conſecratur 12. Sept. fer. 1. diciturque *Innocentius VIII.* ſedet annos ferè octo. *Onuf.*

Antonius *Sabellicus* Hiſtoricus, Marſilius Ficinus, Hermolaus Barbarus Venetus, Johannes Picus Mirandulanus, & alii viri eruditi in Italia florent.

Annus Nabonaſſar. 2233. *& Philip.* 1809. *die* 17. *Auguſti, fer.* 3.

Annus Alexandr. 1796. *Antioch.* 1533. *Conſtantinop.* 5993. 1. *Octobr.*

Annus Iezdeg. 854. *incipit* 15. *Novemb. feria* 2. *Armen.* 934. 18. *Novembr. fer.* 5.

Bajazeth Turcarum Imp. in Moldaviam expeditionem ſuſcipit; Stephanus Weivoda metuens ſibi à Turcis, dat ſe in clientelam Polonis, qui quidem veniunt, ſed non minus quàm Turcæ Moldaviam & Walachiam ſpoliant. Bajazeth cùm ferè omni agro potitus eſſet, Hadrianopolin redit anno Heg. 889. in hyeme. *Annal. Turc.*

ANNO MUNDI 5434. Æræ C. 1485.
B. ☉ 10. ☽ 4. *Ind.* 3.

Annus urbis 2237. *Julianus* 1530.
Æra Hiſpan. 1523. *Auguſtorum* 1512.

Imp. Fridericus inchoat annum imperii 46.

Annus Indorum 1577. *& Hegira* 890. *incipit die* 18. *Jan. fer.* 3.

Gelals Neuruz Perſ. 406. *inc. cum Æquinoctio Verno.*

Eclipſis Solis annotatur in annalibus Turcicis. Eadem obſervata fuit Norenbergæ à Waltero, quod acciderit die 16. *Martii, circa quartam veſpertinam, fueritque undecim punctorum ferè, eaque ita invenitur. Accidit enim die* 16. *Martii, fer.* 4. *horis* 3, 52, 47. *poſt meridiem. Parall. latitud.* 26, 47. *Latitudo vera* 24, 45. *viſa* 2, 2. *Semidiam. Solis* 15, 30. *ſcrup. reſidua* 28, 11. *digiti eclipt.* 10, 54. *Sol in gradu* 5, 8. *Arietis.*

Jacobus Perſarum rex, cùm annis 7. ferè regnaſſet, uxor ipſi ex balneo exeunti offert venenum in aureo poculo, jubet quidem uxorem præbibere, dat etiam filio, ſed ipſe reliquum exhaurit, atq; ita ſimul omnes extinguuntur: Succedit ipſi *Julaverus*, qui triennium præfuit. *Bizarus.*

Matthias rex Hungariæ bellum gerit contra Imperatorem Fridericum in Auſtria; Fridericus Imper. invocat quidem Status imperii in auxilium, ſed reſpondent, bellum hoc privatum eſſe, ideo publicis ſumtibus non gerendum; interea Matthias Viennam Auſtriæ expugnat. *Fabr.*

Olympias 565. *ſive annus Olympiadicus* 2261. *incipit in Julio.*

Diocletiani 1201. *incipit* 29. *Auguſti.*

Heinricus Comes Richemontiæ ex familia Canceſtria, gener Eduardi IV. regis Angliæ, profugus metu Richardi regis, revocatur à quibusdam, ideo impetrat modica auxilia à Carolo VIII. Galliæ rege, & ex Sequanæ oſtio Calendis Auguſti ſolvit, & in Angliam 7. die venit, militem & amicos contrahit, & die 24. Auguſti cum Richardo pugnat, cum vincit & trucidat, cùm Richardus tantùm duobus annis regnaſſet, regnat Heinricus annis 24. *Polyd.*

Rudolphus Agricola, Gronningenſis Friſius, Doctor Heidelbergenſis, moritur hoc anno die 28. Octobris ætatis anno 42.

Ferdinandus Caſtellæ rex feliciter bellum gerit contra Mauros in Hiſpania, hoc & ſequenti anno. *Mar.*

Ferdinandus rex Neapolitanus ſeditione excipitur à ſuis ſubditis propter tyrannidem; cùm ea ſedata eſſet, principes in gratiam recipiuntur, ſed poſtea Ferdinandus quosdam contra datam fidem capite plectit, quosdam in carceribus retinet. *Marian.*

Bajazeth Turcarum Imp. Duces ſuos in Moldaviam mittit, omniaque ferro, flammis & cædibus vaſtat, adjuvante Walacho, & ſpoliis onuſti Duces domum redeunt. *Annal. Turc.*

Erneſtus Elector Saxoniæ cum fratre Alberto dividit provincias, in una parte erant Ducatus Saxoniæ, ex Marchionatu urbes 12. ex Thuringia urbes 38. ex Francia novem, & tota Voigtlandia, cum grandi pecunia: ex altera parte verò pecunia nulla, ex Marchionatu urbes 32. ex Ducatu Saxoniæ tantùm duæ urbes, ex Thuringia duæ & viginti. Alberti erat electio, qui hanc partem ſibi ſumit, & priorem fratri relinquit. Factum Lipſiæ, die 10. Novemb. *Fabr.*

ANNO MUNDI 5435. Æræ C. 1486.
A. ☉ 11. ☽ 5. *Ind.* 4.

Annus Indorum 1578. *& Hegira* 891. *incipit* 7. *Jan. fer.* 7.

Fridericus III. Imperat, Comitia celebrat Francofurti, ipſe venit die 20. Jan. fer. 6. ibi *Maximilianus* filius, petente patre, eligitur Rex Romanorum, die 16. Febr. fer. 5. coronatur poſt Aquiſgrani die 9. Apr. fer. 1. *Fab.*

Albertus Brandeburgicus Elector ad hæc Comitia profectus, in balneo obit morte repentina, die 11. Martii, ſepelitur Heilbrunnæ, cum præfuiſſet annis 16. dictus fuit *Achilles Germanicus*, quod nunquam in ludis Martialibus equo dejectus fuerit, & nunquam monomachiam detrectaverit; Succedit ipſi filius *Johannes*, qui præfuit Electoratui annis 13. *Chyt.*

Morbi

Morbi genus, qui morbus *Sudor Anglicus* vocatur, primùm hoc anno in Anglia notari cepit, quo tempore in inferiori Germania ſimul cœpit *Scorbutus* morbus.

Erneſtus Elector Saxoniæ, cùm præfuiſſet annis 22. poſt parentem, moritur: Succedit primogenitus filius *Fridericus ἄγαμος*, qui præfuit annis 38. Sapiens hic cognominatus fuit. *Fab.*

Suldanus Ægypti bellum infert Bajazethi, & pervenit in Ciliciam. Imper. Turcicus mittit Duces ſuos primum Ferratbegum contra Suldanum, concurritur ad Tarſum urbem, expugnatur acriter, tandem Turcæ fugiunt ingenti accepta clade, & ipſe Baſſa cadit. Bajazethes igitur reparat exercitum, & mittit alios Duces, quorum princeps erat Herzecogli, quaſi diceres, filius Ducis ſcilicet Boſneæ, gener Bajazethis, qui & ipſe amiſſo exercitu captus eſt. Miſſus eſt tertius Baſſa, qui cautè exercitum ducit, nec aperto prælio congredi voluit, ſed exercitum reduxit. *Annal. Turc.*

Georgius *Trapezontius*, qui in ſenectute omnium literarum oblitus fuerat, moritur hoc anno Romæ.

Annus Indor. 1579. *& Hegir.* 892. *incipit* 28. *Dec. fer.* 5.

ANNO MUNDI 5436. Æræ C. 1487.
G. ☉ 12. ☽ 6. *Ind.* 5.

Eclipſis Lunæ annotatur à Walthero Aſtronomo, obſervata Norinbergæ die 8. *Feb. horis* 3, 40. *poſt mediã noctem. Eaque ad haſce tabulas invenitur, quod acciderit eodem die fer.* 5. *horis* 3, 30, 19. *poſt mediam noct. Lat. auſtralis* 20, 24. *Sem. Lunæ* 17, 33. *Scrup. reſidua* 42, 18. *Dig. ecl.* 14, 28. *Sol in* 28. *Aquarii ferè.*

Sigiſmundus Auſtriæ Dux, bellum Venetis infert die 23. Aprilis, & *Roferedum* urbem obſidet, & deditione capit. Paulò pòſt acie vincit Venetos prope Tridentum: Bellum hoc poſtea per Innocentium Pontificem componitur. *Birckh.*

Ferdinandus *Caſtellæ rex acriter perſequitur Mauros in Hiſpania*, Velem *urbem magnam hoc anno Mauris adimit, incruento ferè Marte, die* 27. *Aprilis; inde die* 15. *Maji exercitum* Malacæ *urbi adhibet, quam capit die* 18. *Auguſti, ita etiam ſequenti anno aliquot oppida Mauris eripit.* Marian.

Albertus Saxoniæ Dux invitatur à Friderico Imperatore in Auſtriam, ad pellendum Matthiam regem Hungariæ, qui totam Auſtriam occuparat. Contemnebatur ipſe Imperator à ſubditis, nec ſuberant belli nervi. Albertus igitur de ſuo numerat militibus pecuniam, & Matthiam à Striga depellit, & ferociam ejus compeſcit, eoque adigit, ut de induciis ageret, quas Albertus facile admittit, cùm Imperator adeò imparatus eſſet à pecunia, atque ita pax facta eſt. *Fab.*

Annus Indorum 1580. *& Hegira* 893. *incipit* 17. *Dec. fer.* 2.

ANNO MUNDI 5437. Æræ C. 1488.
F.E. ☉ 13. ☽ 7. *Ind.* 6.

Bajazeth primo vere anni Heg. 893. magnum cogit exercitum, cumque cum Halibaſſa in Ciliciam mittit, ubi Adanorum civitatem, quæ Ægyptiorum erat, inſtaurat, reficit & communit. Sed Ægyptii urbi auxilio veniunt, & cum Halibaſſa vehementi prælio congrediuntur, in quo Halibaſſa ſuperior fuit; noluit tamen hoſtes fugientes inſequi, contentus hac victoria, & copias ſuas ad Bajazethem reducit. *Annal. Turc.*

Flandrenſes in Belgio Philippum, ex Mariâ Burgundi filia, & Maximiliano natum, ſibi præfici volunt, cujus ipſi ſint tutores. Præfecti enim Maximiliani exhauriebant ſubditos, & maximas divitias corradebant, cùm antea fuiſſent pauperrimi, & Flandri contemnebant Maximilianum, quod ſplendori non ſtuderet: ſed Maximilianus negat ſe ipſis hoc conceſſurum, cùm ſit pater, quapropter captus Brugis captivus detinetur. Pater Fridericus, ut filium liberaret, Gandavum ſex hebdomadibus obſidet, & filium liberat. *Trith.*

Matthias *Hungariæ rex bellum transfert in Sileſiam, &* Glogoviam *poſt ſextum obſidionis menſem deditione occupat, & Ducem Glogovienſem, qui Senatum ſuis peremerat, ditione pellit.* Curæus.

Suevi pro mutua pace tuenda & quiete publica fœdus ineunt inter ſe decennale, & potentiſſimos in Germania principes ad illud ſecum ineundum ſollicitant, dictum autem fuit *Societatis Georgianæ Clypeus.* Annal. Suev.

Jacobus III. rex Scotiæ â ſuis Baronibus in prælio propter tyrannidem trucidatur menſe Junio, cùm annos 28. regnâſſet; ſuccedit filius *Jacobus IV.* die 25. Junii, adoleſcens quindecim annorum, qui regnavit annos 25. *Buch.*

Annus Nabonaſſaris 2237. *& Philippi* 1813. *incipit die* 26. *Aug. fer.* 7.

Annus Alexand. 1800. *Antioch.* 1537. *& Conſtant.* 6997. *die* 1. *Octobr.*

Annus Jezdeg. 858. *incipit die* 14. *Nov. fer.* 6. *Armeniorum* 938. *die* 17. *Nov. fer.* 2.

Annus Indor. 1581. *& Hegira* 894. *incipit* 5. *Dec. fer.* 6.

Tributum cereviſiarium, *vulgò Acciſa;* Die Tranckſteur / *cùm antea principes Germaniæ de potu nihil exegiſſent, in Marchia primùm impoſitum eſt.* Spangenb.

ANNO MUNDI 5438. Æræ C. 1489.
D. ☉ 14. ☽ 8. *Ind.* 7.

Annus urbis 2241.	*Julianus* 1534.
Æra Hiſpanica 1527.	*Auguſtorum* 1516.

Fridericus inchoat annum imperii 50.
Gelali Perſ. 410. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Suldanus *Ægypti exercitum iterum in Ciliciam mittit, & Adana ac Tarſum oppugnare jubet, qui tamen neutrum expugnare poteſt, ideo tormenta tandem adducunt,* Adana *expugnant ac diruunt.* Annal. Turc.

Conſtantinopolis terræ motu concutitur, quodam die Jovis & Pruſæ in Aſia incendium ortum, quo vici 25. flammis abſumti ſunt. *Annal. Turc.*

Scoticæ naves duæ, Anglicis minores, expugnant & capiunt quinque Anglicas naves, & ſequenti anno eædem duæ naves expugnant tres Anglicas die 10. Auguſti. *Buchan.*

Margareta Caroli Burgundi mater, infeſta Heinrico VIII. Angliæ regi, adoleſcentem quendam Johannem ſubornat, qui ſe Eduardi IV. regis quondam Angliæ filium diceret, quem etiam adjuvat

juvat Duce & duobus millibus militum. Is in Scotiam etiam penetrat, ubi ſimiliter auxilia impetrat & Angliam vaſtat. Cùm verò nemo ad ejus partes accederet, Scotus in regnum redit, & ſequenti anno ille adoleſcens ex Scotia dimiſſus, & in Angliam delatus capitur. *Buch.*

Albertus Dux Saxoniæ à Friderico Imp. evocatus ad gubernandum Belgium cum exercitu advenit, & urbibus præſidia imponit, ideo Lovanienſes & Bruxellenſes cum ipſo pacem faciunt, numeratis multis millibus aureorum. *Barlandus.*

Olympias 566. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 2265.

Annus ſabbathicus 7. ſive Jobelei 29. incipit 27. Aug. fer. 5. Anno Jud. 5250.

Annus Diocletiani 1206. incipit 29. Auguſti.

Annus Indorum 1581. & Hegira 895. incipit 25. Nov. fer. 4.

Circa hoc tempus *monſtrum* hominis in Scotia natum, quod infra umbilicum, unus quidem homo fuit, ſed ſuperiori loco geminus, cum duobus capitibus, quatuor brachiis, &c. vixitque annis 28. didicit inſtrumentis muſicis canere & aliis linguis loqui, fuit tamen duabus diſtinctis voluntatibus, ita ut interdum ſecum diſcors eſſet, & pugnos ſibi ingereret, interdum verò ſecum conſultaret. Cùm altera ejus pars defuncta eſſet, & jam computreſceret, altera etiam contabuit. *Buch.*

Baſta *urbs in Hiſpania diu obſeſſa à Ferdinando Caſtellæ rege, tandem à Mauris deditur die 4. Decembris & ſequenti die Ferdinandus urbem ingreditur, eamq; ſuæ ditionis facit.* Marian.

ANNO MUNDI 5439. Æræ C. 1490. C. ⊙ 15. ☽ 9. *Ind.* 8.

Bajazethis exercitus magnâ clade afficitur in Armenia, Duce Iſchenderbego, cui tres filii in acie ceciderunt, & ipſe captus eſt. Eo tempore nihilominus tres filias magnificentiſſimè elocat. Eodem hoc anno Heg. 895. die quodam Solis, cùm pluere inciperet, primo diluculo fulmine tactum fuit *Templum* Conſtantinopoli, in quo pulvis tormentarius reconditus fuerat, quo igne templum funditus everſum eſt, & perierunt ultra 5000. hominum. *Annal. Turc.*

Matthias *Rex Hungariæ apoplexiâ tactus moritur die 5. Aprilis, Poſtridie Palmarum, anno ætatis 48. cùm regnâſſet annos 32. in ejus locum eligitur* Ladislaus *Bohemiæ rex, die 15. Junii, coronatur in Septemb. Albertus frater Ladislai ambit regnum Hungariæ, & adjuvatur à parente, rege Poloniæ Caſimiro, exercitumque contrahit, qui tamen vincitur à Ducibus Ladislai, etiam invito Ladislao, qui in fratrem pugnare noluerat* Fridericus *contra Imp. jus ſuum in regnum Hungariæ urget, quapropter Ladislaus pacem cum ipſo facit, & Viennam cum Auſtria ipſi reſtituit. Maximilianus tamen filius non contentus hac tranſactione, cum exercitu Hungariam invadit, &* Albam Regalem *ſexageſimo die capit, ubi Johannes Dux Saxoniæ & poſtea Elector coronam muralem promeruit. Inde cùm milites ditati præda in Alba regali ulterius progredi nollent, regnum occupare non potuit, quod ferè in manibus erat.* Cuſpin.

Albertus Saxoniæ Dux, Belgii gubernator; Montfortum obſidet, ſed intercedente Naſſovio pax fit, prælio tamen iterum congrediuntur, in quo factio Hamata ſuccubuit, cæſo Bredenrodio Duce: quapropter Albertus evocatus ad comitia Norinbergenſia, à Maximiliano donatur aureo vellere. *Sigfrid.*

Innocentius Papa in ectaſin ſoporiferam incidit, in qua horis viginti ſine arteriarum motu immobilis fuit, ut omnes crederent eum defunctum fuiſſe. *Onuf.*

Carolus VIII. rex Galliæ movet bellum Franciſco Britanniæ Duci, eumque prælio vincit, ipſe Dux paulò pòſt moritur, relictâ filiâ unicâ, hærede Ducatus. *Polydor.*

Suldanus Ægypti iterum Ciliciam invadit, & *Larandam* urbem non procul ab Iconio capit, ubi periit gener Bajazethis, anno Heg. 895.

Helmſtadium oppidum inter Brunſuigam & Magdeburgum, olim à Carolo magno conditum, paruerat hactenus per annos ſexcentos & octoginta Abbati Werdenſi, cui jam cives inſolentiores facti parere amplius recuſabant; quapropter Abbas vendit Wilhelmo Duci Brunſuicenſi hoc anno. *Chyt.*

Iſabella filia Ferdinandi Caſtellæ regis natu major nubit Alfonſo Portugalliæ regis filio, die 24. Nov. fer. 4. Sacra nuptialia ſequenti die peraguntur, ſed ſponſus paucis diebus poſt equo ferociente opprimitur, & vidua ad parentem remittitur. *Marian.*

Annus Indorum 1583. & Hegira 896. incipit 14. Nov. fer. 1.

Norvegiæ populis ex Pontificis *Innocentii* diſpenſatione abſque vino, quod ob intenſum in illis locis frigus, etſi invectum fuerit, durare non poteſt, conceſſum eſt ſacra facere. *Func.*

Schola elegantioris doctrinæ *Monaſterii* in Weſtphalia inſtituitur ab Epiſcopo ex conſilio Rudolphi Langii, præceptoribus *Murmelio, Cæſario, Buſchio* & aliis: ex qua literarum & linguarum ſtudia in Germania ubique ferè propagata ſunt. Primi etiam Poëtæ in Germania florere cœperunt, ut *Rud. Lang.* &c. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5440. Æræ C. 1491. B. ⊙ 16. ☽ 10. *Ind.* 9.

Matthiæ *defuncti regis vidua nubit Ladislao regi Bohemiæ, jam facto regi etiam Hungariæ, hac conditione, ut ſi liberi ſibi non eſſent, regnum devolveretur ad Maximilianum Imp.* Cuſpin.

Eclipſis Solis annotatur in Funcii Chronologia, quæ acciderit die 8. Maji, eaque ita invenitur. Accidit enim eodem die horis 2.31. poſt merid. fer. 1. ubi Parall. latitud. 24,40. Vera 29. 47. Viſa 5, 7. Semid. Solis 15,7. Scrup. reſid. 24,34. Digiti 9,45. Sol in 29, 13. Tauri.

Ferdinandus Caſtellæ rex tandem *Granatam* metropolin Maurorum regiam urbem obſidet 23. Aprilis, fer. 7. quæ urbs ad ſexaginta millia domorum in ſe complectebatur; quæ, cùm tota æſtate oppugnata eſſet, tandem deditur 25. Nov. Ingreditur ipſe urbem captam 2. Jan. ſequentis anni, atque ita Mauri iterum pulſi ſunt ex Hiſpania, poſt annos 780 pauci remanſere, ſed abſque rege, qui tandem parentum noſtrorum memoria à Philippo cæſi ſunt: victoria perfecta fuit die 6. Jan. ſequentis anni, anno Hegiræ 897. die 6. Rabie prioris, fer. 6. *Mar.*

Carolus VIII. Francorum rex Annam Ducis Bri-

tanniæ

tanniæ unicam relictam filiam, & Maximiliano Imp. deſponſatam, legatis Maximiliani eam deducentibus eripit, & ſibi uxorem ſumit. Contrà verò Margaretham filiam Maximiliani ſibi deſponſatam, quam diuturno tempore in Gallia nondum nubilem aluerat, & reginam appellârat, repudiat, & patri remittit. *Trith.*

Annus Indorum 1584. *& Hegira* 897. *incipit* 3. *Nov. fer.* 5.

Bajazeth, cùm in Cilicia non ſatis proſperè bellum gereretur, cum Suldano Ægypti pacem facit, & Bajazeth retinet Adana cum Tarſo. *Annal. Turc.*

Ladislaus *Hungariæ rex, cùm* Albam regalem *& alia loca recepiſſet, legatum ad Bajazethem mittit, cum quo pacem firmat.*

ANNO MUNDI 5441. Æræ C. 1492.
A. G. ☉ 17. ☽ 11. *Ind.* 10.

Imp. Fridericus conventum ordinum imperii indicit Confluentiæ, conqueriturque de injuria Galli. Sed cùm Maximilianus parum eâ injuria moveretur, ordines regi potentiſſimo bellum inferre noluerunt. *Fab.*

Albertus *Dux Saxoniæ, gubernator Belgii, ſtrenuè hoc anno rem gerit, arces* Werdam, *& Monifortum expugnat, Harlemum recipit, Selandiam occupat; ibi accepit à Pontifice pileum cum roſa & gladio, &* dextera manus *imperii appellatur; inde Gandavenſes ſe dedunt, & Sluſam obſeſſam multis menſibus deditione accepit, & Ravenſteinium in Galliam dimittit.* Fabritius.

Ferdinandus rex Caſtellæ menſe Martio proponit edictum, quo jubentur omnes Judæi, niſi velint Chriſtiani fieri, Hiſpaniâ excedere; conceduntur ipſis quatuor menſes, in quibus bona ſua divendant. Pulſa ſunt hoc modo plus quam ducenta familiarum millia, ſed nihil, ut appendix Ursberg. habet, exportare ipſis licuit de auro vel gemmis, ſed pro hiſce ipſis mutare licuit vinum, victum, veſtes, & alia ad iter neceſſaria.

Caſimirus *Patruelis Ladislai, qui ad Varnam cæſus fuerat, cùm annis 48. regnâſſet, moritur die 7. Junii: ſuccedit ipſi filius Johannes Albertus, eruditus quidem, ſed in bellis infelix, qui regnavit annos novem.* Chyt.

Heinricus *& Ericus Duces Brunſuicenſes à civibus diſſidentes, urbem ſex menſibus obſident, Invocatur ab utriq; Erneſtus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, qui ſe non ſocium belli, ſed arbitrum pacis offert, pax tamen componi non poteſt, ideo obſidio continuatur. Sed Brunſuicenſes ab Hildeſienſibus commeatu ſublevantur, ideo tandem pax fit, & ex quatuor arcibus duæ Ducibus cedunt, tertia diruitur, quartam urbs retinet; cives tum Duci fidelitatem non jurarunt, quòd Dux ſibi ſoli, & non etiam Lunaburgenſibus jurari vellet.* Chyt.

Erneſtus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, cùm Judæi & civibus & omnibus ſuis ſubditis graves eſſent, eos totâ ditione pellit, cœmiterium eorum agrum facit, habitationes civibus diſtribuit, quâ pecuniâ æs alienum diſſolutum eſt. *Fab.*

Innocentius VIII. Papa, cùm ſediſſet annos ferè 7. moritur die 25. Julii: Succedit ipſi *Rodericus* anteà vocatus, Hiſpanus natione ex Lenzolia familia nobili, qui tamen *Borgiæ* cognomen, quo ab avunculo Calixto donatus fuerat, prætulit. Cæterum maxima in electione Pontificis contentio fuit, & vicit qui in ambitu plura largiri potuit, atque ita hic electus eſt, die 11. Auguſti, voluitque ſe *Alexandrum* ſextum vocari: ſedit annis undecim. Homo, *ut ait Onufrius*, ad exitium Italiæ natus, de quo verſus:

Vendit *Alexander* Sacramenta, altaria, Chriſtum,
Emerat illa prius, vendere jure poteſt.
Sextus Tarquinius, ſextus Nero, ſextus & iſte;
Semper ſub Sextis perdita Roma fuit.

Annus Nabonaſſar. 2241. *& Philippi* 1817. *incipit* 15. *Auguſti, fer.* 4.

Annus Alexandr. 1804. *Antioch.* 1541. *& Conſt.* 7001. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Indorum 1584. *& Hegira* 897. *incipit* 25. *Octobr. fer.* 3.

Annus Iezdeg. 862. *incipit die* 13. *Novemb. fer.* 3. *Armen.* 942. *die* 16. *Nov. fer.* 6.

Chriſtoph. Columbus *Ligur, Calendis Sept. tribus navibus ſolem occidentem per tres & triginta dies ſecutus, novas Inſulas invenit, atque ita novum orbem Hiſpanis & Luſitanis aperuit.* Bemb.

Philippus Callimachus, Tuſcus natione, Poëta & Orator, & Hiſtoricus inſignis, præceptor Johannis Alberti in Polonia, floret; poſtea tamen in odium nobilitatis Polonicæ venit, quòd ſuaderet regi, ne tantum nobilibus concederetur. *Chytræus.*

Turcæ ad Sabbatiam à Paulo Kiniſio cæſi. *Dubrav.*

Lapis ingentis magnitudinis non procul à Baſilea, die 7. Novemb. de cœlo cadit, qui trecentas libras pependit. Trith. *Idem accidit noſtro ſeculo in Thuringia, non procul à Vinaria.*

Ferdinandus *rex Caſtellæ, die 7. Decemb. fer. 6. dum quoſvis privatos de injuriis conquerentes audit, à quodam quaſi fanatico, qui ſomniaverat, ſe occiſo rege regem futurum, periculosè vulneratur ad aurem: fanaticus ille exquiſitis cruciatibus peremtus eſt.* Marian.

ANNO MUNDI 5442. Æræ C. 1493.
F. ☉ 18. ☽ 12. *Ind.* 11.

Annus urbis 2245.	*Julianus* 1538.
Æra Hiſpan. 1531.	*Auguſtorum* 1520.

Fridericus inchoat annum imp. 54.
Annus Gelali Perſ. 424. *cum Æquinoctio verno.*

Venæ metallicæ plures ad Sudetes montes fertiles eſſe inceperant ſuperiori anno, ut in Glaſhuta, tribus miliaribus à Dreſda, ubi in ſummo ceſpite argentum purum in initio erutum; ſed poſtea multò copioſius repertum eſt argentum Schrechenbergi, *quatuor à Chemnitio miliaribus, ubi nunc urbs populoſa condita* Annæberga, *nummi ibi cuſi à Schrechenbergo dicuntur, quorum ſeptem valebant Rhenano: ab anno 1496. uſque ad annum non putatis decimis & impenſis, fors unius partis cuniculi fuit aureorum Rhenenſium* 124838. Fab.

Heinricus VII. *Angliæ rex, amicus Maximiliano, quòd rex Galliæ Annam filiam Britannici Maximiliano deſponſatam eripuiſſet, & Britanniam occupaſſet, exercitum in Galliam transfert; ſed cùm Carolus VIII. rex Galliæ ſumtus in bellum factos redderet, &*

 quo-

quotannis viginti quinque millia coronatorum regi Henrico promitteret, pax fit. Polyd.

Pax inter Ferdinandum Caſtellæ & Galliæ regem inita, cùm Gallus Ruſcinonem & Ceretanos Hiſpano ad regnum Aragonium pertinentes redderet. Eodem tempore Gades etiam Caſtellæ regno reſtituta ſunt. Marian.

Olympias 567. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2269.

Annus Diocletiani 1210. *incipit* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1588. *& Hegiræ* 899. *incipit* 12. *Octobr. fer.* 7.

Fridericus Imp. cùm enato carcinomate noxio, alterum crus ipſi præcideretur, moritur die 19. Auguſti fer. 2. anno ætatis 78. fuit duobus annis major Auguſto Cæſare, & tribus annis in imperio minor. Imperavit enim tantùm annos 53. & menſes 4. Succedit ipſi *Maximilianus* filius, qui imperat annos 25. menſes 5. *Cuſpin.*

Baſſa Boſniæ evocat ex regno Turcico qui ſecum prædatum in Hungariam abire vellent, atque ita magnum exercitum cogit, & Ciliæ comitatum invadit ad Croatiam & Carniolam. Emericus Drencenus, præfectus ejus loci, prælio funditur, & pereunt ad novem millia Chriſtianorum. Maximilianus, qui tum ex Belgio vix redierat, exercitum mittit in Croatiam, ſed Turcæ abierant. *Trith.*

ANNO MUNDI 5443. Æræ C. 1494. E. ☉ 19. ☽ 13. *Ind.* 12.

Ferdinandus rex Neapolitanus, & Apuliæ, moritur 24. Januarii, cum regnaſſet annis ferè 40. Succedit Alfonſus filius, nihilminus gratior, quàm Pater propter crudelitatem utriuſque regnat annum. *Mar.*

Maximilianus comparato exercitu in Belgium abit, & Geldriam invadit, contra Carolum Ducem filium Adolphi à parente exhæreditati, qui avitam ditionem occupaverat, cui etiam ſubditi adhærebant. Sed Carolus impar viribus, præſidia urbibus imponit, & in Lotharingiam abit. Maximiliani igitur exercitus nihil aliud egit, quàm ut plurimum damni miſeris agricolis inferret, unde odium Maxim. conciliatum eſt. *Trith.*

Maximilianus inde curat ſuum filium Philippum inaugurari Ducem Belgii, magno cum ſubditorum gaudio. *Fab.*

Portugalliæ rex *Johan.* & *Ferdin.* Caſtellæ atque Aragoniæ rex, hâc conditione novum orbem inter ſe partiuntur 7. Junii, ut ultra meridianum Olyſibonis 36. gradibus occaſum verſus navigatis Caſtellæ regi concederetur; inde Luſitano verſus ortum navigatio permitteretur. *Marian.*

Carolus VIII. rex Galliæ, regnum Neapolitanum, & Apuliæ in Italia occupaturus, cum exercitu iter ingreditur 22. Jun. fer. 3. Exercitus fuit 20000. peditum, quinque equitum. Aſtam venit 9. Sept. Inde Piſas, quibus autor eſt, ut à Florentinis deficiant, inde Florentiam venit, & undique ſibi urbes adjungit, Romam verò venit ultimo Decem. *Marian.*

Annus Indorum 1587. *& Hegira* 900. *incipit die* 2. *Octob. fer.* 4.

Gabriel Biel floret, ut & Baptiſta *Mantuanus* Poeta. *Trith.*

Ordo pœnitentium mulierum ex publicis peccatricibus Pariſiis incipit, autore *Tefferano* Johanne.

ANNO MUNDI 5444. Æræ C. 1495. D. ☉ 20. ☽ 14. *Ind.* 13.

Carolus VIII. rex Galliæ, Româ egreſſus regnum Neapolitanum petit; Alfonſus rex, qui vix annuus fuerat, ſubditorumque odia crudelitate in ſe concitaverat, metuens ſibi 23. Jan. regno ſe abdicat, & filium ſubſtituit Ferdinandum, abdicationis formulam concepit *Jovianus* Pontanus. Sed *Carolus* feliciſſimo progreſſu Neapolitanum regnum intrat, & Capuam aliasque urbes occupat. Neapolin ingreditur die 22. Feb. & intra quindecim dies ferè toto regno potitur. *Ferdinandus* verò Caſtellæ & Aragoniæ rex, ut cognatis ſuis in regno Neapolitano ſubveniret, legatos dimittit ad principes Italiæ, ad Venetos, Mediolanenſes, Pontificem, & *Maximilianum*, ac ita ſocietas contra regem Galliæ initur, exeunte menſe Martio. Carolus igitur in regnum Galliæ feſtinat, relinquit tamen exercitum, qui Cajetam & alia, quæ reſtabant, oppugnaret, ipſe Romam venit primo Junii; inde ad Forum novum à Venetis oppugnatur, ubi æqua ferè clade diſceditur, prædam tamen Gallus amittit. Sed *Ferdinandus* in regnum rediturus vincitur à Gallis prælio, die 6. Julii, quo tamen 40. naves auxilio à *Ferdinando* Caſtellæ rege acceperat. *Marian.*

Maximilianus prima comitia celebrat Wormatiæ, ubi fidelitatem ipſi jurârunt Status imperii, 14. Julii; poſtea conſtitutionem promulgat *contra blaſphemos*, & die 21. Julii *Eberhardus* Comes Wirtebergenſis, cùm tamen honorem hunc non ambiret, 21. Julii creatur Dux, omnium approbatione. Inſtituitur præterea in his comitiis *Camera Imperialis* ex conſilio Bartholdi Archiepiſcopi Moguntini, principis Hennebergici, viri ſapientiſſimi. Decretum etiam fuit omnium ſuffragiis, ut Septemviri in ſua quiſque ditione, publicis ſcholis vel *Academiis* ſedem figerent. *Avent. & alii.*

Johan. II. *Portugalliæ rex, cujus ſumtibus Promontorium illud in orbe terrarum maximum ſuperatum eſt, quod* Bonæ *ſpei nomen juſſu ipſius accepit, cùm annis* 14. *regnâſſet, moritur priùs quam claſſem in Indiam mitteret, die* 14. *Septembr. ſuccedit* Emanuel *patruelis, qui regnat annis* 26. Marian.

Annus Indorum 1588. *& Hegira* 901. *incipit* 21. *Sept. fer.* 2.

Novum genus morbi hoc anno exortum, quod nos cum Italis morbum Gallicum *vocamus, Galli ipſi Neapolitanum, Afri Hiſpanicum vocant. Videtur ex novo orbe, ubi hæc contagio plurimum viget, in Europam translatum.* Marian.

ANNO MUNDI 5445. Æræ C. 1496. C.B. ☉ 21. ☽ 15. *Ind.* 14.

Eberhardus, *Dux Wirteb. anno ætatis* 51. *moritur die* 24. *Feb. filium habuit Eberhardum, qui cum multa proterve ageret, à Statibus Ducatûs ad carcerem damnatur poſt biennium.* Chyt.

Bruno *nobilis Dominus in Querfurd, ſuperſtes omnibus ſuis filiis & nepotibus, moritur abſque hæredibus maſculis. Epiſcop. ergo Magdeburgenſis & Albertus Dux Saxoniæ ditionem hanc inter ſe partiuntur.* Spang.

Philippus

Philippus *Auſtriacus Johannam, Ferdinandi Caſtellæ atq; Aragoniæ regis filiam, inter tres mediam, uxorem ducit, quam in Belgas abducit 22. Auguſti, quo menſe pater ejus* Ferdinandus Catholici nomen à Pontifice *obtinuit*. Marian.

Annus Nabonaſſar. 2245. *& Philippi* 1821. *incipit* 14. *Auguſti, fer.* 1.

Annus ſabbathicus 1. *Jobelei* 30. *incipit* 8. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 5257.

Annus Indor. 1589. *& Hegira* 902. *incipit die* 9. *Septembr. ferâ* 6.

Annus Alexandr. 1808. *Antioch.* 1545. *Conſt.* 7005. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdegird. 866. *incipit* 12. *Novembr. fer.* 7. *Armen.* 946. 15. *Nov. fer.* 3.

Ferdinandus *Neapoli rex, cum ſeſquiannuo ſpatio poſt parentis abdicationem in graviſſima fortuna regnaſſet, moritur, dum Cajetam à Gallis occupatam obſidet, die* 7. *Octobr. Neapoli, quo ſe deferendum curaverat: Succedit ipſi* Fridericus *patruus, cui* Cajeta *deditur, & Galli in duabus navibus in Galliam reportantur, quarum tamen utraq; naufragio periit, atq; ita Galli expeditio fuit infeliciſſima. Præfuit autem Fridericus ferè annis quinq;*. Marian.

Judæi & Mauri expelluntur ab Emmanuele Portugalliæ rege ex Portugallia, ſub pœna perpetuæ ſervitutis. *Marian.*

ANNO MUNDI 5446. Æræ C. 1497.
A. ⊙. 22. ☽ 16. *Ind.* 15.

Annus urbis 2249.	*Julianus* 1542.
Æra Hiſpan. 1535.	*Auguſtorum* 1524.

Annus Gelali Perſ. 418. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Philippus Melanchthon naſcitur die Jovis, poſt Dominicam Invocavit, 16. Februarii, minutis 6. poſt horam 7. meridianam, in oppido Palatinatus, Bretta.

Johannes *rex Daniæ recipitur etiam à Suecis.* Steno *enim gubernator, regni Suecici vehementer obſtiterat Johanni, ne à Suecis reciperetur, niſi articulos quoſdam ſervandos promitteret, qui tamen duriores erant, quàm ut rex ſalvo honore poſſet. Sed cum Moſchi minitarentur bellum, & rex Johannes etiam bellum appareret, Steno à gubernatione removetur, & rex Johannes in regnum admittitur.* Scyt.

Albertus *Saxoniæ Dux plurimum pecuniæ expoſuerat pro Imperatore in ſubigendo Belgio; cùm ea reddi non poſſet, Maximilianus Albertum conſenſu imperii facit Hæreditarium gubernatorem* Weſtfriſiæ, *ſi eam ſibi ſubjicere poſſet. Hoc decretum Albertus præmittit ad Weſtfriſios, qui diſſenſionibus inteſtinis conflictabantur, ſed pauci eum ſuſcipiunt.* Chyt.

Americus Veſputius, nobilis Dux apud Ferdinandum Caſtellæ regem, dimittitur die 20. Maji cum claſſe ad novas terras inquirendas, qui hoc anno invenit novum illum orbem, ſed eam tantùm partem, quæ verſus Septentrionem eſt, quæ *America* à Duce nominata fuit, & ſequenti anno in Hiſpaniam rediit. *Chyt.*

Johannes Albertus Poloniæ rex bellum infert Moldaviæ principi, ſed infeliciter. Cùm enim inde rediret per anguſtos montium anfractus circumvenitur à Walachis, & plurimos nobiles ibi amittit, ipſe ægrè evadit. Walachi aſſumtis Tartaris in Poloniam effuſi, ſequenti anno ad centum millia hominum abducunt: idem factum tertio & quarto anno, ut ita Polonia ſub hoc rege fuerit afflictiſſima. *Chyt.*

Emanuel rex Portugalliæ, quatuor navibus Ducem Vaſcum Gamam in Indiam Orientalem mittit die 9. Julii: qui redeunt poſt biennium menſe Septembri, ſed duabus tantùm navibus, repleti tamen multo auro. *Marian.*

Olympias 568. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2273.

Annus Diocletiani 1214. *incipit* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1590. *& Hegira* 903. *incipit* 30. *Auguſti, fer.* 4.

Maximil. Imp. inchoat annum imperii 5.

Reuchlinus *Phorcenſis, Germanus primus in Germania* Comœdias *latinas fecit, eaſq; hoc anno Heidelbergæ ſpectandas in honorem Dalburgi Epiſcopi Wormatienſis publicè exhibuit, quæ res læta acclamatione accepta eſt.* Chyt.

ANNO MUNDI 5447. Æræ C. 1498.
G. ⊙ 23. ☽ 17. *Ind.* 1.

Carolus Galliæ rex, cùm ex Italia rediiſſet, pacem renovat cum *Henrico VII.* Angliæ rege; paulò pòſt Cornubienſes inſurgunt in regem Angliæ, eumq; Londino pellere conantur, ſed malè accipiuntur, & Dux eorum capite mulctatur, multitudini ignoſcitur. *Polyd.*

Carolus VIII. Galliæ rex, cùm annis 14. & menſibus 7. regnaſſet, moritur die 7. Aprilis, pridie Palmarum apoplexia, cùm tamen tantùm annorum eſſet 27. Succedit ipſi Dux Aurelianenſis *Ludovicus*, qui dictus eſt Ludovicus XII. regnatque annis ferè 17. *Marian.*

Hieronymus Savanarola, patria Ferrarienſis, celebris concionator Florentiæ, quòd è ſuggeſto magnâ dicendi libertate in Pontificem Alexandrum VI. invectus eſſet, die 9. Aprilis, juſſu Pontificis, exquiſitis tormentorum cruciatibus excarnificatus, unà cum duobus ſociis Florentiæ laqueo ſuffocatur & crematur, anno ætatis 46. Scripſit in carcere meditationes in quinquageſimum Pſalmum, & alia. *Marian.*

Cùm Ferdinandus rex Caſtellæ, & Iſabella liberis carerent, Emanuel rex Portugalliæ, quòd primogenitam filiam Ferdinandi Iſabellam conjugem duxiſſet, ſucceſſor Ferdinandi in regno Caſtellæ declaratur die 29. *Aprilis, fer.* 1. *Sed Iſabella hac moritur die* 23. *Auguſti, fer.* 5. Marian.

Annus Indorum 1591. *& Hegira* 904. *incipit* 19. *Auguſti, fer.* 1.

Eberhardus *Dux Wirtebergenſis, cùm multa pravè faceret, à Statibus Ducatus removetur, cùm jam biennium ferè præfuiſſet, annua tamen ipſi ex Ducatu ſex millia Florenorum dantur, &* Ulricus *patruelis ipſius ſuccedit, qui præfuit annis* 52.

ANNO MUNDI 5448. Æræ C. 1499.
F. ⊙ 24. ☽ 18. *Ind.* 2.

Maximilianus Imperator Helvetiis, quòd fœdus cum Auſtriis & Suevis inire nollent, bellum infert: profectus eſt ad eos menſe Martio, bellum acriter geſtum eſt, & aliquoties congreſſi ſunt, ſed Helvetii ſemper victores extiterunt: quapropter menſe

Septembr. pax inita. In hoc bello cùm locis ſylveſtribus homines non ſepelirentur, à lupis cadavera devorabantur, unde tanta voluptas humanæ carnis vorandæ lupis orta eſt, ut tàm diurno quàm nocturno tempore pagos invaderent, & homines lacerarent. Ad eos excindendos mandatum fuit, ut lupo apparente campanæ ſignum daretur, ut communibus armis interficerentur. *Annal.*

Veneti bellum facturi *Ludovico* Sfortiæ, auxiliantibus Papa & rege Galliæ, legatum mittunt Conſtantinop. ad Pacem componendam cum Bajazethe, quod & factum eſt. Sfortia ut Venetis ægrè faceret, legatum etiam mittit Conſtantinop. hortaturque Bajazethem, ut ditiones Venetas invadere vellet, quòd ſibi præter cauſam bellum inferrent, atque ita utrobique bellum gerere non poſſent. Bajazethes fœdera ex ſuis utilitatibus dimetiens. Peloponneſum invadit, & Naupactum obſidet. Veneti in auxilium accipiunt claſſem Ferdinandi Hiſpani, & Ludovici regis Galliæ: Sed cùm ipſi Veneti claſſem ſuam non expedirent celeriter, auxiliares etiam diſcedunt, atque ita *Naupactus* dedita eſt. Sfortia tamen à ſubditis non adjutus, atque ita impar Venetis & Gallo, tempori cedit, & cum theſauris & liberis in Germaniam abit. Cùm verò menſe Septembri pax facta eſſet inter Imperatorem & Helvetios, ipſe auxilia Helvetiorum & Suevorum comparat, ac ſuum Ducatum recuperat. *Berckh.*

Albertus Dux Saxoniæ, cùm à pleriſque Friſiis repudiaretur, & Duces præmiſſi contemnerentur, ipſe cum filio Heinrico in Weſtfriſiam abit, ubi cùm pleræque civitates ipſi fidelitatem juraſſent, urbem Groningam obſidet, & *Neithardum* Fuxium Francum ad Damnenſes in fidem recipiendos mittit, qui à Groningenſibus intercipitur & trucidatur: metuentes tamen ſibi Groningenſes, per Epiſcopum Trajectenſem, qui Badenſis Marchio fuit, inducias ſex menſium impetrant. Albertus igitur in Miſniam redit, & Friſiis Heinricum præficit. *Crantz.*

Iſmael *Sophus, patre natus Harduelle, inſigni doctore Alcorani, qui à Turcarum explicatione in Alcorano plurimum diſcrepabat, regno Perſarum, & ſequenti anno, omni Meſopotamia potitur.* Bizar.

Johannes *Marchio Brandeburgenſis Elector, qui* 13. *annis præfuerat, moritur: Succedit filius* Joachimus, *qui Electoratum obtinuit annis* 36. Crantz.

Wilhelmus Land. Haſſiæ, gener Philippi Palatini, moritur abſque liberis; ſuccedit ipſi patruelis *Wilhelmus*, qui propter dotem Palatinæ debitam inimicitias cum Palatino ſuſcipit, præeſt annis 10. ferè. *Trith.*

Annus Indorum 1592. *& Hegira* 905. *incipit die* 8. *Auguſt. fer.* 5.

Toleti *Archiepiſcopus Academiam inſtituit, cujus fundamenta jacta hoc anno.* Marian.

Fridericus Dux Saxoniæ, filius Alberti, ab Imperatore conſtitutus olim Magiſter ordinis in Pruſſia, Regiomontem venit die 28. Septembr. ubi cum gratulatione excipitur. Impugnabatur tum temporis *Pruſſia* à rege Johanne Alberto Polono, volebatque ut Fridericus juramentum fidelitatis præſtaret, quod ſubter fugere cupiebat, ne provincia Germanorum ſanguine parta ab imperio abalienaretur, remque ita prorogat, donec rex Johannes moreretur. *Fab.*

ANNO MUNDI 5449. Æræ C. 1500.
E. D. ☉. 25. ☽ 19. *Ind.* 3.

Alexander VI. Papa Jubilæum celebrat, & ſequenti anno indulgentias ampliſſimas mittit, & vendit, per totam Europam, in gratiam eorum, qui impediti Romam venire non poterant.

Johannes Daniæ rex *Ditmarſis*, ſibi ab Imperatore in feudum collatis, bellum infert, & adhuc hyeme cum militibus veteranis in *Ditmarſiam* expeditionem facit, & capto *Meldorpo* oppido omnes pariter viros & fœminas trucidari juſſit. Sed poſtea ad reliquos *Ditmarſos* viâ deviâ & anguſta deductus, cùm *Ditmarſi* in extrema ora vix vallum objeciſſent, & aquarum clauſtra aperuiſſent, totus exercitus periit, in quo tamen flos fuerat nobilitatis Holſaticæ. Rex ipſe poſt principia ſibi caverat, ideò ſervatus eſt; clades accidit die Valentini 14. Februarii. *Chyt.*

Heinricus Dux Saxoniæ, à patre in Friſia relictus eſt, ut arcem Harlingam ædificaret, quâ re omnes Friſios valdè offendit; ædificia enim quorundam nobilium diruit, & exactionibus Friſiam exhauſit, ideò Friſii Saxonis Alberti dominium excutere conantur, & Heinricum Franckeræ obſident. Pater certior factus ſubitò in Friſiam redit, eoq; ab obſidione depellit, & Groningam iterum obſidet, quem adjuvat *Ezhardus* Comes Orientalis Friſiæ. Sed Albertus morbum in obſidione contrahit, quo cùm Emdam delatus eſſet, moritur 12. Septembr. cùm vixiſſet annos 57. inteſtina ſepeliuntur Emdæ, corpus defertur Miſenam. *Fab.*

Ferdinandus *Caſtellæ rex mittit Petrum Alvarum, ad inquirendas novas terras, qui æquinoctialem circulum tranſgreſſus, in* Braſiliam *defertur, inde* Calecutum *abit.* Marian.

Geldriam Carolus filius Adolphi ſummo ſtudio, cùm pulſus eſſet à Maximiliano, ut paternam hæreditatem obtinere cupiebat; itaq; cùm Maximilianus aliis negotiis involveretur, & exercitui ſtipendia non ſolverentur, exercitum illum ad ſe traducit, & Juliacenſes ac Clivenſes crudeliſſimè deprædatur. Hi de pace & tranquillitate ſolliciti, Ludovic. regem Galliæ capiunt arbitrum, cujus ſententia Carolus in poſſeſſionem Geldriæ redit, per annos amplius 40. *Chyt.*

Tempeſtas ingens Romæ, quâ pars conclavis Pontificii procidentis tubi pondere corruit, & tres, qui coram Pontifice ſtabant, miniſtros obruit; ſed Pontifex ipſe tandem inter rudera inventus eſt vix adhuc ſpirans, qui tamen tandem convaluit. *Mar.*

Bajazeth iterum in Peloponneſum expeditionem inſtituit, & *Methonem* urbem corona expugnare conatur, ſed Chriſtiani ſe acriter defenderunt; tandem cùm omnem prædam militibus daret, Turcici milites vim civium ſuperant, & in furore omnes pariter occidunt, pueris tantùm & fœminis in captivitatem abductis: Factum die 9. Auguſti, fer. 1. Inde pergit ad Coronenſes, qui ſtatim ſe dedunt. *Conſalvus* tamen *Ferdinandi* Caſtellæ regis Dux, auxilio Venetis miſſus, Methonem viciſſim recuperat menſe Decembr. ſed incolis ſpoliatam, anno Heg. 906.

Annus Indorum 1593. *& Hegira* 906. *incipit* 28. *Julii, fer.* 6.

Annus

Annus Nabonaſſaris 2249. *& Philippi* 1825. *incipit* 13. *Aug. fer.* 5.

Annus Alexand. 1812. *Antioch.* 1549. *& Conſtant.* 7009. *incipit Calend. Octobr.*

Annus Jezdeg. 870. *incipit* 12. *Nov. fer.* 7. *Armeniorum* 950. 15. *Nov. fer.* 3.

Emanuel rex Portugalliæ duodecim naves mittit, novas Inſulas verſus Orientem & Auſtrum inquiſituras, quæ pervenerunt *Calecutum* die 13. Septembris, inveneruntque inſulas etiam alias, ſed ſex tantùm naves redierunt decimo ſexto menſe, quàm diſceſſerant. *Marian.*

Ludovicus Galliæ rex, comparato exercitu iterum Ducatum *Mediolanenſem* invadit, ubi Sfortia à ſuo ipſius exercitu capitur, & Gallis traditur, atque ita *Mediolanenſis* Ducatus ad Gallos redit, & *Ludovicus* Sfortia in Galliam abducitur. *Mariana.*

ANNO MUNDI 5450. Æræ C. 1501. C. ☉ 26. ☽ 1. *Ind.* 4.

Annus urbis 2253.	*Julianus* 1546.
Æra Hiſpanica 1539.	*Auguſtorum* 1528.

Annus Gelali Perſ. 422. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Synodus Mogunti juſſu Pontificis acta, in qua concluſum fuit ab Epiſcopis, MARIAM virginem Deiparam abſque peccato originis, ſingulari quodam privilegio conceptam fuiſſe, id quod tamen multi alii negarunt. *Surius.*

Veneti auxiliis Hiſpanorum & Gallorum *Mytilenen* Turcis eripere conantur, murosque urbis tormentis disjiciunt; inde decies octies urbem invadunt, ſemper tamen repelluntur. Bajazethes ut ſuis ſubſidia paratiora eſſent, tributum ſubditis injungit, quod & in poſterum ſolvere coacti ſunt. Veneti igitur cùm audirent de adventu Turcicæ claſſis, obſidionem ſolvunt, & pacem à *Bajazethe* oblatis muneribus redimunt, anno Hegiræ 907. *Annal. Turc.*

Rex Galliæ Ludovicus *infert bellum* Friderico *regi Neapolitano*; Ferdinandus *Caſtellæ rex, ne Neapolitanum regnum ad Gallos devolveretur, cum Gallo ſocia arma jungit, atq; ita* Fridericum *regno ejiciunt, idq; inter ſe dividunt*; Ferdinando *obvenit Apulia & magna Græcia, Gallo regnum Neapolitanum. Sed cùm diviſio eſſet iniqua, & Gallus videretur plus accepiſſe, diſſidere incipiunt, & Galli tandem regno ejiciuntur.* Mariana.

Johannes Albertus *Poloniæ rex, in Boruſſiam proficiſcitur, ut* Fridericum *ordinis Teutonici Magiſtrum ad præſtandum ſibi juramentum cogeret; in primo aditu Boruſſiæ Turoni apoplexia morbo corripitur, & moritur die* 17. *Junii, cum regnaſſet annis ferè novem; ſuccedit frater* Alexander *Dux Lithuaniæ, qui regnat annis* 5. Chyt.

Annus Indor. 1594. *& Hegir.* 907. *incipit die* 17. *Julii, fer.* 7.

Olympias 569. *incipit* 15. *Julii. Eſt annus Olympiadicus* 2277.

Diocletiani 1214. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Maximilianus inchoat annum imperii 9.

Maximilianus Imperator Conrado Celti, Poëtæ Laureato, Profeſſori Poëtices Viennæ Auſtriæ, poteſtatem confert creandi Poetas Laureatos, die 21. Octobr. *Conſtitut. Imp.*

Johannes rex Daniæ in Succiam profectus, ſuſpicatur Stenonem, qui gubernator fuerat antea regni, inſidias ſibi ſtruere. Sed *Steno* impetrato ſalvo conductu ſe excuſat, & tamen conqueritur apud regem, regno Succiæ imponi præfectos exteros, qui tyrannicè cum ſubditis agant. Cùm hâc re regem ſibi iratiorem redderet, ex aula diſcedit, & conventum ordinum regni indicit, ubi ſtatuitur, Johannem regem, cùm, quæ juraſſet, præſtare nollet, regno pellendum, menſe Novembr. Johannes impar viribus in Daniam redit, interim Steno arces regni præſidiis munit, & ſequenti anno uxorem regis *Johannis* capit. *Chyt.*

Philippus *Belgarum princeps, cùm evocaretur in Hiſpaniam ad accipiendum regnum, iter per mediam Galliam facit, quòd Gallus amicus eſſet. Bleſaſq; ad Ludovicum venit menſe Decembri.* Chyt.

ANNO MUNDI 5451. Æræ C. 1502. B. ☉ 27. ☽ 2. *Ind.* 5.

Steno *gubernator regni Suecici bellum gerit contra Danos, & reginam Daniæ obſeſſam deditione capit, quam quòd ita vellet, in cœnobio monialium cuſtodiri juſſit. Interim incitat Norvegios ad rebellionem, quod* Johannes *rex ipſis aliqua privilegia eripuiſſet, ſed* Chriſtiernus *filius* Johannis *Duces Norvegios in principio opprimit, & rebelles compeſcit, & reliqua etiam privilegia ipſis adimit.* Johannes etiam *rex Lubecenſes admonet, ne in Suecia hoc tempore belli negociari velint. Sed Lubecenſes putantes hoc contra ſua privilegia eſſe, regi acquieſcere nolunt, adeò rex eas naves capit, & in areſto detinet.* Chyt.

Philippus Dux Auſtriæ cùm primo vere in Hiſpaniam veniſſet, lætis omnibus ab Hiſpanis ſuſcipitur, & ipſi Sacramentum dicitur, die 22. Maji *Marian.*

Moſchi, *quòd irritati erant ſuperioribus cladibus* à Walthero *Magiſtro in Livonia, ejus oras crudeliſſimè vaſtant. Sed* Waltherus *collecto exercitu ipſis occurrit ad Pleſcoviam, & paucis militibus totum exercitum* Moſchorum, *tormentorum fulminibus exterritum vincit.* Moſchoviæ *Dux felicitate* Waltheri *adductus, offert ipſi pacem, optimis conditionibus deſcriptam, in quinquaginta annos.* Chyt.

Annus Indorum 1595. *& Hegira* 908. *incipit die* 6. *Julii, fer.* 4.

Fridericus Elector, diſſidia inter Norinbergenſes & *Fridericum* Marchionem Brandeburgenſem componere cupiens, partes evocat Erfurdiam. Interim Caſimirus, *Friderici* Marchionis filius, inſidias ſtruit *Norinbergenſibus*, ad quædam Encœnia profectis, quibus ſenatus præſidium mittit, ut tuti in urbem revertantur; ſed Stromerus Dux præſidii in fraudem illectus, ſimulatâ fugâ Caſimiri, in ſylva cum 328. civibus, viris optimis & modeſtiſſimis trucidatur. *Chyt.*

Academia Witebergenſis fundatur à *Friderico* Electore Saxoniæ, introducitur die 18. Octobris, qui etiam hodiè ejus Academiæ natalis habetur. Primus Rector fuit *Martinus Pollichius* Mellerſtadius, Medicus Elector, cui inſigniter charus erat ob fidelitatem, quòd Electorem in Rhodo Inſula, cùm liberiùs vina Cretenſia hauſiſſet, & ſe in balneas contuliſſet, ſuâ manu ingreſſus eduxiſſet, ne febri ita correptus moreretur, quod

Chriſto-

Chriſtophoro Bavaro comiti itineris accidebat. Privilegia poſtea conceſſit huic Academiæ Julius II. Papa. *Fab.*

In diœceſi Spirenſi ruſtici duobus autoribus conſpirant contra Epiſcopos & Canonicos. Liga appellata fuit **der Bundſchuch**; fuerunt Helvetiorum æmuli, ſeque ab omni ſervitutis jugo liberare voluerunt. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5452. Æræ C. 1503. A. ☉ 28. ☽ 3. *Ind.* 6.

Conſalvus Dux Ferdinandi regis Caſtellæ in Italia 22. Febr. fer. 4. *Rubum* urbem expugnat, Palicium Proregem Galliæ regis & alios capit, atque ita magna inclinatio facta eſt rerum Gallicarum. Poſtea 21. April. fer. 6. iterum prælio congrediuntur Hiſpanorum & Gallorum Duces, & Galli iterum vincuntur, & Duces nobiliores capiuntur. Iterum pugnat Conſalvus 28. April. fer. 6. in qua pugna cecidit Namurſius Dux & Comites quidam, capti multi milites & tormenta omnia, ceciderunt ad tria millia Gallorum. Inde Conſalvus *Neapolin* deditione capit, & Cajetam obſidet die primo Julii, inde cùm Gallus exercitum in Hiſpaniam mitteret, ut Caſtellæ regis copias diſtineret, Ferdinandus Albanum mittit, qui ita terret Gallos, ut obſidionem *Salſulæ* ſolverent, & cum magna ignominia in Gallias redirent. Quapropter nova & valida auxilia à Gallo mittuntur in Italiam, ad regnum Neapolitanum recuperandum, menſe Decembri, quibus obviam proficiſcitur Conſalvus, luditque ea omnibus belli artibus, & tandem vincit ad Lirim fluvium, & penitus profligat die 28. Decembr. fer. 5. & magnam eorum partem capit, Cajetam etiam die 3. Januarii ſequentis anni deditione recipit, atque ita Galli planè ex regno Neapolitano pelluntur, quod totum cedit Ferdinando Caſtellæ regi. *Marsan.*

Philippus ex Hiſpaniæ, in Belgium rediturus relinquit uxorem in Hiſpaniis, quæ die 10. Martii enixa eſt *Ferdinandum*. Sed redit per Galliam invito ſocero, ubi ad Ludovicum regem pervenit ante clades Gallicas, in Italia pacem cum eo facit, ut æqualiter regnum illud in Italia divideretur. Sed Ferdinandus differens aſſenſum, & ex eventu belli rem dijudicaturus, cùm jam Galli toties victi eſſent, pacem illam repudiat. *Chyt.*

Alexander legatum in Germaniam miſerat, qui pacem ubique faceret, ut arma in Turcam ferri poſſent. Ideò hic etiam pacem inter Danos, Suecos & Lubecenſes facit, & regina dimittitur Lubecenſes contra ſuas naves recipiunt; ſed pax hæc diuturna non fuit, etiamſi Steno moreretur. *Chyt.*

Johannes *Fridericus Elector naſcitur die 30. Jun. horâ ſextâ poſt meridiem; naſcenti ei crux aureo colore fulgens, in dorſo apparuit, quod omen fuit fati futuri.* Fab.

Annus Indorum 1596. *& Hegira* 909. *incipit die* 26. *Junii, fer.* 2.

Alexander IV. Papa, cùm annos undecim ſediſſet, & flagitioſiſſime per omnem ætatem vixiſſet, moritur die 18. Auguſti: cùm enim Borgias filius lagenas quaſdam, quas Cardinalibus invitatis propinare voluerat, veneno miſcuiſſet, & eæ, imprudentia miniſtri, ſibi & parenti Pontifici miniſtratæ eſſent, Papa periit, ſed Borgias filius, incluſus mulæ recens exenteratæ utero, venenum aliquo modo diſſipavit, morbus tamen inde conſecutus, omnes ejus conatus diſturbavit. Papa hic habuit filiam, cui Sanazarius Poëta fecit Epigramma:

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, ſed re
Thais; Alexandri filia, ſponſa, nurus.

Cùm Cardinales quinque & triginta dies conſultaſſent de ſucceſſore, tandem creant *Franciſcum Picolomineum* ſenem, 22. Septembris, qui dictus eſt *Pius III.* qui moritur poſt diem 26. die 18. Octobr. inde Calendis Novembr. eligitur Julianus, Sixti quarti ex fratre nepos, qui dictus eſt *Julius II.* & ſedit annis 9. menſ. 4. qui totum orbem terrarum involvit bellis, & Patrimonium ſancti Petri auxit abſolutione Caſuum reſervatorum. *Marsana.*

Annus ſabbathicus 2. *Jobelei* 30. *incipit* 21. *Septembr. fer.* 5. *Anno Jud.* 5264.

Georgius *Dux Bavariæ moritur, & Rupertum generum, filium Philippi Electoris Palatini hæredem fecit ex aſſe; cùm verò id iniquum videretur reliquis Bavariæ Ducibus, nec tamen Rupertus hæreditate cedere vellet, ſequenti anno bellum Bavaricum motum eſt.* Chyt.

ANNO MUNDI 5453. Æræ C. 1504. G.F. ☉ 1. ☽ 4. *Ind.* 7.

Maximilianus Imperator ad componendam controverſiam Bavaricam, æquas conditiones proponit, ut videlicet, quod ex hæreditate provenerat, Rupertus tertiam partem reliquis Bavaris redderet, duas ipſe ad vitam retineret. Sed cùm obſtinatè reluctaretur, fidens auxiliis regis Galliæ & Bohemorum, ab Imperatore proſcribitur, & menſe Majo Dux Wirtebergenſis *aliquot oppida, & caſtella, ut* Winsbergam, *Maulbronnam, & alia Palatino eripit: Norimbergenſes verò Altorfium & Lauffen:* Wilhelmus *etiam Landgravius aliqua ipſi eripere voluit, ſed fruſtrà: Bipontinus quædam cepit. Sed omnium graviſſimus hoſtis fuit ipſe Imperator Maximilianus, qui copias Ruperti fudit; Ideò Rupertus mœrore animi moritur die* 20. *Auguſti cum conjuge. Imperator verò moderans ſibi in victoria, & putans Palatinum ſatis punitum, omnibus aliis arma inhibet, & Ruperti liberis ex hæreditate materna quædam oppida concedit, ut Neuburgum, Laugingam, & alia, quæ Ducatus Neuburgenſis titulo comprehenduntur. Interim Philippus Elector, quomodo Imperatori reconciliari poſſit, cum ſubditis deliberat.* Chyt.

Bellum Sudenſium, quod cum Bogislao Pomeraniæ Duce biennio geſſerant, cùm Sundium *obſeſſum fuiſſet, componitur ita, ut Sundenſes Duci Pomeraniæ fidelitatem jurarent.* Chyt.

Annus Indorum 1597. *& Hegira* 910. *incipit die* 14. *Junii, fer.* 6.

Annus Nabonaſſ. 2253. *& Philippi* 1829. *incipit* 12. *Auguſti, feria* 2.

Annus Alexandr. 1816. *Antioch.* 1553. *& Conſt.* 7013. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdegird. 874. *incipit* 10. *Novembr. fer.* 1. *Armen.* 954. 13. *Nov. fer.* 4.

Maximilianus *Kirchenbergenſem Comitatum &* Weiſſenbornam, *cùm ad ſe morte Comitum devolutus eſſet, ut feudum oppignorarat* Fuggeris Auguſtanis *pro ſeptuaginta millibus aureorum in decem annos. Sed cùm ſubinde plus numerarent, hæreditariò eum Comitatum ab Imperatore accipiunt, & donantur inſignibus Baronum*

ronum, & privilegio cudendi monetam. Annales Suevici.

Iſabella regina Caſtellæ, ſocrus Philippi Auſtriaci, moritur in Hiſpania, die 26. Novembris. Hæc teſtamentum fecerat, in quo filiam Johannam, quæ uxor erat Philippi, cum nepote Carolo hæredem ex aſſe ſcripſerat, & maritum ſuum, patrem Johannæ, adminiſtratorem regni, donec Carolus adoleviſſet, nec Philippi generi mentionem fecerat. Hinc odia inter conjuges & ſocerum exorta, quæ forſan in bellum erupiſſent, niſi Philippus mortuus fuiſſet. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5454. Æræ C. 1505.
E. ☉ 2. ☽ 5. *Ind.* 8.

Annus urbis 2257. *Julianus* 1550.

Æra Hiſpanica 1543. *Auguſtorum* 1532.

Annus Gelali Perſ. 426. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Cùm in Geldria induciæ minus ſanctè colerentur, Philippus Belgii Dux accipit a parente Imperatore auxilia, & tranſit in Geldriam, & Arenacum obſidet. Interim auditum fuit, Iſabellam in Hiſpania eſſe defunctam. Philippus igitur de bello Geldrico deponendo cogitat, cùm ſibi in Hiſpaniam neceſſariò abeundum ſit; promittit itaque Carolo Geldriæ Duci ſalvum conductum, qui in caſtra ejus venit, & controverſiam ita dirigit, ut ſit i Geldriæ ad vitam concedatur, jus verò Philippi in Ducatum integrum maneat, & cum equitatu Philippum in Hiſpaniam comitetur, ſed cùm profectio in ſequentem annum differretur, ea omiſſa eſt. *Chyt.*

Maximilianus *in comitiis Colonienſibus frequentiſſimis agit de bello Turcico ubi* Jacobus *Marchio Badenſis, & Epiſcopus Trevirenſis legatus miſſus a Pontifice reſpondit latinè; à Germanis Germanicè, a Venetis Italicè, a Gallis Gallicè. In iiſdem comitiis Fridericus Elector Saxoniæ auſus eſt, collegam olim ſuum Philippum Palatinum ad Imperatorem adducere, ut ſupplex pacem ab eo peteret, quam etiam impetravit, una cum ditionibus, quæ adhuc ſuper ſunt.* Chytræus.

D. Martinus Lutherus, cùm paulo ante eſſet renunciatus Erphurdiæ Magiſter bonarum artium, territus fulmine ingreſſus eſt Monaſterium die 17. Julii, die Alexii.

Annus Indorum 1598. *& Hegira* 911. *incipit* 3. *Jun. feriâ* 3.

Olympias 570. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2281.

Maximil. incipit annum imp. 13.

Annus Diocletiani 1222. *incipit* 29. *Auguſti.*

Cometæ bini annotantur hoc anno: Primus apparuit 12. Aprilis, alter menſe Auguſto. *Spang.*

Fuggeri Auguſtani tres naves ſumptibus 31. millibus florenorum comparant, & conjungunt cum Luſitanis in Indiam navigantibus, cùm redirent, præter omnes expenſas in centenos aureos lucrum habuerunt centum & ſeptuaginta aureos. *Annal. Suev.*

Imperator Maximilianus proſcribit Decanum & Capitulum Trevirenſe, quòd Comitem quendam imperii apud Pontificem Romanum accuſarent, contra libertatem imperii, & ab actione diſcedere nollent. *Conſt. Imp.*

Lipſiæ, ne Juriſconſulti in templo Div. Thomæ cogerentur docere, collegium Petrinum hoc anno extructum eſt. *Fab.*

Maximilianus *Imperator ad petitionem Johannis regis Daniæ Suecos tanquam perduelles & læſæ majeſtatis reos proſcribit, & honore, famâ, libertatibus, & privilegiis indignos judicat. Sueci contra hanc ſententiam imperatoris, qui in ſe juriſdictionem non habeat, nullius momenti eſſe pronunciant. Imperator etiam ad Lubecenſes ſcribit, ne cum Suecis quicquam rei habere velint.* Chyt.

ANNO MUNDI 5455. Æræ C. 1506.
D. ☉ 3. ☽ 6. *Ind.* 9.

Philippus tandem 7 Jan. in Hiſpaniam navigat, ſed magnis tempeſtatibus actus in Angliam ejicitur, ubi tamen honorificè habetur; inde præcipiti vere in Hiſpaniam pervenit 20. Jun. fer. 7. Primùm Philippus cum Ferdinando colloquitur, ſed majori offenſione digrediuntur, quàm quâ venerant 27. Jun. Ferdinandus removetur ab adminiſtratione regni Caſtellani, qui abit in Aragoniam. Philippus verò vult ſuam uxorem, ut quæ parum mente valebat, includi, ſed proceres repugnant, eique & filio Carolo de novo Sacramentum dicunt 4 Sept. Ferdinandus comparatâ claſſe in regnum Neapolitanum tranſmittere cogitat, & eò venit circa 5 Octob. Conſalvus Dux magna felicitate id regnum Gallis eripuerat, & ad Aragonios tranſtulerat, ab hoc tamen Ferdinandus rationes expenſarum in bello repoſcit, quod fieri non poſſe Conſalvus prudenter demonſtrat. Ferdinandus tota hac hyeme in regno Neapolitano permanet. *Marian.*

Philippus *Archidux Auſtriæ in Hiſpania, cùm aliàs eſſet firmæ valetudinis, moritur die* 28. *Sept. & Ferdinandus ad adminiſtrationem regni Caſtellani revocatur.* Marian.

Joachimus *Elector Brandeburgenſis, cum fratre* Alberto *Academiam Francofurtenſem ad Oderam inſtituit, quæ introducta eſt die 26. Aprilis Dominicâ Miſericordias Domini, in meridie. Profeſſores plerique ex Academia Lipſienſi accerſiti ſunt: Primus Rector fuit* Conradus Wimpina, *Theologus, natione Francus è fagis. Ab hoc ſtatuta & leges Academiæ præſcripta ſunt.* Chyt.

Annus Indor. 1599. *& Hegira* 912. *incipit* 24. *Maji, fer.* 1.

Ladiſlaus Hungariæ & Bohemiæ rex, graviter circa hæc tempora ægrotat, et naſcitur filiolus *Ludovicus* Cal. Jun. qui immaturo partu editus eſt, ideò medici ipſi arte cutem fieri curarunt; immatura ætate barbatus fuit, anno videlicet 14. immaturè uxorem duxit, anno ſcil. 15. immaturus regno fuit, cùm patri in regno ſuccederet anno ætatis 10. immaturè obiit, anno ætatis 21. à Turcis caſus. *Chyt.*

Bellum inter Megalopolitanos Duces & Lubecenſes oritur, leviſſima imò ferè ridicula de cauſa, quod vaſtationibus geſtum per biennium, donec componeretur. *Chyt.*

Mortaria bombardæ genus à Buſcoducenſibus inventa ſunt, quorum uſus eſt in obſidionibus, dum ſaxa in altum projiciuntur, aut etiam ignis in detrimentum obſeſſorum. *App. Viſb.*

Trithemius injuriis ſuorum monachorum commotus Abbatiam Spanheimenſem reſignat; vocatusq; Herbipolin, fit Abbas S. Jac. die 12. Oct. *Trith.*

Georgius

Georgius Saxoniæ Dux iterum per hyemem Groningenſes obſidet, eosque ad extremam inopiam adigit, adeò ut de pace legatos ad Saxonem decernere vellent; ſed dux Georgii *Vitus Drachsdorfius*, duos cives Groningenſes à ſe captos, cùm ſe pecuniâ redimere non poſſent, naſo & auribus mutilatos in urbem dimittit, quâ crudelitate offenſi cives, legationem de pace intermittunt, præſertim cùm *Ezardus* Friſiæ Comes inſolentiam Drachidorffii non ferens, ab obſidione diſcederet. Ad hunc igitur legatos mittunt, urbemque ipſi dedere parati, ſi certi ſint Saxoniæ Ducem eam nunquam accepturum. Pacta hæc ſunt ſeq. anno, & Ezardus in urbem recipitur Cal. Maji. *Chyt.*

Alexander Poloniæ rex, cùm annis 5. *regnaſſet, moritur, cùm audiviſſet Tartaros à ſuis Ducibus egregiè victos eſſe; ſuccedit ipſi frater* Sigismundus, *qui regnat annos* 42. Chyt.

ANNO MUNDI 5456. Æræ C. 1507.
C. ⊙ 4. ☽ 7. *Ind.* 10.

Maxim. *Imperator in Italiam proficiſci conatur, ut Romæ coronetur, ſed Veneti per ſuas ditiones armatum tranſire nolunt, Ideò ipſe Venetis bellum movet propè Tridentum quod in Forum Julium translatum eſt, ubi Veneti Maximiliano aliquot urbes eripuerunt, magno cum Maximiliani dedecore, ſed pax facta in triennium menſe Aprili.* Chyt.

Borgias Alexandri Pontificis filius, ex cuſtodia Hiſpanienſi elapſus, & ad Vaſconum regem delatus, copiis quibusdam præficitur; quas dum ducit, præcipitat in inſidias, & trucidatur 12. *Martii, fer.* 6. Marian.

Fridericus *filius Alberti Saxonis, Magiſter ordinis Pruſſici, cùm à rege Poloniæ urgeretur, ut fidelitatem ſibi præſtaret, & ipſe tamen hanc provinciam ab imperio alienare nollet, abit in Miſniam, & inde ad comitia Conſtantiam, cum fratre Georgio, qui ſumtus bellicos repetebat à parente Alberto expoſitos; ſed nihil ambo reportârunt, præter promiſſiones.* Fab.

Camera *Imperialis hactenus fuerat* Wormatiæ, *ſed cùm cives ibi ab Epiſcopo diſſiderent, traducta eſt* Ratisbonam. *Chyt.*

Annus Indorum 1600. *& Hegira* 913. *incipit die* 13. *Maji, fer.* 5.

Arſenale *Venetiis incendio conſumitur, fortuito igne pulvere ſulphureo incenſo, unde tantæ tenebræ & concuſſiones factæ, ut terræmotus crederetur factus, multæ turres & ædes corruerunt, & ſtatuæ pleraque dejectæ, præterquam D. Marci.* Juſt.

Norinbergenſes *legatos mittunt Venetias, qui leges gubernandæ illius reipub. ab ipſis peterent, quod ab ipſis conceſſum eſt.* Juſt.

Cameraci *exeunte anno fœdus inter Julium Papam, Maxim. Imp. & Ludovicum Galliæ regem, initur contra Venetos, de recipiendis urbibus, quæ ad ſingulos pertinebant.* Maximilianus *tum inſignia Ducatûs Mediolanenſis contulit Gallo, quod Carolus poſtea in ſui præjudicium factum, & nullius momenti eſſe demonſtrat.* Chyt.

ANNO MUNDI 5457. Æræ C. 1508.
B. A. ⊙ 5. ☽ 8. *Ind.* 11.

Philippus Elector Palatinus, cùm præfuiſſet annis 31. *moritur die* 17. *Martii; ſuccedit ipſi Ludovicus filius, qui præeſt annis* 36. Chyt.

Martinus Lutherus, cùm quadriennium ferè in cœnobio ſtudiis invigilaſſet, à Stupitio Witebergam traducitur, ubi Ariſtotelis Philoſophiam docuit. *Chytræus.*

Annus Ind. 1601. *& Hegira* 914. *incipit* 2. *Maji, fer.* 3.

Eraſmus Moriam edit menſe Junio, in qua vitia hominum feſtivè perſtringit: Fuit, ut inquit, ſeptem dierum opus. In eo Moriæ nomen, parentes, patriam, mores & pediſſequas initio recenſet, inde ejus beneficia infinita, quæ deducit à primo hominis ortu per omnes ætatis gradus, & omnia vitæ genera, denique Chriſtum ipſum ſtultitiæ quodammodo affinem diſputat.

Annus Nabonaſſaris 2257. *& Philippi* 1833. *incipit* 11. *Aug. fer.* 6.

Annus Alexand. 1820. *Antioch.* 1557. *& Conſtant.* 7017. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Jezdeg. 878. *incipit die* 9. *Nov. fer.* 5. *Armeniorum* 958. 12. *Nov. fer.* 1.

Camſon *Sultanus Ægypti claſſem per mare rubrum in Indiam mittit, ut Luſitanos, jam in India potentes pellat, & primo quidem prælio, in fine hujus anni, Luſitani inferiores diſcedunt.* Marian.

ANNO MUNDI 5458. Æræ C. 1509.
C. ⊙ 6. ☽ 9. *Ind.* 12.

Annus urbis 2261.	*Julianus* 1509.
Æra Hiſpan. 1547.	*Auguſtorum* 1536.

Annus Neurutz Perſ. 430. *incipit cum Æquinoctio Verno.*

Annus Indorum 1602. *& Hegira* 915. *incipit* 21. *April. fer.* 7.

Luſitani ſuperiori menſe ab Ægyptiis ferè victi iterum hoc menſe Januario eos aggrediuntur, eosque egregie vincunt, & Ægyptios & Indos planè profligant. Iſmael autem Sophus vicinus iſtis regionibus, delectatus Luſitanorum fortitudine, ad Albuquertum Ducem Luſitanorum legatos mittit, amicitiamque eorundem ambit. Bizar.

Heinricus VII. rex Angliæ moritur die 23. Martii, fer. 7. cùm annos 24. regnaſſet; ſuccedit ipſi filius *Heinricus VIII.* qui regnat annos 42. *Polyd.*

Bellum Venetum, quod decretum fuerat in conventu Cameracenſi, ſumma vi hac æſtate regitur, & Galli primùm Venetos vincunt ad Abduam magna clade, capitur Dux *Livianus*, & rex Galliæ recipit Cremam, Cremonam, Bergomum, Brixiam & alia; Papa obtinet Faventiam, Ariminum, Salaronum, Revennam & Cerviam: ſic Brunduſium, Hydruntum, Tranum, Monopolis, &c. regno Neapolitano cedunt, non ſine occulto conſenſu Venetorum. Maximilianus Imp. cum ſuis copiis advenit tandem menſe Julio, & repudiata pace, quam offerebant Veneti, Veronam, Vicentiam & Patavium ad imperium pertinentes urbes occupat. Idem etiam factum in Foro julio. Sed Patavium, cùm dies 42. in Maximiliani poteſtate fuiſſet, & malè cuſtodiretur, à Venetis recipitur, atque ita initium factum recuperandarum urbium quod poſt accidit. *Marian.*

Olym-

Olympias 571. in Julio. Annus Olympiadicus 2285.

Maximil. Imp. inchoat annum imp. 17.

Annus Diocletiani 1226. incipit 29. Auguſti.

Wilhelmus *Landgravius Haſſiæ, cum præfuiſſet annis 38. moritur menſe Auguſto, relicto filio pupillo Philippo, qui præfuit annis 58.* Chyt.

Ingens terræmotus accidit Conſtantinopoli, quo plurima ædificia præſertim à Turcis conſtructa perierunt. *Templa Chriſtianorum manſerunt integra:* perierunt hominum 13. millia, ipſe Bajazethes monachi monitu in hortos conceſſit: Duravit hic motus dies 40. Ut collapſa reſtituerentur, Bajazethes ex Anatholia, Romania & aliis locis opifices cæmentarios & lignarios colligit, ad octuaginta millia, factum anno Heg. 915. Interim dum Conſtantinopoli ædificatur, *Techellis* Doctor Alchorani apud Iſmaelem Sophum magnas clades Bajazethi infert in Aſia, binos exercitus vincit, Ducesq; Baſſas trucidat. Inde cùm novæ copiæ Bajazethis advenirent, & ſuæ attritæ eſſent, tempeſtivè cedit. *Biz.*

Lubecenſes *iterum bello Danico involvuntur: cum enim rex Daniæ conventis Calmaricis non ſtaret, ſibi etiam ab iisdem recedendum putarunt, & comparata claſſe, die 14. Sept. Dano bellum indicunt, & Suecis commeatū & alia neceſſaria advehunt.* Chyt.

Pleſcoviæ in urbe libera diſſenſionibus perniciosiſſimis certatur, arbiter earum evocatur *Waltherus* ordinis Livonici Magiſter, ſed ab eo repudiatus clerus invocat Moſchoviæ Ducem, qui libertati eorundem ſemper inſidiatus fuerat, adeò vindictæ cupiditate cœci facti ſunt. *Moſchus* adveniens urbem in extremam ſervitutem redigit, incolas pleroſq; pellit, & feros Moſchos introducit. *Bizar.*

Ingens diſſenſio Erfurdiæ *inter cives & Senatum, inſtigantibus Clericis, ubi cives conſulem Heinricum* Kelnerum *in vincula conjecerunt, & ſequenti anno ſuſpenderunt, multos urbe ejecerunt: Cives ad ſeditionem hanc compeſcendam evocant Moguntinum; Senatus verò Fridericum Electorem, qui ſui juris eſſe exiſtimat ſuccurrere urbi, atque ita cum Moguntino incipit diſſentire, quæ diſſenſio in bellum erupiſſet, niſi Maximilianus ſe interpoſuiſſet: duravit tamen hæc ſeditio annis ſex.* Trith. cujus hiſtoria hic finitur.

ANNO MUNDI 5459. Æræ C. 1510.
F. ☉ 7. ☽ 10. *Ind.* 13.

Ferdinandus rex Caſtellæ exercitum in Africam mittit, & *Pugiam* nobilem urbem, & Academia florentem, expugnat menſe Januario poſtea etiam in Numidia *Tripolin* capit menſe Junio, cæſis quinque millibus Maurorum, ſed poſtea, cum exercitus ille maximo æſtu affligeretur, & putei à militibus quærerentur, magna clade afficitur, ubi præter Ducem, qui pater fuit Ferdinandi Albini, ad quatuor millia militum perierunt. *Marian.*

Alfonſus Albuquercius, miſſus à *Luſitano* rege in Indiam orientalem, urbem *Coam*, ſedem poſtea imperii, occupat die 17. Februarii. Alter vero Dux Almeida, qui magnas res in India geſſerat, cæditur ab Æthiopibus, ad Caput bonæ ſpei. *Mariana.*

Annus Indor. 1603. & Hegir. 916. incipit die 10. April. fer. 4.

Rudolphus Anhaldinus, Dux Maximiliani, *Vicentiam*, à Venetis ſuperiori anno receptam, iterum expugnat in Italia, ſed Julius Pontifex Venetis ſuppliciter pacem petentibus ignoſcit, & contra hoſtiliter perſequitur regem Galliæ, quod *Alfonſum* Ferrariæ Ducem, clientem Pontificis oppugnaret. *Ferdinandus* Caſtellæ rex hac occaſione uſus impetrat à Pontifice confirmationem, ſibi & poſteris, regni *Neapolitani*. *Marian.*

Catharina Corneliæ, Cypri regina, olim à ſenatu Veneto adoptata, Venetiis obit, & Veneti *Cypro* ita tanquam hæreditate potiuntur, cum ejus maritus Jacobus rex Cypri cum filio poſtumo mortuus eſſet. *Chyt.*

Philippus Beroaldus Bononienſis hoc anno moritur, & *Ambroſius Calepinus* Epiſcopus Bergomenſis floret. *Trith.*

Annus ſabbathicus 3 ſive Jobelei 30. incipit die 5. Sept. fer. 5. Anno Jud. 5271.

Lubecenſes *vaſtant* Daniam, *& poſtea Suecos adjuvant in oppugnatione arcis Calmarnienſis, quam tredecim annis Daniæ rex obtinuerat, eamque quod Johannes rex alibi occupatus eſſet, & commeatum non mitteret deditione capiunt.* Chyt.

Hamburgenſes in hoc bello neutri parti addicti, liberè negotiantur in Norvegia, cum Hollandis, Anglis, & Flandris, & commerciorum frequentia plurimum augentur. *Chyt.*

Reuchlinus à Monachis, qui cenſebant omnes Judæorum libros, præter Biblia exurendos eſſe diſſentit, & variis modis in hoc certamine exagitatur etiam Romæ apud Pontificem, donec major controverſia Monachis à Luthero oborietur, qua hoc certamen in fumum diſſolutum eſt. *Chyt.*

Fridericus Saxoniæ Dux à Pontifice creatus Frat adjutor Epiſcopatus Magdeburgenſis, poſtquam nulla ſubſidia ab imperio contra Polonos in *Boruſſia* obtinere poſſet, ſed mœrore animi extinguitur 25. Decemb. cui ſequenti anno in *Borruſſia* ſuccedit *Albertus* Brandeburgenſis, qui poſtea factus eſt Dux *Pruſſiæ*, & præfuit ab hoc tempore annis ferè 56.

ANNO MUNDI 5460. Æræ C. 1511.
E. ☉ 8. ☽ 11. *Ind.* 14.

Annus Indorum 1604. & Hegira 917. incipit 31. Martii, fer. 2.

Wilhelmus *Dux Juliacenſis & Bergenſis moritur absque Heredibus maſculis, filia ejus* Maria *unica data in matrimonium* Johanni *Duci Clivenſi, quæ ampliſſimis provinciis Clivenſem Ducatum auxit.* Chyt.

Galli in Italia Bononiam obſident, quæ ipſi deditur die 22. Maji. Arx verò à *Maximiliani* auxiliis tenebatur, ſed cum commeatu deſtituerentur, etiam ſe dedunt, & arx funditus excinditur. *Birckh.*

Selimus *Bajazethis filius; qui duxerat Tartarorum Præcopiitarum regis filiam, inhiat imperio Turcico, & transmiſſo Ponto Euxino Hadrianopolin tendit, tanquam ſalutaturus patrem. Bajazeth inſidias ſibi metuens, offert Selimo Sangiacum Synderovia, ut ſi vellet in Hungariam irrumperet, & ſubitò Hadrianopoli diſcedit Conſtantinopolin, ne filius Selimus regiam ſedem præoccuparet. Selimus hoc modo ſpe ſua decidens, inſequitur parentem, ſed funditur prælio, & ultra Pontum Euxinum fugatur.* Ann. Turc.

Lubecenſes *bellum maritimum gerunt cum rege Daniæ, qui multa auxilia ex Hollandia cum claſſe accerſerat, ſed nihil tamen præclari agit, ſed potius vincitur die nono Auguſti: Lubecenſes enim multis*

Hollandicis navibus potiti ſunt. Sed tandem cum utrinq; belli pertaſi eſſent Lubecenſes cum ſociis civitatibus, cum rege Daniæ pacem faciunt, Suecis excluſis menſe Novembri. Chyt.

Comitia *Imperii Treviris aguntur, ubi inter cætera, quæ acta ſunt, Imperium Romanum diſtribuitur in decem provincias ſive circulos,* in Auſtriacum, Bavaricum, Suevicum, Francicum, Rhenenſem ſuperiorem, Electoralem Palatinatus, Burgundicum, Weſtphalicum, Saxonicum inferiorem, Saxonicum ſuperiorem. *Chyt.*

Papa Julius die 18. Julii indicit univerſale concilium, Romæ ad Lateranum celebrandum, ſequenti anno die 21. Aprilis. Cardinales quatuor Gallicas partes ſecuti concilium convocant Piſis, hoc anno menſe Septembri celebrandum, quod tamen Mediolanum translatum eſt, & die 22. Decemb. quartam ſeſſionem celebrarunt in hoc concilio: hi Cardinales Papam Julium indignum Pontificia ſede pronunciarunt. Papa contra hoſce Cardinales dignitatibus ſuis privat: duravit hæc diſſenſio uſq; ad obitum Julii pontificis, & ſequenti pontifici reconciliati ſunt. *Marian.*

Galliæ *rex legatum Helvetiorum Romam proficiſcentem interceperat & trucidarat, ideò Helvetii ipſi indicunt bellum. Rex offert ſe ad mulctam, promittit ſe daturum viginti quatuor millia ducatorum, ſed nihil impetrat, Pontifice omnia impediente. & Helvetii irruunt in Ducatum Mediolanenſem.* Birckh.

Papa Julius, cum Venetis & *Ferdinando* fœdus facit, & ſocietatem init die 5. Octobris, de Gallis ex Italia ejiciendis, & recipienda *Bononia*, ita tamen ut Veneti perſolvant *Ferdinando* ſingulis menſibus viginti millia ducatorum. *Birckh.*

ANNO MUNDI 5461. Æræ C. 1512.
D.C. ☉ 9. ☽ 12. *Ind.* 15.

Prorex Neapolitanus arcem Ferrarienſem Baſtidam *munitiſſimam in hyeme per quinque dies obſeſſam expugnat, quam Ferrarienſis recuperatam paulò poſt ex fundamentis evertit.* Marian.

Papa Julius regem Galliæ & Vaſconum etiam excommunicat menſe Feb. ſubditos omnes ab obedientia eorundem abſolvit, & Angliæ regem incitat, ut Galliam invadere velit. *Mar.*

Veneti menſe Feb. Brixiam invadunt & occupant. Sed *Namurſius* Galliæ Dux, & Brixiam & alias urbes, quas occupaverant, recuperat die 18. Febr. Et ut tandem aperto prælio cum hoſtibus congrederetur, oppugnat *Ravennam* die 8. Aprilis fer. 5. Pontificis verò exercitus ab obſidione *Namurſium* depulſurus, advenit 10. Aprilis, & ſequenti die, qui fuit dies Paſchatis, prælio concertant quinque horis, & Pontificis exercitus tandem fugit. Ceciderunt ex Pontificio exercitu ad 9. millia, ex Gallorum tria millia. In hoc prælio, uno ictu majoris Bombardæ ceciderunt 40. Germani. *Pontifex hac clade minimè fractus, concilium ſuum celebrat die* 8. *Maji.* Evocaverat tamen Helvetios in Ducatum Mediolanenſē, qui educunt viginti duo millia militum, & Pontifici auxilio veniunt, & occupant Veronam die 27. Maji; ideo cum exercitus Gallicus revocaretur ex Italia, ad defendendam Aquitaniam contra Anglum, reliquæ etiam urbes deſertis Gallicis partibus Venetis & Pontifici reſtituuntur. *& Papa concilium, quod peſtis videretur ingruere, rejicit in menſem Decembr.* Marian.

Annus Indor. 1605. *& Hegiræ* 918. *incipit die* 19. *Mart. fer.* 6.

Bajazeth, Turcarum Imp. *Achmetem* filium ſibi ſucceſſorem declarat; ſed cum aſperiùs ſeſe Achmet gereret erga Janizeros, in odia eorundem occurrit, ideò *Janizeri* legatione miſſa *Selimum* evocant, qui in Thraciam cum exercitu venit, & à *Bajazethe* patre, auxilio deſtituto, Imperator conſtituitur. Sed Selimus parentem per medicum viceſimo die poſt jubet occidi, medico verò loco præmii caput præcidi. Imperat Bajazeth annos 31. Selimus verò imperat annis ferè. 9.

Ferdinandus *Caſtellæ rex, regnum Vaſconum interdicto à Pontifice ſubjectum, invadit die* 20. *Junii feria quarta, regem Vaſconum fugat. & ſubditos ſibi juramento adſtringit, auxilia etiam Gallica à Vaſconum rege adducta fortiter profligat.* Marian.

Annus Nabonaſſar. 2261. *& Philippi* 1554. *incipit* 10. *Auguſti, fer.* 2.

Annus Alexandr. 1824. *Antioch.* 1561. *& Conſt.* 7022. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdegird. 882. *incipit* 8. *Novembr. fer.* 2. *Armen.* 962. 11. *Nov. fer.* 5.

Maximilianus in comitiis Coloniæ, die 1. Sept. promulgat edictum de abolendis conciliis contra Papam celebratis, Piſis & Turoni in Gallia. *Conſt. Imp.*

Heinricus VIII. *rex Angliæ in Galliam irruit, & aliquot urbes expugnat, cujus impetu regis Galliæ victoria ita fracta ſunt; ut omnes ſuas copias ad Galliam defendendam revocaret.* Appen. Vrsb.

Hiſpani *in Italia cogunt* Florentinos *ad pacis conditiones, ut relicto Gallo ſeſe in Hiſpaniæ tutelam traderent, atq; ita* Medicei. *cum octodecim annis in exilio fuiſſent, promiſſa civibus libertate, in urbem recepti ſunt.* Marian.

Maximilianus Sfortia, Ducatu Mediolanenſi à Gallis pulſus, cum recuperat auxilio Helvetiorum & Mediolanum ingreditur in fine anni die 29. Decemb. *Marian.*

Martinus Lutherus hoc anno Doctor Theologiæ creatur ab Andrea Carlſtadio, menſe Octob.

ANNO MUNDI 5462. Æræ C. 1513.
B. ☉ 10. ☽ 13. *Ind.* 1.

Annus urbis 2265. *Julianus* 1558.
Æra Hiſpan. 1551. *Auguſtorum* 1540.

Annus Indorum 1606. *& Hegiræ* 919. *incipit* 8. *Mart. fer.* 3.

Annus Gelali Perſ. 434. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Julius II. Papa, qui totum Chriſtianū orbem bellis involverat, cum Vaticanum ædificare primus aggreſſus eſſet, quod tandem à Sixto V. dedicatum eſt, & ſediſſet annis 9. menſibus 3. moritur: Succedit ipſi *Johannes* Medices Florentinus, qui dictus eſt *Leo X.* ſeditque annos 8. & menſes 8. Hic turbatam ubique pacem reſtituere conatus eſt, ſed ferè fruſtra ejus conatus fuit hoc anno. *Chyt.*

Ludovicus *Palatinus cum reliquis Ducibus Bavariæ fœdus hæreditarium inſtituit cum Ulrico Duce Wirtebergenſi, idque poſtea Maximilianus Cæſar confirmavit.* Chyt.

Helvetii Novariæ à Gallis obſeſſi, magnitudine animi ferè pluſquam humana erumpentes inſtructiſſimum exercitum ab equitatu peditibus & tormentis Gallorum, ipſi pedites vincunt. & poſtea in Burgundiam irrumpunt die 6. Junii. *Chyt.*

Ferdi-

Ferdinando Hiſpano à conjuge, ſpe prolis ex eo concipiendæ, poculum medicamine noxium offertur, quo epoto ægrotat. *Marian.*

Iſmael *Sophus Perſa, cum annos quinque Scytharum bellum atrociſſimum continuaſſet, tandem eos devincit usque ad glacialem oceanum, & pacem cum iis facit.* Bizarus.

Albertus, Magiſter ordinis Boruſſiæ, fidelitatem Polono, niſi ex ſententia Imperatoris jurare denegat, eamque ob cauſam auxilia principum contrahit, & cum deſtitueretur à pecunia, Magiſtrum ordinis Livonici liberum pronunciat: Antea enim Livonicus Boruſſo ſuberat. Sed cum Polonus integris ſex annis bello Moſchorum detineretur, pacificè interim ordinem adminiſtrat. *Chyt.*

Erneſtus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, cum præfuiſſet annis 37. moritur die 3. Auguſti, ſepelitur Magdeburgi infra turres. *Eodem die, hora 3. 30. poſt meridiem naſcitur* Johannes *Marchio Brandeburg.* Succedit Erneſto frater Joachimi Electoris Brandeburgenſis, Albertus, qui præeſt annis 32. *Chyt.*

Olympias 572. incipit in Julio. Eſt annus Olympiad. 2289.

Maximil. incipit annum imp. 21.

Annus Diocletiani 1230. *incipit die* 29. *Aug.*

Rex Angliæ Heinricus cum ſuperiori anno per duces bellum in Gallia geſſiſſet, & parum effeciſſet, ipſe in Angliam trajicit, & multas urbes occupat. Interea Jacobus IV. Scotiæ rex, à Gallo incitatus, in Angliam irruit, cum ſexaginta millibus militum, & cum Anglis prælio congreditur die 9. Septemb. in quo vincitur & trucidatur, ceciderunt ferè quindecim millia Scotorum, virorum præſtantiſſimorum: regnarat Jacobus annos 25. Succedit *Jacobus V.* filius impuber adhuc, qui regnat annos 29.

Selimus *fratres ſuos Achmetem & Corcuthum perſequitur, eorum filios primùm interficit, & Corcuthum ex deſertis locis, ubi ſe abſconderat, ad inquirendum cibum exeuntem, intercipit & ſtrangulat.* Ann. Turc.

Johannes Daniæ rex, qui annis 32. regnarat, moritur, ſuccedit ipſi filius *Chriſtiernus*, qui decem annis præfuit. *Chyt.*

Maximiliani *Duces ad Vincentiam Venetos vincunt acerrimo prælio, die 7. Octob. Ericus Dux Brunſuicenſis aliquot Venetorum vexilla ſecum in Germaniam attulit, & in templo Mundenſi ſuſpendit.* Chyt.

Seditio Brunſuicenſis exoriturr, propter novum tributum impoſitum, quæ ſedatur, cum decem de plebe eligerentur, qui claves ærarii haberent, & rationes expenſarum inſpicerent. *Coloniæ* ſimiliter *ſeditio* exoritur, ſed non eodem exitu: Conſules enim omnes cum quæſtore ſupplicio affecti ſunt, & ſex miniſtri publici ſuſpenſi propter peculatum. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5463. *Æræ* C. 1514.
A. ☉ 11. ☽ 14. *Ind.* 2.

Annus Indorum 1607. & Hegira 920. incipit 26. Feb. fer. 1.

Georgius Dux Saxoniæ, die 5. Januarii urbem *Groningam* in Friſia annuo ferè ſpatio obſidet, omnem commeatum ipſis intercludit, & inſuper regiones *Ezardi* comitis Oſtfriſiæ crudeliter vaſtat, & tandem Groningenſes eò redigit, ut de pace agerent, modo ſibi liceret, arcem nuper ab Ezardo ædificatam demoliri. Cum hoc Georgius denegaret, ipſi etiam de pace reſilierunt, & ſeſe in clientelam *Caroli* Ducis Geldrenſis dederunt, qui ſtatim Friſiam, quæ ſe Georgio dederat, vaſtat. Georgius cum videret belli difficultates augeri, cum Carolo Burgundo, qui nuper inauguratus erat Comes Hollandiæ, ita tranſigit, ut numeratis ſibi ducentis aureorum millibus omne jus ſuum in Friſios ipſi cederet. *Chyt.*

Albertus Epiſcopus Magdeburgenſis, conſenſu Pontificis eligitur Archiepiſcopus Moguntinus & & Elector, hac de cauſa, quod quadriennii ſpatio bini Archiepiſcopi defuncti eſſent, quorum ſinguli pallium triginta millibus aureorum redemerant. Cum igitur Epiſcopatus aliàs ære alieno obrutus eſſet, & pecuniam pallii exponere non poſſet, Albertus ſuis ſumtibus hoc effecit, ſumta pecunia mutua à Fuggeris, quam *indulgentiis* recuperare cogitabat, atque ita poſt occaſionem præbuit *Luthero* de indulgentiis diſputandi. *Chyt.*

Baſilius *magnus Moſchorum Dux, urbem* Smolenſco, *die 30. Julii capit, & Sigiſmundo Polono eripit. Ideò* Sigiſmundus *collecto exercitu contra Moſchos proficiſcitur, cum eis pugnat die 8. Sept. vincitque cum tormenta bellica adhiberet, & Moſchos Lituaniæ expellit, Smolenſcum tamen propter hyemem inſtantem recuperare non potuit.* Heberſtein.

Legatus Pontificis in regno Hungariæ indulgentias promulgarat, militaturis contra Turcas, quibus excitati multi convenerunt, qui ſibi, cum commeatum non haberent, elegerunt Ducem *Georgium*, natione Cœculum ſive Zechelium, totamque Hungariam vaſtant, omnibus ſimul hoſtes: quatuor menſium ſpatio interfecerunt ad ſeptuaginta millia hominum, in quibus fuerunt quadringenti nobiles; *Johannes* Weiwoda Tranſylvaniæ tandem hoſce pleroſque capit, & fame triduana macerat, eoſque Duci ſuo nudo immittit, ut eum devorent. Sed cum eum dentibus laceraſſent, capite eum plectit. Birckheim.

Seditio Ruſticorum in agro Wirtenbergenſi exoritur, quæ ſedata eſt, cum anteſignani quindecim interficerentur, & quidam abſentes proſcriberentur. Ann. Suev.

Achmet frater Selimi Imperatoris Turcici à Selimo dolo provocatur, ut ſecum monomachia pugnet; ſed obrutus ab exercitu Selimi fugit, ex fuga retrahitur, ac ſtrangulatur hoc anno Heg. 920. Inde Selimus ingens molitur, bellum contra Iſmaelem Sophi Perſam, & ducit adverſus eum ad quadringenta millia hominum cum multis tormentis; concurritur in Calderanis campis integro die, acerrimo prælio, ceciderunt ad centum millia fortiſſimorum virorum in exercitu Selimi, ſed tamen quoniam veſperi Iſmael vulneraretur, diſcedit *Tauriſium*, & poſtea in interiora regna abit. Selimus Tauriſio potitus, omnes opifices illius loci Conſtantinopolin transfert, & in Natolia Amaſiæ hybernat. *Ann. Turc.*

ANNO MUNDI 5464. *Æræ* C. 1515.
G. ☉ 12. ☽ 15. *Ind.* 3.

Annus Indor. 1608. & Hegir. 921. incipit die 15. April. fer. 5.

Ludovicus XII. *rex Galliæ, cum ſuperiori anno, menſe Octobri, filiam Heinrici VII. regis Angliæ defuncti uxorem duxiſſet, moritur poſt dies octoginta, Calendis Januarii, regnarat annis 16. Succedit ipſi* Franciſcus *Valeſius, qui coronatur 15. Januarii, regnatque annos 32.* Chyt.

Selimus Aladolum, regem Tauri montis, à quo, cum ex Perſia reverteretur, laceſſitus fuerat, bello aggreditur, cumq; victum capit & occidit; inde Conſtantinopolin redit, & aliquot Baſſas, & in his generum ſuum occidit, quòd autores viderentur fuiſſe ſeditionis Genizerorum in Natolia, inde præparat, quæ ad continuandum bellum videbantur facere. *Ann. Turc.*

Dux *Munſterbergenſis, legatus Imperatoris, feſtinans in Hungariam ad conventum, fluctibus in Danubio ſubmergitur, menſe Aprili.* Birck.

Heinricus Senior, Dux Brunſuicenſis, ſuperiori anno in Friſia, dum adjuvat Georgium Ducem Saxoniæ, Bombardæ ictu capite truncatus fuerat, ei ſuccedit *Heinricus* Junior, qui præeſt annis 54. cui Brunſuicenſes fidelitatem jurarunt menſe Julio. *Chyt.*

Maximilianus Imperator, *Sigiſmundus* Poloniæ rex, & Ladislaus Bohemus Viennæ, ubi convenerant die 16. Julii, pactionem de ſucceſſione Auſtriacæ familiæ in regno Hungarico, Bohemico & Polonico, ſi Ladislai maſcula progenies extingueretur, communi conſenſu renovant. Maximilianus contra promittit Polono, ſe pacificandi cauſa cum Moſcho acturum, & *Albertum Boruſſiæ Magiſtrum* non defenſurum, ſi Polono nollet fidelitatem jurare. Sed hoc modo provincia, ſanguine Germanorum parta, ab imperio ad Polonos abalienata eſt, una fuerunt quatuordecim diebus, & Imp. impenſas fecit ultra 150. millium florenorum. Birck.

Franciſcus *Galliæ rex magnum exercitum contrahit ad recuperandum Ducatum Mediolanenſem, & Helvetios memorabili prælio vincit die 13. Septemb. prælium duravit biduum, atque ita Ducatum recepit Maximilianus. Sfortia captus in Galliam relegatus eſt, inde conſenſu Pontificis cepit etiam Placentiam & Parmam & alia.* Chyt.

Biblia Hebraica, vulgo *Complutenſia*, adjunctis tribus interpretationibus, Chaldaica, Græca, & Latina, ſumtibus Epiſcopi Toletani eduntur hoc anno.

ANNO MUNDI 5465. Æræ C. 1516.
FE. ⊙ 13. ☽ 16. *Ind.* 4.

Annus Indorum 1609. *& Hegira* 922. *incipit* 4. *Feb. fer.* 3.

Ferdinandus *Hiſpaniæ rex, cum ſua regna, Aragonium & Caſtella, auxiſſet regno Neapolitano, Navarreno, Oranio in Africa, Hiſpaniola & America in orbe novo, moritur die* 23. *Januarii, cum regnaſſet annos* 41. *Magnus Conſalvus quinquaginta diebus ante defunctus fuerat, ſuccedit Ferdinando ex filia nepos* Carolus, *qui regnat in Hiſpania annis* 42. Chyt.

Ladislaus rex Bohemiæ & Hungariæ, cum in Bohemia regnaſſet annis 44. moritur die 13. Martii fer. 5. poſt Dominicam Judica: Succedit ipſi filius *Ludovicus*, cui Maximilianus anno ſuperiore Caroli ſororem deſponſaverat, erat puer undecim annorum, regnatque annis 10. In Hungaria ſuccedit ipſi *Sigiſmundus*, qui regnat annis 32. *Chyt.*

Selimus Imp. Turcicus bellum cum Perſis continuaturus, ingentem exercitum educit. Camſon Suldanus Ægypti, ut Perſam bello ſublevaret, partem ejus in ſe recepturus in Syriam movet, ſed Selimus verſo itinere in hunc totam belli molem vertit, unde in Syria concurritur die 26. Auguſti, in quo Camſon perfidia Caierbei victus eſt, & ipſe etiam cecidit. Pirierunt ex Selimi exercitu tria millia equitum, cum tantum mille ex Mammeluccis cecidiſſent. Inde Selimus *Damaſcum* ſtatim ſibi ſubjicit, & *Gazam* obſidet. *Mammelucci* verò *Tomambejum*, qui magiſter militiæ fuerat, creant Suldanum, qui iterum exercitum in Syriam educit, obſidionem ſoluturus, ſed & hic vincitur & ita *Gaza* expugnatur. Inde Selimus Hieroſolymam venit, & largiſſimas ibi Eleemoſynas diſtribuit, quod itidem fecit, cum Bethlehemum veniſſet; inde conſilium capit invadendi Ægyptum, & cùm tranſeundum eſſet per deſerta loca, copias dividit & Sinan Baſſam cum parte exercitus præmittit: Alterum Baſſam, qui iter diſſuaſerat, occidit, & militibus tandem perſuadet, ut ſe ſequi velint, atque ita cum magna felicitate, cum fortè plueret, in Ægyptum pervenit. *Ann. Turc.*

Annus Nabonaſſar. 2265. *& Philippi* 1841. *incipit die* 9. *Aug. fer.* 7.

Annus Alexandr. 1828. *& Antioch.* 1565. *& Conſtant.* 7025. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdegird. 886. *incipit* 7. *Novembr. fer.* 6. *Armen.* 966. 10. *Nov. fer.* 2.

Maximilianus Imp. Mediolanum Gallo erepturus, deſeritur à militibus, quibus ſtipendia ſolvere non poterat, & occaſionem Venetis præbet Brixiæ recipiendæ, & Veronæ obſidendæ; qua Venetis dedita finis tandem bello Veneto impoſitus eſt, in quo Veneti in omnibus præliis victi, ſapientia & tolerantia in malis effecerunt, ut victores belli fierent. Maximilianus inde cum Gallo pacem facit, Gallo valde æquam, cum Carolus nepos amicitia Gallorum, in occupanda Hiſpania indigeret. *Chyt.*

Leo *Papa Franciſcum Mariam Urbini Ducem Ducatu pellit, & fratris filio Laurentio Medices eundem tribuit: ſed* Franciſcus *exercitum Hiſpanorum & Germanorum, qui tum à Venetis & Maximiliano dimittebatur, conducit, & Ducatum recuperat, multumq; negotii Pontifici Leoni faceſſit, & retinet Ducatum.* Chyt.

ANNO MUNDI 5466. Æræ C. 1517.
D. ⊙ 14. ☽ 17. *Ind.* 5.

Annus urbis 2269.	*Julianus* 1562.
Æra Hiſpan. 1555.	*Auguſtorum* 1544.

Indorum 1610. *& Hegira* 923. *incipit* 24. *Januarii, fer.* 7.

Neurutz Perſ. 438. *cum Æquinoct. Verno.*

Selimus *Imperator Turcicus, cum in Ægyptum veniſſet, commeatumque exercitui præparaſſet, adhuc anno Hegiræ* 922. *die* 28. *ultimi menſis Silchizis, aſperrimo cum Mameluchis congreditur prælio, in quo Sinan Baſſa cecidit; tandem tamen Mameluchi fugerunt, & occaſionem præbuerunt* Alcairi *occupandi, quod factum die* 22. *Januarii fer* 5. *Inde iterum Tomambejus Suldanus in ipſa urbe, cujus potiſſimam partem tenebat, iterum cum Selimo pugnat, ineunte anno Heg.* 923. *die* 4. *Mucharam primi menſis, nobis die* 27. *Januarii fer.* 3. *tantavi autem concurrerunt, ut Selimus juberet equites ſuos ad pedites deſcendere, & tamen vicit. Petit igitur Tomambejus pacem, cujus Legatos Selimus humaniter accipit, & omnibus ejus poſtulatis aſſentitur. Sed Tomambejus legatos Selimi, quos pacis conſtituendæ gratia viciſſim miſerat, crudeliter interficit, ideò Selimus ira furens, omnes Mameluchos captos interficit, & Tomambejum ope*

Arabum captum, in umbilico urbis ſuſpendio necat, die 17. menſis, Rabie prioris, qui eſt dies 9. Aprilis, atq; ita finis factus regni Mameluchorum, *quod habuerant in Ægypto per annos ferè trecentos.* Selimus *conſtitutis in Ægypto rebus Conſtantinopolin redit.* Ann. Turc.

Concilium Lateranenſe, quod Julius II. olim indixerat, finitur die 16. Martii, & Leo Papa una vice creat Cardinales triginta & unum, quod antea nunquam factum fuerat.

Chriſtiernus *Daniæ rex ex portu Lubecenſi navem ex Suecia præſtantiſſimis bonis onuſtam capit, & in Daniam deducit, fretus diſſenſionibus Suecorum, & conſpiratione quadam inita cum proceribus quibusdam, qui Chriſtierno regnum Sueciæ tradere conabantur, ſed conſpiratio hæc detecta fuit, & Archiepiſcopus autor in cœnobium detruſus, & bellum inter Suecos & Danos redintegratum.* Chyt.

Olympias 373. *& annus Olympiadicus* 2293. *incipit in Julio.*

Imp. Maximil. incipit annum imp. 25.

Diocletiani 1234. *incipit 29. Auguſti.*

Annus ſabbathicus quartus Jobelei 30. incipit die 17. Sept. fer. 5. Anno Jud. 5278.

Carolus poſt Imperator in Hiſpaniam venit, & Didacum *Columbum* in novas inſulas mittit, qui Epiſcopos ibi conſtituat, & Hiſpanorum tyrannidem & libidines compeſcat. *Chyt.*

D. Martinus Lutherus, cum Leo Papa, miſſis per omnia regna literis, *Indulgentias* ſive omnium delictorum expiationem polliceretur, interventu pecuniæ, & præcones indulgentiarum impiè agerent, adeò ut unicuique abſolutionem à ſcelere quovis, & redemptionem animæ, pro qua decem ſolidos ſolveret, promitterent, *Themata 95. de Indulgentiis* ultimo Octobris hujus anni templo arcis affigit, de iis diſputaturus: cui Tecelius præco alias Theſes 106. à Wimpina Francofurtenſi ad Oderam factas, opponit, & contra Lutherum Francofurti, præſentibus trecentis Monachis diſputat. Lutherus verò ad Albertum Moguntinum ſcribit, petitque ut impudentia præconum coherceatur: atque hoc modo initium repurgatæ doctrinæ cœleſtis factum. Cum Albertus Crantzius Hiſtoricus, qui paulò obiit, ea Themata vidiſſet, dixiſſe fertur: *Frater, vade in cellam, & dic, miſerere mei Deus*, ſignificans, conatum tantæ rei irritum futurum. *Chytr.* Monachus verò quidam in Saxonibus, propè Bitterfeld, converſus ad ſacrificulos, *Ha ha, ha*, inquit, *venit jam is, qui vos rectè tractabit.* Dreſſer.

Cornelii Taciti libri quinque Annalium inveniuntur circa hoc tempus Corbeiæ in cœnobio ad Viſurgin fluvium. *Lipſ.* 86.

ANNO MUNDI 5467. Poſt C. 1518.
C. ☉ 15. ☽ 18. *Ind.* 6.

Annus Indor. 1611. & Hegiræ 924. incipit 13. Jan. fer. 4.

Ferdinandus Magellanus nobilis Luſitanus, demonſtrat ex Ptolomæo, *Moluccas* inſulas non ad Portugalenſium imperium pertinere, ſed ad terminum Hiſpanorum, quibus verſus Occidentem ad longitudinem ab inſulis Canariis 180. milliaria navigare conceſſum erat. Ideoque quinque navibus inſtructus, magnitudine animi pluſquam humana, ignotas in novo orbe regiones luſtrat, donec inveniret fretum quoddam ſub polo Auſtrino ad gradum elevationis 53. quo novus Orbis à terra verſus polum Auſtrinum abſcindebatur. Id fretum audacter ingreſſus, in alterum orbem ex Occidente in Auſtrinam plagam penetrat. Etſi autem ipſe ex inſidiis poſt cæſus eſt, tamen hoc fretum ab ipſo *Magellanicum* eſt dictum, & claſſis ejus in Moluccas inſulas delata eſt, & una navis, cum reliquæ tempeſtatibus ferè fractæ eſſent, in Hiſpaniam poſt quadriennium rediit.

Chriſtiernus Daniæ rex Stockholmiam in Suecia obſidet, ſed ea fortiter defenditur. Ideò diſcedens in Daniam rediturus 3. menſibus detinetur, & ad omnium rerum penuriam pervenit, ideò de pace legatos mittit ad Suecos, petitque Stenomen gubernatorem regni ad ſe mitti, cum quo de pace agat, quod ipſe quidem feciſſet, ſed Senatus regni ſumma vi obſtitit. Ideò Chriſtiernus alios mittit, qui petant ſibi ſalvum conductum & obſides; ſe ipſum enim ad Suecos pacis cauſa venturum, quod regi denegare Sueci auſi non ſunt; mittunt igitur eorum ſex, quos rex petierat, quos ille in fraudem illectos, punica fide captivos in Daniam abduxit. *Guſtavus* tamen, qui poſt rex Sueciæ factus eſt, venatione ſibi permiſſa, mutatis veſtibus Lubecam ſequenti anno pervenit, & in Sueciam rediit. *Chyt.*

Eclipſis Solis horrenda hoc anno accidit in Junio, quæ geneſin Maximiliani valdè obfuſcavit, eique periculoſa & lethalis fuit; ea ipſa hora magna pars Viennæ Auſtriæ conflagravit. Obitum Maximiliani ex hac eclipſi prædixit Mathematicus inſignis Georgius Tanſteter. Porrò Epilogiſmum eclipſium horum temporum ulterius apponere ſupervacaneum arbitror, cum ea extent computata in ephemeridibus Stoffleri, Cypriani, Leovitii, Stadii, & Origani.

Philippus Melanchthon evocatur Witebergam ad docendas græcas literas, & venit eò die 25. Auguſti, anno ætatis 22.

Lutherus hoc anno ad Pontificem ſcribit, conqueriturque graviter de præconum indulgentiarum impudentia, die 7. Junii. Sed *Johannes Eccius* Theologus, *Hochſtratus* & alii ſcribunt contra Lutherum. Inde Lutherus citatur Romam, pro quo deprecatur Academia Witebergenſis, & Elector Fridericus, ideò Auguſtam Vindelicorum evocatur ad Cardinalem *Cajetanum*, eò venit die 9. Octobris, fer. 6. Ubi ſententiam ſuam de indulgentiis & Cœna Domini liberè proponit. Cardinalis etſi opponere nihil poſſet, tamen urget revocationem hujus doctrinæ à Luthero, ſed Lutherus provocat ad Pontificem ſolenniter, die 16. Oct. fer. 7.

In hiſce Comitiis actum eſt de bello Turcico, quod Selimus minitabatur Europæ, & *Albertus Moguntinus* creatur Cardinalis. *Sleid.*

ANNO MUNDI 5468. Æræ C. 1519.
B. ☉ 16. ☽ 19. *Ind.* 7.

Indorum 1612. & Hegira 925. incipit 3. Januarii, fer. 2.

Maximilianus Imperator cum vixiſſet annos fermè ſexaginta, imperaſſet annis 25. menſibus ferè 5. moritur die 12. Januarii, menſibus 7. poſt eclipſin. Indicuntur comitia ad eligendum novum Imp. Francofurti, menſe Junio. Ambibant imperium Franciſcus rex Galliæ & Carolus nepos Maximiliani. Trevirenſis & Brandeburgenſis, qui ſtabant pro

Franciſco, cum non ſubſiſtere poſſent, eligunt *Fridericum* Electorum, ſed ipſe obteſtatus Electores, ne de electione alicujus quicquam in publicum proferre velint, priuſquam omnes conſenſiſſent, recuſat hunc honorem, & poſtero die ſuo ſuffragio eligit *Carolum*, de quo cum omnes conſentirent, dixit: Gott hat uns einen Käyſer gegeben zu Gnaden und Ungnaden / hoc eſt, potentem & præſtantem, quàm clementia quàm vindicta. Imperavit autem *Carolus* annos 38. *Sleid.*

Præfectus Wirtebergicus Ulrico Duci charus, die 16. Januarii à Reutlingenſibus trucidatur, & cædis rei à Reutlingenſibus defenduntur, ideò Ulricus vindictæ cupidus *Reutlingam* obſidet, & deditione capit. Ea de cauſa Ulrico à Suevico fœdere bellum indictum die 26. Martii, & Ducatu pellitur, *Tubinga* deditur die 21. Aprilis, die Viridium arx die 26. Aprilis, feria tertia Paſchatos. Ulricus ita pulſus in autumno recuperare Ducatum conatur, ſed iterum vincitur, & ita exulat per annos quindecim. *Annal. Suev.*

Epiſcopus Hildeſienſis populatur fines Epiſcopi Mindenſis, fratris Heinrici Ducis Brunſuicenſis, inde exoritur bellum Hildeſienſe, *in quo die 28. Junii, cum prælio congreſſi eſſent, Ericus Brunſuicenſis Dux & Patruelis Heinricus, cum multis viris nobilibus capiuntur. Perierunt in prælio ad quatuor millia militum: pacis conditiones ab Electoribus imperii feruntur, ſed nihil obtinetur.* Ericus *Dux ſe redimit*, Heinricus *aliquantiſper in captivitate manſit, donec ſe interponeret Imperator Carolus.* Chyt.

Religionis cauſa ſubinde in hiſce regionibus incrementa capiebat, quod nec Monachi nec Sacerdotes officio in docendo fungerentur, nec ſatis honeſtè viverent: & *Georgius* Dux Saxoniæ, anxius de veritate religionis, cum audiret Eccium Profeſſorem Heidelbergenſem, ſeſe offerre ad diſputandum cum *Luthero*, offerebat Lipſiam, ut ibi ea diſputatio inſtitueretur. Repugnabant Epiſcopi & Abbates, ſed prævalebat Princeps, & diſputatio inſtituitur 4. Julii. Diſputavit Eccius cum Carlſtadio initio de Libero arbitrio: Sed poſtea ſex diebus cum Luthero diſputavit de primatu Papæ, & de Purgatorio, &c. Diſputatio extat.

Nummi argentei unciales Jochims Thaler / *primum hoc anno cuduntur cum effigie ex altera parte* Joachimi *in altera Stephani* Schlickii, *poſtea tamen nomen Ludovici regis ſubſtitutum eſt.*

Annus Indor. 1613. & Hegir. 926. incipit 23. Dec. fer. 6.

ANNO MUNDI 5469. Æræ C. 1520. A.G. ☉ 17. ☽ 1. *Ind.* 8.

Rex Poloniæ *Sigiſmundus urget* Albertum *Magiſtrum ordinis Teutonici in Boruſſia, ut tandem fidelitatem juret, quod ſubterfugere Albertus omnibus modis conabatur: ideò bellum in Boruſſia movetur, quo miſerè vaſtatur per totum hunc annum. Albertus quærit interceſſores apud Polonum, Imperatorem, Pontefficem, & regem Hungariæ, & impetrat inducias in quadriennium, ut res amicè per interceſſores hoc quadriennio tractetur; ſed cum convenire non poſſent, toto hoc tempore nihil actum eſt.*

Lutherus à Leone Pontifice excommunicatur Romæ, Bulla edita die 15. Junii. Lutherus contra à Pontifice, quem Antichriſtum vocat, provocat ad Concilium. Sed Pontificii libro Lutheri publicè cremant, & inſtant apud Electorem, ut Lutherum captum Pontifici mittat. Fridericus Elector verò negat ſe hoc facere poſſe, cum Luthero ab omnibus detur honeſtum teſtimonium, & Lutherus ipſe petat, ut ſibi ſui errores demonſtrentur. Lutherus igitur Spiritu Eliæ procedens, *Jus Canonicum* cum Bulla Pontificis Witebergæ die 10. Decemb. cremat, ſuique facti rationes publicè ſcripto edit, & ſcribit etiam librum de *captivitate Babylonica*, & paulò poſt, duos ſuperſtitionis pontificiæ nervos incidit, *Vota Monaſtica & Miſſas privatas*, & curſum illuſtrandæ veræ Evangelii doctrinæ inter potentiſſimorum Europæ Monarcharum adverſationes, conſtanti & ingenti animo, & felicitate miranda, perpetuò urget & tuetur. *Chytr.*

Annus Nabonaſſaris 2269. & Philippi 1845. incip. die 8. Aug. fer. 4.

Annus Alexand. 1832. *Antioch.* 1569. *& Conſtant.* 7029. *incipit* 1. *Octobr.*

Selimus *Turcarum Imp. hoc anno Hegir. 926. Conſtantinopoli relicta, Adrianopolin proficiſcitur, ſive peſtis contagia fugiens, ſive ut paratior eſſet ad invadendam Hungariam. In itinere peſte inficitur, & moritur eodem in loco*, ubi ante novem annos, cum patre prælio congreſſus fuerat, *die 7. menſis Schobal, qui nobis eſt dies 22. Septembris. Mors ejus occultatur diebus decem, donec filius Soleiman Trapezunto veniret. Regnarat Selimus annos ferè novem, Soleiman verò imperat annos* 46. Annal. Turc.

Carolus *Imp. ex Hiſpania in Belgium atque inde Coloniam venit, ubi conveniunt Electores.* Eraſmus tum ibi fuit, qui vocatus ad Electorem, honeſtum dedit Luthero teſtimonium, & *Carolus poſtea coronatur Aquiſgrani die 23. Octob.* Chyt.

Annus Iezdeg. 890. *incipit die 6. Novemb. fer. 3. Armen.* 970. *die 9. Nov. feria 6.*

Annus Indorum 1614. *& Hegira 972. incipit 11. Dec. fer. 2.*

Chriſtiernus Daniæ rex ſuperiori anno curaverat Suecos excommunicari. Ideò eos bello petit, & cum in ipſo bello *Steno* gubernator regni moreretur, reliqui concludunt, pacem cum Chriſtierno faciendam eſſe, ſi oblivio offenſionum promittatur. Sed qui Stockholmiæ erant, pacem hanc repudiant, ideò à Chriſtierno & reliquis Suecis obſidentur, qui & ipſi tandem conſentiunt die 7. Septembris, atque ita *Chriſtiernus* Stockholmiæ die 4. Novembr. coronatur. Inde quarto die 8. Novembr. tyrannide in Chriſtiano orbe inaudita, omnes Suecici regni nobiles, & Epiſcopos, Senatores item, & cives primarios vel gladio ferit vel ſuſpendit, cadavera inſepulta per triduum relinqui jubet, & tandem cremari, effoſſo etiam Stenone, ante ſemeſtre defuncto, qui ſimul cremaretur. *Guſtavus*, qui tum vix in Sueciam redierat, cujus parens etiam à Chriſtierno cum aliis interfectus fuerat, vix effugit, & vitam per mille pericula ſervat, donec ad Dalikarlos veniret, ubi exeunte anno paucos ſibi adſciſcit, qui ſecum Danorum tyrannidem excutere vellent. *Chyt.*

Suevici fœderis patroni, ut ſumptus belli in Ulrico profligando expoſiti ſibi redderentur, Ducatum Wirtenbergicum *vendunt Carolo Imperatori, qui eum poſt biennium in diviſione hæreditatis Ferdinando dedit.* Annal. Suev.

ANNO

ANNO MUNDI 5470. Æræ C. 1521.
F. ☉ 18. ☽ 2. *Ind.* 9.

Annus urbis 2273. *Julianus* 1566.
Æra Hiſpanica 1559. *Auguſtorum* 1548.
Carolus Imp. inchoat annum imperii 3.
Gelali Perſicus annus 442. *incipit cum æquinoct. verno.*

Guſtavus *in Sueciâ, cùm totâ hyeme Suecos ad libertatem ſuam defendendam excitâſſet, tandem conſtituitur Gubernator regni, atq; ita ab exiguis initiis profectus,* Cuprimontanos *primum ſibi ſubjicit, inde variâ fortunâ* Stockholmiam *obſidet, & deduntur ipſi quædam arces & urbes.* Chytr.

Carolus Imperator prima ſua comitia celebrat Wormatiæ, in quibus comparuit Lutherus, cùm ſub ſalvo conductu evocatus eſſet. & die 17. & 18. Aprilis coram Imperatore & imperii proceribus, maximâ animi conſtantiâ, de ſuâ doctrinâ reſpondit, adſtante ipſi D. Schurfio. Proſcribitur inde Lutherus die 8. Maji: Sed idem à Friderico Electore, donec Carolus ex Germaniâ diſcederet, in arcem Wartburg clàm deductus eſt, ubi tempus non otioſè præterlabi paſſus eſt, ſed aliquot libellis, inprimis Poſtillis iſtis Germanicis, Eccleſiam DEI erudivit; manſit in hâc Pathmo ſuâ menſibus decem. Interim Leo Papa iterum excommunicat Lutherum, & rex Angliæ *Heinricus VIII.* contra Lutherum ſcribit, unde conſequitur à Pontifice titulum *defenſoris Eccleſiæ.*

Hildelienſis *Epiſcopus, quòd contra decretum Imperatoris captos ſuperiori bello libertati reſtituere nollet, ab Imperatore, conſentientibus proceribus proſcribitur. Executores proſcriptionis conſtituuntur Duces Brunſvicenſes, qui acriter rem gerunt, & Hildeſienſis provincias, exceptis tribus occupant; interim ille alibi de exercitu colligendo ſatagit.* Chyt.

Olympias 574. *& annus Olymp.* 2297. *incipit in Julio.*

Diocletian. 1238. *incipit* 29. *Auguſti.*

Soleiman *Imperator Turcicus legatum, ut conſuetum ipſis eſt, de ſuâ promotione etiam ad regem Hungariæ Ludovicum mittit, quem Hungari contumelioſe tractant, & in carcerem conjiciunt. Ideo Soleiman Hungaris bellum infert,* Albam Græcam *petiturus; cui ne commeatus inferatur,* Sabbatiam *primùm expugnandam decernit, quâ captâ cùm Albam Græcam mœnibus nudâſſet, per tormenta eam etiam expugnat hoc anno Hegira* 927. *die* 25. *Remazenis, qui eſt dies* 29. *Auguſti.* Annal. Turc.

Tartari *in Moſcoviam irruunt, prædasq; ingentes agunt, quibus obviam proficiſcitur Baſilius Dux Moſchoviæ, ſed vincitur, ideo firmat præſidiis quaſdam urbes & caſtella, & Moſchoviâ aliquantiſper cedit. Tantas autem prædas Tartari egerunt, ut octogınta hominum millia in ſervitutem abducerent.* Sigiſm. Heberſt.

Carolus *Imperator firmato fœdere cum Pontifice, per Duces ſuos Parmam & Placentiam Gallis eripit.* Chyt.

Annus Indor. 1615. *& Hegira* 928. *incipit die* 1. *Dec. fer.* 1.

Leo X. Papa non ſine veneni ſuſpicione moritur die 1. Decembris, cùm ſediſſet ferè annis novem. Poſt longas & maximas Cardinalium diſſenſiones de duobus eligendis, *Hadrianus*, Trajecti apud Batavos ingenuis, ſed pauperrimis parentibus ortus, præceptor Caroli Imperatoris & tandem Cardinalis, Pontifex eligitur ſequenti anno die 9. Januarii, qui nomen non mutavit, ſed vocatus eſt *Hadrianus VI.* ſeditque ferè biennium. *Onuf.*

Emanuel *rex Portugalliæ, cùm regnâſſet annis* 26. *moritur die* 13. *Decembris, cujus tempore aureum videtur ſeculum fuiſſe in Portugalliâ, quæ adeò auro abundabat, ut multi ſibi ſolvi vellent argento. Succedit ipſi filius* Johannes, *qui regnavit annis* 35. Duard.

ANNO MUNDI 5471. Æræ C. 1522.
E. ☉. 19. ☽ 3. *Ind.* 10.

Guſtavus *in Sueciâ, dum* Stockholmiam *obſidet, clade afficitur, cùm Dani biſ ab eam erumperent. Ideò videns ſe abſq; claſſe urbem cogere non poſſe, Legatos ad Lubecenſes mittit & Dantiſcanos, qui alias hoſtes erant Danorum, à quibus claſſem accipit. Ipſe contra Lubecenſibus & Dantiſcanis peculiari privilegia in regno ſuo attribuit, atque ita obſidio Stockholmiæ continuatur etiam per ſequentem hyemem.* Chyt.

Lutherus propter tumultus Caroloſtadianos Witebergæ excitatos, dum imagines templo ejicit, & ſtudia bonarum artium improbat, inconſulto *Friderico* Electore, apud quem tamen ſe poſtea excuſat, Witebergam redit, Carlſtadii conatus infringit, & reſpondet regi Angliæ *Heinrico*, calamo aſperiore; Inde *Novum Teſtamentum* Germanicè redditum publicat circa finem Septembris, cujus operam improbat Heinricus rex Angliæ, & Georgius Dux Saxoniæ.

Duces Brunſvicenſes, cùm ditionem Epiſcopi Hildesheimenſis ferè totam occupâſſent, etiam urbem Hildesheimum *obſident, ſed irrito conatu. Inde Peinam obſident, ſed & id irrito conatu. Ideò ambo feſſi bello per interceſſores principes & urbes, inducias pangunt in ſequentem annum.* Chyt.

Soleiman *Imperator Turcicus obſidet* Rhodum *inſulam anno Heg.* 928. *die* 20. *menſis Rezeb, qui nobis eſt dies* 15. *Junii, Dominicâ primâ poſt Trinitatis. Chriſtiani obſeſſi muros pannis cocco tinctis & ſericis auro intertextis ornant, & ludos agunt, quòd putarent, urbem nunquam expugnari poſſe.* Sed Soleimannus *adjutus multitudine ſuorum, ex monte proximo terram petit, & foſſas urbis omnes complanat, cuniculisq; inde & tormentis muros diruit.* Chriſtiani *igitur re deſperatâ* Rhodum *dedunt, & cum facultatibus ſuis dimiſſi aliò diſcedunt. Factum anno Hegir.* 929. *die* 3. *Sepher, qui nobis eſt dies* 22. *Decemb. feriâ ſecundâ. Eâdem hàc æſtate* Soleiman *etiam* Ferrat Baſſam *in Armeniam & Syriam mittit, qui principem ibi in locis Alim Begum fidum quidem Turcis, ſed ex antiquâ & nobili familiâ ortum, dolo capit & occidit, & ejus ditiones* Cappadociam, Galatiam *& Armeniam Soleimanno ſubjicit.* Annal. Turc.

Annus Indor. 1616. *& Hegira* 929. *incipit die* 20. *Novembr. feriâ* 5.

Conſtantinopoli dum controverſia iterum eſt in eligendo Patriarchâ, & alter alterum in offerendo honorario ſuperare conatur, ideò tributum iterum auctum eſt, & excrevit ad quatuor millia ducatorum, præter quingentos ducatos, qui honorarii loco in initio offerebantur. *Cruſ.*

ANNO MUNDI 5472. Æræ C. 1523.
D. ☉ 20. ☽ 4. *Ind.* 11.

Fridericus, *Holſatiæ Dux, exoratus à proceribus Daniæ, ut expulſo Chriſtierno rege, Daniæ tyranno, regnum ſuſcipiat, die 2. Februar. Chriſtierno denunciat bellum. Chriſtiernus malè ſibi conſcius, nullo defenſionis conatu ſuſcepto, die 13. Aprilis, impoſitâ in naves gazâ regiâ, cum conjuge & liberis Daniâ excedit, & in Germaniam venit, ubi delituit apud Electorem Brandeburgicum, inde apud Electorem Fridericum, & tandem in Belgium abit, deſperato reditu in Daniam, cùm regnâſſet annis* 10. *Fridericus receptus in regnum Daniæ, regnat etiam annis decem in ſummâ pace, ſed ſequenti anno demum coronatur.* Chyt.

Comitia Norinbergæ inſtituuntur, quæ ſolvuntur die 6. Martii, in quibus imperii proceres certa capita *Gravaminum*, quibus Germania à Pontifice oneraretur, ad Papam perſcribunt; & petunt, ut indicere velit Concilium univerſale in Germaniâ. *Sleid.*

Lutherus formulam Miſſæ & communionis ordinat Witebergenſibus, rationem etiam textus Evangeliorum & Epiſtolarum legendi præſcribit. Inde quinque libros Moſis in Germanicam linguam tranſlatos primum edit Witebergæ, ſcribitque libros de dignitate & officio magiſtratûs politici. Cum etiam eodem tempore duo Monachi Auguſtiniani *Heinricus* & *Johannes*, ſub inquiſitore *Hochſtrato*, flammis Bruxellis exurerentur, qui primi martyres naſcente Evangelio fuerunt, Lutherus eorum conſtantiam peculiari cantico celebravit.

Guſtavus *in Sueciâ* Calmarniam *deditione occupat, & poſtea die 6. Junii ab omnibus ordinibus eligitur & deſignatur rex, qui tamen coronari hoc tempore noluit; regnavit tamen ab hoc tempore annis* 37. *& Stockholmia deditur die* 21. *Junii.* Chyt.

Dum Soleimannus Conſtantinopoli eſt, Janizeri die 25. *Rezebis menſis, qui nobis eſt dies* 9. *Junii, feria* 3. *ſeditionem movent, & domum Theſaurarii Imperatoris diripiunt. Similiter ſpoliant ſequenti die Baſſarum domos, donec promiſſo honorario ſeditio hac conticeſceret.* Annal. Turc.

Hadrianus VI. Papa, cùm ſediſſet annum unum, menſes octo, dies 6. moritur ut putatur veneno; ſuccedit ipſi die 19. Novembris *Julius* Medices Florentinus, qui nominari ſe voluit *Clementem VII.* ſeditq; annos undecim. *Onuf.*

Annus Indorum 1617. *& Hegira* 930. *incipit* 9. *Nov. fer.* 2.

Franciſcus à Sickingen/ *vir fortis, & militiæ ac liberalium artium peritus nobilis, dum Epiſcopum Trevirenſem & vicinos principes bello laceſſit, obſidetur, & trabe decidente ictus interit.* Annal. Svev.

In Germaniâ multis in locis Eccleſiæ reformabantur, & Doctores inſtituebantur, qui religionem puram docerent, & abominarentur Pontificios errores. Idem igitur factum etiam eſt Norinbergæ menſe Junio, ubi Sacerdotes & Monachi, relictis operibus Eccleſiaſticis, onera cum civibus communia ſubire coacti ſunt. Ideò accuſati apud Epiſcopum Bambergenſem Norinbergenſes, defendunt factum, & novi illi concionatores Scripto probant, idololatricos Pontificiorum cultus abrogandos eſſe, ad quem librum provocat Senatus, jubetq; monachos hunc librum, ſi poſſint, refutare. *Chytr.*

Nicolaus Leonicus, qui plurima vertit ex Græco moritur Ferrariæ, die 7. Junii. Sic Thomas *Linacer.* cujus liber extat de linguâ latinâ, moritur 20. Oct. Petrus *Moſellanus* moritur Lipſiæ, anno ætatis 31. die 19. Aprilis.

Tiguri etiam reformantur templa, & ſtatuæ dejectæ flammis cremantur.

Lutherus Jenæ paciſcitur cum Carlſtadio, de Euchariſtiâ explicandâ publicè, & de adverſariis libris divulgandis. Inde Lutherus *Pſalterium Davidis* edit Germanicè.

Laurentius Cardinalis, Legatus à latere Pontificis *Clementis VII.* conſtitutionem ad removendos abuſus, & ordinationem ad vitam clericorum reformandam proponit, die 7. Julii Ratisbonæ. *Conſt. Imp.*

Annus Nabonaſſar. 2273. *& Philippi* 1849. *incipit die* 7. *Aug. fer.* 1.

Annus ſabbathicus 5. *Jobelei* 30. *incipit* 29. *Auguſti, fer.* 2. *Anno Jud.* 5285.

Annus Alexandr. 1836. *Antioch.* 1573. *& Conſtant.* 7033. *incipit* 1. *Octob.*

Indorum 1618. *& Hegira* 931. *incipit* 29. *Octob. fer.* 7.

Annus Jezdegird. 894. *incipit* 5. *Novembr. fer.* 7. *Armen.* 974. 8. *Nov. fer.* 3.

Angli Scotiam otioſe vaſtant, dum Prorex abeſt, & Barones inter ſe diſcordias alunt. Buch.

Guilielmus Neſenus perit Witebergæ in Albi; fuit vir doctiſſimus, quem cùm extractum ex flumine Lutherus vidiſſet, dixit: Se ſi ſibi donum excitandi mortuos datum eſſet, hunc in vitam revocaturum.

Agricolæ *menſe Novembri in Sveviâ à Domino ſuo Comite Lupſio, diſſentire incipiunt, propter onera, quibus quotidie gravabantur; atque hoc fuit initium belli, quod ſequenti anno contra ruſticos geſtum eſt.* Chytr.

Heinricus Sutphanienſis in Ditmarſiâ ob religionem Chriſtianam die 10. Decembris flammis exuritur. *Chytr.*

ANNO MUNDI 5473. Æræ C. 1524.
C.B. ☉ 21. ☽ 5. *Ind.* 12.

Bennonis olim Epiſcopi Miſnenſis oſſa, more ſolemni effodiuntur, exaltantur, & in tumbam marmoream collocantur die 6. Maji; *Lutherus* de hac re edit librum, quem inſcribit de exaltatione Bennonis.

Sveci *& Dani de inſulâ* Gotlandiâ *belligerantur, cùm tertius hoſtis acceſſiſſet* Severinus, *qui eam Chriſtierno aſſerebat, ſed ea tamen tandem Danis ceſſit, quibus Severinus tum favebat.* Chyt.

ANNO MUNDI 5474. Æræ C. 1525.
A. ☉ 22. ☽ 6. *Ind.* 13.

Annus ü bis 2277. *Julianus* 1570.
Æra Hiſpan. 1563. *Auguſtorum* 1552.
Carolus inchoat annum imper. 7.
Gelali Perſ. 446. *incipit cum Æquinoct. Verno.*

Franciſcus *rex Galliæ, cùm* Papiam *per totam hyemem obſediſſet, tandem cùm Duces Cæſariani adveniſſent, commiſſo prælio capitur, ipſo die natali Imperatoris Caroli, die* 24. *Februarii, & in Hiſpaniam abducitur.* Sleid.

Albertus Magiſter ordinis Pruſſiæ, cum toto quadrienio arbitros in ſuâ cauſâ & interceſſores ad regẽ Poloniæ adducere non poſſet, tandem per fratrem & alios de faciendâ pace cum Polono agi, conveniq́; tandem, ut Ordo in Ducatum mutetur & conferatur Alberto & ſuis fratribus ac liberis hæreditario, atque ita Dux Pruſſiæ creatur die 8. April. Chytr.

Ruſticorum ſeditio graviſſima movetur in Sueviâ, Winsbergum oppidum capiunt, Comitem Ludovicum Helfenſtein inſpectante uxore & liberis, haſtis projectis objiciunt & confodiunt: Sic alii alibi nobiles pellunt, cœnobia ſpoliant, & omnia vaſtant. Sed in Sueviâ victi, qui Dux ſeditioſorum fuerat captus; & laxè ad palum alligatus, ut diſcurrere poſſet, compoſito igne crudeliſſimè toſtus eſt, adeò ut vivo carnes toſtæ de pedibus deciderent, ſic alibi etiam plurimi trucidati ſunt. Sleidanus ad quinquaginta millia ruſticos cæſos eſſe autumat.

Fridericus Elector, in ipſo ruſticorum motu, cùm annis 38. præfuiſſet, moritur die 5. Maji; ſuccedit ipſi frater Johannes, qui præeſt annis ſeptem. Chytr.

D. Lutherus die 11. Junii, Dominicâ Trinitatis, uxorem ducit Catharinam de Bore, virginem nobilem. Scribit etiam contra ruſticos ſeditioſos, & formam Ordinationis miniſtrorum Eccleſiæ præſcribit, & omnium primus ad hanc formam ordinatus eſt Georgius Rotarius: inprimis tamen libellum cantionum Eccleſiaſticarum, in quo ſummam doctrinæ Chriſtianæ, partes Catechiſmi, feſtorum hiſtorias, preces, gratiarum actiones, conſolationes, & alia pietatis exercitia nervoſis rythmis complexus fuerat, & convenientiſſimâ Hormoniâ exornaverat, edit, ut & alia de abominatiône Miſſæ.

Fridericus Daniæ rex, metuens ſibi a Chriſtierno rege exule, qui ſororem Caroli in matrimonio habebat, & aliis affinibus ac conſanguineis potentiſſimis munitus erat, pacem init cum omnibus vicinis civitatibus, inprimis tamen cum Guſtavo Sueciæ rege, ut communibus armis Chriſtiernum propulſent. Chytr.

Olympias 575. annus Olympiad. 2301. incipit in Julio.

Diocletian. 1242. incipit 29. Auguſti.

Indorum 1619. & Hegira 932. incipit 18. Octob. fer. 4.

Seditionibus ubique ferè Reſpublicæ concutiuntur, Trajecti inprimis, ubi cùm Conſules benemeritos urbe pepuliſſent, & ab Epiſcopo coherceri non poſſent, ſequenti anno juriſdictio traditur Carolo Imperatori, atq́; ita ex libertate in extremam ſervitutem conjiciuntur. Chyt.

Viſitatio Eccleſiaſtica inſtituitur ab Electore Johanne in ditionibus ſuis, & miniſtri Eccleſiis ubique præficiuntur, qui plebem rectè erudiant, & in ceremoniis non multum mutent. Miſſa in linguâ vernaculâ Witebergæ celebrata eſt prima Dominicâ 20. Trinitatis. Idem in ſuis regionibus inſtituit Erneſtus Dux Lunæburgenſis. Guſtavus etiam rex Sueciæ ipſe circumit in toto regno, & idoneos doctores præficit, qui plebem potiùs erudiant, quàm de ceremoniis decertent. Chytr.

ANNO MUNDI 5475. Æræ C. 1526.
G. ☉ 23. ☽ 7. Ind. 14.

Carolus Imperator in Hiſpaniâ Eliſabetham Emanuelis Luſitaniæ regis relictam filiam uxorem ducit, nuptiæ celebrantur die 10. Jan. cujus occaſione poſt annos 55. regnum Portugalliæ ſuo filio Philippo acquiſivit. Inde Franciſcum regem Galliæ, cum promitteret Burgundiæ reſtitutionem, & renunciaret juribus in regnum Neapolitanum, in Ducatum Mediolanum, Genuam, Aſtam, Tornacum, &c. & duos filios obſides daret, in libertatem reſtituit; ſed Gallus liber, oblitus fidei, fœdus cum Pontifice & Venetis, quod ſanctam Ligam nominabant, init. Sed Duces Caroli adeo urgent Mediolanenſes, ut ſe dederent, & cum alii Cæſaris Duces Vaticanum noctu, die 20. Septembris ingreſſi eſſent, Pontificem cogunt inducias petere, quibus omnes fœderatorum conatus in nihilum redacti ſunt. Chyt.

Diſputatio inter Eccium & Oecolampadium inſtituitur in Marchionatu Badenſi, die 26. Maji. Sleid.

Conventus ordinum imperii inchoatur Spiræ, die 25. Junii, in quo cùm plerique principes edictum Wormatienſe de perſequendis Lutheranis urgerent, nata eſt magna inter proceres imperii ſimultas, quæ ne in nervum erumperet, moderatione Ferdinandi demulcetur, & concilium promittitur inſtituendum. Mentio in hoc conventu primum facta ad legatos civitatum quarundam, an liceat defendendi ſui causâ fœdus fieri. Sleid.

Soleiman Turcicus Imperator in Hungariam movet, & Waradinum capit: Ludovicus rex exercitum colligit, ſed Johannis Zepuſienſis Comitis auxilia morantur, atque ita absque iis cum Turcarum copiis innumerabilibus in campo oppidi Mohatz congreditur & vincitur, ubi ad quindecim millia Chriſtianorum obierunt: Rex ipſe in fugâ ab equo recidente in palude opprimitur, prælium accidit die 29. Auguſti, feriâ quartâ, horis tribus poſt meridiem. Soleiman Budam urbem ingreſſus, aufert tres columnas ex orichalco fuſas, plurimosq́; in ſervitutem abducit. Ad eligendum novum regem proceres regni Bohemici conveniunt die 5. Octobris, feriâ quintâ, & Ferdinandum, quòd duxiſſet Annam Ludovici occiſi ſororem, eligunt regem plurimi, qui coronatur ſequenti anno: aliqui tamen Zepuſienſem Tranſylvanum eligunt, unde regnum in extremum periculum conjectum eſt. Chyt.

Annus Indorum 1620. & Hegira 933. incipit 8. Octob. fer. 2.

Landgravius Haſſiæ inſtituit, ad exemplum Electoris Saxoniæ, viſitationem Eccleſiæ, ad quam neceſſarium arbitratur etiam addere Scholam ſive Academiam, quæ hâc occaſione Marpurgi inſtituta eſt. Chytr.

Maſoviæ Ducatus, in quo ſita eſt Warſavia, devolvitur ad Cameram Imperii Polonici: peculiares Duces habuerat per annos ferè quadringentos, à familiâ Jagellonicâ deſcendentes, qui abſq́; hæredibus maſculis moriuntur hoc anno, non tamen abſq́; ſuſpicione veneni. Chyt.

ANNO MUNDI 5476. Æræ C. 1527.
F. ☉ 24. ☽ 8. Ind. 15.

FERDINANDUS Auſtriacus coronatur Bohemiæ rex, die 24. Februarii, die Matthiæ; idem poſtea,

cùm profligâſſet Johannem *Zepuſienſem Tranſylvanum ex Hungariâ, coronatur rex Hungariæ Budæ, die 13. Novembris; Tranſylvanus fugiens in Poloniam, rebus deſperatis, legatum Hieronymum à Laſco ad Solymannum mittit, petens auxilia contra* Ferdinandum. *Sleid.*

Guſtavus Svecus convocat Status regni Svecici die 18. Martii, proponitque ſuum conſilium de viſitatione Eccleſiarum, & de tollendis abuſibus Pontificiis, & de poteſtate politicâ Epiſcoporum abolendâ, quorum eſſet docere populum, non imperare, & diſſenſiones contra regem ſerere, ut multis annis in regno factum eſſet. Repugnant vehementer Epiſcopi, ſed cùm deſtituerentur autoritate ſacræ Scripturæ, concluditur: Clericorum privilegia in regum poteſtate eſſe, qui ea vel augere vel diminuere poſſint, ſalvâ verâ religione. Sed cùm contentiones creſcerent, *Guſtavus* ſeſe regno abdicat, ideò ne periculum regno crearetur, diſputatio de poteſtate Eccleſiaſticâ inſtituitur in vernaculâ linguâ cum Epiſcopis, ubi Epiſcopi causâ cadunt, & feuda ac regalia regno reddunt. Guſtavus etiam ſupplicibus precibus exoratur, ne regnum deſtituat, ſed id reſumat, cùm Epiſcopi in ordinem redacti eſſent, & ſeditiones in regno, quæ inde ortæ erant, compeſcit. *Chyt.*

Borbonius *princeps, qui ex Galliis ejectus erat, Dux Caroli factus cum* Fronsbergio, *qui Germanos pedites adduxerat, concludunt, Pontificem, qui totam Italiam bellis conturbaret, armis petendum. Fronsbergius quidem in morbum prolapſus aliò defertur, reliqui Romam capiunt die 6. Maji.* Borbonius *tamen in oppugnatione ceciderat. Reliqui Duces Romam omnibus rebus ſpoliant, & in eâ permanent, per decem ferè menſes.* Papa Clemens *in mole Adriani ita obſeſſus, tandem cùm militibus ſtipendia ſolveret, in integrum, jubente Carolo, reſtituitur.* Sleid.

Franciſcus *Galliæ rex Lautrechum in Italiam mittit, ad occupandum regnum Neapolitanum, ubi adjuvantibus Venetis aliquot urbes occupat, & res Imperatoris erant in magnis anguſtiis hoc anno.* Sleid.

Leonhardus *Keyſer* in Bavariâ à Paſſavienſi Epiſcopo damnatus, propter ſinceram religionem, jubente Wilhelmo Bavaro, die 16. Auguſti crematur.

Lutherus contra Zvinglium & Oecolampadium edit librum Daß die Wort noch feſte ſtehen.

Senatus Brunſuicenſis, petentibus civibus concedit, ut reformatio religionis exemplo Magdæburgenſium inſtituatur, & ſequenti anno *Buggenhagius* paſtor Vitebergenſis evocatur, qui cum *Levino ab Emden* ordinem miniſterio præſcribit, & ne diſſenſiones invicem oriantur, eos ſingulis quatuordecim diebus convenire jubet, ad amicam collationem de ſingulis Articulis fidei, & ſingulis menſibus conviviolo excipiendos. *Chytr.*

ANNO MUNDI 5477. Æræ C. 1528.
ED. ☉ 25. ☽ 9. *Ind.* 1.

Bernæ Helvetiorum habita eſt diſputatio de præcipuis fidei articulis controverſis, die 7. Januarii, quâ finitâ, cùm Pontificii causâ cecidiſſent, die 26. Januarii ſtatuæ ubique auferuntur, miſſa abrogatur, & idonei miniſtri Eccleſiæ ordinantur. *Sleid.*

Guſtavus *rex Sueciæ, tandem ſolenni ritu, die 12. Januarii coronatur, & in* Epiſcopatibus præficit concionatores doctos & facundos, quos ipſe audiviſſet; inde cùm adhuc ex mutatâ religione ſeditiones exorirentur, eas etiam ſedat, *cùm autores paucos ſupplicio affeciſſet, & reliqui ex Sueciâ aufugiſſent.* Chyt.

Carolus *Dux Geldriæ, homo inquietus in Hollandiam irruit, &* Hagam, *ſedem comitis capit, & deprædatur; inde turbati Belgæ, Florentium Comitem* Burenſem, *Caroli exercitus Ducem aſſumunt. Geldro bellum inferunt, & multas urbes ipſi eripiunt.* Trajectū *etiam proditione capiunt, inde per interceſſores principes pax fit, cùm omnes ſuas ditiones, ſi maſculo herede deſtitueretur, Imperatori traderet.* Chytr.

Duces Cæſariani in regno Neapolitano prælio vincuntur, ideo Neapolis *menſe Aprili graviſſimè à Gallis duce Lautrechio obſidetur, quæ obſeſſio duravit uſque in Auguſtum menſem, quo peſte ingruente, Gallorum ad viginti millia extinguuntur, & obſidio ſolvitur. Plurimum Carolo Imperatori profuit in hoc bello virtus* Andreæ de Auriâ, *qui &* Genuam *urbem à Gallis liberatam Imperatori ſubdit.* Sleid.

Heinricus *Dux Brunſuicenſis ab Imperatore invitatus, egregium exercitum in Italiam ducit, viginti ferè ſigna peditum, & ferè mille equites cataphractos, menſe Majo. Sed Antonius Leva metuens ſibi à collegâ potentiore, iter Neapolitanum Heinrico, propter multiplicia pericula, diſſuadet, jubetq; ut interim* Laudem Pompejam *oppugnet, ubi, cùm & commeatus & pecunia deficeret, & exercitus dilaberetur, ipſe res omnium egenus, vix cum ſedecim equitibus domum redit.* Sleid.

Annus Nabonaſſaris 2277. & Philippi 1853. incipit die 6. Aug. fer. 5.

Annus Indorum 1622. & Hegira 935. incipit 15. Sept. fer. 3.

Annus Alexand. 1840. Antioch. 1577. & Conſtant. 7037. incipit 1. Octobr.

Jezdeg. 898. incipit 4. Nov. fer. 4. Armen. 978. 7. Nov. fer. 7.

Philippus Haſſiæ Landgr. & Johannes Elector Saxoniæ bellum parant, adverſus Pontificios, cujus rei cauſa fuit *D. Otto Paccius*, qui Landgravio obtulerat exemplar fœderis Pontificiorum contra Lutheranos, promiſeratque ſe *αὐτόγραφον* etiam Landgravio allaturum. Fridericus Palatinus & Trevirenſis interponunt ſe, ne ad arma perveniatur. Diſceſſum fuit ab armis hâc conditione, ut Epiſcopi belli ſumtus dependerent Landgravio, & Paccius, cùm falſi convictus fuiſſet, Antverpiæ in fugâ decollatur. *Sleid.*

ANNO MUNDI 5478. Æræ C. 1529.
C. ☉ 26. ☽ 10. *Ind.* 2.

Annus urbis 2281.	*Julianus* 1574.
Æra Hiſpanica 1567.	*Auguſtorum* 1556.

Carolus Imp. inchoat annum imp. 11.

Gelali Perſicus 450. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Conventus ordinum Imperii Spiræ celebratur, in quo decretum factum, ut edictum Wormatienſe obſervetur contra Novatores, & ut omnia in integrum reſtituantur. Contra hoc edictum

Elector *Johannes* & *Landgravius* [illegible] alii die 36. Aprilis ſolenniter proteſtantur, hinc ortum pervulgatum illud PROTESTANTIUM nomen. LUTHERUS hoc anno, menſe Januario *Catechiſmum* minorem edit.

Tranſylvanus à *Ferdinando pulſus, cum Soleimanno Turcarum Imperatore, ſi rex Hungariæ conſtitueretur, ſe Vaſallum Soleimanni futurum paciſcitur. Venit igitur Soleimannus cum ingenti exercitu in Hungariam, ubi occurrit ipſi Tranſylvanus cum precioſiſſimis muneribus. Peſtis hic* Johannes Zepuſienſis tertius *regni Hungarici fuit, qui primùm in clade Ludovici, ſtudio quodam in adducendis auxiliis moram fecerat, & jam Soleimanno viam invadendæ Germaniæ monſtrabat. Parcit tamen Soleiman dedentibus ſe, reſiſtentes verò omni vi vaſtat, Præſidium Budenſe, quod ſe fortiter defenderat, contra datam fidem trucidat,* & Viennam *Auſtriæ pervenit die 22. Septemb.* Philippus *Palatinus, Imperatoris nomine in præſidio erat, qui ut urbem tueri poſſet, ſuburbia incendit, ubi perierunt quatridui ſpatio octingentæ ædes cum commeatu copioſiſſimo, qui in urbem invehi non poterat. Obſeſſa eſt urbs die 26. Septemb. Sed præſidiariis ſeſe fortiſſimè defendentibus obſidio ſoluta eſt, nocte quæ ſecuta eſt diem 14. Octob. amiſiſſe dicitur Soleiman in obſidione hujus urbis ad octoginta millia hominum, & ingruente hyeme raptim in Thraciam properavit.* Sleid.

Olympias 576. annus Olympiad. 2305. incipit in Julio.

Annus Indorum 1623. & Hegira 936. incipit 5. Sept. fer. 1.

Diocletianus 1246. incipit 29. Auguſti.

Novum genus morbi ingruit in Germaniam, circa initium Octob. vocatum fuit Morbus Anglicus.

Inſtitutum tum fuerat colloquium *Marpurgi* inter *Zvinglium* & *Lutherum* & alios, quod per triduum tantùm duravit, & diremtum eſt lue ingruente.

Franciſcus *Galliæ rex, cùm infeliciter bella hactenus geſſiſſet, tandem animum ad pacem inclinat faciendam cum* Carolo, *quæ fit Cameraci, ubi* Franciſcus *ceſſit Flandriâ, Arteſiâ & Tornaco, atque ita ſeptendecim provinciæ Belgici Imperii unitæ ſunt; & ut filii obſides liberarentur, victos centena millia aureorum Carolo perſolvit. Inde Carolus in Italiam profectus eſt, & menſe Novembri Genuam venit, inde cum Pontifice egit de reſtituendis Mediceis, & de Sfortiâ in Ducatum Mediolanenſem reducendo, & aliis. Controverſiam etiam inter* Duces Pomeraniæ & Marchiones Brandeburgenſes *compoſita eſt, ita ut Brandeburgenſes, ſi maſcula ſtirps ipſis deeſſet, in Ducatu ſuccederent.* Chyt.

Milites *Rhodienſes ſeptennio poſt calamitatem ſuã, conſenſu Pontificis & Caroli Imperatoris,* Maltam *Inſulam occupant, ædificant & muniunt, quam etiam contra Turcas hactenus ſtrenuè defenderunt.* Guicc.

ANNO MUNDI 5479. Æræ C. 1530.
B. ☉ 27. ☽ 11. *Ind.* 3.

Lubeca, cùm biennio tres urbis concionatores, qui puram religionem incipiebant docere, vi Canonicorum urbe ejecti eſſent, & verò cives interea rectiùs in pietate inſtituti eſſent, & Senatus novum tributum propter bella hactenus geſta indiceret, cives nihil contribuere extra ordinem volunt, niſi illi concionatores reſtituerentur, idque impetrant die 7. Jan. Inde cùm Canonici ſubinde calumniarentur Lutheranos, eosque igni cremandos clamarent, ex voluntate civium removentur ex Cathedris, Calendis Maji, & cives contribuunt libentiſſimè ad ſublevandum ærarium. Evocatur inde Witebergâ *Bugenhagius*, qui ordinem doctrinæ præſcribit, & ſcholam ibi inſtituit, menſe Octob. Idem in aliis Saxoniæ urbibus accidit, ut *Luneburgi, Gottingæ, Lemgoviæ* & alibi, & curſus Evang. felicia incrementa capit. *Chytr.*

Imp. Carolus prolixè cum Pontifice diſputat de tollendo ſchiſmate in Eccleſiâ per Concilium. Papa negat concilio opus eſſe, cùm omnia anteà in conciliis ſint definita: Et tandem eò decurritur, ut Carolus promitteret, ſe primùm leviſſimis mediis cum Lutheranis acturum, ut omnia in integrum reſtituerentur; quòd ſi nollent, tum ſe armis rem peracturum, *atq; ita coronatur 22. Febr. rex Longobardorum, inde 24. Febr. Imp. Romanus ultimus fortaſſis ex omnibus Impp.* Inde indicitur conventus Auguſtanus. Etſi autem conſtans fama eſſet de fœdere Caroli, Ferdinandi, & Pontificis, ad tollendos Lutheranos, tamen Lutherus diſſuadet adhuc fœdus contra Carolum & arma, & perſuadet Electori Johanni, ut ad comitia Auguſtana proficiſceretur, qui primus urbem ingreſſus eſt, 2. Maji Imp. venit 15. Jun. & tandem *Confeſſio Aug.* publicè coram Imperatore & Ordinibus imperii prælecta eſt, 25. Jun. hora 2. poſt mer. 13. Jul. Pontificii per Eccium, Cochlæum, & alios exhibent refutationem Confeſſionis, ſed adeò impudentem, ut puderet Cæſarem ejus, qui juſſit eam rejectis criminationibus emendari: hæc prælecta eſt 3. Aug. Die 26. Aug. amicum colloquium eſt inſtitutum inter Pontificios & Lutheranos, ſed nihil effectum eſt, cùm Pontificii omnia ſibi concedi vellent. Concludit ergò Imp. 15. Sept. omnia à Lutheranis in integrum reſtituenda eſſe, & in hanc rem ſe dare Lutheranis ſpatium deliberandi usq; ad diem 15. April. ſeq. anni. Lutherani deprecantur vim, & diſcedunt, Elector quidem 22. Sept. reliqui paulò pòſt, 19. Nov. Auguſtæ tandem decretum fit, niſi Lutherani omnia in integrum reſtituant, bello perſequendos eſſe. Lutherus contra, cùm omnia ad bellum ſpectarent, edit, librum, Warnung an ſeine liebe Deutſchen/ in quo eos hortatur, ne impio edicto obediant, & pro idolis & libidinibus Pontificiorũ pugnent. Subſcripſerunt huic confeſſioni hoc periculoſiſſimo tempore principes æternâ memoriâ digni: *Johannes* Saxoniæ Elector cum filio Johanne Friderico, *Georgius* Marchio Brandeburgenſis Friderici filius, *Erneſtus & Franciſcus* fratres Duces Lunæburgenſes, *Philippus* Landgravius Haſſiæ, *Wolfgangus* Anhaldinus, & *Senatus Norinbergenſis & Reutlingenſis.* Chyt.

Annus Indorum 1624. & Hegira 937. incipit 25. Auguſti, fer. 5.

Carolus Imperator Trajecti ordinat ſupremam curiam, ut omnibus ſubditis, tàm ſuperioribus quàm inferioribus, jus æqualiter adminiſtraretur. Sig. Petri.

Auguſtana Confeſſionis Status menſe Decembri in Conventu *Smalcaldiæ* fœderis formulam concipiunt, cui quidam ſtatim ſubſcribunt. *Chyt.*

ANNO

ANNO MUNDI 5480. Æræ C. 1531.
A. ☉ 28. ☽ 12. *Ind.* 4.

Johan. Stofflerus Juſtingenſis, Mathematicus inſignis, certo die ſibi periculum ruinâ imminere præviderat, & quia ædes ſuas ſatis firmas noverat; convocat in Muſæum ſuum viros eruditos, quorum conſuetudine & ſermonib. recrearetur: Orta inter ſobria pocula diſputatio: ad controverſiam explicandam è ſuperiori loco librum depromit: ſed laxato clavo aſſer, in quo ſtabant libri, in caput ejus decidit, & inſigne vulnus infelici ſeni infligit, ex quo mortuus eſt die 16. Febr. Tubingæ.

Ferdinandus *Archi Dux Auſtriæ, frater Caroli Imp. renunciatur Rex Romanorum Coloniæ, die* 5. *Januarii. Saxoniæ Elector mittit filium* Joh. Frid. *qui apertè contra hanc electionem, ut vitioſam & Aureæ bullæ contrariam, ſolenniter proteſtetur; nihilominus tamen* Ferdinandus *coronatur Aquisgrani die* 11. *Jan. Controverſiâ hac tandem componitur, anno* 1544. *in conventu Spirenſi.* Chyt.

Bremæ *ingens ſeditio exoritur civium contra Canonicos, qui vi plebis pulſi urbe excedunt. Idem accedit etiam Lubecæ, ubi bini conſules ſibi à plebe metuentes, urbe excedunt, & eligitur Antiſenatus autore* Wollenwebero, *qui in ſenatum intruditur, & Rempub. infinitis difficultatibus involvit, quæ quinquennio eam exercuerunt.* Chyt.

Annus Indorum 1625. *& Hegira* 938. *incipit* 14. *Auguſti, fer.* 2.

Annus ſabbathicus 6. *ſive Jobelei* 30. *incipit* 12. *Sept. fer.* 3. *Anno Jud.* 5292.

Tigurini *injuriis Quinque pagicorum coacti, commeatum Quinque pagicis adferri vetant. Inde bellum ortum, in quo Tigurini vincuntur, cecidit in ipſo prælio etiam* Zwinglius *anno ætatis* 44. *die* 11. *Octob.* Oecolampadius *paulo poſt moritur die* 1. *Dec. anno ætatis* 49.

ANNO MUNDI 5481. Æræ C. 1532.
G. F. ☉ 1. ☽ 13. *Ind.* 5.

Pax religioni tandem, cùm Turca videretur imminere, Germaniæ conceditur, usq; ad futurum concilium, ne liceat cuivis propter religionem litem movere: inita eſt hæc pax Suinfurti, promulgata tandem Norinbergæ. *Chyt.*

Calendis Martii Comitia *Ratisbonæ*, quæ urbs aliàs vocatur Auguſta Tiberii, celebrantur, ubi de *Concilio* actum, item de *Camerâ imperii* reformandâ, ne agat contra Lutheranos, & de Soleimanno Turcâ rejiciendo. *Leges* etiam *Criminales* hoc in conventu promulgantur. *Chyt.*

Chriſtiernus, *olim Daniæ rex, jam exul, collegerat milites, & adjuvatur ſtrenuè ab Hollandis, quibus ampliſſima privilegia in mari Balthico promiſerat, claſſemq; ſuperiori anno ante hyemem ad Norvegiam appulerat, ſed propter hyemem in Norvegiâ à paucis receptus fuerat. Interim Fridericus rex, auxilio Lubecenſium & Suecorum, claſſem inſtituerat, quâ menſe Martio Chriſtiernum ad pacis conditiones ineundas cogit, & ut Hafniam ipſe veniat, ubi captus ad perpetua vincula damnatur, in quibus vixit annos* 27. Chyt.

Bremæ *cives contra Senatum tumultuantes, Canonicos urbe ejiciunt, & templum cathedrale occupant, quod Canonici poſtea nunquam receperunt. Sed dum cives etiam ſenatum in ordinem redigere vellent, Senatus urbe cedit, & poſtea Scripto ad cives miſſo per concionatores obtinent, quod præſentes non potuerant, ut antiſenatus abrogaretur, Senatus reſtitueretur, & cives obedientiam præſtarent.* Chyt.

Paderbornæ tres erant concionatores Evangelici, quorundam civium juſſu evocati, ſed Epiſcopus magnâ ſtipatus catervâ tres illos comprehendi jubet, & in arcem quandam captivos devehi, qui caſu quodam in curru avehuntur in Suſatenſium ditionem, à quibus omnes tres liberantur. Ex civibus verò 16. Epiſcopus ad capitis ſupplicium damnaverat, ſed cùm ſimul carnifex operam ſuam denegaret, & ſe in facinoroſos conductum, non in honeſtos cives aſſereret, & uxores damnatorum multo ejulatu Epiſcopum deprecarentur, morte liberantur, & pecunia luunt. *Chyt.*

Annus Indorum 1626. *& Hegira* 939. *incipit* 3. *Aug. fer.* 7.

Annus Nabonaſſaris 2281. *& Philippi* 1857. *incipit* 5. *Aug. fer.* 2.

Johannes *Elector Saxoniæ, cùm præfuiſſet annis* 8. *moritur die* 13. *Auguſti, anno ætatis* 63. *Succedit ipſi filius* Johannes Fridericus, *qui præeſt annis ferè* 14.

Henricus Angliæ rex, ante annos tres apud Clementem Pontificem ſollicitârat, ut cum ſuâ uxore, quæ juncta olim fuerat fratri, legitimè divortium faceret; Papa verò ſtudio ſententiam extrahit, hoc anno tandem per Epiſcopos Angliæ curat ſe ab eâ ſejungi, & ducit *Annam* vicecomitis Richefordiæ filiam, ex quâ genuit *Eliſabetham* ſequenti anno, poſtea reginam Angliæ. *Chyt.*

Soleimanus *Turca longè lateq; vaſtat Hungariam, ubi tamen* Gunſium *exiguum oppidulum, omnibus viribus terdecies fruſtra oppugnat, defendente id* Nicolao Jurizio, *viro belli perito; inde idem, territus famâ præſtantiſſimi exercitûs à Carolo & Ferdinando adducti, regreditur, remittit tamen* Caſanem Weiwodam *cum quindecim millibus militum, qui omnia vaſtaret; ſed mittitur à Carolo Fridericus Palatinus, qui Caſanem onuſtum pradâ aggreditur fortis animo, & ſuis exemplum præbet, & ipſum* Waivvodam *occidit, pauci elapſi ſunt, inde Fridericus promeruit, ut e*ques auratus *crearetur.* Chytr.

Annus Alexand. 1844. *Antioch.* 1581. *& Conſtant.* 7041. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Jezdeg. 902. *incipit* 3. *Nov. fer.* 1. *Armeniorum* 982. *die* 6. *Nov. fer.* 4.

Carolus Imp. cùm Turcæ jam abiiſſent, dimiſſo exercitu in Italiam abit, ac primum Mantuæ apud Pontificem, inde Bononiæ de Concilio indicendo, & pace in Italiâ tuendâ agitur. Chyt.

ANNO MUNDI 5482. Æræ C. 1533.
E. ☉ 2. ☽ 14. *Ind.* 6.

Annus urbis 2285.	*Julianus* 1578.
Æra Hiſpanica 1571.	*Auguſtorum* 1560.

Carolus inchoat annum imp. 15.

Neuruz Gelali 454. *cum Æquinoct. verno.*

Monaſterii in Weſtphaliâ initia *Anabaptiſtica doctrina* ſparguntur, quibus accedit *Rothmannus*, qui antea Evangelium purè docuerat, inſtituitur cum eo & cum aliis colloquium die 17. Auguſti, in quo Anabaptiſtæ damnantur; ſed cùm haberent multos aſſeclas, urbe ejici non potuerunt. Ideò *Glanderpius*, *Buſchius* & alii inde

diſce-

diſcedunt, qua occaſione Anabaptiſtæ illi multos peregrinos advocârunt. *Georgius* Dux Saxoniæ crudeliter exagitat cives Lipſienſes, Oſſitienſes, & alios qui ſtudebant puriori religioni. Lutherus eos conſolatur, & jubet eos hanc tyrannidem patienter ferre, eam diuturnam non futuram: Hâc de causâ accuſatur à Duce Georgio, quaſi incitaret ſubditos ad rebellionem. Sed Lutherus publicè reſpondet, & epiſtolam illam interpretatur. *Sleid.*

Papa *Clemens Catharinam Medices Florentinam in matrimonium collocat* Heinrico, *filio Franciſci regis Galliæ, & quatuor creat Cardinales. fœdusque facit cum Franciſco.* Sleid.

Olympias 577. *annus Olympiad.* 2309. *incipit in Julio.*

Annus Indorum 1627. *& Hegiræ* 940. *incipit* 23. *Julii, feriâ.* 4.

Annus Diocletiani 1250. *incipit* 29. *Aug.*

Principes Germaniæ plerique, & inſuper rex Galliæ, intercedunt apud Status fœderis Suevici pro Chriſtophoro Duce Wirtenbergenſi, filio Ulrici, jam decimum quintum annum exulis, ut filius, qui nihil peccaverat, in Ducatum reſtituatur. Cùm nihil impetraretur, *Wilhelmus* Dux Bavariæ, Capitaneus ſupremus fœderis, & interceſſor præcipuus, primùm hoc agit, ut fœdus illud diſſolvatur, cujus anni aliàs exierant, inde Wirtebergicus vendit regi Galliæ Comitatum Mompelgardenſem, centum & viginti millibus ducatis, cum conditione redhibitionis, inde clanculum exercitum contrahit. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5483. Æræ C. 1534.
D. ☉ 3 ☽ 15. *Ind.* 7.

Johannes Aventinus hiſtoricus, qui Bojorum annales ſcripſit, moritur die 9. Januarii.

Monaſterienſes in Weſtphaliâ, *cùm veterem Senatum urbe ejeciſſent, & novum ex ſuis elegiſſent, à ſuo Epiſcopo obſidentur die* 14. *Feb. ſed cùm ſeſe Anabaptiſtæ fortiter defenderent, nihil effeciſſet, niſi ex toto imperio adjutus fuiſſet, ubi ſeptem Caſtella circum civitatem ædificavit, quibus ipſis omnia itinera interclusit, ſed in ipſâ urbe, die* 24. *Junii* Johannes *Leidenſis olim ſartor, creatur Rex Monaſterienſis, qui ordinavit alios duodecim, quibus Ducatus & Epiſcopatus in totâ Germaniâ diſtribuit. Duravit obſidio menſes ferè quindecim.* Chyt.

Philippus *Haſſiæ Landgravius, ſumptis armis & exercitu, Ducatum W*irtebergicum *invadit, etſi* Ferdinandus *exercitum ibi haberet duodecim millium; quem vicit, in quo prælio etiam Philippus Palatinus in calce graviter ictu bombardæ vulneratus eſt, & captus* 13. *Maji, pridie Aſcenſ. & Ducatum ita Vlricus recuperavit: ne bellum inteſtinum inde oriretur, Landgravius nihil ulterius fecit & Georgius Dux Saxoniæ & alii, ne periculum inde Landgravio crearetur, apud Ferdinandum pro eo interceſſerunt, & pax reſtituta eſt, ita ut Ducatus* Wirtebergicus *eſſet, feudum domûs Auſtriacæ.* Chyt.

Barbaroſſa *Archipirata potens à Soleimanno humaniter ad ſua ſtipendia invitatur, atque ita Dux Soleimanni factus,* Tuniſium *quod à Mauris incolitur regno Turcico ſubjicit, hoc anno Heg.* 940. Ulamas *etiam Begus Perſicæ ditionis à Perſis deficit, & ad Soleimannum ſe confert. cujus ductu Turca Iſmaeli Perſæ bellum infert, & hoc anno Serevesbegum vincit.* Annal. Turc.

Angliæ Rex Heinricus VIII. quòd Catharinam uxorem repudiâſſet & aliam duxiſſet, à Pontifice damnatur, diris devovetur, & regno deponitur: Rex contra Pontifici omne jus in Angliam adimit, omnes ejus profectos, qui *Denarium ſancti Petri* colligere ſolebant, Angliâ ejicit, Denarium illum ſibi retinet, & fœdus facit cum aliis, qui à Pontifice diſceſſerant. *Chyt.*

Annus Indorum 1628. *& Hegiræ* 941. *incipit die* 12. *Julii, fer.* 1.

Biblia Germanica à Luthero translata, & in unum corpus redacta, excuduntur Witebergæ. Privilegium de hâc re dedit Elector Saxoniæ, die 6. Auguſti. *Torgæ.*

Clemens VII. Papa, cùm ſediſſet annos decem & menſes decem, moritur die 25. Septemb. Succedit ipſi Alexander Farneſius Romanus, qui ſeptuageſimum annum ætatis exceſſerat, qui voluit ſe appellari *Paulum III.* ſeditque annis quindecim. *Onuf.*

Fridericus *Daniæ rex ante annum defunctus fuerat: Senatus regni, Pontificiæ religioni addictus, regnum ipſi adminiſtrare vult, dum filius Friderici adhuc puer eſſet, jubentq; Lutheranos aut regno excedere, aut ad religionem Pontificiam rediri, & omnia in integrum reſtituere. Subditi evocant* Chriſtianum *Holſatiæ Ducem ad gubernationem regni, qui initio recuſat. Ideo ſeſe transferunt ad* Chriſtophorum *Comitem Aldeburgenſem, qui adjutus à Lubecenſibus in Daniam navigat, ſub prætextu Chriſtierni captivi in regnum reſtituendi, & hoc anno feliciter multas urbes occupat.* Chyt.

Soleimannus Vezirem Abraimum Baſſam Vlamia Bejo adjungit, & cū copiis in Parthos mittit, qui Tauriſium, cum habitatores inde effugiſſent, capit, quo audito Soleimannus ipſe etiam advenit. Perſæ cum impares viribus eſſent, in interiora regni recedunt, ad loca frigidiora, quos inſequitur Soleimannus. Sed hoc modo incidit in infinitas difficultates, & dimidiam ferè exercitûs fame & inediâ amittit, & in Bagdet ſive Seleuciâ hybernat; interim Perſæ Tauriſium profecti, impedimenta cum tormentis, quæ Soleimannus ibi reliquerat, diripiunt & cremant, totamque regionem vaſtant, ne Turcis ſit commeatûs, quando redirent, copia. Annal. Turc.

ANNO MUNDI 5484. Æræ C. 1535.
C. ☉ 4. ☽ 16. *Ind.* 8.

Bellum in Daniâ viget. Chriſtianus Holſatiæ Dux à pleriſque recipitur, præterquam ab Epiſcopis. Chriſtophori Aldenburgenſis conatus infringitur, & ipſe ac copiæ Lubecenſium vincuntur, Hafnia obſidetur, Halmſtadium deditur. Chyt.

Mansfeldenſes *Comites fodinas metallicas, & officinas omnes ad ſe revocant, remotis mercatoribus & aliis redemtoribus, qui decimas ſuas fideliter ſolvebant; ſed hâc ratione diſſenſiones inter ſe ipſos auctæ ſunt, & ipſi ſimul omnes ad paupertatem redacti ſunt.* Spang.

Carolus Imp. menſe Aprili Mulenſem Tuneti regem, à Barbaroſſâ Turcarum duce regno pulſum, & ad Carolum delatum, in regnum reſtituit, cum claſſe eò trajeciſſet, & Barbaroſſam viciſſet; Menſe Sept. in Italiam revertitur. Cùm Franciſcus Sfortia Dux Mediolanenſis abſque hæ-

redibus defunctus eſſet, Carolus Imper. ut Dominus feudi, cum Ducatum ſibi per Antonium Levam adjudicat. Rex Galliæ contrà ſibi eum deberi affirmat, unde bellum ortum, in quo dux Sabaudiæ aliquot oppida amiſit. *Onuf.*

Monaſterium *urbs in Weſtphaliâ, cùm per 16. menſes obſeſſa fuiſſet, & jam ad extremam famem traducta, ut à nullo immundo animali abſtinerent, ex inſidiis capitur nocte, quæ præceſſit diem 14. Junii. Cives ferè omnes trucidati, Rex* Anabaptiſtarum *& alii igneis forpicibus lacerati, in caveis ferreis ſuſpenduntur.* Chyt.

Thomas Morus in Angliâ Cancellarius & *Epiſcopus Roffenſis*, quod divortium regis improbarent, & Pontifici contra regem adhærerent, capite plectuntur, hic die 22. Junii, ille die 2. Julii.

Annus Indorum 1629. *& Hegira* 942. *incipit* 2. *Jul. fer.* 6.

Joachimus *Elector Brandeburgicus, cùm præfuiſſet annis* 36. *moritur die* 11. *Julii; ſuccedit ipſi filius* Joachimus II. *Elector, qui ſimiliter præeſt annis* 36.

Lutherus incipit enarrare Geneſin, ſive primum librum Moſis, quem abſolvit tandem poſt decennium.

Soleiman, *cùm Seleuciam præſidiis firmâſſet, & Tauriſium etiam excidiſſet, & plurimum damni Perſis intuliſſet, in Europam Conſtantinopolin redire conatur.* Iſmael *verò Perſa, cùm ſciret Turcas commeatu deſtitui, atque ita iter valdè approperare, nec tamen eos ſuis equis aſſequi poſſet, mittit Satrapam, qui nocte in Turcas irruens, maximâ eos clade afficit, omnia ipſis tormenta eripit, & ferè dimidium exercitum cadit: Clades accidit die* 13. *Octobr. Inde per Natoliam Soleiman pergens, tandem Conſtantinopolin venit, anno Heg.* 942. *die* 14. *Rezebis, qui eſt nobis* 8. *Januarii.*

Jeſuitarum ſocietas, autore Ignatio Lajolâ, nobili Hiſpano orta, approbatur à Paulo III. Pontifice, anno 1540.

ANNO MUNDI 5485. Æræ C. 1536.
B.A. ☉ 5. ☽ 17. *Ind.* 6.

Hanſa Civitates ſuperiori anno convenerant Lunæburgæ, ubi annitentibus reliquis, Lubecenſes tot cladibus à Danis affecti, antiſenatum virorum 60. abrogant & Wolnvveberum ſe abdicare cogunt, cui tamen præfecturam concedunt, ſed pòſt à Brunſuicenſi Duce captus Wolferbitum abducitur, ubi à Lubecenſibus accuſatus in 4. fruſta diſſectus eſt. Senatus reſtitutus pacem cum rege Daniæ facit, ſua privilegia in regno Danico recipit. Induciæ etiam fiunt in quinquennium cum Guſtavo rege Sueciæ, & *Hafnia* tandem Chriſtiano Holſatiæ Duci deditur, qui clementiâ uſus inſigni, omnibus ignoſcit præterquam Epiſcopis, hoſtibus puræ religionis, quos in vincula conjicit, & totum regnum jure ac religione ſtabilit. *Chyt.*

Ibrahim *Baſſa intimus erat Soleimanni Imp. Turcici, & gener, huic promiſerat Soleiman nunquam interfectum iri, ſed gratiam perpetuam fore: at verò cùm* Ibrahim *jam potentiâ invaleſceret, floretque autoritate & opibus, evocatur ad Soleimannum, ut ſecum cœnaret die* 22. *Remaſanis fer.* 4. *qui nobis eſt* 14. *Martii, ubi noctu cùm dormiret, interficitur, ejusque opes fiſco adjudicantur.* Annal. Turc.

Formula Concordiæ inter Lutherum & Bucerum atque alios inita de cœnâ Domini, & conſcripta à Phil. Melanchth. 29. Maji fer. 2. poſt Exaudi. *Carolus* Imp. cum exercitu in Inſubriam proficiſcitur, inde venit Romam 5. April. ubi pridie Paraſceves 13. April. Papa meridiano tempore duodecim egentium pedes proluit, atque linteo deterſit, cum iis cœnavit, & omnem argenti abacum menſæ illatum à cœna inter eos dilargitus eſt. *Guicciard.*

Annus Indorum 1630. *& Hegira* 943. *incipit* 20. *Junii, fer.* 3.

Annus Nabonaſſaris 2285. *& Philippi* 1861. *incipit* 4. *Auguſti, fer.* 6.

Annus Alexandr. 1848. *Antioch.* 1585. *& Conſt.* 7045. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Jezdeg. 906. *incipit* 2. *Novemb. fer.* 5. *Armen.* 686. 5. *Novemb. fer.* 1.

Eraſmus Roterodamus anno ætatis 70. moritur 11. Julii Baſileæ.

Heinricus VIII. *rex Angliæ, uxorem ſuam Annam Bolenam, matrem Eliſabethæ, adulterii ſuſpectam, minimè tamen convictam, capite plectit, ipſe ſtatim aliam uxorem ducit.* Chyt.

Soleiman *Turca Indos etiam ſuæ ditioni ſubdere cupit, præſertim cum Indi hoc velle viderentur, ideoque ſtatim menſe Junio Baſſam Alcairenſem in Arabiam felicem cum exercitu mittit, qui* Aden *munitiſſimam urbem, rege illius loci in fraudem deducto, capit menſe Octobri: inde idem ad Cambajam profectus in Indiam, eam urbem obſidet. erant ibi Luſitani, ſed claſſe Luſitanorum adveniente hic Baſſa turpiter fugit, &* Aden *redit.* Annal. Turc.

ANNO MUNDI 5486. Æræ C. 1537.
G. ☉ 6. ☽ 18. *Ind.* 10.

Annus urbis 2289.	*Iulianus* 1582.
Æra Hiſpan. 1852.	*Auguſtorum* 1564.

Carolus inchoat annum imper. 19.

Annus Neurutz Perſ. 458. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Alexander *Medices Dux Florentinus, cùm legitimo conjugio non contentus, vagas libidines ſectaretur, fraude agnati ſui Laurentii Medices, ſpe concupitæ nobilis fœminæ in alienas ædes introductus, crudeliſſimè interficitur. Succedit ipſi in* 10. *gradu agnatus juvenis* 18. *annor.* Coſmus, *qui magnâ ſapientiæ laude Ducatum Florentinum obtinuit annis* 48. Chyt.

Johannes *Saxoniæ Dux, Georgii filius, in quo altera ſpes ſobolis propagandæ Georgio reliqua erat, anno ætatis* 39. *moritur* 21. *Jan. Reſtabat frater Fridericus.* Fabr.

Papa Paulus III. Indicit concilium Mantuæ hoc anno celebrandum, quod tamen ſtatim Vicentiam, quæ ditionis Venetæ eſt, transfert. Sed Venetis etiam id deprecantibus, tota res omiſſa eſt, & ordinati ſunt, qui aulam Pontificiam emendarent. *Onuf.*

Elector Saxoniæ ad Concilium cum reliquis evocatus, menſe Febr. conventum agit *Smalcaldiæ*, ubi adfuit Imperatoris legatus *Heldius*, & plurimi Theologi religionis noſtræ, ubi Elector conqueritur, de iniquitate Cameræ, & proteſtatur de concilio Mantuano, quòd id minimè futurum ſit liberum & legitimum, quale deſideratur in Germaniâ celebrandum. Lutherus tamen *Artic. Smalcaldicos* ibi conſcripſit, qui concilio offerentur. *Chyt.*

Annus

Annus Indorum 1631. *& Hegire* 944. *incipit die* 30. *Junii, fer.* 1.

Olympias 578. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 2313.

Annus Diocletiani 1254. *incipit* 29. *Aug.*

Soleiman *cum animadverteret, Venetos parum ſincerâ fide ſecum agere, Barbaroſſam mittit cum claſſe* Corcyram, *ut eam diripiat, qui ad* 16000. *hominum capit, quos Conſtantinopolin miſit, & vili precio vendidit.* Annal. Turc.

Idem hoc anno, die undecimo Sepheris, qui nobis eſt 21. *Jul. Conſtantinopoli digreſſus in* Moldaviam *movet, eamque occupat, & totum annum in ea conſumit, Wetvvodam tamen poſtea reſtituit.* Annal. Turc.

Chriſtianus *Daniæ rex, coronatur rex Hafniæ* 12. *Auguſti, ubi cùm omnes Status convenissent, conqueritur de Machinationibus Epiſcoporum regni, & prolixè prælegi curat eorum ſcelera contra regnum, ubi Epiſcopi captivi deponuntur, eorumque regalia regno adjudicantur,* Superintendentes *eorum loco ordinantur,* & purior religio in toto regno inſtituitur. *Chyt.*

Copiæ Ferdinandi *circa Quinque Eccleſias in Hungariâ pugnant cum Turcis, & vincuntur, produntur denique à Legato* Ferdinando Cazianero. *Equites & alii quidam Germani deteſtati fugæ turpitudinem, dum fortiſſimè præliantur, ad internecionem occiſi ſunt.*

ANNO MUNDI 5487. Æræ C. 1538.
F. ☉ 7 ☽ 19. *Ind.* 11.

Elector Saxoniæ Burggravii Magdeburgenſis dignitatem, olim cum civitate Gommern *Magdeburgenſibus oppignoratam, redimit ſolutâ pecuniâ, cùm Electores Saxoniæ priores ex familia Anhaldina hanc dignitatem obtinuiſſent, nec id impedire potuit Albertus Archiepiſcopus Moguntinus.* Chyt.

Conventus Proteſtantium principum inſtituitur Brunſuigæ menſe Martio, ad quem etiam venit Chriſtianus rex Daniæ, qui in fœdus Smalcaldicum receptus eſt, non tamen ut rex, ſed ut Dux Holſatiæ. Eodem tempore, autore *Heldo* Conſiliario Caroli, antifœdus Norinbergæ à Pontificiis iſtitutum eſt, cujus ſupremus Dux electus fuit *Henricus* Dux Brunſuicenſis. *Chyt.*

Schola *Argentoratenſis fundatur hoc anno, autore Jacobo* Sturmio *ſenatore, inſtituendæ autem juventutis rationem primus ibidem oſtendit* Johannes Sturmius, *& edito libro explicavit. Fecit hæc ſchola tantos progreſſus, ut non ſolum Germani, ſed & exteræ nationes eo confluerent.* Sleid.

Annus Indorum 1632. *& Hegira* 945. *incipit* 30. *Maji. fer.* 5.

Annus ſabbathicus 7 *ſive Jobelei* 30. *incipit die* 26. *Aug. fer.* 2. *Anno Jud.* 5299.

Antinomorum ſecta hoc anno prodiit, quorum primarius autor fuit Johannes *Islebius*, Agricola; docebant, pœnitentiæ prædicationem non eſſe petendam ex Decalogo, contra hoſce ſcribit Lutherus.

Carolus *Geldriæ Dux, qui ultra triginta annos Ducatum adverſus Burgundos defenderat, qui quòd eſſet Galliæ regi addictiſſimus, & ipſe liberis deſtitueretur, regem Galliæ heredem facere voluit; ſed repugnantibus ſubditis,* Wilhelmum *Clivenſem Ducem heredem inſtituit, & moritur hoc anno* Guicciard.

Norinbergenſes *arcem ſuam, quam à Burggraviis olim emerant, amplificari volunt, idque munire vallo & foſſis. Repugnat* Georgius *Marchio Brandeburg. & utrinque colliguntur exercitus. Intercedunt Elector Saxoniæ & Landgravius, & ædificatio Norinbergenſibus permittitur.* Chyt.

Leiſnicenſis & Penicenſis *Comes* Hugo *moritur absque liberis, ejus ditiones redeunt ad feuda Dominum, Georgium Ducem Saxoniæ. Sed Mauritius Elector poſtea* Penicam *dedit Baronibus de* Schönburg, *cum ab ipſis reciperet arcem Schonburgenſium* Hohnſtein, *propterea quod eſſent nepotes Comitis illius ex filiâ.* Chyt.

Mindenſis civitas hoc anno à Camerâ Imperiali publicè ſub dio proſcribitur, ſed cùm eſſet in fœdere Smalcaldico, Elector Saxoniæ, & confœderati Principes grave Scriptum edunt, in quo Cameræ ſententiam in cauſis religionis recuſant. *Chyt.*

Soleiman *mittit Barbaroſſam cum exercitu, qui Italiam invadat, & eam deprædetur, quod & facit ſtrenuè & tandem cum* Doriâ *Genuenſi, Caroli Duce pugnat, quem impar viribus, amiſſis aliquot navibus, ſe fugæ dedit, factum hyeme imminente.* Annal. Turc.

ANNO MUNDI 5488. Æræ C. 1539.
E. ☉ 8. ☽ 1. *Ind.* 12.

Georgius *Dux Saxoniæ, infeſtus doctrinæ Lutheranæ, & ſollicitus de poſteritate ſuâ, filio ſuo ultimo Friderico dat uxorem, cui quòd natura ſimplex eſſet, & ineptus ad gubernationem, Conſiliarios addit; ſed cum nuptiæ celebratæ eſſent die* 29. *Januarii, filius moritur die* 26. *Februar. parens mœrore animi, moritur ſubitò, priusquam contra fratrem & ejus liberos aliquid de ſucceſſione conſtituere teſtamento poſſet, die* 17. *Aprilis. Ideò Henricus frater ſuccedit,* qui mutationem religionis ſtatim inſtituit, ita ut cùm Pontificii in Paſchate docuiſſent Lipſiæ, Lutherus & alii ibidem in feſto Pentecoſtes in ſuggeſtis ſtarent. *Fabr.*

Pontificatio iterum inter Proteſtantes & Pontificios inſtituitur die 19. Aprilis, feriâ ſeptimâ, ut diſputatio de religione inſtitui poſſet. *Sleid.*

Johannes *Cliviæ Dux moritur, relicto filio unico* Wilhelmo, *adoleſcente viginti duorum annorum, qui in ampliſſimis provinciis ſucceſſit, & præfuit annis* 54. Chyt.

Landgravius *Haſſiæ ſcribam Henrici Ducis Brunſuicenſis ſuſpectum intercipit, apud quem invenit literas ad Moguntinum & Heldum, ex quibus diſcit ipſius conatus bellicos, & calumnias in Proteſtantes. Henricus re compertâ contra Landgravium & Electorem ſcribit, cùm nactus eſſet Johannem* Stapferum *Heidelbergenſem, convitiandi arte & loquentiâ inſignem, qui viſus fuit in convitiis præſtare Electoralibus.* Chyt.

Annus Indorum 1633. *& Hegira* 946. *incipit die* 19. *Maji, feria* 2.

Pontifex iterum concilium prorogat. Ideò Angliæ rex publico Scripto docet, quomodo Pontifex Eccleſiæ illudat in indicendis conciliis, nihilominus tamen hic rex, cùm Pontificis poteſtatem totâ Angliâ exegiſſet, & omnia cœnobia deſtruxiſſet, eorumque bona in fiſcum redegiſſet, atrociſſimè perſequitur Lutheranos, & Pontificiam religionem omnibus modis defendit *Chytr.*

Ingens Conſtantinopoli incendium exoritur die 2. Julii veſperâ, feriâ quintâ, ineunte die 15. Sepheris anni hujus Hegiræ, ſtatim in initio publicus carcer conflagravit cum ſeptingentis hominibus incluſis, Publicani rei, ne comburerentur à populo, & Baſſis dimittuntur, duravit incendium binis ferè diebus, infinitæ merces conſumptæ perierunt, vel direptæ ſunt. Eodem hoc anno Barbaroſſa Dux in Dalmatiam mittitur, ubi novum caſtellum Dalmatiæ ad Venedicum ſinum expugnat, & præſidiarios trucidat, reliquos ad quatuor millia fortiſſimorum virorum ad triremes damnat. Veneti tot cladibus affecti à Soleimanno pacem petant, quam impetrant quidem, ſed duris conditionibus. Annal. Turc.

Joachimus Elector Brandeburgenſis tandem à ſubditis exoratur, ut ipſis exercitium religionis concederet, inde ſubditi Archiepiſcopatûs Magdeburgenſis idem flagitant. *Albertus* Moguntinus tum egebat pecuniâ, ideò hâc occaſione uſus, poſtulat ingentem pecuniæ ſummam, quam obtinet, cùm religionem concederet, atque ita *Juſtus Ionas* Halam vocatur. *Chytr.* Cœnam Domini ſub utrâque ſpecie Berlini in templo Cathedrali primus adminiſtravit Epiſcopus Brandeburgenſis.

Andreas Grittus *Dux Venetorum moritur menſe Decembri; ſuccedit ipſi* Petrus Landus *ſequenti anno.* Guicciard.

ANNO MUNDI 5489. Poſt C. 1540. D. C. ☉ 9. ☽ 2. *Ind.* 13.

Soleiman *egreſſus Conſtantinopoli, ſuperiori anno, die 13. Decembris, die 2. Sababen, & Hungariæ eſſet vicinior, venit Hadrianopolin, ibique hybernat, paulò pòſt ibi igne exorto domicilium conjugum ſuarum, cum magni pretii rebus comburitur; manet igitur ibi toto anno, & Conſtantinopolin redit die 7. menſis Silchizis, qui eſt dies 4. Aprilis ſequentis anni, feriâ ſecundâ.*

Carolus Imperator *ex Hiſpaniâ in Belgium abiturus, proficiſcitur per Galliam, & Calendis Januarii, celebri pompâ Lutetiam ingreditur, medius inter liberos regios, ubi a Franciſco rege docetur,* Gandavenſes, *qui adverſus Mariam ſororem Caroli tumultuati fuerant, ſibi* Gandavum *prodere velle: quâ re intellectâ, Carolus* Gandavum *profectus, civibus privilegia adimit, & ut arcem cervicibus ſuis imminentem extruant, & præſidium ejus alant, cogit.* Chyt.

Elector Saxoniæ cum confœderatis & Smalcaldiæ & Haganoæ conſultat de pace conſervandâ in Germaniâ, & pacis ſtudium cum ſuis Imperatori offert; & *Heldus*, quod in actionibus ſuis adverſus Lutheranos nimium vehemens eſſet, conſilio Granvellani ex aulâ Imperatoris removetur. *Sleid.*

Annus Indorum 1634. & Hegira 947. incipit die 8. Maji, fer 7.

Heinricus VIII. *Angliæ rex, ſuperiori anno exeunte quintam uxorem duxerat, Johannis Clivenſis Ducis filiam, quam tamē paucis poſt menſibus repudiavit. Diſſuaſerat divortium intimus regis conſiliarius* Thomas Cromelius, *ob id in invidiam adductus ab Epiſcopis, qui ſibi ab eo metuebant, capite plectitur die 28. Julii. & poſt biduum,* propter veram religionem exuritur Robertus Barus, *legatus olim regis in Germaniâ.* Chytr.

Joſephus Scaliger, magni illius de temporum emendatione operis autor, naſcitur 5. Auguſti, horis 14. poſt meridiem, Aginni Nitiobrigum. Geneſin ejus habet Origanus part. 3. Introd. in Ephem. cap. 8. memb. 3.

Annus Nabonaſſaris 2289. & Philippi 1865. incipit 3. Aug. fer. 3.

Annus Alexandr. 1852. Antioch. 1589. & Conſt. 7049. incipit 1. Octobr.

Annus Jezdeg. 910. incipit 1. Novemb. fer. 2. Armen. 990. 4. Novemb. fer. 5.

Wilhelmus Budæus hoc anno moritur Pariſiis, cum ſuperiori anno defunctus eſſet Marburgi *Eobanus* Heſſus.

Johannes *Zebuſienſis Tranſſylvanus, alter Hungariæ rex, qui Budam obtinebat, moritur, cùm filio auctus eſſet, die 7. Julii. Vidua autem cùm filium ſuccedere parenti cuperet, legatos mittit ad Soleimannum, ut infantem defendere velit, ſed Ferdinandus etiam ad eundem legatos mittit. At Ferdinandi legati in carcerem conjiciuntur, quòd Ferdinandus liceretur exercitum parare ad invadendam Hungariam.* Sleid.

Guſtavus *rex Sueciæ ſollicitus de poſteritate, in conventu regni proponit, ut Ordines regni ſibi & ſuis liberis regnum Sueciæ velint eſſe hæreditarium, idque obtinet ſequentibus comitiis, ubi ordines ſibi & filio* Erico *fidelitatem in gladio evaginato jurârunt.* Chyt.

Nicolaus Razevil, Dux in Litvaniâ, cùm *Vilnæ* religionem puriorem recepiſſet, curat ſuis ſumptibus *ſacra Biblia* in linguam Polonicam transferri & imprimi. *Chyt.*

Colloquium Theologorum inſtituitur Wormatiæ inter Philippum Melanchtonem & Eccium, de cujus ratione & legibus diſceptatur hoc anno, menſe Decembr. *Sleid.*

ANNO MUNDI 5490. Æræ C. 1541. B. ☉ 10. ☽ 3. *Ind.* 14.

Annus urbis 2293. *Iulianus* 1586.
Æra Hiſpan. 1579. *Auguſtorum.* 1568.
Carolus Imp. inchoat annum imperii 23.
Annus Gelali Perſ. 462. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Annus Indorum 1635. & Hegira 948. incipit 27. Apr. fer. 4.

Wormatiæ tandem, die 14. Januarii inſtituitur colloquium inter Melanchthonem & Eccium de peccato originis, quod colloquium inde abrumpitur, & *Ratisbonam* transfertur; ubi quoque poſt varias deliberationes ex ſententiâ legati Pontificii tractatio religionis in futurum concilium differtur. *Chyt.*

Franciſcus *rex Galliæ iterum meditatur bellum in Carolum Imperatorem, & propterea fœdus facit cum* Chriſtiano *Daniæ rege, &* Guſtavo *Sueciæ, qui hâc occaſione uſus, ſeditioſos in Sueciâ compeſcit.* Chyt.

Numburgi ad Salam moritur Epiſcopus; *Canonici* eligunt *Julium* Pflug/ virum nobilem; Elector Saxoniæ, cùm hic eſſet Pontificius, ut regiones ſuæ pacem in Eccleſiâ colere poſſent, hoc ipſis non licere affirmat. & Epiſcopum ibi ordinat *Nicolaum Amsdorfium*, qui à Luthero in Januario inauguratur. *Chyt.*

Olym-

Olympias 579. incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus 2217.

Annus Diocletiani 1258. *incipit die* 28. *Aug.*

Ferdinandus rex iterum ſuum jus in regnum Hungariæ urget, & cum exercitu ingreſſus Peſtum *præſidio occupat, &* Budam *obſidet. Soleimannus hoc anno Hegiræ, die* 25. *Sepheris, Conſtantinopoli digreſſus cum exercitu, die* 20. *Junii in Hungariam venit, obſidionem ſolvit, Ferdinandum magna clade afficit, & Peſtum capit, cum machinis præſtantiſſimis die* 2. *Sept. Viduam cum filiolo in caſtra ex urbe evocat, & Budam ita occupat, præſidioque munit, & viduam in Tranſſylvaniam ablegat. Conſtantinop. redit die* 8. *menſis Saban.* 27. *Nov.* Annal.

Carolus *Imper. cùm antea in Italiam profectus eſſet, auditâ hâc clade Hungaricâ, ut Soleimanni vires diverſis in locis detineret, in Africam navigat, ſed infeliciſſimo eventu, perpetuis tempeſtatibus conflictatus. Redit igitur menſe Novembri in Hiſpaniam, plurimis acceptis detrimentis.* Sleid.

Moriuntur hoc anno Philippus Theophraſtus Paracelſus, Urbanus Regius, Wolfgangus Capito, Simon Grynæus, & alii.

ANNO MUNDI 5491. Æræ C. 1542.
A. ☉ 11. ☽ 14. *Ind.* 15.

Nicolaus Ambsdorfius die 20. Januarii ordinatur Epiſcopus Numburgenſis, electionis & ordinationis defenſionem ſcribit Lutherus, ſed Pflugius conqueritur de hâc re apud Mauritium de Saxoniæ Ducem, & Imperatorem Carolum, qui aliàs abalienatus ab Electore magis inflammatur, & Pflugium ad patientiam hortatur. Mauritius etiam probabat cauſam Pflugii, ideò fœderi Smalcaldico nomen ſuum dare noluit. *Chytr.*

Annus Indorum 1636. *& Hegira* 949. *incipit* 16. *Apr. fer.* 1.

Auxilia Ferdinando ad bellum Turcicum promittuntur, & pecunia viritim in Germaniâ colligitur. Elector in oppido Wurtzen *eandem colligi jubet:* Mauritius *contra ſuum jus ibi eſſe aſſeverat, inde tanta odia excitata ſunt, ut ad arma perveniretur. In ipſis feriis Paſchalibus bellum hoc à Luthero & Landgravio dirimitur, animorum tamen offenſiones manent. Exercitus hic in Hungariam magnâ ſpe ductus, cùm negligenter haberetur à* Joachimo *Electore Brandeburgenſi, re infectâ redit.* Chyt.

Wilhelmus Dux Cliviæ, cùm ſæpius apud Imperatorem egiſſet, de confirmatione ſucceſſionis in Ducatu Geldriæ, ad regem Galliæ ſe applicat, præſertim cùm Carolus diceretur ſubmerſus in expeditione Africanâ, conveniteque inter ipſos, ut Gallus Ducatum Lucemburgenſem invadat, ipſe verò Antverpiam. Sed *Antverpienſes* præmoniti, fortiter urbem tuentur, ideò cùm urbem triduo terruiſſet, die 28. Julii in Geldriam redit; Maria gubernatrix viciſſim Geldro bellum infert, & Duram oppidum capit, quod tamen Clivenſis recepit. *Chyt.*

Heinricus *Dux Brunſuicenſis, Goslarienſes & Brunſuicenſes bello vaſtat, quòd proſcripti eſſent ab Imperatore, quæ proſcriptio tamen interceſſione Principum ſuſpenſa erat, Ratisbonæ: Invocatis igitur in auxilium Elector Saxoniæ & Landgravius, qui indicunt Heinrico bellum die* 18. *Julii, & die* 2. *Augusti, cùm multas urbes occupâſſent, arcem* Wolfenbüttel *obſident, quæ deditur die* 12. *Auguſti.* Heinricus *nullo ſuſceptæ defenſionis conatu in Bavariam abit.* Elector & Landgravius Eccleſiæ reformationem inſtituunt per Bugenhagium: duravit hæc reformatio annis 5. donec iterum abrogaretur. *Chyt.*

Jacobus V. *Scotiæ rex in expeditione contra Anglos, cum res non ſatis ex ſententiâ ſuccederet, curis & labore afflictus, moritur die* 13. *Decembr. regnârat annis* 29. *Nataque ipſi erat hoc anno die* 5. *Decembr. filiola* Maria, *quæ tandem in Angliâ capite plexa eſt.* Buch.

ANNO MUNDI 5492. Æræ C. 1543.
G. ☉ 12. ☾ 5. *Ind.* 1.

Annus Indorum 1673. *& Hegira* 950. *incipit* 6. *Apr. fer.* 6.

Soleiman *Imp. Turcicus in Hungariam profecturus, diſcedit Adrianopoli, die* 8. *Muharam, qui eſt* 13. *Aprilis, fer.* 6. *Cum veniſſet in Hungariam, arcem* Walpo *poſt obſidionem trium menſium capit, inde* Peſthum *occupat, poſtea digreſſus,* Strigonium *obſidet, & eo etiam potitur. Hinc exercitum ad* Albam *regalem adducit, ubi ingens utrinque cædes edita eſt, ſed nihilominus tamen capitur: Cumq; hæc loca præſidiis firmâſſet, Conſtantinopolin redit die* 17. *menſis Schabanis, qui eſt* 15. *Novembr.* Annal. Turc.

Carolus Imp. priusquam ex Hiſpaniis decederet, filium *Philippum* deſignat regem, eique in matrimonium dat Mariam, Johannis Luſitaniæ regis filiam. Inde cùm Wilhelmus Cliviæ Dux ferociter Ducatum Geldriæ retineret, & Mariæ exercitum die 4. Martii profligâſſet, Carolus menſe Auguſto in Juliacenſem Ducatum venit, oppidum *Duren* oppugnat, vi capit, diripit, & incendit, trucidato præſidio & magno numero civium, Conſternatæ reliquæ urbes vicinæ ſe dedunt. Wilhelmus defenſionis conatu abjecto, ipſe ad Carolum ſupplex in caſtra venit, & pacem petit, quam poſt quinque dies obtinet, ut tres Ducatus, Juliacenſem, Clivenſem & Bergenſem retineat, reliquis abſtineat. Inde Carolus transfert bellum in Gallias, ad *Landreſium* occupandum, ubi Imperatori adfuit Mauritius Dux Saxoniæ cum auxiliis. *Chyt.*

Tres *Ludi illuſtres aperiuntur in Miſniâ à Mauritio Duce Saxoniæ,* Miſniæ Portæ *ad Salam, &* Merſburgi, *qui tamen poſtea* Grimmam *transfertur. Sic* Pædagogium Stetini *fundatum, & celebre Gymnaſium* Tremoniæ *erectum.* Chyt.

ANNO MUNDI 5493. Æræ C. 1544.
F. E. ☉ 13. ☽ 6. *Ind.* 2.

Annus Indorum 1638. *& Hegira* 951. *incipit* 25. *Martii, feriâ* 3.

Quatuor hoc anno Eclipſes annotatæ ſunt ab hiſtoricis. Prior Lunæ die 10. *Januarii, horâ* 6. *matutinâ, totalis: Altera Solis, die* 24. *Januarii, horis poſt mediam noctem* 8. *&* 29. *minut. quæ tanta fuit, ut dies nocteſceret, & volucres, quæ paulò antè latè cecinerant, iterum obmutuiſſent: ad haſce tabulas eſt digitorum undecim. Tertia die* 4. *Julii horis poſt meridiem* 8.30. *etiam totalis. Sic quarta die* 29. *Decembr. manè, & hæc dicitur fuiſſe totalis, ut tabula oſtendunt.*

In Suecia regno, in comitiis Aroſiæ *celebratis, regnum illud per Status regni fit hæreditarium, daturque Guſtavo & ejus poſteris, legitimo tamen ordine, obſervatâ primogenitura.* Chyt.

Ludovicus *Elector Palatinus, cùm vixiſſet annos 66. ferè, præfuiſſet annis 36. moritur die 15. Martii. Succedit ipſi frater* Fridericus, *qui præeſt annis 12. Propior jure erat* Otto Heinricus *ex fratre Ruperto nepos, ſed quia* Fridericus *rerum imperii peritior erat, jus ſuum ipſi conceſſit, tantummodo ipſe poſtea ſuccederet.* Chyt.

Comitia *Spiræ celebrantur verno tempore, in quibus præſens fuit ipſe Imper. & Ferdinandus & Electores omnes; actum de pace in Germaniâ, quæ concluſa eſt usque ad proximum conventum. Carolo contra regem Galliæ, qui ſocietatem cum Turca junxerat contra imperium, auxilia & pecunia decreta, & Elector Fridericus omnia, quæ voluit ab Imperatore, impetravit.* Chyt.

Carolus *menſe Julio in Galliam exercitum ducit,* Lucenburgum *recuperat, & alia oppida capit; menſe Septembri ferè* Lutetiam *acceſſit, ſed Franciſcus rex impar viribus, mittit, qui cum Carolo de pace agit, & obtinet, & exercitus dimiſſus eſt.*

Annus Nabonaſſaris 2293. & Philippi 1869. incipit die 2. Aug. fer. 7.

Annus Alexandr. 1856. & Antioch. 1593. & Conſtantinop. 7053. incipit 1. Octob.

Annus Jezdegird. 914. incipit 31. Octob. fer. 6. Armen. 994. die 3. Nov. fer. 2.

Auguſtus Frater Mauritii, Dux Saxoniæ, Epiſcopatum Merſburgenſem adminiſtrandum ſuſcipit; qui ſtatim reformationem Eccleſiarum inſtituit per Georgium Anhaldinum.

Albertus *Dux Pruſſiæ Academiam Regiomontanam inſtituit, quæ introducitur hoc anno, die 17. Auguſti.*

In Scotiâ *cùm reſtaret tantùm unica filiola Maria, &* Heinricus VIII. *rex Angliæ unicum haberet filium, ut regna hæc conjungerentur, Heinricus impetrat à Statibus, ut Maria Eduardo filio deſponſetur. Sed Cardinalis in Scotiâ & reginâ vidua, quæ ex Galliis erat oriunda, totum negotium ad Gallos trahebat. Itaque bellum Scotis rex Angliæ infert, &* Edinburgum *metropolin regni capit, quam tamen, quòd ab arce repelleretur, incendit; ſequenti anno etiam vaſtat Scotiam, ſed cùm auxilia Gallorum adveniſſent, fortiter repellitur.* Budæ.

ANNO MUNDI 5494. Æræ C. 1545.
D. ☉ 14. ☾ 7. *Ind.* 3.

Annus urbis 2297.	*Julianus* 1590.
Æra Hiſpanica 1583.	*Auguſtorum* 1572.

Carolus *inchoat annum imper.* 27.

Annus Newruz. Perſ. 458. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Annus Indorum 1639. & Hegira 952. incipit die 25. Mart. fer. 1.

Lutherus brevem illam confeſſionem de cœnâ Domini ediderat, ſuperiori anno; folia impreſſa ſingula peculiariter Tigurum perlata fuerant, ideò in nundinis Francofurti & Confeſſio *Lutheri* & refutatio *Tigurinorum* ſimul concurrerunt. *Chyt.*

Comitia Wormatiæ inſtituuntur, ad quæ nemo ex principibus imperii venit, præter Ferdinandum, *id quod non tantùm Ferdinandum ſed & Carolum peſſimè habuit; & cùm inſuper* Elector Saxoniæ *& alii ad bellū Turcicum ſumptum contribuere nollent,* niſi pax ipſorum Eccleſiis daretur. *Ferdinandus legatum mittit ad Soleimannum Turcam, qui inducias cum eo pangat annuas, quæ poſtea prorogatæ ſunt in biennium.*

Petrus Brulius in Galliis exuritur Tornaci propter Evangelii doctrinam, lento igne, die 29. Februarii. Sic Waldenſes in Galliâ, menſe Aprili, ferro & flammis excinduntur, juſſu Pontificis, immaniſſimâ crudelitate. *Sleid.*

Heinricus *Dux Brunſwicenſis, cùm apud regem Galliæ fuiſſet, operâ fratris Chriſtophori Epiſcopi Bremenſis & Werdenſis exercitum colligit, & ditionem ſuam armis recuperare conatus eſt, cùm tamen Imperator vellet, jure hanc rem tractare. Sed à Landgravio in anguſtias redactus, intercedente Mauritio Saxone, res ad pacificationes deducitur, ita tamen, ut ſe cum filio, Landgravio dederet.* Sleid.

Olympias 580. incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus 2321.

Annus Diocletiani 1262. incipit die 29. Aug.

Annus ſabbathicus 1. ſive Jobelei 31. incipit die 7. Sept. fer. 2. Anno Jud. 5306.

Carolus *nepos Caroli Imperat. ex Philippo filio natus fuit, die 9. Julii, ſed mater Maria Luſitaniæ regis filia paucis poſt diebus moritur. Ipſe poſt Carolus nepos, cùm annos 22. vixiſſet, & oſtendiſſet ſibi diſplicere crudelitatem, quæ in Belgio per* Albanum *exercebatur, juſſu patris cuſtoditur, & in cuſtodiâ extinguitur.* Chytr.

Lutherus librum emittit contra Pontificatum Romanum, à Satanâ conſtitutum, item picturam illam Pontificis in ſue ſedentis, cùm ita illuderet orbi Chriſtiano indictione conciliorum, abſolvitque enarrationem primi libri Moſis die 17. Nov.

Albertus Moguntinus & Cardinalis, anno ætatis 55. cùm præfuiſſet Epiſcopatui annis 32. moritur menſe Septembri: cui ſuccedit frater Patruelis *Johannes* Albertus, qui in variâ fortunâ, cùm Magdeburgo expulſus eſſet, præfuit annis ferè ſex.

Concilium *Tridentinum* à Pontifice tandem inchoatur, menſe Decembri, & die 13. Decembris prima ſeſſio celebrata eſt, reliquæ ſeptem ſeſſiones ſequenti anno habitæ ſunt, donec anno 1547. die 11. Martii hoc concilium transferretur Bononiam. *Onuff.*

ANNO MUNDI 5495. Æræ C. 1546.
C. ☉ 15. ☽ 8. *Ind.* 4.

Annus Indorum 1640. & *Hegira* 953. *incipit die 4. Martii, fer.* 5.

Proteſtantes menſe Jan. conveniunt Francofurti, deliberaturi de concilio Tridentino, & bello, quod imminere videbatur, futuro: gratulantur ibidem *Friderico* Palatino, quòd religionem Pontificiam abrogâſſet, die enim 10. Januarii Miſſa *Heidelbergæ* in populari linguâ peracta fuerat. *Chyt.*

Joachimus *Fridericus, Johannis Georgii Electoris Brandeburgenſis filius, naſcitur 27. Januarii, horâ 3. pomeridianâ.*

Tridenti die 4. Aprilis, in ſeſſione alterâ Symbolum fidei repetitur: die 8. Aprilis, ſeſſione 4. Papa libros Bibliorum omnes recipit & numerat, Latinam verſionem uſitatam facit authenticam, traditiones Apoſtolorum non ſcriptas, & interpretationes in Eccleſiâ retinendas ſancit: Die verò 17. Junii, ſeſſione 5. de peccato originis pronunciat. Nihil præterea hoc anno actum.

Luthe-

Lutherus cum evocatus eſſet à Comitibus Mansfeldicis Islebiam, ad controverſias quaſdam finiendas, ægrotare incipit, & moritur die 18. Febr. die *Concordia & Conſtantia*, atque ita ſimul & Concordiam & Conſtantiam docentium in Eccleſia videtur abduxiſſe, ſepelitur Witebergæ; Ejus mortem ſecuti ſunt belli motus, & Imperator Carolus, & in Hiſpania, & in Italia, & in Belgico milites conſcribere incipit.

Carolus comitia celebrat Ratisbonæ, cum nemo Principum eò veniret, putat ſe negligi & contemni. Nihilominus tamen ibi commoratur à Paſchate usque ad finem ferè menſis Junii: Cujus die 16. cum Proteſtantes audirent, milites undique conſcribi, interrogant Imperatorem, cur militem conſcribat? reſponſum accipiunt, Imperatorem non religionis, neccivitatum cauſa bellum parare, tantum punire velle aliquos Principes, majeſtatis reos. Sed civitates ſeſe à Principibus ſeparari paſſæ non ſunt, ſed ſtatim milites coegerunt, & *Elector* atque *Landgravius* Carolo die 24. Auguſti bellum indicunt, quos Imperator poſtero die proſcribit. Caſtra deinde oppoſita habuerunt ad Ingolſtadium, ubi etiam levioribus præliis decertarunt uſque in Novembrem, donec *Mauritius* Dux Saxoniæ cum Ferdinando ditiones Electoris invaderet, *Cygneam* & *Torgam* & alias urbes occuparet, quare Elector coactus in ſuas ditiones rediit, ubi menſe Decembr. *Vinariam* recuperavit, *Heldrungam* deditione capit, & *Halam* abiit. Militarunt autem Imperatori contra Proteſtantes *Mauritius* Dux Saxoniæ, *Johannes* Marchio Brandeburg. *Philippus* Heinrici filius, Dux Brunſuicenſis, *Ericus & Georgius* Brunſuicenſes, *Johannes* item. *Albertus & Georgius*, fratres Megapolitani, adoleſcentes. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5496. Æræ C. 1547.
B. ☉ 16. ☽ 9. *Ind.* 5.

Annus Indorum 1641. *& Hegira* 954. *incipit* 21. *Febr. feriâ.* 1.

Elector Saxoniæ die 13. Januarii obſidet *Lipſiam* eamque multis tormentorum ictibus deformat, ſed re infecta diſcedit. Inde Marchionem Brandeburgenſem *Albertum* capit Rochlitii, *Miſnam* urbem deditione capit 5. Aprilis. Inde cum die 19. Apr. de Cæſaris adventu cognoviſſet, pontem ſublicium Miſneæ incendit, & *Witebergam* properat. Cæſar invento vado in Albi flumine, ipſum inſequitur, cum *Mulberga* concionem audiret Elector, qui eodem die fortiſſimè pugnans, capitur die 24. Aprilis. Non verò ulli Hiſpanorum aut Huſſarorum ſe dedere voluit, ſed Germano homini. Inde Imperator *Witebergam* obſidet die 5. Maji deditam intrat, ibique commoratur uſque ad 7. Junii. In *Salinas* Saxonicas pervenit die 10. Junii, eò venit etiam *Landgravius*, perſuaſus à genero & aliis, qui putabant, ſe veniam ab Imperatore impetraſſe. Sed præter opinionem captivus detinetur. *Chyt.*

Sol ſudo cœlo pallidus apparuit per ſolidum quatriduum, die 22. April. & ſequentibus, per totam Germaniam, Galliam & Britanniam, illis ipſis ſcilicet diebus, quando Elector captus fuit.

Miſena cum Canonici hora ſeptima matutina cantum Auguſtini, *Te Deum Laudamus*, de capto Electore ceciniſſent, fulmen hora 5. poſt meridiem ædem illam incendit, tres turres dejicit, tectum, organum, campanas igne conſumit, cum nullum aliud tonitru vel præceſſiſſet, vel ſecutum eſſet.

Ferdinandus *Bohemiæ rex mandarat Bohemis, ut ſe cum Mauritio conjungerent, & ditiones Friderici occuparent. Hoc contra pacta eſſe cum domo Saxonica Bohemi aſſerunt, & operam in hac re denegant.* Ferdinandus *iratus quoſdam, qui autores videbantur, in vinculis habet, quoſdam ſupplicio afficit, nec tamen efficere poteſt, ut Bohemi ſibi contra Electorem adeſſent, præter quam pauci, reliqui inter ſe fœdus faciunt, ad tuendam ſuam libertatem, ſed cum Elector paulò poſt caperetur, Ferdinandus menſe Julio* Pragam *venit, Pragenſibus privilegia adimit, eosque in extremam ſervitutem redigit.* Chyt.

Hermannus Colonienſis Epiſcopus, qui religionem Pontificiam reformaverat, à pontifice deponitur, & ut Canonici alium eligant, mandatur. Imperator oſtendit, ſeſe exequi velle Pontificis decretum, ideò Hermannus ſponte Epiſcopatu abit & ſuccedit Adolphus Schavenburgenſis. *Chyt.*

In Saxonia inferiore Brema *aliquoties obſidetur, ſed ſtrenuè ſe defendit, cum haberent auxilia Electoris Saxoniæ, vario marte igitur ibidem in Epiſcopatu Verdenſi belligeratur, donec Elector caperetur.* Chyt.

Auguſtæ celebrantur comitia ab Imperatore armata, agitque ſeverè cum Proteſtantibus, ut conſentire velint Concilio Tridentino. Sed cum Proteſtantes demonſtrarent, concilium decreta quædam feciſſe de religione, cum tamen noſtri auditi non eſſent, Imperator de alia pacis ineundæ ratione cogitandum putat. *Chyt.*

Petrus Lotſius Farneſius, Dux Placentiæ & Parmæ, filius Pauli tertii Pontificis, propter tyrannidem & alia graviſſima ſcelera ex inſidiis trucidatur, & inſepultus abjicitur die 10. Septembris, & *Placentia* per Gozagam Imperatori Carolo reſtituitur. *Gonzaga* ille ſcelerum vindex acerrimus, hoc anno præfectum Comenſem, qui captivi cujusdam uxorem falſis promiſſis de marito liberando inductam ſtupraverat, & tamen ipſius virum interfecerat, ſuſpendi jubet. *Chyt.*

Juſtus Lipſius Belgarum doctiſſimus, naſcitur 18. Octobr. D. Lucæ ſacro, in Iſcano, Brabantiæ municipio.

Rex Angliæ iterum in Scotiam irrumpit, honeſtas tamen de pace conditiones proponit, quas cum Scoti ſtultiſſimo conſilio repudiarent, prælio congreſſi turpiter vincuntur: clades accidit die 10. Sept. Buch.

Academia *Witebergenſis, quæ propter bellum diſſipata fuerat, inſtauratur juſſu* Mauritii, *& Profeſſores ad operas ſuas obeundas revocantur. Idem in utraque Academia* Stipendia *pauperum ſcholaſticorum ordinavit, communes menſas auxit, Conſiſtoria conſtituit, & ut annua viſitatione Eccleſiæ inſpicerentur, ordinavit, die 6. Nov.* Chyt.

Lucas Cranich, pictor celebris & Senator Witebergenſis, vocatus in caſtra Cæſaris, & juſſus petere aliquid à Cæſare propter artem, tantum interceſſit pro principe ſuo captivo.

ANNO MUNDI 549.7 Æræ C. 1548.
A. G. ☉ 17. ☽ 10. Ind. 6.

Annus Indorum 1642. *& Hegira* 955. *incipit* 10. *Febr. fer.* 7.

Albertus *Mansfeldicus, quod ſumtuoſè & crudeliter præeſſet, ex ditione* Werdenſi *ejicitur, inde Magdeburgũ deſcendit, ubi urbs in bellicis cõſiliis adfuit.* Sleid.

Johannes Moſchorum rex legatos mittit ad Carolum Imperat. Auguſtam, offert ipſi ingentia auxilia Turcica, & viciſſim petit *Doctores* ad inſtituendas Eccleſias, *Juriſperitos* ad condendas leges, & artifices manuarios ad arma bellica Fabricanda, &c. quæ omnia Imp. ipſi concedit. Sed cum Lubecæ iter ingreſſuri eſſent, Lubecenſes edocent Imp. de fraudibus Moſchorum, & eos armis invandos non eſſe, & impediunt totum Moſchi conſilium. *Chyt.*

Mauritio *Duci Saxoniæ confertur dignitas Electoralis Saxoniæ, Auguſtæ, inſpectante Johanne Friderico captivo:* & deinde cum Pontifex negaret capita doctrinæ in concilio confirmata mutari poſſe Imp. jubet, ut à *Julio* Pflug. *Michaele Sidonio*, *& Johanne Islebio*, liber conſcribatur de religione in Germania obſervanda *Interim*, dum concilium legitimè inſtituatur. Is liber publicatur die 15. Maji, & varia judicia Proteſtantium experitur. Cum omnibus obtruderetur conſtantes in eo rejiciendo fuerunt *Johannes* Brandeburgicus, *Wolffgangus* Bipontinus, & inprimis captivus *Elector*, urbes etiam Saxonicæ. Hujus libri occaſione poſtea diſputatum eſt de Adiaphoris, Synergia, bonis operibus, &c. quibus controverſiis curſus Evangelii valdè impeditus fuit. *Chyt.*

Bajazeth *Soleimanni Turcæ filius, profugit ad Perſas quem Soleiman inſequitur, & accipit Ducem regis Perſici fratrem, attamen magna clade à perſis afficitur, quos juvabant Luſitani, qui animosè Turcas aggreſſi, Perſarum animos exſtimularunt.* Bizarus. *Duravit bellum ferè biennium.*

Annus Nabonaſſaris 2297. & Philippi 1873. incipit die 1. Aug. fer. 4.

Annus Alexandr. 1860. & Antiochi 1597. & Conſtantinop. 6075. incipit 1. Octob.

Annus Jezdegird. 918. incipit 30. Octob. fer. 3. Armen. 998. die 2. Nov. feri 6.

Regina *Scotiæ vidua in Galliam ad regem tranſit, ubi de connubio inter Delphinum & Marsam hæredem Scotiæ actum eſt:* Buch.

Eduardus rex Angliæ, profligatâ Pontificiâ doctrinâ, & abrogatâ Miſsâ, religionem mutat, cujus occaſione etiam in Scotia religio plantata eſt. *Chyt.*

Conſtantia urbs oppugnatur ab Hiſpanis, & deditur tandem Auſtriacis, Doctores Evangelici urbe excedunt, & Pontificia religio reſtituitur. *Sleid.*

Franciſcus Spira Italus, abjurata religione, in triſtiſſimos conſcientiæ cruciatus incidit, & moritur. *Sleid.*

Petrus Paulus Vergerius à Pontifice legatus in Germaniam, ut Lutheri doctrinam refutaret, dum legit Lutheri libros, puram religionem diſcit, eique aſſentitur, & relicto Epiſcopatu, Heidelbergæ manet. *Sleid.*

Sigiſmundus *Poloniæ rex, cum regnaſſet annis 42. moritur, ſuccedit ipſi Sigiſmundus Auguſtus filius, in quo poſteritas Jagellonis extincta fuit, regnavit autem annos 22.* Chyt.

ANNO MUNDI 5498. Æræ C. 1549.
F. ☉ 18. ☽ 11. *Ind.* 7.

Annus urbis 2301. *Julianus* 1594.
Æra Hiſpanica 1587. *Auguſtorum* 1578.
Carolus Imp. inchoat annum imper. 31.
Annus Neuruz Gelali 470. incipit cum Æquinoct. verno.

Annus Indorum 1643. & Hegira 956. incipit die 30. Jan. feria 4.

Auguſtus Dux Saxoniæ, quod uxorem duxiſſet, renunciat Epiſcopatui Mersburgenſi, quapropter ei ſufficitur, Michael Heldingus, qui fictitius erat Epiſcopus Sidonis, & proinde *Sidonius* appellabatur, qui concionator fuerat Imperatoris Caroli Auguſtæ. Sed introducitur tandem ſequenti anno cum promiſiſſet, ſe religionem Lutheranam non abrogaturum. *Chyt.*

Martinus Bucerus, Paulus *Fagius* Argentorato diſcedunt in Angliam, & *Petrus Martyr*, qui poſtea defunctus eſt in Anglia, menſe Majo.

Magdeburgenſes *proſcribuntur ab Imp. Carolo.* Sleid.

Olympias 581. incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus 2325.

Annus Diocletiani 1266. incipit die 29. Auguſti.

Matthias Francovitz, gente Illyricus, patria Albonenſis, cognomento *Flacius*, Witebergà ſe confert Magdeburgum, & cum Nicolao Gallo contra Philippum & alios in doctrina de adiaphoris ſcribit.

Paulus III. Papa, cum ſediſſet annos 15. vixiſſet annos 82. moritur die 10. Novemb. moleſtiſſimè hic tulerat, quod Carolus Imperator ſibi tantùm ſumpſiſſet inſcribendo & proponendo libro *Interim.* Vacat ſedes menſibus duobus.

ANNO MUNDI 5499. Æræ C. 1550.
E. ☉ 17. ☽ 12. *Ind.* 8.

Annus Indorum 1644. & Hegira 957. incipit die 19. Jan. fer. 1.

Julius Papa III. antea Johannes Maria de monte dictus, poſt longas diſſenſiones eligitur Papa, die 8. Febr. qui die 24. Februar. portam auream aperiens *Jubilæum* celebrat, & ad voluntatem Caroli Imp. Synodum Tridentinam continuat. Sedit hic annos quinque & menſem unum. *Onuff.*

Carolus Imp. in Belgio promulgat edictum in Lutheranos, quod magnas turbas peperit Antverpiæ. *Sleid.*

Menſe Julio Imp. Carolus comitia celebrat, in quæ acturus erat cum Electoribus, ut Ferdinandus *frater ſponte ſe abdicaret à regno Romano, & contra eligeretur filius ſuus Philippus, quem propterea adduxerat & advocarat etiam ſororem, quæ ad Ferdinando perſuaderet. Sed Electorum Politicorum nullus acceſſit, nec Carolo aſſentiri voluerunt.* Mauritius miſit tantum legatos, qui proteſtarentur contra concilium Tridentinum, peterentq; ut id de integro inchoaretur, & Lutheranis etiã decidendi poteſtas daretur. *Sleid.*

Heinricus *Brunſuicenſis obſidet* Brunſuicum, *cum multa damna utrinque data eſſent, ſed nihil efficit, niſi quòd agris & villis damna intulit, donec edicto Caroli Imp. & interceſſione vicinarum urbium bellum componeretur.* Chyt.

Georgius Dux Megalopolitanus, qui Brunſuicenſem adjuverat in bello, cum milites dimitterentur, conducit tria millia peditum, & ducentos equites, ejecturus fratres Ducatu, ſed pecunia deſtitutus, ut milites haberet obſequentes, eos deducit in Magdeburgenſium ditiones prædatum, & ita graſſatur incendiis & vaſtationibus, ut Magdeburgi putarent, ipſi armis reſiſtendum, ſed vincuntur prope Hildeſlebium ad Oriam fluvium, die 22.

Sept,

Septemb. Sed nihil inde dejectiore animo, ſe & alios conſolantur publico edito Scripto: hac tamen ratione factum eſt initium obſidionis, cujus belli Dux conſtituitur ab Imperatore *Mauritius* Elector, datque ipſi in ſingulos menſes ſexaginta aureorum millia, cui adjungitur Legatus *Lazarus* Suendius: Magdeburgenſes obſeſſi, die 19. Decemb. erumpentes, hoſtes ſuos in pago Otterſleben obruunt, pluſquam ducentos nobiles capiunt, ut & Georgium Ducem Megalopolitanum, quem ſequenti die in pugna velitaria capiunt, *Sleid.*

Oſiander in Boruſſia turbas movet de juſtitia hominis eſſentiali: cum ei contradiceret *Morlinus*, & princeps Oſiandro faveret, *Morlinus* Pruſſia ejectus eſt. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5500. Æræ C. 1551.
D. ☉ 20. ☽ 13. *Ind.* 9.

Annus Indorum 1645. *& Hegira* 958. *incipit* 9. *Jan. fer.* 6.

Heideccius *Comes & alii, adducturi Magdeburgenſibus auxiliares copias, exercitum colligunt, cui occurrit Mauritius, eosque obſedit* Werdæ. *Cum itaque erumpere non poſſent, nec etiam obſidionem tolerare, quod commeatu deſtituerentur, paciſcuntur cum Mauritio, qui ita eos dimiſit, ut ſtatim quinque ſigna ſibi conduceret, ut & ipſum Ducem Comitem* Heideccium: *ubi primùm ſe ita aperuit* Mauritius, *ut dicederet, ſe non pugnare in perniciem Magdeburgenſium, ſed illorum urbem, libertates, munitiones, & religionem cupere ſalvas.* Chyt.

Heinricus Galliæ rex bellum meditatur contra Carolum Imp. & cum arbitraretur, *Mauritium* Electorem infenſum *Carolo*, quod *Landgravium* ſocerum non captivitate liberaret, occultè ejus animum tentat deſœdere, cui Mauritius, re communicata cum *Alberto* Brandeburgico & paucis aliis aſſentitur. Cùm verò bellum geri non poſſet contra Carolum Imp. niſi ſequentis anni initio, ut milites in procinctu habeat, obſidionem Magdeburgenſem lentè continuandam cenſet. *Chyt.*

Dragutes *Pirata celebris*, Aphrodiſium *in Africa ſuperiori anno munierat, ſed* Andreas Dorias, *ne damnum inde Hiſpaniis afferretur, eò profectus fuerat, Dragutem ejecerat, & ad ſeptem millia Maurorum occiderat: Dragutes profugus ad Soleimannum venit, impetratque auxilia, quibus hoc anno* Tripolin *Maltenſium equitum urbem obſidet, & fraude Dragutis ac legati Gallici eam occupat, die* 15. *Auguſti.* Annal. Turc.

Georgius Major contentionem non neceſſariam movet de neceſſitate bonorum operum in juſtificatione. Sic *Stancarus* Mantuanus de Mediatore Chriſto ſecundum humanam naturam turbas movet.

Cum Magdeburgenſes obſidionem amplius non tolerare poſſe viderentur, pax fit, & militibus Magdeburgenſibus ſtipendia ſolvuntur clanculum à Mauritio, & dimittuntur, ſtatim tamen iterum conducuntur, à Gregorio Megapolitano, & diſtribuuntur in oppidis Herciniæ ſylvæ.

Mauritius, *ut Imperatori omnem belli ſuſpicionem eximeret, ſcribit ad ipſũ, ſe brevi cum convenire velle, mittitq; legatos cum interceſſoribus multis pro* Landgravio, *ubi tamen nihil impetrat.* Jubet etiam conſcribi à Philippo Melancht. confeſſionem Saxonicarum Eccleſiarum, quæ concilio Tridentino offeratur: mittit etiam legatos Tridentum, qui ſuis legatis ſalvum conductum peterent. Concilium enim eo hoc anno per Pontificem die 1. Maji inſtauratum erat, & poſtea mittit ſuos Theologos Tridentum, quos tamen Norinbergæ ſubſiſtere jubet. *Sleid.*

Annus Indorum 1646. *& Hegira* 959. *incipit die* 28. *Dec. fer.* 3.

ANNO MUNDI 5501. Æræ C. 1552.
C.B. ☉ 21. ☽ 14. *Ind.* 10.

Heinricus *Dux Megalopolitanus, cum annis* 48. *præfuiſſet, moritur die* 6. *Februarii: ſuccedit Patruelis Johannes Albertus,* qui in templis Cathedralibus & cœnobiis religionem Chriſtianam puriorem inſtituit *& præeſt annis* 24. *Academiam Roſtochienſem reſtituit eamque dote ter mille florenorum annua auget.* Chyt.

Mauritius Elector, cum Albertus Brandeburgenſis adveniſſet ex hybernis, movet contra *Carolum*, Auguſtam venit Calendis Aprilis, quam deditione accipit 10. April. Imp. priuſquam de motibus Mauritii aliquid audiret, accipit per fecialem belli literas. Igitur imparatus de nocte Oeniponte diſcedens, accenſis funalibus iter ingreditur in Carniolam, Villa cum verſus, die 20. Martii. *Mauritius* cum Clauſam, fortiſſimum in Alpibus propugnaculum cepiſſet, Oenipontem venit 22. Maji, ubi *Ferdinandus* de bello intercedit, & amicam tranſactionem promittit, ideo reliqui Auguſtam remittuntur. *Mauritius* Paſſavium venit, & Johannes Fridericus Elector captivitate liberatus quidem erat ſponte ab Imperatore, nihilominus tamen Imperatorem ſequebatur; Landgravius dimittitur die 4. Septem. Rex Galliæ, qui in hiſce motibus nequaquam quieverat, Metim urbem deditione ceperat, & præſidiis firmarat, ſed cum moneretur, captivos principes, quorum cauſa bellum ceptum erat, captivitate ſolvi, in regnum redit. Interim *Albertus Brandeburgicus* ſuperiores Germaniæ urbes miſerè affligit, in obſidione Francofurtenſi Georgius Dux Megalopolitanus, dum ligulas extra tentorium adſtringit, tormento interficitur. & tandem *tranſactio Paſſavienſis* perficitur die 20. Julii. *Atque ita hoc bello ſincerior religio ab oppreſſione Pontificia liberata eſt, Paxque ipſi data perpetua, etiamſi in doctrina conveniri non poſſet.* Mauritius tranſacto bello copias in Hungariam dimittit. *Chyt.*

Soleiman per Duces ſuos *Temeſvarum* in Hungaria obſederat, & deditione ceperat. Inde *Lippam* & alia loca capit, & Ferdinandi Duces profligat, inde copiis majoribus *Zolnoccum* aggreditur, idque cedentibus præſidiariis die 4. Septemb. ingreditur, inde *Erlam* ſive Agriam primo oppugnat, & poſtea corona invadit die 29. Septemb. ſed egregiè repellitur. Ferdinandus, cum magnis cladibus affectus eſſet, pacem petit. *Ann. Turc.*

Annus Nabonaſſaris 2301. *& Philippi* 1877. *incipit* 31. *Julii. feriâ* 1.

Annus ſabbathicus 2. *ſive Jobelei* 31. *incipit* 19. *Sept. fer.* 1. *Anno Jud.* 5313.

Annus Alexand. 1846. *& Antioch.* 1601. *& Conſt.* 7061. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Iezdegird. 922. *incipit* 19. *Octob. feria* 7. *Armen.* 1002. 1. *Nov. fer.* 3.

Carolus *Imp. tranſit Rhenũ, & obſidet* Metim *urbẽ imperii, quam Galliæ rex hoc anno occuparat, eò venit*

tem, qui appellatus eſt *Paulus IV.* ſeditque annis 4. *Hic ſequenti anno regnum Neapolitanum Carolo in feudum conferre noluit, niſi ſub gravioribus & novis conditionibus, atque ita ſe ad Gallicanas partes applicat.* Chyt.

Senenſes *à Coſmo Florentino, nomine Caroli Imperatoris obſeſſi, & fame macerati, ſe dedunt, atq; ita Senenſis civitas ceſſit magno Duci Hetruriæ.* Onuff.

Fœdus Hæreditarium inter Duces Saxoniæ & Landgravios Haſſiæ & Brandeburgenſes renovatur Naumburgi ad Salam, die 6. Maji, ubi inter cætera obligatio de doctrina Auguſtanæ confeſſionis non mutanda, & Johan. Fridericus Gothanus ducit viduam Mauritii Electoris, quæ tamen moritur poſt ſex menſes. *Chyt.*

Sueci iterum Moſcho bellum, ſed infelici eventu. Chyt.

In Comitiis Auguſtanis, quibus tamen Auguſtus elector intereſſe non potuit, ut & multi alii, legati eorum tandem obtinuerunt, ut pax religionis in *conventu Paſſavienſi* promiſſa, tandem ſolenniter confirmaretur, & ii, qui nec pontificiæ religioni, nec Auguſtanæ confeſſioni adhærent, excluduntur. *Chyt.*

Annus Indorum 1650. *& Hegiræ* 963. *incipit die* 26. *Nov. fer.* 7.

Carolus V. imp. cùm imperaſſet annis 36. curis & laboribus fractus, novo & inuſitato exemplo in Romana Hiſtoria, poſt Diocletianum & Lotharium, filium Ludovici, imperio & regno ſe abdicat, die 25. Octob. & regna quidem confert filio *Philippo*, qui jam ex Anglia redierat, imperii verò in fratrem *Ferdinandum* transmittit poſt biennium. Philippus verò rex regnat annis 42. *Chyt.*

Dum legati, quos Ferdinandus ad Soleimannum miſerat, redeunt, Babotza *ſe Turcis dedit, præſidiariis de fide decedentibus, ſed præſidium in* Sigetho *ſe fortiter gerit.* Ann. Turc.

ANNO MUNDI 5505. Æræ C. 1556.

E. D. ☉ 25. ☽ 18. *Ind.* 14.

Carolus V. *ex Belgio cum ſororibus,* Leonora ac Maria *in Hiſpaniam navigat, & in monaſterium, D. Juſti in finibus Caſtiliæ ſitum, religioni vacaturus concedit, ubi reliquum vitæ tranſegit.* Sleid.

Henricus Dux Brunſuicenſis, infenſus filio Julio, quòd religioni Lutheranæ deditus eſſet, ut alium hæredem habere poſſet, ducit uxorem *Sophiam*, Poloniæ regis ſororem, ſpe prolis, qua tamen fruſtratus eſt. *Chyt.*

Fridericus Epiſcopus Sleſuicenſis, jam morti vicinus videbatur, ideo Adolphus frater Dux Holſatiæ plurima privilegia canonicis promittit, promiſſaque præſtat annis ſeptem, ubi vi Canonicis literas ſuas extorſit, eosque planè in ſervitutem redegit, in qua vixerunt annis 13. donec Adolphus anno 1586. defungeretur, & rex Epiſcopatum Sleſuicenſem ſibi ſumeret, qui Canonicis quædam privilegia reſtituit. *Chyt.*

Albertus *ex Galliis in Germaniam fide publica redit & exul ad ſororium ſuum Carolum Marchionem Badenſem conceſſit, ubi ſequenti anno obiit.* Chyt.

Annus Nabonaſſaris 2395. *& Philippi* 1881. *incipit die* 30. *Julii, fer.* 5.

Annus Alexandr. 1868. *& Antioch.* 1605. *& Conſtantinop.* 7065. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezd. 926. *incipit* 28. *Oct. fer.* 4.

Soleiman Halibaſſam mittit ad *Zigethum* obſidendum, quam obſidionem continuavit tribus menſibus: Sed fortiter repulſus eſt cum ignominia; ideo cum deſperaret, *Babozam* & alia oppida in vicinia defendi poſſe, ea incendit, & loca illa deſerit. *Ann. Turc.*

Fridericus *Palatinus, cum annis* 12. *præfuiſſet, moritur: ſuccedit ipſi* Otto Heinricus, *qui præſt annis ferè tribus.*

Turcæ Corſicam Inſulam vehementer lacerant, ad quam tamen defendendam Papa undique pecuniam corradit, & imprimis Judæos pecunia emungit. Judæi conquæruntur de hac re apud Soleimannum, qui poſtea intercedit pro Judæis apud Papam anno Heg. 964. die ultimo Rabie Achir, qui eſt 2. Martii anni ſequentis

Moritur hoc anno Johannes Forſterus & Johannes Sleidanus.

Adolphus Archiepiſcopus Colonienſis cum novem annis præfuiſſet, moritur; ſuccedit ipſi frater *Antonius*, qui duobus annis præeſt. Quidam Status in Auſtria petunt liberum religionis exercitium quod ipſis quidem à Ferdinando apertè non conceditur, qui tamen id ſibi ſumpſerant, eos non prohibet. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5506. Æræ C. 1557.

C. ☉ 26 ☽ 16. *Ind.* 15.

Annus urbis 2309 *Julianus* 1602.

Æra Hiſpanica 1595. *Auguſtorum* 1584.

Annus Gelali Perſ. 478. *incipit cum Æquinoct. Verno.*

Chriſtophorus *Epiſcopus Bremenſis ſubditos ſuos* Wurſatos, *quod decimam partem bonorum ſuorum tributi nomine pendere nollent, bello affligit, quo Brunſuicenſium ditio læſa eſt. Ideo Brunſuicenſes Epiſcopi exercitum profligant, Duces ejus capiunt, & jubent ut Epiſcopus deponatur, qui tamen utcunque ſe excuſat.* Chyt.

Tiberis *Romam inundat periculoſiſſimè, ita ut bona pars urbis eluvione periret.* Onuff.

Inducias quinq; annorum inierant *Hiſpaniæ & Galliæ* reges ſuperiori anno, ſed cum Gallus Pontifici, proregem Neapolitanum oppugnanti, auxilia mitteret, induciæ ruptæ ſunt. Ideò Philippus Hiſpanus ab Anglis in novo regno petit auxilium & obtinet, & *Maria* regina Angliæ indicit *Henrico* Galliæ regi bellum 7. Junii: Philippo præterea auxilia adducunt Duces Brunſuicenſes. In eo bello Galli magno prælio vincuntur, cæſis ferè tribus millibus, & captis quinque ferè millibus, inter quos multi illuſtres viri fuerunt. & *Quintinum*, quod Galli præſidio tenebant, deditum eſt. Hæc victoria Philippo magnam gloriam peperit, & Gallus Guiſium Ducem ex Italia revocare coactus eſt. Prælium factum die 10. Auguſti. *Chyt.*

Olympias 583. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2333.

Annus Diocletiani 1274. *incipit die* 29. *Aug.*

Wormatiæ Colloquium Theologorum inſtituitur, Catholicorum & Proteſtantium, quod diremptum eſt aſtu per Catholicos, qui ſectas eſſe inter ſocios Auguſtanæ Confeſſionis, qui in pace religionis non comprehenderentur, affirmabant: Eos igitur primum ſegregari & damnari volebant.

Cum Conſtantinopoli iterum controverteretur inter Epiſcopos de electione *Patriarchæ*, Soleiman eò rem deduci juſſit, ut *Patriarcha* non tantum

tum quotannis imperatori Turcico penderet tributi nomine quatuor mille & centum ducatos, ſed honorarii nomine etiam tria millia ducatorum, cum antea quingentos tantum dediſſent. *Cruſ.*

Annus Indorum 1652. *& Hegira* 965. *incipit die* 24. *Octob. feria* 2.

Johannes *Rex Portugalliæ moritur die* 9. *Junii, cum regnaſſet annis* 35. Hic primus inquiſitionem Hiſpanicam in regnum una cum Juſuitis recepit: *Succedit ipſi* Sebaſtianus *nepos, qui regnat annos* 23. Duard.

Pax in Livonia tandem concluditur inter Archiepiſcopum Regenſem & Sigiſmundum regem Poloniæ, ſed Moſchus, cum videret Livoniam *exhauſtam inteſtino bello, ipſis menſe Novembri iterum bellum indicit.* Chyt.

ANNO MUNDI 5507. Æræ C. 1558.

B. ☉ 27. ☽ 1. *Ind.* 1.

Moſchus ſtatim menſe Januario in Livoniam movet, omnia vaſtat, & multa millia hominum in triſtiſſimam ſervitutem abducit. Etſi enim Livoni ſubinde inducias petebant, & pecuniam afferebant: tamen cum pecunia lentè conficeretur, & ipſe interim *Nervam* occuparet, omnem pacem cum pecunia rejecit. *Derbatum* etiam urbs in poteſtatem Moſchi rediit, quam urbem Livonii equites ante annos 320. Moſchis eripuerant. *Revalia* urbs ſe regi Daniæ, cum omnes ita in Livonia metu conterriti eſſent, dedit, ſed non recipitur, ſed potius pecunia & commeatu juvatur: pauci fuerunt, qui Moſcho in fine anni reſiſtere auſi ſunt, qui Moſchum magis irritarunt, quàm vires ejus fregerunt. Hoc bello commercia cum Moſchis, quæ fuerant Revaliæ, *Nervam* tranſlata ſunt magno damno Livoniorum. *Chyt.*

Otto Heinricus *Elector Palatinus Rheni, cum vix triennium præfuiſſet, moritur die* 12. *Febr. Succedit ipſi, cum Ludovici cæci poſteritas extincta eſſet, in qua hæc dignitas annis* 148. *viguerat,* Fridericus *Comes Simmerenſis, decimo gradu Ottoni Heinrico agnatus, qui præfuit annis* 18. Chyt.

Cum Comitia Francofurti ad Mœnum celebrarentur, Carolus miſſis legatis inſignia imperii, ſceptrum & coronam per Legatos mittit, & plenè imperio renunciat. cum annis ferè 40. præfuiſſet. *Ferdinandus* ibi ſolenniter eligitur die 18. Martii, ſed Papa eum pro Imperatore agnoſcere noluit, propterea quod ſe inſcio imperium ſumpſiſſet, & inſuper pacem Proteſtantibus dediſſet; imperavit annis 6. *Buch.*

Jenenſis *Academia ſolenniter introducitur, privilegiis aucta à* Ferdinando. *Hæc ante decennium à* Joh. Frider. *captivo inſtituta fuerat, cum vereretur optimus Elector, ne per librum* Interim *purior doctrina religionis corrumperetur.*

Galliæ rex per Duces ſuos *Caleſium*, quod Angli in poteſtate habuerant annis 211. & portam ſive clavem Galliæ appellabant, expugnat, multasque urbes alias, quibus occupandis æſtas conſumpta eſt, donec finiente anno pax fieret.

Wilhelmus *Dux Saxoniæ, cum operam ſuam, vel togatam vel bellicam Imperatori obtuliſſet, & nihil impetraret, addicit ſe regi Galliæ, eique hoc anno adducit ter mille & quadringentos equites.* Chyt.

Carolus V. *moritur* 21. *Sept. die Matthæi, cum paulo ante Cometa fulſiſſet menſe Auguſto.* Bun.

Annus Indorum 1653. *& Hegira* 966. *incipit die* 14. *Octob. fer.* 7.

Pax *inter Norinbergenſes, & Georgium Fridericum Alberti agnatum, cui Ferdinandus totam ditionem defuncti Alberti reddiderat; conſtituitur, ita ut urbes & Epiſcopi adhuc pecunia mulctarentur.* Chyt.

Maria *regina Angliæ moritur die* 17. *Nov. cum præfuiſſet annis ferè ſex, ſuccedit ipſi ſoror* Elizabetha *literis eleganter culta.* Hæc ſtatim ſequenti anno decreta Mariæ de Miſſa Pontificia abolevit, & religionem emendatam per totum regnum doceri voluit.

ANNO MUNDI 5507. Æræ C. 1559.

A. ☉ 28. ☽ 2. Ind. 2.

Calendis Januarii moritur *Chriſtianus* Daniæ rex, cùm regnaſſet annis 23. ætatis 56. Succedit ipſi *Fridericus* filius, qui regnat annis 29. coronatur tandem die 20. Auguſti. *Chyt.*

Mortuo Chriſtiano Daniæ rege, ſtatim Duces Holſatiæ Ditmarſos *movent, eosque tribus præliis victos ſibi ſubjiciunt menſe Junio, cum barbaram ſuam libertatem annis ferè* 400. *defendiſſent.* Chyt.

Vidua Scotiæ Guiſiana Gallos evocat, & religionem puriorem in Scotia renaſcentem extinguere conatur. Hinc bellum oritur, cum Status in Scotia ab Anglia vicina auxilia impetrarent, idque bellum ſequenti anno geſtum eſt. *Buch.*

Soleimanni *filii, Selimus & Bajazethes de imperio vivo adhuc parente decertant, Bajazethes victus ad Techmaſin Perſarum regem profugit, ubi juſſu Soleimanni tandem cum filiis poſt biennium anno Heg.* 969. *occiſus eſt.* Ann. Turc.

Comitia Auguſtæ celebrantur, quibus multi interfuerunt principes. Ferdinandus diligenter egit de concilio celebrando; reſpondent principes, ſi concilium legitimum eſſet, in quo Papa concilio ſubjiceretur & controverſiæ ex ſolo verbo Dei, & primitivæ Eccleſiæ ſententia dijudicarentur, & ſuis Theologis etiam partes decidendi darentur, id admitti poſſe. Sed cum hujusmodi concilii ſpes nulla ſit, pax religioni data, in perpetuum confirmatur. *Chyt.*

Philippus Hiſpaniæ rex atrociſſimè in ſuſpectos & accuſatos mutatæ religionis ſævit, vivum cum liberis excuſſit Conſtantinum, qui patri Carolo morienti adfuerat. Cremavit præterea plurimos equeſtris ordinis viros. *Chyt.*

Annasburgius Lutetiæ crematur ob religionem, die 20. Decemb. Hic Heinricum regem ſuppliciis adverſus pios ſpirantem à perſecutione animosè dehortatus fuerat in Parlamento, qua libertate rex offenſus cum in vincula conjici mandat, & ſe oculis ſuis viſurum, quomodo cremaretur dixerat. Sed rex die 10. Julii, in haſtiludio, dextro oculo transfixo, lethale vulnus accipit, *& cum graviſſimos cruciatus novem diebus toleraſſet, moritur* 19. *Julii. Regnarat annos* 12. *Succedit ipſi* Franciſcus, *qui regnat tantum quindecim menſes.* Chyt.

Paulus IV. Pontifex moritur die 18. Auguſti, in agone Inquiſitionem Hiſpanicam, quam inſtituerat & ſanctiſſimum officium appellare conſueveverat, cardinalibus omnibus commendat: ſederat autem annos quatuor, menſes tres. Sub ejus mortem plebs Romana carcerem Inquiſitionis effringit, & dimiſſis captivis incendit. Cardinales totis quatuor menſib. de ſucceſſore eligendo rixantur. *Onuff.*

Annus

Annus Indorum 1654. *& Hegira* 967. *incipit die* 3. *Octob. fer.* 3.

Moſchus crudeliſſimè vaſtat Livoniam. Livoni cùm ab imperio non defenderentur, & ipſi viribus Moſchis, inferiores eſſent, exorant Polonum, ut ſe defendere velit, ſalvo jure imperii, & accipere præfecturas pro ſumptibus belli novem, quæ tamen redimi poſſent ſexcentis millibus aureorum, atque ita Moſchis reſiſtere incipiunt. *Chyt.*

David Georgius *Hæreſiarcha, qui ſe Chriſtum eſſe finxit, cum ante triennium defunctus eſſet, & Hæreſis ejus jam innoteſceret, effoditur & crematur die* 3. *Maji.*

ANNO MUNDI 5509. Æræ C. 1560. G. F. ☉ 1. ☽ 3. Ind. 3.

Poſt longas Cardinalium contentiones tandem in fine ſuperioris Decemb. creatur Papa Johannes Angelus Medicinus, ſed Mediolanenſis, coronatur die 6. Januarii, vocaturque *Pius IV.* ſeditque annos quinque. *Hic legatos Ferdinandi, quod Paulus Pontifex in perpetuum recuſaverat, honorificè recipit, & eundem pro Imperatore agnoſcit.* Onuff.

Philippus rex Hiſpaniæ per Ducem Medinæ Celi in Meningâ Inſulâ arcem inſignem munire incipit, eique perficiendæ præficit Alvarum cum præſidio ſex millium militum. Sed Soleiman validam claſſem mittit, quâ Andreas Dorias victus fuit, amiſſis viginti ſeptem triremibus, & arx in Meninga deditur: Hac clade perierunt captivitate & cædibus ad octodecim millia Chriſtianorum: Dux Dorias cum Duce Medinæ vix in inſulam Maltam effugit. Turcæ etiam in Hungaria *Fillecum* locum ſatis munitum capiunt, & Sangiacum inſtituunt, qui ſubeſſet Baſſæ Budenſi, & paulò pòſt induciæ fiunt inter Soleimannum & Ferdinandum. *Annal. Turc.*

Roſtochii ſeditio oritur. Ante ſex annos, cùm Duces Megalopolitani in magno ære alieno eſſent, Conſul, cum aliis Statibus contributurus ad illud æs alienum diſſolvendum, quod id feciſſet abſque civium conſenſu, ſenatu movetur. Hoc anno totus Senatus non diſſentientibus civibus ſtatuit, Duces pecunia juvandos, promittuntque aureorum octoginta ſex millia, ſed cùm in ærario pecunia non eſſet, ratio expenſarum à Senatu petitur à multis annis, & antiſenatus inſtituitur. *Chyt.*

Guſtavus *rex Sueciæ, qui regnum illud ex faucibus tyranni* Chriſtierni *eripuiſſet, regnaſſetque annis* 40. *moritur die* 29. *Septembr. Succedit ipſi primogenitus filius* Ericus, *qui regnat annis octo.* Chyt.

Annus Nabonaſſaris 2309. *& Philippi* 1885. *incipit* 29. *Jul. fer.* 2.

Annus Indorum 1655. *& Hegira* 968. *incipit die* 21. *Sept. fer.* 7.

Annus Alexandr. 1872. *Antioch.* 1609. *& Conſt.* 7069. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Jezdeg. 930. *incipit* 27. *Octob. fer.* 1. *Armen.* 1010. *die* 30. *Octobr.*

Mortuus eſt hoc anno, die 19. Aprilis *Philippus Melanchton*, item Georgius Sabinus ejus gener, 2. Decemb.

Franciſcus Galliæ rex, adoleſcens ſeptendecim annorum, moritur die 5. Decembris: Succedit ipſi frater *Carolus IX.* puer adhuc, qui regat annis 13.

ANNO MUNDI 5510. Æræ C. 1561. E. ☉ 2. ☽ 4. *Ind.* 4.

Annus urbis 2313.	*Julianus* 1606.
Æra Hiſpanica 1599.	*Auguſtorum* 1588.

Ferdinandus inchoat annum imp. 3.

Annus Gelali Perſ. 482. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Numburgi ad Salam conveniunt Principes Proteſtantium menſe Januario, ubi concluſum, *Confeſſionem Auguſtanam* exhibi tam *Carolo V.* in comitiis Auguſtanis, ſolam pro authentica habendam, eique ſubſcribendum, & deinde concilium Tridentinum recuſandum, quod à Pontifice indictum eſſet, & quòd Epiſcopi juramento Pontificis tenerentur. Advenerunt ad hunc conventum legati Imperatoris & Pontificis: Imperatoris legati honorificè ſuſcepti ſunt, Pontificis non ita, nec literæ etiam eorum reſignatæ. Inde Pontificis legati in Daniam contendunt, & Lubecam perveniunt, ſed à Dano negatur ipſis ſalvus conductus, ideò redeunt. *Chyt.*

Pontifex Pius IV. concilium Tridentinum iterum indici curat, quod in Paſchate initium ſumeret, ſed res extracta eſt in ſequentem annum. *Onuf.*

Carolus IX. *rex Galliæ coronatur Rhemis die* 18. *Maji*, & poſtea comitia Aureliæ celebrata ſunt, in quibus pax aliqua reformatis Eccleſiis conceditur, & colloquium *Poſſiacum*, in quo præſentes ſint rex & regina, inſtituitur: collocutores ex unâ parte fuerunt Epiſcopi, ex altera *Petrus Martyr*, *Beza*, *Marloratus.*

Hugonotorum nomen ſuperiori anno initium ſumpſerat *Turoni*, ubi ad Portam Hugonis religionis reformatæ dediti convenire ſolebant.

Ericus Sueciæ rex coronatur die 29. Junii, & recipit in tutelam *Revaliam* urbem Livoniæ, quàm non ſolùm munit, ſed & præſidiis inſtruit, & vicinam ſimul urbem occupat, impedit etiam Lubecenſes, ne Narvam navigent: hoc modo hoſtes ſibi facit non tantùm Lubecenſes, ſed & Polonos & Danos, unde bellum poſtea erupit. *Chyt.*

Olympias 584. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2337.

Annus Diocletiani 1278. *incipit* 28. *Aug.*

Annus Indorum 1656. *& Hegiræ* 969. *incipit* 11. *Sept. fer.* 2.

Middelburgi in Zelandia collegium Canonicorum mutatur in Epiſcopatum, autoritate Pontificia & regis Philippi, cùm Canonici ſuum jus obtinuiſſent annis 250.

Jacobus quidam Græcus, ex familia nobili, tantùm efficit apud Polonos, ut in Moldaviam cum exercitu deduceretur, qui Alexandrum loco pepulit, & Bulgariæ Weivvoda factus eſt die 28. Novemb. conſentiente Soleimanno, ſed idem hic ſequenti anno à Walachis circumventus, occiditur die 5. Nov. *Annal. Turc.*

ANNO MUNDI 5511. Æræ C. 1562. D. ☉ 3 ☽ 5. *Ind.* 5.

Gothardus Ketler, magiſter ordinis Teutonici in Livonia, cùm auxilia ex imperio habere non poſ-

poſſet, totum ſe dedit regi Poloniæ, & tradit ipſi omne ſuum jus, die 5 Martii, cùm is ordo duraſſet annos 358. ſeq. die rex Poloniæ *Gothardum* creat Ducem Curlandiæ, cui Status ſolenne juramentum præſtant. *Chyt.*

Coſinus *Florentiæ Dux, ad exemplum militum Maltenſium, novum equitum ordinem* Stephanitarum *creat, qui Turcis reſiſtant excurrentibus in Italiam, iis Inſulam Tuſci maris, olim* Ebuſam *dictam concedit; conditur ibi nova urbs Coſmopolis.*

Hamburgenſes, *dum ſuum jus in Albeſtrictè urgent, & naves quaſdam regis Daniæ Hamburgum ducunt, offendunt regem, qui ſimiliter Hamburgenſium naves areſto detinet. Per Principes interceſſores res ita componitur, ut Hamburgenſes regi mulctam 12. millium aureorum ſolverent, & ſententiam de ſuo jure ex Camera Imperiali expectarent.* Chyt.

Ericus rex Sueciæ, quosvis ſuos vicinos injuriis laceſſit, & in Livonia multa, quæ Polono dedita fuerant, occupat, quapropter Polonus cum rege Daniæ contra regem Sueciæ fœdus facit, & bellum ſequenti anno geſtum eſt. *Chytr.*

Moſchi hoc anno Polono, quòd Livonos in tutelam receperat, bellum inferunt, cùm Polotiam in Lithuania die 15. Feb. vi expugnaſſent. *Chyt.*

Annus Indorum 1657. & Hegira 970. incipit die 31. Aug. fer 2.

Maximilianus filius Imperatoris coronatur Bohemiæ rex, die 20. Septemb, atque inde Romanorum rex, die 20. Novemb. & ſequenti anno Hungariæ rex, die 7. Septemb. *Chyt.*

Philippus Hiſpaniæ rex plurimos novos Epiſcopatus in Belgio inſtituit, & novos Epiſcopos introducit, quibus ſingulis dat quotannis ex Abbatiis tria aureorum millia. Cùm verò privilegia provinciarum hoc modo multipliciter violarentur, Prælati apud ordines conqueruntur, & legatos in Hiſpaniam deprecatum mittunt. *Chyt.*

In Galliis bellum civile *primum movetur*; Pontificiorum *Dux erat* Franciſcus Guiſius; Reformatæ religionis *verò* Ludovicus Condæus, *regis Navarræ frater. Prælio congrediuntur die 19. Decembr. ad Druidum urbem in Normandia, æquo ferè marte, Conneſtabilis à Condæo primùm capitur; Sed poſtea ipſe Condæus Dux a Guiſio capitur. Caſi ex utraque parte ad novem millia: ſed Guiſius, dum Aurelias obſidet, à transfuga globis bombardæ trajicitur, & moritur ſequenti anno die* 18. *Febr.* Regina dat pacem religioni, ut nobilibus liceat religionem exercere in ſuis ædibus, reliquo populo in templis ſuburbanis. *Factum ſequenti anno, die 19. Martii.*

ANNO MUNDI 5512. Poſt C. 1563.
C. ☉ 4. ☽ 6. *Ind. 6.*

Fridericus Daniæ rex, magnas copias & illſtres belli Duces contrahit in Germania, qui conveniunt poſtea in Dania; Ericus Dux Brunſuicenſis etiam offert ſuam operam Friderico, ſed repudiatur, Ideò vaſtat Epiſcopatum Monaſterienſem, & Epiſcopo pecuniam extorquet; inde per Pomeraniam in Boruſſiam tranſiturus impeditur, retrocedit itaque, & tandem exercitum inopinantem deſerit. *Fridericus* rex Daniæ, cum Lubecenſibus, Erico regi Sueciæ bellum indicunt, & Elsburgum arcem & portum Sueciæ unicum, quo in Oceanum occidentalem pervenire poterant, Fridericus obſidet, & exeunte menſe Septemb. deditione capit. *Ericus* contra, cùm putaret Johannem fratrem ſuum conſcium eſſe belli, quòd Polono ſocero centum millia aureorum mutuò dediſſet, inde auſpicatur bellum, & fratrem capit, familiaresque quoſdam ejus ſupplicio afficit, & exercitum ad Helmſtadiũ in Dania ducit & obſidet, ſed id acriter defenditur, & cùm ad prælium res deveniſſet, Suecus vincitur. *Chyt.*

Annus Indorum 1658. & Hegira 971. incipit die 20. Aug. feria 6.

Rex Galliæ, menſe Septembri proteſtatur contra Papam Pium IV. & Tridentinum concilium, jubetque ſuos Archiepiſcopos & Epiſcopos in regnum redire, deſerto concilio. *Conſt. Imp. Goldaſt.*

Cardinalis Antonius, cujus conſilio unius *Belgium* gubernabatur, omnia turbat in Belgio. Ideò Wilhelmus Uranius, Egmontanus & Hornenſis Comites tandem efficiunt ut ex Belgio revocaretur, & crearetur Prorex Neapolitanus, *Chyt.*

Obierunt hoc anno Wolfgangus Muſculus, Sebaſtianus Caſtalio & Heinricus Clareanus.

Finitum eſt concilium Tridentinum 4. Decemb. à prima ſeſſione ad ultimam ſunt anni 18.

ANNO MUNDI 5513. Æræ C. 1564.
B. A. ☉ 5. ☽ 7. *Ind. 6.*

Papa Pius IV. Epiſcopis novam & antea inuſitatam juramenti formam præſcribit, qua nominatim ad Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, ad credenda ſeptem Sacramenta, ad omnia Synodi Tridentinæ decreta, ad Miſſæ ſacrificium propitiatorium, ad transſubſtantiationem, purgatorium, invocationem & imagines Sanctorum, indulgentias, & primatum Papæ, &c. in ſpecie obligantur, de qua re multi poſtea conqueſti ſunt. *Chyt.*

Poloniæ rex, afflictis Lithuanis à Moſchis auxilium allaturus, cum exercitu *Nicolaum Razevil* Palatinum mittit, qui concurrit cum Moſchis die 26. Januarii, & Lithuani inſigni victoria potiuntur, cum quinque curruum millibus omni præda refertis. *Bredenbach.*

Auguſtus Elector Saxoniæ, poſt Pflugii mortem à Collegio Canonicorum Numburgi Epiſcopatum ſibi tradi poſtulat, quod Canonici non faciunt inviti. Idem facit etiam Brandeburgicus, & Epiſcoporum reditus in fiſcum principis rediguntur. Corpora tamen collegii integrè ſervantur, & inſpectio Eccleſiæ Superintendenti commendatur, *Chyt.*

Roſtochii moritur Joachimus Scoderus, Paſtor viginti quatuor annis, reliquit filios ſeptem omnes in miniſterio Eccleſiaſtico conſtitutos.

Lubecenſes *hoc anno expugnant binas naves Suecicas, alteram Prætoriam, cum ducentis tormentis, qua tamen, cùm navis ipſa incenderetur, in profundum maris ſubſiderunt, idem accidit alteri, prope Roſtochium.* Chyt.

Sueci in Norvegia Nidroſiam *urbem & arcem occupant, quam tamen Dani paucis pòſt menſibus recipiunt, Elsburgum iidem Sueci tribus menſibus fruſtrà oppugnant.*

Ferdinandus Imperator, cùm imperio ſex annis ſollicitè præfuiſſet, moritur die 25. Julii: Succedit ipſi

ipſi *Maximilianus* filius, qui imperat annis 12. & menſibus tribus ferè.

Annus Nabonaſſaris 2313. *& Philippi* 1889. *incipit die* 28. *Jul. fer.* 6.

Annus Indorum 1689. *& Hegira* 972. *incipit die* 9. *Aug. fer.* 4.

Annus Alexandr. 1876. *Antioch.* 1613. *& Conſtantinop.* 7073. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdegird. 934. *incipit* 26. *Octob. fer.* 5. *Armen.* 1014. *die* 29. *Oct. fer.* 1.

Menſe Septembri Duce, Gartzia Toletano, feliciter occupata fuit arx Pignon *ſive rupes Valetzi, quam munierant Turcæ, quo piratis Turcicis, Hiſpaniam infeſtantibus tutiſſimus erat receptus.* Annal. Turc.

Johannes Sigiſmundus Transſylvaniæ Princeps, fretus clientelâ Imperatoris Turcici, Maximiliano bellum infert, & *Zatmarum* munitionem inſignem occupata diripit; cui Maximilianus opponit *Lazarum* Suendium, Baronem Altæ Landisbergæ, qui Transſylvanum in eas anguſtias adigit, ut Soleimannum in auxilium evocaret. *Annal. Turc.*

Controverſia inter Galliæ & Hiſpaniæ regem apud Pontificem, uter digniori loco eſſe debeat, tandem à Pontifice ipſo deciditur, & Gallo priores dantur. *Onuff.*

Conſtantinopoli interventu munerum apud Baſſas, Patriarchæ tributum, quod Imperatori Turcico offerre ſolebat, ter mille ſcilicet, ducatos, imminutum eſt, & ab bis mille redactum, ita tamen, ut non tantùm novus Patriarcha hoc perſolveret, ſed idem etiam novo cuique Imperatori, tantundem ferè Baſſis etiam munerum loco offerre cogeretur. *Cruſ.*

ANNO MUNDI 5524. Æræ C. 1565.
G. ☉ 6 ☽ 8. *Ind.* 8.

Annus urbis 2317. *Iulianus* 1610.
Æra Hiſpan. 1603. *Auguſtorum* 1592.

Annus Neurutz Perſ. 474. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Anno ineunte Suendius celeritate admiranda Tocajum expugnat, inde Zerentium, & ultra Tibiſcum fluvium multa alia loca. Soleiman, quòd cum Maltam oppugnare vellet, de pace legatum ad Maximilianum mittit, ut hoc modo moram faceret belli & victoriarum Suendii, & Maltam *Inſulam invadit navigiis* 250. *quibus vehebantur milites quadraginta millia. Dux primarius fuit* Draguthes, *qui hoc bello interiit, & Barbaroſſæ filius* Chaſanes: *bellum cœpit menſe Junio, & primum* Elmum *arcem oppugnant, & poſt dies* 35. *expugnant; inde munitionem S. Angeli aggrediuntur, ſed cùm jam menſes totos quatuor Turcæ in bello perſeveraſſent, & hyems jam appropinquaret, audirent etiam Gartziam Toletanum cum claſſe adventare, cum ignominia abeunt, amiſſis viginti tribus millibus militum.*

Parnovia urbs in Suecia ab equitibus Germanis à Sueco dimiſſis, Polono proditur; die enim 29. Aprilis, tanquam valedicturi reliquis, convivium magnum apparant apud Senatorem, qui claves urbis habebat; ibi cùm Senatorem vino depoſuiſſent, claves ſibi ſumunt, & portas Polonis aperiunt, qui ad conſtitutum tempus advenerant: Atque ita urbs ad Polonos rediit, quæ ſub Sueco annis tribus fuerat. Moſchus ne ſibi idem ad Derbatum à Germanis accideret, Germanos omnes ſibi militantes in regnum abduxit. *Chyt.*

Sueci cum Danis & Lubecenſibus hoc anno acerrimè prælio congrediuntur mari, ſed pari ferè clade, attamen Sueci hâc æſtate maris Balthici imperium retinent. *Chyt.*

Angli, quòd belli Suecico iter tutum non eſſet in mari Balthico, circumnavigant totam Norvegiam, ut Narvam pervenire poſſent. Idem iter etiam Belgæ poſtea ingreſſi ſunt.

Olympias 585. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 2341.

Maximil. incipit annum Imp. 2.

Annus Indorum 1660. *& Hegira* 973. *incipit die* 29. *Jul. fer.* 1.

Annus Diocletiani 1282. *incipit die* 29. *Aug.*

Roſtochienſes adhuc inteſtinis diſcordiis conflictantur, & à principe ſuo, aſtu, cùm promitteret ipſis omnia privilegia ſalva, admiſſo, in extremam ſervitutem rediguntur, & ſequenti anno omnibus privilegiis ſpoliantur; pendunt præterea centum & viginti millia aureorum, ſed poſt triennium ope Statuum Megalopolitanorum in integrum reſtituuntur. *Chyt.*

Johannes Fridericus, & Johan. Wilhelmus fratres, Duces Saxoniæ, dividunt ditionem, & Johannes Fridericus aſſumit ſibi *Grumbachium* ab Imperatore proſcriptum, quòd ante biennium Wurtzeburgum ex inſidiis occupâſſet. *Chyt.*

Mortui ſunt hoc anno Alexander Aleſius Scotus in Martio, Georgius Seldius in Majo, Johan. Mattheſius 7. Oct. Conrad Geſnerus in Decembr.

Pius IV. Papa, cùm ſediſſet annos 6. ferè moritur die 9. Decembris: ſuccedit ipſi ſequenti anno 7. Januarii Michael Giſlerius, oriundus oppido Boſco, qui fuerat Inquiſitor hæreticæ pravitatis apud Comenſes, qui ſedet annos ſex, menſes, 4. dictus eſt Pius V. *Onuff.*

ANNO MUNDI 5525. Æræ C. 1566.
F. ☉ 7. ☽ 9. *Ind.* 9.

Maria regina Scotiæ ſuum maritum Heinricum Stuartum ſtrangulari, & pulvere tormentario ædes, in quibus cadaver erat, everti jubet, die 10. Februar. & paulò pòſt nubit Bothuelio ſuo adultero. *Buch.*

Pialis *Baſſa, ut aliquid videretur effeciſſe*, Chium *inſulam invadit, ipſamque cum incolis in extremam ſervitutem redigit, cum fuiſſet in poteſtate Genuenſium plusquam ducentis annis, id factum in ipſis feriis Paſchalibus. Chienſes poſt aliquot annos interceſſione regis Galliæ, & ut eſſent, qui tributum ſolverent, in libertatem qualemcunque reſtituuntur.* Annal. Turc.

Maximilianus *prima ſua comitia celebrat Auguſtæ, menſe Martio, ubi actum de Turcico bello*, Maximiliano *ſumptus belli majores, quam ulli Imperatori decreti, & Johannes Fridericus Gothanus, quod proſcriptum Grumbachium & alios foveret, & ipſe proſcribitur.* Chyt.

Baſſa *Budenſis* Palottam *initio menſis Junii obſidet, eamque totam muris nudat ſed die* 14. Jun. Georgius *Comes Helfenſteinius eam obſidionem ſolvit, & Palotam machina bellica cum pulvere tormentario deferuntur. Inde Com. Salmenſ. cum Helfenſt.* 1. *Jul.*

Veſprinum *improviſò invadit, & capit & paulò pòſt etiam* Tata *capta fuit, & multa alia caſtella.*

Soleiman jam ferè octogenarius, in Hungariam profectus cum exercitu, *Sigethum* obſidet die 6. Auguſti, *Jula* contra obſeſſa erat à Tartaris, quæ proditione capitur die 7. Septembris, *Soleimannus* tamen proditorem crudeliter interficit. Inde Tartari Hungariam longè latèque vaſtant, quos Suendius invadere non audet, cùm eſſet viribus impar. Poſtea tamen cùm ingluvie novorum fructuum debilitati eſſent, eos aggreditur, & nullo negotio decem eorum millia cecidit, ducibus etiam cæſis. Inde Sabbatiam & alia vicina caſtella expugnat. *Soleimannus* interim expugnat Sigethum die 7. Septembris. *Nicolaus* enim Comes Serinenſis, qui fortiſſimè ſe geſſerat, jam viribus exhauſtus & incendiis, arce excluſus portam aperit, erumpit, & fortiſſimè dimicans cadit. Expugnati Sigethi lætitiam Soleiman non ſenſit, ſiquidem mortuus fuerat 4. Septemb. & mors ejus occultata fuerat; imperaverat annis 47. & menſibus ſex. Die 23. Septemb. *Selimus II.* patri ſuccedit, die 22. Nov. cacadaver Soleimanni Conſtantinopolin defertur. Transſylvanus interim acceptis à Selimo auxiliis bellum perſequitur, & *Toccas* obſidet, inde depellitur, quòd Tartari interim Transſylvaniam vaſtarent. *Annal. Turc.*

Annus Indorum 1661. *& Hegira* 974. *incipit die* 19. *Jul. fer.* 6.

Annus ſabbathicus 4. *Jobelei* 31. *incipit* 14. *Sept. fer.* 7. *Anno Jud.* 5327.

Sigiſmundus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, cùm præfuiſſet annis 14. moritur die 12. Septemb. ſuccedit ei *Joachimus Fridericus*, Electoris Brandeburgenſis filius unicus tum temporis, qui conſentientibus Canonicis, abolitâ pontificiâ religione, reformavit Eccleſias, præfuit annis 32. *Chyt.*

In Belgio viri nobiles ad 400. Duce *Heinrico Bredenrod* ſupplicant apud Margaretham gubernatricem pro libertate religionis. Paulò pòſt ubique in toto Belgio ſeditiones exoriuntur, & ſtatuæ è templis ejiciuntur. Idem etiam fit Antverpiæ, ad quas ſedandas Uraniæ princeps mittitur die 16. Auguſti, ſtatuæ in templo Antverpiæ confringuntur, ædificantur nova templa, cùm Pontificii antiquis cedere nollent. Evocantur etiam ad conſtituendas ibi Eccleſias *Matthias Illyricus*, *Cyriacus Spangenberg*, *Hamelmannus*, ſed Philippus Hiſpaniarum rex, perſecutor Chriſtianæ religionis hæc omnia impedivit. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5516. Æræ C. 1567.
E. ☉ 8. ☽ 10. *Ind.* 10.

Auguſtus Elector Saxoniæ in fine ſuperioris anni *Gotham* urbem cum arce Grimmenſtein / in qua proſcripti cum Johanne Friderico erant, obſederat. obſidio tracta erat uſque in quartum menſem, ubi die 13. Aprilis deditur, & arx invito & multum deprecante *Johanne Wilhelmo* ſolo æquatur. *Grumbachius & Chriſtianus Bruck* Cancellarius, homo ſuperbus, ambo vivi in quatuor partes diſſecantur. Dux captivus Viennam, inde Poſonium, & tandem Neapolin Auſtriæ deducitur, ubi ad mortem uſque permanſit per aliquot annos. *Chyt.*

Suendius *in Hungaria in media hyeme*, *Zatmarum propè Tranſſylvaniam deditione capit: Inde Muncacium locum munitiſſimum.* Annal. Turc.

Sueci à Polonis in Livonia: magnâ clade afficiuntur, à Danis etiam, Duce Daniele *Ranzovio*, Suecia undique vaſtatur, cùm Sueci ſuas urbes ipſi cremarent: Ericus rex, putans ſe prodi à ſuis, intimos aliquos ſuos per ſatellites interfici jubet, & contrà, cùm pœnitentia duceretur, fratrem ſuum Johannem, quem captivum tenebat, cum uxore liberat; à quo ſequenti anno in carcerem ipſe detruditur. *Chyt.*

In Belgio exercitus reformatarum Eccleſiarum die 13. Martii cæditur, exercitium religionis ubique abrogatur, templa iterum complanantur, & *Ferdinandus Alvares Albæ Dux menſe Auguſto Bruxellam vertens, Comitem Egmondanum præfectum Flandriæ tanquam cum eo deliberaturus, capit, & Antverpiæ intromiſſus muros urbis diruit, arcemque ibi firmiſſimam condit.* Florebat cum Antverpia, *ut Scribanus ſcribit*, ubi quotannis erogabantur ad quingentos milliones argenti, & præter campſualem pecuniam illam reciprocam, & tanquam allabentis & relabentis Oceani æſtu adfluentem refluentemque ſtata acceſſione & fuga, dum univerſum orbem inambulat fœnerario itu redituque.

Annus Indorum 1662. *& Hegira* 975. *incipit die* 8. *Julii. fer.* 3.

Philippus *Haſſiæ Landgravius, cùm præfuiſſet annis ferè quinquaginta, moritur die* 31. *Martii: ſuccedit ipſi filius* Wilhelmus *ex ſemiſſe, reliqui filii ex quadrante ferè, & Wilhelmus præeſt annis* 25. Chytræus.

Maria *Scotiæ regina, cùm omnia violenter ageret, à ſubditis regno ejicitur, in cuſtodiam mittitur, ex qua ſequenti anno in Angliam aufugit, ubi per annos* 18. *detenta, tandem ſecuri percuſſa eſt; Succedit ipſi filius* Jacobus *anno* 1587. Chyt.

Juſtus Jonas Juriſconſultus, particeps conjurationis Gothanæ, capite truncatur in Anglia, die 28. Junii moriuntur Petrus Lotichius Poeta, & Michael *Stifelius* Arithmeticus.

ANNO MUNDI 5517. Æræ C. 1568.
D. C. ☉ 9. ☽ 11. *Ind.* 11.

Johanns *Wilhelmus Dux Saxoniæ ſtatim initio anni tria millia equitum regi Galliæ adverſus ſuos rebelles adducit: ſed Johannes Caſimirus totidem adducit Condæo. Sed ſtatim rex iterum pacem cum Condæo & reliquis facit, &* liberum exercitum religionis iterum concedit. *Chyt.*

Albanus Dux in Belgio Comitem Egmondanum & Hornæum, & aliquot equites auratos capite truncat. *Ludovicus* verò Naſſoviæ Comes, Wilhelmi Auranii frater, Hiſpanos in Friſia, egregiâ victoriâ vincit, in quo prælio tamen Adolphus cecidit, ex hoſtibus verò Comes Arenbergius, ſed die 21. Julii *Albanus* Ludovicum viciſſim multò majore clade vincit, & eundem penitus profligat. *Chyt.*

Albertus Dux Boruſſiæ, qui per annos 56. præfuerat, moritur die vigeſimo Martii. Succedit ipſi filius *Albertus Fridericus*, qui ſequenti anno feudum & inſignia Ducatus Boruſſiæ à Sigiſmundo Poloniæ rege in comitiis Lublini ſolenni ceremonia accipit, ſimul petentibus inveſtituram

legatis

legatis ... Georgii Friderici, quam Joachimi Electori Brandeburgici: admiſſus tamen eſt Joach. Elector cum conditione. *Chyt.*

Ericus rex Sueciæ concubinam ſuam humili loco natam, ex qua duos liberos ſuſceperat, uxorem ducit, ... eamque coronari jubet. Fratres Johannes & Carolus indignati de hac re, conſilium capiunt cum proceribus regni de Erico rege deponendo, pacem tamen prius faciunt cum Daniæ rege, & Elſeburgum Suecis reſtituitur, ac Danis Warberga. Bellum tamen ſequenti anno renovatum eſt. *Ericus* rex tandem à ſuis omnibus deſertus, in conclavi cum ſua Catharina cuſtoditur, cùm annos 9. regnâſſet, & Johannes rex declaratur die 13. Octobr. qui regnat annis 24. *Chytr.*

Annus Indorum 1663. *& Hegira* 976. *incipit* 26. *Jun. fer.* 7.

Annus Nabonaſſaris 2317. *& Philippi* 1893. *incipit* 27. *Julii, fer.* 3.

Annus Alexandr. 1880. *Antioch.* 1617. *& Conſt.* 7077. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Jezdeg. 938. *incipit* 25. *Octob. fer.* 2. *Armen.* 1018. *die* 28. *Octobr. fer.* 5.

Heinricus *Dux Brunſuicenſis, qui annis* 56. *præfuerat, moritur die* 11. *Julii, cui ſuccedit filius unicus* Julius, *qui præeſt annis* 21. & ſtatim religionem emendavit, & ex cœnobiis ſcholas fecit, ad exemplum Wirtenbergenſium. *Chyt.*

Pax conciliatur inter Maximilianum & Selimum, in qua Transſylvanus etiam comprehendebatur, cujus lex præcipua erat, ut quisque, quod cepiſſet, bello retineret, magno Maximiliani commodo. Suendius hâc pace magnâ induſtria uſus eſt, & ad fines Hungariæ, arces & munitiones extruit, vulgò Gränzhäuſer / *& de ſtipendiis præſidiariis militibus providit.* Annal. Turc.

Wilhelmus Auraniæ Princeps in Germaniam profectus, exercitum ex Galliis revertentem conducit, & in Belgium deducit. Sed nihil effecit, quod memoria dignum eſſet, ideò in Galliam cum eo invaſit, ubi coquebatur tertium bellum. *Chyt.*

Colloquium Aldenburgenſe inſtituitur inter Theologos Wittenb. & Lipſenſes cum Jenenſibus, cui præſedit ipſe Joh. Wilhelmus. Diſputatum eſt de juſtificatione, &c. *Flacius* contendit, peccatum eſſe ſubſtantiam, & non accidens. Productum eſt colloquium in ſequentem annum, ubi electorales Theologi colloquium abruperunt. Inde invectivis inter Theologos certatum eſt, & inter Duces etiam odia acerbiſſima ſunt inflammata. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5518. Æræ C. 1569.
B. ☉ 10. ☽ 12. *Ind.* 12.

Annus urbis 2321.	*Julianus* 1614.
Æra Hiſpanica 1607.	*Auguſtorum* 1596.

Annus Neurutz. Perſ. 490. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Selimus *Turcarum Imp. Moſchi potentiam everſurus, Scythas invadit, & iter ingreditur die* 19. *Martii: & tandem ad Volgam fluvium urbem obſidet die* 5. *Septembris. Sed omni arte bellica à Moſchis exercitus fatigatus, inediaque tabeſcens, tandem amiſſis omnibus rebus Conſtantinopolin rediturus, variis cladibus perit.* Bredeb.

Wolffgangus Bipontinus Dux, cum magno exercitu in Galliam Condæo & reformatæ religionis fœderatis auxilium laturus erat, ſed *Condæus* ſtatim in initio anni, die 13. Martii in prælio, prolapſo equo, capitur, & contra fidem datam à *Monteſquio* occiditur. Palatinus in mediam Galliam venit die 8. Junii, ſed æſtu & laboribus fractus, & febri correptus moritur die 11. Junii. Poſtea die 30. Octobr. *Amiralius* cum rege pugnat, ubi vincitur, & Germanorum ad quinquies mille peditum ferè cadunt. Amiralius tamen minimè fractus arma circumfert in Gallia, donec ſequenti anno, menſe Auguſto iterum pax fieret, *qua priſtina religionis libertas iterum concedebatur.* Chyt.

Dantiſcanis ab Legatis regiis, quos offenderant, plurimum de libertate eripitur, regi dimidium telonii perſolvere coguntur, & cum eodem tempore rex Poloniæ Danorum naves interciperet, *Rex* Daniæ Dantiſcanis facultatem navigandi in Oceanum occidentalem adimit, quam redimere poſtea coacti ſunt centum millibus aureorum. Dantiſcanos etiam Polonus jubet, ſe in cauſis dijudicandis ſiſtere non in Boruſſorum conventibus, ſed coram Senatu regni Polonici. *Chyt.*

Olympias 586, *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 2345.

Maximil. incipit annum Imp. 6.

Annus Diocletiani 1186. *incipit* 29. *Aug.*

Annus Indorum 1664. *& Hegira* 977. *incipit die* 16. *Jun. fer.* 5.

Venetiis die 15. Sept. *Arſenale* pulvere ſulfureo incenſo conflagravit quo incendio perierunt tria cœnobia, multæque aliæ ædes. Similis caſus accidit eodem menſe, die 27. Septembris Conſtantinopoli, ubi orto igne major pars urbis conflagravit. Viginti templa & quindecim Judæorum ſynagogæ, balneæ, thermæ, porticus plurimæ perierunt. Idem accidiſſe dicitur in Tartaria ad Tanaim. *Juſtin.*

Albanus Dux in Belgio de religione ſuſpectis, & fuga dilapſis, bona eripit, de mobilibus bonis venditis decimum nummum exigit, de immobilibus viceſimum Anglos omnes Belgio exigit, qui inde Hamburgum ſe contulere, & ibi ſedem mercaturæ faciunt. Papa etiam Eliſabetham reginam Angliæ anathemate ferit. *Chyt.*

Victorinus Strigelius hoc anno moritur, die 25. Junii. Paulus Eberus die 10. Decembr.

ANNO MUNDI 5519. Æræ C. 1570.
A. ☉ 11. ☾ 13. *Ind.* 13.

In Livonia milites in præſidio Revalienſi tumultuantur, propter ſtipendia non ſoluta, & arcem vi occupant, donec ſtipendia ex *Suecia* afferrentur; factum die 7. Januarii. Sed præfectus Suecicus nocte paraſceves arcem per proditionem recuperat, & ſeditioſi pœnas capite luunt. In feriis Pentecoſtes magnus Holſatiæ Dux ad Moſchum profectus, literas impetrat, in quibus Moſchus omnem Livoniam ipſi concedit, ut ſit vaſallus Moſchi. Sed *Revalia* etiamſi obſideretur 8. menſibus tamen eam fortiter tolerârunt, donec ipſe cum ignominia, ſequenti anno obſidionem ſolveret. *Chyt.*

Selimus Turcarum Imp. *Hoſpitale* Adrianopoli conditurus, & ſepulchrum ibi ſuum præparaturus, dum ſollicitus eſt de annuis reditibus copioſis, ſuaſu Baſſarum pacem cum Venetis violat, & legatos menſe Febr. Venetias mittit, qui *Cyprum* ſibi poſcant, cùm ſit feudum regni Turcici: Veneti negant hoc jure fieri, ideò ſe vim vi repulſuros. Selimus Pialin Baſſam cum Muſtapha ſtatim in Cyprum mittit, qui agro Cypri occupato ſtatim urbes obſident, & Nicoſiam quidem die 25. Julii, quam occupant menſe Septemb. Dum captivi in naves imponuntur, ut in triſtiſſimam ſervitutem obducantur, matrona quædam pulverem bombardicum incendit, quo ſimul omnes captivi perierunt, mortem ſervituti præoptans. Inde Turcæ abeunt ad Famaguſtam obſidendam, die 16. Septembr. *Annal. Turc.*

Fœdus inter Hiſpanum, Pontificem, & Venetos initum, ut claſſis magna pararetur contra Turcam, triremium 180. quinqueremium decem, menſe Auguſto. *Onuff.*

Annus Indorum 1665. *& Hegira* 987. *incipit die* 5. *Jun. fer.* 2.

Imperator Maximilianus per legatos Stetini pacem facit inter regem Daniæ, Succiæ & Lubecenſes, ut regni fines ab antiquo conſtituti maneant, & Lubecenſibus privilegia reſtituantur. Tractârunt legati de hac re per ſex menſes ferè Stetini, & pax concluditur tandem ſequenti Feb. *Chyt.*

Comitia Spirenſia hoc anno celebrantur, in quibus pax provincialis conſtituta eſt; item actum eſt de munitionibus in Hungaria tuendis, item de moneta, de camera, & aliis.

Cùm Comes in Zweibrück *moreretur abſq; hæredibus, Dux Bipontinus ſibi urbem* Bipontum *jure retinet: alia oppida ad feudi Dominos redierunt.* Chyt.

Maximilianus *Imperator duas filias nuptum dat*, Annam *regi Hiſpaniarum, &* Eliſabetham *Carolo Gallorum regi.*

Johannes *Brentius* moritur die 11. Septembris anno ætatis 70.

In Hollandia, Friſia & Selandia Oceanus procellis ventorum in littora effuſus, oppida pagos, & homines plurimos obruit menſe Novembr,

ANNO MUNDI 5520. Æræ C. 1571.
G. ☉ 12. ☽ 14. *Ind.* 14.

Joachimus Elector *Brandeburgenſis, cùm præfuiſſet annis* 36. *die* 3. *Januarii, cùm hilariter cœnaſſet, vi veneni extinguitur, quod in Malvatico ipſi cubitum ituro* Judæus *quidam familiaris miſcuerat, quod ſcelus tandem poſt quinque annos ab uxore Judæi proditur: ſuccedit ipſi filius* Johannes Georgius, *qui præfuit annis* 27.

Famaguſta in Cypro, cùm undecim menſibus obſidionem toleraſſet, & ad omnium rerum inopiam redacta eſſet, certis conditionibus ſe dedit Muſtaphæ, cùm Turcæ ad triginta millia militum amiſiſſent. Sed Barbarus perjurus, violatâ fide, pleroſque ad tranſtra relegat, multos occidit, præfectum Venetum Antonium Bragadenum naſo & auribus mutilat, & vivum excoriat, die 16. Auguſti: Inſulas inſuper Venetorum vaſtat, multâque prædâ diratur. *Annal. Turc.*

Claſſes fœderatorum ſuperiori anno ignavis conſiliis omnem benegerendæ rei occaſionem corruperant, præſertim autore Duce Johanne de Auſtria, filio Caroli notho; hoc anno, die 20. Maji, fœdus iterum Veneti cum Hiſpano & Pontifice faciunt, ſed claſſis iterum tardè convenit, & tandem in ſinum Corinthium ad Echinadas inſulas, ubi claſſis Turcica erat, quibus ſeverè mandatum erat, ut cum Chriſtiana claſſe pugnarent, pergit, ubi die 7. Octobris Deus Opt. Max. inſignem victoriam Chriſtianis dedit, ubi viginti quinque millia Turcarum cæſa ſunt, capta quatuor millia, claſſis tota ferè periit, ad quatuordecim millia ad tranſtra religati Chriſtiani liberati ſunt; ſed poſt hanc victoriam nihil planè Turcis ereptum, cùm ipſi inſuper Cyprum, & quædam in Dalmatia ſibi retinerent. *Chyt.*

Annus Indorum 1666. *& Hegira* 979. *incipit die* 25. *Maji, feria* 6.

Georgius Fabricius moritur die 13. Julii, quem præceſſit paucis menſibus *Joachimus* Morlinus, Epiſcopus Sambienſis in Boruſſia.

Moſchovia urbs, ſedes regni Moſchici, & metropolis Ruſſiæ, à Tartaris ex improviſo capitur, & tota incendio deletur, tantùm arce principis ſervata. *Chytr.*

Cùm Saxonicæ, Wirtenbergicæ & Thuringiacæ Eccleſiæ ſimul ſeriberent, & teſtarentur, Witebergenſes & Lipſienſes Theologos multos errores fovere, Auguſtus Elector præcipuos ſuos Theologos & Superintendentes Dreſdam evocat die 10. Octobr. qui edunt *conſenſum Dreſdenſem*, majore tamen Theologorum parte non auditâ, in quo ſententiam ſuam ita produnt, ut multis non malè ſentire viderentur.

ANNO MUNDI 5521. Æræ C. 1572.
F.E. ☉ 13. ☽ 15. *Ind.* 15.

Provinciæ Belgicæ decimum illum nummum rerum mobilium, & viceſimum immobilium, quem *Albanus* popoſcerat, ſolvere noluerant, ſed pro eo in una ſumma vicies centena aureorum millia ſolverant. Sed *Albanus* hoc anno iterum inſtat de tributo: *Status* igitur, cùm viderent hoc modo omnes contractus in nihilum redigi, conſilia agitant de pellendis Belgio Hiſpanis, nec *Auranius* princeps ſuis rebus deeſt, qui cùm fratre ſuo multas urbes occupavit, & inprimis Hollandiam & Selandiam firmavit; *Albanus* Dux interim magnum exercitum ex Germania evocavit. *Chyt.*

Papa Pius V. anno Pontificatûs ſeptimo moritur Calendis Maji, feriâ 5. Succedit ipſi *Hugo* Bononienſis, ex familia Boncompagnorum, die 13. Maji, feria 3. qui dictus eſt *Georgius XIII.* & ſedit annos ferè 16. *Onuff.*

Annus Indorum 1667. *& Hegira* 980. *incipit die* 14. *Maji, fer.* 4.

Annus Nabonaſſaris 2321. *& Philippi* 1897. *incipit* 26. *Julii. feriâ* 7.

Annus Alexand. 1884. *Antioch.* 1621. *& Conſtantin.* 7081. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdegird. 942. *incipit* 25. *Octobr. fer.* 6. *Armen.* 1022. 27. *Octob. fer.* 2.

Sigiſmundus *Auguſtus Poloniæ rex, cùm annis* 24. *præfuiſſet, moritur die* 7. *Julii: Succedit ipſi* Heinricus *Andegavenſis, Caroli IX. regis Galliæ frater, ſed ſequenti demum anno, qui coronatus eſt die* 24. *Febr. anno* 1574. *& regnavit vix tres menſes, cùm clam per fugam quaſi in Galliam rediret.* Chyt.

Carolus

Carolus IX. Galliæ rex, ut reformatæ religionis principes in una velut muſcipula, ut ipſe loqui ſolebat, caperet, inſtituit nuptias celebrandas Lutetiæ ab *Heinrico* rege Navarra, cum *Margareta* ſua ſorore, & evocatos cunctos cum conjugibus, liberis & reliquis civibus, nullâ ſexûs aut ætatis habitâ ratione, inaudito ſcelere, in ſuis domibus & lectis trucidat, tàm Lutetiæ quàm aliis in urbibus, uno eodemque die, qui erat illuceſcens Divi Bartholomæi, dies 24. Auguſti, anno à *Veſperis Siculis* 290. cumque hæc verba indicant: *LVtetIa Mater ſVos natos DeVoraVIt.* Carolus rex ipſe de numero cæſorum hæreticorum gloriatur in literis ad Pontificem Gregorium, quòd eorum ſeptuaginta millia paucis diebus occiderit. *Onuff.*

De hiſce nuptiis, ſeu laniena, vide *lib.* 52. *Hiſtoriarum Thuani & Chytr.*

Julianus *Dux Brunſuicenſis pacem facit pro ſe & hæredibus cum Brunſuicenſibus, qui ipſi præfecturam Aſſenburgenſem oppignoratam reſtituunt, Dux viciſſim ipſis præfecturam* Eich und Wenthauſen *in feudum confert, & renunciat juri in veterem vicum & Saccum, quas urbis partes Heinricus olim contenderat oppignoratas tantùm fuiſſe Brunſuicenſibus.* Chyt.

Coſmus *Florentiæ Dux, à Pontifice Pio V. Magnus Dux Hetruriæ creatur, menſe Novemb.* Onuff.

Rudolphus filius Maximiliani primogenitus, coronatur rex Hungariæ 26. Sept.

Stella nova ſub aſteriſmo Caſſiopeæ, circa initium Novembr. apparuit, quæ cum pectore & coxa Caſſiopeæ & lucida ſedis quadrangulum deſignabat, immota diutius anno conſtitit; ſed cùm initio Jovem fulgore & magnitudine æquaret, paulatim attenuata eſt, & initio anni 1574. *evanuit.* Chyt.

Johannes Sigiſmundus, Joachimi Friderici Brandeburgici filius primogenitus, naſcitur. 8. Novembr.

Narda *puſillum Hollandiæ oppidum, partà jam ſalute, & occupatâ in excipiendo ad menſam recepto milite* Friderici Albani, *de repente cives ejus univerſi ac ſinguli evocantur in ſacellum Xenodochii, audituri decretum regium, ubi omnes ad unum inermes ſupplicesq; detruncantur, initium cædis faciente Friderico.*

ANNO MUNDI 5522. Æræ C. 1573.
D. ☉ 14. ☽ 16. Ind. 1.

Annus urbis 2325. *Julianus* 1618.
Æra Hiſpan. 1611. *Auguſtorum* 1600.

Annus Gelali Perſ. 502. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Johannes *Moſchorum tyrannus ipſe, ſuperioris anni fine in Livoniam profectus, arcem* Wittenſtein *obſidet, & die 3. Calendis Januarii ſexto die oppugnationis, vi expugnat, ubi inauditâ ſævitiâ in victos graſſatus eſt, præfectum & nobiles Livonos veru alligatos ad ignem aſſavit, paulò pòſt tamen idem Moſchus à Suecis vincitur, & in regnum redit.* Chyt.

Lugdunenſis vel Leidenſis Academia inſtituta, 7. Febr. auſpiciis valdè ſecundis.

Turca Aſcruvium *in Dalmatia Venetorum oppidum ſtatim in initio anni obſidet, ſed repellitur à claſſe Veneta, & caſtra cum plurima præda amittit.* Onuf.

Roſtochienſes *urbem ſuam, ubi muros principes dejecerant, arcem ædificaturi, iterum conſentiente Imperatore palis tantùm munierant; ob hoc Duces Megaloburgenſes indignati, urbem obſident cum rege Daniæ, Roſtochienſes implorant Statuum Ducatus auxilium, quibus intercedentibus tota res compoſita eſt* Guſtrovii, *ad nutum & voluntatem Roſtochienſium, ſequenti anno 24. Februarii, quem propterea quotannis ſolennem habent.* Chyt.

Johannes Wilhelmus Saxoniæ Dux moritur die 2. Martii. Elector Saxoniæ *Auguſtus* proximus agnatus & tutor, ut Jenenſes cum Wittebergenſibus & Lipſienſibus Theologos in concordiam redigeret, Jenenſes, qui nolebant ſubſcribere corpori doctrinæ Miſnico ejicit, ſed ſequenti anno, cùm ſe à ſuis Theologis deceptum putaret, inſtitutum mutavit, & exules quosdam reſtituit. *Chyt.*

Annus Indorum 1668. *& Hegiræ* 981. *incipit die* 3. *Maji. feriâ.* 1.

In Gallia bellum contra reformatam religionem acriter geritur, obſidentur Rupellani, Montalbani, Nemauſenſes & Sancerrani, & hi quidem ad famam inauditam redacti fuerant, ſed improviſo liberantur. Poloni enim *Heinricum* Andegavenſem, fratrem regis Galliæ expetunt regem, is obſidebat Rupellas, & cupiens jam cum Rupellanis pacem facere, eam reſpuebant, niſi eſſet in Gallia univerſalis, & omnes obſidiones ſolverentur atque ita extremè tabeſcentes Sancerrani liberati ſunt, & pax iterum religioni conceſſa. *Heinricus* novus rex Poloniæ, per Germaniam exeunte anno in Poloniam venit, & ſequenti anno 18. Febr. coronatur. *Chyt.*

Olympias 587. *incipit in Julio. Eſt annus Olympiadicus* 2349.

Maximilianus inchoat annum imperii 10.

Annus Diocletiani 1290. *incipit die* 29. *Aug.*

Annus ſabbathicus 5. *Jobelei* 31. *incipit* 29. *Auguſti, fer.* 7. *Anno Jud.* 5334.

Belgæ ſe fortiter Albano opponunt: Enchuſiani claſſem Albani vincunt adverſus ſe ductam, Fliſſingenſes alteram claſſem. Alcmaria obſeſſa hoſtes depellit: Vranius montem Gertrudis deditione accipit; Interim tamen Albanus Harlemum *ſeptem menſibus obſeſſum, deditum capit, & menſe Decembri in Hiſpaniam redit; ſucceſſor ipſi datur Ludovicus* Requeſenius *Dux, qui ſtatim ſequenti anno, 9. Februarii amittit* Middelburgum *in Selandia.* Chyt.

Hamburgenſes *hoc anno navem regis Daniæ, ne frumentum aliò exportaret, Hamburgum reducunt. Rex indignatus Hamburgenſium naves in ſuo regno captas ad triginta retinet. Lis hæc aliquo modo compoſita eſt poſt ſextum annum, & Hamburgenſes ſolverunt regi mulctam centum millium* Joachimicorũ. Chyt.

ANNO MUNDI 5523. Æræ C. 1574.
C. ☉ 15. ☽ 17. *Ind.* 2.

Veneti cùm viderent, auxilia ſibi ab Hiſpanis mitti non ſatis ex fide, invito Pontifice & Hiſpano pacem cum Turcis faciunt. Interim tamen Sinanbaſſa, Corcyram *crudeliter diripit, quapropter Veneti illam inſulam fortiſſimè muniunt. Cæterum Johannes de Auſtria regnum* Tunetanum *occupat cum* Goleto, *& novam munitionem etiam ibi ædificat. Turca ſtatuit ſibi hoc non patiendum, & claſſem mittit, quæ* Goletum *expugnavit die 24. Auguſti, novam munitionem die 13. Septembris, atque ita Hiſpanos totâ Africa ejiciunt.* Annal. Turc.

Livoni *hoc anno crudeliter vaſtantur, & à Scotis auxiliariis, qui ad Moſchos per ſeditionem tranſierant, & à Livonis equitibus, quibus rex Suecia ſtipendia non ſolverat.* Chyt.

Annus Indorum 1669. & Hegira 982. incipit 23. Apr. fer. 6.

Albertus *Fridericus Dux Boruſſia, cùm ſibi ſuperiori autumno uxor, filia Wilhelmi Clivenſis, ab ipſo parente adducta eſſet, in mentis ægritudinem incidit, qua laboravit usque ad finem vita: Poſt tres annos ipſi curator datus eſt Patruelis, Georgius Fridericus Marchio.* Chyt.

Auguſtus Elector, cùm admonitus eſſet à Brunſuicenſi & Landgravio Haſſiæ, Theologus Witebergenſes in articulo de S. cœna à nonnullis Eccleſiis diſſentire, literæ etiam Witebergenſium de hiſce interceptæ eſſent, & Exegeſis fidei Lipſiæ impreſſa, ſuppreſſo nomine, cujus autorem Typographus *Vogelinus* medicum quendam Sileſiam nominabat, jubet per aliquot Theologos ſententiam de cœna Domini certis articulus, quibus vera ſententia affirmabatur & falſa damnabatur, præſcribit, & menſe ſe Majo ab omnibus Theologis ſuis ſubſcribi. Cùm verò quidam negarent, ſe poſſe huic ſententiæ ſubſcribere, & tamen antea Electori ſemper perſuadere voluiſſent, ſe idem de cœnâ Domini ſemper docuiſſe, Lipſiam in cuſtodiam deducti ſunt, ubi tamen ſequenti anno ſub certis conditionibus, quas tamen non ſervarunt, aliò dimittuntur. Propter eandem cauſam & D. Georg. Cracovius, & D. Caſparus Peucer Lipſiam deducti ſunt, ubi Cracovius tandem interiit, Peucerus verò poſt annos ferè duodecim liberatus eſt.

In Belgio copiæ auxiliares Auranio adducuntur à fratribus, ſed eæ vincuntur & diſſipantur, quâ victoriâ Hiſpani elati Lugdunum Batavorum obſident, ubi cives graviſſimè afflicti & fame ferè enecti, perfoſſis aggeribus, æſtu maris juvante, commeatu, conſilio Auranii, mirabiliter juvantur, & obſidio ſolvitur. *Chyt.*

Polonia rex Heinricus, cùm tribus menſibus regnaſſet, allato nuncio de fratris ſui Caroli morte in Galliis, die 18. Junii, nocte intempeſtâ, Cracoviâ exit, & in Moraviam, inde Viennam Auſtriæ, & Venetias pervenit, & tandem in Gallias, ubi fratri ſuccedit, qui regnarat annos tredecim: ipſe Heinricus regnat annos 15. *Chyt.*

Selimus Turcarum Imperator, cùm annos octo imperaſſet, crapulâ & libidine confectus moritur die 9. Decembr. anno Heg. 982. Mors ejus celatur, donec *Amurathes* filius Conſtantinopolin veniret, quod factum die 22. Decembr. qui ſtatim quinque fratres ſuos adoleſcentulos occidit, & Gennizaris donaria auxit. Imperavit annis 12. *Annales Turcici.*

Mortuus eſt hoc anno Joachimus *Camerarius 17. April, Georgius Major 28. Novemb.*

ANNO MUNDI 5524. Poſt C. 1575.
B. ☉ 16. ☽ 18. *Ind. 3.*

Amurathes *Turcarum Imperator exercitum in Ruſſiam mittit, eamque longè latèque vaſtat, ſpolia in* Walachia *dividit, interim Tartaros Pracopitas Coſaci vaſtant.* Annal. Turc.

Annus Indorum 1670. *& Hegira* 983. *incipit die* 12. *Apr. feria* 3.

In Polonia nova comitia de rege novo creando habentur, & Heinricus rex Galliæ abdicatur, eligiturque à potiori parte, & à Cancellario regni Maximilianus *Imperator. Sed cùm Amurathes Turca intercederet pro* Stephano *Tranſſylvaniæ principe, à multis hic eligitur, qui & celeritate & induſtriâ Maximilianum anteverterit.* Chyt.

Ratisbonæ *in comitiis eligitur Romanorum rex Rudolphus filius Maximiliani primogenitus, die 27. Octob. Calendis Novembr. coronatur, cùm antea rex Bohemia, menſe Septembri coronatus eſſet.* Chyt.

Matthias Flacius Illyricus die 11. Martii mortuus fuit, item Bullingerus Paſtor Tigurinus ætatis anno 76. cùm Tiguri docuiſſet annos 43.

Moritur & Sabina, filia Georgii Marchionis Brandeburgenſis, conjux Johannis Georgii Marchionis 2. Novemb.

ANNO MUNDI 5525. Æræ C. 1576.
A. G. ☉ 17. ☽ 19. Ind. 4.

Auguſtus Elector conventum Theologorum Lichtenbergæ inſtituit, menſe Febr. in quo deliberabatur, quomodo concordia in doctrina Evangelii inter eos Theologos, qui ſe Auguſtanam confeſſionem ſequi profiterentur, inſtitui poſſet. Id conſilium communicatur cum principe Hennebergico, qui id Wittebergenſi aperit. Wittebergenſes igitur primum Scriptum adornant, quod norma ſit Theolgis Auguſtanæ confeſſionis. Sed quia id nimis conciſum videbatur, ab Electore Auguſto iterum Theologi Brandeburgenſes, Megalopurgenſes, Brunſuicenſes, Wirtenbergenſes, & alii Torgam convocantur, ubi *Formula concordia* delineatur. *Acta.*

Legati Polonorum ad Maximilianum Imperatorem mittuntur, qui ipſum evocant in regnum, ut Stephanum præveniat, & ut legatis juramentum præſtet. *Maximilianus* verò petit juramentum mitigari, cùm nimis ſtrictum ſit, & offert filium Erneſtum, qui interim regno præſit. Interea *Stephanus Bathorius* in Poloniam venit, cùm in Transſylvania juraſſet die 8. Febr. & coronatur rex, die primo Maji. *Chyt.*

Annus Indorum 1671. *& Hegira* 984. *incipit die* 31. *Martii. feriâ.* 7.

In Belgio cùm pacis tractatio ſuperiori anno fruſtra fuiſſet, Hiſpani Buram, Aquas veteres, Schonhoven occupant, & Zyriceam urbem Selandia totâ hac byeme obſeſſam, exeunte Junio, deditione capiunt. Chyt.

Annus Nabonaſſaris 2325. *& Philippi* 1901. *incipit 25. Julii. feriâ* 4.

Annus Alexand. 1888. *Antioch.* 1625. *& Conſtantin.* 7085. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdegird. 948. *incipit* 23. *Octobr. fer.* 3. *Armen.* 1026. 26. *Octob. fer.* 6.

Tamachus *Perſarum rex mortuus fuit hoc anno, die* 11. *Maji; ſucceſſit ipſi primùm ex duodecim filiis Aidarus tertius, ſed hic poſt quindecim dies trucidatur, & eligitur* Iſmael, *qui ſtatim juniores octo fratres trucidat, & religione ad Turcas accedit, & regnat anno uno, & menſibus ſex.* Bizarus.

In Belgio cùm Requeſenius *mortuus eſſet, priusquam Johan de Auſtria appelleret, milites Hiſpani diripiunt* Antverpiã *& alias urbes, ideò Status Belgici convo-*

conveniunt, concluduntque, arces ab Hiſpanis extructas diruendas, & Hiſpanos Belgio pellendos: Trophæa etiam Albani de Belgis victis evertenda, & alia, die 8. Novembr.

Julius *Dux Brunſwicenſis convocat Theologos de condenda Academia Helmſtadiana in cœnobio Ruttershuſii, & ſtatuitur de profeſſoribus, de doctrina, de diſciplina & docendi ratione. Dos etiam ampla futuræ Academiæ adducitur, & introducitur die 13. Oct. qui natalis fuit primi Rectoris, Ducis Heinrici Julii.*

Maximilianus *celebrat comitia Ratisbonæ de auxiliis adverſus Turcam, ubi in ipſis comitiis placidè moritur die 12. Octobris, imperii anno 13. ſuccedit ipſi filius* Rudolphus, *qui imperat annis 36.*

Fridericus *Elector Palatinus, cum præfuiſſet annis* 18. *moritur die 26. Octob. ſuccedit ipſi filius* Ludovicus, *qui Eccleſias rectè conſtituit, &* Heidelbergenſem Academiam novis reditibus auxit; *præfuit annis ſeptem. Moritur etiam Johannes Albertus, Dux Megapolenſis, qui Academiam Roſtochianam inſtauravit.*

Mortui ſunt & hoc anno Joſias Simlerus Tiguri, Heinricus Salmuth Lipſiæ. Item Joannes Joachimus Rhericus, Hieronymus Carduanus, &c.

ANNO MUNDI 5526. Poſt C. 1577.
F. ☉ 18. ☽ 1. *Ind.* 5.

Annus urbis 2329. *Iulianus* 1622.
Æra Hiſpanica 1615. *Auguſtorum* 1604.
Rudolphus inchoat annum imp. 1.

Annus Neurutz. Perſ. 498 *incipit cum Æquinoct. verno.*

Annus Indorum 1672. & *Hegira* 985. *incipit die* 11. *Martii. fer* 5.

Moſchus Revaliam urbem initio anni obſidet, eamque oppugnat continuis hebdomadibus; cùm verò videret, ſe fruſtra laborare, & rex Poloniæ *Stephanus* proſcripſiſſet Dantiſcum, & totus eſſet in ea urbe oppugnandâ, ipſe interim Livoniam totam crudeliſſimè vaſtat. *Chyt.*

Johan. de Auſtria in Belgio pacem Belgarum de militibus externis amovendis, & cæteros articulos ut Gandavi concepti erant, approbat, & juramento confirmat, militesque dimittit. Sed hæc omnia ſimulatè agit, interim bellum adverſus Auranium meditatur, & arces occupare iterum conatur, & literæ ejus intercipiuntur de inſidiis: quapropter ordines militem iterum conſcribunt, & *Matthiam* Auſtriacum, Rudolphi Imperatoris fratrem ad ſe defendendum evocant. *Chyt.*

Bellum religionis ſextũ *eodem tempore in Gallia excitabatur, quod tamen ſtatim ſopitum eſt, cùm rex ære alieno nimium obſtrictus eſſet, & deberet ad centum milliones.* Chyt.

Diſſenſio inter Dantiſcanos & regem Poloniæ oritur, quòd rex exigeret dimidium Portorii: quod ut abrogarent, offerunt regi ducenta millia aureorum quadriennio ſolvenda, ſed rex hoc ad comitia regni rejecit, quod recuſabãt Dantiſcani, ideò proſcribuntur 12. Feb. qui nequaquam territi, ut hoſtem longiùs ab urbe arcerent, temeritate ſuâ cladem ſibi acceſſunt die 17. Apr. Inde 13. Junii obſidione cinguntur, ſed alacriter ſe defendunt, adeò ut rex caſtra & tormenta amitteret, & plurimi Poloni caderentur, ſic cum ponte Viſtulam caſtris conjungerent, plurimos ſubmerſerunt. Ideò rex relictâ obſidione initio ſeptembris Mariaburgum redit, & intercedentibus legatis Auguſti, Haſſi & Brandeburgenſis, pax fit, iiſdem tamen ferè conditionibus, quibus ante bellum. Chyt.

Olympias 588. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 2353.

Annus Diocletiani 1294. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Bergæ in cœnobio prope Magdeburgum, hâc æſtate conveniunt juſſu Auguſti Electoris Theologi ſex, Jacobus *Andreas*, Andreas *Muſculus*, Chriſtoph. *Cornerus*, Nicolaus *Selneccerus*, David *Chytræus*, & Martinus *Chemnitius*, qui legerent & perpenderent à principibus & Theologis deſiderata, & admonita in formula concordiæ. *Act.*

Martinus Forbiſſerus *Anglus navigationem inſtituerat in ſeptentrionales regiones, ubi ſuperatis multis difficultatibus reperit auri in quadam inſula tantam copiam, ut eo repleverit ducenta dolia. Reverſus eſt in Angliam* 17. *Septembr. Inſula illa tota nivibus obruta ferè eſt, agri non coluntur, potus hominum ſanguis ferarum, aut aqua glaciei.* Hiſt. ext.

Cometa *ingens cum longiſſima & latiſſima cauda viſus menſe Novembri, occidentem ſolem ſecutus, qui caudam non directè averſam à ſole projecit.*

Iſmael *Perſarum rex, cùm annum & ſex menſes regnaſſet, propter crudelitatem & religionis mutationem veneno tollitur* 4. *Sept. Succedit Muhamed Hodabendes, vir pacificus quidem: ſed cùm filium haberet induſtrium, & militia peritum, qui inſtigabat patrem ad bellum, fœdus init cum Tartaris & Georgianis contra Amurathem Turcam, qui ſomniis motus & à quibusdam perſuaſus, Perſis bellum inferebat.* Annal. Turc.

Naſcitur Johannes Georgius, filius Joachimi Friderici, Marchionis Brandeburgici, & Adminiſtra. Magdeb. 26. *Decembr.*

ANNO MUNDI 5527. Æræ C. 1578.
E. ☉ 19. ☽ 2. *Ind.* 6.

Annus Indorum 1673. & *Hegira* 986. *incipit die* 10. *Martii, fer.* 2.

Johan *de Auſtria ordinibus Belgicis bellum indicit, & aliquot urbes in Brabantia occupat.* Auranius *contrà, cujus conſiliis omnia gubernabantur, Gandavenſibus, quibus ſpoliati erant à Carolo V. privilegia reſtituit 7. Jan. pro qua re multum pecuniæ ſubminiſtrarunt, & 6. Febr. cùm terra marique commeatuum importationem impediſſet,* Amſterdamum *ordinibus ſubjicit, & Mechliniam ac alias urbes præſidio munit. Evocant etiam ordines Johannem Caſimirum Palatinum, qui cum ingenti exercitu in Belgium venit, ſed nihil effectum eſt, quod diſſidia inter Belgas orirentur, & pacis tractatio Coloniæ inchoanda eſſet, & Johan de Auſtria menſe Octobri moritur, & Caſimirus cum exercitu in Angliam trajicit.* Interim ab Ordinibus Belgicis pax religionis inſtituitur Antverpiæ & Gandavi & aliis in locis. Sed Hannonii & Arteſii hoc ægrè ferunt, & ſe ſejungunt ab ordinibus, propterea *Male contents* appellati ſunt. *Chyt.*

Amurathes Turcarum Imper. mittit Muſtapham Baſſam contra Perſas, die 5. Aprilis, qui ad *Georgianorum* regionem qui Chriſtiani erant, ſed Perſis fœderati, menſe Auguſto pervenit, & omnia longè latèque vaſtat, ubi vidua regina erat, quæ pacem pollicita obſides dat duos filios, qui Conſtant. abducti ſunt, ubi minor Turcica religione imbutus fuit,

Hiſpano bellum moveat, & Franciſcus in Belgio ordinibus adſit, cui promittunt viginti quatuor tõnas auriannuas. Cùm de his deliberaretur in Gallia, motus civiles, qui iterum gliſcere incipiebant, conticeſcunt. *Chyt.*

Hiſpani *Irlandiam* ſive *Hiberniam* inſulam Angliæ reginæ ſubjectam invadunt, & occupare conantur. Patet ea centum miliaribus germanicis in longitudinem, quinquaginta in latitudinem, ſed regina exercitum mittit, qui Hiſpanos Irlandia pellunt, & ita regina omnes Hiſpanos ex Anglia ejicit. *Chytr.*

Sueci *in fine anni* Padiſam *arcem Moſchis eripiunt, cùm paulò antè Corelia metropolin & arcem munitiſſimam, ſub gradu elevat. 67. & longitud. 62. ſitam, expugnaſſent 4. Novemb.* Chyt.

Aquiſgranum commigrarant multi exules ex Belgio; & religionem ſinceriorem ibi propagarant, ideò petunt cives ſibi exercitium religionis permitti; cùm nihil impetrarent, ipſi cùm conſules eligendi eſſent, duos ſuæ religionis eligunt, ſed Imperator arbiter hoſce removet, & pontificiam religionem ſolam admitti ibi jubet. Motus hi conquieſcunt, cùm majores in Colonienſi Epiſcopatu orirentur. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5530. Æræ C. 1581.
A. ☉ 22. ☽ 5. *Ind.* 9.

Annus urbis 2333. *Iulianus* 1626.
Æra Hiſpanica 1619. *Auguſtorum* 1608.

Rudolphus inchoat annum imp. 5.

Annus Gelali Perſ. 502. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Annus Indorum 1676. *& Hegira* 989. *incipit die* 5. *Febr. fer.* 1.

Stephanus Poloniæ rex Rigam Livoniæ metropolin in poteſtatem, fidem, ac ditionem recipit, & nova ipſi privilegia tradit: totis viginti annis hæc res tracta fuerat, nec de conditionibus ſatis conveniri poterat, jam etiam res infecta manſiſſet, niſi legati fraude egiſſent, & de conditionibus durioribus tacuiſſent, quibus urbs ferè in ſervitutem redacta eſt, & duas partes Portorii, jurisdictionem in urbe, receptionem Jeſuitarum, & alia regi concedere coacta fuit. Sed poſt quinquennium legati ſupplicio affecti fuerunt. *Chyt.*

Johannes Sueciæ rex per Duces ſuos, dum Moſchus bello à Poloniæ rege affligitur, ex Revalia Livoniæ urbe ad Finnonicum mare regiones Moſchi aggreditur, & multas urbes ipſi hac æſtate eripit, adeò ut munitiſſima oppida, & utramque Narvam, Livonicam & Ruſſicam, de dentibus ſeruſſis, occuparet, & fines regni ad quadraginta milliaria Germanica propagaret. *Chyt.*

Olympias 589. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 2357.

Annus Diocletiani 1298. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Ordines *Belgici tandem Scripto edito Philippo regi Hiſpaniæ omnem deinceps obedientiam & ſubjectionẽ renunciant. Sigillum ejus ab omnibus literis in poſterũ removent, &* Franciſcum Alenzonium *evocant, qui Cameracum venit* 17. *Auguſti, ſed ſtatim tamẽ in Angliam proficiſcitur. Interim* Antverpiæ *iterum* Pontificia religio abrogatur. *Rex Galliæ Heinricus tamen excuſat ſe Pontifici & regi Hiſpaniæ, hæc omnia à fratre ſuo, ſe invito fieri, & ſibi pacem cum Philippo firmam futuram eſſe.* Chyt.

Apologia formulæ concordiæ à Theologis tribus Kirchnero, Selneccero & Chemnitio ſcribitur Erphurdiæ, quæ poſt triennium, cùm à reliquis examinata eſſet, publicè editur.

Carolus Archi Dux Auſtriæ, religionis reformatæ exercitium in Stiria & Carniola, quod antea conceſſerat, abrogare conatur; ſed interceſſione Statuum motus, conſilium mutat. *Chyt.*

Stephanus Poloniæ rex in æſtate iterum in Moſchoviam movet, & tandem Pleſcoviam obſidet: hæc urbs olim libera plane, ſed cum odiis & ſeditionibus inter ſe cives diſſiderent, ante annos 72. Moſchum evocarant, & ſe ipſos in ſervitutem conjecerant. hæc obſidio tracta eſt toto & autumni & hyemis tempore, hyems etiam adeò ſæva fuit, ut militibus ferè omnia membra externa adurerentur, donec Moſchus Pontificem Romanum imploraret, ut inter ſe & Polonum pacem facere vellet, quæ actio inchoata eſt hoc anno ineunte, & Moſchus ceſſit tota Lithuania & Livonia, Stephanus contra reddidit Moſcho Velilucam, & quæ extra Lithuaniam erant. In hac pace Suecus non fuit comprehenſus. *Chyt.*

ANNO MUNDI 5531. Æræ C. 1582.
G. ☉ 23. ☽ 6. *Ind.* 10.

Annus Indorum 1677. *& Hegira* 990. *incipit die* 25. *Jan. fer.* 5.

Poloniæ rex Livoniam ordinaturus, Rigam etiam venit, munitiones urbis inſpicit, & die 7. *Aprilis* Jeſuitas *contra voluntatem civium introducit, quod & aliis Livoniæ locis fecerat. Reliqua negotia ad Comitia Werſavienſia rejicit, ubi Livoniæ privilegia, quæ olim Sigiſmundus ipſis dederat, diminuta ſunt. Adverſus Polonos etiam ſeverus fuit rex, & quoſdam nobiles occidit. Sed interim nobiles illi effecerunt, ut nihil in Comitiis concludi poſſet.* Chyt.

Hojenhuſium *Comitum familia, quæ per trecentos annos floruerat, extincta fuit defuncto* Jacobo *ultimo, die* 26. *Februarii, cujus ditiones occupant Duces Brunſuicenſes & Lunaburgenſes.* Chyt.

Franciſcus Alanzonius *ex Anglia in Belgicum redit, & magnâ ſolennitate, die* 19. *Febr. excipitur, ſed die* 8. *Martii, cùm ipſi juramentum præſtandum eſſet, infauſta omnia plurima ſeſe oſtenderunt. Sæva enim ventorum procella exorta, multa navigia ſubmerſerunt, mercatorum fornices aquâ marinâ compleverunt, merces corruperunt, inſignia Franciſci in flumen abripuerunt, turrim, quam inhabitabat Alanzonius, dejecerunt, &c. paulò poſt, die* 18. *Martii,* Wilhelmus *Auranius ictu ſclopeti per utramque malam trajicitur, id quod totum Gallis imputabatur, cum cives putarent, lanienam Gallicam apparari; nec cives quieviſſent, niſi Auranius ipſe eos placaviſſet, & autores facinoris deprehenſi rem ordine narraviſſent, & aſtu mercatoris cujuſdam hæc facta eſſe demonſtraſſent.* Parmenſis *uſus hoc caſu, de deditione ad civitates ſcripſerat, quæ tamen tempeſtivè ab Auranio monita fuerunt.* Chyt.

Rudolphus *Imperator Comitia Auguſtæ habet, in quibus ſumtus quidẽ ad defendendos fines Hungaricos decreti ſunt à principibus, à civitatibus verò denegati, priusquam gravamina audirentur.* Papa etiã formulam *Calendarii* novi ad hæc comitia miſit, petitque

eam

Tarturus in Turcica Cherſoneſo Turcis bellum infert, & *Caphan* Metropolin obſidet, quæ ſeſe dedere jam volebat. Sed Amurathes alium quendam regem Tartariæ fecit, quem cum pecunia & exercitu eò mittit, & muneribus apud conſiliarios Tartari tantum effecit, ut & regem ſuum caperent, & cum filiis duobus in fruſta conciderent; atque ita hic à Turca miſſus rex Tartarorum factus eſt, ſed ita ut libertate ademptâ, omnia ad nutum Turcarum gereret.

Annus Indorum 1680. *& Hegiræ* 993. *incipit* 24. *Decembr. fer.* 5.

ANNO MUNDI 5534. Æræ C. 1585.
C. ☉ 26. ☽ 9. *Ind.* 13.

Annus urbis 2337.	*Julianus* 1630.
Æra Hiſpanica 1623.	*Auguſtorum* 1612.

Rudolphus Imperator inchoat annum 9.

Annus Neuruz Gelali 506. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Stephanus Poloniæ rex obtruſerat Rigenſibus Calendarium novum, contra voluntatem civium, qui, cùm in fine anni Natalitia Chriſti ad regis præſcriptum celebrarentur, templis in univerſum abſtinuerunt, & id feſtum ad Calendarium vetus celebrarunt, Cantilenis tamen tantùm: Conciones enim habitæ non ſunt, præterquam à Johanne Rivio, Rectore in ſchola Rigenſi, qui ea de cauſa captus eſt, ſed per tumultum liberatus. Res per evocatos à rege ſequenti anno tractatur.

Johannes Georgius, Chriſtiani Electoris filius, avi materni nomine inſignitus, naſcitur die 5. *Martii ſtilo veteri.*

Georgius XIII. Papa moritur die 31. Martii, fer. 4. & quidem ſubitò, cùm nullus morbus antea apparuiſſet. Medici dixerunt, eſſe anginam, qua intra duarum horarum ſpatium ſuffocatus eſt, cùm ſediſſet annis 13. Succedit ipſi *Sixtus V.* parentibus pauperrimis ortus, adeò ut diceret, ſe natum domo illuſtri, hoc eſt, quæ fuiſſet lacero tecto, & tota à Sole illuſtraretur. Felix antea vocatus fuit; inauguratur 21. April. fer. 4. ſeditque annos quinque, menſes 4. *Onuff.*

Controverſiæ inter Magdeburgenſes & ſuum Adminiſtratorem *de juriſdictione Eccleſiaſtica*, & porta Adminiſtratori noctu dieque aperienda, ſi ipſe adſit, componitur per Electorem Saxoniæ & Brandeburgicum.

Olympias 590. *& annus ejus* 2361. *incipit in Julio.*

Diocletiani 1302. *incipit* 29. *Aug.*

Antverpia, cùm ſe fortiſſimè defendiſſet, tandem ſe Parmenſi dedit, fame coacta, die 7. Auguſti, tolerabilibus tamen conditionibus; omnes exceſſus condonantur, & diverſæ religionis cives intra quadriennium ſuis rebus proſpicere jubentur.

Guiſius Heinricus in Gallia, & alii etiam, exercitu comparato urbes quaſdam occupant, & edictum promulgant, die 18. Julii, de una Pontificia religione in regno conſervanda, & de Navarræ rege à ſucceſſione in regno Galliæ excludendo. Papa etiam *regem Navarræ & Condæum*, ut inhabiles regno excommunicat, & eorum ditiones prædæ exponit; Navarræus contrà ſe munit fœdere Anglico, & exercitu ex Germania evocato.

Ibrahimus Baſſa, gener Imperatoris Amurathis, ex Ægypto evocatus, in Palæſtina *Druſos*, gentem ad fontes Jordanis habitantem, invadit, eoſque avariſſimè & crudeliſſimè vaſtat, non tamen totam gentem in ditionem redigere poteſt. Oſman verò Baſſa movet contra Perſas cum exercitu centum & quinquaginta millium, *Tauriſium* occupat & vaſtat, ſed paulò pòſt moritur ex dyſenteria: *Cicala* quidem ipſi ſuccedit, ſed Perſæ redeuntem exercitum, quibuſcunque poſſunt modis, carpunt adeò ut in hac expeditione ad 80. millia perirent. *Annal. Turc.*

ANNO MUNDI 5535. Poſt C. 1586.
B. ☉ 27. ☽ 10. *Ind.* 14.

Auguſtus Elector Saxoniæ die 3. Januarii celebrat nuptias cum Anna, filia Principis Anhaldini, & ſuam filiam Annam jungit matrimonio Johanni Caſimiro, Coburgi Duci. Idem Auguſtus, cùm ex venatione rediiſſet, quietè in ſcamno reſidens Apoplexia tactus moritur 11. Februarii, cùm præfuiſſet annis 33. ſuccedit ipſi filius *Chriſtianus*, qui præfuit annis 5.

Regina Angliæ ſuperiori anno decreverat, ordines Belgicos contra regem Hiſpaniæ defendendos, ne ſi à rege ſubigerentur, Hiſpanus ſedem belli haberet ad Angliæ regnum oppugnandum, cujus rei ſignificationem dederat, cùm Hyberniam occupandam ſibi ſumpſiſſet; ideò Robertum *Dudleum* in Belgium mittit cum valido exercitu, & ut Hiſpani vires diſtineret, *Franciſcum* Dracum cum claſſe in Americam mittit, qui *S. Dominici Inſulam* Hiſpanis eripit, & earum naves intercipit, & menſe Octobri in Angliam revertitur cum ditiſſima præda. Interim Maria Scotiæ regina inſidias ſtruit Angliæ reginæ, quibus patefactis 20. Septembr. nobiles quatuordecim participes parricidii ſupplicio afficiuntur, & Guiſianorum inſidiæ etiam in Hybernia deteguntur, & milites Gallici internecione delentur. Bellum tamen in Belgio ſegnius adminiſtratum eſt propter ingentem annonæ caritatem, & regina Angliæ, ne ab Hanſæ civitatibus frumentum Hiſpanico exercitui afferetur, diligenter cavit.

Conſtantinopoli menſe Junio, cùm matutino tempore nebulæ eſſent, paulò pòſt locuſtas pluit, quæ omnes ejus anni fructus abſumpſerunt: Interim *Ferrat Baſſa* iterum movet in Perſiam, cui Perſæ ſe opponunt menſe Julio. *Annal. Turc.*

Noveſium, quod à Truchſeſianis interceptum fuerat, fruſtrà ab Erneſto Archiepiſcopo obſidetur, ſed à Parmenſi tandem menſe Julio expugnatur, & cives ac milites plerique occiduntur. Præfectus urbis de feneſtra ſuſpenditur. Idem recipit etiam Gravam & Venlonem, Geldriæ urbes, menſe Junio. *Chron. Belg.*

Riga in Livonia cives propter tumultum evocati erant ad comitia Polonica, in quibus damnantur; & aliquot Perſonæ, inter quos etiam Ludirector *Johan Rivius* erat, ad diſceptandam cauſam evocantur, id quod nimium grave rigenſibus videbatur, & contra ſua privilegia; interim proditio Syndici ſui, & Taſtii ante quinquennium detegitur, qui Rigenſium cauſam perfidè apud Polonum egerant, & totam urbem in extremas difficultates conjecerant, quâ de cauſa etiam merito ſupplicio

affecti ſunt. Hinc verò *Stephanus* rex adeò exarſit, ut bello Rigenſes petendos decerneret; Sed ſexto die pòſt, die videlicet 2. Decembr. rex, cùm decem annos regnaſſet, moritur epilepticis paroxyſmis proſtratus, & Rigenſes bello liberantur.

Annus Indorum 1682. & Hegira 995. incipit 2. Sept. fer. 5.

ANNO MUNDI 5536. Æræ C. 1587.
A. ☉ 28. ☽ 11. *Ind.* 15.

Daventria *urbs proditione Standlei Angli Hiſpanis deditur die 9. Januarii: is parricidii in reginam ſuperiori anno tentati ſuſpectus erat, ideò magno beneficio Hiſpanum afficere voluit, ut tuto ibi eſſe poſſet.*

Maria Scotiæ regina, quòd aliquoties reginæ Angliæ inſidias ſtruxiſſet, volentibus proceribus regni, reginâ tamen ferè invitâ, ſecuri percutitur die 8. Februarii.

Duces Saxoniæ, cùm *Brandeburgenſibus* & Haſſiacis Numburgi ad Salam *fœdus hæreditarium* renovant, & de auxiliis Navarræ omittendis deliberant. Sanciunt etiam, miniſtros ab altero rejectos, ab altero non conducendos; factum 4. Julii.

Franciſcus Dracus cum claſſe viginti quatuor navium inſidiatur Hiſpanis, cùmque nunciaretur, in portu Caleſiano magnam copiam navium eſſe, quæ machinis bellicis & multo commeatu onerarentur, ut ad reliquam claſſem *Lyſibonam* navigarent, improviſo in eas irruit, & triginta ſex naves partim incendit, partim diripit, multaſ ſecum abducit, & victoriâ inſigni, & prædâ potitur, die 19. Aprilis.

In Polonia diſceptatur inter proceres de rege eligendo: quidam *Sigiſmundum* Sueciæ regis filium unicum, die 9. Auguſti renunciant, quidam eligunt *Maximilianum* die 12. Auguſti. *Maximilianus* jurat Polonis die 17. Septembris. *Sigiſmundus* verò die 19. Septembr. ad Viſtulæ oſtium in Boruſſiam venit, jurat Polonis cum proteſtatione ſolenni de non cedenda *Livonia*, die 27. Septembr. Dantiſci, & die 10. Octobr. in Poloniam venit. *Maximilianus* ad fines Poloniæ acceſſerat circa initium Octobris, petieratque ſe à Statibus recipi, ſed fruſtrà. Ideò *Cracoviam* obſidet, & *Sigiſmundum* impedit, ſed à Zamoſcio victus, amiſſis impedimentis in fines Sileſiæ recedit, atque ita *Sigiſmundus* recipitur die 29. Novembris, & coronatur die 17. Decembris.

Superiore anno Turcæ in fines Croatiæ irruperant, prædasque egerant, ſed ita à noſtris accepti fuerant, ut pauci vix evaderent; ideò noſtri irritati, hoc Februario *Copanum* arcem capiunt, ubi tres Begi Turcorum convenerant, & multâ prædâ potiuntur. Menſe igitur Auguſto quatuor Begi cladem Turcicam ulturi, quinque millibus militum collectis, noſtros fines diripiunt. Comes *Zerinius* collecto exercitu, eos revertentes tantâ fortitudine excipit, ut omnis præda reciperetur, & potiſſima eorum pars cum ipſis Ducibus trucidaretur. *Annal. Turc.*

Copia peditum ad viginti millia, equitum quinque ferè millia ex Germanis collecta, ut Navarræo auxilium ferrent, cùm plurimum damni in Alſatia dediſſent, tandem iter in Galliam ingreſſi, fœdè à Guiſiis accipiuntur 14. Novemb. ex quibus copiis Helvetii ad Guiſios transeunt. Germani plurimis in locis caſi, in Germaniam per Sabaudiam redeunt, ſed pauci & omnium rerum egeni. pauciſſimi per Galliam ad Navarræum perrumpunt.

Annus ſabbathicus 7. Jobelei 31. incipit 23. Septemb. fer. 7. Anno Jud. 5348.

Annus Indorum 1683 & Hegira 996. incipit die 22. Novemb. fer. 4.

Franciſcus *Florentiæ magnus Hetruriæ Dux, cùm annis 13. præfuiſſet, moritur; ſuccedit ipſi frater* Ferdinandus *Cardinalis.*

In Belgio bellum ſegniter adminiſtratur, quòd diſcordiæ intervenirent inter Laneeſtrium & ordines: Lanceſtrius, *arguebat ordines, quòd temerario impetu ſe tam potenti regi opponerent,* Ordines *contra conquerebantur apud regem Angliæ, Lanceſtrium cum hoſtibus colludere; Ideo ipſe ex Belgio in Angliam redit.*

Nati ſunt hoc anno Johannes Fridericus Comes Palatinus Rheni, Philippi Ludovici filius, 23. Auguſti, & Chriſtianus Guilielmus Marchio Brandeburgenſibus, Joachimi Friderici filius, 28. Auguſti, hor. 7. 30. min.

Mortui ſunt hoc anno Matthæus Weſenbecius Antverpienſis.

Leonhardus *Badehorn* Lipſiæ.

Johannes *Wigandus*, Theologus.

M. Matthæus Hoſtus, Græcæ linguæ Profeſſor Francofurti, 29. April.

Timotheus Kirchnerus Vinariæ.

Jacobus Scheckius ætatis 75. Tubingæ 9 Maji.

ANNO MUNDI 5537. Æræ C. 1588.
G. F. ☉ 1. ☽ 12. *Ind.* 1.

Maximilianus *Archidux Auſtriæ à Zamoſcio Archicancellario coactus, in Sileſiam recedit, ſed Zamoſcius eum inſequitur, quem avertere potuiſſet Maximilianus, ſi Melchiorem* Rederum *ſequi voluiſſet. Sed Zamoſcius admiſſus, prælio vincit, &* Maximilianum *cum ſuis capit, die 13. Januarii.*

Fridericus *Daniæ rex moritur 4. April. cùm annos 29. regnaſſet; ſuccedit filius undecennis* Chriſtianus, *cui quatuor conſiliarii additi, donec adoleſceret.*

Martinus Schenck / *Bonnam* ſuperiore anno occuparat, eam obſident Hiſpani hoc anno ſex ferè menſes, & fortiſſimè à præſidio Schenckii rejiciuntur, ſed cùm fame cogerentur, deditur *Bonna*, honeſtis tamen conditionibus, die 19. Septembris. *Claſſis* illa ingens Hiſpaniæ regis per totum triennium apparata, navibus 125. inſtructa, militibus ſelectis, & veteranis viginti millium, nautis verò decem millium, tormentis bis mille, cui conjungi debeat claſſis *Parmenſis* trecentarum navium; tandem Angliam occupatura menſe Julio ſolvit, cùm paucis diebus antè rex *Philippus* cum regina Angliæ de pace per legatos egiſſet. Huic claſſi *Franciſcus Dracus* à tergo cùm ſuis parvis navibus ſe opponit, & navium malos præcipuè & gubernacula, item rudentes globis & catenis per tormenta emiſſis per totum triduum petit, quaſdam naves capit, & claſſem ferè inhabilem facit. Inde cùm Hiſpani Caletum in portum tranſiiſſent, *Dracus* veteres ſuas quaſdam naves octo numero, ſulphure, pice & aliis fomentis igneis repletas & incenſas ſequenti die exorto commodo vento claſſi Hiſpanicæ immittit, Hiſpani, ne ſuæ etiam naves incenderentur, abſque ordine ex portu enavigant, quos Dracus invadit,

invadit, claſſem totam disjicit, & plurimas capit; reliquæ naves Hiſpanicæ ad Norvegiæ fines ferè propulſæ, circumnavigatâ Angliâ, multis amiſſis, in Hiſpaniam cum triſti nuncio redeunt. Parmenſis verò naves, impeditæ ab Hollandis, in apertum mare exire non potuerunt, ideò ipſe nautas exauctoravit, & *Bergam* obſedit, ita ingens hic conatus, cui immenſos ſumptus impenderat rex, clade Sennaheribianâ in nihilum redactus eſt.

Seditio Conſtantinopoli oritur ob novum tributum indictum, & valorem in monetum auctum, in quâ incendio oborto magna pars urbis periit, ſeptem ſcilicet templa, hoſpitalia 25. & ædificiorum ad quindecim millia. *Amurathes* in ordinem redactus tributum remittit, & autores ejus Janizaris excruciandos & occidendos tradit. Cumque Perſæ ſe acriter defenderent, Amurathes ſuarum rerum ſatagens, cum Perſis pacem fieri jubet, & Sinam Baſſam, qui in Hungariâ pacem turbârat, Conſtantinopolin vinctum abducit. *Annal. Turc.*

Annus Nabonaſſaris 2337. *& Philippi* 1913. *incipit* 22. *Julii feriâ* 2.

Annus Alexand. 1900. *Antioch.* 1637. *& Conſtantin.* 7097. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdegird. 958. *incipit* 20. *Octobr. fer.* 1. *Armen.* 1638. 23. *Octob. fer.* 4.

Annus Indorum 1684. *& Hegira* 997. *incipit die* 10. *Nov. fer.* 1.

In Belgio cum Angli plures urbes præſidiis munire vellent, ordines metuentes, ne fraus ſubeſſet, repugnant: Angliæ verò regina ſe excuſat, & revocato Lanceſtrio & aliis, *Mauritio* Wilhelmi filio, & Statibus Hollandiæ gubernationem totam tradit, & nihilominus promiſſa auxilia contra communem hoſtem Hiſpanum ſubminiſtrat.

Heinricus rex Galliæ ab Heinrico Guiſio & aliis confœderatis in ſanctâ Ligâ in ordinem fere redigitur, conſiliaque habentur de rege in monaſterium trudendo. Rex ex literis interceptis hæc cognoſcens, rem diſſimulat: *Guiſium* amice ad ſe vocat, & eum 13. Dec. Blæſis ex inſidiis trucidat, ejus fratrem Cardinalem ſtrangulat, & quoſdam alios carceri mancipat.

ANNO MUNDI 5538. Æræ C. 1589.
E. ☉ 2. ☽ 13. Ind. 2.

Annus urbis 2341.	*Julianus* 1634.
Æra Hiſpan. 1627.	*Auguſtorum* 1618.

Rudolphus incipit annum Imp. 13.

Annus Neurutz. Perſ. 510. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Catharina *Medicæa, Heinrici II. Valeſii regis vidua, Auctrix Lantenæ Pariſienſis*, obiit 5. *Januarii, Calendarii Gregoriani.*

Heinricus III. *rex Galliæ, quod Guiſium occidiſſet, à Guiſianis exagitatur; ideò cum rege Navarræ redit in gratiam menſe Aprili, & militem cogit, ut* Lutetias *obſideat, ſed Calendis ſextilibus à Monacho* Jacobo Clemente *venenato cultello & oblongo ictus, ſequenti die moritur, cùm annis* 15. *regnaſſet; conſtituerat autem ſucceſſorem* Heinricum IV. *Navarræ regem, cui in caſtris proceres jurant fidelitatem, & promittunt, parricidium hoc cum ſanguinis & bonorum ſuorum jacturâ ſe vindicaturos; regnat annis* 21.

Rudolphus Imperator & alii legatos mittunt ad Polonos, de liberando *Maximiliano* captivo, qui etiam dimittitur absque λύτρῳ, ſi titulo regis Poloniæ, & omni jure in regnum illud renunciet. Jurant hoc Rudolphus & alii: Sed ipſe cum dimiſſus in finibus Sileſiæ fortioribus copiis, quàm Polonicæ eſſent, exciperetur, Juramento, quæ acta fuerant, confirmare noluit.

Julius *Dux Brunſuicenſis, cùm præfuiſſet annis* 21. *moritur die* 2. *Maji: ſuccedit filius* Heinricus *Julius: Adminiſtrator Halberſtadienſis, qui præfuit annis* 25.

Angliæ regina *Antonium* Portugalliæ regem exulem in regnum reducere conatur, & claſſe marique feliciter res gerit, ſed terra non item. Regrediens ejus claſſis naves quaſdam Hanſicarum civitatum, quòd munitiones quaſdam in Hiſpaniam exportarent, capit & ſpoliat, idque jure factum defendit.

Olympias 591. *qua eſt annus Olympiad.* 2365. *incipit in Iulio.*

Diocletiani 1306. *incipit die* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1685. *& Hegira* 998. *incipit die* 30. *Octobr. fer.* 5.

Coſaci Tartaros vaſtant, Tartaris auxilio veniunt Turcæ. Coſacos verò adjuvant Poloni: variis modis pugnatur, Pax tandem inter Polonos & Turcas firmatur, intercedente regina Angliæ.

Johannes Sturmius Rector Argentinenſis moritur, anno ætatis 82.

ANNO MUNDI 5539. Æræ C. 1590.
D. ☉ 3. ☽ 14. *Ind.* 3.

Moſchus ſedulò hactenus egerat cum Sueco, ut ſibi regiones in bello Polonico ereptæ reſtituerentur; idque ut impetraret ingentem pecuniæ ſummam Sueciæ regi offerebat. Sed cùm nihil impetraret, magnum collegit exercitum, cui præmiſit legatos, qui iterum, ut pacificè hæc componerentur, agerent; cùm verò res produceretur, ſtatim aggreditur bellum, & pleraque recuperat cum Narvâ Ruſſica & aliis, menſe Januario, ubi induciæ fiunt in ſequentem annum à Ducibus Sueciæ. Sed rex indignatus, ruptis induciis Narvam iterum obſidet, ſed nihil efficit, imò Moſchi magnam Livoniæ partem vaſtant.

Poloni invidiam pacem habent cum Turcis, quòd Coſſaci Turcicas naves & urbes deprædarentur; ideò Turca minitatur bellum, & Poloni tributum ſuis imponunt, omniaque præparant ad bellum, quod tamen intra minas conſtitit, intercedente reginâ Angliæ.

Rigæ *in Livonia proſcripti à Stephano capite mulctati erant, & civitas in gratiam recepta, ſed hoc anno* Jeſuitæ *iterum in urbem introducuntur.*

In Galliis menſe Martio Heinricus IV. rex inſigni victoria potitus eſt, victo Carolo Meduanio Duce, in quo prælio etiam Philippus Egmondanus Hiſpanorum Dux cæſus eſt; inde rex Lutetias obſidet & Saguntinam ad famem cogit; at Parmenſis ex Belgio juſſus Lutetias obſidione liberare, commeatum intulit, qui tamen prælio ſe offerre noluit. Corbeilum tamen oppidum expugnat vi, quod tamen adhuc hoc anno rex recepit.

Berx oppidum è regione Veſaliæ totis ſex annis ab Hiſpanis & Epiſcopo Colonienſi obſeſſum, deditur die 3. Febr. Mauritius contrà *Bredam* oppidum Brabantiæ munitiſſimum, ſtrategemate militari, abſconditis in navibus militibus, gramine arefacto tectis, capit.

Jacobus Marchio Badenſis deficit ad Pontificios & ſimul Theologus *Johannes Piſtorius*, qui eodem tempore diſputavit cum Jacobo Andreæ; ſed Marchione defuncto die 7. Auguſti tutor pupilli Erneſtus Fridericus, omnia in integrum reſtituit, dimiſſis Pontificiis.

Sixtus V. Papa, cùm ſediſſet annos quinque, moritur die 17. Auguſti, feriâ ſecundâ: reliquerat hic in theſauris ad decem milliones, qui non niſi in recuperando aliquo regno, quod ab obedientia Pontificis defeciſſet, erogarentur, & in hoc voluit ſuos ſucceſſores juramento obligari: Succedit ipſi Johannes Baptiſta de Caſtanea dictus, qui voluit ſe nominari *Vrbanum VII.* die 5. Septembr. Moritur hic poſt dies 10. die 15. Septembris. Inde poſt longas duorum menſium diſſenſiones, Nicolaus Mediolanenſis, natus à conceptione menſe ſeptimo, die 25. Novembris eligitur, qui ſe nominari voluit GREGORIUM XIV. qui vix annum ſedit. *Onuff.*

Terræmotus ingens hoc anno fuit in Auſtria & Moravia, quo Viennæ plurima ædificia labefactata ſunt, imprimis turris & Caniſium *propugnaculum dimidia parte corruit.*

Menſe Julio & Auguſto inuſitati æſtus & calores fuerunt, quibus paſcua perierunt. In Belgio cum in hiſce caloribus in curia opilionis cujuſdam ignis in terram ceſpitoſam & Paluſtrem, quam Dorff *appellant vel* Valendorff / *ſive in arborum everſarum & putridarum congeriem ſubterraneam incidiſſet tantum incendium enatum eſt, ut cœlum ipſum ardere videretur, nec ignis extingui potuit, donec à mari foſſa fierent, & ignis ille aquis obrueretur.*

Annus Indorum 1689. *& Hegira* 999. *incipit* 20. *Octobr. fer.* 3.

Mortui ſunt hoc anno Jacobus Andreas, Theologus, Hieronymus Mencelius Islebiæ, Johannes Avenarius Cizæ.

ANNO MUNDI 5540. Æræ C. 1591.
C. ☉ 4. ☽ 15. Ind. 4.

Pax inter Polonos & Turcas per legatos Polonicos & Anglos tandem firmatur, ita ut Poloni pro damnis à Coſacis illatis penderent centum quadragenos pellium Zebellinarum faſciculos, vulgò Zimmer / & penderent Baſſis 80. millia aureorum, & Coſacos coercerent, de qua re comitia acta ſunt, in quibus *Rudolphus* Imperator conqueritur, à Polonis ſuperiori anno legem latam, quâ infamis fieret, qui in electione regis aliquem de domo Auſtriaca nominaret.

Cracoviæ in feſto Aſcenſionis, cùm rex ibi eſſet, quidam ſtudioſi à *Jeſuitis* incitati ædes, ubi exercitium religionis reformatæ agebatur, per triduum oppugnant, & tertio die tandem cremant. Palatini Poloniæ atrociter de hac injuria vindicanda apud regem agunt, qui autores ſeditionis jubet inquiri, & permittit, ut ædes inſtaurentur.

Chriſtianus *Elector magnum exercitum mittit in Gallias, ut* Heinricus IV. *rex regnum totum occupare poſſit. Pontifex contra etiam Maino exercitum mittit, ſed non adeò validum. Ideò non auſus ingredi Galliam, metu Germanorum dilapſus eſt.* Parmenſis etiam *in Galliam progredi non potuit, quòd* Mauritius *Sutphaniam & Daventriam menſe Majo occupaverat, & Neomago imminebat, quam præſidiis firmat, ſed à Mauritio clade afficitur; inde Mauritius oppidum* Hulſt *deditione capit, & poſtea* Neomagum, *ubi Schenckii reliquias ſuſpenſas colligit, & in Mauſeolo Ducum Geldriæ condit, atque ita Parmenſis toto anno impeditus in Galliam abire non potuit, quo facto etiam alter Pontificis exercitus major quam prior erat, Galliam ingredi non auſus eſt, cum in mandatis haberet, expectandum ſibi eſſe, donec Parmenſis in Gallias veniſſet.*

Papa Gregorius, cùm armis nihil poſſet efficere contra regem Galliæ *Heinricum IV.* cum iterum excommunicat, & omnes ſubditos ab ejus obedientia abſolvit; ſed ipſi Pontificii in omnibus Parlamentis excommunicationem irritam pronunciant, & & fallacem, ſeditioſam, & impietatis & impoſturarum plenam: quapropter eam publicè per carnificem cremant, & conſilium agitur, ut Patriarcha Eccleſiaſticus in Gallia conſtituatur, & Annatæ, cenſus, & pecuniæ pro pallio in regno retineantur.

Chriſtianus Elector Saxoniæ, cùm annis 5. & menſibus 6. præfuiſſet, moritur, relictis liberis impuberibus tribus, quibus tutor datur Fridericus Wilhelmus, & Elector Brandeburgenſis, qui *Exorciſmum* & exules ejus cauſa factos reſtituunt, & in Politicis etiam aſperiora quædam mitigant; præeſt annis decem.

Annus Indorum 1687. *& Hegira* 1000. *incipit* 9. *Octobr. fer.* 7.

Gregorius XIV. Papa moritur die 5. Octobr. fer. 5 ſederat undecim ferè menſes; ſuccedit ipſi Johannes Antonius, Fachinetus dictus, die 19. Octobr. fer. 3. qui nominatur *Innocentius IX.* moritur poſt binos menſes, die 19. Decembr. cùm eclipſis Lunæ ſimul incideret.

ANNO MUNDI 5541. Æræ C. 1592.
B. A. ☉ 5. ☽ 16. *Ind.* 5.

Clemens VIII. Papa eligitur in defuncti Pontificis locum, die 20 Januarii; dictus fuerat antea Hippolytus Aldobrandinus, Cardinalis, Patritius Florentinus.

Wilhelmus *Juliacenſis Dux, cùm annis* 53. *præfuiſſet, moritur: ſuccedit ipſi filius unicus* Johan. Wilhelmus, *qui tamen mente non ſatis conſtabat. Item* Chriſtophorus & Johannes *Duces Megapolitani moriuntur menſe Martio.*

Johannes *Caſimirus tutor Electoratus Palatinatus, cùm annis* 9. *præfuiſſet, moritur ſtatim in Januario.* Fridericus *Patruelis, filius Ludovici, jam præter binos menſes compleverat annos* 18. *atque ita aptus ad ſucceſſionem ex legibus Aureæ bullæ; nihilominus tamen Bipontinus & Nauburgenſis litigant, uter dignior ad tutelam, ſed fruſtrà.*

Johannes Georgius, Joachimi Friderici Adminiſtratoris Magdeburgenſis filius, eligitur Epiſcopus Argentinenſis, die 20. Maji, ab iis, qui erant reformatæ religionis, & conſentiente Senatu. Sed Pontificii eligunt Carolum Lotharingum, Cardinalem & Epiſcopum Metenſem, qui Alſatiam bello miſerè afflixit hoc anno, donec circa finem anni,

Impera-

Imperator bello eos deſiſte juſſit, & utrique aliquot arces dedit, quibus frueretur, donec res per ſex Electores, & aliquot Epiſcopos componeretur.

VVilhelmus Landgravius Haſſiæ, cùm annis 25. præfuiſſet, moritur menſe Auguſto: cui ſucceſſit filius unicus Maurikius, eruditione politiſſimus. Obierunt præterea *Erneſtus Ludovicus* Pomeraniæ Dux, *Wilhelmus* Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis, menſe Auguſto.

Annus Nabonaſ. 2341. *& Philippi* 1917. *incipit die* 21. *Iulii, feria* 6.

Annus Alexandr. 1904. *Antioch.* 1641. *& Conſtantinop.* 7101. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Indorum 1688. *& Hegiræ* 1001. *incipit* 27. *Septembr. fer.* 4.

Annus Iezdegird. 902. *incipit* 19. *Octobr. fer.* 5. *Armen.* 1042. *die* 22. *Octobr. feria* 1.

Mauritius Hollandiæ oppidum *Steinvviek*, munitionibus celebre, fame domitum, deditione accipit. Inde *Coverdam* Calendis Septembr. occupat, & Hiſpanos trucidat. *Heinricus IV.* Galliæ rex ad Rothomagum, cùm lentâ obſidione urbs domanda eſſet, plerosque nobiles dimittit, quòd nihil ab hoſtibus periculi adeſſe crederet, atque hæc ſecuritas ipſi damnoſa fuit, commeatus enim hoc modo urbi illatus.

Turcæ menſe Septembri arcem & propugnaculum Wihitſch occupant, bis mille homines trucidant, & reliquos in ſervitutem abducunt, & ad Caniſiam usque evagati, omnia direptionibus & incendiis vaſtant; tandem arcem Siſecum irrito conatu oppugnant, exercitus Auſtriacus tardè convenit, nec quicquam memoria dignum gerit hoc anno.

JOHANNES Sueciæ rex, cùm annis 24. regnaſſet, poſt fratrem Ericum, moritur, die 17. Novembris. Succedit ipſi filius unicus Sigismundus, qui erat Poloniæ rex, cui poſt annos ſeptem regnum abrogatur.

ALEXANDER Farneſius Parmenſis Dux, cùm annis 34. Belgio, nomine regis Hiſpani, præfuiſſet, & clementiâ & humanitate multas urbes ad Hiſpani partes adduxiſſet, & jam moliretur tertiam expeditionem in Galliam, ſubitis & acutiſſimis doloribus per quatriduum correptus, moritur die 22. Novembr.

ANNO MUNDI 5542. Æræ C. 1593.
G. ☉ 6. ☽ 17. *Ind.* 6.

Annus urbis 2345. *Iulianus* 1638.
Æra Hiſpanica 1631. *Auguſtorum* 1620.
Rudolphus inchoat annum imper. 17.

Annus Gelali Perſ. 514. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Bellum Argentoratenſe ab Electoribus aliquo modo componitur 17. *Febr.*

Hazanbaſſa in Hungaria ad Siſeccum oppugnandum in fine menſis Maji redit, & cùm vi tormentorum muros disjeciſſet, & jam in eo erat, ut id occuparet, ſubitò Auſtriacus exercitus advenit, qui Turcas aggreſſus ad octodecim millia vel armis vel tormentis trucidant, vel in Colapum fluvium præcipitant, in qua clade periit Dux Hazanbaſſa, & inſuper ſororius Amurathis Imperatoris, cumplurimis aliis Begis. Ideo Turcarum Baſſæ reliqui præſidia convocant, & ſumma vi bellum inſtaurant, & tandem *Siſeccum* 24. Septembr. expugnant, item *Veſprinum* 26. Septembr. & *Palottam* 30. Septembr.

Noſtri contrà *Albam regalem* tentant, & octo millia Turcarum trucidant, & in ſuperiore Hungaria Filleccum, Novigradum multa alia caſtella occupant vel recipiunt.

Olympias 592. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 2369.

Annus Diocletiani 1310. *incipit* 29. *Auguſti.*

Annus Indorum 1689. *& Hegiræ* 1002. *incipit* 17. *Sept. feria* 2.

Hiſpaniæ rex, & Pontifex tandem perſuadent Epiſcopis, & quibusdam aliis Pontificiis in Gallia, ut relicto hæretico *Heinrico IV.* alium regem eligant Catholicum, quemcunque velint. Ideò aliqui Heinricum, Heinrici Guiſii interfecti filium nominant, ſed reliqui tandem precibus, querimoniis & pollicitationibus apud *Heinricum IV.* regem impetrant, ut ad Pontificiam religionem redeat; quapropter die 15. Julii, in templum D. *Dionyſii* ingreſſus, Miſſam Pontificiam audit & abſolvitur, & legatos ad Pontificem de ſua pœnitentia mittit, atque ita conatus Hiſpani & Pontificis illudit.

Mauritius *Hollandus interim in Belgio montem Gertrudis, vi & fame coactam deditione accipit.*

Sigiſmundus *Poloniæ rex, cùm juramento promiſiſſet, ſe conſtitutis rebus in Sueciam Poloniam reverſurum, vix dimittitur; & cùm aliquot diebus Dantiſci commoratus eſſet, mari ſe committit die* 13. *Sept. ſed variis tempeſtatibus in mari jactatus eſt, tandem tamen in Sueciam venit.*

Johan Lauterbachius Poeta. Heilbrunnæ moritur 11. Octobr. Item Johan. Leonclavius annalium Turcicorum autor.

ANNO MUNDI 5543. Æræ C. 1594.
F. ☉ 7. ☽ 18. *Ind.* 7.

Sigismundus Poloniæ & Sueciæ rex, cùm per omnia ſacra juraſſet, ſe privilegia regni conſervaturum, & *ſolam Auguſtanæ confeſſionis religionem in regno admiſſurum*, peregrinos etiam milites in regnum Suecicum non inducturum, coronatur rex Sueciæ die 19. Februarii, quod regnum obtinet per annos quinque.

Heinricus IV. Galliæ rex, cùm Pontificiam religionem ſe ſecuturum eſſe juraſſet, Carnuti coronatur die 17. Febr. & à Parlamentis ita agnoſcitur & proclamatur, etiamſi Pontifex ipſum in Eccleſiam reciperenollet. Plurimæ itaque urbes ad Heinricum regem redeunt, ut Lutetia, Lugdunum, Rhotomagum, Dionum, Laudunum. Hiſpanus contrà exercitum mittit in Galliam ad Mainum; *Jeſuitæ* etiam ſicarium ſubornant, qui regem trucidet, ſed ictu aberrante, per labrum ſuperius in dentem regis impegit. De ſicario ſumtum ſupplicium, & *Jeſuitæ* triduo proximo collegiis ſuis exire, & totâ Galliâ excedere jubentur. Cùm hâc non ſucceſſiſſet viâ, regem Heinricum Hiſpani conantur tollere odore infectæ roſæ, ſed & illud fruſtrà fuit: ita etiam conductus eſt Sicarius, qui Mauritium Auranium trucidet, item qui reginam Angliæ veneno tollat.

 Mau-

Mauritius *Auranius Coverdam, quam Hiſpani obſederant, obſidione liberat, Hiſpanos trucidat, &* Groningenſes *ad deditionem cogit, die* 22. *Julii. Interim Ordines Belgici circumnavigatâ Norvegia novum iter in* Chinam *tentant, ſed fruſtra.*

In Hungaria noſtri *Novogradum* arcem recuperant, *Strigonium* verò fruſtrà immenſis ſumtibus oppugnant, & tandem nemine fugante trans Danubium caſtra transferunt, & *Rabam* malè defendunt. Inde cùm Turcæ irrumperent, omni defenſionis conatu abjecto, Aldeburgum fugiunt, & omnia ferè impedimenta amittunt, & *Raba* munitiſſimum propugnaculum à Comite de Hardec, nulla neceſſitate cogente, Turcis die 19. Septembris traditur; propter hanc proditionem Comes, ſequenti anno, menſe Majo, capite plectitur Viennæ.

Annus ſabbathicus 1. *Jobelei* 32. *incipit* 5. *Septembris, feria* 5. *Anno Judaico* 5355.

Annus Indorum 1690. *& Hegira* 1003. *incipit* 5. *Sept. feria* 6.

Sigismundus Bathori, *Princeps Tranſylvaniæ re deliberata à Turcis deficit, & Imperatori Rudolpho ſe conjungit, & Tartaros aliquot in locis cadit.*

Rudolphus *Imperator hoc anno comitia Ratisbonæ celebravit, in quibus tempore hoc belli Turcici, promiſſi ſunt ab imperio ad bellum hoc alendum maximi ſumtus, ſexaginta ſcilicet & quatuor millia aureorum in menſes octoginta ſingulos.*

Natus Heinricus-Fridericus Jacobi VI. Scotorum regis filius, ex Anna Chriſtiani IV. Daniæ regis ſorore.

Obierunt Jacobus Curtius à Senſtena W. S. Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius intimus, & Romani imperii Procancellarius, menſe Majo: Gerardus Mercator Rupelmundanus, Coſmographus excellentiſſimus 2. Decembr.

ANNO MUNDI 5544. Æræ C. 1595.
E. ☉ 8. ☽ 19. Ind. 8.

Amurathes *Turcarum Imperator, cùm regnaſſet annos* 20. *&* 6. *menſes, moritur die* 8. *Januarij: Succedit ipſi* Muhamed III. *qui cum paternis exuviis ſimul ſepelit octodecim fratres, ex concubinis natos & ſtrangulatos, regnatq; annis* 9.

Sueci tandem cùm infeliciter bellum geſſiſſent, pacem cum Moſchis faciunt, & Rexholmam *Moſchis reddunt.*

Inter *Rudolphum* Imperatorem & *Sigismundum* Tranſylvanum fœdus contra Turcas initur, & *Maria* Chriſtina, Caroli filia, Sigismundo deſpondetur, qui inde ad bellum profectus, feliciſsimè hac æſtate bellum gerit, & cum Turcis congreſſus, multa oppida & arces occupavit, *Moldaviam* etiam Turcis eripuit. Sed Poloni hanc victoriam iniquè interpellant, & ipſi Moldaviam, cæſo Tranſylvani præſidio occupant, ſub tributo Turcis pendendo.

Erneſtus Dux Auſtriæ, frater Imperatoris, Belgii Dux ab Hiſpano conſtitutus, moritur die 10. Febr. cùm paulò antè menſe Januario mortuus eſſet *Ferdinandus* Rudolphi patruus, cui ſuccedit Imperator Rudolphus.

Carolus *Mansfeldicus ab Imperatore ex Belgio evocatus, Dux exercitus conſtituitur in Hungaria contra Hungaros, qui* Strigonium *obſidet die* 20. *Iunij, & exercitum Turcicum, qui venerat ſolutum obſidionē, die* 25. *Iulii, egregiè vincit, ſed moritur ipſe paulò poſt, & Strigonium deditur die* 23. *Auguſti.*

Hollandi inditionem Colonienſem irrumpunt, ob non reſtituta oppida & agros Comitis Morſiani & civitatibus multa aureorum millia extorquent.

Annus Indorum 1691. *& Hegira* 1004. *incipit* 27. *Auguſti, feria* 4.

Rex Galliæ Heinricus IV. indicit Philippo Hiſpano bellum, nec ſegnius ab Hiſpano res geritur, eripiturq; Gallis Cameracum, *nec Gallus regina Angliæ adjuvatur, quòd Pontifici Romano reconciliatus eſſet; Abſolutionem enim à Pontifice Romano Heinricus impetraverat die* 7. *Sept.*

Natiſunt Georgius Rudolphus Joach. Friderici Ducis Lignicenſis & Bregenſis filius 22. Januarii. Uladislaus Sigismundi III. Suecorum & Poloniæ Regis filius 9. Junii, Georgius-Guilielmus, Johannis Sigismundi Electoris Brandeb. filius 3. Nov. & Otto, Mauritii Haſſiæ Landgravii F. 25. Decembr.

Mortui ſunt hoc anno *Reinerus Reineccius* die 10. Aprilis, & *Michael Neander* Ilfeldiæ 26. April.

ANNO MUNDI 5545. Æræ C. 1596.
D. C. ☉ 9. ☽ 1. *Ind.* 9.

Albertus Auſtriæ Dux, frater Imperatoris & Cardinalis, gubernator generalis Belgii ab Hiſpano conſtitutus, Bruxellas venit die 1. Februarii & *Caleſium*, quod Franciſcus Guiſius ante annos 38. Anglis ereptum, Gallis reſtituerat, menſe Aprili expugnant, incolas Gallos pellit, & Hiſpanos colonos eò convocat; inde die 20. Auguſti Hulſtum expugnat.

Claſſis Anglorum, ut Hiſpanicam claſſem in Belgium venientem cohibeat, ad Gades appellit, & ibi in claſſem Hiſpanicam incidit, & partem ejus cremat, alteram verò partem, ne Anglis uſui eſſet, ipſi Hiſpani cremant, & urbis direptionem & vaſtationem multis aureorum millibus redimunt: Factum menſe Junio.

Hollandi, *ut ſeſe contra Albertum, qui feliciter hactenus res geſſerat, tutari poſſint, fœdus ineunt cum rege Galliæ, & cum regina Angliæ.*

Maſſiliam *hoc anno quidam proditores Hiſpano tradere conabantur, ſed Guiſius à Galliæ regis partibus eos impedit, & detecta proditione; quosdam trucidat, quosdam urbe ejicit.*

Sigismundus Tranſylvanus in Hungaria fruſtra Temeſvarum obſidet, cùm ſimul ingruerent Tartari à Turcis in auxilium miſſi, quibus ſimul reſiſtere non poterat.

Annus Nabonaſ. 2345. *& Philippi* 1921. *incipit* 20. *Julii, feria* 3.

Annus Indorum. 1692. *& Hegira* 1005. *incipit die* 15. *Auguſti, fer.* 1.

Annus Alexandr. 1908. *Antioch.* 1645. *& Conſtantinop.* 7103. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Iezdegird. 966. *incipit* 18. *Octobr. fer.* 2. *Armen.* 1046. *die* 21. *Octobr. feria* 5.

Maximilianus, frater Imperatoris, Dux exercitus in Hungaria conſtitutus, expugnat *Hatuanum* urbem munitiſſimam; inde cùm audiret, Imperatorem Turcicum cum exercitu advenire, ad Strigonium

gonium redit. Turcæ contrà recepto Hatauno, Agriam *Erlaw* obſident 6. Sept. & deditione accipiunt die 4. Octob. cùm Maximilianus Sigiſmundum Tranſſylvanum expectaret, & nimis lentè auxilium ferret.

Muhamed Imp. poſt deditam urbem cum noſtris prælio congredi parat in patentibus campis, & poſt aliquot dierum velitationes, die 16. Octobr. cùm à noſtris in prælio fortiſſimè urgeretur, fugit. Noſtri verò ad ſpolia legenda, quàm ad victoriam perſequendam avidiores, à Tartaris & Turcis revertentibus opprimuntur, ubi equitatus totus fugit, & caſtra atque impedimenta Turcis relinquuntur.

In Boruſſia quædam templa Lutheranis ab Epiſcopis eripiuntur, & Sigiſmundus rex Poloniæ Dantiſcanis etiam mandat, ut templum Marianum Jeſuitis tradatur, qui tamen poſtea iterum ejiciuntur.

Nati ſunt hoc anno Fridericus V. Friderici IV. Electoris Palatini primogenitus, & Joan. Caſimirus, Joan. Georgii Fil. Princeps Anhaltinus.

Mortui verò Franciſcus Dracus Angliæ Admiralius; Lambertus Danæus Theologus, Gallus; Jacobus Kimedonicus, Profeſſor & Theologus Heidelbergæ.

ANNO MUNDI 5546. Æræ C. 1597.
B. ☉ 10 ☽ 2. *Ind.* 10.

Annus urbis 2349. *Iulianus* 1642.
Æra Hiſpan. 1635. *Auguſtorum.* 1624.
Rudolphus inchoat annum Imper. 21.
Annus Neuruz Perſ. 518. *incipit cum Æquinoctio verno.*

Mauritius Auranius die 25. Jan. Alberti Auſtriaci copias ad Tornhutum profligat, occiſo eorum Duce Varaxio: vexilla militum circiter triginta reduxit, cùm bis mille hoſtium tantùm cecidiſſent.

Albertus Auſtriacus *Ambianum* Piccardiæ metropolin in Gallia, ſtrategemate militari capit die 7. Martii, quod rex magno molimine, per totam æſtatem oppugnatum, recipit die 15. Septemb.

Carolus patruus Sigiſmundi regis Poloniæ & Sueciæ, die 18. Febr. Comitia regni in Suecia edicit & titulum gubernatoris regni aſſumit. Sigiſmundus verò rex Poloniæ & Sueciæ prohibet, comitia ſe abſente fieri. Sed Carolus urget inſtitutum, & munitiones regni præcipuos occupat, legeque ſe id facere ad alios perſcribit.

Olympias 593. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 2373.

Annus Indorum 1693. *& Hegira* 1006. *incipit* 4. *Aug. fer.* 5.

Annus Diocletiani 1314. *incipit die* 29. *Aug.*

Mauritius Auranius Reinbergam occupat die 10. Auguſti. Inde *Moers* oppidum & Arcem 23. Aug. Poſteà *Cranburgum* præcipuum munimentum Comitatus Zutphaniæ, 17. Septembr. & *Bredefortum* 29. Sept. & vicina Caſtella, tandem etiam Lingam; atque ita hâc æſtate & fortiſſimè & feliciſſimè res geſſit.

Alphonſus Ferrariæ Dux moritur VII. KL. Novemb. abſque prole maſcula: Unde Papa Romanno ſequente, ut Feudi Dominus, Ducatum Ferrarienſem occupat: Defuncti verò patruelis, Cæſar, Rhegium & Mutinam retinet, & ab Imp. Rudolpho Dux creatur.

ANNO MUNDI 5547. Æræ C. 1598.
A. ☉ 11. ☽ 3. *Ind.* 11.

Eliſabetha; Angliæ Regina, Germanos mercatores ex Anglia ejicit ſtatim menſe Jan. eâ de cauſa, quod Rudolphus Imp. ſuperiore anno Anglos ex Germania proſcripſerat.

Jaurinum, fortiſſimum Hungariæ propugnaculum, induſtria & felicitate Adolphi à Schwartzenberg recuperatur 19. Martii.

Johannes Georgius Elector Brandenburgenſis, cùm præfuiſſet annis 27. moritur die 8. Januarii, anno ætatis 73. Succedit ipſi filius primogenitus *Joachimus Fridericus*, Adminiſtrator Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, qui præeſt annis 10. cum dimidio ferè.

Carolus Dux Sudermanniæ in Suecia omnia in regno diſponendo ex ſua ſententia agit; ideò Sigiſmundus Rex Poloniæ & Sueciæ in Sueciam tranſit menſe Julio, & velitatione quadam cum Carolo facta, per interceſſores concordiæ rationes ineuntur Lyncopiæ; ſed cùm Sigiſmundus ab iis diſcederet, & peregrinos milites ex regno non dimitteret, ſed Calmariæ in præſidio eſſe juberet, pax diuturna non fuit.

Annus Indorum 1694 *& Hegira* 1007 *incipit die* 25. *Jul. fer.* 3.

Sigiſmundus Tranſſylvaniæ Princeps fit princeps Sileſiæ, acceptis quinquaginta millibus aureorum, & Tranſſylvaniam tradit Imperatori; ſed pœnitens facti, ſub autumnum in Tranſſylvaniam redit.

Waradinum in Tranſſylvania ſe dediderat, ejus obſidionem moliuntur Turcæ, præſidium eò mittitur Duce Melchiore Redero, qui cum aliàs præſidium abiturum eſſet, ipſe etiam manere coactus eſt, & obſidionem illam à die 24. Septembr. uſque ad 3. Novembr. fortiter ſuſtinuit, donec Turcæ, re deſperata, obſidionem ſolverent.

Henricus Quartus Rex Galliæ tandem cum Hiſpano pacem firmat ad formulam pacis Cameraci anno 1589. initæ, & Gallo reſtituuntur Caleſium, Ardea, Dorlanum & alia.

Hoc anno obierunt Philippus II. Rex Hiſpaniæ & Indiæ, menſe Septembri: cui ſucceſſit filius Philippus III. Abraham Ortelius Coſmographus excellentiſſimus, Nathan Chytræus, & Petrus Calaminus.

ANNO MUNDI 5548. Æræ C. 1599.
G. ☉ 12. ☽ 4. *Ind.* 12.

Sigiſmundus *Poloniæ & Sueciæ Rex reliquerat peregrinos præſidiarios milites Polonos, Hungaros & Germanos Calmariæ, quibus mandaverat, ne arcem Carolo patruo ſuo dederent. Carolus contrà aſſerit hoc fieri contra privilegia regni, & Calmariam obſidet, & fame tandem ad deditionem cogit. Inde conventum ordinum agit, ubi Sigiſmundo regnum abrogatur. Filius tamen ejus Ladulaus eligitur, qui infans erat, ſi intra ſex menſes in Sueciam mittatur, ut in Chriſtiana religione inſtituatur. Inde Carolus Finnonios, qui Sigiſmundo adhuc adhærebant, vincit & ſubigit.*

Franciſcus Mendoza, Hiſpaniarum regis in Belgio Dux, exercitum in hyberna diſtribuerat, in oppida Ducis Clevenſis, & plurimum damni incolis dederat. Quapropter vicini Principes hanc injuriam ulturi plurimos conventus agunt Francofurti, Erfurdiæ, Coloniæ, Confluentiæ, Magdeburgi

burgi, & tandem bello Hiſpanos pellendos decernunt, quod tamen ſegniter geſtum eſt. Hiſpani enim diſcedentes, aliquot oppida præſidiis muniunt, & ad Wahalim in Bommelvverder initio Maji deſcendunt, quibus caſtra opponit Mauritius Auranius, eorumque conatus variis modis impedit totâ æſtate.

Annus Indorum 1695. *& Hegira* 1008. *incipit* 14. *Julii, fer.* 7.

Exeunte Junio, Heiducci in Hungaria inſigni præda potiuntur in Danubio, cùm Turci varias merces Budenſibus adveherent. Præſidiarios enim improvidos facilè pepulerunt, atque ita navibus, qui ultra centum fuerunt, potiti ſunt.

Albertus Archidux Auſtriæ, duxerat Iſabellam Claram Eugeniam, regis in Hiſpania ſororem, nuptias celebrâtat 13. Aprilis: Jam venit in Belgium, exeunte Auguſto, & menſe Novemb. fidelitatis juramentum à ſubditis præſtitutum eſt ei.

Sigiſmundus Transſylvanum plurimum turbarum degit hoc anno. Primum enim iterum contractum priorem approbat, & per legatos apud Imper. Rudolphum deprecatur. Poſtea Transſylvaniam patrueli ſuo Andreæ Bathori Cardinali donat, & cum Turcis de eo defendendo conſpirat. Sed Michael Walachiæ princeps, die 28. Octob. commiſſa pugna, Cardinalem profligat, & Transſylvaniam Imperatori recuperat.

In Hungaria hac æſtate ferè nihil actum, niſi quòd de pace ag t Imperator Turcicus, quæ tamen actio fruſtra fuit. Sic Moſchus legatum etiam miſit ad Rudolphum Imp. qui ipſi aureos montes & immenſa auxilia contra Turcam promitteret, ſed viſæ ſunt promiſſiones vanæ. Judæus Gabriel etiam nomine à Turca miſſus videri voluit: Sed cùm literas oſtendere non poſſet, captivus detentus eſt, & comites ejus ad ſaxa condemnati.

Pax religionis in Galliis, menſe Febr. promulgata eſt, qua exercitium religionis promittitur, ubicunque antea in Gallia fuerat, & admittuntur religionis reformatæ homines ad quævis officia, etiam ad Parlamenta, & ad alia collegia, Hoſpitalia, & cætera beneficia.

ANNO MUNDI 5549. Æræ C. 1600.
F. E. ☉ 13. ☽ 5. Ind. 13.

Papa Clemens 8. annum Jubilæum celebrat, aperuit Portam gratiæ, ter malleo aureo pulſatam, pridie Calend. Jan. eamque toto anno apertam habuit, usque ad vigilias Nativitatis Chriſti.

Mauritius Auranius in Geldria, menſe Januario Wachtendum cum improviſo invadit & expugnat, iterumque munit menſe Martio: Crevecour iterum in poteſtatem redigit, inde etiam Andreæ caſtellum munitiſſimum, & bellicis operibus inſtructiſſimum, die 8. Maji. Albertus Auſtriacus ſibi non quieſcendum ratus, Mauritium, qui jam magnam partem exercitus dimiſerat, cum magnis copiis invadit, ejus milites ad quingentos cædit, 11. Julii. Mauritius nihil territus hac clade ſuos colligit, per aquas ſe præeunte traducit, & fortiter cum Alberto pugnat, obtinetque victoriam & prædam. Ceciderunt ferè novem hominum millia, capta ſigna ad centum. Capitur inter alios Franciſcus Mendoza.

Claſſis quædam Belgica 8. navium 1. Maji anni 1598. in Indias Orientales ſolverat Texellis, & in Auſtrali Oceano ultra Caput bonæ ſpei disjecta; tandem ſub finem anni Bantam Javæ convenerat, ubi 4. tantùm naves aromatibus coemtis onerari potuerunt, quæ & menſe Septembri, anni ſequentis 1599. domum redierunt: Reliquæ 4. ulterius vectæ, circa principium demum hujus anni ſubſecutæ in Hollandia appulerunt cum mercibus.

Ferdinandus Archidux Auſtriæ, qui parenti Carolo ſucceſſerat, ſuaſu Jeſuitarum prohibet in Styria exercitium religionis reformatæ, mandatque ut unam religionem Pontificiam ſequantur, aut intra menſis ſpatium bona ſua venderent, & ſuis ditionibus excederent, nec edictum ullis ſupplicationibus, aut interceſſionibus mitigari potuit; Viennæ etiam in Auſtria libri reformatorum exuſti ſunt. Idem factum in Ducatu Bergenſi.

Annus Indorum 1696. *& Hegira* 1009. *incipit die* 2. *Jul. fer* 4.

Annus Nabonaſſaris 2349. *& Philippi* 1925. *incipit die* 19. *Jul. fer.* 7.

Annus Alexandr. 1912. *Antioch.* 1649. *& Conſtantinop.* 1050. *incipit* 1. *Octob.*

Annus Jezdegird. 970. *incipit* 17. *Octob. fer.* 6. *Armen.* 1050. *die* 20. *Oct. fer.* 2.

Præſidium Gallorum militum in arce Papa ad Turcos deſciſcit, id cum magna noſtrorum clade expugnatur tandem, cùm jam trecenti ad Turcas clam abiiſſent, reliqui internecione trucidantur à Melchiore Rhedero, cùm Comes Suarzenburgius die 26. Julii globulo bombardæ ictus cecidiſſet. Inde *Ibraim* Baſſa cum copioſo exercitu advenit ad obſidendum Caniſium menſe Auguſto, & in itinere Bobetſchum deditione accipit. Caniſium die 6. Septembr. obſidione cingitur, & acerrime oppugnatur die 8. Octob. *Mercurius* quidem Dux auxilio noſtris advenit, ſed cùm commeatu deſtitueretur, nihil magnopere efficit. Ideò præſidiarii Hungari, cùm videretur res deſperata, cum hoſte colloquuntur, quos ſequuntur alii, atque ita Caniſium deditur die 22. *Paradiſus* tamen præfectus ſupremus, ob præproperam deditionem capite mulctatur, præciſa manu.

Michael Walachia Walvvoda, ut Transſylvaniam cum aliis quibusdam Hungariæ partibus ſibi ſuoque filio impetraret, Cæſari multa contra Turcam promittit, ſi Georgium Baſtam, cui infenſus erat, à præfectura Hungariæ removeret: Interim tamen Turcicum legatum Hierajanam Agam egregia ſibi dona, ut eum à Cæſare abalienaret, & Sultano conciliaret, offerentem, honorificentiſſimè excipit & dimittit: Moldaviam à Sigiſmundo Bathorio & Moldavo terrore ſui relictam, in Cæſaris, ſuam & filii ſui fidem adigit. Dùm verò Bathorius & Moldavus validum exercitum Polonorum, ope Samoſcii Cancellarii, ille Transſylvaniæ, hic Moldaviæ viciſſim inhians, contrahunt, nec Michaeli Walacho tuta fides à Cæſarianis tribuitur, atque ideo Doctor Petzius legatus ad Michaelem mittitur, qui & munera ipſi offerat, & Transſylvaniâ cedere jubeat, quod ipſe facere renuit: Interea Baſta cum valida manu in Transſylvaniam irrumpit, & eundem in fugam conjicit, ubi in periculo ſummo ſe conſtitutum videns, gratiæ Cæſaris, Viennam profectus ſe ſubmittit.

Jacobum VI. Scotiæ regū Alexander Ruvenus, Comitis Crociæ frater, inſidioſè Perthum perducit

ducit, ibique in interiora conclavia, ut theſauros oſtenderet, ſolum allectum & à Lenoxiæ Duce, Comite Marciæ, & aliis nobilibus aulicis ſemotum, interficere geſtiit; ſed rex maſculo animo, primò comminationis, pòſt facto ipſo ſe defendit, & ſuccurſu quatuor ſuorum interfecto ipſo ejuſque fratre Comite, & quibusdam miniſtris ſalvus evaſit.

Sabaudia Dux anno præcedenti Heinricum IV. Galliæ regem inviſerat, & de Marchionatu Saluſſiæ cum eo convenerat. Cùm verò pactis non ſtaret, Rex iratus bellum ipſi in principio Auguſti indicit, & coacto exercitu intra trimeſtre totam ferè Sabaudiam ſubigit, præcipuis munitionibus partim vi, partim deditione captis. At Papa Aldobrandinum Cardinalem ad regem mittit, & pacem inter ipſum & Sabaudum facit.

Idem Galliæ rex cum magni Hetruriæ ducis filia, Maria Medicæa nuptias celebrat ſolennes, menſe Decembri Lugduni.

Nati ſunt hoc anno Fridericus Mauritius, Johan. Georgii Principis Anhaltini filius 18. Febr. Deſſaviæ. Mauritius Mauritii Landgravii Haſſiæ filius 14. Julii Caſſellis.

Obierunt: Paulus Albertus Conſtantienſis Epiſcopus Uratislavienſis, Niſſæ Sileſiorum 26. Aprilis. Johannes Fridericus Dux Pomeraniæ 9. Febr. David Chytræus Theologiæ D. Profeſſor & hiſtoricus Roſtochiæ. Jacobus Heerbrandus Theologiæ D. Georgius Lieblerus Phyſicus Tubingenſis, ætatis anno 76. Melchior Rederus Baro Sileſius militiæ peritus, ſenio & morbis deficiens, moritur die 8. Septemb. anno ætatis 45.

ANNO MUNDI 5550. Poſt C. 1601.
D. ☉ 14. ☽ 6. *Ind.* 14.

Annus urbis 2353. *Iulianus* 1646.
Æra Hiſpan. 1639. *Auguſtorum.* 1628.
Rudolphus Imp. inchoat annum Imp. 25.
Annus Neuruz. G lali 518. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Carolus Dux Sudermanniæ à Statibus regni Suecici rex declaratus, quod *Sigiſmundus* contra datam fidem *Jeſuitas* in regnum deducere conatus eſſet in *Livoniam* movet ſtatim initio anni, & quasdam urbes occupat, nihil tamen præclari prætereà agit. Imò in velitationibus ſæpius vincitur, & tandem advenientibus Polonis in hyberna diſcedit. Sed Poloni Wolmarum urbem obſident & expugnant, Caroliqué filium nothum capiunt.

Annus Indorum 1697. & *Hegira* 1010. *incipit die* 22. *Jun. fer.* 2.

Oſtenda urbs Flandriæ ſola hactenus in ditione ordinum Hollandiæ permanſerat, ex qua Flandris infinita incommoda inferebantur, ideo contributionem Status Flandrici promittunt in menſes ſingulos trecenta florenorum millia tempore obſidionis, quapropter obſidionem Albertus Auſtriacus inchoat die 25. Junii, & die 6. Jul. eam tormentis verberat: obſeſſi contra die 9. Jul. inermem turbam in Selandiam ablegant, & ſequenti die præſidium majus ex urbe recipiunt.

Olympias 594. *incipit in Iulio. Eſt annus Olympiadicus* 2377.

Annus Diocletiani 1318. *incipit die* 29. *Aug.*

Mercurius Dux generalis exercitus in Hungaria, Albam Regalem obſidet, die 7. Septembr. Ruſwurmius verò legatus exercitus, die 14. Septemb. per loca paludoſa & uliginoſa cum mille militibus, quorum ſinguli faſciculum arundinis portabant, ſuburbium alterum invadit & capit, & die 17. Septemb. arx expugnatur, quam tamen Turcæ pulvere tormentario incenſo malè deformârunt. Turcæ hanc urbem recuperaturi, adveniunt ad Albam Regalem die 9. Octob. & die 13. Octob. cùm noſtri cladem accepiſſent, Ruſwurmius cùm tantùm ſeptem millia militum haberet, & hoſtium eſſent 50000. & exercitus Cæſareus undique eſſet hoſtibus cinctus, tamen fortitudine ſua, & auxilio divino nixus, feliciter exercitum expedivit, & Turcas vincit, quod itidem factum eſt die 15. Octobr. ubi multi præfecti Turcici ceciderunt.

Chriſtianus II. Elector Saxoniæ, cùm jam annorum 18. eſſet, ipſe ditionem gubernandam ſuſcipit, cùm Fridericus Wilhelmus tutorio nomine decennium præfuiſſet: idem temporis ſpatium obtinuit & Chriſtianus ferè.

Ferdinandus Archidux Auſtriæ multis ſumtibus, ſed fruſtrà, inſtituit obſidionem Caniſii propugnaculi menſe Auguſto.

Mauritius Reinbercam urbem exercitu 20000. oppugnat, & deditione facta ordinibus Belgiæ acquirit. Murſam etiam oppidum à Duce Juliacenſi, poſt Walpurgis Comitiſſæ mortem occupatum recipit.

Tranſylvani Comitia Clauſenburgi celebrant, & *Sigiſmundum Bathoreum* è Moldavia ad principatum revocant, Cæſarianosque paſſim ludibrio habent. Bathorius ergò confecto magno ex Tranſylvanis, Hungaris, Moldavis, Coſaccis, Turcis & Tartaris exercitu, quædam munita in ea loca occupat, Cæſariſque præſidia univerſa provincia ejicere ſtudet. Sed Baſta à Cæſare Michaelem Waiwodam, pecunia & copiis inſtructum ſocium nactus, Bathorium menſe Julio profligat, & inſigni victoria potitur. Paulò tamen poſt Michael Waiwoda de conjuratione novâ ſuſpectus, cùm vocatus ad Baſtam venire recuſaret, à Wallone confoſſus, & capite truncatus periit, menſe Auguſto.

In Anglia Comites Eſſexius, Ruthlandus & Suthmantonius ſeditionem movent, quæ Reginæ Eliſabethæ prudentia & circumſpectione, captis ſeditioſis, compeſcitur.

Montojus prorex Hiberniæ, rebelles Hiſpanos & Hibernos ex inſula Hibernia ejicit.

In Helvetia & locis circumjacentibus fuit ingens terræmotus, qui multa loca concuſſit.

Nicolaus Crellius J. U. D. & Cancellarius Chriſtiani Electoris Saxoniæ capite truncatur Dreſdæ 9. Octob.

Colloquium Ratisbonæ inter Evangelicos & Pontificios præſentibus Duce Bavariæ & Palatino Neoburgico inſtituitur menſe Novembr. de fidei norma: In quo collocutores fuerunt ex parte Evangelicorum D. Hunnius, D. Heilbrunnerus: Ex parte verò Pontificiorum D. Hungarus & D. Gretſerus.

Nati ſunt hoc anno: Carolus Jacobi VI. Scotiæ Regis F. 19. Februar. Mauritius-Chriſtianus Friderici IV. Electoris Palatini Filius 8. Sept. Heidelbergæ. Anna Maria Mauritia infans Hiſpaniæ 22. Sept. Ludovicus XIII. poſtea rex Galliæ factus 17. Sept. Fontenoblii.

Lodoica

Lodoica Lotharingia Heinrici III. Vidua *moritur & ineuntis anni primordia in Gallia luctuoſa facit.*

Mortui: Heinricus Georgii *filius Haſſiæ Landgrav. Darmſtadii 9. Januarii.* Wolfgangus à Dalburg *Archiepiſcopus & Elector Moguntinus, cui ſucceſſit Johannes Adamus à Bicken menſe Apr.* Gebhardus Truchleſius *electus & confirmatus Archiepiſcopus Colonienſis & Elector, Decanus Cathedralis Eccleſiæ Argentin. ibidem menſe Majo.* Ticho Brahe *nobilis Danus & Aſtronomus nulli ſecundus Pragæ Bohemarum* 14. *Octob.* Conradus Daſipodius *Mathematicus*, Philippus Glaſerus & Joannes Loppecius *Juriſconſulti*, *Argentorati.*

ANNO MUNDI 5551. Æræ C. 1602.
G. ☉ 15. ☽ 7. *Ind.* 15.

Johannes Erneſtus Anhaldinus, qui rebus bellicis plurimum operam dederat in Gallia, Belgio & Hungaria, mortuus fuerat Viennæ ſuperiori anno 12. Dec. & ſepelitur hoc anno Deſſaviæ die 10. Febr.

Oſtenda obſidio continuatur ab Alberto, ſed magno ſumtu & exiguo emolumento, cùm obſeſſis & commeatus & auxilium tutò mitterentur. Maurit. verò ne eſſet otioſus, Gravam ad Moſam orbem obſidet, & tandem deditione capit. In exercitu verò Alberti, cùm ſtipendia non numerarentur, milites rebellant, ſigna avellunt, & Belgium in parte Hiſpanorum vaſtant.

Sigiſmundus Bathorius, etſi ſuperiori anno ferè ex tota Tranſylvania ejectus fuerat, tamen exercitum 30. millium iterum contrahit ex Turcis, Tartaris, Tranſylvanis & aliis, & initio anni binas urbes recuperat. Sed cùm Baſſa adveniret, exercitus Sigiſmundi dilapſus eſt, & Tranſylvani & Hungari plerique ſe Baſſæ dediderunt: Tandem etiam Sigiſmundus deprecatur culpam, & dedit ſe die 6. Julii, & in gratiam, intercedente Pontifice recipitur.

Annus Indorum 1698. *& Hegiræ* 1011. *incipit* 11. *Jun. fer.* 6.

Bironius Mariſchallus regni Gallici & Dux, item Comes de Avernia & alii, conſilia agitant de occidendo rege, & omni ejus progenie, & nutricem filioli regis veneno tollunt, quo infantem etiam periturum ſperant, ſed fruſtra: & conſpiratione detecta ambo in hoſpitiis ſuis capiuntur, & res Parlamento defertur ad judicandum, quod ſtatuit, ſcelus hoc pœna capitali vindicandum, atque ita 17. Julii decollatur.

Fridericus Wilhelmus Dux Saxoniæ, qui Electoratui Saxoniæ præfuerat decennio, ſed tutorio nomine, moritur 7. Julii, relictis quatuor filiis impuberibus.

Turcarum Imp. Albam Regalem recuperaturus per Serdarem Baſſam eam obſidet die 9. Auguſti, eamque tandem die 29. Auguſti expugnat, totumque præſidium cum Comite Iſolano amiſſum eſt, cum nondum annuo ſpatio urbs in poteſtate Cæſaris fuiſſet; ceciderunt tamen Turcarum ad 10. millia in expugnatione. Noſtri cladem ulturi, Budam verſus exercitum ducunt, & Budam quidem expugnare non poſſunt, Peſtum tamen urbem oppoſitam Budæ, nequicquam tumultuantibus Turcis capiunt, item Adon propugnaculum, quod Turcarum granarium erat.

Sabaudus Dux inſidias ſtruit Genevæ urbi, menſe Dec. exercitumque adducit noctu, & ſcalis murum ſuperare jubet, & petardis portas everti. Senſit rem vigil quidam, & bombardæ ictu reliquos excitat. Inde tormentario ictu uno omnes ferè ſcalæ, appoſitæ muro, fractæ ſunt. Ideò qui muros transſcenderant, capiuntur, & tredecim ſuſpenduntur, inter quos Baro fuit.

Zamoſcius regni Polonici Cancellarius, dum Carolus dux Sudermaniæ Livonos indies magis premeret, exercitum ingentem colligit & Wiſſenſtelnium, arcem Livoniæ, propugnaculis, turribus, aggere alto & paludibus ac reſtagnantibus aquis, quæ acceſſum impediebant, propè munitam obſidet & ſtrato, ſummo labore acceſſu, menſe Augſto occupat.

Enno Comes Friſiæ Embdæis navigationem omnem impedire conatur; Sed Hollandorum auxilio Comitem omni ferè ditione pellunt.

Hoc quoque anno, autumni tempore, 40. Legati à tredecim Helvetiorum pagis ad regem Galliarum Lutetiam mittuntur, qui fœdus ſociale antiquum, quod inter ipſos & reges fuit, juramento ſolenni ex utraque parte confirmaverunt.

In Bironiana & Comitis Avernia conjuratione, Bironius quidem lata à Palamento ſententia decollatur, & Comes Averniæ, mera regis clementia, liberè in fine Sept. dimittitur.

Nati ſunt hoc anno: Wilhelmus Landgravius Haſſiæ, Mauritii Principis tertio genitus, menſe Februar. Ludovicus Philippus, Friderici IV. Electoris Palatini filius, menſe Novembri.

Mortui: Joachimus Fridericus. *Dux Sileſiæ, Lignicenſis & Bregenſis, Præpoſitus Magdeburgenſis, ætatis* 52. *menſe Martio Bregæ.* Aurelia Friderici III. *Electoris Palatini conjunx menſe Apr.* Catharina *Johannis Marchionis Brandenburgenſis filia*, Joachimi Friderici *Electoris Brandenburgici conjunx menſe Septemb.* Hedvvigis Brandenburgica, *Heinrici Julii Ducis Brunſuicenſis mater, menſe Octobri.* Agnes Comitiſſa *in Solms, Mauritii Landgravii Haſſiæ conjunx, menſe Nov.* Caſpar Peucerus *Med. D. & Principum Anhaltinorum Conſiliarius menſe Sept. ætat.* 78. Daniel Thoſſanus *Theologus Heidelbergenſis, anno ætatis* 61. Wilhelmus Perkinſius, *Theol. Anglus.* Paulus Meliſſus, *Schedius Francus Heidelbergæ, anno climacterico ætatis* 63.

ANNO MUNDI 5552. Æræ C. 1603.
B. ☉ 16. ☽ 8. *Ind.* 1.

Ad Oſtendam ex utraque parte res magna contentione geritur, & obſeſſis portus eripitur, ſed obſeſſi alium effodiunt, uno menſe quinquagies mille tormentorum ictus numerati ſunt.

Hiſpani die 5. Martii Wachtenduncum proditione tentant, adeò ut oppido potirentur: Sed cùm Hollandica præſidia ex aliis urbibus advenirent, Hiſpani iterum expugnantur, qui vitam pacti dimittuntur, punitis tamen ſeditionis autoribus.

In India Luſitani Hollandos ex Java Inſula, armatis quatuordecim triremibus expellere conantur, ut Hollandi ex his quinque capiunt, & quaſdam demergunt. Hollandorum navis una, quæ totum orbem circumnavigaverat, cùm triennio abfuiſſet, in Hollandiam redit.

Bellum *Argentoratenſe*, quod ante annos 9. ſopitum

pitum erat, recrudeſcit, & Lotharingius Brandeburgico plurima adimit. Interponit tamen ſe rex Galliæ, & induciæ fiunt in menſes 13.

Eliſabetha regina Angliæ, menſe Martio in morbum incidit, moriturque die 24. Martii, cùm annos regnâſſet, vixiſſet annos 70. ferè: multas linguas calluit: Succedit ipſi *Jacobus VI.* Scotiæ rex, qui hæc regna conjunxit. Venit in Angliam 7. Maji coronatur 25. Jul.

Ægidius Hunnius Theologus moritur die 4. Aprilis ætatis 53.

Colnitius in Hungaria magnas quidem resgerit contra Turcas, ſed cùm eſſet exiguo exercitu inſtructus, parum ſuâ induſtriâ proficit ad ſummam rei. *Canſium* propugnaculum tamen per proditionem ferè totum cremat. quod magnis ſumptibus à Turcis inſtauratum eſt. Interim Tartari in Transſylvaniam irrunt, & Moſes Zeclerorū Dux eam etiam vaſtat, qui tamen paulò pòſt trucidatur. Imperator tamen ob hoſce motus comitia agit, & auxilia fortia ab imperio impetrat.

Seditioſi Hiſpani in Belgio, cùm multum damni Hiſpanis darent, non ſolùm proſcribuntur, ſed & juſſu regis bello petuntur: qui cùm ſe viribus inferioribus eſſe viderent, ad Mauritium Auranium ſe conferunt, cui ſacramentum dicunt, & ab eo defenduntur, cùm Gravam urbem ipſis incolendam certis conditionibus traderet.

Annus Indorum 1699. *& Hegira* 1012. *incipit* 1. *Junii, fer.* 4.

Emdenſes *tandem ſuo Comiti reconciliantur per Hollandos, qui præſidium Emdenſibus mittunt conſentiente Comite, ſed cum idem diſpliceret Imperatori præſidium ab Hollandis remotum eſt.*

Ambroſius Spinola Genuenſis, audiens fratrem ſuū hac æſtate ab Hollandis trucidatum, vindictæ cauſa ad Archiducem Albertum venit, eique in oppugnanda *Oſtenda* ſuam operam offert; qui cum imperio in caſtra miſſus multa correxit, & ligone ac dolabra oppidanos expugnandos cenſuit.

Colnitius cum Turcis aperto prælio congreditur die 27. Sept. & vincit, & ad octo millia eorum occîdit, Arabes præſertim cum aliquot Baſſis; inde Hatvvanum recipit.

Hamburgum regi Daniæ fidelitatis juramentum ſolennitate maxima præſtat, die Solis poſt 21. Oct. cum rex Hamburgum veniſſet.

Seditio magna Conſtantinopoli exorta eſt, quod dum Muhamedes III. deditus totus delitiis parum curaret imperium, Aſiæ præfectus Scribianus, ipſius contemtu jugum excutere ſtuderet, rebellaret, & multos in ſuas partes pertraheret, ut vix triduano itinere Conſtantinopoli abeſſet. Janizari igitur & Spaiſſii graviter indignati, tantam audaciam ex nimia ſocordia & perfidia officialium ſurgere, tumultuantur, & ad 35000. hominum, & coram tribunali in Imperatoris palatio, per quatriduum ſiſtunt, qui ſex ex Spaiſſiis, & totidem ex Janizaris legant, ad exquirendas cauſas neglectæ ad perniciem Imperii Aſiaticæ factionis. Nec ſedari prius potuit ſeditio illa gravis, priusquam ſupplicio duorum Muhametis cubiculariorum, in quos rejiciebatur culpa omnis, malè adminiſtratæ Reipublicæ, vità mulctarentur. Ipſe verò Scribianus admonitus tandem ſeriò & humaniter, obſequium & fidem Imperatori præſtat, cùm ipſe viceverſa injuriæ oblivionem perpetuam ſponderet; uterque id ſacramento firmant, & quod mirum, Scribianus præfectura Boſnæa, tanquam gratiæ reſtitutæ præmio, ab Imperatore donatur. Interim & hoc factum, quando Auguſta Imperatoris Turcici conjux, fœmina ambitioſa, imprudenter cùm ex Imperatore tùm ex Aſtrologo ſciſcitaretur: Annon filius in regno ſucceſſurus eſſet? Muhamedes exiſtimans, eam velle ſe maritum veneno necare, ex ſola ſuſpicione & zelo neci damnaverit, ipſamque in aquis ſuffocari, & filium ſtrangulari, quoſdam etiam ex famulitio utriusque ſexûs ad 30. mortis ſocios fieri juſſerit.

Mauritius Haſſiæ Landgravius nuptias ſecundas cum Juliana, Comitis Naſſoviæ, Johannis junioris, filiâ celebrat, Dillenbergæ 21. Maji.

Vappincii in Delphinatu Galliæ ſynodus habita eſt inter reformatos, quæ Confeſſionem fidei Eccleſiæ Gallicanæ confirmavit, & Pontificem ipſiſſimum eſſe Antichriſtum declaravit.

Veneti cum Caninis Helvetiis fœdus per 20 annos conſenſu regis Galliarum redintegrant, quod Hiſpano maximè diſplicuit.

Sylva Ducis à Mauritio obſidetur 19. Auguſti, ſed 5. Octob. Archiduce Alberto advenientе, & in urbem recepto 8. Nov. obſidio ſolvitur.

Pontificii partim exules, partim in regno Angliæ adhuc ſuperſtites, reſtitutionem & liberum religionis exercitium petunt. Cùm verò id non impetrarent, contra regem conſpirant. Interque primos fuit Antonius Coplejus, qui ſclopo in regem directo, ejus humerum percuſſit: Comprehenſus verò, ſe conductum eſſe à pluribus, Comite Cobhanio, fratre Grajo, Gualtero Ralejo, Artho, Gortſio, Savolſio, Griphino Marckhan, aliisque nonnullis, confeſſus eſt, qui in ſummam apud reginam Eliſabetham autoritate fuerunt. Menſe ergò Decembri Brocceum nobilem, & duos ſacrificulos ſecuri percutere reliquis parcere juſſit, imò & vitam, regia planè clementia donavit.

Piraticam in mari ſtrenuè exercentibus Hiſpanis, Anglis, Galliis & Belgis Anglorum novus rex Jacobus mandata publicat, quibus ſeverè ſub pœna capitali & confiſcatione omnium bonorum ejuſmodi direptiones prohibet.

Abrogat etiam omnia Comœdiarum, ſaltationum, ludorum, Athleticarum, aliarumque oblectationum exercitia diebus feſtis & Dominicis, & cultum pietatis ac juſtitiæ reſtaurat.

Ingruente hyeme tempeſtas ingens Hiſpalin in Hiſpania, aliaque vicina loca ſummo damno affecit, disjectis ædibus, arboribusque terra erutis & proſtratis, naves quoque complures Hollandicas, Hiſpanicas & Dantiſcanas demerſit.

Circa finem anni Bethlehemus Gabor, qui Moſis Zecleri viduam duxerat, quæ tamen quarto poſt nuptialem ſolennitatem die mortem obiit, à rebellibus Imperatori in Transſylvania Dux electus eſt.

Obierunt hoc anno: Maria Caroli *V. Imperat. filia, Maximiliani II. Imp. conjunx, Rudolphi II. Imp. mater menſe Martio in Hiſpania.* Udalricus *dux Megapolitanus Comes & Adminiſtrator Suerinenſis, Roſtochii & Stargardiæ Dominus, &c. die* 14. *Martii, cum vixiſſet annos fermè* 76. *Epiſcopatui Suerinenſi præfuiſſet annos* 53. *& rempub. gubernaſſet annos* 50. Georg. Fridericus *Marchio Brandenb.* 26. *Apr. Onolsb. cum ibidem præfuiſſet regimini annis* 47.

ætat.

ætat. 64. Barnim. XII. Dux Pomeraniæ, &c. Stetini. Kal. Sept. Jacobus Monavius *patritius Vratiſlavienſis 8. Octob. anno ætatis* 56. Chriſtophorus Radzivil *Dux Birzarum Palatinus Vilnenſis in Lithuania* 10. *Nov.* Muhamedes III. Turcarum Imperator *Conſtantinopoli* 21. *Dec. cui ſucceſſit filius Achmetes puer* 9. *annorum.* Johannes Adamus à Bicken *Archiepiſcopus & Elector Moguntinus* 31. *Decem. Aſchaffenburgi: cui ſurrogatus eſt* Johannes Suiccardus à Cromberg 7. *Feb. anni ſequentis.*

ANNO MUNDI 5553. Æræ C. 1604.
A. G. ☉ 17. ☽ 9. *Ind.* 2.

Diſſenſio oritur iter Regem Hiſpaniæ, & reges Galliæ atque Angliæ, quòd Hiſpanus à mercatoribus trientem pro vectigali exigeret: idem igitur fecerunt & hi reges. Cùm verò hoc modo navigationes quieſcerent, rex Galliæ prohibuit, ne ſui in Hiſpaniam navigarent. Pax tamen poſtea fit inter regem Hiſp. & Angliæ, ut negociationes utrobique ſalvâ religione inſtitui poſſint, & Anglus Hollandos non adjuvet.

Archiepiſcopus Moguntinus ſuperiori anno defunctus erat; cui ſuccedit Johannes Schvichardus ex Cronbergiorum familia, die 12. Jan.

Muhamed *Imper. Turcicus hoc tempore moritur, cùm nondum novem annos regnaſſet; ſuccedit ipſi* Achmet, *filius minor, cùm ipſe majorem filium Muhamed ſtrangulari juſſiſſet.*

Jacobus Angliæ rex Jeſuitas & alios ſacerdotes Pontificiæ religionis Angliâ excedere jubet, adhuc ante diem 19. Martii: contrà verò Ieſuitæ olim ex Gallia expulſi, interceſſione Pontificis recipiuntur, ſed in undecim tantùm urbibus.

Georgius Spilbergius, *qui toto triennio in India orientali abfuerat, redit die* 26. *Martii cum multis aromatis, ita & alii etiam hoc anno redeunt, qui iisdem triennio abfuerant.*

Ad Oſtendam cum Spinola cuniculis oppidanos ferè ubique pelleret, ipſi novam urbem moliuntur & muniunt, quam Trojam appellarunt. Mauritius verò die 25. Aprilis, magno exercitu in Flandriam abit, ut vel obſidionem Oſtendanam ſolveret, vel prælio eum Spinola decertaret, quem tamen ex munitionibus elicere non potuit. Ideò ſumtâ occaſione *Sluſam* obſidere parat, quæ commeatu inſtructa non erat. Hiſpani ſeditioſi à Mauritio ad hoc excitati, ut Brabantiam interim vaſtarent, quò exercitus Spinolæ diſtraherentur, ſedulò hoc faciunt, quod & aliàs antea fecerant contra Colonienſes & Weſtphalos, atque ideo iterum proſcripti fuerunt. Sed Albertus tantâ mole belli territus, legatum ad ſeditioſos mittit, & dimidiam partem ſtipendii ipſis offert, reliquumque duobus terminis ſolvendum, atque ita Alberto reconciliantur; nihilominus tamen *Sluſa*, cùm Hiſpani obſidionem ſolvere non poſſent, deditur die 20. Auguſti.

Oſtenda *etiam deditur die* 20. *Sept. iisdem conditionibus, ut Sluſa, ut milites cum ſuis armis diſcederent. In Oſtenda perierunt obſidionis tempore* 72900. *homines; Hiſpanorum obſidentium, qui perierunt, multò plures fuerunt, ſed eorum ratio iniri non potuit.*

Caniſium *iterum conflagrat, cùm ignis in armamentario excitatus eſſet; ita* Poſonii *in Comitiis ignis excitatus, multum damni dedit.* Sic Madritum *in Hiſpania incendio periit, ut & Annaberga die* 28. *Aprilis.*

Annus Indorum 1700. *& Hegira* 1013. *incipit* 20. *Maji, fer.* 1.

Annus Nabonaſſaris 2353. *& Philippi* 1929. *incipit* 18. *Julii, fer.* 4.

Annus Alexandr. 1916. *Antioch.* 1653. *& Conſt.* 7113. *incipit* 1. *Octobr.*

Annus Jezdeg. 974. *incipit* 16. *Octob. fer.* 3. *Armen.* 1054. *die* 19. *Octobr. fer.* 6.

Cornelius Beccer, Theologus & Paſtor ad Div. Nicolaum Lipſiæ, vir pietate, & eloquentia præſtantiſſimus, moritur die 25. Maji, ætatis 43.

Brunſuigi *proditio ab Henningo Brabanto inſtituta detegitur.*

Peſtum *in Hungaria à noſtris occupatum, jam diu egregiè defenſum fuerat, cùm opportunè ſuum eſſet ad commeatum Budæ intercipiendum, id à præfecto multa de cauſa deſeritur.*

Initio Octobr. nova ſtella apparuit in gradu 17. *Sagittarii, Veneris ſtellæ magnitudine ferè. Sed paulatim minor facta eſt, donec diſpareret.*

In Hungaria nova turba oriuntur à Botſcajo Iſtuano, qui odio Comitis Belgioſæ, qui religionem reformatam crudeliſſimè perſequebatur, Transſylvaniam occupat. Inde res ad prælium venit, in quo Germani, cùm ab Hungaris desererentur, ferè omnes trucidati ſunt, inde ab Heiduccis Caſſovia occupatur. Baſta eò venit initio Novemb. qui Heiduccos vincit, aliquot urbes recipit, ſed Heiducci tamen ingentem Hungariæ cladem intulerunt, Filleccum *diripuerunt & cremârunt, menſe Decembri.*

Comes Lippienſis Eccleſias ditionis ſuæ à reliquiis fermenti Papiſtici repurgare nititur.

Rex Hiſpaniæ, miſſa ad regem Angliæ legatione, de fœdere mutuo, pacem tantummodo inter ſe ad commerciorum mutuam libertatem ſanciunt.

Jeſuitæ, qui ante decennium totâ Galliâ ejecti fuerant, ad crebram Principum aliquot & ipſius Pontificis interceſſionem, in gratiam reginæ à Rege iterum recepti, & in 14. civitates introducti ſunt, quarum nomina hic addere libuit: Tholoſa, Aux, Agen, Rodes, Burdegalum, Pergeux, Limoges, Tours, Le Puy, Arbeſnes, Deſire, Lugdunum, Dionyſius & de La Flerchus in Anjou.

Ordines Sueciæ Carolo regi contra Sigiſmundum Pol. regem anno 1601. *electo, regnum plenariè ejusque hæredibus maſculis confirmant, qui & edicto mercatoribus paſſim edicit, ne mercimonia ulla Rigam importent, ut qua hoſtium bonis annumeranda cenſeat, eaque illorum manibus, ad frangendas illorum vires ſurripere ſtudeat.*

Evangelici Caſſoviæ, ut præcedenti anno ab Epiſcopo Negatio, ita & hoc ipſo à Gubernatore civitatis juſſi ſunt removere concionatores ſuos ab officio & ſequi Romano Catholicam doctrinam: at reſtiterunt cives, & vim intentatam per Heiduccos, quibus Gubernator uſus eſt, ſuâ fortitudine & conſtantia tam diu repulerunt, donec Bethlehemo Gabero per Belgioſam Transſylvaniæ ſubpræfectum, à Georgio Baſſa conſtitutum profligato, qui & ipſe Evangelicos in Transſylvania juverat, repentino motu Botſcajus exurgeret. Heidduccos ad ſuas partes traheret, & excitata ſeceſſione, in qua multi præſtantes milites Cæſariani Sileſiique equites miſerabiliter trucidati ſunt, religionis exercitium viciſſim inſtauraret.

Comes Averniæ regi Galliæ iterum inſidiatur, quem judicandum rex Parlamento permiſit, inprimis cum ex Hiſpania eo nomine ſubſidia

dia & proventus annuos acceperit. Proditio etiam a-ba Brunſwiga, quam Hennemus Brabantus, vir aliàs doctrina & rerum uſu præſtans, præfectus civitatis ſibi propoſuerat, iamq; per 500. equites & 600. pedites clam ad urbem evocatos in actum deducenda erat, manifeſtatur, ſumiturq; à proditore ſupplicium.

Perſarum rex Taurim, Perſiæ totius metropolin & Arazironnam caſtrum, in valle Gregoriana munitiſſimum aliaque loca quam plurima Turcis adimit, & ſuo imperio jungit.

Nuptias celebravit Philippus-Julius, Dux Stetini Pomer. &c. 25. Junii, cum Agnete, Joannis Georgii Elect. Brand. F. Colonia ad Suevum.

Naſcitur Mauritio, Landgravio Haſſiæ, filius Philippus ex Juliana Naſſovia 26. Nov.

Obierunt: Catharina *duciſſa de Barri, Regis Galliæ ſoror Nancëii 3. Febr. die, quæ Evangelicis, quorum religionem profitebatur, in primis favit. Quæſiverunt ergo, ipſa remota, Ieſuitæ à rege eorundem ex regno proſcriptionem ſed fruſtra.*

Erneſtus Fridericus *Marchio Badenſis ætatis* 44. *Durlaci* 14. *Aprilis.*

Johannes Senior *Wolphgangi filius Comes Palatinus Rheni Bipontinus, ætatis* 54. *Germersheimii* 12. *Aug.* Ludov. Senior *Haſſiæ Landgr. ætatis* 67. *Marpurgi* 9. *Octo.* Melchior Junius *Rector Academiæ Argentinenſis, ætatis* 59. *Ianu.* 26. Cyriacus Spangenbergius *Theologus, ætatis* 76. *Argentinæ* 10. *Febr.* Chriſtophorus Pezelius *Theologiæ D. Bremæ, ætatis* 65. *Feb. die* 25. Lucas Oſiander *Theologus Eslingenſium* 17. *Sept.*

ANNO MUNDI 5554. Æræ C. 1605.
F. ☉ 18. ☽ 10. *Ind.* 3.

Annus urbis 2357. *Iulianus* 1650.
Æra Hiſpanica 1643. *Auguſtorum* 1632.
Rudolphus Imp. inchoat annum imp. 29.
Annus Gelali Perſ. 526 *incipit cū Æquinoct. Verno.*

Initio anni, pacis conditiones inter Hollandos & Albertum Archiducem à rege Angliæ & ab Imperatore proponuntur: Sed Ordines Hollandici reſpondent, Hiſpanum omnia fraudulenter agere, & Spinolam cum exercitu mox Rhenum tranſiturum.

Diſſidium inter Capitulares Argentinenſes, quod viginti annis duraverat, componitur ita, ut Brandeburgenſis Adminiſtrator accepta legitima ſatisfactione Epiſcopatu cederet, & Capitulares inducias inter ſe facerent ad annos quindecim.

Botſcaius pacis conditiones cum Imperatore inire non vult, ſed tantùm cum Hungaris, ut ſit præſes Tranſylvaniæ, & liberum relinquatur exercitium religionis in tota Hungaria; inde cum Heiducceis ſuis partem Hungariæ & Auſtriæ & Moraviæ vaſtat, ita ut nemo ipſi reſiſtere poſſet, cum eo tempore milites noſtri tumultuarentur ob non ſoluta ſtipendia; admonitus tamen de pace ab Imp. proponit conditiones non admodum difficiles. Poſtea menſe Octo. *Neuhuſium* occupat.

Clemens VIII. cum ſediſſet annos 13. moritur die 3. Martii: eligitur in ejus locum die 1. Aprilis Alexander Florentinus, Octaviani filius Medicæus, qui Leo XI. vocatus eſt. Sedit is diebus 26. Poſtea eligitur Borgeſius Cardinalis, qui nominatus eſt Paulus V. fuit ex Borgeſiorum familia.

Iohannes Baſilides Moſchorum Tyrannus, antequam moreretur, duxerat uxorem, ex qua genuit filiolum Demetrium. Sed mortuo Johanni ſucceſſerat filius maior Theodorus, qui tamen mente non ſatis conſtabat, & regebatur à *Bori*, cuius ſororem habebat uxorem. Hic Boris, ut aliquando Theodoro in imperio ſuccederet, puerulum Demetrium curat interficiendum. Dicunt tamen Demetrium tum morti ereptum, & alium quendam ſubſtitutum fuiſſe, & Demetrium illum in Germania educatum fuiſſe in cœnobiis à Germano, qui fuerat Colonienſis. Hic tandem ſuperioribus annis in Livoniam venit, & inde in Poloniam, ubi à rege Ieſuitis inſtituendus traditur, & tandem cum copiis quinque millium in Moſchoviam mittitur, ubi feliciſſimo eventu, cum Paſcha adhuc in Polonia celebraſſet, regnum Moſchoviticum occupat, & circa Iulium menſem coronatur.

Spinola *menſe Maio parat obſidionem Sluſæ, Mauritius contra Antverpia, uterq; irrito conatu, quod Mauritii conſilia emanaſſent;* Wodam *tamen Caſtellum deditione capit die* 22. *Maji.*

Rex *Hiſpaniarum iterum magnam claſſem armat, quæ adverſus Hollandos ducatur. Sed Hollandi claſſi huic occurrunt, eamq; diſſipant menſe Iunio.*

Annus Indorum 1701. *& Hegira* 1014. *incipit die* 9. *Maij. fer.* 5.

Olympias 594. *ſive annus Olymp.* 2381. *incipit menſe Iulio.*

Diocletianus 1322. *incipit* 29. *Auguſti.*

Mauritius Landgravius, cum mortuo Ludovico patruo, Marpurgenſem Academiam ſortiretur, Theologos, qui doctrinæ Reformatorum de perſona Chriſti, & mutationi præceptorum Decalogi, & fractioni panis in Euchariſtia conſentire nolebant, dimittit, & die 6. Auguſti novos Theologos evocat, qui concionem habeant, ubi ſeditio oritur, & novi illi Theologi malè à plebe mulctantur.

Carolus *rex Sueciæ cum exercitu tranſit in Livoniam, &* Regiam *obſidet* 11. *Sept. ſed obſidionem ſolvit die* 17. *Sept. inde pugnat cum Polonis, ſed vincitur, & cadunt Suecorum ad novem millia.*

Spinola in Belgio Rhenum tranſit Weſtfriſiam verſus, ubi Oldenſilum oppidum deditione capit, item Lingam. Sed adventante Mauritio recedit, interim in Brabantia Hiſpani civitatibus inſidias ſtruunt, quæ tamen ubique vanæ fuerunt. Inde Spinola exeunte Sept. Wachtenduncam obſidet, & cum cuniculis vallum diſturbaſſet, deditione capit. Interim Mauritius velitatione quadam Trivultium Comitem ſternit, & Nicolaum Doriæ, agnatum Spinolæ, capit, in milites in hyberna diſtribuuntur.

Henricus Julius Dux Brunſuicenſis inſtituit luſtrationem exercitus ſui ex ſubditis ſuis collecti, hoc prætextu, quòd Spinola Rhenum tranſiſſet, & in imperio quædam occupaſſet. Sed cum reſciviſſet, Conſulis conjugem die 16. Octo. ſepeliendam, ea ipſa hora inſidias urbi Brunſuico ſtruit, & miſſis militibus in aliquot currib. abſconditis, portam & valli magnam partem occupat, hora tertia poſt meridiem pugnatur tota nocte uſq; ad ſequentem meridiem ubi inſidiatores repelluntur, quorum ferè ad quatuor millia cæſi ſunt, ex oppidanis vix viginti ceciderunt. Felicius hoſtes pulſi eſſent, ſi vel Dux vel miles in urbe fuiſſet.

Strigonium *iterum à Turcis obſidetur ſub finem Auguſti, & acerrimè oppugnatur, & deditur tandem die* 3. *Octo. cū annis decem in poſſeſſione Imperatoris fuiſſet: traditur cum ſeptuaginta ferè tormentis.*

Chri-

Chriſtophorus *Ruſwurmius egregius bellator, Pragæ Comitis Belioſa Italo fratrem occiderat, ideò viciſſim ſupplicium capitis de eo ſumptum die 28. Nov.*

Sigiſmundus *Poloniæ rex, mortua priore conjuge Auſtriaca, ejus ſororem ex diſpenſatione Pontificis uxorem iterum ducit, & nuptias celebrat 11. Dec.*

Columna Jeſuitica, ex ſolido marmore Pariſiis in perpetuam memoriam anno 1549. erecta, in loco ubi parentes Iohannes Chaſtellii, qui regem Gallorum cultro venenato interimere, ex Jeſuitarum nefaria ſuggeſtione, contenderat, habitarant, in principio hujus anni evertitur.

Claſſis Hiſpanica decem navium, continens 1200. veteranos, ab Hollandis expugnatur & diſiicitur. Servati tamen ſunt nonnulli in portu Doverenſi per Anglos, qui ad Jacobi magnæ Britanniæ regis edictum, præcedente anno promulgatum impetum & vim ab illis prohibuerunt.

Hala-Saxonum Fridericus quidam Karſtenius patritius, ad inopiam vergens, Jacobum Sporerum Antverpienſem Gemmarium cum gemmis in ædes ſoceri ſuſpellectum, crudeli cæde peremit, & diſſectum in partes, quaſdam in Salam fluvium, quaſdam alio abjicit: qui indiciis tandem proditus & tortura ſubjectus, homicidium faſſus, rota contuſione ſupplicium luit.

Seditioſi in Hungaria fines ejuſdem regionis egrediuntur, & proximas quaſque Moraviam inprimis invadunt, eamque incendiis & cædibus horibiliter deformant, abductis ultra 4000. captivis. Gomorrhæi verò, cum illis ſignificaretur, Baſſam Budenſem cum 17. curribus pecunia & aliis rebus precioſis onuſtis ad Botſcaium contendere, impetum in adventantem faciunt, & glande plumbea traiiciunt. Aſt alia parte latrones illi ſeditioſi nihilominus pergunt, in Stiriam movent, & Comitem Serinium, Nadaſtum & Budianum cogunt ſe in Botſcai fidem committere. Factum tandem ut Botſcaius ſeſe poſthac conditionibus certis etiam Cæſari ſubiiceret, modo ipſi Tranſylvaniæ ducatus ad vitam remaneret, libertas religionis aliaque nonnulla commoda Hungaris concederentur & approbatione Romani Pontificis, Imperii, ac Electorum, nec non Polonorum regis chirographis confirmarentur.

Semina conjurationis Bironianæ in Gallia deteguntur, & nonnulli capitis diminutione, plures picta tabula incruentas pœnas luerunt.

In Anglia verò conjuratio alia Ruberti Catesbii, Thomæ Percii, VVinteri aliorumque nobilium Anglorum in necem regis, reginæ, liberorum ipſiusque Parlamenti aſſeſſorum, detegitur 15. Nov.

Epiſcopus Theodoricus Furſtenbergius Paderbornam occupat, & Liborium Vichardum Conſulem vivum in quatuor partes diſſecari jubet.

Perſici legati circa finem anni ad Cæſarem veniunt, de victoriis à Turca obtentis eum edocent, amicitiæ fœdus cum Cæſare fanciunt, & ad continuandum bellum contra Turcam excitant.

Obierunt: Johannes *Dux Saxoniæ, lin. Vinarienſis, ætatis anno 35. relictis 8. filiis.* Johannes Samoſcius *magnus regni Poloniæ Cancellarius, ætatis 63. apoplexia 3. Junii.* Theodorus Bazavezelius *Theologus Genevenſis anno ætatis 87. 13. Octobr.*

ANNO MUNDI 5555. Æræ C. 1606.
E. ☉ 19. ☽ 11. *Ind.* 4.

Heinricus Julius Dux Brunſuicenſis, ut oſtendat, ſe juſtis inſidiis Brunſuicum ſuperiori anno petiiſſe, urbem hyeme obſidione cingit, & obſtructo Ocaro fluvio aquã urbi immiſit, agger tamen, nulla jactura urbis facta rumpitur. Sed iterum reparatus tantæ firmitatis fuit, ut in tota urbe navigandum eſſet, quare Brunſuicenſes in extremum diſcrimen conjecti ſunt, nec Dux obſidionem ſolvere voluit, etiamſi ab Imperatore minus urgeretur: Sed die 16. Martii, orta valida tempeſtate agger iterum rumpitur, & jubente Cæſare arma utrinque poſita ſunt.

Londini *in Anglia, ubi Comitia regni futura erant, quidam Percius Anglus illuſtris cum aliis ſex cellulam conduxerat ſub æde, ubi Comitia habenda eſſent, eamque pulvere tormentario repleverat, ut omnes principes regni cum rege ſimul in conventu in aerem diſiicerentur. Res proditur mirabiliter in ipſo ferè articulo, & parricidæ merita pœna afficiuntur: conſcius hujus parricidii fuerat* Heinricus Garnettus Jeſuita, *ideo is captus die 28. Martii idem ſupplicium luit.*

Demetrius Moſchoviæ magnus Dux ducit uxorem rex Poloniæ, Palatini Sendomiri, à quo auxilia impetraverat, filiam, quæ in Moſchoviam deducitur 26. Apr. per multos Polonos. Moſchi Polonis infenſi, iram etiam in Demetrium conjiciunt, & die Veneris 17. Maij ſeditione excitata Demetrium trucidant, & multos Polonos: Nobiliores tamen Poloni cura Moſchorum primariorum conſervantur. Trucidati ſunt ſimul multi mercatores, quibus à Demetrio plurimum debebatur: Die 20. Maij Moſchi de novo Duci conſultant. Finxerunt quidam, eundem Demetrium in Hungariam evaſiſſe & cædem vitaſſe, ideo regnum recuperaturum, ſed cum cadavere ejus ab omnibus conſpectum eſſet, figmentum evanuit.

Annus Indorum 1702. *& Hegira* 1015. *incipit die* 29. *Apr. fer.* 3.

Hiſpani in Belgio quædam oppida tentant & Breverdam quidem urbem occupant, excepta arce, quæ hoſtem ſuſtinuit, donec auxilia advenirent, quibus iterum ejecti ſunt. In Sluſam etiam ab Hiſpanis ventum eſt, ſed iterum ejecti ſunt, quod altera pars, quæ à regione muros tranſcendere debebat, putaret inſidias eſſe proditas.

Juſtus *Lipſius, vir de politioribus literis optimè meritus, moritur menſe Junio, fer.* 5. *ante Paſcha Gregorianum: 10. KL. Aprilis.*

Jeſuitarum diſcipuli Poſonii in Polonia reformatorum in religione templum incendunt, id ne reædificetur ob vitandos tumultus, petunt Jeſuitæ. Idem fit etiam in aliis locis, quapropter nobilitas Polonica conventum agit Lublini pro libertate religionis. Conventus illi *Raccoſch* appellantur, ideo & nobiles illi Raccoſiani dicti ſunt, qui petunt, à rege, ut & Eccleſiaſtici in jus vocati ſe ſiſtere cogantur, & Jeſuitæ ex regno expellantur, & libertas religionis confirmetur, & de quibuſdam aliis poſtea in Comitiis agatur. Inde Turonii in Boruſſia Jeſuitæ ſcholam & templum ſibi ſumere audent, ſed Senatus tandem eos amovet iterum, quanquam urbe non pellit.

Diſſidium ortum inter Epiſcopum VVirtzburgenſem & Comites VVertheimios, quib. Epiſcopus exercitum immittit, ſed VVertheimii vincunt, quanquam interim multo damno afficiuntur.

Hollandorum naves ſub finem Aprilis ex India Orientali redeunt, cum biennio abfuiſſent, oneratæ plurimo pipere, quod Luſitanis binas Moluccarum inſulas eripuiſſent Amboinam & Tidorem.

Veniat ante annos trecentos ferè legem tulerant, ne liceret abſque conſenſu Senatus nova templa aut cœnobia ædificare, neve Eccleſiaſticis bona immobilia donarentur. Hanc legem Papa vult abrogari; & Venetos renuentes die 17. Aprilis excommunicat. Ideò Jeſuitæ Venetorum ditionib. excedunt, qui etiam adhuc exulant, remanſerunt multi monachi, qui contra Pontificis tyrannidem ſcripſerunt: Pax tandem, cum Papa nihil efficere poſſet, per regem Galliæ conciliatur, & Papa excommunicationem abrogat ſequenti anno.

Baſſa *Alepienſis à Turca deficit, & exercitum contra ſe miſſum profligat, & Tripolin capit, inde & Damaſcum deditione intercipit, & ſimul tributum Imperatori Turcico mittendum: Ideò idem Baſſa in amicitiam receptus eſt à Perſarum rege.*

Botſcaio tandem datur Pax die 19. Sept. cùm impetraſſet, ut religionis libertas concederetur, & ipſe Tranſylvaniam retineret. Inde procurante Botſcaio etiam pax cum Imperatore Rudolpho & Turca concluſa eſt *ad viginti annos*, ita ut ſingulis trienniis munera invicem mitterentur, die 9. Nov. Et Botſcaius, cum multa de libertate religionis ordinaſſet, moritur die 30. Decembr. magno cum populi luctu.

Spinola *cum exercitu in æſtate in Friſiam moverat, ſed exiguo cum fructu, cum plurimæ eſſent pluviæ inde ad Rinbergam abit, quam obſidet circa finem Auguſti; & deditione eandem capit die primo Octobris.*

Manheimium caſtrum ad Rheni Nicrique confluentem 3. Martii die à Friderico IV. Electore Palatino condi cœptum eſt.

Ad Landſchutſiũ oppidũ, plerique ex nobilibus Polonis Raccoſianis, cum nundinæ inſtarent, milites ſuos congregaverant, expectantes ibidem exercitus luſtrationem. Verum cum à mercatoribus, quos de contributione quadam ſollicitaverant, nihil obtinerent, milites furore accenſi occupatis portis, ignem paſſim excitant; & direptis plerisque, oppidum miſerum in modum deformant. Excitatum & tum eſt Conſt. à Tartaris, conjecto in ædes Judæi *cujuſdam igne, magnum incendium, quo non ædificia tantum multa, ſed & magnus Judæorum numerus conflagravit; damno ad quadringentena millia æſtimato.*

Jacobus magnæ Britanniæ rex Eccleſias Scotiæ Anglicanis in ritibus conformes facit, iisque ſimiliter Epiſcopos, reſiſtentibus fruſtra Scoticis Theologis, præficit. Refractarios enim nonnullos in exilium cum Johanne Forbeſio mittit, nonnullos mulctat: Andream etiam Malvinum in arce diu detinet.

Detecta etiam tum nova conſpiratione in regis Britanniæ necem, Jeſuitas, monachos, & Romano-Catholicæ religionis miniſtros omnes, ſub capitalis ſupplicii pœna, toto regno ante 1. Aug. excedere jubet.

Turca Gomorrham minorem fruſtrà expugnare tentant 24. Julii, & multis amiſſis Caniſium redire compelluntur.

Dum Veneti cum Pontifice Paulo V. de injuſta excommunicatione diſceptant; pro Venetis adverſus Pontificias imprecationes ſcribunt Antonius Quirinus Senator Venetus, Paulus ordinis ſervorum Monachorum, Johannes Marſilius & alii: Pontificis verò cauſam agunt ſtrenuè Bellarminus, Baronius & Columna Cardinales, nonnullique alii, quorum ſcripta extant.

Sultanus Turciæ ad Poloniæ regem nuncios mittit ſignificatum ſe mirari, quòd tribus jam annis nullum de continuanda pace & amicitia Oratorem ad ſe miſerit, petitumque; ut ſi pacem conſervatam velit; id adhuc faciat, & Coſacos ab excurſionibus cohibeat, idem & ſe facturum pollicetur.

Spinola Grolium 8. Auguſti die obſidet, & 14. Aug. antequam Mauritius obſeſſis auxilio veniret facta deditione occupat.

Dum pax cum Turca menſe Octob. initur, interea Buchemius & Cnorus Gomorrhæ in templum Evangelicorum ſtrictis gladiis irruunt, concionatorem profligant, tantumque tumultum excitant, ut pueri haud pauci pedib. conculcati & contriti perierint: Quæ res ad vicina loca emanans Heiduecos & Turcas ad invadendam nocte Gomorrham armavit, quam & ſine dubio obtinuiſſent, niſi Pogramius ſenior ſuperveniſſet, & turbam Iliſhaſii ope compoſuiſſet.

Obierunt: Bugiſlaus XIII. Dux Stetini Pomeran: &c. VII. Martii. Nicolaus Taurellus *Philoſophus Altorfianus:* ac VVolfgangus Amelingus *Theologus Anhaltinus anno ætatis 63. Servestæ* 18. *Maji.*

ANNO MUNDI 5556. *Æra* C. 1607.

D. ☉ 20. ☽ 12. *Ind.* 5.

Inundatio ingens in Anglia menſe Januario facta; mare obruit Somerſetiæ regiones ad viginti milliarium longitudinem, latitudinem quatuor, qua tantum damni datum eſt, ut nullo auro æquiparari poſſet.

Archidux Auſtriæ mittit ad ordines Belgicos menſe Martio, de pace ſemel atque iterum: in ultima legatione princeps fuit Franciſcanus monachus Pater Neius, qui tandem confeſſus, ſe cum ordinibus ita acturum, ut cum Statibus liberis & ſuæ poteſtatis, nemini, nec Duci Alberto nec regi Hiſpaniarum, ſubjectis. Ideò ordines Hollandici inducias, in quibus de pace agi poſſet, abnuere non poſſunt: Nihilominus tamen claſſem in Indiam contra Luſitanos mittunt, quæ claſſis Luſitanos magna clade vicit, die 27. Aprilis.

Carolus *Dux Sudermanniæ, electus rex Sueciæ, tandem coronatur die 15. Martii, & cum videret regnum Poloniæ inteſtinis diſcordiis conflictari, in Livoniam cum exercitu movet, & VVeiſſenſteinium fortiſſimum propugnaculum aggreditur, & deditione capit.*

Annus Indorum 1703. *& Hegir.* 1016. *incipit* 1[illegible] *April. fer.* 7.

Nobiles Poloni iterum conveniunt, & contra Jeſuitas ſcriptum offerunt, ut è regno pellantur, & libertas religionis ſanciatur. Sed rex eos aggreſſus, inopinato eis cladem infert: Ideò Roccoſani nobiles, cùm rex querelas non audiret de violatis privilegiis, tandem cum ipſo pugnant; & cùm in eo eſſent, ut victoriam obtinerent, à quibuſdam auro corruptis deſeruntur, atque ita coguntur victoriam regi relinquere.

Epiſcopus Metenſis atque Argentinenſis *Lotharingus* moritur: Succedit ipſi in Argentinenſi *Leopoldus* Epiſcopus Paſſavienſis.

Illuſtre Gymnaſium in valle Ioachimica magnis ſumptibus extruxit Elector Brandeburgicus, & inauguravit in feſto Bartholomæi.

Cometa apparet circa diem 16. Septemb. qui velociſſimo curſu Libram, Scorpium & Sagittarium perambulabat.

Ludovicus *Haſſiæ Landgravius fundat Academiam* Gieſſæ, *& privilegia ab Imperatore impetrat, eaque promulgat, & Academiam Gieſſenſem introducit die 8. Octobr.*

Heiducci *ſeditioſi in Hungaria tentant Filleccum, ſed fruſtra, Conductis hi fuerant trecentis aureorum millibus à Baſſa Budenſi.*

Donavverda urbs imperii, libertate donata fuit ab Imp. Sigiſmundo, anno 1420. Abbas ejus loci, qui à reformatione uſque religionis, proceſſionem Pontificiam intermiſerat, eamdie 26. Aprilis iterum inſtaurarat, quam diſſuaſerat fideliter Senatus ex privilegiis ſuis. Sed nihilominus Abbas pertexerat, & ſacrificuli in proceſſione ignominia affecti erant. Ideo Abbas querelam de hac re ad Imperatorem detulerat, quapropter urbs proſcribitur, & Maximilianus Bavarus proſcriptionem jam urget, & Donavverdam deditione capit die 11. Decemb. Cives armis ſpoliantur, & menſuræ ac Pondera Bavarica in urbem introducuntur.

In Tranſylvania defuncto Botſcaio proceres 12. Feb. Claudiopoli conveniunt, & Sigismundum Ragotſium Ducem eligunt, ejusque confirmationem à Cæſare requirunt.

Pſeudochymicus Stutgardiæ à Duce VVirtenbergico ad ſupplicium protractus, & in patibulo ferreo vitam laqueo finire coactus eſt.

Synodus habita eſt Rupellis in Gallia reformatorum, in qua articuli confeſſionis quam uno ore & corde omnes profitentur, conſcripti, & ut ſymbolum Eccleſiarum commune receptum eſt. Collegium Jeſuitarum cum inſigni bibliotheca Viennæ 22. Apr. die incendio abſumptum eſt & tectum templi ac parietes liquefactis campanis horribiliter ſunt deformati.

In Anglia Jeſuita quidam, qui clam populum docere, & contra jus regis in Eccleſias multa impudenter dicere, ſubditoſque à regis fidelitate abalienare deprehenſus eſt in 4. partes diſſecatur.

Ingens tempeſtas menſe Majo Lingæ caſtellum non modo totum ferè cum haud exigua ſtrage hominum ſubvertit, ſed & in Haſſia Francoberga ad Ederam, & in aliis circumjacentibus oppidis damnum maximum dedit.

Nuptias celebrarunt: Philippus II. Dux Stetini Pomeran. &c. cum Sophia, Johannis Holſatiæ Ducis F. *Dominica Oculi, ſive 8. Martii.* Erneſtus-Caſimirus Com. Naſſaviæ, cum Sophia-Hedvvige, filia Heinrici-Julii Ducis Brunſuicenſis & Lunæburg.

Nati ſunt: Carolus Philippi III. regis Hiſpaniarum filius 14. Sept. Johannes Caſimirus, Sigiſmundi III. Regis Polon. filius, 25. Decemb.

Obierunt: Catharina, *Johannis junioris, Comitis Palatini Rheni Bipontini conjux*, 10. *Maji.*

Georgius Mylius *Auguſtanus Theol. D. & Pr. VVitebergæ* 28. *Maji, ætatis* 59.

Cæſar Baronius *Cardinalis, annalium Eccleſiaſticorum conditor* 30. *Jun. Romæ.*

Johannes Reinoldus *Theolog. Oxonienſis in Anglia.*

Otto Caſman. *Stadæ Saxonum* 1. *Auguſti, ætatis* 45. *ann.*

Martinus Cruſius *Græcæ linguæ Profeſſor Tubingæ, anno ætatis* 81.

Lucas Trelcatius *Theol. Leidenſis* 22. *Septembri ætat.* 34.

ANNO MUNDI 5557. Æræ C. 1608.
CB. ☉ 21. ☽ 13. Ind. 6.

Fridericus *Dux VVirtenbergenſis, qui Ducatū iterum in libertatem reſtituerat, cum in ſervitute ferè fuiſſet tempore* Ulrici, *moritur die* 29. *Jan.*

Ambroſius Spinola, & alii legati à rege Hiſpaniarum miſſi, die 1. Febr. veniunt *Hagam* Comitis, ubi Spinola de pace acturus erat, qui ſtatim in initio ordines Hollandicos liberos, & ſui juris eſſe pronunciat, & nomine regis Hiſpaniæ *Mauritium* Auraniū Comitatu Lingenſi donat, ſed cum in pacificatione omnia facilia viderentur, de navigatione tamen in Indiam conveniri non potuit.

Annus Indorum 1704. *& Hegira* 1017. *incipit die* 6. *Apr. fer.* 4.

Archidux Matthias die 15. Aprilis Vienna diſcedit cum exercitu in Moraviam, ubi exercitum colligi juſſerat, tanquam contra Heiduccos profecturus: Sed iter flexit in Bohemiam. Ideò Imperator Rudolphus ſibi proſpicere coactus fuit, & milites coegit, & de auxiliis ad alios perſcribit: Inde Matthias die 17. Maji Pragam verſus proficiſcitur; Status verò Bohemici die 23. Maji vitam & fortunas ſuas pro ſalute Imperatori offerunt, ſi modò quoſdam articulos ratos habeat, inter quos eſt *de libertate religionis concedenda*: Sed is differtur uſque ad Comitia. Poſt diuturnas deliberationes tandem pax fit inter fratres, ut Archiduci Matthiæ Imperator regnum Hungaricum & Ducatum Auſtriæ daret, & ſubſidium ipſi mitteret contra Turcam, atque ita Matthias Calend. Jul. in Auſtriam redit. Cum verò Matthias religionis exercitium prohiberet, Status in Auſtria viciſſim ipſi juramentum fidelitatis præſtare noluerunt. Ut res componeretur, Bohemi & Moravi non obſcurè Statibus Auſtriacis auxilium pollicentur. Inde Matthias in Hungariam profectus, coronatur rex Hungariæ die 14. Nov.

Joachimus Fridericus *Elector Brandeburgenſis moritur* 18. *Julii: ſuccedit Johannes Sigismundus.*

Hollandi *cum Luſitanis in India Orientali ad Malacam acriter claſſe pugnant: etſi autem Malaca expugnari non potuit, naves tamen ferè omnes Luſitanorum corrumpunt.*

Virginia *inſula habitari incipit, cum* Jacobus *rex Angliæ & Scotiæ colonos eò mitteret, quibus ampliſſima & privilegia & ſpatia ad habitandum dedit.*

Annus Nabonaſſar. 2357. *& Philippi* 1933. *incipit* 17. *Jul. fer.* 1.

Annus ſabbathicus 3. *ſive Jobelei* 32. *incipit* 1. *Sept. fer.* 5. *Anno Jud.* 5369.

Annus Alexand. 1920. *& Antioch.* 1657. *& Conſtantin.* 7117. *incipit* 1. *Octob.*

Jezdegerd. 978. *incipit* 15. *Octo. fer.* 7. *Armen.* 1058. *die* 18. *Octo. fer.* 3.

In Belgio de pace quidem agitur, ſed interim Hiſpani à deprædationibus ſibi planè temperare non poſſunt. Ideò propè Sluſam pecoribus inſidias ſtruunt, ſed ibi opprimuntur. Adolphus etiam Comes Naſſovienſis, cum negotiorum cauſa in itinere eſſet, intercipitur ab Hiſpanis & occiditur. Hiſpani tamen iſti omnes ferè à ſociis Comitis occiduntur.

Com

Comitia Ratiſbonæ in initio anni ex præſcripto Imp. Rudolphi præſide Ferdinando Archiduce Auſtriæ inſtituta, cum pax religionis confirmanda ante omnia alia capita fruſtrà peteretur, re planè infecta diſſoluta ſunt.

Comitia verò alia Poſonii habentur, in quibus pax religionis in Hungaria confirmatur, & novum fœdus inter Hungaros & Archiducem Auſtriæ Matthiam ſancitur.

Moſilis Alepienſis Baſſa à Turca jam ante ſuo quodam conſilio defecerat. Vetzir igitur Baſſa cum alios quoſdam ſeditioſos per Carmaniam partim vi, partim gratia ablata ad obedientiam reduxiſſet in ipſum cum 130. millibus movet. Is verò cum 40. millibus exercitum Vetziris tribus continuis præliis ſatis feliciter ſuſtinet & ad quartum ſeſe accingens, audit auxiliares copias à Damaſceno & Tripolitano Baſſis mitti: Hinc pedem retrahit, & Alepum revertitur, ubi convaſatis præcipuis opib. in montana, verſus Perſiam profugit. At Vetzir Baſſa de fuga Alepienſis certior factus, Alepum obſidet, & vi ſumma, trucidatis omnibus occupat. Videns ergò Alepienſis ſe à ſociis ſuis deſertum, ad gratiam Sultani confugit, eamque promiſſione, quod contra Perſarum regem militare velit, facilè obtinet.

Summa hyemis fuit inclementia hoc anno, & frigoris pertinacia tanta, quæ ſata, vites & arbores paſſim multum læſit. Hanc ſecuta eſt æſtas etiam calidiſſima, quæ ſata & vineas aduſſit.

Walachiæ Princeps circa initium veris moritur, & Cæſar relictum ejus filium minorennem 13. annorum ad ſucceſſionem admittit. At renitentes Walachos vidua collecto 10000. exercitu, & trucidatis eorundem ac Turcarum, quorum opem implorant 5000. vincit, & filio principatum conſervat. Sigiſmundus verò Ragotſius Tranſſylvania cedit, & Sarentum ſe confert. Hinc Gabriel Bathorius eam ſibi vendicat, & neglecto Cæſaris dominio, Turcico Imp. tanquam Domino feudi ſe ſubmittit, quod & legatis Archiducis Matthiæ poſtea Conſtant. nunciatum qui & idipſum Viennam ſignificarunt.

Tumultus Romæ 27. Martii die, in commonſtratione reliquiarum per S. Mariæ majoris templum ex ſubito audita Spiritus Dæmoniaci horrenda voce, exortus eſt, in quo pleriq; pallia & pileos amiſerunt, nec pauci pedibus ſunt conculcati.

Poſtquam ætas deferbuit, Magnus Hetruriæ Dux Ferd. Coſmo principi filio ſuo cum Magdalena Auſtria, Archiducis Caroli filia, nuptias ſplendidiſſimas parat, miſſo Paulo Jordano Urſino, Duce Braciam, Gratſium menſe Sept. qui eam adducit menſe Octobr.

Menſe Nov. Lutetiæ in Gallia, Bartholomæus Borgenſius, quòd ſe Pauli V. Pontificis ex concubina quadam natum filium profeſſus eſſet, juſſu Pontificis à Parlamento ad ſupplicium damnatus, in crucem actus, & deinde flammis eſt conſumptus.

In Helvetia Martinus Voyſinus Gallus, civis & ſericarius Baſilienſis, cum in itinere ad mercatum Lucernenſem liberiùs contra Mariæ invocationem ad ſuos diſſeruiſſet, Zurzea, quæ tranſeundum ipſi erat, ad Magiſtratum eo nomine delatus, ſtatim prehenditur, capite truncatur & in ignem conjectus in cineres digeritur.

Uratislaviæ Sileſiorum monachus quidam monaſterii Sancti Alberti, inferiis natalitiis Chriſti, ex ſuggeſto contumelioſe admodum in Lutheranos invehitur. Hinc die Johannis Evangeliſtæ opifices & commune vulgus portas monaſterii perfringunt, irruunt, altaria ſubvertunt, feneſtras frangunt, monachis diffugientibus & ſeſe occultantibus. Tumultus etiam ad alia monaſteria ſeſe extendiſſet, niſi Magiſtratus prudentia & interventu omnia ſedata fuiſſent.

Natus eſt Erneſtus Chriſtiani Anhaltini principis filius, Ambergæ verno tempore.

Obierunt: Johannes, Caſimirus, *Sigiſmundus III. regis Poloniæ filius, 14. Januarii.* Fridericus Dux *Wirtebergicus, repentina morte Stutgardiæ, 29. Jan.* Maria Bavara, *Caroli Archiducis Auſtriæ uxor, in Carinthia, menſe Apr.* Carolus Dux Lotharingiæ, 24. *Maji.* Maria Eleonora, *Alberti Friderici Ducis Boruſſiæ conjunx, Wilhelmi Ducis Juliacenſis Cliviæ Montenſis filia primogenita.* Pantaleon Candidus *Auſtriacus, Theologus Bipontinus, anno ætat.* 68.

ANNO MUNDI 5558. Æræ C. 1609.
A. ☉ 22. ☽ 14. *Ind.* 7.

Annus urbis 2361.	*Julianus* 1654.
Æra Hiſpan. 1647.	*Auguſtorum* 1636.

Rudolphus Imp. inchoat annum imperii 33.
Neuruz Gelali 530. *cum æquinoct. Verno.*

Matthias rex Hungariæ, ſtatim in Januario contra Auſtriacos reformatæ religionis equites mittit, qui velitatione facta inferiores tulerunt. Poſtea Moravi apud Matthiam pro Auſtriacis intercedunt, & primum fiunt induciæ, & paulò pòſt impetrant ipſis liberum religionis exercitium. Idem fit etiam in Bohemia, ubi tandem interceſſione Electoris Saxonici *Bohemi, Sileſii & Moravii* liberum religionis exercitium impetrant: literas Majeſtaticas, quas ſi vocant Bohemis impertitur Imperator 11. Julii: Sileſiis 26. Auguſti.

Alberti Archiducis in Belgio conjux pallium mittit in Italiam, quo ſtatua Mariæ Lauretanæ induatur, cujus precium fuit quadringentorum millium coronatorum, cum adamantes in eo eſſent termille, & margaritarum viginti millia, delatum fuit in Italiam die 25. Martii, fer. 2.

Annus Indorum 1705 *& Hegira* 1018. *incipit die* 27. *Mart. fer.* 2.

Carolus *rex Sueciæ iterum obſidet* Rigâ *in Livonia, ſed infelici eventu: obſidionẽ enim ſolvere coactus eſt, ut Narvam tueretur. Inde iterum ad Rigam redit, ſed iterum clade afficitur & quaſdam arces amittit.*

Johannes Wilhelmus Dux Juliacenſis moritur die 25. Martii ſt. novo. Elector Brandeburgicus & Palatinus Neuburgenſis ſuccedere ipſi ſtatim conantur mente Aprili, ſed Imperator jubet Status horum Ducatum neutrum admittere. Sed Landgravius Haſſiæ *Mauritius* ſuadet utrique & *Neuburgenſi & Brandeburgico*, ut ſimul amicè Ducatus hoſce gubernent, ne occaſionem præbeant Imperatori mittendi alium, qui nomine Imperii eoſdem defendat, atque ita perſuadet.

Duella prohibentur in Gallia edicto regio mirè rigido 26. Junii.

Olympias 595. & annus ejus 2385. incipit in Julio.

Annus Diocletiani 1326. incipit 29. Auguſti.

Imperator Rudolphus mittit Leopoldum Auſtriacum, Epiſcopum Paſſavienſem & Argentinenſem, qui Ducatus Juliacenſes iſtos guberner,

 donec

donec de ſucceſſione legitima conveniat, quā à quibuſdam cum magno gaudio recipitur. Rex Galliæ contra promittit auxilia Brandeburgico & Neuburgenſi.

Induciæ *fiunt in* Belgio *inter Albertum Auſtriacũ & Hiſpanũ ex una parte, & inter ordines Hollandiæ ex altera parte, in annos duodecim, die 9. Apr.*

Roccoſani nobiles in Polonia in Comitiis Varſavienſibus regi conciliantur, & multa in regno ordinantur, quæ videbantur reipubl. plurimum prodeſſe.

In Scotia *hoc anno nova Argentifodina inventa, quæ valdè dives perhibetur. Ad petitionem regis Angliæ, Elector Saxoniæ metallicos foſſores duodecim eò mittit, qui fodinam excolant.*

Januarii die 20. moritur Joſephus Juſtus *Scaliger, Julii filius, ætatis anno 68. Lugduni Batavorum.*

Erfordiæ in Thuringia Coriarius quidam nuptias celebrat 6. Febuar. die, dumque in prandio invitati ad 12. menſas hilares ſeſe exhibent, cœnaculum, in quo conſederant, ſubita ruina concidit, & ſponſam cum 20. hominibus necat, 20. alii fractis cruribus & brachiis graviſſimè & lethaliter ſunt vulnerati.

Inter Friſiæ orientalis Comitem & Embdam ſimultates iterum recrudeſcunt, quæ tamen à Belgii confœderatis ordinibus ſunt compoſitæ hac conditione, ut Embdenſibus naves & bona, quibus in Hiſpania manus injectæ fuerant, reſtituerentur, damna compenſarentur, ipſique ut fideles ſubditi à Comite defenderentur.

Guianam Americæ regionem auro abundantem, Virginiæ vicinam, Angli inhabitare conſtituerant, miſſis eò quibusdam cum rebus neceſſariis Oeconomicis & ſupellectile: ſed re cum incolis, inprimis ab Antonio loci ejus præfecto imprudenter geſta, omnes ferè miſerè trucidati ſunt.

Cornelius Matelifius, claſſis Hollandiæ archithalaſſus, ex orientali India cum gemmis, aromatibus, ſerico aliiſque magni pretii mercibus domum revertitur, ſecumque duos à Sionis rege potentiſſimo, vicino regno Chinæ, legatos, Mauritio Comiti dona afferentes & amicitiam nomine regis expetentes adducit, quos liberaliter exceptos & dotatos tandem dimittit.

Genevam Sabaudiæ Duci prodere certo pretio ſibi propoſuerat Ludovicus Comburſerius, Dominus de Terrai & Rattier, Baro de Moyſſac, in ſocietatem ſibi aſſumpto Petro Baſtidio. At famuli in diverſorio Chamberiaco, qui fratrem Genevæ habebat, aliorumque paſſim indicio comprehenſi, ille quidem 19. Aprilis gladio percuſſus, hic 21. ejuſdem menſis, laqueo vitam finire ſunt coacti.

Gonzaga Dux Mantuæ, *ex aquis Spadanis in Belgium venit, & totam ferè Hollandiam & Brabantiam paucorum dierum ſpatio, exceptus honorificè cum à Comite Mauritio & Ordinibus, tum ab Alberto & Iſabella Archiducibus, perluſtrat.*

Fillecum ſuperioris Hungariæ propugnaculum Andreas Draco Agrienſi Baſſæ, acceptis 20000. Joachimicis prodere, nocte incenſa propria ſua domo, tanquam ſigno edito, conſtituerat: at re maturè cognita, in 4. partes diſſectus, proditionis pœnam eſt expertus.

In Caſtellano agro non procul à pago Nortshuſano fons deprehenſus & excultus eſt, qui plurimis & graviſſimis morbis profligandis ſalutaris fuit.

Elector & Principes Saxoniæ ſplendidam legationem, præſide Wolfgango Mansfeldio Comite, ad Galliæ regem & ordines Belgii confœderatos mittunt, ipſiſque perſuadere conantur, ne ſeſe Juliacenſi negotio immiſceant, ſed fruſtra. Promiſerant enim jam ante ſua auxilia Electori Brandenburgico & principi Neoburgico, quæ denegare poſtea noluerunt.

Johannes-Fridericus Dux Wirtenbergicus, cum Barbara Sophia, Joachimi Friderici Electoris Brandenb. filia, nuptias celebrat, menſe Nov. Stutgardiæ.

Moriuntur: Stephanus Iliishaſius Palatinus Hungariæ, Comes Trenſchinenſis, patriæ libertatis vindex, *6. Maji die, Viennæ.*

Carolus Cluſius Atrebas, Botanicus excellens, *anno ætatis 48. Lugduni Batavorum 4. Apr.*

Jacobus Arminius, Theologus Leidenſis, *Ibidem anno ætat. 49.*

ANNO MUNDI 5559. Æræ C. 1610.
G. ⊙ 23. ☽ 15. *Ind.* 8.

Conventus *quorundam Statuum imperii, qui erant reformatæ* religionis, *agitur initio anni, Halæ Suevorum: ſed Pontificii quidam Principes etiam conventũ agunt VVurtzburgi. Ex utraq; parte exercitus colliguntur, atq; in Ducatum Juliacenſem mittuntur, ubi Principes Gleſſam arcem occupant, & poſtea Mansfeldum Leopoldi Ducem capiunt.*

Inundatio ingens facta die 11. Januarii in Marchionatu Cevenſi ad Alpes, ubi ex ſubita reſolutione nivis ad Arnum fluvium tantæ aquæ extiterunt, ut ad quatuor hominum millia perirent, & multæ ædes ſacræ & profanæ everterentur.

Annus Indorum 1706. *& Hegira* 1019. *incipit* 16. *Mar. fer.* 6.

Rex Galliæ Heinricus IV *conſcribit ingentem exercitum, expeditionem in alias terras facturus: ſed præter ſpem ſubito, die 4. Maji à ſicario in curru interficitur, ictu gemino ſub quartam coſtam illato, cum regnaſſet annis 21. Succedit ipſi filius major novem annorum* Ludovicus XIII. *& ſicarius ſupplicio merito affectus eſt:* Rex Angliæ propter hanc cædem territus, Jeſuitas, monachos, & ſacrificulos omnes ex regno proſcribit:

Leopoldus Epiſcopus conſcripſerat in initio anni exercitum in Alſatia magno metu Argentinenſium, ſed Palatinus Elector miſſo exercitu Leopoldi milites pellit. Paulo poſt iterum eundem exercitum colligit, ſed idem à vicinis, diſpellitur. Sed denuò nihilominus exercitum colligit, eumque in Epiſcopatum Paſſavienſem & Argentinenſem diſtribuit, qui plurimum damni incolis dederunt. Ideò Matthias rex Hungariæ admonet Bohemos de fœdere contra hos milites.

Perſarum rex expeditionem facit in provinciam Babylonicam, & Turcas vincit cæſis ferè viginti millibus; *Acmet* contra Turcarũ Imp. claſſem mittit, in mare mediterraneum contra Malteſes & Florentinos [illegible]

Mauritius Auranius *bello liberatus Belgico, in auxilium venit Principibus in Ducatu Juliacenſi, & Juliacum, unde expulſus erat, obſidet die 28. Julii, quod ferè expugnatum deditur die 22. Auguſti.*

F[illegible]

Elector Saxoniæ *pro ſe & totâ domo Saxonica Pragæ obtinet feudum Ducatuum Juliacenſis, Clevenſis & Bergenſis & vicinorum Comitatuum die 7. Julii.*

Moſchus *urbem* Smolenſco *obſidione liberare conatur, ſed à Polonis obviam profectis vincitur: magnâ clade victi Moſchi, ut iterum Polonos clade afficerent,* Vilnam *urbem incendunt, ubi quater mille & ſeptingenta ædes exuſta ſunt, unà cum arce.*

In Tartariâ cùm Cham magnus mortuus eſſet, & frater ſuccedere vellet, excluſo filio Chami, filius exercitum contra patruum congregat, eumque magno prælio vincit, quo ceciderunt ad quadraginta millia hominum, & filius cum victoriâ regnum obtinuit.

Fridericus IV. *Elector Palatinus, cùm præfuiſſet annis 8. moritur, relicto filio Friderico, cujus tutorem conſtituerat contra auream bullam Principem Bipontinum, qui tutelam obtinet ſex annis.*

In causâ Juliacenſi legati ab Imperatore Coloniam mittuntur Ludovicus Landgravius & Archiepiſcopus Trevirenſis & alii, qui diuturno tempore per totum autumnum agunt cum Principibus Juliacenſibus, ut domus etiam Saxonica in poſſeſſionem admittatur, & nomine Imperatoris omnia adminiſtrentur: Sed nihil tum obtinetur.

Rex *Hiſpaniarum menſe Novembri expeditionem facit in Mauritaniam, evocatus à rege Mauritaniæ, qui à juniore ſuo fratre pulſus erat, &* Larachium *urbem occupat, eamq; accepta multâ pradâ & pecuniâ regi Mauritaniæ iterum tradit, cum eum in regnum repoſuiſſet.*

Bellarminus edit tractatum de poteſtate Pontificis in temporalibus, qui, quòd plurimum derogaret politico magiſtratui, & defenderet, qui inſidias Magiſtratui politico ſtruerent, publicè quidem in Galliis damnatur, ſed ne exemplaria comburantur, interceſſione Jeſuitarum apud Reginam impetratum eſt.

In principio anni plerique ex principibus & Statibus Evangelicis, Halæ Suevorum unionem firmant, & Chriſtianum principem Anhaltinum belli Juliacenſis primarium Ducem creant.

Adverſus Gabrielem Bathorium Tranſylvaniæ principem conſpiratio facta detegitur, quæ principem quidem ex vitæ periculo extrahit, at multis exitio fuit, quorum nonnulli primarii trucidati, nonnulli proſcripti & exilio mulctati ſunt.

Matthias rex Hungariæ, urgente quarto ſeu plebejo Statu, eidem ſimiliter liberum religionis exercitium menſe Martio promittit.

Ut Londini duæ Eccleſiaſticæ perſonæ ex Brabantiâ in templo Italico Pontificiam doctrinam abjurant, & reformatam Eccleſiarum religionem amplectuntur: Ita in Sileſiâ quoque Trebnicenſis Antiſtita religionem mutat, & ad Evangelicos tranſit.

Circa hæc tempora, quibus Perſarum rex in Babyloniâ Turcas fudit, legatus ejus ad Imperatorem Rudolphum venit, munera eximii pretii obtulit, & amicitiæ fœdus confirmavit.

Leopoldus Auſtriacus *Juliacum mittitur ab Imperatore, ut poſſeſſionem ejus apprehendat: Interea bellum Alſaticum ſummâ vi geritur, in quo Dachſteinium & Moltzheimium occupantur ab unitis Principibus. Leopoldus verò Juliacum Rauſchenbergio defendendum committit, & Pragam proficiſcitur. Paulò poſt ſub finem Julii Juliacum obſidetur à Chriſtiano principe Anhaltino, & Mauritio Comite Naſſovia, & ſub finem Auguſti factâ deditione occupatur.*

In crematione Vilnæ, quam Moſchi victi ad Schmolenſcum incenderant, 4700. ædes cum arce & 7. Romano-catholicis tribusque reformatis templis in cineres redacta ſunt; ipſa Poloniæ regina etſi nave per Vilnam ſe ſalvavit, virgines tamen Gynecei in aliâ nave complures ſubmerſæ ſunt & extinctæ.

Duisburgi in Cliviâ celebratur ſynodus menſe Sept. inter Eccleſias reformatas, quæ ſunt in Ducatibus Juliacenſi, Clivenſi & Montenſi.

Nuptias celebravit Franciſcus Dux Stetini Pomeraniæ, &c. cum Sophiâ, Chriſtiani I. Elect. Saxon. filia, 27. Aug. Dreſdæ.

Obierunt: Otto Comes Solmenſis *in Braunfels, aulæ Heidelbergenſis Marſchallus, in Bello Alſatico 23. Jun.* Amandus Polanus à Polansdorf, *Sel. Theologus Baſilienſis 18. Jul. ætatis 49.* Eberhardus Epiſcopus Spirenſis *Vdenhemii ſub finem Sept. febri ardenti, cui ſucceſſit Philip. Chriſtophorus à Satern.*

ANNO MUNDI 5560. Æræ C. 1611.

F. ☉ 24 ☽ 16. *Ind.* 9.

Paſſavienſis exercitus, qui novem millibus ferè conſtabat peditum, & quatuor equitum, Duce Rameo ad Danubium omnia vaſtat. Inde cum in Auſtria fuiſſent, iter in Bohemiam flectunt, & *Budenvveiſſium* urbem ſtrategemate occupant. Præmiſerant enim quatuor currus, qui ibi pernoctarent, & ante lucem ibi iterum exirent, ubi cum impetu ipſi in urbem irruerunt. Inde Pragam tendunt, & die 15. Februar. in Bacchanalibus urbem intrant minorem, cum cives ſe dederent: Imperator etiam jubet, ut civitas Praga vetus & nova idem faciant, ſed cives conſtanter ſe hoc facturos negant. Inde cùm rumor eſſet, Matthiam cum exercitu adventare, exercitus ille die 14. Martii iterum diſcedit cum ingenti prædâ; quæ ad ſeptem milliones æſtimata eſt, & Matthias in auxilium evocatus venit in Bohemiam die 24. Martii, & conſenſu Imperatoris coronatur rex Bohemiæ die 23. Maji, cùm confirmâſſet Bohemis, Sileſiis & Moravis ſua privilegia.

Conventus Juterbocci inſtituitur die 18. Martii, ubi concluſum, ut Saxo in gubernationem Ducatuum Juliacenſium recipiatur. Interim Saxo curet, ut edicta in Principes Juliacenſes abrogentur, & pecuniam numeret.

Annus Indorum 1707. *& Hegira* 1020. *incipit die 5. Mart. fer. 3.*

Rex *Daniæ indicit regi Sueciæ bellum die 4. April. & die 2. Maji* Calmariam *obſidet, quam expugnat die 29. Maji, & omnes, qui non in arcem confugerant, trucidat, arx tandem deditur die 3. Auguſti. Sub initium Julii* Smolenſcum *urbs expugnatur, & in poteſtatem Polonorum venit. Moſchi tamen eandem urbem non ſolùm poſt biennium recipiunt; ſed & alias in Lithvaniâ urbes capiunt.*

Chriſtianus *Elector Saxoniæ die 23. Junii, cum ludis equeſtribus ſe exercuiſſet, deliquium animi ferè paſſus, paulò pòſt apoplexia extinguitur, cùm annis 10. ferè præfuiſſet: ſuccedit ipſi frater* JOHANNES GEORGIUS.

Sub initium Julii tumultus Aquiſgrani exoritur, in quo *Jeſuitæ* urbe exacti ſunt; ad hunc tumultum ſedandum Principes Juliacenſes legatos mit-

mittunt adveniunt deinde etiam legati regis Galliæ, quapropter Aquiſgranenſes in concordiam redacti ſunt. Sed cùm Senatus conditionibus concordiæ ſubſcriberere nollet, Ideò à Juliacenſibus alii Senatores eliguntur.

Brunſuicum *urbs proſcribitur ab Imperatore ex quibusdam cauſis, quarum ſe innocentes eſſe Brunſuicenſes teſtati ſunt; ideò per intercesſores proſcriptio tandem abrogata fuit.*

Imperator in tutela Palatinatus Bipontinum confirmat. Neuburgenſis verò contra ex aurea Bulla probat tutelam eam ad ſe pertinere, quod Electoratus ſemper ad primogenitum proximum pertineat.

Uniti ſuperioris Germaniæ conveniunt Rotenburgi, ubi Imperatori reſponſum eſt, quòd culpâ minimè careat, cum promiſſis non ſteterit, nec Donavverdam in integrum reſtituerit, item alia: ſumptus etiam contribuuntur ad ſe defendendum, ſi neceſſe ſit, & conventus ſolutus die 22. Auguſti.

Johan. Sigiſmundus *Elector Brandeburgenſis tandem obtinet feudum Ducatûs Borusſici die 15. Novembris.* Ita tamen ut ſola religio Auguſtanæ Confeſſionis, & Romana Catholica ibi toleretur, & templum etiam Pontificium Regiomonti ædificetur, & Calendarium approbetur.

Bavarus cum Epiſcopo Salisburgenſi diſſidet, & cum convenire non poſſent, Bavarus in ditionem Epiſcopi irruit: Epiſcopus verò fugit. Interim Bavarus Saltzburgum occupat, & mittit, qui Epiſcopum perſequantur, cui novem currus in itinere Carinthiam verſus cum multis bonis erepti ſunt, ſequenti anno Epiſcopus à Pontifice deponitur.

Carolus *rex Sueciæ dolori ſuccumbens ob amiſſam Calmariam, etiamſi quadam etiam regi Daniæ eripuiſſet, moritur die 30. Octobr. ſuccedit filius* Guſtavus.

Electores imperii conveniunt Norinbergæ, ubi de quibusdam imperii rebus actum, & ab iisdem Imp. admonitus ſui officii: diſceſſerunt inde die 12. Novembris.

Jeſuitæ in Galliâ cadunt causâ, & interdicitur ipſis, ne ampliùs doceant, coguntur etiam, ſiquidem velint in regno manere, approbare hosce quatuor articulos: 1. Papam non debere imperare regibus, nec habere poteſtatem privandi reges regno, 2. Concilium eſſe ſupra Papam, 3. Clerum debere judicari à Politico magiſtratu, 4. Confeſſiones auriculares, ſi vitam regis concernant, non tacendas.

Interea dum Daniæ rex Calmariâ occupata arcem obſidet, exercitus Caroli Sueciæ regis quàm proximè ſe ſe illi opponit, & ſtrategemate quodam militari Chriſtianopolin noviter ædificatam Dani urbem, poſtquam interceptis Præfecti literis, cognoviſſet eum ſubſidium petere, eò miſſis, qui ſe Danicum præſidium fingerent, invadit, pleroſque trucidat, & direptis omnibus incendio totam ferè delet.

Menſe Jun. præfectus Radulenſis Walachiam, cæſis quam plurimis Heiduccis, quos Gabriel Bathorius ibi reliquerat, occupat, & in Tranſſylvaniam movet, ubi Bathorii copias propè Cronſtadium fundit. Forgatſchius ergò Heiduccis quàm plurimis inſtructus, hâc occaſione in Tranſſylvaniam tranſit, & Claudiopolin aliaque nonnulla oppida & arces ad obedientiam regis Hungariæ Matthiæ perducit: At ſubitò mutatis rebus Forgatſchius iterum à Bathorio caditur, & per ſylvas, in quibus varias miſerias tolerare coactus eſt, in Poloniam pellitur.

Vilnæ in Lithvaniâ, ad Jeſuitæ Scargæ cantum claſſicum, Pontificii ſub exitum Junii Proteſtantium cœtum in templo invadunt, Croſnovitium Theologiæ Doctorem ex editiore loco præcipitem agunt, quo caſu & crus fregit & corpus miſerabiliter læſit. Rectorem verò ſcholæ, & alios verbi miniſtros ita tractant, ut vix ſemivivi templo ſint elati.

Coloniæ etiam Agrippinæ reformati duriter tractantur, multi urbe ejiciuntur: plures graviter pecunia mulctantur.

Expugnato Schmolensko, & in poteſtatem Polonorum redacto, comitia Warſaviæ habita ſunt, in quibus Magnus antehac tempora Dux Moſcoviæ Suſcius cum duobus fratribus ſuis captus, Senatui per Subelſiſcium ſiſtitur, laudatur, à rege ac ſenatoribus regni liberaliter habetur, petitque ejus locus datur, inprimis cum conſtituerit vere primo ſequentis anni in Moſchoviam iterum movere, & regno Poloniæ eandem ſubjugare.

Cùm Matthias rex Hungariæ & Bohemiæ literas Majeſtaticas, religionis libertatem Bohemis & Sileſiis largientes, confirmâſſet, in concilio principum & Statuum Sileſiæ, decreta eſt Uratislaviæ, Auguſtanæ confeſſionis civibus Niſſenſibus libertas miniſtros Evangelicos vocandi, & in privatis ædibus exercitia pietatis adminiſtrandi, donec in ſuburbio templum erigatur.

Matthias II. Hungariæ & Bohemiæ rex, nuptias celebrat cum Annâ Archiducisſâ Auſtriæ ex Tirolenſi familia, 24. Novembr. Viennæ.

Obierunt: Johannes Auguſtus, *Comes Palatinus Rheni Veldentianus, die 20. Septembr.*

Margaratha Hiſpaniæ regina, *Philippi III. regis conjux, menſe Octobri, ætat. 27.*

Petrus Wockius *Urſinus Roſenbergicæ domus regens, 1. Novemb. in Bohemia.*

Marcus Beumlerus *Theologus Tigurinus peſte 31. Julii.*

Jacobus Lectius *Genevæ dyſenteria 28. Auguſti, ætatis anno 53.*

Poſonii in templo divi Martini coronatur Hungariæ regina, Matthiæ Imperatoris conjunx Anna Archiducisſa, 25. Martii.

Sub initium Julii Durlaci inter Proteſtantes & Pontificios colloquium inſtituitur, quò Ducis Lotharingiæ frater duos adduxerat Jeſuitas. Cùm verò Jeſuitæ veterem cantilenam recantarent, & Papa judicem conſtituerent, nec ex ſola Scriptura ſed Patribus diſputare cuperent, re infecta eſt disceſſum.

Nuptias celebrârunt: Fridericus V. Comes Palatinus Rheni, cum Elizabethâ, magnæ Britanniæ regis Jacobi filiâ, 14. Februarii Londini. St. Vet.

Naſcitur Joannes Georgius, Joannes Georgii Electoris Saxonici filius, 31. Maji.

Obierunt: Johannes-Georgius, *hæres Norvvegiæ & Dux Holſatiæ 55. Januarii, ætatis 19. Tubingæ.*

Sigiſmundus Bathorius *quondam Tranſſylvaniæ princeps, apoplexiâ extinctus Pragæ, 18. Martii.*

Wolffgangus ab Hauſen, Epiſcopus Ratisb. *3. Septemb.*

Erneſtus Marchio Brandenburgenſis, *frater Johannis Sigiſmundi Electoris, 19. Sept. Præfuit hic aliquan-*

quandiu Ducatibus Juliæ, Cliviæ, &c. in cujus locum miſſus eſt Georgius Guilhelmus, 26. Octobr.

Fridericus Taubmannus *Francus, Poeta, VVitenberg. 25. Martii, ætatis* 48.

Johannes Caſelius, *Helmſtadii Profeſſor, ætatis anno* 80. *tempore Verno.*

Conradus Rittershuſius, I. C. *& Philologus Altorfii, 25. Maji maraſmo.*

Johannes-Jacobus Chriſtmannus, *Johannisbergenſis, Logices & Linguæ Arabicæ Profeſſor Heidelbergæ, ætat.* 59. *menſe Junio.*

Bartholomæus Pitiſcus, *Grunbergia Sileſius, Theologus & Mathematicus inſignis, ætatis* 52. *Julii* 27. *Heidelbergæ.*

ANNO MUNDI 5561. Æræ C. 1612.
E D. ☉ 25. ☽ 17. *Ind.* 10.

Rudolphus *Imperator, cùm imperaſſet annis ferè* 35. *moritur die* 10. *Januarii, cùm vixiſſet annis* 59. *ideò vacante Imperio Electores imperii Francfurti conveniunt ad electionem, & eligitur die* 3. *Junii* Matthias, *rex Hungariæ & Bohemiæ, defuncti Imperatoris frater; coronatur itidem die* 14. *Junii feria prima.*

Erneſtus Epiſcopus Colonienſis, moritur die 7. Febr. Succedit ipſi in Archiepiſcopatu *Ferdinandus* Bavariæ Dux.

Annus Indorum 1708. *& Hegiræ* 1021. *incipit* 23. *Feb. fer.* 1.

Dani *ineunte anno in Sueciam irruunt, Sueci contrà in Norvegiam, & Danis plurimum dant damni. Sed tamen rex Daniæ deditione accipit* Elsburgum & Goldbergum, *fortiſſima propugnacula. Inde cùm rex Daniæ ulteriùs progrederetur, ejus exercitus & fame & peſte adeo affligitur, ut Sueci plurima recuperarent.*

In Belgio ordinis Hollandici prohibent, ne Jeſuitis aliquid detur, ne ſcholas habeant, ne Miſſas celebrent. Inde factum, ut Belgæ, qui ſub Hiſpano erant, paria facerent, & reformatæ religionis homines ultra quatuordecim dies in ſuis ditionibus non ferrent.

Principes Juliacenſes, cùm multi cives Colonienſes propter religionem ex urbe diſcederent, illis ſedem paraturi permittunt, ut *Mulhemiũ* ædificetur, & civibus ibi privilegia concedunt. Contra hunc Principũ conatum Colonienſes proteſtantur die 7. Apr.

Lutetiæ, *quòd* Ludovico *regi Galliæ Hiſpaniæ regis filia, & itidem* Philippo *Hiſpaniæ regis filio, ſoror Ludovici deſponſata eſſet, triumphus agitur die* 3. *Apr.*

Magus *quidam in Mauritania exoritur, qui paucis militibus ingentẽ Marocci regis exercitum bis ſtravit, & ejus regnum occupavit. Sed Marocci rex altum Magia deditũ ſibi adjungit, & prælio inde illum Magum iterum vincit, & regno ejicit, ſed nihilominus Magus artem ſuam inſtaurat, & tandem Marocci regem pellit.*

Annus Nabonaſſaris 2361. *& Philippi.* 1937. *incipit* 26. *Jul. fer.* 5. *Conſtant.* 7121. *incipit Calend. Sept.*

Alexandr. 1924. *Antiochen.* 1661. *incipit* 1. *Octobris.*

Iezdegird. 982. *incipit* 14. *Octob. fer.* 4. *Armen.* 1062. *die* 17. *Octob. fer.* 7.

Ædificatio Mulhemii prohibetur ab Imper. die 11. *Septembris.*

Poloni in Moſcovia atroci prælio cum Moſchis congrediuntur, ſed vincuntur. Nihilominus tamen exercitus reparatur. Multi Moſchi transfugerant ad Polonum: ſed quod victus eſſet, & filium ſecum non haberet, iterum aufugiunt, & Carolum regis Sueciæ filium præferunt.

Rex Daniæ Lubecenſium naves onerarias in Sueciam abituras die 6. Octob. invadit, ſed repellitur magno cum detrimento, & Lubecenſes feliciter tendunt in Sueciam.

Palatinus Fridericus futurus Elector in Angliam navigat, ut ducat regis Angliæ filiam. Iter ingreditur die 1. Octob. inde tempeſtatibus detentus tandem in Angliam venit die 29. Octob.

Terræmotus *menſe Novembri in VVeſtphalia animadverſus per integrũ menſem, arces ita concuſſit, ut tegulæ ex tectis deciderent.*

Matthias Imperator aulam ſedis Cæſareæ Pragâ Viennam traducit.

Ingentes ventorum procellæ fuerunt, circa finem Decembris, quibus plurimæ naves ad Oceanum perierunt. Inventa ſunt in litore maris ultra mille cadavera. Sexaginta naves in Hiſpaniâ uno portu perierunt.

Vincentius Dux Mantuæ Pater, & Franciſcus filius, obierunt: Ille 18. Februarii: Hic 21. Decemb. cui ſucceſſit frater Ferdinandus Cardinalis: ſed Sabaudiæ Dux ad filiam ſuam defuncti conjugem ejusque Neptem pertinere adfirmavit. Unde bellum exortum. Sabaudus autem bello inferiore de pace egit.

Joannes, Comes Palatinus Rheni Bipontinus, Dux Bavariæ, Adminiſtrator & Tutor Electoralis, nuptias celebrat Heidelbergæ, cum Ludovicâ Friderici IV. Electoris Palatini filiâ primogenita, 3. Maji.

Bathorius in Tranſylvaniâ Cronſtadium expugnare contendebat, & ideò ad Sultanum legatum quendam, Andream Gietzium miſerat, qui auxilia Turcica colligeret. Aſt hic ſuum commodum quærens, cùm propugnacula quædam ad Varadinum, Lippam & Geneam Sultano obtuliſſet, ſi ſibi principatum traderet, Sultanus Mahumeti Baſſæ id negotii dat, ut Bathorium ejiciat, & Gietzium introducat, quod Bathorius animadvertens, tempeſtivè apud Palatinũ Hungariæ auxilia quærit, ſeque in Matthiæ regis Romani tutelam inſinuat. Res ergò per Budenſem Baſſam miſſis ad Mahometem literis protracta eſt.

Ordinis Belgii *confœderati cum Achmete Turcarum Imperatore fœdus ſanciunt per legatum miſſum Hagam Coſtantinopoli.* 6. *Julii.*

Northuſium Thuringiæ oppidum haud ignobile 21. *Aug. de nocte totum ferè igne deletur.*

Initio Octobris exequiæ Rudolphi II. Imperatoris, magnâ cum devotione & ſolennibus ceremoniis, ſunt peractæ.

Menſe Octobri Perſica & Moſchica legatio ſimul Pragam confluit, & illa quidem belli cum Turcâ continuationem, hæc interpoſitionem, ut ne à Polonis Moſchi, magno Duce carentes, ulterius bello turbentur, ipſisque commodum caput præficiatur, ab Imperatore Matthiâ poſtulat. Dimiſſi ſunt ambo adjunctis aliis legatis: Moſchico quidem Petro Hennanio, Perſico verò, Adamo Dormio.

Relatum tandem in Novembri eſt ad Sultanum, Tranſylvanos Imperatori Romano ſeſe ſubjeciſſe, quâ

de re

de re Naſſuſſenſis Baſſa cum Nagronio Cæſario legato vehementer concertavit: At fortiter ſe defendente legato, nihil novi eò actum, Sultanus ad Cæſareum legatum mittit, Transſylvaniâ abſtinere jubet, & pagorum quorundam ad Strigonium pertinentium reſtitutionem quærit, & interea ad bellum ſe parat. Bathorius ergò & Transſylvani conatum eum Turcæ Cæſari manifeſtant, & auxilia quærunt. Cùmque jam Cæſar de defenſione cogitaret, Arabum rebellio Turcæ pacem amplectendam ſuaſit.

Nupt. celebrârunt: Otto, Mauritii filius, Haſſiæ Landg. cum Catharinâ-Urſulâ, filiâ Georgii Friderici, Marchionis Badenſis 14. Auguſto. Joachimus-Erneſtus Marchio Brandenb. cum Sophiâ Comitiſsâ Solmenſi, 4. Octobris Onolsbaci.

Obierunt: Anna-Cocharina, Chriſtiani IV. Daniæ regis uxor.

Philippus Ludovicus, Comes Hannovius, 9. Auguſti, ætatis anno 36.

Heinricus-Fridericus, Princeps Walliæ, Jacobi magnæ Britanniæ regis filius primogenitus, 6. Novemb. ætatis annum agens 18.

Hippolytus à Collibus Conſiliarius Palatinus 2. Febr. ætatis 51.

Jacobus Bongarſius, legationibus adhibitus à rege Galliæ, Pariſiis 19. Julii, ætat. 58.

ANNO MUNDI 5562. Æræ C. 1613.
C. ☉ 26. ☽ 18. Ind. 11.

Annus urbis 2365. *Julianus* 1658.
Æra Hiſpanica 1651. *Auguſtorum* 1640.
Matthias Imp. inchoat annum imp. 2.
Neuruz Gelali 534. *incipit cum Æquinoct. verno.*

Pax tandem inter Daniæ & Sueciæ reges reſtituitur, cùm Danus, propter cladem ſuperioris anni à peſte imperatus eſſet, Suecus verò paratiſſimus: *Calmaria* ergò Suecis redditur, *Elsburgum* verò retinet Danus, donec pecunia ſibi à Sueciæ rege debita reddatur, & ut Sueciæ rex titulo regis Norvegiæ abſtineat.

Annus Indorum 1709. *& Hegira* 1022. *incipit* 11. *Febr. fer.* 5.

Oſnabruga *in Weſtphaliâ &* Gneſna *in Poloniâ ferè tota in igne conſederunt.* Magdeburga *etiam* 18. *Aprilis igne deformata eſt. Ita Conſtantinopoli ad bis mille ædes igne abſumptæ ſunt.*

Turcæ *infideliter pacem colunt in Hungariâ, & aliquot pagos exurunt, homineſque abducunt, cujus rei certiores facti Arabes Turcis rebellant, ipſiſque Adenum adimunt; unde Luſitanis propter ſecuritatem navigationis plurimum commodi acceſſit.*

Inundatio ex tempeſtatibus maxima die 29. Maji hoc anno accidit, quâ plurimi homines cum ædibus perierunt, acceſſerunt grandines & fulmina, quibus ſegetes perierunt, accidit hæc calamitas præſertim in Thuringiâ: Eandem etiam fortunam Bohemia, Saxonia, Auſtria, Gallia, & aliæ regiones ſenſerunt.

Heinricus Julius *Dux Brunſuicenſis moritur Pragæ* 20. *Julii, cùm præfuiſſet annis* 24. *ſuccedit filius* Fridericus Ulricus.

Olympias 596. *& annus ejus* 2389. *incipit in Julio.*
Diocletiani 1330. *incipit* 29. *Auguſti.*

Menſe Julio Comitia Ratisbonæ aguntur, ubi caput de conformitate *Calendariorum*, quod Imperator cùm Comitia ediceret, tertium fecerat, in propoſitionibus omittitur. Et Status Suevici, priuſquam ad deliberationes perveniretur, petierunt gravamina in imperio prius tolli debere, de quibus jam multos annos tractatum fuerat. De hâc re diſputatum fuit per duos menſes, & ſic Comitia finita ſunt menſe Octobri, nec quicquam præterea actum.

Gabriel Bathorius hactenus Transſylvaniæ præfuerat, ſed crudeliſſimè: Ideò à Bethlehemo Gabor, qui hactenus in exilio fuerat, apud Sultanum accuſatur: Bathorius enim ex utrâque parte, tàm à Sultano Turcico, quàm ab Imp. infideliter pependerat. Turca igitur dat Bethlehemo exercitum, quo Bathorius profligatur, & à ſuis occiditur, & Bethlehemus princeps Transſylvaniæ conſtituitur menſe Auguſto, qui & Imperatori promittit pacem & fidelitatem.

Menſe Septemb. pugna navalis committitur cum Turcâ per Aragoniæ Ducem, qui incidens in decem Turcicas triremes, tres ex eis profligat, & ſeptem capit; capti ſunt ſimul trecenti Turcæ, & liberati mille Chriſtiani, quibus datum viaticum, ut ad ſua redirent.

Seditioſi *milites in Poloniâ vaſtant Poloniam, inde in Boruſſiam etiam irruunt, quæ vaſtationem magnâ pecuniâ redimit. Tartari hoc audientes in Podoliam irruunt, & oppida duo & ſimul ad ſexaginta pagos cremant.*

Prodigia & chaſmata plurima viſa ſunt menſe Octobri Pragæ Uratislaviæ Francfurti, Viennæ & in Hungaria.

Emir *Saida qui ſe ex familia Godofridi Bilionei deſcendere affirmat, cum multo auro Florentiam in Italiam venit, interim tamen ſuas ditiones præſidiis firmaverat, & filium iis præfecerat, qui* Baſſam *Damaſcenum, quod ſibi profugi Saidæ ditiones tradi vellet, ex inſidiis vincit, & viginti millia in exercitu ejus occidit.*

Wolffgangus Wilhelmus *princeps Neuburgenſis, qui hactenus præfuerat ducatibus Juliacenſibus, ducit uxorem Magdalenam, Gulielmi V. Bavariæ Ducis filiam, & nuptias cum eâ celebrat* 14. *Nov. St. Vet. Monachii, præſente ſuo parente, ubi tamen nihil factum eſt in ceremoniis, quod reformatæ religionis homines offendere potuiſſet. Sed hoc modo via ſtrata fuit, ut ipſe Dux ad Pontificios deficeret, & pater tandem mœrore animi moreretur.*

ANNO MUNDI 5563. Æræ C. 1614.
B. ☉ 27. ☽ 19. Ind. 12.

Annus Indorum 1710. *& Hegira* 1023. *incipit* 1. *Febr. fer.* 3.

Diſſenſiones oriuntur in Ducatibus Juliacenſibus inter Principes Brandeburgenſem & Neuburgenſem, & utraque pars ad Hollandos provocat: Brandeburgenſis etiam *Duſſeldorpium*, ubi Neuburgenſis abſens conjugem habebat, occupare conatur; Sed cùm noctu profectus eſſet, & illuceſceret, priuſquam aliquid conari poſſet, res omiſſa eſt. Interim cùm diſſenſiones horum principum augerentur, ordines Hollandici ſibi *Juliacum* defendendum ſuſcipiunt, & copias ac commeatum eò mittunt. Neuburgenſis verò Duſſeldorpium munit; Ideò Albertus ſimiliter exercitum colligit, ut & Ordines.

Imper. iterum prohibet ædificationem Mulheimii *& Neuburgenſis obedit, ſed Brandeburgenſis proteſtatur, & ædificationem urget.*

In

In principio anni à reliquis Papalibus expurgatum eſt in Marchia Brandeb. tantummodò templum cathedrale Colonienſe, ſedi Electorali maximè vicinum, aſſumpto Serveſtâ M. Mart. Fuſſelio Theologo, & vocato poſtmodùm ad reformationem ulterius inſtituendam Abrahamo Sculteto concionatore Heidelb. ſed in reliquis locis dum omnia in priſtino ſtatu manſerunt, nihil effectum eſt.

Pſeudopropheta in Thuring. oppido Langenſaltz exoritur, qui matris inſtinctu ſe Ezechielem à Meden vocavit, ſeque principem Michaelem ſeu Verbum Dei eſſe commentus eſt, miniſterium omne baptiſmum & cœnam ſacram Spiritu Stenkfeldiano improbavit, nec monitus à Conſiſtorio revocare voluit.

Inter urbem Brunſuicum & Ducem Brunſuicenſem tractatio pacis per VVirtenbergicum inſtituitur menſe Februario. Sed orto tumultu in civitate, in quo Conſul loco motus eſt & male tractatus, impedita res eſt: Ideò Dux Brunſuicenſis iterum prohibet, ne commeatus urbi inferatur.

In Galliis novi motus exoriuntur, quod regina mater neglectis iis, qui regii ſanguinis principes eſſent, præcipua officia exteris, Italis & Hiſpanis committeret. Ideò Nivernenſis, Condæus & Bullonæus de exercitu cogitant, quod & facit Regina mater. Sed dum illi Principes conventum indicunt, die 7. Aprilis, Rex & Regina mater legatos ad eos mittunt, per quos res componitur.

Hollandi *novas inſulas circa mare Magellanicum inveniunt, ideò Ordines dant privilegium die 27. Martii iis, qui ulterius illas terras perveſtigare volunt.*

Sub initium Aprilis Principes Saxoniæ & confœderati Numburgi *ad Salam conveniunt, & fraternitatem fœdusque hæreditarium renovant.*

Aquiſgranum *proſcribitur & quod Elector Palatinus in vicariatu ſuo egerat, damnatur, & Alberto in Belgio executio mandatur, qui ductu Ambroſii Spinolæ urbem occupat die 24. Auguſti. Inde pergit* Duranum, & Mulheimum *deſtruit. Inde Veſaliam deditione occupat, & civibus quidem libertatem religionis & privilegiorum promittit, ſed poſtea præſidium multò majus inducit, & cives in anguſtias cogit. Mauritius Auranius contrà* Emmericum *& alias urbes occupat, & caſtra quàm proximè ad Spinolam locat.*

Parelia Pragæ die 13. Maji videntur, & in Poloniâ fons per integram horam ſanguine fluxit.

Wolffgangus Wilhelmus Neuburgenſis, gener Bavari, ad Pontificiam religionem tranſit, & abſolvitur publicè, die 15. Maji. Pater ejus Philippus Ludovicus, cùm ſolennes preces ſuper hâc re in ditionibus ſuis inſtituiſſet, mœrore animi moritur die 12. Auguſti, cùm conſtituiſſet ſuis filiis minoribus tutores, Ducem Wirtebergenſem, & Marchionem Durlacenſem.

Indicia proferuntur, quibus ante biennium ferè regis Angliæ filium Walliæ principem docebatur veneno ſublatum à legato quodam Hiſpanico, qui uvas veneno infectas per morionem quendam principi tradiderat. Is ergo, & conſcius ſimul facinoris Medicus Doctor, cuſtodiæ traduntur.

Groningæ in Friſia Occidentali Academia, 1. Auguſti aperitur.

Francofurti ad Mœnum ſeditioſi cives, inter quos opifices præcipui erant, Senatores priſtinos exauctoraverant, & ab officiis ſuis removerant, quos Imperator reſtitui ſuis dignitatibus ſeriò mandavit, conſtitutis etiam ſubdelegatis Electore Moguntino & principe Darmſtadienſe, qui omnem tumultũ amoverent. Factum verò ut non modò plebs irritata in Judæorum ædes & bona involaverit eaque diripuerit 23. Auguſti, & Judæos urbe exegerit, veràm etiam tandem obtinuerit à delegatis, ut, qui ſub tumultu urbe exceſſerant priſtini Senatores, in eorum loca alii etiam novi propter inſtantes nundinas ſurrogarentur. At & illi paulò pòſt menſe Septembri Imperatoriâ autoritate remoti, & priores in officia ſua ſunt reſtituti. In autores tandem ſeditionis Vincentium Fetmilcum piſtorem dulciarium, Conradum Schoppium Sartorem, & Conradum Gerngroſſum arcularium, aliosque quatuor, poſtquam cuſtodiæ ſunt dati, tertio ab hoc anno ſeverè eſt animadverſum.

Bethlehemus Gabor Sultano Lippam, Aratum Genęam, aliaq; Tranſylvaniæ propugnacula, ſi principatum obtineret, promiſerat. Præſidiarii verò cum promiſſa in actum deducere velle olfacientes à Bethlehemo deficiunt, & rem ad Forgatſium & Status Hungaricos deferunt. Interea productis ex Varadino tormentis Bethlehem Lippam obſidet, & Sardaris Baſſæ ope ipſam, nec non Geneam ac Aratum obtinet, & novis præſidiis munit.

Fridericus V. Comes Palat. Rheni completo anno ætat. 18. gubernationẽ Electoratus adit 16. Aug.

Georgius Rudolphus Dux Sileſiæ, Lignicenſis, & Bregenſis, cum Sophia Eliſabetha, Johannis Georgii principis Anhaltini filia, nuptias celebrat, Deſſæ, menſe Octobri.

Magdeburgenſes cum unitis Belgii provinciis fœdus inire ſtudent, ſed ab eo, cum Elector Saxoniæ tum Imperator eos dehortantur. Hinc & Brunſuicenſes illud intermittunt.

V. Octo facta eſt inauguratio novi templi, quod Pragæ Salvatori proteſtantes ædificarunt.

Exeunte Novembri Muſtaffenſis Baſſa Turcicus, cum uxore, tribus filiis, & una filia, Chriſtianam religionem amplectitur, & baptiſatur.

Hugo Clerquius nobilis Anglus, quẽ ante ſe ipſum in præfectura alii quidam, utpote Manderinus, Paulus Rhodingerus præceſſerant, piraticam cum 60. ſuis ſociis ſedulò exercuit, & Hollandis aliiſque in mari navigantibus magna damna dedit, jamq; in eo erat, ut tres præſidiarias Hollandorum naves, quas onerarias Gallorum exiſtimarat, diripere conaretur, ſed poſt pugnam haud levem ſuperatus captivus in Hollandiam deductus eſt, ubi cum ſociis ſuis pœnas dedit: nonnulli enim ſub finem hujus anni Roterodami, alii 24. Januarii anni ſequentis Amſtelrodami ſuſpendio vitam finire ſunt coacti.

Naſcuntur: Fridericus-Heinricus, Friderici V. Electoris Palatini filius, ex Eliſabetha magnæ Britanniæ regis filia 1. Jan. Heidelbergæ.

Albertus Marchio Brandeburgicus, Johannis Georgii Ducis Jegerndorffenſis, & Evæ Chriſtinæ Wirtenbergicæ filius 20. Auguſti.

Auguſtus Johan. Georgii Elect. Saxon. filius 13. Auguſti.

Obierunt: Sybilla, *Joachimi Erneſti principis Anhaltini filia, Ducis Wirtenberg. conjux Stutgard.*

Gabriel Barthotius *princeps Tranſſylvaniæ, interfectus Waradini.*

Marquardus Freherus *Auguſtanus J.C. & hiſtoricus 13. Maji ætatis 49. Heidelbergæ.*

Hein-

Heinricus Schmetius *Aloſtanus Flander, Medicinæ D. & Profeſſor in Academiâ Heidelbergenſi, ætatis anno* 77.

Bartholomæus Scultetus *Mathematicus celebris, & Conſul Gorlicenſis, ætatis anno* 74.

ANNO MUNDI 5564. Æræ C. 1615.

A. ☉ 28. ☽ 1. *Ind.* 13.

Sub initium anni inuſitatæ tempeſtates ventorum & procellarum in Thuringiâ, Bohemiâ, Weſtphaliâ & locis aliis, frigore & gelu rigentibus, frequentesque coruſcationes & tonitrua acciderunt: Monſtroſi etiam partus complures in diverſis locis editi ſunt, ſicut Lutmeritii mulier, quæ cum cane Anglico rem ſe habuiſſe faſſa eſt, uno tempore 5. monſtra humanam à vertice ad umbilicum usque, reliquo corpore caninam formam referentia enixa eſt: Et in abbatiâ Fuldenſi maſculini ſexus infans, capita 2. manus 2. & 4. pedes habens, in lucem eſt editus.

Annus Indorum 1711. *& Hegira* 1024. *incipit* 21. *Januar. fer.* 7.

Wolffgangus Wilhelmus Princeps Neoburgum cum 60. equitibus advenit, templum arcis occupat, idque Jeſuitis concedit, qui doctrinam & ritus Pontificiales introducunt.

Cùm Moſcovia diutino bello à Suecis & Polonis afflicta & miſerè vaſtata eſſet, proceres tandem Michaelem Fedrovitium, magnum Ducem ſibi elegerunt, miſſoque Selnboſcio legato Varſaviam ad comitia Poloniæ regis electionem ſignificarunt, eumque de pace firmandâ compellârunt. Ad Imperatorem quoque Romanum Ivanum Femnium ablegârunt, qui amicitiæ fœdus antiquum non tamen ſine ſingulari quâdam reprehenſione obtinuit.

Wormatiâ Judæi, ob intolerabiles uſuras die Lunæ Paſchatis ſeu 10. *Aprilis, repugnante Senatu, à civibus ejiciuntur, eorumque Synagoga diruitur. Elector ergò Palatinus in diſſenſu Senatûs & civium præfectum à Schonberg. & Pleucardum ab Helmſtad collecto tumultuario milite* 4000. *ad urbem mittit, qui quosdam autores in carceres conjiciunt, & rem componunt, ipſeque patrocinium urbis apud Imperatorem ſuſcipit.*

Splendida Turcæ legatio 130. *perſonarum, cum precioſis muneribus Conſtantinopoli miſſâ, menſe Majo Viennam venit, & pacem ad* 20. *annos cum Imperatore inſtaurat.*

Sabaudiæ Dux Carolus Emanuel, prætenſionem quam habere videbatur Hiſpaniæ rex & Mantuæ Dux erga ſe, non modò Scripto publico ſolidè refutat, ſed & Gubernatorem Mediolanenſem per literas, quòd nullâ juſtâ causâ contra ſe bellum paret, monet: Imperatori etiam arma ipſum deponere jubenti, rectiùs Gubernatori Mediolanenſi id ipſum imponendum oſtendit, at fruſtrà. Nam Gubernator 12. *Maji cum* 30000. *Aſtin Sabaudi urbem obſidet, & Dux maſculè urbem defendit, & velitationibus ac præliis nonnullis cum hoſte certat, nec pauci ex utrâque parte cadunt: tandem tamen certis conditionibus pax firmatur, & Galliæ rex Sabaudiæ Ducem in patrocinium ſuum ſuſcipit.*

Friderico V. Electori Palatino feudum Electoratûs Pragæ ab Imperatore Matthiâ 23. *Julii, ceremoniâ uſitatâ confertur.*

Veneti cum Helvetiis reformatæ religionis inprimis cum Tigurinis & Bernatibus fœdus duodecennale ſanciunt.

Incendia varia æſtate hâc paſſim extiterunt. Nam Fillecum Hungariæ propugnaculum 4. Maji die, miſerè eſt deformatum, & Lochum Belgii oppidum totum ferè in cineres redactum: Seſenium propè Goslariam 19. Maji 250. ædibus nudatum: Sequenti die Neuhauſium 460. ædes & Collegium Jeſuiticum amiſit: 29. Maji Mamelshovii propè Noribergam 28. ædificia cum diverſorio publico flammis abſumpta ſunt: 14. Julii Nordenum Hollandiæ 130. ædificia incendio amiſit. Glogovia magna Sileſiæ 18. Julii intra 4. horarum ſpacium 1200. ædificia, curiam & molendinum amiſit. Enshemii propè Francfurtum 2. Aug. 18. ædificia: Studernhemium ferè totum 17. Aug. & ſequenti die Seilhemium non procul à Moguntiâ 150. ædificia igne perierunt.

Annus ſabbathicus 4. *Jobelei* 32. *incipit* 14. *Sept. fer.* 5.

Ediderat anno præcedenti, & inclyto Senatui Argentoratenſi dedicârat Valentinus Smalcius Fauſti Socini Genenſ. comm. in Ep. Johan. 1. Cùm verò præfatio illa in Arianiſmi ſuſpicionem ampliſſimum Senatum apud alios deduceret, dedicationem illam refutari, ſeque ſuſpicione illâ liberari egregiè curavit.

Brunſvicum Hanovera, per Ducis & Anſeaticarum civitatum delegatos, qui pacem ex utrâque parte concluderent, Duci quotannis aliquot millium Imperalium ſummam pendere, arcem in urbe extruere, eique advenienti die noctèque portas aperire promiſerat. Cùm verò claves ad unam portam, quâ pro libitu ingrederetur & egrederetur, tradere recuſaret, Dux Fridericus Ulricus 22. *Julii urbem graviſſimâ obſidione premit, quæ cadentibus ex utrâque parte multis in* 30. *usque Octobr. continuata tandem ſolvitur, & pax in cœnobio Steterburgenſi per tres ſecul'ares Electores, Daniæ regem, Mauritium Haſſiæ Landgravium, aliosque Imperii Principes & Status* 21. *Decembr. concluſa eſt & publicata.*

Mulheimium anno præcedenti à Spinolâ occupatum, & Hiſpanico præſidio firmatum, contra Principem Brandeburgicum & Neoburgicum, 30. *Sept. hujus anni tandem ab Electore Colonienſe, ædibus destructis ac everſis, prorſus vaſtatur.*

Hiſpaniæ regis filia ſponſa, Anna Maria-Mauritia Regi Galliæ Ludovico Burdigalæ deſpoſata erat. Ad iter ergò illud rex fruſtrà Condæum invitat, qui nuptias differendas ſuadet, ac ſi maturentur, in perniciem regis & regni ſpectare proteſtatur. Rex verò, proteſtatione illâ neglectâ, Burdigalam inſigni comitatu profectus, nuptias ibidem celebrat 25 Novemb. ipſo die D. Catharinæ ſacro.

Johannes Caſimirus, Comes Palatinus Rheni, Bipontinus, conjugium init cum Catharinâ Caroli IX. Suecorum regis filiâ, in Sueciâ.

Reformati in Galliâ, quos Condæus in ſuas partes trahere nitebatur, à Rege ad obedientiam alliciuntur, confirmato edicto ſuperioribus annis à rege Henrico IV. patre Nanneti ipſis indulto, & ab omnibus parlamentis ſubſcripto.

Galliæ rex à nuptiis Burdigalæ celebratis Lutetiam contendens, copias quaſdam præmittit, quæ ad San. Maxentium cum Condæi congrediuntur, easque paucis exceptis, qui fugâ elapſi ſunt, delet.

Nuptias celebravit Bugiſlaus XIV. Dux Stetini Pomeran-

meran. &c. cum Eliſabetha, Joannis Holſatiæ Ducis Filiâ 19. *Februarii Rugenvvaldi.*

Naſcuntur: Chriſtianus, Joannis Georgii Saxonici Electoris filius, 6. Kal. Novemb.

Philippus Wilhelmus, Wolphgangi Wilhelmi Comitis Palatini Neoburgici filius, Neoburgi ad Danubium.

Fridericus, Joannis Friderici Ducis Wirtenbergici filius, 19. Decemb.

Obierunt: Joachimus Erneſtus, *Joannis Georgii filius, Princeps Anhaltinus* 28. *Maji Deſſaviæ.*

Heinricus Carolus, *Poſtulatus Epiſcopus Halberſtadienſis, Dux Brunſuicenſis & Lunaburgenſis, menſe Junio Helmſtadii.*

Simon Ulricus Piſtorius *in Seuſelitz, Conſiliarius Electoris Brandenburgici, vir in Politicis & Theologicis verſatiſſimus,* 10. *Junii, ætatis anno* 45. *Berolini.*

Antonius Fajus, *Theologus Genevenſis, menſe Auguſto.*

ANNO MUNDI 5565. Æræ C. 1616. G. F. ☉ 1. ☽ 2. *Ind.* 14.

Imperatrix Anna, Matthiæ Imperatoris conjunx, in Reginam Bohemiæ ungitur & coronatur Pragæ 10. Januar.

Annus Indor. 1712. *& Hegir.* 1025. *incipit* 10. *Jan. fer.* 4.

Menſe Januario Dux Brunſvicenſis pacem, quam cum civitate poſt bellum iniit, publicat, poteſtatemq́; civibus per univerſam regionem ſuam commeandi, & commercia exercendi tribuit: Hinc 5. *Febr. ſub horam* 3. *pomeridianam ad accipiendum juramentum urbem ingreditur, quod &* 6. *Febr. tranquillè præſtitum eſt.*

Fetmilcus, Schoppius & Gerngroſſus, autores turbarum Francfurtenſium, ſub finem anni 1614. *cuſtodiæ ſunt mancipati extra urbem. Hoc vero anno, die* 28. *Febr. tres dicti, &* 4. *alii, Adolphus Cantor nempe, Stephanus Wolfius reſtio, Georgius Ebelius tinctor, & Hermannus Geiſſius Sartor in civitatem advecti ſunt, condemnati & carnifici commiſſi, qui Fetmilcum quidem juxta ſententiam latam in* 4. *partes diſſecuit, & partes in* 4. *viarum exitus ſuſpendit, uxore & liberis perpetuo exilio mulctatis; reliquos capite truncavit, & corpora ad patibulum ſepelivit, capita vero ad turrim in ponte, una cum Fetmilci affixit. Novem alios, cives partim, partim peregrinos virgis cadit, & Francfurtenſi, Moguntinenſi & Haſſiæ Landgravii territoriis excluſos pronunciavit. Judæi vero ante portas præſtolantes, ſolenniter eodem die in plateam ſuam ſunt introducti.*

Uſcochi, Croatiæ partis ad Ferdinandum Archiducem Auſtriæ pertinentis populi, latrocinia non tantum in montibus innumera, ſed & piraticam, parvis ſæpè ſcaphis ingentes naves diripiendo, longo tempore exercuerant: quod cùm & Turcis, qui mare ideo infeſtum reddiderant, & copioſum Chriſtianorum innocentum ſanguinem effuderant, & Venetis, qui de illis damnis apud Ferdinandum graviter conqueſtierant, admodum moleſtum eſſet, Veneti tandem tam claſſis maritimæ Gubernatori, quàm terreſtrium copiarum præfecto Pompejo mandata dederunt, ut modis omnibus Archiducis regionem, qua male dicta intulerat, perſequerentur. In apertum ergò res hac Venetis Gradiſciam obſidentibus bellum abiit.

Sub initium Martii terræmotus in Helvetiâ accidit, qui multum damni ædificiis dedit, ingentesque procellæ in mari Belgico plurimas naves cum mercibus & hominibus perdiderunt.

Marchio Brandenburgicus, Georgius Guilielmus, ex Cliviæ regionibus 24. *Maji movit, & Berolinum ſe contulit. Non multum poſt Hiſpani ad* 9000. *ſub Heinrici Montenſis Comitis imperio Dortmundam ſibi conciliàrunt. Suſatum etiam Weſtphaliæ* 8. *Aprilis, &* 10. *Aprilis Lippam in poteſtatem ſuam redegerunt, & præſidiis munìverunt.*

Superioribus annis, Regina Angliæ Eliſabetha Fliſſinga cum arce Rammequenâ, item Briela civitas cum duobus propugnaculis, ut ea præſidiis ſuis occuparet & teneret, traditæ fuerunt ab Hollandis, hâc conditione: ut præſidia tam Reginæ quàm ordinibus juramento eſſent obſtricta. Hoc anno ut omnia reſtituerentur à rege magno Britanniæ, numeratâ certâ pecuniæ ſummâ impetrarunt.

Turcicæ aliquot naves in mari mediterraneo à claſſe Magni Ducis Florentini & Melitenſibus ſunt expugnatæ.

Pax, quam Rudolphus Imperator cum Sultano Turcico ſuperiori tempore ad 20. *annos conſtituerat, hoc anno confirmatur & typis mandatur.*

Facta etiam eſt pax inter regem Galliæ & Condæum certis conditionibus, verùm valde dubia, quibus cùm offenſæ condonata, tum ſtatus rerum Publ. firmatus eſſe videbatur.

Melchior Cleſelius Epiſcopus Viennenſis, à Pontifice in Cardinalium numerum cooptatur, & per Cardinalem Ditrichſteinium ſolenniter Pragæ inauguratur.

Roſa etiam aurea, gemmis nitens, Imperatrici tum miſſa à Pontifice, publicè illi eſt oblata.

Sub finem Junii, Sengentes piraticâ ſuâ Venetis damnum inſigne dantes, hos ipſos adeò irritàrunt, ut per Generalem claſſis præfectum Murlanum, Caſtellum, Carolo vocum item propugnaculum ab Archiduce Ferdinando vi obtinuerint, & ſui juris fecerint.

Elbingenſes cum Epiſcopo Warmienſi de templo Parochiali concertant, ſed res conſenſu regis Poloniæ componitur; ut tàm Epiſcopus quàm Parochus juri ſuo in templo renuncient, illudque civitati relinquant, qui ex Senatu Senatores duos, & alios duos ex communi plebe præfectos conſtituant: ſoli tamen Romano catholici in eo ſepeliantur, & cœmeterii pars Septentrionalis ſepulturæ Evangelicorum, reſiduum Catholicis cedat &c.

Annus Nabonaſſaris 2363. *& Philippi* 1941. *incipit* 15. *Julii, fer.* 2.

Marchio Brandenburgicus Georgius Guilhelmus, Johannis Sigiſmundi Electoris primogenitus, nuptias celebrat cum Eliſabethâ Carolottâ, Friderici IV. Electoris Palatini filiâ, Heidelbergæ 14. Julii. Inde ſecundo Rheni flumine, ſolenni Pompâ Cliviam tendit, & ab 8. Equitum turmis in aulam Clivenſem introducitur.

Æſtate hâc multa incendia viſa ſunt. Viennæ enim turris San' Stephani fulmine tacta & accenſa non parum damni accepit. Pragæ 11. Maji ſex ædificia in veteri oppido conflagràrunt. Niderodium propè Francfurtum 26. Maji totum ferè incendio deletum eſt. Raventhalii in Rincaviâ ad 3000. ædificia cum bonis omnibus abſumpta perierunt. Fuerunt etiam in Hungariâ circa Go-

morrham, Jaurinum & Neoſtadium varia incendia. Uratiſlaviæ 16. Junii 30. ædificia igne everſa ſunt. Pragæ iterum 5. Julii incendium ad 20. ædificia in veteri oppido delevit. Oſſatium Miſniæ oppidum, totum ferè igne concidit. Paderbornæ ædificia 50. cum monaſterio Capucinorum fulmine accenſa conflagrârunt. Fuldæ Collegium Jeſuitarum 29. Auguſti totum exuſtum eſt: Nec non 3. Sept. Pragæ rurſus in novo oppido incendium 40. ædificia abſumſit. Segetes denique & vineæ paſſim propè Bohemiam & Franconiam à grandine & coruſcationibus graviter læſæ & combuſtæ fuerunt.

Veneti à præfecto Gracienſi, occupatâ in alpibus Pontaſellâ, graviter caſi, convocatis Marianum [illegible]*pis, Gracienſes viciſſim rapinis deditos invadunt, & Præfectum iſtum cum omni milite fundunt, Pontaſellam recuperant & hinc in Carinthiam procedunt, quam paſſim incendiis, cædibus & rapinis complent: Malborgetum ad Terviſam ſitum profligatis Gracienſibus occupant.*

Cùm poſt promulgatam in Galliâ pacem Condæus, & alii Principes Longevillanus, Bullionius, Manius, &c. Lutetia liberiùs abſque metu periculi verſarentur, Rex 1. Sept. Condæum in cuſtodiam dari curavit, quod ubi reliquis Principibus innotuit fugâ ſibi conſuluerunt. Fuerunt verò qui dicerent, Condæum ab Ancreo Marchione ſubitò obtruncatum: unde tumultus exercitatus, populo catervatim ad Ancrei palatium proruente, & effractis foribus, ejus ſubſtantiam diripiente, damnumque ad 300000. florenorum dante: Quia tamen poſtquam per integrum diem duravit, à ſatellitio regio perſuaſione ſedatus eſt. Edidit tamen rex cauſſas captivitatis hujus, & quare reliquos etiam Principes ſibi ſanguine junctos perſequi cogatur: ſed cauſas Principes ipſi refutârunt, & eas legitimè cognoſci & dijudicari petiverunt.

Sub initium Septembr. Turcæ paſſim mari & terra caſi ſunt. Hiſpani enim in mari mediterraneo claſſem Turcicam 22. navium aggreſſi, 6. ſubmerſis, & 26. Tormentorum ictibus variè convulſis, ad bis mille Turcas trucidarunt & ſuffocârunt. Coſacci in palude Mæotide 6. naves Turcicas ſubſmerſerunt, & Gavanam civitatem, ac alia loca vicina diripuerunt. Perſæ denique in Aſiâ adeò Turcas preſſerunt, ut eorum ad 40000 peſte ac armis occubuerint.

Controverſiam, quæ inter duces Lunaburgenſes & Heinricum Iulium Brunſuicenſem de Principatu Grubenhagenſi fuit, Rudolphus Imperator anno 1609. ita dijudicârat, ut Heinrico Iulio defuncto, Lunabergenſibus ducibus quamprimum cederet. Cùm verò poſſeſſionem arripere vellent, & dux Brunſuicenſis ſuos in armis eſſe juberet, Status Imperii hujus cauſiâ tranſactionem in ſe receperunt, modò aliquandiu ex utrâque parte acquieſcerent.

Bellum inter Sabaudum & Hiſpanum recrudeſcit, & acrius quàm antè poſtea geritur.

Alexandr. 1928. *Antiochen.* 1665. *Conſtantinop.* 7125. *incipit* 1. *Octobr.*

Jezdeg. 986. *incipit* 13. *Oct. fer.* 1. *Armen.* 1066. 16. *Oct. fer.* 4.

Menſe Octobri Carolus Archidux Auſtriæ, Epiſcopus Niſſenſis, ſuis non modò ſubditis, ſed & aliis ad abbatias in Sileſiâ pertinentibus edicit, ut Romanocatholicam regionem ſequantur, ſecus qui fecerint, ſua vendant, & aliò ſe recipiant, certò tempore: quod poſtquam Principes Sileſiæ cognoverunt, ab Imperatore petierunt, ut illis liberum religionis exercitium relinqueret, juxta literas majeſtaticas Anno 1609. datas.

Veneti bellum adverſus Ferdinandum Archiducem continuantes, Turſam quidem fruſtra oppugnant: at poſtea Lucinium propè Goritiam & Trinitatis, ac Faram propugnacula occupant, Goritiam tandem, ſed in vanum tentant, & Pompejo Juſtiniano Marſchallo in bello amiſſo, Ioannem Medices Generalem ducem exercitûs conſtituunt, qui ex parte ſua Ferdinando, & viceversâ hic Venetis varia dant damna.

Menſe Novembri Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis, Dalmatiæ & Croatiæ primas, relicto papatu in Belgium concedit, & inde in Angliam, ubi à rege liberaliter habetur.

Aquiſgranenſium turba tandem menſe Novembri & Decembri ſunt compoſita, per Imperatoris Commiſſarios, Ferdinandum Archiepiſcopum Colonenſem, & Albertum Archiducem Auſtriæ, qui miſſis ſubdelegatis ſuis, Joannem Calcbronnerum mortuum perpetua ignominia nota affecerunt, poſitâ eo fine columnâ contumeliæ, quæ in 4. partes diſſecti effigiem repræſentaret; nonnullos alios morti, & bona illorum fiſco adjudicârunt, plures in exilium proſcripſerunt.

Diſſidium exortum eſt inter Humanojum & Bethlehemum Gaborem Tranſſylvaniæ Principem, quòd hic videretur VVaradinum Turcis tradere velle. Illâ occaſione Jeſuitæ Tranſſylvaniam clam ingreſſi, Claudiopoli ſedem ſibi figere ſtatuerunt; ſed dux Tranſſylvaniæ eos ſuſpendere, & nullos in poſterum admittendos eſſe præcepit.

Annus Indorum 1713. *& Hegira* 1026. *incipit* 30. *Dec. fer.* 1.

Obierunt: *Auguſtus Chriſtiani I. Elect. Saxon. F.* 15. *Ian.*

Joannes-Adolphus, *Dux Holſatiæ* 30. *Martii.*

Wilhelmus ab Eſſern *Epiſcopus Wormatienſis, dyſenteriâ, Ladeburgi* 28. *Iulii.*

Urbanus Pierius *Theologus Bremenſis ſeptuagenarius* 12. *Maji.*

Scipio Gentilis, *celebris Iuriſconſultus, Altorfii* 7. *Auguſti, ætatis* 53.

Georg. Turſo *Palatinus Hungariæ* 24. *Decemb.*

ANNO MUNDI 5566. Æræ C. 1617.

E. ☉ 2. ☽ 3. *Ind.* 15.

Annus urbis 2369. *Julianus* 1662.

Æra Hiſpanica 1655. *Auguſtorum* 1644.

Matthias Imper. inchoat annum Imp.

Sub initium Ianuarii Dux Nivernenſis *à rege Galliæ proſcriptus eſt: nec ita multò poſt alii plures Principes in Galliâ* Vendoſmus, Mænius, Bullionius *eandem ſententiam experti ſunt: Ii verò omnes regi ſe purgarunt, & in falſos delatores, in primis Ancreum culpam omnem conjecerunt, qui non tam ipſos è medio tollere, quam regi inſidias ſtruere nitatur. Hinc licet magnæ Britanniæ rex Gallum ad pacem cum Principibus ineundam amicè hortetur, nihilominus tamen, & rex Galliæ & Principes, exercitus conſcribunt, & in locis quiſque ſuis ſe muniunt.*

In Sileſiâ Epiſcopus Uratiſlavienſis, *Carolus Archidux Auſtriæ* Evangelicos impedit, & duos in carcerem conjici, & alterum capite plecti curat, quorum patrocinium dum Principes Sileſiæ ſuſcipiunt, Polonorum rex ſeſe interponere, & exercitu contracto minari propter affinem auſus eſt.

At Sileſii non modò ipſi reſpondent, ſeque ad defenſionem parant: Verùm rem Imperatori referunt, eique, niſi defendantur contra vim, omnem contributionem denegant: Imperator ergo regi Poloniæ ſcribit, eumque ad pacem flectit.

Tartari *irritati crebris Coſaccorum excurſionibus, in Podoliam irruunt, & 4. urbes ac 400. pagos igne vaſtant, ingentemq́; hominum & pecorum multitudinem abducunt.*

Wormatienſes incarcerati, ob ejectos ante biennium Judæos, per Palatini ſubdelegatos, militari manu inſtructos, puniuntur, proſcripto ex Wormatienſi civitate, Palatinatu & Epiſcopatu Spirenſi jurium Doctore, qui cauſam civium egerat, & tribus civibus virgis cæſis, & ex Imperio Romano exulare juſſis.

Neuruz Gelali 538. incipit cum Æquinoctio Verno.

Rex Daniæ & Sueciæ in regnorum militibus conveniunt, fœdusque, ſi Polonus Sueciam turbare cupiat, ineunt.

Inter Suecum & Moſchum ducem, pax quoq; compoſita eſt, Sueco quinq; munitiones retinente, & aliquot tonnas auri à Moſcho obtinente.

Diſſidia religionis in Belgio, quo ad articulum de prædeſtinatione præcedenti anno exorta, ſubinde augentur: Rex ergò Angliæ & alii vicini Ordinibus faventes, ſuadent nationalem ſynodum inſtituendam eſſe, in quâ controverſiæ componantur.

In Germaniâ Electores duo Palatinus & Brandenburgenſis, Principesq; alii uniti, Joannes Palatinus Rheni Comes in Veldens & Spanheim, Chriſtianus & Joachimus Erneſtus Marchiones Brandenburgici, Joannes Fridericus Dux Wirtenbergicus, Georgius Fridericus Dux Badenſis, Chriſtianus Dux Anhaldinus nomine ſuo & fratrum, Gotfridus Comes Ottingenſis & Status civitatum quarundam Helbrunnam circa principium Aprilis conveniunt, deliberaturi de gravaminibus in Imperio emergentibus, quos Imperator, datis ad Palatinum & peculiaribus ad civitates literis, ab ejuſmodi conventibus dehortatus eſt; illi verò ex quibus cauſis urgentibus convenerint, humiliter reſponderunt.

Simili modo & Catholica liga Francfurti ad Mœnum convenire in animo habuit, ſed literis Imperatoris ad Electorem Moguntinum avocatoriis impedita eſt.

Cùm interea rex Galliæ, Marchio Ancralle, & Principes in armis eſſent, proteſtantur ſcripto peculiari Principes, ſe pro defenſione regni & regis arma ſumere, dehortanturque omnes, ne Antreo aſſiſtant; monetur & rex ſecreto, ſi regno cadere nolit, omniaque in eo ad pacatum ſtatum reducere cogitet, ut ſine morâ Ancreum è medio tollere curet. Vocatus ergo ad 24. Aprilis in Aulam, per Capitaneum Vitryum & ſatellites regis, aliquot ſcloporum ictibus interficitur in ipſo aditu, tumultumq; inde exortum, rex ipſe ſuâ voce & autoritate ſopivit, & ad arma deponenda omnes in regno per literas monuit, regnum etiam matre ablegatâ ipſe ſolus arripuit, ejusq; ſtatum ad tranquillitatem reduxit.

In Hollandiâ 15. Maji tonitrua, fulmina & fulgura horrenda extiterunt, grandines etiam figuram faciei humanæ, aliasq; nonnullas referentes magno numero ceciderunt, quæ campos & ſata plurimum læſerunt.

Epiſcopus Paderbornenſis ſubditis ſuis Romanocatholicam religionem ſub pœnâ proſcriptionis ex territorio ſuo imperavit: quod cùm ægerrimè ferrent nobiles & alii, ad unitorum ordinum in Hollandiâ interceſſionem & opem confugerunt.

Pragæ ad 26. Maji, provincialis regni Bohemiæ conventus ab Imperatore indictus fuit, in quo Ferdinandum Archiducem Auſtriæ proceribus commendavit, & ut in Bohemiæ regem eligeretur & coronaretur ad futurum caſum, non modò paternè monuit, ſed & 30. Maji impetravit. Hinc 19. Junii Ferdinandus rex Bohemiæ eſt coronatus.

Menſe Junio, Archiducis Ferdinandi copiæ terreſtres, & Hiſpani ac Neapolitani Viceregis maritimæ, Venetis varias clades inferunt terrâ mariq;, ſed nec hi quidquam inultum prætermittunt, & Gradiſciam obſident. Certatur hinc ex utraq; parte ſummis viribus, jam his jam illis ſuccumbentibus.

Spielbergius Admiralis Hollandorum, *in Indiam Orientalem ſuperiori tempore miſſus, poſtquam ab Hiſpanis in illis locis inſignem victoriam reportâſſet, & variis ac precioſis mercibus naves ſuas onerâſſet, menſe Junio ad ſuos redit, & cum gaudio honorificè excipitur, in primis cùm breviorem viam Moluccas & Philippinas adeundi, explorâſſet.*

Ancreo interfecto, ejus uxor maleficiis & artibus Diabolicis affatim inſtructa, è veſtigio cuſtodiæ eſt tradita, modisq; omnibus, torturâ etiam examinata; tandem ſententiâ latâ ſuſpendio vitam finivit, decollata poſtea & in ignem conjecta in cineres redacta eſt, filio & fratre mariti in exilium ejectis.

Gubernator Mediolanenſis Vercellas circa finem Maji arctiſſimè multo milite obſederat, ſibique propoſuerat, advolante ſemper exercitu novo, quem colligere & mittere ſibi præceperat, inde non prius movere, quàm eas occuparet. Etſi verò obſeſſi ſtrenuè ſe defenderunt, & magnas ſtrages obſidentibus intulerunt, cadentibus ex utrâque parte haud paucis: tandem tamen deſinente pulvere tormentario 25. Julii, Calendarii novi, qui Jacobo ſacer & Hiſpanis inprimis ſolennis eſt, deditione factâ, urbe excedere, eamq; Gubernatori Mediolanenſi relinquere coacti ſunt.

Olympias 597. & annus ejus 2393. incipit in Julio.

Imperator Romanorum Matthias, Ferdinandus Rex Bohemiæ coronatus, & Maximilianus Archidux Auſtriæ, frater Imperatoris 21. Julii Pragâ Dreſdam iter præcipuis cum Conſiliariis & aulæ Senatoribus ingrediuntur, viſitaturi Electorem Saxonicum Joannem Georgium, ac curribus Labaſſiteam primùm, inde navigiis Electoris, Auſſicum, poſtea Schandavum, Königſtein/ac tandem Dreſdam pervenerunt, excepti honorificentiſſimè & elegantiſſimâ cum pompâ, tentoriis in viâ ad Albim paſſim erectis, & venationibus inſtitutis, ad urbem Equitatu pulcerrimo, diſpoſitis etiam circa vallum quàm plurimis tormentis, & in ingreſſu pedeſtribus copiis & ſclopetariis, qui alternatim exoneratione tormentorum, & exploſione ſclopetorum, ſigna lætitiæ dederunt. Tractati deniq; hi tanti hoſpites lautitiis exquiſitiſſimis, & ſpectaculis illuſtribus exhibitis, comiterq; habiti per tres hebdomadas, quo tempore & Imperator podagrâ laboravit; ſimili tandem pompâ 13. Aug. Pirnam primùm, inde ad limites Saxoniæ & Bohemiæ deducti ſunt, Imperatore Brandiſium, Rege Prinnam Moraviæ ad homagium ſibi præ-

præſtandum, & Maximiliano in Tyrolinenſem ditionem ſe conferentibus.

Turcæ inhiantes 60. pagis ad Strigonium pertinentibus, excurſiones varias inprimis circa Agriam inſtituunt, ſed ab Heiduccis profligantur.

Condæus captivus, poſt necem Ancrei, Lutetiâ Boiſcam traducitur, ut ibi ob liberiora quædam in regem dicta perpetuâ cuſtodiâ detineatur.

Iſenaci in Thuringiâ 7. & 10. Auguſti, incendia exorta ad 500. ædes vaſtant.

Tangermundum veteris Marchiæ civitas ad Albim ſita, tota ferè paulò pòſt, paucis ædificiis exceptis, igne deletur.

Annus Diocletianus 1334. incipit die 29. Auguſti.

Poſt occupatas per Mediolanenſem Gubernatorem Vercellas, in hyberna quidem ipſe militem ſuum variè diſtribuit: At Sabaudus in Mediolanenſem regionem factâ irruptione Anfranconem diripit, & Felicianum per vim expugnat; ubi ad 1200. cæſi 400. & inter illos 14. præfecti capti ſunt, Annonienſem etiam civitatem, in quâ 40. machinæ bellicæ fuerunt, per deditionem occupat, quam fortiter muniri curat, & multa hinc Mediolanenſi damna infert. Videns ergò Gubernator, Sabaudum viribus ſe ſuperiorem, hortatu regis Galliæ, cum ipſo per Ludoviſium Cardinalem inducias ad hebdomadas aliquot paciſcitur, quibus & pax ſancita eſt.

Uſcochi Sengâ egreſſi, Arbiam Inſulam Venetorum miſerè vaſtant; Paradiſus etiam & Tampirius Venetianos multos cadunt, & comites commeatûs inferendi ad Gradiſcam Venetianos 200. trucidant, interq; eos Horatium Bagleonem, qui Palmæ honorificè ſepultus eſt. Veneti contrà in Hiſtriâ equos vino onuſtos & pecudes multas abigunt, ſuoq; loco Ferdinandinos perſequuntur.

Diſſidia religionis in Belgio, quo ad articulum de prædeſtinatione, quæ multo ante ex doctrina Arminii & Vorſtii producta fuerunt, ſubinde augentur inter Remonſtrantes & Contraremonſtrantes. Concluſum ergo tandem, nationalem ſynodum inſtituendam eſſe, in quâ res ex ſacrâ Scripturâ componatur.

Turca, cùm direptionibus & deprædationibus Coſacci in finibus ſuis paſſim omnia infeſta redderent, aſſumtis Tartaris, magno numero in Poloniam irruunt, & pagos ac vicos plurimos diripiunt. Interea damnum ingens patiuntur in mari mediterraneo, dum ad naves 19. quæ tributum ex Ægypto Conſtantinopolin ferebant, tempeſtate ſubmerguntur. In ipsâ autem urbe Conſtantinopoli 12. Octob. domicilia 600. incendio perierunt.

In Livoniâ, Parnavia, Vindavia à Suetis occupantur: Riga verò fruſtra obſidetur, quòd Farensbecius, qui à Polonis ad Suecos defecerat & Dunamundam Rigenſis civitatis ad portum maris propugnaculum ſitum ipſis tradiderat, tandem ad Polonos redit, copiasq; Suecicas dedendas Polonis exponit.

Veneta claſſis in 18. Neapolitanas naves incidens, eas integro biduo oppugnat tantâ contentione, ut tribus ſubmerſis reliqua tempeſtate disjecta fuerint, claſſe tamen Venetâ haud parum etiam damni accipiente.

Ferdinandus coronatus Bohemiæ rex, iter inſtituit per Moraviam, Sileſiam & Luſatiam, & ut regi ſibi homagium præſtari ubiq; curat. Inde per Bohemiam domum redire maturat, ubi 26. Octob. à Græcienſibus & Jeſuitis magnificè excipitur.

Elapſum hoc tempore eſt ſeculum integrum, quo Lutherus editis theſibus, contra Tezelii indulgentias Witebergæ primùm diſputavit, & ſeſe poſtea Papatui ſingulari zelo oppoſuit, religionemq; paſſim preſſam nutu divino reformavit. Joannes ergò Georgius, Elector Saxoniæ, Jubilæum indicit, quo Deo per triduum, 31. nempe Octobr. 1. & 2. Novemb. ſolennes gratiæ ſunt actæ pro accensâ luce Evangelii. Fama quoque hujus inſtituti Jubilæi, poſtquam ad alias Eccleſias Evangelicas pervenit, in pluribus locis Spiræ, Argentinæ, imò & in Electoratu Palatino & Brandenburgico, Jubilæi dies ſunt habiti, & gratiarum actionibus publicis dies 2. ad minimum ſunt addicti.

Celebratum eſt etiam à Romanocatholicis 10. Novemb. Jubilæum, quod Pontifex Paulus, miſſo ad Electorem Moguntinum diplomate, indixit.

Annus Indorum 1714. & Hegira 1027. incipit 19. Dec. fer. 6.

Nuptias celebravit Ferdinandus *Dux Mantuæ cum* Catharinâ *F. Ferdinandi Magni, Ducis Florentiæ 25. Jan.*

Natus: Carolus-Ludovicus, *Friderici V. Electoris Palatini F. Heidelbergæ 27. Decemb.*

Obierunt: Carolus *Dux Munſterbergenſis, Capitaneus generalis Sileſiæ 28. Jan.*

Georgius III. *Dux Stetini Pomeraniæ &c. ἄγαμος 27. Martii.*

Cardinalis Cajetanus *menſe Junio, cujus obitu Archiepiſcopatus Tarentinus in Calabriâ ad alium devolutus eſt.*

Julius, Epiſcopus *Herbipolenſis, poſtquam annis 40. præfuit, die 3. Septembr. mane horâ 3. in cujus locum ſubſtitutus eſt* Johannes Godefredus *Bambergenſis Epiſcopus, ut utriq; præſit.*

Johannes Erneſtus *Naſſoviæ Comes, qui 400. pedites ex Belgio Venetias in ſubſidium adduxerat, ardenti febri correptus, Venetiis.*

Adamus Wenceslaus, *Dux Teſchinenſis in Sileſiâ, cujus obitu Dux Bregenſis Capitaneus Generalis factus eſt.*

ANNO MUNDI 5567. Æræ C. 1618.
D. ☉. 3. ☽ 4. *Ind.* 1.

Circa principium hujus anni pax inter Ferdinandum Bohemiæ regem & Rempubl. Venetam concluſa & confirmata eſt, ab armisq; ex utraq; parte diſceſſum. Poſtea ad Comitia Hungarica, Matthiâ Imperatore Viennæ in viciniâ verſante, rex ſe contulit, & Poſonium 9. Martii venit, ubi ſplendidè eſt exceptus. Fuerunt autem Comitia principaliter eo fine inſtituta, ut gravamina varia in regno abrogarentur, & de ſucceſſore futuro, ſi Cæſar vitâ abiret, deliberaretur; propoſitusq; eſt & ſcripto commendatus proceribus regni à Matthiâ Imperatore abſente, Ferdinandus Rex Bohemiæ, tanquam inter Principes Imperii potentiſſimus, ſolertiſſimus, regno vicinus & maximè idoneus.

Inter-

Interea Pragæ à Statibus Evangelicis, videntibus templa maximis ſumptibus extructa ipſis vel occludi, vel funditus everti, vel impediri in contumeliam religionis, ſicuti ad Monaſterio ſepulcrum ab Archiepiſcopo Pragenſi templum dirutum, & ſolo æquatum eſt, & Brunovienſes delegati ex Senatoribus per Abbatis ſuggeſtionem, qui templi ædificationem impedivit, mancipati ſunt captivitati: Comitia indicta ſunt, de privilegiorum, quæ Cæſariani modis omnibus oppugnabant, conſervatione. Quæ Comitia etſi Cæſar, ejusque relicti Pragæ Conſiliarii fruſtranea facere conati ſunt, Status tamen & defenſores exaſperati, ea pertinaciùs promoverunt. Adveniente ergo die 21. Maji, quo inſtituta fuerunt, convenerunt in Collegio, Carolino, preces ad Deum funderunt, & de gravaminibus inter ſe deliberarunt. Tandem 13. Maji plerique ex Proceribus Evangelicis in aulam vecti ſunt equis, comitante quemvis uno miniſtro, duobus ſclopetis inſtructo, & querelas ſuas ac gravamina Conſiliariis & Officiariis regni, à Cæſare relictis expoſuerunt. Cùm verò ſuperiorem judicii provincialis præfectum *Wilhelmum Slabatam*, *Jaroslaum Bazua à Mardinitz*, *aliàs Smeſancium dictum*, & *Secretarium M. Philippum Platterum* ſibi reluctantes offenderent, apprehenſos eos, per feneſtras ad 27. ulnas in pomærium arcis præcipites dederunt. Emergente etiam inde tumultu, proceres illi & inprimis Turrenſis Comes per urbem vecti, populum ad quietem compoſuerunt, miniſtros arcis cum præfecto, cuſtodes portarum, & univerſos trium Pragenſium oppidorum cives ſibi juramento obſtrinxerunt, initoque per ſequentes dies fœdere, contra communes Dei, regis, religigionis, majeſtaticasque literas hoſtes ſeſe pugnaturos ſanctè receperunt, eoque fine de peditum equitumque exercitu ſibi proſpexerunt: Et ne auxiliis neceſſariis deſtituerentur, confœderatis Moraviæ, Sileſiæ, Luſatiæque Principibus & Ordinibus geſta ſignificârunt, eorumque opem ad futuram neceſſitatem implorârunt: Apologiam tandem ediderunt, in quâ cauſas ſui facti expoſuerunt, quam ad ipſum Imperatorem cum literis ſupplicibus excuſationem petentibus, aliosque miſerunt. Viceſimo tertio tandem Maji decretum factum & publicatum eſt, quo Jeſuitæ toto regno intra octiduum exire, & nunquam reverti juſſi ſunt, 50 interim ſclopetarii præ collegii templique ipſorum foribus ad coercendum populum conſtitutis. Proſcriptis illis reliqui Ordines in monaſteriis ſuis manſerunt, Comite Turrenſi mendicantium ordini & Capucinis Monachis, interea de cibo potuque in dies ſingulos proſpiciente.

Incendia hoc tempore acciderunt: Pragæ in veteri oppido, ubi 13 Conſtantinopoli, ubi 380. ædificia perierunt. Lutetiæ etiam, ubi damnum datum eſt ad ducenta florenorum millia.

Sub initium Maji detecta eſt inſignis proditio Venetiis, quâ in urbe tum fuerunt duces ferè 60. & milites ſicarii 700. Hiſpani & Galli, quibus propoſitum fuit, curiam urbis invadere, Senatores opprimere, armamentarium incendere, pontes diſturbare, & totam urbem vaſtare: conſcii conjurationis, qui fugâ non ſunt elapſi, alii ſuſpendio, alii ſubmerſione ſunt puniti in autumno, poſtremo Octobris, quo dux Venetus cum toto Senatu, feſto indicto ad templum Sant. Marci profectus, Deo ſolenniter gratias egerunt.

Udenhemium ad Rhenum oppidum, loci paluſtri oppotunitate invitatus, mœniorum firmis operibus, Vallorum item & foſſarum acceſſione contra Electoris Palatini dehortationes, per aliquot annos firmiſſimum reddere conatus eſt Spirenſis Epiſcopus. Elector ergo miſſis 4. Equitum peditumque millibus, & 1200. foſſoribus, 16. Junii novum opus deſtruere & conjectis in foſſas carris & inſtrumentis aliis, terrâ omnia opplere, cauſasque everſi fortalitii publico Scripto exponere curavit.

Pace inter Gubernatorem Mediolanenſem, & Sabaudum firmatâ, cùm arces, propugnacula & oppida Hiſpanis erepta Sabaudus reſtituiſſet, Vercellæ etiam 5. Junii præſidio cum tormentis abducto Sabaudo ſunt reddita: Et Mottanus cum mille peditibus, & 500. Equitibus urbem ingreſſus, congratulantibus ſubditis eam Sabaudi nomine recepit.

Coſacci hominum genus in Poloniâ direptionibus ſtudens, Turcis varia damna aliquandiu dederat: unde Sultanus Turcicus exacerbatus, Tartaris, ut in Podoliam irrumperent, eamque vaſtarent, ſuaſit: Collecti ergò ad 40000. inſignem in Podoliâ ſtragem dederunt, & magnam hominum ac pecorum multitudinem abduxerunt. Et præfectum iſtius regionis cum tribus millibus ſeſe ipſis opponentem, coronâ adeo circumdederunt, ut cum 3. vel 4. ſatellitibus vix effugeret.

Imperator Electores & alios Imperii principes, à ſubſidio Bohemis mittendo literis avocat, & Apologia Ordinum reſpondet: Directoribus etiam miſſurum exercitum, qui obedientes defendat, inobedientes coerceat, minatur. At Directores reſpondent, ſibi non eſſe animum, quòd Imperatori ſeſe opponere velint, neo opus eſſe ullo exercitu, modò de aliis pacis mediis cogitet: Quòd ſi tamen exercitum mittere cogitet, & cædes inde emergant, cauſam non ſibi, ſed ei, qui extraneum introduxerit militem imputandam eſſe.

Hungariæ Status Ferdinando Bohemiæ regi regnum in Maximiliani Archiducis Auſtriæ præſentiâ decernunt certis conditionibus: ſi nempè univerſas & ſingulas ejus libertates, immunitates, privilegia & ſtatuta obſervare, & ut ab aliis inviolabiliter ſerventur, operam dare promitteret: Gravamina quoque tollere, religionem liberam relinquere, & in quieto ac tranquillo ſtatu omnia conſervare amitteretur. Annuente igitur ad omnia illa, & privilegia ac immunitates non tantùm ipſo, ſed & Imperatore confirmante, in regem Hungariæ electus, & 21. Junii ſolenniter coronatus eſt. Tandem his peractis Poſonio rex cum Maximiliano Viennam ſe contulit.

Diſſenſiones in Belgio hoc tempore valdè augentur. Ac licet initiò apparuerit de religione potiſſimùm agi, animadverſum tamen regnandi, jugumque excutiendi cupiditate multa ſuſcipi. Fuerunt præcipuæ inter illas civitates Trajectum, Lugdunum & Harlemum, quæ novis molitionibus ſtudebant. Mauritius ergò princeps Auranius diſſenſiones illas tollere cupiens, Neomagum & Campedunum, aliasque quasdam civitates primùm ad quietam compoſuit, Amſterodami, ubi omnia quieta fuerunt, ſplendidè exceptus & liberaliter habitus. Trajectum poſtea veniens à Senatu milites expectantes ante omnia exautorari poſtulavit,

quod cum recuſaret, ſurgens de nocte, Mauritius ſuos milites ad curiam & plateas urbis primarias diſtribuit, portasque aliquot tacitus præoccupavit. Hinc ad caſtellum novum profectus, ubi milites expectantes in excubiis erant, à præfecto primario, hoſtis ne an amicus eſſet, quæſivit, & reſpondenti illi, amicum ſe eſſe, ſanguinemque pro ſalute ejus profundere paratum, injunxit, ut armis depoſitis, omnes ſecederent, cui obtemperantes ſeſe exhibuerunt. Hinc advenientes primo diluculo, equitum peditumque cohortes ſub Erneſti Naſſovienſis comitis imperio urbem totam claſſico cantu inopinatò occupârunt, urbsque ipſa ad obedientiam ordinum rediit. Senatorum tum aliqui cum Secretario aberant peregrè, aliqui ab officio remoti fuerunt, quorum numerum in curiâ congregatis civibus cùm compleviſſet Mauritius, ſignificari curavit, quieti eſſent, & ſynodum futuram expectarent. Succeſſu hoc admirando monitæ aliæ civitates, Lugdunum, Harlemum, &c. cùm Ordines de expectantibus iſtis militibus intra diem exautorandis decretum promulgâſſent, ſub pœnâ in ſecus facientes turbatoribus pacis debitâ, mandato obtemperârunt: Hocque facto pax unitis provinciis usque ad nationalem ſynodum reſtituta fuit.

Cleſelius Cardinalis Poſonii, electioni & coronationi regis Ferdinandi interfuerat. Viennam verò reverſus, coram Ferdinando rege & Maximiliano Archiduce 10. Julii comparere jubetur. Ad Aulam veniens, in cœnaculum per Sigiſmundum Praineruin abducitur, ubi decretum indicatur, ob malè adminiſtratam provinciam in aulâ, non tolerandam amplius, ſed depoſito habitu Cardinalis, nigrique coloris vulgaris aſſumpto, per Comites. Tampirium, Colaltum aliosque conſtitutos transportandum eſſe. Proteſtatione ergò in vanum adhibitâ, per occultum transſitum ex arce deſcendit conſcenſoque curru ad fines Styriæ, indeque porrò in Tirolenſem regionem per 200. Tampirenſes equites eſt deductus. Petrus verò Hutnerus, ſecretarius Cardinalis, clavibus depoſitis, cum omnibus ad Cardinalem pertinentibus, arreſto obligatus fuit. Rex cum Archiduce ad Cæſarem ſe contulerunt, & ignarum de facto iſto erudierunt, Imperatrici etiam acta ſignificanda curârunt additis cauſſis, quòd fraternam Archiducalis domûs concordiam & pacem ſubvertere, & alia minus ferenda tentare ſtuduiſſet.

Armiluſtrium interea Cæſaris nomine eſt habitum ſub Heinrico Julio Lauenburgenſi, Saxoniæ principe, Tampirio, Buchemio, Colalto, Mandao, Mollarto aliisque ducibus, & in Bohemiæ fines ad decies mille Equites peditesque cum tormentis majoribus miſſi ſunt. Bohemi contrà ingentem etiam exercitum ad ſui defenſionem compararunt, ejusque magnam partem ad Budvviſſenſem civitatem locaque vicina, quibus tranſitus in regnum patet, deſtinârunt. Cùmque Tampirenſis ad Bohemiæ fines veniſſet, Landſteinii deditionem 3. Auguſti, nomine Cæſaris ſibi fieri expetiit: Eâ denegatâ Biſtricum intercepit, munitionumque ſibi ſatis firmam paravit. Ad Neuhuſium deinde progreſſus, & à præſidiis malè exceptus, furorem ſuum in ſuburbium, incendio & rapinis illud deformando vertit. Quod ubi Comiti Turrenſi & Chinſcio nuntiatum eſſet, relicto Budvviſſio, Tampiricos ad Biſtricum usque perſecuti ſunt. Tampirius verò denuò Neuhuſium tentavit, & iterum rejectus eſt: Pilgramum denique converſo itinere deditione occupavit, præſidiariisque oppreſſis ſuo milite idem firmavit. Nec valuerunt ad incendium hoc in cinere maturè ſupprimendum, Electorum Palatini & Saxoniæ, principumque aliorum interceſſiones & conſilia, ad Imperatorem & Bohemos data: Unde & Sileſii in omnem eventum armiluſtrium inſtituerunt, & ſex millium equitum peditumque copias compararunt, quarum partem ad Bohemiæ, partem ad Poloniæ fines miſerunt. Poſtquam vero & Comes Bucquojus cum majoribus copiis in Bohemiam veniret, & Deniſbirodum occuparet, literas alias Bohemi ad Imperatorem ſupplices pacem petentes & Electores Saxoniæ, Palatinumque & Sileſiæ ordines dederunt, ipſorumque defenſionem, & fidelem apud Cæſarem interceſſionem expetierunt, eandem & à Ferdinando rege & Maximiliano Archiduce requirentes. Interea Bucquojus Saslaviam usque pervenit, ubi pugna 4. Septembr. facta eſt, in quâ multi ex utraque parte, cum præſertim tormentis etiam majoribus uterentur, occubuerunt. Etſi verò legati ex Moraviâ Pragam venientes, ad pacem Bohemos exhortati ſunt, quod & Sileſii fecerunt, imprimis cùm & Vienna domum rediens Dux Bregenſis, qui ibi cum ducentis equitibus fuerat, non usquequaque ex Cæſareanorum ſuggeſtione Bohemorum facta probaret, & auxiliares copias Sileſiorum, qui in Comitatu Glacenſi jam erant, revocaret: tamen aliter expendentes reformationem Bohemorum utrique, aliquot equitum peditumque millia ipſis promiſerunt.

In montana Griſonum regione, *terræmotus factus eſt, & mons ſummæ magnitudinis 15. Auguſti, ſub crepuſculum veſpertinum commotus, tantam ſubitò ruinam fecit, ut oppidulum Plures ædificiis, templis, palatiisque egregiis exornatum, dicto citiùs cum hominibus 1500. obrutum fuerit, & ne veſtigium ullum conſpiciendum ampliùs reliquerit.*

Turbæ in Rhætiâ hoc tempore non exiguæ fuerunt, dum quidam Statu democratico abrogato omnem ad ſe poteſtatem pertrahere niterentur: At ſeſe invicem exhortati, in libertatem vindicârunt, dum Curiæ primùm, poſtea Turſetii conventum inſtituunt, populo armato ex provinciis magnâ copiâ confluente. In eo enim leges veteres inſtauratæ & novæ conditæ fuerunt, quibus tàm Romanocatholicis, quam Evangelicis exercitium religionis liberum permiſſum, juſtitia omnibus ex æquo adminiſtranda, & ab injuriâ & intentatâ aliorum tyrannide vindicanda eſt promiſſum, inque eos, qui in patriæ perniciem quædam egiſſent, proſcriptione & ſuppliciis variis animadverſum.

Pilſna Bohemiæ civitas, ex primariis una, Ordinibus reſiſtebat, & Cæſari adhærebat. Ordines ergò eò Comitem Erneſtum Mansfeldium deſtinant, ut armis eos coerceat, & ſibi conjungat: quod Pilſnenſes cognoſcentes, ipſimet ſuburbium ſuum pulcerrimum incendunt, in cineres totum redigunt, & ſe ad defenſionem parant. Interea verò Bohemi, dum Mansfeldius Pilſnam obſidet, videntes ſe inique paſſim traduci, ac ſi Sultanum Turcicum ad bellum Hungaris inferendum ſollicitaverint, publicis literis partim affixis, partim aliò miſſis, innocentiam ſuam teſtantur: Videntes etiam adulterinis literis ſuorum nomine exercitus conſcriptos eſſe, ipſi ab Ordinibus Belgii auxilium petunt: Apud Cæſarem verò de abducendis ex regno militibus ſollicitant, Bavarico principi ſe excuſant, & ad pacis tractationem offerunt.

Poſt

Poſt redactas in Belgio ad obedientiam civitates, non ceſſarunt ſeditioſa ingenia Trajecti & aliis in locis, periculoſis conſiliis operam dare. Aliqui ergò ex Senatoribus Trajecti cum Secretario Ledenbergio, ex aliis verò civitatibus quidam primarii Hagam vocati, & armata manu adhibita in cuſtodiam dati ſunt, inter quos fuerunt *Hollandiæ advocatus Johannes Barnefeldius, Romulus Hegerbetius Roterdamenſis, & Hugo Grotius Lugdunenſis Reipubl. Syndicus.* Ledenbergius verò confeſſus fuit, eos id egiſſe, ut vinculum unionis Belgicarum provinciarum rumperent, provincias disjungerent, religionem mutarent, & Mauritium principem ab imperio removerent: Cumque intelligeret, malam rem habituram exitum, violentas ſibi ipſi, cultro pectus ſuum bis perfodiendo & jugulum incidendo, nocturno tempore manus intulit, atque ita miſerè vitam finiit. Mauritius magiſtratus paſſim in Hollandia & Selandia reformavit, tribus ſclopetariorum millibus, eorumque præfectis comitatus.

Bohemis paſſim auxilia tum advenerunt, ut caſtra ſub initium Octobris triginta equitum peditumq; millibus conſtare dicerentur, qui Cæſarianos ad ſummam redigere anguſtiam valuiſſent, ni defenſivè rem etiam tunc agere, & ulteriori ſaltem in regnum progreſſu eos prohibere maluiſſent. Tampirius verò comitis Bucquoii imperium detrectans, cum officiariis quibuſdam Viennam verſus iter inſtituit: Et interea Sileſii quoque proteſtatione tamen in publicum edita, qua caverunt, ſe nihil aliud quàm religionis libertatem quærere, tribus equitum peditumque millibus, Bohemis ſuppetias tulerunt,

Bucquoius 27. Octobris ad Neuhuſium ſuas copias applicat, & aperiri ſibi urbem jubet: at præſidiarii tormentorum diſploſionibus id denegant: Budwiſium ergo recta petit: Ordines ſuis militibus eum inſequentes, per ſylvam progreſſi, in aperto tandem campo eum aſſequuntur, & cum eo confligunt ad horas quinque, donec nox ſuperveniens prælium finiret. Noctis iſtius beneficio Bucquoius Budwiſium aſſequitur, & paulo poſt magno ſuo commodo Crumlaviam intercipit, firmoque trecentorum peditum, & 200. equitum præſidio munit. Ordinum ergò milites cognoſcentes, commeatum 38. curruum Vienna ſub præſidio 800. Furſtenbergicorum militum Cæſarianis mitti, cum tribus peditum vexillationibus, & duabus equitum turmis in eos movent, & fuſis atq; fugatis pleriſq; omni commeatu potiti ſunt.

Pro Pilſnenſibus interceſſerunt quidam ſeculò Elector Saxoniæ & Bavariæ princeps, adeo ut ſpe bona, ipſos amplius nihil hoſtile tentaturos, exercitum abducendum Mansfeldio injunxiſſent Ordines Bohemiæ: Cùm verò tormentis ad tria ferè milliaria ab urbe avectis, & ad milliaria duo milite digreſſo, Pilſnenſes atrocibus & minacibus verbis provinciales terrerent, effecerunt, ut precib. Mansfeldium revocarent, qui etiam reverſus obſidionem inſtauravit eamq; ad extremam ferè urbis perniciē deduxit. Nec valuere apud Pilſnenſes conditiones ab Ordinibus ipſis ex commiſeratione propoſitæ, ut nempe deditionem facerent, deditioq; illa nullius honori præjudicaret: præfectus urbis Felix Dornhanus, cum præſidiariis militibus ſuis armati Bambergam verſus decederent: cives Mansfeldio Comiti 60000. aureos perſolverent, atq; ita direptionem urbis redimerent: Et duarum vexillationum præſidium ex Mansfeldicis militibus reciperent. Allatis ergò Praga duobus aliis majoribus tormentis, tantam ruinam obſidentes fecerunt, ut in civitatem maximè tandem deformatam irruperint, eamq; 13. Novem. occuparint civibus & ædificiis poſt factam expugnationem, cavente id Mansfeldio, nulla vis eſt illata Monachi Franciſcani abire volentes in Bavariam, manere ſunt juſſi. Die verò 15. Nov. Mansfeldius adjunctique ipſi commiſſarii, cum Præfectis & Officiariis aliis templum Sancti Bartholomæi ingreſſi ſunt, ubi à Concionatore militari habita eſt concio, Deoque pro impetrata victoria gratiæ ſunt actæ. Rebus tandem in urbe ad quietem compoſitis, & civibus juramento proteſtantibus, ad quorum voluntatem ſe componere debeant, obligatis: Mansfeldius ad Ordinum caſtra cum exercitu ſuo conceſſit, Joanne Georgio Comite Solmenſi, cum 7. equitum peditumque cohortibus in urbe relictis.

Circa hæc tempora viſus eſt mane ante ☉ ortum in cœlo Cometa prolixa admodum cauda formidabilis, in ſigno Scorpii prope Lancem, qui inde progreſſus verſus Borrholybicum, contra ſ.ſ. Bootem ferè totum perluſtravit.

Tampirio Viennam Auſtriæ cum præda in Bohemia collecta, repetente, exercitus Bohemicus conſilio Turrenſis Comitis in duas partes diſtributus eſt: una ſub ipſo & Comite Schliccio Tampiriū ſubſecuta eſt, ad recuperandam prædam illam, altera propè Budwiſii manſit, Bucquoii excurſiones inhibitura. Schliccius in Cæſarianos aliquot 15. Novemb. ducentes quadraginta duos currus Bohemica præda onuſtos, cum 4000. copiis equeſtribus & pedeſtribus incidit, fuſiſq; magna parte militibus, currus illos cum 70000. Imperialibus, & magna pecorum copia reportavit, aliamque prædam trucidatis cuſtodibus in oppido quodam obtinuit. Ad monaſterium inde Suethel dictum conceſſit, Abbate eum admittente, illudque 50. ſclopetariis firmavit & probè munivit. Cum Turrenſi tandem Hoheſortum, Weitram & alia loca intercipienda conceſſerunt, & Ledetſium venientes magnam pulveris tormentarii, globorum item & funiculorum vim, trucidatis, qui eam Budvviſium cum centum pyrobolis & duobus tormentis traducere debebant, interceperunt, & ulterius progreſſi ad novem usque à Vienna milliaria omnia infecta reddiderunt. De qua ſubita in Auſtriam irruptione Ordinibus Auſtriæ ſeſe excuſarunt, & Imperatori ac Sileſiis datis literis cauſas reddiderunt. Interea Deutsbrodium, quod hactenus tenuerant Cæſariani, deſeritur, & ad ordines redit.

Sub initium Decembris, Turrenſis Comitis filius, cum Hardeccenſis Comitis filia, quam 4. equitum turmis ex arce patris, quinque milliaribus Vienna diſtante, in Bohemiam deduxerat, Neuhuſii in præſentia multorum Præfectorum & Procerum celebravit nuptias.

Tampirius verò, comparato trium millium ad Cremſam exercitu, in omnes Bohemis incommodandi occaſiones intentus fuit. Milites verò cum damni plurimum paſſim in tranſitu darent, novis querelis ad Cæſarem cauſam præbuerunt.

Annus Indor. 1715. *& Hegir.* 1028. *incipit* 8. *Dec. fer.* 3.

Excitarant Auſtriaci ſupra Aniſum munitionem quādam ad Danubium, cujus demolitionem Dux Bavaria

varia & Paſſavienſes apud Cæſarem diligenter quæſiverunt. At reſponderunt Cæſari Ordines, ad nullius offenſionem, ſed defenſionis cauſa eam extructam eſſe: nec conſultum ſibi videri, ut dejectas in ſylvis arbores removeant ad liberum tranſitum, cum periculum, quod omnibus obvium eſt, aliter ſuadeat, & impedita via ad ſecuritatem ſuorum faciant.

Hoc tempore relatum eſt, Turcas cum Perſis propè urbem Ardevillenſem prælio inſigni concertaſſe, in quo Turcarum ad 60000. Perſarum 9000. perierunt. Fuit exercitus Turcæ duplo major 200000. Perſarum tantum 100000. Etſi verò Perſarum rex victoriam obtinuiſſe ſcribitur, quia tamen & ipſa non parum cruenta fuit, miſſo ad præfectum Turcicum legato, pacem ei obtulit, copioſumq; ſericum Sultano tributi annui nomine perſoluturum promiſit, qua pace ad Imperatoris ratificationem accepta, commeatu Perſarum rex Turcas juvit.

Nata Eliſabetha, Friderici V. Electoris Palatini filia, 26. Decembris.

Obierunt: Philippus II. Dux Stetini, Pomer. &c. 3. Februarii. Nicolaus Donatus, Dux Venetus, 26. Aprilis, poſtquam 4. menſes, & 3. dies præfuit: Et in ejus locum ſurrogatus eſt 7. Maji Procurator D. Marci Antonius Priulus.

Maximilianus, *Archidux Auſtriæ, 23. Octob. anno ætat. 60. cum paucis diebus ægrotaſſet.*

Imperatrix Anna, *Matthiæ Cæſaris conjunx, 4. Decemb. horam circiter* 10. *matutinam.*

Albertus Joannes Baro Schmirſcinſcius 18. *Nov. cui corollam ex rore marino & pretioſis unionibus contextam miſerat ſponſa Hanovienſis comitiſſa, quæ capiti impoſita eſt cum aureo torque, qui collo, cui effigies ſponſæ erat appenſa, circumdatus eſt.*

ANNO MUNDI 5568. Æræ C. 1619.
C. ☉ 4. ☽ 5. *Ind.* 2.

Circa initium anni in Bohemia multi incendiarii ſunt deprehenſi, eorumq; non pauci crudeli ſupplicio affecti: Civibus verò Pragenſibus, ut de aqua in omnem eventum ſibi proſpicerent, ſeriò injunctum.

Crumlaviam ſibi propoſuerant intercipiendam ordinum milites, ad excurſiones prohibendas, quibus incolis maxima damna afferebantur: Verùm cum præſidiarios in armis eſſe deprehendiſſent, mutata ſententia ad caſtra redire voluerunt. In eos cum mille armatis incidens Bucquoius, cruentam pugnam inſtituit, in qua quingenti circiter ab utraque parte ceciderunt, Comite paulatim recedente & intra urbis Budwiſenſis mœnia ſe recipiente.

In Comitatu Coningſteinenſi, ut & Cronbergæ & Reiffenbergæ propè Francfurtum ad Mœnum, terræmotus factus eſt 29. Jan. manè circa horam 6. & 7. quo Nidda fluvius aquam uſq; adeò amiſit per hiatum procul dubio terræ, ut molæ, quæ paſſim ad fluvium iſtum excitatæ ſunt, officium facere ultra tres horas non valuerint.

Inſtituta Dordraci ſynodus, hoc tempore habetur, ad quam multi Theologi reformati, nonnulli etiam ex Arminianis ſeu Remonſtrantibus vocati acceſſerunt. Conqueſti verò ſunt hi de ſe partis adverſæ iniquitate, quod quinque à propoſitorum capitum defenſionem non admittere, ſed ad ſuam omnia ſententiam conformare velint, & proteſtati ſimul, quod reformatorum ſententiæ de abſoluto prædeſtinationis decreto aſſentiri non poſſint.

Ordines Bohemiæ ad Electorem Saxoniæ ſcribunt de aſſecurationis induciarum mediis, quæ ſibi ſuisq; confœderatis Sileſiis præſtari poſſe, negant, quod videant Duces belli Bocquoium & Tāpirium homines eſſe extraneos, ad Romanum imperium non pertinentes, nec ſedem certam habentes, unde damna ſua repetant: quodq; turbæ iſtæ omnes ex non ſervatis promiſſis originem traxerint: & Tampirenſem Comitem in ſuperioribus turbis Auſtriacis, durantibus adhuc induciis, in Kinsbergii ditionem impetum feciſſe, ac violandis induciis cauſam dediſſe, pœnas tamen præter verbalem fortè reprehenſionem aliquam nullas, imò majorem promotionem expertum eſſe.

Pilſna expugnata & occupata, rumor ſparſus eſt de Præpoſiti alicujus mala à præſidiariis exceptione & tractatione. Qui poſtquam ad Bavariæ Ducem pervenit, ſcripſit is Directoribus: Si Ordines petulantiæ iſtius conſcii ad eam connivendo tacerent, liquido jam apparere, commotionem illam Bohemicam non ad religionem ſuam aſſerendam, ſed catholicam opprimendam inſtitutam eſſe. At Ordines reſponderunt, meram calumniam eſſe, ſeſeq; ad ipſam Præpoſiti confeſſionem provocare.

Erneſtus Comes Mansfeldius, quod ſedulam operam ad urbis Pilſnenſis expugnationem præſtiterit, à Cæſare 19. Febr. proſcribitur, edicto publicè locis conſuetis affixo, quod ſequenti tamen nocte refixum fuit.

Saxoniæ Elector publico Scripto diem conſtituerat interpoſitioni 14. Apr. quâ in Egera urbe deputatæ à Cæſare perſonæ cum Electoribus & Principibus, legati item Bohemiæ & Sileſiæ convenirent, operamque darent diligentiſſimam componendis periculoſiſſimis turbis, paci que inſtaurandæ. Cæſariani verò milites nec tum ab hoſtili conatu abſtinebant, ſed loca varia incendiis & direptionibus deformabant: & parabantur paſſim exercitus ad compeſcendos ſubjugandosq; Proteſtantes. Bohemiæ ergò Ordines vigeſimum quemq; per univerſum regnum arma corripere, & in parato eſſe jubent, ut laboranti patriæ ſubvenire quam optime poſſint.

Sub initium Martii Tampirius cum exercitu ſuo ad Gratſnam, Svanbergenſi ſubjectum oppidum movit, illudque præſidio in arcem concedente facilè intercepit. Cum v. videret arcem expugnari tam citò non poſſe, & frequenti diſploſione tormentorum milites ſuos ex arce infeſtari, direpto incenſoq; oppido in ſecurum locum exercitum abduxit.

Novus equeſtris ordo de Sancta militia à quibuſdam Principibus, Comitibus Proceribusque catholicis Viennæ inſtituitur, & initur, ut Duce Nivernenſi, principe Ratzivilenſi, Duce Saxoniæ Lavenburgenſi, Comite Althemio, Buchemio, Athenſi & aliis, qui 8. Martii die peractis ſacris, templo egreſſi, in genua ſub aperto cœlo procubuerunt, jusjurandum quod infideles omnes perſequi & catholicam religionem defendere velint, tacto duobus digitis Evangeliorum libro, præſtiterunt: poſtea ſurgentes, evaginatis gladiis aerem divaricatim perpercuſſerunt, templumque iterum ingreſſi, inſignia ordinis, crucem nempe & San. Mariæ effigiem acu pulcerrimè pictam exhibentem, quæ palliis affixa geſtarent, ſolenni cum devotione acceperunt.

Menſe Martio Alcmariæ in Hollandia ſeditio

exorta eſt. Ex ſynodo enim Dordracenſi quidam ex Ordinibus deputati venerunt, & Arminianos concionatores removere, reformatos verò in locum reponere debuerunt. At cives catervatim accurrentes templi fores occuparunt, & Deputatorum conatus impedierunt. Miſſi igitur paulò poſt aliquot milites in autores inquiſiverunt, & eos punierunt. Horni ſimilis tumultus accidit, ubi Arminianus concionator cedere nolens, currui impoſitus abducendus fuit. At ſocii religionis concionatorem ex curru liberarunt, & currum diſſecuerunt. Milites hoc animadvertentes, cives diſſiparunt, & tres ex illis tormentariis globis confecerunt, concionatorem quinque alii currui impoſuerunt, & inde abduxerunt.

Expeditionibus bellicis paſſim gliſcentibus, Daniæ & Sueciæ reges fœdus renovarunt, & legatis miſſis ad terminos confirmarunt.

Matthiæ Cæſari 10. Martii dies funeſtus fuit. Ille enim intra horam 8. & 9. matutinam obiit, cum annos 62. & dies 15. vixiſſet. Eo mortuo Imperii adminiſtrationem Palatinus & Saxoniæ Electores, Vicariam quiſque in provincia compertinente ſuſceperunt, miſſis ad Status publicis literis. Moguntinus v. Elector ad 10. Julii Electores Imperii Francfurtum ad novi Imper. electionem vocavit.

Galliæ regis mater, poſt ſublatum Ancream per biennium ferè Bleſæ delituit, qui locus ei à rege aſſignatus erat, ut vitam ibi viduam ageret: verum ipſa loci pertaſa Locheram ſeſe receperat, Eſpernonio & aliis quibusdam ipſi auxilium hac in re præſtantibus. Ægrè hoc ipſum tulit rex, & collecto ſedecim millium equitum peditumque exercitu obviam conatibus matris & Eſpernonii ire contendit. At mater ſcriptis literis ad filium regem ſeſe excuſavit, maritumque ſuum patrem regis, Eſpernonio ſe commendaſſe, ut & ſuam & filii regis dignitatem tueretur, prætendit. Rex contra hoc ipſum negavit, & dignis modis ulturum injuriam ab Eſpernonio illatam ſibi propoſuit, ſed tandem ſeſe interponente Cardinale Rochenſi venio, & Bethunec, ſuaſu Conſiliariorum regni, cum matre reconciliationem in certis articulis iniit.

Sublato è vivis Imperatore, interpoſitionis negotium Egræ indictum totum expiravit. Ferdinandus verò regnorum regionumque poſſeſſionem, Alberto Archiduce concedente aggreſſus eſt. Miſſis ergò primum ad Majeſtatis Cæſariæ relictos in Bohemia Vicarios Conſiliariosque literis, obitum Cæſaris iis ſignificavit, eosque in commendata à Cæſare defuncto Vicaria regni adminiſtratione, ad futuram ſuam diſpoſitionem pergere juſſit, monuitq; ut de lugubri iſthoc caſu omnes Conſiliarios & officiarios certiores faciant, utq; ad luctum more veteri ſe componant, hortentur: Se verò in eo totum futurum, ut turbis in regno ſublatis, pax & tranquillitas iterum conſtituatur, ſubditi tranquillè poſthac vivant, & ſua unicuique juſtitia adminiſtretur. Sperare ergò eos beneficium iſtud accepturos, & omnem ſibi obedientiam viciſſim præſtituros. Deinde miſſis etiam ad Hungariæ Bohemiæque regna conjunctasque ipſis provincias, nec non ad ſuperiorem & inferiorem Auſtriæ Archiducatum literis, ad præſtandum ſibi juramentum ſubditos hortatus eſt. Status verò Auſtriaci magnitudinem rei prætendentes, tempus ſibi aliquod ad deliberandum permitti, militemque interim ex regionibus iſtis abduci & gravaminibus ſuis remedium adhiberi petierunt. Ferdinandus interim regio diplomate in lucem edito teſtatur, ſe promiſiſſe regnum Bohemiæ conſervare, defendere omnes in eo proceres, Pragenſes, civitates reliquas, ſubditosque univerſos patrocinio ſuo tueri, ipſorum jura, conſtitutiones, privilegia, majeſtatis diplomata religionis adſertiones aliaque id genus ſarta tecta conſervare, arcem Carolſteiniam cum diademate & aliis regni inſignibus nemini, inſciis & invitis regni proceribus permittere, à recepta regni conſuetudine non recedere, extraneos nullos ſive ſpirituales ſive ſeculares, ſed ſolos indigenas Bohemos aulæ politicis & Eccleſiaſticis officiis præficere, ad regnum pertinentes provincias non alienare, permutare, aut ulla ratione à regno abducere, ſed quod alienatum, permutatum aut diſtractum ſit recuperare, redimere & in integrum reſtituere, monetam regni non minuere & deteriorare, ſed valorem conſervare, denique indulta ſarta tecta conſervare. Bohemi verò videntes hoſtes ab armis non deſiſtere, ſed in perdendo regno perſeverare, eoque fine novum in diverſis regionibus exercitium colligere, & Bucquoium variis excurſionibus ex Budwiſio & Crumavia ferro & flamma loca vicina vaſtare: ipſi quoque ad omnem fortunam ſeſe præpararunt, & literas ad Electores duos, Palatinum & Saxonem, dederunt, quibus conqueſti ſunt, Ferdinandum, qui exercitum in regni perniciem adhuc retinet, ut incendiis & rapinis omnia vaſtet, ſine omni eorum quæ neceſſariò requiruntur adimpletione, ad regnum accedere velle, & rogarunt, ut de ſalute & tranquillitate ſua ſeriò cogitent. Chinſcius interea cum mille equitibus & quingentis ſclopetariis Polnam ſeſe conferens, incidit in 400. Heiduccos quos plerosque trucidavit, & inſignem prædam obtinuit. Poſtea ex interceptis cognoſcens, 400. alios equites diripiendis Svanbergenſis bonis operam dare, jamque 30. currus pabulo aliiſque bonis onuſtos ſecum agere, progreſſus ſtrenuè, in patenti campo eos eſt adortus: at illi in pagum proximum confugerunt, & ex occupatis ædificiis fortiter ad 3. horas ſeſe defenderunt, tandem Joh. Georgio Solmenſi Comite cum ſclopetariorum vexillatione ſuperveniente, domo una atque altera incenſis, cæſis nonnullis, reliquos 140. in poteſtatem Bohemorum traduxerunt, propiusque tandem ad Budwiſium moverunt.

Fliſſingam in Selandia circa principium Aprilis appulit navis, cùm diviti præda, quæ per aliquot menſes abfuit, & circa æquinoctialem lineam Hiſpanicam navem ex occidentali India precioſis mercibus onuſtam, in ſuam poteſtatem redegit.

Auſtriæ ſuperioris Status animadvertentes, aliud non agi, quàm religionis Proteſtantium ruinam quæri, cum Bohemis fœdus inſtaurant: quo facto, cum Moraviæ Status ad ipſorum partes accedere recuſarent, Turrenſis Comes, accepto à Directoribus mandato, cum ſedecim equitum peditumque millibus in Moraviam conceſſit, mox 12. Aprilis Iglaviam ſine magna reluctatione interceptam, præſidiario milite firmavit. Poſtea ulterius progreſſus Trebnitſium, Polderbercam, monaſterium Brucenſe & Tzuoimum occupavit, & præſidiario milite inſtruxit. Sileſii interea munito Troppavienſi Ducatu, Lipintium & Rhenitium interceperunt, & Olmutium venerunt, ubi Cardinalis Ditrichſteinius vim videns, acceſſurum ſe quidem ad Unionem

nem pollicitus eſt,ea tamen lege,ut nec metu,nec in præjudicium regis id feciſſe videatur. Idem poſt modò & alii provinciales Catholici, ipſeque princeps Lichtenſteinius fecerunt. De iſta verò in Moraviam irruptione Popelius ad Turrenſem ſcribit: Suæ fidei commendatam eſſe provinciam, & meritò ſe quærere, quare in eam cum exercitu irruperit? At Turrenſis reſpondit : ſe non proprio auſu ſed aliorum juſſu id feciſſe,& habere ſecum univerſam nobilitatem Bohemicam, quæ venerit, ut fratres, cognatos & familiares inviſerent,& ad communem cum ipſis vitæ necisq; furtunam ſe conjungerent,& & obligarent. Conſtituiſſe enim coram Statibus de hoſtibus ſuis conqueri,qui amicitiæ illud vinculum diſrumpere, regnumque & Bohemiæ cædibus, incendiis & rapinis miſerum in modum deformare cogitarent. Wallenſteinius interea ad Hungariæ fines Schalitium & Lebatem progredi , ibique ne Hungaricis militibus tranſitus intercluderetur,cavere decreverat. Ei ſe Tampirius & Nachotenſis cum 1000. Moravicis equitibus conjuncturi dicebantur,ut & Olmutium & Prinnam conjunctis copiis,durantibus comitiis interciperent: Verùm orta inter milites ſeditione,plerique diffugerunt,& Nachotenſis equites,corona ipſum cingentes, rationem reddere juſſerunt ſui imperii,qui provincialis Moraviæ Præfecti literas protulit : At ipſi contra proteſtati,non præfecto,ſed Statibus juramento ſe obligatos teneri dixerunt, moxque cum Subpræfecto Prinnam contenderunt : Quo facto, uterque Dux deſertus à militibus, Moraviæ diſtrictu egreſſi ſunt. Tznoimi congregatis Ordinibus hoc ſtatim innotuit , qui relictis in præſidio duabus cohortibus, & aſſumpto ſecum cum 700. equitibus Duce Schænlitio,Prinnam abierunt,habitoque in Anſerlitii ædibus conſilio per horam,congregatos in ſubjecta ædibus platea cives, verba faciente Lindenbergio,interrogarunt: An cum Statibus proteſtantibus facere vellent ? quibus annuentibus,ad arma conclamatum eſt , receptiſque in urbem ſeptem equitum Germanorum turmis, & occluſis portis, in forum Carbonarium proceſſerunt , ibique ſub aperto cœlo admiſſis etiam qui urbem tum ingreſſi erant, Iglavienſibus jurarunt. Poſtea accedentes Ordines Cardinalem , qui Generalis præfecti officio fungebatur,durioribus ab ipſo verbis,num cognitum quid haberet de Wallenſteinii & Nachotenſis conatibus,ſciſcitati ſunt,ſimulque cum à præfectura abſtinere juſſerunt: qui perterrefactus,nihil ſibi de conatibus iſtis conſtare & ſe officio præfecturæ decedere,& ab Ordinum partibus ſtare velle reſpondit. Inde ad Tſerotinum,ipſumque principem Lichtenſteinium profecti,idem ab ipſis reſponſum tulerunt. Tandem Senatu civibuſque convocatis,cum 120. milites in arcem Spilbergenſem conſciis civibus introductis cognoviſſent, civeſque id negarent , exautorare milites Senatum compulerunt , ipſique Ordines acceptatos iterum & ſibi obligatos in arcem remiſerunt,clavibus urbis arciſque Senatui ablatis,& ſubpræfecto Stubenfeldio cum 1000. equitibus Prinnam reverſo eoſdem permiſerunt. Cardinalem verò 23. Aprilis, ablegati 12. ex Ordinum numero viri, arreſto obligarunt,ne inſciis Ordinibus inde egrederetur,quod & Tſerotino factum equitum turma ad ædes eorum in excubiis collocata. Sequenti die Ordines de comitiis habendis, officiis publicis mutandis,Senatu Catholico & præfectis abdicandis, Jeſuitis ex urbe & tota regione profligandis, conſultarunt. Ejecti ergo,& per decretum 26. Aprilis factum profligati ſunt,per publicum proclama Jeſuitæ. Cumque ingens in ſuburbio incendium exortum,ad 100. ædificia deformaſſet,cauſa verò ejus Jeſuitis decedentibus imputaretur,32. illorum in urbem retracti cuſtodiæque traditi ſunt in curia, ſed innocentes deprehenſi, iterum dimiſſi. In Wallenſteinii verò & Nachotenſis loca Fridericus Tifenbachius Sirodinus , & Ladiſlaus Wellen ſubſtituti , & Moravicis copiis,quæ ex duobus equitum & 3000. peditum conſtabant, præfecti ſunt. Tandem 28. Aprilis legati Bohemiæ,cauſam ſui adventus expoſuerunt,ut ſcilicet facta Unione Vires cum Bohemis conjungerent,& communicato cum reliquis confœderatis provinciis conſilio,turbas componerent,& pacem conſtituerent.

Synodus nationalis Dordraci habita interea, 26. Aprilis finita, & concluſionibus certis contra Arminianam doctrinam Latino ſermone comprehenſa, publicata eſt præſentibus pluſquam tribus auditorum millibus: Et lata ſententia in Johannem Oldenbarneveldium, Hollandiæ & occidentalis Friſiæ advocatum, quæ eum capitis ſupplicio deſtinavit. Tertio ergò die Maji Hagæ, qui executioni dictus eſt , poſtquam ad mortem ſe paravit, auditus à duobus Theologis, Antonio Walleſio & Johanne Lamotio , per miniſtrum ſuum ad arenæ tumulum adductus in genua procidit, remotaque interula Spiritum ſuum Deo commendavit , quo peracto per carnificem ipſi ſeptuageſimum tertium annum jam agenti, caput abſciſſum eſt, cujus confeſſionem Ordines publicis literis cognoſcendam omnibus exhibuerunt. Subſequenti die Cadaver Barnefeldii in arcis templo, nullis ceremoniis , nullaque pompa adhibita ſepultum eſt. Quinto verò Maji, ſententia in Ledenbergii, qui manus ſibi ipſemet violentas intulerat cadaver, talis lata fuit : ut urna , in qua conditum erat, vinculis ferreis probe munita ex urbe protraheretur, inque paratam eo fine crucem adacta ſuſpenderetur. In Grotium & Hogerbetum 8. Maji pronunciatum, ut habita interceſſionis multorum ratione, vita quidem donarentur ; ad certos tamen annos captivi tenerentur, bona verò ipſorum cum Ledenbergii & Barnefeldii bonis fiſco applicarentur.

Dum quæ antea propoſita ſunt in Moravia aguntur, Tampirici tantam in inferiore Auſtria crudelitatem exercuerunt, ut vel Turcarum ſuperare videretur. Status ergo regem miſerabili affectu rogarunt, regionis totius periculum & interitum ſibi ob oculos proponere, & remedium quam primùm exoptatum afferre clementiſſimè dignetur, nec, ad moleſtias exaſperandas, novas inſuper ex Hungaria copias introducere ſinat , atque ita ſuis ſumtibus ſuſtentata in finibus Turcicis præſidia evacuet : Verùm potius patriam omni milite liberet, & à direptionibus deſolationibuſque, quas in præjudicium veri hæredis, Archiducis Alberti, diutiùs ferre non poſſit, vindicet. Secus ſi faxit, ad Deum confugiant, & per extremam deſperationem foro ſervientes, auram mitiorem captent neceſſe eſt.

Interea Directores, ſi pacis tractatio ſuſcipienda ſit, de conditionibus deliberarunt. *Primaque fuit,* ut in toto regno Status & ſubditi Proteſtantes, ſub quocunque magiſtratu, ſive Catholico ſive Evangelico ſint, in puncto religionis jure impetrati diplomatis à Rudolpho Cæſare, initiſque ab utraque

parte

Parte pactis comitiorum receſſibus & Cæſariis regiisq; confirmationibus utantur, fruantur, & eodem modo, quo in Sileſia, habitantibus quibuscunque templa ſcholasq; extruere & aperire liceat, quæq; vel à rege vel illis, qui ſub una ſunt, contra ſuſcepta decretaq; ſunt, irrita habeantur omnia. *Secunda* ut Jeſuitarum ex regno proſcriptio rata & firma habeatur, nec ipſis in æternum ſub quocunq; prætextu redire liceat, Collegia verò & bona omnia ipſorum, commodis publicis Ordinum cedant. *Tertia* factæ cum Hungariæ, Auſtriæ, Moraviæ & utriuſq; Luſatiæ populis confœderationes, ratæ & firmæ ſint. *Quarta* Defenſionis negotium ad generalem provinciarum iſtarum conventum differatur. *Quinta* Conventus Ordinum in diverſis territoriis, more veteri, inſtituere liceat. *Sexta* Hæreditariæ cum vicinis Electoribus Principibusq; confœderationes inſtaurentur. *Septima* quorundam ex regno proſcriptio, & ab officiis muneribusque publicis remotio, rata habeatur. His articulis poſtmodum à Directoribus plures adhuc alii, regno & provinciis neceſſarii, adjecti ſunt: quibus Epiſcopo Pragenſi jus in templa & Eccleſias abrogatum eſt, & Conſiſtorio attributum, Cloſtergrabienſib. poteſtas data, alio interim templo utendi in civitate, donec novum extructum fuerit: Brünovienſibus & Pragenſibus in diverſis locis extructa templa, tranquillè poſſidendi libertas eſt conceſſa: Conſtitutum quoque, ut Pragenſibus oppidis mœnia ſua reddantur, & jura peregrina Eccleſiaſtica eorum jurisdictioni ſubjiciantur: Pragenſis Academia reſtituatur: Et ne Camera Bohemica regiæ Cameræ ſubjecta ſit, nec decretis ejus promovendis ſerviat. De Pilſna & Budwiſio, unde multum damni regno illatum, in poſterum delibéretur.

Circa finem Aprilis *Ferdinandus rex Ottonem Melandrum*, Conſiliarium ſuum Vratislaviam miſit, qui ſignificaret: decreviſſe regem defuncto Cæſare Matthia, regni adminiſtrationem adire, omnia Principibus & regionibus iſtis jura & privilegia, tam generalia quàm ſpecialia, omnes item conceſſiones, conſuetudines, Majeſtatis diplomata & indulta confirmare, regium in illis locis officium, & juramentum fidelitatis acceptare, ſicq; ſperare futurum, ut non ſolùm promiſſas contributiones exſolvant, ſed debita etiam officia alia ſibi præſtent, ut ita cauſam habeat, paternum ſuum affectum ergà eos magis ac magis declarandi, & Bohemiæ Ordines, quibus ſimiliter privilegiorum confirmationem tranſmiſerit occaſionem inde accipiant, ad obedientiam debitā ſe componendi, ut ita bello omni ſublato, pax & tranquillitas regno iterum reſtituatur. At illi per ſupremum Sileſiæ Capitaneum, Ducem Lignicenſem & Bregenſem, Johannem Chriſtianum reſponderunt: In votis equidem nihil aliud habuiſſe, quàm ut obitus in ea incidiſſet tempora, quibus in pace conſtitutis omnibus, uti frui privilegiis & immunitatibus liceret, & Rex optatum ſucceſſionis ſuæ finem aſſequi quàm commodiſſimè poſſet: At non dubitare, quin ante oculos ſibi propoſiturus ſit, quæ regionum iſtarum ſit confuſio, ut ejus difficilis admodum & periculoſa compoſitio videatur: Conſideraturus etiam, quod jam turbata pace & quiete publica ſublata, bello & armis omnia repleta & fœdata ſint, quodque ad ſalutare & omnium bono ſuſceptum defenſionis negotium infringendum, non ſolum diſputationes & interpretationes variæ excogitentur, ſed & arma parentur, & vis maxima ſubjectis inferatur, ita ut jam non ſufficere amplius poſſe ad pacem in regno & regionibus iſtis conſtituendam nuda privilegiorum confirmatio videatur, ſed facto ipſo, quod verbis promiſſum declarare ſtatim neceſſe ſit. Hincque regem, & omnes alios animadvertere facilè poſſe, etſi ſuperiori tempore ex libera voluntate, nullo ad Bohemiæ regnum reſpectu habito, in ſupremum regionum iſtarum ducem eum elegerint, jam tamen rebus in regno & provinciis aliis ſic ſtantibus, in ſummum aliorum præjudicium eum acceptare, & ad gubernacula admittere non poſſe. Sperare itaque & petere, ne in malam partem accipiat, quòd habita periculoſiſſimi iſtius temporis ratione, expectandum ſibi exiſtiment, donec non ſolùm regni Bohemiæ adminiſtrationem ſuſcipiat, ſed turbis etiam compoſitis regnum omne in eum, quem privilegia ſua requirunt ſtatum, pacatū nempe & tranquillum componat: quo facto, cùm regni adminiſtrationem aggreſſus fuerit, dubitare eum nullo modo debere, quin facturi ſuo loco ſint quod neceſſitas poſtulaverit.

Turrenſis rebus ex voto in Moravia confectis, inferiorem Auſtriam cum exercitu ingreditur, & locis oppidisq; aliquot interceptis, Labam, quæ præſidio munita fuit, obſedit. Hinc Proteſtantes Status interrogari eum per legatos ſuos curarunt, quid cauſæ haberet, quod cum tanto exercitu regionem iſtam ingreſſus eſſet, cum nihil ſe feciſſe ſcirent, quod Bohemos offendere potuiſſet, eumq; ut exercitum iterum abduceret, rogarunt Paulo poſt 3. nempe Junii, etiam Catholicorum Statuum legati ad caſtra venerunt, idemq; verba faciente Comite Buchemio, Comiti Turrenſi propoſuerunt & rogarunt. At Turrenſis reſpondit: Quod Bohemi fecerunt ſumma neceſſitate coactos feciſſe, ſe copias hoſtiles perſequi, & hoſtem profligare cupere, ſi vel Hieroſolymis eſſet, veniſſe in provinciam iſtam pacis & tranquillitatis conſtituendæ, conſervandæ, oppreſſosque juvandi cauſa, velle eum, ut pari paſſu Catholici poſthac Proteſtantes ambulent, Catholicos hactenus ſuperiores fuiſſe ſed malè, ſe Deo confidere, quod cauſam ſuam & Eccleſiæ juſtam clementer protecturus ſit. Ad Labam nihil moliri voluiſſe, niſi præſidio munitam deprehendiſſet, & cauſam ad obſidionem iſtam ipſimet dediſſent; Traunſamio etiam Comiti ſignificare curaſſe, ubi nullum præſidium nullamq; reluctationem deprehendat, nihil ibi periculi ab adventu ſuo inquilinos metuere debere. His auditis legati reſponderunt, acturos cum rege, ut & Laba, & loca alia per provinciam, milite liberentur. Turrenſis verò, ſi milites Laba abducantur, porta civitatis aperiantur, & non ab hoſtibus, ſed à Proteſtantibus præſidio poſthac firmentur, nolle ſe quicquam amplius ibi moliri, recepit.

Sexto Maji Proteſtantes in Hungaria conventum habuerunt, & in eo inter alia de Jeſuitis ex regno ejiciendis egerunt, quos & publico edicto, quo multa in ſpecie ab ipſis perpetrata facinora complexi ſunt, proſcripſerunt.

Nec ita multo poſt, 14. nempe Junii decretum in conventu Principum & Ordinum Sileſiæ, concluſum per Capitaneum ſupremum, Joannem Chriſtianum Ducem Lignicenſem & Bregenſem publicatum eſt, ut ne quis cujuscunque ordinis & dignitatis, Jeſuitis domicilium præbeat, cum proprium illorum ſit, callidis artibus, qui nuper ex vicinis provinciis ſunt excluſi, ſeſe inſinuare con-

conſilia ſanguinolenta comminiſci, & turbas quacunq; ratione & modo dare.

Auſtriæ inferioris Ordines Catholicis quædam capita ad deliberandum proponunt, ut nempe Catholici cum Proteſtantibus unum corpus ſint, & pars una alteram, ingruente neceſſitate defendat: Privilegia omnia ut cuilibet Statui libera ſint, nihilq; in ipſis mutetur: Sepulturæ, hoſpitalia & noſocomia omnibus ſine ullo religionis reſpectu adminiſtrentur: In Academiam Viennenſem viri docti, ſine ullo religionis diſcrimine vocentur: In conſcientia ſua nemo ob religionem turbetur: A perſecutionibus utrinq; abſtineatur & libertate ſua cuique frui permittatur. De quibus capitibus etſi convenire non poſſent: præſidium tamen ab urbe Laba, expetente ita Turrenſi comite, abductum: hocque facto Turrenſis aliud quoddam introduxit, donec ab Ordinibus de præſidio urbi proſpectum ſit.

Turrenſis Comes Laba Viennam *exercitum ſuũ* 23. *Maji applicavit: Et Bohemorum turma ſub Ladislai imperio in* 500. *Hungaros ad Comitem Bucquoium properantes incidit, ortaque pugna maximam partem trucidavit. Interim ipſe Turrenſis ad ſiniſtram declinans, ad Fiſchetum oppidum milites navigiis per Danubium traduxit, &* 27. *Maji ſuburbium ſtatim occupavit. Clauſis itaque portis, una tantùm ad rubram turrim ad victum aſportantibus neceſſaria interdum aperiebatur. At Ordines* 29. *Maji miſſis ad Comitem legatis quærunt, cur tanto cum exercitu, nulla injuria affectus adveniſſet. Comes verò reſpondit: Mirari ſe potius eos hoc dicere, cum talem exercitum in Bohemiam introductum probe ſcirent, qui cædibus, rapinis & incendiis loca omnia infeſta reddidiſſet, tantaque crudelitate uſus eſſet, ut majorem, infantes trucidando, honeſtas matronas & virgines pedibus manibusque ligatis ſtuprando, tandemque ipſas diſſecando, exercere ne juratus quidem Chriſtiani nominis hoſtis potuiſſet: Et inſuper etiam ex locis aliis alios exercitus expectarent, ut ſalutare confœderationis negotium interturbetur. Cupere igitur, ut revocato Hungarico & alio milite, nullus amplius in regiones iſtas introducatur: Sin minus, ſe aliter facere non poſſe, quàm ut vim vi repelleret. Petere autem, ut quicquid facturi ſint quàm primùm explicent.*

Interea ad Budwiſium caſtra Bohemica tam prope ad Bucquoianorum ſtationem ſunt applicata, ut ſclopetis ſe contingere haud difficulter potuerint: unde & ſingulis diebus ex utraque parte multi ceciderunt. Octavo etiam Maji propugnaculum, ad aureum tramitem ſitum, ad cuſtodiendum Paſſavienſem tranſitum, cum magna utriuſque partis ſtrage Bohemi occuparunt, quod tamen ob alimentorum defectum diu non retinuerunt: quod ubi deſertum Bucquoius recuperaſſet, commeatus penuria, quo Budviſium laboravit, ſublata eſt: exercitus quoque major ex Hungaria, Gallia, Belgio & aliis locis ipſi affluxit: unde caſtra in majorem amplitudinem extendit, & 29. Maji, aſſumtis Lavenburgico Saxoniæ Principe, Tampirenſi & aliis militiæ præfectis, cum 5000. ad Nadlitium, ubi præſidium 60. ſclopetariorum à Mansfeldio conſtitutum erat, applicavit, quo cum potiri Hungari ſtatim non poſſent, igne accenſum, totum deformarunt. Inde Tinam promovens Bucquoius, cum 30. Maji quinque equitum Bohemorum turmas ſub Mansfeldii imperio militantes comparuiſſe cognoviſſet, mille Cataphractis equitibus cum magna equitum peditumque externorum manu in inſidiis collocatis, ſolos Hungaros in occurſum Bohemis tendere, eosque pugnando ad inſidiarum locum pertrahere juſſit: At intempeſtivus cataphractorum fervor effecit, ut illis viſis equites Mansfeldici ad communitum quendam vicum regreſſi, cum relicto ibi peditatu ſuo ſe ſe conjunxerint. Videns ergo Bucquoius Bohemos inſtructa acie ad pugnam ſe parare, & diſploſo quod ſecum habebant campeſtri tormento, equitatum ſuum ferire, ab utroque in eos latere oppugnandos cenſuit: & Tampirenſi cum Hungaris & Germanis ſclopetariis à ſiniſtro latere eos aggrediente, ipſe cum cataphractis & externis equitibus aliis, à dextris in eos movit: Continuataque eſt ingens & cruenta pugna ad horas ſex, quæ mortem multis attulit. Mansfeldius tandem viribus impar, cùm ſubſiſtere adverſus tantam vim non poſſet, fuga elapſus vitam conſervavit. Victoria parta pars militum cum Ringravio & officiariis, quibuſdam in poteſtatem Bucquoii devenerunt, ſupellex militaris ferè omnis cum tormento, quo uſi fuerant, & curribus onuſtis commeatu, intercepta ſimul fuit, effecitque ſtrages iſta, ut excitato ab Hungaris in vico Sablotenſi incendio, igne ſimul & ferro Bohemi coanguſtarentur. Interfectorum numerus incertus fuit, dilapſis præſertim fuga non paucis Mansfeldicis, qui poſtmodum ex ſylvis ad caſtra redierunt. Mansfeldius Pragam adveniens, deſertum ſe ab Hohenloio Comite, & expetitum ſubſidium impetrare non potuiſſe conqueſtus eſt: de quo 6. Junii Scripto ſe excuſavit. Directores verò decimum quemq; uſq; ad quintum ad arma apprehendenda publicis literis evocarunt, munitiones novas Pragæ ad Laurentii montem excitarunt, præſidio majori civitatem firmarunt, & velocibus equis Turrenſem Comitem ex Auſtria revocarunt. Bucquoius interea *Wittigaviam, Tinam, Laniſchium*, Regi ſubjugavit: *Fronbergenſem arcem* vi ſumma expugnavit, divitique præda nobilium & procerum vicinorum, qui eò ſua traduxerant, potitus eſt. Idem accidit *Roſenbergæ oppido*, damnaq; incomparabilia primariis dominis Suioſcio, Malovitſio data ſunt. Narratur Fronberga & Roſenberga ultra 3000. pecudes abactas, & Budwiſium eſſe tranſlatas, ubi in minimo valore fuerunt, adeo ut boves 30. vaccæ 8. vel 10. Oves 2. groſſis emptæ ſint.

Turrenſis cognita Mansfeldii clade, & quòd à Directoribus revocaretur, Vienna cum exercitu ſolvit, & per dies aliquot Fiſcheti commoratur, ubi ad Hungariæ Ordines Poſonium miſſum expectat Tiſenbachium: quo cum convenienti promiſſione confœderationis reverſo, in Bohemiam exercitum reduxit, & Neuhuſium 12. *Junii aſſecutus, Sabislaviam ad caſtra Bohemica tandem devenit: Sub quod tempus Hungari in Sileſios incidentes, eorum* 140. *cum jactura* 300. *ſuorum militum trucidarunt. Bucquoius verò, ne tempus fruſtra conſumeret, cum duabus machinis, & ſeptendecim Equitum peditumq; millibus oppidum & arcem Greiſenſem* 14. *Junii obſedit: Præfectus qui arcem* 300. *præſidiariis tenebat, initio fortiter reſtitit.* 80. *Walonibus necatis, &* 200. *graviter vulneratis. At ſequenti die, videns Hungaros nocte doliis aliis*

aliisque rebus foſſas implevisse, ſeque ad reſiſtendum inferiorem eſſe, deditionem fecit, & ut pactus erat, armatus, & ſarcinis quas efferre poterant, cum ſuis militibus onuſtus diſceſſit. Inde Bucquojus Weitram progeſſus, oppidum illud dimiſſo præſidio cum explicato vexillo, occupavit: ſicque patefacto in Auſtriam aditu loca omnia infeſta reddiderunt, & in incolas ferro ac flamma crudeliter ſævierunt milites, qui multos ad pecuniã extorquendam ſuſpenderunt, defunctos etiam, ut annulis, quos in digitis haberent, privarent, eruerunt.

Die 28. Junii Comes Solmenſis in 800. Huſſaros incidit, eoſque in fugam, cæſis 450. comprehenſis verò ad 50. vertit, & prædam eximiam recuperavit. Budwiſii verò exortum incendium ædificia plurima ſubvertit.

Appropinquavit interea tempus novo Imperatori eligendo deſtinatum. Circa principium ergò Julii, Ferdinandus rex Vicaria adminiſtratione Auſtriæ Archiduci Leopoldo commendata, Vienna Francfurtum iter ingreditur. At Leopoldus, ut pacem in urbe conſervaret, cives omnes inermes reddendos publicato edicto cenſuit, omniaque arma, haſtas, ſclopeta, bombardas, cum pilis, plumbo, nitrato pulvere, in armamentarium civitatis deferri juſſit, addita comminatione, ſi quidquam deputatis retinuiſſe quoſdam aliquid armorum innotuerit; ſecus facientes, bona pariter & vitam amittant. Francfurtum poſtea ingreſſi ſunt inſigna cum comitatu & pompa, 10. Julii *Elector Moguntinus*, & circa veſperam *Electoris Saxoniæ legati* 11. Julii *Electoris Palatini*, 12. *Electoris Brandenburgici legati*, 13. *Archiepiſcopus & Elector Colonienſis*, 15. *Elector Trevirenſis*: Decimo verò octavo *rex Ferdinandus*. Venerunt quidã ad iſta Comitia Ordinum & Directorum *Bohemiæ quoque legati*: Verum cùm obtinere non poſſent, ut locum in urbe haberent, Hanoviæ ſubſiſtentes, proteſtationis literas ad Electorale Collegium miſſas Moguntinenſi Electori exhibendas curarunt: Qui reſpondit: quòd regem Hungariæ & Bohemiæ electum & coronatum Ferdinandum ad electionem novi Imperatoris juxta tenorem aureæ bullæ vocaverit, ſe rationem & Deo & omnibus, ad quos res pertineat, ſuo loco & tempore redditurum: turbis verò in regno Bohemiæ excitatis minimè ſe delectari, imò operam dare cupere, ut factâ tandem pace ab interitu regnum illud vindicetur. Petitionem verò de electione ſuſpendenda, vel Ordinibus Bohemiæ ad eam vocandis, ita comparatam putare, ut ſolus de ea decernere non poſſit, nec ſi Regi Ferdinando petitio illo innoteſcat, ad pacem regno conciliandam facere quidquam poſſe.

Bohemiæ Proceres & Directores ad 13. Julii convocarant omnes Ordines, deliberaturi de rebus neceſſariis ad Statum regni pertinentibus: quo in conventu inſtaurata eſt inter Bohemos, Moravos, Sileſios & Luſatos confœderatio, & 100. articuli conformati & præſtito ſolenniter Juramento acceptati, & confirmati ſunt, quibus quæ Regi, Ordinibus cujuſcunque conditionis, tam Eccleſiaſticis quàm politicis conveniant, & ſervanda vel agenda ſint, comprehenditur.

Pluviæ menſe Iulio continuæ ferè fuerunt, quæ duraruns in Auguſtum, & frumento ac aliis ex terra naſcentibus multum damni attulerunt. Aquæ etiam intumuerunt in Miſnia, & Thuringia, quæ incolas paſſim afflixerunt.

Exeunte Julio Hungari bis mille, qui depriptionibus & incendiis loca omnia in Bohemia & Auſtria infecta reddiderunt, cùm prædæ ſatis acquiſiviſſent, domum clam ſe ſubducentes, reverſi ſunt. Eos ſecuturus alius Hungaricus præfectus Sumadius cum 500. quos ducebat Hungaris, Bucquojus Wallenſteinii equitibus cataphractis id negotii dedit, ut ad tranſitum eos expectarent: quo facto, adventantes fuſi fugatique & omni præda exuti fuerunt.

Eodem tempore Turrenſis inſtructa inſigni ad Lomnitium acie, in qua equitum turmæ 47. peditum verò vexillationes 48. numeratæ ſunt, ad pugnam cum Bucquojo faciendam ſeſe exhibuit. At ille pugnam detrectavit, & in caſtris ſtudioſè ſe continuit. Itaque inſultu facto in Tinenſe oppidum, eoque intercepto, furorem in præſidiarios milites effudit, eoſque cum finitimis omnibus trucidavit. Adventantes paulò poſt ignaros iſtius rei Bucquoii officiarios omnes intercepit, & cuſtodiæ mandari curavit.

Factum etiam ſub Comitiis Francofurtanis, quòd equites 500. quos *Philippus Comes Lichoſolmenſis* in regis Ferdinandi gratiam in Belgio & Coloniæ conſcripſerat, & contra Bohemos ducere conſtituerat, *à Marchione Onoltzbacenſi* ad Aichſtadium fuſi fugatique ſint: quod factum, ut pacem & tranquillitatem turbans, cui ſeſe Uniti opponere conſenſerunt, Elector Palatinus literis ad Ferdinandum datis excuſat, & ne in poſterum ſimile quid tentent monet.

In principio Auguſti, Electoribus in curia à Magiſtratu Francofurtano, & ante curiam à civibus præſidiariisque juramentum præſtitum eſt: Et ſeſſiones, quæ circa finem Julii ceptæ, interruptæ verò ſunt, quòd legati ab inſtructione ſua nihil remitterent, & ad principales ipſorum Palatinum & Saxoniæ Electores, nuncii mittendi eſſent, Rege interim cum Colonienſi Electore ad Haſſiæ Landgravium Ludovicum concedentibus, & venationibus ſeſe reficientibus, continuatæ deinde fuerunt, donec tandem electioni in templo perficiendæ 18. Auguſti deſtinaretur. Illo mane ad pulſum majoris Campanæ Electores cum rege in curiam curribus delati, indeque horam circiter octavam habitu Electorali pulcerrimè induti, ad templum S. Bartholomæi equites vecti ſunt, ubi in conclave tapetibus precioſiſſimis auro & argento nitentibus conceſſerunt, & peractis ſacris *Ferdinandum regem* elegerunt, electum produxerunt, inque ſupremum chori altare omnibus ſpectandum collocarunt. Inde in theatrum ad introitum chori in templo excitatum perductus, publicè proclamatus eſt, & poſt factam à ſpectatoribus acclamationem decantatumque Divi Ambroſii hymnum, Campanæ pulſatæ, & majora tormenta in vallo diſploſa ſunt. Hinc templo egreſſi, conſcenſis equis ad aulam regis vecti ſunt, miſſiſque qui Aquiſgrano & Noriberga ſceptrum, coronam & ornatum reliquum afferrent, præparatio ad coronationem facta eſt.

Eodem tempore Moraviæ Ordines Prinnæ congregati, confœderationem cum Bohemis, Sileſiis & Luſatiis confirmarunt, & præter milites, quos in præſidiis habuerunt, adhuc 1500. dato illis præfecto Rudolpho à Schleinitz, conſcripſerunt: proſcriptos, ob perfidæ

adminiſtratâ Rempublicã, provinciâ perpetuò excluſerunt, bonaq; ipſorum, nec non alia Eccleſiaſticorum, Monachorum & Monialium, proviſione factâ Abbatibus, Prælatis & reliquis de ſufficienti ſuſtenſatione: In arma quoque diligenter eſt inquiſitum, eaque civibus ſubditisque omnibus Catholicis, exemplo Viennenſium, ſunt erepta: tandemque ſuſpecti de fide, officiarii remoti, aliique ex Proteſtantium numero illis ſunt ſurrogati. Tampirius verò 8. equitum peditumque millibus regionem ingreſſus, munitam arcem Joſvicenſem *occupavit, Lichtenſteiniumque intercipere, hocque ipſo in univerſam regionem tranſitum ſibi aperire cogitavit, ſed prævenientes Moraviæ Ordines iſtam arcem in poteſtatem ſuam vindicatam firmiſſimo præſidio munierunt. Hoc viſo auxiliis Hungaricis eidem advenientibus, impetum in Tiſenbachii ditionem fecit, ibique pagis nonnullis direptis & incenſis ad Niclasburgum venit, unde cum haud exigua ſuorum clade rejectus eſt. Exacerbati ergò Moravi cum 3500. in eũ movent, eundemq; 5. Auguſti, ad Viſtricum cum equitibus peditibusq; 9000. ſubſiſtentem deprehendunt, & coortâ pugnâ ex loci anguſtiis in patentem campum, interfectis haud paucis, evocant. Etſi verò Moravos longè, ſe pauciores pugnam proſecuturos non putavit; ardentibus tamen furore animis in eum irruunt, pugnam ad ſex horas continuant, & duobus ferè equitum peditumque millibus cæſis in fugam cogunt: quo in prælio Comes de Monte cuculi, & Saxo Lavenburgicus Princeps, aliique multi lethaliter vulnerati ſunt. Ex Moravis 300. tantummodo occubuerunt, totidemque ferè vulnerati ſunt.*

Bucquojus verò in Bohemia arcem Vechinenſem *occupavit, ſubjectumque oppidum & 15. pagos incendio vaſtavit. Inde* Piſſecam *progreſſus, ſuburbium igne delevit, & miſſo ad Hacquium duarum in urbe vexillationum præfectum tubicine, excedere ipſum, & deditionem ſibi facere juſſit. At recuſante, & ſe pro urbe ad extremum vitæ ſpiritum pugnaturum reſpondente, Bucquojus irâ & furore accenſus, inſultum fieri 4. ſimul locis curavit, & ſuperior tandem factus, urbem armatâ manu occupavit, & in omnes promiſcuè deſævit, præfecto in crucem acto, & primate gladio percuſſo; urbs ipſa direpta & incendio vaſtata eſt miſerabiliter.*

Decimo nono Auguſti Proceres Bohemiæ, præſentibus Moraviæ, Sileſiæ & Luſatiæ utriusque legatis conſilium à matutino tempore ad horam usq; tertiam pomeridianam, januis clauſis habuerunt, in quo Ferdinandum regem regno planè abdicandum, & nunquam admittendum, ſed alium eligendum eſſe decreverunt, & populus 24 & 25. Auguſti ad preces pro impetrando à Deo novo rege admonitus ex ſuggeſtis fuit. Viceſimo ſexto verò Auguſti habito iterũ conventu, poſt preces & cantiones ſacras peractas, *Fridericum V. Electorem Palatinum* in regem Bohemiæ elegerunt & proclamarunt, votis quidem & Procerum Statu 36. ex equeſtri 91. concurrentibus, & civitatibus ferè omnibus conſentientibus. Poſtero die cùm Moraviæ, Sileſiæ Luſatiæque legatorum vota ad eundem Palatinum Electorem directa fuiſſe intelligerent, decantato Ambroſii hymno, campanisque pulſis, tormentorum diſploſione factâ, & quintum repetitâ legati, qui ad Electorem de electione iſta referrent, à regno, & tribus prædictis provinciis ſunt deputati.

Trigeſimo Auguſti, *Stylo Veteri*, *dictus* FERDINANDUS Hungariæ & Bohemiæ Rex, Archidux Auſtriæ, &c. *poſtquàm pridiè ejus dei Legati Norimbergenſes cum Diademate, Sceptro & ornatu Imperiali reliquo Francofurtum advenerant*, Romanorum Imperator ſolemniter, in æde D. Bartholomæi ſacrâ, coronatus eſt.

Paulò pòſt Gabriel Bethlen, *acceptis à Directoribus Regni Boemiæ literis, cum ingenti exercitu, quem ad Claudiopolim collegerat, in ſuperiorem Hungariam expeditionem fecit, octodecim tormentis majoribus ſecum adſumtis; quinto Septembris* Caſſoviam *urbem ſuæ poteſtatis fecit, quæ illi & regni Hungariæ Statibus ſimul Juramentum præſtitit, quam ob irruptionem inſperatam Jeſuitæ & Eccleſiaſtici alii, quod Monaſteria & Epiſcopatus integros occupari, Monachos & Capitulares quàmplurimos evirari, magnamq; paſſim petulantiam à milite exerceri viderent, è regione iſta magno ſeſe numero ſubduxerunt*

Interim Bucquojus, Roſenbergam *Arcem, quæ Baronis Svvambergii eſt, occupavit, &* Tampirenſis Lundeburgum *in Moravia expugnavit. Contra* Bohemi Bechinie Arcem *cum Oppido, &* Municipium Tayn ad Wltavvam *ſitum, quorum illud dictus Bucquojus* 13. *hoc verò* 17. *Auguſti interceperat, partim vi, partim deditione, recuperarunt.*

Eodem menſe Septembri, *nomine Bethleni, Tranſylvaniæ Principis, Caſſovia nimirùm rebus omnibus ad nutum compoſitis, & plerisque Civitatibus Metallicis jurejurando ipſi devinctis,* Setſchius & Redejus *Præfecti illius cum octodecim majoribus progreſſi, loca plurima, atque inter alia* Villecam *etiam propugnaculum fortiſſimum, inde* Vaccium, Tirnaviam, Nitriam, Novigradum, Poſingam, tandemque & Neuheuſelium occuparunt.

Menſe Octobri *ingens pugna inter Bucquojum & Bohemos, ac confœderatos alios ad pontem Viennenſem facta, quâ multi utrinque perierunt;* Bethlenus *autem interea* Poſonium urbem, quâ Diadema Hungaricum *& reliqua* Regni inſignia adſervantur, deditione cepit, *inibique in templo Cathedrali* 20. *Octobr. concionem haberi curavit.*

Triduò poſt Erneſtus Comes Mansfeldius Winterburgum, Pragaditium & Wodniany occupavit.

Ultimum demum Octobris Fridericus V. Elector Palatinus Rheni cum Conjuge Pragam ingreſſus, quarto Novembris Stylo Novo in Bohemiæ regem ſolemniter coronatus eſt, iſtumque Actum ſeptimo ſtatim dicti menſis die Coronatio Reginæ ſubſequuta.

Princeps Condæus in Gallia à Rege captivus hactenus detentus, liberati priſtinæ jam reſtitutus, 11. Novembris magna cum Principum ac Procerum gratulatione Lutetiam Pariſiorum redit.

Eodem hoc menſe Conventus à Proteſtantibus & Unitis Electoribus, Principibus & Statibus Imperii Norimbergæ celebratus fuit, quò & Fridericus Palatinus nuper coronatus Bohemiæ Rex advenit, & ſolemni Pompa à Conunitis ante Urbem exceptus eſt, ipſe etiam Imperator Joannem Georgium, Comitem ab Hohenzollern iſtûc ablegavit. Pari ratione quoque Principes Catholici Herbipoli convenerunt.

Annus Indorum 1716. *& Hegira* 1029. *incipit* 28. *Nov. fer.* 7.

Sub finem Novembris *Bohemi, Ebersdorffio occupato, jungentibus nimirũ Bethleno & Turrenſe Comite*

copias

copias ſuas Viennam, quo Cæſar non ita pridem advenerat, ingensque in Urbe, propter confluentes illuc magno numero ex vicinis Oppidis & Pagis colonos, Annonæ caritas erat, obſederunt.

Nec multò pòſt Mansfeldius Comes Piſſecam urbem, non ita pridem à Bucquoiovi & armis captam, recuperavit, eamque miſere deſolatam reparari, firmiſſimoque præſidio muniri curavit.

Nuptias celebrarunt: Ulricus, Dux Stetinenſis Pomeranus, Epiſcopus Camminenſis, &c. cum Hedwige, *F. Henrici Julii, Ducis Brunſuic. & Luneburg. Dominica Eſto mihi, W'ulffenbyti.*

Erneſtus, Dux Cronyenſis & Arſchotanus cum Anna, Bugislai XIII. Ducis Pomeraniæ *F. 4. Auguſti in Arce Stetinenſi.*

Natus eſt Friderico V. Elect. Palat. Rhen. nuper coronato Regi Bohemiæ Filius 17. *Decembris Pragæ, qui anno ſequente, ultimo Martii primùm baptiſatus, &* Rupertus *vocatus eſt.*

Obierunt: Anna, *Friderici II. Daniæ Regis F. Jacobi Magnæ Britanniæ Regis conjunx 18. Martii.*

Johannes-Carolus Archid. Auſtr. *Cæſar. Majeſtatis. F. natu major Gracii, 16. Decembr.*

Johannes-Sigismundus Marchio & Elector Brandenburgicus, &c. 23. *Decembris. Coloniæ ad Spream, cui in dignitate Septemvirali ſucceſſit* Georgius-Gulielmus.

ANNO MUNDI 5569. Æræ C. 1620.
B.A. ☉ 5. ☽ 6. *Ind.* 3.

Sub initium hujus anni Comitia Poſonii habita fuerunt, in quibus Hungari cum Boemis aliiſque Provinciis incorporatis fœdus ineunt, quod Pragæ poſtmodum ab Ordinibus 25. April. juramento confirmatum fuit.

Paulò pòſt induciæ inter Cæſarem & Bethlenum, Tranſylvaniæ Principem, usque ad feſtum Michaelis hujus anni duratura, factæ ſunt.

Sigefridus Collonitius *diuturnâ captivitate à Cæſare liberatus eſt 17. Januarii.*

Tragicus caſus: Subortâ contentione inter duos Barones Boemos, Henricum Slawatam de Chlum & Koſſemberck, & Heinricum Otta de Wartenberg, adfines, de hæreditate defuncti Baronis Joannis-Alberti Smirſiscii, cujus ſorores uterque in matrimonio habebat, in eumque finem Commiſſariis Regiis ad arcem Gitſinenſem dirimendæ litis ergò ablegatis, proque Slawatâ ſententiam ferentibus, Wartenbergii Uxor, utpote cujus maritus Pragam citatus, Arreſto ibi tum detinebatur, oppido & arce cedere juſſa, ex indignatione milites præſidiarios ad ſui defenſionem incitavit, quorum unus pulverem tormentarium ex conclavi, in quo plurima iſtius pulveris vaſcula recondita erant, allaturus, cùm fortè fortunâ per incuriam funiculum ignitum pulveri aliquanto propiùs admoviſſet, Arx tota cum omnibus, quotquot in illa erant, in momento quaſi disjecta, penitusque ſubverſa fuit, ſubjecto inſuper oppido, non exiguo damno illato.

Fœdus inter Angliæ & Galliæ Reges reſtauratum, præſentibus multis Principibus, ſub Februar. principium.

Eodem ferè tempore Coſacci ad quater mille è Polonia venientes, in Moraviam irruerunt, indeque in Auſtriam contenderunt, quo in itinere oppida multa & pagos, atque inter alia Meſeritium, ubi tum nuptiæ à primario quodam ex Procerum ordine viro celebrabantur, diripuerunt, ſplendida inibi prædâ atque ornatu potiti, quem Viennæ poſtmodum vili admodùm precio vendiderunt: Bohemis interim à Bocquoio ad Langeloſam in Auſtria cæſis.

Vigeſimo tertio Februarii Annus jubilæus iterum, diſponente & jubente *Pontifice Romano Paulo V. Viennæ Auſtriæ* pro ſalute Ferdinandi Cæſaris, & pacis religionisque Catholicæ in Imperio Romano conſervatione *celebratus eſt*, ubi fulgura & tonitrua inſolito planè modo magnâ omnium cum conſternatione viſa atque audita ſunt.

Quatriduo pòſt *Friderico Elector Palatino, tanquam regi ſuo, à Statibus & proceribus Sileſiacis Uratislaviæ juramentum præſtitum fuit.*

Quarto Martii dux Lunæburgenſis telonium Hamburgenſe cum adjacentibus ei terris occupat, quod negotium poſt menſe Auguſto Botſenburgi, interveniente Johanne-Alberto, Duce Megapolitano, aliorumque principum legatis, compoſitum eſt.

Die 10. *&* 11. *Martii* Bucquojus & Tampirenſis ingens cum Chriſtiano principe Anhaltino prælium commiſit, in quo plurimi ex utraque parte perierunt.

Hoc ipſo tempore Conventus Electoralis Mulhuſii habitus fuit, in quo Moguntinus, Colonienſis & Saxoniæ Electores præſentes fuere, Trevirenſis verò, ut & Maximilianus, Bavariæ Dux, legatos miſerunt, tandem etiam & Ludovicus, Haſſiæ Landgravius advenit, unde ad Fridericum regem, & incorporatarum provinciarum Ordines, aliosque Imperii Status & Civitates, diverſas dederunt literas.

Sub initium Aprilis, Comite Bucquojo cladem nuperam vindicante, Bohemi graviter cæſi ſunt, ita ut præter Mareſchallum Baronem Leonardum Colonnam à Fels, multi Nobiles, & exercitati militum præfecti, ad ſexaginta deſiderati fuerint: Occupata ſimul à Cæſarianis Raſtenburgâ, arce fortiſſima, ad quam Auſtriaci bona ſua precioſiora cum uxoribus & liberis deportarant. Non multò tamen poſt Coſacci Sileſiam infeſtantes, partim trucidati, partim aquis ſuffocati, partim ſtrangulati perierunt.

Vigeſimo octavo Aprilis, Friderici, tùm Bohemiæ regis filius primogenitus, Fridericus-Heinricus, ſucceſſor in regno deſignatus eſt.

Ineunte Majo Valones & Coſacci multa per inferiorem Auſtriam loca rapinis, incendiis, honeſtarum Virginum ac matronarum conſtuprationibus, fœdiſſimisque libidinibus infeſta reddiderunt, nullo omninò religionis vel Catholicæ, vel Evangelicæ diſcrimine habito: Horum aliquot Mareccam occuparunt, verùm paulò pòſt à Bohemis ad Gellersdorffium cæſi, illorumque nongenti circiter à Moravis ad paludem Meſericenſem trucidati, & viginti ſeptem captivi Uratislaviam miſſi, & in crucem acti ſunt.

Circa hoc tempus ingens Balæna in Pomerania ad littus maris Balthici projecta fuit, non procul à Julino, in vicinia pagi Graſetrug/ 12. Maji.

Interea Conventus unitorum Principum & Statuum Imperii Ulmæ celebratur, cui Joachimus-Erneſtus Marchio Brandenburgicus Onolsbacenſis, Iohannes

hannes Fridericus Dux Wirtemb. & Gulielmus Landgr. Haſſiæ præſentes interfuerunt.

Octavo Junii *Baro à Landavv Angerenſem vicum & Mareccenſem civitatem, partim cæſis partim captis militibus Cæſarianis, recuperavit, Mansfeldius eadem Guldencronenſe Monaſterium & Taynenſe oppidum intercepit.*

Hoc ipſo menſe maxima tempeſtas Caſſellis & alibi in vicinia exorta, tanta grandinum atque imbrium copia, ut propè Donavverdam à grandine, ova gallinacea & anſerina etiam magnitudine æquante, pecora in paſcuis, & piſces in Danubio quamplurimi necati fuerint.

Proteſtantes Tiranii in valle Tellina 9. Julii in tēplo ſacra facientes ex improviſo oppreſſi, nullaq; ſexus, ætatis aut dignitatis habita ratione etiam Verbi miniſtri, miſerè jugulati ſunt, nonnullis etiam pulvere tormentario ori indito, & poſtmodùm accenſo.

Auſtriæ Inferioris Ordines juramentum fidelitatis Cæſari 13. Julii præſtant. Idem facere coguntur Status ſuperioris Auſtriæ, Maximiliano, Bavariæ Duce, vi & armis illos cogente.

Eodem ferè tempore Volturena, Griſonum Regio, à Catholicis occupatur.

Vigeſimo quinto Auguſti Bethlenus Neoſolii, *ad inſtantiam legati Turcici*, Hungariæ rex electus, & à Palatino proclamatus fuit.

Sequenti die Ambroſius Spinola, *qui cum viginti quinque equitum peditumque millibus ex Belgio veniens, nomine Cæſaris ſub initium iſtius menſis in Germaniam expeditionem fecerat, Rheno ad Confluentiam urbem trajecto, ex territorio Moguntinenſi movens, Unitorum Principum caſtris ad* Oppenheimum *magis magisque appropinquando*, Crucenacum, Alzenam, *& inde* Oppenheimium *ſexto die Septembr. intercepit.*

Interim Bucquojus *Hornam deditione cepit, milites autem ejus à Moravis rurſus fuſi, & ad internecionem usq; cæſi.*

In principio menſis Septembris, Budiſſinum, Luſatiæ civitas, ab Electore Saxoniæ Joanne Georgio, validiſſima obſidione cincta, tandemque, *licet oppidani impetum magnâ virtute ſuſtinerent, fortiterq; propellerent, crebriore tormentorum diſploſione, & indeſinenti globorum ardentium in urbem projectione,* 25. dicti menſis die occupata eſt.

Sub idem tempus Henricus Fridericus, Comes Naſſovius, Mauritii principis Auraici frater, expeditionem in Palatinatum fecit, ut loca iſta ab Hiſpanorum inſultibus tueretur; & Pfaffmutzium propughaculum fortiſſimum in medio Rheni, *in Inſula Krampenvverth, inter Bonnam & Coloniam ſita*, extructum eſt.

Interea, Spinola progrediente, Gundersblumenſis vicus, *qui Comitum Leiningenſium eſt, ab Hiſpanis totus igne deletus*, Baccaracum *itidem &* Caubium cum arce Palatina *in Rheno ſita, occupata ſunt.*

Bavariæ *quoque* Dux *in Boemiæ regnum expeditionem faciens, cum* Bucquojo *copias ſuas conjunxit, atque ille quidem* Wodniany, *Pragaditium, & inde Kalend. Octobr. etiam Piſecam ſecunda quidem vice recuperavit.*

Veneti *per legatum fœdus, ſuperioribus annis cum Ordinibus Belgi initum, inſtaurant.*

Eodem hoc tempore, Poloni à Turcis, magno numero ad nonaginta millia in Walachiam irruptionem facientibus, omnes ferè, præter paucos, qui fugâ ſibi conſuluerant, trucidati, & inter eos etiam Magnus Regni Cancellarius, cujus abſciſſum caput, Conſtantinopolin transmiſſum.

Spinola interim multa, Moſellam verſus, Oppida, *Arces & pagos, utpote* Kirchbergam, Trarbacum, Beilſteinium, Caſtelaunam, Simmeram, Beckelheimium, Monſingam, Kirnam, Odernheimium, Sobernheimium, Strombergam, Daunam, Disbodobergam, Odenbachium, Ravengisburgum, Rockenhuſam, *item* Landsbergam, Franckenſteinium & Meiſenheimium, *quæ ad Bipontinenſem ditionem ſpectant, & alia* occupavit.

Octavâ die Novembris, St. Novo, cruenta admodùm pugna non procul ab urbe Praga in monte Albo propè Vivarium Stellæ inter Cæſareos & Boemos commiſſa, in qua, præter cæſos ac diſſipatos à Boemorum parte milites, tormenta omnia, & quicquid ad inſtauranda denuò caſtra neceſſarium, perierunt, victoriam obtinente, Pragamque occupante, Maximiliano Bavariæ duce, ipſo econtra noviter electo rege, Friderico Palatino Uratislaviam cum conjuge & liberis, rebusque, quas ob feſtinationem convaſare poterat, concedente.

Paulò pòſt Bucquojus *cum milite Cæſareo in Moraviam progrediens* Iglaviam, Trebitſium, Znaimum, *& alia loca intercepit.*

Particulare tum Diluvium in Montisferratenſi agro ſubortum, ex Tanari & Burmi fluviorum inundatione, quo pagi integri, cum multis ædificiis everſi, hominesque non pauci, cùm copioſa pecorum multitudine aquis obruti atque ſuffocati interierunt.

Decimo quarto dicti menſis die *Elector Saxoniæ Forſtiam inferioris Luſatiæ oppidum, poſteaq; Lubaviam & Gubenam urbem ſuæ poteſtatis fecit.*

Sequenti die 15. Sigismundus III. Poloniæ rex *à ſicario Piekarsky vulneratur, qui tamen ſceleris iſtius pœnas luens, 27. ejusdem menſis, dextra prius tota, & ſiniſtra manu amputatis digitis, quatuor equis diſcerptus, tandemque igne combuſtus eſt, cineribus in auram diſperſis ac diſſeminatis.*

Annus Indorum 1717. & Hegira 1030. incipit 16. Nov. fer. 6.

Hiſpani 18. Decembris *Fridberga urbe Imperiali intercepta, hortos vineasq; ob hyemis inclementiam, & frigoris, cujus inſueti erant, vehementiam, funditus everterunt, graviſſimasque contributiones ab oppidis & pagis exegerunt.*

Sub finem Decembris *Turcicus Imperator pacem cum Perſis confirmans, vires ſuas omnes ex Aſia in Europam convertere decrevit.*

Nuptias celebravit Guſtavus Adolphus, Sueciæ rex, cum Maria Eleonora, filia *Joannis Sigismundi Elect. Brandeb. &c. 26. Novembr. Stockholmiæ.*

Nati ſunt: Fridericus Gulielmus, *filius primogenitus Georgii Gulielmi. March. & Elect. Brandeb, &c. 6. Februarii.*

Erneſtus Bugislaus, *Erneſti, Ducis Croyenſis & Arſchotani filius, 26. Auguſti.*

Mauritius, *Friderici Palatini filius, 27. Decembris: Cuſtrini in Marchia baptiſatus 6. Januarii, anni ſequentis.*

Obierunt: Erneſtus, Dux Croyenſis & Arſchotanus, &c. 7. *Octobris, Oppenheimii.*

Franciſcus, Dux Stetini Pomeraniæ, 27. *Novemb. Improlis.*

Erne-

Erneſtus Ludovicus, Dux inferioris Saxoniæ, &c. *in vico Aſchavia, quatuor milliaribus Lintzio diſtante, à ruſticis occiſus.*

Gulielmus Ludovicus, Comes Naſſaviæ, *Dillenbergicus, &c. Gubernator Friſiæ, ultimo Maji Leovardiæ, poſtquam Ordinibus confœderatorum provinciarum per 40. annos ſalutarem & laudabilem operam præſtiterat.*

Carolus du Vall, Comes Tampſirius, &c. ad Poſonium globo tormentario percuſſus occubuit, ibiq; ſepultus.

Conradus Deckerus, *Theologiæ Doctor Heidelbergæ.*

ANNO MUNDI 5570. Æræ C. 1621.
G. ☉ 6. ☽ 7. *Ind.* 4.

Fridericus, Elector Palatinus Rheni, à Cæſare 29. Januarii proſcribitur, paucisque pòſt diebus Joannes Georgius Marchio *Brandenburgicus Iagerndorffenſis*, Chriſtianus Senior, *Princeps Anhaltinus*, & Georgius Fridericus, *Comes Hohelojus.*

Jeſuitæ, ante biennium ab Ordinibus regni Bohemiæ proſcripti, in Collegium ſuum Pragæ iterum introducuntur: Econtra Jacobus Rehingius, Wolfgangi Gulielmi principis Neoburgici Concionator aulicus, à Jeſuitarum partibus deficiens, Proteſtantium religionem amplectitur, & Tubingæ Scripto publico defectionis ſuæ cauſas edit.

Interim Moravi, Sileſii, & Egerani cives ad obedientiam Cæſaris redierunt.

Hiſpani *itidem* in Wetteravia *ulteriores progreſſus faciendo* Gelnhuſam & Wetzflariam Imperialia oppida *unà cum arce Muntzenbergenſi poteſtatis ſuæ fecerunt, graviſſimis inſuper exactionibus incolas prementes.*

Intenſiſſimum hoc integro ferè menſe frigus fuit, ut etiam pars quadam Maris Balthici valida glacie obducta fuerit.

Decimo nono Februarii Hiſpani Braunfelſium *Comitis Solmenſis arcem* interceperunt. *Poſtrid. verò Calend. Martii* Olthofium & Weſthofium *territorii Wormatienſis oppida*, igne deleta ſunt.

Ita Coloniæ, eodem ferè tempore, exorto in Jeſuitarum templo incendio, totum iſtud cum Sacrario & Bibliotheca inſtructiſſima in cineres redactum fuit.

Hoc ipſo menſe *Rhetia ab Hiſpanorum oppreſſione mirabiliter vindicata eſt, trucidato nimirum Pompejo Planta, cum aliis quibusdam conjurationis iſtius ſociis ac complicibus.*

Induciæ ante duodecennium inter Philippum Hiſpaniæ regem & unitarum Provinciarum Belgicarum Ordines initæ, hoc tempore finitæ fuerunt; cùm autem easdem Albertus, Archidux Auſtriæ per Cancellarium Petrum Peckium inſtaurari rurſus ac prorogari expeteret, dicti Ordines omninò recuſarunt.

Sub initium Aprilis *Pacis tractatio inter Spinolam & Unitos Imperii Principes ac Status facta, hiq; exercitum ſuum è Palatinatu abduxerunt.*

Decimo ſeptimo Aprilis *tres Proditores Hagæ-Comitis, ſupplicio adfecti, eorumque bona fiſco adjudicata fuerunt, quorum primarius Jacobus Mommius, ad Moſam & Wahlam Præfectus.*

Pilſna fortiſſima Bohemiæ urbs anno abhinc tertio ab Erneſto Comite Mansfeldio, vi & armis occupata, jam à Cæſarianis, deditione recuperata: *Falckenavia* autem ab Electore Saxoniæ, *Elbogia* à Bavariæ Duce, *Worlika & Clingenberga* à Balthaſare de Maradas interceptæ fuerunt.

Menſe Majo unitarum Provinciarum in Belgio Ordines ſocietatem Americanæ navigationis inſtituerunt.

Bucquojus, ſecundo Maji *Poſonium* urbem, Arcem verò die ſeptimo, pauloque pòſt *San-Georgio* prius, Poſinga, Modera, Ronzersdorffio, aliisque locis igne deletis, *Tirnaviam & Altenburgum* ſuæ poteſtatis fecit.

Interea Galliarum rex *expeditionem contra Reformatos in proprio ſuo regno ſuſcipiens*, Samuram, Niortum, Tovarſium, Fanum D. Maxentii & Sancti Joannis de Angelo vi ſubegit.

Sub finem Maji, *initium Exſequutionis Cæſareæ factum eſt Oenoponti, ubi* Fridericus Baro Tieffenbachius gladio percuſſus: Die autem undecimo menſis ſequentis, Stylo veteri Pragæ de viginti ſeptem Perſonis illuſtribus, Nobilibusque aliis Primariis ſupplicium ſumptum, præter eos, qui partim virgis cæſi, partim in exilium profligati fuerunt, *adparentibus eadem die ante horam quintam matutinam duabus in cœlo Iridibus divaricatim poſitis.*

Eodem tempore Daniæ rex Erneſto principi Schauenburgico bellum intulit, unde damnum emergens in territorio Pinnenbergico potiſſimum ad quadringenta Imperialium millia æſtimatum fuit, præter quinquaginta millia, quæ in ſpecie Regi Princeps ad perſolvendum militibus ſtipendium numerare coactus eſt.

In principio menſis Julii, Tartari à Polonis in Walachia ad duodecim millia maxima ex parte cæſi ac diſſipati, inque Captivitatem abducti ſunt..

Circa idem tempus Regum aliquot & Principum Indiæ Orientalis filii, ut in religione Chriſtiana, artibusque liberalibus inſtituerentur, in Hollandiam miſſi fuêre.

Decimo quarto Julii, Bavarici à Mansfeldicis fuſi, biduoque pòſt denuò pertinaciſſimè invicem dimicarunt per duodecim ferè horas integras, ubi inter alios etiam, ex parte Ducis Bavariæ, Tribunus militum Baurius occubuit, cujus poſtea cadaver in itinere Bambergam verſus, ubi ſepeliendum erat, cum omni ſupellectile & pecunia interceptum, tandem tamen ſolùm corpus, ad inſtantiam Epiſcopi, redditum, & Herbipoli tumulatum fuit.

Interim *Neuhenſelium*, ultra duos menſes à Bucquojo Comite obſeſſum, eo nimirum trucidato, ab obſidione iterum liberatum fuit.

Die 27. Julii Academia Renthelenſis in Comitatu Schaumburgico aperta fuit, quam Cæſar privilegiis & immunitatibus, Princeps verò Erneſtus ampliſſimis reditibus dotavit.

Sub initium Auguſti Rex Galliarum Pontacum, Bergeracum, San-Fojum & Cleracum ſubjecit, *cujus mœnia deſtruxit, Procuratore Regio cum tribus aliis ibidem ſuſpenſo, pauloque poſt Montalbanum validiſſima obſidione cinxit.*

Eodem menſe Academia Argentinenſis ab Imperatore nova Privilegia, creandi videlicet omnium facultatum Doctores, Licentiatos, Baccalaureos & Poetas Laureatos obtinuit, quæ die 14. ſolemniter promulgata ſunt.

Circa idem tempus *Tirnavia à Gabriele Bethleno recuperata eſt, Poſonium* inſuper, fraſtrà tamen, *obſeſſum*; Hungari autem adeò graſſati ſunt, ut Viennæ una nocte viginti incendia diverſis in locis viſa fuerint, colonis & agricolis undique ad urbem confluentibus, & gemitu planctuque plateas implentibus. Ita & Budianus non minorem crudelitatem exercuit, præterquam enim quod exercitum Comitis de Colalto fudit, rapinis atque flammis loca omnia infeſta reddidit, & quatuordecim quoq; incendia uno eodemque tempore excitavit, ut pagi centum & vigintiti tum ſubverſi dicerentur.

Steinum inter Wormatiam & Ginsheimium ſitum Caſtellum fortiſſimum & quaſi Clavis totius ferè Palatinatus, 22. Auguſti *ab Hiſpanis occupatum* fuit.

Triduo poſt *Arminianorum motus in Belgo, Roterodami & Amſtelrodami recrudeſcunt.*

Decimo ſexto Septembris Sluſam Flandriæ urbem munitiſſimam Præfectus Antverpienſis obſidione cingere cœpit, ſed aggeribus paſſim perfoſſis, agriſque inundatis, re infecta diſcedere, urbemque relinquere coactus eſt, ingenti Balæna, triginta octo ulnas longa, paulò ante in Hollandia inter Hagam & & Graveſcendam capta.

Eodem tempore Reinhardus Titfortus Caſtelli Ridenſis præfectus, gladio percuſſus, quòd propugnaculum iſtud, cum non exiguo arcis Juliacenſis damno, Hiſpanorum voluntati permiſerit; Subpræfectus autem & Signifer exilio mulctati ſunt.

Interea Dux Bavariæ Palatinatum ſuperiorem *ingreſſus* Chamium *primo indeque* Neoburgum, Waldmunchium, Bleiſteinium, Cammathum, Preſtatum, Eichenbacum, Gravenwerdam, aliaque loca occupavit: Hiſpani *autem in Palatinatu inferiore ſub imperio Ferdinandi de Cordovva, Steinio egreſſi,* Bensheimium, Heppenheimium, Veinheimium, arcem Starckenburgenſem, Lutram, totumque tractum Montanum interceperunt.

Vigeſimo Septembris Gabriel Bethlenus, unà cum Joanne Georgio, Marchione Brandenburgico Jægerndorffenſi, Tirnavia movens, Moraviam verſus iter ſuſcepit, *Scalitzium & Straſnitzium* ſuæ poteſtatis fecit.

Quinto die poſt Georgius Gulielmus, Elector Brandenburgicus *ſplendidè* Warſaviam ingreſſus, *& à Sigismundo III. Polonorum Rege, Feudo Prutenico liberaliſſimè donatus fuit.*

Rex Sueciæ Guſtavus Adolphus, *capta Riga, ulterius progrediendo, Livoniam & maximam Curlandiæ partem inſidem accepit.*

Vigeſimo ſeptimo Septembris Franckenthalium ab Hiſpanis obſideri ceptum, verùm ab obſidione iſta, quæ ad decimum quartum usque Octobris perduravit, adventante illuc Mansfeldio ex ſuperiore Palatinatu, liberatum eſt.

Menſe ſequenti Pax inter Turcas & Polonos, poſt cruentum iſtud prælium, tandem inſtaurata fuit.

Decimo octavo Octobris Thaborenſis civitas *in Bohemia diu jam obſeſſa in Don Balthaſaris de Maradas poteſtatem venit.*

Amberga *tum &* Neomarchium, *ſuperioris Palatinatus urbes,* Bavariæ Duci juramentum præſtiterunt, *idem & Tillio factum in inferiori Palatinatu, qui nomine prædicti Ducis* Ladenburgium, Mosbacum, Eberbacum, Steinacum, Schönaviam & alia loca occupavit.

Pari ratione Uratislaviæ, nomine Cæſaris, Johanni Georgio, Electori Saxoniæ, 24. Octobris, à Principibus atque Ordinibus Sileſiæ juramentum præſtitum: *Jægerndorffium* interim a Barone Hannibale à Dohna occupatum.

Lutetiæ hoc tempore ingens exortum fuit Incendium, quo ultra ducenta & quinquaginta conflagrarunt domicilia.

Annus Indorum 1718. & Hegiræ 1031. incipit 6. Novembr. fer. 3.

Decimo octavo Novembris Chriſtianus Brunſvicenſis, Epiſcopus Halberſtadienſis Moguntinenſem Electoratum ingreſſus, 22. dicti menſis die Amœneburgum intercepit.

Montalbanum *in Gallia, poſt aliquot menſium obſidionem, jam liberatum.* Sacerdotes & Concionatores Evangelici Praga & toto Bohemiæ regno excluduntur.

Mansfeldius interim Epiſcopatum Spirenſem infeſtavit, & inde occupata Hagenoa Alſatiam miſere devaſtavit.

Obierunt: Paulus V. Pontifex Romanus 28. *Januarii, ætatis ſuæ 68. cui ſucceſſit* Georgius XV. *antea Ludovicus de Bononia dictus.*

Philippus III. Hiſpaniarum rex, 31. *Martii inter horam 9. & 10. matutinam.*

Albertus, Archidux Auſtriæ 13. *Julii inter horam 11 & 12. noctis, Bruxellis.*

N. Forgatſius Palatinus Ungariæ.

Carolus de Mongaval, Comes Buquojus, &c. *ad Neuheuſelium, ſedecim acceptis vulneribus, & lancea confoſſus occubuit*, 10. *Julii.*

Robertus Bellarminus, Cardinalis 17. *Septembris, in Jeſuitarum templo ſepultus.*

Emmericus Turzo, *cui Stanislaus Turzò ſucceſſit.*

Johannes Opſopæus, *Medicinæ Profeſſor Heidelbergæ.*

ANNO MUNDI 5571. Æræ C. 1622.
E. ☉ 7. ☽ 8. *Ind.* 5.

Sub initium hujus anni Mansfeldius Comes tertium ab Imperatore Ferdinando II. banni fulmine notatus *ac proſcriptus, Pacis itidem tractatio inter Cæſarem & Bethlenum ſuſcepta fuit.*

In Palatinatu autem Bavarici *progredientes*, Utisborgenſem arcem, Elſantium, Venningam, Wimpfam, *& alia loca ſui juris fecerunt.*

Eodem tempore Chriſtianus Dux Brunſvicenſis & Lunæburgenſis, Epiſcopus Halberſtadienſis, Weſtphaliam *ingreſſus*, Lippiam, Suſatum, Lipsbringam, Brackelium, *aliaque loca, & tandem totam ferè* Diœceſin Paterbornenſem cum ipſa urbe occupavit, ingenti theſauro è templo Cathedrali, cum ejusdem Patrono, *S. Liborio*, toto argento, ſecum abrepto, unde poſtmodum Imperiales novos, una facie manum ex urbe protenſam, & gladio armatam, addito hoc Symbolo, Tout avec Dieu, *hoc eſt*, Omnia cum Deo: altera Nomen ſuum cum hac inſcriptione: Gottes Freund/der Pfaffen Feind/ exhibentes, aliosque nummos cudi, & inter milites diſtribui curavit.

Julia-

Juliacum, *menſe Septembri anni ſuperioris, fortiſſima* ab Henrico Comite Montenſi *obſidione cinctum, jam deditione facta,* occupatum eſt.

Die Converſionis Pauli tres Soles & Portentum in cœlo, ut & 8. Februarii Paraſelinæ, cum cruce atra, per medium Lunæ corpus tranſeunte, viſæ ſunt Heidelbergæ.

Octavo Martii Bavarici in Weſtphaliam ingreſſi, aliquot oppida, à Chriſtiano Brunſvicenſi, Epiſcopo Halberſtadienſi occupata recuperant.

Sub idem ferè tempus fratres Societatis Jeſu, & alii catholicæ religionis ordines ex Unitis Belgii Provinciis excluduntur, *& parentes, qui filios ſuos ſub Jeſuitarum diſciplina haberent, domum eos revocare jubentur.*

Mansfeldius *interim poſt deformatam rapinis atque incendiis* Wanſenaviam, *munita prius* Hagenoâ *urbe cum exercitu* in Spirenſem Epiſcopatum *reverſus,* Meidenburgenſem arcem 4. *Aprilis occupavit. Contra* Tillius Comes, *ut facilior ei Heidelbergam verſus, pateret aditus* Minnebergam, Nuslochium, Leimium, Rorbacum, Sinsheimium, Nicrogemundam *& alia loca ſuæ poteſtatis fecit.* Hilgenſteinio *inſuper &* Hilsbaco *interceptis ac fœdè deformatis*; Mansfeldii ſimul turmis aliquot ad Wingartum fuſis fugatisque, qui tamen vires recolligens, Rhenumque ad Rusheimium trajiciens, facto per prædictum Epiſcopatum Spirenſem itinere, Mingelsheimioque accenſo, Bavaricos in occurſum ſibi venientes ita excepit, ut ad duo millia eorum cæſi ac vulnerati, tormenta quatuor cum multis vexillis & captivi quam plurimi Manheimium abducti fuerint; Pauloque poſt Sinsheimium & Eppingam recuperavit, & Ladeburgum intercepit. Chriſtianus autem Brunſvicenſis immenſam pecuniæ ſummam à Monaſterienſibus, Suſatenſibus, & aliis Weſtphalicarum urbium incolis extorſit.

Vigeſimo ſexto die menſis ejuſdem Aprilis, Georgius Fridericus, Marchio Badenſis cum Tillio Comite per integrum diem acriter quidem, ſed minus feliciter, pugnavit, ita, ut ab utraque parte ad quinquies mille perierint; Marchiaci autem, præter quam quod in medio conflictu currus aliquot, pulvere nitrato onuſti, tormentorum diſploſione per incuriam ignem concipientes, caſtris illorum non leve damnum, equis nimirum hominibusque ad duo jugera disjectis, intulerant, ad internecionem ferè cæſi ac diſſipati fuerint, occiſo inter alios Magno, Duce Wirtembergico, ipſo tamen Marchione cum duobus filiis ſalvo evadente.

Eodem tempore *Gallorum Rex* oppida aliquot, quæ parens ejus *Henricus IV.* Reformatis inhabitanda dederat, ſibi reſtitui voluit, quæ partim vi, partim deditione cepit; *Manburtio* direpto & poſt incolas trucidatos, mulieres verò & virgines turpiter violatas, igne accenſo, *Cleracum* etiam, ſuperiori anno, menſe Auguſto mœnibus nudatum, flamma penitus delevit.

Interea novi motus in Rhetia oborti; Griſones enim & Confœderati alii ibidem adverſus Hiſpanos & Archiducis Leopoldi milites inſurgentes, primarios quosque tranſitus ad Richenaviam, Furſtenaviam & Haldenſteinium, interceperunt, tandem etiam *Meyenfeldiam* 23. Maji, *& Curiam* 6. Junii occuparunt.

Eodem menſe Majo Mansfeldius Darmſtadium urbem *occupavit, ipſumque* Principem Ludovicum, Haſſiæ Landgravium captivum abduxit, *militibus interim vicinos pagos & oppida, regionemque omnem circumjacentem pervagantibus ac diripientibus.*

Sub initium menſis Junii Chriſtianus Brunſvicenſis Dux Hœſtiam ad Mœnum ſitam urbem intercepit, milites autem ejus, incendiarii potiùs nuncupandi, *Eſchbornam, Urſellas, Sultzbacum, Niddam* & alia loca in ipſo Pentecoſtes feſto; triſti admodum ſpectaculo ſuccenderunt; verum poſtridie vindictam divinam experti, à Bavaricis eos inſequentibus partim cæſi, partim in Mœno ſubmerſi ac ſuffocati, inter quos & Joannes Caſimirus, Comes Leonſteinius fuit, ipſo Duce fluvium in loco vadoſo tranſeunte, Hæſtiaque à Bavaricis recuperata.

Kalendis Julii, *Haſſiæ Landgravius, certis tamen conditionibus, dimiſſus, Darmſtadium reverſus eſt:* Mansfeldius *autem* cum Chriſtiano Brunſvicenſi *in* Alſatiam *movens, oppida & pagos quam plurimos, ad Epiſcopi Argentoratenſis juriſdictionem pertinentes, uti* Geiſelsheimium, Anckisheimium, Waltsheimium, Ergensheimium, Dolheimium, Andlaviam & Roſenheimium *in quod milites irruentes crudeliſſimè deſævierunt, nec mulierculis, nec infantibus parcentes, incendio deformavit.*

Decimo ſexto Julii, *Stylo veteri ELEONORA,* Cæſar. Majeſtatis conjunx, Poſonii, *Diademate Regio, Trentſchinoprius, quo à Bethleno translatum fuerat, rurſus allato, ſolemni ritu* in Hungariæ Reginam coronata eſt.

Hoc ipſo tempore Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis, ex Anglia, quo An. Chr. 1616. menſe Novembri, ad Jacobum, magnæ Britanniæ regem, ſimulata religionis Pontificiæ mutatione, conceſſerat, iterum diſcedens, Romam profectus eſt.

Decimo octavo Julii, Spinola Steinbergam deditione cepit, *ſimulque* Bergopſomam *obſidione cinxit. Ita & menſe ſequenti* Leopoldus Archidux Auſtriæ Hagenoam & Spiram recuperavit, Wormatiam *iisdem novo introducto præſidio, veterique exauctorato intercepit.*

Menſe Auguſto Mansfeldius, conjunctis cum Brunſvicenſi copiis; Galliæ fines tranſiens, in Belgium iter molitus eſt; quod ubi *Don Gonzales de Cordua* reſcivit, per Lutzelburgenſem provinciam, in regionem Leodienſem ad Moſam properavit, tranſitum illi præcluſurus, verùm ad pagum Fleru in Brabantia concurrentes acerrimè invicem pugnarunt, ut *Chriſtianus Brunſvicenſis etiam vulneratus, manuque ſiniſtra privatus,* ſed vi magna tamen perrumpens, Bredam primo, tandemque in Hollandiam magno cum Incolarum adplauſu advenerit, 19. *Auguſti, Stylo veteri.*

Heydelberga urbs & ſedes Electoralis 16. Septembris Stylo Nov. armatâ manu expugnata fuit, civesque miſerabiliter proſtrati, trucidati, mulierculæ & virgines conſtupratæ, direptione ad tertium usque diem continuata; Et Miſſæ officio 18. dicti menſis die in templo S. Spiritus ibidem celebrato.

Tertio Octobris Spinola cum exercitu ſuo Bergopſoma, adventante Mansfeldio expugna ad Fleru

commiſſa, diſceſſit, & urbs ab obſidione liberata eſt, brevique poſt Mauritius, princeps Auraicus Steinbergam quoque recuperavit.

Annus Indorum 1719. & Hegiræ 1032. incipit 26. Oct. fer. 7.

Eodem menſe poſt varios in Galliæ regno excitatos motus inteſtinos, plurimasque reformatorum urbes à rege interceptas, partim etiam incendio deletas, pax tandem in caſtris ad Montis peſſulum conſtituta, & rex urbem ſplendide ingreſſus eſt.

Vigeſimo quarto dicti menſis die, Tillius Manheimium deditione cepit, *quo facto* Franckenthalium *denuò tentavit, ſed fruſtrà.* Pragæ interim Lutheranorum templa occluduntur, & Auguſtanæ confeſſionis Theologi profligantur, Academiaq; Patribus ſocietatis Jeſu traditur, Verbi miniſtris inde ad Saxoniæ Electorem copiosè confugientibus.

Vigeſimo ſexto Octobris, Glacenſis urbs *à Cæſareis deditione occupata eſt.*

Nuptias ſecundas celebravit Ferdinandus II. Romanor. Imperator, Hungar. & Bohem. rex, &c. cum Eleonora, Vinzentii Gonzagæ, Mantuæ & Montisferrati Ducis filia. 4. Februarii, Oenoponti.

Nati ſunt: Loyſa Hollandina, *filia Friderici Palatini, 18. Aprilis, Hagæ Comitis.*

Heinricus, *filius Johannis-Georgii, Electoris Saxoniæ, &c. 27. Junii, Dreſdæ.*

Obierunt: Erneſtus *Comes Schaumburgicus, &c. 17. Januarii.*

Magnus, Dux Wirtembergicus, *in conflictum ad Wimpffam occubuit, 26. Apr.*

Oſmannus, Achmatis filius Turcarum Imperator, *mantili ſuffocatus 22. Junii, ejusque in locum Patruus Muſtaffa ſuffectus, quem antea idem Oſmannus carceri incluſerat.*

Joannes-Caſimirus, Comes Leonſteinius *in Mœno ſuffocatus periit, 10. Junii St. Vet.*

Fridericus Dux Saxoniæ Vinarienſis, *in prælio, inter Hiſpanos & Mansfeldicos ad pagum Fleru in Brabantia commiſſo, oppetiit 19. Aug. ſtyl. vet.*

Henricus Comes Ortenburgicus, &c. *ibidem occubuit 19. Aug.*

Ulricus Dux Pomeraniæ, &c. *ultimo Octobris, ἄπαις.*

Sophia, *Vidua Chriſtiani I. Ducis & Electoris Saxoniæ, &c. 7. Dec.*

David Paræus *Theol. D. & Profeſſor in Academia Heydelbergenſi Septuagenarius, 15. Junii.*

Dionyſius Gotofredus *JCtus, & Profeſſor Heydelbergenſis, Argentinæ Exul.*

Petrus de Spina, *Aulæ Palatinæ Archiatros.*

ANNO MUNDI 5572. Æræ C. 1623.
E. ☉. 8. ☽ 9. *Ind.* 6.

Ferdinandus II. Imperator ſub initium hujus anni Conventum Electorum Ratisbonæ celebravit.

Pfaffmutzium propugnaculum in medio Rheni Anno 1620. ab Hollandis extructum, ſuperiore verò æſtate ab Hiſpanicis obſeſſum, poſtridie Kl. Januarii, ipſo die S. Stephani (unde nomen poſtea ei inditum) deditione facta *occupatum eſt.*

Hoc ipſo tempore Bibliotheca Heydelbergenſis, totâ ferè Europâ celeberrima, Romam delata fuit.

Interim Mansfeldius Orientalem Friſiam ingreſſus, intolerabiles ſubditis exactiones impoſuit, ejusque miles magnam inibi petulantiam, matronas, virginesque honeſtas in maritorum & parentum conſpectu ſtuprando, omniaque direptionibus infeſta reddendo, exercuit.

Menſe Februario ingens in Hollandia adverſus Principem Auraicum Mauritium, ejusque fratrem Heinricum-Fridericum detecta fuit conſpiratio, cujus auctor primarius Henricus-Daniel Slatius Theologus, & decem alii comprehenſi, cuſtodiæq; traditi, inter quos & Reinbardus, Barnfeldii filius; qui omnes poſtea, diverſis tamen temporibus capitis ſupplicio adfecti, Slatii quidem caput palo adfixum, corpusque rotæ impoſitum; Tres autem illorum, uti Cornelius Gertſen, David Cornvvinder & Hadrianus à Dieck, poſt decollationem in quatuor partes diſſecti, totidemque locis ſuſpenſi, reliqui gladio percuſſi ac ſepulti ſunt.

Vigeſimo-quinto dicti menſis Februarii die à Cæſare Ferdinando II. Maximilianus Bavariæ Dux, S. Romani Imperii Archidapifer, & Elector Palatinus ſolenniter inauguratus eſt Ratisbonæ: Ubi etiam 12. Martii idem Imperator Joannem-Georgium, Comitem Hohenzollerenſem, Imperii Principem declaravit ac conſtituit.

Carolus, Jacobi, Magnæ Britanniæ Regis F. Walliæ Princeps, poſtquàm *ſub initium Menſis Martii*, conſcenſa navi fretum prius trajiciens, per Gallias in Hiſpaniam, matrimonialis negotii cauſa, iter ingreſſus fuerat, 17. ejuſdem menſis die Madritum cum comitatu ſuo ſalvus advenit, inibique liberaliſſimè habitus, & magni precii muneribus donatus, ad 9. Septembris uſque commoratus eſt, quo inde diſcedens, 16. Octobris Londinum rurſus adpulit.

Franckenthalium, cùm expugnatu admodum difficile videbatur, *Infanti Hiſpaniarum Iſabellæ in Sequeſtrationem 19. Martii traditum:* Et Marpurgenſis Civitas atque Academia, quam Mauritius Haſſiæ Landgr. hactenus, ex teſtamento Ludovici Senioris Landgravii, ſolus poſſederat, Patrueli ejus Ludovico Darmſtadienſi, per ſententiam Cæſaris, KL. Aprilibus etiam Ratisbonæ latam, adjudicata fuit, quam ille etiam Anno ſequenti, ſub finem menſis Martii, in poſſeſſionem accepit.

Berga, totius Norvvegiæ Emporium, hoc tempore totum ferè flammis abſumtum eſt, ut & Slebuſcum, Juliacenſis agri oppidum ab Hiſpanis militibus, cùm præſidium admittere recuſaret, in cineres redactum, incolis partim gladio, partim igne deletis.

Ordines Unitarum Provinciarum in Belgio interim fœdus cum Tunetanis & Algierenſibus, à quorum navibus ſuæ non parùm damni hactenùs perceeperant, ineunt, factumque prius iſtud A. C. 1612. inſtaurant.

Sub initium Junii, Superior & Inferior Luſatia à Cæſare Saxoniæ Electori, Joannis-Georgio per Legatos attribuitur: Eodem tempore Naves Hollandicæ Urbem S. Angeli in Gallitia, & Meccaum in Orientali India, Luſitanorum claſſe diſſipata, occuparunt.

Eodem Menſe, & quidem nocte, feſtum D. Joannis

nis præcedente, ingens & formidabilis Argentinæ tempeſtas exſtitit. & turris pulveraria fulmine tacta, fabri tamen cujuſdam lignarii accurrentis opera, & ſingulari Dei Omnipotentis gratia, incendium ſedatum fuit: Ita & multa paſſim cruenta prodigia hac æſtate adparuerunt; in Pojebradenſi Boemiæ ditione, puteus in ſanguinem totus quaſi verſus per aliquot dies: alibi parietes, ſcamna & menſæ ſanguinem ſudare viſæ ſunt.

Quinto Auguſti, *Chriſtiani Brunſuicenſis Exercitus a Tillio ingentem cladem accepit, quamplurimis crudeliſſimè necatis, multuque perſonis Illuſtribus, inprimis Friderico Altenburgenſi, & Gulielmo Vinarienſi, Saxoniæ Ducibus, Joanne Philippo Rhingravio, & Hermanno Franco, generali Commiſſario, aliiſque Comitibus & Baronibus captis.*

Menſe Septembri, tanta annonæ caritas in Sileſia & Moravia fuit, agris ſegete paſſim deſtitutis, ut modius unicus tritici triginta, ſiliginis autem viginti Imperialibus venierit fameq; & peſte quam plurimi perierint: Contra in Alſatia juxta Obernburgheimenſe Oppidum, ingens farinæ cumulus ex terra, in patenti campo prorupit, quam homines egeni, ad conficiendos panes, pulmentaq; pro infantibus inde paranda convenientem, magna ſecum copia domum aſportarunt.

Lippia 6. Septembris, à Joanne Comite Ritbergenſi, nomine Regis Hiſpaniarum & Palatini Neoburgici obſidione cincta, 24. tandem Octobris deditione capta eſt: Cujus exemplum *Hervordia Bilefeldia & aliæ Ravenſpurgenſis Comitatus Civitates* ſequutæ, ſeque ultrò Palatino Neoburgenſi commiſerunt.

Circa hoc tempus *Muſtaffa Imperator Turcicus*, qui in necati ex fratre nepotis Oſmanni locum ſuperiori anno electus fuerat, lubens ſeſe Imperio abdicavit, illudque Amurathi, præfati Oſmanni fratri, ſedecim annos nato tradidit: Alii eum, cum poſt Oſmanni cædem annum circiter unum regnaſſet, denuò cuſtodiæ mancipatum ſcribunt. (Vid. Archontologiam Coſmicam Joannis Ludovici Gotofredi.)

Annus Indor. 1720. *& Hegira* 1033. *incipit die* 15. *Octbr. feriâ* 4.

Vigeſimo ſexto Octobris, Londini in Anglia, in Oratoris Hiſpanici ædibus, à Patre Societatis Jeſu Druerio concio habita; cui cùm amplius quadringenti Pontificii cum multis Reformatis intereſſent, nimio pondere contignatio fracta, & nonaginta circiter homines, unà cùm ipſo Concionatore Jeſuita, oppreſſi interierunt.

Die octava menſis ſequentis Hægera, Comitatus Naſſovii Dillenburgenſis oppidum, incendio oborto, trium horarum ſpatio totum in cineres converſum, miſerè periit, cùm pridie globus igneus cœlo delapſus, Tubingæ, Argentorati, Ulmæ, Spiræ, & in Electoratu Bavariæ, conſpectus fuerit, uti id ipſum Iſaacus Habrechtus, Med. Doct. publico Scripto teſtatus eſt. Ita & 22. ejuſdem menſis Londini ancillæ cujuſdam incuria, multa ædificia flammis abſumpta ſunt.

Sporenberga Comitatus Ravenſpurgenſis Arx, 28. Novembris, itidem per deditionem ab Hiſpanis occupata; *Gruthuſium* verò, Clivenſis ditionis oppidum, direptum ac ſpoliatum; & *Eſſena*, Montium civitas præſidium recipere detrectans, à Don Cordua expugnata eſt.

Reformati hoc tempore in Gallia liberi religionis ſuæ exercitii confirmationem, miſſo ad Regem Legato, impetrarunt.

In oppidulo Bohemiæ, dimidio à Cuttenberga miliari ſito, utriuſque ſexus homines, in ipſo Nativitatis Chriſti feſto, ad audiendam concionem ſacram congregati, à militibus ex improviſo oppreſſi, pane Euchariſtico & Calice in terram fuſo, pedibusque conculcato, & mulierculis quibusdam in ipſo templo conſtupratis, veſtibus exuti, aliisque ornamentis fœdè ſpoliati ſunt.

Nati ſunt: Ludovicus, *Filius Friderici Palatini &c.* 21. *Auguſti Haga-Comitis.*

Margaretha-Maria Catharina *F. Philippi IV. Cognom. Dominici Victoris Hiſpaniarum Regis, &c.* 25. *Novemb. die D. Catharinæ, quæ tamen brevi poſt iterum denata.*

Obierunt: Gregorius XV. Pontif. Romanus. 8. *Julii; in cujus locum ſuffectus Urbanus IIX. anteà Mapheus Barbarinus dictus Florentinus, Epiſcopus Spoletanus in Hetruria, &c. electus* 7. *Auguſti; Coronatus autem* 2[illegible]. *Septembris in feſto D. Michaelis Archangeli.*

Georgius, Comes Naſſaviæ *Dillenbergenſis &c. Joannis Senioris Fil.* 9. *Aug.*

Antonius Priulus Dux Venetus, 12. *Auguſti; cui ſucceſſit Franciſcus Contarenus* 3. *Septembris.*

Lotharius Archiepiſcopus & Elector Trevirenſis 7. *Septembris; cui ſurrogatus eſt Philippus-Chriſtophorus a Setern Epiſcopus Spirenſis.*

Joannes Medius, Comes Naſſavienſis, *Dillenbergicus &c. Georgii frater* 27. *Sept.*

Clara Maria, Bugiſlai XIII. Ducis Stet. Pomer. &c. Filia; *Auguſti Junioris, Ducis Brunſuic. & Lunab. &c. Conjunx prima.*

Erdmudis Brandenburgica, *Johannis Georgii Electoris F. Johannis Friderici Ducis Stetini Pomer. &c. Vidua* 13. *Nov.*

Philippus Mornæus, *Nobilis Gallus, ſcriptis Theologicis clarus.*

ANNO MUNDI 5573. Æræ C. 1624.
DC. ☉ 9. ☽ 10. *Ind.* 7.

Sub ingreſſum hujus anni, Jeſuitæ & Eccleſiaſtici alii diverſorum Ordinum, qui durante tractatione matrimonii inter Carolum, Walliæ Principem, & Sereniſſ. Hiſpaniæ Infantem, magno numero in Angliam confluxerant, publico Regis edicto intra 40. dies, univerſo Regno excedere jubentur; quemadmodum etiam ex Hybernia, mandato Regis, menſe ſequenti Februario proſcripti ſunt.

Novus ille Ordo Equeſtris de Sancta militia, ante quinquennium Viennæ inſtitutus, eodem menſe Februario Romæ à Pontifice confirmatus eſt, & Equites à Conceptione Mariæ Virginis nomen acceperunt.

Tartari hoc ipſo menſe, quadraginta millium armatorum numero in finibus Moldavicis non procul à Camineczio convenientes irruptionem in Poloniam iterum facturi, ſed ſtrenuè excepti, ingentique accepta clade fuſi fugatique ſunt.

Ingens terræ motus in oppido quodam Italiæ Argenta,

Argenta, duodecim à Ferraria miliaribus diſtante, 21. Martii obortus eſt, quo centum & triginta ædificia, tria templa cum inſigni turri & ſeptem portis corruerunt, multis aliis inſuper ædibus disruptis, & viginti quinque hominibus, præter vulneratos miſereque deformatos quam plurimos, oppreſſis atque extinctis. Pagus itidem in Alpibus Caſſadorenis, Italiam verſus ſitis, cum trecentis hominibus eodem hoc tempore, nive obrutus ac coopertus eſt.

Concionatoribus Evangelicis ægrotos conſolandi, & Sacramentum Cœnæ Dominicæ ſub utraque ſpecie adminiſtrandi gratia, Viennam ingredi, uti & ejuſdem religionis Exercitium univerſis, Regni Boemiæ & Marchionatus Moraviæ ſubditis, Mandato Cæſareo, eodem menſe Martio, Viennæ & Pragæ publicè promulgato, interdictum fuit.

Sub finem hujus menſis, Ludovicus Haſſiæ Landgravius Marpurgum, *quod per ſententiam Cæſaris anno ſuperiore ei adjudicatum fuerat, ingreſſus, poſſeſſionem adprehendit, inſtitutaque reformatione,* Academiam Gieſſenam *illuc tranſtulit.*

Eodem tempore Suevici Circuli Conventus Ulmæ habitus, & præſentibus ibi multorum tàm Epiſcoporum, quàm Principum, Comitum, Baronum, Civitatumque Imperialium Legatis, de modo, irrumpenti Bethleno cum Turcarum Tartarorumque copiis in Hungariam, reſiſtendi deliberatum; tandemq; expetitum pro viginti menſibus ſtipendium, Cæſari contribuendum, promiſſum fuit.

Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis, quem ſuprà Anno 1622. ex Anglia Romam profectum diximus, ibidem menſe Aprili, licet ad Eccleſiæ Catholicæ gremium, factâ revocatione, ſe iterum contuliſſet, ad mandatum tamen Pontificis, in Caſtellum S. Angeli captivus abductus, ubi etiam ſub finem hujus anni mortuus; cadaver autem, propter Apoſtaſiam, Vulcano conſecratum fuit.

Sequens menſis Majus frequentioribus deflagrationibus admodum formidabilis fuit; nam quarto ejuſdem die *Moguntiæ* intrà decimam & undecimam noctis horam incendio ſuborto, multa paſſim ædificia & diverſoria publica conflagrârunt: Idem infortunium biduò pòſt, *ipſo nimirum Aſcenſionis Dominicæ feſto Uſingæ*, quæ Comitatus Naſſovici Sarbruccenſis oppidum eſt, proh dolor! obtigit; in ea ſiquidem inter horrenda tonitrua centum & octo ædificia, exceptis horreis atque ſtabulis, accenſa, cum omni ſuppellectile, & multis pecoribus perierunt. Brevi pòſt, die nimirùm octavo, ingens tempeſtas *Ratisbonæ exorta, ut extremum diem imminere omnes putarent; fulmine n. tacta Turris Pulveraria*, quâ plus quàm ducenti nitrati pulveris centenarii adſervati erant, maximoque cum fragore disjecta, irreparabile urbi damnum intulit; Propugnaculum quippe & mœnia in foſſam civitatis proſtrata, Monaſterium S. Emerani, Templum Obermonaſterienſe & Collegium Jeſuitarum, præter ducenta civium ædificia, everſa & quatuor homines trucidati fuerunt, ne fornace quidem & feneſtrâ ullâ in urbe ſalva atque incolumi relictis. Quin & *Ilmenavia*, Thuringiæ oppidum, totum ferè cum hominibus non paucis, Infantibus item & Puerperis aliquot, exuſtum fuit, multis ibidem *Culmbaci*, & aliis in locis, ædificiis igne deletis, variiſque in cœlo conſpectis prodigiis.

Eadem die, octava Maji, *Pax inter Cæſarem & Gabrielem Bethlenum Viennæ inita eſt.*

Nono Maji, & diebus ſequentibus, *Sinus Braſilienſis de Todos los Santos*, hoc eſt, Omnium Sanctorum, cum Urbe S. Salvatoris à Claſſe Holland. ea occupatus; Duce Claſſis Domino à Dort, qui poſtmodum, extrà urbem fortè animi gratiâ, pauco comitatu obambulans, à paganis iſtis ſagittis confectus, & caput ei amputatum.

Fridericus Saxoniæ Dux Altenburgicus, & Chriſtianus Senior, Princeps Anhaltinus, *à Cæſare ſupplices ingratiam recepti. Ille* 13. *Maji. Hic* 11. *Jun.*

Denuò Jeſuitæ Catholicæ Religioni addicti omnes ex Regno Angliæ, quemadmodum menſe Februario pariter in Hybernia factum, proſcribuntur, ut ante quintum Junii diem exeant.

Nono Junii Coſacci Neoſtadium, *Hungariæ oppidum, diripuerunt*, fæminasque & puellas ad templum, majoris ſecuritatis ergò confugientes, in ſacro iſto loco (proh ſcelus!) pro libitu ſtuparunt. *Tartari quoque Poloniæ fines rurſus ingreſſi, oppida & pagos devaſtarunt, ſegetesque in agris accenderunt, ſed à ſupervenientibus Polonis ad internecionem usq; catervatim cæſi ſunt, ut campus cadaveribus ad quatuor miliaria impletus fuerit.*

Vigeſima ejusdem menſis die, Bremæ etiam maxima tempeſtate ſuborta, quadraginta vaſcula pulvere tormentario referta, & in Pomerio juxta Portam Orientalem adſervata, fulmine tacta, ignem conceperunt, quo ſuperior turris pars disjecta, quingenta & amplius ædificia tectis privata, feneſtræ quàmplurimæ diſſipatæ, hominesque decem interempti fuerunt.

Sub finem Junii Sleuſingæ, *in Comitatu Hennenbergico*, Conventus Electoralis *habitus*, cui Joannes Sueiccardus, *Archiepiſcopus Moguntinus, & Septemvir*; Joannes-Georgius Elector *Saxoniæ, &c.* Joannes Caſimirus *Dux Saxoniæ, &c.* Ludovicus *Haſſiæ Landgravius, &* Antonius-Henricus *Comes Schvvarzenburgius, aliorum Principum Legati interfuerunt*; *In eo* Maximilianus Bavariæ Dux ac Elector, *qui Tillium Comitem, ſuo nomine illuc ablegaverat*, in Collegium Septem virale receptus eſt.

In initio Auguſti, Henricus Comes Montenſis, Monderbergam Arcem, & Cliviam civitatem deditione occupavit, quam utramque tamen menſe ſequenti Henricus Fridericus Princeps Auraicus recuperavit.

Vigeſimo-ſexto Auguſti, *Marchio Spinola Bredam*, Brabantiæ Urbem, quam anno A.C. 1590. 4. Martii Mauritius Naſſovius, Princeps Auraicus, &c. ſingulari quodam Strategemate occupaverat, obſidione validiſſima cingere cœpit.

Eodem tempore Pfortzheimium *à Bavaricis poſt duodecim horarum reluctationem, deditione captum. Septimo autem Septembris* Templum Lutheranorum, tempore Rudolphi II. auguſtiſſimæ mem. Imperatoris Pragæ in minori oppido caſtructum, Carmelitis Monachis, pauloque pòſt aliud in urbe Veteri Jeſuitis traditum, ab iisque repurgatum ac conſecratum fuit.

Decimo

Decimo-ſeptimo dicti menſis die, Gulielmus Saxoniæ Dux Vinariensis, *à Cæſare in gratiam receptus, priſtinæque libertati ex captivitate ſua reſtitutus eſt.*

Circa idem tempus Galliæ & Angliæ Reges, item Reſpubl. Veneta & Dux Sabaudiæ, novam unionem ſive confœderationem inierunt.

Interim mandato Cæſaris Paſtores Evangelici provincia ſuperioris Auſtriæ egredi jubetur, quod etiam ad præfinitum terminum factum eſt, ubi videlicet magno numero Concionatores & Ludimagiſtri cum uxoribus & liberis miſerè plorantes conſcenſis navigiis, Danubium trajiciendo, Imperium verſus conceſſerunt.

Annus Indor. 1721. *& Hegira* 1034. *incipit die* 3. *Octobr. feriâ* 5.

Sub finem Octobr. ingens inter Turcas & Tartaros commiſſum prælium, Turcæque à Tartaris devicti ac profligati, quòd videlicet poſt Tartarorum Regis obitum filius natu ſecundus regnum occupaverat, primogenitus autem id ipſum Turcarum ope atque auxilio recuperare conatus fuerat. Ita & Pontificis Rom. ac Magni Ducis Florentiæ naves famoſiſſimum iſtum Pyratam Alcairenſem, Calefat Allar nuncupatum in mari Mediterraneo fortiſſimè debellarunt, ut ipſemet navem ſuam Prætoriam pulvere tormentario incendere neceſſum habuerit.

Intereà *Rhæti*, ope Regis Galliarum, Veltlini recuperandi initium facientes, *Stergam, Meyenfeldum* & alia loca Sueviam verſus occuparunt. Provincialibus cæſis, quorum uni tanquam proditori, ferro candente collum perforârunt.

Menſe ſequenti, Electoris Brandenburgici nomine, Dux belli Quadius *Unnam*, Marcanæ Provinciæ Urbem, ut & *Lunam, Camenamque* occupavit; contrà Palatino Neoburgicus Provincialis Vicarius, Sieghergius, *Hœrdanam* Domum Brandeburgicis eripuit.

Vigeſimâ-primâ Novembris, *Generalis Galliæ Regis* Marchio de Cœuure *in Rhætia pergens* Veltlinum *ingreſſus arcem* Pio domo *dictam*, Tiranum *&* Sonderliam, *totius Provinciæ Metropolin ſui juris fecit.*

Eodem menſe, vehementiſſima in mari ſuborta tempeſtate, navis Anglica, quâ Erneſtus Mansfeldius, Uliſſingâ ſolvens, in Angliam tendebat, cum centum & triginta quatuor perſonis, inter quos & Conradus, Comes Witgenſteinius, impedimentis omnibus, vaſis argenteis, duabusque ciſtulis auro refertis, ſubmerſa periit; Ipſo tamen Mansfeldio, beneficio parvæ cujuſdam navis Hollandicæ, quam fortè fortunâ ibi repertam conſcenderat, cum præcipuis quibuſdam Miniſtris bellicis, rebuſque ſecretioribus, evadente.

Decimò Novembris, *in profeſto D. Martini Epiſcopi*, Rugenwaldia, Pomeraniæ Urbs, tota ferè incendio periit.

Vigeſimo-primo Decembris Urbanus VIII. Pontif. Rom. Anni Jubilæi initium fecit, factaque proceſſione ſolemni ad Baſilicam D. Petri, conſuetis inibi ceremoniis portam Sacram aperuit.

Nati ſunt: Eduardus, *Friderici Palatini Filius*, 6. *Octobris Hagæ Comitis.*

Joannes Sigiſmundus II. *Georgii Gulielmi Elect. Brandenb. F.* 25. *Julii, qui* 30. *Octobris ejuſdem anni in ipſis Baptiſmi ſolemnibus rurſum denatus.*

Obierunt: Joannes Georgius, *Marchio Brandenburgicus, Jagerndorffenſis, &c. Poſtrid. KL. Martii Leobuſii (Germanis* Leutſch) *in Comitatu Czepuſienſi ſuperioris Hungariæ, Caſchoviæ ſepultus* 20. *ejuſdem menſis die.*

Henricus Lotharingiæ & Barri Dux 30. *Julii.*

Franciſcus Contarenus, Dux Venetus 6. *Dec. cui ſucceſſit* Joannes Cornarus *Procurator D. Marci ſeptuagenarius.*

Ludovicus, *Friderici Palatini F.* 24. *Decembr. Hagæ Comitis.*

Carolus, Archidux Auſtriæ, *Imp. Ferdinandi II. Frater, Magiſter Ordinis Teutonici, Epiſcopus Uratislavienſis & Brixienſis, &c. Madriti in Hiſpania* 28. *Decembris h. e. die Innocentium Puerorum.*

Conradus, *Comes Witgenſteinius, in Oceano Germanico Uliſſinga in Angliam trajiciens.*

Marcus-Antonius de Dominis, Archiopiſcopus Spalatenſis, Romæ in cuſtodia, ubi propter Apoſtaſiam detentus fuerat hactenus, 19. Dec. biduò pòſt autem cadaver ejus in Campo Florum, unà cum libris quibuſdam ab ipſo ſcriptis, combuſtum eſt, cineribus in Tyberim diſperſis.

ANNO MUNDI 5574. Poſt C. 1625.
B. ☉ 10. ☽ 11. *Ind.* 8.

Sub initium hujus anni Regis Galliarum Dux bellicus *Marchio de Cœuure Comitatum Bormienſem* in Valle Telina, Tyrolenſem Comitatum verſus ſitum, tanquam ſingularem aditum in Germaniam iterùm recuperavit, paulòque pòſt Arcem firmiſſimam, *Novam Franciam* dictam, contrà Fuentiam munitionem exſtrui curavit.

Interea Hollandi *Gotham* urbem, Thoma Pacq; Locum-tenente, inprimis ſub nomine amici, noctu mœnia conſcendente, & excubitores nonnullos trucidante, occuparunt, paucisque poſt diebus Arcem quoque militari manu interceperunt.

In principio Februarii, Galli in Rhætia *progredientes*, Clavennam *urbem, & ſub ejuſdem menſis finem, Arcem ei adjacentem ſuæ poteſtatis fecerunt.* Rhotomagi *autem in Gallia ſicarius, qui Regem bicipiti cultro necare voluerat, vivus vota ſupplicio adfectus, poſteaque una cum famulo, laqueo ſuffocato, combuſtus eſt.*

Eodem tempore Hollando Brandenburgici milites *Gresheimium*, non procul à Duſſeldorpio ſitum Oppidulum hoſtiliter invaſerunt, ac diripuerunt, quorum quinquaginta poſteà à Neoburgicis capti, eorumque novendecim ſuſpenſi, & ſex aliis in terrorem, gladio percuſſi ſunt.

Duodecimo dicti menſis die, Dux bellicus Brandeburgicus, nomine *Genthium ſuſatum* Urbem occupavit, in eaque, præter tormenta & munitiones bellicas, ſexaginta Imperialium millia & 4000. Coronatorum, aliamque prædam ſatis amplam accepit.

Hoc ipſo menſe aquarum inundationes in Pomerania paſſi & alibi ingens damnum dederunt, multis etiam in portu Stralesſundenſi, ut & Lubecæ & Hamburgi, navibus, partim conquaſſatis, partim etiam ventorum vi disjectis, ac penitus ſubmerſis.

Nova interim Italiam verſus expeditio à Rege Galliarum & Duce Sabaudiæ ſuſcepta fuit, cujus

cujus *Dux Franciſcus de Bone, Dux de Diguieres,* Regni Franciæ Conneſtabilis,conſtitutus: Is hoc tempore *Nizam della Paglia*, utpote præcipuum aliquem Mediolanum & Genuam verſus aditum brevi pôſt *Caſtel-Novo*, Arcem munitiſſimam intercepit. *Marchio* autem *de Cevure Rivam* oppidum unà cum Arce obſidione cinxit.

Undecimo Aprilis Galli Genuenſium exercitum undiquaque circumſeptum fuderunt, ſex acceptis tormentis bellicis, & quatuordecim vexillis, ipſoque Hiſpanorum Generali Thoma Caraciola Neapolitano; Ludovico Quaſco, Mareſchallo Campi; Stephano Spinola, multisque Capitaneis, Equitum Tribunis & Signiferis, aliisque ex præcipua nobilitate viris, captivis ſecum abductis & Turinum transmiſſis; Cui nimirùm pugnæ ipſemet Dux Sabaudiæ interfuit, qui cum copiis ſuis ulterius progrediendo, Arcem fortiſſimam *Ottaglio, Bochetam, Caſſonam & Gavium* occupavit, ubi duodecim rurſus tormentis potitus eſt.

Vigeſimo ſecundo Aprilis, Dynaſtia Hernalſenſis, ubi incolæ exercitum Religionis Evangelicæ habuerant, aliique ex Urbe Vienna hactenus conciones auditum iverant, Helmbardo Iorgero Baroni adempta, & fiſco Cæſareo per Commiſſarios adjudicata fuit. Concionatoribus abſque ulla mora loco cedere juſſis.

Vigeſimo quarto ejuſdem menſis die Gubernator Sabaudicus, cui *Niza* commiſſa, *Bennam* Genuenſium Oppidum ſubegit, illicque quatuordecim machinas bellicas, & ſexaginta pulveris tormentarii centenarios repertos, in ſuam poteſtatem redegit. E contra Genuenſes *Onegliam*, à Sabaudo trecentorum militum præſidio munitam, armatâ manu occuparunt, majore præſidiariorum parte trucidata; quam tamen Victor-Amadæus, Sabaudiæ Ducis Filius, paulò pôſt recepit, novumque Genuenſium præſidium talionis jure ſimiliter necari curavit.

Eodem hoc menſe Legatus Reip. Venetæ Simon Contarenus Conſtantinopol. ad Imp. Turcicum miſſus, ab eo non tantum Pacem perpetuam, ſed etiam opem & auxilium, ſi hoſtiliter fortaſsè ab aliis infeſtarentur, obtinuit.

Sub finem menſis Aprilis, Sinum Braſilienſem de Todos los Senatos, unà cum urbe S. Salvatoris *ſuperiore anno ab Hollandis occupatum, Hiſpani recuperarunt.*

Septimo Maji, Londini in Anglia Exſequiæ Magnæ Britanniæ Regis Jacobi, ſolemnibus adhibitis ceremoniis, celebratæ ſunt.

Decimo-quarto Maji Chriſtianus IV. Daniæ Rex, poſtquam paulò antè Inferioris Saxoniæ Circuli generalis Dux electus fuerat, cauſas præparationis bellicæ Cæſari per literas indicavit.

Hoc ipſo menſe Majo Pax inter Cæſarem & Turcam renovata, certisque articulis ſtabilita ac confirmata fuit.

Breda Urbs, quam A.C. 1590. 4. Martii Mauritius Naſſovius Princeps Auraicus artificioſo quodam Strategemate, navi ſcilicet ceſpites in urbem ferente, militibus autem in eâdem abſconditis, occupaverat, poſtrid. KL. Junii, factâ deditione, ab Hiſpanis recuperata, præſidioque triduo pôſt egrediente, Senatus Catholicus inibi conſtitutus eſt.

Tertio Junii Ludovicus Haſſiæ Landgravius Academiam Marpurgenſem, *ante biennium à Cæſare ſibi per ſententiam adjudicatam, ſolemnibus adhibitis ceremoniis, in Procerum Ordinumque Provincialium præſentia,* reformavit, in locum Profeſſorum quorundam diſcedentium, aliis ex Univerſitate Gieſſena ſubſtitutis.

Intereà Dux bellicus Ordinum Confœderatorum Belgii *Genthius Hervordiam & Bilefeldiam* civitates Comitatus Ravenſpurgenſis, Anno 1623. Hiſpaniarum Regis nomine à Joanne Ritbergenſe Comite occupatas, recuperavit; hanc quidem per inſidias, dum videlicet Juniores aliquot audaculi, muliebribus veſtibus ruſticis induti, circa veſperam urbem ingreſſi, noctuque reſeratis portis Illum cum exercitu ſuo intromiſerunt; paulò pôſt tamen hæc ipſa Urbs ab eo iterùm relicta, ac Ervittio præfecto Hiſpaniæ tradita fuit.

Eodem hoc tempore *Sabaudiæ Ducis Filii, Victor-Amadæus & Thomas*, Principes Pedemontii, cum Genuenſibus acerrimè conflixerunt, & *Joannem-Hieronymum Doriam*, cum ſex militum millibus tribusque tormentis illis ſuccurrentem, octingentis eorum cæſis, captivum abduxerunt, Turinumq; tranſmiſerunt, Poſt cladem iſtam *Arce Pievi* quoque, *Araſta, Portu Mauritii, Diano, Fano S. Remi, Lauduno & Albenna* potiti ſunt, quæ poſteriora duo tamen oppida brevi pôſt rurſus amiſerunt, trecentis Gallorum ſecuri percuſſis.

Menſe Julio, Guſtavus Adolphus, Sueciæ Rex, *cum ingenti 76. navium claſſe*, Rigam *adpulit, factaque illic excenſione Exercitus, ulterius progrediendo* Kockenhuſium, Niedorffium, Selburgum, Duneburgum *&* Dorptam *occupavit.*

Decimo-octavo Julii Henricus-Fridericus Princeps Auraicus *in Ordinem Equitum Garterii cooptatus & aurea Periſcelide donatus eſt Heuſdæ, ab Oratore Magnæ Britanniæ Regis Caroli.*

Tillius interim *Comes Haxteram* propugnaculum, & *Holtzmundam* tranſitum ad Viſurgim, intercepit. Daniæ autem Rex, vallum urbis Hamelæ, & ſtationes ibidem diſpoſitas perluſtrans, equo ipſius fragore bombardæ territo, deque vallo in imum uſque præcipitato & cervices confringente, vehementer læſus, in graviſſimum vitæ periculum incidit; Dei tamen beneficio, ac diligenti Medicorum & Chirurgorum ope priſtinæ valetudini reſtitutus eſt: Hic cum inde diſcederet, exercitumque ſuum in Epiſcopatum Verdenſem abduceret, *Tillius Hamelam & Mundam occupavit*, Cæſareumque iis præſidium impoſuit: *Cæſareanis interea aliis direptionibus crebris agrum Brunſuicenſem infeſtantibus, aliis in Comitatu Schaumburgico incendiis magnum incolis damnum inferentibus, verbi miniſtros, quibusdam in locis manibus & pedibus, nonnullos etiam naribus auribusque mutilantibus, & fœminarum mammillas reſecantibus.*

Eodem hoc menſe Julio horrendæ paſſim tempeſtates, tonitrua & grandines variis in locis, præſertim verò in Sileſia, Bohemia & Comitatu Hennenbergico multum damni dederunt. Peſtis etiam in Anglia adeò ſæviis, ut quandoque ad tria millia hominum unica ſeptimana extincti fuerint. Simile Contagium Bohemiam quoque, Auſtriam, Marchiam Brandenburgenſem & Pomeraniam graviter adflixit.

Rex Hiſpaniarum negotiationes cum regnorum ſuorum incolis hoc tempore, publico mandato Unitis Provinciis interdixit. Gubernator itidem Mediolanenſis *Vernam* civitatem in Monteferrato; quæ Juriſdictionis Sabaudicæ eſt, arctiſſima obſidione cinxit, qua durante, Don Ferdinando de Verrado occubuit. In Galliæ autem Hugonotis tàm prophanâ, quàm Religionis Pax ad triennium confirmatur.

Menſe Auguſto Tillius Stoltzenaviam intercepit, qui cum *Nienburgum* peteret, 24. Auguſti fortiter repreſſus eſt, triduoque poſt habito cum Danicis conflictû, circitur duo millia ſuorum in eo amiſit; idem quoque illi obtigit KL. Septembribus, ubi Nienburgenſes, facta eruptione, centum ex Cæſarianis in foſſis oppreſſerunt ac trucidârunt: Ubi tùm Rex Daniæ ditionem Lunæburgenſem per aliquot dies militi ſuo diripiendam dedit. *Tillius* autem in obſidione Nieburgenſi pergens, *Arcem Wolpenſem* vi occupavit, caſtris ſuis *Petershagum & Mindam* usque transfuſis, ut eò melius annonæ in caſtra Danica transvehendæ commoditatem præriperet; obſeſſis interim ſtrenuè ſeſe defendentibus, & multis etiam in ipſis foſſis ſæpè necantibus.

Annus Indorum 1722. *& Hegira* 1035. *incipit* 23. *Sept. fer.* 6.

Die D. Bartholomæi Jaroslavium, *celebratiſſimum Podoliæ oppidum, ipſo nundinarum tempore miſerè conflagravit, adeoque devaſtatum fuit, ut præter quatuor officinas inſtitorias, nihil in columo permanſerit.*

Circa idem tempus Dux Soubiſius *unà cum Rupellenſium copiis mari pulſus eſt à* Duce Montmorancio, *Regiæ claſſis præfecto.*

Sub initium Octobris, Neapolis, Auſtriæ Urbe, à novo templo usque ad portam Viennenſem, cum circumjacentibus plateis incendio periit.

Eodem tempore Confœderatio inter Angliæ, Daniæ, & Sueciæ Reges, ac Provinciarum unitarum Belgicarum Ordines in quindecim annos inita eſt, ad bellum videlicet contrà Hiſpaniæ Regem, quem etiam Angliæ Rex hoſtem ſuum declaravit, terrâ marique gerendum.

Peſtis in Anglia recrudui, Londini cumprimis, adeò vehementer graſſata, ut in illa Urbe tantùm unius hebdomadæ ſpacio 4870. hominum perierint, Rege interim Oxoniæ cum aulâ ſuâ commorante.

Albertus Fridlandiæ Dux intereà *Eimbeccam* verſus contendit, & inde *Halberſtadium*, tandemq; & *Halam-Saxonum* occupavit, *Tillio* pariter plurima in Ducatu Brunſuicenſi loca intercipiente, totamque regionem miſerè devaſtante ac depopulante, urbem tamen *Stoltzenaviam* iterum amittente, quam Daniæ Rex hoc tempore recuperavit, qui ſimul tranſitum per *Fretum Danicum ſive Cherſoneſum Cimbricam* (vulgò den Ore Sünd) Navibus Hiſpanicis & omnibus illuc tendentibus denegavit, imò in poſterum penitùs prohibuit. Pari ratione Unitarum Belgii Provinciarum Ordines commercia cum Hiſpanis, incolis ſuis interdixerunt.

Buda Ungariæ urbs celeberrima, deflagrationem quoque repentinam paſſa, quâ plusquam mille domus, & multi inſuper homines miſerè interierunt.

Octavo Decembris Ferdinandus III. Cæſaris filius Sempronii (*vulgò Oedenburgi*) in Hungariæ regem ſolenniter coronatus eſt.

Circa idem ferè tempus Auguſtus Saxoniæ Dux, Johannis Georgii Electoris filius, in Coadjutorem Archiepiſcopatus Magdeburgenſis electus ac poſtulatus eſt.

Nuptias celebrarunt: Thomas Princeps Pedemontii, *Caroli Emanuelis, Sabaudiæ Ducis filius, cum Carolotta Anna, Caroli Borbonii, Sueſſionum Comitis filia, menſe Januario.*

Heinricus, Fridericus, Princeps Auraicus, Comes *Naſſavius, &c. cum Æmilia, filia Joannis Alberti, Comitis Solmenſis, 27. Martii.*

Carolus, magnæ Britanniæ rex *cum Henrica, filiâ Henrici Magni, ejus nominis Quarti, Franciæ & Navarræ regis, ipſis Kal. Julii.*

Obierunt: Philippus Julius, Dux Stetini Pomer. &c. *Wolgaſti 6. Februar.*

Joachimus Sigismundus, *Joannis Sigismundi Electoris filius, Marchio Brandenburgicus, Ordinis S. Joannis per Marchiam, Pomeraniam & Vandaliam Magiſter, &c. 22. Febr. hora 12. noctis.*

Joachimus Eneſtus, *Marchio Brandenburgicus, &c. Onolsbaci, 25. Februarii.*

Jacobus, magnæ Britanniæ rex, *&c. 26. Martii, in arce Regia Theobolda, cui in regno ſucceſſit Carol. F.*

Mauritius Naſſavius Princeps Auraicus, *Provinciarum Unitarum Belgii ſupremus Gubernator, &c. 23. Aprilis, ætatis ſuæ 58. Hagæ Comitis, ἄγαμος, cui ſucceſſit frater Henricus Fridericus.*

Fridericus Dux Saxoniæ *Altenburgenſis, in pugna ad Leynam propè Hannoveram ſtrenuè pugnans occubuit, unà cum Johanne Michaele Obentraut, Equite Rhenano, militum Duce à partibus Chriſtiani IV. regis Daniæ 24. Octobris.*

Eitelfridericus, *Cardinalis & Epiſcopus Oſnabrugenſis, Comes in Hohenzollern, &c. in cujus locum ſuffectus Franciſcus Gulielmus, Comes de Wartenberg, Electoris Colonienſis Magnus Aulæ Magiſter; &c.*

Theologi: *Doct. Abrahamus Schultetus, Embdæ.*

D. Joannes Piſcator, Herbornæ.

D. Sibrandus Lubbertus, Franeckeræ in Friſia.

D. Georgius Remus JCtus, Reſpubl. Norinbergenſis Conſiliarius.

D. Joannes Hartmannus Beyerus, Medicus Mœno-Francofortanus.

ANNO MUNDI 5575. Æræ C. 1626.

A. ☉ 11. ☽ 12. Ind. 9.

Carolus magnæ Britanniæ Rex, mandato publico II. Januar. commercia & negotiationem omnem cum Hiſpanis & aliis, Burgundicæ ditioni ſubjectis, penitus interdixit.

Legati Gabrielis Bethleni, Transſylvaniæ principis, Berolinum advenientes, Sponſalia ibidem Prid. Eid. Januarii, nomine principis ſui, cum Catharina Marchioniſſa, Brandenburgica, Johannis Sigiſmundi Electoris Fil. celebrârunt, cumque Sponſa 16. Jan. illinc iterum diſcedentes Transſylvaniam verſus iter inſtituerunt, ubi nuptiæ poſtmodùm 28. die Febr. ſplendidè admodum celebratæ ſunt.

Pragæ penultimo Januarii D. Johannis Adami Cappr. de Capperſtein Vidua adultera, utpote quæ antea cum Nobili quodam Boemo Zabsky conſueverat, maritumque è medio tolli curaverat,

 virgis

virgis prius cæſa, inde ante proprias ædes ſecuri percuſſa eſt, prædicto Nobili etiam, uti cædis illius conſcio, ſeptimo die menſis ſequentis, capite truncato.

Exeunte hoc ipſo menſe Januario Galliarum Rex Rupellanos aggrediens, mutas circa urbem munitiones excitavit, civibus econtrà ad defenſionem infracto animo ſeſe præparantibus, magnamq; annonæ copiam in urbem navigiis introducentibus.

Poſtridiè Kalend. Februarii Carolus, Jacobi f. poſtquam die præcedente 80.tàm avitâ quàm propriâ nobilitate ac meritis inſignes Equeſtri Periſcelidis dignitate ornaverat, *in magna Britannia regem ſolemniter Londini coronatus eſt.*

Hoc tempore Mansfeldius Serveſtam, *principatus Anhaltini urbem ſuæ poteſtatis fecit.*

Menſe Martio Poloni magnâ clade à Suecis adfecti ſunt in Livonia, ſtrenuam inprimis operam præſtante Franciſco Bernhardo Comite à Thurri. Ita & Perſarum regis copiæ, Turcarum exercitum propè Babyloniam ad internecionem ferè cædentes, lautiſſimam obtinuerunt victoriam. *Rex Daniæ Arcem Peynenſem,* in Epiſcopatu Hildeſienſi, *urbem Vechiam, Quakenburgum, Iburgum* & loca alia intercepit, quin & 24. prædicti menſis die, ope Ducis Saxoniæ Vinarienſis, *Epiſcopatum Oſnabrugenſem* occupavit, quem tamen Cæſariani poſt bimeſtre ſpatium unà cum *Weidenbrucka* urbe recuperârunt.

Decimo tertio Aprilis, Amſtelrodami Arminianis quibuſdam in æde privatâ congregatis, concionemque inſtituentibus, plebs irritata domum iſtam oppugnavit ac diripuit, peneque deſtruxit, ita ut nec Præfectus urbis tumultum ſedare potuerit, ſed ipſi tandem cives arma capere, & tumultuantes vi abigere coacti fuerint: Idem & Lugduni Batavorum 28. ejuſdem menſis die accidit.

Interea 25. Apr. Viennæ incendium ſubortum, quo triginta circiter ædes perierunt.

Eodem tempore Mansfeldii Copiæ, munimentum ante pontem Deſſavienſem exſtructum, invadere conantes, à Cæſareis fortiter repulſæ, & magna clade adfectæ ſunt, triginta quatuor ſignis militaribus pedeſtribus, & tribus equeſtribus amiſſis; *Duce Fridlandiæ* inſuper *Serveſtanam urbem*, ab iis deſertam, occupante.

Sequenti menſe Majo, in Friſia & ſuperiori regione Iſelana, ob nova quædam ab Ordinibus confœderatis impoſita onera, magna inter Magiſtratus & Subditos contentio exorta eſt, Leovardiæ civibus armatis forum occupantibus, & tormenta ex Armamentario educta in muris collocantibus, militemque præſidiarium ex urbe dimittentibus.

Interim ingens in Ducatu Calabriæ Terræmotus, everſione templorum & ædium aliarum in Epiſcopatu, & urbe Cantazaro, magna itidem aquarum inundatio in Hiſpania, Toleti, Salamancæ, Hiſpali, aliiſque Civitatibus ac pagis plurimum damni incolis dederunt.

Sub finem dicti menſis Maji *Ruſtici in Auſtria* ſuperiore congregati, liberum Religionis exercitium, quo ſe privatos conquerebantur, expetentes, armis rem aggredi conati ſunt, & multas civitates ac pagos ſui juris fecerunt; tandemque numero eorum indies accreſcente, *Lintzium obſidione cinxerunt*, validiſſimeque oppugnârunt, & licet Cæſarà propoſito illos dehortaretur, nihilominus tamen in ſeditione perſeverantes, *Steyram & Amiſum* intercceperunt.

Sexto Junii Comes Tillius Mindam urbem ſtrenuò oppugnare cœpit, paucisque poſt diebus armatâ manu occupavit, civibus & præſidiariis militibus fortiter quidem ſeſe defendentibus, ſed miſerè ad internecionem uſque cæſis, ut trucidatorum duo millia & quingenti numerati, eorumque cadavera poſtmodum trecentis plauſtris impoſita, atque urbe evecta, partim ſepulta, partim verò in Viſurgim fluvium projecta fuerint.

Hâc æſtate Turcæ expeditionem fecerunt in Perſiæ regnum, ut illud poteſtati ſuæ ſubjicerent, verùm tanta vi rejecti fuerunt, ut omni eorum exercitu diſſipato, ultra decem millia amiſerint; quod idem iis poſtea etiam menſe Auguſto obtigit in oppugnatione urbis Babyloniæ, ubi obſeſſi Perſæ, urgente fame, facta eruptione, aliquot millia Turcarum trucidârunt, multis inſuper captivis ſecum abductis.

Quinto Julii, Guſtavus Adolphus, Sueciæ rex, in Pruſſiæ Ducatum *expeditionem faciens, cum ducentis navibus* Pillaviam *ſeptem milliaribus Regiomonte diſtantem appulit, eamque ut* & Braunsbergam, Fravvenburgum ac Mariæburgum unà cum Arce occupavit, totamque regionem vicinam ſuæ poteſtatis fecit; unde magnus ubique incolarum metus obortus, Monachis ac Monialibus magno numero Dantiſcum confugientibus.

Eodem tempore ſupradicti *Ruſtici in Auſtria,* quorum numerus ad multa millia jam excreverat, in propoſito ſuo perſeverantes, *Freyſtadium* in ſuam poteſtatem redegerunt; paulo-pòſt tamen 24. nempe ejuſdem menſis ante oppidum *Ens* ultra 900. eorum cæſi, & 12000. fuga dilapſi ac diſſipati fuerunt.

Kalendis Sextilibus, Erneſtus Caſimirus Naſſavius, nomine & mandato Ordinum confœderatorum Belgii, *Oldenſeela* urbe occupata, propugnacula ac defenſiones ejus ſolo æquavit: Et undecimo ejuſdem menſis *Comes Tillius Gottingam* deditione cepit.

In Gallia interim Cæſar Dux Vindocinenſis, ejusque frater Alexander, magnus Prior Franciæ, uterque Heinrici IV. Gall. regis filius naturalis, captivus in Arcem urbis Amboiſe abductus fuit.

Vigeſimo ſeptimo Auguſti, ingenti clade adfectus Daniæ regis exercitus, propè arcem *Lutheram*, in agro Brunſvicenſi, ubi turmis pedeſtribus internecione ferè deletis, Equitatu autem penitùs diſſipato, præter alios etiam *Philippus, Haſſiæ Landgravius, Mauritii filius*, & *Joannes Philippus Fuchſius*, militum Dux celeberrimus perierunt, & multi inſuper Præfecti cum 60. vexillis pedeſtribus, ſex equeſtribus & viginti duobus tormentis bellicis, capti fuerunt.

Sub initium Septembris, Erneſtus Mansfeldius *cum manu ſua, à clade Deſſavienſi recollecta, cui* Joannes Erneſtus, Dux Saxoniæ Vinarienſis, *à Daniæ rege cum copiis adjunctus*, Sileſiam ingreſſus, Carnoviam ſive Jægerndorffium, Ratiboriam, Oppaviam, Teſchinium *& plurima alia Moraviam verſus ſita oppida intercepit, præſidiisque firmavit: Nec Turcæ interim quieverunt, dum loca quædam, Juriſdictioni Cæſaris ſubjecta, depopulati, urbemque munitiſſimam Neogradum tormentis ſummâ vi oppugnare conati, ſed à Friedlandiæ Duce acriter repulſi ſunt, qui Poſonio nomine Cæſaris præſidium impoſuit.*

Annus

Anno Inderum 1723. *& Hegira* 1036 *incipit* 12. *Sept. fer.* 5.

Ita & menſe ſequenti à Perſis quoque aliquot Turcarum millia cæſi.

Decimo octavo Oct. Ruſtici in Auſtria, magno iterum numero coeuntes, *Monaſterium Schlegel & Wellingenſe*, incolis Catholicæ religioni addictis, miſerè trucidatis, incendio devaſtârunt, & *urbem* inſuper *Gmundam* occupârunt: Sequenti autem menſe à *Gotofredo Henrico, L. Barone Pappenheimio* S. Rom. Imp. Mareſchallo hæreditario, aliquot prœliis victi ac cæſi, ab obſidione urbis Lintzii recedere, & Gmundam iterum atque Effertingam relinquere coacti ſunt, unde metu perculſi ac conſternati, maximam partem diſſipati, plurimique eorum, propriâ ſede relicta, extra Provinciam alias in Regiones perfugerunt.

Vigeſimo quarto Decembris Oſſa & Reliquiæ S. Norberti, Epiſcopi quondam Magdeburgenſis. Ann. 1144. ibidem inhumati, Legatis Cæſareis, utpote Baroni Altringero, & Abbati Monaſterii Pragenſis, in Strohoff dicti, iſtuc nimirum transferendæ, ſolemniter à Capitulo traditæ fuerunt.

Nuptiale Sacrum celebravit Gabriel Bethlemus Tranſylvaniæ Princeps, cum Catharina, Joannis Sigiſmundi, Electoris & Marchionis Brandenburgici filiâ, Caſchoviæ 28. Februarii, poſtquam illa prid. eid. Januarii per Legatos ſuos ei Coloniæ ad Suevum ſolemniter deſponſata fuerat.

Nata Henrica, *Friderici Palatini filia*, 7. *Julii*.

Obierunt: Chriſtianus, Dux Brunſvicenſis & Lunæburg. *Epiſcopus Halberſtadienſis*, 6. *Junii, Wulfferbyti.*

Eliſabetha, *Friderici II. Daniæ regis filia, Henrici Julii, Ducis Brunſvicenſ. & Lunab. Vidua*, 19. *Julii, Brunſuvigæ.*

Ludovicus Landgravius Haſſiæ *Darmſtadienſis*, 27. *Julii.*

Philippus, Haſſiæ Landgravius, Mauritii filius, *in prælio propè arcem Lutheram occumbens*, 27. *Auguſti.*

Joannes Sveiccardus, S. Rom. Imp. Elector & Archiepiſcopus Moguntinus, *anno ætatis ſuæ* 75. *Adminiſtrationis Electoralis* 23. *decimo ſeptimo Septembris; in cujus locum electus* 20. *Octob.* Georgius Fridericus Greiffenklaw à Volrath, *Epiſcopus Wormatienſis, & præpoſitus Moguntinus.*

Erneſtus, Comes Mansfeldius 20. *Novembris in oppidulo Rakova, in Boſnia Regno, in itinere Venetias verſus: Corpus verò ejus Spalatum delatum, ibique terra mandatum.*

Joannes Erneſtus Dux Saxoniæ Vinarienſis, *&c.* 4. *Decembr. in oppido Hungariæ, cui à S. Martino nomen.*

Theologi: D. Joannes Winckelmannus, *Academiarum Gieſſenſis ac Marpurgenſis Profeſſor publ.* 3. *Auguſti. æt. ſuæ* 75. *Gieſſæ.*

D. Balthaſar Meiſnerus. *Profeſſor publ. in Academia Witebergenſi*, 29. *Decembr.*

ANNO MUNDI 5576. Æræ C. 1627.

G. ☉ 12. ☽ 13. Ind. 10.

Menſis Februarius novi hujus anni, diverſis, & quidem ingentibus, in mari ſubortis tempeſtatibus, admodùm funeſtus fuit; *Nono ſiquidem die* Navis mercatoria *ex India Orientali redux, procellis ſaviſſimis agitata, ad Franciæ Oras propè Caverdonam; Decimo quarto autem* 17. aliæ minores, & 5. naves bellicæ, prioribus in occurſum emiſſæ, ſubmerſæ ſunt, in quibus omnibus ultra 4500. homines utriuſque ſexus, cum mercibus precioſiſſimis, quarum jactura quinque Aureorum Hungaricorum milliones excedere dicitur, miſerè in undis ſubmerſi perierunt.

Martio menſe, Danicæ copiæ opportunos Hungariam & Poloniam verſus *in Sileſia* tranſitus, occupantes *Coſell* ad Oderam ſitum quodque ductu *Joachimi Carpizonii* in ſuam poteſtatem redegerunt, lautiſſima inibi præda potiti, ſupellectile nimirùm argenteâ, quæ plusquam 70000. æſtimata fuit Imperialibus.

Vigeſimo ſecundo hujus menſis Styl. vet. ipſo die Viridium *Poloni oppidum Putzko*, à Sueciæ rege ante hac occupatum, deficiente nimirùm præſidiariis commeatu, & paulo pòſt *Hamerſteinium* quoque recuperarunt, ubi copias Svecicas, quas Tribuni Streiff, & Baro Teuffel in agro Megapolitano collectas, per Pomeraniam, Boruſſiam verſus ducere tentaverant, deditione ceperunt, militibus dimiſſis, Ducibus autem captivis Warſaviam abductis.

Menſe ſequenti Aprili, Viennæ Auſtriæ *novus Ordo, cui nomen de S. Paula, introductus* eſt, cujus fratres Ædem ſacram ædificari curarunt, ubi die 21. ejuſdem, magno ſuborto incendio, centum & ſexaginta domus, cum Monaſterio propè templum D. Jacobi, flammis correptæ perierunt.

Interea Cæſarei Brandenburgum, Ratenaviam, Perlebergam, Havelbergam, *& alia loca* in veteri Marchia *occupârunt.*

Vigeſimo Maji ex Ruſticis iſtis ſeditioſis primum octo, quorum ſeptem catholicam Religionem prius amplexi fuerant, pegmate in foro extructo, capitis ſupplicio adfecti ſunt Lintzii; pauloque pòſt quatuor alii, novam illorum, pòſt capitis amputationem, in quatuor partes diſſectis, uno flammis combuſto, duobus autem vivis furca ſuſpenſis.

Hoc tempore *Grunenberga Sileſiæ urbs* tota incendio conflagravit, Schola & Ædibus ſacris tantùm illæſis.

Menſe Junio Cæſar omnes Regni Bohemiæ incolas, tam Illuſtri Proſapia oriundos, quàm Equeſtris Ordinis viros, religionem Catholicam amplecti detrectantes, intrà certum terminum publico edicto, regno excedere juſſit.

Hoc tempore *Heinrico Friderico Naſſovio, Principi Auraico*, ante biennium in Ordinem Equeſtrem aureæ Periſcelidis à magnæ Britanniæ Rege recepto, per Legatum extraordinarium Charletonium & Fecialem, Inſignia dicti ordinis tranſmiſſa ſunt.

Sub initium Julii Northeimium, *poſtquam obſeſſi ſtrenuè ſe defenderant, nomine Cæſaris tandem à Comite Furſtenbergio deditione occupatum eſt.*

Sub ejuſdem menſis finem, Trigeſimo *nempè Julii Stylo Nov.* horrendus & ingens Terræ motus in Apulia, Regni Neapolitani Provincia, obortus eſt, qui ad 200. milliaria Italica ſe extendens, multa caſtella & urbes, inprimis eam, cui à S. Severo nomen, evertit, ultra ſeptendecim hominum millibus miſerè exſtinctis ac deletis.

Interim *Fridlandiæ Dux Liſchwitzium, Carnoviam, Oppaviam*, & facta cum Danici Exercitus Præfectis tranſactione, *Coſelium* quoque recepit,

omnique milite iſthinc, & ex tota Provincia, præſtito prius Cæſari juramento, intra ſex menſes, contrà Illum arma ſe non ſumpturum, ad Daniæ Regem tranſeunte, Univerſa Sileſia ad Cæſaris Imperium obedientiam rediit.

Vigeſimo Auguſti Henricus-Fridericus Naſſavius, Princeps Auraicus, Grollam urbem occupavit: *Angli iidem circa id tempus Inſulam de Raix dictam, non procul ab Urbe Rupella, in poteſtatem ſuam redegerunt, Gallis quamplurimis in ea trucidatis.*

Menſe ſequente Septembris Pax inter Cæſarem & Turcam certis Articulis comprehenſa & confirmata eſt.

*Annus Ind.*1724. *& Hegira* 1037. *incipit* 2. *Sept. fer.*1.

Nono die ejusdem menſis, magnâ ſubortâ tempeſtate *Niſſa* in Sileſia, Turris Curiæ fulmine tacta, & in ſuperiore parte combuſta, curruit, multumque damni incolis dedit: Ita aliis etiam in locis magna ſtrages ab aquis intumeſcentibus edita fuit, præſertim *in Franconia*, ubi, nube rupta, tanta aquarum vis decidit, ut in aliquot pagis domus everſæ, homines cum armentis ſubmerſi, agri, prata, ac vineæ vaſtatæ, lapidibusque mirum in modum completæ fuerint.

Decimo-quarto Septembris Concionatores Evangelici & Ludimagiſtri per Mandatum Cæſareum toto Archiducatu Auſtriæ infrà Onaſum excedere jubentur.

Interim Fridlandiæ Dux *Daniæ Regis exercitum acriter perſequendo*, maximam Holſatiæ *partem, ut* & Iutlandiam, *nomine Cæſaris* occupavit.

Menſe Octobri Conventus Electorum & Principum Mulhuſii habitus, ubi præter Moguntinum nemo ex Electoribus, tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, aliisque Imperii principibus præſens comparuit, ſed per Legatos tantùm res acta fuit.

Hoc ipſo tempore *Galliarum Rex* obſidione validiſſima *Rupellam urbem* infeſtat: Angli autem obſeſſis opem ac ſuppetias ferentes, *Inſulam & Fortalitium S. Martini* propè Rupellam urbem in Gallia interceperunt, quæ tamen ſub finem hujus anni, magnâ acceptâ clade, rurſus deſerere coacti ſunt.

Decimo-ſexto Novembris, Nienburga Arx in *Ducatu Brunſuicenſi* à Tillio Comite, *poſt diuturnam obſidionem, deditione* occupata eſt.

Vigeſimo primo ejuſdem menſis, Sereniſſima Imperatrix S. Cæſ. Majeſtatis conjunx, Diademate Regio Bohemico ornata, & quinto die pôſt Filius ejusdem primogenitus Ferdinandus III. Hungariæ Rex, in Regem Bohemiæ quoque, ſolemnibus adhibitis ceremoniis, Pragæ coronatus eſt.

Sub finem Novembris, Exercitus Cæſareus in Pomeraniam venit ſub Imperio Johannis-Georgii ab Arnimb, Mareſchalli campi, hyberna ſumturus, in omnes ferè totius Provinciæ Urbes, Stetino Metropoli, & tribus aut quatuor aliis tantùm exceptis diſtributus.

Wulffenbytum, *ſive* Guelphorum Arx, *cum aliquandiu Cæſarianorum impetum fortiter ſuſtinuiſſet, tandem* 24. *Decembr. deditionem fecit, quæ tamen Duci ſuo reſtituta eſt.*

Nuptias celebrarunt: Georgius *Ludovici F. Landgravius Haſſiæ, cum* Sophia Eleonora, *Joannis-Georgii, Electoris Saxoniæ F. primo Aprilis Torgæ.*

Fridericus Dux Holſatiæ, *&c. cum* Julianâ, *Franciſci II. Inferioris Saxon. Ducis F. KL. Sextilibus, Stetini in Pomerania.*

Carolus *Gonzaga, Dux Rœthelanus, Caroli Nivernia Ducis Filius, cum* Maria *Franciſci, Mantuani Ducis, Agnati ſui filiâ.*

Natus Philippus, *Friderici Palatini F. Hagæ Comitis 26. Septembris.*

Obierunt: Wilhelmus *Naſſavius, Mauritii Principis Auraici, &c. F. naturalis, in obſidione urbis Grollæ menſe Auguſto.*

Vincentius II. *Dux Mantuæ, & Montisferrati ſub finem Decemb.*

Theologi: D. Balthaſar Mentzerus, *Academiarum Marpurgenſis & Gieſſenſis Profeſſ. Publ. 6. Januarii, Ætatis ſuæ 62. Marpurgi.*

D. Fridericus Balduinus, *Profeſſor Academiæ Wittemberg. KL. Maji.*

Deſiderius-Conſtantinus Oeslerus, *Medic. D. Illuſtriſſimorum Pomeraniæ Ducum per 44. annos Archiacer, die* 8. *Septembr. Ætatis ſuæ* 75.

ANNO MUNDI 5577. Æræ C. 1628.
E F. ☉ 13. ☽ 14. Ind. 11.

Sub ingreſſum hujus anni *Albertus, Fridlandiæ Dux*, à Cæſare S. Rom. Imp. Dux creatus, & ſimul de Ducatu Saganenſi in Sileſia inveſtitus eſt.

Guſtavus-Adolphus, Sueciæ Rex, Exulibus è Germania, vicinisque locis, tam propter Religionem regionibus ſuis pulſis, quam ob ingruentes belli incommoditates adflictis, liberum aditum, inque ſuo regno habitandi poteſtatem, & quidem publicè hac de re promulgatis literis, conceſſit.

Sub finem menſis Januarii, Auguſtus, Saxoniæ Dux, Joannis Georgii Electoris F. in Archiepiſcopum Magdeburgenſem electus & poſtulatus eſt: *Cæſare tamen contradicente, literis, tùm ad Electorem, tùm ad Capitulares, undecimo Febr. St. N. datis.*

Circa hoc tempus novum *Bellum in Italia inter Carolum Niverniæ Ducem*, ex unâ, & Gubernatorem Mediolanenſem nomine *Philippi, Hiſpaniarum Regis, ac Carolum-Emanuelem, Sabaudiæ Ducem*, ex altera parte exarſit, ob Mantuæ ac Montisferrati Ducatus, quos Vincentio, poſtremo Mantuæ Duce, absque prole defuncto, Niverniæ Dux tanquàm Agnatus proximus, & ſucceſſor occupârat, Homagiumque ſibi per filium Carolum, Ducem Rœthelanum, qui duxerat Franciſci, Mantuæ Ducis F. præſtari curaverat.

Duodecimo Februarii intrà horam 5. & 6. veſpertinam, incuria famulorum ſigniferi Cæſarei Maſſoviæ in Pomerania incendum ſubortum, quo dimidia oppiduli pars conflagravit.

In Gallia Ducem Rohanium famulus ſuus ſclopeti manuarii ictu trajicere volens, captus, & ad ſupplicium tractus, quatuor equis diſcerptus eſt.

Intereà ſtrenuè pergitur in negotio Reformationis in Palatinatu: Ex Heydelbergenſibus enim quamplurimi, paucis inde diſcedentibus, Catholicam Religionem amplexi ſunt, quod & Germersheimenſes & Crucenacenſes cum magno Colonorum numero, & Hagenoæ cives ferè omnes fecerunt, quorum 600. ſpatio unius menſis, poſt impetratam peccatorum abſolutionem, ad Pontificios ſeceſſerunt. Franckenthalienſium verò potior pars idem facere planè renuens, domicilia ſua deſerere

deſerere, alioque recedere, quàm fidem ſemel agnitam, abnegare maluit.

Decimo quinto Aprilis St.Vet. in Monte albo, non procul ab urbe Pragenſi, Monaſterium & Templum exſtrui cœptum eſt, cujus primum lapidem Cæſar ipſe poſuit, eique ob victoriam ibidem A.C.1620. 8. Novembris Styl. Novo obtentam, S. Mariæ de victoria nomen dedit.

Eodem tempore *Caſala*, propugnaculum fortiſſimum in Ducatu Montisferratenſi à Gubernatore Mediolanenſi, nomine Regis Hiſpaniarum, quàm validiſſimè obſeſſum.

Cæſare interim Ducatum Juliacenſem & Montenſem in protectionem ſuam recipiente, legiones aliquot militum, ad Regiones iſtas ſequeſtrandas, uſque dum ſucceſſionis controverſia decideretur, introductæ ſunt, ac civitatibus, ut intrà bimeſtre ſpatium Concionatores Evangelicos omnes dimitterent, & templa ſcholaſque Catholicis reſtituerent, Mandato Cæſareo injunctum eſt.

Pari quoque ratione Viennæ Auſtriæ, ſub finem Aprilis, publico edicto, non tantùm Auguſtanæ Confeſſionis exercitium, verùm etiam omnia Lutheranorum, quos Hæreticæ pravitatis Doctores nuncuparunt, ſcripta ac libri prohibiti fuerunt.

Bohemobrodium, quatuor miliaribus Pragâ diſtans oppidum, præter Suburbium, totum incendio periit.

Vigeſimo-ſeptimo Aprilis Stada *Urbs poſt aliquot menſium obſidionem, a* Comite Tillio *deditione occupata, in poteſtatem Cæſaris venit.*

Stralesunda, Ducatûs Pomeraniæ, Urbs maritima, 12. Maji, eò, quòd Præſidium Cæſareum, quemadmodum aliæ civitates fecerant, recipere recuſaverat, à Johanne Georgio ab Arnimb, campi Cæſarei Marechallo, arctiſſima obſidione cincta ipſoq; tandem Duce Fridlandiæ & Saganæ, 4. Julii adveniente, cui inſuper expetenti quatuor tormenta bellica ex fortalitio Cuſtrinenſi, & quatuor alia à Pomeranorum Duce Bugislao transmiſſa, magis magisque omnibus viribus oppugnata, uno quidem die 975. exploſionibus in urbem factis, verùm obſeſſis etiam viriliter ſeſe defendentibus, & multis ab utraque parte deſideratis, 29. die menſis Julii iterum relicta eſt.

Interim autem funeſtis bellorum motibus ubivis ferè locorum ſævientibus, Urbanus VIII. Pontif. Romanus Jubilæum promulgavit.

Eodem tempore Cæſareanis Krempam, *&* Glückſtadium *munitiſſimas Holſatiæ urbes obſidentibus*, *Hollandi* Ravenſpergam Arcem *occuparunt. Ita &* Sabaudiæ Dux Trinum Pondeſturam, *& paulo poſt* Montecavallam, *Ducatûs Montiſferrati Civitates, intercepit.*

Leopoldus-Gulielmus, Archidux Auſtriæ, &c. Imperatoris Filius natu minimus *Abbatiæ Hirſchfeldenſis* in Haſſia ſucceſſionem, Cæſaris quidem nomine accepit, jure tamen ſuo & Religionis exercitio, Domui Haſſiacæ reſervatis.

Decimo-quarto Junii, St.Nov. Commiſſarius cum præfecto vigilum, 100. peditibus, & 50. Equitibus nomine Guolffgangi Gulielmi, Palatini Neoburgici, &c. Veſaliam ingreſſus, claves utriusque templi Evangelicorum à Magiſtratu ſub pœna 5000. Aureorum, poſtulavit; ubi autem id ipſum, civibus mala quæque potiùs perferre ſtatuentibus impetrare non potuit, biduò poſt, primò majoris, deinde & alterius Templi foribus per ſerarium reſeratis, Catholici, cum crucibus & ſignis intrantes, ſacra ſua peregerunt.

Die 28. ejuſdem menſis *ingens incendium Uratislaviæ obortum eſt, quo 150. ædes perierunt.*

Menſe Julio *quinque milites, qui Bergopſomam urbem Hiſpanis tradere voluerant, Hagæ-Comitis laqueo primùm necati, inde capita illorum gladio abſciſſa, & palis adfixa ſunt.*

Vigeſimo-ſecundo Quinctilis, inter Regnum Regemque Sueciæ Guſtavum Adolphum, & Straleſundam, Pomeraniæ Urbem, in annos viginti fœdus initum eſt, *non quidem in præjudicium obedientiæ ac devotionis, qua Cæſari & Duci ſuo obſtricti ſunt, aut Juriſdictionis, Statutorum, Privilegiorum ac immunitatum, quibus gaviſi ſunt hactenus, & adhuc gaudent incolæ, ſalvo tamen præſenti fœdere; ſed ad defenſionem tantùm Urbis ac portûs, & per conſequens, majorem Balthici maris ſecuritatem, liberamque commercium conſervationem: in quem finem alter alterius etiam commodum ac ſalutem reſpectivè quærere ac promovere teneatur, nequaquam autem ad ullius offenſionem, niſi fortè bellum aliquod inde emergens tale quid expoſcere videatur; ſiquidem præfatus Rex, ſuo & totius Regni nomine, vi pacti hujus, rebus ſic ſtantibus, in gratiam urbis, cùm media omnia, ad pacem tendentia, adhibiturum ſe, tùm ſi neceſſitas efflagitet, contrà adverſarios, quicunque etiam illi ſint, ſtrenuè eam defenſurum; Urbs contrà, nec à Regno, nec à ſe ullo modo receſſuram ſe, ſed conſtantiſſimè ſecum perſeveraturam, nec ullam etiam pacis tractationem ſe inſcio, admiſſuram, promiſit; ita tamen, ne huic pacto, alia fœdera, inprimis Hanſeaticum, præjudicare, aut in contrarium allegari debeant; certis hac de re conſcriptis Articulis, ejuſque manu & Sigillo Regio corroboratis.*

Sub finem Julii, *& initium Auguſti*, Daniæ Rex *claſſe ſua* Inſulam Uſedohmiam, ut & munitionem Peinemundanam, ac Wolgaſtum Urbem Ducalem invadens, *occupavit, quam quarto dicti menſis die, cum duobus filiis, & aliquot equitum, peditumque turmis ingreſſus, verùm, milite Cæſareo è viciniorībus locis adveniente, cruento ante urbem commiſſo prælio,* à Duce Fridlandiæ & Saganæ, *&c. iterum pulſus, fugatusque, quamplurimis ſuorum deſideratis, naves conſcendere, & loca iſta 11. Auguſti relinquere coactus eſt:* Wolgaſtenſis autem civitas, quam Daniæ Rex in diſceſſu ex una parte incendi juſſerat, militum libidini ac direptionibus expoſita fuit.

Wollinum, antiquitus Julinum dictum, & ſedes Epiſcopalis in Pomerania, quæ hodiè Cammini eſt, ex incuria fortè militum Cæſarianorum 9. Auguſti flammam concipiens, totum penitus, cum magnâ parte Arcis, deflagravit.

*Annus Ind.*1725.*& Hegiræ* 1038.*incipit* 21.*Aug. fer.* 5.

Horrendus admodum hoc tempore caſus *Itzehoa* in Holſatia ſeſe exhibuit, ubi 20. Tauri capitibus illorum converſis cornibusque in terram infixis, à Diabolo necati, & urbis porta è loco ſuo ſemota, aliaque inaudita maximum hominibus terrorem incuſſerunt. Multis paſſim hinc inde portentis aliis, viſionibus, ſpectris, & prodigiis in Germania viſis.

Ordines Regni Sueciæ, videntes bellum iſtud cum Poloniæ Rege magis magisque indies creſcere, & pa-

& parum ſpei de jucunda pace ſubeſſe, in Comitiis publicis, ad evitandas nimirum turbas aut diſſenſiones omnes, conſtitutiones, Regni Sueciæ ſucceſſionem concernentes, A.C. 1604. factas confirmando renovare, &, ſi Regem ſuum ſine prole maſcula decedere obtingat, filiam *ejus Chriſtinam; tanquam Regni Suecici hæredem legitimam recipere, inque regia dignitate conſervare, decreverunt.*

Rex Sueciæ interim octoginta Equitum turmis, decem peditum legionibus, ſex ſclopetariorum equitum cohortibus, & 42. tormentis bellicis ad *Marsenwerderam urbem* adveniens, deditione cepit, præſidiumque Polonicum cum armis & ſuppellectile ſuâ dimiſit.

Sub finem Septembr. *Idem* Sueciæ rex Neoburgum *oppidum, magni momenti aditum trans Viſtulam, cum ingenti pecuniæ ſumma, ad perſolvenda Regis Poloniæ militibus ſtipendia, & annonâ ibi adſervata, occupavit; Verùm menſe ſequenti Poloni nonnullos ex præſidiariis, ad villam quandam in vicinia diripiendam egreſſos, ex improviſo adorti, omnes trucidârunt, indeque progredientes, oppidulum recuperârunt. Econtra* Sueciæ Rex, Straſburgum *tanquam tranſitum in Maſoviam ducentem, ſuæ poteſtatis fecit:* quod Poloni quidem, uti Neoburgum, ſed irrito conatu, rurſus tentarunt.

Eodem menſe Octobri Baudiſſin, Tribunus militum Regis Sueciæ, *cum quatuor ſelectiſſimorum Equitum turmis, ex Maſovia rediens, in 3000. Polonorum incidit, quibus cum acerrimè dimicavit, jamq; ferè evaſiſſet, ſed in occurſum adveniente* Tribuno Polonico Butlero, *cum 3000. militibus, quos hodiè Dragones vocant, accepto vulnere in brachio, captus, & Warſoviam abductus eſt.*

Magnus Cham Tartarorum, *anteà à fratre* Tantamiro, *Turcarum auxilio, Regno pulſus, cladem acceptam ulturus, fratris exercitum ope Coſaccorum, cruento admodum prælio fudit, Regnumque & amiſſa omnia recuperavit.*

Hoc ipſo tempore Emmerici & Reſæ in Catholicorum templis hactenus occluſis Conciones Evangelicæ haberi cœptæ ſunt, eò quod ab adverſa parte Weſaliæ idem factum fuerat.

Vigeſimo quinto Octobris Roſtochium, urbs Ducatus Megapolitani & Academia celebris, præſidium Cæſareum recepit.

Sub finem hujus menſis Rupella, Galliæ Emporium, & propugnaculum aliàs fortiſſimum, à Rege ſuo Ludovico XIII. terrâ marique ultrà annum obſeſſa, ob intolerabilem & inauditam annonæ caritatem ac commeatus defectum, ita ut incolarum plurimi per tres ferè ſeptimanas nullo panis aut carnis eſu refocillati, cute, corio, radicibus, aliisque brutorum cibis veſci coacti fuerint, nonnulli humanorum cadaverum abſciſſas carnes comederint, & (quod dictu horribile) mulier quædam propriam filiam devorârit, puella itidem fratris ſui digitos deroſerit, imò quindecim millia circiter hominum fame perierint, dedere ſe tandem coacta eſt. Quam miſeriam Rex ipſe urbem poſtea ingreſſus, oculis ſuis, non ſine admiratione conſpexit, pluſquam centum cadaveribus in plateis ac cœmiteriis inſepultis jacentibus, Ille autem Kalend. Novembribus, ipſo die omnium Sanctorum ſacris interfuit, Johanne Armando Pleſſeo de Richelieu, Cardinale templum initiante, & primum Miſſæ officium celebrante.

Quarto Novembris Krempa munitiſſima Holſatiæ urbs, *poſt diuturnam, eamque validiſſimam obſidionem, annonâ deficiente,* à Duce Friedlandiæ & Saganæ, &c. deditione occupata, *præſidiariis inde cum armis, omnique ſuppellectile, expanſis vexillis, & ardentibus funiculis diſcedentibus.*

Decimo Novembris, Elector Saxoniæ Johannes Georgius, *datis ad Capitulum Magdeburgenſe literis, ad conſtantiam eos adhortatus eſt, ne ad novi Archiepiſcopi Poſtulationem & Electionem, nec perſuaſionibus, nec comminationibus ullo modo ſe commoveri patiantur, ſed in prima illa, quâ filium ſuum Auguſtum communibus votis ſemel legitimè poſtulârint, quamque ipſe jam acceptavit, firmiter ac conſtanter permaneant; ſolemni additâ proteſtatione, ſi contrarii quid accidat; jus prædicti filii ſui quæſitum, ſalvum ac integrum ſervare ſe velle.*

Trium & viginti navium Claſſis Hollandica, *quæ ſub initium ſuperioris æſtatis vigeſimo die Maji, Styl. Nov. Texeliâ ſolvens, ductu* Petri Peterſſon Heyn, Generalis & Henrici Cornelii Loncq, Archithalaſſi ſive Admiralis *quarto Auguſti ad urbem* S. Anthonii in Inſula Cuba *adpulerat, ibidemque Naves ex* Hiſpania Nova argentum allaturas, *præſtolata fuerat, eaſque tandem octavo Septembris* in ſinu ad Matancam, *Hiſpanis, velitatione quidem aliqua præmiſſa, arma deponentibus & in Hollandorum manus, à quibus tàm navium, quàm militum numero ac potentia ſe ſuperatos viderant, quique Buena guerra, hoc eſt, incolumitatem & ſalutem (vulgo* gut Quartier*) ultrò iis promiſerant, ſeſe tradentibus, occupârat; & inde 17. Septembris, ampliſſimâ præda, & 95. tormentis bellicis potita, & unà undecim naves Hiſpanicas ſecum abducens, iterum diſceſſerat,* vigeſimo ſexto ejuſdem menſis die ad Inſulam Barbudæ *advenerat; duas naviculas in Hollandiam ablegavit, quarum una, ſub* Salomone Wilhelmi *die decimo quinto Novembris* Roterodamum *ſalva appulit, lætum* Henrico Friderico, Principi Auraico, *ac Ordinibus confœderatis nuncium ferens, de obtenta victoria & & lautiſſimâ iſthac præda, quæ præter varias immenſi pretii merces,* Argenti partim cuſi, partim in laminas fuſi quadraginta ſex Laſtas, *quarum ſingulæ* 4000. *libras faciunt, contineat, quæ omnia & ſingula unum computata,* ad triginta milliones, ſive trecentas tonnas auri, *valoris Brabantici æſtimata, ſub initium ſequentis anni in Hollandiam introducta, & præfatus Generalis* Petrus Peterſſen *Heyn, cum ſociis Hagam Comitis adveniens, ſolenni introductione exceptus, & torque aurea, aliquot mille florenorum pretio æſtimata, ab* Ordinibus confœderatis, *aliaque ab* Henrico Friderico, Principe Auraico *donatus eſt.*

Hoc ipſo menſe Novembri, Baro Carolus Hannibal à Dohna Burggravius, nomine Cæſaris, Glogoviam, Sileſiam urbem, ingrediens, Templum S. Nicolai Catholicis occupandum tradidit. Inde Sprottaviam petit, & ibi quoque, multis tamen etiam ſenio jam confectis aliò migrantibus, Catholicæ religionis exercitium inſtituit, ut & Grunnebergæ, ubi cives cum clavibus oppidi

oppidi obviam ei procedentes, juſſa illius, exſequi paratos ſe oſtenderunt. Ita primum Ducatu Glogovienſi ad catholiciſmum redacto, per totam ferè Sileſiam hoc & ſequenti menſe Decembri negotium Reformationis, in puncto religionis, Evangelicæ nimirum abrogandæ, & catholicæ introducendæ, ſtrenuè urgeri cœpit, quemadmodum præfatus Baro, nomine Imperatoris, modo hanc modo illam urbem pontificiam Religionem amplecti cogit.

Sub finem hujus anni filius Cæſaris natu minimus, Leopoldus Gulielmus, Archidux Auſtriæ, à Pontifice Romano Archiepiſcopus Magdeburgenſis denominatus eſt.

Nati: Ferdinandus Carolus, *Leopoldi Archiducis Auſtriæ filius, ſub finem menſis Maji, & 18. Junii, St. Novo baptiſatus Oenoponti.*

Carolotta, *Friderici Palatini filia, 19. Decembris, Hagæ Comitis.*

Obierunt: Rudolphus Chriſtianus, *Comes Friſiæ Orientalis, &c. Burt in conflictu interemptus, 28. Aprilis St. Nov.*

Johannes Fridericus, *Dux VVirtembergicus, &c. 18. Maji, St. Vet.*

Magdalena, *conjunx Guolffgangi Gulielmi, Comitis Palatini Rheni, Neoburgici, &c. menſe Octobri.*

Guolffgangus Fridericus, *S. Romani Imperii Mareſcallus hereditarius, L. Baro Pappenheimius, Brunsvigæ 26. Novembris.*

N. Dux Buckinghamius *in Anglia, & N.* Comes de Olivares, *regis Hiſpan. Conſiliarius, occiſi.*

ANNO MUNDI 5578. Æræ C. 1629. D. ☉ 14. ☽ 15. Ind. 12.

Sub initium hujus anni idem Baro Carolus Hannibal à Dohna Swidnicium Sileſiæ urbem ingreſſus, reformationem inſtituit.

Pragæ molitor quidam ex vino aduſto ebrius, primò ancillam carnes portantem ſibique obviam venientem, uno ictu, capite ſecuri diſciſſo, interimit; inde in ædibus cereviſiarii cujuſdam pernoctans, duos illius famulos ſomno oppreſſos jugulat, eorũq; ventres diſſecans, inteſtina eximit: Hinc ubi cubiculum ipſius hoſpitis aperiri ſibi petit, mulierem quoque ſecuri adortus, quam tamen è lecto ſtatim proſiliens maritus liberat, eoque ejecto, de vi ſibi illatâ magno clamore conqueſtus, vicinorum opem implorat, ubi prætereuntes fortè fortunâ excubitores audiunt, ſtatim januam ædium arctiſſimè intus à molitore occluſam, & oppeſſulatam, & multâ ſupellectile quaſi obvallatam effringunt, latronemq; capiunt, & in carcerem conjiciunt.

Quanto Januarii *naves aliquot* Regis Poloniæ, *quæ in portu Dantiſcano hactenus ſubſtiterant, inde ſolventes in ſubſidium* Alberto, Friedlandiæ Duci, *ad continuandum in mari Balthico cum* Daniæ rege *bellum, miſſa ſunt, pauloque pòſt* Wiſmariam *appulerunt, præſidio, quod in illis fuerat, poſtmodum per* Pomeraniam Gedanum *redeunte; unde Dantiſcani tàm Daniæ, quàm Sueciæ regibus magis exoſi redditi, eorumque naves non tantùm in* Cymbrica Cherſoneſo *arreſto detenta, ſed Suecici etiam milites longè jam infenſiores, direptionibus & incendiis, quacunq́ aſſequi potuerunt, devaſtarunt.*

Septimo Januarii Fridericus Henricus, Friderici Palatini F. cum parente ad lautam iſtam prædam, à Petro Peterſſen Heyn Hiſpanis ereptam, contemplandam, Harlemo iturus, in trajectu fluminis Teyæ, propè Amſtelrodamum, navi, quâ vehebatur, per impetuoſam & inopinam alterius navigii plenis velis occurrentis illiſionem, rupta, triſti fato miſerè aquis hauſtus, & ſuffocatus eſt, patre miraculoſa Numinis benignitate ex eodem diſcrimine erepto, ac ſervato.

Hoc tempore Georgius Zeamannus, Theologiæ Doct. Confeſſionis Auguſtanæ, eò, quòd concionando & ſcribendo Catholicos ante hac graviter offenderat, per mandatum Cæſaris, Campiduno in fortalitium Tyrolenſe Ehrenbergam captivus abductus eſt.

Sub finem Januarij Kitzinga, Franconiæ Urbs, quæ hactenus Marchionum Onolsbacenſium fuit, cum pertinentibus ad illam pagis omnique territorio, per Commiſſarios Cæſareos Epiſcopo Herbipolenſi tradita eſt, ubi poſt præſtitum à ſubditis homagium, Auguſtanæ Confeſſionis Theologis dimiſſis, Catholici eorum in locum ſuffecti ſunt.

In Hollandia ad Nordovicum, *non procul à* Lugduno Batavorum, *ingens* Balæna, *longitudine ſua 67. pedes excedens, ad littus maris ejecta eſt.*

Regni Sueciæ Ordines interim Stockholmiæ Comitia celebrantes, pro Regis ſui ſalute ſe fortunas & ſanguinem profuſuros ejusque caſtra quindecim armatorum millibus adaucturos, unanimiter decreverunt. Hinc brevi pòſt factum, ſub initium nempè menſis Februarii, ut Sueci *Straſſburgum* valdè coanguſtatum, & commeatu atque annonâ admodum laborans, non tantùm liberaverint, ſed prius etiam cum Polonis confligentes, magnam ſtragem ediderint, & quinque tormentis majoribus, ſeptem vexillis, multisque curribus captis, memorabili victoriâ potiti fuerint. Inde *Thorunium* progreſſi ſunt; Et legatus quidem Regis Sueciæ, miſſo bis vel ter tubicine, urbis deditionem ſibi illicò fieri juſſit; civibus autem id ipſum renuentibus, vi illam tentare cœpit, ſed oppidani accenſo ſuburbio Suecos, qui unam valli partem jam occuparant, fortiſſimè rejecerunt, ita ut quam plurimis deſideratis diſcedere, urbemque iterum deſerere coacti fuerint; qui tamen pagos & villas quasdam circumjacentes flammis devaſtarunt.

Ineunte menſe Martio, *Galliarum regis* exercitus, *Nivernia Duci* ſuppetias laturus, propè *Suſam*, in Pedemontio ad radices Alpium ſitam, advenit; Neapolitanis autem & Hiſpanis cum duobus Sabaudicorum veteranorum millibus in occurſum ei tendentibus, & extructa munitione tranſitum ibidem impedituris, cruentum prælium per aliquot horas, ancipiti fortunâ continuatum, donec tandem Gallis victoria cederet, qui ſubacta munitione, Suſam recta contendentes, urbem iſtam ſuæ poteſtatis fecerunt, Arcem verò validâ obſidione cinxerunt.

Interea Cæſar, poſtquam bona Eccleſiaſtica omnia, poſt transactionem Paſſavienſem à Proteſtantibus occupata, repetere publico decreto ſtatuerat, illoque etiam non paucis in locis inſinuato, reſtitutionem eorum urſerat; ab Argentinenſibus quoque templa, inprimis ſummum iſtud ſive Cathedrale expoſcit, illi autem, eò, quod templa iſta

petita, à majoribus ſuis fundata, & piis uſibus, ad quos etiam à ſeſe abſque ullo abuſu adhibeantur, deſtinata ſint, excuſando ſe, poſtulatis iſtis ſatisfacere recuſarunt; ſi quæ verò extra Urbem ſita, ad Collegia ſpectantia, in ſua poteſtate habeant, reddituros eſſe; quin & Maximiliano Palatino, & Electori, Bavariæ Duci, ut Cæſari hac in parte obediant, per literas adhortanti, cùm communis illa cauſa ſit, in aliorum, Auguſtanæ Confeſſionis Statuum præjudicium, hac vice nihil ſtatuere ſe poſſe, ſed ad Comitia publica, & ulteriorem cauſæ & juris ſui cognitionem provocare, reſponderunt.

OPERIS CHRONOLOGICI
CONTINUATIO per A.P.F.B.

HActenus arma Cæſaris undiquaque proſperè graſſabantur, adeò ut Danus de pace cogitaret, Pomerania ſuppeditaretur cum maritimis, famoſa Juliacenſis ſucceſſionis lis per Commiſſarios agitaretur, Helvetia cum Belgio tentarentur, Mantua cum Montisferrato vindicarentur, Auſtriæ illa pars ſupra Aniſum commutatione ſuperioris Palatinatus redderetur, Dignitates Eccleſiaſticæ in familiam Auſtriacam diſtribuerentur; unde ſpes obedientiæ ſummæ tàm in ſacris, quàm in profanis per univerſum Imperium affulgebat. In eum finem Romæ actus Jubilæus, & Viennæ preces indictæ publicæ. Cæterùm placuit, bellum inter Polonos & Suecos foveri, & Gallum domi diſtineri, vel cum Anglo committi. Operæ pretium reſtabat in oſtiis fluviorum occupandis, ne Exteri ſubire, & victoriæ uſumfructum intervertere poſſent. Itaque belli moles ad maritima devolvitur, ſi quis imperata facere tergiverſaretur, & præſidio carere vellet: ſic Straleſunda fortiter obſeſſa, rebus deſperatis Sueco ſeſe applicat, & arma Cæſaris prima retundit.

Ordinum querelæ obtinent, ut Tillius juberetur contrahere cohortes, exauctoratis aliquot ductoribus. Saxo militem ſcribit, ne alienum alere cogeretur. Ipſa Liga, conventa acto Heydelbergæ ad Cæſarem mittit, de pace reducenda, bello prorogando. Magdeburgum à Majo in Septembris finem obſeſſum, quòd præſidium recuſaret, æquis conditionibus liberatur. Ob eandem cauſam circumſidetur Haſſia à Vitzlebio; Brema opportuniori ſervatur tempori.

Cæſar Lubecæ agit cum Dano de pace, iteratò excluſis Suecis; quæ 27. Maji promulgatur æquiſſima. Polono Suecorum armis occupato, mittit duce Arnheimio in tres menſes viginti millia ſuppetiarum. Balthaſaris montem, quæ clauſtra Alpium indigenæ Staigam vocitant, improviſus occupat, Curia tum ad imperata paratâ, & duce Colalto in Lombardiam effundit viginti millia peditum, quatuor equitum, quæ Ambroſius Spinola excipiebat. Montecuculi Comes jubetur in Belgium ducere, ne Sylva Ducis cogeretur, Hiſpano agnato id temporis ad depellendum hoſtem non ſatis valido, manus dare Statibus Unitis: Meckelburgi Ducatus, hactenus hypothecæ ratione datus Fridlando, fit proprius, fruſtra deprecante Dano, qui & Holſatiæ Ducem jubetur miſſum facere. *Horrenda nunciata, Francofordia ad Oderam, obtorto collo à ſpectris necatos duodecim utriusque ſexûs mortales. Lindavia ad Podamicum lacum cœlum arſit ineunte nocte: poſtridie Sol ad meridiem turpatus tribus confuſis circulis, iride ambiente. Medina Auguſtinorum ædes nova, vitio facto inter ſacra oppreſſit quinquaginta fratres, ultra trecentas auditores alios. Terræmotus in Tuſcia pagum univerſum abſorbſit. Tractus Rhenanus grandinem paſſus eſt ad inſtar ovorum Gallinarsorum. In Suecia pagus fulmine ferè totus, deflagravit. Herbipoli pluvia torrentes dedit, ut urbs penè redderetur navigabilis. Ex Sileſia pares tempeſtatum inundationes relatæ.* Romæ in Vaticano deliberatum de ſacris ex more Majorum reducendis. Eò inſtinctu Cæſar Commiſſarios mittit per Circulos Imperii, ut ex Edicto Reſtitutorio Pontificis petentibus, quæ ante Tranſactionem Paſſavienſem ſuperioris ſeculi in dominium ſecularium tranſierint, Eccleſiaſticis reſtituerentur, modo refractarios coercendi conſtituto. Deprecabantur Auguſta Vindelicorum, Dux Wirtebergicus, Ordo Equeſtris Franconiæ; ſed fruſtra.

Conſtantinopoli ſiſtit ſe Arcironius Baſſa, & quòd Stationarios, (Janizaros vocant) ſeverè mulctaſſet ex conſulto Procerum, ob Oſmannum trucidatum, & matrem Sultani ad necem quæſitam, ritè probat, adeò ut Aga Vezerius loco moveretur. Pax Hungarica jamjam expirans, Budenſi Baſſa occaſionem dedit & prædandi & alicubi homagium minis armatis exigendi: ſed illa 20. Octobris ad viginti quinq; annos producitur, Legato Viennæ paciſcente.

Polonia belli Suecici & cladium pertæſa, init naſcente Februario inducias trimeſtres; dum ſexennales concluduntur, maximè adnitente Brandeburgico: ubi præter vulgaria, Boruſſia conſtituitur mutuò defendenda, Ordinibus Poloniæ & ſuum, & auxiliarem, & hoſtilem militem ægrè ferentibus.

Suecus prius Straleſundæ fœderatus, ſuppetias mittit, & rebus Polonicis expeditus, etiam Dani ex colloquio certus, hoſtilia meditatur, & portus ſuos Cæſareanis occludit, quòd Arnheimium expertus eſſet hoſtem, Lubecæ repulſam paſſus, in ſcribendo milite protuberetur, cognatos Meckelburgicos avito patrimonio exutos, Proteſtantes Edicto Reſtitutorio vexatos videret, & ex heroico motu imbellis eſſe nequiret.

Gallus ſubjugatis provincialibus heterodoxis, pacem firmat cum Anglo in leges antiqui fœderis; cui additum, ut ſanguine juncti, & pax univerſalis reſtituerentur. Si pax rediit Galliæ, ut bellum vehementius ad Mantuam exardeſceret, quam Cæſareani obſidebant, tametſi Nivernius ad imperata ſeſe offerret. Alpes inſeſſas ringebat Gallus; dolebant Helvetii; unde iſti Comitiis actis Gothardum, & Rheni ripas ab Baſileam uſque communiunt; ille Galliam indagine cingi animadvertit.

Hiſpanica claſſis declinaverat Batavos Velleri aureo inhiantes; intulitque Seviliam (Hiſpalin) ſeſqui-

ſesquimillionem ſignati auri: ſeptem, crudi; duos precioſarum mercium.

Batavi ea ſpe deluſi, Sylvam Ducis magno molimine, ſumtu incredibili, obſident. Hiſpanis omnia fruſtra tentantibus, niſi quòd Henricus Comes Montenſis, menſe Julio adulto, cum ſuppetiis Cæſareanis Velaviam invaſit, Batavian perrumpere non potuit, quâ ratione Sylvam Ducis liberaſſet, & Auraicum in ſe vertiſſet. Sed ſtrategemate intercepta Veſalia, dum inde neceſſaria exercitui mittuntur, & vallum ſegnius ſarcitur, Sylvæducis deditionem, poſt ultimos cuniculos 31. Aug. actos, promovit; etiam Montenſis animum fregit, ut vi oppoſita caſtigatus, abitum ex Velavia per conſenſum inveniret. Batavi exercitum in agrum Montenſem Marcam, & per Weſtphaliam diſtribuunt, laceſſiti Cæſareanis ſuppetiis, adeò ut quædam loca expugnarent.

Danus Glückſtadium (Tychopolin) magnis privilegiis invitat negotiatores.

Cæſar declinante anno Ratisbonam indicit Comitia, ut Imperii res conſtituat: Mantuano leges feudi præſcribit.

Obierunt: Fridericus Henricus Palatinus, Friderici V. primogenitus, aquis ſuffocatus Herlemenſibus.

Georgius Fridericus Greiffenclavius, Elector & Archiepiſcopus Moguntinus; cui ſurrogatus Anſhelmus Caſimirus Wambold ad Umſtad.

Gabor Bethlinus, Tranſſylvaniæ princeps, ex hydropiſi.

ANNO MUNDI 5579. Æræ C. 1630.
C. ☉ 15. ☽ 16. Ind. 13.

Cæſar Hanoviam, ne Hollandi ibi nidum ſtruerent, jubet præſidium recipere, nec deſiſtit circumſeſſionem; donec Comes Moguntino Aſchiburgi fidem obſtringeret, ſe ſemper in poteſtate Imperatoris futurum 11. Martii.

Fridlando homagium præſtant Ordines Mekelburgenſes, ad præſtolationem ſex millium armatorum. Eodem modo Hala Saxonum in fidem Leopoldi Wilhelmi Archiducis, remotis Capitularibus Proteſtantibus, conceſſit: ſed ne idem fieret Magdeburgi, aliæ turbæ impediere, nam Chriſtianus Wilhelmus, Marchio Brandeburgicus, Adminiſtrator Hallenſis, perſonatus advenit, & urbem cum Capitulo in Cæſareanos permovet, loca vicina occupat, donec repelleretur intra munimenta; & Falkenburgum, rei militaris gnarum, ſub finem anni, à Sueco acciperet, ad quemcumque impetum paratus. Sueci apparatus bellici excitant, Cæſareanos. Fridlandus, ne fiat excenſio, Epiſcopatum Lubecenſem & ditionem Pinnebergenſem milite inundat, niſi Danus contra leges pacis id futurum graviter urſiſſet. Intercedit morbus Fridlandi, & thermæ, donec adulto anno, perurgentibus Imperii Ordinibus, ille à militiæ ſumma removetur, cùm tanta potentia aut capiti, aut alicui principi membro debeatur.

Ratisbonæ conventus Ordinum aperitur 23. Junii: conſultandum proponitur, Quomodo pax reſtituenda, Proſcriptio Palatini ſancienda, Hollandi coërcendi, Suecus avertendus, & majeſtas Imperii in Italia contra Gallũ aſſerenda. Acceſſerunt & iſta, Quomodo Edictum Reſtitutorium ritè exequendum, Mediati Status conſervandi, Rex Bohemiæ in regem Romanorum eligendus, perpetuus miles in Imperio, contra refractarios & ſubitos caſus alendos. Saxo petiit inveſtituram Feudorum: reluitionem 62. tonnarum auri: reſtitutionem ſacrorum in integrum; Auguſtæ Vindelicorum ſingulatim: Edicti Reſtitutorii abolitionem: & Rationem tributi militaris. Cùmque iſta Gravamina urgere non deſineret, reſponſum, tempus quædam tuliſſe, Juſtitiam adminiſtrandam: de cæteris conſultum iri: tandem rogatur pecuniam, commeatum, & neceſſaria ad tormenta, ſi res ferat. Anglus Palatinum reſtitui flagitat in avita, ſed fruſtra.

Hamburgenſes queruntur de novo portorio, quod Danus ad Tychopolin exigeret, dum domi ſtrenuè id impugnant.

Imperii nomine poſtulatur à Gallo, Venetis, Hollandis, reſtituerent quæ ex Imperii provinciis decerpſiſſent.

Gallus exprobat Monarchiam gliſcentem, pacificationem ſuadet: cum eo tranſigitur ob Mantuam, Lotharingiam, Rhætiam, & alia.

Suecus jubetur à provinciis Imperii abſtinere, qui jam metui poterat Auſtriacis, tanquam caput Novæ Unionis, uti fama ferebat: Miſſus tamen Donavius Gedanum, qui demulcendo averteret. Sed Suecus nihil moratus, cum Gedanenſibus jam tranſegerat, miſſis in eandem rem ad Conventum Anſeaticarum, qui Lubecæ agebatur: & Rugiam invadit: unde Cæſareani loca munitiora Pomeraniæ vel vi occupant, & firmant, ſed & Uſedomiâ Inſula & Wollino ejiciuntur, ubi Suecus centum triginta naves appellit & Pomeraniam invadit. Stetinum improviſus advolat, & cum Duce Boleslao vel reluctante fœdus icit. Illic locorum, ubi cum paucis ſpeculatum procurrit, à Neapolitanis, tantæ prædæ ignaris, capitur, & à Fridlandis immani fortitudine recipitur. Tum Scripto publico docet, cur arma inferat: Ordines Mekelburgenſes monet, ſibi conſulerent adverſus uſurpatorem; Colbergam obſidet, & ſeneſcente Decembri Griffenhagam capit. Boleslaus calamitatem à Cæſareanis illatam, & fœderis novi tenorem ad Cæſarem perſcribit.

Mantua obſeſſores adeò fatigabat, ut longè recedere neceſſum habuerint. Sabaudus, Galli arma in ſe convertit, negato tranſitu, & Pinarolam videt à Richelio occupari, cum Marchionatu Saluſſæ, & Camberiæ, Momeliano jam metuens. Expugnatur tamen Mantua, Nivernio ex arce Hiſpanis deditionem ſui pacto: ſed Caſalis fruſtra urgetur, donec induciæ fierent ad 15. Octobr. usque Cæduntur tamen Hiſpani & Cæſarei aliquoties: & Venetorum dux ad decennium damnatur carcere, ob rem malè geſtam, ſurrogato Nicolao Contareno.

Cæſar tranſitum per Alpes fruſtra tentat, Helvetiis per clauſtra ſua obfirmatis. Et ne Gallus ingrueret, limitem ultra Metim exercitu firmat, Vicko Epiſcopali delecto. Creditum, Lotharingiæ Duci id potius datum; qui ſemper Auſtriacarum partium, Ducatu Barrenſi nuper exciderat, quem ſuo, non conjugis nomine in feudum à Gallo poſtulabat. Executio Edicti Reſtitutorii in agro Wirtebergico fervebat; ſimul & confiſcatio, ſi quis contra Cæſarem vel ab initio turbarum arma tuliſſe

tuliſſe probaretur. Ubi conjux Imperatoris ſolenniter fuit coronata, ſolvitur conventus Ratisbonæ, 3. Novemb. ſt. v.

Franciſcus Carolus, Saxo Lavvenburgicus, à Cæſareanis ad Ratheburgum opprimitur, & ne caderet in ſcapha fugitiva, captivum ſe ſiſtit. Bethlinus teſtamento condito legat Cæſari equum phaleratum cum quadraginta millibus Ducatorum: totidem Sultano, conjugi centena millia ejuſdem monetæ, totidem centena millia Imperialium, & decem millia promiſcua monetæ, cum tribus provinciis. Transſylvaniam petitum abit Georgius Ragoczius Conſtantinopolin, tametſi vidua in Iſtuanem eſſet propenſior; cum quo transactum. Inde Hungaria ſuperior Cæſari fidem dat, & in ſingulas familias quaternos florenos promittit, Cæſare libertatem conſcientiæ permittente, in Comitiis Poſonii.

Bohemiæ regnum ſublatis Circulis, in quos olim diſtributum fuerat, in quatuor Epiſcopatus abit, Pilſenſem, Budovitienſem, Leutomeritienſem & Gretſenſem.

Miranda relata ſunt: Geiſmariæ in Haſſia militem conturbernali queſtum de frigore, cùm tamen madeſceret; ſed alterum admotâ manu glutinoſum advertiſſe ſanguinem, eumque copioſum, & rem hoſpiti, poſtea principi retuliſſe: redditum ſibi ex languore, rectè valuiſſe.

Mexicana, novæ Hiſpaniæ metropolis, quæ in lacu ſita, 70. milliaria habet in circuitu, ruptis aggeribus, merſa eſt, ut pauciſſimi elaberentur.

In Holſatia ſubmerſi ultra 400. mortales; & Tychopolis damno affecta.

Triremis ex Hiſpania Venetias tendens, quæ ferebat 40. tormenta, & pretium ſex tonnarum, hauſta eſt.

Hollandis ad Algeriam octo, ad Tripolin quatuor, in alto tres; Gallis 27. naves perierunt eadem tempeſtate.

Peſtis Mediolani rapiebat quingentos indies; Mantuæ & per viciniam ſeptuagies mille ſuffocavit; Veronæ per tres menſes vicies mille.

Mediolani & Taurini deprehenſi venefici, qui peſtem jannis adfricarent; ignibus dati.

Navis Viennâ Poſonium decurrens, cum ſexaginta hominibus interiit.

Alia ex Hollandia, Trium Regum, 260. laſtarum, vehens 248. mortales, præter 50. nautas, ad Angliam periit, ſervatis tantùm quatuor perſonis.

Mecha terræmotu concutitur, templum Muhamedi corruit, & area ſepulchralis ex inundatione pluviarum avehitur.

Hiſpania & Belgium annonæ gravitatem ſentiunt, pretio victus triplicato.

Hollandi carpunt naves Hiſpanicas: unam tribus tonnis æſtimatam triduo expugnant, menſe Januario. Aliam menſe Majo eripiunt Luſitanis, mille pondo auri gravem. Tertiam in Moſa ſtipendium vicies mille imperialium ferentem corripiunt. Exeunte anno mergunt unam Dunkerkianam, occupant duas: Una Hollandica ſeſe ex ſex hoſtilibus horrendè extricat: ſed paulò pôſt amittuntur ſex Hollandicæ.

Olinda Fernambuci, quæ eſt Braſiliæ metroplis, ab Henrico Cornelio Lonck, thalaſſiarcho, fortiſſimè expugnatur: unde ingens ſtudium utrinque in deproperanda expeditione. Selandis advolant 7. naves cum 1600. ciſtis ſacchari: una Texeliam defert 1200. altera 1089. marcas auri.

S. Martini urbs & arx expugnatur à Patero thalaſſiarcho: ex inopia victus diſcedit ille, acceptis 5550. imperialibus, aliiſque rebus pretioſis. Rapuerat alibi in æquore 1500. ciſtas ſacchari, ſed non impunè.

Johannes Naſſavius, Hiſpanici nominis, Ab Iſelſteinio funditur.

Auraica Allobrogum ſtrategemate eripitur Gubernatori refractario cum vita.

Turca ad Neapolin invadunt noſtras naves, vincunt, & octingentos mortales rapiunt. In expeditione Babylonica caduntur à Perſis; ſed amiſſa, vice reddità, recuperant. In Hungaria aliquid damni patiuntur, etiam à Militenſibus malè excepti.

Moſchi bis mille Polonos dant internecioni, in conflictu.

Hiſpanus & Anglus leges fœderis ſanciunt.

Saxo libertati Germanicæ, & ſacris metuens, Conventum indicit Proteſtantibus Lipſiam, in 8. Febr.

Ferdinandus Erneſtus, rex Bohemiæ & Hungariæ, ducit Mariam, Hiſpaniæ Infantem, menſe Junio.

Fridericus Holſatiæ dux ducit Mariam Eliſabetham, Electoris Saxoniæ filiam, ineunte Martio.

Naſcitur Angliæ princeps. 8. Junii.

Obierunt: *Carolus Emanuel, Sabaudiæ Dux. 16. 26. Julii.*

Johannes Jacobus Comes Anhaldinus, Tillii legatus, 19. 29. Octobr.

Colaltus Comes eum ſubſecutus eſt Curiæ Rhætorum.

Ambroſius Spinola, 15. 25. Septembr.

Cleſelius Cardinalis, annos natus 77 ineunte Octobri.

Johannes ab Hyen, baro, conſiliarius aulicus Cæſaris.

ANNO MUNDI 5580. Æræ C. 1631.

B. ☉ 16. ☽ 17. *Ind.* 14.

Rex Sueciæ adulto Januario, Stetino movet Mekelburgum verſus, agricolas ad cultum agri invitat per Neo Marchiam: Damminum expugnatum, Çotbergam redditam audit. Eum conſequitur Tillius per Pomeraniam, & 9. Martii devaſtat Neobrandeburgum, malo reluitionis exemplo. Tertio Aprilis expugnat Sueçus Francofurtum ad Viadrum 1703. oppidanis cæſis: Landsberga victori manus dat, Viſmaria obſidionem obſtinante, Mansfeldica arce expugnatâ.

Lipſiæ conventum agebat Proteſtantium Saxo Elector, ob executionem Edicti Reſtitutorii, Juſtitiæ tenorem, & Militis proterviam. Cæſar à conventu admonitus eorum, inhibet ſcripto conatum. Sed dum illic deliberatur, an & quibus legibus Sueco ſit accedendum, aut tranſitus aperiendus, Magdeburgum à Tillio expugnatur 10. Maji, & in cinerem vertitur, præter 139. domos, univerſum. Etiam Conventus agitur Saxoniæ inferioris, Hamburgi: & Sileſiæ, Uratislaviæ. Idem Dunkelſpulii factitant Pontificii, ſancitâ Ligâ. Gallus fœdus in ſexennium pangit cum Sueco, pro libertate Germaniæ, & mutua defenſione: movetque in Auſtraſiam, cum hic Spandaviam deditione capit, & Electorem Brandenburgicum intentatis armis, 8. Junii cogit in ſuas, vel potius neutras

partes,

partes, ob neglectum Magdeburgum peculſus animi: hinc Gryphisvvaldiam ſubigit. Danus, Hamburgo negotium faceſſere pergit armatus.

Cæſaris exercitus, rebus Italiæ conſtitutis, Sueviæ oppida, & Fürſtenbergius Ducem Wirtebergicum à concluſo Lipſienſi diſcedere cogunt, ſolo Wilhelmo, Haſſiæ inferioris Landgravio aleam belli ſubeunte. Movebat in eum Tillius, niſi ad Albim revocaretur, quòd Suecus Tangermundam & Havelbergam occupaſſet. Conventus Ordinum diſſidentium Francofurti ad Mœnum ſolvitur, re infectâ, poſtquam Tillius ad Lipſiam 7.Septembr. Sueco Saxonicis ſuccubuit magnâ ſtrage: Sueco cedunt Hala Saxonum, Erfordiâ, Franconia, Hanovia, Francofurtum, Moguntia, Rhingavia, etiam Manheymium & Hailbrunna, aliquot cæſis Hiſpanarum cohortibus ad Trarba cum trepidante Colonia Agrippina. Id loci, ubi Rhenum trajecit, invitis Hiſpanis, erexit Pyramidem, in cujus apice leo galeatus, coronatus, cum enſe nudo conſpicuus.

Saxo Lipſiam recuperat, in Bohemiam movet, Pragam & Egeram occupat, propulſatis ex Luſatia utraque Gœtſio & Tiffenbachio. Haſſus, à Sueco reverſus, Fritislariam capit, (Fulgerus Vacham contrà) & in Weſtphaliam incumbit.

Embda prius tranſegerat cum Comite Friſiæ Orientalis: & diſceptabatur Mindæ, an à Capitulo electus Mallingrodius, an à Pontifice & Cæſare dictus Oſnabrugenſis Epiſcopatum teneret, donec Haſſus 7.Decembr. oppido potiretur; mox etiam Hôxtera. Excenſionem facit Hamiltonus ad Stralam Sundæ, Britannicus dux & in Sileſiam à Sueco immittitur, ubi rem ſtrenuè gerit. Mekelburgici Duces reſtituuntur ſolenniter in ditiones avitas, Roſtochio (quod ſub finem anni deditionem fecit (& Viſmaria in alterum annum exceptis. Accedit tandem & Domitium Suecis. Tanto progreſſu Regina Sueciæ invitata, in Germaniam trajecit, & Wolgaſto, Stetino, Berolino ſalutatis, 16. Decembr. Lipſiam ingreſſa eſt.

Cæſar, ut vidit vallem Joachimicam executioni Edicti Reſtitutorii violenter obniti, & conventus agi Dreſdæ, paſſus eſt, ab Oratore Hiſpaniæ tentari Saxonis animum de ponendis armis, maximè poſt cladem Lipſienſem. Tillius ineunte Octobri adſcitis Fugeri, Altringii & Lotharingi copiis Aſciburgum, juſſo Pappenheymio verſus Magdeburgum contendere, ne id ex agone in poteſtatem Bannerii concederet, intelligit ſummum Imperium militiæ rediiſſe ad Fridlandum, fidei ſuæ Ligiſticas & Bavaricas credi copias. Gronsfeldius tandem Epiſcopum Bremenſem turbat ad Bremerverdam.

Tantam Germaniæ inundationem caſus aliquot horrendi præſagire videbantur. Hatisfeldius, Roſtochii gubernator, à Jacobo Varmejoro Weſtphalo, ſive ut Eglon, ſive ut Holofernes, trucidatur inflictu bipennis ad menſam ſcribens, capite revulſo, & in viciniam clam conjecto, 22. Januarii.

Neoburgi & Magdeburgi fatum ſecuta eſt Glogovia major, ubi ignis fortuitus præter duo templa, & 16. domos omnia conſumſit, 24. Junii.

Aſcherslebiæ viſi bini exercitus 18. & 19. Junii in aëre depugnare: ex utroque poſt reſtitutos ordines procedebat Dux talari veſte indutus; ſed Septemtrionalis ſagitta proſternebat Meridionalem.

Hala Saxonum, aqua Calend. Auguſt. in ſanguinem verſa.

Veſuvius 5 Decembr. exæſtuare cæpit: deinceps ſeptem crateribus detonuit: Viennæ duas turres in honorem Ignatii & Xaverii templo additas, ſuſtulit, nemine læſo, tempeſtas.

Romam prid. Natal. tanta tempeſtas corripuit, ut medio die prorſus requirerentur luminaria.

Moguntia vidit & audivit calonem ex Winckelii cærulea Legione, tametſi & ſurdus & mutus eſſet natus, acutum audire ſubito, & articulatim proloqui etiam precatiunculas, 27. Decembr.

Anglus Hollandis pacem cum Hiſpano ſuadet, Gallus diſſuadet, cui pronius aſſenſum. Anglus etiam Comitem Palatinum petit reſtitui, ſed fruſtra apud Cæſarem.

Tunetani & Algarienſes Hollandorum & Gallorum naves corripiunt: ſed inclinato anno prædam 1500. mortalium ex Hybernia, cum vita deſtituere jubentur à Dunkerkianis.

Fernambucum accelerabat operas & milites in Belgio & in Hiſpania magno molimine: ſed prævalebant Hollandi.

Juliacenſi agro & vicino demigrat tandem miles cujuscunque ſacramenti. Philippus fratres Ferdinandum Belgio, Carolum Luſitaniæ præficit; Auraicus fruſtra tentat Brugas Flandriæ, & ſucceſſorem gaudet ſibi deſtinari filium Wihelmum, menſe Majo. Auguſtus tria millia claſſiariorum, 50. naves, 10. pontones, & 130. tormenta ænea in Scaldis æſtuariis tradidit Hollandis rapienda: ubi argentum Americanum, 46. navibus Hiſpaniæ menſe Januario illatum periit.

Galliæ aula turbas menſe Febr. dedit, ubi mater regina videbatur primogenitum, eumque regem, monaſterio incluſura; ut ſecundò genito regnum conciliaret. Illa cuſtodiæ liberæ ſepoſita, elabitur per Hanonniam, Antverpiam: iſte in Burgundiam & Lotharingiam, omni culpa in Richelium purpuratum conjecta. Tum Sabaudus Gallis minus amicus, flectitur: paci tamen Italiæ inhæret, abducto milite, & inveſtitura Nivernio collata. Sed pax laborabat declinante anno, cùm Gallus nonnihil in conditionibus pacis adimplendis deſideraret, Rhætiarum anguſtias occuparet, & in finibus Lotharingiæ infeſſa recuperaret, Rohanium in Helvetiam cum milite & argento mitteret: unde Sabaudus quieti ſe dat & benevolentiæ.

Ad Babylonam Turca cum Perſis, variante aliâ belli, aliquoties depugnant.

Moſchi legatus repetit Smolenſco, mucto capite; nî reſtituatur, acinacem ſtrictum traditurus, in ſignum belli.

Polonus cum Turca paciſcitur, ut utrinque & Coſacci, & Tartari cohibeantur.

Ragoczy obtinet Transſylvaniam per tranſactionem, poſtquam Mandatarius Viduæ non Iſtuani, uti juſſus erat, ſed illi operam navaſſet Conſtantinopoli; ob id aquis ſuffocatus.

Etiam incurſiones Turcarum per Hungariam nunciatæ.

Nuptias celebravit Ferdinandus III. rex Bohemiæ & Hungariæ, Calend. Martii, cum Maria, Infante Hiſpaniæ.

Naſcitur

Naſcitur menſe Januario Sophia, Friderico V. Palatini.

Obierunt : Hatisfeldius Roſtochii. Ludovicus Fridericus, adminiſtrator Wirtebergi Ducatus.

Franciſcus Lozanus 21. Febr. & poſtea Laplace Galleron legatus, ſecuri percuſſi, ob amiſſam Veſaliam.

Conſtantia, regina Poloniæ, ſoror Ferdinandi II. Imperatoris, obit 10. Julii. Eam propediem ſecuta eſt Duciſſa Tuſciæ, ſive Florentiæ.

Johannes Grenzingius, in Senatu Cæſaris aulico ſententiam dicturus, 5. Decembr. obmuteſcit, concidit, & expirat.

ANNO MUNDI 5581. Æræ C. 1632. A G. ☉ 17. ☽ 18. *Ind.* 15.

Clerus Germaniæ, ſacris metuens, per Gallum impetrat pacificationem à Sueco, quæ tamen nulla fuit, ob Hiſpanicarum copiarum adventum. Itaque Trevir in tutelam ſe Gallo committit, traditis Ehrenbertiſteynâ & Philippiburgo; eventu tamen malo; etiam Palatinus Neoburgicus, cum vicina Colonia Agrippina pacem precibus, quàm armis obtinere à Sueco præoptant.

Suecus æmuli Galli arma à Germania avertit in Hiſpanum, reſarcito diſſidio. Unde hic, capto Moienuico, & Lotharingo taliter qualiter parcato, Lutetiam redit: idque ſatis tempeſtivè, cùm dux Aurelianenſis, frater, Bruxellus concederet, ad Lotharingum abiret; unde rex expedito exercitu, acceptis Clermontio, Aſtenæo & Jamaſio, in fidem, Lotharingiam fecit miſſam. Non tamen quievit Aureſianenſis, ſed denuò elapſus, cum exercitu irrupit in Galliam, ſociis Delbæſſio & Momorantio. Victus in gratiam recipitur; ſed Momorantium, in prælio captum, ſecuri ſubiiciendum deſtituit, donec 4. Octobr. pax coiret inter fratres, quæ tamen vel ob tam atrox ſupplicium vix menſem tenuit, diſcedente Aurelianenſi. Inde Auſtraſia & Treviris aſſeruntur.

Cæſar Fridlando ſummum militiæ imperium defert: id Bavarus Senatusconſulto Ratisbonenſi adverſari cauſatur; tardius ſubmiſſa auxilia excuſat; Palatinatus ſuperioris ſortem dubiam videns, hypothecam priorem repetit. Maravallum cum ſignifero, ob deditum Manheymium, ſubjicit ſecuri Heydelbergæ: Florentinas accipit ſuppetias.

Papenheym, dux Cæſarius, Wolfebyto exit, Barbio & Serveſtæ parcit ob Lunæburgici irruptionem, 8. Januarii. Magdeburgum devaſtatum Suecis derelinquit inſtaurandum; ut Haſſum à Gottinga pelleret, ipſe à Bannero & Vinarienſi infeſtatus. Capit tamen Einbekam: Todium à Stada ſubmovet, quam deſerere cogitur, & Albim liberum dare, dum in Haſſiam & Waldekum movet fruſtra tentata Hildeſia. Tum firmato Wolfebyto, Trajecti ad Moſam obſidionem ſolvere parat; ſed 7. Auguſti, extremo impetu in caſtra Auraici fruſtratus, ad Weſtphaliam redit, ubi amiſſa interea Paderborna, adſcitis Merodio & Gronsfeldio Hildeſiam capit. Inde ducit in Saxoniam, adulto autumno, properatis curſoribus ad pugnam decretoriam Luzanam vocatus; prælium altero die reſtaurat acerrimè, & cadit.

Suecus cum regina ingreditur Francofortum ad Mœnum, 20. Januarii, jam ante accepta Viſmaria, Goslaria. Cæduntur Hiſpani ad Moſellam. Ipſe Crucenacum expugnat; Guſtaviburgum ad oſtium Mœni ripa ſiniſtra, delineat, ſtruique imperat. Chriſtianum Palatinum Birkefeldenſem jubet novum exercitum in agro Wirtebergico ſcribere; in Alſatia per utramque ripam Rheni audit Oſſanum Cæſareum aliquando precedere, ſæpius repulſari; cum Colonienſibus tranſigit; Fridericum V. Comitem Palatinum ſuſcipit, regioque titulo dignatur publicitus: militiæ expertem ob æmulationis metum, & ſtudia, dum Gottinga, Duderſtadium, Lavvenburgum, & Northheymia quoque juſſa Vinarienſis faciunt. Sed ubi Tillius Bambergam petit, Donavverdam 26. Martii ſubigit, fruſtra obtinente Bavaro, trajicit Danubium, quem ſurſum ad Ulmam uſque ſuum facit, Tillium ad Rainam, inter Lycum & Aicham caſtrametatum perſequitur, 5. April. Lycum tranſit, Tillio in ſylva cladem infert, & vulnus lethale. Rainam expugnat adulto Septembr. quam Bavaris Mutſchefallio extorſerat; (Mutſchefallio ſecuri ob ſocordiam ſubjecto) Neoburgum poſt exprobationes acres imperata facere jubet; Auguſtam 14. April. ingreditur; Ingolſtadium cum periculo tentat; Bavariam Danubio obtentam donat; Baudiſſinum Todio, cui cum Lunæburgico non ſatis conveniebat, ſubrogat; 7. Maji Monachium intrat, repertis 140. tormentis æneis. Per Donavverdam tendit Nordlingam, ob Fridlandum; Sultzbacum Bavaro extorquet, fruſtra tentato Cronacho, ad Norimbergam conſidet, adſcitis Oxenſtierna, Vinarienſi, Birkenfeldenſi & Haſſo, ut 75000. numeraret expeditos bellatores. Freyſtadii inſignem obtinet victoriam; copioſa intercepta annona, depugnat ſæpius, adverſa caſtra 22. Auguſti temerè oppugnat, 700. globis exploſis, uno die. Hic Circaſſi & Procopii Tartari, à Giano Becquereyo, magno Chamo imperii Chrimnitz, auditi, & ob luſtrationem copiarum in ſtuporem acti. Abit Neoſtadium, cædit Bavaros jam ſeparatos, & ad Lutſam decretoria pugna occumbit victor, 6. Septembr. Belli gubernacula ſubit Oxenſtierna.

Hornius ceperat ineunte Februar. Bambergam; ſed à Tillio oppreſſus, diſcedit in Sueviam, vincit ad Wiſelocum & trajecto Rheno obſidet. Benfeldiam, quam poſt Graffenburgum Moſellæ ſubactum fruſtra obnitentibus Cæſareanis, 29. Octobr. capit deditione, in eam Lotharingus fruſtra aliquid juris prætendit. Tandem cæſis illis etiam Molsheymium, Seleſtadium, Colmaria, Hagenoa, Landſtula manus dant.

Lotharingus, ſemper Auſtriacarum partium, ab Argentinenſibus cæditur: in Galli offenſam incidit, & ſæpius reconciliatur.

Hiſpa-

Hiſpanus Trevirenſi negotium faceſſit; aliquoties ab Oxenſtierna mulctatur, ad Moguntiam.ad Steynbacum, ubi Nemetes deſeruiſſet: VVarelles Francothalis gubernator, perurgente Anglo, tradit Friderico V. Electori & exregi, poſt octiduum morituro provinciam.

Haſſus fœderis Lipſienſis pertinax. Warburgum & alia Weſtphaliæ. Mûndam & Amœnoburgum capit, Gottingam fruſtra obſidet. Mulctat ruſticos Fuldenſes, in militem atroces: accurrit Norimbergam in cardine rerum; redit, ſua conſervandi gnarus.

Cæſar cæditur 8 Febr. à Saxone victorem ſequuntur præter alia & Praga: Fruſtra petis auxilia à Polono, Ordinibus ea negantibus. Quasvis conditiones init, ut Fridlando, cujus ſumma apud militem authoritas, militiæ ſummam perſuadeat. In Luſatiam transfert bellum, dum Fridlandus per Bohemiam occupata recuperat. Exercitum ex agro Juliacenſi & Montenſi deducit. Pappenhaymio inferiorem Saxoniam; Gallaſſio ſuperiorem; Leopoldo Archiduci Sueviam, Oſſano Alſatiam, Holkio Sileſiam omnia Fridlando committit. Dolet phebis ſeditionem ſuper Aniſum & ulterius motam. Inferiores fert ad Luzam Miſniæ, ubi novena millia utrinque cæſa.

Danici milites Friburgum capiunt, quod Bremenſes recuperant; dum Sueci ad Verdam exercentur, & Lavvenburgicus nuper libertati redditus, de novo ſeſe Suecis dat. Lunæburgicus & Baudiſſinus occupant Duderſtadium, Wolfebyto ſic ferè per Brunſuicenſes arctato. Hildeſia & Hanovera admittunt præſidium Suecicum. Baudiſſinus manet in agrum Colonienſe; & demolitur Tuitium ex adverſo Coloniæ.

Arnheim capit & perdit Steynaviam Sileſiæ: Tubaldus fuſos Cæſareanos ad Vratislaviam usque peragit, dum Holck Zvviccaviam capit, & alia per Saxoniam.

Fridlandus, ritè pactus, ſed gravius quàm miniſtrum deceret, Bohemiam ante omnia conſtituit, contracto exercitu quinquaginta millium. Pragam recuperat 4. Maji, Saxonem pacificationis blanditiis fere circumvenit, qui in lucro ponebat, reductum exercitum. Egeram & Elbogiam occupat. Bavari jungit exercitum, oppreſſo Sultzbaco, adulto Junio Norimbergam tendit, ibi fatigat Succi vires univerſas caſtra metatus opportuniſſimè. Diſcedente eo, Bavarus Ratisbonam, ille Culmbacum capit, & deſerit. In Saxoniam movet. Lipſiam deditione obtinet, & alia pleraque. Ad Luzam pugnat totis viribus, regem Sueciæ ſternit, ſed campo cedere cogitur: ſic Lipſiam, Chemnitium, Zvviccaviam, alia denuò permittit victori.

De Rhætia in partes trahenda laborabant hinc Rohanius, illinc Ferianus. Eam tamen in Comitiis Badenſibus Helvetiorum pagi in tutelam ſuſceperunt.

In Polonia celebrabantur Comitia, de Moſcho repulſando, de Tartaris coercendis, de Sueco ad perpetuam pacem inducendo: de novo rege deſignando. Eligitur tandem Uladislaus, Brandeburgici ſuffragium rejicitur, firmata Boruſſia; Cæſari denegantur auxilia.

Transſylvanus à Succo inducitur ad arma expedienda; quæ ille in ſuperiorem Hungariam vertit, permiſſu Sultani, ob ſacra Proteſtantium cohibita, viduæ colluſiones cum Palatino, & jura quædam: quod Helvetii, cæterum æqui, recuſant, ipſi ob jus alicujus ſacelli dividiis propiores. Pontifex maximus conferre ſpondebat in ſingulos menſes 24. millia Imperialium; neque deſinebat, pacis conditiones expedire.

Chriſtianus Wilhelmus Brandeburgicus, nuper Adminiſtrator Magdeburgenſis, tranſit ad ſacra Pontificorum, ſcripto evulgato, ad evitandam ſuſpicionem levitatis; cui amplè reſponſum.

Ruſtici per Bavariam, etiam ad Brigantiam ſubalpinam, dira inferebant Suecis palantibus, & idem, & diriora paſſuri.

In Belgio fiebant utrinque magni apparatus: Hollandi Venloam 21. Maji & viciniora deinceps occupant. Obſidionem Trajecti ad Moſam firmant, 140. currus annonæ intercipiunt, Pappenheymium fortiter repulſant, & poſt deditionem, etiam Limburgam, & alia ſubigunt: 15. Oct. Orſoium, cum jam ab initio Wilhelmus Naſſavicus munitiones aliquot inter Antverpiam & Bergobſomam exercitu ambulatorio oppreſſiſſet. Henricus Comes Montenſis ad Hollandos tranſit, cauſam ſcripto edit, citatur fruſtra ad cauſam dicendam, nec quenquam popularium ſuo exemplo movet. De induciis tamen agitur.

Sultanus, Vzrefo Baſſa remoto ab expeditione, inducias pangit cum Perſa, tametſi adoleſcente, poſt avum regnante, copiasque laceras reducit.

Americana claſſis, tempeſtate disjicitur, decem naves, cum Archithalaſſo & Ammiralio, præter 1500. claſſiarios amittit.

Gothæ 600. ædes cum templo D. Margarethæ incendio pereunt.

Veſuvius menſe Octobri denuò exæſtuat.

Rex Galliæ Monte Peſſulano abiens, triduanam tempeſtatem patitur, 4. Oct. ferè ſub dio, vix aquis confluentibus ipſe ereptus, 116. perſonis ex comitatu deſideratis, cum ſupellectile regia.

Quibus horis ad Luzam confligebatur, & jam nox incubuiſſet, virgo altera facem ardentem, altera ſtrophiolum excuſſum ferens, ſupra arcem Stockholmianam viſebatur. Omnes januæ in univerſum per arcem ter ſponte patuere. Fluvius non ignobilis per totum diem exaruit, ut ſicco pede tranſiretur. In Smalandia campanæ ſponte ſonuere: regiæ mortis omnia.

Obierunt: Mauritius Landgravius Haſſiæ, Eſchvvigæ.

Henricus Wilhelmus, Comes Solmenſis, Svinfurti ex vulnere.

Tillius Ingelſtadii ex vulnere.

Sigismundus III. rex Poloniæ.

Jacobus Fuggerus, Norimbergæ, captivus, ex vulnere.

Leopoldus Archidux Auſtriæ.

Auguſtus Palatinus Sulzbacenſis

Momoranthius 17. Oct. ſecuri percuſſus Tholoſæ.

Fridericus Palatinus Laubecianus.

Franciſcus Lotharingus, dictus Vaudemontius, 15. Oct.

Henricus Comes Schombergius, Momoranthii deſignatus ſucceſſor in provincia Langedocenſi.

Rex Sueciæ & Duciſſa Lotharingiæ Imperatricis Germana. Dux de Guaſtalla. Joh. Sparren, baro. Nicolaus Hornius. Carolus Hiſpaniæ princeps, cum paulo ante Hiſpani vim declinantes, ipſi Francothalium tradidiſſent.

Pappenheymius, dux Cæſarius in prælio ad Lutzam.

Fridericus Rantſovius.

Fridericus V. Comes Palatinus Elector Moguntiæ, 19. Nov.

ANNO MUNDI 5582. Æræ C. 1633.
F. ☉ 18. ☽ 19. Ind. I.

Oxenſtierna, Cancellarius Sueciæ, militiam ordinat à morte regis, Lunæburgico & Kniphuſio dat 16. millia, in Weſtphaliam. Vinarienſem amandat in Franconiam: ipſe ad Saxonem vadit, conſilia collaturus. Interea Altringius Sueviæ urbes ſubigit; eò Hornius pergit; poſt 1600. ruſticos Sundgoviæ mactatos & 130. Briſgoviæ in crucem actos, ob atrocitatem, dum Hagenoa per inſidias perditur, & Comes Rhenanus Lotharingo obluctatur, Tabernas Alſaticas & Dachſteynium occupanti; & Vinarienſi auctus, Bavaro Cæſareanos mulctando propellit in Bavariam, cum Raina rediiſſet ad ſuum Dominum. Auguſta ſervatur Suecis, aliquoties victoribus; unde Landsberga, Neoburgum & Aichſtadia ſubacta. Ibi Crazius, Fridlando offenſior, traditurus erat Ingolſtadium 4. Maji adjutante Farentsbekio.

Cæſareanis Mars adverſabatur ferè ubique: ita ab Enhuſio in Alſatia per multuarium conflictum mactantur 400. Cæſareani, totidem captis: Ipſe Fridlandus in Sileſia ad Olaviam pari damno, ſed ad Oppeliam amiſſis trecentis pugnat. Dellonius in Suevia 4. Junii centum quinquaginta educit. & 600. Cæſar. profligat. Vinarienſis Ratisbona expugnata, arma Fridlandi à Pomerania avertit: Chamium, Straubingam, alia occupat.

Sileſia videt Tubaldum, ſponte ſe imperio ſubmittentem Arnheymii Saxonis, qui 24000. numerabat in exercitu: Fridlandus 40000. colligebat: Holkio Bohemiam committit; is Lipſiam tertiò capit, & deſerit, ob arcem; Saxoni pacem offert, poſt inducias, quam Lavvenburgicus dolet ſimulatam. Vratislavia Suecis favet, ob religionem aſſerendam.

In Alſatia proditionem detexere Argentinenſes. Exurunt veneficum, qui Jeſuitas incuſabat inſtitutores: Sueci Hagenoam & Philippiburgum & Briſacum obſident: deditur Dilhberga & Heidelberga. Funditur Lotharingus 31. Julii ad Pfaffenhoviam: hoſtis à Gallo promulgatus: Dachſteyn & Lichtenavia ſequuntur victorem. Hornius Conſtantiam omittit, ob Altringii & Feriani copias appropinquantes, ſic Briſaci obſidio tollitur. Gallus in tutelam ſuſcipit Buſivillam: propelluntur Cæſareani in Bavariam uſque, cæſi ad Landsbergam.

Hiſpanus in agrum Colonienſem duxerat, ob Budiſſimum; & Gronsfeldio Tuirium permittitur, multum querulis Belgis. In Andernacum explodunt 3570. ictus fruſtra, Baudiſſinus occupat Hamerſteynium, & bis vincit: Haſſus Warburgo nudato, corripit Statbergam, Dortmundam, Dorſtenam, alia vicina, etiam Paderbornam, tandem & Werlam. Lunæburgicus obſidet Hammeliam, & ducentis amiſſis mactat 5000. Ligiſtarum ad Altendorpium; unde facta deditio etiam Oſnabrugæ cum Caſtro Petri vicino. Dum illi Bukenburgum, Schaumburgici dominii occupant, hic Amænoburgum recuperat. Cohortes Sueciæ Auraico militant per Brabantiam: reliquæ ſubigunt Salinas, Lipſtadium, alia: luunt ad Brielam. Cæſar Pragæ ſubjicit ſecuri undecim duces, quorum facilè primi ab Hagen, & Albertus ab Hoffkirch; undecim laqueo ſuffocat, ob deſertum prælium nuperum. Eodem die Dresdæ Vopelius capite truncatur, ob Pleſſenburgum Lipſiæ deditum. 19. Maji Farensbacus Ratisbonæ enſi ſubjicitur, ob Ingolſtadium Sueco expoſitum. Reducuntur ſacra Pontificia à Cæſare; is fruſtra cum Saxone agit de pace: quod negotium Danus in ſe ſuſcipit. Buchaymius mittitur Conſtantinopolim.

Proteſtantes conventum agunt Hailbrunnæ: renovatur fœdus cum Suecis, conſtituitur Director, cum Conſilio formato. Convenitur denuò Francofurtum: navigatio in utramque Indiam, ante ſexennium inſtituta, ampliatur, cum privilegiis Guſtaviburgi. Religioſi ſacramentum Suecis abnuentes, migrare jubentur. Neoburgum accedit Bavaro, & illius dux Ligæ.

Cæſareani occupant Francofurtum ad Viadrum, Landsbergam, & Gorlitium. Saxo Francofurtum fruſtra conatur recuperare. Sed Sueci in Pomerania ſeſe recolligunt, in Marchiam tendunt.

Auraicus Rheinbercam obſidet, & capit: dum Wilhelmus Naſſavius Stellatam & Philipinam corripit, firmata S. Stephani inſula ab Hiſpanis. Hollandi amplos faciunt progreſſus in India Occidentali, domi graviſſimam exundationem patiuntur: ſed ex Oriente rapiunt duas naves, cum ſexaginta tonnis auri.

Sigiſmundus III. ſepelitur 14. Jan. coronatur Uladislaus IV. 27. ejusd. ad ſolvendam obſidionem Smolenſco properat, munitiones aliquot expugnat, 17. tonnas auri, diſſipato comitatu octodecim millium corripit, ſed in ipſa aviditate opprimitur: & fame affligitur. Stockolmiæ ſciſcitur in Comitiis de ſucceſſione, de adminiſtratione regni, & de bello per Germaniam continuando.

Rex Angliæ Arthuri Dominicani ex Hiſpania vix evadit manus parricidas.

Cometa, inſtar lanceæ, imminet Barcellonæ.

Gallus occupat Nancejum 23. Sept.

Pontifex Ligæ transmittit 50. millia coronatorum: in S. Angeli caſtro à foſſoribus invenitur capſula, numis Gothicis, ante quingentos

gentos annos cuſis, prægnans. Padus exundavit, illato damno 150. mille coronatorum. Conſtantinopolis ad tertiam partem, per feſtivitates natalitias filii Sultanici, concidit in cineres. Accaron, Tyrus, Sydon crudeliter devaſtantur, ob rebellionem.

Exorti, dimidiato diecula itinere à Caſſellis Haſſia, fontes ſalutares deploratis morbis.

Obierunt, præter Vopelium, & octodecim illos Pragæ truncatos Farensbacus, qui ictum inclinato capite fruſtratus, vulneri ſtrophium injecit, arreptâ haſtâ quatuor obſtantes confecit, plures vulneravit, donec haſtis contrucidatur objectis.

Johannes Caſimirus, Dux Saxoniæ, Coburgi dominus, 16. Julii. ſuccedit frater Joh. Erneſtus, Iſenaci dynaſta.

Ulricus, Holſatiæ dux, filius Dani, ex inſidiis in Sileſiâ.

Holckius, peſte, quæ Sileſiam, Saxoniam & Alſatiam metebat.

Iſabella Clara Eugenia, gubernatrix Belgii, 21. Novemb.

Chriſtianus dux Brunſuicenſis & Lunæb. Cellæ.

Ferianus dux, in Bavariâ; nuper Gubernator Mediolani.

ANNO MUNDI 5583. Æræ C. 1634.
E. ☉ 19. ☽ 1. Ind. 2.

Philippiburgum deditur Smidbergero tandem 10. Jan. quod Gallus ſibi expetebat. Salmenſis excedit Tabernis Alſaticis, quæ potius ſub clientelâ Galli, quàm neutræ eſſe maluerunt. Hunninga infra Baſileam munitur à Cæſareanis; merces negotiatorum & Pariſienſium & Baſileenſium diripiuntur. Sueci ſuperant Cæſareanos in Alſatiâ, & Bavaros, Wiltzburgo opitulaturos. Seleſtadii detegitur conſpiratio Suecis. Ii Rheinfeldiam obſeſſam capiunt Cæſareanis cœſis.

Hornius in Sileſiâ verſatur: ubi Cæſareani Wartenbergam deditione, Namslaviam vi ſubigunt; Glogoviæ ſacra mutant; Drandorfius autem cæditur. Altenburgicus movet in Luſatiam, expugnat Budiſſinum, Gôrlitium, ſuperior Arnheymio, 4000. cæſis, 1400. captis, Glogoviâ, aliis receptis. Accedit Suecis Francofurtum ad Viadrum, Croſſa: Bannero ad vicena millia inſtructo, Tum pax tractatur Licomeritii, ſed fruſtra. Hirsberga deſeritur & exuritur à Cæſareanis, menſe Julio. Sueci per Sueviam & ſuperiorem Palatinatum ſuperiores, Dubadel ex Chamio Bavaros profligat.

Vinarienſis obſidet Forcheym; Saxo Sittaviam: Hornius capit Aicham; Bannerus irrumpit in Bohemiam nequicquam, dum ad ſalutem Ratisbonæ, adproperant Vinar. & Hornius. Electori Saxoniæ committitur ſumma militiæ per utrumque illius Circulum.

Hildeſiæ continuatur obſidio: ſubacto Steinfurto, profligatur Bôninghauſius: dum Guſtavus Guſtavi fit Dynaſta Oſnabrugenſis, & ſacra Proteſtantium inducit. Saxonia inferior Halberſtadii agit Conventum, & decernit arma in defenſionem. Sueci auxilia ab Hollandis impetrant, & evadunt ſuperiores. Luna quartùm capitur.

Fridlandus Cæſaris legatus, & dux militiæ totius, vel paſſus invidiam, vel vitio liberioris linguæ, & acerbioris imperii, vel per ambitionem, vel propter non ſincerè abjurata ſacra Proteſtantium ſuſpectus, ſubodoratur, Gallaſſium ſibi ſurrogari, unde quorundam tribunorum fidem conciliat integram, ad Proteſtantium partes tranſiturus, confoditur Egeræ 14. Febr. quo die & Schafgotſchius in Sileſiâ comprehenditur, cujus legatus aliquamdiu turbavit, donec Gôtzio ſeſe tandem permitteret. Lavvenburgicus rerum ignarus, 16. comprehenditur. Hinc militia Cæſaris, donec Cæſaris filius, rex Hungariæ, poſcentibus ducibus cum ſtipendio, exercitui imponeretur; fluctuabat. Paulò antè Kônig & Oſſanus Tyrolem verſus in cuſtodiam ducti.

Hiſpanus Ligæ ſubmittit 1600. equites, 3000. pedites, duceCeladâ. Ligiſtici Brackenfeldiæ obruuntur: ſed cumulatiores, Hôxteram obſidione capiunt, cædunt Haſſos ad Nihemium; occupant Beckheym, Ham, Lunam, aliâ. Cæſi, amittunt Ham: profligati vident Hildeſiam, per annum obſeſſam, dedi 12. Julii: etiam Buckenburgum, & Mindam cingi: & Stoltena viam ſub finem anni Lunæburgico dedi.

Comes Rhenanus ineunte Martio mactat 1500. Cæſareanos in Alſatiâ: occupat Tannam, Belloſortum, alia: deditur ſponte Enſesheymium, & alia: dum Sueci Hunningæ munimentum expugnant, Hornius victor Bibracum ſubigit, Campodunum, alia. Vinarienſis abſtinet Bohemiâ, Kemnatum corripit, Cronacum obſidet. Tupaldus in Sileſiâ depugnat, 150. mactat, 460. captivos trahit, cum tribus tonnis auri. Landsbergam Sueci, Straubingam Bavarus occupant, Cæſareanis Chamium obſidentibus. Hornius Memmingam deditione Uberlingam non item, Neoburgum vi obtinet: cædit Cæſareanos in finibus Burgundiæ. Hinc Friburgum à Suecis captum, & Rheinfeldia obſeſſa; Limburgum ab Altenburgico expugnatum.

Rex Hungariæ Ratisbonam obſidet, præcluſis aditibus, quos fruſtra Vinarienſis conatur perrumpere, nullus in divertendis armis. Itaque deditur urbs 16. Julii ſequitur Kauffbeura, & inclinatur Saxo ad pacificationem. Id temporis princeps Hiſpaniarum, Cardinalis Infans ex tranſalpinis deducebat in Belgium 6500. pedites, 1500. equites: rogatus à rege Hungariæ, qui Donavverdam, Anſpachium, per Franconiam ſuperiorem, ad Danubium pleraque occupabat, prælio decretorio miſcetur ad Nôrdlingam 26. & 27. Auguſti, nondum contractis omnibus Suecicis, & victoriam perficit, in Belgum contendit, & fructum victoriæ regi Hungariæ relinquit, cui omnia, præter Ulmam, obediunt; is Wûrtenbergicum & Alſatiam duriter tractat.

Vinarienſis ad Mœnum inferiorem diſſipatum militem colligit: author eſt, ut Gallo, quod nuper ſtrenuè negatum, tradatur Philippiburgum, quo perditis rebus ſubveniret. Id Orator Hiſpanus Pontifici conqueſtus, reſponſum tulit, fratri non invidendum, quod exter tenebat. Sic

Herbipolis à victore oppugnatur, Heidelberga deditione recipitur, & Vinarienſis à Piccolhuomineo affligitur. Uberlingam tamen expugnant Sueci, & Schorendorfium 23. Novembr. Cæſareani. Onolsbacenſes in Cæſaris verba jurant.

Oxenſtierna, quod videret fortunam Suecicorum nimis diffuſam menſe Martio conventum habet Francofurti Proteſtantium, alium Wormatiæ adulto Novembre: ubi dux Neoburgicus petit neutrarum eſſe partium, & decernitur, ab Hollandis auxilia petenda Fürſtenbergerus & Geleenius abeunt ad Philippum Mansfeldium, qui in Juliacenſi, Montenſi, & Bergano agro exercitum ſcribebat, dum Herbipolis Cæſareanis ſubjicitur, Argentina recuſat Galli patrocinium Haſſus ad Hirsfeldiam profligatur: Ligiſtici in Wetteraviam concedunt, Braunefelſiam ſponte obtinent, Fridbergam & Budingium vi.

Gallus nuptias fratris, ducis Aurelianenſis, cum Lotharingia Vandemontia fruſtra impedire conatur, quas poſtmodum Theologi Galli nullas pronunciarant. Epiſcopatum Baſileenſem in clientelam recipit. Mottam Lotharingiæ gravi obſidione pervincit.

Montisbelicardi incolæ, qui Reformati ex iis audiunt, ad ſacra Lutheranorum tranſeunt. Lotharingus monetæ hunc circulum dedit Carolus D.G. rex Auſtraſiæ, dux Wurtembergiæ ac Montisbelicardi, Landgravius Alſatiæ. Ex altera facie: Habeo & Habebo quod multi mirabantur. Sed ejus nomine multus ſcribebatur miles per Italiam Hiſpano parentem, quo reſtitueretur in Ducatum, quem Gallus ad Sacramentum coegerat. Tum Aurelianenſis in regnum redit, & facilè reconciliatur: Wilhelmus Landgravius Haſſiæ, Mareſchallus Galliæ dicitur. Sed Marchio Sanctæ Crucis, advecta navibus omni materia, ſubitò excitat munimentum ad ipſam Maſſiliam, ex quo non parum angebat illam plagam. Portugalliæ præficitur Duciſſa Mantuæ Sabauda.

Hollandi munimentum Rivi magni in altero orbe expugnant. Ex Guinea tres recipiunt naves, 1044. pondo auri ferentes. Caput Auguſtini occupant. Memphitas piratas caſtigant. Paccuviam inſulam, duce Vobeccio, ſubjugant. Tum ſeptem ex India naves receptant, Inſulam ſalis optimi poſſident. Paraibam, locum famoſiſſimum, corripiunt.

Areſcotus abit in Hiſpaniam, Ordinum Brabantiæ & Flandriæ conſilia, de ineundo fœdere cum Hollandis retegit: ipſe illuſtri cuſtodia detinetur, donec Barbanſonius & Bornevillius captivi fiunt, Eſpinonius & Henninius in Gallias dilabuntur, rerum ſumma Aytonæ principi creditur. Rhinberca deinceps fruſtra tentatur, & ad Trajectum Moſæ nihil procedit, obſtantibus Hollandis, tametſi Cardinalis Infans, poſt prælium Nordlingenſe, gubernator Bruxellis exciperetur magnificè. Ducentæ ferebantur tonnæ auri ex America advectæ. Ita & Anglis maximæ acceſſere opes ex Indiis Orientalibus.

Poloni clade afficiuntur à Moſcho, quod Lituani ſæpius acceſſiti non comparerent. Sed Moſchi in eas rediguntur anguſtias, ut Sachinius dux vitam paciſceretur, & abitum, quod capite luit. Coiit tamen pax paulò poſt. Inde in Turcam vertuntur, perpetuæ pacis Studioſi cum Suecia, cujus negotii cauſa rex Dantiſcum ingreditur 9. 19. Decembr. Legato Angliæ in rem eandem miſſo, neque tamen apparatus in Turcam, interveniente pace, expeditionem habuit.

Turca Chriſtianis infenſior, legati Gallici geminum ſacellum, in Galatia templa occludit, tametſi excoxiſſet prius tr centa millia coronatorum. Mercatorem Venetum, quòd perſpicillo Seralium, ſive Gynæceum temeraſſet, cum Muphti, is eſt ſacerdos, ſuſpendio necat. Baſſam Alepienſem ſecuri ſubjicit. Polono bellum indicit. Ejus frater maximus in Italiam elabitur, Sacris Pontificiis initiatur, & cum Scioppio ad Principes Europæ tendens, ab Helvetiis diſtinetur.

Malta ſub his incendio deformatur, & Venetii ædes cum tabernis aliquot conflagrant. Buchaimius nunc revertitur Conſtantinopoli.

Duello ceciderat alter, Romæ digladiantium illuſtrium, unde tumultus non exiguus per urbem Helvetii argentum ſignatum, quod militi Gallo in Lombardiam ferebatur, tranſmittunt ægrè illa vice, nunquam poſtea id conceſſuri. Tuſcani in Archipelago cum Turcis bono ſucceſſu confligunt. Campanella, ſeptuagenario major Neapoli per viginti quinque annos ab Inquiſitore hæreticæ pravitatis, carcere concluſus, ob vulgata quædam arcana Monarchiæ Hiſpanicæ, evadit, adjuvante Pontifice, & Pariſiis degit cum Cardinale Richelio, qui immanem adornabat Bibliothecam. Keſſelring Hornio, Conſtantiam petenti, Steinii tranſitum aperuerat. Ideo à Pontificiis Helvetiis captus, à Reformatis repetitur, quæ lis diu tenuit. Exeunte anno conventus agitur Dreſdæ, alius Berolini: ſed Ordinum indicitur à Cæſare in Februario futurum. Portento habitum: Aquilam ad Francofurtum Mœni globo dejectam plumbeo. Angliam circa Londinum contremuiſſe, paludem nigris undis exæſtuaſſe, ædes per fimbriam ſtraviſſe. Canem marinum ad Dreſdam captum. Tempeſtate horrenda Mulhuſium afflictum, Nordhuſii tria templa fulmine tacta, Saltzæ grandinem ovi gallinacei magnitudine cecidiſſe, ut & equites ſternerentur exanimes. Lutetiæ Pariſiorum in ſacris de ambulatoriis pontem ruptum, triginta mortales ſuffocatos, octoginta læſos. Naviculam cum peregrinantibus ſacrorum cauſa hauſtam. Toruniæ aquam in ſanguinem verſam. In Viſtulæ oſtio duas aves voraciſſimas, cum myſtacibus, captas. Witebergæ ſulphur pluiſſe. Luzenæ mulierem in olla ad focum pro juſculo ſanguinem, Eulenbergæ pridiè coctas carnes crudas & ſanguine ſtillantes reperiſſe. Uratiſlaviæ primò ſpectra cum facibus ardentibus in ordine procedere, deinde milites, inter quos & Cataphracti, demum canes cum facibus ardentibus.

Duſſeldorpii cœlum ſæviiſſe, 300. doliola pulveris nitra-

nitrati in Æde ſuccendiſſe, quinquaginta domos viciniores complanaſſe, ferè omnes damno affeciſſe: tormentum æneum ex vallo trans Rhenum excuſſiſſe. Pirnæ ſeptimo Septem, ex frutice roſæ emortuo, qui ſeptuaginta annis parieti adhæſerat, roſam cum prægnante nodulo albo variegatam, dum fiunt Sacra ſubito enatam. Ad Argentinam in Xenodochio ſuavem Muſicæ harmoniam auditam, quam lamentabile væ, idq; aliquoties repetitũ exceperit. Ad Halberſtadium ex fonte ſanguinem profluxiſſe. Halæ Saxonum piſcinam in ſanguinem mutatam. Undecimo Octobr. per littus maris Balthici, qua Hamburgum & Glückſtadium viſuntur, exundatione 6123. mortales periiſſe, 1336. ædes corruiſſe, 50. millia omnis generis pecorum ſuffocata. Peſtem Viennæ per ſingulas ſeptimanas ſexcentos Libitinæ dediſſe, Straubingam penè evacuatam incolis. Pigeniciæ 228. ædes igni, Piricium in Pomerania, Libenvvaldum in Marchia penitus ferè. Moſcoviæ quatuordecim millia ædium; Sempronii & Ratisbonæ non paucas conflagraſſe. Mediolani ad ſolennia Archiepiſcopi purpura veſtiendi, 25. mortales ſuffocatos.

Nuptias celebravit Chriſtianus V. cum Magdalena Sibylla Saxonia Electoris filia, Coppenhaga, 5. Octob.

Obierunt: Hannibal Baro Schavvenburgi Briſaci gubernator, cum Eſchero legato. Jacobus Dubaldus, fiduciarius Suecorum generalis per Sileſiam. Pilſenæ quinque tribuni cum aliis præfectis, octo Senatores, ſecuri ſubjecti, ob Fridlandi factionem, quatuor tribunis per gratiam ſepoſitis. Johannes Altringerus: Fridericus Ulricus Brunſuicenſis Johannes Fridericus, dux Sleſvvigæ & Holſatiæ, Archiepiſcopus Bremenſis. Otto Ludovicus, Comes Rhenanus, ex amne trajecto & formidine imminentis hoſtes æger. Franciſcus Julius, Saxo-Lavveburgicus. Præfectus Fridbergæ ob deditam arcem, Hanoviæ ſecuri percuſſus.

Fridericus Toletanus & exul, & miſer diem extremum abſolvit. Francofurti ad Mœnum exuvias corporis depoſuere, qua peſte, qua aliis morbis, hoc anno 3571. mortales. Auguſta Vindelicorum, 4054.

ANNO MUNDI 5584. Æræ C. 1635. D. ☉ 20. ☽ 2. Ind. 3.

Vinarienſis Mœnum traducit in Wetteraviam 12000. Calend. Januar. Comes de Turre obſeſſus tradit Herbipolin Gotzio. Bambergerus recuperat. Philippiburgum ſtrategemate: unde Oxenſtierna, & Vinarienſis cum Granſæo, legato Galli nova conſilia ineunt Winsheymii, domi Braunefelſia itidem ſtrategemate ſibi acceſſiſſe intelligunt.

Rex Hungariæ 23000. collegerat, aliquid damni paſſus ad Altorpium: Spira dedita, Rhenus ſternitur ponte, & Heydelberga infeſtatur ubi Gallo Sueci Spiram recuperant, Cæſareani ex Wetteravia & Haſſia hoſtili in Rhingoviam cedunt. Interea Comes Embdenſis, auxiliante Metternichio, Treverim occupat, Gallaſſius Auguſtam Vindelicorum fame, Lambojus Coburgum vi ſubigit, vallem Telinam Gallus ex improviſo.

Dux Neoburgicus neutrarum ut eſſet partium, operoſe impetrat, Buxellis & alibi Lunaburgicus obſidet Nieburgum ad montem raparum, quod 20.30. Junii deditionem fecit, Mindanos in ſuam fidem adigit: dum Ligiſtice Rhennam Haſſo extorquent.

Res Succicæ ferè erant deploratæ, unde Oxenſtierna ad Gallum abit: Gallo Sueci Moguntiæ ferè veſperas ſiculas celebraſſent, Bannerus inſidiis Stalmanni periiſſet: Degenfeldiana tamen legio obruitur, Weida capitur, & Mansfeldius ex Colonienſi agro in Wetteraviam, attritus licet pervadit. Neoburgicus igitur ſua & verbis & viribus recuperat.

Cæſar conventum agit Sempronii, grandem pecuniam diverſo nomine poſcit, Catholicis templa à majoribus extructa decernit reddi. Elſium, Fridlandi Cancellarium, in gratiam recipit. Cum Saxone pacem Imperii exaſciat Pirnæ; Dreſdæ prius penſiculatam, Stiriæ agreſtibus ſeditioſis per Svvartzenburgium domitis, eandem polit & firmat 20, 30. Maji Pragæ: immotus ad Saxonis interceſſionem pro Sileſiorum ſacris.

Polonus Thuroniam ingreditur tertio Januarii, Gardius Suecus ſedecies mille pedites, & quater mille equites in Boruſſia habet ſubſignis, occaſioni intentus, ſed pax coiit adulto Julio, ad inducias viginti quatuor annorum.

Gallus inſidiis fruſtra petitur Pariſiis, Nancei & Abbevillæ: unde Pylaurentium, Fargyſium, Monpenſerium cuſtodiæ mancipat. Vallem Telinam occupat ſubitò, Hiſpano indicit bellum maximè ob Trevirenſem Sancti Michaelis caſtrum expugnat. Vincit ad Hojam, duce Caſtilionæo, 5000. Hiſpanorum, 100. Gallorum cæſis, captis Feriano, Carolo Auſtriaco, Ladrone & duodecim ducibus, qui corruptis duobus ex cuſtodibus evaſerunt poſtea, octo tonnis auri vix redimendi obſidet Atrebatum. Sic Lotharingo, Rheinachero & Mercyo fuſis per Forcæum, aſſerit Burgundiam. Non tamen per Rohanium impedire quit, quin tranſitus Cæſareanis ſit permiſſus Badenæ per Rhætiam. Forcæo ſubrogat Angulaimium, & ob trajectum Rhenum, Cæſareanorum metuens irruptionem, ſtrenuè armat. Burdegalæ ſeditionem patitur.

Hiſpanus fruſtra obſidet Philippinam. Ex claſſe Neapolitana tempeſtate pereunt novem triremes quindecim naves majores, ſex millia claſſiariorum. Auraico & Caſtilianæo Leodii obſidionem reddit fruſtraneam. Per Fernamundum obſtat Rohanio in Rhætia ſancto Crucio duce impreſſionem meditatur, quam adulto anno, occupatis & munitis inſulis S. Margarithæ & S. Honorati perficit.

Schenkeſchanſium aſtutè & fortiter corripit, & Bilandiam amittit dum Hollandi illud extemplò obſident. Lymburgum occupat.

Ad Lyſabonam intereunt decem triremes, triginta navigia cum 6000. claſſiariorum. Auraicus

cus militiam equeſtrem in decem legiones reducit. Hollandi Arragatin, & Nazarettum in America occupant. Enkuſii gravem patiuntur ſeditionem à mulieribus, 1200. marchas auri, octoginta millia pondo eboris ex altero orbe accipiunt, Naucleri cum Amniralio, ob rem malè geſtam incarcerantur.

Anglus ingentem claſſem facit, freto uti aiebat coercendo: pro Palatino intercedit apud Cæſarem. Hollandos detinet Pleymuthi, quod Hiſpanos ſpoliaſſent.

Pacem Pragenſem plerique Ordines acceptant: Sueci tamen à Saxone poſt multam diſceptationem, Megapolitani operam nequeunt amandari, etſi Cæſar Avocatorium militiæ ſcripſiſſet: neque Haſſus acquieſcebat oblatis, fruſtra allaborante Achiepiſcopo Moguntino, à Boninghuſio interim vexatus. Expoſtulabat etiam Danus de Epiſcopatu Bremenſi, reſervarat ſibi Cæſar quoſdam, Amneſtia inhabiles: interque eos Iſenburgicum: cujus Comitatum fiſco adjudicatum, Georgio Landgravio Haſſiæ ſuperioris, ſpectatæ fidei in domum Auſtriacam, principi, confert.

Pax Poloniæ exauctoratum militem dabat Sueco Germanum & Cæſari indigenam, valde rapacem. Rex Hungariæ Hailbrunnæ moratur, gratia largus ac pacem Pragenſem. Heidelbergam, Hanoviam, alia obſidet: Gallaſſium jubet Rhenum trajicere: is Vinarienſem perſequitur Galliam verſus, Cæſare Lutream vi & cæde, Landſtullam aſtu occupat: à Biponto jam dedendo, ob Gallovinarienſes recedit, Landſtulla pedem figit, fuga proximus.

Vinarienſes Gallaſſio cedit ultra Saram, novis Galli ſuppetiis auctus, Gallaſſium ad Rhenum rejeciſſet, ni Landſtulla huic refugium, illi terrorem præbuiſſet. Itaque Moguntiam liberat obſidione, pontem ibi ſtruit, ſerius Vicedommium ab Ekſtat contra Francofurtenſes, qui Lambovo, & Krauſio adjuti, illum Saxenhuſio, quod ponte jungitur urbi, ejecerant, aſſerturus. Recedit Vinarienſis, juribus longè inferior, per Weſtriam Metim tendens; ad connubium Nabæ & Gelani cladem infert Galiaſio perſecutori, Saram tamen non ſine clade trajicit, & laceras copias in agro Gallico reficit.

Tum ultra octoginta millia Cæſareanorum, ducibus Gallaſſio, Granao, Lotharingo Galliam videbantur invaſuri, caſtrametati ad Maſeriam & Ramberuillam Lotharingiæ, cum Gallis, Vinarienſi & fame maximè conflictati. Falcoſteiniam interea incolæ ſtrategemate ſurripiunt. Tum Lotharingus 400. pagos in finibus Galliæ incendio delet.

Interea deditur Francodalium Cæſareanis; nonnulla per Weſtphaliam, Tabernæ Alſaticæ, Moguntia, Konigshovia Franconiæ: Hanoviam circumſidet Lambojus.

Gratzium menſe Majo, Vienna, tempore matutino, enſe plectitur: ubi ad meridiem tempeſtas horrenda turrim Scotenſem ad lapides exuſſit, campanas liquefecit: eum Schaffgitſchius octiduo poſt ſecutus eſt. Lauvenburgici fratres; Henricus Julius, & Franciſcus Albertus captivi, in gratiam, & iſte in ſummum imperatorem militia, adſciſcuntur. Gartium expugnant Cæſareani, & Stargardiam penè exuſtam, ſed Torſten Werbenam recuperat. Saxone pleraque occupante, recedunt Sueci, Baudiſſino ad Damitium mulctato, etiam urgente Saxone: is Cæſareanis conjungitur Sandaviæ in Sileſia.

Ex Rhætia ſic ſatis benè conſtituta deſcendit Rohanius in Pedemontium ad ducem requium: ii obſident Valentiam ad Padum fruſtra: cædunt tamen Cæſareanos bis per Rhætiam: Pontifici pax Pragenſis gaudium adſerebat, cum deſiderio Galli pacificandi. Meſſina terræmotum, Veſuvius exæſtuationem patitur.

Schach Saphian Sethe, Perſarum rex, Moſchowitis munera. Rana Perſarum deditur Turcis: decernitur prælio, ubi nonaginta millia Turcarum, Perſarum viginti millia occubuere, Turca numeroſiore, ideoque victore. Budenſis quatuor pagos exurit, quinquaginta mortales mactat, ſeptuaginta rapit in ſervitutem, cum menſe Auguſto antè deflagraſſet ferè Buda.

Exeunte anno conventum agebant Anſeaticæ amiſſis per tempeſtatem 30. navibus; etiam Ordines Sueciæ, de futuris & præſentibus ſolliciti. Inundationes variæ nunciantur: Avium exoticarum catervæ, canum rabies ad Straubingam, 29. Maji Andreas Grunheyd in Grunevaldia, ſeptem milliaribus à Regio monte, nauſeam ante meridiem excuſſurus cultrum, altra decem digitos longum, ingulam mittit, & ſummis digitis elabi paſſus, hærentem, nec in caput erecto relabentem, cerevifia promovet Medici Regiomontanius 9. Jul. aggrediuntur hominem, cutem & carnes, ipſum ſtomachum aperiunt, cultrum educunt, ſaucium ſanitati reſtituunt, qui & matrimonium iniit, & liberos genuit. *Daniel Becker D.*

Maximilianus Bavarus Elector ducit Viennæ Mariam Annam Auſtriacam, ſororem Cæſaris.

Hoc anno peſtis univerſam Germaniam pervaſit, cum unitis Provinciis Belgii.

Obierunt: *Regis Poloniæ fratres, Caſimirus Paduæ, Alexander Niſſæ:*

Securi percutiuntur, Schaffgotſchius & Schaffenbergius.

Brochumius, Ritbergenſis minor, Eynettius, Carondeletus, dies ſuos implent.

ANNO MUNDI 5585. *Æræ* C. 1636.
CB. ☉ 21. ☽ 3. Ind. 4

Diverſis in locis ſæviebat Bellona: Weſtphaliam miſcuerant arma Kniphuſii Suecici, & Ludersheymii Cæſareani. Ii ſeſe mutua afficiunt clade & cæde ipſis Cal. Jan. Hinc Crateſenſteinius Kniphuſii, & Geleenius Ludersheymii vices ſubeunt. Nec deerat partibus Cæſareanis Klitiſingius, qui tamen infelicius pugnans, in Sileſiam ducit, & Gratio provinciam tradit. Is Hamburgum Haſſiæ ſubigit, huſatum Tremoniam, & Hammium iterum, Dorſtena fruſtra tentata, neque Landgravius cum Leſſelio quicquam magnoperè fecit, niſi quòd Hanoviam ad Mænum à Lamboji obſidione fortiter pugnando liberavit.

Ob Epiſcopatum Bremenſem vehementer expoſtulavit Danus, donec Cæſar eundem Friderico Holſato Dani filio, tranſcriberet.

Bannerus ſummam armorum Suecicorum circumfert, Albini ſubitò trajicit, Barbyam quinto impetu capit, Miſenam ſubigit: duas tamen legiones permittit Baudiſſino Saxonico, cui Hatisfeldius cum Vlefeldio Cæſareanos auxiliares junxerant, cadendas. Sic ipſi peris, Magdeburgum cum Bernburgo dum Iſavvelikium obruit ad Sanderſleviam, & Luneburgum, argento emungit, Winſenumque munimentum occupat. Cæterum per Marchiam imbellior, diſcedit,

diſcedit, & ad Witiſtocium pingui potitur victoria, ubi medio Sept. Saxo-Cæſareanos fundit, tormentis, impedimentis, caſtriſque exuit. Hinc Thuringiam abit flagellatum, & Erfordiam demum adulto Decembri, mœnis armatis ignitiſque obtinet. Vbi Mansfeldiam obſidet, (qua anno 1639. menſe Aprili, deditionem fecit) accurrentes ſubſidio Saxones fugat, & Naumburgum, Torgaviam, aliaque cumulo victoriarum adjicit. Vrangelio primitus erat impoſita cura Pomeraniæ: is ut Mazarinum, qui Stargardiam etiam ceperat, in ſe converteret, ſtrenuè agebat, ſuccollante Banero per Marchiam, Werbena munimento, Havelbergâ, Garcio in poteſtatem redactis, adeò ut Berolinenſibus omnia ad militem ſublevandum præſens vindex extorqueret.

Saxo avocat populares ſcripto publico, ex Suecicis caſtris, & cum Cæſareanis recuperat Havelbergam ac Ratheraviam, evocato, poſt firmata Pomeraniæ præſidia, Marazino, ſic copias & auſpicia Cæſari permittit in Hatisfeldium transferenda. Werthius interea, ex mandato Electoris Bavarici, qui fratris Ferdinandi, Archiepiſcopi Colonienſis rebus conſultum volebat, Leoduini affligit & circumſidet, è factionibus Gallicâ & Hiſpanicâ, quibus urbs laborabat, conſilium capturus. Ibi Ruellius Conſul, Gallis æquior, medio die, ſublimis in æquo, ab occurrente equite ferè trajicitur globo, & deinde iterum in convivio proditorio.

Superiorem tractum Germaniæ exercebat Reinacerus, occupato Hochburgio Badenſi: Neutras partes indulgat Actovilia. Ehenheymium Benfeldianis permittit, & Confluentias Moſæ ac Rheni à Gallis deſertas, percipit, ut obſidione Eribertiſteynia faveret.

Cogitabat Cæſar, Galliam dispunctim invadere, & ſedem belli ultra limites Germaniæ, cui pacandæ Comitia indixerat, proferre. Itaque Lotharingus Burgundiam petit, ubi Condæum à Dolæ obſidione in ſpontaneam fugam conjecit: Gallaſſius, Lambojus, Mercyus & Iſolanus tum Burgundiam Francicam tribulant donec Vinarienſis Valettano junctus, Tabernas Alſatias, Blamontium, Rambevillam occuparet, & ſignis collatis Cæſareanos funderet, qui nullo operæ pretio peracto revocati, ad inferiorem Alſatiam conſident Druſenheymii, in ripâ Rheni ſiniſtrâ, Hagenoam obiter ſic obſidentes.

At altera irruptio, Hiſpano Cæſarea longè felicius Picardiam, Galliæ provinciam tentat, triginta millibus in eam effuſis præter decem millia Polonorum. Nam Monbaſonius & Monlauraus ſummi Duces cadunt: occupatur quicquid Sommam & Oyſiam inter jacet, etiam Corbia trajectus, quam Galli magno molimine adulto anno recuperant, propugnatore utroque ignavia & mortis damnato. Labaſcebat ſanè Galliæ fortuna, maximè ubi quatuor fortiſſimæ provinciæ imperata facere recuſabant, Santonia, Angulemia, Limoſina & Perigortina. Hinc, ne quid ſiniſtri ab Vltramontinis pertimeſcendum, fœdus cum Britanno in antiquas leges, quibus pro temporum ratione, & ſanguinis conjunctione, ſed in ſpeciem potiſſimum aliqua nova adjecta.

Cæſar legatum Tartari, ſuppetias indefinitas promittentis, audit, & patriâ protervum hoſpitem an hoſtem abſtinet. Uratislavienſe præſidium in fidem accipit Arondelio Anglo, Palatini reſtitutionem nomine regis Britannici poſtulantis, benignè audit Lincii, benignius dimittit. Saxoni confert & tradit Luſatiam ſuperiorem, dudum & nuper oppignoratam. Landgravium Haſſiæ inferioris ad ſuas traducere, aut ad quietem componere annititur. Ordines Imperii cogit Ratisbonam, de filio ſibi ſubrogando, de pace patriæ, de causâ Trevirenſis acturus: obtinuitque ſummum, ut Ferdinandus III. in regem Romanorum 3. Id. Decemb. eligeretur, & 13. Cal. Jan. inauguraretur ſolenniter: uti conjux menſe ſequente.

Batavi lentiſſimè faciunt bellum, tametſi piratica pro more reciprocaret, pacis mentione delibuti. Ægritudinem de fabricis ſacchari in Fernambuci provinciâ per Luſitanos & Braſilienſes corruptis, leniebant naves Velleris aurei. cùm Leo 955. marcas auri crudi, eboris 13091. pondo: Halex ſocia, 449. marcas auri crudi. 30610. pondo eboris, præter 371417. Greyn; Falco & S. Michaël 1400. & arcas ſacchari, præter alia pretioſa, attulêre. Afflictis rebus opem laturus ſolvit cum milite Mauritius Naſſavius. Etiam nunciatum, Lima Peruviana 130. neophytos, Luſitanorum pertaſos, de tradendâ Batavis Republicâ egiſſe. Hiſpanica claſſis aurifera Pleumuthum Angliæ ſubire, & magnorum detrimento aurum ſuum transfretare habuit neceſſum.

Rhæti conſenſum agitant, perurgente Rohanio, & ſic ſpectatores bellorum evadunt, dum Rohanius munimentum Fuentæum delet, & Forgæus Leganeſium, ac Philippum Sylvanum non ſatis benè colebat, donec Coloredum fundit, capitque, infeſtis ſignis.

Tranſſylvania novas dabat turbas, poſtquam à morte Bethlem Gaboris Ragoczyus rerum potiebatur. Salymyus David, ex familia Bethlenià cogit duo millia & amplius militum, auſpiciis, Sueci in ſcenam producturus. Suſpicionem ea res movit Ragoczyo, & ne quid Reſpublica detrimenti caperet, eas copias diſſipat, unde conſpiratio, per venatum conſtituta in caput principis, ſed is præmonitus, abſtinuit, & Salymyum carceri teterrimo mancipavit, unde nec Cæſaris nec Jeſuitarum precibus eximi potuit. Hinc Stephanus Bethlenius, Iſthuan Gaboris frater & Petrus Gaboris filius criminis vicini, Budam fugiunt, & comparato exercitu Ragoczyum, Auſtriaco ſubſidio ſuffultum aggrediuntur, & funduntur, quod Baſſa Temeſuarienſi anno ſequenti capitis conſtitit. Perſa Ravanam, in finibus utriuſque imperii ſitam, tandem recuperat.

Prodigii loco habita procella, quæ Gedani tres naves mercibus onuſtas, & totidem alias qua octingentos Suecos ferebat ſupplementum, demerſit.

Liburnica omni apparatu bellico munitâ per Holſatiam in aëre viſa; & ſuper Anyſum, tympana & tubæ auditæ.

Grando tripondius in agro Darmſtadiano cadit, & Zacynthus horribili terræmotu concuſſa.

Electori Bavarico naſcitur Ferdinandus Mariæ, Franciſcus, Ignatius, Wolffgangus.

Obierunt: Antonius Tholoſanus, Magnus Magiſter per annos 14. ætatis 84. Eligitur Fra Jovan Paulo Laſcari ex Niza Provinciæ.

David Herlicius, Aſtronomus famoſus.

Auguſtus ſenior, Brunſuigi & Lunæburgæ dux, Archiepiſcopus Ratevillanus, Zellæ.

Marchio Bolognienſis capite plexus Romæ, ob libellos famoſos: cujus famuli ſuſpendium tulêre.

Fridericus Wiſſius, Conſiliarius Aulæ Cæſareæ.

ANNO MUNDI 5586. Æræ C. 1637.
A. ☉ 22. ☽ 4. Ind. 5.

Geleenus malè incurrit in Vrangelium,& Haſſi annonam Ehrenbertiſteynio illaturi in Werthium: & Croatæ Allendorpii in Kingium. Vechta tamen cedit Haſſis,Suſatum,& alia. Ipſe Landgravius in Friſiam Orientalem ſe ſubducit. Tum Georgius Landgravius,poſt fata Wilhelmi agnati,tutelam in inferiorem Haſſiam vel Cæſareis diplomatibus fruſtra quærit,fruſtra de Marpurgi Ducatu actitat, tametſi Gœtio Duce Cæſaris arma Caſſellanis oſtentaret.

Funccius ex Weſtphaliâ tendit in Sileſiam,ut ſeſe Vrangelio opponeret , qui Cuſtrinum ambibat , & Landsbergam relinquit Vicedommio vacuum: dum Bannerus Lipſiam deditioni proximam deſerit,quòd Hatsfeldius Jenenſi agro depopulato accurreret,Gallaſſio & Gœtio acciens. Eulenburgum & Bretiſium eum fugienti non abſimilem juvant annonâ,præter cogitata obruti, mox ſponte deſerti. Sic munimentum ponti Wittembergico objectum occupat (quod vix per duos menſes tenuit) ut Cæſareanos ab Erfordiâ retraheret, quam Saxo omnino obſidendam cenſebat. Torgavia verò cingitur à nonagies quinquies mille bellatoribus; elabitur , per æmulationes obſidentium , etiam ad Landsbergum & Cuſtrinum ; & ægrè trajicit Viadrum, nec Vrangelii copiis jungitur, niſi in Marchiâ. Hinc Havelbergam Saxo facit ſuam,cum munimento Werbeniano ; Haſſium,quod Suecos deſtituere nollet, pulſat,arcem Mauritii ad Hallas ſtrategemate intercipit , dum Cæſareani Wolgaſtum , & Damminum, etiam Luneburgum expugnant ; Bannerus tamen firmatior Werbenianum recuperat , poſtquam ex Wollino ſupplementi compos, triginta millia trahens emerſiſſet : afflictus etiam in Sileſiam abit.

Gallus immanes apparatus contra inſultus hoſtium facit ; inſulas S. Margarethæ & S. Honorati magno molimine vindicat : In Burgundiâ fanum Amoris expugnat , & Cæſareanos ex eâ provinciâ exigit , Vinarienſi eos ad Rhenum proturbante. Nec benè audiebat apud Rhætos,ob ſtipendia non exoluta,& ſacra Romanenſia, ſuppreſſis heterodoxis, reducta , multum ſudante Rohanio. Sic Parmenſis deſtitutus tranſigit cum Hiſpano.

Batavis munimentum Greffingenſe extorquetur aſtu : ii Hulſtâ tentatâ, Bredam obſident operoſè,& ad deditionem cogunt,nihil moti amiſſo Venlono,caterùm de Moſa trajectu ſecuri. De Naſſavio in Americam miſſo proſpera quæque inaudiunt : naves auro, ebore,cupro , ſaccaro , & ligno coccineo graves recepiant. Fappinum Aiſſemanum, legatum ad Comitia imperii,perverſa res incuſant ; is ſe Hamburgo purgat. Leodium à VVerthio exagitatur porrò : ibi Conſul Ruellius à Comite VVarfuſæo ad convivium invitatus, ob armatis perſonis deducitur in conclave proximum,conſcientiam in ſinum ſacerdotis præſtolantis exoneret ; & confoditur. Rem famulorum unus enunciat , adeſt plebs furibunda , effringit ædes , mactat Comitem,tractat per plateas,in partes ſecat,& portis Urbis affigit. Conſulis funus pompoſè ducitur,viduæ ſtipendium honorarium ſancitur.

Anglus claſſem adornat , an ad Palatinum reſtituendum , aut populares ſubigendos. Electores diſſuadent Dano telonium Glükſtadianum. Arnheym privatus ex prædio rapitur,Stokolmiam mittitur ; unde cuſtodibus fruſtratis ſub finem anni ſequentis elabitur.

Tartariæ dux,Turcarum auxilio fretus,imperium videbatur uſurpaturus : hinc cum Polono pactus , ſexaginta millia Coſaccorum Saporuſciorum conducit. Eos Turcæ amicos rati tranſmittunt , & cæduntur cum duce rebelle , qui in Turcicum ſolum evaſit.

Fridericus Haſſiæ ſuperioris Landgravius,tranſit ad Pontificios,à quibus ſupellectile regiâ & muneribus colitur,inter Melitenſes alicujus nominis futurus.

Ruſtici in Saxoniâ Suecos ; in Thuringiâ Croatas mactant,magno ſuo malo. Cæſari Pragam tendenti, à ſicario Italo mortis periculum intentatur.

Uladiſlaus Polonus Cæciliam Renatam, Archiduciſſam, Viennæ ſibi copulat, fratre vices ſponſi ſuſtinente.

Obierunt : Ferdinandus II.hydrope,non.Febr. anno quinquageſimo nono ætatis.

Boleslaus XIV.dux Pomeraniæ,6.Id. Mar. biennio miros. Unde cum provinciâ & cum Sueco enata acris contentio Electori Brandenburgico , de ſucceſſionis jure & modo.

Baſmanus Cardinalis , Archiepiſcopus Strigonenſis. Alcalanus,Mediolani præfectus,in itinere Colonienſi.

ANNO MUNDI 5587. Æræ C. 1638.
G. ☉ 23. ☽ 5. *Ind.* 6.

Vinarienſis ex Burgundiâ inopinus redit ad Rhenum,poſtquam audivit, Werthii poteſtate vel quatuordecim loricas in ripâ poſitas conceſſiſſe. Obſidet Rheinfeldiam, geminato prælio victus vincit, Werthium,Savellium (qui cuſtodias fefellit,vetulæ habitu elapſus) Enkefordium, Spereuterum, Fürſtenbergerum, alios duces cepit, incredibili niſu & victoriâ huc Friburgum Briſgoviæ ſubigit,& Briſaco Rheni domino, tendit retia, quòd ſciret annonam veterem,exercitui impenſam, novam à ſe intercludi poſſe. Accurrunt Gœtius & Lotharingus : ſed uterque malo omine & clade , cujus Lambojus ſe participem fecit. Sæpius de annonâ inferendâ , de ponte corrumpendo , de caſtris evertendis dubio marte & damno,acerrimèque eſt depugnatum quadrimeſtri tempore,donec locus munitiſſimus fame diriſſimâ,cujus unius vim agnoſcebat, ad deditionem venit : Abſumſit autem utrinque ultra octoginta millia mortalium : & undecies centena millia Imperialium victori devoravit , quam ſortem cum fœnore ampliſſimo reddidit.

Hanoviam ſuam ad Mœnum redierat pace utriusq; militia Philippus Mauritius Comes : cum Ramſaus Scotus , Suecicarum partium tribunus, indignè habet,etiam viciniis gravis. Itaque grandem pecuniam ſtipulantur Moguntinus , Darmſtadianus & Francofurtenſes viciniſſimi,ut excederet, Amſtelodami numerandam; ſub quam negotiationem Naſſavius Dillenbergenſis,propinqui ſortem miſeratus,ſtrategemate per portarum clauſtra centurionem immittit, oppidum aſſerit ſuo Domino,& Ramſaum vivere dedignantem ducit captivum.

Aquiſgranum jubetur recipere præſidium, duce Marchione de Granâ : quod ægerrimè, & ad ſcriptas leges fecit. Maſæ Trajectini , novi dominii pertæſi,perforato muro commodo erant redituri in manus Hiſpani,niſi in cautiores quidem ſuſpendio & exilio temeritatem luiſſent.

Pacem

Pacem reducendam urgebant Danus & Megapolitanus : collibuerat nuper Colonia Agrippina ; nunc ad præliminaria conſignatur Lubeca , ubi legati fiduciarias ſuas,cum modo procedendi aperiebant.

Sueci ad mare Balthicum redacti,Rugiam adverſus Cæſareanos animosè defendunt : & aucti viribus,Gartiſium Brandenburgico extorquent,Saxoni Warbenianum, Wolgaſtum præter arcem : diripiunt Malchinum, in cautioribus legionibus oppreſſis,& Bernaviam : prorſus metuendi.

Haſſus obruit Paderbornam,& expugnat Camium; quæ pro armiſtitio compoſito reddit,& declinante anno Moguntia pacem accipit ; quæ tamen non tenuit.

Palatinus ope Angli militem ſcribit,Meppenam Weſtphaliæ ſibi comparat ; eum fundit fugatque Hatsfeldius capto Roberto Palatini fratre : & Vechtam operosè ſubigit. Cùmque Archiepiſcopalis Bremæ ager premeretur,Danus ut filii jus aſſereret,militem ſcribit, ſed delinitus deſinit.

Gallus obſidet Audomari fanum fruſtra : cadit Lotharingum in Burgundiâ, duce Longavillano , expugnat Polignyum,& Arbaſiam: Tum Danvilleriam in Lucemburgico. Condæum cum magno exercitu in Hiſpaniam immittit , qui ab obſidione Fontarabiæ depellitur: vincit damnosâ naumachiâ ad Getariam: expugnat Caſtelletum Picardiæ : Vinarienſi ſuppetias ſic ſat tempeſtive mittit ; & conſpirationem Metis in tempore prævertit. Non tamen Matrem retinet, quin per Flandriam ad Hollandos recederet ſuſpicionis plena.

Hiſpanus in Italia expugnat Bremas , Vercellas & Pomaram : Kerperam in Juliacenſi agro : confligit cum Batavis pari clade : mulctat eos graviſſimè ad Antverpiam , ſive munimentum Calloanum, & Geldriam fortiſſimè tutatur. Modenæ Ducem trium marium ducit Archithalaſſium. Texeliæ in portu quadraginta naves tempeſtate periêre.

Poloni inſtitutus Ordo militiæ ſacræ, ad numerum ſeptuaginta duorum fratrum , graviſſimâ oratione Radzivilli tollitur. Rex Viennam abit, ringentibus Proceribus.

Cæſar Polonum magnificè habet Viennæ : Saxonem cum filiis humaniſſimè excipit Leutomeritii. Eggenbergium ad Pontificem ablegat : in venatu,periculum ſubit,ubi ventus vehemens arbores disjiciebat.prid.Id.Dec.augetur filio,Maximiliano Thomâ.

Bremæ tumultuatum,ob Baſilicam,quam Archiepiſcopus novus ſuæ ſectæ cultoribus attribuebat. Tum & Auguſtus, Saxonis filius, Epiſcopum agit Hallenſem,homagio ligio ſuſcepto. Motus in Luſitaniâ adverſus Hiſpanos facile ſedatur.

Lotharingus per Burgundiam, Alſatiam & Lotharingiam ſtrenuè propugnat, ſed ſæpius cæditur, Gœtio iniquior per æmulationem ; ut diſcinctus ille per Mansfeldium ſiſteretur Bavaro , ad militiæ adminiſtratæ rationes reddendas : quibus ſatisfecit. Tametſi Lotharingus Eſpinalium & alia occuparet,nihil faciebat ad Vinarienſem à Briſaco abſtrahendum, aut ſuperandum. Aliquando ad Thannam fuſus,in ſaltum ſe recepit unde funiculis undiquaque ex fruticibus ſuſpenſis, pyrobolaribus, de nocte evaſit ſingulatim.

Bavaro naſcitur Maximiliano-Philippo-Hieronymus, prid.Cal.Oct. Joh.Georgius Saxo,Electoris filius,ducit Culmbacenſem , in Parrenthâ. Brandeburgicus præteriens petitur globo plumbeo ex feneſtrâ, patratore catenus incognito.

Waradini majoris inter rudera à Bethleno deſtructi ſepulcralis ſacelli,inventus theſaurus,cum adiculâ portatili, & adamante ovi Gallinarii magnitudine : fundus eſt Hungaricus, dominium Rogozyanum,cui adjicendus theſaurus.

Obierunt : Steno Bielken Stetini. Rohanius Königisfeldiæ. Chriſtianus princeps Portugalliæ. Marodas Dux Pragæ. Cyrillus Patriarcha Eccleſiæ Græcanicæ, Conſtantinopoli inſtigantibus adverſariis, laqueo ſuffocatus. Franciſcus Hiacynthus Sabaudiæ princeps puer. Callenbachius tribunus Baſileæ.

ANNO MUNDI 5588. Æræ C. 1639.

F. ☉ 23. ☽ 6. Ind. 7.

Briſaci deditionem ſequitur Landiscronum,Vinarienſis recenſet 11000.& in Burgundiam abit hybernatum : Pontarliæum,& univerſam penè Burgundiam ſubigit, magno conatu : occupat anguſtias ad Mortavium : Jauxam arcem obtinet,quare præfectus capite luit ; & Hiſpanus longè pòſt fruſtra obſedit. Sic tandem ſubiguntur Thana,S.Hippolyti & S.Claudii fana. Vinarienſis reſtaurato exercitu in Germaniam ſuperiorem tendit,ſed veneno uti creditum expirat , ſummâ rerum Erlachio, Ottoni Naſſavio , Roſæ, & Ochemio commiſsâ ; quos ut ſuos faceret,Gallus immani pecuniâ adoritur,fœdusque cum Ordinibus Germaniæ ſuperioris renovat : addito Archiſtratego. Directores ducunt ad partes inferiores , Bungium , Oppenheymium,alia occupant,trajiciunt Rhenum,& cæduntur à Geleenio in Rhingaviâ : unde Trevirenſem agrum,ob Capituli inimicitias cum Archiepiſcopo, hoſtiliter habent.

Bannerus Lipſiâ poſt habitâ Zwiccaviam, Chemnitium,Altenburgum occupat,Freybergam fruſtra tentat iterato : Pirnaviam, Auſſigam,Leutmeritium,Tetſchinæ arcem ſubigit. Torſtenſonio auctus, ad Chemnicium vincit,30.equeſtria,20.pedeſtria obtinet ſigna , præter captivos,& ſequitur Fürſtenbergerum in Bohemiam : Melnicium & Brandiſium corripit,depugnat, & Hoffkirchium cum Montecuculio capit : quatuor legiones in rapiendû pro impedimentis ab Hungaris videt diſſipari, vincit tamen denuò ad Johannisbrodum : & ferè pro libidine tumultuatur.

Vrangel tribunus deſciverat ad Brandeburgicum ; jam redit ad Suecos cum 300.dum Wolfſag & Hallam ſubigunt. Axel Lily Dammum,Homburgum & Mauritii arcem : alii duces Burgsdorſſium Brandenburgici ſummum ducem capiunt , etiam Bernaviam denuò. Königsmartius ad Duderſtadium victor, oppidum illud, Gleichenſteynam,Glettenbergam ſui juris facit : deinde Hervordiam, ex Bileſeldiâ ejectus, dum Hildeſiam Lunæburgico aſſerit : Cooperantur Lili Hôlk & Lili-Sparr,Sueciam agnoſcunt Zandocia, Landisberga, Francofurtum, Berlinum (mox ſpontè deſertum) Colonia ad Spreuum. Dreiſa Marchiæ,& Beuzena, cæſis Saxonicis. Etiam de Salis, præfectus armorum,cum ſummis tribunis intercipitur.

Cæſar Hatsfeldium vocat in Bohemiam: Archiduci ſummum defert imperium : Saxonem animat ad Pirnaviam ſubigendam, quod ille ſæpius fruſtra tentavit.

Altaviliam fruſtra obſidet. Brandenburgicum in Livoniam immittit, cujus dux Hermanus Bottius fuſus capitur; Saxone ad Mariaburgum non inſtrenuè agente. Griſones ad certas leges ſuos facit. Georgio Duci Lunaburgico imperat, Hildeſiam reſtitueret. Obrium tribunum jubet invadere Oldendorpium, ut Bannorus neceſſum haberet, Bohemiâ excedere. Leopoldum Wilhelmum Archiducem Equitibus præficit.

Moſæ Trajectinos incommodat Hiſpanus: ad Dunkerkam fit Naumachia, cum detrimento Hiſpanorum victore Martino Herberto Tromppio. Eam declinante anno ſecuta eſt longè ferocior, ex quâ Hiſpani 15. naves de quinquaginta ſalvârunt. Hinc aliquot legiones transmarinæ Dunkerkio illatæ.

Gallus adigit Heſdinum ad deditionem, ſed Fekierus, obſidens Theonis villam, obruitur & capitur à Piccolhnomineo & Beckio.

Anglia in Scotos armat terrâ marique, proregemque Irlandiæ rebus dirigendis advocat. Sed Scoti, tametſi factiones diſtracti, Edenburgum inconfiniis occupant, & Leslæo ſummum imperium conferunt, offenſarum abſtemii. Ad Angliæ oram hærebat claſſis Hiſpanica, & Hollandica, quam Anglicana dirimebat, magno commodo Angliæ, & ob neceſſaria divendita, & ob quæſtum Cambiorum Irlandiam ad ſe trahebat Scotia, quam Anglia premebat.

Hiſpanis per Pedemontium ridebat Bellona: caſtrum Gregiu, Creſcentium, & poſt compactos in Taurini ſuburbia Gallos, pugnamque dubiam, Villam novam Aſtenſem, Aglianum, Ponteſturam ſui faciunt juris. Trinum, annonâ & prædâ dives, Bangianum, S. Ja, Taurinumque ipſum, præter arcem victori parent. Gallus, ne nihil ageret, Chivaſium occupat, & Salſam in Comitatu Roſſilionæo per Condæum; Laredum & S. Antonii fanum in Biſcajâ ad Oceanum Cantabricum per Epiſcopum Burdegalenſem ſuperat: (is Tunetani reguli & aliam Hiſpani navem cum ſpoliis magnis corripuit etiam) Donec in Italiâ armiſtitium utrinque colliberet; quod tamen velitationibus ruptum: uti ſalſa exeunte anno dedita fuit.

Danus pacis negotiationem undique urget. Palatinus Carolus Ludovicus, ſpe adſciſcendi Vinarienſes copias, petiturus Germaniam, detinetur in Galliâ, habeturque indignius.

Turcæ Babylonem expugnant, quaterdecies mille equitum Perſarum conciſis: Sultanus Alepum ob peſtem ſecedit. Muſtafa-Baſſæ ſubſtituto: claſſemque adverſus Coſaccos in mare rubrum deſtinat. In Hungariâ verſus Bregetium excurrit prædabundus. Memorabilium loco cenſeatur, Rhedam cum ſex equis & quinque vectoribus, è ponte longo, vi ventorum in Danubium dejectam Viennæ. Ibidem Campanam maximam ſponte ſonuiſſe, nullo impulſore: aquilam quindecennem in aulâ concidiſſe mortuam. Gottorpii ad Ducem Fridericum Holſatiæ appuliſſe Perſæ & Moſchi legatos. Patres Societatis Jubilæum ſeculare confirmati Ordinis celebrâſſe.

Francofurti ad Mœnum, vinum mutum (quod intus deſervet) carnificis manu publicè diffractis vaſis profuſum, mercis bonæ nomine indignum.

Nuptias celebrârunt Johannes Antonius Egenbergius junior cum Chriſtiani Brandeburgo-Culmbacenſis filiâ. Item Franciſcus Carolus Lavvenburgicus cum Bethlem Gaboris vidua. Lotharingi fratri naſcitur Ferdinandus Viennæ.

Obierunt: Jenatſchius, ex religioſo miles, Curiæ genio indulgens, à perſonatis confoſſus, ſympotis intactis: in Hiſpani oſtenſam. Kirchbaum tribunus, inter Suecos captus, Viennæ ſecuri percutitur. Martinus de Arragonia, trajicitur globo, ex arce Cengio. Johannes Philippus Saxoniæ Altenburgicæ princeps: Columna, Stabuli magiſter Romæ. Antonius Epiſcopus Viennenſis, & Abbas Cremsmunſterii. Comes à Witgenſteyn cadit in prælio. Philippus Auguſtinus Cæſaris ſecundo genitus & tertio genitus expirant. Ramſæus Dillenbergæ claudit extremum diem, & Bernhardus Saxo Vinarienſis in Alſatia. Truncantur Philippiburgi Capitaneus, Legatus & Ordinum ductor. Cardinalis Valettanus in Pedemontio; Fuentanus Comes Antverpiæ; Oſſa Commiſſarius Ratisbonæ: Ludovicus Auraicus, pene natus & denatus eodem tempore: ſed & Comes Buchaimius in ludicro lethaliter vulneratus, brevi pòſt vitam cum morte commutarunt.

ANNO MUNDI 5589. Æræ C. 1640.
ED. ☉ 24. ☽ 7. Ind. 8.

Convenerant Norimbergam Electores per legatos; eodem venit Cæſar, & aliorum Ordinum deputati: ſed ubi nihil agitur, Comitia omnium Ordinum indicuntur Ratisbonam, ubi de pecunia ad bellum gerendum, & de Juſtitiæ reſtauratione actum.

Pacis negotiationem urget Pontifex apud Reges, & Cæſar ſingulariter apud Danum.

Vinarienſes Wetteraviam tripartito agmine occupant, per Limburgenſem, Hattamarium & Huttenbergicum agrum ſparſi: Bingium trajiciendi gratiâ acriter tuentur, tandem amittunt: militiam conſtituunt, & Bannero, cùm moles armorum incumberet, junguntur: Baronem Bredanum ad Zigenhaynam fundunt caduntque exeunte anno: ubi Roſa tribunus Comitem Gallum ad Francofurtum, gravem auri, cum Cataphractis capit inopinatò.

Bannerus in Bohemia graſſabatur, Stazii & Cadæ Conſules cum judice ſecuri ſubjicit: cùmque Cæſareani Cunitſiam arcem & Regiam Græciam recuperâſſent, Leutmeritio relicto, Albim tranſit Planam arcem omni annona refertiſſimam corripit, & aliquo damno affecto, Erfordiam, dum Chemnitium Cæſareani obruunt, & numero ſeptuaginta millium ad Salfeldiam progreſſi conſident, diſceſſit, auctusque Lunæburgicis (Cæſar mandarat Hildeſiam Epiſcopo reſtitui) & Haſſiacis copiis ſeſe Cæſareanis opponit; ſed obitu Conjugis afflictus abit Eſchvvegam, capta prius Fulda, vocemque in aëre audit Abi, abi, Bannere: tempus enim nunc eſt.

Sociat ſibi Durlacenſem, Cæſareanis ad Homburgum Haſſiæ nobilem extorquet victoriam, quam Amœnoburgi ſequitur deditio; Regreditur Erfordiam & Jenam: Heldrungam obſidet, Wendelſteynium capit, in Bavariam, ſi queat, perrupturus.

Königsmarck Calenbergium cadit, urget Lipſiam, dum Bannerus in Bohemiâ hæret. Stalhans Wolavium Sileſiæ pervincit, Drachenbergam fruſtra aggreditur:

ſoji-

feliciter depugnat. Lunaburgicus recuperat Steynbruccam, & Sueci Marſiburgum : Haſſus Calcariam & Suſatum in poteſtatem adigit.

Cæſareani duce Sporkio cædunt Ekardum & Roſam : Bannerum è Bohemiâ propulſant, ad Salfeldiam coactis copiis conſident, ſecundario exercitu Tetſchinam arcem recuperant Bannerum, in Haſſiam inferiorem recedere cogunt, ibique funduntur Geleenio Haſio & Gonzagâ cum Hatisfeldio conjunctis. Hôxteram expugnant, Schlangium ad Viſurgim mulctant, Hirſchbergam Sileſiæ Goltzio duce in demolitionem compellunt, Fridbergam obtinent, Saxone ad Zvviccaviam æquo Marte, Brandenburgico ad Francofurtum, Truckmûllero ad Altoviliam fruſtra & cum clade deſudantibus.

Gallus Palatino primùm iniquas leges proponit, quas & Angliæ legatus reſpuebat : cum tamen, & Poloniæ Principem Caſimirum, quod is prorex Luſitaniæ deſignatus retineretur, dimiſit tandem. Briſacum & Rhinfeldiam muniri curat; Salſam amittit, & duce Guebriano auget exercitum Vinarienſem. Hiſpanos ab obſidione Caſalia rejectos, caſtris exuit, prædâ ad ſexagies millenos Ducatos in ſtipendium, ceterâ vix æſtimandâ, cum Leganeſii currus penſilis octies mille ducatis ſteterit, potitus. Eoſdem iterum cadit ad Padum, & Taurinum deditione adipiſcitur. Tum verò in Belgio inopinus circumvallat Atrebatum, ſubigitque intra tertium menſem, quod majores ſeptiès obſederant fruſtra ſpatio centum quadraginta octo annorum, quo Gallia ejuraverat imperium. Catalanos indignè habitos, fidemque implorantes, magnis exercitibus aſſerere incipit.

Batavi tempeſtates ſentiunt in portubus graves. Armant, ob Angliæ colliſionem : Sluſas & Brugas fruſtra tentat : ad Hulſtam cruentè vincunt. Centum quinquaginta tonnis auri ditantur ex utrâque Indiâ. Fretum Danicum ipſis interdicitur.

Wallia Angliæ provincia aquis marinis & pluviabilibus ferè ſubmerſa. Rex arma expedit, non certo hoſte ; tandem adverſus Scotos ducit, qui vim deprecantur, gravamina exponunt, ægrè audiendi. Comes de Staffordiâ, prorex Irlandiæ, à Parlamento accerſitur majeſtatis, & malè adminiſtratæ reipublicæ & facta.

Moſchus Polonum viſitat per legatum. Is Caſimirum Pariſiis liberum facit : Gedano vectigal & vim denunciat, hinc & Danus arma expedit. Comitia celebrantur Stokolmiæ, de bello continuando, ni æqua pax illuceſcat. Incendium deformat urbem regiam : ſed regina mater, à rebus gerendis ſubmota, in Daniam, & inde Germaniam elabitur.

Ibraim I. ætatis vigeſimo ſeptimo ſuccedit fratri : pacis negotiationem cum Perſa continuat, bellum ſæviſſimum minitatur Poloniæ, Tartaris in ſocietatem adſcitis. Algerani piratæ navem Hiſpanicam, tricies centena millia florenorum æſtimatam, rapiunt. Ragoczyus famuli, thoracem detrahentis in cubiculo ictum pyrobolarem ignarus declinat.

Claudia Archiduciſſa fruſtra ſollicitat Helvetios, ad cætera non difficiles, in Briſacum recuperandum.

Memoratu dignum : Princeps tenebrarum per Bavariam ſpacioſum venatum agit, ululatibus, canibus, carnibus, famulitio & feris variis : piſcatum, quod ajebat, propediem acturus.

Balæna 320. pedes longa, lata 162. in æſtuario deſtituta Provinciæ Gallicæ, ad Monaſterium Sancti Tropeſii, per novendium inſtar caſtelli tormentis conficitur, à quingentis lacertoſis in littus protrahitur, rictu expanſo equum cum ſeſſore liberè receptans.

Septena ſoboles uno partu edita in caſtris Suecicis : quatuor maſculi, tres fœmellæ ; quarum poſtrema, accepto baptiſmo expiravit. Cæſari naſcitur menſe Junio, Leopoldo-Ignatio-Joſepho-Balthaſaro-Franciſco-Felicianus : quartus maſculus.

Meladia Maria, Angliæ princeps tenella, deſpondetur Wilhelmo Auraico, cujus parens nuper à Pontifice & Gallo ſalutari cœpit nomine Altezæ.

Obierunt : Georgius Conæus, Pontificis legatus, ex Angliâ reverſus, Romæ.

De Cherault, thalaſſiarcha Melitenſis.

In pago, ad Forcheym, Franconiæ fortalitium, ruſticus mactat porcum; ad alia abit. Pueri, ſexennis & trimulus, fraterculum nondum trimeſtrem, itidem mactant, & quaſi re benè geſtâ facinus parenti in horto narrant. Is ſpectato negotio, ſeveris increpat verbis. Illi latebras, metu ferularum in furno quærere. Mater operoſa, omnium inſcia, à pecore recurrit, ignem in ligna arida ad pinſendum immittit, & diſcedit : carbones extractura, viſcera ſua videt aduſta : præceps in puteum, maritus in laqueum ruunt.

Amurath, bonus miles, magnus tyrannus, obiit ætat. 33.

Henricus Caſimirus Naſſavius ex vulnere Hiſpanico.

Chriſtianus Ulricus, Daniæ princeps, Coloniâ digreſſus, ab Hollandicis laceſſitis perit.

Georgius Wilhelmus Elector Brandeburgicus : ſuccedit Fridericus Wilhelmus.

ANNO MUNDI 5590. *Æræ* C. 1641.
C. ☉ 26. ☽ 8. Ind. 9.

In Bavariam tendit Bannerus, adſcito Guebriano, Gallo Vinarienſium duce, & confligendo perrumpit, veſtem Cæſareanis deſtinatam ſurripit, Chamitium capit. Guebriano permittit Bambergam, dum Stalhans caſtrum venatibus dicatam Brandenburgico eripit, ſed ſecurior, à Cæſareanis invaditur, & niſi Schlangius Neoburgi ante ſylvam eximiè reſtitiſſet, actum erat : ſic redimitur 26. ſignis & 1800. equitibus captis effugium in Bohemiam : Chamio diffiſus, ſentit perſequentem victorem : revocat Guebrianum, & per Miſniam ipſi jungitur, ad Zvviccaviam. Tum ſumma rerum denuò ad Salam coagulatur, ubi Bannerus alteram ripam mordicus tuetur : coactus tandem cedere, invenit Halberſtadii, ſanguine pureque multo ejecto, finem laborum ac vitæ. Fracti animis Sueci & viribus, nova mandata Stokolmiâ expectant, ubi Torſtenſohnius Banneri onus ſubire jubetur. Is tandem in Pomeraniam appellit, tranſit Albim cum ſupplemento, & Bannerianis jungitur ; unde fervor Cæſareanorum remittit. Sed illi renovato fœdere cum Haſſo & Lunæburgico Wolfebytum perurgent, cædunt & cæduntur, donec Lunæburgicus ad Cæſareas partes tranſiret, & Bannerianis occaſionem daret alioſum movendi.

Caſareanis Crucinacum cum arce deditur : illic Zuviccovia, iſtic Oſtervicum, Hornburgum, Lôvenburgum, Quedlinburgum, Bernburgum, Nebra, alia: alibi Dorſtena poſt bimeſtrem obſidionem, Einbecka (Gôttingâ fruſtra obſeſſâ) etiam Clivia, cum clade Haſſorum, qui & in obſidione Ordingia caduntur: dum Saxo Gorlitium operoſiſſimè in poteſtatem cogit.

Cæſar Eduardum ducem Bregantium, navi regis in Luſitania fratrem germanum, cuſtodiæ dat, idque per Comitia, quæ Ratisbonam indixerat, ut de bello rectè gerendo, bellique ſubſidiis ageretur, eademq; continet fortiter, poſthabitis Banneri inſultibus. Apud Ordines pervincit, ut Lunæburgici & Haſſiaci legati faceſſere juberentur; Lobkovvitium principum Ordini adſcribi. Amneſtiam indulget. Altaviliam denuò obſideri jubet. Palatinum Robertum, in Weſtphaliâ nuper captum, liberum dimittit. Legatum Turcicum excipit Ratisbonæ, & Weſtphaliæ urbes duas paci conficiendæ gratas habet.

Gallus in Cataloniâ faceſſit negotium Hiſpano, vincitque ad Barcellonam aliquoties : Johannem Bregantia ducem, ex veteri regum Luſitanicorum ſanguine ortum, ad vindicandum regnum perurget. Lotharingum omnibus modis ſuum facit, & Pariſiis excipit: (qua tranſactionem parumper tenuit) Tarragonam Catalonia obſidet, ſapius fruſtratis Hiſpanis, donec claſſe inferior, linquere cogitur. Etiam Condao duce in Comitatu Ruſſilionenſi graſſabatur.

Johannes IV. rex Luſitaniæ, literis diſſuaſoriis, Hiſpani nil movetur: legatos omnivorſum dimittit, gratiam aucuparuros; etiam ad Batavos & Suecos. Conſpirationem pernicioſiſſimam Ulysſibonæ extinguit.

Gallus ab Inurea cedit obſeſſa, depugnat ad Bolonium: videt Caſtrum Pontifici dedi: Eduardum Parmenſem excommunicari Gallia tutelam reclamare, & omnes regulos Italia cauſam communem capeſſeret, & Hiſpanos cum clade Chivaſio diſcedere, nam Pontifex are alieno dinumerato videbatur Caſtrum ſua familia acquiſiturus. Sed ubi Sueſſonius Lamboio, & Haëſio ſuſſultus, Bullionei amicitiâ & fortalitio Sedani fretus, irruptionem in Galliam juxta ſylvam Arduennam facit, eo convertit omnem potentiam, pralio inferior, viſus viciſſe, cadente Sueſſonio, ſtirpis & amulationis poſtremo. Ariam magnâ circumvallatione, poſthabitis vi aquarum & impetu militari, deditione capit, ſed poſt quatuor menſes, alibi diſtractus, reddere coactus. Ryſſeliam uſque graſſatur, Baſſeam corripit, Bapalinam vi ſubigit.

Batavi exigui circuitus fortalitium Gennepam ſtrenuè obſident, & ad deditionem adigunt.

Hibernia prorex, quem Anglus rebus fatiſcentibus evocârat, in judicium trahitur à Parlamento: trimeſtre tempus ad diluenda crimina non impetrat, & cuſtodia publica mancipatur, paulò pòſt immolandus. Rex Parlamentum delinire ſtudet. Legem promulgat de reſtituendo Palatino: cui Danus ſuccentioriatur. Inſidias patitur, eaſdem & Scotia proceres. Extrema coquuntur in Proteſtantes Hibernia, unde Parlamentum expeditionem adverſus proditores & perfidos decernit. Primogenitam deſpondet VVilhelmo Auraico, licet adhuc immaturam; rationibus Parlamento redditis. Cantuarienſem Archiepiſcopum videt viduari omnibus dignitatibus, & cuſtodia tradi Ele-ctori, cum dolore: ſic Epiſcopos annihilari, & Patres ſocietatis eliminari.

Brandenburgicus præſidia Cæſareana paulatim facit ſua prius utrique ſacramento addicta, in Comitiis Warſoviæ excipiunt magnificè. Wolfebytum inundatur aquis concluſis, quæ aggeribus perforatis Brunſuico damnum tulêre non exiguum. Stockholmiæ, 4. Id. Jan. viſa aula tota luminibus perluſtris, & harmoniis ſuavibus reſonare; quodq; ſummum, audita tum tria grandia tormenta, nullo mortali manum ignemve admovente, explodi. Naves per Bataviæ Hiſpaniæque oras aquis hauſtæ. Richelius Cardinalis neſcio quam doctrinæ Catholicæ inceptat reformationem per emiſſarios.

Obierunt : Antonius Caraffa, in provinciâ Baryenſi, regni Neapolitani, ob nova onera à plebe trucidatus.

Johannes Georgius Brunſuici & Lunæburgi dux, Hildeſiæ, fruſtra quæſito Wolfebyto ſuo.

Adamus Comes Schvvartſeburgicus, Brandeburgici Electoratûs moderator.

Arnheym, Saxonicæ militiæ caput, Dreſdæ: cui ſubſtituitur Franciſcus Albertus Laueburgicus.

Johannes Bannerus, Sueciæ Archiſtrategus per Germaniam.

Caſpar Bambergerus, à Mercurio Gallo belgico dicitur ex vulnere obiiſſe; quem errorem in calce libri corrigit: etiam correctum vult Compilator, ſeu Continuator Mellificii Pezeliani, qui eundem Bambergerum à fide dignis acceperat capite plexum. Cùmque etiamnum dicatur ſuperſtes, liceat ipſi per nos & vitâ & dignitatibus, terrâ cœloque frui.

Comes Broyus, ſpeculatum egreſſus, cadit.

Ferdinandus Infans Hiſpaniæ, Cardinalis: gubernator Belgii, expirat Bruxellis.

Stadianus, Ordinis Teutonici Magiſter: Epiſcopus Schottenſis Viennæ; & Philippus Ludovicus Comes Hanoviæ, Mûntſenbergicæ lineæ penultimus, etiam minorennis.

Otto cœlebs, Comes Schaumburgicus poſtremus.

ANNO MUNDI 5591. Æræ C. 1642.
B. ☉ 27. ☽ 9. Ind. 10.

Guebrian Gallo Vienarienſis & Eberſtein Haſſus, permiſſu Batavorum ad Veſaliam trajiciunt Rhenum, in hyberna diſceſſurum Lamboium invadunt, cæduntque: cadunt ter mille, manus dant quater mille, inter quos dux ipſe, cum Mercyo & Ladronio, quatuordecim Chiliarchæ, novem legati, octo vigilum præfecti, viginti octo magiſtri equitum, triginta octo Centuriones. Roſa etiam diſſipat reliquias ſeſe recolligentes. Calcarienſes Haſſi quingentos currus provincialium, pretioſiora ad tutiora ferentes, corripiunt; Noveſium deditur, Kampena expugnatur: ager Juliacenſis hyberna præbet. Obſidetur Lechnicum, ſed fruſtra. Approperantibus Cæſaro Bavaris, deſcendunt. Gallo Vinar. Ordingam verſus, redeunt cis Rhenum, & in Franconiam contendunt, alterâ hyeme mediâ: dum Haſſi Freusbergam & Fryburgum occupant.

Torſtenſohn Saliſvvedelia conſidet, Seckendorfium prodendi exercitus per obſidium Wolfebyti reum, capite damnat: per Kônigsmarkium ſolvit obſidionem

Mansfeldiæ; ſed ubi inaudit, Stalhanſium à Lavvenburgico per Sileſiam premi, accurrit, Gubenum capit, Groglogaviam, Wolavium, ipſamq; Drachenbergam in poteſtatem redigit, Lavvenburgicum fundit capitq; ad Sueinitium raptis triginta octo vexillis, menſe Jun. Niſſam ſubigit Olmutium quod refugium dubiis rebus facit & firmat. Sittaviam abit, Wanckio Croatas pulſante, inde Lipſiam ſumit obſidendam, occurrit Cæſareanis, ſtragem edit, captivos ducit octoginta tres eximios ſuper quater mille quadringentos gregarios, cum vexillis ſexaginta novem, ſignis viginti uno ſupra centum, tormenta quadraginta ſex, ceciderunt ad quinquies mille. Redit ad obſidionem Lipſiæ, eamque deditione accipit 24. Oct. militem per Miſniam ſpargit, Kônigismarkio diverſa loca fruſtra tentante per Sileſiam, donec Querfurtum ſuum faceret. Brandenburgico ut neutrarum eſſet partium, perſuadet; Saxoni non itidem. Altoviliani Wildenſteinium, gazophylacium hactenus intactum, ſtrategemate occupant, & continuò perdunt.

Cæſar militiam ordinaturus, Hornium vice Werthii liberum dimittit: Budæ pacem cum Turcâ in viginti annos firmat: Hungaros ad Tranſſylvanum reſpectantes demulcet. Leopoldo Wilhelmo impetrat Magiſterium Teutonici Ordinis. Rudelſtadii ex Erfordiâ damnum capit. Cum Bavaro Colonienſi provinciæ ſuccurrit. Per Sileſiam magnâ afficitur clade, & Moraviæ centrum à victore occupari dolet. Groglogaviam fruſtra recuperare annititur, & alteram cladem fert ad Lipſiam, ut Praga trepidaret. Fugæ principem legionem ignominiâ afficit, tribuno Mandeslohio ſecuri ſubjecto: & omnis ſolatii loco, Oelſam Sileſiæ recuperat, uti Marcodurum in agro Juliacenſi. Negotium pacis, allaborante Dano; & Collegiata Comitia Francofurti ad Mœnum admittit.

Gallus in Catalonia capit Colibriam & Argilleriam, vincit Lordonenſis filium, tribus millibus cæſis, multis captis, paucis elapſis; in prædâ Commiſſarius invenit ſexagies mille duplos Coronatos. Hiſpanos Excluſanam de nocte adorientes fundit. Perpinianum obſidet, & fame domat, proditione & inſidiis evitatis; ad Barcelonam cum damno vincit naumachiâ, & pedeſtribus copiis; annonam etiam hoſtilem corripit. In Italiâ jubet Bullionaum cuſtodiri Caſaliæ: ſubigit Veruam, Tortonenſe caſtrum; in Picardiâ armis inferior domi laborat, inſtigante Hiſpano inſidiis: Sedanum occupat: Richelii theſaurum teſtamento obtinet: Lotharingum per Hallerium, ad Motta fortalitium diſtinet.

Hiſpanus recuperat Baſſæam: vincit ad Caſtelletum, cæſis ter mille ſexcentis, captis ter mille quadringentis Gallis. Batavos ad Moſam fundit. Hibernis opitulatur; In Luſitaniâ nihil memoratu dignum præſtat, nec Luſitani multum nocent, armis per confinia ſparſis.

Anglus, ne in Hiberniam abeat, à Parlamento prohibetur; ad Hullam negat regi. Viennæ Thomâ Roo legato urget cauſam Palatini. Regina Coronæ regni, ducentis millibus librarum ſterlinearum oppignorat. Hiberni Pontificii pro rege quædam oppida occupant, Anglos fundunt: rex ſcribit exercitum: Parlamentum pronunciat perturbatores pacis publicæ, quicunq; regi dent nomina. Is ex Belgio accipit neceſſaria ante Parlamentum legit, & Ordines novum Sigillum faciunt. Rex ducit in Parlamentarios, victor vincitur, ob direpta impedimenta. Londinum expedit arma, delectus habentur & tyronum. Rex de ſincero animo teſtatur Deum: Parlamentum vult arma utrinque poni, Regem non abeſſe à Londino, miniſtros ſiſti ad cauſam dicendam. Auraicus, quin opituletur regi, ab Ordinibus Belgii fœderati cohibetur.

Helvetii urgent, ut Burgundia bello eximatur: ob templa aliqua in diſſidium cadunt: ſic & Engadinenſes ob fori tribunal.

Pontifex cum Parmenſe de pace agit: Inundantur Mantua, Viadana, Cremona, Ergatella, Parma, Placentia, Auguſta Taurinorum, Ferraria. Roma munitur, quòd Hiſpani ob legatum Luſitanum offenſi arma timerentur. Stokolmiæ cadit carnificis enſe Soltoius, proditionis damnatus: Lars Kag thalaſſiarcha audit, poſt Gardii abdicationem, ob viſum penitus perditum.

Memorabile, Veſaliæ vices centenas libras pulveris tormentarii in publicâ areâ curruï impoſitas, per hiantes rimulas doliolorum humum prolapſas, ignem concepiſſe, quem equus ſoleâ ferreâ ex ſilice excuſſerat; & disjectis vicinioribus ædificiis, triginta ſex mortales necâſſe. Ad Viennam ex naviculâ demerſâ unum famulum evaſiſſe ſalvum, virtute duorum canum venaticorum, quos ligatos tenebat. In obſidione Perpiniani vel trecentos mortales famelicis ceſſiſſe in ſuſtentationem vitæ. Olmutii in indicio muliercula militem deſpereuntis, ſervatum Suecis, cùm deſtinato miles Suecus eſſet inebriandus & trucidandus. Reginam Galliæ, voti ream, ob Delphinum ſanitati ex morbo reſtitutum, Lauretum miſiſſe Angelum mille ducentarum librarum argenti; in cujus brachio puer Jeſus, ducentarū quinquaginta librarū auri. Budæ plumbo & ſtanno pluiſſe. Ad Strigonium piſces Danubium condenſatos ſtraviſſe, exertis capitibus; quod mutandum Dominum ominabantur annoſi incolæ.

Obierunt: Cajetanus Cardinalis. Franciſcus Albertus dux Lavveburgicus, ex vulnere. Regis Galliæ mater Coloniæ Agrippinæ. Crato Naſſavius Sarapontanus itidem in Belgio. S. Marcus & Thuanus Lugduni Gallorum, manu carnificis, proditionis convicti exoratâ Bullionæi vitâ & veniâ. Cardinalis Richelius, ætatis quinquageſimo ſexto. Schlangius Sueciæ Strategus, Lipſiæ ſepultus. Franciſcus Hatisfeldius, Epiſcopus Herbipolitanus.

ANNO MUNDI 5692. Æræ C. 1643.

A. ☉ 28. ☽ 10. *Ind.* 11.

Gallo Vinarienſes in Franconia hyberna ſumunt: eos carpit Werthius & ad Milteburgum cædit: illi Briſacum confugiunt, mox redeunt in Badenſem agrum. Vincunt ad Ravensburgum, Mercyo & Witigenſteinio cadentibus. Supplementum ex Galliis adducit, dux Anguienus. Rothvveilam capiunt, quatuor legiones perdunt, Dutlingæ obruuntur cæſis ter mille, ultra quater mille gregarios etiam ſummos duces captos. Ineunte anno Altovilia corripuerat Uberlingam, quæ Corvalium accepit gubernatorem, & is Heiligenbergæ arcem ſuffuratur, claſſem ſtruit, locum ut coerceret.

Torſtenſohn Freybergam Miſniæ, adproperante Piccolomineo, miſſam facit: Wurtſenam, Coldstium, Leinikum expoliat, Bruoyum fundit, Dresdā infeſtat. Melnecum nudat, Olmutium liberat, theſaurū ibi inventum in Sueciam ablegat, Neoſtadium, Nicolaiburgū, alia occupat. Dacorum cohortes ſuſcipit. Trium legio-

 num

num duces ſocorditer oppreſſos, laqueo & banno militari punit, redemtos prius ære. Brunnam magno ſuo malo fruſtra obſidet. Eulenbergam millione auri prægnantem in finibus Moraviæ & Sileſiæ fuſo Bucheymio expugnat. Uratiſlaviam tentat benevolè. Perdit Sittaviam Sileſiæ Lembergam, alia, dum in Holſatiam raptiſſimè ducit, & equitum turmas diſſipat primo occurentes. Tandem Chriſtiani in Brandenburgum ſtrategemate capit. Cauſa belli, quod Danus navigationem impediret, Moſcho & Polono adhæreret, Cracovio in Pomerania pecunias ſufficeret & militum: cum Megalopolitanis ageret de fortalitiis tradendis. Hornius per Continentem ex Suecia ductabat viginti millia: adornatur gemina claſſis Stokolmiæ.

Cæſar ubique obnititur: fugæ principes, authoresque cladis ultimæ ad Lipſiam, ſecuri ſubjicit, legiones infames promulgat. Hungaros ultra regni limites deducere nequit. Cracovium ducem per Sileſiam in Pomeraniam dimittit. Tandem Lunæburgico reſtituit Wolfebytum & Einbekam. Gallaſſio ægroto ſurrogat Gotium. Piccolominæum concedit Hiſpano.

Kônigismarkius ex Haſſia diſcedit, vagabundus tributum imponit. Halberſtadium intercipit, & Oſtervicum: Cracovio ſeſe opponit, in Pomerania. Eberſteynius, Haſſiacæ militiæ caput, ex Badenſi agro, relictis Vinarienſibus regrediens, ad Heydelbergam Lotharingum ferè cepit, improviſus rapit tamen ſupellectilem. Tyrannidi in Gronsfeld commiſſæ reddidit talionem ex Noveſio: in agro Colonienſi graſſatur.

Gallus ad Rocroiam fundit Hiſpanos: cadunt utrinque duodecim millia; victos aufert centum octoginta ſigna, omnia tormenta & impedimenta. Theonis villam obſidet & expugnat, cum Luſitano proſperè agit mari. In Italia potitur Trino, & Ponteſtura. Fædus cum Suecia prorogat in triennium: Avautium prius Hagam Comitis, pòſt in Weſtphaliam ablegat, pacis ergò.

Hiſpanus Tortonam ad dedit ionem adigit. Naves ditiſſimas ex Indiis accipit, ceditur ad Antverpiam, & captivos octingentos, quinquagies mille florenis redimit: Rocroyanos verò bis & vicies mille, ducentis, octoginta octo florenis. In Catalonia expugnat Monſonium. Fruſtra per factionem ſuam conatur evertere Luſitanum ubi Franciſcus de Lucena, ſeptuagenario major, capite truncatur: fruſtra etiam Catalonos. Moricum China ſe Luſitanis applicat. Batavi fruſtra tentant Hulſtam, ex Indiis ultra ducentas auri tonnas obtinent.

Regina Angliæ cum apparatu bellico trajicit, commeatum ad regem non impetrat à Parlamento. Diſcalceati proſcripti transportantur in Galliam. Rex à Gloceſtria depellitur, pugnat ferè æquali marte. Jurejurando ſancitur Londini, quod Scoti ſciverant fædus. Ceduntur Regii.

Dano reconciliantur Hamburgenſes. Chriſtianus Epiſcopus Bremenſis, ducit Lunæburgicam. Voldamar, filius Dani naturalis, in Moſcoviam abit, Magni Ducis filiam in matrimonium ducturus.

Turca Jaurinum ſtrategemate tentans fruſtra, quod Marsfeldius gubernare juſſus: itidem & Neuhenſeliam, adulto anno. Per Stiriam agunt prædas. Ragoczy templa occluſa repetit.

Bellum Parmenſe fervet: Pontifex poſcit debita ſubſidia à prorege Neapoleos: principesque Italiæ in ſe armat. Piccolomineum fruſtra optat ſibi imperatorem. Cladem patitur à Florentinis, mille cæſis, tot captis, amiſſo omni apparatu bellico: ſed paulò pòſt ultionem infert. Haeſius ſuam operam Venetis addicit.

Eric Hanſon, Wiſmariæ gubernator, obſidet inopinatò Damitium, quod poſt menſem deditur. Sueinitii gubernator, præfecti, Senatorum & Jeſuitarum machinationes effugit.

Menſe Februario inchoatur Diæta Francofurti ad Mœnum. Inundationes Moſæ, & per Haſſiam nunciatæ. Caſimirus Poloniæ princeps ordinem Societatis ingreditur. Conjuratur fruſtra in Mazarinum, rerum Gallicarum directorem.

Obierunt: Philippus Landgravius Haſſiæ ſuperioris, Butisbaci. Ludovicus XIII. rex Galliæ. Joh. Georgius de Mailo & Furius, fugæ principes ad Lipſiam. Mercyus & Comes à Witigenſteyn, in acie.

ANNO MUNDI 5593. Æræ C. 1644.

GF. ☉ 1. ☽ 11. Ind. 12.

Cæſar equo excutitur, per aprum ſubverſo; humerum & crus leviter contuſus. Abſente Torſtenſohno Wohlaviam tandem recuperat, Trautmansdorffium dicit Principem; & aulæ miniſteria immutat. Sueinitium expugnat. Gallaſſium Dano jubet ferre ſuppetias: is Zeiziæ arcem corripit, Saxo Eulenburgo & Luccavia, Chemnitio, Grimma, Rochlitio, Leisniko, receptis, militem permittit Cæſaris ſacramento. Gallaſſius ad Oldesloam confligit cum Suecis, Pinnebergæ obſidione depellitur; regreditur Bernburgium: oppugnata Eislebia, & bis mille pabulatoribus Sueco expoſitis, elabitur; poſtremo agmine afflicto.

Kônigismark tributa undiquaque colligit. Torſtenſohn æquo marte cum Dano confligit. Hornius Scandiam, Flemmingus Norvvegiam invadunt. Vincuntur Sueci ad Coldingam, ubi ex quatuor legionibus cadunt triginta quatuor, capiuntur centum triginta ſeptem, ſauciantur quindecim. Kônigismark ad Verdam & præſtò: Langvvelam ab Archiepiſcopalibus copiis ſubactam, occupat, & diruit: fit Naumachia prima dubia, altera Suecis optatior, tertia optatiſſima, diſſipata Danorum claſſe. Cedit Flemmingus globo majori, ſed multo ſanguine ipſi parentatum. Urangelius Pinnebergam liberat, Chelonium, Ecklenforium, Jetſehoam capit. Kônigismark ad Akerslebiam caditur, ut nuper ad Jetſehoam Sueti ſecuriores. Torſtenſohnus Gallaſſio permittit reditum, eumque aſſequitur Bernburgi: ter mille pabulatores cadit: Eislebia in ſpeciem obſeſſa ſubventurus, videt Gallaſſium evadere; cadit alios ad duo millia pabulatores cum præſidio, aſſequitur poſtremum agmen, quod cum duce Enkefurto fugat, capitque in anguſtiis inter Magdeburgum & Wittebergam. Pegaviam horribiliter expugnat, arcem Zeizenſem demolitur, & militem reficit.

Danus de irruptione ubique queritur: & de freto ipſius occluſo Batavi: ipſius mari ſe credit, & vulneratur. Petrum Gallum, prothalaſſiarcham, quòd hoſtem ex Chelonenſi portu elabi eſſet paſſus, ſeptuagenarium plectit capite. Suecos Ripenſi arce, & Haderslebiana dejicit. Breydenburgum recuperat. Cæſareum ducem nimis charas trahentem ſuppetias, tardeque venientem, non invitus dimittit. & radicatas Suecorum reliquias extirpare ſatagit. Ejus filius naturalis excipitur magnificè apud Ruſſos, gener & hæres futurus Dynaſtæ. Sed ubi religionem Ruſſorum induere

tenuit, ſtimulante etiam invidia, minus bellè colitur.

Wilhelmus Auraicus matrimonium conſummat Hagæ Comitis: ex equo ruenti, excuſſis frenis, preceps in mare conjicitur, cum ſummo vitæ periculo.

Batavi Saſſum ſive Cataractas Gandavi, corripiunt ſumma vi.

Gallus Grevelingam invadit, & operoſa, licet brevi obſidione in poteſtatem redigit: in Catalonia minus felix, unde Hodencurtius cuſtodiæ circumdatur reverſus. In Italia occupat S. Janum, & arcem Aſtenſem. Antonio Barbarino Cardinali iraſcitur, ob Pontificis electionem. Per Anguinium pervincit Bavarum caſtris tutum; Philippiburgium ſumma vi, Spiram, Wormatiam, Germerſteinium, Moguntiam terrore nominis ad imperata cogit: etiam arcem Crucinacenſem.

Haſſus Novæſio progreſſus, victoria exuitur: Hôchſtam in ripa dextra Mæni, intercipit, ſed ubi Bavarus Freyburgum Briſgaviæ vi, poſtea Manheymium impetu cepiſſet, etiam Hôchſtam ad deditionem deduxit, Bensheymium, Weinheymium expugnavit: ſicuti Uberlingam.

Hiſpanus ſe, ſuos ſuaque omnia patrocinio B. V. Mariæ concredit: ad Leridam Gallorum cædit ſex millia: Luſitanorum duo millia (qui tamen ſortem cum fœnore rependerunt) & Leridam ad deditionem compellit: uti & Aſtianam arcem in Italia. Per Franckendalienſes eripit Gallis, fuga facta, ſedecies mille Imperiales: claſſe inferior Luſitano.

Anglus ſtragem patitur pedeſtris militiæ, amiſſo omni apparatu, & pluis centenis ſignis, annis etiam, ad decem millia inſtruenda. Cæditur denuo ad Mongommerum. Tum Scoti Caſtellum novum occupant, legesque regi præſcribunt, uti & Angli.

Tartari irruptione facta in Poloniam, cæduntur. Regina Poloniæ parit Claudiam, & expirat. Ragoczyus movet in Hungariâ ob religionem maximè: depugnat cum Bucheymio: inducias componendis gravaminibus non impetrat, niſi præcipiti anno.

Veziermus magnus ſiſtit ſe Sultano armatum, arguitque malevolos: à matre Sultani invectiva excipitur, & ipſe reponit impotentem fœminarum libidinem imperandi: pugione petitur, elapſus trucidatur. Uſur Piale, thalaſſiarcha ſtrangulatur, munia aulæ mutantur. Naſcitur ei ſoboles maſcula. Ad Komorram excurrit, unde Comes de Tſcherino legationem ſubit ad Portam Ottomannicam. Pingitur à Melitenſibus raptam navem cum concubinis, multis nobili proſapia natis, quatuor millionibus æſtimatam, & in Stiriam effunditur.

Pacem fecerat Pontifex, totius Italiæ plauſu exceptam: Sabaudus excedit ex Ephæbis. Regina Sueciæ clavum gubernandi apprehendit. Widerhold in Altovilia ſimulat deditionis voluntatem. Tumultuantur literarum humaniarum ſtudioſi Jenæ, Marpurgi, Vilnæ, ſine reverentia ſuperiorum. Præſidium Briſaci, avarius habitum, licitatori offerebat manus, ni Erlachii virtus & æs Oyſonuilli invidiam deleſſet. Conventus tandem pacificationi dictus, incipit Monaſterii & Oſnaburgæ in Weſtphalia, ex legibus præliminaribus. Luſitanus ſatis proſperè agit per Oceanum; Catifenſium regem ad officium perpellit.

Memorabile omninò, menſe Majo, ſylvam Norimbergenſis ditionis, octies mille jugerum deflagraſſe incendio. Tychonis Brahei prognoſtico de Petri Galli violento obitu adeò tardè adimpletum. Munda ad D. Mariæ in exequiis tribuni, fulmen afflaſſe Kônigsmarkii liberos, primogenito faciem turpaſſe, ſecundo genito latus & brachium dextrum, tertiò genito brachium dextrum percuſſiſſe; filiabus maximæ & minimæ nihil nocuiſſe, famulum cum famulo extinxiſſe.

Obierunt: Regina Poloniæ puerpera. Comes Megavius Viennæ. Merodius Coloniæ, ſponte ad necem inferendam coacto Werthio. Urbanus VIII. annorum unius & viginti Pontifex, ætatis ſeptimo ſupra ſeptuageſimum. Hinc factiones, Hiſpanica, Gallicana, Romana, Barbarina: obtinuit Romana, & dedit Pontificem, Johannem Baptiſtam Pamphilium, nomine Innocentii X. Archiepiſcopus Burdegalenſis cenſum annuum quadragies mille ſcutatorum, hoc mundo exiens, reliquit, ita rege mandante, Cardinali Mazarino. Regina Hiſpaniæ, non ſine ſuſpicione propinati veneni: etiam Marchio Sanctæ Crucis. Joh. Chriſtophorus Abek, Bavari Legatus, per Diætam Francofurtenſem, apoplexia. Luſitaniæ legatus, Rodericus Bottellus, Oſnabrugæ: & Albertus dux Saxoniæ, Iſenaci dominus, apoplexia.

ANNO MUND 5594. Æræ C. 1645.
E. ☉ 2. ☽ 12. Ind. 13.

Cæſar, laceris copiis ex Holſatiâ receptis, valdeq; imminutis, indefeſſi hoſtis metuens, novum exercitum ſcribit: ſupplicationes publicas inſtituit, obitq; ad B. Virginem, Brandiſii reſtitutam, cujus imaginem ex Suecorum manibus duodecies mille florenis redemerat: Irruenti Torſtenſohno validas vires objicit ad Jancoam, & inſignem cladem patitur, quæ pleraque loca trahebat, ut Viennæ vix fidendum eſſet: captos duces & octoginta millibus Imperialium redimit, viritim exacto tributo. Trevirenſem dimittit ad ſua. Bucheymium opponit Tranſylvano. Novum denuò cogit exercitum, quædam recuperat amiſſa, cum Ragoczyo tranſigit, Bavaro laboranti ſubſidia ſex millium cum apparatu mittit, Trautmansdorffium pacis ergò in Weſtphaliam ablegat, & quantum poteſt, Suecos è Bohemiâ propulſat, ad Glattoviam per ſæviſſimum frigus caſtrametatus adverſus Suecos.

Torſtenſohn inſtandum ratus, antequam Cæſar copias reficeret, per vallam Joachicam, ultra Egeram, Pilſam verſus ducit, octoginta machinas trahens promovet: Bruxiam flammis vaſtat, tranſit Ottoviam & Moldaviam, ſubſiſtit ad Jancoam, ſibi & Cæſareanis mediam, ubi aciei explicandæ nullus locus: occupat collem, 24. Febr. fundit Gôtium, per octo horas pertinaciſſimè confligit, capit 289. eximios, ab Imperatore ad ancatorem; præter quater mille gregarios, vexilla quadraginta quinq, ſigna triginta duo, machinas viginti ſex; jacturâ quinque ducum. Diſſipat bis mille collectitios, in deditionē cogit Neuhauſium, Iglaviam, Znaymam, liberato Olmutio, Stenium, Cremſium, Durſtenum, Cruciſtenum, Corneuburgum, & pontem lupinum, ad Viennam. Captivos offert redimendos, ſed Brunnam cum magno detrimento pedeſtris militiæ obſidet fruſtra. Tranſſylvanum bello continuo implicare ſatagit. Gresdorffio in Sileſiâ cum literis magni momenti intercepto, deſerit Brunnæ obſidionem, & munitis Corneuburgo, Moraviam, mox Bohemiam viſitat, auroque & frumento emungit, quæ in Sileſiam

præmiſſa ſequitur, Grafenſteynium & Fridlandiam expugnat, anguſtias Gabalæ aperit, Leutomaritium capit, Melniccum excurrit, Pragam terrитat: Albim concretum tranſit, per Satzenſes ad Tetſchinenſem arcem expugnandam properat, Lipſiam podagricus defertur, & vices ſuas Urangelio demandat: ei Bruxia deditur; tum caſtra caſtris ad Glattoriam, exeunte anno oppoſita.

Urangelius per Holſatiam affligit Danum, dum Kônigismarkius Archiepiſcopatum Bremenſem domat, Stadam, Buxtehudam, Bremerverdam expugnat, Rotenburgum & Otterslebiam: & conjunctis viribus Buchwaldum grandi ſtrage conficiunt. Mediâ æſtate Bornholmiæ inſulam ſuperat Urangelius, abeunte Königismarkio in Haſſiam, ut Gallo Vinarienſes cæſos reſtitueret; quibuscum Mœnum trajicit, & duce Anguinio ſupplementum adducente, in Saxoniam, ante prælium Alltersheymenſe revocatus, Rochlitium, Leiſnicium in Miſniâ corripit, & Saxoniæ Electorem ad inducias ſemeſtres componit, Grafenſteinium Sileſiæ invadendæ expugnat, Glacenſes tranſit & Olmutio conſulit, quin omnibus occaſionibus intentus invigilat, nusquam diutinus, perpetuo mobili non diſpar.

Danus recuperat primitus Ripenſe caſtrum: cæditur à Urangelio: bellum à Batavis expectat. Sophiam à matre centies vicies millibus Imperialium adornatam navem cognominem, ſexaginta quatuor machinas belli ferentem, ſcopulis illiſam periiſſe: à Famâ Sueciâ & ſuperatas Roſam ac regem Dani, & tractas dolet. Bremerverdam aſtu recuperat. Würtiburgerum cum octingentorum exactorum coborte captivum facit. Tandem fortunâ deſtitutus, & Ordinum precibus flexus, poſt ſatis diuturnam negotiationem init pacem cum Suecis & Batavis allaborante Gallo.

Gallo Vinarienſes ad hyberna non admiſſi Urſellas, prope Mœnum, mulctantur à præſidiis vicinis. Tum ex Sueviâ & aliis locis confluunt in Franconiam; eos cædit Werthius ad Mergentheymium. Sed in Haſſiâ juncti Königismarkio & Geiſio, Haſſorum imperatori, Bavaros à Kirchainâ propellunt, Rhenum trajiciunt, Heppenheymium, Weinheymium, tandem Wimpfenam expugnant, Tauberæ vallem inundant, & Kônigismarkio in Saxoniam revocato, 24. Julii ad Allersheym acerrimè confligunt, duce Anguinio per ſupplementum addente animos. Dextrum cornu, in quo Galli, diſſipatur, ſiniſtrum pervincit, Haſſorum maximè virtute, & tum è fugâ congregati, Bavaros trans Danubium ogunt. Hinc victori ſedat Nordlinga, Dunkelspulia capitur, Hailbrunna obſidetur, & linquitur, ubi Cæſar ampla ſubſidia miſiſſet Bavaro, ut Haſſo Gallo Vinarienſes Philippiburgum verſus ruerent præcipites, neglectis, quæ præſidiis tenebant. Sic Geiſſius, trajecto fluvio ad ſuos rediit.

Burgsdorffius ex Halberſtadio, ne otioſus eſſet, Hornburgum occupat, & Hornſtadium, Reichvvaldus Torgaviam. Mauritius Naſſavius, è Fernambuco redux, Sigenam patriam. Haſſis cedit Heldrunga: qui caſis Gallo Vinarienſibus egregiam operam navant, trajecto Mœno & Necaro, cùm prælium ad Allersheymium, impenſo tribuno Svvertio, reſtaurant. Ex Noveſio Zonſam fruſtra tentant, Gronsfeldium tamen, Bruxellis Bonnam ad Bavaros decies quinquies mille Imperiales devehentem capiunt. Geiſius in Haſſiam reverſus, Fridbergam fruſtra tentat, Butibacum expugnat, Marpurgi urbem occupat. Adoleſcente anno Erlacus & Moſerus per Alſatiam dominantur. Wilhelmus Badenſis Galliæ clientelam ſubit, & præſidium admittit Halla Suevorum.

Bavarus Cæſari ſuppetias mittit, ad Torſtenſohnum, retrò à Cæſareanis, utrinque ſylvis imperviis, porrò anguſtiis & fluminibus cinctum, opprimendum. Gallo Vinartienſes obruit ad Mergenheym in Franconiâ, capit Germarsheym, liberat Amœnoburgum. Ad Allersheym duo fulmina bello, Anguinium & Swertium non ſuſtinet, Geleenium captum, Mercyum cæſum dolet. Ita fugit, ut Cæſareanis auctus, Haſſos & Gallo-Vinarienſes, relictis machinis grandioribus perpulerit Philippiburgum: Wipfenam, Dunkelspuliam, Roteburgum recuperârit, in Haſſiam penetrârit. Melander Geleenio ſuccedit per Weſtphaliam.

Gallus deditione capit Roſatem, cùm vix decem domus integra reſtarent, & caſtrum Trinitatis. Hiſpanos cædit ad Balaquertam, Cantelmum fugat. Annonâ intercepta, oppidum cogit ad deditionem. Proditionis convictos Catalonos ſuſpendio necat: Luſitanis à Leganeſio afflictis. In Flandriâ Mardiccum, Lineam, Borburgum, Trabeatum aggerem ad Dunkerkam, & Mottam Lotharingiæ (cui mille octingenti pagi villaque Gallici nominis tributum pendebant) pervincit. Prædam ducentis curribus, præter mille ducenta pecora, deſolatis ducentis pagis, Atrebatum convehit. In Italiâ Vigenanum cum prædâ millionis rapit, quod tamen ſicuti Mardiccum, denuò perdit. Barbarinorum cauſam apud Pontificem ſuſcipit, cùm Antonius de nocte Romam exierit, Maſſiliam navigârit.

Trevirenſis Elector à Pontifice & Cæſare liber dimittitur; à Torſtenſohno magnificè excipitur, Diœceſin ingreditur, Gallos in agro Trevirenſi videt hoſpites ingratos. Batavi invito Dano fretum pertranſeunt, cum Gallis conſilia conferunt de Flandriâ utrinque adoriendâ. Septem naves magni pretii ex Indiis habent. Hulſtam ad deditionem perurgent, duo fortalitia expugnant: ſed quatuordecim naves, quatuor millionibus æſtimatas, Pharo in freto Danico transpoſitâ, per ſcopulos amittunt merſas.

Anglus Laudum, Angliæ primatem, videt ſententiâ Parlamenti capite plecti, ultra biennium carcere tetro concluſum. Parlamentum educit ſemel & vicies mille, duce Farfaixio, quibus numerantur menſtrua quadragies quater mille, nongenta, quinquaginta quinque libræ Sterlinorum. Rex octo capita poſtulat. Comes Marquairtus Irlandus, cladis author alicujus, Londini à caudâ equi raptatur. Leslæus acerrimè confligit cum Montroſſio, Rex Laceſtriam, cum centum quinquaginta millibus librarum Sterl: capit, Farfaixium ſic ab obſidione Oxoniæ divellens. Rex cæditur, Aslao & Palatinis ducibus, & Liceſtriam amittit. Iterum cæditur ad Bridgevvatter. Farfaix Briſtolam & Cheſtriam domat. Leslæus Edenburgum liberat, vincitque Montroſſium. Rex tranſigit cum Hybernis, ut ſibi adſint: ſed Parlamentum expugnat quinque naves, quarum una ferebat Nuncium Apoſtolicum, cum centum octoginta millibus piſtolettarum: multa loca occupat, Digbyum & Langdalum vincit: exeunte anno expugnat Belvoram.

Voldamar Dani illegitimus filius, nec aſtu aut vi Polonorum, nec flagitatione Dani libertatem in Moſcoviâ adipiſcitur: donec Magnus Dux diem extremum clauſit. Polonus matrimonium celebrat cum Niverniâ, Pariſiis & Gedani.

Turca mandat Ragoczyo quietem, urgente Tſcherino Legato: terrâ marique armat, orbi Chriſtianorum minatur. Ragoczyus Bucheymium Perſonium rug, repellit, Duglaſſio Trinavuam capiente: ad Villecam procedit, filium mittit ad obſidionem Brunnæ, tranſigit cum Cæſare. Sed Turca obſidet & pervincit Caneam. Oratores Galli & Venetorum injurioſè habet Conſtantinopoli.

Memoriâ dignum: Venti Baſileæ damnum ultra ducenta millia florenorum intulêre æſtimatum: quod idem ſenſit ora maritima Belgii & Galliæ. Hamburgum inundatione fœdatum, & alia maritima. Bonevertum in finibus Arteſiæ cum domino, dominâque ac novem perſonis exuſtum. Eislebiæ ducentæ octoginta ædes, ſeptuaginta horrea in cineres conſedêre. Kochera, flumen agri Würtembergici, per quatuor horas aridum exhibuit fundum. Vilnæ conflagrârunt ter mille ædes: Conſtantinopoli mille, cum deciesquinquies mille tabernis mercatoriis, fanis ducentis, templis quatuor, palatiis triginta. Uratislaviæ grando ultra duodecies mille Imperialis æſtimatas comminuit feneſtras.

Monaſterii, Weſtphaliæ oppido, pacis articulos proponunt Galli, & Sueci ſeorſim, diſcutiendos. Jæyus octo linguarum Biblia offert Senatui Pariſienſi. Saragoſſæ, Arragoniæ metropoli, ſeditio oritur, ob præfectum provincialem laqueo addictum; rex ægrè in Caſtiliam profugit. Commiſſarii Cordubæ & Ceræ decimum quemque aurum militiæ poſcentes, trucidantur. Montepellerii Schambergus, vicenis ad latus cæſis, ſalutem quærit, cùm novum tributum imponeretur: quod Palermi in Siciliâ idem evenit. Patres Societatis Romæ congregantur, demortuo Hierarchiæ ſuæ capiti aliud ſubſtituturi.

Obierunt: Cardinalis Rochefaucault. D. Matthias Hoë ab Hoëneck. Gôtius imperator in Bohemiâ. Marquairius Irlandus, diſſectus in partes. Mercyus & Witgenſteyn ad Allersheym. Reinschius Ratisbonæ. Hugo Grotius Roſtochii. Barillion advocatus, Pinarolæ. Eſterhaſi Hungariæ Palatinus. Laſco Comes de Wallenſteyn Pragæ. Magnus dux Moſcoviæ. Coningius Cardinalis. Wolmar Roſa à Widmaro ob colaphum. Kanofsky Argentinæ. Cantelmus Alconieræ. Araſſius legatus Genuæ. Cardinalis Borgia, Archiepiſcopus Toletanus.

ANNO MUNDI 5595. Æræ C. 1646.
E. ☉ 2. ☽ 13. Ind. 14.

Cæſar, annuente Saxone, qui Armiſtitium cum Suecis prorogarat, Magdeburgum præſidio liberat: diverſum abeunte Vrangelio Cremſium, Scallam Nicolaiburgum, Teſchinam recuperat: poſt & Corneuburgum Lipnitium. Bavaris auctus, per Franconiam deſcendit in Wetteraviam & Haſſiam, ubi & caſtra, & annonam Suecorum intercipere fruſtra laborat. Dumque ob Corneuburgum redditum, & Ferdinandum IV. in Bohemiæ regem electum triumphatur in caſtris, elabitur Vrangel, qui circuit Cæſareanos & transmiſſo Mæno, tendit ad Danubium. Attritæ Cæſaro Bavaricæ copiæ paululum refectæ; conſequuntur longa circuitu: Garnerio, qui occupata ad Mænum recuperaret, relicto. Per Sileſiam, priusduce, Montecuculio ſuperior fit inferior copiis ſecundariis. Ferdinandum F. coronat regem Bohemiæ.

Kônigiemark intercipit Ludersheymium (& Egrami Morsanium) denuò ſubigit Bremerverdam, & Vrangelio jungitur, ubi ab Ilmeno, per Erfordiam, & Eichsfeldiam ad Viſurgim deſcendiſſet. Nam Minda is trajecit, Hoxteram, Lippſpringiam, Neuhuſium, Brakelam ceperat: ubi & Paderbornam, Pyrmontium. Bergam Haſſiæ, Gleibergam. Caſtra ad Amoneburgum communit: Ingruentes Cæſaro Bavaros ſuſtinet, & Gallicis auxiliis firmior, premit, circuitque, ut ſecluſos à Mæno, præverteret ad Danubium properans: Turainio Schorndorfium relinquit expugnandum, ipſe ſumit Nordlingam, Donavverdam & Rainam: Tum denuò illo adſcito, Auguſtam Vindelicorum oppugnat, ſed fruſtra: Lycum ferè ſiccum facit, & apparatum cum annona ampla bis intercipit. Excurrit Monachium, redit Memmingam, & fauces oppidumque Brigantium, clavem multarum regionum, audentiſſimè rapit cum præda & ſpoliis immani. Lindaviam ad lacum Acronicum tentat, Langenarcham exeunte anno per deditionem capit: cum ipſo vere Erlacius Wildenſteinium interceptum eſſet demolitum. Bavaris Ingolſtadio diffiſus, Roſam & Smidbergerum transfert Schertlingam.

Obſeſſa interim deditur arx Marpurgi, quod Gieſſæ capite luit Willichius propugnator: quam Blanckenſtein & Rauſchenberga ſequuntur. (Recipit tamen Darmſtadianus Eberſtein Butisbacum). Colonienſes ex Noveſio infeſtantur, ut neutras teneant, Rabenhaupto proſperè agente. In partibus ſuperioribus ſubiguntur Smalcaldia, Hayna, Bibra; pereunt Kirichaina, Rauſchenberga, cum conflictu minus ſecundo. Kirichainam receptam Geiſius demolitur: Alsfeldiam expugnat: Eberſteinium Melandro auctum vincit, octo vexilla reportat, cum quingentis captivis, ſeptingentis equis, poſtquam Rabenhaupt à Zonſii obſidione receſſiſſe, & Melander Euskircham & Flembsburgum cepiſſet, quam exeunte anno ſequuta eſt Paderborna.

Wittenbergius adducto ſupplemento Montecuculium in Sileſia fatigat, & recedentem in Bohemiam ſequitur, Haſelſcheram, Glatium, Neoſtadium capit, ſed in Moravia Troppaviam fruſtra obſidet.

Gallus Turainio duce fœderi Suecico, ſatisfacit: Antonium Barbarinum Pariſiis ſuſcipit, dotatque reditibus Hiſpaniæ. Infanti Cardinalique dicatis. Antonii fratres, Franciſcum Cardinalem, Taddæum principem, cum familia, Romà vili veſte elapſos itidem, protectione per arma promovenda. Eſtræo Cardinali Galliæ patrocinium perſuadet. Copias ad Genuam exponit, cui Papa Savellium ducem opponit. Claſſem expedit, S. Stephani & Telamonis portum capit, Orbitellum obſidet, & naumachia ſat benè depugnans, Breſæo cadente, obtinet, & licet Tuſciâ dejectus, Portolongonam cum Plumbino ſubigit, & Barbarinis reddit transactionem cum Pontifice facilem. Prius fruſtra ſuaſerat pacem Turcæ. Barcellonæ paritèr conſpirationem in proregem: munimentum Arragoniam expugnat, Leridam obſidet, quam Leganes & Cordrena poſt octavum menſem ſumma vi liberant, captis ſeptuaginta tormentis. Aliter res cadebant per Flandriam, quo Duces Aurelianenſem & Anguinium deſtinat, qui Cortracum, conflictu acri ad Cuernam acto, obtinent: Vinocibergam & Mardikium expugnant, tandem etiam Dunkerkam piraticâ nobilem.

Roſatis propugnatorem capite Borgiam ſuppetiis adducendis tardiorem, ære grandi plectit. Hiſpanus ducem Arcoſium dicit proregem Neapoleos. Gallo opponit per Flandriam terra caſtra, ducibus Amalfeo, Lotharingo & Bekio. Mernenam capit, potiora amittit: ſed Lerida obſidionem fortiſſimè ſolvit, milite ex præda dolato: In maritimis Italiæ acciſus.

Batavi ex Moſæ Trajectu intercipiunt Tienam, cum multis captivis magni nominis. Venloam fruſtra obſident, nullo militiæ pretio, niſi ut Hiſpano diſtento, Galli expeditioni faverent. Electori Brandenburgico Ludovicam Auraicam ducenti, occupata per Juliacenſem agrum reſtituere annuunt; Neoburgicus amplius deliberat.

In Anglia Parlamentariis res ſecunda, duce Farfaixio ut rex pacem deſiderare cogeretur; maximè ubi munitiora, & in iis Oxonia deditionem facerent, dubius an Londinum ingrederetur, ſine exercitu victore: ſic & bellum, & pacis negotiatio fervebat.

Nivernia Warſoviæ copulatur regi: Is Moſchi legatum audit de fædere contra Tartaros. Militiæ ſtudet à Turcis & Tartaris metuens; cui Ordines oppreſſionem patriæ timentes obnituntur. Frater Caſimirus in Cardinalium numerum adſciſcitur: ſed regiæ ſerenitatis titulo fruſtratus, ſacrum ordinem derelinquit.

Moſchus in Sueciam legat, per omnem viciniam pacis ſtudioſus. Tansſylvani legatus Lepſiam pervenit; Suecicus, de la Garde Lutetiam Pariſiorum. Stokolmia inter Comites cenſetur Guſtaf guſtafſſon regis nuperi filius naturalis. Hungari in Comitiis de pace cum Transſylvano firmanda & Jeſuitis exterminandis cum Cæſare agunt.

Apud Venetos dicitur imperator Johannes Capello, ſeptuagenario major; dux claſſis Franciſcus Molino, anno uno minor, per Dalmatiam Degenfeldius. Vincentius Caraffa, caput Societatis. Dalmatia tremit ob arma Turcarum: ei deditur Noviogradum, Zara obruitur, quæ tamen recuperantur, Sebenico liberato, Baſſa Boſnenſi cæſo. Judæi deprehenſi arma transmittere Turcis; caſtellum Schiſſanionem Turca expugnat, ſed ad Dardanelly vincitur & denuò, amiſſis tribus triremibus: errore ſeu pertinacia Valettani ad Caneam ſuperior. Capello ætatis veniâ impetranti ſuccedit Johannes Baptiſta Grimmani: ad Retimium, quod Turcarum violentiæ ceſſit, prælio ancipiti commiſſo; unde Veneti ad eleemoſynas, & ſupplicationes, legationesque pro auxiliis impetrandis converſi.

Januarii altero die fit incendium Venetiis in armamentario per negligentiam fabri. Menſe Martio deflagrat Enzersdorfium & Gotha: incendio nec aula Cæſarea exempta. Wallersdorfii ad Glatium, igni ſuffocantur centum novem mortales, cum nobili puerpera. Exundationes perrumpunt Boruſſiæ aggeres, & Pontes Viennæ: Romam affligunt. Gottenburgi ejicitur Balæna, pedes octoginta longa, quatuordecim lata. Colonia Agrippina exuritur publicè Oſtermanni libellus de regimine. Iglavia plectitur intentata proditio. Menſe Julio famigerantur fontes ſalutares Hornhuſii, in agro Halberſtadiano; itidem alii in Luſatia ſuperiore. Sorbona Pariſiis diſceptat, an unum caput Eccleſia debeat, an verò plura poſſint eſſe: quem libellum Papa Cardinalibus dat examinandum.

Nuptias celebrant menſe Junio, Ferdinandus Carolus Archidux Oeniponti, & Anna Medicæa menſe Auguſto, Infans Hiſpaniæ, & Cæſaris primogenita. Exeunte anno, Wilhelmus Fridericus Elector Brandeb. & Ludovica Auraica.

Obierunt: Franciſcus Erizzo, Venetorum imperator. Koniezpolzky, Poloniæ Imperator. Eſpenam Gallus, Philippiburgi præfectus. Maria Imperatrix, Ferdinandi III. conjux. Breſæus dux Gallorum. Valentinianus Cardinalis. Baudiſſinus ex crure fracto. Juſtus Hoquius, Daniæ Cancellarius. Epiſcopus Auguſtanus. Dux Parmæ. Honofrius Cardinalis, Urbani VIII. frater Hiſpaniæ hæres & Infans Sagunti puſtulis.

ANNO MUNDI 5596. *Æræ* C. 1647.

C. ☉ 4. ☽ 14. Ind. 15.

Vrangelius Menaviam inſulam cum caſtello Langenarchæ communit, & Helvetiis benevolo reſponſo dimiſſis, ob pabulationum inopiam abit, Armiſtitio Monaſterii, deinde Ulmæ inter Sueco Gallo, Haſſos, & Bavarum Colonienſemque firmato. Hinc Turainius Tubingam & Balingam; inde Hôchſtam & Darmſtadium Kônigismark operosè elapſus, Kirchainam denuo Vechtam Faſtenaviam, Weidenbrukam, (obſeſſo Warendorfio) cum ad Podanicum lacum naves fiunt, res ſtrenuè agitur; Noveſiani Nidekam Juliacenſem, Vrangel accepto ſupplemento duce Lôvvenhauptio Nordlingam, inde Svveinfurtum, capiunt. Wittenbergerus fortiter in Sileſiam redit, & Devvagius Bernſtadio, Namslaviâ ejectus, Breslaviam ſe confert: Glogavienſes Trautenavia capta, cum centum quadraginta ſex equitibus, quadraginta deditibus ducentis ſeptuaginta equis & impedimentis capiunt. Accurrit Bucheym & Spork, qui olaviam fruſtra obſident. Sed ulli Polonus oppignorata ſuo milite firmat, ad Vrangelium ſe recipit. Sed Mortanius Haſſiæ Caſſellanæ permittitur: is Fridbergam. Reiffenbergam, Kônigisbergam, Blankenſteinium, Stauffenbergam, Hohenſteinium, Caubum, Cattorum arcem, Palatinatus caſtrum ſubigit, Rheinfelſiam obſidens, lethaliter vulneratus obit, unde apud Haſſos induciæ.

Cæſar, armiſtitii leges dedignatus, expugnat violentiſſimè VVeiſſenburgum duce Trautitſio: Militem ſpargit hybernatum per Bohemiam & Auſtriam. Gallaſſio paulatim deficienti ſurrogat Comitem Holtzapfelium, nuper Melandri nomine per Haſſiam notum, & exercitum reparat, Pragam, Pilſenam, Viennam communit. Conceptionis feſtum B. Virginis vovet, cui ſe, ſua, ſuos in tutelam committit. Ferdinandum F. coronat regem Hungariæ. Neoburgum Menavia inſula expugnat, remque ſtrenuè illic peragit. VVerthium & Sporkium Bavaro ſubducit, eoſque Holtzapfelio ſubſtituit, licet à Bavaro perfidiæ damnatos, factumque ad Suecos & Gallos excuſante: & Falkenaviam ſubigit, ad Egeram à deditione conſervandam tardius ducit, à temerario Vrangelio in ipſis caſtris ferè interceptus, dum ille ad ponticulum hoſpitii Cæſarei perrumperet. Ad Planam, Tribelam, Teplam variè depugnat, donec armiſtitio finito Bavarus arma denuò ſociaret, & Vrangelius adſcito Kônigismarkio per Bohemiam verſus Annabergam raptaret exercitum, ad Miſniam, & Erfordiam, Viſurgimque Hôxteræ tranſiret, ut apud Halberſtadium & Mindam, Lunaburgenſeſque militem reficeret, & inde in Haſſiam emergeret; Cæſareo Bavaris eum perſequentibus in Haſſiam uſque ubi Marpurgum obſideri in gratiam Darmſtadiani placuit, & Holtzapfelium

apfelius ex fragmento trabis, dum arx in domicilium illius contonat, venam colli læſus, ferè per eam viam exhalâſſet animam. Bucheymius Iglaviam tandem vix expugnat; Kônigiuvverdam ad Pilſenam & Memmingam. Nordlingam improbè à Bavaro domitam ait Mercurius. Noveſiani Gôtium cum centum gregariis trucidant, Holtuapfelium (tribunos) cum ducentis capiunt. Sed Lamboius, occaſioni inſerviens, VVindekam, Nidekam & Durſam arcem; item Caſtor expugnat; & agro Colonienſi relicto, in VVeſtphaliam contendit, juſſus licet à Cæſare ad ſummam rerum accedere.

Turainiani à vicinis præſidiis obruuntur Zvvingenbergæ: Moguntiam contra Garnerii, & Wormatiam contra Bôningishauſii machinationes aſſerunt: Eorum aliquæ legiones Roſam exercitui redditum ſibi ducem depoſcunt, nec ullâ ratione ad officium redeunt; quin certis conditionibus Kônigismarkio accedunt. Roſa cauſam dicturus, Pariſios deducitur. Sic ubi Colonienſis armiſtitium renunciat, ob Brielam captam, & alia quædam indignè commiſſa, Kônigismarkius Rabenhaupto auctus Paderbornam cingit, & Lamboio in Oſtro Friſiam penetranti ad Steynfordiam ſegnaviter opponit, donec uterque exercitus ad ſummam rerum evocaretur. Bavarus à Gallo neutras partes obtinet: quas regina Sueciæ & Landgravia Haſſiæ irritas reddunt.

In Belgio adeſt novus gubernator, Leopoldus VVilhelmus, Archidux Auſtriæ: is Armenteriam, omni penu prægnans, & Comenium & Lenſium ſubigit: poſtea & Landreſium: Gallo id temporis Baſſeam & Dixmudam corripiente, Neoportum tentante; & Moſa trajectinis VVavvera ad Bruxellas octoginta domos, exportato ſpolio univerſo, in cinerem redigentibus. Fit tamen armiſtitium inter Hiſpanos & Batavos. Dixmudam Chemlevius cum dedecore reddit, dum Ranzovius operosè Lenſium recipit, cadentibus Gaſſione, Villequiero, Feuliadâ, Ferte Imbauto, Tourio & Palſovio. Ex Indiis advecti decem milliones cum dimidio.

Turcæ terrâ marique à Melitenſibus & per Dalmatiam affliguntur: Claſſis Chriſtianorum occupat aliquot loca in hoſtico, & terreſtres copiæ per Dalmatiam: captæ complures triremes, ut Sultanus in duces frenderet. Prædæ etiam actæ per Hungariam.

Pontifex decies octies mille coronatos impendit catenæ, quâ Civita Vecchia portum claudat. Hiſpanus Niceam Puglianam capit, ſeditionem patitur Panormi, quam Gallus nequit ſuſtentare, aliam Neapoli, piſcatore Thomâ Aniello plebem incredibili modo ad nutum regente, donec is conficeretur in cœnobio. Leridam contra Condæum, Hancourtii ſucceſſorem, fortiter aſſerit.

Incendio fœdatum Coppenhagiæ armamentarium. Monocerotis cornu longum offertur Gallo per Daniæ legatum Stokolmiæ nobilitantur viri præcellentes: quatuor naves Gallo, quinta Mazarino Cardinali ædificantur: quadragies mille aureis æſtimata regina mater Berolino deducitur Wollipum. Sicarius apprimè armatus irruit in Reginam.

Ad Flensburgum viſa in aere navis bellica. Tracoviæ turris ad D. Annæ portam corruit. Groglogoviæ viſi exercitus confligere: Conſtantinopoli grando tripondium cecidit, fulmen Sultanæ navem exuſſit. In Finnonia quinque flumina ſtetere, inferiori fundo per-ſicco. Duo monetarii Viennæ exuſti. Welſchii arx, templum, & civitas penè exuſta ex molendino pulverario: Landsberga & Fridberga itidem per Marchiam, in Polonia quatuor oppida, Dalem in agro Juliacenſi; Calmariæ ſexaginta domus; Neapoli navis centum ſexaginta milites, ſexcenta millia coronatorum cum apparatu bellico difflatur. Rodſchildiæ centum ſexaginta, Bremæ ſexcentæ ædes incendiis conſumtæ: Jaurini centum ſeptuaginta: Opeliæ ſeptuaginta.

Miraculi loca habitus, Jacobus Martini, Modena oriundus: qui ſeptennis per omnes facultates erudite diſputabat. Sultanus, cui uno menſe ſeptem filii nati. Meynaviæ Suecis effoditur theſaurus, quinque millionum.

Nuptias celebrarunt Camillus Pamphilius Cardinalis, cum Olympia, Roſſani principes Aldobrandini filia, Bourgeſii vidua. Fridericus Caſimirus, Comes Hanoviæ, cum Sibylla Anhaltina, viduâ Hanovicâ, ubi cum Moguntino tranſegiſſet de Bobenhuſa reſtituendâ. Philippus IV. rex Hiſpaniæ, cum Maria Annâ Cæſaris filiâ. Johannes Philippus à Schônborn fit Archiepiſcopus Moguntinus. jam ante dux Franconiæ & Epiſcopus Herbipolenſis.

Obierunt Gallaſſius, Cæſareanæ militiæ Imperator. Pappenheym, poſtremus ſtemmatis, cadit monomachus; Gaſſion viſitans oppidum hoſtile; Villequierus cum aliis in prælio Georg. Chriſtoph. Tupadelius Baſileæ expirat. Gabriel Oxenſtierna Stokolmiæ. Edelſtedius Memmingæ. Pflugius Zigenhainæ. Condæus Lutetiæ. Prorex Caſtiliæ, Henricus Fridericus Auraicus, imperator Hollandiæ. Comes Oldenburgenſis Delmenhorſtiæ. Carolus Fridericus dux Oelſiæ. Chriſtianus V. Daniæ princeps. Carolus Poloniæ princeps, Saradezkius. Anſelmus Caſimirus à Wambold, Archiepiſcopus Moguntinenſis, Francofurti ad Mœnum. Joſephus Bergainius, Monaſterii, Hiſpaniæ mandatarius.

ANNO MUNDI 5597. Æræ C. 1648.

B A. ☉ 5. ☽ 15. Ind. 1.

Vrangelius à Duce Lunæburgico aufert decies & quater mille equos, & veſtem exercitui: Stadæ concilio bellico acto, Paderbornam verſus movet, Cæſaro Bavaros ex Haſſiâ in Franconiam ſatis attritos propellit. Turainio auctus, quindecies mille equites, octies mille pedites Aſciburgi Mœnum trajicit, centum ſexaginta tormenta ducentos currus trahens: Forcheymii à Cæſareanis relicta novem tormenta extorquet. Ad Feuchvvangiam explicat aciem, Cæſareanis ad Ratisbonam, Bavaris ad Eichſtadium recedentibus, ipſe ad Guntisburgum conſidet, Kônigismarkio circumcirca oberrante, Turainio accedente. Deditur Vindisheymium, occupatur vacua Donavverda, vaſtatur arx Wallerſtein, munitur Nôrdlinga & Meomarkia & Weidena. Palatinatus ſuperior conculcatur, de Lyco trajiciendo confligitur, Auguſtam verſus, cadit in extremo agmine Holtiſapfelius, Cæſareanorum imperator, aufert Kônigismarkius cum Cancellariâ ducentos ſeptuaginta gregarios, Bohemiam irrumpit, Egeræ concluſæ liberos reddit exitus, 16. 26. Julii trecentos emiſſitios circumdat, totidem ſuos ad Coloredum cum teſſerâ ſurreptâ remittit, & iſtâ metamorphoſi Minorem Pragæ partem cum Retiſinii arce ante diluculum corripit,

ultra ducentos magni nominis viros ad lytrum trahit: cæterâ prædâ immani, cujus partem opimiorem ſexaginta curribus Lipſiam amandat. Vrangelius Lycum ad regis defuncti veſtigia trajicit, Rainam firmat, Freiſingam, & Landishutam occupat, Bavaris ad tutanda ſolidiora, Cæſareanis ad Viltishoviam dilapſis, deſertum Iſaram tranſit, Oeni trajectum, fruſtra oppugnato Waſſerburgio, fruſtra quærit. Cum recrudeſcentibus Cæſaro Bavaris confligit ad Dnckelſingiam, & ad Landishutum conſidet: ingruentem Werthium repulſatis: dum novus ex Sueciâ adventat Imperator. Ad Dachaviam emulctatur; & Donavverdæ pacem concluſam intelligit.

Haſſus Rabenhaupt cum Duglaſſio Sueco, dum ſumma rerum ex Haſſiâ, per Franconiam, ad Lycum & in Bohemiam devolvitur, occupata recuperat, Homburgum vi, cum viginti tormentis optimè inſtructis; Fridevvaldiam aſtu; Gleichenſteinium evertit, ei ſurrogatur denò Geiſius. Is Giſeca ad Lipſtadium à Lamboio obſeſſus, virtute, & captivitate Erneſti Landgravii erumpit victor: ad Grevenbrugum depugnat, captivos ex alâ recuperat, plus mille mactatis, quingentis captis, ultra tredecim vexilla, & quindecim ſigna: amiſſis centum ſexaginta. Ad Coloniam tandem caſtra caſtris opponit.

Wittenbergerus, rei tormentariæ præfectus, ut Devvagii errorem, qui centum triginta ſex equites, trecentos triginta ſex equos amiſerat, corrigeret, accurrit. Oelſam demolitur, Sileſiam deprædatur, ex Pomeraniâ & Moraviâ ſupplemento ſex millium auctus, perrumpit in Bohemiam, Brandiſii ſexcentos capit, Kônigismarkio ſuccenturiatus, exhibet ſe Prageveteri; occupat Konopitium Michnæ arcem, & Thabori oppidum, Moldaviam tranſit, Mislingium Crumaviæ oppreſſurus, ad Budovitium incidit in Bucheymium, & Meuterum, Naaſium, Ranzaum, centum viginti currus ad tutiora deducentes; eoſque capit, uno Garuerio elapſo, novo Imperatori obviam abit.

Cæſaro Bavari ad Marpurgum attriti, & annonâ per Haſſiam laborantes, tum Suecis ſubitò ex inferiori Saxoniâ emergentibus, per agrum Fuldenſem redeunt in Franconiam, relictis Homburgo viginti, Forcheimii novem tormentis, ſi fors ferat, ut redirent. Sed Gallo Suecis accedente, conſultiſſimum viſum, Bavariam protegere: unde & Bucheymius cum Sporkio ex Sileſiâ adſciti. Infeliciter tamen confligitur ad Lycum, vel quòd Gransfeldius, Bavaricæ militiæ dux, aciem declinare, militemque potius tutandis ſolidioribus, (exemplo Haſſorum) juſſus eſſet, vel quòd Holtiſapfelio invideret: is autem tribunos haberet minus obſequentes, ob diſciplinæ rigorem, & ſacra alieniſſima. Sic cadit Holtiſapfelius in extremo agmine, & pateſcit Bavaria. Major acceſſit infortunium, ubi Kônigismarkius Micropragam cum arce Retiſini intercipit, ultra ſeptem miliones in prædam vertit, Cæſarum phylacia diripit, prorege Coloredo è ſtratis ægrè dilapſo. Ne Palæopraga ſubigeretur, curavit Bucheymii celer adventus, ut jam novi Imperatoris Suecici impetus ſuſtineretur maſculè. Mandârat quidem Cæſar, ut Lambojus ad ſummam rerum accederet, ſed demonſtrabat Colonienſis, quanti intereſſet, Weſtphaliam non deſtitui. Bavarus Lyco amiſſo, exercitum in præſidia ſpargit. Iſaram deſtituit, Waſſerburgum, inde Braunaviam tandem, Salisburgum ſecedit, Oeni ripam dextram ſtrenuè tutatur, Werthio in gratiam recepto.

Lambojus Geiſium Giſecæ concluſerat, ſed irrumpente Erneſto Landgravio, tametſi eodem capto, cum trecentis gregariis, eum miſſum facit, quingentis amiſſis: Bonnam redit, Bredebendam demolitur, ſubitò ad Grevenbrugam ſe caſtris Geiſii exhibet; acie decernit, alam ſiniſtram fundit, Wiedanum Comitem, cum ducentis gregariis & ſeptem vexillis capit: ſed ubi acrius victoriam perſequitur, videt ab alâ dextra tormenta capi & converti, vide parta amittit, duplo damno mactatus. Archidux pecuniam, Weſtphaliæ præſidia ſupplementum præſtant: fiunt ſupplicationes Divorum conciliandorum ergò. Prima præda Caſtorium deditum: tum caſtra ſub aſpectum Coloniæ Agrippinæ Haſſo oppoſita. Geyſius tamen Marcodurum pervincit, Lamboyo ne quicquam copias auxiliares impendente, maximè ubi Fridericus Landgravius mille quingentos equites adduceret Geyſio, ſed Paderbornæ obſidionem Lamboyus fortiter ſolvit; donec ad Brakeliam conſiſtentibus utriſque pax concluſa nunciatur.

Carolus Guſtavus, genitus patre Johanne Caſimiro, ex familia Palatinorum Bipontina, & matre, Guſtavi Adolphi regis ſorore ſanguinea, octo millia lectiſſimorum militum adducit, Wolgaſto, Stetinum, Havelberga, Barbyum; inde Lipſiam, & porrò in Bohemiam ducit, à Kônigismarkio & Wittenbergero ſuſcipitur, Pragæ obſidionem perurget, cuniculos agit, duas ſtationes intra Neopragæ pomæria occupat, ubi pax concluſa nunciatur. In utramque Pragam excuſſi feruntur ter mille, ducenti, octoginta ſex ictus tormentorum.

Paci componendæ annus facilis: pacem ineunt Monaſterii Belgii unitæ provinciæ cum rege Hiſpaniarum, omni jure in Provincias abjecto. Pacem firmant Haſſi inferiores cum ſuperioribus, ut Martispyrgum illis maneret, iſtis accreſcerent diſtrictus quinam. Pacem concludunt 14. 24. Oct. legati ampliſſimi in Weſtphalia; quam ratam habuit Cæſar 13. 23. Gallus 14. 24. Nov. Suecia 12. 24. Dec. Ea comprehendi non potuit Lotharingus; non voluit Hiſpanus; proteſtatione proſecutus eſt Pontifex, quod Eccleſia ſic amitteret opima territoria cum dignitatibus.

Hiſpanus Oſtenda exponit militem & pecuniam: vicies ſepties mille bellatores producit: Cortracum ſubigit, Ypram Condæo permittens: Ranzovium Oſtendæ inhiantem mulctat. In Picardiam irrumpit, & Gallum ad Atrebatum retrahit. Inſignem cladem patitur ad Lenſium: Per Italiam capit Furniam, & amittit, damnum ſuſcipit ad Padum: ſeditione laborat Neapolis, & conſpiratione Madritis, quæ Carolum de Padiglia, & Petrum de Sylva pegmati lethæo dedit: tumultu Corſica & Viſcontii ob annonam exportandam: tum proſcriptorum irruptione armata. Cremonam fortiter tutatur.

Gallus Erlaci copiis auctior, cædit Hiſpanum, cadente Beckio cum filio, captis principe Lignyo Marchione Graneo, cum viginti ducibus, ſexies mille ducentis gregariis, quadraginta tormentis, nongentis ſignis. In Italia facit ſuum Modenenſem, fundit ſeptingentos ad Padum: iterum mactat mille trecentos, capit mille quingentos, ſed Cremonam fruſtra obſidet. Tortoſam Cataloniæ, prorege Schombergio, expugnat. Seditioſis Neapolitanis ſubmittit Ducem Guiſium, qui tamen, proditione de turri del Carmine fruſtratus capitur, & ſoluto lytro dimittitur. Domi turbatur, ubi Senatus cum Aurelianenſi impingit in aulam;

quie;

quies, ubi Quæſtores mutati, & rex in Parlamento Populum benignè ſublevat. Recrudeſcit malum, ubi Bruſſellæus, cauſam populi liberius agens, in vincula abripitur, rex ad Germani fanum ſecedit: quies igitur denuò, ubi captus reſtituitur & rex plurimum rogatus, Pariſios redit.

Scoti Comitiis actis Edenburgi, Anglis, in regem ex inſula quadam liberum faciant, bellum denunciant: idem rogant Eſſexia & Surria provincia. Farfaxius, & Gromuvellius mactant ad Preſtoniam bis mille quingentos Scotos, capiunt quatermille cum Hamiltono Imperatore. Clocestria & Dealium caſtellum dant manus. Neoporti in Vectis inſula agitur de pace, qua penè confecta ab exercitu turbatur: rex ſolio indignus judicaretur, niſi rationes adminiſtrata Reipublica redderet; adeſſent principes primogenitis ex Hollandia. Londinum invaditur, ad ſtipendia ſolvenda adigitur, quadraginta ex ſummo Senatu cuſtodia traduntur. Farfaxius eo inſcio regem arctius cuſtodit, Harriſorium, Windſorium, tandem Londinum trahit.

Fridericus, nuper Archiepiſcopus Bremenſis, coronatur rex Daniæ, anno inclinato. Maria Eleonora, Guſtavi Adolfi vidua, regina, Wolgaſto deducitur magnificè Stokolmiam.

Poloniam vaſtant Tartari, tributum flagitantes; & Coſacci, ob ſacra reſtricta, & Præfectorum regionum felonias, ob prædam dividundam diſcordant, pro Imperatore ingens lytrum exigunt. Trucidant octies mille Judæos, indigenarum ultro ducenta millia. Coſacci occupant Namaratum, & Tulæzianum. Eligitur novus rex Johannes Caſimirus. Dominicus imperator, ſpreto Wieſnevvicii conſilio, in fugam vertitur, amiſſis ſeptuaginta duobus tormentis, vicenis millibus militum: unde in Comitiis digladiationes. Chmielinsky Coſaccorum dux, patriæ ſacris, & ſuæ familiæ vult conſultum.

Turcas per Dalmatiam affligit Foſcolus, Dernicio, Stromenitio, Chimia expugnata, diſſipatis quater mille infidelibus, Cliſſa deditâ & Seſio: tametſi Liccam amitteret, & alicubi armis eſſet inferior. In Creta Mirabellium obtinent Veneti, & naves annonarias, naufragio amittunt mille ſexcentos milites cum Grimmano thalaſſiarcha, damno quatuor millionibus æſtimato: ad Dardanelli munimenta feliciter depugnant, unde præfectus & tres Baſſæ trucidati Conſtantinopoli. Triremes triginta inferunt militem & annonam Canneæ: amittuntur & recuperantur duo munimenta, cum multo ſanguine. Comes Solmenſis cadit cum ſeptendecim Centurionibus. Sudanus portus aſſeritur Venetis: & Ibraim ob tyrannidem dicitur locum feciſſe filio.

Prodigii loco habitum, exoticas aves ad Confluentias Moſella & Rheni ſub veſperam trans Gallia ripam rediſſe, quaſi excurſione facta. Lubeca portam ſponte patefactam: Malchinia Megalopolitana vaſter repetitum, ingruente tempeſtate: ex lacu vicino piſces in aridam ejectos, vel plauſtris avehendos. Stokolmia incendium ex Gynæceo ortum hora cœnandi vix ad tertiam matutinam extingui potuiſſe, Lignitii centum quinquaginta domos exuſtas. In Suecia terram ſubſidere in Pontum. Gallos præter unam & viginti naves frumentarias, etiam duas ſerici, tertiam Cereris, quartam olei, cepiſſe: Batavos ſeptem Luſitanorum abſtuliſſe, duas merſiſſe. Per univerſum Oceanum & mediterraneum mare complures naves hauſtas.

Nuptias celebrârunt Ferdinandus III. cum Mariâ Leopoldinâ Tyrolenſi. Moſchus cum reguli vaſalli filia. Modeneſius cum Victoria Farneſia, Parmenſi. Talmontius cum Landgravia Haſſiæ. Würtenbergicus dux tribunus cum Schônburgicâ. Werthius cum Kufſteynia. Philippus IV. cum Maria Anna Aſtriaca. Adam Forgatſius cum Rechbergia.

Obierunt: Widerhold tribunus. Holtiſapfelius, Chriſtiani Birckenfeldii uxor. Gersdorff Saxo. Sigerodius Stockolmiæ. Sparrius. Lemormainus Ferdinandi II. confeſſionarius. Chriſtiernus IV. Catharina Lotharingia, Abbatiſſa. Princeps Curlandiæ junior. Talon Pariſiis. Uladislaus IV. Turo Bielke. Guſtaf Oxenſtierna. Kettlerus. Caſpar Ermes. Dracowitius Hungariæ Palatinus. Dux S. Donati in Aprutio ob tyrannidem. Septem Proceres ob Moſchi nuptias improbatas. Duo principes Madriti ob conſpirationem. Quatuor præfecti Conſtantinopoli ob rem malè geſtam. Mazarinus Archiepiſcopus ad Aquas Seſtias, Cardinalis frater. Rogoczyus ſenior. Comes Solmenſis, Moſætrajecti gubernator. Dux Brunſuicenſis. Ulricus in Oſtfriſia. Falconerius Cardinalis. Claudia Imperatricis mater.

ANNO MUNDI 5598. Æræ C. 1649.
G. ☉ 6. ☽ 16. Ind. 2.

Norimbergam conveniunt pacis firmandæ ergò, Amalfæus dux, Cæſaris, Erskenius Sueciæ, Vandortius Galliæ nomine, agitur de reſtitutione, de ſatisfactione, de evacuatione, de exauctoratione. Moram faciunt Francodalium ab Hiſpano, Hammerſteinium, Landſtula & Homburgum à Lotharingo inſeſſa. Auguſta Vindelicorum per minutias, nec penitus reſtituitur, Suevia facilè, Ratisbonæ Bavarus jura priſtina permittit. Suecicus miles ſpargitur per ſeptem Imperii Circulos, ad finem uſque pacis firmandæ. Quinque milliones extorquentur exauctorando militi Suecico. Udalricus Würtebergicus, nuper Bavaro, nunc Hiſpano militat. Evacuatio tribus interſtitiis per æquivalentia inchoatur, ubi Cæſar tandem ſummos articulos ratos habuiſſet, ſic redit Carolus Ludovicus Palatinus Heidelbergam.

Trevirenſis Reiffenbergerum, Gallici nominis perſtudioſum; conventus Craiſium dicunt Coadjutorum: hunc Elector in arce cuſtoditur arctius. Roſa cum Gallicis armis obverſatur ad Moſellam, Electoris bono. Leodii eadem luditur fabula; cadit in prælio alter Conſul, factioſi, Hiſpanos admittunt, Coadjutor exinde renunciatur Maximilianus Heinricus Bavarus. Conſul Hennet ſecuri ſubjicitur.

Archidux gubernator Belgii capit Ypram, Venantii fanum & Craquæ munimentum, certus, Harcuitium fruſtra fore ad Cameracum. Immittit in Campaniam quater mille prædatores. Dux Lotharingiæ ſtipendio militat Hiſpano, & ob Hyberna mulctatus mulctat provinciales. In Italia accedunt Hiſpanis Ceva, Biella, Damiani fanum: In Catalonia, Sapircc, ubi Mortaranus & Garnæus cum Albaquercio proſperè agunt. Sed ſeditionem Neapolitanam, ſubinde repullulantem, decuſſis aliquot capitibus ægerrimè compeſcit.

Gallus Remboldum de Roſis, Turainii factione cuſtodia datum, liberũ facit, copiisq; ſcribendis præficit, ad Moſellam Trevirenſis conatibus adfuturum, qui Randum

dinum ducem fundit & capit. Condæum, tredecim milliaribus à Bruxellis remotum, audacter invadit, & poſt delinquit. In Italia & Catalonia minus proſperè agit: ut Modenenſis afflictus cum Hiſpano reconciliari neceſſum habuerit.

Luſitaniæ rex apud Pontificem agit, de legato recipiendo, & Eccleſiis vacantibus conſtituendis: libro vulgato, id juris ſibi ſumendum ni Pontifex medeatur. Turca legatum mittit ad Hiſpanum amicitiam quæſitum, aut regni vires ſpeculatum.

In Britannicis inſulis memorantur Scoti ex regum ſuorum albo quinquaginta aut expuliſſe, aut incarcerasſe, aut necaſſe: In Anglia à Conquæſtoris temporibus tres in carcere occiſi Eduardus II. Richardus II. & Henricus VI. Publicè ſecuri ſubjicitur Carolus Stuartus: idem fatum poſt ſubiere dux Hamiltonus, Comes Hollandus, & Mylord Cappelius. Conſtituitur imperium Democraticum ſub Senatu quadraginta regulorum: cuditur moneta, quæ hac utrinque fert Reſpublica Angliæ, & Deus nobiſcum: inſignia regia dejiciuntur, nomen eſeratur. Militia ad ſexaginta millia, præter ſexaginta octo navium claſſem ordinatur. Crommvvellus in Hiberniam movet, ubi Ormontius regiæ factionis ad Dublinium caditur, tametſi Scoti & Hiberni Carolum II. regem agnoſcerent.

Cæſar Poſonii intereſt Comitiis regni; gravamina Cleri adverſus Proteſtantes, ab anno 1603. agitata, non admittit; quicquid Archiepiſcopus ſeſe Palatino opponeret. Fortgatſius Turcas in faucibus Falanccanis, iterum irrumpantes cædit, Budenſem fundit, Vezierum vel argento ſi jugalibus vehendo libertatem redempturum capit. Irruptionis cauſa imputatur. Tſerinio: Hungari fruſtra petunt a Cæſare bellum in Turcas. Remittitur Hungaris tributum ſexies centenorum millium & ſtatuitur manus reciprocum inter ſex & decem millia Imperialium viciniæ ergò.

In Polonia coronatur rex novus, ducit fratris viduam lecto affixam: movet in Coſaccos & Tartaros. Coſacci vi obtinent ſacra priſtina & correctionem politiæ.

Bellum Turcicum fervet. Foſcolus ex Albaniâ retrahitur adventu Boſnienſis. Claſſis Turcica apud Dardanellos elapſa, conliditur in portu Foggiano, ubi urinatores ſuccidunt rudentes, & incendia impellunt, periere triremes ſeptuaginta duæ, octodecim naves vaſtiores, ſexaginta onerariæ, ſex millia cum Baſsâ occiſi, totidẽ capti. Ex Chriſtianis occubuêre nonaginta, vulnerati quadraginta duo. Furit Sultanus, & Soranzonio legato cum aliis purpuram mutat in pullam, catenas injicit, flagra impingit; ſed ab Oratore Gallo mitigatur. Anglorum naves cogit, ad impetum redit: Cadunt ad portum Sudanum ſesquimille Turcæ, merguntur ſex triremes, cum Baſsâ ſumma duce. Admoventur quater mille ſacci lanâ farſi, ter mille ſcalæ, & tricies mille ad irruptionem: Mocenigum bis perditur, bis recuperatur, tertiâ vice agitur cuniculus, qui ter mille Turcas, ducentos Chriſtianos conſumſit. Demetrii portus fruſtra tentatur à Turcis. Monachus diſcalceatus in pyrobolicis ſtrenuam præſtat operam. Captivitatem tamen ſubierunt ultra quinquaginta millia Chriſtianorum. Haaſius Coloredo locum dans, in Dalmatiam abit, illic viginti millia Turcarum peſte abſumuntur. Morlaccii bis transeunt alpes in Hungariam inferiorem prædatum. Sultanus Cretam nequit miſſam facere, quòd Moſchea, ſeù templum Mahometi conſecratum ſuſceperit.

Pontifex cum Parmenſi de Ducatu Caſtrenſi litem habet, an feudum ſit Eccleſiæ. Parmenſis prælio inferior, in Marchionem Gofredum culpam belli moti confert, tranſigit trecentis millibus coronatis præſentibus, & ſexcentis millibus numerandis. Caſtro tamen ſolo æquatur. Jubilæum Romæ more ſolenni aperitur.

Pragæ turris pulveraria fulmine disjicitur: Rainæ itidem. Cancellaria Bohemiæ, Hungariæ, Auſtriæ, cum nave ſubſidit in Danubium. Terræmotus haurit naves in portu Meſſinæ. Genuæ exuritur navis ducenties quinquagies mille Coronatorum. Wettera conſervat ſex domos cum templo ab incendio: Mulhuſium perdit ſeptuaginta ædes. Rigæ ſuffocantur aquis quadringenti mortales. Fribergi Miſniæ concidit murus tres cubitos craſſus, ad ſexaginta cubitos in longitudinem. Veſuvius æſtuat, pagum Ottajanum opprimit, Neapoli gravis.

Matrimonium conſummat Philippus IV. cum Auſtriacâ. Wilhelmus Landgravius cum Brandenburgicâ, Mantuanus cum Iſabellâ Clarâ Tyrolenſi, Anhaltinus cum Holſatâ.

Obierunt: Johannes Soldner, Conſiliarius Cæſareus. Carolus rex Britanniæ Magnæ. Iſaac Doriſlaër, legatus Anglorum, Hagæ Comitis, à perſonatis. Lampadius Monaſterii. Ekenbergius Grætii. Albertus IV. Ratisbonenſis. Rautenfeld Medicus Succorum Norimbergæ. Juſtinianus Cardinalis. Maria Leopoldina Imperatrix, enixa filium ſic Modenenſis poſt partum. Eduardus Bregantinus Mediolani, febri. Johannes Palatinus Sultsbaci. Martinitius Jaroslaus Borgitha, prorex Bohemiæ, olim ex feneſtrâ dejectus. Sandomirſcius Firlejus Poloniæ dux, ætatis 76. Abrutius Cardinalis. Fridericus Savellius, legatus Cæſaris Romæ. Tuſcus Prædicatorum Ordinis caput. Colobrathus, Bohemiæ Burggravius renunciatus.

ANNO MUNDI 5599. Æræ C. 1650.
G. ☉ 7. ☽ 17. Ind. 3.

De pacis legibus ſtrenuè laboratur Norimbergæ, anxiè quæſito Francodalii temperamento, donec viſum, ut Benfeldia redigeretur in oppidulum, Halbrunna Palatino cum ter mille Imperialibus ex ærario publico menſtruis, præſidio Francodalenſi quadragies quinquies itidem numerarentur, donec ſpatio trimeſtri res aliter componeretur. Sic conſtituti termini tres, quibus evacuarentur inſeſſa: Gallus dimittit omnia in tractu Rhenano, præter urbes Sylvaticas. Cæſar firmat Pragam, monte juſtitiario etiam depreſſo & Egeram; idemque limitem Turcis oppoſitum: recipit Olmutium, & alia uti Lunæburgicus Nieburgum ad Viſurgim: exauctoratur miles, qui turmatim deſcendit ad ſtipendium Hiſpani: unde quidam meticuloſi ſiniſtrum quid augurari.

Brandenburgicus Groſſo Saltzæ ſuſcipit homagium Archiepiſcopatus Magdeburgici & Halberſtadenſis. Stetini altirat cum Suecis de limite Pomeraniæ diviſæ, & Tranſſylvaniæ legatum audit.

Gallus Condæum, Contyum, fratres ſanguinis regii, cum Longævillano ipſorum ſororio, quòd vires regni occuparent, Cardinali Mazarinio, reginæque matri eſſent iniquiores, in cuſtodiam Vincentii ſylvatici ſeponit: munimenta ipſis

credi-

credita vi, minis, gratiâ redigit: Bullionæum Aquitaniæ populus concitantem, juſque fratrem Turainium cum Trimulio, Rocæfaucaldo, Marſilliaco, Savæbovino, Hautefortio aſſeclis, quibus Hiſpanus animos, pecuniam, militem ſufficit, perſequitur; Aquitanis petentibus. Eſpernonii gubernaculis eximi, & univerſæ Galliæ, Cardinalem Siculæ originis, excutienti, aſperior. Helvetios, ſtipendii querulos, auro præſenti, gemmisque & vectigalibus Lugdunenſibus in pignus datis, demulcet. Tres exercitus tribus Hiſpanicis ad Flandriam opponit, ducibus Villequierio, Hokincurtio & Villaregio. Tiliadeto poſt fata Erlachii credit Briſacum. Plombini & Portolongonis portus in Italiâ amittit: ab obſidione Leonis in Cataloniâ, repullatur. In Picardiâ videt ſibi extorqueri Caſtelletum, & Cappellam, tametſi Guiſiam fortiter tutaretur: inde ad Burdegalenſes properans. Cùmque Turainii curſores Pariſios verſus penetrarent, captivos principes in Baſtiliam regiæ urbis condit. Præſidia Turainiana ad Rhenum, & auro, & ferro coacti, diſcedunt, allaborante Moguntino, ut Circuli ſuperiores ſcribant, foraneos ejiciant, fines tutentur.

Hiſpanus prorege Ognatio nondum extinguit ſeditionem Neapolitanam, etſi carceres adimplerentur præfectis popularibus, magnatibus, munia extra patriam obtruderentur fruſtra. Argentum à Clero exigit, Ducatum Pontremolium quingentis mille coronatis vendit Florentino. Gratia omnibus ſi per triennium militent, offertur; ſed quòd ſedecim primores exciperentur, paucis accepta. Exules, qui Banditarum nomine cenſentur, agrum pervadunt ſecuri, oppida expilant, Salerni nundinas ſpoliant, gubernatorem Trajetti, enumeratum ære trucidant. Adigitur Portolongona ad deditionem impenſis quaterdecies centenis millibus Coronatorum. Archiducem, Gemaram, & Sfondratum in limitem Galliæ ex Flandriâ mittit, per Picardiam dominatur. In Cataloniâ mulctat Gallos: principum captivorum cauſam agentibus ſuppetias omnimodas largitur. Lotharingus accedit, Ruſvvurmium obruit, capitq; Mottam, caſtrum è ruinis erigit.

In Anglia Holpe, cædis regiæ adſeſſor, laqueum induit Weſtmonaſterii. Cromvvellius per Hiberniam circumfert arma, donec Fairfaxio rerum pertæſo, militiam univerſam regeret, & Scotos laceſſeret; qui ipſi Regi obtrudunt articulos quindecim incommodos ante Sacrena. Asham legatus Angliæ ad Hiſpanum, trucidatur Mantuæ Carpentorum ex inſidiis. Hamburgum & Anglorum, & regis ſuſcipit legatos. Robertus Palatinus claſſem vel in Luſitaniam proripit; & extra pontum Liſabonnæ egregiè depugnat in Anglos. Carolus II. Bredæ tranſigit cum Scotis: militem ſcribit, dum Angli regis atque epiſcoporum, exinde proſcriptorum facultates divendunt, regia ſigna ubique ſtatuas regum ex ordine poſitorum Londini dejiciunt, ultimam Caroli I. capite truncatam, ſceptro confracto, relinquunt cum hac epigraphe: *Exiit tyrannus regum ultimus anno 1648. 30. Jan. libertatis Anglicanæ primo:* Exiguntur in menſes ſingulos nonagies mille libræ Sterliniæ, ad rempublicam armis tutandam. Montroſius regiarum partium per Scotiam, crudeli marte ſævit, vincitur, capitur, damnatur, in partes ſecatur, antequam ſe Carolus II. Scotis coronandum ſiſteret. Ibi jejunia & ſupplicationes ſolennes.

Unitæ Belgii provinciæ non æque pacem cum Hiſpano factam gaudent, quòd populus vigente bello commodius ageret: Hollandia inſoleſcit, & in illa Amſtelrodamum, adeò ut Conſul Bickardus cæteris provinciis inconſultis militem, paci ſervandæ per præſidia ſparſum imperaret exauctorari: Unde Auraicus urbem improviſus obſidet: Bickardus, exoticorum negotiorum ſuſpectus, tum ob aggeres perfoſſos, & damnum campis deſiccatis illatum vulgo exoſus, Senatu movetur, tranquillitate ſic reſtituta.

Suecia amplius armat, ut videbatur, pro Anglo, vel contra Moſchum, vel ad Germaniam conſtituendam. Stokolmiam appellit Luſitaniæ legatus, eodemque tempore ex Belgio, Ludovicus Wilhelmus, ex proſapia Antonii, à Philippo II. ejecti. Cum Polono, mediatore Contarino Veneto, firmantur priora.

Polono reconciliatur Chmielinsky, Coſaccorum dux, recepta Eccleſiarum libertate: non tamen penitus deſinunt provincialium tumultus. Moſchi legati faſtuosè ſe inferunt, tres provincias, quarum Smolensko princeps, cum titulo repetunt, & fructibus perceptis; tum non amicus, ſed ut dominus diceretur Moſchus in literis, Legati cuſtodia circumdati ob tam indigna, pax tamen æterna ſancitur invitis Tartaris.

Tartariæ Cham aufert tributum ſolitum à Polonis; petito auxilio, ſi Turca ingruat, mutuo. Conſanguineus Ottomannis, patitur repulſam Conſtantinopoli. Cercaſſos domat rebellantes: In Chinæ regnum irrumpit, quòd tyrannus regnum occupaſſet; ſed prorſus ejicitur.

Turca, quòd Perſæ ad Babylonem arma oſtentarent, advigilat: pacem cum Hungaris redintegrat: Cyprios & Baſſam Cagram in ordinem reducit. In Cretâ aliquoties damno afficitur; in Golfo del Volo quartùm videt prædas agi; Malvaſia portum cum annonâ intercipi: unde Uſaim Baſſam militiâ movet, maximè quòd claſſis ad Dardanellos, concluſa teneretur. Etiam occupantur portus, ne commeatus inferantur; unde deditio ampliſſima inſula totius Venetis ſperatur.

Pontifex Parmenſi indulget octenium, ad redimendum Caſtrum: Neapolitano militi permittit tranſitum: indignatur, à Clero Neapolitano exigi tributum. Peregrinantibus religionis ergò, lavat pedes: novem millia eorum convivio adhibet Ludoviſius Cardinalis. Luſitano non indulget jus conſtituendi Epiſcopos: videt tres Cardinales à Gallis tranſire ad Hiſpanos. Veneti, ut ærario ingererent pecuniam, centies mille Ducatis proſtituunt Ordinem Nobiliſſimorum. Dolent Galeazam in Africæ littus propulſam ſpontè cum ſeptuaginta tormentis æneis periiſſe. Turcam mulctant in Cretâ, affligunt prædis agendis, claſſem hoſtilem in arctum cogunt, portus occupant.

Mare infeſtum undiquaque, ob Anglorum, Gallorum, Palatini, piratarum excurſiones, & varias prædas.

Memoriâ dignum: in Daniâ, ad ſepulturam regum, unâ nocte natum fortalitium ex ceſpite; frumento pluiſſe. Pragæ ſtatuam B. Virgini, ad ſimilitudinem Monachianæ, in foro medio erectam. Cæſarem de Capua oculos eruiſſe, naſum, aureſque præcidiſſe Lucio de Aquino; ſic mutilum in fornacem ardentem conjeciſſe, quòd tolutarium, ignominiæ ergò, naſo, auribus, caudaque mutilatum remiſiſſet.

Louys de Guere negotiatas Belga, regi Suecorum innotuerat, claſſem Torſtenſohnio ad ſubigendum fretum Danicum adornârat: ex fodinis metallicis, & negotiatione Septentrionali opulentiſſimus, docuit uſum divitiarum, in ſubminiſtrandis egenis ſuæ religionis per univerſam Germaniam, maximè verò Paſtorum per Palatinatum, erogatis plus ſemel centenis millibus imperialium; dignus nunc cedro, olim cœlo.

Nuptias celebrarunt: Carolus Magnus, Badenſis, cum Mariâ Julianâ Hohenloenſi, in Schûllingisfûrſt. Carolus Ludovicus, Comes Palatinus Elector, cum Charlottâ Caſſellanâ Haſsâ. Pompejus cum Gœtii viduâ. Brandenburgicus, olim Adminiſtrator Magdeburgi, cum Martinitiâ, Comitis à Zvvirbâ viduâ. Bavariæ dux primogenitus cum Adelheide Sabaudâ.

Obierunt: Comes Schlick, Cæſari à Secretis. Ludovicus Erlachius, Briſaci gubernator. Ludovicus Anhaltinus. Maximilianus à Trautmansdorff, Cæſaris intimus. Kevenhûller & Altringerus, miniſtri primarii. Andreas Kocher, Decanus Pragæ. Theodori Cardinalis. Offalinsky, Poloniæ Cancellarius, Romam religionis ergò iturus. Ferdinandus Archiepiſcopus & Elector Colonienſis. Vrangelius Sueciæ Archiſtrategus.

NOVA

NOVA CHRONOLOGIÆ CALVISIANÆ CONTINUATIO.

ANNO MUNDI 5600. Æræ C. 1651.
E. ☉ 8. ☽ 18. Ind. 4.

Ferdinandus III. Imperator matrimonium cum Eleonora, Principe ex domo Mantuana, Neoſtadii, ultima die Aprilis, conſvetis Eccleſiæ Romanæ ceremoniis confirmat, ac inde Viennam cum nova conjuge reverſus, ſolenni pompa tum ab aula, tum ab exterorum Principum legatis excipitur.

Menſe inſequente, cum pace frui tota Germania lætaretur, novi belli initium ſubito multos terruit; dum Elector Brandenburgicus in ditionem Montenſem hoſtiliter ingreſſus, ducem Neoburgicum, ad ſervandam transactionem, antidhac cum ipſo factam compellere inſtituit. Sed poſt aliquot velitationes commiſſas, controverſia hæc d. 11. Octobr. certâ pacificationis formulâ Civiæ componitur.

Innocentius X. Pontifex R. pacem Germaniæ, Oſnabrugæ concluſam bulla Romæ die 5. Januarii edita abrogare molitur: quia Proteſtantibus bona Eccleſiaſtica ea libertas conceſſa. Hæc Bulla Viennæ valvis templorum, (quod mireris,) affixa eſt publicè.

Sub finem menſis Sept. Maximilianus Elector Bavariæ, ætatis anno ſeptuageſimo octavo, vitam finiit; relinquens ex poſteriori Conjuge Maria Anna Auſtriaca, Ferdinandi II. Imperatoris Filia, duos filios Ferdinandum Mariam, & Franciſcum Ignatium Wilhelmum, illi majori natu ante patris obitum Princeps Adelheides Ducis Sabaudiæ ſoror deſponſata fuit.

Romæ Pontifice ſic ordinante, Jubilæum celebratur.

In Gallia ſub initium hujus anni, à Parlamento Pariſienſi decretum eſt, ut tres Principes Regii Sanguinis, duo Condæi fratres, & Dux Longevillanus e cuſtodia liberarentur: Utq; Cardinalis Mazarinus intra ſpacium quindecim dierum, cum omnibus qui ipſi inſervirent, externis, regno excederet. Rex interim Ludovicus XIV. annum ingreſſus quartum decimum, è tutela Matris menſe Septembri, Pariſiis in curia ſupremi Senatus, præſentibus omnium ordinum Proceribus, dimiſſus eſt.

Dux Condæus in Aquitaniam profectus, conciliatis ſibi Burdigalenſium animis, novas conſcribit copias: ex quibus haud obſcurè colligebatur, eum novum moliri bellum. Quapropter Rex Duci Aurelianenſi, atque Senatui Pariſienſi mandavit, ut Condæum à molitionibus novis revocarent. Quod cùm fruſtra tentatum eſſet, Rex eum crimine Majeſtatis læſæ condemnat, & Cardinalem Mazarinum ſub finem anni, contra Senatus Pariſienſis & Procerum voluntatem in Galliam revocat, conſiliis ejus in poſterum uſurus.

In Scotia Rex Carolus d. 11. Januarii in ſolenni conventu Schonæ, ubi Scotorum reges coronari ſolent, regno inauguratur, & hortatu Roberti Dulglaſii ad ultionem paternæ necis, arma parat, ac in campum cum exercitu poſteà adverſus Oliverium Cromwellum, fines regni obſidentem, proceſſit.

At Carolus veritus, ne vires exercitûs ſui per quotidianas velitationes attererentur, maluit bellum in Angliam transferre, ubi adhuc faventes habebat multos. Verùm vix Angliam ingreſſus erat cum exercitu, non procul Vigornio urbe, quæ ſtatim in Regis poteſtatem ceſſerat, à Cromwello inſequente graviſſima clade affectus fuit. Cæſorum tria ferè millia numerabantur. Rex, dum Vigornium à Cromwello capitur, per adverſam portam ſub noctem egreſſus, & per incerta viarum vagans, aſſumto unico miniſtro homine Scoticô ſe occuluit, & tandem Diepam, transmiſſo mari Britannico, venit. Inde Rhodomagum, atq; tandem Pariſias menſe Octobri ſalvus appulit. Cæterum hæc victoria ſtatum Angliæ mutavit, & Scotiam ſubjecit Cromwello, qui Londinum Victor triumfali pompa ingreſſus eſt.

In *Polonia* Rex Coſaccos & Tartaros d. 28. Junii magno prælio commiſſo profligavit: per triduum ferè tanta utrinque vi atque ardore pugnatum eſt, ut in quam partem ſe daret victoria, diu in ambiguo eſſet, donec robus Polonorum prævaleret, fuſo fugatoque numeroſiſſimo Coſaccorum & Tartarum exercitu. In hac fuga periere viginti millia, atque inter eos Patriarcha Græcus ad excitandos in hoc bello Coſaccos Conſtantinopoli miſſus. Janus Ratzivillius Dux Lithuanicæ militiæ cum ſuis ad Boriſthenem inſecutus, Kioviam ac Moniloviam urbes intercipit. Inde Chmielnicius Dux Coſaccorum majora metuens mala, ad pacem à Polonis petendum compellitur, quam & honeſtis conditionibus impetravit.

ANNO MUNDI 5601. Æræ C. 1652.
D C. ☉ 9. ☽ 19. Ind. 5.

Initio hujus anni, quarta ſcilicet Januarii die, Maximilianus Heinricus Dux Bavariæ Archiepiſcopus atque Elector Colonienſis pallio Epiſcopali indutus, Coloniam ingreſſus, miſſam non ſine magna Pompa celebravit. Quam celebriorem reddidit *Erneſti*, Landgravii Haſſiæ apoſtaſia, publicè ſimul cum uxore Eleonora Maria Comite Solmenſe religionem Lutheranam abnegantis & Pontificiam amplectentis. *v. Theatr. Europ. tom. VII.*

Eodem menſe fatis conceſſit Chriſtophorus Elector Trevirenſis & Epiſcopus Spirenſis, cui jam pridem deſignatus Coadjutor Carolus Caſparus à Leyen ſucceſſit.

Menſe Aprili præſidium Hiſpanicum Franckenthalio tandem diſceſſit, urbe Electori Heidelbergenſi juxta pacificationem Oſnabrugenſem reſtituta.

Ferdinandus III. Imperator menſe Julio cum filio Ferdinando Rege Hungariæ Pragam venit, ut

antequam comitia indiceret, cum Electoribus huc invitatis colloqueretur.

In Gallia propter reditum Cardinalis Mazarini, civiles motus oriuntur.

Nam Dux Condæus & Aurelianenſis cum Senatu Pariſienſi & reliquis ferè per Galliam Parlamentis miſſionem Cardinalis, & decreti executionem armati urgebant. Sed Mazarinus Regis & Reginæ Matris præſidio nixus, arma Regis nomine opponit, atque autoritate apud eum prævalet.

Inter Batavos & Anglos certa belli indicia ſeſe produnt. Nam novus Anglorum Protector Cromwellus Batavis commoda ex quæſtuoſa navigatione invidebat. Idcirco ab his propter capturam halecum in mari Anglico certum tributum poſcit, &, ut navigiis Anglicis, velut anteà regiis, honoris ergò vela ſubmittant, nec liberis Caroli Stuarti Regis, in ſuis provinciis perfugium concedant, inter alia urget. Itaque utrinque ſummo ſtudio claſſes apparabantur, ut controverſiæ hæ bello finirentur.

Inde cum Trompius Claſſis Batavicæ Archithalaſſus ad littus Britannicum ſpeculandi cauſa progrederetur, & vela ſubmittere recuſaret; Blakius archithalaſſus ipſum hoſtiliter aggreſſus, duas naves intercepit, ac poſtea in piſcatorias naves earumq; tutelares incidens, poſt cruentam pugnam eos maximam partem cepit aut profligavit. Menſe Aug. Trompius ſeptuaginta & unius navium claſſe inſtructus Anglorum claſſem aggredi voluit: at oborta malacia, conſilium fruſtrà fuit. Tandem in conſpectu littoris Hollandici inter Batavorum & Anglorum claſſes acerrimo prælio decertatum eſt, & anceps diu victoria poſt bidui certamen, quo Trompius occubuit, Anglos manſit. Intereà in Anglia legati ex diverſis locis appulere, qui novo Protectori de nova Republ. inſtituta gratularentur.

Hiſpani hac æſtate Barcinonem, Dunkerkam & alia loca expugnavere, diſſidia in Gallia ſimul foventes. In Gallia Ducis Aurelianenſis filia novum ordinem equeſtrem Palearem dictum inſtituit. Qui Principum partibus faventes feſtucam ſtramineam, Mazarini chartulam in pileo circumferebant.

In Polonia Rex comitia indixerat, quæ ferè ad finem producta unius nuncii provincialis interceſſione abrupta ſunt. Regni Cancellarius Minor Radzieſowsky à Rege & Nobilitate offenſus in Sveciam profugit, cum ante reus majeſtatis judicatus eſſet. Coſacci ſuperiori anno profligati collectis viribus novis, Podoliam & Valachiam infeſtarunt.

Imperator die 4. Januarii & d. 7. Martii Lutheranos ſevero edicto publicato, Pontificiam religionem amplecti jubet, niſi provinciis ſuis hæreditariis Auſtriacis ejici velint.

Academia Heidelbergenſis d. 1. Novembr. ritu ſolenni, à Carolo Ludovico Electore reſtauratur.

D. 19. Decembris nova ſtella in cœlo adparuit, cujus delineationem in Theatro Europæo tom. 7. fol. 318. videre licet.

ANNO MUNDI 5602. Æræ C. 1653.

B. ☉ 10. ☽ 1. *Ind.* 6.

D. 8. menſis Junii in ſolennibus comitiis Ratisbonenſibus Ferdinandus IV. filius Ferdinandi III. in Romanorum Regem electus coronatur, ne mortuo Cæſare Succeſſor in incerto ſit.

Menſe Februario apud Helvetios in diſtrictu Lucernenſi & Bernenſi ſubditi adverſus magiſtratum rebellionem excitant. Nicolaus Leuenberg Schœnholz Bernas dux ruſticorum rebellium factus eſt.

Caroli Ducis Lotharingiæ milites per agros Leodienſes inſtar Latronum in incolas ſæviunt, ac obvia quæque diripiunt. Quam militis inſolentiam, in duce omnibus ob hanc cauſſam exoſo vindicavit Archidux Leopoldus, capto ſcilicet eo, ac juſſu Regis Catholici, in Hiſpaniam miſſus, ut in carcere culpam lueret.

D. 26. Junii Academia Marpurgenſis, præſente Landgravio Wilhelmo, inauguratur.

In Gallia diſſidia inteſtina adhuc durant. Cardinalis Retenſis in carcere detinebatur, & Mazarinus rogante matre Regina, Lutetiam iterum acceſſitur, & ab ipſo Rege ad primum lapidem receptus, ejuſdem carpento ad regium palatium deducitur.

Naves Anglorum in Dania detentæ movent Parlamentum, ut [illegible]adshavium Hafniam mitteret, qui eaſdem reddi ſollicitaret. Sed Rex Daniæ regeſſit, ſe mirari Anglorum inſolentiam, quod ſe inſcio & invito tanta cum claſſe nuper fretum & littora ſua ingreſſi, ibique tam diu hærere non dubitaverint: item, quod Danicæ naves in Anglia detinerentur. Quapropter Legatus re infecta Hamburgũ diſceſſit.

Cum civitas Bremenſis mandatis Cæſareis, Jus telonii Comiti Oldenburgenſi in Viſurgi conceſſi concernentibus, non ſatisfaceret, anno ſuperiori in bannum declarata fuit. Hoc vero anno die 18. Septembris per ficialem Cæſaris pœna hæc civitati denuntiatur.

In Anglia, menſe Decembri Olivarius Cromwellus, publicis comitiis Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ rerumpubl. *Protector* ſalutatur. In Scotia terræ motu & procellis ortis, ſcopulo ad Dalnetum diſrupto, magnus terræ tractus abrumpitur. Londinum iterum Hollandorum Legati veniunt de pace acturi, quæ tandem inter partes conciliata eſt; cum d. 18. Februarii ante cruento prælio navali decertaſſent.

Menſe Aprilis Islebia Saxoniæ oppidum, D. Martini Lutheri patria incendio ferè deflagravit; ſervatus tamen Lutheri ædibus.

In Boruſſia peſtilentia hoc anno graſſabatur, quæ Dantiſci etiam multos extinxit homines.

In Sileſia non procul Vratislavia latro famoſus Melchior Hedlof dictus gravi ſupplicio afficitur: quod ducentos & viginti quinque ſexûs utriusque homines interfeciſſet, ac filiam ſuam inceſtu polluiſſet.

Lutherani in Auſtria violento modo ad apoſtaſiam compelluntur.

ANNO MUNDI 5603. Æræ C. 1654.

A. ☉ 11. ☽ 2. Ind. 7.

Ferdinandus III. imperator ſubditos, qui Aug. Confeſſioni addicti erant, ex ditionibus hæreditariis expellit, & filii Ferdinandi IV. Regis novi Romanorum obitum præmaturum, qui d. 9. Julii contigit, acerbe luget.

Dux Lotharingiæ Carolus d. 25. in caſtellum Antorfenſe præter opinionem captivus ducitur.

Inſignis hoc anno Eclipſis Solis obſervatur, quæ multos rei aſtronomicæ imperitos terruit.

Dux Condæus partibus Regis in Gallia deſertis, Hiſpanis ſeſe adjungit. Quamobrem majeſtatis reus agitur, & inſignia ejus publicè per carnificem combu-

comburuntur. Marchio Perſanus & Baro Butovillanus, quia contra Regis edictum duello certaverant, in effigie patibulo ſuſpenduntur.

D. 7. Junii Rhemis Ludovico XIV. Regi vix decimum ſeptimum annum ingreſſo, corona ſolenniſſimè imponitur, & Rhemis inungitur ſolenniſſimè. Qui Atrebatum jam arcta obſidione ab Hiſpanis preſſam liberavit, expugnatis Hiſpanorum caſtris & multorum millibus eorum cæſis. At in Italia, non procul Neapoli, clade affecti ſunt Galli, amiſſis octingentis militibus cum Bullierio duce.

In Italia ingenti terræ motu Genua concutitur, fluviiq; ſuperatis ripis ſuis magnam territorii partem inundavere. Interea Joſephus Delfinus archithalaſſus Venetorum viginti quatuor navibus, ſeptuaginta Turcarum triremes aggreſſus profligat feliciter.

In Anglia Regina Henrietta Maria cum filiis Carolo & Jacobo proſcribuntur. Angli autem Duce Segovicio novam Franciam in India occidentali ſui juris faciunt. Cromwellus interea petitur inſidiis, quas cum intellexiſſet Carolus II. Regis filius in Angliam trajecit, ſolium paternum occupaturus. Sed detectis maturè inſidiatoribus, fruſtra fuit conatus Caroli.

Veneti in Dalmatia & Candia fortiter adverſus Turcas belligerant.

In Svecia *Chriſtina* Regina regno ſeſe abdicat, idque in Carolum Guſtavum cognatum ſuum, Ordinum conſenſu transfert, qui Upſaliam magna pompa ingreſſus, regno inauguratur, & dein d. 16. Decembris felici connubio Hedovicam Eleonoram Ducis Holſatiæ filiam ſibi jungit. *v. Theatr. Europ. tom. VII. f.* 636. *ſeqq.*

Poloniam Dux Muſcoviæ infeſtat, & urbem Smolenskoviam capit. Sed Rex Poloniæ conciliatis ſibi Coſaccis, dictam urbem Ruſſis eripit, coſq; regni finibus ejicit.

China ob diſcordias internas, Chinenſium à Tartaris poſt varias ſeditiones ac factiones ſubjugatur.

In Svecia regni Cancellarius Oxenſtiernius, vir ſapientia & rerum geſtarum gloria celebris d. 28. Auguſti, anno ætatis ſuæ LXXI. vivis excedit.

ANNO MUNDI 5604. Æræ C. 1655.
G. ☉ 12. ☽ 3. Ind. 8.

D. 25. Januarii Leopoldo Ignatio, Archiduci Auſtriæ Viennæ homagium præſtatur, & Symbolum ejus, *Conſilio & Induſtria*, numiſmatibus imprimitur.

Magna pars Germaniæ exundantibus paſſim fluviis, aquarum vi obruitur. Albis tanta violentia actus eſt, ut ſcopulos & ſaltus avulſerit ſibi vicinos. Præterea Germaniæ terrorem incutiebat claſſis Svecica & apparatus bellicus contra Polonos comparatus. Juliacenſes, Bergenſes & Clivenſes ditiones primum belli impetum metuebant.

Menſe Auguſto Elector Brandenburgicus cum Ordinibus Fœderatis Belgicis fœdus iniit.

Romæ in locum Innocentii X. Fabius Chigius Sienenſis Pontificis quondam ad Pacis Oſnabrugenſis tractationem legatus à Collegio Cardinalium eligitur Papa, aſſumto nomine *Alexandri Septimi* Fœminas ex aula ſua exeſſe juſſit, ac ſemper pedes incedere ſtatuit; Sed Cardinales hanc modeſtiam improbantes, id tanto faſtigio indignum eſſe cenſuerunt.

Dux Sabaudiæ in Pedemontanus propter diſſenſum à religione Pontificia, inſtinctu Jeſuitarum ſævit, nullâ ſexûs nulla ætatis habita ratione. Ipſi monachi incendia miſcere, militem inſtigare non erubuerunt. Septem hominum millia hac laniena occiſa fuiſſe memorant.

Tandem urgente Cromwello Angliræ Protectore, Dux nominatus ſævire deſiit.

In Eccleſia Romana turbas parit Janſeniſmus, cui in Gallia multi favent.

Apud Venetos defuncto Duci Carolus Contarenus omnium ſuffragiis electus ſuccedit. Qua ſolennitate, cum templum D. Marci, quod propter Ducis obitum, ex more claudi ſolet, aperiretur, tanta vi ac impetu vulgus irruit, ut ſeptuaginta homines obtriti aut ſuffocati fuerint.

Landrecium hoc tempore à Gallis obſidione premebatur, & Rex ipſe, quo ſuis animum adderet, ſeipſum unà cum matre in caſtra contulit, in via ante vitæ periculo perfunctus.

Thomas Sabaudiæ Princeps in Italiam exercitum duxit, Ticinumq; obſedit; at Galeatius Trotus omnes Gallorum impetus fortiter ſuſtinuit; ita ut octo millia Gallorum deſiderarentur.

In Brabantia Franciſcus Lotharingiæ Dux ægrè ferens Condæum ſibi præferri, relictis Hiſpanorum partibus ad Gallos tranſiit.

In Anglia magna claſſis Pennio & Hainio ducibus, in Indiam Occidentalem mittitur, ſed re infeliciter geſta & ſpe ingentis prædæ fruſtrata, redit in Angliam. Contra Blackius in mari Mediterraneo fortiter contra Tunetanos piratas pugnavit. Parem fortitudinis laudem Ruyterus archithalaſſus Batavicus meruit, qui in eodem mari piratarum naves intercepit, & multos Chriſtianos captivos Barbaris eripuit. In Hollandia interim peſtis ultra viginti novem millia hominum extinxit.

In Lithuania Vilna oppidum munitum à Ruſſis captum triſtiſſimum crudelitatis ſpectaculum præbuit.

Lembergam Tranſylvani & Coſacci in ſuam poteſtatem redigunt.

Inter Polonos & Svecos grave bellum exoritur, quod varia fortuna geritur. Sed Sveci rei gerendæ occaſionem aucupantes mox Polonos gravi prælio fundunt, & Cracoviam occupant. Thorunium quoq; in Svecicam poteſtatem venit. Sed Fridericus Landgravius Haſſiæ, qui tribus equitum turmis ſtipatus Regi Sveciæ affini ſuo ſe adjunxerat, à Polonis ſclopeti ictu interfectus eſt, cadavere in fœtidam paludem abjecto.

Interea *Chriſtina* Sveciæ Regina ejurata Lutherana religione, pro cujus aſſertione Pater ejus Heros incomparabilis ſangvinem profuderat, Romanæ ſeſe addixit. In templo Lauretano, Virgini Mariæ coronam, ſceptrum & alias res pretioſas dicavit, poſitoq; proprio nomine, in gratiâ Pontificis *Chriſtina Maria Alexandra* dici voluit. v. Theatr. Europ. tom. all. VII. f. 744. ſeq.

Ferdinandi III. filius Leopoldus Ignatius archidux Auſtriæ, regno Hungariæ magna pompa inauguratur. Major fuiſſet lætitia, niſi mors Eleonoræ imperatricis inſecuta fuiſſet.

Regi Sveciæ d. 24. Nov. in Auguſtæ Domus & regni incrementum naſcitur filius, cui nomen *Caroli* impoſitum,

ANNO MUNDI 5605 Æræ C. 1656.
FE. ☉ 13. ☽ 4. Ind. 9.

Hoc anno Elector Brandenburgicus icto cum

Suecis fœdere, arma ſua cum Rege præter multorum opinionem ſociavit. Hic relicta Boruſſia Zarnetſium Polonorum Ducem aggreſſus eum quidem primo profligavit; at Zarnetſius mox collectis viribus vindicavit damna illata. Elector verò Brandenburgicus Suecis maturè ſuppetias tulit, ut Polonorum crudelitatem erga Suecos uſurpatam ulciſcerentur. Et quia Dantiſcum à Suecis laxa obſidione cingebatur. Batavi claſſem Obdamio archithalaſſo duce in gratiā Dantiſcanorum mittunt. Interim Rex Sueciæ & Elector Brandenburgicus conjunctis copiis, Polonorum exercitum numeroſiſſimum non procul Warſavia aggrediuntur, & ad veſperam uſque ſtrenuè pugnantes victoriam obtinent inſignem.

In Livonia Magnus Dux Moſcoviæ Rigam obſidione cinxit, ingenti ſtipatus exercitu. Quem Rigenſes fortiter repulerunt, accedente amnis Dunæ exundatione & obortis è mari procellis, quæ caſtra Ruſſorum infeſtàrunt, ac ſolvendi obſidionem neceſſitatem attulére.

Italis & Hiſpanis ſuſpecta res videbatur, quod Blackius Anglorum Archithalaſſus cum magna claſſe circà oras Gaditanas conſpiceretur. *Helvetii* Pontificiæ religioni addicti Reformatis Cantonibus negotium armis faceſſebant, quod Legatus Batavorum componere laborat.

Aquisgranum improviſo incendio orto miſerè periit.

Neapoli æſtate hujus anni peſtis horrenda ſævit; adeò ut ante menſem Julium ducenta millia hominum peſte extincta fuerint. Cum deeſſent veſpillones mancipia & remiges triremium mortuos in in foſſas profundas conjecére. Valentia hactenus à Duce Modenenſi obſeſſa & ſtrenuè defenſa, ſe dedere neceſſum habuit, cum fruſtra liberationem circumſpexiſſet.

In Brabantia Johannes Auſtriacus & Dux Condæus conjunctis copiis, Turennium exercitûs Gallicani ducem aggreſſi in fugam vertunt. Quod damnum ut Rex Galliæ reſarciret, nova vectigalia ſalinis imponit, ut novas copias conſcribere poſſet.

Venit hoc anno ex oriente magnus Rabbi Viennam: quem Judæi extra urbem obviam facti, magno adplauſu excipiunt & in urbem comitantur.

Menſe Semptembri in Tameſi Angliæ flumine, quod Londinum præterlabitur, trium horarum ſpacio, æſtûs & refluxus maris obſervatus eſt, refluxus maris obſervatus eſt, quod portenti loco habitum, quia rariſſimè contingit.

Eodem tempore in Anglia nova ſecta innotuit, cujus Promachus Jacobus Nailor, equo inſidens, quem adoleſcens aperto capite ducebat, ingenti Quackerorum turba acclamante; *Hoſanna, Hoſanna, ſanctus eſt Dominus Zebaoth:* non nulli etiam veſtimenta equo ſubſtravere. Aſt verò blaſphemus homo captus & virgis ante cæſus ergaſtulo includitur.

Rex Luſitaniæ Joannes IV. menſe Novembri vita exceſſit; cui filius natu major Alphonſus ſucceſſor datus; qui cum minorennis adhuc eſſet, ſub matris tutela vixit.

Dreſdæ menſe Novembri *JOHANNES GEORGIUS I.* Saxoniæ Elector glorioſiſſimus, Princeps de Imperio & Cæſare inſigniter meritus vita fungitur & in Electoratu ſucceſſorem *JOHAN. GEORGIUM II.* filium primogenitum habet.

ANNO MUNDI 5606. Æræ C. 1657.
D. ☉ 14. ☽ 5. *Ind.* 10.

Bellum à Suecis in Polonia varia nec ſatis proſpera fortuna continuatur. Ragotzius Tranſylvaniæ Princeps à Suecis invitatus, cum exercitu quadraginta millium Poloniam ingreditur. Sed Zarnetſius & Lubomirskius ſtrenui Polonorum duces, eundem profligarunt, attritis planè ejus viribus, quibus inſtructus venerat. Quapropter odium & Imperatoris Turcici, & populi ſui incurrit, exprobrantes ipſi temerè ſuſceptum bellum.

Danus contra Suecos arma movet. Quod cum Rex Sueciæ intelligeret, deſerta Polonia, Dano reſiſtit, miſſo primum Ulefeldio cum exercitu in Holſatiam & Jutlandiam, dein ipſe ſecutus. Mari claſſis Danica & Suecica ferè æquo Marte certârunt; niſi quod naves quædam Danorum malè multatæ prædio exceſſerint. In Scania Dani primum Suecis varia damna attulére: aſt Wrangelius mox occupata Fridrichsœda damna illata vindicavit.

Dantiſcani cum Suecorum progreſſiones in Poloniam variis modis impedirent, aut reprimerent Regis Poloniæ gratiam meruére.

In Germania Epiſcopus Monaſterienſis, homo turbidus & bello natus, urbem Monaſterienſem ſubjicere ſibi meditatur. Ideo fœdus cum Belgis Fœderatis illa pangit. Batavi contrà naves Gallorum in mari mediterraneo piraticam exercentes, claſſem mittunt, quæ injurias ulciſcuntur.

Gerhardus Hulſt Societatis Hollandicæ dux generalis, hoc tempore Columbum Ceilani inſulæ metropolin expugnavit, & ex vulnere accepto periit.

Galli cum Cromvvello, qui oblatam coronam & nomen regium recuſavit, fœdus ineunt offenſivum & defenſivum. Quare Rex & Cardinalis Mazarinus apud Hiſpanos malè audiebant, quaſi hæreticis faverent. At verò Rex inſtinctu Cardinalis, Hugenottas graviter afflixit, ut fidem faceret Papæis, minus ſe favere Hugenottarum religioni.

Imperator cum Rege Poloniæ fœdus offenſivum & defenſivum contra Suecos & Tranſylvanos pangit.

Hiſpani exercitu tripartito Portugalliam invadunt. In Belgio Condæus Princeps Cameracum obſidione liberavit; Johannes Auſtriacus Caletum fruſtrà infeſtat. Hiſpani ſæviunt in captivos claſſiarios Gallos, eosque numero trecentos & ſexaginta funibus ſuſpendunt, addita hac ſuſpenſorum pectoribus inſcriptione: Hoc modo omnes Gallos Hiſpaniarum Regi adverſantes nobisque in mari occurrentes exceptum ibimus. Condæus interim Landreſium expugnat: ſed à Turennio illud deſerere compellitur. Galli in Flandriam irruentes obvia quæque devaſtant.

Jeſuitæ jam quinquageſimum annum extra Venetorum Rempubl. propter malas artes, exulantes, à Venetis certis conditionibus recipiuntur. Qui in Dardanellis triginta & tria Turcarum navigia vel ceperunt, vel combuſſerunt. Regina Sueciæ Chriſtina Fontebellaquei in Gallia, Marchionem Monaldecium, quod ſecreta ſua eliminaſſet, columnæ alligatum per Italum transfigi jubet.

Madriti Regi Hiſpaniarum filius naſcitur, cui nomen *Philippus Proſper* imponitur.

Ferdi-

Ferdinandus III. Imperator d.2. Aprilis vivis excedit, & magnum ſui deſiderium relinquit.

Clerus Gallicanus Hugonottas ſeu Reformatos variis modis, ob diſſenſum in religione infeſtat.

ANNO MUNDI 5607. Æræ C. 1658.
C. ☉ 15. ☽ 6. Ind. 11.

Inter Electorem Bavarum & Palatinum ſeu Heidelbergenſem, de Vicariatu, vacante jam imperio, controverſia gravis oritur. Nam uterque dignitatem illam ſibi competere contendebat. *v. Theatr. Europ. tom. VIII.*

Francofurti ad Mœnum *Leopoldus Ignatius* Auſtriacus demortui Imperatoris filius Hungariæ & Bohemiæ Rex, Romanorum Imperator ſolemni pompa eligitur & coronatur.

Elector. Sax. Joh. Georgius II. cum Francofurtum ad electionem novi Imperatoris veniſſet d.25. Maji, Hanoniæ templi novi Evangelici manu ſua fundamentum ponit.

Sueci hoc anno felicius contra Danos, quàm hactenus contra Polonos pugnant. Nam ducto per glaciem novem milliarium exercitu, inſula Fionia potiuntur. Rex ipſe in Selandiam trajicit, & Hafniam obſidet. Inde Batavi commoti Danis claſſem 40. navium auxilio mittunt; quæ cum Suecis conflixit, eosque mari ſuperavit. Interim Poloni, Cæſar, & Elector Brandenburgicus deſerens fœderis Suecici ſocietatem, hoc anno Suecos ex Holſatia conjunctis copiis excludere parant. Dux Curlandiæ per Præfectum Suecicum Duglaſſium cum uxore Electoris Brandenburgici ſorore captus Rigam verſus ducitur, quod Polonis magis, quàm Suecis favere crederetur.

Varſaviæ in Polonia, hora octava antemeridiana, primum tres, dein quinque Solis facies adparuēre: paullo poſt iris verſicolor inter illos quatuor crucis figuras repræſentans, viſa eſt.

Turcarum Imperator hoc anno Tranſylvaniam invadit. Ragotſius fruſtra contra illum Pontificis R. opem implorat.

Legatus Turcicus Venetias miſſus Candiæ deditionem cum tribus aureorum millibus à Senatu poſcit. Quod cum facere recuſarent Veneti, Imperator Turcicus juravit intra viginti annorum ſpacium nullam de pace mentionem ſe facturum.

Ludovica Friderici Regis quondam Bohemiæ filia, deſerta religione Reformata, in monaſterium Caletenſe ſeſe abdit.

Dunkerkam Galli & Angli obſident, & tandem deditione facta eandem in poteſtatem ſuam redigunt.

Cromvvellus Protector inſidiis petitur, dein balæna ad Granovicum in fluvio Tameſi, præter conſuetudinem viſa terretur: tandem febri tertiana in palatio ſuo extinguitur.

Filius ejuſdem major natu Richardus à Patre ſucceſſor deſignatus, palàm Protector magnæ Britanniæ proclamatur.

Gravelinga & Ipera in Flandria à Gallis occupantur.

Hiſpani duce Ludovico de Haro Luſitanos Pacem Auguſtam obſidione prementes aggrediuntur & profligant. Quam cladem Luſitani mox vindicarunt, Elvam obſidione liberantes.

ANNO MUNDI 5608. Æræ C. 1659.
B. ☉ 16. ☽ 7. Ind. 12.

Exercitus Cæſaris hoc tempore Pomeraniam conjunctis Brandenburgicis copiis invadens, ut Suecorum vires diſtraherentur, vicinis novum bebelli metum incuſſit: præſertim cum Setino caſtra admoverentur.

Cùm Hafnia d.11. Februarii à Suecis fruſtra magno impetu fuiſſet impugnata, & Hagæ Comitis de pace inter duos Reges Septentrionales ſanciendo conſultaretur, Succi ad Neoburgum in Fionia à confœderatis hoſtibus vincuntur, & maximam partem trucidantur, aut capiuntur. Quo nuncio accepto Rex Sueciæ valdè conſternatus eſt.

In Anglia novus Protector Richardus malè audire cœpit. Ideò Rivaſilvius alias Flœdvvood ab exercitu Imperator ſalutatur: Cromvvelli patris ſigillum frangitur & Richardus officio Protectoris removetur, novusque Rex Carolus deſideratur.

In Hollandia nova claſſis in gratiam Danorum paratur: quæ menſe Junio Ruytero duce in fretum Danicum adpulit.

Batavi in India Luſitanos vincunt, & inſula Ceilan expellunt.

Poloni in Boruſſia Suecis occupatas urbes eripiunt. Dein in cœnobio Olivano non procul Dantiſco, de pace Suecos inter & Polonos agi cœptum eſt.

Inter Gallos & Hiſpanos pax Pyrenæa concluditur & Regis Hiſpanorum filia natu majore à Ludovico XIV. Rege Galliæ in matrimonium ducta, confirmatur.

Sub finem hujus anni Conſtantinus Waivvoda in Valachia à Tartaris magna clade affectus eſt.

Magnus Moſcoviæ dux arcem Grodno expugnat.

Alexander VII. Papa feria 5. d.21. Auguſti in congregatione Generali damnat librum inſcriptum *Apologia caſuiſtarum* &c. (Gallice, *Apologie pour les caſuiſtes contra les Calomnie des Janſeniſtes* &c. Par *un Theologien & Profeſſeur en droit Canon. à Paris M.DC.LVII.*)

ANNO MUNDI 5609. Æræ C. 1660.
AG. ☉ 17. ☽ 8. Ind. 13.

Inter Suecos & Polonos d.3. Maji Pax ſolenniter concluditur. Inde d.27. ejuſdem menſis Danos inter & Suecos quoque pax facta eſt. *v. Theatr. Europ. tom. VIII. circa finem.*

Hoc anno in Germania ob impetratam pacem per orbem Europæum celebratur jubilæum. Urbs Monaſterienſis ſuperiori anno à Judicio Aulico, damnata & à Batavis deſerta, jugum ſubire Epiſcopi ſui jubetur.

D.4. Aprilis Enno Ludovicus Friſiæ orientalis Princeps, equo inter venandum delapſus moritur.

Erfurtenſes à Commiſſario Cæſario denuò admonentur, ut pro Electore Maguntino preces publicas fundant: quod facere recuſarunt.

Menſe Decembri tanta ventorum vis per Germaniam ſæviit, ut ædificia corruerint, Sylvæ & arbores radicibus evulſæ disjectæ undique conſpicerentur.

Menſe Decembri tanta ventorum vis per Germaniam ſæviit; ut ædificia corruerint, ſylvæ & arbores radicibus evulſæ disjectæ undique conſpicerentur.

In Gallia poſt factam pacem Pyrenæam ſponſa Regia, Maria Tereſia Regis Hiſpaniæ filia magna pompa excipitur. Sed Aurelia urbs ad ducem Arauſionenſem ſpectans, à Rege occupatur, & mœnibus nudatur.

Hiſpani hoc anno bellum contra Luſitanos feliciùs continuant, diſſipatis Maurorum copiis, quæ à Luſitanis in auxilium vocatæ fuerant.

Rex Carolus in exilio degens d. 14. Aprilis ad Anglos literas Bredæ datas mittit, quibus ſe veniam indulturum eſſe omnibus pollicetur, ſi regium Imperium ſubire velint.

Inde habitis prius conſiliis, ex Hollandia ſolenniter in regnum paternum revocatur. Inde Epiſcopi ante Cromvvelli tempora abrogati reſtituuntur, & de autoribus regicidii ſupplicium ſumitur.

D.23. Febr. Rex Sueciæ Carolus Guſtavus varia belli fortuna fatigatus moritur. Die autem 28. Maji, pax Hafnienſis concluditur cum Danis; quorum Rex Fridericus III. ab Ordinibus Regni ſui obtinuit, ut ex electitio paterentur hæreditarium fieri.

Pax memorata *Olivenſis* è monaſterio Bruſſiæ Oliva ſic dicitur: ac inter Suecos, Polonos, Imperatorem & Brandenburgicum Electorem coaleſcit.

In Boruſſia magna fames affligit homines, partim ob peſtis partim ob belli calamitatem antegreſſam.

In Tranſylvania Georgius Ragozius in prælio contra Turcas invaſores occumbit, & Waradinum celeberrimum fortalitium Turcis cedit.

Conſtantinopoli 60000. ædificia incendio conſumuntur.

ANNO MUNDI 5610. Æræ C. 1661.
F. ☉ 18. ☽ 9. Ind. 14.

Epiſcopus Monaſterienſis urbe ſupra dicta occupata, eandem propugnaculis nudat.

In Gallia d. 15. Martii moritur Cardinalis Mazarinus, qui Regem hæredem ſuum ſcripſerat.

Legatus Gallicus de Eſtrada cum Hiſpanico Batavilleo de præcedentia Londini contendit: ſed hic diſſectis rhedæ illius furibus, iſtum prævenit; quod Regi Galliæ maximè diſplicuit.

Die omnium Sanctorum Regi Flius, Ludovicus XV. poſteà dictus, naſcitur.

In Hiſpania verò d. 6. Novembr. Carolus, quinto poſt patris obitum die, naſcitur & *Philippus Proſper* appellatur.

Romæ Borrius, celebris Chymicus & Scepticus ob hæreſin damnatus, in imagine hoc anno crematur: Sed poſtea captus carceri perpetuo mancipatur.

Coſmus, Magnus Florentiæ Dux d. 19. April. Margaretam Loyſam Gaſtonis Ducis Aurelianenſis filiam in matrimonium ducit.

Elector Colonienſis á Batavis poſtulat reſtitui ſibi Rheinbergam.

Ipſi cum Luſitanis pacem concludunt, & Barbaris in Inſula Formoſa cedere coguntur novam Selandiam. Sed Angli Batavis in Guinea Africæ prope viride promontorium, imperium eripere conatur. In Anglian interim conjuratio adverſus Regem & urbem Londinenſem ſuſcepta detegitur. Cromvvelli cadaver erutum publicè ſuſpenditur, capite ad turrim Weſtmonaſterienſem affixo.

Regi Angliæ ſpondetur Catharina Regis Luſitaniæ ſoror, & dotis loco promittitur fortalitium Africæ Tanger. Menſe Majo Rex coronatur. Junio pactum ſtatus Eccleſiaſtici olim Regi extortum, & Præsbyterianis favens, per carnificem comburitur. Sueci pacem cum Ruſſis factam confirmant, ſe poſitis tantiſper controverſiis de finibus.

Zarnetſius dux Polonicus generalis Ruſſos profligat. Sed in Hungaria metuitur Turca, qui adverſus illam bellum parabat.

Caſſelis colloquium de concordia Eccleſiaſtica inter Theologos Rintelenſes & Marpurgenſes habetur. Cujus eventus fuit Syncretiſmus inter Lutheranos & Reformatos initus, quem Wittebergenſes Theologi publico ſcripto damnant.

ANNO MUNDI 5611. Æræ C. 1662.
E. ☉ 19. ☽ 10. *Ind.* 15.

In comitiis Ratisbonenſibus de exiliis Cæſari adverſus Turcam mittendis deliberatur.

Paſſavia ad Danubium perit incendio.

D.20. Maji vita excedit Wilhelmus, Dux Saxo Vinarienſis.

Rex Galliæ cum Duce Lotharingiæ pactum init, quo inter Principes regii ſanguinis recipitur, & Regi omne jus in Lotharingiam tranſcribitur.

Dunkerka portus Flandriæ, quem Angli poſſederant, creditur Regi Galliæ datis quinque florenorum millionibus.

Rex Angliæ d. 21. Aprilis ſponſam ſibi jungit Regis Portugalliæ filiam, & cum Batavis ſuper variis controverſiis tranſigit.

Legato Suecico ſolenni ad Imperatorem miſſo, ut confirmationem feudorum Germania obtineret, denegatur ſolennis in urbem Viennenſem introitus: quia veniret tanquam Vaſalli, non verò Regis nomine.

In Polonia confœderati conſpirant adverſus Patzium Pro Cancellarium Regium, quod Ducem de Engvin, Reginæ ex ſorore nepotem ſucceſſorem Regis vellet.

In Ruſſia cives ſeditionem cient ab monetam adulterinam.

Romæ legatus Gallicus, Dux Crequius à Corſis, quod eſt militum genus violatur: nam ædes ejus, & uxorem rheda vectam invadebant. Ideo Legatus diſceſſit, & injuriam Regi expoſuit.

Veneti menſe Septembri Turcis victoriam extorquent. Turca verò excluſo Kemini-Janos Tranſylvaniæ Principem Michaelem Abaffy conſtituit.

Horrenda aquarum inundatio multis urbibus cladem, & agris ſterilitatem attulit.

Elector Brandenburgicus in Marchia edictum publicat, quô Lutheranis doctoribus interdicitur elenchus nominalis hactenus contra Reformatos uſurpatus. Quæ res Eccleſias Marchicas turbavit.

ANNO

ANNO MUNDI 5612. Æræ C. 1663.
D. ☉ 20. ☽ 11. Ind. 1.

Epiſcopus Monaſterienſis per ſtrategema occupat fortalitium Eyderanum. Chriſtianus Dux Megapolitanus lineæ Suerinenſis in Gallia, ejuratu Lutherana Religione, amplectitur Pontificiam.

Menſe Decembri, Imperator ſponſalia cum Margareta Hiſpanica celebrat, & Erfurtenſes banni pœna afficit: quia Fecialem Cæſareum in cauſa Electoris Moguntini venientem d.8. Octobris ex equo deturbarant, & Conſulem Limbrechtum d. 30. Novembr. capite truncârant.

Rex Galliæ cauſſam Parmenſem adverſus Papam agit, ac reſtitutionem ducatus Caſtri, anno 1644. ſub prætextu debitorum ereptum, arget. Civitatem Avenionenſem in Gallia juris aliàs Pontificii, ob læſum Romæ legatum ſuum occupat.

Waldenſes in Sabaudia crudeli more habentur propter diſſenſum in religione. Hollandi in eorum gratiam eleemoſynas colligunt.

Johannes Auſtriacus in Luſitania capit Eboram, & graviſſima clade afficitur.

Cornificius Uhlefeldius Regis Danici miniſter primarius, conſpirationis adverſus Regem reus fuga ſibi conſulit.

D.10. Octobris Johanni Georgio III. Electorali Saxoniæ Principi Anna Sophia Daniæ Regis filia primigenita deſpondetur.

Electori Brandenburgico Frid. Wilhelmo poſt impetratum ſupremum jus Principis, Regiomontani d. 28. ſolenne præſtant homagium.

Turcæ Hungariam & Moraviam devaſtant; Neuheuſelium diu obſeſſum per deditionem capiunt. Nicolaus Comes Serini Turcas ad Caroloſtadium, & ad Muram fluvium clade afficit.

Romæ caſtellum Angeli fulmine tangitur, quo inſignia Pontificis deformantur.

Sub anni hujus exitum cometa fulgentem trudens caudam adparuit.

ANNO MUNDI 5613. Æræ C. 1664.
CB. ☉ 21. ☽ 12. Ind. 2.

In Comitiis Ratisbonenſibus præſente Imperatore de auxiliis adverſus Turcam comparandis deliberatur. Interim Carolus Joſephus, imperatoris frater unicus adhuc ſuperſtes moritur.

Cui quoad dignitatem Magiſtri ordinis Teutonici ſuccedit Caſparus de Ambringen.

Auguſtus Dux Saxoniæ Adminiſtor Magdeburgenſis d.11. Novembris erigit Gymnaſium Weiſenfelſæ, à nomine ſuo Auguſteum dictum.

In Gallia foſſa inchoatur, unde connexis fluviis, naves ex mari mediterraneo in oceanum transvehi poſſent. Galli interim caſtellum in Africa Gigerus occupant: ex quo tamen poſteà à Barbaris ejiciuntur.

Rex cum Papa pacem Piſis concludit: quia Chiſius Legatus à latere Lutetiam venerat deprecatum injuriam Legato Gallico Romæ illatam, ideò Avenio Pontifici reſtituta fuit. Rex etiam Imperatori copias auxiliares adverſus Turcas in Hungariam miſit. Quapropter Legatus Gallicus Conſtantinopoli in carcerem conjectus fuit. In Hungaria hoc anno Turcæ quatruplici clade afficiuntur: graviſſima fuit ad S.Gothardum d.22. Julii.

Comes Serinius interim pontem Eſſekienſem deſtruxit. Sed in medio victoriæ curſu d.10. Auguſti pax indignantibus Hungaris, cum Turcis concluditur.

In Polonia Georgius Lubomirskius Regni Mareſchallus tanquam autor confœderationis adverſus Regem condemnatur ad graviſſimam pœnam. Sed ipſe contra latam ſententiam arma opponit.

Fortalitium Eyderanum à Monaſterienſi epiſcopo interceptum a Hollandis recipitur.

Menſe Januario Eclipſis ſolis contigit, quam pauci Calendariographi annotaverant. Sed menſe Decembri cometa exarſit novus.

ANNO MUNDI 5614. Æræ C. 1665.
A. ☉ 22. ☽ 13. Ind. 3.

Chriſtianus Ludovicus Dux Lunæburgenſis d. 15. Martii Cellæ vivis exceſſit. Circa ſucceſſionem fratres tranſigunt, ut Georgius Wilhelmus Cellam; Joh. Fridericus Pontificiæ religioni addictus, Hanoveranum Ducatum acciperet.

Sigismundus Franciſcus Archidux Oenipontanus moritur. Inde comitatus Tyrolenſis ad Imperatorem hæreditatis titulo redit.

Elector Moguntinus Palatino propter Ladenburgum ad Nicium, & jus Wildfangiatus turbas movet.

Sileſiæ ducatus Oppel & Ratibor hactenus oppignorati Polonis, ſoluto pretio à Cæſare redimuntur.

Dux Holſatiæ Gottorpienſis Chriſtianus Albertus d.5. Octobris Academiam Kilonienſem ſolenniter inſtituit.

Menſe Julii Gotha magno incendio deformatur.

In Gallia edictum adverſus Janſeniſtas à Rege per Parlamentum confirmatur: Sed infallibilitatem Papæ, ejusque autoritatem ſupra concilium, Sorboniſtæ admittere nolunt. Dux Beaufortius adverſus piratas maris mediterranei educit claſſem.

Cùm d.15. Septembris Philippus IV. Rex Hiſpaniæ moreretur, Carolus II. filius quatuor annorum ſucceſſit: Sed Rex Galliæ Belgium Hiſpanicum ſibi propter jus devolutionis in Brabantia uſitatum debere contendit. Inde novi belli ſemina. Dux Sabaudiæ Carolus Emanuel ſibi jungit Mariam Johannam de Namour, è Sabaudica gente itidem oriundam, principis Kemoroſii in Gallia hæredem.

Rex Angliæ Batavis menſe Februario bellum indicit. Parlamentum propter peſtem Londini graſſantem, Oxonium transfertur. Batavi interim Anglorum manufacturas (ut loquuntur) prohibent.

D.3. Junii prælio navali decertatur quo Batavi amiſſis multis navibus & archithalaſſis ſuccumbunt.

Terrâ propter dominium Borkelo ab Epiſcopo Monaſterienſi impugnantur.

Arauſionenſi Duci à Gallo urbs Orange reſtituitur.

In Polonia Lubomirskius per nobiles ſibi addictos comitia abrumpit. Arabes ingenti tumultu Mecham occupant. Sed Judæorum vanam Meſſiæ expectationem eluſit novus Pſeudo-Meſſias Smyrnæ exurgens, qui in carcerem conjectus Turcicam ſuperſtitionem aſſumſit & Muhammedanus factus eſt.

ANNO

ANNO MUNDI 5615. Poſt C. N. 1666. C. ☉ 23. ☽ 14. Ind. 4.

Electori Palatino, propter cauſſam Wildfangiatus, vicini Epiſcopi cum duce Lotharingico negotium faceſſere non deſiſtant.

Urbs Magdeburgenſis d. 14. Junii Adminiſtratori Auguſto Duci-Saxoniæ & ſimul Electori Brandenburgico homagium dicit.

Menſe Decembri Margareta Tereſia Imperatoris ſponſa ex Hiſpania Viennam venit: ubi nuptiæ confirmatæ ſunt.

In Gallia adverſus Anglos declaratur bellum. D. 20. Jan. mater Regis Anna Maria Hiſpanica moritur. Lutetiæ autem ordinantur novæ vigiliæ accenſis per omnes plateas ignibus, ut nocturna impedirentur latrocinia.

Rex Portugalliæ Alphonſus à Gallia accipit ſponſam Mariam Franciſcam duciſſam Aumaliæ è domo Sabaudica.

Legatus Anglicus inter Hiſpanos & Luſitanos partes Mediatoris agit, & pacem urget. Londini autem d. 12. Septembr. incendio coorto magna pars urbis deflagrat.

Civitas Bremenſis tranſigit cum Suecis ſuper juribus libertatis, & promittit, ſe uſque ad annum Chr. 1700. à ſeſſione in comitiis ac titulo liberæ ac imperialis civitatis titulo abſtinere velle.

Lubomirskius nixus favore militum & nobilium conciliatur Regi: hac tamen lege, ut extra Regni fines degat. Qui ſequenti anno Uratislaviæ mortuus eſt.

Turca Imperatori Rom. donat bibliothecam Ludovici Regis Hungariæ.

Epiſcopus Monaſterienſis cum Batavis paciſcitur, & dynaſtiam Borckeloenſem reſtituit. Interim d. 11. Junii ferè per quatriduum pugna navali cum Anglis decertarunt: penes quam partem victoria ſteterat incertum erat. Sed d. 4. Auguſti Hollandi denuò cum Anglis colliſi fugiunt.

ANNO MUNDI 5616. Æræ C. 1667. F. ☉ 24. ☽ 15. Ind. 5.

Bellum ex cauſſa Wildfangiatus ortum arbitris Gallo & Sueco d. 7. Febr. componitur; confirmato Electoris Palatini jure antiquo.

In Comitiis Ratisbonenſibus Princeps Friſiæ orientalis ad votum & ſeſſionem in Senatu Principum admittitur. Imperatori d. 18. Septembr. naſcitur filius Ferdinandus dictus.

Dux Sabaudiæ cum Mantuano de vicariatu Rom. imperii per Italiam controvertit, & genevenſibus movet turbas, quibus Helvetii intercedunt. Candia à Turcis adhuc obſidetur & premitur.

Gallus Hiſpanis in Belgio indicit bellum, quod ſucceſſionem ex jure devolutionis, (ut ferebat) debitum denegarent. Hiſpani ad bellum imparati multas urbes amittunt.

Regni Danici hæres Chriſtianus Princeps Charlottam è domo Haſſo-Caſſelenſi d. 26. Junii ſibi jungit in matrimonium.

Anthonius Guntherus ultimus è Comitibus Oldenburgicis vita excedit. Inde inter Regem Daniæ & Ducem Gottorpienſem contentio de ſucceſſione orta. Laudatus Dux Chriſtianus Albertus d. 24. Octobr. Fridericam Amaliam Regis Daniæ filiam ſibi copulat.

Ruyterus, Admiralis Hollandorum, claſſe ad Oſtium Tamiſis adducta Anglos vexat, & præda potitur. Sed d. 13. Julii Bredæ inter Anglos & Batavos pax initur: qua ſimul Galli & Angli conciliantur.

Principe Arauſionenſi in conſilium aſſumto abrogatur Gubernatoris functio.

Alexander VII. Pontifex d. 12. Maji moritur: cui Julius Roſpiglioſi, aſſumto nomine *Clementis IX.* ſuccedit. Cujus electionem cùm Chriſtiana Regina Sueciæ Hamburgi ſolenniter celebrare vellet, plebs furioſa ædibus in quibus degebat, ruinam minitabitur.

D. 10. Maji Regina Poloniæ factionis Gallorum tutrix moritur. Sed d. 18. Junii conjux Electoris Brandenburgici ex domo Arauſionenſi orta, vivere deſiit.

ANNO MUNDI 5617. Æræ C. 1668. E D. ☉ 25. ☽ 16. Ind. 6.

Viennæ nova mercatorum ſocietas commerciorum cauſſa per Danubium in Turciam exercendorum ſtabilitur.

Menſe Januario, Imperatoris filius, anno ſuperiori natus, vita excedit.

Maximilianus Electoris Bavariæ frater è domo Bullionenſi Mauritiam Febroniam Menſ. Aprilis ducit uxorem. Elector verò Brandenburgicus d. 14. Jun. cum Dorothea Chriſtina, vidua Chriſtiani Ludovici Ducis Lunæburgici relicta nuptias celebrat.

Dux Lotharingiæ & Elector Palatinus propter duo caſtra Landſtuhl & Hoheneck inter ſe contendunt. Quæ controverſia à Cæſare Marchioni Badenſi Judici camerali, tanquam arbitro permittitur. Guſtavus Adolphus Marchio lineæ Durlacenſis fit Albas Fuldenſis.

Dresdæ d. 18. Octobris Principi Electorali naſcitur filius *Johannes Georgius IV.*

D. 21. Novembr. moritur Adolphus Wilhelmus Dux Saxo-Iſenacenſis.

Johannes Fridericus Dux Lunæburgo-Hannoveranus è Gallia ducit uxorem Principiſſam. Palatinam.

Galli occupant comitatum Burgundiæ. Delphinus Regis filius primogenitus d. 24. Martii ſolenni ritu & pompa baptizatur, indito nomine Ludovici omnium ſanctorum.

Papa R. à Rege impetrat, ut pyramis ignominiæ cauſſa, adverſus Corſos legatum Gallicum violantes 1664. erecta, fuerit amota.

D. 4. Maji pax inter Gallos & Hiſpanos concluditur, reſtituto Hiſpanis Burgundiæ comitatu, & relictis Gallis, quæ in Belgio occupata fuerant.

D. 3. Auguſti Regi Galliæ filius naſcitur ſecundus cui nomen Philippus impoſitum, titulo dato Ducis Andegavenſis.

Comes Turennius Hugonottarum in Gallia hactenus Patronus, ad Pontificios ſenectute jam extrema deficit.

Luſitani menſe Martio, cum Hiſpanis paciſcuntur, & libertatem ut regnum abſolutum, poſt diuturnum bellum, obtinent.

Petrus Alphonſi Regis frater diſpenſante Papa, & fratris adhuc viventis uxorem & regnum, nomine *Regentis* aſſumto accipit.

Triplex fœdus ab Anglis Suecis & Batavis pangitur, ut pax Pyrenæa & Aquisgranenſis conſervari queat.

Spar-

Spargitur figmentum de inſula Pines, quam Anglus quidam ductis quatuor mulieribus, magno liberorum & nepotum numero repleviſſet.

D.28. Januarii Lundini Scanorum nuper à Danis accepti nova Academia erigitur: ad quam ornandam Samuel Puſendorfius ex Academia Heidelbergenſi evocatur.

Johannes Caſimirus Rex Poloniæ d.16. Sept. regno ſeſe abdicat, in Galliam diſceſſurus, ut quiete fruatur.

Comes Benthemenſis religionem Pontificiam inſtinctu Epiſcopi Monaſterienſis amplectitur: Conjux verò ejus de eo certior facta, Batavis committit liberos educandos, ne Patris diſciplina corrumpantur.

ANNO MUNDI 5618. Æræ C. 1669.
C. ☉ 26. ☽ 17. Ind. 7.

Imperatori d.18. Jan. naſcitur filia Maria.

Elector Brandenburgicus tranſitum ex Viadro in Albim fieri curat; & menſe Majo Filium Philippum Wilhelmum in Boruſſia ex nova conjuge ſuſcipit.

Salisburgi d.16. Julii mons diſruptus corruens, multas ædes obruit, ac incolas plusquam 500. opprimit.

Wilhelmus Landgravius Haſſo-Caſſelenſis moritur; ſed Adolphus Johannes Comes Palatinus Oberbrunnam comitis Leiningenſis, novo diffidationis exemplo obruit, diripit, ac in Sueciam diſcedit.

Elector Palatinus cum Lotharingo conciliatur.

Fridericus Dux Saxoniæ, Erneſti Saxo-Gothani filius primogenitus virtutum paternarum hæres, ducit Magdalenam Sibyllam Auguſti Ducis Saxo-Hallenſis filiam. Die verò 9. Decembr. Anna Mariæ laudatæ novæ conjugis mater vita excedit.

Smiedebergæ in vico prope Wittebergam ſito incendium terræ iſtius obſervatur.

Candia, quam Veneti jactura magna auri & hominum tribus abhinc annis fortiter defenderunt, Turcis per deditionem relinquunt; retinentes in in inſula Sudam, Spinalongam, Carabuſam, & non procul abinde Tine & Cerigo.

Romæ d.9. Decembr. *Clemens IX.* Pontifex moritur. In Sicilia mons Ætna terræ motu concuſſus, flammas emittit, ac ſulphureum quaſi fluvium.

Dux de Vermandois filius Regis Galliæ naturalis ex Valieria ſublatus puer trium annorum, à Rege declaratur Admiralis regni Gallici. Menſe autem Septembri, Henrica Maria hodierni Regis Angliæ mater Henrici IV. filia moritur.

Alphonſus depoſitus Rex Luſitaniæ in inſulam Terceram deportatur. Interim uxor ejus fratri in matrimonium data d.6. Jan. parit filiam Iſabellam Mariam. Poloni d.29. Junii Michaëlem Wieſenovvieky principem regni illuſtrem eligunt Regem.

Menſe Octobri, oppidum Archangeli in Ruſſia celebre incendio perit.

In Hungaria Buda olim Regum ſedes ſimile infortunium patitur.

Vagabatur hoc tempore per Principum aulas impoſtor Johann. Michaël Cigula, qui ſe imperatoris Turcici agnatum ferebat: quod à multis creditum eſt.

ANNO MUNDI 5619. Æræ C. 1670.
B. ☉ 27. ☽ 18. *Ind.* 8.

D.XII. Maji Principi Electorali Dresdæ naſcitur alter filius, *Fridericus Auguſtus.* Sed d.12. Junii moritur filia Electoris unica, nupta Chriſtiano Alberto Marchioni Baruthino.

Judæi menſe Julii Vienna expelluntur, Synagogis in templa converſis.

Lotharius Fridericus Baro de Metternich, Epiſcopus Spirenſis fit Coadjutor Moguntinus.

Decem civitates Alſatiæ, ſalva libertate ſua, Regi Galliæ promittunt homagium præſtare.

Hœxtera civitus Abbatiæ Corbeienſis ab Epiſcopo Monaſterienſi affligitur: Sed Dux Brunſvicenſis eandem defendit, donec ſequenti anno gratiæ Epiſcopi relinquitur.

Menſe Novembri, Wilhelmo Landgravius, mortui nuper Wilhelmi Caſſelenſis filius, Pariſiis vita excedit.

Comites Serini, Nadaſti, Frangipani & Johann. Ferdinandus Tettenbachius accuſantur conſpirationis adverſus Cæſarem: ideò carceri includuntur, ut capitis ſupplicium ſubeant.

Comitatus Reinſteinenſis in diſtrictu Halberſtadienſi, quem Tettenbachius Majeſtatis læſæ reus amiſerat, ab Electore Brandenburgico, invito Duce Brunſvicenſi occupatur.

Dux Crequius juſſu Regis Galliæ, ne bello quidem denunciato, ducatum Lotharingiæ occupat, & in formam provinciæ Gallicæ redigit. Cauſſa prætexebatur, quod Dux Lothar. contra pacem Pyrenæam aluiſſet militem.

Fœdus triplex inter Regem Angliæ; Sueciam & Fœderatos Belgas certis conditionibus perficitur, quod diſſolvere Galli multis machinis tentant.

In Dania Rex Fridericus III. d.9. Febr. vitam finit: cui filius Chriſtianus V. ſuccedit.

Rex Poloniæ novus Mariam Imperatoris Leopoldi ſororem ſibi d.27. Maji ſolenniter collocat: quæ poſteà d.19. Octobr. coronata fuit.

In Ruſſia magnas turbas excitat famoſus rebellis, Stephanus Razin, regnum Aſtracanum occupans.

Batavi merces Gallicas importari prohibent, quia Rex Galliæ illorum merces gravi telonio oneraſſet. Inde belli cauſa atrocis data.

In Italia d.29. April. Æmilius Altieri fit Pontifex, aſſumto Clementis X. nomine. Sed d.24. Maji Ferdinandus II.

Dux Florentiæ moritur, relicto ſucceſſore filio Coſmo, variis per Europam intineribus noto.

ANNO MUNDI 5620. Æræ C. 1671.
A. ☉ 28. ☽ 19. Ind. 9.

Brunſviga urbs à Ducibus Brunſvicenſibus d.11. Junii præter opinionem obſidetur, & debitione

facta in obſequium Principis Brunſvigo-Wolferbytani redigitur.

Chriſtianus Erneſtus Marchio Baruthynus Sophiam Ludovicam Eberhardi Ducis Wurtenbergici filiam ducit in matrimonium.

Carolus Electoris Palatini filius dignitatis Electoralis hæres, Regis Daniæ filiam Wilhelmam Erneſtinam ſibi deſponſat.

Johannes Adolphus Dux Sax. d. 22. Octobris cum Johanna Magdalena ex domo Saxo-Altenburgica, nuptias celebrat magnificas.

Eliſabetha Charlotta Electoris Palatini filia menſe Nov. elotatur Duci Aurelianenſi in matrimonium, & religionem Pontificiam ſimul amplectitur. Electori Saxoniæ Joh. Georgio II. à Rege Angliæ confertur inſigne Periſcelidis.

Elector Colonienſis fœderi Gallico innexus, à Batavis Rheinbergæ reſtitutionem poſtulat.

Hiſpani inter Sanctos referunt Ferdinandum III. Caſtiliæ Regem anno 1252. mortuum; & cum noctu ignes miſſiles excitarentur, Eſcuriale S. Laurentii Monaſterium à Philippo II. viginti millionibus auri exſtructum corripitur, incendium per aliquot dies duravit.

Rex novus Daniæ d. 7. Junii Fridericoburgi ſolenniter coronatur: cui d. 11. Octobr. filius natus primogenitus Fridericus.

In Hungaria Proteſtantibus auferuntur templa & paſtores in exilium mittuntur.

Poloni arma parant adverſus Turcas. Roxolaniæ ſive Ukraniæ imminentes. Pontifex R. Luſitaniæ Regem ut liberum Principem agnoſcit & & miſſo nuncio honorat.

ANNO MUNDI 5621. Æræ C. 1672.
GF. ☉ 1. ☽ 1. Ind. 10.

Johannes Hugo de Orsberck Decanus Eccleſiæ cathedralis Spiræ fit coadjutor Trevirenſis.

Auguſtus Dux Sax. Magdeburg. Adminiſtrator Johannam Walpurgin Comitiſſam Leiningenſem d. 11. Febr. ſibi deſpondet.

Chriſtianus Dux Lignicenſis d. 17. Febr. moritur.

D. 4. April. Fridericus Wilhelmus Dux Saxo-Aldenburgicus ex vivis exceſſit: Cui Dux Saxo-Gothanus Erneſtus ſucceſſit, parte hæreditatis Fratribus Vinarienſibus relicta.

Elector Brandenburgicus d. 14. Januarii auctus fuerat filio Alberto Friderico, jam d. 30. Decembr. novum tollit filium Carolum Philippum.

Rex Galliæ diſſoluto fœdere triplici quod vocabatur, adverſus Batavos Fœderatos bellum decernit, & menſe Junii cum fœderatis Epiſcopis Colonienſi, & Monaſterienſi eoſdem invadit proſpero ſucceſſu: nam intra menſis ferè ſpatium tres provincias occupant, Amſtelodamo, Hollandiæ metropoli jam imminens.

Batavi ad bellum imparati cum jactura urbium & provinciarum, etiam ſeditionibus internis turbantur. In quibus fratres Wittii libertatis popularis defenſores d. 20. Auguſti à plebe furente in partes conciduntur. Princeps autem Auriacus avitam dignitatem obtinuit, & ſupremus belli Capitaneus declaratus fuit.

Rabenhauptius d. 20. Decembr. nocturno ſtrategemate uſus Cœverdam ab Epiſcopo Monaſterienſi interceptam, eidem eripit, Batavisque primam victoriæ ſpem oſtendit. Cum antea Grœningam fortiter adverſus dictum Epiſcopum defendiſſet.

Rex Angliæ Hollandorum claſſem Smyrna venientem cum fruſtra intercipere tentaſſet, bellum adverſus Batavos declarat. D. 28. Maji Angli & Batavi ancipiti fortuna mari pugnant, ſed Ruyterus Archithalaſſus, cum duas magnorum Regum claſſes vincere nequiret, ad Seelandiæ littus ſeſe recipit.

Imperator & Elector Brandenburgicus cum Batavis fœdus ineuiit, & educto exercitu inſtructiſſimo per Haſſiam, Gallum terrent, qui Turennium ex Belgio ad obſervandos horum conatus revocavit.

Johann. Caſimirus Rex Poloniæ d. 16. Decemb. ubi abdicato regno, quietem quæſiverat, vita excedit.

Poloni inter ſe diſcordes, poſt celeberrimum Podoliæ propugnaculum Caminieciam cum Podolia amiſſam d. 18. Octobr. pacem cum Turcis pudibundam ineunt.

Proteſtantes in Hungaria indies magis premuntur, occupato militum armata manu Gymnaſio Polonienſi, & ſacerdotibus in exilium ejectis, vel ad triremes damnatis.

In Italia horrendus terræ motus oppidum Rimini, ſeu Ariminum evertit. Regi Daniæ d. 22. Novembr. filius Chriſtianus Wilhelmus naſcitur.

Petrus Grotius antea Ordinum Fœderatorum in Gallia legatus, proditionis reus aufugit ex Belgio.

ANNO MUNDI 5622. Æræ C. 1673.
E. ☉ 2. ☽ 2. Ind. 11.

Johannes de Labadie, qui novam ſectam, aſſumtâ inter varios ſocios, Maria Schurmanniâ virgine ob eruditionem inter Batavos celebri, Altonæ moritur.

Margareta Tereſia Cæſaris uxor d. 12. Martii vivis excedit.

Elector Brandenburgicus d. 29. Maji cum Rege Galliæ & duobus Epiſcopis Colonienſi & Monaſterienſi pacem init particularem; cùm Rex antè præſtitiſſet Electori ſatisfactionem, & reſtituiſſet loca Batavis erepta, quæ ad Ducatum Clivenſem pertinent.

Elector Trevirenſis præſidia Cæſaris in Caſtellum Rheni Confluentiæ oppoſitum Ehrenbertſ Petram recipit. Inde Gallus invitatus Archiepiſcopi dicti terras miſerè diripit, & d. 30. Auguſti Auguſtam Trevirorum per deditionem occupat.

Impe-

Imperator permotus Svecicorum Legatorum Puſendorſii & Oxenſtierni autoritate conſentit, ut Coloniæ Agrippinæ conſultationes pacis inter Gallos & Batavos conciliandæ inſtituantur. Ipſe interim Egram ſe confert cum Elect. Sax. & aliis Principibus de Germania defendenda conſultaturus. Nam Turennius, exercitus Gallicani dux celebris in Franconiam usque progreſſus erat.

Imperator d. 22. Julii Germanos ſub Rege Galliæ ſtipendia merentes, ſub pœna amiſſionis bonorum, domum revocat: Fœdus cum Hiſpanis, Batavis & aliis Principibus imperii contra Gallos pangit, atque id. ò Legatum Gallicum Gremonvillæum Viennæ reſidentem diſcedere jubet.

Imperator d. 15. Octobr. ad ſecunda vota tranſit, Claudiam Felicitatem Archiducis Oenipontani filiam ſibi copulans. Wilhelmus Ludovicus Dux Würtenbergicus Magdalenam Sibyllam è domo Darmſtadienſi ducit.

Elector Palatinus ſuccedit Ludovico Comiti Palatino in Simmern, qui menſe Decembr. ſine hærede deceſſerat.

Landgravius Haſſiæ Darmſtadienſis in comitiis Ratisbonenſibus conqueritur de gravi damno per hoſpitationes militum Brandenburgicorum illato.

Galli in India Orientali ab Hollandis miſerè excepti, reditum in Galliam parant.

Rex interim Trajectum ad Moſam per deditionē d. 30. Jul. occupat, & deinde ſub finem menſis Auguſti in Alſatiam profic ſcitur, decemque civitates Alſatiæ ſub jugum mittit.

D. 24. Caſtellum Arauſionenſe ſibi ſubjicit, & è Gynæceo Reginæ virgines & fœminas Hiſpanicas dimittit.

Hiſpani d. 15. Octob. bellum contra Gallos, & hi viciſſim contra Hiſpanos d. 20. Octobr. ſolenniter declarat.

D. 7. Junii Angli junctis ſibi Gallorum navibus Batavos denuo mari aggrediuntur, ſed Gallis ſegniter pugnantibus æquo Marte diſceſſum eſt, utraque tamen parte jactante victoriam. Sed d. 15. Junii & d. 20. Aug. denuo congreſſi Batavi vincunt.

Dux Eboracenſis Regis Angliæ frater in matrimonium ducit Eleonoram Eſtenſem ducis Mutinenſis filiam, quod populo à religione Pontificia averſo maximè diſplicuit.

Rex Sveciæ annum 18. ingreſſus fit majorennis & regni gubernacula capeſſit.

In Polonia d. 10. Nov. Rex Michael moritur; ſed die ſequenti Poloni Turcas ad fluvium Boryſthenem fundunt, duce Johanne Sobieskio, qui apud Proceres regni gratiam & autoritatem ſibi hac parta victoria conciliavit, ut altero anno ad ſolium regium eveheretur.

Duci Arauſionenſi à Rege Hiſpaniæ præter leges ordinis, Vellus Aureum mittitur.

Galli reſpicientes ſibi hoſtes eosq; potentes imminere, præſidia de urbibus in Belgio ſuperiori anno captis deducunt.

ANNO MUNDI 5623. Æræ C. 1674.

D. ☉ 3. ☽ 3. Ind. 12.

Electoris Palatini ditiones Gallus invadit, quod cum Cæſare pro defenſione imperii, fœdus iniiſſet. Ideò Cæſar & Saxo eidem maturè ſuppetias ferunt.

Coloniæ Agrippinæ conſultationes pacis abrumpuntur: quia Gvilielmus Egon Furſtenbergius, qui ferebat ſe legatum Electoris Colonienſis d. 14. Febr. à milite Cæſareano ibi captus, & pecunia Gallica intercepta fuit.

Ratisbonæ menſe Martio duces futuri exercitûs contra Gallos educendi juramento aſtringuntur: ut Campimareſchallus Generalis Fridericus Durlacenſis; Generalis Locum tenens Erneſtus Landgravius Haſſiæ; Generalis equitum Magiſter Maximilianus Dux Bavariæ; Generalis Peditum Capitaneus Dux Wurtenbergicus; Generales vigiliarum Præfecti majores Joh. Georgius Dux Saxo-Iſenacenſis & Marchio Baruthinus Chriſtianus Erneſtus.

Monachii d. 9. Aprilis magna pars palatii Electoralis cum magno & pretioſo apparatu igne conſumitur. Cauſa incendii fuit cereus convolutus in Gynæceo non rectè extinctus.

Gallicus legatus d. 13 April. Ratisbona diſcedere jubetur: quia Galli publici imperii hoſtes declarati fuerunt. Duo Epiſcopi, Colonienſis & Monaſterienſis à fœdere Gallico reſidiunt, & cum Batavis pacem ſeorſim faciunt.

D. 6. Junii apud Sinsheimium inferioris Palatinatus oppidum Saxones & Cæſareani cum Gallis confligunt, in qua pugna Turennius Saxonibus (licet Victor) laudem fortitudinis tribuit.

Elector Brandenburgicus Gallorum inſolentia motus, in Alſatiam cum exercitu contra Gallos movet. Ante ejus adventum d. 22. Sept. ad Ilkirchum, copiæ Fœderatorum Germanorum Duce Lunæburgenſi Georgio Gvilielmo, cum Gallis cruento prælio decertarunt, eosque repulerunt.

Briſacum a Fœderatis obſeſſum, à Turennio liberatur non ſine clade accepta.

Menſe Octobri Princeps de Lobkowiz ſupremæ aulæ Cæſareæ Magiſter, quod Gallis favere crederetur, jubetur aula excedere.

Quirinus Külmannus Vratislavienſis in Hollandia chiliaſmum reſuſcitare molitur, edito libro, cui titulus, *Bohemus Redivivus*, der neubegeiſterte Böhm. Fuerat ille Bohemus ſutor Gorlicenſis in Germania ob chiliaſmum & chimiæ ſtudium notus.

Galli Comitatum Burgundiæ occupant: apud pagum Senef d. 11. Aug. Hollandos, Hiſpanos & Fœderatos aggrediuntur & vincunt, prædam tamen jactura 6000. militum redimentes.

Henricus Caſimirus Naſſovii Princeps Friſiæ occidentalis gubernator conſtituitur: cum antè d. 2. Febr. Princeps Arauſionenſis denuò ſupremus Capitaneus unà cum liberis maſculis ab eo deſcenſuris declaratus fuiſſet.

Dux Rohanæus in Gallia, quod improbaſſet evocationem nobilium & Vaſallorum Gallicorū (Galli vocant *Le Ban & Arriere Ban*) à Rege factam in carcerem conjicitur, & capitis ſuppliciū ſubire jubetur.

Meſſinenſes in Sicilia rebelles ſe Regis Galliæ poteſtati ſubjiciunt, & Comiti Vivonnio in auxilium ipſis miſſo, tanquam Proregi parent.

Gravæ ad Moſam, quam Galli diu defenderant, tandem à Batavis miſſis 4000. militibus per deditionem recuperatur.

Rex Daniæ menſe Junio cum Imperatore Hiſpano & Batavis fœdus icit: quia Sveci in partes Gallorum inclinabant, & jam anno finiente inſtinctu legati Gallici, in terras Brandenburgicas militem duxerant, Electorem ad pacis obſervantiam cum Gallo factæ, hoc modo adacturi.

In Polonia d. 20. Maji Johannes Sobiesky ſupremus militiæ dux eligitur Rex applaudente populo, cui de fortitudine ejus conſtabat.

In Hungaria Proteſtantes à Papicolis adhuc premuntur, novis ſubinde artibus excogitatis.

Romæ telonia de bonis Legatorum exiguntur. Contra quam exactionem Legati proteſtantur.

Turcæ rupta pace Chocim caſtellū occupant, & dein ſubacto oppido Human multa millia Polonorum trucidant & in captivitatem abducunt.

ANNO MUNDI 5624. Æræ C. 1675.
C. ☉ 4. ☽ 4. Ind. 13.

Ernestus III. Dux Sax. lineæ Gothanæ autor, Princeps pietate, prudentia & Juſtitia maxime inſignis, d. 26. Martii, vitæ & gloriæ ſatur, anno ætatis 73. regiminis ſui 35. placide obdormit; relictis in Sereniſſimæ Domus Sax. incrementum & ſeculi decus, ſeptem Filiis Principibus inclytis: quorum primogenitus Fridericus, ditionum paternarum inter laudatos Fratres diſtributarum directorium habet, & præter laudabilem curam reipublicæ, magnos ſumtus, in præclaros ſcriptores rei litterariæ bono recudendos facit.

Elector Brandenb. Magdeburgum tacitè tranſiens d. 15. Junii noctu Ratenaviam à Svecis inſeſſam occupat, capto Chiliarcha Wangelino. Deinde ad Fehrbellinum, ipſe ſolo equitatu inſtructus, Svecos acri certamine vincit & Marchia ejicit. Quo facto d. 6. Jul. in Comitiis Ratisbonenſibus publicè imperii hoſtes declarantur. Imperator etiam edicto publico omnes Germanos ſub eorum ſignis militantes avocat.

Galli in Alſatia Dachſteinium Cæſareanis extorquent & demoliuntur. Sed Comes de Montecuculi exercitus Cæſareani dux d. 16. Julii ex Alſatia Gallos ejicit, cæſo celeberrimo ipſorum duce Comite Turennio.

Chriſtian. Albertus Dux Gottorpienſis à Rege Daniæ Rensburgum invitatus, tamdiu detinetur, donec Tenningam caſtellumque Helmenſe Regi concederet.

Dux Crequius, qui civitati Trevirenſi ſuppetias ferre juſſus fuerat, à fœderatis copiis duce earum Principe Lunæburgenſi-Cellenſi, non procul Moſella vincitur. Dux Crequius evaſit quidem, ut Trevirim defenderet. Sed victores magna cum alacritate, poſt hoſtem in prælio cæſum, urbem oppugnant, & d. 17. Sept. expugnant capto ſimul Crequio, qui obſeſſis animos addiderat.

Epiſcopus Monaſterienſis conjunctis Lunæburgenſium viribus, ducatum Bremenſem invadit: ubi d. 6. Octobr. Buxtehuda capta.

Elector Brandenburgicus d. 31. Octobr. Wolgaſtum occupat, & ſegneſcente Wrangelii virtute, arma victricia in Pomerania circumfert.

Georgius Wilhelmus dux Lignicenſis ultimus ſtirpis Piaſteæ Princeps d. 20. Nov. vita excedit, Sileſiis ſui deſiderium, Imperatori verò tres ducatus Sileſiæ relinquens.

Imperator d. 7. Dec. omnes Svecorum ſubditos in provinciis Germanicis, ab obſequio & fide Regi debita abſolvit, eosq; Imperii cives fideles eſſe jubet.

Wiſmaria à Danis gravem obſidionem paſſa. d. 13. per deditionem capitur.

Academiæ Leidenſis Curatores Carteſii doctrinam, quod Theologiæ admiſceretur, proſcribunt.

D. Abrahamus Heidanus defenſor Philoſophiæ Carteſianæ contra edictum publicum, theſes Carteſianas propugnat, cui cathedra interdicitur publica, non ſine turbis & factionibus hac de cauſa exortis.

Hamburgenſes cum edicto Imperatoris paruiſſent, ac Reſidentes Gallicum & Svecicum excedere juſſiſſent, à Gallis hoſtes declarantur, bello ipſis Caleti denunciato.

Batavi d. 15. Junii Svecis bellum denuntiant ſolenni formula publicata.

Rex Galliæ d. 21. Jul. Limburgum expugnat.

Rex Angliæ Mediatoris partes inter bellantes agit, deſignata urbe Neomagenſi ad repetiendas pacis conſultationes.

Pontifex Romæ promulgat Jubilæum.

Menſe Junio Carolus Emanuel dux Sabaudiæ moritur, relicto filio Victore Amadeo decem annorum, cujus tutelam mater vidua ſuſcipit.

Carolus II. Rex Hiſpaniæ anno 14. impleto, majorennis habetur.

Menſe Nov. & Dec. magna aquarum inundatio Hollandos affligit.

ANNO MUNDI 5625. Æræ C. 1676.
BA. ☉ 5. ☽ 5. Ind. 14.

Imperator d. 9. April. amittit Claudiam Felicitatem Conjugem: in cujus locum eligit Eleonoram Ducis Neoburgenſis filiam, quam ſibi d. 14. Dec. Paſſaviæ copulat.

Academia Julia idibus Octob. Jubilæum celebrat.

Elector Saxoniæ *JOH. GEORGIUS II.* religioſiſſimus Princeps d. 7. Junii Torgæ in memoriam compoſitæ Formulæ Concordiæ Lutheranorum feſtum ſeculare ſolenniter celebrat & puram Evangelii doctrinam Theologis Doctoribus commendat.

Philippoburgum ex decreto imperii obſidetur, & menſe Septembris per deditionem, in Cæſaris poteſtatem venit. Elector Palatinus Caſtellum hoc deleri voluit; aſt Imperator ſervandum duxit, impoſito præſidio.

In Comitiis Ratisbonenſibus, publico decreto merces Gallicæ prohibentur, per quas Germanorum pecunia ad Gallos exportatur.

Mompelgartum à Gallis intercipitur ad tutandos comitatus Burgundici fines.

Stada urbs poſt Bremam in ducatu Bremenſi præcipua, cum laxam obſidionem diu ſuſtinuiſſet, Luneburgicis deditur, præſidio Svecico inde in Scaniam translato.

Elector Brandenburgicus adjutus copiis auxiliaribus Lunæburgicis & aliis omnia Caſtella & oppida Pomeraniæ Svecicæ expugnat, præter Stetinum, Stralſundam & Gryphiswaldam.

Galli caſtellum Leodienſe per proditionem capiunt, ac in gratiam civium deſtruunt.

Batavi cum Fœderatis Ultrajectum ad Moſam obſident, & deſideratis 10000. militibus, diſcedere à Gallis coguntur.

Rex Galliæ d. 28. Aug. contra Danos bellum declarat, & Turennii, qui ſuperiori anno ceciderat, funus in regium ſacellum reponi jubet, addita magnifica inſcriptione.

In Belgio inter D. Johannem Coccejum, Theologum Leidenſem & Antonium Hulſium controverſia de interpretatione ſcripturæ S. oritur gravis: De qua ex Hulſii Theologia Hypothetica & Frid. Spanhemii Epiſtola ad amicos de noviſſimis circa res ſacras in Belgio diſſidiis, conſtare poteſt.

Rex Angliæ edictum publicat, quo merces Gal-

lica

liças & vinum aduſtum importare prohibet. Frater ejus Dux Eboracenſis contra prudentum opinionem, religionem Pontificiam publice profitetur.

Dani terra marique Svecos aggreſſi inſulam Gothlandiam capiunt, claſſem Svecicam 40. navibus conſtantem, ob Archithalaſſi Cruſii imperitiam, junctis ſibi Batavorum navibus vincunt, & profligant. Deinde facta exſcenſione in Scaniam Ugſtadiam, Helſimburgum, Landscronam, Chriſtianſtadium occupant.

Dani in medio victoriarum curſu prope Helmſtadium clade afficiuntur, amiſſis 4000. qui in Svecorum manus cum ſummo vigilium Præfecto Duncamo inciderant.

Dani iterum menſe Decembri in prælio Lundinenſi poſt cruentam pugnam, à Svecis vincuntur, cæſo utrinque magno militum & fortium virorum numero quem 9000. ſuperaſſe ſcribunt.

In Dania interim Comes Greifenfeldius regni Danici Cancellarius, variorum criminum poſtulatus, carnifici jam capite obtruncandus traditur: mox verò à Rege gratia impetrata, aſſumto priori nomine *Petro Schumachero* carceri perpetuo mancipatur.

Ruſſi fruſtrà à nonnullorum Principum legatis excitantur, at Svecos armis laceſſant.

Ruyterus celebris Batavorum archithalaſſus d. 24. Aprilis claſſem Gallicam in mari mediterraneo aggreſſus, ex lethali vulnere ictu bombardæ inflicto, anno ætatis ſuæ LXX. glorioſè occumbit.

Romæ d. 21. Sept. Cardinalis *Benedictus Odeſchalchi* in locum Clementis X. qui d. 22. Julii anno ætatis ſuæ 87. extinctus fuerat, eligitur Papa, aſſumto *Innocentii XI.* nomine, cui viam ad hanc dignitatem ſtraverat Domina Olympia, fœmina in aula Romana potens ac callida.

ANNO MUNDI 5626. Æræ C. 1677.
G. ☉ 6. ☽ 6. Ind. 15.

Magnæ contentiones ſub anni hujus initium propter hiberna aſſignata, inter fœderatos Germaniæ Principes oriuntur. Galli in cives Mompelgartenſes ſæviunt, in Alſatia omnes arces & caſtella demoliuntur, ad Rhenum longè lateque incendio rapinis & cæde omnia devaſtant, ne Cæſareanis commeatus & vivendi media ſupereſſent.

Exercitus Cæſareus cum fœderatis copiis in Lotharingiam movet, & Ducem Crequium non procul Verduno ſubſiſtentem retrocedere cogit.

Joh. Georgius Dux Sax. Iſenacenſis cum exercitu 10000. militum ex Alſatia Gallicum Ducem Monclaſium repellit. Aſt menſe Septembr. Monclaſius novis copiis inſtructus, poſt trium horarum pugnam acerrimam, laudatum Ducem cedere cogit.

Rex Galliæ interea in Belgio Hiſpanio Valenciam, S. Omeram & Cambracum brevi tempore occupat.

Dux Crequius menſe Novembr. Freiburgum in Briſgoa, per deditionem & proditionem ſummi urbis præfecti Schützii occupat.

Chriſtianſtadium in Scania obſidione, qua à Svecis premebatur, à Rege Daniæ liberatur.

Malmoga à Danis fruſtra magno impetu oppugnatur, Svecis ſtrenue urbem defendentibus.

Sveci d. 14. Jul. non procul Landscrona Danos acerrimo prælio iterum vincunt.

Comes de Guldenlöw Marſtrandum & Carolo-ſteinium Svecis eripit.

Menſe Julio Dani Svecos prælio navali vincunt, multis navibus ſimul cum omni apparatu captis.

Riga, urbs Livoniæ celebris, ab incendiariis per hoſtes Svecorum emiſſis incendium grave patitur.

Sedinum ab Electore Brandenburg. conjunctis Lunæburgenſium copiis d. 25. Junii obſidetur. & poſtquam per quinque menſes fortiter omnes hoſtium impetus ſuſtinuiſſet, deditione facta in Electoris laudati poteſtatem venit.

Dani Inſulam Rugiam expugnant.

Ruſſi Turcas Czecherinum obſidentes magna clade afficiunt.

Cobbius in Hungaria in Male-contentos (ut vocantur) immani ſævitia uſus, Hungarorum animos magis exaſperavit, quàm ſedavit.

Innocentius XI. Pontifex novus corruptos cleri mores emendare, & cameram Pontificiorum locupletare, omni ſtudio laborat.

Meſſinenſes etſi in honorem *Ludovici* templum extruxiſſent nuper; attamen Gallorum imperium novum populo ſuſpectum & grave eſſe cœpit.

ANNO MUNDI 5627. Æræ C. 1678.
F. ☉ 7. ☽ 7. Ind. 1.

Comes Kœnigsmarckius ſub anni hujus initium Inſulam Rugiam recuperat, captis ſimul 6000. militibus cum omni apparatu bellico Danorum & Fœderatorum.

Carolus Dux Lotharingiæ poſt nuptias cum Regina Poloniæ vidua, Cæſaris Leopoldi Sorore celebratas, in Alſatiam cum exercitu proficiſcitur, ubi Gallos Rheinfeldam intercipere molientes per Comitem Starenbergium repellit.

Imperatorem exhilarat nova proles maſcula d. 25. Jul. nata.

Rex Galliæ Gandavum & Ipram in Belgio occupat. Idcò Angli Oſtendam & Neoportam præſidio ſuo firmant.

Batavi menſe Auguſto ſeorſim, excluſis Fœderatis, cum Gallo pacem ineunt, & Ultrajectum ad Moſam recipiunt.

Elector Brandenburgicus poſtquam Stralſundam majori ex parte per ignem injectum combuſtam, deditione facta occupaſſet, Gryphswaldam, adeoque totam Pomeraniam in ſuam poteſtatem redigit.

Hiſpani à Batavis deſerti cum Gallis etiam paciſcuntur, relictis his ceu belli pretio Comitatu Burgundico, Valencia, Cameraco, Ipra & aliis locis à Gallis antè occupatis.

Rex Angliæ omnes Pontificios Londino excedere in agros jubet: qui ipſorum inſtinctu conſpiratio adverſus ſe facta fuerat.

Dani inſulam Rugiam Svecis iterum eripiunt. Bahas verò fruſtra ab illis obſidetur.

Rex Daniæ cum Electore Brandenb. Dobrani colloquium de bello proſequendo adverſus Svecos, habet.

Svecorum exercitus tamdiu à Pomeranis expectatus, vergente jam autumno, in Poruſſiam irruit, non tentata urbis alicujus munitæ oppugnatione.

Ruſſi cum Polonis inducias pangunt, ut ſecurius adverſus Turcas in Roxolania pugnare poſſint.

Dantiſcani lætabantur de reditu D. Ægidii Strauchii Paſtoris ſui, quem ex carcere, quo per

 trien-

triennium ferè ab Electore Brandenburgico (neſcio quam ob cauſam) detentus fuit, redemerat.

Male-contenti in Hungaria duce Comite Tœckelio Cæſareanas copias aliquoties profligant, agros & oppida à Cæſareanis infeſta devaſtantes.

Meſſinenſes rebelles à Gallorum Vice-Rege Vivonnio d. 5. Martii deſeruntur, & imperio Hiſpanico iterum pœnitentes ſubjiciuntur.

Papa Cæſari in gratiam recens nati filii faſcias conſecratas mittit.

ANNO MUNDI 5628. Æræ C. 1679.
E. ☉ 8. ☽ 8. Ind. 2.

Innocentius XI. Pontifex Romanus d. 2. Martii in generali congregatione Romanæ & univerſalis inquiſitionis in Palatio Vaticano, dogmata Moraliſtarum è Societate Jeſu, inprimis Azorii, Sanchez, Leſſii, Laymanni, Pilliutri, Tamburini aliorumque decreta damnat, atque publice valvis Baſilicæ principis Apoſtolorum, per Franciſcum Perinum curſorem Papæ & inquiſit. Romæ affixo damnatorum dogmatum catalogo publicat.

Pax Hiſpanos inter & Gallos ſuperiori anno concluſa publicatur.

Imperator cum Gallis & Svecis juxta formulam pacis Monaſterienſis, Neomagii itidem nomine imperii paciſcitur: ne tota belli moles Germaniæ incumberet. Pacem factam Ordines imperii maximam partem in comitiis approbant.

Exemplum Cæſaris Duces Lunæburgici & Epiſcopus novus Monaſterienſis Furſtenbergius ſequuntur, peculiares pacis formulas cum Gallo & Sveco ineuntes.

Dux Lotharingiæ in pacis conditiones à Gallo præſcriptas conſentire nolens, ducatu Lotharingico carere cogitur.

Cæſar pro Friburgo Gallis ceſſo, retinet Philippoburgum, & præſidio munit.

Rex Daniæ & Elector Brandenb. pacem Neomagienſem improbant. Sed Gallo Svecorum reſtitutionem urgente miſſo duce Crequio cum exercitu in Cliviam & Comitatum Oldenburgenſem, tandem ſeorſim paciſcuntur.

Pacem inter Svecos & Danos coalitam confirmant nuptiæ inter Regem Sveciæ Carolum XI. & Regis Daniæ Sororem factæ.

Elector Bavarus Ferdinandus Maria apoplexia Schleisheimii extingvitur.

Gallus in Alſatia civium fidem ſibi homagio obſtringit & Dachsburgum atque Wangenheimium arces munitiſſimas deſtrui jubet: Homburgum & Bitſch occupat, & præſidium ab imperio impoſitum ejicit.

Hugonottæ in Gallia graviſſima perſecutione premuntur, ereptis Scholis, deſtructis templis, & ablatis privilegiis etiam jus emigrandi illis denegatur.

Huningæ non procul Baſilea Rex Galliæ fortalitium exſtrui jubet.

Dux Mompelgartenſis, qui concluſa pace, Comitatum ſuum repetere volebat, à Gallis capitur.

In Gallia arte venefica ab Abbate Italico inventâ, lenta vel cita morte multi homines extinguuntur. Quare inquirere in has veneficas & graviſſimas de illis ſumere pœnas Rex jubet.

Rex Hiſpaniæ Carolus II. ducis Aurelianenſis filium in matrimonium, inſtinctu Johannis de Auſtria, ducit. Quod Imperatori, cujus filiam ante ambiverat, diſplicuit.

Dux Sabaudiæ Gallorum ſuaſu, principis Regentis Luſitaniæ filiæ nuptias ambit: ſed appellente Luſitanorum claſſe, ut ſponſum Liſſabonam veherent, repulſam illa tulit.

In Anglia variæ conſpirationes deteguntur. Inde odium erga Jeſuitas & Pontificios incenditur, & Dux Eboracenſis ſecuritatis cauſſa in Belgium diſcedit.

Elector Brandenburg. Svecos media hyeme aſperrima, ex Poruſſia ejicit, non ſine gravi militum Svecorum jactura.

Comes Kœnigsmarckius apud Regem Daniæ conqueritur, quod copiæ Svecicæ ex Pomerania in vi pacti Stralſundenſis Scaniam transvehendæ, ſed infelici naufragio ad inſulam Bornholmam delatæ, contra datam fidem interceptæ fuiſſent.

Vienna per monachum quendam ex Hungaria venientem, contagio peſtilitatis infecta eſt. Quapropter latius ſerpente malo, Imperator cum Familia ſua Pragam concedit.

ANNO MUNDI 5629. Æræ C. 1680.
D C. ☉ 9. ☽ 9. Ind. 3.

Elector Palatinus Fridericoburgi templum novum Concordiæ exſtrui jubet: in cujus conſecratione, ſacra obeunt cum Lutherano doctore ſacerdos Pontificius & Calvinianus.

Galli pacem ſuperiori anno factam variis modis turbant. Nam in Alſatia Palatinatu & Epiſcopatu Trevirenſi arces munitas occupant, demoliuntur, ſubditos ad pendenda tributa compellunt, ſacra Proteſtantium turbant aut interdicunt.

Bohemiam & Miſniam, anni hujus æſtate ac inſequente autumno, peſtis graviſſimè affligit; malo iſthoc contagioſo Pragâ Dresdam & inde Lipſiam delato, multa hominum millia per Miſniam extinguuntur.

Die 4. Junii Auguſtus Dux Sax. & Adminiſtrator Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, anno ætatis ſuæ 66. mortalitatem explevit. Cujus obitu Archiepiſcopatus ille vi inſtrumenti pacis Oſnabrugenſis, Electori Brandenburgico ceſſit, qui Halæ præſidium ſtatim impoſuit.

JOH. GEORGIUS II. Elector Saxoniæ propter peſtem Dresdæ ſerpentem, Freibergam concedit: ubi diuturno morbo confectus anno ætatis 64. d. 22. Auguſti placide obdormivit: Princeps pacis, pietatis & munificentiæ ſtudio inſignis, & qui neminem triſtem à ſe diſcedere paſſus eſt: Hæredem dignitatis Electoralis & ditionum ſuarum reliquit filium unicum *JOH. GEORGIUM III.* Principem magnanimitate & fortitudine inclutum & patriæ amantem.

Johannes Fridericus Dux Brunſvigo-Hannoveranus, menſe Januario, in itinere Venetias ſuſcepto, apoplexia tactus ſubitò moritur. Hæredem ditionum habuit Fratrem Epiſcopum Oſnabrugenſem, qui monachos Hannovera excedere ſtatim juſſit.

Maximilianus Maria, Princeps Electoralis dignitatis in Bavaria hæres d. 13. Julii factus majorennis regere ditiones ſuas aggreditur.

Delphinus primogenitus Regis Galliæ filius cum novi Electoris Bavari ſorore nuptias confirmat, ſponſa ab ipſo Rege magna animi lubentia excepta.

Rex Epiſcopos Lutetiam convocat, ut de extirpanda religione Reformata ſeu Hugonottarum deliberent. Deinde judicium peculiare (*Chambre ardente* dictum) ordinat, quod male-feriatos homines veneficiis nominatis ſupra deditos tollere debebat.

Rex Galliæ Batavis fœderis ſocietatem offert, & ſub pacis Neomagienſis prætextu Hiſpanis in Belgio præfecturas & pagos eripere non deſiſtit.

Carolus II. Rex Hiſpaniæ d.13. Januarii ſponſam ſuam Loviſiam de Bourbon ex Gallia adventantem Madriti lætus excipit.

D.30. Junii partim Judæi, partim Judaiſſini ſuſpecti numero 500. in pegmate prius publicè variis ignominiis affecti ſuſpenduntur, & concremantur.

Elector Brandenburgicus propter ſubſidia debita & hactenus ab Hiſpanis negata, non procul Oſtenda navem Hiſpanicam, cui nomen Carolus II. eripit.

Rex Sueciæ Carolus II. d.15. Maji nuptias cum Ulrica Eleonora Regis Daniæ ſorore confirmat, & menſe Octobris comitia Holmiæ celebrat.

Rex Poloniæ à Papa per legatum Ducem Radzivilium pecuniam ad bellum adverſus Turcas gerendum ſollicitat: ſed Legatus d.14. Novembr. Romæ non ſine magna conſternatione ſuorum vivere deſiit.

Dux Mantuanus Gallis vendit Caſalam: Papa Bacchanalia, quæ alias Romæ magna cum impudentia celebrabantur, prohibet.

Cometa d.14. Novembr. prope Eclipticam Solis conſpicitur, qui cum Marte & Stella majore virginis unam faciebat lineam. Sed inſequentis Decembr. d.17. à meridie hora quinta, novus isque ſtupendæ magnitudinis cometa apparuit à Ganymedis dextra 10. gr. & 40. min. diſtans, caudam intra collum Aquilæ & Delphini per 58. gradus protendebat. Curſus ejus multis eruditorum commentariis illuſtratur. Nam ad 7. uſque diem Februarii ſequentis anni horizontis noſtri partem pererrare viſus eſt.

ANNO MUNDI 5630. Æræ C. 1681.
B. ☉ 10. ☽ 10. Ind. 4.

Francofurti ad Mœnum inſtituitur conventus, quo Imperator & S.R. imperium cum Rege Galliæ de pacis Neomagienſis controverſis articulis agitur. Nam Rex laudatus hactenus eam pro lubitu ſuo expoſuerat, & vicinos Rheni Principes non una injuria affecerat.

Poſt inſtitutum menſe Julio conventum Francofurtenſem, Rex Galliæ contra datam fidem, Argentoratum menſe Septembri per deditionem intercipit, & per Epiſcopum Fürſtenbergium, ſummum templum in gratiam ſacrificulorum conſecrare jubet.

Sueci per legatum Wolframsdorfium in ſuprà dicto conventu, reſtitutionem ducatus Bixontini à Gallo occupati urgent, ſed non impetrant; quia Cæſaris & imperii partes tuentur.

In Comitiis Ratisbonenſibus, maturo conſilio decretum ſit, ut ad ſecuritatem imperii exercitus 60000. militum conſcribatur.

JOHANN. GEORGIUS III. ELECTOR SAXONIÆ magnanimus civium ſuorum fidem & obſequium ſolenni ſibi juramento obſtringit, extincto jam Dresdæ & Lipſiæ peſtilitatis malo.

Elector Brandenb. menſe ante, quàm peſtis Halam & Magdeburgum invaderet ſolenni homagii ritu ſibi ſubjicit.

In Gallia legatus Ruſſicus advenerat, qui fœdus commerciorum Regi offert.

Hugonottæ ob graviſſimam perſecutionem clam ex Gallia in Angliam & Hollandiam diſcedunt.

Mauri in Africa Hiſpannis Ceutam eripiunt. Luxenburgum laxa obſidione a Gallis cingitur.

Declinante Hiſpanorum fortuna, Jeſuitæ Gallorum Regi ſeſe inſinuare & gratiam ejus aucupari laborant.

In Anglia Comes Staffortenſis conjurationis poſtulatus capite plectitur.

Rex Angliæ Parlamentum convocatum Londini diſſolvit; quia illud urgebat ejectionem Pontificiorum & excluſionem fratris ſui Ducis Eboracenſis à ſucceſſione in regno. Menſe Martio Oxonii aliud convocat: ſed dum Inferius Parlamentum priora poſtulata importunè repetit, Rex iterum, ſublato conventu, diſcedit.

Dronthemium in Norvvegia d.18. April. ex omo incendio intra 12. horas deflagrat.

Rex Daniæ militibus, qui ſub ſignis ſuis ſtipendia meruerant, privilegia circa navigationem indulget, & in comitatu Oldenburgenſi fortalitium Varellæ novum extrui jubet.

In Suecia d.15. Januarii comitia finiuntur, in quibus Rex ſibi liberam poteſtatem circa negotia pacis & belli aſſeruit, & reductionem bonorum regni ærario per ſuperfluas donationes ſubtractorum ſtatuit.

Albo urbs Finlandiæ, quoad dimidiam partem incendio orto conſumitur.

Ruſſi cum Turcis ad 20. annos pangunt inducias.

Ludovicus Electoris Brandenburgici filius deſpondet ſibi Duciſſam Redzivilenſem ampliſſimum ditionum hæredem.

Menſe Majo Sempronii in Hungaria habentur comitia, in quibus Hungaris libertas & reſtitutio privilegiorum promittitur: ſed cum libertas religionis ſvaſu Jeſuitarum denegaretur, fruſtra ſpes illa fuit.

Pontifex R. iraſcitur Regi Galliæ,quod Regalia, ſibi ut putat,competentia, Rex vindicare nititur. Clerus Gallicanus ideò congregatus pro Rege dixit ſententiam.

Liber de hiſtoria conciliorum generalium M. Edmundi Kicherii D. Sorbonici Romæ inter libros prohibitos refertur.

Rex Galliæ Caſalam in Italia à Duce Mantuano ſibi venditam, præſidio impoſito firmat.

ANNO MUNDI 5631. Æræ C. 1682.
A. ☉11. ☽11. Ind.5.

Calendis Januarii Lipſiæ,viri quidam eruditi,ſocietate quadam inter ſe autore *Ottone Menckenio*, initâ cœperunt novam hiſtoriam litterariam eamq; univerſalem adornare ; quâ ſummæ librorum variis generis ac argumenti,cum novis obſervationibus, ſingulis menſibus ſub titulo *Actorum Eruditorum* publicantur. Ex quibus tum de libris recens-editis, tum de eorum ſcriptoribus conſtare poteſt.

In conventu Francofurtano, cum R. Galliæ Legatis de *Reunionibus*, quas vocabant, hactenus iniquè factis agitur. Sed remoram conſultationi injicit idioma Gallicum, quo Legati in libellis ſuis memorialibus uti volebant contra morem aliàs receptum, quem hac in parte ſervandum eſſe Cæſarei Legati urgebant. Tandem cum in Gallorum propoſitam tranſactionis formulam conſentire recuſarent Deputati Imperii,ſub exitum Novembris diſcedentibus legatis Gallicis, conventus iſte diſſolvitur.

Imperatori d.11. Junii filius naſcitur, cui nomina : *Leopoldus, Joſephus, Wilhelmus, Franciſcus, Antonius, Eraſmus* impoſita.

Comes de Spinola Epiſcopus Thinenſis, Primas Croatiæ, per aulas Principum Proteſtantium in Germania vagans, nova concordiæ Eccleſiaſticæ inter Proteſtantes & Pontificios ſanciendæ conſilia proponit: quæ prudentibus partim inania partim ſuſpecta viſa ſunt.

Dux Saxo-Lauenburgicus Lubecenſibus propter oppidum Mœllen,controverſiam movet.

Elector Brandenburgicus caſtellum Gritſiel in Friſia orientali intercipit, quod Batavis ſuſpectum videtur.

Rex Daniæ,Elector Brandenburgicus,Epiſcopus Colonienſis & Monaſterienſis fœdus inter ſe ineunt,quod multi in gratiam Regis Galliæ factum interpretantur.

Sub anni hujus initium magna per Germaniam fluviorum exundatio facta eſt, quæ multa illorum accolis damna attulerunt.

Menſe Majo ingens terræ motus per Germaniam & Galliam obſervatur. Quem inſecuta eſt lues armenta & pecudes invadens, quâ, niſi linguæ pecudum ſtatim fuiſſent inciſæ multæ extinctæ ſunt.

D.8. Auguſti Delphinus filium ſuſcipit, cui Rex avus titulum Ducis Burgundiæ tribuit.

Rex Galliæ urbis Arauſionenſis mœnia deſtrui jubet, ducatum juſto poſſeſſori Duci Arauſionenſi aufert, & Johanni Lodovico Longuillaæo adjudicat.

Claſſis Gallica, quæ Duce Quesneo Algieriam obſederat, re infecta in Galliam redit,naves reparatura.

Legatus Gallicus apud Genuenſes hoſpitio ſuo præfigi curat effigiem Solis adſcripto lemmate : Nec pluribus impar.

Clerus Gallicanus Lutetiæ congregatus contra curiæ Romanæ placita decernit, *Papam* R. non poſſe ſubditos à juramento fidelitatis Regi debitæ abſolvere ; concilium univerſale eſſe ſupra Papam ; poteſtatem Pontificis per canones Eccleſiæ circumſcriptam eſſe ; Papam non eſſe infallibilem. Quæ decerta d.23. April. Rex diplomate certo confirmavit, & collegiis Theologicis mandavit, ne in poſterum in Academiis aliter docere inſtituerent.

Ludovicus Maimburgius Jeſuita, qui Papam R. in tractatu, cui titulus *Hiſtorie de la decadence de l'Empire apres Charle magne* offenderat, è ſocietate Jeſuitica dimittitur, cui Rex Galliæ Abbatiam in ſolatium contulit. Hiſpani cum Imperatore, R. Sueciæ & Batavis pro defenſione pacis Neomagienſis fœdus ineunt.

Legatus Anglicus Goderycky juriſdictionem in palatio ſuo Madriti exerciturus, patibulum extrui jubet, quo Hiſpanus quidam ſuſpendendus erat, offendit Regem Hiſpaniæ, ut aula ipſi interdiceretur.

Batavi per Legatum Heinſium, apud R. Galliæ pro Duce Arauſionenſi, propter ereptum ducatum intercedunt.

Rex Angliæ privilegia civitatis Londinenſis imminuit invito populo.

Robertus Dux Palatinus Rheni in Anglia fatis menſe Decembri conceſſit.

Rex Daniæ & Elector Brandenburg. Jæchoæ ad colloquendum de ſtatus negotiis, conveniunt.

Legatus Gallicus Bazinus Holmia diſcedit indignabundus,quod non iis ceremoniis exciperetur, quas volebat.

Magno Duce Moſcoviæ veneno ſublato, poſt multas turbas & cædes duo ejus filii relicti de imperio dividendo inter ſe conſentiunt.

In Hungaria omnia ad bellum ſpectant:

Comes Tœckelius protectioni Turcarum ſe permittit,& Caſſoviam, Eperies & fortalitium Villeckum occupat.

Jeſuitæ inde mortui Generalis ſui P. Olivæ eligunt Romæ P.Noyel, à quo Regis Galliæ legatus primum ſalutari voluit; quod & indignante Legato Hiſpanico, obtinuit.

D.15. Auguſti, à Solis occaſu,novus apparet cometa,non multum à ſtellis urſæ majoris diſtans,caudæ directio nobis perpetuo ab oppoſito Solis, aliquoties ultra 20. gradus declinabat.

ANNO MUNDI 5632. Æræ C. 1683.
G. ☉ 12. ☽ 12. *Ind.* 6.

Legatus Cæſareus ad Portam Ottomannicam, Comes Caprara Imperatori ſcribit,Turcas magno inſtructos apparatu Hungariam invaſuros eſſe.

Imperator cum Rege Poloniæ fœdus contra Tur-

Turcas icit, & Ducem Lotharingicum cum exercitu 40000. menſe Majo, ut Turcas jam moventes arceat, in Hungariam mittit. Lotharingus dum Turcis reſiſtere impar eſt, illi in Hungariam cum exercitu 200000. effunduntur & rectà Viennam tendentes eandem d. 4. Jul. ſt. v. arcta obſidione cingunt. Imperator vix ante cum aulæ ſuæ miniſtris egreſſus erat, cum Primo-Viſirus adveniret. Comes Ernestus Rudolphus de Staenrberg, præſidio 10000. militum impoſito Viennam uſque ad d. 8. Septembris, quô liberata fuit, ſtrenue defendit.

Rex Poloniæ, Elector Sax. Joh. Georgius III. & Dux Lotharingiæ conjunctis viribus immaniſſimum hoſtem aggreſſi, d. 2. Sept. urbem obſidione liberant, & caſtra Turcarum cum omni apparatu occupant. Laudatus Elector-Saxo primus propugnaculis hoſtem dejecit, primus etiam vexillo in caſtris Turcarum erecto, ſignum dedit victoriæ.

Rex Poloniæ & Dux Lotharingiæ hoſtem fugientem perſequuntur, & prope oppidum Barcan eundem cruento prælio vincunt, & deinde Strigonium per deditionem capiunt. Elector Sax. cum exercitu ſuo 11000. militum in Miſniam revertitur: quia commeatus neceſſarius denegabatur.

In comitiis Ratisbonenſibus, cum Legato Gallico, de induciis agi cœptum eſt.

Epiſcopus Monaſterienſis Ferdinandus Furſtenbergius varia & eleganti doctrina inclutus, calculi doloribus extinguitur: in cujus locum Elector Colonienſis pecunia & artibus Gallorum adjutus eligitur, quod Papa R. magnopere diſplicet.

R. Galliæ duas claſſes emittit, unam ad redintegrandam obſidionem Algieri in Africa; alteram in ſubſidium R. Daniæ mare Balthicum ingreditur. Sed prior fruſtra Algierum oppugnat; hæc bellum tantùm oſtentat, & autumnali tempore non ſine jactura multorum virorum aëris intemperie extinctorum, in Galliam remeat.

Rex Galliæ menſe Jun. Argentoratum venit, ut nova urbis munimenta luſtraret.

Jeſuitæ, Argentorati ex donatione Regis, ſplendidum palatium (den Brüderhof) obtinet, & Seminarium ibidem erigunt.

Quia R. Hiſpaniæ poſtulata Galli rejecerat, ipſe Oudenardam & Dixmudam expugnat: & menſe Decembr. Luxenburgum oppugnat, ſed ob frigoris vehementiam obſidionem ſolvere cogitur.

D. 13. Septemb. Rex Portugalliæ ante quindecim annos, in Inſulam Terceram deportatus, diem ſuam obit. Quo facto, frater ejus Rex Luſitaniæ declaratur.

Batavi claſſem 30. navibus conſtantem Gothenburgum, menſe Octobri mittunt, ut copias Sueci-cas in Germaniam transvehant: At Sueci hoc anni tempore, copias ſuas transportari recuſant, poſtea revertentes tempeſtate exorta, Batavi quinque naves perdidêre.

Princeps Arauſionenſis Ordinibus fœderatis ſuadet, ut pro tuendo Belgio Hiſpanico 16000. milites conſcribant. Sed conſilio huic magnoperè obnititur urbs Amſtelodamenſis.

In Anglia menſe Junio nova conſpiratio contra Regem detegitur.

Academia Oxonienſis decretum contra libros Hobbeſii politicos, Miltoni, Ovveni, & Buchanani publicat, rejiciens varia illorum placita, quêis populo nimirùm tribuitur adverſus Regem.

Dux Monmuthius apud Regem Angliæ accuſatus conſpirationis, mox coram Rege patre ſuo provolutus in genua, veniam impetrat.

Comes de Roy, ex Gallia cum multis viris ſtrenuis veniens in Daniam, à Rege exercitui præficitur tanquam imperator.

Duces Luneburgici circulum inferioris Saxoniæ, contra quosvis aggreſſores defendere parant.

Dux Georgius R. Daniæ frater cum Ducis Eboracenſis filia natu ſecunda nuptias celebrat, Danis & Anglis congratulantibus.

Rex Succiæ Fabricium cum multis muneribus ad Regem Perſarum commerciorum per Ruſſiam & Tartariam cum illis exercendorum cauſſa, ablegat.

Die 4. Junii Regi Succiæ novus naſcitur filius, cui nomen Guſtavus imponitur.

Rex Daniæ ditionem Jeverenſem, quem Dux Anhaltino-Serveſtanus jure hæreditatis poſſedebat, ſub titulo feudi Burgundici à Galliæ Rege ſibi conceſſi vindicat, impoſito Jeveræ præſidiô. At Dux laudatus liquide demonſtrat, eſſe feudum Brabantinum, in quod neutri Regum jus ullum competere queat.

ANNO MUND 5633. Æræ C. 1684.
FE. ☉ 13. ☽ 13. Ind. 7.

Imperator d. 12. Januarii in Hungaria amneſtiam publicat, quæ multos hactenus Male-contentos dictos movit, ut abdicatis Comitis Tœceli partibus, fidem & obſequium Cæſari addicerent.

Poſt cladem ad Viennam ſuperiori anno à Turcis acceptam Imperator, Rex Poloniæ, respublica & Veneta auſpiciis Pontificis R. *Ligam S.* contra Turcam ineunt, qualis conjunctio nunquam facta eſt, quamdiu Europæi Principes cum Turcis belligerare cœperunt. De qua ſi ex convento rem deinceps ſociatis conſiliis, ac ſepoſitis ſuſpicionibus gerere perrexerint, multi præclarè ſperant: Præſertim ſi Rex Galliæ tituli ſui Chriſtianiſſimi memor, quietem vicinis indulgeat, nec fœdus hoc turbare machinetur.

Pontifex R. improbat Archiepiſcopum Colonienſem, electum fuiſſe Epiſcopum monaſterienſem, partim quia electio non facta eſſet canonicè, partim quia multiplicatio epiſcopatuum repugnet eccleſiaſticis canonibus & Bullæ Urbani VIII.

Pontifex R. magnas pecuniæ ſummas tùm in aulam Cæſaream, tùm in Polonicam ad bellum contra Turcas continendum mittit.

Rex Poloniæ menſe Januario cum Legatis Ruſſicis fruſtrà de fœdere adverſus Turcas pangendo agit.

Rex Galliæ lætatur, quòd denuò nepotem ex Delphino natum videt, cui titulum Ducis Andegavenſis tribuit.

Dux Venetorum Aloyſius Contarenus anno ætatis ſuæ octuageſimo quarto, vivis excedit, in cujus locum, deprecante hunc honorem Franciſco Moroſini, M. Antonius Giuſtiniani eligitur.

Rex

Rex Sueciæ d. 15. Mart. legem de iis, qui duello decertant, carceri mancipandis aut ad metalla damnandis exſequitur.

D. 24. Jun. ſt. v. hora poſt octavam veſpertinam dimidia, cœlo ſereno, auraque frigidiſſima in luna crux cum binis paraſelenis conſpiciebatur. Cujus phænomeni ſingularis deſcriptionem Collectores Actorum Eruditorum Lipſienſes Act. menſ. Jan. hujus anni pag. 100. ſeq. exhibent.

Comes Tœckely menſe Majo in Hungaria ſuperiori, mandato publicato nobiles & ruſticos pro tuenda fide & libertate excitat contra Cæſarem.

Dux Lotharingiæ, exercitûs Cæſareani Imperator movet in Hungariam, & d. 16. Junii fortalitium Vicegrad expugnat, deinde oppidum Weizen & Peſth ad Danubium è regione Budæ urbis regiæ. Quo facto d. 13. Julii Budam diſſuadente Comite Starenbergio, obſidione cingit. Menſe Majo Ratisbonæ in Comitiis cum Legato Gallico de induciis vicennalibus deliberatur, in quas Imperator cum Proceribus ac Statibus Imperii d. 26. Julii conſentit, ſalvis tamen de cœtero per omnia inſtrumentis pacis tàm Weſtphalicæ, quàm Neomagienſis. De Statibus à Gallo hactenus preſſis, de modo poſſidendi, limitibus imperii & aliis, proximè cum Gallo tranſigi debere ſimul decernitur.

Dux Crequius, juſſu R. Galliæ, denuo Luxenburgum d. 28. Aprilis obſidet, & d. 7. Junii per deditionem capit. Quo facto Trevirim infeſtant, & facta deditione propugnacula & mœnia urbis demolitur.

Dani d. 17. Martii oppidum Mœlln, ſtrategemate quodam uſi intercipiunt. Quod Dux Saxo-Lauenburgicus & vicini Principes ægrè ferunt. Præſertim cum Rex Daniæ menſe ſequenti in Holſatiam veniret, & Ducatum Slesvicenſem occuparet, exacto à ſubditis etiam homagio, quod d. 9. Julii Gottorpii ſolenni ritu nobiles præſtare oportuit.

Ordinis Fœderati Belgici cum Gallo d. 16. Junii inducias vicennales, repugnantibus licet confœderatis ſuis Hiſpano, Sueco, & aliis pangunt. Venetorum Claſſis duce Moroſini d. 6. Auguſti ſt. n. S. Mauram urbem munitiſſimam, quæ piraticam exercebat, per deditionem occupat.

D. 20. Maji claſſis Gallica urbem florentiſſimam Genuam machinis pyrobolicis infeſtat, quibus ferè tertia pars ædium conſumta eſt.

D. 23. Julii Regi Sueciæ filius naſcitur, cui nomen Ulricus imponitur.

Æſtus Solis, cum per quatuor ferè menſes, nullo imbre decidente, exſiccaſſet ſolum, dyſenteria longè lateque per Germaniam menſe Auguſto & Septembri graſſari cœpit, meſſisque frugum admodùm ſterilis extitit.

D. 23. Junii Hamburgi incendium abſumit 214. ædes majores.

In Thuringia & Miſnia multa oppida & pagi per incendiarios & alios caſus hac æſtate deflagrant.

Circa initium Novembris obſidio Budæ hactenus ferè per quatuor menſes non ſine gravi damno & clade Cæſareanorum & auxiliarium copiarum continuata, ſolvitur: Turcis ideò tripudiantibus.

Elector Colonienſis Leodium ſibi denuò ſubjicit, mutato urbis magiſtratu, & extructo iterum caſtello.

Rex Galliæ Hugonottis iterum menſe Septembri ſignificat, ſe non niſi Romano-Pontificiam religionem tolerare velle: idcirco Reformatis omnis libertas, gentium jure alia permiſſa adimitur, inventis variis afflictionum & perſecutionum generibus.

R. Galliæ Genuenſibus ruinam urbis denuò minatur, ni præſcriptas a ſe conciliandi conditiones iniquas amplecti velint, & miſſo Lutetiam Duce ſuo cum quatuor Senatoribus deprecatum veniant.

Veneti fortalitium Preveſam non procul S. Maura ſitam d. 29. Nov. occupant.

Rex Poloniæ menſe Auguſto magnum exercitum adverſus Turcas in Podoliam educit; ſed ob defectum commeatus, menſe Octobri, ſine palmis & ſpoliis in Poloniam redire cogitur.

Templa Hugonottarum in Gallia deſtruuntur, doctores carceribus includuntur, auditores omnibus modis premuntur: quia Regi fixum ſedet, religionem Reformatam in Gallia extinguere.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERUM ET PERSONARUM COPIOSISSIMUS.

Numerus paginam ſignificat : litera a. adjecta priorem columnam ; b. verò poſteriorem.

A.

AAron ſacerdos naſcitur 177. a. moritur 179. a.
Saracenorum dux. 639. b.
Amiras I. 641. a
II. 659 b.
Abaga Cham. 822. b.
Abanus rex. 724. a
Abarca Rex. 674. b. 686. b
Abaris Scytha. 203. b. 223. a
Abas rex. 180. b. 181. a
Abbiammi. 205. b
Abdalla. 676. b
Abdaſtartus. 192. a
Abdella. 644. b
Abdelmelech. 614. a. 944. a
Abdera urbs. 212. b. 279. a
Abderachmon. 618. a
Abderamen. I. 633. b
II. 641. a
III. 653. a
dux. 683. a
Abderus. 225. a. 363. b
Abdirama. 625. a
Abdita. 870. b
Abdon. 186. b
Abeck legatus. 1021. b
Abel. 170. a
rex. 811. a
Abela. 192. a
Abebeii. 863. b
Aben Jacobus. 780. b
Joſephus. 789. b
Abberæcinum. 823. b
Abgarus. 490. b. 691. b
Abija rex. 193. e
Abias propheta. 192. b
Abiathar. 192. a
Abigail. 189. b
Abimelech. 184. a
Abiſai. 190 b
Ablavius Ægyptius. 515. b
Marcellus. 584. b
Abner dux. 190. a
Aborigines. 181. b
Abortus cauſæ, peſtis. 327. a
terror. 401. a
Abraham naſcitur. 137. b. 173. a.
moritur. 174. b. colitur. 490. b
Sacerdos. 630. b
dux Turcicus. 726. b
Abratius. 1028. b
Abſimarus. 618. a
Abſolon. 181. b
Abſtinentia. 654. a
Abubalas. 630. b
Abubecher. 604. a
Abugepher. 632. a
Abulenſes, dicti Fideles. 768. b
Abundantius. 535. a
T. Abutius Helua. 231. b
Abydus. 262. a
Acacius. 559. a
hæreticus. 563. a
Academiæ ordinandæ. 904. b
Andegavenſis. 849. a
Argentinenſis. 987. b
Baſileenſis. 890. a
Cantabrigienſis. 603. b
Colonienſis. 862. a
Conimbrica. 822. a
Conſtantinopolitana. 545. a
Cracovienſis. 854. b. 866. b
Erfurdiana. 873. b
Ferrarienſis. 837. a
Francofurtenſis. 909. b
Friburgenſis. 890. a
Gieſſena. 962. a
Græningenſis. 969. a
Grypsvvaldiana. 888. b
Heidelbergenſis. 848. b. reſtauratur. 1034. a
Helmſtadiana. 943. a
Jenenſis. 934. a
Julia. 943. a. celebrat jubilæum 1044. b
Leidenſis. 941. a. Carteſii doctrinam proſcribit. 1044. a
Lipſienſis. 869. a
Lovanienſes. 876. a
Lugdunenſis. 941. a
Marpurgenſis. 919. b. inauguratur. 1034. b
Montiſpeſſulana. 788. a
Moguntina. 899. a
Neapolitana. 806. a
Oxonienſis. 677. b
Palentiana. 794. b
Pariſienſis. 643. a. 813. a
Patavina. 799. a
Piſana. 844. b
Pragenſis. 853. b
Pugiana. 911. a
Regiomontana. 928. a
Rinthelenſis. 987. b
Roſtochienſis. 873. b
Salmantica. 806. b
Toletana. 906. a
Tubingenſis. 897. a
Viennenſis. 805. a
Wittebergenſis. 907. b
Kilonenſis ſolenniter inſtituitur. 1039. b
Lundini ſcanorum erigitur. 1041. a
Acamirus. 645. a
Acanthus gymnicus. 208. a
urbs. 212. a
Acaſtus Archon. 190. b
Acatius V. Acacius.
Accaron. 1009. a
Accila. 901. a
Accius poeta. 375. b
Tullius. 235. b
Accurſius. 806. b
Acephali. 568. b
Acerræ. 343. a
Cn. Acerronius. 440. a
Aceſilaus. 358. a
Aceſtorides. 230. a. 240. b
Achab. 194. b
Achaca. 647. a
Achæi migrant. 188. a. cur non vincant ſtadio. 204. a. Rempb. erigunt. 323. b
Achæmenes. 236. b
Achæmenides. 244. a
Achæus Xuthi. 180. b. occupat Achajam. 181. a
Achaja. 181. a
Achajus. 641. b
rex. 652. b
Achias rex. 263. b. 265. b

Achernes. 251.a
Acheron. 301.b
Acherres rex Ægypti. 178.b
Dioſpolit. 179.b
Acheruſia. 301.b
Achillæum. 217.b
Achillæus. 505.a
Achillas. 510.a
Achilles dux. 185.a.506.a
Eunuchus. 405.a
Stadion. 465.a
Achis. 189.b
Achmet Imper. 861.a.912.b.958.a.
Acho. 816.b
Acholius. 531.a
M. Acholius. Aviola. 447.a
Severus. 513.a.b
Achoris rex. 267.b
Acilius Glabrio. 459.a
Lardus. 461.b
Mn. Acilius Aviola. 469.b.494.a
Glabrio. 469.b.497.b.482.a
Fauſtinus. 487.b
M. Acilius Glabrio. 356.b. 369.a 462.a.
Balbus. 382.a
Sex. Acilius Glabrio. 476.a
Acliulphus. 555.b
Acochas. 227.a
L. Acontius Optatus. 516.a
Acracarnes rex. 296.b
Acranida. 294.a
Acræ, urbs. 211.b
Acragantini. 264.a
Acragantum. 220.b
Acriſius rex. 181.a
Acrocorinthus. 186.b.316.b
Acrotatus. 310.a
Acta regio. 175.a
Acte liberta. 447.b
Actiaca pugna. 414.a
Acuſilaus. 381.a
Acyndinus. 518.a
Ada, ſoror & conjux. 293.b
Adad. 578.a
Adalbertus Epiſc. 696.a
Adalgadus. 706.a
Adalgiſus. 669.b
Adam. 169.b.170.b
Adamantius. 583.b
Adelbaldus. 680.b
Adelbero. 713.b
Adelbertus. 681.b.697.
Adelboldus. 718.a
Adelburgæ Epiſcopatus. 693.a
Adelhardus. 628.a
Adelheyda. 692.b
Adelphius. 553.a
Adelſtanus. 685.b
Adelvvaldus Longobard. 597.b.600.a
Northumb. 639.a
Aden. 924.b.968.a
Adeodatus. 611.a
Adgillus I. 613.a
II. 623.b
Adherbal. 381.b
Adheſir. 603.a
Adiabena. 467.b.484.b
Adiaphora. 929.a
Adimantus Achon. 239.b
dux. 264.a
Admetus Argonauta. 184.a
rex. 241.b
Adoleſcens Conſul. 293.b
Adolphus Imper. 827.a
rex Saxo. 610.a
Siniæ. 871.b
Coloniæ. 933.b
Geldriæ. 892.a
Dux Holſatiæ. 786.a. fit monachus lactifer. 816.a
Montenſis. 875.b
Naſſavienſis. 890.b
Adon. 956.a
Adonias. 192.b
Adoratio Imperatoris. 507.a
Adramum urbs. 267.b.293.b
Adraſtus rex. 184.b
Adria Colon. 32.b
Adrianopolis. 396.b.469.b
Aduatici. 495.b
Adventus Conſul. 489.b
Adulterium punitum. 184.a. 185.b.192.a.207.a.426. a. 430. a. 995.b.
leges de eo. 460.a.477.a
Advocati. 447.a
Æacidas. 294.b.309.a.
L. Æbutius Helua. 244.a
Poſt Æbutius. 250.b
T. Æbutius. Helua. 250.b
Ædiles Curules. 284.b
Ægates. 336.a
Ægeſtani. 254.a.259.b
Ægeus rex. 182.b
Ægialei. 181.a
Ægialeus. 173.a
Ægidius. 557.a
Ægi Potami. 243.a
Ægina. 253.
Æginetæ. 233.b
Ægyptii deficiunt à Perſis. 235.a. ab Ochio in poteſtatem denuò rediguntur. 291.b. pòſt ab Auguſto ſubiguntur. 414. a. à Saracenis. 604.b.630.b. à Mammelucis. 782.b. à Turcis. 915.a.
Ægyptius magus. 447.b
Ægyptus Aeria olim dicta. 178.b. domus ſervitutis. 139.a
Ægyrus. 174.a
Ægyſthus. 185.b
Acidales. 478.b
Ælia Capitolina 871.b
lex. 369.a
Ælianus hiſtor. 240.b.491.b
Imper. 499.b
dux. 504.b
Æm. Ælianus. 468.a
Pap. Ælianus Conſul. 490.b
Ælla Saxo. 861.
Ælius Cæſar. 473.a
Donatus. 520.b
Largus. 416.b
Titianus. 507.b
C. Ælius Pætus. 322.b
L. Ælius Cæſar, eſt Cejonius Commodus. 473.a
Lamia. 426.b
Sejanus. 436.a
Verus Cæſar. 473. a. 477.b.
P. Ælius Ligus. 362.b
Hadrianus 466.b
Pætus. 299.a.353.a
C. Ælius Petus. 365.a
Tubero. 421.a
Sex. Ælius Catus. 426.b
Pætus Catus. 354.a
T. Ælius. Antoninus. 475.b
Æmilia. 103.b
Via. 383.b
Æmilianus. 498.b
Æmilius Ælianus. 468.a
Macer. 420.a
Papus. 400.a
C. Æmilius Mamercinus. 271.b. 273.a
Fl. Æmilius 565.a
L. Æmilius Barbula. 324.b
Mamercinus. 236.b.274.b. 284.b. dictator. 301.a.
Papus. 307. b. 333. a. 341.b.
Paulus. 344.a.359.b.364.b. moritur pauper. 367.b.403.b.426.a.
Mamercus Dictator. 251.b.
Mamerc. Æmilius Lepidus. 379.a.
Livianus. 393.a
Mamercinus. 251.a
Dictator. 252.b
Manl. Æmilius Mamercinus. 263.a.266.267.b.273.a.
Barbula. 340.a
Lepidus 223.a.339.b.344.a.358.a. 396.a.362.a. 368. a. 375. b. 393. a. 405.b.408.a.429.a.
Mamercinus. 273.a
Papus Dictator. 307.b
Paulus. 317.a
Scaurus. 382.a
Q. Æmilius Barbula. 369.a.312.b.
Papus. 324.a
Lepidus. 417.b
T. Æmilius Mamerc. 242.a 298.a.
Tib. Æmil. Mamerc. 243.a
Æmon. 201.b
Æna. 187.b.347.b.
Ænea urbs Thraciæ. 185.b

Æneas Trojanus. 185.a
Sylvius rex. 187.a
hiſtor. 889.a
Æpinus. 932.b
Æqui populi. 235.b
Æquimelium. 251.a
Æquinoctia 169.b.367.a.368.a.b.372.a.b.373.b.376.b.378.b.404.a.471.b.174.a.674.a.737.b.
Æra V. Anni.
Ærarium Athenienſium. 239.b
Romanorum. 427.b
Aëria. 178.b
Æropas. 216.b
Æropus. 267.b
Æſchines Orator. 304.b
Eleus Meſſonius. 204.a
Mileſius. 431.a
Æſchylus Tragœdus. 232.b.241.a
Archon. 201.b
Æſculapius. 179.b.321.a
Æſculum. 335.a
Æſernia. 330.b
Æſimides. 205.a
Æſopus. 219.a
Æſtas pluvioſa. 652.b
ferventiſſima. 455.a. V. Siccitus.
Æſulum. 335.a
Æthalia. 247.a
Æthiopes migrant. 177.a
Aetius, præfectus militiæ. 538. everſor. 545.b
Conſul. 547.b. occiditur. 555.a.
Junior. 654.b
Ætna urbs. 240.a
mons. 240.b.255.b.381.a.
ſubſidit. 838.b
Ætoli. 178.a.185.b.255.a.305.a.362.a.
Ætolus Stadion. 337.b
Afra. 508.b
L. Afranius. 399.a
Hannibalianus. 505.b
Afri. 269.b.278.a
Africa à Saracenis occupatur. 606.b. liberatur. 618.a. diviſa in 7. provincias. 575.b
Africanus Scipio. 264.a.353.a
hiſtoric. 1.a.490.a
Jul. Africanus. 490.a
Agabus. 444.b
Agallianus. 625.b
Agamemnon. 183.a
Agameſtor. 200.b
Agapetus Conſul. 570.a
Papa. 575.b
II. 692.a
Agaſicles. 202.b
Agatha. 496.b
Agatarchides. 311.a
Agatarchus. 225.b
Agathe Caſtellum. 627.b
Agatobulus. 469.a
Agathocles rex. 308.b. filius 321.b. nepos. 326.b.
Archon. 287.b.405.a
Agathon. 613.a
Agathopus. 479.b
Agelas. 194.b
Agelaſtus. 495.b
Agelaus rex. 192.a
Stadion. 224.a
Agelmundus. 534.b
Agemachus. 356.b
Agemon. 199.b
Ageſias. 304.a
Ageſilaus. 193.b.268.b
Ageſipolis. 270.a
Agger ad coercendum Rhenum abſolvitur. 449.a
Agila. 580.b
Agilernus. 582.b
Agiltrudis. 678.b
Agilulphus. 593.a
Agis Eleus. 222.a
rex Pæonum. 286.a
Spartanorum. 190.a.255.b.262.b.
Agnes martyr. 508.b
Mansfeldica. 946.a
Agnon. 222.b.
Agnus Dei: cani incipit. 615.b
Agon Actiacus. 415.a
Capitolinus ſive Domitianus. 461.a
Iſelaſticus. 475.a
Nemeacus. 222.b
Puteolanus. 475.a
Olympicus. 184.b. V. Ludi.
Agraria lex. V. Lex.
Agris. 931.b
Agricola. 442.a.459.b
Conſul. 544.a
Agrigentum. 220.b.349.b
In agro vivebat Mumerius. 485.a
Agrippa Conſul. 415. moritur. 421.a.
Auguſti nepos. 427.b
junior. 446.b
Mathematicus. 462.b
Menenius. 240.b
rex Judæorum. 446.b
Latinorum. 195.a
Agryppina, Germanici uxor. 438.b.
Neronis mater. 434.b. 449.b.
Colonia V. Colonia.
Agrippinus Epiſc. 478.b.488.b
Agron. 340.a
Agyllæi. 275.b
Agyrinenſes. 296.a
Ahaſias rex. 195.b.
alius. 197.
Ahaſverus. 235.b
Ajax geminus. 185.a
Aidanus. 587.a.597.a
Aiderus. 942.b
Aidonius. 183.b
Aimar. 684.b
Ajo dux. 531.a.604.a
Aiſcomanni. 706.a
Aiſtulphus. 631.b
Aizo. 655.a
Akiba. 472.b
Alabandenſes. 364.a
Aladin. 825.b
Aladolus rex. 914.a
Alahis. 614.a
Alamandarus. 568.a
Alani. 458.a. 475.b. 540.a. pro Romanis. 554.b. hoſtes. 557.a
Alanus de inſulis. 830.b
dux. 677.a
Alaricus Gothorum rex. 531.b prædas agit. 538.a. petit Italiam & Romam. 538.b. ſociatur Honorio. 541.
II. 562.a
Alba Colonia. 316.b
Græca. 917.a
Longa, conditur. 186.b. diruitur. 212.a
rex. 192.a
regalis. 902.a.951.b
urbs. 773.b
Allani populi. 211.b.397.a
Albanus dux. 928. nonagenarius. 946.a.
mons. 349.a
Albarus. 220.b
Albatenius. 106.b.674.a
Albatorum ſecta. 866.a
Albericus Marchio. 688.b
Albero. 551.a
Epiſc. 714.b
Albertus Archidux Auſtriæ. 717.a.853.a.865.b.
Archiep. Magd. 701.a.913.a
Bamberg Comes. 680.b
Berengarii F. 698.b
Boruſſiæ dux. 911.b
Brandenburg. 885.a. ex Magiſtro dux. 919.a
Brunſuicenſ. 815.b
Carinthius. 722.a
Crantzius. 915.a
Elector Brandeb. 894.a
Saxoniæ. 873.a
Einbecciæ dux. 855.a
Epiſc. Pragenſis. 668.b
Fridericus Boruſſ. 938.b
Habsburgi dux. 801.b
Holſatiæ. 800.b
Imperator. 833.a
II. 880.b
Magnus. 799.a
Megapolitanus, fit rex Sueciæ. 854.b. capitur. 862.b
Miſniæ marchio. 784.a
Saxoniæ dux. 903.a
Urſus. 756.a
Walleuſtein. V. Fridland.
Alberus. 663.a
Albigenſes. 777.b. bello petiti. 795. diſperſi. 800.a
M. Albinius. 279.a
Albinus Cæſar. 485.a

Conſul. 550.a
Cejonius. 451.a
Dux. 483.b
Albio. 640.b
Albis. 427.a. 639.a. tanta violentia actus eſt ut ſcopulos & ſaltus avulſerit ſibi vicinos, 1035. a.
Albius Carrina. 407.b
Albo hatenus. 892.a. Urbs Finlandiæ quoad dimidiam partem incendio orto conſumitur. 1047.b
Alboin, rex Longobardiæ. 580.a
Italia. 587.a
Albula. 195.a
Albumaſar. 106.b
Alcæus. 914.b
Alcala. 845.a
Alcalanus. 1014.b
Alcamenes. 200.a
Alcavala. 845.b
Alcetas. 221.a. 307.a
Alchoranus. 762.b
Alcibiades. 247.b. 260.a
Alcides. 336.a
Alcimedon. 245.a
Alcimus ſacerdos. 367.a
Stadion. 373.a
Alciſthenes. 280.b
Alcmanpoeta. 211.b
Alcmaria. 978.b
Alcmeon. 204.a. 224.a
Alcoran. 762.b
Alcuinus. 638.a
Alcyon ſacerdos. 183.a
Aldebrandus. 629.b
Aldenarda. 859.a
Aldenburg. 754.b. 952.a
Aldricus. 624.b
Alectas. 307.a
Alectus. 505.b
Alemanni victi. 488.b. 500.b
Alenzonius. 945.a
Alepum. 963.a
Aleſius. 937.b
Aletes. 187.b
Alexander ab Ales. 806.b
Aleſius. 837.b
Amynthæ F. 229.b. 281.b
Antiochi F. 369.b
Ariſtobuli F. 400.b
Boruſſiæ dux. 907.a
Cæſar. 490.a
Caſſandri F. 319.b
Conſul. 490.a
Corinthi rex. 200.a
Epiri rex. 298.a
Epiſc. Alexandrinus. 512.b
Conſtantinop. 518.a
Romanus. 469.a
Farneſius. 944.a
Ferrarienſis. 953.a
Imperator Mammææ F. 102.a
Orientis. 682.b
Judæorum rex. 385.a
Macedo, Dives. 230.b
Magnus. 110. b. naſcitur. 288.a. vincit. 299. 300. parcit Judæis. 300.
Magni F. 307.a
Martyr. 537.b
Medices. 924.b
Papa. 466.b
II. 731.a
III. 769.b
IV. 813.a
V. 869.a
VI. 903.b
VII. alias Fabius Chigius in locum Innocentii X. à collegio Cardinalium in Pontif. R. eligitur, ejus modeſtia. 1035. a. damnat congregatione Generali librum inſcriptum, Apologia Caſuiſtarum. 1037. b. moritur. 1040.b
Pheræus. 281.b
Præfectus Africæ. 509.b
Poloniæ rex. 907.a
Polyhiſtor. 134.a
Priami F. 184.b
Pyrrhi F. 326.b
Pruvenas. 954.b
Scotiæ rex. 796.b
II. 797.a
III. 811.a
à Soltzvvedel Comes. 762. a.
Stadionica. 459.a
Stuartus. 816.b.
Syriæ rex. 371.a
Tiberius procurator. 444. b.
de Villa Dei. 795.b
Zebina. 379.a
Alexandra. 393.a
Alexandria urbs. 300.b. occiſioni permiſſa ob jocum. 488.b. tumultuatur, 554.a. 555.b
Alexia conditur. 183.b
Alexias. 264.b
Alexius. Imper. Orientis. 753.a
II. puer. 778.b
III. Comnenus. 787.b
Brana. 782.a
Ducas. 791.b
dux. 656.b
Patriarcha. 724.b
P. Alfinius Varus. 426.b
Alfonſus ex Ildefonſo. 611.a
Albuquercius. 911.a
Arragoniæ rex. 748.a. 826. b. 840.b.
Aſturiæ rex. 645.a
Caſtellæ rex. 796.b. 835.b & Legionis: Imper. 759.a.
Caſtus. 642.b
alius. 770.b
Catholicus. 105. b. 109. a. 628.a
Gallæciæ & Aſturiæ. 645.a
Hiſpaniæ Imperator. 738.a
Legionis & Aſturiæ. 640.a
II. 710.b
Magnus. 666.a
Neapolitanus. 904.a
Ordonii F. 686.a
Portugalliæ rex. 751.a. 761. a. fit Papæ vectigalis. 762.b
II. 795.b
III. 839.b
IV. 881.a
V. 896.b
Sapiens. 734.b. 812.a. Imper. 814.a
Alfridus. 669.b
rex. 724.b
Algezira. 620.b. 845.b
Algidum. 248.a
Algiberenſes. 990.b
Alhacam. 644.a
II. 690.b. 699.a
Alhama. 899.b
Alienus dux. 456.a
Alipius. 525.b
Alladius debiſcit. 198.a
Allelujah cantandum. 592.b
Allersheymium. 1022.a
Allia. 279.a
Allienſis clades. 273.b
Alliſæ. 315.a
C. Allius Fuſcianus. 482.b
Q. Maximus. 487.a
Allobroges Galli. 398.b
Almamons. 502.b
Almageſtum. 655.a
Almanſor. 683.a
II. prorex. 702.b
Almaricus Gothus. 572.b
Hieroſolym. 771.
Almeida. 911.a
Almeria. 834.a
Almericus. 572.a
Almondar. 676.a
Alpaida. 618.a
Alpes. 345. Cottiæ. 619.b. Caſſadorenæ. 992.a
Alpinus. 657.b
Alredus. 635.a
Alricus. 644.a
Alſatia. 965.a. decẽ Civitates ſalva libertate ſua, Regi Galliæ promittunt homagium præſtare 1041.b. ſub jugum mittit. 1043.a
Alſium. 335.a
Altavilia. 1016.a
Altenburg. 754.
Altenburgicus dux. 1009.a
Altendorp. 1008.b
Altonæ moritur Joh. à Labadiæ novæ ſectæ aſſumptor. 1042.b
Altfridus. 614.b
Altringerus. 1005.a
Altunach. 754.b

Aluarus.

Aluatus. 887.a. 938.b
Alyattes. 204.b
Alypus. 551.b
Alzecus. 610.b
Amalafrida. 565.a
Amalaſuenta. 570.b
Amalaſuntha. 570.
Amalecitæ. 188.b
Amalfæus eſt Piccolhuomineus. 1024. a.
Amalricus Fortunatus. 656.b
Amalus. 562.a
Amandus. 504.b
Amantius. 519.a
Amarzi. 368.b
Amaſia urbs. 913.b
Amaſis. 220.a
Amathus. 387.b. 588. a
Amazias. 198.b
Amazones. 186.b
Ambarualia. 537.
Amberceletus. 619.a
Amberg. 842.a
Ambianum. 540.a. 953.a
Ambigatus Gallus. 220.a
Ambitio damnoſa. 544.b
Ambiguus Bibulus. 470.a
Ambitus lex. V. Lex.
M. Ambivius. 429.a
Ambracia. 255.a. 344.b
Ambrones. 385.b
Ambroſius pro conſul. 528. a. fit Epiſcopus. 529. b. legatur. 532. b. curat reliquias. 532. b. inducit Antiphonas. 533. b. excommunicat Auguſtum. 534. b. moritur. 536.b
Rex. 561.b
Calepinus. 911.b
dux Britan. 554.a
Florentin. 878.a
Spinola. V. Spinola.
Ambsdorffius. 926.b
Ambuſtus. 726.b
Amedæus fit dux. 871.b
Amelingus. 961.b
Amenemes. 184.b
Amenophis Tanita. 176.b. 191.b.
Ægypt. 177.b
II. 179.b. 182. b
Dioſpol. 176.b
II. 177.b
III. 179.b
IV. 182.b
Amer. 664.b. 720.b
America. 905.a
Americus. 905.a. 788.a
Amerſes. 177. a.
II. 179.b
Amiclas. 176.b
Amida. 523.a
Amilcar in Sicilia. 238, a. 311. b.
Barchinus. 335. a. mergitur. 340.b
Aminander. 354.a
Aminocles. 203.b
Amiras eſt dux. 606.a
Amirtæus. 261.b
Ammingus. 634.a
Ammon Davidis F. 191.b
Lothi F. 174.a
rex Judæ. 211.b
Ammonii. 227.a
Ammonitæ. 366.b
Ammonius philoſ. 492.a
Stadion. 333. a. 473. a.
Amneſtia. 1012. a. 1018.a
Amoreus. 627.a
Amorium. 659.b
Amos rex Ægypti. 176.b
Propheta. 200.b
Amphæa. 205.b
Amphictyon rex. 178.a
ſacerdos. 187.a
Judex. 298.a
Amphilochi. 357.b
Amphilochius. 535.b
Amphion. 180.a
Amphipolis. 232.a. 251.a
Amphipolus Jovis. 294.a
Amphiſſa. 357.a
Amphitheatrum. V. Thetrum.
Amphora pendens. 503.b
Amri. 194.a
Amſterdam. 943.a
Amulius rex. 201.a
Saturninus. 499.a
Amurathes. 852.b
II. 874.a
III. 942.a
IV. 991.a
Geangir. 932.b
Amyclæ. 198.b
Amynias. 257.a
Amynthas Aſſyr. 178.b
Macedo. 224.a. 254.a
Amyrtæus. 261.b
Anabos. 188.a
Anabaptiſtæ. 922.b
Anacharſis. 219.b
Anacleteria. 364.b
Anacletus Papa. 460.b
II. 465. a. 757.b
Anacreon. 210.b. 222.a
Anæenſes. 251.a
Anagius. 590.
Anancius. 411.a
Ananias. 450.b
Anaſtaſia. 507.a
Anaſtaſius Papa. 537.a
II. 565.a
III. 682.a
IV. 766.b
Conſul. 564.a
dux. 601.b; 621.b
Hiſtoricus. 614.a
Imper. 564.a
Patriarcha. 626.a
Presbyter. 104.a. 546.b
Anatolius Mathem. 102.a
Conſul. 549.b
Anaxagoras. 831.b. 243.a
Anaxander. 206.a
Anaxandrides. 238.b
Anaxis. 285.b
Anaxicrates. 314.a. 325.b.
Anaxibuis. 272.b
Anaxidamus. 202.b
Anaxilaus. 240.a
Anaxillus. 549.b
Anaximander. 216. b. 225. a.
Anaximenes philoſ. 217. a. 283. a.
Hiſtoric. 285.a
Anaxis. 285.b
Anchialum 593.b
Anchiſes Archon. 235.a
Ancona. 271. b. portu ornatur. 468.a
Anconita. 628.b
Ancus rex Romanorum. 213. b. ſubigit Latinos, eis aſſignat Aventinum. 214. a. Fidenates, Sabinos. b. ornat urbem. 215. a. Vejentes. domat bis. 215.
Andeca. 590.b
Andegavenſis urbs. 670.b
Academia. 849.a
princeps. 817.a
Anderium. 428.b
Andinus Comes. 661.b
Andoinus. 572.b
Andragaſtus. 590.b
Andragathias. 534.a
Andreas Andrii. 212.a
de Auria. 920.b
Carolſtadius. 912.b
Calybites. 634.a
Grittus. 929.a
Lacedæm. 397.a
Martyr. 508.b
Oſiander. 124.a
Rex. 726. a. 798. a. 826. b 848.b.
Scytha. 670.b
Theologus. 943.b
Andriſcus. 370.b
Androcles. 203.a
Androgatius. 534.a
Androgeas. 183.b
Androgynus. 381.b
Andromachus. 286.b
Ambrac. 399.a
Andromenes. 316.a
Andronicus dux. 363. a. 734. a. 773. a.
Imperator. 923.b
II. 842.b
Martyr. 505.b
Andropompus. 187.b

Androſthenes. 358.a
Androtion. 289.a
Andrus. 263.b
Anglia. 554.a.589.a.594.b.
Pontifici vectigalis. 625.b. 661. a. denuò. 796. a. quantum pendat. 808.b
Deſiit eſſe. 771.a.794.a.denuò. 803. a. 925. b. habet Aquitaniam. 815.a. 116 emittit aurum. 844. a. novam Franciam in India occidentali ſui juris faciunt. 1035. a.
Conſtituit dignitates. 729.b
Reges deſcendunt à Rollione. 671.b
regem ſubjicit ſecùri, novo exemplo. 1028. Novus Rex Carolus deſideratur. 1037. b. revocatur in paternum regnum. 1038.a. confertur à Rege Joh. Georg. II. Electori Saxoniæ, inſigne Periſcelides 1042. a. adverſus Batavos bellum declarat. ib. b. junctis ſibi Gallorum navibus Batavos denuò mari aggrediuntur. 1043. Mediatoris partes inter bellantes agit. 1044. b. bellum denunciatur à Gallo, de hinc merces Gallicas & vinum aduſtum importare prohibet. 1045. a. Variæ Conſpirationes deteguntur inde odium erga Jeſuitas & Pontificios incenditur. 1046. b. Parlamentum Londinum convocatum; Rex diſſolvit. 1047. b. nova conſpiratio adverſus Regem detegitur. 1049. a.
Angri Saxones. 552.
Angria. 519.a
Angrivarii. 431.a
Anguienus dux. 1019. b. 1022.a. jam eſt Condæus 1025.a
Anhaldinus. 827.a
Amanus. 461.a
Anicetus. 449. b. 476. b. 479.a.
Annicius Acilius Glabrio Fauſtus. 549.a
Baſſus. 547.a
Cerealis. 451.b.488.b
Fauſtus. 507. a. 562. a.
Paulinus. 513.b
L. Anicius Gallus. 367.b.
Fl. Anicius Maximus. 571. b.
Fl. Anic. Olbrinus. 557. b. 571. a.
Hermogenes Olybrius. 536.a
Paulinus. 502.b.515.b
junior. 516.a
Sex. Anic. Petronius Probus. 528. a. 540.a.
Probinus. 536.a.563.b.
Probus. 569.a.572.a
Juſtinianus. 571.a
Manlius Severinus Boëthius. 563. a. 568. a. 571.b
Maximus Conſul. 547.b. necat Valentinianum. 554.b.
Imperator. 555.a
Aniellus. 1025.a
Anien. 217.a
Anima cui dicta immortalis. 200. a. 224.a. defunctorum evocata. 489.a
Aniſus. 642.b
Anna Angla. 922. b. Auſtriaca. 940. a. Britanna. 903. a. Saxo Anhaldina 947. b. Dana. 952. a. Tyrolenſis. 966. Meolicara. 1024.a.
Annæus Seneca Conſul. 441.a. 450. a.
Annales. 560.b
Annasburgius. 934.b
Annatæ. 863.a
Annenberg. 903.b
Anni Actiacæ Victoriæ. 112. b. 414.a. 152.b.
Alexandræi Selevvidarum. 105.b. 152.a. 312.a.
Antiocheni. 404.a
Arabum Petræorum. 466.a
Armeniorum. 581.b
Aſcalonitarum. 385.a
Athenienſium. 65.b
Auguſtorum. 112.b. 415.b. 449.a.
Biſſextiles. 3.a. 101.a
Calecutenſium. 682.a
Calippici. 145.b
Captivitatis. 126.a
Chaldæorum. 311.b. 313.b
Chriſtianorum 426. a. 871. 5. quibus primum uſus Carolus Severus. 483.b. adde huc facientia. 490. b. 494.a. 573.a
Cæleſtes. 99.a
Contractuum. 311.a
Diocletiani, ſive Martyrum. 504.a
Dionyſii. 99.b
Ed ſſenorum. 502.5
Embolimæi. 5.b
Genlalæi 737.b
Græcorum. 105.b. 313.a
Haſmonæorum. 374.a
Hipparchi. 373.b
Hegiræ. 94.a. 101.b
Hiſpanici. 410.a
Jezdegirdici. 604.b
Jobelei. 101.a. 113.b
Judæorum. 169.b
Juliani optimi. 100.a. 112.a
Laodicenorum. 404.a
Metonici. 301.a
Mundi. 130.a
Nabonaſſaris. 130.a
Neuruza. 737.b
Olympiadici. 201.b
Paſſionis Chriſti. 585. a. 438.a
Peregrinationis Patriarcharum. 174.a
Perſarum. 737.b
Philadelphi. 99.b
Philippi, ſive mortis Alexandri. 130.a
Ptolomæi Philadelphi. 99. b.
Romani. 72.a
Sabbatici. 101.a. 105. a. 113. b.
Syracuſanorum. 294.a
Tropici. 6.b
Turcarum. 601.b
Tyriorum. 379.b
Urbis Conditæ. 72.b
Annianus. 511.b
Anniballianus. 517.a
Annius Baſſus. 505.a. 515.b
Cornelius Anullinus. 506.a
Gratus. 496.a
Milo. 400.b
Viterbienſis. 317.b
Fl. Annius Euagrius. 531.b
Ap. Annius Bradua. 477.a
Trebonius Gallus. 466.b. 480.a
C. Trebonius. 485.a
L. Fabianus. 485.b
M. Libo. 470.b. 486.a
Verus. 496.b
T. Pollio. 460.a
Luſcus. 369.b. 378.b
Anno Epiſ. 732.b
Annonii populi. 446.a
Annonæ vilitas. 652. b. 822. a. 891.b.
caritas. 400. b. 836.b
Annuli aurei jus. 433.a
Annus quid. 3.a
Anödocus. 375.a
Anomalia Lunaris. 6.b
Anſeaticæ. V. Hanſæ Civitates.
Anſeginus. 606.b
Ansgarius. 653.b
Anſelmus Comes. 638.b
Epiſc. 652.a. 731.a
Abbas. 742.a
Anſibarii. 449.a
Anſprandus. 621.a
Antalcidas. 271.b
Antandrus. 256.a
Antaradus. 618.b
Antemnates. 205.a

INDEX.

Antenor. 185. a. 262. a. 371. b. 446. b.
Antequera. 869. b
Anteros Papa. 492. b
Antharius. 398. b
Antharit. 591. a
Anthedon. 387. b
Anthemius. 539. b. 551. b. 555. a.
Imper. 558. a
Conſul. 569. b
Antheſtion. 402. b
Anthimus. 576. a
Antiates. 234. b
Anti Chriſtus. 749. a
Anticles Athen. 295. b
Meſſen. 205. a
Archon. 303. a
Anticrates. 218. b
Antidotus. 247. b
Antigenes. 263. b
Antigonus Ariſtobuli F. 408. a
Frater. 385. a
Demetrii F. 326. a. 337. b
Dux. 305. a
Gonatas. 337. b
Hyrcani F. 383. a
Philippi tutor. 240. b
Macedoniæ rex. 336. a
Stadion. 321. a. 322. a
Antigonia. 314. a
Antilochides. 251. b
Antimachus poeta. 264. b
Stadion. 202. b
Antinomi. 915. a
Antinous puer. 471. a
Antiochia 318. a. ſeditioſa. 532. b. perit tota 572. a. 591. b
Alia Piſidiæ. 621. b
Antiochianus. 500. b
Antiochus Comagenes rex 458. a.
Conſul. 547. a
Cyzicenus, fr. Gryphi. 381. b.
Dionyſius. 390. a
Epiphanes. 361. moritur. 366. b
Eupator. 366. b
Euſebes. F. Cyziceni. 387. b
Gryphus 379. b. trucidatur. 387. b
Sedetes. 375. a
Seleuci F. 326. a
Frater. 339. a. 343. b. 390. a
Soter. 325. a. 331. b
Theos. 331. b
Magnus. 326. a
legatus Alcibiadis. 263. b
Antipas. 462. a
Herodes. 442. a
Antipater Archon. 272. b. 444. a
Herodis F. 408. a. 424. b
Idumæus. 395. b. occiditur. 408. a
Philippi F. 319. b
Poeta. 397. a
Prorex Macedoniæ. 301. b 325. a
Stadion. 376. a
Antiphates. 319. a
Antiphemus. 210. a
Antiphilus. 305. a
Antipho. 258. b
Antiphona. 533. b
Antiphonarium. 592. b
Antipolis. 369. b
Antiſſiodorum. 712. a
Antiſtius Burrus. 481. b
Vetus. 445. b. 476. a
C. Antiſtius. 416. a
Vetus. 423. a. 463. a
L. Antiſtius. 279. a
Vetus. 447. b. 468. a
Antitheus. 375. a
C. Antius Julius Quadratus. 462. b.
Antium. 236. b
Antonia. 482. b
Antoninus Pius. 469. a. 473. b
Antonius Cardinalis. 936. b
Conſul. 532. a
de Dominis. 972. a
Dux. 455. b
Epiſcopus. 933. b
Florent. 889. b
Leva. 920. b
Monachus. 515. a
Muſa. 417. a
Nothus. 944. b
Patriarcha. 676. b
Pius naſcitur. 461. b. fit Imper. 473. b. Conſul. 474. a. moritur. 477. b
Rufinus. 476. b
Sabellicus. 900. a
Guntherus ultimus è Comitibus oldenburgicis vita excedit inde inter Regem Daniæ & Ducem Gottorpienſem contentio de ſucceſſione oritur. 1040. a
C. Antonius. 397. b
Fl. Antonius. 532. a
Marcellinus. 518. a
Jul. Antonius. 421. b
L. Anton. 408. b
M. Antonius Conſul. 386. b. 412. a. Bacchus. 409. b. armatur in Auguſtum. 412. b. vincitur. 413. b. moritur. 414. a
Rufinus. 471. a
Orator. 390. a. Curator oræ maritimæ. 394. a
Q. Anton. Merenda. 258. a
Antverpia. 570. a. olim Caſtellum. 626. b. accedit Brabantino. 867. deditus Parmenſi. 947. a.
Anubis, vel Phidus. 481. b
Anullinus. 506. a
Anulo. 650. a
Anxur. 263. b
Apamia. 318. a. 587. b
Apaturia. 187. a
Apelles dux. 247. a
Apelleus. 225. a
Apenninus. 220. a. 345. b
Aper Magnus. 485. b
lethalis. 762. b
Apes deſcriptæ. 203. b
Aphek. 195. b
Aphidas. 186. b
Aphrodiſium. 931. a
Apianus. 932. a
Apioli deleti. 216. a
Apion. 387. a
Conſul. 577. a
Apis rex Sycion. 173. b. 176. a
Archivorum. 176. a
Deus Ægypti. 457. a
Apogæum Solis. 7. a
Apollinarii. 525. a
Apollinaris. 479. a
Apollo: ejus ſignum. 479. a. regnum. 175. a. vitiat.
Coronidem. 179. b
Delius. 178. a
Carneus. 178. a
Chriſtianus. 446. b
Apollodorus. Architectus. 470. a.
Archon. 253. b. 291. a. 306. a. 307. a
Hiſtoric. 1. a
Orator. 397. a
Apollonia. 396. b
Apollonius cur damnatus. 462. b
Conſul. 557. b
Dux. 365. b
Philoſoph. 475. b
Poeta. 323. a
Magus 462. a. colitur. 490. b
Rhetor. 393. a
Senator. 482. a
Stadion. 438. a
Apollonides. 313. b
Apollophanes. 344. b. 461. a
Apologus de membris humanis. 233. b.
Apoſtatæ nullis accepti. 508. b
Ecebolus 524. b
Licinius. 512. b
Theodotus. 484. a
Appel. de Vicethumb. 884. a
Appius Annius Bradus. 477. a
Claudius. 250. b. Decemvir. 248. a
Hordonius Sabinus. 245. b
L. Appius Maximus. 465. b.
Apries. 219. b. ſtrangulatur. 222. a
Apronadius. 209. b
L. Apronianus Cæſianus. 440. b
L. Apronius. 434. b.
Nepos. 428. a

Apian-

Apſandrus. 209.a
Apſephion. 242.a
Apſeudes. 252a
Apuli. 304b
M.Apulejus Nepos. 418a
Q.Apul.Panſa. 317.b
Sex.Apul.Nepos. 414.b.
Apulia. 185.b.286.b
L.Apuſtius Fullo. 341.b
Aqua introducta Romam. 328.a 312.a. 412. a. Conſtantin. 329.a
lustralis. 466.b.662.a
Virgo. 418.b
Aquæ ductus. 373.a
Ceruleæ. 457.b
Curtiæ. 457.b
Martiæ. 459.b
Sextiæ. 380.a
Inundatio multis urbibus cladem & agros ſterilitatem adfert. 1038.b
Aquila interpres. 440.a.475.a
inſigne. 385. a. immotum diu. 402.a
aurea. 425.b
ominoſa. 411.a.829.b
urbs. 806.b
Aquileja. 554.a
Aquilex primus. 179.a
ſecundus. 252.a
Aquilius Orfitus. 476.b
Tuſcus. 235.b
Q. Aquil. Florus. 332.a
Sabinus. 488.b
L. Aquil.Rufus. 275.a
M.Aquil.Julianus. 441.a
Man. Aquilius. 378.a.385.b
Aquisgranum conditur. 471.a 650. b. improviſo incendio orto miſerè periit. 1036.a
Aquitania eſt Vaſconia. 544.a
Arabelus. 186.a
Arabes. 311.b.397.a.465.b
habent reginam. 192.a
occupantur à Saracenis. 804.a
Arabiſſum. 539.b
C. Aradius Valerius Proculus. 518.a
L. Arad. Valer. Pro. 518.a
Q.Arad.Rufinus. Proc. 512.a
Aradus inſula. 204. b. 409. a. 607. a
Aragoniæ inſignia 748.a
Aralius. 174.a
Araricus. 578.b
Araſſius. 1023.a
Aratus adoleſcens. 335.a
Aſtronomus. 324.b.389.a
Pater Oſilius. 347.b
Poëta. 323.a
Prætor. 328.b
Arauſica. 549.b
Arauſionenſe Caſtellum Rex Galliæ ſibi ſubjicit, & è Gynæceo Reginæ Virgines & fœminas Hiſpanicas dimittit. 1045. a. Regi Rex Hiſpaniarum præter leges ordinis vellus aureum mittitur. ib.
Araxis. 326.a.412.b
Aracironna. 959.a
Arbaces. 197.b.350.a
Arbela. 467.b.489.a
Arbetio 521.b
Arbia. 974.a
Arbianes. 206.a
Arbogaſtus. 535.a. ſcipſum necat. 535.b
Arca Domini. 187.b.191.b
Noæ. 172.a
Numæ Pompilii. 360.a
Arcades. 332. a. Spartæ infeſti. 281. b. unde dicti. 178.b
Arcadia unde dicta. 178.b
Arcadius Conſul. 533. a. 535.a.b. 536. b. 538.a.
Imper 552. a. pendet à Rufino. 536. a. ab Eutropio. 536.a
Arcas. 178.b
Arceanus. 209.
Arceſilas Cyrenaicus. 216. a 259.b
Philoſoph. 318.a
Stadion. 259.b
Arceſilaus. 243.a.245.a
Conſul. 499.b
Archagatus. 313.a
Lyſaniæ F. 344.b
Archangeli oppidum in Ruſſia celebre incendio perit. 1041. a.
Archelaus Armeniæ rex. 418. a.
Herodis F. 424. a. rex 425. b. exulat. 427.b
Macedo. 259.b.264.b
Mithridaticus. 390.b
Sacerdos. 187.a
Spartanus. 198.b
Archemenides. 243.b
Archeſtratides 221.b
Archias. 206. a. 258. b. 292. b.
Poeta. 385.b
Archidamus. 241.b. 252.
Archidas. 292.b
Archidiaconus Huntundinenſis. 627.a
Archiduces Auſtriæ. 808.b
Archilochus poeta 210.b
Stadion. 225.a
Archillas urbs. 545.b
Archimedes. 349.a
Archippus. 192. b. 307.b
Architas. 272.a
Archini. 174.b
Archonſes. 188.b. perpetui. 190. b. decennales. 204. a. annui. 323. a
Arcironius. 1002.b
Arcoſius Prorex. 1024.a
Arctinus. 203.b
Arcturus. 570.b
Arcula aurea. 479.a
Ardaburius. 544.b
Ardaricus. 555.a
Ardea. 273.a.953.b
Ardeates. 228.b
Ardeabaſtus. 613.b
Arduenna. 712.b
Arduinus. 712. b. 712. præfectus. 724.a
Ardyis. 211.a.214.b
Ardyſus. 201.a.a.204.b
Aredin. Ibid. 808.b
Arelate. 643.b
Areobinda. 548.a
Aſparis. F. 567.b
Areopagitæ. 245.a
Areopagus. 177.b
Areſcotus. 1010.a
Areta. 435.a.439.a
Aretha. 390.b.587.a
Aretinus. 882.b
Aretium. 323.b
Areunus. 191.a
Areus. 312.b
Argæus. 176.b.210. b. 271. a. 286.a.
Argenta. 592.a
Argentorati bellum. 540. a. 951. a
turris. 821. a. Rex Galliæ per deditionem intercipit. 1047.a
Argentifodinæ. V. Metalla.
Argentum ſignatum. V. Moneta.
Argeus rex Macedoniæ. 210. b. 245. a.
Thraciæ. 245.a
Arginuſæ. 264.a
Argolis. 177.a
Argon Chatti. 824.a
Argonautæ. 184.a
Argos conditur. 176. b. 242. b. ſubjicitur Phidoni 200. b. regnat. 174. b. deſinit. 182. a.
Argus. 176.b
Argyraſpides. 308.a
Argyrus. 720.a
Aria urbs. 1018.a
Ariabanus rex. 431.a
Ariadne. 558.b
Ariani. 549. a. 514. b. 411. b. 518 b. 519. a. 522. b
Ariathes rex. 368.b
Aribertus. 585. b. 605. a. 619. a.

Aribo.

Ariſbo. 718.a
Arichion. 222.b
Arichis. 590.a
Aricia. 230.a
Aricini. 230.a
Aridæus. 305.b
Ariminum. 329.b
Arintheus. 528.b
Arioaldus. 602.b
Aribarzanes. 387.b
Ariomirus. 587.a
Arion. 212.a
Ariopertes. 608.b
Arioviſtus 394.a. 400.a
Ariphron. 198.b
Ariſtæus. 469.a
Ariſtagoras. 230.a. perit. 232.b
Ariſtander. 365.a
Ariſtarchus Grammaticus. 323.a. 369.a
Mathematicus. 246.b. 325.a.
Ariſtenetus. 539.b
Ariſtides ejicitur. 236. b. revocatur. 239.b
juſtus. 239.b
Philoſophus. 470.b
Ariſtion. 257.b
Ariſtippus. 282.a
Ariſtobuli Alexandri F. 411.a.
Conſul. 504.b
Hyrcani F. 383.a. dux, Pontifex, rex. 384.b
Minor. 395.a. à Scauro confirmatur. 396.5.a. Cæſare. 404.a
Ariſtoorates. 267.b
Ariſtodemus dux. 187.b. 270.a 310.b.
rex Corinthi. 198.a
Meſſenæ. 206.a
Civis Cumanus. 230.a
Archon. 290.
Ariſtogito. 228.a
Ariſtolochus. 293.b
Ariſtomachus. 341.0
Ariſtomenes Archon. 222.a
Comicus. 252.b
Dux. 210.b
Ariſtomneſtus. 259.b
Ariſton Archon. 246.b
rex Spartan. 202.b
Stadion. 409.b
Ariſtonicus. 377.b
Ariſtophanes Archon. 300.b
Comædus. 251.a. 264.a
Grammaticus. 353.b
Ariſtophon. 206.b. 301.a
Ariſtophylus. 258.a
Ariſtoteles philoſophus naſcitur. 275. b. audit Platonem. 281. a. confert ſe ad Hermiam. 292. a. inde Mitylenen. 293. b. ad Alexandrum erudiendum vocatur. 294. a. in Lycæo ſcholas habet duodecim annis. 298. b. migrat Chalcidem. moritur. 305. b. ejus opera in linguam Latinam tranſlata. 806. a. Metaphyſica flammis addicta. 794.a
Theræus Battus. 215.b
Ariſtotimus. 328.b
Ariſtoxenus. 308.b
Arius rex. 174.a
Hæreticus. 510. a. 511. b. 514. b. 517. a.
de Arkel princeps. 862.b
Armamithes. 175.a
Armatus. 560.a
Armenia. 397. a. 446. a. Saracenis erepta. 615.a
Armenii. 581.
Arminius. 974. a. ejus ſectarii. 988. a. 996. a.
Armorici. 532. a. 551. b
Arnegiſlus dux. 551.b
ab Arnimb. 998. a. 1002. a. 1014. a.
Arnobius. 475.a. 508.a
Arnoldus vivus exuritur. 767.a
Geldriæ dux. 875.a. 892.a
de Villa nova. 824.b
Arnsberg. 771.b
Arnshaug. 698.a
Arnulphus Auſtriæ. 672.b
Bavariæ. 684.a
Beneventi. 596.a
Epiſcop. 707.a
Flandriæ. 695.b
II. 697.b. 734.a
Hollandiæ. 706.a
Imperator. 676.a
Longobard. 593.b
Schirenſis. 694.b
Aro. 403.a
Arondelius Anglus. 1013.a
Aroſia. 927.b
Arphaxat. 172.b
Arpinum. 316.a
Arragatis. 1012.a
Arragonia Comitatus. 639. b. fit regnum. 748.a
Arrianus Conſul. 495.a
Philoſophus. 475.b
Arrichion. 222.b.
Arricinus Clemens. 463.a
Arrius hæreticus V. Arius.
Severianus. 471.a
Q. Arrius Pætinus. 469.a
T. L. Antonius. 463.b
Ars damnoſa. 432.b
L. Aruntius Nepos. 417.b
Arſaces. 334.b. 387.b.
Arſacius. 539.b
Arſenale Venetum. 910.a. 939.b
Arſenius Epiſco. 516.a 667.a
Præceptor Arcadii. 532.a
Arſes. 296.b
Arſilochus. 177.b
Arſinoa. 324.b
Arſuth. 747.a
Artabanus. 243.b. 587.b
Artabarzanes. 235.a
Artabazes. 418.a
Artaldus Epiſc. 692.b
Artaphernes. 231.a
Artamenes. 339.a
Artavaldus. 629.a
Artavaſtus rex. rebellis. 628.b
Artaxata urbs. 448. b. 452.b
Artaxerxes Mnemon. 265.a
Ochus. 288.a
Perſa. 491.a. 531.b
Xerxis F. 243.b
Artemidorus. 422.b. 455.b
Antemiſia. 290.a
Artemiſium. 238.a
Artemius. 621.b
Artemones. 250.b
Artena. 266.a
Artes liberales. 323.a. 665.b
Midæ dant aures aſininas. 182.a.
Artevelda. 847.b
Artifices in periculo. 432.b. 441. a. 551. a. 746. a.
Artica. 293.b
Articularis morbus. 364.a
S. Articulejus. 465.b
Artoces. 397. 397.a
Artorius. 414.b
Maximus. 507.a
Arturus Comes. 791.a
Arvandus. 558.a
Artavaldus. 412.a
Avetrum. 380. b. 560. a. 958. b.
Arunci. 233.a
Aruncus. 231.a
Aruns. 225. b. filius Porſenæ. 230. a.
Arymbas. 294.b
Aſſignatur. 208.b
uncialis. 346.a
Aſagræ Saraceni. 824.a
Aſahel. 190.a
Aſander. 420.b
Aſar. 639.b
Aſarias propheta. 193.b
rex. 199. b. idem eſt Uſias.
Aſcadates. 177.b
Aſcalaphus. 184.a
Aſcalon. 572.a. 747.a
Aſcalonitæ. 749.a
Aſcalum. 578.b
Aſcanes. 174.b
Aſcanius. 186.b
Aſcendere in cœlum. 633.b
Aſchalius. 176.b
Aſclepiades. 416.b
Aſclepiodotus. 544.b
Aſclepius Conſul. 566.a
Aſconius Pædianus. 402. b. 458.b
Aſcrunium. 941.a

Aſculum. 326.a
Asdrubal. 334.a
gener Hamilcaris. 340.occiditur. 343.b
frater Hannibalis. 346.b
Aſerinus. 193.b
Asham. 1029.a
Aſia Romanorum. 379.b
Aſiaticus Halicarn. 428.b
Aſinius Pollio. 407.a
C. Aſin. Gallus. 422.a
Pollio. 409.a
Saloninus. 433.a
L. Gallus. 450.a
M. Agrippa. 433.b
Q. Marcellus. 447.a
Aslæus. 1022.b
Aſmonæi deſinunt. 410.b
Aſopius. 254.b
Aſpar. 545.a
Fl. Aſpar. 557.b
Aſpaſica. 285.a
Aſpendii. 272.b
P. Aſper. 488.a
moneta. 883.b
Aſphaltites 775.b
Aſporatius. 553.b
Aſprena. 428.a
Aſſa. 193.a
Aſſaradinus. 210.b
Aſſeburg. 735.a
Aſſyrii. 174.b
Aſtacus. 269.a. 331.a
Aſtarinus. 193.b
Aſtartus. 193.a
Aſtejus. 280.b
Aſterius Conſul. 552.a.564.b
Epiſcop. 571.b
Martyr. 504.b
Aſterus. 179.b.
Aſtrologi veraces. 197. b. 303. b.1021.a
vani. 765.a. 838.b
medici. 893.b
pulſi. 412.b
Aſtronomica inſtitutio. 429.a
Aſtures. 415.b. 612.a
Aſtyages. 219.a
Aſtydamas. 267.b
Aſtylus Croton. 235.a
Syracuſ. 236.b
Aſychis. 204.a
Aſychos. 238.
Aſylum. 546.b. Eccleſiæ. 596. b.
Atarna. 292.a
A. Aterius Fontinalis. 246.b
Tib. Saturninus. 485.a
Athalaricus naſcitur. 570. b. regnat. 572.b
Athalia. 197.a
Atharagildes. 582.b
Athanas. 285.b
Athanaricus Gothus. 527. b. moritur. 531.b
Athanaſius Syrus. 603.a
Epiſcopus. 514. b. accuſatur. 515. a. exul. 517. a. reſtituitur. 518. a. pellitur. 522. a. moritur. 528. b.
Epiſcopus alius. 673.b
Athaulphus. 541. b. necatur. 542.b.
Athenæ duplices. 177. b. propylæa. 251.a. cenſus. 295. b. renovatur. 239. a. luſtratur. 219. b.
Athenienſes ſunt Jones. 181. a. vincuntur à Cretenſibus. 183. b. vincunt Peloponneſios. 188. b. ſuccumbunt Bœotiis. 248. b. Spartanis. 265. a. ſubjugantur. à Philippo III. a. à Piſiſtrato. 224. a. deſerunt urbem. 238. a. mutant magiſtratum. 323.a
Athenæus. 259. b. 478.a
Athenais. 544. a. eſt Eudocia. b.
Athenio. 385. a. 413. a
Athenodorus dux. 564.b
Origenis diſcip. 492.a
Stadion. 445. b. 447. a. 450.a
Stoicus. 426.b
Atheſis. 385.b.
Atherades. 209.b
Athima rex. 626.b
Athirco. 495.b.
Athniel. 180.
Atho mons. 212.a.236.b
Athichis. 604.a
App. Athilius Metilius Bradua. 466.b
Aul. Calatinus. 332.b
Serranus. 363.b
C. Bulbus. 335.b
Regulus. 332.b.341.b
Serranus. 384.a
L. Longus. 268. b. 249.b
Calatinus. 333.a
M. Regulus. 300.b.376.a
Metilius Bradua. 466.b 483.a
C. Serranus. 384.a
Sex. 376.a
C. Atinius Labeo. 378.a
Atoſſa. 228.a
Atra. 484.b
Atrebates. 540. a. 1017. a. liberatur ab Hiſp. 1035. a.
Atreus. 182.a
Atridæ. 183.a
Attalus dux. 297. b. rex Aſiæ. 298. a. moritur. 355.a
Filius. 337.a
Ultimus Pergamorum. 375. b.
rex Gothorum. 543.a
Imperator umbratilis. 541.
C. Attejus Capito. 427.b
Attica prius Acta. 175.a
Atticus Ciceronis. 413.a
Pontius Atticus. 536.b
Herodes. 475.a
Sarelian. 476.a
Epiſc. 540.a
Attila. 548.a. 551. a. quantus. 552. vincitur. 553. b. repulſus moritur. 554.b
L. Attius eſt Accius. 375.b
Avares. 586.a
Avaricum. 402.b
Avaritia lethalis. 746.a
Avantius. 1020.a
Audas. 544.a
Audomarus. 617.b
Audovvachrius. 561.a
Avellinus Comes. 758.b
Avenarius. 950.a
Avenion. 626.a
Aventinus. 198. b. Latinis datus. 214. a. 229. b. plebi. 246. b. includitur. 445.b
Averrhoës. 759.b
Aufidius Baſſus. 480.a
C. Atticus. 494.b.
Cn. Oreſtes. 394.b
Victorinus. 477.b
M. Fronto. 485.b
Victorinus. 481.b
T. Fronto. 471.a
Augarus rex. 488.b
Auguenſes. 650.b
L. Augur. 469.a
Augures. 249.b
Auguſta prætoria. 416.a
Vindelicorum. 420. b. cedit Francis. 581. b. nudatur muris. 740. b. peritigni. 780. a. dedicat templum. 782. b. inſtituit Scabinatum. 856.a. obſidetur. 1023.b
Tiberii. 922.a
Emerita. 543. b. Trevirorum à Rege Galliæ occupatur. 1042.b.
Auguſtalia. V. Ludi.
Auguſtana confeſſio. 921.b
Auguſtinus naſcitur. 530. a. docet Romæ Rhetoricam. 532. a. Mediolani. b. audit Platonicos. 533. a. Theologos. b. baptiſatur. 534. a. presbyter Hippon. b. ſcribit libros de C. D. 541. b. Epiſcopus. 536. a. ſumit Coadjutorem. 545. b. moritur. 547. a
Alius Britanniæ reformator. 585.b
dat nomen promontorio. 1010.a.
Auguſtodunum. 572.b
Auguſtulus. 560.b
Auguſtus. 397. b. Cæſar. 406. b. Conſul. 412. b. 413. a. 414. 415. 423. a. uxorius. 409. b. paginas

pugnat cum Pompejo. 408. a. vincit Antonium. 413. b. nominatur Auguſtus. 415. b. pater patriæ. 427. a. deſcribit Judæam. 424. a. moritur. 430.a
Saxo. 928. a. Elector. 941. b. Dux Saxoniæ, Adminiſtrator Magdeburgenſis erigit Weiſſenfelſæ Gymnaſium cui nomen imponit, Auguſteum. 1039. a. Walpurgin Comitiſſam Leiningenſem ſibi deſpondet. 1042.a.
Avenionenſis Civitas juris Pontificii ob læſum Romæ Legatum, Rex Galliæ occupat. 1039. a. reſtituitur. ib.
Avienus. 563.b
Aviola. V. Acilius.
Aviothi. 774.b
Avitus. 489.b.542.b.548.b 553.a
Aulis. 185.a
Q. Aulius Cerenatus. 305.b
Aulædi remoti. 221.a
T. Avonius Marcellinus. 501.b
Auphidius. 418.a
Aurea Bulla Caroli IV. 852.a.
Aurei velleris equites. 184. a. 877.b.
Aurelianus Conſul. 537.b
Imperator Victor. 501.b
Aurelia. 553. a. unde dicta. 676. b. 876. b. à Ludovico XIV. Rege Gall. occupatur, & mœnibus nudatur. 1038.a
Aurelius Victor Conſul. 527. b.
Hiſtoric. 358.b. 464. b.
Claudius. 500.a
Ælix. 490.a
Rex. 638.a
Imper. V. Marcus.
Probus V. Probus. 502.a
C. Cotta. 334.a.353.a.432.a
L. Cotta. 373. a. 393. b. 396.b
Oreſtes. 368. b. 379. a 385.a
Symmachus. V. Symmachus. 515.b
Fulvus. 469.a
Cæſar. 476.b
M. Aſclepiodatus. 505.b
Antonius Philoſophus. 477.b
Carus. 503.b
Carinus. 503.b
Caſſiodorus. 569.a
Claudius Pompejanus. 479. b. 494.b.
Severus Alexander Cæſar. 490.a
Cotta. 394.a
Cæſar. 474.a
Aurelinnus. 500.b
Eutichianus Comazon. 489.b.
Commodus Antoninus Imper. 481.a
Maximus. 503.a
Scaurus. 393.b
Severus Cethegus. 479.a
Gordianus. 401.a
Pompejanus. 487.b
Memmus Fuſcus. 498.a
Xenophilus. 516.a
T. Fulvius. 461.a.473.b
Q. Aricius Symmachus. 571.b
Aures præciduntur. 807.b
Aureolus. 499.a
Aureum ſeculum in Portugallia. 917.b
Vellus. 877.b
Auriæ Duces. 920.b
Auriacus Princeps avitani dignitatem obtinet & Supremus belli Capitaneus à Fœderatis declaratur. 1042.b.
Aurum ſignatum. 349.b
infuſum. 814.b
purum & Hungaricum 191.a.
immenſum. 943.b
Aurum & argentum ex Anglia non exportantur. 844.a. quid pondo valeat. 384.a
Aurunca. 299.b
Auſetani. 545.b
Auſig. 856.b
Auſones. 300.a
D. Auſonius Poëta. 330.b
Auſpicia contemta. 342.b
Auſtraſia. 570.a.1004.b
Auſtria ex Marchionatu Ducatus. 767. b. Archiducatus. 808.b. diviſa inter ſe. 841.a
Auteſio. 188.a
Automedon ſacerdos. 187.a
Automenes. 201.a
Autoſthenes. 211.b
Autocheiria. 207. b. 229. a. ex metu ſupplicii. 297. a. 334. b. 302. a. 408. b. 409. a. 410. a. Sardanapali. 198. Sidoniorum. 291. a. Iſaurorum. 305. b. familiæ Nicoclis. 312. b. Japidum. 412. a. Numantinorum. 377. a. Judæ. 438. a. Philomeli. 289. b. Scribonii Libonis. 431. a. Petri de Vinea. 810. b. Iſocratis. 296. b. Antonii & Cleopatræ. 414. a. Cleomenis. 134. a. Lucretii. 402. b. Camilli. 443. a. ex ignominia. 207. b. 240. b. 433. a. fame. 250. b. ex morbo. 423. b. 438. b. per ſanguinem. 439. a. 444. b. 452. a. novaculam. 459. a. Priſciani. 477. a. Bajazethis. 867. a. ex ſcelere. 1029. a.
Auxentius. 529.a
Auximarum. 628.b
Auximum. 368.a
Axel Liby. 1015.b
Aytonæ princeps. 1010.a
Azarias. 566.b
Azo. 806.a.842.b
Azothum. 212. b. expugnatur. 214.a.372.a.

B.

BAal. 195.a
rex. 219.a
Baba. 806.a
Babius. 188.b
Babo Comes. 717.a
Babotzas. 933.a
Babylas. 494.b.525.a
Babylon. 172. b, ſedes regni. 205. a. capitur. 225. b. 301. a. 467. b. rebellat. 227. b. captivitatis. 126. a. regnat. 172. b. jungitur Aſſyriis. 173. a. evertitur. 722. b. illic depugnatur. 1005. b. ea expugnatur. 1016. a.
Bacchanalia. 178. b. 290. a. 358. b. 884. b
Bachiadæ. 214.a
Bacchides. 367.b
Bacchilides. 240.a
Bacchis rex. 193.b
Bacchylus. 484.b
Bactriani. 173.b.301.a
Badehorn Seonh. 948.a
Badericus. 570.b
Bedezorus. 195.a
Beduilla eſt Totilas. 578.b
C. Bæbius Tamphilus. 359.b
M. Bæb. Tamph. 360.a
Bærea. 367.a
Baëſa. 193.a
Bagaudæ. 504.b.549.a
Bagdet eſt Seleucia. 632.a.861.a
Bagleb. 974.a
Bagoas. 291.b
Bajazeth. 862.a.898.b
Baichlinga Cænob. 749.a
Balac. 754.a
Balæna. V. Cetus.
Balator. 220.b
Balatores. 180.a
Balbinus. 473.a
Baldredus. 647.a. ultimus. 655.b.
Baldrevus. 655.b
Baldricus Epiſc. 715.a
Balduinus I. Comes Flandriæ. 679.b

II. 695.b
III. 719.b
I. Rex Hieroſolym. 747.a
II. 753.a
III. puer. 762.a
IV. 775.b
V. puer. 780.b
VI. 802.b
Theologus.
dux Edeſſanus. 746. b. fit rex. 753.a
Comes Hannoniæ 821.b
Securus Flandriæ. 751.a
Philoſophus. 998.b
Baldus ICtus. 847. b. moritur. 873.b.
Baleares. 380. a. 645.a
Baliſta mons. 361.b.498.b
Ballenſtad Comitatus. 715.b
Balliolus rex. 843.a
Balthaſar Landg. Thur. 861.a
Bamba. 611.b
Bamberg eſt Papæ. 717. emutatur. 728. a. occupatur 1006.b
Bambergerus dux. 1011. a. 1018.
Banaca. 636.b
Banditæ. 1029.a
Bannerius. 1005. a. 1012.b. 1014. a. moritur. 1017.a
Bantam inſulæ. 954.b
Banus Croata. 861.a
Baptiſmus iteratur Novatio. 497. b. obtingit Clodonæo. 416. b. Judæo per arenam. 481. a. cur non Radbodo. 618. b. quando campanæ. 654.b
Baptiſta Mantuanus. 883.a
Baras. 182.b
Barbari militant Romanis. 533.b. b. irrumpunt. 539. b. 540.a
Barbarſoneus. 1010.a
Barbaries univerſalis. 593.b
Barbarinus. 991.b. 1022.b. 1023.b
Barbaroſſa pirata. 923.a
Imper. V. Fridericus.
Barbarus. 900.a
Barcellona. 1023.b
Barcino urbs. 542. b. 644.b. ab Hiſpanis expugnatur. 1034.a
Barcyle. 339.b
Bardanes. 646.a
Bardas. 664.b
dux. 695.b
Sclerus. 702.a
Bardenicum. 690.a.784.a
Bardonganenſes. 639.b
Barillion. 1023.a
Barnabæ oſſa. 562. b. Viceloins. 851.b
Barneſeld. 977.990.b
Barnim. 957.b
Baris. 668.b
Baronius errat. 586. a. 690. a. 591.a.593.b.594.a.595.a.680.a cur Annales ex Hiſpania proſcripti. 718. b. moritur. 962.a
Barni. 567.a.745.a
Barſine. 312.b
Bartherus. 497.a
Bartholomæi oſſa. 658.b
Platina. 899.a
Bartholus ICtus. 834. a. moritur. 852.a.
Baruch. 217.b
Baruth. 318.a
Baſanus 327.b
Baſilea urbs. 657.a
Baſilica S. Marci. 656.a
Baſilides. 468.b
Baſiliſcus ſerpens. 661.a
Conſul. 557. b. Imper. 560.a. perit. 561.a
Baſilius Conſul. 567.b
junior. 561.a. 578.a
Epiſcop. Cæſarienſis. 521. a. 527.a
Imperator. 667.a
II. 702.a
Moſchorum dux. 913.b
Patriarcha. 700.b
Præfectus Romæ. 561.a
Baſmannus. 1014.b
Baſta. 902.a.954.b
Baſternæ. 360. b. Coloniæ fidæ. 503.a
Baſtida. 912.a
Batanæa. 417.b
Batavia. 378.b. 620. Inter Batavos & Anglos bellum navale cruentum quare? 1034. a. contra naves Gallorum in mari mediterraneo piraticam exercentes, claſſem mittunt, quæ injurias ulciſcuntur 1036. b. Danis claſſem 40. navium auxilio mittũt contra Suecos, quæ cum Suecis conflixit, eosque mari ſuperavit. 1037. b. vincunt Luſitanos & Inſula Ceilan in India expellunt. ib. pacem concludunt. 1038.a. ſuccumbunt contra Anglos. 1039.b. merces Gallicas importari prohiben. Inde datur cauſa belli atrocis 1041. b. ad bellum imparati cum jactura urbium & provinciarum à Rege Galliæ Epiſcop. Colon. & Monaſt. ſeditionibus etiam internis turbantur. 1042. a. Suecis ſolenniter bellũ denunciant. 1044. b. Cum Gallo pacem ineunt, excluſis Fœderatis & Ultrajectum ad Moſam recipiunt. 1045.b.
Bathi. 805.a
Bathorius Transſylvan. 942.b. 954.a
Bathſeba. 191.a
Bathyllus. 417.b
Batia. 180.a
Batildis. 610.b
Batnæ. 467.a
Bato rex. 378.b
dux. 427.b.549.a
judex. 484.a
Batoburgum. 378.b
Battus. 215.b
Bavaria ſtruit Monaſterium. 588. a. diſpartita. 813. a. Inter Electorem Bavarum & Palatinum ſeu Heidelbergenſem, de Vicariatu vacante jam imperio, controverſia gravis oritur. 1037.a.
Bandiſſin. 1000. a. 1006. b. 1024.b.
Bautius cadit. 987.b
Bauto. 533.a
Bazita. 975.a
Beatrix Burgunda. 767.b
Beatus. 640.b
Beaufortius Dux adverſus piratas maris mediterranei educit claſſem. 1039.b
Bebryces. 193.a
Beccer. 958.b
Beckius dux. 1016. a. cadit. 1025.b
Becquereyus. 1006.b
Beda. 1. b. evocatur Romam. 618. b. abſolvit hiſtoriam. 626. b. moritur. 627. a. cur Venerabilis. 627.a
Beelzebub. 195.a
Beginæ. 793.b
Begga. 606.b
Bechlingen. 715.b
Bela. 570.b.781.a
Beleaſtartus. 192.a
Beleſus. 197.b
Belgæ. 400. b. ſubduntur Imperio. 893. b. habent Epiſcopos. 936. a. ſumunt bellum. 941. b. inducias. 964. a. bellum denuò. 987. a. pacem. 1026.b
Belgius. 209.b
Belgradum. 888.a
Belibus. 209.b
Beliſarius dux. 575. a. Conſul. 575. b. moritur. 585. a. eſt fabulæ materia. 584.b
Beliſtiche. 333.a
Bellarminus. 699.b.988.b
Bellerophon. 181.a
C. Bellicius Torquatus. 469. b. 475.
Bellica inſtrumenta. V. Bombardæ.
Belloveſus. 220.a

Bellum

Bellum ſacrum. 288. a. præſagia &nuncii. 586. b. 631. a. 689. a. 781. b. Vide de ſtellis. Non temere ſuſcipiendum. 216. a. 236. b. 631. a. & deprecantibus inferenda. 616. a. dum; metuenda, vel invidia, vel periculum, ex caſibus belli. 254. auxilium divinum implorandum. 510. b. habenda præſagiorum ratio. 375. b. hinc oracula ante bellum conſulta. 206. a. 207. b. 224. a. 252. b. 297. b. Vota etiam facta. 221. a. 134. b. fiducia nimia obeſt. 195. b. 381. a. 617. b. & ſæpe victus eſt victor, voluptatibus perverſis. 337. a. 344. a. 655. a. 691. a. victoria exultans. 348. b. avidè prædæ inhians. 583. a. 775. a. vincit, ex deſperatione pugnans. 375. b. non ſemper victorias penes eos, qui ſe pro patriâ devovent. 622. b. aut pro quibus Monachi orant. 599. b. occultè habendum, quoad conſilia. 822. b. Metuis anceps, quadrigis diſcerpitur. 212. a. punit ſine conſilio vicentes. 297. b. 305. b. Eſt pœnâ divina. 192. b. pecunia ad illud conferenda. 349. b. & commeatus, quo ſine ſe ipſos devorant milites. 227. a. non omnia, etiam quæ hoſtium, vaſtanda, 224. a. crudelitas ſimulanda. 744. b. in compendium mittitur. 411. b. 310. b. 716. a. 824. a. pauci ſæpe vicerunt multos. 182. a. 189. a. 276. a. 341. a. 746. a. 761. a. b. 821. b. 845. b. 852. a. 878. b. 901. b. ſine jactura finiendum. 211. b. multi perierunt in bello Trojano. 185. a. Romanorum ad Cannas. 346. b. Judæorum Hieroſolymis. 456. b. ſub Conrado Imper. Germanorum. 483. b. in expugnatione Oſtendæ. 955. a

Belochus I. 175. a
II. 179. b
Belſazer. 223. a
Belus. 173. a. vincit Babylonos. b
Benedodar. 816. b
Benedictus Nurſin. 573. b
Papa. 587. b
II. 614. b
III. 663. a
IV. 681. a
V. 697. b
VI. 701. a. ſtrangulatur. b
VII. 702. a
VIII. 714. b
IX. puer undecim annorum. 721. b. 726. b
X. 730. a
XI. 831. b
XII. 843. b
XIII. 864.
Monachorum Patriarcha naſcitur. 561. a. fit Eremita. 565. a. moritur. 580. a. ejus monachi. 591. a
Beneventum. 329. b. eſt Papæ. 717. a.
dux. 610. a. 662. a
Beneficentia Titi. 459. b
conciliat hoſtes. 427. a
Beneact puer. 777. b
Bengala. 744. a
Bengazela. 744. a
Benhadad. 193. b
Benjamiticum bellum. 181. b
Benno Saxo. 714. a
Beorgok. 557. b
Beornredus. 633. a
Berbina. 820. b
Berengarius dux. 675. b
rex. 676. b. 692. a
Schiſmaticus. 727. a
Berenice. 323. a
Bergwerck. V. Metallicæ venæ.
Berga, monaſterium. 690. b
urbs Norvvegiæ. 949. a. 990. b.
Bergainius. 1025. b
Bergenſis Ducatus. 911. b
Bergonum. 842. b
Bergopſoma. 989. b
Bergzabern. 888. a
Beringerius. 715. b
Berneburgum. 708. b
Berna 613. a. 784. b. fœderatur. 842. a. 851. a
Bernhardus Abbas. 751. moritur. 766. b
Dorna. 806. b
dux Saxoniæ. 714. ex Anhaltino. 778. b
ejus inſignia. 795. b
Lunæburgi. 687. b. 714. a
Vinariæ. 1009. b
Epiſcop. Halberſt. 700. b
Rex Longobard. 649. a
Teutonicus. 894. b
Berno. 678. b
Abbas Muſicus. 717. b
Beroea. 318. 0
Beroaldus. 587. a
Friſius. 597. b
Philoſophus. 911. a
Berorredus. 670. b
Beroſus. 121. b. verus. 122. a. 329. a
Berottus. 911. a
Berſabe. 778. a
Bercha. 385. b. 636. b
Bertharius. 616. a
Bertholdus Bavarus. 692. b
Schwartz. 845. b
Suevus. 683. a
Zaringenſis. 789. a
Bertramus. 750. a
Bervicum Scotiæ. 843. b
Berx. 950. a
Beryllus. 491. a
Berythus. 318. a. 573. a
Beſſario. 893. b
Beſſi. 396. b
Beſſus. 301.
Bethela. 369. a
Bethel. 176. a
Bethlehem fit templum Veneris. 472. b
Bethlenus. 957. b. 968. b. moritur. 1003. a
Bethſaida. 428. a
Betula. 350.
Beumlerus. 966. b
Beyerus. 995. b
Beza. 635. b. 960. a
Bezabda. 524. a
Bezura. 366. b
Bibacitas 433. a. 503. b
Biblia in omnibus linguis lecta. 581. b. traducta in Græcum ſermonem. 329. a. 481. b. 486. a. Gothicum. 529. a. Latinum. 536. a. Hiſpanicum. 823. b. Germanicum. 923. b. Polonicum. 926. b. Slavonicum. 946. b. inventa in dolio. 489. a. ab Origene tripartita edita. 491. b. moraliter expoſita Pariſiis. 794. b. Complutenſia. 914. a. octo linguarum. 1025. a
Bibliotheca. 329. a. 390. a. 482. b. 990. a.
Bickardus. 1029. b
Bicken. 958. a
Biel. 904. a
Bielken. 1015. b
Bierſtatt. 901. b
Bigami. 533. a
Bilco. 247. a
Bilka. 176. a
Bingium. 523. a
Bion. 245. b
Bipontum. 940. a. 1012. a
Bironius. 956. a
Birræ. 958. a
Biſſextilis. 5. a. 101. a. 536. a
Bithynia. 180. a. 193. a. 326. a
Bitterfeld. 820. b
Bithultus. 381. a
Blackius, Trompium hoſtiliter aggreditur. 1034. a. fortiter contra piratas pugnat. 1035. b.
Bladmerus. 725. a
Blæſus. 431. a
Blanca. 705. b. 880. b
Blaſius. 312. b
Bleda. 550. a
Blondus. 880. a

Boadites. 899.b
Boamundus. 740. a. Apulus. 744.a.
Junior. 756 a
Boaria. 581.b
Boas. 181.b
Bocatius. 858.a
Bobetſchum. 954.b
Bocchoris Saites. 203.a
Bocchus. 384.a
Bochna. 812.a
Bochoritz. 946.b
Bockeshann. 894.
Boconia ſolitudo. 629.b
Boda. 740.a
Bodilo. 613.a
Boeninghauſius. 1009.a
Bœoti victi. 187.a.245.b
Boëtus Sicyon. 380.a
Boëtius Conſul. 563. a. 568. a. 571. b. dilucidat. Ariſtotelem. 568. b. relegatur. 572 a
Mathematicus. 565.a
Bog. 213.a
Bogeris. 660.b
Bogud. 405.b
Bohemia. 653. b. vaſalla Imperii. 693. a. obtinet ſuffragium Electionis. 793. b. & officium Pincernæ. 826. a. inſignitur. 768.b. cum Eccleſia Orientis concors. 886. a. repudiat Ferdinandum. 984 diſtribuitur in Epiſcopatus quatuor. 104. a. graviſſima peſte affligitur. 1046. b
Bohemobrodium. 999.a
Bojari. 621.a
Boji. 220.a.324.a.342.a.501.b
Bojohenum. 427.b
Bolani. 235.b.274.b
Bolanus. 467.a
Boleslaus rex Bohemiæ. 687.b
dux Poloniæ. 710. a. fit rex. 710.b
II. 730.a
III. 747.a
IV. 763.b
V. 1003.b
ultimus. 1014.b
Boleslavia. 688.a
Bolis. 348.a
Bolus. 384.b
Bombardæ. 845.b
Bomilcar. 312.a
Bommelvverder. 954.a
Bona opera. 930.a
Monachorum. 689.b
Eccleſiaſtica. 1001.b
Dea colitur. 398.b
Spes promontorium. 904.b
Bonaventura. 819.a
Borgarſius. 968.a
Bonifacius dux. 544.b
Epiſcopus: alias Vinofredus. 619.a
Mogunt. 630.
Papa. 543.b
II. 574.a
III. 597.b
IV. 598.a
V. 600.b
VI. 679.a
VII. 701.b
VIII. 827.b
IX. 862.b
Bonna. 523.a.946.b
Bononia. 357.b
Bonoſus. 503.b
Borane. 603.a
Borbonius. 920.a
Borckeloenſis Dynaſtia ab Epiſcopo Monaſterienſi Batavis reſtituitur. 1040.a
Bordfeldia. 729.a
Borgeſius. 963.a
Borgias. 908. a. Cardinalis. 1023.a
Boris. 959 b
Borivoi. 678.a
II. 746.b
Borna. 652.b
Bornevilius. 1010.a
Borſippus. 225.b
Borrius celebris Chymicus ac Scepticus ob hæreſin damnatur, & carceri perpetuo mancipatur. 1038.a
Boruſſa. 309. b. 708. a. Teutonicis permiſſa. 798. b. cedit Polono. 914. peſtilentia hoc in anno graſſatur. 1034 b
Boryſthenes fluvius. 212.b
equus. 471.a
Boſnia. 892.a
Boſo. 592.a. 671.a
Boſphorus Cimmerius. 251.a
Boſra. 495.a.762.b
Boſtares. 337.b
Bothuelius adulter. 937.b
Botſcajus. 958.b
Bottellus. 1021.b
Bottius dux. 1016 a
Bovianum. 313. a. 610.b
Bovillæ. 235.b
Bovinæ. 796 b
Brabantia ducatus. 601. a. 640. b.
Brachmanni. 303.a
Bradshavius Hafniam mittitur ob detentas naves ut eas ſollicitaret, ſed fruſtra. 1034.b
Bragadenus. 940.a
Brahe. 956. a. 1021. a
Brancaleon. 814.b
Brandanus. 584 b
Brandeburgum. 686. b. fit Marchionatus. 686. b. venditur. 707. a. ejus Marchiones. 803. a. 806. a. 813. b. 818. b. 822. b. 828. 835. a. 837. b. 851. a. 874. b. 875. a. b. 879. a. 885. b
Brandenburgicus Elector in ditionem Montenſem hoſtiliter ingreditur. 1033. a. Cum Ordinibus Fœderatis Belgicis fœdus init. 1035. a. cum Suecis iniit fœdus, qui conjunctis copiis Polonorum exercitum numeroſiſſimum non procul Warſavia aggrediuntur & ad Veſperam uſque ſtrenuè pugnantes victoriam obtinent inſignem. 1036. a. deſerens fœderis ſuecici ſocietatem ac illos ex Holſatia excludere parat. 1037. b. Lutheranis doctoribus interdicit elenchum nominalem 1038. b. Regiomantoni præſtant ei homagium ſolenne. 1039. a. Magdeburgum ei dicit Homagium. 1040. a. cum vidua Chriſtiani Lud. Ducis Luneb. relicta nuptias celebrat. ib. b. occupat comitatum Reinſteinenſem. 1041. b. cum Imperatore & Batavis fœdus init & inſtructiſſimum exercitum educit per Haſſiam. 1042. b. init pacem cum Rege Galliæ particularem. ib. vincunt Anglos & Gallos mari. 1043. a. Gallorum inſolentia motus in Alſatiam cum exercitu contra Gallos ſe movet. ib. b. Suecos acri certamine vincit, ac Marchia ejicit. 1044. a. arma victricia in Pomeraniam circumfert. ib. omnia Caſtella & oppida præter Stetinum, Stralſundum & Gryphiſvvaldum expugnat. ib. b. Una cum Rege Daniæ pacem Neomagienſem improbat. 1046. a. Halam & Magdeburgum ſolenni homagii ritu ſibi ſubjicit. 1047. b. Caſtellum Gritſiel in Friſia Orientali intercipit quod Batavis ſuſpectum videtur. 1048.a
Brandenfelſii. 860.b
Braſidas. 256.b
Braſilia. 906. b. 992. b
Braunfels. 987. a. 1010. a. 1011.a.
Breda. 950. a. 992. b. 1014. a. Carolus Angliæ Rex literas mittit quibus ſe veniam indulturum eſſe omnibus pollicetur, ſi regium Imperium ſubire velint. 1038. a. inter Anglos & Batavos pax initur, qua ſimul Galli & Angli conciliantur. 1040.b

Bredaonus dux. 1016.b
Bredefortum. 953.a
Bredenrodius. 813.b
Bredentinus dux. 1018.a
Breidenrod. 938.a
Brema. 922. a. ejus Epiſcopus. 638. b. 1015. a. in bannum à Cæſare declaratur. 1034. b. cum Suecis transigit ſuper juribus libertatis & promittit, ſe usque ad annum Chr. 1700. à ſeſſione in Comitiis de titulo liberæ ac imperialis civitatis abſtinere velle. 1040. a. ducatus ejus ab Epiſcopo Monaſter. & Lunæburgenſ. viribꝰ invaditur. 1044. a.
Bremeroverda. 1022.a
Brennus. 325.b
Brentius. 940.a
Breſæus. 1023.b
Bretislaus. 723.a
Breuci. 427.b
Brexdenburgum. 1020.b
Brezislaus. 723.a
Brictricus. 640.b
Brigantum. 458.a.1023.b
Brigitta. 561.a
Briſacum. 1008. a. deditur. 1014. b. à Fœderatis obſeſſum à Turennio liberatur non ſine clade accepta. 1043.b
Briſeis. 186.b
Britannia. 401. b. habet murum. 546. b. miſera. 551.a
Brito. 547.b
Brixia. 799.b
Brotomagus. 522.a
Broyus dux. 1018.b
Bruck. 938.a
Bructeri. 430.a.509.b
Bructuarii. 615.b
Bruder Hoff Argentorati ex donatione Regis Galliæ Jeſuitis cedit. 1049.a
Brunduſium. 185.b.312.a.336.a
Brunechildis. 585.b
Brunna. 1020. a. 1021.b
Bruno. 620.b
- Saxo. 672.b
Epiſcop. 711.b.725.b
in Quernfurd. 904.b
Brunovis. 981.a
Brunſuigum. 820. a. conditur. 665. a. liberum. 866. a. affligitur. 930. prodendum. 958. b. obſidetur à Ducibus Brunſulcenſibus & deditione facta in obſequium redigitur Princ. Brunſuigo - Wolferbytani. 1041. a.
Bruſſellæus. 1027.a
Brutii. 249.a.qui.288.b
Bruttius Præſens. 473. b. 481. a. 495. b.
M. Brutus. 407.b
D. 404.a
Jun. 229.a
Bubares. 236.b
Bublilius Optatianus. 511.a
Bucerus. 930.b
Buchananus. 946.a
Bucheimius. 978. a. 1016. b. 1021.a.
Bucholcerus. 109.b
Buckingham. 1001.a
Bucquojus. 976.
Buda. 919. b. 995. a. 1012. b. incendia perit. 1041. a. obſidione cingitur. 1050.a
Budæus. 926.b
Budenvveiſſium. 965.b
Budianus. 960.a
Budiſſina. 712.a
Buggenhagius. 920.a
Bugislaus. 961.b.970.b
Bugoniæ. 203.b
Bulas. 487.a
Bulgari. 563. b. pacantur. 566. a repreſſi. 577. b. in Italia. 610. b. unde dicti. 613. a. tributum exigunt. 613. b. ſub quatuor ducibus. 703.a
Bullionæus. 1018.a.1029.a
Bulgarius. 768.b
Bulla Innocentii X. P.P. de pace Oſnabr. 1033.a
Bulla aurea. 852.a
Bullingerus. 942.b
Bundſchuch. 918.a
Buntingus. 130.a 276.b
Bura & Helice. 280.b
Burchardus. 629.a
Epiſcop. Halberſt. 740.b
Herbipol. 642.b
Magdeburg. 840.a
Comes Helſenſt. 694.a
Dux Sueviæ. 685.a
Landgr. Thuring. 681 b
Burdegala. 625.a.1011.b
Burgenſis. 865.b
Burghdorffius. 1022.a
Burgundi. 505. a. 548. a. ſubduntur imperio. 693. b. trucidant ducem ſuum. 756. b. parent Gallis. 856. a. 1040. b. Comitatum ejus Galli occupant. 1043. b
Burrhus. 447.b
Buſchius. 902.b
Buſiris. 179.a
Buſur. 607.b
Buxentum. 356.a
Buxtehudum. 1022. a. Lunæburgenſes & Epiſcopus Monaſt. ſibi ſubjiciunt. 1044.a
Byzantium conditur. 212. a. capitur. 263. a. paret Romanis. 484. b. expugnatur. 485. a. fit ſedes imperii. 515. a. à Turcis ſubacta. 887.a
Byzantinij 226.b

C.

CAbades. 566.b
Cabul. 192.a
Cacanus. 596.b
Caci. 641.a
Cacicius. 725.b
Cacus. 184.a
Cades urbs. 179.b
Cadmus. 179.b
ejus arx. 180. a. 276.b
Cadolaus. 731.a
Cadomum. 873.a
Cadvvertus. 624.b
Cæcilia. 492. a. 617.b
Cæcilianus. 511.b
Cæcilius Baſſus. 407.a
Q. Metellus Dictator. 382.a
L. Dalmatius. 381.b
323. b. 381. a. 395.b
M. 382.a
Q. 351.a
Creticus. 395. a. 427.b
Macedonicus 373.b
Nepos. 386. b. 400. a.
Numidicus. 383.a
Pius. 392.b
Balearicus. 380.a
Scipio. 403.a
Celer. 399.a
Stat. Cæcilius. 361.a
Cæcina Decius Albinus. 550.a
Maurus. 563.a
Baſilius. 557.a
junior. 573.b
Q. Cæditius. 332.b
Noctua. 322.a
Cæleſtinus Papa 545.a
L. Cælius Rufus. 431.a
Cænomanni. 342.a
Cære. 219.a
Cæretani. 222.a
Cærites. 291.b
Cæſar Auguſta. 638.b
L. Cæſar. 419.b
Cæſarea. 418. a. 448. a. 370 b
Cappadociæ. 670.a
Philippi. 181. b. 428. a. 429. a.
Cæſare Lutrea. 1012.a
Cæſarius Conſul. 536.b
Philoſophus. 902.b
Cæſennius Pætus. 458.a
A. Macer Rufinus. 487.b
L. Rufinus. 499.b
Cæſtius. 420.b
Cætheus. 567.a
Caara. 1029.b
Cahere. 700.a
Cajetanus. 752. b. 915. b 974.b
Cain. 170.a
Cainan. 170.a
Caiphas. 431.b
Cajus Cæſar. 426.a
Papa. 503.b
Cala. 610.b
Calabria. 699.a
Calagurium. 394.b

Calami-

Calaminus. 953.b
Calanus, vivus exuritur. 303.a
Calatia. 315 b
Calba. 859.b
Calebronerus. 972.b
Calderinus. 897.b
Caleb. 179.a
Calecutum. 682.a.906.b
Caledones. 509.a
Caeſar Allar. 993.a
Calenbergius dux. 1016.b
Calendarium Romanum vitioſum. 968.a
Judaicum. 3.b.63.a
Gregorianum.103.a.945.b
Julianum. 3.b.12.
mutatum à Commodo. 481.a
Calendion. 561.b
Calepodius. 491.a
Calepinus. 911.b
Cales urbs.300.b. 848.a. in illa denunciatur bellum Hamburgenſibus à Rege Galliæ.1044.b.
Caleſium. 934.a.
M. Calidius. 400.b
Caligula. 435.a. imperat. 440.a
Calipha eſt dux. 604.a
Calippus 301.a. 289.b
Caliantani. 310.a
Calenbachius dux. 1015.b
Calliarchus. 317.b
Callias Cantenus. 240.b
dux. 230. a.252.b.
Archon. 246. a.261.b.264. a. 278. b.
Calicles. 448.b
Callicrates. 263.b
Callidemides. 286.b
Callimachus. 248.b
Archon. 291.b
Poëta. 326.a
Callinicus Architect. 612.a
Epiſcop. 616.b
Exarch. 595.a
Callipolis. 852.b
Callirhoë. 381.b
Calliſte. 178.b
Calliſtes. 466.b
Hiſtoric. 274.a
Stadion. 466.b
Calliſthenes. 211. a. 274.a. 287. b. 302.a.
Calliſtratus. 289.a
Calliſtus Papa. 489.b
II. 753.a
III. 777.b
IV. 888.a
Callithya. 176.b
Calloana 1015.a
Calmaria. 864.a. 953.b
Calocerus. 516.a
Calo Johannes. 753.a
Calomanus rex. 753.b
Calpe. 232.b
Calpetus. 194.a
Calpurnius Agricola. 492.a
Craſſus. 464.
Piſo. 480.a
C. 360.a. 575.a.452.a
Frugi. 396.a
Cn. 417.a.422.b
L. Beſtia. 382.b
Piſo.379.a.400.a.434.a. 448.b. 467. a
Cæſonius. 371. b.382.b. b.410.a.
Augur. 425.b
Frugi. 377.a. 498.b.
M. 332.b
Bibulus. 399.
Q. Piſo. 376.a
C. Calviſius Sabinus. 409. b. 423. b. 433 b.
Tullus. 466.b
Sethus Calviſius. 1.a.b
Calybes. 396.b
Camalodunum. 446. a. excinditur. 450.a
Camarina. 238. b. reſtauratur. 247.a.
Cambracum in Hiſpanio Belgio Rex Galliæ brevi tempore occupat. 1045.a
Cambyſes Perſa. 219.a
Cyri F. 226.a
Camelopardi. 565.a
Camelus. 608.a. 705.b
Camera Imperialis, 904.b. ubi. 910.a.
Cameracum. 546. a. à Condæo liberatur obſidione. 1036.b
Camerarius. 495.a
Cameria. 206.a.231.a
Camerini. 217.a.330.a
Camillus. 274.a. Dictator. 283.b
Caminiecia celeberrimum propugnaculum Podoliæ amittitur. 1042.b
Campane 600.a. quantæ 946.b. baptiſatæ. 699. b. pulſantur meridie. 888. b. ſponte.1007. b.1016.a.
Campanella. 1010.b
Campani. 347.a
Campanus. 727.b
Campedunum. 975.b
Camſon. 910.a
Camuni. 420.a
Canariæ. 848.b
Candace. 654.a
Candaules. 206.b
Candia. 654. a. à Turcis ad deditionem per Legatum poſtulatur. 1037.a. tribus annis fortiter defenſa Turcis per deditionem relinquitur. 1041.a
Pant. Candidus. 963.b
Canea cedit Turcis. 1023.a
Canendi diverſi modi. 637.b
Cangentianus. 381.a
Canidius Craſſus. 411.b
Caninefates. 456.a
C. Caninius Rebilus. 421.a
Gallus. 425.a
L. 410.b
Canis fidelis. 434.a
marinus. 1010.b
ſagax ad miraculum. 578 b
Vandalicus. 718.a
ſcabioſus portatur. 750.a 767.b.
ſalutaris. 1019.b
Caniſium. 950.a. 957.a
Cannenſis clades. 346.b
Canones Apoſtolorum falſo inſcripti. 536.a
Canonici Middelburgici. 305.a
Francofurtenſes. 844.b
Canoniſatio Sanctorum. 707.a
Cantabri. 415.b.624.b
Cantabriga. 603.b
Cantacuzenus. 845.a
Cantelmus. 1022.b
Cantiones. V. Hymni.
Cantium. 556. a. deſiit regnare. 653.b
Cantores inſomnes. 898.a
Canulejus. 249.b
Canuſina. 309.a
Caparronia. 330.a
Capellianus. 493.a
Capello. 1024.a
Capenates. 267.b
Capeſii. 346.b
Capetus. 192.a
Caphan. 947.a
Capis. 193.a
Capiſtranus. 886.a
Capito. 927.a
Capitolinus hiſtor. 512.b
Conſul. 501.a
Capitolium ſtruitur. 228. a. dedicatur. 229. a.conflagrat.391. b. reſtauratum dedicatur. 395. b. denuò. 461.b
Capnio. 888.a
Cappadocia. 307.b.439.b
Capra palus. 208.b
Hircus. 234 b
Capreæ. 234.b
Capſa. 384.a
Capua. 200.a.257.b.349.a
Caput bonæ Spei. 904.b
Caracalla. 484. b. imperat. 487. b. Conſul. 488. a. occiditur. 489.a
Caractatus. 434.a
Caraffa .1018. b. primas Jeſuitarum. 1014.a
Caralis. 332.a
Caranus. 200.a
Carauſius. 504.b
Carbiloviciue. 862.a
Carbo. 378.b
Carcarius. 868.a

Carce-

Carceres in Circo Romæ. 302. b. ferrei. 827.b
Carcinus. 277.b.
Cardames. 644.a
Cardanus. 943.a
Cardinalis cælibatum jubens ſcortatur. 756.a
Carduella. 804.a
Caria ſubacta. 225.a. concuſſa. 343.a
Carinus Imper. 504.a. V. Aurelius.
Carinthia 635.b. fit ducatus. 853.a
Cariſſiacum. 863.b
Cariſtadius. 912.b
Carmania regnum. 829.a
Carmaniola. 225.b. 878.b
Carmenta. 183.b
Carmelitæ. 769.b
Carmina hiſtorica. 643.b
fatalia. 225.a
Carnarii. 578.b
Carnea Dea. 229.a
Carneades. 348.a. 378.b
Carneus Apollo. 187.a
Carnia ludicrum. 211.a
provincia. 363.b
Carniola. 829.b
Carnuntum. 427.b
Carnutum. 310.a
Carolomannus Pipini Pater. 597.b
filius, Caroli Martelli. 628.b. fit monachus. 630.a
Calui F. 670.a
Ludovici F. rex. 674.a
Carolovocum. 971.b
Carolus Auſtriæ Archidux. 945.b. 972.b. 993.b
Andegavi Comes: rex Siciliæ. 817.a
II. filius mente motus. 821.b
Britanniæ rex. 995.b
II. 1028.a
a Cromwello regno ejicitur. 1033.b. revocatur in paternum regnum. 1038.a. Catharina Regis Luſitaniæ ſoror ſpondetur. ib.b. coronatur. ib. cum Batavis ſuper variis controverſiis tranſigit. ib. Batavis bellum indicit. 1039.b
Burgundiæ rex. 893.a
Calvus Imper. 660.b
Craſſus Imper. 673.b. & rex Galliæ. ibid.
Gonzaga. 998.b.
Hiſpaniæ rex. 914.a. naſcitur filius quinto die poſt obitum, qui Philippus Proſper appellatur. 1038.a. II. filius quatuor annorum ſuccedit. 1039.b. anno 14. impleto, majorennis habetur. 1044.b. Sponſam ſuam Loviſiam de Bourbon ex Gallia adventantem Madriti lætus excipit. 1047.a
Lotharingiæ dux. 707.b. In Caſtellū Antorfenſe præter opinionem captivus ducitur. 1034.b. poſt nuptias cum Regina Poloniæ vidua Cæſaris Leopoldi ſorore celebratas, in Alſatiam proficiſcitur; ubi Gallos Rheinfeldam intercipere molientes repellit. 1045.b
Magnus naſcitur. 629.a. imperator. 645.b. moritur. 650.b. canoniſatur. 771.b. ejus ſtirps maſcula deficit. 712.b. ſepulchrum. 710.b
IV. naſcitur. 836.b. eligitur. 849.a. 856. vendit 16. urbes Imperii. 858.a
V. rex. 914.a. eligitur. 916.a
Magnus rex Galliæ. 834.
II. Craſſus. 673.
III. Simplex. 875.
IV. 838.a
V. 854.b
VI. 856.a. 859.b
VII. 874.a
VIII. 899.b
IX. 935.b
Guſtavus. Imperator Sueciæ. 1026.b
Upſaliæ regno inauguratur. 1035.a. naſcitur filius. ib. b. moritur, varia belli fortuna fatigatus. 1038.a
Mansfeldicus. 952.a
Contarenus apud Venetos eligitur in Ducem templum D. Marci aperitur, ac mira hominum ſtrages ſuffocatur. 1035.b
Martellus. 618.a
Munſterbergius. 974.b
Neuſtriæ rex. 658.b
Sueciæ rex. 891.b
Sudermanniæ dux. 953.
Valeſius. 823.b
Vaſconium rex. 851.b
II. 861.b
III. 876.a. Joſephus Imperatoris frater unicus adhuc ſuperſtes moritur. 1039.a
Carpentani. 344.a
Carpezon. 997.b
Carpocrates. 468.b
Carrarienſes. 833.b.
Carrhæ. 402.a. 747.b
Carſeoli. 317.b
Carta. 612.a
Catheſii doctrina à Leidenſibus proſcribitur. 1044.a
Carthago conditur. 197.b. favet Xerxi. 237.a. transfretat. 254.a. 278.a. reſtauratur. 380.b. 414.b
Nova. 341.a
Carthalo. 333.b
Carthuſii Monachi. 740.b
Sp. Carvilius Maximus. 320.b. 328.a. 339.a. 341.a
Ruga. 340.a
Carus Imper. 503.b
Caryatæ. 175.a
Caryſtus. 354.b
Caſala. 999.a. à rege Galliæ à Duce Mantuano ſibi venditam præſidio impoſito firmat. 1048.a
Caſanes Waivvoda. 922.b
Caſanus Cham. 826.a
Caſſelis Colloquium de Concordia Eccleſiaſtica inter Theologos Rintelenſes & Marpurgenſes habetur. 1038.b.
Caſelius. 967.a
Caſilinum. 346.b
Caſimirus rex Poloniæ. 721.b. Regno ſeſe abdicat. 1041.a. vita excedit. 1042.b
II. 744.a
III. 777.b
IV. 843.a
V. 903.a
Palatinus Rheni. 946.a
Caſmannus. 962.a
Caſmenæ. 213.b
Caſpium mare. 288.a
Caſſander. 185.b. 305.a. 306.b. 319.a. 391.a
Caſſianus monachus. 545.a
Epiſcop. 476.b
Caſſinius Prætextatus. 494.b
Caſſinum Colonia. 311.b
Cœnob. 624.a. 630.a. 756.a.
Caſſio Dio. V. Dio.
Caſſiodorus. 564.b. ſolitarius. 584.b
Conſul. 584.b
Caſſius tyrannus. 480.a
Apronianus. 483.a
filius. 491.b
Hiſtoricus. 483.a
Chærea. 446.a
Severus. 433.a
Viſcelli. 231.a
Spur. 233.b. 236.a
C. Longinus. 363.a. 379.b. 387.a. 435.a
L. 379.a. 384.b
Q. 366.b
C. Poſtumus. 498.b
Varus. 394.a
Caſſonia. 958.b
Caſtalio. 936.b
Caſtellum Angeli Romæ fulmine tangitur

tangitur quo inſignia Pontificis deformantur. 1039.a
Fl. 542.b
Caſtor Hiſtoric. 1.2.386.b
Argonauta. 184.a
Caſtriotus. 896.a
Caſtrutius. 839.a
Caſtrum Colon. 321. b. 330. b.
Ducatus. 1028.b
Caſtulonenſes. 351.a
Catalauni deſciſcunt. 1017.a
Catana. 240.a
Catanos. 844.a
Cataphryges. 479.b
Catenæ Petri. 549.a
Auri. 266.a
ferri. 1025.a
Cathana. 206.b.773.b
Catharina. 509. b. ordo ejus. 857.b
de Bore. 919.a
Cornelia regina. 911.b
Medicea. 923.a
Navarræa. 959.a
Suecica. 939.a
Catholicus rex. 628.a
Catitenſes. 1021.a
Catilina. 369.b
L. Catilius Severus. 469.a.492.b.
Catinelnbogen. 879.b
Cato Quæſtor. 352.a
Cenſorinus. 339.b
Major. 351.a
Catualda. 431.b
Catti. 378.b.449.a.499.b
Catulinus Philoniarius. 520.a
Catullus. 343.a.414.a
Caucaſus. 302.b.
Cauchi. 427.a
Caudium. 307.a
Caventa. 263.a
Cazari. 619.a
Ceadregus. 652.a
Ceaulin. 584.b
Cecrops rex Athen. 177.b 188.b
II. 181.a
Cedrenus. 128.b
Cedrón. 375.b
Ceduallà. 615.b
Ceilan. Inſula in India ex ea Batavi Luſitanos expellunt. 1037.b.
C. Cejonius Rufus Albinus. 516. b. 519. a
Voluſian. 511.b
L. Commodus Verus. 459. a 466. a.
imperat. 472.b.503.b
P. Julianus. 513.b
Celada dux. 1009.b
Celedragus. 652.b
Celer. 567.b
Celeſtinus Papa. 545.a
II. 762.a
III. 785.a
IV. 807.a
V. 827.b
Celeus. 180.a
Cellam Georgius Wilhelmus jure ſucceſſionis accipit. 1039.b
Cellenſe Cœnob. 787. b. fœderatur. 877.b
Cellula Rameſloa. 666.a
Celredus. 623.a
Celſus. 490.b
Imper. 499.a
Celtæ. 281.b
Celtes. 907.a
Celtiberi. 345.b.360.
Cendeteus. 375.b
Ceninenſes. 205. a
Cennevvalhius. 606.b
Cenomani. 220 a
L. Cenotius Aventinenſis. 285.a
Cenſor apud Romanos. 222. b. 250.a.286.a. plebenis. 292.b. 301.b.309.a.312.a.315.a.316.b.318.b.320.b.322.b.325.b.327.a.328.b.330.a.332.b.333.b.334.a.335.b.337.a.338.b.339.a.340.a.344.a.348.a.349.b.352.a.356.a.358.a.359.b.361.a.362.b.364.b.366.b.368.a.372.a.376.a.377.b.379.a.b.381.a.383.b.385.b.388.a.389.b.391.a.395.a.397.a.b.399.a.401.b.403.b.414.b.417.b.
Cenſorinus. 109.a.246.b
Cenſus Athen. 295. b. Romæ. 222. b. abolctur. 226. a. reſtituitur. 229.b
M. Centenius. 348.b
Centrum Luminarium. 7.a
Centumcella. 662.b
Centumnovellæ. 858.a
Cenulphus. 644.b
Ceavvald. 606.a
Cenvvinus. 612.b
Ceolvvolff, ſive Ceolphus. 595.a
II. 626.a
rex Daniæ. 670.b
Ceolricus. 592.b
Cephalenia. 246.a.267.a.399.b
Cephalædium. 333.b
Cephiſodorus. 287.a
Cephiſophon. 301.b
Cephiſus. 470.a
Cera urbs. 1023.a
Ceraſus in Britanniam illata. 386.a. in Italiam. 395.a
Cerberus. 183.b
Cercina. 430.a
Cerdon. 474.b
Cerealis. 457.a.522.a
Ceres. 183.b
Certitius Saxo. 565.a
Ceſennius Pætus. 450.b
Ceſpes mirè translatus. 653. b.
enatus. 1029.b
C. Ceſtius. Gallus. 439.a.453.a
Cetus piſcis. 420.a.580.b.867.a.985.b.988.a.1001.b.1017.a.1024.a. terret Cromvvellum 1037.a.
Chabrias. 272.
Chærea. 442.a
Chærephanes. 247.a
Chæronea pugna. 248.b.269.b
urbs. 290.b
Chæronidas. 296.b
Chaganus. 590.b.595.b
Cazarus. 619.a
Chalaos. 187.b
Chalcedon. 211.a
Calcidenſes in Italia. 191. in Siciliâ. 206.a
Chalcidicæ. 291.b
Chalcis. 254.a.894.a
Calcocondylas. 845.a
Chaldæi ejecti. 375.a. ubi habitent. 425.a
Chaldæi. 205.a
Chalep. 318.a.697.a
Cham magnus. 815.b
Chargius. 791.a
Charbinns. 224.b
Chares Archon. 241.b.252.a
dux. 283.a.296.b
Chariander. 279.a
Charibertus. 585.b
Chariclides. 284.b
Charidemus ſacerdos. 187. a. fugit obſumtus. 188.a
dux Athen. 299.b
Charillus. 197.b
Charinus. 313.a
Charmidas. 200.a
Charmis. 211.b
Charon Hiſtor. 238.a
Charondas. 249.a
Charops. 188.b
Archon. 204.a
Charopus. 354.a
Charſianum. 626.b
Chaſtellius. 960.a
Chatti. 421.b.431.a
Chebres Ægypt. 179.a
Chebrus Dioſpol. 176.b
Chelonenſis portus. 1020.b
Chemlevius. 1025.a
Chemnitius. 943.b
Chemnitz. 760.a.93.b
Cheops. 197.b
Chephrenes. 199.b
Cherſona. 607.b
Cherſoneſus. 208.b.212.a.267.b.995.a.
Cheruſci. 422.a.431.a.510.a
Chiezo. 707.b
Childebertus. 569.b.620.b
Childericus Francus. 560.b
Burgundio. 562.b
Chilon. 223.b
Chilpericus. 585.b

Chilpin-

Chilpingus. 634.a
China quæſita. 952. a. turbata. 1029. b. ob diſcordias internas à Tartaris ſubjugatur. 1035.a.
Chindaſuindus. 606.b
Chinſcius. 976.a
Chintilla. 604.b
Chinzerus. 206.b
Chion. 283.b
Chionides. 235.a
Chionis. 212.a
Chirothecæ venenatæ. 711.b
Chius. 261.a.270.b
Chiſius Legatus P.R. Lutetiam venit ac deprecatur injuriam Legato Gallico Romæ illatam, quapropter Avenio Pontifici reſtituitur. 1039.a
Chmielinscky. 1027.a
Chocim Caſtellum occupant Turcæ. 1044.a
Choelius. 236.b
Choerilus. 303.a
Chonobrius. 585.a
Chonodemarius. 520.b
Choraſā eſt Meſopotamia. 656.a.
Choreæ punitæ. 859.b. 863.a
- Epiſcopales. 859.b
- Regiæ. 863.b

Chramnus patri rebellis. 584.b
Chremes. 302.b
Chriſis. 257.a
Chriſtianopolis. 966.a
Chriſtianꝰ Epiſc. Halberſt. 588.b
- Dux Saxoniæ. 955.b. Elector. 947.b
- Holſatiæ, Sueciæ & Daniæ rex. 889.b. 913. a. 948. b. 1025. b.
- Ludovicus Dux Lunæburgenſis vivis excedit 1039. b. hinc contentiones. ib.

Chriſtianorum perſecutiones. 451.b.460.b.462. b. 464. b. 470.a.476.b.477.b.486.a.497.a.498.a.501.a.507.b.510.a.563.b.567.a
- V. Perſecutis.
- Auriculæ. 807.b

Chriſtina Regina ſeſe Regno abdicat. 1035. a. Romam ſe confert, ibique in templo Lauretano ejurat religionem Lutheranam, Virgini Mariæ, Coronam, Sceptrum, aliasq; res pretioſas dicat, nomenque proprium mutat. ib. b. Marchionem Monaldeſcium, Fontebellaquei in Gallia quod ſecreta ſua eliminaſſet columnæ alligatum, per Italum transfigi jubet. 1036. b. cum Hamburgi Electionem Clementis IX. P.P. ſolenniter celebrare vellet, plebs furioſa ædibus in quibus degebat, ruinam minitatur. 1040.b

Chriſtianſtadium in ſcania à Suecis obſeſſis fortiter à Rege Daniæ liberatur. 1045.a
Chriſtmannus. 967.a
Chriſtophorus. 630.a
- Papa. 681.b
- Columbus. 903.b
- dux. 621.b
- rex Daniæ. 923.b

Chriſtꝰ apparet Franciſco. 800.b
- num pro omnibus mortuus. 661.a
- punit pictorem. 557.a. V. Jeſus.

Chromhum. 283.b
Chronologia eſt hiſtoria. 1.a.3.a
- unde deducenda. 2.a
- ejus partes. 3.a

Chrovatæ. 675.b
Chryſaphius. 553.a
Chryſippus. 350.b
Chryſogonus. 382.a.b
- alius. 392.b

Chryſoloras. 865.a
Chryſomachus. 219.a
Chryſoſtomus. 532.a. presbyter. 533. b. epiſcopus. 537. a. curoſus Eudoxiæ. 539. a. exul. 539. b. ejus oſſa reducuntur. 549. a
Chunibertus. 606.a
Chuſanes. 180.b
Chytræus Nathan. 943.b.953.b
- David. 955.a

Ciboracum. 509.a
Ciborium. 587.a
Cicala. 947.b
Cicatrices abſolvunt Aquilium. 387.a
Cicero naſcitur. 384.a dat ſe Philoni. 399. a. Moloni. 390. b. abit in Græciam. 393. a. redit Romam. 393. b. ſcribit de ſenectute: divinatione, Amicitia. 306. b. de Inventione. 390. b. de Oratore. 401. b. de finibꝰ. 403. a. Fragmenta. 389. a. de Natura Deorū: is liter prohibetur. 406. b. 475. a. pro Roſcio. 392. b. 393. b. Quinctio. 392. a. Fontejo & Cæcinna. 395 b. L. Manilia & Cluentio. 396. b. Cornelio. 397. a. Gallio. 397 a. in Catilinam. 398. a. pro Sylla. 398. b. Flacco. 399. b. Sextio. In Vatinium de Haruſpicum reſponſis, de Provinciis Conſularibus, pro Balbo & Cælio. 400. b. pro & contra Gabinium in Piſonem. 401. b. Quæſtor. 393. b. in Verre. 395. a. Ædilis Curulis. 395. b. Prætor primus. 396. a. Conſul. 397. b. pro Murena. 398. a. Metello. 398. b Archia. 399. a. à Clodio deceptus: revocatur. 400. a. pro Sextio. 400. b. auguſ. 402. b. imperator in Cicilia. 403. a. pro Catone, Ligario. 405. b. occiditur. 408.a

Ciconia ominoſa. 554.a
Cicilia. 266.b.305.a
Cilo. 488.a
Cimbri. 382.b
Ciminia. 313.a
Cimmerii. 214.a
Cimon. 242.a
Cincius. 736.a
Cineas. 325.a
Cinegislus. 598.b
Cinna Cænobita. 774.b
- dux. 395.b

Cinnabaris inventa. 264.b
Circaſſi. 1006.b
Circeji. 253.b.354.b
Circumciſio. 174.a
Circus. 217.b
Cirnus. 524.b
Cirtha. 382.b
Ciſſa. 364.a
Ciſtercienſes. 645.a
Civilejus. 573.a
Civilis Batavus. 456.a
Civitates ubi locandæ. 209.a. adverſus cœcos. 212. a. ubi aqua ad menſuram. 249. a. ne fluvius introducatur. 275. a. ut legendæ 867.b
- Suevicæ. 857.a
- Anſeaticæ. 882.a.924.a

Cladebuch. 701.b
Cladunum. 634.a
Clara Virgo. 813.a
Clarimontium. 804.b
Clatidium. 351.b
Claudia, ſoror Claudii. 335.b
- ſobrina Agripp. 433.b
- Auſtriaca. 1017.a
- Felicitas Archiducis Oenipontani filia deſponſatur Imperatori. 1043.a. moritur. 1044.b

Claudiopolis. 966.a
- Cenſorinus. 449.a

Claudius Latro. 486.a
- Luſitanus. 591.a
- martyr. 504.b
- maximus. 479.b
- Seleucus. 490.a
- Julianus. 490.b

Appius Claudius Dictator. 322.b. ex Sabinis. 230.b
- Appii F. Sabinus. 242.a
- Caudex. 330.a
- Cœcus. 314.b.319.a
- Craſſinus. 257.a.293.a. 329.b
- Lateranus 485.a
- Marci F. Sabinus. 233.a
- Pulcher. 348.b.359.a. 373.b.392.b.401.b. 410.a.
- Regillenſis. 247.b
- Aureliꝰ Imperator. 500.a.b
- C. Appii F. Sabinꝰ. 245.a
- Canina. 323.a.327.b

Cetetho. 337.a
Cariſſinus, Dictator. 299.b
Marcellus. 403.b.404.a
Nero. 350.b
Pulcher. 351.a.378.a.388.a
Cn. Seuerus. 475.b.479.b
M. Glicias. 335.a
Marcellus.302.a.304.a.322.b.343.a.347.a.b.349.a 350.a.355.a.359.b.365.369.a.370.a.403.a.
Æſerinus. 417.a
Tacitus. 501.a.512.a
Druſ9.422.a.446.a.447.a
Craſſinus. 266.b
Pulcher. 334.b.359.a
Tiber Nero.347.b.349.a.352.b.410.a.422.b.
Atticus Hercules. 475.a
Fuſcus Salinator. 468.b
Imperator naſcitur. 440.a. ſuſcipit imperium. 442.b. V. Nero.
Severus. 485.b
Clavenna. 993.b
Clauſenburgum. 955.b
Clavum figere. 286.b
Clazomenii. 212.b.261.a
Cleander. 482.b. ſervus dominus. 482.b
Cleanthes. 350.b
Clearchus Conſul. 532.b
Dux. 260.b.266.a.
Tyrannus. 290.a.315.a
Clemens Alexandrinus. 1.a.99.a.180.b.483.b.
Agrippæ ſervus. 431.a
Papa. 459.a.462.b
I. 726.a
III. 738.a.783.a
IV. ex milite & uxorato. 817.a
V. 832.a
VI. 845.b
VII. 859.a
VIII. 875.b
IX. alias VII. 918.a. alias Julius Roſpiglioſi. 1040.b. moritur. 1041.a
X. alias VIII. 956.b. alias Altieri. 1041.b. moritur. 1045.a
Regidida. 949.a
Ultrajectinus. 617.b.643.a
Clementinæ. 835.b.837.a
Clementinus. 492.a.569.a
Cleocritus. 260.b.265.b
Cleomontes. 298.a
Cleombrotus. 238.b.277.b
Cleomenes rex. 233.b
II. 281.
III. 342.a
Cleon Dux. 254.b.257.b
Stadion. 217.a
Cleonidas. 216.a
Cleonymus. 316.b
Cleopatra, Alexandri M. ſoror. 306.a
Antiochi F. 349.b. nubit Epiphani. 356.b
Philometoris F. 371.a
Ptolomæi ſoror & uxor. 381.b.483.a. à filio occiſa. 389.a
Filia tranſit ab Antonio ad Auguſtũ 413.b. moritur. 414.a
Cleoptolemus. 210.b
Cleoſthenes. 228.a
Cleoſtratus. 225.b
Clepis. 588.a
Clepſydra. 368.a
Cleracimi. 989.a
Clericus de Calvo monte. 835.a. nemo politicum forum declinet. 554.a.767.a.702.a.920.a. immunis à bello. 836.855.a. honorand9 à ſecularib9. 592.a
Clerquius. 969.b
Cletus coercetur. 554.a.712.b
M. Cleſelius. 971.b
Cardinalis. 1004.b
Cletus Papa. 459.a
Clidicus. 206.a
Clingenberg. 989.a.987.b
Clitarchus. 295.a
Cliton. 302.a
Clitomachus. 346.b
Clitus. 299.a
alius. 308.a.
Cliviæ inter Electorem Brandenburgicum & Ducem Neoburgicum certa pacificationis formula componitur. 1033.a
Clivenſis dux. 669.b. impetum belli metuunt. 1035.a
Cloacæ. 226.a
Clochilaicus. 570.a
Clodio Capillatus. 551.a
Clodius rex. 368.a.501.a
Criſpinus. 466.b.467.b.490.b
Adelphilus. 553.a
D. Albinus. 484.a
P. 398.b
M. Pipienus Max. 491.a
Q. Olybrius. 531.a
Clodominus rex. 343.b
II. 377.b
III. 476.a
IV. 512.b
V. 568.b
Clodoſuintha. 594.a
Clodoneus. 563.a. moritur. 569.b
Cælius Siculus. 232.a
P. 279.b
T. 232.a.249.b
Clogio rex. 420.a
II. 426.b
III. 512.a
IV. 524.a
V. eſt Klodovvin. 545.b
Clonoicus. 364.b
Clorus. 249.a
Cloſtergrabium. 981.a
Clotharius. 569.b. monarcha Galliæ. 585.a.
Cluriacenſe Cænob. 678.b.756.a
Clupea. 333.a
Cluſium. 319.b
Car. Cluſius. 964.b
Cluvia. 313.a
M. Cluvius Rufus
Cluſini. 229.b
Clytemneſtra. 185.b
Cnidii. 214.b.270.b
Cnutus rex. 715.a
II. 737.b
Coa. 911.a.
Coadregus. 652.a
Coburg. 847.b
Cocalus. 184.b
M. Coccejus Nerva. 411.a.432.b.441.b.457.b.
Cochebas. 471.b
Codex compendioſ. 567.b
Juſtinian. 573.a
Theodoſian. 548.b
Codomann9 Chronolog9. 239.a
Codrus. 188.a
Cæcus curatus. 893.b
Diodorus geometra. 391.a
Didymus Scriptor. 528.b
Aſconius Pædian. 458.b
Coadjutor. 545.b
Cæle Syriæ. 335.a
Cælithema. 169.a.b
Cælibatus. 540.a
Cælius Tatianus. 470.b
Mons. 229.a.212.a
Probinus. 518.a
C. Caldus. 387.b
Rufus. 431.a
D. Balbinus. 491.a
P. 473.a.488.a
Q. Apollinaris. 479.a
Cœna Domini in exitium ſumta. 729.a.836.a. ubi abſque vino 901.b. fermentato pane. 763.b. quomodo Bohemis conceſſa. 979.b.880.a. præfationes variantur. 592.b. Kyrieleiſon additur. 592.b. & Agnus Dei, qui. 615.b. Introitus, Gradualia Offertoria. 545.b. Gloria in. 549.b. Ceremonialis veſtis adhibenda. 644.a.549.b. cur vi legant ſacerdotes. 537.a. benedicant cereo. 543.a. mulieres ne tangant nudis manibus. 592.b. digiti vitro abradendi. 863.a. vaſa nec vitrea ſint, nec lignea. 486.a. ſed argentea 490.b. quæ & in eleemoſynas converſa. 587.a. 609.a. aut in belli ſumtum. 601.a. vas Euchariſtiæ ſit turritum. 587.a. panis locetur ad dexterã. 717.a. Sclavi ſuam linguam urgent. 666.a.738.a. quidam venenum ſumſerunt. 766.b.836.a
Sepulcralis. 462.a
Cænus. 201.a
Cæpio. 384.a
Coës. 228.b
Cognatio ſpiritualis. 588.b.599.b

Coi. 270. b. creſcunt. 283.a
Colaltus. 976.a
Colaphi pernicioſi. 595.b
Colapus. 951.a
Colberga. 1003.b
Colchi. 397.a.571.b.864.b
Colchis. 184.a.405.a
à Collibus. 968.a
Collina porta. 240.a.288.a
Colobrathus. 1028.b
Colonia Agrippina. 446.a. Conſultationes de pace inter Gallum & Batavos inſtituuntur. 1045. a. abrumpuntur quam ob cauſam. ib.
Colonitius. 957.a.985.a
aliæ plures. 450.a
Colopho. 315.a.345.a
Colops. 412.a
Coloredus dux. 1013.b.
Coloſſæ. 451.a
Coloſſus ſolis. 343.a.608.a
Neronis. 458.b
Veſpaſiani & Commodi. 483.a
Columbanus. 585.b.589.a
Columbus Ligur. 903.b
Did. 915.a
Columella. 436.b
Columna pendens. 534.b
Comagena. 458.b
Comburſerius. 964.a
Comes. 737.a
Cometæ. 449. b. 459. b. 489 b. 534. b. 550. a. 571. a. 576. a. 595. b. 612. b. 626. a. 634. 658. a. 671. a. 674. a. 680. b. 702. a. 724. b. 732. b. 748. b. 750. a. 796. b. 817. a. 836. b. 844. b. 888. a. 894. b. 909. a. 934. a. 943. b. 962. a. 977. b. 1039. a. ib. b. 1047. a. 1048. b.
Comineus. 805.
Cominium. 320.b
Comitia Tributa & Curiata. 241.b
Conſularia. 249.b
Quæſtoria. 263.b
Commentiolus 590.b
Commodus Imper. 478.b.481.a
Comœdia vetus. 252.a
quando in Germaniâ audita. 907. a. dex. virginibus. 839.a
Poſt Cominius Aruncus. 231.a. 233.b
Compendium. 654.a
Compoſtella. 651.a
Computus Paſchalis. 521.b
Conatus. 475.a
Concha 777.b
Cõcilia Seleuciæ & Arimini. 521. b. Lampſaci. 526. b. Antiochiæ. 530. b. Conſtantinopoli. 531. b. 556. a. 871. a. Aquileiæ. 532. a. Cæſa. Auguſtæ. 532. a. Romæ. 934. a. Arelate. 564. a. Mediolani. 521. b. Alexandriæ. 512. b. Toleti. 614. a. 539. b. Seleuciæ. 522. b. Turoni. 562. a. Tyri. 516. b. Sardicæ. 519. b. Sirmii. 522. b. Carthagine. 536. b. 538. a. 539. a. b. 540. a. 543. b. 562. b. Epheſi. 547. a. 552. b. Niceæ. 513. a. Nicomediæ. 522. b. Dioſpoli. 543. a. Arauſicæ. 549. b. Chalcedone. 553. b. Bracaræ. 585. a. Baſileæ. 878. a. Tridenti. 928. b.
Concordantiæ. 806.b
Concordia. 429.a
Condæus. 936. a. 1013. a. In Aquitaniam proficiſcitur ac molitur novum bellum, cumq; revocari haud poſſet à molitionibus crimine læſæ Majeſtatis condemnatur. 1033. a. Hiſpanis ſe adjungit. 1034. b. præfertur Duci Franciſco Lothar. 1035. b. Cameracum obſidione liberat. 1036.b
Anguinii dux, filius. 1025. a. incarceratur. 1028. b. fratres è cuſtodia liberantur. 1033. a.
Sex. Condianus. 482.a
Confeſſio Auguſtana. 921.b
Saxonica. 931.a
Confidentia. 465.a
Congallus. 558.b.584.a.654.a
Congoſitanus rex. 342.a
Conimbrica. 558.a
Conobaldus. 585.a
Conon Archon. 244.a
Comes. 732.b
Dux Athen. 263.b
Mathematicus. 323.a
Papa. 615.a
Zeringenſis, fit dux Burgundiæ. 756.b.
Conradinus. 812.a. necatur 818.a
Conradus Imperator. 682. b. ex clive Franco. 718.b
II. 760.a
III. Evitat latrones. 812.a
rex Bohemiæ. 742.a
Burgundiæ. 704.b
Hieruſalem. 801.b
dux Bavariæ. 728.a
Lotharingiæ. 691.b
Sueviæ. 756.a
Marchio Brandenb. 819.b
Landsberg. 756.b
Miſniæ. 767.b
Comes Franciæ. 681.a
Kauffungen. 888 a
Wittigenſtein. 993.b
Geſnerus. 937.b
Gibboſus. 736.a
Glogavianus. 827.b
de Marpurg. 797.a
Pirata. 549.a
Wimpina. 909.b
Conredus. 626.a
Conſalvus. 699.b.906.b
Conſcientia turbata. 609.a
Conſenſus Dreſdenſis. 940.b
Conſentini. 348.a.541.b
Conſiliarii Alexandri Imp. 490.b
Darii. 299.b
Conſilium formatum. 1008.b
Conſtans naſcitur. 513.a
II. tyrannus. 542.a
III. Conſtantini Heraclii. F. 606. a. fratricida. 609. a. trucidatur. 611.a
Cõſtantia conſtantini ſoror. 510.b
Conſtantii F. 529.a
Manfredi F. 816.a
Wilhelmi Siculi ſoror. 781.b
urbs, vulgo Coſtnitz. 522.a
Concilium. 871.a
Pax. 780.a
Conſtantina. 590.a
Conſtantiniana. 521.a
Conſtantinopolis dedicatur. 515. b. obſidetur. 608. perditur. 887. a. 60000. ædificia incendio conſumuntur. 1038. a. Legatus Gallorum in carcerem conjicitur. 1039.a
Conſtantinus Magnus. 104. a. 509. b. victor Licinii. 513. b. diſtribuit imperiũ. 515. b. moritur. 517.a
II. 511. b. 512.b
III. Tyrannus. 540. a. occiditur. 542.a
IV. Heraclii F. 599. a. necatur. 605.b.
V. Pogonatus, Conſtantis F. 611.a
VI. Copronymus. 623.b
VII. Leonis F. Caballino. 638.a
VIII. 683.a
IX. 692.a.719.a
X. Monachus. 724.b
XI. Ducas. 732.a
XII. Palæologus. 885.a
Patriarcha. 635.a
Epiſcopus. 610.b
Papa. 620.a
II. 635.b
Rex Scotiæ. 555.a
II. 664.b
III. 680.b
IV. 708.a
Conſul. 555.b
dux Honorii. 542.a
Conſtantinus Chlorus. 506. a. Conſtantini F. 512. a. crudelis. 517.b
Alius, Honorii ſororius. 544.a
II. 544.a
Fl. Conſtantius. 506.a
Jul. Cæſar. 514.b
Conſuales. 204.b
Conſules Romani primi 229.a. Decemviri eorum loco creati. 247. b. qui tamen mox abrogati. 248. a. ultimus conſul fuit. Baſilius. 578. a. eos reducere voluit Juſtinus Imper. 585. b. id quod cives Romani etiam popoſcêre. 760. a. 761. b 763. a. ſed fruſtra. 783. b. Conſul ex plebe. 284.b

Contarenus. 391.b
Contentus ſuis Curius. 321.b
Contrademonſtrantes. 974.a
Contrebia. 373.b
Contrubi. 366.a
Contijus incarceratus. 1028.b
Converſatio cum Doctis. 240.a
Convivium Xerxis. 236.b
Copanum. 948.a
Copernicus. 3.b
Coplejus. 957 b
Coponius. 429.a
Copronymus. 623.b
Corax. 179.a
Corban. 434.a
Corbeja. 610. b. gemina. 653.
Corbia. 1013 a
Corbion. 235.b
Corbredus. 445.a
II. 455.b
Corbulo. 449.b
Corcuthus. 913.a
Corcyra. 209.a. 250.b. 925.a
Cordapſus. 632.a
Cordovva dux. 988.a
Cordrans. 1023.b
Cordua. 406. a. 580. b. ſedes regia. 622. a. deficit. 711. b. 1023.a
Corellius Panſa. 469.b
Corfinium. 404.a
Corinthus. 182. b. regnat. 220. b. bellat. 245. 250. b. diruitur. 372.b
Coriolanus 234. a. hoſtis. 235.a
Corioli. 234.a
Corippus poëta. 586.a
Cornelius Beccer. 958.b
Epiſcopus. 473.b
Gallus. 414.a
Papa. 496.a
Priſcus. 459.a. 462.b
Scipio Orfitus. 479.b
Secularis. 498.a
Tacitus. 461. b. invenitur. 915.a
Coſſus. 236. a. 251. b. 255. a. 256. a. 266. a. 267. b. Dictator. 276. b. 282. b. 284. a. 295. b. 301. b. 306.b
Palma. 466.b
C. 275.b
Priſcus. 459.a
Cn. Blaſio. 328.b. 332.b
Cinna Magnus. 427.a
Coſſus. 261.a. 267.b
Dolabella. 398.a. 392.a
Getulicus. 433.b
Lentulus. 353.a. 419.a
Augur. 420.b
Clodianus. 394.a
Marcellinus. 400.b
Rutillus Coſſus. 265.a
Scipio. 343.a
Aſina. 331.b
Kiſpalus. 351.b. 375.a
Coſſ. Lentulus. 425.b. 449.b
Iſauricus. 433.b
L. Celſus. 478.a
Cinna. 379.a. 391.a
Merula. 356.a. 390.a
Maluginenſis. 245.a
Lentulus. 303. b. 308. a. 316.b 327. a. 354. a.
Claudinus 338.b
Clodianus. 394.a
Crus. 404.a
Getulicus. 433.b
Lupus. 369.a
Flamin. 423.b
Scipio. 292. b. 319. a. 332.a
Aſiaticus. 357. a. 391. b. 470.a
Orfitus. 478. a. 479. b. 480.b
Sulla. 389. b. 423. a. 437. b. 446. b. Dictator. 392. b. quot occiderit. 392.b
Fauſtus. 446.b
M. 273.a
Cothegus. 351.b. 367.b
Fronto. 464.b
Maluginenſis. 282.b. 284.a
Coſſus. 252.a
Coſſus. 261.b
P. 271.a. 274.a. 276.b
Anullinus. 485.b
Aruina. 315.a. 322.a
Cethegus. 349.b. 360.a
Coſſus. 260.b. 264.a. 271.a
Dolabella. 324.a. 428.b
Lentulus. 367.a
Caudinus. 338.b
Sura. 394.b
Spinter. 400.a
Marcellinus. 419.a
Maluginenſis. 266.a. 269.b. 273.b.
Rutilus Coſſus. 265.a
Rufinus. 301.a. 321.b. 326.b. 327.a
Scipio. 271.a.b. 284. b. 344. b. 419. b. 447.b.
Aſina. 343.b
Africanus naſcitur. 338.b
Ædilis. 348. b. proconſul. 349 a. Conſul. 351.b. 335.b
Æmilianus. 370. b. 372. a 376.a
Naſica. 351. 356.b. 367.a
Scapula. 303.a
Serapio. 375.a
Servius Cethegus. 433.a
Sulla Fauſtus. 446.b
Cethegus. 433.a
Coſſus. 236.a
Dolabella. 461.a
Maluginenſis. 273. b. 276. b. 277. 278. b. 282. a. 283.a
Merenda. 327.
Orfitus. 446.a. 476.a
Sex. Anulinus. 488.b
Cornerus. 943.b
Corneuburgum. 1023.a
L. Cornificius. 411.b
V. Gord. 502.a
Cornucopiæ. 894.b
Corebus Archon. 315.a
Stadion. 201.b
Corona prima ſtadii. 204.b
Coronæi. 290.a. 363.b
Coronis. 179.b. 580.b
Corradinus. 798.b
Corrædus. 619.b
Corroboranus dux. 745.a
Corſica. 247.a. 339.b. 662.a
Cortracum. 1023.b
Corvalius. 1019.b
T. Coruncanus. 325.a
Corus tritici. 291.a
Corvus dux. 293.b
Avis. 437. a. ingnifera. 787.a
Coſacci. 942. a. 1028. a. à Polonis profligantur, ac pacis conditiones honeſtas impetrant. 1033. b. Podoliam & Valachiam infeſtant. 1034.a
Coſel. 997.b
Coſmas Epiſcop. Apam. 634.b
Pragæ. 741.b
Patriarcha. 737.a
martyr. 504.b
Coſmus Florentinus. 891.b. 924. b. fit Magnus dux Hetruriæ. 941.a
II. 374.b
III. fugitivus. 593. a. perfidus. 601.b
Coſmus Margaretham Loyſam Gaſtonis Ducis Aurelianenſis filiam in Matrimonium ducit. 1038.a
Coſrhoës. 491.a
Coſſa. 327.b
Choſſacken. V. Coſacci.
Coſſæi. 303.b
Coſſurenſes. 333.b
Coſtoboci Galli. 477.b
Cotbuſium. 894.a
Cotena. 820.b
Cotho inſula. 197.b
Cottiæ Alpes. 619.b
Cotys. 270.a
Covenda. 952.a
Coverda nocturno ſtratagemate à Rabenhauptio ab Epiſcopo Monaſt. eripitur. 1042.b
Cous. 583.a
Crabbati ſunt Servii. 735.a
Cracovia 618. b. exuſta. 815.a à Suecis occupatur. 1035.b ejus Epiſcopus. 698.b
Cracovius. 942.a. 1020.a
Cracus. 618.b
Crales Deſpota. 840.b
Cranaus rex. 178.a
Stadion. 475.b
Cranſius. 915.a
M. Craſſus. 456.b
Craterus. 305.a
Crates Alexandr. 348.b
Eleus. 269.a
Mallcotes. 364.a
Philoſophus. 302.a
Crathilindus. 504.a

Cratinus. 212.b
Cratſenſteinius. 1012.b
Cratſius. 1008.a
Craulium. 953.a
Crauxidas. 213.a
Crellius. 955.b
Crema. 408.b. exciſa. 769.b
Cremara. 239.b
Cremma. 502.b
Cremona. 344.b. evertitur. 456.a
Cremſa. 977.b
Cremutius. 433.b
Crenidæ. 287.a
Crentzhcymius. 109.a
Creon Archon. 210.a
rex. 184.b
Crequi Legatus Gallicus Romæ violatur. 1038.b. Ducatū Lotharingiæ occupat juſſu Regis Galliæ ac in formā provinciæ Gallicæ redigit. 1041.b. non procul Moſella à fœderatis copiis Duce Lunæburgenſ. Cellenſi Principe vincitur. 1044.a. retrocedere à fœderatis in Lotharingia cogitur. 1045.a. in Cliviam & Comitatum Oldenburgenſem cum exercitu mittitur ut Suecorum reſtitutionem urgeat. 1046.a
Cres. 173.b
Creſcens. 476.a
Creſcentius. 705.b
Creſphontes. 187.b
Creta. 184.b. 293.b. cur Candia. 654.a. cedit Venetis. 792.a. an recuperanda. 1025.b
Creuſa. 180.b
Creutzburg. 815.b
Criaſus. 176.b
Criſon. Hymenæus. 248.a. 249.b. 250.b.
Criſpina. 480.b
Criſpinienſe Cœnob. 663.b
Criſpinus V. Clodius.
Hiſtoricus. 423.a
Criſpus V. Valerius.
Phocæ gener. 598.a
Cæſar. 511.b
Critolaus. 372.a
Critias. 266.b
Croatia. 675.b
Crocinas. 265.b
Crocus. 509.a
Crodo Idolum. 639.b
Crœſus. 223.a
Croja. 879.a
Cromelius. 926.a
Cromnum. 283.b
Cromvvellus. 1027.a. 1029.a subjicit ſibi ſcotiam. 1033.b. ac tandem Londinum Victor triumphali pompa ingreditur. ib. Protector Rerumpubl. Angl. Scot. & Hyberniæ declaratur. 1034.b. cum Gallis fœdus offenſivum & defenſivum iniit. 1036.b. inſidiis petitur, dein balæna ad Granovicum in fluvio Tameſi, præter conſuetudinem viſa terretur: tandem febri tertiana in palatio ſuo extinguitur. 1037.a. ejus Cadaver eruitur, publicè ſuſpenditur, caput ad turrim Weſtmonaſterienſem affigitur. 1038.b
Cranenburg. 828.b
Croſna. 899.a
Cronſtadium. 967.
Croſnovvitius. 966.b
Crothildis. 573.a
Croto conditur. 206.a. 209.a. 326.b. 396.a.
Crotoniatæ. 228.b
Crotopus. 178.a
Cruciata. 743.b. 764.a. 799.b. 804.a. 805.a. 813.b. 829.a. 870.b. 891.b. 892.b.
Cruciferi in Boruſſiâ. 813.b. 842.b
Crumlavia. 978.a
Crunnus. 649.b.
Cruſius. 962.a
Cruſtumini ſubacti. 216.b
Crux Crucifixi in Cœlo. 783.b
Conſtantino viſa. 510.b
in Perſiam rapta. 600.a. relata. 603.a. capta. 782.b
Cteſias. 267.a
Cteſides. 299.a
Cteſiphon. 467.b
Cucuſum. 530.b
Cuerna. 1023.b
Cutredus. 628.a
Culenus. 701.a
Culeus. 386.a
Culter deglutitus, & innoxiè exectus. 1012.b
Cumani. 241.a
Cumæ conditæ. 191.b. 352.b
habent Sybillam. 221.b
Receptæ à Pontifice. 622.a
Cunevvolff. 633.a
Cunibertus. 613.b
Cunigundis. 890.a
Cunimundus. 580.a
Cuprimontani. 917.a
Curcuas dux. 688.a
P. Curiatus. 247.a
Curio Orator. 402.a
Man. Curius Dentatus. 318.b. 321.b. 323.b. 227.a
M. 328.a
Curlandia. 936.a. Dux ejus captivus ducitur cum uxore verſus Rigam. 1037.a
Currus ubi inuenti. 177.b
Curſus hominis leporem aſſequitur. 219.a
Curtiſius. 433.a
Curule certamen. 210.b
C. Curtius Philo. 249.b
M. devotus. 286.b
Jac. 952.a
Q. Hiſtoricus. 445.a
Rufus. 441.a
Curtius Salaſſus. 409.a
Cuſpius Fadus. 443.a
L. Rufinus. 475.a
Cutredus. 644.b
Cyaxares. 214.a. 216.a. 219.a
Cybele colitur. 173.b
Cyclades. 344.a
Cyclus Indictionum. 101.a
Lunaris. 4.b. 101.a. 184.b
Paſcalis. 548.b. 550.b. 557.a. 573.a. 578.b. 584.b. 633.b. 871.a
Solaris. 4.b. 101.a
Theophili Alexandr. 531.b
Cydnus. 299.b
Cygnea. 928.b
Cymbria. 687.b
Cynæthon. 204.a
Cynæthus. 204.a
Cynas. 486.b
Cynegetica. 489.a
Cynegius. 533.b
Cynos Cephalo. 355.a
Cynuria. 257.b
Cyprianus. 496.a
Cyprii ſub Saracenis. 607.a
Cyprus capta. 223.a. 300.a
Cypſelus. 201.a. 212.b. 215.a
Cyrenæ. 216.a. 310.b
Cyrenius. 424.a
Cyriacus Patriarcha. 594.b
Spangenberg. 938.a
Cyriades. 498.a
Cyrillus. 99.a. 103.a
Alexandrinus. 542.a. 546.b
Conſtantinopol. 1015.b
Cyripædia. 286.a
Cyrnum. 224.b
Cyrus, ex quibus natus. 219.a. vincit avum. 223.a. à Scythis vincitur. 226.a
Minor. 263.a
Conſul. 549.b
Epiſc. 551.a. 619.b
Cythera. 256.a
Cytinium. 296.a
Cyzicum. 184.a. 262.b. 394.a

D.

Acicū bellum. 414.b. 461.b.
Dachſteiniū in Alſatia Galli à Cæſareanis extorquent & demoliuntur. 1044.a
Dadaſtana. 525.b. 527.a
Dædalus. 182.b. 184.b
Dæmon expellitur. 477.b. 549.a
Dagalaiphus. 525.b. Conſul. 556.b
Dagobertus rex. 509.a
II. 601.b
III. 693.b
IV. 620.b
Dagon. 376.a
Daicles. 204.b
Dalburg. 956.a
Dalmatæ. 369.a. Bohemiam occupant. 606.b
Dalmatia. 655.b
Dalmatius. 936.b

Damaratus. 423.b.426.a
Damaſcenus. 625.b
Damaſcus. 299.b. capitur à David. 190. b. à Reſon. 192. b. à Saracenis. 604. b. obſidetur à Chriſtianis. 764.a. necat Judæos. 453.b
Damaſias Archon. 306.b
Cydon. 433.b
Amphipol. 306.b
Damaſippus. 392.a
Damaſus Papa. 527.a
II. 726.b.
Damianus. 564. b. moritur. 734.b.
Damiata eſt Memphis. 773. a. capta. 798. b. redditur. 799.a
Damiſcus. 282.a
Damocles. 326.a
Damon Corinth. 307.b
Delph. 377.b
Thurius. 279.a.280.b
Dan, Jacobi F. 275.b.181.a
Danaus. 179.a
Danckvverdus. 884.a
Dandalus. 841.a
Dandes. 241.a
Danæus. 953.a
Dani 642. a. cæſi omnes. 706.a. arma movent contra Suecos. 1036. b. inter illos & Suecos pax ſancitur. 1037. b. cum Hiſpanis & Batavis Fœdus ineunt. 1043. b. Suecos terra marique aggrediuntur feliciſſimo progreſſu 1045.a. navali prælio vincunt Suecos multis navibus ſimul cum omni apparatu captis. ib. b. pacem inter Danos & Suecos nuptiæ inter Regem ſueciæ Carolum XI. & Regis Daniæ Sororem factæ confirmant. 1046.a
Dania ſub Imperatore R. 759.a
Daniel propheta. 217.a.218.a
Stylita. 556.b.563.b
Danneburgum. 864.a
Danquarrode. 665.b
Dantes Aligerus. 838.a
Dantiſcum. 943. a. à Batavis claſſis mittitur. 1036. a. Suecorum progreſſiones in Poloniam variis modis impediunt. a. reprimunt, hinc Regis Poloniæ gratiā merentur. 1036.b. lætantur cives de reditu Paſtoris D. Ægidii Strauchii. 1045.b
Danubius. 360. b. accipit pontem. 465.b
Daphne præbet oracula. 363. a. 525.a.
Daras. 410. b. 567.b
Dardani populi. 326.a.343.a
Dardania. 178.b
Dardanus rex. 178.b
Scotiæ. 452.a
Dardanelli. 1024.a
Darius Medus. 223. b. vincitur. 225.b
Adoleſcens. 243.b
Nothus. 256.b
Hyſdaſpis. 228.b. occiditur. 285.a
Codomannus. 111.a.297.b
Darmſtad. 989.b
Daſypodius. 956.a
Dates. 341.a
Datis. 234.a
Dauentria 948.a
David propheta. 188.a. rex Iſraëlis. 190.
I. Scotiæ. 755.a
II. 841.b
Imper. Conſtantin. 890.b
Hæreticus. 935.a
Debora Heronia. 182.a
Debiran urbs. 180.b
Decalogus. 178.a
Decebalus. 461.b
Decelea. 260.b
Decemviri. 245.a.247.b
Sacrorum. 283.a
Decentius. 520.b
Decietæ. 369.b
Decimæ Thuringicæ. 731.a
Sacræ. 783.a
Decimatio. 432.a
Decius Imperator. 496.a
Tribunus. 325.b
Conſul. 564.b
Paulinus. 565.b
Theodorus Paulinus. 575.a
P. Mus. 296. a. 297. b. 312. a. 314. a. 319. a.
Meſſius. 496.a
Ven. 562.a
Deckerus. 987.a
Decretalia Bonifacii. 829.b
Clementis. 835.b
Gratiani. 753.b
Gregorii. 804
Juonis. 741.b
Dedo. 755.a
Defenſor fidei. 917.a
Degenfeld. 1011.b
Dejoces. 209.a
Dejotarus. 386.b
Deipara. 546.b
Deiphobus. 185.a
Delbanda. 653.b
Delmatius. 517.a
Delfft. 736.a
Delium. 256.b
Dellonius. 1008.a
Delphi. 218.b
Delfinus Architalaſſus Venetorum Turcas aggreditur & feliciter profligat. 1035.a
Delphinus primogenitus Regis Galliæ filius cum novi Electoris Bavari ſorore nuptias confirmat ſponſa ab ipſo Rege magna animi lubentia excepta 1047. a. filium ſuſcipit cui Rex avus titulum Ducis Burgundiæ tribuit. 1048.
Delphinatus cedit Gallo. 849.b
Delus. 255.b
Demades. 297.a.298.b.307.a
Demaratus Spartanus. 202.b
Corinthius. 214.a
Stadion. 227.a.232.a
Demetrias. 316.a
Demetrius Alexandrinus. 341.a
Antigoni F. 314.a.331.b
Chius. 476.b
Demetrii F. 337.b.371.b
Dux Juſtiniani. 578.b
Eucerus. 389.a
Moſcus. 959.
Phaleræus. 295.b.303.b
Pharius. 341.a.340.b
Philippi F. 359.b
Pompeji libertus. 401.b
Præfectus. 314.a
Ruthenus. 735.b
Sedeſtis F. 378.a.388.b
Seleuci F. 367.a
Stadion. 476.b
Valerius. 312.b
Demetrias. 360.b
Democedes. 227.a.228.a
Demochares. 411.b
Democlides. 308.b
Democritus Abderit. 241. b.245.a
Megarenſ. 363.a
Demogenes. 308.a
Demophilus Archon. 277.a
Hiſtoric. 287.b
Demophoon. 185.a
Demoſthenes Archon. 308.a
Dux Athen. 255.b.260.b
Orator. 277. a. 284. a. 289. a.b. 290. b. 291. a. 292. a. b. 293. b. 294. a.b. 295. a. 296. b. 301. a. obiit. 305.b
Demoſtratus. 271.a.452.a
Demotion. 242.a
Denarius Petri. 625.b.835.b.625.b
Denſices. 558.b
Dentes produnt pecuniā. 794.b
Deprecatio damnoſa. 229.a
Derbatum. 934.a
Dercyllidas. 262.a.267.a
Dercylus. 192.a
Deſiderius Abbas, non vult eſſe Papa. 740.a
Cæſar. 520.b
Dux. 633.a
Epiſcopus. 599.a
Eraſmus. 893.a
Deucalion. 178.a
Devotio horrenda. 622. b. vana. 663.a
Deus dedit Papa. 599.b
Deorum multitudo.
Dii eſſe voluerunt; Caligula. 440. Nero. 449. Herodes Agrippa. 439. Domitianus. 460.

Qui

Qui ab Alexandro Imp. culti. 490.b
Alieni non colendi. 254.b
Dexecratus. 566.b
Dexitheus. 275.a
Dexter V. Maximus.
Diabolus quoſdam obſidet, & abripit. 477.b. 548.a. 569.b. 706.b
Diacles. 204.b
Diaconus Hiſtor.
Diades 177.b
Diæus. 372.b
Diagoras. 259.b
Diallus. 318.a
Diana. 186.b
Diaſſaga. 302.a
Dicemannus. 822.b
Dicon. 275.a
Dictator primus. 232.a. per 120. annos nullus. 392.a
Didas. 360.a
Didius Julius. 483.b
Lælius. 393.b
Tib. 386.b
Dido. 197.a.372.b
Didymus Alex. 528.b.536.b
Stadion. 474.b
Diedenhaven V. Theonis Villa.
Dies purim. 241.a. infauſti. 526.a. omnes Calendæ Nonæ, idus. 274.b. xxvi. Auguſti. 848.a.
Dominicus feriandus. 513.a
Dietericus. 694.b
Dietz. 876.b
Dietzig. 556.b
Digeſta. 574.a
Dilulæus. 207.a
Diluvium. 136.a. 172.a. in Atticâ 175.b. in Græciâ. 178.a
Dimalus. 344.b
Dimarchus. 314.a
Dinæ ſtuprum. 176.a
Dinantenſes. 892.b
Dinarchus. 314.a
Dinocrates. 314.a
Dinolochus. 235.a
Dinomenes. 234.b.308.b
Dinzig. 556.b
Dio Cæſarea, Tiberias. 520.a
Diocles Archon. 262.b.305.b
Cornithius. 207.a
Dux Francorum. 302.b
Legislator. 261.b
Hypæpenus. 395.b
Diocletianus. 504.a
Diodorus Epiſc. 504.a
Siculus. 240.a.258.a
Stoicus. 391.a
Diodotus Tianæus. 420.a
Tryphon. 373.a
Diogenes. 254.b
Cynicus. 298.b
Imperator. 733.a
Laërtius. 286.a
Diogenetes Archon. 196.b.234.a
Stadion 224.b
Diomedes dux. 185.a
Inſula. 637.b
Dion Caſſius. 486.b
Cypariſſus. 393.b
Syracuſanus. 286.b
Dionyſiodorus Archon. 445.b
Hiſtoric. 285.b
Stadion. 277.b
Dionyſius Alexandrinus. 470.a. 498.a
Areopagita. 464.a
Bacchus. 178.b. Semeles F. 178.a
Comes. 516.b
Conſul. 546.b
Epiſcopus. 479.b.636.a
Exiguus. 103.a.573.a
Godofredus. 990.a
Halycarnaſſ. 204.b
Hermocratis F. 264.b
Mathemat. 99.b.323.a
Papa. 501.a
Rex Ponti. 297.a.315.a
Portugalliæ. 822.a
Syracuſarum. 263.b. 286.b
Junior. 282.b
Diophanes Æol. 421.a
Pruſa. 429.b
Diophantus. 269.b
Dioſcorus Conſul. 550.a
Epiſcopus. 550.a
Papa. 574.a
Diotimus. 254.b
Archon. 289.a
Diotrephes. 275.b
Diphilus. 250.a
Diphridas. 272.a
Diræ conſilii. 872.b. Pontificis. 834.a
Directores Bohemiæ. 980.b
Suecorum. 1008.b
Diſcinctus. 281.b
Diſciplina militaris. 760.b
Diſcipuli centum minis docentur. 255.a
Ditericus Miſniæ. 791.a
Diterus Iſenburg. 890.b
Ditmarſi. 906.b
Ditmarus Comes. 696.a
Epiſc. Prag. 699.b
Hiſtoric. 717.a
Divitiæ Cæcilii. 422.b
Getulici 420.b
Narciſſi. 447.a
Plautiani. 486.a
Senecæ. 449.a
Silani. 447.a
Divortium primum. 340.a
Dius. 486.b
Diyllius. 287.b
Dizemannus. 832.b
Dobbius ſervus. 542.b
Doberſælum. 704.a
Dobrani. Rex Daniæ & Elector Brandenburgicus conveniunt ac colloquium de bello proſequendo adverſus Suecos habetur. 1045.b
Doconum. 632.b
Dodechimus 765.b
Dodona. 344.b
Doegus. 189.a
Dohnavv Baro. 988.b
Dolabella. 407.b.433.a
Dolichodromus. 241.a
Dolopes. 362.a
Dometius Leontinus. 519.a
Domina. 488.b
Dominicus dux. 1027.a
dies. 513.a
Monachus moritur. 720.b. 797.b
Dominicum linteolum. 592.b
de Dominis. 992.a
Domitia, Phocæ F. 597.b
Domitianus naſcitur. 446.b. fit Imper. 460.a
Fl. 456.a
Ahenobardus dat urſos in Circo. 398.b
A. Domitius 419.b
Cn. Corbulo. 444.b.447.b
Afer. 441.a
Orator. 443.b
Calvinus. 301.b. 324.a. 402.a.409.a
Ahenobardus. 359.a. 367.a.386.412.b
L. 387.b.401.b.436.b.447.a
Labeo. 475.a
Dexter. 484.b
Domna. 506.a
Domnus Epiſc. 548.b
Papa, Donus vel Dunus. 612.b
II. 701.a
Donaldus rex Scotiæ. 484.b
II. 501.a
III. 501.b
IV. 604.b
V. 662.b
VI. 677.b
VII. 721.b
Donatianus. 756.b
Donatiſtæ. 511.b. 512.a.515.b. damnantur. 542.a
Donatus Dux. 978.a
Grammaticus. 520.b
Monachus. 587.a
Præfectus urbis. 497.b
Donavverda. 889.b.962.a
Dongallus. 654.a
Dongardus. 552.b
Donus Papa. 612.b. V. Domnus.
Dora. 375.a
Dordracum. 884.a.978.a
Dores. 187.b.245.b
Doreſtadium. 663.b
Dorfft / terra côbuſtibilis. 950.a
Doricus. 252.b.254.b.256.b

Dorilæum. 317.a
Dorilaus. 390.b
Dorimachus. 344.b
Doringi. 309.a
Doriſcus. 192.a
Dorislaër. 1028.b
Dorlanum. 993.b
Dormientes ſeptem. 496.b. 551.a
ormius. 967.b
Dornatilla. 330.b
Dorothea. 508.b
Dorotheus presbyter. 503.b
Stadion. 346.b
Dorſtena. 1012.b
Dos Plautillæ. 486.a
Leonoræ. 765.b
Iſabellæ. 778.b
Doxippus. 303.a
Drachma. 191.a
Drachsdorffius. 910.a
Draco Archon. 215.a
Serpens. 120. pedes longus. 560.b. nullus in cœlo. 8.a
Dracovvitius. 1027.b
Dracula. 891.a
Dracus. 947.b
Dragutes. 931.a
Drandorpius. 1009.a
Dravus. 652.b
Drapanum. 332.a
Dresda. 648.a. 823.a
Dresdenſis conſenſus. 940.b
Driebac/inſtr.bell. 795.a
Drogo. 618.b. 660.a
Dromoclides 240.b
Dronthemium in Norvvegia exorto incendio intra 12. horas deflagrat. 1047.b
Druſi. 410.a. 947.b
Druſiani. 431.a
Druſilla. 438.b. 447.a
Druſſus. 421.a. moritur. 422.a
Tiberii F. ex Agrippinâ. 430.a
Germanici.F. 438.b
Ducas Alexius. 791.b
rebellis. 683.a
Ducennius Geminus. 448.b
Ducetius. 245.b
Dudleus. 932.a
Duella. 963.b. 1035.a
Duffus. 699.a
M. Duellius. 289.b
Duglaſſius. 862.b. 1023.a. hortatur Regem Carolum ad ultionem paternæ necis. 1033.b. præfectus Suecicus Ducem Curlandiæ cum uxore Electoris Brandenburgici ſorore capit Rigamque verſus ducit quod Polonis magis quam Suecis favore crederetur. 1037.a
Duillius Silanus. 482.b
C. Duilius. 268.b
Nepos. 331. vincit mari. 332.a
Cæſo. 299.b
Duisburgum. 965.b
Dunamunda. 974.a
DunKerKa cedit Gallis. 1023.b. Hiſpanis. 1034.a. Galli & Angli obſident, & tandem deditione facta eandem in poteſtatem ſuam redigunt. 1037.a. creditur Regi Galliæ ab Anglis datis quinque florenorum millibus. 1038.b
Dunſtanus. Epiſc. 703.a
rex Scotiæ. 742.b
Dura. 344.b
Duracium. 757.b
Durandus Epiſc. 722.a
Duris. 281.b
Durſtus. 385.a
Dusburgum. 545.b
Duſſeldorpium. 968.b. 1010.b
Duthinga. 1019.b
Dux belli, infans. 762.b. inſimulatur malorum. 253.b
Dymæi. 211.b. 323.b
Dynamius Conſul, quo anno omiſſus. 74.a.b
Dyrrachium. 215.a. 340.b

E.

Eadgarus Anglus. 696.a
Scotus. 742.b
Eadvaldus. 601.b
Eadvvertus. 627.b
Eanfleda. 602.b
Eanfridus. 603.b
Ebbo. 653.b
Eber. 172.b. moritur. 175.b
Eberhardus dux Conradi. 683.b
Palatinus. 690.a
Wirtemberg. 820. fit dux. 904.b
Eberſteinius de pedibus ſuſpenſus. 814.a
dux. 1018.b
Ebion. 458.a
Ebora in Luſitania capitur à Joh. Auſtriaco. 1039.a
Eboracum Franciæ. 756.b
Angliæ. 733.b
Eboricus. 590.a
Ebrioſi cæſi. 855.a
Ebroinus. 609.b
Eburones. 402.a
Ebuſa. 936.a
Ebzan. 186.a
Ecbatana. 209.a. 303.b
Ecbertus. 610.a
Eccius. 915.b
Eccleſiæ ab injuriis vindicandæ. 692.a
dotantur. 477.b
Ecdicus. 172.a
Ecebolus. 524.b.
Ecfridus. 611.b
Echeſtratus. 190.a
Echinades. 946.b
Echyræus. 179.a
Eckardus marchio. 717.a
Eckartsberg. 711.b
Ecclipſis prima obſervata. 213.b. terret Gallos. 323.b. exercitum Auguſti. 430.a. naturalis docetur. 444.a. dat ſpem victoriæ. 690.a. ſignat obitum principis. 915.b
Lunaris. 105.b. 207.b. 208.a. 215.b. 227.a. 220.b. 234.a. 255.b. 261.a. 264.a. 276.a.b. 287.b. 300.b. 320.a. 324.a. 345.a. 353.a.b. 362.a. 364.b. 378. 597.b. 406.a. 425.b. 430.a. 438.a. 444.b. 455.b. 456.a. 457.b. 470.a. 471.b. 472.a.b. 508.b. 526.a. 551.a. 554.a. 589.b. 592.a. 594.b. 613.a. 614.a. 622.b. 627.a. 631.b. 633.a. 644.a. 647.b. 648.a.b. 649.a. 651.b. 652.b. 654.a. 655.b. 656.b. 657.a. 659.b. 672.b. 674.b. 678.a.b. 682.b. 713.b. 717.b. 725.b. 729.a. 735.b. b. 743.b. 744.a. 746.a. 750.a. 751.b. 752.b. 754.a. 759.b. 765.a. 766.b. 770.a. 774.b. 777.b. 778.a. 781.b. 782.a. 783.b. 789.a.b. 792.a. 793.b. 796.b. 798.a. 803.a. 810.a. 813.b. 814.a. 819.a.b. 820.b. 840.b. 841.a. 842.a. 844.b. 849.b. 854.a. 868. 889.a. 890.a. 891.a. 901.a. 927.b.
Solaris. 105. 201.a. 202.b. 203.b. 208.b. 217.a. 220.a. 237.b. 238.a. 239.a. 253.a. 256.a. 265.b. 270.b. 277.a. 284.a. 287.a. 295.b. 312.a. 319.b. 345.b. 352.a.b. 354.b. 357.a. 358.a. 384.b. 399.a. 403.b. 410.a. 411.a. 413.b. 427.a. 438.a. 444.a. 449.b. 457.b. 464.b. 493.b. 512.a. 513.b. 516.a. 519.a.b. 520.a. 523.b. 535.a. 543.b. 551.b. 562.b. 565.b. 568.b. 575.b. 577.a.b. 593.a. 394.a.b. 597.b. 606.a. 607.b. 609.b. 610.a. 613.a. 617.a. 623.b. 626.b. 631.b. 634.a. 635.a. 641.b. 647.b. 649.a. 650.a. 652.a. 656.b. 659.b.a. 672.b. 673.b. 676.a. 677.b. 683.b. 688.b. 690.a. 696.b. 699.b. 707.a. 714.a. 715.b. 718.a. 722.a. 722.b. 723.b. 725.b. 742.b. 745.b. 751.a. 755.a. 758.b. 761.b. 764.a. 766.a. 777.b. 778.b. 781.a.b. 782.b. 785.b. 793.a. 802.a.b. 805.b. 806.

b. 806. b. 807. b. 809. a. 813. b. 816. b. 817. b. 821. b. 826. a. 834. a. 835. a. 838. a. 839. a. 742. a. b. 843. a. 844. b. 851. b. 868. b. 869. a. 871. b. 875. a. 878. b. 881. a. 885. a. 890. a. 900. a. 902. b. 915. b. 927. b. 1034. b. 1039. b
Ecfridus. 611. b
Ecnibalus. 220. b
Ectheſis. 605. a
Edbertus. 627. b
Edel. 805. b
Edelbaldus. 927. a
Edelbertus Cant. rex. 595. a
II. 644. a
III. 664. a
Edelburga. 601. b
Edelfritus. 594. a. 600. a
Edelredus Merc. 612. a. 635. a
Northumb. ultimus. 642. a.
Weſt Saxo. 667. b
Angliæ. 703. a. 706. b
Eldericus. 592. b
II. 703. a
Edelvvald. Merc. 623. a
Northumb. 600. a. 633. b
Weſt Saxo: 664. a
Edelvvert. 595. a
Edelvinus North. 600. a
Edelvvolff. 658. a
Edenburgum. 1016. a
Ederus. 399. b
Edeſſa. 318. a. 578. b. 723. a
Edgarus. 702. a
Edilbertus. 624. b
Edinburgum. 928. a
Editha. 687. b
Edmundus rex. 699. a. 690. b
II. 702. a
III. 716. a
Edomitæ. 366. b
Edones. 232. a
Edredus. 694. b
Edrichus. 615. a
Eduardus rex. 679. b
II. 819. b
III. 879. a
IV. 899. b
V. 932. a
Ex Cerdicia familia. 833. a
II. 833. a
III. 840. a
IV. 881. a
Bregantinus. 1028. b
Edvvaldus. 601. a
Edvvinus. 695. a
ab Effern. 972. b
Egbertus. 734. a
Egbrechtus. 645. b
dux. 695. a
Monarcha. 655. a
Egbrichtus. V. Eadvvertus.
Egera. 1005. a
Egerius. 218. b
Egfridus. V. Ecfridus.
Eggenbergius. 1015. a. 1028. b.
Eggius Marullus. 482. a
Egica. 615. b
Eginhardus. 638. b. 650. b
Egino. 674. b
Eglon. 180. b
Egmontanus. 936. b. cadit. 949. b
Ehud. 181. a
Eichſtadt. 630. a
Einbecca. 827. b
Eitelfridericus. 995. b
Ekfertus. 644. a
Ekhardus. 711. b
Elara. 180. a
Elbingenſes. 971. b
Elbogia. 987. b
Elcahar. 688. a
Eleazar. 179. a. 322. b. 401. b
Electores Imperii R. olim LII. 709. a. b.
Septem ab Ottone IV. 710. a. non ab Ottone II. ob octo rationes. 709. a. b
Electra. 178. b
Elei aſſumunt Piſæos. 205. a. redeunt ad ſua. 241. b. vaſtantur. 268. a
Eleonora ex domo Mantuana cum Ferdinando III. Imperatore matrimonium confir. mat. 1033. a. moritur. 1035. b
Neoburgenſis matrimonio jungitur Imperatori Leopoldo. 1044. b
Eleonora Portugalliæ. 886. a
Eleos. 218. b
Elephanti. 325. a
Eleuſine. 248. b
Eleuſines. 175. a. 180. 182. a
Eleutherius Papa. 480. b
Exarch. 599. b
Eli. 187. a
Elias. 195.
alius. 196. b
Elipandus. 640. b
Elis. 241. b
Eliſa. 196. a
Eliſæus. 557. a
Eumelus. 641. a
Eliſabetha, Hungarica. 796. a
mater Baptiſtæ. 423. b
Monialis. 772. a
regina Angliæ. 934. b
Charlotta Electoris Palatini filia elocatur Duci Aurelianenſi in matrimonium & ſimul religionem Pontificiam amplectitur. 1042. a
Eliſter. 738. a
Ella rex Iſrael. 194. a
Northum. 584. b
Ellera. 861. b
Elmum. 937. a
Elmuſten. 666. a
Elmutan. 808. b
Elon. 186. a
Elpandus. 640. b
Elpinus. 288. a
Elsburgum. 967. a
Elymais. 366. b
Emanuel Imper. 762. b
rex Portugall. 905. b
Calo Johannis. F. 760. b
Emaus. 490. a
Embden. 957. a
Emerentia. 508. b
Emerita. 416. a
Emirhaida. 968. b
Emiſer. 745. a
Emma. 650. b
Emmericus. 969. a
Emmichus. 743. b
Empædocles. 246. a
Empulum. 290. b
Encænia. 366. a
Eneco. 621. a
Engaddinenſes. 1009. b
Engelbertus. 820. a
Engilberga. 669. b
Enkefort. 1014. b
Enna. 212. a. 332. a
Ennius. 337. b. 364. a
Enno. 956. b
Enos. 170. a
Eobanus Heſſus. 926. b
Bonifacii Comes. 632. b
Epænetus. 192. b
Epagathus. 491. a
Epaminondas Archon. 254. a
dux. 281. a
Epaphus. 176. a. 178. b
Epacheres. 194. b
Ephemeria. 422. b
Epheſinum templum. 186. b
Epheſus. 186. b. 263. a
Ephialtes. 245. a
Ephori Spartani. 203. b. inſtituti. 223. b. ſublati. 341. b
Ephorus Hiſtor. 1. a. 266. a
Ephraemitæ. 186. a
Ephrem. 530. b
Ephyra. 182. a. 187. b
Epialtes proditor. 238. a
Epicharmus. 235. a
Epicides. 347. b
Epictetus. 460. b. 479. b
Epicurus. 294. b. 311. a. 328. b
Epidamnus. 215. a. 250. b
Epidaurus urbs. 177. a. 245. a. 311. a
Stadion. 473. a
Q. Epidius Rufus Lollianus Gentianus. 487. b
Epigoni. 184. b
Epimenides. 219. b
Epinicius. 486. b
Epiphania. V. Feſtum.
Epiphanius Cypri. 528. a
Conſtantin. 576. a
Hiſtoric. 529. b

Ticinenſ. 560.a
Epipolæ. 260.b
Epirotas. 310.a
Epirus. 241.b.275.b
Epiſcopi alterantur de Primatu. 553.b. 559.a. ad ſanguinem. 731.b.734.b.non fratres, ſed Canonici & Domini. 706.b. luxurioſi. 706.b. pueri. 686.a.688.b.715.b. juvenes. 559.a. ſcortator imperat cælibatum. 755.b Manaſſes plures regit Epiſcopatus. 689.a. bellatores. 588.a. 960. damnant ſerinticem. 612.b. avari divites. 723.a. trucidatus quidam abjicitur. 769.b. armatus capitur. 787.b. cautus. 796.a. reſtituitur in Anglia ante adventum Regis. 1038.a
Epitelides. 221.b
Epœnetus. 392.b
Epopeus. 180.a
Epulones tres. 355.b
Epulum Tiberii. 429.b
Eques auratus creatur Palatinus.
Equites Spiritus S. 944.b
Conceptionis Mariæ. 991.b.
Equus hinnitu confert regnum. 227.b
Pictus hinnit. 838.a
albus delectat Pontificem. 717.a
Privilegium Ticinenſis. 683.a
fiſſis ungulis. 399.a
ferox. 1021.a
Equitius. 528.a
Eradius. 545.b
Eraſiſtratus. 319.b.332.b
Eraſmus Roterodamus. 893.a
Reinholdus. 932.b
Eratoclus. 215.a
Eraton Stadion. 337.b
Eratoſthenes Hiſtoric. 1.a.326.b.355.a
Stadion. 222.a
Erchinger. 883.b
Ercombertus. 605.b
Erdmundenſe Cœnob. 666.b
Erechtheus. 180.b
Eremita primus. 496.a
Ereßburg. 637.a.690.b
Ereſius. 298.a
Eretia. 354.b
Erfurth. 605.a. 844.a. à Commiſſario Cæſario denuo admonentur ut pro Electore Moguntino preces publicas fundant, quod facere recuſarunt. 1037.b. banni pœna à Cæſare afficiuntur. 1039.a
Ergoteles. 241.a
Eribertus. 686.a
Eric Hanſon. 1020.b
Erichthonius. 178.b.180.a
Ericus rex Daniæ. 742.a
Sueciæ. 935.a
Dux Forojul. 645.a
Saxon. 682.a.875.a.879.a.
Eridicus. 557.a
Erithræa. 234.a
Erizzo. 1024.b
Erlachius. 1015.b
Erlafridus. 658.b
Erlaw. 931.b. eſt Agria. 953.a.
Ermenfridus. 570.b
alius. 615.b
Ermericus rex Cantuar. 569.a
Sueviæ. 549.b
Erneſtus Archiepiſc. 903.a
Auſtriacus. 712.a. 952.a.
Dux Alemanniæ. 720.a
Sueviæ. 715.b
Comes Mansfeldiæ. 739.b.976.b.997.a.
Schaumburg. 990.a
Dux Saxo Gothanus ſuccedit Wilhelmo Duci Saxo Altenburgico. 1042.a. Princeps pietate prudentia & juſtitia maxime inſignis vitæ & gloriæ ſatur ætatis 73. regiminis 35. placide obdormit. 1044.a
Landgravii Haſſiæ unà cum uxore apoſtaſia quando & ubi. 1033.b
Generalis locum tenet adverſus Gallos. 1043.b
Ersken. 1027.b
Erucius. 475.b
Ervigius. 613.b
Erxiclides. 224.b
Erycina. 326.b
Eryſichthon. 178.a
Erythræi. 261.a
Eryxias Stadion. 226.a
Archon. 209.b
Eſaias. 204.a
Eſau. 174.b
Eſca rex. 563.b
Eſcuinus. 612.a
Eſpernan. 1024.b
Eſpernomius. 979.a.1029.a
Eſpinoius. 1010.a
Eſquilina porta. 249.a
Eſra. 267.b
Eſtenſes principes 833.b
Eſterhaſi. 1023.a
Eſther. 237.a.240.b
Eteonicus 273.a
Ethelbertus. 574.a.585.b
Ethelredus. 669.b
Ethilo. 570.a
Ethodius. 483.a
II. 488.b
Ethus. 670.b
Etruſcus. 496.a
Etvvinus. 626.a
Evænetus. 298.b
Evagoras rex. 265.a
Stadion. 263.a
Evagrius Conſul. 531.b
Epiſc. 528.a
Evander Archon. 276.b
rex. 183.b
Stadion. 227.a
Evaricus Gothus. 558.a
Evariſthus Papa. 436.a
Evalium. 718.a
Eubœa. 347.a.894.a.
Euboica. 200.b
Eubotas. 263.a.284.a
Eubulides. 270.442.b
Eubulus Archon. 293.b
Poëta. 279.a
Eucharicius. 551.b
Euchariſtus. 286.b
Euchericus. 548.a.549.b
Euclides Archon. 255.a.266.a.
Philoſophus. 267.a
Rex. 341.b
Eucrates. 219.b
Euctemon. 252.b.263.b.318.b
Eudæmon. 479.a
Eudamidas. 276.a
Eudamus. 388.a.
Eudemas. 197.b
Eudemus. 289.b
Eudo. 623.b
Eudoica Imperatrix. 733.a
Theodoſii uxor: eſt Athenais. 544.b
Filia. 545.a
Valentiani F. 549.a
Heraclii mater. 599.a
Eudoxia. 538.a
Uxor Valentiani. 549.a
& Maximi. 555.a
Eudoxius Arianus. 523.E. 527.a.
Conſul. 550.a
Cnidius. 274.b.282.a
Evenus rex. 386.b
II. 393.b
III. 423.b
Evergerus 710.
Eugamon. 222.b
Eugenia. 685.b
Eugenius Imperator. 535.a
Epiſcopus. 561.b
Papa. 607.b
II. 654.a
III. 763.a
IV. 878.a
Rex Scotiæ. 525.a
II. 546.a
III. 576.a
IV. 615.b
V. 616.b
VI. 619.b
VII.

VII. 624.a
VIII. 634.a
Evilmeradach. 222.b
Evippus. 244.b
Eulalius. 543.b
Eulogius. 662.a
Eumelus rex. 312.a
poeta. 203.b
Eumenes Attali. F. 355. Aſiæ rex. 363.a.368.b
Pergami. 331.a
Dux. 304.b
Eumenia. 357.b
Eumenius. 507.a
Eumolpias. 396.b
Eumolpus. 181.a
alius. 182.a
Euneus. 187.a
Eunomius. 529.a
Eunus. 376.a
Evocati ex Græcia. 365.b
Evodius. 533.a
Eupagmes. 191.b
Euphaes. 206.b
Euphemius. 563.b
præfectus Siciliæ. 655.a
Euphemus. 259.a
Euphraſius. 571.a
Euphrates flu. 300.b.387.b
Philoſ. 468.b
Euphron. 282.b
Euphronius. 584.a
Euphroſyna. 655.a
Eupolemus. 269.a
Eupolis poëta. 253.b
Stadion. 273.a
Euribatus. 209.a
Euribotas. 211.a
Euricles. 219.b
Euriclidas. 214.b.313.a
Euricrates. 206.a
Euripides naſcitur. 238. a. vivit. 262.b. moritur. 264.b
Euripus. 262.b
Euridice. 308.b
Euriſthenes. 187.b
Europa. 179.b
Europs. 173.a
Eurymedon. 242.a
Euryſthenes. 187.b
Euryſtheus. 182.a
Euſebius. 523.a
Euſebius Chronol. 563.b
Conſul. 543.a
Epiſcop. 513.b.552.a
Hiſtoric. 1.a.516.b
Papa. 509.b
Samoſat. 530.b
Euſtachius. 806.b
Euſtachius Conſul. 544.a
Epiſc. 513.b
Patriarcha. 717.a
Prorex. 754.b
Euſtelus. 467.b
Euſtochium. 544.a
Euclidas. 215.a
Eutharicus. 568.a
alius. 570.a
Amalus. 570.b
Euthycritus. 302.a
Euthydemus. 223.b.247.b.253.a.255.a.350.b
Euthymenes. 251.a
Euthymius. 680.a
Euthymus. 241.b
Eutropius. 533.b.536.a. occiditur. 537.b
Eutyches. 552.a
Eutychianus Conſul. 489.b. 537.a
Papa. 501.b
Eutychius Epiſc. 582.a. 588.b.
Exarch. 629.
Euthycritus. 302.a
Euxænetus. 259. b. 261. b. 267.a.
Euzoinus. 524.b
Exaltatio Crucis. 603.a
Examius. 213.b
Exarchatus Impp. Græce incipit. 586. a. definit. 631.b
Excommunicatio Theodoſii. 534.b. Anaſtaſii. 565. b. Friderici II. 806 a. Henrici IV. per carnificem exuſta. 736. Alpaidæ, lethalis. 618. a. Philippi. 790. a. Friderici. 806. a. Ludovici. 839. b. Tiguri per 18. annos. 842. b. retuſa. 868.889.b
Exercutio Cæſarea. 1001.b
Exequiæ Hephæſtionis. 304.a
Alexandri M. 305.b
Carnes primitus diſtribuit. 303. b. per 12. milliaria Germanica. 773.a
Exitus Iſraelitarum. 178.a
Exoleti ſublati. 495.b
Exorciſmus. 950.a
Expeditio ſancta. 743.763.b. 801.b
Extricatus. 489.a
Exulum luxus. 429.b
Eyderanum fortalitium occupatur per ſtratagema ab Epiſcopo Monaſterienſe. 1039. a. recipitur à Hollandis. ib. b
Eyſenbeutel. 741.b
Eyzingerus. 887.a
Ezechias rex naſcitur. 204. b. regnat. 206.b.
Latro. 408.a
Ezechiel captivus. 218.a
Ezelinus dux. 814.a
Ezhardus. 906.b

F.

Fabianus Papa. 493.a
Fabii trecenti. 239.b
Fabius evinctilianus. 463.a
Acon Fabius Catullinus Philonianus. 520.a
C. Ambuſtus. 273.b.289.a
Pictor. 329.a
Dorſo Licinius. 327.b
Q. Pictor. 316.b
Cæſo. Ambuſtus. 237.b. 266.a. 267.b.271.a.273.b
Vibulonus. 236. b.237.b. 239.a
L. Cilo Septimius. 486.b
Juſtus. 515.b
M. Ambuſtus. 578. a. 282. b. 288.a.290.a
Buteo. 335.b
Dorſo. 294.b
Licinius. 335.b
Vibulanus. 237. a. 238.b 252.b
Q. F. Vibulan. 250.b.252.b
Num. Ambuſtus. 265.a
Buteo. 335.a
Pictor. 329.b
Vibulanus. 258. b. 260.b. 264.b
Paul. Maximus. 421.a
Perſicus. 438.b
Q. Ambuſtus. 273.b.307.b
M.F. 262.a
Catullinus. 471.a
Labeo. 359.b
Pictor. 316.b
Vibullanus. 260. a. 261. a.
M.F. 243.245.b
Q.F. 257.b
Maximus. 343. 347. a. 406.a
Æmilianus. 372.b
Allobrogicus 380.b
Africanus. 421.b
Cunctator. 341. a. 346. a.347.b.349.b.352.b
Cunctatoris F. 348.a
Eburnus. 381.b
Gurges. 321. a. 326.b. 330.a
Rullianus. 306.a.313.a. 314.a.319.a.b
Verrucoſus. 339.a
Q.F. Vibulanus. 257. b. 260. a. 261. a
Servilianus. 374.a
Rutilianus. 305.b
Tib. Titianus. 495.a.517.a.522.b.534.b.557.b
Fabricius. 940.b
C. Luſcinus. 324.a
Q. 327.a
Factiones. 850.b
Facundus. 516.b
Fagius. 939.b
Faius. 971.a
Flanccanæ fauces. 1028.a
Falckenaw. 989.a

Falckenburg dux. 1003.a
Falckenſtein. 825.b
Falconerius. 1027.b
Falernum. 303.b
Faliſci. 183. a. prius Haliſci. 186. b. 267.b
Famaguſta. 940.a
Fames intra Iſrael. 456. b. Romæ 250. b. 427. b. 446. a. 483. a. in Judæa. 416 b. Hiſpania. 541. a. Conſtantinop. 548. a. Italia. 577. a. Germania. 614. a. 731. a. 835. b. 836. b. Ejus remedia quæſita. 427. b. à lupis oblata. 661.b
Fannnia Lex. V. Lex.
Fannius Cæpio. 417.b
C. Strabo. 367.b. 380.b
Farabertus. 478.b
Faramundus. 544.a
Farensbecius. 1008.a
Farfaixius dux. 1022. b. privatus. 1029. a
Farina è terra nata. 991.a
Faſti Siculi. 598.b
Romani. 405.
Faſtnachtſpiel. 863.b
Faſtrada. 643.b
Fatum inevitabile. 811.b
Faventia. 673.a
Favilla. 618.a. 627.a
Faunus. 183.a
Favonius. 401.a
Favorinus. 456.a
Fauſta. 509.b
Fauſtina. 474.b
alia. 475.b
alia. 526.b
Fauſtus V. Anicius & Avienus.
Febanus. 563.a
Feciales. 255.b
Feckierus. 1016.a
Fedrovitius. 970.a
Felicianus. 492. a. 517.a
Felicitas. 226. b. 486.b
Felix Conſul. 546.a
Epiſcopus in Africa. 508. b.
Gallia. 587.a
Hiſpania. 643.a
Gallus. 568.a
Papa. 501.a. 522.b
II. 562.a
III. 572.a
IV. 881.b
Procurator. 446.a
Feneſtella. 439.b
Ferdinandus rex. 601.b
II. 907.b
Ferdinandus Auſtriacus. 916. rex Bohemiæ. 919. b. Hungariæ. 920. Romanorum. 922. a. Imperator. 934. a. moritur. 1014.b
II. rex. 979. b. Imperator. 983.a
III. rex. 998. a. Imper. 1013. b. Matrimonium cum Eleonora ex domo Mantuana, Neoſtadii confirmat. 1033. a. ſevero edicto Lutheranos niſi pontificiam religionem amplecterentur provinciis ſuis hæreditariis ejici jubet. 1034. a. luget acerbe obitum filii præmaturum Ferd. IV. b. Cum Rege Poloniæ fœdus offenſivum & defenſivum contra Succos & Transſylvanos pangit. 1036. b. vivis excedit. 1037.a
IV. rex Bohem. 1023. a. Hung. 1024. b. In Regem Rom. eligitur Ratiſp. 1034. a. moritur. ib. b
Hiſpaniæ rex. 723.a
II. 768. a. 783.b
III. 798.a
IV. 828.a
V. 914.a
Caſtellæ rex. 798. a. 802. b. 828. a. 835. b. 816. b.
Arragoniæ. 869.b
Neapolit. 905.a
Portugalliæ. 855.b
Infans. 1018.b
Dux Florent. 948.b
Styriæ. 952.a
Comes. 699.a
Flandriæ. 795.a
Magellanus. 915.a
Archiepiſc. Colon. 1030. b.
Maria Elector Batavus apoplexia Schleisheimii extinguitur. 1046.a
Ferentinum. 261. b. 319.b
Feretrius 205. a. 255.a
Ferguſius Scotiæ rex. 299.b
II. 542. a. 546.a
III. 635.a
Ferianus dux. 1007.a
Feriæ Latinæ. 212.b
Feritharis. 313.b
Fernam bucum. 1004.a
Fernamundus. 1011.b
Ferraria. 180. a. 209. a. fit urbs. 597. b. ducatus. 633.a
Ferratbegius. 901.a
Ferriglutinum. 709.a
Ferrum candens portatur. 701. a.
Feſtum Annunciationis. 608. b
Apoſtolorum. 688.a
Animarum. 710.a
Bartholomæi habet lanienam Par. 941.a
Conceptionis Mariæ. 862. a. 1024. b
Corporis Chriſti. 917.a
Epiphaniorum. 524.a
Exaltationis Crucis. 603. a.
Hypapante. 578.a
Johannis pluit ſanguine. 716.b
Lætare. 698.b
Lanceæ & Clavorum. 853. b.
Michaelis. 564.b
Natalitiorum refulget ab Aquilone. 707.a
Omnium Sanctorum. 658. a.
Purificationis. 698.a
Transfigurationis. 888.b
Viſitationis Mariæ. 862.b
Paſchatis per triduum. 742.b
tumultuatum Hieroſ. 445.b
Pentecoſtes: auditur Migremus. 452.a
tumultuatum de ſeſſione. 692.b
denuò. 731.b
trucidatur rex. 759.a
per triduum agendum. 742.b
Legalia quinque. 141.b
Feſtus Conſul. 549. a. 559.a
Rhetor. 572.b
Fethelmachus. 523.a
Fetmilchus. 971.a
Ficana. 214.a
Ficinus. 900.a
Ficus Ruminalis. 449.a
Fideles ſubditi. 768.b
Fidenæ Colon. 206. a. theatrum. 434.a
Fidenates. 207.a
Filios XXXII. ex duabus uxoribus Babo. V. Liberi & Soboles.
Filius amat patrem. 286.
odit. 433.b
capit. 837.a
Fillecum. 935.a
Fincomarchus. 509.b
Findochus. 501.a
Fillecf. 935.a
Finland. 773.a
Finnanus. 375.b
Finnonii. 953.b
Fionia potitur à Suecis. 1037.b
Firmicus. 521.b
Firmum. 330. b. 578.b
Firmus. 501. b. 529.b
Fiſchhauſen. 708.b
Flaccus. 480.a
Avilius. 441.b
Herdoneus. 456.a

Flacius Illyricus. 930.b
Fladenheim. 737.a
Flagellantes. 729.a.815.b.
Flaminia via. 358.b
C. Flaminius. 339.b.358.a
Nepos. 342.b.345.b
Flamma de cœlo.851.a.b. è terra. 489.a
Flandria.640.b. fit dos. 778. b. habet ultimum Comitem. 860. b. à Gallis devaſtatur. 1036.b.
Flavianus Epiſc. 532.b.552.a
Flavii nobiliſſimi. 303.b
Flavita Epiſc. 563.a
C. Flavius Euſebius. 519.b
Limbria. 384.b
Florentius. 524.a
Philippus. 519.b
Magnus Januarius. 515.a
Rufus Cejonius.Sab.51a.a. 519.b
Salleas. 519.b
Scriba. 316.b
Taurus. 524.a
L. V.Lartius.
M. 303.b
Aper. 471.a.480.b.487.a
Q. Tertullus. 477.a.484.b
T. Veſpaſianus. V. Veſpaſ.
Flavius Antiochianus. 500.b
Clemens. 484.b
Domitianus. 456.a.458.a
Sabinus, 460.a.463.b
Veſpaſianus. 446.a
Flemmingus. 1020,b
Fleru pagus. 989.a
Fliſſinga. 979.b
Floralia. 336.a
Florentini. 811.b
Florentius Comes Holland. 726.b
II. 742.a
III. Craſſus. 748.b
IV. 771.a
V. puer. 813.b
Burenſis. 920.b
Conſul. 548.b.569.b.570.a
Florianus Imper. 502.a.
Martyr. 780.b
Floronina Veſtalis. 346.b
Florus præſes Jud. 451.
Fœcunditatis exempla. 717 a. V. Soboles.
Fœdera principum Germ. 818.a
hæreditaria.X.Hæreditaria.
Helvetico Gallica. 955.a
Triplex ab Anglis Suecis & Batavis pangitur, ut pax Pyrenæa & Aquisgranenſis conſervari queat. 1040. b. Anglos Suecos & fœderatos Belgas 1041. b. diſſolvitur à Rege Galliæ. 1042. a. inter Imp. Hiſpanos Batavos & Princ. Imp. adverſus Galliæ Regem. 1043.a
Fœminæ merentur plauſtra. 271. a. palmam. 333.a
Sacerdotes. 176.b
ſolertes.538. a. malitioſæ. 572. b. doctæ amantes maritorum. 232. b. 761. b. trucidant eos. 184. a.370.b
Winsbergenſes. 761.b.842.a
Fœneratores. 438.b
Unciarii 289.b
Fons ſalutaris. 1009.a
Sanguinis. 689.a
Fontarabia. 1015.a
Fontebellaquei Marchio Maldecius transfigi à Chriſtina cubetur. 1036.b
C. Fontejus Cap. 428.b.449.a
L. 453.b
Agrippa. 457.b
Forbeſius. 961.a
Forbiſſerus. 943.b
Forcæus Gallus. 1011.b
Forchheim. 679. b. 1009. a. 1025.b
Forgatſius. 969.b.988.b
Forma corporis facit Papam. 682.b
Formoſus Epiſc. 572.b.674.b
Papa. 677.a
Formula concordiæ. 924. a. 942. b.944.b
Apologia. 945.b
Forojulianum. 594.a
Forſterus. 933.b
Fortitudo noxia. 463.b
Fortuna incredibilis Polycratis. 226.b
Inconſtans. 575.b
Equeſtris. 362.b
trimeſtres indulget liberos.
Fortunatæ inſulæ. 848.b
Fortunatus poeta. 587.a
Epiſcop. 652.b
Forum Trajanum. 430.a
Foſcolus. 1027.a
Foslius Flaccinator. 252. b. 308.b
Foſſa ad mare rubrum. 329.b
inter Moſam & Rhenum. 449.a
Rhenum & Danubium. 643.a
Euphratem & Tigrim. 430.a
Mariana. 385.b
Foſta. 617b
Frabateria Colon. 380.a
Franci unde dicti. 416. b. veniunt in Germaniam. 253. a. laceſſantur à Gallis. 260. a. vincuntur à Conſtante. 518. b. vaſtant Galliam. 499. b. prædantur. 503. a. Salii. 523. a. firmant regnum. 563. a. à vandalis victi. 605.a
Francia. 640.b
Francio dux. 591.b
Franciſcus Alanzonius. 945.a
Catelufius. 851.a
Dandalus. 841.a
Dracus. 948.a
Lotharingiæ Dux ægrè ferens Condæum ſibi præferri relictis Hiſpanorum partibus ad Gallos tranſiit. 1035.b
Florentinus. 948.
Mendoza. 953.b
Petrarcha. 831.b.858.a
Philadelphus. 899.a
Rex Galliæ. 913.b
II. 934.b
Sfortia. 880.b
à Sicking. 918.a
Spira. 939.a
Franckenthal obſeſſum liberatur. 988. a. redditur. 1007.a. deditur 1012. a. cur Hiſpano relictum. 1028. b. præſidium Hiſpanicum diſcedit. 1033.b
Franco Leod. 727.a
Francoberga. 962.a
Francofurtum ad Viadrum. 477.a
ad Mœnum. 475. a. habet Nundinas. 805. a. Synodum. 603. b. mulctatur. 862. a. ibidem Leopoldus in Regem Rom. ſolenni pompa eligitur & coronatur. 1037. a. conventus inſtituitur quo Imperator & S. R. Imp. cum Rege Galliæ de pacis Neomagienſis controverſis articulis agitur qui tamen paulò poſt rūpitur. 1047.a. 1048.a
Francus rex. 275. a. 415. a. 475. a.
Frangipani Coſpirationis adverſus Cæſ. accuſatur carceri includitur, ut capitis ſupplicium ſubeat. 1041.b
Fraticelli. 830.b
Fratrum bella. 339. a. 588. b. 959. a. 720. b. 728. a. 747. b. 763.a
Frauita. 538. a. occiditur. 560. b.
Fraus Epiſcopi. 681.
Frawen Münſter. 657.b
Fraxinetum 691.b
Fredegundis. 588.b
Fregellæ. 303.b.335.b
Marq. Frehertus. 969.b
Friberga. 774.b
Fridericoburgi Elector Palatinus templum novum Concordiæ extrui jubet: in cujus conſecratione ſacra obeunt cum Luthera-

Lutherano doctore ſacerdos Pontificius & Calvinianus. 1046.b
Friburg fœderatur. 899.a
Freiburgum in Briſgoa per deditionem & proditionem ſummi urbis præfecti Crequius occupat. 1045.a
Freidanck medicus. 849.b
Fridericus Febani F. 563.b
Barbaroſſa Imper. 766.a
II. 797.a. moritur. 811.b
III. Auſtriacus. 836.900.b
IV. alias III. 886.b
Elector Brandeburg. 972.b
II. 882.a
Wilhelmus naſcitur. 986.b
Palatinus. 886.a
II. 928.a
III. 934.a
IV. 953.a
V. 969. b. rex Bohemiæ. 984.
Saxo. 732.a.875.a
II. Placidus. 876.b
III. Sapiens. 901.a
Magiſter Teutonici Ordinis. 906.a
Marchio Miſnenſis. 825.a
Wilhelmus Dux Saxon. Altenburgicus ex vivis excedit: cui Dux Saxo. Gothanus Erneſtus ſuccedit. 1042.a
Thuringiæ. 859.b
Dux Moſellæ. 721.b
Luthelburg. 726.b
Sueviæ. 769.a
Landgravius cum admorsâ genâ. 820.b. 825.a. à Polonis ſclopeti ictu interficitur. 1035.b
Comes Hollandiæ. 716.b
Burggravius primus. 820.a
Rex Bohemiæ. 984.b
Daniæ. 917.a
Neapolit. 905.a
Durlacenſis Campimarſchallus Generalis adverſus Gallos declaratur. 1043.b
Auſtriacus 803.a.809.b
Huſmannus. 118.b
à Stauffen. 737.a
Tilemannus. 122.a
Toletanus. 1011.a
Vinarienſis. 990.a
à Zöllern. 820.a
Dux Saxoniæ Erneſti Saxo-Gothani filius primogenitus virtutum paternarum hæres ducit Magdalenam Sibyllam Auguſti Ducis Sax. Hallenſ. filiam. 1041. a. Directorium ditionum paternarum inter laudatos fratres diſtributarum habet, & præter laudabilem curam Reipubl. magnos ſumtus in præclaros ſcriptores rei litterariæ bono recudendos facit. 1044.a
Fridigernus. 529.a
Fridlandus. 995.a.996.a.998.b
Fridrichſœda in ſcania à Vrangelio occupatur. 1036.b
dux denuò. 1005. a. Confoditur. 1009.b
Friſia. 253.a. rebellat. 434.b. 449.a. 483.b. regnat. 548.b. inundatur. 798. b. 811. b. 825. a. Orientalis Princeps in Comitijs Ratisbonenſibus ad votum & ſeſſionem in Senatu Principum admittitur. 1040.a
Friſingenſis. 768.b
Friſlaria excisa. 803.b
Friſones. 309.b
Fritigil. 536.b
Froiola rex. 633.b
II. 685.b
Fronsbergius. 920.a
Fronto. 478.a
Froſſardus. 867.a
Frotmundus. 715.b
Fructuoſus. 498.a
Frugalitas. 321.b.367.b
Frumarius. 556.b
Frumentius. 514.b
Fruſinon. 352.b
Fuchſius. 996.a
Fucinum Caſtrum. 264.a
Fucinus lacus. 406.b
Fucus diſplicet. 762.b
Fuentæum. 1013.b
Fuga Chriſti. 425.b
Monachi Anglici. 794.a
Fuggerus. 908.b.1005.a
Fulcinius Trio. 436.a
Fulcares. 582.b
Fulco Epiſcop. 677.a
Comes Andegau. 756.b
rex. 758.a
Fulda. 629.b. Pauper. 731.b
Fulgentius. 566.a
Fulmen malè expreſſum. 198.b. lædit filiam Helvii. 382.b
Calicem Neronis. 449.b
Comites Aureliani. 520.a
Gymnaſium. 450.b
Imperatorem. 570.b
Jovem. 402.b
Julianum. 325.b
Königsmarckii filios. 1021. b.
Regem. 545.b
Templum Miſenæ. 929.a
Romæ Caſtellum Angli tangit quo inſignia Pontificis deformantur. 1039.a
Fulvia, uxor Antonii. 408.b
Fulvius Emilianus. 487.a. 495. a. 502.a
C. Flaccus. 376.b
Valens. 463.b
Cn. Centumalus. 349.a
Maximus Centum. 319.a
L. Curvus. 306.a.316.a
M. 316.a
Æmilianus. 496.a
Flaccus. 330.a.379.b
Nobilior. 357.b.368.a
Pætin. 318.b
Q. Centum. 340.b
Flaccus. 738. b. 342. a. 348.b.360.b
Nobilior. 369.b
Ser. Flaccus. 376.a
Nobilior. 333.a
Funccius chronol. 128.a
C. Fundanus Fundulus. 336.a
Funambuli. 366.a
Funus V. Exequiæ.
Furculæ. 307.a
Furius Orfitus. 501.a
Craſſipes. 401.a
Lupus. 502.b
Agrip. Fuſus. 273.a
Medullinus. 235.b.249.a
C. Pacilus. 250. b. 252. a. 256.a
Pacilus. 262.a.334.a
Medullinus. 282.a
L. 241.a.253. b. 256. b.258. b. 261. b. 263. b. 264. b. 266. a. 269. a. b. 271. a. b. 273. a. 278.a
Camillus Dictator. 293. a. Conſul. 299.a. 305.a
Purpureo. 355.a
M. Fuſus. 266.b
Camillus. 266. b. 267. b. 269.a.271.b.276.a.277. a.278.a.428.a. 431.b.
Scribonianus. 436.b
P. Calvus. 342.b
Medullinus Fuſus. 241.b
Philus. 376.a
Sex. Medullinus Fiſcellin. 235.b
Sp. M.F. Camillus. 284.b
Fuſus. 237.b
Medullinus. 268.a.279.b
Fuſus. 243.b
T. 243.b.247.a.249.a.
C. Furnius. 419.b
Furſtenbergius. 977.a
Fürſtenfeld. 809.b
Fürſtenaw. 989.a
Furtum laudatur.
Harpali.
Verris.
in Villicis punitum.
Fuſcinus lacus. 446.b
Fuſcus.
Fuſia lex. 369.a

C. Fuſius.

C. Fuſius Geminus. 434.b
Q. Calenus. 405.a
M. Fuſelſius. 969.a
Fuſtigatio. 432.a

G.

GAbala. 1022.
Gabalum. 758.a
Gabii. 227.a
Gabiniadus.
A. Gabinius. 400.a
P. 442.b.529.a
Gabriel Angelus. 423.b
Bethlen.
Biel. 904.a
Bulgarus. 715.a
Judæus. 954.a
Surian. 648.b
Gad propheta. 189.b
Gadara. 387.b
Gades. 192.b
Gaditæ. 398.b
Gagra. 553.b
Gaina dux. 536. a. cogit Arcadium. 537. b. cadit. 538.a
Gaiſo. 520.a
Galatia. 397.a. 416.a
Galba. 437.b. 454.b
Galeatius Sfortia 839. a. fit dux. 865.b
Galenus. 475.a
Galenianus Armentarius. 505.b
Galerius Imper. 510.a
M. Tiripilianus. 454.a
Galfilas. 529.a
Galilæa. 366.b
Galla. 533.b
Gallæci. 376.a
Gallaſſius. 1007. a. 1009. b. 1020.b
Gallia deſerta. 558.a
Gallienus Imper. 497.a
Gallus. 471.a. 599.b. præit Hiſpano. 937.a
Cæſar. 520.b
Conſul. 568.b
Danus. 1020.b
dux. 1016.b
Felin.
Galli Cœnob. Clade maxima affecti non procul Neapoli. 1035.a. In Gallia propter reditum Cardinalis Mazarini civiles motus oriuntur. 1034. a. in Flandriam irruentes obvia quæque devaſtant. 1036. b. Gravelinga & Ipera occupant. 1037. a. Legatus Conſtantinopoli in carcerem conjicitur. 1039. a. Viennæ diſcedere jubetur. 1043. a. in India Orientali ab Hollandis miſerè excipiuntur. ib. reſpicientes ſibi hoſtes eosque potentes imminere, præſidia de urbibus in Belgio ſuperiori anno captis deducunt. ib. merces eorum in Germania decreto publico prohibentur. 1044.b
populi. 271. b. laceſſiti capiunt Romam. 273. b. cæſi. 289. a. 292. b. vincunt. 319. b. 320. a. in Aſiâ. 326. a. 358. a. ſubiguntur. 357. b. vaſtati. 500. b. 540. ſuccumbunt. 274. a. ad Creſſiacum. 848.a
Comati. 445.a
Ligures. 330.b
Gallicanus. 470.b
Gallogræci. 331.a
Galſilus.
Galſonda. 588.b
Gamaliel. 543.a
Gandaicum. 859. 860. 926. a.
Gandavum in Belgio Rex Galliæ occupat. 1045.b
Ganderſheimb. 660.a
Ganelones. 665.a
Ganges. 302.b
Gangolphus. 633.b
Ganymedes. 181.a
Gaos. 275.a
Gardius Suecus. 1011.b
Garetianus mons. 682.a
Garganus mons. 780.b
Garibaldus. 591.b
Garleben. 639.b
Garnerius. 1023.a
Garnettus. 960.b
Garizim. 300.a. 378.a
Garſias rex. 624.b
II. 633.b
Alfonſi F. 682. a. Magnus. b
Sanctius. 686.b
Comes Caſtellæ. 720.a
Garſtungum. 739.b
Gaſſion. 1025.a
Gaſto.
Gath Philiſtim. 189.b
Gaufridus. 756.b
Gaugamela. 300.b. 467.b
C. Canius Maximus. 475.a
Gaumianius. 723.a
Gaza. 207. a. 216. b. 300. a. 311. b. 538.a
Gazanus. 830.b
Gazi rex. 754.a
Gebel Tarich. 621.a
Gebetho. 194.a
Gebhard Comes Caluenſis. 728.b
Truchſeſius. 946.a
Gebichinſteyn. 712.b
Gedalia. 220.a
Gedanum. 819.b
Gedar. 207.a
Gedeon. 183.a
Gediminus. 832.b
Geduces Achmetes. 898.b
L. Geganius Macer. 279.b
M. 248. b. 250. a. 241. b. 252. a. 284.a
Præ. 250.b
T. 234.a
Geila dux. 616.b
Geilo. 640.a
Geiſa. 700.a. 731.b
Geiſericus. 544.a
Geiſius. 1022. a. denuò dux. 1026.a
Geldria. 253.a
Gela. 210. a. 264. b. 313. a.
Gelation. 476.a
Gelanos. 179.a
Gelaſius Papa. 564.a
II. 752.a
Geleenus. 1010.a
Geleſuintha. 586.a
Gellias. 264.a
L. Gellius Poplicola. 394. a. 411. a. 441. b
Dux. 320.a
Gelnhauſen. 987.a
Gelo. 347.b
Geloi. 220.b
Gelon tyrann. 234.b. 347.b
Stadion. 117.b
Gelu in Majo. 763.b. 838.b
Gemblacenſis. 684.a. Cœnob. 684.a
Geminus. 491.a
Gemis. 898.b
Genebaldus. 534.a. 537.a
Geneus. 956.b
Genizari ſunt Janizeri. 854. a. V. Janiz.
Gennadius Conſul. 552.b
Presbyter. 556.a
Dux. 588.b
Gennepa. 1018.a
Gennezareth. 429.a
Genſericus. 550.a
Prædator. 557.b
Gentianus. 487.b
Gentiliacum. 635.b
Sc. Gentilis. 972.b
Gentius rex. 360.b
Genua. 351. b. 745. a. terræ motu concutitur. 1035. a. moventur turbæ à Duce Sabaudiæ, quibus intercedunt Helvetii, 1040. a. Claſſis Gallica machinis pyrabolicis infeſtat, quibus ferè tertia pars ædium conſumpta eſt. 1050.b
Potens mari. 814. 815.
avara. 855.a
Genutius. 241.a
C. Clepſina. 326. b. 328. a.

Co. Aventinenſis. 286.a
Augurinus. 286.b. 270.b
L. Aventin. 286.b. 316.b
Clepſina. 328.b
M. Augurinus. 249.b
Geometer cœcus. 391.b
Georgius Anhaldinus. 932.a
Alexandr. 522.a
Baſta. 854.b
Cœculus. 913.b
Dux Saxoniæ. 923.a
Bavariæ. 908.b
Erneſtus Henneberg. 946.a
Triballorum. 888.a
Epiſc. Conſtant. 614.a
Fabritius. 940.b
Major. 931.a
Moſcoviæ princeps. 805.a
Organiſta. 654.b
Pogiepracius. 883.b
Rorarius. 919.a
Sabinus. 935.a
Seldius. 937.b
Syncellus. 643.a
Wilhelmus Elector Brandeb. 986.b
Georgiani. 943.b
Gepidæ. 503.a. liberati ab Hunnis. 555.a
Gerardus Comes. 715.a
dux. 726.b
Mercator. 133.a
De Senis. 844.b
Gerberga. 694.b
Gerbertus. 707.a
Epiſc. 708.a
Gerbſtedt. 709.b
Gergobia. 403.a
Gerhardus. 751.a. à Lippa. 795.b
Gerlaeſus. 618.b
Germania tota lætatur pacis ergo 1033.a. magna pars exundantibus paſſim fluviis, aquarum vi obruitur. 1035.a. jubilæum ob impetratam pacem celebrant. 1037.b. tanta ventorum vis ſævijit, ut ædificia corruerint, ſylvæ & arbores radicibus evulſæ disjectæ undique conſpicerentur. ib. exundatione premitur. 1048.a
Germani. 298.b. vanè triumphati. 461.a. irrumpunt. 478.b. 495.a. in Hiſpaniam. 499.a. in Galliam. 505.a. 506.b. victi. 522.b. 527.a. irruunt. 530.b
Germanicus Cæſar. 427.a.b. 429.b revocatur. 431.a
Germanus Epiſc. 546.b. 551.b
Patriarcha. 622.a
Geroldus. 641.b
Epiſcopus Lubecæ. 767.b
Juſtiniani nepos. 581.a
Mauritii dux. 591.b
Geron. 689.b
Epiſc. 701.a
Gerontius. 542.a
Gersdorffius. 1021.b
Gerſon. 877.a
Gerſunguni. 735.a
Gertrudis. 606.b. occiſa. 796.a
Palatina. 801.b
Gervaſius. 479.a. 552.b
Gervilius. 629.b
Gerus. 214.b
Geſalricus. 567.b
Geſnerus. 937.b
Geſſius Florus. 451.a
Geſur. 191.b
Getæ. 193.a. 597.a
Geta Imper. 483. 488.a. V. Septimius.
Getulicus. 420.b
Gibus. 566.a
Gibelini. 761.b
Gibeonitæ. 188.b. 192.a
Gibraltar. 621.a
Giennium. 807.b
Gieſſen. 962.a
Gigerus in Africa Caſtellum Galli occupant mox tamen ejiciuntur. 1039.a
Gietzium. 962.a
Gilberta. 663.a
Gildas. 589.b
Gildo. 537.a
Gilgal. 179.a
Gilimer. 574.a. ſe dedit. 575.b
Gillus. 393.a
Gindes. 225.a
Gingiz. 799.a
Giſalbertus. 660.b
dux Lotharingiæ. 690.a
Giſelorus. 711.b
Giſmanus. 616.a
Giſgo. 551.a. 570.a
Giſulphus. 594.a. 619.a
Glacies de cœlo lapſa. 654.b. craſſa. 634.b. præbet locum pugnæ. 815.b
Gladebach. 701.b. V. Cladebacti.
Gladiatores. 330.b. 362. bellum movent. 394.a. 425.a. 503.a. prohibiti. 536.b
Gladius Druſianus. 431.a
Martis. 550.b
Glareanus. 936.b
Glarona. 859.b
Glaſerus. 650.a
Glashuta. 903.b
Glaucias. 386.a
Glaucides. 250.b
Glaucippus. 262.a
Glaucus & Glycon. 220.b
Iſthmicus. 181.a
invenit gluten. 209.a
Glatz. 976.b
Gleicha arx. 741.a
Globuli lignei oratorii. 743.b
Glogovia. 1000.b
Gloria Patri. 514.a
in excelſis. 474.b
Laus & honor. 658.a
Gloſſa ordin. 959.a
Glückſtadium. 1003.a
Gluten. 640.a
Glycerius. 507.b
Imper. 559.b
Glycon. 220.b. moritur. 339.b
Gneſna. 698.b. 968.a
Gnoſſos. 173.b
Gnoſtici. 468.b
Gobrias. 233.a
Godas. 575.a
Godebertus. 609.b
Godefridus cum barbâ. 746.b
Bulioneus, dux Lotharingiæ. 712.b
II. 725.a
III. 734.a. ex Hiereſol. 746.
IV. 738.a
V. 761.b
VI. in der wiege. 762.
de S. Almaro. 753.a
Rex Daniæ. 647.a
dux Normanniæ. 661.b
ICtus. 990.a
Godeſchalcus. 663.a. 712.b. 749.b
Godigiſilus. 540.a. 567.a
Godomannus. 572.a
Gœtius dux. 1009.b
Goldbergum. 967.a
Gollettum. 941.b
Goliad. 189.a
Goltz. 1017.a
Gamern. 629.a
Gommerus. 174.b
Gomorrha. 961.a
Gomphi. 354.a
Gonzala. 964.a
Goranus. 566.
Ant. Gordianus. 493.a
Aur. 502.a
Gordianus Imper. 488.a. victor. 494.b. 495.a
Friſo. 621.b
Gordias. 182.a
Gordius nodus. 299.b
Gorgias dux. 366.a
Philoſ. 255.a. 315.a
Gorgona. 182.b
Gorgopas. 272.b
Gorlitium. 842.b
Gorza. 337.b
Gosbertus. 616.a
Goslaria. 684.b. 700.a. fit urbs. 716.a.
Gotha côditur. 698.b. 938.a. magno incendio deformatur. 1039.b.
Gothardus Ketler. 935.b
Gothardum graviſſima Clades Turcarũ ab Hungaris. 1039.a

Gothi.

Gothi. 253. a. 309. a. 398. a. 416. a. 462. b. 482. a. 496. a. 499. a. 500. a. 516. a. ſeditioſi. 529. a. petunt terram. 529. b. irritantur. 530. a. Orientales habent geminos reges. 559. b. ex Italia pulſi. 582. b. 583. a
Gothlandia. 918. a
Gotofredus. 990. a
Gottinga. 921. b
Gozeia. 728. b
Gozelo. 717. a
Gracchus. 377. a
Gradiſcia. 971. a
Gradus ad papatum. 636. b
Græca Eccleſia ſecedit. 805. a
Fraudulentia. 700. a
Libertas. 296. b. 355. a. 458. b.
Lingua addiſcitur Craſſo. 377. b. Dionyſio. 573. a. Caroli M. filiabus. 640. a. Clericis. 646. b. rara in Occidente. 593. b. ſalvat Ottonem II. 704. a. ſolæciſat. 360. a
Græcia ſui juris. 281. a. 355. a.
Græcinus. 442. a
Græcus ignis. 612. a
Grammatica. 646. a
Carmine reddita. 795. b
docetur Romæ. 364. a
Grampius mons. 461. a
Granata incipit. 808. a. vaſalla. 807. b
Grando ingens. 308. b. 527. a. 539. b
Granæus princeps. 1011. a
Granicum. 299. a
Granſæus. 1011. a
Gratianus Imper. 527. a. 530. a. 532. b.
Decretalium author. 735. b
tyrannus. 540. a
Gratitudo. 271. b
Gratus Conſul. 490. a. 563. a
Procurator Judææ. 431. b
Grava. 956. a
Gravamina Imperii. 918. a
Gravæa ad Moſam. Batavi à Gallis per deditionem recuperant. 1043. b
Gravelinga in Flandria à Gallis occupatur. 1037. a
Gregoras. 598. a
Gregorius Cappadox. 518. a
Dux. 625. a
Epiſc. 588. a
Nazianzenus. 527. a
Nyſſenus. 530. b
Papa ex milite. 589. b. 592. b.
II. 622. a
III. 626. a
IV. 655. a
V. 708. b
VI. 725. b
VII. 734. b
VIII. 783. a
IX. 801. a
X. 819. a
XI. 856. b
XII. 868. a
XIII. 940. b
XIV. 950. b
XV. 988. b
rex Scotiæ. 671. a
tyrannus. 606. b
Trapezontius. 880. a
Greiffenklaw. 997. a
Grenzingius. 1006. a
Gremonvillæus Legatus Gallicus Viennæ reſidens ibidem diſcedere ab Imperatore jubetur. 1043. a
Gretas. 573. a
Gretſerus. 955. b
Grevelinga. 1021. a
Grillus. 284. b
Grimmani. 1028. a
Grimmenſtein. 938. a
Grimoaldus Beneventanus. 605. a
Brabant. 606. b
Dragonis frater. 618. b
Friſius. 613. a
Major domus. 612. a
Grimius. 708. a
Griſones. 976. b. 101. b. a
Grittus. 926. a
Grodno expugnatur à M. Moſcoviæ Duce. 1037. b
Groicia arx. 739. a
Grolla. 961. b. 998. a
Groninga. 913. a. 952. a. à Rabenhauptio adverſus Epiſcopum Monaſt. fortiter defenditur. 1042. b
Gronsfeldius. 1005. a
Groſſi Bohemici. 831. a
Grotius. 1013. a ordinum Fœderatorum in Gallia antea legatus proditionis reus ex Belgio aufugit. 1042. b
Grotus. 977. a
Grumbach. 937. b
Grumentum. 351. a
Grunavia. 684. a
Grünberg. 997. b
Grunes. 175. a
Grunheyd. 1012. b
Gruninga. 275. a
Grunnus. 648. b
Grupenhagis. 828. a
Grutingi Gothi. 528. a
Scythæ. 533. a
Gryllus. 300. a
Grynæus. 927. a
Grypho. 630. a
Grypswald. 879. b
Grypus rex. 379. b
Gvalthart. 5?1. a
Guanilo. 665. a
Gubazes. 583. a
Gudeoch. 561. a
Guebrian. 1017. a
Guelphi. 761. b
Gujana. 964. a
Guido Aretinus. 718. a
Comes Flandriæ. 821. b
Dux Longobard. 675. a. 676. a
Hiſtoricus. 791. b
Imperator. 677. a
Lamberti F. 676. a
Rex. 678. b. 781. b
Guinea. 1010. a
Guipertus. 684. a
Guiſius. 936. a
Henricus. 947. a
GüldenLövv Comes Suecis Marſtrandum & Caroloſteiſteinium eripit. 1045. a
Gulenus. 701. a
Gundarius. 548. a
Gundebundus. 562. a
Gundericus. 544. a
Gunderoblum. 886. a
Gundiberga. 608. a
Gundiſalvus. 699. b
Gundobaldus. 627. b
Gundomarus. 598. a
Gunduinus. 609. a
Gunſium. 922. b
Guntharius. 666. a
Guntherus Imper. 849. b
Gunthrammus. 585. b
Guſtaviburgum. 1006. b
Guſtavus Suecus elabitur. 916. b. gubernat. 917. a. rex. 920. a.
Adolphus. 966. a. appellit Rigæ. 994. a. Uſedomiæ. 999. b. movet in Germaniam. 1002. b. fœderatur Gallo. 1004. b. penetrat trans Rhenum & occumbit victor. 1006.
Guſtavi F. naturalis, fit Dynaſta Oſnabrugæ. 1009. Comes Sueciæ. 1014. a
Gyges rex. 209. b
Stadion. 213. a
Gylippus. 260. b
Gylis. 270. a
Gymnaſia. 573. a. tria. 575. a. Auguſteum Weiſenfelſæ erigitur. 1039. a
Neronis. 450. b
Gymnicum certamen. 208. a
Gymnopædia. 224. a
Γυναικοκρατεία. 539. a
Gyndes deducitur in rivos. 225. a
Gythæum. 356. b

H.

HAbacuc. 213.b
Habdallus 618.b.630.b
Medicus. 634.b
Habdanck. 750.a
Halesburg evertitur. 851.a
Haco rex. 809.b
Hadad. 192.a
Hadadeſer. 190.b
Hadrianus Imper. naſcitur. 459. a. imperat. 468.b
Papa. 637.a
II. 668.a
III. 675.a
IV. 767.a
V. 820.b
VI. 917.a
Severianus. 473.a
Hadrianopolis. 899.b
Hæmorrhouſa. 535.a
Hæmus. 360.a
Hæreditaria fœdera. 857.a.864. b.894.a.912.b.
Hæreſes. 468.b
non faciunt martyres. 542. b. V. Miracula puniuntur divinitus. V. Arius Neſtorius.
Hæreticus degradandus. 779. a.
Hærſius. 1017.b.1022.b
Q. Hæterus Antoninus. 447.a
Hafnia 924. a. à Suecis obſidetur. 1037.a. ſed fruſtra. ib. I.
Haga Comitis. 823. a. de pace ſancienda inter duos Reges ſeptentrionales conſultatur. 1037. b. concluditur. 1038. a.
Hagag. 619.b.962.b
Hagaritæ. 189.a
Haggæus. 257.a
Hahn. 882.a.1020.b
Haina. 826.b
Haiton. 812.b
Hala. 757.b.879.b
Halapia. 780.a
Halberſtadium. 639.b. exuſtum. 779. a. ſubactum. 899. a. cedit Brandeburgico. 1028.b
Haleſus. 186.b
Halex prænuncius. 570.a
Hali. 608.b
Haliartum. 270.a.363.b
Halibaſſa. 933.a
Halicarnaſſus. 299.a
Halicutica. 489.a
Halirrhotius. 177.b
Haliſcum. 186.b
Halyattes. 215.b
Halycarnaſſæus. 1.a
Halysvadatur. 224.a
Haman. 240.b. oppidum in Polonia à Turcis ſubigitur multa millia Polonorum trucidantur ac partim in Captivitatem abducuntur. 1044.a
Hamar Saracenus. 604.b
Hamaria. 674.b
Hamburgum. 649.b. redimit ſe. 800.b. excedere jubet cũ Legatum Gallicum tum Suecicum edicto Imperatoris ob quam rem Rex Galliæ ipſis bellum denunciat. 1044. b. incendium abſumit 214. ædes majores. 1050.b
Epiſcopatu ornatur. 657.a
Hamelenſium clades. 823.b
Hamelmannus. 938.a
Hamilcar pater Hannibalis. 328.b
Hamiltonus. 1005.a.1027.a
Hamerſtein. 717.b.997.b
Hammonis templum. 300.b
Oraculum. 216.a
Hanani. 193.b
Hananias. 218.b
Hannas felix. 450.b
Hannibal evertit Selinum. 212. b. 262. b. moritur. 264.a
II. fraudulentus. 331.b. cruci ſuffixus. 332.a
III. naſcitur. 335. a. jurat in Romanos. 338.b. fit dux. 343.b. movet in Italiam. 344. b. vincit. 345.a.b. 346.b.348.b.
Baro à Dohnavv. 988.b
Comes Schavvenburgi. 1011.a
Hanniballianus. 505.b
Hanno. 330.a. 331. a. cadit 332.a
II. 344.b
Epiſcopus. 731.a
Hannovia. 1003.a.1012.a
Hanon. 191.a
Hanovera. 786. a. Joh. Fridericus Ducatum Pontificiæ Relig. addictus jure ſucceſſionis accipit. 1039.b
Hanoviæ Elector Sax. Joh. Georg. II. cum Francofurtum ad Electionem novi Imp. veniſſet templi novi Evangelici manu ſua fundamentum ponit. 1037.a
Hanſæ Civitates. 882.a.924.a
Hanſteinenſes. 900.a
Haphra, aliàs Apryes. 220.a
Haraldus Anglus. 732.b
Danus. 651.a
Norvvegus. 732.b
Hardecius. 952.a
Hardecnutus. 722.a
Hardericus. 642.a
Harduelles. 906.a
Harduicus. 741.a
Harialtus. 620.b
Harlemum. 941.b
Harminius 428.b. 431. a. 432. a
Harmocrates. 263.b
Harmoduus. 228.a
Haroldus rex. 692.b.722.a
Harpagus dux. 224.b
Harpalea. 283.b
Harpalus. 303.a
D. Harterius Agr. 432.b
Q. Ant. 447.a
Hartesburgum. 735.a
Haruſpex. 383.b
Haſaël. 195. b. 197. a. 198. b.
Haſcam. 624.b
Haſen. 609.b
Haſſia augetur. 879.b
Haſta urbs. 538.a
Haſtiludia lethalia. 804.b.827.b. 854.a.894.b. 1016.b.
Hausfeldius dux. 1012.b
Hatto Epiſc. Augin. 677.a
Mogunt. à muribus abſumptus. 681.a
II. 699.b
Hatuanum. 952.b
Havela. 642.a
Havelli Sclavi. 691.a
Haymo. 657.b
Hazanbaſſa. 951.a
Hazar. 182.a
Hebron. 172.b
Hecaſtylon. 495.b
Hecatomnus. 394.b
Hecatæus. 227.a
Hecſtadium. 790.a
Hector. 185.a
Hedio. 932.a
Hedelof latro famoſus in Sileſia gravi ſuppiicio afficitur. 1034. b.
Hedwig. 808.a
Heerbrandus. 955.a
Heergeraithe. 687.b
Hegemon. 302.b
Hegerbetus. 977.a
Hegerloch. 829.a
Hegeſippus. 478.a
Hegira. 101.b.601.b
Hegmachus. 318.a
Heidanus defenſor Philoſophiæ Cartheſianæ, propugnat eum cui interdicitur cathedra publica. 1044.b
Heideck Comes. 931.a
Heidelberga. 989. b. 1010. a. Academia ejus ritu ſolenni à Carolo Ludovico Electore reſtauratur. 1034.a
Heidenheim Cœnob. 630.a
Heiducci. 954.a
Heilbrunnerus. 955.b
Heimburg. 890.
Heimeranus. 619.a
Heinricus Auceps, Imper. 681.b. 684.b

II. Sanctus. 711.b.719.b
III. 723.a
IV. naſcitur. 727.b. Imperator quinquennis. 729.a
V. 749.a
VI. puer. 773.b.784.b.799.b
VII. Landgr. 809.a
VIII. Lutſelburg. 834.a. aliàs VII. 835.a
Rex Galliæ. 719.b
II. 949.a
III. 949.b
IV. 951.b
Angliæ. 797.b.766.b
II. 866.a
III. 870.b
IV. 874.b
V. 878.b
VI. 890.b
VII. 901.b
VIII. 910.b.923.b.924.b.926.a
Bohemiæ. 788.b
Caſtellæ, puer. 796.b
II. 855.b
III. 662.b
IV. 887.b
Conſtantinop. 793.a
Daniæ. 811.a
Navarræ. 941.a
Portugalliæ. 944.a
Poloniæ. 940.b
Dux Auſtriæ. 706.a.712.a.775.a.
Alſatiæ ultimus. 805.b
Brabantinus. 676.a.770.b.795.a.810.b
Bavariæ. 720.a
Julig Brũſuicenſis. 949.b
Leo. 769.a
Lignicenſis. 827.b
Lotharingiæ. 993.b
Lymburgi. 767.b
Saxoniæ. 775.a.925.b
Sileſiæ. 811.a
Zucphaniæ. 918.b
Landgravius. 799.b.956.b
Marchio Miſniæ. 715.b
Brandeburg. 762.a
Forojulii. 853.a
frater Ottonis. 690.
Comes Andegavenſis. 766.b
Lovanii. 716.a
II. 735.b
III. 741.a
Palatinus. 712.b
& dux Brunſu. 801.b
Richemontiæ. 900.b
Stuartus. 937.b
Viſcenſis. 889.b
de Erfordia. 850.b
Fridericus. 952.a
de Gandavo. 827.a
Glareanus. 936.b
de Haſſia. 866.b
Walpold. 785.a
Heinſius. 810.b
Helbes. 220.b
Heldrungen. 900.a
Helena Menelai. 184.a. non vituperatur impune. 223.b
Adiabena. 444.b
Conſtantini mater. 505.b
Ruſſiaca. 696.a
urbs. 520.a
Helenopolis. 475.a
Helenus Francus. 293.a.302.b.322.a
Pyrrhi F. 326.b
Trojanus. 185.a
Helfenſteinium. 919.a
Heli. 192.b
Helias monarchus. 806.a
Helice & Bura. 280.b
Hiſpaniæ. 340.b
Helicon. 287.a
Helinandus. 757.b
Heliodorus. 462.b.488.a.489.a
Heliogabalus. 489.b
Heliopolis. 367.a.475.a
Heluis. 454.b
Hella. 181.a
Hellac. 555.a
Hellanicus. 232.b.328.b
Hellanodicæ. 201.b.237.a.241.b
Hellenes. 180.b
Helleni. 329.a
Helleniſtæ. 329.a
Helleſpontus. 237.a
Helma. 573.a
Helmſtadium. 647.b
Helvetii conjurant. 398.b.833.b. tribus Pagis accedunt quatuor. 835.b
Caninf. 957.b
Pacifici. 1007.b.1040.a
Helvidius. 532.a.640.a
M. Helvius. 355.b.382.b
P. Pertinax. 483.a
Hemmingus. 649.b
Henabethi. 657.b
Hengiſtbus. 552.b
Heniochidas. 216.a
Hennanius. 967.b
Henneberg deficit. 946.a
Hennet. 1027.b
Henninius. 1010.a
Henoch. 170.b.196.a
Henricus V. Heinricus.
Hephæſtion. 302.a
Hepidannus. 627.b
Heraclea. 184.b.252.a.255.b
Pontica. 297.a
Heracleones. 387.b. Imper. 605.b
Heraclianus tyrannus. 542.a
Heraclidæ. 186.a.187.b
Heraclides Salam. 352.a
Stadion. 352.a
Syracuſan. 282.a
Heraclitus. 230.b.350.b
Heraclius. 558.b.598.a
Imperator. 598.b. cudit monetam ex ſacris, & vincit. 601.602.
Junior naſcitur. 599.a. dictus Conſtantinus. b
Frater Imper. 619.a. ſuſpenſus. 619.b
Heras. 477.a
Herbartus ab Hohenburg. 295.b
Herbertus Viromanduus. 685.b
Herbipolis. 1040.a
Hereo. 597.b
Herculanus. 557.b
Hercules Alexandri F. 312.b
Ferrariæ. 899.a
Heros. 182.a. expugnat Ilium. 183.b. ejus columnæ. 216.b. monet Mancinum. 375.b
Hercynia ſylva. 427.b
Herdonea. 349.b
Herea. 349.b
Herennianus. 479.b
Herennius. 388.a
Heri inhumani. 546.b
Heribertus. 721.a
Heriman. 309.a
Herimerus. 432.b
Herioldus. 650.a
Heriveus. 685.b
Herlicius. 1013.b
Hermanfried. 462.b
Hermannus Biling. 696.a
Comes Palatin. 767.b
Montenſ. 727.b
Contractus. 2.b.728.b
Defurtenſis. 844.b
Ingevonis F. 174.b
Landgr. 797.a
Lotharingiæ dux 739.a
Hermæ. 260.a
Hermaphroditus. V. Androgynus.
Hermeas. 279.a
Hermenfried. 462.b
Hermenegildus. 589.a
Hermes. 477.a
Hermias. 292.a
Herminericus. 557.b
Lar. Herminius Eſquil. 248.b
T. 230.a
Hermio. 180.a
Hermione. 185.b
Hermocrates. 263.a
Hermodorus. 247.b
Hermogenes dux. 575.a
Hæreticus. 479.a
Pergam. 435.a
Rethor. 478.a
Xanth. 460.a.462.a
Hermolaus Barbarus. 887.b 900.a
Hermunduri. 427.a.449.a
Hernici. 226.b

Hernoia. 872.a
Hero Epiſc. 471.a
Herodes Magnus. 406.a.409.b.
Antipas. 425.b.435.a
Agrippa. 439.a
Junior. 446.b
Aſcalonita. 438.b
Chalcidis. 444.a
Philippus. 435.a
Archon. 400.a
Herodianus. 488.b.541.b
Herogias. 435.a
Herodotus. 122. b. quando & qua ætate. 236.b
Heroldus Epiſc. 695.a
Heron. 482.a
Heroſtratus. 288.a
Herſilia. 211.a
Heculi. 500.a
Herward von Hohenburg. 407.a
Hertzogenbuſch. 780.b
Herzecogli. 901.a
Hesdinum. 1016.a
Heſiodus. 200.a
Heſtiæi. 249.a
Hetruſcum bellum diuturnum. 217.a.219. b. 241.a
Heva. 169.
Hexameter inventus. 180 b
Hiatus terræ. 286.b
Hibbas. 568.a
Hibernia. 460. b. vaſtatur. 614. b. quanta. 945. a. turbatur. 1019.a
Hiberus. 471.b
Hiblo. 207.a
Hiccus. 241.b
Hicetas. 325.a
Hiel. 194.b
Hieraclius. 225.b
Hieracus. 505.a
Hierapolis. 451 a
Hieremias. 216.b
Hiericho. 194.b
Hierius. 545.b
Hieronus. 222.a
Hiero dux. 327.a
rex Syracuſ. 240.a.330.a
Stadion. 240.b
Hieromnemon. 312.a
Hieromonachi. 891.a
Hieronymus. 1. b. 528. b. abit ad Didymum. 533. b. vertit Biblia. 536. a. moritur. 544. a
Pragenſis. 870.a
Rex occiditur. 347.b
Suvaranola. 905.b
Hieroſolyma ſedes regia. 190. b. ornatur templo. 192. b. ſpoliatur. 196. b. diripitur. 199. a. obſidetur. 205. b. vaſtatur. 143. b. 220. reſtituitur. 226. a. 405. b. à Prolomæo occupatur. 363. b. profanatur templum. 365. a. 397. b. ſpoliatur à Parthis. 409. a ab Herode. 410. b. accipit regiam. 416. b. novum templum 418. b. terretur ultimo excidio. 451. a. obſidetur. 456. a. capitur. 457. a. ejectis Judæis. 472. non poteſt reſtaurari. 525. b. capitur à Perſis. 600. a. recipit vaſa. 575. b. capitur à Saracenis. 604. b. traditur Carolo. 647. a. recuperatur à Chriſtianis. 746. b. cingitur muris. 549. a. amittitur. 782. b. recipitur. 784.a
Higeinius Papa. 473.a
Hilaria. 508.b
Hilarianus. 515.b
Hilarius Arelat. 550.b
Papa. 103.a.556.b
Pictau. 521.b
Hildebertus. 584.a
Grimoaldi F. 608.a
Ludovici F. 618.a
Hildebrandus. 728.b
Hildegardis Abbatiſſa. 637.a
Monialis. 765.b
Hildegarius. 632.a
Hildelinus 755.b
Hildericus rex Franc. 488.a
II. 556. a. 557. a. revocatur. 558.b
III. 611.b
IV. 628.b
Auſtraſiæ. 609.a
Vandal. 571.b
Hildesheim. 1009.a
Hildeſienſis Epiſc. 916.a
Hillel Rabbi. 525.a
Hillivvardus. 701.a
Hiloticum bellum. 230.a.242.b.
Hilpericus rex. 622.b
Monachus. 622.b.733.b
Himera. 213.b.262.b
Himerius. 680.b
Himilcar. 264 b
Hincmanus. 660.b
Hinrandus. 823.a
Hinric Weſt Sax. 565.a
Hipparchus Archon. 237.b
Aſtron. 323.a
Tyrann. 228.a
Hipparinus. 290.a
Hippaſus. 187.b
Hippias. 228.a.231.a.262.a
Hippochas. 233.a
Hippocleides. 223.a
Hippocles. 191.b
Hippocrates. 224.a
tyrannus. 247.a.347.b
Hippodamia. 181.b
Hippodamus. 279.b
Hippodromus. 346.a
Hippolytus à Collibus 968.a
Mathemat. 490.a.102.a
Martyr. 498.a
Hippomenes. 207.a
Hippon obſeſſa. 547.a
Hipponax. 225.a
Hippoſthenes. 214.b
Hippoſtratus Cron. 222. b. 223.a
Seleuc. 359.a
Hipſala. 883.a
Hirom. 192.a
Hiram. 222.a
Hirpini. 389.b
Hirſchaug. 658.b
Cœnob. 734.a
Hirsfeldia. 716.b.999.a
A. Hirtius. 407.a
Hiſeibi Moſes. 634.b
Hiſpalis. 549.b
Hiſpania Conſularis. 372. b. vaſtatur à Germanis. 541. a. fit feudum Pontificis. 618. b. ſpoliatur muris. 620. a. occupatur à Vandalis & Gothis. 546. a. Saracenis. 621. b. tandem expulſis. 633. b. occupatur tota. 601. ſolos fert Catholicos. 605. a. accipit Monachos. 587. a. tripartito exercitu Portugalliam invadunt. 1036. b. ſæviunt in captivos Claſſiarios ib. Luſitanos aggrediuntur ac profligant. 1037. a. inter Hiſpanos & Gallos pax Pyrenæa concluditur & Regis Hiſpanorum filia natu majore à Ludovico XIV. Rege Galliæ in matrimonium ducta confirmatur. 1037. b. contra Luſitanos bellum feliciùs continuant. 1038. a. multas amittunt urbes in Belgio 1040. a. referunt inter Sanctos Ferdinandum III. Caſt. Regem & incendio conſumitur Monaſterium S. Laurentii 1042. a. ſolenniter Gallis bellum declarant. 1043. a. inter illos & Gallos pax publicatur. 1046. a. cum Imperatore, Rege Sueciæ & Batavis pro defenſione pacis Neomagienſis fœdus ineunt. 1048.b
Hiſſem. 641.b
II. 702.b
Hiſtaſpis. 227.b
Hiſter. 285.b
Hiſtiæus. 230.a
Hiſtoria. 2.a
Hiſtrii. 361.a.571.b
Hiſtriones pulſi. 432. b. reducti. 440.b
Hlodovvin rex. 545.b
II. 562.b
Hœxtera Civitas Abbatiæ Corbeien-

beienſis ab Epiſcopo Monaſt. affligitur ac tandem relinquitur. 1041.b
Hochburg. 629.a
Hochſtratus. 915.b
Hodabendes. 943.b
Hoe. 1023.a
T. Hænius Severus. 474.b
Hoffgerichte. 891.b
Hoſkirch. 1008.b
Hohenſtein. 925.b
Hojenſes Comites deficiunt. 945.b
Hojenus dux. 751.a
Hollandia occupatur à Francis. 253.a. à Normannis. 663.b. nova Claſſis in Gratiam Danorum paratur. 1037.b. in Waldenſium gratiam eleemoſynas colligunt. 1039.a
Holpe. 1029.a
Holſatia ex illa Sueci conjunctis copiis Caſ. Polon. & Elect. Brand. excluduntur. 1037.a
Holdſapſelius. 1024. b. 1025. b.
Homerus. 195. a. non aboletur. 470. a. inſcribitur exuviis Draconis. 560.b
Junior. 323.a
Honor Oebætæ negatus infert imprecationem. 204. a. & infimis obtingit. 442.b
Honoria libidinoſa. 548.a
Honorius naſcitur. 533. a. Auguſtus. 535.a
moritur. 545.b
Papa. 602.b
II. 731.b
III. 755.b
IV. 797.b
V. 824.a
Hoquius. 1024.a
Hor mons. 197.a
Hora diviſa. 496.a
Horatius Cocles. 229.b
Poëta. 397.a
M. Puluillus. 229.b.279.b
M. F. Barbatus. 248.a
C. M. F. Puluillus. 246.a
L. Barbatus. 256.b
Puluillus.
Horeb. 195.a
Harheim. 679.b
Hormiſdas. 507.b
Papa. 569.b
profugus. 522.a
rex Perſiæ. 589.a
Jezdegird. 603.b
Horna. 429.a
Hornanus. 936.b
Hornburgum. 751.a
Hornius. 1006.b.1020.a
Horologium primum Solare. 323.b
Horſas. 552.b
Q. Hortenſius. 322. b. 363. b. 395.a
Hoſeas propheta. 200.b
rex. 206.a
Hoſpitaliorum Ordo. 742. a. 767.a
Hoſpitalis eſt Gellias. 264.a
internecio. 322.a
Hoſtiæ humanæ. 341. b. 946.b. 460. b. 498. prohibentur. 371.b.387.a
Hoſtilia Curia. 212.a
venefica. 360. b
A. Hoſtilius Mananus. 363.b
C. 375.b
L. 372.b
Tullus. 211.a
Hoſtus. 948.b
Hugo Capputius. 695.b
Cardinalis. 806.b
Comes Arelat. 686.b
Pariſienſ. 653. a. 673. a. 692.a
Luſignanus. 817.a
Mediolan. 682.a
Magnus. 744.a
de Paganis. 753.a
rex Hieroſ. 819.a
de S. Victore. 757.b
Walradæ F. 673.a
Hugolinus Patr. 826.a
Hugonotti. 935.b. Graviter inſtinctu Cardinalis Mazarini à Rege Gall. affliguntur. 1036. b. à Cleris Gallicanis infeſtantur. 1037. a. in Gallia graviſſima perſecutione premuntur &c. 1046. a. in Angliam & Hollandiam ob graviſſimam perſecutionem clam diſcedunt. 1047. b. Templa in Gallia deſtruuntur, doctores carceribus includuntur auditores omnibus modis premuntur. 1050.b
Huldericus. 701.b
Huldes. 538.a
Hulſt ſocietatis Hollandicæ Dux Generalis Columbum Ceilani Inſulæ metropolin expugnat & ex vulnere accepto perit. 1036.b
Humenus Ægyptius. 106.b
Humiliatorum Ordo. 770.b
Hunaldus. 628.b.636.a
Hundesfeld. 750.a
Hunericus. 550.a
II. 560.b
Hungari. 642. b. 680. a. pacificantur ære. 682. a. feudum Papæ prædantur. 685. b. 689. b. 710. V. Ungaria. Comitia habentur in quibus libertas & reſtitutio privilegiorum promittitur; ſed cum libertas religionis ſuaſu Jeſuitarum denegaretur, fruſtrà ſpes illa fuit. 1047. b. omnia in illa ad bellum ſpectant. 1048.b
Hungarus doctor. 955.b
Hunni Epiſc. 987.b
populus, arrumpit. 529. b. unde. 536. a. conductus 545.a
alius populus. 569. b. contra Carolum. 641.b
Hunniades. 882.a
Hunnimundus. 558.b
Huningæ non procul Baſilea Rex Galliæ fortalitium extrui jubet. 1046.a
Hunnius. 955.b.957.a
Hurenhengſt. 568.b
Hurna in Inſula. 5.a
Huſſus belli occaſio. 873.a
Hyblo. 207.a
Hybrilides Archon. 134.a
Hydruntum. 898.b
Hyems mitiſſima. 774.b
ſæviſſima. 597. a. 611. b. 622. a. 634. b. 645. b. 853. a. 654. a. 665. a. 866. b. 963. a. 987.a
Hyempſal. 381.b
Hyginus Papa. 476.a
Hyllab. 357.a
Hyllus Herculis F. 186.a
Hymbertus Delphinus. 849. b.
Hymni à quo compoſiti. 870.a. 652. b. 909.a
Hypanis. 213.a
Hypapante feſtum. 578.a
Hypatius. 574.a
Conſul. 523.a. 566.a
Hyperius. 207.a
Hyppomenes. 207.a
Hypſæ. 376.b
Hypſipile. 184.a
Hyrcania. 288.a
Hyrcanus. 360. a. 378. b. 396.b
Hyſiæ. 211.b

I.

Iba. 552.a
Jabin. 182.a
Jacinus. 367.a
Jacoba duciſſa. 872.b
Jacobitæ. 789.a
Jacobus Andreas. 950.a
Apoſtolus. 443.b
Clemens regicida. 949.a
Hojenſis ultimus. 945.b
Marchio Badenſ. 909.a.950. a.
Martini, puer doctus. 1025. b
Patriarcha. 175.a
Perſa. 900.a
Rellingius. 987.a
Rex Arragon. 818.b

II. 824.b
Scotiæ. 880.a
II. 901.b
III. 902.a
IV. 927.b
V. 938.b
VI. 957.a
Sturmius. 932.b
Trajectinus. 863.a
Varago. 826.a
Woivvodá. 935.b
Zelites. 862.a
Jaddua. 300.a
Jadera. 753.b
Jævus. 1023.a
Jagellus. 861.a
Jägerndorff. 987.a.997.b
Jair. 184.b
Jaiza. 892.a
Jamblichus rex. 418.a
Philoſophus. 519.a
Jancoa. 1021.b
Janiculum. 240.a
Janiſcus. 183.a
Janizari. 854. a. V. Genizari.
Janſeniſinuſmus in Eccleſia Romana turbas parit. 1035. b. in Gallia contra eosdem edictum à Rege per Parlamentum confirmatur. 1039.b
Januarius. 505.a
Janus clauſus. 414. a. V. Templum.
rex. 181.b
Japydes. 412.a
Japyges. 241.a
Jared. 170.a
Jarimirus. 712.b
Jaroslavium. 995.a
Jaroslaus dux. 716.b
Jaſius. 209.b
Jaſon Argonauta. 184.a
Phereus. 279.b.281.a
Sacerdos. 361.b
Jaſus. 177.b
Java. 956.b
Jaurinum. 953.b.1020.a
Jazyges. 817.a
Ibas. 552.a
Iberi. 397.a. converſi. 515.a.585.b
Iberus. 372.b
Iborea. 531.a
Ibrahim Baſſa. 924.a.947.b
Imper. 1017.a
Ibycus. 223.a
Icarius. 210.a
novus. 729.b
Icetas. 295.b
Ichtobalus rex Tyri. 216.a
Iciſius. 238.a.262.a
Ida rex 580.a
Dactyli. 180.a
Idæjus. 326.b
Idnabala. 638.b
Idola deſtructa. 637. a. 639. b. 698.b
Idricus. 291.a.293.b
Idumea. 378.b
Jechonias. 218.a
Jehu. 195.b
Jejunium. 484. b. quatuor temporum. 742. b. quinquennale. 783. a. Polonis imminutum. 808. b. miraculoſum. 654.a
Jenatſchius. 1016.b
Jephtha. 186.a
Jeremias. 214.b.216.b
Jeroboam. 192.b
II. 199.b
Jeſreel. 197.a
Jeſuitæ. 961. a. 989. a. 991. b. 1016. a. 1018. a. Eorum inſtinctu Dux Sabaudiæ mirum in modum ſævit in Pedemontanos. 1035. a. quinquageſimum annum extra Venetorum Rempubl. propter malas artes exulantes, certis conditionibus recipiuntur. 1036. b. declinante Hiſpanorum fortuna Gallorum Regi ſeſe inſinuare & gratiam ejus aucupari laborant. 1047. b. ex donatione Regis Galliæ Argentorati ſplendidum Palatium obtinent, & ſeminarium ibidem erigunt. 1049.a
Jeſus Chriſtus naſcitur. 424. b. baptiſatur. 434. b. vocat diſcipulos. 435. b. crucifigitur. 438.a
Anani. 451.a
Damnæus. 450.b
Gamalielis. 451.a
Phabetis F. 417.a
Jaſon. 361.b
Jezabel. 194.b
Jezdegird. 603.b
Jezid. 613.a
II. 623.b
III. 629.b
Igmazes. 529.a
Ignatius Epiſc. Antioch. 462. b. 466. b. 533. b.
Conſtantin. 661.a
Laxola. 924.a
Ignis Græcus. 621. a. 612. b. ſpiratur loquendo ludicrus. 747. b.
Probat veritatem. 731. b. 745.b
Veſtæ extinguitur. 337. a. 361. a.
Sacer. 544.a
Ignominia pernicioſa. 593.a
Ildefonſus. 611.a
Ileburgum. 684.a
Ilergetes. 345.b
Ilia. 201.a
Ilisbaſius. 962.b
Ilium conditum. 181. b. everſum. 183. b
Illiturgani. 351.a
Ilkirchum ibi copiæ Fœderatorum Germanorum Duce Lunæburgenſi Georgio Guilielmo cum Gallis cruento prælio decertant, eosque repelluut. 1043.b
Illus. 561.a
Illyricus. 930.b
Illyricum bellum. 257. a. 529. b.
Iluarodamus. 223.a
Ilus. 181.b
Imagines Judæis abominabiles. 441. b. perſuadentur demoliendæ. 625. a. controvertuntur. 627. 631. 632. reſtituuntur. 639. b. ſine cultu divino. 641. b. 643. b. 654. b. quamdiu diſceptatæ. 649.b
Chriſti Edeſſena. 691. b. in ſublimi ſtatuenda. 546. a. mulctat pictorem. 557. a. lacrymatur. 676. b. Judæis pernicioſa. 716.b
Iman. 657.b
Imbres. 229.b
Imetundus. 684.b
Imin. 648.b
Imiſcon. 264.a
Immortales cæſi. 544.b
Imperator fit Epiſcopus. 559. b dominatur & Sacerdotibus. 792. a. eſt liber à Papa. 709. b. 791. a. 669. b. 839. b. per Deum. 805. b. non conſecrandus à Papa. 806. a. quos habeat Vicarios. 845. a. an à Papa creandus. 672. b. ab eo tamen creatur Guido. 677. a. ejusque filius Lambertus. 678. a. & dux Sueviæ Rudolphus. 736. b. Alfonſus Arragonius. 759. a. Hadriani vaſallus. 767. a. & Celeſtini III. 785. coronatur Medio Jan. 719. b. jurat D. Petro. 768. b. eſt Papa. 830. a. confirmavit olim Papam. 614. a. intereſt electioni. 651. b. 655. a. 660. a. 681. a. cedit jus inveſtituræ. 614. Henricus III. ultimus aſſertor ſui. 729. a. Gallus ſtipendiarius. 486. b. an omnia poſſideat. 768. b. removetur. 866. b. jure. 869. b. Ferdinandus rex Legionum uſurpat nomen. 728. b. cui foro competat. 879.a

Impe-

Imperium R. quos hoſtes ſimul ſenſerit.526.a. diviſum à Conſtantino. 515.a. à Thedoſio. 529.b.536.a. à Carolo M.647.a. Orientale derelictum. 833.a. Occidentale expirat.560.b.habet X. provincias.912.a. amiſſas recuperat Pontifex. 632.b. Ejus inſignia.385.b. id agnovêre Hetruſci.219.b. Orchades. 460.b. Belgium & Burgundi. 693.b. urbes ejus oppignorantur. 815.a. hæreditarium. 788.a
Importunus Decius. 568.a
Impoſtores Andriſcus Perſei F.
Balduinus, 800.b
Bartholomæus Burgeſius. 959.a.963.a
Chymicus. 962.a
Clemens ſervus, Agrippa. 431.a
Denſus. 436.b
Eduardus. 901.b
Fridericus. 824.a
Johannes. 904.b
Meinicke Molitor. 850.a
Propheta. 969.a
Woldemarus. 850.a
Imprecatio rata. 204.a. 245.a. 473.a
Ina. 616.a
Inachus. 174.b.182.a
Inarus. 236.b.245.a
Incendia.383.a.403.b.409.b.434.a.460.a.476.b.481.b.483.a. 509.b.548.a.557.b.558.b.676.b.677.b. 689.b. 710.b. 758. 760.a.780.787.a.805.a.807.b 820.b.859.a.874.b.899.b.901.b.926.a.939.b. 938.a. 965.b. 967.b.968.a.970.b.971.b.975 a.995.a.983.a. 988.b. 990.b. 991.a.992.a.993.a. 995.a. 997.b.998.a. 1005.a.1007.a.1011.a 1012.b. 1017.a. 1023.a. 1024.a. 1025.
vi reſtricta. 718.a. prohibita. 422.b.427.b. 557.b
Indes. 506.a
Indi. 302.a.418.b.866.a
India. 551.b.a. quo detecta. 890.a
Indibilis. 351.b
Indictio.102.a. prima. 510.b
Induciæ Belgicæ.963.b. V.Belgæ.
Indulgentiæ venales.963.a. cauſa ſchiſmatis. 913.b
Indulphus. 695.b
Indus. 177.a
Inedia letſialis. 437.b
Infans auro repenſus. 678.a
Ingelacimium.603.b. fit Cœnob. 853.b
Ingenuus. 498.b
Ingevon. 174.b
Ingratitudo. 740.b
Ingulphus. 732.a
Ingundis. 591.a
Innocentius Papa. 538.b
II. 757.b
III. 789.a
IV. 808.a
V. 820.a
VI. 851.a
VII. 867.b
VIII. 900.a
IX. 950.a
X.1020. pacem Germaniæ Oſnabrugæ concluſam bullæ Romæ die 3. Jan. edita abrogare concludit 1033.a
XI. eligitur, aliâs Benedictus OdeSchalchi Cardinalis, cui viam ad hanc dignitem ſtraverat domina Olympia fæmina in aula Romana potens ac callida.1045.a. corruptos Cleri mores emendare & cameram Pontif. omni ſtudio laborat.ib.b. mittit faſcias conſecratas Imperatori in gratiam recens nati filii.1046.a. magnas pecuniæ ſummas tum in aulam Cæſaream tum in Polonicam ad bellum contra Turcas continuandum mittit. 1049.b
Inquiſitio. 897.b.934.a
Inſtitutiones juris. 574.a
Inſula emergit. 444.b
fortunatæ quæſitæ. 584.b 873.b
Intemperantia cauſa febris. 392.a
Interamna. 211.a
Intercla tio. 241.b.356.b
Interim. 930.a
Interregnum Romæ. 237.a
Inveſtitura. 736.b.737.b
Inundationes.172.a. 175.b. 178.a. 417.a.430.b.455.b.476.b.477.b. 570.a. 590.a. 663.b. 753.a. 771.a. 774.77.a. 811.a. 592.b. 622.b. 642.b. 961.b. 964.b. 968.a. Hollandas affligunt. 1044.b
Invidia. 470.a
Jo virgo. 176.a.177.b
poſterior. 178.b
Joab. 191.a
Joachimus Archiepiſc. 938.a
Dux Lignic. 956.b
Elector Brandeb. 906.a
II. 928.a
Fridericus. 950.b.953.b
Morlinus 940.b
Joarib. 423.b
Joas. 197.b.189.b
Jobeleus. 179.a
Jober. 805.b
Jochimsdahler. 916.a
Jocus perniciosus. 488.b
Jodocus. 865.a
Joël. 175.b.200.b
Johabas. 198.a
Johannam. 527.b
Johanna Auſtriaca. 940.b
Borbonia. 871.a
Burgundica. 877.a
Caſtellana. 905.a
Sicula. 850.a
Suffolcia. 932.a
Johannes Æppinus. 932.b
Albertus Polon. 903.a
Andreas. 830.a
Angliæ rex. 789.b
II. 855.a
Annius. 120.b
Arragoniæ rex. 861.b. 893.b.898.a
Aventinus. 923.a
Auſtriacus. 833.b. Turennium in fugam vertit.1036.a
Baptiſta. 423.b.434.b.548.a
Baſilides. 946.b
de Becca. 850.b
Bielarienſis. 1.b
Bocatius. 850.b
Bohemiæ, rex. 834.b
Brabantiæ dux. 818.824.b
Brandeburg. 906.a
Bremæ Comes. 794.b
Brennes. 799.b
Brentius. 940.a
Bugenhagius. 756.b
Bulgariæ rex. 804.a
Burgundiæ. 867.b
Capnio. 888.a
Caſimirus. 943.b
Caſtellæ rex. 961.a.859.a. 887.b
Caſtriotus. 895.a
Chryſoſtomus. 587.a
Conſul. 555.a.558.a.577.a
Cremenſis. 756.a
Cypri rex. 823.b.
Damaſcenus. 547.a. 625.b
Danck Saxo. 842.a
Daniæ rex. 905.a
Diaconus. 550.a
Ducas. 799.a
Dudleus. 932.a
Dux Venetorum. 646.a
Eleemoſynarius. 599.a
Elector Brandeb. 919.a
Epiſc. Antioch. 546.a
Conſtantin. 537.a. 585.a
Iejunator. 590.a
Hieroſolym. 535.a
Evangeliſta. 462.a
aliàs Marcus. 442.a
Fridericus Elector. 922.b
Gothanus. 933.a
Pomeranus. 915.a
Fuggerus. 856.b
Galeatius. 861.b
Galliæ rex. 850.b

Georgius Brandeb. 940.a. 959.b
Elector. 965.b
Adminiſt. Magd. 943.b
Gerſon. 877.a
Gibus. 566.a
Gutenbergius. 882.a
Henricus Auſtriacus. 845.b
Hieroſ. rex. 794.b
II. 823.b
Hugo de Orsberck Decanus Cathedralis Spiræ fit Coadjutor Trevirenſis. 1042.a
Hunniades. 886.b
Huſſ. 863.b
Hyrcanus. 376.
Imper. Conſtant. ex Scriba. 545.a
II. 853.a
Occid. 807.a. 885.a
Iſlebius. 925.a
Laſcaris F. 816.b
Laidenſis. 922.a
Lemigius Exarch. 598.b
Leontij frater. 617.b
de Lignarijs. 842.a
Maitroſius. 643.a
Matheſius. 987.b
Meſoe. 648.b
Moſcoviæ dux. 897.b. 930.a. 941.a
Papa. 571.b
II. 574.b
III. Catellinus. 584.a
IV. 605.b
V. 614.b
VI. 619.a
VII. 620.a
VIII. papiſſa, fortè fictitia. 663. 670.a
IX. 680.a
X. 682.b
XI. Scoti F. 687.b
XII. primus mutat nomen 695.a. depoſitus. 697.b
XIII. 698.a
XIV. 705.a
XV. 705.b
XVII. & XVIII. 725.a
XIX. 836.b
XX. 869.b
XXI. 820.b
XXII. 836.b
XXIII. 869.b
Palatinus. 1028.b
Pariſienſis. 106.b
Philoponus. 586.b
Picus Mirandul. 900.a
Piſtorius. 950.a
Portugaliæ rex. 871.b
II. 899.a.
III. 904.b
IV. 917.b. 1018.a
Prochyta. 822.a
Regiomontanus. 880.a
Rex Scotiæ. 828.a
Rivius. 947.b
Rizocopus Exarch. 620.b
Sueciæ. 939.a
Rochizan. 894.b
Rotæ Comes. 817.b
de Rupe Sciſſa. 853.b
Saxoniæ Elector. 921.a
dux. 892.b
Johannes Georgius I. vitam finit, de Imperio & Cæſare inſigniter meritꝰ, ſucceſſorem habet Joh. Georg. II. filium primogenitū. 1036.a. Hanoviæ templi novi Evangelici, cum Francof. ad electionem novi Imp. veniſſet, manu ſua fundamentum ponit. 1037. a. confertur à Rege Angliæ inſigne Periſcelidis. 1042.a. Egram ſe confert ac cum Imperatore de defendenda Germania conſultationes inſtituuntur. 1043. a. ſuppetias fert Electori Palat. maturè adverſus regem Galliæ. ibid. Torgæ in memoriam formulæ Concordiæ Lutheranorum feſtum ſeculare ſolenniter celebrat, & puram Evangelii doctrinam Theologis Doctoribus cōmendat. 1044. b. Freibergæ placide obdormit. Princeps pacis, pietatis & munificentiæ ſtudio inſignis, & qui neminem triſtem à ſe diſcedere paſſus eſt: hæredem dignitatis Electoralis & ditionum ſuarum reliquit filium unicum Johan. Georg. III. Principem magnanimitate & fortitudine inclutum & patriæ amantem.
Johanni Georgio III. Anna Sophia Daniæ Regis filia primigenita deſpondetur 1039. a. naſcitur filius Johan. Georg. IV. 1040.b. alter Fridericꝰ Auguſtus. 1041.b Civium ſuorum fidem & obſequium ſolenni ſibi juramento obſtringit. 1047.b immaniſſimum aggreditur Turcam ac obſidione Viennam liberat, primus propugnaculis hoſtem dejecit, primus etiam vexillo in caſtris Turcarum, erecto, ſignum dedit victoriæ. Revertitur in Miſniam quia Commeatus neceſſarius denegabatur. 1049.a.
Scotus. 674.b. 828.a. 830.a
Scriba. 545.a
Scytha. 565.b
Sigiſm. Brandeb. 491.a. 985.a
Silentiarius. 565.b
Spanheimiæ Comes. 822.a
Staplerus. 925.b
Stufflerus. 886.b. 922.a
Sturmius. 925.a
de Struma. 777.b
Suiccardus Mogunt. 958.a
de Temporibus. 757.a
Transſylvanus. 957.a
Trithemius. 891.a
de Truſenaco. 873.a
de Turre crematâ. 890.a
Waivvoda. 913.a
Weſſelius. 898.a
Wicleff. 856.b. moritur. 861.b
Wilhelmus Saxo. 941.b
Juliaci. 950.b
Xiphilinus. 732.b
Zepuſienſis. 921.a
Zimiſces. 697.a
Johahas. 198.b
Johar. 700.a
Jojada. 193.a
Johahas. 198.a. 216.a
Jojakim. 216.b
Jolaidas. 342.b
Jolanta. 797.b
Jon. 180.b
Poëta. 247.a
Jonadab. 197.a
Jonathan. 188.b
Pontifex. 369.a. 447.a
dux. 269.b
Jones Athenienſes. 187. b. ſunt Pelaſgi. 188.a. migrant. 187.b vincuntur. 225.a
Jonas. 197.b
Jonia libera fit. 248.a
Joppe. 311.b. 372.b. 749.a
Joram. 195.b
II. 169.b
Jordanes 179.a 181.b. 368.b. 558.b
Joſaphat. 193.a
Joſeph. 360.a
dux. 454.a
Hiſtoricus. 398.a
Jacobi F. 175.b
Patruus Herodis 412.b
Joſcelinus. 747.b
Comes. 751.b
Joſias. 213.b. 215.a
Joſua. 117.b. 179.a
Jotapata. 453.b. 454.a
Jotham. 204.a
Jovianus Imper. 525.b
Hæreticus. 534.a
Jovinus. 526.b
tyran. 544.b
Jovius. 932.a
Jovis ædes. V. Templum.
Ipera Flandria à Gallis occupatur. 1037.a. 1045.b
Iphicrates. 271.b. 279.b
Iphitus. 184.b. 201.b
Ira mons. 120.b. 281.a
Iracundia. 452.a

Ire-

Irenæus Epiſc. 480.b.485.a
Tyrius. 551.b
Irene Imperatrix. 639.b.640.b. 650
uxor Conſtantini. 626.b
Leonis. 636.b
Irland. V. Hibernia.
Irmenſeul. 637.a
Irmingardis. 652.a
Alia. 653.a
Irnerius. 790.a
Iſaac. 174.a.b
Iſacius Angelus. 788.a
Commenus. 729.b.781.a
Exarchus. 600.a
Iſabegus. 898.b
Iſabella regina Caſtellæ. 893.a
Hiſpaniæ. 954.a
Portugaliæ. 919.b
Iſagoras. 229.a
Iſarchus. 256.b
Iſarion. 468.a
Iſauri. 305.a.529.b.564.b
Isboſeth rex. 191.a
Iſchenderbegus. 902.a
Iſchomacus. 229.a.230.a
Iſchyrus. 228.a
Iſdegerdes rex. 537.b
II. 550.a
Iſenacum. 1021.b
Iſenburgi Comes rotæ impoſitus. 800.b
Exutus. 1012.a
Iſidis ſacra. 432.a.481.b
Iſidorus. 604.a
Conſul. 548.b
Pacenſis. 623.b
Stadion. 484.a.485.a
Iſlandia. 731.a
Iſlebius. 925.a
Iſlebia oppidum Saxoniæ incendio ferè deflagravit, ſervata B. domo Lutheri. 1034.b
Iſmael Hagaræ F. 174.a
Perſa. 942.b
Pontifex. 448.b
Maurus 587.a
Rex Granatæ. 892.a
Saphus. 906.a
Iſmenas. 282.a
Iſnacum. 846.a
Iſnik. 842.b
Iſo. 669.b
Iſocrates. 251.b.283.a
Iſolanus. 956.a.1013.a
Iſraëlitarum exitus.140.a. multiplicatio.139.b. ſervitus.185.a. V. Judæi.
Iſſa. 300.a.
Iſſem. 644.b.865.b
Iſthmia inſtituta.181.a. reſtituta. 221.a
Iſthmus perfoditur. 221.a. 236.a. 454.a
Iſtricum bellum. 343.b.361
Italia legit Præfectos. 833.b
Italica urbs. 590.b
Italus rex. 444.b
Ithacius. 533.a.551.b
Ithamar. 192.b
Itho mons. 266.a
Ithobaal. 193.b
Ithomes. 242.b
Ithycles. 268.a
Ituræi. 385.a
Juba. 405.b
Jubilæus Mundi I.I. 179.a
Pontificum.830.850.a.862.a.885.b.954.a.1028.b.1033.a.1044.b
per orbem Europæum pacis ergo. 1037.b
Juda Jacobi F. 175.b
Maccabæus. 365.b
Gaulonitas. 428.a
Pontifex. 368.a
Judæi ferè extirpati.240.b. transportati.291.b.321.b. ſubiguntur.311.a. 346.a. fæderantur Romanis.368.a. abeunt in Tetrarchias.408.b. pulſi Româ. 431.a. averſantur imagines. 441.b. tumultuantur.446.b. 448.b.451.b. ſub Mathematicis comprehenſi.446.b. ab Ægypto ſeducti.447.b. mulctati.452.b. à Veſpaſiano.453.b. rebellant.467.b.469.a. 471.b. expulſi.472.a. preſſi. 486.a. 520.a. inſoleſcunt fruſtra.525.b.542.b.543.a. ſeducti denuò. 547.b.573.b.624.a.583.b. cæſi. 598.b. magi.600.a. rebelles. 617.b. in Gallia ſpoliati.778.b. pulſi.779 b. redeunt.789.a. ſe ipſos exurunt.784.b. crucifigunt puerum.811.a. ejecti per Germaniam.823.a. penitus ex Angliâ.826.a. & Galliâ.832.b. recepti.854.a. per Germaniam vexati. 860.b. ejecti. 863.a. è Galliâ.864.b. è Magdeburgo.903.a. è Portugalliâ.905.a. Viennæ excipiunt, magno adplauſu M.R. ex oriente.1036.a. expelluntur Vienna. 1041.b
Judex juſtus.765. iniquus.249.a
Equeſtris Ordinis. 388.a
Judicium Extremum. 835.b
Teutonicum. 852.a
Trium Ordinum. 395.a. 407.a
Juditha. 652.b. 765.a
Jugum. 307.a
Jugurtha. 381.b
Julaverus rex. 900.b
Juliacenſis Ducatus.815.b. 845.b. 866.b. 875.a.911.b.927.b.963.b impetum belli metuunt. 1045.a
Jülich. 965.a
Julia Auguſti neptis. 431.b
filia. 425.b
Julii Cæſaris F. 426.a
Getæ mater. 488.b
Juliacum. 989.a
Julianus Cardinalis. 878.a.883.a
Cæſar. 522.a
Auguſtus. 523.b
Clericus. 519.a
Comes. 610.a. Sidonis. 815.b
dux. 463.a
Epiſcopus. 655.a
An. Julianus. 513.a
C. Arrianus. 495.a
Cl. 490.b
Julius. 428.a
Julinum. 756.b.999.b
Julium urbs. 866.b
Julius Africanus. 466.b.496.a
Antonius. 421.b
Brunſvic. 949.b
Celſus 469.b
Capitolinus. 501.b
Felix Valentinianus. 527.b
Firmicus. 134.b.521.b
Lupus. 492.a
Nepos. 559.b
Obſequens. 364.b
Papa. 517.a.518.a
II. 908.b
III. 930.b
Pflug. 926.b
Philippus Imp. 495.
Sabinus. 457.a
Severus. 472.a.476.b
Silanus. 482.b
Valens. 496.a
Anicius. Quadratus. 466.a
C. Africanus. 467.a
Atticus Veſtinus. 451.b
Cæſar. III.b. naſcitur. 386.a de ſicariis quærit. 397.a. fit Pontifex M. 398. a. Prætor.b. repudiat uxorem.398.b. obtinet Gallias.399.b. invadit Rempubl.401. abit in Britanniam. 401.b. Dictator. 404. b. occiditur. 406
Capito. 426.a
Fructus Clarus. 483.b
Julus.235.a. 237.a. 248.a. 252.a 264.a.266.a
Macrinus. 478.a
Mento. 253.b
Rufus. 453.b
urſus. 467.a
Servilius urſus Severianus. 472.a
Cn. 459.a
Druſus Cæſar. 432.b
Henricus Halberſtad. 949.b
L. Annalis. 360.b
Atticus Acinianus. 472.a
Clarus. 479.a
Cæſar. 388.b.397.a

Julus. 251.a. 254.a. 266.b. 267.b. 269.b. 275.a. 279.a.
Libo. 329.b
Q. Balbus. 470.b
Julus. 292.a
Sex. Cæſar. 368.b. 388.b
Tullus. 257.a
Tib. Candidus. 466.a
Vopiſcus Julus. 241.a
Junia. 433.a
Blæſus. 432.b
Junius Brutus. 228.b. 229.a
Donatus. 497.b
Menſis. 229.a
Meſſala. 503.a
Paſtor. 478.a
Philoſ. 959.a
Quartus Palladius. 543.a
Rufinus. 513.a
Silanus. 444.a. 447.a
Sicenn. 471.b
Ap. Sabinus. 460.b
Silanus. 434.a
C. Brutus Bubulcus. 311.b. 312.b. 321.a. 326.b
Bubulcus. 340.a
Silanus. 419.b. 428.b.
Tiberianus. 503.a. 505.b.
Cn. 459.a
Dec. Brutus. 305.a. 330.b. 375.a. 393.a
Sæva. 321.a
Perſa. 329.b
Silanus. 447.a
M. Brutus. 361.a
Maximus. 504.b
Pennus. 365.a.
Pera. 340.a
Silanus. 383.a. 431.b
L. Bubulcus Brutus. 309.a
Clarus. 479.a.
Pullus. 334.b
Q. Ruſticus. 469.a. 477.b
Sex. Celer. 441.b
T. Montanus. 478.b
Junonis ædes. 272.b
Monetæ. 295.b
Samia. 560.b
Juo Cornotenſis. 741.b
Jupiter compreſſit Nioben. 176.b. Europam. 179.b. à Cecrape deus dictus. 177.b. Calliſtô. Electram. Jô. 178.b
Feretrius. 205.a
Juramentum an hoſtibus ſervandum. 783.a
Jurizius. 922.b
Jus Canonicum. 916.b
Civile. 573.a
Poloniæ. 932.b
Saxonic. 690.a
Venandi. 720.a
Juſtina Ambroſium exercet. 532.a
Juſtinianus Conſul. 571.a. Imper. 572.b
II. Conſtantini F. 614.b
Cardinalis 1028.b
Dux. 589.a
Juſtinus Imper. 570.b
Curopalates. 585.b
Germani F. 577.b
Philoſophus. 470.b
Martyr. 473.b
Juſtus. 318.b. 465.a
Divus 933.a
Jonas. 926.a
Fab. JCtus. 938.b
Interboccum. 774.b
Jutlandia. 998.a
Juvenalis Epiſc. 553.b
Poëta. 460.b
Juvencus poëta. 515.a
Man. Juventius Thalma. 366.b
P. Celſus. 470.b
Juventutis princeps. 446.a
Juzaph. 630.b
Ixion rex. 192.a

K.

KÆrſteinius. 960.a
Kalenberg. 835.a
Kalendis Januarii Nundinæ prodigii loco. 402.b.
Kanofsky 1023.a
Kauffungen. 888.a
Kaunhartsbrunn. 803.b
Kefernberg. 861.a
Kegila. 189.b
Keinerus. 911.a
Kennetus rex. 597.a
II. 657.b
III. 702.a
Kennevvinus. 612.b
Keraufius dux. 1012.a
Keſſelring. 1010.b
Ketler. 955.b
L. Keyſer Martyr. 820.a
Kiffhauſen. 737.a
Kilianus. 615.a
Kimedorcius. 953.a.
Kindelbrück. 833.b
Kindsmaul. 838.b
Kinegildis. 604.b
Kinrie. 575.b
Kinatellus. 586.b
Kinßberg. 978.b
Kiovienſes. 747.a
Kirchbaum. 1616.b
Kirchenberg. 908.b
Kirchnerus. 948.b
Kiriath Jearim. 190.b
Kizinga. 1012.b
Klemmen. 815.b. 865.b
Klitznig. 1008.a
Kniphauſen. 1008.a
Knoblauchs König. 739.a
Kocher. 1023.a
König. 1009.b
Königsberg. 813.b
Königszuchern. 759.b
Königsmarck. 1015.b. 1020.b Inſulam Rugiam recuperat, captis ſimul 6000. milibus cum omni apparatu bellico Danorū 1045.b
Königſtein. 978.a
Koniczpolzhy. 1024.b
Kramvenwerth. 999.a
Krempa. 999.a
Kradenteuffell. 613.b
Kulmannus Vratislavienſis in Hollandia Chiliaſmum reſuſcitare molitur. 1143.b
Künenrolff. 633.a
Kyrieleyſon. 592.b
Kyovia. 747.a

L.

LAba. 981.b
Labadie, qui novam ſectam aſſumpſerat Altonæ moritur. 1042.b
Laban. 175.b
Labarum. 525.b
Labdacus. 180.a
Labeo. 475.a
Labienus. 404.a
Labota. 191.b
Lacedæmon conditur. 178.b. vincit Meſſenios. 205.b. invidet Athenis. 231.a
Lacetani. 345.b
Lacharis. 318.a
Laches. 287.a
Lacius. 210.a
Lactantius. 508.a
Lacydas. 329.b
Ladas Æginenſ. 325.a
Ladislaus rex Poloniæ. 738.b
II. 750.a
III. 761.a
IV. Loeticus. 788.a
V. Jagellus. 824.b
VI. 879.a
Bohemiæ. 750.a. 914.a
Neapol. 936.b
Hungariæ. 737.a. 819.b. 914.a
Ladromus. 224.a
Ladronius. 1011.b
C. Lælius. 351.b. 357.a
Sapiens. 374.b
D. Balbus. 423.a
Lamia. 426.b
L. Lænorius. 412.b
Laërtius. 254.b
Lætus. 483.b
Lagidæ. 414.a
Laicus ſit Epiſcopus. 614.b
M. Callius Paulinus. 462.b
Lamachus. 400.b
Lambertus Comes Lovanii. 715.a
Barbatus. 723.a
Dux Spoleti. 668.a
Epiſc. 609.b
Guidonis F. Imper. 678.a
Lamboius. 1011.b
Lamech. 170.b
Lamedon. 180.b
Lamia. 305.a. 357.a

Lamiacum bellum. 303.b
Lamis. 207.a
Lamiſſus, 545.a
Lampadius. 1028.b
Lampas nocturna. 280.b
Lampis. 209.a
Lampraës. 181.b
Lamprides. 180.b
Lampridius. 512.b
Lampris. 208.a
Lamſacus. 212.b.241.b
LaLancea Chriſti. 687.a
Lanceſtriæ dux. 861.b.948.b
Lando Papa. 682.b
Landricus. 591.b
ndrecium à Gallis obſidióne premitur. 1035.b
Condæus eam expugnat, quam tamen iterum deſerere à Turennio compellitur. 1036.b
Landſtula. 1012.a
Lanfrancus. 727.a.797.a
Landgraff. 723.a
Haſſiæ Darmſtadienſis in Comitiis Ratisbonenſibus conqueritur, de gravi damno per hoſpitationes militum Brandenburgicorũ illato. 1043.a
Land der Gothen. 567.b
Landshuet. 778.b
Langendoet 567.b
Landscrona non procul abhinc ſueci, Danos acerrimo prælio iterum vincunt. 1045.a
Lannvini. 277.b
Laodicea: 318.a.758.a
Laomedon. 181.a.183.b.307.a
Laoſthenes. 193.a
Lapis de cœlo. 243.a.543.a.760.a. 983.b. à puero ſublatus. 777.b
Lapſi an recipiendi. 496.b.508.b
Lapudes. 378.b
Laranda. 902.b
Lariſſa 267.a
Lars Rag. 1019.b
Porſenna 229.b
Larthes. 251.b
Lartius Herminius. 248.b
Sp. Flavus. 235.a
T. 231.a.232.a
Laſcares. 792.
Laſerpitium Romæ. 388.a
Laſion. 283.b
Laſt im Schiff/ quid. 1000.b. 1291.
Laſthenes. 371.b
Laſus. 224.a
Lateranus. V. Sextillus.
Latiaris Iupiter. 226.b
Latinæ feriæ. 226.b. 269.b. 348.b. 361.b. 364.b. 307.b.
Populi. 297.b. 214.b. 217.a
Aborigenes. 184.b
Albani. 188.b
Lingua. 854.a. abolet Gothicam in Hiſpaniã. 741.b
Latinus rex. 184.b
Latitij Vandali. 735.
Latium. 299.a
Latona. 180.a
Latrones. 451.a
Laudini Cænob. 656.a
Laudus Archiepiſc. 1022.b
Lauicani. 259.b
Lauinia. 187.a
Lauinium. 185.b.135.b
Laurentium. 185.b.298.a
Laurentii Monaſterium à Philippo II. viginti millionibus auri exſtructum corripitur, incendium per aliquot dies durat, quando Hiſpani referunt inter ſanctos Ferdin. III. Caſtiliæ regem. 1042.a
Laurentius Antipapa. 566.a
Codomannus. 130.a
martyr. 498.a
Valla. 874.a
Laurettum. 1019.b
Laus Pompeia. 920.b
Criſtiani. 1020.a
Lauſus. 185.b
Lauterbachius. 951.b
Lautrecht. 920.a
Lavvenburgicus. 1019.a
Lazarus Deſpota. 862.a
Suend. 937.a
Lazij. 571.b
Lea. 175.b
Leæna concubina. 228.a
Lebuſia. 714.b
C. Lecanius Baſſus. 451.b
Lechnicum. 1018.a
Lecho. 947.a
Lechus. 581.a
Lectiſternium. 268.b. 293.b. 304.b
I. Loctius. 966.b
Ledenbergius. 977.a
Leganeſius. 1013.b
Legenda aurea. 826.a
Leges Criminales Caroli V. 922.a
de luxuriã. 531.a
provocatione 318.a
raptoribus. 890.a
tabernis vinarijs. 526.b
X. & XII. Tabb. 247.b
Iudæorum Ceremon. 473.a
Longobard. 769.a
Romanorum. 790.a
Salicæ. 544.b
Sumtuariæ. 848.b. V. Lex.
Legio fulminatrix. 480.a
Thebana. 506.b
Regnum. 620.a
urbs regni. 684.b
Leidenſes Cartheſiæ doctrinam proſcribunt. 1044.a
Leita. 754.b
Lembergam Tranſylvani & Coſacci in ſuam poteſtatem redigunt. 1035.b
Lemigius. 598.b
Lemnus, 184.a.229.b
Lemormamus. 1027.b
Lemovicum. 635.b
Lentiẽſes Germani. 521.b.530.b
Leo Imperator Thrax. 555.b
II. Infans. 559.b
III. Iſauricus. 622.b
IV. Conſtantini F. 631.a 638.a
V. Armenius. 650.b
VI. Baſilius. 675
VII. Leo Phocas. 684.b
VIII. Tornitius. 716.a
Magnus, Papa. 549. b. excommunicatur. 552.b
II. 614.a
III. 644.a
IV. 661.a
V. 681.b
VI. 687.a
VII. 689.a
VIII. 697.a
IX. 727.a
X. 912.b
XI. 959.a
Armeniæ rex. 859.b
Mathematicus. 956.a
Oſtienſis. 711.a
Tychides. 233.b
Leobaſium. 993.b
Leocrates. 208.a
Leodegarius. 609.a
Leodoricus Epiſc. 715.b
Leodium. 848.b.868.b.1027.b
Leodienſe Caſtellũ Galli per proditionem capiunt ac in gratiam civium deſtruunt. 1644.b.
Subjicit ſibi denuo Elector Colonienſis mutato urbis magiſtratu & extructo iterum Caſtello. 1050.b.
Leolinus. 823.a
Leon. 206.a
Leona diuidit Galliam & Germaniam. 770.b
Leonclavius. 951.b
Leonhartus Arithmus. 882.b
Leonhard Käyſer. 920.a
Leonidas. 486.a
rex. 224.a
Originis pater. 486.b
Stadion. 366.b.368.a.369.a. 370.a
Leomius. 918.b
Leonnatus. 305.a
Leontia. 559.a
Leontini. 207.a.216.a.255.a. 259.b
Leontius Conſul. 528.a
Imper. 617.a
Philoſo. 544.a
Præfectus urbis. 617.a
Leopolis. 662.b
Leopoldus dux. 681.b.777.a
Marchio. 687.a.724. a. fit monachus. 786.b.
Cadit. 836.b

Pulcher. 736.a
Pius. 744.a
Paſſaviæ Epiſc. 961.b.963.b
I. Imperator Archiduci Auſtriæ Viennæ homagiũ præſtatur. 1035.a. Regno Hungariæ magna pompa inauguratur. ib.b. Francofurti ad Mœnũ Hungariæ & Bohemiæ rex, Rom. Imp. ſolenni pompa eligitur&coronatur.1037.a deſerit fœdus cumSuecis ac cum Polonis & Electore Brandenburgico eos Holſatia excludere parat. ibid. ejus exercitus conjunctis Brandenburgicis copiisPomeraniam invadit. ib.b. Pax Colivenſis inter Imperatorem, Polonos, ſuecos & Brand. coaleſcit. 1038.a. Sponſalia celebrat cum Margaretha Hiſpanica 1039.a cum Turcis pacem concludit ib.b. Tyrolenſis comitatus ad Imperatorem hæreditatis titulo redit. ib. redimit Oppel &Ratibor ducatus Sileſiæ ib. Nuptiæ confirmantur Viennæ cũ Margaretha Tereſia Hiſp. 1040.a Bibliotheca Ludovici Regis Hungariæ ab Imp. Turcarũ donatur. ib. naſcitur filius dictus Ferdinandus. ib. cum Electore Brandenburgico & Batavis fœdus init adverſũ Regem Galliæ & exercitum educũt per Haſſiã, Gallumq; terrent. 1042.b. Egram ſe confert cũ Electore Saxon. aliiſq; Princip. de Germania defendenda conſultaturus. 1041.a. ſub pœna amiſſionis bonorũ Germanos ſub Rege Galliæ ſtipendia merentes domum revocat. ib. ad ſecunda vota tranſit Claudiam Felicitatẽ Archiducis Oenipotani filiam ſibi copulans ib. Suppetias fert ElectoriPalatino mature adverſus Regem Galliæ qui ditiones ejus invaſerat. 1043. a. Suecos Imperii publicos hoſtes declarat, ac edicto publico omnes Germanos ſub eorum ſignis militantes avocat. 1044.a. tres Ducatus Sileſiæ relinquantur. ib. ab obſequio & fide Regi Suetiæ ſubditos in provinciis Germ. abſolvit. ib. b. Electoram ducis Neoburgenſis filiam matrimonio Paſſaviæ jungit amiſſa Claudia. ib. b. Philippoburgum in Cæſaris poteſtatem venit, qui imponit præſidium. ib. cum Copiis fœderatis in Lotharingiam exercitus ei ſe movet ac ducem Crequium retrocedere cogit. 1045.a. Nova proles maſcula exhilarat eum ib.b. cum Gallis & Suecis juxta formulam pacis Monaſt. Neomagii itidẽ nomine Imperii paciſcitur, ne tota belli moles Germaniæ incumberet. Pacem factam Ordines Imperii maximam partem in comitiis approbant. 1046.a. Francof. ad Mœnum Conventum inſtituit. 1047.a. naſcitur filius. 1048.a. cum Rege Poloniæ fœdus contra Turcas pangit. 1049.a. Rex Poloniæ & Reſpublica Veneta auſpiciis Pontif. R. Ligam S. contra Turcam ineunt, qualis conjunctio nunquam facta eſt, quamdiu Europæi Principes cum Turcis belligerare cœperunt. ib.b. conſentit de induciis Vicennalibus cum Rege Galliæ unà cum Proceribus & Statibus Imperii. 1050.a.

Leoſthenes. 303.b.305.a
Leoſtratus. 236.b.316.b
Leotychides. 259.a.241.b.268.b
Lepreum. 258.a
Leproſi. 636.b.838.a
Leptine. 294.b
Lepus lethalis. 762.a.852.b
Leſbij. 261.a
Leſbus à Xancto habitata. 178. ab Oreſtæis. 188.a. à Perſis. 232. b donatur Franciſco Cateluſio. 851.b. deficit ab Athenenſibus 454.b recuperatur. 261.a
Leſcus dux Polon. 677.b
II. Albus. 787.a
III. Niger. 823.a
Leſlæus. 1016.a
Lethe flu. 375.b
Letus mons. 361.b
Lucas. 279.b
Leucippus. 174.b.187.a
Leuco. 271.a.289.b
Leudeſius. 613.a
Leui. 175.b
Leuigildis. 586.b
Monacha Hiſpaniæ. 587.b
Leuidius ab Embden. 920.a
Leutſch. 993.b
Lex Ælia. 369.a
Agraria. 136.a.380.a.397.b.
de Ambitu. 396.b
Armaria. 348.b.474.a
Cæcilia Didia. 387.a
Carolina. 852.a
Caſſia. 375.b
Fannia. 367.b
Fuſia. 369.a
Icilij. 262.a
Licinia Mucia. 291.b.387.b
Longobardica. 769.a
Papia Poppæa. 428.b
Pedia. 397.b
de repetundis. 371.b
Salica. 544.b.646.b
Sempronia. 377.a
Seruilia. 384.a
Sumtuariæ. 848.b
Terentilli. 245.a
Vatinia. 399.b
Vinaria. 528.b
ex Græciâ. 247.b
Libanius. 524.b
Libanus. 181.b.345.a
Libellatici. 496.b
Libelli famoſi. 1013.b
Liber pater. 265.a
Liberalis. 406.b
Liberalitas Dionyſii. 821.a
Hieron. 338.b
Pythii. 237.a
Liberi XXXVI. uno partu editi. 818.b. XL. unius patris. 190.b non vendendi. 553.a. pij erga parentes. 240.b. impij. 657.a. 892.a. puniti. 670.a. 916.b. à Pontificiis commendati. 748.a. V. Soboles.
Liberius Papa. 520.b
Libertas præ vitâ. 239.a
Liberti nigrati. 448.a
fidi. 449.a
Libya Neptuni Concubina. 179.a
Libido fœminarum coërcita. 432.a. imperatoris punita. 554.b
S. Liborius. 898.b
Libri hæreticorum combuſti. 548.b.550.a
prohibiti. 552.a
Libuſium. 810.b
Lichtenſteinius. 980.a
Licij. 225.a
Licinius Imper. 511.a
Iunior. 512.b
Mutianus. 455.b
Sacerdos. 252.a.477.a. 489.b
Valerianus. 497.a.499.b
A. Nerua Silianus. 427.b
C. Plebeius. 283.b
Cæcina Longus. 441.b
Calvus. 287.a
Craſſus. 364.b
Geta. 381.b
Varus. 338.b
L. Calvus. 279.b
Craſſus. 387.b
Lucullus. 370.b.385.a. 394.a. privatus. 396.b
Muræna. 392.a.417.b
Stolo. 280.a

Sura

Sura. 465.a
M. Craſſus. 401.414.a.420.b 434.a.451.a.456.a.
Dives. 394.
Frugi. 451.a
Mucianus. 446.b
P. Calvus. 268.a.270.a
Craſſus. 363.a.387.a
Dives. 351.b
Mucianus. 377.b
Liebe gettreue. 768.b
Lieblerus. 955.a
Liffriolus. 770.a
Liga ſancta. 919.b
Ligeris. 557.a
Ligures. 262.b.366.a
Liguria. 565.b
Liguſticum bellum. 368.a
Lili Holk. 1015.b
Sparr. 1015.
Lilybæum. 326.b.334.b
Lima. 1013.b
Limbrecht Conſul Erfurtenſis capite à civibus truncatur. 1039.a. Limburgum Rex Galliæ expugnat. 1044.b.
Vlp. Limenius. 520.a
Limigantes Sarmatæ. 523.b
Limira. 426.b
Linaeer. 918.b
Lindauia. 1023.b
Linga. 953.a
Lingones. 220.a
Lingua vernacula in ſacris. 666.a
Confunditur. 173.a
Linteolum Dominicum. 592.b
Linternum. 355.b
Lintſium. 996.a
Linus Papa. 460.a
Lipara. 214.b.226.a.271.b.331.b.658.b
Lippa 638.a.931.b
Lipſia. 5.a. grauiter mulctata. 797.a.1019.a
Lipſius. 960.b
Liranus. 837.a
Liſſus. 275.b
Litania ſeptiformis. 592.b
Literas ex Phænicia Cadmus. 179.b
ex Græcia Reuchlinus. 888.a
Gothicæ. 741.b
Honorandæ. 287.a
Liternum. 355.b
Lithuania. 823.a.936.b
Litorius. 548.b
Liuba. 596.a
Livia conjux Auguſti. 410.a
Caii & Druſi. 433.b
Claudii. 410.a
Livianus dux. 910.a
Livius hiſtoricus. 254.a.320.b 431.b
Poëta. 337.a
C. Druſus. 372.a
Salinator. 358.a
M. Denter. 317.a
Druſus. 381.b.388.b
Libo. 420.a
Salinator. 344.a.350.b
Livonia. 774.a.934.a
Lobkovvithius. 1018.a. Supremæ aulæ Cæſareæ Magiſter quod Gallis favere crederetur aula jubetur excedere. 1043.b
Lochenſes ſaltus. 694.b
Locri. 266.a
Opuntii. 246.a.281.a.325.b
Locuſtæ. 363.a.379.b.393.b 670.a. 744.a.752.b. 851.a 896.b.947.b.
Lôvvenhaupt. 1024.b
Logiſtica Aſtronomica. 9.a
Lojola. 924.a
Lollia. 415.b
Lollianus Avitus. 475.a.487.b
M. 499.b
M. Lollius. 417.b.426.a
Vrbicus. 475.a
Lombardus. 771.b
Lonk. 1004.a
Londinum. 960.b. Legati Hollandorũ veniunt de pace actuti quæ tandem inter partes conciliata eſt 1034.b. incendio coorto magna pars urbis deflagrat. 1040.a.
Longævillanus. 1015.a. incarceratur. 1028.b. e cuſtodia liberatur. 1033.a
Longinus Conſul. 563.a
Exarchus primus. 586.a
Philoſophus. 492.a
Zenonis Frater. 765.b
Longobradi. 427.a.531.a. in Pannonia. 512.b. in Italia. 586.b. diſcordes 593.b. regnant. 697.a
Longulæ. 234.a.235.b.
Loppecius. 956.a
Loquela Corvi. 439.a
ſine lingua. 562.b
Lorch. 671.b
Lordonenſis. 1019.a
Loſſius. 946.a
Lotades. 205.b
Lotichius. 938.b
Lothraingiæ regnum. 669.b. accedit Galliæ. 684.a. minuitur in Partes. 703.a
Milites latronum inſtar ſæviunt. 1034.b. jus in illud Regnũ Regi Galliæ tranſcribitur. 1038.b. à Crequio occupatur ac in formam provinciæ Gallicæ redigitur. 1041.b. in pacis conditiones à Gallo præſcriptas conſentire nolens ducatu Lotharingico carere cogitur. 1046.a
Lotharingus Epiſcopus. 961.b
Lotharius ſive Clotharius rex. 569.b
II. 592.a
III. 609.b
IV. 623.b
V. 694.b
Cant. 612.a
Italiæ. 692.b
Imper. 659.a.755.b
Saxo. 748.b
Lothus. 174.a
Lubbertus. 995.b
Lubeca. 967.b
Lubemirskius ſtrenuus dux Polonorum Ragotzium Tranſylvaniæ Principem profligat, 1036.a. tanquam Autor Confœderationis adverſus Regem condemnatur ad graviſſimam pœnam, qui contra latam ſententiam arma opponit. 1039.b. abrumpit comitia. ib. conciliatur Regi ac moritur anno ſeq. Uratiſlaviæ 1040.a.
Lucabos. 325.a
Lucani. 272.b.296.b.304.b
Lucanus poëta. 452.a
Lucas Cranich. 928.b
Evangeliſta. 445.a
Stadion. 471.b
Lucca. 361.b.833.a
Lucelburgum ex Comitatu Ducatus. 851.b
Lucena. 899.b.1020.a
Lucenſis Ducatus. 839.a
Luceria. 307.a.610.a
Lucernales. 843.a
Lucia Antiochiæ. 825.a
Lucianus Conſul. 542.b
Sophiſta. 465.b
Lucilia. 401.b
Lucilius poëta. 385.a
Baſſus. 458.a
Lucilla. 477.b
Luciſcus. 293.b
Lucius Attilius Longus. 249.b
Priſcus. 496.a
Cæſar. 419.b. moritur. 426.b
Papa. 497.a
II. 517.b
III. 762.b.779.a
Cæſtius Smyrnæus. 428.a
Rex Britann. 481.b
Tarquinius 214.a
Verus. 478.b
Lucretia. 229.a
Lucretius poeta. 387.b
T. Tricipitinus. 229.b.230.b. 278.a
L. T.F. Tric. 244.b
Flavus. 272.a
Tricip. 273.a.275.a.277.b
Hoſtius Tric. 254.b
P. 259.
Q. Cinna Veſpillo. 418.a
Lucrinus lacus. 410.b
Lucta inſtituta. 209.a
Luctatus. 465.b
Lucullanum. 550.b
Lucullus. V. L. Licin. Lucullus.

Lucumo. 214.a
Luderrheym. 1012.b
Ludgerus. 630.b
Ludgartis. 691.b
Ludimagiſter. 271.b
Ludi. 217.b. V. Agon.
Apaturia. 187.a
Apollinares. 348.b
Auguſtalia. 418.b
Capitulini. 461.a
Carnia. 211.a
Circenſes. 365.a. 564.b
Conſuales. 204.b
Curules. 395.b
Equeſtres. 689.a. 777.a. Præmium virgo. 801.a.
movent mente. 842.b
Iſelaſtici. 475.a
Iſthmici. 181.a. 221.a
Martis. 419.b
Megaleſia. 252.a
Nemeaci. 222.b
Neroniæ. 449.b
Olympia. 182.a. 184.b
Panæthenæcii. 222.b
Pythici. 220.b. 231.a
Quinquennales. 449.a
Scenici. 185.b
Seculares. 246.b. 293.b. 444.b 461.b. 486.b. 495.b. 511.a.
neglecti. 519.b
Ludolphus. 660.a
Ottonis M.F. 692.b
Ludovicus rex Germaniæ. 606.b
II. 617.b
Imperator Pius. 639.a. 650.b
II. 670.
III. Balbus. 672.b
IV. 672.b
V. bavarus. 836.a
Rex Franciæ. 562.b
II. 606.b
III. 617.b
IV. 749.b
Rex Galliæ. 672.b
II. 674.a
III. 675.a
IV. 689.b
V. 705.b
VI. 749.b
VII. 763.a
VIII. 800.a
IX. 801.a
X. 836.b
XI. 890.b
XII. 905.b
XIII. juſtus, 970.b. naſcitur. 955.b
XIV. 1020.b. Annum 14. ingreſſus, è tutela Matris decreto omnium ordinum Proceribus dimiſſus eſt 1033.a. annum 17. vix ingreſſus Rhemis inungitur in Regem ſolenniſſime 1035.a. ſalinis nova vectigalia imponit. 1036.a. cum Cromvvello qui oblatam coronam & nomen regium recuſabat fœdus iniit offenſivum & defenſivum. ib.b. in Flandriam irruens obvia quæq; devaſtare jubet. ib. interipſum & Hiſpanos pax Pyrenæa cōcluditur & Regis Hiſp. filia natu majore à Rege in matrimonium ducta confirmatur. 1037.b. magna pompa Maria Tereſia excipitur. 1038.a. naſcitur Filius, qui Ludovicus XV dicitur. ib. cum duce Lotharingiæ pactum init, quo inter Principes Regii Sangvinis recipitur & Regi omne jus in Lotharingiam transcribitur. 1038.b. cauſam Parmenſem adverſus Papam urget, ac reſtitutionem ducatus Caſtri ſub prætextu debitorum ereptum urget. 1039.a. Imperatori copias auxiliares adverſus Turcas in Hungariam mittit. ib. Belgium Hiſpanicum ſibi propter jus devolutionis in Brabantia uſitatum debere ꝯtendit. ib. bellū declaratur Anglis 1040.a. Hiſpanis in Belgio indicit bellum ib. Delphinus ſolenni ritu & pompa baptiſatur indito nomine Ludovici omnium Sanctorum. ib. b. pax inter illum & Hiſp. ꝯcluditur, reſtituto Hiſpanis Burgundiæ comitatu & relictis Gallis, quæ in Belgio occupata fuerant. ib. decem Civitates Alſatiæ, ſalva libertate ſua Regi promittunt homagium præſtare. 1041.b. adverſus Batavos Fœderatos bellum decernit & cum Fœderatis Epiſcopis Colonienſi & Monaſt. invadit proſpero ſucceſſu nam intra menſis fere ſpatium tres provincias occupant 1042.a. init pacem particularem cum Electore Brandenb. præſtatq; ſatisfactionē, reſtituit loca Batavis erepta, quæ ad ducatum Clivenſem pertinebant. ib.b. Hiſpanis ſolenniter bellum declarat. *Trajectum* ad Moſam per deditionem occupat. in Alſatiam proficiſcitur decemq; civitates ſub jugum mittit. 1043.a. Danis bellū declarat & Turennii funus in regium ſacellum reponi jubet. 1044.b. ſævit in Mompelgardenſes. 1045. cum Batavis pacem pangit excluſis Fœderatis. ib. b. pax inter eum & Hiſpanos publicatur 1046.a. Epiſcopos Lutetiam ꝯvocat, ut de extirpando religione Reformata deliberent. Batavis fœderis ſocietatem offert. 4047.a. Caſalam in Italia præſidio impoſito firmat. 1048.a. venit Argentoratum ut nova urbis munimenta luſtraret. 1049.a. lætatur quod denuo nepotem ex Delphino natum videt. ib. b.
rex Germaniæ. 674.a
II. 679.a
III. ultimus Carolinus. 682.b
Bohemiæ. 856.b
Hungariæ. 856.b
Elector Palatinus. 765.a. ſuccedit Ludovico Comiti Salatino in ſimmern. 1043.a.
II. Ferreus. 809.b
III. 943.a
IV. Barbatus. 876.a
V. 880.b
VI. 910.b
VII. 942.b
Comes Andegav. 879.a
Aureliæ. 723.a
Landgravius Thuringiæ. 675.b
Boſonis F. 676.b
der Springer. 732.a
ferreus. 773.a
Sanctus. 797.a
Epiſcopus. 819.b
Gibboſus. 883.a
Niger Bipont. 888.a
de Guerre. 1029.b
Ludoviſius Cardin. 1029.b
Electoris Brandenburgici filius deſpondet ſibi duciſſam Redzivilenſem. 1047.b
Lugdunum. 556.a
Lügenfeld. 657.a
Luiba. 586.b
Luidvvertus. 676.a
Luitbertus. 619.a
Luitbrandus. 621.a
Hiſtoric. 692.a
Lullius. 830.b
Lullus. 622.b
Lumen de Cœlo. 382.b
Luna movetur. 4.b. latitudo ejus. 7.b
Lüneburg. 701.a
Lundenburgum. 984.
Lündiſch Tuch. 872.b
Lupa funeſta. 864.a
Lupercalia. 406.b
Lipicinus. 523.b.
Lupus ſonat campanam. 676.b
dux. 458.a. 609.b. 652.a
Piſcis quantæ ætatis. 803.a
Fun. 502.b
Luſatia cedit Saxoni. 990.b. 1013.a
Luſatii Vandali. 733.a
Luſidius. 558.a
Luſitani. 357.b. 549.b. 910.b.
Johannes IV. Rex. ib. vivis excedit, cui ſuccedit Alphonſu filius natu major. 1036.b.

Elvam obſidione laborant. 1037.a. vincuntur à Batavis.ib. b. cum Hiſpanis paciſcuntur, & libertatem ut regnum abſolutum, poſt diuturnum bellum, obtinent. 1040.b
Luſius nepos Marii. 385.a
Luſtrum. 458.494.b
Lutetiæ. 636.a. novæ vigiliæ accenſis per omnes plateas ignibus ordinantur, ut nocturna impediatur latrocinia. 1040.a
C. Lutatius Catulus. 336.b. 343.b
Q. 385.b.393.a
Cerdo. 336.b
Lutherani.930.b. celebrant ſeculum.974.b. modo violento in Auſtria ad Apoſtaſiam compelluntur. 1034.b
Luthern Cœnob. 759.b
Lutherus naſcitur. 899.b. moritur. 929.a
Lutherius Poëta. 432.b
Lützelburg.851.b. laxa obſidione à Gallis cingitur. 1047.b. à Crequio obſidetur quam deditione capit. 1050.a
Lützelſtein. 886.b
Lutitii Vandali. 717.a
Lux de nocte. 851.a
Lycæum. 186.b.390.b
Lycaon fit lupus.178.b. ejus f. Latona. 180.a
Lycia ſubacta. 225.a
Lycinus. 221.a
Lyciſcus. 313.a
Lycius. 201.a
Lycon. 328.a
Lycophron. 270.a.290.a.323.a
Lycortas. 359.b
Princeps. 364.a
Lycotas. 216.b
Lycurgus. 194.a.358.a
Lycus amnis. 296.a.1024.b
Stadion. 247.a
tyrann. 180.a
Lydi regnantur. 205.b. effœminantur. 224.b. occupantur. 307.b
Lydius. 502.b
Lydus. 186.b
Lygdamus ſine medullis. 213.a
Lygeris. 661
Lynceus. 279.b
Lyncopia. 953.b
Lyranus. 837.b
Lyſander dux. 263.b
Lyſanias. 243.a. 249.b. 417.b
princeps. 442.b
Lyſiades Archon. 268.b
tyrann. 339.b
Lyſias. 245.b.261.b
dux. 365.b
Lyſibon. Hiſpan. 948.a
Lyſicles. 297.a
Lyſicrates. 247.a
Lyſimachia. 322.a
Lyſimachides. 249.a
Lyſimachus Archon. 296.a
dux. 305.a
Lyſippus 268.b
Lyſiſtrates. 242.a.281.b
Lyſitheus. 243.b

M.

MAcarius presbyter. 516.b
proditor. 186.a
Macbertus. 723.b.729.b
Maccabæi. 117.a.365.b
Macedonia ſubacta. 365.a
Macedonianus. 518.a
Macedonius Epiſc. Conſtantin. 518.b
II. 565.a
Macer. 420.a
Machæras. 410.a
Machanidas. 350
Macies inducta. 695.a
Macrianus. 498.b
Macrinus. 489.a
Macro. 440.a
Macrobilius. 241.b
Madera. 873.b
Madritum.958.a. ibidem Regi Hiſpaniarum filius naſcitur, cui nomen Philippus Proſper imponitur. 1036.b
Meander. 687.a
Meandrius. 227.a
Mæcenas. 422.b
Mæcilius Hilarianus. 515.b
M. Mæcius Furius Placidus. 501.a
Memmius Fur. Plac. 518.b
Ræfus. 491.a
P. Mælius Carth. 268.a. 270.a
C. 299.a.308.a
P. 268.a.270.a
Mænon. 321.b
Magabyzus. 244.b
Magellanus. 915.a.969.a
Magdeburgum.642.a. dos imperatricis.690.a. litigat.947.a. exuſtum.968.a. 1004.b. cedit Brandenburgico.1028. Simul Auguſti Duci-Saxoniæ & Electori Brandenburgico homagium dicit. 1040.a
Magi.424.b.431.a. afflicti.633.b concurrunt. 967.a
Magiſter Equitum. 232.a
Magiſtratus Archontes. V. Arch.
Carmei Apollinis. 191.b
punit & ſuos.229.a. 207.a.375.a. 514.a.557.b
ſine crimine. 490.b
Magnentius. 520.a
Magnetia. 241.a
Magnus Conſul. 556.b.570.a
Norvvegiæ. 725.b
Stadion. 483.a
Torquatus Brunſu. 855.b
Wirtemberg. 990.a
Fl. Januar. 515.a
Mago Carthag. 271.a
Barchinus. 351.a
Mahaleel. 170.a
Mahdi. 638.a
Mahomed. V. Muhomed.
Mahumed Saracenus. 833.b
Majeſtätbrieff. 963.b
rea, puella Barbara. 399.a
Maimburgius Jeſuita, Rex ei confert Albatiam ſolatii ergo. 1048.b
Maimon naſcitur.641.a. regnat. 650.b
II. 650.b
Mainus. 371.a
Major Domûs. 616.a
Theologus. 931.a
Majoranus. 555.b
Majorica. 801.b
Malacia. 901.a.962.b
Malborgetum. 972.a
Malduinus. 611.a.615.b
Malea. 256.a
Malecontenti. 943.b
Maledicentia. 433.a
Malichus. 408.a
Malli. 303.a
C. Mallius. 884.b
Malmesburienſe Cœnob. 674.b
Malmoga à Danis fruſtra magno impetu oppugnatur, ſtrenue Suecis urbem defendentibus. 1045.a
Malta. 921.a.1010.b
Maluinus. 961.a
Mamelucci.782. deſinunt. 915.a
Mamercus Scaurus. 439.a
Mamertini. 327.a
Fl. Mamertinus. 524.b
Mamertus. 558.a
C. Manilius Turrinus. 337.b
L. Vitulus. 330.a
Man. 371.a
Lepidus. 427.b
Q. Vitulus. 931.a
Octavius. 229.b
Mammæa. 492.a
Mammæus. 325.a
Mamylus. 177.a
Mamythus. 176.a
Marahem. 203.b
Manaſſes Epiſc. Arelat. 689.a
Ezechiæ F. 208.b
Pontifex Jud. 333.b
Sanneballægener. 300.a
Mandæus. 976.a
Mandanes. 219.a
Mandatū mariti præpoſterū.451.a
Mandauces. 199.a
Mandeſlo. 861.a.1019.a
Mandonius. 345.b
Manes. 592.b
Manethon hiſtoric. 121.b
Manheym. 691.a
Maniaces dux. 723.a
Manegold dux. 720.b

Manfredus. 8[illegible].a
Mangon. 812.a
Manichæi. 479.a.550.a
M. Manilius Capitolinus. 252.a
P. 381.a
Vopiſcus. 467.b
A. Manlius Capitol. 274.b.277.b 282.a
Severianus. 563.a
Torquatus. 336.b.366.b
Atticus. 336.a
Volſo. 241.a. 266.a. 267.b 269.b.361.a
C. Capitol. 279.a.288.b
Volſo Longus. 334.a
Cn. Capitol. 289.b.280.b
Cincinnatus. 238.a.b
L. Capitol. 286.a
Volſo. 258.a
Volſo. 332.b
Acidimus Fulvianus. 360.b
Torquatus. 396.b
M. Capitol. 272.b. è ſaxo Tarpejo defectus. 277.a
Volſo. 258.b.266.a
Manilius. 371.a
Torquatus. 396.b
P. Capitol. 279.a. Dictator. 283.b.284.a
T. Torquatus. 291.b. 294.a. 295.a. 297.b. 308.a. 318. b.339.a.342.a.366.a
ſeverus. 375.a
Fl. Theodorus. 537.a.567.a
Manliana imperia. 297.a
Manna Cœli. 179.a
Mannus. 174.b
Mansfeldenſes.
Mansfeldia. 1013.a
Mantinæi 258.a. reſtaurantur. 281. 319.a
Mantua conditur. 185.b. eligit Paſſerinos. 833.b. litigioſa. 998.b
Carpentorum. 1029.b. V. Madritum.
Mantuanus. 883.a.964.a
Manuel Commenus. 734.a
Manumiſſio. 681.a
Maon. 189.b
Maphæus. 878.a
Maradas. 988.a. 1015.b
Marathon. 177.b
Marathonia clades. 234.a
Marathus. 177.b
Marburg. 738.a. V. Marpurgum.
Marca Comitatus. 754.b
flu. 337.b
Marcellinus Comes Hiſtoric. 1.b 535.a
Conſul. 501.b
Papa. 506.b.508.a
Marullus, Auguſti ex ſorore nepos. 416.a
Epiſcopus Arianus. 517.a.519.b
Papa. 508.b
II. 932.b
M. Marcellus V. Claudius Marcellus.
Marchia Anconitana. 871.b
Auſtriæ. 687.a
Brandeburg. 686
Miſniæ. 687.a
Sleſvic. 687.b
Marcianopolis. 500.a.527.b
Marcianus ab Aquila tegitur. 546. b. Imper. 553.a
Junior Anthemii F. 561.b
Dux. 587.b
Fl. 558. Ricimeri F. 559.a
Marcion. 468.b
Q. Marcius Barea. 433.b
Marcodurum. 1019.a.
Marcomanni. 427.a.478.b
Marcomirus rex Franc. 359.a
II. 439.a
III. 470.b
IV. 530.b. V. 534.a
Marcus, cur nomen infame. 277.a
Aurelius. 469.a.477.b
Epiſcop. Antioch.
Hieroſol. 472.b
Evangeliſta. 451.a
Papa. 516.a
Tyrannus. 540.a
Mardaitæ. 612.b
Mardinitz. 675.a
Mardoccempad. 207.b
Mardochæus. 240.b
Mardonius. 235.a
Margad. 821.b
Margaretha Daniæ Regina. 862.b
Gubernatrix Belgii. 938.a
Maultaſchin. 853.a
Tereſia Hiſpanica Viennam venit Imperatoris ſponſa, ubi nuptiæ confirmantur. 1040.a. vivis excedit 1042.b
Margatz. 865.a
Maria Virgo naſcitur. 419.b. an abſque peccato. 907.a
Anglicana. 932.a. cum filiis proſcribuntur. 1035.a
Armenia. 642.a
Brandeburgica. 986.b
Brandiſiana. 1021.b.
Burgunda. 899.a
Domicella, regina Hieroſ. 821.a
Honorii uxor. 537.a
Hiſpanica. 1005.b
Tereſia Ludovico XIV. Regi Galliar. in matrimonium ducitur, & magna pompa accipitur. 1038.a
Lauretana. 828.b
Mantuana. 998.b
Medicæa. 955.a
Rotunda. 598.a
Schurmannia ab eruditionem inter Batavos celebris. 1042.b
Marianus Scotus. 735.b
Marienburg. 822.b 870.a
Marienwerther. 100.a
Maris imperiũ corrumpit. 240.a
Marinus dux felix. 543.b
Papa. 674.b
II. 691.b
Senator. 504.a
Marinianus. 560.a
Maritus impotens. 845.b
C. Marius. 383.b.384.b.385.a.386.a ſponte exul. 386.b. Cõſul 390 b
C. F. 391.b.392
P. Celſus. 450.a
Marlomirus. 358.b
Marloratus. 935.b
Marmor ſculpitur. 201.b. liminare. 393
Marobodus. 427.a. victus. 431.a
Marocci. 967.a
Maronitæ. 779.b
Marozia. 681.b
Marpurgum. 959.b.990.b. 1023.b 1024.b. Ejus Academia præſente Landgravio Wilhelmo inauguratur. 1034.b
Marquardus Epiſc. 852.a
Freherus. 969.b
Mars fortuitus homicida. 177.b
Marſi. 314.a. in Germania. 431.a
Marſicum bellum. 305.a.388.b
Marſilius Ficinus. 900.a
Bativinus. 839.b
Martellus. 618.a
Martia Concubina. 481.a
Martialis. 414.a.460.b
D. 720.a
Martina 599.b. venefica. 605.b
Martinianus Cæſar. 513.b
Martinitius. 1028.b
Martinus Arragoniæ rex. 864.a
Epiſcop. ex milite. 522.a
JCtus. 768.b
Longobardus. 768.b
Lutherus V. Lutherus.
Papa. 607.a. damnatur captivus. 607.b.
II. & III. uterque nominatur Marinus.
IV. 812.b
V. 872.b
Polichius. 907.b
Turonenſis 533.b
Martisburgum. 738.a
C. Martius Cenſor. 422.a
Coriolanus. 2[illegible].a
Figulus. 367.a. 369.a. 397.a
Rutilus. 289.b.292.b.295.a. 296.b
Cenſorinus. 313.a
L. 349.a
Cenſor. 371.b.409.b
Capitolinus 286.a
Philippus. 388.b.400.b
Q. Barea. 433.b
Philipp. 324.b.358.b.364.a
Rex. 395.b
Tremulus. 315.a.322.a
Petrus Martyr. 930.b

Mar-

Martyres. 451.b
Martyropolis. 592.b
Maruthas. 549.a
Marvvan. 613.b
II. 619.b
Maſætrajectini. 1014.b
Maſalmas. 622.b
Maſarignia. 616.a
Maſculi corrupti. 573.b.583.b
Maſdras. 556.a
Maſeria. 1012.a
Maſiniſſa. 348.a
Maslaus. 724.b
Maſonia.724.b. accedit Poloniæ. 852.a
Maſſada. 409.a
Maſſilia 212.b.218.b
Maſſina. 383.a
Matelifius. 964.a
Mater Deûm. 351.b
Octennis. 821.a
Maternus. 482.a
Matgenus. 195.b
Mathathias. 365.a
Mathematici pulſi. 431.a.446.b proſcripti proſcribunt. 455.b certi.463.b.570.b. ſuo malo. 619.b.æſtimatiſſimi. 656.a
Mathildis. 742.b.752
Angla. 751.a
Imperatoris F. 756.b.828.a
Ludovici Bavari F. 841.b
Matho dux. 337.a
Mathuſalem. 170.b
Matthæus Evangeliſta. 443.a
Hiſtoricus incipit. 733.a
Palmerius. 884.b
Vice Comes Mediol. 834.b
Weſenbec. 948.b
Mattheſius. 937.b
Matthias Auſtriacus. Imper. 943.a.962.b
Flacius Francovvitz. 930.b
Hunniades. 889.a
Pontifex. 443.a
Rex Bohemiæ & Hung. 963.b
& Imperator. 967.a
Corvinus, Hung. 889.a
Pragenſis. 870.a
à Striga. 901.a
Matrimonium diſpar. 824.b
Mavia rex. 609.a
Mavias dux. 605.b
Maulraſchin. 853.a
Mavortius Lollianus. 521.b 572.b
Mauri.476.a. amittunt regnum. 750.a. tranſeunt in Hiſpaniam. 787. expelluntur.902.b. ab Hiſpanis diſſipantur. 1038.a Ceutam Hiſpanis eripiunt. 1047.b
Mauritania.405.b. cedit Vandalis. 546.a
Mauritius Auraicus. 949.a 954.a
Burdinus. 754.a
Cæſar. & Imper. 590.a.b
Cartularius. 606.a
Dux. 589.b
Pius. 506.b
Landgravius. 951.a. moritur. 1007.b
Saxo. 636.b.927.a
M. Ruffinus. 485.a
Maurogathus. 640.a
Mauruntius. 626.a
Maurus. 944.a
Cæc. Maurus Decius. 563.a
Mauſethuen. 699.b
Mauſolus regulus. 290.a
Maxentius. 509.a. victus interit. 510.b
Maximianus.504.b.509. ſtrangulatur. 509 b
Epiſc. 547.b
Maximilianus naſcitur. 889.b
Imper. 904.a
II. rex Bohem.936.a. Imper. 937.a
Elector Bavariæ. 990. b moritur ætatis anno 78. 1033.a
Heinricus Dux Bavariæ ac Elector Colonienſis pallio Epiſcopali indutus Coloniam ingreſſus miſſamque celebrat quam celebriorem reddit Erneſti Apoſtaſis. 1033.b
Sfortia. 912.b
Maximilla. 479.b. Dux Bavariæ Generalis equitum Magiſter adverſus Gallos declaratur. 1043.b
Maria Princeps Electoralis dignitatis in Bavaria hæres ditiones ſuas regere aggreditur. 1046.b
Maximinus Thrax. Imper. 492.b
Cæſar.510.a. victus moritur 511.a
Conſul. 493.a
Dux. 578.b
Epiſc. Antioch. 480.b
Hieroſol. 519.b
Auſtriacus. 952.b
Maximus Albas. 608.b
Arianus. 544.b
Chriſtianus. 531.a
Conſul. 490.b,492.a
Dexter. 499.b
Dux. 462
Epiſcop. Alexandr.
Hieroſol. 518.a
Imperator. 532.a. occiditur. 534.a
II. 544.b
Martyr. 496.b
Philoſoph. 519.a
Tyrius. 475.b
Mazaci. 428.b
Mazarinus. 1020.b. Gallia excedere cum ſuis intra ſpacium quindecim dierum concluditur.1033.a. revocatur à Rege. ibid. ob ejus reditum oriuntur motus.1034.a. carpento regio ad regium palatium deducitur. ibid.b.ap.Hiſpanos male audit ob fœdus cum Cromvvello cum offenſivum tum defenſivum initum.1036.b. moritur, qui Regem hæredem nominat. 1038.a
Mazeſceles. 537.a
Mecænas.408.b. V.Mæcenas.
Mecha. 601.b. 1004.a. ab Arabibus oppugnatur. 1039.b
Mechelnburg. 1003.a
Mechtildis Ringelh. 684.b
Medaba. 378.a
Medæa. 184.a
Medardus. 585.a
Medi. 288.a
Medicæi. 912.b
Medicus primus. 341.b
cur in crucem actus. 303.b
in ſummo pretio. 822.a
Mediolanum.220.a.343.a. excifum.770.b. litigioſum. 907.a 910.a
Medon Archon. 188.b
Meduanius. 949.b
Medullia. 213.a
Medullini. 233.a
Medullinus Viſc. 235.b
Meduſa. 182.a
Megabyzus. 228.b
Megacles. 194.a.224.a.239.b
Megaldus 475.a
Megaleſia. 352.a.432.a
Megalaburgum. 1003.a
Megalopolis.281,a. fit Ducatus. 850.a
Dux Megopolitanus lineæ Suerinenſis ejurata Lutherana religione, amplectitur Pontificiam. 1039.a
Megara. 207.a. 212.b. 221.b 321.a
Megaſthenes dux Chalcid. 191.b
Hiſtor.120.b. verus.122,a. 123.a 317.b
Meginerus. 757.a
Meherdates rex. 445.b
Meingardus. 713.b
Meingothus. 698.a
Meinicke. 850.a
Meiſco. 705.b
Meiſnerus. 997.a
Mela. 436.b
Melander.981.a.1022.b. fit Comes Holtiſapfelius. 1024.b
Melanthon. 905.a
Melanthus. 187.a
Melchiades. 510.a
Melchior Rederus. 948.b.953.b

Melech Meſſor. 825.a
Meleager. 178.a.305.a
Meleagros. 325.a
Meles rex. 205.b
Meletius. 510.a.524.a
Melicerta. 181.a
Melii. 239.a
Meliſſe. 175.a
Meliſſus. 249.b.956.b
Melitena. 688.a
Melito. 479.a
Melius. 551.a
Mellitus. 594.b
Memleben. 689.a.716.b
C. Memmius Regulus. 386.a.436. 450.b
Memnon dux Perſ. 299.a
Præfectus Thraciæ. 301.b
Tithoni F. 185.a
Memoria amiſſa. 426.a.901.a
Memphis. 176.a.178.b.500.a
Memphitæ piratæ. 1010.a
Menonum. 245.b
Menahem. 201.b
Menander. 321.b
Menapii. 401.a
Menapius. 378.b.
Menas. 410.b
Meneclius. 950.a
Menda. 257.a
Mendacii pœna. 579.a
Mendeſii. 264.a
Mendici alendi. 648.a.654.a
Menelaus Aſtron. 464.a
Pontifex. 363.a.366.b
Rex. 183.a.184.a.185.a
Agrippa Menenius Lanatus. 230 b.251.a.259.a
L. 250.b.278.b
T.F.Lan. 247.a
Tribunus pl. 289.b
T. Agr.F.Lan. 240.a
Menna. 509.b
Mennas. 576.a
Menodotus. 365.b
Menon Archon. 241.a
Stadion. 209.b
Menſes nominantur. 543.b. Diocletiani. 99.a. Æthiopici. 99.a
Commodi. 481.a.
Menſura inventa. 200.b
Mentor. 291.a
Menzerus. 998.b
Mephiboſetus. 190.b
Meppena. 1015.a
Merbal. 221.b
Ger. Mercator. 952.a
Mercaturâ quem dedeceat. 656.a
Mercenarii. 337.a.b
Mercii. 603.b
Mercius. 1011.b
Mercurius dux. 954.b
Merga. 603.b
Mergentheymium. 1022.a
Merobaudus. 530.a
Merobotus. V. Merobodus.
Merodachus. 208.a.382.b
Merodius. 1006.a.1021.b
Meroveus. 551.a
Alius inobediens. 589.b
Merovvingi. 550.b
Merſburg. 712.b
Meſapus. 175.b
Meſembria. 650.a
Meſeſſi Mardacus. 210
Meſia ſylva. 215.a
Meſico. 715.b
Meſites. 898.b
Meſomedes. 475.b
Meſopotamia. 180.b.401.b. cedit Saracenis. 605.a
Meſſala. V. Valerius.
Corvinus. 399.b.426.a
Fl. 567.b
Jun. 505.a
Sil. 488.b
Meſſalina. 443.a.445.a
Meſſana. 175.b.255.b
Meſſapii. 330.a
Meſſatinus. 427.b
Meſſene. 281.a
Meſſenii victi. 205.b. vincunt. 207.a. bellum alterum. 210.b 242.b
Meſſenius. 404.b
Meſſinenſes in Sicilia rebelles ſe Regis Galliæ poteſtati ſubjiciunt. 1043.b. Imperium Gallorum novum populo ſuſpectum & grave eſſe incipit. 1045.b. imperio Hiſpanico pœnitétes ſubjiciuntur. 1046.a
Meſſias promiſſus. 190.b
falſus. 624.a.764.b
Meſſitæ. 842.b
Meſſius Decius. 496.a
Etr. 496.a
Meſue Medicus. 648.b
Mettallanus. 434.a
Metallariæ urbes & venæ. 774.b 784.a.790.a.858.b.895.a.903.a
Metanthus rex. 187.b
Metapontus. 293.b
Metaſthenes. 120.b
Metellus. 373.b
Metericis Synodus. 666.b
Methodeutes. 187.a
Methodius Patriarcha. 659.b
Methon. 256.a.289.b. 792.b. 906.b
Methona. 413.a
Metionidæ. 182.b
Metis deſtructa. 553.a
Metius Suffetius. 211.b
Meton. 252.a
Metternichius. 1011.b. Baro Epiſcopus Spirenſis fit Coadjutor Moguntinus. 1041.b
Metuchal. 660.b
Meyenfeldia. 993.a
Meyſenheimium. 986.a
Mexicana. 1004.a
Mezentius. 185.b
Micaſio. 500.a
Micha. 204.b
Michael angelus. 564.b
I. Curopalates Imper. Conſt. 649.b
II. Balbus. 653.a
III. adulter. 721
IV. Paphlago. 724.a
V. Calaphates. 724.a
VI. Stratioticus. 729.a
VII. Ducas. 734.a
VIII. Palæologus Deſpota. 764.b.814.b.815.a
Archiepiſc. 636.b
Sidonius. 738.b
Bulgariæ rex. 667.b
Fedrovitius. 970.a
Giſlerus. 937.b
Patriarcha. 724.b
Pſellus. 656.b
Servetus. 932.b
Stiffelius. 638.b
Walachiæ Princeps. 954.a
Poloniæ rex moritur. 1043.a
Michol. 189.a
Micius. 231.b
Micinas Rhodius. 304.a
Micion. 266.b.354.a
Micipſa. 381.b
Micislaus. 697.b
Micythus 241.b
Midas rex imperitus. 182.a
Stadion. 234.b
Middelburgum. 935.b
Midianitæ. 183.a
Micislaus rex Poloniæ. 698.b
II. 719.a
III. 775.b
Miesko. 720.b
Milcolumbus rex Scotiæ. 691.a
II. 712.a
III. 729.b
IV. 766.b
Milegaſtus. 653.b
Miles tantum Chriſtianus. 967.a
Mileſium bellum. 215.b
Mileſius. 390.b
Miletum. 188.b. expugnatur. 232.a
Milichus. 452.a
Militaris diſciplina. 377.b 411.b
Milites non emendi, ſed legendi. 454.b. non ſint prædones. 500.b. ſint Chriſtiani. 575.a.567.a crudelitatem ſimulent. 988.b militum juramentum. 320.b militiæ & præmiorum tempus. 420.a
Chriſti. 792.a.837.b
Aurei velleris. 877.b
D. Georgii. 849.b
S. Militiæ. 978.b
Millenarii. 499.a
Milo Croton. 226.a
Clodii occiſor. 402.b
Dux Pyrrhi. 325.a

Miltiades Archon. 227.a
dux Athen. 234.b
Papa. 511.b
Mimnermus. 214.b
Mina. 255.a
Mindarus. 262.b
Mindenſis Clades. 996.b
Epiſcop. 639.b
Miu/din. 641.a.995.a
Minerua apparet. 175.a.177.b
deſpondetur. 409.b. eburnea. 250.b
Minerual. 254.b
Minij 184.a
C. Minitius Fundanus. 446.a
M. 446.a
Minium inventum. 230.a
Minoa. 287.b
Minos rex. 179.b.180.b.183.b.
Stadion. 267.a
Vrbs. 184.b
Minotaurus. 183.b
Minturnæ. 319.b.390.a
Minutia Veſt. 299.b
Minutius Felix. 487.b.512.b
Rufus. 461.b
L. Augurinus .232.a.234.a 246.a.251.a
Fundanus. 470.b
M. Augurinus. 232.a.234.b. 315.b
Rufus. 345.b.383.a
P. Augurinus. 234.a
Augurin. 246.b
Q. Rufus. 254.b
Thermus. 356.a
T. Augurin. 315.b
Mirabellium. 1027.a
Miracula. 701.a. ea facere promittit Manes. 502.b
Miramolinus rex. 633.b
Mirandula. 900.a
Miriam. 179.a
Mirichido. 250.b
Miro. 587.a
Miſcella Hiſtor. 650.b
Miſena. 687.a
Miſiani. 583.b
Miſitherus. 494.b
Miſna Iudæorum. 483.a
Miſnia. 687.a.756.b.877.a. peſte graviſſima affligitur. 1046.b
Miſopogon Iuliani. 525.a
Miſphragmutoſis. 177.a
Miſphris. 177.a
Miſſa S. Battholomæi. V. Cæna. XL. canédæ in Societate. 704.b
Miſteno. 718.a
Mißtrau. 736.a
Mithreos. 183.b
Mithridates Eunuchus. 243.b
Rex Ponti. 389.a. occiditur. 397.b
Pergami. 405.a
Myſiæ. 317.a
Alij. 442.b
Dux Parthorum. 119.b
Mition. 355.a
Mittelburg. 835.a
Mitylenæ. 217.b.254.b.392.b
Mitzyzus. 611.a
Mnaſippus. 280.a
Mneſibulus. 477.b
Mneſidemus. 319.a
Mneſidiles. 246.a
Mneſter. 443.a
Mneſteus rex. 185.a
Scriba Aurel. 502.a
Stadion. 339.b
Moab. 190.b.389.a
L. Moderatus Columella. 436.b
Modeſtinus. 490.b
Modeſtus. 528.b
Epiſc. 925.b
Modin. 373.b
Modius quid. 338.b
Mænus. 522.b
Moers. 953.a
Mogaldus. 466.b
Moguntium. 336.b.522.b.527.b. 540.a. patitur ſchiſma. 857.b
Moldauia. 900.a
Moles Hadriani
Mollartus. 976.a
Mollerus. 202.a.430.a
Molina. 1024.a
Molon. 285.a
Molo præf. Med. 344.a
Rhodius. 390.b
Moloſſi. 183.b.241.b
Moluccæ. 615.a.961.a
Mompelgardum. 823.a. à Gallis intercipitur 1044.b
Momyllus. 560.a
Monachi magna pars palatii Electoralis cum magno & pretioſo apparatu igne conſumitur. 1043.b
Monachi luxurioſi. 712.b.716.b
laborioſi. 515.a. diſciplinæ impatientes. 703.b. leges de eis. 554.a. 593.b.764.b. MCC. cæſi. 599.b. habent Latifundia. 764.a. ducant uxores. 635.b. fiunt reges & principes. 608.a. 619.b. 627.b. 630.a. 691.b. 692.a. 721.b. 729.b. 730.a. 732.a. 760.b. 761.b. 786.b. Diabolis inuiſi. 710.a. pugnaces. 803.b. in Hiſpania & Bavariâ. 587.a. 588.b.
Auguſtiniani. 808.a. duo exuſti. 918.a
Benedictini. 591.a. 728.b. quot in Europâ. 872.a
Cantuarienſes. 802.a
Carmelitæ. 769.b
Carthuſiani. 740.b. peſte unâ abſumti 124.434.850.a.
Ciſtercienſes. 745.a
Franciſcani. 794.a. obediunt ambiguè. 842.b
Fratrum Minorum. 794.a
Humiliati. 770.b
Ieſuati. 855.b
Inſomnes. 556.b
Mercenariorum. 802.b
Mendicantes. 989.b
Montiliuienſes. 870.a
Montis Dei. 791.b
de Pænitentiâ. 811.b
Prædicantes. 793.b
Præmonſtratenſes. 755.a
S. Pauli. 997.b
Saccati. 814.a
Serui Mariæ. 823.a
Trinitatis. 789.b
de Valle Caulium. 784.a
Vallis Scholarium. 795.b
Vallis Vmbroſæ. 727.b
D. Vincentij. 691.b
Monaſteria. XII. fundat Sigebertus. 607.b
Monaſterium Cala. 610.b
Caſſinenſe. 624.a
Corbeia. 610.b
Euldenſe. 629.b
S. Galli. 599.a
Iuſti. 933.a
S. Mariæ de Victoriâ. 999.a
D. Michaëlis. 624.b
Vrbs. 922.b.1023.a. Eam Epiſcopus, homo turbitus & bello natus, ſubjicere ſibi meditatur, ideo fœdus cum Belgis pangit. 1036.b. à judicio aulico damnata & à Batavis deſerta jugum ſubire Epiſcopi ſui jubetur. 1037.b. nudatur propugnaculis. 1038.a. Batavos terrâ propter dominium Borkelo inpugnat. 1039.b. cum Rege Galliarum & Epiſcopo invadit Batavos proſpero ſucceſſu 1042.a. cum Batavis una cũ Epiſcopo Colonienſi pacem ſeorſim facit. 1043.b invadit cum Lunæburgenſium viribus ducatum Gremenſem 1044.a
Monauius. 958.a
Monaxius. 543.b
Monbaſonius. 1013.b
Moneta Dea. 277.a
de corio. 810.a
Monetarij. 501.b
Moniales Beginæ. 793.b.808.a
Brigittæ. 854.b.857.b
Caſtæ. 669.b
S. Cathariæ. 857.b
Pœnitentes. 904.b
Monlauræus. 1013.a
Monica. 534.a
Monoceros. 1025.a
Monomachiæ. 229.a.310.b. 703.a.864.b.
Monotheletæ. 603.b
Mons albus. 999.a
Atlas in ſpectaculo. 495.b
Balthaſaris. 1002.a
Belicardi. 1010.a

Capitolinus. 283.b
Concuſſus crepat. 388.b
ad Fridbergam corruit. 828.b
Gertrudis. 951.b
mugit. 584.b
Peſſulanus. 788.a
Raparum. 511.b
Regius. 813.b
Montalbanum. 988.b
Montanus. 479.b
Montecuculi. 1002.a.ex Alſatia Gallos ejicit, cæſo celeberrimo ipſorum duce Comite Turennio 1044.a
Montenſis Comitatus. 754.b
fit Ducatus. 862.b
Montabos. 336.b
Montisferratenſis unde. 684.b
Montmorancius. 995.a.1006.a
Montojus prorex. 955.b
Montroſſius. 1022.b.1029.a
Mophis. 302.b
Mopſeates. 387.b
Mopſieremæ. 186.a
Mopſueſtia. 186.a.618.b
Mopſus. 186.a
Moraui. 679.b. 740.a.
devaſtantur à Turcis. 1039.a
Morbus Anglicus. 921.a
Gallicus. 904.b
magicè pulſus. 473.b
novus. 510.b.921.a
Mordacus. 624.a
Moria. 192.b
Morini. 401.a.540.a.617.b
Morio occidit principem. 83.a
Iacobus Morlinus. 931.a
Ioachim. 940.b
Mornæus. 991.b
Mortaria. 909.b
Mors ſeruitute potior. 940.a.ejus cauſa, mæror animi eſt, 240.b.652.a.mori non poſſe. 446.b.473.morti jam vicinus mirè liberatur. 752.b.Simulatur etiam 482.a
Pallida Saracenorum. 704.b.ſpoliat nos omnibus bonis 786.b.
moriuntur & Romæ homines. 522.a. in Albi periit Neſenus doctiſſimus.918.b.Hadrianus. perit ex muſcâ in hauſtu aquæ. 769. rex Caſtellæ tegulæ ictu. 798.a. Caninius moritur eo die, quo Conſul factus, 406. a.alii die natali. 587.a.944.b tempore triumphali. 393.b. Eclipſeos. 378.b.in Choreis. 859.b. in vino Maluatico 898.b
Præuiſa ſomnio. 217.b.469.b.& prædicta. 469.b. Dionyſio. 282.b.Alexandro M. 303.b. 304.a.Nicephoro 698.b.ejus tamen nullum effugium. 301. b.570.b.598.b.& vatibus mala ſemper eſt habita gratia. 619.b.
Bellica laudatur à pueris. 224.a
Moriturus Perdiccas vaticinatur. 210.b. Herodes eſt crudelis. 425.b. Fulcinius inuehitur in Tiberium. 439. Merulâ execratur Cinnam. 396.b. Fratres regi Caſtellæ diem dicunt coram Chriſti tribunali comparendi. 835.b. Erneſtus ab Alberone confitetur abſque ſacerdote. 715.b.Rudolphus agnoſcit pœnam legitimam. 738.
Mortuo Cyro inſultatur. 226.a.
per cadauer parentis carpentum agit Tarquinij filia. 225.b.
Formoſi cadaver à ſucceſſore damnatur. 679.a.681.a. Rogerius Siculus in Ranulphi cadauer ſæuit. 760.b. HardeCnutus fratrem ſepulcro ejiciens. apoplexiâ corruit. 724.b
Mortuus reſuſcitatur. 447.a. 617.b.extendit manum. 780.b.
Moſa flu. 343.b.522.b
Moſchi. 907.b
Moſcouia deleta. 940.b. Dux ejus expugnat Grodno. 1037.b
Moſe Saracenus. 640.b
Rabbi. 800.b
Moſellanus. 918.b
Moſes propheta naſcitur. 177.a
moritur. 179.a
Magus. 547.b
Monachus. 529.a
Zeclerus. 957.a
Moſilis. 963.a
Motta. 1010.a.1022.b
Motya. 268.b
Moze. 621.a
Muchthaphtha. 680.a
Q. Mucius Scæuola. 387.b
P. 377.a
Q. Augur. 362.a
Muctaphe. 690.a
Muctar. 615.b
II. 681.b
Mugellanus. 830.a
Muhamed naſcitur. 587.a.fugit. 601.b
moritur. 603.b
Dux. 617.a
Rex Condubæ. 661.a
II. 702.b
Imperator Turcarum. 870.b
II. 886.a
III. 952.a
Perſa, eſt Hodabandes Cham. 822.b
Mulberga. 928.b
Mülheim. 967.a
Mulier aquatica. 867.b
Mummius Tuſcus. 507.b
L. Achaicus. 372.b
Mummulus. 589.a
L. Munatius Plancus. 408.a. 429.b
Munazium. 938.b
München Neſiburg. 701.a
Mundo. 567.a.574.a
Mundus conditur. 118.133.a
Dux. 576.b
Munificentia Romanarum Mul. 271.a
Munimulus. 588.a
Munſterus. 932.a
Munychia. 305.b
Muphti. 1010.b
Mures. 699.b.715.a
Murmelius. 902.b
Murgantia. 245.b.319.b
Muratenſe Monaſt. 719.b
Murſa. 524.a
Murzuphili, eſt ſupercilia juncta habens. 791.b
Muſa dux. 867.a
Muſabus. 615.b
Muſæus. 183.a
Muſchiınus. 568.b
Muſculus Theol. 943.b
Muſica inſtr. & Voc. organa ex Græciâ. 635.a.654.b.
Meti primum inſtituta. 637. b.641.a.in Eccleſiam introducta. 662.a. per artem tractata 717.a.719.b.733.b.741.b
Primus de Muſicis ſcripſit Læſus. 224.b. Muſicam diſcere Lydi jubentur. 223.a
Muſico ſolarium imminutum. 475.b
Muſonius. 451.b
Muſtapha. 873.b.ſtrangulatur. 932.b
II. Cedit lubens imperio. 991.a
Mutadi 668.b
Mutemad. 677.b
Mutezan. 657.b
Mutezed. 677.b
Mutina. 361.b.407.b.554.a.eligit Eſtenſes. 833.b
P. Mutius Scæuola. 329.b.347.a. 362.a
Q. 362.b.381.b
Mutnazar. 665.b
Mutſchefallius. 1006.b
Mutus loquitur. 1005.b
Muzolo. 815.a
Mycaleſſus. 260.b
Mycalis. 239.a
Mycenæ. 182.a. 185.a.exciſæ. 242.b
Mycerinus. 203.a
Mydianij. 340.a
Mygdonia. 218.a
Mylæ, vel Mylaſſus. 208.b.411.b
G. Mylius. 946.b.962.a
Myrichides. 250.b
Myrmidones. 188.a
Myronides. 245.b
Myrus. 231.b
Myſcelus. 209.a
Myſi. 193.a.345.a.414.b
Myſteria inuenta. 181.a

Myſti-

Myſtichides. 274.b
Mytgonus. 221.a
Myſus. 241.b

N.

NAaman. 196.b
Nabal. 189.b
Nabathæi. 368.b.401.b
Nabis. 352.b
Nabonaſſar. 205.a
Nabonedus. 223.b
Nabopollaſſar non eſt Nebucad Nezar. 124.a
rex. 215.a
Nalcoth. 195.b
Nabuchadonoſor V. Nebucadnezar.
Nadab. 193.a
Nadaſtus. 960.a. Conſpirationis adverſus Cæſarem accuſatur, carceri includitur, ut capitis ſupplicum ſubeat. 1041.b
Naëmi. 181.b
Næuius. 340.a. moritur. 352.a
Nahas. 188.b
Nahor. 173.a
Nahumi. 208.b
Nailor, novam propagat ſectam in Anglia. 1036.a
Namurſius. 912.a
Nanceium. 896.b
Nannetes. 662.b
Naralinga. 340.b
Narbo. 381.b. cedit Gothis. 542.a
Narciſſ9. 445.a diues. 447.a. proditor. 483.b
Epiſcopus. 484.b
Narda. 941.a
Narnia. 318.b.576.b.628.b
Narſes Eunuchus. 577.b.582.a
exuritur. 597.b
II. 586.a
III. 596.b
Rex Perſiæ. 504.a
Narua Ruſſica & Liuonica. 945.a
Naſſius. 206.b
Natalem celebrat Titus ſuum. 456.
Vrbis Conſtantinus. 510.a
Chriſti fideles. 707.a V. Feſtum
Natholocus. 495.b
Nathan, Dauidis F. 191.b
Propheta. 190.b
Natiuitas Dominica incerta. 99.a 104.b
Natolia. 629.a
Naucratis. 214.b
Nauis Ariete inſignita. 181.a
Pegaſo. 181.b
ſerpente alato. 180.a
Naulochon. 192.b
Naumachia. 425.b.446.b
Naupactum. 246.a
Naupegus. 203.b
Nauſigenes. 282.a
Nauſimachus. 251.b
Nauſinicus. 278.b
C. Nautius Rutilus. 240.b.246.a 262.b.309.b.332.b
Sp. F. Rutilus. 246.a
Sp. Rutilus. 235.a.257.a.259.a.260.a.266.a.
Naxus conditur. 206. oppugnatur. 230.b. colitur. 247.a.349.a
Nazalcod. 568.a
Nazaretha. 426.a.1012.a
Nazarius. 510.a
Nazianzenus. V. Gregorius.
Naæchmus. 306.b
Neander. 952.b
Neapolis. 345.b. cedit Arragonijs. 882.b. Gallis. 904.b. ſed ii ejiciuntur. 908.a
Nebra. 845.b
NebucadNezar non eſt Nabopollaſſar. 124.a. victorioſus. 217.a.218.b.
Nebuſſaradon. 220.b
Necho. 215.b. circumnavigat Orbem. 216.b. moritur. 218.b.
Nechepſus. 209.b
Nectanebus. 274.a
II. 282.b
Nectarius Epiſc. 554.a
Nehemias. 275.a.280.a.300.a
Neithardus. 906.a
Nemauſum. 627.b
Nemea, ludi. 222.b.309.b.342.a
Nemetes. 540.
Palatium Imperij. 678.b
Neoburgum in Fionia ad illam à Confœderatis hoſtibus Sueci vincuntur cum Hagæ inter duos Reges ſeptentrionales de pace ſancienda conſultaretur. 1037.b
Neo Cæſarea. 519.a
Neomagus. 284.a.648.a.716.b
Neomagenſis Civitas ad repetiendas pacis Conſultationes deſignatur. 1044.b
Neon. 504.b
Neoptolemus. 306.a
Poeta. 209.b
Neotericus. 534.b
Neper vel Nieper 213.a
Nepete. 276.a
Nephel Cherres. 191.b
Nepherites. 264.a.274.a
Nepos. 560.a
Nepotianus. 520.b
Neptunus. 177.b.179.a
Nequinum urbs. 318.b
Neratius. 465.b.469.b.474.a.475.a.522.a.
Neriglioſſorus. 223.a
Nero. 410.a.440.a. ducit uxorem. 447.a. necat matrem. 449.b.
Neroniana. 449.b
Neronias. 451.a
Nerua. 461.b.464.a.934.a
Neruij. 400.b
Neſenus in Albi perit. 918.b
Neſtor. 185.a
Neſtorius. 546. ejus lingua à vermibus exeſa. 548.b
Neſtotianiſmus Edeſſæ. 563.a
Neuburgenſis. 963.b
Neiſſeuſel. 987.b
Fl. Neuita. 524.b
Neumagium deletur. 726.b
Neuſtriæ regnum. 603.b.658.b
Nicander. 200.a.323.a
Nicanor Marcomiri F. 262.a
Dux. 307.a.367.b
Nicatur Cyren. 320.b
Nicea. 369.b.469.b.842.b
Nicephorus Archon. 310.a
Botoniates. 735.b
Bryennius. 735.b
Gregoras. 838.a
Imper. 636.a
II. 646.a
Patriarcha. 548.a
Phocas. 696.a
Niceratus. 300.a
Niceta Hiſt. 793.a
Patriarcha. 635.b
Nicetius Monachus. 573.b
Nicias dux. 260.a
Archon. 349.b
Niciorus. 764.a
Nicocles. 280.a.312.b.316.b
Nicodemus Archon. 236.b
Sanctus. 543.a
Stadion. 385.a
Nicolaus Amsdorff. 916.b
Berottus. 894.b
Cuſanus. 885.a
Damaſcenus. 425.a
Dux. 345.a
Gallus. 930.b
Iurizius. 918.b
Leonicus. 918.b
Liranus. 837.a
Papa. 664.a
II. 730.b
III. 821.a
IV. 825.a
V. 841.a
VI. 884.a
Patriarcha. 677.a
Bazeuil. 926.b
Nicomachus Archon. 292.b. 295.a
Pater Ariſtot. 275.b
Stadion. 383.b
Nicomedes parricida. 371.b. pellitur. 389.b
Tutor Philonis. 245.b
Nicomedia. 209.a.331.a.469.b
Nicon. 278.a
Nicophenus. 285.b
Nicophorus. 310.a
Nicopolis. 470.b
Nicoſtratus Archon. 299.b
Dux. 255.a
Nicoteles. 272.a
Nidroſia. 936.b
Nienburg. 995.a

Niger

Niger Imper. 484.a
Dux Bipont. 888.a
Nigrinianus. 520.a
Nileus. 188.b
Nilus. 176.a. 279.b. 580.b
Nimrodieum agmen. 173.a
Ninias rex. 173.b
Niniue. 197.b.217.b
Q.Ninnius Haſta. 469.a
Ninus rex. 173.a.movetin zoroaſtrem. b
Niobe à Ioue compreſſa. 176.b
Niſæ. 263.a
Niſizi. 270.b
Niſibis. 395.b.467.a
Niuernia. 998.b
Nix ingens. 742.a.751.b.755.b. 843.b. 851.a
Salutaris. 762.a
No urbs. 208.b
Noa naſcitur. 171.a.ejus area.b. moritur. 173.b
Nobe. 189.a
Nobilitas Francorum. 638.b
Veneta. 1029.b
Nodarium. 762.b
Nodgerus. 662.a
Nola. 200.b.311.b
Nomades. 214.a
Nomenoius. 661.b
Fl.Nonius. 550.b
L. Aſprenas Torquatus.463.a 470.b
M. Mucianus. 485.b
P. Aſprenas. 441.a
Q. 423.a
Priſcus. 476.a
Sext. Quintil. 428.a
Nonnus. 572.b
Noradinus. 762.b
Norba. 296.b
C.Norbanus Flaccus. 391.b.410.a.430.a
L. 431.b
Norbertus. 755.a
Nordmanni.463.a.550.a.638.b
Noricum. 385.b
Norinberga. 756.b.910.b
Nordlinga. 1009.1010.a. 1025.a
Nordlingenſes. 639.b
Northumbrorum regnum. 580.a
Northuſini. 967.b
Norvegia. 719.a
Noſeredinus. 767.b
Nothatus. 338.b
Noua Ciuitas. 790.a.992.b
Francia. 993.b
Nouatianus. 496.b
Novatianorum templum illæſum in incendio. 548.a
Nouellæ. 551.b
Nouefium. 523.a
Nouigradum. 951.b
Nouiodunum. 403.a
Nouogardia. 897.b
Novus Orbis. 904.a
Nuceria. 346.b.646.a
Numa Pompil. 208.b.360.a
Numantia. 375.b.377.b
Numburgum. 648.a
Numerianus. 503.b
Numerius Grammat. 485.a
Numidæ. 313.b. cedunt Vandalis. 548.a
T.Numidius Quadratus. 446.b. 478.b
Priſcus, Structus. 242.b
Numiſma.V.Moneta.
Numitor. 201.a
M. Nummius Annius Alb.487.a
Albinus. 495.b
Clejonius Alb. 499.a
Peronius Alb. 499.a
Tuſcus. 506.a
Numus aureus. 351.a
Nunciorum ſtationes. 552.
Nundinæ Francofurt. 805.a
Nuptiæ ſecundæ. 479.b
tertiæ. 488.b
quartæ. 685.a
Claudij. 445.b
Chariberti 587.b
Pariſienſes. 941.a
Ptolomæi. 403.a
Tarquinii 225.b
Intermittendæ aliquando. 718.a
triſtes ob eædem.720.a. mortem poſt eas. 795.a.902.b. 925.b.957.b.ante eas 826.b.in ipſo apparatu.889.a
inter maſculos. 451.a.454.a
Inceſtuoſæ.319.b.378.a.381.b.599.b
ſplendidæ. 298.a
Nycimum. 186.b
Nyctæus. 180.a
Nypſius dux. 288.b
Nyſa. 302.a
Nyſſenus.V.Gregorius.

O.

OAſis. 548.b
Obed. 205.b
Edomi. 190.b
Obedus. 181.b
Obeliſcus. 522.a
Oblatio ex azymo inſtituta.466.b
Obſervationes Planetarum, utpote.
Lunæ. 320.a.324.b.464.a 471.b.Mercurii. 472.a.330.a 351.a. 332.b. 336.a. 338.b 474.a.b.647.b.
Veneris. 472.a.328.a.473.a b.474.b.
Solis. 378.b.379.a.474.a 785.a
Martis. 471.a.328.a.472.a. 474.a
Iouis. 471.b.336.b.473.a 474.a.647.a
Saturni. 470.b.471.b.472.b 473.b
Obſidio diuturna. 212.b.210.a. 213.a.217.a.extrema. 860.a
Occa rex. 573.a
Occam. 839.a.848.b
Ochus. 285.b
Man.Octacilius Craſſus. 335.b
Octai. 801.a
Octauianus. 695.a
Mamilius. 229.b
Octauius.V.Auguſtus.
Sagitta. 449.a
Cn. 378.b
Nepos. 366.a.390.a.393.b
L. 393.b
Seru.Lænas Pontianus. 471.a
Oculi eruti. 714.a.715.a
Q.Oculnius Gallus. 329.a
Oda. 717.a
Odacrus 639.b
Odemar. 467.b
Odenatus. 498.b
Odetheus. 533.a
Odilo. 710.a
Odilvaldus. 565.a
Odoazer Herulus. 560.a
Rex Italiæ. 563.a
Bohemiæ. 814.b
Odoacrum. 638.a
Odo Monachus. 689.a
rex Burgund. 721.a
Oebotas. 304.b
Oecolampadius. 920.a
Oecumenicus. 594.a
Oedipodæ ſepeliuntur. 184.b
Oelulphus. 641.a
Oeneus. 178.a
Oengus. 634.a
Oeniades. 247.a.344.b
Oenoë. 253.a
Oeſlerus. 998.b
Offa. 620.b
rex. 633.a
Ogdilo. 629.a
Ognatius. 1029.a
Q.Ogulnius. 321.a
Gallus. 332.b
Ogyges. 175.a
Ohemius dux. 1015.b
Ohrdorff. 624.b.939.b
Ohrius. 1016.a
Oibeta. 245.a
Olaus rex. 719.a
II. 738.b
Pleades. 343.b
Oldenburg. 684.b
Oldenſilum. 959.b
Oldibaldus. 572.b
Oldeſleben. 760.a
Oleum ſcaturit. 410.a
Olinda. 1004.a

Oli-

Olivano. Cœnobium non procul Dantiſco, in Eo, de pace Suecos inter & Polonos agi cœptum eſt. 1037.b. quæ & anno ſubſeq. confirmata eſt. ib. inter Suecos, Polonos, Imperatorem & Brandenburgicum pax Olivenſis evaleſcit. 1038.a
Olivares. 1001.a
Olmutium. 832.b.1019.a
Olſnitium. 892.b
Olybrius Imper. 559.a
II. 564.a
Fl. 557.a
Q. Cl. 531.a
Olympia Aldobrandina. 1025.b
Urbs. 284.a
Olympias Philippi conjux. 298.a
Olympici ludi. 102.a. 114.a. 182.a reſtaurati. 201. b. profanati. 235.a. poſtremi. 535.a.
Olympiodorus Archon. 320.b
Hiſtor. 540.a
Olympius. 607.a
Olyntheus. 215.a
Olynthus. 251.b.276.a.292.a
Olyſibon. 558.a
Omar. 604.a
II. 623.a
Omen. 449.a.452.a.454.b.546.b 554.a. 596.a. 787.b. 629.b 1007.b. 1019.b
Omeram. in Hiſpaniæ Belgio Rex Galliæ brevi tempore occupat. 1045.a
Ometitæ. 578.a
ὁμούσιον. 519.b
Omphale. 213.b
Oneſicrates. 360.b
Oneſimus. 464.b
Onias. 343.a.350.b.363.a
Filius. 367.a
Templum ſtruit. 367.a.458.a
Onomacritus. 221.b
Onomarchus. 289.b
Onomaſtus. 210.b
Onophrius Panuinus 726.a
Oppel Ducatus Sileſiæ hactenus Polonis oppigneratus ſoluto pretio à Cæſare redimitur. 1039.b
M. Opelius Diadum. 489.a
Ophella rex. 313.b
Ophir Inſula. 191.a
Ophiuſſa prius Rhodus. 176.a
Ophratæus rex. 194.a
Fl. Opilio Conſul. 572.a
Aetii F. 554.a.572.a
Opilo dux. 629.a
Opima ſpolia. 205.a.255.a.343.b
Opimia, vel Oppia. 237.a
L. Opimius. 380.b
Q. 369.b
Oppia defoditur. 237.a
Oppianus. 488.b.489.a
Oppius. 355.b
Ops. 212.b
Opſocon rex. 191.b
Opſopæus. 988.b
Optatianus. 515.a
Optatus Conſul. 516.a
Epiſc. 511.b
Optimus Trajanus.
Opus bonum. 689.b
Oraculum Delphi. 269.b
Hammonis. 216.a
obmuteſcit. 464.b
dubium. 282.b.297.b
Orætes. 227.a
Oratores X. 298.b.
Orbitellum. 1023.b
Orbiculus aureus. 554.b
Orbis novus. 904.a
Orchades Inſulæ. 328.b.460.b 731.a
Orchanes. 840.b
Orchomenos. 177.b.259.a
Orcus rapit Proſerpinam. 183.b
Urbs. 354.a
Ordelaphus. 753.b
Ordinationis formula. 919.a
Ordonius. 661.b
II. 683.a
III. 693.a
Ordovices. 459.b
Oreſtes Agamemnonis F. 185.b
oſſa tranſlata. 224.b
Lesbi incola. 188.a
Rex Theſſaliæ. 245.b
Gothorum. 560.a
Macedonum. 267.b
Conſul. 573.b
Comes. 560.a
Oreſund. 995.a
Oreus. 350.b
Organum Muſicum. 608.b.655.a
Origenes. 486. moritur. 497.a
Origeniſtæ. 534.b.538.b.578.b
Orion. 180.a
Oriſſo rex. 341.a
Orlemunde. 834.b
Ormiſdas. 501.a. V. Hormiſdas.
Orneæ. 259.b.290.a
Ornigeſ. 351.a
Orodes. 401.b
Orofernes. 368.b
Oronthes. 275.a
Oropus urbs. 261.b
Oroſius. 541.a
Orpheus Argonauta. 184.a
Poëta. 490.b
Orphitus. 522.a
Orſippus Stadion. 208.a
Ortelius. 953.b
Orthon. 371.b
Orthopolis rex. 177.a
Orus rex. 177.b. ſuffocatur. 178.b
Oſaces. 403.a
Oſiander. 931.a.959.a
Oſius. 508.b.514.a
Oſmannus. 990.a
Oſnabruck. 629.b.968.a Pax Germaniæ confirmatur. 1035.a
Epiſcop. 639.b
Oſorchus. 199.b
Oſredus. 620.a
II. 642.a
Oſrichius. 603.b
Oſricus. 623.a
Oſroëni. 488.b
Oſſalinsky. 1030.b
Oſſanus. 1007.a
Oſtenda. 955.a
Oſtentum. 224.a
Oſterlandia. 817.b
gau. 755.b
wich. 639.b
Oſthaff. 987.a
Oſtia urbs. 655.b
Oſtorius. 446.a
Oſtphali. 640.b
Oſtraciſmus. 236.b
Oſtuali Gothi. 482.a
Oſvvaldus Epiſc. 707.a
Rex. 604.a
II. 633.b
Oſvvinus. 606.a
Oſwilff. 633.b
T. Otacitius Craſſus. 331.b
Otanes. 229.b
Otgerus. 650.b
Epiſc. 697.b
Otham. 569.a
Othilia. 616.a
Otman dux Sarac. 603.b
Otmar. 635.b
Otmen Sarac. 606.a.829.a
Otrugarel. 825.b
Otto Magnus, Imper. 689.a. ordinat Epiſcopatus. 701.a. moritur. 701.b
II. rex. 696. Imper. 701.b
III. 704.b
IV. 793.b
Henricus Palatinus. 928.a
Bavariæ dux, fit Palatinus. 792.b.801.b.804.b
Wittelsbachius. 778.b
Geldriæ Comes. 751.a
Miſniæ Marchio. 767.b
Thuringiæ Landgr. 717.b
Prorex Galliæ. 675.a
Dux Saxoniæ. 673.b.681.a
Moraviæ. 756.a
Lotharingiæ. 712.b
Burgundiæ. 702.b
Sueviæ. 702.b
Vandalorum. 720.b
Brunſuic. rex Neapolit. 853.b
Epiſcop. Friſing. 768.b.815.b
Monaſter. 796.b
Pacius. 920.b
Salvius. 436.b
Ottogarus. 790.b
Ottomanus. 812.b
Ottugarel. 825.b
Ovatio. 241.a
Overtum. 672.b
Ovidius. 407.b.431.a

Ovitius Gallicanus. 512.a
Pacatianus. 502.a.515.b
Paternus. 492.b
Q. Rusticus Corn. 413.a
Oxenstierna.1006.b.1011. moritur.1035.a.
Oxonia. 674.b.1024.a
Oxyatres. 302.a
Oxybii. 369.b
Oxydamis. 206.b
Oxynthes. 173.b.186.a
Oyssonvillanus. 1021.a

P.

Pacatianus. 515.b
Paccius. 920.b
Paccuvia. 1010.a
Pachynum. 287.b
Pacis princeps. 458.b
templum. V.Templum.
Pacorus. 409.a. 458.a
Pacuvius. 369.b
Paderborn. 922
Padisa. 945.a
Padus. 342.b
Pædanius. 450.a
Pæstum. 327.b
C.Pætilius Libo. 304.a
Pagani unde dicti. 520.b
Pagasa. 278.b
Pagondas. 210.b
Palearis novus ordo equestris in Gallia instituitur. 1034.a
Palæologus. 814.b
Palæopolitani. 303.b
Palæus. 176.a
Palæstina afflicta.291.a. ficca.370 b.occupatur à Saracenis.604.b
Palamedes. 185.a
Palantium.vel Palatium. 183.b
Palas cedit Bavaris. 797.a
Palatinatus.797.a. Inter Electorem Palatinum & Bavarum de Vicariatu vacante jam Imperio,controversiæ gravis oritur. 1037.a. componitur arbitris Gallo & Sueco.1040.a. succedit Ludovico Comiti Palatino in Simmern, qui sine hærede decesserat.1043.a.ditiones ejus Gallus invadit.ibid.
Palladium. 223.a.337.a.
Palladius. 546.b
Pallas libertus. 446.a
Pallene. 281.b
Pallium P.R. 689.a. Lauretanæ. 963.b
Pallas. 197.a
Palma dux. 465.b
Palmatius. 491.a
Palmerius. 884.b
Palotta. 937.b
Pammenes. 427.a
Pampelona. 612.a.638.b
Pamphilius. 1021.b
Pamphilia. 799.b
Pamphilus. 509.b
Pan. 181.a
Panactus. 258.a
Panætius. 216.a
Panæus. 248.a
Panariæ. 534.a
Panathenea. 222.b.239.b
Pancratiastes. 213.a
Pandataria. 426.a
Pandion. 179.b.180.a
II. 182.b
Indus. 418.b
Pandolphus. 675.a.700.a
Panegyrici. 509.b.512.b.515.a 517.a.556
Panicus terror.278.a.727.a.878.a
Panium. 418.a
Pannoniæ receptæ. 546.a
Pannonii. 412.b
Panodorus. 536.b
Panormus. 332.a
Pantacles. 210.a
Pantænus. 481.b
Pantaleon rex. 213.b
Pantarces. 251.b
Pantheon. 416.a.486.b.598.a
Pantomimi. 418.a
Panyas. 182.a
Panyasis. 235.a
Papa. V.Pontifex.
arx. 654.b
Paphis. 312.b
Paphlagonia. 270.a
Paphnutius. 514.a.519.b
Papia. 646.a
Papias. 468.b
Papinianus. 488.a
Sex. Papinius Gallus. 439.b
C. Papinius Carb. 381.a
Crassus. 277.a.302.b
Maso. 339.b
Cn. Carbo. 382.a.391
L. Ælianus. 478.a.482.b
Crassus.252.a. 254.a. 277.b 283.a.298.a.299.b.
Cursor.275.b.276.b.304.a. 305.b.307.b. 308.a.310.a 311.b.320.b. 328.a
Mugillan9.250.a.255.b.258.a
Num. Ælianus. 482.a
M. Crassus. 250.b.305.b
Mugillanus. 259.a.260.a
L. F. Mugill. 262.b
Sex. Ælianus. 490.b
Sp. Crassus. 277.b
Cursor. 278.b
M.Papius Mutilus. 428.b
Pappenheym, ultimus generis. 997.a.1025 b
Paracelsus. 927.a
Paradisus dux. 954.b
Paræus. 990.a
Parasita. 1010.a
Parallaxes. 8.a
Paran. 289.b
Parentes amati. 240.b
Parii. 273.b
Parion. 209.b
Paris. 184.b
Parisiensis Academia. 643.a
Laniena. 941.a
Urbs. 522.b
Parlamentum decrevit, ut tres Principes Regii sanguinis, duo Condæi fratres & Dux Longevillanus è custodia liberarentur. 1033.a
Parma. 809.b.810.a
Parmenides Cama. 226.b
Philos. 243.b.246.a
Posi. 242.b
Mityl. 314.a
Parmenio. 297.b.311.a
Parmeniscus. 387.a.389.b
Parnassus. 178.a
Parnovia. 937.a
Parphense Cœn. 763.a
Parrhasii. 176.a
Parrhasius. 269.a
Parricidia Filiæ. 206.b. 423.a 591.a
Filiorum.371.b. 372.b. 379. a. 378.a.385.b.687.b
Fratris. 196.b. 382.a. 488 558.a. 603.a
Generi. 321.a
Heri. 450.a
Hospitum. 186.a
Matris. 185.b.320.a.375.b 380.a.384.b. 386.a.388.a 449.b
Matris & fratris 343.b 385.a
Matris,uxoris,& Præceptoris. 440.b
Maritorum. 184.a. 225.b 362.b.848.b
Novercæ. 355.b
Patris. 371.b. 397.b. 593.a 603.a.912.b
Per pisces. 420.b
Pueri. 216.a
Regis. 194.a.243.b. 1028.a
Sororis. 382.a
Tyranni laudatur. 218.b
Uxoris.225.b. 372.b.446.a 452.a
Parricidii ultores,Mures. 654.a 699.b
Grues. 223.a
Homines. 194.a.243.b 293.a. 382.b. 386.a 431.b
Filius. 389.a
Deus. 703.b
Conscientia.385.b.489.a 572.b. 592.a.596.a 609.a
Ipsus homicida. 385.a 833.b
Mens mota.416.a. 471.a
Oblatio sui. 833.b

Par-

Parthenii. 213.a
Parthenopolis. 396.b
Parthi. 334.b. ad Sullam. 391.b vincunt Craſſum. 402.a. iruunt 408. vincuntur. 474.a
Partu uno XXXV. pueri V. Liberi, Soboles.
Paryſades. 291.b
Paſcha. 102.a. 178.a. 215.a. 435.a.b 436.a. V. Feſtum. controvertitur. 484.b. 585.b. 593.b. 536.b 554.b. 579.b. 588.b
miraculum. 543.b
Computus antiquiſſimus. 521.b
Cyclus. 531.b. 571.a
Paſchalis Archidiaconus. 615.b
Papa. 651.b
II. 746.b
III. 771.a
Paſchaſius. 550.b
Paſiphaë. 183.b
Paſquillus. 868.b
Paſſavia. 931.b. perit incendio. 1038.b
Pax. 931.b
Paſſarini principes. 833.b
L. Paſſianus Criſpus. 423.b
Paſtorum expeditio. 811.b
Patavium. 317.b
Pater durus. 760.b
Paterius. 517.a
Pater noſter Schnuer. 743.a
Fl. Paternus. 550.a
Ouni. 492.b. 499.a
Patræ urbs. 180.b. 323.b
Patras. 191.a
Patriam quidam ita dilexerunt, ut vitam pro eâ profuderint. 286. b. 500.b
Patriarchæ Conſtantinopolitani. 891.a. 934.a. 937.a
Patricius Brito. 547.b
Conſul. 556.a. 566.a
Patroclus. 185.a. 311.b
An. Paulinus. 502.b. 513.b
D. 565.b
Epiſcop. Antioch. 513.b
Conſtantin. 551.a
Ethnicus fit Chriſtianus. 535.b
Fl. Conſtantinus. 751.a
L. Paulus Æmilius. 357.b
Fl. 565.a. 568.b
Paulus Apoſtolus. 438.b. 439.a.b 440.a. ſcribit ad Theſſalonic. 446.a. primam ad Timotheum. 446.b. ad Corinthios, ad Titum. 447.b ad Romanos. 448.a. ad Galatas, Epheſios, Philipp. Coloſſ. Philemonem. 450.a coronatur martyrio. 451.b
Ordo de S. Paulo. 997.b
Albertus Epiſc. 1055.a
Burgenſis. 865.b
Conſul. 568.b
Diaconus. 637.b
Eremita. 496.a
Epiſcopus Antiochen. 571.a
Conſtantinopol. 548.a
II. 606.a
III. 614.b
IV. 639.a
Samoſatenus. 499.a
Fagius. 950.b
Jovius. 932.a
JCtus. 490.b
Papa. 633.a
II. 891.b
III. 923.b
IV. 933.a
V. 961.b
Spata. 862.a
Suetonius. 450.a
Pauperibus magnam bonorum ſuorum partem erogavit Callus M- 650.a
Pauſanias. 238.b. 239.b. 479.b
Hiſtoricus. 474.a
Rex Lacedæm. 263.b
Macedon. 270.a
Pupillus. 254.b
Nobilis Macedo. 298.b
Pax publica. 2050.a
Conſtantienſis. 780.a
Oſnabrugæ confirmatur. 1033.a
Paſſavica. 931.b
Pragenſis. 1011.b
Religionis. 931.b. 946.a
Univerſaliſſima. 250.a
Weſtphalica. 1026.b
Pazinazæ. 719.a. 727. 728
Patzius Procancellarius Regius in Polonia adverſus eum fit conſpiratio à Confœderatis. 1038.b
Pecah. 206.a
Pecaja. 204.a
Peculatus. 913.a
Pecunia ex corio. 810.a
Refertur Romæ. 765.b
Pedani. 235.b
Pediæus. 248.a
Q. Pedius. 457.b
Peducæus Syloga Pr. 474.b
Pedum. 299.a
Pegaſus. 181.b
Peinlich Halsgericht. 922.a
Pelagus Patr. Conſtantin. 564.a
Vir bellicoſus. 633.a
Hæreticus. 539.b. 547.a
Papa. 584.a
II. 588.b
Rex Hiſpaniæ. 627.b
Pelagiana Hæreſis damnata Conciliis. 543. 544 iterum docetur in Dalmatia 607. 608
Pelasgus. 177.a. 183.a. 185.b.
Peleg. 173.a
Peleus Argonauta. 184.a
Peliani. 305.a
Pella urbs. 276.a. 318.a
Pellene. 337.b
Pelopidas. 278.a. 282.a.b
Peloponneſus à Pelope dicta. 173. a. 181.b. olim Telchinia, Apia, Ægialea. 173.b. eam invadunt Heraclidæ. 186.a. & occupant. 186.b. longum exercet bellum. 188. vincunt Athenæ. 245.a tandem Turcæ. 906.b
Pelops 181.b
Peluſium. 363.b
Penda. 602.b
Penick. 925.a
Pentapolis. 548.b
Pentecoſte V. Feſtum.
Penthilus. 186.b
Peratus rex. 176.b
Percius. 960.b
Perdiccas rex Maced. 206.b. 210.b 245.a. 231.b. 281.b
II. 283.b. 302.a
Tutor Philippi Aridæi. 304.b
Peregrinatio Hadriani. 467.a
Religionis ergò. 732.a. immutata. 892.b. hoſpitio utatur benevolo. 264.a 744.b
Solonis. 223.a
Peregrinus Philoſ. 459.b. 478.b
Conſul. 495.a
Lirenenſis. 548.a
Perennis. 481.b
Pergamum. 324.b. 622.b
Periander. 215.a. 220.b
Pericles. 250.a
Perigenes Alexand. 328.a
Perinthus. 218.a. 295.a
Periodus Calippica. V. Calipp. & Cyclus.
Perjurium. 468.b
Perkinſus. 956.b
Perozes. 556.a
M. Perpenna. 377.b. 378.a 388.a
Perpetua. 486.b
Perpinianum. 1019.a
Perſæ exurunt templa. 239.a. Vincunt Parthos. 491. invadunt Aſiam. 496.b. imperium. 599. 600
Perſecutio. V. Chriſtiani.
Perſecutores divinitus puniti: Galerius. 510.a. Hunnericus. 562.b Abderamen. 662.a. Henricus II. 934.b. Vandali. 563.b. 718.a
Perſepolis. 301.a
Perſeus Mycenæus. 182.a
Rex Macedo. 359.b. qualis. 362.a. moritur. 365.b
Perſius. 450.b
Pertharith. 609.b

Perthuni. 954.b
Pertinax naſcitur.470.a. fit dux. 478.b.Conſul.481.a.Imp.483.b
Peruſia. 409.a.578.b
Peruſini. 313.b
Peſcennius Niger. 484.a
Peſtis ſub Davide.190.a. Romæ. 247.a.252.a.253.a.285.a.293.b. 301.a.231.a.326.b.350.a.360.b 362.a.459.a.497.a.499.a. 516. a.593.a. in Judæa.415.a. Conſtantinopoli.578.b. 583.b. 630 a. Athenis.253.b.255.a. Lucæ. 374.a. Erfordiæ.891.b. Pragæ. 860.a. Londini.995.a. in Germania.614.a.713.a. 1012.b. in Gallia.590.b. in Lombardia. 1004.a. Viennæ. Straubingæ. Francofurti ad Mœnum. Auguſtæ Vindelicorum.1011.a. in toto Orbe. 479.a. 849.a. in Hollandia. 1035.b. in Boruſſia. 1034.a.1038.a. Neapoli.1036.a in Anglia Londini. 1039.b
  Elephantina. 599.b
  Inguinaria. 574.b.592.b
  ab Irâ Dei. 255.a
  ut averſa. 255.b. 253.b. 268.b 285.321.a.360.b.374.a
Peſtum. 327.b.927.a
Peta. 807.a
Petaliſmus. 246.b
Petellia. 347.a
Petersberg. 755.a
Petershagia. 995.a
Peterspfennig. 625.b. 837.b 923.b
Q. Petilius Spurinus. 358.b.361.b
  Cerealis. 458.a
Petra pertuſa. 459.a
  urbs. 548.b
Petrarcha. 831.b.857.b
Petreius. 405.b
Petronax. 624.a.665.b
Petronius Ægypti præſes. 416.b
  Mamertinus. 481.b
  Poëta. 452.a
  Probianus. 513.a
  Sabinus Turpilianus. 450.a
  Septimianus. 483.a
  Syriæ præfectus. 441.b
  Voluſianus. 498.b
Petrus Apoſtolus.440. b. uſq; ad 451.b. perhibetur fuiſſe & Romanus, & Antiochenus Epiſcopus.683.a. ejus vincula inventa. 549.a
  de Aliaco. 871.a
  de Anchorano. 870.a
  Apianus. 932.a
  Alvarus. 906.b
  Arſedus dux Venet. 708
  Berthorius. 853.b
  de Bucca Porci. 713.b
  Bulgarus. 687.b
  Brutius. 928.b
  Caſſiodorus. 811.a
  Comeſtor. 774.b
  Conſul. 569.b
  Damianus. 733.b
    Dresdenſis. 870.a
    Epiſcopus. 508.b.510.b
      Papienſis. 705.a
    Eremita. 743.a
    Fullo hæreticus. 557.a
    Hiſpanus. 853.b.
    Igneus. 731.b
    Imperator. 797.b
    Jocoſus. 872.a
    Landus. 926.a
    Lombardus. 797.a
    Luſinianus. 854.b
    Martyr. 829.b
    Notarius. 573.a
    Paulus Vergerius. 930
    Peterſon. 1000.b
    Rex Arragoniæ. 816.a
      II. 820.b
      III. 852.b
      IV. 844.b
    Caſtellæ. 854.b
    Conſtantin. 797.b
    Hungariæ. 723.a
    Portugalliæ. 855.b
  de Spina. 990.a
  de Vinea. 810.b
  Uxamenſis. 898.a
  Waldenſis. 769.b
Petubaſtes. 198.a
Petulius. 289.a
Petzæ. 567.a
Petzius. 954.b
Peucerus. 942.a.956.b
Peuceſtes. 309.a
Peuci. 500.a
Pezelius. 954.b
Pfaffen Mutz. 986.a.990.a
Pfederßheim. 887.a
Pflug. 926.b
Pforzheim. 992.b
Phabes. 417.a
Phœbidas dux. 276.b
Phædimus. 353.b
Phædon. 240.a.242.a
Phædrus. 223.b
Phænippus. 220.b
Phænomenon in Sole. 237.b 407.a
Phærei. 270.a
Phæſtus. 184.a
Phaëton. 177.b
Phalanthus. 213.a
Phalaris. 222.a.264.a
Phalecus. 290.b
Phaluis. 215.a
Phanas. 218.b
Phanoſtratus. 276.a
Phanyas. V. Panyas.
Pharaonis X. plagæ. 178.a
  Necho. 215.b
  Joſephi patronus. 176.a
Pharis. 198.b
Pharaſmenes. 446.a
Pharisæi. 389.a.424.a
Pharnabazus. 262.b
  rex. 411.b
Pharnaces. 397.b
Pharſalum.270.a. pugnam videt. 404.b
Phaſelis. 210.a
Phaſelus. 406.a
Phaſis. 583.a
Phayllus. 247.a.290.b
Phelles. 193.b
Phemonoë prophetiſſa. 180.b
Pheræ. 291.b.357.a
Pherecles. 316.a
Phereclus. 198.a
Pherias. 243.b
Pheroras. 424.a
Phidias. 248.a.250.b
Phidon. 200.b
Phila. 266.b.318.b.
Philadelphia. 839.a
Philadelphus. 899.a.329.b
Philammon. 183.b
Philelphus. 899.a
Philenus. 330.b.331.b
Philetas. 216.a
Philetenus. 234.b
Philicus. 323.a
Philinus. 330.b
Philippenſe bellum. 408.b
Philippi. 216.b. urbs. 287.a 408.b
Philippiburgum. 1009.a. 1021.a Ex decreto Imperii obſidetur ac per deditionem in Cæſaris poteſtatem venit. 1044.b
Philippici numi. 287.a
Philippicus.591.b. Imper.621.a
Philippopolis. 396.b.346.a
Philippus Ægypti Præf. 482.b 486.a
  Amyntæ F. 254.a. 281.b 285.b
  Apoſtolus. 447.a
  Archon. 232.b.323.a
  Aridæus Alexandri M. frater. 304.b
  Aſiæ rex Antiochi F. 390.b
  Brabantinus ultimus. 877.b
  Burgundus. 854.a
  Callimachus. 903.b
  Chriſtophorus à Seteren. 991.b
  Conſul.495.b.519.b.540.b
  Dionyſius. 399.a
  Galliæ rex. 746.b
    II. 757.a
    III. 778.b
    IV. 818.b
    V. 824.a
    VI. Valeſius. 836.b. 840.a
  Haſſiæ Landgr. 920.b
  Herodis F. 425.b
    Frater. 438.b

Hiſpa-

Hiſpaniæ rex. 987.b
II. 950.
III. 953.b
IV. moritur 1039.b
Imperator. 495.a
Ludovicus Hanovius. 968.a
Macedoniæ rex. 213.a.340.b
II. Alexandri M. parens. 285.b.304.a
III. Caſſandri F. 319.b
IV. Demetrii F. 343.a
Melanthon. 905.a
Naſſavius. 829.a
Palatinus Elector. 886.a.897.a.910.a
Dux. 921.a
Pomeranus. 978.a
Sylvanus. 1013.b
Theophraſtus. 927.a
Philiſcus. 248.a
Philiſtini. 186.b.187.b
Philiſtio. 428.a
Philiſtus. 285.a.288.a
Philo Iudæus. 473.a.121.b
Philobrotus. 211.a
Philocles Archon. 245.b.271.b.305.b
Dux. 296.b
Philoctetes. 262.a
Philombrotus. 211.a
Philomela. 179.b
Philomelus dux. 289.a.b
Stadion. 323.b.515.a
Philonianus. 520.a
Philonomus. 240.b
Philopæmen dux. 333.b.342.b
Philoponus. 586.b
Philoſophi non non ſint Romæ. 367.b
filiam ducit Imperator. 544.b
Philoſophus. 390.a
Philotas Parmenionis F. 301.b
Stadionica. V. Philetas.
Philoxenus Conſul. 572.a
Poëta. 294.b
Philtatius. 540.a
Philtrum. 841.b.913.a
Phiretæ Comes. 853.a
Phlegon. 468.a.475.a
Phlegyas. 179.b
Phliaſii. 275.b.227.a
Phocas. 595.b. occiditur. 598.b
II. 717.b
Phocæenſes. 218.b
Phocenſes. 236.a.245.b
Phocides. 284.a
Phocion. 291.a.295.a.307.b
Phocylides. 225.b
Phæbidas. 276.b
Phæbus. 182.a
Phædrus. 223.b
Phænice Epiri. 340.a
Phæniciæ urbes. 290.b
navigationes. 216.b
Phænix rex. 179.b
Phorbantes. 194.a
Phorbas rex Argiv. 177.a. ejus nepos occupat Rhodum. 177.a.
Archon. 194.a
Phormio Archon. 269.a
Dux. 252.b
Stadion. 271.b
Phoroneus rex 175.a.176.a
Photinus Epiſc. 480.b.518.b
Arrianus. 522.b. damnatur. 529.b
Photius. 390.a.664.b
Phraates rex Part. 378.a.395.a
Phraortes. 212.b
Phraſicles. 245.a
Phreclus. 198.a
Phraſilides. 281.a
Phreclus. 198.a
Phrenis. 239.b
Phrixus. 181.a
Phronime 215.b
Phrygia. 269.b
Phrynichus Archon. 297.a
Poëta. 251.b
Phrynon. 214.a
Phul Aſſyr. rex. 203.a
Pialis. 937.b
Piaſtus. 659.b
Piccolomineus. 1010.a
Picentes. 318.b
Picenum. 339.b
Picti. 509.a.614.b
Pictores egregii. 248.a.269.a
monſtroſi. 567.b
Pictura damnoſa. 813.a
ominoſa. 768.b
Picus Mirandulanus. 890.a
Rex. 182.b
Pidneliſſa. 345.a
Pierius. 972.b
Pilacrinius dux. 717.b
Pilsna. 976.b
Pinguedo ad maciem. 695.a
Pilatus. 433.b.442.b
C. Pinarus Rufus Mamerc. 235.a
L. Mam. 241.b.253.a
P. Rufus Mam. 235.a
Pincerna Imperii. 826.a
Pindarus. 227.a.240.a
Pinebas. 181.b
Pionius. 496.b
Pipinus. 597.a. dux Brabantiæ creatur. 601.a. fit major. Domus regum Franciæ. 602.a
II. Craſſus & Hareſtallus. 609.a. 615.b. moritur. 622.a
III. 632.a
Rex Aquitaniæ. 658.b
Italiæ. 639.b
Piranthus. 176.b
Piraticum bellum. 396.a
Piritheus. 183.b
Pirna. 813.a
Piſæi. 209.a.220.b.284.a
Piſander. 260.a.269.b
Piſani. 356.a. potentes. 814.815.
Piſaurum. 359.b.413.a.578.b
Piſcator. 995.b
Piſces in forma hominis. 596.a
Piſidia. 307.a.345.a.
Piſidius Romulus. 518.b
Piſiſtratus. 222.a
Archon. 211.b
Piſiſtratidæ. 224.a
L. Piſo Frugi. 371.b.401.a.431.b.455.a
Piſtorius deficit ad Pontificem. 916.a
Pithici Ludi. V. Ludi.
Pitho dux. 306.b
Pitholaus. 291.b
B. Pixiſcus. 967.a
Pittacus philoſoph. 222.a
Poëta. 222.b
dux. 217.b
Pius Papa. 475.a.476.b
II. 889.a
III. 478.b.908.b
IV. 935.a
V. 937.b
Pizodorus. 295.a
Placentia. 344.b.579.a
Placidia Honorii ſoror Athaulphi conjux. 541.b. dein Conſtantii. 543.b. ſecedit cum filio. 544.b
II. Valentiniani F. 549.a
Placidius Valentin. 545.a.&c.
Fl. Placidus. 561.b
Plancina. 432.a
Plancus. 408.a
Planctæ conjunctiſſ. 782.a. V. Obſervationes.
Platææ. 239.a. 253.a. exciſæ. 254.b
Platanus in Italiam. 280.b
Platina. 891.b
Plato Abbas. 644.a
Philoſoph. 242.b.254.b.282.a.287.a. moritur. 292.a
Platterus. 975.a
Plavenſis Baro. 892.b
Plauſtrum matronis. 271.a
Plautianus. 485.b
Plautilla. 486.a
Plautius Proculus. 289.a
Lateranus. 452.a
Quintillus. 477.a.480.b
Sylvanus. 459.a
C. Decianus. 302.b
Lælianus. 439.b
Proculus. 289.a
Venno. 297.a.302.b
Venox. 294.a.303.a
L. Venno. 308.b
M. Hypſæus. 378.b
Sylvanus. 425.a.476.b
Q. Lælianus. 439.b
Plauen Voigtlandiæ. 793.a

Plebs tumultuatur. 231.b.232.a. 241.a.279.b.284.a.
 ſecedit. 233.b
 fert Pontificatum M. 334.a
Plectrudis. 618.a
Pleiades docti. 323.a
Plejadus. 481.b
Pleminium. 351.b
Plemnæus. 177.a
Pleſcovia. 807.b.911.a
Pleurs. 976.b
Plinius ſecundus 459.a. corrigitur. 217.a.221.a.457.b
 Iunior. 464.b
Plintha tyrannus. 543.b
Pliſtarchus. 238.a.317.a
Pliſtenes. 183.a
Pliſtia. 310.a
Pliſtolas. 257.b
Pliſtoanactes. 238.b.245.b.248.b.254.b
Pliſtoboci Galli. 477.b
Plotinus. 495.a.509.b
Plotius 388.b
Plumbinum. 1023.b
Pluralitas beneficiorum unde. 689.a
Plutarchus. 469.a
Pluuiæ crebræ. 834.b.83.b
 Carnium. 245.a
 exoratæ. 480.a
 lapidum. 295.b
 ſanguinis. 716.b
Plynteria. 263.a
Podagra. 620.b
Podiebracius. 883.b
Pœni. 332.b
Podolia infeſtatur à Coſaccis 1034.a.
Pœnitentiæ Ordo. 811.b
Pœones. 286.a
Poëtæ laudati. 240.a. tredecim. ann. 466.a
 honorati. 556.a
C. Pætilius Dictator. 311.b
 Libo Voluſ. 288.a.294.b
M. Libo. 310.b
Poggius. 872.a
Pogiepracius. V. Podiebracius.
Pola. 514.a
Polanus. 965.b
Polemius. 517.b
Polemo Archon. 311.a
 philos. 309.b.328.b
 rex Boſphori. 420.b
 Stadion. 432.b
Polichius. 907.b
Polianos. 513.b
Pollites. 455.b
Pollitorium. 214.a
Pollentia. 359.b
Polles. 279.b
Pollio Saloninus eſt Aſinius Gallus. 435.b
Pollux. 184.b
Polonia à Papa mulctata. 724.a. diuiſa in ſe. 825.b. Papæ vectigalis. 837.b. Pacem init cum Sueco. 1002.b. affligitur. 1027.a. Curtæ Comæ. 724.a. cum Coſaccis et Tartaris pacem init. 1033.b. bellum cum ſuecis. 1036.b. 1037.a. in Boruſſia ſuecis occupatas urbes eripiuntur. 1037.b. pax inter Polonos & ſuecos confirmatur. ib. adverſus Turcas ſe parant. 1042.a. cum Turcis pacem pudibundam ineunt. ib. b. cum Electore Sax. & duce Lothar. liberat viennam à Turcarum obſidione 1049.a.
Polotia. 944.a
Polus Stadion. 209.a
Poluſca. 234.a
Polybius Hiſtor. 273.b.359.b. moritur. 380.a. princeps. 364.a
Polybus. 182.a.183.a
Polycarpus. 102.a.476.b.478.b
Polycelus. 282.b
Polycares. 203.b
Polycles Syren. 292.a
Polyclitus. 309.b
Polycrates. 226.b
 Epiſc. 484.b
Polycratia. 350.a
Polydamas. 263.a
Polydectes. 197.b
Polydorus princeps Theſſal. 281.b
 Spartanus. 206.a
Polyeuctus. 695.a
Polymeſtor. 219.a
Polymnaſtus. 215.a.246.a
Polynices. 214.b
Polyphides. 184.b
Polyphron. 281.b
Dolyphus. 185.b
Polyſperchon. 306.b
Polyxenidas. 357.b
Pomerania regno Polonico ſubjicitur. 742.a. & ad religionem ſuſcipiendam adigitur. 753.b. eam vaſtant Brandeburgenſes. 828.b. & ſibi acquirunt. 833.a. poſt occupatur à Cruciferis. 834.b. 847.b. ejus Ducatus titulum ſibi ſummunt Brandeburgenſes. 893.a.896.b.921.a. titulum cum opimiore parte Sueci. 1028.b. Elector Brandenburgicus totam in poteſtatem redigit. 1045.b
Pometini. 226.b
Pomezanienſis Epiſc. 804.a
Pompeij urbs. 396.a
 Conlega. 462.b
Pompejus Luperc. 472.a
Cn. Magnus naſcitur. 384.a. Galliam recipit 393.a. Conſul. 394.b. contra mithridatem. 396.a. profanat Hieroſolymam. 397.b. obnititur Cæſari. 401.a.402.b. victus occiditur. 405.a
 Iunior. 405.b
 Conlega. 462.b
A. Fauſtinus. 499.a
C. Longinus. 445.a
Cn. Strabo. 389.a. pater Magni. b
Fl. 566.b
Q. Rufus. 389.b
Sex. 407.a.411.b
 Nepos. 430.b
Pompejus Pauli. 448.b
 Syluanus. 443.b
 Fauſtinus. 507.a
Pomponia. 448.b
Pomponius Baſſus. 487.b.498.a. 509.b.
 Ianuarius. 505.a
 ICtus. 247.b.490.b
 Labeo. 439.a
 Lætus. 895.a
 Mela. 436.b
 Victorinus. 503.a
L. Pomponius Flaccus Græcinus. 431.a
M. 268.b
Man. Matho. 339.
P. Secundus. 434.b
Pomtinæ Paludus. 368.a
 agri. 275.a
Pomtinius. 398.b
pondera. 200.b
Pontaſella. 971.a
Pontes. 777.b.643.a.466.a. 649.b. à puero ædificatus. 777.b.
Francofurti nuptus. 832.b
Pontia. 311.b
Pontianus. 492.a
Pontifices unde dicti. 215.a. Romani oblationibus matronarum ditantur, epulas curantes profuſas &c. 527.b. non ſine Laici. 636.b. humeris ſubeuntium portandi. 631.b. à nemine judicandi. 645.b. olim poſt Biblia tantum tria receperunt ſymbola. 565.a. judicantur tamen. 548.b
Pontificum hiſtoria incerta. 451.b.543.a. 556.b. 575.b. 587.b. 607.a.b.602.a.605.a. 611.a. 612.b.614.a. 622.a. 677.a. 681.a.b. neque ſucceſſio perpetua fuit. 818.b. 827.a. 836.a. ſedes eorum figitur in Galliâ. 832.a. iterum Romam transfertur 858.b. plurima ſchiſmata. V. Schiſm.

Pontificum primi legitimo Magiſtratui reſiſtere auſi Symmachus. 566.a. 605.a. Gregorius VII. 625.a. eorum non nemo fautor literarum. 884.a. alius Simoniacus. 726.a. puer. 721.b. uxoratus. 817.a. 908.a. nullius religionis. 605.a. impius ſacrarum literarum ignarus. 679.a. perinjurius in Imperatorem & ſuis non contentus. 763.a. Imperii vacantis jura contra jus arripit. 733.b. ab Imperatore flagitat, ut ſibi equum aſcendenti ſtapedem teneat. 767.a. ſeipſum creat Imperatorem. 830.a.b. 863.a. Moyſi & Angelis antefertur. 758.a. venenum calici miſcet in alteri. 729.a. In adulterio deprehenditur. in amorem Diaboli bibit vina. 697.a. cum eodem pactum facit, ut ad ſummos honores promoveretur. 710.a. optat eſſe Lucius & Ciconia. 824.a. emungit regna argento. 803.a. 805.a. 808.b. ejus Iubilæus. à meretricibus quotannis argentum accipit. 869.b. Anti Chriſtus. 707.a. 749.b. non ſtat promiſſis. 750.b. 751.a. 777.b. nomen, quod in baptiſmo Chriſto datum, abnegat. 695.a. 705.a. 714.b. intruſus. 576.a. 577.a. 679.b. 682.b. 687.b ſceleratiſſimus. 677.a. 679.a. 681.b. 697.a.
Pontificis R. omnium prima provincia Cottiæ Alpes. 619.b. multas deinde regiones S. Petro acquiſiuêre Pipinus. 632.b. & Deſiderius. 633.a. propter quas paulò poſt bellum motum. 637.a.b. ſed confirmantur ex donationes ab Ottone Magno. 696 b. Vicariatum Hetruriæ Bononiam, & Exarchatum Ravennæ quo titulo acceperit. 821.b. Pro Abbatiſ Fuldenſi accipit Ducatum Beneventanum. 728.a. donatus ipſi Comitatus Fuldenſis. 798.b.
Pontificis non eſt de rebus Politicis anxie inquirere. 669.b. ejus tyrannidi & Doctrinæ ſæpiſſime contradictum. 767.a. 806.a.b. 813.a.b. 824.b. 830.a. 839.b. 848.a. 856.b. 870.b. 898.a. 905.b. 915.b. ejus bulla publicè combuſta. 830.b. etiam per carnificem. 950.b. Eccleſia Orientalis à Pontifice R. ſe ſeparat. 616.b. 697.a.
Pontificii. Rex Angliæ omnes Londino excedere in agros jubet qui ipſorum inſtinctu conſpiratio adverſus ſe facta fuerat. 1045.b
Pontius Atticus. 536.b
Dux. 321.a
Monachus. 756.a
C. Nigrinus. 440.a
L. Teleſinus. 392.a. 452.b
Pontus. 797.b
Popilus. 554.a
Popilius. 408.a
C. Carus Pedo. 467.b
Lænas. 368.a
M. 288.b. 290.a. 292.b. 293.b. 309.a. 362.b. 375.a.
P. 377.a
Fl. Nepotianus. 507.b. 516.a
Popilla. 237.a
Poppo. 673.a. 700.a
Henneberg. 737.a
Poppæa. 449.a
C. Poppæus Sabinus. 428.b. 433.b
Porcius Feſtus. 449.a
C. Porcius Cato. 982.a
L. 389.a
Licinus. 359.a
Latro. 423.b. 436.b
M. Cato. 355.b
Porphyrius. 499.a
Epiſc. 538.a
Porſenna. 229.b
Porta Cœnob. 756.a
Portius Feſtus. 449.a
Portolongona. 1023.b
Portugallia fit regnum. 761.a. 778.a. Pontifici vectigalis. 762.b. cedit Caſtellano. 944.b. Bregantio. 1018.a. tripartito exercitu invadunt. Hiſpani. 1036.b
Porus rex Chald. 206.b
Indor. 302.b
Malienſis. 288.a
Cyren. 286.b
Poſnanna. 713.a
Poſonium. 958.a
Poſſiaunæ Colloquium. 935.a
Poſtumianus. 551.b
Poſtumius Titianus. 499.b. 507.b
Varus. 500.b
A. Albus. 232.b
Regillus. 243.b
Albinus. 269.b. 336.b. 360.a. 370.a. 386.b
Regillus. 269.b. 278.a
Tubert. 230.a. 253.b
L. Albinus. 274.b. 307.a. 339.a. 340.a. 347.a. 362.b. 369.b
Regillus. 278.a
Lænas. 368.a
Megellus. 315.b. 320.a. 321.a. 332.a
M. Albin. Regill. 256.a
P. Albus. 261.a.
Albin. 261.a. 271.b
Tubertus. 230.a
Spur. Alcus Regill. 243.b. 253.b
Albin. 358.b. 362.a. 371.b. 383.a
Regill. 301.a
Poſtumus Cominius. 231.a. 233.b
Lampridius. 573.b
Syagrius. 502.a. 531.b
Potamon. 524.a
Pothinus. 405.a
Potidæa. 251.b
Praalpa. 411.b
Præceptores honorati. 423.a. 503.b. 532.a
occiſi. 452.a. 487.a.b. 674.b
Præcoptitæ. 911.b
Prædeſtinatio ad exitium. 661.a. 663.a. male ex Auguſtino. 564.a
Prædicatores. 793.b
Præliminaria pacis. 1015.a
Præmonſtratenſes. 755.a
Præneſte. 231.a. 278.b. everſum. 879.b
Præſens. 481.a
Præſidius. 564.b
Prætextatus Conſul. 527.a
Epiſc. 589.b
Prætores. 284.b. quatuor. 359.b
ſex. 354.b
Praga. 863.a. 1005.b. præcipites Senatores. 873.a. 975.a.
Pragmatica Sanctio. 880.b
Prandium ſine pane. 891.a
Praxibulus. 309.b
Praxiergus. 241.b
Praximadas. 225.a
Praxiteles. 249.b
Prexaſpes. 227.a
Priamus. 185.a
Marcomiri F. 262.a
rex Francorum. 280.b
Permislaus rex Bohemiæ. 742.a. 789.b
Poloniæ. 828.a
Primislauia. 876.a
Princeps Senatus. 349.b
Priona. 216.b
Priſcianus. 477.a. 572.b
Priſcilla. 446.a. 472.b
Priſcillianus. 531.a. decollatur. 533.a
Priſcinus. 474.b
Priſcus artifex. 484.a
dux. 591.b
Phocæ gener. 598.b
Privernas bellum. 289.b. 296.b. 302.b
Priulus. 978.a
Probatus. 500.b
Probianus. 559.a
Probinus. 518.a
Probus Conſul. 491.b. 566.a
Imper. 502.a

Iu-

Iunior. 572.a
Martyr. 505.b
Procas. 199.b
Proceſſio Papæ. 806.b
Spiritus.S. 745.a.880.b. V. S.S.
Procles. 187.b.255.b
Proclus. 463.b
Epiſc. 548.a
Philoſ. 570.b
Procne.180.1.V.Progne.
Procopius. 526.a.865.a
dux. 548.a.573.a
Raſus. 878.a
Proculus Imper. 503.a
Pontianus. 493.b
Virginius. 236.a
Prodigalitas Caligulæ.440.a. Vitelii. 455.b
Prodigia. 227.a.245.a.295.b. 397.b.455.a
Proditores puniti. 390.a.594.b
Prætoriani inſoleſcunt. 598.b
Prætus. 184.a
Promotus. 534.
Profeſſores annuâ mercede. 488.b.507.a.572.b.pauperes. 512.a.lis Pariſiis de numero eorum. 813.a.damnatus quis clamarit poſt mortem. 740.a
Progne. 179.b
Prophetiſſa prima. 180.b
Propylæa. 251.a
Proſerpina. 183.b
Proſper. 535.a.548.a
Protadius. 599.a
Protagoras. 236.a.241.b
Protaſius. 479.a.532.b
Proterius. 554.a
Proteſtantes. 921.a. Illis libertas & bona Eccleſiaſtica conceduntur. 1033.a.in Hungaria templa auferuntur & paſtores in exilium mittuntur. 1042.a. ib.b.1044.a.
Proteus. 184.b
Protogenes. 519.a
Conſul. 552.a
Provinciæ Comes habet duos reges generos. 804.b
Proxenus. 362.b
Prudentius. 534.b
Prumienſe Cœnob. 643.a
Pruſa. 644.b
Pruſia. 214.b
Pruſias. 347.a.359.b
Pruſſia.V.Boruſſia.
Pruteni victi. 813.b
Prymnis. 192.a
Prytanis. 201.a.283.b
Pſalmi. 533.b
Pſammenitus. 226.b
Pſammites. 273.b
Pſammetichus. 211.a.212.b. 215.b
Pſammus rex Egypti. 218.b
Tarrina. 200.a.319.b
Pſaon. 318.a
Pſellus. 656.b
Pſephiſma. 314.b
Pſeudo Balduinus. 800.b
Chymicus. 962.a
Druſus. 436.b
Fridericus. 824.a
Iohannes. 900.b
Meſſias ſmyrnæ exurgens, in carcerem Turcicâ conjicitur, quorum ſuperſtitionem aſſumit. 1039.b
Philippus. 364.a
Propheta. 969.a
VVoldemarus. 850.a
Pſinachos rex. 192.a
Pſuſennes. 190.a
Ptolemais. 747.b.344.b
Ptolomæus Alorites. 283.b
Egypti rex. 312.b
Amyntæ F. 282.a
Apion. 387.b
Aſtronomus. 112.b
Ceraunus. 324.a
Cyrenarum rex. 387.a
Dionyſius Auletes. 392.b
Epiphanes. 351.b
Euergetes. 335.b.372.b
Lagi. 304.b
Lathurus. 386.b
Philadelphus.323.a.324.b. moritur. 335.b
Philometor. 360.b
Philopator.342.b. 351.b
Phyſcon. 378.a
Pyrrhi F. 327.b
Dux. 312.b
Publicani. 348.b.449.a
M. Publicius Malleoſus. 339.b
Publilia. 370.b
Publilius poëta. 515.a
Celſus. 466.b
L. Philo. 268.a
Celſus. 467.b
Q. Philo. 298.a.299.b.305.b. 307.b.310.a.
Volero. 268.b
Pudens. 466.a
Pudicitia Virginſa. 894.a
Dea. 319.b
Puer tollit ſaxum ingens. 777.b. auris appenſus 853.b. ſeptennis doctus. 1025. duodecim annorum victor ſtadii. 282.b
Pueri Hamelenſes. 823.b.expeditionem. ſuſcipiunt. 795.a
Pufendorfius ex Academia Heidelbergenſi evocatur ad erigendem novam Academ.Lundini ſcanorum nuper à danis accepti.1041.a. ob Conſultationē pacis inter Gallum & Batavos ad Imperatorem mittitur. 1043.a
Pugia. 911.a
Pulvis tormentarius. 846.b
Pulceria. 542.b.552.b
Pupienus Maximus. 491.a
M.Pupius Piſo. 398.b
Purbachius. 875.a
Purificatio Mariæ.V.Feſtum.
Purim dies inſtituti. 241.a
Puritiades. 193.b
Purpura. 501.b
Puſæus. 558.a
Puteoli. 347.b
Puzenus. 763.a
Pydna. 287.a.309.a
Pygmalion. 196.b
Pylades. 285.b
Cylix Pantomimus. 417.b
Pylus abſque inſtrumentis fabrilibus munitur. 255.b. oppugnatur. 263.a.
Pyramides. 198.a.425.a
Pyrenæi. 344.b
Pyreum. 239.b
Pyrgion. 273.a
Pyritiades. 193.b
Pyrrhias. 353.b
Pyrrhus Priami F. 186.a
Epiri rex. 320.a.moritur. 328.a
Epiſc.Conſtantin. 605.b
Papa. 605.a
Præfectus ludorum Olymp. 280.b
Hippaſi nepos. 187.b
Pythagoras Lacon. 208.b
Magnes. 318.a.319.b
Philoſophus. 187.b.221.b
Samius. 220.b
Pytharatus. 328.b
Pytheas. 277.b
Pythia inſtituta. 220.b.acta. 221.a
Oraculi ſacerdos. 188.b.209.a
Pythius. 237.a
Pytho dux. 304.b
Pythocles. 338.b
Pythodemus. 298.a
Pythodorus. 252.b.253.a.265.b. 294.a.298.a.
Pythoſtratus Athen. 282.a

Q.

Quadi. 480.a.522.b
Quadrageſima. 531.a
Quadratura Circuli. 727.a.728.b
Quadratus Conſul.V.Statius. Epiſcop. 470.a
Quadrigas primus in Græciâ junxit Erictonius. 178.b
Quæſtores. 236.a
Quedlinburg. 684.a
Quernfurth. 904.b
Quietus. 467.b.501.a
Quinctianus.V.Ragonius.
Quinctilius poëta. 416.b

C. Marcellus. 491.a
M. Varus. 266.b
P. 429.a
Sex. Gordianus. 476.a. 481.a
Maximus. 478.a
Varus. 247.a.439.a.476.a
T. 420.b
Quintius Niger. 468.a
Magn. 473.b
C. Cincinnatus. 245.a.279.b 282.b
Claudius. 318.b
Criſpinus. 443.b
Cn. Varus. 302.a
Capitolin. 284.b
L. Cincinnatus. 246.a.251.b 253.b.256.b.258.b. 260. 279.b
Capitolinus. 276.b
Flamininus. 356.a
Q. Cincinnatus. 266.a
T. Capitolinus. 242.a 276.a
Barbatus,242.a. 243.a.b 249.a. 250.a. 251.a. 258.b
Cincinnatus.266.a. 275.a 277.a. Dictator. 278.b 283.a.292.a
Criſpinus. 422.a.350.a
Pennus Capitol. 255.a.291.a
Dictator.287.a
Cincinnatus. 255.a.256.a
Flamininus. 371.a.380.a
Flaminius. 354.a
Cincinnatus. 255.b. 256.a 258.260.b.275.a
Quinquatrua. 449.b
Quinquegentiani. 505.a
Quinquepagici. 922.a
Quinquertium. 209.a.215.a
Quintilianus. 458.b
Quintilianus dux. 534.a
Quintilius poeta. 416.b
Quintillus. 590.b
Quintinum urbs. 933.b
Quirinalia. 287.a.327.a
Quirinus.424.a.432.b.439 Templum. 420.a
Quirites. 405.a
Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. 490.b

R.

RAba. 642.b
Rabanus. 659.a
Rabba. 191.a
Rabenhauptius nocturno ſtratagemate uſus, Cœverdam ab Epiſcopo Monaſt. interceptam, eidem eripit, Bataviſque primam victoriæ ſpem oſtendit. Cum ante Grœningam fortiter adverſus dictum Epiſcopum defendiſſet. 1042.b
Rabbi Akiba. 472.b
Aſſer. 567.b
Hillel. 525.a
Joſeph. 525.a
Moſe. 800.b
Samuel. 489.b
Ex Oriente Magnus venit Viennam quem Judæi extra urbem obviam facti, magno adplauſu excipiunt & in urbem comitantur. 1036.a
Raccoſiani. 960.b
Rachel. 176.a.175.b
Rachiſius. 629.b
Rodagaiſus. 539.b
Radbodus. 613.a
II. 630.b
Radicis extractio. 10.b
Radoaldus. 604.a
Radzieſovvsky Regni Poloniæ Cancellarius in Succiam profugit. 1034.a
Ragnibertus. 619.a
Ragnifredus. 623.a.650.a
Ragoczyus. 1004.a.1021.a.962.a Tranſylvaniæ Princeps à Suecis invitatus, à Cornetio & Lubemirskio profligatur inſuper odium Imperatoris Turcici & populi ſui incurrit. 1036. b opem Pontificis adverſus Turcarum invaſiones implorat ſed fruſtra.1037.a. contra Turcas occumbit. 1038.a
Ragonius Vincentius Celſus. 538.a
L. Vrinarius Quint. 492.b
Quintil. 492.b.505.a
Raguſium. 668.b
Raimundus Berengarius. 760.b
Lullius. 830.b
Tholoſanus. 744.a
Raina. 1008.a
Rama. 193.b
Rambervilla. 1012.a
Rammeſes rex Ægypti. 179.b
II. 182.b
Ramnius. 363.a
Ramoth. 196.a
Ramſæus. 1014.b
Ranimirus rex Arragoniæ. 654.b
II. 722.a
III.759.a. Gallæciæ. 661.b
Hiſpaniæ. 685.b
II. 688.a
III. 699.a
IV. 760.b
Ranſtadius. 714.a
Ranulphus. 667.b.760.a
Ranzoutus. 938.b.1026.b
Raphia 387.b
Raptus. 890.a
Raſis. 702.b
Raſticus. 669.a
Ratenavia à Suecis infeſſa ab Electore Brandenburgico occupatur capto Chiliarcha Wangelio. 1044.a
Ratherius. 448.b.459.b.
Rathos. 179.a
Ratulphus. 606.b
Ratibor Ducatus Sileſiæ hactenus Polonis oppigneratus ſoluto pretio à Cæſare redimitur. 1039.b
Ratisbona. 436.b.642.b.1009.b in Comitiis publicis deliberatur de mittendis copiis adverſus Turcam.1038.b. Duces futuri exercitus contra Gallos educendi juramento aſtringuntur. 1043.b. Legatus Gallicus diſcedere jubetur.ibid. in Comitiis ibidem maturo conſilio decretum fit, ut ad ſecuritatem Imperii exercitus 60000.militum conſcribatur. 1047.b. de induciis cum Legato Gallico agitur. 1049.a
Ratſivilius. 1015.a
Ravana urbs. 1012.b.1013.b
Ravenna.429.b.ornatur. 443.a
Rauraca. 522.b
Rauſimodus. 512.a
Rautenfeld. 1028.b
Raze. 688.a
Razevil. 926.b.1015.a
Reatina. 765.b
Rebecca. 174
Rebellio Helvetiorum adverſus Magiſtratum. 1034.b
Rebellionis pœna. 611.a
Reccaredus. 591.a
Receſuindus. 607.a
Rechabitæ. 217.a
Rechildis. 671.b
Rechilanes. 549.b
Rectiarius. 551.b
Reformati. 991.b
Relerus. 948.b.953.b
Reformatio Eccleſiæ diu deſiderata. 642.a. 651.b. 653.a. 711.a 712.b.765.a.866.a.872.b.880.a 914.b
Regifugium. 229.a
Regillianus. 499.a
Regillus lacus. 232.b
Regina cœli. 537.b
Reginaldus. 652.a
Regino Abbas. 682.a
Regiomontanus.880.b. præſtant homagium. 1039.a
Regius mons. 813.b
Theologus. 927.a
Regnum Aboriginum. 181.b
Angliæ. 658.a
Archivorum. 174.b
Arragoniæ. 678.b
Aſſyriorum. 175.a
Babylonis. 172.b
Bohemiæ. 606.b.740.a
Burgundiæ. 676.b
Cantuarienſe. 556.a
Chal-

Chaldæorum. 265.a
Corintiorum. 187.b
Francorum. 544.a
Friſorum. 548.b
Galliæ. 569.b
Hieroſolym. 746.a. ad reges Siciliæ & Apuliæ translatum. 799.b
Longobardorum. 534.b
Lydiorum. 201.a
Macedonum. 200.a
Medorum. 197.b
Merciorum. 602.b
Moravorum transfertur in Bohemiam. 740.a
Mycenarum. 182.a
Northumbrorum. 580.a
Polonorum. 710.b
Pompeloniæ. 678.b
Portugalliæ. 751.a
Saracenorum. 568.a.630.b
Saxonum Auſtrol. 564.b
Occiden. 565.a
Scotorum. 199.b
Sycioniorum. 173.a
Spartanorum. 187.b
Suevorũ in Hiſpaniâ. 590.b
Suprarbienſe. 624.b
Tanitarum. 188.a
Tartarorum. 791.a
Tyriorum. 216.a
Regno privantur certis ceremoniis,
Heinricus. 892.a
Philippus. 945.a
Carolus. 1028.a
Regu. 173.b. moritur. 174.a
Regulus Conſul. 477.a
Cæſar. 638.b
Rehabeam. 192.b
Reichsvvald. 1012.a
Reinaldus. 743.b
Filius capit patrem. 837.a
Dux Geldriæ. 846.a
Reineccius. 952.b
Reinberga. 953.a
Reinhardus. 715.b
Reinhartsbrun. 732.a
Reinhildis rapta. 715.b
Reinholdus. 713.a
Epiſc. 770.b
Doctor. 962.a
Reinsdorff. 749.a
Reinſteinenſes. 846.a. ejus Ducatus ab Electore Brandenburgico occupatur. 1041.b
Religio Chriſtiana cenſetur oneroſa. 718.a
ejus libertas. 511.a. eam amplectuntur,
Adad rex. 578.a
Æthiopes. 578.a
Alamundarus rex Saracen. 569.a
Anaſtaſius dux. 601.a.b
Angli. 595.a
Auſtrales Saxones. 609.a
Babyloniæ rex. 775.a
Borruſſi. 813.b
Britanni. 478.a
Brunſuicenſis. 620.a
Burgundiones. 546.a
Cantuariæ rex. 585.b
Colchorum rex. 571.a
Eanfleda. 602.b
Ethelbertus. 585.b
Finlandi. 773.a
Friſii. 623.b
Gretas Herulus. 575.a
Herulorum rex. 575.a
Hungari. 700.a
Hunni. 536.b
Indi. 514.b
Kinegildis. 604.b
Lithuani. 840.a
Livoni. 774.a
Perſæ. 540.b
Poloni. 697.b
Pomerani. 755.b
Rugiani. 773.a
Ruſſi. 665.a
Saxones Auſtrales. 609.a
Scoti. 484.b
Zathus rex. 571.b
Reliquiarum cultus primum ab Hieronymo defenſus. 540.a
Alberti. 719.b.723.a
Auguſtini. 624.b
Barnabæ. 562.b
Bartholomæi. 658.b.711.a
Bennonis. 918.a
Caroli M. 771.b
Cypriani. 646.a
Dionyſii. 609.b.685.a
Eliſæi. 557.a
Gamalielis. 543.a
Jacobi Apoſtoli miraculosè inventæ. 651.a
Imperatoriæ. 850.b
Lanceæ. 687.a
Libotii. 658.a
Lulli. 632.b
Magorum, ſive trium, ut putant Pontificii, Regum 770.b
Marci. 572.b
Martini. 636.a
Matthæi. 694.b
Nicodemi. 543.a
Northerti. 997.a
Oppignoratæ. 810
Pantaleonis. 646.a
Samuelis. 540.a
Sanguinis Chriſti. 765.a
Sebaſtiani. 655.a
Stephani. 543.a
Sudarii Chriſti. 613.a
Sylveſtri. 661.a
Tunicæ Chriſti. 592.a
Vincentii. 578.b.634.b
Virgæ Moſaicæ. 713.b
Viti. 658.b
Remigius. 559.a
Remini oppidũ Italiæ horrendo terræ motu evertitur. 1042.b
Remismundus. 558.a
Remiſtanius. 635.b
Remonſtrantes. 974.a
Remius. 201.a.202.a.204
JCtus. 995.b
Renaldus. 821.a
Renatus. 878.b
Rencalia. 768.b
Rennethus. 662.b
Rensburgum. Rex Daniæ illuc invitat Ducem Chriſtian. Albertum Gottorpienſem, & tamdiu detinet, donec Tenningam caſtellumque Helmonſe Regi concederet. 1044.a
Repudium. 787.a
Requeſenius. 941.b
Rerumpbb. ſpecies.
Ariſtocratia in Ægypto. 110.a
apud Longobardos. 588.a
Democratia ap. Argivos. 259.a
Olygarchia apud Athenienſ. 262.a
Reſon rex. 192.b
Reſponſoria. 662.a
Retenſis Card. carcere detinetur. 1034.b
Revalia. 934.a
Reuclinus. 888.a.909.b
Reutha. 557.b
Reutherus. 346.b
Reutlinga. 916.a
Rex unus ſit. 300.b. V. Regnum.
Rexibius. 215.b
Rezin rex. 205.a
Rha flu. 805.a
Rhabſaces. 181.a
Rhadamantus. 179.b
Rhadamiſtus. 447.b
Rhamſinitus. 197.b
Rhaterius. 459.b
Rhea Virgo Veſtal. 200.a
Rhegium. 240.a.632.b
Rhemi. 400.b.540.a
Rhenachen. 1011.b
Rheinbergam Elector Colonienſis à Batavis reſtitui poſtulat. 1038.a.1042.a
Rheinfeldia. 1009.a
Rhenus munitur. 527.b
Rheſcuporis. 431.b
Rheticus. 943.a
Rhetores Româ exulare juſſi. 367.b. primus eam ibidem docuit Plotius. 388.b. apud Clivienſes Eumenius, cum ſalario magno. 507.a
Rheuta. 357.b
Rhodanus. 380.a
Rhodon. 458.a
Rhodii. 261.b
Rhodus. 176.a.308.b.608.a.833.a
amiſſa. 917.b
Rhodopolis. 583.b
Rhæti. 420.a.987.b

Rhætinum. 428.b
Rhotildis. 562.b
Rhotomagum. 791.b
Richardus Imper. 814.a
Dux eborac. 890.a
Normanniæ. 706.a
II. 719.a
Rex Auſtriæ. 785.a
II. 868.b
III. 999.b
Cromvvelli filius natu major, à Patre ſucceſſor deſignatur, palàm Protector magnæ Britaniæ proclamatur. 1037.a. male audit, tandemque officio removetur. ibid.
Richelius. 1005.b.1018.b
Richimer. 459.b
II. 517.b
Richoldus. 548.b.572.b
Ricimer. 514.b.532.b.555.b. 556.a
Riddacus. 705.b
Riga urbs. 790.a. Dux Moſcoviæ eam obſidione cingit 1036.a. Dux Curlandiæ cum uxore verſus eam captus ducitur à Duglaſſio. 1037.a. ab incendiariis per hoſtes Suecorum emiſſis incendium grave patitur. 1045.b.
Rigebelus rex. 210.a
Rigiſa. 756.b
Rini Iadachus rex. 215.a
Ringelheymenſis Comes. 648.b
Ripol urbs. 588.b
Ripſoleus. 215.a
Riſus ut diſſimulatus. 483.a.b
M. Julio Philippo nunquam accidit. 495.b
Ritigerus. 631.a
Ritterſtruſius. 967.a
Ritzeburg. 705.b
Rivaſilvius alias Flœdvvood ab exercitu Imp. Angl. ſalutatur. 1037.b
Robertus Comes Pariſienſ. 685.b
Barus martyr. 926.a
Bruſſis. 832.b
Dux Flandriæ. 742.b.744.a
Gloceſtriæ. 761.a.775.a
Normanniæ. 719.b. 740.a 744.a
Epiſc. Moguntin. 702.b
Imper. Conſtantinop. 799.a
Princeps Saxoniæ. 665.b
Rex Burgund. 712.a
Galliæ. 713.a
Scotiæ. 832.b
II. 856.b
III. 862.b
Stuartus. 856.a
Robur. 263.a.784.b
Rochizan. 894.b
Rocroy. 1020.a
Rodericus Hiſtoric. 809.a
rex Hiſpan. 618.b
Rodoaldus. 605.a.608.a
Rodulphus hiſtoric. 667.a
Roëgaudus. 638.b
Roſcredus. 901.a
Rogationum dies. 558.a
Rogerius. 740.a
Antiochen. 751.a
ex Duce Rex. 757.b.765.b
Rohanius. 998.b.1015.b
Rohaneus Dux Galliæ in carcerem conjicitur à Rege, & capitis ſupplicium ſubire jubetur. 1043.b
Rolandus. 638.b
Rollo. 671.b.691.b
Roma Gallina. 541.a
urbs condita. 201.a. 202.a
capta à Gallis. 273.b. ab Alarico. 541.b. à Totila. 579.a 581.a. à Carolo V. 920.a. ampliatur. 501.a. reſtauratur. 218.a. obſidetur. 577.a capitur. 581.a. Nova ædificatur. 661.a. Leonina vocatur. 662.a. vaſtatur. 874.a reædificatur. 886.a. ſpoliatur. 920.a. quanta ſit. 501.a
Romachus. 522.b
Romani contra Papam. 762.b
Romanus Argyrus. 720.a
Exarchus. 592.a
Imperator Orientis. 687.a
II. 691
Ludovici Bavari F. 840.b
Papa. 679.b
Patriarcha. 591.b
Romilda. 594.a
T. Romilius Rocus Vaticanus. 246.b
Romoaldus. 610.a.619.b
Romulea. 519.b
P. Romulius. 246.b
Romulus conceptus & natus. 201.a. 202.a. obtrunca Amulium. 204.b. condit Romam. 202.a rapit Virgines. 204.b. bellum infert Sabinis. 205.a. Vejentibus. 207.b. moritur. 208.b
Gallicanus. 476.a
Roric. 648.a
Roſa. 971.b
Dux. 1015.b.1027.b
alius. 1023.a
Roſas urbs. 1022.b
Roſcius. 392.b
Roſenberg Nobilis. 837.a
Roſimunda. 581.b
Roſina rex. 367.b
Roſinberga arx. 984.b
Roſtochium. 773.a. tumultuatur. 937.b
Roſtra. 299.a
Roſvinda. 700.b
Rotenburg. 868.b
Rotfredus. 698.a
Roterodamum. 448.b
Rothaldus. 667.a
Rotharis. 605.a
Rothomagus. 854.b
Rothmannus. 922.b
Rotrudis. 640.a
Rotvvila. 681.a.763.b
Roxane. 302.a
Roxolani. 469.a
Rubellius Blanchus. 431.b
Plautus. 449.b
C. Geminus. 434.b
Ruben. 175.b
Rubenitæ. 189.a
Rubrius Gallus. 457.b
Rubum. 908.a
Rudii. 337.b
Rudolphus Abbas S. Trudó. 755.b
Anhaltinus. 911.a
Agricola. 898.a
Burgundiæ rex. 685.a
Conradi F. 676.b
Epiſc. 782.a
Galliæ rex. 689.a
Imperator naſcitur. 798.b eligitur. 819.b
II. rex Hung. 941.a. Rom. 942.b. Imper. 943.a
Langius. 902.b
Normannus. 716.b
Palatinus. 828.a
II. 841.b. moritur. 851
Saxo. 856.b
Suevus. 736.b
Varila. 816.b
Ruellius Conſul. 1013.a.1014.a
Rufinianus. V. Ceſonius.
Rufinus Hæret. 537
Dux. 575.a
Fl. 535.a. malus. 536.a
Cejonius Sab. 512.a
M. Sabinian. 476.b
Junius. 513.a
Rufius Magnus Fauſtin. 566.b
Poſtumianus. 561.b
Prætextatus Marinianus. 544.b
Voluſianus. 511.a
Rufus. 455.a.555.a
Bohemus infauſtus. 848.b
Rugia. 309.a.552.b. à Danis expugnatur. 1045.b. recuperatur à Königsmarckio. ibid.
Ruina Conclavis. 780.b. 906.b 964.a
Tegulæ. 798.a
Templi. 991.a
Ruminalis. 449.a
Rumoridus. 538.b
Rupella 962.a.996.a. victa 1000.a
Rupertus Palatinus. 860.b
II. 860.b
III. 865.b. eligitur Imp. 866.a
Apoſtolus Bajarorum. 592.b
Epiſc. Lincoln. 765.b
Saxo. 661.b
Tuitienſis. 753.b
P. Rupilius. 377.a
Ruruccius. 664.a
Ruſinger. 882.a

Ruſſi. 665.a. 700.b. cum Suecis pacem confirmant. 1038. b movent ſeditionem ob monetam adulterinam. ibid. Turcas magna clade afficiunt. 1045.b
Ruſticorum ſeditio. 908.a 919.a
in Auſtria. 996.997
Gallia. 852.b
Wirtemberg. agro. 913.b
Ruſticus Conſul. 557.b.571.a
Diaconus. 580.a
T. Ruſtius Nummius Gallus. 433.b
Rußwurm. 955.b.1029.a
Ruth. 181.b
Ruthenus. 852.b
Martius Rutilius Dictator. 290.a
P. Rufus. 384.b
Lupus. 388.b
Rutuli ſubacti. 228.b
Ruyterus Archithalaſſus Batavicus multas piratarum naves intercipit ac multos Chriſtianos eis eripit. 1035.b. in fretum Danicum erga Suecos, Danorum Gratia, nova claſſe adpulit. 1037.b. vexat Anglos & præda potitur. 1040.a. ancipiti fortuna cum Anglis mari pugnat, ac tandem ad Seelandiæ littus ſe recipit. 1042.b. glorioſè occumbit. 1045.a

S.

SAbas. 574.b
Sabaudia fit Ducatus. 871.b bellat. 967.b.994. Ejus Dux, inſtinctu Jeſuitarum, in Pedemontanos propter diſſenſum à religione Pontificia ſævit, nulla ſexus nulla ætatis habita ratione. 1035.a cum Mantuano de Vicariatu Rom. Imp. per Italiam controvertit & Genuenſibus movet turbas. 1040.a
Sabbacon victus. 205.a
Sabbatia conditur. 894.b
Sabbatius. 616.b
Sabbato an ſumantur arma. 313.a
Sabellicus. 498.b
Sabinianus Afric. 494.b
Conſul. 567.a
Dux. 523.a
Papa. 597.a
Sabini victi miſcentur Romanis. 205.a. pacem impetrant. 214.b ſæpius expugnati. 220.b
Sabinillus. 499.b
Sabinus Conſul. 460.a
Julianus. 504.a
Poëta. 935.a
Sacerdotes ne comam alant. 464. a. non ſint bigami. 533.a. benedicant frugibus, fabis, uvis in altari. 503.b. Eorum gradus. 506.b
Apollinis carnei. 187.a
Romanorum. 385.b
Sacramentum extremæ unctionis. 613.b
Sacramentßäußlein. 587.a
Sacrificati. 496.b
Sacrificia. V. Hoſtiæ.
Sacrilegia. 610.a
Sacrum bellum. 288.a
Sadras. 315.a
Sadyates. 214.b.215.b
Saës. 601.a
Saganum. 880.a.895.a.998.b
Saguntini. 344.a
Saiola. 968.b
Sejanus. 432.b
Sain. 602.a
Sal. 449.a. metallaris. 812.a
Sala. 172.b. moritur. 174.b
flumen. 544.b
Saladinus. 774.a. moritur. 786.b
Salah rex. 805.b
Salaheddin. 773.b
Salamis. 238.a. perit. 459.a
Salamon. 577.b
Salaſſii. 373.b.416.a
Salec. 646.b
Salcheim. 544.b
Salernum. 356.a.786.b
Salfeld. 1016.b
Salicæ leges. V. Lex.
Salii. 209.a.523.a
Salim. 630.b
de Salis. 1015.b
Salisburgi mons diſruptus corruens, multas ædes obruit, ac incolas plusquam 500. opprimit. 1041.a
Salleas. 519.b
Sallum. 201.b.216.b.323.b
Salmanaſſar. 206.b
Salmantica. 344.a
Salmon. 181.b
Salmuth. 943.a
Salomon naſcitur. 191.a. ducit Pharaonis filiam. 192.b. dedicat templum. 191.b. moritur. 192.b
Epiſcopus. 683.b
rex Hungariæ. 731.b
Salon. 381.b
Salona. 508.a
Salonæ. 429.b
Salondicus. 364.a
Salſa. 1016.a
Salſulæ. 908.a
Saltatio in Cæmiterio maniaca 857.b. quinquaginta pedum 212
Salza. 848.a
Salzburg. 635.b
Salva terra. 794.b
Salvius ſervus. 385.a
Julian9. 469.b.471.b.475.a.b
L. Otho. 446.b
M. 455.a
Julianus. 486.a
Salus Dea. 316.b
Saluſſia. 955.a
Saluſtius hiſtoric. 391.a
Sc. Promot. 525.a
Autor. 519.a
Criſpus Saluſtius. 405.b
Salyddia. 660.a
Salymyus. 1013.b
Samaria. 194.a. excinditur. 207.b 311.b. paganizat. 365.b
Samaltruces Parthorũ rex. 395.a.
Sambienſes. 819.b
Samgar. 181.b
Samii. 305.a
Samnites. 295.b.321.b
Samoſata. 410.b.602.a
Samoſatenus. 499.b
Samothracia. 324.b
Samuel Jarchinai, 496.a
Propheta. 188.a
Rabbi. 489.b
reliquiæ. 540.a
Samus inſula. 187.b.250.a
Sancta Liga. 919.b
Sanctius Hiſpaniæ rex. 697.a
II. Craſſus. 695.a
III. 698.b
IV. Tremulus. 707.b
V. 710.b
VI. 720.a
VII. 722.a
VIII. 768.b
Portugalliæ rex. 781.b
II. 800.a
Comes Arragoniæ. 742.b
Sanctum Sanctorum perluſtrare prohibetur Ptolomæus. 346.a
Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus immortalis. 551.a
Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui propter nos crucifixus eſt. 557.a
Sanctorum Canoniſatio V. Canoniſ.
Sandomirſcius. 1028.b
Sangerhauſen. 731.a
Sangiacum. 911.b
Sangibanus. 553.a
Sanguis Chriſti. 765.a
pluit. 716.b
fluit ex ſcaturigine largiſſimè. 689.a
Sanguinus 758.a
Sannaballat. 300.a
Sanguinius Max. 434.b
Saostucheus. 211.b
Saphadinus. 786.b
Saphar 772.a
Saphet. 817.b
Saphoia unde. 684.b
Sapor deſciſcit. 611.a
Sapores rex Perſarum. 494.b
II. in utero creatur rex. 510. a. moritur. 531.b
III. 535.a

Sap-

Sappho. 216.b
Saporuſcii. 1014.b
Sarablaca. 602.a
Saraceni. 544.b. occupant Perſiam. 603.a. tributum pendunt Imperatori. 609.a. 615.a. occupant Hiſpaniam. 796.a. regna tria conſtituunt. 630.b
Saragoſſa. 1023.a
Sarberas. 601.b
Sara uxor Abrah. 173.b. 174.a
Sardes captæ. 224.b. 231.a. Crematæ. 231.a
Sardanapallus. 197.a
Sardica. 648.b
Sardinia. 278.a. 332.a. 662.a. 805.b
ſie regnum. 770.b
Sarini. 381.b
Sarmatæ. 457.b. 469.a
Sarpedon. 179.b
Sarſinæ. 355.b
Sarus. 511.b
Saſſinates. 328.b. 525.b. 545.b
Satellites primi. 225.b
Satornilus. 487.b
Satraël. 485.a
Satricum Colon. 276.a. 307.b
Saturnalia. 233.a
Saturninus. 386.a. 423.a. 479.b. 499.a. 513.a. 532.a. 550.b
Saturnus. 182.a.b
Satur eſt Satium. 874.b
Salz. 873.b
Savanarola. 905.b
Savellius. 1014.b
Saul rex. 412.a
Sauriſſel. 703.b
Saxones. 309.a. 499.b. 582.a. 605.b
Auſtrales. 564.b
Eorum inſignia & Ducatus. 795.b. 760.b. 762.a. 820.a. 856.b. 875.a. 876.a
Albertus & Erneſtus abducuntur. 888.a
Saxum Tarpeum. 236.a
Scævola. 229.b
Scaldis. 626.b
Scaligeri. 833.b
Canis M. 837.a
Martinus. 841.b
Antonius. 863.b
Ioſephus. 1.a. 2.a. errat. 4.a. diligens. 1.
Julius Cæſar. 900.a
Scamander Mityl. 240.a
Alex. 411.a
Scandia. 531.a. 309.a
Scania. in illa dani ſuecis varia damna adferunt, quæ vindicat Vrangelius 1036.b
diuntur. 1043.b
Scanderbejus 879.a
Scaptius. 249.b
Scapula. 487.a
Scenici Ludi. V. Ludi.
Scerdilaidas. 346.a
Schachines. 855.a
Schach Saphian Sethe. 1012.b
Schaffenbergius. 1012.b
Schafftranckheit. 944.b
Scharbicus Comes. 750.a
Schedius. 956.b
Schekkius. 948.b
M. Schenck. 948.b
Schenckenſchantz. 1011.b
Schiplitz. 732.a
Schirm. 889.a
Schiſmata in electione Pontificis. 527.a. 543.b. 565.b. 615.b. 574.a. 725.a. 769.b
Schlangius. 1017.a
Schlikius. 977.b
Schmalkald. 791.a
Schmetius. 970.a
Schmirſcinſcius. 978.a
Schneeberg. 895.a
Scholæ inſignes. 283.a. 610.b.b. 665.b. 714.a. 870.a. publicæ inſtitutæ. 576.a
Scholaſtica. 561.a
Scholaſtici omnes à Thracibus Mycaleſſi trucidantur. 260.b
Schonæ in ſcotia Carolus regno inauguratur 1033.b.
Schönholtz dux ruſticorum rebellium Burnæ conſtituitur. 1034.b
Schönau Cœnob. 755.b
born. 1025.b
Schonbergius. 1026.b
Schorndorff. 1010.a
Schorelitz eſt Brandeburgum. 686.b
Schreckenberger. 903.b
Schurfius. 917.a
Schwartzenberger. 953.b
Schvveikardus. 997.a
Schwein rex. 722.a
Schwepperman. 838.b
Schwertgroſchen. 888.b
Scionæi. 257.a
Scioppius. 1010.b
Scipio. 345.a. V. Cornelius.
Scirus. 274.a
Scleomirus. 652.a
Sclavi. 482.b. 571.b. 581.a. 642.a. 704.a
Sclavini. 394.a
Scoderus. 936.a
Scodra. 790.b. 896.a
Scopas. 352.b
Scordiſci. 382.a
Scotia. 729.
incipit regnare. 299.b
abit in Scandiam. 532.b. redit in Britanniam. 542.a
Scotus Philoſ. 674.b
Scotuſa. 283.a. 355.a
Scribonius. 957.a
C. Curio. 393.b
Curio. 404.b
L. Druſus. 431.a
Libo. 412.a. 430.b
Sculpendi ars inventa. 201.b
A. Sculretus. 969.a. 995.b
B. 970.a
Scylla. 185.b
Scytha Conſul. 565.b
Scythæ Veſonem invadunt. 184.b. Aſiam habent infeſtam. 188.a. ejiciunt Cimmerios. 214.a. 844.b. trucidantur. 217.b. cum Perſa bellum gerunt. 913.a. cum Romanis. 496.b. 497.b. 499.b. 502.a
Seba ſeditioſus. 192.a
Sebaſte. 416.b
Sebaſtianus miles. 504.b. 549.b
Diaconus. 934.a
, Diaconus Rom. 580.b
Sebenitæ. 274.a
Seceſſio plebis. 235.b
Seckendius. 1018.b
Seculares Ludi. V. Ludi.
Seculum Lutheranum 974.b
Ieſuiticum. 1023.a
Secundinus. 568.b
Sedechias Iud. 672.a
Sedet, in quatuordecimis. proverb. 396.a
Seditio mulierum. 1012.a
Sedulius poëta. 547.b. 652.a
Segeburgum. 637.b
Segericus. 542.b
Segovicius Anglis novam Franciam in Occidentali India ſui juris facit. 1035.a
Selandia. In illam trajicit Rex Sueciæ cum copiis & Hafniam obſidet. 1037.b
Sejanus. 433.a
L. Sejus Tubero. 431.b
Seldius. 957.b
Selene. 381.b
Seleucia. 318.a. 344.b. capta. 478.a. portu ornatur 519.a
Hanriæ. 523.a
Seleucus dux. 308.a. 317.a
Ceraunus. 343.b
Conſul. 490.a
Rex Aſiæ, Antiochi F. 321.b. 335.b. 358.b
Demetrii F. 379.b
Grypli F. 387.b
Boſphori. 252.a
Stadion. 329.b
Selgenſes. 345.a
Selimus. 911.b
Selingſtad. 639.b
Selinacii. 259.b
Selinus conditur. 211.b
Selneccerus. 943.b

Semi. 171.b
Semeias. 192.b
Semachus 178.b
Semele. 178.a
Semerus. 194.a
Semi Ariani. 523.b
Semiramis. 173.b
Sempachium. 861.a
Sempronium eſt Oedenburgum Hungariæ. 995.b
A. Sempronius. 232.a. 234.b. 249.b. 256.b. 258.b. 260.a. 462.a
C. Atratinus. 252.a. 249.b. 257.b
Blæſus. 333.b. 336.a
Cethegus. 354.b
Tiditanus. 378.a
L. Atratinus. 250.a
M. Tuditan. 337.a. 359.a
P. Sophus. 316.b. 329.b
Tuditan. 349.b. 351.b
Tib. Gracchus. 347.a. 348.a
Longus. 344.b. 348.a
T. 338.a. 351.a. 366.a
Sena. 351.a
Senator. 548.b. remotus. 414.b
Senatus R. 216.a
Sendomiria exuſta. 815.a
Seneca. 442.b. dives. 449.a
Senecta. 458.b. 757.a
Senef. Galli ibidem Hollandos Hiſpanos & Fœderatos aggrediuntur. 1043.b
Sengentes. 971.b
Senis. 932.b
Sennaherib. 208.a
Senogallia. 324.a
Senonenſis Civitas. 780.b
Senones. 220.a. 227.a. 522.a.
Senſtenavius. 952.a
Sentium. 323.b
Sentius Augurin. 432.a. 471.b. 476.b
C. Saturnin. 418.a. 426.b
Cn. 442.a
Sephoris. 409.b
September Germanicus. 461.a
Septem Dormiētes. 496.b. 551.
fratres paſtores. 936.b
Septimanæ. 223.b
Septimus Acindynus. 506.a. 518.a
Baſſus. 512.a
L. Plautianus. 486.a
Severus. 479.b. 484.a
P. Geta. 486.a
Septuaginta Interpretes. V. Biblia.
Sepulcralis Cæna. V. Cæna.
Sepulcrum Caroli M. 710.a
Chriſti. 721.b
Davidis. 176.b
Rudolphi Suevi. 738.b
Vitreum. 756.b
Sepultus revixit. 564.a
Sequanæ. 660.a
Sequentiæ. 815.a
Serajas. 218.b
Seralium. 1010.b
Seraph. 826.a
Serapion. 462.a. 483.a
Stadion. 440.b
Serapis. 322.b. Romæ. 475.b
Serdares. 956.a
Serena ſtrangulatur. 541.a
Serenus Granius. 470.b
Q. 435.b
Sergius Conſul. 520.a
Epiſcop. 636.b
Papa. 615.b
II. 660.a
III. 681.b
IV. 713.b
Patriarcha. 598.a
Senator. 584.b
C. Fidenas. 275.b. 252.b. 276.b. 278.b
L. 251.b. 252.b. 254.b. 257.a. 259.b. 269.b
M. 266.a. 267.a
Sericum. 501.b. in Siciliām venit. 764.a
Serinius Comes pontem Eſſekienſem deſtruit. 1039.b. accuſatur Conſpirationis adverſus Caſ. carceri includitur, ut capitis Supplicium ſubeat. 1041.b
Seriphium Saxum. 433.a
Seron. 365.b
Serpentes ex cadaveribus. 717.b
Sertorius. 391.b
Servetus. 932.b
Serug. 173.a
Servi conjurant. 231.a. 245.b. 259.a. 332.a. 354.b. 385.a. dominos repellunt. 516.a
Mariæ V. 823.a
Servia. 675.b
Servilius Axilla. 259.a
Pudens. 478.a
Servianus. 467.a. 477.b
Silanus. 482.b
C. S. 352.a
Ahala. 251.a. 264. 267.b
Axilla. 259.
Structus Ahala. 239.b. 255.b
Geminus Tucca. 323.b
Cn. Cæpio. 333.b. 352.a. 364.a
Geminus. 345.b
L. Structus. 258.a. 259.b
M. Geminus. 352.b. 426.b
Rufus Nonican. 439.a
P. Geminus. 334.a. 335.a
Priſcus. 244.a. 279.b
P. F. Priſcus. 233.a
Vatia Iſauricus. 392.b. 404.b. 408.b.
Rullus. 397.b
Ahala. 285.a. 286.b. 288.a. 296.b
Q. Cæpio. 374.b. 384.a
Priſcus. 252.a. 259.b. 271.a. 273.b. 275.a. 278.a. 279.b. 282.b
Fidenas. 267.b. 269.a. 276.a
Structus. 243.a
Sp. Structus. 240.a. 285.
Servius Tullius. 221.b
Servus. V. Servi.
Seſac eſt Suſannes. 192.b
Seſoſtris. 191.b
P. Seſtius. 247.a
Seſtus. 239.a. 289.b
à Setern. 991.b
Sethus. 170.a
rex Aſſyr. 176.b
Dioſpolitan. 180.a
Setia. 296.b
Sevechus. 205.a
Severianus. 472.a V. Arrius.
Papa eſt Severinus. 605.a
Apoſtolus Norici. 561.b
Severinus. 554.b. 556.b
Papa. 605.a
Conſul. 556.b
Severus fit Conſul. 483.a. 558.b.
Imperator. 484.a.
moritur. 487.b
Imper. Occident. 557.a
Cæſar. 509.a
Monachus. 568.b
Presbyter. 550.b
Sulpitius. 535.b
Acil. 513.a
[illegible]ulphus. 686.a
Seuthes. 256.b. 310.a
Sexageſima. 9.a
Sexburga. 615.a
Sextilia Veſtalis. 327.b
Sextilius Lateranus. 463.a. 476.b
C. 279.a
L. Sextius Nepos. 280.a
Calvinus. 379.b
Sextin. Later. 281.b. 284.b
Antonini præceptor. 469.a
Sfortia. 881.b
Shorelitz. 686.b
Sibylla. 221.b. 932.b
libros dat. 228.a. 500.a
Sibrandus. 995.b
Sicambri. 309.b
Sicania. 183.a
Sicarii. 397.a
Siccitas annorum. 255.a. 360.a
Sicilia. 185.a
Fr. Sicinius. 233.b
T. Sabinus. 235.
Sicfingen. 918.b
Sicli valor. 191.a
Siculi. 183.a. omnes Gallos in inſula occidunt ſpatio duarum horarum. 823.a
Sicyon rex. 181.a. 310.a. 173.a
ſacerdotes ordinat. 187.a
Sida urbs. 180.a
Sides.

Sides. 180.a
Sidicini. 295.b
Sidon. 179.b.318.a.354.b. 750.b
Sidonii. 290.b
Sidonius Apollinaris. 559.b
Epiſcop. 559.b
Poëta. 556.a
Siebenſchläffer. 496.b.551.a
Si ſidius in ſerie Conſulum omiſſus eſt ad annum Chriſti. 488.
Sigæum. 217.b
Sigebertus Hiſtoric. 599.a. 750.b
rex Auſtraſiæ. 689.a
Franciæ. 585.b
Weſt Saxonum. 631.b
Sigefridus. 605.b
Sigenicus. 572.b
Sigerodius. 1027.b
Sigethum. 935.a
Sigevultues Conſul. 548.b
Dux. 545.b
Sigfridus Comes Burghuſan. 747.b
primus marchio Brandeburg. 686.b
Norinberg. 674.b
Sigimerus. 428.b
Sigiſmundus Imper. 855.b
Rex Poloniæ. 910.b. 951.a
II. 930.a
III. 1007.b
Sueciæ. 948.a.951.a
Hungariæ. 861.b.866.b. 914.a
Burgundiæ. 568.b
Epiſcop. 932.a
Transſylvan. prin. 952.a
Signia. 231.b
Sigoveſus. 220.a
Silentii regula. 689.b
perpetui obſervatio. 565.b. 940.b
Sileſia agnoſcit principem Poloniæ ſuperiorem. 771.a. invaditur à Bohemis. 761.b. dedit ſe regi Bohemiæ. 844.b
Siluis. 433.a
Meſſala. 488.b
C. Poëta. 414.a
Nepos. 429.b
P. Nerva. 418.a.434.a
Silnerius. 576.a
Silon. 409.b
Silus rex. 630.a.636.b
Simei. 192.b
Simeon Apoſtolus. 466.a
Bulgariæ princeps. 676.b
Dux. 369.a
Iacobi F. 175.b
Stylita. 556.b
Similus. 335.a
Simlerus. 915.a
Simmias. 386.a
Simon ſummus ſacerdos. 318.a. 417.a
Ethnarches dux Iudæorũ. 366.b
Ulricus Piſtoris. 972.a
Simoniaci. 548.b.726.a
Simonides Archon. 311.b
Poëta. 223.b.240.a
Simplicianus. 529.b
Simplicius Papa. 558.a
Martyr. 491.a
Simri. 194.a
Simſon. 187.b
Simylus. 335.a
Sinai. 179.a
Sinan. 688.a. 949.a
Sinenſes. 791.a.875.b
Singara. 520.a
Sinope. 321.b.394.b
Sinsheimium. inferioris Palatinatus oppidum. ſaxones & Cæſareani cum Gallis confligunt. 1043.b
Sinveſſa. 319.b
Sion. 192.a.357.b
Siphi. 189.b
Siphones. 650.a
Sipontum. 356.a
Siracomus. 773.b
Sirgianus. 841.a
Siricius Papa. 535.a
Sirmium. 522.b
Siroes. 603.a
Sisbertus. 617.a
Siſcia urbs. 412.a
Siſebutus. 599.a
Siſecum. 951.a
Siſenandus. 605.b
Siſigambis. 304.b
Silinnius Epiſc. 545.a
Papa. 620.a
Patriarcha. 708.a.710.b
Martyr. 537.b
Siſiphus. 181.a
Siſſera. 182.b
Sitalces rex. 254.a.256.b
Sitivit nunquã Lygdamus. 213.a
Sitius. 405.b
Sixtus Papa. 471.a.474.b
II. 474.b
III. 547.b
IV. 894.b
V. 947.a
Slabata. 975.a
Sladenſis. 645.a
Slatius. 990.b
Sleſuicũ habet Epiſcopatũ. 695.a
fit regnum. 758.b
Sluſa. 958.a
Smalcaldica Confeſſio. 921.b
articuli. 924.b
Smalcius. 970.b
Smaragdus Exarchus. 590.b
Stadion. 466.a
Smerdes. 188.a
Smeſancius. 975.a
Smetius. 970.a
Smiedebergæ in vico prope Wittebergam ſito incendium terræ iſtius obſervatur. 1042.a
Smicrinas Tarent. 290.b
Smidbergerus. 1009.a
Smolenſco. 913.b
Smolna. 756.a
Smyrna condita & amplificata. 192.b. reædificata. 488.b. terræ motu corruit.
So Ægyptirex. 107.a
Sabab. 191.b
Sobeslaus. 751.b 754.b
Smolens Kovia à Ruſcis capitur mox v. à Polonis eripitur Regniq; finib9 ejiciuntur. 1035.a
Sobieskio dux Poloniæ cum apud Proceres Regni gratiam & authoritatem parta victoria ad verſus Turcas ad fluvium Boryſthenem conciliaverat altero anno ad ſolium Regium evehitur in locum Michaelis 1043. a. 1044.a.
Soboles numeroſa. 423.a.717.a 818.b.1017.b
Sociale bellum. 344.a
II. 387.b
III. Marſicum. 388.b
Socianus. 452.b
Societas Georgiana. 901.b
Ieſuitarum. 924.a
Socrates philoſ. 242.a
hiſtoric. 549.a
Socratides. 280.
Sodalitas. 704.b
Sodomia. 747.a
Sogdianus. 256.b
Sogenes. 225.a
Sohemitira. 490.a
Sol obſcuratus. 763.b
Solarium. 708.a
Soldanus. 668.b
Soldner. 1028.b
Soleiman. 867.a.910.a
Solenus Orphitus. 466.b
Solinus. 317.b
Soliquetlenſis dux. 746.b
Solodurum fœderatur. 899.a
Solon Archon. 219.a
Legiſlator. 247.a
Solſtitium obſervatum. 252.a. 474.b.654.a
Soltoius. 1019.b
Solvatius. 635.b
Solymannus. 744.b
Soma flu. 546.a
Somnium præſagum. 598.b.608. 706.a
Sopater. 413.a
Sopatrus. 352.a
Sophiæ templum. 539.577.a. 583.b
Navis. 1012.a
Sophiſta primus. 356.b
Sophocles. 242.a
junior. 268.b
Sophonias. 175.b
Sophron. 252.b
Sophthis.

Sophiſta. 302.b
Sora.310.b.720.exciſa. 802.b
Sorabi. 648.a
Soracte Cœnob. 650.a
Soranum. 632.b
Sorbona. 812.b.1024.a
Sortes damnoſæ. 528.a
Soſares. 181.a
Soſarinus rex Aſſyr. 182.b
Medorum. 201.a
Soſicles Archon. 303.b
poeta. 298.a
Soſigenes. 294.b
Soſilus. 365.b
Soſippus. 275.a
Soſiſtratus. 246.b
Soſius Orfitus. 524.a
Dux. 410.b
Priſcus. 479.a
Nepos. 412.b
Senecio. 464.b
Q. Falco. 483.b
Soſthenes. 325.b
Soſtratus. 324.a
Sodates. 236.b.275.b
Soter Papa. 479.a
Sotio. 450.a
Sotrachaques. 706.a
Sozomenus. 549.a
Sozopolis. 753.b
Spalatenſis. 992.a
Spangenberg. 938.a.959.a
Sparrius. 1027.b
Sparta conditur. 176.b.178.b.ejus reges. 202.b.206.a. gloria. 277.a
Spartacus. 394.
Boſphari tyrannus. 251.a. 289.b.316.a
Spartæus. 175.b
Spartianus. 512.b
Specula. 664.b
Spendius. 337.a
Speratus. 485.a
Sperenterus. 1014.b
Speuſippus. 292.a
Sphærus rex. 177.a
Stadion. 213.b
Spigneus. 728.b
Spilbergius. 958.a
Spinola. 957.a. in Palatinatu, 986.a. ad Bergopſomam. 989.b
Spira. 930.a.1011.a
Spiridion. 514.a
Spiritus S.equites. 944.b
Proceſſio, V.Proceſſio.
Spolerinus. 544.a
Spoletum. 336.b.578.b
Spolia opima. 255.a.343.b
Sporenberg. 988.a
Sporerus. 960.a
Sputum lethale. 599.a
Stada.1022.a. Lunæburgicis deditur præſidio ſuecico inde in ſcaniam translato 1044.b.
Stadianus. 1018.b
Stadingani hæretici.795.b 804.a
Staffortus.1017.a. Comes in Anglia Conjurationis poſtulatus capite plectitur. 1041.b
Stagira. 212.a.275.b
Stalhans. 1016.b
Stancarus. 931.a
Stanislaus. 737.b
Stannum in Germ. 807.a
Staphylus. 178.a
Staplerus. 925.b
Stargardenſis Epiſc. 693.a
Starenberg Comes Erneſtus Rudolphus. Viennam ſtrenue à Turcis obſeſſam defendit. 1048.a
Statellates. 362.b
Statilia Meſſalina. 450.b
M.Statilius Corv. 445.b
L.Siſenn.Taurus. 430.b
Statina. 309.b
Statius Cæcilius Comœd. 361.a
Poëta. 461.a
Priſcus. 477.a
Rhetor. 448.b
L. Quadratus. 475.a
Stator. 205.a.320.b
Statua aurea primum locata. 360.b
ſublata. 368.b
Statura parva. 560.a
magna. 224.b
Statyra. 303.a
Stauratius. 645.b
Steinium. 988.a
Stella ab occaſu verſus ortum. 720.a
nova. 614.b. 744.b. 808.b. 941.a.1034.a
Stellatorum factio. 857.a
Stenelaides. 252.b
Stenelaus. 182.a
Steneleus. 178.b.182.a
Steno. 905.a
Stephanites. 209.b
Stephanitæ. 936.a
Stephanus Anglicus. 794.b
Anglus. 760.
Bleſenſis Comes. 744.a
Dux Andegavenſ. 760.a
Bavariæ. 863.a
Transſylv. 942.b
Epiſcop. 561.b
Martyr. V.Reliquiæ.
Hungariæ rex. 709.a
II. 819.a
Papa. 497.b
II. 631.b
III. 636.a
IV. 651.b
V. 675.a
VI. 679.a
VII. 687.a
VIII. 690.a
IX. 729.a
Patriarcha. 628.b.675.b. 687.b
Poloniæ rex. 942.b
Præfectus Vrbis. 617.a
Rector Academ.Pariſiens. 794.b
Stadion. 464.a
Stephinates. 209.a
Steinbergius. 881.a
Stertinius. 450.a
Steſichorus. 214.b.223.b.
Steſicles. 286.a
Stetinum.893.b.habet pædagogium.927.b. Elector Brandenburgicus una cum fœderatis obtinet in cujus poteſtatem tandem venit. 1045.b
Stifelius. 938.b
Stilicho. 536.a. pellit Alaricum. 538.b.locum habet. 539.a
Stiria. 823.a
Stofflerus. 922.a
Stockolmia. 917.a
Stoici ejecti. 458.a
Stolæ Cuſtodia. 443.b
Stomas Stadion. 213.b
Stotza. 570.
Strabo. 433.a
Strabus autor gloſſæ ordinariæ. 659.a
Strahlſunde. 794.b.999.a
Straßburg.692.a.790.a. V.Argentor.
Stratagema militare. 187.a.190.b.219.b.238.a.463.a.610.a.
Strato Philoſ. 328.a
Stadion. 395.b
Stratocles. 255.b
Straton. 322.a.386.b
Stratonice. 317.b.378.a
Strenæ. 431.a
Strepſiades. 233.a
Streyſt. 997.b
Strigelius. 939.b
Strigonium. 927.b
Struthas dux. 272.a
Strymon. 648.b
Studioſi duo Lutetiæ interfecti. 802.b. ibidem diſſenſione inter Anglos & Piccardos orta, hi occiduntur, & urbe ejiciuntur. 823.a. duos ſtudioſos ibi ſtrangulatos Præfectus Vrbis de patibulo ſolvere & oſculari coactus eſt.867.b.tumultuantur. 1021.a
Studita. 556.b
Studius. 554.b
Stuff. 569.a
Stuprum Caracallæ. 488.b
Valentiniani. 553.b
militis punitur. 578.b

Stur-

Sturmius. 932.b.949.b
Stylita Simeon. 556.b
Styria empta parvo ære. 786.b. Hungaris tradita. 812. b. ſed iterum amiſſa. 815.b. ex eâ ejecti Reformati. 954.b
Sua. 203.a
Subiſius. 995.a
Suaneburgi Comites. 698.a
Subiſius. 995.a
Succeſſus. 483.b
Succeſſianus. 497.b
Sudarium Chriſti. 613.a
Sudavit nunquam Lygdamas V. Lygd.
Sudetes. 903.b
Sudor Anglicus. 961.a
Sueci, vel Suevi. 401. a. ubi 461. b.936.a
Sueci. 864.a. fit regnum hæreditarium. 927. b. reformatur. 920. b. Suecica Claſſis & apparatus bellicus contra Polonos incutit terrorem Germaniæ. 1035.a. inſignem victoriam contra Polonos cum Electore Brandenburgico obtinent. 1036.a. continuant bellum verum non ſatis proſpera fortuna. ib. b. felicius contra Danos quam Polonos pugnant. 1037. a. Rex valde conſternatur accepto nuncio detrucidatis copiis ad Neoburgum in Fionia. ib. b. inter Polonos Danos & Suecos pax confirmatur. ib. Cum Ruſſis pacem confirmant. 1038.b. Rex 15. ingreſſus annum fit majorennis & regni gubernacula capeſcit. 1043. a. militem ducit in terras Brandenburgicas inſtinctu Legati Gallici. ib. b. Imperii publici hoſtes declarantur. 1044. a. Omnia Caſtella & oppida in Pomerania præter Stetinum Stralſundam & Gryphiſvvaldam ab Electore Brandenb. expugnantur. ib. b. vincuntur à Danis multæque urbes eripiuntur, quos tamen viciſſim vincunt. 1045. a. media hyeme aſperrima ab Electore Brandenburgico ex Poruſſia ejiciuntur non ſine gravi jactura. 1046. b. Carolus XI. Rex cum Ulrica Eleonora Regis Daniæ ſorore nuptias confirmat. 1047.a. Comitia ibidem finiuntur. ib. b. novus filius naſcitur cui nomen imponitur Guſtavus. 1049. b. Legem de iis qui duello decertant, carceri mancipandis aut ad metalla damnandis exſequitur. 1050. a. filius naſcitur cui nomen imponitur Ulricus. ib. b
Suendius. 937.a
Sucinus. 722.a
Sueno. 744.b
Suentoploccus. 747.a.801.a
Suenus. 703.b.713.a
Sueſſa Colon. 226.b.631.a
Sueſſina. 662.a.1018.a
Sueſſula. 296.a
Suetonius. 470.b
C. Paulinus 452.b
Suevi. V. Sueci. 499. b. ex Hiſpaniâ. 590.b
habent bellum. 936.a
Urbes. 861.b
fœdus. 907.b
Suffetes. 220.b
Suffetius. 211.b
Suhelſiſcius. 966.b
Suibertus. 606.b
Suidas. 811.b
Suidgerus. 726.a
Suidvvirtus. 622.b
M. Suillius Rufus. 446.b
P. 449.a
Suintilla. 601.a
Sulciman. 622. a. V. Soleiman.
Sulpitianus. 483.b
Sulpitius Apollinaris. 478.a
Camerinus. 473.b
Galba. 432.b
Scribonius. 454.a
Severus. 536.b
C. Galba. 432.b
Gallus. 336.a.365.b
Longus. 299.a.312.a.305.b.310.b.
Paterculus. 332.b
Peticus. 278. a. 292. a 285.b.287.a
Dictator. 289.a.290.b.291.b.
P. Galba Maximus. 349.352.b.353.a
Imperator. 455.a
Quirinus. 421.a
Saverrio. 316.a
Q. Camerinus. 231. b. 235. a. 267.b.269.a.428.b
Longus. 273.a
Paterculus. 332.a
Peticus. 252.a
Quirinus. 421.a.428.a
Seru. Camerinus. 272. a. 231. b.294.b.
Cornutus. 245.a
Galba. 437. b. 383. b. 373. a. 425. a. 473.b
Rufus. 275. a. b. 283. a. 273. a. 277. a. b. 279.b 282. a. 403. a
Sultanus. 727.b
Summus ſacerdos. 192.b
Sunamitis. 196.a
Sunderholdus. 677.a
Sundius dux. 463.a
ejus nepos. 477.a
Sundium. 837.a.908.b
Sunno. 482.a
P. Suplicius. 449.a
Suprarbienſes. 624.b
Suranus. 465.b
Surdaſte, bonus. 488.b
Suſæ. 240.b.301.a
Suſanna. 506.a.490.a
Suſatum. 549.a.971.b
Suſcius. 966.b
Suſennes eſt Seſac. 192.a.b.
Sutrium. 274.b
Schwartzbach. 823.b
Svveidnicia. 873.a
Svveinbellus. 703.b
Svvertius. 1022.b
Syagrius. 531.b
Sybariades Laced. 275.b
Sybaris urbs. 207.b
Sybaritæ. 228.a.247.a
Sycoſon 227.b
Syennenſes. 266.b
Sygæum. 217.a
Sylla. 384.b. quot homines occiderit. 393.a
Syloſonis liberalitas. 227.b
Sylva Ducis. 780. b. 1003.a
Sylvanecta. 669.a
Sylvanus dux. 521.b
Sylverius. 576.a
Sylveſter Papa. 511.b
II. 710.a
III. 725.a
Sylvia urbs. 784.a
Sylvius Æneæ F. 187.a
II. 187.b
Symbatitius. 677.b
Symbolum Athanaſii. 518.a
Nicenum. 513.b.551.b.635.b.648.b.674.b
Symmachus interpres Bibliorum. 486.a
Papa. 565.b
L. Aurel. 534.b
Q. 511.a
Stadion. 254.b.256.b
Symphorianus. 501.a
Synas. 317.a
Syncretiſmus à Theol. Wittenbergenſibus ſcripto publico damnatur. 1038.b
Synderovia. 889.b
Synergia. 930.a
Synope. 214.b
Syphax. 348.a

Syracides. 335.b
Syracuſæ. 206.b. 343. a. 308. b.349.a
Syria penitus amiſſa. 826.b
Syri. 191. a.300.a
Syrnix. 350.a
Syſiphus. 182.b
Syzygiæ. b.a.12.a.b.105.b
Sz.hinus dux. 1010.b

T.

TAbbo. 463.a
Tabernaculum. 190.b
Tabulæ Friſ. 202.a
Alfonſ. 812.a
Prutcn. 202.a
XII. Rom. 247.b
Tacfarinus. 433.a.431.b
Tachos dux Perſ. 176.a
Tachus rex. 285.a
Tacitus Imper. 502.a
Corn. Hiſtoric. 458.b
Inventus Corbejæ. 315.a
Cl. 501.a
Tænarus. 303.b
Tagmon. 646.b.711.b
Tagus. 372.b
Talabrica. 685.b
Talavera. 693.a
Talbotus. 877.a
Talentum duplex. 191.a
Talio diſpar. 1029.b
Talmontius. 1027.b
Tamachus. 942.b
Tamer, vel Tamirlancus. 861.a
Tameſis. In Anglia, in illo, trium horarum ſpatio æſtus & refluxus maris obſervatus eſt, quod portenti loco habitum, quia rariſſimè contingit. 1036.a
Tamos. 267.a
Tampirius. 976. a. cadit. 987.a
Tanagra. 246.a
Tanais. 172.b. 302.a
Tancredus. 746.b.785.786.
Tancvverdus. 689.b
Tanger Africæ fortalitium Regi Angliæ, dotis loco promittitur. 1038.b
Tangermunda. 874.a.974.a
Tangodor. 822.b
Tanitæ. 188.a.192.b
Tanquardus. 665.b
Tantalus. 181.a.192.b
Tantamirus. 1000.a
Taphnis. 798.a
Taracus. 208.a
Taraſius. 640.b
Tarentum. 213. a. 241. a. 296. b.307.b. 349.b.579.a
Tarich. 620.b
Tariffa. 620.b,845.a
L. Tarius. 419.b
Tarpeium Saxum. 277.a
S. Tarpejus Montanus Capitolin. 246.a
Tarquinii urbs. 214. a. 269. b.
Tarquinius. 214. a. equitum ductor. 215. b. rex. 216.a accipit inſignia Imperii ab Etruſcis. 219. b. vovet templum. 221.b
Superbus. 225.b
L. Collatin. 229.a
Sextus. 229.a
Tarrutius Firm. 202.a
Tarracina. 265.b
Tarracon. 415.b
Tarſenſes. 323.b
Tartari. 807. a. Præcopitiz. 911. b. è Polonis profligantur. 1033. b. Waivvoda in Valachia magna clade ab ipſis afficitur. 1037.b
Tarviſium dirutum. 606.b
Taſſilæ. 630.b
Taſtius. 947.b
Tata. 938.a
Tatianus. 479.b
Tatius rex. 205.a
Taubmannus. 967.a
Taulerus. 854.a
Taurellus. 961.b
Tauris. 959.a
Tauritii. 619.b
Tauromenium. 272. a. 286. a. 330.b
Taurus Conſul. 546.a
Phalarides. 264.a
Philoſoph. 475.b
Præfectus Præf. 523.a
Mons. 337.a
Notarius. 183.b
Taxiles. 302.b.391.b
Taxis rex. 693.b
Tebeth Coræ. 680.a
Tecelius. 515.a
Techellis. 911.a
Tecbellis. 911.a
Techmaſis. 934.b
Tectoſagi. 357.b
Tecupha. 489.b
Te Deum laudamus. 712.a
Tedius Afer. 410.a
Tegea. 243. a. 259. a. 284.b
Tejas. 582.b
Teji. 212. b.252.a.270.b
Telamon. 342.a
Telchines in Rhodum. 176.a
Telchinus. 173.b
Teleclus. 200.a
Telephus. 185.a
Telericus. 638.b
Teleſicrates Cyren. 242.a
Teleſphorus Epiſc. 310. a.470. b.474.b
Papa. 470.a
Teleſtes Corinth. 201.a
Teleutias. 272.a
Tellenæ. 214.a
Tellis. 209.a
Tellus Dea. 329.b
Telmatius. 536.b
Telonia. 850.a. Romæ de bonis Legatorum exiguntur contra quam exactionem Legati proteſtantur. 1044.a
Telum ultimum, ſalutare. 860. a
Telys. 228.b
Temenes. 187.b.200.a
Temeſuarum. 931.b
Tempanius. 258.a
Tempe aurea. 364.a
Temir Cham. 865.a
Tempeſtas. 452.a.526.b
Templa quâ formâ. 656. a. quot Jacobus Arragoniæ condiderit. 820. b. quando linquenda. 567. b. puniunt ſtuprum. 670.b. Gentilium evertuntur. 515.b. 537.b
Æſculapii. 321.b
Apoſtolorum. 515.b. coronatur. 596.a
Apollinis Delii. 253.a
Delphici crematur. 224. a. vindicatur. 325.b
Archangeli. 715.b
Auguſti. 414.b.418.a
Concordiæ. 429.a
Cybeles. 173.b
Deæ Cæleſtes. 53[illegible].b
Dii Fidii. 245.b
Dodonæ. 344.b
Dianæ. 186.b. 224.a.288. a.366.b
Eleuſyne. 182.a
Euphemiæ. 581.b
Fortunæ Bonæ. 225.a
Equeſtris. 509.b
Virilis. 225.a
Garizim. 378.a
Gentilium. 515.b
Heliopoli. 367.a.418.b
Hieroſolym. 292. b. 315. a. 259. a. 451. a. 457. a
Hulderici. 732.a
Jacobi. 546.b
Jani cluſum. 414. a. 416.a. 421.b. 448.b. 457.b
Jovis. 472. b. capitolini. 471. b. Didymæi. 358.b
Latiaris. 226. olympii. 391. b. 362. a. Statoris. 320. a.
Julii Cæſaris. 414.b
Junonis. 257.a.272.b
Marci. 656.a
Mariæ rotundæ. 598.a
Martyrum. 516.b
Minervæ. 219.b
Muhamedis. 641.a
Onias

Oniæ. 458.a
Pavi. 458.b
Pantheon. 416.a
D. Pauli. 594.a
Petri. 602.b
Quirinum. 420.b
Reſurrectionis. 514. b. V. Anaſtaſia.
Salomonis. 143.a
Solis. 501.a
Sophiæ. 539. a. 577. a. quantum. 583.b
Stephani. 549.a
Veneris. 472.b
Vincentii. 584.b
Virtutis. 351.b
Ulmenſe. 858.b
Volumnæ. 252.b
Urbis Romæ. 414.b
Templa ſpoliârunt Dionyſius. 275.b. Scythæ. 499. a. Nero. 451. b. Cæpio. 384. a. M. Craſſus. 401. b. Fulvius. 363. b. Antiochus Epiph. 363. b. 366. b. Alexander Zebina. 380. a. Sulla. 390. b. Galli propterea puniuntur. 326. a. & Antiochus interficitur. 358. b
Templo non niſi finitis Cerimoniis exeundum. 567. b. in templo Saracenus tabernaculum ſibi fixerat: ſed virginem ibi violaturus, trabe delapſa exanimatur. 670. b
Templariorum Ordo inſtitutus 753. a. regula illi præſcripta. 756. b. damnatur & abrogatur. 834.b
Tempſa. 356.a
Tempus quid. 3. a. 835.a
Tenchteri. 419.a
Tenebræ. 630. a. trium dierum. 490. b. ſex. 644.b
Tenedus. 232.b
Teos rex. 281.b.282.b
Tepula. 412.b
Terbelin. 69.a
Terebinthi nundinæ. 472.b
insula. 665.b
Terentii Comœdiæ actæ. Andria. 365. b. Hecyra. 366. a. Heautontimorumenos. 366. b. Phormio Adelphi. 367. b. moritur. 368.a
A. Varro Mur. 359.b.416.b
C. 346.b
Tribunus pl. 244.b
M. Varro Lucullus. 394. a. 396. b. 437. a
Tereus Thraciæ rex. 180.a
Teribazus. 271.b
Teridates. 448.b.458.a
Terinæus Eleus. 271.b
Terpander. 281.a
Terneſſus. 307.a
Terminalia. 364.a
Terram & aquam petere. 233.b
Terræ motu pereunt duodecim urbes. 431. b. urbs loco ſuo ad ſex millia paſſuum dimota. 631. a. villa. 752. b. inſula edita. 276. b. animal. 631. a. ædificia Turcarum periêre, ſalvis Chriſtianorum templis. 710. a. Tertona abſorpta. 876.b
Terræ motu afflictæ urbes & regiones. 242. b. 255. a. 280. b 322. b 342. b. 356. a. 494. b 558. a. 664. a. 731. b. 768. a 997. b
In Angliâ. 466. a. 740. a. 738. b
In Aſiâ. 431. a. 450. b
Antiochiæ. 466. a. 467. a. 518. a. 556. a. 561. a. 572. b. 573. b
In Burgundiâ. 807.b
In Campaniâ. 315.b
Cæſareæ. 470.b
Conſtantinopoli. 543. a. 545. a. 551. a. 552. b. 561. a. 628. a
Corinthi. 571.b
In Cypro. 459.a
In Dardaniâ. 570.b
In Galatiâ. 466.b
In Germaniâ. 664. a. 717. b. 732. a. 799. a. 849. a
In Græciâ. 466. a. 581. b
In Italiâ. 599. b. 645. b. 661. a. 1042. b
In Judæâ. 196.b
Zu Königſtein. 978.a
Laodiceæ. 450.a
In Lombardiâ. 752.b
Niceæ & Nicomediæ. 469. b. 471. a. 522. b. 525. a. 527. b. 628. a
Pompeji. 451.a
Pompeiopoli. 575.b
Romæ. 430. b. 490. b. 499. a. 518. b. 594. a. 583. b
In Sabaudiâ. 810.a
Genuæ. 1035.a
Smyrnæ. 723.b
In Syriâ. 196.b
Viennæ. 950.a
In Univerſo Orbe Terrarũ. 526. b. 551. a. 579. a
Terræ motum quomodo ſedare voluerunt Antiqui. 583.b
Terſippus. 191.b
Tertona abſorpta. 876.b
Tertullianus. 474. a. 484. b. deſciſcit ad Montaniſtas. 488. b. ſcribit primitias operum ſuorum. 487.a
Tertullus. 509.a.541.b
Teſſeranus. 904.b
Teſtamentum Caroli M. 649.b
Teſtimonium falſum punitum. 561.b. 515. a. 517. a. 637. b
Teſtes veritatis. 767. a. 802. a
V. Pontificis tyrannidi contradictum.
Tetricus. 500.b
Teuffel. 997.b
Teuta. 340.a
Teutamus. 184.b
Teutberg. 429. a. 666. a
Teuteus. 185.b
Teutones. 309. a. 385.b
Teuxontem condidit Micythus. 241.b
Thabor. 356.b.873.b
Thaddæus Medicus. 822.a
de Sueſſa. 808.b
Thaïs. 301.a
Thala. 383.b
Thalus Epiſc. 553.b
Thales Mileſius. 200.b.224.a
Muſicus. 201.a
Thaleſtris Amazon regina. 301. b
Thalmud Babylon. 967.b
Hieroſol. 527.b
Thalpius. 210.b
Thamar. 291.b
Thamis poeta. 183.b
Thapſus. 202.a
Thara pater Abrahæ. 173. a. moritur. 174.a
Tharacus. 207.b.209.b
Martyr. 505.b
Tharſus. 299.b
Thaſii. 242.a.b
Thaſſilo. 639.b
Thaſus. 179. b. 233. b. 264.b
Thaumar. 304.a
Theagenes. 226.b
Teagenides. 242.b
Theantus. 258.a
Theatrum. 369. b. Veronenſe. 507. a. Pompeji. 432. b. 495. b. Demetrii. 401. b. Neronis. 448. b. Titi. 460. a. Baldi. 420. b. Marcelli. 420. b. in Judæâ. 416.a
Thebæ conditæ. 179. b. contra eas expeditio. 184. b. inſtaurantur. 187. b. capiuntur. 276. b. recuperantur. 277. b. diruuntur ab Alexandro. 339. a. reſtaurantur. 309. b. expugnantur. 321. a. earum imperium cum Epaminondâ expirat. 284. b
Phthiotidæ. 284.b
Thebit Saracen. 629. b. 650. a
Theclius. 291.a
Thelxion rex. 273.b
Themeſion. 283.a
Themir Lancus. 861.a

Themis. 183.b
Themiſtius. 524.b
Themiſtocles. 233.b. 239.b. 292.b
Theocritus. 323.a
Theodabatus. 575.b
Theodates Epiſc. 708.b
Theodebertus. 570.b
II. 595.b
Theodemus. 289.b
Theodete. 644.a
Theodibaldus. 582.a
Theodiſclus. 580.b
Theodiſcus. 575.a
Theodo. 592.b. 619.a. villa ejus. 647.a
Theodoaldus. 622.a
Theodolphus. 652.a
Theodomir rex Franc. 520.b. cadit. 524.a
Gothorum. 557.a. moritur. 559.a
Suevorum. 584.a
Theodora Imperatrix. 580.b
II. 728.b
Scontum. 681.b
Theodoretus. 544.b. 546.a
Theodorichus Gothus in Hiſpaniâ. 555.b
Scytha. 561.a
Amali. 565.b
Amalrici tutor. 572.a
Comes Hollandiæ. 679.b
II. 706.a
III. 707.b
IV. 723.b
V. Domicellus. 730.b
VI. 754.a
Rex Franciæ. 569.b
II. 595.a
III. 610.b. 615.a
IV. 623.b
Veronenſis. 557.a. rex. 559.a. firmat ſe. 564.b
Theodorus Atheus. 313.a. 387.b
Archiepiſcop. in Angliâ. 611.a
Archon. 251.b
Conſul. 537.b. 567.a. 575.a
Elſatius. 757.a
Epiſcop. Cæſar. 579.a
Conſtantin. 614.b
Exarchus. 615.a
Gaza. 898.a
Laſcares. 792.
II. 813.b
Mompelgard Comes. 804.a.
Marchio Brandeburg. 718.a
Monothælita. 610.b
Mopſueſtanus. 548.b
Papa. 605.b
II. 680.a
Stadionica. 404.b
Studita. 648.a
Calliopa. 606.a
Heraclii frater. 604.a
Mopſueſtanus. 548.b
Moſchus. 94
Papa. 605.b
II. 680.a
Stadion. 407.a
Theodoſia urbs. 896.a
Theodoſius pater. 527.a. 529.a. 530.b
Imperator. 531.a
Junior naſcitur. 538.a
Mauritii F. 593.a. necatur. 596.b
Syrus Imper. 622.a
Theodotio. 481.b
Theodotus Archon. 273.b
Byzantius. 484.a
Dux. 498.b
Epiſc. Antioch. 546.a
Hæreticus. 483.a
Patriarcha. 658.a
Theodulphus. 658.a
Theodulus. 564.a
Theognis. Epiſc. Nicen. 515.a
Poëta. 425.a
Theognoſtes. 539.a
Theon. 526.a
Theonas. 466.a
Theonilla. 504.b
Theonis villa. 1016.a. 1020.a. V. Diedenhauen.
Theonomus. 187.a
Theopaſchitæ. 560.a. refutati ab Alamnndaro. 569.a
Theophanes. 639.a
Theophania. 699.b
Theopbilus Archon. 292.a
Epiſc. 102.b. 479.a. 531.b. 537.b.
Imper. 636.a
Theophraſtus Archon. 292.b. 295.b. 310.b
Paracelſus. 927.a
Philoſoph. 322.a
Theophilactus Epiſcopus Bulgar. 734.b
Conſtantin. 689.a
Nicomed. 626.b
Exarchus. 619.a
Theopompus Hiſtor. 286.a. 294.b.
Spartan. 202.b
Stadion. 251.b
Archon. 261.b
Thera. 188.a. 216.a. 625.a
Theramenes. 262.b
Theraſia. 625.a
Thereus. 362.b
Thermæ. 491.a. 507.a
Thermopylæ. 237.b. 325.b
Thermus. 392.b
Theron Stadion. 241.b
Therſias. 231.b
Therſippus. 191.b
Theſaurus inventus. 676.b. vane quæſitus. 452.a. abſconditus. 466.a
Papæ. 843.b
Theſeus. 183.b
Theſpiæ. 280.a
Thesbites. 196.b
Theſpizus. 199.b
Theſſali. 187.b. 236.a. 404.b
Theſſalonica. 185.b
Theſſalonice, Alexandri M. ſoror. 309.a. 320.a
Theſſalonicenſes occiſi. 534.b
Theſſalus Archon. 291.a
rex. 177.a. 188.a
Sybar. 237.a
Thettalus. 230.a
Tettenbachius accuſatur conſpirationis adverſus Cæſarem, carceri includitur ut capitis ſupplicium ſubeat. 1041.b
Theudas. 444.a
Theudelinda. 591.b
Theuderichus. 544.a. 552.b
Theudes. 574.b
Theudibaldus. 578.a
Theudius rex. 580.b
Thibin. 194.a
Thile. 714.b
Thinæus. 149.b
Thinibro 267.a
Thimon Marchio. 741.b
Thinæus rex. 19.b
Thiſſaphernes. 261.a
Thola. 184.a
Tholoſa. 384.a
Thomas de Aquino naſcitur. 799.a. moritur. 819.b
Cantuar. 730.b. occiditur. 774.a
Cromvvellus. 926.a
Morus. 924.a
Patriarcha. 598.a
II. 608.b
Patruus Richardi. 865.a
Roo Eques. 1019.a
Sabaudus. 994.b. in Italiam exercitum ducit Fucinumque obſedit. 1035.b
Servus fugitivus. 655.a
Thoriſmundus. 554.b
Thorunium in ſueciam poteſtatem venit. 1035.b
Trachinia. 455.b
Thraces. 391.b
Thracia. 458.b
Thracus. 505.b
Traſamundus. 565.a. 628.b
Traſidæus. 245.b
Traſibulus dux. 262.a
rex Syracuſ. 243.a
Thraſio. 648.b
Thraſius. 295.a
Traſyllus.

Traſyllus dux. 262.a
Hiſtoric. 1.a
Traſymenus. 345.b
Tryphon. 454.a
Thucles. 206.a
Thucydides. 249.a. 100.a. 256.b
Thucris. 184.b
Thudunus. 644.b
Thuria fons. 249.a
Thurificati. 496.b
Thurii. 252.a.548.a
Thurimachus. 174.b
Thummas. 200.b
Thuringia. 640.b
Thurius. 249.a
Thutmoſis rex. 177.a
Thyeſtes. 183.a
Thymelus Aſpero. 361.b
Thymoëtes. 186.b
Thyrea. 253.a.256.a
Thyreaticum bellum. 260.a
Thyrrenus. 186.b
Tiberianus. 468.a
Tiberinus. 194.b
Tiberius naſcitur. 408.b. patrem laudat pro roſtris. 412.b. fit Conſul. 420.b. Imperator. 430.a.440.a
II. Anicius. 588.a. Imper. 589.a
III. 626.a
Alexander. 455.b
Dux. 586.b
Tibiſcus. 644.a
Tibur. 578.b
Tiburtius. 504.b
Ticho Brahe. 956.a
Ticinum deſtruit aulam Imper. 719.a. obſidetur. 1035.b
habet Epiſcopum privilegiatum. 682.a
Tiffenbachius. 980.b.987.b
Tigellinus. 450.a
Tiglatphilaſſar. 189.a
Tigranes. 395.a.396.b
Tigranocerta. 395.b
Tigris Romæ. 429.b. donatur. 551.b
Tigurini. 384.a
Tiliadetus. 1029.a
Tillius. 995.a. moritur. 1007.b
Tilo Colup. 824.a
Timænetus. 231.b
Timæus. 269.a.286.b
Timarchides. 248.b
Timaſitheus. 271.b
Timeſius. 534.a
Timochares. 320.a
Timocles. 250.a
Timocrates. 269.b.284.a
Timoleon. 283.b
Timophanes. 183.b
Timoſthenes. 239.b
Timotheus Canonis F. 279.b
Dux. 366.b
Epiſcop. Alexandr. 555.b
Conſtantinop. 568.b
Stadion. 378.b
Tyrannus Heracleæ. 290.a. 297.a
Tingitani. 410.b.880.b
Tiranium. 986.a
Tiridates. 439.b
Tirnau. 984.b
Tiro libertus Cicer. 403.b
Tiſamenus rex. 187.a
Tiſicrates. 232.b.234.a
Tiſiphonus. 286.a.288.a
Tiſaphernes. 261.a
Titenburgum. 580.a
Titfort. 988.a
Tithanus. 185.a
Tithrauſtes. 269.b
F. Titianus. 517.a
P. 507.b
L. Titinius. 268.a.270.a
Rufus. 469.a
P. Titius Perpetuus. 493.a
Sabinus. 434.a
Titulorum arrogantia. 481.a. 495.a.507.b.
V. Deorqui dici voluere.
Titurius Robuſtus. 503.b
Titus Veſpaſianus naſcitur. 442.a. fit Conſul. 456.a. 457.b. 457.b. 458.a.b. 459.a.b. Imperator. 459.b. moritur. 460.a.
Tityus. 180.a
Tlepolemus. 222.b.352.b
Tleſias. 210.b
Tœckelius Comes protectioni Turcarum ſe permittit. & Caſſoviam, Eperies & fortalitium Villeckum occupat. 1048.b. mandato publico nobiles & ruſticos pro tuenda fide & libertate contra Cæſarem excitat. 1050.a
Tocaium. 938.a
Tolerim. 235.b
Toletum. 663.a
habet Epiſcopum privilegiatum. 741.a
Toliſtobogii. 357.b
Tolmides. 246.a.247.a
Tolon. 668.b
Toloſa. 549.a
Tolumnius. 251.b
Tomi. 396.b
Tomumbejus. 914.b
Tonnyris. 226.a
Tongri. 378.b
Tonos Conolerus rex. 197.a
Tonſeres Romæ. 318.a
Torga. 827.a. 898.b. ibidem ab Electore Joh. Georgio II. feſtum ſeculare ſolenniter celebratur ob memoriam compoſitæ Formulæ Concordiæ Lutheranorum 1044.b
Tormenta cum riſu ſuſtinere. 343.b
Tornacum. 540.a.546.a
Tornhutum. 953.a
Torona. 257.b.277.a
Torquatus unde dictus. 287.a
Torymba. 245.a
Toryllas. 245.a
Torſtenſon dux. 1012.a. 1017.b
Toſſanus. 956.a
Totilas. 518.b
Toto. 635.b
Trabſaurea. 708.a
meteoron. 280.b
Trachina. 255.b
Trachonitis. 417.b
Traditores. 508.b
Tragœdia. 219.b.268.b
Transactio Paſſavica. 931.b
Trajanus. 464.a.588.a
Trajectum. 606.a.1007.b
Tralles. 310.b
Tranckfurt. 901.a
Tranſamundus. 628.a
Transſubſtantiatio. 797.a
Transſylvania. 629. 1013.b. à Turcis invaditur. 1037.a
Trapezontius Imper. 864.b
Philoſ. 880.a
Trautitſchius. 1024.b
Trautmansdorff. 1020.b
Trautſam. 981.b
Trebellianus. 499.a
Trebellius. 498.b
Maximus. 450.a
Trebia. 345.a
Trebonianus Gallus. 496.b. 499.a
App. Trebonius. 466.b
C. Aſper. 406.a.417.b
Cl. Criſpus. 277.b
M. 277.b
Trecæ. 672.b
Treſcatius. 962.b
Tremelius. 574.a
Tremonia. 712.b
Trepulani. 316.b
Tres tabernæ. 522.b
Tretus omnes Gallorum impetus fortiter ſuſtinet. 1035.b
Treviri. 542.b.1027.b
habent Archiepiſcopum. 685.b

Triatius Maternus. 396.a.482.a
Triballi. 256.b
Tribigildus. 537.b
Tribonianus. 573.b
Tribus Dan. 181.a
Simeon. 207.a
Romæ. 275.b
Tribuni militares, Conſulari poteſtate. 249.b
Plebis. 233.b.240.a.246.b. 248.b.250.b.257.b.280. a.281.a.b.282.b.283.a
Eorum autoritas minuitur. 392.a
reſtituitur. 395.a
Auguſto. 717.a
Triburia. 653.a
Tributum Cereviſiarum. 901.b
Virginum. 643.b
ingens. 693.b
Tricenomachia. 864.b
Tridentinum Concilium. 928.b
Trigetius. 547.b
Triginta tyranni. 498.a
Trimerus. 428.b
Trinacria. 250.b
Triopas. 177.b
Tripallus. 197.a
Tripolis. 367.a.746.a.911.a
Triptolemus. 180.a
Trithemius. 899.a
Tritonis. 178.a
Triumphus Aureliani. 501.b
Triumviri Capitales. 322.a
Eupulones. 355.b
Reipb. conſtituendæ. 407. b.409.b
Troas. 180.b
Trochilus. 177.b
Trocondus. 561.b
Troezenii. 177.a
Troja, arx conditur. 180.a. 185. b. debellatur. 185.
Urbs. 288.b
Trompius. 1016.a. à Blakio hoſtiliter aggreditur, profligatur, & tandem in conſpectu littoris Hollandici acerrimo prælio commiſſo, occumbit. 1034.a
Tros. 180.b
Trudo. 755.b.a
Truchſeſius. 956.a
Truchmyllerus. 1017.a
Tryballi. 887.b
Tryphena. 380.b
Tryphon. 373.a
rex. 374.b
monachus. 688.b
Stadion. 454.a
Tubaldus. 1007.a
Tubinga. 916.a
Tucium Helvetiorum 851.a
Tuitium. 710.b.958.b
Tulga. 605.b
Tullenſis Conventus. 664.b
Tullia. 225.b
Tullius rex. 221.a.225.b
Man. Criſpinus. 482.b
Longus. 231.b
M. Cicero naſcitur. 384.a. fit Conſul. 397.b. V. Cicero.
C.F. 414.a
Decula. 392.a
Q. Cicero prætor. 398.b
Tullus Hoſtilius. 211.a
Tunetum. 333.a. regnum. 941.b. 990.b
Tunica Chriſti. 592.a
plumbea. 734.a
Turainius. 1023.b
Turbanus. 781.a
M. Turbo. 468.a
Turcæ. 601.b.634.b.726.b. Invadunt Transſylvaniam. 1037. a. Legatus Turcicus Venetias miſſus Candiæ deditionem cum tribus aureorum millibus à ſenatu poſcit. Quod cum facere recuſarent Veneti, juravit Imp. T. intra 20. an. nullam de pace mentionem facturum. 1037. a. adverſus Hungariam parant bellum 1038. b. Hungariam & Moraviam devaſtant. 1039. a. quadruplici clade afficiuntur. ib. multa millia Polonorum trucidant & in captivitatem abducunt. 1044.a
Turcilingi. 540.a
Turcicus Secundus. Aſterius. 552.a
Turcomanni. 668.b. ſunt Malucci. 808.b
Turdetani. 348.a
Turia. 339.a
Turingi. 564.a
Turnus. 226.b
Turon. 636.a
Turonenſis. 588.b
Turonium. 960.b
Turpilius. 385.a
Dexter. 491.a
Turrenſis. 976.a
Turennius. à Condæo & Johanne Auſtriaco in fugam in Brabantia vertitur. 1036.a. Hugonottarum in Gallia hactenus Patronus ad Pontificios ſenectute jam extrema deficit. 1040.b. revocatur ex Belgio à Rege Galliæ ad obſervandos conatus Imperat. & Elect. Brandenb. 1042.b. in Franconiam usque progreditur. 1043.a. tribuit Saxonibus laudem fortitudinis (licet victor.) ib. b. à Montecuculi ſuperatur. 1044.a. funus in regium ſacellum à Rege reponi jubetur. ib. b
Turrianus Gratianus. 505.b
Turris Argentorat. 821.a
Babylonica. 171.a
Byzantinæ. VII. 485.a
Druſi. 422.a
Hattonis. 699.b
Nieſſenſis. 998.a
Veneta. 676.a
Viennenſis, quanto Argentoratenſi humilior 844.b
Stratonica. 448.a.746.a
Sueidnicia. 873.a
Turgo. 988.b
Turſo. 922.b.988.b
Tuſculum. 245.b. evertitur 785.b
Tuſcus vicus. 230.a
Prædicator. 1028.b
Conſul. 506.a
Tuſſis lethalis. 775.b
Tutia Veſtalis. 339.a
Tutius Cerealis. 466.a
Tutor nequam. 609.a
Tyberinus. 194.b
Tyberis flu. habet inſulam. 229.a
Tyburtes. 288.a
Tycho Brahe. 3.b
Tymbro. 267.a
Tymon. 325.a
Tyndarides. 185.a. 246.b. 332.a
Typographia. 882.a
Typus, edictum. 607.a
Tyranni XXX. 265.b. cum tyrannis pauca, & jucunda agenda. 274.b. Tyrannorum, & eorum qui vicerunt in bello crudelitas. 283.a.327.a.343.b. 314.a.498.a.579.b.619.b. 644.a.892.a.898.916.b. ex hoſtium cranio fecere pocula. 580.b.581.b
Tyrannicidarum ſtatuæ. 229.a
Tyrannis depoſita. 341.a
Tyrii in Gadibus. 191.a
habent aram. 379.b
Tyrius Philoſ. 249.a
Tyrhenus. 185.b
Tyrolis Comitatus. 853.a ad Imperatorem hæreditatis titulo redit. 1039.b
Tyrtæus. 210.b
Tyrus condita. 183.a. fruſtra obſeſſa. 220.a.751.b. capta. 300.a. deſinit in Judices. 220.b
Tzenoinum. 980.a

V.

VAccæi. 344.a
Vaccenſes. 383.b
Vademon. 324.a
Vaiſarius. 634.a
Vaiſerus. 633.b
Valachia à Coſaccis infeſtatur. 1034.a

Valens

Valetis Imper. 498. b. 516. b. cre-
matus. 530. b
Valentia. 337. b. 390. b. fit Co-
mitatus. 713. a à Duce Mode-
nenſi obſeſſa & ſtrenuè defen-
ſa, ſe dedere neceſſum habuit,
cum fruſtra liberationem cir-
cumſpexiſſet. 1036. a. à Rege
Galliæ brevi tempore occu-
patur. 1045. a
Valentinianus miles. 524. b. Im-
perator. 525. b
II. Gallæ Placidiæ F. naſci-
tur. 544. a. eligitur. 545.
b. Eudoxiam ducit. 549. a
Jul. 527. b
Valentinus Epiſc. 579. a
Hæreſiarcha. 475. a
Papa. 655. a
Valerianus Cenſor. 496. b
Valerius Antias. 252. a
Aſiaticus. 444. a
Saturninus. 408. b
Conſtantinus Clerus. 505. b
Criſpus Cæſar. 554. b
Maximinianus Salerius.
505. b
Maximus. 253. a
Potitus Voluſus. 237. a.
266. a
Prudens. V. Pud.
Stadion. 444. a
C. Aſiaticus. 444. a
Flaccus. 302. a 388. a
Lævinus. 361. b
Omollus Verianus. 476. a
Potitus Voluſus. 260. a.
263. a. 264. b 266. a. 282. a
Fl. 547. b. 571. a
Conſtantinus. 514. b
Conſtantius. 516. a
Delmatius. 516. a
Maximus Baſilius. 514. b
L. Flaccus. 331. b. 355. b. 370. a.
377. b. 386. a. 390. b
Meſſala Voluſus. 427. a
Priſcus. 484. b
Poplicola Potitus. 248. a.
271. b. 274. a. 275. b. 277.
b. 278. b
Potitus. 261. a. 265. a. 266.
b. 267. b. 269. a. 271. b.
275. b
Voluſus. 237. a. 242. a
Pudens. 466. a
M. Corvus. 295. b. Dictator.
298. b. 300. b. 317. b.
318. b
Lævinus. 344. a. 349. a. 353. a
Largus. 475. b
Maximus. 269. a. 271. a. 312.
a. 496. a. 317. b. 330. b
Corvus. 294. b
M. F. Corvus. 322. a
Maximus. 246. b
Meſſala. 331. a. 358. a. 367.
b. 398. b. 402. a. 413. a.
467. b
Barbatus. 421. a
Meſſalinus. 423. b. 458. a.
475. b
Poplicola. 290. b. 291. b
Corvus. 293. a. Conſul
adoleſcens. 293. b
Potitus Maximus. 322. b
Voluſus. 230. a
P. Fulco. 338. a
Flaccus. 344. a
Lævinus. 325. a. 349. a
Meſſala. 341. b
Poplicola. 219. a. b. 230. b.
240. b. 245. a. 279. b.
284. a. 291. b. Dictator.
295. b
Potitus. 276. a. 277. a
278. b. 282. a.
Q. Falto. 336. b. 337. a. 338. a
T. Conſtantius. 516. b
Delmatius. 516. a
Valettanus. 1013. a
Valla Grammaticus. 874. a
Dux. 829. b
Rex. 832. b
Vallis Joachimica. 1005. b
Telina. 986. a. 1011. b
Umbroſa. 727. b
Vallum. 487. b
Vandali. 503. a. 540. a. 546. a. 605.
a. 642. a
Vandalica perſecutio. V. Perſec.
Canis. 718. a
Vangiones. 510. a. 540. a
Vanitas Vanitatum. 575. b
Vannius. 446. a
Vaphres. 219. b. 291. b
Vappincium. 957. b
Vararanes. V. Wararanes.
Varari. 541. b. 555. b
Vardæi. 377. a
Varnenſis clades. 879. a. 883. a
Varro. V. Terentius.
Varronianus. 525. b
Varus Syriæ Præſes.
Vaſalli perfidia. 814. a
Vaſcones. 912. a. b
Vaſconia. 544. a. 636. a
Vaſcus Gama. 905. b
Vaſtrada. 640. a
Vaticanum. 319. b. 912. b
P. Vatinius. 405. a
Vaudortius. 1027. b
Ubera. 737. b
Uberlinga. 1009. b
Ubii. 401. a. 446. a
Udalricus. 707. b
Ude. 756. a
Udenheymium. 975. b
Vectigal ex viceſima. 448. b. 845.
Imperii oppignoratur. 858. a
Vedaſtus. 566. a
Vedius Pollio. 410. b
Vejentes. 207. b. &c.
Veit Dantz. 858. a
Veleates. 366. a
Veles. 901. a
Velicula. 944. b.
Veliſa. 944. b
Velitræ. 215. b. 233. b. 234. b
Velitum uſus. 348. b
Vellejus Paterculus. 257. b. 426. a
435. b
Velsbachius. 816. a
Velthinum. 1011. b
Venæ Metallicæ. 700. a
Venantius Conſul. 562. a. 567. b
Fortunatus. 586. a
Venationi deſtinati Scythæ. 216. a
leges de ejus jure. 720. a
privilegium petit Herpo
Epiſc. 706. b
Hadrianus deditus. 471. a
immortui. 864. a. 765. b
lethaliter vulnerati. 582. a.
675. a. 715. b. 746. b.
724. a. 836. a. 848. b.
899. a
in periculo vitæ conſtituti.
668. b
Venda. 631. a
Veneficium. 302. a. 462. a
in calice. 729. a
Venetiæ. 546. b. 554. a. b. 814. a
ſui juris. 707. b
excommunicatæ. 814. a
Antiquæ. 342. a
Veneti in Dalmatia & Candia
fortiter adverſus Turcas belli-
gerant. 1035. a. recipiunt cer-
tis conditionibus Jeſuitas jam
quinquageſimum annum pro-
pter malas artes exulantes.
1036. b. recuſant deditionem
Candiæ. 1037. extorquent
Turcis victoriam. 1038. b. per
deditionem Candiam tribus
annis fortiter defenſam Tur-
cis relinquunt. 1041. a. S. Li-
gam cum Imp. & Rege Polo-
niæ adverſus Turcam ineunt.
Mauram per deditionem oc-
cupant. Item Preveſam forta-
litium occupant. 1050. b
Venilo. 665. a
Vennonates. 410. a
Venox. 312. a
Venti. 753. a
Cardinales cum collaterali-
bus XII. à Carolo M. no-
minantur. 643. b
C. Ventidius Apron. 409. b.
469. b
Cumanus. 446. b
Venulejus. 490. b
Venus Cnidia. 560. b. V. Tem-
plum.
Venuſia Colon. 321. a
Venuſinus. 397. a

Venuſtus. 494.b
Vercellum. 386.a.973.b
Vercingetorix. 403.a
Veremundus. 642.a
II. 703.b
III. 719.b
Vergerius. 930.a
Veritas pugna olim inquiſita. 704.b
Igni. V. Ignis.
Verminx. 353.a
Verona. 637.b.833.b
Veronenſis. 563.b
Q. Verranius. 445.a
Verres. 395.a
Verrius Flaccus. 315.a. 423.a
Verrugo. 264.b
Ver ſacrum. 356.a
Verſus Hexametros prima effudit Phomonoë. V. Phom.
Vertigernus. 552.b
Veruca. 568.b
Veſalia. 1003.a
Veſores rex. 184.b
Veſpaſianus naſcitur. 428. b. fit Ædilis 441. b. Conſul. 444.b 446. a. mittitur ad debellandos Judæos. 453. b. fit Imperator. 455. b. moritur. 459 b
Veſperæ Siculæ. 813.a
Veſprinum. 977.b
Veſpronius Candidus Verus. 470.a. 481.a
Veſtales Virgines. 216. a. ſtupratæ & vivæ defoſſæ. 237.a 242. a. 299. b. 327. b. 330. a. 339. a. 346. b. 382. a. 460. b. 462. b. quatuor innocentes occiſæ. 488.a
Veſtinus populus. 305.a
Veſtis muliebris ignominiæ cauſa mittitur Duci. 593.a
Veſuvius mons. 459.b. 486.559. 569.a. 614. b. 707. b 1005. b 1007.b. 1012. b. 1028.b
M. Vetilius. 372.b
Vetranius. 520.a
Vettenius Severus. 446.a
Vettius Valens Aſtronom. 414.a
Aquilin. 470. a. 496. a. 504.b
Cornificius Gordianus. 502.a
Modeſtus. 491.b
Rufus. 480.b
Ruſticus Bolanus. 467.a
Sabinus. 494.b
L. Paulus. 478.b
M. Aquilin. 477.b
T ebellus. 481.b
Ser. Vetulenus Pompejanus. 472.b
C. Veturius Craſſus. 279. b. 282. b. 283. a. 284.a
Geminus Cicurinus. 246.b
L. Craſſus Cicurin.
Philo. 343.b.346.a.351.a
M. Craſſus Cicurin. 268.b
P. Geminus. 231.b
Sp. Craſſus. 244.b.259.b
T. Calvinus. 301.a.307.a
Geminus. 233.a
Uffo. 548.b
Via Appia. 312.a
Caracallæi. 487.a
Domitiani. 463.a
Flaminia. 460.a
Severi. 487.a
Trajani. 467.a
Viator Conſul. 565.a
Vibianus. 557.a
Vibius ſervus. 409.b
Trebonianus Gallus. 496.b
A. 428.a
C. Panſa. 407.a
Poſthumius. 427.b
Juventius verus. 472.a
Rufinus. 432.b
T. Barus. 477.a
Vibo. 356.b
Viceburgum. 749.a
Vicedomites Mediolani. 851.b
Vicedom. 884.a
Victimæ humanæ. 178.b
Victor Africanus. 585.b
Conſul. 545.b
Epiſcop. 573.a
Imperator. 532.b
Papa. 102.b
II. 483.b
III. 486.a
IV. 728.b.740.b.760.a. 769.b
Tumenſis Hiſtoric. 2.b
Victoria à Deo. 510.a.535.b. precibus obtenta. 488.a
Cruenta. 251.b.326.a
Infamis. 582.b.378.a.412.a
Crudeliter exercita à Cretenſibus. 183.b
Ptol. Lathuro. 387. a.
Sulla. 392.a. V. Tyrañi.
Per corvum. 293. a. lepuſculum. 678.b
Victorinus Afer. 520.b
Aquitan. 103.a.557.a
Conſul. 503.a
Imper. 499.b.500.b
Strigelius. 939.b
Victredus. 615.a
Vicus Tuſcus. 230.a
Vienna Auſtriæ inſtauratur. 775. a. fit urbs imperalis. 805.a. expugnatur. 900. b. obſidetur fruſtra à Turca. 921. a. Viennæ Ferdinandus III. Imp. cum nova Conjuge tum ab aula tum ab exter. Princ. Legatis ſolenni pompa excipitur. 1033. a. Bulla P. R. Innocentii X. valvis templorum de pace Oſnabrugenſi publicè affigitur. ibid. introitus Legatō Suecico ſolennis denegatur. 1038. b. Margaretha Tereſia Hiſp. venit ac nuptiæ cum Imperatore confirmantur. 1040. a. nova mercatorum ſocietas commerciorum cauſa per Danubium in Turciam exercendorum ſtabilitur. ib. b. Judæi expelluntur, Synagogis in templa converſis. 1041. b. Gallorum Legatus diſcedere jubetur. 1043. a. peſtilentia inficitur. 1046. b. obſidione graviſſima à Turcis vexatur, quam ſtrenuè Comes Rudolphus de Staerenberg defendit. liberatur. 1049.a
Galliæ Lugdun. 427.b
Vierradenſis Comitatus. 894.a
Vigilantius. 540.a
Vigilius Epiſc. 537.b
Legatus. 577.a
Papa. 579.a
P. Villius Tappulus. 354.a
Vilna. 832. b. à Ruſſis capta. 1035. b.
Vilſenacum. 860.b
Viltaburgum. 482.b
Viltæ. 482.b
Vimerius. 744.b
Vinaria. 834.b
Vinarienſis. 1009. b. obit. 1015.b
Vincentius. 547.b.548.a
Burgundus. 806.b
Mantuanus. 998.b
Vinciacum. 623.a
Vincomalus. 554.a
Vincula Petri. 549 a
Vindalium. 380.b
Vindelici. 501.b
Vindex Propræt. 454.b
Vindicta. 554. 555.a. 572. b. 588. a. 593.a
Stolida. 602.a
Zeloſa. 608.b.623.a.817.a
Vindomirus. 559.b
Vindoniſſa. 595.a
Vineæ plantantur. 178. a. excinduntur. 461. a. permittuntur. 501.b
M. Vinitius Quartin. 416.a.435.a
Nepos. 426.b
L. Vinius Criſpinus. 455.a
T. 455.a
Vinofredus. 619.b
Vinum optimum. 846.a
multum. 861.b.892 b
Opimianum. 381.a
M. Vinutius Quartinus. 443.b
L. 412.b
Vinum mutum. 1016.a
C. Vipſanius Agripp. 410.a
L. Apronianus. 449.a
Poplicola. 445.a
M. Agrippa. 410.b.415.a
T. Apro-

T. Apronian. 449.a. 468.a
Rufus. 460.b
Virdunum. 705.a
Virga Moſis. 713.b
Virgilius poëta. 395.a
Epiſc. 635.b
Virginia, Volumnii uxor. 319.b
Inſula. 962.b
A. Virginius Tricoſtus Cæli-montanus. 233.a. 240. 242.b
L. 231.a
Rufus. 450.
Opiter. Tricoſt. 231.a
Cælimont. 252.b
Pr. 236.a
Sp. Cælimont. 246.b
T. Rufus. 464.a
Tric. 232.b. 239.a
Cælim. 248.b
Virgo præfert mortem ſtupro. 894.a. CC. dantur obſides. 316. b. nubit LI. annorum. 555.a
Virmeus. 372.b
Viridomarus. 343.a
Virtus Dea. 351.b
Viſceratio. 303.b
C. Viſellius Varro. 429.b
L. 433.a
Viſiones hæreticorum. 515.b
Viſtula. 631.a
Viſurgis. 429.a
Vita longa. 458.b
Vitalianus Comes. 569.a
Conſul. 571.a
Papa. 608.b
Vitalis. 578.a
Vitelesco. 879.b
Vitellia. 272.a
Vitellius Imper. 455.a
A. 436.b. 439.a. Conſul. 445.a
L. Nepos. 443.a
Paulus. 445.a
Vitericus. 596.b
Viteza. 615.b
Vitiges. 567.a. 576.b
T. Vitraſius Pollio. 478.b. 480.b
Vitrum ductile. 432.b
Vitruvius Fundanus. 302.b
Vitus Drachsdorffius. 909.b
Divus. 671.a
Uladiſlaus rex. 1007.a
Ulamas. 923.a
Vlefeldius. 1012.b. cum exercitu in Holſatiam & Jutlandiam mittitur. 1036. b. conſpirationis abverſus regem reus fuga ſibi conſulit. 1039.a
Ulma. 650.b
Vlodimirus. 705.b
Ulpianus. 490.b
Ulpius Crinitus. 462. a. 493.b
Limenius. 520.a
Marcellus. 481.b
Trajanus. 464.a
Ulricus Comes Cibæ. 887.a
dux Wirtemb. 923.a
Ultrajectum, prius Antonia. 482. b. 714.b
Ulyſibona. 764.a
Ulyſſes. 185.a
Umbellæ privilegium. 682.a
Umbri. 220.a. 314.b
Unelli. 401.a
Ungaria quanti empta. 848. a. V. Hung. devaſtatur à Turcis. 1039.a
Unio pretioſiſſimus. 560.a
Species Cigæ. 993.a
Unni Epiſcopus. 684.a
Unſtrut. flu. 573. a. olim Wiſſtraw. 736.a
Vocladenſe prælium. 567.b
Voigtland. 793.a
Vola urbs. 260.b
Volandi conatus. 729.b
L. Volcatius Tull. 396.a. 412.b
Volcmarus. 782.a
Voldamar Danus. 1020.a
Voldumianus. 401.a
Volero. 245.a
Volga urbs. 805.a
Vologeſus Parth. rex. 448. b. 477.b
Volones unde dicti. 347.b. 479.a
Volradus. 631.a
Volſci. 215.b
Volſinienſes. 272.b. 330.a
Volumna. 252.b
L. Volumnius Flamma. 314. b. 319. a.
P. Gallus. 345.a
Voluſianus Imper. 496.b
Fl. 566.b. 577.a
A. Voluſius Saturninus. 461.b
Q. 447.b
Vonori. 439.b
Vopelius. 1008.b
Vopiſcus. 512.b
Vorenus. 394.a
Vorſtius. 974.a
Vortimenus. 555.b
Votum militare. 677.a
regium. 778.a
ſtultum. 824.a. 883.a
mutetur in argentum. 805.a
Ducis. 1019.b
Voyſinus. 965.a
Uradiſlaus. 730. b. 737.b
Uraias. 578.a
Vrangelius. 1013.a. 1022.a
Uranus dux. 711.a
Uratiſlavia. 963.b
Vrangelius dux. 1013. a. 1022.a
contra Danos. 1036.b
Uras. 111.b
Urbanus Papa. 490.b
II. 740.b
III. 781.a
IV. 816.a
V. 854.b
VI. 859.a
VII. 950.a
VIII. 991.b
Conſul. 432.b
Regius. 927.a
Urbinia. 242.a
Urias propheta. 236.b
ſervus Davidis. 191.a
Pontifex. 207.b
Urraca. 749.b
Urſellæ. 1022.a
Urſbergenſis. 747.a
Urſi centum. 398.b
Urſicinus. 522.a
Papa. 527.b
Urſini deficiunt. 839.a
Urſinus. 946.b
Urſus Conſul. 517.b. 567.b
Urus. 581.b
Uſcama. 364.a
Uſcochi. 971.a
Uſcuduma. 396.b. 469.b
Uſus. 199.b
Uſipetes. 401.a
Uſſumchaſſanes. 890.a
Uſuræ. 847. b. propter eas Judæi Galliâ ejecti. 779.b
Uſur Piale. 1021.a
Uberius. 570.b
Utica. 192.a. 314.a
Vulcanus. 178.b
Vulnerarius. 344.b
Vulturnum. 257.b
Uxamenſis. 898.a
Uxiana. 301.a
Uxores ducere lege jubentur cives. 428. b. Novem duxit Charinus Imper. & prægnantes repudiavit omnes. 504.a
Uzi Scythæ. 732.a
Uzias rex. 199.b

W.

Wachenheimb. 894.b
Wachon rex Longob. 571.a
Wachendunk. 954.a
Waiferus Aquit. 635.b
Waiwoda à Tartaris magna clade afficitur. 1037.b
Walachi. 782.a
Walachia. 228.b. 893.b
Walafridus. 659.a
Waldemarus. 770.b. 843.b
Waldenſes. 760. b. crudeli more habentur propter diſſenſum in Religione in Sabaudia. 1039.a
Waldericus. 751.a
Waldmannus à Stalſtädt. 801.a
Waldo. 703.a
Waldrada. 666.a
Walid. 619.a
II. 629.a. 637.b
Wallias. 543.a. 544.a. 803.a
Wallenſtein. 980. a. V. Fridlandus.
Walpurgis. 648.a. 955.b

Walthcrus

Waltherus Magiſter Livon.
Monachus. 727.b
Parricida. 833.b
Rex Franc. 507.a
Senſavir. 743.b
Waltrada. 666.a
Waltranus Epiſc. 741.b
Wambold. 1003.
Waradinum. 953.b. Turcis cadit. 1038.a.
Wararanes rex Perſ. 551.b
II. 502.b
III. 503.b
IV. 537.b
V. 544.a
Waratho. 616.a
Warelles. 1007.a
Warfuſæus. 1014.a
Warlania. 919.b
Warſavia non procul abhinc Sueci adverſus Polonos inſignem obtinent victoriam 1036.a. hora octava antemeridiana, primùm tres, deinde quinque ſolis facies adparuere: paulò poſt iris verſiculor inter illos quatuor crucis figuras repræſentans, viſa eſt. 1037.a
Wartburg. 814.b
Wedekindus dux Angriæ. 638.b
Comes. 716.b
Weiblingen. 761.b
Weiſenfelſæ. Auguſtus Dux Saxoniæ Adminiſtrator Magdeburgenſis erigit Gymnaſium. 1039.a
Weiſſenſee. 792.a
Weiſſenſteig. 665.b
Welſi. 761.b
Welpho dux Bavariæ. 718.b. 661.b
Weltburg. 588.a. 732.a
Welzi. 653.b
Wendelſtein. 843.a
Wenzeslaus dux Bohemiæ. 685.a. rex. 768.b. 824.a. 830.b
II. Caroli IV. F. 858.a
dux Saxoniæ. 861.a
Brabo. 465.b
Werdena. 647.a
Werdum. 622.b. 796.b
Werla. 701.a. 770.b
Wernerus ICtus. 790.a
Pruſſiæ magiſter. 841.a
Werthius. 1013.a
Weſenbecius. 948.b
Weſſelius. 898.a
Weſtergaw. 755.b
Weſtfriſa. 905.a
Weſtmaria. 687.b
Weſtphali. 482.b. 519.a. 603.b
Weſt Saxonum regnum. 571.a
Wibertus. 738.a
Wichmannus. 695.a
Wicleſius in Anglia. 856.b
Wictredus. V. Victr.
Widerhold. 1021.a
Wieck. 665.b
Wiedekind. 462.b
Wido. 674.b
Wigandus Theben. 835.a. 948.b
Wigbertus. 615.b. 754.b
Wigelinda. 613.a
Wigmann Epiſc. 766.b
Wiitſch propugn. 951.a
Wildenburg. 617.b
Wildfangiatus jus turbas movet inter Electorem Moguntinum & Palatinum. 1039.b. componitur arbitris Gallo & & Sueco. 1040.a
Wilfridus. 613.a
Wilhelmus Angliæ rex, Conquæſtor. 733.a
II. Rufus. 740.b. 746.b
Gallus. 720.b
Abbas Hirſchaug. 734.a
Achaiæ dux. 815.b
de Amore. 813.a
Apuliæ dux. 756.b
Aquitaniæ dux. 718.b
Auraicus. 936.a. 939.a
Brabantiæ dux. 861.a
Brunſuigi dux. 647.b. 878.b
Cliviæ dux. 915.b
Durandi. 824.b
Haſſiæ. 906.a. 938.b. 1010.a
Hollandiæ Comes. 804.b
Imper. 810.a
Juliacenſis. 821.b. 877.a
Malmesbur. 743.b
Medicus. 818.b
Mogunt. Epiſc. 694.b
Neſenus. 918.b
Normannus. 723.b
Occam. 838.a
Pictavi Comes. 759.b
Placentinus. 818.b
Rollonis F. 691.b
Scotiæ rex. 772.a. 796.b
Siciliæ rex. 767.b. 772.b
Saxoniæ dux. 899.b
Tarenti Comes. 788.a
Tholoſanus. 748.a
Thuringiæ dux. 750.b
Tyrius. 776.a
Dux Saxoniæ Vinarienſis vita excedit. 1038.b
Wilhelma Erneſtina Regis Daniæ filia Caroli Electoris Palatini filio dignitatis Electoralis hæredi deſponſatur. 1042.a
Wilibaldus. 618.a
Wilibrodus. 616.a
Willichius. 932.a
dux. 1023.b
Willigiſus. 700.a
Wilſenach. 860.b
Wilſii Vandali. 642.a. 712.
Wimpina. 609.b
Winckel. 707.b
Winckelmannus. 997.a
Winſeld. 429.a
Winsbach. 885.a
Winsbergenſes fœminæ maritos ſuos humeris portant ex urbe dedenda. 761.b
Comes. 834.a
Wipericht. 684.a
Wipecha. 854.b
Wippo. 709.a
Wirdunum. 667.b
Wirtenberg. 904.b
bellat. 923.a
Wiſcardus. 722.a
Wiſera. 582.b
Wiſmaria. 701.b. 806.b. à Danis per deditionem capitur. 1044.a
Wittelbachius ædificat Landishutum. 689.b
Wittenberg. 874.b. Scripto damnant Syncretiſmum. 1038.b
Wittenbergius. 1023.b
Wittii fratres libertatis popularis defenſores à plebe furente in partes conciduntur. 1042.b
Wittenſteyn. 941.a
Wittgaw. 578.b
Wittinenſis Comes. 687.a
Wittſtock. 1015.a
Withan. 644.a
Woda. 917.b
Wogtich. 699.b
Woldemarus. 799.b
Wolffenbüttel. 927.a. 1017.b
Wolfangus à Dalbunâ. 956.a
Bipontinus. 939.a
Capito. 927.a
Muſculus. 930.a
Wilhelmus. 968.b
Wolfoldus. 652.a
Wolgaſtum ab Electore Brandenburgico occupatur. 1044.a
Wolhynia. 832.b
Wollhin. 756.b
Wolmarum. 955.a
Wolnwebenum. 922.a
Worlick. 987.b
Wormatia. 650.a
Wormius. 687.b
Wulfaldus. 615.b
Wulfenbytum. 998.a
Wulferus. 608.a
Wulfranus. 608.b
Wurſati. 933.b
Würtzburg. 615.a. tumulat Epiſcopos ſuos. 756.b
Würtzen. 927.a
Wutgar. 569.a

X.

Xantippus Archon. 238.b
Dux. 333.a
Xanthius. 187.a

Xanthus

Xanthus. 178.a
Xenæthus. 344.a
Xeniladamus. 213.a
Xenippus. 315.b
Xenochares Meſſ. 206.a
Xenocles. 205.a
Xenocrates Philoſ. 259. b. 296. a. 309.b
Stadion. 233.a
Xenodamus. 454.a
Xenodocus. 205.a
Xenophanes Ætol. 333.a
Phyſic. 225.a
Xenophilus. 516.a
Xenophon incipit hiſtoriam, ubi Thucydides deſiit. 261.b. 265.b deſinit cum Epaminondæ interitu. 284. b. habet Scholam. 283. a. moritur. 286. b. qualis. 321.b
Medicus. 447.a
Stadion. 243.b
Xerxes rex Aſſyr. 174.b
Perſarum. 188. b. 235. a. cujus ingens fuit exercitus. 237.b
II. Artaxerxis F. 256.a
Xiphilinus Patriarcha Dionem redigit in compendium. 732.b
Xuthus. 180.b
Xuſtus Papa. 468.a
II. 469.a.498.a
Epiſcopus. 469.a

Y.

Ypera. 1026.b

Z.

ZAban. 602.b
Zaberga. 584.a
Zacharias propheta. 257.b
Papa. 628.b
Pater Joh. Baptiſta. 423.b
Patriarcha. 600.a
Jojadæ F. 198.b
Rex Iſraelis. 200.b
Zacuthi. 663.b
Zadock. 192.b
Zachara. 899.b
Zagura. 660.b
Zaleucus. 225.b.249.b
Zama. 383.b
Zamora. 734.b
Zamoſcius. 948.b
Zarabarzus. 575.b
Zancla conditur. 175. b. expugnatur. 211. b. à Chalcedonenſibus habitatur. 225.a. 241.b
Zancles. 243.a
Zanzo. 575.a
Zaphat. 592.a
Zara. 193.b
Zartneſius viribus collectis damna illata à Suecis vindicat. 1036.a. Ruſſos profligat. 1038.b
Zathus rex Laz. 571.b
Zatmarum. 937.a
Zavalocia. 944.b
Zazynthus. 287.b.349.a
Zbinges. 747.b
Zezmannus. 1001.b
Zechelius. 913.b
Zechius. 606.b
Zecleri. 957.a
Zedekias. 218.a.220.a
Zelibes. 862.a
Zeliobe rex Hunn. 571.b
Zemis Turca. 898.b
Zenobia. 498.b
Zeno Stoicus. 331.b
Zenodocus. 205.a. 417.b
Zenon Conſul. 551.b.557.a
Imper. 557.b.560.a. in ſepulchro redit ad vitam. 564. a
Medicus. 447.a
Pontificis F. 383.b
Rex. 431.b
Zephania. 214.b
Zepherinus Papa. 486.a
Zepuſienſis. 919.b
Zeringenſis. 756.b
Zerinius. 948.a
Zethus tyrannicida. 180.a
rex Ægypti. 200.b
Zeuxidamas. 202.b.242.b
Zeuxippus. 186.a
Zeuxis pictor. 242.a.269.a
Ziba. 190.b
Zicla. 189.b
Ziegenhain. 879.b
Ziegenruska. 852.b
Ziegeuner. 873.a
Ziemonislus. 683.a.697.b
Ziemovitius. 665.b.677.b.852.a
Zigethum. 933.a
Zimiſces Imper. 700.a
Ziſca. 873.a
Zitha. 573.a
Zoa. 721.b
Zoan urbs Ægypti. 172.b
Zodiaci obliquitatem primus deprehendit Anaximander. 99.a.225.a
Zoë. 683.a
Zoilus dux. 386.a
Zollern arx. 874.b
Burggraff. 820.a
Zolnack. 931.b
Zopyrus Darium decipit. 217.b
Stadion. 344.a
Zoroaſter rex. 173.b
magus. 188.a
Zorobabel. 259.a
Zoſimus Hiſtoricus. 535.b
Papa. 543.a
Znatoplock. 748.b
Zuendeboldus. 669.a.679.a
rex. 677.a
Zuiccavia. 831.b
Zuinglius. 922.a
Zutphaniæ Comitatus. 845.b
Zweybrück. 940. a. V. Bipontum.

FINIS.

APPENDIX
OPERIS CHRONOLOGICI
SETHI CALVISII;

Qua continetur

I. Apologia ſui inſtituti adverſus ejus obtrectatores, ad Academiæ Lipſienſis Proceres.

II. Selectæ quædam clarorum Virorum ad Calviſium Epiſtolæ, una cum reſponſionibus ad easdem, Chronologiam concernentes, quarum pleræque hactenus non fuerant editæ.

III. Tractatus quidam chronologici, ab ipſo Calviſio evulgati:
- Epiſtola de vero nativitatis Chriſti anno, ad Joannem Keplerum, MDCXIII.
- Johannis Kepleri ad eandem reſponſio. MDCXIV.
- Examen Hypotheſium chronologicarum à Davide Pareo evulgatarum, MDCVI.
- Epiſtolæ ad Eliam Reuſnerum & Davidem Pareum ſcriptæ, quibus univerſa fere ratio Chronologiæ continetur;
- Cum Præfatione ad Marcum Gerſtenbergium, MDCIX.
- Eliæ Reuſneri Enodatio duarum Quæſtionum chronologicarum controverſarum, tempus miniſterii & æram Chriſtianam concernentium; cum Calviſii admonitione circa Enodationem iſtam, MDCX.

IV. Quorundam clarorum Virorum de hoc Opere chronologico judicia.

FRANCOFURTI AD MOENUM ET LIPSIÆ.
APUD CHRISTIANUM GENSCH.
ANNO MDCLXXXV.

Magnifico Rectori, Reverendis, Clariſſimis & Excellentiſſimis Viris Dominis Profeſſoribus & Conſilii publici in Academia Lipſienſi Aſſeſſoribus, Dns Patronis, Fautoribus & Amicis ſuis omni obſervantiæ ſtudio colendis.

CUm ante hæc tempora Portæ in illuſtri Gymnaſio viverem, ubi & ocio aliquo modo abundabam & Bibliotheca inſtructiſſima frui poteram, non parum temporis in hiſtoricis prolegendis ponebam, & præcipua temporum momenta tum quidem notabam: Chronologiam tamen inſtituere non poteram, donec libri de Emendatione temporum *Ioſephi Scaligeri*, viri incomparabilis, Francofurti Anno 93 recuderentur, quos cum meo mihi ſumtu comparaſſem, avidè legi, & quid in quaque re ſentiret, unde epochas quavis deduceret, qua ratione eas confirmaret, aut quibus fundamentis diverſum ſentientes refutaret, multo exantlato labore, pervigili ſtudio, & plurima uſus diligentia tandem perſpexi. Eſt enim is Autor, ut eruditi norunt, inprimis argutus, brevis, ſuccinctus, ſubtilis & difficilis. Adhibui poſtea alios Chronologos omnes quotquot habere poteram, eos omnes diligentiſſimè contuli, & quæ cauſa diſſenſionum Chronologicarum eſſet, anxiè inquiſivi, & deprehendi tandem omnem Chronologiæ & temporis certitudinem ab Aſtronomicis legibus pendere, cum motus cœleſtis ſit menſura temporis, & plurimùm eos Chronologos inter ſe & cum aliis diſſentire, qui neglecto aſtronomico calculo res ex ſua opinione, conjectura & aliorum auctoritate, vel falſa, vel malè intellecta adjudicarunt. Quapropter ipſe aggreſſus rem, quæ Joſephus Scaliger ſubtilius perſecutus fuerat, populari & omnibus obvio modo explicare conatus ſum, omnes epochas diligentiſſimè excuſſi, quæ cauſa certitudinis earundem eſſet inveſtigavi, demonſtrationibus eaſdem munivi, & quæ contradici poſſent, ſolidè & evidenter refutavi.

Non parvo hæc res mihi conſtitit labore, ut qui ultra centum & quinquaginta eclipſes, quotquot ſcilicet hiſtorici meminerunt, quibus res geſtas, quaſi certiſſimo charactere & nota inſigniverunt, ad calculum revocare, ſuis temporibus, annis, menſibus, diebus & horis reſtituere coactus ſum. Adinveni præterea tabulas aſtronomicas, quibus æquabilis motus lunaris, tam in longitudinem, quam in latitudinem facilima methodo & perexiguo labore invenitur, ita ut ex hiſce tabulis quiſpiam, etiamſi alias ſit aſtronomiæ rudis, tamen certè affirmare poſſit, eclipſes, quæ ad notandam aliquam rem geſtam, ab hiſtoricis annotatæ ſunt, vel eo tempore, quo ſunt annotatæ, factas eſſe, vel adhuc futuras. Addidi etiam præceſſionem æquinoctiorum & ſolſtitiorum æquabilem, ut quovis anno à condito mundo dato, ſedes æquinoctii in conſpectu eſſet. Item alias præterea tabulas inſerui, quæ ad demonſtrationem temporis faciunt. Docui etiam vel tabulis vel certiſſimis canonibus, quomodo epochæ quævis cum aliis quibusvis rectè comparari poſſint: id quod Chronologorum ante me nemo. Adjunxi hiſce omnibus praxin, hoc eſt, Chronologiam à condito mundo ad noſtra uſque tempora deductam, cui hiſtorias omnium temporum admiſcui, ejuſmodi circumſtantiis deſcriptas, ut adoleſcentes vel pueri continuam hiſtoriarum ſeriem vel ſynopſin animo concipere & comprehendere poſſint. Opus hoc perfectum & elaboratum, quantum quidem à me fieri potuit, publicandum cenſui: nec defuerunt amici, qui editionem ſuaderent. Ideo hujus Academiæ hiſtorico N. N. cenſendum traditum fuit. Hic dum menſtruum circiter ſpacium in eo perlegendo conſumſiſſet, tandem id à Mathematico D.D. Meurero cenſer voluit, quod plurimæ in eo eſſent demonſtrationes aſtronomicæ. D.D. Meurerus, cum id perlegiſſet & examinaſſet, ſibi probari aſtronomicas demonſtrationes ſubſcripſit. Jam ego rem confectam arbitrabar: nec enim ſuſpicari poteram, ſi præmiſſæ ambæ in Syllogiſmo, hoc eſt ſi demonſtrationes veræ, certæ & invictæ eſſent: concluſionem ſive verum id, quod demonſtratum fuerat, à Dn. N. N. non approbatum iri. Sed aliter res evenit. N. N. enim, cum apud animum conſtituiſſet hanc Chronologiam impedire, & primo prælio cecidiſſet, demonſtrationesque omnes præter ſpem approbatæ eſſent, ad vos confugit, & ſub veſtro conſenſu, patrocinio & auctoritate eandem opprimere conatur. Sapienter hoc, ne invidiam ſuppreſſæ veritatis ſolus ſuſtinere cogatur. Sed tamen, ſi N. omninò voluit, quod animo conceperat, Chronologiam meam impedire, non moleſtè fero, cum vos Magnifice Rector, Reverendi &c. arbitros & judices elegiſſe, quorum conſilio & judicio tota res perageretur. Magnam enim ſpem mihi fecit, me quod æquum & juſtum eſt, à vobis impetraturum. Cum æquitatis & juſtitiæ ſitis præcones, profeſſores & monſtratores. Maximopere igitur à vobis peto & contendo, ut apologiam hanc meam perlegere, & poſtea quod æquum eſt juſtum videbitur, in mea Chronologia vel promovenda vel prohibenda conſtituere velitis: id quod facturos vos eſſe, cum civis Academiæ veſtræ ſim, certò mihi polliceor. Etſi autem ſpem meam de veſtra erga me æquitate aliquo modo infringere videtur, quod nec auditus, nec convictus, condemnatus ſum à vobis, tamen, cum de veſtra in me benevolentia non dubitem, id in meliorem partem interpretor, & rem vobis inopinantibus propoſitam, rationibus veriſimilibus potius, quàm veris oppugnatam, & cum nemo veſtrum haberet, quod contra dicere poſſet cum mea non vidiſſet, tandem perfectam, cogito, ſperoque, futurum propter hanc ipſam cauſam vos attentiùs, de re ipſa cogitaturos.

Quamvis autem ignorem, quas rationes impediendæ meæ Chronologiæ cauſa præcipuè apud vos protulerit: tamen arbitror eaſdem fuiſſe, quas & ad me & ad alios prolocutus eſt, quarum firmitatem quæſo paululum excutite.

Prima eſt, quod cenſet in artibus nihil innovandum vel novis adinventionibus augendum & ornandum. Sed ſi hoc univerſaliter accipiendum eſt, D. Lutherus malè fecit, quod plurima in Theologia innovavit. Philippus Melanchton etiam qui multa in Grammaticis, Dialecticis, Rhetoricis & aliis artibus innovavit & novis adinventionibus auxit, Tycho Brahe nobiliſſimus Mathematicus noſtro tempore in aſtronomica doctrina multa innovavit, correxit motum ſolis & Lunæ & aliorum Planetarum, demonſtravit Cometas non in regione elementari, ut Ariſtoteles ſentit, ſed in æthere fieri, & alia. Hujus adinventiones, ſi judicio N. hac ratione ſtandum eſſet, non caſſa nuce precioſiores exiſtimandæ eſſent, ſed longè aliter indicat invictiſſimus noſter Imperator, qui & ejus ſtudia infinitis ſumptibus ſuſtentavit, & poſt ejus obitum non minus ſumtuum collocat in eos, qui Tychonis innovationes excolunt, & ad uſum transferunt. Sunt & erunt omnibus temporibus, qui ſtudia artium novis adinventionibus augere, ornare, & juventuti cariora & faciliora reddere conantur. Id quod vos etiam Clariſſimos viros facere arbitror. Cur igitur, quod in aliis laudatur, in me reprehenditur? Num Chronologiæ ſtudium ita excultum eſt, ut nihil ipſi addi poſſit? Certè nihil minus. Nondum enim fundamenta Chronologiæ ſatis firma jacta videntur. Nam hinc eſt, quod Chronologi adeò inter ſe diſſentiunt, ita ut diſſenſio eorundem trito proverbio celebretur.

Si Mathematicis rationibus tempora dimenſi fuiſſent: nemo unquam contra eos hiſcere potuiſſet. Jam verò dum omiſſis demonſtrationibus Mathematicis quiſque ſuas opiniones & conjecturas ſequitur, tot ſunt ſententiæ, quot capita Chronologorum, & in unam eandemque ſententiam nunquam coire poſſunt. Quod igitur hactenus factum non eſt, ut Chronologia Mathematicis legibus demonſtraretur, id ego tentavi, magnoque labore perfeci, & ſpero non facilè futuros, qui hanc rationem ſint ſpreturi aut contra eam diſputaturi. Quare odioſa illa artium innovatio, de qua N. loquitur, non intelligenda eſt de eo, ſi artes excolantur, & ſi quid veri in iiſdem invenitur: ſed de ſophiſticis ſtrophis & argutiis non neceſſariis. Siquidem omne quod verum eſt in artibus, id à ſolo Deo eſt, & veritati etiam nemo reſiſtit, niſi qui à Deo non eſt & omne quod à Deo eſt, idem etiam utile eſt & hominibus ac ſtudioſæ juventuti ſalutare. Cum à Deo nihil niſi bonum & utile proficiſci poſſit, atque hoc ſit dictum de innovatione artium generali. Tranſeamus ad id, quod cenſet innovatum.

Principale id, quod reprehendit eſt, quod ſtatuæ aeram Chriſtianam, quâ vulgo utimur, non à vero anno nativitatis Chriſti deduci ſed duobus aninis poſteriorem eſſe. Non ego, Clariſſimi Viri, primus autor ſum hujus innovationis, ut cum N. loquar. Sed multi alii, ut Henricus Buntingius, Joſephus Scaliger & alii. Sic ego etiam invictis rationibus demonſtro, noſâ vero anno nativitatis Chriſti in æra Chriſtiana vulgata aberrare, quas quidem rationes, cum plurimæ ſint hic adducere non poſſum, unam tamen atque alteram quæſo mecum perpendite. Fundamentum meæ demonſtrationis eſt quod ex hiſtoria Evangeliſtarum conſtat, Chriſtum Salvatorem noſtrum natum regnante Herode, & anno quindecimo Imperii Tiberiani currente fuiſſe triginta annorum circiter. Jam ſic infero, ſi annus Tiberii quindecimus eſt Chriſti triceſimus, tum neceſſe eſt, ut annus ætatis Chriſti decimus ſextus ſit primus Tiberii, & Auguſtum Imperatorem mortuum anno ætatis Chriſti decimo ſexto. Hoc ita verum eſſe nemo ambigit, cum vel digiti hoc oſtendant. Jam verò Dio & Cornelius Tacitus hiſtoricorum Romanorum principes teſtantur, paulò poſt obitum Auguſti contigiſſe eclipſin lunarem horrendam, qua ſeditio militum in Pannonia, majora ſtipendia & dimiſſionem poſt obitum Auguſti à Tiberio flagitantium, compreſſa fuerit. Ea eclipſis ſi ad calculum aſtronomicum revocetur, non invenitur, niſi anno æræ Chriſtianæ, decimo quarto d. 27. Septembris, feria quinta hora quinta matutina, ratione noſtri horologii. Atqui Auguſtus Imperator mortuus eſt anno ætatis Chriſti decimo ſexto, annus igitur æræ Chriſtianæ ſimiliter eſſe debebat decimus ſextus, quo eclipſis illa accidit, non autem eſt decimus ſextus, ſed decimus quartus. Ergo æra Chriſtiana non deducitur & numeratur à vero anno nativitatis Chriſti.

Audite alteram demonſtrationem. Imperator Romanorum Claudius cum ex Aſtronomis didiciſſet futuram Solis eclipſin Calendis Auguſti; die ſuo natali, ne populus Romanus ſuſpicaretur eclipſin hanc die natali Imperatoris incidentem, Imperatori malum quod portendere, publico programmate, nam propoſuit, & populum docuit, eclipſes naturalibus de cauſis fieri, &c. quemadmodum hæc Dio hiſtoricus prolixè recenſet. Facta eclipſis ut ibidem expreſsè annotatur, quinto, anno imperii Claudii, COSS. M. Vinitio Criſpino & M. Statilio Corvino, anno urbis 798. Calendis Auguſti, feria prima, hora nona ante meridiem. Si hæc eclipſis inquiratur in tabulis Prutenicis ad annos æræ Chriſtianæ nullibi reperitur, niſi in anno æræ Chriſtianæ quadrageſimo quinto. Claudius igitur cum hæc eclipſis incideret, imperaret annos quatuor, dies 190. Conſurgit enim ejus imperium à die 24. Januarii, quo Caligula interfectus erat. Caligula imperavit annos tres, & dies 1313. Tiberius imperavit annos octo, dies 209. poſt annum imperii decimum quartum exactum. In una enim ſumma imperio præfuit annis 22. diebus 209. Imperatum ergo fuit Romæ ab hiſce tribus Imperatoribus, poſt decimum quartum annum Tiberii, uſque ad hanc eclipſin Solis, annis ſedecim, diebus 347. qui ſubducti ex annis æræ Chriſtianæ quadraginta quatuor exactis & diebus 212. qui præterierant, cum hæc eclipſis fieret, reliquos faciunt annos viginti ſeptem dies 230. Hi dies numerati à Calendis Januarii deſinunt in die 19. Auguſti, anni vigeſimi octavi æræ Chriſtianæ, & eodem die incipit annus quindecimus Tiberii atque hoc modo concurrit quindecimus annus Tiberii cum viceſimo octavo æræ Chriſtianæ qui tamen con-

concurrere neceſſe eſt cum triceſimo Anno ætatis Chriſti, teſte *Luca*. Ergo anni vulgatæ æræ Chriſtianæ non conſentiunt cum annis ætatis Chriſti.

Hæ demonſtrationes apertæ ſunt, & ſi de tot nummis computandis agatur, non dubito, quin quivis puer intelligere poſſit, quantum interſit inter quatuordecim & ſedecim, vel inter viginti octo & triginta, quanto magis vos, Viri Clariſſimi attendere debetis ad hanc differentiam. Eſt enim controverſia non de epocha levi: Sed de omnium maxima, à qua noſtræ ſalutis annos numeramus, quæ à Chronologo præteriri non poteſt. Demonſtrationes apertè proponuntur: Hiſtorici qui has eclipſes annotarunt veri ſunt, neque unquam mendacii vel ſuſpecti vel convicti fuerunt. Calculus etiam aſtronomicus fallere non poteſt, Ergo de veritate rei nihil dubitandum.

Addam tamen adhuc unam demonſtrationem ex Joſepho hiſtorico, qui in nulla alia hiſtoria deſcribenda plus diligentiæ & fidei adhibuit, quam in Hiſtoria Herodis & tamen miſerè flagellatur à malè conciliatis Chronologis, qui tenebras in oculis circumferunt, & in hunc Hiſtoricum tenebrarum cauſas conferunt. Is ſcribit Herodem, cum graviter ægrotarit, quadraginta adoleſcentes, propterea quod aquilam auream, foribus templi impoſitam, dejeciſſent, igne cremaſſe, & ipſum paulò poſt mortuum, adhuc ante paſcha. Tempore paſchatis enim ſeditionem in populo excitatam, propter hos adoleſcentes interfectos, & multa millia Judæorum ab Archelao Herodis ſucceſſore interfecta. Hiſtoria exſtat lib. 17. Antiquit. Cap. 7. &c.

Addit autem Joſephus ibidem certiſſimum Characterem temporis, eclypſin videlicet lunarem; quæ acciderit nocte illa, quæ ſecuta eſt ſupplicium tot adoleſcentulorum. Inquiratur ea eclypſis. Certiſſimum eſt, eam nullibi inveniri poſſe, niſi ferè annuo ſpacio, antequam noſtra æra Chriſtiana incipiat, videlicet die 10. Januarii, horâ ſecundâ matutina, feriâ ſeptima ineunte, Cyclo Lunæ primo. Herodes igitur mortuus eſt ante Paſcha ejus anni, qui habet Cyclum Lunæ primum. Nos verò inchoamus noſtram æram ab eo anno, qui habet Cyclum Lunæ ſecundum. Ideo in inveſtigatione Cycli Lunaris addimus unitatem, quod vel pueris notum eſt. Statuimus itaque Chriſtum natum annuo ferè ſpacio poſt obitum Herodis, idque contra ſacram ſcripturam, quæ teſtatur Chriſtum natum vivente & regnante Herode.

Falſa igitur hæc eſt æra Chriſtiana, nec cum vero anno Nativitatis Chriſti conſentit. Hujusmodi plures demonſtrationes in Iſagoge mea congeſſi, Sed huc afferri non poſſunt; alias ea tota deſcribenda eſſet, & ratio habenda eſt veſtræ benevolentiæ & Occupationum. Quod attinet ad conſenſum Eccleſiæ, qui hoc modo turbari exiſtimatur, ſic ſe res habet. Dionyſius quidem Scytha cognomento exiguus, vixit Romæ circa annum Chriſti 530. eo tempore, cum omnes bonæ artes & linguæ, vaſtatione barbarorum populorum in Italiam irrumpentium, ferè eſſent abolitæ & oblivioni traditæ.

Is juſſu Pontificis Felicis Cyclum Paſchalem præſcripſit & annos à Nativitate Chriſti numerare docuit, & ex hujus præſcripto per Pontificem hæc æra Eccleſiæ eſt obtruſa. Verum cum Dionyſius ille per annos Diocletiani, per annos agonis Capitolini, & ſeriem Conſulum annos numerare cogeretur, Conſules etiam ſub Trajani & Hadriani imperiis valde ſint confuſi, & ipſi præterea mathematicarum demonſtrationem ignarus eſſet, facilè à vero anno Nativitatis Chriſti aberrare potuit. Longè enim aliter ſtatuit primitiva Eccleſia de vero anno nativitatis Chriſti, quam hic Dionyſius, & cum illa multi alii.

Euſebius enim dicit Chriſtum natum anno Actiacæ Victoriæ viceſimo octavo hoc eſt Cyclo lunæ decimo octavo, ut luculenter in Iſagoge demonſtravi atque ita biennio antequam Dionyſius hic incipit. Puriorem igitur Eccleſiam potius ſequamur & demonſtrationes manifeſtas, quam errores Dionyſii monachi.

Sed tamen propterea æram Chriſtianam vulgatam, quia falſa eſt, non abolemus, ſed uſum ejus concedimus multis, ſcientiam nobis reſervamus.

N. Arbitratur quidem haſce demonſtrationes eſſe rationes leviuſculas, quæ facilè convelli poſſint, propterea quod vel certitudinem eclypſium non intelligit, vel quod ex alto haſce diſciplinas deſpicit.

Sed vos, Clariſſimi Viri, qui noviſtis, quod robur & quæ firmitas ſit demonſtrationum mathematicarum, ad hanc epocham confirmandam adductarum, quæſo hæc ut & reliqua in Iſagoge mea, ne contemnatis. Convelli non poſſunt hæ demonſtrationes, certum hoc eſt, niſi omnia omnium hiſtoricorum monumenta evertantur, & æterna mathematicorum principia è mentibus humanis evellantur. Si quid aliud N. in mea Iſagoge vel Chronologia deſiderat vel reprehendit, audiat me, abundè ipſi ſatisfaciam, & ſententiam meam evidentiſſimis rationibus confirmabo.

Tertiò reſpondendum etiam eſt ad id, quod N. dicit, me diſcedere à Sententia Lutheri & Philippi, in definiendo anno nativitatis Chriſti à condito mundo numerato.

Notum eſt D. Lutherum facere annum nati Chriſti à condito mundo 3962. Philippum verò addere adhuc unum annum & nominare annum 3963. Cæterum ſi peccatum eſt, à Lutheri ſententia diſcedere, cur ipſe à Luthero deficit, & ad Calvinianos Crentzhemium & Bucholcerum tranſit, qui octo annis nativitatem Chriſti poſteriorem faciunt? dicunt enim ex inaccidiſſe anno mundi 3970. Fridericus Huſmannus vir nobilis, in epiſtola ad Palatinum, apud Codomannum, recenſet quadraginta Chronologorum in hac re ſententias, quarum nulla cum Luthero convenit, & hæ Chronologiæ omnes publicè venduntur. Imo hoc ipſo anno, hic Lipſiæ impreſſa eſt Chronologia Reverendi & Cl. Viri Dn. D. Polycarpi Leiſeri, in qua ſtatuit Chriſtum natum anno mundi 3986. atque ita annis 24. abeſt à D. Lutheri ſententia, Ego verò tantum tredecim annis ab eodem Luthero diſcrepo.

Si Dn. D. Polycarpo ſuam ſententiam publicare permittitur, cur mea prohibetur? Luthero

nunquam in mentem hoc venit, ut ſtatuere voluerit exemplar Chronologiæ, quod ſub pœna excommunicationis omnes Eccleſiæ ſequerentur; quin potius gratias egiſſet iis, qui Chronologiam Aſtronomicis rationibus demonſtratam proponere voluiſſent. Nihil præterea addam, ne videar veſtra benevolentia abuti, quod enim N. ita contemtim de me loquitur, & mea quantum poteſt elevat, id ejusmodi eſt, ut reſponſione indignum arbitrer, eruditi de hac re, & qui intelligunt, judicent.

Cum igitur, Magnifice Rector, Reverendi Clariſſimi & Excellentiſſimi Viri, nihil niſi verum in Chronologia mea adinvenerim, idque firmiſſimis demonſtrationibus munitum confirmaverim, & à ſententia communi non præter cauſam diſceſſerim, magnoperè vos rogo, ut alterutrum horum me à vobis impetrare ſinatis videlicet, ut vel Chronologiæ meæ editionem jubeatis vel meas demonſtrationes nullius momenti, & falſas eſſe, & me in Chronologia errare, demonſtretis. Si erroris convictus fuero, tantum abeſt, ut ulterius vobis futurus ſim moleſtus, ut vel meum quatuordecim annorum laborem in ignem ſim conjecturus & æquisſimo animo laturus, ut dicar, quemadmodum corpore claudico, ita & animo claudicare & Chronologiæ juxta & muſicarum rerum eſſe imperitiſſimus. Sed ſi hoc fieri non poterit, nolite me ſine cauſa condemnare, odio proſequi, contemnere & impedire. Civis Academiæ veſtræ ſum, mihi debetur à vobis inſtitutio, benevolentia, ſtudium, defenſio, nolite hæc præter cauſam commutare in condemnationem, odium, contemtum & impedimentum. Nolite vos reos offerre apud ſtudioſam juventutem, apud eruditos quosvis, apud Academias alias, imo etiam apud Poſteros veritatis à vobis impeditæ, oppugnatæ & oppreſſæ. Sat injuriæ mihi illatum credite, quod nec auditus, nec convictus, condemnatus ſum à vobis autore unico, qui mea vel non intelligit, vel aliter interpretatur, vel aliò, ut mitiſſimè dicam, traducit. Patrocinium meæ Chronologiæ à vobis non expeto, nec enim Academia ad defenſionem eorum librorum, qui hic eduntur, obligatur. Quisque autor ex ſuis operibus dijudicatur, tantum permittite, ut edatur. Permiſiſtis æditue Thomano ut ſuum Chronicon, quod tamen & cum ſacra ſcriptura, & cum fide dignis Hiſtoricis plurimis in locis pugnat, ederet. Permittite Cantori Thomano, ut veram Chronologiam edat, etiamſi quod numeret, non habeat. Experiemini, meam Chronologiam Academiæ veſtræ non futuram dedecori ſed ornamento; non detrimento ſed emolumento & honori. Si alterutrum horum, quæ ſanè æquiſſima judico, impetravero, tum verè me à vobis amari, magni fieri & defendi exiſtimabo. Et ego omnia mea ſtudia viciſſim vobis & Academiæ huic defero Valete die 5. Octob. Anno 1604.

Magnif. R. D. E. Ex. V.

S.

Sethus Calviſius Cantor.

Die 25. Novembr. ex Decreto Concilii publici Chronologia hæc approbata & ſubſcripta eſt à Magnifico Prorectore Michaële VVirth. I. V. D.

Epiſtola I.

Præclaris in Rem literariam meritis nobilisſimo Viro DN. JOSEPHO SCALIGERO Patrono & Præceptori omni obſervantia colendo SETHUS CALVISIUS.

SETHUS CALVISIUS omnia felicia!

CUm ante annos ferè tredecim libros tuos de emendatione temporum iterum à Bibliopola Francofurtenſi excuſos nactus eſſem, omne meum ſtudium ad eos rectè intelligendos ponere cœpi; propterea quod viderem in hiſce oris valde iniqua de iſtis Libris circumferri judicia, cum ego à Scaligeris nil niſi judicio ſelectum, demonſtratione firmum, & curâ elaboratum atque perfectum proficiſci poſſe crederem, neque ſanè mea opinio me fefellit, ſed de hac re non neceſſe eſt, ut apud Te multa dicantur. Deprehendi autem iſtorum iniquorum judiciorum culpam non planè in pravitate mentis virorum iſtorum, qui aliàs videntur boni, reſidere; ſed potiùs in ignoratione ſive præcipitatione ſententiæ de re non intellecta, cum viderent ſuas opiniones, quas firmas eſſe hactenus crediderant, convelli, nec tamen laborem ad Tua rectè intelligenda, vel aliis rebus impediti, vel etiam viribus ingenii deſtituti, conferre poſſent. Auſus etiam ſum cum quodam ex hiſce iniquioribus Cenſoribus per literas de tuis fundamentis conferre, eaque, quæ ſubtilius & ſtrictius perſecutus es, latius evolvere, & ad captum ejus craſſius proponere, pluribus etiam aliis applicatis demonſtrationibus, ſi occaſio eſſet epochas confirmare, hâcque ratione eundem eò, ut in aliquibus dubitaret, in quibusdam etiam, ut plane palinodiam caneret, redegi, quemadmodum hoc literis oſtendere poſſem. Cum vero amici mei quidam, qui plurimum apud me valebant, hortarentur, ut haſce de Epochis diſputationes colligerem, Chronologiam præterea adderem & publicarem, paſſus ſum, has mihi perſuaderi, neſcio tamen an ſatis felici auſpicio: tuum tamen ductum, quem de Chronologia contexenda præſcribis, quantum potui, perpetuo ſecutus ſum, & ſententiam tuam in quavis epocha retinui, exceptâ hâc unica de initio Conſtantini Magni.

Olym-

Olympiadum enim annotatio apud Socratem, quam fundamenti loco ponis, mihi videtur ambigua, & de ea dixi Cap. XXXIX. Iſagoges. Certior Dux in hac Epocha conſtituenda mihi videtur hiſtoria Athanaſii, quæ manifeſtè oſtendit, Conſtantinum M. Anno æræ Chriſtianæ CCCXXXV. Hieroſolymis egiſſe Tricennalia, & ferè poſt biennium mortem obiiſſe. Athanaſius enim cum ejectus eſſet à Conſtantino M. in exilium, reſtitutus fuit in Epiſcopatum Regio diplomate Conſtantini junioris die XVII. Junii Anno proximo poſt obitum Conſtantini M. cum exulaſſet biennium & menſes quatuor. Reſtitutus igitur fuit Anno CCCXXXIIX. & ejectus circa initium Martii Anno CCCXXXVI. cum Tricennalia Hieroſolymis dudum acta eſſent, quemadmodum hæc prolixe habentur in annalibus Baronii. Hinc igitur colligitur initium Conſtantini M. ponendum in Annum æræ Chriſtianæ CCCVI. & primum Annum perſecutionis Diocletianæ inchoandum in Martio Anni CCCIII. Cyclo Lunæ XIX. ad rationem Paſchatis Judaici, quod Eccleſia in Aſia ſequebatur. Deinde videor etiam Annum captæ Conſtantinopolis à Mahummede in Chronologia rectè firmaſſe; ſed expecto tuum de hac Epocha & de aliis omnibus judicium. Exemplar autem hujus Chronologiæ, cum tota tua ſit, ad Te etiam mittere volui, quod ut T. Excell. boni conſulere, examinare & emendare velit magnopere peto. Gratum mihi erit, ſi quid deſideraveris, aut mutatum volueris, ſi ad me perſcripſeris. Si verò meam operam in plerisque probaveris, quod neſcio, an ſperare poſſim, & literis ad me datis, vel præfatiuncula quadam meam in tenebris ſcholaſticis deliteſcentem obſcuritatem colluſtrare & Chronologiam hanc Studioſis commendatiorem reddere volueris, rem facies Studioſæ juventuti utiliſſimam & mihi honorificam longeque gratiſſimam, quod ut facias, etiam atque etiam, quantum poſſum, rogo. Tuæ Excellentiæ viciſſim omnia, quæcunque à me proficiſci poſſunt officia, cum ſumma obſervantia & cultu offero ac dedico. Vale quam optimè. Lipſiæ. Pridie Calendis Septembris Anno MDCV.

Editionis noſtræ prima, in citerioribus eſt Caput XLI.

II.

JOSEPHUS SCALIGER, SETHO CALVISIO SUO S.

OMnes boni qui animum ad ſcribendum applicant, nullum alium laborum ſuorum fructum ſperare debent, quam ut ab eorum ſcriptis lector melior aut doctior diſcedat: ſi qua autem laus inde ad eos perveniat, eam deputare in lucro. Hodiè paucos videas qui non majorem ambitionis ſuæ, quàm publicæ utilitatis rationem habeant. Nos autem præclarè nobiſcum agi ſemper exiſtimavimus, ſi ſcripta noſtra ita Lectorem afficiant, ut illi major inde fructus, quam nobis celebritas comparetur: Gloriam plerumque non merito, ſed caſu contingere; perinde ut malis hiſtrionibus plauditur, boni exſibilantur. Cum viderem eo rem rediiſſe, ut neque ſcribendi, neque velitandi ulla finis eſſet, præſertim in Chronologia, quæ ut anima eſt Hiſtoriæ, ita nobiliſſimum ſcriptionis argumentum eſt, cœpi hujus ſeculi vicem dolere, cum in tanta literarum luce nemo hactenus rationem inire potuerit, quâ iſtæ lites καὶ σκιαμαχίαι componerentur, & quâ juſta aliqua, facilis ac vincibilis methodus reperiretur, quæ aut æquioribus ingeniis ſatisfaceret, aut pertinaciæ jugulum peteret. Cœpi experiri, quid in ea re poſſem, ut ſi conatibus noſtris eventus deeſſet, non deeſſet tamen aliquis, qui aut propoſitum probaret, aut voluntatem imitaretur. Denique opus de emendatione temporum emiſimus: in quo ſi quis nos meliore methodo, quam qui ante nos id tractârunt, uſos fuiſſe negaverit, meliorem certe animum attuliſſe, quam qui poſt nos ſcripſerunt, etiam invitus concedet. Cum alios æmulatio ſimios, alios obtrectandi ſtudium ſycophantas probaverit. Quid enim aliud profeſſi ſunt, quam iniquè ſe ferre, aliquem extitare, qui docere ſe poſſet, quod neſciunt, aut dedocere, quod perperam didicerunt? Hinc illæ lacrymæ: hinc ad obtrectandum potius, quam ad ingenuam Confeſſionem ſeſe converterunt. Quidam eorum per arrogantiam tangere nolle, nonnulli per inſcitiam non capere, alii per malitiam carpere. Omnino examina muſcarum excitavimus. Itaque fervet opus. Nullæ Francofurtenſes nundinæ ſine Chronologorum proventu. Optimus eorum habetur, qui obliquum dentis ictum in nos diſtrinxerit. Etiam cujusdam Thomæ Lydial Angli judicio omnem operam in libris de emendatione temporum luſimus, ut, ſi quæ illi fides, ne ſemel quidem verum dicere nobis contigerit. Itaque merito de infelicitate noſtra querimur, qui tanto Heroi placere non ſtuduerimus. Sed de illo dicendi locus non eſt. Hoc unum dico, nunquam tam portentoſum librum poſt hominum memoriam prodiiſſe. Nos quidem ſummo Dei benefico, operam noſtram multo felicius collocatam ſcimus, quam illis Prophetis viſum. Sed quod nullus adhuc induſtriæ noſtræ ſenſus ad quenquam eorum pervenerit, juſtus dolor à me expreſſit, ut non quidem cauſſæ meæ diffiderem, cujus bonitatis conſcius eram, ſed me tam ingrati ſæculi pœniteret, cui invito prodeſſe voluerim, quin & eo infelicitatis nos redigi, ut ea, quæ ſolidis demonſtrationibus munita ſunt, ſimiorum, hariolorum, ſcarabæorum, conjuratorum quaſi, coitione facta convellerentur. Sed maxima vis eſt veritatis. Quantum improborum eſt, ſatis non eſt ad eam lædendam. Unus probus ſat eſt, ad eam ab omni injuria vindicandam. Quod quidem contigiſſe nunc magis lætor, quum tu, Vir optime & doctiſſime, poſtquam omnes rationes noſtràs perfectè aſſecutus es, & illis, tanquam firmiſſimis fundamentis, opus tuum omni laude majus conſtituiſti, primus omnium oculos cœlo attollere, primus de hoc præclaro ſtudio optimè mereri auſus es, cum hactenus alii phreneticis ac fatanicis commentis ſuis plus fidei, quam manifeſtis ac neceſſariis demonſtrationibus, habuerint. Itaque tam eximio labore id conſecutus es, ut qua primus hinc gloriam arripuiſti ſolus eam poſſideas, neque quiſquam tibi præripere eam poſſit. Sed & mihi præteritorum ſtudiorum fructus præclarè conſtat, quod cum ego nihil impenſius optarem,

rem, quam rem Chronologicam eo deduci, ut hariolorum injuriæ ac tyrannidi opportuna amplius non eſſet, ac eodem Tempore tot canes argumenta noſtra ac rationes allatrarent; unus tandem eas amplexus ſit, qui inſtar omnium eſſe poſſit. Itaque ſerio triumpho, eoque magis quod lætitia mea cum publica utilitate conjuncta eſt. Nemo enim beneficii tui meminerit, quin & vigiliarum mearum memi-“ nerit. Vivet igitur, vivet opus hoc, ſacrarium temporum ſcrinium æternitatis, perpetuorum Faſto-“ rum conditorium. Jam deſitum eſt in Chronologia nugari. Nihil in eo ineptum, nihil futi-“ le. Omnia plana, perſpicua, ita inter ſe apta, ut ultima à primis pendeant, media utrisque hæreant. Omnia denique inter ſe reſpondent, & paria cum rationibus noſtris faciunt. Optabam equidem, tale opus à quodam inſtitui, ſed nunquam ſperare auſus ſum. Alterum ſuadebat conſcientia operæ bene poſitæ, ab altero improbitas ſæculi deterrebat. Vicit veritas tandem & ne fruſtra optaremus, effecit. Illius verò præſtantiſſimi ædificii tui ichnographiam quandam in Canonibus noſtris Iſagogicis videbis, qui una cum Euſebio noſtro prodituri ſunt. Unde multa nunquam hactenus publicata haurire poteris; non pauca etiam, quæ rationes noſtras longè probabilioribus argumentis firmant, excerpes: ut ſi ſecundam editionem adornes, elegantiſſimis acceſſionibus eam inſtruere poſſis. Noli enim dubitare, quin hæc merx ſtatim extrudatur, ac propediem ſecundæ editionis neceſſitas incumbat tibi. Eum guſtum tui operis omnibus doctis dedimus, quos quidem novērimus, ut nihil magis illis doleat, quam unicum tantum exemplar, quod mihi miſiſti in iſtis regionibus extare. Nullæ ſunt librariæ tabernæ, quæ non excuſſæ ab illis ſint, ut librum tuum invenirent. Sed non inveniſſe tam moleſtum fuit illis, quam longinquum ad proximas nundinas expectare. Quia verò ſemel jam tu primus rectam viam inſiſtere cœpiſti, ſcito te tot juſtos imitatores habiturum, quot ſimii nobis contigerunt. Jam enim ſignum è carceribus Prætor dediſti. Et jam multi in curriculo hoc deſudabunt, ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Gratias tibi de Exemplari tuo ago. Erit, ubi parem referam, ſi me non fallunt Typographi. Vale. Lugduni Batavorum. III. Nonas Decembris Juliani cIɔ Iɔcv.

III.

ILLUSTRI

JOSEPHO SCALIGERO SETHUS CALVISIUS S.

Literæ tuæ, Vir Illuſtris & Reipublicæ literariæ inſigne columen, redditæ mihi ſunt ipſis Calendis Januarii, quæ ut Tibi exorſæ ſint Annum ad vitam & ad cœtera felicem, adjuvanda literarum ſtudia opportunum & contra obtrectatores tuos victorialem à Deo præpotenti precor. Quibus verbis verò Tibi, tanto Viro gratias agam, pro honorificentiſſimis tuis de mea induſtria literis, non reperio. Etenim præclarè de me actum putabam, ſi ſolummodò non planè à Te rejiceretur meus qualiscunque in Chronologicis conatus; Jam non ſolùm eum probas, ſed mirificè etiam extollis luculentâ epiſtola, & apud alios etiam diligentiſſimè commendas. Facis igitur & magnopere triumphum, ut ſi qua fortaſſis laus ex labore hoc ad me redierit, eam totam Tibi meritò debeam: quanquam quid ſperandum eſt in hoc improbo ævo? Livorem ſumma tantum carpere credebam, me tutum ſperabam. Te verò pati non admodum mirabar, utpote quod ex Te ſui incrementum ſperare poſſet: ſed & à me non abſtinet. Annuo enim ferè ſpatio hæc mea Chronologia, ne typis excuderetur, impedita fuit ab homine, famâ tibi fortaſſis non ignoto, M. D. Typographorum enim opera hîc non permittitur, niſi editiones Academia permittat. M. D. igitur hiſtoricus, cui ex lege cenſenda venerat mea Chronologia, cauſatus multa ineſſe contra publicam doctrinam novata, argumenta proferri infirma, quæ facilè convelli poſſent; turbari diſcentium ſtudia; me curare ἀλλότρια, cum profeſſio hiſtoriarum mihi demandata non ſit, & talia hujusmodi perſuadet Academicis, ut interdicant. Quid facerem? Scribo Apologiam ad Academicos: Provoco etiam ad alios: Offero me ad demonſtrationem Aſtronomicam: & tandem cum Concilium Academicum aliquoties convocatum eſſet, cauſam obtineo, non tamen tàm judicantium ſuffragiis ex re ſumtis, quam quorundam benevolentiâ, Gamalielis Conſilium hîc ſequendum putantium: adeo M. D. autoritas & opinio ſani judicii prævalebat. Jam verò exquirenti mihi ſuffragia multorum doctiſſimorum in hiſce regionibus virorum, Chronologiæ non imperitorum, vix unicum relatum eſt ejus, qui ſummam probat. Idem tamen in partibus quædam improbat. Reliqui cauſantur vel ſuam imperitiam, vel ſibi otium non eſſe hujusmodi ſcrutandi. Principes Theologorum quidam mihi reſcripſit hisce verbis: Video quod non tantùm à mea ſed etiam ab aliorum ſupputatione diſſentias, & in aliis quibusdam privatas tuas rationes, quas ſequaris, habeas, in quo me minimè offendis, oportet enim in Eccleſia libera eſſe vota, in iſtiusmodi adiaphoris, &c. Hic, ut vides, veritatem & mendacia mixta æſtimat. Ita pugnamus & nos Pygmei, & quis ſcit, quid proximis nundinis aut ſequentibus ſit futurum. Sed ut ad Te redeam, Vir illuſtris, quid Tibi pro ingenti Tuo beneficio rependam, non video. Ago gratias, agamque ſemper & offero omnia quæ poſſum; Tu diſpice, quid poſſim; quid uſui futurum ſit. Video quædam errata, pleraque typographica in opere tuo de Emendatione, eaque vel ex priore editione retenta, vel nuper mixta, quanquam non adeò ſint magni momenti, unde ſuſpicor, non fuiſſe, qui tuam vicem ſubiret, & calculum diligenter iterum ſubduceret. Si mea opera uti volueris, quædam annotabo, ſi fortaſſis editio iſtius præclari operis iteranda eſſet. Tabulas Syzygiarum Lunarium ſuccinctiùs comprehendi in Mathematicis haberi poſſe notum eſt; Eas mitto, quas pero boni conſulas. Lipſ. Non. Januar. M DC VI.

JOSE-

IV.

JOSEPHO SCALIGERO SETHUS CALVISIUS SUO. S.

JAm ſummis Viris de Chronologiæ tuæ præſtantia ita movi ſalivam, ut nemo ex illis ad me ſcripſerit (ſcribunt autem non raró) quin ſummis laudibus efferant. At ſcin, quos viros? Qui ducunt familiam in literis: unum à te petunt, & ego una cum illis, ut abſtineas mentione quorundam Scriptorum minorum gentium, qualis Natalis Comes, homo futiliſſimus. Dolet enim magnis viris, illos pannos tuæ purpuræ aſſui. Tu hæc in ſecunda editione curabis, quam certò ſcio, te propediem adornaturum, poſtquam omnes ad parandum ſibi opus tuum eadem cauſa, quæ alios, invitabit, fructus qui ex eo percipitur, & commendatio noſtra, & eorum, qui primi legerunt. Certè hæc tua ſumma laus eſt, quod primus omnium bonum Chronicon ſcripſiſti: Sed ſcito, quemadmodum naſcente Chriſtianiſmo, hæreſes aliæ pernicioſæ, aliæ ridiculæ ſubortæ ſunt: ita hodie veritate temporum jubar ſuum explicante, ſuboleſcere hæreſes, à quibus non minus cavendum, quam à peſtifero veneno. Sunt enim, qui ſe puros fontes ſacræ Scripturæ in ſua Chronologumena derivare gloriantur; reliquos vocant profanos. Nos eos Prophetas, καθαροὺς, & aliud neſcio quid vocamus; qui propterea literas exoticas cum ſacris conjungere non poſſunt, quia illas ignorant. Patriarcha iſtorum Prophetarum fuit Matthæus Beroaldus, vir quidem bonus & pius, ſed qui temerario exemplo primus hiſtoriam tam ſacram, quam exoticam interpolare auſus eſt. Quum hæc ad te ſcriberem, habebam in manibus ſtramentitiam cujusdam ex priſtino horum Prophetarum Chronologicam orationem, quæ eodem tempore & riſum & nauſeam ſimul mihi movit. Mittentur auctori, quæ in illam orationem animadvertimus. Tu debes curare, ne venenum Beroaldinum longiùs ſerpat. Ego ſane hanc quoque provinciam ſtrenuè adminiſtrabo. Ex meo Euſebio hauries, quæ ſecundam editionem tuam exornabunt. Vale. Lugduni Batavorum. V. Eid. Junii Juliani cIↄ Iↄ cvi.

V.

JOSEPHO SCALIGERO SETHUS CALVISIUS S.

TUa epiſtola illuſtris & Clariſſime Vir, variè homines noſtros affecit, aliqui eam ingenuitatis ſuſpectam habere: aliqui acerbitatis arguere: aliqui dum vinguntur invidia ſupprimendam, & ne typis deſcribatur prohibendam cenſere, inter hos M. D. primarius fuit: aliqui eâdem magnopere delectari, cum teſtimonium ferant meæ induſtriæ, rectè ſententiam tuam in numerandis temporibus apprehendentis, atque ita majoris æſtimant meam operam. Sunt qui ſua manu deſcriptam epiſtolam ſuo exemplari Chronologiæ meæ præfixerunt, & mihi magnopere ſuaſerunt, ut publicam eam facerem, ut eo Encomio Chronologia redderetur commendatior ſtudioſæ juventuti, ab autoritate magnorum virorum ut plurimùm pendenti. Etſi autem mihi apertè non conſtat de tua voluntate, an ſit typis deſcribenda: tamen cum eam ipſam ob rem hujusmodi ſcriptam, quod Chronologiæ præfigi poſſet, à te petierim & obtinuerim, acquievi in hac ſententia. A te autem Vir Illuſtris & Clariſſimè magnoperè peto, ne ejus publicationem moleſtè feras, & meis ſtudiis favere pergas. Honori præterea mihi eſt Tua epiſtola apud multos, cum vident, me in tuam amicitiam receptum, & cupiunt per me Tibi innoteſcere. Inter hoc eſt Jacobus Bornitius J. U. D. amicus meus, qui artis Politicæ tractatum meditatur, cujus Ichnographiam per me Tibi mittit, & ſollicitè tuum judicium de ſuo ſtudio & conatu exquirit, in qua re, ut ipſi gratificeris etiam atque etiam peto. Te amat atque admiratur, & magnopere prædicare ſolet tuam humanitatem, quod aliquando, cum apud vos Lugduni eſſet, in tuum colloquium admiſſus fuerit. Facies etiam mihi rem gratiſſimam. Vale. Lipſiæ.

VI.

JOSEPHUS SCALIGER SETHO CALVISIO SUO S.

QUod tibi ſcribam, novi nihil habeo. Nolui tamen committere quin monerem te, jam pridem ad poſtremas tuas me reſpondiſſe. Præterea curavi, ut unum Euſebii mei exemplar tibi mitteretur. Infinitis vitiis Typographicis ignoſces. Si ſcires quibus cum typographis res mihi fuerit, mirareris majorem errorem ſegetem non eſſe. Oro te, ne prius legas, quam ea quę corrigenda & addenda præcepimus, legeris. Altera editio melior & auctior erit. Interea hoc Catone contenti eſſe debemus. Tu alteram quoque editionem luculenti tui Chronici multis acceſſionibus ex hoc noſtro labore locupletare potes. Multa enim ex ſitu eruimus, quæ hoc ſæculum fugerant. Plura præterea in Canonibus diximus, quæ doctrinam hanc illuſtrant, cujus ego auctor, tu excultor es. Quæ demonſtrationibus nituntur, ea convelli ſine magno veri detrimento non poſſunt. Et certè multi, quos aut æmulatio aut inſcitia à lectione ſcriptorum noſtrorum avertebat, ii vel inviti vel volentes, victas manus dant. Tu primus viam aperuiſti, tibi ea tuenda eſt. Qui ſine exoticis literis ſacram Chronologiam ſe aſſequi poſſe ſperant, quomodo eos acceperim, ex prologomenis in Canones intelligere poteris. Et ſanè reipublicæ literariæ intereſt ejusmodi Titanibus bellum inexpiabile ab eruditis indici. Sed de his ſatis per oravimus. Literas tuas expecto. Vale. Lugduni Batavorum, III. Eidus Auguſti Juliani cIↄ Iↄ cvi.

VI.

JOSEPHO SCALIGERO SETHUS CALVISIUS S.

TUæ literæ Menſe Auguſto datæ, Vir illuſtris & Clariſſime rectè mihi redditæ fuerunt cura Iani Gruteri, qui per Bibliopolam eas ad me miſit, ex quibus intellexi, te curaſſe ut ad me exemplar Euſebii tui mitteretur. Gratias igitur ago Tibi maximas pro benigna tua in me voluntate hac: Sed ſcito tamen, minus rectè hoc curatum fuiſſe ab eo arbitror, cui rem commiſeras: nihil enim ad me præter literas perlatum fuit. Reſcripſi quidem ad Gruterum, qui nihil adhuc reſpondit, & rem ipſi commiſſam fuiſſe non arbitror, mentionem aliàs ejus feciſſet in literis, quas ſimul cum tuis ad me miſit. Interim temperare mihi non potui, quin aliud utendum mihi ſumerem, & ut dicitur: nam meam ſitim, deſiderio tam præclari operis excitatam levarem, & ne hyems mihi otioſa abiret. Legi quædam ſed non omnia. Nam nec otio abundo, nec lectio præcipitari vult. Inveni. Quid ? dicam: verè theſaurum temporum. Nihil amplius addo, ne quam verbis augere debeam, infantiâ mea laudem tuam deteram. Quid dicam de publico tuo de mea in Chronologicis induſtria teſtimonio, quam ampliſſimo verborum honore proſequi & elegantiſſimarum ſententiarum pondere amplificare voluiſti. Nihil prorſus habeo, quod rependam. Unde eſt quod promittere poſſum, me omni cura & ſtudio eniſurum, ne tanta tua laude indignus videar, quanquam tanta eſt, ut eam ſuſtineri à me poſſe verear. Sanè tua mihi verba innuere potius videntur, quid præſtare debeam, quam unquam præſtiterim. Ego ſi reipſa minus Tibi ſatisfacere potero, voluntatem eam mihi non defuiſſe ſatis probabo.

Cæterum cum mihi propoſitum ſit, nullibi à tua ſententia diſcedere, & tamen incidant, in quibus diſcrepamus, quæ vel non ſatis intelligo, vel ipſe aliquid humani paſſus es, ea breviter attingere cupio, hac ſpe fretus, te non offenſum iri harum rerum, quæ ad illuſtrandam Chronologiam faciunt, mentione. Næ ſi ipſe in tanto opere alicubi dormitaſſem, mihi tam gratum erit, ſi erroris admonitus fuero, ut nihil gratius mihi accidere poſſit.

Primum eſt de annis Sedekiæ regis Judæ, quem ſolidis decem annis tantum regnaſſe, omni ſtudio aſſeveras. Ego etiam hujus fui opinionis. Sed cum fundamenta aſſertionis iſtius attentius circumſpicerem, magis placuit ſententia de undecim annis ei tribuendis, ut quibus complendis, tantum duo menſes circiter defuerint. Sententiæ hujus has habeo rationes. 1. Jeremias cap. 1. v. 3. affirmat ſe prophetaſſe ad finem undecimi anni Sedekiæ, עד־תם [illegible] eſt in fonte. 2. Annus primus Sedekiæ fuit annus Nabuchdonoſoris octavus iniens. Jerem. 52. verſ. 29. Caſus ejuſdem fuit annus decimus nonus iniens Nabuchdon. Differentia, undecim anni ſolidi. 3. Ezechiel Capite 40. comparat annum decimum quartum excidii Hieroſolymitani, cum anno vigeſimo quinto captivitatis Babylonicæ. Differentia, undecim anni. 4. Annus decimus Sedekiæ finiens, & undecimus iniens Ezech. 29, 1. & 17. eſt annus viceſimus ſeptimus Jobelei, & quidem menſis primus à vere; ſed undecimus Sedekiæ fuit annus 28 Jobelei. Ergo undecim annos complevit in Imperio. De initio etiam ejus mihi aliter videtur, quamvis eruditè affirmes cœpiſſe circa ſolſtitium æſtivum. Sed ſi hoc ita eſſet, initium Sedekiæ conveniret cum initio Nabuchodonoſoris, qui cœpit quinto menſe, menſe æſtivo & ſolſtitiali. Ierem. 52, 12. Iam decimus annus Sedekiæ nondum completus erat cum Nabuchdonoſor decimum octavum regni iniiſſet, Ierem. 32, 14. & annus undecimus prior eſt anno decimo nono Nabuchodonoſoris. Ergo initium regni Sedekiæ poſterius fuit, quod ad tempus anni attinet, quam Nabuchdonoſoris. Ergò illa verba de abducto Iechonia, de quibus in prolegomenis diſſeris, videntur intelligi debere. de Tekupha autumnali Idem videtur colligi poſſe ex Capite 28. Ieremiæ verſ. 1. de quarto anno ſemitæ cum primo anno Sedekiæ concurrente. Si enim Sedekias undecim annis regno præfuit, & cœpiſſet circa ſolſtitium æſtivum, cœpiſſet anno tertiæ ſemitæ finiente. Sed cœpit quarto. Ergo cœpit cum anno ſemitæ quarto incipiente, cum ulterius terminum ejus promovere non poſſim, ſalvis illis quatuor rationibus, quas produxi.

Alter locus eſt de Regibus Iudæ & Iſraëlis, de quorum annis rectè numerandis ferè deſperare videris. Locus nobilis eſt, & omnium judicio expoſitus, qui omni ſtudio & contentione cognoſcendus, & firmis rationibus muniendus eſt, ne hoſtium calumniis exponatur. Interregnum poſt Amaziam exterminas, ſed interim Ioramo poſt Ioſaphatum octennium tribuis, cum nec quadriennium teſte Scriptura compleverit. Cogitavi attente de tota re, & videntur mihi horum Regum anni ita digeri poſſe, ut verba Scripturæ de connexione mutua annorum Regum Iudæ & Iſraëlis in ſuo ſenſu propriè retineantur. Tu quæſo dijudica, & quid objici poſſit me edoce:

	Period. Iulian.
Annus diſtractionis regni Iudæ & initium Ieroboami eſt	3733
Ergo annus Ieroboami decimus octavus eſt annus eſtque idem annus initium Abiæ 1. Reg. 15, 1.	3750
Ruſum annus Ieroboami viceſimus eſt annus periodi, idem eſt initium Aſæ, cujus ſecundus eſt annus qui etiam primus eſt Nabai Regis Iſrael, 1. Reg. 15. 25. unde conſtat Nabobum una cum Patre Ieroboamo regnaſſe & trucidatum paucis ferè diebus poſt parentis obitum.	3752
Anus tertius Aſæ hoc modo erit annus Periodi Iulianæ eſtque primus Baëſæ 1. Reg. 15, 33.	3754
Annus vigeſimus ſextus Aſæ eſt primus Eliæ 1. Reg. 16, 1.	3777
Annus vigeſimus ſeptimus Aſæ eſt hoc anno Schiſma factum in regno Iſraelitico inter Tibniæ Amri.	3778

Annus

Annus XXXI. Aſæ quando Amri ſolus regno potitur eſt annus 3782
Annus XXXVIII. Aſæ, qui & primus Achabi I. Reg. XVI, 29. eſt annus 3789
Annus quartus Achabi eſt primus Joſaphati 1. Reg. 22, 41. 3792
Annus decimus ſeptimus Joſaphati eſt primus Ahaſiæ 1. Reg. 22, 52. qui ſimul cum Patre Achabo in bellum profecto regnavit. 3808
Annus XVIII. Joſaphati eſt primus Jorami Regis Iſraelis, 2. Reg. 3, 1 3809
Annus quintus Jorami Iſraelitici eſt primus Jorami Regis Judæ. Hic Joramus cum Patre Joſaphato ſimul quadriennium regnavit, cum quintus Jorami Iſraelitici ſit viceſimus ſecundus Joſaphati, qui annis XXV. regno profuit. 3813
Annus XII. Jorami Iſraelitici eſt primus Ahaſiæ. Trucidantur ambo & Joram & Ahaſia à Jehu circa finem Anni. Atque hoc modo colliguntur Anni à diſtractione regni usque ad Athaliam & Jehu, Anni abſoluti LXXXVII. Porro reliquorum etiam Regum Judæ & Iſraëlis anni eodem modo mutuis vinculis connectuntur. Igitur 3820
Annus primus Jehu & Atthaliæ eſt Annus 3821
Annus ſeptimus Regis Jehu eſt primus Joæ Regis Iudæ 3827
Annus vigeſimus primus Ioæ eſt primus Ioahas Iſraëlitici 3847
Annus XXXVI. Ioæ Iudæ eſt primus Ioæ Iſraëlitici 3863
Secundus Ioæ Iſraëlitici eſt primus Amaziæ 3864
Annus decimus quintus Amaziæ eſt primus Ieroboami 3878
Annus vigeſimus ſeptimus Ieroboami eſt primus Aſariæ 3904
Annus quinquageſimus Aſariæ eſt primus Pekaja 3953
Annus LII. eſt primus Pekah 3955
Annus ſecundus Pekah eſt primus Iothami 3956
Annus decimus ſeptimus Pekah eſt primus Ahaſi 3971
Annus duodecimus Ahaſi eſt primus Hoſeæ 3982
Annus tertius Hoſeæ eſt primus Ezechiæ 3984
Annus ſextus Ezechiæ eſt Annus everſionis regni Samariæ 3989

Hucusque mutuis vinculis diligentiſſimè in ſacris Literis anni Regum Iudæ & Iſraëlis connectuntur, quæ connexio omnino magni æſtimanda eſt, nec video, quid, quod magni momenti ſit, contra hasce connexiones apertè in ſacris literis affirmatas afferri poſſit. Stetit ergo Regnum Samariæ annis CCLVI. & primus annus Ezechiæ eſt Sabbaticus.

Tertium, cujus meminiſſe volo, eſt de Emboliſmo annorum æquabilium in anno Iuliano, quem figere videris ratione annorum Nabonaſſareorum in die XXVI. Februarii. Non nego, Te diligentiſſimè hanc rem in Canonibus tractaſſe, & ea diligentiâ mihi etiam calcar addidiſti, ut de tota re cogitarem. Et deprehendi ſedem Emboliſmi eſſe in 29. Februarii, quando incidit annus biſſextilis. Nec caput anni æquabilis à primo Martii in Februarium regredi poteſt, niſi intercedente die 29. Februarii, ut exemplis patet. Annus Nabonaſſ. MCCCCLII. incipit feria VI. litera Dominicali. E. Ergo in C. in XXIX. Februar. eſt ejus initium. Sic Annus Armenianorum DXXV. cujus Charact. feria ſecunda, litera Dominicali C. in eundem 29. Febr. incidit. Sic annus Iezdegird CCCXXXIII. incipit feria prima, litera Dominicali C.

Quartum eſt, in tabula annorum Hegiræ, quorum ſcrupula dierum aliter præſcripſiſti in libris de Emendatione temporum, aliter in Canonibus. Cauſa videtur eſſe, quod in Annum triceſimum ſecundum Hegiræ, cum ex diebus & ſcrupulis diurnis annus conſtituendus eſſet, tantum dies CCCLIV. abjeciſti, non etiam ſcrupula tertia diurna, quod omnino fieri neceſſe eſt, cum anni non politicè ſed aſtronomicè ſecundum veram ſuam qualitatem conferantur. Hæc ſunt in quibus vellem nos convenire. Libertati quæſo ignoſce. Ego omnia in hac doctrina Tibi debeo, eam vellem quam emendatiſſimam proponi. Si ego hæc non ſatis intelligo, quæſo me in viam revoca. Si Tu aliquid humani in hiſce paſſus es, edoce, quomodo ſint proponenda in altera mea Chronologiæ editione, ne dum minus conſentimus, hæc omnia aliis ſuſpecta reddantur.

VIII.

JOSEPHUS SCALIGER SETHO CALVISIO SUO. S.

Ex literis Gruteri noſtri, quas nunc accepi, exemplar Euſebii mei tibi, ita ut præceperam redditum non fuiſſe, graviter tuli. Quare nunc cum Commelianis, qui fidem ſuam non exſolverunt, expoſtulo. Itaque ſine dubio accipies. Unum te moneo, nullum librum tam infeliciter excuſum fuiſſe. Res enim mihi cum ignaviſſimis & imperitiſſimis typographis fuit, quorum negligentia commiſſum, ut plura menda in ea editione quàm verba ſint, multa præpoſterè poſita, multa trajecta, denique tædet pigetque. Unde novam adornare cogor, in quo quidem totum ſum. Nam flagitium eſt in opere tanti momenti tot vibices extare. Accepi quæ in Propheticam orationem Chronologi edidiſti, quæ valdè mihi placuerunt. Ego ſtrictim quædam in eam rem notavi. Edentur propediem. Si ita, ut meritus eſt, autorem accepiſſem, luculentum profectò opus fuiſſet. Satis habui inſcitiam indicare, qui traducere potui. Sed præter inſcitiam etiam intolerabilem ſuperbiam in eo animadverti. Tantum abeſt, ut culpam agnoſcat, à te monitus, ut animos à crimine ſumat. Ita ſcribunt, qui illum norunt. Iuro Deum im̃ortalem, nunquam me tantam imperitiam bonarum literarum cum tanta ſuperbia conjunctam vidiſſe. Non poſſum tibi dolorem meum de negligentia Comelinianorum, qui Euſebium tibi non reddiderunt, diſſimulare. Sed curabo, ut habeas. Vale. Lugd. Batavor. Eid. Decemb. Iuliani cIɔ Iɔcvii.

IX.

JOSEPHUS SCALIGER SETHO CALVISIO SUO S.

ANtequam accepiſſem commentationem tuam in Parei ſomnia, jam ego ad illos nugas reſponderam, quod quidem ſcriptum meum, quum doctiſſimo Gomaro dediſſem eo nomine, ut ad ipſum Pareum mitteretur, ipſo nunquam deſtitit me rogare, ut in lucem emitti paterer. Itaq; ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ exorari me paſſus ſum. Dedi negotium mercatori librario, ut exemplar unum acciperes, una cum his literis. Seriò caſtigavi illum alterum, qui tibi Exemplar Euſebii non miſit. Ejus negligentiam, non me accuſare debes. Aliam editionem paro. Nam tota hac permiſta, disjecta, contaminata eſt à nebulonibus typographis: quorum pudet pigetq; præſertim Canonum Iſagogicorum, quorum tabulas ferè omnes mutilarunt & corruperunt. Horreo, quoties memini. Vale Lugduni Batavorum. VI. Nonas Martii Iuliani clↄ Iↄ cvII.

X.

JOSEPHUS SCALIGER SETHO CALVISIO SUO S.

LIteras tuas accepi, in quibus diſſentis à me de annis Sedekiæ. Ego, mi Calviſi, non ſolum liberum unicuique, quid velint, ſentiendi judicium relinquo, ſed etiam à me diſſentire æquo animo patior: Addo etiam eos maximam à me inire gratiam, qui me à vero avium in ipſam viam manu reducant. Ego de annis Sedekiæ tantum abeſt, ut aliquid certum pronunciare audeam, ut incertior ſim quam dudum. Primum demonſtratio, deinde ἀπαγωγὴ εἰς τὸ ἀδύνατον, hoc facit. Demonſtratio hæc eſt: quod annus primus Sedekiæ conſurgit ex quinto menſe, anni quarti Semitah, ſive hebdomadis annalis. Ergo anno Judaico MMMCLXI. quo currebat quartus annus hebdomadis. Huic rationi quid opponat, nemo habet. Capta autem Hieroſolyma menſe quarto, anno ſeptimi hebdomadis. Ergo anno Iudaico MMMCLXI. Diſtantia anni X. uno menſe minus. Quid ad hoc evertendum afferri poteſt? ἀπαγωγὴ εἰς τὸ ἀδύνατον, hoc eſt: Anno XXVIII. Iobel capta ſunt Hieroſolyma. Si undecim annis ſolidis regnavit Sedekias, iis de XXVIII. deductis remanebit annus XVII. Iobel, primus Sedekiæ: hoc eſt, annus tertius hebdomadis. Atqui Ieremias ait, primum Annum Sedekiæ conveniſſe in quartum hebdomadis, quod eſt ἄτοπον. Duo ergo ἄτοπα conſequuntur; aut tertio anno hebdomadis Sedekiæ annum primum convenire, ſiquidem regnaverit annos XI. aut X. tantum regnaſſe, ſi is quarto anno hebdomadis initii regnum. Ego prudenter & modeſte feci, qui malui inſcitiam meam profiteri, quam Beroaldiſtarum audaciam imitari, qui nihil neſcire profitentur. Tu pro tua eruditione & prudentia adferre poteris, quod è re Chronologica & dignitate Scripturæ optimum tibi videbitur. Nam quæ affers, ea adverſus te faciunt. Et quod de Iechonia dicitur, id interpretari de Tekupha autumnali, dupliciter fallis. Primum quod annus primus Sedekiæ cœpit à menſe quinto: & proinde à Tekupha autumnali, is fuerit menſis undecimus illius Regis. Atqui principium regni non poteſt dici de undecimo menſe, qui propius abeſt ab anno abſoluto. Rurſus etiam ſi incipias à Tekupha autumnali anni Iudaici MMMCLXI. propterea non efficies, ut undecim abſolutos regnaverit. Deerunt enim menſes duo. Sed à Tekupha autumnali incipere annum primum Sedekiæ, idem fuerit, ac quintum annum vocare, qui fuerit ſeptimus. Tekupha enim autumnalis anni MMMCLXI. incidit in XVII. diem Tiſri, qui eſt ſeptimus à Niſan, non quartus. Addo etiam Tekupham illam, qua captus fuit Jechonias, proximè abfuiſſe à Neomenia quinti menſis, quæ incidit in XIII. Iulii, quod eſt argumentum firmiſſimum. Denique malo tacere, quam cum audacia Beroaldica inſcitiam meam profiteri.

De Regibus Iſraelis, quis ſanus promiſerit, ſe aliquid dicere, quod certum eſſe jurare poſſit? Ego, quod è multis mihi non quidem certum, ſed minus incertum eſt, poſui. Et quicquid alii huc conferent, opportunius erit reprehenſioni, quam quod ipſi protulimus. Nonne vides neque ex dinumeratione annorum Regum Iuda, neque ex comparatione annorum regni Iuda rationem conſtare poſſe. Hæc ſatis à nobis disputata ſunt. Nam de intervallis aut interregnis, quæ homines otioſi commenti ſunt, Funccius, Beroaldus, alii, id non magis moror, quam cætera mendacia, quæ iidem homines inſcitia & contemtu exoticæ hiſtoriæ perperam ſcripſerunt. Hoc eſt ſecundum caput eorum, quæ adverſum nos diſputas. Tertium de biſexto Iuliano annorum Nabonaſſari facile ſolvitur tabella duplici pagina 243. Canonum noſtrorum. Quartum de annorum Hegiræ ſcrupulis non debet neque te ad objiciendum, neque me ad reſpondendum movere. Non enim eſt tanti. Cæterum quæcunque portenta errorum videbuntur, aut occurrent in Canonibus inter legendum, ea commiſerunt Tirones Typographi; quæ omnia ſuſtulimus, & novam editionem longè meliorem & ampliorem adornamus, in qua præclarum locum ex Haggæo Propheta adducemus de annis Cyri, quod magis ipſam epocham annorum Cyri confirmat. Quotidie experior, quanto uſui eſſe poterit periodus noſtra Juliana, ſi quis eam cum annis Iulianis tractare voluerit. Operam omnem ludet, qui non eam in methodum ſuam adhibuerit. Omninò ſine ea nihil feciſſemus. Excellentiam ejus ſat alibi commendavimus. Utilitatis verò non ſemel experti ſumus. Vale Lugduni Batav. XII. Kalend. Iunii Iuliani 1607. Miſi ad te elenchum ſomniorum Parei, una cum literis meis. An acceperis, fac quam primum ſciam. Gratorus noſter optimus & eruditiſſimus Vir literas tuas rectè ad nos curabit. Iterum Vale.

JOSE-

XI.
JOSEPHO SCALIGERO SETHUS CALVISIUS S.

POſtridiè quam per Taubmannum literas ad te miſi, tuas accepi à Grutero, Calendis ſcil. Februarii, in quibus vidi ſollicitudinem tuam, ut mihi tandem exemplar Euſebii tui rectè reddatur. Cætera ut antea ſcripſi, ſumſi interea exemplar, ut ſitim explerem meam. Quia autem in Canonibus adeo acriter pugnas contra Clavium, libido mihi inceſſit videndi ſcripti Claviani, quod tandem per amicum accepi, in quo moleſtiſſimè tuli, Te adeo indigne ab iſto homine accipi. Ideo quod ille in examinando tuo Elencho auſus, ego in Calendario Gregoriano tentavi, & non minores, quam quæ falſo pleroſque Tibi objectat, inveni errores, qui jam fortaſſis typis eſſent editi, niſi noſtri Academici in cenſura typographica mores alias ex aliis nectèrent. Se nihil in demonſtrationibus meis deſiderare affirmant; ſed tamen ne Academia huic controverſiæ immiſceatur cavendum, atque ideo in conſeſſu totius Academiæ de hac re agendum. Cum autem raro frequentes conveniant, ſemper habent quod prætendant. Fortaſſis mihi hac in te aula erit appellanda. In literis quarum ſupra memini, monui quædam, quæ peto ne ſiniſtrè accipias, ab animo enim candido & Tibi ſtudioſiſſimo ſunt profecta. Etſi autem nondum tuam ſententiam ſcio, tamen aliud quid addam. In periodo Calippica l. 2. Emendat. Tempor. fol. 85. dum enim illa exempla computo, ut ex Ptolomæo citata, vide Te annum Judaicum 3467. ibidem inchoare à die 30. Auguſti, cum ejus initium ſit die 28. Septembr. feriâ ſextâ, atque ideo pro Adar menſem Niſan, pro Caslen Tebeth exempli loco affers. Et in codice Ptolomæi procul dubio erratum eſt. Cum enim Neomenia Elaphebolionis rectè ſe habeat, Poſideonis etiam paria facere debebat. Et meum exemplar, quod eſt ex translatione Arabica, impreſſum Venetiis anno 1515. expreſſe habet, transacto die Poſideonis XXV. Ad Pareum quod attinet, etſi ringitur, non tamen videtur quippiam tentaturus. Imo ſpero eâdem operâ, dum conabitur ſua defendere, eum veritatem propius cogniturum, & in caſtra noſtra tandem tranſiturum: id quod aliis accidiſſe expertus ſum. Sed expectabimus, quid futurum ſit. Iterim vale quam optime. Idibus Martii Juliani.

XII.
JOSEPHO SCALIGERO SETHUS CALVISIUS S.

ILluſtris, Generoſe & Clariſſime Vir, Hic adoleſcens M. Johannes Bohemus, natione Boruſſus, ſtudio Chronologiæ diſcendæ incenſus, apud me vixit annuo ſpacio, eamque ita didicit, ut alios docere poſſit. Cum autem in propinquo ſit, ut in Patriam revocetur, ad docendas fortaſſis bonas literas in Academia Regiomontana, ad fontem hujus jucundiſſimæ doctrinæ videndum hoc iter ad Te ſuſcipere voluit. Magnopere igitur à Te peto, ut alloquio tuo eum dignari velis, experieris adoleſcentem eruditum modeſtum & gratum. Quod ad cætera attinet, maximas Tibi gratias ago, pro Exemplari Euſebiano ad me miſſo, cui cum referendæ non ſim, quæſo ſatis Tibi ſit, ſi me ejus muneris apud alios gratum geram interpretem. Elenchus etiam tuus ad me pervenit, ſed à Bibliopola, ut voluiſti, non redditus, credo multarum occupationum obventu oblitum fuiſſe, ſed velim, ne ipſi propterea iraſcaris, ſatis credo futurum; ſi proximis nundinis à me admonitus fuerit. Magna cum cum voluptate legi, quod adeò evidentiſſimis demonſtrationibus & oratione gravi ac nervoſa eum ita proſternis & obruis, ut depoſitus fere videatur. Ideo quamvis in me ſcripſit, quieſcendum tamen mihi jam puto, ne mortuo cani inſultare & poſt Homerum Iliada ſcribere videar. Scriptio præterea ejus non eſt magni momenti, tantùm crambe bis cocta. Expectabo igitur, donec videam, an tanto tuo ſauciatus & proſtratus jaculo quieturus ſit. Vale quam optimè & diutiſſimè. Lipſiæ.

XIII.
JOSEPHUS SCALIGER SETHO CALVISIO SUO S.

NOndum vidi M. Johannem Bohemum, qui mihi tuas attulit. Redditis enim illis dixit Oeconomo meo, ſe hodiè reverſurum, & ſi quid ad Te vellem, ſe meas literas ad te perlaturum quod ſtatim in animo haberet, ſe in Germaniam rediturum. Ego mi Calviſi, non ſolum tuo nomine, qui eum mihi commendaſti, ſed etiam illius merito, quia bonis literis operam eum navaſſe ſcribis, omnia illi mea prolixè deferam. Ut eum me non piget humanè excipere, qui à tua aut aliorum commendatione ad me veniunt, ita non pœnitet illos meam in ſe benevolentiam experiri. Sed ecce dum hæc ſcribo, intervenit tandem ille, & eo præſente hanc epiſtolam abſolvi. Detuli illi, ut jam promiſi, omnia, quæ quidem in mea poteſtate ſunt. Porro memini, te mihi nuper ſcripſiſſe, habere te jam paratum, quod in annum Clavii ſcripſiſti. Profectò Pontifex nihil potuit magis & alienam à commodo Reipublicæ, & minus conſentaneam rationibus cœleſtibus anni formam edere, quam hanc, in qua nulla pars immunis eſſe poteſt à reprehenſione. Si benè perſpectæ tibi ſiut meæ rationes, quod quidem non dubito, idem planè judicabis. Quare & tuam diligentiam poſtulat hæc opera. Scribe igitur & benè de hoc præſtantiſſimo ſtudio mereri aude. Eſt vir eruditiſſimus & doctiſſimus Juris utriusque Doctor, nomen ei Ignatio Hannieli, qui publicè in Roſtochiana Academia ſummo cum fructu auditorum & gloria ſua profitetur. Is per omnia rationes noſtras ſequitur. Et profectò in multis partibus Europæ, qui tàm infeſti erant conatibus noſtris, ii jam incipiunt reſipiſcere, & fortaſſe publicè non detrectarent abdicare contentiones ſuas, aut de pertinacia remittere, niſi quia hoc natura comparatum eſt, ut pudeat nos, à propoſito deſiſtere. Sed quia ratio non potuit, ſaltem

eos tempus ad meliorem ſenſum traducer. Ego propediem ſecundam editionem Euſebii adorno. Nam mei Canones in typographorum negligentia deformati ſunt, ut illos non agnoſcam. Cupio te valere. Lugduni Batavorum, XI. Kalend. Octobris Juliani. cIↄ Iↄ cvII.

XIV.

JOSEPHO SCALIGERO SETHUS CALVISIUS S.

Ego verò, Generoſe & Clariſſime Scaliger, ad Te ſcripſi, non ut tibi ea objicerem tanquam adverſarius, ſed tantum ut de iis te admonerem, ne opportunus eſſes aliorum calumniis, quæ ſatis caveri non poſſunt, ideo magnopere peto, ut ignoſcas, ſi quid in alteram partem vergere videtur. Placet igitur mihi tua reſponſio, de menſe quinto initii Sedekiæ, cujus Emphaſin antea non ita obſervaram. Sed tamen audi quæſo, cum annus undecimus Sedekiæ reſpondeat anno decimo octavo Nabuchodonoſoris, & etiam decimo nono ejuſdem; & certum ſit, Nabuchodonoſorem cœpiſſe, menſe quinto, non videtur Sedekiam etiam menſe quinto cœpiſſe, ſed potius eo menſe, qui aliquanto temporis ſpacio poſterior fuit. Si ergo verba Jeremiæ de quinto menſe initii Sedekiæ latè accipiantur, de primo anno videlicet Sedekiæ adhuc currente, in quarto anno Semitah, omnia videntur conciliari poſſe. Cœpiſſet enim tunc Sedekias menſe ſeptimo ineunte anno Jobeleo XIIX. qui eſt quartus ſemitah. Ita regnaſſet annos undecim, minus menſibus duobus vel tribus.

De temporibus Regum Judæ video tuum conſilium, nec ſane omnino diſplicet; Sed tamen adverſus Sacram Scripturam ſtatuere videris, (ignoſce obſecro) quando Joramo Regi Judæ tribuis octo annos. Nam Joram Rex Iſraëlis cœpit anno XIIX. Joſaphati & regnavit annis duodecim, usque ad initium Jehu. Ergo ab anno XIIX. Joſaphati ad initium Jehu etiam ſunt duodecim anni. Regnavit autem Joſaphat annis XXV. Ergo poſt decimum octavum annum adhuc præfuit tempore Jorami Regis Iſraëlitici annis ſeptem. Super eſt igitur tantum quinquennium de illis duodecim annis, in quibus regnavit in Juda Joram annis quatuor & Ahaſia tantùm uno. Hoc ἄνευ videri nullo modo poſſe mihi videtur, niſi admittatur interregnum.

Scripſi nuper ad Te, me aliquid de erroribus Calendarii Gregoriani meditatum fuiſſe, & id quidem adhuc detinetur ab invidis: prodibit ſuo tempore. Sed in eo oſtendi Clavium celebrare Paſcha anno Dionyſii 1609. & 1612. cum Judæis in ipſo plenilunio, quod eſt contra Canones. Dum autem Paſcha Judaicum inquiro, dubium occurrit, an annus Judaicus 5382. ſit communis ordinarius vel abundans. Character ejus eſt 5. 9. 86. & ſequentis anni character 2. 17. 962. Procul dubio ex regula eſſet communis ordinarius. Sed Chriſtmannus ex Foro Semproniensi citat eſſe abundantem, & Paſcha exhibere feriâ prima. Cauſam ego non video, cur character 2. 17, 962. transferri debeat in feriam tertiam. In hac re quæſo edoce me, &c. 1607.

XV.

JOSEPHO SCALIGERO SETHUS CALVISIUS S.

Prodiit Illuſtris & Clariſſime Vir, nundinis Vernalibus ſcriptum de Stella nova Anni 1604. editum à Johanne Keplero Cæſareæ Majeſtatis Mathematico Pragæ, cui aſſuit exercitationem Chronologicam, de vero anno nati Meſſiæ, quem ſtatuit quinquennio priorem, quam Vulgata Dionyſii Epocha habet. Neſcio an id ſcriptum videris: arbitror tamen ad te perveniſſe ſtudio amicorum, quibus doluit, Te indignius, quam par eſt, in eo tractari: inter hoſce tuos amicos etiam me, quæſo, numera. Ideo ad eum ſcripſi, & argumenta quæ profert refutavi.

Primum proponit ex Dione. Herodem Palæſtinum, quem Archelaum cenſet, relegatum trans Alpes anno Juliano LI. Cum autem Archelaus decimo anno Regni eſſet relegatus, concludit, Herodem mortuum anno Juliano XLII. Ego reſpondi, Dionem in rebus Judaicis non ſatis idoneum autorem, cum aliàs etiam tempus captæ Hieroſolymæ ab Herode conjiciat in annum octavum Julianum quod tamen non niſi nono Juliano accidere potuit. Certiorem ducem eſſe Joſephum, qui ait, id factum anno XXXVII. Actiacæ victoriæ, anno Juliano LIII. Annos autem Actiacæ victoriæ ita numerari, ut XVII. Julianus ſemper habeatur pro primo, demonſtravi pluribus.

Secundum argumentum proponit, quod Joſephus Regum & Imperatorum annos computet ratione Conſulum, & tot annos eorum numeret, quod paria conſulum eorundem tempore fuerunt. Et id probare conatur ex Joſepho aliquot exemplis in hiſtoria Herodis, & imprimis clade Ceſtii, quam Joſephus refert ad XII. Neronis, quam contendit accidiſſe anno Juliano CX. Ego vero demonſtravi, exempla falſa eſſe. Cladem enim Ceſtii accidiſſe anno Juliano CXI. cum Nero eſſet in Achaja. Neronem autem ante illud tempus in Achaja eſſe non potuiſſe, docui ex Tacito & Xiphilino. Præterea cladem illam accidiſſe anno XXX. Joſephi. Joſephum autem natum anno Juliano LXXXII. Veſpaſianum etiam poſt tres circiter menſes veniſſe in Judæam, poſt cladem Ceſtii, & tota illa hyeme ipſum & filium in Ægypto & Syria coëgiſſe exercitus. Præterea Joſephum tribuere Neroni tantùm annos XIII. dies X. Neceſſe igitur eſſe, ut annum XII. Neronis velit eſſe CXI. Julianum. Hic reſpondet: Neronem forte bis fuiſſe in Achaja, etiam anno CX. Juliano, vel veniſſe ſequenti anno in Achajam menſe Februario. Unde intelligere licet ejus prævaricationem. Ad exempla de Herode reſpondi: Joſephum facere annum Julianum VII. primum Herodis, idque demonſtravi ex obſidione Hieroſolymæ, quam Joſephus conjicit in annum tertium Herodis, & incidit in annum Julianum IX. cum rigor hiemis remiſiſſet: item, inde, quod quinto menſe obſidionis capta ſit, capta autem eſt in Julio. Hic reſpondit: Joſephum intelligere per hiemem tantum pluvioſam tempeſtatem,

& quin-

& quinque menſes intelligendos ex eo tempore, quanto auxilia Romanorum accepit. Iſta ad alia etiam loca, quæ attuli, effugia quærit.

Tertium argumentum eſt ex abitu Philippi, anno XX. Tiberii, nec vult agnoſcere ſphalma.

Quarto loco infert Eclypſin anno XLII. Juliano, quæ accidit proximo menſe ante Paſcha die XIII. Martii. Sed illa fuit tantum quinque digitorum, nec religionem hominibus incutere potuit. Oſtendi etiam plura accidiſſe & annotata à Joſepho eſſe à facta Eclipſi usque ad Paſcha, quam quæ viginti novem dierum ſpacio perfici potuiſſent.

Quinto loco dicit à Philippo Tetrarcha ædificatum eſſe vicum Bethſaida & Juliada appellatum à Julia Auguſti filia, id contendit factum fuiſſe, priusquam Julia relegaretur. Relegatam autem eſſe anno Julian. XLIV. Reſpondivi cum illum ædificatum tandem poſt relegatum Archelaum, teſte Joſepho, & cum populus Romanus ſubinde deprecaretur pro Julia revocanda, Philippum etiam ſuas cauſas habuiſſe, cur nomen hoc vico indiderit.

Sextum argumentum, quod Cajus præſederit in cauſa filiorum Herodis. Cajum autem anno XLIV. peregrinatum in oriente. Reſpondi tempus diſceſſus Caji exactè dari non poſſe. Hoc certum eſſe, eum fuiſſe Conſulem, abſentem anno Juliano XLVI. & defunctum anno XLIIX. Hinc verò concludi non poſſe, eum anno Juliano XLV. Romæ non fuiſſe. Addidi præterea Evangeliſtæ Lucæ autoritatem, qui affirmat, Chriſtum anno XV. Tiberii, annos XXX. habuiſſe. Cum ex Kepleri aſſertione Chriſtus tum exegerit annos XXXIII. & Mariam Matrem Chriſti, ex cujus relatione Lucas hæc habuit, teſtimonium hoc habere, quod omnia reſervârit in corde ſuo, quæ acciderant circa tempus nativitatis. De Maria Virgine ait, illam fuiſſe hominem & errare potuiſſe; & tamen præterea peccatum non eſſe, ſi quis dicat de quopiam, qui annos tres & triginta habet, quod ſit annorum circiter triginta. Sed ſcis hæc longe ſecius ſe habere in ſacris literis, cujus autoritas eſt ſacroſancta. Hæc brevibus ad Te perſcribere volui, ut aliquomodo intelligas, cum quo homine tibi & mihi res ſit. Vale Lipſiæ 1607.

XVI.

JOSEPHUS SCALIGER, SETHO CALVISIO SUO S.

VElim ſcire, quid Moliaris. Nam otioſum te non eſſe, certè ſcio. Scis quod inepti homines veræ Chronologiæ mœnia ſubruere conjuratione factâ conentur, qui nullis ſubſidiis inſtructi ad tam arduum opus ſeſe conferunt: atque adeo miratores & fautores ſuos habent. Niſi quis melius à literis paratus, quàm illi, tam temerariis cœptis obviam iverit, hoc malum altiores radices aget. Qui autem hanc provinciam adminiſtrare poſſit, tu unus, aut in paucis es. Itaque cum ego omnibus, qui quid ſit demonſtratio ſciunt, viam, ad benè de hoc negotio merendum, muniverim, tuum eſt & eorum, qui tui ſimiles ſunt, hominum barbarorum licentiam compeſcere: quorum major pars per inſcitiam peccat, ſed omnes per impudentiam nomen ſibi quærunt. Eorum peſſimi ſunt, qui verum quidem agnoſcunt, ſed per improbitatem diſſimulant, atque adeo ne ulla in parte victas manus veritati dare videantur, ipſam ultro oppugnantum eunt. Eo genere hominum nullam pernicioſiorem peſtem habent literæ. Si qui autem ſunt, [multos ſuboriri quotidie intelligo] qui Annios Viterbienſes & Beroaldi ſomnia & ejusmodi deliria iterum refricare velint, non illis concedendum eſt, neque committendum, ut per ſocordiam noſtram fucum fieri veritati ſinamus. Tu, mi Sethe, incumbe in illam curam, cui viris animi & corporis ſuppetunt, quæ ambo jam in nobis effœta ſunt, neque nobis ad juvanda hæc ſtudia aliud præter voluntatem ſupereſt, quæ tametſi bona eſt, tamen iis præſidiis deſtituta, ſine quibus omnis opera irrita eſt, nihil momenti adhæc offerre poteſt. Hoc te monere volui, ut ad omnia paratus ſis, & ineptiſſimorum conatibus nefandiſſimis occurras. Meum Euſebium recoquo, & brevi prælo committam. Quam fœdis mendis illum deformarint operæ typographicæ, quo genere illum excruciarint, tabulas depravarint, ordinem notarum mutarint, jam ex lectione operis ſcire potuiſti. Luculentiorem itaque & meliorem, & multis partibus locupletiorem dabimus. Vale Lugd. Batavor. VI. Kalend. poſteriores Martii Juliani. CIↃ IↃ CVIII.

XVII.

JOSEPHUS SCALIGER SETHO CALVISIO S.

EPiſtolam tuam elegantiſſimam, & bona fruge refertiſſimam ad Hierophantam Beroaldinum accepi, quam ſumma cum voluptate legi. Vidiſti ſane eam, quam inſanum illud caput in me vomuit, quæ riſu potius, quam ſtomacho proſequenda eſt. Multi graviſſimi viri temeritatem ejus deteſtati ſunt, quidam etiam in illis ſeriò illum objurgarunt. Quare ſilentium indixit ſibi, metu gravioris potius reſponſi, quam pudore aut pœnitentia inſcitiæ ſuæ, quam poſt tot demonſtrationes agnoſcere non poteſt. Nihil unquam tàm miratus ſum, quàm quid eum tantopere commendarit. Nam invita veritate in aliquo pretio eſt. Inſania & temulentia ejus in me juſta eſſe judicetur, reſponſum autem noſtrum iniquum & injurium Theſes, quas de Chronologia ad me miſiſti, tanti hîc habentur à doctis, ut cum unicum tantum illud exemplar hic ſit, nunc id per manus illorum obambulet. Et certè jam homines cœlo oculos attollere & generoſum aliquid ſpirare incipiunt. Nam omnes boni, exemplo tuo inſiſtentes, Chronologica ex iiſdem præceptis & tuis veſtigiis inſtituunt. Propediem Satyram Heinſii, & Confutationem fabulæ de Burdonio, accipies. His enim nundinis prodibunt.

Vale

Vale Lugdun. Batavor. Prid. Eid. Julii Juliani cIↃ IↃCVIII. Multa ſunt, de quibus tecum agam proximè. Nunc mihi non vocat.

XVIII.

JOSEPHO SCALIGERO SETHUS CALVISIUS S.

UT ad tuas literas ſtatim reſcribere poſſem, Illuſtris & nobiliſſime Vir, commodè accidit, ut hic adoleſcens Stanislaus à Zedliz ex nobili familia in Sileſia ad vos ſtudiorum cauſa ſe conferret, qui petiit à me, ut hiſce literis ſibi additum ad te præpararem, quem ne ipſi deneget, magnopere rogo, erit mihi hoc amplum apud familiam ejus & amicos. Scire cupis, quid agam. Ego etſi otioſus non ſum, tamen moleſtis muneris, mei laboribus minus efficio, quam velim. Laboro autem in altera editione meæ Chronologiæ, in qua ut omnia ſint certiora, per omnis generis autores volito: hinc inde colligens, quæ characteres Chronologicos videntur exhibere. Scripſeram ante hac aliquid de Calendario Gregoriano, ejusque multiplicibus erroribus contra omnes, qui de Paſchate celebrando editi ſunt. Canonem oſtendi, ſed neſcio quo fato invidorum hominum impedior. Sub cenſura plusquam annua eſt, apud Wittebergenſes, qui parum id intelligunt. Si enim id intelligerent, nihil facilius eſſet, brevi tempore, vel approbare, vel ſi peccaſſem, errores demonſtrare. Urgeo in aula Electoris, brevi, ſpero, res expedietur. Sin minus tuæ Cenſuræ ſubjiciam. Quid Beroaldini conentur, ego quidem neſcio: nihil enim vidi. Si apparuerint, obviam ibo, quantum poſſum, præſertim cum laceſſitus ſim à Pareo, quanquam mallem totum negotium in Chronologia explicare, quæ ad plures perveniret, & diutius vigeret. Pagellæ paucæ non magnoperè curantur. Dum relego autores, invenio interdum in locis, qui me torſerun't, pulcherrimos characteres, exempli gratia: in exceſſu Domitiani, qui obiit XVIII. Septemb. eo anno, quo eo die Luna fuit in Aquario apud Suetonium, quod fieri non potuit niſi anno Dionyſii XCVI. quando hora quinta illius Diei Luna fuit in XXI. parte aquarii. Sic non fruſtra eſt Eclipſis in exceſſu Nervæ, indicata ab Aurelio Victore, quæ accidit anno Dionyſis XCVIII. die XXI. Martii, cum nerva ante LIII. dies obiiſſet. Hinc obſervatio Menalai apud Ptolomeum die X. Januarii eodem anno, vivente adhuc Nerva, quam tamen primo Trajani accidiſſe ſcribit, ita explicanda eſt, quod loquatur de anno Nabonaſſareo DCCCXLV. quo Trajanus cœpit. Ita demonſtrationes binas reperi, de initio Sedekiæ, quod menſis quintus ipſi non ſit primus regni. Prima eſt Jerem. 27. delegatis à vicinis Regibus, de ſociis armis contra Nabuchodonoſorem jugendis, ad Sedekiam miſſis ante quintum illum menſem, qui nec ſtatim in initio præſenti Nabuchodonoſore ad Sedekiam mitti poterant, nec conſenſus de mittendis legatis, inter tot reges, unius menſis ſpacio initi potuit. Altera demonſtratio eſt ex profugo illo apud Ezechielem, qui ipſi annunciavit cladem Hieroſolymitanam. Ea enim clades ipſi indicata fuit poſt ſex menſes, non poſt octodecim menſes, cum in tanto temporis ſpacio fieri non poſſet, quin vel milites in Chaldæam redierint, vel eo transiati eò fuerint captivi. Accidit autem clades annos XI. captivitatis menſe V. narrata autem fuit menſe X. anni XII. Ergo neceſſe eſt, ut initium Epocha captivitatis ſit inter menſem quintum & decimum. Fuit autem in Tekupha. Ergo initium ejus eſt in Tekupha Tiſri. Johannes Behm adoleſcens feliciter ad nos remeavit, & primam hanc Diſputationem contra Funccianos habuit. Secundam propediem contra. Beroaldinos inſtituet. In tertia tuam ſententiam defendet. Exemplaria ipſe ſimul ad te mittit. Interim accipe hoc & boni conſule. Vale. Lipſiæ.

XIX.

Viro Clariſſimo

SETHO CALVISIO D. HEINSIUS S. D.

QUanti olim virtutes tuas ſingulares & præcipuè eruditionem fecerit Illuſtris Scaliger, neque tu ex literis illius, Vir Clariſſime, ignorare potes, neque melius quisquam quàm ego ex quotidianis illius ſermonibus novit. Nam quæ hactenus feliciſſime in temporis ratione à te conſcripta ſunt, ita probabat, ut ad ſolam nominis tui mentionem exſultaret. Reliquos autem, qui in eadem tecum palæſtra verſarentur, arrogantes & imperitos homines, diceret fœnum eſſe oportere. Quam benevolentiam tam eximii in omni genere literarum viri, quin tanti feceris, quanti illam fieri à tanto viro par eſt, dubitare non poſſum. Sed ne dubitemus, generoſitas tua facit. Nam cum alii, etiam qui vehementer ſibi amare videntur, finem ibi amoris ſui ſtatuunt, ubi vitæ ſtatuit natura: tu quanti feceris divinum virum, ſerio oſtendis, ſed poſt mortem. Nam ſi quicquam eſt, quod amplius præſtari pro eo poteſt, nihil eſt tam magnum, quod non minus ſit, quam ut iſte impudentiſſimus & maledicentiſſimus illius adverſarius, non quibus ipſe plurimum valet, & tantum valet mendaciis calumniisque, verum ſolidis, quod in te eſt ſitum, rationibus refellatur. Quod abunde à te ſit præſtitum, etiam manes illuſtriſſimi herois, nedum nos amicos ejus, tibi obligaſti. Reſtat, ut tam exquiſitum tuum ſcriptum diutiùs non lateat, ſed omnium manibus, feratur. Quod cum partim in te ſitum ſit, partim in nobis: in te, ut ſi ibi typographum inveniſſe non poſſis ad nos transmittas; in nobis ut editionem promoveamus: Uterque pro noſtra parte, quam poſſumus, in utroque præſtando diligentiam adferamus. Quanquam vehementer me, tuo, ne propter abſentiam meam, per quam factum eſt, ut hactenus nihil tibi reſponderim, res in integro amplius non ſit. Quod ſi ita eſt, dolebo quidem ſerius ne ſcripſiſſe, gaudebo tamen

tuum

tuum illud ſcriptum, ſi non forte tam eleganter, certe citiùs, quàm hîc fieri potuiſſet, editum à te eſſe. De me & benevolentia mea ita velim ſentias; me cum infinitis nominibus incomparabili illi viro ſim obſtrictus, totidem tibi nominibus obſtrictum fore, non tam quod amari me à te certo confido, quam quod nomen illius, quem præ reliquis amavi, fortiter & generoſe contra rabiem malevolorum ſit defenſum. Vale Vir Clariſſime, & me ama. Lugd. Batav. CIƆ IƆ CX. XVII. Martii.

XX.

Magnifico Dn. HIERONYMO TREUTLERO, J. U. D. & Cæſareæ Majeſtatis Conſiliario. S.P.E.O.D. SETHUS CALVISIUS.

SCripſit nuper ad me Magnifice & Clariſſime Vir, Jacobus Bornitius, Reipublicæ Sittavienſis Syndicus, meam Chronologiam non tantum à Tua Magn. viſam & lectam, ſed & approbatam eſſe, id quod mihi longe gratiſſimum lectu fuit. Nam labores noſtros ab hujusmodi non ſolum Reipublicæ Politicæ ſed & Literariæ columinibus probari, maximum, quod homini veræ laudis cupido contingere poſſit, eſſe arbitror, & ſtudium excitat, & ad majora tentanda animum addit. Etſi autem à me nihil ulterius requiri debet, quam quod in hiſce pulveribus Scholaſticis præſtari poteſt, tamen incitatus ſum hoc tuo judicio, ut in ſemel ſcripta & publicata de rebus Chronologis ſententia perſiſtam, & alios, qui minùs rectè de iis ſentient, liberius admonere audeam. Inter hoſce eſt David Pareus Heidelbergenſis Theologus, qui Beroaldinam Chronologiæ viam ingreſſus, omnes, qui aliquid in Chronologicis, quod in ſacris literis expreſſum non eſt, ſtatuere audent, errare arbitratur & profanos appellat. Et de hac re orationem Chronologicam nundinis vernalibus edidit. Hujus Orationis hypotheſes Chronologicas in hiſce pagellis examinavi, & futilitatem earundem aliis demonſtravi. Eas igitur tuæ Magnif. mittere volui, cum hujusmodi ſtudiis delectetur. Peto ſubmiſſe, ut eas boni conſulat. Vale quàm optimè.

XXI.

Clariſſimo Viro

SETHO CALVISIO Chronologico eruditisſimo, amico chariſſimo. S. D.

TUas ad me literas, Clariſſime Calviſi, rectè curavit communis amicus noſter πολιτικώτατος D. Jacobus Bornitius; quibus per occupationes aulicas citiùs reſpondere non potui: imò ne nunc quidem niſi, quod ille dicebat, ſtans pede in uno καὶ αὐτοσχεδίως reſpondeo; quod te hac vice boni conſulere, & deinceps crebriores & uberiores à me expectare velim. Verè enim amo genium illũ tuum, tàm felicem Χρονολογικὸν, nec id immeritò. Cum tanta ſit veritatis vis, tàm illuſtris virtutis decus, ut vel ignotos in ſui amorem non modo ultro polliciat, ſed etiam ad ſtudiorum communicationem quaſi invitet. Ego id meo ipſius exemplo comperi, qui ab ineunte ætate Chronologico ſtudio plurimum delectatus, omnes eos amavi, colui, qui eidem utiliſſimo vitæ inſtituto, quippe altero hiſtoriæ oculo, plurimum tribuiſſent. Cumque infinitis modis autores & veteres & novos (ut ex tabella appoſita apparet) à ſe invicem diſcrepare viderem, ut & hîc vulgato diverbio locus eſſet: Chronologos non magis convenire quàm horologia; ipſe in eam admodum adhuc Juvenis ſententiam deſcendi, rectè me facturum, ſi illi ſententiæ adhærerem, quæ ſacra autoritate fulciretur, adeoque continuam ab orbe condito ad Meſſiam in carne exhibitum, temporis ſeriem nobis repræſentaret. Illud mihi tum temporis quidem à Genebrardo affectatum, qui diceret, cujuslibet Chronici regulam & menſuram debere eſſe Scripturam; præſtitum autem ab uno Matthæo Beroaldo videbatur, qui etiam de origine anni naturalis in auctumno collocando, & alia utiliter diſputavit; Sed cum identidem hoc Saxum volverem, Academica Genebrardi dubitatione, dum Philaſtrium ſecutus, neque omninò conſtare tempus ab orbe condito, neque prorſus incertam eſſe dicit, veritatem quaſi ſtudio obſcurari; calculo autem Beroaldino, licet viginti tantum annis defectivè à vero diſcrepet, neque rerum Perſicarum hiſtoriam, neque ipſum cœlum (collatis nimirum infallibilibus Ptolomæi obſervationibus eclipſium) reſpondere animadverti. Quo magis miror, quod errorem jam pridem exſoletum, non modo vir ille doctiſſimus, quem oratione Chronologica nuper perſtrinxiſti; ſed & Hugo Brugthonus Anglus poſt tantum intervallum probabiliorem orbi Chriſtiano reddere voluerit, quam ab ipſo olim autore, viro alioquin pio & docto, fieri potuiſſe ſcirem. Memineram etiam, quid Bezæ idem in Chronologis noſtris deſideranti reſpondiſſet Abraham Bucholcerus: nimirum eſſe quidem certò definitum tempus Meſſiæ ſanctis in libris, primò ἐν ῥητῷ Geneſ. 49. tum demum exhibendum eſſe Meſſiam, ubi ablatum foret de Juda Sceptrum; deinde etiam ἐν ὑποθέσει apud Danielem in ſeptuaginta hebdomarum definitione, ſed harum alligationem ſive verum principium abſque adminiculo profanæ hiſtoriæ non inveniri poſſe. Quod tam non abſurdum videri debet, ut nimirum operas hoc in genere utraque hiſtoria ſacra & profana communicet, imò cœleſtes obſervationes Ptolomæi infallibili teſtimonio correſpondeant, quam non eſt abſurdum, ſed evidentius divinæ bonitatis argumentum, ſolem bonis juxta ac malis lucere. Itaque hoc potiſſimum peccatur à Chronologis, pleriſque cæteris, cum major eorum numerus in potiſſimis intervallis, quæ ſa-

cra Scriptura diſerte exprimit, conſentiat, quod ad aliquod hiſtoriæ Græcæ vel Romanæ conſtans παράδειγμα vel conferre illa recuſat, vel non recte confert. Item quod illi, quos Scaliger Prophetas falsè appellat, quique extra Scripturas nihil de tempore dictum admittere volunt, non attendunt, Judæos in Chaldæa captivos, ſine ulla Eccleſia, ſine ulla republ. non potuiſſe alia temporum Epocha uti, quàm eâ, quâ tunc victores utebantur. Quod tantò minùs grave illis accidiſſe putandum eſt, cum & ante in patria ſua æra contractuum uſi eſſent ex libertate quadam; cum propria uti potuiſſent. Itaque ab eo tempore viſus ſum nulla in Chronologia fidentius acquieſcere poſſe, quam in Bucholceriana: tantum autem, ut nunc video, fœdiori errore, quod illa viginti duobus annis per exceſſum à vero abeat, atque ita XLII. annis calculum Beroaldinum excedit: à quo ſeptem, à veritate autem quindecim tantum annis abeſt calculus Funccianus, tantopere pleriſque omnibus probatus, ſed in ſeptennio illo, quod de hiſtoria Regum Judæ decurtavit, mihi ſemper manifeſte ſuſpectus viſus. Et certè ne nunc quidem omnem Bukholceriam calculi approbandi voluntatem abjicerem, niſi tu, Clariſſime Calviſi, divinis Scaligeri laboribus adjutus, nobis ad oculum, cum multis aliis minimè dubiis argumentis, tum imprimis celebri illo Cenſorini de die natali loco id ipſum demonſtraſſes: quem neque Beroaldus, neque Funccius, neque Bucholcerus, aut qui ejus vineta ſuccidit Krenzhemius, multò minùs Genebrardus, aut alii, ſuo unquam calculo, ſine manifeſta violentia aptabunt. Affecerunt me etiam in ficti (ut opinor) Johannis Temporarii Chronologicis d·monſtrationibus, ſed cum deprehendiſſem, minime ſufficientes eſſe demonſtrationes, quæ probabili doctiſſimorum hominum diſceptatione, in utramque partem diverſumque ſenſum poſſent diſceptari, unde Scaliger nos, autoritate Scripturæ ἰσχυρῶς contentos eſſe in quibusdam, ut LXXV. anno Abrahami; non committere invicem autores, vel demonſtrationes exigere jubet: reliqua etiam illius autoris mihi confidenter magis quàm verè ſæpiùs aſſeri viſa ſunt. Illuſtriſſimi autem Scaligeri facula de emendatione temporum, ubi non primâ tantùm ſed & ſecundâ curâ prælucere nobis dignata eſt, quæ diſſimilibus afflata ſciolorum ventis jubar ſemper clarius orbi Chriſtiano prætulit; nihil magis optavi, quam ut diffusè ab illo dicta, non nunquàm preſſius diſputata, & omnibus, qui ab omni ævo exſtarent, anni formis incomparabili judicio & labore accommodata, vel ipſius Scaligeri ſuccidanea opera, quam in cana illius ætate vix ſperari poſſe exiſtimabam, vel alterius induſtria in formam τοῦ σώματος χρονικοῦ redigerentur, ut eâdem operâ & inconcuſſam temporis deductionem & Synchroniſmos cum cœleſtium eventuum, quos certitudo motus luminarium, per ſe alioquin certos facit, tum omnis hiſtoriæ profanæ, quaſi in tabula ob oculos habere liceret. Eam felicitatem nunc ſtudio hiſtorico contigiſſe, eſt profectò, quod inter maxima Numinis beneficia numeremus, & in famæ ſacrario perpetuas corollis ſuſpendamus, tum Herculi Scaligero, multiplicem hydram caligationis Chronologicæ feliciſſime conficienti, & inſuper infinitæ utilitatis Chronologicorum canonum labore Euſebianis annexo omnium rationes ad amuſſim proferenti; tum induſtrio maximè Calviſio, res diffuſiſſimas adeò perſpicua methodo applicanti, & ad omnem temporis mundani decurſum compendiosè aptanti; ut qui veritatem certitudinis Chronologicæ in tanta luce perſpicere non velit, ſupiniſſimè oſcitantem; qui gratus non agnoſcat, extremè malum eſſe oporteat. Macte igitur animo & virtute mi Calviſi, & patefactam viæ hiſtoricæ ſemitâ à ſpinis & ſenticetis reliquis purgare porro, duce Teucro & auſpice Teucro, magno illo Scaligero noſtro indefeſſus perge. Ea re neque ad immortalem nominis laudem illuſtrius; neque ad uſum Reipublicæ literariæ fructuoſius; neque ad certitudinis doctrinæ Chriſtianæ, quæ ſola hoc κριτήριον præ aliis omnibus in orbe terrarum religionibus immotum habet, contra Atheos præſcriptionem evidentius quidquam præſtare potes. Bene vale. Scribeb. Budiſſinæ Luſatiorum KL. Januar. Anno æræ Dionyſianæ 1607, qui eſt Chriſtianæ veræ 1609. ab orbe condito 5556.

Tui

amantiſſimus

Hieron. Treutlerus JC. Cæſareus
Regiusque Conſiliarius.

ΤΥΠΟΣ ΔΙΑΣΤΗΜΑΤΩΝ

Iuxta qua diverſi autores annos ab orbe condito ad vulgatam æram nati Meſſiæ dinumerent.

Baal Seder Holema	3483
Innominati citati à Temporario	3508
Matthæus Beroaldus, Brugthonus, Pareus	3928
Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis	3941
Genevenſes, referente Urſino in Catecheſi	3943
Lambert. Schaffnaburgenſis, Scaliger, Calviſius	3948
Hermannus contractus poſt Bedam	3952
Inſcriptio Græca Conſtantinopolitana	3956
Lutherus, Lucidus Bart. Scultetus	3960
Funccius Melanchthon, Biblia Trem. & Jun. Pant. Candidus	3963
Perkinſus, Glaſerus & alii multi.	3967
Bucholzerus, Krenzheim, Reuſnerus	3970

Brentius,

Brentius, Pererius, Temporarius	4028
Genebrardus Pariſienſis	4089
Laurentius Codomannus	4142
Raimirus Urſus de die noviſsimo	4329

Nam in tabulis Chronologicis prius editis idem autor, Varroniano more prima tempora ignorare pronunciat. Baronius Cardinalis, non multo melius ob diverſam numerandi methodum, ſuarum virium non eſſe fatetur, hanc quæſtionem definire, adeoque relatis plurium ſententiis nihil certi concludit; pudenda certè dubitatione in illo ipſo opere, quo ex profeſſo annales Eccleſiæ texere ſatagit.

Eccleſia Latina, Euſebius, Hieronymus, & qui Euſebianam Hieronymi verſionem ad verbum penè transſcripſere, Marianus, Scotus & Palmerius. — 5199

Eccleſia Græca & Acta Synodica. — 5508

Alphonſinorum Calculus. — 6985

Quibus ſingulis addendum fuerit biennium, quòd Dionyſius Exiguus Abbas, autor æræ vulgatæ Chriſtianæ, manifeſto errore, jam pridem ab eruditis viris demonſtrato, perperam omiſit, adeoq; æra vulgata (ne hiſtoriæ multorum ſeculorum turbentur) retinenda, ſed à vero Meſſiæ nati perpetuo biennio diſtinguenda. Quod cum magno illo annalium in opere Baronius non attendiſſet, plurimum turbarum in hiſtoria à nato Meſſia usque ad primum annum Diocletiani dedit, cujus epocham adeò celebratam cum loco movere non poſſet, biennium Romana ex hiſtoria eximens, de manifeſtiſſimo Probi Imperatoris ſexennio duos annos & duo paria COSS. pro ſuffectis (ſine ſpeciali autoritate) habita, decurtavit, ut nimirum ita biennium illud, quo verus annus nativitatis Chriſti æram vulgò receptam antecedit, ſuppleret. Differentia igitur ſupra dictarum opinionum in numeris annorum mundi, à maximo defecto, ad maximum exceſſum eſt annorum 3502, quod plus eſt, quam dimidium veræ durationis.

H. T.

IGnoſce, mi optime Calviſi, his ad calamum à cœna, cum toti dies aliis & ferè illiteratis occupationibus ſint tribuendi, dictatis, & mea operâ, bibliothecâ (quam mediocriter inſtructam habeo) & ſi quæ alia noſtra tibi uſui eſſe poſſunt, libere utere; imprimis ſæpius de omni tuo inſtuto & progreſſu ad me ſcribe: Magnum etiam Scaligerum ex me ſalvere, cum erit occaſio, luculenter jube. Nulla certè abit veſpera, quin eruditæ recreationis loco aliquot pagellas Euſebianarum animadverſionum & Canonum percurram. Baroniana σφάλματα cum defenſione Joſephi & aliorum veterum, quos immeritò flagellat, dum biennium illud veræ & putativæ æræ nati Meſſiæ non attendit, à te diligenter velim notari, omiſſa omni acerbitate. Darem operam, ut autori vel tacito vel expreſſo meo nomine Romam transmitterentur; qui ſi inde auſam ſumeret corrigendi erroris, certè illuſtrem Reipubl. literariæ operam præſtitiſſet: ſin minus, publicè tamen deinceps expoſita illa poſteritati teſtimonium induſtriæ & fidei tuæ rederent, ſimulque errorem magni illius operis manifeſtum redarguerent. Iterum vale.

H. Tr.

XXII.

Nobiliſſimo & Conſultiſſimo Viro

CONRADO RITTERSHUSIO SETHUS CALVISIUS. S.

SIlentii mei, Clariſſime Vir, cauſa eſt, quod nihil habeam, quod te ſcire intereſſe putem, & inanibus literis, pluribus aliis occupato moleſtus eſſe nolim. Carmen tuum meis Chronologicis præficiendum non ſinit me tui obliviſci. Et amicitia tua mihi honori & emolumento eſt. Quid agam fortaſſe quæres? Otioſus nunquam ſum, niſi fortaſſis valetudinis cauſa. Et moveor, ſed parum promoveor. Interveniunt alia, quæ & plurimum laboris & moleſtiæ mihi hactenus exhibuerunt, nec eorum finem adhuc perſpicio, etſi illa deponere non poſſum: qualia ſint, aliquando ſcies. De Scaligeri invaletudine nihil hactenus inaudivi. Literas ab eo habui nundinis proximis autumnalibus, in quibus meam epiſtolam probat, addiditque, Parcum adeò illa motum, ut indixerit ſibi æternum ſilentium. Commendat præterea haſce Diſputationes Chronologicas, quarum partem primam ipſi transmiſeram. * * * Petit ſibi eas literas dari, quod & feci, nec mihi exemplum reliquum, quod ad te mittere poſſem. Scribe tu ad Scaligerum, ſpero eum adhuc ſalvum. Vale poſtridie Calend. Januar. anni novi 1609, qui ut tibi tuisque fauſtus ſit ex animo precor.

XXIII.

CL. & Doctiſs. Viro

SETHO CALVISIO Chronologo CONRADUS RITTERSHUSIUS. S.

ANte omnia mihi apud te opus eſt excuſatione ſilentii diuturnioris: deinde & brevitatis, quâ nunc utor. Utriusque cauſam ſi conferam in occupationes plurimas & continuas

 partim

partim & abſentiam, nihil mentiar. Tuas mihi literas quamvis ſerò, tamen rectè redditas eſſe ſcito. Pro communicatis mecum Illuſtris, τοῦ νῦν ἐν μακαρίταις ϗ ἁγίοις, Scaligeri literis, maximas ago & habeo gratias. Ejus omnia minuta maxima, quæ reliquit, merito aſſervantur. Abitum ejus ſeriis lacrymis deplorant optimi quique, ex quibus duo præſtantiſſimi Viri hoc mercatu ad me in hanc ſententiam ſcripſerunt, ſe in Scaligero omnia amiſiſſe. Ii ſunt Caſaubonus & Heinſius, quorum literas tecum aliàs communicabo. De rerum mearum ſtatu, ex Theodoro Sirꝫ.nanno intelliges, ad quem plenius perſcripſi. Vellem ad te quoque, niſi plurima injicerent manum, atque retraherent me. Adverſarii tui, quod veritati dant manus, faciunt quod ſe decet. Tu non deſines eſſe τῆς ἀληθείας ὑπερασπιστὴς ϗ πρόμαχος. Vale & ſalve mi Dn. SETHE & me tui cupidiſſimum redamare perge. Altorfii die 29. Aprilis Anno 1609.

XXIV.
EIDEM AB EODEM.

Binis tuis, CL. Calviſi, quas intra paucos retro menſes accepi, una hac epiſtolâ, quam inter varias occupationes ſcribo, breviter reſpondeo, quod tua bona cum venia fiat. Profiteor autem mihi gratiſſimum fuiſſe, quod mecum tua conſilia de anni emendatione & Chronologia rectè conſtituenda communicaveris: gratiſſimas quoque eſſe illas, quas contra duos celebres antagoniſtas in publicum de hoc ipſo argumento emiſiſti, epiſtolas. Quanquam enim longe diverſiſſimis ſtudiis perpetuò ſum occupatus, ut non vacet mihi, in veſtro illo erudito pulvere imò regiis curis verſari; tamen vel ob generalem illam ſtudiorum conjunctionem faveo tuo inſtituto & præclaris atque arduis inceptis, quæ mihi tanto faciliùs probas, quantò major eſt autoritas Illuſtris Viri D. Scaligeri, illa dum viveret magnopere comprobantis atque laudantis. Hujus ad te literas, quod mecum tàm benignè communicas, crede mihi, id longe gratiſſimum eſſe officium. Tua Scripta exhibui legenda CL. noſtro Mathematico Johanni Prætorio, eumque rogavi, ut ſuum mihi de iis aperiet judicium. Id ubi nactus fuero, (adhuc enim ſecum habet, quod dedi) ad te perſcribam. Vale mi CL. Dn. Sethe & homini tui obſervantiſſimo ac ſtudioſiſſimo favere perge. Altorfii die VI. Septembr. Anno MDCIX.

XXV.
M. CHRISTOPHORO HELVICO, Hebrææ ac Græcæ LL. in illuſtri Gieſſena Profeſſori P.
SETHUS CALVISIUS S.D.

IGnoſce mihi, Vir CL. quod te mihi à facie ignotum ita audacter appello. Communitas ſtudiorum facit, ut id audeam. Vidi enim tuam exercitationem Chronologicam de Septuaginta Danielis hebdomadum ſupputatione, contra inauditam Chronologiam Angelocratoris, in qua multa ſunt, quæ mihi valde probantur, diligentia videlicet eximia, & cognitio rerum Chronologicarum non mediocris & alia. Etſi autem tuam de earundem Hebdomadum ſupputatione ſententiam non probo, utpote quæ hauſta ſit ex Erroribus Funccianis & Bucholcerianis, quorum ille primus ficto commento, quod Nabopolaſſar ſit Nebucadnezar, & Salmanaſſar Nabonaſſar, orbem terrarum ſeduxit: tamen te amice admonere viſum fuit, ut mea etiam legere velis, & ſi quid eſt, quod vel in iis deſideres vel etiam improbes, ad me perſcribas. Edidi illam Chronologiam ante annum. Cum nundinis proximis Pareus Heidelbergenſis, qui jam ad plures ſuos, ut audio, abiit, peculiares hypotheſes in Oratione Chronologica ſcripſiſſet, in qua etiam quædam ſunt, de computatione Hebdomadum Danielis; viſum fuit, eas, quid roboris haberent, examinare, idque ut vides feci, quaſi in transcurſu cum de plerisque in Iſagoge Chronologica latiùs diſſeruerim. Angelocratoris Chronologica non vidi, ſed quantum ex tua exercitatione video, abſurdiſſima ſtatuit de Cyro & aliis. Boni conſule, quæſo, haſce pagellas, & ſi occaſio feret, reſcribe: erit id mihi longè gratiſſimum. Vale. Lipſiæ.

XXVI.
EIDEM.

REctè mihi ſunt redditæ tuæ literæ, Vir CL. una cum eleganti ſimul & præſtanti munere, Prodromo tuo & Epidromo, de quibus tibi jam gratias ago, relaturus aliquando, ſi occaſio erit. Sunt autem literæ tuæ ut eruditionis, humanitatis & candoris plenæ; ita in laudes meas nimis effuſæ, quas non agnoſco, & ab amore potius, quam judicio profectas exiſtimo. Quid enim præ aliis magnoperè præſtare poteſt, qui à juventute in pulvere illo moleſtiſſimo Scholaſtico deſudavit, qui à literis quidem neminem penitus avocat, ſolidam tamen eruditionem nunquam contulit. Si vero aliquid eſt, quod in Chronologicis præſtare videar, id ex amore ejus ſtudii, & quòd ferè ſolùm à me hactenus tractatum fuit, proficiſcitur. Et quoniam ita vis, age ſane, conabor ad ea, de quibus quæris, reſpondere. Verè dico, mihi tua Exercitatio Chronologica ejusmodi videba-

debatur, ut nihil plane reſponſurum Angelocratorem crederem, ſed potius ab abſurda ſua ſententia receſſurum: ita ſolide everteras ſententiam illam, nec ſanè, quantum ex Epidromo tuo video, aliquid reſpondere potuit. Sed tamen ne victus videatur, & ne animi ſuarum partium labaſcerent, rem magis intricare conatus eſt, ſed egregiè illum depexum dediſti in Epidromo, quem ſumma cum voluptate legi. Pareus idem fecit, quod Angelocrator, & crambem ſuam repetiit, iterumque propoſuit, omiſſis omnibus demonſtrationibus, quibus totam illam Synopſin everteram. Quem ulciſci quidem poſſem, ſed Joſephus Scaliger elencho ſuo, totius eloquentiæ & demonſtrationum viribus eum obruit, ut mihi quieſcendum putem, ne mortuo cani inſultare videam, aut Iliada poſt Homerum ſcribere.

Autopticam vel potius tenebricoſam & cœcam Chronologiam Angelocratoris hiſce diebus nactus ſum, & vidi iſtius hominis petulantem ſuperbiam, qui omne, quicquid hiſtoricum vel Chronologicum eſt devoraſſe ſibi videtur, & tamen in plerisque tanquam cœcus oberrat, quod quidem multis demonſtrare poſſem. Sed ex unico exemplo, de quo quæris, reliqua conjici poſſunt. Probare vult Angelocrator, ex diſtantia inter Hieroſolymam ab Herode captam, & à Tito everſam Jubilæum continere annos quinquaginta ſolidos. Everſa autem eſt ineunte anno ſecundo Veſpaſiani, Conſule Veſpaſiano ſecundùm & Tito. Si Angelocrator Conſules à M. Agrippa & Canidio Gallo usque ad Titum Veſpaſianum primum Conſulem numeraſſet, vidiſſet diſtantiam à capta usque ad everſam eſſe annorum CVI & trium ferè menſium. Sed catus vir contra omnes hiſtoricos everſionem poſuit in ſecundum Titi Conſulatum. Deinde Hieroſolyma incenſa eſt, autore Joſepho, die octavo Septembris in Sabbatho, cum Paſcha comeſtum eſſet die XIV Aprilis. Sed octavus dies Septembris eſſe non poteſt Sabbathum circa ea tempora, niſi cum Cyclus Solis eſſet XXIII & litera Dominicalis G. Nec Paſcha incidit in XIV Aprilis niſi cyclo Lunæ XIV. Neceſſe igitur, hoſce cyclos Solis XXIII & Lunæ XIV concurriſſe, quod cum fieri non potuit, niſi anno æræ Chriſtiano LXX: hic igitur eſt annus everſionis Hieroſolymæ. Hæc eſt demonſtratio cuilibet Euclideæ par. Sed Angelocrator hæc non intelligit, ideo everſionem ponit in annum Chriſti LXXXIII, quod nullus Chronologus unquàm fecit.

Deinde Angelocrator annos Urbis non rectè applicavit ad æram Chriſtianam, quod animadvertere potuiſſet ex Eclipſi ſolari, quæ accidit anno V Claudii, Calendis Auguſti, COSS. M. Vinutio Quartino & M. Statilio Corvino, anno Urbis DCCXCIIX, qui incidit in annum Chriſti non XLVII, in quem illum Angelocrator collocat, ibi enim nullam Eclipſin inveniet, ſed in annum XLV. In hac igitur Epocha ubique Angelocrator biennio hallucinatus eſt. Quod autem R. Joſes dicit, annũ excidii fuiſſe Sabbathicum, tam verum eſt, quam quod dicit, templum incenſum nona Ab. Nona Ab. fuit quidem feria ſeptima, ſed incidit in diem quartum Auguſti. Joſephus qui vidit hæc coràm, certior teſtis eſt, qui dicit factum X Auguſti. Si Angelocrator cenſet fuiſſe Sabbathicum, cur in Sabbathicum annum tàm excidium urbis, quàm oppugnationem Herodis non ponit? Excidium accidit anno primo ſeptimanæ, ac obſeſſio cœpta, cum fruges nondum maturuiſſent, & Judæi ita biennii ſpacio meſſes non feciſſent: Unde famis cauſa conjicitur. Alios errores, ut quod Ammoni Regi XII annos tribuit contra autoritatem ſacrorum Bibliorum, quod annos peccatorum Iſrael apud Ezechielem incipit à IV anno Jeroboami, qui ſtatim primo anno vitulos aureos propoſuit; item; quod ait, Chriſtum natum die Dominico Luna XIV, quanquam hoc non intelligit; item alia omitto.

Porro Jubilæos per annos XLIX tantùm numerandos, præter hæc, quæ in Iſagoge annotavi, evincit hæc demonſtratio, quod nunquam aliàs anni Sabbathici, qui tàm in ſacris literis, quàm alibi annotantur, ad ejusmodi annos mundi revocari poſſunt, qui annum Sabbathicum ſignificare poſſunt; id quod ex differentiis Sabbathicorum aperte demonſtratur: ut: ab anno quindecimo Ezechiæ, usque ad excidium Hieroſolymæ ſunt anni CXXVI; ab excidio usque ad Sabbathicum Maccabæi CCCCXXVII; ab hoc usq, ad captã Hieroſolymã ab Hircano CXXVI; ab occiſo Simeone, usq; ad captã Hieroſolymã ab Herode XCIIX; à capta ab Herode urbe usq; ad Sabbathicum apud Pariſienſes MCCXXV &c. Sic Judæi in ſuo Calendario dicunt, annos Mundi dividendos per ſeptenariũ, ſi Sabbathicũ annum venari velis. Quæ regula locum habere non poſſet, ſi per quinquaginta ſolidos annos Jubilæi numerarentur. Statuunt autem Judæi hanc regulam, cum ipſi Sabbathicos & Jubilæos adhuc obſervarent, circa tempora Conſtantini Magni. Quod verò Jubilæi Moſaici convenientiam cum Jubilæis Mundi ſtatuo, eſt quod exiſtimo ſapientiſſimum Deum non alios ſtatuiſſe vel Sabbathicos vel Jubilæos annos in Politia Judaica, quàm qui evenirent, ſi anni à condito Mundo numerarentur: quemadmodum alium diem Sabbathi non præſcripſit Judæis, quàm qui erat ſeptimus dies, ſi dies à condito mundo numerarentur. Ideo cum Joſua per ſortem terram promiſſam populo Iſraelitico diſtribueret, redibant bona illius terræ verè ad ſuos Dominos, id quod propriè fieri debebat anno Jubilæo. Fuit autem annus XLVI exactus à migratã Ægypto, Joſuæ, XIV. Igitur fuit annus Mundi MMCCCXCIX, qui numerus ſi per XLIX dividatur, nihil manet reliquum. Eſt igitur Jubilæus. Sed quæritur, quomodo quinquageſimus poſtea dici poſſit, qui hunc ſecutus eſt, Jubilæus. Reſpõdeo, annum κληρουχίας, quo terra diſtributa eſt, vicem obtinuiſſe Jubilæi, ut ab hoc anno numerarent quinquageſimum annum, & annum κληρουχίας ſimul copularent. Quemadmodum à ſecundo die Azymorum numerabant quinquageſimum diem, qui erat Pentecoſte, cum tamen revera tantum ſint XLIX dies. Par igitur ratio Pentecoſtes à ſecundo die Azymorum & Jubilæorum à proximo celebrato numeratorum: Utrobique tantum ſunt quadraginta novem, illic dies, hic verò anni. Hæc breviter ad tuas literas reſpondere volui, quæ, quæſo, boni conſule, & mihi favere perge.

XXVII.

EIDEM.

Moleſtè ſane fero, CL. amice, literas meas tandem plane periiſſe. Iniquum certè ubique expertæ ſunt fatum. Dederam eas ante ſedecim menſes noſtro M. Bohemo, qui tum ſuperiorem Germaniam peragrabat. Verùm cum diutiùs in Helvetia commoratus fuiſſet, & ad Angelorum feſtum Lipſiam redire conſtituiſſet, relictâ Haſſiâ in Belgium abiit. Ubi inter alia, cum incidiſſet in Hiſpanos, meæ ad te literæ cum Scaligerianis & aliis reſignatæ & lectæ ſunt. Idem accidit, cum ad N. perveniſſet. Ita ex utraque parte excubitores illi etiam minima ſcrupuloſè perſcrutantur. Receptas à Bohemo ante annum dederam Studioſo Erfurtenſi, qui ſtudiorum gratia ad Vos proficiſcebatur. Sed ille in patria impeditus, & tandem hûc à parentibus remiſſus, eas aurigæ cuidam, de notitia Tui glorianti, reddendas commiſſerat. Ita tandem eas periiſſe intelligo. * *

* * * * * *

Jam ad tuas, quas noſter Bohemus, jam Doctoratus honore ornatus, attulit, eæ mihi gratiſſimæ fuerunt, & quod tuum in me amorem ubique oſtendunt, & me de tuis ſtudiis certum reddunt. Et quod etiam munus promittis tabulas tuas Hebraicas & inſtitutiones, pro ea benevolentia & liberalitate tua gratias ago. Ego quæ ad ornandam & amplificandam Chronologiam faciunt colligo, & per omnis generis autores volito. Rem hanc non exigui laboris experior ob frequentes autorum diſſenſiones, de quorum certitudine, niſi ſe characteres offerant, liquidum judicium fieri non poteſt. Pareus Heidelbergenſis, qui ſententiam Angelocratoris tuendam putat, epiſtolam contra Scaligeri Elenchos præteritis nundinis edidit, ſi fortaſſis vidiſti, ne impunè ferret admonere illud volui hac epiſtola, quam boni conſule, donec aliquid majoris momenti ad manus venerit. Vale.

XXIIX.

EIDEM.

* * * * * * * *

De primo. Uterque gravis autor & Dionyſius & Pauſanias: Sed Pauſanias hac in re videtur ſuperior. Dicit enim primum bellum Miſſenium accidiſſe anno II, olympiadis IX, anno Mundi MMMCCVII, cum annum quintum Archon decennalis erat Æſimides: finitum verò anno primo Olympiadis XIV, cum quartus annus Hyppomenis exactus eſſet, anno Mundi MMMCCXXVI. En duo teſtimonia. Tertio dicit, ſecundum bellum Meſſeniumſcœptum anno XXXIX poſt prius finitum, anno IV Olymp. XXII, quo tempore tum erant annui Prætores & Archon erat Teſias, eſtque annus Mundi MMMCCLXV. Deſierant ergo Archontes decennales. Si computo verò annos ſexaginta, quibus ſex præfuerunt, ab initio Æſimidæ ab initio Mundi MMMCCIII, ultimus decennalium deſiiſſet anno MMMCCLXII, ibique primus annuorum Archonton Creon, ut vult Vellejus, creatus eſt, qui dicit, annos LXXXV hoſce decennales Archontes præfuiſſe. Ideo initium Charopi convenit anno Mundi MMMCXCIII. Et annus primus Olymp. ſeptimæ eſſet annus ſextus Charopi: Aut igitur Dionyſius errat, aut Charopus mortuus eſt poſt quartum in Magiſtratu annum: Et ſententia Velleji & Scaligeri de LXXX annis falſa eſſet. Ego & Dionyſii & Pauſaniæ autoritatem conſervo, & Velleji ſententiam mitigo, Tu tuo arbitrio age.

Ad ſecundum dico: Nollem cum Scaligero initium Diluvii ponere in annum DXCIX Noæ contra Scripturam, quæ Geneſ. 5, 6. annum Noæ DC tum completum fuiſſe dicit.

Sententiam Kepleri quod attinet, ſtatuo eum falli. Argumenta ejus ſi rectè inſpiciantur, parum ponderis habent, de quibus ſingulis jam dicere non poſſum, nec occupationes meæ patiuntur, nec fert epiſtola: Unum tantum accipe, Si Chriſtus natus eſt, ut Keplerus vult anno Juliano XL finiente, Ergo in initio anni quindecimi Tiberii, cum baptizaretur complevit annum XXXIII, contra Evangeliſtam. Lucas autem hæc ſcripſit ex ore Mariæ Virginis, de qua dicitur, quod omnia hæc conſervaverit in corde ſuo. Deinde Eclipſis Kepleriana non reſpondet rebus ab Herode geſtis, accidit enim tantum menſis unius ſpacio ante Paſcha. Longè autem plura acta ſunt, quàm ut unius menſis ſpacio perfici potuerint, apud Joſephum. Tertio quæ in fine Keplerus adit de annis Neronis ſecundum Joſephum numeratis, falſa ſunt. Nam Clades Ceſtii contigit anno XII Neronis, quando fuit in Achaja, teſte Joſepho. Sed Nero in Achajam non venit, niſi circa autumnum, anni Juliani III. Ergo annus Julianus III. eſt XII Neronis, & anno CXII Juliano Nero Olympia egit biennio poſt legitimum tempus.

Ad quæſtionem quartam reſpondeo: Quadrageſimum nonum annum quidem haberi pro Jubilæo, in quo nec ſeratur nec metatur, ſed tamen poſſeſſiones ad ſuos Dominos non rediiſſe, niſi exeunte illo anno XLIX, incipiente menſe ſeptimo, ſive initio anni contractus L, ſive ineunte anno primo hebdomadis, quando per tubam Jobel reſtitutio bonorum indicta fuit; ita ut Jobeleus, hoc modo conſideratus, non ſit annus totus ſ. vertens, ſed tantum actio, quæ paucis diebus in initio quinquageſimi, ſivè primi anni hebdomadis, peragatur. Si hoc modo Jubilæi numerantur, Jobelei Mundi cũ Jobeleis Reipubl. Moſaicæ rectè coincidunt, nec video, quid contradici poſſit. In Scaligero non animadverti diſtinctionem inter Jobeleos mundanos & Moſaicos; præterquam quod Moſaici annis MMCCCCXCIX ſint poſteriores.

* * * * * * *

XXIX.

XXIX.
JOHANNI KEPLERO Mathematico Cæſareo.

Quandoquidem C L. & Excellentiſſime Vir, in fine tuæ Sylvæ Chronologicæ rogas, ut ſi quis à tua opinione, qua Herodem ſtatuis defunctum anno Juliano XLII diverſum ſentiat, te non celare velit. Ego vero Scaligeri ſententiam de obitu Herodis in mea Chronologia ante biennium publicarim, ſtatuo obſequendum tuæ voluntati, & quid in tuis demonſtrationibus deſiderem, apud te exponendum, idque animo amico, tuique cupido & veritatis inquirendæ ſtudioſo. Si quid aberravero, peto me doceri; ſi liberius dixero, mihi etiam ignoſce: idque te pro tua humanitate facturum plane mihi polliceor. Breviter itaq; ad ſingula tua argumenta reſpondebo.

Ad qrimum: Decimus quintus Julianus eſt primus Actiacæ victoriæ. Ergo annus LI eſt XXXVII. Nego conſequentiam. Quia aliud eſt annus Actiacæ victoriæ, aliud eſt annus æræ Actiacæ Victoriæ. Æra enim integro anno poſterior eſt Actiaca victoria, inſtituta tantum apud Ægyptios & alios, qui eo tempore Calendarium Julianum receperunt, & ſui anni æquabilis initium fixum fecerunt, idque factum ex Senatꝰ conſulto, ut eſt apud Dionem lib. LI. & ita definitur apud Ptolomeum & Clementem. Cum igitur annuo ſpacio differant Actiaca Victória & Æra Actiacæ victoriæ annus Julianus LI non poteſt eſſe annus Actiacæ victoriæ XXXVII. Deinde cum ii anni Actiacæ victoriæ incipiunt à XXIX Auguſti, tamen non ad eum annum currentem Julianum numerantur, ſed ad ſequentes Calendas Januarias conferuntur. id quod in hiſce annis apparet, ut & in Diocletianis, qui ejusdem generis ſunt cum hiſce Actiacæ victoriæ: Exempli gratia: primus annus Actiacæ victoriæ comparatur cum anno XVII Juliano. Sic Cenſorinus, optimus antiquitatis vindex, comparat annum Julianum CCLXXXIII cum anno Actiacæ victoriæ CCLXVII, ubi manifeſta differentia annorum XVI. Ergo annus XVII Julianus habetur pro primo Actiacæ victoriæ. Idem videre eſt apud Ambroſium in iis exemplis, quæ introduxi ad comprobandos terminos Paſchales cap. XXII. Iſagoges Chronologicæ. Ibi enim annum LXXVI Diocletiani confert cum anno Chriſti CCCLXVI: Sic annum Diocletiani LXXXIX cũ anno Chriſti vulgato CCCLXXIII: Sic annum XCIII Dioclet. Cum anno Chriſti CCCLXXVII. In quibus exemplis omnibus annus Chriſti vulgatus CCLXXXV habetur pro primo anno Diocletiani, cum tamen ejus Thot inierit anno CCLXXXIV die XXIX Auguſti. Novitas igitur & præter exemplum introducta videtur ratio, ſi hujus generis annos numerare velimus, præteritis Calendis Januarii anni labentis. Exempla plura addi poſſent apud Euſebium, Epiphanium, Evagrium, Bedam & alios, ſed non neceſſum eſſe arbitror. Contrarium enim exemplum me legere non memini. Nequaquam igitur LI Julianus poteſt comparari cum anno XXXVII Actiacæ victoriæ, ſed potius cum anno XXXV: & annus XXXVII. Actiacæ victoriæ erit annus Julianus LIII. Sic annus Actiacæ victoriæ XXVIII, quo CHRISTUS natus eſt ſecundum Euſebium & Clementem eſt XLIV. Quod Dion relegationem Herodis in annum LI ponit, non multum præſcribere poteſt. Cum enim in rebus Judaicis ſuperius aberraverit, quando Hieroſolymam captam aſſerit anno Juliano VIII, quod factum eſt anno IX, cur non hîc etiam de annis regni Herodis error irrepere potuit.

eſt in editionibus poſterioribus cap. XVI.

Ad ſecundum argumentum reſpondeo, quod ex ſententia Joſephi ſextus annus Julianus pro primo Herodis haberi non poſſit. Ioſephus enim annum illum, quo Hieroſolyma obſeſſa & capta eſt ſemper vocat annum tertium Herodis. Obſeſſa autem fuit non anno octavo Juliano, ſed anno nono, primo vere, cum rigor hiemis ceſſiſſet, idque expreſſè habetur lib. 1. Belli Judaic. c. XIII. Idem intelligitur ex tempore obſidionis: fuit autem obſeſſa quinque menſibus. Obſeſſio ergo cœpta circa XV Februarii. Si igitur annus IX Julianus vocatur III regni Herodis appellatione Romana, ergo triceſſimus ſeptimus Herodis eſt annus XLIII Julianus. Idem affirmari etiã poteſt de altero initio, quando Hieroſolymam cœpit, nam inſtante prælio Actiaco Anno Juliano XV, cum Herodes Antonio auxilia ad Actium mittere vellet, Antonius hoc ei remiſit, & Cleopatra Arabes incitavit, qui Herodi inferrent bellum, quos quidem Herodes primum vicit, ſed poſtea proditione Athenionis vincitur. Affligitur præterea Herodes poſt hanc cladem, aliâ graviſima calamitate, quando terræ motu Judæa concuſſa eſt, & perierunt ad duo millia hominum. Isque terræ motus accidit primo vere, fervente bello Actiaco l. 1. c. XIII. Accidit igitur hæc calamitas, anno Juliano XVI, non XV, quo Arabes in æſtate vicit, & poſtea victus eſt. Poſt eam calamitatem autem, cum milites ſuos iterum ad virtutem hortatus eſſet, Arabes vicit, atque ſubegit. Auguſtoque tendenti in Aſiam obviam profectus eſt anno XVI Juliano, eumque convenit Rhodi, ibi iterum confirmatur ab Auguſto in regno, eum ſtrenuè adjuvit in Ægypto & victorem ante hiemem in Syriam & inde in Italiam in hyberna deduxit. Idem confirmatur & ex altero exemplo, quando Ælio Gallo in Arabes auxilia miſit. Id enim factum anno XIII Herodis, anno Juliano XXII, teſte Dione. Si annus XXII fuit XIII Herodis. Ergo decimus eſt primus. Sic illud exemplum, quod affertur, quod Herodes convenerit Auguſtum Aquilejæ anno XXXVI Juliano, verum eſt: Sed nullibi habetur, quod id factum fuerit anno XXVIII Herodis. Hoc verò dicitur, Anno XXVIII abſolutam eſſe Cæſaream, & inſtitutum Olympicum certamen. Ante hiemem autem Herodes ex Galliis vix domum in Judæam reverſus eſt, Ergo id ludicrum inſtitutum anno ſequenti: anno videlicet Juliano XXXVII. Et annus Julianus XXXVII eſt XXIIX Herodis. Idem confirmatur ex reditu Auguſti in Syriam anno X. Auguſtus Syriam tranſierat anno Juliano XVI inſtante hieme. Ergo

rediit

rediit in Syriam anno Juliano XXVI, id quod Dion etiam confirmat. Is ferè Herodis annus XVII, teſte Joſepho. Ergo decimus annus eſt primus Herodis.

In tertio argumento agitur de morte Philippi. Bellum Parthicum contra Artabanum motum eſt, cum Vitellius præſes eſſet Syriæ, anno Juliano LXXX COSS. Ceſtio & Servilio, teſte Tacito & Joſepho. Bellum id condinuis duabus æſtatibus actum & confectum, ut expresſe Tacitus habet. Pax igitur cum Parthis firmata eſt anno Juliano LXXXI inſtante hieme. Vix ſex menſium ſpacio ante Tiberium mortuum, mortis Philippi fit mentio, quod eodem tempore acciderit, quo, cum non haberet liberos, ejus provincia attributa fuit Syriæ provinciæ. & videtur ſphalma de XX anno Tiberii. Si XX anno Tiberii Philippus eſt mortuus, ergò non eo tempore, quando pax facta inter Parthos & Romanos. Neceſſe eſt alterutrum eſſe falſum.

De quarto argumento. De Eclipſi. Herodes poſt Eclipſin cum plurimum intentus fuiſſet & medicis accerſendis & medicamentis conquirendis, proficiſcitur tandem ad aquas calidas, trans Jordanem, ibique ſe fovit. Inde Hierichuntem profectus, ex atra bile prægravante, eò immanitatis prolapſus eſt, ut minaci edicto convocatos Judæorum nobiliores voluerit poſt mortem ſuam occidi. Inde veniunt legati & literæ Româ miſſæ, quibus permittitur Herodi poteſtas ſtatuendi de filio, quo nuncio recreatus fuit. Mox tamen repetitus gravi dolore mortum ſibi inferre voluit. Sed prohibitus eo ipſo die jubet Antipatrum occidi, & mutat teſtamentum, & quinto die pòſt fato fungitur. Exequiæ inde parantur Regi celeberrimæ, & corpus Herodis transfertur Herodium. Poſt Archelaus luctum inſtituit ſeptem dierum, populoque epulum præbuit, & in templum aſcendit, ubi proclamatur Rex, à quo nomine ſe abſtinere dicit, donec à Cæſare confirmetur. Inde conciliabula habent Judæi, ulturi cædem quadraginta adoleſcentum, petunt quosdam Herodi charos ad ſupplicium & abrogationem ſacerdotii Pontifici tum ſurrogato, quorum poſtulata Archelaus audit, ſed cum profectionem pararet ad Cæſarem, promittit ſe de hâc re conſilium advocaturum, ſi reverſus fuiſſet. Cum verò hi non quieſcerent, & tumultus eorum augeretur, & Paſchatis feſtum inſtaret, in quo illi ſeditioſi etiam alios, qui advenerant, concitarent, coactus fuit Archelaus, milites ſeditioſis immittere, & ad tria millia occidit. Quis verò affirmare poterit, hæc intra unius menſis ſpacium facta eſſe. Quod affertur de rumore mortis Herodis ante Eclipſin, non videtur egere reſponſi, cum de Principibus & Regibus vel leviſſimè ægrotantibus hujusmodi rumores ſpargi ſoleant, nec opus eſt exemplis. Deinde in hac Eclipſi nondum dimidia pars Lunæ fuit obſcurata, & quantitate alteri anno XLV Juliano plurimum cedit.

Ad quintum argumentum de relegata Julia. Tempus relegatæ Juliæ ſine mendæ ſuſpicione annotatum non eſt. Dicit enim triginta annis ante Conſulatum Vinitii relegatam eſſe, COSS. Auguſto XIII & Caninio Gallo. Sed Caninius nunquàm cum Auguſto Conſul fuiſſe legitur. Lipſius putat, eam relegatam anno Juliano XL in notis ad Tacitum. Suetonius ait, eam quinquennium fuiſſe in Inſula, priusquàm ipſi locus in continente daretur. Id factum videtur aliquo tempore poſt obitum Lucii & Caji. Sed Bethſaidam vicum in urbem mutatum eſſe, ſcribit Joſephus, poſt relegatum Archelaum. Nec veriſimile eſt in initio regni eam inſtitutam, cum Cæſaream Philippi, ut Joſephus habet, prius ædificarit. Quomodo tantam urbem annuo ſpacio in initio regni, nondum compoſitis ſuis rebus, perficere potuiſſet? Ex Macrobio etiam de ætate nihil certi collegi poteſt. Hoc tamen collgitur, canam eam fuiſſe, cum relegaretur.

Ad argumentum ſextum. Quod Cajus anno Juliano XLIV in Judæam profectus ſit, prorſus nullum video firmamentum. Nam quod affertur ex Tacito, quod Quirinus Cæſari datus rector ſit, nondum viceſimum agenti, id nusquam invenio, Et eſt phraſis valde ambigua, ita etiam de decenni vel duodecenni puero dici poteſt, quod nondum agat viceſimum annum. Sed poſito hoc, exſtare hæc verba in Tacito, quis non libentiùs eum interpretaretur de nondum completo viceſimo anno. Adde quod anno XLV Juliano Quirinus adhuc Romæ repudiavit uxorem, teſte Tacito & Suetonio in Tiberio cap. 49. Ideo Cajus anno Juliano in cauſa filiorum Herodis præſidere potuit, cum divideretur regnum Herodis, & tamen eo ipſo anno in Syriam pervenire potuit.

De anno Nativitatis Chriſti.

In argumento primo concedis Chriſtum natum eſſe anno XXVIII Actiaco. Si hoc; Ergo natus anno Juliano XLIV. quo, die XXIX Auguſti exit annus XXIIX Actiacus. Secundum argumentum facile conceditur, quod natus ſit ante adventum Quintilii Vari. Tertium, quod natus ſit, cum Templum Jani clauſum eſſet, facile concedi poteſt. Nihil enim importat, ſi per duodecim annos clauſum fuit. Quartum argumentum nihil concludit, cum certum ſit, Chriſtum natum paulò ante exceſſum Herodis, & paulo ante adventum Quintilii Vari. Si tempus Herodis defuncti rectè habet, hæ conjecturæ non ſunt magnifaciendæ. Annus Julianus CX dicitur quidem duodecimus Neronis, ſed idem nominatur decimus ſeptimus Agrippæ, qui tamen eſt completus. Eo anno, die XVI Maji Florus judicia Hieroſolymis exercet, cum pridie ejus diei plurimos Judæorum innocentes necaſſet. Poſtea ſeditio in urbe circa XIV Auguſti in Xylophorias feſto oritur. Joſeph. lib. 2, c. 17. Die VI Septembris, Agrippæ auxilia ſeſe ſeditioſis Judæis dedunt, & ſalvi dimittuntur, & poſtero die, fortaſſis die Sabbathi Romanorum præſidium interfecerunt. XXX die Octobris Ceſtius occupare conatus eſt Hieroſolymam & potuiſſet, niſi pecunia quidam corrupti impediiſſent. Poſtea VIII Novembris cladem Ceſtius perpeſſus eſt, qua amiſit MMMMMCCC milites, DCCCCLXXX equites. Hoc fuit anno Juliano CXII. Anno ſequente XXI Maj Joſephus Jotapatam venit, quæ à Veſpaſiano obſidetur. Die XX Junii Veſpaſianus ab obſidione depellitur. Calen-

Calendis Julii Jotapata capta eſt, anno Neronis XIII. Die XXVII. Auguſti ad lacū Geneſaret Veſpaſianus vincit. Gamala exſcinditur die XXIII. Octobris. Anno ſequente ſicarii, qui Meſſadæ erant, in Paſchate municipium Engaddi invaſerunt. Veſpaſianus die IV. Martii Gadaram ingreditur trans-Jordanem: die III Junii Hierichuntem, eo anno, quo interfectus eſt Nero. Jam quod affirmatur, bellum Judaicum cœpiſſe anno CX Juliano, id non ſic videtur. Nam Nero adhuc Romæ eſt anno Juliano CXI, quo Baream & Thraſeam occidit, & Teridatem Armeniæ Regem creat, ut habet Tacitus & Xiphilinus. Inde circa autumnum in Græciam tranſiiſſe videtur. Veſpaſianus igitur cum ex Achaja à Nerone miſſus ſit, ante annum Julianum CXII. in Syriam venire, aut Jotapatam capere non potuit. Capta autem eſt anno Neronis XIII. Joſeph.l.3.c.13. Ergo XIII Neronis Joſepho eſt Julianus CXI. Idem Ceſtii clades accidit anno XII Neronis, in Novembri, cum Nero eſſet in Achaja. Sed Nero ante autumnum anni CXI Juliani non fuit in Achaja, teſte Tacito & Xiphilino. Ergo annus CXI eſt XII Neronis, ex ſententia Joſephi. Joſeph.l.2.c.24. & 25. Itaque ut concludam, videntur tua argumenta habere parum roboris ad obitum Herodis ad annum XLII Julianum referendum. Unica Lucæ aſſertio, de triceſimo anno Chriſti, cum baptizaretur, videtur hæc omnia evertere poſſe. Si enim juxta tuam opinionem Chriſtus natus eſſet in fine anni Juliani XL, tum annus Julianus XLI eſſet Chriſti primus: baptiſatus autem eſt anno Juliano LXXIV in initio; Ergo Chriſtus cum baptizaretur fuiſſet XXXIV annorum. Vide ne parum pie ſit ita de Matre Domini Maria ſentire velle, de qua ſcriptum eſt, quod omnia hæc, quæ acciderunt circa nativitatem filii ſui, in corde ſuo conſervaverit, ex cujus ore ætatem Chriſti Lucas didicit. Quod vero Chriſtus natus ſit annuo ſpacio circiter ante obitum Herodis, confirmatione non egere arbitror. Atque hactenus de Sylva tua Chronologica &c. Cætera concernunt Aſtronomica & Muſica.

XXX.

JOHANNES KEPLERUS SETHO CALVISIO S.P.

Literas tuas, doctiſſime Vir, 22 Maji ſcriptas accepi à mercatore. Gratiſſimas mihi fuiſſe, oſtendit prolixitas reſponſionis hujus. Tu quæſo, ne ex conciſione ſtyli, aut verbis non nullis, quæ ſolent adhibere pugnantes diverſum tibi perſuadeas. Memineris hæc à me ita ſcribi, ut eſſent dicta, ſi coràm diſputaſſemus. At inter diſputandum noſti ſolere clareſcere voces, exardeſcere animos. In Quæſtione Chronologica (ſciolus Typographus ex una arbore ſylvam fecit, cum titulum nullum ego adſcripſiſſem, imitatus eſt ineptulus allegoriam initio diſcurſus adhibitam) differt tua ſolutio à mea confirmatione.

In ſolutione primi argumenti tribus mihi impropiam locutionem contra meam literam. Non enim memini me dicere, Julianum XV primum eſſe Actiacæ &c. Perinde enim hoc ſonat, ac ſi dicerem, primum ab Actiaca. Ego dico ſimpliciter eſſe annum Actiacæ victoriæ. Deinde æram à nomine ſuo diſtinguis tempore. Eſto, quod mihi quidem abſurdum: nihil tamen tu contra me, qui non cudo regulam univerſalem ad intelligendos omnes hiſtoricos, ſed loquor tantum de Joſepho Judæo, inter Romanos conſueſcente, & de una hiſtoria Judaica ſcribente: qui inſigne hoc habuit tempus, quando Judæa ad Auguſtum rediit. Rediit autem ſtatim poſt pugnam ad Actium, poſtquam Herodes omiſſo Antonio Rhodum ſe contulit ad Cæſarem, & ab eo feudum, ut ſic dicam, regni accepit. Poſt annum pugnæ Juliano XVI Auguſtus Ægyptum cepit, & Antonius cum Cleopatra ceciderunt. Ea gemina cauſa Ægyptiis novæ æræ, initium anni & dominatus extraneus, extinctâ reginâ, concurrentes. Et quia tunc potior pars anni Ægyptii cum ſequente Juliano concurrit; non mirum ſi autores XVII Julianum faciunt primum Alexandriæ captæ. Romanis verò anni Actiaci non denominantur à pugna Actiaca, ſed ab Agone Actiaco, poſteriùs ſanè inſtituto, in memoriam quidem pugnæ, ſed jam ante aliquod tempus peractæ. Tunc & Cæſar Auguſtus fuit denominatus poſt reditum ſc. ex Ægypto devicta. Itaque Cenſorino facis injuriam de anno Actiacæ victoriæ. Loquitur enim de anno Actiaco ſimpliciter i.e. de ludis inſtitutis. Ac etſi nihil ad meum Joſephum, tamen & hîc ſuſpendo aſſenſum, utrum quiſquam, quod factum eſt à XXIX Auguſti ad finem anni Juliani XVI, id referat ad Julianum XVII Romanè uſurpatum. Non enim iſta convertuntur, aliqua, quæ facta ſunt Juliano XVII referuntur (ab Ægyptiis, aut à Chriſtianis Alexandria digreſſis) in primum Actiacum, Ergo quæcunque primo Actiaco contigere referenda ſunt ad XVII Julianum. Novum ſane quid dicerem, ſi dicerem, Joſephum æram iſtam aliquando inſtituere à Calendis Januarii, quæ præceſſerunt Actiacam victoriam, quia Joſephus ſemel atque iterum numerat ab hoc anno, non ab hujus anni principio præciſè. Sic ab annno, ut à die ſolemus uſitatiſſimè. Die ſepulturæ tertiâ reſurrexit, non ſane tertia die à diei initio. Itaque ſi mille autores alleges, Actiacos æræ ſolennis lege numerantes, non plus contra me hic promoveris, dum Joſephum ego interpretor, quam contra B. Lucam, qui tertiâ die ait reſurrexiſſe Chriſtum. Manet igitur Julianum LI eſſe Actiacæ victoriæ XXXVII, (etſi fuit Actiacus XXXV alio ſenſu. Falſum vero LIII Julianum eſſe Actiacæ victoriæ XXXVII, eſt enim Actiacus XXXVII puta à ludis. Largior tamen à me malè allegatum Clementem, ſi is Alexandrinus, Ægyptio more, à capta Alexandria & à Thot numerat. Id ſi verum eſt, quod jam non vacat inquirere, rogo ut illum paragraphum in meo libro deleas. Alterum argumenti membrum, Dionis locum de anno LI non refutas, ſed elevas. Verum eſt, alicubi labi Dionem. At ſemper eſt aliquod pondus in affirmato hiſtorici alicujs, ut noſti, etſi alibi fallit. Nego tamen ita facilè Dionem labi in rebus Romæ geſtis, ob acta Senatus & principum diurna, ut potuit in geſtis præſidom per provincias. Hæc verò geſta Romæ, quo fuit evocatus Archelaus.

Ad ſecundum argumentum, deteriora ex induſtria arripis, cum hunc ſcrupulum de induſtriâ enodaverim. Ego. Herodes duo fecit obſidionis Jeroſolymorum initia, primum ſtatim poſt vi-

ctoriam in Galilæa, nuper redux ex Samoſatis. Hic te impedit vox Hiemis, quaſi Bruma interpoſita ſit inter victoriam & obſidionem. At Græcis *χειμὼν* eſt tempeſtas pluvia, & arguit circumſtantia rerum geſtarum, paucorum dierum fuiſſe. Celeritate enim utebatur Herodes, eâque cepiſſet ipſas Jeroſolymas, niſi fœda tempeſtas hunc curſum victoriæ impediſſet. Itaque eodem celeritatis conſilio ſtatim, ut deferbuit tempeſtas, nondum inſtructus copiis neceſſariis, pergit ad obſidium è regione templi. Sed quia primus impetus ex retardatione illa clumbis eſt redditus, jubet ſtrui aggeres, ipſe ad nuptias. Hæc fine anni VIII Juliani. Itaque Dion huc reſpiciens, octavo captam ait urbem, voluit dicere cœptam obſideri. Cum itaque fuerit VIII Julianus & III. à regno inchoato, ergo omnino ſextus eſt regni inchoati: illi verò menſes quinque à poſteriori initio obſidionis ad ſeptentrionalem murum, ſunt computandi. Nam Joſephus exaggerat Judæorum virtutem, quod urbem per quinque menſes contra tam numeroſum exercitum defenderint. At antequam Romanorum copiæ acceſſerunt, nec oppugnati ſunt (aggeres tantùm ſtruebantur) nec à numeroſo exercitu obſeſſi. Atque hem! te jugulo. Cur quartus dicitur annus IX Julianus, ſi VII fuerit primus? Concilia, ſed ſic, ut patiaris Joſephum in hac hiſtoria Romanorum numerare, nimis enim multa documenta ſunt præter ea. Tam autem contrarias es tibi ipſi. Si nono cepit Jeroſolyma, cur confers initium à captis Jeroſolymis in decimum? Sed & hæc *ἀσύςατα*. Fervebat Actiacum bellum poſt victoriam Actiacam, Ergo Alexandriæ recepta eſt victoria Actiaca. Et ſi mihi non eſt opus hoc effugio. Nam movebat Antonius in Cæſarem Juliano XIV, Domitio & Soſio COSS. Lege Dionem. Eo igitur anno Herodi fuit bellum cum Arabibus, non XV. Cognoſce errorem tuum & emenda. Accidit igitur calamitas terræ motus ſc. anno altero, nimirum XV, non quod ais XVI. Ex quo intellige, quid voluerit Joſephus, cum ſcribit: maximè fervente bello Actiaco. Quæſo te, quid clarius dici potuit de bello ante Actiacam victoriam, & tamen niſi Dion hîc quoque adſtipularetur mihi, vim faceres mihi, ſcilicet loqui illum, de expeditione Ægyptiaca, poſt pugnam ad Actiũ. Itaque hic XV omnino eſt Herodis VII. Fatere itaque IX Julianum eſſe Herodis primum. Herodes verò ad Cæſarem non venit poſt pugnam Actiacam, exeunte XV Juliano: altero anno XVI affuit Auguſto in Ægyptum moturo. Inter cætera commemorat, quod non ſtatim deſeruerit Antonium poſt Actiacam pugnam. Quomodo verò probas auxilia Gallo miſſa Herodis XIII, imò ego probavi XIV Herodis. Tu nihil contra. Cæſarea fuit dedicata antequam iret Herodes Romam. Nihil impedit ſeries hiſtorica. Vocula *tunc* interdum repetit eundem annum, cujus hiſtoria ob ſeriem jam præmiſſa ſit. De Auguſti in Syriam trajectu tantum obloqueris. Veriſimilius ego, qui modos aperio, & vim objectionis nudam ob oculos pono. Si eſt, quod tu dicis, novum quid ſervat Joſephus, decimo anno indicat exactum decennium. Sic, quod ego, Joſephus ubique ſibi conſtat.

Æſtate anni 14 uſq; Corcyram navigavit, autumno rediit in Peloponneſum, hibernavit Patris.

Quæ tertio argumento objicis, ſunt à me ſatis diluta, dum Scaligero reſpondeo. Non dicit Joſephus VI menſibus ante exitum Tiberii mortuum Philippum: Sed poſtquàm continuaſſet hiſtoriam usque ad VI menſes à morte Tiberii ſubjicit; Tunc (tempore illius continuæ hiſtoriæ biennii & plurium annorum ſub Pilato nimirum) deceſſiſſe Philippum viceſimo Tiberii. Subjicit ſic non hæc tantum, ſed & alia, quæ certiſſimum eſt prius facta. Et mirum eſt, cum portum videas, velle te perrumpere ſolidum murum, & Joſephi textum falſi arguere. Quid opus eſt? An non bene ſtat hiſtoria, à me ordinata, numerique omnes Joſephi ſibi congruunt.

De Eclipſi videris admetiri ſyllabas hiſtoriæ de morte Herodis, ut iis tempus metiaris. Atrocitas rei Joſepho multa verba extorſit. Res ipſas vide. Medicos ex omni provincia intra triduum cogere potuit. Conſilium intra horam poſſunt mediis dare. Hiericho diſtat Jeroſolymis minus puto quàm Thermæ Alſaticæ à Vienna Auſtriæ. Octiduum eſto in Thermis conſumtum. Putas tu menſem fuiſſe, tam nullo ſucceſſu valetudinis? Nec dicit Joſephus convocatos Proceres poſt reditum. Erant illi fortè Jeroſolymis, cum inciperet rex ægrotare, ob filii damnationem convocati, Herode in thermas eunte ſubſtiterant in Jericho, ſecuti regem hactenus. Nec hoc dicit, poſtquam Herodes, Hierichuntem venit, Româ exiiſſe legatos Regis & Regem Jerichunti repeiiſſe. Contra hoc ſatis apparet, ſtatim ab exceſſu Regis, Archelaum veniſſe in cœtum Judæorum. Exequiæ verò & balſama curatæ ſunt, ni fallor, à libertis, à Pharmacopœis, non inſpectante Archelao, utique ne partes corporis paterni inhoneſtas videret, quia plurimum ſolebat infecciri aromatum. Da ergo regem vacare à ſervilibus funeralium officiis. Deflevit patrem ſeptem diebus, ſecundum legem. At lex nihil de triginta diebus. Exactis iis populo epulum præbuit. Interea verò (manifeſte dicit in antiquitatibus *interea*) coorta ſeditio. Supervenit Paſcha, cum rex Archelaus nondum in itinere Romam eſſet, qui tamen ſtatim ab exſequiis ſe itineri paravit. Contra rumorem regis morbidi communem affers, rumores vanos ex levi ortos, negligis propria, reverà maximos fuiſſe dolores. Vim ſibi fecit Herodes perorans ad populum, & quid ſi non ipſe locutus? Imò quid verbis opus? Inter Vari ſucceſſionem, anni principio & Herodis morbum plane tempus interfuit, quod non poſſet, ſi Eclipſis nono Januarii ſumeretur. Itaque una illa veriſimilitudine de inſigniori Eclipſi, reliquas non evertis. Magna vis eſt in Joſephi numeris omnifariam ſibi conſentientibus, Eclipſi, hiſtoriâ Romanâ Tu ſingula elevas communibus, juncta pondus habent. Hiſtoria conſtat non epiſtemonicis ſed *δυνατικοῖς καὶ τεκμηρίοις*.

Quintum argumentum hoc habet certiſſimè confirmatum, Juliam anno XLIV relegatam. Itaq; proba impoſſibile duos vicos eodem anno in urbis ſpeciem tranſire incipere mutatis nominibus, Caninium cum Auguſto conſulem nõ fuiſſe negare non potes, quod ſuffectos ejus anni in numerato non habes. Lipſius illa vera dicit, quæ autoritatibus firmat. Ejus autoritate non pugno, potui, quod ipſe, ſed, quia primus, non erat honore privandus. Si certum relegatam XLIV, non igitur XL.

Cauſa illi de XL. ſuſpicanti procul dubio eſt lacuna in Dione, circa illum annum. Ex Suetonio pugno ſupervacuè. Res ſine hoc certa. Tu Suetonium incertum faciens, rem mihi non eripis. Potius jam & Suetonii in loco certus eſto, confirmatus ex Vellejo. Joſephus non diſertè affirmat poſt relegatum Archelaum conditum vicum; Sed poſtquam expedivit Archelaum, tranſivit ad Herodem & Philippum, eorumque res geſtas. Itaque ne hoc quidem certum, eodem anno Cæſaream & Juliada conditam. At nec illud, prius Cæſaream inceptam, etſi præmittitur. Inſigniorem præmiſit.

Sextum argumentum ita forte eſt, ut niſi omnes hiſtoricos falſi argueris, non ſis id confeſſurus. Nemo hactenus annum negavit. Hoc erat Chronologorum erratum, quod Cajum ad res Herodis non applicarunt. Ex Tacito vero allegavi ego, quod non erat. Gloſſa mea fuit, in ſcheda expreſſa memoriæ cauſa. Poſt aliquot dies ſuperveniens perſuaſus eram, totam ſententiam eſſe Taciti, ubi & numerum ex illa infelici ſcheda corrupi 25 pro 26, ut folio antecedente. Taciti hoc eſt: *Proficiſcenti C. Cæſari ad bellum Armenium, datus rector*, reliqua mea ſunt, vim argumenti abſolventia. Nondum utique viceſimum annum agenti. Nam anno eo Conſul fuit rector ipſe hominum. Eodem certe anno Auguſtus Conſul factus. Conſulibus rectores non dantur. Ergo quia Cajus XLVI conſul, ivit ante XLVI. Sed res conſtat ſine hac Taciti autoritate, atque etiam ſine Quirini mentione. Quirinius tamen improviſo Lepidæ repudio me cœperat perturbare. Occidit enim accuſatione uxorem quondam ſuam LXV Juliano, viceſimo vero ex quo repudiavit. Ergo XLVI repudiavit. Ergo XLVI repudiavit. Quid dicam? An neceſſe eſt Romæ fuiſſe Quirinum, cum uxorem repudiavit? Imò abſens potuit. Mos ille creber, abſentes in provinciis ea agere, quæ præſentes agebant. Imò vero præſens repudiavit, defunctus adoleſcentis regimine, qui anno XLVI Conſul fuit abſens. Ceſſit ſplendori conſulatus. Quirinius etſi utilis Cajo futurus conſiliis, ne conſul rectorem habere videretur, ſi manſiſſet ille. Tu repudium in XLV confers. Si XLV repudiata: LXV erat primus & viceſimus ex quo repudiata.

Concludo itaque nullo pacto labefactatum à te annum exceſſus Herodis XLII. ſed omnibus argumentis, quæ haberi poſſunt de hâc materia, confirmatiſſimum eſſe. Itaq; invidioſè mihi numerum B. Lucæ & Mariæ memoriam objicis. Nam hoc faciunt, qui ſemideam ex ipſa faciunt. Tu qui quotidiè audis, & fortè credis peccatricem & ipſam fuiſſe, piaculum exiſtimas, lapſam memoriâ affirmare, quod ipſum infirmitas eſſet, non peccatum. Atqui ego id non ago, quod mihi tribuis, ut dicam lapſam memoriâ Mariam. Lucas non allegat Mariam ſed miniſtros verbi: quoſcunq; laudat autores, lapſus non eſt, qui dicit circiter XXX annos natum, qui habet XXXIII. Nam quod baptiſmum in LXXIV confers, inde eſt, quod mihi non vis largiri, quod eſt veriſſimum, Tiberii XV eſſe LXXIII & primum fuiſſe duorum ſemis menſium. Neronis XII non fuiſſe CX Julianum arguis, eo quod Neronem Joſephus in Achaja habeat. Minimè. Prima mentio Neronis in Achaja eſt poſt Novembrem XII Neronis, quando diffugerunt proceres paulatim ex Jeroſolymis & ſe receperunt ad Ceſtiũ. Non opus fuit hac trepidatione. Non dicit Joſephus Caſtabarum & Saulum è veſtigio poſt Cladem Ceſtii, quæ facta eſt Novembri anni CX, ad Ceſtium profugiſſe: Nec dicit hos profugos à Ceſtio confeſtim miſſos ad Neronem: Nec dicit, quo die miſſi. Jam notum eum in Syria fuiſſe, Neronem eſſe in Achaja. Miſit illos initio anni CXI, dum Nero, occiſis adhuc aliquot Senatoribus, ex Campania cum Tyridate Rege Armeniæ Romam venit, eoq; dimiſſo (nihil enim præterea Tacitus actum eo anno pertexit) ſe itineri Achaico comparavit, menſe forte Februario. Ceſtiani itaque Neroni obvii fiunt in Achaja. Certum eſt Neronem in Achaja fuiſſe anno II, Olympiad. CXI, quæ dilata hûc fuit in ejus adventum, vide Hieronymi Euſebiana & Scaligeri notas. At ex Joſepho conſtat, quo anno Nero in Achaja fuit, Iſthmum perfoſſurus, illo anno Veſpaſianum cepiſſe Galilæam. Ergo priori anno CX contigit clades Ceſtii. Itaque quæ hîc trepidis conſiliis commentus ſum jam rideo, Suetonium demum ex Hieronymo intelligens. Gratias tibi debeo, Calviſi, qui me induxiſti ad hæc perveſtiganda, etſi dies hic mihi periit lectione repetita. Tu ſi quid melius ſcribe. Xiphilino careo. Is Proculdubio, de expeditione, Nerone Iſthmum perfodiente. Ego, mi Calviſi, nihil unquam mei affirmati ſtudio defendi, nec facturus porrò ſum. Plane, ut nunc habeo, perſuaſus ſum, rem ſic habere. Quod ſi quid occurrit indiſſolubile; ſpero tamen me inter argumenta *κατασκευαστικά*, & inter unicum ſcrupulum rectè diſtinguere. ******* Vale & reſcribe. 13. Novembr. 1610.

CL. Viro JOHANNI KEPLERO Cæſar. Majeſtatis Mathematico, amico ſuo

SETHUS CALVISIUS S.

DE vero anno nativitatis Chriſti, CL. Keplere, inter nos olim per literas egimus, ſed nihil tum profecimus, quod uterque noſtrum in ſua ſententia permaneret. Jam verò, dum provocatus à Röſlino tuas rationes, cur ſentias Salvatorem noſtrum Chriſtum non triginta tantum annos, ut cum Evangeliſta Luca ego aſſero: ſed triginta tres annos, ut Joſephus Hiſtoricus tibi videtur velle, compleviſſe, cùm à Johanne baptiſetur, publicè proponis, & me in titulo libri, quaſi minus rectè de eadem re ſentiam, notas, neceſſitatem mihi injungis, & ut meas rationes, cur ita ſtatuam publicè proponam, ne indicta cauſa condemner, & ut æquus lector cognitis utriusque fundamentis de tota re rectiùs pronunciare poſſit. Dum igitur hoc facio, quæſo mecum loca illa autorum, ex quibus verus nativitatis Chriſti annus erui poteſt, iterum contemplare. Res enim digna eſt, de qua ſæpius cogitetur, & quæ magno ſtudio & indefeſſo labore inquiratur, ut veritas tandem pateſiat, quam multis ſpero profuturam.

Primus igitur autor, qui nobis excutiendus venit, eſt *Evangeliſta Lucas*, qui quicquid de Chriſti nativitate, pueritiâ & ætate ſcripſit, ex ore & ex ſententiâ Beatæ Virginis Mariæ, cujus effigiem etiam depinxiſſe dicitur, ſcripſit, quæ teſtimonium habet à Spiritu Sancto, quod omnia, quæ circa nativitatem Chriſti acciderunt, conſtanti memoriâ retinuerit, nullius rei oblita fuerit, ſed omnia, ut geſta fuerunt, expromere & aliis narrare potuerit. Nihil igitur dubito, quin & verum annum, imò menſem & diem ætatis Chriſti Evangeliſtæ Lucæ exponere potuerit, ſi Lucas hæc minuta perſequi voluiſſet. Sed Lucas ſatis eſſe putavit, ſi ferè ad unicum menſem usque ætatem Chriſti annotaret, & nuper, cùm ad Baptiſmum accederet, trigeſimum ætatis annum compleviſſe affirmaret. Verba ejus de Chriſti ætate cum baptiſatus eſſet, ſunt, καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν. Et ipſe Jeſus erat quaſi incipiens annorum triginta. Senſus manifeſtus eſt & planus, & ita intellectus eſt ab antiquitate & noſtris. Do tibi hujus rei teſtem antiquiſſimum Ignatium diſcipulum Johannis Evangeliſtæ, qui inquit apud Clementem, καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου. Et cum verſatus inter homines eſſet tres annorum decades, baptiſatus eſt à Johanne. Adjungo huic interpretem eorundem verborum ampliſſimum Joſephum Scaligerum, qui in tertio Canonum Iſagogicorum pag. 199. ſic ſcribit: *Nobis ex uſu loquendi conſtat, Chriſtum ad Baptiſmum acceſſiſſe trigeſimo ætatis anno completo, & trigeſimo uno ineunte,* ἦν ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα, *incipiebat eſſe annorum triginta. Hoc non dici poteſt de eo qui init tricesimum annum, ſed de eo, qui nuper triginta annos ætatis complevit, & cum trigeſimum primum natalem ſuum celebrat; ille verè eſt* ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα. *Peſſimi Grammatici, qui non intelligunt, quantum discriminis ſit inter* ἦν ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα, *&* ἦν ἀρχόμενος ἐτῶν τριάκοντα, *alterum de abſoluto trigeſimo anno dicitur; alterum de ineunte. Et certè mira eſt inſcitia: ut taceam, Græcè non dici;* ἄρχομαι ἐτῶν τριάκοντα: *ſed* ἄρχομαι ἔτους τριακοστοῦ. *Rurſus* ἐγὼ εἰμὶ ἀρχόμενος ὤν. *id eſt,* ἐγὼ ἄρχομαι εἶναι, ἄρχομαι ὢν ἐτῶν τριάκοντα, *&* ἄρχομαι εἶναι ἐτῶν τριάκοντα *idem. Sed cum Participio verba incipiendi, continuandi, deſinendi* ἑλληνικώτερον *conſtruuntur, quod & pueri ſciunt, & tamen non ſolum ætate: ſed uſu literarum adulti hæc ignorant, & turpiter hallucinantur.* Hactenus Scaliger. Pugnat quidem hoc loco contra eos, qui putant Chriſtum egiſſe tum temporis trigeſimum annum, & non compleviſſe: Sed eadem interpretatio confutat etiam eos, qui Chriſto plus tribuunt, quam triginta annos.

In capite 12. tuæ ad Roslinum reſponſionis interpretaris Lucæ verba hoc modo: ἦν δὲ ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, ἀρχόμενος, ὤν. Et erat Jeſus fermè triginta annorum, incipiens, ſcilicet prædicare, quam interpretationem etiam apud quosdam hujus ætatis Theologos me legere memini. Sed neminem tamen inveni, qui ætatis Chriſti annos triginta propterea negare auſus ſit. Ideo ut hanc interpretationem, ſi ætati Chriſti nec deroget, nec arroget quicquam, non impugno: Ita antiquitatis interpretationem & Scaligeri præfero, cum non de prædicatione Chriſti aliquid addatur, ſed Genealogia tantum ejus ad Adamum usque recenſeatur.

Urges autem particulam ὡσεὶ quam incertum quoddam temporis momentum denotare affirmas, id quod non nego. Sed incertitudinem iſtam & dubitationem de tempore, in terminis homogeneis permanere, non ad Heterogenea tranſire affirmo, ut exempli gratia, ſi dixero, hoc anno, die 29 Maji, circiter veſperam, magna pars Thuringiæ eluvione periit. Hic particula circiter me non dubitare vult de die 29 Maji, ſed tantum de hora veſpertina, an horâ unâ ante Solis occaſum, aut in occaſu, aut horâ unâ poſt occaſum acciderit, dubitari poteſt. Sic ſi dicerem, eandem accidiſſe circa finem menſis Maji, non de menſe Majo, vel etiam de anno dubitare poſſem, ſed de die tantùm, an fuerit antepenultimus, vel penultimus, vel ultimus menſis Maji. Sic hoc loco, quando Lucas dicit Chriſtum incipiſſe eſſe annorum triginta, certè de trigeſimo anno dubitare non licet. Sed illa dubitatio referenda eſt vel ad finem, trigeſimi anni exacti, vel ad trigeſimum primum inceptum. Et in hac ſententia ſpero futuros, qui autoritatem Sacræ Scripturæ ſacroſanctam & ſenſum ejus, quem verba ſimpliciter juxta proprietatem linguæ intellecta gignunt, certum eſſe volunt. Si præterea urgeas, Lucam particulam ὡσεὶ omittere potuiſſe, ſi de completo anno tricesimo certus fuiſſet: hanc cauſam afferre poſſum, quod tum temporis turbæ extiterint in Calendario. Judæi enim, ſi annum Eccleſiaſticum reſpicias, inchoabant annum in vere, quatuordecim diebus ante Paſcha, ſive à menſe, quem vocabant Niſan, cujus decimo quarto die agnum Paſchalem comedebant. Si verò politicum annum attendas, eum incipiebant ab autumno, menſe TISRI, cujus novilunium ſemper æquinoctium autumnale proximè antecedere debebat. In utraque ratione incipiebant menſem à quovis Novilunio, & quodvis Novilunium ſacrum habebant, quo peculiaribus ſacrificiis DEUM placabant, & convivia agitabant, & ab eo Novilunio dies menſis ordine numerabant, & ita ad hanc rationem annos hactenus computaverant. Sed paulo antequam Herodes rex crearetur mandato Julii Cæſaris, & poſtea etiam Auguſti Imperatoris annus ille Judaicus mutatus fuit, ita ut non amplius inchoaretur à Novilunio, ut hactenus factum fuerat, ſed ut eum ſtato die, à die ſcilicet primo Octobris inciperent. Hinc factum, quemadmodum & hodie idem accidit, ut alii menſes eſſent Lunares, alii verò Juliani & Solares ferè. Ponamus igitur jam Chriſtum natum fuiſſe die 25. Decembr. Juliani, anno Juliano XLIII qui dies quidem incidit in diem XXV Apellei, ut tum menſes apud Judæos appellebantur: Sed fuiſſet dies XVI. menſis Thebeth, feria quarta. Contra anno Juliano LXXIII. quo Chriſtum baptiſatum ſtatuimus dies XXV Apellei eſſet dies XIX Thebeth, feria VII. Si Chriſtus eo die baptiſatus fuiſſet, atque ita non reſpondiſſet diei XVI Thebeth. Propè quidem abeſt hoc anno, à XVI. Thebeth, ſed aliàs interdum idem dies vel in proximum menſem tranſire potuiſſet. Hac diſparitate dierum, cum annus Julianus cum mero anno Lunari non

niſi

niſi poſt novendecim annos in concordiam ferè abeat, Simpliciores facilè turbari potuerunt, ita ut etiamſi de anno ſatis conſtaret, de certo die tamen dubitarent. Manet igitur firmum, etſi de die vel Nativitatis, vel Baptiſmi nobis non conſtat, quod tamen Chriſtus trigeſimo ætatis anno com-completo, ſi non eodem die, tamen eodem menſe, quo natus eſt, etiam baptiſatus ſit, quemadmodum & vetuſtas, ut notum eſt, & Nativitatem & Baptiſmum Chriſti uno eodemque die celebravit. Atque hæc de Evangeliſta Luca, ubi vides ejus verba nequaquam de trigeſimo tertio ætatis Chriſti anno, cum ad Baptiſmum accederet, niſi violenter ejus verba detorquere velimus, intelligi poſſe.

Accedamus jam ad *Joſephum Hiſtoricum.* Chriſtus enim natus eſt vivente & regnante Herode, ut Matthæus Evangeliſta habet. Nemo autem præterea eſt, qui Hiſtoriam Herodis & regni ejus tempus annotaverit, præterquam Joſephus, igitur is etiam aſſumendus. Verum quidem eſt, cum nobis conſtet de ætate Chriſti tempore quindecimi anni imperii Tiberiani, atque is annus in Faſtis Romanis rectè ſit annotatus, ut inde ad verum annum nativitatis ejus pervenire poſſimus, qui hoc modo eſt annus quadrageſimus tertius Julianus ferè finiens; quod nobis non admodum de aliis Hiſtoricis, qui extra Eccleſiam ſunt, ſit laborandum: tamen, ut convinci poſſint ii, qui vel Chriſti adventum in carnem planè negant, vel de eo dubitant, & ut magis piorum mentes, ſi hiſtoriæ Chriſtianæ & profanæ conſenſum videant, confirmentur, neceſſarium eſt, ut Joſephum aſſumamus. Is igitur affirmat Herodem accepiſſe à Senatu Romano regnum Judaicum anno Juliano ſexto, circa Paſchatis Feſtum, Coſſ. Cn. Domitio Calvino II. & C. Aſinio Pollione. Poſtea verò eundem Herodem, cum Antigonum regno dejeciſſet & Hieroſolymam expugnaſſet, Coſſ. M. Vipſanio Agrippâ & Caninio Gallo, anno nono Juliano, die XVI. Julii fer. III integro regno potitum eſſe. Atque hæc de initio regni Herodis, quæ ſalvo Joſepho & ſalvâ Romanâ hiſtoriâ mutari non poſſunt. De fine verò ſic loquitur Joſephus de bello Judaico Cap. XXI. lib. I. *Moritur Herodes potitus regno annos triginta quatuor, ex quo interfecit Antigonum: triginta verò & ſeptem, poſtquam rex à Senatu Romano declaratus eſt.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, quo anno Juliano Joſephus Herodem defunctum affirmet. Adde enim ad annum nonum Julianum, quo Antigonum regno dejecit, annos XXXIV. quos regnavit, pervenies ad annum Julianum XLIII. ita adde ad annum VI. Julianum, quo declaratus eſt rex à Romanis annos XXXVII. pervenimus ad eundem annum Julianum XLIII, quo mortuus eſt paulò ante Paſcha. Conſtat igitur ex Joſephi verbis, ſi propriè ut ſonant, intelligantur, Herodem hoc anno XLIII. Juliano defunctum. Conſentit etiam hoc cum aliis Joſephi locis, ut quando dicit Archelaum filium Herodis, qui ſucceſſerat parenti, ab Auguſto Cæſare regno pulſum anno decimo regni, & in Galliam relegatum eſſe. Id quod idem Joſephus affirmat factum anno poſt victum Antonium ad Actium triceſimo ſeptimo, qui eſt annus Julianus quinquageſimus ſecundus. Item quando Philippum tetrarcham dicit mortuum anno principatûs triceſimo Septimo, qui, ut idem Joſephus affirmat, fuit imperii Tiberii viceſimus, & annus Julianus ſeptuageſimus nonus. Cum jam ſententia Joſephi manifeſta ſit, videndum, quomodo Joſephus poſſit cum Evangeliſta Luca conciliari. Pugnant enim inter ſe, ut manifeſtum eſt. Ex verbis enim Lucæ ſequitur quod Chriſtus natus ſit anno Juliano XLIII. Finiente. Joſephus autem affirmat Herodem mortuum anno Juliano XLIII. incipiente, videlicet circa Paſcha ejus anni. Chriſtus autem natus eſt vivente Herode, ut hiſtoria Magorum oſtendit, & quidem ſeſquiannuo ferè ſpacio ante mortem ejus, cum cenſus ageretur. Quæ cum ſimul ſtare non poſſint, ita verba Joſephi interpretanda erant, ut cum Evangeliſta Lucâ in concordiam coirent. Hoc enim eſſet boni interpretis & Chronologi officium. At verò, Clariſſime Keplere, hic planè contrariam viam inis, & quos ſententiâ conjungere debebas, amplius disjungis, & magis eos diſſentire facis. Dicis enim Herodem mortuum non anno Juliano XLIII, ut Joſephus vult, ſed anno antecedente, anno videlicet Juliano XLII. Ut ita jam tribus integris annis Joſephus & Lucas inter ſe diſtent, cum Joſephus ipſe tantùm diſcrepantiam duorum annorum admittat. Verba enim Joſephi ita interpratanda putas, ut de annis Herodis etiam nondum incipientibus intelligi debeant. Ita ut Herodes à dejecto Antigono tantum annos triginta duos, menſes octo, & dies XIV regnaverit, & tamen rectè dicatur à Joſepho, eum triginta quatuor annos regnaſſe. Subduc enim ex annis XLII. & menſibus tribus, quando mortuum Herodem affirmas, annos novem, menſes ſex, dies ſedecim, quando Antigonum regno dejecit, ſuperſunt tantum anni XXXII. Menſes VIII & dies XIV quos Herodes complevisset in regno, cum moreretur. Aliter igitur hîc Joſephum, ac ejus verba volunt, interpretaris. Sententia potius Lucæ Evangeliſtæ ob oculos ponenda fuerat, & ſi verba Joſephi διάνοιαν admitterent, interpretatio illorum eò dirigenda, ut ad ſententiam Lucæ quàm proximè accederent. Sed tibi aliter viſum fuit, & ſi ambo ſententiis amplius disjungerentur, veritatem rectiùs elici poſſe arbitratus es. Ego verò contrà ſentio, & quo magis ambo hi Scriptores ſententiis conjungantur, eò magis in concordiam eos coituros exiſtimo. Ideoque fateor quidem, quod Joſephus hoc loco minus rectè annos regni Herodis conceperit, & annotarit: Sed interpretationem tamen verborum Joſephi aliam afferam, quæ demonſtret, Joſephum cum Evangeliſta paria facere, & planè cum eo in anno nativitatis Chriſti conſentire, idque ex aliis Joſephi locis, ubi de eâdem re verba facit, planum faciam. Adverte igitur.

Primam autem demonſtrationem ſumo ex annis ætatis Herodis, quod fuerit annorum ſeptuaginta, cum moreretur. Verba Joſephi ſunt lib. I. Cap. XXI. de bello Judaico. ἦγε δ' ἤδη σχεδὸν ἐτῶν ἑβδομήκοντα. Erat enim jam propè annorum ſeptuaginta. Er war jetzt bald Siebenzig Jahr. Hoc eſt ferè compleverat annum ſeptuageſimum. Idem affirmat Joſeph. Ant. lib. XVII. Cap. VIII. Jam verò idem Herodes, cum à patre Antipatro præficeretur Galileæ, nondum habebat viginti

quinque annos, (agnoſco enim tecum vitium librariorum, qui ſcripſerunt quindecim annos, pro viginti quinq;.) Idque manifeſtum eſt ex eo, quod Herodes ad huc puerulus, ante hoc tempus annis ferè octodecim à patre, quando Ariſtobulum regno dejicere conabatur, apud Aretam Arabum regem, depoſitus erat, ut Joſephus ait lib. XIV. Ant. Cap. XII & de bello Cap. VI. lib. I. Præfectus autem fuit Herodes Galileæ anno, qui proximè primum annum Julianum præcedebat, quando Cæſar bellum in Africa gerebat. Præcedenti enim anno Cæſar confecto bello Alexandrino, menſe Junio in Syria fuerat, ut apparet ex Epiſtolis Ciceronis ad Atticum, ubi Antipatrum præfectum Judeæ creaverat, permiſeratque ipſi, ut mœnia Hieroſolymæ, quæ Pompejus diruerat, inſtauraret. Sed hæc poteſtas ipſi tandem confirmatur Romæ die XIII. Decemb. ut Joſephus habet, inde muros inſtaurat, & Herodem filium Galileæ præficit, nondum habentem annos viginti quinq;. Faciamus igitur eum exeunte anno illo, annum vigeſimum quintum compleviſſe, & ſequenti anno ineunte, qui fuit primus annus Julianus Calendis Januarii viceſimum ſextum iniiſſe, ubi, cum octo anni ſolidi ſequantur, & ſex Menſes, & dies ſedecim, uſque dum Antigonum regno dejiceret, ſequitur, Herodem eo tempore habuiſſe annos triginta tres & menſes ſex, dies ſedecim. Si jam ad tuam ſententiam ab eo tempore regnavit tantum annos triginta duos, menſes octo, dies XIV. Ergo complevit tantum annos ætatis ſexaginta ſex, menſes duos. At verò Joſephus ait, eum annum ſeptuageſimum ferè compleviſſe. Ergo vides, Joſephum malè de annis regni Herodis pronunciaſſe, & aliquot ann[illegible] adhuc regno Herodis addendos eſſe, ut pertingere poſſint ad ſeptuageſimum ætatis annum. At tu iterum hic Joſephi verba, aliter, ac volunt, interpretaris, & etiam ſexaginta ſex annos pro ſeptuaginta annis haberi poſſe putas. Ego, ſi Joſephus Orator eſſet, qui coram Judice verba faceret, & ut clienti ſuo inſerviret, hæc proferret, non negarim hujusmodi hyperbolem ipſi concedi poſſe. Sed cum ſit Hiſtoricus, qui eruditis, qui fallendi non ſunt, & poſteritati ſcripſit, quique veritatem ſe ubique ſanctè cuſtodiviſſe ipſe affirmat, ejus verba & ſenſum, quem verba ſimpliciter, ut ſonant, intellecta gignunt, ſtrictè retinendum cenſeo.

Aſſumamus etiam alteram demonſtrationem, Eclipſin Lunarem. Joſephus enim mortem Herodis ita deſcribit, ut Eclipſin Lunæ præceſſiſſe affirmet. Hiſtoria ſic habet. Cum jam Herodes ægrotaret, & fama eſſet, morbum eſſe incurabilem, bini Profeſſores Hieroſolymis perſuadent ſuis diſcipulis, adoleſcentibus quadraginta duobus, ut aquilam auream, quam Herodes veſtibulo templi impoſuerat, dejicerent. Cum igitur aquilam dejeciſſent, à militibus Herodis comprehenduntur, & vivi omnes cum ſuis præceptoribus cremantur, & eo quidem die, quem ſecuta eſt Eclipſis Lunæ, ſequenti nocte. Hanc eclipſin Joſephus, cum per univerſam ſuam hiſtoriam nullius prætereà meminerit, ideò annotat, quod ſignum fuerit innocentiæ ſtudioſorum crematorum, & regi pœnam divinam portenderit. Jam verò eclipſes Lunæ geminæ circa id tempus inveniuntur, quarum altera accidit anno Juliano XLII. die XIII Martii horâ quartâ poſt mediam noctem: altera verò anno Juliano XLV die X Januarii feria ſeptima ineunte, poſt mediam noctem horâ primâ. Ambæ computatæ ſunt ad Calendarium Julianum verum, & ad conſtantem Eccentricitatem. Prior, quæ accidit anno XLII nondum fuit ſex digitorum, atque ita Luna nondum dimidia obſcurata fuit: altera, quæ accidit anno XLV. fuit, punctorum XXI. XXIV. hoc eſt, Luna tota obſcurata fuit, & in illa obſcuratione permanſit ultra duas horas. Quæritur jam, cum Judæi iſtâ eclipſi ſubitò & proximâ nocte factâ conſternarentur, utra eclipſis aptior ſit ad incutiendam animis humanis religionem, nonne illa, qua tota Luna obſcurata fuit? Nunquam enim me legere memini, eclipſin lunarem, quæ prodigii cauſa ab hiſtoricis annotata fuerit, in literas relatam, niſi quæ eſſet totalis. Aſtronomi quidem commemorant partiales eclipſes, ſed eæ propter alias cauſas, quas noſti, referuntur.

Tempus autem quod interceſſit inter eclipſin & Paſcha proximè ſequens. (hoc enim ſpacio Herodem mortuum eſſe conſtat) anno Juliano XLII. fuit unius menſis tantum; anno verò Juliano XLV. idem ſpacium fuit trium menſium. Videamus igitur, quæ eodem tempore geſta á Joſepho referuntur, an unius menſis ſpacio perfici potuerint.

Cum Herodes illos quadraginta duos ſtudioſos cum ſuis præceptoribus cremaſſet, *ex eo tempore*, inquit Joſephus, *morbus Herodis factus eſt amplior. Totum enim ejus corpus morbo occupatum variis doloribus differebatur. Nam lento calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quam intus viſcera popularetur. Prurigo etiam intolerabilis habebat omnem corporis ſuperficiem, aſſiduis præterea vexabatur coli tormentis, pedesque tanquam ex intercutu vitio tumuerant. Quin & inflatio ventriculi, putredoque virilis membri vermiculos generabant, & præterea creber anhelitus & interrupta ſuſpiria, membrorumque omnium contractio eum fatigabant. Ita ut, qui hunc morbum ipſi à Deo immiſſum credebant, ultionem eſſe dicerent ſtudioſorum crematorum. Ille autem, quamvis cum tot morborum cruciatibus colluctaretur: tamen ſe evaſurum ſperabat, & intentus erat medicis accerſendis & medicamentis conquerendis.* Hactenus Joſephus. Hæc tu vel tridui ſpacio facta eſſe aſſeris. Quæſo te, mi Keplere, cum putrefacta eſſent verenda ejus, & ſcaterent vermibus, & ſuſpiria crebra interrumperent ejus verba, quomodo antequam ſtudioſi illi cremarentur, ad magiſtratum Hieroſolymitanum in publica concione prolixam orationem habere potuit? Si ergò ante crematos ſtudioſos hic morbus non fuit, ergò poſtea temporis eum invaſit. Creſcuntne vermes tridui ſpacio? & poſtquam putrefacta eſſent verenda, vermiculique creviſſent, quomodo eodem tridui ſpacio Medicos accerſere, & medicamenta conquirere potuit? Certè longiùs aliquod ſpacium tanto morbo dabis, cum non eſſet acutus morbus, ſed lentus.

Porro in hoc lento morbo medici ſvadent thermis utendum, igitur Hieroſolymis diſcedit & Hierichuntem profectus, inde in thermas defertur. Hieroſolymis enim cum hactenus decubuiſſe

iſſe oſtendit convocatio magiſtratus Hieroſolymitani poſt captivos illos ſtudioſos Hierichuntem ad ſupplicium abductos. Ex magiſtratibus enim illis exquiſivit, quorum conſilio ſtudioſi tantum auſi fuerint, quibus ſcientibus & adjuvantibus. At magiſtratus illi ſibi à crudelitate Herodis metuentes culpam omnem in profeſſores illos contulerant, & eoſdem cum diſcipulis ſupplicio dignos cenſuerant, nihilominus tamen Herodes Pontificem Matthiam pro innocente dimittere noluit: ſed quod curam templi majorem non habuiſſet, ipſi Pontificatum adimit. Hæc igitur Hieroſolymis facta. Inde Hierichunte in thermas profectus eſt, quæ cum ipſi ſalubres non eſſent, Hierichuntem rediit & de recuperanda ſanitate deſperare incipit. *Atrâbile igitur*, inquit Joſephus, *correptus penè ipſi morti minatus eſt, factumque nefarium excogitavit. Nam cum è toto regno, ex ſingulis vicis, ex univerſa gente Iudæorum juxta edictum ejus nobiliores & autoritate præeminentes ad eum conveniſſent. Evocaverat enim eos minaci edicto, & pœnam capitis intentaverat omnibus non comparentibus, eosque in Hippodromo concluſit, & ſi moreretur, eoſdem interfici præcepit &c.* Hoſce evocatos, Keplere, confundis cum Magiſtratibus Hieroſolymitanis, quos antequam morbus ipſius augeretur, convocaverat. Sed præterquam, quod illi Hieroſolymis convenerunt, hi Hierichunti; illi tantum vocati erant, hi minaci edicto ſub pœna capitis evocati: illi ex Magiſtratibus Hieroſolymitanis, hi ex univerſâ gente Judæorum, ex omnibus urbibus & vicis in toto regno. His ne etiam bidui & tridui ſpacium largiendum putas, ut convenire potuerint? rectiùs feceris, ſi cenſeas, ipſis vix dimidium menſem ſuffeciſſe.

Audit poſtea Herodes legatos Româ redeuntes, qui feliciſſimè res expediverant, unde exhilaratus paululum à morbo recreatus eſt. Inde iterum morbo victus, vim ſibi inferre conatus eſt. Cum verò aulâ atrocitate rei turbata tumultuaretur, Antipater filius captivus putans patrem mortem obiiſſe, oblatis muneribus ſe ex vinculis à cuſtodibus liberari petiit, quâ re Herodes irâ adeò exarſit, ut Antipatrum ſtatim juberet occidi, & poſtea Herodes quinque diebus ſupervixit.

Mortuum jam Herodem, mi Keplere, ſepulturæ eodem ferè die tradis, tanquam hominem de plebe, Nonne dandi erant aliquot dies curando cadaveri & aromatibus condendo ut Judæi ſolebant? Nonne etiam convocandi fuerunt ipſius liberi, quorum magnum numerum habuit, qui morienti adeſſe non potuerunt? Nonne evocandi vicini reges, principes, affines, generi, dynaſtæ? qui exequias cohoneſtarent, qui ſubito ſimul adeſſe non potuerunt? ad quid profuit magnificus exequiarum apparatus, qui à Joſepho deſcribitur, ſi vulgus tantum ſpectator fuit, & quo temporis ſpacio tandem ille apparatus confici potuit? Quid dicam de luctu univerſæ gentis? Ita enim affirmant Judaicæ gentis legati numero quinquaginta à populo ſelecti apud Auguſtum Cæſarem, ſe, ut conciliarent ſibi Archelai benevolentiam, Herodem luctu publico honoraſſe. Quanto tempõris ſpacio is eſt indictus? quam diu regem luxerunt? Nonne triginta dies, ut alibi de luctu Joſephus affirmat? At hic luctus tamen finitus erat tempore Paſchatis, ut ex oratione legatorum apparet. Num hæc omnia, quæ recenſui, quæ poſt eclipſin occiderunt, ſpacio viginti novem dierum fieri potuerunt? Certe incredibile eſt, quantumcunque etiam haſce res geſtas in auguſtum contrahas. Manifeſtum eſt igitur, mortem Herodis ad annum Julianum XLII. & ad eclipſin ejus anni partialem, quæ unico menſe à Paſchate differt, referri non poſſe: ſed neceſſariò differri usque ad annum Julianum XLV. ubi eclipſis totalis trium menſium ſpacio à Paſchate diſtat, cui omnia, quæ facta ſunt, rectiſſime includi poſſunt. Atque iterum apparet Joſephum annos regni Herodis minus rectè concepiſſe.

Audiamus tertium argumentum ex eodem Joſepho, qui affirmat Herodem templi ædificationem in lib. 15 antiq. Cap. 14. aggreſſum anno XIIX regni. In libro autem primo de bello Judaico Cap. 16. dicit id accidiſſe anno regni XV. Hîc nemo, qui ſcit duplex initium regno Herodis tribui, quorum alterum ab altero triennio diſtat, non intelligit, ædificationem cœptam anno XVIII. regni, poſtquam rex à Senatu Romano declaratus eſt, & anno decimo quinto regni, poſtquam Antigonum regno dejecit. Sed hoc falſum eſſe, evidentiſſimè ex hiſtoria Romana convincitur. Aggreſſus enim eſt ædificationem templi anno viceſimo primo, poſtquam Rex à Senatu Romano appellatus eſt, & anno XVIII. cum Hieroſolymam expugnaſſet. Hoc verum eſſe ipſe affirmas, ideo demonſtratione nullâ amplius opus eſt. Sed unde jam hic error in numeris? Vitio librariorum accidere non potuit, quomodo enim ιη in κα ſcribendo tranſire poteſt? Et ipſe affirmas, te ignorare, qua ratione hoc à librariis committi potuerit. Quid igitur reſtat, niſi dicamus id factum vitio ipſius autoris Joſephi, qui memoriâ lapſus putavit ſe annos XVIII numerare ab initio Romano, & XV ab initio Hieroſolymitano? Idque verum eſſe indicant ſequentia, ubi eundem errorem retinet: ut quando C. IX. l. XVI. Ant. ſcribit, Cæſaream urbem ab Herode perfectam & dedicatam fuiſſe anno regni XXVIII. Olympiade CXCII. & Agonem in honorem Auguſti, ac quinquennales ludos tùm inſtitutos. Ubi XXVIII. annus Herodis, ſi hiſtorias Romanas & Judaicas ſequamur, alius intelligi nequit; niſi qui à dejectione Antigoni numeratur. At verò ſi ſenſum Joſephi attendas, & ad Olympiadem CXCII. reſpicias, neceſſe eſt, ut hoſce XXVIII. annos ab initio Romano deducas, hoc modo enim hæc dedicatio incidit in annum I. Olympiadis CXCII. Verum quidem eſt, etiam annos XXVIII à poſteriori initio numeratos, in hanc Olympiadem incidere, ſed in annum ejus ultimum, ſive quartum. Sed Joſephum pro IV. anno cujusvis Olympiadis ſumere Olympiadem ſequentem, demonſtraſti in Enceniis Maccabæi, quæ incidebant in quartum annum Olymp. CLIII. pro qua Joſephus ſcribit, ea incidiſſe in Olympiadem CLIV. Ergo hic etiam, ſi annum quartum Olympiadis CXCII. intellexiſſet, Agonem illum Olympiade CXCIII. inſtitutum ſcripſiſſet; at verò expreſſè ſcribit eum inſtitutum Olymp. CXCII. Ergò nullum alium annum viceſimum octavum regni intelli-

git

git, niſi eum, qui à prima regni renunciatione numerabatur. Quapropter, ſive Joſephus memoriâ lapſus ſit; ſive ad annales Pontificum, quibus acta Herodis ad initium Hieroſolymitanum deſcripta continebantur, animum non rectè adverterit: ſive alias diverſo initio regni Herodis turbatus fuerit, certum eſt, eum & annum XVIII. templi inſtaurati, & annum XXVIII. dedicatæ Cæſareæ, ad initium regni à Romanis ſibi delati retuliſſe, cum ad initium poſterius utraque hæc numerare debuiſſet. Hic error itaque Joſephi animo adeò inſedit, ut & annos imperii Herodis eodem modo corrumperet, & ejus annos triginta ſeptem ab initio Romano numeraret, quos tamen ab initio Hieroſolymitano numerare debebat. Quemadmodum enim affirmat inſtaurationem Templi ſuſceptam ab Herode anno decimo octavo regni à Romanis primum accepti. Id enim oſtendunt ejus verba, quando in libris de bello Judaico idem retulit ad annum quindecimum Herodis: & quemadmodum ſcribit Cæſaream dedicatam, & ludos inſtitutos anno viceſimo octavo regni ſimiliter à prima renunciatione numerato, id quod evidenter Olympias CXCII. demonſtrat: ita hîc etiam annos regni Herodis XXXVII. ab eodem primo initio deducit. Sed quemadmodum falſus fuit in anno decimo octavo inſtaurationis templi, & in viceſimo octavo inſtitutorum ludorum in dedicatione Cæſarea, ut & hiſtoria Romana & Judaica evidenter oſtendit, & ut hic mecum ſentis: ita eundem errorem hic etiam erravit, dum annos XXXVII. regni Herodis, quos à poſteriore initio numerare debebat ad primum initium retulit, ut præter hæc & anni ſeptuaginta ætatis Herodis, & eclipſis Lunæ anno Juliano XLV. facta manifeſtè demonſtrant. Quapropter numeri in Joſepho ita corrigendi ſunt, ut dicatur inſtaurationem templi anno regni XVIII. cœptam: item Cæſaream anno regni XXVIII. Olympiade CXCIII. dedicatam, & obitum Herodis anno regni XXXVII. incidiſſe ſecundum poſterius initium, Hieroſolymitanum ſcilicet, quando Antigonum regno dejecit. Etſi ad primum initium, quando Rex à Senatu Romano declaratus eſt, reſpicias, numeri, hi ternario augendi ſunt, & dicendum inſtaurationem templi accidiſſe anno XXI. regni. Cæſaream dicatam anno regni XXXI. Olympiade CXCIII. & Herodem obiiſſe anno regni quadrageſimo.

Atque hoc eſt inſigne illud in Joſephi hiſtoria mendum jam deprehenſum, quod ipſum ferè infamem fecit, & omnem ipſi fidem apud multos derogavit. Aliàs certè Joſephus adeò diligens eſt & in Judaicarum & Romanarum rerum deſcriptione, & veritatis tàm ſtudioſus, ut cuilibet hiſtorico, quicunque ſanè ex certiſſimis dari poteſt, par ſit. Sed hoc mendo libros ſuos commaculavit, ſuſpectoſque reddidit, & cauſam præbuit, ut Herodis initium aliter atque aliter à diverſis autoribus abſurdiſſimè figeretur. Sed hoc errore demto, & ſimul iis, quæ inde propagata ſunt, quid tandem erit, in quo reprehendi poſſit? Cum omnia exactiſſimè & ad ſacram & ad Romanam hiſtoriam conveniant. Si enim Herodes mortuus eſt anno Juliano quadrageſimo quinto, paulò ante Paſcha anno regni ab initio Romano quadrageſimo, à poſteriori verò triceſimo ſeptimo, ut error Joſephi oſtendit. Tum Herodes annum ætatis ſeptuageſimum ferè complevit, & tempus, quod inter eclipſin lunarem & Paſcha intereſt, rebus iſtis gerendis, quæ à Joſepho deſcribuntur ſufficit, & Chriſtus natus anno Juliano XLIII. ferè finiente, & anno quindecimo Tiberii, anno Juliano LXXIII. ſimiliter ferè finiente, exactè XXX annos complevit.

Chriſtum autem natum eſſe anno Juliano XLIII. ferè finiente, oſtendit deſcriptio illa cenſûs, cujus Evangeliſta Lucas meminit, quæ facta eſt ſeſquiannuo ferè ſpacio ante mortem Herodis, ut ex Joſepho patet. Cum igitur Chriſtus natus ſit vigente illâ deſcriptione, & Herodes mortuus ſit circa Paſcha anni Juliani XLV. oſtenditur Chriſtum natum eſſe anno Juliano XLIII. ad finem ferè decurrente.

Sic in Romana hiſtoria. Julia filia Auguſti relegata fuit COSS. AUGUSTO & CANINIO, ut Vellejus habet. Caninius autem hic ſuffectus conſul fuit, cum ut aliæ hiſtoriæ & tabulæ Capitolinæ oſtendunt, M. PLAUTIUS SYLVANUS eo anno ordinarius Conſul fuiſſet, factum anno Juliano XLIV. Sed Cornelius Tacitus accuratiſſimus in hiſtoria ſua temporum obſervator, dicit Juliam relegatam anno Juliano XLV. Verba ejus ſunt. *Eodem anno, quo* Auguſtus moritur, *etiam Julia omnis ſpei egena, inopiâ & tabe longâ à Tiberio peremta eſt. Sempronius Gracchus etiam qui adulterium cum Julia commiſerat, & annis quatuordecim exilium toleraverat, interficitur* &c. Mortuus autem eſt Auguſtus anno Juliano LIX. unde quatuordecim anni ſubtracti relinquunt annum Juliæ relegatæ XLV. *Breve à Julia relegata*, inquit Paterculus, *interceſſerat ſpacium, cum Cajus Cæſar ante etiam aliis provinciis obitis in Syriam miſſus eſt &c.* unde apparet Cajum, qui præſedit Judicio, cum Herodis regnum poſt obitum ejus divideretur, adhuc anno Juliano XLV. circa Paſcha Romæ fuiſſe & judicio præſidere potuiſſe. Idem aliter probatur hoc modo: Tribunitia poteſtas Tiberio conceſſa fuit in quinquennium anno Juliano XL. Coſſ. C. Antiſtio vetere & D. Lælio Balbo, qua accepta Tiberius invito Auguſto Rhodum diſcedit, ut Dion. ſcribit. lib. LV. Ibi *Tiberius tranſacto, ut* Suetonius habet, *tribunitiæ poteſtatis tempore, cum nepotes Auguſti Cajus & Lucius jam ætate corroborati eſſent, & ſecundum ab Auguſto locum obtinerent, petiit ab Auguſto, ut ſibi liceret Romam reverti, ſed non impetravit. Remanſit igitur Tiberius Rhodi privatus, nomine legati Auguſti. Ibi cum audiret Cajum Cæſarem Orienti præpoſitum eſſe, & jam eò proficiſci, eum viſendi gratiâ trajecit Samum* &c. Si jam Tiberius Tribunitiam poteſtatem, quæ quinquennales fuit, anno quadrageſimo Juliano accepit, finita ea fuit anno XLIV. Juliano ferè finiente. Inde voluit Romam regredi, quod permiſſum ipſi non fuit. Ergo manifeſtiſſimum eſt, Cajum ante annum quadrageſimum V. Julianum in Orientem non eſſe profectum, ſed Romæ fuiſſe, & judicio Herodianæ hæreditatis diſtribuendæ præſidere potuiſſe. Romana igitur hiſtoria optimè cum Joſepho hoc modo intellecto convenit.

Sed, inquies, ſi Herodes anno XLV. Juliano mortuus eſt, quomodo Archelaus annis novem regnare potuit, & quomodo anno triceſimo ſeptimo principatûs, anno Tiberii viceſimo, Philippus Filius Herodis defunctus eſt, cum Archelao hoc modo tantum anni ſolidi ſeptem relinquantur, & Philippo triginta quinque. Reſpondeo hæc omnia cohærere cum errore Joſephi, Cum enim ſcripſiſſet Herodem anno XLIII. Juliano defunctum eſſe, & ſciret Archelaum anno LII. Juliano relegatum: anno etiam Juliano LXXIX. Philippum mortuum, non aliter potuit, quin ſcriberet, Archelaum poſt annum nonum relegatum & Philippum anno XXXVII. principatus mortuum. Archelaum autem anno Juliano LII. relegatum eſſe, teſtatur præter Joſephum, qui id factum aſſerit anno triceſimo ſeptimo poſt Antonium victum ab Auguſto ad Actium etiam canon Mathematicus Ptolomæi, quem nuper beneficio *Overalli* viri undiquaque doctiſſimi & apud Londinienſes in Anglia Decani ex manuſcripto Ptolomæi accepi, quo nomine de ſtudio chronologico optimè meritus eſt. Canon enim, qui in Canonibus Scaligeri habetur, corruptus eſt, & ex conjecturâ à Scaligero emendatus, hic verò planè integer eſt. Nihil igitur prorſus eſt, quod ex hiſtoricis huic ſententiæ noſtræ opponi poſſit. Tantum monendus eſt lector, dum dicis, Cajum Cæſarem poſt diviſionem Herodianæ hæreditatis alias provincias obiviſſe, & tum demum in Orientem profectum eſſe. Item Saturninum anno Juliano quadrageſimo ſecundo provinciâ abiiſſe, ne exiſtimet, hoc in hiſtoricis ita ſcriptum extare. Ex hypotheſi enim tantum hæc affirmas. Si ſcilicet Herodes anno quadrageſimo ſecundo mortuus eſt, Hoc enim tantum apud Joſephum extat, Saturninum paulò ante mortem Herodis ſucceſſorem accepiſſe Quintilium Varum. Et paterculus dicit, Cajum Cæſarem antequam iret in Orientem, provincias alias obiviſſe, ut innoteſceret militibus & Ducibus Romani Imperii.

Objicies tandem fortaſſis urbes ædificatas à Philippo & Herode Antipa, quas ſcribis in honorem filiæ Auguſti Juliæ conditas & ab ea denominatas, & cum Julia anno Juliano XLV. adulterii damnata, relegata ſit, affirmas eas ante Juliam relegatam & poſt mortem Herodis conditas. Sed ab hac opione jubet te deſiſtere ipſe Joſephus, ex quo hæc exſtruere conaris, qui lib. II. Belli Judaici cap. 8. ait. Herodem Antipam & Philippum poſt Auguſtum defunctum & mortem Juliæ cum Tiberius in imperio ſucceſſit, *quod ipſi in ſuis tetrarchiis manerent*, haſce urbes condidiſſe, quibus verbis alia exſtructarum urbium & à nomine Cæſaris atque Juliæ denominatarum cauſa indicatur, & quod illarum initium ſedecim annis poſt relegatam Juliam ſtatuendum ſit, affirmatur. Nihil igitur ea res huc pertinet.

Certum igitur eſt, Herodem vita functum anno, poſtquam à Senatu rex declaratus eſt, quadrageſimo. Ex quo autem Antigonum regno dejecit, triceſimo ſeptimo: anno ætatis ſeptuageſimo, bimeſtri ferè ſpacio poſt eclipſin lunarem, adhuc ante Paſcha, anno Juliano quadrageſimo quinto. Et Chriſtum Salvatorem noſtrum natum eſſe anno Juliano quadrageſimo tertio ad finem decurrente, cum cenſus ageretur, fere ſeſqui annuo ſpacio ante mortem Herodis, atque ita triceſimum ætatis annum compleviſſe ferè, cum ad baptiſmum accederet.

Quarto loco aſſumamus autoritatem primitivæ, imò totius Eccleſiæ, quæ unanimi conſenſu ſtatuit; *Chriſtum natum anno Actiacæ victoriæ viceſimo octavo, anno imperii Auguſti Cæſaris quadrageſimo ſecundo.* Tum temporis enim tempora numerabantur ex annis Imperatorum collectis & ex annis Actiacæ victoriæ. Edicto enim Senatus Romani per univerſum orbem terrarum Æra Actiacæ victoriæ ſancita fuerat, quæ initium ſumeret à capta Alexandria & morte Antonii, teſte Dione Hiſtorico & aliis. Tempus autem captæ Alexandriæ & Mortis Antonii ſimul incidebat in initium annorum Nabonaſſareorum quos annos Ægyptii & Orientales populi ſequebantur, qui tum incipiebant à die viceſimo nono menſis Sextilis Juliani, anno Juliano decimo ſexto. Itaque in hoc ipſo die XXIX. Auguſti Juliani caput æræ captæ Alexandriæ & mortis Antonii fixum fuit, ut & adhuc hodie idem initium in Ægypto obſervatur; cum caput annorum Nabonaſſareorum alias ſit mobile, & in anteriora ſingulis quadrienniis in annis Julianis promoveatur. Hæc æra captæ Alexandriæ & mortis Antonii etiam vocata eſt æra Actiacæ victoriæ, quod victoria Auguſti Cæſaris ad Actium cauſa fuiſſet captæ Alexandriæ. Si igitur jam anni Actiacæ victoriæ numerantur à die XXIX. Auguſti anni currentis Juliani XVI. Manifeſtum eſt, annum viceſimum octavum ejus incidere in annum Julianum XLIII. & Eccleſiam ſtatuere Chriſtum natum anno Juliano XLIII. Sic ſecundum Joſephum & alios antiquitatis Scriptores, initium imperii Auguſti Cæſaris ſumitur ſtatim à morte Julii Cæſaris, cui Auguſtus in imperio ſucceſſit. Julius Cæſar autem occiſus eſt anno Juliano ſecundo, die XV. Martii. Si igitur jam ſecundus annus Julianus eſt primus imperii Auguſti, ergo quadrageſimus tertius Julianus eſt quadrageſimus ſecundus Auguſti Cæſaris. Atque iterum Eccleſia ſtatuit Chriſtum natum anno Juliano XLIII. Undiquaque igitur noſtra hæc ſententia, quod Herodes mortuus ſit anno Juliano XLV. & cum ſententia totius Eccleſiæ & cum ſacra & Judaica & Romana hiſtoria conſentit.

Si igitur jam Chriſtus natus eſt, ut evidenter probavimus anno Juliano XLIII. anno Actiacæ victoriæ XXVIII anno quadrageſimo ſecundo Auguſti Cæſaris, evincitur falſam eſſe æram Dionyſii ſive Chriſtianam, qua utimur, quæ ſtatuit, Chriſtum natum anno quadrageſimo quinto Juliano finiente, cum Herodes in initio ejuſdem anni mortuus ſit. Nullo enim modo Herodis regnum usq; ad quadrageſimum ſeptimum annum Julianum ſalvis hiſtoriis prorogari poteſt, nec eo anno ante Paſcha invenitur eclipſis lunæ, & deinde ſequeretur, Chriſtum natum anno æræ Actiacæ victoriæ triceſimo, & anno imperii Auguſti quadrageſimo quarto, quorum utrumque pugnat cum conſenſu Eccleſiæ.

Falſa etiam eſt tua, Keplere, ſententia, qua ſtatuis, Chriſtum Salvatorem noſtrum triceſimum

tertium ætatis annum compleviſſe, cum baptiſaretur, & natum anno Juliano quadrageſimo. Id enim pugnat cum Evangeliſta Luca, cum ætate Herodis, cum ſpacio temporis inter eclipſin & Paſcha, & cum conſenſu totius Eccleſiæ. Si enim Chriſtus natus eſſet anno quadrageſimo Juliano, natus eſſet anno æræ Actiacæ victoriæ viceſimo quinto, & anno imperii Auguſti triceſimo nono, quod nemo unquam in Eccleſia vel dixit, vel ſcripſit. Non autem mirum eſt, mi Keplere, tuam opinionem falſam eſſe, cum nitatur planè falſis, & à te confictis hypotheſibus. Nullibi enim ſenſum, vel Evangeliſtæ Lucæ, vel Joſephi, quem verba ſimpliciter intellecta gignunt, ſequeris, ſed ubique novam ſententiam fingis. Ita apud Lucam trigeſimus annus Chriſti eſt tibi triceſimus tertius: ita triceſimus tertius regni Herodis eſt tibi triceſimus quartus: ita ſexageſimus ſeptimus iniens ætatis Herodis eſt tibi ſeptuageſimus ferè completus: ita quæ trimeſtri ſpacio poſt eclipſin lunarem vix geri potuerunt, in unum menſem contrahis, atque ita ex meris & fictis conjecturis verum annum nativitatis Chriſti eruere conaris, id quod mecum fatebuntur omnes, qui Joſephum & alios hiſtoricos legere & momenta rerum perpendere voluerint. Sed finem facio hujus commentatiunculæ, quam aliâs diſtuliſſem, usque dum Chronologiam, jam ſub incudem revocatam, edidiſſem; niſi à te provocatus fuiſſem. Hanc autem meam operam ſpero Eccleſiæ, quæ hac tuâ novâ & abſurdâ opinione non mediocriter turbata eſt, utilem fore, & fortaſſe etiam tibi non ingratam. Vale, Lipſiæ Calendis Octobribus, anno æræ Chriſtianæ MDCXIII, qui eſt à nativitate Chriſti annus MDCXV. & nequaquam MDCXVIII. ut tu opinaris.

JOHANNIS KEPPLERI Mathematici,

Ad Epiſtolam Sethi Calviſii Chronologi

RESPONSIO.

Quâ perverſi ſenſus verborum Evangeliſtæ crimen diluitur, & in Authorem retorquetur.

JOHANNES KEPPLERUS SETHO CALVISIO S.

QVam ad me publicis typis ſcripſiſti Epiſtolam Cal. Oct. anni ſuperioris, accepi XVII. Calend. Feb. Eâ pellectâ ſummam hanc mihi videor comprehendiſſe, Eccleſiam perturbatam eſſe hâc novâ meâ & abſurdâ opinione, quòd Chriſto Domino, cùm ad Baptiſmum accederet, annos tribuam triginta tres, contra expreſſa verba Evangeliſtæ Lucæ, Veterumque Patrum authoritatem. Hæc unica & genuina cauſa, ſeu malis prætextus tuæ ſcriptionis: cætera nullius momenti ſunt, & in id tantùm comparata, ne hâc ſolâ ratione pugnare videaris: auxilia ex colonis coacta in ſpeciem exercitus, ut numerum vel inviti expleant. Quin & umbras à meis delapſas militibus inter tuos numeras milites, quoties ab iis trepidè fugis.

Atqui neque thema tuum veri-ſimile eſt, neque verum argumentum. Si namque perturbata eſt Eccleſia, quænam illa? num Romanam dicis? at fuerunt in ea, qui hoc meum thema longè ante me contra tuos authores defenderent, libroſq; de ea re ſub cenſurâ ederent, unico ſolùm anno à me diſcrepantes. Num igitur Eccleſias Germanicas? At quænam illæ? Multæ namque ſunt. Non Suevicæ: Diſputavit enim iſta Mæſtlinus in Academia Tubingenſi, ante annos minimùm duodecim æquiſſimo auditorio, me Pragæ verſante, reiq; hujus penitus ignaro. Non Alſaticæ: Cenſuram enim Argentinenſem libellus meus Germanico idiomate ſcriptus, non pertulit tantùm, ſed etiam encomium retulit. Non cæteræ per Germaniam: Extat enim libellus meus de ſtella nova, ejusque appendix de ætate Chriſti annis jam octo, cujus ſexcenta Exemplaria paſſim per Europam diſtracta multos mihi aſſenſores pepererunt, eorumque aliquos etiam in ipſa Academia Witenbergenſi; reprehenſorem, præter Röslinum & Calviſium, nullum, qui quidem publicè id teſtatum feciſſet.

Reſtat Eccleſia Lipſenſis, cujus es membrum: neque enim te inter id tempus, cùm libellum meum primum vidiſti, & inter Cal. Oct. cùm ſcripſiſti, cum aliis Eccleſiis communicâſſe puto.

Videris autem ipſe, perturbata illa Eccleſia ſit, nec ne. Vereor ego, ne hoc tu tantùm fueris opinatus; neque illa velit fateri. Vereor, ne tu confiſus conſuetudine imperitæ plebis, quæ res bonas calumniatur ex eo ſolum, quia novæ, *ſperaveris*, mercem te venalem extruſurum. Quin imò ſubit animum meum hæc cogitatio, priori contraria: ſi meum tu libellum ad populum commendare volueris; cujus ſtudia non alia re rectius quàm contentionibus hujusmodi accenduntur: quod axioma typographicum tibi non poteſt eſſe incognitum.

Neminem igitur cordatum commovebit hæc tua vox, Eccleſia perturbata eſt, ut & ipſe perturbari velit. Nam quis tu author, qui univerſalem Eccleſiam ex tua imbecillitate æſtimas, aut qui de univerſa Eccleſia fidem alicui facere poſſis? Niſi fortè Concilia coacta ſint ſuper hac quæſtione, niſi diſceſſiones factæ, niſi depoſiti Epiſcopi, aut in exilium miſſi, quorum omnium tu ſpectator fueris. Et quæ, quæſo, poſſit ex meo libello oriri perturbatio? ſi non perſuaſero piis ac devotis de B. Lucæ rotundo eoq; minus accurato numero: damnabunt libellum, abjicient, authorem flocci facient, periculum ab illo nullum metuent, quippe qui Epiſcopus, qui Doctor Eccleſiæ non eſt: Imò rem ipſam, quâ de contendimus tanti non eſſe ſtatuunt, ut verè tanti non eſt, ut eâ de cauſa quis perturbari debeat. Sin autem meam inculcationem voculæ *ὡσεὶ* circiter, confirmatam ſexcentis exemplis ſacris & prophanis, tuæ verborum horum interpretationi, tuæ nimium quàm inſolenti con-

ſtructio-

ſtructioni (ἦν ἀρχόμενος ὤν) cujus ne una quidem ſimilis occurrit per omnes libros antiquos, quotquot extant, huic inquam tuæ ſi meam interpretationem anteferre perſuaſi fuerint : quæ hæc illorum perturbatio. Túne perturbas potiùs imperitorum devotionem? An ego? tu, qui perſuades ipſis, talia dicere B. Lucam, quæ cum Joſepho accurato & à te ipſo laudato ſcriptore ſtare nō poſſunt? Ego, qui nitor oſtendere talia B. Lucam nequaquam dicere? Tu ſcrupulos ſeris & urges; ego eximo. Supereſt unica forma perturbationis, quæ ex meo libello proficiſcitur; quod in animis hominum ignorantiæ ſacra moventur; quod errare deſinunt, intelligere incipiunt. Atqui pulcherrima hæc eſt perturbatio: Sic enim, ut longiſſimam inductionem unico eoque ſummo exemplo abſorbeam, Deus ipſe conditor, perturbavit rude Chaos cœli & terræ: Huncque viciſſim induxit ornatum admirabilem. Hæc de tuo themate, ſeu querela.

Quod argumentum attinet, id partim futile eſt, partim commune: potiſſimâ parte planè falſum.

Primùm ſi Eccleſia offenditur eo, quod aliter ego ætatem Chriſti computo, quàm Patres, debuit ante mille annos offendi, quando Dionyſius Abbas aliter computavit, quàm Veteres Patres, & hodierni Chronologi ad unum omnes: quod tu facilè concedes, qui ad annum æræ Dionyſianæ Viceſimum octavum (qui eſt, ut ego demonſtro, ab hypothetica Dionyſii nativitate Chriſti Viceſimus ſeptimus) annotas Baptiſmum Chriſti, non verò, ut Patres Veteres, ad triceſimum.

Deinde ſi Eccleſia ex eo offenditur, quod aliter ego conſidero rotundum Evangeliſtæ numerum 30. annorum, quàm veteres Patres: lubet mihi quærere, quomodo rurſus Dionyſius Abbas, & totus adeò Occidens ad hanc usque diem, intellexerit illum numerum? Non certè ut Patres veteres: illi enim, ut tu contendis, præcisè 30. annos numerârunt, Dionyſius ſolos 27.

Lubet ſecundò quærere ex te, Calviſi, qua in parte tua hîc melior ſit conditio, quàm mea: quò minùs tu Eccleſiam perturbes æquè atque ego? Quamvis enim propius accedas ad numerũ annorum, quem Patres ſunt ſecuti, quàm vel Dionyſius cum Eccleſiis Occidentis, vel Ego: dic tamen vel unum ex Patribus, qui verba Evangeliſtæ ſic explicaverit, ut hodiè tu, & heri Scaliger, de anno ſcilicet Primo & Triceſimo incipiente? Ratio igitur tua de Patrum authoritate nulla eſt.

Quod igitur attinet ipſa Verba Evangelii, Vim mihi facis manifeſtam: Nihil ego contra verba expreſſa Evangelii affirmavi; nec alia re opus eſt, quàm collatione. Sic enim Lucas: Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὢν ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ. Ad verbum ex B. Aria. *Et ipſe erat Jeſus quaſi annorum triginta incipiens, exiſtèns, ut putabatur, filius Joſeph.* Mea verò aſſertio: *Et ipſe erat Jeſus accuratè triginta trium annorum, incipiens, exiſtens, ut putabatur filius Joſeph.* Annè contraria ſunt, *quaſi* vel *circiter triginta, & accuratè triginta trium?* Annè hoc eſt novam ſententiam fingere? Evangelium pervertere, ſi Evangeliſtæ verba ſua relinquo uti ſonant, uti ordinata ſunt: ſi mea verba illis ſubordino, ſi ea nequaquam pro Evangeliſtæ verbis vendito; ſi oſtendo, utraq; juxta ſe invicem ſtare poſſe?

Equidem fateor, non repugnare tibi Evangeliſtam, qui annos exactè triginta, Chriſto Baptiſato tribuis: dummodò viciſſim fateare, neque mihi repugnare Lucam, qui annos Chriſto tribuo exactè triginta tres.

Non enim hoc agimus, ut probet alteruter ſententiam ſuam ex B. Luca: ſed ſufficit, ut probemus uterque, ſic nos ordinare rationes temporarias ex hiſtoricis petitas, ut nihil nobis exeat, quod ſit expreſſis verbis Lucæ contrarium.

Quod autem mihi non repugnet expreſſa Evangeliſtæ litera, ſed quod indefinitè ſit accipienda, de annis plus minus triginta, id verò probavi rationibus hiſce.

Primò B. Lucas in hiſtoria nativitatis Chriſti omiſit certum annum imperii Herodis & Auguſti: In hiſtoria verò Baptiſmi addit certum annum Tiberii, ſcilicet decimum quintum: non circumſcripſit igitur ætatem Chriſti utroque termino indubitato, ſed priorem reliquit in nonnulla paucu-lorum annorum incertitudine: quare veriſimile eſt, articulos temporum vel non fuiſſe indicatos à B. Maria matre Chriſti, vel ſcriptori curæ non fuiſſe. Cùm ergò ſcribat, Chriſtum in Baptiſmo fuiſſe quaſi triginta annorum: omninò credibile eſt, vocem *Quaſi*, tantundem eſſe ac, *plus minus*; ita ut hæc ætas ſalvis Evangeliſtæ expreſſis verbis, vel 27. annorum præcisè eſſe poſſit, ut authori noſtræ æræ hodiernæ placuit, quam hactenus tota Occidentis Eccleſia ſecuta eſt; vel præcisè 30. ut Calviſio, vel præcisè tringinta duos ut Suslygæ & Mæſtlino, vel præcisè 33. ut Kepplero.

Quid tu ad hanc conjecturam? Fateris Lucam non voluiſſe perſequi minuta menſis & diei certæ, quamvis Virgo mater, Deo plena, omnia exactè ſciverit. Gratiam iniſti penes me confeſſione ingenuâ. Nam ſi vim agnoſcis particulæ *Circiter*, & ſi hac indice de ſuperfluis & deficientibus menſibus non curavit D. Lucas, jam jam ſuſpicio ſtabilita eſt, ut ne quidem de uno atque altero anno ſupra vel infra tricenarium, rotundum numerum quicquam curaverit. Quomodo enim probas, voculam *Circiter*, referendam ad menſes, & non potiùs ad annos, cum videas appoſitam ad numerum annorum?

Et viciſſim neceſſitatem Evangeliſtæ non potes imponere dicendi certi anni, niſi & certum illi menſem, certumque diem imperes; quotiescunque ad fidam B. Virginis memoriam provocas. Obſecro enim, an non multo plura ſunt adminicula conſervandæ memoriæ tempeſtatis anni atque etiam diei, quàm numeri annorum; cùm anni omnes inter ſe ſint ſimiles, tempeſtates anni diverſæ, feſta per totum annum evidenti diſcrimine diſpoſita?

Altera mea ratio verſatur in hoc, ut oſtendam, non eſſe neceſſe, ut in verbis Evangelii: *Et ipſe erat quaſi triginta annorum incipiens*, vocem *Incipiens*, trahamus ad annorum numerum. Quo obtento,

tento,& verbis Evangeliſtæ: *Erat quaſi triginta annorum*: ſic ſolitariè ſtantibus, planè ſubrata ſunt fundamenta,quibus innixi Veteres phraſin acceperunt de præciſâ triginta annorum impletione.

Etenim ſi nulla nobis fuiſſet objecta difficultas circa temporum rationem; fortaſſe non minùs nos hodiè quàm illorum Veterum aliqui,eosque ſecutus Eraſmus,Eraſmum Lutherus, Vocem,*Incipiens*, traxiſſemus improvidi ad verba,*Erat 30. annorum*. Quid enim crebrius eſt,quàm hoc ipſum, quod maximi viri,dum in tranſcurſu ſunt, dum integra Biblia vertunt, dum orationes aut homilias ſcribunt,ad ſingulos textus Biblici, apices non ſemper reſpiciunt,nec circumſtantias omnes expendunt,interdum leves conjecturas incauti ſequuntur,non perpendentes omnia, quæ objici poſſunt. At poſtquam hodie graviſſimo conflictu rationum Chronologicarum ſumus excitati velut è veterno,ut omnes verborum Evangelicorum apices diligentiùs,quàm olim factum,expendamus: mirum nequaquam eſſe debet,nos hodiè aliqua notare,quæ veteres non tetigerunt: nec dubium,quin ſi ipſi illi authores reviviſcerent,eadem nobiscum jam moniti, fuerint agnituri & confeſſuri. Quorum hoc primum eſto,quod vox,Incipiens,de tempore intellecta, pugnat cum voce *Quaſi* vel *Circiter*. Nam qui incipit eſſe tricenarius,is non poteſt dici eadem ſimul in oratione annorum triginta circiter. Propterea ſcitè tu; quamvis novo exemplo,transpoſuiſti voculas,legiſque: *Erat quaſi incipiens*, ut indefinitam vocem *quaſi* non ad tricenarium numerum, ut Evangeliſta, ſed ad vocem *Incipiens* alligares: ſperans ſic melius conventurum inter has binas voculas.

Atqui quod ſecundo loco do conſiderandum, nuſpiam invenies neque in Græca neque in Latina lingua exemplum ullum ſimile; ubi quis dicatur vel ſimpliciter incipere, vel quaſi incipere eſſe 30. annorum,pro eo quod rectè dicimus, illum hunc annorum numerum jam jam completurum vel complevisse, & jam incipere primum ſupra triceſimum. Ridicula planè Inceptio ætatis tricenariæ, quæ in Deſitione triceſimi conſiſtat. Atqui putabam,deſinente triceſimo incipere triceſimum primum. Et hoc puto ſecutos eſſe Veterum nonnullos; propterea quod miniſterio Chriſti ut plurimum annum duntaxat unum,& paulò quid ampliùs tribuunt; cumque expleto annorum tricenario paſſum aſſerunt; quo pacto patet,illos ſtatuere,Chriſtum initio triceſimi ad Baptiſma acceſſiſſe: non ut tu,initio triceſimi primi. Non loquor de omnibus Veteribus: ſcio,hic illos variâſſe liberè & impunè immunes à tuis Criminationis.

Tertiò vide mihi ſeriem ipſam vocularum, *Et ipſe erat Jeſus quaſi annorum triginta incipiens*. Erat,inquit,tot annorum: an tu putas maluiſſe Evangeliſtam ſtatim ſubjungere correctionem vocis *Erat*,& addere, *Incipiens eſſe*,& non potius delere vocem *Erat*,& ſcribere pro ea, *Incipiebat eſſe?* Videris hoc dicere velle, parum curæ adhibitum ab Evangeliſta,quid ſcriberet. Igitur & locus ipſe vocis, *Incipiens*, repugnat, quo minus illa ad deſcriptionem ætatis Chriſti referri poſſit.

Cur igitur,quartò,non potiùs ad exempla reſpicimus alia,ubi vox iſta ἀρχόμενος Incipiens, uſurpatur: éxque iis diſcimus,quid ſi velit hoc loco vox eadem,hoc ordine ſequens ætatis Chriſti deſcriptionem. Sic enim idem Lucas, Act. 1. Περὶ πάντων ὧν ἤρξατο ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν ἄχρι ἧς ἡμέρας ἀνελήφθη. *De omnibus,quæ incepit facere & docere,uſque ad eum diem, cum aſſumptus eſt.* Clariùs Lucæ 23. v. 5. Διδάσκων καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε, *Docens per univerſam Judæam,incipiens* (ſeu initio facto,exorſus) *à Galilæa uſque huc*. Rurſum eo ipſo capite 1. Actorum, v. 21. ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου, ἕως τῆς ἡμέρας ἧς ἀνελήφθη, *Incipiens* (exorſus) *à baptiſmo Joannis ad eum uſque diem,quo aſſumptus eſt.* Et Act. 10. v. 37. ῥῆμα ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας μετὰ τὸ βάπτισμα ὃ ἐκήρυξεν Ἰωάννης. *Verbum incipiens,vel exorſum à Galilæa poſt baptiſma,quod prædicabat Joannes.* Ita etiam hoc loco vox ἀρχόμενος, nequaquam ad annos ætatis Chriſti,ſed ad principium prædicationis ejus referendum fuerit.

Id ipſum verò,quinto loco,confirmat etiam circumſtantia textus præſentis: quippe hoc ipſo loco tradidit Lucas initia Miniſterii Chriſti,baptiſmum & vocem cœleſtem, qua is commendabatur in doctorem; cui narrationi hæc ipſa verba,ſuper quibus diſceptamus, ſubjunguntur concluſionis loco,additâ voce ἀρχόμενος Incipiens; quin & Genealogia ſubnectitur; ut conſtaret, quo loco inter Judæos fuerit habitus novus iſte doctor exoriens.

Itaque ſextò non pauci nec poſtremi ex veteribus fuerunt, qui hanc interpretationem vocis ἀρχόμενος ſequerentur, quos Suslyga citat fol. 33. ex Baronio, Origenem,Chryſoſtomum,Bedam, ipſe Juſtinum Martyrem,Clementem Alexandrinum,Tertullianum,Epiphanium hæreſi 30. Cujus verba: Chriſtum tunc quando cœpit prædicare,fuiſſe annorum triginta. Et hæc etiam ordini Romano tribuit & Evangelio Syriaco. Adeoque & fuiſſe ait,qui pro ἀρχόμενος,legerent ἐρχόμενος eodem ſenſu,quos inter Euthymius.

Itaque Biblia nonnulla Germanica,quæ inter & Helvetica,conſenſu egregio cum tot Patribus ſic verterunt: Und Jeſus war bey dreyſſig Jahren/da er anfieng. Et hæc tunc,quando iſta nondum diſputabantur.

Lubet nunc audire,quid tu de hâc ſecundâ meâ ratione, & de ſextuplici ejus firmamento ſentias. Ais te legiſſe hanc interpretationem vocis ἀρχόμενος apud nonnullos hujus ætatis Theologos, nec velle illam impugnare,ſi ætati Chriſti non deroget. Ætati illa Chriſti non derogat,tibi verò plurimum derogat,quia triginta præciſos annos nullo alio fundamento firmas, quam interpretatione hujus vocis ἀρχόμενος,interpretationi meæ contrariâ. Hoc igitur dicere videris, placituram illam fuiſſe,ſi tibi non labefactatum iret ſententiam tuam mordicus arreptam, id eſt, ſi non prior tibi placuiſſet interpretatio ei contraria. Non potes Calviſi non impugnare hanc interpretationem vocis ἀρχόμενος, ſi aliquid defendis, quod non alia re nititur, quàm contrario illius,quod ais,te non impugnare.

pugnare. Aut ſi non impugnas hanc interpretationem: in medio igitur relinquis & hanc, & ejus contrariam, quâ niteris. Quod ſi id in medio relinquis, & quò ſolo niteris: non igitur probaſti per id, triginta præciſos annos: cur igitur impugnas meos 33? cur criminaris me fidem expreſſis verbis B. Lucæ derogare, ſi ſenſum eorum verborum talem in medio relinquis, qui mihi non contrarius eſt?

Ais te præferre illam tuam verbi ἀρχόμενος interpretationem. Quamobrem id? Nam ego meam præfero, & cauſam dico, quia per ſe eſt accommodata circumſtantiis textus, & quia hiſtoricæ veritati non ita repugnat, ut illa tua. Tu ergò quam ob rem tuam præfers? Quia, inquis, antiqui ſic intellexerunt. At diviſi ſunt inter nos duo antiqui, plures à me ſtant, quod vocem *Incipiens* attinet, nec tuus eſt is, quem allegas, Ignatius, ſed meus; nam quia Chriſtum ait expleſſe 30. annos, non igitur ait; ipſum, tunc incepiſſe eſſe tricenarium: ſic eum allegat Baronius, ſi alii: ſolis illis idem eſt, expleſſe triginta, & incipere eſſe tricenarium, quibus monſtroſas locutiones civitate Græcâ donare ludus eſt, ἐγὼ εἰμὶ ἀρχόμενος ὤν, id eſt, ἐγὼ ἄρχομαι εἶναι. De iis verò, qui verè vocem ἀρχόμενος ad ætatem retulerunt, (quos inter Eraſmus, Incipiebat eſſe annorum 30. & Lutherus: Er gieng in das dreiſſigſte Jahr/ alibi, Er hub an und gieng in das 30. Jahr/ ubi agere triceſimum, eſt ætas definita & preciſa 29. completorum, & triceſimi currentis) dixi paulò antea quas excuſationes habeant, & quàm non præjudicent cæteris, ipſique adeò veritati ſeſe euidentius patefacienti.

Alteram cauſam, cur præferas interpretationem tuam, dicis eſſe Scaligerum interpretem eorundem verborum ampliſſimum. Ego jurato Scaligero non credo, niſi exempla afferenti, quibus probet ἐγὼ εἰμὶ ἀρχόμενος ὤν, uſurpari pro ἐγὼ ἄρχομαι εἶναι: quod ſi etiam probaret, tamen adhuc ſingulare hoc habet, ἐγὼ ἄρχομαι εἶναι ἐτῶν λ΄, idem eſſe quod incipio primum & triceſimum. Nam Patres, qui numerum hunc ejus tenuerunt, voce tamen ἄρχομαι ad hunc numerum evincendum non fuerunt abuſi. Tum autem, ut omnia illi concedam, quæ affirmat ſecuriſſimè: nondum tamen conſtat num etiam hoc loco vox ἀρχόμενος ad præcedentia de ætate Chriſti ſit referenda, an interpunctione diſtinguenda, ut de miniſterio Chriſti ſonet: Nam rationes huc inclinant, non illuc. Fruſtra ergo tu ſenſus verborum Evangeliſtæ ponderas authoritate Scaligeri, ſi ipſe Rationum momentis fuit deſtitutus. Iniquiſſimè verò me criminaris, quod expreſſis verbis Evangeliſtæ obloquar, propterea quia ſenſum eorum Scaligerianum ſequi nolo.

Sed authoritates tuas ſequitur & ratio cur præferas tuam interpretationem: quia ſcilicet non addatur aliquid de prædicatione Chriſti. At cur adderetur, quod immediatè præceſſit? Quis intelligeret, quid ſit illud ἀρχόμενος, aut qualis ἀρχὴ, ſi hiſtoria de hoc Initio demum ſequeretur, ſi non præcederet id, ad quod refertur vox Incipiens? O rem miram! tum demum eſſet dura partium mearum conditio, ſi eſſet quod tu deſideras, ſi non præcederet, ſed ſequeretur hæc hiſtoria, tunc enim vix inveniret hæc vox, quorſum ſe reciperet, præterque ad ætatem Chriſti. Negas tu additam eſſe hiſtoriam de vocatione Chriſti, quæ prædicationis eſt initialis ſolennitas? non ergo additur tibi, quod immediatè præmittitur?

Hactenus mea ratio ſecunda, cur Numerum tricenarium non accipiam præciſum.

Sequitur tertia & primaria ratio, quod ſeparatâ voce definitiva ἀρχόμενος, jam viciſſim vox indefinita ὡσεὶ, præcedit annorum tricenarium numerum, eumque rotundum: non eſt igitur definitè accipiendus iſte numerus neceſſariò. Erat, inquit, annorum triginta plus minus cum inciperet. Hunc uſum vocis ὡσεὶ cum numeralibus, probavi exemplis ex Evangelio. Itaque neſcio an benè Eraſmus verterit *Fermè*, Nam hæc vox, ut & Græca σχεδὸν videntur potius defectum aliquem ſignificare, ut fermè tricenarius ſit, qui nondum planè attigit hanc ætatem. At vox ὡσεὶ admittit promiſcuè vel exceſſum vel defectum. Atque hoc etiam tibi notandum, qui cum Scaligero condentis nihil defuiſſe de annis 30.

Quid tu ad hæc? Fateris indefinitam eſſe vocem ὡσεὶ, & quandam admittere latitudinem; at annos in incerto poni non concedis. Exempla affers iſta, cum dicimus die 29. Maji circiter veſperam: hîc non diem 29. Maji in dubio poni voce circiter, ſed horam ſaltem. Equidem res habet ut dicis, id in dubio penitus, quod cum voce circiter conſtruitur. Itaque hîc non dies, ſed hora eſt incerta, quia non ad diem, ſed ad horam apponitur *Circiter*. Et ſic etiam in noſtro textu, ad annos triginta apponitur vox *quaſi*, non ad menſes vel dies. Tricenarius igitur annorum numerus in incertitudine nonnulla ponitur, ut prius hora veſpertina, ſicut tamen non longe abſit nec illic hora ab occaſu ſolis, nec hîc præciſus numerus à rotundo numero tricenario.

Sed enim video quid velis. Ad tuam ordinationem relaberis vocularum in textu Evangelii, quam dudum non tantum tibi ego extorſi, ſed etiam tu tuam ſponte in dubio poſuiſti, dum ejus contrariam te non impugnare aſſeruiſti: Iam tuam reſumis ut authenticam, & vocem *quaſi* præponis voci *Incipiens*, quæ in ipſo Evangeliſta præmittitur voci annorum triginta, quaſi diceret Evangeliſta: Erat circa initium anni triceſimi primi. Quo facto exclamas cum fiducia, hoc eſſe verba ſimpliciter intelligere, juxta proprietatem linguæ, hunc eſſe ſenſum quam verba ſignant, in hoc authoritatem Scripturæ verti, hanc authoritatem, hanc ſcilicet Galviſii tranſpoſitionem, ordini textus contrariam, ſacroſanctam eſſe debere. At hoc hercle facinus eſt. Omnes qui alterum accuſant criminis, ab illo ſibi crimine legem indicunt innocentiæ. Tu qui me, velut advocatus Eccleſiæ ſcandali reum egiſti, quaſi aliquid ſtatuam, quod pugnet cum expreſſis verbis Evangelii: ipſe viciſſim ordini textus violentas affers manus, voces tuo copulans arbitratu. Quis hoc tibi conceſſerit? Excuſari poſſet, & quamvis non tolerari, in bonam tamen partẽ accipi, ſi hoc pacto te conſulere ſperâſſes diſſenſioni temporum. At quia hoc facinus comparatum eſt ad deſtruendam exiſtimationem ejus, qui

qui veritatis, non pugnæ ſtudio expendit, quid Lucæ textus ferre poſſit; excuſatio tui erroris & audaciæ tanto minor eſt, quàm mei peccati ſi quid eſſet: quanto tu certius & evidentius, quàm ego, crimen habes.

Poſtquam igitur tibi tuam vocem *Incipiens* eripui, hanc verò vocem latitudinis ὡσεὶ à tuis auſis vindicavi; reſtat illud diſpiciamus: cum Evangeliſta affirmat, Ieſum fuiſſe circiter tringinta annorum, num præcisè tringinta ſint credendi, an pro præciſis triginta, quod Lucas nec affirmat, nec negat, præciſe triginta tres accipi poſſint; ſi hoc requirant hiſtoriæ. Nam ſi nihil obſtarent hiſtoriæ, rationesq́ue temporum; cauſa nulla eſſet, cur potius plus, quàm minus triginta ſtatueremus: retineremus igitur potius hunc ipſum rotundum Numerum. Quæ adeò cauſa fuit, cur Patres illi, quos allegas, tantum præcisè retinuerint, quantum Lucas expreſſit rotundi numeri voce; non quod vocem *Incipiens* ad ætatem Chriſti traherent, ſed quod ſcrupulos Chronologicos non expenderent, in quibus eximendis nos hodiè ſudamus: nulla igitur cauſa illis fuit, cur ob communem voculam *Circiter*, quæ tam ad exceſſum referri poteſt, quam ad defectum, eoq́; etiam ad ipſum præciſum numerum; unum præ alio elegerunt.

At poſtquam ex diligenti examine & collatione hiſtoricorum patuit veritas, religio nulla fuit Mæſtlino, Nulla Deckario, ejusque clienti Suslygæ, nulla mihi; ſaluis Evangeliſtæ Verbis de annis circiter triginta, affirmare Chriſto baptiſato annos præciſius ſubductos (illi) triginta duos (ego) triginta tres: quippe qui exemplum totius Occidentalis Eccleſiæ habuimus ob oculos; quibus religio nulla fuit, pro annis triginta, ſtatuendi vel cum Dionyſio authore, viginti ſeptem, vel cum hodierno ejus intellectu, viginti octo. Quicquid enim eſt inter 27. & 33. id eſt, circiter 30.

Quid tumultuaris igitur Caluiſi, quid inceptas? Cur omiſſis rationibus ad iniquitatem confugis? populum devotum in me concitas, exclamans, Eccleſiam eſſe perturbatam, authoritatem textus Biblici læſam? Vtrum potius me vis de te credere? An, te humani quid pati: qui receptas & uſu tritas verſiones Biblicas ob id ipſum & authenticas, qui Interpretes anthoritatem immenſam adeptos, ſacroſanctos, qui omnia, quæ populus, anguſtis locorum & temporum ſpaciis nos circumſtans, conſenſu firmavit, citrą controverſiam recipienda, nihil eorum, quæ tam imbecillibus fundamentis conſtituta ſunt, movendum exiſtimes? Annè te acerbitatis & odii alieni in me miniſtrum factum licet ignarum; tibique occultè obrepſiſſe hortatores & inſtigatores, ſuæ in me malevolentiæ tibi nequaquam manifeſtos: qui pœnas offenſionibus aliis decretas per hanc occaſionem à me cupiant exigere, qui fidem in his mihi derogatum, qui famam labefactatum eant; quia hoc ſecum ſtatuerint, me ſtante Rempublicam ſalvam eſſe non poſſe ſcilicet. Quanquam qui mihi Lipſiæ vel hoſtes aperti ſint, inimici eſſe poſſint occulti, non video; nec veriſimile eſt, quenquam adeò ſtupidum eſſe: ut quod Clariſſimi viri ex omnibus partibus ante me tradiderunt, ex eo mihi privatim ſeſe ſperet invidiam conflaturum. De his igitur tu videris, qui hac odioſiſſimâ nec minus falsâ perverſi Evangelii criminatione cauſam præbuiſti cogitandi.

Nam quod cæteras tuas rationes attinet; ſcito me nequaquam agrè ferrè, quod illas epiſtolâ publica proponis, contràque me in aciem producis. Tui enim mentionem cum fecerim in frontiſpicio mei libelli, legem mihi hanc ipſe tuli, nec invitus patior, ut qui ſe putat provocatum, cum eo, ſi compareat, depugnem; tantum ut id fiat armis non vetitis, cæſim non punctim.

Neque tamen velim exiſtimes, tantam mihi eſſe pruriginem, quoſuis promiſcuè laceſſendi, ut ne in titulis quidem librorum mihi temperare poſſim. Cauſas alias hujus mei facti tibi reddo juſtas & probas. Primum exemplo ſuo me inuitavit adverſarius meus Rôslinus, qui meum itidem nomen ſui libri titulo inſeruit: deinde invidia pronunciati tam abſurdi, de ærâ Chriſtianorum erroneâ communicanda fuit cum pluribus, ut ſi authoritate Buntingi & Rôslini ſuper uno, tua vero & Scaligeri, & tot Patrum ſuper duobus annis eſſem munitus, ſuper reliquis tribus annis imperita & inſolens plebs mihi tanto eſſet æquior; utq́ue prævenirem damnationes inconſideratas eorum, qui librum æſtimant ex titulo, non titulum ex libro, qui non perſonam ex re, ſed rem ex perſona, numeròve aut ſolitudine dijudicant: uno verbo, ut ex ipſo frontiſpicio conſtaret, receptiſſimum eſſe inter omnes doctos, æram noſtram hodiernam deficere in annorum numero. Teſtis à mè Calviſi productus es in titulo, de annis minimùm duobus, non adverſarius de tribus reliquis. Obrepſit tibi, ni fallor, fallacia compoſitionis, & diviſionis, Nicht nur zwey Jahr/ hîc vocula Nur/ ad te non pertinebat hac vice, ſed illa zwey Jahr/ ſeu clarius wie Calviſius will: relativa vocula Wie/ non ad Nur/ ſed ad zwey Jahr/ referebatur à me quidem, qui quorſum tu illam eſſes relaturus, non cogitavi.

Quam verò viam inſtituam examinandi tuas rationes Chronologicas? Quam enim aliam, niſi hanc ipſam, ad quam me videris ipſe inuitare, ſi omnes tuas rationes conſiderem? Nimirum hoc à me petere videris tacitè, quod multi à me contenderunt apertè, ut libellum meum ſcriptum Idiomate Germanico Latinum in ſermonem transferam. Id equidem faciam, nec quicquam de re ipſa mutabo, niſi hoc ſolum, ut quæ Rôslino fuerunt oppoſita, omittam; tuumq́ue nomen viciſſim opportunis locis inſeram: ut ſicubi tu rationibus meis nonnullis obturbas, (omnes enim nequaquam tetigiſti) reſponſionem invenias idoneam. Et velim te ſecurum eſſe, veritatem mihi cordi fore, nec quicquam pertinaciæ indultum iri. Legi enim tuas rationes, inueni quicquam, quod me aliter mecum ipſo ſentire jubeat, quam ultimò ſcripſi.

Ne verò libellus iſte ſit ſolus, & ut rurſum tacitis tuis admonitionibus obſequar, qui mentione literarum inter nos crebro miſſitatarum & publicatione hujus tuæ Epiſtolæ videris à me maturam
[illegible] illa-

illarum publicationem exigere, quippe quam promiſſam à me legiſti in nupero meo libello; moraſque meas mihi exprobrare: quod igitur commodo Reipubl. literariæ ſubſidioque Veritati cedat, adiungam Eclogas Chronicas ex epiſtolis tuis, aliorumque & meis mutuis; non diſſimulato vel ſuppreſſo tuo nomine, ut de te & aliis facere cogitaueram. Illud tamen operam dabo, ut verè exhibeam, quod profiteor, Eclogas nimirum Chronicas: nam quicquid ad tempora non ſpectverit, omittam, quicquid ad privata utriuſque negotia, quicquid præter Chronologica ad honorem aut ludibrium alterutrius à maleuolis trahi poſſet, cujus ſcriptorem pudere olim poſſet, quanquam nil hujus jam memini, id verò totum ſicubi quid occurrerit, unâ liturâ inducam.

Ex ejus libri lectione ſpero lectores non tantum hoc viſuros, uter meliori iure in ſua ſententia permanſerit, quod in principio tuæ epiſtolæ profeſſus es; & uter ſe paſſus fuerit de rebus maximi momenti erudiri aut aliter inſtitui; ſed percepturos etiam cùm de hac tùm de aliis quibuſdam cohærentibus quæſtionibus non contemnendam ex rationum conflictu, veri cognitionem.

Interim vale, & in emaculandis tuis temporibus ſtrenuè perge, ut tanto minus aliis relinquas materiæ tuorum corrigendorum. Lincii XVI. Cal. Feb. Anno æræ Chriſtianorum Occidentalium MDCXIV. qui eſt tibi à Nativitate Chriſti 1616. mihi 1619.

JOHANNES KEPPLERUS.

EXAMEN

Hypotheſium Chronologicarum à Davide Pareo Theol. D. & Academiæ Heidelbergenſis Prof. Pub. editarum, cui ex Ptolomeo inſerta eſt perſpicua ratio alligandi annos à condito mundo numeratos ad annum primum æræ Chriſtianæ, à multis hactenus deſiderata; evulgatum Lipſiæ 1606.

EDidit Candide Lector, David Pareus Theologiæ Doctor & Profeſſor Heidelbergenſis proximis nundinis vernalibus Orationem Chronologicam in qua ſeptem conſtitutis hypotheſibus, ſe ſynopſin exactiſſimam Chronologiæ ſacræ pro Theologiæ & Chronologiæ ſtudioſis evulgaſſe profitetur. Hanc ſuam ſynopſin, ſi ita propoſuiſſet, ut tantùm oſtenderet, quæ ſua ſententia eſſet, & quæ ratio ſibi accomodatiſſima videretur in diſtribuendis epochis, & definiendis annis à Condito mundo, usque ad Nativitatem Chriſti numeratis nemo fortaſſis extitiſſet, cui curæ fuiſſet, quid Pareus in Chronologicis ſentiret: ſed quilibet paſſus fuiſſet, eum abundare ſuo ſenſu. Cùm aliàs etiam ſpes nulla appareat, eos, qui ita ad Chronologica tractanda illotis, quod ajunt, manibus accedunt, & neque quid tempus aſtronomicum vel politicum ſit, neque qui Characteres temporum, & quomodo adhibendi ſint, ſatis intelligunt, unquam conſenſuros: Verum cum Chronologos alios, qui ſecum non ſentiunt, & profanos & flagitioſos & ſacrilegos proclamet, libuit diligentius, quid tandem tanto dignum promiſſor hiatu proferret, obſervare, & hypotheſes ipſius penitiùs inſpicere, & quid veri falſique contineant, palam proponere. Spero me in hac re Chronologiæ ſtudioſis operam & gratam & utilem navaturum, & res Chronologicas aliquantulum illuſtraturum, & Chronologos injuſtè & flagitiorum & ſacrilegii inſimulatos, facilè probaturum.

Quod igitur ad primam ejus hypotheſin attinet, in qua à Condito mundo, usque ad diluvii initium ex generationibus Patriarcharum numerat annos 1656. exactos, Hebraicam ſequitur veritatem, & rectè. Non enim audiendi ſunt, qui ſeptuaginta Interpretum verſionem fontibus præferunt, & ſeptingentis ferè annis numerum hunc annorum augent. Sed tamen quod addit Pareus in notatione prima, Judæos ab Exodo Iſraelitarum ex Ægypto usque ad æram Alexandri Magni annos Nabonaſſareos cum intercalatione integri menſis poſt annos 120. exactos obſervaſſe, verum non eſt. Anni enim Nabonaſſarei ad motum Lunarem redigi non poſſunt, nec ad easdem Lunæ φάσεις redeunt, niſi poſt annos 25. adeò vagantur in hiſce annis novilunia & plenilunia, & ratio in aperto eſt. Quia anni Nabonaſſarei habent menſes æquales tricenùm dierum & quinque dies appendices & decurrunt diebus 365. Menſis verò Lunaris tricenos dies non attingit, & hujuſmodi menſes Lunares duodecim tantum continent dies 354 horas 8.48. differentia inter annum Nabonaſſareum & Lunarem dies 10. horæ 15.12. quibus φάσεις lunaris ſingulis annis, in menſibus variari neceſſe eſt, donec periodus annorum 25. abſolvatur. Judæi verò omnes ſuas legales ceremonias ad motum lunarem inſtituerunt, Ergò annos Nabonaſſareos in ſua Politia obſervare non potuerunt. Quod Judæi omnes ſuas ceremonias ad Lunæ motum inſtituerint, non indiget prolixa probatione. Obſervarunt ſingulas neomenias, Feſta præcipua, ut Paſchatos & Tabernaculorum ſemper in plenilunio celebrarunt, hoc in ſeptimo menſe; illud in primo, utrumque die 15. menſis. Contra feſtum Clangoris tubarum in neomenia ſeptimi menſis. Ideo regius Pſaltes etiam ait Pſal. 104. verſ. 19. Præparavit Deus Lunam ad ſtatuendas ſive determinandas feſtivitates. Præterea in Digeſtis Thalmudicis, Capite Ros haſchana habetur, antiquitus in Politia Judaica neomenias indici ſolitas, ad eamque rem teſtes & ſpeculatores idoneos delegatos, ſcelerum & vitiorũ puros, non ebrioſos, non aleones, &c. qui obſervationi noviluniorum operam darent, & Lunam, quando poſt conjunctionem à Sole digreſſa eſſet, à ſe viſam proclamarent & neomenias indicerent. Idem liber oſtendit intercalationẽ menſis lunaris verno tempore celebrari ſolitã, ſi Paſchate adveniente vel fruges nõ maturuiſſent:

vel

vel arbores non florerent, vel etiam interdum ſi pontes eſſent aquarum eluvionibus everſi, &c. Hæc
omnia cum annis Nabonaſſareis è diametro pugnant, quorum initium vagum eſt, qui intercalatio-
nem embolimi menſis ſingulis trienniis fere non admittunt, nec æquinoctia ſtatis anni temporibus
vel in vere, vel in autumno exhibent. Ideo fruſtra eſt, quod putat à Judæis annos Nabonaſſareos
in ſua Politia obſervatos. Altera ejus notatio in hac hypotheſi, in qua contendit Græcos & o-
mnes Ethnicos tempus conditi mundi ignoraſſe, adeò vera eſt, ut etiam pueris nota ſit.

Non fruſtra autem haſce notationes Pareus huic hypotheſi addidit. Sed prima illa oſten-
tare voluit, ſe in rebus Chronologicis probe verſatum, & temporis politici haud imperitum in re-
gno præſertim Judaico & Ægyptio, & non ineptè de eodem verba facere poſſe, ubi tamen pueriliter
fallitur. In altera verò notatione fundamenta ſubſtruere conatur ſuæ opinionis, quod nihil veri
vel certi ratione temporis annotati in Scriptoribus Græcis pariter & Latinis habeatur, de qua re po-
ſtea dicemus in ſeptima ipſius hypotheſi.

Pergamus ad ſecundam ejus hypotheſin, qua ſtatuit à Diluvio usque ad oraculum de ſervitute
ſeminis Abrahami præciſe haberi annos 437. Porro oraculum illud editum fuit, ut Pareus cenſet,
cùm Abrahami decem annis in Canaam peregrinatus fuiſſet. Duo hic innovat novus noſter Chro-
nologus Pareus. Primum, quòd ſtatuit Abrahamum non natum anno ſeptuageſimo Tharæ, quod
Moſes unicus Hiſtoriarum Eccleſiæ & annorum à Condito mundo numeratorum autor, apertè
pronunciat: Sed annis tandem ſexaginta poſt, cùm Thara eſſet 130. annorum. Alterum, quòd an-
nos peregrinationis Abrahæ inchoat, non ab eo tempore, cùm Abraham à DEO evocaretur ex Me-
ſopotamia & proficiſceretur in Canaam: Sed ab oraculo ſervitutis Iſraeliticæ, decennio pòſt. De
hoc oraculo dicemus in ſequenti hypotheſi, hic tantùm de anno nativitatis Abrahami quædam mo-
Edit poſter. cap. 36. nebimus. Prolixiùs enim de eadem re in Iſagoge Chronologica Cap. 34. egimus. Negat Pareus
Abrahamum fuiſſe primogenitum & natum anno 70. Tharæ: Sed id nullo argumento. Moſes
contra dicit: *Thara erat ſeptuaginta annorum & genuit Abram, Nabor & Haran*, & paulò pòſt.
Hæ ſunt generationes Tharæ. Thara genuit Abram, Nabor & Haran, quæ repetitio primogenitu-
ram Abrahamo procul dubio aſſerit, & ſeptuageſimum annum nativitatis firmat. Profert quidem
Pareus ſimile exemplum, ut ipſe putat, in generatione Semi, quo ſuam ſententiam probet, ſed valdè
eſt diſſimile. Verba textus ſic habent. *Noah erat annorum quingentorum & genuit Sem, Ham &
& Iaphet.* Hic quidem Sem non ætatis, ſed dignitatis ratione proponitur. Sed tamen propter-
ea non evincitur, cum anno quingenteſimo ætatis Noæ genitum non eſſe. Sunt enim magni no-
minis Theologi, qui verba illa, 11. verſ. 10. *Sem erat centum annorum, & genuit Arphaxad.* ita
explicant, ut dicant, brevitatis cauſa biennij mentionem omiſſam, cùm revera Sem tum centum &
duorum annorum eſſet, & ſanè hac explicatione nihil Chronologiæ derogatur. Sed poſito hoc,
Semum non anno quingenteſimo ætatis Nohæ: ſed biennio pòſt natum fuiſſe: tamen cùm Moſes
in generatione Semi annorum à Condito mundo numeratorum ſeriem deducturus eſſet, voluit Cap.
11. in generatione Arphaxad apertè definire, quoto anno Nohæ, Sem genitus fuiſſet, ne error inde
oriri poſſet. Hic verò, cùm eandem annorum ſeriem in generatione Abrahami continuaret, ni-
hil tale addit: Sed ad aſſertionem confirmandam eandem ſententiam bis repetit. Cur igitur potiùs
credam Pareo, quam Moſi? De loco Stephani, dixi in Iſagoge Chronologica. Hic tantum quæ-
ro, Si ſe occaſio tuliſſet, ut Stephanus ætates Patriarcharum ante diluvium recenſere voluiſſet,
eaſque ſecundum ſeptuaginta Interpretes & Rabinorum ſententiam numeraſſet, id quod omninò
feciſſet, cùm Biblia ſeptuaginta Interpretum in tanta autoritate apud omnes eſſent, ut nulli adver-
ſum ea ſtatuere quid liceret, & Hebraica Biblia tum ſepulta quaſi jacerent, num propter hanc Stepha-
ni numerationem à veritate Hebraica Pareus diſcedere, & annorum à Condito mundo collectorum
ſummam contra Hebraicam veritatem augere vellet? Sed Pareum revera ſic ſentire, & Abrahamum
anno Tharæ 130. contra Moſis expreſſa verba natum, ex animo ſtatuere, vix credo, profectò alia fu-
it cauſa gravior, quæ ipſum urſit, cur ſeptuaginta annis, ultra quam par eſt, hanc hypotheſin tanto
conamine augere voluerit, hæc videlicet: Cùm conſtituiſſet in ſeptima ſua hypotheſi tot Reges &
Monarchas ex Perſarum Monarchia & Græcorum hiſtoria cum ſui Imperii annis ex rerum natura e-
jicere, & Monarchiæ Perſicæ durationem contra omnem tam Sacrorum, quam profanorum Hiſto-
ricorum fidem & autoritatem diminuere, ut ſcilicet haberet, quo iſtam lacunam aliquo modo, hiſ-
ce ſeptuaginta annis inſertis expleret, ne nimiùm in definiendo Nativitatis CHRISTI anno à reliquo-
rum Chronologorum ſententia diſcederet. A Condito enim Mundo, usque ad Nativitatem CHRI-
STI etiam hiſce auctariis additis vix colligit in una ſumma annos 3928. Cùm ſi hæc auctaria omi-
ſiſſet, CHRISTUM anno Mundi 3858. natum ſtatuere coactus fuiſſet atque ita centum fere an-
norum ſpacio à reliquorum Chronologorum ſententia abfuiſſet, id quod exactiſſimam hanc ſyno-
pſin Chronologicam Pareanam alias valde ſuſpectam, plane falſitatis conviciſſet. Debuiſſet itaque
Pareus hanc ſecundam ſuam hypotheſin, à diluvio usque ad Migrationem Abrahæ ex Meſopotamia,
ubi anni peregrinationis Gen. 16. inchoantur, tantum extendere, deducere & ibi concludere, eam-
que ſecundum veritatem Hebraicam à Moſe deſcriptam numerare, nec annum nativitatis Abraha-
mi in dubium vocare, aut annos peregrinationis 430. quos Scriptura in una ſumma proponit, fruſtu-
latim diſcerpere: Quod ſi feciſſet, ſumma annorum hujus hypotheſeos eſſet annorum 367. & co-
hæreret cum anno mundi 2023.

Tertiam hypotheſin novus hic Chronologus inchoat decennio exacto, poſtquam Abraham
in Canaan veniſſet, poſt acceptam promiſſionem de ſuſcipienda prole, & editum oraculum de ſer-
vitute Ægiptiaca. De tempore primum quærendum Pareus ſic habet: *Factum id eſſe in fine de-*
cem

cem annorum, ex quo Abraham habitare cœperat in Canaan. Et hoc ita proponit, quaſi oraculum illud editum fuerit in fine decem illorum annorum, Cùm tamen Moſes tempus illud exprimat, non de edito oraculo, ſed de Abrahamo, ducente ancillam ſuam Hagar, ex conſilio Sarai in uxorem, cùm promiſſionem illam de ſuſcipienda prole dudum accepiſſet. Conqueſtus enim fuerat Abraham apud Deum, ſe ſterilem, eſſe & deſtitui liberis, & hæredem habiturum ſervum ſuum. Sed reſpondit ei Dominus, hoc nunquam futurum, ſed filium, quem geniturus eſſet, illum futurum hæredem: & hanc promiſſionem confirmat ipſi Deus comparatione parium, ab inenarrabili multitudine ſtellarum ad infinitam ſobolem Abrahami. Hocqúe credidit Abraham, & imputatum eſt ei ad juſtitiam. . Ex hac igitur promiſſione Abraham jam certus erat, ſe non amplius futurum ſterilem, ſed ſuſcepturum prolem. De Sarai uxore an fœcunda vel ſterilis eſſet futura nondum certus erat. Ideo procul dubio, ne videretur in Deum peccare & promiſſioni diffidere, expectavit annum unum vel alterum, vel etiam plures, an fortaſſis ex conjuge Sarai filium ſuſcipere poſſet, cùm textus poſt illam acceptam promiſſionem expreſsè dicat Sarain, cùm videret ſe à Domino concluſam eſſe ne pareret, tum demum quæſiviſſe concinnam interpretationem ſive *ἀνάπαυσιν* promiſſionis illius de prole futura, & ut Abraham ſuſciperet liberos, dediſſe ipſi ancillam in uxorem, hocque factum in fine decem annorum. Tempus igitur ductæ ancillæ in uxorem tantùm determinatum eſt: tempus verò acceptæ promiſſionis & oraculi de ſervitute Ægyptiaca editi ad certum annum reſtrictum non eſt. Quapropter certa epocha temporis in edito illo oraculo figi non poteſt & hypotheſis hæc Pareana eſt incerta.

Quod ad locum Pauli attinet ad Gal.3. de fœdere confirmato, à quo numerandi ſunt anni 430. Si Pareum ſequi velimus, qui confirmationem fœderis adeò urget, quadringenti illi & 30. anni numerandi potius ſunt à fœdere illo per Circumciſionis Sacramentum confirmato. Nam Gen.cap. 17.v.2. Cùm Abraham eſſet nonaginta novem annorum quatuordecim annis poſtquam duxiſſet ancillam in uxorem, dicit Dominus de futuro tempore. *Ponam fœdus meum inter te & me.* Ergó fœdus tum non erat confirmatum. Eadem repetit eodem capite, verſ.7. & tandem cùm promulgaret legem de circumciſione, dicet. *Hoc eſt pactum inter me & te. Omnis maſculus, &c.* Fœdus igitur illud vetus cum Abrahamo initum, tandem confirmatum eſt cum Abrahamo, cùm eſſet nonaginta novem annorum, cùm annis 24. in Canaan peregrinatus fuiſſet. Si jam ab hoc tempore quadringenti & 30. anni usque ad legem latam in Sinai numerandi ſunt, tota ſumma peregrinationis filiorum Iſrael erit annorum 464. Verùm cùm hoc etiam Pareo teſte, fieri non poſſit, cur initium horum 430. annorum non potius à primùm edita promiſſione de benedicto ſemine, & occupanda terra Canaan capiendum eſt, quam ab eo tempore, quo quartum hæc promiſſio repeteretur: quod tempus tamen, ut diximus, ad certum annum non eſt determinatum. Deus ipſe eo in loco cap.15. dicit; Tempus Peregrinationis & ſervitutis filiorum Iſrael futurum annorum quadringentorum, ita ut omitteret reliquos triginta, propterea quòd anni reliqui peregrinationis jam abierant, & quorum decem numerantur, capite ſequenti. Si denique anni 430. peregrinationis non incipiendi ſunt, à deſcenſu Jacobi in Ægyptum, ſed ab Abrahamo, à quo potius initio numerabuntur, quam ab eo ipſo initio, à quo Peregrinationis annos ipſe Abraham numerat, videlicet à tempore acceptæ promiſſionis primæ, cùm in terram Canaan proficiſceretur, Gen 16.v.3. Verùm Pareus putat, promiſſionem Abrahæ de benedicto ſemine & poſſeſſione terræ Canaan factam, etiamſi publicata ſit, non tamen reſpiciendam: Sed tandem cùm quartùm repeteretur pro fœdere habendam. Idque audet contra omnium Theologorum & Chronologorum ſententiam, & annos peregrinationis Iſraelitarum contra ſacram Scripturam facit 440. Peregrinatus enim erat Abraham, antequam promiſſio illa quartúm repeteretur in Ægypto, & ſemen ejus, filii Iſrael in lumbis ipſius ſimul. Eâdem ratione, quemadmodum Levi decimatus eſt in Abrahamo, cúm Abraham decimaretur, ut epiſt. ad Hebræos loquitur, & hoc tempus Peregrinationis Exod.12. verſ.40. definitur, quod in una ſumma fuerit annorum 430. Hiſce ſuis turbis & annorum auctariis additis, Pareus numerat à Condito mundo usq; ad exodum annos 2523. Sed hoc modo nunquam oſtendere poterit Characteres Chronologicos, huic año exodi Iſraelitarũ in ſacris literis additos, de quibus prolixè monui in Iſagoge Chronologica, c.35. *Edit poſteri. c.37.* Solus enim annus à Condito mundo numeratus 2453. exhibet duos illos Characteres, quibus hic annus expreſsè definitur, quòd videlicet exierint Iſraelitæ feria quinta, & quòd quadrageſimus ſextus annus poſt exodum fuerit Jubileus pariter & Sabbathicus. Hic ergò annus mundi 2453. eſt ille ipſe, quo Iſraelitæ fines Ægypti migrarunt, & hypotheſis Pareana hæc incerta primùm & poſtea apertè falſa eſt.

Quarta hypotheſis quæ definit tempus ab exodo Iſraelitarum ex Ægypto usque ad jacta fundamenta templi breviter à Pareo proponitur, quòd fuerit annorum 480. Habetur enim is numerus expreſsè primo Regum 6. neque ab eo temerè eſt recedendum.

Quintam hypotheſin Pareus computat à jactis fundamentis templi anno quarto Salomonis regis usque ad deportationem Jechoniæ regis Judæ in Babylonem, anno Nebucadnezaris octavo, eamque definit, qud fuerit annorum 401. Verùm ſacra Scriptura non ita conjunctim hanc hypotheſin proponit, & his terminis definit: Sed ſeorſim annos Salomonis computat, ſeorſim etiam poſt diviſionem regni Iſraelitici annos univerſos, non usque ad deportationem Jechoniæ regis Judæ, ſed usq; ad excidium reip. Judaicæ & caſum Sedeciæ regis ultimi in Judæa. Anni Salomonis poſt jacta fundamaenta templi ſunt 37. Cùm enim in univerſum annos quadraginta regnaverit, & tres eorum eorum præterierant, cùm fundamenta templi poneret, reſidui ſunt anni 37. quibus poſt jacta fundamenta templi regnavit. Deinde Ezechiel Propheta, cap.4. à tempore apoſtaſiæ & peccatorũ Iſraelis usq; ad excidium Hieroſolymæ numerat annos 390. Initium horum annorum ſumitur à diviſione re-

gni, cùm Jerobeam regnum poſt mortem Salomonis invaderet, 1. Reg. 12. ſacerdotes Domini ejiceret, aliosque eligeret, non ex tribu Levi: ſed ex infima plebe, vitulos aureos adorandos ſtatueret, dies feſtos ex ſua libidine inſtitueret, & Iſraelem peccare faceret, id quod ſæpius in ſacris literis repetitur. Finis verò eorundem annorum eſt obſidio urbis graviſſima & fames intoleranda, quam ſtatim ſecuta eſt expugnatio. Et hunc finem definiunt anni quadraginta peccatorum Judæ, qui ab initio miniſterii Jeremiæ numerantur, ab anno 13. Joſiæ regis & deſinunt in expugnatione Hieroſolymitana.

Numerat ergò ſacra Scriptura à jactis fundamentis templi usque ad excidium politiæ Judaicæ à Nebucadnezare illatum annos 37. & annos 390. hoc eſt annos in una ſumma 427. Pareus contra, qui decurtat hanc epocham ſive hypotheſin decennio & in deportatione Jechoniæ finit, numerat in una ſumma tantum annos 401. Siqúe extenderet eandem hypotheſin per annos decem, usque ad excidium templi, conficeret tantùm annos 411. Differentia inter Parei computationem & ſacræ Scripturæ aſſertionem eſt annorum ſedecim, quibus Parei calculus minor eſt. Videamus jam quibus in locis Pareus à vera ſupputatione aberraverit. Primus locus eſt lib. 2. Reg. cap. 15. Cum Uzias ſive Azarias Filius Amaſiæ parenti trucidato ſuccederet. Hoc loco Pareus ſecutus veterum quorundam Chronologorum oſcitantiam, interregnum, quod initum fuit poſt Amaziam interfectum donec Uzias adoleſceret, plane omittit, quod tamen perſpicuè ibi oſtenditur. Nam Amazias interfectus fuerat, anno 16. ineunte Jerobeami regis Iſraelitici, ut Cap. 14. habetur. Uzias verò ſuccedit in regno anno 27. ejusdem regis Jeroboami, anno ætatis 16. duodecimo anno poſt patrem interfectum. Differentia eſt annorum undecim ſolidorum, qui in Chronologia omitti non debent. Secundò Pareus Ezechiæ regi tres annos imperii adimit & annos regni 26. tantum concedit. Ezechiam autem ſolidos annos 29. regnaſſe palam eſt, primum lib. 2. Reg. 18. verſ. 2. deinde 2. Paralip. 29. verſ. 1. Et tertiò, quod Deus ipſi, cum ex graviſſimo morbo in fine anni 14. regni reſurgeret, quindecim annorum acceſſionem ad vitam concederet. Qua de cauſa autem Pareus pientiſſimum regem tribus annis imperii ſpoliare voluerit, an ex ignorantiâ, vel oſcitantia, vel malitia hoc fecerit, divinare non poſſum. Habes in hisce duobus locis candide Lector, annos quatuordecim, quos Pareus in hypotheſi ſua præteriit. Reliquos duos annos, ut ſedecim annorum defectus liquidò oſtendatur, ademit Pareus regibus Manaſſi & Joſiæ, ſingulis ſingulos. Manaſſes enim annos 55. regnavit, Joſias 31. Pareus huic triginta annos concedit, illi 54. Ita tanquam ſupremus rerum arbiter regibus vel concedit tot annos imperii, vel adimit, pro ſua animi libidine contra manifeſta Scripturæ teſtimonia. Aſſentiatur jam huic Pareanæ hypotheſi Chronologiæ ſtudioſus, qui mavult cum Pareo errare & falli, quam cum ſacra Scriptura rectè ſentire. Deinde Pareus in hac hypotheſi aggreditur epochas exoticas, ut ipſe vocat, ad quas hiſtorici Græci & Latini, Aſtronomi etiam & alii Autores tempora ſua deſcripſerunt, easque ut ambiguas & nullo certo Charactere notatas, incertas & falſas eſſe demonſtrare conatur. Hac aſſeveratione autem Pareus viam præparare vult, ut omnibus Græcis & Latinis Scriptoribus in Hiſtoriis Perſarum, Græcorum & Romanorum fidem derogare poſſit, fundamento enim epocharum deſtructo, quicquid ſuperſtructum eſt, facile corruiturum videt. Verum argumenta, quæ profert ad epochas haſce deſtruendas partim manifeſtè falſa ſunt, partim nullius momenti, eaque videbimus in ſeptimæ hypotheſeos examine.

In ſexta hypotheſi Pareus non malè inchoat ſeptuaginta annos Captivitatis Babylonicæ à Jechonia cum flore populi Judaici in Babyloniam à Nebucadnezare abducto. Idem enim initium definit Propheta Jeremias, autor Prophetiæ de ſeptuaginta annorum Captivitate, quemadmodum hoc evidenter demonſtratur in Iſagoge Chronologica. Verùm quòd abductionem Jechoniæ tribus menſibus tantum poſteriorem facit ea Captivitate, qua Daniel abductus fuit, anno tertio Joachimi regis exacto. Dan. Cap. 1. falſum arbitror. Integrum enim ſeptennium interjectum eſt, cum teſte Jeremia & Daniele prior accederit anno primo Nebucadnezaris, poſt victum & fugatum Nechonē Ægypti regem; hæc vero ineunte anno octavo ejusdem Nebucadnezaris, eodem Jeremia teſte. Deinde quod addit, ſeptuaginta Captivitatis Babylonicæ annos finem habuiſſe in primo anno Darii Medi, manifeſtè falſum eſt. Xenophonti enim in Cyri Pædia, quam ſcripſit ad vitam Cyri: ſed non ad fidē, ut Lipſius loquitur & omnes boni Hiſtorici cum eo: Annio etiam Viterbienſi in ſuo fictitio Metaſthene, ut in Iſagoge oſtendi, nulla fides habenda. Certiores & fide digniores autores ſunt Beroſus & Megaſthenes, apud Joſephum lib. 1. Contra Appionem & apud Euſebium, qui affirmant, Darium illum Medem Babylonem non expugnaſſe; ſed imperium à proceribus Babyloniorum unanimi conſenſu oblatum & traditum accepiſſe, eique annis ſeptendecim præfuiſſe, donec à Cyro prælio victus, regno Babylonico exueretur & vita ac provincia Carmania donaretur. Primus ergo annus Cyri, quo Captivitas Babylonica ſoluta eſt figi non poteſt in primo anno Darii Medi: nec etiam probari poteſt, ſeptuaginta Captivitatis annos in eodem anno præteriiſſe. Hoc enim tantùm in textu indicatur, Danielem in manibus habuiſſe volumen Prophetæ Jeremiæ de ſeptuaginta annorum captivitate, & ſupplicaſſe apud Deum, ut aliquando hæc captivitas ſolveretur, & obtinuiſſe, ut ſibi manifeſtaretur divinitùs, quanto tempore, ſi aliquando Hieroſolyma edicto promulgato reſtitueretur, Judæorum politia duratura eſſet. Septuaginta etiam hebdomades ab hoc anno non numerandas eſſe, oſtendunt verba Angeli in futuro tempore loquentis, *Scies & cognoſces*. verſ. 25. Quis verò annus primus Cyri in ſacris literis appelletur, oſtendi in Iſagoge, Cap. 29. & 40.

In edit. poſter. eſt cap. 31. & 42.

Septimam hypotheſin computat Pareus à primo anno Cyri, quo ſoluta eſt captivitas Babylonica, usque ad natum Chriſtum, annorum 455. Fundamentum hujus ſupputationis ſtatuit Prophetiam Danielis de ſeptuaginta Hebdomadibus annorum, quibus Politia Judaica duratura eſſet, quando Judæi ex Captivitate Babylonica rediiſſent. Sexaginta igitur novem Hebdomades cum dimidia

midia numerat ſtatim à propoſito edicto Cyri, de ſolvenda captivitate, easque finit in anno exciſi ſive crucifixi & mortui Chriſti anno 487. poſt ſolutam Captivitatem. Si jam anni triginta duo, quibus vixiſſe Chriſtum ſtatuit, ſubtrahantur: palàm eſt, eum numerare à ſoluta Captivitate Babylonica usque ad annum nati Chriſti, vulgari modo ita appellatum, annos 455. Ad hanc hypotheſin, cùm ſibi probatu difficilis videatur, exclamat Pareus: Hic Rhodus, hic ſalta. Verùm non ſaltat tantummodo hic: ſed etiam tranſilit omnes veritatis & verecundiæ fines, ut poſt probabimus. Rejicit enim omnes Hiſtoricos & Aſtronomos, qui aliquid de hiſce temporibus in literas retulerunt, eosque & mendacii & fallaciarum accuſat, & hanc hypotheſin ex ſacris literis tantúm definiendam decernit. Ad hanc probandam adducit quædam argumenta, quorum firmitatem paululúm explorabimus. Horum primum eſt, Spiritum ſanctum Chronologiam ſacram, quæ Lux eſt Doctrinæ & Hiſtoriæ Propheticæ, à mundi exordio usque ad Chriſtum natum nec mancam nec imperfectam reliquiſſe. Hanc propoſitionem ideo in Oratione præmittit, ut invidiam creare poſſit iis, qui profanos Scriptores cùm ſacris conferre conantur, quaſi ſint in Spiritum ſanctum contumelioſi. Verùm ſi ſacræ Scripturæ ductum ſequamur & quomodo & quousque Spiritus ſanctus Chronologiam in ſacris literis continuare voluerit, conſideremus: ſtatim apparebit, Deum non tantúm permittere & velle, ut Hiſtorici profani cum ſacra Scriptura conferantur: ſed etiam neceſſarium omnino eſſe, ut Chronologia hujus temporis ex profanis Hiſtoricis etiam aſſumatur.

Nam quod ad Chronologiam, quæ in ſacra Scriptura extat, attinet, cùm nullus omninò Hiſtoriarum Scriptor alius apud reliquas Gentes extaret; Spiritus ſanctus primùm tantùm per generationes Patriarcharum annos à mundo condito usque ad diluvium, & inde ad migrationem Abrahæ ex Haran annos numeravit, & Chronologiam deduxit. Deinde verò cùm varietate rerum memoria hominum turbari, & Chronologia confundi poſſet, per magnas annorum ſummas Eccleſiæ conſuluit. Sic à migratione Abrahami ex Charan usque ad exodum numeravit annos 430. Exod. 12. Ab exodo deinde non tantùm ſingulos annos, quibus quisq; Judicum præfuit, annotavit, ut Chronologia inde haberi poſſet: Sed etiam propoſita integra illorum annorum ſumma, ab exodo usque ad jacta fundamenta templi annos 480. computavit. Tertio à diviſione regni Iſraelitici poſt defunctum Salomonem usque ad excidium templi iterum etiam non tantúm ſingulorum regum Judææ annos, quibus imperaverunt annotavit, & cùm annis regum Iſrael præciſè contulit: Sed iterum integram illam annorum ſummam per Ezechielem Cap. 4. quòd per annos 390. Hieroſolymis poſt diviſionem regni regnatum ſit, numeravit, & in hiſce omnibus initium & finem cujuslibet epochæ manifeſtè oſtendit & deſcripſit. In ſequentibus verò temporibus, nequaquam eodem modo Chronologiam inſtituit: Sed tantùm in Hiſtoria ſacra mentionem fecit aliquorum regum exterorum, quorum vel beneficia in Eccleſiam manifeſta erant; vel quorum injuriæ in eandem vituperabantur, vel quorum res geſtæ aliàs ad illuſtrationem Hiſtoriæ ſacræ facerent. Sic Cyri mentionem facit, à quo captivitas Babylonica ſoluta eſt, ſic Ahaſveri, Artaxerxis Longimani, Darii, Artaxerxis Memoris & Darii regum Perſarum. Alexandri etiam Magni meminit & ſucceſſorum ejus: Sed numerum annorum quibus regnarunt, nullibi expreſſit. Quæ igitur jam alia cauſa dari poteſt, cur Deus Chronologiam antea, cúm nulli eſſent Scriptores alii, tam accuratè annotare; Hic verò ubi rerum geſtarum diverſitas & Confuſio major, obiter tantúm regum tempora: perſtringere voluerit: niſi quòd manuductione quadam Eccleſiæ oſtendit, cúm ætas Mundi jam adulta eſſet, & Scriptores haberet, qui hæc omnia diligenter cum omnibus circumſtantiis annotaſſent, gentium Hiſtorias cognoſcendas & cum ſua conferendas eſſe; qua collatione illuſtriora fierent, quæ in ſacris literis extant, & aliæ utilitates, quæ alibi recenſentur, hinc haurirentur?

Deinde omninò neceſſarium eſt, ut ad hujus temporis Chronologiam contexendam profani Scriptores aſſumantur. Nequaquam enim ſeptuaginta Hebdomades cum fine captivitatis Babylonicæ cohærere poſſunt. Pareus quidem magnoperè contendit eas ſtatim poſt ſolutam captivitatem eſſe inchoandas, idque probare conatur manifeſta, ut loquitur, alluſione edicti à Cyro propoſiti ad verba Danielis: ſed pace tanti viri dixerim, ementitur Pareus illam alluſionem. Prorſus enim nulla eſt in Hebræo textu. In edicto Cyri eſt, *vajahaber col*, & pertranſire fecit Cyrus in toto regno ſuo. Hoc eſt, juſſit proclamare: In Prophetia verò Danielis eſt, *min moza dabar*, ab egrediendo verbo. Hic nulla prorſus alluſio apparet. Verùm ſi quærit Pareus alluſionem ad verba Danielis, inveniet eam apud Haggæum & Zachariam Prophetas, qui ita de ſe ſcribunt: Anno ſecundo Darii, menſe &c. *Hajah debar Jehova*, factum eſt verbum Domini. Hic alludunt Prophetæ ad verbum illud *dabar*, quod exire debebat de ædificanda Hieroſolyma & templo, cujus verbi in Regum Perſarum edictis nulla mentio. Edicta enim eorum tantúm erant *teammum* Ordinationes edicta. A me poſita eſt Ordinatio, inquit Darius & Artaxerxes. Idem affirmatur de Cyro Eſræ 6. v. 3. Et ſi ad edicta Pareus egreſſum ſermonis referre conatur, inveniet Eſræ 6. verſ. 14. ad jus edictum hæc inſtauratio referenda ſit, videlicet ad edictum præcipuè divinum per Prophetas Haggæum & Zachariam prolatum & tandem ad edicta regum Perſarum. Deinde Angelus jubet Danielem diligenter & circumſpectè obſervare egreſſum illius verbi de ædificanda Hieroſolyma, quo edito & prolato plateæ Hieroſolymis & muri ædificarentur, in anguſtia temporum in annis 49. Illud enim futurum iſtud verbum à quo numerandæ eſſent etiam Hebdomades ſexaginta duæ. Jam edictum illud Cyri, quo Iſraelitæ ex Babylonia dimittebantur in Judæam, non ſequebatur ædificatio platearum & murorum in Jeruſalem: ſed ſtatim poſt jacta fundamenta templi edictum illud abrogabatur & ædificatio illa inhibeatur etiam poſtea per Ahasverum & Artaxerxem Reges, usque ad ſecundum annum Darii. Diſtantia autem inter edictum Cyri & annum ſecundum Darii, excedit annos centum, quibus Ju-

dæi, ſine lege, ſine urbe & ſine templo vixerunt, omnium vicinorum injuriis, expoſiti & plusquam exules in ſua ipſius Patria. Ubi ſunt jam illi quadraginta novem anni, in quibus vici Hieroſolymis directi ſunt & muri perfecti? ante imperium certè Darii muros illos perfectos fuiſſe Nehemias expreſsè negat. Ergò ante annum ſecundum Darii verbum illud de ædificanda Hieroſolyma, à quo numerandæ eſſent ſeptuaginta Hebdomades, nondùm exierat, neque promulgatum erat. Poſt annum verò ſecundum Darii, ſi numeres annos 49. usque ad annum tricesimum ſecundum Artaxerxis Memoris, apud Nehemiam videbis vicos Hieroſolymitanos directos, muros perfectos, portarum repagula firmata, & Rempubl. ordinatam. Per Prophetas igitur Haggæum & Zachariam, Deo inſpirante, exiit verbum de ædificanda Hieroſolyma, ad quod verbum πληροφορίας gratia acceſſit edictum Darii Regis Perſarum, ſollicité inquirentis edictum illud vetus Cyri, & iterum ſancientis illud, capitali & infami ſupplicio conſtituto in eum, qui quoquo modo, inſtaurationem templi & urbis impedire conaretur. Quadraginta ergo novem illi anni, quibus muri Hieroſolymis ædificati ſunt, Characterem exhibent certiſſimum edicti illius & epochæ, à qua numerandæ ſint ſeptuaginta Hebdomades. Si enim eventus ſeptem Hebdomadum de ædificandis muris reſpondet edicto promulgato & conſtitutæ epochæ, reliquæ etiam ſexaginta duæ ſeptimanæ rectè hinc numerari poſſunt. Nemo igitur dubitare poteſt, quin ab anno ſecundo hujus Darii ſeptuaginta Hebdomades numerandæ ſint. Sed de hac re plura in Iſagoge Chron. cap.40. quo Lectorem remitto. Cùm igitur jam ſeptuaginta Hebdomades cum annis Captivitatis Babylonicæ ſolutæ non cohæreant, ſed in anno ſecundo Darii inchoentur: Et verò diſtantia temporis inter edictum Cyri & annum ſecundum Darii, ex ſacris literis haberi non poſſit: manifeſtum eſt, hanc hypotheſin Pareanam falſam eſſe, & neceſſe eſſe, ut ex profanis Scriptoribus hujus temporis computatio aſſumatur, hujus rei plura argumenta dabimus infrà, & dedimus etiam alias.

edit. poſt. c.42.

Verùm urget Pareus, & dicit, Hiſtoricos Græcos ſibi non conſtare, & temporis rationem apud eosdem variam, lubricam & incertam eſſe: Item Chronologos flagitiosè inter ſe confligari de Perſici Regni duratione, de initio ſeptuaginta Hebdomadum, & de aliis. Reſpondeo primùm de Chronologis, negari non poſſe, eos magnoperè inter ſe diſſentire. Sed hujus diſſenſionis, etſi multæ cauſæ afferri poſſent; unam tamen arbitror inſtar omnium eſſe hanc, quod plerique eorum, cùm de temporibus ſe ſcribere profiterentur: tamen quid eſſet tempus ſive quodnam eſſet tempus politicum, quodque aſtronomicum, quæ quantitas utriusque tam in annis Solaribus, quàm Lunaribus, quos Characteres hujusmodi anni reciperent, quæ quantitas annorum Nabonaſſareorum, vel Ægyptiorum, vel Græcorum, vel Judaicorum, vel Aſiaticorum, quæ initia eorundem, qui, quot & quanti ſingulorum Menſes, quomodo diverſarum epocharum anni rectè inter ſe absque ullo errore conferri, conjungi aut diſcerni poſſent, quid Cycli Solis & Lunæ, quid Eclipſes, quid termini & Feſta mobilia in deſcribendis annis præſtarent, & cætera hujusmodi, prorſus ignorarent, & tamen exactiſſimas Synopſes Chronologicas ſuis diſcipulis præſcribere & venditare auderent. Hinc enim factum eſt, ut quisque ad ſuæ opinionis ſenſum, nulla habita ratione temporis, Hiſtoricorum Scripta detorqueret, Hiſtorias ipſas variè interpretaretur, confunderet, & ſe & alios falleret, unde tot extiterunt Chronologorum ſententiæ, quot eorum ſunt capita. Hæc autem Chronologorum diſſenſio non tanti facienda eſt, ut propterea omnibus Chronologis pariter debeat abrogari fides: Sed Chronologi potiùs diſtinguantur; Boni, qui tempora rectè dimetiuntur, epochas firmant, easque poſtea additis Hiſtoriis illuſtrant, retineantur: mali verò, qui omnia vel ex errore, vel ex ſua libidine metiuntur & mentiuntur, rejiciantur, & ſtudioſi Chronologiæ hac Chronologorum diſſenſione excitari ſe patiantur, ut diligentiùs de epochis, de quibus controvertitur, cogitent, eas examinent, & quæ contradici poſſunt, attentiùs conſiderent.

Quod ad Hiſtoricos attinet, qui ſibi invicem contradicere dicuntur, ut hoc verè affirmare poſſit Pareus, paleas tritico, ſcorias auro miſcet, & Cteſiam, Methaſthenemque cum Herodoto, Xenophonte, Thucydide, Diodoro, Dionyſio & Plutarcho comparat. Sed cur Cteſias diverſa ab Herodoto ſcribere voluerit, oſtendit Plutarchus & alii: quantum etiam fidei tribui poſſit Metaſtheni, Annii Viterbienſis ſoboli, docui in Iſagoge. Reliqui diverſa non tradunt, ſed maximè ſibi invicem conſentiunt, & hinc veritatis obtinent teſtimonium certiſſimum.

Sed excipit Pareus, Hiſtoricos hosce ſecutos eſſe incertam temporis rationem, & calculum inde exſtructum eſſe lubricum; cùm initium epocharum Gentilium incertum ſit, nec conſtet, qui Character fuerit primæ Olympiadis, vel primi anni Nabonaſſarei. Ut hoc argumentis confirmet, adducit primò autoritatem Joſephi Scaligeri, cujus verba excerpit ex prima editione de Emendatione temporum, & ſunt hæc: *Quod Chronologi notant illud vel illud, illa vel illa Olympiade contigiſſe, fidem eorum quidem liberat, ſed diligentiam eorum non probat: quod nimirum illud ſatis non ſit ὁρίζειν quandam temporum & rerum geſtarum indicandam. Character enim primæ Olympiadis deſideratur, quo illius initia deſignentur.* Hæc Scaliger. Sed obſervet candidus Lector. Scaligerum hic planè nihil affirmare de Hiſtoricis, ſed tantùm loqui de Chronologis, qui, ſi aliquid ad aliquam Olympiadem aſcripſiſſent, ſimul Charactere certo illam Olympiadem deſcribere debuiſſent. Illum verò Characterem, ait, Chronologos addere non potuiſſe, propterea quod Characterem primæ Olympiadis ignorarent. Seq; illum Characterem eruiſſe affirmat & demonſtrare, primam Olympiadem actam die 23. Julii, plenilunio, feria tertia, eo anno Mundi, qui decurreret Cyclo ſolis 18. cùm litera Dominicalis eſſet F. Cyclo Lunæ 5. Hoc Charactere prima Olympias ſatis evidenter & perſpicuè notatur. Hujusmodi enim annus, in quo Cyclus ſolis 18. & Lunæ quintus concurrant, iterum dari non poteſt, niſi elapſis annis 532. Sic idem Joſephus Scaliger, & ante eum Copernicus, & alii Aſtronomi

mi demonſtrarunt primum annum Nabonaſſareum cœpiſſe eo anno Mundi, qui haberet Cyclum Solis 19. Lunæ 15. die 26. Feb. feria quarta. Habet igitur & annus primus Nabonaſſereus ſuum certum Characterem. Quid jam vult Pareus cum ſuo Charactere, quem tamen non intelligit? quid deſiderat amplius? imperito Lectori tantùm fucum facere conatur, & epochas Gentiliũ præter cauſam ſuſpectas reddere. Adducit & aliud Joſephi Scaligeri teſtimonium, quo ſententiam ſuam de dubia Græcorum Hiſtoricorum fide confirmare conatur: id excerpit ex lib. 6. de emendatione temporũ, quando ait: *Sæpe imponunt nobis Græci vel prudentes vel imprudentes.* Sed Scaliger hoc de iis Græcis Scriptoribus pronunciat, qui etymologias Perſicorum vocabulorum tradere conabantur, & Perſicam tamen linguam non intelligebant. Quod jam Scaliger ſecundùm quid pronunciavit, Pareus ſtatim arripit ut generale, & ad omnes Hiſtoricos detorquet. Cùm tamen ſciat, neminem unquam ullo tempore Hiſtoricorum Græcorum veritatem, & in temporibus notandis certitudinem magis eruiſſe & demonſtraſſe, quàm Scaligerum. Græca igitur vel Punica potiùs fide Pareus hoc & ſuperius Scaligeri teſtimonium citat, ac ſi reliqui Calviniani teſtimonia Patrum Eccleſiæ in aſſerenda ſua hæreſi eadem fide citant, qua Pareus, non immeritò à noſtris Theologis candor in Calvinianis deſideratur.

Secundum argumentum Parei eſt, quod ait, primæ Olympiadis initium verum à priori etiam ipſis Græcis incertum fuiſſe, hocq; confirmat hac ratione, quòd annus captæ Trojæ incertus ſit, Inde concludit initium quoque Olympiadum propterea incertum eſſe. Hoc argumentum vel ego non intelligo, vel Pareus fraudulẽter in eo ludit & imperito Lectori imponere conatur.

Si enim illud tempus incertum eſt, cujus initium à priori incertum eſt, quid magis incertum erit, quàm annus conditi Mundi, qui initium à priori prorſus habere non poteſt? Si annus Conditi Mundi incertus eſt, incertus etiam erit annus diluvii, exodi, jactorum fundamentorum templi, & aliarum rerum geſtarum, quid igitur exactiſſimas ſynopſes Chronologicas ſcribimus? An ignorat Pareus, Tempus eſſe numerum motus ſecundùm prius & poſterius, hoc eſt, quantitatem temporis & ab antecedente termino & à conſequente rectè numerari poſſe? Sive igitur jam enumero annos à Nativitate Chriſti usq; ad Coronationem Caroli Magni, ſive à Coronatione Caroli usq; ad hunc annum tempora computo, eadem eſt certitudo temporis; & etiamſi incertus eſſet annus Nativitatis Chriſti, & prorſus nullo Charactere notatus: tamen cùm in literas relatum ſit, Carolum anno Chriſti 800. ineunte coronatum eſſe, & à Caroli Coronatione usq; ad hunc annum, annos Chriſti rectè numeratos, certus ſum, jam præteriiſſe annos 806. Sic etiamſi incertus eſſet annus Olympiadis primæ; tamen cùm etiam Pareo teſte, anno Paſſionis & mortis Chriſti currat annus Olympiadicus 808. & Cyrus ſecundum omnes Hiſtoricos & Chronologos, unanimi conſenſu ſcribatur cœpiſſe anno Olympiadico, 217. & manifeſtum etiam ſit, nullum annum Olympiadicum poſt Cyrũ excidiſſe: ſed omnes poſtea ordine juſto à plurimis Scriptoribus numeratos, quæ cauſa eſt, cur non affirmare poſſim, Cyrum regnare cœpiſſe quingentis & nonaginta annis ante annum paſſionis Chriſti? Quæ igitur jam malitia eſt, affirmare velle, tempus illud lubricum & incertum eſſe, cujus quantitas ab initio à priori ſumto numerari non poſſit? Afferat Pareus documenta, ſi poteſt, ubi & quando vel anni Olympiadum, vel anni Nabonaſſarei, vel anni Urbis omiſſi, vel oblivioni traditi, vel non juſto ordine numerati ſint. Epochæ enim hæ, etſi diverſæ ſunt; tamen invicem ita cohærent, ut nulla ſeorſim corrumpi poſſit, quin omnes ſimul deſtruantur.

Tandem Pareus rem ipſam tractare, & Monarchiam Perſicam reformare & in ordinem redigere incipit, plusquam temerario, impudenti & impio auſu. Non tantum enim rejicit omnes Hiſtoricos, Aſtronomos & Chronologos, qui unquam quicquam de Imperio Perſarum ſcripſerunt, ſed etiam ipſa ſacrorum Bibliorum oracula, plusquam centenos annos in numerandis temporibus Mundo adimit, & quantùm poteſt homines & vita & ratione & memoria ſpoliat: Reges, quos vult, creat, & quibus vult, regna adimit: Imperiorum annos cuilibet pro ſuo beneplacito largitur vel decurtat, & omnia facit, tanquam ſupremus Mundi arbiter, quem penes ſit unum vaſti cuſtodia Mundi. Cavete vobis Imperatores, Reges & Principes orbis terrarum, ne hic Pareus denuò in Regnis Mundi mutandis det pugnam.

Daniel anno tertio poſt ſolutam Captivitatem à Cyro cap. 10. ait: *Tres Reges adhuc futuros in Perſarum Regno, & quartum ditiſſimum futurum, & regno ſtabilito omnes Regni vires contra Græcos exerturum.* Quin hic Xerxes Perſarum Rex, qui omnium maximum bellum Græcis intulit, deſcribatur, nemo unquam, qui literas ſcivit, dubitavit, & teſtantur omnium ſeculorum Hiſtorici & Theologi, nullam alium hîc, quàm Xerxen denotari: ſed tamen hic bonus Bibliorum interpres numerum apud Danielem corrigit, & non quartum futurum à Cyro Perſarum Regem, qui Græcis bellum facturus ſit, ſed ſextum, ut ipſe Perſarum Reges numerat, vel potius octavum, ut poſtea numerum corrigit, Darium ſcilicet Codomannum, qui miſer nunquam de bello Græcis inferendo cogitavit: ſed quod à Græcis inferebatur, quantùm potuit, defendit, & à Græcis victus & vitam & Imperium amiſit. Quis unquam crediſiſſet Theologum tanta audacia ſacris Literis in os contra dicturum? Si Chronologus quidam ſacrarum literarum non ſatis peritus hoc auſus fuiſſet, quamvis intolerandum eſſet: tamen ignorationis excuſatione ſublevari poſſet, ſed Doctorem Theologum & Profeſſorem primarium in celeberrima Academia hoc audere, id antea in Eccleſia inauditum. Sex ut dixi, reges Pareus in Monarchia Perſica tantùm admittit, etiamſi hic apud Danielem quinque numerentur, Cyrus videlicet, & quatuor poſt Cyrum, & quinque præterea Reges Perſarum apud Eſram & Nehemiam extent: tamen Pareus ſua poteſtate uſus, ſex tantùm numero excerpit, quibus Monarchiam illam committat, & Cyrum cum Cambyſe filio ſimul regnaſſe ſtatuit tantùm annis ſeptem. Secundum Regem facit Darium Hiſtaſpis filium & Xerxem in unum idemque Corpus compactos (mirabile commentum) Patrem & filium, inquam, eundem facit & informe monſtrum hinc efficit.

cit. Quaſi Herodotus, qui tempore Darii natus eſt, & ſub Xerxe ſcripſit, ignoraverit diverſos Reges fuiſſe. Sed nihili facit Pareus Hiſtoricos Græcos. Huic monſtro bicorpori tantùm annos Imperii viginti concedit, ob deformitatem credo, aliàs ex hiſtoriis manifeſtò demonſtrari poteſt, eos in una ſumma annos 57. in Imperio compleviſſe.

Tertius ipſi Rex eſt Artaxerxes Longimanus, qui, ut Hiſtorici teſtantur, quadraginta & unum annos regnavit: ſed malo ſuo fato hic Pareo fit obviam. Viginti quinque enim imperii annos amittit, & ſedecim tantùm retinet, adeò durum experitur Pareum & immitem & immiſericordem. Quartus Perſarum Rex ipſi eſt Darius, qui etſi plurimùm Eccleſiæ benefecit, & ſtructuram templi multis ſumtibus adjuvit: malam tamen gratiam à Pareo reportat, & ſex annis regni ſpoliatur, tredecim tantùm conceſſis: mitiùs tamen aliquantum cum ipſo agitur, quam cum Longimano. Quintus Perſarum Rex, ut Pareo placet, eſt Artaxerxes Memor, qui beneficio Eſræ & Nehemiæ Imperium ferè integrè in hac cenſura retinet, tantùm decimas ſolvere cogitur, & quadraginta annos retinet, cùm quadraginta tres habuiſſet. Ultimus Darius Codomannus nihil de Imperii annis amittit, ſatis aliàs afflictus, toto regno cum vita ab Alexandro Magno exutus, atq; hi ſunt Reges Perſarum, quos Pareus in ſolio ſedere permittit.

Si quis jam in unam ſummam colligat annos ſingulis hiſce Regibus à Pareo tributos, inveniet tantùm annos centum & duos. Cùm tamen longè diutius in Perſia regnatum ſit, ſed conſultò hoc fecit catus vir, ut haberet, ſi qui Reges ſuum jus urgere vellent, cùm ſtrictiùs quam par erat, cum ipſis egiſſet, quod iis concedere poſſet, vel ſi hanc injuriam ita tacitè devorarent, ut aliis regnãdi poteſtatem impertiret, & hoc dono iniquitatis ſibi amicos contra alios pararet. Quod & poſtea facit & Ochum ac Arſamen Reges novos creat, pactus cum eis, quartam annorum Regni partem, non magnoperè curans, quod antea Darium Codomannum ſextum à Cyro Regem proclamarat, qui Græcis bellum inferret, quem admiſſo Ocho & Arſame, jam facit octavum. Nihil hic dicam de Hiſtoria Græca, de clade Perſarum Marathonia, de tranſitu Xerxis, de quinquaginta annis, ab hoc tranſitu Xerxis, usque ad bellum Peloponneſiacum numerandis, de viginti octo annis, quibus bellum Peloponneſiacum geſtum eſt, de Regibus Spartanis, Ageſilao, Cleombroto, &c. de Leuctrica pugna, de Regibus Macedoniæ, Philippo Alexandro, &c. de quibus ſcripſerunt, qui tum vixerunt, quos omnes Pareus unus & ſolus, non oculatus vel auritus, ſed ſomnio quaſi ebrius teſtis mendacii arguere, Hiſtorias ipſas turbare, & tempora iisdem adimere non veretur.

Sed redeamus ad Perſicam Monarchiam, quam hoc modo, ut dixi, Pareus reformat & ordinat & Catalogum horum Regum pro ſua autoritate proponit, & ut huic Catalogo fidem conciliet, eum demonſtrationem eſſe proclamat, adeò ſuarum rerum certus eſt. Demonſtrationi huic firmiſſimæ ſubjicit rationes duas planè ejusdem ponderis. Quia, inquit, duo tantùm fuerunt duces Judeæ, tempore Monarchiæ Perſicæ, Serubabel & Nehemias. Nehe. 12. v. 47. qui ducentis annis, quibus Perſarum Monarchia duraſſe affirmatur, præeſſe non potuerunt. Ergò ſunt aliqui Reges è Monarchia Perſica ejiciendi, & aliquibus tempora decurtanda. Sed non legerat noſter Doctor, quæ extant cap. 5. v. 15. Nehemiæ. *Duces autem primi, qui fuerunt ante me, gravaverant populum, & acceperant ab eis in Pane, & vino & pecunia, quotidie ſiclos quadraginta, ſed & miniſtri eorum depreſſerant populum.* Num putat Pareus, Nehemiam tantùm de Zorobabele loqui? Multi intercedere potuerunt inter Zorobabelem & Nehemiam. Deinde pro evidentiſſimo argumento allegat Pareus Judæos omnis eruditionis & antiquitatis peritiſſimos ſcilicet, qui templum in quadraginta ſex annis ædificatum apud Johannem affirmarunt, de qua re dixi in Iſagoge Chronolog. cap. 25. *edit. poſter. c. 27.*

Porro cùm Pareus tanto motu Monarchiam Perſarum invadat & oppugnet, ſubſidiarias quaſi cohortes Regibus Perſicis adducere viſum eſt, quibus ſe & ſui Imperii annos adverſus Parei vim aliquo modo tutari poſſint, quæ ut eò, quò volumus, pervenire poſſint, paucis univerſæ Chronologiæ rationem breviter ob oculos ponemus. Summa hæc eſt: Inter Chronologos tantùm controvertitur de tempore, quòd numerari debet à Condito Mundo, usque ad annum primum æræ Chriſtianæ. Inde enim uſque ad nos annorum ordo conſtat. Tempus autem illud à Condito mundo usque ad Chriſtum commodè dividi poteſt in duo principalia membra, quorum primum ſit tempus à Condito mundo numeratum, usque ad excidium templi à Nebucadnezare illatum; poſterius membrum ſit tempus ab everſione templi numeratum, usq; ad annum primum æræ Chriſtianæ. Prioris temporis ratio tantùm habetur ex ſacris literis, nec adjumenti quid habet ex profanis Scriptoribus. Poſterius verò contrario modo ſe habet, & ferè in univerſum à profanis Scriptoribus numeratur: De priore primùm dicamus, idque in quaſdam partes ſive epochas diſtribuamus; quarum prima eſt diſtantia temporis à Mundo condito usque ad initium Diluvii, quæ fuit annorum 1656. hæc diſtantia ex enumeratione annorum Patriarcharum colligitur, quando anni unius cujusque priusquam liberos gignerent, ſeorſim numerantur, & poſtea ſimul in unam ſummam colliguntur, in hac epocha nihil controvertitur.

Secunda epocha eſt ab inchoato Diluvio usque ad migrationem Abrahæ ex Haran, eſtq; annorum 367. qui hoc modo colliguntur:

Sem genuit Arphaxad poſt diluvium anno - -	2.
Arphaxad genuit Salah, anno ætatis - -	35.
Salah genuit Eber, anno ætatis - -	30.
Eber genuit Paleg, anno ætatis - -	34.
Paleg genuit Regu, anno ætatis - -	30.
Regu genuit Serug, anno ætatis - -	34.

Serug

Serug genuit Nabor, anno ætatis - - 30.
Nabor genuit Thara, anno ætatis - - 29.
Thara genuit Abram, anno ætatis - - 70.
Abraham migrat ex Haran, anno ætatis - - 75.
Summa anni 367.

Hi anni ſi addantur ad annum diluvii, oſtendunt, Abrahamum ex Haran profectum eſſe, anno Mundi 2023. In hac etiam epocha nihil magnoperè controvertitur, præterquam de anno nativitatis Abrahæ, de quo ſuprà & in Iſagoge Chronologica.

Tertia epocha eſt annorum 430. ab anno migrationis Abrahami ex Haran, usque ad annum exodi Iſraelitarum ex Ægypto, Exod. 12, 1. Quæ contra hanc epocham objiciuntur, levia ſunt, & diluta partim ſuprà, partim in Iſagoge: Annus igitur exodi eſt annus Mundi 2453. duplici Charactere notatus, ut alibi diximus.

Quarta epocha eſt annorum 480. diſtantia inter annum exodi & annum jactorum fundamentorum templi, extat hic numerus 2. Reg. 6. verſ. 1. Annus igitur ædificati templi eſt à Condito mundo, 2933.

Quinta epocha habet tantùm annos 37. quibus Salomon poſt jacta fundamenta templi regno præfuit, usque ad diviſionem regni. Diviſio igitur regni facta eſt, anno mundi 2970. ineunte.

Sexta epocha eſt à diviſione regni poſt Salomonem defunctum, usque ad excidium Hieroſolymæ & templi, à Nebucadnezare illati, hæc numeratur ab Ezechiele Cap. 4. quod ſit annorum 390. qui anni additi ſuperioribus, conſtituunt annum mundi, quo templum deſtructum eſt 3360. Hic annus deſcribitur a Propheta Jeremia Cap. 34. verſ. 8 quod fuerit Sabbathicus, hoc eſt, quòd fuerit ſeptimus annus, ſi anni à Condito mundo numerati per ſeptem dividantur. Numerus annorum 3360. per ſeptem diviſus, nihil facit reſidui: ergò rectè indicat annum Sabbathicum. Et hoc eſt primum κριτήριον veritatis in hac epocha conſtituta. Alterum exhibet annus quadrageſimus ſextus exactus, poſt exodum Iſraelitarum, qui eſt & Sabbaticus & Jubilæus, qui per ſeptem & per ſepties ſeptem, hoc eſt, per quadraginta novem exactè dividi potuit, qui alius non fuit, quam annus mundi 2499. quo terra Canaan diviſa eſt, & bona terræ illius redierunt ad veros ſuos dominos. Differentia inter hunc annum quadrageſimum ſextum poſt exodum & annum excidii neceſſe eſt, ut ejusmodi ſit, quæ per ſeptem dividi poſſit, ne anni Sabbathici turbentur. Subtrahe 2499. ab anno excidii 3360. differentia erit 861. quæ exactè per ſeptenarium dividuntur. Tertium κριτήριον habetur ex anno quindecimo Ezechiæ Regis, qui etiam eſt Sabbathicus Eſai. 37. 30. Differentia igitur inter quindecimum annum Ezechiæ Regis, & inter annum excidii etiam talis eſſe debet, quæ per ſeptem exactè dividi poſſit, ad rationem annorum Sabbathicorum. Annus 15. Ezechiæ eſt annus mundi 3234. qui rectè per ſeptenarium dividitur: eſt igitur Sabbathicus, & differt ab anno excidii annis 126. qui etiam per ſeptenarium dividi poſſunt, & ijdem anni colliguntur etiam tam in lib. 2. Chron. quam in 2. Regum. Sunt igitur anni Sabbathici in ſacris literis, tanquam ſtatuæ Mercuriales, quibus Chronologi, ſi fortè aberraverint, in viam reducuntur, cùm error ſeptem annorum non facile committi poſſit. Porro annus excidii Hieroſolymitani, eſt annus decimus nonus Nebucadnezaris Regis Babylonii.

Ulteriùs ratione Chronologiæ in ſacris literis non progredimur, etſi enim ſtatuimus, captivitatem Babylonicam cœpiſſe à tranſportatione Jechoniæ, & duraſſe poſt excidium templi annis ſexaginta, ſolutamque eam eſſe à Cyro: tamen cùm annus certus Imperii Cyri in Babylone, & primi anni Cyri, ut in ſacris literis appellatur, ex Hiſtoriis dari non poſſit, & DEUS etiam in ipſis pœnis, vel miſericordiæ ſuæ recordetur, easque minuat, vel etiam interdum augeat, quemadmodum in utramque partem exempla extant, tutius eſſe ſtatuimus, ſi Chronologus in anno, qui Characterem infallibilem habet, qualis eſt annus excidii templi, epocham ſuam figat. Atque hæc ſufficiant de prioris temporis à condito mundo numerati membro. Jam ad alterum inveſtigandum progrediamur, in quo planè contrario modo progrediendum eſt.

Nam cùm prima fronte ratio alligandi epochas mundi, ad annos in ſacris literis annotatos, manifeſtè nõ appareat, methodo quaſi analytica utendum eſt, & ab anno primo æræ Chriſtianæ benè firmato, & cum epochis Gentilium rectè comparato, in anteriora progrediendum eſt, & circumſpiciendum, quæ Hiſtoriæ profanæ cum Hiſtoriis ſacris quàm proximè conveniant, ut inde certa alligatio eruatur.

Porro annum à nato Chriſto cum epochis Gentium contuli cap. 15. 16. 17. 18. Iſagoges Chronologicæ, & firmiſſimis argumentis demonſtravi, elapſos eſſe annos Nabonaſſareos 747. dies 330. horas 12. usque ad mediam noctem, quæ incipit Calendas Januarias primi anni æræ Chriſtianæ. Sic etiam demonſtravimus eundum primum annum æræ Chriſtianæ incidere in annum Olympiadicum 776. ſive præteriiſſe annos Olympiadicos 775. & dies 163. Et cum eodem anno primo concurrere annum Urbis ſecundum Varronem 754. ex Calendis Januarii numeratum. Si jam Nebucadnezar, cujus anno decimo nono Hieroſolyma everſa eſt, eſſet Nabopollaſſar, qui cœpit ſecundum Ptolomæum anno 123. Nabonaſſaris, manifeſtum eſſet, Excidium Hieroſolymæ incidiſſe in annum Nabonaſſ. 141. qui concurreret cum anno Mundi 3360. & ſic alligatio peracta eſſet. Nam ſi annos Nabonaſſ. 141. ſubtraho ex anno Nabonaſſ. 748. qui concurrit cum primo anno æræ Chriſtianæ, reſiduum erit anni 607. qui additi ad annum everſæ Hieroſolymæ, complent annos 3967. usque ad primum annum æræ Chriſtianæ: & hunc numerum annorum habet Buntingus Chronologus. Bucholcerus verò, qui in annis Regum Judæ numerandis, tres annos præter cauſam inſeruit, colligit annos

3970.

3970. Et hæc eſt tota ſumma alligationis Buntingianæ & Bucholzerianæ, quam tamen ipſi valdè
vid. poſt. c. perplexè proponunt. Verùm cùm in Iſagoge cap. 28. & ſequentibus demonſtraverim, Nebucad-
30. ſeqq. nezarem non eſſe eundem cum Nabopollaſſare, ſed hunc patrem, illum verò filium, alligatio hæc locum ſuum tueri nequit, & neceſſe eſt, ut fiat alio modo.

Regrediamur igitur ex anno primo æræ Chriſtianæ, rectè cum epochis Gentilium comparato & confirmato, & circumſpiciamus in Gentium Hiſtoriis, quod antiquum ſit; quod ad ſacras Hiſtorias pertingat, & cum eis conferri poſſit: in qua re tantùm Ptoſomæum Aſtronomum conſulemus, quem Parcus eximere viſus eſt, cùm reliquos Hiſtoricos ſuſpectos nobis reddere conaretur. Sic igitur ait Ptolomæus lib. 4. μεγ. συνταξ. cap. 6. *Variationem Lunæ demonſtr abimus ex Eclipſibus ſcriptis, & memoria proditis, quæ in Babylone obſervata ſunt, in quibus prorſus nulla fuit dubitatio.* Prima accidit primo anno Merodachi Cempad die 29. menſis Thot, fuitque totalis, & facta eſt tribus horis ante mediam noctem, ſi ad meridiem Alexandrinum reducatur. Secunda Eclipſis fuit anno ſecundo Merodachi, die 18. menſis Thot, una hora ante mediam noctem, & fuit tantum trium digitorum. Cùm hæc Eclipſis accideret, inquit Ptol. cap. 8. ejusdem libri, præterierant ex annis Nabonaſſareis, anni 27. dies 17. horæ 11. Tertia Eclipſis fuit eodem anno ſecundo Merodachi, die 15. menſis Phamenoth, veſperi horis quatuor ante mediam noctem, & dimidia Luna fuit obumbrata. Et differentia inter Eclipſin primam & ſecundam fuit dierum 354. horæ 2. Inter ſecundam & tertiam dierum 176. horæ 21. Porrò has tres Eclipſes Babylone obſervatas, comparat cum tribus Eclipſibus ſuo tempore factis. Sed ex his tantùm unam brevitatis gratiæ aſſumamus, reliquas, qui volet, videat apud Ptolomæum, ea Eclipſis accidit anno 19. Adriani Imperatoris, die ſecundo menſis Chojac, hora una ante mediam noctem, & plusquam dimidia Luna obumbrata fuit. Hanc Eclipſin Ptolomæus cum ſuperioribus ita confert, cap. 7. ejusdem libri, ut dicat, inter Eclipſin, quæ accidit ſecundo anno Merodachi die 18. Thot usque ad hanc, quæ 19. anno Adriani accidit, effluxiſſe annos Nabonaſſareos 854. dies 73. horas 23. 50. min. hoc eſt, dies ferè 74. Si jam his addidero annos 27. dies 17. & horas 11. quæ præterierant ante Eclipſin, quæ ſecundo anno Merodachi acciderat, conflatur tota annorum ſumma in annis Nabonaſſareis usq; ad Eclipſin 19. anno Adriani Imperatoris, anni Nabonaſſ. 881. dies 91. horæ 10. ferè. Videamus jam, ad quem annum æræ Chriſtianæ ultima hæc Eclipſis quadret. Annus Nabonaſſ. 882. quo hæc Eclipſis accidit, decurrit Cyclo Solis tertio, Lunæ ſecundo, cœpit feria tertia, die 21. Julii, & dies ſecundus menſis Chojac incidit in 20. Octob. etiam in feriam tertiam. Hoc ita eſſe, docet methodus annorum Nabonaſſ. in Iſagoge. Hæc nulli anno prætereà convenire poſſunt, quàm anno 134. æræ Chriſtianæ. Inquiro hic συζυγίαν Lunarem hoc anno circa 20. diem Octobris, & invenio plenilunium medium accidiſſe die 20. Octobris, feria 3. hora 4. poſt meridiem. (*Monendus hîc eſt Lector, in tabula Syzygiarum Lunarium in anno 55. mendum eſſe 81. pro 85.* Latitudo Lunæ eſt graduum 96. 53 minut. 53. ſecund. apta ad producendam Eclipſin, & vera Oppoſitio ſive Eclipſin accidit ad tabulas Prutenicas duabus horis mediam noctem, una hora citiùs, quàm Ptolomæus habet cùm meridianus Regiomontanus occidentalior ſit integra ferè hora, quam Alexandrinus. Convenit igitur annus Chriſti 143. ad deſcriptionem Ptolomæi.

Porrò Eclipſis, quæ primo anno Merodachi facta eſt, accidit anno Mabonaſſareis 27. qui decurrit Cyclo Solis 17. Lunæ 3. & incipit die 20. Februarii, feria ſecunda, Eclipſis accidit die 19. Martii feria ſecunda. Hæc non accidere poſſunt circa id tempus, quàm anno mundi 3229. Ubi Novilunium æquinoctio proximum factum die 3. Aprilis feria 3. hora 1. 49. min. 35. ſecund. poſt mediam noctem ſubductum plenilunium exhibet medium plenilunium die 19. Martii feria ſecunda, hora 7. 27. 33. ante meridiem. Latitudo Lunæ ad id tempus gradus 269. 33. min 55. ſecund. apta ad exhibendam Eclipſin totalem. Vera oppoſitio accidit tribus horis ante mediam noctem, atque ita convenit hæc Eclipſis cum deſcriptione Ptolomæi. Atque hoc modo etiam Eclipſes, quæ ſequenti anno factæ ſunt. Anno Mundi 3230. conveniunt ad deſcriptionem Ptolomæi. Prior facta die 8. Martii feria 6. horis duabus ante mediam noctem: altera facta 1. Septemb. feria prima, horis quinque ante mediam noctem. In priori tempus plenilunii exhibetur, die 8 Martii feria ſecunda hora 6. 22. min. poſt meridiem. Latitudo Lunæ ad id tempus, gradus 275. 36. min. 42. ſecund. vicina Capiti Draconis. In altera tempus exhibetur die 1. Septemb. feria prima, horis 8. 40. min. 30. ſecund. poſt meridiem. Latitudo Lunæ ad id tempus fuit gradus 101. 38. min. 5. ſecund. vicina Caudæ Draconis Diſtantia inter primam & ſecundam dies 354. horæ 2. Inter ſecundam & tertiam dies 176. horæ 21. Sic diſtantia inter ſecundam & quartam Eclipſin eadem eſt, quam deſcripſit Ptolomæus. Nam quarta illa, quæ accidit anno Chriſti 134. accidit anno mundi 4083. die 293. à Calendis Januarii hora 22. poſt mediam noctem: Hæc ſecunda accidit, ut diximus, anno Mundi 3230. die 67. à Calendis Januarii, hora poſt mediam noctem 22. ſubtractus minor numerus à majori, relinquit annos Julianos, 853. dies 260. hor. 0. qui ſunt redigendi ad annos Nabonaſſareos per biſſextum diem ſingulis quadrienniis ſubtractum, quod fit, ſi per quaternarium dividantur, & quotus diebus addatur. Jam 853 per 4. diviſi, dant quotum 213. qui diebus 226. additi, faciunt dies 439. hoc eſt, annum & dies 74. Diſtantia igitur eadem eſt cum Ptolemaica, anni Nabonaſſarei 854. dies 74. τεκμήρια certitudinis in hiſce Eclipſibus multa ſunt. Nam iiſdem annis, quibus Ptolomæus eas deſcripſit, nobis etiam exhibentur, eadem etiam quantitate, iiſdem diebus & horis, iiſdem etiam feriis, eadem etiam inter ſe diſtantia, ita ut nunquam omninò in aliis annis hujusmodi Eclipſes accidere poſſent, etiam non poſt annum Platonicum magnum, quem triginta ſex millibus annorum definivit. Prolixiùs autem hæc de hiſce Eclipſibus addere volui, ut obturetur os iis, qui Eclipſes incertas eſſe clamant, argumento adducto, quòd & hodie Aſtronomi interdum aliquot minutis in deſcribendis Eclipſibus aberrent. Sed ferunt hi ſententiam de re ſibi prorſus ignota, longè aliter pronunciaturi, ſi penitiùs certitudinem Eclipſium inſpicere & cognoſcere vellent vel poſſent, errores Aſtronomorum in aliquot minutis longè aliam indicant cauſam, de qua agitur apud Tychonem Brahe.

Uſus

Uſus harum Eclipſium Ptolemaicarum in alligatione annorum Nabonaſſaris ad annos in ſacris literis deſcriptos, hic eſt: Primùm, cùm Merodach Rex Babyloniæ, cujus meminit Ptolomæus, is ſit, qui in ſacris literis legatos miſit ad Ezechiam Regem, ex graviſſimo morbo reſurgentem, anno Regni Ezechiæ 15. & regnare cœperit anno Nabonaſſaris 27. demonſtratur, annum Nabonaſſaris 27. præceſſiſſe annum quindecimum Ezechiæ Regis, ſive annum Mundi 3234.

Secundò cùm decimus quintus annus Ezechiæ diſtet ab everſione Hieroſolymitana annis 116. & non pauciores anni Nabonaſſaris quam 27. præcedere poſſint, hunc annum Ezechiæ, demonſtratur, non pauciores annos etiam Nabonaſſareos, usque ad excidium templi prioris numerari poſſe, quam 153.

Tertiò demonſtratur & hoc, quòd Bucholcerus ejusque ſectatores errent, qui ſtatuunt, excidium templi accidiſſe anno Nabonaſſaris 141. Nam hoc modo Merodachus regnum iniiſſet anno 26. Ezechiæ, undecim annis poſt quindecimum Ezechiæ; quomodo igitur legatos mittere potuiſſet anno quindecimo?

Quartò errat etiam Pareus, qui primum annum Merodachi fere nonaginta annis præceſſiſſe ſtatuit, quindecimum Ezechiæ annum, atque ita Merodachum longè antiquiorem facit, ut Ezechiæ coætaneus eſſe poſſit.

Quintò demonſtratur & hoc; cùm Eclipſis anno 19. Adriani acciderit, cùm effluxiſſent anni Nabonaſſarei 881. dies 91. horæ 10. anno æræ Chriſtianæ 134. die 293. hora 22. quæ faciunt annos Nabonaſſareos 133. dies 325. horas 22. quod diſtantia inter initium Nabonaſſareum & æræ Chriſtianæ rectè computata ſit, hoc eſt, quòd annum Chriſti præceſſerint anni 747. dies 130. horæ 12. quod apparet, ſi minor numerus à majori ſubtrahatur: Atque hæ demonſtrationes extructæ ſunt ex hiſce Eclipſibus.

Redeamus ad Ptolomæum, qui & hanc Eclpſin annotavit lit. ς. μεγαλ. συντ. cap. 14. quæ acciderit anno 127. Nabonaſſaris, anno quinto Nabopollaſſaris, nocte, quæ ſecuta eſt diem 27. menſis Athyr, horis quinque poſt mediam noctem, ineunte feria ſeptima. Nobis accidit die 22. Aprilis, mane poſt horam tertiam, anno mundi 3329. Plenilunium eo anno die 22. Aprilis, feria ſeptima, hora 4. 25. minut. matutina. Latitudo Lunæ gradus 79. 40. minut. 53. ſecund. apta ad producendam Eclipſin, quanquam parva fuit, ut Ptolomæus eam deſcribit, tantùm trium digitorum. Convenit Eclipſis, quo ad diem menſis, horam, feriam, quantitatem. Ergo indubitata eſt. Demonſtratur hac Eclipſi, Nabopollaſſarem Babyloniæ Regem cœpiſſe anno Nabonaſſaris 123. Deinde Nabopollaſſarem non eſſe Nebucadnezarem. Quia ejus Regis, qui deſtruxit Hieroſolymam, annus decimus nonus, vel attingere vel potiùs excedere debet annum Nabonaſſareum 153. cùm pauciores anni in excidio templi dari non poſſint: Nabopollaſſaris autem annus 19. tantùm pertingit ad annum Nabonaſſareum 141. Ergò Nabopollaſſar non eſt is, qui deſtruxit Hieroſolymam.

Pergamus in Ptolomæo, qui eodem in loco ait, anno ſeptimo Cambyſis regis Perſarum, anno Nabonaſſaris 225. nocte, quæ ſecuta eſt diem 17. Phamenot, horis ferè duabus ante mediam noctem, feria quarta, factam eſſe Eclipſin Lunarem partialem, cùm præteriiſſent anni Nabonaſſarei 224. dies 196. & horæ 10. Eſt nobis annus Mundi 3427. dies 16. Julii, feria quarta, hora tertia ante mediam noctem. Plenilunium medium accidit eo anno, die 16. Julii, feria quarta, hora 8. 29. minut. 21. ſecund. veſperi. Latitudo Lunæ gradus 264. 22. 29. apta ad producendam Eclipſin. Eſt ergò hæc Eclipſis indubitata. Demonſtratur hac Eclipſi, Cambyſen regnare cœpiſſe anno Nabonaſſaris 219. annis ante Chriſtum natum 528. Quod ut manifeſtius ſit πληροφορίας gratia aſſumamus adhuc duas Eclipſes, à Ptolomæo deſcriptas, quæ quidem non directè, ſed per bonam conſequentiam, quis fuerit Cambyſis primus annus, docent. Prima eſt, quam dicit accidiſſe anno viceſimo Darii Hiſtaſpis, nocte, quæ ſecuta eſt diem 28. Epiphi, feria ſecunda, hora una & quadrante ante mediam noctem, quantitate non magnam, ſed tantùm trium digitorum, ut Latitudinem Lunarem inde demonſtrare poſſet, accidit hæc anno Nabonaſſaris 246. Anno mundi 3448. die 19. Novemb. feria ſecunda. Plenilunium medium die 19. Novemb. feria ſecunda hora 10. 17. minut. 19. ſecund. poſt meridiem. Latitudo, grad. 81. 23. minut. 40. ſecund. novem ferè gradibus à nodo: ideo etiam minor Eclipſis. Hæc igitur Eclipſis cùm exactè reſpondeat deſcriptioni Ptolemaicæ, certa eſt, & demonſtrat, primum annum Darii Hiſtaſpis incidiſſe in annum Nabonaſſaris 227. Cùm jam Cambyſes annos ſeptem cum menſibus quinque imperaverit: Smerdes verò menſes ſeptem, quæ ſimul faciunt annos ſolidos octo, manifeſtum eſt, primum annum Cambyſis rectè collocari in annum Nabonaſſ. 219. Altera Eclipſis, quam deſcribit Ptolomæus, incidit in annum 31. ejusdem Darii, die 3. Tybi, feria quarta, quæ nobis eſt dies 25. Aprilis, anno mundi 3459. anno Nabonaſſaris 257. ex qua iterum per bonam conſequentiam demonſtratur, primum annum Cambyſis eſſe annum Nabonaſſaris 219. Et eundem annum Nabonaſſaris 219. eſſe ultimum Imperii Cyri.

Deinde demonſtratur & hoc: Si Cyrus, ut omnes Hiſtorici uno ore affirmant, regnavit annos triginta ſolidos, quòd annus Nabonaſſaris 189. ſit ejus regni primus. Concurrit autem annus Nabonaſſ. 189. cum anno primo Olympiadis 55. Ergò veteres Chronologi rectè affirmant, Cyrum cœpiſſe anno primo, Olymp. 55.

Tertiò demonſtratur & hoc: Pareum errare, qui inter annum ſolutæ captivitatis Babylonicæ, & annum Nativitatis Chriſti tantùm differentiam facit annorum 455. Cùm Cyrus annis 529. ante primum annum Chriſti defunctus ſit. Hoc modo enim Pareus Cyrum ante annos 73. defunctum, ad ſolvendam captivitatem Babylonicam, in vitam revocare conatur, quòd an præſtare poſſit, ipſe videat.

Quartò demonſtratur etiam, Bucholcerum & Crenizhemium errare, qui captivitatem Babylonicam à Cyro anno duodecimo regni ſolutam ſtatuere coguntur, cùm id temporis Cyrus nondum Crœſum viciſſet, nec pedem in Babyloniam poſuiſſet. Nam cùm ſexageſimo anno poſt excidium templi captivitas ſoluta ſit, excidium verò ipſis incidat in annum Nabonaſſ. 141. neceſſariò ſexageſimus poſt excidium incidet ipſis in annum Nabonaſſ. 201. qui eſt duodecimus Cyri.

Quintò evidenter demonſtratur hîc: Non plures annos Nabonaſſareos usque ad excidium templi prioris numerari poſſe, quàm 159. Nam ſi ſexaginta anni, qui numerantur ab excidio templi, usque ad ſolutam captivitatem Babylonicam, hiſce annis 159. addantur, fiunt anni in una ſumma 219. quo Cyrus defunctus eſt. Soluta autem fuit captivitas vivente Cyro. Ergo neceſſe eſt, ut pauciores anni numerentur ab initio Nabonaſſ. usque ad excidium templi, quàm 159.

Atque hactenus profuit nobis Ptolomæus in alliganda epocha Nabonaſſarea, ad annos à condito mundo in ſacris literis numeratos. Demonſtravit enim nobis duas propoſitiones, maximè ad hanc rem neceſſarias. Primam, non pauciores annos ab initio Nabonaſſ. usque ad annum excidii numerari poſſe, quàm 153. Deinde non plures etiam, quàm 159. Unde conſequens eſt, quòd à condito mundo usque ad annum primum æræ Chriſtianæ numerari poſſint non plures anni, quàm 3954. nec pauciores, quàm 3948. Nam certum eſt, anno primo æræ Chriſtianæ præteriiſſe annos Nabonaſſ. 747. Si jam tantùm 153. anni Nabonaſſarei numerantur usque ad annum excidii, tùm 153. anni ex 747. ſubtracti, faciunt reſiduum annorum 594. differentiam inter annum excidii, & annum primum Chriſti. Si hæc differentia, anni ſcilicet 594. addantur ad annum mundi 3360. quo Hieroſolyma everſa eſt, fierent in una ſumma usque ad annum primum æræ Chriſtianæ anni 3954. Si verò numerarentur anni Nabonaſſaris 159. usque ad excidium templi, tùm hi ſubtracti ex annis 747. differentiam inter annum excidii & æræ Chriſtianæ primum faciunt 588. quæ addita anno mundi 3360. efficit annos 3948. usque ad primum annum æræ vulgatæ Chriſtianæ. Differunt autem anni 3948. ab annis 3954. tantùm ſex annis. Ergo neceſſe eſt, ut verus annus à condito mundo usque ad primum annum Chriſti numeratus, intra hoſce terminos contineatur.

Videmus ex hiſce omnibus Ptolomeum, ſi cum ſacris literis conferatur, propè collimare quidem ad verum annum à condito mundo usque ad annum primum æræ Chriſtianæ numerandum: Sed tamen eundem non præciſe definire: Aſſumenda igitur ſunt alia argumenta, explicata quidem cap. 31. Iſagoges; ſed quæ tamen hic breviter repetenda duco. Obſervemus autem terminos annorum Nabonaſſareorum in anno excidii, à Ptolomæo conſtitutos, quod videlicet non pauciores anni numerari poſſint, quàm 153. nec etiam plures, quàm 159. Si jam ex probatis Autoribus, & ex annorum Characteribus demonſtraverimus & definiverimus annum excidii Nabonaſſareum, qui intra illos terminos contineatur, tùm nos verum annum excidii, in annis Nabonaſſareis deprehendiſſe, manifeſtum erit. In hac re producamus primum Ezechielem Prophetam, qui ſtatim cap. 1. anno quinto transportationis Jechoniæ, numerat annum triceſimum Nabopallaſſaris: Unde conſequens eſt, quòd annus undecimus transportationis Jechoniæ, quo Hieroſolyma everſa eſt, ſit annus triceſimus ſextus ab initio Nabopollaſſaris. Item quòd annus triceſimus ſextus Nabopollaſſaris ſit 158. Nabonaſſaris. Nam annus 123. Nabonaſſaris eſt primus Nabopollaſſaris. Atque ita hoc modo Ezechiel oſtendit, quis verus Nabonaſſareus annus ſit, quo excidium Hieroſolymæ accidit, & qui intra terminos à Ptolomæo conſtitutos, incidat. Verùm cùm Ezechiel nomen regis Nabopollaſſaris non addat, dubitare quis poſſet de vera Ezechielis ſententia. Ideo alias demonſtrationes aſſumamus.

edit. poſt. 6. 33.

Clemens Alexandrinus Stromate primo, & Euſebius in Chronicis, ex Hiſtoricis ſtatuunt, excidium Hieroſolymitanum incidiſſe in annum Olympiadicum 186. finientem, ſive in annum ſecundum Olympiadicum 47. Porro annus Olympiadicus 186. concurrit cum anno Nabonaſſ. 158. Ergò cùm Clemens Alexandrinus & Euſebius ex profanis hiſtoriis idem affirment, quod Ezechiel ſtatuit, à vero non aberrant.

Aſſumamus etiam Characterem annorum Sabbathicorum. Jeremias enim affirmat cap. 34. annum excidii Hieroſolymitani fuiſſe Sabbathicum. Si jam oſtenderimus annum Nabonaſſareum 158. item annum Olympiadicum 186. exhibere annum Sabbathicum; manifeſtum erit, & Ezechielem, & Clementem cum Euſebio annum excidii rectè definiviſſe. In Iſagoge cap. 24. docui, quomodo in annis Olympiadicis & Nabonaſſareis anni Sabbathici inveniantur: Videlicet ſi ipſis addantur tria, & per ſeptem dividantur, adde annis Olympiadicis 186. tria, fiunt 189. quæ diviſa per ſeptem, nihil reliqui faciunt: Ergo annus Olympiadicus 186. eſt Sabbathicus, & Clemens & Euſebius conveniunt cum Jeremia. Sic, ſi anno Nabonaſſaris 158. addantur tria, fient 161. & diviſa per ſeptem, nihil reliqui faciunt: deſignant igitur eundem annum Sabbathicum, quem Jeremias, Clemens & Euſebius habent. Sic Legati Merodachi venerunt ad Ezechiam anno Sabbathico: quæritur, quo anno Nabonaſſaris. Merodach cœpit anno Nabonaſſaris 27. cui ſi addantur tria, fiunt 30. diviſa per 7. reliquum faciunt binarium. Ergò Merodach regnare cœpit anno ſecundo poſt celebratum annum Sabbathicum, ſed miſit Legatos anno Sabbathico, Ergò miſit eos anno regni ſexto, anno 32. Nabonaſſaris. Si annus triceſimus ſecundus Nabonaſſareus, eſt annus quindecimus Ezechiæ, ergò annus 158. Nabonaſſareus eſt annus excidii: per annos enim 126. & 32. accreſcit hic numerus. Plura argumenta hujus alligationis hîc non addam, conſulat, qui volet, Iſagogen.

in edit. poſter. eſt c. 26.

Nec etiam de tempore regni Perſici multa addere neceſſe eſt. Nam cùm demonſtratum ſit, annum primum Cyri concurrere cum anno Nabonaſſaris 189. cum anno Iphiti 217. & tempus Cladis ad Arbela, qua Darius ultimus Perſarum rex, & vitam & regnum amiſit, certo Charactere notatum ſit,

ſit, Eclipſi ſcilicet Lunari, undecim diebus ante pugnam, anno Nabonaſſaris 417. anno Iphiti 446. anno mundi 3619. die 20. Septemb. feria ſecunda, manifeſtum eſt, à primo anno Cyri, usque ad hanc cladem, numerari annos regni Perſici 228. & menſes ferè ſeptem. Cùm igitur jam totum curriculum regni Perſici definitum ſit, quot reges id adminiſtrarint, & quot annis quisque regno præfuerit, hic eſſet dicendum. Sed cùm id brevibus fieri non poſſit, & primorum illorum regum, Cyri, Cambyſis & Darii, annos rectè demonſtraverimus, de reliquorum etiam tempore non eſt dubitandum. Non periculoſè igitur, ſed veriſſimè affirmat Joſephus Scaliger, regum Perſidis annos ita fideliter à Græcis Scriptoribus in literas relatos eſſe, ut ab initio Cyri, usque ad exceſſum Alexandri Magni ne unus quidem annus perierit. Quid igitur ampliùs deſideramus? Concludimus ergò, Pareum in hypotheſibus Chronologicis multa inutiliter novare, plurima falſa proponere, regum Perſicorum quosdam temerario & impio conatu regno dejicere, quosdam parte regni, ratione temporis ſpoliare: Sacram Scripturam in quibusdam locis perversè interpretari: Hiſtoricis Græcis mendacii labem falſò aſpergere: Chronologos conviciis temerè laceſſere & malè ſtudioſos Chronologiæ docere & informare.

Deus faxit, ut bonæ artes diligenter excolantur, earum veritas manifeſtè demonſtretur, & juventus rectè in iis inſtituatur, in ſui nominis gloriam & humani generis ſalutem, Amen.

EPISTOLÆ DUÆ.

Alia ad Cl. Virum D. L. Eliam Reuſnerum in Academia Salana Hiſtoriarum Profeſſ. Alia ad Cl. Virum D. D. Pareum Theologum Heidelbergenſem, quibus univerſa ferè ratio Chronologiæ continetur, cum præfatione ad Magnif. Dn. Marcum Gerſtenbergium JCtum Illuſtriſſ. Aulæ Saxonicæ Altenburgenſis Cancellarium typis exſcriptæ Lipſiæ A. 1609.

DE multis & magnis rebus, Magnifice & Ampliſſime Patrone, in temporum momentis dinumerandis, inter Chronologos hodie controverti, manifeſtiſſimum eſt. tot enim & tanta eorundē diſſenſiones ſunt, ut etiam proverbio locum fecerint, de nunquam inter ſe conſenſuris. Cauſa tantæ discrepantiæ videntur eſſe geminæ; Rerum publicarum ſcilicet veterum, & deinde temporis aſtronomici ignoratio. Nam cùm olim homines à fera & agreſti ſua vita, qua poſt diluvium in ſylvis & deſertis locis aſſueverant, ad humaniorem vitæ cultum in urbes vocarentur, ita Respublicæ inſtitutæ fuerunt, ut ad ſocietatem civilem rectius conſervandam actiones tam publicæ quàm privatæ temporis etiam quadam ratione diſtinguerentur, unde poſtea annorum ratio, & rerum geſtarum memoria repetebatur. Respublicæ illæ veterum ſatis quidem nobis cognitæ videntur: rationes verò temporum cujusvis respubl. non item. Deinde qui ad Chronologica tractanda acceſſerunt, ut plurimum fuerunt imparati à rerum Aſtronomicarum cognitione & uſu. Cùm tamen univerſa ratio temporis à cœlo dependeat, & motibus Planetarum & luminarium cœleſtium diſtinguatur, inde igitur cum in tanta ignoratione quisque ſuas opiniones ſequeretur, variæ Chronologorum ſectæ ſunt exortæ. Noſtris temporibus cum ſtudium Aſtronomicum adeo exultum ſit, inventi quidam ſunt, qui Chronologiam ſuam ad rationes aſtronomicas & characteres chronologicos quidem inſtituerent: ſed cum cognitione antiquitatis ſive temporis politici in rebus publicis veterum ferè deſtituerentur, à vero avii fuerunt & novas Chronologiæ hæreſes ſimiliter pepererunt. Datus tandem nobis diviniùs eſt Illuſtris & Generoſus vir D. Joſephus Juſtus Scaliger, *ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, qui inſtructus eruditione admiranda, cognitione linguarum plurimarum, quibus, quod ſcitu dignum eſt, aliquid continetur, ſolerti & induſtria incomparabili, omnem rationem temporis politici cujusvis respublicæ veterum, ex variis antiquitatis monumentis eruit, adhibitis rationibus aſtronomicis explicavit, & in libris de* Emendatione temporum *& in* Theſauro *etiam* temporum *explicavit. Hoc duce aut nullo alio Chronologi tandem in concordiam coibunt; & diſſenſiones illas inſcitiæ & turpitudinis pleniſſimas reique literariæ pernicioſiſſimas deponent. Hujus viri auctum ego aliquando ſecutus, Chronologiam adornavi & publicavi, & quantum ex plurimis eruditiſſimorum virorum teſtimoniis intelligo, hoc meo labore ſtudioſæ juventutis conatus non parum adjuvi. Inventi tamen ſunt, quibus mea non ſatisfecerunt, primum* D. David Pareus Theologus Heidelbergenſis; *ſed qui conſtrictus meis demonſtrationibus aſtronomicis, in epiſtola, quam ad eum de hac re miſeram, jam ceſſit, victas manus & veritati locum dedit. Deinde* D. L. Elias Reuſnerus Profeſſor Hiſtoriarum Jenenſis, *quem nunquam offendi, ſed amicitiam cum eo inſtitutam quantum potui, alui & continuavi. Is etiam mea & Scaligeriana publicè convellere audet, in appendice ſua Chronologica, quam Tuæ* Magnificentiæ *dedicatam judicio tuo prudentiſſimo ſubmiſit, & ita te Judicem conſtituit totius hujus controverſiæ, & me quaſi ad tua ſubſellia evocavit. Ego fretus tua excellenti eruditione & in rebus judicandis acerrimo judicio, æquitate item tua & juſtitia & bonitate cauſæ, forum declinandum non arbitratus, compareo & eandem* Tuam Magnificentiam *arbitrum eligo, acquieturus in ſententia, quam audita utraq; parte, ſecundum acta & probata veram eſſe pronunciaveris. Offero igitur & dedico Tuæ Magnificentiæ hanc epiſtolam, quam ad* D. L. Reuſnerum *de tota noſtra controverſia ſine ulla verborum acerbitate ſcripſi, cui adjunxi, cum exemplaria deeſſent, etiam alteram illam ad* Pareum, *& magnoperè à* Tua Magnif. *peto, ut me quoq;*

eadem benevolentia, qua Reuſnerum complecti velit, hoc munuſculum benigna fronte ſuſcipere, legere, perpendere, & controverſiam hanc de rebus maximis & reipubl. literariæ utiliſſimis inſtitutam dijudicare, id quod cum honore tuo & grata fama conjunctum futurum confido. Vale. Lipſiæ 20. Maji Anno 1609.

T. Magnif. & Ampl.

dedítus

SETHUS CALVISIUS.

Sethus Calviſius

Dn. Eliæ Reuſnero L. S. P.

ANni jam octo abierunt, Clariſſime Amice, ab eo tempore, quando de epochis in Chronologia rectè figendis & deducendis literas non paucas inter nos commutavimus, quæ literarum communicatio à te abrupta eſt, ut noviſti, cùm multiplicium negotiorum molem excuſares. Plurimum tamen ea communicatio de rectè inſtituenda Chronologia judicium meum informavit, cùm deprehenderem nihil firmum ratione temporis dici poſſe, niſi quod characteribus temporum comprobaretur. Quapropter characteres illos accuratè mihi collegi & ad eorundem examen, quæcunque res geſtæ certo tempore dicuntur, diligenter exegi, & tandem Chronologiam ſcripſi, quæ in multorum manibus jam verſatur. Te ejuſdem mecum eſſe ſententiæ de uſu Characterum Chronologicorum oſtendunt tua ipſius verba, quando in præfatione ad Magnificum Virum *D. Gerſtenborgium* ſic loqueris. *Quid quoque tempore actum ſit, in tanta annorum varietate cognoſcere difficilimum eſt; quod tamen nequaquam impoſſibile exiſtimandum eſt: ſi modo cum politico tempore conjungamus naturale, quod eclipſium calculus exhibet maximè præciſum. Lunares item revolutiones & menſtrua συζυγίαι, nequaquam ſunt abjicienda, cum ſingula motûs ſui lege immobili conſtantiſſimè reciprocentur.*

Quæ verba cùm legerem, magnam ſpem concipiebam, te hujusmodi characteres in quavis epocha conſtituenda magna diligentia adhibuiſſe, eas certiſſimis demonſtrationibus firmaſſe, & tempora ita deduxiſſe, ut ſtudioſis chronologiæ in omnibus ſatisfieret, & diſſenſiones tandem chronologicæ ſopirentur. Sed longè aliter, ignoſce quæſo meæ libertati, rem deprehendi. Nihil enim ferè in tota Chronologia tua animadverti, quod characteres chronologicos ſaperet, vel potius, quod non apertè, non ſolùm iſtis characteribus contrarium eſſet, ſed etiam cœlos ipſos, ſi ita loqui fas eſt, impugnaret. Non odio tui, vel quod minus rem intelligam, vel quod ſententiam præcipitem, hoc affirmo: ſed epochas tuas ad Eclipſium & ad aliorum etiam Chronologicorum characterum examen exegi, easque nullis fundamentis niti, ſed ex conjectura atque opinione tantùm fixas atque ita erroneos eſſe firmiſſimis demonſtrationibus deprehendi. utque intelligas, revera ſe rem ita habere, & me verum loqui, eas demonſtrationes hîc paucis conſignabo & ob oculos ponam idque in ſtudioſorum potiſſimùm gratiam, ut rectiùs judicium in rebus chronologicis dijudicandis informent, & minùs in errores ſeducantur. Tibi etiam non ingrata mea opera eſſe debet, ſi & veritatis & utilitatis publicæ rationem habere volueris, quod te non invitum facturum eſſe magnopere confido. Faciam autem initium *ab anno paſſionis Chriſti*, in quo conſtituendo, te valdè ſudare video. Ut res rectiùs intelligatur, ſciendum eſt, annum primum ætatis Chriſti differre ab anno primo æræ Chriſtianæ, nec unum & eundem annum eſſe. Hoc te facilè admiſſurum eſſe ſpero, cum idem affirmes pag. 336. tuæ Chronologiæ, ubi dicis nativitatem Chriſti uno anno æram Chriſtianam præcedere. Si igitur hoc verum eſt, quòd nativitas Chriſti æram Chriſtianam præcedit, non ſunt idem ▪ unus annus, ſed neceſſe eſt ut primus annus æræ Chriſtianæ ſit annus ætatis Chriſti ſecundus, & ſecundus æræ Chriſtianæ ſit ætatis Chriſti tertius, atque ita viceſimus nonus annus æræ Chriſtianæ ſit triceſimus ætatis Chriſti: Si jam Chriſtus baptiſatus eſt anno ætatis triceſimo currente, & ferè completo, ut contendis pag. 48. appendicis, & in Chronologia pag. 60. tum neceſſe eſt, ut ad tuam Chronologiam Chriſtus baptiſatus ſit, non anno triceſimo æræ Chriſtianæ, tum enim ferè triceſimum primum ætatis annum compleverat, ſed anno æræ Chriſtianæ 29. Si verò hoc anno baptiſatus eſt, ergò anno æræ Chriſtianæ 30. actum fuit primum in Miniſterio Chriſti Paſcha: anno 31. ſecundum: anno 32. tertium: anno 33. quartum: & anno 34. quintum. Hoc Paſchate affirmas Salvatorem noſtrum crucifixum, paſſum, mortuum & ſepultum. Chriſtus igitur etiam ex tua Chronologia quatuor annos cum ſemiſſe ferè à baptiſmate in miniſterio ſuo complevit, cum tamen eum atntùm ſeſquitriennium non ſeſquiquadriennium à baptiſmate docuiſſe multis verbis pugnes pag. 49. appendicis, meque cum *Scaligero* accuſes, quòd Chriſti miniſterio ſolidum quadriennium tribuamus. Vides igitur, ut ut pugnas, te idem nobiſcum ſentire, etiamſi id verbis aliter proponere videaris, & apparet te minùs attentum fuiſſe in hac epocha ſtatuenda, cùm imprudenter tua ipſius vineta cædas. Rem apertè ante oculos vides, nec indiget prolixiore demonſtratione.

Jam

Jam vide, quomodo Characteres Chronologicos in feſtivitate paſchali ſignanda adhibueris. Anno æræ Chriſtianæ triceſimo primo ſcribis, Paſcha celebratum die 6. Aprilis pag. 61. tuæ Chronologiæ, idem affirmas in appendice, ſed aliis paululùm verbis. Plenilunium Paſchale anno æræ Chriſtianæ 31. fuit die 27. Martii, feriâ tertiâ incunte à media ſcilicet nocte, quemadmodum id calculus tàm Prutenicus, quàm Tychonicus præciſè exhibet. Poteris ne credere, ſi plenilunium ſit die 27. Martii, Paſcha differri poſſe undecim diebus in ſeneſcentem Lunam, & die ſexto Aprilis celebrari feria ſexta? fuit enim eo anno Cyclus Solis 12. litera Dominicalis G. ergò litera E. in ſexto Aprilis fuit feria ſexta. Non arbitror te dubitare de Paſchate judaico, quin ſemper in plenilunio celebratum ſit, id enim ex ſacris literis, ex exemplis & ex noſtro Paſchate manifeſtiſſimè doceri poteſt. Deinde etiam non exiſtimo te dubitare de notitia Judæorum in cognoſcendo plenilunio & in indicenda feſtivitate paſchali. Tempore enim æquinoctii, circa quod Paſcha celebratur, plenilunia exactè etiam à quovis plebejo homine, ſi cœlum aliquo modo ſudum eſt, ut in Judæa ferè ſemper ſolebat, haberi poteſt, cum tùm temporis, ſi ſol occidat, & Luna contrà oriatur, certum ſit Lunam orbem ſuum compleviſſe, & plenilunium eſſe, & ſi hac unica ratione uſi eſſent: tamen ultra diem unum à vero plenilunio aberrare non potuiſſent; ſed rationes lunares alias exactiores habuerunt, cùm ad eas diſcendas & docendas & mandato divino & præmiis impellerentur. Vides igitur te parùm circumſpectum fuiſſe in diebus Paſchatis & aliorum etiam, qui inde conſequuntur, conſignandis, & ſyzygias lunares longiùs, quam par eſt, à te ſepoſitas fuiſſe, cùm Paſcha hujus anni definires.

Anno æræ Chriſtianæ triceſimo ſecundo affirmas Paſcha juxta traditionem Judæorum ex feria ſecunda in tertiam translatum & die 23. Martii celebratum pag. 63. tuæ Chronologiæ. Plenilunium paſchale Hieroſolymis eo anno fuit die 13. Aprilis poſt meridiem hora decima, cum feria ſecunda apud Judæos cœpiſſet. Verum igitur eſt, quod dicis, Paſcha ex feria ſecunda in tertiam translatum fuiſſe, ſed aberras in hoc, quòd putas diem 27. Martii eo anno fuiſſe feriam tertiam, cum fuerit feria quinta exiſtente literâ dominicali E. Deinde à die menſis, immane quantum abſis. Paſcha enim eo anno actum fuit die 15. Aprilis, qui viginti diebus à die 27. Martii diſtat. Et aliàs in die 27. Martii ejus anni Paſcha celebrari non potuit, quòd Luna ſeneſcens eſſet; & poſt quatriduum ſequeretur novilunium. Anno æræ Chriſtianæ 33. pag. 65. Paſcha ais peractum die 13. Aprilis, ſed eo anno plenilunium Paſchale fuit 3. Aprilis feria ſexta veſperi, ergò iterùm ſyzygias lunares non adhibuiſti.

Anno æræ Chriſtianæ 34. Paſcha τὸ ςαυρώσιμον figis in die tertio Aprilis, pag. 69. & ut videaris characterem eclipſium cum ſyzygiis lunaribus adhibuiſſe, affirmas ejus diei veſpere eclipſin lunæ naturalem accidiſſe. Videamus an Characteres hoſce rectè adhibueris. Plenilunium Paſchale, ſi ad annum æræ Chriſtianæ 34. inquiratur; invenitur factum die 23. Martii, feriâ tertiâ, horis quatuor poſt meridiem Hieroſolymis, cum Luna caudam Draconis tredecim gradibus ſuperaſſet. Si plenilunium fuit die 23. Martii, quomodo eclipſis Lunæ die tertio Aprilis accidere potuit? ſed nec eo anno eclipſis lunæ etiam die 23. Martii facta eſt, etiamſi plenilunium ibi fuerit, cum Latitudo Lunæ refragetur. Jube Aſtronomum veſtrum hæc plenilunia examinare, experietur me verum dicere, & & in Aſtronomico ſtudio ſatis exercitatum.

Vides igitur te Chronologicos characteres non rectè adhibuiſſe, & in omnibus paſchalibus feſtivitatibus eo tempore, ut & in omnibus aliis, quos annotas, diebus multùm aberaſſe. Adde & hoc te interdum tibi ipſi contrarium eſſe, ut quando pag. 58. tuæ Chronologiæ dicis, Chriſtum natum anno Mundi 3970. unde ſequeretur annos æræ Chriſtianæ cum annis ætatis Chriſti eoſdem eſſe & Dionyſium nihil in eadem æra figenda aberraſſe. Sed contrarium ſtatuis pag. 336. ubi probas Chriſtum natum anno mundi 3869. & annos æra Chriſtianæ ab annis ætatis Chriſti eſſe diſtinctos. Non ſpero te eò confugiturum, ut dicas te in Chronologia annos non ſecundùm Dionyſium numeraſſe, ſed ſecundùm annos ætatis Chriſti. Si enim hoc aſſereres, cogita, quot & quantos errores in ſeſquimille annis in Chronologia tua commiſiſſes. Sed nolo in hac epocha ampliùs quid excutere, Addam tantùm demonſtrationem evidentiſſimam erroris Dionyſii Exigui, qui annos à Nativitate Chriſti numerandos Eccleſiam docuit, quòd videlicet à vero anno Nativitatis Chriſti aberraverit, & quòd Epocha æræ Chriſtianæ reverà à vero anno nati Chriſti diſtincta ſit.

Ex hiſtoria Evangeliſtarum conſtat, Chriſtum Salvatorem noſtrum natum vivente *Herode*, & anno decimo quinto imperii *Tiberii* fuiſſe annorum triginta ferè. Ab hiſce aſſertionibus Evangeliſtarum nequaquam diſcedendum eſt. Si igitur annum hunc quindecimum Tiberii rectè inveſtigemus, conſtabit nobis de anno vero nativitatis Chriſti. Ejus autem anni quindecimi Tiberiani demonſtrandi multæ ſunt viæ, de quibus in *Iſagoge Chronologica* egi, hoc loco tantùm unam aſſumamus ex charactere eclipſium hoc modo.

Dio & *Cornelius Tacitus* Hiſtoricorum Romanorum principes teſtantur, paucis diebus poſt obitum *Augusti* Cæſaris contigiſſe eclipſin Lunarem horrendam, qua ſeditio militum in *Pannonia*, majora ſtipendia & dimiſſionem à *Tiberio* flagitantium compreſſa fuit. *Auguſtus Cæſar* autem obiit, ut notum eſt, die 19. Menſis Auguſti, duobus *Sextis Coſſ.* Si inquiratur jam ad calculum Prutenicum hæc eclipſis, invenitur accidiſſe anno æræ Chriſtianæ 14. die 27. Septemb. feria quinta, hora quinta matutina ad noſtrum horologium; Ergo *Auguſtus* defunctus eſt, anno æræ Chriſtianæ decimo quarto, non, ut falsò aſſeritur decimo quinto. Et ſi *Tiberius* primum annum imperii cœpit à morte *Auguſti* anno æræ Chriſtianæ 14. ſequitur quòd annum quindecimum Imperii inierit anno æræ Chriſtianæ 28. & quod Chriſtus eo anno vel fuerit triginta annorum, vel ingreſſus ſit trigeſimum annum. Tiberium autem à morte Auguſti ſtatim aſſumpſiſſe imperium teſtantur *Dio* & *Cornelius Tacitus*, qui dicunt, Tiberium ſtatim defuncto Auguſto Prætoriis cohortibus ſi-

gnum ut *Imperator* dediſſe, & *Agrippam* Poſthumum occidi juſſiſſe, Senatumque poſt exequias Auguſti convocaſſe, & offerente Senatu imperium ſuſcepiſſe. Frivolum eſt, quod aſſertur de ſimulatione Tiberii, quaſi imperium noluerit, & quòd propterea primus annus Tiberii in ſequentem annum differendus ſit. Tiberius nihil maluit, quàm imperium, & cupidiſſimè id ſuſcepit metu *Germanici* multis legionibus militum inſtructi, omniaq; munia Imperatoris ſtatim à morte Auguſti adminiſtravit. Demonſtratum igitur eſt hac eclipſi, annum Tiberii decimum quintum inchoari die 19. Auguſti anni æræ Chriſtianæ 28. idem demonſtrabimus etiam eclipſi Solari.

Claudius Imperator Romanorum, cum ex Aſtronomis didiciſſet futuram Solis eclipſin Calendis Auguſti, die ſuo natali, ne populus propterea ſuſpicaretur, aliquid mali Imperatori ab ea portendi, publico programmate eam propoſuit, & populum docuit, eclipſes naturalibus de cauſis fieri, atq; ob id ſciri & prædici poſſe, &c. quemadmodum hæc *Dio Hiſtoricus* prolixè recenſet. Facta eclipſis, ut ibidem expreſsè annotatur, quinto anno *Imperii Claudii, Coſſ. M. Vinitio Criſpino & M. Statilio Corvino*, anno Urbis 798. calendis Auguſti, feria prima hora nona ante meridiem. Si hæc eclipſis inquiratur in tabulis Prutenicis ad annos æræ Chriſtianæ nullibi reperitur, niſi in anno æræ Chriſtianæ quadrageſimo quinto. Hic annus ergo 45. æræ Chriſtianæ eſt imperii Claudiani quintus, & eo die, quando eclipſis accidebat, imperârat annos quatuor & dies 190. Conſurgit enim ejus imperium à die 24. Januarii, quo Caligula interfectus erat. Caligula imperavit annos tres & dies 313. Tiberius imperavit annos octo & dies 209. poſt annum imperii decimum quartum exactum. In unâ ſummâ enim imperio præfuit annis 22. diebꝰ 209. Imperatû ergò fuit Romæ ab hiſce tribus Imperatoribus, poſt decimum quartum annum Tiberii uſq; ad eclipſin Solis hanc, annis ſedecim, diebus 347. qui ſubducti ex annis æræ Chriſtianæ quadraginta quatuor & diebus 212. exactis, qui præterierant, cùm hæc eclipſis acciderat, reliquos faciunt annos viginti ſeptem, dies 250. hi dies numerati à calendis Januarii deſinunt in die 19. Auguſti, anni vigeſimi octavi æræ Chriſtianæ currentis, & eodem die incipit annus quindecimus Tiberii. Quindecimus autem annus Tiberii concurrit cum anno triceſimo ætatis Chriſti, teſte Lucâ. Ergò anni vulgatæ æræ Chriſtianæ non conſentiunt cum annis Ætatis Chriſti. Hæ demonſtrationes apertè ſunt, Hiſtorici, qui has eclipſes annotarunt, veri, neque unquam mendacii vel ſuſpecti, vel convicti. Calculus etiam aſtronomicus fallere non poteſt. Ergò de veritate rei non eſt dubitandum.

Quæritur jam, an æra Chriſtiana à Dionyſio inſtituta, uno vel duobus à vero nativitatis Chriſti anno aberret. Tu aſſeris de uno, ego de duobus. Fundamentum meum eſt ſententia Evangeliſtæ Lucæ ſimpliciter, ut verba ſonant, intellecta, hoc modo: Si Chriſtus baptiſatus eſt anno quindecimo Tiberii; vel, ut veteres habent, die ſexto Januarii; vel die Expiationis in Octobri, ut tu contendis, neceſſariò Chriſtus baptiſatus eſt anno æræ Chriſtianæ 28. vel viceſimo nono incipiente. Si enim baptiſmum Chriſti rejiciamus in annum æræ Chriſtianæ 29. in Octobrem, apertè contradicimus Evangeliſtæ, cùm quindecimus annus Tiberii finitus fuerit die 19. Auguſti, eodem anno. Sive igitur jam ſtatuamus, Chriſtum baptiſatum die Expiationis in Octobri, anno 29. tum Tiberius decimum ſextum imperii ante binos menſes inchoaverat: ſive baptiſmus ejus in die 6. Januarii ſecundùm veteres celebretur: Tiberius decimum ſextum annum imperii dimidiâ ſui parte ferè exegerat, à quâ veterum ſententiâ, quòd Chriſtus ſexto Januarii baptiſatus ſit, ut quæ antiquiſſima eſt, & ab iis, qui à miniſterio Chriſti propiùs abfuerunt, aſſerta, non temerè diſcedendum eſt, cùm eandem publicè in Eccleſia in catilenâ *Hoſtis Herodes &c.* aſſeramus. Conſtat igitur, ſi verba Evangeliſtæ ſtrictè ſequamur, æram Chriſtianam à vero nativitatis Chriſti anno aberrare biennium. Ex anno baptiſmi Chriſti deſcendimus ad annum paſſionis ejus, quem aſſero quadriennio & tribus menſibus à baptiſmo diſtare, & incidere in annum æræ Chriſtianæ 33. in annum verum ætatis Chriſti 35. cùm planè nullum Paſcha Judaicum circa hæc tempora dari poſſit, nec ex calendario Judaico, nec ex ſyzygiis lunaribus, quod in Sabbathum incidat. Præterquam id, quod celebratum eſt die 4. Aprilis, anno æræ Chriſtianæ 33. in cujus Paraſceve, feriâ ſextâ Chriſtus paſſus eſt, atque ita ſecundum Evangeliſtam Lucam neceſſe eſt quinque Paſchata in miniſterio Chriſti admitti, anno ſcilicet 29. 30. 31. 32. 33. Si quis argumentetur, Evangeliſtam Johannem tantùm quatuor Paſchatum meminiſſe, is peccat contra regulam ab autoritate negativâ. Johannes enim ſcribebat Paralippomena reliquorum Evangeliſtarum, & Paſchatis mentionem; quando Jeſus per ſata ivit, cujus omnes reliqui Evangeliſtæ meminerunt, omittere potuit. Quocunque igitur jam te vertas, ſive Evangeliſtam Lucam; ſive tuam ipſius ſententiam ſequaris, neceſſariò tibi aſſerenda ſunt quinque miniſterii Chriſti Paſchata. Scio quidem, quatuor Paſchata tantùm etiam admitti poſſe, ſi ſtatuamus, Evangeliſtam Lucam decimum quintum annum Tiberii appellare, qui Romanis ſit decimus ſextus: ſed cum hæc opinio nullâ demonſtratione doceri poſſit, longè tutius exiſtimo verba Evangeliſtæ mordicùs retinere, quàm nullâ neceſſitate urgente ab iiſdem diſcedere, & ad *διάνοιαν* confugere. Hanc autem demonſtrationem erroris Dionyſiani prolixiùs aliquantò apponere volui, quòd eam utiliſſem futuram putem ſtudioſæ juventuti, quæ ſi plura de eâ legere voluerit, conſulat Iſagogen meam Chronologicam.

Pergamus ad alias Epochas, in quibus ſimiliter te falſum eſſe affirmo, idque demonſtrabo quàm poſſum breviſſimis, & faciam initium ab ærâ Nabanaſſareâ, ex quâ reliquæ omnes videntur dependere, ut & ipſe aſſeris pag. 6. Appendicis.

Ptolemæus igitur lib. 4. *μεγ. συντάξ.* c. 6. ait, duas eclipſes Lunares factas eſſe anno ſecundo *Merodachi*, anno Nabonaſſ. 28. Priorem quidem die 18. menſis Thot, hoc eſt, die 8. Martii in mediâ nocte. Alteram die 15. menſis Phamenoth, hoc eſt, ut ex analogiâ dierum Juliani calendarii apparet, die primo

mo

mo Septemb. horis quinque ante mediam noctem. Annum verò hunc ſecundum *Merodachi* conjicis pag. 198 in annum mundi 3252. ſive in annum ante æram Chriſtianam 719. Sed ſi hic annus ad calculum Aſtronomicum examinetur, hiſce diebus & horis à Ptolomæo deſcriptis planè nullæ eclipſes inveniuntur, ſed ſi calculum rectè adhibueris præcedenti anno, quem nominas 3251. eclipſes haſce exactè deprehendes. Ergo demonſtratur hoc modo annum ſecundum *Merodachi*, qui eſt annus 28. Nabonaſſaris, non rectè annis à condito mundo numeratis, à te accommodatum eſſe. Cave tamen putes, quia ambæ eclipſes à Ptolomæo deſcriptæ ad annum mundi, ut tu numeras, 3251. quadrant, quòd propterea anni mundi rectè à te numerati ſint. Id enim hoc modo demonſtrari non poteſt; ſed ex aliis dependet principiis. Hoc tantùm demonſtratur, annum ſecundum *Merodachi* ſive annum Nabonaſſareum 28. eſſe annum ſeptingenteſimũ & viceſimum ante æram Chriſtianam, non ſeptingenteſimum decimum nonum, ut tu habes. Unius ergò anni metachroniſmo in omnibus annis Nabonaſſ. peccas.

Addam adhuc unum exemplum. Idem *Ptolomæus* in eodem lib. cap. 11. ait: Eclipſin Lunæ factam anno Nabonaſſ. ineunte 367. die 16. Thot, tribus horis ante mediam noctem Archonte *Evandro*, menſe *Poſydeone priore*. Hæc eclipſis in calendario Juliano ex analogiâ dierum accidit die 12. Decemb. Eum *Evandrum* refers ad annum tuum mundi 3590. pag. 228. atque ita in annum ante æram Chriſtianam 381. cùm tamẽ nulla eclipſis Lunæ ibi inveniatur, ſed habetur ea exactè præcedenti anno. Iterùm igitur demonſtratur, te in ærâ Nabonaſſareâ unius anni metachroniſmo peccare.

Sic idem *Ptolomæus* lib. 5. cap. 14. ait: Eclipſin Lunæ accidiſſe anno ſeptimò *Cambyſis*, anno Nabonaſſar. 225. die 17. Phamenoth, hoc eſt, cùm præteriiſſent, ut ibi habetur, ex ærâ Nabonaſſaris anni 224. dies 196. horæ 10. minuta 10. accidit ea eclipſis ad analogiam dierum Julianorum die 16. Julii. Annum ſeptimum *Cambyſis* conjicis pag. 204. in annum mundi 3449. hoc eſt, in annum 522. ante initium æræ Chriſtianæ, ſed nulla Eclipſis eo anno die 16. Julii accidit, ſed præcedenti anno ea viſa eſt, ergò annum ſeptimum *Cambyſis* eodem etiam conferre debueras. Hæ demonſtrationes manifeſtæ ſunt, & oſtendunt, perperàm te æram Nabonaſſaris adhibuiſſe, & perpetuò metachroniſmo unius anni peccare.

Veniamus etiam ad Olympiades, quarum uſus quantus ſit in Chronologicis, manifeſtum eſt ex eo, quòd quicquid in hiſtoriis gentilium in Chronologiâ annotari ſolet, id totum ex Olympiadum numero pendet. Primam Olympiadem, ais, peractam anno mundi, ut numeras, 3196. ſed id minùs rectè à te factum eſt; & hoc modo omnes Olympiades ſuo vero anno poſtpoſuiſti, quâ re, ut tecum jocer, multum negocii exhibuiſti principibus Græciæ, qui quando ſua Olympia ſuis annis in plenilunio certarant, ad tua etiam ſequenti anno convenire neceſſe habebant, & omnia ſua ſacra ſolennia Panathenæa, Pythia, Iſthmia, Nemea, &c. turbare, cum ad φάσεις lunares ex ſuo vero anno ita dimota non quadrarent. Te autem erraſſe ſimiliter demonſtrabo ex charactere temporum infallibili, ex eclipſibus tam Solaribus, quàm Lunaribus, quas ſumam ex tempore belli Peloponneſiaci, quod notiſſimum eſt, & maximè memorabile, & à multis ſcriptoribus celebratum.

Anno primo ergò belli Peloponneſiaci in æſtate, cùm *Pericles* ad Peloponneſum devaſtandam proficiſceretur, facta eſt eclipſis Solis, anno ſecundo Olymp. 87. Archonte *Euthydemo*. Hujus belli initium refers pag. 217, in annum mundi 3541. hoc eſt, in annum ante æram Chriſtianam 430. ſed nulla eo anno facta eſt eclipſis Solis. Præcedenti verò anno, ſecundùm tuam numerationem anno 3540. accidit eclipſis Solis horribilis, die 3. Auguſti, paulò poſt meridiem. Ergò initium belli Peloponneſiaci & Archontem tuum *Euthydemum* etiam in eundem annum conjicere debueras. quod cùm ſeries Olympiadum tuarum non admitteret, manifeſtiſſimum eſt, te uno anno ſeriùs quam par eſt, primam Olympiadem affixiſſe.

Alteram eclipſin, quæ tempore hujus belli incidit, ſumamus ex eodem *Thucydide*, quam multi præterea alii autores annotârunt. Viſa eſt ea in Lunâ, anno 19. hujus belli, anno quarto Olymp. 91. Archonte *Cleocrito* vel ut alii habent, *Clearcho*, quâ territi Athenienſes poſt cladem à Siculis acceptam in caſtris manſerunt, ſeque poſtea in fugâ Syracuſanis & Spartanis capiendos & occidendos præbuerunt. Accidit ea anno 413. currente, ante initium primi anni æræ Chriſtianæ, ubi invenitur accidiſſe die 27. Auguſti, veſperi, ſed in Chronologiâ tuâ pag. 221. Athenieſium cladem refers in annum 412. ante æram Chriſtianam. Aberras igitur in hâc Olympiadum celeberrimâ epochâ, omnesq; earundem annos per metachroniſmum unius anni à verò anno removes. Plures hujus belli tempore acciderunt eclipſes, quæ idem monſtrant, quod ex hiſce duabus evici, ſed brevitatis causâ eas omitto. Addam tamen aliam, quæ maximè etiam celebris eſt, ex hiſtoriâ Alexandri Magni, quam deſcribit *Diodorus Siculus* cum *Plutarcho*, quòd acciderit tertio menſe à Solſtitio ſcilicet æſtivo numerato, circa feſtum myſteriorum Atticorum, quæ menſe Boëdromione celebrabantur, quam eclipſin ſecuta ſit poſt undecim dies pugna *Darii* regis Perſarum cum *Alexandro Macedone*, quâ *Darius* victus imperium & ſequenti anno vitam amiſit. Accidit ea die 20. Septemb. anno 331. ante Æram Chriſtianam. Sed hanc collocas in annum tuum mundi 3641. hoc eſt, in annum 330. ante initium æræ Chriſtianæ. Manifeſtiſſimum eſt igitur, te etiam in hac epocha omnium celeberrimâ, & ad rectè numeranda tempora aptiſſimâ, perpetuo metachroniſmo unius anni peccare.

De tertia Epocha, quæ hiſtoriæ Romanæ propria eſt, & ab urbe condita numeratur, idem affirmare licet. Nam & hæc hiſtorias Romanas uno anno moratur, id quod ſimiliter tribus exemplis eclipſium ex diverſis autoribus demonſtrabo.

Primam ſuppeditat *Livius* lib. 7. Dec. quartæ non longè ab initio, quando inquit: *Per eos dies, quibus eſt profectus ad bellum Conſul L. Scipio Aſiaticus, ludis Apollinaribus ad quintum Idus Quin-*

tiles cælo ſereno interdiu obſcurata lux eſt, cum Luna ſub orbem Solis ſubiiſſet. Quibus verbis oſtendit *Livius*, eclipſin hanc Solis accidiſſe, quando Conſules ad bellum proficiſci ſoliti ſunt, hoc eſt in vere. Etſi enim hodie dies 11. Julii in mediam æſtatem incidit, ut ita quiſpiam ſuſpicari poſſet, eclipſin etiam æſtate factam; tamen tum temporis Romani adeò turbato calendario uſi ſunt, dum certum intercalationis modum non obſervarent, ut nunquã menſes ſuis temporibus convenirent, quapropter etiam *Julius Cæſar*, cum calendarium emendaret, integros tres menſes intercalare coactus fuit, quibus Solſtitium hybernum ad diem 25. Decembr. reduceretur, de qua re vide *Scaligerum de emendatione temporum*. Conſules hujus anni *L. Scipionem Aſiaticum* & *C. Lalium Nepotem* removes ab initio æræ Chriſtianæ, in annum centeſimum octuageſimum nonum pag 310. Dicis enim eos Conſules fuiſſe anno Mundi 3782. At ſi calculum Aſtronomicum adhibuero, hoc anno planè nulla eclipſis Solis accidit, ſed habetur exactè præcedente anno, anno 190. ante initium æræ Chriſtianæ, unde patet, annos urbis malè in Chronologia tua ad annos æræ Chriſtianæ applicatos, & uno anno tardiores eſſe quàm debebant.

Alteram eclipſin aſſumam ex faſtis Siculis, in quibus ad Coſſ. *Poplicolam* & *Nervam* annotata eſt eclipſis Solis. Eam eclipſin circa ea tempora invenio triceſimo ſexto ante æram Chriſtianam, die 19. Maji horâ tertiâ poſt meridiem. Ergò *Poplicola* & *Nerva* Conſules eo anno fuerunt, & non ſequenti anno ſive anno triceſimo quinto ante æram Chriſtianam, quo tu eos recenſes, pag. 332.

Tertiam aſſumam ex Dione Hiſtorico, ex libro ejus 55. ubi inquit *Cn. Cornelio Cinnâ Magno & Valerio Maſſala Coſſ. horrendi terræ tremores acciderunt, & Sol aliqua parte lumen ſuum amiſit.* Hoſce conſules ponis in annum æræ Chriſtianæ ſextum pag. 337. Sed toto eo anno nulla eclipſis ſolis accidere potuit, cum latitudo Lunæ circa nodos tum ſemper fuerit auſtralis. Conſtat igitur Conſules ad eum annum non pertinere, ſed ad præcedentem, qui eſt annus æræ Chriſtianæ quintus, & eclipſin Solis exhibet die 22. Septemb. oriente Sole. Vides igitur te in applicatione hujus etiam epochæ in veris annis metachroniſmo unius anni aberrare. Manifeſtius idem apparet in exemplo eclipſis Lunæ ſuperius annotatæ, quæ accidit defuncto *Auguſto*, auguſtiſſimo & celeberrimo totius orbis Monarchâ, cujus obitum in annum decimum quintum æræ Chriſtianæ rejicis, eò fœdiore errore, quò plures & illuſtriores rerum geſtarum illius ſeculi ſcriptores reperiuntur, qui tuæ Chronologiæ contradicunt. Idem perſpicitur etiam ex eclipſi illa celeberrima, quæ accidit di. Natali *Claudii* calendis Auguſti, de qua ſuprà etiam diximus, quæ planè ex anno æræ Chriſtianæ 45. removeri non poteſt, cum nullum novilunium aliud eclipſi aptum in multis antè & retrò ſeculis in calendis Auguſti inveniri poſſit. Chronologia tua & quintum annum *Claudii* & *Coſſ. M. Vinitium Quartinum* & *M. Statilium Corvinum* in annum 46. æræ Chriſtianæ rejicit.

Quarta epocha, cujus in Chronologia magnus uſus eſt, vocatur *æra annorum Græcorum*, ut in primo Maccabæorum appellatur, vel *annorum Alexandri*, ut poſtea vocari conſuevit. Quomodo hæc ad annos æræ Chriſtianæ, vel ad annos mundi alligari debeat, ſive in quem annum Mundi ejus annus primus incidat, quod ſciam, nullibi annotaſti. Interim tamen cum hiſtoria *Maccabæorum* utraq; ſecundam hanc epocham digeſta ſit, & ipſe eas hiſtorias in Chronologiam tuam retuleris, videamus hanc etiam, & quomodo cum Charactere temporum certiſſimo, eclipſibus ſcilicet conveniat, diſpiciamus. Prophanationem ergo templi Hieroſolymitani urbis direptionem, & Judæorum cædem ab *Antiocho Epiphane* perpetratam, conjicis in annum Mundi, ut tu autumas, 3804. in eum ſcilicet annum, quo *Æmilius Paulus Perſeum* ultimum Macedoniæ regem vicit. non malè hoc, ut arbitror. Nam *Livius* oſtendit Legatos Romanos ſtatim à victo Perſeo in Ægyptum profectos, Antiochum Ægypto inhiantem repreſſiſſe, & ut exercitum reduceret coëgiſſe, quare Antiochus tantum irritatus fuit, ut omnem iram in Judæos evomeret & totam eorum rempub. non ſolùm conturbaret, ſed & planè everteret. Sed an hæc clades anno 3804. acciderit, ſive an in annum centeſimum ſexageſimum ſeptimum ante æram Chriſtianam inciderit, id ex charactere temporum, ex eclipſi lunari, quæ eodem anno, teſte Livio hora ſecunda noctis, pridie quàm pugnaretur cum Perſeo, viſa eſt, venandum eſt. Ea verò nequaquam hoc anno invenitur, ſed anno præcedenti, anno ſcilicet tuo 3803. hoc eſt anno 168. ante æram Chriſtianam, ibi igitur prophanatio templi annotanda fuerat, nec per metachroniſmum unius anni deferenda. Hæc & alia pluribus aliis demonſtrari poſſent, ſi opus eſſet: ſed eclipſium tanta eſt certitudo, ut vel una in quavis epocha rectè ſignanda & dirigenda, ſufficiat.

Supereſt adhuc una, quæ maximi momenti eſt, Epocha ſcilicet annorum *à condito Mundo* numeratorum, ejus Epochæ fundamentum facis, quod *Nabopollaſſar* ſit idem, qui *Nabuchdonoſor*, quod tamen nullo argumento firmiter demonſtras, & tantùm commentum Funcii ſequendum putas. Contrà *Joſephus*, *Beroſus* & *Megaſthenes* hiſtorici fide digniſſimi teſtantur, Nabopollaſſarem & Nabuchdonoſorem fuiſſe reges diverſos, & illum quidem Patrem hujus fuiſſe. Et quidem *Joſephus* eo loco, quando *Beroſum* citat lib. 1. contra *Appionem* negantem antiquitatem gentis Judaicæ pugnat, contra quem, niſi quæ vera, certa & indubitata teſtimonia hiſtoricorum præſtantiſſimorum adduxiſſet, cauſa cecidiſſet, & ſeſe adverſario ludibrio expoſuiſſet, qui hiſtoriam ſacrorum Bibliorum, ut fictam & in laudem Judæorum excogitatam, planè rejiciebat. Hæc graviſſima contra ethnicos allata teſtimonia, quibus veritas ſacrorum Bibliorum tum temporis à Joſepho aſſerta eſt, tunc falſa eſſe aſſeverabis? & ex caſtris Eccleſiæ ad Appionem & ad Ethnicos perfugies, contraque ſacram ſcripturam pugnabis? quoquæſo, id facies argumento? Commentum ne Funcii tibi tanti videtur?

Deinde

Deinde cogita & hoc, te hoc figmento Funciano eò neceſſitatis adigi, ut aut Sacrorum Bibliorum autoritati apertè contradicas, aut numeros annorum ab hiſtoricis annotatorum contra fidem exemplariorum, ut tuæ ſententiæ quadrent, mutes. Brevibus tantum quædam annotabo. Primum quidem, dum Funcium ſequeris, neceſſe eſt, ut Scytharum, qui Aſiam vaſtarant, cladem & excidium regni Aſſyriorum poſtponas everſioni Hieroſolymæ annis quinque, quod & facis pag. 34. & 201. Cum tamen utrumque cladem Hieroſolymitanam aliquot annis præceſſerit, teſte *Hieremiâ* Propheta cap. 50. & *Ezech.* cap. 32. & *Euſebio* Hiſtorico, & quidem *Hieremias* id ſcripſit ſexennio ante excidium Hieroſolymæ, ut apparet ex fine capitis ſequentis. *Ezechiel* verò anno excidium proximè ſequente. *Herodotum* falſitatis hic accuſare non potes, cum idem teſtetur *Diodorus Siculus*, quapropter neceſſe eſt, ut error ſit in numero annorum Nabonaſſareorum, dum Nabuchdonoſori attribuis eos, qui conveniebant Nabopollaſſare, unde manifeſtum eſt. Nabopollaſſarem non eſſe Nebucadnezarem.

Deinde tam *Eſaias* Propheta, quàm *Chronicâ ſacra* affirmant, *Merodachum* regem Chaldæorum miſiſſe legatos ad *Ezechiam* regem ex graviſſimo morbo reſurgentem anno regni Ezechiæ decimo quinto, ſed ut Funcii ſententiam tuearis, & Nabopollaſſarem facias Nebucadnezarem, contra autoritatem ſacræ ſcripturæ, Merodacho regni habenas concedis demum undecim annis poſt miſſos legatos, quando Aſſerhaddonem victum & Aſſyriorum regnum ab eo occupatum fingis, quaſi *Ptolomæus* Aſſyriorum regum epocham in literas retuliſſet.

Tertio contradicis Prophetæ *Hieremiæ*, qui Prophetiam ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ in ſpecie alligat, non ad *Sedeciam* ultimum regem, id quod expreſse negat: ſed ad *Jechoniam* & ſimul cum eo abductos, cap. 24. & 29. Et ita pronunciabunt omnes Theologi, qui hosce locos ſine præjudicio legent, ad quos provoco. Proferebat enim *Hieremias* hanc de ſeptuaginta annis captivitate prophetiam primùm anno quarto *Jojakim*, anno primo *Nabuchdonoſoris*, & captivitatem illam tot annorum minabatur ſimul cum populo Judaico, omnibus gentibus in tota *Syria* cap. 25. ſed in ſpecie poſtea cap. 29. eam ad eos applicabat, qui cum *Jechonia* ſpontaneam captivitatem ſuadente Jeremiâ ſubierant, nec Hieremias poſtea horum ſeptuaginta annorum ampliùs meminit. *Ezechiel* etiam à captivitate Jechoniæ annos captivitatis Babylonicæ numerat, quapropter nequaquam contra ſacram ſcripturam anni illi captivitatis ad *Sedeciam* ultimum regem referendi ſunt, ne pii, qui obſecuti erant mandato divino & in ſpontaneam captivitatem abierant, pœnâ afficiantur uſuraria, octuaginta ſcilicet annorum captivitate, & impii & Deo repugnantes tantum annis ſeptuaginta.

Quartò iterum pugnas cum *Jeremia* Prophetâ, qui cap. 50. ait: Populum Judaicum primùm afflictum fuiſſe ab Aſſyriis, deinde ſuis temporibus à Chaldæis, atque ita Aſſyriorum regnum à Chaldæo diſtinguit, id quod etiam manifeſtius apparet ex eo, quòd regnum Aſſyriorum deſtructum eſt, regnante Nabuchdonoſore, non à *Chaldæis*, ſed à *Medis*, quemadmodum & *Ptolomæus* teſtatur, *Nabonaſſarem* Chaldæum fuiſſe; ut & *Merodachum*, neque unquam meminit Aſſyriorum, Tu tamen contra ſacram ſcripturam & Ptolomeum Nabonaſſarem facis Aſſyrium.

Quintò pugnas cum *Herodoto*, qui lib 2. ex Archivis Ægyptiorum deſcripſit reges Ægytios & deprehendit Pharaonem *Necho*, ſi à Pſammenito, à Cambyſe ſexto menſe regni devicto, retrò numeremus, cœpiſſe anno Nabonaſſaris 130. Nabopollaſſar autem cœpit anno Nabonaſſaris 123. ut ex Ptolomeo conſtat. Inde ergò concludo, Nabopollaſſarem non eſſe Nebucadnezarem. Necho enim prior fuit Nebucadnezare, teſte Sacrâ ſcripturâ ut qui vicit Joſiam in Mageddo, & quadriennio poſt vincitur à Nebucadnezare imperium ſuum inchoante, in Carchemis, & ſecundùm Ptolomeum idem Necho poſterior fuit Nabopollaſſare, quare nequaquam ſunt unus & idem. In tua Chronologia quidem pag. 200. Pharaonem Necho præponis Nabopollaſſari annis ſex, ſed ut hæc præſtare poſſes, vim feciſti Herodoto, & ejus numeros contra exemplariorum fidem mutaſti: Vide autem quodnam inde precium reportes. Cogeris Apriem quinque annis poſt excidium Hieroſolymitanum ad regnum demum admittere; quem *Hieremias* cap. 44. tempore cum excidio Hieroſolymitano conjungit.

Sextò pugnas cum annalibus Tyriis. *Joſephus* enim lib. 1. contra Appionem antiquitatem Eccleſiæ & populi Judaici aſſerit ex annalibus Tyriis, ubi inter cætera ab obſidione *Tyri* à Nebucadnezare inſtituta, numerat annos 48. uſque ad initium Cyri. *Cyrus* cœpit anno Nabonaſſ. 189: hinc ſubtracti anni 48. relinquunt annum Nabonaſſaris 141. quo Nebucadnezar Tyrum obſedit, in initio autem regni à Nebucadnezare Tyrum obſeſſam fuiſſe hinc colligitur, quod adhuc ante excidium Hieroſolymitanum ea obſidio ſoluta fuit. Ezech. 29. quæ duraverat annis 13. Joſeph. lib. 10. cap. 11. Hoſce annales, quantum ſcio, in tua Chronologia omiſiſti. *Buntingus* autem, quem alàs ſequi ſoles, cum anni horum annalium ſuæ Chronologiæ minus convenirent, eorum numeros in quibusdam locis repugnantibus exemplaribus mutavit. Ex annalibus autem hiſce ſimiliter apparet, Nebucadnezarem non eſſe Nabopollaſſarem. Cum alter cœperit anno 123. Nabonaſſaris, alter 141. differentia annorum ſolidorum 18.

Septimò pugnas cum Beroſo. *Joſephus* ex Beroſo, libro primo contra Appionem & lib. 10. antiquitatum numerat ab initio Nabuchdonoſoris uſque ad captam Babylonem à *Cyro* annos ſolidos 67. Expugnavit autem *Cyrus* Babylonem circa annum viceſimum regni, qui eſt annus Nabonaſſaris 208. aufer hinc annos 67. ſupereſt annus Nabonaſſaris 141. quo cœpit Nabuchdonoſor, atque ità Nabuchdonoſor itidem alius eſt ab eo rege, qui cœpit anno Nabonaſſareo 123.

Octavò, Quod ad Characteres Chronologicos attinet, cùm qui ab Aſtonomia pendent, ab

antiquitate non ſint annotati, unicus tantùm reſtat, politicus ſcilicet Character ab annis Sabbathicis deductus, contra quem te ſimiliter ſtatuiſſe affirmo. Certum eſt ſeptimum annum ab ingreſſu Iſraelitarum in terram Canaan fuiſſe Sabbathicum: *D*einde annum excidii Hieroſolymitani, Hier. cap. 34. & tertio annum Alexandreum 149. quo Antiochus Eupator Hieroſolymam obſedit. 1. Macc. 6. Idem affirmari poteſt de aliis quibusdam, plures enim ſunt, nec attinet eos hic recenſere. Iam Chronologia ita eſt inſtituenda, ut anni Sabbathici perpetuò ſibi conſtent, cum nunquam eorum ordo permutatus ſit, adeò ut Judæi etiam in hoc perpetuo ſuo exilio, ubi annorum Sabbathicorum leges nullo modo obſervare poſſunt, tamen eosdem annos rectè numerent, & in futurum definiant. Si verò jam annos Sabbathicos obſerves, nunquā fieri poterit, ut annus decimus octavus *Nabopollaſſarū*, ſive annus Nabonaſſaris 140, incidat in annum Sabbathicum. Cum verò annus, quo capta eſt Hieroſolyma à Nebucadnezare ſabbathicus. Manifeſtum eſt eam captam non eſſe anno decimo octavo Nabopollaſſaris, nec anno Nabonaſſaris 140. Contrà verò annus decimus octavus *Nebucadnezaris*, ſive annus Nabonaſſ. 158. eſt Sabbathicus, ergo Nebucadnezar non poteſt eſſe Nabopollaſſar, ſed hæc prolixiùs in Iſagoge Chronologica demonſtravi, ad quam te remitto.

Tuum argumentum, quod affers, leviculum eſt, & ex conjectura vana deductum, quando ſic arguis. Ptolomeus teſtatur Nabonaſſarem præceſſiſſe annis centum & viginti duobus Nabopollaſſarem. In Sacra ſcriptura autem invenitur, Salmanaſſarem præceſſiſſe Nebucadnezarem annis 122. Ergò Salmanaſſar eſt Nabonaſſar & Nabopollaſſar eſt Nebucadnezar. Eodem argumento poſſum Ezechiam facere Nabonaſſarem, cum & ipſe annis 122. diſtet à Nebucadnezare. Majorem ſyllogiſmi ita facere debueras: Quicunque reges æquali temporis ſpacio ab aliquo diſtant, ii non ſunt diverſi reges, ſed ſunt unus & idem, at hoc tibi nemo concedet.

Vides ex his tuam ſententiam pugnare cum omnibus autoribus, qui aliquid de hiſce circa captivitatem Babylonicam temporibus aliquid memoriæ mandarunt: ſive ii ſint ſcriptores ſacri, ſive profani, niſi fortaſſis Annium monachum Viterbienſem excipias, qui Beroſum & Megaſthenem veraciſſimos hiſtoricos jam dudum amiſſos ex ſuo ingenio novos finxit & produxit mendaciſſimos, & plurimos ſecum in errores abduxit. Contrà verò, vide quàm pulcherrimè hiſtorici omnes hujus temporis inter ſe conveniant, ſi Nabopollaſſarem à Nebucadnezare diſtinguamus, & ſecundùm hiſtoricos illum patrem, hunc filium ſtatuamus. Ex annalibus enim Tyriis & ex Beroſo manifeſtum eſt Nebucadnezarem cœpiſſe circa annum Nabonaſſareum 140. ejus annum decimum nonum incipientem incidiſſe in annum Sabbathicum, atque ita cum Sabbathico ſacræ ſcripturæ concurrere, id quod prolixius docetur in Iſagoge Chronologica, deinde nihil hic contrarium Sacræ ſcripturæ & profanis ſcriptoribus invenitur. Ad ſententiam enim Prophetarum Aſſyriorum regnum annis duodecim ante excidium Hieroſolymitanum fuit deſtructum: Merodachus ſex annis ante quindecimum annum Ezechiæ regni habenas in Chaldæa ſucepit, & anni captivitatis Babylonicæ rectè à Jechonia ad Prophetarum ſententiam numerari poſſunt. Necho etiam Nabopollaſſare poſterior fuit & Nabuchdonoſore prior. Sic Apries etiam aliquot annis ante cladem Hieroſolymitanam regnum inchoavit. Concludo igitur te, dum facis Nabopollaſſarem & Nebucadnezarem eosdem, à veritate deviaſſe, & epochas, quæ in Chronologia habentur, ad veros annos mundi nequaquam alligaſſe. Sed tempus conditi mundi viginti & uno anno longiùs quàm par eſt, ab æra Chriſtiâna & aliis omnibus epochis removiſſe, atque ita hiſtorias ſacras malè ad annos conditi mundi applicaſſe.

Demonſtravi hactenus ex unico tantùm charactere Chronologico, ex eclipſibus, epocharum ferè omnium in tua Chronologia falſitatem. Idem præſtari poſſet, per reliquos Characteres, ut per Cyclum Lunæ, per Cyclum Solis, per indictiones, per annos Sabbathicos, per ſyzygias non ſolùm luminarium cœleſtium, ſed etiam reliquorum planetarum, præſertim in epochis gentilium, *Nabonaſſarea*, *Olympiadum & annorum Urbis*, ſed cùm brevibus hoc fieri non poſſit, unicum tantùm Characterem adhuc aſſumam *Cyclum* ſcilicet *Solis*, & quomodo is tuarum epocharum falſitatem oſtendat, breviter monſtrabo, idque ex unico loco tantùm, quem ipſe allegas in appendice Chronologiæ tuæ pag. 53. ex *Cenſorino*. Is ſcribebat ſuum aureolum libellum *Coſſ. M. Ulpio Crinito & Proculo Pontiano*, anno primo *Gordiani*, quos Coſſ. fuiſſe ſcribis anno æræ Chriſtianæ 239. pap. 358. *Cenſorinus* verò ait eo anno cœpiſſe annum Nabonaſſareum nongenteſimum octuageſimum ſextum, & quidem ſeptimo Calendarum Julii, hoc eſt die 25. Junii, Si jam tibi conſtat de quantitate annorum Nabonaſſareorum, quemadmodum arbitror, facilè hinc veram omnium epocharum applicationem venari poteris, hoc modo. Anni Nabonaſſarei tantùm ſunt dierum 365. nec habent appendices horas ſex, ideo nec biſextum quarto quovis anno, unde manifeſtum eſt, eos ab annis Julianis quovis quadriennio diſcrepare die uno. Cùm verò in Chronologicis omnia peragenda ſint per annos Julianos, anni Nabonaſſarei ad Julianos redigendi ſunt, hoc modo, Annos Nabonaſſareos 985. tot enim præterierant die 24. Junii, cùm ſequenti die annus 986. inciperet, divide per quatuor, quotus erit dies 246. quibus anni Nabonaſſarei 985. à tot annis Julianis differunt, eos dies igitur ſubtrahe ex annis 985. ſuperſunt anni 984. & dies 119. qui præterierant die 24. Junii. Jam videndum etiam quâ feriâ annus hic Nabonaſſareus 986. incipiat, id diſcitur ex capite ſeptimo tabularum Prutenicarum, quæ tibi ignotæ eſſe non poſſunt, cum lectorem ibidem in appendice eò remittas. Incipit igitur hic annus Nabonaſſareus 986. feriâ ſecundâ, unde manifeſtum eſt, hunc annum Nabonaſſareum convenire anno æræ Chriſtianæ tantùm ei, qui habet feriam ſecundam in die 25. Junii. Porrò dies 25. Junii in omnibus calendariis habet aſſcriptam literam A. Si jam in litera A. feria ſecunda habetur, neceſſe eſt, ut litera G. quæ proximè præcedit, ſit illius anni litera dominicalis. Litera autem dominicalis habetur

ex

ex Cyclo Solis, qui invenitur in annis æræ Chriſtianæ, ſi novem addantur, ut in vulgaribus computis habetur; & totum per 28. dividatur. Adde igitur jam ad annum æræ Chriſtianæ 239. quo annum Nabonaſſareum 986. incipis, novem, fiunt 248. quæ divide per 28. quotus quidem erit octo, ſed cujus hîc nulla habetur ratio, ſed reſiduum erit 24. Scio igitur hic annum æræ Chriſtianæ 239. Cyclum Solis habere viceſimum quartum, quem cyclum quæro in uſitata tabula Cycli ſolaris, & invenio numero 24. convenire literam F, & literam F. eo anno fuiſſe dominicalem. Si verò F eſt litera dominicalis, neceſſe eſt, ut litera A. indicet feriam tertiam in die 25. Junii. Sed annus Nabonaſſareus 986. non cœpit feriâ tertiâ, ſed feriâ ſecundâ, ergò manifeſtum eſt annum 986. non convenire ad annum Chriſti 239. ſed anno præcedenti 238. qui habet Cyclum Solis 23. literam Dominicalem G. & in die 25. Junii feriam ſecundam, quapropter in hunc annum conferre debuiſſes annum Nabonaſſareum, & non in ſequentem. Hic enim eſt annus, in cujus die 25. eſt feria ſecunda, quâ cœpit annus Nabonaſſareus 986. item annus obitus Alexandri quingenteſimus ſexageſimus quintus. Eodem etiam anno à diebus æſtivis incipit annus Olympiadicus 1014. Cum eodem anno concurrit annus urbis 991. annus Julianus 283. Annus Auguſtorum 265. &c. quemadmodum ibi apud *Cenſorinum* habetur. Si jam ſcire volueris, quoto anno ante æram Chriſtianam primus annus Nabonaſſareus cœperit, ſubduc annos 237. & dies 176. tot enim prætererant ex æra Chriſtiana uſque ad diem 25. Junii anni 238. ex annis, ut ſupra habuimus, 984. & diebus 119. Superſunt anni Juliani 746. & dies 308. qui prætererant antequam æra Chriſtiana inchoaretur. Porro ſi hos annos 746. & dies 308. ex anno tuo Mundi 3970. in cujus finem nativitatem Chriſti rejicis, ſubtraxeris, reſtabit tibi annus mundi 3223. & dies quinquageſimus ſeptimus à calendis Januarii numeratus, qui eſt dies 26. Feb. quo primus annus Nabonaſſaris cœpit & quidem feriâ quartâ. Brevius etiam hoc modo rem peragere poteris. Annus æræ Chriſtianæ 238. eſt tibi annus mundi 4208. hoc eſt, prætererant anni mundi 4207. & dies 176. ex quibus ſubduc annos Julianos 984. dies 119. & reſtabit annus mundi 3223. & dies quinquageſimus ſeptimus, ita age etiam cum cæteris epochis, & veris ſuis locis reſtituentur. Vides igitur beneficio cycli Solaris etiam demonſtrari poſſe, epochas tuas erroneas eſſe. Reliquos characteres, qui idem præſtare poſſent, brevitatis causâ, ut dixi, omitto.

Cum igitur jam omnes omnium gentium hiſtoriæ, quæcunque ab univerſis hiſtoricis literis mandatæ ſunt, non tantùm ſacræ: ſed omnes profanæ: non tantùm quæ præceſſerunt annum nativitatis Chriſti, ſed etiam magna pars earundem, quæ eandem ſequuntur, ad haſce epochas, ad annos ſcilicet *à condito Mundo* numeratos, ad annos *Nabonaſſareos*, ad annos *Olympiadum*, ad annos *Urbis conditæ*, ad annos *Alexandræos*, & ad annum *Paſſionis Chriſti* annotatæ ſint, & verò demonſtratum ſit, te in omnibus hiſce aberraſſe; intelligis nihil in univerſa Chronologia tua, quodcunque ad haſce epochas annotatum eſt, ratione temporis verum eſſe poſſe, erroreſque hos inde commiſſos, quòd Characteres Chronologici uſitati, qui maxima ex parte ex Aſtronomicarum rerum cognitione pendent, à te non fuerint adhibiti. Quapropter, magnopere à te peto, Clariſſime amice, ut ad reliquas bonas artes, quibus excellenter inſtructus es, Aſtronomicam etiam ſcientiam adjungere, & quæ in Chronologicis proponere cupis, ad ejuſdem ſcientiæ examen exigere velis. Operam hoc modo navabis ſtudioſæ juventuti utiliſſimam, & toti reipub. literariæ ſalutarem. Cogita quæſo, quantum peccatum ſit, ſi pro veris falſa humano generi obtrudantur, & in DEUM ipſum, qui eſt veritas, & omnem falſitatem odit, & in ſtudioſam juventutem, quæ erroribus hiſce imbuitur, quos vel magno cum ſuo & aliorum detrimento poſteà retinet, vel difficilimè deponit, noli abuti bonorum virorum ocio & utiliſſimis reipub. literariæ inſtrumentis, qua in re, ſi meo conſilio uſus fueris, magnam inibis ab omnibus eruditis gratiam, & omnium favor & benevolentia te & viventem & bene defunctum diutiſſimè gratâ memoria proſequetur.

Unum tantùm adhuc monebo, quod an errore vel alia de cauſa commiſſum ſit, ſi videris. Scribis in appendice pag. 2. *Joſephum Scaligerum* à Mundo condito uſque ad Chriſtum natum, numerare annos 4712. id quod *Scaliger* nunquam nec cogitavit, nec dixit, nec ſcripſit. Memini te idem affirmaſſe in prima tui libri editione, meque te monuiſſe, Scaligerum ſi dicat Chriſtum natum in fine anni *Periodi Julianæ* 4711. non hoc velle, quòd tot anni à condito mundo uſque ad natum Chriſtum numerandi ſint: ſed Periodum Julianam eſſe arte quadam concinnatum numerum, in quo perpetuò ad quemvis annum habeatur cyclus Solis, ſi is numerus per 28. dividatur: Cyclus item Lunæ, ſi idem per 19. ſecetur, cyclus etiam indictionum, ſi idem numerus per quindecim diſpeſcatur, & Scaligerum hoc ſuo numero 4711. nihil aliud velle, quàm Chriſtum natum eo anno, qui decurrat ad cyclum Solis 7 & ad cyclum Lunæ 18. & ad indinctionem primam, qui alius annus eſſe non poteſt, niſi annus mundi 3947. ſi Juliano more numeretur. Agnoviſti tum tuum errorem, eumque excuſaſti, quòd occupatiſſimus fueris tempore editionis libelli tui in Magiſtratus ſcholaſtici laborioſiſſimo munere, & te propterea Scaligeri ſententiam in tanta feſtinatione Typographi veſtigare non potuiſſe, atque ita temerè aliorum fidem ſecutum eſſe. Non dubito, quin hæc in memoria adhuc hæreant, ideo miror, quî factum ſit, quòd ex re, quam agnoſcis veram non eſſe, tanto viro, cui omnia in rectè numerandis & dirigendis temporibus debemus, invidiam creare volueris. Sed finem facio, & alia minutiora omitto; ſperoque te attentiùs de his cogitaturum, veritati ceſſurum, & quæ falſa ſunt emendaturum: fecit idem nuper Clariſſimus vir D. D. David Paræus, meis demonſtrationibus Chronologicis ad id adductus, qua ingenuitate ſua non exiguam laudem meretur.

Potuiſſem quidem privatim de hiſce rebus te monere, quòd fortaſſis gratiùs tibi accidiſſet: Sed

cum multi meam ſententiam de tua Chronologia exquirerent, & epiſtolam hanc deſcriptam cuperent, nolui eis obluctari, cum ſperem hiſce demonſtrationibus Juventutem erudiri, & judicium eorundem de rebus Chronologicis rectiùs informari poſſe, præſertim cum tu etiam mea, quæ tamen vera, immota & demonſtrata ſunt; & tantùm opinione tibi falſa videntur, publicè proponere, ventilare & exagitare volueris. Vale. Lipſiæ, Calendis Junii, Anno 1609.

Sethus Calviſius D. Davidi Pareo ſalutem & ſanam mentem.

An' Paree, te ſat validè excepiſſe & retorſiſſe haſtas in Calviſium? *Vide quid agas, noli ſomniarete vel ſeptenos uno ictu proſtraviſſe. Ego certè nihil ſenſi, nihil me tetigit, imò nullas haſtas retortas vidi, aut ſi quæ fuerunt, quas putas, ea non in me, ſed aliò fuerunt directa. Vis uno verbo dicam, totum quod reſpondiſti, fuit crambe bis cocta, nihil enim aliud regeris, quàm quod antea papyro illeveras.*

Scopus noſtra diſputationis hic eſt: Ponam tua ipſiſſima verba. Integram ne Deus annorum ſeriem ab orbe condito ad Chriſtum in hiſtoria ſacra verè nobis monſtraverit, etiam abſque profana hiſtoria ſi eſſet. *Tu affirmas: ego nego, ita autem me explico. Hiſtoriam à condito mundo uſque ad captivitatem Babylonicam non aliter haberi poſſe, quàm ex ſacris literis: tempus verò à laxata captivitate Babylonica à* Cyro, *uſque ad* Chriſtum crucifixum *ex ſacris literis definiri non poſſe, ſed aſſumendos profanos hiſtoricos. Argumento, quo nego, uſus fueram hoc, quanquam id ſyllogiſticè non propoſueram, putabam me loqui ſcienti:*

Si Cyrus annis plus quàm quadringentis & nonaginta ante Chriſtum crucifixum (*ibi enim terminum horum figis*) vitâ exceſſit; tum numeratio hujus temporis ex ſacris literis haberi non poteſt: Sed verùm priùs. Ergo & poſteriùs.

Connexi veritatem vides. Nihil enim invenitur in ſacris literis, quod in numerandis hiſce temporibus adhiberi poſſit, niſi vaticinium de duratione politiæ Judaicæ poſt captivitatem Babylonicam *Danielis 9. quæ definitur ſeptuaginta hebdomadib. hoc eſt annis 490. Si jam probatum fuerit inter* Cyrum *& Paſſionem Chriſti, ubi finem ex tua ſententia hebdomadarum ſeptuaginta ſtatuis, plus ſpacii intercedere, quàm annos 490. Certum erit, te ex ſacris literis tempora à condito mundo numerata ad annos æra Chriſtianæ alligare non poſſe.*

Aſſumtum verò, quod Cyrus *exceſſerit vitâ annis ante Chriſti Paſſionem quingentis & ſexaginta uno, hoc eſt, annis ſeptuaginta & uno, antequam ſeptuaginta hebdomades ad tuum ſenſum incipi poſſent, probaveram invictis demonſtrationibus ex legibus aſtrorum cœleſtium immotis, eclipſibus ſcilicet Lunaribus tribus ex* Ptolomæo *Aſtronomo. Quarum prima accidit anno ſeptimo* Cambyſis *regis Perſarum filii Cyri, anno Nabonaſſareo 225. nocte, quæ ſecuta eſt diem 17. menſis Phamenoth, quæ nobis ad Calendarium Julianum incidit in diem 16. Julij feriam quartam deſinentem, in horam tertiam ante mediam noctem annis 555. ante Paſſionem Chriſti, ſex ſolidis annis poſt defunctum* Cyrum, *unde demonſtraveram, intervallum inter exceſſum Cyri & Paſſionem Chriſti rectè conſtitutum eſſe annorum 561. Ita ut ab initio Cyri, cum conſtet eum 30. annis regnaſſe, intervallum totum ſit annorum 591.*

Secundam eclipſin produxeram ex eodem Ptolomæo, *quæ accidit anno vigeſimo* Darii Hyſtaſpis *anno Nabonaſſareo 246. nocte, quæ ſecuta eſt diem 28. menſis Epiphi. Nobis ad Calendarium Julianum incidit hæc eclipſis in 19. Novemb. feriam ſecundam, horam 10. poſt meridiem, annis 534. ante paſſum Chriſtum. Et tertiam, quæ accidit anno 31. ejuſdem Darij, die 3. Tybi, anno Nabonaſſareo 257. annis 523. ante paſſum Chriſtum. Ex hiſce eclipſibus certus & demonſtratis regreſſum feceram ad initium* Cyri, *& demonſtraveram, Chronologos planè non aberrare ab initio Cyri, ſi illud in annum primum* Olympiadis 55. *conjiciant, & intervallum inter initium Cyri & Paſſionem Chriſti faciant annorum 591. Unde concluſeram, cùm hoc intervallum ex ſacris literis dari non poſſit, rectè affirmari, Chronologiam veram à ſoluta captivitate Babylonica uſque ad Paſſionem Chriſti, ex ſacris literis haberi non poſſe.*

Oſtende jam mihi in tua reſponſione vel verbulum unum, quod ad meam demonſtrationem feceris, fac ut videam haſtas, quas te retorſiſſe dicis. Planè aliud in tua reſponſione agis, extra oleas hinc inde vagaris, & hæc, quæ maximè ad ſcopum pertinent, & rem concernunt, reſolutis ligulis leviſſimo & planè aërio ſaltu pari pedum elevatione perniciſſimè tranſvolas. Hoccine eſt reſpondere aut haſtas retorquere? quâ fronte de convulſis hiſce demonſtrationibus, quas nec verbulo attingis, gloriari audes? Invicta ergò adhuc manet mea demonſtratio.

Ut autem ſcias me pluribus hujuſmodi demonſtrationibus inſtructum eſſe, en adhuc unam, ex tempore Belli Peloponneſiaci *extractam, tibi ob oculos ponam. Id bellum apud omnes ſcriptores quidem celeberrimum eſt, ſed videtur tamen tibi & Patriarchæ tuo* Beroaldo *ratione temporis incertum, ideo neceſſe eſt, ut id priùs certis terminis & annis definiatur. Sumamus in hoc tempore rectè numerando oculatum teſtem, & rerum ac temporum peritum, qui rebus gerendis interfuit,* Xenophontem *intellige, qui dicit pag. 433. annum vigeſimum quartum belli Peloponneſiaci incidiſſe in initium Olympiadis nonageſimæ tertiæ, quâ victor fuit in ſtadio* Eubota Cyrenenſis, *& Athenis Archon fuit* Euchtemon. *Ephorus Spartæ* Euarchipus. *Evolve paululum Xenophontis ſententiam, invenies affirmari annum vigeſimum quartum belli hujus incidiſſe in annum* 440. *ante Paſſionem Chriſti: Hinc jam facilè regredimur ad initium hujus belli, quòd videlicet cœperit annis 463. ante Paſſionem Chriſti. Sed inquies:* Xenophon *unicus eſt, qui certum tempus hujus belli definit, & for-*

& fortaſſis error à librariis commiſſus eſt in Olympiadum numeris. Audi Pareε, Xenophon unicus non eſt, qui certam Olympiadem hujus belli determinarit, multò plures ſunt, & omnes ferè, qui Philoſophorum aut aliorum, qui hoc bello claruerunt, vitam deſcripſerunt, qui numeros eos Olympiadum edunt, ut cum hac conſentiant, hoſce tamen ſcriptores hoc loco recenſere opus non arbitror, ne epiſtola nimis excreſcat. Ad alterum, de numero forſan corrupto reſpondeo, nec hoc fieri potuiſſe, cum vel tres characteres additi ſint, victor ſcilicet in ſtadio hujus Olympiadis, Archon deinde Athenienſis & Ephorus Spartanus, & deinde, quòd reliqui autores in numerandis Olympiadibus circa hoc tempus rectè conſentiunt. Sed tamen, etiamſi demus hoc, ut ſunt humana, fieri potuiſſe; attamen propter menda ſuſpicionem non ſtatim hoc, quod affirmatur, rejiciendum erit, ſed ad Lydium lapidem, ad characteres Chronologicos, qui certiſſimi indices ſunt veræ & falſæ affirmationis temporum admovendum eſt, & veritas hinc eruenda.

Character autem Chronologicus apud Xenophontem ſe offert eclipſis Solaris in ſequente Olympiade, poſt annos exactos quatuor, hoc eſt anno 28. belli Peloponneſiaci, eam deſcribit Xenophon. pag. 461. quòd acciderit, quando Lyſander Spartam rediit, cum totam æſtatem in ordinandis rebus Athenienſium & cæterorum Græcorum conſumſiſſet. Neceſſe eſt igitur ut acciderit circa autumnum, Annò 436. ante paſſum Chriſtum. Si enim annus 24. belli Peloponneſiaci eſt annus ante Chriſtum paſſum 440. hic erit annus 436. Ad tabulas Prutenicas invenitur eo anno ad formam Julianam conformato eclipſis Solis die 3. Septemb. feria 6. hora nona matutina. Viden' Pareε, characterem convenire? Sed dices, fortaſſis caſu res ita cecidit, cum eclipſes Solares adeò raræ non ſint. Vide, dabo tibi & hoc, & ſumam alium characterem Thucydidis, qui non tantùm bello huic gerendo interfuit, ſed etiam præfuit, & id literis mandavit. Ait is pag. 119. factam eſſe eclipſin Solis poſt meridiem neomenia ratione Lunæ, in æſtate primi anni hujus belli. Si primo anno hujus belli, ergo facta eſt anno ante paſſum Chriſtum 463. Examinabimus hunc annum ad tabulas Prutenicas, & inveniemus eclipſin Solis die 3. menſis Auguſti, feria quarta, hora tertia poſt meridiem. En & hic character convenit. Addamus tertium characterem. Idem Thucydides pag. 286. ait. Anno octavo hujus belli, in initio æſtatis Solem ex parte defeciſſe: Si primus annus hujus belli ab anno paſſionis Chriſti diſtat annis 463. ergo octavus diſtabit annis 456. Eclipſis Solis hoc anno invenitur die 21. Martii, feria quarta, horis tribus ante meridiem. En & hic character convenit. Addamus quartum. Anno octavo poſt bellum Peloponneſiacum apud Xenophontem pag. 518. item apud Plutarchum in Ageſilao & Diodorum Siculum eclipſin Solarem itidem incidiſſe affirmatur, quando videlicet Conon Athenienſis Piſandrum Lacedæmonium claſſe vicit. Fuit annus ante Chriſtum paſſum 426. ubi invenitur eclipſis Solis, quæ acciderit die 14. Auguſti feria 6. horis duabus ante meridiem. En hi ſunt characteres ex Sole circa hoc tempus à ſcriptoribus annotati & examinati, qui rectè & ad unguem cum annis ſuis à Xenophonte & Thucydide deſcriptis conveniunt, & tempus initii belli Peloponneſiaci rectè conſtitutum eſſe confirmant. Addamus etiam, ſi videtur characteres Lunares.

Thucydides igitur pagina 621. & Diodorus Siculus lib. 13. & Plutarchus in Nicia tradunt eclipſin Lunæ factam eſſe, quæ religiò Niciæ & Athenienſibus objecta fuit, caſtris exeundi & ſe in tutum recipiendi, in initio noctis anno 19. belli Peloponneſiaci, anno 445. ante Paſſionem Chriſti. Eclipſis eo anno ad tabulas Prutenicas requiſita invenitur die 27. Auguſti. veſperi horis 9. 30. poſt meridiem. En & hic character ſuæ deſcriptioni exactè quadrat. Muniamus tandem hanc hujus belli æram ſexto charactere, qui eſt Eclipſis lunaris annotata à Xenophonte pag. 441. quod acciderit veſperi anno 26. hujus belli. Fuit, ſi rectè numeres, annus 438. ante paſſum Chriſtum. Secundùm tabulas Prutenicas invenitur hoc anno eclipſis Lunæ die 15. Aprilis feria ſecunda, horis 10. poſt meridiem. En ſex inſignibus characteribus cœleſtibus, firmis & immutabilibus hoc tempus belli Peloponneſiaci ita firmatum eſt, ut loco moveri nullo modo poſſit. Nunquam enim tot eclipſes iiſdem notationibus deſcriptas & certis hujuſmodi intervallis disjunctas invenies, etiamſi omne tempus, quodcunq; fuit, vel adhuc futurum eſt, aſtronomice quàm oculatiſſimè evolvas. Si mihi non credis, quære ex familiari tuo Chriſtmanno, vel, ſi forte non certo pronunciare poterit, ex veſtro publico Aſtronomo, is agnoſcet me vera ſcribere, & te hæc non intelligere, & tamen Chronologica tractare audere, mirabitur.

Poteſt & aliter hoc tempus belli Peloponneſiaci firmari, per Archontes ſcilicet Athenienſes. Si fortaſſis ignoras, qua ratione ii tempus hoc rectè firmari poſſint, ſcias eos geſſiſſe Athenis annuum magiſtratum, & ex his tempora dinumerata fuiſſe, ut diceretur, hoc vel illud accidiſſe hoc vel illo Archonte, prorſus eádem ratione, quemadmodum per Conſules Romana tempora olim numerabantur, ii Archontes ordine à Diodoro Siculo, & aliis etiam conſtanti ſerie annotati ſunt, non tantùm circa hoc tempus belli Peloponneſiaci usq; ad Alexandrum Magnum, ſed quadragenis inſuper annis etiam ferè antè & poſt. Quoniam verò jam de tempore Alexandri Magni inter nos non controvertitur, tuq; mecum ſtatuis Alexandrum Magnum iniiſſe regnum annis 368. ante paſſionem Chriſti, qui annus primus eſt Olympiadis III. Archonte apud Athenienſes Pythodoro. Si inde retro Archontes numeremus, usq; ad annum primum belli Peloponneſiaci, quo fuit ejuſdem nominis Archon Pythodorus, invenies intermedios Archontes nonaginta quinque, unde colligitur, bellum Peloponneſiacum initium Alexandri Magni anteceſſiſſe annis nonaginta quinq; hoc eſt, cœpiſſe annis 463. antè paſſum Chriſtum.

Vis ulterius initium hujus belli tibi firmari? Poſſum hoc præſtare autoritate & teſtimoniis multorum inſignium Scriptorum, tàm Græcorum, quàm Latinorum, qui res circa hæc tempora geſtas vel ad certas Olympiades digeſſerunt, vel eaſdem cum Romanorum virtute ad annos Urbis conditæ,

(H) 3 unde

unde eadem temporis deſignatio erui poteſt, contulerunt. Qui omnes tanta Hiſtoriarum & temporum cognitione præditi fuerunt, eaq́, quæ ſcribunt, tantâ conſtantiâ confirmant, ut tibi muto eſſe liceat, & tantâ fide inſuper apud omnes habentur, ut ſingulis hisce injuratis credere tutius ſit: quàm tibi vel tui ſimilibus ſomniantibus Prophetis *juratis decem. Nec mihi hoc loco objicias, hoſce autores in tempore, deſignando interdum uno atq, altero anno diſcrepare, ideoq́, te inde colligere, totum illud tempus dubium eſſe, & vel octoginta vel nonaginta annis à vera epocha aberrare. Turpe eſt homini Theologo, hujusmodi fallacibus artibus hominibus imponere velle. Scio autores inter ſe interdum diſcrepare, id quod accidit etiam noſtro tempore in tanta bonorum Hiſtoricorum copia, ut quòd quidam cladem* Conſtantinopolitanam *aſcribunt anno Æra Chriſtiana* 1452. *quidam anno ſequenti. Sed quæ conſequentia eſſet, ſi quispiam propterea hanc cladem octoginta vel nonaginta annis ab hoc termino removere vellet? Ideo ſi quid hujusmodi apud autores accidit, per characteres chronologicos res putanda & ad certum annum alliganda eſt.*

Quid, malum, inquies, quid tandem vis tàm operoſa belli Peloponneſiaci temporis demonſtratione? Hoc volo, etſi ſatis certus non ſum, quid credas? tamen ſpero te multorum Scriptorum idem affirmantium autoritatibus, vel etiam fama & opinioni, vel relationi tuorum præceptorum tantùm tributurum, ut ſtatuas Herodotum *Hiſtoricum adhuc ante bellum Peloponneſiacum ſuam Hiſtoriam ſcripſiſſe.* Thucydides *enim, qui Dux fuit in principio hujus belli, cum adhuc puer eſſet, audivit Herodotum in publico Olympico conventu ſuas Hiſtorias prælegentem. Credunè Herodoti Hiſtorias viginti annis ante hoc bellum publicatas? Non valdè abnuere poteris, attamen ſumamus tantum annos quindecim, quibus ejus Hiſtoria ante hoc bellum prælecta fuit. Hoc non ideo, quaſi dubium propono, certum enim apud Hiſtoricos eſt, quando* Herodotus *natus ſit, & quando Hiſtoriam ſuam publicarit, ſed quia omnibus pariter autoribus fidem abrogare ſoles, fruſtra eos allegaſſem. Jam cum id bellum cœptum ſit annis* 463. *ante paſſum Chriſtum, ſequitur* Herodotum *ſuas Hiſtorias publicaſſe anno ante paſſionem Chriſti* 478. *Complexus autem eſt in ſuis Muſis Hiſtoriam annorum plusquam octuaginta. Ergò ſi dixeris cum tuo patriarcha Beroaldo,* Cyrum *laxaſſe captivitatem Babylonicam anno primo Olymp.* 81. *hoc eſt annis* 488. *ante Chriſti paſſionem: tum collocas initium regni* Cyri *in annum decimum, antequam* Herodotus *ſuam Hiſtoriam publicaret, unde conſequens eſt,* Herodotum, *quicquid ſcripſit vel de* Cyro *vel de* Crœſo, *vel de* Cambyſe, *vel de* Dario *&* Xerxe *& aliis, totum illud, non ut rem geſtam ſcripſiſſe, ſed id Spiritu prophetico inflatum prædixiſſe, idq́, tanta perſpicuitate, ut omnes Prophetas ſanctos eventorum certitudine ſuperarit. Scio te in affirmandis quibusvis audacem, & ſententiæ tenacem eſſe, non tamen credo, te eò dementiæ prolapſurum, ut vel* Herodotum *inter Prophetas ſacros, vel inter tui generis vates, qui ſomnia ſua tantum produnt, referre volueris, cum hiſtoricus ſit, & apertè ſe res geſtas ſcribere profiteatur.*

Apud animum jam perpende, an tutius ſit tua ſomnia ſequi, quàm veritatem tot evidentiſſimis & certiſſimis characteribus demonſtratam, & an non ſeptuaginta hebdomades Danielis *inchoandæ ſint ab egreſſu verbi per os ſuorum Prophetarum Haggei & Zachariæ, quando edictum* Cyri *magnâ ſolennitate repetebatur, & conſtituta transgreſſoribus pœna de novo ſanciebatur. Et an non ſatis probatum ſit, primum annum* Cyri *in primo Olympiadis* 55. *anno, ſecundum omnes probatos Chronologos fingendum & retinendum eſſe.*

Plura argumenta poſſem proferre, ſed excederem epiſtolæ modum, & aliquid reſervandum eſt, ſi quando tua, quæ polliceris, protruderis, ut pro dignitate accipi poſſint. Ignoſce autem mihi quod ſerius ad te ſcribo, factum id, cùm quod neſcirem, quid animi tibi eſſet in hac re amplius, cum tanta argumentorum vi et & copia illuſtris vir *Joſephus Scaliger* tua evertiſſet: tùm quòd ſeries tua aculeata & maledica epiſtola ad me hiſce nundinis perlata eſſet. De impoſturis verò in reſponſione tua alibi erit dicendi locus. Lipſiæ 28. Aprilis Anno 1608.

ELIÆ REUSNERI LEORINI
Duarum Quæſtionum Chronologicarum, miniſterii Chriſti duratione & vero Æræ Chriſtianæ anno, enodatio Jenæ 1610.

FUNDAMENTA QUÆSTIONIS PRIMÆ.

I. CHRISTUM *διάδοχον Joanne Baptiſta minorem ſex menſibus* Luc. 1. *natum vivente adhuc Herode Rege.* Matth. 2.

II. *Auguſtum Cæſarem mortuum duobus Sextis Coſſ.* 19. *Auguſti*: à quo die cœpit imperium Tiberii Cæſaris. Dion.

III. *Joannem Baptiſtam miniſterium ſuum inchoaſſe XV. anno Tiberiani imperii.* Luc. 3.

IV. CHRISTUM *baptizatum anno ætatis ſuæ XXX. nondum completo.* Luc. 3.

V. CHRISTUM *in ara crucis paſſum circa finem anni* 4. *Olymp.* 202. quo Phlegon inuſitatam Solis Eclipſin obſervavit.

Notan-

Notandum.

Anni Mundi numerandi à tempore verno :
Olympiadum à ſolſtitio æſtivo :
Urbis conditæ à 21. Aprilis die : aut fortè rectiùs à Calendis Januarii.
Nabonaſſarei hic incipiunt in Auguſto :
Conſules Romani Calendis Januarii.

QUÆSTIO I.

Utrum CHRISTI miniſterio ſeſquitriennium, an verò ſeſquiquadriennium, ſit adſcribendum?

JOSEPHUS Scaliger, vir magnæ auctoritatis multæq; eruditionis, primus omnium contra receptam omnium Theologorum & Chronographorum ſententiam annos miniſterii CHRISTI ſeſquiquadriennio, ejusdem verò ætatis & vitæ annis XXXV. definiit: quam ejus opinionem erroneam eſſe, ſequens Chronologia ſolidiſſimis nixa fundamentis, apertè convincet.

A. M.	Nabon.	Olymp.	V. C.	COSS.
3969.	746. 24. Aug.	194.2.	750.	C. Corn. Lentulus. M. Val. Meſſalinus.

Zachariæ, λειτουργίαν, ſuam obeunti, promiſſa filii Joannis Baptiſtæ nativitas, *circa finem menſis Julii, ut ex Eccleſiæ Alexandrinæ ſententiâ ſtatuit Calviſius in ſuâ Chronologiâ pag. 462. vel, ut hodierna Eccleſia vult, conceptus exiſtimatur 24. Sept.*

Eodem hoc anno *circa initium Januarii, ut Calviſius putat pag. 462. vel, ut noſtra vult Eccleſia, 25. Martii,* nunciatur Mariæ Semper Virgini CHRISTI humanitas.

A. M.	Nabon.	Olymp.	V. C.	COSS.
3970.	747. 24. Aug.	194.3.	751.	Imp. Auguſtus Cæſar. M. Plautius Sylvanus.

Joannes Baptiſta natus *circa principium Maji, ut Calviſius putat, pag. 209. vel, ut Eccleſia vult, 24. Junii.*

A.C. CHRISTUS natus, *juxta Calviſii opinionem pag. 209. & 463. circa finem Septembris, & initium menſis Octobris: vel, ut Eccleſia vult, 25. Decemb.*

1. Eodem quoque anno, ut Eccleſia vult, eſt circumciſus 1. *Januarii*: & à Magis, ex Oriente advenientibus, adoratus 6. *Januarii*: item in templo Hieroſolymitano Deo oblatus 2. *Februarii.*

A. M.	Nabon.	Olymp.	V. C.	COSS.
3971.	748. 23. Aug.	194.4.	752.	Corn. Lentulus. L. Calpurnius Piſo.

2. Infanticidium Herodis, *quod Eccleſia hodierna 28. Decembris celebrat.*

☞ *ÆRA CHRISTIANA ex Dionyſii Abbatis ſupputatione incipit à Calendis Januarii.*

Herodis mors fœdiſſima paucis ante Paſcha diebus, *ante initium A. M. 3972. V.C. 753. ſub Conſulibus C. Julio Cæſare & L. Æmilio Paulo:* cum annos regnaſſet XL. à debellato & occiſo Antigono, & expugnatâ Hieroſolymâ XXXVII. à cæde Ariſtobuli ſummi Pontificis XXXIV. Regnum enim ipſi demandatum legitur A. V. 713. Domitio & Calvino Coss. cui reſpondet A. M. 3932. Nobiſcum ſentiunt Joſippus lib. 2.
3806 cap. 24. & 25. qui tot annos regno Herodis tribuit: & Philo Judæus,
129 qui à regno Judæ Macchabæi (*cœpit autem hoc A. M. 3807. anno*
37 *regni Seleucidarum 146.*) ad Herodem usque numerat annos 129. & ab hinc
3972 ad ejusdem mortem XXXVII.

Hîc ergo à *Joſepho* erratum; qui lib. 17. Antiqq. Judaic. c. 10. ſcribit, Herodem vitâ defunctum poſt detruſum regno Antigonum anno XXXIV. ex quo autem à Romanis Rex eſt declaratus, anno XXXVII. Hinc verè Siſyphi ſaxum volvere mihi videtur *Calviſius*, dum in Iſagoge ſuâ Chronologicâ pag. 195. & ſeqq. nimis anxiè Joſephum ab erroribus vindicare laborat. Sed quid opus, nodum in ſcirpo quærere? Utique enim *norma non ad lignum, ſed lignum ad normam eſt exigendum:* nec tanta Joſepho tribuenda auctoritas, ut idcircò vacillet atque claudicet fides Evangeliſtarum. Imò Joſephum minùs exquiſitâ diligentiâ, & fortaſſis quoque non ſatis bonâ fide, res geſtas horum temporum conſignaſſe, vel hinc manifeſtò patet: primùm, quòd nullam prorſus mentionem facit horrendi & cruentiſſimi infanticidii Herodis, à Matthæo c. 2. deſcripti: quod tamen in totâ Judæâ magis innotuit, quàm apud nos Germanos vel Inquiſitio Hiſpanica, vel Laniena Pariſienſis in nuptiis Henrici Navarreni Regis Galliæ. Deinde quòd ne verbulo meminerit nobiliſſimi illius cenſus, ab Auguſto Cæſare per univerſum terrarum orbem acti: & quidem, ut Lucas c. 2. ſcribit, Præſide in Syria Cy-

renio

A.C. renio ſive Quirino : quem Joſephus decimo demùm ab hinc anno, poſt Archelai relegationem, in Syriam miſſum fuiſſe memorat lib. 17. Antiqq. Judaic. c. ult. & lib. 18. c. 1. Abſit igitur, abſit inquam, ut Evangeliſtis fidem idcirco derogemus : quòd ne unicus quidem rerum Romanarum ſcriptor utriusque hiſtoriæ vel obſcurè meminerit. Etenim Livii iſtorum temporum monumenta penitùs interierunt : ex Dionis itidem hiſtoria res geſtæ ab anno V. C. 747. usque ad annum 757. atque ita quatuor ante & poſt χριστογονίαν ſex interciderunt anni : Suetonius verò nullo temporis ſervato ordine ſcripſit : Tacitus denique ab Auguſti demum morte ſuam auſpicatur hiſtoriam : ut nihil dicamus de mirando & ſuſpiciendo Dei conſilio : qui procul dubio tantas res nec à Judaicis nec ab Ethnicis ſcriptoribus, ſed à ſolis Evangeliſtis, literis mandari voluit : ut potiorem his quàm illis tribuerimus fidem : & in fidei articulis ſolius ſacræ paginæ ductum ſequeremur. Æra

	A. M.	Nabon.	Olymp.	V. C.	COSS.	
		761.			*Sext. Pompejus.*	
15.	3985.	20. *Aug.*	198. 2.	766.	*Sext. Appulejus.*	14.

Auguſti Cæſaris mors Nolæ in Campania 19. Aug. *Dion lib. 56. Suetonius in Auguſto:* ut fuſiùs hoc probat Calviſius in Iſagoge ſuâ Chronologicâ pag. 191. & ſeq. *Ab hoc anno & die numerandi veniunt anni Imperii Tiberiani.*

	A. M.	Nabon.	Olymp.	V. C.	COSS.	
		776.			*App. Junius Silanus.*	
29.	3999.	16. *Aug.*	201. 4.	780.	*P. Silius Nerva.*	28.

Joannes Baptiſta ſub initium anni XV. Imperii Tiberii Cæſaris, ex divina vocatione miniſterium N. Teſtamenti auſpicatur, *ætatis ſuæ anno XXIX. completo, cum quinq; menſibus, ſi juxta Alexandrinæ Eccleſiæ opinionem, quam Calviſius amplectitur, natalem ejus referimus circa finem menſis Aprilis : aut, ſi hodiernæ Eccleſiæ ſententiam ſequi malumus à natali ſuo usq; ad 28. Septembris diem complevit ætatis ſuæ annum XXIX. cum menſibus tribus, & quatuor diebus.* Sic juxta utramq; ſententiam Joannes Baptiſta ex mandato divino (*Numer. c. 4.*) miniſterium ſuum inchoavit anno ætatis ſuæ triceſimo. Integro autem anno ante Chriſtum prædicare ipſum cœpiſſe, à vero non eſt abſonum : quòd duræ cervicis fuiſſe Judæos, ſacra pagina paſſim arguit : qui Phariſaicis traditionibus faſcinati, novo Doctori & religionis reformatori patientes aures haud facilè præbuerunt : ideoque in ſolitudine viam Domino paraturus, & ſemitam Deo ſuo planam redditurus, in vallibus exaltandis, & montibus atq; collibus humiliandis, in curvis complanando, & exaſperatis lævandis (ut Jeſaiæ verbis c. 40. utamur) tanto tempore opus habuit.

	A. M.	Nabon.	Olymp.	V. C.	COSS.	
		777.			*C. Rubellius Geminus.*	
30.	4000.	16. *Aug.*	202. 1.	781.	*C. Fufius Geminus.*	29.

XVI. annus Imperii Tiberii incipit 29. Aug.

Christi in Jordane baptiſmus, cum nondum adhuc complevisſet annum ætatis ſuæ triceſimum. *Aut igitur tunc à triceſimo ætatis ſuæ anno pauculis abfuit diebus, ſi juxta Alexandrinæ Eccleſiæ opinionem natalem ejus ad finem menſis Septembris, ejusdem verò baptiſmum ad XIIX. ejusdem menſis diem, ut nonnulli arbitrantur, collocamus : aut duobus tantùm menſibus & diebus inſuper XIIX. ſi natalem ejus, ut noſtra ſentit Eccleſia, in 25. Decembris diem rejicimus.* Rectè autem ejus baptiſmum in hunc annum referimus. Non enim Evangeliſta dicit, Chriſtum XV. anno imperii Tiberiani eſſe baptizatum : ſed Joannem Baptiſtam miniſterium ſuum hoc anno auſpicatum : Chriſtum verò, univerſo populo à Joanne ſacri baptiſmatis lavacrum petente & accipiente, ab ipſo quoq; tunc eſſe baptizatum, cum jam eſſet fermè triginta annorum. *Diſtinguenda ergo ſunt tempora : & ſic conciliabitur ſcriptura.* Calviſius in inveſtigando die & anno baptiſmatis Chriſti mirificè ſe implicat, anxieq; torquet : quem in Iſagoge ſua Chronologica pag. 471. baptizatum affirmat, ut Eccleſia vult, die 6. Januarii : à qua veterum ſententia, ut quæ antiquiſſima ſit, & ab iis, qui à miniſterio Chriſti propiùs abfuerunt, aſſerta, non temerè diſcedendum eſſe contendit in epiſtola Chronologica pag. 18. Ibidem quoq; pag. 471. Chriſtum à Joanne baptizatum memorat anno æræ Chriſtianæ 29. quam quia à vero nativitatis ejusdem anno aberrare ſtatuit biennium : ideo juxta ipſius opinionem Chriſtus tunc ultra tres menſes aliquot diebus exceſſit annum ætatis XXX. Diverſum quodammodo quò ad diem & menſem, ſtatuit pag. 209. ſub finem c. 46. ubi Chriſtum natum videri ſcribit circa finem menſis Septembris, & poſtea circa eosdem dies poſt annos triginta baptizatum. Hæc quomodo inter ſe, & cum Evangeliſta Luca conſentiant, aut quomodo invicem conciliandæ ſunt, Oedipo certè indigent.

	A. M.	Nabon.	Olymp.	V. C.	COSS.	
		777.	202. 1.	781.	*M. Vinitius Quartinus.*	
31.	4001.	DURANTE.			*C. Caſſius Longinus.*	30.

Pascha miniſterii Chriſti Primum 6. April. durante adhuc. XVI. anno imperii Tiberiani, ſimiliterq; anno 1. Olymp. 202. *nam alter hujus Olympiadis annus demum cœpit à ſolſtitio æſtivo : quemadmodum & annus V. C. 782. cœpit die 18. April. & Nabonaſſaris 778.*

16. *Aug.*

A.C. 16. *Aug.* In hoc Paſchate num… rios, cæteroſque, qui columbas, oves, & boves vendebant, Chriſtus divino zelo è te… ejecit, Joan. 2. Æra.

A. M. *Nabon.* Olymp. V.C. *COSS.*
778. 202. 2. 782. *Tiberius Cæſar V.*
32. 4002. DURANTE. *Ælius Sejanus.* 31.

SECUNDUM Paſcha prædicationis Chriſti 26. Martii, XVII. anno Imperii Tiberii: cujus mentio fit Matth. 12. Marc. 2. Luc. 6. qui ſeptimum azymorum diem Sabbatum *ἀντιςάσιμον* nominat.

A. M. *Nabon.* Olymp. V.C. *COSS.*
779. 202. 3. *C. Domitius Ahenobardus.*
33. 4003. DURANTE. 784. *M. Furius Camillus.* 32.

TERTIUM Paſcha miniſterii Chriſti 23. Aprilis: quo ob Phariſæorum inſidias in Galilæa manſit. Johan. 7. *Incidit hoc in annum imperii Tiberii XIIX. Nabonaſſar anno 779. nam 780. incipit demum 13. Aug.*

A. M. *Nabon.* Olymp. V.C. *COSS:*
780. 202. 4. 784. *Serg. Cornelius Galba.*
34. 40?4. DURANTE. *L. Cornelius Sylla.* 33.

QUARTUM Paſcha τὸ ςαυρώσιμον 3. Aprilis: cujus omnes Evangeliſtæ meminerunt: celebratum anno Imperii Tiberii XIX. durante adhuc anno 4. Olymp. 202. quo Phlegon, teſte Euſebio, inuſitatam illam Solis Eclipſin obſervavit. *Hoc anno Olympias 203. acta ſcribitur 1. Auguſti. Vide Calviſium pag. 476.*

Cum his terminis Paſchalibus Calviſium quoque conſentire deprehendimus: ſi primum Paſcha, quod in XV. Tiberii annum incidit, removemus: niſi quòd nos ex Buntingo veros Paſchatis dies, lege divina (*Num. 9.*) mandatos, aſſignavimus: hic verò in ſua Iſagoge pag. 216. & 217. Paſchata ex traditione Rabbinorum, ratione Periodi Calippicæ, à Judæis celebrari ſolita, annotavit.

Atq; ita veritas quoq; conſtat oraculi Danielis de LXX. hebdomadibus: quæ non plus ſeſquitriennio, ſed dimidiam tantùm hebdomadem, tribuit miniſterio CHRISTI: cujus quoque præcipuum atque primarium ſcopum fuit, in hoc ſuo vaticinio conſolari populum de adventu Meſſiæ, durante adhuc ipſorum politiâ: ſecundarium de regni populique Judaici everſione & πανωλεθρίᾳ concionari. *De LXX. Danielis Hebdomadibus.*

QUÆSTIO II.

Utrum æra Chriſtiana unico tantùm anno, an biennio, à verâ Chriſti nativitate aberret? & utrum error iſte annis vitæ & miniſterii CHRISTI ſit adſcribendus.

Poſtquam hactenus ſatis ſuperque demonſtravimus, firmiſſimisque fundamentis probavimus, CHRISTUM mortuum anno Olymp.… quarto, regni Tiberii XIX. ætatis ſuæ currente XXXIV. *unde natalis ejus incidit in annum V.C. 751.* proximum nunc eſt, ut inquiramus fontes utriusque erroris: DIONYSII nimirum, *Abbatis Romani*, cujus culpa accidit, ut à vera CHRISTI nativitate Epocha ſive Æra Chriſtiana, qua hodie utimur, anno integro aberret: & SETHI CALVISII, qui eandem biennio aberrare putat. Penitiùs autem utriuſque errorem indagantibus, videtur alter ex depravatis Conſulum Romanorum annalibus, alter ex diverſa annorum Urbis conditæ ad Regum & Conſulum ſeriem conſignatione, à Romulo uſque ſcaturire. Romulum nempe Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 2. Antiqq. Romanar. Solinus c. 2. Livius lib. 1. dec. 1. rebus humanis exemtum eſſe ſcribunt regni ſui anno XXXVII. Varro autem XXXIIX. Unde Varroniana ſupputatio *quam Dion quoque ſequitur*, ubique Dionyſianam excedit anno uno uſque ad annum V.C. 1000. & Decii Imp. Rom. ſeculum. A quo tempore Annales Conſulum Romanorum depravati ſunt: & per triginta ferè annos nulla certa eorundem ſeries traditur. Hæc illa eſt Charybdis: in quam Dionyſius Exiguus Abbas Romanus, æram Chriſtianam per annos 532. retrorſum inveſtigans, à depravatis Conſulum Annalibus deceptus, quodammodò abreptus, integro anno à vera CHRISTI nativitate aberravit: hæc illa (inquam) Charybdis, quæ annum hunc unà cum martyrum ſanguine, ſub Decio & Valeriano Impp. ubertim profuſo, quaſi abſorpſit. Unde rectè infero, *ex hac Charybdi errorem Dionyſii redundare, ac proinde annis vitæ & miniſterii CHRISTI eum non eſſe adſcribendum.* *Erroris Dionyſii Abbatis fons.*

Hanc Dionyſianam Charybdin vitare volens *Calviſius*, verè incidit in Scyllam. Dum enim erroneam Varronis, quæ multis viris doctis impoſuit, ſequitur ſupputationem: natalem CHRISTI, quem in annum V. C. 751. incidiſſe diximus, ad Corn. Lentuli & Val. Meſſalini Conſulatum alligare neceſſe habuit: unde dato uno inconvenienti, poſtea ſecuta ſunt plura. Hinc etenim, ceu ex fœcundâ ſcaturigine, plures oriuntur errores: cujuſmodi ſunt, quòd æram Chriſtianam à vero nativitatis CHRISTI anno biennium aberrare ſtatuit: quòd CHRISTI miniſterio ſeſqui quadriennium, ejus verò vitæ in terris actæ annos XXXV. adſignat: quòd item hunc Dionyſii errorem annis vitæ & miniſterii CHRISTI adſcribit. Hinc quoque ſeries omnium Conſulum, ad annos Orbis & Urbis alligata, uſque ad CHRISTI nativitatem, ubique anno integro excedit: & abhinc eadem æræ Chriſtianæ agglutinata, ad Decii uſque ſeculum integro anno deficit & minor apparet: atque ita conſequenter omnium epocharum anni ad erroneam Dionyſii æram malè ſunt accommodati. *Erroris Calviſii fons.*

In noſtrâ verò Iſagoge Hiſtoricâ ſeries Conſulum Romanorum cum annis Urbis conditæ, ut & cum veris τῆς χρονογραφίας annis, ad Philipporum Impp. uſque cædem & Decii ſeculum, ubique congruit: unde & ex illorum regni annis ſeptem (*tot enim Euſebius & Caſſiodorus ipſis adſignant*) unus nobis periit: à quo tempore, ob errorem hunc Dionyſianum, vulgatam æram Chriſtianam huc uſq; *Auctoris commentum de ſua Iſagoge Hiſtorica.*

retinere cogimur: quandoquidem ejus emendatio abſque magnâ Annalium & hiſtoriarum confuſione ſuſcipi nequit: ac proinde ad errorem iſtum inemendabilem excuſandum, annos CHRISTI à Decii imperio currentes pro completis eſſe habendos, rectè ſtatuimus.

Iudicii Calviſii iniquitas.

Hæc omnia, quæ in duabus his quæſtionibus pro utriuſque ſententiæ noſtræ confirmatione hactenus attulimus, ſi probè & dextrè expendiſſet Calviſius: rectiùs propria, quàm aliena, cæderet vineta: nec in Epiſtolâ ſuâ Chronologicâ de noſtrâ Iſagoge Hiſtoricâ tam ſiniſtrum ageret Ariſtarchum. Sed, juxta Catullianum illud, non videmus manticæ, quod in tergo eſt.

Appendix.

De NABONASSARE & NABOPOLASSARE.

PRo coronide illud quoque paucis monendum duximus: quoniam à nonnullis Chronologicum moveri bellum video, qui Funcii aut Bucholceri amplectuntur opinionem, de NABONASSARE & NABOPOLASSARE; utrum alter ſit SALMANASSAR, alter NABUCHODONOSOR ille magnus, nec ne: me hanc litem nec meam facturum, nec ſuper eâ cum quoquam digladiaturum: utpote quæ nec ſcienti multùm prodeſt, nec ignoranti nocet. Nec enim iſta controverſia ullum fidei articulum concernit: nec in eâ ſalus animæ periclitatur: ut proinde cuivis impunè ab altero diſſentire liceat.

Authoris Iſagoges ſuæ vindicatio à calumnioſa errorum criminatione.

Sed nec ulla cum Prophetis pugnantia in Iſagoge noſtra Hiſtorica deprehendetur: ſi modò dextra & commoda illorum adhibeatur interpretatio. Etenim Jeremias Propheta c.50. eandem Babyloniis minitans cladem, qualem ſenſerunt Aſſyrii: vel reſpicit ad everſionem regni Aſſyriorum ſub Sardanapalo: quo Ninive capta ad rogum compulſo, Arbaces Mediæ Præfectus cum Phul-Belocho regnum illud inter ſe diviſerunt: vel de Ninives ſimul excidio, brevi & certò ſecuturo, vaticinatur more & phraſi Prophetis uſitata: utpote quibus, de certitudine promiſſionum & comminationum divinarum vaticinaturis, familiare eſt verbis uti præteriti temporis. De LXX. hebdomadibus captivitatis Babylonicæ ſententiam noſtram prolixè expoſuimus in Appendice Iſagoges Hiſtoricæ pag. 28. & 29.

Ad MERODACHUM quod attinet, qui poſt legatos ad Ezechiam miſſos (*4. Reg. 20. Eſa. 38. & 2. Paral. 32.*) Aſſarrhaddoni demum debellato & occiſo in Aſſyriorum regno ſurrogatus ſcribitur, ita ſtatuo: aut ſacram paginam honeſtiori & notiori Regis nomine eum dignari voluiſſe: aut certè eum ſtatim poſt funeſtam Sennaheribi cladem Hieroſolymitanam, ejuſque cædem, Babylonicum regnum, cujus Præfectus fuerat, ſibi uſurpaſſe; & dehinc Aſſarrhaddone debellato Aſſyriorum quoque regnum huic conjunxiſſe.

Et hæ meæ aſſertiones tamdiu conſiſtent, firmæque manebunt: donec adverſa pars, quæcunque illa fuerit, probaverit; quoſnam anteceſſores & ſucceſſores Nabonaſſar habuerit, & quo ordine & quot annos quiſque regno præfuerit. Nec enim credendum, primam hanc monarchiam, quam Daniel c.2. aureo capiti comparat, fuiſſe ἀκέφαλον. Impunè igitur mihi liceat ab Ariſtarchis illis diſſentire: quibus omnia à cæteris Chronographis laudabiliter obſervata ſordent: ſibique ipſis Suffeni, laureolam in muſtaceis quærunt.

SETHI CALVISII.

De enodatione duarum Quæſtionum Chronologicarum annum Nativitatis & tempus miniſterii CHRISTI concernentium, ab Elia Reuſnero propoſitarum admonitio, Erforti impreſſa 1610.

EDidit Elias Reuſnerus, Profeſſor hiſtoriarum Jenenſis, ſuperiori anno Iſagoges hiſtoriæ libros duos, in quibus, quo ad hiſtorias conſignandas ſecutus eſt Heinricum Buntingum; in tempore verò annotando Abrahamum Bucholcerum, celebres quidem Chronologos, ſed plurimum inter ſe diſſentientes, ideo quod alter characteres Chronologicos ut plurimum ſequitur, alter verò horum rudis opinionibus tantum & conjecturis fertur. Quopropter Reuſnerus etiam, quando Chronologiam ſuam à condito Mundo ad noſtra tempora uſque deducit, dum utroſque inter ſe inconſultè miſcet, non ſolum in plurimis locis errat & labitur, ſed etiam me, cum amicitia inter nos ex communicatione literarum coaluiſſet, & ipſe nulla à me injuria laceſſitus eſſet, errorum & falſarum hypotheſium coarguit. Injuriam hanc ego tacitus muſſitare cogitaram, ſed cum amici putarent, Chronologiæ intereſſe, ut & de meis & Reuſneri fundamentis Studioſi erudirentur, Epiſtolam ad eundem ſcripſi Chronologicam, in qua leniſſimis verbis, abſque ulla inſectatione rem nudè, ut eſt, propoſui, & non me, ſed illum ipſum errare & nihil ad verum ſuum annum in tota ſua Iſagoge Chronologica à Diluvio uſq; ad decentos annos poſt natum CHRISTUM retuliſſe, evidenter, luculenter, & ad oculum demonſtravi. Oſtendi etiam ipſum non tantum in hiſce celebrioribus hiſtoriarum epochis, ſed etiam in anno Nativitatis CHRISTI rectè definiendo aberrare. Reuſnerus contra, etſi perſpiciebat ſe erraſſe, quod & in commonitione ſua fere in ſingulis lineis fatetur; tamen turpe putavit penitùs ſilere. Ideo de anno Nativitatis CHRISTI tantum in commonitione ſua diſſerit, & publicè fatetur, ſe in anno Nativitatis Chriſti imprudentem in errorem delapſum, ſed quod ad alias epochas attinet, dicit ſe Aſtronomiæ in ſua ſenecta & in graviorum rerum tractatione operam dare, aut ad examen ejuſdem ſcientiæ Chronologiam ſuam revocare non poſſe, mandatq; eandem rem ocioſis & curioſis. Fatetur ita, ſe de certitudine illarum epocharum incertum eſſe, & fieri potuiſſe, ut aberrarit. Multò ſatius fuiſſet, ſi errores ſuos ingenuè confeſſus eſſet, & aberrantes Chronologiæ ſtudioſos à ſe ſeductos in viam revocaſſet. Sed ipſe maluit hæc taceri, quod futurum ſperaret, eandem vetuſtate & tempore tandem obliteratum iri.

Errorem verò ſuum de anno Nativitatis CHRISTI ita corrigit, ut in multò fœdiorem delabatur. In Iſagoge annum verum Nativitatis CHRISTI ad annum Urbis 750. ad Coſs. Lentulum & Meſſalinum jam magiſtratu propedium abeuntes in 25. diem Decembris contulerat, atque ita integro anno eandem priorem fecerat, quam eſt æra Chriſtiana, qua vulgo utimur. In Commonitione verò ſua errorem hunc ita corrigit, ut dicat, Annum Nativitatis CHRISTI non ad annum Urbis 750. ad ſuperiores Coſs. Auguſtum Cæſarem & Sylvanum referri debere. Sed dum hoc dicit, in multò fœdiorem errorem incidit, quando expreſſe affirmat, *Vulgatam & receptam opinionem eſſe, ſtatuere CHRISTUM natum Meſſalino & Lentulo Coſs.* qua periphraſi procul dubio æram Chriſtianam, qua annos à CHRISTO nato communiter dinumeramus, intelligit. Nec enim alia eſt vulgata multò minus recepta opinio de anno Nativitatis CHRISTI, &, cum hi Coſs. Meſſalinus & Lentulus integro anno præceſſerint Coſs. Auguſtum & Sylvanum, ad quos veram nativitatem CHRISTI alligat, integro anno æram Chriſtianam antiquiorem facit, quam anno ætatis CHRISTI, unde ſequitur, quod anno quidecimo Tiberii, qui incidit in annum 28. æræ Chriſtianæ, etiam ipſo Reuſnero in hac quæſtionum enodatione teſte, anni ætatis CHRISTI tantum ex ipſis ſententia numerandi ſint 27. nondum completi. Si hoc non eſt hallucinari, errare & labi in chronologicis, neſcio, quid inconvenientius ſtatui poſſit. Facit enim CHRISTUM tantum viginti ſeptem annorum cum baptiſaretur, contra expreſſa Evangeliſtæ Lucæ verba.

Admonitus autem à me de hoc ſuo graviſſimo lapſu alias ſuorum errorum latebras jam quærit, & cum nullibi effugium pateat, ad Iſagogicum ſuum errorem, tanquam canis ad vomitum redit, cumque iterum jam publicè in duarum quæſtionum Chronologicarum, quarum primam facit: Sitne miniſterio CHRISTI ſeſquitriennium, an ſeſquiquadriennium adſcribendum, alteram: utrum æra Chriſtiana unico tantum anno, an biennio à vera CHRISTI nativitate aberret, enodatione proponit. Et quidem rem ita tractat, ut primò unicuique videri poſſit, planè eſſe aliam ſententiam, quam aut in commonitione ſua, aut in Iſagoge propoſuit: Verum ſi quis eandem propius adſpexerit & involucra, quibus errorem ſuum tegere conatur, paululum evolverit, liquidò apparet, eum manifeſte in errorem Iſagogicum relabi, totam rem conſultò obſcurare, & dedita opera lectorem fallere, & à vero abducere voluiſſe. Turpè putatur vulgò bis ad eundem, ſed Reuſnerus, ut ſua ſalvet, vel tertiò ad eundem impingit. Cùm verò interſit reipubl. literariæ, ne Chronologiæ ſtudioſi imprudenter in errores deducantur, & ut calumnias etiam mihi in hac enodatione ab ipſo, aſperſas, quaſi ſpongia quadam detergeam: Paucis quid de duabus hiſce quæſtionibus ſentiendum ſit, ex ipſa hac Reuſneri enodatione proponam.

Fundamenta, ex quibus enodationem ſuam extruit, mihi etiam retineo.

1. CHRISTUM [illegible] Johanne Baptiſta minorem ſex menſibus, Lucæ 1. & natum vivente Herode Rege, Matth. 2.
2. Auguſtum Cæſarem mortuum duobus Sextis Coſs. die 19. Aug. à quo die cœpit imperium Tiberii.
3. Johannem Baptiſtam miniſterium ſuum inchoaſſe anno quindecimo imperii Tiberiani, Lucæ 3.
4. CHRISTUM baptiſatum anno ætatis ſuæ triceſimo ferè completo, Luc. 3.
5. CHRISTUM in ara crucis paſſum circa finem anni 4. Olymp. 202.

Epochæ etiam mihi eodem modo incipiunt, quemadmodum Reuſnero.

Putat autem Reuſnerus per Chronologiam in annis Mundi Nabonaſſaris, Olympiadum & Urbis conditæ atque Coſs. deſcriptam, rem explicari poſſe, eamque proponit hoc modo.

An. ær. Chriſti.	Anni Mundi.	Anni Nabonaſſ.	Anni Olymp.	Annni Urbis.	Coſs.	Anni ær. Chr.
0	3969.	746. *24. Auguſt.*	*Olymp. 194 Annus 2*	750	*C. Corn. Lentulus. M. Valen. Meſſalinus.*	
1	3970.	747. *24. Aug.*	*Olymp. 194 Annus 3*	751	*Imp. Auguſtus Cæſar. M. Plautius Sylvanus.*	
2	3971.	748. *23. Auguſt.*	*Olymp. 194 Annus 4*	752	*Corn. Lentulus. Calpurnius Piſo.*	1
15	3985.	762. *20. Auguſt.*	*Olymp. 198 Annus 2*	766	*Sext. Pompejus. Sext. Appulejus.*	14
29	3999.	776. *16. Auguſt.*	*Olymp. 201 Annus 4*	780	*Jun. Silanus. Silius Nerva.*	28
30	4000.	777. *16. Auguſt.*	*Olymp. 202 Annus 1*	781	*Rebellius Geminus. Fuſius Geminus.*	29

Hæc eſt pars Chronologiæ à Reuſnero in hac enodatione propoſitæ, quæ improbari non poſſet, ſi ſibi conſentiret, & prima ultimis reſponderent: at cum contra fiat, & prima ab ultimis diſſentiant, evincitur, falſam eam eſſe, falſum itidem quicquid hinc extruitur: Falſitas ejus hoc modo oſtenditur, quando tertius in hac delineatione annus cum quarto, quinto, & ſexto confertur, hoc eſt, ſi collatio inſtituatur anni ſecundi ætatis CHRISTI cum decimo quinto ætatis CHRISTI cum viceſimo nono & triceſimo. Si enim decimus quintus annus ætatis CHRISTI incipit cum Coſs. *duobus Sextis*, & anno Urbis, (quem cum Reuſnero rectius à Calendis Januarii incipio, ut & cæteros ejuſdem epochæ) 766. qui fieri poteſt, ut annus ætatis CHRISTI ſecundus incipiat cum Coſs. *Cornelio Lentulo & Piſone*, ſive cum anno Urbis 752. Sive hoc modo. Si annus ſecundus Olymp. 198. & annus Nabonaſſ. 762. Item annus Mundi 3985. incidunt in annum ætatis CHRISTI decimum quintum, qui fieri poteſt, ut annus quartus. Olymp. 194. & annus Nabonaſſ. 748. & annus Mundi 3971. conferri queant

in annum ſecundum ætatis CHRISTI. Numerate, ſulti, in digitis. Si annus Urbis conditæ 752. annus Mundi 3971. annus 748. Nabonaſſ. & annus quartus Olymp. 194. conferuntur cum ſecundo anno ætatis CHRISTI, nonne annus Urbis conditæ, 766. annus Mundi conditi 3985. annus Nabonaſſ. 762. annus ſecundus Olymp. 198. conferri debent cum anno decimo ſexto ætatis CHRISTI? Nemonè eſt Jenæ in Academia Clariſſimis viris affluente, ex quo Reuſnerus numerare diſcere potuiſſet. *Obiter moneo de annis Nabonaſſareis, ad annum quindecimum ætatis CHRISTI annotatis, quod autor ſcripſerit tantum 761. qui die Aug. 20. ſuperioris anni cœperit, ideò quod Augusti Cæſaris obitum eò referat, qui mortuus eſt die 19 Aug. die ultimo hujus anni Nabonaſſarei, ſed ſequenti die 20. Aug. incipit annus Nabonaſſ. 762. quod Reuſnerus facilè concedet, & collatio ſequentium annorū id manifeſtè oſtendit.*

Ut res magis ob oculos ponatur, appingam Chronologiam horum annorum ad formam Reuſnerianam.

Ætas Chriſti	Anni Mundi	Anni Nabonaſſ.	Anni Olymp.	Anni Urbis	Coſs.
2	3971	748	*Olymp. 194. Annus 4.*	752	*Cornel. Lentulus. Piſo Augur.*
3	3972	749	*Olymp. 195. Annus 1*	753	*Julius Cæſar. Æmilius Paulus.*
4	3973	750	2	754	*Vinulius Nepos. Alfinius Varus.*
5	3974	751	3	755	*Ælius Lamia. Servilius Geminus.*
6	3975	752	4	756	*Ælius Catus. Sentius Saturninus.*
7	3976	753	*Olymp. 196 Annus 1*	757	*Meſſala Voluſus. Cornelius Cinna.*
8	3977	754	2	758	*Æmilius Lepidus. Aruntius Nepos.*
9	3978	755	3	759	*Metellus Creticus. Nerva Silanus.*
10	3979	756	4	760	*Camillus. Nonnius Quinctilianus.*
11	3980	757	*Olymp. 197 Annus 1*	761	*Sulpitius Camerinus. Poppæus Sabinus.*
12	3981	758	2	762	*Cornelius Dolabella. Junius Silanus.*
13	3981	759	3	763	*Æmilius Lepidus. Statilius Taurus.*
14	3983	760	4	764	*Germanicus Cæſar. Fontejus Capito.*
15	3984	761	*Olymp. 198 Annus 1*	765	*Silius Nepos. Munatius Plancus.*
16	3985	762	2	766	*Sext. Pompejus. Sext. Apulejus.*
17	3986	663	3	767	*Druſus Cæſar. Norbanus Flaccus.*

Conſules hoſce omnes autores & annales eodem modo recenſent, nec eſt quicquam, quod cuiquam in iis denumerandis ſcrupulum injicere poſſit. *Obiter hic addam, Dum Coſs. in Iſagoge Chronologica Reuſneri luſtro, video Ovidii Poetæ mortem annotatam ad Coſs. Meſſalam & Cinnam quinquennio antequam in Pontum relegatus eſt. Nam Elegia quinta de Ponto, cujus initium:* Ite leves elegi, *dirigitur ad Sextum Pompejum Conſulem, in cujus Conſulatu Auguſtus mortuus eſt, & in ſequentibus Elegiis ad Albinovanum dicit ſextam hyemem exilii ſui eſſe. Relegatus igitur eſt quinque ſolidis annis ante Auguſti mortem. Porro Elegia 9. lib. 4. dicit Pomponium Flaccum Pomponii Græcini fratrem faſces proximo Januario ſumturum tertio anno poſt Auguſti mortem. Errat igitur Reuſnerus, cum Ovidius non propter Juliam filiam Auguſti, ſed propter Juliam Neptem relegatus ſit.* Sed ad rem.

Videtis, ſtudioſi Chronologiam hanc Reuſneri non conſiſtere ſecum, & malè numeratam eſſe. Errorem verò hunc latere ſciatis, non in anno æræ Chriſtianæ 14. qui cum quidecimo ætatis CHRISTI confertur, ſive in annis ſequentibus, qui omnes ſeſe rectè habent, & ad meam Chronologiam correcti ſunt, ut videre eſt, ſi cum Iſagoge Chronologica Reuſneri conferantur, ſed in primo anno æræ Chriſtianæ, & reliquis, qui hunc præcedunt, quos ſi ad annum æræ Chriſtianæ 14. & ſequentes etiam rectè emendaſſet, hoc eſt, ſi totam Iſagogen ſuam recoxiſſet, non nego, multis de cauſis eam approbari poſſe. At verò, cum hoc non fecerit, ſed paucos tantum annos emendarit, & tamen glorietur, ſe conſulum ſeriem per totam Iſagogen ad veros annos redegiſſe, quis hoc ipſi concedet? Errores ejus ob oculos poſiti ſunt. Cogitate jam, cum Reuſnerus tàm perverſè hoſce Coſs. & annos numeraverit, an caſu, an verò data opera hunc errorem commiſerit. Si caſui errorem adſcribetis, injuriam facietis eius induſtriæ & eruditioni; Si voluntati, ex malo Chronologo peſſimum facietis, qui conſulto homi-

hominesfallat & ſeducat. Porrò, ſi annus mundi Reuſnerianus 3985. & reliquæ epochæ rectè ad hypotheſin ſecundi ætatis CHRISTI anni à Reuſnero propoſitam conferantur, manifeſtum fiet, ut dixi, per annum Mundi 3985. & reliquas adſcriptas epochas deſignari annum ætatis CHRISTI decimum ſextum, quo Auguſtus defunctus eſt & Tiberius imperium ſuum inchoavit, & cum ab hoc tempore, uſque ad initium anni quindecimi imperii Tiberiani anni quatuordecim ſoludi interſint, ſi iidem anni 14. anno 16. ætatis CHRISTI addantur, demonſtratur, CHRISTUM in initio anni quindecimi Tiberii non tantum viginti novem ætatis annos compleviſſe, ſed triceſimum etiam exceptis paucis menſibus exegiſſe. Et cum CHRISTUS baptiſatus ſit anno ætatis triceſimo, ſequitur eum baptiſatum paulo poſt initium quindecimi anni Tiberiani, anno æræ Chriſtianæ 28. atque ita etiam Reuſnero teſte quatuor Paſchata in miniſterio ſuo obiiſſe, & in Paraſceve Paſchatis anni 33. æræ Chriſtianæ, triceſimo quinto verò ætatis ſuæ crucifixum. Hoc modo quæſtio prima de annis miniſterii CHRISTI definita eſt, quod videlicet ei quatuor anni cum aliquot menſibus tribuendi ſint, etiam ex Chronologia & Calculo Reuſneri, alias enim rationes, quas in Iſagoge mea propoſuui, lubens omitto, ſat mihi jam adverſarii mei calculus. Secunda etiam quæſtio hinc definitur. Si enim annus 28. æræ Chriſtianæ eſt annus ætatis Chriſti triceſimus, ut ex hypotheſi Reuſneri apparet, anni ætatis Chriſti utiq; biennio ab æra Chriſtiana diff. runt, cum 28. & 10. binario differant, non unitate.

Jam annos hoſce in Chronologia hac Reuſneri ſeorſim conſiderabimus, ſed Conſules tantum adſcribemus cum annis Urbis, ii enim, cum calendis Januarii anno incipiente Magiſtratum ineant, & anno deſinente Magiſtratu abeant, annos rectiſſimè, & apertiſſimè delineant, nec imperitioribus ullū ſcrupulum injicere poſſunt, id quod in aliis Epochis ſuo initio diſcrepantibus facilè accidere poteſt.

Ad Coss. *Lentulum & Meſſalinum*, Anno Urbis conditæ 750. ſcribit Reuſneros Conceptionem Johannis Baptiſtæ factam vel circa finem menſis Julii, vel etiam in Septembri. *Eodem etiam anno, inquit, vel circa initium Januarii vel die 25. Martii nunciatur Mariæ CHRISTI humanitas.* Sed, quæſo, ſunt ne hæc, quæ in unum annum congerit, uno eodemq; anno facta? nonnè Conceptio Johannis ſex menſibus prior eſt conceptione Chriſti? Sive igitur jam conceptio Johannis acciderit circa finem Julii, ſive circa Septembrem: tamen conceptio Chriſti in hunc annum, quo conceptio Johannis facta eſt, conferri non poteſt, ſed aut conceptio Johannis in præcedentem annnum removenda eſt, aut cōceptio Chriſti in ſequentem. Sed ſi conceptionem Chriſti in ſequentem annum contulerit, ſtatuet eum iis Cal. Jan. circumciſum, cum nondum in utero matris ſuæ conceptus eſſet, ut poſt videbimus.

Ad ſequentes *Coss. Auguſtum Cæſarem & Sylvanum*, Anno Urbis 751. verba Reuſneri ſunt: *Johannes Baptiſta natus, vel circa principium Maji, vel die 24. Junii. CHRISTUS natus, vel circa finem Septembris, vel die 25. Decemb. Eodem quoq; anno, ut Eccleſia vult, eſt circumciſus 1. Janua. & à Magis adoratus 6. Jan. & DEO oblatus 2. Febr.* Quid dicam, Lector candide, vix me contineo, quin exclamem, certe Reuſnero opus eſt helleboro, quo caput purget. CHRISTUS natus eſt, inquit Reuſnerus, die 25. Decemb. hujus anni, & eodem hoc anno calendis Januarii eſt circumciſus. Eſt ne circumciſus integro ferè anno, antequam naſceretur? Id enim videtur ſtatuere, immò verè ſic ſentit, id demonſtro ex ipſius Chronologia hic propoſita. Ad annum enim ſequentem ad Coss. *Lentulum & Piſonem* ex altero latere annotat annum ſecundum ætatis CHRISTI. Si Coss. *Lentulus & Piſo* magiſtratum ineuntes incipiunt ſecundum annum ætatis Chriſti, Ergo præcedentes Coss. *Auguſtus & Sylvanus* inceperunt primum. Primus annus autem ætatis Chriſti inchoatur ab ejusdem circumciſione. Ergo Reuſn. circumciſionē Chriſti rejicit in cal. Jan. quibus Conſulatū inierunt Auguſtus & Sylvanus.

Deinde circumciſionem CHRISTI in Calendas Januarii, quando Conſulatum capiebant *Lentulus & Piſo* ideò conferre non poteſt, quia iisdem calendis adſcribit primum annum æræ Chriſtianæ. Anni autem æræ Chriſtianæ, ut ſecunda quæſtio definit, & ipſe putat, integro anno ab annis ætatis differunt. Ergò neceſſariò circumciſio Chriſti à Reuſn. in præcedentem annum eſt conferēda.

Tertiò Circumciſionem Chriſti in haſce calendas Conſulatus *Lentuli & Piſonis* iterum conferre non poteſt. Quia primus annus æræ Chriſtianæ neceſſario, ut quæſtio ſecunda conſiſteret, ab anno Mundi Reuſneriano 3971. in annum Mundi ſequentem, in annum 3972. removendus eſſet, quod ſi fieret, univerſa Chronologia Reuſneri everteretur. Si enim annus Mundi 3972. eſt primus æræ Chriſtianæ, Ergò hic annus æræ Chriſtianæ 1610. eſſet Mundi 5581. id quod Reuſnerus nunquam concedet, nec fieri poterit, niſi univerſam ſuam Iſagogen Chronologicam recoxerit, & pugnaret præterea cum omnibus Calendariis hujus anni ferè. Reſtat igitur, ipſum ſtatuere, CHRISTUM Salvatorem noſtrum circumciſum aliquot menſibus antequam conciperetur, ſemeſtri ferè antequam Johannes naſceretur, & integro anno ferè antequam ipſe in lucem ex Maria virgine ederetur. Solve ſi poteris hunc nodum, Reuſnere, ſed nunquam id facies, niſi totam tuam Iſagogen emendaveris. Quod ut facias, te magnoperè rogo. Emendaſti eandem ad meam & Buntingi Chronologiam in annis æræ Chriſtianæ 14. & ſequentibus, uſque ad annum æræ Chriſtianæ 33. Perge quæſo, turpe nulli unquam fuit ab erroribus recedere, & à ſe ſeductos in viam revocare, quemadmodum nemo tibi vitio vertet, quod in hiſce annis æræ Chriſtianæ 14. 28. 29. &c. te erudiri paſſus es, & ſententiam, quam in Iſagoge propoſueras, mutaſti, Quod ſi ſeriò feceris & fundamenta Chronologica rectiùs penſitaveris, intelliges me non ſiniſtrum Ariſtarchum in tua hiſtorica Iſagoge judicanda fuiſſe: Sed omnia ex fundamentis firmis & immotis in mea Epiſtola Chronologica propoſuiſſe. Interim cum res geſtas horum annorum adeo turbare volueris, judicent candidi lectores, an mentis errore acciderit: an verò dedita opera, ut lectoris animus diverſitate rerum implicaretur & falleretur. Nos pergimus ad alia.

Ad eosdem Coss. *Lentulum & Piſonem* annotat Reuſnerus Herodis obitum, ubi occaſione ſumta excurrit in vituperationem Joſephi Hiſtorici, maleq; ipſum habet, quod à me defendatur. Ego verò certiſſimo charactere, eclipſi lunari oſtendi, Joſephum in deſignandis annis Herodis nequaquam falli, & autoritatem Evangeliſtarum ſalvam illibatamque ſtante ſententia Joſephi, rectiſſimè conſer-

vari poſſe, quod & præſtiti, etiamſi contra conſcientiam ſuam Reuſnerus hic oblique innuat, me à ſententia Evangeliſtarum, ut Joſephum ſalvum conſervarem, diſceſſiſſe, nunquam hoc probabit. Cur verò Joſephum & alios hiſtoricos non defenderem, vel commoda interpretatione adjuvarem, ſi fieri poteſt? quales tandem futuri ſunt Hiſtorici & Chronologi noſtri, ſi ipſi ſua vineta cedere, & hiſtoricis autoritatem omnem adimere velint? quibus tandem fundamentis inſiſtent?

Deinde verum ſimpliciter non eſt, Joſephum deſcriptionis ſub Auguſto, aut cædis infantum non meminiſſe, meminit enim, ſed obſcurius aliquantò & implicitè. Legatur caput 3. lib. 17. Antiquitatum, ubi meminit diſſidiorum in regia Herodis domeſticorum, cum Alexander & Ariſtobulus ejus filii trucidati eſſent, & Antipater tertius filius profugere conſtituiſſet, quod procul dubio vel annuo ſpacio vel biennio ante mortem Herodis accidit, ubi ſic inquit: *Cum tota gens Judæorum, Regi & Cæſari fidem ſuam jurejurando obligaſſet,* (hæc verba, quid aliud volunt, quam deſcriptionem ſub Cyrenio) *Phariſæi ſoli non jurarunt, quorum numerus fuit ad ſex millia, ſed hoc nomine ab Herode multati ſunt: pro quibus tamen Pherora uxor mulctam perſolvit, quod Phariſæi prædicarent, decretum eſſe DEO, regnum ablatum iri ab Herode,* (Alludit proculdubio ad Concilium Phariſæorum propter Magos ab Herode congregatum) *itaq; multos ex hac conſpiratione interfecit.* (Cur non etiam infantes Bethlehemiticos? eum enim locum regis nuper nati Concilium Phariſæorum deſignarat.)

Ad annum æræ Chriſtianæ 28. ad Coss. *Silanum & Nervam* annotat *Johannem Baptiſtam*, ſub initium anni 15. Tiberii, miniſterium ſuum inchoaſſe. Rectè hæc omnia. Nam & Epochæ hic annotatæ rectè ad 28. æræ Chriſtianæ referuntur. Et Evangeliſtæ Lucæ verba volunt, Johannem hoc tempore baptiſare cœpiſſe, gratulor itaq; Reuſnero, quod ex Chronologia mea tantum profecerit, ut Iſagogen emendatione hoc in loco indiguiſſe animadverterit, hortorq; eum, ut in aliis locis etiam hoc faciat. Sed tamen Johannem integro annuo ſpacio Baptiſmum adminiſtraſſe, priusquam Chriſtus baptiſaretur, hoc planè novum, & à nemine unquam vel Theologorum vel Chronologorum aſſertum eſt. Recentiores enim omnes affirmant, cum Johannes baptiſare cœpiſſet in feſto Clangoris tubarum, CHRISTUM decimo Tiſri, in feſto Expiationis baptiſatum. Antiquiores putant CHRISTUM baptiſatum 6. Januarii, quatuor menſibus poſt inchoatum Baptiſmum à Johanne. Cujus autoritate Reuſnerum hoc affirmare dicam? Ego nihil horum aliàs legi. Miror Theologos Jenenſes concedere, ut hujusmodi Paradoxum in Academia proponatur. Verum enim eſſe non poteſt, cum etiam ex hac Chronologia à Reuſnero hic propoſita, ut ſupra habuimus, manifeſtum ſit, CHRISTUM anno hoc æræ Chriſtianæ 28. trigeſimum ætatis annum egiſſe, quo ætatis anno certè baptiſatus eſt, & non trigeſimo primo quod fieret, ſi ejus Baptiſmus in ſequentem annum differretur.

Ad Coss. *Geminos utrosq;* ſcribit meam Chronologiam Oedipo interprete indigere, quod ſcribam pag. 209. CHRISTUM baptiſatum videri circa initium menſis Octobris, alibi autem, ut pag. 471. die ſexta Januarii. Sed manifeſtè in loco citato pag. 471. ubi utramq; ſententiam conjunxi, addidi hæc verba: Amplectatur Lector ſententiam, quam velit. Cum igitur utraque opinio abſque præjudicio aliquo in Eccleſia retineatur, cur ego non uterer libertate, quam omnibus concedo, & de probabilitate utriusque in utramque partem diſputarem. Eſt ne Reuſnerus tam hebetis ingenii, ut hoc non capiat?

Ad Coss. *Galbam & Syllam* ad annum æræ Chriſtianæ 30. annotat, quòd ego in terminis Paſchalibus ſecum conſentiam, ſed ſe veros Paſchatis dies ex lege divina mandatos conſignaſſe, me verò eosdem ex periodo Calippica conſcripſiſſe. Sed nonne dies Paſchatis ex plenilunio ſingulis annis definiuntur? ubi jam in lege divina ſcriptum eſt, anno æræ Chriſtianæ 30. die 6. Aprilis & ſequenti anno 26. Martii, & ſic deinceps, pleniluniū futurum & iisdem diebus Paſcha celebrandum. Oſtendat mihi locum in lege divina, ſi ita ſcripturarum peritus eſt? Nonne hæc omnia ex fundamentis Aſtronomicis, quorum ipſo teſte imperitus eſt, deſumuntur? Et cur in anno 31. æræ Chriſtianæ à Buntingo, ex quo hosce dies deſcripſit, diſcedit, & Paſcha actum eſſe affirmat 26. Martii, feria ſecunda? Buntingus enim mecum id in diem 27. Martii collocat, in feriam tertiam, propter regulam Badu. Jam ad textum ſecundæ quæſtionis accedamus, quem hiſce verbis orditur.

Poſtquam hactenus ſatis ſuperq; demonſtravimus, firmiſſimisq; fundamentis probavimus, &c. Ubi quæſo, mi lector, animadvertiſti hactenus demonſtrationes Reuſneri? ubi ſunt ejus fundamenta. Si fundamenta ea intelligit, quæ prima pagina conſignavit, ea quoq; ego mihi præſcripſi, & eadem ſanctè obſervavi: ſed aliud inde, quam Reusnerus extruxi. Si fundamenta hæc gignerent demonſtrationes Chronologicas hoc in loco, tum in harum quæſtionum enodatione idem ſimul demonſtraremus, cum uterq; eadem fundamenta retineamus. Sed id non fit. Ergo hæc fundamenta pro demonſtrationibus hoc in loco aſſumi non poſſunt. Demonſtrationes in Chronologicis nullæ ſunt, niſi quæ fiunt, ex Chhracteribus Chronologicis in annis Julianis, quorum quidam ſunt Periodici, qui certo annorum orbe abſoluto recurrunt, ut: Cyclus Lunæ, Cyclus Solis, Indictiones, Anni item Sabbathici & Jobilæi: quidam verò tantum eventum aliquem anni alicujus determinant: ut ſunt Syzygiæ lunares, eclipſes, & Paſchata. Reliqua, ut autoritates hiſtoricorum & alia, variis modis eludi poſſunt, vel diverſitate initiorum in annis politicis; vel per diſtinctionem annorum currentium aut completorum: vel erroribus hiſtoricorum. In ſolis hiſce characteribus nullum patet effugium. Hosce autem Characteres cum Reuſnerus non adhibuerit, imo cum non [illegible], ut quos non intelligit, nulla omninò demonſtratione uſus eſt, & fruſtra ita gloriatur. Solet ita Reuſnerus ſua tanquam ex alto Dictatoris ſolio, nulla planè addita ratione vel demonſtratione proclamare, tanquam ab omnibus eadem eſſent pro oraculis habenda, & tantum non adoranda, quæ tamen, ſi ad veritatis examen exigantur, longiſſimè à veritate abſunt. Ego verò hosce Characteres

Chro-

Chronologicos ad omnes epochas in mea Iſagoge Chronologica diligenter adhibui; & quod rectè cum annis æræ Chriſtianæ conferantur, apertè demonſtravi. Si jam Reuſnerus idem præſtiterit, dum demum credemus, cum demonſtrationibus uſum eſſe.

Deinde addit Reuſnerus quædam de errore Dionyſiano, quod is referendus ſit ad annum Chriſti circiter 200. Sed qui rectè numerare poſſunt, ſtatim animadvertunt, ſi duo numeri inter ſe conferantur, & ultimi inæquales ſint, unitateque differant, quod etiã eos in initio differre neceſſe ſit, ubicunq; etiam error deliteſcat. Si Iigitur diſcrimen erit annorum ætatis CHRISTI, & annorum æræ Chriſtianæ noſtris temporibus, idem diſcrimen erit etiam in initio. Quod verò Reusnerus contrà ſtatuit, & omnes Aſtonomos, ut de his ſolis dicam, qui motus cœleſtes ab æra Chriſtiana deducunt, erroris damnat, adſcribendum eſt imbecillitati ejus judicii.

Tertiò Reusnerus in numerationem Urbis Varronianam invehitur, eamq; erroneam appellat, quæ multis impoſuerit, ubi ſe Ariſtrarchum & Cenſorem præbet & audacem & temerarium. Omnes enim ferè Præſtantiſſimos in re literaria hiſtoricos, ut: *M. Terentium Varronem Romanorum eruditiſſimum, L. Taruntianum Firmanum, T. Pomponium Atticum, M. Tullium Ciceronem, Auguſtum Cæſarem, C. Vellejum Paterculum, M. Verrium Flaccum autorem Tabularum Capitolinarum, Tiberium Claudium Cæſarem, Claudium Cæſarem, C. Plinium ſecundum, Plutarchum Cheronenum, Domitianum Cæſarem, P. Cornelium Tacitum, Caſſium Dionem, A. Gellium, Septimium Severum Auguſtum, Cenſorinum, Julium Philippum Auguſtum, Euſebium hiſtoricum, Eutropium, Paulum Oroſium, Paulum Diaconum Longobardum, Item noſtri ſeculi viros hiſtoriarum cognitione Clariſſimos, Carolum Sigonium, Cuſpimanum, Joſephum Scaligerum, Juſtum Lipſium*, & infinitos alios erroris damnat, & ſolum Dionyſium cum paucis noſtri ſeculi Chronologis imperitis verum dicere affirmat. Magnoperè vellem cauſas hujus ſententiæ Reuſnerianæ audire, & quomodo demonſtraret, tot & tantos autores errare, ſe verò ſolum ex Dionyſio verum dicere. Cum nemo quiſquam, quantum ſcio, tantum ſibi unquam ſumſerit, qui de hiſce autoribus ſententiam ferre voluerit. Minor profectò, quis ipſum in hac controverſia per annos plusquam 1600. inter eruditos agitata judicem fecerit, & ex quibus demonſtrationibus eam ita deciderit, ſive quas habuerit cauſas ita decidendi, proponat eaſdem, ut vere ſciamus Varronem & alios erraſſe, liberum hactenus fuit omnibus doctis, ut numerationem annorum Urbis, quam vellent ſequerentur, id, ut video in poſterum non licebit, cum tamen tantum ſit diſcrepantia de inito urbis Romanæ unum annum concernens, quæ Chronologiæ per ſe nihil addit vel detrahit, tantummodo ſingulis annis Characteres Chronologici addantur, vel aliàs cum alia quadam epocha conferantur. Exemplo hoc evidenti demonſtro. In annis hiſce æræ Chriſtianæ in hac propoſita Reusneri enodatione 14. 28. 29. 29. 30. 31. 32. 33. eoſdem conſignamus Conſules & eaſdem habemus epochas alias, cum tamen Reusnerus ſequatur ex ſuo quodam inſtituto Dionyſianam numerationem, ego Varronianam. Ille ad annum æræ Chriſtianæ 14. numerat annum Urbis 766. ex Dionyſio; Ego 767. ex Varrone. Sed cum iidem Coss. ad annum æræ Chriſtianæ 14. alligentur, Chronologia non turbatur, idem ſentiatur & de reliquis. Præſertim ſi adhibeantur Characteres, ut anno æræ Chriſtianæ 14. facta eſt eclipſis Lunæ paucis hebdomadibus poſt mortem Auguſti, hanc cum factam dicamus duobus Sextis Coss. Chronologia non turbatur, etiamſi Reusnerus eum annum vocet Urbis 766. Ego verò 767. Scimus enim hoc ex autoritate diverſorum autorum fieri.

Poſtea Reusnerus plenis buccis proclamat, me in omnibus epochis in alligatione ad annos æræ Chriſtianæ aberrare, ſe verò contra in omnibus rectè ſentire. Sed verba tantum ſunt, nullam in æternum demonſtrationem afferre poterit, me vel in una aberrare. Illum autem errare, & hic & in Epiſtola Chronologica ad oculum demonſtratum eſt, & ſi non errat, cur annos miniſterii Chriſti & alios ad meam Chronologiam emendat. Invidia & iracundia ejus in me concepta, quibus animus ejus intumuit, adeò hominem præcipitem ajunt, ut neſciat, quid vel dicat, vel ſcribat, tantummodo mihi ægrè, ut putat, faciat, ut in hiſce ſuis Chartulis ſatis apparet, ſed hominis malevoli vituperationes non magnoperè curo.

Addit prætera, æram Chriſtianam in mea Chronologia malè eſſe agglutinatam, & integro anno deficere usque ad Decii ſeculum. Si hoc verum eſſet, qui fieri poteſt, ut Reusnerus eundem annum æræ Chriſtianæ Coss. duobus Sextis, & aliis etiam deinceps in hac ſuâ enodatione mecum annotat? Num ſimul mecum errat? Verè neſcit homo, quid loquatur aut ſcribat.

Ad Appendicem Reusnerus ſic ſcribit. *Sed an Nabopollaſſar ſit Nabuchdonoſor cum nemine digladiaturum, utpote, quod id nec ſcienti multum proſit, nec ignoranti noceat. Nec enim, inquit, iſta controverſia ullum fidei articulum concernit, nec in ea ſalus animæ pericliatur.* Ex quibus maniſeſtiſſime apparet, Reusnerum Chronologiæ imperitiſſimum eſſe, cum in hac controverſia, utrum Nabopollaſſar ſit Nabuchdonoſor totus Chronologiæ nervus ſitus ſit, Nec enim alia manifeſtior ratio dari poteſt, quomodo anni à condito Mundo usque ad captivitatem Babylonicam in ſacris literis numerati, ad reliquas epochas gentiles, aut ad æram Chriſtianam alligari poſſint, niſi per Nabopollaſſarem, cujus annus primus eſt annus Nabonaſſaris 123. teſte Ptolomæo, & ejusdem Nabopollaſſaris triceſimus eſt quintus captivitatis Babylonicæ, teſte Ezechiele. Hinc enim anni Nabonaſſarei rectiſſimè ad annos ſacræ ſcripturæ alligantur. Ad Nabonaſſareos deinde anni Olympiadum, Urbis Alexandri, & æræ Chriſtianæ, atque ita Chronologia à condito Mundo ad nos usque conſignatur. Si hoc Reusnerus non novit, non miror eum in Chronologicis multum aberrare. Non quidem eſt articulus fidei, hoc ita ſtatuere, fateor, ſed nec eſt articulus fidei, an dicendum ſit, ego amas vel amat, Sic non contra articulum fidei peccarem, ſi dicerem, Auguſtum Cæſarem eſſe eundem cum Julio Cæſare, & ſic in aliis. Attamen ſi ita dicerem, hiſtoriarum imperitus, & fortaſſis mendax homo appellarer, ut ille, qui diceret, ego amas vel amat, barbatus & latinarum literarum ignarus. Idem ſentiatur etiam de hac controverſia. Quod Nabopollaſſar ſit parens Nabuchdonoſo-

ris extat apud Joſephum, ex duobus præſtantiſſimis hiſtoricis, qui interciderunt, Beroſo & Alexandro Polyhiſtore citatum. Cur hiſce non majorem fidem tribuerem, etiamſi alia argumenta abeſſent, quam Reusnero, qui ex ſui cerebri figmento, nulla autoritate ſcriptorum ſubnixus, ex patre & filio unum informe monſtrum bicorpor efformavit.

De expliatione capitis 50. Jeremiæ minitantis eandem cladem Babyloniis, qualem ſenſerant Aſſyrii remitto Reusnerum ad Theologos, qui dijudicent an Propheta cladem ab Arbace ante trecentos ferè annos Aſſyriis illatam Babyloniis minitari voluerit, & an futurum eſſe poſſit, quod propheta factum eſſe affirmat. Theologi enim regulam habent, quod in interpretanda ſcriptura ſequenda ſit ea ſententia, quam verba ſimpliciter intellecta gignunt, dum modo ea ſententia non cum aliis ſacræ ſcripturæ locis pugnet, At hic tantum abeſt, ut pugnet, ut etiam magnoperè in aliis locis confirmetur, ut Ezechiel cap. 31. & 32. eidem cladi Aſſyriis illatæ præmittet etiam Medos paulò ante ab Aſſyriis ad interneccionem cæſos, ut etiam Scytharum gentem à Medis, quæ omnia cum hiſtoricis eorum temporum ad annos excidii Hieroſolymæ exactè congruunt. At Reusnerus putat ſuum commentum ſatis eſſe, ut propterea nova interpretatio hiſce apertiſſimis locis affingatur; & calumniam vocat, ſi ex aperta ſententia ſimpliciſſimæ interpretationis, quam verba gignunt, erroris redarguatur, non ſine magna Theologorum injuria, qui ſic interpretari ſcripturam divinitùs jubentur.

Tandem Reusnerus, exemplo Apoſtoli Thomæ credere, vel potiùs cedere vult, ut ſcribit, à ſua ſententia, ſi ſucceſſores Nabonaſſaris ipſi nominentur. En præſtò ſunt, videat eosdem in canonibus Chronologicis Joſephi Scaligeri pag. 285. & tandem à ſua perverſiſſima opinione deſiſtat, Studioſos Chronologiæ amplius non turbet, & in rebus Chronologicis, quas tamen dignoſcere non quit, laureolam non quærat.

CL. VIRORUM

De Opere hoc Chronologico ſententiæ ac Judicia,

*ILluſtris Vir JOSEPHUS SCALIGER in Prolegomenis in Canones Iſagogicos, ubi de induſtria ſua contemptu conqueſtus eſſet, * * * ij fac. 1. ſic ſcribit:* Tamen hic contemptus veri, hæc obtrectatio nunquam facere potuit, ut animum à labore ad otium traduceremus. Minimum eorum, qui bona ſtudia juvare poſſint, me reputo, eorum, qui velint, nemini cedo. Itaq; cum viderem doctrinam noſtram à prophetis interpolari, ab imperitis negligi, à ſcurris derideri, à ſimiolis diſſimulari, tamen laborum meorum præmium ſatis id magnum fore conſtituebam, ſi vel unus tantum reperiri poſſet, qui noſtra legeret, lecta intelligeret, intellecta in lucem proferret. Deum Opt. Max. miſertum eſt tam noſtri, qui tam ingrato ſeculo ſtuduimus, quam illorum, qui inſcitia potius, quàm malitia à noſtrorum librorum lectione deterrerentur, & hominem è mediis invidiæ flammis ex ipſo obtrectationum ſtrepitu excitavit, probiſſimum, doctiſſimum accuratiſſimum SETHUM CALVISIUM virũ priſcæ illius Germanorum ingenuitatis & fidei, quarum virtutum notæ in majori parte hominum, qui iſtic literas tractant, obſoleverunt. Is ex doctrina noſtra luculentiſſimas præceptiones Chronologicas & eximium Chronicon inſtruxit, quod non ſolum ſuperiorum Chronologiarum luminibus obſtruit, ſed & quod ejusmodi eſt, ut præter illud, nullum verè Chronicon dici poſſit. Ille ut primus animi noſtri ſenſum odoratus eſt, ita primus inter Chronologos nugari deſiit. Nullum Achroniſmum in illo divino temporum ſacrario reperias, nullum delirium, nullam fanaticam Epochen γεωργίας, Jobeleorum, initii rerum; nullas vibices, quas imperitiſſima Catharorum & prophetarum natio miſeræ Chronologiæ inuſſit. Agnoſo quidem veſtigia doctrinæ noſtræ, ſed quam ipſe expeditiſſima methodo ſuam fecit εἷμα δύο, καὶ πορφυρῶν, λόγοισι ποικίλας καλοῖς. Hunc eximium artificem candidæ Juventuti tanquam exemplar Chronologiæ perfectiſſimum, incitantum proponimus, non ſolum ut ad ejus methodum, ſed etiam ad candorem & ingenuitatem ſeſe componant. Qui his virtutibus caruerit, etiamſi εἰς ἄκρον παιδείας ἑλληνικῆς, fruſtra ad hoc ſtudium ſeſe conferat.

Idem Lib. 2. Epiſt. 115. ad Iſacium Caſaubonum.

NUnc fervet Chronologia. Omnes hoc forum exolafaciunt. Aliquot Iſimiol (*ſimioli forſan*) noſtri hoc anno ferias ſuas ediderunt, ἑλικτὰ πάντα κ' οὐδὲν ὑγιές. (tortuoſa omnia: nihil ſani) Solus deſiit nugari ignoratus hactenus SETHUS CALVISIUS, homo Germanus, qui accuratiſſimum Chronicon edidit, noſtrarum rationum monumentis inſiſtens, ut ne latum quidem unguem ab illis diſcedat. Eum librum propterea, quod ad nundinas delatus non eſt, videre non potuiſti; quem verò ego habeo ipſius autoris liberalitate ad me miſſus eſt, eleganter ut captus Germanorum eſt, compactus, deauratus, punicatus. Tamdiu ego miſellus in ſterquilinio delitui, donec repertus eſt bonus iſte & doctus vir, qui rationes noſtras in lucem proferret, earumq; fructum huic ſeculo βαρβαρίζοντι proponeret. Vivet ille liber.

Idem ad Eundem lib. eod. Epiſt. 117.

NUper tibi SETHI CALVISII Chronologicon laudavi. Id planè ex rationibus noſtris collectum eſſe, etſiamſi ille bonus & eruditus vir non teſtatus eſſet, tamen res ipſa id palam loquitur. Solum illud eſt, quod poſt tot ſecula Chronologiæ nomine dignũ ſit, & ſanè meret immortalitatem.

Idem Iacobo Capello Lib. 3. Epiſt. 229.

SI quid de doctrina temporum, quod tempus ferre poſſit, meditaris, SETHI CALVISII exemplum ſequere, qui poſt hominum memoriam ſolus Chronicon ſcripſit. Nam quæ hoc nomine circumferuntur reliqua, putas ne me ea in Chronicorum cenſum reponere?

Idem Richardo Thomſoni Lib. 3. Epiſt. 240.

AIo tibi doctiſſimum Germanum, aliàs ignotum mihi SETHUM CALVISIUM, eximium Chronicon rationibus noſtris per omnia munitum edidiſſe. Solus ille optimus & eruditiſſimus vir repertus eſt, qui inter Chronologos nugari deſiverit. Opus eſt præſtantiſſimum, utiliſſimum & omni doctrina refertiſſimum.

Idem

Idem Chriſtiano Beckmanno Lib. 3. Epiſt. 254.

TU ſic æmuleris, quantum fieri poteſt, & utilli (*Taubmannum & Siberum notat*) Witebergam ſuam, ita tu cum Doctiſſimo CALVISIO Lipſiam facias illuſtriorem, quod olim à Camerario, viro admirabilis doctrinæ, factum meminimus.

Confer ſi lubet è præcedentibus epiſtolis ſecundam & quartam.
Hieronymi Treutleri Iudicium exhibet
Epiſtolarum præmiſſarum vigeſima prima.

CONRADI RITTERSHUSII JCti & Anteceſſoris in Academia Norimbergenſi, quæ Altorfii eſt ejusdemq; eo tempore Prorectoris

ENCOMIASTICON

De JOSEPHI JUSTI SCALIGERI Viri Illuſtr. Emendatione ac Theſauro temporum, & SETHI CALVISII opere Chronologico ſcriptum Menſe Octobr. Ann. M DC VI.

TEmpora digerere, atq; æras componere rectè
Et memorabiliter ſpacioſum geſta per orbem,
Ejus ab exortu primo usque ad ſecula noſtra
Conſignare libro, brevibusque includere chartis
Tot rerum monumenta, tot & volventia luſtra
Immenſæ artis opus, deſperandumque profanis
DIS geniti potuere altum ſuperare laborem,
Et pede felici ſtudium decurrere tantum,
Quantum ſe à læta naſcentis origine mundi
Porrigit ad fæces ejus triſtemque ſenectam.
Scilicet hoc verè eſt plus una vivere vitâ,
Temporaque elapſis præſentia nectere ſeclis.
SCALIGER hoc ſummus præcedit in agmine Præſul
Exemploq; docet ſcalis conſcendere Olympum
Eterris, animum cognataque ad aſtra levare.
Sic ſibi devincit meritis ingentibus omnes,
Qui ſunt, quiq; fuere & ſunt aliquando futuri.
Nec ſatis huic fuerat pulchro emendare labore
Tempora, & errorum fœdas detergere ſordes,
Barbaries quibus immunda omnia conſpurcârat,
Aut ſciolorum acies nimium lacerarat acuta;
Si non Theſaurum nobis quoq; conderet horum,
Theſaurum, totus quantum non conderet orbis,
Ut cunctas comportet opes, ut & omnia tentet.
Quæſat digna viro perſolvi præmia poſſunt,
Munera qui toties tot tamq; ingentia docti
Cordis inexhauſtis penetralibus eruta profert?
Et tamen (o probrum ingrati atque infamia ſecli!)
Exſtiterunt Larvæ atque homines maledicere nati,
Qui tanto oblatrare viro bellum atque decorum
Crediderint ſibi, perſuaſi ſe ita creſcere poſſe,
Nominis excelſique ſuum ædificare ruinâ.
Fallimini ah! miſeri! Hoc, ad quem adſpiratis honorem,
Non vos ducit iter: Sed enim hinc infamia naſcens
De vota æternis damnabit nomina diris.
SCALIGERUM at celſum ſcandet ſuper æthera nomen,
Nulla quod unquam avido conſumet dente vetuſtas.
Zoilus ut fruſtra magno obtrectavit Homero,
Atq; aliorum alii lacerarunt nomina ſacra:
Herois vos ſcripta atro carbone notatis.
At quibus eſt melior mens & ſententia ſana,
SCALIGERO immenſas grates debere fatentur,
Atque animis gratis ſumma illius arte fruuntur.
TE quoq; SETHE, ò quam numero hac in claſſe libe.
Impia tu inſanæ fugiens divortia turbæ,
Signatum per iter figis veſtigia recta,
Comiter atque aliis porro hæc compendia monſtras,
Tecum & odoratum ducis veſtigia divi
Scaligeri: quem quò magè lurida lædere tentat
Lingua virûm, hoc floret magis & caput altiùs effert
Divinum, & telo non eſt penetrabilis ulli:
Obſcuri aſt alii umbrarum de more vagantur.

Hoc

Hoc dum te clypeo contra adverſantia munis
Agmina, prorumpes tecto latere obvia quæque,
Atque reportabis ſuperato ex hoſte triumphum.
Nos tibi gratanti deinde acclamabius, Euge!
Carmine, Iè, SETHE O feliciter, Euge triumphe!
Candida transmittat te æterna in ſecula Fama,
Tempora tam certo qui nobis limite ſignas.

M. LAURENTIUS FABRICIUS, Hebr. Lingv. in Acad. Witeberg. Prof. in Epiſtola 17. Januar. 1606.

INfortunium tibi accidiſſe ex cruris læſione vehementer doleo. Gaudeo vero animi vires non eſſe fractas. Jam ante annum lecto affixus, poſtquam tantorum de te au[illegible] judicia, vaticinatus ſum, te evaſurum in magnum hiſtoricum, non talem, quales multos fert Germania, qui hiſtoricos ſe eſſe putant, ſi multas res geſtas variarum gentium legiſſent, & quælibet narrata authentica faciunt, aut ἀυλαλθῆ, quosvis etiam in album probatorum Chronologorum referunt, quicunq; aliquid ſcripſerunt. Video tuam operam hoc ſolo non ſubſiſtere. Non ſolum ad clavum ſedes, littoraq; legis, ſed & Helicen attentè adſpectas, ac cyclis lunaribus & ſolaribus omnia, tanquam Lydio lapide æſtimas atq; probas. Perge ita in nomine Domini, ac hiſtoriis magnam affecto lucem & certitudinem, quæ duo hactenus crure uno, altero fracto incedebant. Valdè mihi arriſit, quod Prophetam illum Pareum excepiſti dignis modis. Dignus fuit, qui hoc modo imò durius tractaretur. Miſerè enim iſti Cathari hiſtorias conſpurcant & neſcio quas ϖαρὰς ab initiò mundi ad Chriſtum natum faciunt, ut nullibi veræ Epochæ aliis ritè connectantur, ac tot diverſitates inde oriantur, quot capita viſa aut reperta iſtorum Chronographorum. Tu poſtquàm Joſephus Scaliger ſuum edidit Euſebium omnia limatiſſimè elaborabis, ac tuam introductionem hiſtoricam nobis notis terſam & pleniorem nec non dilucidiorem in multis exhibebis: Quod an brevi ſit futurum vehementer ſcire aveo.

REINHOLDUS FRANCKENBERGER, in Academ. Witenb, P. P. 10. Maj. 1609.

VIri Reverendi Dn. D. Joh. Bohemi mediocri notitiâ & ejusdem, quæ tuæ Excell. cum illo intercesſit, inſigni amicitiâ fretus haſce literas ſcribere non ſum veritus. Itaq; primum ut debeo, ita tuæ Excell. gratias ago, quod maximis beneficiis ejusdem auſpiciis in me collatis ab ea ornatus atq; cumulatus. Chronologiæ enim purioris & certioris ſcientia, in noſtram Academiam tum legendo tum diſputando tua potisſimum operâ propagata factum eſt, ut cum in aliis maximum, tum in me etiam non nullum illius cognoſcendæ deſider um ſit relictum.

JOHANNIS ISAACII PONTANI, Hardevici in Ducatu Gelriæ Profeſſoris Epiſtola.

QUod te, Vir Cl. ignotus compellem, idque ſcriptione ſubitanea, atq; ideo fortaſſis etiam inſubida, in cauſa fuit, qui has exhibet vir φιλόκαλος Johannes de Peren civis noſter, mihi olim, Romæ cum agerem, familiariter notus: nunc autem Amſtelodami in ædibus fratris mei, ubi inopinato accepiſſem, Lipſiâ profectum, eundem in urbe adeſſe, moxq; compellaſſem, & inter alia de doctis, ut fit, & claris iſtius tractus viris non nihil injiciens, tibi eundem Johannem à Peren familiarem & amicum eſſe intellexiſſem, ex amico veteri novus mihi, imo amicior, quam dudum redditus videbatur. Nam ex quo ſemel Chronologica tua legere cœpi, ſemper animo meo SETHUS hæſit. SETHUS inquam, qui ob idem inſigne ſtudium, aliasq; præclaras animi dotes inter charos, jam diu habitus, magno noſtro amico & Heroi Joſepho Scaligero, ingenti Reipubl. literariæ detrimento nuper defuncto. Sed tu aliiq; ejus vices ſupplebitis: Et Tu præcipuè, cui etiam indecurſus adhuc, ut Perſii illud huc accommodem, lampada jam tradidiſſe, in Chronoligicis præſertim, Scaliger noſter credebatur. Certè præter Te, quem animi ſui ſenſum primum ſubodoratum, primumq; inter Chronologos ſcopum tetigiſſe diceret, habebat neminem. Macte hâc virtute Vir Cl. & perge non illud tantum noſtrum, ſed omne ævum ejusmodi laboribus demereri. Intelligebam ex eodem noſtro amico aliquid jam præ manibus tibi eſſe, quod lucem propediem aſpiceret, ſed quid id propriè eſſet, ut homo colorum quam librorum ſtudioſior indicare accuratè nequivit. &c.

B. D. HIERONYMUS KROMAYER, Prof. Theolog. in Acad. Lipſ. in Præfatione ad Onomaſticum CALVISII, pridie Cal. Auguſt. 1650.

SIve ſtudiorum, inquibus ad invidiam excelluit CALVISIUS noſter, ſubtilitatem, ſivè raritatem, ſivè prolixitatem ſpectes, non admirationi ſed ſtupori & indigenis & exteris Vir iſte incomparabilis extitit.

Et poſtea.

IN Chronologicis non aliorum duntaxat veſtigiis CALVISIUS NOSTER inhæſit, aut aliorum inventis nova indutis veſte ſuperbivit, ſed in fontes ipſos inquiſivit, & quibus aſſerta reliquorum fundamentis nitantur, acerrimo ſtudio fuit ſcrutatus. Quin & Iſthmum fregit aliis & primus accuratam Chronologiam [at quantum opus, res geſtas ab orbe condito ſuis temporum articulis, ceu anſulis, ἀφὶζ connexas per tot mille annos exhibere.] Corporum cœleſtium motibus conformem, cum Epochis aliarum gentium accuratiſſimè collatam, & ex ipſis circumſtantiarum viſceribus erutam poſteritati reliquit.

FINIS.

Digitized by Google